JACOBI ALTING,

dum vixit

S.S. Theologiæ & Linguarum Orientalium Professoris,

Verbique Divini Ministri in Academia Groning-Omlandicâ

OPERA OMNIA

THEOLOGICA;

ANALYTICA, EXEGETICA,

PRACTICA, PROBLEMATICA:

& PHILOLOGICA.

In Tomos quinque tributa.

AMSTELÆDAMI,

Excudit GERARDUS BORSTIUS, cIↃ IↃc Lxxxvii.

OPERA OMNIA

THEOLOGICA

ILLUSTRIBUS. ET. POTENTIBUS.

DOMINIS.

GRONINGÆ. ET. OMLANDIÆ.

ORDINIBUS.

RELIGIONIS. VINDICIBUS.

LIBERTATIS. STATORIBUS.

PATRIÆ. PATRIBUS.

PIIS. FORTIBUS. FELICIBUS.

OMNIA. JACOBI. ALTING. OPERA.

QUA. DECET. VENERATIONE.

INSCRIBIT. ET. OFFERT.

DEVOTISSIMUS. CIVIS.

GERHARDUS. JAC. F. ALTING.

ILLUSTRES ET POTENTES DOMINI.

CUM veſtræ voluntati obſecutus quondam Parens meus, vocatione in abſentem in Anglia decretâ, Illuſtri Athenæo Veſtro, docendarum Orientalium Lingua-

guarum causa, admotus fuit, unicum hoc sibi negotium dari credidit, qui commendationi & exemplo Celeb^mi. Antecessoris, Vestræque expectationi responderet, indefesso labore operi incumbendo; quam provinciam adeo exornare Vobis visus est, ut & alii non Academiæ cancellis includendæ, sed amplissimo Auditorio sanctorumque panegyri inserviendæ parem esse judicaretis, Ecclesiastis Ordinum munere in eum collato; Neque heic substitit Benignitas Vestra, posteaquam enim, perviginti annos, docentem solidè Theologiam audiveratis, ceu applausus testandi gratiâ, è re Academica esse censuistis, ut hic Cathedram Theologicam conscenderet, cujus fidem, industriam, doctrinam & exemplum explorata habueratis.

Hæc Vos, ILL. & POT. DOMINI, tanta beneficia in Patrem meum b. m. contuliſtis, quorum recordatio sæpissime ex ore ipsius hausta non potuit non memoriæ meæ infixa esse, maxime, cum jam penè decurso stadio, & quasi metam attingens pius Senex eam refricaret; Attamen si nihil aliud extaret, quam aut illa commemoratio, aut mea ejusdem memoria, brevi inter moriturum erat, quod in seras ætates prædicari æquum est; Huic incommodo parens provisum voluit, cum editione operum mandata, à vestro NOMINE illa appellari jussit: nihil enim erat, quo tantum totiesque repetitum nomen expediret, nam quid summæ potestati civis, aut Principi privatus, pro immensis benefactis referret? nisi hoc unicum placeat, ut rationem otii sui, exactique temporis, reddat.

Redeunt itaque ad Vos, ILLUSTR. & POTENT. bonarum Literarum MECOENATES,

meditationes, quas veſtra munificentia fotus humillimus cliens ex completo divinorum Oraculorum Theſauro impigro labore erutas, maximam partem frequenti Auditorum coronæ propoſuit: Quæ propterea offeruntur, cùm ut ſententiam ex iis feratis, an dignè opinione veſtrâ ſpartam ſuam tuitus ſit, quod bene actæ vitæ conſcientia ſperare juſſit, tum ut quem vivum veſtro favore ſuſtentaſtis, ejus, quo poſt mortem vivet, ingenii fœtum Veſtra manu tueamini: Utroque modo NOMEN Veſtrum in ſeros nepotes propagabitur, virtutique, poſt funera, ſua conſtabit gloria. Me autem unicum, ut, ἓ παραινῶ, perinde & hujus ultimi beneficii hæredem perpetuumque animæ hujus debitorem obſtringetis, ut qui omne quod in me eſt, omneque quod meum poſſideo pro ſalute Patriæ, veſtraque devovi: Ita Vos amet atque ita Vos ſoſpitet ſupremum NUMEN, ILL. & POT. DOMINI, ut, quod facitis, æternùm Boni publici, Bonorumque Præſidium & Decus clueatis. Dabam Groningæ ad d. Kal. Novemb. MDC. LXXXVII.

IN UNIVERSUM HOC OPUS
Ad candidum benevolumque Lectorem
PRÆFATIO.

BALTHASAR BEKKER S. T. D.

Eccl. Amſtelædam. Miniſter S. & O.

QUantæ ſit molis magna magnorum virorum opera in lucem producere, id ego jam meomet uſu abundè perdidici. Nec tamen pœnitet facti; ſiquidem his jam coronidem imponere, manumque de tabulâ tollere datum eſt: quo ſanè vix quidquam magis unquam me deſideraſſe, id eſt quod ingenuè profiteor. Nihil enim tale cogitantem, viribusque imparem, nec otio valentem longus gravisque labor invaſit. Quibus ex cauſis atque occaſionibus id mihi acciderit, quatenus tuâ, Lector benevole, ſcire intereſt, paucis accipe. Author de ſtudiis meis Hebraicis olim optimè meritus & poſt aliquot deinde annos Thelogiæ profeſſione auctus, me jam tum in ſecunda Miniſterii mei ſtatione conſtitutum, memoremque beneficii, quod priſtini præceptoris reverentiam exigebat, in repetitæ amicitiæ conſuetudinem ultrò admiſit. Exinde orta mox tempeſtate, quam novæ profeſſionis nova methodus, ejusque vetus invidia excitabat, ſæpe mihi querulus aperuit motas domi controverſis, & quæ ſibi de ſingulis mens eſſet candidus expoſuit. Me hîc hæſitantem, illic diſſentientem, in cæteris docilem, æquiſſimè tulit. Ego quæ adſequi non poteram admirabar; alia utcunque intellecta, nec tamen probata, quæ meæ eſſe poterat mentis infirmitas, interim ferre paratus. At quòd non idem omnium animus eſſet, facilè in partem invidiæ, quæ authorem premebat, & ipſe pertractus ſum. De qua non eſt hîc dicendi locus; niſi quod ſic nihil deceſſit amicitiæ, acceſſit magis. Exinde enim conſortem fortunæ ſuæ impenſiùs amavit; id quod plus centum epiſtolis, uno ſexennio ad me ſcriptis, ſignanter teſtatus eſt. Fecit tanti viri tantique affectus recordatio, ut, poſtquam ad plures abiit vir inſignis, cum Filio hærede, & primariis diſcipulis de poſthumorum ſcriptorum editione deliberantibus, conferrem conſilia. Horum princeps erat vir doctiſſimus *Jacobus Rhenferdius*, tum quidem privatus, & urbis noſtræ incola; exinde jam Linguarum orientalium in Academia Franequerana Profeſſione publica, vulgatoque nuper inſigni ſpecimine clarus. Urgebat hoc inſtitutum *Johannes Bekker* frater mihi ex uno parente chariſſimus, verbi divini in Bellingweer, qui haud frequens in Omlandia locus eſt, Miniſterio, jam à quadriennio, & quod excurrit, ſimul cum vitâ defunctus; aliique deinceps, quorum nomina ſequentibus præfationibus inſcripta ſunt. Unum hoc omnium judicium fuit, committendum non eſſe, ut tam inſignis Eccleſiæ doctor, qui dum viveret, doctrinam veritatis quæ ſecundum pietatem eſt, ore ſcriptiſque ſummopere illuſtraverat, atque utroque modo longè lateque inclaruerat; idem poſt fata orbi literato editis libris non præfulgeret. Itaque ratum duximus, magnum hoc noſtri *Altingii* ingenium proprio ipſius calamo exactiſſimè depictum,

ctum, omnibus exhibendum offerre. Hinc factum quod *Gerardus Borstius* Bibliopola Amstelædamensis se obtulit, qui universa magni ejus viri opera typis describeret, & sufficienti numero emptores concitaret: qui nominum suorum subscriptione imminensis sumtibus sublevandis fidem obstringerent.

Conditiones præcipuæ sic habebant.

I. *Universum Opus, 6. Voluminibus absolvetur, quorum singula 250. vel 260. foliis constabunt: chartâ, typis, formâ iisdem quibus primus folium exhibetur.*

II. *Omnia intra triennium cum trimestri absolventur, quod à Kalendis sextilibus 1684. inchoabitur.*

III. *Qui nomina subscripserint, iis eodem pretio quo Bibliopolis, id est, 12. ducatis argenteis opus totum concedetur.*

Singulis autem Tomis sequentia assignabantur.

TOMO I.

I. *Analysis Exegetica in Genesin, Exodum, Leviticum, Numeros.*
II. *Commentarius plenissimus in Deuteronomium* ab initio ad cap. 19. v. 11. perductus.
III. *Analysis Exegetica in Psalmos* 24. *priores.*
IV. *Lectiones in Jeremiam totum.*

TOMO II.

I. *Commentaria in loca quædam selecta Vet. Test.*
II. *Paralleliſmi Vaticiniorum ex Matthæo,* ab initio usque ad cap. 13. v. 11. exclusivè.
III. *Commentaria in loca selecta N. T.*

TOMO III.

I. *Commentarii absolutissimi Theorico-practici in Epistolam ad Romanos,* pars prior.

TOMO IV.

I. *Commentarii in Ep. ad Rom.* pars altera.
II. *Analysis exegetica Epistolæ ad Colossenses.*
III. —— *ad Hebræos* cap. 9. priora.

TOMO V.

I. *Schilo* ante hac editus, & postea ab ipso Auctore recensitus.
II. *Commentarii in Decalogum.*
III. *Sabbathum merè Euangelicum.*
IV. *Dissertatio de Sabbatho Catechismi Palatini & Synodi Dordr.*
V. *Heptades IX. Dissertationum Academicarum.* Quarum tres antehac unico volumine in Quarto seorsim editæ sunt.

TOMO VI.

VI. *Sciagraphia Biblica* seu *Specimen Œconomiæ Fœderum Dei.*
VII. *Analysis exegetica Catecheseos Palatinæ.*
VIII. *Commentarius analyticus in Methodum Theol. Didacticæ* H. Alting.
IX. Tractatus varii Theologici & Philologici.
X. *Grammatica Ebræa & Chaldæo-Syriaca.*
X. *Praxis Grammatica in Psalmos* 31. *priores.*
XII. *Epistolæ ad amicos.*
XIII. *Indices.*

Et ista tum quidem ut edocti eramus, hac ratione digessimus: nunc autem paulùm mutata methodo non *sex* sed *quinque* voluminibus universa Authoris Opera hoc ordine exhibemus.

TOMO PRIMO.

I. II. III. IV. Eadem omnia quæ illi in priore illa diathesi destinata.

TO-

PRÆFATIO.

TOMO SECUNDO.

I. & II. Eadem quæ ibidem.

Deſunt *Conciones in loca ſelecta Novi Teſtamenti*, quas in finem quarti retulimus.

TOMO TERTIO

Commentarius in *Capita* 10. *priora Epiſtolæ ad Romanos*, continetur; ut & antea ſtatutum fuit, niſi quod undecimum caput, quod eodem volumine ſimul capi poſſe putabamus, (ut præfatione in hunc tomum diximus) ſequentibus conjungendum fuerit.

TOMO QUARTO.

I. II. III. Eadem quæ ſupra.

IV. Quibus accedunt *Conciones in loca ſelecta Novi Teſtamenti.*

TOMO QUINTO.

Poſtremis duobus voluminibus deſtinata pleraque omnia: quod minorem molem ſimul congeſta & cominus perluſtrata componerent, quam ex incerta relatione de pleriſque nondum viſis cum prior Diſpoſitio fieret, conjicere potuimus. Interim pauca quædam deſunt: accedunt plura; ut & præfationes poſtremæ docent, & ſequentia oſtendunt. Prior numerus præſentem ordinem, poſterior eum qui in veteri ſchemate eſt indicat.

1. III. *Sabbathum.*
2. I. *Schilo.*
3. VII. *Analyſis exegetica Catecheſeos Palatinæ.*
4. VIII. *Commentarius analyticus in methodum Theol. Did. Henrici Alting.*
5. V. *Heptades novem.*
6. VI. *Sciagraphiæ biblicæ initium.*
7. IV. *Diſſertatio de Sabbatho Catechiſmi Palatini & Syn. Dordr.*
8. *Orationes duæ*, prioribus conditionibus non promiſſæ.
9. XII. *Epiſtolæ.*
10. IX. *Tractatus varii* ſub nomine *Mantiſſæ Miſcellaneæ*, qua continentur opuſcula quinque, in titulo ſpeciali expreſſa.
11. X. *Grammatica Ebræa & Chaldæo-Syriaca.*

II. *Commentarium in Decalogum* ſeorſim promiſimus ex errore: ſiquidem is Commentariis in Deuteronomium Tomo primo exhibitis continetur totus; ex quo ab autore in belgicum ſermonem deſcriptus, & ſingulari libro editus fuit. Cæterum *præfationi* ejus primum locum in *Mantiſſa* fecimus; quem illi in dicto Commentario non convenire, facilè quivis judicet.

XI. *Praxin Grammaticam* cur non exhibeamus, cauſam diximus tomi quinti præfatione. Eſtque hoc unicum quod ex promiſſis non exhibetur: at orationibus iſtis octavo loco indicatis compenſari poterit. Deinde major *Mantiſſæ* acceſſio eſt, quàm initio *Tractatuum* nomine exhibere animus erat: ſiquidem pleraque tum nondum oculis noſtris objecta; alia verò (uti dictum in præfationibus eſt) & quæ putabamus adjicienda, initia tantum quædam prælectionum vel diſſertationum eſſe comperimus.

Et hoc quidem horum operum edendorum inſtitutum hæc ratio fuit: reliqua è ſingulis præfationibus, quibus omnibus, etſi prior ordine, hæc tamen tempore poſterior edita eſt, petenda ſunt. In iis qua ratione animum ad hæc opera edenda appulerim, ſecundo maximè tomo longius præfatus ſum. Neque in ſingulis quid alii vel mecum vel poſt me præſtiterint diſſimulavi. Unus autem hic mihi memorandus eſt vir reverendus *D. Hermannus Warendorpius* Eccleſiaſtes Winſumanus in Omlandia, qui partem Commentariorum in Eſaiam ſollicitè accuravit; id quod ſuo loco, facti tum neſcius, indicare non potui. Neque omninò prætereundus *D. Georgius de Jager* V. D. M. in Bellingweer ejus vicinus, qui ne quid publico dignum intercideret, diligenti ſcrutinio cavit. Me verò quod attinet, niſi egregium hoc opus ſit, quod adjuvantibus amicis bono publico vulgavi; magnam certè cum temporis tum proprii laboris jacturam feci. Quippe quod toto triennio amicos undiquaque interpellantes Commentarii mei in Danielem promiſſione ſuſpenſos teneo; id dimidia parte Altingianis curis, altera corporis invaletudini, (ex qua nunc tandem à duobus menſibus, ſingulari Numinis clementiâ, plenè eluctatus ſum) adſcribendum eſt. Perutilem tamen me in iſtis operam collocaſſe cum ex eo perſuaſus ſum, quod jam benè multis emptoribus diſtracta pars magna exemplarium eſt; tum quòd id operis argumentum, ea ſit facies, quæ doctis quamplurimis non poſſit non maximè placere. Nam in Criticorum quos dicimus commentariis ſi quid rectè dictum inveneris, hic certe noſter in *Epiſtolis*, in *Schilo*, in *Heptadibus* & paſſim ubique, ſingulis paria, multis potiora produxit. Theologiam quis neget, ubicunque communi Eccleſiæ doctrinæ explicandæ incumbit, (in quo maximam operis partem collocavit) id eum præ aliis haud paucis, iiſque non ſine nomine Theologis, ſolidè, accuratè & efficaciter egiſſe. Sicubi à recepta vel communi ſententia diſcedit; illud tamen imprimis ſibi curæ eſſe oſtendit, ut ſtabilitam Formulis Concordiæ doctrinam non tantum retineat, ſed etiam confirmet. Adhæc ſingulares ſententias, quales maximè *Sabbathum* & *Spes Iſraëlis* produnt, ita paſſim rationibus magno ſcrutinio conquiſitis & exactiſſima methodo diſpoſitis adſtruit; ut non petulanter, (quod faciunt quidam) ſed prudenter; nec novandi, ſed docendi, imò diſcendi quoque ſtudio feciſſe appareat. Quare ut ego, ſic alii quibus æqua mens eſt, illud eximio authori vitio quiſque non vertimus, ſi quæ palato minùs congrua ſcriptis aliàs cedro dignis permixta deprehendamus. De Concionibus, quarum uberem nobis copiam tribus maximè voluminibus ſuppeditat, illud ſaltem dicere habeo; eas ab ipſo in uſum privatum ſcriptas nec typis deſtinatas fuiſſe univerſas, quin ſingulas priùs, (quod in Epiſtolæ ad Romanos partem præſtitit) iterata lectione recoluiſſet. Methodus multis uſu probata ſi cui Neotericorum minùs arrideat; (ut plura ſunt hodie in quibus à veterum more diſceditur) nihil tamen obſtabit quin placeat omnibus argumentum, & exacta multorum dogmatum ad theoriam & praxin facientium pertractatio. Quidquid ſit, cum multa paſſim laudemus & maximè, quæ non in omnibus probamus; ita cuivis hîc uſu venire oportet. Adde quòd nihil omninò ſcriptis his editum appareat, quod non permultis iiſque doctiſſimis hominibus probetur: ut mirum nulli videri poſſit, ſi ego, qui non in omnibus me adſurgere Authori ingenuè profeſſus ſum, ejus tamen opera univerſa in publicum produxi. An enim nulli alienum quid edere

dere liceat, niſi quod probet? ita multis millibus monumentorum veterum carere debuiſſet poſteritas, quæ Gentilium quoque cum Philoſophorum tum Poëtarum ſcripta quod extent hodie Chriſtianis authoribus debet. Et hæc quidem præfationi ſufficere poſſent, niſi de Altingii noſtri *Effigie*, quam nos primo huic tomo præfigere voluimus, atque etiam promiſimus, id unum monendum eſſet; multis curis multiſque impenſis tentatam fuiſſe, quæ ab artificibus ad pictum ſculptumque exemplar, à multis annis, atque ipſo adhuc juvene expreſſum, exigeretur. Sed nimia diſſimilitudine, quam induxit ætas & noſtra dictabat memoria, qui eum in poſtremos uſque annos perſæpè ſpectavimus, non potuit quidquam depingi quod faciem rite repræſentaret. Quare ut ſenem vel ſaltem provectiorem ætate haut denuò depictum nunc ſerò dolemus; ita, nullam potiùs quam plane diſſimilem imaginem præbendam cenſuimus. Quod ne fraudi ducas Borſtio noſtro, qui pares tamen ſumptus facere debuit ac ſi ex voto res ſucceſſiſſet, nec id conditionibus expreſſe promiſerat, id eſt quod à tua æquitate omnino ſperamus. Interim ut Mentis Altingianæ imaginem his ſcriptis late depictam, quòd longe amplioris cum utilitatis tum jucunditatis erit, inſcriptam cordibus teneamus; orandus eſt ille, qui tenue corpuſculum tantiſper habitandum conceſſit, donec conſilio ſuo inſerviendo fideliter defunctum in cœleſtem civitatem traduxit. Ubi dum fidelis Dei ſervus gaudio fruitur Domini ſui, id nobis unicum reſtare exiſtimandum eſt, ut eodem conſtantiſſima fide & ſincera pietate contendamus. Dabam Amſtelædami VI. Id. Sept. cIↃ IↃc LXXXVII.

JACOBI ALTINGII VITA.

ALTINGIANÆ familiæ origo perantiqua, nominisque in urbe Groninga & vicinis Gelriæ ac Drentiæ regionibus jam à trecentis annis præclari fuit. Quippe certò constat, MENSONEM ALTINGIUM Reinoldo tertio, cui pinguis cognomen erat, Gelriæ duci à consiliis fuisse; belli autem causâ, quod tum inter fratres exarserat, anno decimi quarti seculi sexagesimo primo in Drentiam concessisse. Posthæc alius MENSO ejus pronepos, anno superioris seculi tertio & vicesimo cum duobus aliis, à parte Ordinum Drentiæ, Carolo item Gelriæ duci obses datus est. Qui ejus comperta fide, quam isti fallebant, ipsum sponte, nec illaudatum dimisit. Hujus ex filio RUDOLPHO prætore Eeldano & post Urbis Groningæ jurato nepos tertius MENSO Jacobi nostri avus paternus exititit, vir verè magnus, deque Ecclesiæ reformatione optimè meritus: cujus vitam Historicorum ille Frisiæ princeps *Ubbo Emmius* studiosè descriptam, multisque præclarè gestis decoram, hæredes tenent; dignam sanè quæ tandem semel publico donetur. Memoriæ traditum inter alia est, ipsum inter primos ad Helpenam vicum Groningæ suburbiis adjacentem, imò & in ipsa Urbe Euangelii doctrinam à Papismi labe repurgatam, sub annum præcedentis seculi sextum & sexagesimum annunciasse: hinc grassante Albani ducis tyrannide primum Heidelbergæ, deïn Embdæ ab anno septuagesimo quinto fidelem Ecclesiis operam præstitisse; cum Anabaptistis & Ubiquetariis sæpè fortiter collectatum: Novendecim abhinc annis reformationem in Groningana Ecclesia, post urbem Hispanis ereptam instituisse; adjuvantibus *Sibrando Lubberto* & *Martino Lydio* Theologis Franequeranis. Mensonis istius patruum EGBERTUM ALTING literis egregiè excultum, reipublicæ Groninganæ perannos quadraginta quinque integros summa fide à secretis fuisse comperimus: cujus filius JOACHIMUS doctrinam laudabilem, atque è decennali peregrinatione longam rerum experientiam adsecutus, inter primos expugnatæ urbi consul datus est: autor præcipuus prolatorum pomœriorum, & stupendæ munitionis, vindicatæ & postliminiò restitutæ libertatis suffragiorum in creando senatu, societatis Indicæ Occidentalis initæ & ordinatæ; Academiæ, cui condendæ graviter incubuerat, sæpè Curator. Pater fuit Jacobo nostro Mensonis istius quem postremò dixi filius, celeberrimi nominis Theologus HENRICUS ALTING, primum Heidelbergensis, tum Groninganæ academiæ fulgentissimum sidus: de cujus viri laudibus præstat omninò tacere quam pauca dicere. Mater SUSANNA BELIER, *Caroli Belier* Consulis Heidelbergensis & provinciæ commissarii ac *Franciscæ Saureau* filia; qui religionis ob causam Tornaco Flandrorum Heidelbergam concesserant. Hæc marito suo per annos triginta suavissimè convixit, atque anno hujus seculi decimo octavo ista in urbe JACOBUM filium peperit, de quo nobis nunc sermo est. Dies erat dominicus, septimus & vicesimus Septembris, hora sesquinona vespertina. Natus autem vir sapientissimus in Collegio Sapientiæ est, cui pater tum simul cum publica Theologiæ professione præerat: absens tamen, utpote ad Synodum Dordracenam unà cum Sculteto & Tossano profectus. Sacro fonte noster initiatus Ecclesiæ est in templo urbis primario, cui ex veteri superstitione à Spiritu S. nomen est; susceptore Patruo *Johanne Alting* cos. Nomine sororii paterni *Jacobi Mannens* Gandavensis, ob religionem itidem exulis: ab eo JACOBUS appellatus est. Hujus vitam primò privatam, tum publicam, tandem domesticam quoque, qua fieri brevitate poterit, enarrabimus.

Post sopitas in fœderato Belgio controversias Patre tandem reduce, mox adeo civilibus Germaniæ bellis turbatâ Patria est; ut adhuc in cunis penè vagiens vix diu quiëverit puer, exilium priùs quam Patriam didicerit. Bimulus enim, ne Spinolæ gravem manum experiretur, unà cum Sorore & Fratre Brettam, Melanchtonis Patriam, ad Christianum Chytræum Ecclesiæ ibidem ministrum; sequente mox anno, propter imminentem Heidelbergæ obsidionem, matre etiam comite, eâque tum gravida, Hailbronnam, indeque exacto anno Schondorfium missus est. Quò tandem Pater quoque, capta per Tillium urbe, quousquè stationem suam constanter tenuerat, solus concessit. Qui inde in Hollandiam accitus à principe suo Bohemiæ rege, primò quidem cum familia sinuoso itinere Embdam delatus; filium hunc quinquennem *Johanni Casparo Hopfio*, qui postea Landgraviorum Hassiæ studiis præfuit, imbuendum literis tradidit. Uno post anno, cum Pater regiis filiis præfectus, Leidam, indeque ob ingruentem luem epidemiam Honselardiquam familiam transtulisset, biennium ferè in Hollandia exegit: donec tandem nonum agens annum Groningam, sedem sibi divinitus fixam pervenit; Patre ad professionem Theologicam honorificè illuc vocato; quem uti Rex ægrè dimisit, ita à Groninganis dignius exceptus habitusque fuit. Hîc unà cum fratre MENSONE, qui ipsum uno tantum anno ætate anteibat, à Patre studiis liberalibus; primùm quidem in schola triviali, cui jam tum *Joachimus Borgesius* præerat; deïn exacto semestri *Johanni Fockenio*, anno autem sequente *Danieli Berkringero*, celebri postmodum apud Ultrajectinos Philosopho traditus est. At cum hic biennio post principum palatinorum studiis præficeretur, nactus est noster præceptorem virum egregium, eundemque de meis quoque Linguarum & Philosophiæ studiis meritissimum *Tobiam Andreæ*, Historiarum & Græcæ linguæ Professorem postea celeberrimum & insignem Philosophum. Quàm benè autem JACOBUS noster præceptori huic suo (qualem ipsum, licet collegam, semper tamen veneratus est) & ingenio & industria responderit; id unum argumento est, quod simul cum fratre examine decretorio, (cui *Meivartus*, *Gebhartus & Pasor*, Philosophicæ facultatis professores præërant) exploratis egregiè profectibus, communi suffragio ad Academiam, ipse tum vix tredecennis adolescens, promotus sit. Anno igitur 1631. die 19. Sept. Rectore *Antonio Matthæo* Icto clarissimo in Studiosorum album relatus, mox Philosophiæ & Philologiæ studia sub iisdem *Meivarto*, *Gebharto*, *Pasore*, *Andreæ*; linguæ autem Hebreæ imprimis sub celeberrimo *Gomaro*,

ro, privatumque *Victorino Bythnero* tum Theologiæ Studioso, post clarissimo ejusdem linguæ Professore Oxonienſi, feliciter posuit. Linguis autem orientalibus præ cæteris intentus anno 1638. 22. Martii, Embdam concessit; ibidemque operâ Rabbi *Gumprecht Ben-Abraham* in Talmudicis feliciter usus est. Atque omni hoc apparatu abunde instructus ad Theologiam, cui se ipse æque ac Pater totum destinaverat, tandem accessit: atque in ea ipsomet Parente & *Gomaro*, summis Theologis, fideliter viam præmonstrantibus, eos fecit progressus, quorum nunc fructus uberrimos orbis literatus stupet. Impetravit autem à Patre veniam etiam exteras regiones & academias visendi; Angliæ præsertim, cujus maximè desiderio tenebatur. Peragrata itaque Hollandiâ, mense Junio 1639. in eo itinere non neglexit viros eruditos sibi familiares reddere, Ultrajecti celeberrimum *Voetium*, & ipso pararío clarissimam rara eruditione virginem *Schurmanniam* salutavit. Leidæ *Polyandro*, *Riveto*, *Triglandio*, *Thysio*, *Walæo*, *Lempereurio*, *Golio*, magnis certè nominibus, octo circiter mensibus suavissimè convixit. Inde tandem in Angliam trajecit: atque in eo itinere *Johannem Penonium* Ecclesiæ Emdanæ post illa ministrum egregium & *Johannem Schuium* comites habuit. Dum erat in Anglia, primum trimestre apud Celeberrimum *Twissum* Ecclesiæ Neoburiensis ministrum exegit; post Oxonium transiens Londinum venit. Ibi inter Belgas cœpit se concionando exercere: dehinc sequente anno ad *Eduardum Reinoldum*, tunc Ecclesiæ Brandstonienſis Pastorem, Regis postea consiliarium, tandemque Nordvicensem Episcopum concessit; cui per integrum annum convixit, ut linguam simul Anglicam addisceret: atque adeò sæpè concionibus exercitium fecit. Ita cum profectus suos etiam probasset *Johanni Prideauxio* Vigornienſi Episcopo & regio Professori Oxonienſi; ab eo primum *Diaconus Vigornienſis*, tum *Presbyter Ecclesiæ Anglicanæ*, præsentibus *Denisio*, *Aucesterio*, *Hakketo* & *Dimmero* Ecclesiæ ministris ad id evocatis, ritu apud illos recepto ordinatus est. Inter hæc usus est familiaritate clarissimorum virorum: *Eduardi Pococquii*, Linguarum orientalium jam tum apud Oxonienſes Professoris, & qui me quoque ante quadriennium & quod excurrit, jam senio gravis & adspectu venerabilis, domi suæ humaniter excepit; item *Jacobi Usherii* Armachani Archiepiscopi, *Dodii Cleaveri*, *Wottoni*, *Wardi*, *Rogersii*, *Seemsii*, *Chapellani*. Quorum suavissimo convictu terræque ipsius bonitate captus, sedem illic figere perpetuam cogitabat. Verum aliter Deo O. M. & parentibus visum fuit. Jam itaque à privata ejus vita ad publicam transeamus.

Cl. Gomaro fatis functo ad HEBRÆÆ ET AFFINIUM LINGUARUM PROFESSIONEM communi ordinum Groningæ & Omlandiæ suffragio electus, sub finem anni 1642. ex Anglia revocatus, unde magnificis instructus testimoniis redibat, die 10. Januarii in Senatum Academicum cooptatus, triduo post more solenni inauguratus est: eodem die quo & celeberrimus *Maresius* eidem *Gomaro* in Theologiæ professione successit. Facto mox initio publicarum Prælectionum, ineunte Februario, cunctis gnaviter agendo qui virum esset ostendit. Etenim ut & rudioribus succurreret, & provectioribus satisfaceret, alternis biduis Grammaticam, Textumve sacrum, conjunctis Rabbinorum commentariis exponere solitus, nostro tempore, id est, annis 1650. & seqq. Meelfureri, abbatis Hailbronnenſis, synopsin, Psalmosque Davidicos cum notis *Kimchii* pertractabat. Cœpit etiam publicis Disputationibus experiri, quo pacto studiosorum animos ad Philologiæ orientalis militiam acrius incitaret. Testantur monumenta tomo postremo in Heptadibus exhibita. Quam dextrè autem oretenus in docendo versatus sit, noverunt mecum quibus tam beatis esse licuit, ut ipso præceptore uteremur. Præclara methodo atque indefesso studio, publicè privatimque ita inculcabat omnia, ut vel mediocriter animum advertentibus solidam sacratissimi sermonis cognitionem ingeneraret; diligentiores autem ad altissima cum Rabbinicæ tum Talmudicæ scientiæ penetralia, facili compendio perduceret. Quam ipsius singularem Hebræa tradendi rationem à me edoctus *Johannes Terentius* Linguæ sanctæ Professor Franequeranus, ita avidus excepit; ut eam deinceps, facto cum Autore studiorum commercio secutus, auditoribus suis magis magisque prodesse cœperit, atque adeo professioni suæ parem se ostenderit. Specimina Grammaticationis suæ duplici compendio, Rabbinicæ eruditionis Heptade Philologica & libro cui *Schilo* nomen fecit abundè suppeditavit. Ut autem in illis methodo ferè nova incessit, quam ipse multifaria observatione condiderat, ita in ea propalanda circumspectius egit. *Chaldæi & Syriaci sermonis synopsin* primum scripto complexus est, viroque in ea professione percelebri *Constantino* Lempereur censendam dedit. Qui etsi eam magno rei literariæ bono publicandam judicaret, atque etiam hortaretur; non potuit tamen, quæ erat viri modestia vel ipse vel post ipsum alii impetrare: donec tandem ante annos abhinc undecim, id est, triennio ante mortem, atque anno ab inita professione tricesimo quarto, fœtum illum suum sæpius lambendo egregie exornatum in vulgus prodire passus est. Hebrææ Grammaticæ specimen titulo *Fundamentorum punctationis* jam ante emiserat: & prima quidem vice anno professionis suæ undecimo, de qua quid deinceps factum sit in tertiæ editionis præfatione ipsus loquitur. Occasionem dederat initiò illa, quam dixi, Meelfureri Synopsis, quam cæteris præferebat, quòd accuratior; notisque suis in margine adscriptis, quas & auditoribus describendas largiebatur, auctam, correctam, illustratam præbebat. Rogatus dein sæpius à nobis, ut publici juris faceret, tandem concessit. Atque hæc quidem in prima professione laborum specimina dedit: cujus ratione cum Philosophicæ Facultatis partem faceret, eam ut melius tueretur, atque summos in ea honores aliis etiam conferre posset, ARTIUM LIBERALIUM MAGISTER ET PHILOSOPHIÆ DOCTOR, die 21. Octo. anni 1645. ex decreto Senatus Academici creatus est.

Quadriennio post inchoatam professionem novo insuper munere ornatur. Forte enim in Batavia feriarum tempore iter faciens, ter pro concione dixerat Amstelodami: Belgicè primum, dein Germa-

nice,

nicè, tum Anglicè quoque. Quod certè trilinguis facundiæ ſpecimen adeo ipſum probavit cunctis, ut altero poſt menſe ad capeſſendum in Eccleſia Anglicana Miniſterium, primùm literis *D. Rulicii*, dein nuncio *Edoardo Mayo* mercatore Anglo, nomine presbyterii invitaretur. Sed cum haud minus domi quàm foris placeret, habitaque concione illic prima, ſermone belgico, omnium applauſum meruiſſet; dignus eſt habitus qui ab Ordinibus in ECCLESIASTEM PROVINCIALEM ACADEMICUM legeretur; eodem planè modo ac ritu quo Gallicæ linguę diſtincti Eccleſiæ miniſtri munus iſtud ibidem adire ſoliti. Cœpit ille Conciones ordinarias in templo Academico, atque ibidem inde à Kalendis Januarii 1647. ad finem uſque perſeveravit. Argumentum initialis ſermonis Pſalmi ſeptuageſimi tertii verſus octavus erat. In eo autem munere ſic ſe geſſit ut pene miraculo fuerit tanta cum ſoliditate conjuncta ſedulitas. Vix enim ſub feriis ceſſabat, cum & quater, (dehinc octies poſtquam Theologica profeſſione auctus fuit) ſingulis ſeptimanis publicè prælegeret, & conciones verbotenus deſcriberet; uti jam ex editis cuivis compertum eſt. Ita in univerſum ultra mille & octingentas Conciones eodem in templo recitavit; quorum ego fere ducentas avidiſſimis auribus hauſi. Quanto autem ſatius ſit conciones audire quam legere, norunt omnes quibus aures & attentio non deſunt. Interim quot & quales ejus fuerint in hoc genere lucubrationes, tomo ſecundo, & tertio integris, parte autem primi & quarti cuivis abundè patet. Jeremiam, etſi prælectionibus poſtea repetitum, qualem tomus primus exhibet, antea tamen ducentis & ſexaginta quinque concionibus enarraverat.

Dum in hoc duplici ſtadio verſatur, cœpit eum viſendę Patriæ, quam penè infans deſerere coactus fuerat, nec ingreſſus poſtea, deſiderium. Itaque anno 1651. die 25. Februarii iter ingreſſus, in tranſitu fratrem Daventriæ, ubi tum juris Profeſſor erat, comitem adſcivit. Hinc terrâ quidem Coloniam, atque inde adverſo flumine Moguntiam & Francofurtum die 14. Kalend Aprilis pervenit: decimo poſt die Heidelbergam appulit; ibidemque hebdomadas quaſi tres exegit. Bis ad colloquium atque etiam ad prandium admiſſus à *Carolo Ludovico* principe Electore, atque rogatus ab eodem, ut ad ſe veniret, modeſtè recuſavit. Domum reverſus, tertio non. Maji, cum ſereniſſimus, quem diximus, Princeps in eo eſſet, ut Academiam ſuam inſtauraret; ab eodem denuo ſcriptis ad Kalendas Novembris literis, ad Veteris Teſtamenti & Hebręæ Linguæ Profeſſionem, deſtinata quoque prorecturâ, fruſtra invitatus eſt. Neque etiam tertio poſt anno, magnorum virorum, *Philippi Erneſti Vegelini*, & ipſius avunculi ſui *Mauritii*, humaniſſimis literis induci potuit, ut profeſſionem denuo oblatam Heidelbergæ ſuſciperet. Ille etiamnum Principi Naſſovio Friſiæ Gubernatori à Conſiliis eſt: hic Regi Bohemiæ primum, dein filio Electori à ſecretis & conſiliis, atquè ad Ordines fœderatos legatus fuit. Octennio poſt, id eſt 4. Kalend. Sextilis anni CIↃ IↃC LXII. alterum in Palatinatum iter, uxore comite fecit: non rectà ut antea quidem; ſed ita ut Bremam tranſiret: ubi & pro concione dixit Germanicè, & claros nomine viros, *Coccejum Gerhardi* filium & *Snabelium V. D.* Miniſtros, *Flokkenium* Theologum & *Hipſtetum* Linguæ Græcæ Profeſſorem, ſuum olim Groningæ condiſcipulum, meumque in rectura Scholæ trivialis Franequeranę prędeceſſorem ſalutavit. Heidelbergæ ab amicis cum in Academia tum in Eccleſia exceptus honorificè eſt; maximè ab Electore, qui ut ſæpius eum prandio excepit, ita etiam ad capeſſendam profeſſionem non ſemel oblatam denuo invitabat. Quod μέγα λίαν ἄιτημα licet non impetraret, facilè tamen obtinuit quod ſimul rogabat Princeps, ut pro concione verba faceret, themate ex *Cant.* 2: 5. deſumpto. Amicitiam, dum illic eſſet, coluit cum *Fabricio* Theologo, *Cunone* & *Bokelmanno* Ictis, *Luneſchloſſio* Philoſopho, aliiſque clariſſimis nominibus. Pridie Iduum Septembris Heidelbergâ Manhemium profectus, ut principi valediceret; inde iter domum inſtituens, Spiram, Neoſtadium, Wachenheimium, Lampsheimium, vallem Francorum, Wormatiam, Francofurtum, Hanoviam, Moguntiam, Bacharacum, Coloniam, Ultrajectum, Amſtelædamum tranſiit: tandemque XI. Kalend. Novemb. s ad ſuos rediit.

Ibi, ut fuit in fatis, aperta ei via ad tertiam in Academia functionem eſt, quam Heidelbergæ oblatam toties declinaverat. Ita factum ut *Theologica* etiam *Profeſſione* & Eccleſiæ prodeſſet & ipſe profundioris eruditionis nomine magis inclareſceret. Exſtincto enim *Matthia Paſore*, & ob ætatem ad extrema tendente *Abdia Widmario*, viro aliàs cum ſolidè docto tum inſigniter pio, deque meis etiam ſtudiis optimè merito; ſolus jam ſupereſſe videbatur Mareſius, qui vegetus adhuc explendis omnibus functionis ſuæ partibus parem ſe oſtenderet. Ut verò ingraveſcentem & ipſe ætatem experiebatur, juxta cum *Cl. Widmario* novum in Facultate collegam, & quidem Altingium, expoſcebat. Quem ut omnino obtinerent neve alius obtruderetur, libellum ſupplicem menſe Julio 1666. Curatoribus exhibebant. Obtinuerunt autem; factoque in comitiis anni inſequentis decreto pridie Nonarum Aprilis, tabulæ vocationis Celeberrimi Mareſii manu exaratæ, atque ab ampliſſimis Curatoribus ſignatæ ad 6. Kalend. Maji, biduo poſt oblatæ Altingio fuerunt. Ita mox ſe accinxit: & poſtquam *Theologiæ* etiam *Doctor* poſtridie Kalend. Maji à *Cl. D. Widmario* ex more promotus eſſet, ſequente mox die ſolenniter inauguratus; habitaque de ornatu Capitis, qui ſummo Hebræorum Pontifici debebatur, oratione, lectiones publicas ab argumento de Veteris Inſtrumenti ſub Euangelio uſu auſpicatus eſt. Abhinc ergo duplicis Profeſſionis & Eccleſiaſtæ inſuper munere conſpicuus; eadem qua antea dexteritate & infatigabili induſtria, ad finèm uſque vitæ, atque adeo toto duodecennio & quod excurrit, perſeveravit. Sed de Profeſſionis Theologicæ curriculo proderit quædam paucis referre: quod in duo ſpatia commodùm diſpeſcimus. Primum quod cum *Cl. Mareſio* collega decertavit, alterum quod ſolus decurrit. Non ignorabat utique

que jam antea *Maresius*, alia à se Methodo incedere *Altingium*, inque nonnullis quæ doctiores controvertunt à se dissentire; (vix enim quidquam istorum in publicis per tot annos concionibus occultaverat) id quod literis super commentario ejus de Sabbatho ante sexennium scriptis, testatum fecit; quas hîc integras describere non pigebit. *Reverende & Clarissime Vir, Domine & Collega plurimum observande. Reddo tibi eruditas tuas chartas cum gratiarum actione. Eas equidem accuratè non perlegi, varie occupatus, sed quantum permisit otium, oculo percurri, non sine aliqua animi voluptate: Multa enim continent doctè & subtiliter disputata & ex quibus lector doctior evadat. Sunt tamen haud pauca quæ postulatis potius annumerem quam demonstratis; licet ingeniosis nixa conjecturis: Sunt & in quibus paucos reperies Theologos, ut opinor, qui velint T. R. assentiri. Et licet in se considerata possint occasionem suggerere viris doctis ulterius cogitandi & in sanctorum scientia proficiendi; metuo tamen ne multos tibi adversarios & contradictores concilies, si illa in publicum emiseris. Sed ab altera parte, flores ætate, viribus, doctrinâ; ut par omnibus esse possis, sive tua elucidanda aut explicanda mollius, sive defendenda fuerint. Quamvis aliàs plus satis rixarum sit inter eruditos nostra communionis, & alcyonia R. T. optem eo animo & affectu, quo illi sum & maneo addictissimus Samuel Maresius.* 30. *Julii* 1660. Ita cum de novo collega jam dudum judicassèt *Maresius*, neutri potuit mirum accidere, si non æquis semper passibus postea incederent. Initia tamen pacem mutuam spirabant, etsi haud diuturnam esse sineret sententiarum, & hinc natum animorum divortium. Utrumque haud parum promovit ingeniorum diversitas: Quod ut utrique summum fuit, ita verò in diversa ferebantur. Non convenit singula indicare: palmarium est, quod *Maresius* jam veteranus Theologus, noster novitius; ille totus Scholasticus, hic Scripturarius esset. Ille longo tempore discipulos fecerat, jam Ecclesiis præfectos, quos facilè sibi consentientes habuit; huïc, ut faceret, tempore opus erat. Neque tamen ideò à disputando vel scribendo abstinuit; quod & plurimi ipsum hortarentur, & ipse quæ longo labore sibi comparaverat, non inficiabatur in publicum emittere. Interea florebat inde à principio *Altingius*: cujus rei argumento est, quod cum mense Novembri primum inchoasset Collegium Catecheticum, tantus studiosorum ad ipsum confluxus fuerit, ut propter frequentiam, quam privatę ædes non caperent, in auditorio publico haberi debuerit. Quod primam ipsi in nova professione creavit invidiam; quam & olim, cum conciones vespertinas ordiretur, ante novendecennium expertus erat. Et ipse quidem gratuitò; Collega autem condicto pretio privatim docebant. Exterorum pars major ad *Altingium* confluebat: Indigenarum plerique *Maresio* adhærescebant; quod tutius fore existimarent, communi cum illis uti præceptore, quibus olim Symmystæ sub eadem Synodo futuri essent. Fecit tamen Hebraicam discendi Linguam necessitas, ut dum illam ab *Altingio* solo petere possent, ut quisque cæteris magis in ea proficiebat, ita Theologiæ ipsius, quam sacro textui unice superstruxerat, gustum aliquem non omnino adspernarentur. Verum enimverò fructibus istis laborum carpendis non diu pax fuit *Altingio*. Quippe ne seorsim omnia agere videretur, Disputationibus etiam conscribendis, defendendisque, sed ad sacrum textum pressius accommodatis, incumbere cœpit. In quibus cum Scripturæ potius quam tritas Scholasticorum phrases artisque terminos sectaretur, atquè eodem pede in publicis prælectionibus & privatis collegiis incederet; Collegę sui animum cœpit à se aversum, & mox adversum sibi experiri. Videbatur enim ei in omnia alia abiturus, dum diversa quædam ab iis statueret quę ipsemet jam dudum ut ἀξίνημα tradiderat. Et ut erat clarissimi nominis theologus atque acris vir ingenii *Maresius*, non sui tantum sed plurimorum fiduciâ nitebatur, quos olim discipulos habebat, Ecclesiis Scholisque jam longe lateque prętectos; maximè in urbe & agro Groningano, quem fere totum implebant. *Altingio*, licet Procerum quosdam in Cognatis & Consanguineis, eosque sibi faventes haberet; illud tamen haud leviter nocuit, quod à Collega seniore nomineque & suffragiis tum potiore temeratę veritatis theologicę, & quidem publicè postularetur. Is enim, poscentibus Academię Curatoribus, scripto exhibuit xxxi. porismata quibus totidem errores, quos Collegę tribuebat, complexus est. His ubi Responsum scripsisset *Altingius*, ipsi utrumque scriptum, insciis partibus, ad Theologos Leidenses transmittunt, quos extra partes esse credebant, & judicium exposcunt. Qui cum *Altingium* ab omni hęreseos nota absolverent; in ipso autem prudentiam in procudendis novè inventis, in *Maresio* modestiam & charitatem requirerent: habebat noster in quo acquiesceret, habebant Curatores, habebant Ordines; qui impositio utrique silentio, quod *Altingius* sponte obtulerat, periculosæ liti finem quærebant. *Maresius* id ferre non potuit, maximam culpæ partem in se derivari; ideoque id sibi agendum putavit, ut judicii autoritatem everteret, causamque Synodis, Classibus, Presbyteriis judicandam offerret. Quod tamen ne fieret, seria procerum prohibitione, & quidem iteratò cautum est. Vetitum præterea, ne in publicum pro, contra, scribendo, in dubium vocaretur Facultatis Leidensis in judicando sinceritas. Hinc relecta è Bibliopoliis autoritate publica & sufflaminata exemplaria libelli *Maresiani*, quem *Audi alteram partem* in scripserat. Legi de his poterunt *Celeb. Cocceji* 181. ad *Tronchinum* atque ad *Altingium* ipsum 177. scriptæ Epistolæ. Ego si omnia, etiam expertus, scriberem, librum scriberem. Sed istorum oblivisci fortasse quàm meminisse satius est. Nec tamen dissimulo, haud intra Academiæ, Urbis vel Provinciæ terminos stetisse dissidium; nam & extra Synodorum Classiumque subsellia, & Academiarum Pulpita natis Groningæ, peræque ut & aliis Leidæ controversiis, commovebantur. Et res miram habitura catastrophen videbatur, *Maresio* quamquam sene ad novam Theologię Professionem Lugdunum in Batavis vocato; sed quem inopinata mors ex diuturno pedis dolore mortalibus ante exemit, quam Groningâ discederet. Accidit hoc mense majo 1673. Ita paulo plus sexen-

nio cum Collega vixit, totidemq; fere reliquos annos ſolus in ea Facultate traduxit. Qualis fuerit utriusq; ante mortem mutua reconciliatio, ipſiusmet Autoris *Epiſtola* initio *Mantiſſæ* Tomi quinti poſita teſtatur. quieſcente *Mareſio*, non ſic tamen quieſcendum ſibi duxerunt qui ipſius partium fuerant. Nihil autem adeo dediſſe operam videntur, quam ut via quaſi eccleſiaſtica, per Synodos, Claſſes, & quas dicimus Correſpondentias, *Altingii* opinionibus obſiſterent. Ita variis quidem fluctibus poſtea jactatus vir optimus, ſuę autem ſententię tenaciſſimus, tandem ferè enatavit: ſiquidem quotieſcunque aliquid in publico proponeret Eccleſiaſticorum ordo, illud mox procerum edicto, vel conſulto rejectum eſt. Imo exauctorationis etiam pœna in eos conſtituta, qui de controverſiis *Mareſio-Altingianis* in cœtu aliquo Paſtorum quidquam moverent. Ita factum ſæpius, eſt ut generalibus etiam verbis concepta Gravamina, de *periculoſis novitatibus*, in ſpongiam incubuerint. Non de his igitur eſt quod amplius memorem: interim de itinere aliquid addendum, quod biennio poſt, id eſt plusquam quadriennio ante mortem, in Angliam repetivit, ſed quod ultimum ipſi extra Provinciam fuit. Cum uxore & liberis, tempore feriarum canicularium in Hollandiam, indeque cum filio natu majore in Angliam transmiſit: deſiderio potiſſimum viſendi veterem illum hoſpitem ſuum venerabilem *Reinoldum* Norvicenſem Epiſcopum. Pridie nonas Auguſti Londinum, tertio Idus Oxonium, undecimo Kalend. Septembris Nordovicum; indeque facto per Yarmutham & Ipſwicum tranſitu, Harwichum venit: hinc 17. Kalend. Octobris in Hollandiam remeavit, atque quarto poſt die incolumis appulit. Salutaverat autem *Robertum Hookium* & *Theodorum Hakium* Mathematica ſcientia celebres viros, Societatis regiæ ſocios: *Pocockium* Orientalium linguarum, *Wallium* & *Bernhardum Matheſeos* Profeſſores Oxonienſes: hunc autem Linguis Orientalibus maximo ſtudio incumbentem, quo nomine mihi & hîc & Oxonii precipuè innotuit. Neque *Barlovium* neglexit Lincolnienſem Epiſcopum: Nordvicenſis autem *Reinoldus* cum uxore hoſpitem olim ſuum, ut ad ſe venientem conſpexerunt; non temperarunt ſibi quin protinus in amplexus ipſius ruerent. Preluſiſſe ejus fini rumor funeſtus videri poterat. Nam cum primò lethaliter eum decumbentem, poſtea (ut fama acquirit eundo vires) mortuum in Anglia audiviſſem Franequerę, inde Loenam reverſus ubi tum Paſtor agebam, eum una cum Celeberr. *Wittichio* domi meæ lętus offendi. Vivum autem maximè cum corpore tum animo ſe oſtendit, dum vices meas egregiè obiret pro concione; poſtridiè autem cum comite ad prandium invitatus à Claſſe Amſtelædamenſi, cunctis ſe palam viſendum prębberet: nulli non gratus; adeo ut eruditę converſationis ſuę memoriam & deſiderium apud omnes ſibi conciliaret. Ex poſtremo hoc itinere domum reverſus, mox ad munus ſuum penſumque alacer rediit, inque eo ad extremum vitæ ſingulari induſtria perſeveravit.

Atque hæc quidem publicę ejus vitæ ratio fuit: jam domeſticam breviter exſequamur. Vitam cœlibem ad annum ætatis trigeſimum fere perduxit: cujus tandem pertæſus junxit ſibi tori ſociam perantiqui generis lectiſſimam Virginem BAUDEWINAM WALRICH, *Johannis Walrich* J. U. D. qui civitati Worcumanę erat à ſecretis & *Catharinæ Wicheringe* è nobili Wicheringiorum Familia ortæ filia: cum qua reliquum omne tempus, quo in terris vixit, id eſt, in annum usque trigeſimum & ſecundum, exegit. Ea autem viduitatem, quam ex deſideratiſſimi conjugis memoria acerbam experiebatur, non diu paſſa eſt; ut pote altero poſt anno 1681. pridie Kalend. Novembris rebus humanis exempta. Ex hoc conjugio octo liberi, quinque filii & tres filiæ prodierunt. Primogenitus HENRICUS fuit, qui ſexennis ex calculo obiit: florebat autem quo tempore ego ſtudiorum cauſâ Academiam Groningæ incolerem, ædesque Parentis, quo tum maximè præceptore utebar, frequentarem; unde meæ etiam inſpectioni ad tempus commiſſus, miro ingenio puer & qui ad magna natus videbatur. Tres poſtea filiæ ſecutæ ſunt, ſed quarum finis ab origine pependit. Quintus JOHANNES CHRISTIANUS an. 1655. die 11. Martii in lucem editus, quem Pater vicennem in Angliam ſecum duxerat, Medicinæ Doctor, Kalendis Septembris 1683. ſubita morte extinctus eſt. Sextus GERHARDUS natus poſtridie Kalend. April 1656. ſedulam juri & humanioribus literis operam dedit atque etiamnum dat; magno Reipublicæ Patriæ commodo futurus, ſi quo cœpit gradu, quod omnino ſperandum, rebus gerendis adhibeatur: è patria familia multis dotibus ornatam virginem *Dorotheam Alting* ſobrinam ſuam uxorem duxit atque ex ea patris optimi nomen. JACOBUM filium haud ita pridem excitavit. Septimus MENSO fuit, qui trimeſtris deceſſit. Octavus HENRICUS, natus 15. Decembris 1659. ſagatæ militiæ ſe addixerat, vomicâ pulmonum emaceratus 1684. die 8. Martii in vivis eſſe deſiit. Tres autem iſtos filios qui adoleverunt, ut benè ornaret literis, Pater dum viveret *Davidi Caſſio Volinski* equiti Bohemo in diſciplinam tradidit, viro in omni facultate peritiſſimo, qui hodieque ſtudiis Baronum à *Spahn* laudabiliter præeſt.

Jam ad extrema Clariſſimi Viri veniendum eſt. Is valetudine quidem ſatis firma puer & adoleſcens uſus fuerat: poſt, dum in Anglia peregrinabatur, cepit eum capitis triemalis dolor; unde defluvium capillorum, & hinc continuus deinceps uſus fictorum capillamentorum. Ita poſt alterum iter Anglicum triennio ante finem, modò cum his modo cum illis conflictari morbis cœpit, de nervoſarum partium circa cervicem dolore ſæpè conqueſtus; veritus etiam, ne is aliquando vel in paralyſin vel apoplexiam vergeret. Tandem fatalis ipſum febris corripuit, die Lunæ, undecimo Auguſti 1679. circa meridiem: levis quidem initiò, & quam omnes tertianam aut epidemicam putabant; aſt quæ quarto poſt die continuam alternis diebus ſeſe exaſperatem oſtendit. Ab initio ſtatim morbi teſtatus eſt ſe cupere diſſolvi, ut cum Chriſto eſſet, niſi operâ ſua uti adhuc placeret Patri Spirituum; in quo & acquieſceret. Ita uxorem quoque & filios, obtemperandum ſupremi Numinis arbitrio eſſe indeſinenter monuit, mortemque patienter exſpectavit. Al-

tera

tera quæ eam præceſſit nocte, cum paroxyſmus ſomnum impediret, illud Davidis Pſalmo 77. dictum protulit: *Tenes vigiles oculos meos, o Deus*, &c. *manus mea ad Deum porrecta, tota nocte, & non intermittet.* Illuceſcente aurora, (pari modo ut olim Rev. Pater HENRICUS pridiè obitûs ſui, animum ſuum fidei plenum oſtenderat) Pſalmum centeſimum triceſimum modulabatur, ut is à Luthero carmine redditus eſt; voce clara & ardentibus ſuſpiriis: Idem & antea ab ipſo factum erat. Maximè ipſi in ore ut in animo fuit cantionis Germanicæ, *Ich ruf zu dir, Herr Jeſu Chriſt:* verſus quintus, qui ſic incipit; *Ich lig in ſtreit und widerſtreb; Hilf, ó Herr Gott, dem ſchwachen*, &c. Adeo autem fervida mente fuit dum hoc cecinit, ut à lacrymis ſibi non temperaverit. Avum ſuum MENSONEM, ſupra memoratum nobis, eodem ſe ſolatio in mortis articulo paviſſe, præſentibus amicis æger referebat. Mortuus ille Emdæ fuerat anno hujus ſeculi duodecimo die 7. Octobris. Porrò noſter condolentes ſibi ſæpius heredes Davidis illo apophthegmate conſolabatur, quod 2. Sam. 15: 25, 26. ſcriptum reperitur, & mutata paululum phraſi ſic efferebat: *Si invenero gratiam in oculis Domini; utique me reſtituet ſanitati, & faciet ut obeam munus meum: Quod ſi ita dixerit, non delector te; Ecce me, faciat mihi prout bonum videbitur in oculis ſuis.*

Quam autem moribundus toto animo in Servatore Chriſto recubuerit, duo precipue Eccleſiæ lumina *Robertus Keuchenius*, qui & noſtrum haud diu poſt ſecutus eſt, & *Johannes Abbrink* qui adhuc ſuperſtes, teſtes continui fuerunt. Hujus inter preces ardentiſſimas placidè tandem Spiritum reddidit anni hoc ſeculo ſeptuageſimi noni die 20. Auguſti, intra ſeptimam & octavam horam matutinam, cum ætatis ſuæ annum ſexageſimum & primum, menſe minùs unico præter propter exegiſſet: quo eodem ætatis anno olim pater HENRICUS ante annos quinque & triginta, nec non frater MENSO ſenatori tum ordinis vir, ſapientia, gravitate, conſilio, & incorrupta fide inclytus, paucis tantum menſibus plus exactis, eadem in urbe ſupremum clauſerunt diem.

Quodam tempore cum ipſum Vir Reverendus *Henricus Dieterſonius* Paſtor Eccleſiæ in Leens inviſeret, dixit inter alia, ſi Deus ſibi vitam vireſque concederet, ſtare ſibi animum duos libellos in lucem mittendi: alterum quidem, quem orſus etiam eſt, quo ſe purgaret coram Eccleſia, ab heterodoxias & hæreſeos crimine ſibi intentato; alterum verò quo hiſtoriam vitæ ſuæ publicæ panderet, ab eo tempore quando in Academia docere cœpiſſet: unde cuivis judicandum relinqueret, quo jure qua injuriâ tantum ipſi moleſtiarum creatum fuiſſet. Hunc latino, illum belgico ſermone conſcribere ſibi in animum duxiſſe. Præ cæteris autem conquerebatur à malevolorum inſidiis atque inimicitiis ſtetiſſe, quo minus ut vellet publico inſervire potuiſſet. Die dominico, qui 17. Auguſti, accito ad ſe Patruele Ampliſſimo Viro MENSONE ALTING Reipubl: Groninganæ Conſule, poſt expoſitum rerum privatarum ſtatum, maximè omnium illi ceu patri GERHARDUM filium commendavit. Huic autem pluries editionem operum mandavit; indicatis etiam viris ſummis, quibus ea inſcribi volebat: (quod tamen, ipſis interea rebus humanis exemptis, ſucceſſum non habuit) eique ceu depoſitario Manuſcripta ſua in monumentum paterni amoris jure præcipuo donabat.

Quod & ipſe probè notatum ſibi oſtendit, cum paucis ante extremum morbum diebus amico ſuo *Johanni Chriſtophoro Ramo* Paſtori Slochterano occurrenti, & de proſpera valetudine gratulanti, regeſſit, ſe per Dei gratiam hactenus quidem valere; ſed jam quoque ad eam perveniſſe ætatem, ut de vaſis ſuis brevi colligendis cogitare deberet: patrem fratremque non multò ſe ſeniores vivendi finem feciſſe; neutrum ætatis annum ſecundum poſt ſexageſimum expleſſe. Ipſe, ut diximus, ne attigit quidem; etſi haud minus triginta ſex annis in Academia Profeſſor vixiſſet: vir ſolide & profunde doctus, verè pius, candidus, ſagax, induſtria & labore nulli ſecundus. Diſcipulos paterno, amicos fraterno ſemper amore proſequebatur, quod utrumque in me ipſe expertus eò fidentius loquor. Quos autem maximè eo loco habuit, præter illos quos ante nominavimus ex parte loquuntur Epiſtolæ, quarum tam paucas ex 5000. publicari potuiſſe, id equidem dolendum. Erat autem ad ſcribendas literas impiger, deque mea & aliorum negligentia perſæpè in familiaribus conqueſtus eſt: qualis certè pars magna fuerunt; ita ut *E. G.* in his quæ ad me unum ſcripſit pluſquam 130. idque decennio, vix viginti repererim quæ vel integræ vel ex parte ſaltem aliquid publici haberent argumenti: Nec invenire vel conquirere omnes potuit filius quos parens ad plures ſcripſit, cum quibus amicitiam candide excoluit. In his ſunt Reverendi Clariſſimique viri, *Joh. Rud. Weſteinius* Theologiæ & *Joh. Buxtorfius* Linguæ Sanctæ Profeſſores Baſileenſes *Joh. Henr. Hottingerus*, *Joh. Henr. Otto*, *Joh. Henr. Heideggerus* & *Ioh. Mullerus* Theologi Tigurini: *Ioh. Lud. Fabricius* & *Ioh. Frid. Miegius* Theologiæ, *Sebaſtianus Ramſpecki* Linguæ ſanctæ, & *Ioh. Caſp. Fauſius* Medicinæ Profeſſores Heidelbergenſes: *Reinholdus Pauli* & *Samuel Andreæ* Theologi Marpurgenſes: *Ioh. Hipſtetus* Theologiæ & *Ioh. Eberhardus Sweling* Philoſophiæ Profeſſores Bremenſes; *Iohannes Coccejus*, & *Chriſtoph. Wittichius* Theologi & *Georgius Hornius* Hiſtoricus in Lugdunenſi Batavorum Academia: *Abrahamus de Graw* Mathematum Profeſſor Franequeranus: *Franciſcus Burmannus* Ultrajectinus; *Abrahamus Gulichius* & *Wilhelmus Momma* Hammonenſes; *Antonius Perizonius* Daventrienſis, Theologi: *Adrianus Pauli* Dantiſcanæ & *Guilielmus Terſmitten* Harlemenſis Eccleſiæ paſtores. Poſt illos cœpit etiam amare *D. Petrum Allinga V. D.* Miniſtrum in Wydenes, ex quo viri doctrinam ſtudiumque perſpexit.

Sub finem maxime *Wittichio* & *Burmanno* ſtudebat, quos communis invidia ipſi fecerat magis amicos; cum & antea haud levem cum ipſis amicitiam coluiſſet. Nec ipſius ſingularia quædam placita omninò adſpernabatur; quorum nonnulla Cl. *Burmannus* cœperat etiam adoptare, animo reliqua etiam pervidendi & Autorem ore tenus (ut ſcripto initium fecerat) compellandi, ſi vitam utrique

longiorem concessisset Deus. Parem fortè magnorum Theologorum triada, quæ nunc, proh dolor! occubuit tota, haud facilè fuisset alibi invenire. Atque his quidem absentibus convixit.

Quos prope habebat amicos, quandoque per otium invisebat: in urbe *Keuchenium* maximè, *Abbringium*, *Thrommium*, *V. D.* Ministros; & in collegis *Tobiam Andreæ* & *Johannem Mensinga* Histor. & Eloq. Professores, quorum ipsi exploratus candor erat, Vel in agrum excurrebat ad beatæ memoriæ Parentem meum (cujus etiam exsequias, octennio ante suas, præsens honoravit) ejusque vicinos *Riemakerum*, *Dietersonium*, & cum fratre meo *Warendorpium*; illum quidem & istum olim discipulos; hunc verò ob summum animi candorem fidemque, (quas & ego viri dotes post patrem fratremq; multis indiciis compertas habeo) sibi gratissimum. Talis cum erga pares & inferiores ALTINGIUS esset, haud potuit non placere superioribus, quos reverenter semper habuit; nulli unquam negotio politico immixtus, factiosorum acerrimus hostis. Tanti eum fecit sereniss. Princeps *Carolus Ludovicus Palatinus* Elector, ut literis ad ipsum datis manu propria subscripserit: *Euer von jugend her bekandter gutwilliger Freundt Carel Ludwich C. P.* Nec minore in existimatione apud ejus sororem *Elisabetham* Principem Abbatissam Herfordiensem fuit: ut & *Ameliam Elisabetham* Hassiæ Landgraviam, ejusque filium *Wilhelmum* Principem; qui Groninga discessurus, eum annulo aureo, adamante pretioso insigni, donavit. Eadem illi gratia apud *Albertinam* Arausionensem Principem, *Guilielmi Friderici* Principis Nassovii viduam fuit: qui & indesinenter, Groningæ cum esset, ipsius concionibus intererat, & sæpè de multis ipsum interrogabat; cujus etiam hortatu librum Deuteronomii pro concione pertractandum suscepit. Matris vestigiis insistens Princeps filius *Henricus Casimirus*, favore suo nostrum semper prosecutus est. At quod omnium certè maximum est, pascitur jam æternum cœlestis Numinis favore; qui postquam hinc abiit nihil nobis immortale præter nomen famamque reliquit.

BENEDICTÆ MEMORIÆ

D. JACOBI ALTINGII.

THeiologûm præsigne Decus, Venerabilis ALTING:
Qui fidei plenus Mosis *ad instar* eras:
Inque Domo Domini splendebas lumine totus
VERBI; *seu* Leges *Altitonantis erant,*
Gratia *seu* CHRISTI *foret elatebranda sonorâ*
Voce, modò ad cœtus, pro Cathedraque modò.
Pascere vel populum Divini Grammine Verbi,
Mystica vel doctis pandere, gnarus eras,
Triste mihi verbum, quod eras, *&* erant *tua Tecum*
Tot bona, divino munere; nunc fugiant,
Tempore, quo cæcæ tenebræ, quo densa caligo
Ingruit, & Mundi Vespera tristis adest.
O DEUS, *ô* Mundi lux, CHRISTE, *miserte Tuorum,*
Pone iram, & repara tristia damna Tuis!
Heu periit, scimus, tua Virtus: occidit eheu!
Luminibus nostris gaudia quod faceret.
At scriptis quod, & ore sacro, Clarissimus ALTING
Protulit, æthereâ luce refulget adhuc.
Nil nocet Invidia, nil fœda Calumnia Veris
Derogat; ista DEI *sunt, Genii illa mali.*
Servat SERVATOR *servos, fidisque Ministris.*
VERBI *olim in Cœlis præmia magna dabit.*
Denique non Amor hic noster quandoque peribit:
Perfectum in superis mox dabit esse DEUS.

Amicitiæ novem lustris sanctè cultæ M. cum gemit. F.

JOH. RODOLFUS WETSTENIUS,

S. Th. D. & Prof. Basil. Ord. Th. Senior.

ALTINGIANIS MANIBUS.

SI meritis locus est etiam post funera, plange,
Altingi Manes Patria plange tui.
Rectores inter raptos, decora ipsa Senatus,
Heroës inter pone Groninga tuos.
Nè tibi sit vilis tanti jactura Magistri,
Materies luctus hic satis ampla tibi est.
Occidit ah! (fatum quo non damnosius ullum!)
Laus ævi, Cathedræ gloria, prima sui.
Qui Cœli primis arcana edoctus ab annis,
Quasque Palæstinus limes habebat opes.
Spe trahor exiguâ queritur Phœbeia pubes,
Anchora jam nostram non tenet ulla ratem.
Ecquæ jam sacram nos semita ducet ad ædem,
Hæc quoque sublato cum Duce clausa suo est.
Ecquis cum jaceam fugientibus orba Magistris,
Ducet ad Augustæ regia signa Viæ.
Multa latent sacris etiam non obvia Mystis,
Multa latent cœcis obtenebrata notis.
Ecquis erit, qui nos hæc ad sacraria ducat,
Ambages ecquis tollet, opemque feret.
Hos iterat meritò pubes Academica questus
Vix sua, consiliis orba manuque Ducis.
Ah! nimis ex vero nata est tibi caussa dolendi,
Hoc deërat fatis Patria cara tuis?
Ingenio tenebras, nodosque exhausserat omnes,
Quicquid & abstrusi pagina sacra tegit.
Ingenio, quo vix aliud velocius ullum,
Plurima non alio trita labore prius.
Has adiit sortes lectissima turba Sophorum,
Responsum hinc petiit littera missa suum:
Littera finitimis, & terris missa remotis,
Trans freta, trans saltus littera missa vagos.
Scripta diem videant, monumenta æterna, pa-
Quam latè notum, Patria, nomen erat. (rebit,
Ingeniique ætas cultum mirabitur omnis,
Et juxta immensi grande laboris opus.
Et Te Posteritas felicem, Patria, dicet,
Quod jaceat vestro nobilis umbra solo.
Hunc olim optavit tellus Rutupina colonum,
Musarum hunc Nicri Regia celsa Ducem.
Non alio tantum tua gloria surgit alumno,
A serâ hinc nomen Posteritate feres.
Ah! vereor nè post tam clarum sidus ademtum,
Squallida succedat nox & inane Chaos.
Hocque luant damnum nati, serique nepotes,
Quoque nihil majus, hoc tua templa luant.
At timor hac opto mendax sit parte, nec augur
Verus, & in ventos anxius omnis eat.
Et tu Livor iners tandem post busta quiesce,
Jam suus irridet virus inane tuum.
Sit jaculis petiisse satis, dum vita manebat,
Desine jam manes sollicitare pios.
Nequicquam vivum jaculis Heroa petebas,
Invidiæ scopulus nam puto, Livor, erat.

Epitaphium.

ET jacet hic ævi laus prima, & gloria gentis
Ingenii notæ per monumenta sui.
Ille decus Patriæ, Templi decus, ille Lycæi,
Et metus & scopulus hic jacet Invidiæ.
Quod fugit à nostris ceu turbine raptus Athenis,
Hoc reor est ævi culpa; pudorque sui.

JOH. MENSINGA.

Omissa vel malè posita restituenda

L. S.

QUi vel remoram injicere horum operum editioni vel oculatiores præ cæteris videri voluerunt; cum eam nihilominus feliciter procedere animadverterent, mendæ typographica causati sunt, in Hebraicis præsertim, ut in illis aliquid scire viderentur; cum nullibi fere minus peccatum sit: nisi mirum id forte alicui videatur, si cubi ב *pro* כ, *vel* ר *pro* ד, *vel contra irrepserit; id quod ob maximam characterum similitudinem in accuratissimis etiam Bibliorum exemplaribus accidere comperimus. Interim fatendum est, si Authoris textum inspicias, nonnunquam vitia typographica occurrere: sed quæ sensum rarissimè turbent; & cum manuscripto collata paucissima videri queant, ut quod perpetuis abbreviaturis concatenatum, minutissimo charactere & quandoque debili atramento vel multorum annorum lapsu attrito exaratum est. Ita* spe *pro* specie *scripsit Author*; gra *pro* gratia, gre *pro* genere, icat *pro* significat, *& talia sexcenta; impositâ virgulâ, quæ à novo quandoque famulo, adeoque istorum adhuc imperito forte neglecta, accuratissimi etiam Correctoris oculum effugere potuit. Accedit quod quædam diversa si integre scribantur eisdem tamen vel similibus abbreviaturis expressit: sic* gra *ipsi &* gratia *&* genera *legitur*, qdo *quando &* quo *pro* quomodo *scripsit. Præter hæc Authorem quandoque ipsum calamus destituit, nitidissimum alias Scriptorem; ut non omnes & ubique Lyn-*

rei esse possumus; ubi supplendum aliquid an mutandum sit cum ratione ambigas: quod & inde est, quoniam pauca sunt quæ ipse relegendo aptavit prælo, & tamen rarissime comperies. Vix enim quidquam occurret, per quinque spatiosa volumina, quod Lectorem attentum remorari vel offendere possit, præter illa quæ sequuntur, suis quæque locis restituenda.

Tom. I. pag. 131. *col. a. l.* 27, 28, 29. *lege.*

potentiam, aut quod in deserto voluisset perdere nationem; vel Mosi, quod malè affectus esset erga populum, aut quod in deserto implicatus non inveniret viam.

Pag. 133. *col. a. l.* 16.

II. *Judicum institutio.* Officia hominum redeunt &c.

Pag. 134. *col. b. l.* 14, 15.

actionibus, ne ea calamitas nobis superveniat, & pereamus

ב. Sed audiamus *Rationes*, cur Magistratus suadeat

Lin. 18.

a. *Conditio* populi est multitudo, quam ab Auctore am-

Pag. 137. *col. a. l.* 23, 24.

retur, dato sibi ore & eloquio ad prædicandum Euangelium.

(3.) Non esse detrectandum; *quomodo feram*

Pag. 154. *col. b. lin.* 7. 6. *ab infima.*

β. Sed quibus argumentis nititur fiducia Deum pugnaturum pro Israele? Ea exstant I. in Descriptione Dei, II. in præstiti beneficii Relatione

1. In *Descriptione Dei* sunt ista.

(a.) *Dominus Deus vester.* Fœdus Dei obligat ipsum, isto

Pag. 622. *col. b. inter lin.* 17. *&* 16. *ab ultima omissum integrum folium manuscripti, ob literæ paragrapho præpositæ similitudinem. Itaque loco lineæ* 17. *&* 16. *ista omnia legenda quæ sequuntur.*

omnia penetrat, ipsa terræ profunda.

Apostolus Rom. 10: 18. producit Psalmi hujus vers. 5. eumque Apostolorum prædicationi catholicæ applicat. Hoc quidam per accommodationem factum volunt, ut verbis Psaltis utatur ad suum scopum, nulla sensus Psaltis ratione habitâ: quemadmodum nonnunquam utuntur dictis aut phrasibus V. T. cum tamen sensum dictorum non attendant. Alii Psaltem de cœlo & firmamento loqui dicunt, & sic intelligi ab Apostolo, sed ut a minori ad majus argumentetur; Cœlum sideraque toto orbe gloriam creatoris manifestant; ergo multo magis per Apostolos gloria redemtoris manifestanda. Alii Davidem historice de cœlo, prophetice de Apostolis loqui, & catholica utrorumque efficacia; quemadmodum interdum historica & prophetica miscentur: ut in Nathanis responso. 2 Sam. 7. Aliis pars prima Psalmi allegorica est, ut aliud dicatur, aliud tecte significetur; quod quidem, siquidem a Spiritu S. profectum sit, vim validam habet. His cœlum & expansum Doctrina Ecclesiæ, enarrat gloriam Dei; stellæ Prophetæ & Apostoli discurrunt per orbem universum prædicando divitias gratiæ Dei. Sic quidam veterum. Quibus favent Judæi. Bechai in Lev. 5. docet והוא כחתן quod est Psl. 19: 6. esse Deum ipsum. Atque David loquitur de Sole. Sol ergo Deus est, non qui in firmamento naturali, sed Messias, qui Immanuel Esa. 7: 14. Deus fortis cap. 9: 6. Jehova Jer. 23: 6. appellatur enim Sol Psl. 84: 12. Sol justitiæ Mal. 4: 2. At si Messias est Sol, Apostoli ejus sunt cœli & expansum, Dan. 12: 3. in quorum medio habitat, & lucem suam sic eis communicat, ut eam vicissim, non aliam ullam communicent terræ, & hoc pacto lucem illam commendent, quemadmodum etiam cœlum & expansum jugiter circumvolvitur & universæ terræ quaquaversum lucem affundit, sic per Apostolos ubique Euangelium fuit annunciatum. Dicuntur Lux Mundi, Mat. 5: 16. quod de nullo lumine dici potest, nisi quod cœli expansique fuerit. Stellæ (quando doctores appellantur Apoc. 1: 16. & expansum Dan. 12: 3.) omnem lucem habent à Sole, Apostoli doctrinam suam a Solo Christo; sunt universales doctores Ecclesiæ in toto mundo. Verbis suis, non solum pronunciatis, sed etiam scriptis, quæ silentia verba, quando adhuc fulgent; Calor omnis tamen Solis. omnis doctrinæ efficacia à Christo. Hunc sensum si sequamur, cætera hujus Psalmi proprie huc faciunt, vim verbi Dei, seu Euangelii declarantia, quæ alioqui habent patefactionem Dei.

II. *Per Verbum* vers. 8. quod variis synonymiis indigetat, unumquodque nomen epitheto singulari insignit, & ei effectum aut adjunctum aliquod insigne tribuit.

Primum (1) תורת ה׳ *Lex*, proprie *Doctrina Domini*, omne istud verbum quod de voluntate Dei homines erudit, quæ salutaris est, Ecclesiæ propria, (2) תמימה *integra*, citra ullam distorsionem, perversitatem, fraudem, utpote omnis rectitudinis norma. (3) *restituens animam*, reficiens deficientem, ut cum ex deliquio quis cardiacis aut suaveolentibus restituitur. Jer. 6: 16. Matt. 11: 29, 30. Psl. 23: 3. Prov. 25: 13.

Secundum (1) עדות ה׳ *testimonium Domini*, quo testatur de sua voluntate gratiosa, de officio hominis, de ratione salutis impetrandæ. Tabulæ fœderis Exod. 25: 16, 21. dicebantur עדות quia pacti istius testimonium fuerunt, sic arca, quæ tabulas servabat. Exod. 25: 22. Num. 17: 4. Scripta prophetica dicuntur תעודה Esa. 8: 20. (2) נאמנה *verax, fidele*, non fallens, Psl. 93: 5. & 111: 7. 1 Tim. 1: 15. Joh. 3: 33. 1 Joh. 5: 11. s. (3) *sapientem reddens simplicem*, qui ignarus veræ sapientiæ, & ex se quoque ad eam inveniendam ineptus. 2 Tim. 3: 15. 1 Cor. 2: 7. s.

Tertium vers. 9. (1) פקודי ה׳ *Præcepta Domini*, quæ tanquam depositum commendavit, ut custodita observentur, Psl. 119: 4. cui respondet vers. 11. Huc facit παραθηκη 1 Tim. 6: 20. 2 Tim. 1: 14. (2) ישרים *recta*, non curva, ut ipse rectus Deut. 32: 4. Hos. 14: 10. (3) *exhilarantes cor.* voluptatem afferentes animo.

Quartum vers. 9. (1) מצות ה׳ *Mandatum Domini*, quod præscripsit de sui amore & cultu. omnia autem intelligit sub uno. (2) *purum*, sine scoriis, sordibus, palea inutili, prorsus defæcatum Psl. 12: 7. & 18: 31. & 119: 140. Jer. 23: 28. (3) *illuminans oculos*, ad videndum mysteria, quæ carnalibus abscondita, ænigmata. Psl. 119: 130.

Quintum vers. 10. (1) יראת ה׳ *Timor Domini*, reverentiæ, & cultus Deo præstandi regula; non enim de eo loquitur ut de officio hominis, sed ut de doctrina istius officii. Esa. 29: 13. Matt. 15: 9. (2) *munda*, non admixta ἐθελοθρησκεία, aut humana doctrina. (3) *manens in æternum*, quæ perennitatem habet. Mat. 5: 19. seq. 1 Pet. 1: 23.

Sextum vers. 10. (1) משפטי ה׳ *Judicia Domini*, de officiis hominum mutuis, (2) אמת *sunt veritas*, consentientia, ut unum alteri non adversetur, illudve evertat, (3) *pariter juxta sunt*, omnia & singula æquitatem habent. Psl. 119: 137.

Amplificat ab attributo communi quadruplici vers. 11. s. א. *Desiderabilitate, præ auro, auro solido*, quod rarissimum Esa. 13: 12. eoque plurimo. Psl. 119: 72, 127.

ב. *Jucunditate, præ melle, præ favi stillicidio*, Psl. 119: vers. 97, 103.

ג. *Correctione* vers. 12. quatenus *etiam servus tuus per ea.*

Tom. II. pag. 3. *col. b. De textu sacro verba versus quarti loco tertii posita sunt, quæ in Versione Junii & Tremellii caput undecimum claudunt. Sed Vulgatam & Belgicam editionem sic restitue.*

Vers. 3. ***Nam benedicam iis qui benedicent tibi, & qui maledixerit tibi eum exsecrabo: & benedictæ erunt in te omnes familiæ terræ.***

JAC. ALT.

JACOBI ALTING,

dum viveret

S. S. Literarum in Academia Groning-Omlandica Professoris

OPERUM

TOMUS PRIMUS.

Quo continentur

I. Analysis Exegetica in quatuor priores libros Mosis.

II. Commentarius pleniſſimus in Deuteronomium ab initio ad cap. XIX. ℣. 11.

III. Analysis Exegetica in Psalmos XXIV. priores.

IV. Prælectiones in Jeremiam totum.



AMSTELÆDAMI,

Excudit GERARDUS BORSTIUS, cIↃ IↃc LXXXV.

ANALYSIS EXEGETICA GENESEOS.

Scripturæ Sacræ generalissima distributio est in libros Veteris & Novi Testamenti. 2 Cor. cap. 3: 14. *Veteris pacti* vocantur, qui ante Christi glorificationem scripti. Unde qui post exarati, *Novi pacti* dicuntur. Non autem attenditur distinctio *Veteris* & *Novi Fœderis*, quæ Jer. 31: 31. & seqq. legitur, nisi quatenus vigente Veteri illo Fœdere, omnes qui dicuntur Vet. Test. libri, scripti sunt: & Nov. Test. libri post promulgatum Fœdus Novum.

Libri Vet. Test. dividuntur I. in *Mosen* seu *Legem*, & *Prophetas*. Luc. 16: 29. 31. cap. 24: 27. Matth. 7: 12. cap. 22: 40. Actor. 24: 14. cap. 26: 22. II. In *Mosen*, *Prophetas*, & *Psalmos*. Luc. 24: 44. Hebræis תורה נביאים כתובים.

Prima pars librorum Vet. Testam. appellatur à Judæis תורה à materia, *Doctrina κατ' ἐξοχὴν*, sacra videlicet; חמשה חומש quivis liber, ceu quinta pars; omnes simul חמשי תורה, à Græcis πενταteuχος, scilicet βίβλος. Alias ab autore *Moses*.

Omnium librorum V. imo & N. T. potissimus est *Liber Mosis*, unde omnes suam vel autoritatem consequuntur, ut Scriptores & libri V. T. sunt interpretes Mosis; vel confirmationem, ut libri N. T. & autores eorum. Joh. 5: 46, 47. Act. cap. 24: 14. cap. 26: 22. Rom. 1: 1. 2. cap. 16: 26. Hinc Moses dictus à Theodoreto ὠχεανὸς θεολογίας.

Primum librum quod attinet, notanda veniunt

I. *Autor*, Moses, notissimi vir nominis, quo major in V. T. nullus in Ecclesia. Legatus Dei, Liberator & Dux populi, Internuncius & Mediator Fœderis, Prophetarum veterum Caput & Magister, Oeconomus seu servus summus in tota domo Dei, Deo amicissimus & fidelissimus. Ejus historia quatuor ultimis libris continetur. Ampliorem habent ex traditione Judæi, sed fidei dubiæ. Nomen non præfixit, quod in aliis quibusdam libris pariter neglectum. Attamen multa indicia per totam Scripturam, & constans Ecclesiæ Judaicæ testimonium confirmant.

II. *Tempus*, ignotum est. Quidam privatum adhuc & in exilio Midianitico scripsisse putant, quod postea otium non fuerit: Sed totis quadraginta annis in deserto, uti cæteros, etiam primum potuit consignasse. Potius in ministerio publico, quia non privatam historiam, sed publicam Ecclesiæ scripsit: tum quia non ex sola traditione omnia habere potuit, sed quædam ex mera revelatione, quæ creationem hominum antecessere. An peculiare mandatum accesserit, ignoratur; sed generaliter de isto quoque libro verum 2 Pet. 1: 21. 2 Tim. 3: 16. Unde Joh. 9: 29.

III. *Nomen*, apud Hebræos nullum, præter initialem vocem, quemadmodum in cæteris libris. Græcis à materia Γένεσις, non proprie, siquidem non generationes physicæ recensentur, sed *Origines* rerum omnium: accipitur eodem sensu quo תולדות Gen. 2: 4. eoque rectius diceretur Γενέσεις, vel βίβλος γενέσεων. Verbum ילד sensu latiori etiam de productione per creationem usurpatur Job. 38: 28, 29.

IV. *Scopus* fuit non OEconomicus, historia generis proprii, in descriptione majorum; ut narratio de vita & gestis foret excellentior. Neque Politicus, ut ederet origines gentium. Neque Physicus, ut rerum naturalium & universitatis ortum & indolem describeret. Sed Ecclesiasticus, ut Ecclesiæ ortum recitaret, ejusque regimen, à primis initiis ad suam usque mortem. Hac propter, quia Ecclesia cœtus hominum est, ex hominibus selectus, & Deo per fœdus gratiæ sociatus, ad hominum ipsorum, adeoque totius universi primam originem adscendendum fuit. Atque hinc liquet quid Mosi fuerit ἔργον in hoc opere, quid πάρεργον. In illo majori studio & accuratione versatus est, ut quæ Ecclesiæ propria sunt solicitius annotaret: in hoc verò tantum indicasse satis habuit, quæ ad Ecclesiæ segregationem & excellentiam, singularitatemque pertinerent.

V. *Distributio* Geneseos Hebræis fit per *Parascheth*, seu Lectiones Sabbathicas. Vulgo per Capita: quæ privata autoritate facta, neque satis accurata est. Melior distinctio veterum Hebræorum, quæ Genesi 42. Capita tribuit. Primum finit cum vers. 3. capitis secundi Alii ex objecto distinguunt, vel *Rerum*, de statu mundi Ante, & Post diluvium. Illic spectant I. Creationem. II. Lapsum. III. Euangelium, ejusque præconium. Hic I. Restaurationem generis humani. II. Dispersionem gentium. III. Fœdus cum Abrahamo, ejusque familiâ. vel *Personarum* quæ eminent, Adami, Noachi, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi.

Mihi convenientissima videtur partitio in historiam temporis *Principii* rerum omnium, cap. 1. 2. 3. quæ septem dierum est; & *Principiati*, temporis reliqui usque ad mortem Josephi, complectens annos 2368. capitibus reliquis à cap. 4. ad finem libri.

PRINCIPIUM rerum omnium, seu *Tempus principii* Describitur continuo ordine, cap. 1. & 2. usque ad vers. 4. deinde Amplificantur illa quæ sigillatim hominem attinent, unde Ecclesia initium sortita est cap. 2: 4. usque ad cap. 3. finem.

DESCRIPTIO temporis principii fit secundum 7. dies, quorum sex primi continentur cap. 1. septimus cap. 2. initio.

CAPUT I.

PArtes habet sex, pro numero sex dierum principii, qui vocantur ἀρχὴ Matth. 19: 4. 8. ἀρχὴ κτίσεως Marc. cap. 10: 6. Conf. Marc. 13: 19. & Matth. 24: 21.

PRIMUS *dies* vers. 1, 2, 3, 4, 5. Hujus indicatur

I. *Initium*, quod fuit principium ipsius principii, בראשית. quando cœpit temporis fluxus, eopse momento quo aliquid cœpit esse præter Deum; tum enim cœpit ejusdem duratio, quæ mensurabilis. Principium temporis, eoque & tempus, non creavit Deus, sed concreasse dici potest. Neque enim tempus ens est, sed entis finiti modus & duratio. Ante fuit duratio, sed immensurabilis, principio carens, & vicissitudine, quomodo per partes foret mensurabilis; & illa dicitur æternitas. Ea adhuc durat, sed finita omnia in ejus duratione fluxum habent varium & mensurabilem, eoque sunt in tempore, quod de infinito dici nequit.

II. *Efficiens*, אלהים Numen venerabile, æternum, beatis-

tissimum, infinitæ sapientiæ, potentiæ, libertatis, bonitatis, justissimum, sanctissimum, unum essentia & efficientia, pluralitatem habens personarum. *Æternum*, quia ante principium. *Beatissimum*, quia etiam tum sibi sufficiens, nec ex indigentia aliquid agens; qui omnia ex se fecerit. *Infinitæ sapientiæ, potentiæ, libertatis, bonitatis:* ex operibus id evidens. *Justissimum*, ex legibus & earum exsecutione. *Sanctissimum*, segregatum ab omni perfectione naturali, quam infinitis gradibus excedit. *Unum*, ex unitate actionis, in verbo singulari. *Pluralitas* in numero, de quâ ad vers. 26. *Venerabilitas*, respectu creaturarum à se productarum.

III. *Efficientia*, ברא merâ voluntate & imperio ex nihilo absolute produxit: quod *Creare* dicitur Theologis. In Pih. *præcidit, elegit*; in Hiph. *faginavit*. Dicitur de productione quæ supernaturali seu omnipotente virtute fit, sive mediate, sive immediate. Nunquam alii præter Deum tribuitur. Heic notat productionem ex nihilo, cum nihil ante esset materiale. Chaos, quod quidam credidere, productum fuit. ℣. 1. 2.

Vers. 1. non est generale compendium creationis; sic enim terra prior cœlo creata foret, contra. Job. 38: 7. neque aliud cœlum, quam stelliferum diei secundi & quarti.

IV. *Opera* tria.

A. *Cœlum*, summum videlicet, quod *Cœlum cœlorum* 1 Reg. 8: 27. quia supra omnes cœlos, uti Sanctum Sanctorum, quod intimum. Thronus Dei, & domus ejus: & unà incolæ cœli illius, qui exercitus cœlestes, Angeli. Hi enim creati Gen. 3. vers. ult. & non terrestris, sed cœlestis exercitus, Gen. 2: 1. Fuere cum fundaretur terra. Job. 38: 7. Moses sigillatim de iis non meminit, quia Ecclesiam hominum describere scopus fuit. Cœlum istud nulli mutationi obnoxium; sed incolæ ejus. Nomen duale ex post facto consecutum est, quando Deus Firmamento id nominis dedit, commune videlicet cum hoc primo.

B. *Terra*, designat massam rerum corruptibilium, quam Chaos appellamus. Cujus descriptio specialior vers. 2. Nam *illa ipsa Terra*

a. *fuit*, (non ante creationem, sed postquam per creationem producta fuerat,) תהו ובהו. Kimchi prius materiam, posterius formam seu aptitudinem ad eam putat notare. Sed alibi Esa. 34: 11. & Jer. 4: 23. de summa vastitate accipitur. Adeoque significatur defectus omnis ornatus, decoris, imo distinctionis, utpote omnia habens confusa. Chald. *deserta & vacua*, ἀόρατον καὶ ἀκατασκεύαστον. Terra ארץ nomen tulit, quia *depressissimum* corpus erat, uti שמים quia *altissimum*. Quæ duo tantum erant loca creaturis recipiendis. Recte Maimon. *Creavit Deus in principio superiora & inferiora*. More lib. 2. cap. 30. Sed cœlum consummatum, cum incolis; quibus quia terra carebat, *inanis & informis* dicitur.

b. Hujus partem summam vocat תהום *magnam aquarum copiam*. Et mox מים *aquas*. Ps. 104: 6. Huic summitati (nam intimis partibus lucem deesse nihil mirum, cum ne nunc quidem aliter se habeat.) incubuere *Tenebræ*, privatio lucis omnis.. Sed additur

c. *Causa conservans, Spiritus Dei*. Non ventus vehementissimus, ut nomen divinum ad auxesin pertineat; nam cui bono auxesis illa, cum nullus ante minor ventus fuerit? Sed Spiritus Sanctus, cui adscribitur actio, qualis gallinæ incubitu foventis ova, & excitantis latentem formam. Hæc similitudo convenit Deo, ex Deut. 32: 11. Conf. Ps. 104: 30.

C. *Lux*, opposita ad tenebras modo dictas, pertinet ad massam corruptibilem, quam Terram dixit, habetque vicissitudines tenebrarum succedentium invicem. vers. 4. 5. Lux cœli summi non defuit unquam, sed unà producta; nam Deus ibi habitat lucem inaccessam, 1 Tim. 6: 17. & cum ipso habitat lux, Dan. 2: 22. & *Angeli* inde *lucis* dicuntur 2 Cor. 11: 14. In hujus productione notatur

a. *Modus*, dicendo efficaciter, ut fieret Psal. 33: 9. (Ps. 148: 5. idem modus de summo cœlo affirmatur.) Adeoque ex nihilo facta. 2 Cor. 4: 6.

NB. *Dicere* illud *Dei* non fuit generare Filium, quasi qui ante non fuisset (sic pertineret ad ordinem creaturarum) sed per Filium omnipotentem omnia producere Joh. 1: 3. Ps. 33: 6. quemadmodum etiam per Spiritum oris sui. Ibid. & Gen. 1: 2. Connotant ista emanationem ab intra, non extrinsecam productionem.

b. *Eventus*, Dei approbatio, *quod lux bona*; post consideration. vers. 4. Quia habuit suam consummationem. Proinde non rursum fuit destructa, sed mansit, prorsus eodem motu & usu; sed in plura corpora, & potissimum Solare, distributa & compacta.

c. *Usus & finis*, distinctio inter diem & noctem, ut dispelleret tenebras sua præsentia in uno hemisphærio: & sic successivè in altero. Nam videtur fuisse corpus grande, delatum per summitatem massæ illius informis, cujus mediam partem illuminabat, motu circulari circa illam massam, intra viginti quatuor horas.

d. *Nominum impositio*. vers. 5. *Vocavit Lucem*, hoc est, tempus præsentiæ supra terræ medietatem, *Diem:* & *Tenebras*, præsentiam earum similem, *Noctem*.

V. *Clausula* diei primi. *Et fuit vespera* &c. ℣. 5.

Vespera est tempus prævalentium tenebrarum; *Mane*, surgentis lucis supra hemisphærium, in quo creatus homo. Non fuit sola vespera in die primo, pertingens ad mane diei sequentis: nam mane illud æque ac vespera primi diei est. Sed secutum vesperam, eoque nox diem antecessit, in illa parte terræ. An verò ubique? Resp. Neg. nam vel nulla dies fuit in opposita parte, luce demum producta ipso mane superioris partis: vel istic primo fuit dies, siquidem mox ab initio quoque lux producta. Tenebræ ante productam lucem non fuere nox, neque ערב vespera, permixtio; quia hæc dicunt privationem præsentis ante lucis.

Secundus *dies* vers. 6, 7, 8. habet unum opus, *Expansum*. Cujus indicatur

I. *Modus producendi*; mandatum, simul significans quale & cujus usus opus produci vellet.

II. *Eventus*, exacte respondens.

III. *Impositio nominis* Expanso.

Aquæ vers. 2. superiorem partem fecerunt massæ illius corruptibilis, seu Terræ primæ. In his aquis, & forte ex his factum est Expansum. velut paries intergerinus inter aquas; quarum partem in altum eduxit Deus, & sub summo cœlo primi diei suspendit; partem reliquam suo loco reliquit: Firmamento intermedio loco constituto, ne rursum corrent. Emphasin habent. מבדיל בין מים למים & quod explicationis loco מתחת & מעל, ut necessario Expansum aquas supra se habuerit, & alias infra se.

Aquæ superiores non sunt nubes quas videmus; sunt hæ infra expansum. Sed aliæ. Psal. 148: 4. & 104: 2, 3. Confer Apocal. 4: 6. Ezech. 1: 4. 22. Aquæ superiores demissæ sunt in diluvio, apertis catarractis cœli Gen. 7. vers. 11. & cap. 8: 2. quomodo se nunquam acturum juravit Deus Esa. 54: 9. Atqui si catarractæ sunt nubes, quotidiana est earum apertio.

Expansum Deus vocavit שמים nomine duali, quia jam *duo* erant *altissima*, unum rerum creatarum incorruptibile, alterum creatarum corruptibilium. Similis ratio dualitatis in voce מים.

IV. *Clausula* similis cum præcedente & sequentibus diebus.

Tertius *dies* vers. 9—13. habet opera duo.

I. *Separatio aquarum inferiorum* à partibus terræ primi diei siccioribus.

Aquæ מתחת השמים hoc est הרקיע, quod novo nomine indigitatur, debuerunt confluere in cavitates, quas Deus imperavit, surgentibus hinc inde partibus siccioribus, Psal. 104: 7. & seqq. deductis inde aquis; & etiam ab imis partibus, ut fundus maris quoque siccus sit, aqua inde exclusa, & in se collecta.

Nomina imposita,

a. *Aquarum collectioni* ימים, quia plures sunt, majores & minores.

b. *Aridis partibus*, humore inde educto, ארץ, quia depressissimum locum suo pondere occupat: infimum corruptibilium, uti Terra primi diei infimum creatarum rerum.

II. *Germinatio Aridæ* illius, quam nomine ארץ insignit, uti mox Expansum novo nomine שמים: indita facultate fœcunditatis.

Germina sunt

a. Non-sativa, Gramina.

b. Sativa.

c. Arbores, suo quoque semine instructæ.

Even-

Eventu ubique respondente

Approbatio hîc gemina, die secundo nulla. Nam quod istic non factum, causa est, quia nec expansum, nec aquæ inferiores consummationem hactenus acceperunt. Hîc verò bis, 1. Cum aquæ inferiores consummatæ. 2. Cum consummata terra per germinationem.

QUARTUS *dies* vers. 14–19. unum opus, *Luminaria*. De quibus refert

I. *Modum producendi*, per mandatum, non tamen ut lux primæva ex nihilo, sed ex illâ: nam idem usus, qui tum approbatus, distinctio lucis & tenebrarum, diei naturalis.

II. *Subjectum*, Expansum cœlorum, conjunctis appellationibus, quia non altiora expanso, & inde Cœli epitheton; non autem cœli summi intuitu. Cœlum summum non factum est stelliferum, sed quod ex massa corruptibili factum, quod etiam accepit ex luce illi massæ datâ luminaria: sed ut jam quoque noctes aliquid inde lucis acciperent.

III. *Usum Priscum*, distinctionem lucis & tenebrarum, diei & noctis.

Novum, *a.* ut sint signa distinguendorum per intervalla majora & minora temporum. *b.* ut lucis efficaciam communicarent sigillatim terræ, per influxum. Hæ ordinationes Cœlorum, & Solis ac Lunæ, Stellarumque Jer. 31: 35, 36.

IV. *Eventum*, per distributionem in majora, & minora, Stellas. Majora rursus inæqualia, & distinctus usus. Rabb. de æmulatione Lunæ ejusque pœna. Conf. Esa. 30: 26. Dominium Solis absolutum: Lunæ, commune cum Stellis. Psal. 136: 7, 8, 9.

Approbatio, opere hoc consummato.

QUINTUS *dies* vers. 20–23. habet opera duo, creationem Piscium & Avium.

I. Antecedit *mandatum*, ut in aliis,

A. de *Piscibus*, ut moveantur in aquis, inde producti, uti verisimile. שרץ motum plurimorum magno numero notat. ישרצו המים 't water wemele &c.

B. de *Avibus*, ut moveantur super terram: at non supra expansum; nam non dicitur מעל. Et על פני רקיע השמים non *supra*, sed *ad* expansum, reddi debet: על per אל.

II. *Eventus* commemorat de

A. *Piscibus*, speciatim cetis, generatim aquatilibus reliquis.

B. *Avibus*, generatim.

III. *Modus producendi*, Creatio. An propter productam in iis vitam?

Approbatio, opere consummato.

IV. *Modus conservandi*, Benedictione jubendo propagationem per generationem, & suum concursum addicendo.

פרו ורבו commune est piscibus & avibus, reliqua cuique propria.

מלאו את המים בימים quia non vivunt pisces nisi ubi collectio aquarum: humor residuus in terrâ eos non alit.

SEXTUS *dies* vers. 24–31. opera duo.

I. *Animalia terrestria*, ubi Mandatum & Exsecutio.

Origo ex terra. In genere נפש חיה.

Distinctio in species.

a. בהמה de majoribus ad ministerium oportunis, (non tantum cicura, cum de ovibus similibusque nunquam usurpetur.)

b. רמש de reptilibus, potius gressilibus, quæ incedunt tollendo pedes.

c. שרץ reptile est, & piscibus quoque quadrat. Abarbanel tamen & רמש facit reptilia.

d. Denique חית ארץ reliqua.

Feræ nullæ fuerunt in statu integritatis; & si eæ intelligantur, per anticipationem ex post facto, eo nomine veniunt.

Quod additur singulis, *secundum species suas*, ostendere vult Abrabanel sexus discrimen fuisse; sed id etiam in piscibus obtinuit: pertinet autem ad distinctionem specierum in quovis genere.

Approbatio specialis additur ut alias.

II. *Homo*: circa quem spectanda Origo & Gubernatio.

A. *Origo*

a. *Remota* est Consilium Dei de homine creando, patefactum post productionem brutorum. Ejus autor est Deus Pater in concilio Trinitatis, qui reliquas Personas secum ad hoc opus excitavit, indicando

a. Objectum producendum, אדם non individualiter, sed collective, de duobus; unde mox plur. וירדו, nam non unum, sed duos se conditurum dicit.

b. Exemplar, ad quod formandus, geminam considerationem habet, quoad

א. *Essentiam* & *Personas* divinas, ut sit *Homo* בצלמנו, per essentialem expressionem Spiritualitatis ac Vitæ; nec non Intellectus, Voluntatis & Potentiæ: in anima potissimum, cujus usibus accommodatum corpus organicum.

צלם sumitur de forma sensibili, figura, 1 Sam. 6: 5. non sensibili sed intellectuali; uti hîc. item Gen. 5: 2. ipsi respondens & similis in conditione, in sapientia & excellentia. Psal. 39: 7. *tenebras* notat, uti apud Arabes צלם. hinc quidam צלמות voluêre derivatum; sed Kimchi ו mobile obstare ait, Rambam in More lib. 1. cap. 1. צלם de forma naturali explicat, per quam res existit, & est quod est: ipsa essentia, forma specifica interna. דמות similitudo in re aliqua.

ב. *Virtutes*, ut sit talis Homo. כדמותנו per expressionem Perfectionis & Rectitudinis.

c. Dignitatem, quâ ornandus, in Dominio super creaturas quinto & sexto die productas, atque etiam Terram in qua collocandus.

b. Origo *Proxima*, Consilii Exsecutio.

a. In *genere*: quod exacte expressum fuerit exemplar, per imaginem essentiæ & hypostaseôn divinarum. De perfectionum expressione nil dicit, synecdochice complexus; explicite hanc commemorans Gen. 5: 1.

a. Modus, Creatio, quia productus Spiritus immaterialis, perfectione in terrestribus prorsus nova præditus: intelligens videlicet Spiritus. *β. Subjectum*, Homo, specifice, & collective, de duobus individuis: quod deinde declaratur.

b. In *specie*: quod sexu differentes Homines creârit.

B. *Gubernatio* constat *tribus legibus*, quæ etiam bruta concernunt. Unde hîc relatæ; cum quæ propriæ homini, dilatæ in cap. 2.

a. *Multiplicationis* per generationem, concursu suo per benedictionem promisso. Communis brutis terrestribus.

b. *Dominii*, ab homine exercendi, & à brutis tum terrestribus, tum etiam aquatilibus & volucribus agnoscendi & tolerandi.

c. *Cibi*,

a. Humani quidem, herbæ sativæ, & fructus arborum.

NB. Carnis usus non concessus homini: ל obstat, quod utrobique tam de brutis quam de homine usurpatur. Conf. Gen. 6: 21. & 9: 3.

b. Terrestrium & *volucrium*, herbæ spontaneæ, non sativæ.

De piscium cibo nil definitum; quibus in aqua degentibus, ibi quoque cibus paratus, sed non incurrens in oculos hominum; unde nihil de illo fuit necessum dicere.

Approbatio generalis, tum hujus, tum præcedentium operum, quæ *bona*, ratione formæ & finis; *valde* bona, ut ratione status sui non potuerint esse meliores, aut non futuræ eædem creaturæ.

Clausula eadem, nisi quod ה articulus hîc solùm occurrat, ceu quid singulare notandum habens, quod novo operi causam dederit.

Connexio clausulæ cum approbatione generali non docet hanc in extremum usque diei dilatam. Nam quæ conjuncta narratione, non sic juncta tempore fuerunt. Confer vers. 27. *marem & fœminam* &c. Præterea approbationes speciales non pertinent ad finem dierum suorum. Denique, quicquid quovis die factum est, non factum ante quam foret vespera & mane; sic ad præcedentem diem pertineret: sed fluente vespera & mane, & priusquam non solum vespera sed etiam mane effluxisset, finitum.

CAP. II.

HAbet I. Narrationem compendiosam diei septimi. ℣. 1. 2. 3. II. Repetitionis amplificatoriæ partem, qua ea quæ hominem attinent specialius enarrat. ℣. 4. ad fin.

SEPTIMI DIEI NARRATIO refert

I. Per recapitulationem ea *quæ ad eum non pertinent.* verſ. 1.

A. Res ante factas, partes integrales univerſitatis, *Cœlum & Terram.* cap. 1: 1.

B. Rerum illarum ornamenta & complementa, *Exercitus* utriuſque, toto ſexiduo elaborata.

C. Perfectionem utrorumque.

II. *Quæ illius ſunt propria.*

A. *Conſummatio operis ſui*; non ea quam removit, ſed alia; illa ſex dierum fuit, hæc ſeptimi, poſcente articulo. Alias ταυτολογία inexcuſabilis. Verſ. 4. parem diſtinctionem facit.

Conſummatio iſta non fuit naturalis, ſed ſupernaturalis; & conſtat vel ſimplici melioratione, in Angelorum bonorum confirmatione immutabili; vel reſtitutione ex corruptione, & elevatione in ſtatum meliorem naturali, in hominibus.

NB. Conſummatio ſex dierum, & fecit ſubjecta, & ea exornavit. Ea quæ ſeptimi eſt, non fecit ſubjecta, ſed ex priori accepta, vel eadem, vel deteriorata, reddidit perfectiora.

B. *Quies*, poſt conſummationem non primam, ſed ſecundam. Etiam poſt primam quievit, tum partialiter, ſingulis diebus, tum generaliter ſexto; teſtantur approbationes. ut non tantum in natura per creationem producta nihil ſuperadderet; ſic jam die ſexto quieſcere cœpit: ſed etiam ut in redemtionis negotio nihil mutaret, præter normam tunc die ſeptimo ſtatutam.

Quies ſignificatur per שבת, item per נוח Exod. 20. verſ. 11. & נפש cap. 31: 17. ut etiam voluptas, delectatio & acquieſcentia animi denotetur.

C. *Benedictio diei.* Non tribuitur ea creaturis; obtigerat ea die quinto piſcibus & avibus, & die ſexto terreſtribus & homini. Sed non ipſi dies benedicti. Diei ſeptimo ea propria eſt, non clariore luce aut immunitate à tenebris & nocte, aut ſuaviore aëris temperie; ſed ſupernaturali eminentiâ, quando eum delegit, quo conſummationis novæ gratiam conferret. Huc faciunt Exod. 31: 13, 16, 17. Ezech. 20: 12. 20. Quemadmodum enim benedictio panis & vini in S. Cœna facit ea ſacramenta, per quæ Deus ſigillatim in fidelibus efficax eſſe vult; ſic quoque dies ſeptimus benedictione Dei ſacramentum gratiæ conſtitutus eſt. Confer Calvin. in Ezech. 20: 12. 20.

D. *Sanctificatio diei*, non reſpectu Dei, ſed hominum, quibus hunc diem ſegregatum eſſe voluit (ut benedictionis ejus fructum conſequerentur:) adeoque ſeparatum ab uſu naturali, in labore ad vitæ naturalis conditionem conſervandam: ad ſupernaturalem conſummationem conſequendam.

E. *Ratio ſanctificationis*, quia eo quieverat à faciendo, ſeu conſummando opere quod creaverat.

Factio diſtincta à *creatione.* Hæc ſex diebus abſoluta & conſummata; iſta ſeptimo die, per novam conſummationem. ברא & עשה ſynonyma: aſt quando conjunguntur, hoc majorem exornationem, & decorem collatum indicat. Mercerus h. l. Eſa. 43: 7.

Caret hic dies Clauſula, *Et fuit veſpera* &c. non quod nox eum non inceperit ſicut reliquos; ſed quod obſervata non fuerit; de quo inferius.

REPETITIO AMPLIFICATORIA rerum in principio geſtarum, quatenus ad hominem & Eccleſiam pertinent, I. proponitur. verſ. 4. II. declaratur. verſ. 5. uſque ad fin. cap. 3.

I. *Propoſitio* eſt verſ. 4. Origines rerum diſpeſcens ex præcedenti deſcriptione in eas quæ Sex dierum, & quæ Septimi.

A. *Origines Sex dierum* deſcribit

a. à *rebus productis*, earumque *ordine*, Cœlum & Terram: illud die primo, hanc inſuper quinque reliquis.

b. à *modo producendi*, cum crearentur. Conf. verſ. 1. Omnis enim conſummatio illa per creationem fuit introducta.

B. *Origines Septimi* deſcribit

a. à *modo efficiendi*, in die facere ſeu factionis, quatenus à creatione diſtinguitur verſ. 3. eoque habet conſummationem ſingularem verſ. 2. oppoſitam illi, quæ per creationem introducta verſ. 1.

b. ab *efficiente* יהוה אלהים: poſterius ſolum hactenus uſurpatum; quia in creatione & gubernatione, definita & exercita primis ſex diebus, venerabilem, & juſtum ſe declaravit. Prius nunc demum, quia in factione ſeptimi dieî gratioſum & veracem ſe probavit: quæ duo nomina deinceps conjunguntur, ut ſolatium hominis foret conſtantius, & quia de homine deinceps loquitur, quatenus Origines Eccleſiæ ſpectat, in qua gratiæ Dei exercitium viget.

c. à *rebus effectis*, &

d. *Ordine* earum, Terram & Cœlum: non alia à prioribus, ſed pro ratione factionis, quæ producta novâ conſummatione exornat: & quidem contrario ordine.

II. *Declaratio* concernit hominem, ratione originum Sex dierum, reliquo cap. 2. 3. Septimi cap. 3.

SEX DIERUM *ratione*, ut etiam quæ prioribus diebus facta, quatenus hominem ſigillatim attinent, recitentur: cujus attenditur Creatio, & Gubernatio.

A. *Creatio* verſ. 5. 6. 7. indicat

a. *Qualis terra* fuerit in quâ conditus. verſ. 5, 6.

a. Carens *virgultis & herbis* quæ in terra culta naſci ſolent, quæ tamen accepit abunde.

b. Carens *mediis* germinandi *naturalibus*, pluvia; *artificialibus*, agricultura humana.

Medium quod adhibuit Deus ad germinationem, vapor è terra aſcendens, & hanc humectans: eoque humor reſiduus in arida, poſt ſeparationem aquarum non fuit fœcundus, ſed debuit excoqui vi caloris; quemadmodum fit in rore.

NB. *Vau* in וכל שיח eſt quale Arabum in initio ſententiæ: quale ſæpius in initiis librorum occurrit.

b. *Qualis homo* in eâ terra conditus. verſ. 7. deſcriptus

a. à *parte materiali*; ubi 1. *efficiens.* 2. *effectum*, homo, primum individuum maſculum. 3. *materia*, pulvis de terrâ. Hinc 1 Cor. 15: 47. *primus homo ix γῆς χοϊκὸς.* 4. *modus efficiendi*, plaſmando.

b. à *parte immateriali*; ubi

א. *Productum*, נשמת חיים, quidam de halitu, & reſpiratione accipiunt. Aben Ezra de ſola humana anima dici affirmat.

ב. *Modus productionis*, ויפח באפיו *inflavit in nares ejus.* Spiritum Dei eodem nomine נשמה inſignit Elihu Job. 33: 4. ſeu potius priori membro deſignatur Spiritus S. poſteriori autem anima, ונשמת שדי תחיני & *anima omnipotentis* (genit. effic. ab omnipotente producta) *vitam mihi prorogat.* Significatur ſpiritus vitæ, ſpiritualis ſubſtantiâ vivens, quemadmodum Deus ſpiritus & vita eſt, vere imago Dei.

c. à *compoſito* ex illis partibus conſtante. נפש חיה. quod vivus ſit, habet à נשמת חיים: quod vero נפש, habet à pulvereo figmento, quod corpus dicimus; conf. 1 Cor. cap. 15: 45. & 44. & 46. σῶμα ψυχικὸν eſt ψυχὴ ζῶσα, & homo ψυχικὸς.

B. *Gubernatio* indicat ſpeciales ſeu proprias Leges quibus fuit obligatus; & Judicium ſecundum illas leges exercitum.

Legibus ſingulis *a.* præmittuntur Occaſiones, *b.* tum ipſæ recitantur.

a. Occaſionem duabus legibus præbuit *Paradiſus*, quem Deus homini paravit in habitationem, & ibidem collocavit. Quod

א. In *genere* dicitur verſ. 8. addita deſcriptione tum *modi producendi*, plantando, ſicut hominem fingendo: tum *ſitus*, in Eden, ad Orientem, reſpectu loci ubi Moſes erat cum ſcriberet, hoc eſt, deſerti.

ב. In *ſpecie* autem depingit ab ubertate verſ. 9.

a. Terreſtri; omnis generis arbores, deſiderabiles oculis, bonæ in cibum; quæ communia attributa omnium. Aſt ſingularia inſuper duarum, *Vitæ*, & *Scientiæ boni & mali.* Utraque appellata ab eventu: iſta, quod eâ guſtatâ experturus eſſet homo bonum quod periret, & malum quod ſuccederet. Illa pariter ex Gen. 3: 22.

β. *Aquea*; quatuor fluminibus, ex eo qui Paradiſum perfluebat, in diverſa euntibus: quorum tres alveos deſcribit, minus notos; at quartum notiſſimum ſatis habet nominaſſe. verſ. 10—14.

b. Le-

b. Leges quæ latæ ſunt ſpeciales, reſpiciunt conceſſam
א. habitationem & laborem. ב. victum.

א. *Laboris.* verſ. 15. Collocatum hominem in hortum, obſtrinxit ad ejus culturam & cuſtodiam. Hinc 2 Theſſal. cap. 3: 10.

ב. *Cibaria* verſ. 16, 17. habens

α. Repetitionem ſupra memoratæ cap. 1: 29. אכל תאכל *liberrime comedes.*

β. *Exceptionem* unius. Cujus 1. indicium. 2. interdictum. 3. ratio interdicti, ab effectu noxio; non vi naturali arboris, quaſi eſſet mortifera; fuit enim טוב למאכל verſ. 9. ſed ex ordinatione Dei. (Sic arbor vitæ ex ſpeciali ordinatione Dei comeſta, immutabilitatem conditionis attuliſſet; quemadmodum illa mutationem.) *Noxa* illa deſcribitur

(*a.*) à Natura ſua, *Mors hominis.*
(*b.*) à Certitudine, *Moriendo morieris.*
(*c.*) à Tempore initii ejus, *Quo die comederis.*

a. Occaſionem tertiæ legi de Conjugio præbuit *Creatio mulieris*, cujus

א. *Cauſa*, indigentia hominis, non quaſi ſine muliere fuerit imperfectus homo: ſed quod ineptus ad habitandam terram, & exercendum dominium. Eam

α. Indicavit Deus verſ. 18.

β. *Agnoſcere fecit hominem*, quando animantia à ſe condita illi ſtitit, ut ſuæ ſapientiæ ederet teſtimonium, verſ. 19. Dominii aliquod feciſſe ſic exordium, non convenit narrationi Gen. 1: 28. ubi pariter viro & mulieri illud collatum dicitur. Homo

1. Impoſuit brutis adductis nomina.

2. Ea omnia deficere agnovit ad conveniens ſibi auxilium, quale quidem bruta ſingula habebant, ſexu diſcreta. ℣. 20.

ב. *Modus* eſt, formatio Mulieris ex viro; ubi

α. Materia, ejuſque ſeparatio. verſ. 21.

1. Immiſſio profundi ſoporis in virum, ſenſus ſtupefacientis, unde obdormivit;

2. Et acceptio coſtæ unius ex ipſo, cujus locum opplevit carne.

β. *Forma.* verſ. 22. Coſtæ illius efformatio in mulierem, quæ dicitur *ædificatio*, quod peculiari conclavi ſeu contignatione inſtrueretur, ad habitationem concipiendi fœtus: inſpirata quoque anima.

b. Lex ipſa *Conjugium* definit; quod deſcribitur

א. à *contrahendi modo:* qui habet Contrahentium Conſenſum;

α. Mulieris, adductæ ad virum à Deo, habente mulieris poteſtatem, nec tamen violenter trahente.

β. *Viri*, agnoſcentis naturæ ſimilitudinem, qualem in aliis animantibus non reperierat; & in ejus ſotietate acquieſcentis, cum à ſe non quà homine, ſed quà marito denominaret אשה verſ. 22.

NB. Communionem ſecum ſtatuit in *carne & oſſibus*, non in *ſanguine.* Scilicet corporis erat participatio; non animæ, quæ immediate à Deo cuique obtingit. Alioqui cum coſtam carne tectam accepit Deus, utique etiam fibræ venarum & ſanguis in eis fuit acceptus.

ב. à *norma contractus* in futurum, ſancita à Deo verſ. 23. Matth. 19: 4, 5. quæ limitatio legis communis cum brutis Gen. 1: 28. jubentis conjunctionem maris & fœminæ ad propagationem ſui ſimilis, concurſura providentiâ divina, citra ullam cognationis vel affinitatis rationem.

Aſt hîc generi humano

α. Imperatur Conjunctio

1. Unius viri & fœminæ, איש & אשה ſingg.

2. Libera, non coacta; *Deſeret*, non cogetur deſerere; *Adhærebit*, non cogetur adhærere: activa verba. באשתו non באשרו, quam eligendo *ſuam* fecit, non quamcunque obviam.

3. Arctiſſima; דבק *adhærebit* ceu glutine conjunctus, κολληθήσεται, arctius quam parentibus, ea propter deſerendis.

4. Indiſſolubilis; *Erunt caro una;* non mage ſeparanda, quam corpus proprium truncandum.

β. *Interdicitur* Conjunctio in linea adſcendente. Deſerendi parentes ut una caro fiat cum uxore; nunquam ergo una caro eſſe debet cum parentibus. Chald. *Cubile patris & matris deſeret.* Inceſtus ergo unus lege poſitiva deſcriptus & vetitus.

ג. ab *honeſtate* ſeu *innocentia contractus:* ambo nudi, citra erubeſcentiam, quia nil turpe in corpore vel animo, neque etiam in ſtatu conjugii. verſ. 24.

CAP. III.

HAbet I. Judicium Dei juxta leges illas exercitum;
II. Gubernationis novæ ſeu præternaturalis exordium.

I. *Judicium Dei juxta leges Gubernationis naturalis* deſcribitur quoad Cauſam impulſivam externam, inobedientiam hominum; & quoad Effectum.

A. *Cauſa impulſiva externa*, eſt Inobedientia hominum, cujus

a. *Antecedentia*, Colloquium Serpentis cum Muliere, verſ. 1---5.

a. Colloquentium unus eſt *Serpens*, commendatus ab aſtutiâ, à Deo ei data. Hic tamen inſtrumentum tantum: principalis Diabolus, Joh. 8: 44. qui ab inſtrumento iſto *Serpens* dicitur Apoc. 12: 9. Alter, *Mulier*: marito, ut videtur, abſente; qui forte, ut Abraham Gen. 18: 16. 33. Deum abeuntem comitatus eſt: nam externo ſermone Deus cum homine egit: an etiam externa ſpecie, incertum eſt.

b. Colloquium agit de reſtrictione legis cibariæ, quam ultimam Deus tulit Gen. 1: 28. ſeqq. quam ſic proponit, ceu qui eminus audiſſet, & non ſatis aſſecutus, plenius averet erudiri.

א. Mulier reſpondendo declarat legis iſtius

α. Amplitudinem. verſ. 2. *Comedemus*, ceu qui nondum uſurpaſſent factam licentiam.

β. *Reſtrictionem* unius, & ſolicitam cautelam; ob imminens damnum negligentibus. פן non dubitantis, ſed ſimpliciter denunciantis eſt. verſ. 3.

ב. *Duplicatio* Serpentis verſ. 4. dicentis primum mendacium Joh. 8: 44. & confirmantis illud διαβολῇ contra Deum verſ. 5. qui ex invidia interdixerit, conſcius contrarii eventus, tum facti, tum circumſtantiæ temporis, aperiendorum oculorum, non tam corporis quam mentis (פקח etiam de mente dicitur, Exod. 23: 8.) in experimento, quod futuri ſint ſicut Elohim, ſummæ felicitatis & immutabilitatis, eoque ſcientes boni & mali, hujus quod deſerturi, iſtius quod conſecuturi eſſent. verſ. 5.

b. *Factum* verſ. 6. in

a. Muliere, conſiderante quod arbor habebat

א. *Verè*, bona ad cibum, deſiderabilis ad viſum Gen. cap. 2: 9.

ב. *Falsò*, ex perſuaſione Serpentis, appetibilis ad intelligendum, quæ promiſſa apertio oculorum: & huic credente, adeoque comedente.

b. Viro, docente muliere, pariter comedente.

c. *Conſequentia* verſ. 7.

a. Tum *Agnitio nuditatis*, ante non ignoratæ, aſt nunc habentis pudendam turpitudinem, ex convictione principii de honeſtate, inſcripti cordibus.

b. Tum *Conſutio foliorum ficus* in ſuccinctoria, ut nuditatem à mutuo proprioque conſpectu abſconderent.

B. *Effectum* Judicii eſt pœna juxta veritatem comminationis peccatoribus infligenda, & illo ipſo die immittenda verſ. 8. ubi

a. *Actio Dei.* Vox ejus, indeſinenter perambulans hortum ad ventum ſeu veſperam ejuſdem diei, (articulus היום eundem dicere videtur quibusdam, qui cap. 1: 31. Certo autem deſignat diem comeſtionis cap. 2: 17.) Vox non articulata, qualis verſ. 9. ſed inarticulata, terribilis, reddens compenſationem; qualis Pſ. 29. & 18: 14. ſeqq. & 77: 18, 19. & Exod. 9: 23. cap. 19: 16, 18, 19. Vox ergo Dei indeſinenter perambulavit hortum, nullas in eo latebras relinquens, quo tonitruorum murmura, & fulgetrorum flammæ non pervenirent.

b. *Paſſio hominum.* Hoc teſtimonium præſentis Dei irati, Judicis vindicisque potentiſſimi, tantopere reos non modo exterruit, ſed etiam ea tormenta ipſorum cordibus & conſcientiis admovit, non ſine corporum afflictione graviſſima,

Prov. 17: 22. ut nec mutua ſocietas, nec horti amœnitas amplius juvaret aut placeret, ſed quæreretur una ſolitudo Apoc. 6: 16. Attamen ſunt inter denſiſſimas arborum tenebras nequicquam; Nam ne quidem poſt occaſum Solem ulla veſpera ſeu nox obſervata; unde ſilentium de veſpera ſeptimi diei, quæ tamen ejus mane ſine dubio antecellit.

Fuit hæc *Mors*, quam Deus minatus erat, & inflixit: quæ tamdiu incubuiſſet, ſiquidem juſtitiæ Dei foret ſatisfaciendum, donec culpa expiata, & neglectus obedientiæ fuiſſet compenſatus.

Verum Deus qui de Mortis certitudine & celeritate pronunciarat, de perennitate nil dixerat, quomodo fuiſſet immutabilis ex veritate; Adeoque de duratione nil locutus, locum fecit *Gubernationi* alii, quæ quia naturæ leges non ſequitur, ſed novas, *Præternaturalis* dici poteſt. Eaque habet origines hominis

Ratione SEPTIMI DIEI. Ubi

Gubernationis iſtius indicantur Leges, & Judicium juxta illas.

I. *Leges* priuſquam promulgarentur, præceſſit

A. *Apparatus* quidam.

a. *Revocatio hominum* voce articulata verſ. 9. qui ſeparati à Deo gratioſo, non niſi præſentem iram ſentiebant; quomodo utique hæc remota, & ejus effectum mors, cœptaque exerceri longanimitas & tolerantia.

b. *Convictio hominum*, ne remotâ pœna ſimul etiam culpam abolitam opinarentur. Hæc habet *Confeſſionem*

ℵ. *Pœnæ*, verſ. 10. Vox Dei audita à reo, & reatûs per nuditatem convictio, unde metus & abſconſio. Simillima voci Matt. 25: 41. Joh. 5: 28, 29. Apoc. 6: 16. ſeqq. Matt. cap. 7: 23. Luc. 13: 25. ſeqq. 2 Theſſ. 1: 9.

ב. *Culpæ*, verſ. 11. nuditatis pudendæ agnitionem eſſe ex reatu; quod fatetur *Vir*; jubente uxore, quam ſociam acceperat. verſ. 12. *Mulier* verſ. 13. decepta à Serpente.

B. *Promulgatio* legum edit normam à Deo deinceps obſervandam ad Compenſandam inobedientiam, & ad Convincendos reos.

a. *Leges Compenſationem* læſæ autoritatis Dei definientes, continentur verſ. 14. 15. ſpectantque

ℵ. *Corruptionis autores*,

א. *Inſtrumentalem* Serpentem; perennis *Pœna* inceſsûs ſuper ventrem, & comedendi pulveris. verſ. 14.

ב. *Principalem* Diabolum, verſ. 15. *Inimicitia* cum Muliere, & Semine ejus, & ab hoc tandem Contritio capitis: quæ pœna ignominioſiſſima & graviſſima; conſilio & robore prorſus eliſis.

ג. *Corruptos homines*: *Compenſationem* præſtituros vel

ℵ. *Vicariam*, per Mediatorem Meſſiam,

א. *Perſonâ* Θεάνθρωπου, Hominem quidem, Semen ſolius mulieris, eoque non reum, ſed innocentem; Deum etiam, jam inimicum Serpenti Satanæ; & hoc robuſtiorem.

β. *Munere* 1. toleraturum contritionem calcanei, quo tempore Deo ſatisfacturus eſſet Pſ. 69: 5. nam contritio iſta proprie à Satana eſt; aſt ſatisfactorias pœnas Deus infert Eſa. 53. Conf. Pſ. 22: 16, 17. 2. Satisfactione præſtitâ vindicaturum ſuos triumphato Satanâ, contritoque hujus capite.

γ. Pro quibus, qui *Objectum* redemtionis, Mulier, & Semen ejus, Apoc. 12: 17. qui inimici Serpentis contra illum & ſemen ejus pugnarent, fiducia victoriæ à Semine mulieris, in ſe quoque viventis & pugnantis, obtinendæ.

ב. *Propriam*, in ſua perſonâ, quotquot Semen Serpentis; ſimilitudine & imitatione pravitatis, in ipſius amicitia perſeverarent, culpamque inimicitiâ contra Semen Mulieris augerent: qui idem cum Satana ſupplicium contritionis capitis eſſent ſubituri, Pſ. 110: 1. Matt. 25: 41. Rom. 16: 20.

Juxta has leges Judicium ultimum inſtituetur ex Rom. 2. verſ. 5—11. coll. cum Gen. 3: 15.

b. *Leges Convictionem* hominum reorum ſpectantes definiunt pœnas (à πόνη, quod à πόνος *moleſtia*) quæ nec compenſant culpam, nec ſatisfaciunt juſtitiæ divinæ, ut poſt eas & propter eas toleratas minus reſtet Deo exigendum, vel reo ſubeundum: ſed tantùm commonefaciunt obligationis ad pœnam compenſantem unius inobedientiæ primæ, jam remotam & dilatam. Sunt autem latæ

ℵ. *In ſolum ſexum fœmininum*: quia mulier decepta docendi partes uſurparat, verſ. 16.

א. Ægritudines propriæ, menſtruæ, geſtationis, partus.

ב. In confirmato matrimonio, non ſocietas amplius, ſed ſubjectio; implantato tamen conjunctionis deſiderio.

תשוקתך *diſcurſatio tua*, ut cum deſiderio ad ejus placitum movearis. Contra Cantic. 7: 11. Meſſias cum deſiderio diſcurrit ad placitum ſuæ Eccleſiæ, Matt. 20: 28. Epheſ. cap 5: 25. ſeqq.

ג. *In genus humanum univerſum*. verſ. 17, 18, 19. quia Adam principium generis humani obedientiam Deo negatam uxori præſtiterat,

ℵ. *Poſſeſſionis* deterioratio, maledicta terrâ & vanitati cum creaturis terreſtribus ſubjecta.

ב. *Victus* ratio difficilior, & quandoque communis cum brutis.

ג. *Laboris* imperati continuatio, ſed ut characterem haberet maledictionis divinæ, ſudorem vultus, & depaſtionem corporis virium.

ד. *Mortalitas corporis*, ſoluta unione cum anima, ejusque reſolutio in pulverem; poſtquam aſſignatum à Deo cuique ſpacium effluxiſſet, brevius aut longius: quo frueretur longanimitate, tolerantiâ, & benignitate Dei.

NB. Manſere ergo confirmatæ rurſus leges (ſed omnes conditione deteriore)

α. Generationis, & quidem in legitimo matrimonio;

β. Laboris;

γ. Cibaria: ſic tamen ut ceſſarent ſpeciales, de arbore tum Scientiæ, tum Vitæ: Deo ſecundum eas non amplius acturo.

II. *Judicium* juxta leges novæ Gubernationis mox exerceri cœptum circa primos homines. Quoad

A. *Compenſationem*, ſed vicariam, in Meſſiæ

a. *Apprehenſione*, per profeſſionem fidei ab Adamo factam, verſ. 20. dum uxorem novo nomine vocat *Chavva*, reſpiciendo primam promiſſionem.

b. *Applicatione Dei*, tum

a. *Facto*, verſ. 21. faciendo viro & mulieri tunicas pelliceas; quæ fuere ex pelle hoſtiæ in typum ſatisfactionis vicariæ Chriſti mactatæ & oblatæ, (unde ritus ſacrificiorum dimanavit, qui Deo non placuiſſet, niſi ab ipſo inſtitutus Hebr. 11: 4. 6. item diſtinctio mundorum & immundorum animalium Gen. 7: 2.) cujus pellis ipſis ad tegendam nuditatem induta fuit.

b. Tum *Sermone* verſ. 22. quando Deus in Concilio Trinitatis

א. *Collaudavit* Adami fidem, per quam uni ex tribus perſonis Deitatis, Filio Dei, deſignato Mediatori ſimilem eſſe dixit: experimentali cognitione tam ſummæ infelicitatis, in Chriſto per fidem morituri peccato, quod in typo viderat; quàm ſummæ felicitatis, in eodem per fidem viventis Deo, & victuri in æternum.

ב. *Definivit* regimen fidei ipſius, abſtinendum dicens ab Arbore Vitæ, medio naturalis felicitatis, poſtquam ſupernaturalem vitam per fidem vivere cœpiſſet: ne gratiam naturæ ſocians, perennem calamitatem ſibi accerſeret, ſiquidem præſentem conditionem redderet immutabilem.

B. *Convictionem*. verſ. 23, 24.

a. Emittens eos ex horto voluptatis, ut in natali ſolo durum laborem auſpicarentur, ſingulari horti benedictione privati.

b. Tum gladio flammante Cherubinorum arcens ab ingreſſu horti, & inprimis uſu arboris Vitæ: ut ſtatum naturæ, eique conſentaneam gubernationem nunquam poſt illa repetendam, ſed ex novis legibus ſe regendos judicandoſque agnoſcerent.

NB. Hoc modo autem patefacta reſtitutione per Chriſtum, & cœpta collectione Eccleſiæ, per promulgationem iſtius reſtitutionis, ejuſque apprehenſionem per fidem, & applicationem, Septimus dies natalis factus eſt operum gratiæ & redemtionis, quæ in fonte ſuo Deus conſummavit, ſic ut acquieſceret, nihil unquam mutaturus; adeoque quieſceret omne judicium tradens Filio, mediatori Θεανθρώπῳ; & hunc diem benedixit, & ſanctificavit. Atque ſic uti ſex diebus opera Creationis, ſic ſeptimo opera Redemtionis conſummata fuerunt: ut nil novi fieret, ſed quæ his facta definitaque conſervarentur & exſecutioni darentur. Eoque ſex dies operum naturæ, ſeptimus operum gratiæ *Principium* merito cluit, & ſeptem dies *Principium omnium operum Dei.*

PRIN-

PRINCIPIATUM, ſeu *Tempus principiati*, proſequitur Moſes inde à cap. 4. recitans quæ poſt dies principii geſta ſunt in Mundo, & potiſſimum in Eccleſia. Neque enim octavum diem numerat, ſed nullum; quod non annectendus eſſet ullus ſeptem prioribus, verum ad exemplum illorum per ſeptidua numerandi reliqui, uti in hiſtoriâ diluvii factum. Poſſunt autem hæc tempora, quatenus in Geneſi deſcribuntur, diſtribui in *Ante-diluviana* & *Poſt-diluviana*. Malim tamen diſtinguere pro ratione Fœderis, quod Deo cum Eccleſia interceſſit, aliquâ circumſtantia variati. Nam illud dici poteſt

I. *Perſonale*, quia quotquot hominum in fœdus gratiæ venerunt, pro ſe quiſque ſigillatim eò traducti ſunt. Hujus fœderis intervallum extenditur ab Adamo ad vocationem Abrahami. Gen. 4--11. capp.

II. *Familiare*, poſtquam jus fœderis datum donatumque fuit omnibus, quotquot ad Abrahami domum & familiam pertinuerunt. Extenditur autem hujus fœderis intervallum ad finem libri, & uſque ad miſſionem Moſis. In utroque autem intervallo obſervanda *Convictio reatus hominum*, gradibus quandoque aucta.

Intervallum primum *Fœderis perſonalis* tres habet articulos, pro numero hominum inſigni viciſſitudine variato; Incrementi primi, Decrementi, & ſecundi Incrementi.

Incrementi primi capp. 4. 5. 6. ubi ſe mox exſeruit Diſtinctio hominum, quatenus ad diverſa capita, & exinde diverſos cœtus referendi ſunt; ad Semen mulieris, cujus cœtus Eccleſia; & Serpentem Diabolum, cujus cœtus ab Eccleſia alienus, eique adverſarius, majori minorive hoſtilitate conſpicuus. Segregationis Initia habentur cap. 4. Continuatio cap. 5. 6.

CAP. IV.

REfert INITIA SEGREGATIONIS, atque ibi I. Nativitatem & vitæ inſtitutum priorum hominum natorum. verſ. 1. 2. II. Religionem eorundem, & manifeſtatum diſcrimen. verſ. 3--16. III. Propagationem ſeminis tum Serpentis verſ. 17--24. tum Mulieris. verſ. 25. 26.

Primorum hominum natorum oſtenditur

I. *Nativitas*, cujus

A. *Antecedens*, Uſus conjugii ex lege Generationis reſtrictæ. verſ. 1.

B. *Effectus*, conceptio & nativitas

א. *Kaini*, & *ratio impoſiti* ab Eva *nominis*; vel quod crederet ſemen ſuum primum etiam promiſſionis ſemen eſſe; præpoſtera applicatione (qualis poſt Lamechi Gen. 5: 29.) cum etiam mariti ſemen foret: vel quod memoriale ſtatueret primæ promiſſionis, ſe dictitans poſſidere virum, Jehovam, quem fide conceptum in corde geſtabat.

Qui de naturali generatione locutam volunt, non attendunt eam communem eſſe cum brutis: quæ pro ratione diverſa, in multis jam exemplis confirmata erat, ut nihil in ea eſſet peregrini. את reddere per *cum*, Ariſtotelis ſapientiam in Eva reperit; *Deus & homo generat hominem*: per מאת exponere, ellipſin habet, & eodem redit.

NB. Impoſitio nominis non eſt argumentum dominii: ſic Eva rurſum peccaſſet contra cap. 3: 16.

Conſtructio appoſitionis, uti Ezech. 4: 1.

ב. *Hebelis*, verſ. 2. an eodem vel diverſo conceptu, incertum: illud concludi nequit ex ommiſſo ותהר. Conf. Gen. 30. verſ. 10. 12. 21. Ratio autem nominis, vel quod agnoſceret & damnaret præcipitem errorem de Kaino, quum hic filius eodem modo natus, prioris tantam excellentiam refutaret: vel quod memoriale ſtatueret denunciationum, quibus Deus poſt promulgatum Euangelium creaturam ſubjecit vanitati, ad convictionem reorum hominum.

C. *Vitæ inſtitutum*, verſ. 2. pertinens

a. ad *Amictum*, Paſtoritia Hebelis, greges animantium mundorum (ex ſegregatione Dei in uſum ſacrificiorum, & veſtium, imitatione primarum) cum labore cuſtodiens ab efferatis poſt maledictam terram quibusdam brutis.

b. ad *Victum*, Agricultura Kaini, ut fructum inde cum labore & ſudore colligeret, & ederet.

II. *Religio* eorundem, & exinde *Diſcrimen manifeſtatum*. *Religionis* recenſentur

A. *Actus*, iique

א. *Externi*, exercitia cultus externi, Sacrificia: ubi.

a. *Tempus*; veriſimile Sabbatho.

b. *Offerentes*, uterque, ætatis ordine obſervato.

c. *Oblationes*, cujusvis vocationi reſpondentes: eæque ſolidæ, ut nil ſibi ſervarent, מנחות *dona*.

d. *Sacerdos*, colligitur ex voce *Adducendi*, non Offerendi; ut ad alium iviſſe videantur: qui alius, ætate major, digniorve præter Adamum nullus.

ב. *Interni*, diſpoſitiones animorum diverſæ.

a. *Kain* hypocrita in externo opere omnem cultum conſtituit: affert de fructu terræ, ſine delectu, non quod optimum, ſed quo malebat carere; ceu indebitum, Deum debitorem facturus; incruentam oblationem, expiationis ſanguineæ non indigus; externa omnia, corporalem exercitationem.

b. *Hebel* pius, attulit de gregibus ſuis, cum delectu maximo, præſtantiſſima præſtantiſſimorum, primogenita & horum adipem; optima & intima Deo deberi ſtatuens; hoſtias cruentas, conſcius ſui reatus ſanguinis effuſione expiandi; fidem reſpicientem promiſſionem gratiæ de Meſſiâ Heb. 11. verſ. 4.

B. *Succeſſus*, eſt Dei de offerentibus & oblationibus *teſtimonium*

א. *Approbans*, Hebelem & munus ejus reſpiciens, demiſſo cœlitus igne, & viſibile teſtimonium juſtitiæ fidei perhibens.

ב. *Averſans*, iſta Kaino negans, quod nec offerens, nec munus placerent.

Diſcrimen manifeſtatum, patefactâ inimicitia Serpentis ſeminiſque ejus contra Semen Mulieris. Cujus Gradus duo, ſuccedente cuique Convictione.

A. *Prior*, Kaini odium contra Hebelem ob pietatem hujuſque approbationem; iram ea propter conceptam vultu prodens. verſ. 5. 1 Joh. 3: 12.

א. *Convictio* oppoſita verbalis fuit, quâ Deus ipſe tum iniquitatem odii indicavit, tum ceu membrum Eccleſiæ externum ex hujus doctrina ad officium revocavit. *Nonne ſi beneferis* שארת, (non *remiſſio*, quæ non eſt fructus bonæ actionis, nec poſt hanc neceſſaria; ſed) *exaltatio*, acceptatio (Mal. 1: 8, 9. oppoſite ad נפלו פניך quod triſtitiæ eſt, ut illud lætitiæ.) *Quod ſi non beneferis, ad oſtium peccatum cubat*. Chald. *Peccatum tuum ſervatur ad diem judicii, quando ultio de te ſumetur, ſi non reſipueris*. (*Ad oſtium*, quando è vita egredieris, Heb. 9: 27.) Adeoque *peccatum* ſumitur pro pœna. Aliis pro culpa, de peccato inhabitante, excitante cupiditatem, & pelliciente; cui non obtemperandum regimenve concedendum eſt; ſed contra, qui Eccleſiæ filii, regnum ei controverſum facere debent, Rom. 6: 12. ſ. cap. 7. Sic omnia cohærent.

Quibuſdam tamen placet ultima de Hebele interpretari, etiam inter Hebræos, primogenituræ jus in Kaino agnoſcente, & colente. Sic ergo pari ſollicitudine fratri minori majoris dominium foret colendum, qua uxor tenetur marito. Gen. 3: 16. Verum תשוקה ante uſurpatum de blanditiis uxoris; ſic de blanditiis peccati Jac. 1: 14, 15. quibus maſculo dominio ſit reſiſtendum.

B. *Poſterior*, homicidium ex illo odio profectum verſ. 8. occaſione colloquii, ſive indignatione ob reprehenſionem Dei. (an uſurpare voluit dominium in fratrem?) vel ex alia diſputatione, ut in Targum Hieroſolymitano.

ב. *Convictio* conſtat tergiverſantis Kaini verſ. 9.

a. *Delatione* verſ. 10. & vindictæ poſtulatione. *Sanguis* & *anima* ſynonymôs uſurpantur. Confer Apoc. 6: 9. ſeqq.

b. *Subjectione* ſub pœnas novas convincentes, quæ ſunt verſ. 11, 12.

a. Maledictio, quæ habet ejectionem ex communione Eccleſiæ & favoris Dei. conf. verſ. 14.

b. Terræ major ſterilitas.

c. Exilium perenne. In quo tamen deſperantis de remiſſione, & vitæ corporali metuentis, ſecuritati externæ ab humanâ manu proſpexit; impreſſo viſibili ſigno; indemnitatis videlicet hujusmodi. verſ. 13. ſeqq. Cui ſententiæ paruit, deſerta Eccleſiæ ſede in exilium profectus. verſ. 6.

פני יהוה *facies Dei* locus præſentiæ & cultus 1 Chron. cap. 16: 29. Pſal. 42: 3. ואראה פני אלהים.

Verſ.

Vers. 13. נדול עוני vel de peccato, vel de judicio intelligendum: illud placet; nam pœnas illas seu calamitates se subiturum ait.

שבעתים יקם קין quidam in *septimâ ætate*; alii *qui generatione septimus*, ab eo puniendum; alii *septuplo*, id est, gravius puniendum occisorem ejus: quod Deus Kainum vellet superesse, quemadmodum Psal. 59: 12.

NB. *Omnes qui inventuri* erant, fuere liberi & posteri Adami alii, tum etiam Hebelis, mutuis connubiis cum suis posteris permixti; quos metuebat, ne Patris cædem ulciscerentur. Neque enim quatuor tantum homines in mundo fuerunt, quia tot nominantur: sic nulla fuisset mulier, & quæ tum uxor Kaini? sed procul dubio magna jam hominum fuit multitudo; & cædes illa facta paulo ante conceptum Sethum, anno centesimo vigesimo octavo aut nono ætatis Adami.

III. *Propagatio*

A. *Seminis Serpentis*, jam secreti ab Ecclesia, posteritas impii Kaini.

Chanoch filius primus non absolute, sed post cædem fratris & exilium. Urbem enim quam struxit, non solus, nec sibi soli struxit; sed una cum & pro liberis ac nepotibus: qui mutuis matrimoniis juncti Hebelitis, proprio uxoriove titulo Kainum attingebant; unde nemo Hebelem ultus, maxime quod signum indemnitatis gestaret in corpore.

Kaini uxor soror ejus fuit: nam filios genuit Adam quoque ante Sethum: & per consequens etiam filias.

Chanoch solus recensetur, qui semen maledictionis: uti Seth solus, ceu semen promissionis: reliqui hominum ante à Kaino & Hebele geniti, cæterique filii Adami non memorantur, quod testimonia alterutrius conditionis non ita forent evidentia.

Occupatio horum terrena prorsus,

א. *Urbium structura*, & securitas humana, politica & militaris.

ב. *Polygamia.*

ג. *Artes mechanicæ*, tam ad voluptatem, quam ad utilitatem vitæ temporalis. *Iabal* textoriam, & pastoriam vagam; *Jubal* Musicam; *Tubalcain* fabrilem invenit. Soror *Naama*; quam pulcherrimam dictitant quidam: aliqui musicæ vocalis artificem faciunt, aut nendi artificium invenisse.

NB. Hæc una post Evam mulier nomine proprio ante diluvium insignitur à Scriptura. Quidam lanificii inventricem dictitant; alii Noachi faciunt conjugem: sed recte Abrab. non eam saltem, unde nati ejus filii; sic enim ex Kaini posteritate homines reliqui fuissent propagati: & quod majus, promissionis semen inde deducendum quoque foret.

Verba *Lamechi* ad uxores obscura. Quidam historica faciunt, quod cœcus incautusque occiderit Kainum, filiumque Tubalcaïn ductorem suum, cum plangeret avum: sic autem solari uxores. Quidam, quod hæ in septimâ generatione ultionem metuerent, solatii ergo dixisse, *An occidi &c. ut Kain virum juvenem?* si ergo ille fratricida demum septima, ego innocens septuagelima septima generatione pœnam habeo exspectandam. Alii præteritum in futurum vertunt, insolentiæ vocem. *Si occidam* meo periculo virum aut puerum, sera mihi vindicta. Quicquid sit, septima generatio Kaini post cædem tantum memoratur: ut forte talis metus fuerit uxoribus, quem tentarit eximere.

B. *Seminis promissionis*, quoad restitutionem: in nativitate

א. *Sethi* vers. 25. Hic non tertius filiorum Adami, sed primus post cædem Hebelis. Eva nomen imponit, respiciens promissionem cap. 3: 15. כי הרנו *quamvis* semen illud occiderit. Hinc pii dicti *filii Seth* Num. 24: 17.

ב. *Enoschi*, vers. 26.

Atque tunc segregatio publica Ecclesiæ: vel *cœptum invocari nomen Domini*, Psal. 116: 4. vel *cœptum vocari de nomine Domini*, ut à gratioso Deo denominarentur, *filii Elohim*; quemadmodum Deus de Adamo pronunciarat cap. 3: 22. Alii, *Tunc profanatum est ad vocandum nomine Domini*; ut idololatriæ origo indicetur: sed nulla idolorum mentio, quod necessarium erat, לקרא העצבים בשם יהוה

Enosch sic dictus, non quod cœpta tum idololatria; sed quod in universali corruptione tum demum pii publicum discriminis nomen sumserint, & à cœtu hypocritarum secesserint.

CAP. V.

CONTINUATIO SEGREGATIONIS habet tum Propagationem Seminis promissionis, cap. 5. tum Incrementum Seminis Serpentis, cap. 6. tum Segregationem Seminis Mulieris, cap. 6.

I. *Propagatio Seminis promissionis* continua, à prima origine, in decimam generationem; ubi recensentur fideles per quos ducitur promissio, successio Ecclesiæ, & ætates mundi. Ubi

A. *Stirps*, ut generis humani, sic Ecclesiæ, vers. 1. seqq. atque hic Adami

א. *Creatio*, una cum uxore describitur, repetitis

a. *Exemplari*, similitudinis Dei: per synecdochen; quia rectitudo in creatione collata, & per lapsum deperdita, in Ecclesia restituitur per Messiam.

b. *Sexu distincto*: benedictione, fœcunditatis videlicet Gen. 1: 28. quæ post lapsum confirmata.

c. Et *Nomine communi.*

ב. *Generatio*, non prima, sed quæ ejus per quem propagata Ecclesia; ubi

a. *Tempus*, ætatis Adami.

b. *Conditio* prolis. ברמותו כצלמו quoad qualitates & essentialia prorsus respondens. Sive דמות denotet corruptionem naturalem: sive spiritualem renovationem; ut designetur, non qualem genuerit, sed qualis fuerit quem genuit, beneficio gratiæ Dei. Quo facit

c. *Nomen*, coll. cap. 4: 24. & Num. 24: 17.

ג. *Vitæ residuum*, vers. 4, 5. Non quod tum demum filios filiasque genuerit: sed quod nato Setho non minus quam ante susceperit liberos.

B. *Posteri*, suo ordine recensiti; in quibus

א. *Communia*,

a. *Tempus generationis*, non absolute, sed dignissimorum inter liberos ob promissionis continuationem. Nam uti Adam ante Seth genuit complures, sic quoque de reliquis verosimile est, Noacho excepto, qui plures tribus non habuit, saltem qui vitales fuerunt.

b. *Tempus mortis*, computatis annis omnibus.

ב. *Specialia* sunt

a. *Pietas* exemplaris *Enochi*, indesinenter ambulantis cum Deo, (unde fœdus colligitur Amos. 3: 3.) & *constantia* pietatis; atque *præmium* assumtionis à Deo, nempe in cœlum. Conf. Heb. 11: 5, 6. Hebræorum quidam à Deo nece repentina sublatum dicunt, ne corrumperetur. Zelus ejus singularis memoratur Jud. vers. 17. s.

b. *Longævitas Methusalæ*, qui longissime vixit, nempe nongentos sexaginta novem annos, triginta novem ultra Adamum.

c. *Fides Lamechi* de Messiâ, nato filio, cui tamen præposterè applicavit beneficii præstationem, simili errore cum Eva cap. 4: 1. Nam Noach non attulit immunitatem à maledictione, sed ea ipso vivente aggravata fuit.

זה ינחמנו *solabitur nos*, vel ut R. Salomo velle videtur ינח מנו *janach menu*, pro מכאבנו *mimmenu*; uti Tiberienses olim loquebantur.

Qui de Noacho dictum volunt, quod invenerit rationem jungendi boves aratro, ut terra manu hominum non amplius vertenda esset, nimis exiliter de hâc professione sentiunt.

CAP. VI.

CONstat recitatione tum Prævalentis Seminis Serpentis, tum Segregationis Seminis Mulieris.

II. *Prævalescens Semen Serpentis*, describitur

A. ab *Occasione*, vers. 1, 2. conjugio eorum qui in Ecclesia, cum iis qui extra eam.

Filii Dei sunt membra Ecclesiæ, qui se profitebantur unum cum Semine mulieris, Filio Dei mediatore; exemplo Adami Gen. 3: 20. 22. unde jus & denominatio filiorum Dei dimanat. Joh. 1: 12.

Filii hominum, qui tantum hominum posteri, non autem per fidem nova similitudine Dei gaudebant. Horum filiæ

jam

jam ab antiquo formæ ſtudioſæ, ut eo nomine in pretio forent. A fœminis denuo corruptio.

Inimicitia Serpentis alio modo exercita, non vi leoninâ, ſed calliditate vulpina: non cæde ut Kain; ſed voluptate; quâ ineſcati venerunt filii Dei in conſortium impietatis, & hanc etiam liberis communicarunt exemplo & inſtitutione, ut Num. 25. Major hîc ſucceſſus.

Bechai contrario modo, *filios* אלהים dicit malos, à Sammaële, & hujus filio Kaino ortos: aſt בני אדם pios, qui qualis Adam poſt converſionem, quando Seth genuit.

Duxerunt ſibi uxores מכל *de omnibus*, promiſcuè, nulla religionis habita ratione; אשר בחרו *quas elegerunt*, vel pro כאשר *quemadmodum elegerunt*, pro animi placito & libidine.

א. *Convictio* opponitur, verſ. 3. Non pugnat cum 1 Pet. cap. 3: 19. cap. 4: 6. 2 Pet. 2: 5. ſed in voce לעולם fundamentum conciliationis. Litigarat Spiritus Dei ſemper per præconium piorum Patriarcharum; idque לעולם *dum cujusvis ſeculum duravit*, terminus vitæ cuivis conſtitutus. Sed tunc negavit ſe ultra ſic acturum, quomodo per plura ſecula (juxta μακροβιότητα illius ætatis) unicuique prorogata fuiſſet Dei longanimitas, ſed huic unum communem terminum ſtatuit, annos centum & viginti, citra diſcrimen ætatis humanæ, quæ tempore judicii immittendi in quibuſdam ſenectæ extremæ futura erat, in aliis verò juventæ vel infantiæ. Et *Ratio* dicitur בשגם הוא בשר *pro eo quod etiam ille*, homo videlicet cujuſvis ætatis, *caro*, hoc eſt corruptus. Hic primâ vice *Caro* corruptionem notat.

B. ab *Effectis*, verſ. 4. הנפילים *Apoſtatæ à Deo*, qui abortus rationem habent reſpectu Eccleſiæ, geniti ex hujus membris, ſed matribus alienis à religione: qui defecerunt ab Eccleſia.

Alii *Gigantes* reddunt, & tyrannos credunt deſignatos, qui ſui terrore alios oppreſſerint; magnos viribus æque ac ſtatura. Hi fuerunt tunc cum Deus terminum centum & viginti annorum mundo ſtatuiſſet, & poſt quoque, dum illi anni fluxerunt: nati ex illis connubiis. Qui *fama celebres*, מעולם *ab ultimis immemorabilibus temporibus*, quia inde à Kaini ſeceſſione cœperunt naſci.

ב. *Convictio* oppoſita de reali decernit, ubi

a. *Cauſa*, corruptio, univerſalis omnium, & totalis ſingulorum.

b. *Modus*, per ἀνθρωποπάθειαν (*a.*) *conſiderando*, diſplicentiam teſtando: uti homines pœnitentes & dolentes faciunt. (*b.*) *decernendo* univerſalem deſtructionem, verſ. 5, 6, 7.

III. *Segregatio ſeminis mulieris*, in Noacho & domo ejus, apparet in oppoſitione

A. *Sacra*, verſ. 8—12. Ubi

א. *Qualis Noachus*, pius omnino; quod liquet ex

a. *Cauſa*, gratia Dei gratuita, verſ. 8.

b. *Effectis*, (*a.*) juſtitia & integritate inter homines, (*b.*) conſtanti pietate erga & coram Deo, verſ. 9.

c. *Adjunctis*, filiis, verſ. 10. quorum mentio repetitur; quod ad eandem religionem formarentur à patre.

ב. *Quales* contra *alii homines*, verſ. 11. 12. *Terra*, hoc eſt, incolæ ejus, (a.) *corrupta* quoad religionem, quoad juſtitiam, verſ. 11. (b.) *univerſaliter* corrupta, teſte (*a.*) Deo poſt ſcrutationem, & (*b.*) conſpiratione omnium, verſ. 12.

B. *Naturali*, ratione conſervandæ vitæ in diluvio. Ubi Deus

א. *Patefacit* conſilium ſuum de

a. *Hominibus aliis* perdendis, ob ſcelera, verſ. 13. *Caro* hîc terreſtres creaturas notat.

b. *Noacho* ſervando, mandans fieri inſtrumentum conſervationis, Arcam, quam à materia, & forma deſcribit, & omnem ejus ſtructuram delineat. verſ. 14—16.

ב. *Repetendo* declarat

a. *Hominum aliorum* perdendorum modum, per diluvium aquarum, verſ. 17.

b. *Noachi* ſervandi

a. Cauſam, verſ. 18. fœdus non erectum primò, ſed confirmatum, conf. Gen. 17: 3. Hîc primùm mentio ברית *fœderis*.

b. Modum, in arca ſubeundâ.

c. Conſortium

α. *Hominum*, octo in univerſum; à Deo recenſiti; quem numerum augere non licuit, 1 Pet. 3: 20.

β. *Brutorum*, ſingula paria terreſtrium & volatilium, verſ. 19. 20.

d. Medium, Cibus colligendus pro utriſque, qui licitus ex prima ordinatione, verſ. 21.

Cui additur *obedientia Noachi* in iis apparandis, verſ. 22. exacte ad præſcriptum.

CAP. VII.

Decrementum generis humani, capp. 7. 8. 9. conſtat I. Conſervatione Noachi; cap. 7. 8. II. Benedictione, cap. 8. verſ. 20. & cap. 9.

I. *Noachi Conſervatio*, habet Inchoationem, Continuationem, Conſummationem.

A. *Inchoatio*, in Noachi ingreſſu in Arcam, cujus

א. *Mandatum*, verſ. 1—4. ſpectans (a.) *ipſum & familiam*; cauſa impulſiva externa, pietas ejus, verſ. 1. conf. Hebr. 11: 7. (b.) *Animantia*, ex terreſtribus mundis (ad uſum ſacrificiorum) ſeptena, non paria; ſed tria paria, & unum redundans in ſacrificium poſt diluvium: uti etiam ex avibus; & immundorum par unum, verſ. 2. 3.

a. Finis adſciſcendorum animalium, ut conſerventur ſpecies, per ordinariam generationem, verſ. 3. (& mundorum plurium, ad ſacrificia.)

b. Ingreſſus omnium in arcam, ad evitandam perditionem diluvii; cujus *initium*, poſt ſeptiduum; *duratio* pluviæ per quadraginta dies; & *effectus*, deletio omnis terreſtris ſubſtantiæ; quæ ſcilicet ibi vivit, verſ. 4.

ב. *Obedientia*, in *genere* verſ. 5. in *ſpecie*, adſcripta mentione anni, verſ. 6—9. & diei quoque, verſ. 10—16. qui definitus diluvio inchoando, quando abyſſi fontes rupti, & catarractæ cœli apertæ, ut ſurſum & deorſum aquæ confluerent.

Ingreſſus brutorum non à Noacho, ſed à Deo arceſſendus, qui inſtinctum indidit: ſed cur his individuis potius quam aliis, ad Dei εὐδοκίαν referendum. Quod ſi hæc agnoſcenda circa bruta admittenda in arcam, nonne magis circa homines adducendos in Eccleſiam, & in cœlum? Noacho mandata introductio, qui advenientia bruta Dei inſtinctu, admiſit, & in ſuas ſingula manſiones deduxit: Obtemperarunt enim imperio ejus, uti in integritatis ſtatu: & toto tempore moræ in arca, ea fuit pax, quæ tum; nec non obſervatio legis cibariæ, ne ſe mutuo, ſed ut fœno veſcerentur.

NB. Si carnivora etiam tunc fuerunt, ſola munda ceſſiſſent in cibum; immunda enim tantum bina ad ſpeciei conſervationem; & munda non adeo multarum ſpecierum non ſuffeciſſent toto anno. Salitas carnes bruta non edunt, & crudas ſervare fuiſſet impoſſibile, ni fœtore velimus enectos homines.

ג. *Approbatio Dei*, verſ. 16. claudit arcam; & ſic minimam quoque guttam aquæ excluſit.

B. *Continuatio* verſ. 17. ſeqq. ubi deſcriptio diluvii,

א. *Creſcentis*: durantibus quadraginta diebus aquarum concurrentium: reſpectu

a. *Arcæ*. (*a.*) immane ejus pondus levatum de terra, verſ. 17. (*b.*) ferebatur hinc inde ut ratis, verſ. 18. (*c.*) quindecim ulnis ſupra ſummos montes. verſ. 19. 20.

NB. Univerſale ergo diluvium: Nam quo miraculo conſtiterunt undæ, ne ab altera parte montium defluerent?

b. *Eorum quæ extra arcam*, verſ. 21—23. quæ omnia perierunt, in ſicco vitam ducentia; ſolis Noacho, & qui cum eo, exceptis.

Piſces quidam volunt periiſſe; ſed agitur de iis, quæ in arido; quomodo piſces excluduntur: nam fervefactas aquas unde conſtat?

ב. *Stantis*, verſ. 24. diebus centum quinquaginta, comprehenſis quadraginta diebus pluviæ.

CAP. VIII.

REfert Decrementum diluvii, Conſummationem conſervationis Noachi, & Benedictionem.

Continuatio conſervationis, diluvio

ג. *Decreſcente*, verſ. 1—14. cujus decrementi

a. *Cauſa* (*a.*) *principalis*, Deus. (*b.*) *impulſiva*, recordatio

Noachi per ἀνθρωποπάθειαν, non quod ante oblitus, ſed quod jam vellet præſtare quod promiſſum erat, ut ſolent homines recordati. (c.) *inſtrumentum*, ventus exſiccans, verſ. 1. (d.) *remotio impedimentorum*, clauſis abyſſis & catarractis, ℣. 2.

b. *Modus*, decreſcentibus aquis, durantibus centum & quinquaginta diebus dictis,

a. arca in montibus Ararat quievit, verſ. 3. 4.

b. exactis deinde ſeptuaginta tribus diebus, conſpecta culmina montium, verſ. 5.

c. terra paulatim ſiccata eſt, verſ. 6—13. Nam

α. poſt quadraginta dies aperta feneſtra emiſit corvum, verſ. 7.

β. poſt ſeptem alios columbam, reverſam, verſ. 8. 9.

γ. poſt ſeptem alios columbam, cum folio olivæ reducem, verſ. 10. 11. euangelium ſiccatæ terræ.

δ. poſt ſeptem alios denuo columbam, nunquam reverſam, verſ. 12.

d. remoto operto vidit ipſe ſiccatam terram, verſ. 13. decem menſibus, & tredecim diebus in arcâ exactis.

e. poſt alios quinquaginta ſeptem dies, tota arida fuit. verſ. 14.

NB. Hanc moram in exſiccatione Deus adhibuit. 1. quia naturaliter voluit eam procedere. 2. ut fidem & patientiam Noachi exploraret.

C. *Conſummatio* in *egreſſu* ex arca: de quo

א. *Mandatum* Dei, verſ. 15—17. de omnibus ingreſſis, Noacho & familia, & brutis omnibus. Et *finis*, multiplicatio brutorum in terrâ.

ב. *Obedientia Noachi* & brutorum, verſ. 18, 19. *Familia* dicitur de brutis, verſ. 19. cum Gen. 1. *ſpecies* מין dicantur.

II. *Benedictionis divinæ* memorantur Antecedentia, Partes, & Conſequentia.

A. *Antecedentia*, verſ. 20.

א. *Sacrificium Noachi euchariſticum:* ubi

a. *Altare*. Hic prima ejus mentio.

b. *Delectus hoſtiarum*, de mundis animalibus tantum.

c. *Oblatio* in holocautomata.

ך. *Acquieſcentia Dei*, odor bonæ fragrantiæ, quia in Chriſtum reſpexit, Eph. 5: 2. ἀνθρωποπάθεια.

B. *Partes* ſunt,

א. *Generaliores:*

a. *Immunitas à diluvio*, licet cauſa impulſiva externa eadem, verſ. 21. כי hic *quamvis*. Hoc dicitur Eſa. 54. verſ. 9.

b. *Confirmatio ordinationum* luminarium cœleſtium, in jugi ſucceſſione tempeſtatum anni, temperamenti aëris, dierum & noctium, verſ. 22.

CAP. IX.

RElIquæ benedictionis Partes, & Conſequentia.

ב. *Partes ſpecialiores* ſpectant homines; dicitur *Benedixiſſe* Deum Noacho & filiis, verſ. 1.

a. *Priſcorum beneficiorum*, olim conceſſorum,

a. reſtitutione: quoad Multiplicationem ſpeciei per generationem: quod de brutis dictum cap. 8: 17.

b. reſtrictione. Dominium in bruta non majeſtaticum, (non dicitur רדו; eoque nec ſpontanea ſubjectio, ſed ſervilis, ex metu & terrore, מוראכם itemque חתכם) verum coactivum, בידכם נתנו verſ. 2.

c. amplificatione legis cibariæ, verſ. 3. conceſſo uſu carnium, citra diſcrimen mundorum & immundorum animalium, (quod ad ſacrificia pertinet, ubi nulla carnivora locum inveniunt, ſed quæ primævæ legi cibariæ adhuc obſequuntur.) addita reſtrictione gemina, (α.) animalium alimoniæ ergo mactatorum ſanguine abſtinendum, quia anima illi inſit, verſ. 4. (β.) nunquam ne quidem alimoniæ ergo necandum hominem; cujus quomodocunque effuſus foret ſanguis, ſive ab homine, qui fratrem, ſive à bruto, quod dominum perimit, vindicandus eſſet, tum à Deo; tum ab hominibus, cæde homicidæ; ob deſtructam imaginem Dei, quam homines geſtent, verſ. 5. 6. & quod impediret multiplicationem generis humani, quam è contrario commendavit. verſ. 7.

b. *Fœderis gratiæ* per promiſſionem novam, ſanctionemque *confirmationè*.

a. Fœderis ratio eſt, quod

α. non ſit novum, ſed priſci, addita novâ promiſſione, continuatio. verſ. 9. 11. coll. cum cap. 6: 18.

β. *ineatur cum Noacho, ejuſque filiis.* verſ. 8. qui non tantum fuere reliqui hominum, ſed omnes membra Eccleſiæ, & fidem in ſacrificio profeſſi.

NB. Quod conjungantur bruta, non facit hæc fœderata Deo; ſed quemadmodum propter Eccleſiam in arca conſervata fuerant; ſic propter eandem deinceps conſervanda, & pariter in arida juge domicilium erant repertura. conf. Job. 5: 23. & Hoſ. 2: 20.

γ. *promittat immunitatem ab alio diluvio aquæ*, verſ. 11. 15. (Dicitur juramentum Dei, Eſa. 54: 9.) & quidem *perennem* ברית עולם, verſ. 16. quamdiu ſupereſſent poſteri Noachi, & brutorum ex arca egreſſorum. לדורות עולם verſ. 12.

b. Sanctio fit *per Iridem*, quæ conſtituitur אות ברית verſ. 13. 17. & memoriale fœderis, verſ. 15. 16.

Iris proinde in nubibus eſt Sacramentum fœderis gratiæ perpetuum; à diebus Noachi, & deinceps ad conſummationem ſeculorum. Cujus

α. Inſtituens Deus, non creator, ſed in Chriſto reconciliatus, odore ſacrificii.

β. *Materia* 1. *externa*, arcus in nube aquoſa, 2. *interna*, promiſſio de non pluendo immodice.

γ. *Forma*, analogia; uti in iride agnoſcitur Sol, qui nubes diſſipat, & exſiccat: ſic pluviam nimiam diſſipatum iri.

δ. *Finis*, confirmatio promiſſionis.

ε. *Subjectum*, Eccleſia, cum ſit confirmatio prioris fœderis.

ζ. *Adjuncta*, viſibile in oculis incurrens; ordinarium, quoties major congeries nubium humidiorum.

NB. Abarbanel obſervat Ezech. 1: 28. (ſic Apoc. 4: 3.) Iridem ſemper eſſe circa thronum Dei, quia ſemper meminerit ſuæ promiſſionis: ſed tantum apparere in nubibus, quando eæ denſiores coëunt, ut quando diluvii metus eſſe poſſet, pii Iride conſpecta Deum meminiſſe promiſſionis certi ſint: cujus nec bruta memoriam habere poſſunt, nec impii habent; ſed ſoli ii, qui Eccleſia, & verbum habent, illique credunt.

Hoc ergo Sacramentum Eccleſiæ V. & N. T. commune eſt, ejuſdem nunc, ac olim, uſus. Paræo eſt *ſignum σφραγιστικὸν, quod Sacramentum dicitur in Eccleſia, ſed improprie dictum: appendix fœderis gratiæ de promiſſione terrena. Deum in hoc fœdus non fuiſſe adoptaturum Noachum, niſi prius in fœdus gratiæ recepiſſet.* Calvinus lib. 4. Inſt. cap. 14: 18. *Iridem* ait *Noachum habuiſſe pro Sacramento. Arcus notam à verbo Dei inſculptam habebat, ut documentum eſſet teſtamenti ejus & ſigillum. Hodie quoque nobis teſtis eſt ejus fœderis, quod Deus pepigit cum Noë, quem quoties intuemur, hanc Dei promiſſionem in eo legimus, terram diluvio perditum non iri. Quotiescunque Deus creaturam verbo ſuo ſignat, eſſe Sacramentum.* Diſtinguit arcum ab ordinariis Sacramentis Eccleſiæ, quod ſit ſimplex ſignum, cum iſta ſint cerimoniæ. In Gen. 9. ſimillima habet. *Eſſe ſymbolum obſignans promiſſionem: Hinc diſci, ſigna perperam à verbo ſeparari, verbum autem eſſe quod fidem ædificet. Sigillum annecti certitudinis cauſa, & ſi avellatur Sacramentum à verbo, deſinere eſſe quod vocatur. Proprium Sacramentorum eſſe ab initio, ut ad fidei confirmationem valerent, nam certe in fœdere eſt incluſa promiſſio cui fides reſpondere debet. Etſi terrena fuit promiſſio, voluit tamen ſuorum fidem exerceri Deus, ut agnoſcant ſingulari ejus beneficio certum in terra ſibi fore hoſpitium, donec in cœlum colligantur.*

C. *Conſequentia benedictionis* ſunt,

א. *Aucta poſteritas* Noachi, verſ. 18. 19.

ב. *Terræ* nova *cultura*, verſ. 20. Noach dicitur איש אדמה; at Kain עובד אדמה Gen. 4: 2. hic ſervilem in modum, iſte generoſiori ratione.

ג. *Pateſactio Seminis* Mulieris & Serpentis. Cujus

a. *occaſio*, ebrietas Noachi, & exinde nuditas, verſ. 21. Vitis plantatio prima poſt diluvium: Nam etiam ante obtinuit ebrietas, Luc. 17: 26.

b. *pateſactio* (*a.*) *impietatis*, verſ. 22. *Chamo* videnti cum delectatione nuditatem patris. (*b.*) *pietatis*, verſ. 23. *Semo* & *Japheto* eam tegentibus, ut non viderent.

c. *ju-*

א. *Donatio Dei*, ubi
a. *Donator*, Deus verſ. 15.
b. *Donum*, terra Canaan undique ſpectanda (potuit autem videre Sodomam non minus, quam Lot cum una eſſet) verſus quatuor mundi cardines, verſ. 14.
c. *Donatio*, facta ipſi, & ſemini in ſeculum; quamdiu eſſet ſemen: quod tamen interruptionem poſſeſſionis non impedit, verſ. 15.
d. *Promiſſio* numeroſi ſeminis, ne poſſeſſores deficerent, verſ. 16.
e. *Mandatum* capeſſendi quaſi poſſeſſionem; dum mutaret ſæpe ſedem habitationis, ceu ubique in ſuo diverſaturus, verſ. 17.
ב. *Acceptio* reſpondens, dum migrationem eo fine inſtituit, ceu luſtraturus ubique ſuam poſſeſſionem, & religionis conſtantiam excitato novo altari confirmavit, ℣. 18.

CAP. XIV.

1. *Difficultates novæ* à bello quatuor Regum contra Reges quinque urbium, Sodomæ & vicinarum. Cujus
a. *Partes adverſæ*, Cedorlaomer Elami (Perſarum) rex, cum ſociis regibus tribus, contra Sodomorum regulum.
מלך *Conſulem*, *regem* notat, verſ. 1, 2.
b. *Locus*, vallis Siddim, quæ poſt mare ſalſum evaſit, verſ. 3.
c. *Cauſa*, defectio à Cedorlaomer, poſt duodecim annos ſervitutis, verſ. 4. anno decimo tertio.
d. *Tempus*, anno decimo quarto, verſ. 5. & poſt felices ſucceſſus, contra alios potentes hoſtes, verſ. 5, 6, 7.
e. *Prælii ſucceſſus*, repetita deſcriptione partium & loci, verſ. 8, 9. Ubi
a. Cædes & *fuga* Sodomæorum, verſ. 10.
b. Spoliatio urbium, verſ. 10. (Bellum magis geſtum ob mobilia, quam immobilia; nam terram non occuparunt ſervandam, ut poſt Salmanaſſer & Nebucadnezar, &c. ſed tantum ſumſerunt ſubſtantiam & facultates, nec non annonam, congeſtos fructus terræ & arborum.)
c. Captivitas Loti, & facultatum ejus (una cum cæteris incolis, verſ. 21.) quia in Sodom habitabat, forte tempore belli ex agro in urbem commigraſſe dicendus eſt, verſ. 12. Ita cum impiis vivens communem calamitatem ſenſit. Triſti ſane exemplo, quod religio non præſtaret indemnem.
ד. *Fides victrix* Abrahami Lotum liberavit, & novas benedictiones conſecuta eſt.
a. *Liberatio*, cujus
α. Impulſiva fuit indicium captivitatis Loti, factum Abrahamo, verſ. 13. cujus habitatio, & exinde fœdus cum vicinis refertur.
b. Copiæ, verſ. 14. Eductio vernarum trecentorum octodecim, una cum fœderatis illis, verſ. 24.
c. Modus, quod
α. hoſtes perſequitur uſque ad fines Cananææ ſeptentrionales, Danem.
β. noctu diſtributis copiis *invadit*; ne paucitate ſua hoſtibus contemtui foret, aut opprimeretur.
γ. fugat eos, poſt cædem multorum, verſ. 15.
δ. omnem captivitatem, & prædam una cum Loto ipſis ereptam, *liberat & ſecum ducit*, verſ. 16.
d. Eventus, eſt
α. Occurſus Regis Sodom, gratulaturi de victoria, verſ. 17.
β. Occurſus Melchiſedeki, verſ. 18. qui deſcribitur
ɣ. à *Munere* gemino
aa. *Regio*, cujus teſtimonium prolatio panis & vini, ad paſcendos victores à cæde hoſtium reduces. Solebant enim Principes & Reges eam hoſpitalitatem exercere, ob frequentes tunc migrationes & colonias gentium: ſed Melchiſedek liberalior, qui pro aqua vinum protulit recreando fatigato exercitui. Sic Pythius quidam prope Helleſpontum Xerxem in Græciam iturum, cum toto exercitu excepit. Conf. Deut. 23: 3, 4. Jud. 8: 5. 2 Sam. 17: 27. ſ.
bb. *Sacerdotali*, cujus actus benedictio, verſ. 19. qua benedixit Abrahamo, ceu Deo dilecto; & benedixit Deo, qui victoriam Abrahamo conceſſerat, verſ. 20.
2. ab *eo*, *quod ab Abrahamo conſecutus eſt*, decimis onium.
γ. Regis Sodomæ poſtulatum, de reſtituendis hominibus, ſervata ſibi omni præda recuperata, verſ. 21.
δ. Reſponſum Abrahami ſerium, confirmatum juramento, verſ. 22. quo (1.) recuſat etiam quod offerebatur, verſ. 23. ne hinc ſe ditatum diceret; (2.) excipit annonam, quam ſervi conſumſerant in bellum educti; nec non portionem debitam fœderatis, qui cum veniſſent in ſocietatem periculi, non poterant fraudari commodo prædæ, ex alius arbitrio, verſ. 24.

Melchizedek quis fuerit incertum: Quidam Semum putant, quidam Cananæum, quidam alium. Apoſtolus ad Hebræos facit typum Chriſti ſingulariſſimum, & cujus multæ circumſtantiæ myſterium habeant. Attamen nullum ejus commemorat ſacrificium: eoque perperam ad prolationem panis & vini reſpicitur, quæ non fuit oblatio: neque ſi fuiſſet, faveret tranſſubſtantiato in Miſſa, ne panem & vinum habeant.

Nos fidem Abrahami cernimus, qui benedicentis Sacerdotis autoritatem agnoſcens, decimarum ſolutione ſuam erga Deum & miniſtros ejus pietatem; prædæ autem omnis ceſſione ſuam de benedictione divina fiduciam teſtatus eſt.

Sic præparato Abrahamo ſolenne fœdus cum ipſo Deus iniit, quod primo Ictum fuit Gen. 15. deinde Repeticum, Ampliatumque cap. 17. & utrobique receptioni ejus in fœdus Solemnitates adhibitæ.

CAP. XV.

1. *Ictum fœdus* fuit initio obſervatis ſolemnitatibus, quæ ſunt Contrahentes, Conditiones, Conſenſus, Sanctio.
A. *Contrahentes*,
א. *Deus*, qui poſt eventus priores in viſione Abrahamo apparuit.
ב. *Abrahamus*, cui locutus eſt, juſſitque ponere metum, vel quem conceperat de hoſtibus cæſis, ne ulciſcerentur; vel (quia iſtud non videtur veriſimile, poſt evidens adeo Dei auxilium, & confirmationem per benedictionem Melchizedeki) ne majeſtate ſua perterritus, minùs provide in paciſcendo ageret.
B. *Conditiones* propoſuit Deus, quibus promiſit, ſe fore *clypeum*, defenſam ab omnibus malis, *etiam ab ultione divina*, ut Hieroſolymitanum Targum, quod non fit niſi per intervenientem Clypei inſtar Meſſiam; & *mercedem magnam valde*, quam Bechai non hujus tantum, ſed etiam futuri ſeculi felicitatem interpretatur. Complectitur autem *Officia* ab Abrahamo quoque præſtanda: non futurus clypeus hoſtiliter affecto & agenti, ſed ſecum amicè & integrè ambulanti. conf. Pſal. 84: 12.
C. *Conſenſus*, ab Abrahamo initio Dilatus, deinde Declaratus fuit.
א. *Dilatus*, donec de conditionibus rite foret eruditus, quarum declarationem Petiit, & Impetravit.
a. *Petiit*, verſ. 2, 3. dum (*a.*) oſtendit promiſſa illa parum ſibi profutura, quia ἄτεκνος eſſet, & brevi moriturus ob ſenectam, aut ſaltem ad eam magis accedens indies, & longius à ſpe prolis recedens. (*b.*) Eliezeris OEconomi ſui mentionem facit, cui ob fidem deſtinet hæreditatem; ut dum Deus prolem non dediſſet, in ipſum derivaret ſucceſſionem.

NB. Verſ. 2, 3. non eſt querimonia, nec murmur, nec dubitatio de divinis promiſſionibus; ſed humilis declaratio acquieſcentiæ in Dei providentia. qſ. d. Quid dabis mihi eorum quæ polliceris? nam ego abeo, ſeneſcens, ἄτεκνος, unde nec multitudo poſteritatis, nec benedictio familiarum mundi ex me oriri poterit. Sed habeo domeſticum. Semen, inquam, mihi non dediſti: Hic ergo ſervus meus hæres erit poſſeſſionum mearum, ceu adoptivus; בן ביתי, licet non בן בטני: qſ. d. An etiam illum vis facere hæredem promiſſionum, ut in eo, quem adoptabo, eas conſequar? Quomodo non modo non obmurmurat, ſed fidelem acquieſcentiam teſtatur; cui ſatisfactum eſſet, dummodo in adoptivo filio aſſequeretur hæreditatem, licet non in naturali ac proprio.
b. *Impetravit*, verſ. 4, 5. Deo (*a.*) hæredem adoptivum

repudiante, & promittente proprium: (*b.*) confirmante promissiones externo symbolo.

Apparet visionem (quæ dicitur, vers. 1.) fuisse nocturnam, tum enim stellæ sunt conspicuæ: itemque tempore novilunii, aut saltem luna silente.

Quidam hæc conjungunt, *intuere cœlum versus, & stellas numera*, quæ sursum in cœlo conspiciuntur, & his nil promissum creditur; præter generis multitudinem. Sed *Petrus Alphonsus* ex Judæo Christianus, non male distinctas propositiones facit, geminumque Symbolum: (1.) *Intueri* jubet *cœlum*, (2.) *numerare stellas*, & huic utrique respondere כה יהיה זרעך, ob geminam vim particulæ כה, quæ denotat *sic*, & pertinet ad secundam, quomodo redditur, Rom. 4: 18. item *Heic*, & refertur ad primam, quo facit, Hebr. 11: 13–16. cum versus 12. ad seminis multitudinem diserte respiciat; ast vers. 13. intuitum illum fidei in cœlum videatur indicare. Certe extra hunc locum Paulus disertum testimonium non habet.

ב. *Declaratus* fuit consensus, vers. 6. quem

a. *Abraham* præstitit, dum *credidit*. Joh. 3: 36. 1 Joh. 5: 10.

b. *Deus* gratum habuit, approbando

a. tum *intrinsecè*, in corde Abrahami, *& imputatum est ei ad justitiam.*

NB. Prima mentio *Fidei* in Scriptura hæc est: attamen res diu fuit ab initio Ecclesiæ, quemadmodum & ostendimus de Adamo, Eva, aliis: & Paulus in primis docet, Hebr. 11. Sed non sine causa memoratur hic. Quia solemnis fœderis mentio, voluit Moses indicare conditionem fœderis, à ratihabitione hominis æstimandam: quia Abrahamus fide ratihabuit, quâ gratiam Dei meram amplexus est, fuit fœdus gratiæ & fidei.

Quæstio. Quomodo Rom. 4: 3. hinc probatur, Abrahamum justificatum esse per fidem, & quidem in exemplum omnibus credituris, cùm de Christo nihil dictum antecedat? *Resp.* Imo antecedit, vers. 1. *Sum clypeus tuus*, etiam ab ira Dei venturâ: quam Christus sponsor excepturus erat, ut clypeus sagittas contra corpus ejus directas, quod clypeo tegitur: *Et merces tua magna valdè.* Quæ autem major merces, quam non liberi solum, Ps. 127: 3, 4. sed inprimis semen illud singulare Christus, Gal. 3: 16. Donum Dei, Joh. 4: 10. factus sapientia &c. 1 Cor. 1: 30. Præterea cœlestis habitatio est donum solius Messiæ, Joh. 14: 2, 3, 6. Hebr. 2: 10. cap. 7: 25? Neque alia fides nostra apprehendenda habet. Porro *reputatum est in Justitiam* hoc ejus credere: qui defensus Christi satisfactione, utique justus, non reus, debuit censeri & pronunciari.

Observandum & hoc; *Fœdus fidei* est, quod fide ratihabitum: & quomodo? Deo pollicente gratiam, & poscente vicissim obedientiam: fides prius apprehendit, & in Dei gratia tantum invenit virium, ut possit præstare obsequium. Contra in *Fœdere operum*, posterius promittitur, & sic exspectatur prioris complementum. Sed cum in defectu virium propriarum nihil præstari queat, etiam prius non consequitur.

b. tum *extrinsecè*, ad aurem Abrahami, vers. 7. ubi Approbatio Dei, nova *Promissione* declarata, donatione terræ Canaan (olim jam bis datæ) juxta illud 1 Tim. 4: 8. quam firmat experientiâ beneficii primi, eductionis ex Chaldæa, vers. 7. cujus scopus fuerit, hæc terræ donatio.

D. *Sanctio* consistit cerimoniâ solenni fœdus confirmante, quam absolvit, post occasionem, petente Abrahamo signum seu argumentum, confirmaturum fidem de donatione terræ, vers. 8.

NB. *Quæst.* Cur petiit hic confirmari; majora promissa credidit simpliciter? *Resp.* (1.) quia cœlestia & spiritualia, uti simpliciter necessaria, sic simpliciter à Deo promittuntur, & simpliciter credenda sunt. Ast spiritualia, uti non sunt simpliciter necessaria, sic conditionem annexam habent: obedientiæ, Jer. 18: 9, 10. crucis, Marc. 10. vers. 30. (2.) quia de prioribus dederat symbola, cœlum & stellas, poscit etiam hic: uti Gideon post unum popposcit aliud, non ex infidelitate sed fide.

א. *Apparatus:* vitulæ, capræ, arietis triennis, sectio in duas partes, quarum uni turtur, alteri pullus columbinus adjectus, vers. 9. s. Hæc omnia egit Abraham jussu divino, quapropter etiam volucres, in cadavera illa ruentes, abegit. Factum autem hoc die, nocturnam visionem proxime secuto; & sequente vespera confirmatoria sanctio accessit.

ב. *Abrahami habitus*, vers. 12. Profundus sopor eum invasit, nec non terror & obscuritas maxima. Scilicet quandocunque Deus se gloriosius revelat, etiam gratiæ fœdus initurus, uti hic, creatura contremiscit majestate illa territa. Hinc petiere Israëlitæ, ne Deus secum loqueretur, sed Moses: & Deus in Novo Fœdere eis novum internuncium promisit, ne denuo terrerentur, Hebr. 12: 18. s.

ג. *Dei declaratio* donationis terræ, quam cap. 12. semini se daturum dixerat, vers. 13. s. Ubi indicat

a. *conditionem seminis calamitosam*, & durationem ejus, vers. 13.

b. *vindicationem ejus*, vers. 14.

c. ipsiusmet *Abrahami immunitatem* ab eâ calamitate, vers. 15.

d. *causam dilatæ eousque donationis*, seu fruitionis doni, nondum impleta mensura peccatorum Amoræorum, ℣. 16.

ד. *Cerimonia confirmatoria* fœderis, vers. 17. transitus furni fumantis, & lampadis igneæ per segmenta. Deo significante, sic se concidendum, siquidem, quod impossibile, fidem falleret. Conf. Jer. 34: 18.

ה. *Explicatio cerimoniæ*, vers. 18. esse sanctionem fœderalem: ubi repetitur promissio donatæ terræ, quæ describitur

a. *à limite* gemino, Nilo & Euphrate.

b. *à populis* jam incolentibus, quos decem numerat.

NB. Sunt qui Sacrificium istud, ejusque circumstantias, faciunt significativas Ægyptiacæ servitutis Israëlitarum. Esse (1.) Animalium quatuor species, quatuor secula. (2.) Sectionem, cædem infantium. (3.) Aves in victimas involantes, Pharaonem Israëlitis insidentem. (4.) Abrahamum eas abigentem, liberationem. (5.) Tenebras, terrorem, omnes ærumnas. (6.) Lampadem, lucem liberationis. Sed hæc mihi quidem arguta nimis & coacta videntur.

Anni quadringenti, vers. 13. non tantum sunt servitutis, sed etiam peregrinationis molestæ seminis ejus: non tantum in Ægypto, ubi solum ducentos & decem, vel, ut alii, ducentos & triginta annos morati sunt; sed etiam in Cananæa; inde à persecutione quam passus Isaac ab Ismaële illudente ipsi. Apostolus Gal. 3: 17. à promissione ad legem in Sinai quadringentos & triginta annos numerat.

Terram Canaan sic limitibus suis definitam Israëlitæ nunquam obtinuerunt, ne quidem sub Davide & Salamone. Nam licet hi præsidia habuerint in Edom, non tamen partiti sunt eam terram per tribus. Adhæc Moses & Josua septem gentium meminerunt ejectarum, saltem maximam partem; non decem. Sodoma quoque non possessa, quæ continebatur Gen. 13.

CAP. XVI.

II. REpetitum ampliatumque fuit *fœdus*, post annos quindecim, cujus *Occasio* hoc capite recensetur. Estque promissionis factæ Desiderium in Sara, & Acquiescentia in suæ inventionis complemento in Abrahamo.

A. *Desiderium in Sara*, vers. 1. s. quæ cum sterilis esset, haberetque ancillam Hagar, juvenculam, ut videtur, ℣. 1. proponit Abramo consilium, ut ob suam sterilitatem, concubinæ titulo consuesceret suæ ancillæ, hujus liberos pro suis agnitura.

Fecit hoc ex fide promissionis, quæ Abrahamo semen promiserat, sed Saræ nulla mentione factâ; unde ea semen Abrahamo procurare voluit undecunque, & in eo acquietura, siquidem ipsa promovisset. Nimirum Sara eodem modo fidem suam probare voluit, quo Abraham. Ille in Servo Eliezere adoptato voluit acquiescere, ut in eo impetraret promissiones; ipsa in ancillæ filio, sua interventione ex propria ancilla ab Abrahamo suscipiendo. Hæc fuit festinatio fidei, quæ improbatur, Esa. 28: 16.

B. *Acquiescentia Abrahami*, vers. 2. indicatur; qui proinde

א. *Exsequitur consilium*, vers. 3. Ubi

a. *tempus*, exactis decem annis in Cananæa.

b. *con-*

c. *judicium Noachi*, postquam evigilasset, vers. 24.

a. *maledicentis* impiis, vers. 25.

b. *benedicentis* piis, vers. 26. 27.

ד. *Ætas reliqua Noachi* à diluvio, vers. 28. 29.

NB. Vidit Cham, vers. 22. & maledicitur Canaan, vers. 25.

Resp. Canaan vidit, & risit avum: (בנו קטן *nepotem* notat, ut זקן *avum*) Cham re cognita probavit factum filii, & fratres ad idem spectaculum advocavit, quod hi declinarunt.

לו singulare est: nam Canaanem, quem fratribus conjunctim servum dederat, vers. 25. singulis sigillatim addicit in servitutem. vers. 26. 27.

Cum *Deum Semi* nominat, hunc fœderis gratiæ fruitionem habere significat.

Vers. 27. יפת si *dilatationem* notet, Japheto ampliorem terræ portionem addicit, & partem etiam ejus quæ Semo cesserat. Sin *persuasionem*, significat ad Ecclesiam collectum iri ejus posteros, quæ in Semi habitationibus erat, quem Deo fœderatum appellarat.

CAP. X.

INcrementum *humani generis secundum*, cap. 10. 11. patefacto magis discrepantis Seminis ingenio.

I. *Multiplicatio hominum* post diluvium, per filios Noachi. Ubi Posteri

A. *Japhet*, vers. 2--5. Septentrionales populi Asiæ & Europæ; nec non Insulas Europæas maris mediterranei & Oceani; forte etiam Americam incolentes.

B. *Cham*, vers. 6--20. ubi

א. tum *filii omnes alii*, quos inter memorabilis *Nimrod*, tyrannus primus, v. 8. s. לפני יהוה non approbationem Dei notat, sed ad auxesin pertinet, uti urbs magna לאלהים Jon. 3: 1. quemadmodum violentia in venatione adhibetur, unde & proverbio locus datus; confisus robori suo. Item *Assur*, vers. 11. s. qui urbes magnas struxerunt. Vel an ejecti Assyrii à Semo orti, per Nimrodum extendentem imperium?

ב. tum speciatim *Canaan*, vers. 15. s. ceu semen maledictionis, & cujus possessio tandem Semi posteris cessura erat.

C. *Sem*, vers. 21--31. ubi notatur, Semum fuisse

א. *Patrem filiorum omnium Heber*, qui pronepos: quia in ejus domo mansit Ecclesia, quæ potissima Semi dignitas, & inde denominatio.

ב. *Fratrem Japheti majoris*. Japhet ergo primogenitus: neque enim semper in recensione ordo nativitatis observatus: ut omnes illi, qui Gen. 5. nominantur, fuerint primogeniti, non mage quam Seth: licet alii, per quos continuatio generis humani & Ecclesiæ non texitur, non nominentur. Huc facit, quod vers. 22. inter quinque Semi filios tertius numeretur *Arphaxad*, qui solus nominatur, & tamen dicitur *biennio post diluvium natus*, cap. 11: 10. eoque ante ipsum *Elam* & *Assur* (alius ab illo vers. 11.) septimestri omnes partu; ut ante finem secundi anni jam tertius natus esset: unde colligitur fœcunditas post diluvium.

Peleg, vers. 25. nomen accepit à *divisione terræ*. Quæritur, an cum nasceretur, vel cum denasceretur, divisio facta? hoc si dicamus, per prophetiam id nominis accepit: si illud autem, quomodo etiam minoris fratris filiis portiones datæ? sed malim hoc dicere: Cum natus fuit Peleg, Noach terram inter filios distribuit, ut cum ante indivisam habitarent, unicuique sua portio jure proprio assignaretur. Verum divisam non statim adierunt, ab invicem discedentes; quin potius in diversa ire recusarunt, una manentes, imo deliberantes de constanti cohabitatione, quod consilium Deus disturbavit.

Epilogus generalis, vers. 32.

CAP. XI.

IMpiorum manifestatio, vers. 1--9. & Piorum successio, vers. 10. s.

II. *Impiorum* indicatur Factum, Deique Judicium.

A. *Factum* est refragatio contra Dei voluntatem, de terra ubique occupanda, cujus

א. *Causa impulsiva*,

a. *Unitas linguæ*, vers. 1. quæ *Hebræa*, sic post dicta, quia in Heberi domo mansit, quod nomina propria indicant.

b. *Societas vitæ*, vers. 2. eorum qui profecti sunt; non enim una Noachum & Semum iviſse verisimile, sed hos mansisse in Oriente, unde alii abierunt. Potissimi hic Japheti & Chami posteri.

ב. *Consilium de condenda urbe & turri*, ad cavendam dispersionem, ne quidem si diluvium rediret, vers. 3. 4. (Nam licet promissum esset non rediturum diluvium, tamen forte obliti fuerunt, vel sibi mutabile illud imaginati sunt. In valle autem potius quam in monte ædificarunt, quod sic fundamentum firmius foret: montibus per terræ motum motis. Hiatus terræ ante Korah nullus fuit.) quod statim exsequi cœperunt.

NB. *Nomen*, quod sibi facere voluerunt, quibusdam idolum, seu religio uniformis quam sequerentur omnes. Aliis inane nomen, ut memoriam sui relinquerent, uti Gen. cap. 6: 4.

B. *Judicium Dei* ἀνθρωποπαθῶς describitur à

א. *Cognitione* suscepta, vers. 5. & institutâ, vers. 6.

Concordia ipsorum ad malum: mala non consistunt, ubi cœperunt.

ב. *Decreto*, vers. 7. quod rursum in concilio Trinitatis factum; de confundendis linguis, & primæ oblivione inducenda, quod Deitatis argumentum.

ג. *Executione*, vers. 8. cujus eventus (a.) *dispersio ædificantium*, cum se mutuo non intelligerent, nec una vivere possent. (b.) *cessatio operis*. (c.) *nomen memoriale* loco impositum, vers. 9.

NB. De numero linguarum nihil constat certi: totidem fuisse quot numerantur posteri Noachi cap. 10. non habet speciem veri, quum Canaanis posteri una lingua usi sint, & vix distincta ab Assyriorum, quam Chami progeniem facit.

III. *Piorum successio*, vers. 10. s. à Semo ad Abrahamum. Memorantur autem anni ætatis, (non quo genuerunt absolutè, sed quo hos genuerunt. conf. vers. 10. & cap. 10. vers. 22.) & anni post secuti: sed in unam summam non contrahuntur, ut Gen. 5.

Arphaxadi filius fuit *Sela*, non *Cainan*: qui Luc. 3. vel scribarum errore insertus ex LXX. vel hos secutus est Lucas. Illud malim. Mosi consentit 1 Chron. 1: 18.

Thera gignere cœpit septuagenarius, & suscepit tres filios post illa: verum Abramum ultimum, anno ætatis centesimo trigesimo, uti Noach genuit quingentos annos natus, Sem, Cham & Japhet; ast Sem fuit centum annorum demum biennio post diluvium, cap. 5: 32. coll. cum cap. 11: 10. & Jephet maximus, cap. 10: 21.

Abram inter filios patris primus nominatur; non ætatis ratione, sed dignitatis, & quod ejus ratio potissima foret in historia Ecclesiæ; quemadmodum de Sem. Haran primus, sed ultimo nominatus, ut proximè filii ejus mentio fieret; qui ætate non multo minor fuit Abramo.

Haranis filiæ duæ nupserunt patruis, Nachori major *Milca*, Abramo minor *Jisca*, quæ eadem & *Sarai*. Prius nomen יסכה *Dominus obumbratio, tugurium*; posterius שרי *princeps Dominus*.

Ur Chaldæorum fuit locus in Mesopotamia, ubi habitarunt majores Abrahami. Jos. 24: 2. inde post Haranis filii mortem, concessit Terach cum superstitibus filiis, & nepote, ac neptibus in Haran urbem, Cananæam versus sitam in Mesopotamiâ: ubi Terach mortuus.

NB. *Nachor* & *Terach* fuere idololatræ. Jos. 24: 2. sed quando in Haran concesserunt, quod jussu Dei ad Abrahamum factum, Actor. 7: 2. s. jam tum à publica idololatria recessisse, probabile est: Patre secuto filii institutum, cui id Moses tribuit, tanquam ætate & naturæ ordine priori. Attamen post rediere ad idolorum cultum, ut Laban, Gen. cap. 31. Traditio de igne Chaldæorum si certa foret, causam dedisset Teracho, desertâ patriâ aliò migrandi.

CAP. XII.

INTERVALLUM Veteris Ecclesiæ *SECUNDUM* à vocatione Abrahami extenditur admissionem Mosis; & tribus articulis distingui potest. I. habet Ætatem Abrahami, cap. 12--25. II. Reliquorum Patriarcharum, cap. 25: 50. III. Posterorum in Ægypto, Exod. 1. 2. capp.

ARTICULUS PRIMUS fluit cum *Ætate Abrahami*, qua currente reperitur, quod huic intervallo fundamentum & distinctionem tradidit, *Fœdus familiare*, seu cum familia ejus initum: circa quod considerantur. I. Abrahami recipiendi Præparationes. II. Receptionis Solemnitates. III. Recepti Commoda, & Confirmationes.

Abrahami in fœdus recipiendi Præparationes sunt Vocatio in Cananæam, & Cananææ Donatio.

I. *Vocatio* (præter præparatoriam, de qua cap. 11. ex Ure Chaldæorum & idololatria avita, quam secutus ivit in Charan, & hæsit ibi usque ad mortem patris) & Obedientia Abrahami. vers. 1—6.

A. *Vocatio* constat

א. *Mandato*, vers. 1. cujus

a. *Autor Deus*, qui locutus dicitur, sed qua formâ non indicatur: Apparitio aliqua indicatur vers. 7. sed hic nihil ejus legitur: non tamen constat quoque qualis illa fuerit apparitio. Cap. 18. ratio evidentior; an hic similis, incertum: fortè tamen externa species adhibita, unde Abraham agnovit Dei præsentiam.

b. *Mandatum ipsum* jubet profectionem, cujus termini,

a. à quo, Terra natalis, ne rediret in Chaldæam, ubi pars familiæ manserat, domus paterna, quæ ex parte consedit in Haran. Nam Nachor illic mansit. Conf. Gen. 24: 10. & 29: 4, 5. unde discedendum fuit.

b. ad quem, Terra indefinita, quæ in itinere demum esset indicanda, ut propinqua foret an longinqua, prorsus ignoraret.

ב. *Promissionibus*, vers. 2, 3. quæ sunt

a. *Multiplicatio posteritatis.*

b. *Fama nominis*, ob benedictionum singularitatem.

c. *Abundantia*, congestis in eum benedictionibus.

d. *Defensio*, quæ talis, ut eosdem amicos & hostes habere vellet.

e. *Benedictio spiritualis*, ab ipso ad omnes familias terræ redundatura.

B. *Obedientia Abrahami*, susceptum iter, ubi

א. *Causa*, Dei mandatum. vers. 4.

ב. *Ætatis* ejus *circumstantia*, quod esset septuaginta quinque annorum. Ibid.

ג. *Comitatus*. vers. 5. Uxor Sarai, Lotus, utriusque bona, (רכוש greges & armenta, vasa domestica, & opes aliæ; præter famulitium, quod hic diserte excipitur) famuli.

NB. הנפש אשר עשו, quidam intelligunt de proselytis; sed de servis intelligendum, partim emtis, partim natis, ut cap. 14: 14.

ד. *Terminus itineris*, Cananæa. Eò iter direxit, & eò venit; an vero sciverit tunc, se ibi mansurum, non constat: forte demum post cognovit. Saltem cum inchoaret iter, ignoravit; quo nomine commendatur ejus fides in obsequio. Hebr. 11: 8. Huc facit:

ה. *Continuatum iter* in Cananæa, vers. 6. Sichemum usque, ubique inveniens occupatam terram à Cananæis, qui sedem ibi habebant.

II. *Donatio terræ*, quæ gemina, ab Abrahamo fide accepta, nequicquam occurrentibus difficultatibus.

A. *Prior* habet Donationem Dei: Acceptionem Abrami: & Difficultates superatas.

א. *Donatio terræ primæ*, vers. 7. ubi (*a.*) *Donator*, cujus Apparitio, & Oratio. (*b.*) *Donandus*, semen ejus (neque ipsi vestigium dedit, ut dicitur Actor. 7: 5.) (*c.*) *Donum*, *hanc*, inquit, *terram* à Cananæis habitatam.

ב. *Acceptio Abrahami*, vers. 7. qui fidem & gratitudinem testatus est, excitato altari, (hoc secundum quod memoratur in scriptura, primum ipsius) in honorem donatoris, cujus unius cultum deinceps exercuit.

Licita fuere quibusvis altaria: nam locus unus demum post fœdus Sinaïticum definitus est.

ג. *Difficultates*, fidei constantiam labefactaturæ tres occurrunt, quas tamen omnes superavit.

a. *Prima intra terram*, ab incolis, qui cum terram possiderent, non invenit stabilem sedem; sed debuit à planitie in montana se recipere, vers. 8. imo subinde locum mutare, vers. 9. ut cum à Septentrione ingressus esset, ad meridionalem oram pertingeret.

a. Fides victrix, vers. 8. quod mutato licet domicilio, non deseruerit religionem, exstructo altari; & nomine Dei vel precibus suis invocato, vel concionibus publicato, ad alios quoque erudiendos.

b. *Secunda extra terram*, in Ægypto; cujus migrationis

a. Causa, fames, quæ excedere terrâ coëgit hominem peregrinum, vers. 10.

b. Periculum, ob formam uxoris: quod

a. Metuit, & evitare voluit dissimulato conjugio, vers. 11, 12, 13. quod consilium cepit, & indicavit uxori.

Fuit illud in speciem prudens, revera malum. Peccavit enim 1. diffidentiâ in Deum, qui defensionem pollicitus erat: 2. in uxorem, quam docuit mentiri dissimulando, & objecit periculo adulterii. 3. in Pharaonem & Ægyptios, quibus occasionem præbuit peccandi.

β. *Incurrit*, cujus *Causa*, (1.) *forma* Sarai, mox publicè agnita. (2.) *prædicatio* ejus coram Pharaone: (3.) *deductio* in hujus domum, ei nupturæ. (4.) *beneficia* propter eam Abrahamo collata, sive donatis opibus, sive concessa habitationis commoditate, cum tam amplam adduxisset familiam, vers. 14—16.

γ. *Evasit* tamen hoc periculum; ubi

1. *Occasio*, plagæ, quibus Deus Pharaonem & familiam ejus afflixit; eæque tales, ut propter Saram infligi agnosceret. An eædem quæ in Abimelechum statutæ, Gen. 20? quidam tantum minatum Deum credunt, & hîc, & Gen. 20. quia tamdiu non putarunt Saram detentam, ut sterilitas posset observari.

2. *Modus*, expostulatio Pharaonis cum Abrahamo, de injuria, propter dissimulationem sui conjugii, & prætextum cognationis, vers. 17, 18.

3. *Restitutio*, cum mandato de abeundo, vers. 18.

4. *Deductio*, per custodes publicos, ne quid damni pateretur, vers. 19.

CAP. XIII.

b. Fides victrix, vers. 1—4. Regreditur in Cananæam, ubi

a. Comitatus, & magnæ opes, vers. 1, 2.

β. *Migrationis continuatio* usque dum rediisset ad locum altaris sui secundi: ubi denuò repetiit exercitia religionis publica, vers. 3, 4.

c. *Tertia difficultas in terrâ*, à domesticis: Separatio à Loto, cujus

a. Occasio seu *causæ*, (1.) opes utriusque magnæ in gregibus & familia. Cum enim Lotum nepotem secum duceret, pariter opibus gravem, non invenere in terrâ incolas nativos habente, sat spatii alendis gregibus, vers. 5, 6. (2.) contentio, propter pascua procul dubio, nata inter utriusque pastores, vers. 7.

c. Fides victrix. Non capit consilium deserendæ terræ, neque id suadet Loto; sed ut ibi manere & sine rixa vivere possent, iniit

β. *Consilium* separationis, quod propositum ab Abrahamo, cujus rationes.

1. *à turpi*, vers. 6. ut caverentur rixæ inter sanguine conjunctos

2. *à facili*, vers. 9. totam terram patere peregrinis, ut ubique locum invenire liceat.

3. *ab æquo*, vers. 9. se optionem ipsi facere, quæsiturum aliam ab ipso sedem, quam repudiasset.

γ. *Electio* Loti, *considerantis* tractum Sodomæ, cujus commendatio à fertilitate, vers. 10. & *eligentis* eum.

δ. *Separatio* ipsa, Loto discedente, vers. 11.

ι. Separatorum *habitatio*,

1. *Loti* in agro Sodomitico (neque enim uno in loco potuit habere tam amplam familiam; habitavit in urbibus Sodomæ, sparsim hinc inde partem aliquam gregis & famulitii) non obstante impietate incolarum, vers. 12, 13. quæ debuisset absterruisse.

2. *Abrahami* in Cananæâ, vers. 12. strictiùs sic dicta, nam alioquin etiam tractus Sodomæ in terra Canaan erat.

B. *Donatio terræ secunda*, post Loti secessionem, ut significaret ipsi soli datam, non Loto, qui cum pars familiæ aut socius esset, videbatur in eâ partem habere. Habet Donationem Dei, Acceptionem Abrahami, & Difficultates superatas.

א. *Do-*

b. *conditio*, Uxorio titulo; ſecundario tamen: eoque *Uxor*, reſpectu Abrahami; *Ancilla* porro etiam, reſpectu Saræ.

ב. *Eventus* fuit

a. *Infelix*. Hagar cum concepiſſet, ſuperbire cœpit, heramque contemnere, verſ. 4. Cui corrigendo facit

a. Querela Saræ, verſ. 5. de injuria ſibi ab Abrahamo facta. Τὸ חמסי eſt, *injuria mea*, quam patior: hanc dicit עליך, non *ſuper te*, ut judicem agat (nam Deum judicem conſtituit inter ſe & Abrahamum maritum,) ſed *propter te*; quia ancillæ prægnanti ob ſpem prolis pluſculum favere videbatur, & magis quam ancillæ conveniebat, quod cedebat in ſuum præjudicium, quæ hera.

b. Abrahami Satisfactio, quam præſtat Saræ, permittens ei ancillam, ut herili poteſtate etiam nunc uteretur, verſ. 6.

c. Fuga Hagaræ, quod durius à Sara haberetur, neque quicquam in Abrahamo præſidii inveniret, verſ. 6.

d. Mandatum Angeli, ut ad heram rediret. Ubi

a. Mandans, Angelus, non creatus, ſed increatus, Filius Dei. Nam dicitur יהוה, verſ. 13. & promittit, quæ ſolius Dei, multiplicationem ſeminis, verſ. 10. Idem qui aliàs *Angelus facici*, Eſa. 63: 9.

β. *Locus*, ubi Hagarem reperit, verſ. 7.

γ. *Occaſio*, cum quærenti cauſam fugæ faſſa eſſet, verſ. 8.

δ. *Mandatum*, ut rediret ad ſervitutem, verſ. 9.

ε. *Promiſſio*, (1.) *Generalis*, numeroſæ poſteritatis. verſ. 10. (2.) *Specialis*, filii quem geſtabat utero, verſ. 11, 12. cujus deſcribit

aa. *Nomen*, addita ratione, verſ. 11. Primus Iſmaël, qui ante nativitatem nomen à Deo accepit.

bb. *Mores*, feros & indomitos, laceſſentis omnes & viciſſim laceſſiti ab omnibus.

cc. *Excellentiam*, verſ. 12. quod ante fratres omnes ſedem certam ſit habiturus; vel quod adeo amplam terram conſecuturus ſit, ut undique fratres ſit cincturus, ante eorum oculos & territoria.

ζ. *Obſequium Hagaris*, agnoſcentis autoritatem loquentis, & cum fiducia ſe ei credentis, verſ. 13. cujus teſtimonium *nomen* loco impoſitum: *Tu Deus videns me, & ego vidi te*, (ſpe & fiducia) *pone videntem me & puteus viventis videntis me*: ut etiam perennitatem defenſæ providæ ſibi polliceretur.

b. *Eventus felix*, partus filii, cui Abraham *nomen Iſmaëlis* indidit, verſ. 13. cujus *ætas* indicatur, verſ. 16.

Apparet autem, Abrahamum in hoc filio, ceu fructu promiſſionis cap. 15. acquieviſſe, qui ex ſe natum poſſidebat, quaſi jam complementum haberet: à qua ſententia fuit dimovendus.

CAP. XVII.

DEus ergo fœdus prius primo Repetiit, tum Ampliavit, reſpondente utrobique Abrahamo Ratihabitione ſua.

II. *Repetitio* habet

A. *Contrahentes*, א. *Abrahamum*, ætate nonaginta novem annorum. ב. *Deum*, in viſione apparentem.

B. *Conditiones*, א. *Præſtandas à Deo*, promittente, אני אל שדי *potentia*, & *bonitas*, vel in ſe *omniſufficientia*, vel extra ſe, *effuſio*, à שדד Chald. *effudit*, forma ex Pahel: quod convenientiſſimum. ב. *Poſtulatas ab Abrahamo*: ambula coram me &c. verſ. 1. eædem quæ cap. 15: 1. ex Pſal. 84: 12.

C. *Obligationem fœderalem*, verſ. 2. qualis cap. 15: 18.

D. *Benedictionem*, de multiplicatione generis, verſ. 2. quæ itidem cap. 15: 5.

Ratihabitio reſpondens, verſ. 3. teſtata geſtu, dum pronus in faciem ſe humiliter aſſentiri oſtendit.

III. *Ampliatio* habet Promiſſiones novas, & novas Confirmationes.

A. *Promiſſiones novæ* fuerunt de fœderis recipiendi Modo interno, & Jure externo.

א. *Modus internus* eſt exemplaris, verſ. 4. quod non tantum, ut olim dictum erat, in ipſo benedicendæ eſſent omnes gentes; ſed quod *eodem modo* benedicendæ, *per fidem* ſcilicet: cujus reſpectu ipſe pater exemplaris omnium conſtituitur. Conf. Rom. 4: 10. ſ.

B. *Confirmationis* ergo (1.) mutatum nomen ejus, inſerto ה, verſ. 5. ſignificante tum multitudinem liberorum exemplarium, (ſive naturalium, ſive non naturalium,) ſi ex המון ſumtum: tum Semen primarium, Meſſiam, ſi ex tetragrammato eſt.

ב. *Jus externum* eſt hæreditarium, verſ. 6. ſ. (a.) quod ſemen naturale habiturus ſit, numeroſum & glorioſum, regio axiomate, verſ. 6. (b.) quod ipſe, & ſemen illud, fœderis jus perenne ſint habituri: Deo ſe ipſis in Deum addicente, verſ. 7. Huc facit Lev. 26: 42. ſ. Rom. 11: 28, 29. (c.) quod vi ejuſdem promiſſionis fœderalis Cananæam ſit largiturus, verſ. 8.

Confirmationis ergo (2.) inſtituta *Circumciſio*: Cujus

א. *Mandatur* obſervatio, verſ. 9. ubi dicitur *fœdus*, & imperatur Abrahamo, & naturali ejus ſemini.

ב. *Declaratur* eſſe circumciſionem (a.) *marium*, quoad ſexum, verſ. 10. (b.) *præputii*, quoad membrum corporis, verſ. 11. (c.) ratione *finis*, ſeu ſignificati, ſignum fœderis, verſ. 11. (d.) quoad circumſtantiam, *die octavo* à nativitate infantis, qui videlicet in familia Abrahami naſceretur: ſed quicunque alii in eam reciperentur, ſervi emti, mox ab ingreſſu. (Hebræi his annum indulgent, & ſi tum nolint circumcidi, rurſum alienandos dicunt,) verſ. 12. ut quotquot in familia ejus forent, *fœdus*, hoc eſt, ſignum ejus, in carne ſua geſtarent, verſ. 13.

ג. *Roboratur* comminatione exterminii, verſ. 14. contra adultum contemtorem; non contra infantem, ſed ejus patrem. Exod. 4: 24, 25.

NB. *Circumciſio* igitur fuit *ſignum fœderis familiaris*, confirmans Abrahamo & Semini ejus naturali, quod horum quivis paterfamilias, & omnes domeſtici jus fœderis habeant. Unde omnes qui ipſius, ſeu natura, ut filii; ſeu emtione, ut ſervi (non autem mercenarii) citra ipſorum notitiam aut conſenſum circumcidebantur.

Facta eſt *in membro genitali*, ut ſignificaretur, ad fœdus Dei non jure naturæ, ſed beneficio gratiæ perveniri: cum fœderati quoad jus non gignerentur niſi à circumciſis, & in membro genitali vim paſſis inimicam naturæ.

Sigillatim reſpexit ad Chriſtum; Abraham gignens Iſmaëlem non fuit circumciſus; quia non erat ſemen promiſſionis: ſed fuit talis, antequam gigneret Iſaacum, qui ſemen promiſſionis: eoque ubi depoſita quodammodo vis naturæ, Actor. 7: 8. ᾧ ὅτως, &c.

Soli *Mares* ſubjectum: quia nunc demum mari factus fuit Chriſtus ſemen promiſſionis, cum ante eſſet ſemen ſolius mulieris. Et hoc beneficium in Abrahamo anteceſſit circumciſio. Fœminis, quæ antiquiorem quaſi cognationem habuerunt, non opus fuit nova promiſſione, ejuſque obſignatione.

Octavo die, ut Sabbathum à vitæ initio tranſiiſſet (quod etiam à Cypriano in Epiſt. ad Fidum notatum) & fides apprehendendæ promiſſionis fundamentum inveniret.

Jus externum illud ſpecialius *reſtringit* ad filium naſciturum ex *Saraï*: cujus

a. *Nomen mutatum*, ſubſtituto ה loco י, verſ. 15. Cauſam nemo dicit: Piſcator ex tetragrammato quoque ה hoc petitum monet: in una litera tamen latet myſterium; quærendum hic quod pueri ſolent in faba; in quorum ore Deus fundat robur, dum ſapientes & intelligentes faſtidioſos tollunt cachinnos.

b. *Fœcunditas* pariter promittitur numeroſa, & glorioſa tandem futura, verſ. 16.

Ratihabitio reſpondens Ampliationi, teſtata actione

A. *Acquieſcentiæ* humilis, pari geſtu procubitus.

B. *Fidei*, ridendo ex gaudio & admiratione, quod ſibi ſeni centenario Sara decrepita paritura eſſet, verſ. 17.

NB. Emphaſin, *an Sara? annon nonagenaria eſt? pariet?* ſic Pſ. 94: 9. ſ.

C. *Pietatis*, pro Iſmaële intercedendo, ne ob futurum ſemen eſſet repudiandus, verſ. 18. cui petitioni reſpondet Deus,

א. tum ut Saræ filium promittat, nominet, fœdus ipſi proprium & hæreditarium faciat, verſ. 19.

ב. tum ut ob preces Abrahami polliceatur Iſmaëli benedictiones terrenas, verſ. 20.

ג. tum ut denuo fœdus reſtringat ad Iſaacum, ſequenti anno naſciturum, verſ. 21.

D. *Obe-*

D. *Obedientiæ*, Deo digreſſo à ſe, verſ. 22. mox ſuſcepit circumcidere, Iſmaëlem, domeſticos omnes maſculos, ſemet ipſum, eopſe die quo juſſus erat, citra procraſtinationem: quomodo in ipſo undecentenario, in Iſmaële tredecenni, & in omnibus domeſticis ejus ea perfecta eſt.

Sic ergo *Fœdus Dei* factum *familiare*, familiæ Abrahami univerſæ titulo privilegii conceſſum ratione juris externi.

NB. Fœdus reſtringitur ad Iſaacum, verſ. 21. & tamen Iſmaël circumciſus? Scilicet hic uti ſervi & vernæ, ceu pars familiæ, ad Abrahami ſolatium. Quando egreſſus fuit ex familia, ceſſavit id jus fœderis. Verum Iſaac ſucceſſor familiæ, qui hanc, & privilegium hæreditarii juris conſervavit.

CAP. XVIII.

SEquuntur jam *Abrahami in fœdus recepti Commoda & Confirmationes*, reliquo vitæ temporis adſcriptæ, partim Religionem, partim OEconomiam attinentes, quæ mixtim ipſi obtigerunt. Harum aliquæ Iſaaci nativitatem Antecedunt, aliæ Sequuntur.

I. *Antecedunt* Commercium ipſius familiare cum Deo, cap. 18. 19. & Saræ defenſio, cap. 20.

A. *Commercium familiare cum Deo* conſtat Hoſpitio, & Communicatione Conſilii de Sodomæ conditione, cap. 18. ejuſque Exſecutione, cap. 19.

א. *Hoſpitale commercium*, verſ. 1--15. Atque hic

a. *Hoſpites*, (*a.*) *Excipiens*, Abrahamus; ubi (*α.*) *locus*, quercetum Mamræ, & *ſpecialior*, oſtium tentorii. (*β.*) *tempus*, circa meridiem. (*γ.*) *habitus* corporis, ſedit & ſublatis oculis vidit. (NB. כחם היום confer cum לרוח היום Gen. 3: 8.) (*b.*) *Excepti*, vocantur *tres Viri conſiſtentes* עליו, *juxta ipſum*, ut Pſal. 1: 3. על פלגי מים. & Gen. 24: 13. 30.

Exiſtimarunt quidam Veterum, Trinitatis apparitionem hanc fuiſſe: Minus commode; nam Heb. 13: 2. dicuntur *Angeli* excepti hoſpitio, non Deus, aut Trinitas, neque unquam vel Pater vel Spiritus S. Angeli nomine veniunt in Scripturâ; ſed ſolus Filius. Eſ. 63: 9. Mal. 3: 2 *Angelus*, qui idem *Jehova*, Exod. 14: 19. cap. 23: 20. 23. Textus duos vocat *Angelos*, Gen: 19: 1. 15. tertium *Jehova*, tum argumento verſ. 1. *Apparuit Dominus ipſi*; tum expreſsè verſ. 13. 17. 20. 22. 26. 33. Item illum unum dicit אדני in compellatione Abrahami, ubi in margine Amſterod. Codex habet קדש, verſ. 3. & id repetitur aliquoties ad illum unum, verſ. 27. 30. 31. 32. Adhæc ille unus eſt cognitor cordium, qui internum riſum Saræ vidit, ℣. 12. & futurum vitæ inſtitutum Abrahami, ℣. 19. judex totius mundi, verſ. 25. qui de peccatoribus cognoſcendi ſtatuendique abſolutum jus habet, poteſt vel immittere vel differre pœnas ſuo arbitrio, verſ. 20. ſ. quod judicium Filii eſt, Joh. 5: 22.

Cæterum corpora virilia quæ habuerunt, vera quidem fuerunt: nam viſi, auditi, palpati fuerunt viri illi, & comederunt, locuti ſunt, iverunt: ſed extra ordinem aſſumta, & rurſum legatione finitâ, depoſita; ſive ex nihilo, ſive ex elementis creata.

b. *Excipientis invitatio*, verſ. 2. 5. Cujus

a. Antecedens, procurſus obviam & honor exhibitus, verſ. 2. qui civilis, more regionum illarum.

b. Invitatio ipſa, directa ad unum: cujus (*α.*) *Exordium*, compellans ceu Deum, & gratiam favoremque petens. (*β.*) *Propoſitio*, ne ædes ſuas tranſeat. (*γ.*) *Confirmatio*, ut lavent pedes, quieſcant in umbra, recreentur cibo. (*δ.*) *Concluſio* ab occaſione, hac propter iſtac tranſiiſſe.

c. Reſpondens invitatorum *Aſſenſus*, verſ. 5.

c. *Exceptio ipſa*, ubi (*a.*) *Apparatus*, placentarum per Saram, verſ. 6. vituli à ſe delecti per famulum, verſ. 7. (עשה de mactatione & præparatione in cibum, verſ. 7, 8.) butyri & lactis, verſ. 8. (*b.*) *Menſæ inſtructio*, (*b.*) Abrahami *miniſterium*, & (*d.*) *Comeſtio* Virorum illorum, verſ. 8.

De cibo illo, quem comederunt, quæritur quid factum ſit? *Reſp.* Verè manducarunt, & deglutiverunt, ſed depoſitis corporibus ſimul etiam cibus rediit in ſuam originem primam: aut annihilatus fuit, cum ea corpora nutritione non indigerent.

d. *Colloquium* de naſcituro Iſaaco: Cujus

a. Occaſio, quæſtio communis trium, ubi Sara eſſet? quam in tentorio eſſe dixit Abraham.

b. Promiſſio, unius illius, verſ. 10. 14. *Revertor* (hoc eſt, ſi id fecero) כעת חיה *ſecundum tempus vitæ*: exponunt *poſt annum*. Rom. 9: 9. κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐλεύσομαι. Aſt Abrabanel חיה reddit יולדת. & ſic etiam Buxtorfius in Lexico Talmudico accipi docet. Sic commodius, *Juxta tempus oportunum*, tempus videlicet puerperæ; quo mulier concipere, geſtare, & parere ſolet. (ob *Kametz* ſub כ repetendum עת) Conf. Exod. 1: 19. כי חיות *quamvis puerperæ ſint*.

c. Saræ audientis (*α.*) *riſus* interne, cum ratiocinatione incredula, ob ſuum & mariti ſenium, verſ. 10, 11, 12. (*β.*) *reprehenſio*, verſ. 13. opponendo omnipotentiam Dei, & inde repetendo promiſſionem, verſ. 14. (*γ.*) negantiſque ob metum *convitio*, verſ. 15.

Quæſt. Riſit Sara & reprehenſa fuit; riſit Abrahamus, neque culpatur, cap. 17: 17. *Reſp.* Hic ex fide lætus, illa ex infidelitate negligens.

e. *Dimiſſio*, verſ. 16. comitante Abrahamo.

ב. *Communicatio conſilii*, verſ. 17. ſ. Loquitur autem unus ille, Jehova. Hujus Communicationis

a. *Conſilium*, verſ. 17. proponitur, & confirmatur ab iis (*a.*) quæ Abrahamo promiſſa beneficia, tum numeroſæ ſobolis, tum benedictionis ad omnes gentes extendendæ, verſ. 18. (*b.*) quæ idem facturus eſſet, inſtruendo filios; & conſecuturus, impetrando promiſſiones, verſ. 19.

NB. Cur hoc indicatum Abrahamo? *Reſp.* Deus ei dederat totam terram; cujus portionem deſtructurus erat. Ergo non tantum indicium fecit, ſed ſimul pollicetur nihil Abrahamo deceſſurum, ſed tandem exactè potiturum ſemen ejus omnibus promiſſis.

b. *Explicatio*, indicans peccatorum Sodomæ notitiam ex auditu, verſ. 20. cui addenda allia ex viſu, verſ. 21. Hæc vero ἀνθρωποπαθῶς dicuntur, uti etiam deſcenſus. Sic Gen. 11: 7. & ſimul innuitur judicium, ſi quidem menſuram peccati conſummaſſent.

NB. Deus facit כלה puniendo, Jer. 5: 10. 18. cum omnia cum pulviſculo tollit: Homines peccando, quando ſummum faſtigium attingunt.

c. *Colloquium* deſuper inſtitutum, cum ſolo Jehova, digreſſis duobus Angelis Sodomam, verſ. 22. Ubi

a. Deprecatio Abrahami, cujus (*α.*) *fundamentum, juſtitia Dei*, quæ ſontibus inſontes non conjungat in pœnis, verſ. 23. (*β.*) *numerus inſontium*, ſi quinquaginta; repetito argumento juſtitiæ, verſ. 24, 25. quem numerum gradatim ad decem imminuit, ſic tamen ut veniam peteret ſuæ indignitati, verſ. 27. & importunitati, verſ. 30. 32. תשא למקום, verſ. 24. 26. non *remiſſionem peccatorum*, ſed *dilationem pœnæ* hic notat, uti τὸ סלח.

b. Aſſenſus Dei, ad quamvis petitionem; ubi Abraham prior deſiit petere, quam Deus promittere petita.

c. Diſceſſus colloquentium ab invicem. Dominus abiit, nempe Sodomam quoque; nam eò veniſſe docet, cap. 19. verſ. 17. ſ. & Abraham domum rediit, verſ. 33.

CAP. XIX.

ג. *Conſilii illius Exſecutio*, habita ratione deprecationis Abrahami: ubi Cognitio de Culpa Sodomæorum, & Pœnæ irrogatio.

a. *Cognitio* habet

a. Adventum cognitorum, duorum Angelorum, Sodomam circa veſperam; & in domum Loti: ubi hujus *Hoſpitalitas*, geſtu & verbis teſtata, verſ. 1, 2. Honorem exhibet, invitat ad pernoctandum, recuſantes blanda vi cogit, & convivio excipit, verſ. 1, 2, 3.

NB. ויפצר בם מאד. Verbum פצר cum ב notat התעברה על רצון והחכרה, Kimch. *Coactio*, aandringen: qua rationibus quis perſuadetur. Conf. Luc. 14: 23. & cap. 24: 29. Hæc vis in vocatione efficaci adhibetur; reſpondet *tractio*, Joh. 6: 44, 45. Jer. 31: 3. Hoſ. 11: 4.

מצות

מצות. *Azymi panes* non probant Paſcha, quod quadringentis annis poſt demum inſtitutum.

β. *Scelus cognoſcendum.* Ubi

1. *Tempus*, nondum cubitum iverant. טרם proprie *nondum.*

2. *Actores*, totius urbis mares, ſenes & juvenes: ex omni angulo, מקצה, Conf. Eſa. 56: 11. univerſalis conſenſus.

3. *Modus*, (AA.) obſederunt domum, ℣. 4. (BB.) poſtularunt produci hoſpites ad concubitum, verſ. 5.

4. *Deprecatio Loti*, verſ. 6. ſ. (cum cautione pro hoſpitibus occluſo oſtio, verſ. 6.) (AA.) *à turpi*, verſ. 7. (BB.) *à ſatisfactione alia*, filias ſuas offerendo ipſorum libidini. (Quod conſilium non fuit bonum; Non ſunt facienda mala, &c.) (CC.) *à jure hoſpitii*, verſ. 8.

5. *Inſtantia Sodomæorum*, cujus (AA.) *cauſa*, impatientia reprehenſionis ejus, quæ à peregrino fieret, & jugis foret, 2 Pet. 2: 7. cum minis majoris mali. (BB.) *factum*, vis ei intentata (idem עצר cum ב) & domui, verſ. 9.

6. *Liberatio* (AA.) *Loti*, Angelis ipſum in domum retrahentibus, & oſtium claudentibus, verſ. 10. (BB.) *domus*, percuſſis Sodomitis ſcotomate, verſ. 11.

γ. *Indicium cognitorum*, de perdenda Sodoma, ſalva tamen Loti familia.

1. tum *Extra domum*; jubentes moneri generos, liberoſque alios per urbem diſperſos, ut urbe excederent, verſ. 12. quia deſtructum urbem veniſſent ob ſcelera, verſ. 13. Cui monito obtemperavit Lot, ſed nihil profuit, verſ. 14.

Utrum plures liberos habuerit, incertum: Generi illi vel ſponſi fuerunt filiarum (ſed an tunc auſus fuiſſet eas offerre ad ſtuprum?) vel mariti. Benoni etiam hoc ſignificat, cum Pahul non uſurpatur.

2. tum *Intra domum*, jubentes Lotum cum ſuis ſe fugâ ſubducere, tardantem urgentes, apprehendentes, educentes extra urbem, mandantes ocyſſimam fugam, cum interdicto ne reſpicerent; & juſſu, ut in proxima montana ſe reciperent.

NB. In poſtremis adfuit Jehova, quem deprecaturus Lot alloquitur, ut in Zoar latibulum inveniret, & ab ipſo impetravit, verſ. 15. ſ. Hic idem quo cum egerat Abraham, & qui jus habebat moderandarum pœnarum; ut exciperet Zoarem, verſ. 21. ſ. vocatur אדני cum *Kametz*, ℣. 18. Illud, *Non poſſum quicquam facere*, &c. non ratione deficientis potentiæ, ſed ſuæ voluntatis, & decreti de liberando Loto, intelligendum.

b. Pœnæ irrogatio, ubi (α.) *Tempus*, oriente Sole. (β.) *Auctor*, Jehova, à Jehova. (An diverſæ perſonæ, vel una eademque notetur, poſito nomine loco pronominis, incertum. Quidam illud faciunt, alii iſtud: qui prius, Chriſtiani ſunt: qui poſterius, non negant Chriſtianiſſimum, ut Calvinus, Paræus, alii. Conf. pro illis Amoſ. 4: 11. Hoſ. 1: 7. pro his Zach. 12: 6. 1 Reg. 10: 13.) (γ.) *Inſtrumentum*; pluvia ſulphuris, verſ. 24. (δ.) *Effectum*, deſtructio totius viciniæ, verſ. 25.

c. Eventus varii (α.) in *uxore Loti* reſpectante, verſ. 26. (β.) in *Abrahamo*, mane proſpectante verſus Sodomam, quam perditam obſervavit, verſ. 27. ſ. Deo tamen precum ejus rationem habente, dum Lotum ſervavit, verſ. 24. (γ.) in *Loto* & *filiabus ejus*, qui Zohare deſerta in montana ſe receperunt; & quia hæ omnes mares periiſſe opinabantur, patrem inebriatum ad inceſtum ſecum pellexerunt, unde *Moab* & *Ammon* nati, vicini tandem Iſraëlitarum, ſed mali, verſ. 30. ſ. *Ebrietatis* pernicies hinc colligitur.

NB. Eſt verò hic obſervanda *Convictio reatus* hominum gravior. *Reatus Sodomitarum* fuit, quod feliciores agri fertilitate, & amœnitate, præ cæteris tamen Cananæis fuerint infames ſceleribus, nec incolatu Loti emendati, nec clade bellicâ, ſed omnes pariter mali. *Convictio* autem quod Deus igneâ pluviâ ipſos & univerſam regionem evertit, in Sodoma ſtatuens exemplum pœnæ ultimæ, quæ erit in ſtagno ignis & ſulphuris: ut teſtatur hoc Apoſtolus Petrus, 2 Epiſt. 2: 16. Jud. verſ. 7.

CAP. XX.

B. *Defenſio Saræ*; cujus indicatur Periculum, & Liberatio.

א. *Periculum*, verſ. 1, 2. Ubi

a. *Occaſio* (α.) *remota*, verſ. 1. Migratio Abrahami, ut ad ignotos prorſus veniret, in Gerar; nam in Cananæa nihil tale paſſum legimus. (β.) *proxima*, verſ. 2. Sermo Abrahami qui Saram ſororem eſſe dixit, verſ. 2. Acceſſit etiam Saræ conſenſus, ſimilia dicentis, verſ. 5. והיא גם היא.

Sic egit in Ægypto, cap. 12. & male ceſſit; non tamen cautior factus fuit. Uxorem conjecit in periculum adulterii, ex utriuſque conſenſu admittendi; Prægnantem jam infamiæ ſcortationis, cum maritum habere negaretur: & reliqua olim dicta.

b. *Periculum ipſum*, verſ. 2. quod miſerit Abimelech, eamque acceperit, nec invitam ipſam, nec repugnante marito: ſed petito conſenſu, quaſi in nuptias.

ב. *Liberatio*, verſ. 3. ſ. cujus

a. *Cauſa remota*, Deus reſtitutionem imperans Abimelecho. Ubi

a. Apparitio Dei in ſomno, verſ. 3. denunciantis mortem ob aſſumtam maritatam. הנך מת *Ecce te morientem, moriturum*; ſiquidem nuptias cum maritata conſummes: quæ conſummatio defuit, verſ. 4.

Revelationes per ſomnium etiam conceſſæ alienis ab Eccleſia & impiis, Pharaoni, Nebucadnezari, uxori Pilati.

b. Defenſio Abimelechi, nixa juſtitia Dei, ſuaque innocentia. *Non occides gentem juſtam*, hoc eſt, innocentem. Ego ſum innocens; Nam & ille & illa negant matrimonium, eoque non potui non ignorare, atque ipſam putare innuptam; quam citra culpam internam externamque mihi jungere fas foret, verſ. 5.

c. Reſponſum Dei, (α.) admittentis innocentiæ profeſſionem, (β.) approbationem ſuam teſtantis cohibitione efficaci ſuæ providentiæ, ne tangeret Saram, verſ. 6. (Impedimentum fuit immiſſus ipſi morbus non minus quam cæteris domeſticis) (γ.) jubentis reſtitutionem Saræ, ſub promiſſione efficacium apud ſe precum Abrahami, & commination mortis, verſ. 7.

Heic primum occurrit vox נביא. Conf. Pſ. 105: 15. Prophetarum ergo fuit pro aliis quoque precari.

b. *Cauſa proxima*, Abimelechus Deo obſecutus: qui

a. Retulit ad ſuos, & ne quid ſimile patrarent, interdixit, verſ. 8.

b. Expoſtulavit cum Abrahamo, (α.) *exprobrans factum*, verſ. 9. quod *exaggerat* à periculo; hoc peccatum ſibi totique regno futurum fuiſſe damnoſum, adeoque contra omnem honeſtatem egiſſe, quod non læſus diſſimulavit conjugium: & (β.) *rationem facti poſcens*, verſ. 10.

c. Audivit defenſam Abrahami, (α.) *ratione cauſæ*, verſ. 11. quod vitæ ſuæ metueret apud eos, quos Dei reverentia deſtitui credidiſſet. At Sodomæ exemplum metum hominibus incutiebat. (β.) *ratione facti*, verſ. 12. Saram verè ſororem eſſe, eodem patre progenitam. (Pater Abrahami fuit ipſi avus per Haranem; uti Lot frater Abrahami, cap. 13: 8.) Verum ſic dixerat ſororem, quaſi non foret uxor; & ſic induxit in errorem. Addit vero (γ.) *facti excuſationem*, pactum mutuum cum uxore, ut ſic de ſe loqueretur, verſ. 13.

Apparet æquiorem fuiſſe Abimelechum, quam Pharaonem, cap. 12. Hic increpitum mox regno excedere juſſit, non audito reſponſo; ille apologiam audivit & admiſit. Sed Abimelech monitus erat, eſſe Prophetam, & precibus ejus impetrandam ſanationem, proinde mollius cum ipſo egit.

NB. התעו אותי אלהים Amſtelodamenſis Codex notat קרש. Non ergo Angeli intelliguntur, qui notantur per חול. cap. 19: 2. ſed verus Deus: pluralitas ergo conſiſtit cum ſanctitate. Non dici poteſt חלול השם, ſi Trinitas aſſeratur.

c. *Reſtitutio ipſa*, quando (α.) cum donis multis eam reddidit Abrahamo, verſ. 14. (β.) libertatem fecit Abrahamo commorandi in ſuo regno, verſ. 5. (γ.) Saram monuit ſinceritatis, verſ. 16. mille ſiclos ſe dicens dediſſe fratri ejus (quem etiam dixerat) ut forent pretium, videli-

cet pepli, quo se tegens, nuptam ostenderet omnibus. Quam reprehensionem ipsa admisit, ut nempe huic mandato obtemperans, deinceps velata incesserit.

נגוכחת particip. Niphal, vel 3. præt. formæ Chaldææ.

d. *Eventus* (*a.*) *Intercessio Abrahami* pro Abimelecho, & (*b.*) *Intercessionis fructus*, ut sanarentur omnes à sterilitate, quam Deus immiserat, vers. 17, 18.

Debuit ergo Sara diutius in domo Abimelechi hæsisse, ut sterilitas mulierum omnis inde potuerit animadverti. Saram tamen constat illæsam mansisse, quod Abimelech ipse morbo impediretur.

CAP. XXI.

I. NAtivitas *Isaaci*, quæque eam secuta sunt, ut II. Ismaëlis ejectio. III. Fœdus cum Abimelecho. IV. Isaaci immolatio suscepta. V. Mors & sepultura Saræ. VI. Nuptiæ Isaaci. VII. Extrema Abrahami.

Hoc capite habetur Isaaci Nativitas, Ismaëlis ejectio, & Fœdus Abimelechi.

I. *Nativitatis Isaaci* indicatur

A. *Causa efficiens prima*, Deus, & promissio ejus, ℣. 1. *Visitare* istud est externo testimonio præsentiam suam testari, sive beneficii, sive judicii. Dixerat Angelus se reversurum, cap. 18: 10—14. & hic est reditus, visitando in munere fœcunditatis, conf. Jud. 15: 1. Muneris autem specificatio est in membro secundo, dato filio.

B. *Adjuncta*, א. *Naturalia*, conceptus & partus. ב. *Accidentalia*, (a.) *temporis*, tum senectæ Abrahami; tum præstituti à Deo, vers. 2. (b.) *impositi nominis*, ℣. 3. (c.) *circumcisionis*, vers. 4. (d.) *ætatis Abrahami*, vers. 5. (e.) *gaudium Saræ*, vers. 6, 7. cujus *autorem* Deum prædicat; *socios*, audituros & Ahrahamum.

II. *Ismaëlis ejectio*, constat

A. *Occasione*, quæ א. *Remota*, convivium ablactato Ismaële institutum, vers. 8. ב. *Proxima*, risus Ismaëlis à Sara observatus, vers. 9. Gal. 4: 29. *persecutio* vocatur.

B. *Causa impulsiva*, quæ

א. *Respectu Saræ*, est solitaria Isaaci hæreditas, ceu filii herilis; quam ob contemtum ab Ismaële demonstratum, non tutam credidit ab ipso, vers. 10.

ב. *Respectu Abrahami*, (a.) *Postulatum Saræ*, nixæ tum jure suo in ancillam, cujus ventrem fructus sequebatur; tum jure filii sui, vers. 10. (b.) *Mandatum Dei*, qui (*a.*) displicentiam Abrahami, vers. 11. refutavit, vers. 12. (*b.*) jussit Saræ consilium sequi, quia semen hæres sit solus Isaac. (*c.*) promisit Ismaëlis curam, quia Abrahami filius, licet non promissionis; sed externi beneficii tantum, multiplicationem generis, vers. 13.

NB. Illud vers. 12. *In Isaaco vocabitur tibi semen*, illud cum quo fœdus peculiare erectum, & circumcisio in signum fœderis data; non minus quam ex quo Semen benedictionum, Messias, proditurum erat. Ismaël ergo exclusus domo, non habuit necessarium jus circumcisionis, sub pœna exterminii, utpote qui cessabat haberi יליד בית Abrahamo.

Sic ergo distinguitur Semen carnis, & Semen promissionis: hac propter Abraham etiam Keturæ filios cum muneribus dimisit. Inprimis est hic segregatio seminum, Mulieris & Serpentis; unde etiam mulier, mater Seminis promissionis, ad testandam inimicitiam contra Serpentem, & fidem promissionis, segregationem jubet.

C. *Modo ejectionis*, quod pane & aqua instructam Hagarem & filium dimisit, vers. 14. Servilis plane conditio, non manet in domo, Joh. 8: 35. non habet quicquam; nam quæcunque acquirit, hero acquirit, ipsos etiam liberos: Conf. Exod. 21: 3. Nulla ergo ei facta injuria.

D. *Eventu*, quæ sunt

א. *Error in deserto*, defectus aquæ, Ismaëlis ex siti debilitas, & mortis periculum, matris dolor, vers. 14—16.

ב. *Apparitio Angeli*, qui tum solatur, demens metum & exauditam dicens vocem Ismaëlis, vers. 17. (qui tamen non legitur precatus, vel clamans, conf. Exod. 14.) tum jubet tollere filium, quem desertura videbatur, quod magnæ gentis origo futurus esset, vers. 18.

ג. *Suppeditatio aquæ*, ostenso ei fonte, vers. 19.

ד. *Incrementum Ismaëlis*, sub benedictione Dei, cum in deserto aquæ copia esset, victus de cætero fuit parabilis venatione, unde istic consedit, vers. 20.

ה. *Conjugium ejusdem* cum Ægyptia, cognatam gentis ratione ipsi quærente matre, vers. 21.

III. *Fœdus Abimelechi cum Abrahamo*, Deo volente hujus fidem confirmare; quasi esset dominus terræ, reges vicini fœdus ineunt, duraturum in generationem tertiam. Hujus

A. *Contrahentes*, hinc *Abimelech* Rex, & dux militiæ ejus: istinc *Abraham*, vers. 22.

B. *Impulsiva*, benedictio Dei erga Abrahamum, ℣. 22.

C. *Conditiones*, de non inferendo damno vel personis, vel terræ, in tertiam generationem, sanciendæ juramento, vers. 23.

D. *Consensus Abrahami*, vers. 24.

E. *Querela Abrahami*, ob puteum sibi ereptum, quam א. *Proponit* exprobrando, vers. 25.

ב. *Excusat se Abimelech*, quod ignarus sit ejus facti, nec ab Abrahamo querela facta, nec ab alio indicium delatum, vers. 26.

F. *Sanctio fœderis*, juramento mutuo, vers. 27. & 31, 32. coll. additis muneribus.

G. *Confirmatio querelæ*, oblatis septem agnis: ceu tam certo à se fossum puteum, quam suæ sint agnæ, vers. 28. 30.

H. *Consequentia*, nomen loco impositum, vers. 31. Abitus Abimelechi, vers. 32. Abrahami plantatio nemoris, institutio cultus publici, vers. 33. & commoratio in terra Philistæorum diuturnior, ob partam illo fœdere securitatem, vers. 34.

NB. Nemus plantavit Abraham, quod tamen post interdictum. Si in nemore isto cultum exercuit, quæsivit umbram, & nondum erat ulla prohibitio. Sin nullus ibi cultus, vel ad inumbrandum puteum, & ad locum quietis in æstu; conf. cap. 18: 3. vel fuit pomarium, quod plantavit, utpote securus ob fœdus diuturnioris mansionis, ut frui posset.

Deus hic vocatur יהוה אל עולם, ceu qui totius *mundi dominus*, regum corda moderatur, ut cum Abrahamo ceu cum pari pangerent fœdus, & sedem concederent peregrino. Alii reddunt עולם *æternus*, quod in se quidem bene se habet, sed quomodo huc quadret, non video.

CAP. XXII.

IV. I*Saaci immolatio*, Mandata, Suscepta, Impedita. Si fides Abrahami luctam sustinuit, cum domo ejiciendus esset Ismaël, de quo Dei promissionem acceperat, cap. 17. multo magis cum Isaaci mactatio imperata, de quo majores & recentiores habebat promissiones.

A. *Mandata immolatio*. vers. 1, 2. ubi

א. *Tempus*, vers. 1. cum quietam habuisset vitam in regno Abimelechi, per annos complures. Hebræi triginta octo numerant, quia mox post hanc historiam recitatur mors Saræ, quando Isaac ea ætate fuit. Sed incertum an mox subsecuta sit mors Saræ; & de ætate Isaaci immolandi nihil constat certi. Verisimile mihi videtur, habuisse eam ætatem, quam Christus, cum hostia factus est, triginta quatuor annorum: nam ligna quæ portavit ad consumendum holocaustum, non fuerunt ponderis exigui, & forte ante per duos famulos deportata ad montem usque.

ב. *Impulsiva*, vers. 1. Tentatio Dei, non seductionis ad malum, sed explorationis ad bonum: *Deus ad malum tentat neminem*, Jac. 1: 14.

To נסה usurpatur de *exploratione*, Eccl. 2: 1. Homines dicuntur tentare Deum, non tantum peccando, sed etiam obsequendo, prout explorationem Dei suscipiunt, vel ex infidelitate, Ps. 78: 18. Exod. 17: 2. 7. vel ex fide, Mal. cap. 3: 10. בחנוני Jud. 6: 39.

ג. *Mandatum ipsum*, compellato Abrahamo, qui se promtum stitit, vers. 1. cui imperat oblationem filii, ℣. 2. atque designat (a.) *Victimam*, iis epithetis, quæ penetrantissima erant, ad commovendum affectum Abrahami; *filium*, *unicum*, ejecto Ismaële, *charissimum*, *Isaacum*, risus

ſus & gaudii materiam patri matrique. (b.) *Locum* in genere, ſpecialem determinationem differens. (c.) *Actionem*, ab ipſomet Abrahamo eſſe offerendum in holocauſtum.

Moria fuit nomen non unius montis, ſed regionis, in quâ plures montes; poſt tamen uni monti hæſit nomen, in quo hoc factum. 2 Chron. 3: 1.

B. *Suſcepta*, verſ. 3--10. Ubi

א. *Præparatio*, verſ. 3. cujus (a.) *Tempus*, ſummo mane: noctu ergo, in viſione mandatum accepit; Hæc promtitudo citra dilationem. (b.) *Actiones*, procuratio eorum quæ pertinebant ad iter; aſinus inſtructus, & duo famuli, & ad ſacrificium aſſumtus Iſaac, & fiſſa ligna.

ב. *Iter*

a. *ad montem*, verſ. 3, 4. (*a.*) Profectus eſt ad locum definitum, verſ. 3. quem tum cognovit, ante indefinitum, verſ. 4. (*b.*) Die tertio ſublatis oculis videt, Deo videlicet ſecrete inſpirante; eminus, vel quod aliquouſque abeſſet, vel ob montis altitudinem, qui conſcendendus erat.

b. *In montem*, verſ. 5. f. Ubi (*a.*) *Segregatio*; ſervi & aſinus relicti; aſſumtus Iſaacus cum Abrahamo iturus, addita ratione, *Adorabimus & revertemur.*

NB. Hoc poſtremum fuit vox voti, aut fidei. (*b.*) *Aſſumtio inſtrumentorum*, verſ. 6. Filio imponit ligna ferenda, ipſe geſtat ignem & cultrum.

NB. Ligna arida, in quibus nullus ſuccus fertilitatis, omnia combuſtibilia & ſe conſumtura, geſtat Iſaac; ſic Chriſtus reatus ominum: Abraham ignem & cultrum; ut Deus Pater iram vindicem, & necaturam Chriſtum.

c. *Colloquium euntium*, verſ. 7, 8. cujus Præparatio blanda, compellatio utrimque, verſ. 7. Videtur Abraham meditabundus inceſſiſſe, hac propter Iſaac loquendi poteſtatem quaſi poſcit, verſ. 7. holocauſti inſtrumenta adeſſe, ſed deeſſe principale, victimam. Reſponſum Abrahami, verſ. 8. indirectum, *Deus providebit ſibi pecudem*: Non quidem indicavit, quod petebat, attamen potuit præparare animum, Dei providentiæ adſcribens abſolutum jus, deligendi & definiendi, quamcunque vellet victimam.

ג. *Sacrificium*, verſ. 9, 10. cujus (a.) *Locus*, à Deo deſignatus, verſ. 9. (b.) *Altare*. (c.) *Ordinatio lignorum*. (d.) *Ligatio* victimalis Iſaaci. (e.) *Collocatio* ſuper lignis. (f.) *Apprehenſio cultri* ad mactationem peragendam.

NB. Maxima hic obedientia Abrahami, & ſimul fides, quam commendat Apoſtolus, Hebr. 11: 17, 18. Promiſſio dixerat, *In Iſaaco vocabitur tibi ſemen*; & ipſe vita eum exuere jubebatur. Apoſtolus dicit, quod putarit Deum ex mortuis eum poſſe reſtituere: ſed nullum hactenus editum erat exemplum excitati ex mortuis hominis.

C. *Impedita*, verſ. 11. f. Ubi

א. *Impediens*, Angelus Domini, verſ. 11. qui Filius Dei, Deus: nam verſ. 12. ſibi datum filium ait ab Abrahamo, juxta poſtulatum; vide Bechai. Non auſus fuiſſet Angelus prohibere, quod Deus juſſerat, neque illi obtemperaſſet Abrahamus.

ב. *Mandatum impediens*, (a.) vocat Abrahamum, ℣. 11. (b.) jubet abſtinere manum à filio, verſ. 12. (c.) teſtatur ſe finem mandati exploratorii aſſecutum, patefactionem obedientiæ, verſ. 12. non quod ignoraret, ſed quod eam externo facto probatam vellet.

ג. *Subſtitutio alius victimæ*, verſ. 17. Arietis, quem (a.) vidit Abraham hærentem cornibus, arripuit, obtulit loco filii. (b.) in memoriam illius ſubſtitutionis loco nomen dedit, verſ. 14. Ex reſponſo, quod ante dederat filio, *Dominus providebit*, inde & natum proverbium, de providentia Dei in rebus perplexis exitum præbentis.

ד. *Promiſſiones repetitæ*, verſ. 15--18. Ubi (a.) *Autor*, idem Angelus, verſ. 15. (b.) *Certitudo*, à juramento, ℣. 6. Heb. 6: 17. (c.) *Impulſiva externa*, obedientia Abrahami. (d.) *Promiſſiones ipſæ*, verſ. 17, 18. (*a.*) *Multiplicatio ſeminis*, verſ. 17. (*b.*) *Poſſeſſio terræ hoſtilis*, verſ. 17. (*c.*) *Seminis benedictio*; Benedicent ſibi in ſemine tuo omnes gentes terræ. verſ. 18.

NB. Hic primum benedictio perventura ad omnes gentes, reſtringitur ad ſemen Abrahami, poſtquam Iſaac typus Chriſti, hoſtiæ expiatoriæ, factus erat.

NB. Quod additur, *propterea quod auſcultaſti* &c. non eſt cauſa faciendarum promiſſionum, ſed impulſiva repetitarum, & confirmatarum; nam ante fuerant; cap. 12. verſ. 3. cap. 18: 18.

ה. *Reditus Abrahami cum filio* ad ſervos, & domum ſuam, verſ. 19. ubi (a.) quiete habitavit, verſ. 19. (b.) nuncio de fratris Nachoris aucta familia, & inter eos de nata ejus nepte *Rebecca* fuit edoctus, verſ. 20. 24.

CAP. XXIII.

V. *Mors ac Sepultura Saræ*: quæ prima fœmina, cujus memoratur in Sacrâ Scriptura obitus: Secunda Debora, nutrix Rebeccæ: Tertia Rachel, Gen. 35. Heic

A. *Mors Saræ* א. à *tempore*, cum centum & viginti ſeptem annos nata eſſet, verſ. 1. ב. à *loco*, Hebrone, verſ. 2. ג. ab *adjuncto*, planctu Abrahami, verſ. 2.

B. *Sepulchri emtio*, quam Abraham inſtituit, ut quam vivus non habuerat, mortuus haberet poſſeſſionem terræ, ad confirmandam poſterorum fidem ſuo exemplo. Hic ſunt

א. *Petitio* hæreditarii ſepulchri, à Chittæis incolis, verſ. 3, 4.

ב. *Oblatio* uſus ſepulchri cujuſcunque, verſ. 5, 6. facta Abrahamo à populo.

NB. Vocant *principem Dei*, hoc eſt, magnum, qui licet peregrinus inter ipſos, maximæ tamen eſſet dignitatis.

ג. *Abrahami acceptatio*, & exinde petitio interceſſionis apud Ephronem, cujus optaret agrum & ſpeluncam, verſ. 7, 8, 9. ſed emtione ſibi proprium.

ד. *Ephronis oblatio*, petiti agri donativa, teſtibus omnibus civibus, verſ. 10, 11.

ה. *Abrahami poſtulatum*, ut pretium definiretur, verſ. 12, 13.

ו. *Indicatio pretii*, ab Ephrone facta, verſ. 14, 15.

ז. *Pretii perſolutio*, verſ. 26.

ח. *Ceſſio agri & ſpeluncæ*, ubi conditio omnis deſcribitur & cives conſtituuntur teſtes. verſ. 17, 18.

Emtionis & venditionis exemplum inſigne, quoad omnes circumſtantias, contractus, pretii, fundi emti teſtium.

C. *Sepultura Saræ*, in illo loco, cujus proprietatem, ejus pretio dato, Abrahamus ſibi paraverat, verſ. 10, 20.

CAP. XXIV.

VI. *Conjugium Iſaaci*, cujus hiſtoria habet

A. *Conſilium Abrahami* de filii conjugio, verſ. 1--10. Ubi

א. *Impulſivæ*,

a. *Ætas Abrahami*, & divitiæ, verſ. 1.

b. *Poteſtas OEconomi* ſui, ob autoritatem adminiſtrationis, verſ. 2.

ב. *Obligatio OEconomi.*

a. *Petita*,

a. quoad *ritum*, per juramentum, cujus (*α.*) *ceremonia*, poſita manu ſub femore, verſ. 2. (alias elevata manu Gen. cap. 12: 22. ſed hic videtur ſimul ſignificata ſubjectio) itemque (*β.*) *formula*, per Dominum, Deum cœlorum, ℣. 3.

b. quoad *rem*, propoſitam (*α.*) *negative*, non deligenda uxore filio de Cananæis, verſ. 3. (*β.*) *affirmative*, de eâ arceſſenda ex familia & terra natali, verſ. 4.

b. *Dilata* ab OEconomo hæſitante, verſ. 5. ſi inde nequeat abduci uxor, an eo deducendus Iſaacus, ubi (*a.*) *rejectio hujus conditionis*, verſ. 6. cum benedictione prophetica, Deum, quod cœperat circa ſe, collocando in Cananæa, non deſerturum, verſ. 7. (*b.*) *abſolutio ſervi* ab adducenda uxore, ſi alia conditione nequeat, verſ. 8.

c. *Præſtita*, verſ. 9.

B. *Obedientia OEconomi* in exſequendo conſilio, verſ. 10--54. Ubi

א. *Iter* ejus in Meſopotamiam, cum comitatu & aliis, verſ. 10. & tempore appulſus, verſ. 11.

ב. *Preces* ad Deum pro felici ſucceſſu, verſ. 12--14. Ubi

a. *Vocat Deum Abrahami*, & tribuit moderamen abſolutum contingentium, הקרה.

b. *Poſcit benignitatem* erga Abrahamum, ceu fundamentum quo nitebatur, verſ. 12.

c. Tum *contingentia* ad sui directionem *optat regi*, vers. 13, 14. Similiter Jonathan, 1 Sam. 14. & Gideon, Jud. 6.

An hoc licite fit? *Resp.* Fuit in his peculiaris instinctus & fides, Deoque probatum fuisse docuit Eventus.

d. *Conditionem addidit*, vers. 14. demonstrationem se agniturum benignitatis erga herum.

NB. תוכחת *convictam* dedisti Isaaco: nam quemadmodum Deus rexerat voluntatem, sermonem, actiones puellæ erga se, sic quoque erga Isaacum: licet ipsa nil tale ante cogitasset. Τὸ תוכיח respondet τῷ ἐλέγχειν, & confirmat efficacem operationem Dei, etiam in vocatione ad Christum.

ג. *Precum Successus* (a.) *in genere* indicatus, quoad definitas à Servo circumstantias, vers. 15---21. Ubi simul puella describitur à nomine, genere, forma, conditione. (b.) *in specie*, quoad agnitionem Servi: ejus desuper admiratio facti, attentaque consideratio, vers. 21. tum inquisitio in personæ genus, & domum, vers. 23.

NB. Dicitur נערה, & בתולה, vers. 16. עלמה, ℣. 43. Illud ætatem, istud statum, hoc utrumque significat.

ד. *Liberalitas erga puellam*, vers. 22. & *inquisitio* in ejus conditionem, quoad familiam paternam, & hospitii commoditatem, vers. 23. cum *responso* puellæ ad utramque quæstionem, vers. 24. 25.

Quæst. An donaverit puellæ quicquam ante inquisitionem? *Resp.* Contrarium dicit vers. 47. Sed hic accepit munera ex κειμηλιωδήκη, ut in promtu haberet: quæ post inquisitionem demum ei dedit.

ה. *Gratitudo erga Deum*, cui humili gestu & voce pro successu huc usque gratias agit, vers. 26, 27.

ו. *Hospitium apud parentes Rebeccæ*, cujus

a. *Occasio*, (*a.*) *indicium*, quod ipsa fecit, vers. 28. & (*b.*) *invitatio* peracta à Labane, liberalitatem erga sororem audiente & vidente, vers. 29--31.

b. *Exceptio* servi, & comitatus ejus, vers. 32, 33.

ז. *Contractus matrimonii*. Atque hîc

a. *Petitio Rebeccæ in uxorem*, ubi (*a.*) *Postulat* audientiam, vers. 34. eaque impetrata (*b.*) *Indicat*, (α.) quis sit, vers. 35. (β.) quæ conditio heri sui, & herilis filii, vers. 36. (γ.) quæ sua ad hoc iter obligatio, vers. 37. cum (δ.) recitatione sui ad Deum voti, cum fonti adstaret, ejusque successus. (*c.*) *Petit* (α.) Rebeccam in uxorem Isaaco, & (β.) ad hanc petitionem responsum.

b. *Concessio* à parentibus & fratre facta, vers. 50, 51. quod agnoscerent Dei in toto negotio regimen.

c. *Gratiarum actio Servi*, (*a.*) erga Deum, vers. 52. (*b.*) erga Sponsam & novos affines, vers. 53.

Laban ubique conjungitur, quod patre sene omnia administraret, quemadmodum cap. 35. filii Jacobi.

ח. *Reditus* post unam noctem susceptus, quem sibi (a.) *concedi popposcit*, vers. 54. (b.) *dilationem* contra petitam, vers. 55. *renuit*, ob Dei benedicentis opem festinam, vers. 56. (c.) *definitio*, Rebeccæ delata, ab ea fit ex voluntate servi, vers. 57, 58. (d.) *dimissio* ejus cum benedictione, vers. 59. 60. (e.) *iter cum servo in Cananæam*, addita nutrice, vers. 61.

C. *Conjugium Isaaci*, ubi

א. *Occursus ejus*, non destinatus, sed per accidens, quod istic tentorium habens, egressus esset ad meditandum, vespertino tempore לפנות ערב vers. 62, 63. quando advenerunt.

ב. *Modestia Rebeccæ*. Viso Isaaco, & audito quis esset, de camelo descendit, faciemque velavit, vers. 64, 65.

ג. *Consociatio ipsa*, recitante servo itineris casus omnes, vers. 66. deduxit eam in tentorium matris, duxit in uxorem, ductam dilexit, ut matris demortuæ obliviscere-tur, vers. 66.

CAP. XXV.

VII. R*eliqua vita Abrahami.*

A. *Nuptiæ cum Ketura*, vers. 1.

B. *Liberi* & *Nepotes* inde susceptí, vers. 2--4.

C. *Dispositio de bonis*, ubi hæres ex asse Isaac, vers. 5. filii pellicum Hagaris & Keturæ legatarii duntaxat, ℣. 6. quibus dedit dona & dimisit extra Cananæam, versus Orientem, ne quid decederet juri filii, cui soli ea terra relinquenda fuit, pars hæreditatis haud postrema.

Abraham Keturam duxit: 1. ut impleretur, plures ex ipso populos prodituros: 2. ut pateret, post circumcisionem novum robur accepisse. 3. ut Ismaëli præciderentur spes cohæreditatis cum Isaaco, quia Keturæ filii non nisi dona acceperunt.

VIII. *Extrema ejus*, Mors & Sepultura.

A. *Mortis* notatur א. *Tempus*, cum esset centum & septuaginta quinque annorum, vers. 7. ב. *Modus*, tribus phrasibus indicatus, נאסף אל עמיו, מות, גוע. Sic quoque usurpantur de Isaaco, Jacobo, Aärone, imo & Ismaële.

Abrabanel existimat גוע dici respectu *Corporis*, unde anima emigrare cogitur, quando humidum radicale deficit, & calor nativus extinguitur. מות de *Compositio*, corpore redeunte in pulverem, & anima ad Deum. Hac propter quando duo ista conjunguntur, præmitti semper גויעה ante מיתה. Aſt τὸ נאסף de *Anima*, quæ ubi corpore excessit, aggregetur in mundo animarum, sui similibus, sive bonis, ut Abraham, Isaac, Jacob; sive malis, ut Ismaël. R. Bechai de *impiis* ait dici, מחיה ut pereant sicut bestiæ, animæ cum corporibus: ut Gentiles. אבדון, ut judicentur in gehenna, qui sine pœnitentia sunt mortui, ut Israëlitæ. כרת Israëlitarum, qui à Deo puniuntur, morte corporali, & tum in paradisum veniunt. De *piis* vero גויעה, אסיפה, וביאה quæ mors piorum, ut Abrahami. Hinc Ismaëlem volunt respuisse. לקיחה translatio vivorum, ut Enochi, Eliæ. מנוחה, qui habent spem resurrectionis. Sed hæ species distinctæ, & secunda in piis non est mors. Prima in impiis à Bechai aliter refutatur ob animæ immortalitatem. נשיקה ab aliis additur, quæ mors Mosis, Aäronis, Mirjam.

B. *Sepulturæ* indicantur

א. *Efficientes*, Isaac & Ismaël, non filii Keturæ, qui longius recesserant.

ב. *Locus*, spelunca illa, vers. 8, 9. ubi quoque Sara.

ג. *Consequentia*, (a.) in *Isaaco*, ejus benedictio & habitatio, vers. 10. (b.) in *Ismaële*, (*a.*) ejus *Posteritas*, quod Deus promissa illa quæ Abrahamo fecerat de illo, impleverit, vers. 11. atque etiam quæ Hagari dicta. (*b.*) ejus *ætas* & *Mors*.

Τὸ נפל idem est cum ישכן, cap. 16: 12. coll. cum cap. 25: 18. de sede Ismaëlitarum.

CAP. XXV. *reliquo.*

ARTICULUS SECUNDUS *Periodi secundæ* habet Vitam I. Isaaci. II. Jacobi. III. Josephi & Fratrum.

Vita Isaaci post mortem Abrahami describitur

à Nativitate & Educatione filiorum, cap. 25. reliquo.

à Migratione & Habitatione familiæ, cap. 26.

à Filiorum Divisione tum inimica, tum amica, cap. 27-36.

I. *Filiorum Isaaci*

A. *Nativitas*, vers. 19--26. describitur

א. à *Parentibus*, (a.) *Patre* (cujus historiam texere incipit voce תולדות,) hujusque *genere*, vers. 19. & *ætate* cum iniret conjugium, vers. 20. (b.) *Matre*, cujus (*a.*) *Genus* & *Nuptiæ*, vers. 20. (NB. Olim vixerant majores in Chaldæa; Chaldæi jam ex nativitate & habitatione dicuntur *Syri*. Ita Jacobus dicitur *Syrus*, Deut. 26: 5. & sic alii à loco habitationis appellati, & Christus *Nazarenus*.) (*b.*) *Conditio sterilitatis*, vers. 21. quæ remota per preces Isaaci pro uxore exauditas à Deo, ut conceperit.

Unde constitit Isaaco, non se sed uxorem esse sterilem? Ex promissionibus de sua posteritate factis; de Rebecca autem nihil promissum legimus.

ב. à *Gestatione*, ejusque incommodo, ubi

a. *Causa*, collisio filiorum in utero, vers. 22. quæ supernaturalis potius, quam naturalis.

b. *Matris* tum querela tristis, tum sollicitudo, dum Deum consulit.

Quodnam illud fuit Oraculum? Sunt qui Semum adiisse putant, qui videlicet Melchizedekum eundem esse volunt: Sed Semus mansit in Oriente. Satius dicitur ad Abrahamum iviſſe, qui Propheta fuit, Gen. 20.

c. *Signi-*

c. *Significatio*, reſponſo divino declarata, verſ. 23. de geminæ prolis, & hujus utriuſque poſteritate diviſa in diverſas nationes, mutuis diſſidiis, varia potentiæ viciſſitudine, eventu tandem eo, ut major minori ſerviat.

NB. Ambigua ſententia, ורב יעבוד צעיר per ellipſin את, quod vel primo vel poſtremo addi poteſt. עבד cum accuſ. ועבדו Exod. 21: 6. ועבדך Deut. 15: 12. An ergo eadem incertitudo, quæ in illo Apollinis, *Ajo te Æacida* &c. ? *Reſp.* Minimè. Deus indicat, quæ non ſunt nota per ſe: Atqui majorem dominari, naturæ & moribus erat conſentaneum; & modo conſtaret gemellos conceptos eſſe, ipſamet mater majori tributura fuerat principatum: Sed dum de hoc reſpondet Deus, facile collegit, contrarium ſignificatum velle, & minori tributam præëminentiam, cui etiam deinceps ſemper deſtinavit. Aſt in illo Apollinis nulla naturalis ratio pro alterutra parte militabat, ut ambigua omnia manerent, quod deceptorium.

ג. à *Nativitatis circumſtantiis* variis, verſ. 24. ſ. (a.) *Tempore*, verſ. 24. (b.) *Numero prolis*, gemelli, ibid. (c.) *Ordine* naſcendi, & (d.) utriuſque differentibus *qualitatibus*. Erat enim *prior* colore rufus & cute hirſutus, quem eapropter vocarunt עשו, *factus*, qui totus conſummatus haberet cutem hiſpidam, qualis demum in adultis reperitur, verſ. 23. *Poſterior* ex oppoſito candidus & glaber (e.) à *Situ*, apprehendens fratris calcaneum, cui inde nomen *Jacob* impoſitum, verſ. 26. (f.) *Ætate* Iſaaci, ℣. 26.

B. *Educatio* eorundem, verſ. 27. ſ. habet utriuſque

א. *Genus vitæ*, verſ. 27. cum adoleviſſent, *Eſau* venator & agricola, eoque aſtutus & ferox: *Jacob* moribus ſincerus & ſimplex, habitans tentoria, paſtoritio more.

ב. *Studia parentum diverſa*, verſ. 28. Amavit Iſaac Eſavum, ferinæ amore; Rebecca Jacobum, memor vaticinii.

ג. *Majoris ſervitus ſub minore*, cœpta de jure, verſ. 29. ſ. cujus

a. *Occaſio* (*a.*) *remota*, Jacobi edulium, quod paraverat, verſ. 29. (*b.*) *proxima*: Eſavi ex agro redeuntis fatigatio & fames, verſ. 16.

b. *Contractus initus*,

a. Eſavo poſtulante edulium iſtud, verſ. 30. ubi geminatio cupiditatem indicat; unde etiam nomen ei hæſit.

b. Jacobo poſcente ipſius primogenituram hoc pretio ſibi vendi, verſ. 31.

c. Eſavo aſſentiente, verſ. 32. הולך למות quotidianis mortis periculis expoſitus, ut parum interſit, habeam primogenituram, nec ne, eâ mecum peritura.

d. Jacobo juramento venditionem confirmari petente; quod factum verſ. 33.

c. *Succeſſus*, verſ. 24. Jacobo edulium, Eſavo primogenituram mutuo cedentibus; ubi hujus profanitas, vid. Heb. 12: 16.

CAP. XXVI.

II. MIgratio Habitatioque *Iſaaci gemina.*

A. *In Gerar*, verſ. 1. cujus

א. *Impulſiva* (a.) *remota*, Fames, verſ. 1. qualis olim Abrahamo migrandi neceſſitatem attulit. (b.) *proxima*, Mandatum Dei, verſ. 2. Ut Gerarem iret, fecit Dei interdictum, ne iret in Ægyptum; & mandatum ut maneret in Cananæa; cujus proinde pars Philiſtæi. *Mandatum* autem illud Dei, quoad circumſtantiam, factum eſt in viſione, verſ. 2. conſtatque (*a.*) *Juſſu* peregrinationis in Cananæa, ut inde non exiret, verſ. 3. (*b.*) *Benedictionis promiſſione*; quæ habet (α.) defenſionem. (β.) terræ donationem juramento addictam Abrahamo. (γ.) multiplicationem poſterorum, poſſeſſionemque terræ, verſ. 4. (δ.) ſemen ſingulare ad felicitatem omnium gentium, ſeu Meſſiam. [ε.] impulſivam externam, non faciendæ promiſſionis, ſed repetendæ declarationis, obedientiam Abrahami, verſ. 5.

NB. קולי mandatum Dei ab ipſo pronunciatum. משמרתי officia ab homine præſtanda ad ejus placitum: *Cuſtodia* diſtribuitur in מצות practica *moralia*, חקות *ritualia* ad cultum pertinentia, תורות *doctrinalia*.

ב. *Commoratio iſtic*, verſ. 6. cujus *Eventa* ſunt,

a. *Diſſimulatio uxoris Rebeccæ*: quæ [*a.*] *Suſcepta*, ℣. 7. Rogantibus Philiſtæis, *Sororem* dixit. *Cauſa*, metus ne ſe occiderent ob ejus formam. Gravius peccavit quam Abraham, qui etiam exemplo ejus cautior eſſe debuiſſet, apud eundem Abimelechum, vel ſucceſſorem. [*b.*] *Detecta*, verſ. 8. Abimelecho ipſo familiaritatis conjugalis teſtimonia vidente. [*c.*] *Remota*, [*a.*] partim *increpatione Iſaaci*, ℣. 9. ob periculum quod crearat, ne quis imprudens adulterium commiſiſſet, verſ. 10. Scilicet ſcortatio tanti non fiebat; ſed adulterium commiſſum toti terræ reatum afferre credebatur. [β.] partim *ſecuritate* ipſi procuratâ lege, verſ. 11.

NB. Peregrinatio Iſaaci in Gerar facta videtur ante natos filios: Si enim Rebecca filios habuiſſet, nemo de ipſius conjugio dubitaſſet, maxime cum Jacob ferè ſemper in tentorio ei adfuerit.

b. *Proſperitas*, [*a.*] ex ubertate meſſis, verſ. 12. [*b.*] ex omnimodo incremento continuatis benedictionibus, verſ. 13, 14. [*c.*] ex invidiâ, quæ comes & pediſſequa felicitatis, verſ. 14. cujus *fructus*, [*a.*] corruptio puteorum ab Abrahamo foſſorum, verſ. 15. [β.] mandata migratio à rege, ob ſuſpectam potentiam nimiam, verſ. 16.

B. *In Berſeba*, ſed per intervalla & ſtationes, quarum

א. *In valle Gerar*, verſ. 17. ad terminum terræ Philiſtæorum, extra territorium. Ubi foſſio [a.] puteorum obturatorum, verſ. 18. & priſca nomina. [b.] novi in valle, verſ. 19. de quo rixa cum Geraritis, ut oppreſſus cederet, verſ. 20. [c.] alius, ſed itidem per vim erepti, verſ. 21.

ב. *Longius receſſit*, ubi puteum fodit, & citra ullius oppoſitionem retinuit; quo nomine Deo gratias agit, indito conveniente nomine, verſ. 22.

ג. *In Berſebam ipſam*, verſ. 23. Atque hîc

a. *Dei apparentis confirmatio*, repetitis promiſſis, ℣. 24.

b. *Familiæ conſtitutio*, tum [*a.*] *Religioſa*, excitata ara, & invocato Deo, verſ. 25. tum [*b.*] *Oeconomica*, fixo tentorio, tanquam manſurus; & foſſo puteo, verſ. 25.

c. *Fœdus cum Abimelecho*. Cujus

a. Antecedanea, [*α.*] Adventus Abimelechi cum comitibus, verſ. 26. [β.] Expoſtulatio Iſaaci, ob ſui expulſionem, verſ. 27. [γ.] Poſtulatum fœderis, de non offendendo mutuum; cujus motiva [1.] reſpectu Abimelechi, benedictio Dei in Iſaacum, verſ. 27. [2.] reſpectu Iſaaci, tum indemnitas quam ipſi præſtitiſſent præſenti, & dimiſſo: tum benedictio Dei, verſ. 28.

b. Connexa, convivium, verſ. 29. & ſanctio per juramentum mutuum, verſ. 30.

c. Conſequentia, diſceſſus amicus ab invicem, verſ. 30. inventio novi putei, in memoriam fœderis hujus nominati, verſ. 31, 32.

d. *Familiæ ampliatio*, per conjugium Eſavi: cujus circumſtantiæ, [*a.*] ætas Eſavi quadragenaria. [*b.*] delectus, duas ſimul, eaſque Hittæas, diverſæ familiæ, verſ. 33. [*c.*] diſplicentia parentum, verſ. 34.

CAP. XXVII.

III. FIliorum *Iſaaci diviſio*, eaque Inimica, capp. 27. 28—33. Amica, cap. 33-36.

A. *Inimica diviſio filiorum Iſaaci* habet Occaſionem, & Rem ipſam.

א. *Occaſio* eſt Benedictio Iſaaci prophetica & teſtamentaria; cujus refertur Deſtinatio, verſ. 1—17. & Pronunciatio, verſ. 18—40.

a. *Deſtinatio* eſt verſ. 1—17. eaque

a. Iſaaci, ad *Eſavum*. Ubi [*α.*] Iſaaci benedicturi ſenium, verſ. 1. [β.] Eſavi benedicendi evocatio. [γ.] Sermo ad iſtum habitus; ubi [1.] impulſiva, mors inſtans incerta, verſ. 2. [2.] mandatum, parandæ ferinæ ad ſuum appetitum, verſ. 3, 4. [3.] finis, benedictio extrema ei pronuncianda, verſ. 4. [4.] Sermonis notitia audiente Rebecca, verſ. 5. & [5.] Eſavi obedientia, verſ. 5.

b. Rebeccæ, ad *Jacobum*. Quæ [*α.*] indicavit Jacobo [1.] conſilium patris circa Eſavum, verſ. 6, 7. [2.] conſilium ſuum de benedictione intercipiendâ. Ubi poſcit obſequium, verſ. 8. jubet tum duos hœdos de grege ſibi afferre, à ſe parandos ad patris appetitum, verſ. 9. tum paratos in cibum afferre patri comedendos, verſ. 10. aperit finem mandati hujus, ut obtineret mediatam patris

benedictionem. [β.] Detrectantem, quod ipsa corporis superficies se à fratre distingueret, glabrum ab hirsuto, vers. 11. & contrectanti patri, cœcutienti alias, esset futura manifesta, unde deceptori maledictio esset metuenda, vers. 12. confirmavit, maledictione illa in se recepta, vers. 13. [γ.] paravit partim cibum gratum Isaaco, vers. 14. partim Jacobum, induendo ipsum pretiosioribus vestibus Esavi, vers. 15. & glabritiem manuum & colli, quæ partes corporis nudæ erant, vellere hœdino obtegendo, vers. 16. tradiditque Jacobo cibum illum cum pane, vers. 17.

Mendacia Rebeccæ & Jacobi mala. Scopus bonus, ob vaticinium prægnanti factum; quod per benedictionem propheticam irritum fieri nolebat.

Quæst. An *recte* egit Isaac, benedicturus Esavo? *Resp.* Si ignoravit, quod uxori gravidæ dictum (quod Abrabanel censet, non ausam Rebeccam, quod sola audiverat, revelare marito,) potuit favere primogenito: sin scivit, non tamen Abrahami benedictionem voluisset aut potuisset largiri: quod neque fecit. Conf. cap. 27. & 28.

b. *Pronunciatio*, ubi

a. Antecedentia: Sollicitudo, ne alii, quam cui destinata, cederet, vers. 18. quæ tamen decepta fuit. Ubi

α. Inquisitio [1.] de nomine benedicendi, cum Jacob se stitisset, vers. 18. Respondet, se esse Esavum, mandatis paruisse, poscere ut promissa præstet, ℣. 19. [2.] de celeritate insolitâ. Respondet, Deum fecisse ut occurreret, vers. 20. (Contingentium regimen Deo adscribit.) [3.] realis, palpando cutem, quam poposcit Isaac, ℣. 21. sustinuit Jacob, vers. 22. Isaac pronunciavit, tactum non fallere, licet vox sit suspecta, vers. 22. Deceptus tamen inducta hirsutâ pelle, ad benedicendum, vers. 23. [4.] alia de nomine, cui pariter respondit, vers. 24.

β. Prandium, jubet sibi parata apponi, & appositis vescitur, benedicendi animo, vers. 25.

γ. Benedicendi deosculatio, petita, vers. 26. præstita, vers. 27. qua occasione vestes odoratus est.

b. Benedictio ipsa, ex occasione odoris cœpta, vers. 27. qua ei vovet, largiturque prophetica potestate [α.] fertilitatem terræ, vers. 28. [β.] dominium amplum, etiam in fratres, vers. 29. [γ.] indemnitatem, Deo eosdem cum ipso hostes & amicos habituro, vers. 29.

c. Consequentia, [α.] *Erroris agnitio.* Cujus [1.] *occasio*, Esavi reditus à venatione, paratio cibi, & oblatio patri facta, cum postulato promissæ benedictionis, vers. 30, 31. inquisitio in offerentem, cum responso, vers. 32. [2.] *perturbatio Isaaci*, se deceptum agnoscentis, vers. 33. [3.] *Confirmatio* factæ benedictionis, vers. 33. [γ.] *Benedictio Esavi*, (1.) cum fletu postulantis eandem, vers. 34. (2.) de intercepta quiritantis, fratrisque fraudem exaggerantis, vers. 35, 36. (3.) postulantis aliam, etiam cum fletu majore, vers. 36, 37, 38. (4.) impetrantis aliam, quâ data, terra fertilis, vers. 39. bellica fortuna, vers. 40. subjectio fratri, sed ut tandem se in libertatem assereret, vers. 40.

ב. *Res ipsa* habet inimicitiam filiorum Isaaci, & hinc natam divertendi necessitatem, seu divisionem ab invicem.

a. *Inimicitia*, vers. 41. s. cap. 28: 9. Ubi

α. Causa proxima, odium & minæ Esavi, vers. 41. אבל אבי de patre meo mortuo, quando trucidabo patris mei, ob trucidatum fratrem, prius convenientius.

b. Consilium Rebeccæ, de Jacobo ablegando. quod proponit (α.) *Jacobo*, indicato (1.) periculo ex minis Esavi, vers. 42. (2.) modo evitandi, fuga ad Labanem, ℣. 43. mora ibidem habenda, vers. 44. addita promissione revocationis, quando omnia tuta forent, vers. 45. (3.) argumento persuadente, ne utroque simul orbaretur; uno fratris, altero judicis manu casuro, vers. 45. (β.) *Isaaco*, sub prætextu conjugii: detestata nurus Chittæas (quales erant Esavi uxores) eoque nuptias Jacobi cum Cananæâ, vitam sibi acerbam reddentes, vers. 46.

CAP. XXVIII.

c. Consilium Isaaci persuasi, [α.] interdicentis Jacobo conjugium Cananæum, vers. 1. [β.] jubentis consanguineum cum filia Labanis, & iter ad illum, vers. 2. [γ.] benedictiones cumulantis, tum multiplicationis, ℣. 3. tum speciales Abrahami, videlicet Messiæ, & terræ Canaan, vers. 4. [δ.] ablegantis Jacobum in Mesopotamiam ad Labanem, vers. 5. Ubi additur factum Esavi demerituri patrem, & offensam connubiorum cum Hittæis correcturi, ducta nepte Ismaëlis, vers. 6–9.

b. *Divisio ipsa*, discedente Jacobo: cujus describitur Iter ad Labanem: cap. 28, 29. Mora apud eum: cap. 29, 30. Reditus inde ad fratrem. cap. 31. 32. 33.

a. Iter ad Labanem; habet,

α. Ejus *Initium*; indicans simul terminum à quo, & ad quem, vers. 10.

β. Medium, apparitionem ei factam: Ubi

1. *Locus*, & *tempus*, ubi pernoctandum fuit sub dio: occumbente Sole, vers. 11.

2. *Situs Jacobi*, qui paravit sibi cervical ex lapidibus, cætera humi cubans, vers. 11.

3. *Modus apparitionis*, vers. 12. f. [AA.] tum *in visione:* in somnio vidit scalam, à terrâ in cœlum pertingentem, Angelos per eam commeantes, Deum in summitate, vers. 12, 13. [BB.] tum *in sermone:* Deo inde ipsum alloquente: ubi [אא.] *proœmium*, quo se Deus fœderatum profitetur, vers. 13. [בב.] *propositio*, habet promissiones tum repetitas à majoribus, & ipsi appropriatas, donationem terræ, ℣. 13. multiplicationem generis & possessionis, benedictionem salutarem gentium per Messiam Semen ejus, vers. 14. tum novas, de ipsius defensione in itinere abitus & reditus; suique hac propter cum ipso præsentia, ut fides constaret suis promissionibus, vers. 15.

NB. Scala designavit præsentem semper opem Angelorum Dei jugiter expedita via præstò futurorum in omnibus ipsius itineribus, etiam cum solus in desertis & sub dio ageret. Conf. cap. 32: 1. Mystice Christum: Joh. 1: ℣. ult. Ubi *item* confer cum Actor. 21: 35. 40.

4. *Eventa Jacobi* [AA.] *evigilantis* reverentia, quæ habet sanctam admirationem, vers. 16. sanctum tremorem, ob majestatem Dei patefactam, licet gratiosam, vers. 17. ceu in sua Domo, & ad ejus ingressum. [BB.] *surgentis* [אא.] *factum*, excitando monumentum apparitionis, lapide uncto, & imposito nomine loco, ℣. 18, 19. (NB. Hæc prima memoria Unctionis.) [בב.] *votum:* cujus [aa.] *postulata*, in genere, Dei præsentia: in specie, defensio in itinere, sustentatio in peregrinatione, reductio ad patrem felix, vers. 20, 21. [bb.] *promissa*, fœderis constantia; cultus Dei istic loci publicus; decimarum oblatio, vers. 21, 22.

NB. Primum Votum in Scriptura, sed legitimum. *Subjectum* ῳ, Deus, non Angeli, aut creaturæ aliæ. *Finis*, gratiarum actio, & celebratio Dei. *Modus*, promittit partim debita, fœderis observantiam, & cultum Dei. Partim possibilia, excitare locum cultus, & dare decimas. Non autem vel paupertas, vel cœlibatus, vel obedientia hominis placitis.

NB. Decimæ dantur Deo, & cap. 14. Sacerdoti Dei.

CAP. XXIX.

γ. EXtremum itineris ad Labanem, vers. 1. f. ubi adventus in terram illam, vers. 1. in domum Labanis, vers. 2. f. Cujus

1. *Antecedentia*,

AA. *Inquisitio*, ubi [אא.] *Locus*, puteus in agro [בב.] *Occasio*, greges tres cum pastoribus præstolantibus alios, ut ex communi puteo potarent greges, vers. 2, 3. [גג.] *Sermo* Jacobi cum pastoribus, rogitantis, de loco unde essent? vers. 4. & cum Haranitas esse cognovisset, de Labane, vers. 5. deque ejus statu, vers. 6. suadentis ut potarent greges die adhuc alto, cum eorum responso, de impotentia suâ ad removendum lapidem putei, vers. 7, 8.

BB. *Patefactio sui* apud Rachelem: cujus [אא.] *occasio*, adventus ejus cum grege paterno, vers. 9. (quam eminus accedentem pastores ostenderant, vers. 6.) [בב.] *patefactio* ipsa habens *factum*, remotionem lapidis à puteo, ut ei serviret, gregisque potationem, vers. 10. gestu, osculo & fletu, vers. 11. sermone, consanguineum ejus se professus, vers. 12.

2. *Receptio.* Laban, (ad indicium filiæ, vers. 12.) excipit

cipit omni humanitate, deducit in domum, verſ. 13. audito omni ſtatu Jacobi, verſ. 13. eum ceu conſanguineum ſuum ſibi fovendum agnoſcit, exercuit hoſpitalitatem menſtruam, verſ. 14.

NB. Quemadmodum prima mulier, quæ ſervo Abrahami apud puteum occurrit, fuit Rebecca, deſtinata à Deo uxor Iſaaco: Sic prima, quæ Jacobo apud puteum occurrit, fuit Rachel, deſtinata ipſi uxor à Deo.

Fons Rebeccæ propior fuit urbi, in uſum hominum potiſſimum: puteus Rachelis longius remotus in agro, ad gregum potationem.

Phraſis עצמי ובשרי de conſanguineis. Jud. 9: 2, 3. 2 Sam. 19: 12, 13. Sic Eph. 5: 30. nunquam vero dicitur בשרי ודמי. Hebræi ſanguinis mentionem nullam ſic faciunt, uti quidem Latini, qui *Conſanguineos* nominant. Græcis αἷμα etiam notat *Conſanguineos*. Οἱ σοὶ αἵματος *Conſanguinei* Sophocli. Item Genus, Semen: Hom. Τανύπτης γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι. Ubi juxta Heſychium γενεὰ *patrem*, αἷμα *matrem* notat. Sed etiam pater filium vocat apud Homer. αἷμα ἠμὲν ἐγών. Conf. Actor. cap. 17: 26. & Joh. 1: 13.

BB. *Mora cum Labane*, ex contractu, cujus prorogatio bis facta, ut triplex occurrat.

אא. *Primus contractus* de mora, fuit

aa. *Propoſitus à Labane*, verſ. 15. profitente, nolle ſe gratis uti nepotis ſui miniſterio, jubente mercedem poſcere.

bb. *Acceptatus à Jacobo*, conditionem uti juſſus erat indicante, ubi (*aa.*) *cauſa*, amor in Rachelem filiam minorem, ſed majore formoſiorem, verſ. 16, 17, 18. (*bb.*) *conditiones*: ſervitus ſeptennii à ſe præſtanda, & Rachel ſibi à Labane deſponſanda, atque annis finitis elocanda, ℣. 18.

cc. *Ratihabitæ conditiones à Labane*, verſ. 19. hunc maritum aliis præferente, verſ. 19.

dd. *Præſtitæ*, (*aa.*) ſervitus Jacobi ſeptennii, verſ. 20. cum jucunditate ob amorem ſponſæ. (*bb.*) Elocatio filiæ à Labane, ſed fraudulenta, ſuppoſitâ Leâ pro Rachele. Ubi (*aa.*) poſtulatum Jacobi, præſtita ſervitute, verſ. 21. (*ββ.*) factum Labanis in ſpeciem ſatisfacturi, apparato nuptiali convivio, verſ. 22. revera decipientis, deducta in thalamum ejus Leâ, (velata ſcilicet, ut facies non pateret) verſ. 23. cui dotalem ancillam dedit Zilpam, verſ. 24. quomodo Hagar fuit Saræ. (*γγ.*) Lis deſuper orta, Jacobo, agnitâ fraude, expoſtulante, quod conditiones non eſſent præſtitæ, verſ. 25. Labane ſe excuſante, à conſuetudine loci, in elocandis filiabus ætatis ordinem obſervante, ℣. 26. & offerente contractum novum. Nam

בב. *Secundus contractus* de mora,

aa. Propoſitis conditionibus, (*aa.*) ut nuptiæ cum Lea ratæ forent, eoque ſeptimana eis tribueretur, Jud. 14: 10. 12. (*bb.*) ut nuptiæ Rachelis mox ſuccederent, (*cc.*) ut aliud ſeptennium pro ea ſerviret, verſ. 27.

bb. Acceptatis à Jacobo, qui ſatisfecit conditioni primæ. verſ. 28. ſecundæ, elocatâ Rachele, quæ dotalem ancillam accepit Bilham, verſ. 29, 30. & harum nuptiarum felicitas, ex amore. verſ. 31. tertiæ, verſ. 31. cujus ſeptennii eventa domeſtica fuerunt, quoad ſuſceptos ex uxoribus liberos. Atque hîc

aa. Uxorum diverſa conditio, reſpectu Jacobi & Dei, Lea illi exoſa, Rachel dilecta; unde Deus Leam fœcunditate benedixit, ſterilem reliquit Rachelem, verſ. 32.

bb. Leæ partus ſucceſſivi quatuor filiorum, quibus ſingulis nomen impoſuit, & rationem impoſitionis dixit, verſ. 33. ſeqq. & his natis mora aliqua conceptus, verſ. ult.

CAP. XXX.

cc. Jacobi contubernium cum ancillis uxorum,

aa. Bilhæ, verſ. 1--8. Ubi

1. *Occaſio*, Rachelis ſterilis deſiderium prolis. Quod excitatum æmulatione ſororis, toties fœcundæ matris, verſ. 1. & proditum expoſtulatione cum marito, à quo ſibi liberos popoſcit, impatiens vitæ ſterilis. ibid. Cui expoſtulationi reſpondet Jacob reprehendendo, quod à ſe poſceret impoſſibilia, cum ſolius Dei eſſet fœcundare, verſ. 2.

NB. התחת אלהים אנכי uſurpatur hîc, de largiendo beneficio. & Gen. 50: 19. de ſumenda ultione, & remiſſione peccatorum.

2. *Conſilium Rachelis* (quale Saræ, Gen. 16: 1. ſ.) ut dotalis ſuæ ancillæ corpore interveniente, ſuſciperet filios, verſ. 3.

3. *Contubernium* ipſum, ex voluntate Rachelis heræ, cum Bilha initum à Jacobo, verſ. 4.

4. *Fructus* hujus conjunctionis, conceptus & nativitas duorum filiorum: Gaudium Rachelis deſuper, quæ ſuo jure nomina impoſuit, verſ. 5--8.

ββ. Zilpæ, verſ. 9--13. Ubi (1.) *Occaſio*, Leæ mora, poſt quatuor filios editos, à partu alio: & imitatio facti ſororis, verſ. 9. (2.) *contubernium* ſimile, Leæ voluntate initum, verſ. 9. (3.) *fructus* ejus, duo quoque filii, quibus Lea ſuo jure nomina dedit, verſ. 10--13.

dd. Leæ partus reliqui, verſ. 14--21. quorum (*aa.*) *occaſio*, inventi à Rubene Dudaim (flores fructuſve amabiles) quos matri Leæ oblatos, Rachel matertera concupivit, & partem illorum petiit, verſ. 14. & cum negarentur à Lea ob negatam mariti fruitionem, hujus in proximam noctem conceſſione emit, verſ. 15. (*ββ.*) *cauſa naturalis*, Jacobi, ita conducti, congreſſus cum Lea, verſ. 16. & *ſupernaturalis*, Dei, preces Leæ audientis, benedictio, verſ. 17. (*γγ.*) *partus* duorum filiorum & filiæ unius, cum nominibus à Lea inditis, verſ. 17--21.

ee. Rachelis partus primus, verſ. 22--24. Ubi (*aa.*) *cauſa principalis*, Deus recordatus Rachelis, audiens ejus preces, & fœcunditatem largiens, verſ. 22. (*ββ.*) *nativitas Joſephi*, & ratio nominis gemina, tum euchariſtica, tum votiva, verſ. 23, 24.

גג. *Tertius contractus* de mora, verſ. 25. ſ. cujus

aa. *Occaſio*, petitio dimiſſionis à Jacobo facta. Cujus tempus, nato Joſepho; petitio ipſa, ut redeundi domum facultas fiat, verſ. 25. & abducendi ſecum uxores & liberos, mercedem ſuæ ſervitutis; profeſſio fidelitatis, verſ. 26.

bb. *Propoſitio*, facta à Labane, verſ. 27. ſ. qui poſcit continuationem manſionis, ubi (*aa.*) ſupplicatio, & cauſa, confeſſa benedictio Dei propter ejus præſentiam. verſ. 27. (*bb.*) oblatio mercedis ab ipſomet Jacobo definiendæ. ℣. 28.

cc. *Conditiones* à Jacobo dictæ: quibus præmittit, ut earum æquitatem perſuadeat, (*aa.*) narrationem, tum ſuæ fidelitatis, tum benedictionis divinæ ubertatis propter ſuum ſervitium, verſ. 29, 30. (*bb.*) juſtam ſolicitudinem de ſuâ familiâ, verſ. 30. definit deinde mercedem, rurſum offerente Labane, quæ non poſſet obnoxia eſſe ſuſpicioni fraudis à ſe factæ, ut verſicolores pecudes deinceps naſcituræ ſibi cederent, verſ. 31--33.

dd. *Approbatio* ſeu ratihabitio Labanis, verſ. 34.

ee. *Contractus obſervatio*, habens

aa. Commiſſos greges Jacobo cuſtodiendos, ſemotis verſicoloribus, quos Laban filiis paſcendos dedit, tridui interſtitio inter utroſque facto, ne commiſcerentur, verſ. 35. 36.

bb. Jacobi artificium, ut mercedem ſuam augeret, [*aa.*] tum decorticatis varie virgis excitando greges ad congreſſum & conceptum variegatorum, [*ββ.*] tum candidis proponendo verſicolores. [*γγ.*] tum removendo variegatos greges à candidis, verſ. 37. ſ. Quod fecit circa admiſſionem vernam, ſerotinam Labani concedens. Dei ſuggeſtione ſic egit Jacob, cap. 31: 11, 12.

cc. Jacobi divitiæ auctæ, verſ. 43.

CAP. XXXI.

CC. Reditus *Jacobi* ad fratrem conſtat Diſceſſu à Labane, cap. 31. Acceſſu ad fratrem, capp. 32. 33.

אא. *Diſceſſus* à Labane factus, hoc Neſcio, deinde Conſentiente.

aa. *Neſcio Labane*, deſcribitur

aa. A cauſa: quæ eſt [*aa.*] *Impulſiva* triplex [1.] criminatio filiorum Labanis, de mala fide Jacobi, verſ. 1. [2.] odium Labanis, etiam vultu teſtatum, verſ. 2. [3.] mandatum Dei, jubentis redire domum, promiſsâ defenſione, verſ. 3. [*ββ.*] *Adjuvantes*, uxores ejus, quibuſcum conſilium iniit, ubi [1.] locus, in agro, quo evocarat duas uxores, verſ. 4. [2.] Sermo Jacobi, habens

que-

querelam de odio Labanis ob favẽntem sibi Deum, vers. 5. de injuria sibi facta, cum fideliter serviisset, mercede mala fide immutata, Deo tamen avertente suum damnum, vers. 6. f. etiamque in visione confirmante suam protectionem. Deinde recitationem mandati divini de reditu, vers. 11, 13. [3.] consensus uxorum, quæ queruntur pariter de injuria patris; in genere quod nihil juris sibi relictum sit in familia patris, vers. 14. in specie, quoad corpora, per venditionem; quoad bona, per usurpationem suorum bonorum, vers. 15. asserunt jus suum divinitus sibi assertum in bona quæ possideret, & jubent obsequi mandato Dei, vers. 16.

bb. A modo, fugæ instar; cujus [*aa.*] ordinatio quoad uxores & greges, bonaque reliqua, vers. 17, 18. [ββ.] oportunitas, absente Labane ad tondendos greges, tridui itinere distantes, vers. 19. [γγ.] furtum Rachelis, vers. 19. [δδ.] clandestina ratio fugæ, vers. 20, 21. [εε.] successus, transitus Euphratis, & iter versus montem Gilead, vers. 21.

bb. *Conscio Labane*, & tandem consentiente. Ubi Labanis

aa. Accessus ad Jacobum: cujus [*aa.*] *impulsiva*, indicium fugæ Jacobi, vers. 22. [ββ.] *comites*, cognati, vers. 23. [γγ.] *itineris circumstantiæ*: tempus, septiduum; locus, ubi assecutus Jacobum, in Gileadis montibus; monitum divinum, de non lædendo Jacobo; tentoria utrinque fixa, vers. 23, 24, 25.

bb. Actiones inter Labanem & Jacobum: videlicet.

aa. Expostulatio Labanis de furto, tum sui ipsius & filiarum, ob fugam clandestinam: vers. 26. quia sibi ademta occasio honestæ dimissionis, vers. 27. & debitæ filiabus valedictionis, vers. 28. Unde culpa Jacobi liqueat, & suum jus ulciscendi herile: quo tamen ob interdictum divinum non utatur, vers. 29. tum excusatâ licet fugâ, suorum idolorum, vers. 30.

ββ. *Responsio Jacobi*, de fuga, ob metum eam susceptam, ne eriperet sibi filias, vers. 31. & de furto idolorum, pœnam capitis statuens in reum deprehensum, (nescius facti Rachelis) & ipsi permittens visitationem, vers. 32.

γγ. *Inquisitio Labanis frustranea*; Rachele callide ejus scrutationem eludente, vers. 33, 34, 35.

δδ. *Expostulatio Jacobi* cum Labane, de falsâ criminatione furti, & injusta hac propter susceptam persecutione, adscitis cognatis omnibus, vers. 36, 37. de injuriis toto vicennio servitutis fidelissimæ sibi illatis, vers. 39, 40, 41, 42. de metuenda majore injuriâ, ni Deus avertisset, vers. 43.

εε. *Fœderis pactio*, quod offert & poscit Laban, ceu qui de suo jure cessurus esset, vers. 44, 45. Jacob assentitur jubetque solennitatis ergo omnes una secum acervum lapidum erigere, vers. 46, 47. convivium fœderale instituit, vers. 47. nomina memorialia utrimque imponuntur, vers. 48, 49. conditiones fœderis recitantur à Labane, invocato teste Deo, ne duriter habeat filias, ne alias uxores superinducat; denique ne unquam se mutuo viserent posteri nocendi animo, vers. 50. f. Sanctio per juramentum, vers. 53. & convivium, vers. 54.

NB. Jurat Jacob per *pavorem Isaaci*, qui idem cum Deo Abrahami, vers. 43. Laban invocatos voluit *Deum Abrahami & Deum Nachoris*; avitos utrimque; ceu lares domesticos cujusque. Unde *Pavor Isaaci* dicitur Deus? Abrabanel censet Isaacum admoto sibi cultro metuisse, & significari sacrificium istud Isaaci, per quod conceperit juramentum Jacobus, Conf. Heb. 5: 7. Rectius, cum Jacob domi Labanis videret idololatriam & ad eam sollicitaretur, Deum patris sui obtendisse videtur, quem metuat, & hinc Deo illi impositum nomen, pavoris Isaaci.

cc. Discessus ab invicem amicus, vers. 55.

CAP. XXXII.

בב. *Accessus ad fratrem Esavum*, est in Appropinquatione, & in Congressu. Illa cap. 32. iste cap. 33.

aa. *Appropinquatio*, habet

aa. Confirmationem Jacobi, ex occursu Angelorum, ℣. 1. quos agnovit esse exercitum Dei grandem; quomodocunque se ipsius oculis manifestarint. Conf. 2 Reg. 6. nomenque loco dedit: Bini exercitus, de Dei, & suæ familiæ multitudine locutus, vers. 2. Scilicet externo quoque testimonio confirmatum voluit Deus, quod cum ipso domum redeunte futurus esset. cap. 31: 3.

bb. Legationem Jacobi ad Esavum missam, indicatum suum reditum; ubi [*aa.*] circumstantiæ, quis, ad quem, quo miserit, vers. 3. [ββ.] Instructio legatorum, quibus profitenda, [1.] disparitas dignitatis, Esau dominus, Jacob servus (contra quam benedictio patris declaraverat.) vers. 4. Non vendicat sibi jus dominii; ex primogenitura emta, vel benedictione interceptâ. [2.] Diuturnitas exilii apud Labanem, vers. 4. Diu luit, vicennali exilio, fraudem tibi factam. [3.] Opulentia gregum & famulitii, vers. 5. Abundat opibus, ut nec patri, nec tibi gravis sit futurus. Ergo debes ei esse gratiosus. Quæ sunt argumenta impetrandæ gratiæ; quia bona cum ejus gratia reverti velit. [γγ.] Eventus, [1.] Relatio legatorum, Esavum cum quadringentis obviam proficisci, accepto nuncio, vers. 6. [2.] Consternatio Jacobi, sibi suisque ab internecione metuentis, vers. 7.

cc. Curam Jacobi de suâ suorumque incolumitate, idque

aa. Dispertiendo omnem suum comitatum in duos exercitus; ut si unum violenter adoriretur Esavus, alteri foret facultas effugiendi, vers. 7, 8.

ββ. *Supplicando Deo*; quem compellat fœderatum hæreditario, vers. 9. mandatum reditus commemorat factum sub promissione benedictionis, vers. 9. recitat præstita beneficia sibi, licet indigno, toto tempore sui exilii, ut tantum rediens ab exeunte differat, vers. 10. petit defensam ab Esavo; quod metuat tum sibi, tum familiæ, uxoribus & liberis, vers. 11. confirmat à promissione benedictionis, & inprimis multiplicandæ posteritatis, quæ in herba quasi non sit exstinguenda, vers. 12.

γγ. *Donis conciliaturo Esavum.* Ubi [1.] *Delectus*, in genere, vers. 13. quod primum occurrebat, non ferente mora periculo, unde etiam noctu id egisse videtur. Et in specie: de quovis genere pecudum, vers. 14, 15. diversa tamen copiâ. [2.] Missio, distinctis gregibus sub singulis famulis; instructis primo & cæteris, quid occurrenti Esavo sit dicendum; Jacobum mittere munus domino suo, & ipsummet sequi, vers. 16—20. [3.] Scopus mittentis ut munere illo placaret fratrem, ut sibi parceret, vers. 20. [4.] Abitus muneris eadem nocte, vers. 21.

dd. Progressum ulteriorem, [*aa.*] familiæ & facultatum, quam per vadum Jabok in alteram ripam exposuit, vers. 22, 23. [ββ.] suum; cujus remora, Lucta, quæ, cum solus restaret cis torrentem, ipsi cum viro aliquo intercessit. Ubi [1.] circumstantiæ loci & temporis, vers. 24. [2.] personæ colluctantes, Jacob, & vir, vers. 24. (fuit is אלהים, vers. 28. 30. Angelus, Hos. 12: 4, 5. autor benedictionis, vers. 26. conservator animæ seu vitæ, vers. 30.) [3.] eventus luctæ, victus Jacob, sed luxatum ei femur, vers. 25. benedictio ab eodem impetrata; cujus occasio, petitio Angeli ut dimitteretur, orta jam aurora, vers. 26. quam dimittonem Jacob se concessurum negavit, nisi sub conditione benedictionis, vers. 26. Benedictio ipsa in mutatione nominis, in memoriam hujus luctæ & victoriæ, vers. 27, 28. nec non in benedictione alia, postquam indicium nominis petitum declinasset, vers. 29, 30. (quia inquisiverat vir ille in nomen Jacobi, ipse vicissim nomen colluctatoris scire voluit: sed Angelus id fecit, ut in novo nomine beneficeret; negavit suum, cujus vim benedicendo exseruit. Appellatio loci mnemonica, vers. 31. Deinde remora finita transitus, sed claudicantis, vers. 32. Mos abstinendi ab esu femoris inter Israëlitas propter istius claudicationis memoriam, vers. 33. Consuetudo ista de non comedendo femore est qualis Rechabitarum, Jer. 35. non mandata à Deo, nec damnata.

פנים אל פנים est familiarissima consuetudo. Vide Exod. 33: 11. Num. 12: 6, 7.

CAP. XXXIII.

גג. *Congressus Jacobi cum Esavo*, constat

aa. *Occursu.* Ubi [*aa.*] Esavus cum 400, accedens, vers. 1.

verſ. 1. (*bb*) Jacob eum videns, & in occurſum ſiſtens (*αα*) tum familiam, ancillas cum filiis, Leam cum ſuis, Rachelem cum Joſepho, verſ. 1, 2. (*ββ*) tum ſe ante omnes, ſeptiesſe incurvando, ut humilitatem profiteretur. verſ. 3.

bb. *Amplexu*, ubi Eſavus accurrit, amplexus, oſculatus eſt. Uterque flevit præ gaudio. verſ. 4.

cc. *Colloquio*;

αα. De *Uxoribus* & *liberis*, verſ. 5. qui ordine accedentes honorem exhibuerunt, verſ. 6, 7.

bb. De *Gregibus ſibi obviam factis*, verſ. 8. ſ. ubi Quæſtio Eſavi, verſ. 8. Reſponſio Jacobi, eſſe munus ſuum, ut ipſum placaret, verſ. 8. Illius recuſatio ab *ἀυτάρκειᾳ* ſua & Jacobi uſu proprio, verſ. 9. Hujus inſtantia, ut accipiat in teſtimonium conciliationis. verſ. 10. quod abundet, nullum inde damnum paſſurus, verſ. 11. Vis amica quæ præ valuit. verſ. 11.

NB. Eſau dicit יש לי רב, aſt Jacob יש לי כל. Ille mundum poſſidebat, magnas divitias; iſte Deum, omni ſufficientiam, infinitam plenitudinem. Idque gratioſa donatione Dei.

NB. Phraſin, *vidi faciem tuam, ut ſi vidiſſem faciem Elohim*: Abrabanel exponit, cum Eſau dixiſſet, Abunde ſibi eſſe, Jacobum reſpondere, munus ſe miſiſſe non in bonum ejus cui mitteretur, ſed ſui mittentis; quemadmodum cum facies Dei videntur: id eſt, quis ſe ei ſiſtit ſupplicaturus, munus ei adfert, & acceptus eſt, non quod Deo quid accedat, ſed ut teſtatus ſuam ſubjectionem, aliquid ab eo accipiat. Paræus *Elohim* judicem notare putat; vel hyperbolem eſſe; vel dicere Jacobum intuendo Eſavum adeo blandum, intuitum eſſe faventis Dei teſtimonium; vel æque nunc exhilaratum, quam cum paulò ante Deum videret.

cc. De *Conductu*, offerente Eſavo (*αα*) ſe cum univerſo comitatu comitem itineris; verſ. 12. quod recuſat Jacob ob traditionem ſui gregis & liberorum, verſ. 13. petit ut antecedat Eſau, pollicitus ſe oportune ſecuturum, verſ. 14. (*ββ*) partem ſuorum; ſed modeſte id quoque Jacob deprecatur, verſ. 15.

B. *Amica diviſio* filiorum Iſaaci, Ante & Poſt ejus mortem.

א. *Ante mortem Iſaaci*; Eſau redit Seirem. verſ. 16. Jacob abit in Cananæam, cujus Stationes,

a. *Prima* in Succoth, ſic dicta à tentoriis & receptaculis, quæ familiæ & gregibus paravit, verſ. 17. trans Jordanem fuit, ut etiam Penuel, Jud. 8.

b. *Secunda* in ſuburbanis Sichemi, verſ. 18. quo tranſito Jordane, incolumis venit, divina protectione. Atque hic (*a*) Emit portionem agri, verſ. 19. (*b*) Struit altare, & vocat eum cui ſtruxit, *Deum fortem Deum Iſraëlis*, id eſt, ſuum, à novo nomine. verſ. 20.

NB. Si nomen iſtud impoſitum altari, non eſt niſi *μνημονικὸν* beneficii, in mutato ſibi nomine: nec proprie tribuitur id nominis altari, ſed metonymice, quia cultui Dei fortis eſt conſecratum, vel quia Dei Iſraelis eſt monimentum publicum.

CAP. XXXIV.

DUm Jacob moratur prope Sichem, accidit

c. Stuprum illatum Dinæ: de quo refertur Injuria facta Jacobo, Satisfactio oblata, Ultio ſumta.

α. *Injuria* habet (1.) Raptum Dinæ. Cujus *Occaſio*, puellæ curioſitas, verſ. 1. *Autor* Sichem filius Hemoris, principis terræ, verſ. 2. *Factum*, quod viſam per vim compreſſerit. verſ. 2. *Conſequens*, Sichemi tum amor in Dinam, quam omnibus blanditiis demereri ſtuduit, verſ. 3. tum poſtulatum ad patrem ſuum, ut ſibi eam uxorem daret. verſ. 4. (2.) Dolorem partim Jacobi, cognito filiæ ſtupro, & ſilentium ejus abſentibus filiis, verſ. 5. partim filiorum, facinore illo audito ex agro reverſorum, cum indignatione maxima ob facti indignitatem. verſ. 7.

NB. כן לא יעשה, *Jee-a-ſè* hoc eſt, non *licite fit*, Sic Gen. 20: 9. Sic יאבל *Jee-a-chèel* cap. 4. ℣. penult.

β. *Satisfactio oblata*; dum ſtuprum in conjugium mutandum proponitur: ubi.

1. *Petitio nuptiarum*, Facta (aa.) *à Patre*: ubi, (*aa*,) quis petierit, Hamor Sichemi pater, verſ. 6, 8. (*bb*.) *à quibus*, à Jacobo, verſ. 6. & filiis ejus qui ſupervenerant, verſ. 8. (*cc*.) *quid*, idque *in ſpecie* filiam Jacobi ſuo filio uxorem; ob amorem quo hic illam proſequeretur, verſ. 9. *in genere* mutuas affinitates, ut commixti pari jure terram habitarent, quam libertatem tunc offert. verſ. 9, 10. (bb.) *à Filio*; Qui Jacobum & filios alloquitur, petitque eorum favorem & conſenſum in nuptias; offerens ſe ad omnia, quantacunque dos imponatur ſibi, dummodo uxore potiri poſſet. verſ. 11, 12.

2. *Conditiones conſenſus*, (aa.) *A quibus* propoſitæ, quoque animo; à filiis Jacobi, doloſe, ob ſtupratam ſororem. verſ. 13. (NB. Jacob nil legitur locutus: vel quod filiis permitteret de dote ſororis paciſci; vel quod acquieſceret in ipſorum pietate, qui religionem præ ſe ferebant, neſcius doli quem meditabantur. Pariter Bethuel in nuptiis filiæ nil dicitur locutus, ſed Laban filius cap. 24.) (bb.) *Quæ* fuerint. Negant matrimonium cum præputiato; quod ſibi id turpe cenſeatur. verſ. 16. Promittunt ſub conditione circumciſionis omnium, ut mutuæ affinitates, uti oblatæ fuerant, ſuccederent, & coalitio in unum populum, verſ. 15, 16. Negant rurſus, conditione iſta non præſtita; minanturque abductionem Dinæ & abitum verſ. 17.

3. *Conditionum admiſſio*, tum approbatione patris & filii, verſ. 18. tum præſtatione, (*aa*.) *factâ* à Sichemo, citra moram, ob amorem puellæ intenſum, verſ. 19. cujus exemplum ob dignitatem magni fuit momenti. verſ. 19. (*bb*.) *Tentatâ* apud cives Sichemitas, ubi (*αα*.) Suaſores Hamor & Sichem, verſ. 20. (*ββ*.) locus porta urbis, locus conſilii publici, verſ. 20. (*γγ*.) *Oratio* proponit mutua connubia cum familia Jacobi, *commendando* horum pacificam vitam; commercii cum ipſis commodum, citra ſuum incommodum, dum ſat ſpatii ſuperſit, quod tamen ſit cædendum peregrinis & primo occupanti, verſ. 21. *indicando* conditionem ab ipſis dictam mutuæ cohabitationi, & unioni; circumciſionem maſculorum, ſuo exemplo & more, verſ. 22. *ſuadendo* à commodo: quod omnium poſſeſſionum ab ipſis adductarum ſint futuri per connubia domini, verſ. 23. *concludendo* conditioni eſſe aſſentiendum, ne pereat commodum ſperandæ cohabitationis, verſ. 23. (*cc*.) *Impetrata* ab iiſdem civibus, adſentientibus omnibus, & reapſe circumciſionem ſuſcipientibus. verſ. 24.

NB. Diſtinguuntur apud Hebræos proſelyti: ſunt genuini, & hypocritæ: hi, 1. גרי אריות gentes Samaritanæ. 2. גרי חלונות, Sichemitæ. 3. גרי מרדכי ואסתר gentes variæ: illos metus, iſtos voluptas carnis & divitiarum, hos honores permovent.

γ. *Ultio ſumta*

1. Partim Cæde. Cujus *tempus*, die tertio: dolore circumciſorum graviore, ut debiles eſſent ad vim propulſandam. *Autores*, Simeon & Levi, Dinæ Germani. *Inſtrumenta*, gladii. *Subjecta*, tum incolæ Sichem maſculi, nihil tale metuentes, verſ. 25. tum Hamor & Sichem, verſ. 26. *Factum*, Cœdes horum omnium & Dinæ ſororis ex ædibus ſtupratoris abductio. verſ. 26.

2. Partim Spoliis. Cujus *Autores* filii Jacobi, puta cæteri quoque. *Tempus*, patratâ jam cæde marium omnium. *Motiva*, quod omnes violatæ ſororis reos ducerent, qui non improbarant, nec impediverant factum Sichemi. verſ. 27. *Spolia* ipſa; videlicet pecudes omnis generis, bona urbana & ruſtica, opes aliæ, pueri & mulieres, omnisque ſupellex; ceu jure belli capta. verſ. 28, 29.

Conſequens ultionis, (1.) Jacobi expoſtulatio cum Simeone & Levi, quod ſuas rationes conturbarint; partim ſe exoſum reddendo vicinis omnibus, verſ. 30. partim ſuæ paucitati hoſtes & vindices concitando, quibus par eſſe nequeat. verſ. 30. (2.) Illorum reſponſio, Stuprum ſororis non potuiſſe inultum relinqui. verſ. 31.

CAP. XXXV.

c. TErtia *Statio Jacobi*, in Bethel. Cujus

c. *Antecedentia*, itineris præparatio, (*α*.) mandato Dei, eo proficiſci, iſtic manere, & votum olim factum de cul-

cultu Dei exſolvere jubente, verſ. 1. cum debita præparatione (α.) Jacobi; qui *imperat* omnibus domeſticis deſertionem idololatriæ, mundationem ſeu lotionem corporis & mutationem veſtium, ℣. 2. rationem hujus præparationis *indicat*, iter Bethelem inſtituendum & cultum vero Deo præſtandum, quem à beneficiis ſibi præſtitis *commendat*, auditis precibus, & præſtito jugi comitatu ad ſui defenſionem, verſ. 3. (β.) familiæ ejus tradentis & idola, & inaures; (quæ proculdubio aliquid idololatricum habuerunt) verſ. 4. quæ omnia Jacobus prope Sichemum abſcondit, verſ. 4.

b. Profectio ipſa, cujus Securitas, Deo terrore immiſſo cohibente vicinos, ne perſequerentur, vim alias ultricem exercituros; verſ. 5. & Terminus; quod cum omni familia Bethelem appulerit, verſ. 6.

c. Acta iſtic.

α. *Cultus Dei*; excitato altari, quod nomen memoriale accepit, ratione addita, verſ. 7. NB. נגלו אליו אלהים eodem modo ut cap. 20. ℣. 13. התעו pluralitatis manifeſta connotatione.

β. *Mors & ſepultura Deboræ*, nutricis Rebeccæ, verſ. 8. NB. Quomodo hæc venit in familiam Iſaaci? *Reſp.* Judæi miſſam volunt à Rebecca in Meſopotamiam, ad revocandum Jacobum, ex promiſſo materno. Cap. 27. verſ. 45. Alii in Cananeam iviſſe ad Jacobum, nunciatum mortem Rebeccæ, & ibi mortuam. Hoc probabilius. Saltem cum Jacob ad Iſaacum venit cum familiâ, non fit mentio Rebeccæ, ut mortuam probabile fiat, atque tunc Debora alumnæ ſuæ nepotes videre geſtiit.

γ. *Apparitio Dei benedicentis*, verſ. 9. qui confirmavit mutationem nominis in *Iſrael*, verſ. 10. & promiſit quà אל שדי tum Sobolem numeroſam & regio axiomate gloriosam, verſ. 11. tum promiſſam patri & avo Terram, verſ. 12. quo facto adſcendiſſe dicitur Deus ab ipſo, ℣. 13. ἀνθρωποπαθῶς.

δ. *Mnemoſynon excitatum apparitionis iſtius*, erecta ſtatua, quam infuſo libamine & oleo conſecravit, verſ. 14. impoſito nomine illi loco verſ. 15.

d. *Quarta ſtatio*, in Bethlehem: ubi paulo antequam appelleret, accidit Racheli

a. Partus ſecundus, difficilis admodum, verſ. 16. cui oppoſita conſolatio obſtetricis, de filio naſcituro, verſ. 17. Nomen filio impoſitum à Rachele moriente, *Benoni*, *filius doloris mei*; à Jacobo *Benjamin*, *filius dextræ* verſ. 18.

b. Mors & ſepultura, ubi deſcriptio loci, verſ. 19. & monumenti erecti, verſ. 20.

NB. Τὸ עד היום an oſtendit quædam inſerta ab aliis ſcriptis Moſis? Minime; nam etiam tempore Moſis id nominis manſit monumento, quod fando potuit audiſſe à Joſua & Calebo exploratoribus.

e. *Quinta*, circa Turrim Eder, verſ. 21. Ubi accidit inceſtus Rubenis cum Bilha, concubinâ patris, verſ. 22. patri indicatus. Qui tamen ea propter non exhæredavit; unde in Catalogo Liberorum juxta cum aliis ſuoque loco recenſetur, verſ. 22—26.

f. *Sexta*, in Hebron, quo venit ad patrem Iſaacum: verſ. 27. qui locus deſcribitur à nominibus, & incolatu Abrahami & Iſaaci. Atque hic dum moratur accidit *Iſaaci mors*; cujus ætas indicatur 180. anni, verſ. 28. & mors, qualis Abrahami, & ſepultura procurata ab utroque filio. verſ. 29.

CAP. XXXVI.

ב. *Poſt mortem Iſaaci* amica diviſio filiorum ejus. Cujus.

a. *Antecedens*, numeroſa familia Eſavi, quam in terra Canaan conſecutus eſt, ex tribus uxoribus plures liberos nactus, verſ. 1—5.

b. *Diviſio ipſa*, quod Eſau omnem ſuam familiam, & opes in Cananæa partas inde abduxerit; cedens fratri Jacobo, qui magnam quoque familiam ex Meſopotamia adduxerat, & apud patrem conſederat, verſ. 6. Cauſa migrationis, quod eodem in loco peregrini conſidere non poſſent, ℣. 7. Locus quo migrâvit, in montem Seir, verſ. 8. nomine Edomi aſſumto.

NB. Atqui Eſau cum occurreret Jacobo, jam habitabat in Seir, quo eundem invitavit, & hic ſe venturum promiſit. *Reſp.* Omnino ante in Seir commoratus eſt apud affines, patre Iſaaco vivente. Sed hoc mortuo rediit ad hercíſcundam familiam, & jure primogenituræ potuiſſet paternam ſedem occupare, minorique nova fuiſſet quærenda. Verum, Deo ſic moderante, ceſſit minori paternam domum, & terram Canaan; adeoque benedictionem Abrahami omnem.

c. *Conſequens*, (a.) propagatio familiæ Eſavi in Seir, ex tribus conjugibus, verſ. 9—19. (b.) Horæorum indigenarum Seir, unde duas uxores habuit Eſau, verſ. 20—29. (c.) Regum Idumææ catalogus, qui ante erectum regnum Iſraëlis regnarunt, verſ. 30. ſeqq.

CAP. XXXVII.

HInc jam incipit *Hiſtoria Jacobi* poſt patris Iſaaci mortem; quæ habet ejus Commorationem I. in Canaan, II. in Ægypto.

I. *Habitatio in Canaan* deſcribitur à domeſticis calamitatibus, A. Amiſſione Joſephi, cap. 37. B. Inceſtu Judæ, cap. 38. C. Amiſſi Joſephi conditione in Ægypto, primum miſera, cap. 39, 40. deinde glorioſâ, cap. 41. D. Amiſſi inventione non agnitâ à fratribus, cap. 42, 43, 44. & agnita, cap. 45.

Quod Jacob dixit ad Pharaonem, paucos & malos fuiſſe dies ſuæ peregrinationis, hîc jam pateſcit, non minus quam in ea parte vitæ, quam vivo patre exegit.

A. *Prima calamitas* eſt Amiſſio Joſephi, cujus Cauſa, Media, & Eventa indicantur.

א. *Cauſa* eſt odium fratrum contra Joſephum, verſ. 1—11. (Cui præmittitur Locus, Cananæa ubi morabatur Jacob, verſ. 1. de cujus hiſtoria agitur, verſ. 2.) ortum ex (a.) *Delatione fratrum* ad patrem: cujus autor Joſephus, ætate ſeptendecim annorum; profeſſione paſtor ovium una cum fratribus. Conſortium, filii ancillarum Bilhæ & Zilpæ, verſ. 2. Factum, malam famam & perperam facta detulit, verſ. 2. (b.) *Amore patris* in ipſum: verſ. 3. cujus cauſa, quod in ſenectute natus eſſet; & effectum, quod veſte ſingulari eum donarit præ cæteris fratribus. Unde auctum odium fratrum, ut ne quidem placidè ipſum affari ſuſtinerent, aut pacificum quid ad ipſum loqui. verſ. 4. (c.) *Somniis ipſius*, quæ indicavit fratribus, & eo-ipſe odium illorum inflammavit, verſ. 5. quæ ſomnia fuerunt, (α) de ſegetibus: quod mergites fratrum ſuo honorem exhibuerint, verſ. 6, 7. Quo nomine fratres cum ipſo expoſtularunt, ceu regnum ſibi promittente, & magis oderunt, verſ. 2. (b.) de Sole & Luna, & undecim ſtellis ſe ipſi incurvantibus, verſ. 9. Quamobrem increpitus eſt à patre, verſ. 10. ceu abſurda ſomnians; Invidiam fratrum excitavit, verſ. 11. Patri ſollicitudinem movit, memoriam ſervanti hujus ſomnii, verſ. 11.

ב. *Media* ſunt, conatus fratrum ut Joſephum perderent: cujus

a. *Occaſio*, Fratrum longinquior diſceſſus à patre, dum greges paſcunt in Sichem, verſ. 12. Sollicitudo patris de filiorum & gregum incolumitate; in quam ut inquireret Joſephum ablegavit, verſ. 13, 14. Iter Joſephi ad ipſos, Hebronâ Sechemum, verſ. 14. inde indicio viri, qui erranti monſtravit comiter viam, Dotanem, verſ. 15, 16, 17.

b. *Factum fratrum*, quod geminum:

α. *Projectio in ciſternam*: cujus (α.) conſilium; (1.) ut mortuum eò projicerent: ubi Occaſio, quod eminus viderint adventantem, ℣. 18. & mox necandi conſilium ceperint; Conſilium ipſum, Somniatorem necandum ut ſomnia irrita redderentur: verſ. 20. necem tamen occultandam, facto, projecto cadavere in puteum; verbo, dicendo à ferâ dilaniatum. (2.) Ut vivum eò projicerent. Cujus mutationis Autor Ruben, Scopus proximus, præſens liberatio Joſephi, verſ. 21. Propoſitio, ne occidamus, verſ. 21. (NB. לא נכנו נפש ne occidamus eum quoad corpus) Rationes, cavendum homicidium; permittendum caſui eo in puteum projecto, ſed non inferendam vim: Scopus remotus, reſtitutio liberati ſuo patri, ℣. 22. (β.) *Factum* ipſum, quod (1.) adventantem ſpoliarint tunicâ, verſ. 23. (2.) projecerint in

pu-

puteum, ſed aquis carentem, verſ. 24. (3.) ſecuri planè ad epulas ſe converterint, verſ. 25.

b. Venditio. Cujus [α.] Occaſio, conſpectus Iſmaelitarum cum mercibus in Ægyptum pergentium, verſ. 25. [β.] Conſilium, propoſitum à Juda; ab inutili, nullum commodum ex cæde Joſephi, & occultatione ejus, verſ. 26. ab utili, vendendum potius Iſmaelitis, & ab æquo, eſſe fratrem cui mors non ſit inferenda, verſ. 27. & approbatum à Fratribus, verſ. 27. [γ.] Executio, extractum ex fovea vendiderunt 20. ſiclis, verſ. 28. NB. Midianitæ nunc dicuntur, qui ante Iſmaelitæ, quod in uno comitatu fuerint utriuſque gentis homines; ſed his venditus Joſeph.

ג. *Eventa*, Deductio *Joſephi* in Ægyptum, verſ. 28. *Rubenis* luctus (qui venditionis ignarus) cum Joſephum in fovea non reperiret, teſtatus facto, verſ. 29. & ſermone verſ. 30. *Fratrum* aliorum commentum ad decipiendum patrem, tincta tunica Joſephi ſanguine hædi, verſ. 31. miſſio ejus ad patrem, ceu à ſe repertæ, qui ſuſpicarentur Joſephi eſſe, verſ. 32. *Patris* agnitio, & judicium de caſu Joſephi, verſ. 33. luctus ejus gravis ex Circumſtantiis geſtuum, temporis, verſ. 34. repudiatæ conſolationis, ℣. 35. & profeſſionis, verſ. 35. NB. אל בני pro על. Aben-Ezra. Venditio *Joſephi* altera in Ægypto, verſ. 36.

CAP. XXXVIII.

B. א. ALtera *Calamitas* eſt Inceſtus Judæ, cujus *Antecedentia*, Connubium

a. *Judæ ipſius*, ubi *tempus*, verſ. 7. illud videl., quo habitavit Jacob in Cananæa. *occaſio*, ſeceſſio à fratribus, acceſſus ad Chiram Adullamitam, viſus filiæ Cananæi, Schuæ, verſ. 2. *conjugium* ipſum, verſ. 2. *proles* trina ex eo nata, verſ. 3, 4, 5. addito loco nativitatis filiorum illorum. NB. Primo pater, duobus poſterioribus mater impoſuit nomina.

b. *Filiorum ejus.*

a. Eri primogeniti, cui Thamarem elocavit, verſ. 6. Eventus, impietas Eri, & pœna, mors ſingulari judicio à Deo immiſſa, verſ. 7. NB. Quodnam peccatum ejus fuerit, dubium eſt. Quidam idem putant cum Onanis, ſed alio fine; Er, ne conciperet & pareret Thamar, & formæ ejus aliquid decederet; Onan, quia non ſibi, ſed fratri paritura fuiſſet.

b. Onanis ſecundi: cujus cauſa, mandatum patris; jus leviri obligatio; & finis, fratri mortuo ſemen procurare, verſ. 8. NB. Leviratus iſta ratio igitur antiquiſſima eſt, & ſi non inter Cananæos, ſaltem in familia Jacobi obſervata. Deus lege eum fixum voluit in Iſraele Deut. 25: 5. ſ. non niſi de conſanguineis fratribus intelligendus. Nihil ſimile in Boazo & Ruthâ.

Eventus conjugii hujus, *Onanis factum*, quia non ſibi quæſiturus erat liberos, noluit ullos procreare, ne fratri eos procrearet, verſ. 9. *Onanis fatum*; Dei ob factum indignatio, & juſta mortis pœna inflicta, verſ. 10.

ב. *Inceſtus ipſe*, ubi

a. *Impulſiva*, injuria Thamaræ illata, (α.) quod à domo ſua ablegaret in paternam, (b.) quod imperaret viduitatem, usquedum levir alter adoleviſſet. Cum tamen huic eam nubere nollet, veritus mortem filii repentinam, ut fratrum, quam nurui videtur imputaſſe. Ubi Thamaræ obedientia, verſ. 11.

b. *Occaſio*, mors uxoris Judæ, & hujus luctus finitus, tum profectio ad tonſores gregis ſui, comite amico ſuo Hirâ verſ. 12. (NB. feſtiva illa tempora fuiſſe liquet ex 1 Sam. cap. 25. & 2 Sam. 13: 23, 24.) nec non indicium factum Thamaræ. verſ. 13.

c. *Modus*, habet (α.) *Factum Thamaræ*: mutavit veſtes, lugubres viduitatis poſuit, & induit alias, facie velatâ; conſedit in bivio; conſilio decipiendi Judam, ob injuriam factam, non dato ſibi Sela in maritum, quem juſſa fuerat exſpectare, verſ. 14. Scilicet quia tum liberalius epulabantur, ſperabat potum ſocerum pronum fore ad libidinem, ſiquidem occaſio daretur. (b.) *Factum Judæ*; qui vidit, putavit eſſe ſcortum, ob habitum, verſ. 15. acceſſit & concubitum poſtulavit, verſ. 16. ignarus nurum eſſe. (c.) *Contractus mutuus*, poſtulatum mercedis meretriciæ Thamaræ, verſ. 16. promiſſio Judæ, de mittendo hœdo, ℣. 17. Thamaræ poſtulatum arrhæ, verſ. 17. aſſenſus Judæ, qui ipſi facit optionem, verſ. 18. illa petit ſigillum, ſudarium & ſcipionem, & impetrat, verſ. 18. hinc (d.) *Inceſtus concubitus* ipſe, verſ. 18. quo imprægnata.

ג. *Eventa* ſunt

a. *Thamaræ reditus* ad habitum vitamque priorem, verſ. 19.

b. *Judæ fides*, mittentis hœdum per amicum Hiram, ut pignora reciperet, verſ. 20. Succeſſus, quod non inventa, verſ. 20. ne quidem poſt inquiſitionem, verſ. 21. quodque hoc audito Juda noluerit ultra inquiri, ne manifeſtus fieret ſcortationis patratæ, verſ. 22, 23.

c. *Judicium in Thamarem*; cujus (a.) *cauſa*, adulterium ejus, nunciatum Judæ, poſt trimeſtre, & probatum ejus utero quem gerebat, verſ. 24. Cenſebatur enim uxor Selæ, cui ex jure leviratus deſponſa erat, ℣. 2. (b.) *Sententia*, comburendam eſſe, verſ. 24. NB. Habuere patriarchæ ſummam poteſtatem domi ſuæ, magnarum familiarum propriam; neque ſubjecti indigenis magnatibus; conf. Gen. 23. ℣. 6. Hebræi dicunt, Judam fuiſſe ſacerdotem, & ex lege Moſis hujus filiam ſcortantem fuiſſe comburendam. Levit. 21: ℣. 9. (c.) *Defenſio* Thamaræ cum duceretur ad ſupplicium, realis, miſſis pignoribus, & verbalis, dominum horum eſſe patrem conceptæ prolis, verſ. 25. (d.) *Abſolutio* ejus, agnoſcente Juda ipſius innocentiam & ſuam culpam; & cauſam, fruſtrationem ejus quoad Selæ nuptias: & abſtinente ab ea, verſ. 26.

d. *Partus Thamaræ*, quoad (a.) numerum, gemellorum, verſ. 27. (b.) ordinem, uno proferente manum & retrahente, tum altero prodeunte, verſ. 28, 29. præter opinionem obſtetricis. (c.) Nomina, pueris ex iſto ordine naſcendi indita, verſ. 29, 30. *Perez* & *Zera*.

CAP. XXXIX.

C. א. TErtia *calamitas*, Joſephi amiſſi conditio in Ægypto, *miſera* primum, cap. 39, 40. ב. Deinde glorioſa. cap. 41.

א. *Miſera conditio* in Ægypto

a. *Cœpta*, per venditionem, ubi (a.) Occaſio, deductio in Ægyptum. (b.) Emtor, Potiphar, à munere & gente deſcriptus, (c.) Venditores, Iſmaëlitæ, verſ. 1. NB. סריס non tantum eunuchum notat, ſed etiam aulicum; nam habuit hic conjugem.

b. *Continuata* in ſervitute ejus, quæ

a. Minus gravis, cujus (α.) cauſa, benedictio Dei, verſ. 2. & favor heri benedictionem illam obſervantis, verſ. 3, 4. (β) conditio, miniſterium honoratius, præfectura domus, & commiſſa adminiſtratio, verſ. 4. (γ.) Conſequentia, benedictio Potiphari propter Joſephum, verſ. 5. & Potiphari fiducia de ipſo, omnia ei committentis citra ſolicitudinem, verſ. 6.

b. Gravior, cujus (α.) *Occaſio*, (1.) *Heræ* amor illicitus, verſ. 7. ſollicitatio ad adulterium, verſ. 7. *Joſephi* recuſatio, à turpi; peccato contra herum, cujus indignitas, ab heri fiducia de ſe, verſ. 8. honore ſibi conceſſo, verſ. 9. exceptione ſolius uxoris, verſ. 8. & contra Deum, ℣. 9. *quomodo faciam malum iſtud magnum*, ועשיתי הרעה הגדולה הזאת וחטאתי לאלהים *& reus fiam Deo?* (2.) Sollicitatio & recuſatio repetita crebrius, verſ. 10. (3.) Sollicitatio violenta; opportunitate temporis & loci, verſ. 11. apprehenſa veſte, verſ. 12. & declinatio per fugam, veſte relictâ, verſ. 12. (β.) *Cauſa*, (1.) Heræ accuſatio quia veſtem ejus penes ſe habebat verſ. 13. apud familiam, verſ. 14, 15. & apud maritum, argumento ejusdem veſtis, verſ. 16, 17, 18. (2.) Heri indignatio, uxoris delatione perſuaſi, verſ. 19. (γ.) *Modus*; conjectio in carcerem regium, verſ. 20. (δ.) *Eventa*; benedictio Dei, & conciliatio gratiæ præfecti carceris, ℣. 21. præfectura carceris & captivorum ab hoc ei concredita, verſ. 22, 23. benedictio Dei & Joſephi fidelitas, verſ. 23.

CAP. XL.

a. JOsephi incarcerati conditio respectu eorum qui ibidem detenti: quorum describitur

α. Incarceratio, ubi (1.) *tempus*, postquam Joseph in carcere inspectionem acceperat captivorum à præfecto. (2.) *Incarcerati*, pincerna pistorque regis, vers. 1. (3.) *Causa* crimen contra regem, & hujus ira, vers. 2. (4.) *Incarceratio ipsa*, vers. 3. (5.) *Josephi ministerium* circa ipsos, ex heri imperio, vers. 4. (6.) carceris duratio, ימים, vers. 4. An sic annus designetur, vel tempus brevius, posset ambigi: forte etiam aliquid dici ad rem, sed non est necessarium.

β. Somnia in carcere: quæ (1.) habuerant ambo, unâ nocte, significativa, vers. 5. cum aliàs in somniis multa sit vanitas: eoque fuerunt θεόπεμπτα, qualia etiam impiis quandoque contingunt, & fere magnam consternationem afferunt non intellecta, ut Pharaonis, Nebucadnezaris. (2.) Non intelligentes perturbati fuerunt: quod animadvertit Joseph eos invisens ex vultu, vers. 6. inquisivit in causam, vers. 7. intellexit ex ipsorum responso, vers. 8. (3.) Interpretationem consecuti sunt: quam promisit Joseph, vers. 8. (cum enim Deo eam adscriberet, & sibi tamen somnia narrari juberet, se hoc dono à Deo instructum significavit) & præstitit

1. *Pincerna*; cujus somnium, vers. 9, 10, 11. & explicatio, de læta restitutione in dignitatem, vers. 12, 13. (כמשפט הראשון *secundum morum priorem*) cui addidit petitionem, ut restitutus sui meminisset, & à Pharaone sibi libertatem impetraret, vers. 14. quia non sit verna & mancipium, sed plagio abductus ex terrâ Hebræorum: & quia innocens in carcerem conjectus fuerit, vers. 15.

NB. Qui dicitur *terra Hebræorum?* Resp. non quod omnes incolæ Cananææ Hebræi; qui suis gentilitiis nominibus distiguebantur, Chittæi Amorræi &c. Sed ab Abrahamo, qui primus Hebræus dictus in Canaan Gen. 14: 17. nomine discretivo, non communi utique, quia ab Hebero quoad genus & religionem descendit. Hujus nepotes Hebræi vocati, & terrâ Hebræorum, quæ circa Hebronem, ubi Abraham, Isaac & Jacob, longo temporis tractu commorati erant, cum ampliſsima familia, Gen 23: 2. cap. 31. vers. 27. cap. 37: 1. ut ceu principes æstimarentur. Gen. cap. 23: 6. suis legibus viventes, nulli subjecti, cap. 38. fœdera pangentes, non tantum cum privatis Gen. 14: 13. sed etiam cum regibus cap. 21, 26. & civitatibus cap. 34. Adhæc fama Hebræorum istorum satis magna, tum ex bello & victoria Hebræi Abrahami cap. 14. tum ex direptione Sichemi, cap. 34. unde metus populorum vicinorum, qui ultionem suscipere ausi non sunt, cap. 35: 5. Significat ergo, se ex terra Hebræorum furto subductum, ea parte Cananææ quæ circa Hebronem, cap. 37: 14. ubi Hebræi jam à multis annis confederant, etiam ex pacto cum indigenis, cap. 14: 13.

2. *Pistori*, cujus somnium, vers. 16, 17. qui paria sibi promittebat: & explicatio, de tristi eventu, suspendio, ut cibus fiat avibus, vers. 18, 19.

γ. Liberatio, juxta somnia: ubi *tempus* die tertio, qui natalis Pharaonis. *Festivitas* aulicorum liberorum & captivorum duorum, qui liberati & cum aliis recensiti, lustratione instituta, ℣. 20. (NB. נשא את ראש non de honore simpliciter accipitur, sed de selectione, ut de eo quid singulare statuatur; seu potius recensione. Num. 1: 2. cap. 4. vers. 2, 23.) *Judicium* de duobus istis, de pincerna, lætum restitutionis in integrum, vers. 21. de pistore triste suspendii, vers. 22. *Ingratitudo* pincernæ, obliviscentis Josephi, vers. 23.

CAP. XLI.

ב. G *Lorioſa conditio Josephi* in Ægypto, cujus
c. *Occasio*

a. Remota, somnium Pharaonis: cujus (*α.*) tempus, *biennio post*, vers. 1. (*β.*) Somnium geminum, de 7. pinguibus & macilentis vaccis circa Nilum, vers. 1, 2, 3, 4. totidemque aristis pinguibus & tenuibus, vers. 5, 6, 7. (*γ.*) Consternatio Pharaonis, & solicitudo de sensu somnii, evocatis magis, sed frustra, vers. 8.

b. Proxima, somnii interpretatio facta per Josephum. ubi

α. Occasio, Pincernæ commendatio; qui quid sibi & pistori in carcere à Josepho præstitum sit, narrat, eventu confirmante somnii explicationem, vers. 9—13. & evocatio Josephi, qui tonso capillo & mutatâ veste se stitit, vers. 14.

β. Interpretatio ipsa, (1.) ab eo postulata, ex relatione aptitudinis, vers. 15. (2.) promissa à Josepho non ex se, sed Dei revelatione, vers. 16. (3.) suscepta, *recitante rege* somnium, vers. 17—24. cujus neminem haberet interpretem. *Explicante Josepho*, qui indicat somniorum Concordiam, Divinitatem, ad futurorum notitiam, vers. 25. Significationem, septennia designari, felix, & famis, vers. 26, 27. Declarationem, Dei indicio annorum seqq. conditionem patefactam, vers. 28—31. Certitudinem, & celeritatem eventus, vers. 32. Consilium respondens, ut constituatur præfectus annonæ in Ægypto, vers. 33. & subordinentur alii, qui quintam partem messis colligant & recondant, vers. 34, 35. depositum istud serviat alendis Ægyptiis tempore septennii famis, vers. 36.

b. *Promotio Josephi:* cujus

a. Impulsiva: approbatio interpretationis, vers. 37. & laudatio divinæ prudentiæ, vers. 38.

b. Promotio ipsa, facta

α. Verbo regio, commendantis Josephi revelationem divinam, & sapientiam ἀπαράμιλλον, vers. 39. constituentis eum principem domus suæ, se solo minorem, vers. 40. & principem Ægypti totius, vers. 41. ישק *osculabitur* in testimonium reverentiæ & obedientiæ.

β. Facto quoque, ubi Symbola, annuli regii, vestium byssinarum, torquis aurei, vers. 42. Præconium, ut vecti curru secundario præconis voce dignitas publicaretur, vers. 43. אברך imp. Chald. in Hiph. *genua flecte.* 1 Reg. 19: 18. Juramentum Pharaonis, vers. 44.

c. Dignitas, nomen à rege impositum, & splendidæ nuptiæ conciliatæ, vers. 45.

c. *Administratio muneris*, ubi (*a.*) ætas Josephi: tricenarii, adeoque per 13. annos servi & captivi, vers. 46. (*b.*) diligentia in perlustranda Ægypto, ℣. 46. & colligendo frumento durante septentio fertili, vers. 47, 48, 49. (*c.*) familiæ incrementum natis ante famis annos duobus filiis, quibus nomina memorialia indidit, vers. 50—52. (*d.*) Fides ejus ingruente fame, vers. 53. quæ cœpit sentiri in Ægypto & viciniâ, vers. 54, 55. querela Ægyptiorum, vers. 55. venditio facta ipsis, vers. 56. & aliis ℣. 57.

CAP. XLII.

D. A *Missi Josephi inventio*, à fratribus ejus א. non agnita, cap. 42. 43. 44. & ב. agnita cap. 45.

א. *Non agnitæ inventionis* actus tres sunt.

a. *Primus* in primo adventu fratrum ejus in Ægyptum. hoc cap. ubi

a. Adventus fratrum Josephi in Ægyptum, cujus

α. Impulsiva, remota, quod Jacobo innotuisset ibi esse annonam, vers. 1. proxima, mandatum Jacobi, quo jubebantur eò proficisci, emtum annonam, ut in vita conservarentur, vers. 1, 2.

β. Iter susceptum eo fine, vers. 3. à numero & relatione euntium illustratum, decem fratrum Josephi: & oppositione manentis Benjamini, ne quid infortunii obtingeret. vers. 4.

γ. Adventus in Ægyptum, *cum comitatu* aliorum Cananæorum hac de causa eo profectorum, vers. 5. ob famis communem conditionem. *Ad Josephum*, cujus ratio, quia præfectus summus annonæ; & modus, omni cultu & reverenti gestu, vers. 6.

b. Actio cum Josepho. ubi hujus

α. Descriptio, quod fratres visos agnoverit, quod se peregrinum ostenderit, quod duriter allocutus sit & egerit cum ipsis, vers. 7.

β. Actio.

Quærit, undenam sint? vers. 7. *Resp.* ex Cananæa emtum annonam, vers. 7. ubi confirmata notitia Josephi

non

non agnoſcentium ſe fratrum, verſ. 8. & memoria ſomniorum, verſ. 8.

Criminatur eos ceu exploratores terræ, verſ. 8. *Reſp.* negando, verſ. 9. quia annonæ parandæ cauſa venerint, verſ. 9. ſint omnes unius patris filii, qui ſimul nolit omnes periculo exploratorum objicere, verſ. 10. Sint probi, verſ. 10. alieni à fraude iſtiusmodi. Et *repetente* Joſepho crimminationem, verſ. 12. ſecundum argumentum defenſionis *reponunt*, de paternæ familiæ conditione: 12. filios patris unius in Cananæa degentis, minimo domi hærente, uno deperdito, verſ. 13.

Poſcit minimum filiorum adduci; uno in Cananæam eo fine dimiſſo, reliquis in cuſtodia manentibus, verſ. 14, 15, 16. חי פרעה non eſt per vitam Pharaonis, qua ille vivit, ſed per Deum qui eſt autor & conſervator vitæ. Phraſes notandæ חי ח וחי נפשך, Conf. Deut. 30: 20.

Includit omnes carceri per triduum, verſ. 17.

Dimittit motus timore Dei, verſ. 18. ſed ſub conditione geminâ; ut unus fratrum in cuſtodia maneat, verſ. 19. reliqui annonam ferant domum, levandæ famis ergo, & adducant minimum fratrum, verſ. 19, 20.

Occaſione autem harum conditionum refertur, Convictio reatus ſui criminis in Joſephum patrati, verſ. 21. & objurgatio Rubenis eos acrius increpantis, verſ. 22. nec non Joſephi Intelligentia, licet ipſi ob interpretem intermedium non ſuſpicarentur; qui commotus ſeceſſit & flevit, verſ. 23, 24.

Ligari & incarcerari facit Simeonem, verſ. 24. qui videtur crudelior reliquis in Joſephum fuiſſe; uti etiam contra Sichemitas, cap. 34.

Dimitti curat reliquos, inſtructos annona, reddita pecuniâ, dato viatico, verſ. 25.

c. Reditus ad patrem,

α. Cœptus, verſ. 26.

β. Continuatus in diverſorio, ubi unus reperit pecuniam, verſ. 27. indicavit fratribus, qui omnes conſternati de hoc regimine Dei, cui hunc caſum adſcribunt, verſ. 28.

γ. Finitus cum ad patrem veniſſent; ubi, (1.) narrant quæcunque ſibi apud Joſephum contigerant, accuſationem ſui, & oppoſitam defenſionem, & tandem ſententiam Joſephi, verſ. 29—34. (2.) inveniunt omnes pecuniam ſuam, cum conſternatione ſua & patris, verſ. 35. (3.) Jacob lamentatur orbitatem, filiis ſibi ſubductis, verſ. 36. (4.) Ruben offert filios ſuos duos obſides pro Benjamine, quem ſibi ducendum & reducendum vult tradi, verſ. 37. (5.) recuſat Jacob mittere Benjamin, quia fratre mortuo ſolus ſuperſit, & quod ipſo pereunte dolore conficiendus ſit in ſenectute, verſ. 38. (6.) Quibus ſubjungitur incrementum famis. verſ. 39.

CAP. XLIII.

b. SEcundus in ſecundo adventu fratrum in Ægyptum, ubi

a. Adventus. Cujus antecedentia

α. Defectus annonæ & mandatum Jacobi de petendo ſupplemento, verſ. 1.

β. Diſceptatio filiorum cum ipſo: (1.) Juda repetit ſententiam Joſephi de adducendo Benjamine, verſ. 2, hoc comite ſe ituros, aliàs non ituros profitetur, verſ. 3, 4. (2.) Jacob increpat ob imprudentiam, quod familiæ conditionem omnem prodiderint, verſ. 5. (3.) Replicat Juda per quæſtiones multas, hoc indicium prolicuiſſe Joſephum nihil tale ipſis ſuſpicantibus, verſ. 6, 7. (4.) Juda ſpondet pro Benjamine; argumento à neceſſitate, quod alioqui fame perituri ſint, cujus ob tarditatem ſuæ profectionis majus ſit periculum, verſ. 8, 9, 10. NB. וחטאתי & *reus tibi ero*, omnibus diebus. (5.) Conſentit Jacob in comitatum Benjaminis, ſic ut jubeat parare munera placando Joſepho, ne durius exciperentur, aut quid paterentur, verſ. 11. pecuniam priorem & novam aſſumere, ℣. 12. ſecum ducere Benjaminem, ℣. 13. (6.) Votivam benedictionem addit, qua optat propitium Joſephum, reſtitutionem Simeonis & Benjaminis: denique in orbitate iſta dubia ſe acquieturum profitetur, ℣. 14. NB. Illud כאשר שכלתי שכלתי Conf. cum Eſt. 4. 16.

γ. Iter ipſum ex præſcripto patris ſuſceptum, verſ. 15.

b. Actio cum Joſepho. ubi

α. Exceptio benigna; quam (1.) mandavit Joſephus præfecto domus ſuæ, jubens inſtrui convivium, ℣. 16. (2.) exſecutus eſt iſte *Introducendo* eos in domum Joſephi, verſ. 17. unde natus Metus ipſorum, qui ob argentum ſuum, ſibi redditum nuper, traherentur in ſervitutem, verſ. 18. Excuſatio apud præfectum, ante oſtium, quod pecuniam priorem ſibi inſciis redditam & aliam attuliſſent, verſ. 19, 20, 21, 22. hujus Conſolatio *verbalis*; quod omnia ſalva forent, Deus ipſis benedixiſſet, ipſe ſolutionem olim accepiſſet, verſ. 23. & *realis*, Simeonem ſolutum educendo adipſos, verſ. 23. Aquam pedibus lavandis & jumentis pabulum *præbendo*, verſ. 24. *Invitando* ad heri prandium, quo fine ſua munera pararunt oblaturi, verſ. 25.

β. Colloquia Joſephi cum ipſis: Ipſi munera & honorem exhibentibus, verſ. 26. inquirit (1.) de patris incolumitate, verſ. 27. quam affirmant reverenter, verſ. 28. (2.) de fratre minore; cui benedicit, verſ. 29. & commotus σφοδρῶς in ſeceſſu flet, verſ. 30. ſumtaque aquâ diſſimulat, verſ. 31.

γ. Convivium; ubi (1.) mandatum apponendi, verſ. 31. (2.) diſtinctus accubitus, Joſephi, fratrum, Ægyptiorum ſigillatim: ob horum de Hebræis abominationem, verſ. 32. (3.) ordo fratrum juxta ætatem, ex inſtituto Joſephi, mirantibus illis, verſ. 33. (4.) fercula de ipſius menſa, in illorum delata, cum prærogativa Benjaminis, verſ. 34. (5.) Lætitia omnium, verſ. 34. ea deſcribitur verbis וישתו וישכרו. unde dicitur משתה convivium, uti Græcis συμπόσιον, & שכר inebriari, etiam ad lætitiam duntaxat.

CAP. XLIV.

c. TErtius in tertio acceſſu ad Joſephum, cui occaſionem dedit actio contra eos de furto. Cujus

a. Occaſio,

α. Mandatum Joſephi (1.) de ipſis dimittendis, & dimittendi modo: ut præfectus domui præberet omnibus annonam copioſam, redderet cuique argentum, verſ. 1. adderet in ſaccum minimi Scyphum ſuum argenteum, ℣. 2. cui ille obtemperavit, verſ. 2, 3. (2.) de ipſis perſequendis & reducendis. Cujus Tempus, cum non longe extra urbem proceſſiſſent, verſ. 4. Mandans Joſephus, & mandatarius præfectus domus; verſ. 4. Mandatum, ut inſecutus aſſequeretur, accuſaret injuriæ in genere, verſ. 4. & in ſpecie ſurrepti furto poculi, verſ. 5.

NB. נחש ינחש de augurio uſurpatur in Scriptura, in malum. Sunt qui de experimento quoque accipiunt; quod illud fecerit Joſephus, quemadmodum olim Laban, cap. 30. Alii, quod ſuper ea augures conſuluerit; uti reges & magnates horum operâ utebantur. Convenientiſſimè quia Joſephus ab interpretatione ſomniorum notus erat, quam artem augures profitebantur, eo nomine fuit inſignitus, atque eo uſus, cum tamen non malis artibus, ſed divina revelatione noſſet futura. Sic Daniel præfectus magis, & iis connumeratus, ob futurorum notitiam.

β. Hujus mandati exſecutio: ubi (1.) accuſatio, cum eos affecutus eſſet, verſ. 6. (2.) defenſio, quâ *dolent* de crimination, & *deteſtantur* factum, verſ. 7. *probantque* contra criminationem, quod ea numorum cupiditas ſibi non adfit, qui reſtitutos retulerint; adeoque nolint quid alienum, maximè ex illa ſurripere domo, verſ. 8. *proteſtantur*, dum mortis reum ſtatuunt, qui deprehendatur furatus, & reliquos omnes mancipandos, verſ. 9. (3.) Conditionis iſtius admiſſio eatenus; ut ſolus ille ſervituti dederetur qui haberet poculum, reliqui indemnes abirent, verſ. 10. (4.) Exſecutio per diſcuſſionem: ubi ſaccorum demiſſio in terram, apertio, inquiſitio ex ordine ætatis inſtituta, inventio apud Benjaminum, verſ. 11, 12. (5.) Conſternatio ſecuta, veſtibus ſciſſis & reditu in urbem, verſ. 13.

b. Actio cum Joſepho: ubi

α. Acceſſus ad eum, & modus, Juda duce procul uerunt omnes in terram, verſ. 14.

β. Accuſatio à Joſepho facta, de furto, deque ſtultitia in eo ſuſcipiendo, cum ab arte divinandi notiſſimum ſibi foret, ut latere negotium non poſſet.

γ. *Confessio* per Judam facta, ingenua citra excusationem, tanquam qui à Deo convicti; cum oblatione sui fratrumque omnium in servitutem, vers. 16.

δ. *Recusatio* Josephi ex conditione dicta, vers. 10. ut solus serviret, reliquis abeundi veniâ facta, vers. 17.

ε. *Deprecatio* Judæ, cujus *Exordium*, petit audientiam, vers. 18. ob dignitatem, quod Pharaoni par sit, vers. 18. *Narratio*, tum eorum quæ in primo congressu inter Josephum & se acta essent, de suo patre & fratribus, de adducendo Benjamine, de mandato cum id ceu patri ingratissimum detrectassent, vers. 19--23. tum apud patrem, cum repetendum esset etiam iter, quam ægre comitem addidisset Benjaminem quia unicus ex illa matre supersit, fratre deperdito, vers. 24---29. tum futuræ calamitatis, patre ex mœrore morituro si Benjamin quem deperiret, non una domum rediret, vers. 30, 31. *Petitio*, quia spopondit pro fratre apud patrem solenniter, ut se servum pro Benjamine admittat, illum dimittat, vers. 32, 33. *Conclusio* pathetica, nec posse se redire, non stando quod sponderat, neque velle testem esse calamitatis patrem confecturæ, vers. 34.

CAP. XLV.

כ. A *Missi Josephi inventio agnita* à fratribus, ubi
a. *Manifestatio Josephi.* cujus

a. Impulsiva, vehemens σοφγὴ.

b. Modus, remotio arbitrorum, vers. 1. fletus validus, ut rumor aulam quoque pervaderet, vers. 2.

c. Indicatio verbalis sui ipsius, cum professione curæ de patre, vers. 3. unde fratrum perturbatio & obmutescentia, vers. 3. Repetita indicatio, dum ad se vocat, vers. 4. se rursum indicat, addita probatione à facto ipsorum, venditione sui, vers. 4.

d. Consolatio, ne ob patratum in se facinus contabescerent, vers. 5. (NB. Τὸ יחר non de ira, sed de animi ægritudine sumitur, ut בעס) argumento à scopo providentiæ divinæ, ut in vita conservarentur: vers. 5. quod (α.) confirmat, à diuturnitate famis, adhuc quinquennium duraturæ, vers. 6. & Dei se præmittentis curâ ut alerentur cum suis familiis, vers. 7. (β.) unde concludit missum se eò, non à fratribus vendentibus, sed à Deo, qui ad tantam dignitatem evexerit, ℣. 8. (NB. *Patrem Pharaonis* se dicit, quod paterna cura eum aleret, cujus consilio omnium alimoniæ prospectum foret. 7. (γ.) Mandat ut Patri suæ vitæ & dignitatis nuncium ferant, vers. 9. ad se invitent citra cunctationem, vers. 9. oblata habitatione felici & vicinâ, vers. 10. & sustentatione, citra ullum sumtum in tanta fame, vers. 11. (δ.) Confirmat sui manifestationem ἀυτοψίᾳ, & ἀνλαχυσίᾳ vers. 12. (ε.) Denique denuo inculcat mandatum de nuncio ad Patrem ferendo, eoque adducendo, vers. 13.

e. Indicatio realis, amplexando Benjaminem, respondentem, vers. 14. & fratres cum fletu osculando, ℣. 15.

f. Consequens, colloquium fratrum eum jam agnoscentium, vers. 15.

b. *Congratulatio aulæ.* Ubi (a.) notitia ex rumore, approbatio regis & aulicorum, vers. 16. (b.) Invitatio regia, per Josephum insinuanda; ut (α.) cum annona redirent in Cananæam, vers. 17. (β.) adducerent patrem ejusque familiam, promissa habitatioue commodissima, & pinguissima, vers. 18. *jubens* prospici de plaustris ad transferendam familiam, vers. 19. & *promittens* habitationem in Ægypto pensaturum, si quod migraturis damnum esset adeundum, vers. 20.

c. *Dimissio fratrum*, cum (a.) instrumentis plaustrorum ad migrationem necessariorum cum annona, vers. 21. (b.) donis, datis fratribus, & Benjaminis, vers. 22. missis patri, una cum viatico, vers. 23. (c.) Monito, ne rixarentur. vers. 24.

Reditus ad Jacobum, cui innotuit (a.) auditu vitæ & gloriæ Josephi. vers. 25, 26. cum ipsius stupore incredulo, ℣. 26. omnibusque ejus sermonibus; (b.) visu, cum plaustra submissa cerneret, quibus persuasum ei fuit, vers. 27. Hinc gaudium Jacobi & decretum proficiscendi, vers. 28.

CAP. XLVI.

II. C *Ommoratio Jacobi in Ægypto.* cujus
A. *Antecedentia*, I. Iter eò, II. Exceptio.

א. *Iter*,

a. *Susceptum*, ab Hebrone Bersebam. Qui terminus Cananææ; unde istic obtulit sacrificia, Deo Isaaci, vers. 1. nam in Ægypto sacrificiis abstinuit ipse & posteri, ob Ægyptiorum superstitionem, quam contra se provocare noluerunt. Exod. 8: 26.

A Deo fuit confirmatus in visione nocturna, vers. 2. qui (a.) præfatus fœderis conjunctionem, (b.) demit metum, (c.) promittit multiplicationem, vers. 3. comitatum suum, in eundo & redeundo, vers. 4. & Josephi præsentiam ipsi morituro, vers. 4. NB. Atqui Jacob non rediit, mortuus istic. Resp. rediit, cadavere relato in avitum sepulcrum, & in posteris.

b. *Continuatum*; ubi (a.) comites in genere, & instrumenta itineris in usum hominum, vers. 5, 6, 7. (b.) in specie Catalogus omnium liberorum & nepotum, vers. 8---27. Hic instituitur juxta conjuges Jacobi quatuor, præmissis matribus familias, subjuncta unicuique sua ancilla; Numerantur etiam præmortui in Cananæa, & in Ægypto nati Josepho: Numerusque est 70. personarum. Act. 7. dicuntur fuisse 75. accensendo Jacobum & quatuor uxores. Demtis Er & Onan mortuis, & Manasse cum Ephraim in Ægypto natis sunt 66. Memoratur hic filia Aser Zerach, & eadem in secunda recensione Israelitarum, Num. 26: 46. ut adhuc tunc superstes fuisse videatur, ἄπαις & innupta; quando habuerit annos, si modo annicula in Ægyptum venit, 250. vel amplius. Neque hoc adversatur comminationi de morituris omnibus in deserto: Diserte enim ad viros restringitur. Num. 14: 22. cap. 26: 62. f.

ב. *Exceptio facta à Josepho*, (a.) quem evocavit per Judam in Goschem, ut mox ibi collocaret familiam, vers. 28. qui ipse eò ad patrem venit & omni amore ipsi se exhibuit. vers. 29. (b.) Lætitia Jacobi, filio viso præter omnem opinionem, vers. 30. (c.) Josephi studium parandi eis habitationem; quo fine (a.) se ait profecturum ad Pharaonem, indicaturum fratrum adventum, vers. 31. postulaturum ob gregum copiam terram Goschen, vers. 32. (b.) instruit responso conveniente, siquidem examinarentur à Pharaone, vers. 33, 34. & ratio quia abominatio erant pastores, qui ea propter longius removendi erant; quando pinguia parta Goschenis impetraturos confidebat, vers. 34.

CAP. XLVII.

ג. E *Xceptio facta à Pharaone*; ubi
a. Antecedens Josephi tum *indicium* de adventu patris & fratrum, tum *postulatum* de assignanda Goschen, vers. 1.

b. *Exceptio* ipsa,

α. Fratrum quinque selectorum, (α.) quos stitit Joseph Pharaoni, ℣. 2. (β.) qui inquisivit in vitæ genus & responsum tulit, esse pastores, vers. 3. ob famen in Cananæa peregrinatum accessisse, postulare sedem sibi indulgeri in Goschene, vers. 4. (γ.) Mandavit Josepho, ut sedes assignaret optimas, ipsam Goschen, vers. 5, 6. & ex iis peritissimos suis gregibus præficeret, vers. 6.

β. *Jacobi*, (α.) quem similiter stitit; (β.) & hic benedixit Pharaoni in accessu, vers. 7. (γ.) de ætate scisciranti, vers. 8. respondit eam fuisse peregrinantis, brevem, ærumnosam, comparate ad majores, vers. 9. (δ.) benedixit in recessu, vers. 10.

B. *Immissio in terram Goschen*, vers. 11. & *sustentatio* à Josepho præstita, vers. 12.

Illustrantur descriptione famis ingravescentis, א. in genere, ℣. 13. ב. in specie ex eventis, traditione (a.) omnis pecuniæ, vers. 14. primo scil. bienno. (b.) Pecorum & gregum, anno post adventum Jacobi primo, vers. 15, 16, 17. (c.) corporum & agrorum: quæ (a.) obtulerunt anno sequente, vers. 18, 19. (b.) emit Josephus, vers. 20. (c.) hac propter ex sedibus avitis in alias transtulit, ut in alieno se habitare agnoscerent, vers. 21. (exceptis tamen

agris

agris ſacerdotum, quibus liberalitate Pharaonis præbebantur alimenta, verſ. 22.) (4.) paciſcitur cum ipſis, ut accepto ſemine terram colerent, & quintam meſſis partem cederent Pharaoni, verſ. 23, 24, 25. huius contractus perpetuitas, verſ. 26.

C. *Habitatio* ejuſque *eventa.*

a. Multiplicatio generis, verſ. 27.

b. Cura de ſepultura: cujus (*a.*) *cauſa*, ætas, tum quoad moram in Ægypto 16. annorum, tum quoad vitam univerſam, ℣. 28. & mors propinquans, ℣. 29. (*b.*) *modus*, (*α.*) evocatio Joſephi, verſ. 20. (*β.*) petitio ab ipſo ne in Ægypto tumularetur, ſub juramento, verſ. 29, ſed in avito ſepulchro, verſ. 30. quod promiſit Joſeph, & ex patris voluntate juramento firmavit, verſ. 30, 31. & ipſe cum gratiarum actione admiſit. NB. המטה *hammittâ* dixit Moſes, Stephanus Act. 7. המטה *hammattè:* quidam utrunque conjungunt; ut in lecto cum ſe erexiſſet, & extra ſpondam inclinaret, ſcipioni innixus fuerit, & mox in lectum reclinarit ſe.

CAP. XLVIII.

D. M *Orituri actio*
א. *Singularis* cum Joſepho: eaque

a. *Adoptio filiorum* ejus: cujus

a. Occaſio, (*α.*) nuncius de morbo Jacobi delatus ad Joſephum, verſ. 1. (*β.*) adventus Joſephi cum duobus filiis ſuis, verſ. 1. (*γ.*) Exceptio à patre, qui audito filii adventu in lecto ſe erexit, verſ. 2.

b. Adoptio ipſa; ubi (*α.*) præfatur de apparitione Dei ſibi facta in Bethel, verſ. 3. deque promiſſione tum poſteritatis, tum Cananææ, verſ. 4. (*β.*) proponit filios ipſius duos, ſuos eſſe pari cum Rubene & Simeone jure, verſ. 5. poſt naſcituris Joſepho tribuendis, verſ. 6. (*γ.*) recitat mortem & ſepulturam Rachelis, verſ. 7.

b. *Benedictio* eorundem. ubi

a. Occaſio inopinus conſpectus, verſ. 8.

b. Præparatio, (*α.*) mandat adduci ad ſe ut benediceret, verſ. 9. quia præſenio non poterat videre, verſ. 10. (*β.*) adductos amplectitur, verſ. 10. cum gratiarum actione ad Deum, quia non ipſum modo, ſed ſemen quoque ejus dediſſet intueri, verſ. 11. (*γ.*) denuo ſibi propoſitis ex ordinatione Joſephi, manus imponit decuſſatim, verſ. 12, 13. idque deſtinato conſilio, quamvis Manaſſes primogenitus foret. כי *quamvis.*

c. Benedictio ipſa, (*α.*) deſcribens autorem benedictionis, (1.) mutuo fœdere patribus conjunctum, (2.) ſui defenſorem perpetuum, verſ. 14. (3.) Angelum redemtorem, verſ. 15. (*β.*) optans ipſis in genere felicitatem: in ſpecie confirmationem adoptionis ſuæ, fœderis hæreditarii, & multiplicationem, verſ. 16.

d. Eventus, (*α.*) quod Joſephus obſervatâ decuſſatione manuum patris, eas mutare nixus fuerit facto, verſ. 17. & verbo, ℣. 18. (*β.*) patre tamen renuente, ℣. 19. & ordinem à ſe obſervatum confirmante, etiam proverbiali benedictione, verſ. 20.

c. *Legatum* ipſi factum, cujus (*a.*) occaſio, inſtans mors, (*b.*) fundamentum, Dei faventis præſentia, qui omnes Cananææ redditurus erat, verſ. 21. (*c.*) donatio ipſa, portionis alicujus terræ, jure præcipui, verſ. 22.

Acquiſitio per arcum & Gladium, refertur vel ad Sichemitarum excidium vel ad poſterorum occupationem, vel ejus ratio ignota eſt, verſ. 22.

CAP. XLIX.

ב. C *Communio* cum omnibus filiis: ratione Ipſorum & Sui.

a. *Ipſorum* in Teſtamentaria benedictione: cujus

a. Exordium, (*α.*) *remotum*, convocatio filiorum ad audiendum vaticinium de ſe ſuoque ſtatu futuro, verſ. 1. NB. באחרית הימים de futuro, & quidem longiſſime diſtante accipitur: imo ut Hebræi notant complectitur etiam tempora Meſſiæ; non tamen excluſis prioribus ſeculis, ſed iſtis quoque comprehenſis. (*β.*) *Proximum*, petitio audientiæ, quia ipſi filii, & ipſe pater, verſ. 2.

b. Narratio habet prædictiones de 12. filiis, non tamen tam de perſonis ipſorum, quam de poſteritate.

α. Rubeni primogenituram (habentem excellentiam tum naturæ, tum dignitatis, tum roboris ſeu divitiarum, geminæ portionis, verſ. 3.) adimit: eâ excidiſſe dicens metaphoricè, ut aqua celeriter diffluit; & propriè, negans excellentiam omnem: cujus cauſa, inceſtus, cum noverca, verſ. 4.

β. Et *Simeonem* & *Levi* conjungit, ceu fratres ſtudiis & crudelitate, verſ. 5. horum (1.) improbat doloſa conſilia & truculentas actiones, in cœde & direptione Sichemitarum, Gen. 34: ubi non tantum iram ſuam ſed etiam voluptatem in ea actione oſtenderant. verſ. 6. (2.) damnat acerba maledictione furorem & vindictæ ſtudium: (3.) punit diſperſione per cæteras tribus, ne conjuncti paria unquam tentarent, verſ. 7. Juſta ergo horum duorum præteritio in primogenituræ diſtributione; quæ ceſſit quoad dignitatem Judæ, quoad portionem geminam Joſepho, 1 Chron. 5: verſ. 12.

NB. Diſperſio iſta *Levi* mutata eſt in benedictionem, poſt Zelum pro Deo contra idololatras, Exod. 32: 26. ſ. Deut. 33: 9. ſ. ceſſitque bono toti Iſraëli, quia per eos doctrina religionis fuit conſervata. Conf. factum Jeroboami, 2 Chron. 11: 13. ſ.

De *Simeone* dicunt Hebræi, fuiſſe ipſos ludi magiſtros per omnes tribus: ſed non conſtat quid certi; poſſeſſio quidem Judæ & Benjamini permixta quadantenus fuit.

γ. Judæ tribuit (1.) præeminentiam inter fratres (quæ pars primogenituræ,) (2.) victoriam de hoſtibus, & (3.) fratrum omnium, patre eodem ſatorum, reverentiam, verſ. 8.

Illuſtrat

1. *Victorias*, à ſimilitudine Leonis animoſi, ſpoliis divitis, robore ſuo ſecuri, verſ. 9.

2. *Reverentiam fratrum* omnium: ℣. 10. quia ab ipſo deſcenſurus ſit Meſſias: cujus adventuri ſigna prodit; quæ ſunt non collatio novi quod non habebat, ſed poſſeſſio conſtans ejus quod habebat. Non dicit datum iri aliquid ſingulare unde agnoſcatur tempus adventus Meſſiæ; ſed quod commune cum fratribus habebat, ipſi ſoli jure privilegii conſervatum iri eo uſque. Signa ſunt (1.) *non receſſio tribus*, ſeu diſtinctionis familiarum; quod neceſſarium, ut genus Meſſiæ conſtaret, qua ratione ex patribus deſcendiſſet. Hac propter cum recenſerentur Iſraëlitæ, Judæ tribus aliquoties ſola numeratur; reliquæ una ſummâ comprehenduntur, 1 Sam. cap. 11: 8. cap. 15: 4. quia omnium tribuum inter erat, hanc non confundi, & ejus diſtinctionem publice innoteſcere. Cæteris enim tribubus poſt defectionem Jeroboami, & in deportatione Aſſyriaca perierunt Catalogi genealogici. Judæ manſerunt etiam in Captivitate & poſt eam, & una Benjamini & Levi ſociatis; & ſub Auguſto repetita recenſio, ut publicaretur toto mundo Tribum nondum receſſiſſe à Juda, quando Meſſias natus. Poſt enim periere Catalogi in deſtructione Hieroſolymæ potiſſimum, (2.) *Non receſſio Doctoris* legis. Moſes enim hoc nomine venit Num. 21: 18. Deut. 33: verſ. 21. Et debuit manere doctrina vera, & doctor legitimus, ut conſervaretur fides & ſpes promiſſionis. Eam doctrinam habuere omnes patriarchæ, qui inde *ſervi Dei* vocati videntur Gen. 50: 17. & ipſorum poſteri. Communi beneficio Levitæ inter omnes poſtea diſperſi. Sed tandem magis proprium beneficium factum eſt Judæ, ſtructo in ejus medio, templo; & poſt apoſtaſiam Jeroboami Levitis omnibus eo ſe conferentibus; qui ſemper iſtic manſere. De hoc eſt, Mal. 4: 4. Matt. 23: 1, 2.

NB. שבט de *Tribu* uſurpatur hoc capite, verſ. 16, 28. de *ſceptro* intelligi nequit & *legislatore*; non ſunt hæc ſynonyma; neque per disjunctionem alterutrum, ſed utrumque promittitur. Summa poteſtas à Deo ipſo primum tributa Moſi Levitæ, tum Joſuæ Ephraimitæ; & ex omnibus Judicibus ſolus Othoniel fuit de Juda. Deus item Sauli Benjaminitæ primo regnum dedit, etiam ſtabilimentum additurus, ſi obtemperaſſet: quod utique fieri nequiviſſet, ſi id debitum foret Judæ vi hujus vaticinii. Juda amiſit regnum irrecuperabiliter, tum in Jechoniæ familiâ, Ier. 22: verſ. 24, 30. tum in Zedekia. Ezek. 21: 25. ſ. vel verſ. 18. ſ. Et Chriſtus naſci debuit cum domus Davidis rediiſſet

set ad conditionem privatam, qualis Isai, Esai. 11. vers. 1.

Describit deinde Messiam ipsum, à nomine *Schilo, tranquillator*: alii faciunt compositum, ut שיל sit *filius*, à שליה *secundina* mulieris; quod sola matre fuerit oriundus, & ה affixum pro ו, quemadmodum etiam, vers. 11. hæc enallage occurrit. Et à dignitate, quod habiturus sit obedientiam populorum; non unius tribus, sed omnium: Deut. cap. 33: 3. nec unius tantum nationis, sed quarumcunque, quæ alias omnes familiæ terræ fuerunt dictæ.

3. *Præeminentiam inter fratres*, ex fertilitate terræ, quam vitiferam facit, ut magna vini sit copia; & pascuosam, ut & lacte abundet. vers. 11, 12.

ה. *Zebuloni* attribuit regionem finitimam maribus, instructam portubus, vicinam Zidoniis, vers. 12. Extensa fuit ejus ditio à mari Galilææ ad mediterraneum.

ו. *Isacharem* describit robustum, sed servilis indolis, qui amore quietis & pinguis possessionis, tributarius sit futurus alienis, vers. 14, 15.

ז. *Dani* primo ex filiis ancillarum (1.) assignat idem jus cum ingenuis, ut in sua tribu pariter esset summa potestas, æque ut in aliis, vers. 16. (2.) tum tribuit fortitudinem callidam, & noxiam, qualis serpentis: vers. 17. ut factum in occupatione Laischi; Jud. 18. Inprimis Simson Danita respicitur, Jud. 14, 15, 16.

Votum quod vers. 18. interserit, vel respicit priora: quomodo Targ. Hieros. *non exspecto salutem Gideonis aut Simsonis, sed Messiæ*: quia illæ transitoriæ, hæc perennis. Vel conditionem Danis: quia primi defecerunt à religione, Jud. 18: optat à Deo salutem, ut inde convertantur.

ח. *Gadi* hostes prædicit, & de iis victoriam. vers. 19.

ט. *Aseri* addicit pinguem & delicatam possessionem. vers. 20.

י. *Naphtali* tribuit agilitatem corporis, ut cervæ; & animi, in studiis eloquentiæ, vers. 21.

כ. *Josepho* (α.) promittit fœcunditatem, instar vitis prope fontem, palmites undiquaque diffundentis: vers. 22. nam in utraque ripa Jordani habuere portionem. (β.) Indicat miraculosam ejus defensionem; ubi (1.) pericula, quæ meta foret sagittariis, vers. 23. (2.) conservatio, quod non modo non fuerit debilitatus, sed etiam virium sumserit incrementa: cujus causa, Deus fortis Jacob: finis; ut foret Pastor domus paternæ, & lapis fundamenti quodammodo, vers. 24. (γ.) Benedicit, tum abundantia & varietate à Deo foederato, vers. 25. tum perennitate: quia suæ benedictiones validiores sint quam progenitorum; qui non nisi uni filiorum eam dare potuerint; cum ipse det omnibus, & proximius terram ipsam distribuat. vers. 26.

NB. עד תאות *usque ad determinationem* collium æternorum; quam immutabiliter termini montium consistunt. Conf. Esai. 54: 10. נזיר *Separatus* dignitate excellentiori.

ל. *Benjamini* prædicit victorias bellicas, sub similitudine lupi rapacis, vers. 27.

c. *Conclusio* à Mose adjecta, vers. 28. cuique filiorum Jacobum benedictionem singularem attribuisse. Conf. cap. 41: 11. f.

b. *Sui ratione*: mandat sui Sepulturam, in avito tumulo quem describit à situ, à proprietate ex emtione avita, & à præmortuorum istic quiete, vers. 29—32. cui subjungitur Mors ipsa, vers. 33.

CAP. L.

E. HIstoria filiorum Jacobi post ejus mortem: & hic
N. *Jacobi sepultura*: quo pertinent

a. Luctus Josephi, vers. 1. peractus ab ipso, & mandato ejus ab Ægyptiis, quibus imperavit condimenta cadaveris, vers. 2. & ipsi adhibuerunt, luctumque ordinarium. vers. 3.

b. Sepulturæ ordinatio: ad quam (α.) petit veniam à Pharaone internunciis aulicis, vers. 4, 5. quia adjuratus sit à Patre. Et impetrat, vers. 6. (b.) iter instituit cum magno comitatu, aulicorum, & Senatorum regni; familiæ paternæ universæ, præter infantes; copiarum militarium, vers. 7, 8. (c.) planctus ingens excitatus est per septiduum, vers. 10. unde loco nomen mansit, vers. 11. (d.) sepultura ipsa, mandato patris à filiis destinato loco peracta, vers. 12, 13. (e.) reditus, vers. 14,

ב. *Actio fratrum cum Josepho*. quorum

a. *Deprecatio*: cujus (α.) causa, mors patris, qui hactenus defensæ fuisset & metus vindictæ Josephi; vers. 15. (b.) modus. (α.) Per legatos: qui prætendunt jussum patris, ℣. 16. petunt veniam agnita culpâ; tmu quia fratres tum quia servi ejusdem Dei: vers. 17. ubi commotio ἐφρίκης Josephi lachrymantis. (β.) per ipsosmet, se prosternentes, & in servitutem addicentes. vers. 18.

b. *Consolatio* facta à Josepho: qui securos præstat (a.) à vindicta; quam negat à se metuendam, quia Deus non sit, vers. 19. revocat ad providentiam Dei in qua acquiescat, qui etiam contra intentionem ipsorum benefecerit, vers. 20. (b.) suæ benevolentiæ, promittens alimenta etiam imposterum; vers. 21. quam consolationem admiserunt.

ג. *Status filiorum Jacobi* (a.) tum in genere, vers. 22. tum (b.) in specie *Josephi*, (a.) ætate ajus, vers. 22. (b.) aucta feliciter hujus famila per utrumque filium, maxime Ephraimum, vers. 23, 24. (c.) morte: cujus (α.) antecedanea, vaticinium de reditu ex Ægypto in Cananæam juramento Dei promissam, vers. 25. (β.) mandatum de suo corpore eodem deferendo, cum adjuratione, vers. 26. (γ.) mors ipsa, cum consequente condimento cadaveris, & collocatione in loculo, ut efferri suo tempore posset. vers. 27.

ANALYSIS EXEGETICA EXODI.

MOſes hiſtoricorum omnium primus, ſacram Eccleſiæ hiſtoriam conſignaturus, duobus capitibus eam complexus eſt, quorum habet.

I. PRINCIPIUM rerum omnium, & inprimis Hominis, ex quo genere Eccleſia collecta eſt, cujus indicavit (1.) Conditionem, & (2.) Gubernationem geminam integri, & corrupti. capp. 1, 2, 3. Geneſ.

II. PRINCIPIATUM Eccleſiæ ratione diſtinguitur ex circumſtantia fœderis gratiæ, qua illud fuit.

PERSONALE, in quod quiſque ſigillatim admiſſus eſt, ab Adamo ad Abrahamum, capp. 4–11. Gen.

FAMILIARE, quando id factum hæreditarium familiæ & domeſticis Abrahami, uſque ad miſſionem Moſis. Gen. 12. & ſeqq. capp. ad fin. & Exodi capp. 1. 2.

POPULARE ſeu, *NATIONALE*: quando Iſraëlitæ ſub forma populi & politiæ in idem fœdus recepti: de quo reliquis libris agit Moſes: & eodem reliqua tempora V. T. pertinent.

Ergo liber ſecundus Moſis partim ad *familiare*, partim ad *populare* fœdus referendus eſt.

Nomen à Græcis obtinuit, ex argumento fere principe, Egreſſu Iſraëlitarum ex Ægypto, comprehenſis tamen tum antecedentibus, tum conſequentibus.

Continet hiſtoriam annorum 142. à morte Joſephi, uſque ad erectum in deſerto tabernaculum.

Partes duæ ſunt I. Ætas poſterorum Jacobi in Ægypto. quæ facit artic. tertium Intervalli Vet. Eccleſiæ ſecundi. cap. 1, 2. II. Intervalli tertii initia, cap. 38. reliquis.

CAPUT I.

ÆTAS ſeu tempora POSTERORUM JACOBI IN ÆGYPTO, recitantur I. Proſpera, verſ. 1–7. II. Adverſa verſ. 8. ad fin. cap. 2.

I. *Proſpera* tempora, verſ. 1–7. exhibent nobis

A. *Perſonas* ingreſſas in Ægyptum, ſtipites & ſtirpem reliquorum, de quibus refert

א. *Adventum* (a.) *in genere*, filiorum Iſraëlis propriiſſime, qui unà cum domibus, hoc eſt, familiis ſuis patrem Jacobum comitati ſunt, verſ. 1. (b.) *in ſpecie*, Patriarcharum nomina, qui una venerant (*a.*) ſex filios Leæ, (*b.*) unum Rachelis Benjaminem, (*c.*) Bilhæ & Zilpæ, ancillarum, verſ. 2, 3, 4. & horum una cum liberis adductis in Ægyptum (quos *domos* dixerat ſeu familias, familiarum capita factos, verſ. 1.) computum init: Connumerato tamen Joſepho, (una cum ſuâ domo ſive filiis,) qui jam ante ex Jacobi filiis in Ægypto morabatur, verſ. 5.

NB. Arbitrarius ordo eſt filiorum Jacobi. Gen. 46. recenſet filios 1. Leæ, 2. Zilpæ, hujus ancillæ. 3. Rachelis, 4. ancillæ hujus, Bilhæ. Alibi generationis ordo obſervatus, ut in Onychinis humeris Ephodi affixis. Numerus 70 animarum excluſis Jacobo & uxoribus; quas complectitur Stephanus Act. 7: 10. נפש hic uſurpatur de perſonis; alias etiam de corpore.

ב. *Mortem*, verſ. 6.

a. *Joſephi*, cujus poſtremum mentio facta, qui digniſſimus omnium, ut ad ipſorum Ægyptiorum notitiam pervenerit, ceu Gubernatoris generalis regni: quo cum Iſraëlitarum æſtimatio & felicitas multum imminuta; qui forſitan & præmortuus reliquis fratribus.

b. *Fratrum* ejus reliquorum, qui omnes elati ex Ægypto & in Sichem ſepulti, referente Stephano Actor. 7: 16.

Joſephi cadaver efferri non potuit, ob ejus in Ægypto dignitatem, non paſſuris Rege & populo, bene ut meritum ſic habitum dedignari terram ſuam, ut ne quidem cineres ſuos iſtic vellet deponi: quamobrem adjuravit fratres, ut emigraturi oſſa ſua una efferrent Gen. 50: 25. ſed fratrum, tanquam privatorum non magna habita ratio, ut num cadavera manerent, vel exportarentur vix fuerit animadverſum. Bechai tamen ait, quamvis tribum ſui Patris oſſa extuliſſe, quando Moſes Joſephi extulit, ob hujus adjurationem. Forte ibidem loci depoſita fuere cadavera omnium fratrum Joſephi, & ſimul Sichemum delata; quamvis Moſes ſolius Joſephi mentionem faciat. Stephanus, ex traditione, reliquorum Patriarcharum. Conjunctique fuerint in morte, qui conjuncti fuerant in vita. Exod. 13: 19. Joſ. 24. verſ. 32. Locus Sichem deſcribitur ſimiliter Gen. 33: 19. Joſ. cap. 24: 32. Actor. 7: 16. in quo poſteriori loco id tantum ſingulare, quod Jacob dicatur Abraham, hoc eſt Abramides: Sic Meſſias dicitur David Hoſ. 3. ult. Jer. 30: 9. Iſraël Eſa. 49: 3. quia horum filius.

c. *Familiarum*, & totius illius ætatis; omnium ingreſſorum in Ægyptum: unica Aſcheris filia Serach excepta, quæ in ſecunda recenſione Iſraëlitarum poſt Baal Peoris crimen, ſuperſtes memoratur Num. 26: 46.

B. *Poſteros* illarum, in Ægypto natos, verſ. 7. quorum multiplicatio amplificatur ſynonymis. פרו *fœtificaverunt*. non fuit ſterilis hos inter ſive mas ſive fœmina, ſed inſtar arborum ferentium quotannis fructus ſuos. וישרצו & *abunde* reptilium inſtar *progenuerunt*; & ut R. Jannai dixit, ſenos quovis partu. וירבו & *creverunt*, ne reptilium inſtar brevis ſtaturæ & ævi fuiſſe credantur, ad juſtam ætatem & magnitudinem pervenerunt. ויעצמו & *corrobati ſunt*, ne quis debiles putet, ut gemini, tergeminique eſſe ſolent, plenum robur aſſecuti. Poſſunt tamen omnia de numero accipi, qui cum præter modum ordinarium tantopere excreſceret, ita exaggeratur addito במאד מאד (quod de præſentis & futuri ſeculi felicitate Bechai exponit.) & *terra ab iis impleta eſt*, Goſchen videlicet. NB. Mortuis patribus, manſit Deus, & hinc benedictio Iſraëlis poſt illorum mortem.

Sic ergo tempora proſpera fuerunt 132. annorum. Nam Kahath, qui natus in terra Canaan pertinuit ad familiam Patriarcharum ingreſſam in Ægyptum, vixit annos 133. quem anniculum illatum ſi dicamus, (nam Merari, poſt eum natus quoque illatus fuit) habebimus illum numerum: manebuntque ſervituti anni 83.

II. *Adversa* tempora describuntur, vers. 8. s. quorum

A. *Causa*

א. *Efficiens*, vers. 8. Rex Ægypti alius, qui Josephum ejusque merita non novit; natus post Josephi obitum, & Pharaonis illius forte nepos aut pronepos: vel non amavit: mutato in odium amore ex Psal. 105: 25. adhibito in consilium populo suo, vers. 9.

ב. *Impulsiva*. suspecta populi multitudo, & potentia, vers. 9. & sollicitudo pro Ægyptiis. Hic primum Israëlitæ nomen *populi* accipiunt à Pharaone: quod loco & moribus sejuncti viverent ab aliis.

ג. *Consilium*, impediendi incrementum ipsorum, astu provido, vers. 10. scopus, evitare periculum, ne vel hostibus se jungant, vel ipsi rebellent, vel egrediantur saltem ex Ægypto ipsorum ingratiis. Aut se hostibus jungant, una cum his Ægyptios oppugnent, atque sic se vendicent in libertatem, deserentes Ægyptum.

B. *Adversa* sunt duplicia.

א. *Servitus*, eaque ad opera

a. *Publica* regis, vers. 11. imperata à Rege, administris, שרי מסים *principibus delectus*, afflictio per opera ferenda, & quo hoc pertinebat, ædificationem urbium ad recondendam annonam, vel thesauros, vel arma, quarum nomina *Pithon* Chald. *Tenis*, Tanis, & *Raamses* Chald. *Piluſiu*, Pelusium. Jun. Patumon Arabiæ Petrææ oppidum in finibus Ægypti; quo fossa à Nilo, ad rubrum mare deducenda, perducta est. *Successus*, vers. 12. quoad Israëlitas, incrementum majus, ut amplioribus sedibus indigerent, diruptis quasi sepimentis. quoad Ægyptios, tædium & fastidium sui ipsorum quod non proficerent.

NB. quid fuerit חמם & opus optime discimus ex simili facto Salomonis 1 Reg. 5: 13. s. & cap. 9: 15--23. Tributum fuit non pecuniarium & facultatum, sed corporum, servili operi adhibitorum ad structuram urbium. Uti Josephus docuerat annis fertilibus congerere annonam, in horrea regia, & Regi quintam partem totius messis acquisiverat. Hinc paratæ urbes recondendæ annonæ: & hac Ægytus deinceps semper abundavit frumento: ut historiæ testantur. Confer 2 Chron. 32: 28. Abrab. Τὸ יפרוץ aliter reddit, multiplicati Israelitæ diruperunt vi sepimenta hortorum & piscinarum (unde cibi illi sine pretio Num. 11: 5.) atque propter hoc damnum Ægyptios tædium cepisse. Sed fabulosum est.

Privata subditorum regis Ægyptiorum; imperata à privatis tyrannicè, vers. 13. ut acerbam Israëlitis redderent vitam, opere mechanico, conficiendis lateribus, & rustico, nec non quovis alio, vers. 14. cum rigore. Fuere ergo servi quasi publici Ægyptiorum, ut horum cuivis cogerentur opus quod imperaret facere: qua durior conditio dari nequit.

ב. *Cædes imperata*

a. *Occulta* per obstetrices, vers. 15--21. ubi

α. *Mandatum Phar.* ad obstetrices Hebræas duas, præcipuas, cæterarum quasi præfectas: ut dum inservirent parientibus, in ipso partu necarent masculos, servarent fœmellas, ℣. 15, 16. ורחיה *vâchâjâ* pro וחיה *vâchayâ*. Abrab. obstetricum distinctas quasi tribus duas facit, quarum una exciperet infantem natum, altera curaret puerperam.

β. *Factum obstetricum*; vers. 17. impulsiva timor Dei, negat. non obedierunt Regi. affirm. conservarunt pueros.

γ. *Eventus obstetricum* (α.) quoad *Pharaonem*, accusatæ inobedientiæ, vers. 18. excusant se, vers. 19. culpam à se removentes, quod Hebrææ mulieres antevertant pariendo suum adventum. כי חיות חנה *quia sunt vividæ*, vel ferarum instar, non indigæ obstetricis. vel potius, *quamvis puerperæ sint*; nam antevertunt obstetricis adventum pariendo (β.) quoad *Deum*, vers. 20, 21. benefecit Deus ipsis, postquam auctus populus, (ו pro postquam, ut Esai. 64: 5. וחנח קצפת ונחטא) σεσκληκεν, timor Dei; beneficium ipsum, ædificavit eis *domos*, familias. In membro posteriori dicitur ולהם. Unde ad Israëlitas refertur à quibusdam: quomodo benedictio Dei foret, erga obstetr. *benefecit* eis; erga Israëlem, & *auctus est populus*, ope quoque obstetricum: & quia sic Deum timuerunt obstetrices, Israëlitis domos & familias per eas stabilivit. Enallage generis etiam alibi in affixis occurrit. conf. 1 Reg. 22: 17. & 2 Chron. 18: 16. item 1 Chron. 10: 7. & 1 Sam. 31: 7. Sed de facto Obstetricum quæritur. An mendacium earum Deus remuneratus sit? Resp. si mentitæ sunt, infirmitate humana, metu mortis & iræ regiæ, fecerunt minus malum, ut majus cædem innocentium caverent; Et Deus bonum actionis mediæ remuneratus est, & malum tectæ veritatis, condonavit. Sin verum dixerunt, quod non est improbabile, cum sæpius contingat, mulieres sine obstetrice parere, non est locus quæstioni. Acerbitas quidem se dicunt, sed forsitan tardiores accesserunt; aut manus non admoverunt ipsæ, aliis mulieribus quid faciendum indicantes: & hoc modo timorem Dei probarunt. aut etiam Hebrææ parturientes, conscia mandati, serius advocarunt.

b. *Aperta*, vers. 22. per quosvis Ægyptios: ubi mandatum, recens natos pueros in Nilum projiciendos. Hoc mandatum circa nativitatem Mosis datum est, ut ex 83. annis malorum, primo servitus imponeretur, secundo obstetricibus cædes committeretur, tertio mersio quibusvis imperaretur, quo ipso vel initio quarti, natus Moses, qui 80. annorum fuit cum adiret Pharaonem. *Puaros* necari voluit, non puellas, quia non ab his, sed ab illis metuendum quod dixerat, vers. 10.

CAP. II.

C. HAbet historiam Mosis & Israëlitarum omnium durante servitute.

א. Dito illo mandato, & ab Ægyptiis exsecutioni dato, natus est *Moses*, cujus recitatur

a. *Genus*, pater, de domo Levi, hujus nepos Amram Kehathi filius; mater, filia Levi ipsius Jochebed, vers. 1. Exod. 6: 18. Duxit ergo Amram amitam licitè. post demum interdictum tale conjugium.

b. *Nativitas*, vers. 2. non fuit omnium prima proles, nam major triennio Aaron. Exod. 7: 10. & hoc adhuc aliquot annis major Mirjam Exod. 2: 4. sed prima post ferale edictum. Herodes occidi jussit ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω Matth. cap. 2: 16. heic itidem post edictum nati quæsiti ad necem; hinc trimestri nondum securitas.

c. *Conservatio*, (α.) *materna*, vers. 2. movente pulchritudine, fuit ἀστεῖον τῷ Θεῷ יפה לאלהים Actor. 7: 20. patrem conjungit Apostolus Heb. 11: 23. (β.) *divina* cujus (α.) *impulsiva externa* metus parentum, qui domi occulere veriti (הצפינו *hazzephinô* dages anomalum.) exposuerunt ad flumen in junceâ arcâ, probe picatâ, ut tanquam in cymba natare posset, si excrescens flumen à ripa sustulisset; & sollicitudo, apposita eminus observatrice, sorore, vers. 4. ותתצב *vattêtatzzêbh* peregrina forma. (β.) *Instrumentum*, filia Phar. occasio, remota, procedens lotum sese cum puellis suis, circa illum locum, vers. 5. proxima, quod vidit arcam, ad se curavit afferri, aperuit, vidit puerum flentem, misericordia mota fuit, quod sermone testata est, *Ex pueris Hebræorum est*, scilicet à me servandus: nam tale constitisse sorori non longe distanti, & forsan ad strepitum novæ rei, specie curiositatis accurrenti, probat ejus sermo, vers. 6.

d. *Educatio*

α. Domi paternæ, cujus occasio, sororis oblatio de advocandâ nutrice Hebræâ (nam harum copia, propriis liberis necatis) vers. 7. (quod dicunt Hebræi papillas Ægyptiarum morsu abstulisse, ut necessaria foret Hebræa, fabula est.) quam admisit filia Phar. & advocatæ matri puerum commisit, promissa mercede, vers. 8, 9. Lactatio matris, vers. 9. citra periculum, à regia filia conductæ.

β. In aula regia, vers. 10. quo delatus ad filiam Phar. ab ea adoptatus, & nomine donatus ab eventu Mosis. Confer. Act. 7: 21, 22. Heb. 11: 24. Hic innutritus fuit omni sapientia Ægyptiorum. NB. Abrabanel negat id nominis impositum à filia Phar. quod Ægyptium nomen fuisset datura; sed à matre Jochebed; hoc modo & vocavit nomen ejus Mose, & dixit, filiæ Phar. rationem nominis, quia ex aquis traxisti eum. Ut cum redderet filiæ Phar. indicarit, quo nomine hactenus insignierit, memoriali facti ipsius; quæ in eo nomine acquieverit. Hæc ratio Hebrææ appellationis. Josephi narratio *Mo, aquam* esse Ægyptiis & *Yses, servatus*, semetipsam futilitatis prodit, cum sit Græca scriptura

μωσης.

μωύσης. nec melior AbenEzræ *Monios*: quam ad Moſe revocare nititur Abrab.

e. *Præludia futuræ gubernationis*, verſ. 11. ſ. ubi

a. *Circumſtantiæ* ætatis, grandior factus: 40. annorum Actor. 7: 23. וינדל *poſtquam grandior evaſiſſet.* & Loci, inter *fratres*, Iſraëlitas.

b. *Occaſio*, non tantum fratres, ſed etiam onera eorum cognoſcere voluit. Actor. 7: 23. *Fratres* illos agnoſcens, faſtidivit dici filius filiæ Phar. & conſideraturus illorum *onera*, elegit communionem contemtus eorum Heb. 11: 23. ſ.

c. *Judicium* geminum

α. Contra *hoſtem* Iſraëlitarum. ubi (1.) *cognitio facti*, verſ. 11. (Hebræi dicunt Ægyptium fuiſſe patrem illius qui blaſphemiam luit morte Lev. 20: 10. ſeqq. qui ad opus ſervile evocato Iſraëlita, ejus conjugem ſtuprarit, & poſtea animadvertentem plagis affecerit. (2.) *judicium*, verſ. 12. הכה *hiccà* de Moſe uſurpatum cædem notat, unde mox ſubjicitur occultatio in arenâ cadaveris. Poteſt etiam de Ægyptio ſic ſumi, quod occiderit Iſraëlitam. Neque enim ſervorum cædem curarunt. Sed quia nullus teſtis cæſi Ægyptii alius, illum ſuperſtitem volunt alii & indicem facti inter gentiles ſuos. Hinc v. lex: *Gentilis Iſraëlitam percutiens, etiam non ad necem, mortis reus eſt.*

β. Contra *Iſraëlitam* injuriantem alium. ubi *tempus*, poſtridie, verſ. 13. *contendentes*, Hebræi: *judicium*, *increpatio* injuriantis. Hujus *reſponſio*, recuſantis judicem, ℣. 14. ceu non habentem poteſtatem, & accuſantis ejus factum pridianum. *Metus* Moſis, quod innotuiſſet cædes Ægyptii.

f. *Exilium.*

a. *Occaſio*, quod à Pharaone conſcio quæreretur ad mortem, verſ. 15.

b. *Modus*, fugit ſua ſponte.

c. *Locus* terra Midian. NB. Chronicon Moſis refert eum in Æthiopiam abiiſſe, & ibi regina & regno potitum eſſe; ſed quod nollet gignere prolem, dimiſſum eſſe.

d. *Domicilium*, quod invenit apud Jethronem, verſ. 16. ſ. ubi occaſio recipiendi eum, auxilium præſtitum filiabus ejus. quæ 7. numero, filiæ כהן ſacerdotis aut principis, (illud potius, quia paſtores alii eas contemſerunt, & pepulerunt; ni dicamus peregrinos paſtores fuiſſe, qui ex aliis locis ad puteum deſerti commearint: nam de aqua ſæpe fuerunt contentiones Gen. 21. & 26.) cum gregi paternæ aquam hauſiſſent, depulſæ à paſtoribus, à Moſe vindicatæ fuerant, verſ. 17. quod indicatum Patri, fecit ut eum accerſi & menſæ adhiberi juſſerit, verſ. 18, 19, 20.

e. *Conjugium* cum Zippora una filiarum, verſ. 21.

f. *Natus* filius primus. *Gerſchom*, verſ. 22. quod dicitur גר משומם *gêr meſchômâm* vel גר שם *gêr ſchâm*. Hic quoque affixorum genera miſcentur. qui expulſum reddunt, à גרש derivant, additâ eadem terminatione quæ in פדיום *pidjôm*.

NB. Qui cap. 2. vocatur Regnuel, Zipporæ avus dicitur Pater Jethronis, quem quoque Chobab appellatum ajunt. Num. 10: 29. Sed cur magis binominis Jethronis alterum nomen erit Chobab, quam Rehuel? Hoc magis placet, coll. cap. 2. & 3. ℣. 1. & Chobab fuerit affinis Moſis Zipporæ frater, non pater Rehuelis ſeu Jethronis filius. (Attamen Chobab dicitur חותן משה Jud. 4: 11. & Jud. 1: 16. idem dicitur קיני.) Nam ſocer Jethro provectioris ſenii fuiſſe videtur tum, quam ut dux viæ per deſertum deligeretur.

g. Subjungitur *duratio* exilii Moſis, & finis ejus quoad neceſſitatem, verſ. 23. ſ. ubi *tempus*, verſ. 23. dies multi, 40. anni aliis; quot Moſes vixit in Midian, Actor. 7: 30. Bechai f. 64. col. 3. m. *Finis* neceſſitatis ejus, videlicet mors perſecutoris Moſis, Regis Ægypti. Non ergo idem qui merſerat infantes Iſraëlis ipſe quoque ſubmerſus fuit, ſed ejus filius aut ſucceſſor.

ב. *Iſraëlitarum ſuſpiria* ob ſervitutem, & clamores ad Deum de illa. Continuata ergo eouſque ſervitus publica & privata, regi & ſubditis præſtanda, ſed non trucidatio infantum. Scilicet cum Pharaoni prædictum fuiſſet naſciturum ex Iſraële quendam deſtructorem Ægypti, circa illud tempus ſæviit in infantes: ſed tempore illo præterlapſo deſiit ab iis necandis; uti Herodes. Cauſam ſuſpiriorum non male dicunt quidam, quod mutando rege, ſuperiora mala gemerent, nova metuerent, eoque deprecarentur Deum.

Dei miſerantis *exauditio*, verſ. 24, 25. qui (*a.*) aſcendente clamore, *attendit* etiam ad gemitus (*b.*) *recordatus eſt* fœderis cum majoribus (*c.*) *vidit* filios Iſraëlis, non tantum miſeros: ſed etiam malos, idolis Ægyptiis pollutos & pertinaciter addictos. Ezech. 20: 7. ſ. quo prolapſi videntur, ut tanto mitiores dominos experirentur: & quod propter illam ſervitutem miſcerentur Ægyptiis. (*d.*) & *novit*, amavit eos, ut benefacere vellet. Eech. 20: 9. Deut. 7. verſ. 6. ſeqq.

CAP. III.

INTERVALLUM *V. T. TERTIUM*, quod *Nationalis fœderis* eſt extenditur à vocatione Moſis uſque ad Meſſiam exhibitum. Ac poteſt diſtingui articulis duobus, I. populi in fœdus receptione. II. Recepti gubernatione, per Judices, Regesque proprios, & ſub peregrinis: ſive ante exilium, & poſt illud: ſive ante regnum, ſub regno & poſt regnum.

POPULI IN FOEDUS RECEPTIO habetur in reſiduo librorum Moſis.

FOEDERIS NATIONALIS conſiderandæ I. præparationes, Capp. 3—18. II. ſolennitates, Cap. 19—24. III. conſequentia, & confirmationes. Capp. 25—40.

PRÆPARATIONES ad fœdus ſunt. I. Vocatio Moſis educturi adſciſcendos in fœdus. cap. 3. 4. II. Eductio fœderandorum. poſtulata, capp. 5—12. extorta capp. 12—15. III. Eductorum deductio ad locum fœderi pangendo dictum, capp. 15—18.

VOCATIO MOSIS deſcribitur cap. 3. & 4. ubi ſpectanda.

I. *Vocandus* verſ. 1. Moſes, Cujus functio, paſtor gregis ſoceri: Locus ubi fuit, pone deſertum, ad montem Dei, *Horeb*, quò cum grege delatus eſt. Sic vocatur mons, tum ab hac viſione, tum à ſecutâ, quoniam fœdus pangeret inde Deus: vel etiam ab altitudine Pſal. 36: 7. Dicitur etiam *Sinai*, niſi ſic mons illius tractus, qui Horeb vocabatur, unus eo nomine venerit. Conf. 1 Reg. 19: 8. Malach. cap. 4: 4.

II. *Vocans*, offerens ſe Moſes

A. *Oculis*, verſ. 2. flammâ ignis in medio Rubi (ab horum fruticum multitudine Sinai nomen habuit, סיני à סנה) qui obſervavit rubum ardentem & non conſumtum; & quod iſtud præter naturam ignis & rubi foret, propius ad ſpeculandum acceſſit, verſ. 3. Factum iſtud, vel ut hujus ignis intuitu præpararetur ad ferendum ignem in Monte Sinai promulgato Decalogo. Vel quemadmodum Iſrael erat in fornace ignis; ſic Deum in anguſtiis ſpinarum rubeti quaſi verſari Pſal. 91: 15. Eſa. 63: 9. vel Iſraelem igne adflictionum uri & non conſumi, vel Pharaonem (quia mali ſpinarum inſtar 2 Sam. 23: 6.) igne judiciorum urendum & non conſumendum. Exod. 9: 16.

B. *Auribus.* Ipſo accedente propius.

a. Inclamavit, *Moſe, Moſe*, (Geminatio ad majorem attentionem pertinet, in re ſeriâ ſubitâ; Bechai Semel Deum vocaſſe ait, ſed magna vi, & hinc Echo natam, ut bis audiretur, ex Pſal. 62: 12.) atque ipſe ſe attentum præſto eſſe dixit, verſ. 4.

b. Mandavit exutionem calceorum, ob loci ſanctitatem, verſ. 5. quia ibi & jam ſe revelabat Deus; & poſt revelaturus erat. Sic 2 Pet. 1: 18, Exuere calceos juſſit, non voce חלץ quæ in negato Leviri officio, neque voce שלף quæ in contractibus obtinuit, ſed voce של *ſolve*, quod poſcatur שלילה negatio terreſtrium cogitationum & cupiditatum. Joſuæ ſingulari, Moſi plurali numero id dictum, quod hic propius illo admiſſus & acceſſerit ad cognitionem Dei. Hinc lex: *Qui in loco ſancto conſiſtit calceos exuere debet:* juxta Hebræos ſaltem hacpropter Sacerdotes in Sanctuario nudis pedibus verſati ſunt ſemper.

c. Patefecit ſe, *Ego ſum Deus patrûm tui*, hoc eſt, *patrum*, per enallagen num. ut Exod. 13: 2. Act. 7: 32. aut Amrami vel Levi, *Deus Abraham, Iſaac & Jacob.* Fœderis memoriam injicit, ut confirmet Moſen, & bene ſperare jubeat de hac viſione. Chriſtus hinc probat reſurrectionem mortuorum & recte. Bechai, Deum, uti apud Samuelem vocem Eli imitatus fuit, 1 Sam. 3; ſic hîc vocem Amrami repræſentaſſe,

& Moſen lætatum dixiſſe; *Ergo pater meus vivit.*

Moſes porrò hic occuluit faciem, Deum intueri veritus, quemadmodum Elias, 1 Reg. 19: 13. nam creaturæ manifeſtatio Dei terribilis eſt quando gratioſum ſe oſtendit Gen. 15: verſ. 17. cap. 28. 17. Etiam Seraphim tegunt faciem. Eſa. cap. 6.

NB. Vocans iſte appellatur *Angelus Domini*, verſ. 2. יהוה & אלהים, verſ. 4. Se ipſum dicit *Deum Abraham, Iſaac & Jacob.* Bechai eſt unus & idem, & Deus & Angelus Domini, ſicut Exod. 14: 19. & profectus eſt מלאך האלהים *Angelus Deus*, non *Dei*, per appoſitionem, non regimen. Nec mirum eſſe quod Moſes faciem abſconderit ab Angelo, fuiſſe enim Angelum redemtorem, הגואל Gen. 48: 16. Deum Bethel, Gen. 31: 13. Deum Abraham, Iſaac, Jacob h. l. & in quo nomen Dei, Exod. cap. 23: 21. R. Menahem. *Hic fuit Michaël, & dicitur Angelus Domini, non Dei: quia indicatur in doctrina; ſed viſus in flamma ignis ad judicium deſignandum.* Rurſum, *hic Angelus eſt Angelus Goel, qui Jacobo ſe dixit Deum Bethel; hic eſt, de quo dicitur & Angelus faciei ejus ſervavit eos*, Eſa. 63: 9. videl. Angelus ille qui vocatur facies ejus Exod. 33: 14. ſ. Eſt verus Deus, idemque Meſſias: qui Angelus Jehovæ dici ſolet. Deut. 33: 16. רצון שכני סנה *benevolentia habitantis Rubum*; quem facit autorem benedictionum. Onk. *qui habitationem ſuam habet* בשמיא. Sed Jonathan & Hieroſ. בסניא.

III. Vocatio conſtat mandato & convictione Moſis tergiverſantis.

A. *Mandatum*, verſ. 7—10. habet

א. Recitationem cur Deus apparuerit, præmiſſa nempe impulſiva externa, calamitate Iſraëlis, *vidi videndo*, (accurate) *afflictionem; audivi gemitus* ob exactores. Nam *cognovi dolores* eorum: Scire & intelligere plus eſt quam videre & audire, verſ. 7. Quid velit facere, eripere ab Ægyptiis, & introducere in Cananæam. verſ. 8. Per quem velit facere; repetita impulſiva, verſ. 9, 10.

ב. Mandatum ipſum, verſ. 10. Educ populum meum ex Ægypto.

B. *Convictio*, Moſis tergiverſantis, habet hujus Excuſationes, & Dei reſ[illegible]a.

א. *Excuſatio* Moſis, a ſua indignitate, verſ. 11. quis ego, ut *eam ad* Pharaonem; & educam Iſraëlem. מי אנכי de indignitate. 1 Sam. 18: 18. 2 Sam. 7: 18.

Refutatio, verſ. 12. contra indignitatis proteſtationem, ſui præſentiam ipſi promittens: *Nam ero tecum.* Miſſionemque confirmans *ſigno*; quod peracta eductione populi ad eum montem Deum ſint coliturі.

Sic futurum quod ſtatuitur ſignum rei præſentis: quemadmodum, Eſa. 37: 30. & cap. 7: 14. Alii tamen ſic malunt, & hoc tibi ſignum quod te miſerim, flamma in rubo eum non conſumens: quidam utrumque conjungunt. Sed prius verius.

ב. *Secunda Excuſatio*, verſ. 13. Hæſitatio Moſis, quod ne quidem Iſraëlitis ſciat edere mittentis nomen, ſiquidem id ex ſe requirant, non contenti Deum patrum appellatum. NB. Scilicet Deus in apparitionibus priſcis nomine aliquo ſe manifeſtabat, *Abraham. Ego ſum Dominus qui te eduxi ex Ur Chald.* Gen. 15: 7. *Ego ſum* אל שדי cap. 17: 1. *Ego Dominus, Deus Abraham & Iſaac* cap. 28: 13. *Ego Deus Bethel.* cap. 31: 13.

Reſponſum, verſ. 14. ſeqq. quo

a. *Edocet* de nomine, *Ehje aſcher Ehje*, & illo nomine ſuam miſſionem apud Iſraëlitas proponere jubet. Eſt hoc nomen nuſquam alibi uſurpatum, ejuſdem cum יהוה originis: utrobique tres temporum differentias comprehendi docet Bechai. Plutarch. habet tractatum de EI foribus templi Delphici inſcripto, dicitque *ει eſt* denotare Deum, qui eſt nulla ratione temporis, ſed æternitatis immobilis, tempore & inclinatione carentis; & quo nihil prius eſt, nihil poſterius, nihil futurum, nihil præteritum, nihil antiquius, nihil recentius, unico Nunc ſempiternam implens durationem. *Ei* appellamus Deum teſtantes nunquam illum de ſuo ſtatu exire, nulla mutatione affici. Additque veterum aliquos legiſſe *ει ου*. Sed hoc forte fuit *ει ει*. Atque hoc ipſum אהיה, quod Diabolus ſuo templo inſcripſit, commendationem à furtivo nomine ſibi quærens. Hoc porro nomine uſus Deus, ut immutabilitatem ſuam teſtetur, etiam quoad promiſſa. Qui fui olim Patribus, *Ero* nunc, & *Ero* in æternum. Quum enim Iſrael in Ægypto ad idola defeciſſet, merito fuiſſet repudiatus Ezech. 20: 7, 8. Sed ne hoc metuerent, dicere jubet; *Ero miſit me ad vos*, qualis olim fui: & de omni tempore futuro, *Ero qui ero.* Piſcator prioribus verbis non nomen ſed conſtantiam indicatam vult, *quid quæris de nomine? Ero ſemper idem, eoque tantum die, Ero miſit me.*

b. *Inſtruit*, quâ oratione Seniores Iſrael debeat compellare, verſ. 15. ſ. Sic ut (*a.*) quo nomine ab ipſo & aliis deinceps velit inſigniri, doceat. verſ. 15. *Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Iſaac & Jacob.* Quando promiſſa patribus facta jugiter memorari vult à poſteritate, & ſimul ſe juxta illud nomen acturum ſignificat in omnem generationem Iſraelitarum, quibus cum agit. (*b*) Quibus loquendum indicat, verſ. 16. Senioribus dignitate æque ac ætate. (*c.*) Quando proponenda ſua vocatio: quis ſibi apparuerit, quid ſibi dixerit, de liberatione ſuſcepta, viſitando eos gratiâ, & Ægyptios oppreſſores judicio, verſ. 16. & exſequenda, verſ. 17. ut in Cananæam deducantur. (*d.*) ſucceſſum promittit. verſ. 18.

c. *Inſtruit* (*a.*) de oratione ad Pharaonem comitibus ſeniоribus Iſrael habenda, verſ. 18. cauſa petendæ dimiſſionis. Deum Hebræorum (ſic enim ab antiquo dicebantur inter Ægyptios, Gen. 39: 43, 47.) ſibi occurriſſe, videlicet jubentem locum & modum cultus. (*b.*) Petitione ipſa: quoad locum & cultum.

d. Eventum *prædicit*. Quoad *Pharaonem* negaturum dimiſſionem, ne quidem expertum manum fortem, verſ. 19. quoad *ſe*; prævaliturum ſe tandem plagis & miraculis, verſ. 20. quoad *Iſraelem*; ſe procuraturum, ut mercedem amplam efferant, cujus indipiſcendæ modum docet, verſ. 21, 22.

Quæritur. I. Quomodo à vicinis potuerunt poſtulare vaſa, cum habitarent in Goſen? Exod. 8: 22. cap. 9: 26. Reſp. I. Habitarunt in Goſen, ſed non ſoli; neque enim in ſolitudinem venerant Jacob & filii, ſed in cultiſſimam terram. Neque etiam Ægyptii inde aliò abducti: quod tamen occaſione coloniarum à Joſepho fieri potuiſſet. Ibi ergo habuerunt vicinas, & locatrices Ædium, nihil proprii poſſidentes fundi. II. Cum angariarentur, ad operas publicas & privatas, diſperſi fuerunt per Ægyptum, ut hi immixti vixerint aliis.

Quæritur II. Annon Deus imperarit furtum? Reſp. Deus omnium rerum Dominus poteſt aſſignare bona cui vult, & transferre dominia, ut majora, regnorum, ſic minora, ſuppellectilium. Et ſic promiſerat Abrahamo, Gen. 15: 14. fuitque juſtum, ſic agere Iſraëlitas I. quia Deus juſtiſſimus juſſit, cui ſimpliciter obtemperandum. II. Quia fuit merces duræ ſervitutis, non tantum regi, ſed privatis quoque præſtitæ. III. Quia Ægyptii volentes conceſſerunt uſum, neque repetierunt, ſed una cum ſuis rebus expulerunt, quo vitam redimerent quaſi. cap. 11: 2, 3. cap. 12: 35, 36. & verſ. 31, 33. Bechai. *Abſit ut Deus juſſerit* לנגוב ועת הצריות *decipere homines ut mutuarentur & non reſtituerent. Sed* To שאל *petitionem notat non ſolum mutui, ſed etiam doni*, ut Jud. 9: 24. & 1 Reg. 2: 16. *Et juxta ipſum dono petierunt hic. Ut verò adſentirentur id effecit Deus.* To וישאילו Exod. 12: 36. non tantum eſt mutuo dare, ſed etiam petitionem largiri, quomodo hic Belgæ, **Wat ſy hen hare begeerte deden.** Verbum נצלתם adhibetur de tranſlatione Dominii ab injuſto ad juſtum poſſeſſorem, etiam citra omnem vim, aut ſpeciem injuſtitiæ. Gen. 31: verſ. 8, 9. Hæc explicatio minime omnium cavillis obnoxia eſt.

CAP. IV.

ג. EXcuſatio tertia. ℣. 1. Ab Iſraelitarum incredulitate & inobedientia: *Ipſi non credent mihi, neque obtemperabunt voci meæ.* Fides verbi antecedit obedientiam operis: & hinc, quid primum in lapſu Evæ; ceſſavit credere Dei verbo, & hinc inobediens facta. Ratio dicent, *Deus tibi non apparuit.* Fingere me dicent iſtiusmodi revelationem & mandatum. Qui olim dixerant, vindicem Moſe ſe oſtenden-

te,

te, quis te conſtituit judicem, etiam nunc fidem miſſionis non habebunt.

Reſponſum, verſ. 2---9. Dat ei poteſtatem patrandorum miraculorum, ad confirmandam miſſionem â Deo, cui ſoli poteſtas mutandi naturas rerum, quas ipſe condidit. Quique cooperatur iis, quibus utitur ceu inſtrumentis extraordinariis patefaciendæ ſuæ voluntatis. *Miracula* ſunt tria.

a. *Mutatio Scipionis in Serpentem*; heic, (a.) res mutanda, verſ. 2. Scipio, quo tanquam paſtor, viator, vel etiam ſenex juxta Abrabanel utebatur. (b.) Factum Moſis, projectio in terram, ex mandato; (c.) mutatio, factus eſt Serpens, verus, ut fugeret inde Moſes. verſ. 3. (d.) Reſtitutio, verſ. 4. ubi modus mandatus, Apprehenſio caudæ, ubi minus tutum; & Obedientia Moſis, & converſio in Scipionem.

Finis ſigni, ut credant apparitioni Moſi factæ ejus Dei, qui Miracula patraſſet coram patribus, verſ. 5.

b. *Manus leproſæ*; ubi (a.) juſſus manum ſanam in ſinum immittere; quod fecit, & eduxit leproſam, verſ. 6. Abrabanel non in ſinu morbidam factam putat, ſed quam primùm inde emoviſſet. (b.) Reſtitutio, verſ. 7. juſſus recondere in ſinum: unde educta rurſum. Prorſus fuit integra.

Finis, verſ. 8. ut ſi primum miraculum minus foret efficax ad perſuadendum, moverentur ſecundo. Signis tribuitur vox: quod ſint verbum viſibile. Abrabanel: *quia non omnes Iſraelitæ viderunt hæc ſigna, ſed ſolum Seniores, adeoque reliqui ex his audientes, verè vocem eorum ſeu de iis audiverunt.* Pſal. 105: 27. דברי אותותיו.

c. *Aquæ ſanguineæ*, ubi præmittit finem, verſ. 9. ſi necdum perſuadeantur. Aquam ex flumine hauriendam & effundendam in terram, ut videant eſſe aquam, ſed effuſam, commutandam in ſanguinem.

NB. Bechai de duobus prioribus; Deum ſic oſtendiſſe quod ſit vivificans & necans: Scipio vitæ expers, factus eſt Serpens vivus, & manus viva mutata eſt in mortuam, per lepram Num. 12: 12. Abrabanel: *Signum primum exhibuit Pharaonem, qui cum fuiſſet ſcipio, imbellis, factus eſt tyrannus, ſerpens nocentiſſimus, ſed tandem rediit ad conditionem innoxiam, exſtinctus in mari.* Secundum Iſraëlem, qui integri religione egreſſi ex Cananæa, quæ ſinus inſtar fuerit, in Ægypto idololatria ceu Lepra fuerint infecti; non omnes, ſed quidam qui in opere Ægyptiorum, ut manus; reſtituendi in Cananæam reducti. Tertium Ægyptios, qui crudeles per aquam, hanc ſuo ſanguine tincturi erant. Hinc coram Pharaone primum & tertium patratum eſſe, non ſecundum, quia id ſolos Iſraëlitas attinebat.

Ainſworth. *Moſis miniſterium incredulis & inobedientibus mortis eſt, ſed fidelibus ſcipio ducens ad ſalutem.* Moſes fugiens Serpentem, primi deceptoris meminiſſe dicitur Raknatenſi. Sed apprehenſum in caudâ vires amiſiſſe; hoc eſt, verſutum in ſua verſutia apprehendi, quando fide reſiſtitur.

ד. *Excuſatio* quarta. Ab ineptitudine, verſ. 10. ubi (a.) deprecatio, בי אדני, propoſitio, non eſſe ſe eloquentem, (b.) confirmatio, antiquum ſibi vitium eſſe, neque emendatum ex quo Deus ſecum ſit ſermocinatus; cauſa, balbuties, ex linguæ vitio.

Reſpondet Deus, (a.) reprehendens excuſationem, quæ haberet ſui criminationem; cum ipſe facundiæ largitor ſit, & cujus moderamine fieret ut quis valeret dotibus corporis, vel deficeret. verſ. 11. (b.) Confirmans eum, promiſſione ſuæ benedictionis, ut rite quod & quæ loquenda, ſuggereret, verſ. 12.

ה. *Excuſatio* quinta, verſ. 13. eſt deprecatio, & ſimplex amolitio à ſe in quemcunque alium: deſperans de ſermone conveniente.

Reſponſio, habet tum reſpondentis indignationem ob tergiverſationem, verſ. 14. tum remotionem difficultatis, addito Collega, Aarone fratre, quem commendat ab eloquentia; prædicit occurſurum, optimo affectu; jubet ei communicare ſua mandata; promittit utrique præſentiam gratioſam, & inſtructionem in obeunda legatione, ℣. 15. Conſtituit Aaronem internuncium Moſis ad populum; qui Moſi os accommodaturus eſſet, & viciſſim à Moſe mandata Dei accepturus, verſ. 16. denique Scipionem aſſumere jubet, tauquam inſtrumentum patrandorum miraculorum, verſ. 17. non inſitâ virtute, ſed liberâ deſtinatione Dei, ut eſt, verſ. 2.

NB. Fabula eſt tum de baculo iſto in horto Jethronis enato & ex indicio Zipporæ à Moſe decerpto, uti etiam de aduſta linguâ & ore in Ægypto, Angelo ejus manum moderante.

C. *Obedientia* vocati. ubi

א. *Petitio dimiſſionis* à Socero, ad inviſendos fratres; quam impetravit, verſ. 18.

ב. *Animatio Dei*, indicantis Pharaonem aliosque perſecutores defunctos eſſe. verſ. 19. NB. Hic metus fecit tergiverſantem, quamquam diſſimularit, quod ſibi eò ire neutiquam tutum putaret.

ג. *Comitatus*, verſ. 20. uxor & filii cum aſino eos vehente. Iter, nec non inſtrumentum miraculorum, ſcipio nempe, quem Dei vocat, quia à Deo deſignatus fuit in illum uſum.

ד. *Repetitum mandatum* de patrandis miraculis mandatis coram Pharaone, cum prædictione eventus, ob indurationem cordis ejus, quam ſibi Deus adſcribit. verſ. 21. Nec non inſtructio ſeu formulæ præſcriptio, verſ. 22, 23. ubi jus Dei in Iſraëlem, υἱοθεσία, eſt primogenitus; poſtulatum dimittendi Iſraëlem; & minæ de necando primogenito tergiverſantis. NB. Deus minatur indurationem Pharaonis ſe effecturum. In pœnam videlicet tyrannidis: qui in ſeqq. proprio crimine ſe obduraſſe dicitur. Maimon. de Reſip. cap. 6: 83. *Peccat quandoque homo adeo graviter aut multum, ut judicium contra eum ſtatuatur, à Judice veritatis vindictam de eo ſumendam, eoque negatur ei reſipiſcentia.*

ה. *Caſus itineris*, verſ. 24. ſ. in diverſorio;

a. *Domino* quærente necare Moſen ob neglectam circumciſionem filii. Chald. & Gr. *Angelus Domini.* NB. Gen. 17. verſ. 14. Pœna neglecti ritus circa infantes, non in hos, ſed in parentes ſtatuta. *Dominus* fuit *Angelus fœderis*, Mal. cap. 3: 1. qui ut ejus mediator, ſic quoque violati vindex.

b. Remedium adhibitum â Zippora, circumcidendo filium, coticulâ, vel acuto cultro, qui צור dicitur. Sic Joſ. cap. 5: 3. & fecit ut præputium filii tangeret pedes ejus. Moſis morbo præternaturali, orto ex omiſſo mandato Dei, applicuit remedium prorſus extraordinarium, teſtimonium obedientiæ præſtitæ. Quod addit, *nam Sponſus ſanguinum mihi es:* quidam cenſent indignationis eſſe; quod fundendus fuerit ſanguis filii vel patris ob legem illam circumciſionis. Sed annon potius obedientiæ vox eſt? tetigit eum præputio filii, & dixit, quia Sponſus (maritus) Sanguinis, (reus mortis) mihi es, hoc facio, ut quod tu neglexiſti, præſtitum à me ſit, tuæ ſalutis ergo. Et Menahem: fol. 82. col. 3. *Scintillavit in eâ Spiritus Sanctus benedictus ille.*

c. Eventus, remiſit Deus à Moſe, ne ultra inſtaret ei necando; atque Zippora dixit, Maritus reus mortis fuiſti ob circumciſionem ſcilicet neglectam: למולות æque poteſt ſingulare eſſe ac plurale. Rabb. plurale referunt ad מילה & פריעה & repetitionem חתן דמים ad utrunque referunt.

NB. An recte factum à Zippora quod circumciderit filium? Reſp. Omnino. Non erat actio adminiſtrantium ſacra, ſed cujusvis patris familias; jam Patre ægro, proxima erat mater; maxime cum alius mas nullus adeſſet. Nulla alia mater legitur feciſſe; quia puerperæ octo dierum infirmæ ſunt, ſed hic prorogatum erat tempus. Poſcebat periculum mariti. Sed non inde baptiſmus mulierum probatur; quia prædicatio verbi, illius adminiſtrationi conjungitur. Matt. 28: 19.

Quæritur ubi Zippora manſerit? nam non unà profecta eſt. Reſp. Ajunt indignatam abiiſſe dimiſſam à marito ad Patrem, Exod. 18: 2. Satius ob filii vulnus non auſam progredi, ſed manſiſſe dum ſanaretur. Gen. 34. Joſ. 5. Moſen quod morari non auderet, profectum in Ægyptum, quo cum ſola cum liberis pergere non poſſet, regreſſa eſt ad Patrem, cui vicinior erat.

ו. *Occurſus Aaronis*, verſ. 27, 28. qui excitatus mandato Dei, obviam proceſſit ad montem Dei (ob apparitionem ibi factam) atque oſculo excepit, verſ. 27. ibique Moſes vocationem ſuam, ejuſque circumſtantias & documenta ei

recitavit, verſ. 28. quando etiam ſubſtitutio Aaronis declarata fuit.

ג. *Legationis indicium* factum Iſraelitis, ubi (a.) *congregatio* Seniorum, verſ. 29. (b.) *Propoſitio* facta ab Aarone Moſis interprete, ſed ſigna confirmantia ab ipſo Moſe addita, verſ. 30. (c.) *Eventus*, populi *fides*, poſtquam audiviſſent Deum ſe viſitaturum obſervata ſua afflictione; & *gratiarum actio*; inclinantis caput, & incurvantis corpus religioſe, verſ. 31. illud ad declinandum judicium, iſtud ad impetrandam gratiam.

CAP. V.

EDUCTIO FOEDERANDORUM ex Ægypto & poteſtate Pharaonis fuit I. poſtulata cap. 5—11. II. extorta cap. 12—15.

I. *Poſtulata* eductio ſæpius, ſed citra ſucceſſum. Etenim

A. *Prima Actio* cum Pharaone, cap. 5. 6. 7: 12. ubi, Colloquium mutuum & Conſequentia.

א. In *Colloquio* eſt

a. *Propoſitio legatorum prima*, verſ. 1. (a.) Legati Moſes & Aaron, (b.) ad quem Pharao, (c.) quod proponunt, (α.) indicant Legantem, *Dominus Deus Iſrael.* (β.) & mandatum: *Dimitte populum meum*: ubi jus Dei; poterat etiam inconſulto Pharaone eos educere, quia ſuos: ſed quia tam diu peregrini hoſpites ibi fuerant, petit dimiſſionem. (γ.) Ratio, *ut feſtum mihi agant in deſerto.* Extra territorium ipſius, aut alius, ne quid injuriæ ab ipſis vel ſibi, vel vicinis fœderatis metueret; non belligeraturis, ſed gaudia acturis. Feſti nulla unquam mentio facta antea; ſed intelligitur Sabbathum, quod non potuit obſervari per angarias: & Ægyptii feſta vocabant, quando feriabantur religionis ergo.

Reſponſum Pharaonis, verſ. 2. qui tergiverſatur, ceu ignorans legantem & jus ejus in hoc poſtulato. Deinde abſolute negat, contemto legante & mandato ejus.

b. *Propoſitio altera*, verſ. 3. tergiverſationi oppoſita, quâ erudiunt (a.) de legante, eſſe Deum Hebræorum, qui ſibi occurrerit. (b.) De mandato, petita licentia obſequendi, indicato (α.) loco, iter tridui in deſerto, & (β.) facto ſuo ibi, ſacrificiorum oblatione. (γ.) Denique fine, ne peſte aut bello ſibi infeſtus occurrat. 1. à facili, 2. ab æquo, 3. ab utili.

Reſponſum ſecundum, ubi *Rex Ægypti* dicitur, utpote qui poteſtate ſua uti voluit: quo (a.) increpat Moſen & Aaron otium poſtulantes populo. (b.) Jubet onera ſua, ſeu oneroſam ſervitutem repetere. verſ. 4. (c.) Rationem reddit ob multitudinem populi, quem ceſſare non ſit conſultum, verſ. 5. עם הארץ Hebræis idiotæ, vulgus, plebs viliſſima, & ejus quaſi fæx. Et hoc fere ſenſu hîc accipitur.

ב. *Conſequentia*, quoad

a. *Pharaonem*, auctæ angariæ; verſ. 6. ſeqq. ubi (a.) mandati *circumſtantiæ*, verſ. 6. (α.) tempus, illo ipſo die; (β.) perſonæ quibus, (γ.) Exactores, qui Ægyptii; & moderatores qui Iſraelitæ. Utrique præfecti operarum, ſed illi ſuperiores. (b.) *Mandatum*, de non ſuppeditando ultra ſtramine; quod ipſismet laborantibus quærendum relinquant, verſ. 7. deque non imminuendo penſo laterum conficiendorum. ℣. 8. (c.) Ratio mandati, otium & deſidia populi demonſtrata petitione dimiſſionis ad cultum ſui Dei, ℣. 8. (d.) repetitum *mandatum*, de aggravanda ſervitute, ut in ea occupatis, non vacet mendacibus ſermonibus attendere. verſ. 9. Sic ergo Moſen & Aaronem *mendaces* vocat, & Iſraelitas mendaciis ſe paſcere.

b. *Iſraelitas*, (a.) *Indicatum* ipſis quod mandarat Pharao, verſ. 10. ſ. Imperantes Exactores & Moderatores. Autoritas, mandante rege; Mandatam, negatio ſtraminis, ab ipſismet conquirendi, & exactio rigida penſi priſtini, verſ. 10, 11. Unde ſecuta diſperſio populi quærentis ſtramen, verſ. 12. (b.) *Exactum penſum*, & ejus non præſtatio caſtigata verbis, & verberibus in Moderatoribus. verſ. 13, 14. (c.) *Moderatorum querelæ* ad Pharaonem, de injuria, verſ. 15, 16. negatâ materia, & poſtulata laterum ſummâ. (Heic וחטאת עמך vel Ægyptios notat, qui populus ſint, cum ipſi ſervi. Vel, *& reus eſt* populus tuus, reatus & peccatum ei imputatur, cum culpâ careat.) (d.) *Pharaonis reſponſum* durum, accuſantis eos deſidiæ & otii, ob petitam ſacrificii licentiam, verſ. 17. repudiantis petitionem, & confirmantis nova onera, verſ. 18.

c. *Moſen & Aaronem.*

a. *Accuſantur* à Moderatoribus Iſraelis; cujus (α.) *cauſa* quod ſe malo loco eſſe viderent, qui ſic dimitterentur re infecta à Pharaone, verſ. 19. (β.) *occaſio*, occurſus inopinatus, verſ. 20. (γ.) *Accuſatio* ipſa: (1.) Deum vindicem invocant contra ipſos; (2.) *culpam* indicant, quod fœtere feciſſent eos, bonum nomen & opinionem de ſe, ceu fidis ſervis deducentes in ſuſpicionem deſidiæ & malæ fidei; & *periculum* inde metuendum, ſui interitum, armatis in id Ægyptiis, quos exacerbaſſent, verſ. 21.

b. Moſes *queritur* apud Deum, de calamitate populi cujus Deum autorem facit: deque ſua legatione, verſ. 22. quia ſucceſſu caruerit; rebus Iſraelis deterioratis per Pharaonem poſt auditam legationem; & Deo vindicias non præſtante, verſ. 23. NB. Deo dicit Moſes הרעות huic populo: hoc eſt, *ſiviſti* Pharaonem *malo afficere* eos, uti verſ. 23. vel auxiſti calamitates populi, quia harum autor Deus Lam. 3: 37, 38. Amos 3: 6. Eſa. 45: 7. & Deus malefacit ſic ſuis diverſo fine, ad convictionem Job. 33: 19. Eſa. 57: 17. 1 Cor. 11: 30. ad explorationem Deut. 8: 15. atque ut plus boni eis largiatur, quæ ſunt ייסורין של אהבה de quibus Pſal. 94: 12. ſ.

CAP. VI.

c. *Confirmatio* Moſis, cui

a. Promittit experimenta liberationis. verſ. 1. Viſurum quid ipſe acturus ſit Pharaoni; propter manum fortem, quam ſenſurus ſit, non tantum dimiſſurum, ſed cum feſtinatione dimiſſurum, expellendo quaſi.

β. Inſtruit eum de ſuâ natura & voluntate erga Iſraelem; de *natura*, quod ſit יהוה, verſ. 2. quomodo patribus non fuerit notus quibus אל שדי apparuerit. De *voluntate*, verſ. 3, 4. quod patribus, etiam fœdere promiſerit Cananæam, verſ. 3. quodque calamitatis præſentis gnarus, fœderis rationem ſit habiturus, verſ. 4.

NB. Notus fuit Deus patribus ut אל שדי Gen. 17: 1. & quinquies poſtea. Sed annon etiam nomen יהוה noverunt? quo Deus ad ipſos, & ipſi viciſſim uſi ſunt Gen. 14: verſ. 22. cap. 15: 2, 7, 8. cap. 28: 13. cap. 32: 9. Reſp. Non loquitur de ſcientia nominis, ſed de experientia efficaciæ ejus, in præſtandis promiſſis. Experti erant אל שדי in omni peregrinatione, quod ſpeciatim agnoſcit Jacob Gen. 32: 9. ſ. & cap. 48: 15, 16. ſed nullam earum promiſſionum quæ Abrahamo dictæ erant de hæreditate Canaanis præſtitæ, ut quæ in 400. annos differebantur. Unde etiam ſpes experientiæ ipſis nulla; ſed fides, de poſteris fruituris, ut Joſeph, Gen. 50: 24. Jam vero talem ſe probaturus erat. Hinc ſæpe poſtmodum, cum de promiſſis præſtandis ſecuros reddere vult, (imò etiam de judiciis quandoque Lev. 19: 12, 14, 16.) addit, *Ego Jehova.* Lev. 26. fin. NB. Judæorum hæc traditio eſt. *Quare Iſraelitæ precantur in hoc ſeculo & non audiuntur? quia non norunt explanatum nomen Dei* יהוה: *Sed in futuro mundo qui Meſſiæ, revelabit eis Deus, & tunc audientur.* Conf. Joh. 16: 23, 24, 26.

γ. Dictat quomodo alloquendi Iſraelitæ, indicio hujus nominis אני יהוה, declaratione ejus, præſtiturus tum *eductionem* ex ſervitute Ægyptiâ, addito modo liberatoris, verſ. 6. tum *aſſumtionem* in populum fœderatum. Ut ſe יהוה præſtantem promiſſa agnoſcant, verſ. 7, tum *introductionem* in terram, patribus juramento promiſſam; hæreditario poſſidendam. Addito rurſus illo nomine, verſ. 8. מורשה non ירושה quia non egreſſi ex Ægypto, ſed horum liberi ipſorum jure acceperunt. Bech. Idem vocabulum Deut. 33: 4. ita quoque finis legis Chriſtus non ad ipſos ſed ad poſteros pervenit. Cujus orationis ſucceſſus indicatur, verſ. 9. Iſraelitis non attendentibus, ut partim animum deſpondentes, & fracti labore.

δ. Jubet repetere mandatum ad Pharaonem, verſ. 10, 11. tergiverſante Moſe, argumento à minore, *Iſraelitæ non audiunt, multò minus Pharao.* Item à ſua ineptitudine, *præputiatus labiis ſum*, verſ. 12.

ε. Mandat denuo Moſi & Aharoni legationem ad Iſraelitas,

tas, & Pharaonem, nec non eductionem populi, verſ. 13.

Genealogia horum legatorum inſeritur; ducta recenſione à Rubene, & Simeone, quæ tribus natu majores; & tum de Levi, quam genealogiam ſic texit, ut eorum etiam deſcendentium ætatem annotet, unde recta lineâ Aaron & Moſes orti fuerunt, verſ. 14. ſeqq. de quibus tandem refertur quod conſtituti fuerint, Liberatores populi, ℣. 2. & Oratores ad Pharaonem. verſ. 26. Abrabanel *Genealogia inſtituitur, ad indicandos duces populi. Incipit ergo à Ruben primogenito, in cujus familiis, cum non reperiretur dignus, nominaſſe ſat habuit: Similiter in ſecundo Simeone. Sed quia in tertio Levi inveniuntur, illos recenſet, & ætatem eorum qui patres erant Moſis & Aaronis, ne quidem matribus & uxoribus præteritis.* NB. verſ. 25. præmittitur nomen Aaronis, ætatis ergo: at, verſ. 26. Moſis, ob dignitatem muneris. Et huc pertinet, verſ. 27. *& fuit quo die Dominus locutus eſt, locutus eſt ad Moſen in Ægypto:* quia non ad Aaronem locutus eſt Deus immediate, ſed per Moſen. Nam, ℣ 27. per ד ſeparatur à ſequentibus.

B. Actio ſecunda cum Pharaone, verſ. 28. cap. 7: 13. cujus

א. Antecedanea,

a. *Mandatum Dei*, verſ. 28. ubi præmittitur in confirmationem. דבר אני אליך; jubetque non niſi imperata loqui.

b. *Excuſatio Moſis* tergiverſantis, ob vitium linguæ, quod alienaret Pharaonem, verſ. 29. ſcilicet non magni facturum Deum legantem, qui non haberet Legatum magis idoneum.

CAP. VII.

c. D*Ei confirmatio* nova,

a. *A dignitate* & adminiſtratione muneris amborum, Moſis & Aaronis, verſ. 12. qui, quo ordine, & quid facere debeant. NB. *Moſes Pharaoni vice Dei*, quia non tantum mandata Dei perferebat, excipienda tanquam à Deo profecta: ſed potiſſimum, quia uti Deus non immediate alloquebatur Pharaonem, qui tamen verbis Dei mediate prolatis, religioſam audientiam & obedientiam debebat; ſic quoque Moſes non immediatè locuturus erat Pharaoni, (quod deprecatus toties fuit, ob linguæ vitium,) ſed per Aaronem, (qui hinc ipſius propheta) & tamen verbis Moſis per interpretem pronunciatis fides religioſa debebatur. Exod. 4: 16. *Moſes Aaroni in Deum, & Aaron Moſi in os.* heic verſ. 2. explicatur. Deus loquitur prophetæ, propheta populo: ſed jam Moſes loqui debuit Aaroni, Aaron populo. Igitur jam tunc cœpit Moſes eſſe magnus ille propheta, in cujus ore Deus verba ſua dederat, Deut. 18: 15. 18. & cujus os ſeu interpretes fuere ſecuti omnes; & ipſe eis vice Dei Mal. 4: 4. donec veniret alter propheta, ipſi ſimilis, & in ejus locum ſucceſſurus, cujus os reliqui Doctores qui ſecuti ſunt.

b. A ſucceſſu, tum *inobedientia* Phar. cujus cauſa, induratio Dei, verſ. 3. occaſio, multiplicatio ſignorum, verſ. 3. inobedientia ipſa, verſ. 4. tum *pœna Ægyptiorum*, verſ. 4. ut ſe agnoſcant, ſuamque potentiam, verſ. 5. tum *eductione Iſraëlis*, verſ. 4, 5. NB. *Ponere manum*, videlicet vindicem. Bechai. *Si Deus induravit ne dimitteret, & propter hoc poſt punivit, injurius fuit. Reſp. quia antea malus fuit, merito ipſi negata reſipiſcentia, quæ alioqui removiſſet plagas. Hæretici ergo dicent, non fuit in ejus poteſtate reſipiſcentia. Reſp. Obturetur illorum os. Quando Deus irriſores irridet, adhortatur eos ſemel, bis, ter, & ſi non convertuntur, peſſulo claudit oſtium reſipiſcentiæ: quomodo cum Phar. actum, quinquies negavit dimiſſionem, ergo Deus dixit, addam impuritatem ad impuritatem tuam, & ab eo tempore in quinque ultimis plagis, dicitur, & induravit Deus.* Iſraëlem vocat צבאותי quia multitudo magna; Abrab. *quia adeo dilecti Deo, ut exercitus cœlorum.*

d. Obedientia Moſis & Araonis, verſ. 6. quorum ætas indicatur; hic 83. ille 80. annorum fuit, verſ. 7.

NB. Abrab. hic agit de Iuduratione cordis, & quomodo ea Deo tribuatur. Aitque Maimonidem docere: „ Quando peccat quis grande peccatum aut multa peccata, „ ut tandem à judice veritatis ſententia pronuncietur, ultionem peccatorum ſumendam eſſe de illo peccatore, & „ prohibendam ab ipſo reſipiſcentiam: neque dari ei facultatem reſipiſcendi, ut moriatur & pereat in peccatis ſuis. „ Eſa. 6: 2 Chron. 36: 16. exemplo Pharaonis & Sihonis. „ Deut. 4: 30. Cui etiam Ramban conſentiat. Impio ſemel, „ iterum, tertio mandatum Dei aſpernanti claudi portas reſipiſcentiæ, ut ab ipſo ſumatur ultio. Sed id diſplicet Abrab. quia Reſipiſcentia nunquam inutilis, Deo nolente mortem, volente reſipiſcentiam peccatoris: quamobrem dixerint, *Reſipiſce die uno ante mortem.* Propterea, nullam eſſe cauſam cur ita ſtatuatur in Sihonem, qui non gravius peccavit regibus Edomi & Moabi, pariter negantibus tranſitum Iſraëli. Ipſe ergo de Induratione reſpondet tripliciter. I. Peccata quædam eſſe contra Deum, alia contra proximum, & utriſque deberi pœnas & caſtigationes. Sed priora reſipiſcentibus condonari à Deo, & removeri judicia: quamquam profanatio nominis Dei non condonetur, niſi morte temporali interveniente. Verum poſteriora reſipiſcentibus non condonari, ſic enim omnia judicia fore abolenda; ſed debere pœnas ſtatui, & removeri homicidas & alios maleficos de terrâ. Pharaonem autem & Ægyptios non ſolum reos fuiſſe Deo per idololatriam, ſed etiam Iſraëlitis multiplici homicidio & oppreſſione injuſtâ, perinde non potuiſſe iis concedi reſipiſcentiam, verum fuiſſe puniendos. Dictum Ezech. 18: *nolo mortem peccatoris*, loqui de prioris generis peccatis contra Deum. II. Aliud eſt ἐκζητεῖν poſcere mortem animæ peccantis: ſed ἀνιέναι admittere reſipiſcentiam, & condonare pœnam. Hanc autem ſoli Eccleſiæ, populo peculi, concedi Deut. 4: 7. & verſ. 30. Hoſ. 14: 5. ſ. Aliis vero gentibus haut facile prodeſſe reſipiſcentiam, quia ſint idololatræ, ſimiles lavanti ſe & abominandum reptile in manu tenenti, hoc eſt leviores ſordes abluenti, graviorem retinenti. Et ſic Pharaonem non admiſſum ad reſipiſcentiam, ejuſque fructum, quod foret & maneret idololatra. III. Quod maxime probat: Duritiem cordis in Phar. & Sichone inde non eſſe, quod Deus inclinarit eorum corda, ne obtemperarent verbis Moſis, (quæ vera durities cordis,) ſed duritiem cordis proceſſiſſe à plagis per accidens. Nam quando vidit plagam ſanguinis, & quod mox finem acceperit, non perennans, credidit non eſſe negotium divinum, ſed naturale & à quadam conſtellatione. Similiter de ſeqq. plagis, quia non durarunt diu, opinatus eſt, nihil in iis eſſe divinum, atque ſe obfirmavit, ne ea propter dimitteret Iſraëlem, quamvis inſtante Moſe & Aarone. Adeoque cauſa obdurationis cordis ejus nulla fuit niſi multarum plagarum immiſſio & repentina remotio; & quia per eas obduratum eſt cor Pharaonis, poſtea dicitur Deum obduraſſe cor ejus, ipſumque prohibuerit, ne faceret ſuam voluntatem, ſed quia immiſit plagas illas, quarum occaſione venit in illam duritiem & gravitatem cordis: & hoc tantum ſenſu dicitur Deus aggravaſſe cor ejus. Huc facit illud Exod. 9: 14. ſ. hoc eſt, erat in poteſtate Dei immittere plagam unam, quæ non recederet uſque dum dimiſiſſet eos: ſed fecit Pharaonem ſupereſſe, removendo plagam quæ venerat, & ſubmittendo aliam illius loco, ut ipſi magnam ſuam potentiam oſtenderet, atque ut nomen ſuum innoteſceret. Sic in Sichone; cum Edom & Moab negaſſent Iſraëlitis tranſitum, atque hi juſſu Dei, declinarent, & circuitu uterentur, Sihon illorum exemplo confirmatus fuit, ut idem à ſe poſtulatum negaret; atque armata manu terminum ſuum tueretur, quomodo non declinantibus, ſed contra pergentibus Iſraëlitis prælium commiſſum, ipſe victus, & tota ejus terra ab his occupata fuit. Igitur Deus non prohibuit Pharaonem, ne dimitteret populum; neque Sihonem, ne concederet tranſitum; per ea: ſed fuit cauſa illic per plagas quas immiſit & mox removit, & hic per declinationes Iſraëlis à termino Edomi, Ammonis, Moabi, quas imperarat, ut uterque induraret cor ſuum; & iccirco in omnibus iſtis actionibus Deus quidem fuit cauſa efficiens, ſed non proxima per ſe; primo, פועל קרוב בעצם ובראשונה verum remota aut per accidens פועל רחוק או פועל במקרה. Nam fuit Deus cauſa proxima & per ſe plagarum & remotionis earum, & quod declinarint Iſraëlitæ ab Edom. Sed plagæ illæ earumque remotio fuerunt cauſa proxima & per ſe duritiei cordis Phar. & declinare Iſraëlis cauſa proxima & per ſe obdu-

„ du-

„ durati cordis Sichonis. Ita quoque hoc l. dicitur. *Obdura-*
„ *bo cor Phar. & multiplicabo ſigna mea* &c. nam à multitudi-
„ ne ſignorum & remotione earum, venit durities cordis
„ Phar. ut non obtemperaret; unde additur, & non audiet
„ vos &c. quomodo declaratur cauſa obdurationis. Hactenus Abrab. Multa hic elegantur dicta, ſed tamen efficacia providentiæ Dei non ſatis declarata, quâ negavit Pharaoni rectum judicium, ut immiſſa & remota judicia interpretaretur ad perſuadendam ſibi poſtulatæ dimiſſionis negationem, non autem conceſſionem: & Sichoni ut imitari mallet Edomum, & vicinos alios, quam tranſitum indulgere, ut Pſal. 105: 25. quemadmodum quando Rehabeam potius juniores quam ſeniores Conſiliarios ſecutus eſt. 1 Reg. 12: 15.

ב. Actio ipſa, quæ habet mandati & obſequii concordiam; ubi

a. *Mandatum*, verſ. 8, 9. de edendo miraculo mutandi ſcipionis; cujus (*a.*) occaſio, poſtulatum à Pharaone portentum, verſ. 9. Abrab. תנו לכם מופת *vobis* non *mihi*: quia poposcit demonſtrationem, quod ſint prophetæ, miſſionis demonſtrationem habentes divinam, quia à Deo ſe legatos dicebant. (*b.*) Modus, imperanda Aaroni patratio. *Scipio* hic dicitur *Aaronis*: an quod Moſes ſuam illi tradidiſſet? vel quod idem proprio peregerit Aaron? Hoc mavult Abrabanel; aliis prius placet. Illud יהי לתנין vel habet ellipſin copulæ, vel erunt verba Moſis jubentis mutationem: ſic qui conſtituitur לאלהים loqueretur ex dignitate loci, imperativè, ſicut Deus in creatione יהי אור &c.

b. *Obſequium*, verſ. 10. Hoc loco eſt תנין *draco*: aſt cap. 4: 3. vocatur נחש *ſerpens*, uti etiam cap. 7: 15. Abrabanel diverſa facit. per נחש repræſentatum Pharaonem per תנין Moſen, egreſſum ex Nilo; Sed ſatius Synonyma dicuntur.

c. *Conſequentia*, Examen Pharaonis de ſigno, ubi (*a.*) *Convocatio* Sapientum & Incantatorum, verſ. 11. *Illi* periti naturæ, conſulti, an mutatio iſta naturaliter fieri poſſet? qui videntur negaſſe; indeque rejecti & neglecti, cum poſtmodum nulla ipſorum occurrat mentio. *Iſti* Magi præſtigiatores, an arte præſtari poſſet? quod affirmarunt (*b.*) *Imitatio*, verſ. 11, 12. medium, incantationes, præſtigiis, quibus eluduntur oculi, qui præſtringuntur tanquam fulgore, verſ. 11. modus agendi ſimilis, verſ. 12. בלהטיהם nam להט *flammam* notat. at verſ. 12. dicitur בלטיהם, à לוט *involvere*, tegentes quaſi ab oculis, ne id quod res eſt videant; vel בלט *clanculo*, quia ſecretis muſſitationibus & murmuri vim immutandi adſcribunt. (*c.*) *Defectus* imitationis, verſ. 12. ſcipio Aaronis deglutivit ſcipiones ipſorum; Annon mutatus in ſerpentem ſcipio dicitur ſerpens? & ſic in corpus Chriſti mutatus panis, panis dicitur? Serpens Aaronis, cum reſumtus rediret in ſcipionem, deglutivit & abſorpſit ſcipiones magorum. Magi vocantur 2 Tim. 3: 8. *Jannes & Jambres*, & ſic quoque in Talmude & apud Hebræos: etiam in Targ. Jonathan. (*d.*) Pharaonis *Judicium* ex effectu, verſ. 13. confirmavit ſe contra legatos & legantem, ceu qui nil probaſſent ſolide, ut legationi foret aliquid fidei aut obſequii tribuendum.

C. *Actio tertia*, verſ. 14---25. una cum *plaga prima*. Hujus ſunt.

א. *Antecedanea*, verſ. 14. (a.) impulſiva, grave cor Pharaonis probatum per dimiſſionis negationem, verſ. 14. (b.) mandatum Dei, de circumſtantiis temporis, loci, inſtrumenti, verſ. 15. de ſermone habendo: ubi repetitio legationis; quis, quid jufſerit, quo fine, cum exprobratione inobedientiæ. verſ. 16. (c.) denunciatio plagæ primæ, cujus *finis*. Ut agnoſcatur. Jehova, verax in verbis & factis. *Plaga* ipſa indicata, percuſſio aquarum ſcipione iſto, ut in ſanguinem abeant. verſ. 17. *Damnum*, mors piſcium, fœtor aquarum, faſtidium Ægyptiorum, verſ. 18. vel fatigatio נלאו, quia fatigati quærendis aliis aquis. Sanguine veſci interdictum Noachidis Gen. 9: 4. & hic omnes aquæ mutatæ, ut impurum bibendum foret: quia ſanguinem fuderant infantium. Conf. Apoc. 16: 4, 6.

ב. *Factum*, verſ. 19. jubetur per Aaronem agere, extendendo ſcipionem contra omnes aquas Ægypti. על *contra*, (quod ſignificatum percutiendo aquas fluminis, ℣. 17.) ſed quod iſtis aquis, id omnibus vertendis in ſanguinem efficax fuit. Et obedientia, verſ. 20. Sanguis fuit quoad viſum, colore: guſtum, calore, ut morerentur piſces: odore, ut fœteret, Bechai.

ג. *Conſequentia* (a.) mors piſcium, fœtor aquarum, faſtidium bibentium, quod aquæ ſanguis evaſiſſent, ℣. 21. (b.) imitatio magorum, (c.) Pharaonis judicium, obduratione probatum, verſ. 22. & ſecuro neglectu, verſ. 23. (d.) Ægyptiorum labor ut invenirent aquas, bibendo quæ forent. verſ. 24. (e.) Duratio hujus plagæ, ſeptiduana, verſ. 25. Hinc quidam ſingulas plagas ſeptidui fuiſſe dicunt. NB. *Deus percuſſiſſe* dicitur aquas, quæ juſſu ejus ab Aarone fuerant percuſſæ.

Abrabanel: *quia & Moſi & Aaroni imperata percuſſio; illum id in Nilo exſecutum dicit, inſpectante Pharaone; iſtum in reliquis fluminibus & aquarum receptaculis.* Sed unde aqua Magis, ſi jam mutatæ in ſanguinem? Reſp. Apertæ omnes mutatæ, ſed effodiendo inventæ aliæ; & forſan in ciſternis quoque ſervatæ; unde quid hauſerunt. Aut ex Goſchen allatæ: cujus terræ aquas mutatas quidam negant; quia Ægyptii, non Iſraelitæ puniti. Mutatio facta per Moſen & Aaronem; ſed dum in fieri eſſet mutatio ſimilem geſtum adhibuere magi, & à ſe factum perſuaſerunt.

D. *Actio quarta*, cum *plaga ſecunda*, ℣. 26. cap. 8: 1. & hic quoque.

א. *Mandatum* antecedens: quo repetitur poſtulatum dimittendi Iſraelis, verſ. 26. tergiverſanti denunciatur plaga ranarum, verſ. 27. cujus gravitas à locis & perſonis quibus graves futuræ erant. verſ. 28, 29.

CAP. VIII.

ב. EXſecutio, juſſo Aarone per Moſen, baculum extendere ſuper aquas Ægypti. ad producendas ranas, quod ab ipſo factum, verſ. 1, 2.

ג. *Conſequentia*, (a.) Imitatio Magorum, verſ. 3. (b.) Actio deſuper, Pharaonis emolliti aliquatenus, verſ. 4. cum Moſe, ubi (*a.*) Propoſitio petens interceſſionem Moſis & Aaronis ad remotionem ranarum. Et promittens dimiſſionem populi. (*b.*) Moſis promiſſum, permiſſâ ei determinatione temporis. verſ. 5. NB. *Gloriam de me ſume*; hoc eſt, ne quid ficti & magici intervenire ſuſpiceris, ipſemet defini, quando id effectum velis: ſic Eſa. 7: 11. ſ. (*c.*) Pharaonis determinatio, die craſtino, verſ. 6. (*d.*) Moſisque promiſſum ſpecialius, de tempore, addito fine, ut agnoſcat Numen, & deſcriptio remotionis ranarum quoad ſubjecta loca. verſ. 6, 7. (c.) Preces Moſis ex promiſſo, & earum exauditio, verſ. 8, 9. (d.) Ægyptiorum labor in egerendis ex ædibus ranis mortuis, verſ. 10. (e.) Pharaonis repetita obduratio, impetrata aliqua reſpiratione. verſ. 11.

NB. Abrabanel צפרדע negat eſſe *ranas*, I. quia Deus per iſta animalia minetur נגף quod abſolute denotet mortem inferendam. (Vide Pſal. 78: 45.) Sic autem non nocere ranas. II. Quia ſolum in Nilo debeant remanere; ſed ranæ in omnibus ſtagnis & paludibus manſere. Ipſe vero docet deſignari *Crocodilos*, quos Deus adduxerit ex Oceano Æthiopiaque per Nubiam, Nigrumve, alium Nili alveum per Æthiopiam labentem, (ubi inſula Crocodilorum, quam fere ſoli Judæi habitent eò deportati à Luſitanis, A. C. 1492. Mundi 5252. fuiſſe autem numero ultra 2000. pueros & puellas: ſcripſit autem Comment. in Exodum A. M. 5266. annis poſt hanc deportationem quatuordecim.) in Nilum Ægypti, & ſubito incremento multiplicaſſe, & cum ob fœtorem aquæ emortui piſces alimento non forent commodo, egreſſos eſſe, & pecora ac liberos Ægyptiorum devoraſſe, etiam irruiſſe in domos, & ex lectis cuniſque infantes fugere neſcios rapuiſſe, & devoraſſe quicquid cibi in mactris penuve foret. Adeoque Pharaonem qui prioribus ſignis non fuerat commotus, heic petiiſſe liberari; diſtuliſſe tamen, ut exploraret Moſis virtutem, an quod Magi nequibant, æque ut videbatur validi alias ad producenda noxia, poſſet removere: Moſen precibus impetraſſe necem Crocodilorum egreſſorum. Sed in Nilo ab eo tempore remanſiſſe, in memoriam hujus plagæ.

E. *Actio quinta*, verſ. 12—15. Hic nulla denunciatio facta

facta Pharaoni. Abrabanel dicit 3. fuiſſe capita aſſerenda Moſi de Deo, 1. Eſſentiam, 2. providentiam, 3. potentiam. Illam ſignis tribus primis, דצך. Iſtam tribus proximis, ערש. Hanc tribus ſeqq. באח. In ſingula triade plagarum eundem obſervatum ordinem; primam denunciatam publice Pharaoni & aulicis ejus; & hinc juſſum Moſen, לך abi, & התיצב *ſtatue te* coram ipſo. cap. 7: 15. cap. 8: verſ. 20. cap. 9: 13. Secundam privatim, domi & in conclavi, בוא (ſic quoque Piſcator. cap. 8: 1.) cap. 7. 8: 1, 26. cap. 9: 1. cap. 10: 1. Tertiam in publico ad plebem Pharaone abſente. cap. 8: 12. cap. 9: 8. cap. 10: 21. Ut quaſi publicè conquereretur de Pharaone & ejus pertinacia, etiam cum contrarium pollicitus fuiſſet, fidem fallens. Heic eſt.

א. *Mandatum Dei* de plaga pediculorum, verſ. 12. cujus materia, pulvis terræ, uti hominis in prima creatione. Inſtrumentum idem baculus, percutiens terram.

ב. *Obedientia Moſis* jubentis, & Aaronis facientis, verſ. 13. & effectus, mutatio pulveris, tum qui adhærebat hominibus in veſtibus item jumentis; tum qui in ipſa terra; verſ. 13.

ג. *Conſequentia*, Imitatio Magorum fruſtra tentata, verſ. 14. Confeſſio Magorum de hac plaga. verſ. 15. Pharaonis pervicacia. ibid.

NB. Bechai negat Magos unquam quid ſimile præſtitiſſe Aaroni, ſed mendacio impoſuiſſe Pharaoni, Aarone in ſanguinem mutante aquas extenſione baculi, & educente in terram ranas; eoſdem geſtus adhibuiſſe, formulaſque incantatrices obmurmuraſſe, & harum virtute factum perſuaſiſſe, ſed mutationem omnem proceſſiſſe à facto Aaronis. Circa pediculos autem patuiſſe ipſorum impotentiam, quando non à ſe ſed ab Elohim, cœleſtibus diis, id fieri poſſe confeſſi ſint (non ab יהוה Deo Iſraelis,) quomodo eviluerit eorum autoritas, qui antea dicebantur Sapientes, magi Ægyptii, deinde illi Magi, poſt ſimpliciter magi vocantur, etiam cum defectu literæ, neque quicquam deinceps tentaſſe leguntur. Sed paſſi ulcera cum aliis. Si perſuaſerunt non Dei Iſraelis ſed aliorum Deorum virtute id factum, fuerunt in eo occaſio novæ obdurationis: Abrabanel ait, Magos etiam produxiſſe pediculos; ſed quod Pharao vellet eos oſtendere vires ſuæ artis non in augendis, ſed in minuendis & removendis malis, quemadmodum hoc à Moſe præſtitum fuerat in ranis; heic fruſtra molitos eſſe. E. verſ. 14. ſic reddendus eſſet: *Et fecerunt ſic Magi ſuis incantationibus. Quod ad educere pediculos autem non potuerunt; fuit itaque* (continuando) *multitudo pedic. in hominibus & jumentis.* Et cum eo nomine increparentur, faſſos eſſe ingenue, Divinæ potentiæ eſſe hanc productionem, non autem fati lege fieri. Quamobrem deprehenſa magicarum artium vanitate Pharaonem poſt illa eos nunquam advocaſſe.

Digitus Dei uſurpatur de Cœlo, Pſal. 8: 4. de tabb. fœderis. Exod. 31: 18. deque pediculis, quia etiam in minimis æque eluceat creatoris potentia, ac in maximis.

F. *Actio ſexta*, de *Inſectis* variis, verſ. 16. ad fin. ubi

א. *Antecedentia*, verſ. 16. habent (a.) denunciationis tempus & locum, verſ. 16. (b.) poſtulatam denuo dimiſſionem nomine Domini, & ex jure in ſuos ibid. (c.) colluviei inſectorum prædictionem, & quæ loca infeſtanda ſint, primum homines, ſervato ordine dignitatis, rex, aulici, populus; deinde domus, denique terra omnis, verſ. 17. (d.) differentiam Iſraelitarum in Goſen, à reliquis Ægyptiis, quoad immunitatem ut agnoſcatur Dominus in medio terræ, verſ. 18. (e.) beneficium Iſraelis ſingulare, verſ. 19. & (f.) tempus plagæ. ibid. ערוב Gr. κυνομυία, κοινομυία, παμμυία, inſecta volantia; Alii feras beſtias ex Pſal. 78: 45. & Sap. 11: 15. ſ. Aben-Ezra, Leones, Lupi, Urſi, Serpentes & Scorpiones. Forte ſatius minores Serpentes, Scorpii, mures &c.

Ex plagis immiſſæ ſunt Tres manu Aaronis extendentis ſcipionem דצך. Tres extendente Moſe manum & baculum באח. Tres citra alteruitrius manum ערב una manu Moſis ſine baculo, ש.

Abrabanel ערוב ait fuiſſe reptilia, ſerpentes & vermes noxios morſu lædentes & necantes homines. „Deum ipſum „hanc colluviem, uti etiam peſtem, & necem primogenitorum effeciſſe, non interveniente miniſterio Moſis aut „Scipionis ejus. *Tribus primis* plagis aſſertam eſſentiam Dei, „qui eſſentiam largiri queat, & quam dedit mutare; in a„quarum converſione in ſanguinem; in aquatilium eductio„ne in aridam contra ſuam naturam; in productione pedi„culorum ex pulvere. *Tribus proximis* aſſertam providen„tiam, qui differentiam ſtatuat, & ut uni ſuperveniant „plagæ, alterum prætereant; quarum hæc prima eſt: Æ„gyptiis patientibus, Iſraelitis nihil. Denique *beneficium „Iſraelis*, verſ. 19. non eſſe repetitionem ejus quod, verſ. „18. dictum; ſed novum, פדות liberationem ab onerio„bus ſervitutis, quæ à craſtino die debeant ceſſare, quod „ſit ſignum illud craſtini. Nam Pharaonem illico immiſſa „colluvie convictum, immunitatem poſtridie Iſraelitis con„ceſſiſſe, quibus ſacrificandi Deo ſuo fecit facultatem. Ne„que enim פדות diſtinctionem, ſed redemtionem denota„re. Qui repetitionem agnoſcunt, hic ſignificatum volunt, „ubicunque Iſraelita fuerit inter Ægyptios, Τὸ ערוב ipſi „peperciſſe.

ב. *Factum* ipſum, verſ. 20. Deo effectore eodem ordine, & damno.

ג. *Conſequentia*, (a.) *Pharaonis* conceſſio; evocatis Moſe & Aarone veniam ſacrificandi dedit, ſed in terrâ. Quia Moſes dixerat agnoſcendum Dominum in medio terræ; etiam in terra præſentem, iſtic ab Iſrael coli poſſe, ℣. 21. (b.) *Moſis* (*a.*) replicatio, cur in terra nequeat fieri, ne provocarent in ſe Ægyptios, ſiquidem mactarent quod abominabile foret iſtis, cum Deos crederent, verſ. 22. (*b.*) declaratione loci cultus in deſerto, tridui via ab Ægypto, ne hos teſtes haberent, iſtic oblaturi liberè quicquid Deus juſſiſſet, verſ. 23. (c.) *Pharaonis* (*a.*) aſſenſus de loco deſerti; ſed non de diſtantia, quam non vult eſſe nimiam, verſ. 24. (*b.*) petitio interceſſionis, quæ per Atnach ab interceſſione ſejungitur, ut non videatur cum diſtantiæ negatione conjungenda. ibid. Quamquam deprecationem cum ſacrificio faciendam, & hacpropter feſtinandam forte voluerit. (d.) *Moſis* (*a.*) promiſſum de interceſſione, illico facienda quam primum aula exceſſiſſet, deque fructu ejus, removenda colluvie craſtino die, quemadmodum ipſe in ranis petierat, verſ. 25. (*b.*) item monitum de non illudendo, ut dimiſſionem neget iterum, quia ante ſimilia promiſerat. verſ. 25. (e.) Moſis deprecatio, verſ. 26. & exauditio Dei, ita ut ne unum quidem inſectum relinqueretur, verſ. 27. (f.) Pharaonis improbitas, redeuntis ad ingenium. verſ. 28.

CAP. IX.

G. ACtio *ſeptima*, cum *plaga quinta*, verſ. 1--7. *Peſtem* deſcribit, ubi

א. *Mandatum*, cujus (a.) circumſtantiæ, verſ. 1. repetita de populo dimittendo petitione. (b.) Comminatio, ſub conditione pertinaciæ continuatæ, verſ. 2. peſtilitatis, immittendæ armentis & gregibus, verſ. 3. vocatur *manus Domini* per peſtem, quia potentiam ſuam ſic oſtendit. Diſcrimen inter greges Ægyptiorum & Iſraelis. His immunibus. verſ. 4. (c.) Tempus plagæ inchoandæ à Deo definitum, Craſtinum. verſ. 5. Bechai, *poſuit Dominus tempus, Cras faciet Dominus. Senſus eſt juxta Cabaliſtas* הוא ובית דינו *ipſe & concilium ejus.* Id vero trium eſt, & deſignatur priori loco Pater, poſteriori filius, cui Pater dedit omne judicium: Joh. 5: 22. Sic Gen. 19: 24. Amos 4: 11.

ב. *Eventus*, Peſtis immiſſa, verſ. 6. ut Ægyptiorum greges perirent omnes, Iſraelitis nihil. Pharao inquiſivit in diſcrimen illud, & tamen æque pertinax fuit in malitiâ. ℣. 7.

„Abrabanel. Pecudes utrorumque mixtim paſcebant, „quod Ægyptii adiſſent paſtores Gen. 46: 34. & hic horum pecora peſte exſtingui omnia uno momento, & Iſrae„litarum nullum, id fuiſſe miraculum. Pharaonem non per „magos obfirmatum vel hic; vel in præcedenti plaga; ſed „differentiam obſervatam iſtic tribuiſſe diverſæ conſtella„tioni terræ Goſen à reliqua Ægypto, hic diverſæ quibus „ſubeſſent gregum Domini; & hinc non motum ad dimiſſio„nem.

H. *Actio octava*, & *plaga ſexta Ulcerum*, verſ. 8--12. ubi

א. *Mandatum*, citra denunciationem faciendam., ℣. 8. Moſes & Aaron implebunt pugillos favilla, & Moſes ſpar-

ſparget. Abrabanel: *Moſes ſolus ſparſit, ſed pugillum verſus quatuor cardines Cœlorum; duos potuit accipere ipſe, duos Aaron ſuppeditavit.* Favilla ſparſa ut ſignificaretur denſandum aerem, tenui pulviſculo, calidiſſimo inſtar favillæ, & quicquid tangeretur in hominibus & jumentis, inflammatum fuiſſe puſtulis ſubito in magna ulcera degenerantibus. verſ. 9.

ב. *Executio* facta coram Pharaone, verſ. 10.

ג. *Eventus*, verſ. 10. etiam in Magis, verſ. 11. ut non poſſent conſiſtere coram Moſe, & obloqui. Nam ante incantationibus ſuis eludebant Moſis miracula: quod cum non ſuccederet in pediculis, criminati ſunt, & cavillati contra Moſen, 2 Tim. 3: 8. ut dimoverent Pharaonem ab obſequio. Sed jam non potuerunt id agere, ipſimet ex ulceribus infirmi. Obfirmatio Pharaonis, verſ. 12. hactenus ea ipſimet tributa, hic Deo. Abrabanel. *Ante ab aliis perſuaſus fuit. nunc Deus obfirmavit, quia corpus ſuum vidit integrum,* Alii: *in 5. primâ plagâ peccavit, in 5. poſterioribus punitus eſt.*

I. *Actio nona & plaga ſeptima*, verſ. 13. ad fin. ubi

א. *Mandatum*, de adeundo Pharaone ut in prima & quarta plagâ, verſ. 13.

a. *Poſtulata* denuo *dimiſſio* populi, verſ. 13. argumenta ſuadentia (*a.*) periculum majus, ob cumulandas plagas, in ipſum, & omnes Ægyptios. Quarum immittendarum finis, ut agnoſcatur Dei potentiam ἀπαράλληλον, ℣. 14. Hac vice, inde ab hoc tempore potentiæ demonſtrationem edam, ut ad 4. reliquas plagas referatur, imo etiam ad merſionem in mari. Etenim hactenus immunis fuit Pharao, ſed jam etiam cor ipſius, hoc eſt, ipſummet tangendum denunciatur, quod demum factum, tum in nece primogeniti, tum in ſuffocatione marinâ. (*b.*) Longanimitas Dei, potuiſſem te populumque tuum peſte exſcindere, (quâ pecudes perierunt) verſ. 15. ſed feci te ſupereſſe, ut tibi oſtenderem robur meum, (quæ invitatio ad reſipiſcentiam Rom. cap. 2: 5.) vel ut in te oſtendam robur meum, (quod vincam cum judico Rom. 3: 4.) multiplicans ſigna potentiæ meæ; atque ut nomen meum, hoc eſt, potentiæ gloria ubique celebretur recitando. verſ. 16. (*c.*) Turpitudo, verſ. 17. quod adhuc ſe efferat, contra populum Dei, juſto Domino eos negans & detinens: interrogatio exprobrationem complectitur.

b. *Denunciatio plagæ*, verſ. 18. ubi circumſtantia temporis; *craſtino die, eapſe hora*, qua minabatur nunc, plaga, *grando graviſſima*, qualis nunquam ante viſa in Ægypto: quæ pluviam & grandinem non experitur, Nilo exundante fœcundata.

ב. *Conſilium Moſis* de declinando damno, (a.) datum, verſ. 19. collectio hominum & pecorum ex agro, & de ſub dio, in tecta: quod qui foris deprehenderentur, grandinis vi necandi eſſent. (b.) Exceptum (*a.*) à religioſioribus inter ſervos Pharaonis, qui timentes verbum Domini, de plaga iſtâ, ſuos domum vocarunt, & ibi ſervarunt. verſ. 20. (*b.*) à contemtoribus, qui ſub dio ſuos reliquerunt. verſ. 21.

ג. *Exſecutio mandati*, Deo jubente manum (cum baculo verſ. 23.) cœlum verſus extendere, ut grando veniret in Ægyptum omnem, in homines, jumenta, plantas, verſ. 22. & Moſe ſic agente, verſ. 23. *Deſcriptio grandinis*, ab autore, Deo: à concomitantibus, tonitruis, & fulgetris, igne copioſo terram verſus delato, & grandine copioſiſſima, verſ. 23. commixtio grandinis & ignis, ut non impedirent ſe mutuo, imo augerent, ſine ullo ſimili exemplo in Ægypto, verſ. 24.

ד. *Eventus*

a. *Damnum* datum, in genere viventium, quicquid hominum & jumentorum fuit in agro: adhæc omnes herbæ agri, & arbores quas fregit, verſ. 25. excepta tamen terra Goſen, ubi non cecidit grando, verſ. 26. NB. Quomodo potuerunt tangi pecora, quæ peſte omnia interemta fuerunt cap. 9: v. 7? Reſp. etiam de Ulceribus hæc quæſtio valet, verſ. 9, 10. Quidam dicunt, verſ. 7. omnia periiſſe; hoc eſt, plurima: vel omnia quæ in agro: ſed non occurrit iſtic reſtrictio, uti quidem hîc. Abrabanel ſimpliciter omnia peſte exſtincta dicit; ſed mox introducta alia à vicinis gentibus, plurima etiam ab Iſraelitis emta, qui nihil damni à peſte ſenſerant; ut ea iſtorum commodo ceſſerit: Atque hæc nova ſupplementa ulceribus & grandine quoque afflicta & diminuta fuiſſe.

b. *Pharaonis actio cum Moſe & Aarone*, (*a.*) quos advocavit, & (*α.*) confeſſus eſt culpam, Deo juſtitiam, ſibi populoque ſuo reatum tribuens, verſ. 27. (*β.*) petiit illorum interceſſionem apud Deum ad remotionem tonitruum & grandinis, (*γ.*) promiſit dimiſſionem, citra ulteriorem detentionem, verſ. 28. (*b.*) Moſis reſponſum, (*α.*) promittentis interceſſionem petitam, (nam expanſio volarum ad Deum de precibus) quam primum urbe exceſſiſſet, nec non ſucceſſum: addito fine, ut Dominium Dei in terra agnoſceretur, verſ. 29. (*β.*) prædicentis ipſius continuam inobedientiam. verſ. 30. טֶרֶם idem quod *nondum*; deficiente autem timore Dei, nulla ſperanda erat obedientia.

c. Duo ſeqq. verſus habentur vulgo pro hiſtoricâ narratione, quid de terræ naſcentibus perditum, quid ſervatum fuerit. Sed Abrabanel facit continuationem ſermonis Moſis, rationem dicentis, cur ſciat ſine fructu fore apud Pharaonem hanc plagam; utut enim hordeum quod culmum, & linum quod calamum habuit, percuſſa perierint, verſ. 31. Triticum tamen & Zeam illæſa manſiſſe, quod adhuc ſub terra laterent, verſ. 32. ut in his ſat proventus ſibi pollicituri ſint, ad propulſandam famem, aut etiam annonæ difficultatem.

d. *Preces Moſis* juxta promiſſum, cum ſucceſſu, ut voces, & grando, & pluvia quoque ceſſarint, verſ. 33.

e. *Pharaonis factum*, obſervata trium horum ceſſatione (cum duorum tantum petiiſſet, pluviam continuatam optans juxta Abrabanel) velut non impetrato eo quod poſtulârat, denuo peccare perrexit, aggravando cor ſuum, (dubitans de dignitate miraculi, dum non fuit obſervatum, quod petierat,) & ſimul illud obfirmando, contra Iſraelem, ut eis malefaceret, non dimittendo; quod ipſum à Deo fuerat prædictum, verſ. 34, 35.

CAP. X.

K. *Actio decima, & plaga octava.* verſ. 1—20. atque hîc

א. *Antecedentia*, verſ. 1, 2. ubi *mandatum*, verſ. 1. ratio, ſeu potius remotio impedimenti; *quamvis ego indurarim cor ejus, & ſervorum ejus:* ſic Piſcator. *quamvis.* Moſes potuiſſet excuſare ſe, ob inutilitatem legationis propter Pharaonis duritiem: Itaque hoc removet, *quamvis indurarim*, cujus cauſæ duæ; reſpectu *Pharaonis*, ut multiplicet ſigna plagarum; & *Iſraelis*, ut inter eos recitentur etiam ad poſteros Dei facta in Ægyptios; cujus finis, agnitio Dei, verſ. 2.

ב. *Actio ipſa*, ubi

a. *Moſis Oratio*, conſtans (*a.*) *increpatione* ob præcedentem tergiverſationem, ℣. 3. quam vocat nolle humiliari coram Deo: qui enim facit juſſa alicujus, eopſe ſe minorem teſtatur, (*b.*) *petitione* dimiſſionis præſentaneæ, verſ. 3. (*c.*) *denunciatione* contra abnuentem, repentinæ plagæ, poſtridie, locuſtarum. verſ 4. אַרְבֶּה nomen habet à multitudine, quod plerunque numeroſiſſimæ ſint; etiam hîc plures ſpecies conjunctæ (quemadmodum Joël 1: 4. quatuor ſociantur) Pſal. 78: 46. & 105: 34. (*d.*) *gravitate mali*, (*α.*) quoad multitudinem nocentium; verſ. 5. & teget עֵין הָאָרֶץ *oculum*, ſeu *colorem terræ*, ſuperficiem; ut ejus colorem nequeat videre, ſcilicet quisquam. Chald. & Abrabanel *Oculum terræ* Solem interpretantur: qui multitudine obſcuretur, ut terram videre, colluſtrare nequeat. Quia verſ. 15. terra dicitur obſcurata. Plin. lib. 11. cap. 29. *Solem obumbrant*, (*β.*) quoad damnum *tum* in terra: ℣. 5. abſumtio reſiduarum plantarum & arborum quoque. *Tum* in domibus, verſ. 6. ubi cum nihil reperiretur ordinarii alimenti, homines admordiſſe veriſimile eſt. Abrabanel: *etiam oculos hominum effodient.* Sap. 16: 9. *Hoſtes locuſtarum & muſcarum occiderunt morſus, neque inventum eſt remedium animæ ipſorum.* Plinius teſtatur omnia morſu erodere, etiam fores quoque tectorum. (*γ*) Quoad incomparabilitatem, patribus inexpertum malum, quod plenius dicitur, verſ. 14. (*c.*) *Abitu Moſis*, vel daturi locum deliberationi, vel indignantis, quod Pharao nequidem reſponſo dignaretur.

b. *Con-*

b. *Conſilium Senatorum*, verſ. 7. (Servi regum ſunt omnes miniſtri, etiam digniſſimi. 1 Reg. 10: 8.) ad Pharaonem, (*a.*) à damno; *quam diu erit hic*, Moſes, *nobis in laqueum?* quo toties jam illaqueati fuimus. (*b.*) Conſilium ipſum, *Dimitte* אנשים *homines illos* (Abrabanel Viros, ut reſtrictam facultatem ſuadeant,) & *ſerviant Deo ſuo.* Ratio (*c.*) à damno vel præterito, vel futuro: illo ſi טרם ſit *nondum*; iſto ſi, *ante:* R. Sal. *an nondum noſti periiſſe Ægyptum?* Abrabanel, *an prius ſcire & experiri vis, periiſſe Ægyptum?*

c. *Pharaonis conceſſio*, ad revocatos Moſen & Aaron, verſ. 8. ſed reſtringenda ad quaſdam perſonas; unde inquirit in ituros & horum numerum & conditionem.

d. *Moſis reſponſum*, verſ. 9. comprehendens omnes, homines & jumenta ac greges: additaque ratio, *nam feſtum Domini nobis*; ubi omnibus aſſiſtendum ſacris & lætandum, ſacrificia autem de gregibus ſumenda.

e. *Pharaonis* (*a.*) *replicatio*, verſ. 10, 11. qua (α.) imprecatur Moſi & Aaron: *ſic vos juvet Deus*, hoc eſt, plectat vos: *ut ſic agam*; uti ברך pro maledictione Job. 1: 2. *Sic Deus vobiſcum*, hoc eſt, adverſetur vobis. *Nam malum eſt coram oculis veſtris*, deſtinaſtis mali quid agere, fugere nempe & vos ſubducere ſervituti: vel malum pœnæ vobis imminet, addam ad afflictiones veſtras: illud magis placet. (β.) Conceſſionem ſuam limitat, verſ. 11. ceu qua ſatisfiat petitioni cultus Domini, cum infantes & beſtiæ ad illum inepti ſint, quorum cuſtodia, viris digreſſis, mulieribus relinquenda. (*b.*) Et *factum*, Moſe videlicet non aſſentiente, quod eos expulerit à ſe.

ג. *Conſequentia.* & hic

a. *Mandatum* adducendarum locuſtarum extenſione manus Moſis, verſ. 12.

b. *Obedientia Moſis*, extendentis baculum, verſ. 13.

c. *Succeſſus* à Deo, adhibente inſtrumentum Euri vehementis, verſ. 13. non ergo creavit locuſtas, ſed aliunde advexit; (quemadmodum etiam de coturnicibus dicitur quod abripuerit à mari Num. 11: 31.)

d. *Deſcriptio plagæ* (*a.*) ab imparibus, *nunquam ſimiles viſæ.* verſ. 14. Videlicet in Ægypto: quemadmodum nunquam ſimiles illis in Judæa, de quibus Joël. 1: 2. Alii, *nunquam id factum*, quod ad copiam & multitudinem: aſt apud Joelem, quoad ſucceſſionem variarum ſpecierum, & continuationem per plures annos. Plin. ait. *In India ternum pedum longitudinis eſſe traduntur.* (*b.*) Et à damno quod dederunt, juxta prædictionem, in terræ naſcentibus. verſ. 15.

e. *Deprecatio Pharaonis*; qui (*a.*) confitetur culpam, verſ. 16. *peccavi Domino Deo veſtro*, cujus mandata ſprevi, & *vobis*, quibus maledixi, quosque expuli: (ſic prodigus Luc. 15: 18, 21.) (*b.*) petit (*α.*) condonationem à Moſe & Aarone quod contra ipſos peccatum fuit; & (β.) interceſſionem eorum apud Deum, ad remotionem plagæ, verſ. 17. *Removeat à me tantum hanc mortem.* hoc eſt, plagam mortiferam. Abrabanel, *Locuſtæ perdiderant plantas, ſed nondum ingreſſæ erant domos, uti prædictum; hoc ergo deprecati, ne homines morſibus locuſtarum conficerentur.*

f. *Moſis interceſſio*, verſ. 18. & Deus exinde agens: vento contrario omnes locuſtas nulla excepta, in mare Rubrum, (ſic à colore arenæ, ſeu ut Fullerus, ab Edomo appellatum) projiciens. verſ. 19. Plin. Gregatim ſublatæ vento, in maria aut ſtagna decidunt. Idem. *Deorum*, inquit, *iræ peſtis ea intelligitur.*

g. *Pharaonis obduratio*, itidem Deo adſcripta, verſ. 20.

ל. *Actio undecima & plaga nona*, verſ. 21—29. ubi

א. *Plaga ipſa*, (a.) mandata Moſi; de extendenda manu verſus cœlum (על pro אל) ut tenebræ venirent, ℣. 21. (b.) ejus obedientia, & (c.) ſucceſſus, una cum durationе, verſ. 22. (d.) gravitas mali, verſ. 23. & (e.) immunitas Iſraelitarum in terra Goſen, & ſicubi in aliis partibus habitarent. verſ. 23.

NB. Quid eſt, verſ. 21. ויגש חשך? Quidam ab אגש *heri veſperi*; hoc eſt, יחשיך ut nocturnæ tenebræ fuerint; Aliis à מוש *receſſit*, & *receſſerint tenebræ*, poſtquam tenebræ nocturnæ tranſierint & illuxerit Dies, tum demum hæ extraordinariæ ſuperveniant: (quemadmodum exorto ſole pluvia in Sodomam cecidit, ſic hic tenebræ, ne continuata nox crederetur.) Aliis à משש *palpavit*, palpabiles tenebræ, adeo denſato aere, ut palpari poſſet, ut nemo manum extendere valeret, nemo extenſam, retrahere, impedito omni motu. Non quod Sol non luxerit interdiu, & Luna ac ſtellæ noctu; ſed quod impediretur influxus radiorum in Ægyptum, obducta caligine denſiſſima, ſive ex tenebris quas habet circa ſe Deus, ſive ex iis quæ in gehenna. Imo quidam duplices faciunt, leviores tridui, & graviores alius tridui. (Quod tamen alienum.) Abrabanel recedendi ſenſum tribuit, *ſint tenebræ ſuper Ægyptum, & recedant tenebræ*, nempe à terra Goſen, quod eventus, verſ. 22, 23. oſtendat: ut Moſes extenſa manu limites poſuerit tenebris, quo ire, & unde recedere, ſeu abſtinere debeant. Nam palpari tenebras vix comprehendi poteſt, quamvis ita denſæ concipiantur, ut nullis funalibus, facibus, ignisve flamma queant vinci. Denſitatem palpabilem tamen impeditus omnium motus videtur confirmare.

ב. *Actio Pharaonis* finita plaga,

a. Cujus conceſſio, ut eant omnes ſenes & pueri, relictis ſolum pecudibus, pignoris loco, videlicet de reditu, verſ. 24.

b. *Moſis reſponſum*, (*a.*) ironicum, verſ. 25. *Etiam ne* (ה interrogante ſubintellecto, ut Pſal. 121: 1.) *dabis nobis, in manus noſtras ſacrificia & hoſtias?* hoc eſt, non dabis; vel ſcilicet, dabis hoſtias nobis, ſine quibus nulla erunt ſacrificia noſtra? & licet dares, an ea offerremus? ונעשינו & *faciemus*, de hoſtiis eſt *offerre.* Sic Pſal. 66: 15. 2 Reg. 17: 32. & ſic verſ. 30, 31. (*b.*) Serium, verſ. 26. *ſed una ibunt greges* noſtri. Simpliciter, quid permittendum Pharaoni, verſ. 25. utique etiam permittes nobis, in noſtram poteſtatem dabis, hoſtias offerendas; nam quem profeſſi fuerant ab initio cultum Dei, fuit ſacrificiorum: quo defungi non potuiſſent; gregibus in Ægypto relictis. Tum quid proinde, vi hujus æquiſſimi requiſiti, facturiſint, ℣. 26. *etiam ergo greges noſtros aſſumemus.* Non tantum aliquos quantum ſacrificio ſufficiat, ſed omnes, ne ungula quidem relictâ; ratio aſſumendi (α.) ſuos *greges*, quia inde, de proprio, offerendum ſit. (β.) *Omnes*, quia non conſtet, quantum offerendum ſit an parum, vel multum, vel omne quod haberent ejus generis, id quod in loco ſacrificii demum ſint cognituri.

c. *Pharaonis indignatio*, cujus cauſa, obfirmatio cordis à Deo immiſſa, verſ. 27. ejectio Moſis, cum interdicto redeundi, ſub interminatione mortis. verſ. 28.

d. *Moſis*, ſe non rediturum ad ipſum, verſ. 29.

Obfirmationis argumentum cenſet Abrabanel, quod cum ante dictum ſæpius eſſet, *dimitte populum meum ut mihi ſerviat*, non facta mentione gregum, jam Moſen de ſuo hoc commentum, credidiſſe, & cum conceſſiſſet omnia olim poſtulata, nova ex ſuo cerebro adjicere, ad ſe fatigandum, quamobrem indignatum noluiſſe amplius audire.

CAP. XI.

COntinuatur *eadem actio* cum Pharaone; cujus orationi inchoatæ cap. 10: 29.

a. Inſeritur parentheſis hiſtorica, de novis mandatis Moſi à Deo datis, verſ. 1—3. Hactenus Deus in aula & præſentia Pharaonis nihil novi mandarat, vel revelarat; ſed is ante ſibi revelata, tantum recitavit. Verum nunc, quum Pharao interdiceret Moſi reditum ad ſe, cui Moſes ſe pariturum dixerat, ne unquam redeundi neceſſitas Moſi fieret, Deus illico ibidem loci ei revelavit, quæ ad extremum denuncianda erant. Sic Hebræi. Alii antea hæc Moſi dicta volunt, antequam ad Pharaonem ultimâ vice veniſſet. Hebræis alloquium iſtud Dei non fuit extrinſecum, ſed intrinſecum, per inſpirationem Spiritus Sancti. Hac vero inſpiratione

a. Indicata eſt Moſi (*α.*) plaga ultima. ℣. 1. Una reſidua, à Deo ipſo inferenda. (β.) Ejus conſequens, dimiſſio populi; & modus dimiſſionis, *tum* quoad extenſionem, univerſim omnes, כלה ut nihil omitteretur ad perfectam dimiſſionem ſive perſonarum ſive facultatum, *tum* quoad æternitatem & violentiam, expellet magna feſtinatione.

b. Juſſus eſt Iſraelitas mandare, ut vaſa aurea & argen-

tea (atque etiam veſtes aliaque pretioſa cap. 12: 35.) ab Ægyptiis peterent, verſ. 2. fiduciamque ſucceſſus facit, verſ. 3. ne id facere vererentur Iſraelitæ, *partim* à Dei moderamine, qui jam conciliaſſet Ægyptios; *partim* ab autoritate Moſis, qui ab Ægyptiis omnibus, tum aulicis, tum plebe reliquâ magni fiebat, ut ſi conſtaret juſſos ab ipſo Iſraelitas petere, non ſint negaturi. NB. Ægyptiis tribuitur nomen רעה & רעות *ſociorum*: vel ratione habitationis & viciniæ, Exod. 3: 22. vel ratione humanitatis, ut omnes homines ſibi mutuo ſint proximi Luc. 10: 29, 36. Bechai „ ait. Omnes homines ſibi fuiſſe proximos ante fœdus Sinai„ ticum; ſed poſt illud tempus ſocietatem iſtam ceſſaſſe, „ Iſraelitis inde exemtis, quibus alii facti fuerint alieni.

b. Continuatur reſponſum Moſis ad Pharaonem. verſ. 4—8. ubi denunciatur

a. Plaga: (*α*.) *temporis* circumſtantia, verſ. 4. *Circa mediam noctem*, egrediar per medium Ægypti. כחצות הלילה quidam Hebræorum כ iſtud faciunt conjecturæ, & eo uſum Moſen pro ב, ne quid carpendum haberent Ægyptii ſi non in puncto mediæ noctis illud fieret, quaſi non verum dixiſſet, atque illud ab aſtris obtigiſſet malum, ſole arietem ingrediente eapſe nocte. Sed rectius Abrabanel idem eſſe ait cum ב. Imo כ hoc loco eſt non conjecturæ ſed אמתי *veritatis*, præciſe tempus deſignans. Attamen non noctis proximæ ſed alius nondum indicatæ; nam omnia ad Paſcha & migrationem ante fuerunt comparanda; niſi aliquamdiu ante plagam tenebrarum hæc curata dicamus ex mandato præcedaneo. Egreſſus autem Dei nihil aliud eſt, quam patefactio voluntatis & virtutis Dei, ut Eſa. 26: 21. (*β*.) *modus*, verſ. 5. mors primogenitorum ſubitanea, nullo antecedente morbo: & diſtributio, ex gradibus dignitatis, quorum extremi memorantur, digniſſimus & viliſſimi, comprehenſis intermediis. R. Sal. מ comparationis facit, Viliores primogenito Pharaonis, & digniores primogenito ancillæ. Abrabanel nomine בכור digniſſimum quemque deſignatum putat, etiam non primogenitum; Sed hi præciſe notantur, ex ſanctificatione primogenitorum inter Iſraelitas. Jumenta conjunguntur: R. Sal. *quæ coluerunt*, ut etiam in idolis plagam fuiſſe doceat Exod. 12: 12. Sed præſtat ſimpliciter intelligere. (*γ*.) *Gravitas*, verſ. 6. A dolore maximo omnium, amplificato ab imparibus. (*Limitatio*, verſ. 7. ex indemnitate Iſraelis.) A clamore dolentium, nequidem canis movebit linguam: A calamitate, tum homines tum jumenta. Finis, ut Deus agnoſcatur diſcriminans.

b. Dimiſſio (*α*.) offerenda, verſ. 8. per legatos petitum iri à ſe, ut exire velit, magna cum reverentia; aſſumtis omnibus. כל אשר ברגליך hoc eſt, *quotquot ſunt ſub tuo imperio*, (quomodo jam non amplius ſuos ſubditos dicit, ſed Moſen rectorem eorum agnoſcit.) & (*β*.) admittenda, *tum egrediar*.

c. Abitus Moſis indignantis, verſ. 8. (*a*.) Dei prædictio de obſtinatione cordis Pharaonis etiam tunc; ut augerentur ſigna & prodigia ſua. verſ. 9. (*b*.) Moſis & Aaroniis miniſterium in plagis immittendis, verſ. 10. (*c*.) Dei obdurantis actio circa Pharaonem, ut ille nollet dimittere populum ex denunciatione factâ. verſ. 10.

CAP. XII.

II. EDuctio fœderandorum Pharaoni *extorta* capp. 11. 13. 14. 15. habet I. Præparationem Iſraelis, cap. 12: 1—28. II. Extorſionem dimiſſionis, verſ. 29—36. III. Egreſſum ipſum: per ſtationes Caſtrorum: quarum prima, verſ. 37— cap. 13: 16. ſecunda, verſ. 17—22. tertia, cap. 14: 1—18. quarta, verſ. 19—31. cap. 15: 1—21.

A. *Præparatio Iſraelis*, verſ. 1—28. conſtat

א. *Ordinatione temporis*, inſtituta nova epocha. ℣. 1, 2. (a.) Mandatum hoc dictum Moſi & Aaroni, verſ. 1. Hinc colligunt Hebræi, notitiam motus luminarium, rationem menſium lunarium plenorum & deficientium, nec non intercalationum, ut anni lunares æquarentur ſolaribus, ſpatio 19. annorum, totumque computum Aſtrologicum his ſolis, & poſt Synedrio majori commiſſum, cui uni annorum & noviluniorum definiendorum jus fuerit; & novilunia quidem ex computo fuiſſe indicata, non autem ex phaſi lunæ, quod Karæos perperam feciſſe docent. (b.) Mandatum ipſum, verſ. 2. ut iſte menſis primus foret cujusque anni. In politicis tamen à ſeptimo ducebant initium, quem tamen ſeptimum dixerunt: forte quia tum nudata à meſſe terra denuo colenda foret; ut ſementis cujusvis anni politici antecederet meſſem. Aſt hîc revocati ad verum computum juxta creationem mundi, in novilunio Martii, quando Meſſias promiſſus, nunc agno adumbratus, tandem ipſemet reſpondente promiſſioni primæ die oblatus eſt.

ב. *Inſtitutione Paſchatis*, verſ. 3—20. cujus variæ leges dantur, omni cœtui Iſraelitarum indicatæ, quia cuncti obligantur. Sunt autem iſtæ.

a. *Separandus agnus die* 10. *Niſan*, menſis primi, hoc eſt, poſt novilunium Martii, die decimo, à grege reliquo. verſ. 3.

b. *Conſtituendus numerus comedentium*, verſ. 3, 4. eopſe die, videlicet agnus pro quavis familiâ, non unus pro duabus, ne quicquam de carne domo efferatur in aliam domum. Quod ſi familia minor ſit מהיות משה quam ut prævalere queat abſumendo agno, ne quid redundet, adſciſcendus vicinus proximus cum ſua familia, computando quot ſufficiant, qui tum dicuntur בני חבורה, in qua manendum comedentibus, neque ab una ad aliam tranſeundum eſt, ut duobus in locis comedatur. NB. Hinc vero duo alia ſtatuta, quia dicitur תכוסו על השה I. numerandi comeſturi vivo agno; mactatus non eſt agnus, ſed corpus agni. Et II. nemo numerari poteſt ad duos agnos, quia ſingulare.

c. *Agnus ſit maſculus*, non fœmella, neque ſexus nullius vel utriusque; *ex ovibus vel hædis*, non de armentis: *perfectus*, ſine omni vitio; *anniculus*, eopſe anno natus, major tamen octiduo. verſ. 5.

d. *Aſſervandus in diem* 14. *mactationis*: & quidem ut Abrabanel ait, vinctus funibus ad pedes lectorum ſeu ſpondarum, ℣. 6. videlicet ut toto illo triduo ſit ante oculos.

e. *Mactandus ab omnibus Iſraelitis*, nempe eodem tempore, non eodem in loco, ſed quævis φρατρία ſuum, præſentibus omnibus una eſuris ad rei manifeſtationem: mactatio autem ab uno peragebatur, verſ. 6. Tempus בין הערבים Aben-Ezra, *veſperæ una occaſus Solis, altera, occaſus radiorum ejus*. Ramban: *poſt ſex horas diei vocatur veſpera*. Ralbag. *totus dies eſt inter duas veſperas*. Abrab. *veſperi, dualis nulla ratione habita*. Maim. *Paſcha mactatur poſt meridiem* (ante ſi fiat, illegitimum eſt,) *poſt finitum ſacrificium veſpertinum: adeoque hora circiter nona*, hoc eſt, tertiâ pomeridianâ, & *deinceps*.

f. *Sanguinis adſperſio*; verſ. 7. Excipiendus pelvi; faſciculo hyſſopi (non manu, aliove inſtrumento,) illinendus poſtibus & ſuperliminari (non limini inferiori, ne conculcetur ille ſanguis. Ainſw.) Abrab. addit, *non extrinſecus, ut viderent Ægyptii, ſed intrinſecus, ubi comedebant quibus erat ſignum*.

g. *Comeſtio agni*, verſ. 8, 9. ubi (*a*.) *comedenda caro, illa nocte*, ante ejus medium. (*b*.) *Aſſata igne*, non cruda (quod Abrabanel נא reddit *nunc*, de præſenti tempore, minus conveniens) hoc eſt Maimonidi, plene excocta; neque elixa. (*c*.) *Cum panibus infermentatis*, itidem aſſatis ſuper prunis, non autem coctis in fornace; & *cum herbis amaris*, (cichoreo, lactuca ſylveſtri, aliis, non ſatis nunc notis.) Abrabanel has prius comedendas, ait, & carnem paſchatis à ſaturis. Addebatur adhuc *charozeth* embamma confectum ex uvis, aliisque ad repræſentandum lutum, in quo laborarint. (*d*.) *Aſſandus integer agnus*, non ante aſſationem ſecandus in partes & fruſta, caput & crura, & interiora, (cor, pulmones, hepar, renes.) Interiora tamen extrorſum tracta (nempe ad mundandum) non reponentur introrſum, ſed extrinſecus relicta aſſabuntur igne quoque, cohærentia agno.

h. *Nihil ſervandum in craſtinum*. Sed reſiduum tum comburendum. verſ. 10. Maimon. *tota nocte licitus eſus, ſed ante ſomnum, poſt hunc nefas*.

i. *Comedentium habitus*, verſ. 11. *Lumbis accincti, calceati pedes*, (quod feſtinationis Eſa. 5: 27. Act. 12: 8. libertatis Eſa. 20: 4. gaudii 2 Sam. 15: 30.) *baculis apprehenſis*. Quia non voluptatis ergo, ſed vi præcepti. Neque otioſe ſed *feſtinanter* fuit comedendum.

Hoc inſeritur cauſa feſtinationis, *quia Paſcha Domino*, verſ.

verſ. 11. & explicatur, verſ. 12. (a.) *Tranſitus Domini* ſua virtute & plaga, per metaph. ut equus cum impetu tranſiens obvia ſternit,) Ralbag. עברתי quaſi התעברתי *excandeſcam:* minus commode.) (b.) *Illa nocte* (poſt comeſtum agnum. Abrabanel.) & (c.) *cædes primogenitorum Ægypti omnium* (etiam גדולים Abrabanel.) (d.) *Judicia in Elohim ipſorum:* Quidam Magiſtros & judices, alii Idola, quæ confracta dicunt; Abrabanel Angelos præſides, aut conſtellationes cœleſtes: quorum vim Deus debilitarit, ut non poſſent tueri Ægyptum. Bechai *Lignea Idola computruerunt, quæ ex metallo liquefacta ſunt.* Et To אני ה qui omnium poteſtatem habeo, ſuperiorum & inferiorum, & providentia particulari diſcerno inter homines; primogenitis ſelectis ad cædem. Nec non parcens quibus placet, quo facit uſus ſanguinis illiti poſtis, verſ. 13. Sanguis erit vobis in ſignum fidei; & quando vos credetis mihi mediante illo ſanguine, ecce ego cum videro ſanguinem, & fidem veſtram intuentium ſanguinem, פסחתי parcam vobis, vel tranſiliam ædes veſtras, ne eadem plaga vos tangat quæ Ægyptios. Sic Abrabanel.

NB. Paſcha Ægyptium habuit quædam ſingularia, nunquam poſtea repetita; quæ ſunt 1. ſeparatio quatriduo ante. 2. Sanguis illitus poſtibus. 3. Habitus comedentium. 4. Manſio intra domum.

k. *Feſtivitas illius diei*, verſ. 14. in memoriam hujus primi, ſingulis annis cum gaudio celebranda: *in generationes*, quamdiu generationes Iſraelitarum durant; adeoque ubicunque degerent; ubique agitandum feſtum hujus diei, non tamen ubique comedendum Paſcha, quod deinde reſtrictum ad Cananæam & Hieroſolymam. (Proinde poſteriora ſtatuta prioribus derogant.) Sic quoque tandem ceſſatura hæc feſtivitas memorialis. Jer. 16: 14, 15. cap. 23: 7, 8.

l. *Feſtum azymorum 7. diebus obſervandum.* Quod diſtinctum à Paſchate. ℣. 15--20. & de quo dicitur (a.) *per ſeptiduum azyma comedenda*, verſ. 15. (b.) *Primo horum fermentum domibus expurgandum*, verſ. 15. hoc eſt, poſt mactatum Paſcha: ineunte veſpera diei 15. Niſan. Ad lucem candelæ quærendo in omnibus angulis, & inventum comburendo, vel in aerem aut aquas ſpargendo. תשביתו ut aboleatur in cordibus & reputetur velut pulvis terræ. Quia impoſſibile omnes micas reperire & ejicere. (c.) *Interdictum fermenti comedendi* ſub pœna excidii toto illo ſeptiduo. verſ. 15. qui ante initium decimi quinti, hoc eſt, poſt meridiem decimi quarti quando paſcha mactari cœpit, fermentum edit, plagis afficitur, videlicet 40. ſed non eſt reus excidii, niſi id faciat poſt initium decimiquinti. (d.) *Diſcrepans ſeptidui ſanctitas*, verſ. 16. primo & ultimo, convocatio ſancta: & feriæ ab omni opere, præterquam ad apparatum cibi; Abrab. *non dicit, hominum, ſed omnis animæ, ut beſtiæ comprehendantur.* (Atque his etiam Sabbatho parare licet Luc. cap. 13: 15. proinde & hominibus.) (e.) *Ratio feſti ſecundi*, quod ſeptiduanum, verſ. 17. Paſcha memoriale fuit ſervatorum primogenitorum, dum cæderentur Ægyptii: aſt Azymorum, liberationis ex Ægypto; & hoc ſeptidui, primo & ſeptimo ſanctioribus, quia primo cœpta, excedentibus ex ſedibus ſuis Iſraëlitis: ſeptimo conſummata, ſuffocatis in eo Ægyptiis. (f.) *perpetuitas feſti*, verſ. 17. (g.) *Obligatio ad azyma*, verſ. 18. finiente 14. die primi menſis, in veſpera. uſque ad 21. incluſive. (h.) *Interdictum fermenti* ne illud habeant domi ſuæ, neque quicquam fermentatum edant; tum quoad perſonas, nec indigena, nec peregrinus. גר צדק ſub eadem excidii pœnâ, verſ. 19. tum quoad loca, verſ. 20. ubicunque degerent, ſive in patria ſive in exilio.

J. *Exſecutione mandati*, verſ. 21--28. ubi occurrit

a. *Propoſitio Moſis* (a.) ad quos, Seniores Iſraëlis, per quos reliquis loquebatur, verſ. 21. Abrab. *Seniores hic monuit, ut exemplo reliquis præirent, ſi forte metuerent tale quid agere ob Ægyptios, venerantes oves;* (b.) quid mandarit, *primum* leges 1. 2. 3. 4. 5. verſ. 21. *Tum* 6. addito mandato de non egrediendo domo illa nocte, verſ. 22. quod item non niſi primi Paſchatis in Ægypto requiſitum fuit. additur *cauſa*, verſ. 23. utriuſque tranſitus Domini, ante ædes ipſorum, dum Ægyptios cæderet. *Tum* denique leg. 10. quam amplificat, eſſe perennem, verſ. 24. etiam in Cananæa, verſ. 25. addit *mandatum* de inſtituendis de hoc ritu liberis, verſ. 26, 27.

b. *Populi acceptatio* mandati, verſ. 27. geſtu teſtantis reverentem acquieſcentiam, & obſequium, verſ. 28.

B. *Extorta dimiſſio*, verſ. 29--36. ubi

א. *Ultima viſio* adhibita, verſ. 29. Deo primogenitos hominum ferarumque necante; ipſo noctis meridie; morte ſubitanea. cujus *Effectum*, univerſalis commotio, verſ. 30. omnium turbata quies, ut ſurgerent, Phar. aulici, populus; luctus gravis; domus omnes funeſtæ.

ב. *Dimiſſio*

a. *Conceſſa* à Phar. ℣. 31, 32. evocato Moſe & Aarone ipſa nocte; dum jubet (a.) diſcedere è medio ſui populi, & ipſos & Iſraëlitas (b.) exercere cultum Dei quem dixerant, (videlicet ut poſt ſacrificium redirent) verſ. 31. (c.) aſſumere greges omnes juxta poſtulatum; (d.) pro ſe intercedere, verſ. 32.

b. *Feſtinata* ab Ægyptiis inſtantibus: qui urſerunt abitum Iſraëlitarum. metuentes omnium Ægyptiorum exeidium, verſ. 33. Atque hinc Iſraëlis (a.) *incommodum*, maſſam ſubactam, nondum fermentatam, veſtibus involutam extulerunt, quod coquendi otium non foret, verſ. 34. (b.) *commodum*, quod ex mandato Moſis poſtularint vaſa aurea & veſtes, verſ. 35. quæ, ſic dirigente Deo, petentibus abunde conceſſerint Ægyptii, (exterriti, & optantes ab ipſis deprecationem apud Deum obtinere) quomodo Ægyptiis illa perierunt, verſ. 36. וישאילום & *fecerunt eos petere*, provocarunt ad petendum.

C. *Egreſſus ipſe* per ſtationes quatuor. quarum

א. *Prima*, verſ. 37--cap. 13: 19. atque heic recitatur

a. *Iter* ejuſque circumſtantiæ.

a. *Locus*, unde & quò iverint, à Rameſes (quomodo tota Goſen comprehenditur) in Succoth, in confiniis Ægypti, verſ. 37. *Succoth* nominata videtur à tabernaculis iſtic ſtructis ex ramis arborum.

b. *Numerus* euntium, כ' אלפי *circiter* 600000 peditum, virorum, ſupra 20, infra 51 annos. præter parvulos, nec non mulieres & ſenes: Hi omnes Iſraëlitæ, verſ. 37.

c. *Comitatus:* mixta multitudo alienigenarum: (forte metuentium ne in Ægypto omnes perirent, cum Iſraële ſalutem ſibi promiſerunt,) à quibus poſtea multum incommodi fuit: denique greges & armenta plurima, verſ. 38.

d. *Annona*, maſſam coxerunt, azymam adhuc: *cauſa* autem cur hîc coxerint, quia expulſi ex Ægypto iſtic nequiverunt facere, & nunc hic in prima ſtatione, quia alio viatico carebant, verſ. 39. כי לא חמץ hoc eſt, כאשר *quando non* ſeu *dum non fermentata erat:* videlicet quia azymis veſcendum.

e. *Tempus*, verſ. 40. Hic difficultas gemina 1. Quomodo conciliandi 400 anni Gen. 15: 13. cum his 430? 2. Quomodo habitatio iſta dicatur fuiſſe in Ægypto, ubi tantum hæſerunt per annos 210 vel ut Piſcat. 240? Abrab. Scripturam 400 annos dicere brevitatis gratia, numero rotundo juxta quoſdam: Ipſe, 400 annos fuiſſe auctos aliis 30 ob peccata Iſraëlis Ezech. 16: cap. 23: quemadmodum adhuc alii 40 adjecti ſint ob peccata in deſerto, antequam in Cananæam venirent. Habitationem autem dici Iſraëlitarum, cum eo tempore quo in Ægypto vixerunt, eouſque extendi. Nam in extremum horum 430 annorum referri moram in Ægypto. Præterea fines tres dari exilii Ægyptiaci, I. 400 annos Gen. 15. inde à peregrinitate ſeminis Abrah. II. 430 annos, h. l. à tempore nati Iſaaci; III. 210 annos à tempore ingreſſus in Ægyptum. Poteſt reddi ut Græci, *habitatio fil. Iſr. quam habitarunt ipſi & patres eorum in terrâ Æg. & terra Canaan, ipſi & patres eorum 430 anni.* Vel ut Beroaldus, *Habitatio fil. Iſ. qui habitarunt in Ægypto*, &c. Apoſtolus Gal. 3: 17. itidem computat 430 à promiſſione ad legem. Quid ergo cum etiam Iſraëlitarum majores fœderati comprehenduntur, Ægyptum dicamus initium & finem peregrinationis: atque initium in Abrahamo Gen. 12. cui regreſſo in Cananæam, facta promiſſio fœderalis? Sed conſiderandum ulterius.

Ratio notati temporis, verſ. 41. quod exactè, eopſe die quo finiebantur illi anni, fuerint educti. Et inſtituta nova Epocha inde ab egreſſu ex Ægypto, qui cum extortus Phar. nocte diei 15 Niſan. inde ducitur: ut ſit ליל שמורים verſ. 42. Abrab. ליל שמורים *quia illa nocte fuerunt cuſtoditi, caſis Ægyptiis: ut egredi poſſent.*

b. *Leges Paſchales aliæ*, verſ. 43--51. demum poſtridie Paſchatos, ſive in Succoth, præſcriptæ, occaſione mixtæ multitudinis, quæ una cum Iſraële Ægypto exceſſerat, (juxta Abrab.) eaque

a. De perſonis, admittendis ad uſum Paſchatis: (α.) *nullus filius peregrinus*: hoc eſt, peregrinæ religionis, ſive gentilis, ſive Iſraëlita apoſtata, verſ. 43. Onk. Jonath. Abrab. (β.) *ſervi precio emti*, & vernæ, modo prius circumciſi, verſ. 44. (γ.) *nullus inquilinus, aut mercenarius*, qui ſcilicet non ſunt proſelyti fidei, verſ. 45. etſi proſelyti domicilii ſint, aut etiam circumciſi, ſed non baptizati, ut proſelytiſmus eorum ſit imperfectus.

b. De loco: ut in una domo quivis agnus comedatur, in unâ φεγλείᾳ; non autem efferatur portio in domum aliam, verſ. 46. imo ne quidem in ſocietatem aliam; potuere enim in una domo plures ſocietates inſtituere, pro numero ad agnum ſufficiente; quod factum, cum ſolum Hieroſolymæ liceret comedere: unde Chriſtus cum diſcipulis in cœnaculo uno; & ſic proculdubio plures in eadem domo. Abrabanel domum unam de loco ſanctuarii intelligendam concedit, quo omnes Iſraëlitæ, ceu una familia, convenerint. Sed id forte alienius ab hoc loco: neque enim in templo comedebatur ab omnibus Paſcha.

c. De agno ipſo. non confringendum os, verſ. 46. ad vitandum contemtum.

d. De perſonis rurſus. & hîc (α.) omnes Iſraëlitæ obligantur, ne cui liceat omittere, verſ. 47. (β.) peregrino figuntur conditiones admiſſionis; ut primum ipſe & omnes domeſtici circumcidantur: quia nulli præputiato fas edere, verſ. 48. neque duriorem ſic hujus, quam Iſraëlitarum conditionem eſſe, verſ. 49.

Subjungitur *tum* obedientia Iſraëlitarum, admittentium has leges, verſ. 50. *tum* tempus harum latarum: quo die educti fuerant ex Ægypto, verſ. 51.

CAP. XIII.

c. LEx *de primogenitis ſanctificandis Deo*. de qua ſoli Moſi, verſ. 1. mandatum datur, de ſanctificando hoc eſt, ſegregando ad miniſterium Deo, omne primogenitum, (hominis ad ſacerdotium, beſtiæ mundæ ad ſacrificium, & immundæ ad ſervitium,) verſ. 2. Primogenitum eſt vel patris vel matris, vel utriuſque. Hic intelligitur Matris, ſive foret etiam patris, ſive non. NB. Primogenitus patris eſt dignitatis & portionis duplæ hæres, ſed non ſanctus Deo: hoc ſolum qui matris, aperiens uterum.

d. *Repetitio legum paſchalium*, verſ. 3--10. Ubi mandatur

a. Recordatio diei egreſſus ex Ægypto, Deo educente; cujus memoriale, *Ne fermentum comedatur*: quia adeo feſtinanter educti ſunt, ut non poſſet maſſa fermentari, verſ. 3. deſcribiturque dies, à menſe, qui *Abhibh* dicitur à *germine*, jam matureſcente, verſ. 4. vel אביב quaſi אב יב *pater duodecim* menſium, quorum primus Niſan.

b. Celebratio annua hujus memoriæ, quoad *locum* in Cananæa ipſâ, quo tendebant, juramento promiſsâ, verſ. 5. Quoad *tempus*. totis 7 diebus, verſ. 6. cujus feſtivitas una ſolennior, (qu adhuc ſuperat, nam primum diem tunc agebant) ſeptimo die reſtaret. (Abrabanel dicit fuiſſe vaticinium, ſeptimo die conſummate liberandos, ſuffocatis hoſtibus.) Nachman. qui primo non ſatisfeciſſet, ſeptimo poſſe corrigere neglectum, verſ. 6. Quoad *modum*, comedenda azyma, toto ſeptiduo: & ejiciendum omne fermentatum, & fermentum, ut ne quidem conſpiciatur, verſ. 7.

c. Inſtitutio liberorum de feſti ratione: verſ. 8. NB. Cap. 12: 26, 27. ſimile mandatum, ſed de filio ſciſcitante, impio & irriſore; R. Sal. vel potius, majore: hîc de minore, qui à patre ſponte informandus: propter hoc ſcilicet celebramus feſtum, quia eduxit nos &c.

d. Memoriale Tephillin, ſeu Phylacteriorum; tum in manu (quam ſiniſtram dicunt) tum in fronte; quando 4 dicta ſigillatim in frontali, conjunctim in manuali claudunt Exod. 13: 2--10. Exod. 13: 11--16. Deut. 6: 4--9. Deut. cap. 11: 13--21. quorum duo priora habent mentionem egreſſus ex Ægypto, poſteriora mentionem obedientiæ; & in omnibus mandatum de iſtiuſmodi recordationis modo, verſ. 9. Abrab. *propter hoc, ut hæc annunciaremus, fecit Deus* &c. *quia ſæpius dixit, hoc beneficium liberationis eſſe celebrandum, & hunc ſe habere ſcopum.*

e. Obſervatio annua ſtato tempore, ne propter intercalarem menſem anticipetur, ut in Niſan non celebretur feſtum, verſ. 10.

e. *Promulgatio legum de primogenitis.*

a. Perpetuitas legis, quando in Cananæam venerint, verſ. 11. non iſtic demum valebit incipietque iſta ſanctificatio. (quod Hebræi volunt, de beſtia munda, de immunda ubique, etiam extra terram valere dictitantes, uti etiam de homine, quia redemtio ubique obtinere queat, oblatio tantum in terra;) ſed cum generaliter de omnibus loquatur, huc pertinet, ne putarent tantum primogenitos qui in Ægypto ſervati fuerant, hîc intelligi; verum quotquot unquam futuri eſſent.

b. Lex ipſa, verſ. 12. *Tranſire facies*, tranſmittes, transferes ex tua poteſtate in Dei proprietatem *omnem apertionem uteri*, nempe humani; & omnem apertionem effuſionis beſtiæ, ſed tantum mares, non fœmellas. quomodo prorſus cedebant Domino ipſius uſibus ſervituri, homines ſacerdotio functuri, & beſtiæ horum ſuſtentationi.

c. Explicatio (α.) circa beſtias immundas. (memoratur *aſinus*, quod alias immundas non haberent Iſraëlitæ, oneribus ferendis. Sunt qui ſingulis 90 tribuant vehendis theſauris Ægyptiorum,) *redimendum aſinum ove*: Si quis tamen nollet Sacerdoti utilem pecudem in permutationem dare, ipſummet ea carere debere, & cervicem aſino frangendam. quod quidem conceſſum, ſed non laudatum liquet. (β.) & pariter, ſi quis filium neget Deo, non habiturum libere, ſed cum gulam frangere non conveniat æque ut aſino ſaltem non niſi redemtum ſervabit; ut alieni juris fuiſſe agnoſcat & profiteatur, verſ. 13. Si enim neceſſaria fuit redemtio filii, quis manſiſſet ſacerdos Deo? neque enim Levitæ adhuc in locum primogenitorum ſucceſſerant; quod demum factum repudiatis ob cultum vituli primogenitis. Ezech. 20. (Perperam quicquid poſt factum revocatur ad leges præcedaneas, cum ſæpe variationis cauſa intervenerit nova & evidens. Vide circumciſionem 8 die Gen. 17. & Lev. 12.) & qui ſucceſſerunt, non venerunt in locum redemtorum, ſed illi ex primogenitis redemti, qui redundantes ſupra numerum Levitarum, non invenerunt qui ſuccederet in locum ſuum.

d. Inſtitutio liberorum de primogenitorum ſegregatione. recitata (α.) Cauſa *remota*, liberatione ex Ægypto, verſ. 14. & *proxima* cæde primogenitorum Ægypti maſculorum in hominibus & jumentis, verſ. 15. (β.) Facto: *propterea ego* זובח *omne aperiens matricem. & omne primogenitum filiorum meorum redimam*, verſ. 15. Τὸ זבח non ſimpliciter *mactare* ſacrificio hîc eſt, ut de beſtiis primum membrum intelligatur, ſic etiam aſinus comprehendetur; ſed Deo appropriare, quo conveniebat modo, ut in voto Jephte. homines ad miniſterium, beſtias mundas ad hoſtiam vel miniſtrorum uſum, immundas itidem in eo quod ſubſtitutum erat: poſterius membrum per *aut* explicandum; quemadmodum ו in X præc. de iis quæ conſecrationi opponebantur.

e. Memoriale phylacteriorum etiam hîc, ut liberationis potentis, cæde videlicet primog. demonſtratæ, recordatio jugis foret, verſ. 16. טוטפות quid ſignificet non conſtat. ſemper additur בין עיניך ut ſumma frons indicetur, ubi collocandum iſtud memoriale ſignum; ut non pudeat profeſſionis de liberatione Domini. Conf. Apoc. 13: 16. cap. 14. verſ. 1.

ב. *Statio ſecunda*, verſ. 17--22. Ubi

a. Præmittitur cauſa circumducti itineris, verſ. 17, 18. (α.) Dimiſſo populo à Phar. & non fugiente; ut latebras, aut ſolitudines quærere neceſſum foret, Deus duxit eos non via Philiſt. כי *quamvis* vicina foret, (nam ex Ægypto per Aſcalon Hieroſolymam iter 8 dierum eſt) & compendioſiſſima via quæri ſoleat; (Abrab. cauſam unam ſic putat innui, ne mendax diceretur Moſes, qui veniam eundi petierat in deſertum ad ſacrificandum: quæ via in contrariam à Paleſtina partem.) (*b.*) *Cauſa* eſt, ne bello, tranſitum negaturis Philiſtæis, territi, repeterent ſervitutem, verſ. 17. פן non dubitantis eſt. ſed impedientis, ne facerent. Experimen-

rimenta hîc erant infelicis congreſſus Ephraimitarum, ante tempus Cananæam petentium Pſ. 78: 9. ſ. 1 Chron. 7: 21. ſ. Hebræi 200000. periiſſe ajunt. Et horum oſſa adhuc ſtrata jacuiſſe illa via. Cauſam aliam dicit Bechai, ut multiplicarentur eis ſigna, quibus explorati fuerunt, ut fiduciam conciperent animi; quæ neceſſaria ad recipiendum legem. (c.) Jam quâ duxerit, verſ. 18. via deſerti verſus mare rubrum, quæ erat via longior, & ubi tranſito mari, reditus in Ægyptum præcluderetur.

b. *Ordo proficiſcentium*, verſ. 18. armati, vel ordinati חמושים (Græci male quinta generatione contra Gen. 15. verſ. 16.) Adſcendere dicitur in Scriptura, quiſquis in Cananæam & Hieroſol. abit, & qui inde abit, deſcendere.

c. *Religio Moſis*, ne populus reus perjurii obnoxius fieret plagis in difficili itinere, aſſumtis oſſibus Joſephi, verſ. 19. atque etiam reliquorum Patriarcharum; R. Sal. qui uno loco cum Joſepho ſepoſiti, uno etiam in ſepulchro fuere conditi, Act. 7: 16.

d. *Iter ipſum*, à Succoth in Etham, in extremo deſerti, verſ. 20.

e. *Ductus*, qualis, verſ. 21. ubi (a.) *Dux*, יהוה: quidam, de intellectu agente in Moſe, alii, ſic vocari nubem ipſam, vel Moſen: quæ Abrabanel repudiat; dicitque eſſe Deum creatorem mundi; ejuſque providentiam, mundi gubernatricem. Hîc primùm, cum diſcedendum eſſet ex Succoth, & eundum via non trita, in deſerto, cœpit Deus ipſe antecedere, in nube. (b.) *Inſtrumentum*, nubes columnæ inſtar erecta à terra in cœlum; & ſic quoque ignis. (c.) *Tempus*, (α.) *quando* illa interdiu, hic noctu. (Una columna, quæ interdiu fulgente ſole, habuit candorem nubis, ut luna, cum videtur interdiu; noctu in obſcuritate, fulgorem ignis: ductus ipſe, anteceſſit, ducens per viam non tritam, & incognitam; interdiu & noctu; ſive eundum, ſive quieſcendum eſſet. R. Menach. ויי הולך הוא ובד"ר במ"ר *Nomen illud magnum, per miſericordiam ſuam fuit cum ipſis interdiu, & noctu* ביה דינו *habitavit in medio ignis. Itemque* שכינה. (β.) *Quamdiu* durarit; verſ. 22. non receſſit iſta nubes unquam. Conf. Eſai. 4: 5, 6. Nubes hæc texit Iſraelem tranſeuntem per mare, & tunc baptizati in nube 1 Cor. 10: 2. ſed cum eadem foret ignis, etiam igne, ex illo Matt. 3: 11.

CAP. XIV.

ג. *Statio tertia*, verſ. 1—18. ubi occurrit

a. *Mandatum progrediendi*, verſ. 1—4. quod deſcribit

a. Modum & terminum proximorum caſtrorum. verſ. 12. (α.) *Modus*, retrorſum eant, non extra Ægyptum per iſthmum qua connectitur Palæſtinæ; & deſerto Arabiæ; ſed introrſum ut intra ſinum maris rubri metarentur caſtra. (β.) *Terminus* varie deſcribitur ante *Phi hachiroth*, (Abrab. fretum maris rubri indigitari putat, unde illud ſe effuderit in libertatem ſive latitudinem; ſed ubi iſtud fuerit non indicat.) inter Migdol, à turri dictam munitionem, & mare, è regione Baal Zephon, idolei.

b. Cauſam ſic inſtituendi itineris; (α.) *Pharaonis judicium de illis*, verſ. 3. Dicet לבני *de filiis* Iſrael. Perplexi ſunt in terrâ Ægypti; & deſerto concluſi; cujus finem non invenient; nam quo longius procedent eò longius aberunt ab exitu, clauſi mari. Perplexitas autem quod loco egreſſus, longius ingrederentur: neſcii viæ & errantes in deſerto. (β.) *Dei judicium de Pharaone*, verſ. 4. obfirmatio cordis ejus, (non abolendo ejus libertatem, eumve cogendo, inquit Abrabanel) ſed quod ea occaſione ſe ſit obfirmaturus ad perſequendum, oblitus priorum plagarum, & ſic de ipſo honorem ſumam, ut agnoſcant me Dominum.

b. *Obedientia populi*, eo profecti, verſ. 7.

c. *Factum Pharaonis*, verſ. 5—9. cujus (a.) *Occaſio*, ℣. 5. indicium illi factum de fuga Iſraelis, hoc eſt, conſilio abitus citra animum revertendi. Sive quidam Ægyptiorum regreſſi ſint, ſive alii juxta quos iter fecerant. (b.) *Mutatus animus*, verſ. 5. Indulſerat abitum Pharao, & Ægyptii ſerant: nunc mutati & ille & iſti, אל *contra* populum; mutationisque profeſſio pœnitens, *Quid fecimus, dimittentes populum, ne nobis ſerviret?* (c.) Apparatus perſequendi, in ipſo & populo ſuo, verſ. 6, 7. quis quantuſque exercitus: (d.) Perſecutionis cauſa principalis, Deus obfirmans. ובני *Quamvis filii* Iſrael per manum fortem egrederentur. verſ. 8. ו Pro *quamvis* Deut. 13: 2. Abrabanel *licet multi ſuorum eum dehortarentur, ne ſe miſceret Iſraelitis bello, non tamen commotus eſt, ut abſtineret, quia indignatus, manu excelſa ipſos fuiſſe egreſſos.* (e.) Perſecutio ipſa, verſ. 9. quod cum univerſo ſuo exercitu eos aſſecutus ſit ubi caſtra habebant.

d. *Iſraelitarum metus*, verſ. 10. ubi (a.) Cauſa, quod adduceret Pharao omnem exercitum, & jam proximus eſſet extremo ſuo agmini, adhuc procedenti. ℣. 10. (b.) *Effectus*. Tum *clamor* ad Deum, murmurantium, aut quiritantium: preces naturæ, verſ. 11. tum *contentio* cum Moſe, verſ. 11, 12. qua improbant factum ipſius, verſ. 11. laudant ſuum conſilium olim, verſ. 12.

e. *Moſis conſolatio*, promittentis incolumitatem ipſis quieſcentibus: interitumque Ægyptiorum, verſ. 13. nec non cauſam utriusque, Dei pugnam pro ipſis, verſ. 14.

f. *Dei confirmatio* factæ promiſſionis, ubi (a.) *Teſtimonium* exauditarum precum, verſ. 15. (b.) *Mandatum* progrediendi, verſ. 15. patefaciendo iter, fiſſo mari ad extenſionem baculi, verſ. 16. (c.) *Prædictio* ſecuturi, ſe ita moderante, Pharaonis, ut gloriæ Dei fieret argumentum, verſ. 17. à ſuperſtitibus Ægyptiis agnoſcendæ, verſ. 18.

ד. *Quarta ſtatio*, verſ. 19. atque hîc

a. *Ordo profectionis*. Nempe *Angelus Domini*, & *Nubes* in quâ erat, conſtitit pone Iſraelem, cum antecederet alias, verſ. 19. eoque medius inter Iſraelitas & Ægyptios, & Angelus & nubes: ſed cum differentia, nubes fuit & tenebræ, & illuminavit noctem, quæ cauſa ut ad ſe mutuo non accederent, Iſraelitæ & Ægyptii, verſ. 20. NB. Angelus ille fuit Michael princeps magnus, miſſus à Deo, qui factus eſt in murum igneum inter Iſr. & Ægyp. ut hi illos non poſſent attingere. Pirke Eliez. cap. 42. R. Menah. *hic Angelus eſt domus judicii S. Benedicti, & vox* אלהים *non eſt nomen rectum; Sic dixere Rabb. noſtri. Deſcenderunt in mare,* שכינה *una cum ipſis, quaſi d.* מלאך האלהים *& profectus eſt eoque Angelus iſte eſt* שכינה. *Vocatur autem illa Angelus & princeps mundi, quia regimen mundi exercetur per ejus manum. Imo* מלאך האלהים *tantundem valent in numeris, nempe* 91. Bechai quoque hunc מלאך vocat מרת הרין & Elohim per appoſitionem conjungi. Idem Bechai ait, hunc fuiſſe ordinem, *Iſrael, columna ignis, columna nubis, Ægyptii.* Hos proinde fuiſſe in tenebris, ſed vidiſſe eminus lucem illuſtrantem Iſraelem, quem viderint; Iſraelem in luce verſantem, non potuiſſe Ægyptios, in tenebris euntes, videre. Abrabanel columnam ignis utriſque pariter luxiſſe putat, ſed cum adeo vicina eſſet Ægyptiis, impediiſſe ut qui ultra eam erant Iſraelitæ, ab iis non viderentur. Rectius Targum, *una nubes, Iſraelitis lux, Ægyptiis nox.*

b. *Diviſio maris*, verſ. 24. inſtrumentum Moſis manus extenſa, principalis Deus, inſtrumentalis alia, Eurus vehemens, qui mare utrinque abigens, ſiccum tramitem illo diviſo aperuit. ו In ויבקעו per *poſtquam* reddi convenit, אחו׳ inquit Bechai.

c. *Ingreſſus Iſraelis*, verſ. 22. conſiſtentibus utrinque aquis inſtar muri. Rabb. dicunt 10. miracula eſſe facta ad mare, I. fiſſum fuit, II. in ſpeciem cuniculi ſubternanei, ut etiam tecti inſtar ſuperne immineret, III. fundus Iſraeli fuit aridus, IV. Ægyptiis humidus, lutum cœnoſum. V. Aquæ coagulatæ inſtar cryſtalli, VI. ſic tamen ut diverſis quaſi fruſtis conſtarent. VII. Semitæ fuerunt XII. pro quavis tribu una; VIII. Intergerina interſtitia fuere pellucida ut ſe mutuum videre poſſent. IX. Habuere dulces aquas manantes ex ſalſis ad potum, X. dulces iſtæ concreverunt, poſtquam inde bibiſſent, ne defluentes in terram, eam humectarent.

d. *Ingreſſus Ægyptiorum*, verſ. 23. noctu id factum, ut hi neſciverint ſe ingredi mare, & illud utrinque conſiſtere, tenebris ſe impedientibus: ſecuti duntaxat Iſraelem, quo eum iviſſe animadverterunt.

e. *Ægyptiorum ſubmerſio*. verſ. 24—34. cujus (a.) *Cauſa efficiens* Deus, qui mane de columna nubis & ignis, tanquam de curru ſuo proſpexit, Pſal. 18: ℣. in Ægyptios, hoc

hoc eſt, præſentiam & providentiam ſuam manifeſtavit. Cujus teſtimonium, conturbatio caſtrorum. verſ. 24. Id factum immiſſis pluvia, grandine, fulmine & tonitru; imo ut Targ. Hieroſ. pice & igne. Τὸ רמם de Deo uſurpatum ſemper tonitru & fulgura connotare quidam docent. R. Sal. vide Pſal. 18: 15. & 77: 18, 19. (*b.*) *Inſtrumenta* impediendæ fugæ, verſ. 25. Remotio rotarum à curribus, ut ægre moverentur: madefacta humo, ut rotæ vel prorſus hærerent in luto profundo, vel admodum ægre traherentur: aut poſterius de equis ægre promoventibus ob luti tenacis profunditatem. (*c.*) *Ægyptiorum conturbatio*, verſ. 25. meditantium fugam, ob Dei evidentem aſſiſtentiam Iſraeli præſtitam. (*d.*) *Inſtrumentum ſubmergendorum* Ægypt. (*α.*) mandatum Dei ad Moſen, verſ. 26. & (*β.*) obedientia Moſis extendentis baculum. verſ. 27. (*γ.*) *Effectus* ut mare rediret ad validum ſuum fluxum. verſ. 27. (*e.*) *Ægyptiorum perditio*, (*α.*) fugâ in occurſum maris, verſ. 27. qua ingreſſi erant: voluerunt regredi. ſed inde cœpit mare rurſum priſtinum curſum, ſemita illa inde rurſum obtecta: (*β.*) Dei violenta projectione, verſ. 27. וינער violenta excuſſio, qua quid projicitur ex manu; ſignificatur excuſſio ex curribus, & ab equis, ut laberentur in mare recurrens (*γ.*) maris regreſſus operientis ea ratione omnes, nullo ſuperſtite, verſ. 28.

f. Iſraelis liberatio (*a.*) tutus per mare tranſitus, verſ. 29. dum in altera maris parte operirentur Ægyptii. (*b.*) Cauſa liberationis Deus, verſ. 30. (*c.*) Iſraelitarum (*α.*) agnitio (1.) liberationis ab Ægyptiis, quos viderunt mortuos, ejiciente mari cadavera, verſ. 30. (2.) & liberatoris Dei, verſ. 31. (*β.*) reverentia & fides erga Deum & Moſen. verſ. 31. NB. Abrab. האמין *Conſtructum cum* ב *fiduciam indicat, cum* ל *ſolum aſſenſum. Crediderunt Deo* reliqua promiſſa impleturo: *Moſi* ceu ſervo Dei & qui ejus nomine promiſerat. Bechai. *Fides eſt in Deum, in Prophetas, in ſeculum futurum, in adventum Meſſiæ.*

CAP. XV.

g. C*Armen Euchariſticum* liberati Iſraelis, verſ. 1—21. ubi

a. Canticum Moſis. verſ. 1—29. Autores Moſes & Iſraelitæ. verſ. 1. ישיר fut. pro præterito. Heb. futurum, dicunt docere Reſur. mort. conf. Apoc. 15: 3. Cantici

α. Propoſitio, verſ. 1. *Cantabo Domino.*

β. Narratio habens argumenta celebrationis à beneficiis Dei

1. *Præteritis;* quæ ſunt duo mixtim: *ſubmerſio* Ægypt. & *liberatio* Iſr. Iſta indicat,

(a.) *In genere*, factum Dei (*α.*) circa *Ægyptios.* verſ. 1. Magnificum ſe exhibuit, projiciendo equum & equitem in mare. NB. Singularia Kabaliſtæ exponunt, de Sammaele, qui Ægyptiis opem tulerit, & primus fuerit defectus (b.) circa *Iſraelem*, verſ. 2. עזי וזמרת hoc loco *robur meum* decantandum, quia ſalutem præſtitit. verſ. 2. NB. Eadem formula cantici poſt ultimam Iſraelis liberationem Eſa. 12. verſ. 2. nam habebit multa Ægyptiacæ ſimilia. Hoſ. 2: 14. Mich. 7. 15. Profeſſio ipſorum, Hic Deus meus, ואנוהו habitationem faciam, inter laudes Pſal. 22. 4. Menachem. אעשה לו נוה הוא ירושלים של מעלה vel in cordibus; aut etiam externæ quoque congregationis. Nituntur fœdere paterno, nam proprium nondum erat initum.

(b.) *In ſpecie* circa Ægypt: (*α.*) *qualis Deus*, verſ. 3. (*β.*) *quid egerit*, ubi (1.) projectio in mare, verſ. 4. (2.) immerſio, verſ. 4. (3.) obtectio, citra ſpem emergendi, ut lapis, verſ. 5. תהומות aquas notat. verſ. 5. & 8. (*γ.*) *Inſtrumentum*, dextra, ſeu potentia, verſ. 6. cujus effectus, hoſtium (1.) terror, fractio animi. verſ. 6. (2.) perditio, Metaph. deſtructionis ut ædificia, ut ſtipula igne. verſ. 7. (*δ.*) *Modus agendi* in findendo mari, (1.) vento aquæ in cumulum actæ, (2.) fluenta conſtiterunt, ut acervus, (3.) coagulatæ ſunt aquæ, verſ. 8. (*ε.*) *Hoſtium ſpes vana*, verſ. 9. (*ζ.*) *maris reductio in* ipſos. verſ. 10. (*η.*) *Celebratio Dei* ab incomparabilitate, quoad robur, ſanctitatem, laudes: נורא תהלות *terribilis laudibus*, quia non aſſequitur eas quisquam ob miraculorum patrationem: unde ſilentium laus. (*θ.*) Sepultura Ægypt. verſ. 12. abſorpti à terra. in cujus luto & arena ſub aquas fuere quaſi tumulati.

2. *Præſente.* verſ. 13. Ductus populi nube & igne, continuandus uſque dum veniſſet in Cananæam. Quæ dicitur *habitatio ſanctitatis*, quia ſegregata, ubi Deus ſe ſanctum oſtenderet.

3. *Futuris*, (a.) *terrore populorum*, alias metuendorum (*α.*) in genere, verſ. 14. (*b.*) in ſpecie Philiſtæi; verſ. 14. Edomæi, Moabitæ, Cananæi, verſ. 15. (*c.*) Magnitudo terroris varie illuſtratur. Commotio, dolores parturientis, conturbatio, commotio vehemens, liquefactio, graviſſimus terror, & ſtupor, verſ. 16. (*d.*) cujus duratio, donec ſecuri tranſiiſſent Iſraelitæ. verſ. 16. (b.) *Iſr. immiſſione in poſſeſſionem* terræ, verſ. 17. (c.) *defenſione perpetuâ*, verſ. 18. unde regnum Dei perenne; cujus (*a.*) conſtantiæ fiducia à facto præſente contra Ægyptios, & pro Iſraelitis, verſ. 19. (*b.*) ſimiliter ratio conſtantis obedientiæ vindici præſtandæ. Verſ. 19. quibusdam hiſtoricus, cohærens verſ. 1. *tunc cecinit Moſes* &c: *quando Phoraonis equus* &c. quod dum progrederentur, cecinerint hoc canticum.

b. Mulierum euchariſticum. verſ. 20, 21. (*α.*) *Efficientes*, Mirjam, & mulieres reliquæ, & inſtrumenta, verſ. 20. (*β.*) *Canticum* ipſum quod fuit ἀμοιβαῖον Moſaico. verſ. 21. Mirjam dicitur *Soror Aaronis*, quia hic frater major Moſe, & qui ſemper una vixerat in Ægypto, cum Moſes per 40. annos inde abfuiſſet, jungitur autem Moſi & Aaroni in regimine populi Mich. 6. 4. quia prophetiſſa fuit, ut hic appellatur.

CAP. XV. *verſ. 22. ſeqq.*

EDUCTORUM DEDUCTIO ad locum fœderis pangendi, facta eſt per ſtationes. I. Mara, verſ. 22—26. II. Elim, ℣. 27. III. Sin. cap. 17. verſ. 1—36. IV. Rephidim cap. 17, 18. V. Sinai cap. 19: 1, 2.

I. *Prima ſtatio* à mari ad Mara, verſ. 22—26. ubi

A. *Iter*, verſ. 22, 23. א. *Moſe jubente* profectionem ויסע, vel quod ad mare tardarent, captantes ejecta Ægyptiorum ſpolia, vel quod juberet porro ſequi ductum nubis. ב. *Via* Egreſſis ex mari ingrediendum fuit deſertum Schur, contiguum mari. ג. *Duratio*, tridui itinere progreſſi. ד. *Incommodum*, defectus aquæ omnis. Quantæ autem difficultatis tantas copias, virorum, mulierum, infantum, jumentorum, tandiu carere aquis, niſi dicatur adhuc in vaſis habuiſſe aquas, quæ triduo abſumtæ fuerint: unde nulla murmura adhuc. ה. *Terminus*, Mara, verſ. 23. ejus incommodum ab aquis, ſed potui ob amaritudinem ineptis, unde nomen loco datum.

B. *Beneficium* præſtitum iſtic. verſ. 24—26.

א. *Occaſio* Murmur populi, deſiderantis potum, ℣. 24. Abrab. negat fuiſſe murmur indignantium, ſed indicantium defectum; eoq; non peccaſſe, neque correptos aut punitos eſſe.

ב. *Dei auxilium*, Moſe clamante, hoc eſt, cum ardenti Zelo invocante Deum, Deus ei oſtendit lignum injiciendum, quo edulcarentur aquæ. Dicunt Rabb. aquas antea fuiſſe dulces ſed amaras factas; edulcatos autem injecto ligno non dulci, ſed amaro, Deo geminante ſignum, & contrario modo quam homines agente. Alii, Sammaelem inde abſtuliſſe lignum vitæ, ſed Deum oſtendiſſe hoc ereptum Sammaeli. Scilicet dicunt Sammaelem Iſraelitas concitaſſe ad murmura ob defectum, ut eos peccare faceret & perderet, cum prius removiſſet arbores vitæ, quæ circa aquas erunt. Sed Deum Moſi oſtendiſſe arbores illas; Atque ibi poſuiſſe Sammaeli ſtatutum & judicium, limites poſuiſſe ipſi, quouſque ſollicitando procederet; & ibi exploraſſe Iſraelem, quantum fiduciæ haberet in Deum; & monuiſſe de obſervandis ſuis præceptis, non יצר הרע innatæ pravitatis. Simile filiæ regiæ quam alii ſeducebant, Pater eam monuit ut ſedens domi inſtaret ſuo operi, neque momento otiaretur; ſic ſeductores illos nihil valituros; qui diligentes in vocatione legitima non adoriantur.

ג. *Finis* ſeu fructus beneficii (a.) *indicatus*, (*a.*) *ibi poſuit ei ſtatutum & judicium*; verſ. 25. hoc eſt, docuit quid in difficultatibus faciendum, & exſpectandum; nempe eundum ad Deum precibus, atque hujus fore morem ut audiat petentes, etiam mutato naturæ curſu, & miraculis factis. Quibuſdam חק ומשפט ſunt Sabbathum & vacca rufa;

rufa; quæ חק dicuntur; deinde judicia: quæ in Mara volunt imperata: ſed minus commode. Sabbathum antiquius. vacca recentior; uti & judicia. (*b.*) *Et ibi probavit eum, ut noſſet quid in corde eſſet* Deut. 8: 2, 15, 16. (b.) *Declaratus.* verſ. 26. (*a.*) commendata obedientia, quæ audiendo & faciendo abſolvitur, fide & obſequio: repetitis phraſibus, & mutatâ perſonâ. vide R. Menahem fol. 92. col. 3. quædam quæ ad Trinitatem faciunt. (*b.*) Promiſſa felicitate, nullæ plagæ immittendæ quales Ægyptiis; (fuere illæ tum corporum. tum terræ, cui morbus tribuitur. 2 Chron. 7: 14. Tum animorum, quæ ægrotant ex induratione Eſa. 6: 10. Pſ. 41: verſ. 5.) (c.) *Confirmatus* dicendo, *Ego ſum Dominus Deus tuus medicans tibi* Pſal. 103: 3, 4. medic. inſtar præſcribens dicætam conſervandæ, & remedia, reſtituendæ valetudinis.

NB. Bechai: *Ibi poſuit Iſraeli ſtatutum & judicium, ut vires omnium herbarum & arborum noſſet, ſive occultæ qualitatis, ſive evidentis virtutis, & ibi tentavit illud lignum. Attamen juſſit attendere præceptis Dei, qui medicus, ut non à viribus herbarum exſpectarent ſalutem, ſed à Deo, cui uni fiducia innitendum ſit.*

II. *Secunda ſtatio*, verſ. 27. in Elim, quæ memoratur ob rei novitatem, in deſerto inventos 12. *fontes aquarum* & 70. *palmas.* Myſticus hic numerus, reſpondens 12. patribus & 70. animabus quæ deſcenderant in Ægyptum; item 12. tribubus & 70. ſenioribus Synedrii. Sic quoque 12. apoſtolis & 70. diſcipulis Chriſti. Ibi videntur morati diutius apud aquas. Nam ſi 21. Niſan tranſierunt mare, triduo ſequente venerunt in Mara, hæſerint iſtic aliquot diebus, inde in Elim, ſeptimanam unam atque alteram tranſegerunt, nam cum proximam ſtationem attigerunt, fuit 15 Ijar, menſis integer poſt exceſſum ex Ægypto.

CAP. XVI.

III. T*Ertia ſtatio.* Ubi.

A. *Iter* eò verſ. 1. indicato ſitu, deſerti Sin, & tempore adventus. Stationes plures numerantur. Num. 33. Sed hic eæ duntaxat, in quibus quid ſingulare accidit.

B. *Hiſtoria* illius ſtationis, ſuppeditati ab hoc tempore cibi ab ipſo Deo. Cujus

א. *Occaſio*, verſ. 2, 3. murmur Iſraelitarum omnium; qui optant periiſſe *manu Domini* in Ægypto, hoc eſt, peſte ſubitanea; dum victus abundabat; queruntur ſe huc ductos ut fame perirent. Nam non ducebantur in Cananæam felicem, ſed in deſertum; ſive id conſulto feciſſent Moſes & Aarbn ſive errore, ignari viæ. Suffecit ipſis cibus quem Ægypto extulerant per menſem integrum ſed tum defecit, finiente Sabbatho: nam prima ſeptimanæ prima vice Manna cecidit.

ב. *Dei inſtructio* ad Moſen, de ſuâ alimoniâ Iſraeli præſtanda, verſ. 4. ubi promittit (a.) *Abundantiam panis* (ſive ejus cibi qui panis loco foret,) pluviæ inſtar copioſe demittendam. (b.) *Unde ſubminiſtranda*, de cœlo, ex aere, in quo formatum Manna: Bechai ex ipſo cœlo, formatum ex luce; unde aluntur Angeli, ſed non condenſata in ſubſtantiam corpoream. Demiſit Deus Iſraelitis dormientibus, ultima noctis vigilia, quæ miſericordiæ eſt, & deſtinata alimoniæ omnium; mixta copia, Pſal. 78: 23. de *portis apertis* dicitur, cum in diluvio dicatur de *feneſtris.* Manna converſa fuit tota in alimoniam, ut nulla inde fuerint excrementa. Abrab. *De cœlo*, quia divinæ providentiæ dono data eſt; ratione efficientis non materiæ. (c.) *Quomodo uſurpanda*, ut quotidie colligatur, quantum cuivis diei ſufficiat, ad neceſſitatem, non ad opulentiam, ut in theſauros reponatur, & inde mercimonia exerceantur. (d.) *Finis* ut exploretur obedientia. Pertinuit ad explorandam fiduciam, ut à Deo exſpectarent quotidiana alimenta. Bechai כלמי שיש לו מה שיאכל היום ואומר מה אוכל למחר דרי זה מקטני אמנה Matt. 6: 30. ſ. talis enim oſtendit, non eſſe ſibi fiduciam, niſi in iis quæ videt in ſua poteſtate eſſe. עקר האמונה להאמין מה שאין אדם רואה שיהלה בטחונו בבעל הרחמים שבראו ואת יומו שירחם עליו ויתן לו פרנסתו Idem de tentatione: *Tentatio qua Deus tentat creaturas ſuas ſit ad manifeſtandam fidem, quod bonis benefaciat, puniat malos; neque tentat per ſe, cum noverit occulta cordis, ſed ut creaturis in mundo patefaciat, qui ignorant. Divites divitiis, an recte, iis uſuri ſint & benefacturi aliis. Pauperes paupertate, an patienter laturi, & non remiſſuri de timore Dei ac recalcitraturi.* Alii, *ut tentem eum, an obſervaturi &c.* Cum ſuppeditatis alimentis otium ſit ab hac cura, ſint ne tanto magis obedientiæ diſcendæ & exercendæ incubituri, verſ. 4. (*e.*) *Exceptio* de ſexto die, quando pro biduo colligendum, verſ. 5. erit duplum, dante Deo duplum, & colligente quovis duplum. Ainſworth. *& parabunt quod attulerint, quod duplum erit;* eoque ſexto die parabunt mannam & in diem ſeptimum; unde coctionem die Sabbatho interdictam colligit. Sed nuſpiam invenio Hebræos hoc argumento uſos. R. Sal. putat id quod collectum eſſet die ſexto per miraculum multiplicatum fuiſſe in duplum.

ג. *Moſis & Aaronis actio* cum populo, verſ. 6, 7, 8. qua avertunt murmura à ſe; dicunt probatum iri (a.) *Deum eos eduxiſſe ex Ægypto*, actione illa veſpera oſtendenda. verſ. 6. (b.) *Deum murmure ipſorum injuriari*, actione mane futurâ, oſtentione gloriæ Dei, verſ. 7. quomodo oſtendunt neque ſe ſua ſponte, & motu proprio eos eduxiſſe, neque propterea juſte contra ſe murmurari. Explicat quid futurum ad probationem prioris, datum iri veſperi carnem, & panem mane ad ſatietatem; poſterioris ſeu apparitionis finem, quod audierit murmura contra ſe: Neque enim ipſos tanti eſſe, ut murmurent contra ipſos: ceu qui educendo ſeduxiſſent ad perniciem. verſ. 8. Hinc Lex: *Qui contendit cum propheta aut Sapiente, eſt quaſi contenderet cum Deo.*

ד. *Dei ipſius actio judiciaria*, ubi (a.) *Citatio* juſſu Moſis per Aaronem inſtituenda, indicata cauſa, ſeu reatu. ℣. 9. Appropinquationem iſtam Abrab. explicat de reſipiſcentia ob murmura ſua. (b.) *Apparitio Dei* ad actionem, verſ. 10. reſpicientibus verſus deſertum in nube viſa eſt gloria Dei. Extraordinario ſigno Deus in nube, quæ dux viæ erat, ſuam præſentiam glorioſe oſtendit. (c.) *Dei ſermo* ad Moſen, ceu mediatorem: (quemadmodum citarat populum ad Deum.) verſ. 11, 12. Abrab. Reſipiſcentiam Iſraelis putat deſignari: ſed minus convenienter: quærit ubique excuſare Iſraelitas. At verò Murmuris ſe conſcium teſtatur, qui deſideriis eorum ſit ſatisfacturus, præbita carne inter duas veſperas, & mane pane. Vult ſe agnoſci Dominum Deum eorum: qui curam eorum gerat, ceu ſuorum quos eduxiſſet. Hinc poſtquam quis edit & ſatiatus eſt, gratias aget Deo, eum agnoſcens. Rabb. à minori. *Si precandum ſaturo, multo magis eſurienti, ſub initium paſtus.*

ה. *Donatio promiſſæ carnis & panis.* (a.) Illius, verſ. 13. Coturnices adſcenderunt (Singulare pro multitudine, ut ſupra Rana cap. 8: 6.) nempe à mari, quemadmodum Num. 11: 31. & operuerunt caſtra. Hoc autem illa ipſa veſpera, (Sabbathum fuit) factum, neque amplius ante novam murmurationem. Num. 11. cap. (b.) *Iſtius*, verſ. 13, 14. mane fuit (nova creatione, inquit Bechai, de qua ויהי uſurpatur, cum coturnices dicantur adſcendiſſe, aliunde adductæ cum jam eſſent.) Lapſus roris, & adſcendente rore in vapores, fuit aliquid in ſuperficie terræ, tenue, מהמפס rotundum, vel nudatum (inſtar ſeminum folliculis ſuis excuſſorum.) Tenue inſtar pruinæ, verſ. 31. Aliæ deſcriptiones adduntur. Hebræi volunt, primum cecidiſſe rorem, tum man, denique rorem; ut utrinque tegeretur rore: Hinc panem tegunt utrinque ſupra & infra, mappâ. Carnes non fuere cibus neceſſarius, ſed ad voluptatem, unde ſemel datæ, & nocte propinquante, die veſperaſcente in obſcuritate; aſt panis neceſſarius ſpiritualis, cœleſtis, hinc conſtanter datus, & mane ad lucem diurnam, cujus collectio nemini poterat eſſe pudenda.

ו. *Inſtitutio de manna*, verſ. 15. ſeqq. (a.) *Quid eſſet.* verſ. 15. Iſraelitæ videntes impoſuere ei nomen *Man*, quam vis non noſſent quid eſſet. Scilicet paratum ſine ſuo labore cibum, à מנה unde מן Pſal. 61. aliis מן idem quod מה ſed lingua alienâ Arabica. Etiam Chaldæis מן idem quod מי vel מה Ezr. 1: 3, 4. Alii, dixerunt eſſe Man medicorum, quod ei ſimile videretur. Prima ſententia convenientiſſima. Moſes autem *hic eſt panis*, cibus, *quem Deus vobis dat ad comedendum.* (b.) *Quanta copia* habeant colligendum, verſ. 16. pro quovis capite. *Homer*, quantum quiſque ederet. Tum colligentium, tum manentium domi, fœminarum & par-

vulorum. Notant Judæi, hoc contineri omnes alphabeti literæ: hinc scil. qui legem Dei observat, quæ illis literis scripta, Deus ei suppeditat victum, citra molestiam uti comedentibus mannam. Spectanda autem hic *(a.) populi obedientia*, vers. 17. collegerunt, scilicet pro singulis capitibus, sed diversa mensura, parcius aut liberalius; ex conjectura quantum putabant sufficturum. Et *(b.) eventus*, vers. 18. quod metientes domi invenerint omnes Homer pro singulis. (c.) *Quomodo porrò usurpandam*, vers. 19. nihil servandum in crastinum, ut fiducia foveretur de quotidiano supplemento. (a.) Inobedientia quorundam. vers. 20. (b.) cujus eventus. *tum* quod verminaret vermes & fœteret, ut inutilis fieret; *tum* quod Moses succensuerit facientibus.

ו. *Collectionis quædam circumstantiæ.* (a.) *Tempus diurnum*, vers. 21. summo mane; nam oriente sole liquescebat: commonefaciens summo mane laborandum, liquefactum autem solummodo, quod remanebat in agro, non quod in domibus: neque enim istic solo beneficio coquendi fuit conservata: cum multi crudam ederint. (b.) *Hebdomadarium*, vers. 22. sexto die duplum collectum. Quidam ajunt, tantundem collectum quam diebus aliis, sed mensurantibus domi singulis per miraculum repertum duplum. Sed de collectione dupli testatur textus

ח. *Institutio de Manna alia*, cujus

a. *Occasio remota*, populus duplum colligens *proxima* principum de hoc facto relatio, vers. 22. Moses nihil hujusdhuc mandarat, cæteroquin principes non fuissent ignari. sed populus sponte duplum collegit, religione Sabbathi ante noti & observati, quo quiescendum norant. Neque id ignotum principibus, sed quia asservationem mannæ in crastinum Moses damnarat diffidentiæ; hanc culpam communi omnium conspiratione admitti, magis damnabile rebantur: maxime quod persuasum haberent, si unquam fiducia exercenda foret, id decere diem Sabbathi, exspectato etiam tunc quotidiano alimento à manu Dei.

b. *Institutio* ipsa agit

a. De usu duplicis portionis sexto die. vers. 23. cujus (α.) *causa*, religio 7. diei probata: quod ita fecerint *est id quod dixit Deus*, nempe olim, quando Sabbathum instituit. Gen. 2: 3. שבתון nusquam usurpatur, nisi de quiete à Deo instituta, diciturque esse *Sabbathi* (שבת pro יום שבת) *sanctitatis Domino*, segregati diei à Deo sanctificante. σαββατισμὸς Heb. 4: 9. (β.) *Usus* est, ut quanta portione indigeant die sexto, usurpent, residuum, non cocti, sed crudi, servent in crastinum, tunc usurpandum. NB. Hinc colligitur vulgo, coctionem ciborum, Sabbatho interdictam, pridie instituendam. Verum nil tale textus habet. Quin eventus docet, vers. 24. asservatum, non corruptum fuit: quod utique de crudo æque ac aliis diebus intelligendum.

b. De usu residui 7. die, vers. 25. addita ratione, *non repertum iri.* Scilicet significat Deum antiquissimo cultui Sabbathi nil derogatum velle, sed etiam nunc quiesci à laboribus ad vitæ sustentationem pertinentibus, ac vacari sanctis exercitiis. Eoque pridie prospiciendum de victu, ut hac cura soluti, otiari possent, immunes à maledictione, quæ comitatur parationem victus. Hacpropter repetit defectum mannæ die septimo vers. 26.

c. De quiete & alienatia à collectione 7. diei (α.) cujus *Occasio*, quod quidam tunc quæsitum iverint, sed frustra, vers. 27. (β.) *Dei indignatio*, vers. 28. quod remorerent observare (1.) מצות, quæ duo, *primum* de asservanda portione die sexto, usurpanda septimo, vers. 24, 26. *Alterum* de non colligendo nisi sex diebus, vers. 26, 27. (2.) item תורות leges antiquiores de Sabbatho sanctificando, quando eum sex diebus parem facere tentassent, quem Deus segregasset, & in eo victum quærere, cum otium religiosum imperasset. (γ.) *Sabbathi commendatio*, vers. 29, (1.) *ab antiquitate*, ראו *quod Dominus* נתן *vobis* tempore præterito, ex quo Diem illum sanctificavit Gen. 2. Segregavit enim non propter se, qui nullius indigus, sed propter Ecclesiam, ut in eo operetur segregationi & Deus Sanctificans, & ipsa sanctificata; (2.) *à præsente beneficio*, data portione duplici die sexto, ut septimus segregatus esse queat. נותן quamvis pridie id factum, cum die septimo istud dictum sit, ut à נתן distinguatur. (ל.) *Mandatum ipsum septimo die quisque maneat suo loco, neque egrediatur.* Hinc colligunt Hebræi iter Sabbathicum, 2000. cubitorum extra urbes vel pagos: sed non intra, quantæcunque etiam magnitudinis sint. Verum hoc est παραδόσεως non divini mandati. Si simpliciter sumatur, nemo domo, imo sede sua licite egredietur, stertendumque in lecto. Conf. Exod. cap. 10: 23. Sin spectemus scopum: nemo pedem moveat, quæsiturus mannam, adeoque tum paraturus victum: nam alias iter fecerunt die Sabbathi, 2 Reg. 4. Christus per segetes, Israelitæ circa Jericho; Elias 40. diebus & noctibus. (ו.) *Obedientia populi*, vers. 30.

ט. *Circumstantiæ*

a. *Descriptio mannæ*, vers. 31. quoad (a.) *nomen*, *Man.* Quia pars propria populi; *figuram*, instar seminis coriandri; colorem album instar Bdellii aut perlarum; *saporem*, ut laganum, melle inunctum; sic crudum: coctum olei recentis dulcedinem habuit. Alii die Sabbathi melleam suavitatem credunt habuisse. (b.) *Asservatio imperata* in genere, vers. 32. in specie Aaroni, vers. 33. & hujus factum. vers. 34. ut memoria alimoniæ, quotidie cuivis præstitæ, servaretur: (in vitro asservatum ajunt, ut foris videri posset,) & mansit incorruptum usque ad vastationem primi templi, annis fere 900. Custodia autem ista demum imperata ultimo anno, ante mortem Aaronis; saltem post structum tabernaculum; & urnula appositа arcæ Heb. 9: 4. ubi στάμνος χρυσῆ dicitur. (c.) *Duratio.* vers. 35. XL. annis hoc cibo sustentati; usque dum ad fines Cananææ venissent, nam etiam occupatis regnis Sihonis & Og, in crastris Isr. semper data fuit manna. Scripti ergo libri hi à Mose sub vitæ finem; & hic insertum istud, quod ad mannæ historiam pertineret: quod vero de cessatione dicitur ex revelatione apposuit Mosis; neque enim à Josua quicquam insertum libris ejus, licet postrema Deut. adjecerit. (d.) *Modus mensuræ quotidianæ in singula capita*, vers. 36. *Homer* fuisse *decimam partem Ephæ.* Hæc continebat 432. ova, adeoque Homer $43\frac{1}{5}$ plusquam duplum chœnicis; quum chœnix frumenti esset demensum diurnum hominis. Ut Dei abundans liberalitas inde appareat.

CAP. XVII.

IV. QUarta *statio* in Rephidim, ubi I. defectus aquæ, II. Bellum Amaleki. III. Jethronis accessus & consilium.

A. *Defectus aquæ*, vers. 1--7. & heic א. *Iter ipsum.* vers. 1. à Sin per profectiones (Dophka & Alusch) ex mandato Dei, in Rephidim ubi castra posuerunt. ב. *Incommodum*, (a.) defectus aquæ, vers. 1. & (b.) actio populi cum Mose; (α.) qui contendit, rixatus est, dicens, *Date nobis* (tu & Aaron, Abrab. tu & Deus) *aquas* (β.) Responsum Mosis improbantis actionem (1.) contra se, contendentium, & (2.) contra Deum, tentantium, vers. 2. NB. Abrab. hoc factum cum adhuc haberent aquas, quas attulerant, quod nullas reperirent. Et post illis absumtis, sitis populi, & murmur, contra Mosen, ceu molientem omnium necem. vers. 3. ג. *Mosis preces*, indicantes periculum à murmurantibus sibi imminens. vers. 4. ד. *Auxilium Dei*, ubi *Minister* Moses, *Testes* seniores populi; *instrumentum*, Scipio, *locus*, transeundus populus, & procedendum ad montem Horeb, aliquantum distantem, v. 5. *Autor* Deus, qui se præsentem demonstraturus erat, in monte, videlicet in nube ut Exod. 16: 10. *Actio Mosis*, percussio rupis; *Eventus* secuturus effluxus aquæ, ad potandum populum. (Nam fons ex rupe egrediens manavit usque ad castra Israelis, & ab eo tempore jugiter rivus iste secutus est, quamdiu vixit Mirjam. vers. 6. ה. *Obedientia Mosis.* vers. 6. ו. *Memorialia nomina* juxta geminam culpam, *contra Deum* tentando, *contra Mosen* rixando: tentatio autem quod præsentiæ Dei experimentum ceperint, Psal. 78: 15, 16. vers. 7.

B. *Prælium cum Amalek.* vers. 8, fin. א. *Circumstantiæ*, vers. 8. dum Israel in Rephidim, quo aqua accesserat, Mose morante ad montem Horeb; unde non videtur regressus, in castra quæ non longe neque extra prospectum erant,

erant, venit Amalek, Eſavi nepote oriundus, & bello Iſraëlem eſt adortus. Primus hoſtis poſt Ægyptios. ב. *Apparatus contrarius, carnalis & ſpiritualis*; *Ille*, Jehoſuæ mandatus qui facto delectu oppugnatum iret: *Iſte* à Moſe faciendus, in vertice collis, armato ſuo ſcipione. verſ. 9. ג. *Exſecutio Illius* per Joſuam, *Hujus* per Moſen, adſcitis Aarone & Hur, filius Calebi avus Bezaleelis. (Quem putant maritum filiorum Mirjami fuiſſe,) & conſiſtentem loco dicto. verſ. 10. ד. *Succeſſus* varius prælii, juxta geſtum Moſis. verſ. 11. *Felix* elatis manibus nempe in ſupplicatione *infelix* remiſſis, deficiente fervore. *Medium* confirmandarum manuum in geſtu felicitatis: *neceſſitas*, ſitus corporis, *Auxiliatores*, *Eventus*, firmitas; *Duratio*, verſ. 12. ה. *Victoria* debilitato Amalek, ut non tantum nunc vinceretur, ſed etiam ſic infirmaretur, ut non poſſent repetere bellum. verſ. 13. ו. *Ultio* definita à Deo, & per Moſen Joſuæ mandata, ad exterminium uſque, verſ. 14. *Altare*, memoriale victoriæ, verſ. 15. & votivum Ultionis, verſ. 16.

NB. *Joſuæ* mandatur, ut quia ſucceſſurus in regimine populi ſervaret memoriam hujus decreti & promiſſionis divinæ. *Scriptum* autem non in libro peculiari, ſed in libro legis, ſeu volumine Moſis. Moſes ſtructo altari *vocavit nomen ejus*, non *altaris* ſed Dei, *Dominus* נסי *miraculoſus*, hoc eſt, qui facit miracula & ſigna, vel *vexillum meum*, qui erit in vexillum, & extollet vexillum bellicum ad victoriam. Abrab. *Ratio, quia manus* (Amaleki) *contra thronum Domini, quem oppugnavit in primogenito ſuo; &c. vel quia manus* (Dei) *ſuper vel verſus thronum fuit, juramentum ſolenne præſtitit, bellum hoc perenne eſt; nempe, uſque ad excidium Amaleki.*

CAP. XVIII.

C. JEthronis *Adventus*, & *Conſilium*.

א. *Adventus* (a.) Motiva, verſ. 1. quod audiſſet quæ Deus Moſi & Iſraeli præſtitiſſet; educendo eos ex Ægypto. (b.) *Comitatus*, verſ. 2, 3, 4. aſſumta uxore Zippora, quam dimiſerat, ob cauſam Exod. 4: 26. quia ob debilitatem circumciſi filii non poterat progredi, & ad patrem remiſſa eſt tantiſper. & utroque filio, quorum nomina, nominumque rationes eduntur. Poſterior Eliezer dictus, poſtquam de Pharaonis morte edoctus fuit. (c.) *Acceſſus*, deſcriptus à *termino* ad quem; monte Dei Horeb. verſ. 5. Populus fuit in Rephidim, ſed Moſes manſit ad montem, poſtquam inde aquam eduxiſſet ab *indicio* per nuncios facto, verſ. 6. ab *occurſu* Moſis, ℣. 7. & deductione domum ſuam. (d.) *Colloquia* mutua, *Moſe* narrante liberationem à Deo conceſſam. Et quæcunque Iſraeli commoda & incommoda acciderunt. verſ. 8. *Jethrone* gaudente, verſ. 9. & prædicante Deum, verſ. 10. ob liberationem à Pharaone & Ægyptiis, verſ. 10. & profitente majeſtatem & juſtitiam Dei contra ſuperbos. verſ. 11. (e.) *Sacrificia euchariſtica*, celebrata ſuper altari in memoriam Amaleki erecto vel recens exſtructo. verſ. 12. Et inſtitutum epulum ſacrum, adhibitis Aarone & Senioribus. verſ. 12.

ב. *Conſilium* regendi populi. Cujus (a.) *Occaſio*, Judicium à Moſe exercitum, verſ. 13. (b.) *Obſervatum* à Jethrone *incommodum* & indicatum, verſ. 14–18. ubi inquiſitio in proceſſum. verſ. 14. Reſponſum Moſis, de facto tum populi, verſ. 15. tum ſuo, verſ. 16. Improbatio Jethronis; verſ. 17. & ratio, verſ. 18. ob oneris molem, cui non eſſet par futurus. (c.) *Conſilium* ipſum, quod offert, ſed cum voto approbationis divinæ; quid faciendum ipſi per ſe, ut internuncii vicem eſſet, Deum conſulturus, & reſponſa ad populum relaturus, verſ. 19, 20. per alios, judices delegatos, quorum deſcribit qualitates, verſ. 21. dignitatem eis tribuendam diſparem, verſ. 21. munus obeundum, verſ. 22. manente ſubordinatione, ut leviora agerent, Moſes graviora, & ſic hic oneris parte levaretur. verſ. 22. Commodum inde redundaturum, ſic tamen ut non ſine mandato Deo ſuſceptum velit. verſ. 23. (d.) *Acquieſcientia Moſis*, conſtituentis iſtiuſmodi judices, verſ. 24, 25, 26. (e.) *Dimiſſio Jethronis*. verſ. 27. Hoc tamen non illico factum, ante promulgatum Decalogum; ſed anno aut biennio poſt, Num. 10: 29. ſ.

CAP. XIX.

V. QUinta ſtatio, verſ. 1, 2. ubi *Tempus*: menſe tertio, die primo poſt exceſſum ex Ægypto; eoque die 46. venerunt in deſertum Sinai; verſ. 1. *Termini*, digreſſi à Rephidim, in illo deſerto proceſſerunt, ut ad montem Sinai, ſive Dei, qui κατ' ἐξοχὴν mons dicitur, caſtra ponerent.

SOLENNITAS FOEDERIS à Deo initi cum Iſraele capp. 19—24. ubi conſideranda ſunt, I. Partes contrahentes cap. 19. II. Conditionum fœderalium promulgatio. cap. 20. 21. 22. 23. III. Pactio ipſa cap. 24.

PARTES PACISCENTES deſcribuntur cap. 19. I. Homines, verſ. 3—15. II. Deus. verſ. 18—25.

I. *Homines fœderandi* deſcribuntur, verſ. 3—15. quatenus.

A. *Invitantur* ad fœdus; verſ. 3–8. atque heic

א. *Miniſter* invitationis conſtituitur à Deo, verſ. 3. Moſes adſcendit ad Deum & (id eſt *poſtquam*) Deus eum vocavit de monte, in quo nubes, dux populi conſedit neque inde diſceſſit, quamdiu morati ſunt ad montem Sinai. Quidam, quam primum venere Iſraelitæ ad montem Dei, Moſes ſua ſponte illico adſcendit, ut mandata de cultu Dei acciperet ex cap. 3: 12. & Deus accedentem vocavit, ut Aſſuerus Eſteram Eſt. 5. & Hamanem cap. 6. Sed magis veriſimile evocatum fuiſſe: ut herus evocat ſervum, quem aliquò deſtinat mittere, & mandata dat.

ב. *Inſtructio*, quæ indicat (a.) *invitandos* his verbis: *Sic dices domui Jacobi, & indicabis filiis Iſrael.* Quia omnis poſteritas Jacobi erat adſciſcenda, (non uti Ab. & Iſ. factum, unus tantum filius) hinc & patris & filiorum facit mentionem. Jonath. *Illud de mulieribus, hoc de viris, quibus difficiliora propoſita ſint.* Abrab. *Illud mixtim bonis & malis, hoc bonis*, vel turbæ & principibus, neutrum rectè. verſ. 3.

ג. *Invitationis formulam*, quæ habet (a.) *Invitantem*, deſcriptum à beneficiis recens præſtitis, hoſtium ſtrage, ipſorum defenſione, ſub imagine aquilæ, Deut. 32: 11. *Vidiſtis*, experti eſtis ipſimet; non tantum aliorum teſtimonio cognoviſtis. Et adductione ad ſe, ut immunes ab omni alia dominatione aut metu ejus, poſſent ſe per fœdus ei ſubjicere Luc. 1: 73. ſeqq. Targ. ad cultum meum Exod. 3: 12. Druſ. ad doctrinam legis meæ, verſ. 4. (b.) *Ad quod invitantur*, ad obſervantiam conditionum, & cuſtodiam promiſſionum fœderalium. Raknat ex Ramban; *idem eſt cum eo quod dicitur de Angelo Redemtore* Exod. 23: 22. *Audire vocem* eſt credere tam quæ in conditionibus Deus offert, quam quæ poſcit. *Cuſtodire fœdus*, poſtquam ſtipulatio acceſſit. Loquitur de futuro, de iis quæ proponenda & ratihabenda erant. Non quaſi eſt poſtulatio obedientiæ primo loco, & tum demum promiſſio; ſed invitatio ut cognoſcere & credere velint conditionibus propoſitis, & ratihabitionem faciendam obſervare. (c.) *Beneficia* fœdus initum ſecutura (a.) *Eritis mihi* סגולה, Eccl. 2: 8. quod reponitur in theſauris, & nullius miniſtri cuſtodiæ & poteſtati committitur. Segregatio autem ſignificatur, ex jure in omnem terram. Deut. 7: 6, 7. (b.) *Regnum ſacerdotum*, βασίλειον ἱεράτευμα 1 Pet. 2: 9. Hieroſ. *Reges & Sacerdotes*. ſic Apoc. 1: 6. cap. 5: 13. uti Melchiſedek. Regnum ſacerdotum, ubi quivis ſubditorum ſacerdos eſt, jus habens accedendi ad Deum. Quemadmodum Abrah. Iſ. & Jac. qui altaria ſtruxerunt, & Deo ſacrificarunt, & adierunt familiariter. Conf. Eſa. 61: 6. imo & reges, dominantes cupiditatibus, & regnaturos in terrâ; ubi fide recepiſſent Deum fœderatum. (c.) *Gens ſancta* ſegregata ab aliis populis: (verſ. 5. *Segregatio Dei*, verſ. 6, ipſorum Iſraelitarum, vitæ inſtituto.) (b.) Mandatum adſtringens ad hanc formulam, verſ. 6. (c.) *Invitatio*, in Moſis obedientia, qui ſenioribus, & per hos omni populi indicavit ſuam commiſſionem. verſ. 7. (d.) *Invitatorum reſponſum*, à quibus, & quomodo, & quid omnis populus pariter, uno ore; quicquid dixerit Deus, faciemus. verſ. 8. V. reditus & relatio Moſis ad Deum. verſ. 8.

B. *Invitati inſtruuntur* & præparantur. ubi

א. *Moſes conſtituitur* mediator & internuncius. verſ. 9. Deus ad ipſum, veniam ad te in nube, & populo audiente

tecum loquar, ut tibi credant in perpetuum: Hinc Joh. 9: verſ. 28, 29. Maimon. de fund. legis cap. 8: 1. ultima vel repetitio priorum, vel ſignificat, Moſen etiam fuiſſe internuncium populi ad Deum. Poſtquam Deum ipſi loquentem audiverant, & eum à Deo conſtitutum cognorant. verſ. 9.

ב. *Jubetur* (a) parare *populum* ſanctificando per biduum, ſegregare ab omni ordinaria actione, ad religioſam meditationem: lotionem veſtium imperare, quæ connotat etiam corporum baptiſmum; unde Baptiſmum neceſſarium ſtatuunt, ad admiſſionem in fœdus במילה ובטבילה ובקרבן mares, fœminæ per duo ultima; Ultimum tantum in ſanctuario locum habet. Manet ergo baptiſmus fœderis ritus, in omni ſexu, loco & tempore. Et ratio, die tertio paratos eſſe oportet, Deo tum deſcenſuro in montem Sinai. verſ. 10, 11. (b.) ב. Parare *locum*; diſterminando populum à monte, interdicendo adſcenſu, & contactu, ſub pœna capitis, verſ. 12. quæ definitur contra hominem & beſtiam, verſ. 13. duratio, *poſtquam tractim ſonuerit cornu arietis*, (ב. *poſtquam*, Pſal. 51: 2. & 52: 1. & 54: 1.) ut ſonitus finis ſit, tum rurſum erit licentia montem adeundi: Ante fœdus partes erant diviſæ, neque familiaris conſuetudo cum Deo: quæ poſt conceſſa cap. 24. R. Sal. *Lapidationem* exponit vel *injectionem lapidum*, vel *projectionem* ſeu *præcipitationem:* ergo Joh. 8: 59. lapidare voluerunt Jeſum, quæ pœna Pſeudo prophetæ. Potius hoc l. *jaculo configitor*, quia eminus fuit necandus, qui terminum tranſiiſſet: non autem vindici licuit idem admittere. יובל Volunt fuiſſe *cornu arietis*, ſubſtituti loco Iſaaci.

ג. *Obedientia Moſis* facto, ſanctificans populum, ut lavarent, verſ. 14. verbo, jubens ſe parare in diem tertium, & abſtinere ab uxoribus, verſ. 15. hoc ad ſolenniorem ſanctificationem pertinuit 1 Sam. 21: 4, 5. 1 Cor. 7, 5.

C. *Inſtructi ſiſtuntur.* ubi א. *Circumſtantiæ temporis*, die tertio à præparatione, ſexto menſis, ſecundum Jonath. aliis quarto menſis, ſummo mane: *Modus* citationis ſeu evocationis, tonitrua fulmina, denſa nubes monti incumbens, vox tubæ vehementis. populi commotio, trepidantibus omnibus ad inſolitum ſpectaculum, verſ. 16. ב. *Eductio populi*, in occurſum Dei, cujus adventus illis ſignis indicabatur, ex caſtris ad pedem montis circumquaque conſtitere, 1. primogeniti, 2. capita tribuum, 3. Seniores, 4. judices, 5. mares, 6. infantes, 7. fœminæ, 8. peregrini. Moſe duce. verſ. 17.

II. *Deus fœdus promulgaturus* deſcriptus eſt, verſ. 18—25.

A. *A teſtimoniis Majeſtatis*, א. *viſibilibus.* Mons Sinai fumans, ab igne quo cum venit Deus, & quidem vehementer; nec non tremens. verſ. 18. ב. *Audibilibus.* Vox tubæ ambulans, id eſt continua, ut murmur tonitru obſcuri, & augeſcens, verſ. 19.

B. *Ab actione cum internuncio*, in genere *Moſe* loquente, *Deus* reſpondit, בקול non redundat, ſed vox fuit ſonora; quam omnes Iſraelitæ audiverunt; verſ. 19.

C. *A congreſſu Dei*, ut ſic loquar, & internuncii in vertice montis, *Deo* deſcendente, (*Deſcendit*, R. Sal. *Demiſit ſolium gloriæ ſuæ in montem.*) & *Moſe* quem evocarat adſcendente. verſ. 20.

D. *A diſterminatione* omnium à ſua præſentia; ubi א. *Mandatum Dei*, ut interdicatur acceſſu ad montem, populo ſub comminatione mortis: יהרסו diruptis ſcilicet cancellis, aut ſepimento, verſ. 21. primogenitis, nam hi ſacerdotes, ſub pœna ſimili. יתקדשו Segregent ſe, licet propinquent ad Deum in miniſterio, evitent propinquare in monte. verſ. 22. ב. *Reſponſum Moſis*, non poſſe id fieri, quod ex mandato præcedenti, jam obſeptus ſit mons, & ſanctificatus, hoc eſt, ſegregatus ab omnium uſu. verſ. 23. ג. *Replicatio Dei*, jubentis repetere interdictum, & dum ipſe & Aaron in montem venirent, populum omnem abſtinendum ab adſcenſu, verſ. 24. ד. *Obedientia Moſis* in denunciando, verſ. 25. atque etiam in redeundo, ut in monte conſiſteret Deut. 5: 5.

NB. Verſ. 16. Moſes eduxit populum in occurſum האלהים. Targ. מימרא דיי׳ Jonath. שכינתא דיי׳. Raknat. fol. 94. col. 3. *Targum pro* יהוה *ſæpe habet* מימרא דיי׳: *Intentio autem eſt:* שכינה; *Sic vocatur.* Eſa. 5: 24. Thren. 2: 17. *iſtic* אמרת קדוש ישראל *ſprevernnt, hic* בצע אמרתו׳ *verbum ejus præcidit: & hæc ambulavit cum ipſis in deſerto: Atque ſic intelligenda multa in Targum, quando vel* ה׳ *vel* אלהים *ſic expreſſit, etiam hoc. l.* Conf. Act. 7: 38.

CAP. XX.

CONDITIONUM FOEDERALIUM PROMULGATIO; facta à Deo, & quidem

I. *Publicè coram* omnibus, tam populo quam Moſe, quæ propriiſſime fœderis & fundamenta ejus; verſ. 1—17. hoc promulgans Deus, verſ. 1. tum Conditiones

A. *Reſpectu Dei.* Quis ſit in ſe, futurus ipſis, demonſtratus obſervans fœderis beneficio liberationis Gen. 15: 2.

B. *Reſpectu ipſorum*, X. articuli.

א *Non habendi Dii alii coram facie ejus.* verſ. 3. NB. היה promiſcue ſingularibus & pluralibus conjungitur, Schindl. אלהינו יהי מאורות Gen. 1: 14. Raknat. פנים *hic ſunt* פני הרחמים & *Coram facie mea*, E. ne quidem corde Deus alius erigendus; quia etiam corda hominum coram facie Dei ſunt Ezek. 14.

ב. *Non faciendæ ſimulachra*; cujuſcunque generis, ע׳. 4. *non colenda* ſponte, vel coacte תעבדם: *argumentis* à fœdere, & Zelo ejus, ab ultione oſorum ſuorum, qui idololatræ, verſ. 5. à beneficiis erga obſequentes, verſ. 6.

ג. *Ne profanetur nomen Domini*, fœderati; (hujus enim honori ſtudere debent fœderati, ne ſibi ipſis dedecori ſit, illi ſociatos eſſe quem ipſimet blaſphement, ſpeciatim ne id fiat juramento (חשא abſolute de jurejurando Eſa. 3:) Juramento falſo, ſi juret lapideam columnam eſſe auream; vano, lapideam eſſe lapideam. Additur *comminatio* ultionis. verſ. 7.

ד. *Obſervandum Sabbathum*, ut ſit Dies ſegregatus. ע׳. 8. Laborandum ſex diebus, verſ. 9. non ſeptimo, qui Sabbathum Deo fœderato, eoque aliquid habet quod fœderis ſingularem reſpectum habet, & quidem omnibus ſub poteſtate Iſraelitarum, verſ. 10. *Argumentum* ab opere & quiete Dei, in principio, & hinc benedictione, non ſeptimi, ſed Sabbathi, & ejus ſanctificatione. verſ. 11.

ה. *Honorandos parentes*, addita *benedictione*, verſ. 12.

ו. *Neminem trucidandum*, רצח *non niſi de injuſta cæde.* verſ. 13.

ז. *Non adulterandum*, Aben-Ezra, נאף de *ſcortatione* quacunque exponit, verſ. 14.

ח. *Non furandum.* verſ. 15.

ט. *Non dicendum falſum teſtimonium.* verſ. 16.

י. *Non concupiſcendum* additis *exemplis*, Deut. 5. additur inſuper *ager*, quia in repetitione Ruben, Gad, & Manaſſe habebant ſuos trans Jordanem. חמד & אוה non differunt. verſ. 15. Hæc principalia, quæ ſola inſcripta tabulis, ut ſimpliciter fœderales ſint conditiones, non cætera Moſi dicta.

II. *Privatim* coram ſolo Moſe, quæ minus principalia, conſequentiæ, explicationes aut applicationes ad illam politiam: ubi

A. *Occaſio* ſic agendi א. *Metus populi*, cujus *cauſa*, conſpectus ignis & fumi, & auditus (comprehenſus ſub ſenſu viſus Joh. 8: 51, 52.) tonitruum & tubæ. *Effectus*, commotio, & receſſio. verſ. 18. ב. *Petitio populi*, ut interpres ſit & internuncius polliciti fidem; non Deus ne emoriantur. verſ. 19. ג. *Moſis reſponſum*, oppoſitum timori ipſorum, dum cauſam tantæ majeſtatis edifſerit, ut eos tentaret, poſſent ne ferre eam gloriam, armatam robore; & ut ſe revererentur, & caverent peccare. verſ. 20. Et factum, petitioni eorum reſpondens; recedente populo, Moſes proxime acceſſit ad Deum, qui caliginem inhabitat. ע׳. 21. Probatum iſtud dicitur Deut. 5.

B. *Præcepta* Moſi ſoli indicata, per quem promulgarentur, ea ſunt.

א. *Eccleſiaſtica*, verſ. 22—26. ubi (a.) *præfatio*, Moſen autorans, & præceptis ſuis ex præſenti manifeſtatione robur addens. verſ. 22. (b.) *Præcepta* ſunt

a. De non faciendis *Idolis* argenteis & aureis nec ſibi jungendis, nec ſibi ſubſtituendis. verſ. 23.

b. De Altari. Ejus (α.) Materia, humus; (β.) Uſus, ad ſacrificia; (γ.) *Locus, ubicunque recordari faciam nominis mei.*

mei. Jon. *Recordabimini nominis mei*, (δ.) Fructus, *veniam ad te illuc & benedicam tibi*; verſ. 24. (ε.) Materia alia, *ex lapide rudi, non cæſo*, qui pollutus habetur, verſ. 25. (ζ.) Situs humilis, ne per gradus adſcendatur & nuditas detegatur, altius tollentibus pedes, verſ. 26. NB. Sunt qui hoc altare intelligunt de æneo in tabernaculo, quod humo impletum fuerit, cum vacuum eſſet. Sed illud non imperatum adhuc erat: Sed tale poſcit ex terrâ, vel lapide rudi, ut æque proclive foret pauperrimo, ac ditiſſimo, & ſine magno apparatu ubique quovis tempore poſſet erigi. Tale erexit Elias 1 Reg. 18. & Naäman meditabatur poſt converſionem, 2 Reg. 5. Dei memoria viget, ubi verbum & concio ejus ſincera Eſa. 30: 10, 11. Jer. 23: 27.

CAP. XXI.

ב. **P***Olitica.* ubi

a. *Præfatio*, verſ. 1.

b. *Præcepta* ſunt

1. *De ſervis Hebræis*, non alienigenis, qui vel ſeipſos vendiderunt, vel ob furtum à Judicibus venditi ſunt. (α.) Tempus ſervitutis, ſexennium à die venditionis, ſeptimo anno libertas gratuita, verſ. 2. (β.) Status ſervi, cœlebs, vel cum conjuge, qualis cœpit, talis finit ſervitutem, verſ. 3. (γ.) Si durante ſervitute mutatus eſt, ut ſervam gentilis ortus ei junxerit herus, ancilla & fructus manet hero, ſed ipſe ſuo jure liber eſt, verſ. 4. (δ.) Hoc jure libertatis ſi uti nolit, amore tum heri, tum uxoris & liberorum profiteaturque, verſ. 5. coram judicibus triumviris (אלהים) edita hac voluntate, perforanda ei auris; Serviturque ea prorogatur לעולם in terminum occultum, mortis herilis, vel propriæ, verſ. 6.

2. *De ſerva Hebræa innupta* quam Pater egenus vendidit, minorennem (α.) Non habendam velut ſervos Hebræos; ut eodem modo & ſerviat, & finiat ſervitutem, verſ. 7. quia venditur ſub conditione conjugii cum hero aut heri filio. quomodo nec ſervo jungitur, nec exacto ſexennio dimitteretur. (β.) Conditione matrimonii non placente hero, faciet eam redimi, quandocunque partem precii reſiduam (detractâ mercede ſervitutis exactæ) (γ.) Non habebit poteſtatem vendendi eam alienigenis, (imo nulli alii) quia prævaricatus eſt in eâ, non implens ſpem matrimonii, ſub quâ fuit vendita, verſ. 8. (δ.) Si elocarit filio, aliarum virginum jure gaudebit, ut uxor fiat per dotales tabulas, non concubina, verſ. 9. (ε.) Aliâ ſuperinductâ, manebit ei ſuum jus, de victu, amictu, & copula, verſ. 10. (ζ.) ſi quicquam horum trium negetur, ut nec ſibi, nec filio junxerit, neque etiam redimi fecerit habebit liberam exeundi poteſtatem, lucrata pecuniam ſuæ venditionis, citra reſtitutionem, vel anno ſeptimo, ſi adhuc minorennis, vel quamprimum majorennis evaſit; (ſignis pubertatis præſentibus) quia majorennis egreditur poteſtate patris & heri ratione iſtiuſmodi contractus. Non autem unum trium illorum, victu, amictu, copula, quia deſponſata ſemel uxor eſt, neque aliter quam per divortium, dimitti poteſt. Sed divortii indultum tum nondum fuit factum: uti neque Jubilæus reſpectu ſervorum Hebræorum, verſ. 11.

3. *De homicida necando*, verſ. 12. excepto *involuntario*, qui non inſidiatus eſt, ſed Deus ei objecit, cui aſylum ſtatuitur, verſ. 13. præter urbes refugii, in deſerto & poſt altare quoque. איש quemvis *hominem* notat, ſine diſcrimine ſexus vel ætatis. Occidens autem ſit majorennis, 13 annorum & dies. Pœna ſtrangulati, quam per ſimplex יומת deſignatam putant. Deo tribuitur occurſus ille, quia ejus providentia moderatur omnia; אין אדם נוקף אלבעו אלמטה אלא אם כן מכריזין עליו מלמעלה *Voluntario* homicidæ nullum aſylum, verſ. 14. ut Joab. ne quidem Sacerdotem præſtabit pœnæ exſortem.

4. *Percutiens patrem* ו *aut matrem*, (NB. ו *aut*) ut vulneret, ad egreſſum ſanguinis, citra mortem ejuſque periculum; *ſtrangulandus*; licet condonantibus aut deprecantibus parentibus, verſ. 15. Si nulla nota, *puniendus*, ſed non morte.

5. *Plagiarius*, qui hominem Iſraëlitam furatus eſt, cujuscunque ſexus & ætatis, ſive eum vendiderit, ſive adhuc in poteſtate habeat (ו hic disjunctive exponenda,) *ſtrangulandus*, verſ. 16.

6. *Qui patri matrive* verbis *maledicit*, (etiam mortuis, ajunt Rabb.) quia etiam blaſphemia fere conjungitur, aut redundat in blaſphemiam Dei, *lapidabitur*; quia alibi de tali dicitur רמיון בו quod de lapidatione explicant; *non liberandus* interceſſione parentum, verſ. 17.

7. Qui rixatur cum Iſraelita, eumque percutit lapide, aut gleba duriore (אגרוף pugnus, cubitus, aliis) vel inſtrumento quo quis necari queat, (ſi manu, ſine inſtrumento, inſons & indemnis eſt.) Inflicto vulnere aut plaga quæ mortifera videatur. ut tamen non moriatur, ſed æger dubiâ vitâ decumbat; ſiquidem æger rurſum ſurgat, & baculo nixus prodeat foras, teſtibus videntibus, inſtar ægroti qui convaluit, percutiens à nece immunis eſt, & ſolvitur vinculis ſeu cuſtodia, licet alter poſtea recidivam paſſus moriatur, quod propriæ ejus culpæ imputatur, tenetur autem præſtare læſo (α.) שבת *ceſſationem* ab opere (β.) רפואה ὑπέρεγον, conducto chirurgo medicove, & adhibita medicina invito etiam vel læſo, vel lædente; quorum neutri permiſſa medicatio. Adhæc addunt Rabbini, (quod hic non exſtat,) צער *dolorem*; ſed נזק *damnum* corporis, & deformitatem ſeu vitium illi illatum. ſive בושת *ignominiam* læſi perſonæ illatam. cujus ignominiæ pro hujus familiæve ejus dignitate, compenſatio eſt varia, tametſi nullum damnum, nulluſve aut exiguus dolor illatus, verſ. 18, 19.

8. *Percutiens* proprium mancipium, *ſervum* vel *ancillam gentiles*, (non Hebræos, qui pari heic loco ſunt cum aliis Hebræis liberis;) (α.) Scipione, aliove inſtrumento, (quibus corrigi ſolent, nam ſi gladio, lapide &c. percutiat, etſi anno poſt exinde moriatur & nunquam prodierit in publicum, homicidii pœna ordinaria tenetur: Sic ſi alienum mancipium percutiat, morte luit:) ut ſub manu ſuâ moriatur, crudelitas illa punitur, gladio, (quod leviſſimum ſupplicium capitale.) נקם gladium dicunt ex Lev. 26: 20. (β.) Quod ſi diem ſolidum, 24 horarum, aut biduum ſupervixerit læſus, etſi poſt moriatur, herus inſons habetur; quia de proprio argento agitur, quod pereunte ſervo ipſi perit culpa propria ut qui iratus vaſa ſua imprudens confringit, verſ. 21.

9. *Contendentibus viris*, ſi quis *gravidam* mulierem intervenientem, mariti liberandi gratia, dum hunc petit, per errorem *percutiat*, *ut abortum faciat*, (α.) ſi non fuerit אסון (Græc. ἐὰν ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς μὴ ἐξεικονισμένον,) lethale mulieri; mulctam dabit cædens juxta æſtimationem mariti, vel judicii, quanti vid. prægnans mulier majoris vendi potuiſſet quam quæ abortivit. (Putant enim nondum natum infantem, non æſtimari. cum vitam propriam nondum videatur auſpicatus.) (β.) Sin mulier moriatur ex abortu quem facit, animæ redemtionem כפר נפש pro anima dabit, (neque enim morte luet, cum non deſtinarit illi vulnus aut plagam, contendens cum alio; nec plane inſons erit, quia intendit percutere adverſarium,) (γ.) Aut ſi aliud damnum corporis exinde paſſa fuerit, membri jacturam aut vitium, talio poſcit mulctam, æſtimandam ex minori pretio ſervi, qui ita mutilus aut vitium habens venditur, quantæcunque dignitatis regiæ licet, fuerit qui paſſus eſt, verſ. 22—25. Sic Rabb. talionem intelligunt, non literaliter; attamen huic compenſationi, ſuperaddenda quæ in aliis vulneribus, ceſſatio, medicatio, dolor, pudor.

10. *Qui ſervo ancillæve*, gentilibus origine, ſed circumciſis, & ſuis, *oculum aut dentem excuſſit*, reddiditve inutilem, (amputatis extremitatibus ut deforme mutilumve reddatur corpus; extremo digitorum in pede vel manu, auriculis, naſo, membrove alio, vel ſurditatem inducat &c.) *is liberos dimittet*, ne amplius ſub crudeli ejus dominio ſint, verſ. 26, 27.

11. Si *bos cornupeta*, (eademque ratio aliûs jumenti, aut ſervi furioſi) (α.) in *quempiam* liberum hominem, adultum aut infantem, incurrerit, eumque *occiderit*, (1.) *Jumentum lapidabitur*, & carnes immundæ, nulli uſui cedent: ſed *Herus* indemnis eſt, verſ. 28. (2.) Si conſtitit hero, de iſtius violentiæ aſſuetudine, ſive per teſtes, ſive quod irruendi factum tertium repetitum ſit, neque cuſtodiverit læſuros, nece libero illata, vel herus necabitur ſententia judicii, aut ſi læſi hæredes ære expiari velint, antequam à judicio ad mortem condemnatus fuerit, dabit ſummam,

quanti oceisum æstimabunt judices, aut ut alii lædentem. verſ. 29, 30, 31. (β.) Aſt ſervo ab illis necato, 30. ſiclis (id eſt 15. unciis argenti Abrab.) luetur ab hero cædes ſervi cujuſcunque, precioſiſſimi & viliſſimi, & bos lapidabitur. verſ. 32. NB. Aſt ſi vinctus bos, aut furioſus ſervus & concluſus, ruptis vinculis & effractis foribus, necet quempiam, herus inſons eſt, & prima lex, verſ. 28. obtinet.

Huc uſque Abrab. omnia reducit ad præc. ſextum; ſeqq. refert ad octavum de bonis proximi.

12. *Damnum putei*, non tecti, qui eum fodit in publico, vel loco privato, (α.) ſi incidat brutum, & moriatur, pretium domino præſtare tenetur illius bruti, cadaver autem manet illi; ſive uſui eſſe queat, ſive non: quamvis morticina eſui interdicta, verſ. 33, 34. (β.) Quod ſi homo incidat & pereat, quia hujus eſt cavere ſibi, non tenetur dominus putei; qui fodit, vel ſibi effodi curavit; neque tenetur de inſtrumentis, quæ adhærent jumento, & franguntur aut corrumpuntur, quia voluntate hominis impoſita fuerunt.

13. *Bos cornupeta*, (α.) ſi bovem aut pecus aliud necet, vendetur; & precium ejus ac cadaver necati ex æquo partientur, lædentis & læſi poſſeſſores; dummodo æqualitas ſit inter pecudes; alioqui læſi domino potiſſimum cavendum cenſent, verſ. 35. (β.) Sin notæ fuerit ferociæ bos, ſive cornu ſive calce ſive dente damnum dederit, penſabit herus bovis damnum, & mortuam pecudem ſibi habebit, utpote pro qua ſolvit. verſ. 36. non autem lapidatur bos quia non homicida. NB. Quia dicitur de bove *proximi*, hinc monent, *ſi fuerit bos Domini, ſanctificatus illi, ſive læſus, ſive lædens, nulla compenſatio; quia non eſt proximi.*

CAP. XXII.

14. A *Bigens*, ſive mactarit in uſum ſuum, ſive venderit, majorem pecudem quinque, minorem quatuor ſimilibus penſabit & luet. verſ. 1. Sunt qui præciſè de bove & ove hæc intelligunt, non de aliis animalibus, ubi ſufficiſſe ajunt dupli reſtitutionem.

15. *Effractor deprehenſus noctu* Scilicet (α.) ſi ex templo occidatur, occidens inſons eſt, verſ. 2. (β.) Sole orto (aut ſi conſtet non eſſe effractori animum occidendi) (1.) occidens eum homicidii pœna tenetur, (2.) fur vero iſte tenetur ad reſtitutionem, dupli nimirum: quod ſi deſit unde reſtituat à judicio trium virorum vendendus eſt, non ultra ſexennium, ſed anguſtiori tempore, ſiquidem ſufficiat: Nunquam tamen venditur pro duplo. Quadruplo &c. ſed habetur hæc compenſatio ceu debitum ab ipſo perſolvendum, quando liber & opulentior factus fuerit. verſ. 3.

16. *Si res furtiva* quæcunque *reperiatur* apud furem, & hæc & tantundem, adeoque duplum Domino rependet. verſ. 4.

17. *Si* cujus *jumentum* alterius vineam agrumve *depaſcat*, rependet damnum ex optimis ſui agri aut vineæ. verſ. 5.

18. *Qui ignem accendit*, ſi ſegetem aut agrum, metamve frumenti corripuerit, damnum datum penſabit, qui ignem accendit. verſ. 6.

19. *Depoſitarius*, ſi furto eripiatur, depoſitum, (α.) fure deprenſo hic ſolvit duplum; ipſe immunis eſt: (β.) ſi non deprehendatur, depoſitarius coram triumviris juramento ſe purgabit. verſ. 7, 8. (γ.) Et ſic de amiſſione depoſiti cujuſcunque generis, ſive domi, ſive foris ſervetur; ſi poſt juramentum teſtes veniant & depoſitarium ipſummet furatum dicant, coram triumviris agitanda cauſa, & quem illi ſontem pronunciarint. ſive depoſitarium ſive teſtes ſi falſi deprehendantur, duplum ſolvet. verſ. 9.

20. *Cuſtos pro mercede*, (α.) ſi perierit quod commiſſum eſt, aut corruptum fuerit, nullo conſcio, juramento ſe purgans coram judicibus, à compenſatione immunis eſt. (β.) Sin furto ſubductum fuiſſe conſtet, dupli tenetur, verſ. 10, 11, 12. (γ.) Diſcerptum à feris, ſi probaverit particula ſcilicet allata Amos 3: 12. non obligatur ad compenſationem. verſ. 13.

21. *Commodato accipiens rem mobilem*, vivam aut vitæ expertem, (α.) ſi corrumpatur (moriendo aut frangendo in uſu) domino abſente; tenetur ad reſtitutionem; (β.) illo præſente immunis eſt. (γ.) Conductor immunis eſt, modo mercedem operæ aut uſus perſolverit, verſ. 14, 15. Præſentiam domini intelligunt quidam non dum in opere eſt jumentum aut inſtrumentum, ſed quando commodato accipitur.

22. *Pelliciens virginem* non deſponſam, eamque corrumpens, dotem ei ſcribet, & ducet: Patre virginis (ipſave virgine, addunt Rab. etiam ſtupratore) abnuente conjugium, dotem 50. ſiclorum habuit numerandum, verſ. 16, 17.

23. *Incantatrix* (ſic & incantator) *morte plectenda* eſt à Judicibus. verſ. 18. Qui ſi parcant, violant præceptum negativum.

24. *Beſtiis ſe miſcens*, ſive mas ſive fœmina, *trucidandus*, verſ. 19. etiam jumentum: Pœna Lapidationis.

25. *Idololatriam publice exercens, morte plectitur.* ℣. 20. Diis aliis præter Deum verum; ſciens & volens; alias ſi privatim quid egerit, aut minora, honorem corporis, aut oſculum Monendus non occidendus eſt. יחרם de pœna capitali explicandum, citra veniam; neque enim חרם in vita relinquendum fuit.

26. *Peregrinus, vidua, pupillus, non opprimendi* (alibi natus, & advena) verbis injurioſis, vel bonorum ereptione, vel alia afflictione: (α.) quia ipſi peregrini quoque, (β.) quia querentibus apud Deum de injuria, (1.) patrocinium præſtabit, & (2.) vindictam contra oppreſſores. verſ. 21--24. כי *certè*, verſ. 23.

27. *Pecunia* (ut & veſtes aliaque) egeno populi *mutuo data*, nec importune repetenda, nec uſuris gravanda. verſ. 25.

28. *Pignus pauperis* quo indiget, quando indiget *reſtituendum:* tegumenta nocturna veſperi, veſtes induenda & inſtrumenta laboris mane. verſ. 26. Deo carentem exaudituro. verſ. 27.

29. *Judicibus non maledicendum*, nec *principi*. verſ. 28. Illo nomine veniunt triumviri, infimæ poteſtatis judices, iſto digniores. R. Sal. *Illo nomine Deum deſignat, hoc judices.* Abrab. *Rationem dat ex præcedentibus; quia imperantur quæ videntur juſtitiæ minus conſentanea, ut quis careat uſura mutui, & pignore, debito manente, interdici maledictis contra Deum imperantem iſta & judicem exſequentem.*

ב. *Eccleſiaſtica.*

1. *Primitiæ non differendæ*, (a.) terrâ naſcentium, ubi maturuiſſent, liquorum, vini & olei recens expreſſorum. verſ. 29. (b.) hominum, ſeu filiorum primogenitorum: dandorum Deo ut ſint ſacerdotes, aut redimendorum. verſ. 29. (c.) Pecudum majorum & minorum primogenita, (iſta & illos poſt exactum menſem juxta Rabb.) verſ. 30. *Tempus*, non ante diem octavum, ut Sabbathum tranſiiſſet, dicit Raknatenſis. Sic quoque de circumciſione octavo die. Sed arborum fructus anno quarto, non octavo; Ratio differentiæ ex Sabbatho quoque, quo reſtitutum jus in Meſſia oſtendit.

2. *Abſtinentia à morticinio, & diſcerpto.* Pertinet ad interdictum de ſanguine Geneſ. 9: 6. Nam quod diſcerpitur à feris, ſuffocatur quaſi in ſuo ſanguine, Sed ſegregatos ſibi eos vult Deus; & non interdictis veſci, ſed canibus projicere. verſ. 31.

CAP. XXIII.

ד. *Politica.*

1. Non recipiendos, ſpargendoſve *rumores vanos* ſeu falſos. verſ. 1.

2. *Non conſpirandum* cum aliis, ut teſtimonium dicat ad opprimendos alios. verſ. 1.

3. *Non ſequendos plures* numero *vel* dignitate *majores*, ad malum patrandum; aut in iſtorum gratiam ſententiam judicialem promulgandam. verſ. 2.

4. *Cavendam proſopolepſiam*, verſ. 3. circa pauperem ei favendo.

5. *Inimico benefaciendum* (α.) perdita ejus reſtituendo, verſ. 4. ſpecies una pro omnibus uſurpatur. (β.) Peritura ſublevando, verſ. 5. *an ceſſabis auxiliari ipſi, auxiliando auxiliaberis una cum ipſo.* עזב etiam *auxilium* notat, contrarium deſertioni Neh. 3: 8. cap. 4: 2.

6. *Non peccandum contra egenum* in judicio, ipſi adverſando; verſ. 6.

7. *Ab-*

7. *Abſtinendum à falſa ſententia*, à cæde innocentum, ſcilicet condemnando; verſ. 7.

8. *A* muneribus & *corruptione* in judiciis, verſ. 8.

9. *Ab oppreſſione* peregrinorum, verſ. 9.

ה. *Eccleſiaſtica.*

1. *Sabbathum annorum obſervandum*, ut ſeptimo quoque ab omni agricultura abſtineatur, & ſponte naſcentia pauperibus, & beſtiis relinquantur, verſ. 10, 11.

2. *Sabbathum dierum item*, ut ſeptimo quoque quies ſit ab opere, & reſpirare à labore queant, quibus moleſtiſſimus incumbit, jumenta & famulitium, verſ. 12.

3. *Religioſe cavenda idololatria*, ut falſi dii non nominentur ab ipſis, aut etiam ab aliis ipſis procurantibus aut cauſam dantibus idololatræ ſuis contractibus, verſ. 13.

4. *Tria feſta ſolennia quotannis celebranda*, verſ. 14. (α.) *Azymorum* ſeptem diebus; neque vacuos debere comparere, ſine aliqua oblatione extraordinaria, verſ. 15. (β.) *Primitiarum* & *Meſſis*. Illud eſt non manipuli, qui poſtridie Paſchatos oferebatur, ſed duorum panum ex primitiis, pentecoſtes die, (γ.) Iſtud *Tabernaculorum*, verſ. 16. (δ.) Celebranda eſſe *à maribus* omnibus, majorennibus nempe, ad profitendum Deum eſſe Dominum univerſorum, verſ. 17. Eoque *uno in loco*; licet ubique Deus ad ipſos venturus eſſet, ubi memoria ſui per altare teſtata Exod. 17. penult. & in altaribus Patriarcharum; tamen uno ſingulari loco ad ſe omnes voluit quotannis venire, ubi præſentiam per nubem extraordinariam teſtaretur.

5. Fermentum non miſcendum ſacrificiis, & adeps hoſtiarum non aſſervandus in poſterum diem, verſ. 18. Refertur ad Paſchalem agnum, cum quo non poterat jungi fermentum; nec quicquam aſſervari in craſtinum mane, ſed comburendum, inprimis adeps. זבח etiam de paſchate dicitur.

6. *Primitiæ terræ Iſraelis* (de 7 ſpeciebus duntaxat, tritico, hordeo, uvis, ficubus, malogranatis, olivis, dactylis) itidem ad locum ſpecialis præſentiæ Dei deferendæ; & ſi quis neglexiſſet, & periiſſent aut corruptæ fuiſſent aliæ ſubſtituendæ, verſ. 19.

7. *Non coquendus hœdus in lacte matris*, (*hœdus* pro quovis pullo ſumitur: Hinc de quavis carne cum lacte non comedendâ;) Mandatum hoc ter repetitur, hic, Exod. 34: verſ. 26. quaſi in repetitione fœderis, & Deut. 14: 21. Heb. interdictum volunt coctionem, multo magis eſum, & ipſum quoque uſum quemcunque alium. Scopus quibuſdam ad cavendam crudelitatem; quemadmodum non licet ſimul avem & pullos ex nido rapere Deut. 22: 6, 7. Aliis ne miſcella fiat ciborum, uti non licet eam facere in veſtibus, & ſeminibus agri Lev. 19: 19. Alii, tantum interdici ne durante primo ſeptiduo comedatur, ex Exod. 22: 30. Lev. 22: 27. Abrab. fuiſſe ritum idololatrarum id facere in feſto ſolenniori, qualis adhuc dum obſervetur in Hiſpania inter paſtores, feſto quod Meſta dicant: qui prohibeatur. Sed forſan mage myſtica ratio. Prima promiſſio Semen mulieris fide intuendum docuit, cujus communio eſu hœdi, agni, proliſve aliûs de mundo animali (hoc eſt ad ſacrificia apto Gen. 7: 2. nam quoad eſum nulla adhuc facta diſtinctio fuerat,) ſignificatur: monet autem tum non immiſcendum lac maternum, quaſi aliquid illi conferret, qui fruiturus eſſet filio, ſed cum honorem geſtationis mater habuiſſet, nihil ultra ab ipſa commodi manare, ſed omne alimentum ſalutare à ſola prole ejus ab omnibus quæ illius ſunt prorſus ſejuncta, eſſe quærenda & exſpectanda. Damnaturque eorum error, qui lac Mariæ ſanguini Jeſu Chriſti miſcent. „ NB. Raknat. Deo hoc mandante Moſen petiiſſe ut licer „ ret pro צדי hœdo ſcribere בשר carnem, ſed Deum „ non promiſiſſe; Scilicet hœdum reſpondere hirco qui di„ mittitur in feſto Expiationis, Matrem Eccleſiæ Iſraelis; „ & indicari non eſſe coquendum hœdum in templis ſancti„ tatis. (rectiùs cum eo quod ab Iſraelitis prodit,) Idem, „ בשר notare hominem corruptum, puteum vacuum aquis, „ plenum Serpentum & Scorpionum; *Lac*, fontem aqua„ rum viventium. unde lac & vinum prodeunt, quia ibi „ Deus eſt; hoc eſt, non jungendam vim impuritatis tem„ plo ſanctitatis.

ו. *Bellica.*

a. Reſpectu Iſraelis.

a. Impetator & officium ejus. (α.) Ille eſt *Angelus* miſſus à Deo, quem *ſuum* dicit ſigillatim. Bechai, *Hic eſt Michael, de quo* Dan. 12: 1. cap. 10: 21. *idem qui apparuit Joſuæ* Joſ. cap. 5: 14. *Non eſt de eorum genere, qui ſunt ſeparatæ ſubſtantiæ, ſed immanens in Deo, qui procedit à Deo, uti mulier à viro, de quo deſumta fuit. Dicitur meus Angelus qui mihi dilectiſſimus, utpote per quem in mundo innoteſco. De hoc loquitur* Exod. 23: 14. *facies mea*, & Eſa. 63: 9. *Angelus faciei, hoc eſt Angelus qui facies ejus. Appellatur Angelus (legatus,) quamvis non ſit de ſeparatis ſubſtantiis, quia adminiſtratio totius mundi ipſi commiſſa eſt. Atque huic Angelo eſt poteſtas remittendi peccata, & condonatio ipſi tradita eſt, Michael enim conſtitutus eſt ſuper remiſſione: quia præfectus gratiæ & beneficentiæ. Quod autem ad* Pſ. 130: 4. *dicunt Rabb. non tradidiſti R. P. ulli Angelo, intelligendum eſt de iis qui ſunt ſeparatæ eſſentiæ. Vox ipſius eſt Dei altiſſimi vox, & eſt verbum Domini, qui in ipſo, & per ipſum imo ipſo loquente loquitur,* Raknat. *Qui cuſtodivit patres etiam cuſtodiet filios. Tò* אנכי *notat miſericordiam, & Angelus eſt Angelus Goël.* Rurſum, *Si digni eritis egomet fiam legatus, uti factus ſum* Exod. 13: 21. *ſin indigni mittam Angelum coram vobis. Hoc minatus eſt,* Exod. 33. *Hoc Angelo præſente non dixit Deus, non adſcendam in medio tui: ſed cum feciſſent vitulum, voluit Deus Angelum hunc removere, dixitque non adſcendam in medio tui, aliumque Angelum mittere; ſed deprecante Moſe, denuò habitare fecit inter ipſos ſuam Schechina. Nomen Dei in ipſo, eſt autem moris regem habitare in ſua Domo. Deus loquitur de ſua Schechina in tertia perſonâ; noluit enim eam ſeparare à loco ſuæ emanationis.* NB. hinc prima & tertia perſona promiſcue. (β.) *Officium* ejus defenſio in viâ, & immiſſio in deſtinatam ſedem ac poſſeſſionem, verſ. 20.

b. Officium populi, (α.) *Obſervantia præſentiæ*, ne quid admittatur quod coram ipſo feciſſe pudere aut pœnitere poſſit, verſ. 21. (β.) *Obedientia fidei*, ושמע בקולו Conſtructio cum ב connotat fiduciam: nam ni credatur voci ejus, nunquam obtemperabitur, verſ. 21. (γ.) *Abſtinentia ab omni pervicaci irritatione*, חמר Chald. à מרר, verſ. 21. *Argumenta* ſuadentia: (1.) Damnum, *Non condonabit peccata.* Ergo habet quidem condonandi poteſtatem, ſed eâ non utetur, verum puniet. Ratio, *quia nomen meum in ipſo eſt*; hoc eſt tum ego ipſe, nam הוא שמו ושמו הוא Joh. 14: 10. cap. 10: 30. tum mandatum meum, Jer. cap. 44: 15. Quia vero Deus ipſe in hoc Angelo offenditur, vindicabit, verſ. 21. (δ.) *Commodum*, ſub conditione obedientiæ, quæ Duci iſti, & in eo ipſi Domino præſtatur, felicitas bellica, ut Deus eoſdem cum ipſis hoſtes ſit habiturus, & oppugnaturus, verſ. 22. quam à Duce, & ipſo Deo ſint conſecuturi, verſ. 23. NB. quæ Angelus loquitur & facit, Deus mittens ſe loquitur & facere teſtatur; ob mutuam immanentiam, & eſſentiæ communionem.

b. *Reſpectu Cananæorum* (α.) *Non communicandum ipſorum idololatriæ*, ſed adverſandum, ut omnia inſtrumenta deſtruant, verſ. 24. contra ſuo Deo fœderato ſolùm cultum præſtandum. Sub promiſſis (α.) benedictione Iſraelitarum ipſorummet, ratione victus, valetudinis, verſ. 25. fœcunditatis, & plenæ ſenectutis, verſ. 26. (β.) maledictione hoſtium, (1.) terrore & fuga ex eo, verſ. 27. (2.) vi immiſſorum crabronum, verſ. 28. (3.) Modus ejectionis, *non ſubitò*, ne vaſta fiat terra, & feræ prævaleant; verſ. 29. *ſed lentè*, ut poſſeſſionem oportunè adeant, verſ. 30. cujus amplitudo à terminis deſcribitur, verſ. 31. (*b.*) *Non paciſcendum cum ipſiſmet* aut eorum religione, ut vel illis vel idololatriæ ipſorum concedatur locus, ob ſeductionis periculum, verſ. 32, 33.

CAP. XXIV.

PACTIO IPSA, quæ habet

I. *Mandatum adducendorum fœderatorum* fœdere ſancito, verſ. 1, 2. ubi 1. mandans & mandatarius. 11. mandatum, & hîc 1. quid 2. quibus 3. cur faciendum, verſ. 1. 4. diſcrimen obſervandum, verſ. 2.

A. *Mandans* Deus; *mandatarius* Moſes: *Mandatum, adſcende ad Jehovam. Perſonæ*, Moſ. Aaron, duo ejus filii & 70 ſeniores; *Cur*, ut eminus adorent Deum; *Diſcri-*

men,

men, ut ſolus Moſes proximus accedat, reliqui longius remoti conſiſtant, populus autem non adſcendant prorſus montem. Sufficientibus Senioribus, qui loco populi admittantur. NB. Qui dicitur, Deum juſſiſſe, Moſen debere adſcendere ad Jehovam? De duobus ſermo eſt, unus mandat, & ad alterum adſcendere jubet. Quidam Hebræorum. ut Raknat. *Deus B. magnus juſſit ut adſcenderet ad Jehovam, hoc eſt Metatron, qui quandoque nomine Dei appellatur, ſignificatque Schechina, eo nomine dictam q. d. Aſcende in locum gloriæ, ubi eſt Angelus redemtor; non autem veniet ad Deum Maximum, quem nemo videbit & vivet: fuit tamen in nube in qua Schechina.* (Bechai, *Metatron dicitur à dominio, matrona: & à miſſione, metator; itemque à cuſtodia,* מטרה: *eoque colligimus eſſe eum Dominum omnium, quæ ſub ipſo ſunt, quia omnes exercitus ſuperiorum & inferiorum ſub ejus poteſtate ſunt; Eſtque legatus ejus qui ipſo ſuperior, qui eum dominari fecit ſuper omnia atque eum conſtituit dominum domui ſuæ, & dominatorem omnis poſſeſſionis ſuæ.*) „ Alii: quia minus conveniens putant, ut ſuperior „ dicat, adſcende ad inferiorem, invertunt; ut ſint verba „ Metatron, Angeli illius promiſſi, in quo nomen Dei eſt „ (ſic quoque Abrab.) qui jubeat Moſen adſcendere ad Do„ minum. Bechai notat, circa illum Angelum erraſſe אחר „ (hoc eſt *Eliſæum F. Abojæ*) & impegiſſe, ut dubitaret, „ quod ſint duæ ſummæ poteſtates (להסתפק בשתי „ רשויות) & in malam indolem abiiſſe: unde hic vehe„ menter cavendum monet ne quis impingat, errore non „ expiando; ſi videlicet duo ſumma principia ſtatuat.

II. *Ratihabitionem.* Cujus

A. *Antecedanea*, verſ. 3. א. Repetitio voluntatis paciſcentium, recitatis verbis Dei, & reſpondente populo, una voce, ſeu conſenſu, voluntatem ſibi eſſe obediendi. ב. *Circumſtantialia*, (a.) ſcriptura verborum fœderalium, (b.) ſtructura poſtridiana *altaris* (quod terreum fuit) ad montis radicem, Deum repræſentaturum, & 12 *columnarum* pro omnibus tribubus Iſraël, verſ. 4. Abrab. Moſen tardaſſe ait, in ſeq. diem, ut meditandi tempus foret, neque inconſiderati quid agerent.

B. *Solennia*, א. Sacrificia per primogenitos oblata, tum holocauſta, tum pacifica, quæ maxime conveniebant fœderi, verſ. 5. R. Sal. *ſanguis adſperſus altari ad expiandum pro peccato.* ב. Sanguinis partitio, media parte in crateribus ſervata, alia medietate infusâ altari per Moſen internuncium. Deum juxta ſuam declarationem obligatum ſignificantem, verſ. 6. ג. *Conditionum fœderis* ex libro *recitatio*, audientibus omnibus, (fuere ſolum X. verba, quæ poſt inſcripta tabulis,) ד. *Populi ratihabitio ultima*; *quicquid locutus eſt Dominus faciemus & audiemus.* Abrab. *faciemus, quæ dictata & audiemus obtemperaturi etiam dicenda.* Sed annon audire eſt fidei, quæ reſpondet prædicationi, poſtulanti fidem Eſa. 53: 1. Rom. 10: 17? Audire etiam eſt obedire, ſed cum obedientiæ ſubjungatur, utique in tanto compendio non mera erit ſynonymia. Cap. 19: 5. Deus poposcit audientiam vocis, & obſervationem fœderis, primum fidem, tum obſequium. Heic Iſrael omnia invertit, pollicitus primum obſequium & tum demum fidem. Quomodo obedientiam promiſit propriarum virium, nullo antecedente ſubſidio fidei, verſ. 7. ה. *Mediatoris* fœderis *partes*, in confirmando fœdere, (a.) *facto*, ſanguinem medium inſperſit populo. (b.) *dicto*, *Ecce ſanguis fœderis quod pepigit Deus vobiſcum, ſuper omnibus iſtis verbis:* non tantum nomine Dei recitatis, ſed etiam idque inprimis, quæ ipſi ratihabentes reſponderant, verſ. 8. Quod proinde factum Operum, non fidei; quia illa antecedebant in promiſſo, ſecus quam in Abrahamo, & fides non niſi illis præſtitis habebat locum. R. Sal. ait, in fœdus ingreſſos eſſe Iſraelitas במילה וטבילה וחזאת דמים שאין הזאה בלא טבילה. Ergo quod alii ſacrificium dicunt, hoc per adſperſionem ſanguinis ſignificat, quia non niſi hoſtiæ ſanguis adhibebatur; ſed tum demum ſanguinis adſperſionem putat fœderalem, quando ſociatur baptiſmo: ut ab aliis adſperſionibus diſtinguatur. Porro adſperſio ſanguinis eo pertinuit, ut exſtante ſanguine in veſtibus Iſraelitarum, haberent monile, fœderis teſtimonium: ſeu potius, ſignificatum, ſi violaveritis fœdus, ſanguis veſter effundendus in mortem. Bechai. Sic reſpondet partitioni animalium Gen. cap. 15. & vituli Jer. 34. Circumſtantiæ quædam aliæ adduntur. Heb. 9: 19, 20.

III. *Fœderatorum acceſſum ad Deum.* ubi

A. Adductio, verſ. 9. *Seniores* loco univerſi populi.

B. Admiſſio in præſentiam Dei, verſ. 10. *Viderunt Deum Iſraelis*, hoc eſt, fœderatum, Chald. *gratiam Dei Iſraelis*, Bechai, *non Deum ipſum, qui videri nequit* Exod. 33: 20. *ſed* שכינה, qui ut ad verſ 1. dictum, eſt Angelus redemtor. Deſcriptio throni Dei, conferenda cum Ezech. 1. ibi quoque אבן ספיר cui לבנה reſpondet; alii ab albedine nomen ducunt;

C. Admiſſorum

א. *Conditio*, indemnitas, verſ. 11. in Iſraelitas *ſeparatos* illos, vel *aggregatos* & vicinos factos Deo, *non miſit manum* ad nocendum, (ut Neh. 13: 21. Pſal. 55: 21.) *quamvis vidiſſent* (ſic ו Deut. 13: 2.) *Deum.* Ante interdictum appropinquatione ad montem, quando necdum fœderati, ſub pœna mortis: aſt nunc ſine damno accedunt ad thronum & præſentiam Dei, & licet eum viderent (forſitan ſub ſpecie quali Ezechiel vidit; nam quod nullam ſpeciem vidiſſe dicuntur Deut. 4. id diem promulgationis ſpectat: apparitionemque omnibus factam.) nil paſſi ſunt. Quidam tum nil paſſos, ſed poſt ob hunc intuitum Nadab & Abihu, & reliquos abſumtos. Sed male; cum hic juſſu Dei acceſſerint.

ב. *Dignitas*, verſ. 11. *& ederunt ac biberunt.* In teſtimonium indemnitatis; Alii; Convivia agitarunt fœdere confirmato. quod incolumes admiſſi & dimiſſi fuiſſent, ut כג feſto expiationis. alii, converſi denuo ſunt ad corporeas voluptates. vel ſaltem ad vitam ordinariam. Targ. *& gaviſi ſunt de ſui admiſſione, & recepti ſunt cum benevolentia, quaſi ediſſent ac bibiſſent.* Kabaliſtæ, *nutriti fuerunt de ſplendore Schechinæ.* Alimentum animæ conſecuti ſunt, quod ſub corporalis alimenti imagine proponi ſolet. Si enim cauſæ ſecundæ applicatæ præſtant alimenta, multo magis appropinquatio ad cauſam primam. Nutriverunt oculos ſuos de ſplendore Schechinæ, uti Angeli ferentes thronum gloriæ Dei, quæ eſt alimonia animæ & ejus oblectamentum. Scilicet quemadmodum poſt ſanctionem fœderis convivia præbentur, Gen. 26: 30. cap. 31. 54. etiam Deus convivium inſtruxit hiſce ſuis fœderatis, ut coram facie ſua ederint & biberint. quicquid etiam id fuerit, ſive manna, ſive aliud quid; quod Deo deeſſe non potuit: ſed iſte cibus non fuit ſalvificus; nam ex illis qui acceſſerunt fuere peccatores etiam poſtea in vituli negotio.

CONSEQUENTIA ET CONFIRMATIONES FOEDERIS SANCITI, ubi I. confirmatoria fœderis cap. 24. verſ. 12. ad fin. cap. 31. II. Violatio fœderis, ejuſque redintegratio capp. 32–34. III. confirmatoriorum exſecutio. capp. 35–40.

CONFIRMATORIA FOEDERIS, ſunt Externa fœderati Dei teſtimonia, populo concedenda, tum in tabernaculo, tum in tabulis, propter quarum cuſtodiam illud fabricatum. Heic verò

I. *Moſis Internuncii* ad excipienda mandata evocatio & præſentia. cujus

A. *Mandatum*, verſ. 12. Evocatur ad Deum in montem, accepturus tum tabulas fœderis, tum interpretationem conditionum fœderalium, ſive quæ ultra ipſius miniſterio populum voluit edoceri. Hebræi legem ſcriptam & oralem intelligunt. ſed quarum hæc ab illa pendeat. Vide Raknat f. 97. Alii, 613. præcepta tunc fuiſſe Moſi propoſita. Seqq. capp. declarant, quænam ei mandata ſint.

B. *Obedientia Moſis*, comite *Joſua*, qui tamen non in ipſum montis verticem adſcendit, ſed hæſit in latere, quod jam licitum poſt fœdus ſancitum, verſ. 13.

C. *Mandata* ante adſcenſum data Senioribus, ſe cum Joſua abſente, de populi regimine, verſ. 14.

D. *Deſcriptio montis* poſtquam adſcendiſſet Moſes, opertum fuiſſe nube, verſ. 15.

E. *Præparatio Moſis*, ſex diebus gloria Dei in monte habitavit, præſtolante ipſo, qui die ſeptimo vocatus fuit ad colloquium, verſ. 16.

F. *Gloriæ Dei deſcriptio* inſtar ignis conſumentis, Iſraelitis videntibus eminus, verſ. 17.

G. *Acceſſus Moſis*, ingredientis ipſam nubem Luc. 9: 34. Moſes

Moſes & Elias.) qui ultimus adſcenſus in montem gradus, & *mora* ibidem, per 40 dies, verſ. 18.

CAP. XXV.

II. M *Andata Moſi data*, 1. de congerenda materia tabernaculi, verſ. 1--9. 11. de tabernaculi inſtrumentis, miniſtris & miniſterio, verſ. 10. cap. 30. fin. III. de architectis ejus & fabrica. cap. 31.

A. *De congerenda materiâ tabernaculi*, verſ. 1--9. ubi poſt mentionem Mandantis Internuncii & mandatariorum.

א. Modus conferendi, verſ. 1, 2. *Accipiant mihi* (hoc eſt dent. Pſal. 68: 19. Eph. 4: 8.) תרומה *ſeparatum quod exaltetur*, hoc eſt Altiſſimo ſacrum maneat de bonis ſuis ſpontanea voluntate dandum, citra definitam quantitatem, à quovis, quem ſponte impellet cor ſuum. Deus enim amat hilarem voluntarium datorem 2 Cor. 9: 7. Accipient I. ab omnibus, cujuſcunque conditionis. II. citra coactionem ſed ſponte. III. non poſtulatum, ſed ſponte datum, IV. nec omnes facultates, ſed de iis, תרי ממאה. ordinarie. Liberales quadrageſimam, Medii quinquageſimam, Avari ſexageſimam partem.

ב. *Species*, metallum triplex, *aurum*, *argentum*, *æs*, verſ. 3. Nullum ferrum fuit in tabernaculo: ſed ad templum ædificandum quoque congeſtum legimus 1 Chron. 29. verſ. 27. 2 Chron. 2: 7. tum *lana cærulea* תכלת qualis cœli ſudi, ארגמן *coccinea*, amorgis herbæ nomen, ad tingendum adhibitæ, vel lini Ægyptii ſpecies, calamus cujus tenuiſſimæ fibræ ducebantur in fila. תולעת שני *purpurea dibapha*. Hic lana ſubintelligitur Heb. 9: 19. linum tenue, byſſus, quidam goſſypium aut ſericum eſſe putant, fuit autem candidi coloris: pili caprarum; ℣. 4. Abrab. omnia ſericum coloratum exponit, & עזים lanam. & שש linum. Item *pelles* תחשי quos quidam *taxos* dicunt ob nominis affinitatem, alii *hircos*, alii ignotum animal fuiſſe fatentur. *Lignum Schittim*, creditur cedri ſpecies fuiſſe, cariem non admittens, verſ. 5. *Oleum* & *aromata*, verſ. 6. *gemmas*, *beryllos* vel *ſardonychas*, & alias, quibus pectorale explendum, verſ. 7.

ג. *Finis*, *Tabernaculum* externum faciendum Deo, in quo habitet in medio ipſorum, verſ. 8. ut fœderati Dei teſtimonium haberent externum. Cujus *Forma* juxta repræſentatam Moſi ideam, ſeu ſciagraphiam, verſ. 9.

NB. Unde illa omnia ſuppetebant in deſerto? Reſp. quædam extulerant ex Ægypto, donati à ſuis hoſpitibus & vicinis. Sed unde ligna Schittim, quæ extuliſſe vix veriſimile, & forſan alia quoque? Sunt qui dicunt, ſylvam fuiſſe prope Sinai, unde arbores exciderint. Abrab. vicinas gentes venales merces intuliſſe in caſtra Iſraelitarum. Sed ſi hoc factum, intuliſſent quoque annonam, aut ipſi mannam comediſſent; Verum nemo ad Iſraelem acceſſit in deſerto, præter Jethronem, aliis omnibus ob ſtragem Ægyptiorum & Amalekitarum metuentibus accedere. Quidni etiam aſſeres extulerint ex Ægypto inter impedimenta ſua? aut ad Sinai invenerint, uti rubos, ſic etiam hujus generis arbores?

B. *De Inſtrumentis Tabernaculi*, verſ. 10.

א. *Arca fœderis*, ℣. 10--22. Arcæ (a.) *Structura*, ex ligno Sittim long. $3\frac{3}{4}$ pedum (nam cubitus eſt $1\frac{1}{2}$ pedum) lat. $2\frac{1}{4}$ & altitudo eadem, verſ. 10. tectorium aureum intus & foris, nec non limbus aureus coronamentum in ſummitate; operculi continendi ergo, verſ. 11. (b.) *Appendices*, annuli aurei, & vectes lignei deaurati ad geſtandum, humero, (nam non licuit currui imponere 1 Chron. 13: 7. ſ. cap. 15. verſ. 12. 15.) nec vectes licuit eximere, verſ. 12--15. Hebræi dicunt, cum geſtarent arcam facies utrinque fuit verſus arcam, non autem dorſum. (c.) *Uſus*, verſ. 16. recondendo *Teſtimonio*, hoc eſt tabulis fœderis, quæ pacti cum Deo teſtimonium fuerunt; hinc dicuntur *teſtimonii tabulæ* Exod. 31: 18. *arca* Exod. 25: 22. *tabernaculum* Exod. cap. 38: 21. alias *tabb. fœd.* Deut. 9: 9. 11. *arca fœd.* Num. cap. 10: 33. *verba fœd.* Exod. 34: 28. Hoc teſtimonium fuit potiſſimum, & propter quod totum tabernaculum exſtructum. Tabulæ teſtabantur fœderatum eſſe Deum, & in hoc teſtimonio aſſervando conſiſtebat Iſraelis gloria aliquatenus. Sed nunc teſtimonium iſtud non eſt in tabernaculo aut arca, tabuliſve externis, ſed in corde fidelium Jer. 31: 33. & hinc ſub N. fœdere nulla futura arca Jer. 3. (d.) *Operculum*, totum aureum quod plane clauderet arcam, ei impoſitum, verſ. 17. in utraque extremitate humano opere ductili indidem factos *Cherubinos*, expanſis alis, tegentes operculum, faciebus verſus ſe mutuum converſis & in operculum defixis, verſ. 18--20. Uſus operculi (*a.*) ad tegendum arcam, & quæ in ea deponendæ, teſtimonii tabulas, verſ. 21. (*b.*) oraculum divinum inde reddendum, verſ. 22.

Arca cum propitiatorio, typus Chriſti. Ex ligno fragili & auro pretioſiſſimo, in cujus medio lex Dei, & voluntatis ejus obſervantia, & inprimis cuſtodia fœderis Dei, & conjunctionis, adhæc propitiatio, tegens peccata. Cherubini repræſentabant thronum gloriæ; & regnum Chriſti: operculum ejus ſacerdotium; & reſponſa quæ inde reddebantur ejus prophetiam; qua voluntatem Patris revelat.

ב. *Menſa*, verſ. 23--30. cujus (a.) *ſtructura*, cum appendicibus conjunctis, annulis & veſtibus, verſ. 23--28. (b.) *Vaſa* menſæ, patinæ præ panibus, acerræ pro thure. Scutellæ, & ſcopulæ, Piſc. illa ad tegendos panes & ſuffitum, has ad purgandam menſam. Ainſworth utrunque opercula eſſe exiſtimat. Hebræi קשוטיו *aurea fulcra* מנקיותיו *calamos* dimidiatos aureos: quia panes propoſitionis habebant longitudinem 10 palmarum, & latitudinem 5 palm. ſpiſſi ſeptem digitis, menſa autem longitudinem 12 palm. latitud. 6 palm. & huic reſpondebat longitudo panum, hi utrinque duabus palmis prominebant, ne frangerentur habuere ad latera utriuſque ordinis panum conſiſtentia aurea fulcra in terra locata, & altitudine æquantia ſummitatem panum, habentia ramos quinque exeuntes, unum ſupra alterum, ad fulciendos calamos. Hi enim terni imponebantur ſingulis panibus, & diſterminabant panes ab invicem, ut aer tranſpirare poſſet, ne muceſcerent, quorum extremitates incumbebant ramis fulcrorum, verſ. 29. (c.) *Uſus* impoſitio *Panum*, qui 12 ſingulis ſeptimanis apponebantur, in duobus ordinibus, verſ. 30.

Significabant vel Chriſtum panem vitæ ſemper expoſitum ad nutritionem fidelium: Vel Eccleſiam Iſraeliticam, quæ tanquam azymus panis Deo jugiter præponeretur.

ג. *Candelabrum*, verſ. 31--40. ejus *ſtructura*, quoad ſcapum, ramos, nodos, calyces, lances; ſeptemque *lampades*, accendendas, verſ. 31---37. *Inſtrumenta* forcipes extrahendo ellychnio & emunctoria, removendis cineribus ellychnii, verſ. 38. *pondus auri* talentum, verſ. 29. *Figura*, ad ideam in monte oſtenſam, verſ. 30.

Candelabrum figurabat Chriſtum, qui eſt vera lux Eccleſiæ, & 7 lampades ſeptem Spiritus Dei Apoc. 4: 5. cap. 5: 6. Vel Scripturam Spiritu S. inſpiratam, quæ lucem præbet, & rami, flores, nodi ſeu mali, denotant varietatem, quæ in verbo reperitur.

CAP. XXVI.

ד. T *Abernaculum*:

a. Interius conſtans *Cortinis X.* verſ. 1---6. *materiâ* linum, & hyacinthus, coccinum, purpura, *textura* mixta, & intexti utrinque apparentes Cherubini. verſ. 1. *Menſura*, verſ. 2. *modus* connectendi, verſ. 3--6. per uncinos & fibulas. Sex anſulæ aureæ apprehendentes loramenta hyacinthina. Hæ cortinæ tegumento erant ſupra & ad latera, poſticamque partem.

b. *Tegumentum* aliud, verſ. 7---13. *cortinarum XI.* ex pilis caprarum, connectendarum per anſulas æreas. Quæ contegerent accuratè pretioſas cortinas.

c. *Tegumentum* aliud ex pellibus arietum, & deſuper aliud ex pellibus *Techaſchim*, verſ. 14. Sed tantùm tegendo tecto, non lateribus.

d. *Aſſeres* tabernaculi, cum ſuis cardinibus, quibus infigerentur baſibus argenteis, eorum menſura, & numerus, & ſitus & connexio per vectes, inſerendos aureis annulis, uti omnia ligna fuere obducenda auro. verſ. 15--30.

e. *Diſtinctio* tabernaculi, per *Velum interius* artificioſiſſimum quales primæ cortinæ, ſuſpendendum de quatuor columnis ſittimis inauratis, & aureos uncinos habentibus, in-

innixis basibus argenteis. vers. 31, 32. Pone hoc velum reponendam arcam cum testimonio & propitiatorio. vers. 33, 34. In *Sancto Sanctorum*. Foris autem seu ante velum, collocandam mensam & candelabrum, in Sancto. vers. 35.

f. *Velum exterius*, claudens *Sanctum*, ex eadem pretiosa materia, sed ut ab una parte duntaxat figuratum foret; Nam מעשה חושב utrinque, ast מעשה רוקם ab una parte duntaxat figuras habebat intextas. Columnas quinque similes, nisi quod bases sint æreæ. vers. 36, 37.

NB. Significatum Deum quidem in medio habitare, sed tamen eos arceri propiori accessu, disterminante etiam ab ostio velo; Velum significabat carnem Christi, gratiis ornatam, sed quod sustineret reatum, rumpenda fuit, & abolenda peccata, ut pateret accessus, Heb. 10: 19.

CAP. XXVII.

ה. A *Ltare holocausti*, vers. 1—8. ligneum, sed obductum ære; cavum, & habens cratem æream reticulato opere; cum instrumentis æreis, & annulis ac vectibus. Figurabat Christum qui sanctificabat sacrificium.

ו. *Atrium tabernaculi* suis quoque tapetibus clausum; quorum materia, forma, columnæ, & bases, prolixè describuntur. vers. 9—19. Nec non *Velum* singulare ad ingressum, ex variis coloribus; cum tapetes unius forent, candidi.

ז. *Oleum pro lampadibus candelabri*: ex oliva contusum, vers. 20. *Lex* de accendendis lampadibus vesperi, ut in matutinum usque ardeant, vers. 21. nempe Sacerdos, cujus hæc cura, removebat ellychnia, & residuum olei quod inerat, projiciebat in locum cinerum, extergebat lampades exstinctas, ardentes purgabat, & certa mensura oleum & ellychnium novum apponebat; exstinctam à proxima accendebat, sed scapum ex igne altaris; accendebat quinque, & peracto reliquo servitio suo, duas residuas. Designabat juge studium doctrinæ, ut ea luceret in tenebricosis terræ, usque dum dies illucescat.

CAP. XXVIII.

ח. V *Estes Sacerdotales*: ubi (a.) designatio personarum, Aaron & filii ejus, vers. 1. Quibus singulares vestes parandæ, vers. 2. & (b.) cura sapientibus demandanda, vers. 3. (c.) vestes ipsæ enumeratæ, vers. 4. earumque materia, vers. 5. sigillatim.

a. *Ephod*, vers. 6—14. ejus materia, aurum, hyacinthinum, coccinum, purpureum, lineum fila, intextis utrinque figuris, vers. 6. latitudo fuit quanta tergi ab humero ad humerum, longitudo ab axillis deorsum ad pedes. In summitate attexebantur duæ laciniæ, in medio se contingentes, atque inde sursum supra humeros extensæ utrinque usque ad papillas, antrorsum, vers. 7. ab Ephodi latere summo utrinque procedebat ejusdem texturæ lacinia oblonga, quæ ambæ sub axillis protendebantur, & in pectore circa cordis regionem colligabantur; estque *Cingulum* Ephodi, sine quo non adhæreret corpori. vers. 8. In summo humero, humeralibus laciniis affixæ erant singulæ palæ aureæ, & in iis Onyches vel berylli, quibus sculpenda inscripta erant sena nomina tribuum, ordine nascendi observato. *Ususque* ut memoria tribuum Israelis conservaretur coram Domino: affixis ad palas illas aureas catenulis aureis, vers. 9—14.

b. *Pectorale*, vers. 15—30. ex tela ejusdem operis, vers. 15. spithamæ mensura in quovis latere quadratum, post duplicationem, vers. 16. exteriori parti affixis, singulis suis palis aureis inhærentibus, & arctissime junctis, ut unum corpus videri possent: lapidibus quadratis pretiosis XII. quatuor ordinibus ternarum gemmarum, itidem insculptis nominibus tribuum, eodem ordine nascendi, vel, ut Abrab. ordine castrensi, vers. 17—21. catenulis & ligamentis alligandum fuit tum humeralibus, tum palis onychum, tum Ephodi sub axillis, ne usquam loco suo moveretur, vers. 22—28. *Usus* ut nomina Israelis sacerdos in pectore gestaret, memoriam eorum facturus coram Domino, vers. 29. Additamentum potissimum, ab ipso Mose duplicitati Ephodis inserendum, *Urim & Tummim*; ut judicium seu indicium directorium, Israelis jugiter coram Deo gestaret, vers. 30.

c. *Toga Ephodi* superinduenda, vers. 31—35. Hæc tota hyacinthina, vers. 31. Longitudo telæ quæ à pedibus super humeros & rursum ad pedes pertingeret; sed in medio foramen, limbo firmatum, cui caput insereret, sine manicis, brachiis à lateribus prominentibus, vers. 32. in extremis fimbriis ex filamentis telæ facta malogranata & alternis appensa aurea tintinnabula, tricena sena in utraque parte, anteriore & posteriore, vers. 33, 34. *Usus*, ut ingrediente & egrediente sacerdote sonus ille audiretur, alioqui mortis pœnam subituro, vers. 35.

d. *Mitra*, vers. 36—38. cujus lamina aurea, inscriptionem *Sanctitas Domino*, habens, vers. 36. filo hyacinthino alligabatur utrinque & in summo mitræ, ut frontem tegeret: Mitra ipsa v. tela linea oblonga capiti aliquoties circumvoluta in modum Tulban, vers. 37. *Usus*, ut iniquitas rerum sacrarum sanctitate Dei tegeretur, vers. 38.

Hæc sunt vestimenta Pontifici maximo propria, & Christi munus varie adumbrantia, colore & pretio: quis in se, quid præstet Ecclesiæ, intercedendo, expiando, adducendo ad Deum, cum inferret nomina; sollicite custodiendo & curando.

e. *Vestes inferiorum sacerdotum*, & communes cum summo, (α.) *Summi* quidem *Tunica* ex lino, cum manicis assutis, *Mitra* linea, *Baltheus* ex variis coloribus, 32 ulnarum, aliquoties ambiens corpus, vers. 39. (β.) *Inferiorum Tunicæ* similes, (quæ alibi *Ephodbad* dicuntur.) *Baltbei*, itidem similes, varii coloris & materiæ. *Mitræ*, in galearum morem circumvolutæ, ut & ipsi inde honorem haberent, vers. 40. quando & Aaron & filii Sacerdotio initiati essent, vers. 41. *Subligacula linea* pro omnibus à lumbis ad suras, ut tegerentur partes corporis minus honestæ, quibus plus honoris addendum, ne nuditas apparens reatum mortis afferret Sacerdotibus, vers. 42, 43. Hebræi, vers. 43. generalem faciunt, si Sac. inferior minùs quatuor, & summus minus octo vestibus gestaret tempore ministerii, mortis rem fuisse.

Hæc quoque tegumenta ostendunt ornamenta piorum sine quibus Deo ministrare nequeunt. Galea & baltheus, & toga, & quæ nuditatem tegat vestis.

CAP. XXIX.

ט. M *Inistri sacri* eorumque inauguratio. atque hîc a. *Præparatio* necessariorum ad eum actum, (α.) Victimæ, juvencus secundi anni, & duo arietes secundi anni, vitii expertes, vers. 1. (b.) *Panis* triplex; de quovis genere panis deni. (α.) panis ordinarius azymus: (β.) placentæ azymæ, quarum farina oleo subacta erat. (γ.) lagana, seu placentæ tenues, quæ excoctæ ungebantur oleo, ut R. Sal. in formam X græci, vers. 2. *Farina* triticea in omnibus hisce adhibenda. *Vas* cui imponendi panes, canistrum, & in eo afferendi, & victimæ adducendæ, vers. 3.

b. *Inauguratio*, cujus partes, inaugurandorum

a. *Lotio* in atrio tentorii conventus, ex sacro labro, v. 4. וז טבילה כל הגוף adeoque baptismus immersionis.

b. *Vestitio*, tum *Aharonis*, induendo ei (præter subligacula) tunicam (baltheo adstrictam) togam, ephod, & pectorale, ephodi cingulo probe adstricto, vers. 5. mitram, cum coronamento laminæ, vers. 6.

c. *Unctio*, infuso oleo in caput, & inter supercilia, digito hæc conjungens ut X græcum effigiaretur, vers. 7. tum *vestitio* filiorum Aaronis, tunica, baltheo, galeata mitra, præsuppositis & hîc subligaculis, vers. 8, 9. Abrabanel כת יוניית ut foret prima litera nominis כהן: atque id non scribitur græco כף. Rectius כי græcum ut R. Sal. Idem galeas filiorum Aaron dicit fuisse ut duos colles intermedia valle. Sic responderent mitræ Episcoporum seu infulæ.

d. *Consecratio*, Sacerdotium æternum iis datum, impleta Aaronis & filiorum *manu*, vers. 9. Hæc impletio facta est partibus sacrificii, Abrab. *Actionibus illis* (nempe induenda-

darum veſtium & unctionis Aaronis) *abſolvet manum & poteſtatem ipſorum*, (ישלים ידם ויכלתם) ut hoc miniſterio deinceps fungerentur. Hoc enim facto fore eis *licentiam & facultatem*, (רשות ויכולת) ut miniſtrarent in ſanctuario. Græci vocant τελείωσιν, quomodo de Chriſto dicitur Heb. 7. verſ. 18. quia perfectè tunc conſecrati fuerunt.

b. Sacrificium, Nam, quod notandum, Moſes 7 illis diebus conſecrationis Aaronis functus eſt Sacerdotio; tum ut hunc immitteret in poſſeſſionem muneris; tum ut edoceret omnes ritus deinceps obſervandos. Eoque Moſes typus Chriſti quoad triplex munus, propheticum, ſacerdotale, & regium. Deut. 18: 15. ſ. hic & Deut. 33: 5. Fuit autem ſacrificium.

a. Juvenci, (1.) Huic in atrio imponenda utraque manus, omnibus viribus inter cornua: ſucceſſive à ſingulis, non ſimul, verſ. 10. (2.) Inde mactandus ibidem loci, illico poſt manuum impoſitionem, verſ. 11. (3.) Sanguis, pelvi exceptus, indice dextræ illinebatur cornu auſtrali, tum orientali, inde ſeptentrionali, tandem occidentali, & reſiduum ſanguinis hinc fundo altaris affundebatur verſus latus auſtrale, verſ. 12. (4.) Interiora comburenda, Adeps tegens *medium* (id eſt cor & jecur, & renes, una cum iſtis comburendus, quia omnia ſunt inſtrumenta cupiditatis. Raknat.) verſ. 13. (5.) Caro, & cutis, & ſimus extra caſtra comburenda; quia eſt *peccatum*, id eſt, ſacrificium pro peccato, verſ. 14. NB. Hoſtiæ pro peccato, quarum ſanguis inferebatur in S. Sanctorum, comburebantur extra caſtra; & de his non licebat veſci Sacerdotibus: ſed ſi non inferretur ſanguis in Sanctum Sanctorum, carnem comedebant Sacerdotes. Scilicet edere alicujus hoſtiam pro peccato ſignificabat, quod ferrent & expiarent peccata: Lev. cap. 10: 17. Sed quia ſanguis non veniebat in adytum, ſimul indicata indignitas & ineptitudo Sacerdotii ipſorum, qui non veniebant coram Deo. Non comedebant de victima cujus ſanguis illatus, quod non poſſent expiare peccatum. Verum hic, licet ſanguis hujus victimæ in conſecratione non inferretur in adytum, non tamen licuit edere ipſis; Lev. 4: 3. 12. quod non poſſent expiare propria peccata, ſed indigerent ſacerdote alio. E. Chriſti corpus extra Hieroſolymam crucifixum, quia ſanguinem intulit in ſacrarium cœleſte Heb. 13: 10. ſ. & qui altari ſerviunt Sacerdotes, non habent jus comedendi de eo. Sed ſi velint ejus beneficio frui æque ut populus reliquus fide debent participare.

β. *Arietis unius*, (1.) Impoſitis manibus, ſucceſſive item, verſ. 15. (2.) Mactati ſanguis ſpargebatur verſus duo oppoſita cornua altaris, ſic ut utrinque guttæ caderent, quomodo undique ſparſio facta, verſ. 16. (3.) Tum excoriati corpus ſecabatur in fuſta, eaque omnia igne abſumebantur ſuper altari, quomodo tota adſcendebant עולה ad Deum. Eratque bonæ fragrantiæ hoſtia igne abſumta, verſ. 17, 18. Significabatur oblatio corporis ipſorum Rom. cap. 12: 1. quæ in Chriſto demum accepta, cui impoſitione manus ſe inniti profitebantur, æque ad ſanctificationem ac ad juſtificationem.

γ. *Arietis alterius* ad initiationem. (1.) Impoſitis manibus (in Chriſto etiam acceptationem ſui miniſterii quæſituri.) verſ. 19. (2.) Mactati ſanguis illinendus auriculæ, pollici manus & pedis dextris, (ut aures manus & pedes Deo ſacri forent.) & aſpergendus altari, ut prioris. (Scilicet quemadmodum in ſanctione fœderis altari & columnis Iſraelis, utrique contrahentium adſpergebatur ſanguis confirmando fœderi; ita & hic ob fœdus ſingulare cum Aarone ſacerdote Mal. 2: 5. ſ.) verſ. 20. Significatum fuit fœdus Dei cum Chriſto mediatore, ut eſſet Sponſor & hoſtia, Eſa. 53: 10. ſ. (3.) Adhæc de illo ſanguine, qui fuerat ſupra altare, & oleo unctionis, ſpargendum fuit ſuper ſacerdotes & horum veſtes, (ut eorum juſtificationem & ſanctificationem à Chriſto oblato venire ſignificaretur etiam quoad dotes functionis, oleo figuratas) verſ. 21. (4.) Præter interiora cum adipe, etiam dextrum crus offerendum in altari; ſpirituali jure quod ſit ad *conſecrationem* ſacerdotis, τελείωσιν; atque ut plena ſit conciliatio fœderis ſignificata, de eadem hoſtia: (quaſi in convivio fœderali) parte carnis cedente Deo; parte Moſi ſacerdoti, & parte conſecratis ſacerdotibus, verſ. 22. (5.) Quæ omnia cum uno pane de ſingulis generibus, imponenda manibus Aaronis & filiorum, & agitanda, (ventilanda movenda hinc inde) à Moſe manus ſuas ſupponente illorum manibus circumcirca altare; & tum in odorem bonæ fragrantiæ ſuper altari igne abſumenda, verſ. 23, 24, 25. (6.) Porrò pectus ejusdem arietis conſecrationis, poſt agitationem Moſis Sacerdotis, ei ceſſit in portionem, verſ. 26. Atque hinc Sacerdoti deinceps ex pacificis ſacrificiis, aſſignatum perpetuo jure tum pectus tum etiam (quod Moſi in initiatione Sacerdotali tamen non ceſſit) crus, verſ. 27, 28.

f. Filiorum Aaronis ſucceſſio in veſtes & conſecrationem, quoad eum vid. qui Pontifex futurus, verſ. 29. & obſervato tempore conſecrationis, ſeptem diebus continuis, verſ. 30.

g. Pars de ariete conſecrationis cedens conſecratis, quomodo uſurpanda; coquenda caro reſidua in loco ſancto, in atrio, & ibidem comedenda cum reſiduis panibus, quo ſic abſolveretur conſecratio ipſorum; & quidem à ſolis conſecratis, nullo adſcito peregrino, qui non erat ſegregationis hujus particeps: eoque quod non poterat ab ipſis illa die abſumi, poſtridie comburendum, verſ. 31—34.

h. Conſecrationis iſtius Ritus ſeptem diebus exercendi & repetendi, verſ. 35. ut Sabbathum quoque tranſiret, ipſi, & tum demum munus ordiretur.

ι. *Conſecratio Altaris holocauſti* Expiandum fuit juvenco, & ungendum, toto ſeptiduo, & tum factum eſt S. Sanctorum; ſanctum & ſanctificans ſacrificia, quæ illud tangebant, verſ. 36, 37. *Omnis unctio, inquit* R. Sal. *eſt figura Chi Græci: nempe ſacerdotio affinis: aſt regia in circulum inſtar coronæ.* NB. Quia altare factum ab hominibus, habuit pollutionem, eguitque expiatione, nec non unctione, unde ſanctitas & ſanctificandi vis. Chriſtus eſt altare, is tamen non indiguit expiatione, quia ἀπάτως. reatum inde trahere nequivit, cæteroquin opus habuiſſet ſanguinea expiatione alius pro ſe, aut ſui pro ſeipſo: quorum neutrum dici poteſt. Sed accepit unctionem qua ſanctificaretur Luc. 1: 38. & ſanctificans conſtitueretur Joh. cap. 10: 36. Eſa. 61: 1. ſ. Luc. 4. *Uſus* conſecrati altaris ad juge ſacrificium, *mane & veſperi* (ad expianda illud noctis, iſtud dieî præcedentium peccata, Raknat.) (a.) immolandis agnis cum ſuis appendicibus, ſimila, oleo, vino, (& ſale quoque, ſine thymiamate,) (b.) in odorem bonæ fragrantiæ, (c.) in atrio ante tentorium. (d.) Ad conſervandam pacem & commercium cum Deo: qui promittit ſe tunc iſtic habitaturum, atque præſentiam ſuam, & beneficia fœdere promiſſa ipſis præſtiturum, verſ. 38—46. NB. Sic ergo cum ſua ſtipulatione fœdus ſibi feciſſent inutile, Deus jam cœpit ſuccurrere ipſis: tum oſtendendo ipſorum impotentiam & imperfectionem tum modum extrinſecum veniendi ad ſe per ſacerdotem ſacrificiaque typica; quò typica communio ſervaretur ſecum, uſque ad tempus melioris fœderis & mediatoris ſacerdotis.

CAP. XXX.

א. *Altare ſuffitus.* Ejus (a.) *ſtructura:* ex eodem ligno Sittim, cum *tecto* (hoc eſt ſuperne clauſum erat, non cavum, ut incenſum ibi poneretur.) exſtantibuſque cornuum inſtar extremitatibus, ulnæ modus, quadrati, ſed altitudo duarum. undique obductum auro, (ut holocauſti ære,) addito coronamento, annulis & vectibus, verſ. 1—5. (b.) *Situs*, ante velum: quod tegebat arcam teſtimonii; & propitiatorium, unde Deus Moſi reſpondebat: eoque in medio, inter menſam & candelabrum, verſ. 6. Significabat Chriſtum per quem offertur incenſum precum, proximè ad thronum gratiæ, & parrheſiam acceſſus, & Dei reſponſuri gratiam propinquam. (c.) *Uſus*, ſuffitus aromatum deſuper faciendus, mane & veſperi, quando lampades curabantur: quia dum verbi lucerna accenditur, preces addendæ, verſ. 7, 8. ſacerdos unus removebat cineres, alter ferebat incenſum in vaſe, tertius prunas imponebat altari, & tum primo & tertio cum inclinatione digreſſis, medius ſuffitum injiciebat prunis, omni populo egrediente ex porticu altaris holocauſti. Sic Luc. cap. 1: 9, 10. Singulis pro 100 denariis ſemiſſem libræ mane, & tantundem veſperi jugiter; uti preces debent eſſe

juges. Non autem vel peregrinus ſuffitus vel hoſtia, vel libamen hîc offerenda fuere, verſ. 9. (d.) *Expiatio* ſemel quotannis facienda, verſ. 10. quia etiam precibus hominum adhæret peccatum, non niſi ſanguine victimæ expiandum. Dicitur autem *Sanctum Sanctorum* quoque: quia Chriſtus etiam ſanctificat noſtras preces, uti oblationem noſtrorum corporum.

י. *Tributum pro uſu tabernaculi*, perſolvendum ab omnibus ad expiationem; ne plaga in ipſos graſſaretur. (Omnes rei, etiamſi non majorum criminum, indigent expiatione, eoque contribuere debent ad onera communis expiationis: nec malè à quodam dicitur 1 Cor. 10: 31. ſeipſos ſic judicaſſe, ne judicarentur.) Sunt qui in omni recenſione tantum putent fuiſſe ſolvendum, quod cum negligeretur in ea quam David inſtituit, peſtem ſæviſſe. R. Sal. non recenſos Iſraelitas, ſed numeratos medios ſiclos, verſ. 11, 12. *Cenſus* medius ſiclus ſanctuarii, communis duplus, Deo dandus, verſ. 13. *Cenſendi* omnes viginti annorum & ultra, ſine exceptione, Sacerdotes, Levitæ, Iſraelitæ, proſelyti, liberti; non autem mulieres, infantes, ſervi, verſ. 14. Definitum pretium non augendum vel minuendum, ſed dives ac pauper tantundem debuit exſolvere (licet hic mendicando aut veſtes vendendo deberet acquirere) ut omnes tantundem juris & indigentiæ profiterentur in expiatione quotidianâ, verſ. 15. *Uſus*, ad miniſterium quotidianum verſ. 16. Sunt qui tantum ad uſum tabernaculi primum collectum volunt: ſed alii annuum cenſum, in uſum quotidiani jugis cultus. Verum ſub Nehemia adhuc ſuperaddita tertia pars ſicli: inde emebantur omnia, juge ſacrificium, ligna, oleum, vinum, ſuffitus, panes, &c.

כ. *Labrum æneum*, cum ſua baſi, habens epiſtomia ad educendam aquam, ſitum inter altare & tabernaculum, vel ad latus altaris; verſ. 17, 18. *Uſus*, ad lotiones pedum manuumque Sacerdotum: nudis enim miniſtrarunt. Lavandæ autem (a.) à ſtantibus ſimul, dextra manu dextro pedi, & ſiniſtra ſiniſtro incumbentibus. (b.) Mane quam primum ingreſſi ad miniſtrandum; & ſi non egrediatur ſanctuario, neque dormiat, aut naturæ onus deponat, non indiget lotione; alias repetenda lotio. (c.) Si tamen poſt ſacrificium ingrediendum Sanctuarium, lotio repetenda. (d.) Negligenti mors à Deo exſpectanda, verſ. 19, 20, 21. Scilicet mundis accedendum ad miniſterium, Pſal. 26: 6. Heb. 10: 22. Aqua recens ſingulis mane infundebatur, ſive fontana, ſive putealis, integri coloris.

ך. *Oleum unctionis* quomodo conficiendum, verſ. 22—33. *Ingredientia*, aromata quoad pondus, & oleum; ejuſque præparatio, verſ. 22—24. Dicunt aromata ſigillatim appenſa, poſt commixta fuiſſe, & puram aquam affuſam donec omnis odor extraheretur; tum affuſam menſuram olei, & omnia igne excocta ad conſummationem omnis aquæ. *Uſus*, unctio omnium inſtrumentorum ſanctuarii & miniſtrorum ejus, verſ. 25—30. R. Sal. iterum omnis unctio ad figuram Chi; præterquam regia, quæ in circulum ut corona. *Interdictum*, ne quiſquam ſimile oleum conficiat, eoque utatur, aut etiam adhibeat aliis rebus aut perſonis quam definitum, ſub pœna excidii, verſ. 31—33. Attamen etiam reges Davidicos, ſiquidem contraverteretur ſucceſſio, eo unctos volunt.

ם. *Aromata ad ſuffitum*, cujus quatuor ſpecies enumerantur; ſed Hebræi faciunt undecim ℞. Stactes, Onyches, Galbani, Thuris ana ℔ 70. Myrrhæ Caſſiæ, Spicænardi, Croci, ana ℔ 16. Coſti ℔ 12. Cinamomi ℔ 9. Caſſiæ ligneæ ℔ 3. Sunt 368. ℔. ſigillatim omnia contuſa & commixta; ſingulis diebus pondo unum. Ergo pro integro anno, & 3 libræ reſiduæ pro feſto expiationis, verſ. 34, 35. ממולח Chald. & Græcus & R. Sal. reddunt *mixtum*; Alii ſalitum volunt incenſum, & Maimonides ait additum ſalem, quartam partem Kabi, ſeu 6 ovorum. *Uſus*, ſuffiendum eo ante teſtimonium, vid. in altari ſuffitus, verſ. 36. eſtque ſanctiſſimum. Nihil magis proprium Deo, quam preces. *Interdictum* ne ſimile incenſum fiat, ſub pœna excidii. neque enim debent preces ad alium dirigi, verſ. 37, 38.

CAP. XXXI.

C. *De Architectis Tabernaculi*, verſ. 1. quorum Deſignatio, & opus,

א. Architectorum *primus* Bezaleel de Juda, ejus vocatio, verſ. 2. qualificatio, collatis dotibus Spiritus, verſ. 3. (R. Sal. *Sapientia*, quod ab alio auditur & diſcitur: *Intelligentia* quod propria meditatione invenitur: *Scientia*, Spiritus Sanctus ſeu infuſa peritia.) Effectus dotium ſeu idoneitas, verſ. 4, 5. *Secundus* Oholiab, Danita, & Sapientes reliqui, à Deo inſtructi ad id, verſ. 6.

ב. Opera facienda enumerata, verſ. 7—11. quæ & quomodo præcepta.

ג. Tempus operis, verſ. 12. ſeq. excipiendo Sabbathum, verſ. 13. R. Sal. *Tu v. quamvis te præfecerim, ut ipſis præcipias opus tabernaculi, ne tamen leve videatur tibi pellere Sabbathum propter illud opus: veruntamen Sabbatha mea obſervabitis: quamvis feſtinantes & expediti ſitis in urgendo opere. Sabbathum non pelletur eapropter.* Ratio, quia ſignum eſt inter Deum & ipſos quamdiu generationes ipſorum durant, ut ſciant eſſe ipſum Dominum ſanctificantem eos, verſ. 13. eoque & carere ſanctitate, & eam ex ſe non habere, ſed aliunde, à Deo, conſequi, & hujus beneficii ſignum eſſe Sabbathum. Sabbathum reſipiſcentiæ eſt Raknat. & proprium Iſraelis, ut gentili non circumciſo non liceat illud agere. Sabbathum & interdictum idololatriæ ſunt præcepta maxima. Sabbathi obſervatio æquivalet omnibus præceptis. *Leges* Sabbathicæ (a.) Obſervandum Sabbathum, *quia ſanctum vobis*, ſegregatum bono veſtro: ipſis enim promittitur ſanctificatio, verſ. 14. (b.) Profanans, deliberato conſilio, & contra hortamenta contraria, lapidandus, verſ. 14. citra teſtes, Deo debet ſupplicium, verſ. 14. (c.) Dierum diſtinctio, ſex operis, ſeptimus quietis, non caſualis, ſed deliberatæ; (שבתון ſemper quietem ſacram, à Deo imperatam, notat) *Sanctitas* Domini efficienter, qui eam vult operari in ipſis, verſ. 15. repetita comminatione contra violantes. (d.) Obſervandum Sabbathum perpetuo: non dicit ſeptimum diem, ſed Sabbathum, quia aliquando fundamentum Sabbathi in alium diem migraturum erat, verſ. 16. quia ſignificatio perpetua, ſignum inter Deum & ipſos verſ. 17. & cauſa conſtans; quies Dei creatoris die ſeptimo, cum animi refocillatione, ἀνάψυξις, verſ. 17. Macrob. Saturn. I. c. 16. *Sacerdotes affirmabant, pollui feriας, ſi inditis conceptiſque opus aliquod fieret. Per præconem denunciabant, ne quid tale ageretur; & præcepti negligens multabatur. Præter multam, qui talibus diebus imprudens quid egiſſet, porco piaculum dare debere; prudentem expiare non poſſe. Is non polluitur, qui opus ad Deos pertinens, ſacrorumve cauſâ feciſſet, vel aliquid ad urgentem vitæ utilitatem reſpiciens attitaſſet. Licuit quod prætermiſſum noceret. Bovem è ſpecu liberare, aut fractam trabem à ruina fulciens ferias non eſt viſus polluiſſe.*

III. *Traditio tabularum fœderis*, poſt explicationem illam de tabernaculi ſtructura omni, quoad *materiam* lapidearum; quoad *formam*, ſcriptarum digito Dei, verſ. 18. In Medraſ. Cant. 1: 2. *Oſculetur me oſculo oris ſui*, &c. *Iſraelitæ cum Moſes eos doceret omnium obliti ſunt; adierunt Moſen dicentes, Utinam Deus ſe nobis denuo oſtenderet, & nos oſcularetur, ut doctrina ejus infigeretur cordibus noſtris! Reſpondit, id nunc fieri nequit, ſed fiet in diebus Meſſiæ, quando implebitur illud* Jer. 31: 33. & Ezech. 36: 26.

CAP. XXXII.

VIOLATIO FOEDERIS EJUSQUE REDINTEGRATIO capp. 32, 33, 34. habent I. Fœderis Violationem cap. 32: 1—6. II. Redintegrationem, A. tentatam à Moſe apud Deum, verſ. 7—14. apud populum, verſ. 15—29. apud Deum, verſ. 30—35. cap. 33: 1—33. B. Impetratam & factam cap. 34.

I. *Violati Fœderis* referuntur, I. Cauſæ, & II. Modus.

A. *Cauſæ* ſpectandæ

א. *Principalis*, quam dicit *populum*, verſ. 1. Abrab. intelligit mixtam multitudinem peregrinorum, quò Iſrael infons ſit. Hujus

a. *Im-*

a. *Impulſiva externa*, Moſis emanſio diuturnior, per dies 40. ibid. ut de ejus reditu deſperarent.

b. *Factum* horum, congregati fuerunt עַל *ad* Aaronem; (quem Moſes, una cum Chure populo præfecerat) vel *contra* Aaronem, cujus ductum aſpernabantur, aut qui ipſis reluctabatur.

c. *Dictum*, Ubi (*a.*) *Poſtulatum*, dum dicunt, *ſurge* hoc eſt, ſine mora accingere ad opus, *fac nobis* אֱלֹהִים. Onk. דחלן *verenda numina*. Abrab. *Tilſeman*, imagines ad certam conſtellationem factas, & alicujus ſideris peculiarem influxum habentes. Non quod putarent Deum talem habere corporis figuram, aut quod ſibi formarent, ipſam Deitatem habituram; ſed ob ſuam intentionem ſuam deitatem illi imagini conjuncturum. quod dicitur. Pſal. 106: 20. Non eſt mutatio Dei in vitulum, ſed ſubſtitutio vituli in locum gloriosæ nubis, quam ducem habuerant, Deo ſuam præſentiam in ea teſtante, quam nunc ſuo vitulo adfore rebantur. (*b.*) *Impulſiva*, (*a.*) interna, *ut nos antecedant* ducum inſtar. Non poterant ſemper in deſerto manere, & Canaan ex promiſſo petenda erat, viam nec norant, nec ſoli audebant ingredi. Ducem deſiderabant homine majorem, & cui religioſum deberent omnes obſequium, ob cœleſtem influentiam. (β.) Externa, *neſcimus quid Moſi factum ſit*, an igne conſumtus? aut alio modo in monte detentus? & cum homo ille perierit, idem de Aarone aliiſque hominibus metuendum erat; Indigebant autem duce conſtante. Targ. Jonath. *venit Satan & ſeduxit eos, & redire fecit corda ipſorum ſuperba & elata.*

ב. *Inſtrumentalis* Aaron. verſ. 2. Heb. dicunt, cum Hur Aaroni ſociatus eſſet à Moſe, non tamen hic mentionem fieri Huri, quod cum ab ipſo idem petiiſſent primùm ille reſtiterit, & ab illis necatus fuerit: & hinc metuentem ſimilia Aaronem, petitioni eorum obſecutum eſſe; ſed ita ut moras nectendo differret, Moſi interim rediturο: quod veriſimile; alioqui pœna in ipſum præ cæteris fuiſſet ſtatuenda: qui (a.) poſtulavit materiam, monilia uxorum & liberorum: de quibus credebat ægrè impetratum iri ornamenta ſua, verſ. 2. & ſucceſſus (præter opinionem ejus, quemadmodum humana conſilia & ſapientia ſæpe aliter ſuccedit,) ipſimet ſua diripuerunt monilia, *totus populus*, eoque tam fœminæ quam mares. & attulerunt ad Aaronem. verſ. 3. (b.) *Acceptum* aurum *formavit ſtylo*, ſive ut matricem ſculpſerit in qua fuſum fuit aurum, ſive quod fuſum metallum in figuram vituli, ſtylo notarit, ut ſigna Apidis, Ægyptii Dei, ei daret. verſ. 4. Nam idololatria Ægyptia eis adhæſit.

B. *Modus*,

א. *Judicium* de illo ſimulachro, eſſe Deum liberatorem, verſ. 4. quia dicitur אֱלֹהֶיךָ. Volunt Hebræi, non Iſraelitas, ſed peregrinos hoc dixiſſe. Sed ejuſmodi phraſes ſatis familiares ſunt, ut unus de Iſraele de communi conſenſu cæteros alloquatur. Eadem uſurpata à Jeroboamo 1 Reg. 12: 28. & Raknat, utrobique eandem intentionem fuiſſe agnoſcit. Deum liberatorem ſic repræſentatum crediderunt, quod ſic Deus ab Ægyptiis coleretur; quamvis iſti bovem vivum, hi tantum effigiem haberent: etſi ſint, qui miraculoſe hunc vitulum commediſſe gramen putent ex παρεμφασία Pſal. 106: 19. ſ. R. Sal.

ב. *Cultus*, (a.) Ædificatio altaris, (b.) Inſtitutio feſti, verſ. 5. Abrab. *Aaron ſuſcepit omnia agenda ſolum ut moras necteret: ſuperventuro interim ut ſperabat Moſe, feſtumque indixit in ſeq. diem ipſi Jehovæ, fiducia illius reditus.* Sic Abrab. Sed annon vitulo, uti nomen אֱלֹהִים & actum liberationis ex Ægypto, ſic quoque nomen Jehovæ, Dei Iſraelis tributum? quemadmodum ſignis nomina ſignatorum? (c.) Feſti agitatio, verſ. 6. ubi populi feſtinatio, tum ſacrificia holocauſta & pacifica, convivia ſacra, & lætitiæ teſtimonia, luſus nempe. Per צחק quidam ſcortationem & cœdem intelligunt ex Gen. 39: 17. 2 Sam. 2: 14. שחק dicitur de ſaltatione Davidis ante arcam 2 Sam. 6: 21. 1 Chron. 15: 29.

Sic autem violatum fœdus, deſerto Deo & voce quam ex ore ejus audierunt de non habendo Deo alio, de non faciendo, nec colendo ſculptili.

II. *Redintegratio fœderis*

A. *Tentata* à Moſe, & quidem

א. Apud *Deum*, verſ. 7—14. cujus

a. *Occaſio*, (*a.*) *Indicium* Moſi à Deo factum; ubi jubet *abire*, utpote cui ad fœdus confirmandum nihil agendum reſtaret, in accipiendis tabulis, cum irritum factum ſit per inobedientiam populi, quæ indicatur (*a.*) in genere. verſ. 7. שחת עמך hoc eſt, juxta Abrab. non Iſrael populus meus, ſed *tuus*, mixta multitudo quam proprio conſilio aſſumſiſti: aut, *populum tuum* Iſraelem *corrupit* nempe illa multitudo, quam *tu eduxiſti*: nam Iſraelem Deus eduxit. Sed male. (β.) In ſpecie actus ejus. verſ. 8. (*b.*) *Judicium* Dei de facto Iſraelis. Cum enim Moſes pudefactus nihil reſponderet, ad judicii iſtius indicium proceſſit. Quo indicat (*a.*) Hujus meritum, ob peccati pervicaciam; *vidi*, expertus ſum variis actibus eorum: vel de futuro, proſpicio quæ ejus indoles in futurum. *Quod ſit populus duræ cervicis*, ut vitulus jugi impatiens. verſ. 9. (β.) Debitum pœnæ, verſ. 10. ubi præmittit remoraturum eam, *dimitte me*. Onk. *Omitte precationem tuam à coram me*. Abrab. *Omitte me; ne redarguendos aut puniendos ſume; Eam curam mihi relinque; qui citra inquiſitionem novi quid fecerim, & poſſum momento pœnam inferre. R.* Sal. *Nondum audivimus precantem Moſen, & Deus dicit, omitte me, ſed aperuit ipſi oſtium, docuitque à precibus rem pendere; quod ſi precaretur, non perditurum ſe eos.* Reſpicitur ceu Mediator fœderis, cujus eſt intervenire, & cognoſcere de querelis fœderatorum mutuis, & cauſam utrinque agere; Scilicet nil hic ſuſcipiendum eſſe, re minus gravi & apertâ. (γ.) Pœnam ipſam dicit, cum ejus efficiente, *exardeſcet ira mea, & conſumam eos.* Cautio ne quid contrarietur veritati ſuæ, faciam te in gentem magnam: ut ſolus ex poſteris Abrah. foret hæres promiſſionum.

b. *Moſis factum*, habens deprecationem, propter iræ debilitationem חלק פנים *facies* pro ira Gen. 32: 20. 1Sam. cap. 1: 18. Lev. 20: 6. Pſal. 21: 10. & 34: 17. Jer. 3: 12. 2 Theſſ. 1: 9. Quæſtio non eſt, quod nulla foret cauſa, ſed precantis zelum ſignificat, & moram poſtulat, ut rationes primum audiantur: quæ ſunt (*a.*) acquiſitio populi moleſta, verſ. 11. & quod tam difficulter paratum, non adeo feſtinanter perdendum. (*b.*) Blaſphemia hoſtium: qui eductionem Iſraelis non gratiæ divinæ, ſed odii argumentum tracturi eſſent; culpamque non Iſraeli, ſed Deo tributuri: & hacpropter poſcit eam gratiam populo, ut ira in eos non graſſaretur. verſ. 12. (*c.*) Fœdus patrum & promiſſiones iis factas, quarum recordari optat, & præſtari, verſ. 13. Hebræi quidam dicunt, Deum recordatum ligationis Iſaaci in altari: cui R. P. meritorie adſcribunt: quod quidem typice verum, impletum in antitypo. Moſes nullam ſui fœderis facit mentionem, nam hujus reſpectu non poterat aliud quam accuſare Joh. 5: 45. ſed fœdus Abrahami quod unum fuit ſalutare Iſraeli, quos proprium damnabat.

c. *Eventus*, verſ. 14. Pœnitentia Dei, ἀνθρωποπαθῶς. R. Sal. *Cogitavit aliam cogitationem de benefaciendo ipſis.* Cujus demonſtratio fuit, quod tabb. fœd. Moſi traditas non eripuit ei, ſed in ejus manu & poteſtate reliquit: ipſius, ceu mediatoris, judicio omnia deferens.

ב. Apud *Iſraelem*, verſ. 14—20. habens convictionem & judicium de peccato; & hic

a. *Moſis* (*a.*) *Reditus* ad Iſraelem *divertentis* à Deo, & *deſcendentis* de monte *geſtantis* tabb. fœd. quæ deſcribuntur *tabulæ teſtimonii*, *ab utroque latere ſcriptæ*. Rabb. literis perforatis, unde ם & ם fin. per miraculum dicunt conſtitiſſe, quia in ſe redeunt lineæ, ad hæc artifex tabularum & ſcripturæ Deus. verſ. 14, 15. & 16. (*b.*) Clamor exauditus, & de eo judicium *tum* Joſuæ, (qui ſecutus Moſen in montem, totis 40. diebus iſtic hæſerat, reditum heri exſpectans, non tamen ut ille ſine cibo & potu, ſed veſcens Manna, & bibens de fonte qui ex Horeb deſcendit.) credentis eſſe bellicum. verſ. 17. forte opinatus Amalekitas rediiſſe, Moſe abſente. *tum* Moſis, non eſſe bellicum vincentium aut ſuccumbentium, ſed canentium reſpondentium ſibi ex lætitia. verſ. 18. ענה in Pihel quandoque cantare, ſeu alternis, ſeu uno ore, ut ſibi invicem reſpondeant Eſa. 27: 2.

b. *Judicium* quod exercuit,

a. Contra *Populum* ratione fœderis. Viſo propius & peccato & peccantibus, qui delectationem ſuam choreis teſtabantur כי רעתכי או תעלוין Jer. 11: 15.) iratus projecit

cit fregitque tabulas; eoque pronunciavit fœdus factum esse irritum. (conf. Zach. 11: 10.) Ut mediator fœderis sic habuit agendum. vers. 19.

b. Contra *Vitulum*, quem conflavit in igne, tum massam in pulverem redactam insperſit aquæ, ut cum ea biberent. vers. 20. Quemadmodum post suspectæ pudicitiæ mulier debuit bibere de pulvere, & factæ sunt aquæ amaræ per maledictionem. Velut Psal. 109: 17, 18. *Maledictionem amavit, veniat in eum, ut aqua.* Sunt qui bibentium ventrem dicunt intumuisse, & hinc Levitas agnovisse cultores vituli ut eos necarent: alii crines rufos factos. Moses comminuendo ostendit quam nihil esset idolum eorum, conversum in tenuissimum pulverem.

c Contra *Aaronem*: quem

α. Examinat, sic ut (1.) causam reatus ei tribuat, quem super populum eum adduxerit & quidem *magnum*. (2.) Qui eò devenerit sciscitetur: *Quid fecit tibi populus?* vers. 21. id est, *Quid mali tibi intulit, ut ultionis ergo in hunc reatum eum deduxeris?* Nachman. *Quantum mali & injuriarum passus es, quibus tandem coactus ad illum reatum populum deduxeris.* R. Sal. Quia non restiterat ad sanguinem usque pugnando contra peccatum, Heb. 12: 4. quod de Hure affirmant, passo se trucidari potius, quam ut hic gratificaretur. Sic peccarat contra לא תעברם. Ast Abrab. *Moses noverat Aaronis cogitationem non fuisse malam, eoque eum non comprehendit in eodem reatu; sed dicit quod debuisset cavisse ne in illum incideret turba; rogatque quid mali passus esset, ut cogeretur sic facere. Nam quia non fuerit idolum, sed Tilsema, ad fidu Tauri facta, fabricam illam non fuisse capitalem, neque peccasse faciendo.*

β. Responsum Aaronis, (1.) deprecantis iram Mosis, (2.) accusantisque populum malitiæ; כי ברע הוא R. Sal. *In via mala jugiter ambulant.* Jonat. *Quamvis sint filii Justorum figmentum malum tamen seduxit eos.* Abrab. *Semper in corde suo dubitarunt de Dei præsentia.* Commodissime ut 1 Joh. 5: 19. *in malo* id est pessimi: non tantum malum in ipsis, sed ipsi in malo, in ejus potestate. vers. 22. (3.) Recitantis factum populi, vers. 23. & suum. vers. 24. Abrab. admodum extenuat factum Aaronis: *Non dixerunt se moliri idololatriam; nam petitio ipsorum ostendit quod petierint ductorem ducemque loco tui emanentis, non Deum quem colerent. Ego vero omni studio volui eos morari & protelare usque dum rediisses: eapropter dixi ut cui aurum esset illud daret pro facultatibus, ut dissidium excitarem inter eos qui plus minusve contulisset. Sed præter opinionem meam festinarunt afferre; atque ego projeci in ignem, non observatis horis influentiarum, aut adjectis rebus aliis, quæ Tilsemarum fabri miscere solent auro, & præter meam intentionem prodiit hic vitulus. Ast ipsi, quod non potui prævidere inde fecerunt idolum; adeoque ego non nisi errore peccavi, non superbè & data opera.* Atque Mosen in hoc responso acquievisse. Verum Aaron non satis ingenuè suum fatetur delictum; quasi casu magis quam arte vitulus formatus esset; quem tamen stylo effigiarat, vers. 4. Certe Deus adeo fuit ei infensus, ut occidere voluerit, ni deprecanti Mosi id dedisset, Deut. 9: 20.

γ. Judicium Mosis, v. seq. patet. Vidit *nudatum* esse populum, & Aaronem illius nuditatis autorem, ut in contemtum venirent inter adversarios: nudati nempe protectione Dei & gloria ejus; Rom. 3: 23. ut malum nomen haberent, hostibus facile prævaluturi, postquam à Deo sejunctos inaudissent. vers. 25.

d. Contra *Idololatras*; atque hìc indicatur

α. Locus judicii. Moses constitit in *porta castrorum*, quâ spectabat montem Sinai; fuerint ne etiam illæ portæ tribunalia incertum est.

β. Executores judicii, (1.) vocati, *quisquis Domini est*, qui Zelo gloriæ Dei tangitur, cui ejus honor cordi est, ad me accedat. (2.) se sistentes, Levitica tribus maximam partem; non quod nullus horum una deliquerit, (aliquos enim Levitarum periisse in peccato ex Deut. 33: 9. colligitur.) Sed quod quosdam delicti pœnituerit, puduerit que ut ad Deum redirent; & hos inter verisimile est etiam Aaronem fuisse, & forsitan primum omnium, & exemplo præeuntem, qui cum absente Mose toti populo propositus fuisset, etiam primus suæ tribus habitus fuit. vers. 26.

γ. Mandatum à Deo ipsis datum ut accincti gladiis per castra transirent, & reos consilii istius trucidarent, etiam proximos genere & amore. vers. 27. Scilicet executio fuit legis Exod. 22: 20. Abrab. putat in quavis porta seu tribunali judicium & inquisitionem instituendam mandari. Sic quoque Jonathan. Sed hi non fuere dati novi judices, sed tantum exsecutores sententiæ, seu legis, unde quivis armatur gladio: quod de prioribus judicibus non legitur.

d. Obedientia Levitarum, percussis illo die 3000. vers. 28. quibus ex aquis signum obortum dicunt nonnulli, neque enim potuisset uno die judicium inquisitorium de tanto numero institui & dari exsecutioni.

ε. Approbatio Mosis, dicentis *implete manum vestram Domino hodie*, sacrate vos ipsi peculiariter, quamvis quisque contra proximum sævierit, & ut hodie vobis benedicat. vers. 29. nempe fusus sanguis humanus voluntariè, extra judicialiter, non facit vos Deo reos, & avellendos etiam ad necem ab altari Exod. 21: 14. Sed hoc facto tantundem egistis ac si vos sacrasſetis Deo ad sacerdotium mactatione victimarum; & impetrabitis benedictionem. Simillimum huic factum Phineali Num. 25. Psal. 106: 30, 31. Cæterum quod olim Levi cum Simeone peccavit gladio contra Sichemitas, & maledictionem meruit patris, id nunc posteri correxerunt gladio contra cultores vituli & obtinuerunt benedictionem.

J. Apud *Deum*, vers. 30. cap. 33: 3. cujus indicatur

a. *Præparatio*, vers. 30. ubi (*a.*) tempus, postridie: (*b.*) accusatio populi, *residui à gladio* vocantur Jer. 31: 2. (*c.*) oblatio suæ intercessionis, non tantum ad remotionem excidii, quod in priori actione impetrarat; sed etiam ad impetrandam expiationem. (*d.*) abitus ad Deum, in montem Sinai, vers. 31.

b. *Preces Mosis*, (*a.*) confitentes peccatum idololatriæ, vers. 32. (*b.*) petentes vel gratiam populo, vel pœnam sibi, ℣. 33. *Et nunc si sustuleris peccata ipsorum*, (R. Sal. *bene est*, vel, ut Jonath. *auferea*) sin non est (hæc tua voluntas) *dele quæso me de libro tuo, quem scripsisti.* De legis libro, ut in eo nulla mei memoria exstet, ne de me dicant, me neglexisse deprecationem, Sic R. Sal. Vel *occide me, ne sim inter viventes;* ut optat Num. 11: 15. quemadmodum Elias 1 Reg. 19: 5. & Jona cap. 4. Abrab. *Moses tædio vitæ dicit, sive absteleris peccata ipsorum, sive non, dele me de libro eorum qui scripti ad vitam, ut hæc eis prorogetur.* Jonath. *Dele me de libro justorum, inter quos nomen meum scripsisti:* & apud Bechai *de fasciculo viventium.* Raknat. *Intentio Mosis quando dixit. Dele me, voluit dicere, ad moriendum pro ipsis ad ferendam pœnam ipsorum, juxta illud* Esa. 53. *Et ipse propter peccata nostra vulneratus est. Nam mors justorum expiat: estque hoc secretum magnum.* Scilicet optavit mori loco ipsorum, & quam meriti erant pœnam ferre, ut ipsi immunes manerent. Sic Paulus Rom. 9: 3. Moses etiam egit heic ceu Mediator, se offerens loco populi ad ejus reconciliationem: in quo typus fuit Christi; sed non admissus, uti quidem hic, ad vicariam pœnam.

c. *Responsum Dei*, (*a.*) ratione mortis pœnæve vicariæ; *Eum qui mihi peccat delebo de libro meo*, videlicet potius, quam insontem alium. Cum v. parcam Aaroni & populo quoad istiusmodi deletionem, an in te eam statuerem? vers. 33. (*b.*) Ratione condonationis; significat dilatam non ablatam pœnam. (*α.*) Dilatam, jubendo Mosen ducere populum ad locum destinatum, & promittendo Angelum ductorem. (*β.*) Non ablatam, *in die visitationis visitabo*, vers. 34. Non simul omnes, sed singulos sigillatim. Abrab. intelligit diem exploratorum terræ, quando nulli Israelitarum præter Josuam & Calebum excepti sunt à mortis pœna. Raknat. *Hic Angelus non est Angelus fœderis, de quo tempore beneplaciti dixit, facies mea ibit tecum, sed nunc præsentia Dei gratiosa se subduxerat, voluitque alius Angeli ductu apud eos uti.* Quod ipsum amplificatur, vers. 35. & *percutiet* Jehova populum ob μοσχοποιΐαν per Aaronem. Sic Jonath. Et perdet verbum Domini populum &c. Vel *percussit*, &c. ut 3000 cædes innuatur.

CAP. XXXIII.

c. REpetitio *mandati*, ad confirmationem dilatæ iræ, de abducendo inde populo solito suo ductu, in terram

ram promiſſam, (*a.*) juramento addito, cujus memoriam, cap. 32: 13. Moſes repetierat Deo, verſ. 1. (*b.*) qui hic roboratur promiſſione ſecuræ deductionis, quia Angelus mittendus poſſeſſores eſſet expulſurus, verſ. 2. & felicitatis terræ, verſ. 3. (*c.*) dictaque cauſa mittendi Angeli, quia ipſemet in medio populi non eſſet profecturus, ob hujus pertinaciam, ſuamque vindictam feſtinatam, quo magis in faciem quaſi ſibi adverſarentur, verſ. 3.

ד. Apud *Populum*, verſ. 4--11. Convictio populi.

a. *Verbalis*, (*a.*) ex *effectu*. Populus audiens malum illud nuncium de Dei præſentia ſibi negatâ, (cujus indicium non niſi à Moſe factum eſt,) luxit, neque ornamenta ſolenniora ſumſit, quæ feſtiva forent, verſ. 4. (*b.*) Ex ſpeciali *mandato* Dei, qui repetita denunciatione, juſſit etiam ordinaria ponere, ſeque totos ad luctum componere, ſub ſpe aliqua gratiæ, verſ. 5. Obſtinati rebelles perſeverant in peccatis Eſa. 22: 13. ſ. ſed qui ſe humiliant, oſtendunt aliquam remiſſionem pertinaciæ. Deus autem humilibus dat gratiam. Raknat, *Ante dixit eos* עמך *vel* העם *nunc* בני ישראל *nomine dilecto ſibi*, quod item gratiæ facit argumentum. *Obſequium* populi, privarunt quiſque ſeipſum ſuis monilibus, מדי חרב Quidam, *longe* recedendo *à monte*, in teſtimonium pudoris, ut Luc. 18. R. Sal. & Abrabanel, *inde à tempore montis Horeb*, quæ induerant poſt ſui ſanctificationem & veſtium mutationem & ab eo tempore non deſueverant geſtare. Sic *Ego ſum Deus tuus* מארץ מצרים Hoſ. 12: 10. & 13: 4.

b. *Realis*. (*a.*) Moſe excedente caſtris, & tentorium ſuum figente longè ab inde (ad latus montis, ut ab omnibus Iſraelitis in quacunque parte caſtrorum videri poſſet;) ubi videtur manſiſſe uſque ad tempus confecti & dedicati tabernaculi. (*b.*) Nomen, *Tentorium conventus*, non populi ratione, quomodo poſt vocatur *tabernaculum*; ſed Dei potiſſimum quod ibi ex condicto Moſi reſpondebat Deus, & ut Deus ac Moſes (fas ſit ita loqui) ibi convenirent, unde conſulturum Deum per Moſen eò ire oportuit, verſ. 7. (*c.*) Modus conſulendi deſcribitur. (*α.*) Moſes eo egrediebatur (qui in caſtris cum populo egiſſe, non tamen in caſtris moratus videtur; eoque regreſſum ex caſtris in tentorium ſuum ibi Deum conſuluiſſe, quod factum in condicto tentorio, quod teſtandæ ſejunctionis gratia, jam remotum erat à populo) (β.) Reverentia populi erga Moſen, geſtu corporis & oculorum teſtata, verſ. 8. (γ.) Conventus Dei & Moſis, (Deus non venit in tentorium, ſed columna nubis, quæ alias in ſummo monte erat, deſcendit ad oſtium tentorii Moſis.) mutuumque colloquium, verſ. 9. (δ.) Reverentia populi erga Deum, ℣. 10. (ε.) Familiaritas Dei cum Moſe maxima: quæ etiam repetitur Num. 12: 6. ſ. quemadmodum ſibi loquentem audierant Deut. cap. 5: 4. Sed additur *ut quis agit cum amico*: quia mutua fuit ſermocinatio, cum Iſraelitæ audierint, non reſponderinto Deo, verſ. 11.

c. Relatio à Moſe facta in caſtris: & Joſuæ conſiſtentia in tentorio Moſis, ut non excederet vel Deo ſtante ad oſtium, vel Moſe ad caſtra eunte, verſ. 11.

ה. Apud *Deum*, verſ. 12. Heic occurrit

a. *Nova Inſtantia Moſis* pro ductu Dei impetrando, cujus

a. Exordium, (*α.*) à mandato; *Ecce dicis mihi, adſcendere fac hunc populum*, nempe in Cananæam, (β.) & à mandati requiſito: *ſed mihi non indicaſti ducem.* (Nam ſe præſentem fore negarat, & Angelum dixerat alium à priori, in quo nomen Domini, quem non norat. forſan etiam dubitabat, velletne Deus tabernaculum fieri, ad ſui præſentiam teſtandam.) nec non (γ.) argumento impetrandi, quod gratioſus eſſet apud Deum, ipſiuſmet teſtimonio: *dixiſti, Novi te de nomine*, hoc eſt, penitiſſime, Eſa. 40. verſ. 26. & (Ratio) *inveniſti gratiam apud me*, verſ. 12.

b. Propoſitio, petens ſuper hoc fundamento gratiæ aliquid (*α.*) Pro ſe, *oſtende mihi viam tuam*; vel ulteriorem tui cognitionem; vel ductum tuum; quà eundum per deſertum ad Cananæam; ut te utrovis modo cognoſcam præſentem, & magis de gratia tua confirmer? (β.) Pro Populo, *vide gentem hanc populum tuum eſſe.* (non tantum ſcilicet ex quo fœdus cum eo iciſti, quod violarunt: ſed ante quoque eo titulo eos dignatus fuerat, vi fœderis hæreditarii ab Abrah.) verſ. 13.

b. *Dei Reſponſum*, verſ. 14. *Facies mea ibit*, & *quietem* (*acquieſcentiam*,) *tibi faciam*: vel interrogative, omiſſo ה interr. vel affirmative. Eſt vero hic diverſitas interpretationis, Jon. & Talm. & Maim. & Abrab. *Facies mea diſcedet*, & *quietem* &c. פנים *Iram* & ילך *abire* notat. *Exſpecta donec tranſierit ira mea.* Fiduciam ei fecit tempus fore gratiæ, ſed quod non indicaret quando id futurum, hinc Moſen replicaſſe. Potiſſima interpretatio eſt, Raknat. *facies meæ ibunt, hoc eſt, Angelus redemtor de quo dicitur*, & *Angelus faciei ejus ſervavit eos* Eſa. 63: 9. & *Angelus fœderis quem vos deſideratis* Mal. 3: 1. R. Sal. *non amplius mittam Angelum, ſed ipſemet ibo*, quemadmodum 2 Sam. 17: 11. *Facies* autem *iram* ſignificat ad conſumendum hoſtes. Sic Onk. *Mea Schecina ibit*, & *quietem tibi dabo*; Deut. 15: 19. *non agam tecum in judicio gravi, ſed modo planè miſericordiâ conſtante. Et Moſes ait, niſi facies tua* &c. *Hæc eſt facies veritatis & miſericordiæ.*

c. *Moſis Replicatio*, verſ. 15. non optare alia conditione ingredi iter, ſed manere potius iſtic loci. Ratio, verſ. 16. non evidentius demonſtratum iri gratiam Dei erga ſe & populum, Τὸ בלכתך עמנו poſteriorem ſenſum poſcit: quia ſic diſcriminatio ſit futura teſtata ab omni alio populo, per externum præſentiæ divinæ teſtimonium.

d. *Dei Aſſenſus*, verſ. 17. ob amorem erga Moſen.

e. Nova Petitio Moſis, *Videre fac me* oculis cordis, intelligere fac, *gloriam tuam*, plenam eſſentiæ tuæ cognitionem; ut ab aliis eſſentiis omnibus diſtinctam agnoſcam, verſ. 18. quia tam facilem Deum invenit ad petitionem ſuam, oportunitate uſus eſt ulteriora poſtulandi.

f. *Reſponſum Dei*, (*a.*) Quid largiturus ſit, verſ. 19. *Tranſire faciam omnem meam bonitatem coram facie tua*, & *nomen meum proclamabo coram facie tua.* Hoc eſt, partem majeſtatis meæ, gratiam & miſericordiam tibi oſtendam, & proclamando declarabo. Sed non iram & potentiam terrori futuram. Conf. 1 Reg. 19: 11, 12. ſed gratioſus ero &c. Diſpenſationem gratiæ iſtius ex proprio arbitrio inſtituam. Raknat. *Deus Moſi oſtendit omnes theſauros ſuos, & hoc ſciſcitante quibus deſtinati eſſent, reſpondit de ſingulis; de maximo autem cui ſunt bona opera inde mercedem conſenuitur, cui autem non ſunt, illi facio & do gratis.* (*b.*) Quid non largiturus, verſ. 20. *Non potes videre faciem meam*; quod hominibus impoſſibile. Hebr. dum homines vivunt, non ſunt digni, ſed ubi mortui fuerint, cenſebuntur digni. (*c.*) Modus patefactionis, (*α.*) Locus ubi conſiſtat Moſes, verſ. 21, 22. in fiſſura rupis, (uti Elias in ſpeluncæ oſtio.) (β.) Velatio Moſis (ut Elias ſe involvit pallio) *vola* ſua, hoc eſt nube. Chald. *tegam Verbo meo ſuper te donec tranſiero*, verſ. 22. (γ.) *Et removebo velamentum iſtud & videbis poſteriora mea*; quædam cognoſces attributa, ut qui ex veſtibus & habitu corporis aliquem agnoſcit, cui facies & lineamenta ejus non patent. (δ.) *Facies autem meæ non videbuntur, ab ullo homine*, eoque nec à te.

CAP. XXXIV.

B. IMpetrata Redintegratio Fœderis, atque hic

א. *Præparatio*, cujus (a.) *Mandatum*: (*a.*) ut paret tabulas alias, ſimiles prioribus, quibus verba priorum inſcribat Deus, verſ. 1. (*b.*) ut ſe ſiſtat mane in monte, verſ. 2. (*c.*) ut omnes homines & jumenta inde ſemoveat; verſ. 3. quemadmodum cum primum fœdus iniret omnes diſterminabantur à monte, ceu diviſi à Deo, & demum conjungendi; ſic quoque hic. Conf. Jer. 31: 32. ἡμέλησα αὐτῶν. (b.) *Obedientia Moſis*, parantis tabulas, & ſiſtentis ſe cum illis in monte, verſ. 4.

ב. *Dei congreſſus cum Moſe* mediatore fœderis, verſ. 5.

a. *Proclamatio nominis Dei*, ex promiſſo, Raknat. *Schechina, quæ dicitur Ego, tranſiit coram facie ejus*; *Schechina, vel proprietas miſericordiæ proclamavit nomen.* Hebræi 13 proprietates commemorant gratiæ, & docent non multiplicare eſſentiam, aut quicquam derogare unitati. ſic v. enumerant 1. ה׳ prævenientem gratiam notat; 2. ה׳ alterum, ſubſequentem. 3. אל non juſtitiam ſed gratiam ex Pſ. 22: 2. 4. רחום miſeretur afflictorum Pſ. 78: 38. 5. חנון largiens redemtionem Job. 33: 25. ſeqq. ה׳ remittens gratis ſine reſipiſcentia. אל poſt reſipiſcentiam.

tiam. רחום post castigationes. חנון per mortem. 6. ארך אפים qui non festinat ulcisci, sed spacium dat resipiscentiæ. 7. רב חסד iis qui indigent benignitate, indigni cum sint. 8. ואמת ad præstanda promissa facientibus voluntatem ejus. 9. נוצר חסד לאלפים quod eandem benignitatem posteris quoque conservet, אלפים plurale ad minimum 2000 juxta R. Sal. *bis mille generationes*. 10. 11. 12. נושא עון ופשע וחטאה auferens iniquitates operis & prævaricationes cordis, & peccata oris. Abrabanel R. Sal. superbias, rebelliones, peccata leviora. 13. & insontem &c. non dimittet sine castigatione Jer. 46. ult. Hier. *non pronunciabit innocentes Dominus reos in die judicii magno.* Quidam dividunt: *Innocentes* dicit eos qui resipiscunt; *Non innocentes* qui non resipiscunt. *Visitans peccata* &c. ut Exod. 20: 5. Hæc quoque misericordiæ dicit Raknat. nam quando puniuntur mali beneficium est piis, R. Sal. abundantior bonitas Dei quam severitas, illa in bis mille generationes, hæc contra unam ex quingentis. Hæc enim proportio 4 ad 2000 vers. 6, 7.

b. *Mosis* tum *gestus*, vers. 8. & *verba*, vers. 9. petit ex fundamento tantæ benignitatis sibi exhibitæ, (*a.*) comitatum Dei. Targ. *Eat Schechina Domini nobiscum.* Hic utique Christus est: nam ut alibi Raknat, *nemo accedere potest ad summum regem sine Schechina.* quamvis indignus populus, (*b.*) condonationem peccati, (*c.*) *hæreditatem terræ*, ait Jon. & Abrab. Ast R. Sal. *da Te nobis in hæreditatem peculiarem, ut eo modo distinguamur ab omnibus aliis populis.* Commodius, *sume nos in hæreditatem, ut omnem curam nostri geras.*

ב. *Fœderis renovatio*, vers. 10—28. & quidem

a. *In genere* proponitur fœdus recitatione (*a.*) Autorationis Mosis miraculosæ, quam Deus facturus esset, ad demonstrationem suæ majestatis, vers. 10. (*b.*) Conditionum fœderis, quas (*a.*) postularet à populo, vers. 11. (β.) quasque promitteret; beneficium expellendorum Cananæorum; ubi Gergeseni omittuntur, vers. 11.

b. *In specie*

a. *De Idololatria* & communione cum idololatris. (*a.*) Non pangendum fœdus cum Cananæis incolis, ne scandalo sint & tendiculæ, vers. 12. (β.) Instrumenta idololatriæ destruenda esse, altaria, statuas, lucos, vers. 13. (γ.) Non colendum Deum alienum, quia Deus nomine & re Zelotypus sit, vers. 14. (δ.) Non permittendam Cananæis suam idololatriam, aut de idolothytis ipsorum vescendum esse, vers. 15. (ε.) Connubia cum Cananæis (similibusque idololatris gentibus) nequaquam ineunda, ne communicent eorundem idololatriæ, vers. 16. (ζ.) Non esse facienda idola ex metallo fusa, vers. 17, neque magis ex ulla alia materia.

b. *De Festis Azymorum* septiduano, quotannis in memoriam egressus ex Ægypto, vers. 18. & quia tum Deus sibi primogenita propria fecit. Repetitur Lex, *de primogenitis* Deo dandis, (*a.*) de bubus ovibusque, vers. 19. (β.) de redimendis immundis animalibus, aut perdendis; (γ.) De redimendis filiis, (nam jam tum repudiati fuere primogeniti à Sacerdotio, & Levitæ succenturiati ipsis, Deut. cap. 10: 8. Exod. 32: 29. ut jam tunc necessitas foret redimendorum liberorum,) vers. 20. Bechai fol. 115. col. 3. מי שזוכה שהוא בכור מעלה גדולה היא והוא רמז להקב"ה שהוא בכורו של עולם. Conf. Col. 1: 15. (δ.) *De non veniendo vacuis*, sine munere aliquo voluntario, coram Domino, vers. 20.

c. *Sabbathi religio*, etiam in aratione & messe observanda, vers. 21.

d. Festa septimanarum, seu primitiarum messis, & finitæ omnis messis, post æquinoctium autumnale, quod tabernaculorum, vers. 22.

e. *Ter singulis annis* omnes mares eodem tempore se Deo debere sistere, ceu homagium domino suo præstituros, vers. 23. addita *Promissione* securitatis, dum omnes mares domo abessent, *tum* ab intestinis hostibus, expulsis Cananæis, & omnibus quorum terram ipsis dedisset, *tum* ab externis, quorum nemo tum temporis desideraturus esset ipsorum terram, vers. 24.

f. *Agnum paschalem* non mactandum ante expurgatum fermentum, nec quicquam de eodem asservandum in crastinum, vers. 25.

g. *Primitias* frugum terræ, agri aut vineæ Deo offerendas esse, vers. 26.

h. *Non coquendum* hœdum in lacte materno, vers. 26.

c. *Mandatum* ad Mosen de hisce statutis scribendis, quæ in hac redintegratione fœderis quoque facta sunt fundamentalia, quamquam eadem in prioribus reperiantur: ut nihil innovatum sit, aut aggravatum jugum Israelis, attamen fœdus illud perpetuum quod non Moses scripsit, cum cujus ministerio cessavit earum conditionum necessitas, sed quod Deus scripsit, non nisi X verba continet. vers. 27. על פי non oralem legem notat, sed *juxta hæc.*

d. *Decalogi repetita à Deo scriptio* in tabulis novis, quomodo confirmatum fœdus; *Mose* eum in finem ut ante, ita & nunc per 40 νυχθήμερα manente in monte, sine omni cibo & potu ordinario, vers. 28.

ד. *Reditus Mosis*, redintegrato fœdere ad populum, ubi

a. *Descensus ejus ad populum*, gestantis manibus tabb. fœderis, & fulgentis facie, vers. 29. quod fuit mirabile illud, quod Deus in ipso fecit; ut autoratus esset mediator fœderis hujus: addita ei majestate cœlesti, fulgore radiante ceu firmamenti, quæ majestas doctrinæ ipsius. 2 Cor. cap. 3: 7.

b. *Aaronis & populi metus*, ob illum fulgorem, ut accedere vererentur, vers. 30. Antequam peccarant, imperterriti viderunt Deum Seniores; & populus omnis ignem consumentem in summo monte: nunc postquam peccarunt, non sustinuerunt videre splendorem faciei Mosis. Raknat. Abrab.

c. *Congressu*, evocato Aarone & principibus, vers. 31: tum universo populo, quibus quæ redintegrati fœderis rationem spectabant, indicavit. vers. 32.

d. *Gestus seu habitus Mosis*; De quo *Et absolvit Moses loqui cum ipsis*, ויתן *postquam posuisset velamen super faciem suam.* vers. 33. Sed quoties cum Deo egit, remoto velamine fuit; donec egrederetur locuturus cum populo, quæ mandata acceperat: qui egredientis ex tentorio, ubi cum Deo locutus erat, splendorem viderunt; sed Moses illico reposuit velamen, donec ad Deum esset redeundum, vers. 34, 35. Hebræi dicunt, sine velamine egisse & cum Deo, & cum populo, dum Dei mandata exposuit: sed institutione ista defunctum, velamine usum; ne in vita communi fulgore illo corruscaret. Sed aliud suadet Apostolus 2 Cor. 3, vers. 13. & non repugnat textus, si prius ו per *postquam* reddatur, & cætera uti dictum. Verum hîc notandum. Mosis facies splenduit, quia in ejus doctrina fuit Christus Dominus gloriæ Rom. 10: 4. à cujus luce omnis salutaris lux dimanat: Sed quia Israelitæ fœdus inierant ex propriis viribus præstandum, non debuit eis externa gratiæ lux affulgere, sed fuit velamine ab iis abscondenda. Verum in conversione ad Christum removebitur velamen; videbuntque non gloriam ministri Mosis, sed ipsius Domini: & videbunt uti speculum, ut similem lucem concipiant, & ex se diffundant. 2 Cor. 3: 16. s.

CAP. XXXV.

EXSECUTIO *eorum quæ ad confirmationem fœderis pertinebant* describitur. I. à præparatione ad opus cap. 35. II. ab opere ipso capp. 36—39. III. à tabernaculi erectione cap. 40.

I. *Præparatio* habet

A. *Mandata Mosis* de tabernaculo conficiendo

א. *In genere*, vers. 1. congregato omni cœtu, videlicet ad suum tentorium extra castra, seu veniens in castra ipse in locum Concionis; indicavit, se mandata singularia recitaturum.

ב. *In Specie*

a. *De Sabbathi religione*, quam Deus ad extremum inculcarat, ipse præmittit, ut tempus operi definitum nossent: tantò magis quod olim cum daretur Manna primum, toties à populo peccatum fuerat, ne quid denuo (ut tum, sub prætextu fiduciæ dependentis à Deo) sub prætextu religiosi operis delinqueretur. Et hîc consentiunt Hebræi, spectari

ri opus tabernabuli, quod non pellat Sabbathum. Valuitque uti tunc, ſic etiam quando ſtructum aut reparatum fuit templum. (a.) *Sex diebus* tamen in hoc opere occupatis eſſe licuit; obſervanda etiam hic quies *ſeptimi* qui Sabbathum, ſub *pœna* capitis. (b.) Imò *ne quidem accendendus ignis* ullibi, verſ. 3. non ſimpliciter, magis quam prius præceptum; ſed ſecundum quid, quoad opus tabernaculi. Erant metalla fundenda: ne quidem licuit ignem accendere ad ea colliquanda, ut finito Sabbatho illicò ad opus accedi poſſet; ſed quicquid ad opus tabernaculi pertinebat, ſive labor, ſive materiæ præparatio, diebus operis tantum fuit tractandum. Hebræi quidem hunc verſum generalem faciunt, imo inde colligunt, judicia capitalia Sabbatho non fuiſſe licita, quod inter pœnas eſſet combuſtio, ad quam ignis requiritur. Et quod dicitur *in habitationibus veſtris*, excipere Sanctuarium, & ignem in altari, quia habitatio Dei. At enim ſi Paſcha in Sabbathum incideret etiam in privatis ædibus licita fuit accenſio ignis; imo neceſſaria ad aſſandum agnum Paſchalem.

b. *De conferenda materia* ad opus omne, verſ. 4. ſ. ubi (a.) repetitur juſſum Dei, verſ. 4. (b.) petitur (α.) *munus* (1.) ſacrum, תרומה *quod exaltaretur*, ad uſum eminentiorem (2.) & ſpontaneum, quod quiſque proprio cordis motu obtuliſſet, verſ. 4. (3.) deque his ſolùm generibus: *Metalli* triplicis, auri, argenti, & æris, verſ. 5. *Telarum* variarum, verſ. 6. *Pellium* & *lignorum Schittim*, verſ. 7. *Olei* & *aromatum*, verſ. 8. *Gemmarum*, verſ. 9. (β.) *Opera ſacro impendenda*, ab omni perito artifice, verſ. 10. enumeratis omnibus Inſtrumentis conficiendis, verſ. 11--19. ubi *panù facierum*, verſ. 13. non ipſimet panes, ſed vaſa ad eos neceſſaria intelliguntur: neque enim alii præter Sacerdotes illos panes pararunt. Item verſ. 19. בגדי השרד לשרת בקדש non ſunt veſtes ſacerdotales, quæ ab iis ubique diſtinguuntur, ſed vela & tegumenta, quibus tegenda & involvenda erant inſtrumenta ſacra, quando caſtra movebantur, ne oculis profanis conſpicerentur.

B. *Contributio materiæ:* cujus א. *Tempus*, quam primum audiverunt à Moſe, illico ab illo digreſſi iverunt domum petitum, verſ. 20. ב. *Spontaneitas* offerentium: venit quivis quem extulit cor ejus, & ſpontaneum fecit ſpiritus ejus, oblatum aliquid ad opus tabernaculi, verſ. 21. *Elatio cordis* mala; ſed hic in bonum. Conf. 2 Chron. cap. 17: 6. ג. *Univerſalitas*, mares & fœminæ. Hebr. quia dicitur והאנשים על הנשים putant has priores concurriſſe & monilia ſua auribus & digitis, reliquoque corpore detracta obtuliſſe, verſ. 22. ד. *Materia ipſa collata: Aurum* confectum & infectum, verſ. 22. *Telæ* omnis generis, & *pelles* neceſſariæ, verſ. 23. Argentum item, *æs*, & *ligna Schittim*, verſ. 24. quæ cum rariora forent, additur, *apud quem aliquid horum repertum fuit*, qui tamen non pepercerunt rarioribus. ה. *Sigillatim* collatio (a.) Mulierum, netum ex lana, vel pilis, ut etiam operam conferrent, verſ. 25, 26. (b.) Principum, gemmæ & aromata, & oleum, verſ. 27. 28. repetitio ſpontaneitatis offerentium & intentionis eorum, verſ. 29.

C. *Deſignatio architectorum*, Moſes eam à Deo factam dicit: *Bezaleelis*, & collatam eidem aptitudinem, inventionis, operis, inſtitutionis, ut omnium foret magiſter, verſ. 30--34. & collegæ ejus *Oholiabi*, qui in idoneitate ei ſociatur, verſ. 34, 35.

CAP. XXXVI.

II. OPus *ipſum* enarratur.

A. Applicatio artificum ad opus: quorum א. *Nomina* & *adminiſtri*, Bezaleel & Oholiab, & quotquot alii à Deo idonei facti ſunt, priorum miniſtri & inſtrumenta, verſ. 1. ב. *Commiſſio* ſeu *mandatum* operis inchoandi à Moſe iis datum, verſ. 2. ג. *Traditio omnis materiæ* collatæ à populo, verſ. 3. ד. *Judicium* ipſorum de collationis ſufficientia; cujus (a.) *occaſio*, quotidiana populi oblatio afferentis plura ad Moſen, verſ. 3. (b.) *Conſenſus* omnium artificum, qui ſimul eo nomine Moſen adierunt, verſ. 4. (c.) *Oratio* eorum, Populum nimium offerre, ultra quam requiratur ad ea quæ facienda haberent juſſu Dei: Ita innuunt, niſi forte alia adhuc facienda reſtent, ſibi nondum indicata, verſ. 5. (d.) *Conſequens:* Moſis per præconem denunciatio, ne quid ultra afferretur eum in finem, verſ. 6. quomodo ceſſatum fuit à novis contributionibus, verſ. 6. & tamen ſufficiens fuit materia, ſic ut etiam redundare poſſet, verſ. 7.

B. Partes & inſtrumenta tabernaculi confecta

א. *Aulæa* ſeu *cortinæ primariæ*, pro S. Sanctorum, verſ. 8--13.

ב. *Cortinæ* ſecundariæ, primariis contegendis, verſ. 14--18.

ג. *Duplex tegumentum* ex pellibus arietum, & taxorum, verſ. 19.

ד. *Aſſeres* cum ſuis baſibus argenteis, & vectibus ſeu peſſulis, verſ. 20--34.

ה. *Velum interius* claudendo S. Sanctorum, cum ſuis columnis & Vaſibus, verſ. 35, 36.

ו. *Velum exterius* claudendo Sancto, cum columnis & baſibus, verſ. 37, 38.

CAP. XXXVII.

ג. ARca, quam Bezaleelem ſolum confeciſſe vult Abrabanel, ſic ut nemo alius admôrit manum, unà cum *Propitiatorio*, verſ. 1--9.

ח. *Menſa* cum ſuis inſtrumentis, verſ. 10--17.

ט. *Candelabrum*, ex uno auri talento confectum, verſ. 18--24.

י. *Altare thymiamatis*, verſ. 25--28.

כ. *Oleum* & *ſuffitus* ſacer, verſ. 29.

CAP. XXXVIII.

ל. ALtare *holocauſti*, itemque inſtrumenta & cribrum ejus, verſ. 1--7.

מ. *Labrum æneum*; de quo ſigillatim indicatur materia, Specula ænea mulierum, *quæ excubabant*, ſacram militiam exercebant circa tentorium Moſis, ubi Deus cum Moſe convenire & colloqui ſolebat. Onk. *de ſpeculis mulierum, quæ veniebant ad adorandum.* R. Sal. *quæ turmatim conveniebant ad offerendum.* Sed religioſior fuit & conſtantior acceſſus, quam offerentium cæterarum, Conf. 1 Sam. 2: 22. Aben-Ezra. *Mulieres ſeparatæ, quæ receſſerant à cupiditatibus mundi, & ſerviebant Deo, dederunt ſpecula ſua.* Scilicet quæ fuerant inſtrumenta vanitatis aut ſuperbiæ, dederunt in uſum labri, quo ſignificabatur ſanctificatio, ℣. 8.

נ. *Atrium* conſtans tapetibus, & columnis harumque baſibus æneis, verſ. 9--17.

ס. *Tegumentum* ſeu *velum portæ*, cum ſuis columnis & baſibus, verſ. 18--20. Subjicitur harum partium. *Recenſio*, tum quoad artifices, verſ. 21--23. tum quoad materiam: ubi ſumma collatitii (a.) auri, verſ. 24. (b.) argenti ex ſingulari capitationis cenſu, quo omnes majores 20 annis medium ſiclum ſolverunt, verſ. 25, 26. nec non quo argentum illud fuerit converſum, nempe in baſes, & alia columnarum ornamenta, verſ. 27, 28. (c.) Æris, verſ. 29. ejuſque uſus ad baſes exteriores, aliaque inſtrumenta, & paxillos atrii, verſ. 30, 31.

CAP. XXXIX.

ע. VEſtes *ſacræ*, tum tegumenta inſtrumentorum potiſſimorum, tum Sacerdotalium, verſ. 1. Harum partes ſunt (a.) *Ephod*, verſ. 2--5. (b.) *Sardonyches* in humeris ejus, verſ. 6, 7. (c.) Pectorale, verſ. 8--21. (d.) *Stola* ſeu Toga, verſ. 22--26. (e.) *Tunicæ* aliæ, verſ. 27. (f.) *Pilus* potior & inferioris ordinis, & *ſubligacula*, verſ. 28. (g.) *Baltheus*, verſ. 29. (h.) *Lamina* aurea fronti appendenda, verſ. 30, 31. operiſque abſolutio, verſ. 32.

C. *Confecti operis approbatio:* cujus *Occaſio*, quod omnes & ſingulæ, partes confectæ ad Moſen deferrentur, verſ. 33--41. *Impulſiva*, quod omnia ex præſcripto eſſent elaborata, verſ. 42. *Approbatio* Moſis *quoad opus*, quod exacte reſpondebat ideæ; & *quoad operarios*, quibus benedixit, verſ. 43.

CAP. XL.

III. *Rectio tabernaculi* consummati.

A. *Mandata à Deo*, vers. 1. א. *Quoad tempus*, primo die primi mensis secundi anni ab egressu ex Ægypto, vers. 2. ב. *Quoad situm*, *tum* Tabernaculi, *tum* Instrumentorum ejus, *S. Sanctorum* in quo arca, clausum velo, vers. 3. *Sanctum* in quo Mensa, candelabrum, & in medio ara suffitus, clausum alio velo, vers. 4, 5. *Atrium* in quo ara sacrificii & labrum, clausum undique tapetibus, vers. 6. 7, 8. ג. *Quoad inaugurationem* per unctionem, vers. 9—11. ד. *Quoad ministros* sacri tabernaculi, Aaronem & filios, & horum inaugurationem, adhibita lotione, induitione, unctione, vers. 12—15. quo perrenne sacerdotium ipsis conferretur.

B. *Præstita à Mose*, א. In genere, vers. 16. ב. In specie observato tempore definito, vers. 17. nec non ordine, erecto primum *Atrio Externo*, ex asseribus constante, vers. 18. deinde *Tentorio* cum suis tegumentis, vers. 19. tum *Arcæ* inferens Testimonium, tabb. fœd. (Hebræi tam fractas quam integras inibi repositas credunt) eamque tegens *Operculo* suo, vers. 20. atque eam inferens interiori parti tentorii, & hanc *Velo* interiori claudens, vers. 21. post *Mensam* cum panibus propositionis collocans in latere septentrionali sancti, & in meridionali accensis lampadibus *Candelabrum*, atque in medio *Altare suffitus*, accenso desuper thymiamate; ac *Velum* huic quoque parti tentorii protendens, vers. 22—28. porro *Aram sacrificiorum* foris statuens in atrio, una cum *Labro* in usum lotionis sacerdotalis, quando ministerio fungerentur, vers. 29—32. denique *Atrium* circumcirca erigens, & *Velum* ad ingressum, vers. 33.

C. *Possessio occupata à Deo*; cujus א. *Testimonium* (a.) externum, nubes obtegens tabernaculum; & (b.) internum gloria Dei implens illud, vers. 34. quomodo sibi ita proprium fecit, ut ne quidem Moses quiverit ingredi domum seu tabernaculum Dei, vers. 35. sic quoque factum quando Deus occupavit templum Salomonis. ב. *Constantia* præsentiæ Dei. (a.) *Nube* à tabernaculo recedente, illud loco movendum fuit, & sequendum omnibus Israelitis: contra incumbente non licuit migrare, vers. 36 37. (b.) Nubis illius visibilis ratio; interdiu columna nubis, noctu ignis incumbebat tabernaculo, omnibus videntibus, vers. 38. quemadmodum antea illis ducibus iter fecerant ex Ægypto: Sed insuper in ipso tabernaculo supra arcam Deus apparuit in nube, Lev. 16: 2, 3. Hinc Salomo ait, Deum habitare in caligine.

Cæterum hæc inauguratio tabernaculi compendio enarratur, multis omissis, quæ cap. 8. Lev. recitantur, ubi etiam mentio fit unctionis tabernaculi, & inauguratorum Sacerdotum. NB. Bechai: *Quando erectum fuit tabernaculum, aliud quoque erectum fuit, nempe* הנער *pueri, cujus nomen Metatron, & nomen est idem cum nomine Domini sui.* (Christus vocatur παῖς Actor. 4: 27.) Item. *Qua hora Deus mandavit Israeli ut sibi erigerent tabernaculum, innuit Angelis ministerii, ut & ipsi aliquod sibi facerent: & quo die inferius illud, etiam superius erectum est: atque hoc est tabernaculum* הנער *pueri seu servi illius, Metatron, in quo offert animas justorum ut expiet super Israele tempore exilii ipsorum.* Conf. Heb. 9. ubi terrestre & cœleste sibi respondent, illud Mosis est, qui primus in eo Sacerdotem egit: istud Christi qui primus & solus in eo Sacerdos.

ANA-

ANALYSIS EXEGETICA LEVITICI.

Ertius hic Moſis liber hiſtoriam habet unius menſis, qui primus ſecundi anni poſt egreſſum ex Ægypto. Fuitque Mundi 2514. Nam cum primo die erectum fuiſſet tabernaculum, Deus inde allocutus Moſen, erudiit eum de omni ratione cultus, uſque ad Kalendas menſis ſecundi, unde Num. 1: 1. ducitur initium. Revocari omnia poſſunt ad hæc capita. I. De ſacrificiis cap. 1--7. II. De ſacrificantibus Sacerdotibus cap. 8--10. III. De Sanctificatione populi ab omni pollutione capp. 11--27.

CAP. I.

DE SACRIFICIIS edocetur Moſes I. עולה *holocauſtis* cap. 1. II. מנחה *oblationibus* rerum inanimatarum cap. 2. III. שלמים *pacificis* ſeu euchariſticis cap. 3. IV. חטאת *peccato* ignorantiæ cap. 4. V. אשם *reatus* cap. 5. VI. ſpecialibus quibuſdam, capp. 6, 7.

I. *DE HOLOCAUSTIS* hoc capite

EXORDIUM generale eſt, verſ. 1. *Et vocavit ad Moſen, & locutus ad eum eſt Dominus ex tentorio conventus.* Cohæret fini Exodi. Nubes tegebat tabernaculum, & gloria Dei illud replebat, ut Moſes ingredi non poſſet. Igitur uti Exod. 19. & 24. vocavit Deus Moſen, & ſic ingrediendi in nubem ad Deum veniam habuit, ſic quoque hic. Dominus dicitur eſſe locutus, non vocaſſe Moſen, plane uti Exod. 24: 1. *Nomen* glorioſum (השם הנכבד) vocavit eum; Sermo mandati autem ad ipſum, factus eſt מהשם הגדול à nomine magno, Raknat. *Illud nomen eſt* השכינה, *ſive Angelus Redemtor. Metatron, qui ad Deum ducit, hoc eſt Meſſias, per quem datur acceſſus ad Deum.* Et cum Aleph minus hic occurrat idem ſignificatum volunt, (an quia Filius ob munus mediatorium minor Patre?) nec non, vocem non fuiſſe magnam tonitru, ſed vocem tenuis ſilentii, quæ extra tabernaculum non fuit audita: qua ex tabernaculo, è medio Cherubinorum, ex propitiatorio Deus locutus eſt, hoc eſt Deus per filium Mediatorem ſuam voluntatem patefecit; qui iſtis figurabatur, docuitque de ratione expiationis, quia ipſe incarnatus per ſemetipſum expiationem peracturus erat. Heb. 1: 1. ſ.

MANDATUM dirigitur ad omnes Iſraelitas, verſ. 2. quia offerentibus hoc fuit præcipiendum; non miniſtris offerendi, ſacerdotibus. Deſcribit autem in genere

I. *Offerentem*, qui Homo, ſive mas, ſive fœmina, Gen. cap. 5: 2. quisquis: Voce Adam uſum volunt, ut quemadmodum Adam primus obtulit non ex rapto, ſed de ſuo, eum totus mundus ſuus foret, ſic de rapto non offerendum Eſa. 61: 8. Sed Kabaliſtæ videntur Adamum ſecundum intellexiſſe Memorabile quod hic dicit Raknat. *Kabaliſtæ aliquid notarunt ad illud, Homo quando attulerit; ſed neſcimus an cum ipſis ſit veritas, uſque dum ſuper nos effuſus fuerit Spiritus ab alto. Forſan, autem indicat oblationes quas offert Michael de animabus juſtorum.* מכם non de apoſtatis, idololatris. Abrab. tamen etiam his reſipiſcentibus admiſſionem conceſſam affirmat. Meſſias eſt ille Adam alter 1 Cor. cap. 15: 49. ſ. Michael Apoc. 12: 7. homo ex hominibus Heb. 5: 1. ſ. qui oblationem veram obtulit Heb. 7. & ſeqq. capp. & offert animas piorum: nam per Chriſtum datur acceſſus, Rom. 5: 2. Heb. 7: 19. quando ſe offerunt ceu hoſtiam Rom. 12: 1. Heb. 13: 15.

II. *Oblationem*, quando יקריב *appropinquare fecerit* קרבן לה' *appropinquationem Domino*, vel *ad Dominum.* Raknat. *Offerens debet cogitare oblationem ſuam eſſe ſui permutationem:* proinde qui longinquus per eum & in ea accedebat, Bechai. *Semper dicitur* קרבן לה, *non inverſo ordine, ne hæretici putent Deum eſſe offerentem*; Sed forſan לה τὸ usurpatur, quia ſemper gratiæ opus eſt, admittere vicariam hoſtiam.

III. *Rem offerendam.* De animalibus domeſticis, בהמה, comprehendit autem armenta, boves, & greges, oves & capras: non de feris; hoc eſt de iis quæ patiuntur non quæ inferunt perſecutionem. Sacrificia pertinent ad faciendam pacem in mundo, hanc fere turbant, non ergo idoneæ ſacrificio. Adhibita duntaxat animalia cicura, innoxia, utilia homini, & ſocialia &c. Significatum Chriſti innocentiam amorem hominum utilitatem quam iis affert, patientiam, &c. מן הבהמה אדם non de rapto. הבהמה non feram. מן הבקר, virginem, non ineuntem, nec initum. מן הצאן non jugo ſervitutis preſſam. מן הצאן non deſtinatam alii uſui, maxime idololatrico. הצאן non noxiam, quæ necarit creaturam. מן הצאן non diſcerptam. Raſchi hæc in hoſtiis requirit. Maimon. Sacrificia imperata putat quod Ægyptii & Chaldæi tali cultu uterentur; ſed ut abſtinerent à bobus & ovibus, quibus divinitatem tribuebant: Deum voluiſſe ut his pecudibus mactatis expiationem haberent, quo contrarium facerent ejus quod idololatræ. Sed Bech. rectè, Sacrificia antiquiora eſſe, utpote ab Adamo, Abele &c. uſurpata.

HOLOCAUSTA deinde deſcribuntur à diverſitate hoſtiarum. עולה *adſcendens*, Sacrificia in genere ſunt קרבנות *propinquantia*; hæc adſcendunt, nempe in igne & fumo, & tota abſumuntur; ut Chriſtus ſe totum obtulit, & ſic pii Rom. 12: 1.

I. *De Bobus*, verſ. 3--9. (Bechai. *divitum iſtud, ſuperbientium de opibus.*)

A. *Hoſtia* NB. *Sexus* hoſtiarum in avibus non attenditur; in pecudibus, poſcitur virilis in holocauſtis, in pacificis, alterutter; Bechai ait in peccatis privatorum, muliebris. Maſculus bos *perfectus*, ſine ullo vitio, ſive nativo, ſive poſt contracto: Mal. 1: 14. Sic Heb. 7: 26. Hebr. ſexum virilem referunt ad cogitationem; uti mas principium generationis, ſic cogitatio principium peccati: ſed alii longius extendunt. *Ætas* hoſtiarum, עגל primi anni, בקר aut בן בקר ſecundi, פר tertii: ſic כבש, primi & איל ſecundi anni eſt: & שעיר primi, שעיר עזים ſecundi anni. Atqui Gen. 15: 9. עגלה & עז & איל triennes ſunt, ut etiam major ætas fuerit adhibita.

B. *Actiones offerentis.*

a. *Adductio.* Propinquare faciet ad oſtium tab. conventus: Quivis ſuam hoſtiam debuit adducere, neque ulla dignitas eum excuſavit, ut ſacerdotem accerſeret, qui è domo ſua peteret & offerret hoſtiam. Etenim cum per ho-

ſtiam propinquare vellet ad Deum, utique quouſque licuit, ipſimet fuit accedendum, adducendo hoſtiam: adhæc quia fuit ſcriptio chirographi, non per alium, ſed quivis per ſe & pro ſe illud debuit ſcribere.

לרצונו offerentis voluntas eſt, ſive ad efficaciam referatur, quia voluntaria holocauſta deſcribuntur; (unde Raſchi, coactum dicit offerentem ut ipſe offerret, & profiteretur ſuam voluntatem eſſe.) Sive ad finem, ut acceptionem, inveniret apud Deum. Prius commodius eſt. לפני יי ſic convenit, ex 2 Cor. 9: 7. ſi poſterius, tum ex Rom. 12. verſ. 1.

b. *Impoſitio manus*, verſ. 4. debuit fieri in omni oblatione pecudum, (primogenitis, decimis, & paſchali agno exceptis,) ab ipſo offerente, non per mandatarium; hinc ſingularem dicunt adhibitum: alioquin utraque manus nuda, nudo capiti hoſtiæ, (non collo aut lateribus,) inter cornua (ſi cornuta fuerit) omni robore ſuo: in ipſo atrio, eo in loco ubi mactanda fuit; itaque qui foris impoſuiſſet manus, non cenſebatur impoſuiſſe, ſed ritus in atrio fuit repetendus. Si plures eandem hoſtiam offerrent, omnes ordine impoſuere manus. Raknat. *Impoſitionis ſignificatio eſt, ut peccatum ſuum in hoſtiam derivet.* Acceſſit (quod hic non memoratur, ſed infra cap. 5: 5. ubi Bechai, כל חטא וטעונה ודוי) confeſſio, ſuper holocauſto quidem de commiſſionis & omiſſionis peccatis. Bech. *De peccatis operis, hinc impoſ. manus: de peccatis oris; hinc confeſſio: de peccatis cogitationis; hinc interiora comburenda.* Heic verè eſt ſcriptio chirographi, in impoſ. manuum & confeſſione, quam quivis peragere debuit coram Deo, contra ſe. Col. 2: 14.

Fructus, acquieſcentia Dei ad expianda peccata: כפר *tegere*, non tanquam veſte, ſed illito tentorio adhærente, Gen. 6: 14. tum ſumitur de tranquillatione faciei hoc eſt iræ, accepto munere Gen. 32: 20. unde כופר *pretium vicarium* Job. 33: 24. & ſic de tranquillatione iræ Dei ſæpiſſime. In holocauſtis omnibus fuit expiatio peccatorum generalis, etiam ignotorum Job. 42: 8. cap. 1: 5. Imo omnibus aliis ſacrificiis jungebantur holocauſta; generalis enim expiatio requirebatur ob peccata naturæ & quotidianæ infirmitatis, & cum pro ſingulari peccato, aut cum euchariſticum offerretur. Quia nunquam homo ſine crimine. Pſ. 19: 13. *errores quis intelligat?*

c. *Mactatio*, verſ. 5. illico ſubſequitur impoſitionem manuum, neque quicquam intervenire debet. Poteſt autem inſtitui etiam ab alio quam ſacerdote, puta Levitis 2 Chron. cap. 35: 10, 11. aut Iſraelitis: & qui mactandi etiam excoriandi poteſtatem habet. Ordinarie tamen offerentes eam peregerunt: porro, quod, verſ. 11. dicitur, mactatio fiebat in latere ſeptentrionali, holocauſti & pro peccato; alias hoſtias quovis loco atrii mactare fas fuit. Quia malum ab Aquilone Jer. 1: 14. loco tenebroſo, longiſſime à luce favoris Dei, ibi debuit pro peccato (& holocauſtum id complectebatur) offerri. Rakn. hoſtiæ pro peccato mactatæ בצפון ad impediendum malum quod inde venit: aut quia ibi ſe ſiſtebant turbæ Accuſatorum. (Job. 1: 6. Spiritus tenebrarum in latere tenebroſo, quod ſiniſtrum Pſal. 89: 13.) & virtutes judicii מ״ר (Matt. 25: 33.) voluit Deus ut quoties venirent eo, invenirent munus (expiatorium) neque haberent quod accuſarent. Aliæ victimæ ubique mactari potuerunt in atrio, quia non offerebantur, pro peccato.

d. *Sanguinis adſperſio*: Sacerdotes excipiebant Sanguinem, & mox aſpergebant altari, (Elatus ſanguis ex atrio pollutus cenſebatur.) Excipiebant omnem ſanguinem quem pote, ut ſufficeret adſperſioni: & Sacerdos ex pelvi adſpergebat bis ſatis copiosè, cornu altaris Septentrionale orientale, & tum oppoſitum meridionale occidentale, ut latera utrinque ſignarentur, & in quatuor lateribus ſanguis exſtaret, id eſt undique. Reliquum ſanguinem effundebat ad fundum altaris, in latere meridionali. Scilicet ſolorum ſacerdotum eſt ſanguinem expiationis ſpargere in altare; quemadmodum ſolus Chriſtus potuit id agere. 1 Pet. 1: ℣. 2. Porro ſanguis ad fundum Altaris effuſus eſt pro animabus piorum defunctorum ſub altari Apoc. 6: 9. ut ſignificetur ſanguinem Chriſti pertinere ad expiationem non ſolum vivorum ſed etiam mortuorum, qui ad latus meridionale longe remoti à loco Diaboli & tenebrarum, eoque felici lucis.

e. *Diviſio*, Hoſtia in partes ſecabatur, verſ. 6. Sanguinis adſperſionem ſequebatur excoriatio & diviſio victimæ. (Sic expiationem mors Chriſti corporalis) in ſua membra principalia, non autem in minutas horum particulas: (caput reſectum initio non excoriabatur, neque ſegmentis accenſebatur) pedes anteriores & poſteriores cum humeris & cruribus, pectus, latera, dorſum, &c. inteſtinis adhærentibus, ſuis partibus: XII. partes majores facit Abrab. Hoc in Chriſto factum non fuit, cum os non fuerit ei confringendum: Sed ſignificabantur afflictiones & interioris affectus patefactio Pſal. 22: 15, 16, 2.

f. *Ignis*: verſ. 7. quem ſacerdotes ſuis veſtibus amicti, dabant ſuper altare, appoſitis ordinate lignis. Equidem fovebatur jugiter ignis, qui de cœlo primum deſcenderat: attamen docent Hebræi adhibendum quoque fuiſſe ignem communem; ut cœleſtis & terreſtris ignis conjungeretur. Ignis eſt teſtimonium judicii, unde igne judicatur: primarium eſt judicium Dei, quod abſumit peccatorem, Eſa. cap. 33: 14. Sed etiam homines ſemet ipſos judicare debent, & condemnare, idque ad ignem Dei 1 Cor. 11: 32. pœna ab ipſo, non ab homine definitâ. Quod demiſſus cœlitus ignis ad abſumendas hoſtias, non ſignum favoris Domini ſimpliciter, ſed ſecundum quid; quod admitteret vicariam hoſtiam pro reo, & in eâ exerceret iram.

NB. Ligna nemo privatus afferebat, ſed ea communi omnium ſumtu parabantur. Neh. 10: 34. & 13: 31. quia omnes partem habent in augendo fomite iræ Dei.

g. *Ordinatio victimæ*, verſ. 8, 9. Sacerdotes in debito habitu ordinabant fruſta prædicta, & caput (quod ſub ſegmentis non continetur) & פדר, quod ter tamen exſtat, notans *diaphragma*, quod diſtinguit inter ſuperiora & inferiora inteſtina, quod exſtendebatur ſuper locum vulneris in mactatione inflicti: (*pinguedinem* reddit Chald. & Bech. dicit, ditiores inter gentes, carnem aſſandam ei involvere; quomodo videtur omentum indicare.) ſupra ſtruem lignorum igni impoſitam in ipſo altari; adhæc inteſtina eluta aquis, tribus vicibus ad minimum, Maim. uti & pedes extremos, pariter elutos.

h. *Combuſtio.* Adolebit Sacerdos omnia in altari, ℣. 9. quod fiebat tota nocte inſequente. Non niſi interdiu mactare & ſanguinem ſpargere licuit: ſed hæc quando facta fuerant interdiu, carnes holocauſti noctu abſumebantur. Omnia, ut nil cederet humano uſui. Raknat. *Hoſtiæ quædam comedebantur ab altari, ſacerdotibus, offerentibus; nempe pacifica: quædam ab altari & à Sacerdotibus; ut pro peccato & reatu, ubi ſanguis & membra quædam adolebantur, in altari ad expiationem: Sed holocauſtum totum comburebatur, neque licuit rei corporeæ eo frui veſeendo: quia cogitationem tranſtulit ad malam cupiditatem, ab anima uſque ad corpus conſumet, ut omnia mutentur, in ſpiritum, quemadmodum principium tranſgreſſionis fuit in ſpiritu: Cupiditates enim peccati graviores* (difficiliores, à quibus minus promtum & proclive eſt abſtinere) *quam ipſum peccatum.* Conf. Gen. 6: 5. cap. 8: 21. Holocauſta ergo univerſali corruptioni oppoſita fuerunt, animam & corpus, & utriuſque facultates & membra pervadenti, ut igne ſpiritus abſumeretur. NB. Holocauſtum pro originali, nec non infirmitatis & ignota pravitate offerebatur; quibus cum etiam Sacerdotes laborarent, non potuerunt ſuſcipere reatum aliorum, (quod fiebat comedendo peccatum. Lev. 10: 17.) eoque non habuerunt hic partem comedendam; Sed conſumebatur hoſtia in altari.

NB. Abrab. quia in actionibus iſtis alicubi omiſſum, alibi additum eſt ſacerdotum nomen; diſtribuit accuratiùs, docetque quædam offerenti, עולה quædam ſacerdotibus fuiſſe agenda. *Offerenti quidem*, 1. impoſitionem manuum 2. mactationem victimæ, coram Domino, ut victimæ facies & caput Sancto Sanctorum obverterentur. 3. excoriationem ejuſdem. 4. diviſionem in 12 partes principales, 5. lotionem interiorum & pedum: fimus & ungulæ non fuere combuſtæ ſed projectæ in aquas ejectionum, quæ in ſanctuario, ne fæterent; & hoc quoque offerenti faciendum fuit. Atque hæc quivis offerens, etiamſi foret rex Iſraelis, debuit præſtare in ſua oblatione, ut manum ſuam ad ſingula admoveret, licet (in quatuor ultimis nempe) aliorum ope uti poſſet. NB. Hæc omnia pertinent ad ſcriptionem chirographi. *Sacerdoti* autem perigenda 1. exceptio ſanguinis dum

ma-

mactabatur. 2. ſparſio ejus, duabus vicibus, ut dictum. 3. ignis accenſio, 4. lignorum ordinatio; non ea quæ manè fiebat dum ignem excitabat in altari, ſed expreſſe in uſum holocauſtorum. 5. diſpoſitio partium victimæ ſuper lignis: ſic ut non ſeparent פדר à capite, ſed illo locum mactationis qui ſordidior obtegant. Nam פדר ipſi eſt *adeps* ſeu pinguedo, quam reliquerunt circa mactationis locum: (Sic v. non erit vel diaphragma, vel omentum, ſed aliquid collo connexum.)

Bechai. *Quando omnia iſta fiunt cogitabit offerens in corde ſuo, omnia iſta de ſe fieri, ſeque meritum eſſe ut quatuor generibus ſupplicii capitalis plecteretur. Obſervaturque à veteribus de Abrahamo dici, quod obtulerit arietem* תחת בנו *hoc eſt quicquid egit circa arietem, petiiſſe à Deo ut illud acciperetur ceu in filio ſuo patratum; quaſi mactatus, ſanguis ejus ſparſus, & combuſtus eſſet in cinerem. Quia ergo peccans meretur, ut ſanguis ejus fundatur & ipſe comburatur, quemadmodum victima ſua, Deus autem accipit hoſtiam ejus ab ipſo in permutationem ejus & lytron ejus: eſt hæc utique ſumma benignitas Dei, quam ei præſtat ex miſericordia & mera gratia, quod accipiat animam beſtiæ pro anima ejus, & quod per eam expietur.* Raknat. *Sacerdos quando ſparſit ſanguinem debuit intueri virum aut mulierem pro quibus exſpiatio fiebat. quod ſi non attenderet animo pro quibus iſta ageret, reatum ſibi contraxiſſe.* (Sacerdotum erat cogitare pro quibus miniſtrarent, Sic Chriſtus Joh. 17: 19.) Quia v. mulieres intueri vetitum, ajunt in labro quod ex ſpeculis confectum, vidiſſe fœminæ offerentis imaginem. Bechai. *Non tamen profuit holocauſtum, quo dictum eſt modo, offerenti; Verum etiam vocatur* אשה ריח ניחוח לה, *quia beneplacitum Domini adhæret huic peccatori, poſtquam reſipuit à peccato ſuo, & obtulit oblationem ſuam, quam Deus ei imperavit, cujus voluntas facta ſic eſt.* Scilicet hacpropter chirographum quod contra Iſraelitas erat, dicitur etiam ὑπεναντίον Col. 2. verſ. 14. NB. τὰς ὑπεναντίους Heb. 10: 27. auget contrarietatem præpoſitio, Sed etiam Deus poſt ſatisfactionem placatus & amicus eſt, maxime propter hoſtiam illam quæ voluntate obedientiæ ſe obtulit, Meſſiam, Heb. 10. Eph. cap. 5: 2.

Quando holocauſtum ſic oblatum erat, fuit אשה totum igne Dei in altari abſumtum, ut nihil ceſſiſſet alii, qui partem debiti acciperet. ריח ניחוח uti odor gratus reficit animam, ſive ſpiritum, ſic odor ſacrificii tranquillat Deum; Chald. *Oblatio quæ cum acquieſcentia accipitur à Domino.* Bechai, ריח ניחוח *ſignificans rurſum* רוח נחה *Spiritum Dei quieſcentem ſuper offerentem; ut uniantur ſuperiora inferioribus.*

II. De *Grege*, ſive ovem ſive caprum, verſ. 10—13. (Bech. *Mediocris conditionis, non æque ſuperbo corde, ut priores, neque ita pertinaces in peccatis,* Abrab. ſimpliciùs, *qui non ſufficiebat bovi emendo, ovem aut hœdum offerebat.*)

Eadem notantur, niſi quod verſ. 11. imperetur *primo* quidem mactatio ad latus altaris; eoque in terra, non ſuſpendendo in aere, & ſic mactando. Ligatam ovem, (junctis pedibus dextris & ſiniſtris) collocabant capite verſus meridiem, facie ad occidentem, mactans ad orientem facie in occidentem versâ: *Item* ad ſeptentrionem altaris: *Denique*, verſ. 12. unus ſacerdos ordinat, in עולת בקר plures, quia hic fruſta majora, quam ut unus ſufficeret tollendis, uti quidem in ovibus aut capris, unde plures operam illam præſtabant, non hanc.

III. *De Avibus*, verſ. 14—17. (Bech. *Pauper, cujus cor humiliatum eſt, quique cæteris hominibus eſt humilior; quivis offert pro magnitudine ſui peccati.* Rectiùs Abrabanel pro facultatibus.) Ubi deſignantur

A. *Species*, Turtures aut Columbæ, verſ. 14. Nullas alias aves, quia hæ manſuetiſſimæ, patiuntur, non inferunt perſecutionem; & fidiſſimæ non deſerentes comparem, neque ſe miſcentes alii. Gallina repudiata ob impudicitiam. Bech. Sexus hic indifferens, attamen defectus majores, cœcitas unius oculi, aut fractura membri reddebat ineptam ſacrificio. *Ætas* in turture adulta, in columba minor: fides turturis poſt conjugium, columbæ ante, quia poſt Zelotypa, & divortium faciens. Turtures demum licitæ poſtquam fulgere inceperunt & rutilare, pulli columbarum illiciti quando incipiunt fulgere.

B. *Modus mactandi*, Sacerdos conſiſtens ad latus altaris, ungue reſecat caput & avellit à corpore, projicitque in ignem: ſanguinem autem ex corpore exprimit ad parietem altaris.

C. *Mundatio*, verſ. 16. Ingluvies cum *plumis* ſuis נוצה: alii cum *cibo* ſuo, vel cum *excrementis* (videntur à יצא ducere) Ingluvies cum cute & quicquid inteſtinorum una ſequebatur avellenda fuit & projicienda in locum cinerum, in orientali atrii parte, circa exitum, ut longiſſime removerentur, & quod idololatris honoratiſſimum, oriens, id contemtiſſimum Deo. Bechai. *Aves vivunt ex rapto (non ut boves & oves ad præſepe domini) hinc ingluvies abjecta cum rapto; aſt boum aviumque inteſtina combuſta in altari, modo eluta: ad damnationem omnis rapinæ, quam in hoc & futuro ſeculo puniri docet.*

D. *Oblatio*, verſ. 17. findebat manu apprehenſam alis, ſic tamen ut non avelleret partem ullam penitus, & tum adolebat igne in altari. Eodem effectu ut Deo placeret. Bechai. *Quis poteſt ferre odorem pennarum combuſtarum, ut non faſtidiat? quid ergo jubet Sciptura offerre iſta? quia ſatiatur & honoratur altare Dei oblatione etiam pauperrimi.*

NB. Raknat fol. 129. 1. *Omnes res ſupernæ habent figuram aliquam* (דוגמא ὑπόδειγμα) *& ſignificationem in hoc mundo. quod ſe habet ad illud ut umbra ad corpus, umbram faciens,* והוא אליו כצל אצל המיצל Sic Heb. 9: 9. 24. & cap. 10: 1.

CAP. II.

MENACHOTH ſeu munera inanima cibaria: & hæc

I. FARINÆ CRUDÆ, verſ. 1—3. heic autem

I. *Offerens* נפש homo, Gen. 12: 5. cap. 14: 21. Fuit oblatio pauperrimorum, qui ne quidem columbinum pullum exſolvere poſſent. (quamvis etiam hæc munera votiva forent liberæ electionis voventis:) Hinc Raknat. fol. 130 1. *In oblatione muneris extollitur voluntas humilis, & propinquat voluntati Excelſi, & viciſſim. Humilis ergo debet voluntatem ſuam adferre mediante oblatione, alligando animam ſuam nimæ oblationis: & tum æſtimat Scriptura quaſi animam ſuam obtuliſſet.* (Fidei hoc exercitium eſt.) Raſchi. *Pauper qui oblationem affert, ego æſtimo, inquit Dominus, quaſi animam ſuam obtuliſſet.* Bechai, eandem hic notat approbationem quæ in holocauſtis, verſ. 2. additque ex Rabbinis: *Pari loco eſt qui multum & parum affert, dummodo cor ejus fuerit directum ad Deum.*

II. *Donum* ipſum, *Simila* ex tritico puro non corrupto: ad minimum decima Ephæ; (licebat tamen ſex Epha in uno Vaſe ſimul offerre.) *Oleum* purum decimæ parti Ephæ infundebatur & permiſcebatur: ſed *Thus* in extremitate aliqua tantum collocabatur. Mincha jungitur aliis ſacrificiis Pſal. 40: 7. (etiam loco eorum Gen. 4: 3, 4. Gr. θυσία, προσφορὰ). Pſal. 40: 7. hinc eadem vocabula Marc. 9. verſ 49. Actor. 7: 42. Hebr. 10: 5. 8. 10.) adeoque oblatio Chriſti etiam hinc opponitur: qui pani ſe confert Joh. cap. 6. quamvis alio ſenſu, & grano tritici cap. 12: 24. unde mincha fiebat.

III. *Oblatio* verſ. 2. Unus Sacerdotum acceptum munus deferebat ad altare in angulo, meridiem & occidentem ſpectante; & removens thus omne in unum latus, pugillum (quantum comprehendere poteſt ante tribus, pone pollice & minimo digitis conſtringentibus quod comprehenſum; pugilli arreptionem putant reſpondere מליקה in avibus) mixtæ oleo farinæ alii vaſi imponit; tum omne thus ſuperaddit, aſpergit ſalem: atque injicit hoc omne igni. Factum ad recordationem tum fœderis Dei quod fide apprehendebatur: tum peccatorum Hebr. 10. verſ. 5. ut & hic fieret Chirographum ὑπεναντίον. Fructus autem ὁσμὴ εὐωδίας.

IV. *Sacerdotum jus*, verſ. 3. Reſiduum, ablato pugillo illo, manebat ſacerdotibus in communi; (quamquam Pontifex portionem haberet eximiam,) ſed comedendum inter Atrium, quia Sanctum Sanctorum: cum quæ ſancta duntaxat, etiam foris, modo intra caſtra aut Hieroſ. liceret edere. Diſtinguenda enim קדשים קלים & קדש קדשים.

II. PANIS Coctus nempe Ejus aliquot, verſ. 4—7.

I. *Genera*

A. *In furno*, verſ. 4. & quidem intra ſanctuarium; placentæ quarum ſimila mixta oleo, depſebatur aqua calida, & coctæ frangebantur in fruſta, addito thure: Vel lagana tenuia, ubi farina depſebatur aqua, & cocta inungebantur oleo; addito deinde thure.

B. *In ſartagine*, verſ. 5. מחבת *lamina ſine labro* ubi maſſa denſior, ne defluat farina oleo ſubacta, itidem in atrio: Fractio adhibenda in omnibus coctis, (quæ mactationi reſpondet) verſ. 6. atque oleum infundendum. Diviſio illa fiebat cultro, & fruſta habebant modum olivarum præter propter, ut pugillus inde quoque eximi poſſit.

C. *In cacabo*, ℣. 7. מרחשת *cum labro*, eoque maſſa liquidior, quæ tamen effluere nequit. maſſa ſimiliter oleo mixta.

II. *Oblationis modus*, verſ. 8–10. parum differens à ſimilæ munere; eademque Sacerdotum portio.

III. Accedit *Interdictum* generale de fermento & melle non adhibendis, ſive mixtis, ſive ſolis, verſ. 11. Mellis nomine etiam fructus dulces arborum intelliguntur. Abrab. *Fermentum, ne mora afferatur, dum exſpectatur fermentatio: mel, ne Sacerdotes attingentes anteverterent comeſtionem, lingentes digitos.* Aut quod cæteris placet: *Fermentum eſt figmentum malum, quod omnia corrumpit, & mel idem denotat, quia homini dulce eſt.* Baal hatturim. Maimon. hæc ab idololatris dicit adhibita.

Exceptio eſt, verſ. 12. in oblatione primitiarum (ut כ ſuppleatur) offeretis illa; fermentum Lev. 23: 17. in panibus, mel quoque inter fructus 2 Chron. 31: 5. ſed non poterant inferri altari; ut ſit munus acceptum. Scilicet agitari poterant coram Deo, non autem cenſeri inter ea quæ in altari offerentur.

IV. Additur *Mandatum* de ſale, verſ. 13. Addendum illud omnibus oblationibus cibariis; immo generatim omnibus ſacrificiis: & vocatur *ſal fœderis*; quia ſignum fœderis, ejus conſtantiam deſignans Num. 18: 19. 2 Chron. 13. verſ. 5. Salis natura eſt præſervativa & ſapida; ſine eo carnes facillimè corrumpuntur, atque etiam inſipidæ ſunt. Hinc adhibendum mandavit. Marc. 9: 49. Ubi Cloppenb. πυρὶ *ſacrificium igne abſumendum.* Et jubentur pii condimentum id habere in ſermone Col. 4: 6. in converſatione Marc. 9: 50. in doctrina & vita doctorum Matt. 5: 13. Bechai. *Sal non tantum conſervat carnes, ſed etiam ſterilitatem affert: eoque ſignificat Dei miſericordiam & judicium, atque utriuſque in negotio oblationum temperamentum.* Fabula eſt de fœdere, cum aquis inferioribus, unde ſal ſacrificiis accedit, & in feſto tabernaculorum effuſio aquæ. Sal (æque ac ligna) publico Eccleſiæ ſumtu parabatur, & magna copia aſſervabatur in conclavi proprio; adhæc in pedamento altaris ubi ſaliebantur partes hoſtiarum: & in altaris ſummo, unde ſumebatur in holocauſtis avium, & cibariis oblationibus omnibus. Inſulſa omnia, in altari offerenda, polluta cenſentur.

III. PRIMITIARUM MANIPULI, verſ. 14, 15, 16. ubi אם non libertatis eſt ſed temporis, quando afferes ſpicam viridem hordei, toſtam igne in ſanctuario; ut ſiccata comminui queat; גרש (cum ש pro ס à גרס *comminutus fuit.*) *comminutum*; quidam in tenuiſſimam farinam, quam pollen vocamus, γῦρις: Abrab. groſſo modo, *alica*, groat vel grutte. כרמל *ariſtæ* plenæ & virides. Hoc modo contulæ & comminutæ addebatur oleum, menſura Log, ut ubique; & thus; atque offerebatur in recordationem, comburendum igne: ſed de eo genere pleniùs Lev. 23. verſ. 10.

CAP. III.

Abrab. de ordine teſtatur, initio loqui de voluntariis oblationibus, tum de debitis. In illis itidem obſervari diſcrimen dignitatis. Tres eſſe menſas, quæ ex oblationibus inſtruantur. 1. Dei, quo nomine altare venit Ezech. cap. 41: 22. & Malach. 1: 7. 12. 2. Sacerdotum in atrio. 3. offerentis in caſtris, & poſt Hieroſolymæ. Solius Dei inſtrui in holocauſtis: ubi ditiorum. mediæ ſortis, pauperum impenſæ. cap. 1. Dei & Sacerdotum in muneribus cibariis, cap. 2. Dei ſacerdotum & offerentis in pacificis, cap. 3.

PACIFICA שלמים quia pacem conſtituunt inter mundo: aut quia in iis pax eſt altari, ſacerdotibus, & offerentibus. R. Sal. à שלם *pacem habuit, rependit*, eſt Confeſſionis ſeu euchariſtiæ, pro beneficiis præſtitis, pacis & proſperitatis; aut pro acceptis votivis bonis; aut voluntariæ oblationis. Etiam in petitione bonorum talia offerebantur. Jud. 20: 26. & cap. 21: 4. Targ. Sanctitatis, quia ſigillatim ob cauſas privatas ſegregabatur. Gr. εἰρηνικὴ θυσία, aut σωτήριον. Diſtinguuntur hic à ſpecie victimarum.

I. DE BOBUS, verſ. 1–5. notatur.

I. *Sexus*, verſ. 1. promiſcuè, mas vel fœmina, modo integra ſit hoſtia. NB. in holocauſtis mas, quia in iis expiatio, quæ per marem facta: hic non expiatio ſed euchariſtia, & votum, quod citra diſcrimen ſexus, omnibus incumbit; ut hic non ſit vir aut mulier.

II. *Actiones offerentis*, verſ. 2.

A. *Impoſitio manuum*; ſed aliter ac in holocauſto: non jungebatur confeſſio peccatorum, ſed recitatio laudum Dei: & χειροθεσία fuit licita quovis in loco atrii, ubi mactabatur. Significabat fidem in Chriſtum, & acceptionem etiam laudum ſuarum per ipſum apud Deum.

B. *Mactatio*, in atrio, non præciſe ad ſeptentrionem; ubi Sancta Sanctorum immolabantur; at pacifica fuere קדשים קלים.

III. *Actiones ſacerdotum*,

א. *Sanguinis adſperſio* ut in holocauſtis; quomodo etiam fit in proreatu.

ב. Portionis, quæ Dei erat, *ſeparatio*, verſ. 3, 4, 5. (Nam non memorantur hic quæ cedebant Sacerdoti pectus & humerus dexter. Lev. 7: 30. 32. & offerenti reliquæ carnes Ib. verſ. 15, 16.) Adeps inteſtinorum, omentum & meſenterium, renes cum adipe ſuo iliis adhærente, nec non reticulum hepatis. Adeps notat optima Gen. 4: 4. quæ Deo offerenda. Renes, ſedes voluptatis cupiditatiſque, (non cor aut cerebrum, quæ mentis & ſapientiæ) comburendi in pacificis, ſignificatum mortificationem cupiditatum, ut mente ſervirent Deo.

ג. Separatæ portionis *oblatio*, verſ. 5. Adolebatur in altari; (הקטיר quod æque grata foret hæc combuſtio, ac thymiamatis;) ſed obſervato ordine, Sanguine ſparſo, & excoriata ac ſecta victima. Sacerdos imponebat offerentis manibus 1. adipem 2. pectus & humerum, 3. renes & reticulum hepatis, 4. ſi panis adeſſet, ſummo loco. Tum ſua manu ſuppoſita omnia agitabat coram Domino: (mulier ordinarie manus non admovebat, ſed pro ea ſacerdos) poſt interiora ſale condiens comburebat; Pectus & humerus combuſtis interioribus cedebat Sacerdoti & una cum agitatis panibus edebatur in atrio; reliquum offerens referebat domum, cum familia & amicis, loco ſancto, intra urbem Hieroſ. comedendum. Sed pacifica ſemper adolebantur poſt holocauſta, ſaltem matutinum juge; quia nulla oblatio voluntaria aut euchariſtica Deo placere poteſt, niſi generali expiatione præmiſſa.

II. DE GREGE. Pariter indifferens eſt ſexus, verſ. 6. nec non ætas. In pacificis nulla oblatio avium valet: (an quia euchariſtia non debet avolare, oblivioni tradita?) minorennes hoſtiæ valent à die octavo uſque ad annum completum: majores de grege uſque ad finem ſecundi, & de bobus uſque ad finem anni tertii: quando hanc ætatem ſuperarunt, ad ſacrificia non cenſentur idoneæ.

De Ovibus, verſ. 7–11. eodem modo; niſi quod חלבו האליה quod ἀνύθιον putat Bech. per regimen cum ו parag. ſignificet caudam pinguiſſimam, qualis ovium in Syria etiam Plinio teſte l. 8. c. 48. quæ vox אליה ſolum de ovis aut arietis cauda dicitur, cum זנב alias generale nomen ſit: & hæc pars ob adipem majorem ſeparabilem fuit comburenda quoque. Cætera eodem modo ut in bobus peraguntur. Heic ſolum dicitur לחם de eo quod Deo comburebatur; uti & alibi, cibus Dei ſuper altari quæ menſa Dei abſumendus.

De Capris, verſ. 12–16. omnia ſimilia: niſi quod omittuntur אליה quæ non convenit capris: unde de his ſigillatim dictum.

Interdictum generale de adipe & ſanguine non comedendis, cum portio reliqua cederet offerentibus & ſacerdotibus, licet communicarent cum Deo in eadem hoſtia, non licuit tamen attingere portionem Deo propriam, adipem & ſan-

& ſanguinem, verſ. 16, 17. *Adeps* חלב dicitur non pinguedo omnis, ſed ea ſolum quæ ſeparabilis à carne; huic immixta, & carne tecta, licita fuit: item tantum in bobus, ovibus, capris; non in aliis animalibus, feris aut cicuribus, mundis, immundiſve, ubi adeps & caro ejuſdem conditionis. Adhæc adeps interdictus ſemper eſt inteſtinorum, & renum, & iliorum: aſt qui caudæ, ſolùm in ſacrificiis. *Sanguis* interdictus quadrupedum & avium (quia in altare ſpargi potuit) non piſcium aut locuſtarum. Rationes variæ dantur. 1. Maim. ſanguis comeſtus in ſacrificiis gentilium 2. Ralbag. adeps & ſanguis cibus ſunt noxius, mali temperamenti. 3. Kabbal. ſanguis reſpondet דין מדת & adeps מדת הרחמים quæ ſolius Dei diſpoſitioni manent; (& in victimis junctim oſtenduntur.) 4. Sanguis ſanitatis, adeps pulchritudinis cauſa, & hæc duo ſunt occaſiones peccandi: unde ab iis abſtinendum, & cauſæ malorum abſumendæ igne Dei. 5. Concionat. jejunium loco hoſtiarum: qui jejunat ejus adeps & ſanguis imminuitur, & cenſetur Deo obtuliſſe. 6. Abrab. ſanguis peccato, adeps remiſſioni reſpondet: Eſa. 1: 17. quæ duo conjungantur, quia peccata aferantur ad Deum, & R. P. ab eo prodeat. Rakn. de ſanguine: Sanguis ſeu anima bruti non eſt idoneum nutrimentum animæ humanæ, quæ inde bruteſcit. Alii nihil eorum comedendum, ne reconciliationem ſibi ipſis homines tribuerent. Plura ad cap. 17.

CAP. IV.

SEquuntur *SACRIFICIA DEBITA* ſive imperata, & hæc duûm generum pro peccato cap. 4. pro reatu cap. 5.

PRO PECCATO cap. 4. Abrab. præmittuntur voluntaria, tum demum debita: illa ſolum laudantur à prophetis, Pſal. 51. fin. non iſta; vellet Deus omnia Iſraelis eſſe holocauſta & pacifica; nulla pro peccato & reatu. Exod. cap. 20: 24. mandantur ſeu permittuntur potius priora: poſteriora demum imperata poſt fœdus ſarcitum, & violatum. Immo tempore futuro, quando plenior erit ſanctificatio, ſolum priora obtinebunt, non poſteriora Eſa. 56. verſ. 7.

I. *In genere* deſcribitur peccatum, verſ. 1, 2. ubi

A. *Peccans* dicitur נפש Bech. *Hæc vox comprehendit animam & corpus junctim*, ex Gen. 2: 7. Nam juſtitia & peccatum ſunt junctorum; ſejunctim nullam habent actionem quæ pœnam aut præmium ferat. Hinc Lev. 17: 10. *dabo faciem meam contra animam comedentem ſanguinem*, (atque corpus eſt quod edit, quanquam non niſi vivum, quod proinde ejus ſignificatione comprehenditur) & mox addit, & *exſcindam eum*. Sic quoque hic utroque נפש כי תחטא ועשה. Interdum etiam ſolum corpus dicitur נפש, 1 Reg. cap. 20: 31. Num. 23: 10. neque enim datur mors animæ. Ergo intelligitur quivis homo, æque generaliter ac אדם Lev. 1: 2.

B. *Peccatum*, בשגגה Chald. בשלו *per errorem*, Græce ἀκουσίως, aut ἄγνοια. Conf. Heb. 5: 3. cap. 9: 7. quando quis declinat à via ex ignorantia, aut oblivione, inconſideratè, aut etiam deceptus. Sed Hebræis, שוגג dicitur, qui novit ſe feciſſe; ſed fecit per errorem, ignoranter, admittens aliquid quod interdictum: (Ergo tantum violando prohibitiones, ſeu præcepta negativa:) quod ſi ſciens volens admiſiſſet exciſionem manu cœli meruiſſet; is, ſic ignorans, tenetur ad hanc expiationem.

II. *In ſpecie* indicantur perſonæ ad talem victimam offerendam obligatæ.

A. *Sacerdos unctus* (Pontifex maximus, nam is ſolùm ungebatur ætatibus ſubſequentibus; & hic tenebatur ob tale peccatum, non ante ſed poſt unctionem admiſſum: ante cenſebatur privatorum unus.) verſ. 3--12. Hujus

א. *Peccatum*, verſ. 3. *ſi peccarit ad reatum populi*, id eſt ut cauſam peccati det populo, quando docuit & docendo fecit ut patrarent aliquid quod interdictum, per errorem & ignorantiam aliquam. Mal. 2: 8. Si non docuit, ſed egit aliquid iſtiuſmodi, ad hanc hoſtiam eum teneri negant: quidam tamen ajunt, ſi peccet juxta reatum populi; quia enim æque facto quam verbo docet, ob dignitatem perſonæ, iſtud delicto illi expiando requiritur.

ב. *Victima*, juvencus tertii anni, maſculus integer: (major hoſtia & incurrens in oculos, pro majori peccato) dicitur חטאת quia pro peccato. Bech. *ad commendandam omnibus, argumento à majori, reſipiſcentiam*; ſi Pont. maximus debet publice fateri ſuum errorem, & quærere reconciliationem, eamque poteſt impetrare, E. etiam minores conditione, ubi tot circumſtantiæ non adſunt in ſacrificio, quæ omnium oculis & notitiæ pateant.

ג. *Actiones* circa eam variæ.

a. *Adductio* juvenci in atrium, verſ. 4. ab ipſomet facienda, (neque enim per ſubſtitutum iſta agere licuit.)

b. *Impoſitio manuum*, addita confeſſione, & fide. Maimon. in Schegag. c. 3. §. 10. *Nec dies expiationis, nec victima pro peccato, aut pro reatu, expiant, niſi eos qui reſipiſcunt, & credunt in ſuam expiationem: ſed qui recalcitrat, ei non proſunt.* Scilicet accedendum cum vera fide &c. Heb. cap. 10: 22. etiam in Vet. Teſt. Neque enim vicaria potuit eſſe victima, niſi ei qui crederet à Deo vicariam eſſe conſtitutam, atque hac fide eam ſiſteret; in quo conſiſtebat ratio chirographi χειρογράφου.

c. *Mactatio* in atrio, ad ſeptentrionem.

d. *Illatio* ſanguinis in Sanctum, verſ. 5. מדם non omnem, ſed partem. Non in Sanctum Sanctorum, (huc tantum proceſſit in feſto Expiationis.) Sacerdos unctus, maximus omnium ſumebatur ex hominibus habentibus infirmitatem, qui pro propriis quoque peccatis offerre debuit Heb. 5. verſ. 1, 2, 3. Fecit autem omnia ipſemet; non alius ſacerdos pro ipſo: quia majorem ſe in terris non habuit, major autem eſt expians, quam qui expiatur. Quod v. ingrederetur in Sanctum, cauſa eſt, quia reus per ignorantiam eo ingreſſus illud polluerat, & omnia ejus inſtrumenta; proinde debuit rurſum ea mundare: ſed non egebat mundationis Sancti Sanctorum, quo non venerat in ſuo iſto reatu.

e. *Adſperſio* in Sancto, verſ. 6. Intingens digitum ſuum indicem dextræ, ſpargebat ſepties verſus velum interius, quod ſecundum dicitur; Heb. 9: 3. & tegebat Sanctum Sanctorum. Significatur, clauſum ei aditum ad Deum, ni ſanguine ſibi feciſſet viam. Et ſeptenarius numerus myſticus ad expiationem, reſpicit primam ejus ſanctificationem Gen. 2: 3. quæ à Deo profecta; & plenitudinis in Chriſto, ſeptimo mundi die promiſſo, habet ſignificationem: quæ ſi non obſervaretur præfinitus iſte numerus, peribat, nec ad Chriſtum habebat relationem. Acceſſit alia adſperſio ibidem, verſ. 7. ingreſſus conſiſtebat inter aram ſuffitus & Candelabrum, & ſpargebat ſanguinem ſepties verſus velum: ſive contingeret, ſive non, nihil intererat. tum digito illinebat ſanguinem aræ illius cornibus incipiens à Septentrione orientali, tum procedebat ad Septentrionem occidentalem ad meridiem occidentalem, ad meridiem orientalem. Cum enim Sacerdotis eſſet interpellare pro populo; ipſe autem ſe polluiſſet; preces ejus erant pollutæ, & earum oblatio; (quæ ſignificabatur ſuffitu in hac ara) ut expiatio neceſſaria foret, Joh. 9: 31.

f. *Reſiduum* ſanguinem egreſſus ex Sancto in atrium, effundebat ad fundamentum aræ holocauſti in latere occid. quod primum occurrebat regredienti, verſ. 7. quaſi ex fundamentis omnia mundaturus, quæ polluiſſet. Si quicquam circa ſanguinem omiſſum eſſet, non fiebat expiatio, ſive in numero, ſive in ordine, ſive in loco erratum foret. Ergo adipis oblatio, verſ. 8, 9, 10. facta adſperſione ſanguinis; aperiebatur hoſtia, & eximebatur adeps omnis, cum renibus, ut in pacificis: ac vaſe excepta omnia ſalitaque injiciebantur igni ſuper ara holocauſti; ut interiora igne purganda ſignificarentur. Eſa. 4: 4.

g. *Combuſtio*, verſ. 11, 12. Cutis non excoriata cum carne, & cruribus, inteſtiniſque & excrementis efferebatur extra caſtra, (poſt extra Hieroſ.) in locum non pollutum; (ut ubi ſepulchra, aut lapides leproſi,) ſed purum, deſtinatum cineribus altaris: atque ibi ſecta hoſtia in fruſta ordinaria, ſed cum cute, comburebatur, quibuſcunque lignis adhibitis. Hic locum habet illud Heb. 13: 11. 14. de quo pleniùs ad Lev. 16: 27. De fructu hujus oblationis nil dicitur, ſed ex ſeqq. intelligendum: attamen obſervat Rakn. *Non legitur de oblatione pro peccato Sacerd.* ונסלח לו: *quia nondum plene ei condonatum uſquedum ſupplicaverit*

rit Deo ſuo, quia Angelus Domini eſt, Mal. 2: 7. qui debet eſſe innocens & puris manibus. Baal hatturim. *In omnibus hilaſticis ſcribitur* פר & סלח *præterquam de Sacerdote: nam ejus error æque gravis ac aliorum ſuperbia.* Sane Petrus debuit ſingulariter adhuc convinci peccati antequam reſtitueretur in munus Apoſtolicum Joh. 21.

B. *Synedrium majus*, verſ. 13—21. Hi deſignantur per עדה contradiſtincte קהל. Si Synedrium docuiſſet aliquid per ignorantiam, faciendum eſſe, cum id interdictum foret lege, & pop. credens iſti doctrinæ, feciſſet; poſtea autem patuiſſet Synedrio ſuus error (Sacerdos ſi una docuiſſet iis accenſebatur, neque ſingulariter habuit expiandum,) tenebatur iſta expiatione defungi. Sed pop. immunis eſt, quia nixus eſt horum doctrina. Sed debet ignorantia Judicum verſari in aliqua parte præcepti, non in abolitione totius: non ſi dicant, colendam eſſe imaginem: ſed aperiendum caput, aut genu flectendum. Si pop. non fecerit, quia nulla actio ſecuta, Hebræi negant neceſſariam eſſe hanc hoſtiam: & ſi ſcientes volentes faciant, huic hoſtiæ locus non eſt; Sed quivis ex populo ab ipſis deceptus pro ſe offerre debet pro ignorantia. Hoſtia eadem eſt, & eadem lex ejus cum priori Sacerdotis ſummi: quia utrobique ſunt doctores & cauſa erroris aliis; ut ſuperbiæ aliorum æquiparetur. Cæterum hoſtia, juvencus, adducendus eſt ab Eccleſia univerſa, & ſi plures tribus, aut aliqui ex pluribus tribubus hic ſeducti peccarint, 12. juvenci afferebantur. Synedrium imponebat manus, non totum ſed tres ex omni numero: & Pontifex maximus peragebat miniſterium: expiatio autem promittitur, verſ. 20. Liquet autem hinc, quod etiam Eccleſia repræſentativa poſſit errare in doctrina, & cauſam errandi dare populo. Eſtque neceſſaria generalis oblatio pro docentibus & edoctis; nam tota Eccleſia offerebat juvencum: ac Doctores edebant confeſſionem, utpote hic ſeductores.

C. *Princeps*, verſ. 22—26. qui non docebat.

א. Summus omnium, Rex, qui ſolum Deum ſuperiorem habet.

ב. Peccatum, ignorantiæ quoque, אשר idem quod אם, ſeu pro כאשר. Poſtquam ipſe agnovit ſuum peccatum, aut ab alio monitus de eo & convictus fuit. Si cum omni cœtu, edoctus à Pontifice vel Synedrio errantibus peccavit, continetur, univerſitate cœtus: ſed ſi ſolus, hic tenetur. Bechai, Si cœtus univerſus peccavit Rex unà comprehenditur. Nam in cujus poteſtate eſt impedire, & non impedit, omnium & cum omnibus reus eſt.

ג. *Victima* eſt hircus integer. Satan, ſeu שדים dicuntur etiam שעירים, & quia Satan ejus eſt יצר הרע hinc oblatio ejus eſt שעיר hircus. Abrab.

ד. *Actiones offerentis*, adductio, χειροθεσία cum confeſſione. mactatio in loco holocauſtorum ad Septentrionem atrii.

ה. *Actiones Sacerdotis*, ſanguis illitus cornibus aræ holocauſti, & reliquum fundo ejuſdem affuſum, adipis combuſtio.

Fructus autem expiatio & condonatio. NB. Sacrificia pro peccato ſunt pro ignorantiæ peccatis non pro iis quæ voluntariæ, deliberato, præſumtuoſe, elata manu fierent. Heb. 2: 2. cap. 10: 26. Num. 15: 28, 29, 30. imo crimina à magiſtratu civili punienda, non habent hoſtiam; non adulterium, homicidia, furtum &c. unde Pſ. 51: 18, 19. 1 Sam. cap. 3: 14.

D. *Privatus* aliquis, verſ. 27—35. offerebat capram, aut ovem fœmellam; ſed omnia eodem modo peragebantur, & circa adipem ovis obſervatum fuit, quod in aliis pacificis. NB. To סלח quod hic uſurpatur propriè notat dilationem pœnæ. Conf. Jer. 5: 1. Num. 14: 20. Huc facit quod Belgæ notant Heb. 9: 15. peccata manſiſſe non expiata, uſque dum Chriſtus ea expiavit. Ergo tantiſper dilata fuit pœna; & tranſcripta ſeu tranſlata peccata in ſponſorem Meſſiam; ut peccatorum patratores indemnes eſſent.

CAP. V.

DE REATIBUS: circa quos tamen diſtinctio obtinet. Sunt enim leviores, verſ. 1.—13. quos Abrab. accenſet peccatis ignorantiæ prioribus, (nam verſ. 6. dicitur æque חטאת ac אשם) ſed pro ratione facultatum minui oblationes; ut etiam pauperrimi obligentur: קרבן עולה ויורד. Sunt etiam graviores, qui dicuntur Hebræis ſimpliciter אשם. *Aſcham* & *Chattâth* videntur ſynonyma quandoque, verſ. 7. & 16. 19. & æquari cap. 7: 7. Diſtinguunt alii ut *Chattath* pro omiſſionis *Aſcham* pro commiſſionis peccatis offeratur: aſt cap. 5: 18. alii in *Chattath* juris, in *Aſcham* facti ignorantiam fuiſſe expiatam. Aliis *Aſcham* particulares caſus habet, qui in *Chattath* non potuerunt commode comprehendi, & Chriſtus factus, *Aſcham*, ut ſingulariſſima quoque peccata expiaſſe ſignificetur. Alii hæc peccata faciunt prioribus leviora; & in illis oblationes non fuiſſe imminutas pro facultate offerentis, quemadmodum hic fit. I. Recitantur autem

A. *Peccata* varia.

א. *Negati teſtimonii*, verſ. 1. נפש Abrab. *quisquis habet animam, ſive mas ſive fœmina, quæ audiverit* אלה *adjurationem.* (Quas oblationes mulier debet, eas maritus pro ipſa tenetur offerre pro modo ſuarum facultatum.) Nempe in judicio factum ſive à judice, ſive à parte litigante. (Imo etiam à quocunque, licet puero aut infideli, ſi reſpondeat Amen, aut quid ſimile; ſive nomen Dei ſive ejus epitheton aliquod fuerit pronunciatum.) Sic Matt. 26. verſ. 63. coll. cum Marc. 14: 61. item 1 Theſ. 5: 27. *Et ipſe teſtis eſt* (הוא mutato genere. Bechai. & *ipſe Deus, ejus rei teſtis, nempe* ſolus præter audientem; ita ut ab alio homine convinci non poſſit. Idem הוא Deum notare probat dictis Pſ. 100: 3. & 19: 61. והוא כחתן &c. conf. Rom. 10:) *ſive viderit, ſive* alio modo *ſciverit*; & adjuratus *non indicarit*; ſed celarit ſuam ſcientiam; ſive particulariter, ſive generaliter facta fuerit adjuratio; *ferat ſuam iniquitatem*, hoc eſt meretur excidium Lev. 19: 8. & cap. 20: 17. niſi videlicet expiationem obtulerit. Hinc Chriſtus adjuratus reſpondit.

ב. *Contrectatio rei immundæ*, verſ. 2, 3. puta cadaveris reptilis mundi, aut animalis cujuſcunque immundi: aut cadaveris hominis (quæ immunditia maxima) adeoque etiam quamcunque aliam hominis immunditiam; & ipſum lateat immunditia, ſitque immundus & reus fiat. Non agitur de ſimplici contactus immunditie: (nam ea expiatur, non ſacrificio, ſed lotione Lev. 11: 24. 31. & de cadavere hominis Num. 19: 16. ſ. aſperſione aquæ purificationis) ſed ſi in ea immunditia, non adhibita lotione ad purgationem, oblitus nempe ſe immundum eſſe, ingrediatur Sanctuarium, aut comedat de ſancto: nam hacpropter meretur exciſionem. Num. 19: 20. Lev. 7: 20, 21. quo facto reatum contrahi docet R. Sal. eoque indiget ſacrificio. Quod verſ. 3. dicitur, & *ipſe noverit*, videlicet poſtmodum, ſe fuiſſe pollutum, aut fuiſſe rem ſacram quam comedit. Scilicet pollutionis ſuæ tempore facti conſcius & ſciens quoque rem eſſe ſanctam, ſi poſtmodum alterutrius vel utriuſque oblitus fuerit, & comedat; deinde v. revocarit in memoriam, reus eſt, & tenetur ad oblationem.

ג. *Juramenti violatio*, ℣. 4. quando quis ore pronunciat de ſeipſo, ſe quid feciſſe aut non feciſſe, facturum aut non facturum: ſive in damnum, ſive in commodum ſuum, puta edam vel non edam; & oblitus juramenti facit contrarium, poſtea autem reminiſcitur, reus eſt. Si juret violationem præcepti divini, neque facit, non hinc reus eſt; ſed pœnam plagarum fert pro vano juramento. Si juret ſe toto ſeptiduo cibo aut ſomno abſtenturum, vapulat ob vanum juramentum, & illico agit contrarium. Huc facit Pſal. 15; 4. in proprium damnum. Conf. 23: 12. ſ.

B. *Expiatio*,

א. *In genere*, verſ. 5. Confeſſio ſuæ culpæ, juncta χειροθεσία in caput hoſtiæ. Hæc neceſſaria in omni peccato, aut non fit expiatio. Præmittitur autem mentioni victimæ, quia in memoratis omnibus caſibus requiritur & tamen pauperrimus ſimilà expiatur, cui manus imponi nequit.

ב. *In ſpecie.*

a. Maxima, verſ. 6. Hoſtia eſt ovis fœmina ſeu capra. In levioribus ſexus muliebris adhibetur: an quia נשים à נשה, & hîc ea ubi oblivio intervenit? An quia prima in transgreſſione fuit mulier? & privata, reſpectu mariti? unde privatorum oblatio Lev. 4: 27. Cæterum omnia fiebant hîc ut in pro peccato; adeps &c. comburebatur, car-

nes

nes comedebantur à Sacerdotibus maribus in atrio. Ita Sacerdotes comedendo hoſtias pro peccato, peccatum in ſe transferebant: ſignificantes Chriſtum Sacerd. alienum reatum ſuum feciſſe, & quaſi ſibi incorporaſſe: quemadmodum de maledictione Pſ. 109: 18. Sic enim debuerunt ferre iniquitatem populi Lev. 10: 17. Offerens porro pro peccato vel reatu debuit cogitationem ſuam habere ſuper illud peccatum ſingulare, pro quo offerebat: ut examen proprium, & judicium de quavis via & actione fœderatorum commendaretur 1 Cor. 11: 31.

b. *Medioxuma*, verſ. 7–10. Cum ſtata eſſent ſacrificia, tamen dabatur קדבן עולה ויורד precio varium, pro conditione facultatum, in caſibus hic memoratis, ob reticentiam veritatis poſt adjurationem, verſ. 1. ob juramentum in ſe ipſum violatum, verſ. 4. ob ſacra in impuritate comeſta, vel profanatum in impuritate Sanctuarium, verſ. 3. nec non in puerperæ & leproſi purificatione. Lev. cap. 12: 8. & cap. 14: 21. Pauperi tamen licuit offerre oblationem divitis, ſed non viciſſim. Conditio cujuſque æſtimabatur qualis erat, non peccati, ſed expiationis tempore. Sic damnum aliquod ſentire voluit Deus peccatores, ut precio ſe redimi ſcirent, 1 Pet. 1: 18, 19. & quidem ſanguineo ferè. (*a.*) *Oblatio* fuit hic duo turtures, aut duo pulli columbini. quorum prior offerebatur pro peccato, poſterior in holocauſtum. Rakn. *Quando rex conciliatus eſt, infertur donum. hoc eſt pro peccato offertur ad expiandam faciem* (iram) *ejus, propter accuſatorem; & quando placatus eſt venit holocauſtum ad miſericordiam. Hic enim ordo eſt ædificii, primum* לחטאת *juſtitiæ ſatisfaciendum, tum ſequitur* לעולה *miſericordia quærenda, quo pertinet, & ſine pretio vinum & lac.* (*b.*) *Modus oblationis*, ut ſacerdos ungue ſecaret cervicem volucris, ſic ut collum totum non ſepararet à corpore: (quod fuit difficillimum miniſterium Sacerdotis. ſi enim ſcinderet totum, peccabat, & plagis fuit puniendus.) ſanguis aſpergebatur parieti altaris, & reliquus exprimebatur ad aræ fundum. Altera volucris parabatur ut Lev. 1. dictum. Duo volucres offerendæ, pro peccato & holocauſto; quia in volucre nihil erat pro altari præter ſanguinem, (nullus adeps aut interiora,) qui non erat cibus, hinc duæ aves offerendæ, una pro peccato, quæ foret cibus ſacerdotibus, altera holoc. quæ foret cibus Altaris. De phraſi, *Expiabit pro eo ſacerdos, & condonabitur, ipſi*, dicit Bechai, *condonabitur à Cœlo: nam peccatum aboletur hoſtia per manus Sancti Bened. Sacerdos oblatione expiat, obtegit aut conciliat munere Deum.* אכפר פניו במנחה *obtegam iram ejus munere. ſed condonatio plena non tradita eſt in manus hominis, ſed manet uni & ſoli Deo:* q. d. Pſ. 130: 3.

c. *Minima*, verſ. 11–13. (*a.*) *Pretium* minimum oviculæ vel capellæ pro peccato *duo ſicli* (ſacri nempe) hoc eſt Imperialis. Duorum turturum &c. decima illius pars hoc eſt 5 ſtuf. & Similæ hujus decima poſterioris, hoc eſt dimidium ſtuf. Τὸ מצא hic eſt *ſufficere.* (*b.*) *Munus*, decimum Ephæ (quantum diurna hominis portio erat.) ſed ſine oleo aut thure, quod pro peccato foret, quia defectus gratiæ inhærentis, & ſuaveolentiæ coram Deo. Hinc manipulus comburebatur in altari: reliquum à Sacerd. edebatur in atrio. Idemque effectus expiationis. Hæc una oblatio ἀναίμακτος, pro pauperrimis: דלי דלים: ſed ſolum in caſibus hujus capitis, aliàs etiam tenebantur ſtatis hoſtiis. Gentiles dixerunt pauperem farre litare æque ac divites hecatombis.

II. Sequuntur, אשמים quæ non unius generis: Hebræis dicuntur אשם ודאי confeſſum evidens: & אשם תלוי ſuſpenſum, dubium; ubi ambigitur ſitne peccatum, nec ne: Sunt autem hic enumerata.

A. מעילה *Prævaricatio*, ſpeciatim in uſurpandis iis quæ Dei ſunt propria, verſ. 14–16. Si quis utilitatem ullam capiat ex rebus Deo ſacris: ſive deſtinatis altari, aut ſanctuarii conſervationi. Si quis comederet decimas in propriis portis: faceret opus primogenito bovis, aut talis ovis lanam tonderet, aut filum inde ſuis uſibus adhiberet, quicquam reſervaret ſibi de rebus votivis (quod fecerunt Ananias & Saphira Act. 5.) ſimiliaque plurima. Atque id feciſſet per ignorantiam, ut neſciret, quando utebatur, eſſe ſanctum Deo. Nam ſi ſciens & prudens, præſumptuoſe ageret, merebatur excidium: (quod Anan. & Saphpaſſi Act. 5.) & ſi præſumtio conſtaretur Magiſtratui, fuſtigationis pœna fuit irroganda.

Hoſtia hic fuit Aries (biennis) perfectus, (hoſtia de grege potiſſima) qui ad minimum valeret 2 ſiclos ſacros. æſtimante ſacerdote. כסף שקלים pluralis ad minimum duos notat. Attamen ante oblationem pretium rei uſurpatæ fuit Sacerdoti exſolvendum, addita quintâ parte, ut ſi 5 ſiclos æquaret, quod de ſacro fruitus eſſet, totidem redderet, unumque ſuperadderet. & ſic ariete illo fiebat expiatio. Si quis tamen pretium & arietem afferret expiabatur, & quinta pars poterat differri, ut debiti rationem haberet. Maimon. *Quinta pars, ſiquidem cum ſorte jungatur; alias eſt pars quarta; ſi quatuor ſint æſtimatio, ſolvit quinque.* Abrab. *Quinta pars ſuperaddenda cedebat Sacerdoti offerenti victimam; ſed reſtitutio pretii illi, cujus res perierat: Sacerdotibus aliis aut Levitis* &c. Dicitur אשם מעילה, eſtque ודאי.

B. *Incertum delictum* contra Deum, verſ. 17–19. Qui inſcius facit interdictum quid, neque unquam (vel quamvis nunquam) certò ei conſtat, an peccarit. *reus eſt, & iniquitatem feret*, (dignus excidio.) Si poſtmodum innoteſcat factum, tenetur alia lege Lev. 5: 4. & 15. E. g. apponuntur in menſa adeps & pinguedo; ipſe neſcit adipem adeſſe, & alterutrum comedit; poſt venit teſtis, qui dicat, illud quod edit fuiſſe adipem, licet ipſe neſciat quidnam ex duobus ederit, tenetur.

Victima eadem eſt quæ in priori. Sed nulla hic reſtitutio, cum quintâ. Quod v. repetitur, verſ. 18. *quamvis non noverit*, ne quis id injuſtitiæ deputet, dicitur ad explicationem, verſ. 19. Sacrif. pro reatu eſt, vere reus eſt Domino. Etſi ipſe ignoret, Deus cui omnia nota conſcius eſt, qui hoc modo per teſtem eum monitum voluit. Dicitur אשם תלוי. & pertinuit ad ingenerandam ſollicitudinem & ἀκριβειαν in omni actione, Conf. Eph. 5: 15. ſ. Job. 1: 5. Utriuſque generis אשם, mactabatur & ſparſo ſanguine excoriabatur, adeps ſalitus comburebatur, caro comedebatur à Sacerd. in atrio.

C. *Perfidia* in Deum & proximum, verſ. 20–26. Quando quis prævaricatur contra Dominum, pejerando, dum proximum defraudat ſuis facultatibus. Defraudatio proximi eſt prævaricatio contra Deum. Pertinet ad ea quæ homines inter ſe agunt ſine teſtibus; E. g. depoſitum, תשומת יד credita pecunia ut ea negotietur, vel ſocietatis negotia, גזל dum per vim eripit aliquid, עשק dum quod ei conceſſum violenter retinet. Vel deperditum quod invenit; ſi quicquam horum neget, & jusjurandum addat; reus eſt, & ſi expiari velit, præter confeſſionem debet reſtitutionem facere illi, ad quem res pertinet; additâ eidem quintâ. Tum offerre arietem, uti priores.

Repetitio, verſ. 26. ſignificat ſi contra plures deliquerit, ſingulis deberi reſtitutionem, & pro ſingulis hoſtiam. Eſt & hic אשם ודאי. Quod reſtitutio præmittitur oblationi, docet, excutienda manibus bona aliena, antequam offeratur, alioqui non placebit oblatio. Eſa. 1: 16. ſ. Matt. cap. 5: 23, 24.

CAP. VI.

LEGES circa ſacrificia: quæ maximam partem attinent Sacerdotes. unde Aaroni ejuſque filiis præcipiuntur. [Rakn. Sacerdos maximus ſupernus eſt Michael, cujus virtus eſt ex benignitate, & offert animas juſtorum, ſicut jugia ſacrificia ignis.]

I. De Holocaustis, verſ. 1–6. ubi

I. *Quid ſit*, verſ. 2. Eſt עולה *adſcendens*, (nempe ad Deum, in flamma & fumo,) *propter combuſtionem, ſuper altari tota nocte uſque in mane. Et ignis altaris accendetur*, aut *fovebitur, in altari.* Interdiu ſolum mactabantur hoſtiæ & ſanguis aſpergebatur, (hæc ſi fierent poſt Solem occaſum, polluta erant,) ſed adeps & carnes holocauſti comburebantur tota nocte uſque ad auroram. Licet non differretur eouſque, ſiquidem otium foret, attamen etiam poſt mediam noctem id fieri legitimum. Cum enim holocauſta forent pro cogitationibus & cupiditatibus pravis quæ noctu potiſſimum vigent; eopſe tempore re-

medium erat in altari. Nec ante juge matutinum, nec poſt juge veſpertinum ullam victimam mactare licuit, ſed hujus (non illius, neque enim differre id licuit) carnes non potuere comburi, niſi poſt ſolis occaſum. Abrab. *Quia nox pertinebat ad diem ſeq. ne quis illegitimam crederet combuſtionem hoſtiarum præcedentis diei hæc lex fuit neceſſaria.* Ergo Chriſtus hoſtia fuit non noctu, ſed interdiu. Rakn. *Holoc. eſt S. Sanctorum & adſcendit ad S. Sanctorum ad Spiritum ſummum. Sunt enim tres Spiritus colligati inter ſe* (קשירן בחדא) *Spiritus inferior, qui dicitur Spiritus S. Spiritus interior in medio, qui vocatur Sapientia & intelligentia: atque hic eſt Spiritus qui egreditur è medio pulchritudinis conſummatiſſimæ cum igne & aquâ. Spiritus ſummus eſt qui ſimpliciter eſt in ſilentio, per quem ſubſiſtunt omnes Spiritus Sancti, & omnes facies ſplendentes.* Ordo perſonarum duarum adſcendendo, Spiritus Sanctus ſapientia Prov. 8. Heb. 1. verſ. 3. Matt. 3. Pater ex quo omnia Heb. 1: 10. Joh. 5. verſ. 26.

II. *Ignis ſacri cura.*

A. *Remotio cinerum*, verſ. 3. Sacerdos in ſacris veſtibus, ante abluto corpore, aſcendebat cum pala ad altare, & cineres de lignis & hoſtiis reſiduos removebat, & effundebat ad latus orientale, circa egreſſum ex atrio: quod fiebat quotidie ineunte crepuſculo matutino. Rakn. *Remotio cinerum eſt primum myſterium diei: cujus ſignificatio & myſterium eſt remotio Spiritus immunditiei, qui remanet poſt digeſtionem membrorum & interiorum pinguium iis incumbentium: propterea non fit niſi in albis, quia in benignitate expiatur peccatum.*

B. *Delatio extra caſtra*, verſ. 4. mutata veſte ſacra, in aliam minoris pretii, vel in eam, qua inter Iſraelitas verſabantur Sacerdotes, (nam ſacræ in quibus ad altare accedebant, ſanctæ erant & ſanctificantes Ezech. 44: 19.) & efferebat cineres extra caſtra in locum mundum, quia è Domo Dei mundâ veniebant, non ut lapides domus leproſæ abjiciendi in locum immundum. Etiam reſiduum victimarum expiantium in pretio fuit, uti corpus Chriſti ſepoſitum extra urbem loco mundo in horto & novo ſepulchro. Nemini autem licuit cineribus iſtis uti, neque fuere diſpergendi.

C. Accenſio ignis, verſ. 5. Hæc fiebat ſuper altari, neque negligenda ut exſtingueretur, cujus culpa id factum, vapulabat; fovebatur ignis ſolùm lignis, & ſingulis mane ſtruebatur grandis ad conſumendum juge & holoc. aliaque, (uti & veſperi) nec non exiguus ad latus unde prunæ ad ſuffiendum petebantur, & tertius ad conſervationem ignis. Magnum enim momentum in jugi igne. Rakn. *Altare deſignat beneplacitum, & eo major ignis, quia inde accipit vim ſuam. Ignis iſte debet eſſe jugis, ut Iſraeli pacificentur omnes poteſtates accuſantes, ſiquidem ſemper inveniant mercedem ab altari, quavis horâ.* Bech. memorat miraculum, altaris non combuſti jugi igne. Ignis altaris fuit ſcala Angelorum per quam adſcendunt & deſcendunt. Baal hatturim. Item, ignem altilem referre ignem gehennæ: Eſa. 33: 14. & cap. 66. verſ. ult. impios autem qui non habent expiationem per ignem altaris, eſſe comburendos igne gehennæ jugi ad expiationem.

II. De Cibariis oblationibus, verſ. 7—16. & quidem I. *communibus*, verſ. 7—11. offerendi ratio, ſtante ſacerdote ad meridiem alt. ſuper pedamentum ejus, & juxta leges cap. 2. agente. reſiduum autem ceſſit in cibum Sacerd. in atrio, ſed azymum; quod ſi coqueretur alio modo, non tamen fuit fermentandum. Appropriatur autem ob ſanctitatem ſolis Sacerd. maribus, neque extra ſanctuarium. Alius qui earum quicquam tetigerit, ſanctificatur, id eſt polluitur: non conſequitur pollutus inde ſanctitatem, ſed majorem pollutionem; quia illa polluit, Hagg. 2: 12, 13. II. Sacerdotalibus, verſ. 12—16. tum inauguratione, cujuſcunque ſacerdotis communis, tum in quotidiana ſummi mane & veſperi. De his nihil comedebatur à Sacerdotibus, ſed totæ comburebantur. Præparationes fuerunt aliæ, oblatio iſta fuit placentarum frixarum in ſartagine celeriter, ut puſtulis aduſtionis ſurgeret, & excoqueretur: tum in fruſta contritæ comburebantur illorum ſimul: hujus medium mane & reliquum veſperi. Abrab. *Uti juge-ſacrif. fuit expiatio populi, ſic hæc oblatio expiatio ſummi ſacerdotis. qui debuit pro ſe expiare, & exemplo eſſe aliis agnoſcendi & confitendi reatus, & pauperibus etiam ſimili oblatione obſignare expiationem.* Bech. *Non comedit hinc Sacerdos, quia de cocta oblatione nihil accepiſſet altare, ſi ipſe abſumeret,* Rakn. *Sacerdos expians indiguit prior expiatione. Ejuſque oblatio tota abſumta igne, non comeſta, uti Iſraelitarum; ubi Sacerdotes comedunt, & offerentes expiantur vicario miniſterio ipſorum; nam illorum eſu digni conſtituuntur qui conſequantur gratiam poſtquam judicium ſuam partem accepit. Eſtque expiatio perfecta per gratiam & judicium, neque remanet accuſatio, & communicant mundo benedictionem. Sacerdotes autem qui ſuperiores, oblatio eorum eſt tota comburenda.* Scilicet ſacerd. ferunt iniquitatem eorum, quorum peccata comedunt: ſed quando pro ſe offerunt, indigent alio qui ferat peccatum, unde non comedunt ſua peccata, quia ſibi ipſis non ſufficiunt expiandis.

III. De pro peccato, verſ. 17—23. I. *Mactandum* erat in loco holocauſti, in latere aquilonari: quemadmodum Chriſtus crucifixus in monte Calvariæ; qui ad plagam Hieroſ. ſept. occid. ubi juge matutinum mactabatur. II. *Comedendum* ab offerente Sacerd. in loco ſancto, in ipſo atrio. Lev. 10: 17. Non tamen ab ipſo ſolo, ſed una cum reliquis, qui tamen omnes mundi forent æque ac offerens. III. *Tangens carnem* polluitur, (quia peccatum in hanc victimam transfertur.) quicquid reſpergitur ſanguine ejus (antequam in altari ille ſpargatur) polluitur, unde veſtes reſperſæ, in atrio eluendæ, ne macula appareat; caro in ollis cocta, quia pollutionem communicat, teſtaceæ comminuendæ ut prorſus fiant inutiles; æneæ aliuſve metalli calidâ aquâ probe fricandæ, & frigidâ eluendæ: quo omnis immundities aboleretur. (Ergo comedentes ſacerd. non potuerant non fieri peccatum Lev. 10: 17.) Rak. *Quia peccatum expiat* (ſeu *propitiat*) *iram Dei ab peccatum, & placat* מה *judicium; & hic eſt effectus ejus, propterea qui illud tangit, ſanctificatur ut ipſum* (videlicet ut cenſeatur peccatum) *& debet lavare veſtes; neceſſum enim removeri impuritatem per aquas ſuperiores. Dicuntur autem de ſanguine qui adſpergetur: nam ſi jam ſparſus fuerit, poſt reſperſa veſtis non eget lotione: nam mandatâ adſperſione factâ,* מה *judicium accepit ſuam portionem.* IV. Cæterum quamvis peccatum comederent Sacerd; tamen ſi cujus hoſtiæ ſanguis illatus eſſet in Sanctum vel S. Sanctorum, nihil inde comedendum eis fuit, ſed omnis caro extra caſtra comburenda v. ult. Quando ipſi comedebant, recipientes in ſe peccatum, non fuit illatus ſanguis, quia nulla expiatio: ſin hoc fieret, non licuit illis comedere, ne quid ipſi ad expiationem conferre viderentur. Hinc negat Apoſtolus, qui altari ſerviunt, jus habere comedendi de hoſtia Chriſto Heb. cap. 13: 10. ſ.

CAP. VII.

IV. De pro reatu, verſ. 1—10. Sanctiſſimis accenſetur, & quæ ante notata repetuntur. Comedendum à Sacerd. in atrio. Pellis cedebat Sacerdoti hujus & omnium ſanctiſſimorum holocauſtorum, pro peccato, & reatu; aſt quarum hoſtiarum caro non cedebat altari, ſed extra caſtra comburebatur, neque cutis erat ſacerdotum. Uti Deus pelle victimæ veſtivit Adamum & Evam, ſic Sanctitas quarum victimarum carnem offerebant, eorum pelle fruebantur. & cum comedendo carnes pro peccato ſuſciperent reatum populi Lev. 10: 17. habebant hoſtiæ pellem, ut Chriſti juſtitiâ contecti, coram Deo verſari poſſent. Portio Sacerdotum in oblationibus frixis aut coctis eſt offerentium in Sanctuario: ſed in crudis, quorumcunque etiam qui nævum habebant.

V. De pacificis, verſ. 11—21. I. Si foret eucharifticum pro beneficiis acceptis, addendi fuere azymi & fermentati panes; Decem decimæ ſimilæ manebant azymæ; inde fiebant 30 placenta; Decem in furno coctæ; decem laganæ, decem frixæ in ſartagine. Decem decimæ fermentabantur, & inde fiebant decem panes. Hinc cedebant Sacerdoti ſingulæ placentæ & panes, reliqui erant offerentis, & una cum carne hoſtiæ illo die erant comedendæ. II. Sin foret votiva aut voluntaria victima, quæ ſine panibus

bus afferebatur comeſtio licita fuit etiam poſtridie, ſed non in diem tertium; tum enim omnia erant comburenda. Idem repetitur. Lev. 19: 6. ubi cauſam dicemus mandati. Adhæc cavenda omnis impuritas, qua qui laborat, & de ſacris edit, excidium ſibi meretur. Conf. 1 Cor. 11: 27. ſ. Hic ſolùm fermentum adhibitum, ſed non in altari, verum ad agitationem: Magis veriſimile, quia noſtra euchariſtia & cultus non caret peccato, id ſignificatum, & tamen Deum admittere cultum imperfectum & expiare.

VI. De sanguine & adipe interdictis, verſ. 22--27. Adeps omnis de animalibus altari aptis illicitus; ſi ſponte ſua fuiſſent mortua aut diſcerpta; uſibus aliis ſervire poterat, cum carnes non poſſent uſurpari, ſed non cibo adhiberi. Pœna ſtatuitur excidium, uti etiam comedendi ſanguinem. Quia ſunt cibus altaris, non poſſunt cedere privatis uſibus.

VII. De portionibus Sacerdotum aliis verſ. 28--36. Pacificâ quomodo offerenda, de quibus ante dictum cap. 3: 5. Sacerdoti datur pectus, & humerus dexter, ſtipendium quaſi & fructus miniſterii. משחה eſt portio ſeu merces unctorum.

Concluſio generalis de his ſacrificiis, verſ. 37, 38. Bechai obſervat hæc dici, ut ſignificetur non ſola ſacrificia ſufficere, ſed conjungendam meditationem finis & myſteriorum ejus, ac tum demum cultum illum Deo placere. Quod autem hæc *in monte Sinai* præcepta dicuntur, intelligitur prope montem Sinai, in ejus deſerto, nondum motis caſtris, ubi primum erectum eſt tabernaculum.

CAP. VIII.

De *SACRIFICANTIBUS* agitur ſic ut deſcribatur I. Inauguratio cap. 8. II. functio cap. 9. III. transgreſſio cap. 10.

Inauguratio refert

I. *Præparationem*, verſ. 1---4. ubi *mandatum*, verſ. 1. quo nominatæ perſonæ inaugurandæ, Aaron & filii ejus: inſtrumenta, veſtes, oleum ſacrum, victimæ, & caniſtrorum, quæ omnia in unum locum comportanda, verſ. 2. *Teſtes* convocandi, univerſus populus, verſ. 3. *Obedientia* tum Moſis, tum populi, verſ. 4.

II. *Inveſtituram*, verſ. 5--13. ubi I. Compellatio populi teſtium, & quibus dabantur Sacerdotes, verſ. 5. II. Inaugurandorum lotio, verſ. 6. III. Aaronis veſtitio, verſ. 7--9. induendo ipſum tunicâ baltheo, Stola, Ephod, pectorali (cui inſeruit Moſes Urim, nunc demum, ut non fuerit opus artificum.) Cidari & coronamento. IV. Unctio, *tum* Tabernaculi & inſtrumentorum ejus, ad figuram XI Græci; Altare tamen ſepties fuit oleo aſperſum. cujus nullum ante fuit mandatum ſcriptum; nec tamen peccavit: nam fuit ſervus fidelis in tota domo Dei; eoque quia egit, juſſum egiſſe colligimus, verſ. 10, 11. Aſperſio illa altaris oleo facta eſt ad illud ſanctificandum, ut poſſet deinceps ſanctificare hoſtias; Matt. 23: 19. Exod. 29. verſ. 37. Atque ſic Chriſtus unctus oleo, ut altare eſſet, hoſtiam ſuam ſanctificaturum. *Tum* Aaronis, infundendo capiti ad ſimilem figuram, & tum inter ſupercilia, ducto oleo ab oculo ad oculum digito, verſ. 12. quod deinde defluxit in barbam & ad oram ſtolæ circa collum. Pſ. 133. verſ. 2. V. Filiorum Aaronis veſtitio, tunicis, baltheis, & mitris, verſ. 13. De ſubligaculis nil dicitur, ſed in omnibus præſupponuntur.

III. *Victimas oblatas*. I. Pro peccato, juvencum, verſ. 14--17. II. Holocauſtum, arietem, verſ. 18--21. III. conſecrativam muneris, arietem alium, cujus ſanguine aures & pollices dextri fuere illiti, tum agitatio facta manibus conſecrandorum & conſecrantis Moſis, ubi Moſes pectus, ceu portionem Sacerdotis, ſibi ſumſit, verſ. 22----29. IV. Sanctificatio facta, aſperſione olei & ſanguinis ſuper veſtes, verſ. 30.

IV. *Mandata* de comedendo reſiduo arietis ſecundi in atrio; & ſi quid illo die redundaret, comburendo, verſ. 31, 32. de manendo ibidem ſeptem diebus, quorum ſingulis eædem ceremoniæ fuerunt repetendæ, ſub comminatione mortis, verſ. 33--35. addito juſſu Dei.

V. *Obedientiam* Aaronis & filiorum, verſ. 36.

Hæc omnia in Exodo fuere præſcripta. & Moſes in iſta inauguratione Aaronis geſſit perſonam Sacerdotis; uti etiam dicitur Sacerdos Pſ. 99: 6.

CAP. IX.

Functionis initium illicò poſt finitos ſeptem dies inaugurationis, cujus

I. *Præparatio*. I. Moſes jubet, verſ. 1. *tum* Aaronem & filios parare vitulum pro peccato, & arietem holocauſti, pro ſeipſis, verſ. 2. *tum* Seniores Iſraelis parare hircum pro peccato, vitulum & agnum primi anni, holoc. juvencum & arietem pacificum, cum ſuo Mincha, verſ. 3, 4. II. Ratio mandati, quod Deus eo die ſe manifeſtaturus eſſet. III. Obedientia tum in ſiſtendis victimis, tum in præſentia univerſi populi, verſ. 5. IV. Mandati repetitio, cum promiſſione apparitionis Dei, verſ. 6.

II. *Aaronis actiones*, ex præſcripto Moſis, verſ. 7. I. Oblatio pro ſuo peccato, verſ. 8--11. ſuique holocauſti, verſ. 12--14. II. Oblatio omnium hoſtiarum populi, verſ. 15--21. III. Benedictio populi, dum adhuc conſiſteret in pedamento altaris loco altiori: attamen jam defunctus ſacrificiis, verſ. 22. vel poſtquam inde deſcendit (ut ו per *poſtquam* reddatur,) ut in medio atrio conſtiterit. IV. Ingreſſus cum Moſe in tentorium, verſ. 23. vel ut precarentur, & peterent apparitionem Dei: vel ut ſuffiret Aaron, quam rationem ei Moſes oſtendit: vel inſuper ut ſanguinem ſui ſacrificii pro reatu inferret in S. Sanctorum, pro conditione ejus. Nam hactenus Aaron totis ſeptem diebus conſecrationis non auſus fuit ingredi Sanctum, nedum S. Sanctorum: manendum fuit ad oſtium: non quod nunc demum factum fuerit, neque enim neglectus ordo, ſed quod nunc demum ſignificarentur omnes partes miniſterii intra tabernaculum peracti, tam in S. Sanctorum, quam in Sancto: fueritque ingreſſus non unicus, ſed aliquoties repetitus, ſemel per Sanctum in S. Sanctorum cum ſanguine ſui vituli, rurſum ad extremum in ſanctum ſuffiendi gratia, unde egreſſi benedixerunt denuò populo. Conf. Luc. 1: 22.

III. *Apparitio Dei*, verſ. 22, 23. demonſtrata miſſo cœlitus igne qui abſumſit ſacrificia. Sic Deus demonſtravit beneplacitum ſuum, quod vicariam hoſtiam admitteret, in qua iram juſtitiamque oſtenderet, & hic ignis dicitur conſervatus, uſque ad inaugurationem templi: quando alius ignis decidit de cœlo, quem ajunt conſervatum uſque ad tempora Manaſſis. Sub ſecundo templo non habuerunt ignem de cœlo. *Populique reverentia & gaudium*, uti etiam 2 Chron. 7: 3.

CAP. X.

Transgressio filiorum Aaronis majorum, Nadab & Abihu cum annexis. Ubi vide

I. Triſtem caſum.

B. *Peccata* ipſorum plura facit Abrab. I. quod ſuffiendi partes ſumſerint ſibi, II. quod duo ſimul id egerint, III. quod ſumſerint ignem peregrinum, non de altari. IV. quod ignem ſuffitui impoſuerint, non contra. V. quod ingreſſi ſint S. Sanctorum. Rakn. *cum non liceat ingredi ad Deum bened. ſine Schechina, juxta illud, Ego in juſtitia* (צדק cum idem ſignificet quod נער utique non alium notabit illa שכינה quam ה' צדקנו Jer. 23: 6.) *videbo faciem tuam* Pſ. 17: 15. *nam quomodo adſcendam ad patrem meum & puer ille mecum non ſit?* Gen. 44: 34. *filii Aaronis ſine ea ingreſſi ſunt, & alienarunt* מה *judicium.*

B. Eorundem *pœna*, verſ. 2. talionis; igne peccarunt, & puniti ſunt. Ignis qui de cœlo deſcenderat in altare, inde egreſſus eos ſecutus eſt & in S. Sanctorum necavit; non violatis corporibus aut veſtibus; ſed ex hauſto ipſorum Spiritu, ut emigaret ex corpore. „ Hinc Bech. ait, „ combuſtionem in judicio factam infundendo ori plumbum „ liquefactum, ne corpus aut veſtes læderentur: nam hic „ flammam per nares ingreſſam.

C. *Juſtificatio judicii* divini, verſ. 3. *hoc eſt quod dixit.* Bech. Exod. 19: 21. & cap. 29: 43. dictum docet, & ſic quoque Abrab. de priori loco. & Lev. 8: 33. non ergo li-

cuit egredi atrio ad petendum ignem communem. Sanctificatio autem non tantum fit beneficio Ezech. 20: 41. sed etiam judiciis, cap. 28: 22. & cap. 38: 16. 23. *In proximis*; quemadmodum qui primi in acie periculo proximiores, sic qui propiores Deo in ministerio. Vel quibus plus honoris datur, ab iis minus fertur quod indecens 1 Sam. 2: 30. Uzza 2 Sam. 6: 7. Amos. 3: 2. *Et coram pop. glorificabor*, ut videant severitatem judicii, & honorem tribuant.

D. *Aaronis patientia*: siluit, sive magnitudine doloris, Seneca: *Curæ leves loquuntur, ingentes stupent.* seu potius patientia Ps. 39: 10. Non est murmurandum de judicio Dei, sed ejus actiones recipiendæ ex amore, Rakn. Conf. Heb. 12: 6. s.

E. *Sepultura imperata* patruelibus Aaronis, vers. 4. & ab ipsis *suscepta*, vers. 5. Scilicet non licebat Aaroni & filiis tangere mortuos, aut egredi atrio. Quamvis autem non esset fas aliis S. Sanctorum ingredi, tamen si immundities inde emovenda esset, aut reparatio ædificii facienda, licuit: illud hoc loco. Elatos autem detulerunt *extra castra*, in locum ubi sacrif. pro peccato fuerat combustum, uti Abrab. docet. Aliis placet, in locum communi sepulturæ dicatum extra castra. Cum enim Cineres sanctuarii & sacrif. pro peccato quædam in loco mundo deponerentur, utique cadavera humana eum polluissent.

II. *Mandata Sacerdotibus data* hâc occasione.

A. Interdictus *Luctus* & ejus ritus, vers. 6. (a.) Ne alant crines capitis, vel ne denudent capita, פרע *nudare* est. eoque non licuit retecto capite ministrare Deo: item *liberum facere*, eoque non licuit alere cincinnos, uti nec radere caput Ezech. 44: 21. Hinc lex de crine non alendo tempore ministerii: sub pœna excidii licet ministerium non polluereturi. Ægyptii in luctu ob familiares alebant crines. (b.) Ne scindant vestes juxta futuram, quod in luctu ordinarium. *Ratio:* ne efferveſcat Deus contra totum cœtum. Sed an propter unius peccatum omnibus Deus minatur? Quanquam sic fit, in Achan Jos. 7. Ast hic ratio gravior. Sacerdotes ferebant iniquitatem populi; quod si ipsimet se polluerent, non erant idonei ferendæ iniquitati aliorum, & hæc proinde cum omni pœna sua ad hos recidebat. Imperat autem luctum omnibus Israelitis. Sic publ. luctus pro Pontifice, præside Synedrii, rege. (c.) Ne egrediantur atrio, ut luctui indulgeant; ob unctionem sacram, vers. 7. uti enim segregati erant Deo, sic debuerunt in munere suo perseverare, neque carnali affectu inde abduci. Huc forte referendum illud Luc. 9: 59, 60.

B. Interdicta *Ebrietas:* non bibent vinum aut potum inebriantem, quando ministrant in sanctuario, vers. 8—11. Quidam Nad. & Abihu ebrios peccasse putant, & hinc interdictum: alii quia lugentibus præbebatur vinum Prov. cap. 31: 6. Jer. 16: 7. Bibere inebriantia quando in atrio serviebant Sacerd. meretur excidium. Sed Hebr. restringunt, si ultra quartam Logi biberit vini & quidem meri, una vice; alias indulgent. Quarta pars Logi continet quantum sesqui ovum. Idem præceptum valet, sed citra pœnæ ejusdem denuntiationem, ut valeant discernere inter sacrum & profanum, mundum & immundum: item ut apti sint ad docendum. Nam potus ad neutrum horum aptus est. Hinc Timotheus videtur abstinuisse vino, docendi gratiâ: sed Paulus ei moderamen commendat; forte ex traditionis formula, ὀλίγῳ οἴνῳ, 1 Tim. 5: 23.

III. *Mandata de reliquo officio Sacedotali.*

A. *Reliquum minchæ comedendum* azymum in atrio, in quo altare, in loco sancto, quia S. Sanctitatum; solis maribus istic absumendum vers. 12, 13. Sed pectus agitationis & crus oblationis comedendum *in loco sancto*, id est intra castra, (post Hierosolimæ) ab omnibus Sacerdotum domesticis mundis tamen. Nam pertinet ad קדשים קלים vers. 14, 15.

B. *Hircus pro peccato populi comedendus:*

א. Quod num sit factum, inquisivit Moses & cum audiret combustum (sive unà cum holoc. sive cum peccato Aaronis extra castra, per alios, quia Sacerdotibus non licuit egredi ex atrio) succensuit filiis Aaronis, patri parcens ob luctum; comedendum fuisse docens, quia non fuerat illatus sanguis ejus in adytum, Lev. 6: 30. eoque comedendo suscipienda iniquitas populi, הכהני אוכלים והבעלים מתכפרים, vers. 16—18.

ב. *Responsum Aaronis*, vers. 19. satisfactum esse officio quoad oblationes, sed quod ad esum, luctum præsentis diei impediisse, in quo si quid sacri gustasset, Deum fuisse improbaturum. Non licuit sancta minora in luctu edere Deut. cap. 26: 14. & Sacerdos inferior si mors proximioris ei nuncietur ministranti, abstinet illico ministerio, Summus pergit quidem ministrare, sed abstinet cibo illo die.

ג. *Mosis approbatio* vers. 20.

Sequuntur *LEGES DE PURITATE ET SANCTIFICATIONE* totius populi attinentes I. Cibos cap. 11. II. partum cap. 12. III. morbos aut affectus fœdiores cap. 13, 14, 15. IV. Purificationem solennem cap. 16. V. locum sacrif. & sanguinem cap. 17. VI. conjugia & mores honestos civilis societatis cap. 18, 19, 20. VII. Sacerdotum puritatem cap. 21, 22. VIII. festa & his affinia cap. 23, 24, 25. IX. Sanctiones legis cap. 26. X. consecratas res cap. 27.

CAP. XI.

I. DE CIBORUM DISCRIMINE. Non est eadem animalium distinctio quæ Gen. 6, 7. Istic *munda* dicuntur, quæ altari servire poterant, (nam ante diluvium carnium esus non concessus,) *immunda*, quæ non offerebantur. Gen. 8: 20. Post diluvium mansit eadem distinctio: & omnes carnes fuere licitæ ad esum, Jam v. etiam quoad esum discrimen statuitur Et quidem

I. *Ex quadrupedibus*, vers. 1—8. חיה & בהמה hic usurpantur generaliter & synonimos, de quibusvis. Dantur autem non causæ immunditiei, sed signa, eaque duo I. *Ungula bifida*, cum enim sint solidæ, aut multifidæ ungulæ animalia plurima, his repudiatis bifida sunt permissa. solo porco excepto ob defectum secundi signi. II. *Ruminatio*, quæ est eorum quibus desunt superiores dentes; exceptis camelo, cuniculo, lepore, ob defectum signi primi. Hinc tradunt decem genera tantum esse licita, domestica tria, boves, oves, capras; fera septem. Immundum animal si pareret bifidum & ruminans, immundum tamen & hoc foret ob originem, sic Joh. 3: 6. Job, 14: 2. Causa interdicti datur physica, ob nutrimentum noxium: alii simpliciter Dei placitum hic attendendum agnoscunt. Designantur quandoque gentes mundi, & Heb. 4. monarchias quatuor exceptis, Romanam porco significatam dicentes. Interdictum *esu carnis istius* ad quantitatem olivæ. Pœna Hebr. si constet, fustigatio; sin minus, excidium. Item *contactu cadaverum*, quomodo pollutio maxima contrahebatur. vers. 8. Atenim in casu necessitatis, nempe si milites degant in hostico subigantque gentes, licitum comedere, si nil aliud famelicis occurat, sponte mortuum, discerptum, carnes porcinas & immundas alias. Imo volunt חזיר dici, quia Deus ejus carnes sit facturus licitas. Rakn.

II. *De Piscibus*. v. 9—12. qui duobus quoque signis notantur, *Pinnis & squamis*, licet hæ non contegant totum corpus, modo una foret, sufficit. Quibus hæ notæ deerant, immundi fuerunt. Omnibus tamen vers. 11. tribuitur *esus* æque ac quadrupedibus & avibus, sic 1 Cor. 15: 39.

III. *De Avibus* vers. 13—19. Signa munditiei nulla dantur in Scriptura, sed enumerantur species interdictæ, & ceteræ omnes sunt licitæ. Attamen Rabb. signum habent: *Quæcunque avis calcat pedibus, unguibusque retinet cibum suum, immunda est:* quia tales sunt aves feræ & rapaces, & quæ vescuntur carnibus. Interdicitur autem ut *esu* carnium. Sic *contactu* cadaverum uti antea.

IV. *De Insectis*, vers. 20—23. *Volantia* & simul *reptantia* quatuor pedibus immunda sunt. Exceptis *quæ habent crura super pedes*. hoc est retrorsum flexa crura, ut locustæ ad saliendum, non ad incedendum. Heb. quæ non habent initio alas & crura, sed postmodum cernum succrescunt cum grandiora evaserunt, illicò licitè domeduntur. NB. Hic est לא in textu, & קרי לו Chald. & Gr. sequuntur Keri. Ainsworth. utrumque: *quia non habent crura antrorsum flexa ut aliæ creaturæ, censentur quasi non haberent omnino.* Confirmat 1. Chron. 11: 20. & 2. Sam. 23: 18. hic textuale est, quod istic marginale. Quatuor illa locustarum genera licita; uti etiam Baptista comedit, hodie ignorantur, nec in his regionibus reperiuntur.

Generalis Lex de non tangendis cadaveribus immundorum, quo-

quorumcunque, neque *ferendis* verſ. 24.--28. *Tangere* dicitur qui nudo corpore, quacunque parte ejus, contingit; & talis immundus uſque ad veſperam, qui finis diei. *Ferre* dicitur, qui portat, etſi ſuâ cute non contingat, intereedente veſte aut vaſe, aut alio quocunque intermedio: eoque ferre dicitur qui filum geſtat, cui quid immundi hujus adhæreſcit; talis debuit *lavare veſtes*, & quæcunque vaſa veſtesve tangit, dum fert, immundum illud; pariter habent immunditiem. Cæterum lotio veſtium complectitur etiam lotionem totius corporis.

V. *De Reptilibus*, verſ. 29.--38.

ℵ. Hæc enumerantur, ſed ut interpretatio ſit dubia. verſ. 29, 30. horum carnem edere ad quantitatem lentis, fuſtigationem meretur.

ב. Sed quod cadavera hæc attinet, notatur varia pollutionis ratio. verſ. 31.--38.

I. Nulla creatura viva polluitur, aut polluit, præter ſolum hominem. II. Nec reptile polluit niſi mortuum. III. Et tum non niſi tangatur, non item ſi feratur: IV. Neque alia reptilia mortua polluunt præter 8. ſpecies hic memoratas. Harum ſpecierum (a.) *ſi quando de mortua carne* (nam oſſa, cornua, ungulæ, ſetæ, nervi omnium animalium mundis rebus annumerantur.) *ceciderit ſuper inſtrumentum aliquod hominis*, puta veſtes, lineas laneaſve, res ex pellibus factas, ſaccos (ex pilis confectâ telâ, ſive caprarum, ſive camelorum, ſive caudis equorum: & inde facta opera alia.) lignea vaſa, id polluitur & eluendum eſt; ita ut immergatur in aquam totum, neque quicquam ſit. quo aqua non pertingat: & tum immundities potiſſima tollitur; adhæret tamen ſecundaria, quæ cum ſole ejus occidente finitur verſ. 32. (b.) *Vaſa fictilia* tum demum polluuntur, quando cadavera iſtiusmodi aut aliquid carnium ejus venit in cavitatem illorum; etſi non tangat latera: neque poteſt mundari, niſi conterendo in fruſta. Qui ſi tecta fuerint operculo, ut interius ſpacium non tangatur à morticino ejusmodi, mundæ manent verſ. 33. (c.) *Cibi* omnes ſi infuſi fuiſſent liquores (aqua, ros, oleum, vinum, lac, ſanguis, mel, non alii) atque tunc tetigiſſent ejuſmodi cadaver, polluebantur, uti etiam potus quicunque 34. (d.) *Fornaces fictiles* & ollæ ſimiles, ſi inciderit, immunditiem contrahunt verſ. 35, 36. (e.) ſi incidiſſet in *puteum*, aut *fontem*, aliudve receptaculum aquarum: quicquid aquæ una cum cadavere inde tollebatur impurum erat, reliqua aqua pura manebat, verſ. 37. (f.) *Semina agri* non recipiunt impuritatem, niſi poſtquam dominus eorum granis demeſſis & uſui paratis, aquam infudiſſet; & ſi tum talia inciderent.

VI. *De mundis animalibus ſed ſponte mortuis*, cadaver aut carnes tangere, edere, geſtare aliquid eorum, polluit, & ablutione opus habet ſolisque occaſu, verſ. 39, 40. Rakn. *Quare iſta tantum polluunt ſuo cadavere? propter immunditiem quam injecit Angelus mortis, quod ſi manu hominis occidatur non polluunt.* Scilicet propter peccatum hominis mors venit in mundum & hinc naturalis polluit.

VII. *De inſectis repentibus* in ventre, vel multis, aut etiam 4 pedibus, in terra: abominanda ſunt quod ad cibum. verſ. 41--43.

Subjungitur generalis ratio ſanctificationis hujus, ſimili-tudo cum Deo, ut ſegregati ſint, quo fine eos eduxiſſet ex Ægypto, ſibique fœdere junxiſſet, verſ. 44, 45. „ Rakn. monet ſignificatam his puritatem, ſeu abſtinen-„ tiam ab omni immunditie, & adhæſionem ſanctitati: „ (ut 2 Cor. 7: 1.) Immunditiam tolli aquis, ſed aquis ſupe-„ rioribus, quæ ſunt benignitatis. Rurſum aquæ illæ vo-„ cantur portæ lachrymarum, quæ non clauduntur, at-„ que hinc omnium mundities per aquam fit.

Bech. *Qui veſcitur cibis interdictis, ſuper eum non habitat Spiritus S. & Schechina ab eo diſcedit. Sanctus eſt, qui eſt appropriatus, & ſeparatus ad cultum Dei. Qui ſe polluit ſponte ſua parum, hic infra, in hoc ſeculo, hunc polluunt multum, ſuperne, in futuro* (Apoc. 22: 11.) *Sanctificabitis ergo vos ipſos in corpore, & ſancti eritis in anima in futuro ſeculo.* „ Porro ſanctitatem arceſſit à mente, cum na-„ tura laboret pravis cupiditatibus, quæ variis modis con-„ ſervantur & augentur, unde impuritas. Mentem v. di-„ cit (השכל Nας eſt Rom. 7. ult.) eſſe ſubſtantiam ſpi-„ ritualem & deciſam ex mundo ſuperno, eſſeque pere-„ grinam in mundo corporum craſſorum, & quia peregri-„ na, omnia ſunt ei adverſa, eamque debilitant, ſed ro-„ bur ſuum accipit à lege & mandatis Dei, ut poſſit repu-„ gnare, & debilitare cupiditatem. Similitudo porro Dei „ eſt, 2 Pet. 1: 3. *duæ naturæ participes.* Joh. 3: 3. γεννηθῇ „ ἄνωθεν & verſ. 6. ut homo ſeparet ſeſe à cupiditati-„ bus, neque iis ſerviat, niſi quantum neceſſitas poſcit; „ (Rom. 7: 22. & ult. Pſ. 119: 9. 11. & Pſ. 37: 31.) nam ſi „ in cibo, potu aut venere modum excedat, vaſtat animam „ & corpus, & ſermone Scripturæ dicitur ſtultus & fatuus. „ Qui v. etiam in neceſſariis iſtis parcior eſt, & ſeparatus „ etiam à licitis, ille vocatur Sanctus.

Clauſula repetit diſcrimen iſtud ciborum, verſ. 46, 47.

CAP. XII.

QUemadmodum bruta ante hominem condita, ſic quoque leges de illis promittuntur. R. Sal. Alii, *poſt immunditiem ex cibis immundorum brutorum, & ex contactu cadaveris illorum, quæ levior; traditur gravior, quæ ex ipſo homine.* Abrab. *Indicantur tres cauſæ lepræ.* I. *ex impuris cibis vetitorum animalium*, II. *ex contactu cadaverum*, III. *ex concubitu cum menſtruata: & hæc eo ordine præmittuntur, antequam de lepra agatur.* Poſtremum tamen cap. 12. non dicitur, ſed demum cap. 15. Rectius initiò refert, quæ extrinſecus polluunt hominem, cibi & tactus, tum quæ intrinſecus, ſanguis puerperæ, morbus lepræ, & infirmitates, fluxus immundi &c.

II. De Puerpera docet.

Immunditiam, eamque diſcrepantem quoad ſexum prolis.

A. *Filium* ſi peperit; ℣. 1--4. Mater eſt, שתזרי זרע & pepererit. Significatur dare eam ſemen, quod deinde partu editur in lucem, uti terra & plantæ, Gen. 1: 11. Hinc liquet mulieres etiam conferre ſemen genitale. Conf. Heb. 11: 11. Δύναμις εἰς καταβολὴν σπέρματος. Sed Hebræi inſuper hinc colligunt, mulier ſi prior ſemen emiſerit, marem gigni; contra ſi prior vir, fœmellam: nam quod primum emittatur ſemen, materiæ & agri rationem habere, quod poſtremum informantis, & ſeminis ibi ſeminati. Quæ ad phyſicos pertinent. Aliis heic myſterium inſinuatum eſt, partus virginis, quod nuſpiam mulier ſeminet ſemen, niſi una virgo, mater Meſſiæ. Verùm nec verum iſtud, matris ſemen nullum eſſe, & referendum æque ad partum fœmellæ quam maris, ut allegoriis hoc ſit accenſendum. Cæterum puerperium legitimum quoad immunditiam cenſent Hebræi, ſive partus fuerit juſto tempore, ſive non, ut in abortu; dummodo fœtus formatus ſit, hoc eſt, poſt quadrageſimum à conceptu diem. Immunditia matris.

ℵ. *Major* ſeptem diebus, quemadmodum cum menſtrua patitur, quæ pollutio talis, ut ab omnium conſortio ſit abſtinenda, & à mariti conſuetudine; & polluebat omnia, quæ ullo modo tangeret Lev. 15: 20, 21. Sic in quovis puerperio, etſi nulla pateretur lochia. verſ. 2.

Quia v. mentio filii facta, repetitur mandatum *de circumciſione* die octavo. verſ. 3. quæ olim imperata Gen. 17. juxta illud Joh. 7: 22, 23. Bech. *die octavo & Sabbatho*; præſertim ſi circumciſionis tempus indubium ſit; ut ſi quis naſcatur in ipſis nocte vel die Sabbathi. Sed ſi inter duas veſperas ante Sabb. quando dubium eſt ſitne nox aut dies, differunt circumciſionem in primam hebdomadis ſive diem decimum, ſi unus duove feſti dies Sabb. ſequantur immediate, primo poſt illos ea procedit ſive undecimo aut duodecimo die. Qui inter duas veſperas alias naſcitur, nono circumciditur. Infans ſi ægrotet, exſpectatur ejus valetudo integra. Sed hæ dilationes pleræque ex traditione vitioſa fluunt. Cur v. *octavo die* circumciſio perageretur, alias dictum, Non propter impuritatem matris, nam illa ſolum, non filius immundus dicitur. Sed quia debuit tranſire Sabb. ut jus foret in fœdus gratiæ in promiſſione Meſſiæ ſanctum, cujus ſignum octavo, hoc eſt, proximo à Sabb. ſuæ vitæ die accepit.

ב. *Minor* dierum 33 quando ſedet ſeu manet domi propter ſanguinem mundities ſuæ. Nam ille ſanguis polluebat ipſam, ut nec in ſanctuarium venire, nec quicquam ſanctum tangere fas foret; ſed non polluebat alios: quamobrem cum marito ſuo verſari, & omnia civilia negotia ob-

ire poterat. Contra durantibus menſtruis & primo ſeptiduo puerperii, polluebat omnes: neque ante illud finitum, & baptiſmum adhibitum, cum marito conſueſcere; aut cum aliis verſari potuit licite. Sed quo pertinet numerus 33 dierum? Quidam quia additis 7 primis, conſit numerus 40. quot ſunt dies conceptus maſculi in utero formandi. „ Rakn. refert quoſdam docere, 33 die animam in cor„ pore radicari, ſeu illi uniri. alios deſignare 33 genera„ tiones quot reperiantur ab Abrahamo, uſque ad exci„ dium templi: negat tamen hunc ſenſum eſſe ſimplicem, „ ſed illum adhuc à Spiritu S. eſſe revelandum, verſ. 4.

B. *Filiam*, verſ. 5. ubi duplum tempus immunditiæ, *majoris* & *minoris* 66 dierum: quia duplo tardiorem eſſe ferunt formationem plenam fœmellæ. Alii quia temperamentum fœmellarum malum eſt, frigidum & humidum: hinc longiori tempore eſſe opus, ut mundetur mater à ſanguinibus conceptus & partus. Sed aliam rationem ex ſeqq. diſcemus afferendam.

II. *Expiationem* eamque.

A. *Ordinariam*, verſ. 6, 7. ubi.

א. Tempus, impletis diebus 40, aut 80; poſtridie afferenda fuit hoſtia. Si 7 aut 14 die ſe laviſſet, non fuit munda marito & rebus aliis peragendis, niſi Sol quoque ejus diei occubuiſſet; heic v. propter occaſum ſolem, ad mundationem quoad ſanctuarium, & requirebatur ſacrif. poſtridianum. Hoc ſi non obtuliſſet, non poterat de ſacris comedere tantiſper. Fixis in Cananæa tabernaculo ac templo, quia tum in ſede illa tantum de ſacris edere licuit, quando feſta ſolemniora celebrantur; dilatæ fuere iſtæ hoſtiæ, uſque ad feſta, & tum quæ puerperæ fuerant, aut aliàs obligatæ, una adſcendebant oblatum per ſe.

ב. *Hoſtia* gemina. Sive filium peperiſſet ſive filiam. Habuit offerendam I. ovem anniculam in holocauſtum. II. pullum col. aut turturem pro peccato. Aliàs turturum prima mentio, ubi de pari immolando agitur (ut verſ. 8.) heic contra; quia tantum unius oblatio requiritur, adeoque potius pullus col. afferendus, quia in turturis oblatione fit diſcidium conjugii viduanda ſocia, quæ non ſolet aliam comparem admittere.

a. *Oblatio* facienda à ſacerdote pro more holocauſti & pro peccato, & munda erat ab eo tempore ab omni ſanguine puerperii ſui, ut deinceps etiam ad ſancta haberet acceſſum.

B. *Extraordinariam*, in caſu paupertatis, ut ovi emendæ non ſufficeret, tum etiam turtur aut pullus col. pro holocauſto, eoque iſtæ aves geminæ offerebantur eodem ordine hol. & pro peccato, & eodem fructu expiationis. Scilicet 2 Cor. 8, 12; & ſic egit Maria Luc. 2: 22. 24.

NB. Heic v. nonnulla egent explicatione. I. Cur puerpera indiguit expiatione, & holocauſto antecedente? Reſp. Abrab. Holoc. ad teſtandam propinquationem ad Deum: peccatum, quia omnes afflictiones propter peccatum, & cum iſtiuſmodi paſſa fuerit, etiam propter cauſam illarum, peccata videlicet hoſtiam obtuliſſe. Alii ajunt, peccatum puerperæ eſt juramentum, quod, dum patitur ὠδῖνας in partu, juret ſeſe non amplius commixtum iri marito (Hottingerus reddidit nocituram תזקק) ne ſimilia patiatur. Sed cum ſit ſub poteſtate mariti, nequit juramentum iſtud, licet tamen mente conceptum, valere; eoque tenetur ad hoſtiam expiatoriam. Verum hoc ridiculum. Rectius Raknat: *Non datur ſacrif. pro peccato niſi ob peccatum: quicquid a. dixerint Rabbini de jurejurando &c. veriſimile tamen mihi videtur myſterium hujus reſpicere peccatum ſerpentis antiqui.* Bechai pleniùs: *Vox* כפר *non dicitur niſi de peccato (quodnam v. peccatum eſt tempore partus, ut lex obliget ad oblationem? Quod ſi oblatio eo pertineat, quia fuit in periculo, & erepta eſt ex morte, debuiſſet offerre* תודה, *ſed cur offert* עולה וחטאת? *Convenientiſſime autem dicemus, oblationem* iſtam non dari ob peccatum ipſiuſmet puerperæ, ſed matris ejus, quæ mater omnis viventis; nam ſine hoc peccato fuiſſet, genuiſſet aliquis cum conjuge ſua ſine ulla cupiditate, mero naturæ inſtinctu, quemadmodum arbores quotannis reddunt fructum ſuum ſine ullâ cupiditate. Puerpera autem hic propter matrem & filiam in opere peccati eſt, rami enim vilitatem contrahunt à vilitate radicis. Eapropter lex obligavit eam ad oblationem, ad expiandum pro peccato primo; & quia illud peccatum primum fuit in cogitatione, & poſt in opere, hinc in oblatione puerperæ meminit holocauſti & pro peccato: hanc ob cauſam etiam præmittit mentionem holocauſti illi pro peccato, quia cogitatio opere prior eſt. Scilicet uti primæ mulieris peccatum ſingulare fuit, ita quoque peculiarem reatum illi attulit, & propriam convictionem Gen. 3: 16. atque hic reatus & convictio omnibus ejus liberis ſexus ejuſdem factus eſt hæreditarius. Quemadmodum ergo in geſtatione & partu convictionem habent proprii reatus, ita quoque exacto puerperio proprio ſacrif. expiatorio indiguerunt: & hoc eſt חטאת. Docens in Meſſiâ quærendam eſſe reconciliationem: quo faciunt illa 1 Tim. 2: 14, 15. Sed quò pertinuit holocauſtum? In eo quoque fuit expiatio, ſed communis reatus, originalis omnium hominum; quo cum etiam puerperæ laborent, ceu filiæ Adami, illius expiatio quæſita in holocauſto; ſed proprius reatus ſexus proprium חטאת popoſcit. Præmiſſum eſt holocauſtum, quia prior eſt reatus Adami, derivatus in filios & filias, cum pater ſit generationis principium ſecutum ſacrif. pro peccato, quia cum conciperetur homo reus, ſexus muliebris in eo initium ſumſit. NB. Holocauſtum non fuit pro infante, alioqui etiam pro Chriſto fuiſſet oblatum, quod non convenit. II. Cur geminata tempora impuritatis utriuſque parienti filiam? Indidem lux petenda. In omni conceptu & partu fuit convictio reatus muliebri ſexui proprii: verum unica tantum ſi peperiſſet marem gemina ſi fœminam, quia iſtic terminabatur reatus in matre, hic inſuper proli communicabatur. Hinc iſtic ſimplex immundities, hic gemina. Nam Mulier concipiens ex viro ab illo reatum quoque habet, quem proli communicat, ſi vero illa fuerit fœminei ſexus, ſimul etiam proprium reatum eidem confert, unde quia reatus vel unius vel gemini inſtrumentum eſt, impuritatem expiandam habet ſimplicem aut duplicem.

CAP. XIII.

III. DE MORBIS IMMUNDIS, & eorum purificatione; atque hic I. de lepra cap. 13, 14. II. de fluxu immundo cap. 14.

I. *Lepra* fuit I. Hominum, verſ. 1--46. II. Veſtium, verſ. 47--59. Inſeritur mundatio leproſi cap. 14: 1--32. III. Ædium, verſ. 39. ad fin.

A. *Lepra hominum* docetur 1. quomodo judicanda. verſ. 1--44. 2. quomodo ea infectus ſe deberet gerere verſ. 45, 46.

א. Indicantur circa Judicium.

a. Subjectum verſ. 2. quod (*a.*) in genere eſt. *Homo*, mas vel fœmina, ſed Iſraelitæ aut proſelyti, cujuſcunque ætatis aut conditionis: non infideles aut peregrini inter Iſraelitas habitantes. Unde ſtatuunt non ſpectari tanquam morbum, ſed velut ſingulare judicium Dei, de peccato convincentis, ut in Mirjam, Gehazi, Uzzia. Attamen etiam Naaman Syrus ea laboravit. (*b.*) Specialius, *cutis carnis ejus*; unde in aperta cute tantum eam locant, ubi v. illa latet, uti ſub alis, intra aures, nares, os, &c. vel tecta eſt pilis, ut in capite crinito, & barba &c. iſtic locum habere negant. (*c.*) Specialiſſime שאת *tumor*, aut ספחת *adhærens*, *abſceſſus*; faciunt intermedium, inter utrumque extremum, & alterutri proprius quandoque; aut בהרת *ſplendeſcens*, *papula*;

b. *Malum* ipſum, ut degenerat in *lepram*, quæ eſt ſcabies maligna, & colore candens; unde gradus conſtituuntur; maxima in בהרת ceu nivis: proxima in שאת ceu lanæ agni; primæ diei, *minor* in ספחת primæ, ceu albedinis in pariete gypſato; *minima* in ספחת, ſecundæ; ceu pelliculæ interiori ovi. Jam albedo hac pellicula minor, non erat lepra, ſed concolor aut major, lepra fuit

c. *Judicium* de malo

a. Judices, ubi Aharon, aut aliquis filiorum ejus Sacerdotum, Summus & inferiores, omnibus hic fuit facultas judicandi.

b. Cognitio, intuebitur Sacerdos ipſe (ſed tum debet edoctus eſſe; & peritus omnium conditionum & graduum lepræ cujuſcunque, & ubicunque,) aut alius hujus mali gnarus,

rus, qui indicium faciat Sacerdoti. *Pronunciatio* autem nullius eſt quam Sacerdotis, ſive ipſemet viderit, ſive alius ipſi fecerit indicium.

c. Signa ſunt, (α.) pilus ad minimum geminus, qui in loco affecto albedinem contraxit, non autem ſi ante jam fuerit candidus. (β.) color loci affecti profundior apparens.

d. Sententia, pronunciabit eum immundum, verſ. 3. Sed debent ſigna iſta anteceſſiſſe, alioqui ſententia Sacerdotis nulla eſt.

d. Lepræ dubiæ *exploratio*.

a. Si papula candeat, ſigna tamen illa duo deſint, (α.) Sacerdos plagam hoc eſt plaga laborantem, includet 7 diebus (non ut arceatur à medicis & medicina, quamvis medicina non tentata fuerit juxta quoſdam, quia judicium Dei ſingulare extraordinarium, ſed ut in dubia immunditie neminem pollutret.) loco ſolitario, verſ. 4. (β.) quibus finitis (ſic tamen ut in poſtridianum Sabbathi aut feſti differatur.) ſecundò contemplabitur, & manente eodem candore, ſed non diffuſo, neque ſignis apparentibus alteram hebdomadam eodem loco concludet, verſ. 5. neque fas fuit interea privata cura abolere ſigna lepræ: (γ.) tum tertiò contemplabitur; & ſi nihil, mutatum fuerit, imo albedo obſcurior paulo evaſerit, pronunciabat mundum; ſic tamen ut teneatur veſtes & corpus lavare, verſ. 6. Eſt enim tum levior abſceſſus. (δ.) Aſt ſi poſtea diffundat ſe albedo, Sacerdos eum denuò videns, pronunciabit ſimpliciter immundum, verſ. 7, 8.

b. Si in tumore candido appareret Sacerdoti, (α.) vel pilus in albedinem mutatus, vel caro viva, (rubicundior aut nigricans,) citra hæſitationem immundum dicet, verſ. 9, 10, 11. (β.) Si albedo lepræ ſe diffuderit per totum corpus, mundus dicetur, verſ. 12, 13. (γ.) Sin denuo ſe oſtenderit viva caro, immundus, & hac viciſſim in albedinem verſa, mundus declarabitur, verſ. 14—17.

c. Si in ulcere aliquo ſiccato jam & ſanato, ſimilis albedo, rubedini mixta occurrat, juxta eadem ſigna, & poſt explorationem unicam judicabitur, verſ. 18—23.

d. Pari ratione in loco aduſtionis, verſ. 24—28.

e. Rurſum, locis piloſis, in capite & barba, (α.) ſi defluant pili, & duo pili flavi appareant, & ſpecies profundior, immundities declaranda, verſ. 29, 30. (β.) ſignis illis non apparentibus in porrigine, exploratio ſeptiduana inſtituenda; (γ.) & ſi ne tunc quidem ſe prodant, radendum caput aut mentum, ſolo loco affecto excepto, ut obſervetur diffuſio, ſeptiduo alio, & tum prout præſens ea fuerit, vel abſens pronunciabitur, verſ. 31—37. incumbente mundato lotione.

f. Papulæ plures per corpus ſparſæ ſunt vitiligo, & carent impuritate, verſ. 38, 39.

g. Denique lepra ſuperveniens calvitiei, verſ. 40—43.

ב. *Leproſorum officium*, verſ. 45—46, 1. ſciſſæ veſtes, 2. caput intenſum, 3. ſuperius labium obligatum, (quæ in luctu fiebant, à quibus tamen mulier immunis erat) 4. proclamatio, *impurus, impurus*, ſcilicet ſum, vel adeſt aliquis. Onkel. *ne polluamini, ne polluamini:* Jonath. *Elongate, Elongate ab immundo*, 5. ſolitaria habitatio, reſpectu mundorum, ſed leproſis licuit una morari: ſic Mirjam, Uzzia.

Hebræi myſticam ſignificationem agnoſcunt, immunditiam peccati, quod arceat commercio piorum & Dei. Rakn. *Veram rationem præcepti nemo intelligit, niſi qui novit vires immunditiei effuſas ab antiquo ſerpente.* Alii docent, eſſe demonſtrationem Iræ & judicij Dei ſingularis, ob ſpiritualia peccata, ſoli Deo ſubinde nota, qui ad reſipiſcentiam ſic revocet, & ſecluſiones ſacerdotales ad ſpiritualem luctum & meditationem viarum vocare; prout vel manifeſta eſt & jam declarata plaga, vel dubia & ſuſpecta. Bech. *Lepra tantum reperitur in Iſraele & intra Cananæam, fuitque miraculum; Deo de peccatis convincente, ſuamque providentiam ſingulariſſimam probante. Et quidem primo peccatoris domus, tum veſtes, denique corpus percuſſum, & gradus in omnibus obſervati, ut ſi reſipiſceret, ei parceretur.*

„ Abrab. docet lepram in lege memoratam non cadere in „ alia animalia, propter ſolos homines, & quæcunque ad „ hos pertinent, veſtes & domos: neque ſpectari ut mor„ bum, & cui parentur remedia, quod à medicis peten„ dum, ſed ſolum ut immunditiem, de qua ſoli Sacerd. „ pronunciare poſſunt, ſed nihil in alterutram partem con„ ferre, imo ne quidem conſiderari ut contagioſum. Et ſane omnis deſcriptio docet non eſſe in lepea contagium phyſicum, ut quiſquis apud talem verſetur, mox inficiendus ſit. Etenim Sacerdotes omnes, etiam ſummo in gradu heic affectos, inſpicere debuerunt citra ullum periculum; & qui toto corpore leproſus erat, ut albedo ſe diffudiſſet æqualiter per omnia membra, is mundus erat, & in conſortia omnium, etiam ſanctuarium, admiſſus. Et Gehaſi percuſſus lepra univerſali cum Rege Iſraelis verſatus eſt familiariter, 2 Reg. 8. Omnis ergo ſegregatio leproſorum eſt legalis, cum cæteroquin nihilo magis quam alii morbidi, eſſent peſtilentes: & quæcunque argumenta inde ducuntur, ad cavendos morbos contagioſos, fundamento carent; neque ullum dari poteſt ex Scriptura, quod fugam probet: ſed ea ducuntur potius ex rationibus phyſicis & politicis.

Quid ergo ſtatuendum de lepra? Eſt ſymbolum peccati, cujus conviction vera & ſalutaris ſolum viget in Eccleſia. Signum ejus fuit albedo major quam pelliculæ in ovo: quæ tamen tum demum damnata, quando particularis non univerſalis. Scilicet univerſalis albedo eſt ſymbolum peccati orig. quod univerſale, quo cum omnes naſcimur, quemadmodum infantes anniculi, bimuli trimuli &c. candidiſſimi ſunt, lac & nivem nonnunquam æquantes: quæ tamen non cenſentur ſegregandi vel ab hominibus, quia communem cum omnibus affectum habent; vel à Deo, quia nullus aliàs foret admiſſibilis, cum tamen peccatores ſervare velit. Sed quamprimum ſupervenerit albedo major; exſtans ſuper naturalem, & mutarit pilum in albedinem, & diffuderit ſe, aut viva caro ſe oſtenderit rubicunda nigricansve, immundus quis eſt & ſegregandus. Albedo ſuperveniens eſt ſymbolum peccati actualis: quod ſupra originale accedit, & exſtat, incurrens in oculos: quod ſi confirmatius fuerit, piloſum Pſ. 68: 22. & ſe diffuderit in praxi continua, ſi vivens & regnans evaſerit, jam commercium iſtiuſmodi hominis cavendum, & non inter fratres atque in caſtris Eccleſiæ tolerandus 1 Cor. 5: 9. ſ. Neque apud Deum aut homines admittendus, niſi reſipuerit, & à mali praxi abſtinuerit. Reſipiſcens enim ab utriſque veniam & admiſſionem impetrat; à Deo, Prov. 28. Act. 2: 38. Eſa. 1: 16. & ab hominibus 2 Cor. 2: 6. ſ. Albedo ſi non inæqualis fuerit, ſed toti homini communis, mundus cenſetur. Et ſi actualia peccata exſtantiora caveantur, quæ ſcandalo etiam, commercium Eccleſiæ nemini negatur. Nam orig. labem nemo dum vivit exuere prorſus poteſt, & regeneratio veterem hominem crucifigit, & membra ejus necat, ſed ipſemet non niſi cum morte corporis emoritur in piis. Si poſt iſtiuſmodi univerſalem albedinem denuo oriatur exſtantior, aut caro viva, denuo immundities eſt major minorve. Et ſi poſt reſipiſcentiam denuo in peccata minora majoraque prolabatur homo, eſt ille relapſus poſt pœnitentiam, qui ſegregem facit: attamen nova pœnitentia removeri ſemper poteſt (Deo largiente, qui ſolus lepræ ſanationem largiebatur) & lapſis ab Eccleſia facienda gratia, contra quam Novatiani ſtatuerunt. Imo & hoc obſervandum, albedinem quandam dubiam fuiſſe, ubi ſecluſio per ſeptem dies obtinebat, quæ in Chriſto remedium quærendum docet, quod ſi tum nil emendationis appareat, pollutus eſt: qui non curatur per Chriſtum, manet & moritur in peccatis ſuis. Joh. 8: 24. & ſi non diffudiſſet ſe albedo, privata lotione acedente abſolvebatur. Et infirmitates quotidianæ, ſi paululum exſtantiores ſint, ſuſpectam reddunt piorum conditionem, ſed ſecluſione à commercio mundi opus habent, & privata lotione ſeu reſipiſcentia, & pronunciandi etiam tum ſancti. Sed quod de univerſali albedine, poſt varietatem, mundities declaretur, cum de eadem nativa nil dicatur, habet quoque rationem eandem. Nil notatur corruptionis extrinſecus in infantibus, cum tamen nati ſint in peccatis, ſed quando agere & peccata exercere incipiunt, tum patet malum: Similiter quando per reſipiſcentiam ſinceram ceſſatur à malo, evidens eſt illa receſſio ab eo quod ſigillatim in oculos incurrebat: & rediiſſe

diiſſe talis videtur ad conditionem puerorum recens natorum, qui non niſi orig. labe laborant, quæ non curatur actuali abſtinentia à peccato, ſed reatus per juſtificationem, macula per ſanctificationem tollitur. Hinc ſanatio utrobique eſt reverſio ad conditionem pueri 2 Reg. 5: 14. coll. cum Job. 33: 25. Hæc mihi videtur eſſe tota ratio lepræ.

B. *Lepra Veſtium*, verſ. 47--59. א. *Subjectum* lana (mundi animalis) & linum (non cannabis,) & tela lanea lineave, quod ad Stamen aut ſubtegmen, aut corium, ſive glabra, ſive hirſuta facies ejus. Veſtes albæ ſolum obnoxiæ lepræ; tinctæ, ſi quid in iis album, & in eo macula: jam ſubeſt communi conditioni & judicio. ב *Signa*, maculæ virides aut rubræ, & diffuſio. (a.) Hæc ſi reperiatur poſt 7 dies ſecluſionis, immunda veſtis & comburenda. (b.) Si non diffuderit ſe macula poſt 7. mandabit Sac. ut eluatur macula, & denuo ſecludet per 7. (c.) Si tum manſerit idem color, licet (ו pro quamvis verſ. 55.) non diffuderit ſe, immunda eſt & comburenda. (d.) Sin macula obſcurior evaſerit, partem illam lacerabit & exemtam comburet, reliqua veſte munda. (e.) Si denuo appareat macula, igni tradenda. (f.) Sed ubi mundata fuerit, ſecundum lavabitur, & pronuntiabitur munda.

Contagium peccati actualis ſignificatur, & huc illud Jud. verſ. 23.

CAP. XIV.

L *Eproſi ſanati purificatio* verſ. 1--32. Raknat. *Lepra eſt ſpecies immunditiæ, eſtque digitus Dei: propterea non laborandum de medicina, & abolendis ſignis ejus. Sanatio ſolum eſt per manum Sacerdotis: nam per miſericordiam expiatur peccatum: ſicut immundities non niſi aqua tollitur.* Quando ergo Chriſtus ſanavit leproſos, oſtendit ſibi eſſe digitum Dei, quemadmodum ſic ſe Dæmonia ejicere dixit Luc. 11: 20. eoque Filium Dei.

א. *Locus.* Æger cum ſe ſanatum animadverteret, (potuere enim alii, quoque videre & judicare, ſed ſententia Sacerd. ſola faciebat licitum commercium cum aliis.) adductus fuit ad extremum caſtrorum, ante portas Hieroſ. verſ. 2. & Sacerdos ad eam egrediebatur: non ut ſanaret, (nulla mandata medicina, ſed æger Deo relictus.) ſed ut cognoſceret, & judicaret: quando ſi deprehendiſſet ſanatum, procedendum fuit ad expiationem & declarationem verſ. 3.

ב. *Expiatio* gemina, quarum acceſſum dabat ad homines alios prior; poſterior ad Deum & Sanctum & Sanctuarium.

a. *Prior*, verſ. 4--7. ubi officia cum Sacerdotes tum mundati.

α. Sacerdos (α.) jubebit ſibi ſiſti ex bonis leproſi, duas aves (צפרים vocantur omnes *aves* Pſ. 8: 9. Deut. 14: 11. etiam turtures & columbæ Gen. 15: 9, 10. & alibi צפור כל ענף, eoque qui *paſſerem* dicunt, præter Scripturam id agunt, juxta Abraban.) vivas, non ab aucupe necatas, & mundas, eſui permiſſas; addunt alii, non domeſticas, ſed quæ liberæ volant, & leviores ſunt.

Tum fruſtum ligni cedrini, ſeſqui pedale, & lanæ purpuræ pondus ſicli, & hyſſopi communis longitudine palmi. (Cedrus plantarum maxima, & hyſſopus minima 1 Reg. 4. verſ. 33. ut qui ſuperbè ſe extuliſſet, humillimum ſe oſtenderet; Seu potius Meſſiam indigetavit θεάνθρωπον, Cedrum dignitate & incorruptibilitate Deitatis, hyſſopum humilitate & innocenti ſuavitate humanitatis, & purpuram, ſanguis vermiculi, ejuſdem humiliationem ad mortem. Avis mortua & viva, mortuæ ſanguine tincta, mortem & inde juſtificati reſurrectionem.)

Porrò mandabit Sacerdos, & quivis alius mactabit avem unam (meliorem commendant,) ſuper vaſe fictili novo, in quo aquæ vivæ, ſeu fontanæ, ſcaturientis aut fluentis in flumine, nulli uſui hactenus adhibitæ parum, (pars quarta logi, ſeu ſeſqui ovi.) Ut ſanguis omnis ſupernataret aquæ, & ſimul ſufficerent adſperſioni faciendæ. Avis mactata illicò tumulabatur ibidem loci.

Tum ſacerdos arripit Cedrum, hyſſopum, lanâ purpureâ colligatas, una cum ave viva, cujus alas & caudam circumponit manu, & illa omnia ſimul intingit in ſanguinem mactatæ aquis innatantem, & ſepties aſpergit mundandum, eumque mundum pronunciat, dimittitque avem vivam in aerem liberum.

Gemina avis reſpondet duobus hircis die expiationis: Aqua & ſanguis, ut judicium temperetur miſericordia. Rak. Abrab. nullum hic eſt ſacrificium, nam avis necata ſepelitur, quod in pro peccato non fit, ſed comburitur. Verum alia eſſe ſignificata, nempe lepram non eſſe contagioſam, quicquid etiam medici dicunt, ſed ſola voluntate Dei immitti, unum ſanari, alium mori. Adſperſionem notare ſepties cadere juſtum & reſtitui, dimiſſionem vivæ avis licentiam, eundi quo libet. Bechai. *Lepra quia adhæret, dimittitur avis viva in locum ſolitarium, ne quem contingat & polluat. Immunditia leproſi eſt à Spiritu immunditiæ, quæ ſuper ipſum ſeſe expandit*, (Conf. Eph. 2: 2. cap. 7: 12.) *de cœtibus virtutum impuritatis, emanantium à Serpente antiquo, patre patrum pollutionis.* (Joh. 8: 44.) (אבי אבות הטומאה) *qui calumniatus eſt Creatorem, & leproſus ſic punitus fuit, quia in ejus viis inceſſit.* Idem ait, *Squamæ in Serpente ſunt ejus lepra, unde nunquam ſanabitur, quamvis defectus aliorum in futuro ſeculo ſanandi ſint.* Eſa. 65: ℣. ult. & 35: 6. Avis unius mactatio, docuit morte expiandum reatum & ſepultura illius juſtificationem: ſanguis & aqua quod 1 Joh. cap. 5: 6. ſatisfactionem & ſanctificationem ſanguinis & Spiritus Chriſti. Adſperſio ſeptena plenam Chriſti applicationem. Avis viva, quæ dimittitur poſt declarationem munditiæ, libertatem eundi quo liberet, mundo rurſum, cum ante ſolitarius viveret. Vel Avis mortua conditionem leproſi, ceu mortui Num. 12: 12. vivæ immerſio in ſanguinem &c. illo modo ſolùm, ſang. & Spiritu Chriſti, vitam & ſanitatem conſequi, ut rurſum aliorum cœtibus interſit.

Secutæ *mundati actiones* I. lotio veſtium, II. raſio omnium pilorum quacunque parte corporis novaculâ. III. lotio totius corporis; (quomodo quicquid immunditiæ aut ſordium tollebatur) & tum demum habuit libertatem veniendi in caſtra, verſ. 8. Attamen nec dum licuit ingredi domum ſuam, aut miſceri uxori, ſed per ſeptiduum arcebatur, ſeptimo demum die, repetita raſione, lotione veſtium & corporis, mundus fuit etiam domui ſuæ, & ſole occaſo potuit edere de decimis, & agitationis oblationibus, verſ. 9. Raſio, & adſperſio, à ſolis Sacerdotibus debuit fieri.

b. *Poſterior*, pro acceſſu ad ſanctuarium, verſ. 10--32. & hic diſcrimen: ditiorum, & pauperiorum.

a. *Ditiores*, verſ. 10--20.

α. Die octavo poſt admiſſionem in caſtra poſtridie raſionis & lotionis ſecundæ, ſummo mane denuo baptizatur in atrio mulierum, in conclavi leproſorum.

β. *Tum* affert agnum, marem pro reatu, fœmellam, pro peccato, & alium agnum marem pro holocauſto, & pro unaquâque hoſtia decima pars ephæ ſimilæ, oleo temperata, ad mincha, nec non log olei.

γ. *Conſiſtit* mundandus ad oſtium orientale atrii virorum extra illud, uti omnes qui carent ſua expiatione, (hoc eſt qui mundi ſunt pridie, & tamen Expiatione egent, puta leproſus, gonorrhæa laborans, menſtruata diuturnius, & puerpera.) Sacerd. agnum pro reatu vivum agitat coram Deo, una cum oleo.

δ. *Tum* eundem agnum adducit ad mundandum, qui manus immittit in atrium & imponit hoſtiæ; mactatio debita loco peragitur.

ε. *Sanguis* exceptus partim ſpargitur in altare, partim in volam ſiniſtram Sacerdotis, qui inde tingit auriculam pollicemque manus & pedis dextros. Sanguis expiationis applicationem notat ad juſtificationem; oleum gratiæ Spiritus ad ſanctificationem; quæ ordine illam ſequitur.

ζ. *Tum* oleum ſimiliter infundit ſuæ ſiniſtræ, & inde primum ſepties ſpargit verſus S. Sanctorum, tum eadem membra tingit, reliquum olei in manu capiti infundit.

η. *Poſtmodum* offert pro peccato, & holocauſtum ritu ordinario. Et expiatio perficitur, ut rurſum ſanctuarium ingrediendi jus habeat.

Multiplicatæ hoſtiæ, quod graviora peccata, in quibus jam cœlitus demonſtrata eſſet ira Dei, per ejuſmodi morbum eoque convictus omnis generis hilaſtica obtulit, nec non holocauſtum. NB. Reatus אשם pro ſingulariſſimis pec-

peccatis; de quibus ſingulari judicio lepræ convincebantur. Sacramentum חטאת pro communioribus peccatis. Chriſtus ſe dedit, אשם ut pro cujuſvis fidelis ſingulariſſimo peccato oblatus ſignificaretur.

b. Pauperiores, verſ. 21-32. pro reatu eadem omnia, unde hic agnus, quo ſanguis ſufficeret adſperſioni neceſſariæ: ſed pro peccato & holocauſtum peragebantur turturibus aut pullis columbinis.

C. *Lepra Ædium*, verſ. 33--53. Hanc ajunt ſolum obtinere in domibus Iſraelitarum in Cananæa, non tamen Hieroſolymæ, quod communis foret omnibus, non ſingularis poſſeſſio. Abrab. docet hinc non fuiſſe morbum naturalem & contagioſum, ſed miraculoſum, juſto judicio Dei. Ratio ejus fuit; ſi quis aliquid hujuſmodi obſervaret, Sacerdoti fecit indicium, non abſolutè ſed dubiè, quia ab hujus declaratione res pendet.

א. Is ne polluerentur omnia in domo, eam evacuari penitus juſſit.

ב. Conſpectis ſignis, profundiore aſpectu, maculis viridibus aut rubicundis, diffuſione, clauſit domum.

ג. Septimo die denuò inſpexit, & ſi manerent ſigna citra diffuſionem juſſit abradi calcem loci, & denuò clauſit.

ד. Die 13 ſeptimo ab eo quo clauſit, rurſum inſpicit, & diffuſione obſervata curat eximi lapides affectos, & abradi omnem calcem domus, & impoſitis lapidibus aliis in illorum locum, totaque domo novâ calce obductâ, iterum claudit; Sed exemta & eraſa projiciuntur in locum immundum.

ה. Die 19 (pariter ſeptimo) ſi maculæ denuo appareant pronunciat immundam domum, & ea tota diruenda eſt, & quicquid materiæ eſt in locum immundum projiciendum.

ו. Sin nihil macularum appareat poſt abraſionem vel mutationem lapidum, puram declarat, & expiatio eadem eſt quæ leproſi.

ז. Qui autem ante declarationem domum ingreditur, aut ibi cubat, pollutionem ſuam lotione abolet, & ſole occaſo.

Scilicet homo etiam polluit ſua inſtrumenta, & Deus eum in bonis ſuis punit; debentque omnia expiari & ſanctificari nobis in Chriſto. Abrab. *Expiatio non fiebat propter domum, ſed herum ejus, & quæcunque agebantur pertinebant ad ejus convictionem & commonefactionem.*

Clauſula generalis de leproſis eſt, verſ. 54--57.

CAP. XV.

II. IMmundities *ex fluxu genitalium;* (Eſt hæc propria Iſraelitis & proſelytis, non gentibus aliis) & quidem

A. *Viri*, verſ. 1--18. atque hîc

א. *Laborans gonorrhæa* citra ſuam tam voluptatem quam voluntatem, quando morbus eſt & imbecillitas. *Caro* membrum genitale notat, tum in viris Gen. 17: 13. tum in fœminis, verſ. 19.

a. Semen effluens immundum eſt, verſ. 2. æque ac mortuus, cujus anima emigravit, quæ divinæ auræ particula; unde qui effundit in vanum (ut Onan) cenſetur homicida, Rakn. & Poeta quoque ſic hominem perdi dixit.

b. *Tum* fluens immundus eſt, verſ. 3. & quidem ſive tenue ſit quod effluit inſtar ſputi, aut albuminis ovi putridi; ſive craſſius, velut albumen ovi integrum; quod poſterius contingere dicit Abrab, renum calculo laborantibus, dum obſtruuntur meatus. Si ſemel contingat, cenſetur קרי caſus quaſi nocturnus; ſi bis, tenetur 7 dies immunes ab eo affectu numerare, & ſeptimo viva aqua ſe lavare: ſi ter, inſuper poſt 7 duum ejuſmodi eget oblatione.

c. *Polluit* autem omnia quibus inſidet incumbit, quodque tangit, verſ. 4. & qui ipſum, aut quicquam ipſius, puta ſputum, urinam, prodentia; aut ab eo polluta tangit, & ipſe polluitur ſed lotione veſtium ac corporis & occaſu ſolis mundatur, verſ. 5, 6--11. vaſa fictilia, quæ tetigiſſet, frangenda; lignea, aut ex metallo quocunque, eluenda erant aqua pura, verſ. 12. Imo ſi jam 7 dies puri præteriiſſent, ſi non baptizaſſet totum corpus (quod hic, verſ. 11. lavare manus,) polluebat adhuc omnia quæ contingeret.

d. *Purificatio* ejus, verſ. 13--15. Ceſſante fluxu numerat 7 dies immunes; tum abluit veſtes & totum corpus aqua viva, non hauſta, atque occidente ſole mundus eſt, attamen tenetur ad oblationem duarum turturum aut columbarum, pro peccato, & holocauſtum. Si non abluat ſe, non eſt mundus, ut nequeat, veſci ſacris, nedum venire in ſanctuarium. Sed quia hoc carent dum exulant, non attenditur illa mundities, neque utuntur lotione.

Significatur pollutio naturalis, cum ſemen, principium generationis, impurum foret. quo faciunt magis

ב. *Patiens* ἐξοσεροργμὸν, verſ. 16, 17. & quicquid eo modo infectum eſſet; egebat lotione corporis totius; & veſtis infecta pariter, & occaſu ſolis.

ג. *Congrediens* cum muliere, verſ. 18. & ipſe, & mulier quæ excepit, lotione ſimili mundandi ſunt. Hinc merito Job. 14: 4. Pſ. 51: 7.

B. *Mulieris*, verſ. 19--30. atque hic

א. *Menſtruata*, verſ. 19--24. Menſtrua ſolum ſunt in genere humano mulierum, non in brutis: eſtque hic morbus fœminis naturalis ex decreto contra Evam Gen. 3: 16. *Et quia effudit ſanguinem Adami quem occidit, etiam ſanguis ejus effunditur* Gen. 9: 6. Bechai. Rakn. *Oriuntur menſtrua ex impuritate Serpentis, quam immiſit in Evam.* Differt à fluxu viri, quia iſte candidus, hîc ſolùm ſanguis ex matrice fluens, (unde ſanguis virginitatis purus.)

Hic fluxus ſtatis temporibus redit, & ſi aliquid ejus viderit mulier, numerat 7 dies ſeparationis ſuæ tum à ſanctis omnibus. tum etiam à marito: & quæcunque tangit, aut quibus incumbit inſidetve, polluit. Et quicquid tangeret menſtrua ipſa, ſputum, urinam polluta erant, pariter ut fluxu virili, purganda: tam in hominibus quam vaſis aliis.

Congrediens cum menſtruata, ignoranter (nam ſciens qui feciſſet, excidii reus fuit,) cap. 20: 18. ſeptidui immunditiam contrahebat, verſ. 24.

ב. *Hæmorrhoiſſa*: verſ. 25--30. quæ poſt 7 dies ſeparationis, ſanguinem effluxiſſe obſervat, die uno, aut etiam altero, minorem fluxum patitur, & unum diem mundum exſpectat, ſin triduo continuo, pluribus ut diebus, poſtquam ceſſarit, dies 7 numerat, & omnia ſimilia ſunt, ut in menſtruis, atque inſuper oblatione expianda eſt.

Debet tamen accedere quoque lotio veſtium & corporis totius, ut in aliis immundis; Sic tamen ut non requiratur (præterquam in fluxu viri primo, & in leproſo) viva aqua, ſed collecta in receptaculâ, dummodo pura ſit, quæ colorem non mutarit, licet ſapor aut odor non fuerit conſtans. Talia receptacula dicuntur מקואות & continebant ad minimum 40 Seah, id eſt 3 amas, aut 2 bucephalos; nam totum corpus una vice iis immergi debuit.

Fiebat autem immerſio à nudis, (mulieres tamen tenui veſte amictæ, ut aqua penetrare queat,) ſic ut nihil aquam arceret, & interdiu, (præter menſtruatam & puerperam quæ noctu.) Hodie in ſeptentrionalibus locis, adhibent mulieres calidam, ſed id ex traditione. Fuere hæc receptacula frequentia in ædibus, etiam privatis, & propè Synagogas & locis aliis, quo lavatum ibant. Unde liquet Joh. 2. verſ. 6. tales fuiſſe hydrias ad purgationem, ſeu baptiſmum; quæ ridicule inſtar amphorarum pinguntur; Et cum 2 metretæ ad minimum æquarint 40 ſeas, 3 metretæ habebunt 60 Seas, ſive 3 bucephalos. unde de modo aquæ licet colligere. Paſ. in Lex. Metretes capit 3 urnas, quarum 18 faciunt culeum Fuder / ſex 4 bucephalos. E· 2 metretæ habent 2 amas, & tres amas totidem ſive 2 bucephalos. Sed מקוה Hebræorum ampliorem modum poſcit; quamquam Johannes intermediam capacitatem inter 2 aut 3 metret. ſtatuit, quomodo æquabitur מקוה propemodum, licet tres proxime accedant. Adhæc Baptiſmum ab Apoſtolis non alium uſurpatum eſſe liquet quam qualis inter Judæos obtinebat, immerſionis, ſive in fluminibus, ſive in ejuſmodi domeſticis receptaculis,

Bechai notat, Eccleſiam Iſraeliticam comparari menſtruatæ Ezech. 36: 17. Lam. 1: 8, 9, 10. non autem mortuæ. Ad cadaver non ingredi Sacerdotem, ſed ad menſtruatam, & ſuper ſcamno propè eam ſedere; ſic Deum non penitus Iſraelem deſeruiſſe, ſed ad eum viſere; & cum eo verſari velle. Adde huic, Menſtruatæ immundities finitur, neque perpetua erit ſeparatio Iſraelis.

Clauſula hortatoria, verſ. 31. ut caveant omnem immunditiam, aut remediis præſcriptis utantur, ne profanent tabernaculum Dei, quod Abrab. ſtatuit in anima ſancta, cujus proinde pollutionem cavendam monet, ne animæ mortem ſibi accerſant.

Tandem, verſ. 32, 33. eſt *recapitulatio* legum de his immundis.

CAP. XVI.

IV. DE PURIFICATIONE SOLENNI, quæ Diei Expiationis. Atque hîc

I. *Occaſio* mandati, verſ. 1. poſt mortem filiorum Aaron, quod appropinquaſſent coram Domino, in S. Sanctorum, qui igne Dei exanimati fuerunt, ut eſt cap. 10. Hoc exemplum ne imitaretur Aaron, aut aliquis Pontificum.

II. *Mandatum*, verſ. 2. interdicens acceſſu frequenti in S. Sanctorum I. *inſtituens* Moſes: unde Seniores quidam Synedrii Pontificem erudierunt. II. *Cui* dicitur, eſt Aaron, Sum. Sac. & ſi hic, multo magis inferiores arcentur. Moſi ſemper licuit ingredi, & Dei reſponſa inde petere. Exod. 25: 22. utpote qui mediator fœderis, liberum habens acceſſum ad utramque partem contrahentium; ſed quia iſtud fœdus invalidum fuit, uti & mediator ejus, fœderati omnes manſere excluſi à Deo, neque ulli fas fuit propinquare. III. quid dicitur, eſt acceſſus omni tempore; quotidianus vetitus, ſed aliquis conceſſus, quem Deus definiret. IV. quò? *in Sanctum*, penitiſſimum, quod S. Sanctorum. Hoc dicitur Heb. 9: 6—12. Et quamvis Pontifici ſemel quotannis licuit ingredi, non tantum aliis: aſt Chriſtus ſic ingreſſus, ut deinceps pateat omnibus fœderatis, quibus ipſe mediator. V. ratio interdicti, *ne moriatur*, quod filiis acciderat; & periculi hujus, præſentia Dei manifeſtata in nube ſuper Cherubinos arcæ. Quæ fuit gloria illa domum initio implens, atque ibi quaſi fixa, quam intueri non licuit. Conf. Exod. 19: 21, 22. ubi etiam Sacerdotes arcebantur. Quidam nubem fumi aromatis intelligunt; nam cum fumo videbor, ab eo, quando intulerit, ſed incommode.

III. *Modus* acceſſus, ubi

A. *Hoſtiæ offerendæ*, pro ipſomet Sacerdote, verſ. 3. juvencus ſecundi anni, pro peccato; & aries ejuſdem ætatis, holoc. Sed plures hoſtiæ fuerunt offerendæ illo die. I. Juges, duo agni, holocauſtum quotidianum mane & veſperi. Num. 28: 3. II. Feſti hujus propriæ, juvencus & 7 oves holoc. & hircus pro peccato. Num. 29: 7, 8. 11. III. Singulariſſimæ expiationis, pro ſe juvencus, peccatum; & aries holoc. & pro populo, hircus peccatum, præter hircum emiſſitium, & aries holoc. Obtulit proinde holocauſta 12. duos agnos jugis ſac. juvencum, duos arietes, 7 agnos. Peccata tria juvencum Sacerd. hircum expiationis, qui non comedebantur; illato ſanguine in S. Sanct. ſed comburebantur extra caſtra, & hircum alium, qui comedebatur à Sacerdotibus nocte inſequente. In univerſum 15 Quod ſi Sabbathum in eundem diem incideret, addebantur 2 agni holoc. Num. 28: 9. Hæc omnia illo die ſoli Pontifici peragenda fuerunt, & quidem ſtanti, citra ſeſſionem cum omni miniſterio diei; Quia Chriſtus ſolus peregit expiationem Heb. 1: 3. neque quiſquam auxilio fuit: utpote unicus Sacerdos. Cæterum juvencus & aries hoc verſu, fuere parandi proprio ære Sacerdotis, non autem ſumtu publico cœtus emendi.

B. *Veſtes induendæ*, verſ. 4. Solum lineæ, quemadmodum inferiores Sacerdotes, ſed propriæ huic diei, & tantum in iis miniſteriis, quæ intra velum ſecundum peragendæ: nam in aliis utebatur aureis; Illæ 4. tunica, ſubligacula ad tegendum carnem, hoc eſt pudenda, (quamvis Heb. nudæ carni applicandas has veſtes dicant) baltheum & cidarin. Significabatur Chriſti ſatisfacientis humilitas Phil. 2. verſ. 6, 7, 8. & cum aliis temporibus radii gloriæ deitatis emicarent quandoque, uti filamenta aurea; tunc nihil horum manifeſtatum. Nondum ergo cœperat actiones ſatisfactorias, quando verbo proſtravit hoſtes, ſanavit Malchum, paradiſum promiſit latroni. Item Sanctitas, quæ candidis notatur: Abrab. *quia ingrediebatur S. Sanct. ad Dominum, veſte miniſtrorum debuit accedere; cum foris, ubi princeps populi, glorioſus appareret.* Menah. Rakn. *Uti exercitus cœleſtes albis induti repræſentantur, ſic quoque inferiores. adhæc Candida denotant benignitatem & gratiam, & hacpropter iis uſus eſt, non aureis, ne eſſet recordatio vituli aurei, & loco advocationis fieret accuſatio.*

Mutatio veſtium facta aliquoties: venit cum veſtibus communibus, quibus poſitis 1. aureas induit, & in iis juge & proprium diei ſacrif. obtulit. 2. lineas & ſuum juvencum populique hircum. quorum ſanguis illatus in S. Sanct. 3. aureas ad hircum pro peccato, & 2 arietes, itemque ad juge veſpertinum, 4. lineas ad efferendum palam & thuribulum ex S. S. 5. aureas ad ſuffitum veſpertinum, & lampadas. 6. ordinarias finito cultu.

C. *Lotio corporis*, verſ. 4. Hanc repetitam volunt quoties mutandæ veſtes in univerſum quinquies, & decies lotas manus, & pedes, ex labro ſacro nempe 1. lotio antequam aureas primùm ſumeret, & mox 1. man. & ped. antequam opus ordiretur. tum 2. m. & p. depoſitio aur. 2. lot. indutio lin. 3. m. & p. rurſum. 4. m. & p. depoſ. lin. 3. lot. ind. aur. 5. m. & p. iterum 6. m. & p. dep. aur. 4. lot. ind. lin. 7. m. & p. porro 8 m. & p. dep. lin. 5. lot. ind. aur. 9. m. & p. denique 10. m. & p. dep. aur. & aſſumtio ordinarii habitus. Denotata Sanctitas quæ potiſſimum neceſſaria, quando in cultu Dei verſamur & ipſi ſumus proximiores.

D. *Hoſtiæ pro populo offerendæ*, verſ. 5. Accipiet à cœtu filiorum Iſraelis, communi omnium ſumtu paratos, (uti ligna, & ſal, aliaque ex publicis contributionibus omnium emebantur) duos hircos ejuſdem pretii, & magnitudinis, & quam pote ſimillimos, qui pertinerent ad unum ſacrificium pro peccato, hoſtiæ unius loco: tum arietem unum pro holocauſto.

NB. Ex theſauro ſacro, non pro ædificio 2 Reg. 12. erſ. 9. ſ. cap. 22: 4. ſ. 2 Chron. 24: 5. ſ. cap 34 9. ſ. ſed pro ſacrificiis aliiſque neceſſariis ad cultum 2 Reg. 12: 13. Neh. 10: 32. ſ. Ex hoc theſauro ſumti ſunt 30 ſicli, quibus emtus Chriſtus, futurus hoſtia pro toto populo, ex communi omnium pecuniâ; & hanc ſummam relatum noluerunt rurſum inferre in gazophylacium, ne foret retractatio emtæ hoſtiæ pro peccato omnium. Matt. 27: 6. Ratio quam addunt, quia pretium ſanguinis eſt; poteſt duci ex Lev. 17: 11. ſanguis eſt anima, & pro anima datur expiatio; hujuſmodi ſanguinem emerant, qui vicarius foret, ex Joh. cap. 11: 50. ſ.

E. *Hoſtiarum adductio ad altare.*

א. *Juvenci proprii*, verſ. 6. quem conſtituit inter altare & porticum, & כפר non mactando, (iſtud enim poſt demum factum) ſed confitendo ſua & familiæ peccata. Sed prius depoſitis aureis, & ſumtis lineis veſtibus quatuor, non aliorum Sacerdotum inferiorum, ſed aliis novis, & poſt hujus diei miniſterium, nec ipſi, nec ulli alii uſurpandis.

ב. *Duorum hircorum*, verſ. 7—10. congregationis, qui ſiſtebantur in atrio circa ingreſſum, coram Deo, eoque facie occidenti obverſa.

Pontifex medius inter Sagan, Sacerd. ſummo proximum, & ראש בית אב principem familiæ potiſſimæ, conſiſtebat ante hircos, & ex capſula (cui inerant duæ ſortes ejuſdem prorſus conditionis, initio ligneæ, ſub ſecundo templo aureæ, quarum alteri inſcriptum fuit לה', alteri לעזאזל) utraque manu eximebat ſortem, & quam dextra arripuerat, imponebat capiti hirci ſuæ dextræ obverſi, & quam ſiniſtra, illius qui ſiniſtræ; ſic tamen ut quæ ſors Domino ceſſerat, eam manum, qui aſtabat proxime, juberet elevare; quo omnibus conſtaret, qua manu prehenſa, & cui hirco fuiſſet poſita.

Tum hircum qui לה' ceſſit per ſortem, facit eum *Peccatum*, non mactando, ſed declarando, ut R. Sal. quando imponit ei ſortem, vocat illum *Peccatum Domino.* hoc eſt ſegregatum & deſtinatum hoſtiam pro peccato. quem etiam conſtituit in loco mactationis, ad Sept. altaris. Aſt alterum hircum vivum ſtatuit in loco, unde dimittendus, coram Domino, facie occidentem verſus, & Pontifex ligabat tæniam coccineam in capite ejus: לכפר עליו ut ſuper eo peccata confiteretur ut verſ. 6. & ſic dimitteret Azazeli.

NB. Quæritur hîc quis עזאזל? Sunt qui hirci ipſius nomen faciunt, quaſi עז אזל ἀποπομπαῖος; ſed ob ea quæ, verſ. 10. dicuntur, alii loci nomen faciunt, quo miſſus. Sed

quis

quis ille, nemini constat. Sane uti לה non hirci, aut loci nomen est, ita neque לעזאזל esse videtur, verum utrobique denotari eum, cui hirci isti destinentur. Sed tum quæritur majori ratione quid sit? Rabb. quidam ajunt, Esse Sammaelem, & huic dari suam partem, jussu Dei, ne accuset Israelitas; imo die expiationis ipsis ἰσαγωγίλιος testimonium perhibeat. Hoc volunt, quandoquidem omnia peccata transferantur in hircum, Diabolo istum repræsentari, in deserto, quæ loca pervagare dicitur Matt. 12: 43. Esa. 34. ut ablata videns peccata, quod accuset non inveniat. De testantur autem eos, qui exinde ipsis impingunt, quasi Satanæ sacrificarent, eumque Deo æquarent, cum nil agant, nisi quod Deus mandavit. Nec magis Sammaeli aliquid offerri quam sacerdotibus, qui etiam vescuntur partibus sacrificiorum sibi à Deo concessis. Raknat. tamen commodius interpretatur, *non est intentio missionis ad Sammaelem, sed ad judicii domini proprietatem* (לה) *unde omnem suam vim habet Sammael. & illa, quando hoc modo voluntas Dei patefacta est*, (admittens vicarium) *non habet amplius quod adversetur aut accuset. Scilicet unus hircus gratiæ symbolum fit*, לה, *quia offertur in altari & propinquat Deo, facitque accessum offerenti: sed alter judicii & justitiæ, quæ reos à se removet, & tradit in potestatem tortoris Satanæ, qui non potestatem habet plenam in quemquam, nisi quem Dei justitia ipsi tradiderit.* Idem, עזאזל appellatum dicit, *quia robur ejus & fortitudo ejus est à Schechinâ*, quæ dicitur אל. Uterque hircus unicum designat Messiam, qui & expiat peccata suo sanguine coram Deo, & reatum illum à reis aufert, idem mortuus carne, & vivificatus spiritu: quique peccata sanguine suo expiata defert ad Deum, plenam absolutionem in suâ resurrectione consecutus.

F. *Mactatio juvenci proprii*, vers. 11. repetita χειροθεσία confessione pro se sua familia, & omnibus sacerdotibus: qui & ipsi peccatores erant, indigi vicariæ hostiæ Heb. cap. 5: 1. s. cap. 7: 28. Sanguis autem mactati juvenci exceptus pelvi ab alio sacerdote agitabatur ne concresceret, usque dum eo usus fuisset Pontifex.

G. *Suffitus illatio in S. Sanctorum*, vers. 12, 13. Mactato juvenco accipiebat palam auream (aliis diebus argentea serviebat.) & impositis prunis de arâ holocausti ingrediebatur S. Sanctorum, eam deponebat inter vectes arcæ, & mox ex aureo vase quod una intulerat implebat utramque volam thymiamate atque illud injiciebat in ignem, ut densus fumus adscendens operiret arcam, & totam domum impleret. *ne moreretur* Sacerdos. Conf. v. 2. Et vasis hisce relictis, retrorsum egrediebatur in Sanctum, atque heic brevi prece fusâ procedebat in atrium, ad reliqua munia.

Suffitus preces sunt, & contusio designat angustiam Heb. cap. 5: 7. accenditur igne ab altari sumto Apoc. 8: 3, 4. fuit præparatio ad illationem sanguinis expiatorii, quemadmodum Christus precatus ante est Joh. 17. Hebræi docent heic dissensum quendam Sadducæorum sub secundo templo, quod putarint incensum imponendum igni in Sancto, atque excitato jam fumo demum illatum in S. Sanctorum. Hacpropter Synedrium Pharisæorum traditionibus addictum, pridie adjuravit Pontificem ne quid mutaret de consuetudine traditâ, nec suffitum injiceret igni sacro nisi post ingressum in S. S.

H. *Illatio sanguinis*

א. Juvenci, vers. 14. Hunc accipiebat à Sacerdote alio, qui hactenus agitarat, & ingressus S. S. inde digito suo spargebat semel sursum supra propitiatorium, & septies deorsum inter duos vectes arcæ. Sed quod dicitur קדמה non explicatum invenio; nequit tamen aliter intelligi, quam Pontificem obiviisse arcam, & pone eam consistentem ad occid. versus orientem sparsisse sanguinem.

Hoc facto egressus retrorsum ex S. S. & velo secundo rursum obducto, illud versus, hoc est ad occid. spargebat de eodem sanguine, semel sursum, & 7 deorsum, sed (inquit Abrab.) ut nec istic arcam aut cherubinos, aut hic velum sanguine contingeret. atque tunc deponebat pelvim cum reliquo sanguine juvenci, in sancto.

ב. *Hirci*, vers. 15. Regressus in atrium mactabat hircum Domino, & mox ejus sanguinem intulit in S. S. & inde in Sanctum, utrobique similibus adsperionibus usus.

Additur *finis*, vers. 16. ut expiaretur (quod non fit sine αἱματεκχυσία Heb. 9: 22.) Sanctum & tentorium integrum propter peccata & prævaricationes populi; quamvis nemo veniret intra velum primum, nedum secundum, tamen peccata penetrarunt, & polluerunt omnia, & fuere expianda sanguine. Conf. Heb. 9: 21--23. Quod vero dicitur *habitare tabernaculum in medio impuritatis Israelis.* respondet illi Lev. 26: 11. Jer. 31: 35. s. Bech. *licet ipsi immundi sint, Schechina cum ipsis est: & pariter in ipsorum captivitate.*

Item *mandatum* solitudinis, vers. 17. ne quisquam (sive de sacerdotibus, sive de populo) sit in sancto aut S. Sanctorum, dum Pontifex hoc ministerio defungitur, quo pro se, domoque Aaronis, proque populo expiationem peragit.

Non licuit sine sanguine ingredi in S. S. Heb. 9: 7. 11, 12. sed alienum Sacerd. pro se & populo, intulit, Christus proprium pro populo, eoque sanctificavit & præparavit viam vivam, per velum corporis Heb. 10: 20. neque quisquam cum ipso fuit, quando functus est expiatione (Hebræi etiam Angelos tum excessisse templo ferunt) ne quicquam contulisse dici possent. Ergo nulla fiebat adhuc expiatio, quando Angelus Christum roboravit Luc. 22: 43.

Adsperiones Rabb. docent sic factas, ut numeraret eas Pontifex. Supernam אחת, Infernas אחת ואחת אחת ושתים אחת ושלש אחת וארבע אחת וחמש אחת ושש אחת ושבע Sed quid per repetitum אחת voluerunt? ne erraret, & ut primam à septenis distingueret. Bechai. והבן כי כשאמרו אחת הוא השלשה וכשאמרו אחת ואחת פירוש השלשה והגדולה וכן כולן עד הסוף. Prima est pro tribus summis Nominibus Kabalisticis. quæ semper per אחת designentur & hac voce repetita toties quoque indicentur, addita sequente proprietate.



Septeni numeri mysterium ad Sabbathum habet relationem, & expiationem plenam, quæ à Messia fit, die septimo promisso.

ג. *Juvenci & hirci* simul, vers. 18, 19. cum rediisset in Sanctum & adsperionem peregisset versus velum secundum, miscebat residuum sanguinis juvenci (quod deposuerat istic) cum residuo sang. hirci; atque tunc mixto sanguine illinebat 4 cornua altaris suffitus, & remotis ad latus cineribus, in tectum seu dorsum ejus spargebat septies de eodem sanguine; quomodo expiabatur sanctum & ara ejus, utpote non secus ac cætera pollutum peccatis Israelis, & quod non nisi sanguine mundaretur: atque quod ipsæ preces egerent expiatione. Quod v. tunc restabat de mixto sanguine, egressus Sancto Sacerdos effundebat ad fundum altaris holocausti versus occidentem, quod latus primum occurrebat.

Adsperiones fuerunt in universum 43. ex quibus de sanguine juvenci 16. hirci 16. mixto 11. neque licuit bis spargere ex unica intinctione. Rakn. *Expiatur altare non infernum tantum, sed etiam supernum, propter peccata Israelis. Vocatur enim hic dies* כפורים *pluraliter non sing.* כפרה *quia gemina expiatio, una Ecclesiæ Isr. supernæ, altera Ecclesiæ Isr. infernæ: quia dicitur propter prævaricationem vestram dimissa est mater vestra.* Significat semper factam recordationem etiam priorum peccatorum, quibus à patribus peccatum fuerat, unde confessiones Ps. 106: 5. s. Dan. cap. 9: 6. 8. 16. & quia patrum filiorumque peccatum non nisi una hostia expiatum Zach. 3: 9. Heb. 11: vers. ult.

cap. 10: 14. Superna & inferna expianda fuerunt simul. Eph. 1: 10. & sanctuarium cœleste quoque Heb. 9: 23. quia in cœlo versabantur fideles, vers. 3. quorum peccata hactenus non expiata, (licet ablato ab ipsis & in Christum translato reatu) tum fuerunt expiata Heb. 9. 15. cap. 11. vers. 39, 40.

J. *Vivi hirci dimissio*, vers. 20--22. Expiatione locorum sacrorum facta, hircus vivus, *sistebatur* Pontifici, qui utraque manu impositâ ejus capiti, confitebatur totius populi iniquitates prævaricationes & peccata: id est omnis generis peccata, majores & minores transgressiones, scienter vel ignoranter factas, & illius capiti imponebat, atque in illum transferebat. Targ. Jonath. *Ponet peccata cum gravi adjuratione in caput hirci.* (Sic qui non norat peccatum, factus est peccatum. 2 Cor. 5: 21. & omnes has species peccati abolevit in se susceptas Dan. 9: 24.)

Secuta *dimissio hirci*, per איש עתי virum oportunum, ei fini destinatum pridie, aut anno præterito qui fuit unus sacerdotum, atque acceptum hircum deduxit, aut gestavit (etiam in Sabbatho) in desertum, in locum גזרה definitum, vel abscissum ab omni incolatu hominum vel jumentorum. Vel abscissionis, ubi ipse hircus peribat. Nam ajunt de rupe præcipitatum fuisse, incumbentibus omnibus peccatis, ut moreretur. Cæterum dicunt locum illum distasse Hierosolyma 90 stadiis seu milliaribus 12 minoribus; & intermedio spacio 10 tuguria, ubi deferenti hircum offerebant cibum & potum quo sufficeret itineri; negant tamen quemquam defecisse unquam, neque ullum jejunii diem magnum violasse: quam primum deturbatus erat hircus, de tuguriis successive signum dabant, ut illico Hierosolymis innotesceret. Rakn. אל ארץ תרה *quid est? de qua decrev., ut omnes ultiones, quæ filiis meis jure debebantur, eò abeant.* Sic quidem in Christum ruit ultio Dei, & quidem cum venit in terram horamque definitam, Act. 2: 24. cap. 4: 28.

K. *Mutatio vestium*, ad alia munia, vers. 23. s. Hebræi tamen negant hic ordinem exacte observatum, quem talem faciunt: Dum hircus abducitur, Pontifex juvencum & hircum, (quorum sanguis in S. S. illatus,) exenterabat, & exemto adipe reliquisque comburendis in altari, corpora secabat in frusta majora cohærentia, & per certos mittebat extra castra comburenda, loco sancto; & percepto indicio delati hirci, ex lege coram populo legebat sectionem Lev. cap. 16. & cap. 23: 27--32. præmissa precatiuncula, & simili subjuncta.

Tum mutabat vestes lineas in aureas (sed quid impedit, quo minus hæc mutatio vestium hisce ministeriis præmitteretur, cum similiâ etiam alias in aureis fierent, ut pro peccato Pontif. & Synedrii, quia non inferebatur sanguis in S. S.) atque in iis offerebat holocausta suum & populi, nec non alias diei illius hostias, & ad extremum juge vespertinum.

Dein rursum mutatis vestibus aureis in lineas, ingrediebatur Sanctum Sanctorum, vice jam quarta, inde elatum quod intulerat thuribulum, & vas suffitus.

Depositis rursum lineis vestibus, quas post illa nemo unquam usurpabat, resumebat aureas, & in Sancto suffitum vespertinum faciebat, & lampades curabat: unde rediens, etiam aureas vestes ponebat, & indutis ordinariis vestibus, domum suam revertebatur, omni ministerio defunctus. Ultima benedictio Pontif. post Exp. solennia omnia fuit in aureis. Et Christus, peractâ expiatione, in aureis in eadem H. N. sed glorioſius se ostendente, rediit & benedixit discip. antequam depositio sui diei ministerio rediret in propriam domum. Act. 3. vers. ult.

Porro & qui hircum deferebat, & qui hostias pro peccato foris comburebat, polluebatur, quia iis hostiis impositа erant peccata, & quisquis illas tangebat in suo peccato, immundus fuit, eoque baptizari necesse habebat, & occasu solis; atque tunc demum in castra redire & mundis permisceri poterat.

Combustio juvenci & hirci extra castra applicatur Christo Heb. 13: 11. s. corpus victimæ non consumebatur in altari, quando sanguis inferebatur in S. Sanctorum & sanguis inveniebat factâ expiatione admissionem intra velum, ad ejus factæ demonstrationem, sed corpus fuit extra castra comburendum: E. ut typus respondeat, Christus intulit sang. suum in sacrarium cœleste Hebr. 9: 11, 12. 14. dum corpus extra castra, loco mundo, deponeretur. Ut inquirendum sit quis ille sanguis sit, quem cœlo intulit, dum corpus foret extra castra? an ille qui in venis, aut qui effluxit ex vulneribus corporis? an illum collegerit de corpore & terra? quomodo eum intulerit in cœlum? quando inde retulerit, si non istic mansit? Vel an Apostolus non recte intellexerit, aut explicarit? aut an hæc collatio inutilis meritoque sit negligenda? Forte aliquid lucis ex cap. 17. allucebit.

IV. *Officium populi & beneficium*, vers. 29--34. ubi

A. *Tempus* quotannis 10 die mensis septimi, vers. 29. quia v. quotannis repetendus cultus iste, utique potuit promissiones istas splendidas non tam umbris quam corpori aptandas, Heb. 10: 1--5. Rakn. *Jejunium est ad humiliandas cupiditates corporales. Nam propter magnum amorem Dei & ejus misericordiam super populum, ordinavit ipsis quotannis diem unam ad expiationem ne mensura eorum impleretur.*

B. *Jejunium* agitandum, vers. 29. ענוי נפש semper in Scriptura *jejunium* notat: hoc die præstandum illud omnibus (solis ægrotis, & minoribus quam novennes, exceptis.) abstinentia à cibo, potu, lotione, unguento, calceatione, & conjugali consuetudine. Initium fiebat in vespera diei noni finiente, & producebatur usque in noctem undecimi.

C. *Quies* ab omni opere, peregrinis & indigenis pariter observanda, hoc est Israelitis & proselytis. Beneficium vers. 30. quod in Christo complementum accepit Zach. 3. vers. 9. 1 Joh. 1: 7.

Repetitio (a.) mandatæ *quietis & jejunii*, vers. 31. & addito *beneficio* per Pontificem conferendo, vers. 32, 33. quem proinde per septiduum instituerunt de omni parte sui muneris, ne quid erraret tum suo periculo, exscindendus; tum populi, non consecuturi alias expiationem. (b.) nec non mandati *temporis*, vers. 34. *Cum testimonio* obedientiæ Aaronis, vers. 34.

CAP. XVII.

V. DE LOCO SACRIFICIORUM, & affinibus quibusdam. Ubi

I. *Non sacrificandum nisi in atrio tabernaculi aut templi*, vers. 1--9.

A. Mandatum datur *sacerdotibus* & *populo*, quia utrorumque erat observare destinatum hostiis locum, vers. 1, 2. Quibus mandatur sunt Israelitæ, & cum his proselyti, ut est, vers. 8.

B. *Mandatum* ipsum *loquitur* de animalibus offerri licitis, bove, ove, capra; *interdicit* mactatione horum intra vel extra castra, siquidem destinata sint in hostias, sive sciens quis mactarit, sive ignorans. *Definit* locum mactationis istius, atrium Domini; vers. 3, 4. Quia scilicet in Christo qui verum tabernaculum Heb. 9: 11. omnia sacrificia Deo placent; extra eum, non item; cum per ipsum tantum detur accessus Joh. 14: 6.

C. Additur ratio à reatu sanguinis, vers. 4. Conferunt Hebræi, Esa. 66: 3. Sed an tanti brutum ac homo? Omnino hoc casu. Loquitur de mactatione hostiarum loco non debito. Illæ erant vicariæ hominum, sive ad expiationem, sive ad eucharistiam offerrentur, cum utroque casu ipsomet Deo forent dandi. Quia v. hominum personam sustinebant, eas mactans, hominem mactasse videbatur: sed citra culpam ubi homo tenebatur, in atrio Domini: verum extra hunc locum, magna culpa. Ut qui sponsorem ante solutionem occidat, in quo debitor occiditur qui non solvendo peribit.

Confirmatio alia à moribus pravis, vers. 5, 6, 7. Ne ampliùs in aperto campo sacrificarent, quod olim solenne fuit etiam Patribus, & gentilibus, in excelsis & montibus, sed contra sisterent hostias in atrio, & quidem Domino per Sacerdotem offerendas, qui & sanguinem inspergeret altari, & adoleret adipem; acceptando isto cultu à Deo.

Neve sacrificarent Dæmonibus. qui dicuntur שעירים vel quia hircina specie quandoque apparerent ut Satyri, Esa. 34: 14. habitatores horridi deserti Apoc. 18: 2. Matt. cap. 12: 43. vel quia horrorem incutiunt hominibus. (Hujusmodi sacrificia in deserto ab Israelitis oblata fuisse docent dicta

dicta tum hîc, verſ. 7. tum Amoſ. 5: 25, 26. Ezech. 20: 8. f. cap. 23: 8. 19. 27.) Aliàs שדים *vaſtatores:* ſic vocantur idola Deut. 32: 17. [*Δαιμόνια* 1 Cor. 10: 20.] & vituli Jeroboami 2 Chron. 11: 15. ſic Apoc. 9: 20. quibuſcum ſcortati dicuntur, colentes Deos falſos more Ægyptiorum Ezech. 20: 7, 8. cap. 23: 3. 8.

D. *Perpetuitas* legis pro Iſraelitis & proſelytis, ſub pœna excidii, verſ. 8, 9. ſiquid extra ſanctuarium vel mactet, vel offerat. Sed excipiunt Gentiles, quibus licet ſacrificare Deo quovis loco, & in excelſo quod excitavit; & licet Judæo eos docere oretenus modum ſacrificandi legitimum Deo, ſed non juvare vel in ſtruendâ arâ, vel in victimâ offerendâ. Sic non tantum Job licite egit; ſed etiam Naaman acturum ſe dixit 2 Reg. 5: 17. Scilicet juxta conceſſionem ante fœdus Iſraeliticum factam Exod. 20: 24. ſeq. Excipiuntur item altaria & ſacrificia extraordinaria prophetarum, aut aliorum ab Angelis juſſorum: Gideonis, Manoæ, Davidis, Eliæ.

II. *Damnatur eſus ſanguinis* cujuſcunque tum beſtiæ quæ ſacrificari poterat, verſ. 10--12. tum feræ, verſ. 13, 14.

A. Mandatur *Iſraelitis & proſelytis.* Nam Rom. 3: 19. & ob cauſam ſpecialem. Sed non agitur de lege generaliori, quæ filiis Noachi data Gen. 9: 4. f. ut hinc ejus abrogatio concludi nequeat.

B. *Res interdicta*, comeſtio ullius ſanguinis, verſ. 10. non tantum hoſtiarum, ſed etiam quemcunque alium vetat ſive quadrupedum, ſive avium Lev. 7: 26. *Excipitur* ſanguis piſcium, & locuſtarum; ſiquidem mundi fuerint ipſi. Rabb. etiam ſanguis hominis proprius, non ſeparatus, ut qui ex dentibus fluit, eum fas deglutire; forte etiam ſi quis ex digito vulnerato exſugat, quamvis exſpuendus ſit, tamen ſi quid forte fuerit deglutitum, non tenetur reatu. Diſtinguunt ſanguinem animæ. Gen. 9: 5. & membrorum: de illo; non de hoc agitur in ſacrificiis.

C. *Sanctio*, excidium ab irato Deo, facies pro ira, contra animam, hoc eſt hominem vivum, verſ. 10.

D. *Ratio mandati* (a.) generalis. *nam anima carnis in ſanguine eſt*, verſ. 11. aſt verſ. 14. dicitur, *anima omnis carnis*, (tam hominis quæ bruti Gen. 9: 4, 5. דמכם לנפשותיכם **u bloet ('t bloet uwer zielen.)** *Sanguis ejus eſt in* vel *cum anima ejus.* & rurſum, *anima omnis carnis ſanguis ejus eſt.* Ergo anima in ſanguine, & ſanguis in anima, & anima ſanguis, phraſi Scripturæ. (b.) Spiritualis. *dedi eapropter ſanguinem brutorum ſuper altare, pro animabus veſtris expiandis.* Nam quia ſanguis eſt, facit pro anima expiationem, ℣. 11. Talmud Joma cap. 1. *Nulla remiſſio niſi per ſanguinem, quia ſcriptum; Sanguis eſt qui facit expiationem pro anima.* Sic Heb. 9: 21.

E. Repetitum interdictum, ut hanc ob cauſam omnes abſtineant eſu ſanguinis, verſ. 12. *Bech.* „Sanguinis eſus vetitus I. quia eſt portio Domini, uti adeps. II. quia eſt anima, quæ non permiſſa homini. Initio Deus Adamo interdixit eſum omnium animalium, aſſignatis herbis & fructibus arborum. Dein Noacho indulſit animalia, ſed ſolùm corpora, non animas, quas excepit, quod interdictum perennat. III. quia bruti ſanguis eſt anima brutalis, cujus eſus brutalitatem affert, & cum ſit mortalis non convenit alimoniæ animæ immortalis. IV. quia idolatræ comederunt ſanguinem, velut ſacrificium & cibum dœmoniorum, quibuſcum communicarint (ſic conf. 1 Cor. 10: 18--21.) Addit animam in ſanguine, hunc in anima eſſe, ſibi permixta ut vinum & aqua, imo facere unum quid, uti materia & forma, ut unum ſine altero non reperiatur. Sanguis autem qui dicitur דם שותת eſt דם נפש ſanguis fundamentalis, qui ſtillat, neque profluit cum impetu, & quo effuſo quis necatur, eſtque quarta pars ultima. Omnis alius ſanguis prior, qui eſt דם קלוח ſang. fluxus, dicitur ſang. animæ, ſed non eſt anima ipſa, quia illo effuſo non moritur homo, aut beſtia; ſed tantum ſi ultima quarta pars effundatur. Quod autem ad excidium comedentis ſanguinem, non tantum de דם שותת ſed etiam de דם קלוח loquitur. *Abrab.* Rationes interdicti ſunt 1. Sanguis eſt vehiculum ſpiritus vitalis, & per illum anima permeat omnia membra. Mandavit autem Deus ut homo oblationem ſuam offerat ſuper altari, ſitque corpus hoſtiæ loco corporis ejus, & ſanguis hoſtiæ propter animam viventem quæ illi ſubjecto ineſt, loco animæ hominis. anima pro anima. Nequit enim homo offerre rem palpabilem, quæ aliquo modo reſponderet animæ ſuæ, præter ſanguinem. Quemadmodum enim homo debet animam ſuam effundere coram Deo, ita effundit animam hoſtiæ pro anima ſua ſuper altare Domini. Atque hacpropter ſanguine ſeu anima bruti expiantur animæ hominum; quamvis hæ ſint excellentiores, non tantum viventes, ſed etiam intelligentes. 2. Alimentum convertit in ſuam naturam id quod eo alitur. Hinc non comedendus ſanguis, anima bruti, ne homo bruteſcat. quod tanto magis fiat, cum ſanguis ſit ultimæ digeſtionis, ſtatim convertendus in membra corporis, eoque illicò aſſimiletur, miſceaturque ſanguini humano, faciatque eum & deſideria ejus bruta. Cæterum anima non eſt ſubjectum ſanguinis; neque ſanguis brutorum eſt loco animæ, ſed ſanguis animæ ſociatus eſt, & דמו בנפשו eſt ſanguis ejus cum anima ejus: Anima in ſanguine tanquam in ſubjecto; & ſanguis eſt in anima ceu effectum hujus. 3. Anima loco in brutis eſt ſanguis: illam enim videre non poſſumus; ſed videmus ſanguinem, in quo hæret anima. Interpretatio vera ex ratione Dei petenda: quam attigerunt Hebræi. Expiatio fit per vicarium reſpondens: Anima eſt potiſſimum peccans, corpus tantum inſtrumentum; eoque anima peccando fit rea, corpus propter animam, cui ſociatum eſt, & cui ceu inſtrumentum inſervit; Eoque expiatione potiſſimum eget anima. Nequit autem vicarium animæ eſſe præter animam; Bruti, quod pro homine ſubſtituitur, anima à ſanguine indiviſibilis eſt. (quemadmodum etiam anima hominis dum in corpore, eique unita, inſeparabilis eſt, ſaltem ultimæ parti ſanguinis, quam דם שותת & נפש dixit Bechai. Ergo uti corpus bruti pro corpore hominis offerentis, ſic ſanguis ſeu anima bruti pro anima hominis venit. Non debuit proinde homo veſci ſanguine bruti, quia quod vicarium erat aut eſſe poterat coram Deo ſuæ animæ, non ab ipſomet abſumendum, & vicarius ſponſor quaſi abnegandus & repudiandus fuit. Imo ne quidem ſanguis beſtiæ ad altare immundæ. puta feræ, venando captæ, comedendus, partim ob cognationem cum ſanguine mundæ ad oblationem beſtiæ, partim quod nulla anima bruta eſſet idoneum alimentum animæ rationalis: unde etiam ille ſanguis vetitus ad cibum, & mandata occultatio ejus ſub pulverem, ne anima bruti quaſi exponeretur oculis, aut cederet alimento aliis beſtiis, homine id permittente. Nam ſanguis non tectus quaſi vindictam poſcit Job. 16: 18. Ezech. 24: 7, 8. Jer. 2: 34. Obtectio eſt loco ſepulturæ, quæ abolet quaſi maledictionem cui expoſitus eſt occiſus. Quæ ſunt leges, verſ. 13, 14. Sed ulterius videndum. Aſſertio generalis eſt, *anima omnis carnis ſanguis ejus eſt.* Etiam hominis anima venit nomine ſanguinis Pſ. 94: 21. Pſ. 72: 14. coll. cum 2 Reg. 1: 13, 14. Gen. cap. 4: 10. coll. cum Apoc. 6: 9, 10. Matt. 27: 4. Et inprimis ea appellatio obtinet circa expiationem animæ, quæ ſic vicariam accipit: eoque non tam ſanguis hoſtiarum attenditur, ſed quod ſanguini connexum eſt, & eo majus ac potius, qui ſolum vehiculi vicem eſt, anima. Hacpropter in antitypo promiſcue uſurpantur *ſanguis & anima.* Matt. 20: 28. & cap. 26: 28. quatenus dicitur agnus, ſanguis ejus animæ reſpondet 1 Pet. 1: 18, 19. & cum hominem ſe dicit, animam ponit Joh. 10: 18. Eſa. 53: 10, 11, 12. quemadmodum in hoſtia brutâ ſpectanda fuit anima in ſanguine, non ſanguis ſimpliciter (nam alioqui, victimæ vivæ pars ſanguinis ſubduci, & altari inferri potuiſſet;) cum ille demum ſanguis ſerviret expiationi cum quo anima ſociata erat. Proinde etiam in antitypo quærenda eſt in expiatione vicaria anima, quæ ſanguis dicitur. Atque hîc recurrendum ad Lev. 16: 27. & Heb. 13: 11. ſ. quarum victimarum ſanguis ſeu anima, inferebatur ad expiationis demonſtrationem in S. Sanctorum, harum, corpora extra caſtra comburebantur. Debuit ergo Chriſtus dum corpus fuit extra Hieroſ. depoſitum in loco mundo, ſanguinem inferre in S. Sanctorum cœleſte. Sed non ſanguinem abſolutè eò tunc intuliſſe dici poteſt; verum intulit animam, Heb. cap. 9: 14. Luc. 23: 46. animam vicariam pro animalibus reis, quando iram Dei, quæ mors animæ; ſuſtinuerat dum adhuc unita fuiſſet corpore, & eam mortem abſolverat,

(ut Walæus in L. C. docet) per Spiritum æternum, ſeu divinam naturam, ſtitit Deo Patri, æternam redemtionem nactus: unde cum animam, emiſſam corpore, inferret in cœlum; eopſe momento ſciſſum fuit velum templi (uti etiam velum corporis ejus) ut nullis unquam ſive peccatis claudendus, ſive repetitis hoſtiis aperiendus fuerit aditus ad Deum, qnem ſufficientiſſima hoſtia in perpetuum aperuiſſet. Sacerdotes comedentes carnes hoſtiæ pro peccato, eopſe ferebant peccata populi, ut hic expiaretur Lev. 10. verſ. 17. ſic qui bibiſſet ſanguinem hoſtiæ, eundem reatum in ſe recipiebat; qui cum hoſtiis brutis non poſſet expiari, ipſis immanebat, maxime ſi proprio conſilio comediſſent. Aſt quia per ſanguinem & carnem Chriſti plena expiatio facta, jam fruitio confert abſolutionem ab omni reatu, quod vere ſignatum eſt in S. Cœna. Eſtque in eo argumentum contra trans- & inprimis conſubſtantiationem. Sed porro, cum ſanguinis eſu interdictum foret, quod nec anima bruti foret idoneum alimentum animæ humanæ; nec ea quæ reatum in ſe habebat, vicario titulo, cui expiando non ſufficiebat, ſalutaris eſca eſſe poſſet, Chriſtus mandavit bibitionem ſui ſanguinis in ſymbolo vini; partim quia eſt anima humana, conveniens alendæ animæ: partim quia anima eſt quæ reatum vicaria ſuſcepit & expiavit, ut non mortiferus, ſed vivificus ſit potus. Atque hinc in S. Cœna, uti corpus Chriſti ſolatium eſt corpori noſtro; ſic ſanguis ſeu anima Chriſti, ſolamen ſanguini ſeu animæ noſtræ: alioqui ſi ſanguis abſolute intelligatur, corpora geminum, animæ nullum habebunt ſymbolum ſolatii ſuæ per vicarium expiationis, quæ tamen æque, imo potius animæ neceſſaria, unde initium mali, & ubi gratia requiritur abundantior, 1 Cor. 6: 20.

III. *Damnatur eſus morticini & diſcerpti*, verſ. 15, 16. נבלה *morticinum* quod aliter quam manu hominis eſt mortuum; iſtud plane illicitum eſui. Maimon. eo nomine intelligit, quod exſtinctum eſt morbo aut ſenio, vel caſu, vel diſcerptum laniatumque à feris, vel etiam ſtrangulatum. טרפה *diſcerptum* à feris, aut lacerum alio modo, morti vicinum ſed non mortuum; Nam ſi mortuum, tum eſt נבלה.

Sic Apoſtoli duas has leges repetunt, de ſanguine ex verſ. 13, 14. de ſuffocato ex verſ. 15, 16. Act. 15: 20. 29. (neque enim ſuffocati ulla mentio in Lege, niſi ſub nomine נבלה) & quia lex æquat Iſraelitam & proſelytum quemcunque, quorum tamen quidam non tenebantur ad circumciſionem, (Proſelyti indigenæ, ſeu portæ poterant comedere טרפה ſed non נבלה.) hinc etiam Gentes ad Eccleſiam accedentes hîc voluerunt obligatas.

Transgreſſor tenetur ad lotionem corporis & veſtium, & ſole occidente mundus eſt; qui v. hæc neglexerit, & inſuper comederit de Sanctis, vel ingreſſus fuerit Sanctuarium, tenetur ad Sacrificium cap. 5: 2, 3. ſi inſcius, ſin volens neglecta lotio corporis excidium, veſtium, fuſtigationem meretur.

CAP. XVIII.

VI. DE SOCIETATE CIVILI, ejuſque legibus. I. Oeconomicis cap. 18. II. Ethicis cap. 19. III. Politicis, pœnarum in violantes haſce leges cap. 20.

Præmittitur generatim *interdictum* ſimilitudinis ſeu conformitatis cum gentibus, tum unde exierant, Ægyptiis, tum quò proficiſcebantur, Cananæis, verſ. 3. Hebræi extendunt ad omnes gentes alienas: ut eſt Jer. 10: 2. quibus nec legibus, nec moribus, neque habitu debeant conformari. *Mandatum* obſervandi ſtatuta & judicia Dei, verſ. 4. Mandatum ſic reſtringendum; ut omnia humana mandata excludantur Ezech. 20: 18. ſ. etiam Regum 2 Reg. 17: 6. 8. Mich. 6: 16. *Ratio* communis, quæ iſtic antecedit hic ſequitur, *Ego ſum יי Deus veſter*. Autor omnis eſſentiæ, eoque qui leges merito ponit, quibus eſſe dedit; & qui eſſe ab ipſo habent, obſequium ei debent. & Deus fœderatus, voluntaria fœderis obligatione Deo jubendi, Iſraelitis parendi partes tribuente, verſ. 3, 4. *Ratio ſpecialis* mandati, verſ. 5. *faciens ea vivet per ea*. Quidam Hebræi. *Vivet per ea, non autem morietur. hoc eſt omnia præcepta cedunt periculo vitæ*, (transgredietur aliquis omnia, ne occidatur,) *præterquam mandata de Idolatria, homicidio, illegitimo concubitu, quibus caſibus occidi ſe patietur potius, quam ut transgrediatur; in cæteris autem contra, ſiquidem transgreſſio ſit occulta, ſed in publico nequidem minimum mandatum violandum, verum mors potius adeunda.* Sed quando poteſt occultum eſſe coram Deo? Rectiùs Abrab. *Et vivet per ea, vitam æternam, quæ vita animæ;* (Onk. *vitam æternam*, & (addit Jon.) *pars ejus cum juſtis.*) *neque enim poſſibile hoc intelligere de vita hujus ſeculi, ſic enim etiam gentes in ſtatutis ſuis vivunt.* R. Sal. *vivet per ea, in futuro ſeculo: ſed annon etiam in hoc ſeculo? atqui hujus extremum eſt ut moriatur. Scilicet intelligitur vita indefinens, quæ non alia quam futuri ſeculi.* Bechai. *Obſervantur præcepta vel ut in hac vita bene ſit; vel ut futura vita impetretur mercedis loco: vel ex mero amore, ſic ut tamen etiam quæ hujus vitæ curentur, qui hanc vitam conſequuntur & poſt mortem, futuram. Vel denique ſolùm, nulla de rebus hujus vitæ ſolicitudine, quaſi non haberent corpus, ut Enoch & Elia; qui conſequuntur vitam conſtantem, nullâ morte interruptam. Rurſum vita quadruplex.* I. *vita communis dum anima corpori ſano juncta manet.* II. *vita ſanitatis poſt morbum.* III. *vita R. P. poſt peccatum.* IV. *vita poſt mortem, in reſurrectione:* & 4. *hæ ſpecies vitæ hic promittuntur. Illud quod repetito jungitur* אני ה' *facit ad confirmandam promiſſionem vitæ.* Ita rectiùs ergo ſentiunt Judæi de promiſſione vitæ quam Sociniani.

I *Oeconomicæ leges* ſunt, de conjugiis aut copula carnali quacunque illicita, verſ. 6. ſeqq.

A. *In genere*, verſ. 6. Quisquis propinquæ carnis non jungatur, ut nuditatem retegat. שאר בשר utrunque *carnem* notat; & in carnis communione omnis proximitas conſiſtit. 1 Cor. 7: 1. dicitur ἅπτεσθαι γυναικὸς & verſ. 5. ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέρχεσθαι. interdum oſſa junguntur, nunquam ſanguis apud Hebræos. Abrab. *reſiduum carnis ſuæ, ſeu ſtabilimentum*; ſed minus commode. בשר pro *propinquo* ſumitur Gen. 29: 14. & ſic שאר Lev. 20: 19. cum alias utrunque carnem notet. ערוה *nuditas*, partes tegi honeſtas jubet inde à lapſu. (Abrab. *genitalia* mulieris deſignari ait) Rabb. hinc omnes illicitas mulieres vocant עיראות, nuditates Præterea docent, „ quiſquis talibus fœminis con„ jungitur per copulam carnalem, ſive amplectitur aut oſcu„ latur eas, libidinoſo deſiderio reus eſt: Nam ne quidem „ propinquare licet ad eas actiones, quæ ad retegendam nu„ ditatem deducerent. Illicitum eſt ſigna facere manu, pe„ de, oculis, aut cum muliere ludere, aut ejus pulchri„ tudinem intueri. Nefas ulla modo frui propinqua, ne quidem intuitu oculi, Matt. 5: 28. Additur אני ה', R. Sal. *fidelis ad perſolvendam mercedem.* Bechai. *Concubitus eſt* I. חובה *ad conſervationem generis humani aliàs* פרייה ורבייה. II. מצוה *debitur conjugale* (1 Cor. 7: 2.) עונה. III. לרפואה. IV. *ad vitandas pravas cogitationes* 1 Cor. cap. 7: 2. 5. *hæc licita.* V. *illicitus, ad voluptatem, beſtiarum more.*

B. *In ſpecie* interdicitur commixtione

א. *Cum matre*, patre ſuo ſuperſtite vel non: ubi duplex peccatum reſpectu matris & patris, verſ. 7.

ב. *Cum noverca*, verſ. 8.

ג. *Cum ſorore*, ſive conſanguineâ, ſive uterinâ; ſive legitime natâ, ſive ex ſcortatione quacunque, verſ. 9.

ד. *Cum nepte* ex filio aut filia: adeoque multo magis cum filiâ, licet non exprimatur, verſ. 10.

ה. *Cum ſorore* conſanguineâ ex legitimo conjugio, v. 11. hujus ſigillatim fit mentio, licet verſ. 9. etiam comprehendatur; quia hîc majus periculum, ob familiariorem converſationem in eadem domo paternâ. cum uterina ſoror in alia domo, ſui patris videlicet maneret, matre per ſecundas nuptias in alienam domum concedente. Non intelligitur comprivigna neque enim eſt מולדת אביך.

ו. *Cum amita aut matertera* legitime aut illegitime natis, verſ. 12, 13.

ז. *Cum uxore patrui*, verſ. 14.

ח. *Cum nuru*, verſ. 15.

ט. *Cum fratriâ*, verſ. 16. excepto caſu leviratus, fratre ſine liberis defuncto Deut. 25: 5.

י. *Cum muliere & filia ejus;* hoc eſt cum uxoris matre & utraque avia, & filiâ, & nepte ejus ex filio aut filiâ; ſive

ſive uxor fuerit juncta, aut per divortium aut mortem ſeparata: diciturque זמה ſcelus κατ' ἐξοχὴν, verſ. 17.

כ. *Cum muliere & ſorore ejus*, legitima aut ſpuria, utraque ſuperſtite: ob æmulationem, exemplo Leæ & Rachelis, verſ. 18. Etenim nomina cognitionis hoc cap. ſtrictiſſimo ſenſu accipiuntur: cum de ſingulis perſonis agatur. alioqui nihil fere certum erit, ſi בן & בת de quibuſvis poſteris, etiam in collateralibus, אח & אחות de quibuſvis aliis accipiatur.

ל. *Cum muliere menſtruatâ*, etiam propria conjuge, verſ. 19.

מ. *Cum uxore alterius*, quod adulterium, actu completo vel inchoato, verſ. 20.

Inſeritur ſeminis, ſeu liberorum traditio ad cultum Molochi, ſive traducerentur per ignem, ſive comburerentur, verſ. 21. 2 Reg. 16: 3. & 2 Chron. 28: 3. coll. Jer. 7: 31. cap. 19: 5. Pſ. 106: 37, 38. quia ſpirituale adulterium eſt, & ſemen quaſi perditum cenſetur, ſiquidem geniti parentum manu interimantur.

נ. *Cum maſculo*, verſ. 22.

ס. *Cum beſtia*, verſ. 23. quod confuſionis etiam dicitur.

Rationes interdicti

א. Quia ſint hi mores gentilium Cananæorum. qui eapropter ſint ejiciendi terra ſuâ, verſ. 24. 25. ipſis contra Dei ſtatuta ſint obſervanda, ſive nativi Iſraelitæ fuerint, ſive proſelyti, verſ. 26.

ב. Quia idem delictum eandem pœnam ſit accerſiturum, verſ. 27, 28.

נ. Quia excidium animarum inſuper maneat eodem modo transgredientes, verſ. 29.

Generale monitum, firmatum illo, אני ה' אלהיכם.

NB. Non ſunt iſta ejuſdem conditionis, ut pari reatu cenſeantur, qui in ullo horum delinquunt: ſed quædam graviora, ut inceſtus in lineâ rectâ, contra Gen. 2. verſ. ult. commixtio cum maſculo, quod eſt ire pone aliam carnem Jud. verſ. 7. aut cum bruto; ubi mutatur iſtic ſexus hic ſpecies. cum alterius conjuge; contra Gen. 2: verſ. ult. idololatria cruenta in liberos, ubi & idolol. & cædes innocentum. Adhæc omnia quæ morte punienda dixit Deus per judices cap. 20. Alia v. quæ olim non fuerant interdicta, hîc conjunguntur ob affinitatem materiæ; Sane non peccarunt filii Adami ducentes ſorores; nec Abraham, qui idem factitavit; nec Amram junctus amitæ; nec Jacob duas ſorores habens, in vitâ utriuſque: nam nulla hactenus fuit lex de hiſce Rom. 4: 15. nulla Dei increpatio contra facientes: & ſi propter poſtremum Deus exſpuit Cananæos, annon omnes poſteros Jacobi eodem titulo excluſos pronunciaſſet?

De כרת docet Bechai illud eſſe I. „Corporis, ut quis „immatura morte moriatur, præciſis, Dei moderamine „juſto ob peccata ejus, vitæ vel annis, cum in medio die„rum moritur, vel diebus, quando ſeni aliquot adhuc dies „vitæ temporalis adimuntur; morte utrobique citâ, pri„mo, ſecundo, vel tertio morbi die: De hoc intelligen„dum illud, ונכרת האיש ההוא מקרב עמו. Sic enim „exſcinditur corpus, ſed anima ſeparata illicò aggregatur „mundo animarum & aſſequitur reſurrectionem mortuo„rum & vitam æternam. Conf. 1 Cor. 5: 5. 1 Pet. 4: 6. II. Ani„mæ in majori delicto, ut anima ſeparata à corpore, ſe„cludatur ex mundo animarum (ſpirituum juſtorum con„ſummatorum Heb. 12: 23. proinde etiam à reſurrectione „& venturo ſeculo eorundem.) de quibus dicitur, ונכרתה „הנפש ההיא מעמיה, & ונחה מלפני, & והאבדתי „את הנפש ההיא. Fieri autem poteſt ut talis nihil pa„tiatur in corpore, ſed longævam & felicem vitam vivat, „naturalique morte moriatur. Atque hinc eſt, quod hoc „כרת poſſit per reſipiſcentiam removeri 1 Cor. 5: 5. coll. „cum 2 Cor. 2: 6. ſ. III. Corporis & animæ ſimul, ut e„jiciatur ex hoc & futuro ſeculo, manu vid. Dei: quod de idololatra dicitur hac phraſi הכרת תכרת הנפש ההיא Num. 15: 29, 30. 1 Tim. 1. verſ. ult. כרת eſt primi vel tertii generis. Act. 5. tertii. Act. 8. contra Simonem ſecundi. Nequaquam autem כרת in ſe habet annihilationem animæ, quæ immortalis ſeu indefinens, tam impiorum quam piorum, ut hæc vitæ, illa mortis poſſit eſſe ſubjectum.

CAP. XIX.

II. *Ethicæ leges*, quamquam etiam ex parte religionem attinentes. Hebræi judicant hîc repetitas leges Decalogi, ſed alio ordine, I. ſæpius אני ה' אלהיכם. commodius initium, verſ. 4. & proxima verba ſecundum. II. verſ. 4. III. verſ. 12. IV. verſ. 3. V. ℣. 3. 30. VI. ℣. 16. VII. verſ. 29. VIII. verſ. 11. IX. verſ. 16. X. verſ. 18. amabis proximum &c. Abrab. ait propterea fieri, quia verſ. 26. repetatur fœdus, heic recenſeri conditiones ejus.

Generatim præmittitur mandatum Sanctitatis, verſ. 1, 2. ad omnem congregationem fil. Iſr. tum mares, tum fœminas. Segregatio à moribus mundi & gentium, atque etiam à cupiditatibus, quibus homo inde à lapſu natura deditus, iiſque indulget cogitatione, ſermone, paſtu & concubitu: (cum ante peccatum fuerit שכל (νῶς) mens perfecta, animus ſeu intellectus pulcher ſine labe; futurus immortalis, ſicut unus miniſtrorum ſuperiorum collocatus in paradiſo: ſed peccans, declinanque ad cupiditates, exutus fuit mente, & indutus materia, Caro dicitur Apoſtolo.) addito exemplo Dei. Eph. 5: 1. 1 Pet. 1. verſ. 14, 15.

Speciatim

א. *Honor parentum & Sabbathi*, verſ. 3. vocatur *Timor*, reverentia, interior affectus animi ad cultum & obſequium. æquantur autem parentes, quando, uti Exod. 20: 12. *pater*, ita hîc *mater* præponitur. Matrem Heb. præmitti ajunt, quia vulgo liberi minùs eam reverentur, ob familiarem à teneris cum ea converſationem.

Conjungitur *Sabbathi obſervatio*: quæ cauſa? an quia in Decalogo conjungatur immediate? id nimis dilutum eſt. Forte alia ſubeſt, quæ etiam ordinem parentum heic obſervatum attineat. Septimo die, qui primum Sabb. V. T. facta promiſſio de Semine mul. viro non cognitæ, quam Adam in fide vocavit Evam; quia etiam ſuam matrem, ſiquidem vivere deberet, ab ejus ſemine vitam veram arceſſens. Hac ratione mater potior patre; à prima matre Spiritualem, à primo patre naturalem vitam trahimus hi: matri primæ religioſi timoris debentur, patri primæ civilis honoris. Conf. 1 Cor. 11: 11, 12. Et timoris illius religio ipſo Sabbatho inculcatur & ad hujus obſervationem viciſſim ſtimulare debet. Ratio Ego ſum D. Deus veſter, hîc & in ſeqq. repetita, Bechai exponit. Ego ſum Dominus ad reddendam mercedem obedientibus, Deus veſter ad ſumendam ultionem ab inobedientibus. Revocat ad conſiderationem ſuæ veracitatis naturalis, in præſtandis promiſſis & minis. Suæ obligationis ex fœdere, quæ veracitatem confirmat. Sed etiam continet rationem obligationis ipſorum, quod ſibi mandanti obedientiam debeant. Aliquando omittitur אלהיכם quia licet fœdus non attendat, nihilominus natura ſua eſt μισθαποδότης τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν Heb. cap. 11: 6. Abrab. *Nomen Domini apponitur; ut non tantum iſta agant, quia juſtum & æquum, ſed quia à Deo ſuo mandatur, cum ſingulari ad eum reſpectu in obſequio.* Bechai. *Commendatur praxis: qui ſtudet ſolum Leg. eſt quaſi careret Deo: nam qui jugiter meditatur legem, ſed non eſt aſſiduus in praxi, nullam habet perfectionem, & propinquus eſt abnegationi religionis: quia actionibus ſuis non teſtatur Deitatis fidem. Veræ opiniones enim non confirmantur niſi praxi.*

ב. *Prohibita idololatria*, verſ. 4. Interdicitur intuitu idolatricæ imaginis Maim. qui ait porro: non tantum prohibita idolatria eſt, cogitatione eo proſpicere, ſed etiam quævis cogitatio, quæ fundamentalis articuli abnegationem affert, cor noſtrum ingredi non debet. Rakn. non induenda idola; quia alitur inde figm. mal. multo minus ingrediendum idoleum, ibi enim habitat Spiritus immunditiei: quapropter noluit Eliezer ingredi domum Labanis, antequam inde emoviſſet idola.

נ. *De Pacificorum eſu legitimo*, verſ. 5--8. Comedenda illa die oblationis, & proximo: ſed non tertio, quando comburendæ reliquiæ omnes: nam tum pollutum eſſe, neque procuraturum acceptationem: & qui tunc edit, ſciens & volens, mereri excidium. Τὸ לרצונכם quia ſpontaneæ oblationes, activè: vel paſſivè ut accepti ſitis, Deo videlicet. *In oblatione id primum cogitandum ut acquieſcentia*

tia sit vobis, & Deus beneplacitum in vobis habeat. nam si habeatis de ea cogitationem profanam non gratum erit mihi. R. Sal. Quidam enim offerunt non ex corde, sed quia alios sic agentes vident, & pudori foret, non idem egisse. Sed cur biduo fas fuit comedere, tertio non; & ipsa illa caro polluta erat? Sacrificia Christi typi fuerunt. & comestio est ad communionem cum ipso, & fruitionem beneficiorum ejus. Oblatio fiebat לרצון, hæc non speranda nisi in filio beneplaciti Matt. 3: 17. Messiâ beneplaciti Esa. 42: 1. neque procuratur nisi morte ejus Rom. 5: 8. s. Col. 1: 13, 14. Hinc communio cum ipso in ejus mortui applicatione: Caro ejus cibus, Joh. 6: 53. s. non quâ peccatum vel ascham: sic non licuit quicquam inde edere, ne comederet & incorporaret peccatum Lev. 10: 17. sed qui post illatum sanguinem in adytum, pacificum est, & sic potuit censeri aptus esui, quamdiu mortuum fuit ejus corpus; nam mortuum potest esse esca. Mors ejus duravit per biduum, die quo mortuus, & toto die proximo: sed tertio die transacta nocte ejus resurrexit. Ergo sic quoque licitus esus pacificæ hostiæ; Die primo offerebatur nocte insequente, & postero die & rursum vespera seq. quæ initium tertii diei, licitum edere: ast comestio tertio die, transacta videlicet nocte, & die illucescente; est quasi abnegatio resurrectionis. Non repræsentabat tum carnem mortui Christi; eoque non amplius fuit sancta sed polluta caro, & hanc ceu sanctam velle comedere, erat substituere peregrinam hostiam, Deo non propitiando, sed provocando.

ד. *De extremitate agri, spicilegio & racematione pauperibus relinquendis*, vers. 9, 10. Extremitatem censent sexagesimam partem agri vel vineæ; licet autem addere, non demere. Concedendas habent de vinea, uvas sponte decidentes de botris dum secantur, raro uvas singulas non in botros junctas, angulum, & quod oblitum fuit: de agro, spicilegium, (duarum aut unius aristæ) quod oblitum, & angulum; de arboribus, quod oblitum, & angulum. Pauperes sunt qui non habent 200 זוזים qui quadrans sicli communis, fere 3 stuf. hoc est 31 flor. 5. stuf. Peregrini qui tamen proselyti, quamquam etiam gentiles non prohibeantur.

ה. *De furto*, vers. 11. *Non furabimini; rem alienam subducendo: neque negabitis, bona ejus retinendo, & penes vos esse negando: neque jurabitis mentiendo, quod penes vos non sint, illud restitutionem duplam &c. meretur, istud sortis, hoc sortis & partis quintæ.* R. Sal. Alii, *qui videt furantem alium, & tacet aut negat, ipse quoque furatur.* Quidam generalius de mala fide in sermonibus & actionibus.

ו. *De juramentis falsis*, vers. 12. sive per nomen, sive per cognomina Dei conceptis. nec non quævis profanitas in usu Nominis Domini; vana juramenta prohibentur. Negatio repetenda ut Ps. 9: 19. Maim. *Profanatio nominis Dei, licet puniatur à Magistratu fustigatione & offeratur hostia per Sacerdotem, non expiatur*, Exod. 20: 7. *neque liberatur à judicio cœli, donec habeat pro ipso satisfactionem. Est hæc una maximarum transgressionum, licet non plectatur morte à magistratu; quia nil majus nomine Dei. Eapropter pueri necessario admonendi à parentibus & Ludimagistris, ut doceant linguas suas vera loqui, sine juramento, ne more gentilium consuetudinem jurandi contrahant: Consultum autem est, planè non jurare:* Conf. Matt. 5: 34.

ז. *Prohibetur oppressio fraudulenta, & rapina violenta*, & quæ huic æquiparatur, *detentio mercedis* mercenarii diurni, vers. 13.

ט. *De surdis & cæcis non offendendis*, vers. 14. illum maledicendo, hunc in casum adducendo. Bech. *si surdo non maledicendum, qui non audit, multò minùs audienti, qui concitatur ad iram & erubescit. Cavendum autem unicuique propter semetipsum. Cæco non ponendum scandalum; quem* (uti & surdum) *quis latet faciens, eoquo non metuit. Eoque & timebis à Domino Deo tuo. qui novit omnia, etiam corda de quibus dicitur, & timebis* &c. R. Sal. *Coram eo, qui cæcus est in aliquo negotio, ne des consilium, quod ipsi noxium aut incommodum est.*

י. *De justitia in judiciis*, ne judex faciat injuriam, nec αδικοκριλησίαν, sed æquum jus exerceat; utpot. cum qui judicatur par sit judicanti, vers. 15. Sic Job. 31: 13. s.

יא. *Contra calumniatores:* qui venum quasi exponunt famam alterius. רכיל Aquila reddit διαβολὴν. qui inde facile procedunt ad homicidium, de quo proximum mandatum, vers. 16. *Stare contra sanguinem proximi*, est quisquis videt vel novit periculum vitæ proximi, neque eum defendit, persequentem impediendo, etiam hujus mutilatione, aut nece, si aliter amoveri nequeat. sic qui mergentem videt, aut à bestiis impetitum, neque succurrit, per se aut alios; aut qui conscius insidiarum contra eum, non revelat. reus est.

יב. *Cavendum odium proximi*, vers. 17. non tegenda offensa, cum aversione, sed reprehendendus lædens. Si quis videat proximum peccantem, sive contra se aut hominem alium, sive contra Deum, monebit ipsum emendationis, quia male agendo contra semetipsum peccet. Reprehendet autem solus solum, comiter, ut sciat bono suo se moneri, & ut ad vitam fut. sec. adducatur. Si non admittat monitionem, iteranda toties donec cedat monenti, vel resistat, dicens, nolo te audire. *Maim.* הוכח dicitur de ratiocinatione ad convictionem. Illud לא תשא עליו חטא est, non feres propter eum peccatum, ut te reum facias neglecta ejus correctione per verba. Num. 18: 22. Vel, non tolerabis super ipsum peccatum; ut patiaris ipsum in eo perseverare, sive id repetat, sive non resipiscat ab eo. Vel, non pones super ipsum peccatum: ut publice eum propter peccatum infamem reddas; illud divulgando, eique exprobrando. Sed si contra Deum deliquerit, etiam publicè pudefaciendus, siquidem aliter non persuadeatur resipiscentia.

יג. *Contra vindictam*, vers. 18. ne injuriam eandem referat quam accepit, neque etiam memoriam injuriæ servet. Τὸ *Amabis proximum sicut teipsum*: R. Akiba dixit, *hoc est universale magnum in Lege.* Rom. 13: 9. Matt. 22: 37—40. Rakn. addit rationem: *quia homo factus ad imag. Dei, qui proinde contemtum contemtu ulciscitur, cogitet contra quem id agat: nam qui amat proximum conditum ad imag. Dei, ille amat & honorat Deum.*

יד. *De heterogeneis non permiscendis*, vers. 19. Vocantur כלאים quasi duplex prohibitio, seu duorum heterogeneorum prohibita conjunctio. Venit generali nomine חקות quæ sunt *statuta* Dei absoluta: quorum ratio vel reddi nequit, vel saltem non inquirenda, sed simpliciter obtemperandum: quia sic Deo placet, quale fuit in prohibitione arboris vetitæ. Interdicta mixtio *animalium* diversæ speciei. quia accusatur Deus quasi non absolvisset creationem, cum aliquid humana sapientia addendum foret: *Seminum* diversorum, quæ ad humanum alimentum pertinent non ad medicinam. quia vult mutare species, cum Deus dixerit, juxta speciem suam: hinc quoque vetant insitionem diversarum specierum: *lanæ & lini* in vestibus. שעטנז dicitur Rakn. Satan aliquis constitutus est super eum qui sic vestitur, qui potens ad nocendum, estque שטן עז quæ literæ in שעטנז occurrunt: Gentiles omisso ע inde faciunt *Satanas* Bech. *Primi nati in mundo obtulerunt Cain linum & Abel Lanam, ea ergo miscere in veste non licet, ne turbetur pax, quia illi se mutuum occiderunt.* Tales vestes induere non licet, sed alia utensilia inde fieri fas est, etiam mortuum iis involvere.

יה. *Ancilla desponsata servo Hebræo*, si quis cum eâ congrediatur, ipsa flagellatur, non ipse; sed ad oblationem tenetur, vers. 20—22. si fuisset libera, vel redemta pecunia, vel manumissa; & ipse & ipsa mortis rei ex Deut. 22: vers. 24.

יו. *De arborum ad esum prohibito usu* per aliquot annos, vers. 23, 24, 25. In terra Canaan (non extra) arbores & vites quæ fructum vescum hominum ferunt, & hoc fine vel plantantur aut transplantantur ab Israelitis, eoque tum ratione plantationis primæ, tum secundæ, per triennium erant præputiatæ, immundæ ad usum; (qui vescebatur fructibus, flagellatus fuit.) fructus illius per triennium fuerunt abjiciendi, ceu præputium, & ipsi extra usum. Ast fructus anni quarti, fuere sacri ad laudem Domino, omnis proventus istarum arborum fuit deferendus Hieros. atque ibi à proprietariis comedendus, (ut decimæ secundæ) aut si redimeret, precium ejus, superaddita parte quinta; ibidem absumendum. Numerabantur anni à 1 Tisri, eoque quæ ante plantata arbor, tempus illud non computabatur, quod

quod anteceſſerat: neque enim plantantur arbores in Auguſto, ſed primo vere; aut ſeneſcente autumno. Notabantur autem arbores iſtæ ſigno, ne quis quicquam 4 annis primis inde decerperet. Anno quinto communi uſui ſerviebant proprietarii: quando dicuntur profanari, hoc eſt profanæ fieri, non ſacro ſed profano ſive communi uſui ſervire; non autem peccaminoſo. Deut. 20: 6. Jer. 31: 5. Additur promiſſio uberioris fructus. Fundamentum eſt, Ego ſum Dominus Deus tuus: adeoque fluit à fœdere gratiæ, quod Deo intercedit cum Iſraele, quod extra Chriſtum non eſt.

Ratio mandati: ob peccatum maledicta terra ejuſque fructus, Gen. 3: 17. ſanctificantur autem verbo Dei & precibus, 1 Tim. 4: 5. unde primi fructus anni quarti in ſignum gratitudinis coram Deo cum euchariſtia & laude uſurpati. Ainſworth. Hebræi varias dicunt cauſas, ſed nihil magnopere ad rem. Raknat. aliquid dicit: *Tribus primis annis virtutes immunditiæ* (quæ ערלה dicuntur) *dominantur arboribus, & fructus earum ex illa virtute naſcuntur: qui ergo iis veſcitur, fruitur ille virtutibus illis immunditiæ. Sed poſt tertium annum ac deinceps extenditur ſuper illam plantam virtus alia ſanctitatis, & fit ſanctitas ad laudem Domino.* Temporis obſervati rationem nuſpiam video notatam. Verum eſt ob peccatum hominis maledictam terram ejuſque fructus propter hominem Gen. 3: 17. maledictione non ſolvitur niſi per Chriſtum cap. 5: 29. Homo qui plantat arborem, uti ipſe eſt ex ſe, ita quoque opus ejus; maledictio adeſt. Tollitur à fidelibus per Chriſtum. Et hoc ſignificatur numero annorum: annus pro die, ut crebro in ſactis. Arbores à Deo conditæ die tertio. huic reſpondet plantatio ab hominibus; jam toti tres anni poſt plantationem computandi, horum initio à Tiſri ducto: quibus reſpondent dies 4, 5, 6. qui tres primi ſolidi, poſt peractam productionem plantarum: quarto anno ſacri Deo, ut cum laude ejus loco ſacro ederetur, & quartus dies arborum fuit ſeptimus mundi ſive Sabbathum: quando promiſſus Meſſias, qui maledictionem aufert, & facit fidelibus jus cum voluptate fruendi: & quod hujus anni eſt, cum gaudio grato abſumendum. Hinc autem fluit benedictio in omnem ſequentem fructum. Sabbathum ergo etiam ſic ſignificatur: Quod v. iſtud ſolum valeat in Cananæa, ſignificat ſoli Eccleſiæ ſanctificari omnia per Chriſtum: pollutis autem & incredulis nihil eſt mundum Tit. 1: 18.

יז. *Interdictum comedendi ſuper ſanguine*; hoc eſt de carne ſacrâ, nondum ſparſo ſanguine; deque quavis aliâ, dum ſanguis omnis nondum efluxit, in quo anima, verſ. 26. Alii referunt ad incantationes, quod ſanguinem hoſtiarum colligerent in foveam, & circum eam comederent, dæmonibus ſang. haurientibus, & convivis futura indicantibus: quia mox de incantatione adjungitur. Quidam hinc colligunt Judicia capitalia à jejunis exercenda. *Non conjectationes facietis*, an quid felix vel infelix ſit futurum. viſa ave aliqua, aut fera, ſi buccella exciderat &c. neque præſtigias, vel obſervatione temporum, qui dies fauſti vel infauſti; De quibus plenius Deut. 18: 10, 11. Sanguinis eſus, ſeu eſus ſuper ſanguinem conjungitur cum נחושים, quia *haruſpices* exta inſpiciebant hoſtiarum, unde edebant offerentes: damnata omnia. Sacerdotes idolatras ſic in orbem radere caput, docet Rakn. *non errate pone Serpentem antiquum, qui vocatur Spiritus immundus, & ejus opera dicuntur* נחוש.

יח. *Non præcidendi anguli crinium* circa tempora, aures & frontem, ut novacula radantur in rotunditatem: neque *etiam anguli barbæ* ſic perdendi, novacula nempe, (nam forficibus non corrumpuntur anguli.) Factum id à gentilibus in luctu Eſa. 15: 2. Jer. 48. 37. à quorum moribus abſtinendum. (De barba Bechai. *Ea à Deo data maribus ad diſtinctionem ſexus: qui ergo abolet, idem facit, ac ſi ſpeciem abolere vellet, & corrigere opus Dei*, verſ. 27.) Eodem pertinet ad ritus gentilium vetitos, *inciſio corporis* ob luctum, (נפש de cadavere hominis, ſic Æneid. 3. animamque ſepulchro condimus.) Itemque *pictura corporis*, ſi inciſuris alius color inderetur, ſtibium, atramentum, aliuſve color. Quod in America, & Africa, ac alibi fieri hodieque ſolet, verſ. 28.

יט. *Ne quis proſtituat filiam ſuam*, verſ. 29. ne polluatur terra impuritate. Quidam referunt ad idololatriam, ne huic permittantur filiæ.

כ. *Servandum Sabbathum, & reverendum ſanctuarium*, verſ. 30. non ipſummet, ſed qui illud fieri præcepit, & mandavit Sabbathum. Hujus ratio prior & potior Sanctuario: proinde ſtructura ſanctuarii non pellit Sabbathum. *Sabbatha* denuò inculcata, quia præcipuum præceptorum. Totus cultus Euangelicus ejus nomine comprehenditur Eſa. cap. 58: 13, 14. cap. 56: 1. ſeqq. *Sanctuarii* reverentia eſt, ne quis non præparatus accedat, non cum baculo aut calceis, aut pulverulentis pedibus, aut cum marſupio. aut profane utatur illo ceu loco communi, vel via publica; ſed utatur omni geſtu reverentiam teſtante. Conf. Marc. 11. verſ. 16. Joh. 2: 14. ſ.

כא. *Non conſulendi pythones & harioli*, verſ. 31. quia in ſanctuario erat Sacerdos, cum Urim.

כב. *Senes honorandi*, verſ. 32. Intelligunt autem etiam de doctoribus Legis, qui cani ſcientia ejus, imo canitiem ſummam Legi tribuit Raknat. quia doctrina antiquiſſima. & de Senioribus officio. Alioqui quivis canus honorandus.

כג. *Peregrini non vexandi*, ſed indigenarum jure debent gaudere, verſ. 33, 34. quoad amorem, non quoad communionem in rebus ſacris.

כד. *De juſtitia in menſuris & ponderibus*, verſ. 35, 36. מדה dimenſio, ulna decempeda &c. משקל pondera. משורה menſura aridorum & liquidorum. Unde שומרים nomine judicum permeabant urbem, & explorabant menſuras & pondera.

Generalis clauſula de obſervandis Dei mandatis, verſ. 37.

CAP. XX.

POlitica *leges*, potiſſimum circa pœnas delictorum.

א. *Molecho liberos tradens*, unum aut plures, ſive Iſraelita ſive peregrinus, convictus per teſtes in Judicio, *lapidandus*, verſ. 2. Excidium contradiſtinguitur ſupplicio capitali Magiſtratu ſtatuto. Porro Deus minatur ei excidium, corporis nempe, ſi videlicet peccarit ſine teſtibus: quia ſimul polluit Sanctuarium, alibi ſacrificando. & alii, etiam aliis hoſtiis: & *profanavit nomen meum* dum ſe profitetur Iſraelitam aut proſelytum, verſ. 3. Quod ſi re comperta conniveatur ab hominibus, ut non accuſetur vel puniatur, Deus contra ipſum & familiam, & omnes conſentientes, excidium ſtatuet, verſ. 4, 5. פנים iram notat & hîc, verſ. 3, 5. &c.

ב. *Conſulens ſpiritus familiares*, aut incantatorem, ab irato Deo excidium corporis feret, verſ. 6.

Immiſcetur mandatum, *de ſanctificatione & obſervatione præceptorum duorum*, quia ipſe Jehova Deus *ipſorum*, & *ſanctificans eos*, verſ. 7, 8. hæc duo conjunguntur explicationis ergo, etiam Ezech. 20: 12. 20. ut iſtud illo comprehendatur.

ג. *Maledicens parentibus*, alterutri eorum, etiam poſt mortem, *necabitur. Sanguis ejus ſuper eum:* id eſt reus effundendæ per mortem animæ. Phraſin illam intelligunt de lapidatione, verſ. 9.

ד. *Adulteri ambo necandi*, verſ. 10. pœna juxta Hebræos, ſtrangulatio, quia ſimpliciter occidendi dicuntur. Sed Joh. 8: 4, 5. lapidandos ajunt. Et qui deſponſatæ conſueſcit lapidandus Deut. 22: 24. quia illa uxor viri. quidni ergo conjugatæ concubitus utriuſque adulteri lapidatione punietur? Ezech. 16: 38. 40. & cap. 23: 45. ſ. Maimon. *Omnes vetiti concubitus merentur excidium, ſi præſumtuosè fiant. ſed quidam duntaxat capitalem pœnam Magiſtratus; ſive lapidationem, ſive combuſtionem, ſive ſtrangulationem:* Ubi de necando nihil dicitur, fuſtigatio tantum imponitur à Magiſtratu.

ה. *Concubitus cum uxore patris, cum nuru, cum maſculo, lapidando puniendus*, verſ. 11, 12, 13. ſecundum dicitur תבל. tertium תועבה.

ו. *Qui miſcetur matri & filiæ, tres illi comburendi*, quia זמה eſt, verſ. 14. R. Sal. ait Græcam verſionem alterutrius mulieris mortem depoſcere; cum una ſit juſta uxor. Conſentit mea Græca textui Hebræo; αὐτὸν καὶ αὐτάς.

ז. *Congrediens cum beſtia*, ſive mas ſive fœmina, *lapidandus*, & necanda beſtia, verſ. 15, 16.

ח. *Qui miſcetur ſorori conſanguineæ vel uterinæ*, publicum & repentinum ferent excidium; à Magiſtratu tantum flagellationem. חסד dicitur, probrum, verſ. 17. Simile excidium (ſed non æque publicum) feret, qui menſtruatæ miſcetur, verſ. 18. unà cum ipſa. Hebræi extendunt ad congreſſum etiam ceſſantibus menſtruis, ſi neglectus fuerit baptiſmus.

ט. *Cum amita, aut materterâ, rei erunt*, uidelicet uti ſequens *qui cum patrui conjuge rem habet*. Iſtic עונם, hic חטאם ישאו. Pœna ipſa, ut ſint ἄπαιδες: morientibus liberis, quos tempore delicti habuerunt, ut eos ſepeliant: aut nullis naſcituris, ſi nondum habeant, verſ. 19. 20. Eadem pœna, ſi cum uxore fratris; ipſo ſcilicet vivente, vel mortuo relictis liberis, verſ. 21.

Repetitio adhortationis ad obedientiam, I. ne evomat terra, quam eis daturus erat, verſ. 22. II. ne imitentur gentes Cananæas eapropter ejectas, & (poſtquam) faſtiditas à Deo, verſ. 23. III. quia terra illarum potientur, ut ſeparati ſint ab aliis gentibus, verſ. 24. IV. quia circa beſtias mundas & immundas quod ad eſum, ſeparatio obſeruanda, juxta mandatum ſuum, verſ. 25. V. quia ſic ſegregatio Dei ad fœdus mutuum poſcat, verſ. 26.

י. *Pythoniſſa*, fœmina vel mas, & *hariolus, lapidan.* verſ. 27.

CAP. XXI.

VII. DE SACERDOTUM SANCTITATE capp. 21. & 22.

A. *De immunditia ob cadaver*, (נפש non polluit homo, niſi poſt exceſſum animæ, & tum qui tangit cadaver, qui in tentorio illo eſt, vel domo, qui fert, qui propinquat illi intra quatuor cubitos, ſive 6 pedes, qui tangit ſepulcrum) I. vetita eſt Sacerdoti inferiori; niſi pro propinquiſſimis, patre, matre, filio, filia, fratre, & ſorore virgine. nec non uxore nuptâ (non deſponſata) Ezech. 24. verſ. 16. ſeq. שארו היא אשתו inquit Bechai. Sic uxor præmittitur omnibus. Abrab. *Eſt una caro cum ipſo.* Hoc Hebræi traditioni adſcribunt. neque licet ob alios pollutionem lugentis contrahere, ſub pœna flagellationis, neque ob exceptas perſonas negligere: (attamen ne quidem propter has ingredi cœmiterium.) verſ. 1--3. II. *Non faciet maritus pro uxore, propter quam pollutus fuit à Sacerdotio*, R. Sal. Alii, *non faciet pro principe viro, ne quidem ſummo Pontifice, ſi non permiſſo gradu contingat, ne polluatur:* Alii, *non polluet ſe præcipuus quis in familia Sacerdotali, pro aliis quam qui permiſſi*, verſ. 4. III. Præterea non uſurpabit ritus gentiles lugendi, corruptis crinibus, aut ſciſſa cute, verſ. 5. Ratio additur, quia ſigillatim ſancti ſint, ob miniſterium ſacrum, verſ. 6. ſacrificia hîc dicuntur panis, ſeu cibus Dei.

B. *Conjugia interdicta, cum* I. זונה, quæ non Iſraelitis, vel Iſraelitis quæ concubuit cum aliquo, cui nubere nequit, aut quæ ſtuprum paſſa volens vel invita; quæ ſuſpecta Zelotypo marito, nec poculi potu purgata. hoc nomine veniunt iſtæ omnes. Imo Iſraelitis quæ eſt ex aliâ tribu. Sic de matre Jephtæ notant Rabbini. II. חללה *profana*, non ob impudicitiam ullam propriam, ſed ob vitium natalium, puta ſpuria, ſerva, Nethinæa, vidua non ſacerdotis, (ratione Pontificis maximi vidua abſolute) III. גרושה *per divortium ſejuncta* à maritò, citra cauſam adulterii. Harum unam qui duceret, pollutus erat ad exercitium miniſterii: & fuſtigabatur à Magiſtratu, verſ. 7. *Ratio* eadem, quæ ante de ſanctitate muneris, verſ. 8. unde Hebræi colligunt Sacerdotum præeminentiam, & quod in ſanctuario primæ ei deferantur, in lectione legis, benedictone, &c.

C. *Familiæ honeſtas*, verſ. 9. Filia Sacerd. cujuſcunque ſi ſcortata fuerit (non cœlebs, ſed nupta aut deſponſata virò,) comburenda, ob dedecus patri inuſtum.

D. *Summi Sacerd.* (maximi abſolutè, it. ſecundarii, & uncti ad bellum.) *leges:* Dicuntur *unctus, inauguratus* hoſtiis, & *indutus veſtibus* pluribus, aut ſaltem dignus indui.

א. *Interdictus lugendi ritus*, verſ. 10. ut Lev. 10: 6. vel depoſita mitra, vel aucto crine ultra 30 dies, & ſciſſa veſte.

ב. Non accedendum ad mortuum, aut in domum ejus, ne quidem ad parentes, verſ. 11. eademque cæterorum proximorum ratio. niſi caſu neceſſitatis, ſi nullus alius præſto ſit ad tumulandum mortuum.

ג. *Non deſerendum exercitium muneris* ſi nuncietur propinqui mors, ſed pergendum, ut tamen abſtineat eſu ſacrarum oblationum. ſed inferior abſtinebat illico munere, uti & eſu illo, attamen non egrediebatur Sanctuario, verſ. 12.

ד. *Ducet virginem integram*, verſ. 13. non viduam, uſlamve inferioribus vetitam. Sed Iſraelitidem quamcunque, verſ. 14. Nam Sacerdotes Levitæ & Iſraelitæ promiſcue nubebant, & proles æſtimabatur à conditione patris. Interdictam qui duxit omnes ejus liberi, æque ac ipſe, polluti ad Sacerdotium, verſ. 15.

E. *Vitium corporis arcebat exercitio miniſterii.* Enumerant Hebræi vitia ejuſmodi in univerſum 140. videlicet capitis 8. colli duo, aurium 9. ſuperciliorum 5. palpebrarum 7. oculorum 19. naſi 9. oris totidem, ventris 3. totidemque, dorſi, manuum 7. genitalium 16. pedum 20. adhæc 8. in quacunque parte corporis, & 8. in cute, ſeptem in roboré corporis, & halitu. Sed illa omnia exempli loco, cum plura eſſe queant. Vitia quædam ſunt מומי יצירה *quibus cum natus aliquis*, & מומי מקרה *caſus.* Verum arcent quamdiu adſunt, non ulterius; qui tamen vitio carens, idolis miniſtraſſet, aut ſaltem coluiſſet, arcebatur in perpetuum, verſ. 16--21. Vitioſi iſti admittebantur ad eſum ſanctorum leviorum & potiorum, (eoque plus privilegii eis quam immundis) ſed non ad altaria, aut intra velum Sancti, nedum S. Sanctorum, verſ. 22--24.

Quod hæc dicta fuerint *filiis Iſraelis* ſignificat omnium curam, ut legitimi forent Sacerdotes. Hinc Syned. ſummum jugiter occupabatur in examinandis & genere & corpore ſacerdotum: & qui reprobabatur, induebat nigras veſtes, & exibat ex atrio: qui approbabatur, ſumebat albas, & ingreſſus interius atrium cum reliquis miniſtrabat. Indicata eſt Sanctitas Chriſti, & omnium eorum qui miniſterio funguntur ſacro, & quicunque ſunt ſpirituales Sacerdotes; qui dicuntur Agnum ſequi in albis, quia digni ſunt: approbati Apoc, 3: 4.

CAP. XXII.

F. *Sacerdotes in ſuâ immunditie*, qualiscunque ea ſit, ſive propria, lepræ aut fluxus, ſive extrinſeca ex contactu immundæ rei, non accedet ad res ſacras comedendas, (ſacrificia, primitias, oblationes &c.) ſub pœna excidii niſi primum laverit & ſol occiderit. Neque comedent quicquam immundum, ne reatum contrahant, verſ. 1--9. Quo commendaretur eis ſtudium ſanctitatis, ceu alias arcendi communione altaris, & eorum quæ Dei erant.

G. *Peregrinis interdictum eſu ſanctorum minorum*, (quæ non in atrio, ſed domi comedebantur à Sacerdotibus.) I. in domo Sacerdotis. (1.) peregrinus, qui mercenarius perpetuus, & mercenarius annorum aut dierum, ſed ſervus emtus ære ejus, aut domi natus, modo mundus, una edebat: (2.) filia, nupta non ſacerdoti; ſed ſi marito careret per mortem aut divortium, atque etiam liberis, admittebatur, verſ. 10--13. II. extra domum, quivis alius qui ignorans comedit, tenebatur ad compenſationem, addita parte quinta: ut utrinque caveretur peccatum, à Sacerdote, & cæteris, verſ. 14--16.

H. *Hoſtiæ offerendæ integræ*, ſine ullo corporis vitio, ſive nativo, ſive accidentario: vitioſum à Sacerdotibus non offerendum in altari, verſ. 17--20. neque ab ullo Iſraelita eo fine afferendum, verſ. 21--24. licet vitioſum poſſet voveri, non in uſum altaris, ſed reparationis templi, ut venditi precium conferretur ſacris uſibus. neque peregrino gentili licuit quid vitioſi ſiſtere altari, verſ. 25. Alias Gentilis qui affert pacifica, offerunt ea holocauſta, quia cor gentilis eſt ad Deum: adduntque oblationem & libamen de publico.

J. *Hoſtiarum ætas*, non ſacrificandæ ante diem octavum; quia eodem die cum homine creata quadrupeda, etiam ſeptiduum iis computatur à nativitate, ut Sabbathum vitæ tranſeat, verſ. 26.

K. *Non mactandæ eodem die bovis & ovis proles cum ſua matre.* ſive in ſacrum ſive in profanum uſum, verſ. 27. fuſtigabatur mactans ſecundum duorum; ſed carnes eſui fue-

re

re licitæ. Videtur eodem pertinere quo avis & pullus non una capiendi & necandi Deut. 22: 6. ob crudelitatem, & quasi destructionem universi moliatur. [Vel ad coctionem hædi in lacte materno. Sed illud convenientius; cum heic non cædes matris.]

L. *Eucharistica eodem*, quo oblata, *die comedenda*, residuum comburendum, vers. 29, 30.

Generalis commendatio obedientiæ & sanctitatis, vers. 31--33.

CAP. XXIII.

VIII. DE FESTIS ET TEMPORIBUS SACRIS. de festis cap. 23. de quibusdam legibus aliis cap. 24. de anno Sabbathico & jubileo cap. 25.

A. *Festa sacra Domini*, quæ proclamabantur à Synedrio, penes quod indicare novilunia, & intercalare menses atque annos. De his generatim dicitur, vers. 1, 2. In specie est

א. *Sabbathum*, quod Abrab. indictivis aliis præmitti ait, exceptionis ergò, quod hujus statæ essent periodi, neque ullius hominis arbitrium aut indicium interveniret. atque hac propter idem exordium de festis aliis repeti, vers. 4. Sabbathi quies imperata religiosissima, שבת שבתון (nam שבתון non nisi de quiete divinitus imperata accipitur) ab omni opere, Hebræi ajunt, non tantum servili, quod prohibetur in aliis festis, sed etiam à præparatione cibi, quia hic & de Expiationis die simpliciter dicitur, omne opus non facietis. Atqui in Expiationis die non præparant cibos, E. & in Sabbatho. Verum perperam conferuntur. Nam in Exp. die imperatum strictissimum jejunium sub pœna excidii, & an tum coctio potuisset exerceri. Sed Sabb. non fuit dies jejunii. Proinde coctio tum non prohibita, quæ necessaria: Ostensum id Exod. 12: 16. ubi de primo & septimo paschatis pari modo loquitur, & excipit præparationem ciborum. Violans dedita opera reus excidii est, & si contra adhortationem & convictionem testium lapidandus. Si ignorans fecit, pro peccato hostiam affert. Observandum autem Sabb. in omnibus habitationibus: intra & extra terram, vers. 3.

NB. Servile opus interdictum omnibus festis, exponunt de eo quod non facit ad alimentum: Tale autem quod permissum dicunt, præterquam in Sab. & Exp. faciunt, depsere & pinsere panes, mactare boves & oves &c. & carnes coquere. Sed solum in usum festi non postridianum: quamquam parum quod relinquitur, licite altero die edatur. Sed si quod ad cibum pertinet eousque extendatur, sane multum servilis comprehendetur. Aliud est coquere, aliud ad coctionem præparare.

ב. *Pascha*, vers. 4--8. mactandum 14 mensis primi, & festum azymorum celebrandum inde à 15 die, per septiduum, primo & ultimo sanctioribus; unde intermedii dicuntur profani festi, quod minori religione agerentur, & quædam opera indulgerentur. Abstinendum tamen ab iis quæ gaudium festi impedirent, inspectione leprosi; aut aliorsum verterent, nuptiis. Necessaria tamen curabantur.

ג. *Manipulus primitiarum*, vers. 9--14. Transacto primo die azymorum; qui 15 Nisan, & Sabbathum festi, pari religione cum aliis Sabb. celebrandum, die proximo qui 16. (sive Sabb. hebdomadarium foret, sive non, nil intererat, tota nocte (aut etiam in seq. mane licitum fuit,) convenerunt vicinæ urbes, & delegati Synedrii egrediebantur & per 3 viros de segete stante, quæ jam matura erat, hordei nempe) demetebant manipulum viridis aristæ, qui Epha, sive 3 seas contineret. Et mox deferebant in atrium templi, ubi eum triturabant, ventilabant, purgabant; tum torrebant ad ignem, expandebant ad ventum, & commolebant in farinam, ac decimam partem Ephæ ejus agitabant coram Domino, & miscebant definitâ portione olei, addito suffitu, atque pugillus ejus comburebatur in altari, reliquum comedebatur à Sacerdotibus, ut aliæ minchæ. Accessit peculiare sacrificium agni primi anni, cujus mincha dupla quam alias; non autem libamen. neque ante manipuli oblationem licuit vesci aristis viridibus aut aridis de novo anni proventu. Sic autem sanctificatæ fuere primitiæ messis, ut tota massa sanctificaretur. Hinc notatur Christi discipulos aristas evulsisse in Sabbatho δευτεροπρώτῳ. quod est à secundo festi Paschatis primum. Matt. 12: 1. s. Luc. 6: 1.

ד. *Pentecoste*, vers. 15--22. cujus *tempus*, inde ab initio 16 Nisan (post Sabb. festi pasch.) quo manupulus agitatus, Sabbatha 7. hoc est 7 septimanæ, numeranda, à quovis Israelita mare, & his plene finitis, seq. die, qui quinquagesimus offerendæ *primitiæ* messis triticeæ; h. m. Afferebantur tritici novi, Epha vel Seæ tres, quæ commolebantur in farinam, atque inde duæ decimæ Ephæ agitabantur coram Deo. Singulæ decimæ istæ sigillatim depsebantur, & fermentatæ pinsebantur in panem, qui 10 palmas long. 4 latitud. habebat: spissitudinem 4 digitorum. Panes illi fermentati, una cum partibus hostiarum agitabantur, & tum comedebantur illo die à Sacerdotibus. Accedebant *sacrificia* tum diei propria (de quibus Num. 28: 26. s. 2 juvenci, aries, 7 agni, holoc: & hircus pro peccato.) tum appropriata panibus primitiarum, juvencus, duo arietes, 7 agni, holoc. hircus pro peccato, & 2 agni pacif. de quibus h. l. Pertinuit ad sanctificationem totius proventus anni.

Repetitur mandatum de angulis agrorum in messe relinquendis pro pauperibus, vers. 22.

ה. *Tubarum*, vers. 23--25. Die primo mensis septimi clangendum cornu arietis (& insuper duabus tubis, Hierosolymis, alibi in urbibus & Synagogis, & omnes ex præcepto sonum tenebantur audire. Proclamabatur annus civilis, qui inde ducebat initium, agris post messem vacuis, & ab eo die demum de novo colendis. Volunt speciatim monitos omnes ad respiscentiam, quod Deum hoc die annuum judicium exercere putent, obsignandum die Exp. quo condemnationem ad mortem temporalem, morbum malumve aliud evitent. Cornu arietis memoriale arietis pro Isaaco oblati, cujus sacrificio sibi expiationem partam rentur. Vid. Abrab. in Gen. 22.

ו. *Expiationis*, vers. 26--32. die 10 mensis septimi mandatur abstinentia ab omni opere ut Sabbati simillima prorsus religione, & insuper mandatur jejunium accuratissimum, sub pœna excidii: inchoandum à vespera & finiendum cum altera vespera, hoc est totis 24 horis. Vocatur autem שבתכם. Alia fuere Sabbatha Dei, vers. 30. quo sua beneficia eis addicebat Exod. 31: 17. s. Ezech. 20: 12. 20. Exp. Sabbathum ipsorum, quia quiescebant ut suum peccatum expiari poscerent.

ז. *Tabernaculorum*, vers. 33--43. in memoriam habitationis in deserto sub tabernaculis. Incipiebat 15 septimi mensis, fuit septiduanum; primo die Sabb. festi, & octavo finito festo Sabbathum magnum: pari ut azymorum festum celebrandum religione.

Inseritur generatim de omnibus festis, vers. 37, 38.

Tum redit ad hoc, & jubet initio ex frondibus malorum punicarum, palmarum, myrtorum, salicum facere tugurria; primo die gestabant ejusmodi ftondes & ramos, punicæ mali læva, trium reliquarum colligatos dextra, & agitabant, ac benedicebant, recitato Ps. 118. In Sanctuario singulis festi diebus semel obibant altare, dicentes *O Domine serva nunc, O Domine prospera nunc;* ast die ultimo septies obibant. Magna agitabatur lætitia, canendo, voce & instrumentis musicis, nec non saltando, quod fiebat à dignissimis in sanctuarii atrio: Præterea hausfam aquam ex fonte Siloah fundebant in altare magno gaudio (quo referunt Esa. 12: 3.) quod factum creditur ultimo die festi, quando Christus eâ occasione dixit, Si quis sitit &c. Joh. 7: 37. seq. Habitabant porro per septiduum in tugurriis ex frondibus, interdiu & noctu, (nisi pluviæ impedirent) & eo suppellectilia transferebant, ut adornarent. *Ratio* ipsa dicitur, vers. 43. Et generalis *clausula*, vers. 44.

CAP. XXIV.

B. ALia quædam munia.

א. *Olei oblatio*, & ejus usus in lampadibus candelabri, vers. 1--4. ut arderet à vespera ad mane, eoque tota nocte.

ב. *Panum propositionis præparatio & appositio*, v. 5--9. Sumebant de farina oblationem vigesimam quartam decimæ partis

Ephæ, inde fiebant 12 panes, azymi, quos in modulo aureo formabant, in alio coquebant, in tertio coctos excipiebant. 10 palmarum long. 5 lat. & altit. 7 digitorum. Vespere antè Sabbathum coquebantur, & mane apponebantur, in duobus ordinibus, senos panes in unoquoque; quos ferebant Sacerd. duo, & duo alii quivis phialam thymiamatis; hos antecedebant 4 alii, qui panes veteres & thymiama tollerent; hi stabant ad merid. mensæ & tollebant, illi ad sept. & illico reponebant recentia. Panes elatos in atrio alii mensæ imponebant, donec thymiama elatum fuisset combustum, sale addito, tum dividebant panes, tam qui decedebant à ministerio suæ sortis, tum qui accedebant. qui dicuntur egred. & ingred. Sabbathi. in atrio sanctuarii.

ג. *Historia blasphemi*, vers. 10--16. Hebræi volunt illum fuisse spurium, conceptum ex adulterio cum Ægyptio, quem Moses occidit; Is contentione in ipsis castris cœpta cum Israelita, pronunciavit Nomen Dei, & maledixit; nam utrunque memoratur, & oppositæ leges de utroque distinctè agunt. Audientes rem detulerunt ad Mosen, (non quod ambigerent de pœna blasphemi ante data, sed quod dubitarent, utrum pro Israelita, aut Ægyptio habendus foret, quo casu immunem judicabant, Abrab.) Dum detinetur in custodia, Deus Mosi mandavit, blasphemum esse lapidandum, & testes manus ipsi debere imponere, ut reatum à se in illius caput derivarent. dicendo, sanguis tuus super te. quomodo talis in reatu suo relinquebatur; quia de gloria Dei non est hominum dispensare, aut sacrificio expiare, sed totus relinquitur Deo. Leges hac occasione imperatæ duæ.

a. *Quisquis maledixerit Deo suo, feret peccatum suum*, reus illi erit, ab ipso puniendus; Jud. 6: 31.

b. *Quisquis pronunciavit Nomen occidetur*, lapidatione. Adeoque etiam pronunciatione nominis illius interdictum est, sub pœna capitis, vers. 15, 16. Quidam de maledictione id intelligunt: Sed non opus fuisset tum Mosen inquirere, ob Exod. 22: 28. De quo in Grammat. dixi.

Extenditur ad Israelitas & peregrinos in populo.

ד. Hac occasione, quia contenderant Ægyptii filius cum Israelita, etiam aliæ leges dictæ.

a. *Percutiens virum ad necem, gladio necandus*, vers. 17.

b. *Percutiens brutum alterius tenetur ad compensationem*, vers. 18.

c. *Qui feriendo lædit alterum, idem pati debet*, aut compensationem solvere, præter dolorem, & medicationem, & cessationem, & pudorem, & pensandum damnum, cujus æstimatio quanti minus vendi potest servus cum ejusmodi defectu aut labe, quam si integer fuisset, sine eâ.

d. *Sed qui necem alteri infert*, non est locus compensationi, sed *necandus* homicida, vers. 19--22. Estque hæc lex communis, indigenis & exteris, nullo excepto.

ה. Exsecutio sententiæ contra blasphemum, vers. 23.

CAP. XXV.

C. DE *annis solennioribus*. Sabbathico, vers. 1--7. Jubilæo, vers. 8--55.

א. *Sabbathicus* annus; post subactam à Josua terram annis 7; vel ut alii 14 cœperunt numerare annos. *Sex* primis colebantur agri & vineæ; *Septimo* ab omni cultura abstinendum. (unde apparet à Tisri hos annos cœptos, quando messis transiisset, ut nuda terra foret, & ejusdem semper anni & sementis & messis, quod non poterat fieri, si attenderetur numerus mensium à Nisan. Quamvis autem nulla supereset tunc messis, tamen superarunt fructus arborei, & autumnales, vitium &c. quales reperit homo cum primum crearetur, ut haberet victum possessor, & quidem communem cum omnibus aliis: & huc pertinuit septimus mensis, post transactos sex laboris molesti: ut restitutio ad primævam conditionem significaretur.

Significatum idem quod per Sabbathum dierum: sex annis colenda terra, ob hominem maledicta, molesto labore, qui maledict. characterem habet; septimo quiescendum ab illo labore, ut immunitas foret à sensu maledictionis, & tamen promissa sustentatio, tum ex sponte nascentibus, & quidem in summa communitate omnium, tum ex proventibus prioris anni. Neque licuit ullum cultum adhibere agris, vineis, arboribus, anno septimo, sed prorsus omittendus omnis. Sed natum sponte ex granis in messe lapsis, aut ex radicibus de messis denuò succrescentibus, id omnibus indifferenter fuit commune, (unde agri non septi, & vineæ non clausæ reliquebantur) & cuivis licuit inde sumere, proprietario & aliis, parum singulis vicibus, quod triturarum, illicò comederetur, non autem licuit quicquam ejus vendere, vers. 1--7.

ב. *Jubilæus*, vers. 8--13. seq. cujus attendenda

a. *Numeratio* 49. annorum ut dierum ad pentecosten, vers. 8. Numerabantur 7 anni Sabbathici, hoc est 49.

b. *Publicatio* facienda, die Exp. anni quinquagesimi, vers. 9. qua proclametur libertas hominibus & agris sub aliena potestate agentibus, vers. 10. enim jussu Synedrii proclamabatur Jubilæus. Sono tubarum illud publicabatur, die 10 Tisri, qui Exp. quo finito servi libertatem, & possess. veteres Domini recuperabant. Scilicet nulla libertas, nisi facta Expiatione, Joh. 8: 36. Heb. 2: 14. s. Servi quidem, qui perforata aure servi erant æterni, hoc est usque ad heri vel suam mortem, in Jubilæo, utroque superstite, liberi erant: & venditæ possessiones, redibant ad depauperatos possessores. Porro Jubilæus fuit annus quinquagesimus, vers. 10. Rakn. annus 49 est Sabbathicus, & post hunc Jubilæus, anno quinquagesimo Maimon. Jubilæus annus non comprehenditur septem Sabbathicis. sed quadragesimus nonus est Sabbath. quinquagesimus Jubilæus, & quinquagesimus primus incipit sex annos Sabbathi sequentis: atque sic quovis Jubilæo. Vocatur autem *Jobel*, iste annus non à cornu arietis, quia id inflatur in festo Tubarum, non autem in Exp. ad Jubilæum, sed à *ferendo*, quia quemque referat ad suam possessionem. & à יובל *torrens*, quod subitam benedictionem torrentis instar adducat.

c. *Prohibitio agriculturæ* omnis, ut in annis Sabbathicis, vers. 11, 12. etsi redierint quisque ad possess. vers. 13. Agricultura omnis vetita ut anno Sabbathico: similiterque sponte nascentia usurpanda. Attamen differentiam ponunt Hebræi, Sabb. annus dimittit pecuniaria debita, Deut. 15: 12. anno finiente, Jubilæus dimittit non debita ista, sed servos & possess. idque anno ineunte. Etiam donatitii agri tum restituendi. Cæterum post vindicationem in libertatem maximam, communio bonorum imperata, ut nemo quid proprium haberet, Sic magno Jubilæo, cum ejus publicatio prima facta, primi Christiani habuerunt omnia communia. Act. cap. 2. Sed illa translacta, redierunt ad priscam usurpationem proprietatum distinctarum, unde Apostoli 1 Cor. 7. & 1 Pet. 2. servis Christianis non libertatem promittunt, sed servitutem tolerandam suadent. & communicationem bonorum faciunt spontaneam, non imperatam. Actor. 5. vers. 4.

Sanctitas autem dicitur ob segregationem divinam singularem, per leges Jubilæas.

ג. *Statuta ad Sabbath. & Jubilæos annos pertinentia*, vers. 14.

a. *Venditio emtioque agrorum*

a. Non instituenda ad oppressionem, quod fieret, si hæreditarii fundi prorsus alienentur: quamobrem contractus venditionis agrorum, non tam fundi est, quam proventuum, usqu ad Jubilæum, quot illi fuerint; eoque Sabbathici, & hos proxime sequentes non computant, quia in iis non est proventus: (quod tamen de proximo non verum.) vers. 14--16. *Ratio.* I. *reverentia Dei*, vers. 17. II. *obedientia præceptorum ejus*, vers. 18. III. *benedictio* tum securæ, tum abundantis *habitationis* in terra, vers. 18, 19. IV. *dubitantium confirmatio*, promissione imperandæ à se benedictionis (sic Deut. 28: 8. Ps. 133: 3. & benignitatem Ps. 42. salutem Ps. 44: 5. & 71: 3. robur Ps. 68: 29.) ut sexti anni proventus sufficeret pro anno septimo, quando nulla; & octavo quando cœpta rursum cultura, sub cujus extremum demum messis, & hujus usus anno insequente nono, vers. 20--22. Sic AbenEzra & Bechai.

b. Venditio perentoria vetita, quia non ipsorum sed Dei possessio terræ, ipsi solum emphyteutæ, peregrini, ut redemtioni semper sit locus, vers. 23, 24. לצמיתת ut præscindatur redemtio. Esa. 8: 8. Immanuelis dicitur. Raknat. *Vos estis peregrini & inquilini mecum, (scilicet non coram me, sed una mecum) sufficit enim servo, ut sit sicut herus suus.* Hoc valet de Christo humiliationis tempore, cum à suis non agnitus

agnitus non haberet ubi reclinaret caput: & tum ſæpius ſimilem regulam inculcavit Matt. 10: 25. Chriſti regnum non eſt de hoc mundo Joh. 18: 36.

c. Non licet vendere niſi ex paupertate, nec totum, ſed partem: (qui tamen contra agit, rata eſt venditio.) & valet venditio agri ad minimum per biennium proventuum, quo fluente non datur redemtio.

B. *Redemtio poſſeſſionum*, verſ. 25--28. Pauper, qui ſe familiamque ſuſtentare nequit, ſi vendat aliquid de poſſeſſione, redemtio eſt.

a. *Propinqui*; *Goel*, verſ. 25. Bechai. Allegor. *Pauper factus, ſunt Iſrael deficientes ab obedientia, vendens de poſſeſſ. quia venditi Gentibus. & venit Goalo, hic eſt* הקברה *quia dictum, Goalam robuſtus, Dominus Zebaoth nomen ejus* Jer. cap. 50: 34. *propinquus ipſi, quia dicitur* Pſ. 145: 18. (addunt alii Pſ. 148: 14.) *Hinc dicitur* אלך אשובך אל מקומי Hoſ. 5: 15. *ſi dixiſſet* אלך ואשובה *non habuiſſent reſtitutionem ſed dicit ſine* ו: *ſcilicet quamvis abeam ipſi reſipiſcent & ego revertar & redire faciam ad ipſos* שכינתי.

b. *Ipſiuſmet vendentis* ſi locupletior factus fuerit: reddit pecuniam detractis annis proventus, verſ. 26, 27.

Si neutrum fiat, rata manet venditi alienatio uſque ad Jubilæum, & ſine pretio redit ad proprietarium, verſ. 28.

C. *Ædium venditio*, verſ. 29--33. Eæ ſi forent in urbe muris cincta, currente anno ſolido, fas erat redimere ſoluto integro pretio: ſin negligeret annuum ſpacium ſic alienatæ fuerunt ædes, ut ne quidem in Jubilæo redirent ad herum, verſ. 29, 30. Heic occurrit varia lectio לא & קרי לו Utranque probat Ainſw. קרי varia lectio ob antecedentia, כתיב v. ſiquidem ante vallata olim urbs jam careat, ex conditione priſca æſtimari. Sic enim Hebræi, Muratæ urbes cenſentur, quæ tempore Joſuæ & Ezræ ingredientium terram tales fuerunt, ſive jam habeant ſive non: quæ poſt muro cinctæ habentur pro carentibus muro. Et Hieroſolymæ nulla domus abſolutè vendi potuit, forte ex Zach. 2: 4. Contra domus in agro & urbibus non muro cinctis agrorum inſtar in Jubilæo redibant ad Dominos, verſ. 31.

Excipiuntur domus Levitarum in ſuis urbibus, quæ Jubilæi privilegium habent, verſ. 32. agri autem Levitarum ne quidem vendendi, verſ. 33. Sed Hebræi dicunt vendi poſſe agros, ſed ut illico ſit redemtionis jus, etiam non exſpectato biennio.

D. *Pauperum ſuſtentatio*, verſ. 35--38.

a. *Depauperatus*: poſſeſſionibus jam carens, *roborandus* eleemoſynis, hoc eſt, donando, vel mutuum dando pecuniam; quod etiam ad incolam proſelytum quemcunque extenditur, verſ. 35.

b. *Mutuum ſine uſura*; quod dicitur נשך, quia mordet ut ſerpens; initio non ſentitur: ſed paulatim rodendo pertingit ad cor, & necat: ob metum Numinis, ne idem contingat mutuum danti, verſ. 36.

c. *Interdictum* repetitur, *de uſura pecuniæ*, & additamento rerum veſcarum, ſub liberationis ex Ægypto argumento, verſ. 37, 38. cum enim omnia habeant donativa à Deo, non debent cum pauperibus duriori conditione agere.

E. *Servorum regimen*,

a. *Iſraelitarum*. Si vel à Magiſtris, vel à ſeipſis venditi eſſent, non habendi durius, adhibendo eos viliſſimis miniſteriis (quod quidem mercenarius poterat agere, ſed venditi, pudoris ergo, non licuit imponere:) ſed iiſdem cum hero Iſraelita cibis &c. excipiendi, licet ſervi ſervos ſe ipſo facto deberent oſtendere, verſ. 39. Jubilæo perforatus exibat, & quivis alius ſervus Iſraelita in libertatem: quamquam annus Sabbathicus neminem liberaret, ſed cuivis venditò ſuus Sabbathicus eſſet exſpectandus. Egrediebatur una cum filiis, ſiquidem cum uxore venditus durante ſervitute ex ea genuiſſet, aut cum filiis fuiſſet venditus. Sed filii geniti ex ſerva gentili, cum matre manebant heri, verſ. 40, 41. Ratio, quia Dei ſervi, quos vindicando à Dominis malis ſibi acquiſivit, eoque nec mancipiorum inſtar vendi; neque etiam iis dominari herus debet, verſ. 42, 43.

b. *Peregrinorum*, verſ. 44--46. Ex peregrinis gentibus comparandi, aut ex indigenis gentibus, nec non ii qui ſervis aut ſaltem matre ſerva nati, in perpetuum; ut etiam hæreditaria ſint poſſeſſio, quæ ad filios devolvitur, quod non valet de Hebræo. Durior dominatus non interdictus niſi quod ad Hebræum ſervum. Attamen etiam alios ſervos comiter haberi, ſuadet æquitas, ne crudelitas exerceatur ab Iſraelitis. Maimon.

F. *Iſraelita pauper*, ſi venditus fuiſſet Gentili, ejuſve poſteris, (*à ſeipſo*, non à Magiſtratu, cui id non licuit,) illico redemtioni locus fuit (cum Hebræo venditus ſexennium abſolvere teneretur citra redemtionem; juxta legem.) verſ. 47. ſive à propinquis ſervato gradu proximitatis (quos Synedrium cogere poteſt,) ſive à ſemetipſo, (ſi factus locupletior, aut mutuum conſequi queat lytrum ſuum) verſ. 48. computatis annis uſque ad Jubilæum, ut pro rata demat, quot annos ſerviit, pretio ſuæ venditionis, verſ. 49--52. neque tamen Gentili hero permittenda durities, ſed impedienda à Magiſtratu, ut mercenariorum inſtar habeatur, verſ. 53. Redemtionem homines ſi non præſtent, dabit eam gratis Jubilæus, verſ. 54. quia Deus ſuis ſervis eam largitur cujus ſunt, verſ. 55.

Abrab. ait „ obſervatum paupertatis auctæ ordinem, „ 1. venditur ager. 2. domus, 3. ſuſtentandus eleemoſy- „ na. 4. venditur cum ſuis, ſed Iſraelitæ; 5. venditur pe- „ regrino: quæ conditio miſerrima & turpiſſima. Sed ex „ omnibus redemtio datur. Bechai notat. „ Gentili fideli- „ ter ſerviendum; nam furari aliquid quod hujus, gravius „ peccatum, quam quod Iſraelis, quia illo caſu religionis „ probro cedit, & Dei nomen profanatur. Idem docet *Venditos Iſraelitas peregrinis inprimis* לעקר *poſtremo gentilium, Romanis.* עקר *is eſt qui nunquam fuit proſelytus, redimendos à* גואל *proximo, qui Meſſias fil. David, de tribu Juda quæ potiſſima, uno ex fratribus, qui habeat carnem & ſanguinem, ut alii fratres, ſimilis Moſi, redemtori primo: Si apprehenderit manus ſuas quod ad ſui redemtionem valeat; Hæc eſt redemtio per reſipiſcentiam, quæ argento confertur. Sicut enim iſtud album & mundum eſt, ita quoque reſipiſcentia mundat & dealbat. Computabit cum poſſeſſore ,,ao, Hic Deus eſt, qui ab omnibus gentibus exiget rationem, quotquot Iſraeli dominati ſunt. Jobel notat libertatem, & talem dat redemtio. Differentia temporis pro reſipiſcentiæ præſentia aut abſentia, unde redemtio accelerabitur aut differetur. Quod ſi ea prorſus deſit, tamen anno Jubilæo exibit ſervitute, neque enim redemtio differetur ultra ſtatutum tempus: tum autem ſive reſipiſcant Iſraelitæ, ſive non, redimentur: tam depulſi quam diſperſi: cujus fiduciam facit Deus, quando Iſraelitas dicit ſuos ſervos redemtos ex Ægypto, quia ſimiliter redimet, & ego Dominus, qui præſtabit promiſſa.*

CAP. XXVI.

IX. SANCTIONES LEGIS GENERALES. Ubi Præmittitur Interdictum idololatriæ, verſ. 1. *Non facienda idola*, אלילים *res nihili* nec erigendum ſimulachrum aut ſtatuam, aut lapidem picturatum; ne quidem vero Deo colendo, verſ. 1. Contra Sabb. & Sanctuarium religioſe habenda, verſ. 2. Putant cohærere præcedentibus, ne Iſraelita venditus Gentili, ex ejus voluntate aut exemplo colat idola, debere ergo abſtinere ab omni ſpecie idololatriæ, & obſervare tum Sabb. tum Sanctuar. in feſtis. To אני ה ubi additur, ſemper aggravat præcepta, ſive quoad mercedis, ſive quoad pœnæ magnitudinem.

I. *Benedictiones*, obedientibus præſtandæ, verſ. 3--13. *Obedientia* ſignificatur ceu conditio prærequiſita, verſ. 3. tum recitantur *benedictiones*.

1. *Corporales*, pluvia & inde fertilitas, verſ. 4. & abundantia proventus, cum ſecuritate abundantiæ, verſ. 5. pax tranquilla, tum à feris, tum ab hoſtibus, verſ. 6. atque contra hos felicitas, verſ. 7, 8. multiplicatio vi fœderis, verſ. 9. abundantia proventus, ut deſint horrea quodammodo, verſ. 10. Mal. cap. 3.

2. *Spirituales*. Tabernaculum externum, teſtimonium præſentiæ divinæ, affectus conſtans, non abominabitur,

verſ. 11. commercium fœderale, verſ. 12. cujus *confirmatio* beneficium redemtionis ex Ægypto jam præſtitum, verſ. 13.

NB. Abrab. hic quærit, *cur & bona & mala h. l. ſint corporalia, cum tamen ſpiritualis ſit & merces & pœna?* Reſp. I. *Maimon.* „ non proponi præmia & pœnas, quæ ſunt „ ſpiritualia, ſed ſolum remotionem impedimentorum, ut „ tanto commodius obtemperetur, aut eorum illationem. „ II. AbenEzr. „ legem ſcriptam non doctis tantum, ſed „ etiam indoctiſſimis; qui cum ſpiritualia non aſſequantur, „ per corporalia allici, vel terreri. III. Bechai, & Nachm. *præmia & pœnæ ſpirituales ratione naturali concluduntur, de naturalibus autem non agit lex, ſed de beneficiis & judiciis miraculoſis, quibus obedientiam aut inobedientiam Deus proſequitur.* IV. R. Niſſim. & Coſri. „ Quia negabant homines „ providentiam divinam, Deum per ea quæ incurrunt in „ ſenſus fidem ſuæ providentiæ voluiſſe facere, de qua ſi „ convicti eſſent, non multum dubitaturos de compenſatione „ ne poſt mortem. V. R. Saadia. quia idololatræ pollicebantur fertilitatem & corporalia bona cultoribus, ut inde „ abducerentur, Deus promiſit abſtinentibus felicia, & „ contra infelicia omnia colentibus idola. De ſpiritualibus „ (qualia idololatræ non attingebant.) heic non agere, ſed „ aliis in locis. VI. *Cozri* ſpiritualia bona promiſſa, quando conjunctio cum Deo propoſita, quæ dum in hac vita „ acquiritur ab obedientibus, utique liquet poſt hanc vitam „ longe fore ampliorem. Quia v. corpus ſequitur conditionem animæ, quo felicior eſt anima in apprehenſione Dei, „ eo quoque felicius eſt corpus quod ad benedictiones illi „ convenientes, & contra. VII. *Nachman. R. Joſ. Albo.* „ Agitur de toto pop. Iſraelis, ubi non potuit de ſpiritualibus agi. Nam prout plurimi in pop. vel obedientes ſunt, „ vel inobedientes, ſic Deus beneficia corporalia largitur „ univerſis, etiam impiis, cum multitudine piorum, vel „ judicia corporalia, etiam piis cum multitudine impiorum. Verum ſpirutalia bona vel mala ſingulis dantur, „ eoque de iis in ſingularibus promiſſis agitur, Et quomodocunque etiam cum univerſo pop. agatur, de ſingularibus „ ſtatui ſic ut pius felicitatem æternam conſequatur, impius infelicitatem, nunquam autem ſpiritualia dari univerſæ genti pro conditione plurium. Hanc præ cæteris „ probat interpretationem, Eſtque commodiſſima. Alii Hebræorum agnoſcunt, quemadmodum præcipuas promiſſiones eſſe futuri ſeculi, ita quoque his comprehenſas. Maimon. *Iſraelitæ, prophetæ & ſapientes ipſorum deſiderarunt propterea dies Meſſiæ, & liberationem à regnis mundi, ut tanto melius incumberent ſtudio legis, & digni redderentur ſeculo venturo. Tum enim auctum iri cognitionem* Eſa. 11: 9. Jer. 31: 34. *& remotum cor lapideum* Ezech. 36: 26. *Rex enim ille de Davidis ſemine, ſapientior erit Salomone, & docebit omnem pop. vias Domini, etiam gentes* Mich. 4. verſ. 1, 2. *Præcipuum autem & ultimum bonum, quod nec imminuetur, nec abolebitur, eſt vita futuri ſeculi.* Bechai. *incipiunt benedictiones cum* א *& finiuntur cum* ת *quia continua ſerie procedunt, uſque ad ultimum finem & facienda lex ab* א *ad* ת *ab initio ad finem, ut omnibus potiantur benedictionibus.* Bechai ad illud: *Ambulabo in medio veſtri. Dominus otioſe ambulabat cum juſtis in paradiſo, & gloria ejus in medio eorum Supremam voluptatem animarum confert choreis; circulus rotundus, principio & fine caret, & centrum in medio. Sic Deus erit centri inſtar, & omnes circa ipſum, eumque videbunt & cognoſcent modo convenienti. Indicatur merces ſeculi animarum miſcetque corporalibus promiſſis, unde intelligens de illa faciat conjecturam. Prophetæ enim ſolum de diebus Meſſiæ locuti ſunt, ſed de futuro ſeculo, oculus non vidit* &c. Eſa. 64: 4. Porro tota hæc ſectio quoad promiſſiones tam corporales quam ſpirituales, eſt fiducia de futuris quia nunquam hactenus impleta fuit, ſed implebitur tempore perfectionis.

2. *Maledictiones* ſtatuendæ in inobedientes. *Peccatum* eſt *inobedientia*, & quidem contra fœdus, verſ. 14, 15. *Mala* quæ minatur gradibus augentur, prout videlicet longanimitas &c. divinæ divitiæ contemnuntur.

1. Minatur *morbos*, & *hoſtes* abſumentes proventum, eædentes ipſos, & dominantes, atque ipſo terrore fugantes, verſ. 16, 17.

2. Pertinacibus, incrementu plagarum *ſeptuplum*, Debilitationem, dum nec cœlum, nec terra robur ſuum dant, & ipſorummet fruſtraneum eſt, ita ut proventus deficiat, verſ. 18—20. *Septies*, quemadmodum ſic indicatur conſummatio gratiæ, ſic etiam contrariæ juſtitiæ.

3. Major pertinacia, ut ambulent קרי, *contrarii*, occurſuri Deo, ut 1 Cor. 10: 22. vel caſu; ut non Deo, ſed caſui adſcribant omnia adverſa, 1 Sam. 6: 9. ſic Hebræi ferè quibus incrementum plagarum, feræ beſtiæ, homines & jumenta laniaturæ, ut itinera ſint invia, verſ. 21, 22.

4. Rurſum obfirmatio contra caſtigationes, & contrarietas; judicium à Deo occurſuro auctum, *bellum*, *peſte* & *fames*, verſ. 23—26. *Bellum* dicitur vindicaturum vindictam fœderis, quod violarant. Matt. 22: 7. ſic contra Babelem vindicta templi Jer. 50: 28. *Bellum* facit fugere in urbes, atque tunc turba parit peſtem, & famem quæ adumbratur ſimili.

5. Ulterior obfirmatio contrariorum, habet Deum occurrentem in ira vehementi, & animadvertentem, verſ. 27. 28. plagæque ſunt graviſſimæ.

a. *Fames*: ut filiorum carnibus veſcantur, verſ. 29.

b. *Idolorum deſtructio* cum idololatris. quos faſtidire ſe hoc pacto oſtendet, verſ. 30.

c. *Vaſtatio*, *tum* urbium, & quod in iis potiſſimum, locorum ſacrorum, templi, Synagogarum, Scholarum; nec non cultus, non admiſſuro Deo placita olim ſacrificia, verſ. 31. *tum terræ totius*, ad ſtuporem hoſtium, verſ. 32. Hebræi hoc beneficium putant, eam vaſtitatem inferri terræ ut hoſtes & alii omnes ſtupeant, quando in ea non inveniunt tranquillitatem, ſed omnia ſterilia & adverſa, neque ullam gentem aut linguam fruituram illa terra feliciter, quicquid etiam improbe laborent, uſque dum redeant ejus legitimi poſſeſſores.

d. *Diſperſio* incolarum toto orbe, vi bellica, cum vaſtationis præcedentis continuatione, verſ. 33. *Sabbathiſmus* terræ continuus, quo non fruita eſt ſtatis annorum periodis, durante vaſtatione, verſ. 34, 35. quod factum durante Capt. Bab. 2 Chron. 36: 21.

e. *Exulantium conditio miſera*, ob trepidationem animi, & perſecutionem hoſtium. Ut magno numero pereant in exilio, verſ. 36, 37, 38. reſidui autem ibidem qui ſuperſtites manebunt, in ſuis & ſuorum patrum peccatis liqueſcent & conſumentur, verſ. 39. Ezech. 33: 10. Joh. 8: 21. 24.

3. Subjungitur inſignis *Promiſſio* de Converſione Judæorum: ubi

1. *Agnitio peccati* in ſua aggravatione, verſ. 40, 41. Confeſſio peccati, ſui & majorum; quos ſecuti etiam, Matt. 27. inprimis ſuæ pertinaciæ; nec non agnitio juſtitiæ Dei in ſuis plagis vehementiſſimis. Ezech. 36: 31. Humiliatio cordis incircumciſi; ſuperbi, ſtolidi, infidelis & inobedientis; Acquieſcentia in plagis (עון de Pœna Gen. 19: 15. Lev. 20: 17, 19, 20.) ut Deum juſtificent. Sic reddi poteſt Eſa. 40: 2. *Hieroſolymæ iniquitas* (pœna) *accepta eſt* (ab ipſamet,) *cum accepit duplum à manu Dei, duplum pro peccatis ſuis*; Qui hoc l. aliquoties ſeptuplum dicitur addidiſſe.

2. *Recordatio Dei* gratioſa, quando fœderis memoriam habet. Judæi quoniam אף cum emphaſi hic repetitur in tam inſigni promiſſione, vocant dictum hoc aureum אף & Germani, den guldenen Affen. (uti alias voces Hebræas deflectunt in vernaculam, ganſen à גנב, tapfen à תפש) aſt Chriſtiani eos dicunt appellaſſe Aureum ſimium; pari candore, quo Judæi vel milites Romani Chriſto clamante *Eli* Eli; dixerunt Eliam vocaſſe. Recenſet autem fœdus cum Jacobo (in Bethel Gen. 35.) cum Iſaaco (in monte Moria Gen. 22.) cum Abrahamo (inter ſegmenta Gen. 15. Jonath.) & recordationem terræ. *Fœdus* illud cum Ab. initum & filio ac nepoti confirmatum, fuit merè gratiæ, eoque pendens à ſolo Deo & ejus veritate; & in iis omnibus repetitionibus facta eſt mentio terræ Canaan: cujus cum ſigillatim ſe promitti recordaturum, utique ejus conditio neceſſariò pertinet ad reſtitutionem, verſ. 42. *Tempus* recordationis, *Et terra*, (h. e. poſtquam) *fuerit deſolata, egeritque ſua Sabbatha; atque ipſi acquieverint in ſua caſtigatione*, Eſa. 12: 1.

Jer.

Jer. 31: 12. ſeq. propter ſua peccata. T. יען ובעין quod nuſpiam alibi occurrit, reſpicit peccata quæ meruerunt geminum Exilium, Babylonicum & Romanum: illud levius, hoc longè gravius, unde & hîc peccata graviora, maximum, repudiatio Meſſiæ, verſ. 43.

3. *Beneficium Dei* erga Iſraelem, durante exilio, verſ. 44. Etiam quando ob tanta ſcelera, erunt in exilio, *non ſpernam nec faſtidiam eos, ut conſummantur, & fœdus irritum reddatur.* Jer. 31: 35. ſeq. Rom. 11: 1. ſeq. Ratio: *Ego ſum Dominus Deus ipſorum.* obligatione fœderali Deus ſe iis obſtrictum profitetur. Nam 1 Sam. 15: 29. Mal. 3: 6. Rom. 3: 3, 4. Eoque etiam nunc Deus eſt Iſraelis Deus; qui id teſtatur gentis illius conſervatione. Conf. Hoſ. 3. verſ. 3. ſeq. eo tiniendo, verſ. 44. Recordatio fœd. cum majoribus quos ex Ægypto eduxit, toto mundo teſte, ut ipſis foret Deus: quaſi totum mundum habiturus teſtem non præſtitæ promiſſionis, niſi ipſis, & quidem univerſis, quemadmodum univerſos eduxit ex Ægypto, fiat Deus, & præſtet omnia, quæ à ſe proficiſci poſſunt, nulla facta mentione ſtipulationis ipſorum ad montem Sinai; ſed potiùs ſuarum promiſſionum in Ægypto de fœderali gratia Exod. 3. *Ego Jehova*; præſtans promiſſa mea Exod. 6: 2. Pſ. 102: 28, 29.

CLAUSULA de ſtatutis omnibus per Moſen propoſitis, verſ. 45.

CAP. XXVII.

X. DE REBUS CONSECRATIS DOMINO. Vota fuere vel reſtrictiva, abſtinentia à certis rebus ut Nazaræorum, vel dativa, de oblationibus Deo faciendis. De his h. l. & quidem qui voveret liberè

1. *Perſonam*, verſ. 1--8. Si quis voviſſet hominem Deo, ſe aliumve, æſtimatio definita eſt quoad ſexum & ætatem, atque iſtud pretium fuit inferendum in Sanctuarium ad Sacerdotem. Attendebatur ætas non æſtimantis, ſed æſtimati, & quatuor conſtituuntur diſcrimina. I. à menſe ad finem quinti anni, m. 5. f. 3. ſiclos ſanct. (infrà menſem nulla æſtimatio.) II. ab initio ſexti anni, à primo die, ad ultimum diem vigeſimi m. 20. f. 10. III. à vigeſimi primi initio ad finem ſexageſimi m. 50. f. 30. IV. ab initio ſexageſimi primi & deinceps m. 15. f. 10. Pauper qui voviſſet, nec ſufficeret ſolutioni, Sacerdoti ſe iſtere, & pauperiem profiteri debuit, qui æſtimabat voventem (non perſonam voto æſtimatam) pro ratione facultatum, & hoc ſolvens immunis erat, ſed non minus ſiclo ſanct. quo ſi careret, debitor manebat, donec perſolviſſet, verſ. 8.

2. *Animal aliquod*, verſ. 9--13. ſi voviſſet de genere oblationum, votivum Sacerdoti fuit iſtendum, in uſum votivum, ſive altaris, ſive ſanctuarii: Mutatio omnis interdicta, quam qui admiſit, qualiſcunque foret, & votivum & permutatio cedebat Sacerdoti, verſ. 9, 10. Immundum pecus ſive ob vitium immundum, ſive abſolutè (cane excepto) Sacerdotis æſtimationi permittendum, & ſic licuit cuivis emere, ut precium cederet uſui votivo. Si vovens emiſſet, quinta pars fuit ſuperaddenda, verſ. 11, 12, 13.

3. Domum, verſ. 14, 15. æſtimatæ pretium, ab alio ſolutum pro domo, dandum; ſin à domino ædium, ſuperaddita quinta parte.

4. *Agrum hæreditarium*, verſ. 16---21. æſtimatur pro menſura ſeminis ibi ſerenda ſi homer hordei conſeri queat, inde à Jubilæo ad jubilæum, quinquaginta ſiclis æſtimatur. Sin aliquo tempore poſt Jubilæum, computandi anni reſidui eouſque, ut diminuatur, ſiclus pro anno. Qui redimere vult agrum, pro quovis anno ſolvit unum ſiclum cum quinta parte. Qui negligit redemtionem, ſuperveniente Jubilæo, prorſus amittit jus redimendi, & ager ille anathematis inſtar manet ſanctus, Sacerdotibus proprius.

5. *Agrum emtum* ære, verſ. 22--24. æſtimat juxta annos ad Jubilæum, & tum redit ager ad proprietarium hæred. Definitur autem ſiclus Sanct. qui adhibendus in æſtimationibus, verſ. 25.

6. *Primogenita* voveri nequeunt, quia nemo poteſt vovere non ſuum; atque illa Domini ſunt. E. munda animalia offerenda, immunda redimi queunt à Sacerd. addita quinta parte aut ab illo vendi aliis pro æſtimatione, verſ. 26, 27.

7. *Devota*, *anathemata*, non poterant redimi, ſed fiebant ſanata, cedebantque Sacerdotibus, ſive homines forent, ſive beſtiæ, ſive agri aut domus, verſ. 28. ſed ſi quis abſolute devoviſſet hominem ad internecionem (ut Jericho, & Cananæi) non poterant ſervari in uita, ſed erant trucidandi, verſ. 29. Sic fecit Jephta. Abrab. *Cherem valet in hoſtibus ad necem: in ſervis ad miniſterium templi, ut Gibeonitæ. Sed Lex de nece loquitur.*

8. *Decimas* nemo vovere poteſt cum ſint Domini, ſive de terræ fructibus, ſive de animalibus, bobus & gregibus, non aliis, Redemtio tamen promiſſa proprietario agri aut gregis, addita quinta; ſed permutatio interdicta, ſub pœna, ut & decimis illis & permutato careat, verſ. 30--33.

Decimæ fuerunt geminæ (poſt primitiarum oblationem ſeparandæ) *Priores* pro Levitis Num. 18: 21. & hîc nulla redemtio; ſed abſolute perſolvendæ Levitis: neque de his agitur h. l. *Poſteriores*, poſt priorum remotionem, primo, ſecundo, quarto; & quinto anno, à proprietariis deferebantur Hieroſol. & coram Domino abſumebantur, ut cederent ſumtibus annorum feſtorum. Deut. 12: 6, 7, 11. & 14: 22, 23. (tertii & ſexti anni cedebant pauperibus. Deut. 14: 28. 29. & cap. 26: 12. ſ.) Priores decimæ non habent ſanctitatem, & à quovis comedi poſſunt, ſed ut ſatisfiat Levitis pro iis. poſteriores ſunt ſanctitas, eoque qui inde quid redimere vult, ſi pro ſe de ſuis, quintam partem ſuperaddit, ſi de alienis, non tenetur ad quintam partē. Redemtio autem fiebat, quod Hieroſ. deferre nimis erat oneroſum remotioribus. E. permutantes pecunia, hanc deferebant Hieroſolymam, & inde emebant ea quibus in feſtis fruerentur coram Domino. Decimæ iſtæ ſolvebantur de omnibus terræ naſcentibus, fructibus aut ſeminibus, quæ cibo ſerviunt, eoque herbæ immunes ſunt, præterquam ſcribarum præcepto; immunia etiam ſemina hortorum. Quæ primas non debent, neque ad ſecundas decimas tenentur. NB. Decimæ tertiæ mere politicæ, ex jure Regio introducta 1 Sam. 8: 15. 17. cap. 17: 25. prorſus alius genere ordinis: neque etiam de iis per Synedria Moſaica judicabatur ſed per judices regios 2 Chron. 19: verſ. ult. NB. Nullæ decimæ animalium pro Sacerdotibus aut Levitis; ſed ſolum de fructibus terræ. E decimæ animalium eandem habuere rationem cum decimis ſecundis fructuum terræ. De bobus & ovibus aut capris unius anni, dantur decimæ, & ſi nihil vitii, ſanguis in altare ſpargitur & adeps adoletur, Caro abſumitur Hieroſ. à proprietariis, neque quicquam Sacerdotibus inde cedit. Si uitio laborarit, quovis loco comedere licet. Separatio decimarum in grege fiebat, ut clauſis omnibus decimandis in cohorte, ſingulæ emitterentur ſua ſponte, (matrum foris balantium voce excitæ,) & decima quæque, qualiſcunque etiam foret, quæ ſub numerantis virga tranſiret, notaretur.

Scilicet quemadmodum primogenita Deo ſacra, ceu autori omnium, ſic etiam decimæ teſtimonio, Deum autorem agnoſci omnis incrementi. Decimæ ſecundæ, ut ſacra fieret proviſio ad ſumtus cultus ſolennioris, ne poſt deterriti quaſi negligentiores forent.

CLAUSULA totius libri eſt, verſ. 34. Hæc mandata eſſe in monte Sinai, in illa ſtatione ad montem Sinai, antequam inde moverent caſtra.

ANA-

ANALYSIS EXEGETICA NUMERI.

HIc liber magnam partem historicus est, recitans ea, quæ Israele in deserto morante, spacio fere 39 annorum gesta sunt, insertis tamen nonnullis constitutionibus, qua ceremonialibus, qua politicis. Distributio commoda dari nequit, cum variè misceantur historiæ legibus, neque temporis series ubique accurate fuerit observata. Abrab. facit partes duas. I. acta in deserto inculto, capp. 1--18. quinque primis paraschis. II. acta in confiniis terræ habitatæ, quinque reliquis, capp. 19--ad finem. Nos potiùs octo quæ sunt, I. Numeratio populi cap. 1, 2, 3, 4. II. Leges & facta ceremonialia cap. 5--10. III. Variæ murmurationes, & eventa cap. 11---17. IV. Ceremonialia cap. 15. 18. 19. V. Historica cap. 20---26. VI. Leges politicæ cap. 27. ceremoniales cap. 28--30. VII. Historica cap. 31--33. VIII. Leges politicæ de terræ divisione, & successionum jure cap. 34--36.

CAP. I.

I. NUMERATIO seu CENSUS POPULI universi, & quidem I. Numerus initus tribuum duodecim. cap. 1. II. Castrametatio earundem cap. 2. III. Levitarum recensio cap. 3, 4.

NUMERUS INITUS XII. TRIBUUM. cujus

I. CIRCUMSTANTIÆ, locus mandati. in tabernaculo ad montem Sinai, & tempus, primo die mensis secundi, anni secundi, vers. 1. (Non ergo ubique series temporis observata; nam Pascha celebratum mense primo, de quo demum agitur cap. 9.)

II. MANDATUM de recensendis omnibus, vers. 2, 3. non tantum ut numerus omnium constaret, sed ut etiam juxta tribus & familias recenserentur, (paternas, non maternas,) nominibus adscriptis; sexu mares, ætate vicennes & sursum: Hebræi definiuntur usque ad 60. qui militiæ apti, & in hunc finem descripti.

III. ADMINISTRI numerationis, Moses & Aaron, nec non de singulis tribubus unus, ejus princeps, vers. 3-16. (Fuere ergo in universum 14. totidem observat non nemo in N. T. 12. Apostolos, & Barnabam ac Paulum.) Ordo principum est 1. quinque filii Leæ (omisso Levi,) 2. Filii Rachelis, duo Josephi & Benjamin. 3. filii ancillarum, sed ordine mixto, primus Bilhæ, secundus Zilpæ, primus Zilpæ, secundus Bilhæ. Hi dicuntur designati nominatim, principes Politici, & capita millenorum, bellici duces.

IV. OBEDIENTIA. cœpta recensione eopse die, & seqq. proculdubio continuata, juxta genealogias, quomodo exercitus singuli etiam cognationis vinculo fuere conjuncti, vers. 17--19.

V. RECENSORUM SUMMÆ; in quatuor ternarum tribuum exercitus distributorum, vers. 20--46.

VI. EXCEPTIO LEVITARUM. & ratio quod destinarentur ministerio Tabernaculi, circa quod stationem essent habituri proximam, cæteris tribubus castra circum ipsos habituris, vers. 47--54.

NB. Recensio Israelitarum facta aliquoties. I. cum egressuri essent ex Ægypto Exod. 12: 37. tum fuerunt circiter 600000. Scilicet inierunt censum omnium, qui educendi erant ad cultum Dei Israelis, marium adultorum. II. primo anno post egressum, quando medium siclum census loco dedere singuli, in usum basium tabernaculi; atque tunc inventi à 20 annis & ultra 603550. Exod. 38: 25, 26. & cap. 30. vers. 11, 12. III. secundi anni mense secundo, de quà hic. IV. in campestribus Moabi, anno 40. ab egressu. Num. 26.

Præterea, cum anno præcedente numerati essent 603550. hoc anno exactè idem numerus confit. cum tamen multum esset discriminis. nam heic excluditur tribus Levi, quæ istic fuit comprehensa; nam nondùm facta fuerat segregatio, ut nihil conferrent Levitæ ad tabernaculum. Scilicet egredientes ex Ægypto fuere, circiter 600000. vicennes & ultra, & in iis nullus æger Ps. 105: 37. sed perierant, (ne de Amalekitico bello dicam Exod. 17.) ob μοιχοπολίαν fere 3000. Exod. 32: 28. & tamen is fuit numerus eorum, qui 19. annos habuerunt, ut in recensione ad tabernaculum computatis Levitis forent 603550. ast jam sequenti anno, Levitis omissis tot alii attigerant vicesimum annum, ut nunc quoque forent 603550. Qui duos hos numeros eosdem volunt, debent in priori quoque excludere Levitas, ceu jam Exod. 32: 29. destinatos Sanctuario, & proinde à contributione ad id exceptos. quod tamen non videtur probabile.

Denique in Recensione nec ordo generationis attenditur, nec principum recensitorum, sed exercituum; initio facto à Rubene, cui additur Simeon, & Gad. tum Juda, & post eum Isaschar & Zebulon; præterea Ephraim, Manasse & Benjamin; tandem Dan, cum Aser & Naphtali; nec dum tamen collectis ternis in unum exercitum. Omnium numerosissima fuit tribus Juda, 74600. pauciissima Manasse 32200.

Inseritur *INTERDICTUM* de non appropinquando ad tabernaculum, Levitis in custodiam appositis; & quidem exclusis aliis sub nomine peregrinorum, vers. 51. quia Deus omnes sui consortio excludebat, post apostasiam vituli, Jer. 31: 32. Ezech. 20: 26. & sub pœna mortis, vel ab hominibus, vel à Dei manu infligendæ, ut in Uzza factum, 1 Chron. 13: 10. & in Bethsemitis 1 Sam. 6: 19.

CAP. II.

CASTRAMETATIO earundem tribuum. Ubi

I. MANDATUM GENERALE, vers. 1, 2. Israelitæ censi ad militiam, castrametabuntur circumcirca tabernaculum, in suo singuli exercitu. I. Singuli juxta vexillum suum, cum signis paternæ domus. Vexilla fuisse dicuntur singulis tribubus, ex serico ejusdem coloris cum gemmis pectoralis, cuique propriis: & principi ternarum vexillum ex tribus coloribus consutum: adscripto cuique suæ tribus nomine. quod signi loco fuerit. Sed cum in pectorali etiam fuerit lapis & nomen Levi, & Joseph unam tantum gemmam habuerit, non potest esse harmonia horum: nisi Abrab. accedamus, qui sanctonychas in humeris Pontificis etiam nomen Levi habuisse docet, sed in pectorali observatum ordinem ca-

castrametationis. Idem Abrab. negat quamvis tribum habuisse vexillum, sed 4 duataxat fuisse primariarum. Enim verò cum unicuique disertè vexillum tribuatur, meritò unicuique fuisse creditur. Sed 4 fuere primaria, insignita notis, Juda leonem habuit, Ruben hominem, Ephraim bovem, Dan aquilam. (Raknat aliter, *Judæ fuit ærris elementum, Uriel angelus, animal homo, plaga orientis: Rubenis, aqua, Michael, leo, meridies: Ephraimi, terra, Raphael, aquila, occidens: Danis, ignis, Gabriel, bos, aquilo.*) Patet fuisse Cherubinorum notas, ut apud Ezekielem, & terrestria respondisse cælestibus, quod inculcatur Heb. 9. Circum tabernaculum habuere castra, ut omnium tentoriorum ostia eò converterentur, reverentiæ ergo, & clausa essent à parte aversâ: fuit autem interstitium satis magnum, ex Jos. 3. vers. 4. 2000. cubitorum, videl. ut Sabbatho locus foret conveniendi. Tabernaculum ergo fuit in medio, ut cor in corpore, æqualiter vitam distribuens omnibus membris.

II. SPECIALE in ordine quatuor castrorum,

I. *Juda*, cui adduntur fratres uterini duo, ætate minores, *Issachar* & *Zebulon*, (ne majoribus natu dominaretur) ad Orientem, qua ingressus Tabernaculi patebat. & hi primi in profectione, quia numerosissimi, ut hostibus occurrentibus pares esse possent, ℣. 3--9. numero 186400.

II. *Ruben*, juncto fratre proximo *Simeone*, & (quia Levi segregatus fuit,) *Gade* qui primogenitus Zilpæ, ancillæ maternæ: ad meridiem, loco dignitate proximo, ad dextram tabernaculi, in profectione secundi, vers. 10-16. numerus erat 151450. In medio tabernaculum, & qui ejus ministerio addicti fuerunt, Levitæ, vers. 17.

III. *Ephraim*, cum *Manasse* & *Benjamin*, omnes filii Rachelis, 108100. ad occidentem, pone tabernaculum, tertii ordine, proximè post tabernaculum, vers. 18--24.

IV. *Dan*, cum *Aser* & *Naphtali*, ancillarum filiis reliquis, 157600. ad septentrionem, à sinistra, ordine postremi omnium, sed numero & robore primo proximi, vers. 25--31.

Abrab. refert traditionem hunc ordinem testamento Jacobi definitum fuisse, qui in loculo suo efferendo ita eos collocarit, excepto Josepho, quia rex erat, duobus filiis substitutis, & Levi, quod is arcam Domini esset gestaturus, cui non conveniret gestare loculum hominis mortui.

III. OBEDIENTIA ISRAELITARUM, exceptis Levitis, vers. 32--34. Fuerunt autem castra Israelis amplissima; Jonathan assignat 12 milliaria in longum, & totidem in latum. Josephus in quovis exercitu forum rerum promercalium fuisse refert, & officinas; sed quomodo hoc conveniat, non video, cum esculenta nulla venalia forent; vestes etiam non consumerentur vetustate.

CAP. III.

RECENSIO LEVITARUM, quoad numerum cap. 3. quoad ministerium speciale in tabernaculo cap. 4.

RECENSIO NUMERI Levitarum, ubi

I. *Occasio* ejus quod dati fuerint Aaroni & Sacerdotibus in sacris servituri. & heic

I. *Cui* servituri, describitur Aaron ejusque filii, tum defuncti, tum superstites, vers. 1--4. Fit autem mentio Mosis generationum, cum tamen filii ejus non memorentur vel quod Aaronis filii ipsius quoque fuerint, ob institutionem: vel quia ad Israelitarum numerum referri non poterant, vel quia non habebant ætatem vicennem adhuc, vel quia non acceperant incrementum post apparitionem Dei in rubo. Nadab & Abihu ἀτεκνοὶ mortuos fuisse dicitur, quia alioqui horum filiis debebatur Sacerdotium præ patruis; nam potior in hæreditate, potior etiam est in dignitate: hinc filii Josephi anteponuntur patruo Benjamini.

II. *Quinam* servituri, vers. 5--10. Levitica tribus datur Aaroni & filiis ejus, in servitutem non personalem & æconomicam, sed sacram tabernaculi, ad quam omnes Israelitæ alioqui obstricti erant, (nisi hi eorum in locum substituti.) Abrab. *cum tantum 3 forent Sacerdotes, Aaron & duo filii residui, indigebant auxiliis ad opus ministerii.* Dantur enim Sacerdotibus, ceu ministeria cuique assignaturis; sic tamen, ut quæ sibi propria, obirent ipsi: arcerent autem omnes peregrinos. Peregrini v. sunt quotquot non de semine sacerdotali erant. 3. quorum loco servituri, vers. 11--13. loco primogenitorum; quos sibi olim acquisiverat, cum primogenita Ægyptiorum percussisset. sed jam his repudiatis substituebat Levitas. Ezek. 20.

II. *Recensionis mandatum*, vers. 14, 15. recensendi ab ætate menstruâ & ultra:

III. *Recensio* per Mosen peracta, vers. 16. & quidem (1.) quoad *familias* Leviticas, Gersonis duæ, Kohathi quatuor, Merari duæ, vers. 17--20. (2.) quoad numerum personarum, locum castrorum, & ministeria tabernaculi. (α.) *Gersonitæ*, numero 7500. locati pone tabern. Cura eorum omnia velamenta, vers. 21--26. (β.) *Kohathitæ*, numero 8600. locati ad dextram, seu meridiem. Cura Arca, mensa, candelabrum, altaria, & vasa eò pertinentia, vers. 27--31. (γ.) *Meraritæ*, numero 6200. locati ad sinistram aquilonem, cura eorum asseres, vectes, columnæ, bases &c. vers. 32--37.

IV. *Locus* Mosi & Aaroni cum filiis assignatus, ad orientem tabern. illi soli, ceu principi, (nam filiorum ejus nulla mentio, quod accenserentur reliquis Levitis, citra præeminentiam,) Aaroni & Sacerdotibus ceu mystis sacrorum primariis, vers. 38. repetita peregrinorum, etiam Levitarum, exclusione.

V. *Summa* omnium Levitarum, 22000. vers. 39. NB. atqui tres numeri priores dant 22300? ℔ 300. illi fuere primogeniti eoque titulo proprio Dei. neque potuerunt aliorum vice Deo cedere. manere ergo tot millia Levitarum quot literæ Alphabeti, quod præ cæteris studiis sacris destinarentur Deut. 33. vers. 10.

VI. *Recensio primogenitorum* marium in Israele, itidem menstruæ ætatis & ultra; qui reperti 22273. vers. 40--43. & quia redundabant hi 273. redemtio horum imperata, quinis siclis sacris, qui Aaroni & sacerdotibus cesserunt, vers. 44--51.

NB. Levitæ numerati â mense &c. quia tum cœpit æstimatio primogenitorum redimendorum, fuitque minimum pretium 5 sicli Lev. 27. vers. 6.

Cuivis familiæ Levitarum datus princeps proprius, sed insuper Gersonitis & Meraritis præpositus Ithamar, & omnibus Levitis absolute Eleazar. Abrab. x. principes Israelis recensetur, gradu excellentes unus alterum. I. Danis. II. Ephraimi. III. Rubenis. IV. Judæ. V. Merari. VI. Gersonis. VII. Kohathi. VIII. Levitarum Eleasar. IX. Aaron Pontifex maximus. X. Moses sacerdos sacerdotum, rex & princeps populi.

Primogenitorum redimendorum numerus sorte deprehensus, schedulæ 2200. inscriptum habuere filius Levi & 273. quinque sicli; & primogeniti Israelis prout schedula quam apprehenderat popolcit, vel Levitam habuere vel pecunia se debuerunt expedire. Quidam volunt omnes primogenitos quinis siclis redemtos, sed qui sortitus fuit Levitam, illi numeravit pecuniam. qui non habuit successurum Levitam Sacerdotibus suam pecuniam numeravit. Pecora citra redemtionem substituta.

CAP. IV.

LEVITARUM MINISTERIUM,

I. *Kohatitarum* ubi I. ætas illi apta; à trigesimo ad quinquagesimum annum, ℣. 1--3. Israelitæ ad bellum censiti à 20. ad 60. Levitæ decennio serius incipiunt, & citius desinunt: tanto difficilius horum ministerium. Num. 8. vers. 24. dicitur de 25 annis. Maimon. per 5 annos instituebantur, & tricennes exercebant munus. Solis quinque annis ante leviora agebant, puta vigilias obeundo ne quis peregrinus accederet, &c. sed tricennes etiam humerum supponebant oneri. Quando humero non amplius opus, Arca & tabernaculo non amplius removendis, David quinquennio antevertit 1 Chron. 23. vers. 24. & deinceps 2 Chron. 31. vers. 17. Ezr. 3. vers. 8. Attamen Bapt. & Christus plenam ætatem exspectarunt, antequam auspicarentur munus suum. Ministerium Levitarum dicitur צבא mi-

militia, quia vigiliæ militares obeundæ, & in certas quoque classes fuere divisi; & tempus, quia ministerium fuit definitum certa periodo annorum. II. Quæ ipsis curanda; Sanctissima: quæ primum tegenda ab Aarone & Sacerdotibus, variis velis, ne Kohathitæ oculis ea usurparent, Arca', mensa, candelabrum, altaria vasa alia, quæ suis vestibus instructa portarentur, vers. 4--14. obtectis omnibus tum demum manum applicare licuit sub pœna seu periculo mortis, vers. 15. Sigillatim Eleazari ferendum oleum candelabri & suffitus, & mincha quotidiana, quantum uni diei sufficeret, & oleum unctionis, (in utraque manu oleum, in sinu suffitum in humero mincham.) cura item habenda cæterorum vasorum, ut omnia rite agerentur, vers. 16. III. Specialis commendatio fit Kohathitarum, quia periculosissimum eorum ministerium, (cum tangens sanctissima mortis reus foret) ne sua sponte quicquam tangerent, sed omnibus paratis adhiberentur singuli suis ministeriis, vers. 17--20. Kohatitæ licet secundi filii Levi posteritas, primariis adhibentur partibus, & ex iis Mose & Aaron omnesque Sacerdotes.

II. *Gersonitarum.* I. ætas eadem, vers. 21--23. II. quæ curanda, vela cætera tabernaculi, ex mandato Sacerdotum, vers. 24--28.

III. *Meraritarum.* I. ætas, vers. 29, 30. II. quæ curanda, asseres, columnæ, bases &c. annumeranda ipsis omnia, vers. 31--33. quibus præpositus Ithamar, qui tamen etiam Gersonitarum habuit inspectionem.

Numerus operi idoneorum ex ætate, Kohatitæ, 2750. Gers. 2630. Merari 3200. in universum, 8580. vers. 34, 35--49. Quam pauci autem ex tanto numero? Scl. messis magna operarii pauci: & pauci electi.

CAP. V.

II. LEGES ET FACTA CERIMONIALIA varia, hoc capite tria.

DIMISSIO POLLUTORUM ex castris, vers. 1--4. ubi

II. MANDATUM, vers. 1--3. quod jubet universos Israelitas; neque enim de omnium impuritate judicium fuit Sacerdotum, sed ipsimet norant quasdam pollutiones, & soli quandoque; debebant autem semetipsos judicare.

I. *Personæ* de quibus mandatur sunt. 1. *Leprosus*, cujus impuritas maxima & durat omni tempore plagæ Lev. 13: vers. 46. II. *Fluens semine aut sanguine matricis.* Lev. 15. quibus annumeratur mulier menstrua patiens, ac puerpera. quorum immunditia septiduana. III. *Impurus à cadavere*, sive hominis, qui septiduo, sive bruti, qui die uno pollutus. Accedit sexus & ætatis ratio par, נקבה dicitur non מזכר עד מאיש עד אשה.

II. *Locus* unde excluduntur, *ex castris.* Est v. hic distinctio; dantur enim tria: *Dei*, tabernaculum, & templum cum atriis omnibus. *Levitarum*, & ab atrio usque ad portam montis templi. *Israelis* & ab hoc monte ad portas Hierosolymæ. Pollutorum istorum excludebatur autem *leprosus* ex tribus; *fluxum patiens* ex duobus interioribus, *pollutus à cadavere* ex solo intimo. Abrab. ex textu petit rationem distinctionis, dicitur 1. מן המחנה non pluraliter, quod unis excludi sufficiat, 2. אל מחוץ למחנה, de duobus. 3. מחניהם pl. de tribus. discrimen autem faciendum pro gravitate pollutionis. Pollutum ex cadavere non excludi Levitarum sede docet exemplo Mosis qui ossa Josephi secum habuerit. Sed non constat an in suo tentorio habuerit; imo si habuisset, non licuisset ingredi Tabern. ut peculiari loco inter Josephi posteros asservata fuisse sit verisimile. Verum cum etiam inter Levitas morerentur, non potuere exire omnes ex suis tentoriis, imo neque illico ejicere puerperas & menstruatas; ut forte fluxus tantum extraordinarius & diuturnior intelligatur, aut Levitarum castra non sint sumenda de habitatione ipsorum absolute, sed de loco custodiæ marium circa tabernaculum & templum.

III. *Ratio*, ne polluant castra, quæ Deus inhabitat: hinc etiam castra militaria debuere pura haberi Deut. 23. vers. 10. 11.

OBEDIENTIA Israelis, vers. 4.

I. *RESTITUTIO RAPINÆ*, vers. 5--8. De hoc crimine actum Lev. 6: 25.

Committitur *contra hominem*, qui fraudem patitur, dum quod suum est ipsi vel eripitur, vel non datur, violenter detentum; transgressio *contra Deum* accedens est *juramentum*, quo falso negat se quid proximi sui habere; talis proximo Deoque reus est, vers. 5, 6.

REPARATIO habet.

I. *Confessionem peccati*: quæ requiritur in omni transgressione, siquidem remitti debeat, coram Deo, cujus summam dicit Maim. O Deus peccavi, perverse egi, transgressus sum coram te, & egi sic vel sic, ecce resipisco, & pudet me factorum, neque unquam denuo sic agam; Qui v. amplificat suum crimen, laudatur. Qui hostiam offert pro peccato, negligitque confessionem, non obtinet expiationem, qui à magistratu flagellatur aut necatur, si non confiteatur, non expiatur pœnâ.

II. Restitutionem rapti & partis quintæ illi cui ereptum est. Abrab. notat, convictum testibus restitutionem facere sortis. sed non quintæ partis, nec hostiam dare, nisi suo ore confessus fuerit. Si læsus sine hærede mortuus fuerit (quod de solo peregrino exponunt, Israelitis enim nunquam deesse hæredes) faciendam restitutionem Deo, cujus minister Sacerdos sortem & quintam consequatur. Deum hæredem esse proselyti ajunt, tantique hos fieri.

III. *Oblationem* definitam, arietis, vers. 7, 8. Additur de jure Sacerdotum in alias oblationes, vers. 9. 10. quod uti in defectu hæredum, sic alias cedant oblata Sacerdoti illius classis quæ ministrat. Sic tamen ut huic non liceat vi eripere, illi qui affert, sed afferentis est dare uni horum, & quicunque acceperit ab afferente, illo accipiente Deum censeri accepisse.

III. *SUSPECTÆ MULIERIS EXPLORATIO*, vers. 11--31. Heic

I. DESCRIPTIO MULIERIS SUSPECTÆ, de reatu, vers. 11--14. ubi

I. *Factum* ejus, vers. 11. 12. declinatio, à via videl. honesti & æqui, adeoque violatio conjugalis fidei. Talis Hebræis vocatur סוטה potestque locum habere in conjugata & desponsata: hinc Josephus tale crimen suspicatus est in Maria quam tamen quod justus esset (h. e. gratiosus, qui צדקה indebitam beneficentiam exerceret,) noluit παραδειγματίζειν juxta, vers. 21. hujus cap. sed clanculum deserere, Matt. 1: vers. 18. 19. ni intelligatur de pœna adulterii in ipsam statuenda ex Deut. 22: 23. 24. illustratio facti ejusque circumstantiæ, vers. 13. concubitus cum alio viro ignorantia mariti, (τὸ נסתרה non intelligunt ratione mariti ignorantis, sed adulteri, si maritus coram testibus dixerit uxori, ne in secreto sis cum hoc vel illo viro, atque ipsa secreto alicubi cum illo fuerit, tamdiu ut vitiari queat, quicunque ille fuerit licet genere proximus, illicita est marito, usque dum biberit: sed si tale mandatum non accepit, quamvis aliud de non colloquendo, non putant ream) defectus testium; de concubitu, (qui si adfint ut adultera plectenda est Lev. 20: 10. Joh. cap. 8: 4, 5.) sed adesse debent de secreto loco; unus si fuerit, (post interdictum mariti; ante, nihil dicunt testes. qui affirmet corruptam, illicita fit marito, sed non bibit, amittitque dotem: unus affirmet, alter vel duo negent, bibit. absentia violenti stupri, sic R. Sal. alii, non deprehensa ἐπ' αὐτοφώρῳ.

Mariti Zelotypia. vers. 14. *Spiritus Zeli*, est affectus, passio animi ut τὸ רוח sæpius accipitur de motu seu passione animi. Spiritus scortationum Hos. 4. vers. 12. timoris 2 Tim. 1. vers. 17. mansuetudinis Gal. 6. vers. 1. soporis Rom. 11. vers. 8. *Transire* dicitur quando eo afficitur; sic ventus transit gramen, quando illud marcessere facit Ps. 103. vers. 15. 16. & actus Zeli intelligitur de interdicto, ante secretam conversationem facto. quod ubi violavit, fuitque in secreto cum viro prohibito, sive polluta tum fuerit, sive non.

II. *Exploratio*, vers. 15--31. ubi,

A. *Locus*, vers. 15. maritus eam ducit ad Sacerdotem. Sed primò indicium facit magistratui suæ urbis, qui & ipsi &

ſi & uxori cuſtodes apponunt, ne poſt indicium ſuſpicionis commiſceantur, & mittunt ad Synedrium majus Hieroſolymam; quod mulierem terret, quo vel fateatur culpam, vel ſaltem neget ſe bibituram, quando ſejungitur à marito in perpetuum, & tabulæ dotales ejus lacerantur, ſin ſe inſontem dicat, & ad bibendum offerat, ducitur in atrium templi ad oſtium orientale, induta vilibus ſeu quotidianis veſtibus, ſine velo, præſentibus mulieribus aliis pluribus, & viris quotcunque voluerint.

B. *Oblatio*, verſ. 15. farina, non ſimila, hordei, non tritici, (cibum brutorum, quia bruta libidine acta fuit) menſura ordinaria, decima Ephæ; citra oleum, & thymiama; (ob defectum gratiæ ſpiritus ſanctificantis in ipſa, & acceptabilitatis operum ejus coram Deo,) ut in pro peccato Lev. 5. verſ. 11. quia memoriale peccati ſolum, non ſimul expaitionis. τὸ קנאות R. Sal. facit mariti & Dei.

C. *Adjuratio*, cujus.

a. *Præparatio*, conſtituitur coram Domino, è regione templi, ad oſtium orientale atrii mulierum interius. verſ. 16. Sacerdos haurit aquam ſacram, ex ſacro labro, Dimidium log, ſeu 3. ovorum copiam, in vaſe figlino novo; tum ingreditur ſanctum, & inde petit de pavimento pulverem, atquæ aquæ illi inſpergit. ut videri queat verſ. 17. Pulvis fuit cibus maledicti ſerpentis, Gen. 3. verſ. 14. Eſa. 65. verſ. 25. mulier quæ attenderat ad ſerpentis perſuaſiones, etiam cibatur cibo ejus maledicto: immiſcetur autem aquæ ut deglutiri poſſet, & ad interiora penetrare. Joh. 8. Jeſus ſcribit in pulvere templi, cum ſiſteretur adultera, adjurationis formulam, ut omnes reos bibendi oſtendat, poculum maledictionis. Unde omnes convicti ſeceſſerunt. quemadmodum mulier quæ ſe pollutam fatebatur, vel abnuebat bibere, ceu convicta confeſſaque dimittebatur nec adigebatur ad bibendum. Siſtitur mulier denuò, (Heb. volunt poſt varias circumductiones, ut fatigata mallet non bibere: ſed potiùs, cum antea ſolùm ſpectaſſet Sacerdotem haurientem aquam, & pulverem petentem ac miſcentem, jam ipſamet aliquid paſſura,) nudatur ejus caput (ceu quæ depoſuiſſet ſponte ſubjectionem ſubmariti poteſtate, cujus vitta teſtimonium erat, 1 Cor. 11. verſ. 5. 6.) Sacerdos alius lacerabat ejus veſtem à ſummo uſque ad regionem cordis, ceu quæ ſiſteretur τῷ καρδιογνώστῃ. removebat vitam, & ſolvebat capillos, ut paſſis adſtaret, prorſus indecens. Ipſius manibus imponitur oblatio, & Sacerdos ſuis tenet aquas. verſ. 18. Amaras appellat, Gr. ὕδωρ τῦ ἐλεγμῦ quia convictio amara: vel ab effectu, ſubſequente pudore & morte, quæ amara, 1 Sam. 15: 32. Eccl. 7: 28. Prov. 5: 4. quidam volunt abſynthium ſimiliave amara fuiſſe injecta & maledictionem ferentes, ex Pih.

b. *Adjuratio* ipſa. quæ fiebat à Sacerdote, in lingua Hebræa, vel ea quam mulier intelligeret; formula ipſa, alternativa; (a.) *abſolvens*, ſi inſons, ne quid damni patiatur, verſ. 19. (b.) *condemnans*, ſi ſons, ut concubitum adulterinum paſſa fuerit, verſ. 20. huic additur imprecatio, verſ. 21. infamiæ, nomini ejus perpetim adhæſuræ, ut Eſa. 65. verſ. 15. & Jer. 29: 22. damni, cadentis femoris (&, quia femur de generationis loco ſumitur Gen. 4: 26. uteri, ut ad generandum fiat inepta) & intumeſcentis ventris, ut rumperetur: ut Græci habent. & ſignum horum effectuum, ingreſſus in corpus aquarum maledictarum, verſ. 22.

c. *Ratihabitio* mulieris, reſpondentis *Amen*, *Amen*, ibid. Confirmans propoſita, Deut. 27: 15. Jer. 11: 5. unde precibus ſubjectum 1 Cor. 14: 16. Nehem. 8: 6. Raknat. Anathema non eſt ratum, niſi in conſentiente; E. valet in Judæis Matt. 27: 25.

C. *Applicatio*. formula illa adjurationis, addito nomine mulieris, ſcribebatur à Sacerdote Hebraice, in charta pergamena, & ſcriptura omnis delebatur in aqua illa, ne ulla nota remaneret, verſ. 23. tum mulier bibebat aquam illam omnem, ſic ut deglutiret, & aſſumeret, verſ. 24. attamen prius oblatio ejus agitabatur Sacerdote ſuos manus ſupponente manibus mulieris, & mox pugillum injiciente in ignem altaris holoc. (quomodo Dei præſentia expetebatur לאזכרתה) reſiduo cedente ſacerdotibus, verſ. 25. E. effectus in ſonte, qualis prædictus, verſ. 27. Volunt illico ſigna illa patuiſſe, & elatam ex atrio mulierum fuiſſe mortuam; eodemque tempore etiam adulterum, ubicunque degeret: in inſonte autem, verſ. 28. decor faciei, valetudo integra, etiam morbo qui aderat pulſo, fœcunditas, facilis partus, & quidem filiorum.

III. *Epilogus*, verſ. 29--31. commendans curam mariti circa caſtitatem conjugis: qui innocens, ſiquidem hæc obſervavit; mulier autem fert iniquitatem ſuam. ſi polluta eſt, deprehenſa: ſin non polluta, ſaltem datæ cauſæ ſuſpicandi, quando contra interdictum mariti egit.

CAP. VI.

IV. NAZIREATUS VOTUM, verſ. 1--21. Ubi

I. VOTUM, verſ. 1, 2. de ſeparatione ſui ipſius, Domino. Suſcipi poterat à mare vel fœmina ſui juris, (nam conjugatæ & minorennium erat in poteſtate mariti aut parentum, ut in aliis votis Num. 30: 4. ſ.) Nazareus, ſeparatus ſigillatim, ſive à Deo Samſon, & Baptiſta. ſive ab hominibus, vel per totam vitam, vel ad tempus: qui abſtinentiam vovebat, unius rei heic prohibitæ, ad cætera omnia tenebatur; qui vovebat pro filio, obligabat tantum filium conſentientem. pertinuit ad majorem ſanctitatem, reſtringendo etiam licitorum uſum: unde non leviter faciendum tale votum. Jeſus Nazarenus hinc non dicitur: unde non obſervavit leges illorum.

II. *Vita* eorum durante voto.

A. *Quoad victum*, verſ. 3, 4. abſtinentia ab omni quod de vite venit, vino, aceto, expreſſo ſucco uvarum (משרה) uvis recentibus & paſſis, nucleis acinorum & cortice: nec non à ſicera ejuſque aceto. Etiam ab immundis aliis cavendum Jud. 13: 4. 14. ex lege generali.
Heb. *ſiceram* hic intelligunt, de potu cui vinum admixtum: vel שכר vetus vinum quod citius inebriat. Volunt etiam ipſum abſtinere à conſortio bibentium vinum, neque accedere ad vineam, offenſæ occaſionem declinando.

B. *Quoad habitum* corporis; ne tondeant caput, verſ. 5. ſive forficibus, ſive novacula, ſive vellendo pilos, donec finitus fuerit Nazireatus. (פרע *coma* prolixior quæ nuda pendet nec tegitur ordinario modo. Eſtque con ſacra Deo.) Durat ille ad minimum 30 dies. & qui ſimpliciter vovet, tot diebus tenetur; qui pauciores nominat in voto, explere tenetur 30 dies; qui plures ex voto agit: qui plures Nazireatus vovet, pro quovis 30 dies computat, & finito ſingulo, novum rite inchoat: qui per 1000 annos, ante finem eorum, non poteſt ponere capillos: qui per totam vitam, ſingulis annis radit caput (quod in Abſalomo factum dicunt) & 3 hoſtias offert.

C. *Quoad converſationem*, ne polluatur per cadaver, verſ. 6. (Simſonem negant perfectum Nazireum fuiſſe, ſed ſolùm à Deo ſeparatum, quoad duo priora; nam mortuos ſæpe tetigit, & qui vovet ad exemplum Simſonis, à mortuis non arcetur.) ne quidem conjunctiſſimorum; quod ſanctificatam comam gerat, eoque corpus totum debeat ſervare mundum, verſ. 7, 8.

III. *Vitiati Nazireatus reparatio*, verſ. 9--12. non quoad priora quæ ſimpliciter cavenda, aut ſi violaret, fuſtigatione plectendus fuit. ſed ſolum quod ad tertium; Si ex improviſo pollueretur à cadavere, vel veniens ubi erat illud ipſo neſcio ante, vel dum ipſo adſtante quis ſubito moritur. (R. Sal. בפתע *violenter*, בפתאום *per errorem*: aliis ſynonyma ſunt, & caſum ſubitum notant.) tum 1. quando mundari vult (præmiſſis 7 diebus ex Num. 19: 12.) ſeptimo novacula radendum caput, verſ. 9. 11. octavo offerendi turtures vel columbini pulli bini, pro peccato & holocauſto, verſ. 10, 11. 3. repetet votum ſuum, oblata hoſtia pro reatu ove anniculâ. & quos ante pollutionem egerat dies, non venient in computum, ſed denovo incipiet, verſ. 12.

IV. *Conſummati depoſitio*, verſ. 13--21. ubi

A. *Hoſtiæ offerendæ*, ovis annicula maſcula in holoc. alia fœmella pro peccato, & aries pro pacifico, ordinario ritu, verſ. 13--17. additis azymis panibus, verſ. 14. Etſi nihil admiſiſſet adverſum voto, tamen pro peccato offerebat, quia nemo eſt, qui non peccet, etiam juſtitiæ ſunt pollutæ, expiationis indigæ 1 Reg. 8: 46. Eſa. 64: 6. Bechai. Idem dicit. Et ex aliis, pro futuris peccatis, quia redit ad conſuetudinem mundanam. deſerta ſanctitate ſingulari.

B. *Rasio capitis*, verſ. 18. ut ne quidem pilus relinqueretur, (alioqui raſio poſt alios 30 dies fuit repetenda.) Fiebat in ſanctuario, in conclavi proprio, ubi coquebantur pacifica, & iſtic injiciebantur crines reſecti foco, non in altari. Attamen videtur, qui aberat Hieroſolyma, & votum fecerat, eo finito ubicunque eſſet, potuiſſe radere caput, & comam comburere, dilato ſacrificio uſque dum Hieroſ. veniſſet Act. 18:18. niſi dicamus Paulum ante votum raſiſſe caput. Inde numeraturum dies Nazireatus. Porro obtinuit apud Hebræos, ut quis alius poſſet in ſe recipere ſumtus radendi Nazarei una cum ſacrificiis conſummationi junctis, ſive in totum ſive ex parte; ut tamen nihil Nazarei faciat ipſe, niſi ut præſens ſit oblationi & cæteris ritibus: & tum tenebatur talis ad ſumtus illos, abſolvebaturque eo modo Nazareus. Et ſic egit Paulus Act. 21: 23, 24, 26.

C. *Agitatio partium ſacrificiorum*, & Sacerdote conſequente ſuam portionem, verſ. 19, 20. quomodo libertatem rurſum conſequitur bibendi vinum.

D. *Epilogus*, verſ. 21. jubens quicquid porro voverit, pariter exſolvere. Abrab. *Si quid porro voverit, ut abſtinentiam ab uſu conjugii, aut aliarum licitarum voluptatum etiam ad hæc teneri.* Conf. 1 Cor. 7: 5. qui non niſi ex conſenſu conjugum abſtinentiam illam voveri poſſe docet.

I. *BENEDICTIO SOLENNIS* Sacerdotum, verſ. 22--27. hæc

I. IMPERATA SACERDOTIBUS, verſ. 22, 23. Sacerdotum munus eſt, & ſi plures ſint, ſimul faciunt; aut aliqui ex ipſis, vel unus: his præſentibus nemo alius; ſi nullus adſit, tum lector ritu nullo dicit, Dominus Deus Patrum noſtrorum benedic nobis triplici benedictione, quam Sacerdotibus pronunciandam imperaſti, ut Scriptum eſt &c. Ritus fuit; ſtando, elevatis manibus & extenſis digitis, vel ut alii complicatis ad exprimendum שדי, lingua Hebræa, voce ſonora, facie ad pop. conversâ: Exprimendo nomen tetragammaton; ſed hoc poſt reſtrictum ad Sanctuarium; tandem deſitum prorſus uſurpari. Raknat. *Erecto ſuper tabernaculo benedictionis formula mandata, quia à tabernaculo ſuperno derivatur benedictio deorſum. Tempus*, poſt matutinum ſacrificium, non poſt veſpertinum. Veſpertini tempore Chriſtus hoſtiam obtulit; ſed mane rediit per reſurrectionem benedicturus populo Act. 3: 26.

II. FORMULA, verſ. 24--26. 1. *benedictio & cuſtodia*, 2. *illuminatio faciei* gratioſa, & *gratia*, 3. *faciei* benignæ *repræſentatio* jugis & *pax*. Ter repetitur nomen Dei, & quadam ſemper mutatione accentuum, nec non attributorum, quod myſterium habere dicunt Bechai & Raknat. „Eſſe tria nomina Dei, & claſſes virtutum, eſſeque unam„quamque ſimilem alteri, uniuscujuſque item nomen uti „alterius & omnes comprehendi in יהוה. Raknat ait, eſſe „hic יחוד הפרצופין. To פנים in verſu tertio R. Sal. reddit *Iram ſuam tollat à te*, ſed præp. אליך non remotionem ſed acceſſum notat, ut beneficii ſit. In ſecundo & tertio membro Targum ſcribit שכינתה: quæ reſpondere ſolet Filio.

III. PROMISSIO, verſ. 27. jubens Sacerdotis fungi officio, addicens concurſum ſuæ benedictionis. Neque enim ab illis ſed ab hoc fluit benedictio: quod etiam Maimon. docet.

Cæterum jure Hebræo ſtatutum, Benedictionem pronunciare (נשיאות כפים vocant) non licere ſacerdoti 1. balbo, blæſove. 2. corporis vitio laboranti. 3. peccato reo, puta, homicidii, adulterii, idololatriæ, licet reſipuerit. 4. ætatis non juſtæ, novitio. 5. vinum qui bibit, 6: illotis manibus. Abrab. docet, Sacerdotes non benedicere, ſed benedictionem à Deo optare 1. corporalem, II. ſpiritualem, III. utramque ſimul; pace etiam vitam futuri ſeculi complectente. Vel 1. pro Iſraelitis, 2. pro Levitis, 3. pro Sacerdotibus; qui tres exercitus. Vel 1. pro agricolis, 2. pro oratoribus, 3. pro militaribus. Alii, *Benedicat te*, cepta affirmantia, *Cuſtodiat te* interdicta. *Illuminet faciem ſuam ad te*, Lex ſcripta, & *gratioſus ſit tibi*, prophetia; *Attollat faciem*, regnum Davidicum; *Det pacem*, nomen Domini: hoc eſt 1. praxis obedientiæ, II. cognitio legis prophetia, III. regnum Meſſiæ & Agnitio plenior Dei. Quomodo nullus traditioni locus in benedictone hâc.

CAP. VII.

VI. *OBLATIONES ET ANATHEMATA PRINCIPUM* in uſum Tabernaculi erecti, ubi præmiſſa circumſtantia temporis, verſ. 1. cum finita eſſet erectio & ſanctificatio tabernaculi. Non tantum ſpectat tabernaculi erectionem, initio primi menſis anni ſecundi, & inaugurationem ſacerdotum; ſed etiam reliqua, quæ ad deſcriptionem cultus pertinuerunt, tradita toto primo menſe, in Levitico. Adhæc pacta numeratione populi & caſtris collocatis ex præſcripto? quod etiam ad tabernaculi erectionem pertinuit, ut medium locum ſortiretur, circumcirca Sacerdotibus & Levitis, & tandem univerſo Iſraele ſedem ſuam habentibus. Proinde id factum, menſe ſecundo parte aliqua lapſo. Nam nec cenſus uno die fieri potuit, & migratio in aſſignatas ſedes tempus exegit; ut præciſe nil definiri queat de die.

I. COMMUNIA DONA oblata (non ad ſacrificia, ſed ad uſum ſacrum) ſex currus tecti, concamerati, & 12 boves, ut bini unum currum, ſinguli bovem ſiſterent, verſ. 2, 3. Principes autem deſcribuntur à munere ſuo.

Acceptatio Dei, is juſſit Moſen accipere in uſum ſacrarii, & ad onera ferenda Levitis diſtribuere, Gerſonitis duos currus, Meraritis quatuor, cum bobus jugatis; quod horum onera forent graviora. Kahathitis nullum currum, quod omnia humero ferenda haberent, verſ. 4--9.

II. SINGULARIA ad initiationem altaris, non primam, ſed ad ſingularium perſonarum oblationem, quam à principum ordiendam putarunt, verſ. 10.

Probavit & hanc Deus, & ordinem obſervari voluit, ut juxta ſeriem in exercitibus, ſingulis diebus offerret unus, verſ. 11.

Obedientia, obtulere ſucceſſivè 12 diebus, verſ. 12--84. Quod omnium oblata reſponderint, ex compacto factum, ne æmuli & invidi eſſent mutuò. Dona autem fuerunt, 1. Metalla, aurum & argentum. 2. ſilentia, lapides prætioſi; 3. plantæ aromata, ſimila, vinum, oleum 4. viventia, Juvenci, arietes, oves, hirci.

Collectio oblatorum ejuſdem generis in unam ſummam, verſ. 85--88.

VII. *MODUS RESPONDENDI MOSI*, verſ. 89. Ingreſſo in S. Sanctorum, è propitiatorio inter cherubinos exit vox, ipſum erudiens. Raknat, ait vocem de cœlo veniſſe, & ex medio Cherubinorum fuiſſe auditam. Abrab. negat Moſen ultra proceſſiſſe quam in Sanctum, atque ex S. Sanctorum audiviſſe procedentem vocem. Verùm interiora ſubire Aarom & Sacerdotibus, non Moſi fuit vetitum. quod ei promiſſum antea Exod. 25: 22.

CAP. VIII.

VIII. *CANDELABRI SACRI CURA* verſ. 1--4, mandata, verſ. 1, 2. & obſervata ab Aarone, verſ. 3. addita brevi deſcriptione candelabri, verſ. 4. de quo plenius dictum Exod. 25: 13. ſ. cap. 37: 17. ſ. Adſcendere faciet, R. Sal. intelligit de flamma lampadum luculenter ardente. Alii de adſcenſu Sacerdotis ſuper lapidem trium graduum, ut ad ſummitatem lampadum pertingere poſſet, cum 18 palmorum eſſet candelabrum, nec non de oleo, & igne de altari unde accendebat, aliiſque inſtrumentis, quibus utebatur, quæ juxta ſe in illo lapide collocabat. Lampades accendendæ è regione candelabri, hoc eſt, medii rami ſeu ſcapi, cujus lampas occidenti obverſa, eoque adyto, prima accendebatur de igne altaris holocauſti, reliquæ lampades omnes reſpiciebant mediam tum orientalium ramorum, tum occidentalium, & in illo latere, verſus mediam, collocabantur ellychnia.

IX. *CONSECRATIO LEVITARUM*, verſ. 5--26.

I. IMPERATA, ubi.

I. *Separatio* ab Iſraelitis reliquis, verſ. 5, 6.

II. *Mundatio*, verſ. 6. cujus ritus.

A. *Adſperſio* aquis peccati, hoc eſt, mundantibus à peccato, verſ. 7. (cujus aquæ præparatio præſcribitur Num. 19. una cum uſu.)

B. *Ra-*

B. *Raſio* omnis pili.

C. *Lotio* omnium veſtium, atque etiam corporis. Impuri à cadavere ſic adſpergebantur, & leproſus, qui mortui inſtar radebatur toto corpore, & uterque lavabat tandem totum corpus cum veſtibus; quia cenſebantur ut mortui; pollutive à mortuis, ſpiritualiter. Bechai: qui cædem idololatrarum patrarant Exod. 32: 28.

III. *Oblatio* eorumdem.

A. *Adductis victimis*, verſ. 8. gemino juvenco anniculo, unum cum ſuo mincha; quorum alterum pro peccato, (qui tamen prior mactabatur, verſ. 12. cum ſemper pro expiatione antecederet.) conſtitutis Levitis offerendis ante oſtium tabernaculi, & congregatis Iſraelitis omnibus, oblaturis illos, verſ. 9.

B. *Iſraelitis* (quibuſdam delectis, vel primogenitis Iſraelitarum, vel patribus primogenitorum, qui illos Deo habebant ſiſtendos, & horum unumquoque) in ſubſtitutorum capita *manus imponentibus*, verſ. 10.

C. *Aarone eos agitante* coram Deo (ut partes hoſtiarum agitabantur, Bechai. Aaron ſingulos Levitas ſuſtulit aliquantum de terra, divinitus confirmatus, ut circa 22000 id poſſet expedire.) vel *ſegregante*, verſ. 11. quomodo Græci & Deus explicat, verſ. 14. idem cum ſeparatione illa Act. 13: 2. Rom. 1: 1. cum ſic ad miniſterium fuerint ſegregati.

D. *Ipſis impoſitis manibus* ſuper capita juvencorum, verſ. 12. ad expiationem ſui *offerentibus* per Aaronem, pro peccato & holocauſtum. (Juvencum pro peccato offerebat ſolus Pontifex Maximus, & Congregatio: Lev. 3. ſed hic quoque Levitæ, ceu repræſentantes populum, cujus vice Deo ad ſervitium conſecrabantur. repetita poſt hoſtias immolatas agitatione ſeu ſeparatione, ad miniſterium Dei, verſ. 13, 14.

E. *Immiſſione in munus ſuum*, poſtquam mundati, & ſegregati hoc modo fuerint, verſ. 15. quod munus eſt.

ℵ. *Appropriatio Deo*, loco primogenitorum, quos ſuos fecerat, quando his pepercit, verſ. 16, 17, 18. licet ob vituli cultum jam repudiarat & ſubſtituerat Levitas.

ב. *Appropriatio Aaroni* & ſacerdotibus, ut his miniſtrarent, excluſis Iſraelitis, alias plagam ſenſuris, ſiquidem præſumerent accedere, verſ. 19. Abrab. תנופה Levitarum exponit deductionem huc illuc, uti quæ agitantur, loco moventur, & geminam fuiſſe peractam. I. per Aaronem ut Dei miniſterio ſiſterentur promti. II. per Moſen ut Aaronis miniſterio ſed in rebus Dei, ſiſterentur promti. illa verſ. 11. hæc, verſ. 13, 14.

Expiatio iſta eſt non per hoſtias, quas offerre ipſis non licuit, ſed per miniſterium vicarium pro illis.

II. PRÆSTITA, verſ. 20—22. ex præſcripto, ut omnibus ad conſecrationem pertinentibus factis, miniſterium ſuum adierint.

III. DEFINITA miniſterii tempora, verſ. 23—26. ab anno 25, ut diſcant, vel leviora agant primo quinquennio; nam à 30 anno plena erat adminiſtratio ſui muneris Num. 4: 3. Quinquagenarii habebant miſſionem à gravioribus duntaxat, & poſt fixum templum cuſtodiæ ſemper poterant adhiberi, cantui autem quamdiu vox ſufficiebat. Nam prorſus abſtineri non honori erat, ſed ignominiæ, exemplo Abjataris 1 Reg. 2. quem non abfuiſſe à quinquagenaria ætate, tempora Davidis docent, & Eli 98 annos habebat. qui munus non legitur depoſuiſſe, non magis ſacrum, quam politicum.

CAP. IX.

X. PASCHA SECUNDI MENSIS PRO IMPEDITIS, verſ. 1—14. cujus

OCCASIO.

I. *Remota.*

A. *Juſſum Dei* de celebrando Paſchate primo menſe anni ſecundi, verſ. 1, 2, 3. Mandavit id Deus, h. l. quia juſſi fuerant id agere cum veniſſent in terram Exod. 12: 25. non qui celebraturi erant in deſerto, niſi Deus mandaſſet. Abrab. *Si in deſerto non circumciſi liberi E, neque hoc paſcha agi potuit: quia primo anno multi nati.* R. *autem, primo anno manſerunt ad Sinai montem, & potuit circumciſio fieri; ſed poſt crebra fuere itinera, & hinc neglectus.* Sed cur poſt hoc mandatum, nullum fuit habitum in deſerto? Joſ. 5. R. Inobedientiæ id fuit, uti etiam neglectus ſacrorum rituum aliorum. Circumciſionis Joſ. 5: 4. qua ſine nemo admittebatur ad Paſchæ uſum. ne quidem paterfamilias, qui domi ſuæ habebat incircumciſos. Exod. 12: 42. ſ. Sacrificiorum Amos 5: 25. ſ. nulla vel ſaltem nulla Deo, ſcortantes pone Deos falſos Lev. 17: 7. Num. 15: 39. Refertur autem heic, cum tamen habitum id fuerit ante cenſum populi & Levitarum initiationem; non propter illud ipſum, ſed ob mandatum de repetenda celebratione, quod nunc demum obſervari potuit, pacto cenſu &c. Jubet autem Paſcha agere, menſe, die, horis conſtitutis: menſe primo die 14. hic quoque ſabbatho non impediente: inter duas veſperas diei, incipientis ab hora ſeptima, mox à meridie, & noctis, ineunte nocte. Obſervatis ſtatutis quoad ſeparationem agni, mactationem, coctionem, & comeſtionem, & conſuetudinibus azymorum. Num adſperſio ſanguinis, & ſtatio, & manſio intra domum heic fuerint obſervata, non liquet, neque videtur cum primo Paſchati in Ægypto propria fuerint, & poſt non amplius obſervata; exemplo ejus quod ultimum egit Jeſus.

B. *Obedientia* Moſis mandantis, verſ. 4. & pop. obtemperantis, verſ. 5.

II. *Proxima* quorundam impedimentum neceſſarium, verſ. 6, 7. ubi

A. *Caſus*; quidam polluti erant à cadavere hominis, verſ. 6. (quæ pollutio in Ægypto non erat conſtituta; & tum quoque nullus talis erat, cum nemo in tribubus eſſet æger Pſ. 105: 37. nedum ut mortuum haberent. Aſt nunc lege pollutionis data, quæ immundos pronuntiabat, qui cadaver tetigiſſent, domive habuiſſent, & quidem per ſeptiduum Num. 19: 12. quibus nefas erat, venire ad ſanctuarium edereve de rebus ſanctis Lev. 7: 20.

B. *Pietas* pollutorum, qui cum veſci ſic nollent, ob religionem dolebant tamen ſe uſu illo carere & quid ſibi faciendum rogabant, à Moſe & Aarone, quia Sacerdotum id erat Lev. 11: 4. Quibus Moſes reſpondet ſe à Deo poſtulaturum definitionem rei, verſ. 8. Vnde liquet Moſi ſemper fas fuiſſe accedere ad Deum, eumque conſulere in adyto, quod Aaroni & ſucceſſoribus non permiſſum. Hinc excellentia Moſis ſuper alios prophetas liquet.

LEX IPSA, verſ. 9, 10. ubi.

I. *Perſonæ* privilegiatæ.

A. *Immundus*, ob cadaver, quia pollutio ſeptiduana; & huc referunt omnes quorum pollutio tot dierum; ut ſunt gonorrhæus, hæmorrhouſa, puerpera; & quorumcunque ſeptimus dies purificationis incidebat in 14 Niſan. Sed qui diurna pollutione laborabat, pro eo mactabant Paſcha, & ipſe poſt oblationem ſui cum reliquis comedebat.

B. *Abſens* longinquus. Intelligunt de eo qui oriente ſole 14 Niſan, longius 15 milliaribus abeſt à ſanctuarii ſede: nam ſi non ultra diſtet, poteſt pedibus illud itineris commodè conficere, ut mox poſt meridiem ibi ſit. Sed quicunque erant in Iſraelitide debuerunt tempeſtivè iter ingredi; neque potuerunt cenſeri longinqui: verùm id valet de iis qui negotiorum cauſa inter peregrinos longinquiores verſabantur. Alii exponunt non de hominibus, ſed de agno Paſchali, quod ſi ille effugerit ex cuſtodia ſua, (quia triduo ante ſeparandus fuit) aut furto ſubductus ſit mortuuſve, vel non ſuppetat, tum dilationem habere in menſem alterum, ut paret ſibi agnum. Imo hacpropter Abrab. cenſet רחוקה punctatum eſſe. Eſt tamen hoc prorſus alienum, cum verſ. 13. diſertè de perſonis loquatur. Fit autem ſtatutum non pro præſenti tantum tempore, ſed perennis, in generationibus valiturum: ut poſteris quoque ætatibus obſervetur. Et huc forte revocari poteſt Paſcha Hizkiæ 2 Chron. 30.

II. *Ritus obſervandi*, verſ. 11, 12. nempe menſe variato, ſecundo pro primo, die ſimili decimoquarto hora eadem, adhibitis azymis & amaris herbis: ne quid relinquatur in craſtinum, & ne frangatur ullum os. Interim

non putant Hebræi reliqua pariter obſervanda, puta expurgationem fermenti ex domo, aut ut ſeptiduum in azymis celebrent.

III. *Sanctiones* additæ, verſ. 13.

A. *Qui mundus*, neque per iter impeditus, nequit negligere primum Paſcha; qui fuit impeditus in primo, non autem eſt in ſecundo, nequit negligere ſecundum, aut excidium habet exſpectandum à Deo: idque excidium animæ, quod Raknat intelligit de æterno exc, etſi vitam temporalem feliciter tranſigat, in Gen. 17.

B. Accedit conſtitutio *de peregrino* proſelyto, iiſdem legibus gaviſuro, uti quod ad prius Paſcha Exod. 12: 48. 49. ſic quod ad hoc ſecundi menſis, verſ. 14.

XI. *MOTIO CASTRORUM* ex voluntate Dei, verſ. 15--23. Ex quo erectum tabernaculum, uti nubes illud implevit, Exod. 40: 34. ſ. ſic quoque illud obtexit, eadem nempe, quæ egredientibus ex Ægypto dux viæ fuerat, & eandem habebat ſpeciem, interdiu nubis noctu ignis. teſtimonium præſentiæ Dei: unde quoties illa manebat ſuper tabernaculum ſignificabat manendum; quoties inde movebatur, toties caſtra movenda eſſe; quod diverſis temporibus fiebat, mora breviore vel longiore, ſed populo incerta: qui exactè ſequebatur ductum ejus; quoties antecedebat; ſed quieſcente conſtanter circa tabernaculum conſtitutis locis tentoria figebant, Conf. Eſa. 4: 5, 6. ubi præſentia gratiæ per Meſſiam, ſic quoque deſcribitur ſub figura nubis & ignis.

CAP. X.

XII. TUBÆ SACRÆ, ad conventum publicorum, & motionum caſtrenſium indicium, verſ. 1--10. *Tubæ* חצוצרה ex metallo, at שופר buccina ex cornu erat. Tubarum.

I. NUMERUS verſ. 2. duæ, quot erant filii Aaronis, poſt 120. 2 Chron. 5: 12. unde ſtatutum, ut in ſanctuario non pauciores duabus, nec plures 120. adhiberentur.

II. MAXIMA, argentum, neque ex alio metallo legitimæ: ſignificabatur candore illo gratia: & quod ad formam, opere continente, ex una lamina, non autem ex partibus pluribus compoſitæ.

III. Usus in genere, convocatio cætus, & caſtorum motus, verſ. 2. in ſpecie.

I. *Convocatio.*

A. *Omnis populi*, ſi utraque inflaretur, ad Moſen ad tabernaculum Dei, ℣. 3. ut conventus ſacri agerentur; quod obſervatum Pſ. 81: 4. Joel. 2: 15. ſ.

B. Solorum *Principum* ad Moſen, ſi inflaretur una, verſ. 4.

II. *Profectio*, clangor utriuſque fracto ſono & interrupto monebat exercitui Judæ progrediendum eſſe, verſ. 5. ſimilis ſonus ſecundo, idem dicebat vexillo Rubenis, verſ. 6. & ſic quoque in profectione cæterorum vexillorum, quando nempe tertio & quarto ille ſonus edebatur.

In congregatione denuncianda, continuus, non fractus ſonus obtinebat, verſ. 7. & Clangentes aut inflantes fuere Sacerdotes, verſ. 8.

III. *Bellum*, aut quævis calamitas ſuperveniens, verſ. 9. *Bellum* ſive cum Iſraele, ſive in vicinia Iſraelis: *Calamitas* ſuperveniens (צר צורר) peſtis, morbusve epidemicus, feræ, locuſtæ & inſecta, ſterilitas terræ, pluviæ defectus aut nimia copia, annonæ caritas, aut mercimoniorum defectus, Caſus alii, terræ motus, tempeſtates, inundationes, incendia &c. Tum tubis fracto ſono clangendum in conventibus jejuniorum, ceu Deo bellum gerente, ut humilitate & reſipiſcentia impetrent gratiam.

Jejunia autem non ordinantur continuis diebus, neque Sabbatho vel feſto; ſed ſecundo & quinto Die ſeptimanæ, & ſic pluribus hebdomadibus, quamdiu non removetur malum: in civitate obſeſſa, & in navi proxima naufragio, etiam in Sabbato jejunare licet. Cæterum jejunii diebus judices poſt preces matutinas ſedent uſque ad meridiem in Synagoga, & examinant vias populi, & monent errantes, ſegregant peccantes, & humiliant violentes.

NB. Tubis reſpondent noſtræ Campanæ convocando cœtu', apud Pontificios etiam in tempeſtatibus tribuentes eis vim ſecretam: ſic tempore victoriæ lætitiæve publicæ, aut etiam luctus. Promiſſio ſucceſſus, non ad ſolum clangorem tubarum, ſed inprimis reſipiſcentiam populi Joel. cap. 2: 15. ſ.

IV. *Gaudium*, verſ. 10. ſive extraordinarium, dedicatione templi 2 Chron. 5: 12. reditu ex captivitate, Ezr. 3: 10. dedicatione mœniorum Neh. 12: 27--35. ſive ordinarium, feſtorum, Sabbathi, neomeniæ; tubæ ſonabant ſono continuo; ſuper ſacrificiis Congregationis totius; non ſingulorum; additaque à Davide muſica inſtrumenta alia; quando conſtitutis muſicis ad minimum 12 Levitæ quotidie illi operi vacabant, viva voce; accedebant pſalteria non minus duobus, neque plura-quam ſex: tibiæ ad minimum duæ, ad ſummum 12. tubæ duæ, ad ſummum 120. Cytharæ novem minimum, ſed quæ in infinitum multiplicari poſſent.

Promittitur Dei benedictio, quia fœderatus.

III. HISTORICA varia, & quidem.

I. *MOTIO CASTRORUM* prima ex ordine inſtituto, cujus

I. TEMPUS, verſ. 11. anno ſecundo ab egreſſu, menſis ſecundi die 20. finito Paſchate ſecundi Menſis. Manſerant ergo ad montem Sinai annum integrum minus diebus decem.

II. SIGNUM, nubes elevata à tabernaculo, verſ. 11. quæ ſe movit inde in deſertum Paran, verſ. 12. ſic tamen ut quædam ſtationes forent intermediæ Num. 11: 3. 34, 35. ſequentibus Iſraelitis.

III. ORDO PROFECTIONIS ex præſcripto Dei verſ. 13.

Primo Juda, cum adjunctis Iſachare & Zebulone, verſ. 14--16.

Deinde ſublato tabernaculo, profecti ſunt Gerſonitæ & Meraritæ, cum baſibus, aſſeribus, columnis, nec non velis omnibus, quæ ad ipſum tabernaculum pertinebant, habebant autem 6 currus, oneri imponendo, verſ. 14.

Tertio Ruben, cum Simeone & Gade, verſ. 15--20.

Quarto, Kehatitæ cum ſanctiſſimis inſtrumentis quæ humero ferebantur; qui dum venirent, Gerſ. & Merar. erexerant tabernaculum, cui illa inferrentur, verſ. 21.

Quintò Ephraim cum Manaſſe & Benjamin, verſ. 22--24.

Sexto Dan una cum Aſer & Naphtali, verſ. 25--27.

Qui ordo obſervatus conſtanter in profectionibus per deſertum, verſ. 28.

IV. COMITATUS poſtulatus, verſ. 29--32.

I. *Moſes petiit* à Chobabo filio Rehuelis, חותן Moſis, hoc eſt, *ſocero* & ſic idem cum Jethrone fuerit; vel ſoceri, ſic frater Jethronis, quod Aben Ezræ placet. Abrab mavult, Jethronem eſſe Chobab, ſic dictum, ab amore cum Moſis, tum inprimis Dei & legis ejus, utpote qui primus proſelytus laudatæ memoriæ, cujus etiam poſteri perſeverarunt in ſinceritate. Bechai. *Nomen Chobab accepit, quando proſelytus factus eſt, tum enim nomen novum accipiunt.* ex Eſa. 65: 15. Indicavit illi jam proficiſci ad occupationem terræ promiſſæ, unde tamdiu abfuerunt, dum Poſtia formaretur, atque invitavit ut ſecum iret, promittens communionem felicitatis, verſ. 29. cujus ſecuritas in promiſſo Dei.

II. *Excuſavit ſeſe Jethro*, reditum ad ſuos cauſatus, verſ. 30. poſſeſſionem certam pro incerta, præſentem pro futura & ſperanda habiturus domi.

III. *Inſtantia Moſis*, ne diſcedat, quia jam norit omnem politiæ rationem, Deo caſtra tuente, quæ miraculoſe legibus ordinaſſet, quia gnarus locorum, vel prudentia valens, poſſit conſilio adeſſe, verſ. 31. Conf. Pſ. 32: 8. & conſilio juverat antea Exod. 18. quia ejuſdem felicitatis conſortium ſit conſecuturus, verſ. 32.

An obſecutus manſerit? non conſtat; Abrab. negat, rediiſſe autem poſteros. alii cenſent, & hocpropter illicò conſecutos hæreditatem in tractu Jerichuntis Jud. 1: 16. cap. 4: 11. 1 Sam. 25: 6. 1 Chron. 2: 55. & commendatur præ cæteris Rechabi filius Jonadab 2 Reg. 10. Jer. 35. cap.

V. PROFECTIONIS CIRCUMSTANTIA, verſ. 33, 34.

33, 34. tribus diebus arca anteceſſit, & viam exploravit; non tridui itinere antecedens, ſed tribus diebus tantum. nubes autem manſit ſuper Iſraelem.

Atqui mandatum fuerat, ut Sanctuarium foret in medio caſtrorum. Num. 2: 17. cap. 10: 21. Nonne ergo iſtic quoque arca, & quomodo anteceſſit? R. Ainſworth. Nubes quæ ſupra tabernaculum anteceſſit omnes, & arca quæ in medio poſtremos exercitus, quorum ante oculos fuit. Sed non ſic textui reſpondet. Quidam Hebræorum cenſuerunt geminam fuiſſe arcam, unam in qua tabulæ fœderis aſſervabantur, à Bezaleele confectam, quæ ſemper in medio caſtrorum manſerit, numquam educta in prælium, niſi cum contra Philiſtæos uſurpata, in ipſorum venit partem 1 Sam. 4. aliam autem quam Moſes fecerit, Deut. 10:1. & ſeq. ut eo ſeponeret fragmenta priorum tabularum, & hanc ſemper prælatam fuiſſe euntibus in bellum. 1 Sam. 14: 18. De hac præferenda heic ſermonem eſſe: alteram autem & præcipuam ſemper manſiſſe cum reliquis inſtrumentis in medio caſtrorum, etiam dum iter fieret. Sed Abrab. negat geminam arcam fuiſſe; fragmenta tabularum cum integris in una latuiſſe, quam fabricarit Bezaleel: de qua etiam ſermo ſit Deut. 10: 1. ſ. licet proximi artificis nulla fiat mentio. (Accedit ſi fractæ tabulæ prælatæ fuiſſent, nonne fuiſſet commemoratio violati olim fœderis, quando non tam propitiando, quam provocando ſerviiſſet, cum egerent faventiſſimo Deo.) Statuit autem Arcam pro tabulis non niſi unicam fuiſſe, opus Bezaleelis: eam ſemper delatam in medio Iſraelitarum verſus Cananæam euntium, præterquam cum primum moverent ordinata caſtra, primo iſto triduo; & cum poſtremum, tranſeuntibus Jordanem, Joſ. 3: 3, 6, 14. novo etiam more contra Philiſtæos aſportatam in caſtra 1 Sam. 4. Cæterum arcam illam cujus in hiſtoria Saulis mentio fit, 1 Sam. 14: 18. item 2 Sam. 11: 11. fuiſſe aliam cuſtodiendo Ephod & pectorali cum Urim deſtinatâm, & hanc delatam in caſtra, ut ſummus belli Dux, ſive Rex, ſive alius oraculum conſulere poſſet, de iis quæ ſuſcipienda; quam arcam cum implementis Abjathar fugiens ſecum abſtulit, & ad Dauidem detulit, qui ea uſus eſt 1 Sam. 23: 2. 4. 6. 9. ſ. Hanc porrò ait vocari vel ארון האלהים 2 Sam. 11: 11. vel ארון אלהי 1 Sam. 14: 18. Sed nunquam ארון ברית יי quod nomen alteri arcæ proprium fuerit. Et ſane illud de arca τῶ Ephod veriſimillimum eſt: aſt arcam fœderis in itineribus ſemper medio loco fuiſſe, nuſpiam dicitur. Potuit ergo hæc ſemper præferri, æque ac in primo & ultimo itinere, antecedente tamen nube, quam ſemper ſequebatur: & cætera inſtrumenta in medio aſſervari, conſtabitque ſibi Scriptura in omnibus.

VI. VOTUM MOSIS, Arca ſeſe movente, & rurſum quieſcente, verſ. 35, 36. *illic* ut Deus quoque ſurgeret, præceſſurus, & omnes hoſtes fuſurus & fugaturus: *Hic* rediret ad millia myriadum Iſraelis, ipſis cohabitaturus; aut tranſitivè, reduceret millia myriadum, ne quid damni ab hoſtibus paterentur; quod experti, qui contra Midianitas iverant. Num. 31: 49. & optatur Deut. 33: 7. Sic Pſal. 68: 2. Hieroſ. ait, Moſen manus extuliſſe in precibus, & petiiſſe, ut Verbum Domini revelaretur, &c.

CAP. XI.

II. *HISTORIA INDIGNANTIUM* ob itineris moleſtiam, verſ. 1, 3. ubi.

I. CULPA; fuit populus כמתאוננים lugentes, quiritantes; כ quibuſdam ſimilitudinis, aliis veritatis, quod propius vero. τὸ רע qualificat quiritationem; eſt enim bona quoque, quæ de peccato Lam. 3: 39. quod fuerit mala. Attamen non fuit apertum murmur, ut alias, quo nomine putaverunt reprehendi à Moſe, ſed ſecreta, & inter privatos exercita. Cauſa fuit iter tridui continuum, cujus moleſtiæ tædebat. Abrab. putat fuiſſe quorundam dubitationem de Dei providentia; cum Moſes peteret Dei præſentiam quoties moveretur arca, riſiſſe apud ſeipſos, ceu qui fruſtra fatigaret Deum. fuiſſe autem illico convictos, Deo ſe audiviſſe extraordinario judicio teſtante.

II. POENA, verſ. 1. Deus audiens, indignatus eſt, & ultus, igne immiſſo: dicitur אש יי vel ob magnitudinem; vel ab origine, quia cœlitus deſcendit, ut contra Nadab & Abihu Lev. 10: 1, 2. ut non naturalem, ſed præternaturalem & miraculoſum agnoſcerent. Abrab. cenſet fuiſſe febrem ardentiſſimam, quæ ſimul peſtilens multoneci dederit. Verùm id videtur minùs convenire narrationi, quæ externum ignem potius indigetat; qui ſæviit in extremitate caſtrorum; ultimos fortaſſis corripuit, qui fatigati ex itinere, queruli facti ſunt; quemadmodum Deut. 25: 18. qualia forſan metuerunt. Abrab. principes deſignari ait, ſed alius eſt קצין aliud קצה.

III. REMEDIUM, verſ. 2. populus à Moſe petit opem, is invocat Deum, & impetrat ignis exſtinctionem. R. Sal. à terra abſorptum fuiſſe ait, ob vocem שקע. & memoria Judicii, appellato loco תבערה. verſ. 3.

NB. ante fœdus initum Deus tulit murmura & *rebellionem* populi Exod. 5: 14, 15, 16, 17. ſed poſt illud ſeveritatem oſtendit. Exod. 32. Lev. 10. hic & deinceps. Scilicet, jam egit ex fœdere; quod obſervantibus beneficia, rebellantibus maledicta pollicetur & lex, contractus ab Iſraele initus, de obedientia propriarum virium, operatur iram. Rom. 4: 15.

III. *CONCUPISCENTIA POPULI*, appetentis carnes, verſ. 4—35. ubi.

I. CULPA, verſ. 4—10. cujus.

I. *Autores* primi, mixta multitudo cupiditate acta. fuere mixta turba peregrinorum, qui una ex Ægypto exceſſerunt Exod. 14: 38. & proximi Iſraelitæ exemplum ſecuti. & magis intemperantes animo, ut etiam flerent eo nomine reverſi à ſua reſipiſcentia ad novum delictum.

II. *Impulſiva*, deſiderium carnium.

III. *Factum* ipſum, quod ſibi ſuppeditari carnes optant: ſimul tamen teſtati dubitationem & deſperationem de potentia Dei, verſ. 4. Conf. Pſ. 78. verſ. 18. ſ.

IV. *Amplificatio.*

A. *A priſtina* in Ægypto felicitate, verſ. 5, memoria abundantium carnium. *Piſces* crediderunt eſſe carnes, alias nihil reſpondet amplificatio querelæ. Carnes alias vix comedebant in Ægypto, quod id abominationi foret mactare pecudes, præterquam in Paſchate primo, ubi juſſi fecerunt. Piſces autem habuerunt iſtic gratis, vel vili pretio quidam, quod ex piſcinis Ægyptiis raperent, & ſpoliarent hortos, alii ob copiam maximam, & quod ſolerent foſſas majores fodere quiſque; exundans autem Nilus eas replebat aquis & piſcibus, qui relabente Nilo iſtic in foſſis manebant. Sunt qui τὸ חנם referunt non ad comeſtionem piſcium, ſed ad recordationem non profuturam. Adjungunt terræ naſcentia *cucumeres* & *pepones*, frigidi temperamenti; & olentes herbas *ſerpillum allium*, *cepas*, calidi condimenti loco.

B. *A præſenti infelicitate*, verſ. 6. *Anima noſtra* (h. e. corpus animatum) *nunc arida eſt*, ſucci expers: deficientibus cibis omnibus præterquam Manna, quam contemtim habent.

C. Amplificationis ergo inſeritur deſcriptio Mannæ, ut querelæ indignitas pateat, (a) *à quantitate*, inſtar coriandri, (b) *à colore*, inſtar Bedellii: verſ. 7. (c) *à præparatione*: habuit duritiem ut mola frangi, aut piſtillo tundi poſſet, cum alias à Sole liquefieret, & varie cocta fuit. Ajunt Hebræi præparando quemcunque ſaporem acquiſiviſſe: ſed tum non deſideraſſent carnes, qui illo ſapore potuiſſent frui. Variatio quidem coctione introducitur, neque tamen ea paratur ſine mixtura aliorum, quæ in deſerto impoſſibilis. A Sapore definito, præſtantiſſimi olei, verſ. 8. alibi dulcedo mellis adſcribitur Exod. 16. verſ. 31. ſed recens oleum dulcedinem magnam habet. Abrab. *non cocta ut mellis laganum, cocta ut recens oleum.* (d) A *modo dandi*, nocte quavis poſt lapſum rorem, verſ. 9. Ergo in deſerto illo ſingulis noctibus cecidit ros, & ſuper illum manna, imo tum alius ros deſuper, qui oriente ſole evaneſcens, nudam mannam deſtituebat Exod. 16. verſ. 13, 14.

II. MOSIS QUERELA de ſuo onere, ejuſque ſublevatio, ℣. 10. & heic

I. *Occaſio*, verſ. 10. fletus populi univerſalis, per omnes familias, & publicus, in oſtiis tentoriorum, ut mutuum ſe provocarent ad conſortium cupidinis improbæ.

bæ. Ira Dei contra populum indignatio impatientis Mosis.

II. *Querela*, vers. 11--15. habens

A. *Quietationem*, cur sibi curam universi populi imposuerit, vers. 11. vocat, *malo afficere*, h. e. molestiam afferre, sed citra injuriam, & declaratur per non invenire gratiam, quæ omni molestia levat. *Onus populi ferre*, est curam gerere 2 Cor. 11: 28. Rationes,

א. *Ab æquo*; se non teneri, vers. 12. non sum mater, aut pater, Sic 1 Cor. 4: 15. Gal. 4: 19. eoque non onerandus sum hac cura ceu nutritii gerentis alumnum: Sic Deus Deut. cap. 1: 31. cap. 32: 11, 12. Christus Esa. 40: 11. cap. 46: 3, 4. cap. 63: 9. Paulus 1 Thes. 2: 7--11. Hieros. & Jonath. pro אומן habent פדגוגא, sicuti fert pædagogus alumnum, quo vocabulo usus Apostolus de Mose Gal. 3. vers. 24.

ב. A. *Necessario*, se non posse. ubi probatio præmittitur, defectus carnis sufficientis, ut lamentantibus possit satisfacere, vers. 13. & tum impossibilitas, vers. 14. saltem si solus, cum tanta sit multitudo.

B. *Petitionem*, ut se occidat potius, si levamen negare placeat, ne durius quid patiatur, vers. 15. Sic Elias sibi optat mortem 1 Reg. 19. & similiter Moses Exod. 32: 32. & Jonas Jon. 4: 15. את fœm. dicitur de Deo; quod perturbationi Mosis tribuitur. quando ultimæ syllabæ vocum quasi absorbentur. Vel dicendum, ter esse sub hac forma masculinum, Num. 11: 15. Deut, 5: 24. & Ezek. 28. vers. 14.

III. *Responsum Dei*, ad petitionem.

A. *Mosis*, vers. 16, 17.

א. Jussa per eum *Congregatio* 70. Seniores populi, qui iidem essent præfecti. Volunt eo munere versatos in Ægypto, ἐργοδιώκτας constitutos à Pharaonis præfectis, quique istic vapularant Exod. 5. Τὸ ה paragog. in אספה exponunt, de peritia necessaria totius legis, 5 libris comprehensæ. Sed ea distributio tum nondum fuit, necdum absoluta legis scriptione.

ב. Horum indicatur *Electio* per congregationem definitam; non sortito, sed expertæ prudentiæ, in Seniorato & magistratu, nempe ex instituto Exod. 18.

ג. *Evocatio*, ad tabernaculum, Præsentatio coram Deo, una cum Mose.

ד. *Inauguratio* Dei sermone, loquentis Mosi, in ipsorum præsentia, & opere, de spiritu Mosis communicantis ipsis.

ה. *Munus* ipsum, ut in partem oneris veniant juxta cum Mose. R. Sal. Moses fuit ut ardens lucerna, unde omnes aliæ candelæ accenduntur, quæ tamen nihil luminis amittit.

Hi 70 una cum Mose præside, fuere primum Synedrium majus, quod maximæ dignitatis: unum in tota gente, cum in singulis urbibus 120 familiarum esset minus 23 hominum, qui de capitalibus agebant. in minoribus locis triumviri judices erant, de pecuniariis &c. cognoscentes.

B. *Populi*; promittit carnes, dandas postridie, vers. 18. & continuandas per totum mensem, vers. 19, 20.

Sanctificatio imperata est præparatio, sive cum ritu lotionis, ceu parantes se convivio, sive sine eo, ut saltem excipiendo muneri parati essent. R. Sal. *parate vos ad ultionem, ut quis ad diem mactationis sanctificatur.*

Exprobrat murmur, qui Ægyptum optassent, ut vescerentur carnibus; minatur fastidium cibi, in pœnam sui contemtus.

IV. *Incredulitas Mosis*, proposita, vers. 21, 22. *causa*, multitudo populi, & diuturnitas promissæ carnis: *Ratio* autem impossibilitas, quod nec pecora sufficerent nec pisces congregatum iri sperandum essent. (מצא etiam *sufficere* notat, Jos. 17: 16. Jud. 21: 14.) Heic quoque pisces, & pecora junguntur, ceu parirer carnosa animalia: *refutata*, vers. 23. à potentia Dei, cui niteretur sua promissio. Sic Rom. 4: 21. Esa. 50: 2. cap. 59: 1.

III. Institutio Synedrii, vers. 24--30. ubi

I. *Collectio*, vers. 24. & collocatio circa tabernaculum.

II. Approbatio Dei, tum sermone ad Mosen, tum facto, communicando de ipsius spiritu vers. 25.

III. *Effectus*, Prophetia extraordinaria, promtitudo mentis & linguæ, ut de rebus maximi momenti differerent, ℣. 25. (Sic Apostoli loquuntur μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ.) quod quidem tantum illo die factum, quemadmodum Sauli 1. Sam. cap. 10: 6--10. cap. 19: 6--11. Fuit testimonium efficacis communicationis spiritus. Sunt qui vaticinatos volunt de futuris; sed non fit verisimile.

IV. *Effectus idem* in duobus aliis Eldad & Medad, qui licet designati, non stiterant se, vers. 26.

A. *Indicium* ejus factum Mosi, vers.. 27.

B. *Josuæ indignatio*, qui impediri voluit, vers. 28. *Jonath. pete misericordiam à Deo, & cohibe ab ipsis spiritum prophetiæ.*

C. *Mosis responsum, reprehendens* æmulationem Josuæ, *optans* omni populo Spiritus præsentiam, vers. 29.

Quod non stiterint se vel modestiæ fuit, quod se indignos crederent, quemadmodum Saul se occultavit 1 Sam. cap. 10: 22. Vel quod 70 tantum admittendos nossent, cum tamen ex singulis tribus seni advocarentur, redundaturis duobus, quos ipsi maluerunt se constituere, nequis aliorum repudiaretur. Volunt Hebræi delectos senos, ex tribubus singulis, atque tum sorte schedulas ductas, 70 senioris nomen inscriptum habuisse, duas excludendos notasse.

V. *Muneris exercitium* vers. 30. Conventum instituerunt Mosis & 70 Seniores.

Synedrii magni initium. Exod. 18. Judices inferiores fuere constituti, præfecti millenis, centenis, quinquagenis, denis: qui difficiliora ad solum Mosen retulerunt. Ast nunc universus pop. hoc habuit Judicium summum, præside Mose, & qui post ipsum judex populi summus. Heic solum judicabatur de tribu aut urbe apostatica, falso propheta (hinc Jesus & Apostoli ejus huc semper tracti.) muliere declinante, summo Pontifice in causa capitali; hic tantum agebatur de Rege constituendo, deque Synedrio minori alicubi erigendo. Sic alia maximi momenti intercalandi mensis, deque anni constitutione omni.

IV. Carnium submINISTRATIO vers. 31--35. ubi

I. *Instrumentum*, vers. 31. ventus vehemens, Eurus & Auster Ps. 78: 26, 27. τὸ נסע obedientiam venti indicat; qui abscidit, tondendo qua cum magna copia circa mare forent, inde violenter rapuit & avexit in desertum.

II. *Caro* ipsa, nec jumentorum, nec piscium, sed avium; *Coturnices*, ut olim Exod. 16. Sed hic majori copia, cum longius abessent à mari: *Copia* quod ad *latitud.* undique diei itinere circa castra. quod ad *altitud.* duab. ulnis super terram. R. Sal. ad eam altitudinem volasse ait, ut ad cordis regionem pertingerent. & volantes sine molestia capi possent. Aliis placet tantum fuisset cumulum, ut sibi incumberent. Etenim una vice dedit Deus, quod sufficeret pro mense.

III. *Collectio*, vers. 32. instituta toto die, nocte & die proximo: copiose facta, qui piger legit 10 Homer continentes decem Ephas, aut triginta Sea. ita ut in singulos dies totius mensis haberet dena Sata, h. e. mensuram 1440 ovorum. Sollicite curata, expandendo circa castra ut siccarentur ad solem, ne putrescerent; sed usui forent in mensem.

IV. *Plaga*, vers. 33. nondum deficiente carne (Joel 1: 5.) dum adhuc vescerentur, mense nondum finito; eoque integris carnibus. nullumque vitium habentibus, ne escæ potius tribuerent mortalitatem, & Deum mortifero cibo se paviisse. dicerent, Deus iram suam extraordinaria plaga testatus est, ut magno numero morerentur: pestem vocat Ab. Esra.

V. *Memoriale* nomen loco impositum, vers. 34. unde profecti in Chazeroth, vers. 35.

CAP. XII.

IV. MIRJAMI LEPRA. ubi

I. Peccatum, vers. 1--3. cujus

1. *Autores*, Mirjam & Aaron: illa Soror, hic Frater; prophetæ & ipsi, & ductores populi, Exod. 15: 20. Mich. cap. 6: 4.

cap. 6: 4. Initium factum à Mirjam. quæ maxima natu, (nam Aaron triennio Moſe major, at Mirjam nato Moſe jam alicujus ætatis fuit Exod. 2: 4: 7.) τὸ הַדִּבֵּר fœm. eſt: ſed Aaron aſſenſus eſt, & ſororis ſermones probavit. Et quia illius culpa major, ipſa punita, verſ. 10.

II. *Occaſio.* propter uxorem Æthiopiſſam quam Moſes duxerat. Hanc quidam faciunt reginam Æthiopiæ, cum qua vixerit per aliquos exilii ſui annos: alii rectius dicunt eſſe Zipporam, quæ כּוּשִׁית dicatur, non ex illis qui in Africa Æthiopes, ſed qui in Aſia Arabes, quibus Midianitæ vicini & in eadem terra conjuncti. Quæ v. cauſa fuerit uxoria, dubitatur. Hebræi dicunt, Mirjam affuiſſe Zipporæ, quando renunciatum fuit Eldad & Medad vaticinari in caſtris; hanc v. dixiſſe, Væ horum uxoribus, ubi enim inceperint prophetare, ſejungent à ſe conjuges, quod mihi factum à marito meo. Hoc v. ubi cognovit Mirjam, injuriam illi fieri rata, (quia debitum conjugale imperatum Exod. 21.) rem ad Aaronem retuliſſe, & eum eo deſuper Moſen increpuiſſe in re muliebri, muliere cauſam agente, & quidem fervidius. Alii: Mirjam conſtitiſſe antea, illam thori ſejunctionem, ſed non reprehendiſſe fratrem, quod regimine pop. fatigari crederet; ubi v. 70. collegas conſecutus in illo onere, nihilomi ùs abſtinuit porro ab uxore, injuriam huic fieri rata eſt. Scilicet omnem cauſam faciunt uxoris neglectum, & abſtinentiam ab uſu conjugii, ex legalis pollutionis metu Lev. 15: 16--31. & prohibitione illa Exod. 19: 15. quia ſemper propinquabat ad Deum

III. *Rationes querelæ*, juxta Abrab.

A. *A Jure Zipporæ*, quia mulierem talem duxit; nempe hæc non ſunt repetitio, ſed argumentum reprehenſionis. *De muliere Cuſchitide, quam duxit.* Nam eam duxit. Siquidem vel gentis, vel formæ nomine diſplicet, nequit nunc cauſam dare ſejunctioni; nam duxit, ſemel placuit, & nunc nequit diſplicere, ob individuam vitæ ſocietatem.

B. *A conditione Prophetiæ, ℣. 2. Tantumne per Moſen locutus eſt Dominus?* certè per ipſum, ſed non per ſolum ipſum: ſic lege ſingulari uti poſſet ſanctitatis, uxorem deſerendi: Annon etiam per nos locutus eſt? qui tamen conjugium non abrumpimus eapropter nec mutuæ fidei oblivíſcimur, quam conjugibus noſtris non prophetantibus debemus.

Quod additur. *Et audivit Deus:* quidam hiſtorica faciunt. Abrab. v. cenſet, cum nuſpiam alibi ſic de Deo Scripturo loquatur, quæ auditum illum & notitiam Dei præſupponit, & verſ. 4. Dei judicium inchoet; eſſe continuationem ſermonis Mirjami. Deus etiam per nos locutus eſt, & audivit Deus; commercium habuimus cum Deo, mutuum, ipſo nos alloquente, noſque viciſſim audiente, citra ejuſmodi ſeparationem: proinde nec ea abſtinentia Moſi opus, cum uxoris injuria.

C. Abrab. verſ. 3. facit rationem tertiam, ſit licet modeſtiſſimus mortalium, abhorrens ab ope conjugali ob fœditatem quandam ei connexam, tamen nulli faciendo injuriam, aut adverſandum legi naturali de propagatione generis humani, vel politicæ de conjugiis. Sed potius.

IV. *Moſis patientia* injuriæ, verſ. 3. qui exprobrantibus non reſpondit, utpote manſuetudinis exemplum maximum & quaſi ἀπαραλλακτον.

II. JUDICIUM DEI, verſ. 4--9. atque heic.

I. *Citatio litigantium*, verſ. 4. פִּתְאֹם, huc facit, teſtis velox; Mat. 3: 5. Evocavit tres illos, nominatim ad tentorium conventus. E. in privatis tentoriis, & forte Moſis, lis agitata, quo conceſſerant ſimul Aaron & Mirjam. Qui ſe ſtiterunt. Scilicet Moſe muſſitante injuriam, Deus patrocinium ſuſcepit ſui ſervi.

II. *Conſtitutio judicii*, verſ. 5. Deſcendit Dominus in nube, & in oſtio tabernaculi conſtitit, & Aaronem ac Mirjamum coram ſe conſiſtere voluit. Abrab. obſervat, verſ. 4. Tres ipſos ingreſſos eſſe, mandato Dei, tabernaculum, ſed ubi Deus apparuit, (nube videlicet quæ ſupra arcam erat, & tabernaculum, indeſe movente ad oſtium,) juſſos egredi duos accuſatores Moſis, non Moſen, & eopſe jam diſcrimen oſtenſum, quod ipſe proximior foret Deo, & manendi jus haberet in domo Dei, quod illis non concedebat.

III. *Actio Dei* cum ipſis. verſ. 6--8. in qua notanda.

A. *Audientiæ poſtulatio. Audite nunc verba mea*, quia Moſes ſilet, neque reſpondetur, me audite.

B. *Declaratio* divina diſcriminationis, quæ Moſen ab aliis Prophetis diſtinguebat, verſ. 6--8. ubi א. quid contingat Prophetis aliis, verſ. 6. *Si fuerit Propheta veſter aliquis, quiſquis ille fuerit; Jehova ipſi innoteſcam, notus fiam ipſi:* Nam de veris ſermo eſt, qui non ſunt veri, ſi Deum non habeant ſe notificantem.

Modus porro *notificationis* eſt.

a. *Viſio*, ut vigilantibus viſa nonnulla offerantur, ut Jeremiæ, virga amygdali vel cuſtodis, & olla bulliens. Abrab. laudat quendam, qui obſervat hic non dici בְּמַרְאֶה ſed בְּמַרְאֹה cujus plur. Exod. 38: 8. בְּמַרְאוֹת ex ſpeculis. quod omnis repræſentatio fuerit tanquam imaginis in ſpeculo, exhibitæ, quæ tantum eſt exteriorum, non interiorum, oſtenditur iſtic parietum domus externa facies. (cùm Moſi interna patuerint, qui fidus ſervus in domo Dei, omnia conclavia, etiam penitiſſima adeundi jus habuerit.) quæ eſt quorundam motuum & geſtium, aſt non vocis. (Moſen audiviſſe loquentem vocem) præterea, quæ eſt minus accurata, cum ſubtiliora mediante ſpeculo non videantur; unde nonnunquam Prophetæ non omnia viſa ſua intellexerunt. (ſed Moſen omnia penitus cognoviſſe ubi fuerit מַרְאֶה vera viſio.) denique quæ eſt tantum imaginis non rei ipſius. (Moſen vidiſſe rem ipſam.) Sane Paulus ſic videtur accepiſſe 1 Cor. 13: 12. βλέπομεν ἄρτι δι' ἐσόπτρου, ἐν αἰνίγματι, ἐκ μέρους.

b. *Somnium*, nocturno tempore ſopitis exhibens imaginativæ viſa & colloquia actioneſque varias, ut Abrah. Gen. 15: 15. Jacob. cap. 28.

ב *Quid contingat Moſi?* verſ. 7, 8.

a. *Deſcriptio ejus. Non ſic ſervus meus Moſes, qui fidelis in tota domo mea*, verſ. 7. Eſt ejus commendatio ſuper cæteros, reſpectu Dei, qui feciſſet ſervum proprium, ſingulariſſimo titulo: & reſponſum ipſius, qui fide cæteros omnes ſuperaret. uno minor, filio Dei Heb. 3: 1.

b. *Revelatio* ipſi facta, verſ. 8. *Ore ad os alloquor eum*, ut amicus amicum, præſens præſentem Exod. 33: 11. ſic 1 Cor. 13: 12. facie ad faciem, & 2 Joh. verſ. 12. & 3 Joh verſ. 14. Audit vocem Dei ipſius, non angeli intermedii quemadmodum Daniel, Dan. 9. Num. 7: 89. Viſionem ipſam videt, rem ipſam, non obſcura ænigmata, quod oſtendunt ſimul occultantia, obſcuritate verborum, quæ acumine indigent ad explicandum; unde ſemper intellexit omnia quæ dicta ſibi fuerunt. Denique videt תְּמוּנַת יְיָ *ſimilitudinem Dei.* (quam Iſraelitæ ad Sinai non viderunt Deut. 4: 12, 15.) non tantum faciei, ſed poſteriorum, Exod. 33: 23. per Metaphoram, Abrab. gloriam nempe majorem, evidentius quid de Deo patefacientem; apprehenſionem majorem πίστεως, καθὼς ἐπιγνώσθη. 1 Cor. 13: 12. Heb. 50. dantur portæ ſapientiæ, quæ omnes una excepta patuerunt Moſi; ſed illa una etiam Meſſiæ patuit, &c. nemo ſimilis Moſi inter homines Propheta Deut. 34.

C. *Increpatio*, verſ. 8. *quare ergo non veriti eſtis loqui contra ſervum meum:* nam in me redundat, quod contra ipſum dicitur; contra Moſen, qui ob dignitatem in populo fuit reverendus.

IV. *Condemnatio*, teſtata facto, verſ. 9. Deo irato recedente, Noluit audire reſponſantes, ſed ex manifeſto diſcrimine, convictos dedit. *Abitus* teſtimonium eſt receſſio nubis à tabernaculo, verſ. 10. hoc eſt oſtio ejus; nam manſit ſuper arcam & tabernaculum; quo ſe recepit, ceu ad locum ordinarium, unde ob extraordinariam cauſam receſſerat: nempe judicii ergo.

Quæſt. An ergo legitima ratio pro cœlibatu Sacerdotum, ob jugem communionem cum Deo? R. Minimè. Non aliam ipſi Papiſtæ urgent, quam Sacerdotum offerentium: Atqui hi non abſtenti à conjugio. Nemo unquam Deo ſic familiaris ac Moſes. Si omnis pop. ab uxoribus debuit abſtinere, cum Deum loquentem erant audituri Exod. 19: 15. multo magis Moſes, qui ſemper ad ejus colloquium admiſſus fuit. Sed hoc nemini hominum præterea contigit aut continget: Eoque nulla exempli ratio.

III. POENA, vers. 10. eaque

I. *Inflicta*, quam primum recesserat testimonium præsentiæ divinæ, ipsa fuit *leprosa, ut nix.* quæ gravissima lepra, & subitò eam invasit: Sed non fuit universalis, (quomodo pura fuisset Lev. 13: 12. s. & talis Gehazi, 2 Reg. 5: v. ult. unde non exclusus consortio hominis, sed cum Rege ipso familiariter egit cap. 8.) verùm duntaxat medii corporis, vers. 12. quemadmodum Uzziæ in fronte solùm 2 Reg. 15. vers. 6. 2 Chron. 26: 19. R. Sal. *Egit Deus sicut homo, qui Pædagogo dicit, Castiga filium meum, sed non me præsente; quia miseret me ejus.*

Sic vindicavit Deus contemtum Mosis, magis vindicaturus; si contra Christum Heb. 12: 25.

II. *Deprecata*

A. Aaron à Mose, vers. 11, 12.

א. *Petit* veniam communis peccati, confiteturque stultitiam facti. *Domine mi, ne ponas nobis peccatum*, hoc est, reatum peccati. Actionem non potuit abolere Moses, sed potuit reatum, respectu sui, siquidem eum condonaret, E. חטאת *reatus*: actionem vocat *stultitiam*, quam consecutus reatus.

ב. *Repræsentat* gravitatem mali, quod Mirjam pateretur, vers. 12. quod esset *instar mortui*, media parte quasi absumta, nempe in abortivo fœtu, putrescente jam Leprosus, uti mortuus, polluebat omnia, & sanorum viventiumque consortio fuit excludendus. Abrab. חדי facit secundæ personæ; ut ad Mosen sic loquatur; quod cum ad preces priores nil responderet, totus in meditatione intra tabernaculum, dixerit ei Aaron, ne sis tanquam mortuus, sine sensu, qui non afficitur licet media pars computruerit: nam sororem esse quasi eandem carnem, cum ex uno utero processerit, & hac sic affecta, ipsummet pariter affectum esse. Sed coactum est. *Tum*

B. *Moses à Deo*, vers. 13. *clamavit* vehementem zelum & justitiam testatus, *Quæso Deus*, sana illam quæso. Jonath. *Quæso per misericordiam Dei misericordis, quæso Deum qui dominatur Spiritibus omnis carnis, sana quæso illam. Ter, quæso repetit;* Abrab. נא *prius petitionis est, posterius temporis; ut statim juvaretur.* Idem ait, nullas breviores preces reperiri posse, quæ undecim literis absolvantur.

III. *Remota*, vers. 14, 15. Concessa sanatio, sed sub conditione: *Si pater spuisset in ejus faciem*, quod contemtus signum in agente, & pudefactionis in patiente. Job. 30: 10. Esa. 50: 6. *utique septiduo se occultaret.* Et per septiduum claudatur; more leprosorum, ut sine ἀφοσιοπολήψια omnia fierent. Scilicet illico sanatam dedit Deus; attamen uti qui visus fuit dubiæ valetudinis (leprosus manifeste non secludebatur, ipsa talis, & mox liberata, dubiam habebat rationem) secludebatur, ita & illa. quia Deus eam quasi consuerat. Finito septiduo, quæ extra castra tantisper vixerat denuo fuit admissa. Tantisper autem castra non fuere mota, Deo hanc moram indulgente ipsi. R. Sal. ait id factum, quod ipsa id beneficii olim Mosi præstitisset Exod. 22: 4.

CAP. XIII.

V. EXPLORATORUM HISTORIA: qui emissi cap. 13. quid factum post eorum reditum & relationem: cap. 14.

I. EXPLORATORUM terræ *Emissio* cap. 13. atque heic

I. *Terminus à quo*, vers. 1. à Chazeroth profecti sunt in desertum Pharan. sed locus specialis ibidem est Rithma Num. 33: 18. vel Kades Barnea frequentissime: Num. 13. vers. 3, 26. Deut. 1: 19.

II. *Mandatum mittendi*, vers. 2.

A. *Auctor* dicitur Deus., vers. 2. Ast Deut. 1: 19. s. cum eo veniissent, & Moses eos inde jussisset proficisci occupatum terram, populus petiit à Mose, ut liceret mittere exploratores, & Moses iis assensus est. Sed rectè monent Hebræi, Consilium hoc mittendi, non esse profectum à Deo, sed à populo: & huic assensum Mosen consulto prius Deo: qui id permiserit & definiverit modum & personas mittendas; non probando, nedum jubendo, sed leges ponendo; quemadmodum egerit in lege regiâ Deut. 17. addere possumus, circa divortium Deut. 24.

B. *Res mandata*; viri mittendi, qui speculentur terram Canaan; dandam Israelitis, vers. 2. Personæ mittendæ; de singulis tribus unus, & quidem principum aliquis. ut tanto plus fidei haberent reduces, & solicitudinis in terræ contemplatione, vers. 2.

III. *Mosis obedientia*, vers. 3. s. *In genere* quidem, vers. 3. *juxta os Domini*, hoc est mandatum ejus, quale dictum. *In specie*,

A. *Nomenclator missorum*, vers. 4--16.

ubi alius ordo tribuum; ac alibi, deinde, nullus de tribu Levi, quibus nulla futura erat hæreditas, ut non opus foret ab iis inspici terram.

Hoseæ mutatum nomen in *Jehosua*: quod non tunc primum factum, cum Exod. 17: 9. sic appelletur, & cap. 24. vers. 13. & cap. 32: 17. & cap. 33: 11. Num. 11: 28. sed hic recitatur; impositum autem creditur, quando primum adscitus est à Mose minister. Aut si nunc demum datum, historia prior post hanc legationem primum descripta est, & Josuæ novum nomen semper datum. Attamen Deut. 33. vers. 44. Hoseas dicitur. Quidam id honori deputant. Heros famulis nova dare nomina; sic hunc dictum Josuam; sed quando successor designatus, & Mosi Sociatus fuit, non servili, sed proprio nomine appellari; Attamen quod illo notior foret longo usu ministerii, illud obtinuisse. Sed hoc falsum; cum honori cesserit mutatio, & habuerit evidentiorem notam salutis, autore indicato, Deo nempe, unde jod sumtum esse. *R. Sal.* „ quia vivo Mosi sociatur; humi- „ litatis gratiæ prius nomen usurpari, quia se ceu unum de „ plebe gesserit, non qui eximius foret, additione ho- „ noris, etiam nominis augmento significati.

B. *Instructio* ipsis data, vers. 17--20.

א. *Qua eundum*, ut à proximo, qui tractus pessimus, inciperent, & sic procederent, vers. 17.

ב. *Quid observandum*, de populo, quoad vires & numerum, vers. 18. & habitationis modum, pro conditione terræ, in urbibus conjunctim, aut in agro sparsim; sive in tentoriis secure, sive in munitionibus, metus causa, vers. 19. & de terræ fertilite, vers. 20.

ג. *Confirmat* eos, ne metuant omnia inspicere; atque etiam de fructibus terræ speciminis gratia aliquid referre, vers. 20.

ד. Notatum *tempus* cœpti itineris, matureſcentibus primum uvis, vers. 20.

IV. *Exploratorum iter*, vers. 21--25.

A. *Quà iverint?* egressi à meridie, versus septentrionem, ad angulum occidentalem, ubi Rechob. prope Zidonen, & inde orientalem, ubi Hamath, circa Damascum, tum rursum versus meridiem, Hebronem, cujus memorantur incolæ, Gigantes, & antiquitas, major quam Zoanis Ægypti, vers. 21, 22. Quidam Calebum sepulchra patrum adiisse. Immo horum operam petiisse nugantur.

B. *Quid retulerint?* cum proximi essent deserto ex convalle prope Hebronem præciderunt botrum, quem duo eorum vecti appensum gestarunt, vers. 23. unde loco nomen datum, vers. 24. præterea assumserunt quoque malogranata & ficus.

C. *Diuturnitas itineris*, fuit 40 dierum, vers. 25.

V. *Relatio reducum*, vers. 26--33.

A. *Realis*, Reduces offerunt fructus, vers. 26.

B. *Verbalis*, & hæc

א. *Commendat* terram à fertilitate, vers. 27.

ב. *Describit* incolas, (a.) à robore proprio, & urbium, nec non Gigantibus, vers. 28. (b.) ab gentibus variis, hinc inde habitantibus, vers. 29.

Dissensus exploratorum,

a. *Calebo extenuante* periculum & animante populum, coram Mose, (qui idem egit) vers. 30.

b. *Cæteris exaggerantibus*; sic ut desperationem prævalendi proponerent, vers. 31. cujus argumenta, ad fastidium terræ sua relatione excitandum, videlicet (*a.*) tot diversis nationibus habitari, ut mutuis bellis consumantur, vers 32. hoc enim est *consumere incolas suos*: vel infelices esse qui ibi habitent, ut Ezech. 36: 13. (*b.*) esse omnes proceritate conspicuos, vers. 32. (*c.*) multos ibi gigantes vivere, quorum ratione ipsi non nisi locustæ videantur, vers. 33.

CAP.

CAP. XIV.

II. EVENTUS hujus *Missionis;*
I. *Murmur indignantis populi*, verſ. 1--4.

A. *Geſtu*, alta voce flent, & continuant tota nocte, verſ. 1.

B. *Verbis*, (a.) *litigantes* cum Moſe & Aarone. (b.) *optantes* mortem vel præteritam, in Ægypto, vel præſentem in deſerto, verſ. 2. (c.) *indignantes* ob inſtantem bellicam in Cananæa, liberis uxoribuſque tunc prædæ futuris, ℣. 3.

Conſilium redeundi in Ægyptum, dubie propoſitum, verſ. 3. tandemque definitum, ducem ſolummodo quærentibus, verſ. 4.

II. *Contradictio*, cujus

A. *Autores*, Moſes & Aaron obſecraturi procidentes in terram, verſ. 5. item Joſua & Caleb, lacerantes veſtes, verſ. 6.

B. *Oratio* (a.) *horum*, commendantium terram, verſ. 7. & pollicentium Dei opem, ſi delectaretur ipſis (quod ſcilicet tot ſignis probaret.) verſ. 8. (b.) *Iſtorum* (ſaltem non poſſunt hic excludi, ſi non ſoli hæc dixerunt,) dehortantium à rebellione; animantium, à facili ſubactione, ut eſt comeſtio panis; ſic Pſ. 14: 4. quia careant defenſione hoſtes; ipſi habeant auxiliantem Deum, verſ. 9.

C. *Succeſſus*, (a.) *populo* parante lapidationem, verſ. 10. (b.) *Deo* extraordinaria apparitione defenſam præſtante ſervis ſuis, verſ. 10. Fuit hæc nubis deſuper tabernaculo ad oſtium ejus migratio quaſi, ut Num. 12: 5. nam nubes aliùs jugiter fuit ſuper tabernaculum.

III. *Dei judicium.*

A. *Accuſat* pop. inobedientiæ & infidelitatis, non obſtantibus ſignis, verſ. 11. & minatur peſtem univerſalem, ut ea ratione excidant hæreditate, quam ſpernebant, promiſsâ multiplicatione Moſis longe majore, verſ. 12.

B. *Moſes deprecatur*, ubi ejus

א. *Argumenta* à blaſphemia ab hoſtibus publicandâ; cujus (a.) *Autores*, Ægyptii, unde tanta virtute liberati erant Iſraelitæ, quique hacpropter captabunt occaſionem maledicendo ſe ulciſcendi, verſ. 13. auditores Cananæi, vel ſocii hujus ſermonis; (b.) *Blaſphemia* ipſa, (cujus *exaggeratio*, à favore, quo Deus proſequatur Iſraelem, ei conjunctus, qui ſe eis revelaſſet proximè, in promulgatione fœderis, quique miraculoſum ductum præſtitiſſet per nubem & ignem) non potuiſſe eos in Canaanem ducere poſſeſſuros, quamquam juraſſet, eoque occidiſſe omnes, verſ. 14, 15, 16. Occidere ut virum unum eſt ſimul univerſos necare: quemadmodum Caligula optabat populo Rom. unam eſſe cervicem, ut uno ictu omnes interimere poſſet.

ב. *Preces*, ut robur gratiæ oſtendat, qualem ſeipſum patefeciſſet ſibi, & differret pœnam, quemadmodum hactenus eam removiſſet, verſ. 17--19. Vocat gratiam condonantem, *Robur Dei*; ubi is robuſtiſſimus dicitur, qui vincit ſuam iram & affectus Prov. 16: 32. ſic de Deo ἀνθρωποπαθῶς.

ג. *Fundamentum* quo nititur eſt promiſſio quam Deus fecerat, ut propriis verbis urgeat, ut Pſ. 27: 8. Experientiam urget prioris temporis, quia olim ſimilia impetrarat. Exod. cap. 14. 17. 32. 33. 34 Num. 11.

C. *Deus aſſentitur*, ſed ſecundum quid: largitur petita, verſ. 20. סלחתי כדברך. non eſt condonatio peccati, ſed dilatio pœnæ, ne ſimul peſte exſtinguerentur: nam ultionem denunciat in ſeqq. Conf. Jer. 5: 7. (Quidam: Peperſi olim, juxta tuam petitionem: ſed nunc puniam.) Iſta in Vet. T. atque etiamnum exercetur in ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, quæ סליחה generalis, dum iram differt in diem iræ & δικαιοκρισίας revelandæ. Rom. 2: 5. Sigillatim erga quemvis impium, dum non illico exercetur judicium contra actiones nudas Ecl. 8: 11. Iſraelitis v. & patribus, fidelibus nempe, סליחה & ἀνοχὴ duravit, uſque ad ſatisfactionem Chriſti, quando demonſtrata in ipſo juſtitia Dei, ſed una cum סליחה habuerunt ablationem & tranſlationem reatus ſui, quæ eſt נשיאה & העברה ex Job. 7: 20. diciturque πάρεσις Rom. 3: 25. Neque aliam סליחה petierat Moſes: Nam provocat ad priora exempla; Atque Exod. 32: 31--35. & Eo נשאת non ad omnes & ſingulos, ſed ad quoſdam duntaxat reſtringendum, ex Exod. 33: 19.

Dilationem illam definit, verſ. 21. ſ. ubi

א. *Impulſiva*, gloria Dei, quam ſe jurat manifeſtaturum, verſ. 21. Sunt qui hæc jungunt, quam vere vivo, & gloria mea implebit terram, ſic agam.

ב. *Sententia judicii* exercendi, verſ. 22. ſ. judicandi quidem, verſ. 22.

a. *Quid ipſis præſtitum viri qui videre meam gloriam & ſigna*, hoc eſt glorioſa ſigna, vel ſigna gloriæ: aut gloria pertinebit ad manifeſtationem in monte Sinai, *ſigna*, ad miracula omnia.

b. *Quid egerint*, committendo, *tentarunt me decies*: omittendo, *non auſcultarunt verbo meo*, ſeu crediderunt. Decies numerus definitus pro indefinito. ut Gen. 31: 7. quidam computant decem tentationes, 1. ad mare Exod. 14: 11, 12. 11. in Mara cap. 15: 23, 24. III. in deſerto Sin cap. 16. verſ. 2. IV. & V. bis circa Mannam ib. verſ. 20. & 27, 28. VI. in Rephidim cap. 17: 1. ſ. VII. ad Horeb. Exod. 32. VIII. in Tabhera Num. 11: 1. ſ. IX. in Kibhroth hattaava Num. 11: 4. ſ. X. hic in Paran.

c. *Quid toleraturi ſint?* verſ. 23. *Si videbunt*, (formula juramenti) non videbunt, fruitionem obtinendo terram patribus promiſſam, *nemo provocantium*, (quomodo tacite excipiuntur qui non provocarant, Moſes, Aaron, qui ob aliam cauſam excluſi poſt illa, aliique qui ejuſdem conſilii de terra repromiſſionis fugitanda non fuere participes.)

Exceptio Calebi, unius exploratorum, qui cæteris non aſſenſus erat, ſed contradixerat, verſ. 24. cui tribuitur (*a.*) *alius ſpiritus*, qui ſpiritus fidei, & fortitudinis, ut crederet Deo, & reſiſteret collegis & populo. (*b.*) Alia vita; *implevit pone me*, conſtanter *me ſecutus eſt*, ſic 1 Reg. cap. 11; 6. Num. 32: 11. (*c.*) Aliud *præmium*, ingreſſus in terram, & hæreditaria poſſeſſio relinquenda poſteris. Reſtringunt Hebræi ad ipſum tractum Hebronis, unde botrus fuerat petitus. Et ſanè hunc & petiit ipſe, & impetravit. Joſ. 14. cap.

d. *Quid agendum* deinceps, verſ. 25. Amalekitæ & Cananitæ in valle, cras ergo retrorſum proficiſcimini verſus mare Erythræum. Amalekitarum mentio fit, quia exploratores, illorum mentione terruerant populum cap. 13: 30. quos ſenſerant graves ſibi Exod. 17. Habitabant in valle, ſed ut etiam montem vicinum tuerentur, ne inde impreſſio contra ſe fieret; unde in monte quidam collocantur, ℣. 45. מחר τὸ non præciſe ſemper poſtridianum diem notat, ſed tempus ſequens, Exod. 13: 14. Deut. 6: 20. Joſ. 4: 6. Manſere enim diu in Kadeſch Deut. 1: 46. ſed primum iter quod inde ſuſceperunt fuit verſus mare illud Deut. 2: 1.

IV. *Repetitio & declaratio judicii* Dei, verſ. 26--38. ubi

A. *Accuſatio*, verſ. 27. *Quouſque* (per apoſiopeſin, ut irati ſolent more hominum, ut Amos. 4: 12.) ſcilicet, feram, aut parcam; *huic cœtui*, מלינים *R. Sal. tranſit: qui murmurandi contra me autores ſunt aliis, & reſtringit ad x exploratores, qui conducti fuerant, & ſegregati ad explorationem, Joſua & Calebo ſejunctis jam:* & hinc עדה denos ad minimum complecti cenſent. Quidam generaliter de murmure pop. ſic idem repetetur; quod aliàs diſtinctum erit: quemadmodum judicium diſtinctum eſt.

B. *Judicium*, idque

א. *Denunciatum* murmuranti populo ſeducto, verſ. 28. ſ. ubi *juramentum* ad certitudinem denunciationis, verſ. 28. Conf. Heb. 6: 17.) eſtque illud de quo Pſ. 95: 11. quod v. refert illud ad dicta ipſorum, reſpicit, verſ. 2. ubi optarunt mori in deſerto. id quod minatur, verſ. 29. (a.) omnes murmurantes morituros in deſerto, qui in cenſu fuerant Num. 1. eoque carituros terra promiſſa, Joſua & Calebo exceptis, verſ. 30. liberos autem poſſeſſione fruituros, verſ. 31. patribus morientibus, verſ. 32. (b.) dilatæ pœnæ ſeu ἀνοχῆς tempus, 40 anni, tantiſper carituros liberos propter parentes, & vagaturos in deſerto, ipſos autem paulatim iri abſumtum: pro numero dierum in exploratione terræ tranſactorum, verſ. 33, 34. Anni illi 40 incipiunt ab egreſſu ex Ægypto, & jam decurrebat ſecundus annus; ut 38 fuerint adjecti. (c.) Addita aſſeveratione jurata, verſ. 35.

Hac occaſione Moſes ſcripſit Pſ. 90. quo 70 vel 80 annis finiri dixit vitam omnium, videlicet egreſſorum ex Ægypto, תנואתי τὸ meam infractionem, fœderis nempe, non

quam ego feci, sed quam passus sum, ut ביתי תפלתי Esa. 56: 7.

ב. *Exercitum* in decem exploratores, subita morte extinctos, incolumibus Cal. & Jos. vers. 36, 37, 38.

V. *Pœnitentia pop.* præposterа, vers. 39--45. ubi

A. *Convictorum dolor*, vers. 39. audita denunciatione, atque etiam viso in autores rebellionis judicio.

B. *Oblatio*, realis & verbalis, ut ingrederentur terram, vers. 40. *adscenderunt*, hoc est ad adscensum se pararunt. ut est Deut. 1: 41.

C. *Dehortatio Mosis*, quia foret nova inobedientia, vers. 41. non prosperatura, quia Deum non habituri sint auxiliantem, vers. 42. quia hostes parati sint prævalituri, ℣. 43.

D. *Factum ipsorum* contrarium rebellionis, vers. 44. ויעפילו significat elationem animi superbam, cum infidelitate conf. Hab. 2: 4. vid. Deut. 1: 41--43.

E. *Desertio Dei*, testata arcæ quiete, vers. 44. victoria hostium, vers. 45. Dicitur חרמה à חרם quod facti fuerint anathema, sic post fecerunt hostes Num. 21: 3.

CAP. XV.

CERIMONIAS hæc spectant, statutaque alia;

I. De *Mincha*, seu oblationibus frumentariis item libationibus, vers. 1--16. ubi

A. *Locus* offerendi: cum venissent in Cananæam, vers. 2. eoque in desertо repudiata jam sacrificia, hominum qui erant sub anathemate, perituri in deserto, ex juramento.

B. *Tempus*, quando offerebantur Holocausta ex quadrupedibus, pacifica, votiva, nec non holocausta festorum, vers. 3. his enim jungebatur mincha, quæ semper habuit thymiama junctum, ut foret bonæ fragrantiæ hostia. Lev. 2: 1. Sed quæ pro peccato aut reatu offerebantur carebant mincha & thymiamate, quod non forent bonæ fragrantiæ, non expiantia peccata, & procurantia reconciliationem. neque etiam addebatur in holocausto avium.

C. *Quantitas* variata pro conditione hostiæ, (α.) *cum ove aut agno* decimam partem Ephæ farinæ, item olei miscendi quartam partem Hin h. e. quantum 18. ova: vers. 4. & vini ad libamen effundendi in altare, non in ignem, tantundem, quartam partem Hin, vers. 5. (β.) *cum ariete.* duas decimas partes farinæ, tertia pars Hin olei & tantundem vini vers. 6, 7. (γ) *cum juvenco vel vitulo* tres decimas partes farinæ, dimidium Hin olei atque etiam vini, vers. 8, 9, 10. & hoc observandum circa quamvis hostiam hujus generis vers. 11, 12. Non licuit addere vel minuere circa quantitatem; solum agnus primitiis jungendus habuit duas decimas partes farinæ & tertiam partem Hin olei; vini tantum quartam partem Hin. Lev. 23: 12, 13.

D. *Offerentes*, indigenæ Israelitæ vers. 13. & peregrini proselyti, vers. 14. qui communi lege tenentur vers. 15, 16.

II. *Placenta* de massa subacta danda Sacerdoti, vers. 17--21.

Locus, ubi venissent in Cananæam, promissam sibi. etiam ante divisam terram, (quæ divisio alias antecedit,) vers. 17, 18. unde etiam reduces ex Babel obtulerunt Neh. 10: 37.

Maxima, de fructibus terræ, de quinque generalibus; tritico, hordeo, siligine, avena: non aliis, vers. 19.

Forma, placenta de massa subacta ad comedendum; & quia Homer mannæ singulis dietim tribuebatur, ex quavis Homeris massa fuit separanda placenta, & quidem vigesima quarta pars, (pistor qui vendit panes, quadragesimam octavam partem separat,) & hic nemo excusatur; vers. 20.

Cui danda, Domino, vers. 21. non in altari offerenda, sed danda Sacerdoti; qui ceu suis bonis de ea agit quod lubet, edit, vendit, donat, permutat, pro lubitu.

Repetitio mandati observationis religionem inculcat.

III. *Hilastica*, vers. 22--31.

A. *Pro peccato multitudinis universæ*, vers. 22--26. Differt à Lev. 4: 2. s. istic de Synedrio magno sermonem esse putant; hic de singulis tribubus, quemadmodum oblatum pro singulis Ezr. 8: 35. Hoc loco etiam putant agi de idololatria, quam edocti sunt ignorantes esse idololatriam: quam putant peccatorum maximam, quia talis neget totam legem Mosis & omnia scripta prophetarum, quia dicitur, vers. 23. à die quo præcepit Dominus & deinceps.

Hostiæ sunt juvencus in holocaustrum, & hircus pro peccato, vers. 22--24.

Successus expiationis, modo hæc oblatio fiat, vers. 25, 26. comprehenso peregrino. Raknatensis notat לפני יי intelligi, הוא ובד adeoque Trinitatis mysterium innuit, cum judicium seu tribunal minimum triumvirorum sit.

B. *Pro peccato unius privati*, itidem idololatriæ ex ignorantia admissæ. offerenda capra annicula (pro aliis ignorantiæ peccatis ovis fœmina Lev. 4: 32.) expiatio sic promittitur, communi lege indigenæ & proselyto, vers. 27, 28, 29.

Excipitur præsumtuosè peccans, *manu elata*, id est superbe, ceu major & potentior omnibus, sive indigena, sive advena ille censetur blasphemare Deum, quæ violatio tertii præcepti; & contemnere verbum seu mandatum ejus, quod itidem ad tertium pertinet; habetque locum de omni peccato, quod dedita opera contra admonitiones, in contemtum quasi Dei patratur. Hic nulla hostia constituta, sed excidium animæ eum manet, à Deo inferendum, saltem post hanc vitam, licet istam feliciter transigat, vers. 30, 31. Conf. Heb. 10: 26, 27. Attamen si Magistratui pateat talis quoque punendus capitaliter Heb. cap. 10: 28. & hoc probatur exemplo seq.

VIOLATORIS SABBATHI, vers. 32--36.

Tempus, factum in deserto, non nunc demum, sed huc relatum ceu exemplum elata manu peccantis.

Reus, invenere ligna legentem Sabbatho, vers. 32. R. Sal. Bechai, Abrab. non hoc attenditur quod fecit, sed quod cum monitus esset instanter, & convictus de religione Sabbathi, nihilominus non destiterit ab opere interdicto. (Christus sæpius privatim accusatus, sed ita semper se defendit, ut obturaret os monentibus. Hinc in ultima actione, nemo eum Sabb. violati reum peregit, quod alioqui capitale potuissent fecisse, si monitus & convictus aliquid admisisset.)

Processus, positus fuit in custodiam, quia nil definitum erat à Deo, quo genere supplicii afficiendus esset, manu elata peccans, vers. 33. nam Deus ei excidium animæ id est æternum interminatus erat; unde dubitarunt, an Deo esset permittendus?

Hinc monent Hebræi, quam solicite procedendum in judiciis, citra præcipitantiam, quia Moses inquisivit de immundis tempore Paschatis Num. 9: 7, 8. de filiis Zelophehad, Num. 27: 4, 5. & in capitalibus, de blasphemo Lev. 24. & hic de elata manu peccante.

Dei sententia, Lapidandum esse (quod supplicium maximum) & quidem extra castra, vers. 34. Hinc malefici extra urbes, longe à domo judicii solent plecti; sic Stephanus, quod non tumultuarium factum, sed prorsus legitimo ordine institutum; ut judicia capitalia habuisse liqueat adhuc tum temporis.

Exsecutio, vers. 35.

IV. *De Fimbriis mnemonicis*, vers. 37--41. Imperantur Israelitis, vers. 38. non aliis nationibus: & illic tantum maribus liberis & adultis, fœminæ, infantes, & servi immunes dicuntur Hebræis: attamen & fœminis licet gestare, nulla benedictione præmissa dum induunt; & suadent ut pueri, qui semet ipsos induere possunt iis gestandis adsuefiant, ut à prima ætate religiosi esse discant.

Efficiens, Israelitæ, nam gentili non permittitur ut faciat, estque ipsius opus illegitimum.

Maxima; *Tzizith* dicitur à similitudine cincinni capitis, quia dependet à veste eum in modum. *Numerus* filorum non est definitus, neque color; ordinarie candida fila, seu ejusdem cum veste coloris, sed vestis lanea & linea tantum obligatur, si tamen ex alia materia sit, non peccatur addendo πράζιδα.

Diuturnitas præcepti, in generationes, quamdiu durant illæ. *Forma*, Appenduntur vesti angulatæ, & 4 angulis

lis tantum licet plures habeat. & dum geſtatur. & ſuperadditur filum hyacinthinum, ſeu cæruleum, quod ſudi cœli colorem conſtanter exprimat, (quem colorem hodie ſe ignorare fatentur, nec reſtituere poſſe. quomodo liquet eos cœleſtem & ſpiritualem uſum & efficaciam hujus ſigni non habere.) verſ. 38.

Finis recordatio præceptorum Dei, ut ea obſervanda monerentur harum appendicum intuitu: neque ſibi ſe permiſſos agnoſcerent, qui colorem cœli ſeu Dei geſtarent cujus eſſent miniſtri. Contra quam hactenus factum eſſet. Adeoque ſtatuitur ſignum ſanctificationis ſeu ſegregationis Domino, verſ. 39, 40.

Sanctio eſt, ab autoritate Dei, qui ſibi eos feciſſet proprios, educendo ex Ægypto, adeoque Dominium ſuper eos haberet, ut imperare iſta poſſet, verſ. 41.

Hebræi præmittunt preces quando induunt; & quod dicitur Matt. 23: 5. de ampliatis κρασπέδοις, docent quod filamenta trium digitorum forent, quibus alia addebant quatuor ad minimum digitorum, ſed quæ licet extendere ad longitudinem cubiti, & ulterius pro lubitu. *Explorationem pone cor & oculos* exponunt de cogitationibus carnalibus, φρονήματι σαρκὸς, dum de Deo, rebuſque divinis, de Scriptura ejuſque veritate, nec non ratione myſteriorum & mandatorum Dei diſceptatur apud ſemetipſum, quid veri ſolidive ſubſit, & pro ſua ratione definitur, unde errores, infidelitas, blaſphemiæ & peccata alia oriuntur.

CAP. XVI.

VI. HISTORIA AFFECTATI à QUIBUSDAM SACERDOTII.

I. AUTORES, verſ. 12.

Primus Korah. cui adſcribitur Jud. verſ. 11. Is *accepit*, ſemetipſum, ſegregans ſe à cæteris, ut novam conderet ſectam ſeu factionem, vel verba, quibus perſuaſit pluribus, ut ſibi jungerentur Hoſ. 14: 2. קחו דברים vel ſocios. qui ſuarum forent partium. atque hi & Dathan & Abiram fratres & On, tres illos de tribu Ruben: Vicini hi fuerunt, Tribus Ruben ad meridiem tabernaculi caſtra habuerunt, & ſic Kehatitæ: unde R. Sal. *Væ malo, & vicino ejus.* Idem ait indignatum fuiſſe, quod Elizephan Uzzielis, minoris, filius præfectus eſſet Kehathitis ſe præterito, qui filius Jizharis, majoris filiorum Kehath. ſed quæſivit ipſum Sacerdotium, verſ. 10.

II. Præter illos tres adhuc 250 *Principes*; nempe familiarum particularium, vel judiciis ex Exod. 18. præfecti, aut militares turmas majores minoreſve habentes ſub poteſtate. Quidam hos 250 faciunt primogenitos, quaſi poſtliminio repetentes jus Sacrorum, unde remoti fuerant. Ezek. 20: 1. קריאי מועד non ſunt Synedritæ, (nam hi in univerſum 70 tantum) niſi Synedria minora dicamus conſtituta, per ſingulas tribus; ſed potius ex condicto congregati, conſpirantes & conjurati, Vid. 2 Sam. 15. *Viri nominis*, alicujus famæ & dignitatis; ut autoritate ſua aliquid momenti adderent.

II. ACTIO MOTA, verſ. 3. Arguunt Moſen & Aaronem ambitionis, quod ſibi arrogarent Dominatum; quia omnis cœtus ſanctus & ſegregatus, eoque æquum jus accedendi ad Deum. quia ſe efferant ſupra Eccleſiam Domini; quæ ſolum Dominum ſuperiorem agnoſcat, non homines. Moſe regnum ſumente, & Fratri Sacerdotium tribuente.

MOSIS RESPONSUM; cujus

I. *Præparatio* audiens *procidit in faciem*, verſ. 4. vid. precatus à Deo os & Sapientiam ad reſpondendum; ſic Num. 14: 5. & cap. 20: 6.

II. *Ipſummet*, quo judicium defert Deo, verſ. 5. arbitraturo inter litigantes. & definit tempus, *poſtridie*, (E. precanti Deus ſtatim patefecit ſuam voluntatem.) ſumma arbitrii, *notificabit quis ſuus ſit*; ſpeciali titulo ipſi addictus: *quis ſanctus* ſegregatus (quod omnibus vendicarant) *& quis electus*, (cum Moſ. & Aar. ſemetipſos efferre dixiſſent) *eum appropinquandum*; quæ Sacerdotalis dignitas Jer. 30: 21. Conf. Pſ. 65: 5.

III. *Inſtructio*, quomodo comparendum, verſ. 6, 7. juſſit omnes *ſumere thuribula*, Korah & 250 ſocios, *& imponere ignem & thymiama coram Domino* poſtridie. Fuit hoc digniſſorum miniſterium, utpote quo ingrediebatur Sacerdos in Sanctum, intra prius velum, & expiditæ operæ; quem autem Deus eligerit, ſanctum fore. Heb. 5: 4. retorquendo accuſationem in Levitas: utpote qui ultra conceſſam ſegregationem adhuc ſibi poſcerent honorem.

IV. *Speciale reſponſum* ad Kora & Levitas, verſ. 8. 11. accuſans eos ingratitudinis, quod cum loco primogenitorum omnium ſegregati eſſent ad miniſterium tabernaculi, propiores facti Deo, qui illos repudiarat, quos inter Kora quoque; jam poſcerent Sacerdotium, proximitatem ſummam. Conſpirationem ipſorum eſſe contra Deum, qui diſcriminator omnium, & definitor graduum propinquitatis; Aaronem tanti non eſſe, quem contra agerent. Scilicet qui miniſter, non niſi juſſus ageret Sacerdotem.

IV. *Citatio conjuratorum* ex tribu Ruben, Dathanis & Abirami, & cum iis actio. NB. nulla mentio Oni, verſ. 1. qui videtur reſipuiſſe & ſeceſſiſſe ab illorum ſocietate. quemadmodum etiam filii Korach Num. 26: 10, 11. evocantur: ſed

A. Illi repugnant, dum, verſ. 12. *Negant ſe venturos*, ſic agnoſcendo ejus imperium, verſ. 12.

Accuſant eum (1.) *injuriæ* illatæ, verſ. 13. quod eduxerit ex terra felici, Ægypto, in deſertum, animo ſcil. iſtic eos perdendi, (2.) *ambitionis*, quod affectet dominatum, verſ. 13. (3.) *deceptionis*, quod falſam ſpem fecerit hæreditatis felicis, verſ. 14. (4.) *tyrannidis*, an omnium convocaturum *oculos* velit *effodere*, verſ. 14. vel propriè, ut ineptos reddat ſacerdotio, corporis vitio laborantes: Sic poſt vitium illatum corpori ut Sacerdotio quis pellererur, Hyrcano præciſæ aures, & in Oriente poſt quidam mutilati, ut imperio vel Epiſcopatu moverentur. aut hac pœna ulturus ſe à ſeditioſis. Vel impropriè, ut omnes ſua oratione deciperet. & quaſi oculis privaret, ut quid ſibi commodo futurum ſit, ignorarent: unde negant ſe venturos.

B. *Moſis reſponſum*, verſ. 15. (1.) *indignantis*, Deum contra ipſos invocantis, ne eorum oblatio acceptaretur; quæ pro peccato eſſe poterat, ne ea proſperaretur, R. Sal. *ne partem haberent in jugi ſacrificio quod pro omni cœtu offerebatur*, imprecatio vehemens Gen. 4: 4. ſ. Abrab. *ne reſpicias munus eorum quod mihi ſua ſponte miſerunt, ceu dignitate primo; nam quæ exegerim ab invitis nulla ſunt.* Verum id alienum. (2.) *proteſtantis*, non accepiſſe munera, more principum Neh. 5: 15. non intuliſſe injuriam; more tyrannorum.

C. *Repetitio reſponſi* ad Korah & ſocios, ut omnes æque ac Aaron; cum thuribulis ſe coram Deo poſtridie ſiſterent, verſ. 16, 17.

V. *Judicium ipſum*, verſ. 18. ſ.

A. *Citatorum comparitio*, cum inſtrumentis coram tabernaculo, Kora cum ſuis, item Moſes & Aaron: hic cum thuribulo, ille ſine eo, quia contra Moſen agebant de principatu, non de ſacerdotio, verſ. 16.

B. *Teſtium multitudo*, verſ. 19. Kora omnes concitavit contra Moſen & Aaron, ut itidem ſe ſiſterent coram tabernaculo.

C. *Judicii apparitio.* gloria Dei ſeſe oſtendente omnibus, verſ. 19.

D. *Sententia Judicii*, verſ. 20, 21. Moſen & Aaron à cæteris jubet ſecedere, quos momento velit perdere.

E. *Deprecatio Moſis & Aaronis*, verſ. 22. qua culpam unius multitudini damnoſam eſſe deprecantur. *Precantium humilitas*, procidentium in terram, & zelus in brevitate. *Titulus* Deo datus ſingularis. *Deus, Deus* (*Judex ſpirituum univerſæ carnis*, hoc eſt, omnium hominum. Num. 27: 16. qui uti creavit omnes Zach. 12: 1. Jer. 38. *Pater ſpirituum* Heb. 12. 9. ſic quoque omnium habet notitiam & judicium, ad quem redibunt, Eccl. 12: 7. ut vindictæ tempus habituri ſint omnes, etſi non ob unum hominem ſimul omnes perdantur.

F. *Diſtinctio* inter ſontes & indemnes (α.) *mandata* à Deo, ut ſejungant ſe, mandat, à conſortio & tentoriis Korah & conjuratorum duorum Datan & Abiram, verſ. 23, 24. (β.) *denuntiata* à Moſe, qui cum ſenioribus pop-

processit ad tentoria Dat. & Abir. quibus Korahi vicinum fuisse videtur, vers. 25. jussit omnem pop. inde recedere, neque quicquam eorum attingere : ne iisdem pœnis absumeretur Apoc. 18: 4. 26. (γ.) *observata*, populo omni undique secedente : Dat. & Abir. autem non populo se jungentibus, sed in ostio sui tabernaculi consistentibus cum universa familia, vers. 27.

G. *Sententia* contra illos pronuntiata à Mose. Assertum iri suam vocationem, quod à Deo missus esset, non autem sibi ipsi sumsisset honorem, vers. 28. & modus assertionis, deesse sibi missionem, siquidem ordinaria morte exstinguantur, aut visitatione usitata, puta per pestem aut supplicium quale nonnunquam exerceretur, vers. 29. sin novo genere pœnæ, quale nunquam visum fuisset, perirent, ut dehiscente terra vivi absorberentur, cum omnibus suis; fore indicium irritati Dei, cujus jus mittendi quem vellet, controversum facerent, vers. 30. *Creatio nova*, quod nunquam exercuerat Deus; E. hactenus nunquam terra fissa fuerat in voraginem.

H. *Executio* sententiæ, ut à terra absorberentur vivi illico, vers. 31, 32, 33. omnem hominem אתאשר לקרח intelligendum vel de domesticis reliquis præter liberos Num: 26: 11. vel de sociis potius primis conspirationis Datan & Abiram, quos unà periisse constat. Kora videtur mansisse cum 250 & Aarone ante tabernaculum.

Fuga Israelis, ad clamorem absorptorum metu ne pariter absorberentur, vers. 34.

POENA in cæteros socios, 250 illos, qui manserant una cum Aarone apud tabernaculum, hos ignis consumsit, ut Nad. & Abihu. vers. 35. hos ob peregrinum ignem, illos ceu peregrinas personas.

CAP. XVII. *juxta Hebræos : alii versus 15 sequentes adhuc adjiciunt.*

VI. MEMORIALE *hujus judicii*, vers. 1--5. jubet Deus thuribula 250 illorum igne necatorum per Eleazarem colligi, in laminas extendi, & circumcirca altare suspendi, ut eo signo terrerentur, quotquot non essent de familia Aaronis peregrini, etiam Levitæ invadere munus Sacerdotum, aut quicquam eorum agere quæ ipsis mandata.

VII. *Murmur populi* novum ob judicium istud, & pœna ejus. ubi.

A. *Murmura* postridie accusarunt Mosen & Aaronem, velut autores tantæ stragis, vers. 6. congregato omni populo, ut videlicet contra eos statueret aliquid, vers. 7. Abrab. ait, cum thuribula appenderentur altari, populum judicasse, uti hæc sancta essent, etiam qui gestarant fuisse sanctos & justos. Necis autem causam fuisse Mosen, qui jusserit peregrinum ignem, quemvis ex domo suo, afferre, quod Nad. & Abihu peccatum fuit: à quo si temperassent, decepti jam à Mose, supervixissent. Sed satius dicitur indignatos, cùm propter ipsos illa stragis exercita esset, quod memoriale ejus altari appenderetur, in opprobrium.

B. *Dei Judicis patefactio*, vers. 7. gloria Dei in nube sese evidentius ostendente.

C. *Mosis & Aaronis fuga* ad tabernaculum, tanquam ad asylum, vers. 8. sic aliàs apprehendebant cornua altaris, 1 Reg. 1, 2.

D. *Judicium Dei*, quod.

א. *Denunciatum*, vers. 9, 10. jubens ipsos secedere à populo jam jam perituro, ipsis digressis הרמו separationis hic est, non elevationis localis.

ב. *Ab ipsis cohibitum* (a.) cum *precibus*, quando prociderunt in terram, vers. 10. (b.) tum *facto : Mose suadente* Aaroni, ut thuribulo arrepto, ignem de altari sumeret, imponeretque thymiama, atque sic se immisceret multitudini, in qua jam sæviret plaga Domini, vers. 11. & *Aarone obsequente*, celeriter, & inter mortuos & vivos consistente cum suffitu, vers. 12, 13. Cum repentina esse mortalitas, quosdamoppressos jam invenit, alios exspectantes idem fatum.

ג. *Successus*, cohibita est plaga, odor bonæ fragrantiæ, precum fecit, ut finem faceret Deus necandi, quanquam plurimi perierint, nempe 14700, præter Korah familias Dat. & Abir. nec 250 suffientes, vers. 14, 15. Aaron autem non ante rediit ad Mosen & tabernaculum quam plaga cessaret.

VIII. *Miraculosum testimonium*, delecti Aaronis ad sacerdotium.

A. *Mandatum*, vers. 16--10. (a.) jubet Deus Mosen, (*a.*) à singulis tribubus exhiberi per eorum principes scipionem inscriptum suæ tribus nomine; sic tamen ut in eo qui Levi erat, Aaronis nomen scriberetur; (nempe per judicium contra Korachum, & laminas illas assertum, erat sacerdotium Aaronis, in sua tribu, cæteris tribulibus exclusis; sed nunc quoque idem asserendum fuit quoad tribus alias.) (b.) deponi in S. Sanctorum coram Deo, ut ipsemet testimonium ederet suæ voluntatis. (*b.*) *promittit* scipionem à se electæ tribus germinaturum. (c.) *finemque* dicit, ad murmura frequentia cohibenda, quæ hac propter moverentur.

B. *Obedientia Mosis*, & populi in poscendis, & exhibendis scipionibus, nec non deponendis in S. Sanctorum, vers. 21--22. Nulla potuit fieri fraus, quod quævis tribus suum notasset, & principes, 12 scipiones spectassent.

C. *Eventus* (a.) *deprensus* postridie, vers. 23. Mose ingresso in adytum, invenit virgam Aaronis germinasse, flores & fructus edidisse. (b.) *demonstratus* populo, vers. 24. dum omnibus scipiones ostenderentur, & cuiquam tribui suus redderetur. (c.) *conservatus*, vers. 25--26. Deo mandante ut virga Aaronis in S. Sanctorum asservaretur in perennem memoriam; ut caverent Israeli talia peccata, invadendi Sacerdotii, & vitarent pœnas, Quod à Mose factum. Atque sic mansit, uti & urna Mannæ, toto tempore templi primi.

D. *Populi pœnitentia*, vers. 27, 28. profitentur se consumi plagis, & appropinquationem peregrinorum lethalem esse : an non ergo tandem finis sit futurus ejusmodi judicii, ne prorsus consumantur. Abrab. & Bechai hæc referunt ad seqq. quod tot judiciis exercitis contra propinquantes dixerint, an unquam finis erit? & hinc Deum sigillatim monuisse Aaronem & Levitas sui muneris, capite proximo.

CAP. XVIII.

IV. CERIMONIALIA nonnulla præscribuntur.

I. *Sacerdotibus imperatur* CURA SACRORUM, ne populus ex attingendo, reus fiat, & pœnam ferat, vers. 1--7. & quidem.

IN GENERE Sacerdotibus, Aaroni & posteris, itemque Levitis imponitur ut sacris prospiciant; vers. 1. ferunt iniquitatem Sanctuarii, *tu, & filii tui, & domus paterna*, hoc est, tota tribus Levi : hinc ex Levitis custodes templi, & horum castra circa tabernaculum; ne quis alius propinquaret justo propius. א. pœnam violati Sanctuarii, siquidem peregrinus aliquis sacris manum admoveat, quippe id debent cavere & amoliri. Sed tu, & filii tui ferent iniquitatem sacerdotii vestri. sigillatim his cavendum, ne quis Sacerdotalia munia occupet non sacerdos, aut alius ineptus. [Hinc Sacerdotes Regem Uzziam verbis & facto ex templo exegerunt.] Hebræi censent inter dictum ne Sacerdotes & Levitæ mutua officia invaderent,

IN SPECIE.

I. *Levitæ commendantur Aaroni*, ut horum ministerio utatur ante tabernaculum, in quod eis ingredi non licebat, in atrio, ubi etiam in mactando, & excoriando victimas inserviebant. Caveat autem admittere ad altare, & instrumenta sanctiora; ne & Levitæ facientes; & Sacerdotes permittentes necem sibi accersant, vers. 2, 3.

II. *Commendet custodiam tabernaculi & ministeria ejus*, ut arceant *peregrinos*, vers. 4. id est, Israelitas, aliosque.

III. *Sacerdotibus commendantur sancta & altare*, vers. 5. quo filii Israel non provocent iram Dei amplius, si se alterutrorum officiis ingerant.

IV. *Repetitur munus Levitarum*, vers. 6. quod loco primogenitorum dati sunt Domino ad ministerium tabernaculi, & *Sacerdotum*, vers. 7. quod Sacerdotium suum de-

beant

beant curare, in ministerio altaris (hinc qui altari serviunt 1 Cor. 9. Heb. 13.) & intra velum, tum prius, (tum secundum, quod summo proprium,) rursum excluso peregrino sub pœna mortis. quod censetur Levita, Israelita, aliique.

II. *PRÆMIA* sive *STIPENDIA MINISTRORUM SACRORUM* 1 Cor. 9: 13, 14.

SACERDOTUM.

I. *In genere*, vers. 8. *Dedi tibi custodiam rerum Deo elevatarum, seu oblatarum, de omnibus sanctificatis rebus Israelitarum in unctionem.* id est mercedem & præmium unctionis Sacerdotalis ut Lev. 7: 35. τὸ משחה accipitur jure perpetuo. *Custodia* notat sollicitam curam ea accipiendi & asservandi, ut esset cibus in domo Dei Mal. 3: 10. 2 Chron. 31: 7. s. Neh. 10: 39. cap. 13: 5. 9.

II. *In specie.*

A. *Sanctissima*, קדשי קדשים pro solis Sacerdotibus, quæ non prorsus comburebantur. *Oblationem*; panes propositionum, & primitiarum; cibarias oblationes, pro peccato & reatu; (siquidem sanguis non ferretur intra velum;) in atrio quod hic *S. Sanctorum* dicitur, ratione hujus esus, cum leviora sancta in castris Israelis edere fas esset, modo loco sancto, aut Hierosolymis) comedenda à maribus, vers. 9, 10.

B. *Sancta* קדשים קלים, quæ domi suæ cum omni familia dummodo munda edere fas erat, oblationes pacificorum Naziræorum, & armum agitationis, vers. 11. Rursum.

C. *Primitias duplices*, quæ dantur Domino. primitias olei, vini & frumenti, vers. 12. חלב præstantissimum notat in suo genere, (unde de tritico quoque dicitur Deut. 32: 14. Ps. 81: 17.) quod dandum erat in primitiis. Heic v. separatio à quovis fiebat in sua apotheca, & Sacerdotum erat obire terram, & congregare, ac deferre ad sua. Mensura heic fuit maxima, pars quadragesima, minima, sexagesima.

Primitias aliæ, vers. 13. illis priores, quas deferebant in sanctuarium, & confessionem desuper faciebant, de quibus Deut. 26: 2. s. Utræque familiæ Sacerd. universæ cedebat.

D. *Anathemata* omnia seu devota, vers. 14.

E. *Primogenita* hominum & animalium: ut tamen humana, & immundorum animalium redimantur, juxta æstimationem definitam, vers. 15, 16. (Sacerdotum & Levitarum primogeniti non egebant redemtione, imo neque Levitidis filius juxta Hebræos, quia hic spectatur uterus; ast mulier Levitis segregata est.) mundorum non sunt redimenda; sed cedunt Sacerdoti, qui sanguinem inspergit altari, & adolet adipem, comedit autem domi carnem; & eadem ratio si Sacerdotis aut Levitæ aut Israelitæ fuerit primogenitum, vers. 17, 18.

F. *Omnes oblationes* cæteras Israelitarum, statuto fœderali & perenni, vers. 19. Hebræi dicunt, Sacerdoti data esse dona 24. sancta, quæ non sine benedictione speciali comedanrur, 8. in solo atrio, 5. intra mœnia Hierosolymæ, 5. debita ipsis solum in Cananæa, 5. in terra & extra terram. 1 denique debitum ipsis à Sanctuario: vid. corium hostiarum.

Exceptio de hæreditate, quæ negatur una cum cæteris Israelitis adeunda & possidenda in terra, Sacerdotibus, vers. 20. quod Deum habeant portionem, qui vid. de suo altari eos alat.

G. LEVITARUM præmia, *Decimæ*, pro ministerio tabernaculi aut templi; cujus custodiam agent, & arcebunt Israelitas cæteros, ut accedendo ad hanc partem muneris rei fiant; quod si neglexerint Levitis pœna incumbit. Quibus cum in finem decimæ stipendium sunt hæreditarium, ipsis quoque hæreditate terræ exclusis, vers. 21--24.

Decimæ autem dabantur post separatas primitias, ex optimis, juxta mensuram pondus, aut numerum cedebantque Levitis maribus & fœminis, in communem usum. Et hæ fuere decimæ primæ. Cæterum

I. Levitæ tenebantur ex hisce decimis suis dare decimas Sacerdotibus, de præstantissimis quibusque, & non nisi separatis hisce, fiebat decimarum residuum communis usus, ut à quovis etiam immundo & in immundo loco comedere fas foret, uti alios Israelitarum communes proventus & cibos, vers. 25--27.

II. Imo decimæ solvendæ de proventu suburbiorum suorum; quemadmodum etiam Sacerdotibus de suis possessionibus, de adipe seu præstantissimo: quomodo sanctum separabatur, & profani seu communis usus reddebatur, vers. 28--31. addita ratione, ne rei fiant, si separationem adipis non præstiterint, & profanent decimas Israelis, quæ Levitis in mercedem dabantur, non inde sacratis decimis aliis Sacerdotibus. (qui proinde præter priora dona etiam decimas decimarum obtinuerunt,) vers. 32. Vid. Num. 10: 37, 38.

CAP. XIX.

III. AQUA *SEPARATIONIS* conficienda & usurpanda. Cujus

PRÆPARATIO, vers. 1--10. Vocatur חקת התורה statutum, placitum, cujus rei ratio non danda gentibus, neque inquirenda Judæis, sed soli voluntati Dei acquiescendum, vers. 2.

I. *Materia.* (a) *Vacca rufa*, tertii anni & supra, integra, quoad colorem, ne quid admixtum esset atri aut albi ne quidem 2 pili sine vitio ullo, quod alias bestias altari ineptas redderet; nullum jugum passa, ne quidem lusus gratia aut quæ ullum ministerium præstitisset; (b) danda ab omni populo, sumtibus totius congregationis, (ex contribustione communi, ut omnibus in ea jus esset,) ℣. 1, 2.

II. *Actiones* circa vaccam.

A. *Data Sacerdote* Eleazaro, vivente adhuc Aarone, (eoque vel summus, vel alius Sacerdos, hic poterat adesse, indutus 4 vestibus communibus.) in locum mundum.

B. *Educta extra castra & urbem*, (mactarunt eam & combusserunt in monte Oliveti, Maimon.)

C. *Per alium*, inspectante Sacerdote, *mactata*, vers. 3.

D. *Spargebat* autem *Sacerdos* digito suo *de sanguine* versus tabernaculum septies, numero completo, expiationem Christi significante, vers. 4.

E. *Tota comburebatur* (per alium à Sacerdote inspectante, sive foret Israelita, Levita, aut Sacerdos alius, vers. 8.) nulla parte excepta, vers. 5. una cum ligno cedrino, & hyssopo, & filo purpureo (quæ in purificatione leprosi adhibebantur,) vers. 6. Faciebant viam aggestam à monte templi ad montem Oliveti, qua ducebatur vacca, præcedentibus Senioribus Israelis pedibus; ibi primum lavabat Sacerdos in receptaculo istic parato; tum collocabatur strues lignorum cedrinorum, quernorum, pineorum & ficulneorum; vaccam ligatam illi imponebant, capite occidentem versus. Sacerdos eam mactabat dextra, & de sanguine sinistra excepto spargebat versus templum dextra septies, post incendebat ligna & eminus spectabat ardentem vaccam, donec finderetur venter, in quem injiciebat cedrum & hyssopum, & lanam purpuream quinque siclorum pondere.

F. *Sacerdos*, uti & *comburens* tenebantur ad lotionem vestium & corporis, & immunditia contracta siniebatur vespera, vers. 7, 8. Scl. qui legalem purificationem parabant, impuritatem contrahebant, ut defectus præparatæ ab ipsis munditiæ significaretur.

G. *Vir mundus*, quem Sacerdotem alium dicunt, colligebat cineres, (quos alii ex omni ligno struis illius & vacca integra confecerant, cribro cribrantes, & carbores majores, & ossa, contundentes in pulverem.) & loco mundo deponebat extra castra, & lotis vestibus & corpore, vespera mundabatur, vers. 9, 10.

H. *Cinis* serviebat ad aquam separationis, ut immunditiem illam tolleret, custoditus eum in finem pro Israelitis & proselytis, vers. 9, 10. Cineres dividebant in partes tres, unam distribuebant custodibus templi, ea utebantur Sacerdotes: alteram deponebant in monte Oliveti, qua aspergebantur Israelitæ; tertiam in loco circa templum, in custodiam.

Ferunt autem novem Vaccas combustas, 1. ab Eleazare. 2. ab Ezra. 3--9. post Ezram usque ad vastationem templi secundi. 10. à Messia parandam ajunt.

Porro

Porro quivis Israelita qui se mundum vas afferre dixit, potest de cineribus illis accipere, & Domi suæ in privatum usum custodire.

Cineribus addebatur *Aqua*, qua fiebat aspersio, unde מי נדה R. Sal. מי חואה hoc est *purificans* sic Heb. 12: 24. & cap. 9: vers. 13, 14. Hinc nata lustralis aqua Pontificia.

Observ. ad aquas istas pertinuit mors & combustio vaccæ, & cineribus mixta aqua adspergens; quia antecedit mors Christi & efficacia mortis & Spiritus ejus purgat.

Usus, vers. 11. seqq. variis casibus & modo agendi distinguitur.

Casus sunt isti.

A. Qui *pollutus* est *à cadavere hominis*, si illud tetigeritur, aut gestarit, etiam medio aliquo uno vel pluribus, interveniente; immundus est septem diebus; is ergo die tertio & septimo aqua illa consperendus est, & sic mundatur; sin utramque, vel alterutram adspersionem definito tempore omiserit, immundus manet; & si in ea pollutione ingrediatur tabernaculum, ejusve atrium, excidii reus est, inhærente ei impuritate, usque dum definito modo fuerit mundatus, vers. 11–13.

B. Præterea *tentorium* in quo hominis cadaver est, sive ibi mortuum, sive post illatum, tentorium ipsum, & quicquid in eo est vel ingreditur, sive homines sive vasa alia, immunditiam habet septiduanam; vers. 14. attamen vasa figulina ea tantum impurantur quæ aperta sunt, ut aer tabernaculi interiorem faciem subire possit; quod si arcte clausum sit, & filo ligatum operculum, & vas & quicquid in eo est, mundum manet, vers. 15.

C. Polluitur etiam *qui in agro cadaver attigerit*, sive trucidati ferro, sive alio modo mortui, sive os aut sepulchrum ejus, itidem 7 diebus impurus est, vers. 16. Hebræi etiam pollutionem afferre dicunt instrumentum, quo quis occisus est. Rationem pollutionis dicit Raknat. *Causa pollutionis humani cadaveris est ab angelo mortis* (Joh. 8: 44.) *qui intulit in illud sordes, impuritatem, & immundatia indiget mundationis.* Idem ait, *Gentiles dum vivunt, immundos esse & polluere; quando mortui sunt carere immunditia, unde nec sepulchra ipsorum immunda esse; quia anima ipsorum immunda est, quæ in morte perit, & corpus redit ad pulverem quemadmodum fuit; verum Judæus dum vivit purus est, quia habitat in ejus medio Spiritus S. Cum moritur immundus est & polluit; quia quando spiritus immunditiæ videt vas mundum, sed vacuum à Spiritu S.* (quia cum anima emigrat.) *tum eo ingreditur & habitat, & pollutum ac polluens facit illud.* Conf. Matt. 12: 43. f. Contra est Rom. 8: 11.

II. *Modus* purificationis, vers. 17. f.

A. Ratio mundandi immundum à mundo hoc est in vase mundo cujuscunque generis, haurienda *aqua viva* fontis aut fluminis, sub nomine aquæ peccati, & manu accipiendum aliquantum de *cineribus vaccæ* rufæ, atque aquæ inspergendum & permiscendum; hæc aquæ præparatio potest fieri interdiu vel noctu: sed adspersio solum interdiu. Et in illa præparatione adhibentur preces ad sanctificationem 1 Tim. 4: 5.

B. Porro mundus aliquis acceptis tribus *hyssopi* ramulis in fasciculum colligatis, summitatem ramulorum immergit aquis illis in vase, & cum intentione animi, *aspergit homines & vasa & tentorium* pollutum, & quicquid tangitur ulla guttula aquæ, sive simul una, aut pluribus aspersionibus, mundatur; potest sæpius adspergere post unam immersionem, quamdiu aliquid aquæ hyssopo adhæret; & quisquis aspergitur sic mundatur ab impuritate cadaveris, licet alia impuritas, puta fluxus, lepræ, &c. in ipso fuerit, & adhæreat. Vasa ex metallo, licet per ignem transierint, tamen adhuc aspergi debent hac aqua ad munditiem à cadavere. Pollutus ab osse aut sepulchro humano, vel qui occisum mortuumve alium in agro tetigerit. pariter aspersione istiusmodi mundatur, modo ulla guttula carnem ejus tetigerit.

C. Adspersio facienda *die tertio* (etsi quis diutissime distulerit, numerandi sunt dies, ut duo antecedant) & rursum *septimo*. (tertius resurrectionem Christi respicere videtur, & septimus Sabbathum, consummationem restitutionis per Christum.) Attamen debet septimo die se & vestes suas lavare, & tum vespere, post Solem occasum, mundus est; vers. 17–19. Si quis hos ritus neglexerit, & tamen ausus fuerit subire atrium tabernaculi, excidium habet expectandum, manente ejus impuritate. siquidem sciens volens fecerit, sin nescius suæ immunditiæ, adspersionem recipit, & offert hostiam pro ignorantia Lev. 5: 2, 3.

Porro qui adspersionem peragebat, dictus *purus*, vers. 18, 19. & qui tangebat aquas illas, puta qui eas parabat immixtis cineribus, polluebantur ejus contactu, & lotione indigebant, & occidente sole mundabantur, vers. 21. Raknat. *quando aquæ vivæ mistæ sunt cineribus, mundant pollutos; sed ameà, cum soli essent cineres, polluebant omnes qui circa eos fuerunt occupati.* Scil. aquæ vivæ denotant aquas superiores, quæ auferunt impuritatem à cineribus; sunt enim radix purgationis; sensus autem vivæ pertinet ad mysterium baptismi. Rursum, *Quando quis spargit aquas illas super immundum, immundities ab ipso aufugit, quia videt judicium exercitum esse in vacca debelle, & spiritus munditiæ habitat in ipso, & mundat ipsum.* (Conf. Joh. cap. 3: 5.) *Hyssopus autem designat Schechinam.*

Quærunt etiam Hebræi, quomodo mundus polluatur ab his aquis, & immundus mundetur? Habent autem hoc pro difficillima quæstione & obnoxia censuris gentium; niti vero placitô Dei. Quidam volunt immunditiam habere vaccam quia pro universo pop. mactetur, & hinc omnes circa eam occupatos pollui, ob incumbentem pollutionem, uti qui hircum peccati comburebat: verum combustione peracta, cui inspergitur aqua cineribus mixta, expiationem factam significari, & dominari munditiam super immunditiam. Verum negant aspergentem polluni, qui rationem nullam vident, nisi quando id agit, cum nihil esset mundandum. Sed de adspergentis impuritate verba loquuntur manifeste. Significatum proinde videtur, purificationes legales mundare quidem ad mundationem carnis, attamen pollui adspergentem, quia qui alium purgat à reatu eum in se recipit; quomodo typus fit Christi, & quod humana manus non purget, quæ ipsamet purgationis tanto magis indiga est, vers. 22. qui ultimus, docetur qui immundum ex cadavere tangit, pollui, sed non per septiduum, ut qui tetigit cadaver ipse; verum solum per diem unum, lotione modo adhibita, & occasu solis mundari.

CAP. XX.

V. HISTORICA varia, quæ exactis 39. annis in deserto acciderunt.

I. *MORS MIRJAMI Locus*, cum venissent in desertum Zin, & in ejus locum Kades dictum (qui alius à Kadeshbarnea deserti Pharan, unde exploratores emissi:) tempus mense primo, anni vid. quadragesimi. Heic Mirjam mortua & sepulta fuit, vers. 1. Quidam ajunt primo mensis vaccam fuisse combustam; & conjungi hanc mortem, quia mors justorum expiet quemadmodum vacca. Id potest vere dici de justo uno, Messia, & hujus expiatio major quam vaccæ, vers. 1.

II. *AQUÆ DEFECTUS SUPPLETUS*: quemadmodum patres Deus exploravit aquæ defectu, sic quoque filios, post illorum mortem: sed hi æque ac patres, non invocarunt Deum, sed murmurarunt contra Mosem. & utrobique Deus per Mosem ex rupe ipsis dedit aquam. Hebræi ajunt propter Mirjam datam Israeli aquam sequentem; hac mortua defecisse. Sed Deus explorandi animo fecit.

I. *Aquæ defectus*, non amplius sequente aqua petræ in Rephidim.

II. *Populi murmur*, Congregantur contra Mosen & Aaronem, vers. 2. Litigant cum Mose; optantes cum fratribus exspirasse in deserto, vers. 3. exprobantes ipsi quod in siticulosum desertum duxisset, ubi hominibus & jumentis esset pereundum, vers. 4. imo quod eductos ex Ægypto, in deteriorem locum duxisset, cultus omnis & fertilitatis expertem, & aquis destitutum etiam ad potum, vers. 5.

III. *Mosis & Aaronis fuga ad tentorium*, ceu ad asylum, & preces Dei opem poscentes, vers. 6.

IV. *Dei*

IV. *Dei auxilium*, (a.) *quoad Moſ. & Aar.* apparuit gloria Dei, verſ. 6. ſic enim ſæpius inhibuit ſua præſentia populum, ne plura molirentur. (b.) *quod ad Iſraelem*: jubet potari populum; cujus modus, ut accepto baculo, ſuo videl. (ſunt qui Aaronis florentem intelligunt,) præſente omni congregatione, ipſe & Aaron loquerentur rupi, daturæ tunc aquas potandis univerſis, verſ. 7, 8.

V. *Exſecutio mandati* (a.) *Moſes aſſumſit ſcipionem* à coram Domino, verſ. 9. hinc Aaronis fuiſſe credunt; qui in S. Sanctorum ſepoſitus juſſu Dei: alii Moſis ibidem fuiſſe rentur, quia antea ejus facta mentio, ceu inſtrumenti miraculorum in Ægypto & Ægyptiis patratorum. Exod. 17: 5. 9. nam, verſ. 10. ipſiusmet dicitur (b.) *Congregavit, ipſe & Aaron*, omnem Iſraelis multitudinem, ad petram, (c.) *Locutus eſt* ad Iſraelitas; quos compellando accuſat rebellionis, ſciſcitatur an ex petra aquam ſit educturus ipſis, 11. (d.) *Adhibuit ſignum*, percutiendo petram bis, ut abunde aquæ manarent, & potarentur populus & pecora ipſorum, verſ. 13.

VI. *Indignatio Dei*, contra Moſen & Aaronem; ubi Accuſatio, *quia non credidiſtis mihi, ut me ſanctificaretis coram Iſraele.* & pœna denunciata, *non introducetis hunc cœtum in terram promiſſam*, verſ. 12. Abrab. varias cauſas pœnæ recitat dictas ab aliis interpretibus ſed neque ipſius textui conſentit. Sunt qui peccaſſe ajunt, quod Iſraelitas vocarit rebelles; Sed Deus ipſe docet, quia non crediderunt. Juſſerat loqui ad petram, & ſcipionem miraculorum inſtrumentum ferre manu, non autem eo percutere, ſed ipſi percuſſerunt & quidem bis; unus facto alter conſenſu. Infidelitatis teſtimonium, *An ex hac rupe educemus vobis aquas?* & factum id juxta fidem ipſorum, non ſucceſſit; unde non juſſi percuſſerunt, & quidem bis. E. quia infidelitate peccarunt, ut cæteri infideles requie terræ excluſi fuerunt.

VI. *Memoriale nomen*, verſ. 13. aquæ Meriba, commune cum illis in Rephidim, Exod. 17: 7. Deus *ſanctificatus eſt* in ipſis, per caſtigationem, ſic Ezech. 38: 16--22, 23. Et hæc dicitur ultio pſ. 99. 8.

III. *LEGATIO AD EDOMÆUM REGEM*, qua continentur.

I. *Petitio Iſraelis* petitum tranſitum. ubi (a.) *indicant* cognationem, quod fratres ſint (Deut. 23: 7. Obad. verſ. 10--12.) (b.) *Recitant* ſuam conditionem (a.) *notam* calamitatem; videtur pertinere ad famem, quæ Jacobo cauſa fuit deſerendæ Cananææ, verſ. 14. (b.) *ignotam*, afflictionis Ægyptiacæ, verſ. 15. & liberationis ad ſuas ſupplicationes miraculoſæ, verſ. 16. præſentis ſtationis, quod pervenerint in Kades, limitaneam Idumæis, verſ. 16. (c.) *Poſtulant* tranſitum, promiſſa indemnitate omni, verſ. 17.

II. *Reſponſum Edomi* negativum, additis minis de vi armata, verſ. 18.

III. *Replicatio Iſraelis*, promittentis indemnitatem, ſolutionem pretii pro iis quibus fruerentur. nil metuendum, cum pedeſtris ſit multitudo nullus equitatus, & belli apparatus, 19.

IV. *Edomi Duplicatio*, negativa, & firmata, exercitu magno limites inſidente, & ingreſſum prohibituro, verſ. 20.

Ideo *declinatum* eſt ab Iſraele, verſ. 21. ſic mandante Deo Deut. 2: 4, 5. quamvis aliquid commeatus vendidiſſe appareat Deut. 2: 28, 29.

IV. *MORS AARONIS* verſ. 22--28.

I. *Locus* cum ex Kades veniſſent ad montem Hor. verſ. 22.

II. Denunciatio facta iſtic à Deo Moſi & Aaroni, verſ. 23. Aaronem moriturum, ob proximam utriuſque communem rebellionem, extra Cananæam, verſ. 24.

III. *Modus*, deducendum à Moſe una cum Eleazaro in montem Hor, exuendum ſuis veſtibus (Sacerdotalibus,) eaſque induendas filio, & hoc facto iſtic moriturum, verſ. 25, 26.

IV. *Exſecutio*, adſcenderunt montem, inſpectantibus omnibus, veſtes Eleazari conceſſæ, Aaron ibi mortuus, verſ. 27, 28. (atque etiam ſepultus, Deut. 10: 6.) Hebræi ajunt, oſculo mortuum eſſe, unde nulla cadaveris fuerit immundities: vel ſolus Moſes eum ſepelivit, neque enim ſummo Sacerdoti licuit ſe polluere ob proximos quoque.

V. *Luctus populi*, re cognita, verſ. 29. Hinc docent pro principe Synedrii, ſummoque Sacerdote luctum eſſe univerſalem dierum 30.

CAP. XXI.

V. *CONGRESSUS PRIMUS CUM CANANÆIS*, verſ. 1--3.

I. *Hoſtis* rex Arad, Jonath. *Amalek habitans in meridie.* Onk. *Cananæus rex Arad; cum audiret Iſraelem venire ea via, qua venerant exploratores, & qua voluerant irrumpere in terram, ſed cæſi fuerant ante annos* 38. *voluit ſimili modo eos profligare; & ſucceſſit ut quoſdam captivos duceret*, verſ. 1. R. Sal. non niſi unam ancillam cepiſſe ait. quod non veriſimile.

II. *Iſraelis votum*, de anathematizandis urbibus eorum Deo dante ſucceſſum, verſ. 2.

III. *Victoria* à Deo impetrata, verſ. 3,

Cæterum anathema illud tantum in exercitu locum habuit, neque enim ingreſſi adhuc ſunt terram Canaan, in qua urbes & id demum factum ſub Joſua Joſ. 12: 14. Verum initium fecerunt exſolvendi voti, & loco inde memoriale nomen dederunt.

VI. *MURMUR IGNITIS SERPENTIBUS VINDICATUM*, verſ. 4--9.

I. *Occaſio*, cum retrorſum irent, obituri Idumæam, tædium cepit viæ, quod à Cananæa recederent; quemadmodum ante 38. annos, ſimilia forte metuentes, verſ. 5.

II. *Peccatum*, contra Deum (Meſſiam 1 Cor. 10: 9. Angelum Exod. 23.) & Moſen, indignantes de ſui eductione ex Ægypto, qui morituri eſſent in deſerto, ob defectum panis & aquæ, & faſtidium Mannæ, verſ. 6.

III, *Ultio*, immiſſis ſerpentibus ignitis, non quod igniti forent, ſed quod venerato morſu æſtum intolerabilem, & incurabilem afferrent, Dipſades inexſtinguibili ſiti conficientes, verſ. 7.

IV. *Reſipiſcentia pop.* confitentis peccatum, interceſſionemque Moſis petentis, verſ. 8. quod Moſes egit, verſ. 8.

V. *Remedium* præſcriptum, & adhibitum, erecti ænei ſerpentis, qui intuentibus ſaluti fuit, verſ. 9, 10. Jonath. *qui intuebitur vivet, ſi animum ſuum direxerit ad nomen verbi Domini.* R. Sal. *quando Iſraelitæ ſpectabant ſurſum, & ſubjiciebant cor ſuum patri ſuo qui in cœlis, ſanabantur: ſin id negligerent conſumebantur.* Joh. 3: 14, 15.

VII. *ITINERA* nonnulla & *ſtationes*, verſ. 11-21. ubi obſervanda

Citatio libri Bellorum Domini, verſ. 15, 16. qui videtur fuiſſe ſeu liber ſeu catalogus victoriarum Sihonis, de Moabitis, quos magna parte terræ multavit, & ſic jus fuit Iſraeli occupare velut poſſeſſionem Sihonis, cum Moabitidem attingere non liceret. Bechai, *Liber Bellorum Domini, inde à temporibus Abrahami, index variorum caſuum, & liberationis conceſſæ in ſolatium piorum, qui cum aliis periit.* Hic quoque adſcripta fuiſſe miracula quæ Deus pro Iſraele fecerit contra Amoræos, quos turbine perdiderit, & inundatione cum molirentur Iſraelem transeuntem ex ſpeculis ſuis infeſtare. Abrab. ut ſcripſi *Bella Domini* autem dicuntur ad auxeſin, ut flamma Dei, &c. non quod id nominis libro fuerit, inter illas gentes noto, ſed quod agens de bellis maximis, hoc epitheton inter Iſraelitas qui legebant acceperit. Non fuit autem ſacer aut Canonicus.

Deinde *Hiſtoria de Puteo*, verſ. 17. ſ. cum transirent flumen Arnon, inde biberunt, ſed hinc digreſſi, Deus ante murmur ullum gratioſe dedit novum puteum; ad cujus aperturam omnis pop. fuit congregatus.

Hinc carmen euchariſticum; quo credentes Deo, jubent fontem *ſurgere*, ſeque ad cantum hortantur; (ut Eſa. 27: 2.) Hieroſ. & Jonath. ad has voces ſcaturiiſſe dicunt: modum recitant, *à principibus, & Moſe Legis-doctore eſſe effoſſum ſcipionibus:* hoc eſt, dum ſcipione ſuo ſinguli tangunt terram, manarunt aquæ, aut ea aperta eſt, & puteum

teum aquarum præbuit ipsis. Quidam perperam faciunt hic petram in Kades apertam.

VIII. *VICTORIA DE SIHONE*, vers. 22 –32.

I. *Occasio*, petitus per legatos transitus, indemnis ipsi futurus, vers. 22, 23. & negatus, vers. 24. manu armata totius populi tuente Sihone limites suos, vers. 24.

II. *Israelitæ bello victores*, totam terram, & urbes omnes necatis hominibus omnibus occuparunt, vers. 25, 26. cujus amplitudo describitur à victoriis Sihonis, carminibus celebratis, vers. 27–31. Israele istic sedem figente postmodum, cum Rubenitis assignaretur, vers. 32.

IX. *SUBJUGATIO BASANIS*, vers. 33 –36.

I. Occupata fuit Hezer Amoræorum, per exploratores ejus conditio cognita, vers. 33.

II. Og Basanis Rex magno exercitu præliatum occurrit, vers. 34.

III. Deus Mosen confirmavit, promittens parilem victoriam, ac reportassent à Sihone, & eodem modo usurpandam, internecione hominum, vers. 35.

IV. *Successus* deletis omnibus, & subjugatis atque insessis urbibus, vers. 36.

CAP. XXII.

X. *HISTORIA, EORUM QUÆ A BILEAMO PASSI SUNT*, cap. 22, 23, 24. ubi Bileami adventus; tum præsentis Sermones, tandem abitus.

I. ADVENTUS BILEAMI, cujus.

I. *Occasio*, Castrametatio Israelis in campestribus Moabi, vers. 1. Fuit hæc statio ultima ante ingressum interram: in terra Amoræorum Sihoni ademta, quæ olim fuit Moabitarum, & jam his confinis, extendens se ab horum limitibus, usque ad Jordanem, qua objectus est Jerichunti: ubi plurima memorabilia acciderunt, usque ad mortem Mosis, & transitum in Cananæam.

II. *Autor* Rex Moab. ubi.

A. *Impulsiva*, notitia victoriæ Israelis de Sihone & Ogo, vers. 2. & metus, ne idem pateretur à populo numeroso & potente Exod. 15: 15. maximè cum eodem modo ac Sihon eos offendisset negato transitu, vers. 3.

B. *Causæ sociæ*, Seniores Midian. (Hi forte fuerunt Sihonis clientes vel subditi, aut fœderati, Jos. 13: 21. Sed illo devicto & cæso, applicuerunt sese Moabitis: unde cum his parci vellet Deus Deut. 2: 9. neque vindicaret præsentem injuriam, tamen Midianitis non indulsit, Num. 31. ceu qui Amorræorum accessio forent.) quibus aperit periculum, absumturum Israelem proxima quæquam ut bos depascitur herbam; ubi nulla quidem violentia, animal domesticum & cicur, sed sensim depascit prata; forte intelligit שור collective de armento boum, vers. 4.

C. *Administræ & instrumenta*, Legati missi ad Bileamum accersendum: (qui à patre & patria describitur) quorum.

א. *Instructionis*, vers. 7.

a. *Exordium*, Israelis multitudo & proximitas, vers. 5.

b. *Propositio*, ut veniat iis maledictum; (nempe ceu Propheta, Deo cooperaturo,) quo potentiæ ipsorum possit prævalere, נכה non infinitivus est, sed futurus, & conjungit sibi socios Midianitas, sic tamen ut sibi plusculum adscribat, ceu cui propinquiores erant Israelitæ.

c. *Confirmatio* ab efficacia sermonum Bileami, vers. 6.

ב. *Iter & adjuncta*, vers. 7. קסמים *Divinationis præmium*, ut בשורה *Præmium nuntii allati* 2 Sam. 4: 10. משחה *præmium unctionis sacerdotalis*, Num. 18: 10. Lev. 7: 35.

ג. *Bileami responsum.*

Primum poscentis noctis moram ad consulendum Deum vers. 8. *Dei* consulti *mandatum*; ubi apparitio nocturna, inquisitio in conditionem hospitum, vers. 9. quam Bileam exponit, vers. 10, 11. *interdictum* ne una iret: & ne malediceret populo benedicto, vers. 12.

Responsum Bileami alterum, quo sibi interdictum ait una proficisci; sed amore præmii injustitiæ, reticet alteram partem interdicti, de non maledicendo; quod si indicasset, Balak ultra quid petere abstinuisset.

ד. *Legatorum relatio* ad Balakum, vers. 13. qui itidem omittunt partem, & recusationem soli Bileamo adscribunt, qui à Deo se impeditum dixerat. unde nata.

D. *Legatio altera*, cujus.

א. *Ministri* plures & honoratiores prioribus, vers. 14. quod superbiæ Bileami adscriberetur, qui plus sibi tribui vellet.

ב. *Postulatum*, ne se patiatur impediri quò minùs comes eat, promissum magnorum honorum, quos Balak collaturus esset, nec non licentiam petendi, quando omnia esset consecuturus; modo maledictionem Israelis peragat, vers. 16, 17.

ג. *Bileami responsum*, quo à se amolitur superbiæ suspicionem & avaritiæ & Dei imperio se detineri docet, vers. 8. attamen moram poscit consulendi Deum, unde gratificandi voluntatem sibi esse docet, vers. 19. quid addat Deus dicere, adeoque non acquiescit in priori responso Dei, quod mutatum vellet.

Dei consulti *responsum*. *Si venerunt te evocatum, una ibis*; (sed non tantum ad eum evocandum venerunt, sed etiam ut veniret maledictum;) sed nil facias, nisi quod Deus mandarit, vers. 20. Deus declinandi studio ductum permittit ire in consiliis suis & minus plane voluntatem suam aperit, nihil priori contrarium, sed minus tamen aptè loquens, quibus abusus Bileam semetipsum decepit.

III. *Iter Bileami.*

A. *Susceptum* summo mane strata asina comes legatis, assumtis duobus pueris, vers. 21.

B. *Continuatum*, ubi.

א. *Objectum impedimentum* indignantis Dei *Angelus* in via ei adversatus est, vers. 22. Videntur antecessisse legati, ut nuncium ferrent Balako, Bileamum lente secutum. *Angelus* hic quibusdam dicitur Christus, quia Dei autoritate loquitur, vers. 35. & שטן est impio, quo nomine alias Christi & membrorum ejus adversarius appellatur. *Declinatio asinæ prima*, & vapulatio, vers. 23. Angelus non visus asinæ mente, qua carebat, sed corpus assumtum vidit, & territa fuit.

ב. *Occursus Angeli alter* in angustiis vinearum, & *declinatio asinæ secunda*, prementis pedem heri ad maceriam, unde iterum vapulat, vers. 24, 25.

ג. *Occursus tertius* in loco angustissimo, ubi declinandi locus nullus, vers. 26.

a. *Asinæ procubitus*, quæ nunc tertium vapulat, vers. 27.

b. *Dialogus asinæ cum Bileamo*, querentis de injuria, vers. 28. accusante contra Bileamo, & minante graviora, vers. 29. Asinæ provocatio ad memoriam constantis suæ obedientiæ quam Bileam fatetur, vers. 30. Deus aperuit os asinæ ad convincendam Prophetæ stultitiam 2 Pet. 2: 16. Asina declinans de via, premens pedem, procumbens, argumento fuit non procedendum. Miraculum loquentis asinæ humana voce debuisset terrori esse, sed obstinatus etiam indignatur: convincit eum suæ obedientiæ, qui male multaret, E. inobediens Deo, justius multandus. Bruta obnoxia homini si minus sint obsequentia, docent hominem Deo reum esse, qui creaturas facit adversarias: hæc ex maledictione Gen. 3: 17. s. Lev. 26: 20 seq.

c. *Increpatio Angeli ipsius*: qui se patefacit Bileamo, sese gestu humiliante, vers. 31. increpat ob sævitiam in asinam, cum haberet causam metuendi malum ipsemet ab Angelo adversante. ob viæ perversitatem, vers. 32. imo hac metuente transire coram se, ipsum evasisse necem, qua asinæ non erat metuenda ceu innoxiæ, ubi 1 Reg. 13: 23. s. asino, vers. 33. Hebræi dicunt Asinam non mortuam fuisse, ob mutatam naturam in rationalem, sed absurdum hoc.

d. *Bileami deprecatio* agnoscit culpam non reveriti Angeli, prætendens ignorantiam adversationis, & offert se rediturus domum, siquidem suum iter displiceat, vers. 34.

e. *Angeli responsum* indulgens abitum, repetito mandato de obsequendo Deo, in sermonibus, vers. 35. Consuluerat ei Deus, , ut etiam occasionem peccandi vitaret, & speciem mali, eundo cum legatis: sed quia hic non obtemperare lubet, mittit eum periculo, sua sapientia vitando, monitum tamen officii denuo: sed sic perit consiliis,

liis, & à ſpecie mali ad ipſum malum procedit R. Sal. *qua via quis ire amat, ducant ipſum;* rurſum: *abi cum ipſis, nam portio tua cum ipſis, & extremum tuum ut pereas de mundo cum ipſis.*

C. *Finitum iter,* habens.

א. *Occurſum Balaki*, verſ. 36. exprobrationem tergiverſationis, cum ipſe rex miſiſſet inſtanter, cui debebatur tantum obſequii, & cum remunerandi facultas foret, verſ. 37:

ב. *Bileami reſponſum*, teſtans ſuum obſequium, ſed reſtrictum præter voluntatem ſuam; qui Dei ſolum verba eloqui auderet, verſ. 38.

ג. *Convivium adventitium*, in urbe ampliſſima, קריית חוצות ut miſereretur horum, qui ab Iſraele victore eſſent exſcindendi Conf. Jon. 4: 39. inſtructiſſimum dapibus & convivis, verſ. 30. Miſit Bileamo &c. de ſua menſa, ut Gen. 43. fin. forte fuit ſimul ſacrificium, uti epulæ gentilium olim.

ד. *Demonſtrationem* eius quod faciendum: collocavit in loco edito poſtridie, ut Iſraelem univerſum poſſet tueri, ad juſtificandum ſuum metum, verſ. 41.

CAP. XXIII.

BILEAMI ORACULA ſeu vaticinia quaterna:

I. *Vaticinium primum.*

A. *Præparatio Bileami:*

א. *Jubet* ſibi ſtrui 7 altaria, & ſiſti totidem juvencos & arietes, verſ. 1. & paratis iis offert, verſ. 2. Hoſtiis propitiaturus Deum, & ſub mantello religionis ſatisfacturus Balako.

ב. Sequitur *religioſa mora* apud hoſtias (dum comburerentur) imperata Balako, (qui cum principibus Moabi eam præſtitit) ipſe abit ſpeculatum in colle, more augurum & incantatorum, ſignum aliquod exſpectans, de quo dubie loquitur ab incantationibus petiturus opem Deo tacente, verſ. 3.

ג. *Deus* autem *occurrens*, per viſionem, (cui religionem ſuam commendat, ceu ſic propitiatum & debitorem habiturus, Deus noluit audire Bileamum Deut. 23: 5. E. non à Deo accipere, ſed Deo præſcribere tentavit, quid de Iſraele eſſet dicendum, ut placeret Balako.) jubet ex dictata formula loqui, verſ. 4, 5. Sic ergo redit, & orationem orditur, verſ. 6, 7.

B. *Sermo primus*, quo recitat.

א. *A quo & cur accerſitus.* Ex Meſopotamia & Orientis montibus, magiæ nomine infamibus. ad maledicendum Iſraeli, verſ. 7. quomodo implicite ſuam obſequendi voluntatem indicat.

ב. *A quo prohibeatur*, verſ. 8. Deo habente ſummam ut benedicendi ſic maledicendi poteſtatem.

ג. *De Iſraele teſtatur*, Conſpecta multitudine, (quæ ad deteſtationem moviſſe debebat ex voluntate Balaki.)

a. *Eſſe Populum ſegregatum* ab aliis, neque unquam aliis permiſcendum, verſ. 9.

b. *Multitudinis innumeræ*, verſ. 10. quarta pars reſpicit unum de 4. exercitibus tabernaculum cingentibus.

c. *Felicitatis*, qua ipſemet majorem optare nequeat: quemadmodum id voto teſtatur, verſ. 10. Abrab. *Agit de Iſraele, quod ſit peculium Dei ab antiquo, nam ſe intueri de rupibus. Ab. Iſ. Jac.* ex Eſa. 51. 1. *& de collibus, matribus, Sara, Rebecca, Rachele & Lea: prima origine gentis quæ ſancta.* Eſſe autem gentem ſingularem, ab una ſtirpe prognatam, neque aliis permiſcendam, legum conſortio. Attamen non exiguam ſed innumerabiliter augendam, Deoque ſic charam, ut etiam poſt mortem æterna felicitate fruitura ſit, hæres paradiſi: & voluptatum animæ. Sed gens adeo dilecta Deo, nequit maledictione lædi, τὸ אחרית *extremum* ut Pſ. 37.

ד. *Votum* mortis beatæ, ſine vita reſpondente, eſt impiorum.

C. *Indignatio Balaki* & Bileami excuſatio, vim majorem prætexentis, verſ. 11, 12.

II. *Vaticinium ſecundum.*

A. *Præparatio* alio in loco ſimilis; in monte ubi ſpeculatores ſtationem habebant, verſ. 13–17. ubi partem tantum populi videret, ne territus multitudine benediceret.

B. *Sermo ſecundus.*

א. *Affatur Balakum*, verſ. 18. (quia dixerat. verſ. 17. irridendo, quid dixit Dominus?)

ב. *Confirmat* autem priorem benedictionem, (a.) *ab immutabilitate Dei*, promiſſa non retractantis, verſ. 19. (b.) *à ſua conſtantia*, qui quod cœperit, non ſit intermiſſurus, verſ. 20.

ג. *Probat* (a.) rationem *primam* à Dei favore in Iſraelem, demonſtrato beneficiis (α.) ſpiritualibus R. S. præſentia gratioſa, & Euangelio Regis & regni, verſ. 21. Implebitur id conſummate ſub N. fœd. Jer. 31: 33, 34. cap. 50: 20. Pſ. 89: 16. תרועה *clangorem* ſacrarum tubarum notat, ſed epitheton Regis longius ſpectat. Evangelium regni dicitur Marc. 1: 14. & filii regni Iſraelitæ Matth. 8: 12. euangelizatum fuit ipſis Heb. 4: 2. (β.) *corporalibus* eductione ex Ægypto, & confirmatione, ut robuſtiſſimus foret Iſrael; quod Sihonis & Ogi exempla docebant, verſ. 22. Abrab. robur iſtud Ægyptiorum facit, quod tamen Dei potentiæ cedere debuerit.

(b) Probat *rationem ſecundam* à ſuæ artis impotentia, quod incantationibus contra eos nil profici queat, quia omnia Dei virtute ipſis contingant כעת *juxta hoc tempus*, anno proximo prædicabitur, quod Deus ipſis præſtiterit, verſ. 23.

ד. *Prædicat* ſucceſſus victorioſos in ſubjuganda terra, inſtar leonis prædam agentis, & ſe ſanguine ferarum ſatiantis, verſ. 24.

C. *Indignatio Balaki*, qui non fert benedictionem Iſraelis, eoque mavult prorſus abſtinere? verſ. 25. cui ſe Bileam excuſat, verſ. 26.

III. *Vaticinium tertium.*

A. *Præparatio*, alio in loco ſub ſpe impetrandæ à Deo maledicendi poteſtatis, cui hactenus aſſentitur Bileam, ut repeti religionem altarium & hoſtiarum jubeat, verſ. 27. 29. Elegit verticem Pehor montis, cujus numen Bahal Pehor, & ubi forte templum ejus: ſperans hujus numinis præſentiam.

CAP. XXIV.

B. *Bileami conſilium novum*, non prodiit, ut antea, ad incantationes. (quibus ante fuit deditus, diabolicis artibus quæſiturus maledicendi gratiam,) vel conjectationes, & ſigna ordinaria conſulendi Deum: ſed rectà ſe convertit ad Iſraelem, & caſtra eorum. (ad deſertum, ut vituli aurei memoriam ageret coram Deo. Hieroſ. ad impetrandam maledictionem,) Noluit conſulere Deum, ſed ex ſe depromere aliquid, Balako magis placiturum, quem in ſpem novam erexerat, ſtructura altarium mandata, præſens ipſe hoſtiis & ſacrificiis. Sed ibi efficaciùs ſupervenit ei Spiritus Dei, & movit ad loquendum, verſ. 1, 2.

C. *Sermo tertius.* quo

א. *Commendat ſemetipſum*, verſ. 3, 4. ob revelationem extraordinariam, נאם χρηματίζμος, שתם quibuſdam apertus, aliis ſynonymum τῷ סתם & priſcam conditionem notat: qui obſcure, μυσταζων & conniventibus quaſi oculis olim viderat, aſt nunc prorſus apertis. Eodem pertinent ſeqq.

ב. *Vaticinatur de Iſraele.*

a. Celebrat *tentoria*, dum adhuc poſſeſſione carebant, quærentes ſedes; & habitationes, ubi conſecuti fuerint hæreditatem fixam terræ, verſ. 5.

b. *Fertilitatem* prædicat ſimilitudine fluminum, horti irrigui, plantarum præſtantiſſimarum & decentiſſimarum, aloe vel ſantali & cedri, verſ. 6.

c. *Multitudinem*, ceu effuſæ ex ſitula aquæ, verſ. 7.

d. *Potentiam regiam*, prævaluturam Agago Amalekitæ. in Saule, verſ. 7. & *gloriam regni* augeſcentem, in Davide & Salomone, verſ. 7. *Vires bellicas* & victorioſas. Eductos ex Ægypto à Deo, etiam roboratos eſſe inſtar unicornis. abſumturos Gentes Cananæas adverſarias, & oſſa, omne robur, fracturos, ſagittis ſuis transfigendo, vel eas tingendo, ſanguine videlicet ipſorum, verſ. 8. quod robur ſimilitudine leonis terribilis illuſtrat, quem nemo auſit provocare, verſ. 9.

Epiphonema eſt, benedicti benedicentes tibi, & maledicentes maledicti, verſ. 9.

D. *Indignatio Balaki*, indignatus complosit manus, quod ſibi audiret maledici, & benedici quibus maledictum voluerat hostibus: quo nomine (a.) increpat, verſ. 10. (b.) jubet abire domum, (c.) negat præmium omne quod promiſerat, Deum prohibuiſſe dicens, ſubſannando, quia Bileam ſe prohibitum à Deo dixerat, ne malediceret, verſ. 11,

E. *Bileami reſponſum*: (a.) ad *increpationem*; qui hoc à ſe prædictum dicit legatis, nullo præmio ſe poſſe conduci, ut neglecto Dei mandato, ex ſuo arbitrio quicquam ageret, verſ. 12, 13. (b.) ad *dimiſſionem*, ſe abiturum domum, (c.) ad *negationem præmii*, ſe conſilium daturum (quod tamen hic expreſſum non eſt, nempe de offendiculo ponendo Iſraeli, Num. 31: 16. Apoc. 2: 14. quod Num cap. 25. factum: ſic v. oſtendit, quam devotus ipſi ſit, & dignus mercede.) & ſimul indicaturum quid tandem paſſuri eſſent Moabitæ ab Iſraele, verſ. 14. Poteſt tamen עיצך referri ad ſeq. Prophetiam duntaxat, conſilium Dei revelante Bileamo, & quæ באחרית הימים tempore Meſſiæ futuræ eſſent. Quod v. ſuaſit Balako poſt damnum privatim factum fuerit, cum ab eo diſceſſit domum. Abrab. *Conſulam tibi, ut nempe bono ſis animo quia quod metuendum Moabo ab Iſraele demum fiet? ſub Meſſia.* Sed ſub Davide juſſus 2 Sam. 8: 2. ſub Meſſia ſpes terræ Jer. 40: verſ. ult.

IV. *Vaticinium quartum*

A. *Proœmium* idem, auctum tantum formula, *ſciens ſcientiam Dei*, quod ad Meſſiæ revelationem referunt Hebræi, verſ. 15, 16.

B. *Sermone quarto*, vaticinatur.

ℵ. *De Regno Meſſiæ.*

a. *Facit illud longinquum*, quamvis certiſſimum, quod contempletur Spiritu.

b. *Deſcribit Meſſiam* felicitati Iſraelis, & damno hoſtium, idque alternis.

a. Procedet Stella (Apoc. 22: 16. forſan etiam indigetat indicem ejus ſtellam, quæ ſignavit viam magis ad eum quærendum, radium, ut ſagittam emittentem, eritque Cometa unus memoratus in Scriptura, & is ſalutaris.) *ex Jacob* (cujus genere ortus, & lux ſalutaris Luc. 1: 78.) *& virga*, ſcipio ad percuſſionem & damnum adverſantium, *ſurget ex Iſraele.*

b. Hic percutiet, vulnerabit, *angulos*, vel duces *Moabi*, *& glocitando congregabit omnes filios Sethi*, qui olim ſoli fecerunt Eccleſiam, oppoſitè ad Kainum, verſ. 17. קרקר malè *deſtruet* quia non à קיר: nil probat Eſa. 22: 8. *Seth* non eſt appellativum, *fundatio*, *nates*, ſed proprium.

c. Subjugabitur Edom, & *Iſrael prævalebit*, & augebitur, verſ. 18. *Dominabitur qui ex Jacobo, & perdet reſiduum ex urbe.* Idumææ, quæ urbs Eſa. 25: 2. Bozra Eſa. 34. & alibi apud Prophetas, verſ. 19.

ב. Vaticinatur porrò

a. *De Amalek*, primitias eſſe gentium (adverſantium Iſraeli ex verſ. 8.) & hinc extremum fore perditionem Apoc. 17: 11. verſ. 20.

b. *De Kenitis*: quos quidam eos putant, de quibus Gen. cap. 15: 19. Onk. & Hieroſ. *iſtic & hic Salmæi.* Abrab. intelligit Ammonitas; ſed hi non fuerunt in mundo, cum Kenitæ darentur Abrahamo, niſi eos Kenitarum terram dicat occupaſſe. Alii intelligunt Jethronis poſteros, qui vicini Amalekitis habitarunt, 1 Sam. 15: 6. quos felices prædicet, quod ſe conjunxerint Iſraeli, ut metaph. nidus in *rupibus* intelligatur, (nam alioqui non munita loca, imò ne quidem urbes habitarunt Jer. 35.) quibus pollicetur eandem cum Iſraele fortunam, non niſi cum ipſis deportandos; & proinde cum iiſdem reſtituendos, Jer. 35. fin. verſ. 21, 22.

ג. *Poſtremum vaticinium*, quod triſte, cujus proœmium votivum. *Væ, quis vivet, ex quo conſtituerit ille* (Deus) *iſta?* (Nam judicium graviſſimum ſequitur.) verſ. 23. Abrab. *ex quo conſtituerit ſe* (Aſſur,) *Deum!* ex Eſa. 14. & Hab. 1: 10. *Nam naves venient de latere Chittim*, (Romanorum; Græci & Itali quoque hoc nomine veniunt) *& affligent Aſſyriam, & Hebræos* Iſraelem, ſed itidem, ut Amalek tandem exterminabuntur, verſ. 24. quod factum eſt in ſubjugatione Orientis & Cananææ per Romanos, & fiet in horum excidio ultimo.

NB. Annon ut filii Seth, pios, ſic Kain impios, & principem eorum notabit? Jud. verſ. 11. eoque Anti-Chriſtum: Vidit Kainitas (impios cæteros: inprimis Babel & Edom, qui Anti-Chriſti imago Jer. 49. & 50. & Kain frater Sethi Abelis,) *dixitque fortiſſima eſt tua habitatio* &c. quod dicitur de Edomo Jer. 49: 16. 39. deque Babele cap. 50: 44. *Sed erit Kain in vaſtationem inferendam. quouſque Aſſur* (unus Kainitarum) *te* (ô Iſrael) *captivum habebit. Væ autem, quis vivet, ex quo* (Kain) *ſe conſtituit Deum?* Anti-Chriſtus 2 Theſſ. 2. *venient enim turmæ* (agreſtes, feroces,) *quæ affligent Aſſyriam*, religionem Ethnicam Orientis, *& Heber*, relig. Judaicam, *ſed tandem erit ille in perniciem* Apoc. 17: 11.

III. Tandem ſubjungitur BILEAMI REDITUS ad ſuos in patriam, & Balaki ex loco illo limitaneo, ad regiam, verſ. 25. Bileam tamen cæſus cum Midianitis Num. cap. 31: 8. quidam volunt propoſitum redeundi habuiſſe, ſed à Midianitis fuiſſe detentum. alii cum audiſſet cladem divinam in Iſraele, veniſſe ad Midianitas mercedem conſilii ſui poſtulatum.

CAP. XXV.

XI. HISTORIA PECCATI BAAL PEORIS. ubi

I. *Locus*, in Sittim, in campeſtribus Moab, ubi ad Moſis uſque mortem hæſerunt, verſ. 1.

II. *Peccatum*, ſcortatio cum filiabus Moab, atque una Midian; quæ forte potiſſimæ in hoc ſcelere, verſ. 8. 17, 18, ſed quæ conjuncta fuit cum idololatria Baal Pehoris, verſ. 1, 2. in quam prolapſi ſunt. verſ. 3. Bellum quod moliebatur Balak mutatum eſt in pacem doloſam. Invitati ad convivia idololatrica, & libidinem; ſive cultus idoli exerceretur libidine; ut in templo veneris Corinthi. Sive occaſione epularum, ebrii ſollicitarentur ad concubitus illicitos. Hebræi ajunt, Baal Pehoris imaginem fuiſſe pudendam, cultumque turpem, detectis natibus, & egeſto ſtercore ויצמד פעור *nudare* 2 Cor. 6. 14. & 1 Cor. 10: 20, 21. alii Priapeja faciunt ſacra. Sic ſpiritalis & corporalis idololatria conjunctæ. ut Rom. 1: 22, ſ.

III. *Pœna*, Deus indignatus ultionem imperat, ſuſpendium principum, nempe inter reos: ut ceu confeſſa maledictio coram ſole exponerentur, ut judicantes femetipſos Iſraelitæ, non condemnarentur à Deo, verſ. 3, 4. Hieroſ. & Jon. Crucifigendos dicunt; alii lapidatos ajunt, & poſt ſuſpenſos. Moſes id exſequendum mandat Judicibus, verſ. 5. contra reos, quos occidi vult, ordinariis nempe pœnis, quomodo lapidatio locum habuit, contra idololatras ſtatuenda. Deut. 13: 10.

IV. *Impudens crimen Zimri*, qui Midianitidem duxit in caſtra, inſpectante Moſe, & omni populo, quo tempore flebant coram tabernaculo, verſ. 6. fuit peccatum elatæ manus. & *extraordinaria pœna.* Phineas Aaronis ex Eleazare nepos, hoc videns, arrepto haſtili ſecutus eos eſt in lupanar, tentorium ad ſcortationem erectum, (niſi ſic vocetur ipſius, quod huic actioni ſacrabat,) & transfixit utrunque ſimul in ventre, (Heb. per pudenda.) & ſic *cohibita eſt plaga*, verſ. 7, 8. ea autem perierant 24000. aſt 1 Cor. 10: 8. dicuntur 23000? Creditur 1000 fuiſſe à judicibus necatos, principes in crimine, reliquos plaga Dei abſumtos eſſe, verſ. 9.

V. *Approbatio facti Phinehaſi*, verſ. 10--13. quia ipſe Sacerdos, cædem geminam patrarat extra judicium, poterat videri homicida, ſaltem indignus Sacerdotio, licet non aliter æſtimaretur quam cædes fortuita: Sed Deus juſtificat ejus actionem, & confirmat ei Sacerdotium; quod bono Zelo ſic egiſſet, & conciliaſſet ea ratione Deum populo, non ſecus ac per hoſtiæ oblationem fieri ſoleret. Pſ. 106: 30, 31.

VI. *Perſonarum à Phineaſo cæſarum deſcriptio*, verſ. 14, 15. Princeps Simeonitarum, non ſummus, ſed ſecundarius. & filia unius quinque principum in Midian.

VII. *Decretum perſequendorum Midianitarum*, lege talionis, quod decepiſſent Iſraelem, etiam filiabus principum ſuam pudicitiam huic actioni poſthabentibus, verſ. 16--18.

Moabi-

Moabitæ non adeo graviter peccarunt, (quos Deus noluit vexari Deut. 2: 9. nisi hoc mandatum ante factum dicamus) sed Midianitæ fuere potiores in delicto. Scilicet cum hi essent subditi Sihonis Jos. 13: 21. metuerunt, ne ab Israelitis, victoribus Sihonis, quoque subjugarentur, atque exscinderentur, eoque omnia insuper habuerunt, ut Israeli perniciem afferrent; quod cum non alia via procederet, seductione, & prostitutione corporum suorum egerunt.

CAP. XXVI.

XII. RECENSIO POPULI PER MOSEN ULTIMA, quam quartam esse diximus ad cap. 1.

I. Hujus *tempus* post plagam Baal Pehoris, quæ non egressos ex Ægypto, prius recensitos, sustulit, sed illorum liberos, conf. cap. xx. vers. 1.

II. *Ministri*, jussu Dei, Moses & Eleazar, adhibitis proculdubio principibus tribuum, ut Num 1. quod suadet, vers. 3. locuti sunt ad ipsos, nempe φυλάρχους. & vers. 4. exemplum census prioris. Ætas recensendorum, uti olim observata, vicennio majorum, bello aptorum: Omnes isti recensi fuere minores sexaginta annis præter Josuam & Caleb, vers. 1–4.

III. *Recensio* hîc fit per familias, quæ enumerantur in singulis tribubus juxta numerum filiorum Patriarcharum, quorum posteritas superstes fuit: attamen in tribubus Juda 2 nepotes quoque & Manasse 6 pronepotes, & unius abnepotis filiæ, & Ephraim 1 nepos, & Aser 2 nepotes recensentur.

Ordo alius. I. Ruben, primogenitus, ubi inserta memoria rebellionis Datani & Abirami, unde liquet nec Kora absorptum à terra, sed igne absumtum, nec filios ejus quicquam passos esse. cui adduntur Simeon, & Gad ejusdem exercitus meridionalis pars. II. Juda, Isachar & Zebulon. III. Manasses primogenitus, & Ephraim, qui alias princeps exercitus hujus & Benjamin, tanden IV. Dan, Aser, & Naphtali:

Tribus nonnullæ senserunt

Incrementum		Decrementum.	
Jud.	1900	Rub.	2770
Isach.	9900	Sim.	37100
Zab.	3100	Gad.	5150
Manas.	20500	Ephr.	8000
Benj.	10200	Napht.	8000
Dan.	1700		61020
Aser.	11900		
	59200		

Israelitæ vicennio majores fuerunt { olim 603550. nunc 601730. } eoque imminuti 1820

Familiæ in universum 57. quibus terra dividenda.

Vers. 46. memoratur *filia Aser Sera*, quæ nata in Canaan cum avo Jacobo venit in Ægyptum, & nunc quoque superstes denuo ingressa est Cananæam. Videtur autem virgo fuisse cum liberorum nulla mentio, ad minimum 256 annorum.

IV. *Distributio terræ* imperata, ut fieret inter hosce recensos, quotquot vicennes; qui v. illam ætatem postea attigerunt antequam occupata terra distribueretur, non nisi patrum portionem sunt consecuti, vers. 52, 53. Sic ut quæ tribus plures habuit vicennes, majorem obtineret hæreditatem, vers. 54. adhibita tamen sorte, vers. 55, 56.

V. *Levitarum recensio* nova, à mense majoribus, 23000. Olim 22300. adeoque aucti septingentis, vers. 57—62. Sigillatim recensi, quia carituri erant hæreditate, & fit mentio specialis posterorum Kehath, ut Aaronis filii enarrarentur, quorum erat Sacerdotium. Korhitæ habent familiam inter Levitas propriam, nil passi ob facinus patris.

VI. *Epilogi* loco indicatur in hoc censu Israelitarum neminem præter Jos. & Caleb. fuisse ex olim censis ante annos 38. juxta denunciationem Dei cæteris omnibus mortuis, vers. 63–65. Restringendum autem id videtur 1. ad mares, qui soli recensi, Num. 1: 2, 3. & hinc superstes Sera filia Aser, & forte plures fœminæ. 11. ad Israelitas, quibus distribuenda terra, quique de suo numero miserant exploratores; & hinc Levitica Num. 1: 47. tribus exemta, quæ etiam non censa à 20 annis, ut cæteræ; quibus mors in deserto decreta Num. 14: 29. III. ad consortes rebellionis illius, Num. 14: 23. 29. eoque superstites, qui non assensi eidem murmuri, & terræ repudio. Eleazar, qui secundo anno ab exitu ex Ægypto fuit cum patre & fratribus unctus Sacerdos, Lev. 8: 90. eoque major triginta annis. & tamen ingressus Cananæam. Phineas hujus filius, in Ægypto natus fuit Exod. 6: 24. sed forte minor 20 annis cum exploratores emitterentur. & fortean similes Eleazaro inter Levitas alii, quanquam mentio desit in Scriptura.

CAP. XXVII.

VI. LEGES politicæ cap. 27. & Cerimoniales cap. 28.

POLITICÆ,

I. DE HÆREDITATIBUS, vers. 1—11.

I. *Occasio* filiarum Zelophehad quinque, nullo fratre, & patre mortuo: qui coram Mose Eleasare & principibus, ad ostium tabernaculi (Synedrium majus designari videtur) comparuerunt, vers. 1, 2. causam suam egerunt, Patrem suum in deserto mortuum, sed non inter rebelles Korahi socios, quomodo pœna in familiam extendi forte posset, nemini autorem peccati fuisse, sed in suo peccato mortuum esse; nullum singulare notant, sed reatum communem, contemtæ terræ; neque filios reliquisse; cum v. soli mares recensi essent, & his distribuenda foret terra; videbant se excluſas: Ast quia Deus Num. 14: 31. moriturorum in deserto liberis terram promisisset, sibi titulo מִשְׁפַּחַת quoque jus vindicarunt. Eoque poscunt ut patris habeatur ratio, licet filiis destituti, sibi hæreditate assignatâ, vers. 3—4.

II. *Consultum à Mose oraculum*, vers 5.

III. *Responsum Dei.*

A. *Speciale*, *probans* postulatum filiarum, *jubensque* iis dari hæreditatem inter fratres, & successionem paternæ, vers. 6. Hæc duo membra vel mutuum se declarant, vel, juxta Hebræos, longe ampliora continent. Zelophehad una cum patre Hepher, cujus primogenitus erat, egressus est ex Ægypto vicennio major, proinde ipsi æque ac Patri debita fuit portio terræ singularis: & hanc filiabus jubet Deus dare: sed insuper quia fil. primog. Hepheri, debebatur ei portio hæreditatis paternæ cum reliquis fratribus, & quidem dupla, & hanc quoque per successionem avitam iis jubet dare.

B. *Generale* de hæreditatibus, vers. 8—11. *Mortui hæreditas* devolvitur (1.) *ad filium*, & ejus descendentes. (2.) *ad filiam* & hujus descendentes. (filiabus nulla portio, si filius aut hujus descendentes cujuscunque sexus sint superstites.) (3.) *ad patrem*, quem fratribus Hebræi præmittunt. (4.) *ad fratres* & descendentes, (5.) *ad sorores*, & descendentes. (6.) *ad avum* paternum, ad hujus filios, vel filias, vel fratres, vel sorores, & hoc ordine porro adscendendo descendendo, ad proximum superstitum, quomodo nemo in Israele moritur, sine hærede.

Materna familia nihil habet juris ad hæreditatem. Sed solum paterna, & pari loco sunt fratres consanguinei, & genuini: imo etiam spurius pari loco censetur; dummodo non sit natus ex serva aut gentili, qui ventrem sequitur, & hæreditate excluditur.

II. DE SUCCESSORE MOSIS POLITICO, quem popoſcit Moses.

I. *Occasio*, quod juberetur de monte Abarim, Nebo nempe, contemplari eminus terram, ibi moriturus, sicut Aaron ob peccatum admissum in Kades, circa aquas, vers. 12—14.

Petitio Mosis: ut Deus omnium Spirituum Dominus præficiat populo ducem, cujus curæ commendetur pace & bello, (Deut. 31: 2.) ceu pastor Joh. 10: 3, 4. quo sine populus misero loco futurus sit, vers. 15—17.

Substitutio Josuæ, *mandata* à Deo, qui nominatur, commendatur ordinari jubet per χειροθεσίαν, propositionem coram Eleazare & populo, institutionem, honorem communicatum, ut ab omnibus agnoscatur, vers. 18—20. Dare honorem 1 Chron. 29: 23. 25.

Obligatio Eleazaris, ut consulenti Josuæ Deum per Urim, respondeat, & de omni muneris parte instruat, vers. 21.

Exsecutio ex præscripto, vers. 22, 23. Hinc notant non licuisse cuivis consulere Deum per Urim, sed solum principi populi aut exercitus duci.

CAP. XXVIII.

CEREMONIALES LEGES
DE OBLATIONIBUS CERTORUM temporum,

In genere, vers. 1, 2. oblationes statis temporibus offerendas, ut non permutentur diei cum die, aut differantur de die in diem: nam עבר זמן עבר קרבן. Vocat autem cibum suum, quia mensæ instar erat altare, ubi igne Dei absumebatur, & erat ad beneplacitum.

In specie.

I. *Juge* duorum agnorum, singulis mane & vesperi in holocaustum, cum suo mincha & libamine, vers. 3--8. hoc fuit primum & postremum singulis diebus, nullo alio vel antecedente vel sequente, attamen Pascha mactabatur post juge vespertinum. Libamen, vers. 14. יין dicitur שכר intelligitur autem *vinum præstantissimum*: non mustum, sed defœcatum, quod inebriare queat.

II. *Sabbathicum*, præter juge, duo agni cum appendicibus, vers. 9, 10.

III. *Novilunii*, duo juvenci, unus aries, & 7 agni, cum appendicibus, in holocausta: item hircum pro peccato præter juge, vers. 11--15.

IV. *Paschale*, præter agnum Paschalem & azyma, primo & septimo die festi, uti in Novilunio, vers. 16--25.

V. *In festo primitiarum*, similiter ut in neomeniis, vers. 26--31.

CAP. XXIX.

VI. FESTI *tubarum*, itidem ut in neomeniis: & præter neomeniæ oblationem ac juge, vers. 1--6.

VII. *Festi Expiationis*, rursus eædem oblationes quæ in noviluniis, præter singularia illa, quæ Lev. 16. præscripta, vers. 7--11.

VIII. *Tabernaculorum*, per septem dies agitandi, quibus singulis offerendi arietes bini, agni 14. & hircus unus pro peccato, cum suis appendicibus; adhæc die primo 13 juvenci, & seqq. diebus semper uno minus, ut septimo die non nisi septem offerrentur, vers. 12--34. Ast die octavo, qui magnus dies festi, non alia sacrificia quam in neomeniis, vers. 35--38.

CLAUSULA generalis, vers. 39, 40. hæc in festis tempore statuto docet observanda, præter votiva & voluntaria.

CAP. XXX.

CEremon. legg. DE VOTIS, distinctæ ratione personarum. Imperatur principibus tribuum, vers. 1. ut attenderent ad præstationem; vel saltem, ut per eos innotesceret universis: ut modus publicationis: indicetur.

I. *Virorum*, vers. 2. seu adultorum marium, si quis votum faciat, Deo, Nazireatus, æstimationis hominis aut bruti, aut oblationis cujuscunque; vel homini, puta eleemosynarum aut juramento se obliget, de re futura facienda, vel non facienda; לאסר אסר ut prohibeat se ab usu rei licitæ, non ut permittat sibi usum illicitæ. Potest voto libertatem suam restringere non autem ampliare. non debet irritum facere suum votum, sed præstare exacte quod dixit: Imo ne quidem dilationem probant Hebræi, ex Eccl. 5. vers. 3. s.

II. *Virginum* domi & sub potestate patris, vers. 3, 4, 5. Hebræi minorennium nulla dicunt esse vota. Hoc intelligunt, de ultimo anno minorennitatis, dum agit annum duodecimum (& sic filius dum decimum tertium) inquirunt autem num quid votum sit & cui voverit, intelligat, & hoc si rite doceat, tum in patris arbitrio est, stabilire votum silendo, vel irritum reddere, contradicendo: quæ contradictio fieri debet non die voti, sed quo Pater de eo quid rescivit. Majorennis, quæ 12 annum & diem unum superavit, & filius anno major illa, quicquid voverunt, sive intelligant votum sive non, stabile est neque patris arbitrio obnoxium. Attamen virginem cujuscunque ætatis domi paternæ sub patris potestate collocat Apostolus 1 Cor. cap. 7: 36, 37. Patre annullante votum filiæ, Deus huic condonat, quia non sui juris est: neque licet illi impeditum à Patre votum postea præstare. ne patri sit inobediens.

III. Conjugatarum, vers. 6, 7, 8. *pronunciatio labiorum* pro juramento sumitur. Votum & juramentum stabit, marito quo die conscius erit, tacente; irritum erit contradicente, voce externa; & condonabitur uxori à Deo, quæ sui juris non fuit.

IV. *Vidua & repudiata*, (sic quoque virgo orba) quicquid vovet ratum est, vers. 9.

V. *Conjugatorum* repetitur, vers. 10--13. sic ut mariti potestati permittatur vota facere rata vel irrita. (Desponsatæ vota domi paternæ facta, irrita fiunt à patre & sponso, aut hoc moriente, ab illo solum, non autem solum à sponso. Factum votum domi paternæ, (ut caro mihi vetita sit post 30 dies, si intra dies 30 illos nubat, maritus nequit reddere irritum.) Si maritus silentio probasslit, & post demum impedierit, reatus non soluti voti mariti est, vers. 14, 15. Clausula vers. 16.

CAP. XXXI.

VII. HISTORICA rursum, & quidem.

I *BELLUM MIDIANITICUM.*

I. *Mandatum* à Deo Mosi ante mortem, vindicando Israeli, quem deceperant in negotio Baal Pehoris, vers. 1. 2. Moses vocat vindictam Domini, vers. 3. quia à Domino imperatam, & pertinentem ad ultionem ejus à seductoribus. Heb. *Qui Israeli, idem Deo bellum infert, & Deum aque vindicem habet.*

II. *Susceptum*, Mose jubente illud suscipi, vers. 3. delectumque haberi millenorum ex singulis tribubus, vers. 4. exercitus 12000 emissus, addito Phineaso cum vasis sacris (sive arca fœderis, sed ea non fuit delata in aciem, neque solus Phineas ei gestandæ suffecisset; sive capsa in qua Ephod, cum Urim, ad consulendum Deum, nomine imperatoris, ut 1 Sam. 14: 18. 2 Sam. 11: 11. Hoc Ephod enim induere licuit consulendi ergo, & alii Sacerdoti, non gestare ministrandi gratia, nisi soli Pontifici.) & tubis, vers. 5, 6.

III. *Gestum* victoriosè, occisis omnibus maribus hostium, vers. 7. quinque regibus Midian, qui antea duces, & duces Sihon Jos. 13: 21. scilicet Sihon necato, jam sui juris & summæ potestatis fuerunt, regiæ nempe: atque etiam Bileamo, vers. 8. acta præda tum hominum, mulierum & parvulorum, tum pecorum bonorumque aliorum, vers. 9. vastata t ra, combustis urbibus & arcibus, vers. 10.

IV. *Reditus* ex bello, adducta captivitate ad castra Israelis, vers. 11, 12. ubi שבי *captivitas* hominum, מלקוח *præda* pecorum, & שלל *spolia* cæterarum rerum, ast מלקוח vers. 11. etiam homines complectitur.

V. *Exceptio* reducum, (α.) *occurrunt* extra castra Moses Eleazar & principes, vers. 13. (β.) *indignatur* Moses ducibus militiæ ob servatas mulieres, quæ causa fuerant magnæ illius apostasiæ ad Baal Pehorem, vers. 14--16. (γ.) *jubet* necare omnes mares inter pueros, & omnes mulieres, virum passas, solis puellis virginibus servatis, vers. 17, 18. (δ.) *imperat* militibus omnibus purificationem septiduanam extra castra, aquis separationis, 3 & 7 diebus, quotquot aliquem hostium necassent, aut spolia tetigissent. Mundari etiam ipsa spolia, vers. 19, 20. (ε.) *Eleazar* Sacerdos de mundandis vasis in spoliis præcepta dat: quæ ex metallo sint, & ignem ferant, citra corruptionem, per ignem purganda, & insuper aquis illis adspergenda; alia solum aquis. Ipsosmet præter aspersionem etiam corpora & vestes diebus 3 & 7 debere lavare & tum demum ingredi castra, nempe sole occaso, vers. 21--24. (Quidam per ignem transmittenda dicunt vasa, quorum usus est in & circa ignem, verua, lebetes &c. sed etiam stannea & plumbea annumerantur, quibus in igne non utimur; eoque generaliter ut per ignem subito trahantur. Per aquas mundantur calidas, quæ in calida usurpari solent, & quæ in frigida frigidas: nam quædam non ferunt calidam.) (ζ.) *Leges de dividendis spoliis*,

liis, Ita David prædam partitus eſt 1 Sam. 30. media parte iis aſſignata qui fecerant expeditionem; mediâ omni populo, qui manſerat in caſtris: Adhæc tributo dando Deo, de militum portione quingenteſimum hominem, atque pecus, ceſſurum Eleazari: & de portione populi quinquageſimum hominem & pecus, ceſſurum Levitis, verſ. 25--30. Camelorum nullam mentionem fieri dicunt Hebræi, quia tributum Deo non pendatur, de immundis; præterquam de aſinis, cujus primogenitus quoque ſanctificatus, & hac propter redimendus.

VI. *Exſecutio*, & partitio prædæ omnis, verſ. 31--47.

VII. *Votiva oblatio* ducum militiæ. Cauſa eſt, quod nullus militum, luſtratione poſt reditum facta, deſideraretur, verſ. 48, 49. *Votiva* ſunt inſtrumenta aurea, ad expiandum pro animabus, ſive ut inde emerentur victimæ expiatoriæ, ſeu (quia in deſerto non amplius oblatum quicquam fuit,) lytron animarum, quæ ſervatæ fuerant in bello, & quod ob ſervatas mulieres Midianitidas non eſſent à Deo puniti, verſ. 50. *Moſes & Aaron* accepta donaria aurea depoſuerunt in tentorio conventus coram Domino, memoriale Iſraelis. Sic poſt David 2 Sam. 8: 10, 11.

CAP. XXXII.

II. TRANS-JORDANEM REGIO ASSIGNATA Rub. Gad. & Manaſſ.

I. *Poſtulatum Rub. & Gad.* (1.) *occaſio*, abundabant pecoribus, & obſervabant Sihonis terram eſſe paſcuis lætam, verſ. 1. (2.) *petitio*, propoſita Moſi, Eleazari, & principibus populi, verſ. 2. Terram hoſtibus à Deo ereptam, paſcuam eſſe, quali egeant; ſibi ergo beneficium ejus fieri poſcunt, neque Jordanem cogantur transire, verſ. 3--5.

II. *Moſis indignantis reſponſum*, (1.) An ſibi quietem poſcant, fratres reliquos belli periculo ſolos exponant contra amorem fraternum, verſ. 6. (2,) Quod exemplo ſuo Iſraelitarum reliquorum corda frangerent, ut pariter averſaturi eſſent tranſitum Jordanis, ad occupandam Cananæam, verſ. 7. quemadmodum olim factum fuerat per exploratores terræ, qui autores fuiſſent, repudiandæ terræ, verſ. 8, 9. quamobrem offenſus Deus juramento excluſiſſet viſu (fruitione) terræ omnes majores vicennio, Joſua & Calebo exceptis, verſ. 10--12. & in deſerto detinuiſſet totis 40 annis, donec omnes rebelles illi perirent, verſ. 13. ita autem imitando patrum peccatum ſimilem pœnam in populum eſſent acceſſituri, verſ. 14, 15. תרבות אנשים חטאים (multitudo, vel nova ſoboles ſuccreſcent. Heb. indolem notat.)

III. *Replicatio* R. & G. qua nec fratres ſe deſerturos, nec repudiandæ terræ autores futuros dicunt. Imbellem multitudinem duntaxat infantes (cum matribus.) & greges relicturos iſtic, ut quieſcant, verſ. 16. ſe vero, (qui bello apti) non tantum tranſituros Jordanem, ſed fore primos, antecedentes ſuos fratres in bellis, uſque dum hi occupaſſent poſſeſſionem in terra, tantiſper abfuturi à propriis domibus, verſ. 17, 18. Renunciare hæreditati ſuæ in Cananæa (quæ proinde fratribus amplior poſſet obtingere,) quia trans-Jordanem ſuam obtinuiſſent, verſ. 19.

IV. *Aſſenſus Moſis*, ſub conditionibus oblatis. ut armati antecederent exercitum Domini, & tranſirent Jordanem pariter Cananæos expulſuri; non rediturі ad ſuos niſi ſubjugata terra: ſic culpa carituros coram Deo (eum non provocantes faſtidio aliquo terræ) & coram Iſraele (quem non deſtituerent) & trans-Jordanicam fore ipſorum poſſeſſionem coram Deo, illo probante & donante, non ſecus ac reliquis, verſ. 20--22. ſin contra agerent, Deo reos fore, neque judicium ejus evaſuros, verſ. 23. Jubet occupare ſedes & proſpicere imbellibus & gregibus, & implere promiſſa cætera, verſ. 24.

V. *R. & G. ſtipulatio* ſe facturos ſua promiſſa & Moſis mandata, verſ. 25--27. R. & G. & Men. media vocati ſunt à Joſua, ut promiſſis ſatisfacerent, ſeque omnes paratos profitentur Joſ. 1. attamen Joſua poſtmodum non omnes adſumſit, ſed delectum duntaxat, (quemadmodum etiam alias non omnes in expeditionem; verunt, ſed delecti) ſic reliqui manſere domi ad defenſam terræ & ſuorum. Fuerant in Cenſu

Rub.	43730.
Gad.	40500.
Man. med.	26250.
	110580.

Ivere cum Joſua circiter 40000. Joſ 4: 12, 13.

VI. *Obligatio eorundem coram Eleazaro, Joſua, principibus*, Si armati R. & G. tranſirent priores Jordanem, dandam eis Gileaditidem: Sin nollent, non eſſe illis dandam, ſed una ducendos ut in Cananæa cum cæteris herciſcant hæreditatem, verſ. 28--30. Ubi denuo promittunt, ſe id facturos, ut potiantur Gileade. verſ. 31, 32.

VII. *Aſſignata R. & G. & media Manaſſis regna Sihonis & Ogi*, verſ. 33. & occupata à Gaditis, verſ. 34--36. à Rubenitis, verſ. 37, 38. & à Manaſſitis Machiris poſteris Gilead, probante Moſe, nec non à Jairis & Noba, verſ. 39--42.

CAP. XXXIII.

III. CATALOGUS ITINERUM ET STATIONUM ISRAELIS, inde ab egreſſu ex Ægypto uſque in campeſtria Moabi: à Moſe ipſo deſcriptus. verſ. 1--49. ubi prolixiſſimus eſt quoad terminum à quo, quando cœperint iter, poſtridie Paſchatis, 15 Niſan. Ægyptiis ſpectantibus, ſed quo minus impedirent occupatis in ſepulturis primogenitorum, qui una cum Diis ipſorum judicio Dei afflicti fuerant. Tum recitat 42 Stationes, nihil notans præter nomina locorum, niſi quod memoret tranſitum maris, ubi Etham deſertum utrinque locat, quamquam quod trans mare fuit etiam Schur diceretur nomine alio Exod. 15: 22. 12 fontes & 70 palmas in Elim; mortem Aaronis in monte Hor, anno exitus 40, menſis quinti die primo, ætatis anno 123. Regem Arad primum Cananæorum qui oppugnavit Iſraelem.

VIII. LEGES POLITIÆ.

I. *Mandatum de expellendis Cananæis*, & omnibus inſtrumentis & locis, idololatriæ ipſorum deſtruendis, verſ. 50--52. Rationes I. à commodo, poſſeſſione vacua terræ, quam ſorte debeant diſtribuere: ut ante mandatum, cap. 26: 54. verſ. 53, 54. 2. ab incommodo, non expulſis Cananæis, ab ipſis illis, quod futuri ſint in ſtimulos & ſpinas lædentes ipſos, & multam anguſtiam allaturos, verſ. 55. quod experti ſub Judicibus ſæpiſſime. ſic Joſ. 23: 13. Ezech. 28: 24. & à Deo, qui in ipſos eſſet ſtatuturus, quod ipſi non ſtatuerant, verſ. 56. Conf. 1 Reg. 20: ult.

CAP. XXXIV.

II. DESCRIBUNTUR TERMINI CANANÆA, cum mandato ut novem cum media decima tribubus ſorte ea diſtribuatur, quia binæ ac dimidia tertia tribus ab altera Jordanis parte ad orientem jam hæreditatem nactæ eſſent, verſ. 1--15. tum nominantur decem viri de ſingulis tribubus hæreditatem Cananææ conſecuturis, una cum Eleazaro & Joſua, qui diſtributionem terræ inter tribus ſortito peragerent, verſ. 16--29. qui heic autorantur.

CAP. XXXV.

III. DE *habitatione aſſignanda tribui Levi*, (nam etiam Sacerdotes comprehenſos docent hiſtoria Joſuæ; neque enim hi magis ſub dio hærere debuerunt aut potuerunt, ac Levitæ.) Iſraelitæ de ſua ſinguli portione dabunt ipſis civitates ad habitationem, & ſuburbia pro pecoribus, verſ. 1, 2, 3. Suburbiorum autem menſura eſt 1000 cubitorum circumcirca murum urbis, verſ. 4. tum adhuc ſpatium extra ſuburbium, 2000 cubitorum quaquaverſum, quod itidem ſuburbiorum nomine latiori ſenſu, venit: in uſum, hortorum, vinearum, agrorum, verſ. 5. Abrab. in univerſum 2000. & horum mille ſuburbium pro pecudibus mille pro vineis &c. Hebræi, quia לכל חיתם dicitur, ajunt præterea datum unicuique civitati extra ſuburbia late dicta, cœmiterii locum. Sic Levitæ ſparſi per Iſraelem Gen. 49: 7. ceſſitque id bono ad inſtitutionem pop.

Definitur numerus urbium, 6 urbes refugii (de quibus post) & 42. alias, in universum 48. urbes, vers. 6, 7. & observanda proportio hæreditatis tribuum, ut quæ ampliorem obtinuerat, plures urbes daret Levitis, quæ arctiorem pauciores, vers. 8.

IV. *De homicidio fortuito & asylis*, ubi.

A. *Urbes segregandæ*, mandatum Israelitis postquam transiissent Jordanem, vers. 9. 10. (attamen Moses in partibus illis, ubi morabantur, jam tres delegit urbes. quod Israelitæ haberent possessionem Deut. 4: 41.)

Usus urbium, refugium pro homicida involuntario, vers. 11. ne necaretur à vindice occisi, nondum in judicium adductus, vers. 12. Qui se ad asylum receperat, ingrediens portam Senioribus urbis edebat causam suam, qui eum recipiebant: tum Seniores suæ urbis eum evocabant ad judicium, ubi, si reus foret, morte afficiebatur; sin innocens mittebatur ad urbem illam, ceu in exilium, usque ad mortem Pontificis. Bechai. *Cor principium actionum; quod si non consenserit in homicidio cum corpore, non morte sed exilio plectitur homicida, quia involuntarius. Et quia Adam per errorem, non destinato animo, mortem attulit omnibus generationibus posteris, exilio multatus est; ejectus ex paradiso.*

Numerus & situs urbium, sex vid. ab utraque Jordanis parte ternas, vers. 13, 14. privilegium æquale indigenis & peregrinis, vers. 15.

B. *Homicida* tutus futurus, qui errore trucidat alium, vers. 15. talis.

א. *Non est*, qui necat alterum ferro quocunque & acu, vers. 16. lapide aut ligno, quæ ratione jacientis ferientisve, distantiæ, & regionis in necato tactæ, possunt lethale vulnus plagamve facere, vers. 17, 18. hunc vindex, (postquam judicio damnatus erat) poterat occidere, sibi à judicibus traditum Deut. 19: 12 בפגעו בו *quando ei occurrit*, (postquam reus est declarat[us] à suæ urbis judicibus) etiam in urbe refugii, licite vindex eum occidet. Sic fit exsecutor judicii, non autem vindictam privatam exercet. Chald. *quando ipsi adjudicatus reus fuerit à judicibus*, vers. 19. item qui necat alium ex odio secreto, & impellat eum, ut de tecto gradibusve labatur ex insidiis, ut projiciat in eum lapidem, ex inimicitia aperta, etiam manu, homicidii voluntarii reus est, vers. 20, 21.

ב. *Est* qui facit subito, sine inimicitia, impellens eum ut prolabatur, aut projiciat in ipsum lapidem, aliudve non ex insidiis, ut superne ipsum petat, aut si ex improviso aliquid projiciens, quo occidi queat, tangat aliquem, quem non videt, ut nec hostis necato sit, neque noxam ejus quæsiverit, vers. 22, 23. de hoc uti cognoverint judices, absolvent necantem, & eum tuebuntur à vindice sanguinis, & incolumem sistent rursus in asylo suo quod delegerat, vers. 24, 25.

C. *Mora in asylo*, usque ad mortem Pontificis maximi; tantisper non licebat egredi extra suburbia, ne quidem ob festa, aut ad dicendum testimonium in rebus pecuniariis, aut capitalibus. Extra asyli terminum repertus impune necari poterat à vindice; sed si eum intra terminum necasset, rursum id morte habebat luendum, vers. 26, 27. mortuo Pontifice redibat in patriam, sed tamen Hebræi ei negant admissionem ad ullam dignitatem ob datum scandalum. Si ante moreretur, quam in exilium mitteretur, ossa eo deferebantur, sed istic mortui ossa, finito exilio, referebantur in patriam, vers. 28. estque hæc constitutio perpetua, vers. 29. Mors summi Sacerdotis expiat: quia justorum mors est expiatoria. Raknat. quando כֹּהֵן justitia vindicativa mundo incumbit, non propitiatur placaturve, nisi per bonos, qui istic sunt. Valet hoc de uno justo & bono præter quem nullus alius, Messia, & hujus Pontificis mors, quia simul hostia, omnia peccata, etiam ignorantiæ expiat.

D. *De judicio homicidæ*: convictus testibus pluribus uno, necandus, vers. 30. nullum lytron admittendum pro homicida voluntario, (qui רשע id est nocens) quo minus necetur, vers. 31. Hebræi, non admittitur lytron, licet omnes opes mundi daret reus, licet etiam vindex in eo acquiescat; nam anima occisi non est possessio vindicis, sed Dei ipsius, Imosi vindex nolit, aut non possit eum occidere, aut nullus vindex sit, judices gladio homicidam necabunt. Nullum etiam lytron pro homicida fortuito, qui in exilio, (לָנוּס non est infinitivus, sed Pahul, qui fugit,) ut ante mortem Pontificis redeat in patriam, vers. 32.

Ratio, ne polluatur terra, quæ non nisi sanguine homicidæ expiatur, vers. 33. quia Deus istic habitat, unde pollutio cavenda, vers. 34. Prov. 28: 17. *Nemo opem ferat homicidæ.* Hebræi: *Effusio sanguinis severius prohibita, quam quicquam aliud contra proximum: quod terra polluatur.*

CAP. XXXVI.

V. DE *hæreditatibus*. Occasione ejus quod filiabus Zelophehad, & similibus concessum erat, quidam de tribu Manassis queruntur, quod illis puellis ἐπικλήροις nubentibus in alienam tribum, suam portionem eo quoque sint translaturæ, & cum Jubileus quemvis jubeat redire ad possessionem suam hæreditariam, abolita venditione confirmatum iri hæreditatem hujusmodi puellæ alienæ tribui, liberis nempe ejus, paterno genere de alia tribu, vers. 1--4.

Respondet Moses, jussu Dei, in hypothesi, filias Zelophehad nubere posse pro libitu, sed non extra tribum suam, vers. 5, 6. nam hæreditates non esse devolvendas in alienam tribum, vers. 7. in thesi ἐπικλήρους virgines non nisi in sua tribu debere nubere, ut hæreditates cujusvis tribus maneant integræ & constantes, vers. 7--9.

Eventus, filiæ Zeloph. nupsere suis patruelibus, & mansit hæreditas earum in sua tribu, vers. 10, 11, 12. Puella quæ nubebat extra tribum suam (præterquam Leviticæ, quæ successione excludebatur) vocabatur זוֹנָה quia nullo commodo poterat esse ducenti; talis mater Jephtæ. juxta R. Salom. ita Bechai.

CLAUSULA GENERALIS, vers. 13.

COM-

JACOBI ALTING
IN
DEUTERONOMIUM
COMMENTARIUS

Ad Cap. 19. ℣. 11. *perductus.*

JACOBI ALTING

IN

DEUTERONOMIUM

COMMENTARIUS

COM-

COMMENTARIUS THEORICO-PRACTICUS IN DEUTERONOMIUM.

ROm. 16: 25, 26. *Prædicatio Jesu Christi per Propheticas Scripturas juxta mandatum æterni Dei ad obedientiam fidei inter omnes gentes notificata est*, dicit Paulus in extremo Epistolæ. Erat ille Apostolus Gentium, à Christo vocatus, uti à Deo inde ab utero matris destinatus, qui Christum per Euangelium Gentibus annunciaret; is indicat tum instrumentum quod adhibendum erat, *Propheticas Scripturas*, non solum utile, sed etiam necessarium, *ex mandato Dei æterni:* & quemadmodum væ sibi fore dicit si non euangelizaret, ob necessitatem sibi impositam 1 Cor. 9: 16, 17. & creditam œconomiam; sic quoque si aliter annunciaret neglecto aut repudiato instrumento Propheticarum Scripturarum: quemadmodum illo semper usus est Act. 26: 22. 1 Cor. 15: 3. tum finem qui sic obtineri posset, *obedientiam* nempe *fidei*, quam fides aliunde accersitis viribus præstaret, idque *inter omnes Gentes*, hoc est quascunque nationes & populos gentium. Inter hos etiam nos sumus, ut de Romanis loquitur Rom. 1. vers. 6. Gentes origine, quique characterem gentilium in carne gerimus, præputium; incircumcisi omnes, ast vocati J. Christi, utpote ad quos etiam Euangelii præconium pervenit; adeoque spectatur etiam inter nos obedientia fidei, ceu finis missi Euangelii; ut nobis persuadeatur obedientia, sed haud alia quam quæ fidei est, ut convincamur tum de obedientiæ necessitate, tum de nostra impotentiâ, tum de plenitudine virium extra nos, atque harum adipiscendarum possibilitate per fidem. Verum ut id rite fiat adhibendum instrumentum à Deo ordinatum & imperatum, Scripturæ Propheticæ. Etenim cum Deus sit qui solus dat incrementum, utique verisimile est id liberalius largiturum, quando iis utimur mediis, quæ ipsemet mandavit; adeo ut non minus sapientissimum sit sequi quod sapiens solus Deus ordinavit, quam utilissimum in persequendo nostro bono obsequium præstare, quod nunquam sinit abire sine remuneratione. Hæc causa est cur finitâ Epistola ad Romanos ad Prophetas Veteres nos convertamus. Atque hîc ex omnibus delegimus antiquissimum, qui quidem aliquid scriptum reliquit; imo omnium illorum maximum, cui nemo par; usque dum ad alterum maximum J. Christum pervenerimus. Ille enim est primus omnium qui scripsit præconium J. Christi ad obedientiam fidei inter Gentes tandem excitandi. Etenim scripsit ille de Christo, adeo ut qui ipsi credit vel non credit, Christo credat vel non credat Joh. 5. vers. 46. testante J. Christo ipso, & quod Paulus ad Romanos docuit, proposuit in hoc libro verbum fidei idem cum eo quod Apostoli præconiarunt Rom. 10: 6. s. & gentes juxta cum populo Dei, Israele, jubilaturos, agnito Deo in Christo Rom. 15: 10. Equidem tribuitur Mosi ministerium mortis & condemnationis 2 Cor. 3: 7. s. sed id non impedit, quo minus etiam præconiarit Christum: nam qui fuit accusator fœdifragorum & qui eos condemnandos argueret Joh. 5: 45. idem quoque Christum præconiavit, & pædagogus ad eum fuit. Gal. 3: 24. Sed quod eum non videant, non agnoscant Judæi, vitio ipsorummet fit. 2 Cor. cap. 3: 14. s. *obduratæ sunt mentes ipsorum: nam in hodiernum usque diem manet velamen super cordibus eorum, quando legitur Moses*, vers. 1, 5. Quomodo non vident, nec intelligunt, quod Moses scripsit: *sed quando convertetur ad Dominum, retegetur velamen*; & remoto impedimento, clare videbunt, quem ille prædicavit in suis scriptis. Quod quidem nostro exemplo discimus, nam *nos omnes facie retecta, gloriam Domini tanquam in speculo intuentes ad eandem imaginem transformamur, ex gloria in gloriam, sicut à Domino Spiritu.* Speculum istud Moses est, Jac. 1: 23. seq. cujus scripta vocat *Legem perfectam libertatis.* Ille exhibet faciem Christi, qualis est, repræsentatam in suo libro, uti speculum solem, & hic eum intuentes possumus ad ejus imaginem transformari, de gloria in gloriam. Ut sicuti Moses intuendo Deum consecutus est faciem gloriose coruscantem, ita nos intuentes Christum pariter ei conformemur facti lux in Domino Eph. 5: 8. Quod quidem non contingit nisi à Domino Spiritu; qui ubi est, libertatem à velamine largitur. Habuit eum Spiritum liberaliter Moses, adeo ut de plenitudine ejus acceperint septuaginta Seniores Num. 11: 17. 25. dante eis Deo de Spiritu Mosis. Et hujus Spiritus donatio olim concessa Apostolis liberalissime ad intellectum Propheticæ Scripturæ nobis etiamnum postulandus est, quo liberemur servitute velaminis, & retecta facie videre queamus & gloriam Mosis scribentis, & gloriam Christi inprimis, de quo scripsit ad nostram conversionem & fidem, vitamque dignam Deo & Christo, ac Euangelio gratiæ ejus, quod Moses nobis scriptum reliquit. Cæterum cum Moses plures scripserit libros, quos omnes pertractare longum nimis foret, neque sperare liceat id à nobis fieri posse, delegimus unum, eumque ultimum. Etenim iste habet summam trium præcedentium; ut in hoc uno tres illos cognoscere queamus. Primus liber ejus ad præparationem pertinet; cum enim scopus ejus sit recitare, quâ ratione populum peculii sibi Deus delegerit, cujus ipse Doctor pariter & gubernator fuit; ut ejus origo constaret, de primâ origine mundi agit & hominum in mundo, & Ecclesiæ inter homines & Israelis ex iis qui Ecclesia fuerant filiis Noachi: & declarat, quomodo Israel à Deo vindicatus, & mox fœdere & legibus fuerit Deo devinctus. Verum hoc ultimo libro illa omnia compendio complexus est. Accedit quod id fecerit sub extremum vitæ, valedicturus populo; morituri autem non omnia repetere possunt, quæ toto vitæ tempore monita salutaria suis inculcarunt, sed summam tantum, & unde reliquorum memoria excitaretur, quæ quidem efficacissimis argumentis, quæ comminisci possunt, roborant, eosque stimulos figunt, quibus loquentium & sermonum ab iis profectorum oblivio submoveatur, Quod quidem à primo statim libri initio discimus, Habet ille I. inscriptionem, vers. 1--5. II. Præparationem ad audiendam Doctrinæ sacræ repetitionem, vers. 6. ad finem cap. 4. III. Repetitionem ipsam cap. 5--30. IV. Extrema Mosis ad confirmationem pertinentia cap. 31--34.

CAPUT I.

PARS PRIMA LIBRI.

Vers. 1. ISta sunt *verba quæ eloquutus est Mosche universo Israeli cis Jardenem; in deserto, in campestribus* quæ sunt *è regione Suph, inter Paranem & Thophelem, & Labanum, & Chatzerothas, aç Di-zahabum:*

Vers. 2. Distantia *undecim dierum à Chorebo* facto *itinere* per *montana Sehiris, ad Kadeschum Barnehæ usque.*

INSCRIPTIO bimembris est & generalior, vers. 1, 2. & specialior, vers. 3, 4, 5. Illa quid repetierit, indicat; ista quando & ubi repetierit.

GENERALIOR habet quid, à quo, quibus, & & ubi propositum sit.

I. QUID. *Hæc sunt verba.* דברים non solum *Sermones*, sed etiam *actiones* designat, res gestas, uti *verba dierum*, quæ Chronica dicimus. Liber Jeremiæ inscribitur. *Verba Jeremiæ*, quia non solum conciones ipsius, sed etiam vocationis functionisque obitæ historia inibi perscripta est. *Verba iniquitatum* Psal. 65: 4. actiones non minus quam sermones vitium habentes. Posset etiam hic sumi pro historia, cum nonnulla historica recenseantur, sed quia sequitur, *quæ locutus est*, simplicius accipitur de concionibus & institutione quam peregit; quanquam occasiones & aliæ circumstantiæ non sint neglectæ, quatenus momentum habent ad doctrinæ commendationem & confirmationem.

II. A QUO, *Moses* is est. De quo multus sermo est per universam Scripturam. Natus is fuit in Ægypto anno mundi 2373. ante Christum fere 1600. (Bucholzerus 1598.) patre Amram, qui nepos Levi filii Jacob, & matre Jochebed ejusdem Levi filia, eo tempore cum Pharao Rex Ægypti Israelitarum multitudinem veritus, ipsos imminuere decrevit, exstinctis qui nascerentur masculis, quos suffocari jusserat in aquis. Idem fatum metuens ejus mater, per trimestre eum occultavit domi suæ; sed cum nequiret diutius id agere, in juncea arca eum exposuit ad ripam Nili: ubi inventus à filia Pharaonis, & ob miram pulchritudinem dilectus, exu. actus fuit ex aquis (unde *Mosè* dictus) & ab ea educatus & adoptatus, omni sapientia Ægyptiorum instructus fuit, vixitque in aula Pharaonis ad annum ætatis 40. Quando inde egressus ad visendos fratres, instinctu Dei Ægyptium, qui Israelitæ injuriam inferebat, occidit; & cum non agnoscerent liberatorem Israelitæ, Pharao autem quæreret eum ad mortem, ob cædem illius Ægyptii, fugit in Midiam, ubi post exactos alios annos 40. postquam mirabiliter à Deo vocatus esset, & multa miracula in Ægypto patrasset, ad confirmationem suæ legationis, tandem eduxit Israelem ex Ægypto per mare rubrum in desertum, usque ad Jordanem annis 40. adeo ut ministerium ipsius fuerit 40. annorum, de quibus sermo est, quod illis durantibus ista sit locutus.

III. QUIBUS, *ad omnem Israelem*, totum illum populum, qui à Jacobo descendit, per duodecim ejus filios, qui cum excessissent ex Ægypto, 603550. fuerunt virorum, qui vicennes erant ad minimum, & cum conciones hujus libri haberentur, in secunda recensione 601730. præter tribum Levi, inter alias non recensitam vice utraque: cui tamen non secus ac cæteris omnibus, ista locutus est, omnium communis doctor & ductor.

IV. UBI. Istud per varias circumstantias declaratur: factum est *cis Jordanem*, (neque enim Moses eum unquam transiit,) qua via in Cananæam ad extremum debuerunt ingredi. Specialius autem in *deserto, ejusque planitie*, cujus sunt termini varii, quorum aliqui etiam alibi, quidam nuspiam præterea memorantur; extremitates autem constituuntur duæ, mons *Horeb* & *Cades Barnea*: Ille *è regione Suph*, sive maris inde nominati; ista urbs in extremitate deserti Pharan, vel locus notus ejus deserti, non longe à finibus Edomæorum. Pharan desertum fuit majus, quod comprehendit alia minora, Sin, & Tzin, &c. Deut. 33: 2. Heb. cap. 3: 3. Sunt qui geminam Cades putant, unam cognominatam Barneam, quæ simpliciter quoque Cades dicitur Deut. 1: 19. 46. aliam in deserto Sin, itidem in finibus Edomæorum. Sed si duo fuerunt loca, non distabant longe ab invicem in eadem deserto Cades: quibusdam autem unus est locus, ad quem bis venerint Israelitæ, semel secundo anno ab exitu ex Ægypto, unde emissi exploratores: iterum anno 40. ubi mortua Mirjam mense primo, & missi legati ad Regem Edom petituri transitum. Num. 13: 26. cap. 20: 14. 16. & cap. 21: 1. quod quidem videtur convenientissimum ad interpretationem præsentis textus. Etenim indicat ille, quorum *Verborum* summam hoc libro persequatur Moses: Eorum nempe *quæ locutus est ad Israelem, inde ab Horeb usque ad Cades Barneam:* quod si hæc alia est à Cades, ubi mortua Mirjam, non comprehendet, nisi institutionem biennii; nam secundo anno istuc venerunt, & ob peccatum per exploratores terræ excitatum condemnati sunt ad moram in deserto per annos alios 38. ut 40. anni sint in universum. Verum si eadem est, utique comprehendentur etiam cæteri 37. anni, quia primo mense anni quadragesimi in Cades fuerunt rursum, & ea via per Edomæos Cananæam ingredi tentarunt postulato transitu. Atque huc facit, quod de distantia locorum dicitur, *Undecim dierum iter esse ab Horeb usque ad Cades Barneam, si brevissima via eatur juxta montem Seir*, in quo ipsi versati fuerant non tantum biennium, utpote qui ultra annum hæserunt ad montem Sinai seu Horeb, (sunt autem montis unius vel duo nomina duntaxat, vel duo colles,) quod spatium temporis pro tanta multitudine fuisset tolerabile; sed totos 39. annos, dum post multas ambages tandem redierunt ad eundem locum, ubi tamen non invenerunt ingressum Cananææ, ne quidem secunda vice tentantes. Adeoque hic non dicitur, ubi hæc repetierit Moses; nam id indicatur, vers. 5. sed ubi illa primum proposuerit, quæ repetenda, & in summam contrahenda censuit. Chaldæus nomina ista non locorum facit signa, sed rerum gestarum. *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moses cum omni Israele cis Jordanem; redarguit eos, quia rei facti sunt in deserto, & quia exacerbarunt in planitie è regione maris algosi; in Pharan fuerunt stolidi propulsi, propter mannam; & in Chazeroth exacerbarunt propter carnem; & quia coluerunt vitulum aureum.* Sed sequimur simpliciorem rationem.

Cæterum ex his observandum.

I. *Verbum Dei prædicatum sæpius repetendum est, etiam quod multis annis antea fuit traditum.* Hæc sunt verba quæ Moses locutus fuerat toto tempore moræ in deserto, per annos 39. quos summatim repetit. Vocatur à Græcis hic liber *Deuteronomium*. quia est repetita lex, eadem plane, sed compendiosius repetens, atque subinde explanans, etiam Hebræis *Mischne thora*, quia iterata est ejus institutio. Moses toto tempore ministerii sui id egit, servus fidelis in domo Dei; & nunc quoque in vitæ extremo non deserit munus instituendi de iisdem. Hoc modo egerunt Prophetæ cæteri, Jer. 7: 25. Imo Jeremiæ imperat cap. 36: 1. s. ut omnia verba quæ Deus ipsi erat locutus, inde ab initio suæ vocationis, totis annis 23 cap. 25: 1. s. quæque concionatus erat, inscriberet libro, & Judæis exhiberet, quo convincerentur. Luc. 24: 44. *Hæc sunt verba, quæ dixi vobis*, Phil. 3. vers. 1. *Eadem vobis scribere non est mihi molestum, vobis autem securum.* Petrus testatur, se adhuc viventem de iisdem eos admoniturum identidem, daturumque operam, ut post suam mortem scriptam haberent memoriam rerum earundem 2 Pet. 1: 12. Est hoc necessarium respectu auditorum, qui partim alii sunt, nam succedunt sibi invicem, & dum moriuntur nonnulli, alii nascuntur, qui nihil priorum audiverunt; mutatur ætas & conditio hominum, quomodo alii fiunt ab iis qui fuerant: qui infantes erant, fiunt adolescentes, inde viri & senes, & cuivis ætati sua sunt observanda officia, ut de aliorum non sit adeo solicitus; & accedunt varii status in œconomia, politia, ecclesia, qui suis indigent institutionibus: partim iidem, sed qui oblivioſi audi

auditores, non retinent dicta; sunt vel præterfluentes, ut verbum prædicatum non minus transeat aures, quam fluminis aqua ripam, nihil recipientem: vel perfluentes, ut criborum æque celeriter fere emittens, quam infunditur liquor: quibus inculcandum est iterum iterumque: quemadmodum de ejusmodi queritur Deus Jer. 7: 26. s.

Est hoc non tantum priscis temporibus necessarium, ut repetitio frequens instituatur, sed etiam modernis. Etenim hominum conditio eadem. Heb. 5: 11. s. *Facti estis tardi ad audiendum, & cum deberetis doctores esse quoad tempus, rursum necesse habetis doceri, quænam sint initia sermonum Dei.* Hujusmodi erat conditio Israelitarum; per 40 annos plurimi audiverant doctrinam Mosis, omnes recensi in Sittim, & his facit repetitionem. Exprobratio simul est, tamdiu audivistis, & denuo vobis repetenda etiam eadem; hæc sunt verba, quæ totis quadraginta annis à me sunt tradita & inculcata, inde ab Horebo Kadescham usque, & hoc semen adhuc ingeram vobis à primis elementis ducto exordio. Sic Jeremias Jer. 25: 3. *ab anno decimo tertio Josiæ, usque in hunc diem, hic annus vigesimus tertius factum est ad me verbum Domini, & ego locutus sum vobis, & non audivistis*: unde denuo dicit eadem. Sic quoque nobiscum agendum, hæc sunt verba quæ dicta sunt tot annis: à me quidem 28. annis solidis, in hac urbe bis quadraginta annis inde à restitutione anno 1594. Sæpius eadem inculcata & nunc ad eadem inculcanda nos accingimus, quo refricetur memoria. Exprobratio est, si nihil profectum est, ut prima initia sint denuo tradenda & discenda, excitemur vel nunc ut memoriæ infigamus, non oblivioni auditores futuri, sed factores operis, quando felicitatis potest esse spes Jac. 1: 25. Agnoscamus etiam Dei misericordiam, qui testimonium subinde veritati perhibet, & quia vitio hominum ea vel negligitur, vel corrumpitur, excitat repetitas institutiones, ut viæ salutaris cognitio conservetur, & eam calcent homines ad salutem. Sic audiamus repetitiones, & cedent non solum institutioni, verum etiam confirmationi. Verbum Dei debet in nobis plantari Jac. 1: 21. & verba sapientum erunt instar clavorum implantatorum crebris ictibus Eccl. 12. 11. non quovis ictu novus clavus, sed idem clavus multis ictibus adigitur, & tunc adeo alte hæret, ut evelli amplius nequeat. Sic etiam repetitiones habebunt, modo nos patientes præbeamus ad audiendum.

II. Ab Autore. *Cui demandata est institutio populi, eidem constanter instare debet.* Sic egit Moses, & Jeremias, & Paulus, cæteriique viri Dei. Equidem subinde declinare voluerunt, Moses non tantum excusavit se ab initio vocationis Exod. 4. sed etiam post optavit mori, ut muneris finem obtineret Num. 11: 15. Elias fugit, & mortem sibi petit 1 Reg. 19: 4. Jeremias proponit tacere Jer. 20: 7. s. sed omnes fuere revocati & confirmati in munere. Hinc Moses ad extremum usque continuavit. Sic quoque agendum aliis, de quo alias plenius erit dicendum.

III. *Moses est, qui inculcat doctrinam repetito, quam semper docuerat.* Etenim fuit à Deo autoratus ad docendum, ut ab ipso acciperent doctrinam omnem; unde non tantum vivus, sed defuncti scriptura quoque audienda Mal. 4: 4. *Recordamini legis Mosis servi mei.* & Mat. 23: 2. In cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, ut secundum eorum verba, (quæ nempe Mosis sunt) faciendum sit. Sed hoc Judæos attinet, ad quos Christus quoque Luc. 16: 29. & Joh. 5: 39. Resp. omnino; nam cum Judæis tantum egit Christus Mat. 15: 24. verum idem etiam nos attinet, Rom. 15: 4. *qvicquid ante scriptum est &c.* Moses de Christo scripsit, & hujus cognitio nobis necessaria, Joh. 5: 46, 47. Moses docuit non tantum quæ sit justitia legis, sed etiam quæ sit justitia fidei Rom. 10: 6. s. & hac potiri debemus, ut salvemur. Huic credidit Paulus etiam cum Christianus esset, & conformiter scriptis ejus conscientiam servavit inoffensam Act. 24: 14. s. ex hoc docuit etiam inter gentes cap. 26: 20. 22. Nobis etiam audienda ejus institutio, quemadmodum deinceps crebrius & accuratius erit docendum.

IV. Ab iis ad quos locutus est, *Omnium & singulorum in Ecclesia est commonefieri de verbo Dei.* Locutus est ad omnem Israel, nullo excepto: quemad modum Deut. 29: 10. s. quicunque pertinent ad fœdus Dei. *Recordamini legis Mosis servi mei, quam præcepi illi in Horeb ad omnem Israel, præceptorum & Judiciorum*, Mal. 4: 4. quod tunc dicit cum Sacerdotes sibi ex officio custodiam & interpretationem legis arrogarent cap. 2: 7. s.

Attendendum ergo omnibus & singulis. Non solis Sacerdotibus & Levitis Moses locutus est, sed omnibus Israelitis promiscue, nemine excluso ab auditione: adhuc dum igitur cuivis promiscue ad scriptam Mosis debet patere aditus. Pontificii plebem volunt submotam à cognitione Scripturæ, verborum Mosis & Prophetarum; sibi solis vendicant doctores cognitionem, & eam ignota lingua amant abscondere. Quod servi Hizkiæ dicebant ad Rabsaken, ut Syre loqueretur secum non Judaice, ne intelligerent plebei, qui supra murum erant 2 Reg. 18: 26. eadem fere ipsorum oratio est; volunt quæ sunt Regis Regum jussa sibi dici lingua quavis barbara, dummodo non sit vernacula, & quam plebs intelligat. Sed servi Hizkiæ nolunt audire plebem quæ exterreant: Pontificii v. quæ solatio & saluti sint. Verum his ipsis potissimum annuncianda; pauperibus euangelizatur Mat. 11: 6. etiam minimis & contemtissimis dicenda sunt, quæ voluntatis divinæ habent patefactionem. Etiam pauperrimi erant Israel, æque ac ditissimi & potentissimi.

Obj. non sumus Israel, adeoque ad nos hæc non pertinent. *Resp.* Etsi id non sumus, tamen quod ad ipsos hic dicitur, nobis aptari potest. Marc. 13: 37. *quod vobis dico, dico omnibus: Vigilate:* quanquam discipulis, Judæis solis loqueretur. Gentes sunt concives Sanctorum & domestici Dei in Christo Jesu, æque ac Israelitæ Eph. 2: 19. s. ædificati super fundamentum Prophetarum & Apostolorum. Eoque etiam ipsi Mosi, Prophetarum præcipuo inædificantur. Quæ ergo Moses dixit & scripsit etiam Gentiles attinent: non absolute tamen, sed secundum quid. Omnia attinebant Israelitas, quibus erat datus doctor; Gentiles ea quæ sunt fœderis conditiones, quæ officia debeant, imo unde habere debeant, quo observent, vires nempe, quibus ex se carent, sed à Deo solo dari possunt, qui etiam promisit; adhæc quæ faciant ad coercenda flagitia sive humana judicia adhibeantur, sive divina. Quæ omnia hoc libro luculenter tradita sunt. Deut. 17: 18. Rex qui constitueretur, duplum legis hujus apographum, debuit sibi describere, ut secum esset jugiter, ceu norma vitæ ac fidei. Et Judæi olim observatum fuisse testantur, ut quivis majorennis in Israele simile sibi pararet. Sic quivis sibi asserebat jus in doctrinam Mosis. Utinam simile foret studium, ut quivis Christianus sibi tantundem juris esse probaret, cum in hunc, tum in cæteros Veteris & Novi Testamenti libros non scribendo sua manu; sed inscribendo suæ memoriæ, suo cordi, ut non peccaret, nec vacillaret suis pedibus, sed tanto promtior foret ad faciendam Dei voluntatem. Quod quia nobis impossibile rogandus Deus ut ipse inscribat digito suo per Spiritum sanctum, & faciat nos ambulare in suis viis Jer. 11: 33. Ezech. 26: 27.

V. Restabat à locis, *Quivis locus ubi aliquid verborum Dei auditum est, testis vim habet*, Non tantum commemorantur verba Mosis, sed loca quoque ubi ea audiverant primum. Sic vocat in testem cœlum & terram Deut. 30: 29. cap. 4: 26. & Jeremias cap. 22: 29. Esa. 1: 2. Josua cap. 24: 27. moriturus populum de novo obstrinxit ad cultum Dei, & erexit lapidem, dicens: *Ecce hic lapis erit nobis in testimonium, nam audivit omnes sermones Domini, quos locutus est ad nos, ne mentiamini Deo vestro.* Tribuit lapidi auditum, & testimonium, quia Deus norat eum præsentem fuisse, & Israelitæ idem semper debebant meminisse, ne quid promisso ibi facto contrarium admitterent.

Circumsepti sumus testibus quandocunque vel audimus, vel legimus verbum Dei; parietes quibus cingimur, columnæ omnes, scamna & sedilia totidem testes sunt, audivisse nos, aut saltem potuisse audire, citandique sunt contra nos, siquidem negligamus; quemadmodum nonnunquam in loco delicti statuitur pœna, & latrones ibi rotæ imponuntur, ubi cædem patrarunt. Utinam istorum semper memini essemus Job. 10: 17. *Instauras testes tuos, è regione mei, & multiplicas iram tuam contra me: permutationes, imo exercitus contra me sunt.* Profecto id dicere pos-

ſumus de hujuſmodi teſtibus. Caveamus eos habere contrarios; ſed potius pro nobis; hic nos aliquid audiviſſe, didiciſſe, quo profecimus in cognitione, fide, pietate, & omni obſequio. Sic loca non erunt horrori, ut Tabhera & Kibhroth hattaava Num. 11: 3.34. ſed gaudio ut Lachai Roi Gen. 16: 13. Dominus videbit cap. 22: 14. & memoria illorum non ad convictionem & confuſionem pertinebit, ſed ad ſolatium. Chriſtus in domo Dei fuit occupatus in rebus Dei: ſimus & nos tales, & qui in locis terreſtribus fideles fuerimus, conſequemur ingreſſum in loca cœleſtia, ubi fruamur Dei ſalute in æternum, Amen.

Verſ. 3. *Fuit igitur quadrageſimo anno, undecimo menſe, primo* die *menſis*, ut *alloqueretur Moſche filios Iſraelis ſecundum omnia quæ præceperat ei Jehova* referenda *ad illos*,

Verſ. 4. *Poſtquam percuſſit Sichonem Regem Emoræorum, qui habitabat Cheſchbone, & Ogum Regem Baſchanis qui habitabat Haſchtherotis*, percuſſit *in Edrebi.*

Quum Moſes moriturus eſſet, Deus eum juſſit adſcendere in montem Nebo, & inde contemplari totam terram Canaan, quam Deus promiſerat patribus, cujusque poſſeſſionem Iſraelitæ jam erant conſecuturi. Verum Moſes moriturus aliud ſpectaculum præbuit Iſraelitis, non minus utile futurum ipſis, quam ſibi voluptati erat Cananæam vidiſſe. Leges & ſtatuta illa, juxta quas vivendum erat in Cananæa ſiquidem felices ætatem iſtic agere vellent, quas Deus ipſe mandaverat, contraxit in ſummam, ut brevi ſpacio audiendo poſſent cognoſcere. Prius ſpectaculum Moſi fuit proprium, neque enim ulli amplius contigit ut extra terram conſtitutus totam tamen quoad omnes regiones & urbes potuerit contemplari. Poſterius autem nobis quoque poteſt contingere; Nam Leges & ſtatuta Dei in ſummam contracta non ſolum vivo ſermone propoſuit, ſed etiam ſcripto conſignavit. Adeoque ſi quis iſta ſtatuta ſcire avet, huc modo accedat oportet, & compendio in hoc libro ea videbit. Verumtamen uti Dei omnipotens gratia oculos Moſis tam acutum cernere fecit; ita quoque gratia Dei omnipotens mentis oculos roborare debet, ut non tantum verba ſed efficacem Spiritus ſenſum percipiamus: Quam gratiam & nunc ſub initium tractationis, & ſemper habemus poſtulandam, ut compendii hujus contemplatio nobis ſit utilis & ſalutaris. Cœpimus ea quæ ad inſcriptionem libri pertinent: Cum ille habeat repetitionem legis, indicat. I. quid repetierit, verſ. 1, 2. II. quando & ubi repetierit, verſ. 3, 4, 5 Prius illud habet. I. materiam, *verba quæ locutus eſt.* II. autorem *Moſen.* III. auditores ad quos *ad totum Iſraelem.* IV. ubi, *inter Horeb & Kades Barnea*, quo bis oſtendimus veniſſe, ſemel altero anno ab egreſſu, iterum anno quadrageſimo: adeo ut comprehendat inſtitutionem annorum triginta novem, quam hoc libro in compendium contraxit.

SPECIALITER Poſterius continet. I. tempus, verſ. 3, 4. II. locum, verſ. 5. utrobique autem aliquid commemorat, quod ad modum proponendi facit.

I. Tempus bifariam notatum eſt, ratione menſuræ, & rerum geſtarum. *Ratione menſuræ*, verſ. 3. *Factum eſt anno quadrageſimo, menſe undecimo, die primo menſis.* Annus iſte fuit quadrageſimus ab egreſſu ex Ægypto, adeoque ultimus ante ingreſſum in Cananæam; quia 40. anni definiti erant moræ in deſerto, ob cauſam quæ hoc capite recitatur. Hujus anni menſe primo mortua eſt Mirjam, ſoror Moſis in Kadeſch Num. 20: 1. ejuſdem menſe quinto, die primo obiit Aaron in monte Hor. Num. 33: 37, 38. eodemque anno vivere deſiit Moſes. Mich. 6: 4. refertur inter beneficia Dei; *utique vos adſcendere feci ex Ægypto, & ex domo ſervitutis vos ſervavi, & miſi ante faciem veſtram Moſen Aaronem & Mirjam.* Hi tres uno anno ſubducti ſunt; Moſes qui minimus illorum erat, ultimus, qui proinde tanto magis curavit, ut inſtitutionem iſtam populus obtineret. Fecit autem ſermonis initium menſe undecimo, die primo; & quia menſium numerus inchoatur à Martio, undecimus in Januarium noſtrum cadit. quamquam non in primum hujus diem, niſi ille fuerit novilunii, unde inchoabant menſes Iſraelitæ. Quamdiu continuarit haſce conciones accurate notatum non eſt, attamen non adeo multi fuerunt dies. Etenim à primo die undecimi menſis uſque ad 14. menſis primi, ſunt in univerſum 74. dies: ex his demendi ſunt 30. ſeu integer menſis, quibus luxerant Moſen mortuum Deut. 34: 8. Dies quibus miſſi exploratores Jerichuntem, ad minimum quinque Joſ. 2: 1—22, 23. biduum tranſitus Jordanis cap. 3: 1—5. & cap. 4: 8. circumciſio Iſraelitarum in Gilgal & Sanatio eorundem ad minimum ſex dierum cap. 3: 8. qui faciunt cum die Paſchatos verſ. 10. 44. dies, ut ſolus menſis undecimus in hujus libri eventibus Moſis inſumtus fuerit.

Hinc v. notandum. *Quum inſtabat tempus ingreſſus in terram repromiſſionis, Moſes repetiit ſummam ſuarum concionum.* Non neglexit Moſes populi inſtitutionem totis quadraginta annis, ut convinceret peccatorum, moneret officii, inculcaret promiſſiones & minas, ſed nunc breviter omnia repetit, non tantum quia non diu illud acturus erat, cujus mors inſtabat, ut conſtantem ederet ſuæ doctrinæ profeſſionem, ſed etiam quia diuturna peregrinatio populi erat finienda. Totis 40. annis fatigati erant in deſerto, propter ſuam inobedientiam, & nunc eadem quæ prius officia præſcribit ut ſcirent ſubactos eſſe debere ad obſequium, cujus neglecti vel negati tam diuturnas pœnas dederant. Tempus adeo longum poterat eos emolliiſſe, ut jam ſe applicarent ad faciendum officium. Qui exierant ex Ægypto ob rebellionem ceciderant in deſerto, & horum liberi diſcere potuerant, quid eſſet Deo non credidiſſe, non paruiſſe, eoque nunc monentur ut ſaniora ſequantur. Deut. 8. verſ. 2. *Memento viæ per quam D. Deus tuus te duxit* 40. *annis in deſerto, & humiliavit te, & fecit eſurire, agnoſce D. Deum tuum te caſtigare ut filium, & cuſtodi præcepta D. Dei tui, ut ambules in viis ejus, eumque timeas.* Lev. 26: 39, 40. *reſtidui inter vos* propter *ſuam, nec non patrum iniquitatem cum iis conſumentur; tunc confitebuntur ſuam patrumque iniquitatem, & cor ipſorum incircumciſum flectetur, & acquieſcent in pœna iniquitatis ſuæ.* atque tunc finis erit exilii: oportunæque hortationes ad bonam frugem.

Eſt nobis idem obſervandum; quando diu verſati fuerimus ſub inſtitutione Dei, neque profecerimus, ut genuinum præſtemus obſequium, domare nos inſtituet adverſis ac judiciis, quæ ubi diu afflixerint, utique tandem ad audiendum debemus eſſe emolliti Job. 11: 12. *homo naſcitur ut pullus onagri;* ille non eſt illico patiens freni, aut oneris; domatur longo tempore. Jer. 2: 24. Utique ſi non audiantur voces hortationum, audiendæ voces virgarum; Domitus ſubito eſt Paulus Heb. 9: 3. alii tardius. Pſ. 119. verſ. 67. 71. & ſi leviores non moveant, ſuccedent graviores, ſeptuplicatæ aliquoties, ut Deus vincat quando judicat. Deus ſubinde dat tempora reſpirationis, ut videat, an feritas ſit domita, & tunc non alia proponit, nec duriora, ut ſolam obedientiam voluntariam ſpectare appareat. Sic egit nobiſcum, poſt diuturnam inſtitutionem rudes doctrinæ, & indociles nos oſtendimus, Chriſtiani nomine non re: qui eam doctrinam profeſſi, factis negamus: Feritati domandæ adhibuit media duriora; quemadmodum qui feras domant arcte concludunt, & macerant laboribus: & nunc dedit aliquod reſpirandi tempus, ut eandem doctrinam quam olim proponens videat, num ſimus cicurati. Sane non debemus eſſe ſemper incorrigibiles. Quid enim lucrabimur, ſi manſerimus æque indomiti, ut quodammodo Deo deſperandum ſit? Eſa. 1: 8. ad quid percutiemini ultra, multiplicabitis averſionem. Ferarum domitor, quam cicurare nequit non dimittit liberam, ſed necat, ne ſibi vel aliis ſit damnoſa. Sic facit Deus Jer. 44. verſ. 4. ſ. Ob malitiam veſtram & patrum veſtrorum, qui *noluerunt audire ut converterentur effuſa eſt excandeſcentia mea & ira, & arſit in urbibus Judæ & plateis Hieroſolymæ, ut vaſtitas evaſerint. Et in hunc diem non etiam contriti, nec timuerunt, nec ambularunt in mea lege & inſtitutis quæ dedi ante ipſorum faciem. itaque faciem meam contra vos ſtatuam in malum, ut exſcindam*, &c. Etenim *quia ſe obfirmavit*

con-

contra ipſum, & pacem habuit? Job. 9: 4. Quamobrem caveamus retinere feritatem noſtram. Jer. 31: v. 18. ſ. queritur Ephraim de ſua incorrigibilitate, & rogat Deum ne delinat corrigere, quo ad ſui agnitionem deveniens pudefiat diuturnæ rebelllionis. Sic agamus nos, & inveniemus gratiam apud Deum. Pſal. 94: verſ. 12. ſ. Felix caſtigatio quamvis diuturna, quæ tandem habet Legis inculcationem; non ſolum ut Deus eam eloquatur per miniſtros ſuos, ſed ut eam doceat, adeo ut recipiatur; ſic certa erit quies. Deus ſic agat nobiſcum, & ſuam inſtitutionem poſt adverſa tolerata faciat efficacem. Quod quidem heic ſpeciatim obſervandum. Nam dum tempus notat repetititæ inſtitutionis, etiam.

Modum ejus declarat, *Locutus eſt Moſes ad filios Iſraelis, ſecundum omne illud quod mandavit Dominus ipſi ad illos.* Loquens Moſes eſt, & ad quos locutus fuit ſunt filii Iſrael, quos *totum Iſraelem* dixit verſ. 1. ubi eadem leguntur: ſed quando locutus ſit, de novo adjicit. Locutus Moſes eſt ad Iſraelem non quæ Iſrael vel ſibi placebant aut rectæ rationi videbantur conſentanea, ubi ratio aliqua ſapientiæ, ſed ſimpliciter *quæ Deus mandavit.* Fuit legatus Dei ad populum, cujus eſt legantis verba perferre, & fuit fidelis in tota domo Dei, à quo teſtimonium conſecutus eſt Num. 12: v. 7. imo reale quoque cap. 16: v. 28. ſ. ut agnoſcerent omnes, Dominum miſiſſe ipſum. neque ex ſuo corde quicquam egiſſe, terra deglutivit Dathanem & Abiramum. Imò longe poſt tali elogio ornantur ejus ſcripta a Deo Mal. 4: 4. quicquid præceptum ei fuit, cujuſcunque generis, id propoſuit, & quidem ad omnem Iſraelem: ut nec neglexerit verbum quod loquendum, nec hominem ad quem loquendum. Equidem nonnunquam locutus eſt ad populum, ubi immediate non dictabantur quæ dixit; uti Paulus, 1 Cor. 7: 10. *nuptis dico non ego, ſed Dominis.* verſ. 12. *Cæteris dico ego, non Dominus.* verſ. 25. *quoad virgines mandatum Domini non habeo; ſed ſententiam dico, ut qui miſericordiam conſecutus ſum, ut ſim fidelis;* & verſ. 40. *puto me Dei Spiritum habere.* Sic Moſes quoque ſuam ſæpius dixit ſententiam, attamen ſemper ſecundum omne quod mandarat Dominus: Particula 2. tum veritatis nota eſt, quod vere omnia fuerint mandata Dei, (1 Cor. 14. verſ. 37. *quæ ſcribo ſunt mandata Domini*) tum ſimilitudinis, ut normæ mandati divini omnia exactiſſime reſponderent, nullatenus declinantes dextrorſum vel ſiniſtrorſum, (1 Cor. 15: 3, 4. Act. 26: 22.) Imo *ſecundum Omnia*, &c. quæ dixit: verba Domini fuerunt, conſentanea eis omnimode; nihil ille admiſcuit humani, ut illa vel ampliaret ſuis expoſitionibus, vel ornamentis de ſuo, ex ſapientia Ægyptorum, redderet amabiliora, auribuſque gratiora. Unde diſcimus.

Fideli miniſtro Dei loquendum eſt ad populum ſecundum omnia quæ præcepit Deus ad ipſos. Sic egit Moſes: non fuit quiſquam Propheta in Iſrael par Moſi, qui Dominum viderat de facie ad faciem. Deut. 34: 10. acceſſit ad miniſterium eruditus omni ſapientia Ægyptiorum, potens verbis & factis Act. 7. v. 22. acceſſit inſtructus experientia annorum 80. ut multum haberet prudentiæ etiam adverſis exercitæ: imo nunc 40. annos in miniſterio tranſegerat, & tamen nihil aliud loquitur, quam quod præceperat Dominus ad Iſraelem, ſecundum omne illud dunta xat locutus eſt. Similiter egerunt Prophetæ reliqui: qui locuti ſunt ſecundum omne illud quod Deus Moſi præcepit: utp. cujus lex ſeu doctrina, ipſius Dei doctrina fuit. Unde hinc dignoſcuntur veri & falſi, prout ſic loquuti ſunt; falſi Eſa. 8. verſ. 20. veri Jer. 23: 22. In N. T. non aliter de Meſſia prædictum Deut. 18: 18. *Prophetam excitabo ipſis è medio fratrum ipſorum, ſicut te, & dabo verba mea in os ipſius, & loquetur ad ipſos omne quod præcepi ipſi.* atque ipſe profitetur Joh. cap. 7: 16. *Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus qui me miſit;* & unde id conſtabat? verſ. 15. dicebant Judæi admirabundi, *unde hic novit Scripturas, cum non didicerit?* notitia Scripturarum erat demonſtratio doctrinæ Dei, qui ſuam in Scripturis fecerat conſignari: hanc in eo obſervabant; ſed mirabantur quod non didiciſſet ab ipſorum principibus & phariſæis, qui ſoli legem ſcire credebantur. Joh. 12. verſ. 49, 50. Neque aliter Apoſtoli, 1 Pet. 4. v. 11. & 1 Cor. cap. 4: 6. Non ſapiendum ſupra id quod ſcriptum eſt. Non aliud fecerunt quoque; Paulus Rom. 1: 1, 2. Act. 26. verſ. 22. egit ex Scripturis cap. 17: 2. & ad eas Timotheum adſtrinxit 2 Tim. 3: 14. ſ. cum interdicto aliorum verborum cap. 2, 3, 4. 1 Tim. 6. Petrus ad Prophetica Scripturas revocat 2 Pet. 1: 19. ſ. ad verba Prophetarum & Apoſtolorum cap. 3: 2. Rat. Quorum verba & mandata loquuntur doctores, eorum ſunt legati, ſive Deus is ſit, ſive homines. 2 Cor. 5: 18. ſ. miniſterium reconciliationis divinæ qui habet, in eo collocavit Deus ſermonem reconciliationis, & is ſic loquitur ut Deus per ipſum loqui agnoſcendus ſit.

Neceſſaria eſt iſta doctrina, utpote maximi momenti, Moſes tantus Doctor nihil locutus eſt quam quæ Deus mandavit, nihil ſuæ conditionis, nihil humanæ autoritatis addidit: Quicunque ergo docendi munus obit, eodem modo agere debet. Quis enim qui eouſque vel eruditionis vel autoritatis pervenerit? & ſi quis eouſque adſcendiſſet, tamen ibi conſiſtendum, ubi Moſes ſubſtitit, ut nil dicat niſi ea, & ſecundum omnia ea quæ Dominus mandavit dicenda. Quomodo excluditur omnis doctrina nova, humana. Etenim uti Deus eſt antiquiſſimus, antiquus dierum Dan. 7. verſ. 9. ita doctrina ejus eſt antiquiſſima. Quamvis fatendum ſit eſſe doctrinam aliquam antiquiorem in mundo, quam Euangelium. Serpens antiquus docuit hominem affectare paritatem cum Deo, ut plus ſciret quam Deus eum ſcire voluerat, & aliud eſſe vellet quam Deus eum eſſe fecerat: Sed fuit doctrina ſeducens; & corrigendis ſeductis doctrina Euangelii poſtea introducta eſt. Hæc doctrina Dei tamen abſolute antiquiſſima eſt in Eccleſia; quia per eam Eccleſia collecta eſt, quæ antea nulla fuerat: & hæc ſola eſt quæ antiquæ veritatis habet axioma. Etenim Deus non Mutatur: Mal. 3. verſ. 6. eoque nunquam pœnitet doctrinæ, quam ſemel tradidit. Rom. 16. verſ. 26. æterni Dei mandatum per Propheticas Scripturas præconium Chriſti vult peragi. Deut. 32. verſ. 4. & Joh. 17. verſ. 17. 1 Pet. 1. verſ. 23. Deus æternus & veritas, & ſermo ejus veritas & æternus. Proinde quiſquis loquitur ſecundum omne quod præcipit Dominus is veram & antiquam doctrinam loquitur. Enimvero quam multipliciter inde diſceditur; quandocunque quod homines mandarunt proponitur, ſive in totum, ſive ex parte. Hæc eſt novitas omni tempore Eccleſiæ damnoſiſſima, & de qua nunquam nimium monentur auditores, ut ſibi caveant. Dico quicquid homines mandant novum eſt reſpectu mandati divini: quia heſterni duntaxat Job. 8. verſ. 9. ſunt, cum Deus æternus. Sed hic artificium antiqui ſerpentis, ut quod antiquum eſt novitatis inſimulet, & novitatem antiquitatis elogio commendet. Antiquum fuit quod Moſes tradidit præceptum Domini: novum præceptum Doctorum, & quale judicium hominum. Hoſ. 8: 12. ſcripſi illis excellentia legis meæ, reputantur ceu quid peregrinum, qualia ſunt nova. Incredibile id videtur, cum ſemper creparent legem, ſed Deo credendum; unde autem factum iſtud eſt? Eſa. 29. verſ. 13. doctrina Dei ducit ad Deum, non corpore ſed corde: aſt hæc elongabat; atqui docebat timorem Dei, verum ut is eſſet doctrina hominum, ut autoritatem acciperet ab hominibus; Doctores concorditer ſtatuebant Deum Iſraelis eſſe timendum, & hinc perſuadebatur timor, non à mandato Dei, Jer. 8. verſ. 8. &c. abſit ut Doctores aliam normam ſequantur quam legem, in ea omnis ipſorum ſapientia; ſed quid Jeremias? utique in vanum operatur calamus falſitatis ſcribarum. Ecce repudiarunt Legem Dei; quæ ergo ſapientia foret ipſis? Sapientibus alligatam rebantur legem & ejus interprætationem. Jer. 18. verſ. 18. Lex non peribit à Sacerdote nec conſilium à ſapiente, nec verbum à propheta; propterea nolunt attendere ſermonibus Jeremiæ. Sic Mal. 2. verſ. 7. &c. Tempore Chriſti quid vulgarius quam crepare antiquitatem, & inſtituta Seniorum, & Chriſtus, qui eis adverſabatur, ille ſeductor audiebat, Phariſæi & ſcribæ ſibi ſolis arrogabant notitiam legis Joh. 7. verſ. 48, 49. & non credebant Chriſto qui Scripturas loquebatur. Joh. 5. verſ. 38, 39. Qui verbum Dei in ſe habet Chriſto credit; qui huic non credit, non habet illud. Scriptura ſcrutanda, & agnoſcetur Chriſtus; etſi non addat ſuam interpretationem: legenti & credenti innoteſcet Chriſtus, de quo Scri-

pturæ & Moſes loquuntur, verſ. 44. quomodo poteſtis credere, &c. ab homine ſumit gloriam, qui hominis autoritate movetur, & is nequit credere: nam etſi credat quod verum, fides ejus eſt in ſapientia hominum, eoque vana, 1 Cor. cap. 2: 5. qui gloriam quærit quæ à ſolo Deo eſt ſolius Dei teſtimonio in Scriptura loquentis movetur & fides ejus eſt in potentia Dei. Nullum illuſtrius exemplum quam Pauli. Act. 22. v. 3. ſ. Ille inſtitutus erat ad pedes magni Gamalielis inſtitutus ſecundum ακρίβειαν paternæ legis, zelotes Dei, ſive ἀκριβοστέρας ζηλωτὴς patriarum traditionum Gal. 1. v. 14. & tunc perſequebatur viam Chriſtianæ profeſſionis ceu novam. Gamaliel ſummus legis doctor hanc interpretabatur juxta traditiones ſeniorum, & hæc æſtimabatur ceu ſola antiqua veritas; Semel quidem moderate dixit, doctrinam Apoſtolicam quam novam putabat, tolerandam eſſe; nam ſi ex hominibus ſit, ruituram ſua ſponte; ſin ex Deo, ſtabiliendam, & repugnantes θεομάχους fore Act. 5. verſ. 38. ſ. verum poſtquam Stephanus cœpit vehementius convincere (ut diſcipuli ejus, inter quos Paulus de Synagoga Ciliciæ & Aſiæ, non poſſent reſiſtere,) accuſatuſque fuit tanquam loquens contra Moſen & Deum cap. 6. v. 9. ſ. (quamquam ipſi forent qui reſiſterent Spiritui S. & Prophetis cap. 7: 51. ſ. & condemnatus quoque, Gamaliel factus eſt magis inimicus, & curavit preces concipere contra Chriſti diſcipulos, ceu apoſtatas à religione, quibus omnis ſpes ſalutis eſſet neganda. quæ formula fuiſſe videtur, qua Paulus ſe ad blaſphemandum coegiſſe diſcipulos ait Act. cap 26: 11. Huic tandem Paulo converſo novitatis actionem movent, Act. 24: 5. eſſe peſtem & potiſſimum defenſorem ſectæ Nazareorum. Aſt ipſe defendit ſe, verſ. 14. iſtud fateor me ſecundum viam quam hæreſin vocant, ſic colere Deum patrum, &c. Vetus erat doctrina Pauli licet ceu novæ ubique contradiceretur, cap. 28: 22. contra nova Judæorum, quæ Seniores habebat autores, qui quondam novi fuerant; & quicquid docuerant, reſpectu antiquæ veritatis in Scriptura, novum erat & manebat. Non finita eſt iſta perverſio nominum cum Judæis. Etiam inter Chriſtianos invaluit. Papatus omnis fundatur in antiquitate, hanc unam crepant: condemnant autem novitatis Euangelicos: atqui antiquitatem hominum habent ſolum; Solius Dei verbum antiquum eſt, quod repudiatis omnium hominum Scriptis, interpretationibus, autoritatibus Reformatores amplexi ſunt. Et quamdiu ſolis Scripturis immorabantur, habebant ſolidam antiquitatem & veritatem. Sed quam primum inde declinatur ad hominum mandata, amittitur antiquitas & veritas. Triſte eſt exemplum ſuperiore ſeculo. Quum qui ſeceſſerant à Papatu in Germania accuſarentur novitatis, curarunt Principes conſcribi confeſſionem, qua fidei ſuæ rationem redderent, conſentientis Scripturæ, quam obtulerunt Auguſtæ 1530. Imp. Carolo V. Hæc Confeſſio utique nova eſt reſpectu Scripturæ, attamen fuit poſtmodum adſcita ceu unica legitima interpretatio Scripturæ, & ſecundum quam ea judicaretur; omiſſa fuit Scriptura & Auguſtanæ Confeſſionis novæ explicationes quæſitæ, & introductæ; adeo ut non amplius ſecundum Scripturam, ſed Aug. Confeſſionem de religione judicaretur, & illi hæretici pronunciarentur qui A. C. & Libro Concordiæ non ſimpliciter aſſentirentur. Sic novitas humana prævalet antiquitati Scripturæ. Similiter agitur & alibi, & quivis illi, cui inimicus eſt novitatem objicit, eumque infamare laborat: non quod Scripturæ, ſed quod hominum doctrinæ contradicat; quanquam etiam hic à mendaciis non abſtineatur. Sed ne decipiantur auditores, non debent credere dicentibus hominibus; ſic redeundum erit ad Papiſmum, ad gentiliſmum, ſed examinandum: 1 Joh. cap. 4: 1. Regula autem examinis eſt ut loquantur ſecundum omne quod mandavit Dominus; qui ſic agit, nihil proponens quin illico monſtret mandatum Domini, & rogans atque obteſtans, ut non credant ſibi ſed ſcrutentur Scripturas, & videant an ſic ſe habeant, Act. 17: 11. antiquam veritatem docent; at qui provocant ad ullius hominis teſtimonium, ſive pauci fuerint, ſive multi, in novitate ſuum præſidium collocant. Quicunque etiam doctrinam examinant ad ullum ſcriptum aut placitum hominum, novam regulam adhibent. Quod quidem illi faciunt, qui ſcripta humana normam faciunt ſecundariam. Etenim illa aliquando non fuerunt, eoque nova ſunt, cum Scriptura collata; & qui ea compoſuerunt homines fuerunt; & ſi jam ſint norma, utique jam ſecundum mandatum novum & hominum loquendum quoque, non ſecundum omne quod mandavit Deus. Si idem dicere affirmentur, cum iis quæ Deus mandavit, jam non ſunt neceſſaria; uti non indiget quis ſecretarii teſtimonio qui ipſius Regis diploma habet. Imo iis conſentanea dicet, qui ſecundum Scripturam loquitur. Sin plura dicunt & planiora, jam accuſatur Deus & Scripturæ obſcuritatis, & additur aliquid, ἰδία ἐπίλυσις, afferiturque Eccleſiæ autoritas, ut ipſa pronunciet de ſenſu Scripturæ, adeoque dominatur fidei: quod eſt involare in jus Dei, & maximus error Papatus. Quæ Moſes locutus eſt ſecundum omne quod præcepit Dominus, quinque libris continentur; non permiſit Deus unquam ut Eccleſia Iſraelis conſtitueretur interpres ſeu doctores ejus: Imo illi conatui ſe oppoſuit Mal. 2. verſ. 7. cap. 4. verſ. 4. Habet Scriptura abunde lucis ad ſui interpretationem Pſ. 19. verſ. 8. & 119. verſ. 105. 130. piis ea aperta Joh. 7. verſ. 17. Pſ. 25. verſ. 14. impiis obſcura juſto Dei judicio Matt. 11. verſ. 26. 2 Theſ. 2. verſ. 11. Judæis velamen incumbit cordi in lectione V. T. ut non videant ibi Chriſtum 2 Cor. 3. verſ. 23. ſc. quod ſunt Seniorum doctorumque interpretationes. Quæcunque ergo hominum vel olim vel nunc loquuntur aut locuti ſunt, id ſemper examinandum eſt, an ſit ſecundum omne quod præcepit Dominus, & non amplius admittendum quam fuerit ſecundum illud: & tum quoque non admittendum ut ei credatur; ſic timor Dei fiet mandatum hominum; ſed ut credentes ſoli præcepto Dei; tales qui ſic loquuntur, conſentanea loqui agnoſcant. Sunt illa ſi maxime extollantur vel privatæ confeſſiones ſui ſenſus vel formulæ conſenſus non normæ ſenſus; alioqui Scripturis æquiparantur; interpretanda ex Scripturis, non interpretatura Scripturas. Quocirca Confeſſio Belgica artic. 7. humana prolixe deteſtatur. Ut rite doceamus nihil audiatur à nobis quam quod præcepit Dominus. Poteſt id quidem novum videri iis qui ante non audiverunt, ut Athenienſibus Act. 17. verſ. 18. aut qui illud non viderunt antea in Scripturis ut Beroenſibus, verſ. 11. Quæ enim ex Scriptura nondum fuerunt cognita audienti peregrina & nova videntur uti Enucho Act. 8. verſ. 34. de Jeſu loqui Eſaiam cap. 53. Et quod Chriſtus novum præceptum tradit, Joh. 13. verſ. 34. eſt antiquum, 1 Joh. 2. verſ. 7. auditum à principio. Sed nova fuit explicatio Chriſti. Aſt qui Sapientiam humanam, Ægyptiorum, Græcorum, aliorum intexunt, non loquuntur ſecundum omne quod præcepit Dominus. Nihil tale is juſſit vel per Moſen, vel per Prophetas cæteros, aut Apoſtolos. Qui ad hominem argumentandum putant argumentis humanis, non loquuntur ſecundum præceptum Domini, nam 2 Cor. 10. verſ. 4. &c. Adhibendum in docendo diſputando, hortando, conſolando, quod ſapientiſſimum, efficaciſſimumque, ſunt Scripturæ 2 Cor. 3: 16, 17. Sed an uſpiam tale quid extra Scripturam, quod ei conferri aut anteferri queat? Stultum Dei ſapientius eſt quam homines, & debile Dei validius eſt quam homines. 1 Cor. 1: 25. Eoque apud quem verbum Dei eſt, is loquatur illud vere, quid paleæ cum tritico? Jer. 23: 28. Gamalielis traditiva licet Senectam canam haberet ducet ad perſequendam ſub novitatis nomine veritatem Sacramentariam. Nomen Apollos & Pauli & Cephæ ducet ad diſſidia 1 Cor. 1: 11. Quia vero non ſumus baptizati in ipſorum nomen, neque illi pro nobis crucifixi, audiendus ſolus Deus, & Chriſtus. Moſes etiamnum ſuam autoritatem habet, quia omne id locutus eſt nec aliud, quod Dominus juſſit; & ſic adſpirante Deo loquemur etiam nos in ejus explicatione, nec ipſi dominantes fidei veſtræ, nec hominem citantes qui id faciat, ſed revocantes vos ad Scripturam, rejectis velaminibus pudendis, noſque in manifeſtatione veritatis approbantes omnium conſcientiæ in timore Dei. 2 Cor. 4: 2.

Ratione rerum geſtarum, verſ. 4. devicerat duos reges Sihonem Amoræorum: & Baſanis regem Ogum: illius regia erat in Hesbon, iſtius in Aſtharoth & Edrei, quarum unam ad ſeptentrionem, alteram ad meridiem ſitam rentur; regionem illorum, internecione deletis incolis, diſtribuerat Rubenitis, Gaditis & mediæ Manaſſis. De hac victoria agitur, cap. 2: 26. cap. 3: 1.

Hoc

Heic tantum notandum. *Poſtquam Deus largitus eſt victoriam ab hoſtibus, & ampliavit terminos, oportuniſſimæ ſunt commonefactiones de officiis erga Deum & homines.* Sic egit Moſes, & 2 Chron. 15: 1. victoria de Æthiopibus parta Azaria Propheta inculcat Aſæ & populo ſtudium ſerium pietatis. Nam cum ſenſus eſt recentis beneficii, animi ſunt magis flexiles ad obſequium, verſ. 14, 15. unde Aſa tunc ſolenni fœdere ſe & univerſum populum Deo obſtrinxit, Exod. 14. v. ult. Quamvis non tam recentia uti hic, ſint beneficia Dei erga Belgium extraordinaria; ſunt tamen ordinaria. Quotidie nos onerat Deus. Pſ. 68: 20. Benignitates Dei ſunt quod non ſimus conſumti, quod non finitæ miſericordiæ ejus; ſingulis mane novæ ſunt; fides tua magna eſt Lam 3: 22. ſ. Sed extraordinaria próximorum annorum, nonne deberent nos excitare? Imo nova quæ optamus, exſpectamus? Audiamus volentes & patientes exhortationes, ut perſuadeatur obedientia, Ezr. 9: 13. ſ. Amaſia victis Edomitis victus fuit ab ipſorum idolis, magno ſui damno, 2 Chron. 25: 14. ſ. *juxta omne quod nobis evenit*, &c. Beneficia non faciunt licentiam peccandi, ſed ut Deo nos tanto promtius addicamus. Huc invitamur, quando fœderis memoria & renovatio offertur. Non agitur ibi de rege Amoræorum devicto, aut gigante Ogo, ſed de Satana devicto, de ſuperata ira Dei: Liberati ab iſtis hoſtibus ſerviamus Deo in juſtitia & ſanctitate omnibus diebus vitæ noſtræ: non tantum audientes ſermonem, ſed traditi in typum ejus, ut eum exprimamus converſatione.

Verſ. 5. *Cis Jardenem in terra Moabitarum, placuit Moſchi declarare legem iſtam, dicendo:*

Moſes vir ille Dei teſtimonium fidelitatis ab ipſo Deo conſecutus eſt, qui ipſum in tota domo ſua dixit eſſe fidelem ſervum, Num. 12: 7. quod de eo repetitur, Heb. 3: 5. Probatum iſtud dedit durante toto tempore ſui miniſterii, tum in primis ſub ejus extremum, quando illud juxta cum vita erat finiturus longe diligentius ei attendit, immoriturus ſuo operi. Menſis undecimus anni quadrageſimi egreſſus ex Ægypto, fuit vitæ ultimus, illum totum inſumſit, quem quidem vivendo exegit, prolixæ concioni, quæ hoc libro deſcripta eſt, per complures dies continuatæ. De qua inſcriptio teſtatur materiam ejus fuiſſe, quicquid antea totis 39. annis docuerat, inde ad Horeb monte, ubi Deus fœdus inierat, & omnis generis legibus inſtruxerat, uſque dum veniſſent, vice nempe ſecunda in Cades: deinde declarat tempus, quando habita, videlicet primo die menſis undecimi anni quadrageſimi, cœptam eſſe, & quidem poſt devictos duos Reges Amoræorum, ut recenti beneficio non minus, quam diuturna afflictione in deſerto debuerint eſſe manſuefacti & præparati ad attentionem & obſequium. Reſtat quod ſequitur.

II. Locus, ubi habita ſit, verſ. 5. *Trans Jordanem in terra Moab.* Notandum autem Τὸ עבר *trans* Hebræis utramque ripam deſignare, ſeu extremitatem, quæ contrariæ oppoſita eſt, & exponendum pro conditione loquentium, *Trans Jordanem* erat reſpectu Cananææ extra quam Moſes & Iſraelitæ verſabantur, & in quam tranſito Jordane ingrediendum erat; verum reſpectu Moſis & Iſraelitarum erat *cis* Jordanem. Eodemque modo etiam vox πέραν in Nov. Teſtam. uſurpatur, æque *cis* ac *trans*: neque opus ut multum diſputetur, qua ratione collocandæ ſint urbes & regiones. Mat. 4: 15. *terra Zebulon & terra Nephtalim, via maris trans Jordanem*, (cis flumen eſt) *Galilæa gentium.* Imo vox עבר non tantum citeriorem vel ulteriorem ripam fluminis, aut littus maris denotat, ſed etiam partem ſuperiorem vel inferiorem, quæ ſunt extremitates altitudinis, ut illæ latitudinis, Deut. cap. 30: 13. Non intelligit oppoſitum Oceani littus, nam ſic poſſet quis eo proficiſci & petere; non eſt impoſſibile mare iſtud immenſum tranſire, licet moleſtum ſit; ſed quod hic Moſes proponit, non minus impoſſibile eſt, quam aſcendere in cœlum, quod, verſ. 12. dixit. Igitur quemadmodum, Jer. 31: 37. dicitur, ſi cœli ſuperne menſurari & opponit extrema altitudinis & profunditatis, æque homini imperſcrutabilia; ſic heic cœli & maris extrema maxime diſtantia, & trans mare non eſt alterum littus, ſed eſt fundus maris altiſſimi. Secundo explicuit Paulus, Rom. 10: 6, 7. qui Moſis verba ſic refert: *Quis aſcendet in cœlum? aut quis deſcendet in abyſſum?* Verum præter hanc vocis עבר difficultatem grammaticam, major eſt hiſtorica, qui dicatur hæc locutus *in terra Moab.* Etenim Iſraelitæ terram Moab non ſunt ingreſſi, Jud. 11: 18. Moabo tranſitum negante, adeo ut accefſerint quidem proxime ad terminum Moabi, juxta fluvium Arnon, ſed hunc non tranſierunt: Deus etiam interdixit ne quid de terra Moabi ſibi ſumerent, non aliter uti Edomitis & Ammonitis integram poſſeſſionem debuerunt relinquere Deut. 2. quod etiam fecerunt. Sed diſcimus ex Num. 21: 26. Sihonem Amoræorum Moabitis bello ademiſſe quicquid terrarum trans Arnonem poſſidebant, & ex Sihonis manu acceperunt Iſraelitæ, tum hanc partem, tum totum ejus regnum: quicquid hæreditate conſecutus erat, & quicquid armis ſibi paraverat. Dicebatur autem hæc portio antiquorum poſſeſſorum nomine *terra Moab*, & *campeſtria Moab*, in quam nullum amplius jus erat Moabo, cum non ipſi, ſed hoſti ejus erepta eſſet, quo argumento legitimam ejus poſſeſſionem tuetur Jephta Jud. 11. Erat iſte locus ſpacioſus, caſtris ponendis oportunus pro tanta multitudine, quanquam jam tunc Rubenitæ, Gaditæ & Manaſſitæ civitates Sihonis & Ogi occupaſſent.

Hic locus habitæ concionis, cui additur adhuc aliquid de MODO PROPONENDI. Aliquid monuit, verſ. 3. *locutum eſſe ſecundum omnia quæ mandarat Dominus ipſi ad Iſraelem.* Nihil commentus eſt de ſuo, nihil mutuatus ab aliis hominibus, ſed quod legatum decebat, quæ legans Deus loqui juſſerat, nec caret momento, quod dicitur, *ad ipſos.* Quæ Deus ad Iſraelem dedit mandata, fideliter pertulit ad Iſraelem. Veruntamen alia quæ ipſi ſoli dicta ad ejus ſolatium, ſibi ſervaſſe veriſimile eſt. Deus egit familiariter cum Moſe, uti quis cum amico, Exod. 32: 11, oſtendit ei plura quam ulli alii hominum unquam; quæ nec dicere nec ſcribere neceſſum fuit 2 Cor. 12: 4. Paulus raptus in tertium cœlum, audivit verba inenarrabilia, quæ fas non eſt eloqui: eoque ſibi ſoli non aliis, cum alias non neglexerit totum conſilium Dei aperire Act. 20. verſ. 27. & Apoc. 10: 4. cùm Johannes ſcripturus eſſet, quæ ſeptem tonitrua locuta erant, obſignare juſſus eſt, & non ſcribere. Habet quædam Deus quæ ſecreta ſunt ſolis dilectis patefacienda, Apoc. 2: 17. calculum album &c. quædam vero communia & acquieſcendum eſt hiſce, utpote ſufficientibus ad ſalutem, Deut 29: 29. Sunt etiam quædam tempora; quibus non convenit indicium ſecretorum. Mat. 17: 9. interdixit Petro, Jacobo & Johanni, *nemini dicite hanc viſionem* (glorificati in monte Chriſti) *donec filius hominis reſurrexerit ex mortuis*, & Act. 1: 7. quæ ſervat ſuis temporibus, Marc. 13: 32. *de die illo & hora, nemo novit, neque Angeli cœlorum, neque Filius, niſi Pater, iſque ſolus* Mat. 24: 36. attamen Apoc. 1: 1. *Apocalypſis Jeſu Chriſti, quam Deus ipſi dedit, ut oſtenderet ſervis ſuis, quæ brevi ſunt futura, & quam per Angelum ſuum miſit, & ſervo ſuo Johanni indicavit, qui atteſtatus eſt verbum Dei, & teſtimonium Jeſu Chriſti, & quæcunque vidit.* Curioſitati humanæ ſic occurritur, ne quid ſcire velimus præter id quod ſcriptum eſt, ad nos pertinens, Rom. 15: 4. ibi abunde materiæ in qua exerceamur, ut de arcanis non debeamus eſſe ſolliciti. Mich. cap. 6: 8. & Luc. 13: 23. ſ. roganti, an pauci ſint ſalvandi, reſpondet non quod ſcire volebat; ſed quod debebat facere. Sed quod omnibus ſequendum eſt, Quæ omnibus dicta ſunt, ſufficiunt, ut jugiter occupatum habeant hominem, Marc. 13. v. ult. Enimvero quæ dicta ſunt obſcurius, & obſignata ad tempus, tandem ſunt cognoſcenda, Joh. 14: 26. eoque inquirenda, Dan. 12: 4. *Sed olim multi inquirent, & multiplicabitur ſcientia.* Joh. 5: 39. Scrutanda Scriptura, non tantum uno tempore, ſed ſemper, & ſemper aliquid ſcrutando inveniri poteſt. Eſt inſtar divitis aurifodinæ, qui eam ſunt ſcrutati invenerunt, quod puriſ-

puriſſimo auro pretioſius eſt, Pſ. 19: 11. atque illud produxerunt in lucem; ſed quod reliquerunt, ejuſdem eſt pretii, ut ſcrutandum ſit & producendum pari fructu; imo licet per plura ſecula in ea occupentur homines, tamen adhuc aliquid & invenient, & relinquent ſequentibus, quod prioribus inventum non eſt, & novum videtur iis, quibus proponitur, cùm tamen cum ipſa Scriptura natum ſit, & per Spiritum Sanctum ibidem abſconditum, ut jugiter ſcrutandi præbeat materiam, foveat ſtudium. Pſ. 119: 99. *Intelligentior ſum omnibus magiſtris meis, quia teſtimonia tua ſunt mea meditatio.* Magiſtri longiſſime videntur penetraſſe, ſed diſcipulus exceſſit ipſos idque teſtimonia Dei meditando, ſcrutando. Qui vult paſtoribus fieri intelligentior, eandem inſiſtat viam, ſcrutando non ſcripta hominum, ſic nunquam longius procedet quam homines illi, verum Scripturam ipſam, ubi loquitur Spiritus Sanctus earum autor, & omnis ſapientiæ & veritatis magiſter, qui arcana ejus aperit, quod diſcimus ex alta deſcriptione *modi proponendi*, qui verſ. 5. indicatus eſt; *Cœpit Moſes legem illam declarare, dicendo.* Textus habet חואיל *Voluit, placuit* Moſi, declarare, vel declaravit libenter, cum acquieſcentia hanc legem. Habemus heic.

I. *Autorem*, Moſes is eſt, ſunt quidam, qui negant hujus libri autorem eſſe Moſen, ſed alium quendam, qui de Moſe iſta annotarit, quia ſic inſtitutum ſit exordium ſeu inſcriptio: quia item in hoc libro Moſes introducatur loquens in prima perſona, cum alibi de ſe agat in tertia, verſ. 9--18--20. ſ. Hoc autem faciunt nonnulli, ut autoritatem hujus libri elevent. Sed Moſes autor hujus quoque eſt, Deut. 31: 9. de ultimo hoc libro & concionibus; inſcriptio autem non eſt inſolens hiſtoricis, qui de ſe loquuntur tanquam de aliis, & tamen ſuas quoque orationes recitant. Moſes primum locutus iſta eſt, ſed tandem juſſus à Deo conſignavit, quemadmodum Spiritus Sanctus ejus memoriæ ſuggeſſit. Non eſt quod quis offendatur modo poponendi quanquam diſcrepanti. 2 Pet. 1: 21. & quis illi Spiritui leges ponat? Si cui non videntur ſermones humanæ ſapientiæ ad artis leges compoſiti, is norit, neque pro iis venditari; ſunt ſermones quos docuit Spiritus Sanctus, qui illis ipſis ſapientiam mundi confundit, cum ſtultum illud Dei ſapientius ſit quam homines, 1 Cor. 1: 25. & dum ſapientia hominum evaneſcit, illa Spiritus Sancti ſtultitia ſalvos facit credentes.

II. *Impulſivam* de qua dicit, *voluit, placuit ipſi:* Suſcepit hunc docendi & repetendi laborem libenter. Fuit tempus, quando declinavit hanc provinciam. Cùm primum vocaretur, multum tergiverſabatur, neſcit mittentis nomen Exod. 3. dubitat de auditorum fide, qui ſibi non eſſent crediturí, negat ſibi eſſe aptitudinem ob vitium linguæ, quod ne tunc quidem ceſſaret Deo ſecum agente, & tandem recuſat ſimpliciter, *Domine, mitte, per quem miſſurus es*, dummodo ego is non ſim cap. 4. Et nunc quoque erant, quæ eum alienum redderent, cùm propter Iſraelitas factum eſſet, ut excluderetur Cananæa: quod in ſeq. aperte dicit cap. 1: 37. cap 3: 26. Verum heic libenter & cum acquieſcentia id agit. Eſt hoc officium Doctorum; ut id volentes agant. 1 Pet. 5: 2. Paulus id ſibi applicat. 1 Cor 9. verſ. 16, 17. *Si Euangelium annuntiem, non eſt mihi gloriatio; neceſſitas enim mihi incumbit, & væ mihi ſi Euangelium non annunciem; nam ſi volens agam, mercedem habeo, ſed ſi nolens, diſpenſatio mihi credita eſt.* Qui officium facit, non habet quod gravetur, quia cum omnia egerit, quæ debet, eſt ſervus inutilis Luc. 17: 10. Neceſſitas eſt ex officio, unde væ negligenti. Jer. 48: 20. qui facit, habet mercedem ſuæ ſpontaneitatis, Mat. 25: 20. qui invitus facit, tamen citra violationem creditæ œconomiæ nequit abſtinere, 1 Sam. 12: 23. *Me quod attinet, abſit à me; ut peccem contra Dominum, ut omittam pro vobis precari, & docebo vos viam bonam & rectam.* Samuel erat qui tam bene de populo erat meritus, tum docendo, tum regendo, quemque ſenem repudiarant, Regem poſtulantes: Ille tamen peccatum ducit abſtinere à precando & docendo. Eſt hoc obſervandum Doctoribus, ut volentes ſint in docendo. Sunt quandoque tempora, ut pereat omnis voluptas, quando ob prædicationem veritatis nil niſi odia & perſecutiones exſpectandæ & tolerandæ; atque tunc quoque voluntas deficit, Jer. 20: 7. ſ. ut non ex ſermonibus Scribarum & Doctorum ordinariorum ageret, ſed verbum Dei pure annunciaret, & quid ſecutum. Hujuſmodi minæ, quarum ſæpius meminit, cap. 11: 18. ſ. cap. 15: 10. cap. 18: 18. cap. 26. alieniorem reddebant, quamvis urgeretur vi majore. Apoſtoli contra ejuſmodi terrores ſe muniunt illo, *Deo magis obediendum quam hominibus*, & obſequii ſtudio contemnunt minas & perſecutiones, lætantes etiam quod digni habiti eſſent, qui pro nomine Jeſu paterentur contumelias, Act. 4. & 5. Quos imitati ſunt omni tempore doctores illi, qui non obſtante contradicentium torrente, qui Eccleſiæ nomen & autoritatem prætendebant; verbum Dei cum voluntate promtiſſima prædicarunt, & ſanguine quoque ſuo obſignarunt. Sed etiam temporibus pacis, deeſt quandoque docentibus voluntas: iis qui Chriſtum ſequuntur propter panes, & prædicant ex contentione; qui ubi ſemel circulum annuum abſolverunt, nihil amplius habent ſollicitudinis, quibus de Scriptura loqui tædio eſt, voluptas mundana, vana, putria loqui, 1 Cor. 2: 14. dicitur quoad nos & ſermones Spiritus Sancti, *animalis autem homo*, &c. aliter David. Pſ. 119: 97. Hinc nihil aliud magis amat loqui, & de illo conferre? utpote unde omnis ſapientia, verſ. 104: 105. Pſ. 19: 11, 12. omnis voluptas, Pſ. 119: 24. oblectationes, verſ. 54. ſi voluntatem ejuſmodi exerceant doctores, etiam excitabunt apud auditores, neque enim hi magnopere æſtimabunt verbum, quod non æſtimatur à docentibus, & quod hi ex neceſſitate tantum proponunt, iſti audient ex conſuetudine. Deus amat hilarem datorem, 2 Cor. 9: 7. & dat quoque qui docet, & hujuſmodi vult eſſe auditores, ut Beroenſes, Act. 17. verſ. 11. ac factores inprimis, 2 Cor. 8: 5. Rom. 6: 17. Pſ. 110: 3.

III. *Materiam*, quam dicit, *hanc legem.* Heb. doctrina eſt aliquid faciens ad inſtitutionem. Verum mox initium facit ab hiſtoria variorum quæ evenerant durante mora in deſerto. Dicet aliquis forſitan, quæ illa eſt doctrina, quando recitantur hiſtoriæ? Atqui Moſes etiam hanc partem facit doctrinam & inſtitutionem. Scilicet quæcunqve hiſtoriæ à Deo in Scriptura ſunt notatæ, datæ ſunt ad noſtri inſtitutionem. Non tantum voluptatis cauſa conſignari aliquas fecit, aut ut curioſitati hominum ſatisfaciat. Hoc quia non præſtitum, accuſantur à nonnullis Scripturæ, quod nec temporum ſeriem rite deſcriptam iſtic inveniamus, nec res geſtas multorum ſeculorum, quemadmodum primi mundi, ſive annorum 1657. verum ſpectavit Deus inſtitutionem, & heic ſufficiunt, Joh. 20: 30. Rom. cap. 15: 4. de omni Scriptura valet, ut etiam 2 Tim. 3: 16. Sed de hiſtoriis ſigillatim 1 Cor. 10: 6. Sic ab exemplo argumentatur Paulus Rom. 11: 2. ſ. *neſcitis, quid Scriptura dicat de Elia?* quomodo ipſum Deus erudierit, cum omnes Iſraelitas præter ſe defeciſſe putaret, de reliquis ſua gratia cuſtoditis; unde concludit, & Heb. 3: 4. exemplo infidelitatis Judæorum monet, & caveant ne in idem exemplum cadant. Jac. 5: 11. *audiviſtis patientiam Jobi, & vidiſtis finem Domini, quòd Dominus ſit miſericors & miſerator.* Hic ergo verus uſus hiſtoriarum ſacrarum, non ſolum ut ſciamus, & de iis queamus differere, ſed inprimis ut ex iis diſcamus, quod ex uſu ſiet noſtro; inde patet miſericordia Dei in cuſtodiendis & liberandis piis ex omni calamitate, 2 Pet. 2: 9. exemplum juſti Lot qui ſe affligebat ob Sodomitarum impietatem, quomodo ſuos per multas calamitates duxerit, eorum patientiam & fidem exercuerit, & tandem in extremis rebus omnibus deſperatis, non deſeruerit, Jac. 5: 11. ſed potius miraculo ſubvenerit, ſiquidem id faceret ad ſuam gloriam & ſalutem ipſorum. Dan. 3. & 6. 2 Pet. 2: 9. Quomodo poſt diuturnam tolerantiam impiis reddiderit compenſationem, manifeſtata ira ſua de cœlo contra eos, qui veritatem in injuſtitia detinent, Rom. 1 18. Habent nautæ regulas artis ſuæ & quæ dicuntur Belgis **hare paſ-caerten ende zee-baveng.** Verum ſi alicubi ſciant alliſam navem, & confractam illico diſcunt ſcopulum ſub undis latere, ſi aliam arenis immerſam, brevia & ſyrtes ibi eſſe: Sic exempla docent, quæ ca-

cavenda ſunt; quâ contra navis tranſiit commodiſſime, eſſe iſtâc tutum iter. Sic quoque ab exemplis monita vitæ ducere licet, maxime quæ Deus ipſe conſignari fecit. Jer. 22: 15. ſeq. Joſiæ exemplum eſt boni regiminis, & cap. 26: 18. ſeq. Hizkiæ ferentis verbum Dei ſincere prædicari. Cumprimis propria exempla habent aliquid efficaciæ ſingularis, qualia hic proponuntur. & Deut. 32: 7. quomodo præteritis populis Iſraelem ſibi fecerit peculium. Sic Pſal. 78: 5. ſ. neglectus hujus fecit ut Iſraelitæ prolaberentur in peccata Jud. 2. Si Belgium meminiſſet patrum, & quæ tunc facta eſſet inſtructio abundantiſſima, ne declinaremus ad peccata & provocationes Domini.

IV. *Actionem, declaravit.* Nihil attulit novi, quod in hoc tempus reſervaſſet, ſed eadem plane; ſolummodo quæ brevius & obſcurius dicta à ſe erant, explanatius propoſuit. Reperiuntur quidem nonnulla in hoc libro, quæ in prioribus non exſtant, quomodo non eſt declaratio tantum, ſed novarum doctrinarum indicatio. Verum heic notandum eſſe in hoc libro delarationem verborum quæ ante locutus eſt Moſes, non autem præciſe eorum quæ in prioribus libris ſcripſit. Moſes fidelis fuit in tota domo Dei, qui proinde non ſubticuit quicquam eorum quæ Deus ei mandavit, ut non illico referret ad populum; & ſic quæcunque hoc libro memorantur, olim quoque ſua inſtitutione inculcarat: ſed non omnia illico ſcripſit. Aſt nunc non tantum eadem quæ antea docuerat repetiit, & delaravit, verum etiam repetita & declarata juſſu Dei conſignavit. Deut. 18: 15. ſeq. promiſſionem illam de Propheta internuncio ſecundo Deus edidit mox poſt promulgatum decalogum, cùm deprecati eſſent Iſraelitæ, ne vocem ipſius Dei audire ultra cogerentur. Eam quis credat reticuiſſe uſque ad finem vitæ? Non inſeruit tamen prioribus ſcriptis, adeoque ſervavit in hunc locum, ubi peculiari cum emphaſi eam repetiit.

Porro *Moſes in quibuſdam initio obſcurior fuit, adeo ut declarationis egeret.* Explanatione opus non fuiſſet, niſi obſcuritatis aliquid ſubinde fuiſſet admixtum. Obſcuritatis iſtius cauſa eſt tum in rebus, quæ multum habent in ſe myſterii. Scripſit ille de Chriſto Joh. 5: 46. cujus cognitio myſterium eſt; de ſalute per fidem Rom. cap. 10: 8. quod itidem myſterium eſt, tum in auditoribus qui caruerunt auribus, oculis, cordibus neceſſariis. Deut. 29: 4. Hinc obſcura omnibus plurima 2 Cor. 3. verſ. 13. *Moſes poſuit velamen ſuper ſuam faciem, ut filii Iſrael non defigerent intentos oculos in finem ejus, quod aboletur.* Omnes illæ cerimoniæ typicæ fuerunt tanquam velamina, quæ prohiberent viſum, ut non penetrarent ad corpus ipſum in umbris defixi. Præterea cùm propriam juſtitiam vellent conſtituere, Dei juſtitiam ignorarunt, neque illi fuerunt obnoxii, tametſi Moſes eam doceret, verbum fidei ejuſque juſtitiam Rom. 10: 2. ſeq. Proinde indigebant explanatione, quam eis Moſes dedit, quanta conveniebat illis temporibus ad alterum Prophetam audiendum adhortatus, & circumciſionem cordium à Deo peragendam pollicitus. Eſt quoque in aliis Scripturis obſcuritas, quod de Paulinis epiſtolis teſtatur Petrus, 2 Pet. 3: 15, 16. non ubique: nonnulla dicit ineſſe difficilia, non omnia; & Paulus ipſe fatetur de Melchizedeco, ſe habere dicenda, difficia explicatu iis nempe qui tardi ſunt ad audiendum. Alioqui verbum Dei lux eſt, illuminans mentes, dans intellectum ſimplicibus Pſal. 19: 8. & 119: 105. 130. Culpa magnam partem eſt in hominibus ipſis, 1 Cor. cap. 2: 14. & 2 Cor. 4: 4. Si cui Euangelium noſtrum eſt tectum, fit per Deum hujus ſeculi excœcantem mentes, ne eas colluſtret illuminatio Euangelii gloriæ Chriſti, ut pereant in ſua infidelitate. Imo in ipſis quoque fidelibus multa adhuc eſt imperfectio, 1 Cor. 13: 9. Quamvis Deus non obſcure locutus ſit, nobis tamen ſæpe obſcura ſunt propter præjudicia Actor. 13: 27. Condemnatæ fuerunt voces Prophetarum, dum alium eis affinxerunt ſenſum. Eoque poſtulandum à Deo Pſ. 119: 18. *retege oculos meos ut videam mirabilia legis tuæ*, & ut det *Spiritum ſapientiæ, & revelationis in agnitionem ſui, illuminatos oculos* mentis Eph. cap. 1: 17.

Eſt vero *uſurpandum medium explanationis conveniens.* Moſes explanavit, ſed eodem modo quo prius locutus erat quæcunque Dominus juſſerat; hinc toties inculcat, ut audirent ſtatuta & judicia quæ Deus mandarat, cap. 4: 5, 6. &c. Uti initio ſe adſtrinxit ad mandatum Dei, cùm propoſuit, ita etiam cùm explanavit; hic quoque nullam Ægyptiorum ſapientiam, aliamve adhibuit. Sic egit Ezras & Levitæ Neh. 8: 9. Et rationem dat Petrus, 2 Pet. cap. 1: 20. ſeq. Explicatio Scripturæ non eſt petenda ab homine, quia non ab homine prodiit, ſed à Spiritu ſancto, qui ſolus idoneus interpres ſuorum verborum, neque loquitur nobis niſi in verbo ordinario. Homines inepti ad interpretationem, eorumque ſapientia, quia & res & verba ſunt Spiritus ſancti, quæ non capit ratio humana, imo condemnat, 1 Cor. 2: 10. 12. ſ. Si ergo explanationem Scripturæ quærimus, quæramus ab ipſa Scriptura. Chriſtus explanaturus quæ ſe attinebant, non niſi Scripturas adhibuit Luc. 24: 27. 44. ſic Paulus Apollos, alii. In explicatione omnia debent congruere; ſpiritualia ſpiritualibus; aſt ſola Scriptura S. ex ſcriptis omnibus dicitur Spiritus 1 Joh. 5: 6. Non debemus aliam declarationem velle audire, Matt. 18: 3. Quid autem agendum hoc modo? 1 Pet. 2: 2. ſ. Τὸ ἄδολον γάλα appetendum. Recens natis infantibus lac ſincerum maxime placet, quale ex maternis uberibus fluit; non opus eſt, ut melle, ſaccharo, aqua odorata temperetur. Sic qui hic infantilem habent appetitum, amant purum ſimplex, intemeratum verbum Dei, uti fluxit ex uberibus Apoſtolorum & Prophetarum. Naturalis homo quoque deſiderat nonnunquam verbum Dei, ut Herodes Marc. 6: 20. Sed non placet ejus ſimplicitas, aliquid miſcendum eſt, quod ipſe inſtar ſacchari habet, licet ipſi noxium ſit, blandiloquentia, humanaque ſapientia obduci, & ſaccharo iſto tegi debet, titillationem aurium quærit, parum de nutritione animæ ſollicitus. Aſt regenitus puerulus ſolum ſpectat ſui nutrimentum, & habet guſtum bonitatis ſalutaris; ſiquidem guſtaſtis, quod bonus ſit Dominus: qui ſolus bonus Matt. cap. 19: 17. Matt. 17: 4. Petrus ait, *bonum eſt nos hic eſſe, faciamus tabernacula*, & qui bonitatem Dei guſtarunt, volunt ibi quoque manere, nunquam divelli ab uberibus illis. Nihil adeo delicatum offerri poteſt, quod ei anteponant. Joh. 6: 68. Jer. 15: 16. Cui alia verba placent, aliud nomen æſtimat, ſed qui de nomine Dei nominatus eſt, non ſola profeſſione, ſed rei veritate, is verba Dei ſolummodo æſtimat, atque ea magis recondit, quam demenſum ſuum Job. 23: 12. hinc quotidiana petit alimenta, & incrementa, uſque ad plenitudinem menſuræ ſtaturæ Chriſti. Sic faciamus nos, verbum Dei ſit nobis Textus, & ſit nobis explanatio, cibus & potus, divitiæ & deliciæ. Sic cognoſcemus Deum & Chriſtum, vitam & felicitatem, eaque potiemur in omnem æternitatem. Amen.

II. PARS LIBRI.

Verſ. 6. *JEhova Deus noſter alloquutus erat nos in Chorebo, dicendo, ſatis habitaſtis in monte iſto.*

Verſ. 7. *Convertite vos, & proficiſcentes ingredimini in montem Emoræorum & in omnia vicina ejus, in campeſtria, in montana, & in humilia loca, & in Auſtralem plagam, & in portus maris:* in *terram Cenahanei & Libanum, uſque ad flumen maximum, flumen Euphratis.*

Verſ. 8. *Vide expono vobis terram illam: ingredimini & hæreditario jure poſſidete illam terram, quam juramento promiſit Jehova ma-*

joribus veſtris, Abrahamo, Jitzchako, & Jahakobo, daturum ſe illis, id eſt, ſemini eorum poſt eos.

1 Chron. 29: 15. *Peregrini & inquilini ſumus coram facie tua, uti omnes patres noſtri:* Sic profitetur David rex, ſub extremum vitæ, cum non exul erraret ut olim Pſ. 119. verſ. 29. Pſ. 39: 13. ſed frueretur regno, affluens opibus & potentia, & tranquillitate. Scilicet agnovit quod patres Ab. Iſ. & Jacob, quod peregrini & hoſpites eſſent in terra Heb. 11: 13. quia quærebant patriam promiſſam in cœlis. Eadem conditio etiamnum circa fideles valet, Heb. 13: 14. proinde peregrini ſumus, quicunque in terra vivimus, extra patriam; verum eopropter debemus peregrinorum inſtar vitam inſtituere, 1 Pet. 2: 11, 12. Peregrinus vivendum habet non quidem juxta leges & mores eorum inter quos vivit, ſed tamen citra horum juſtam offenſam Patriæ ſuæ leges noſſe & obſervare debet, ut exinde agnoſcatur peregrinus, Phil. 3: 20. qualem ſe profitetur, & nihilominus in iis quæ non adverſantur, pacem ſervare cum omnibus hominibus. Adhæc ut peregrinitatis ſuæ nunquam dememineſſe appareat, nec oblitus Patriæ, jugiter ea meditari & agere, quæ propinquiorem faciant patriæ ad quam contendit. Quod oportune poſſumus diſcere ex iis quæ Moſes Iſraelitis hoc loco inculcavit, qui & ipſi erant peregrini, & ad terram contendentes, quam patriam aſſignarat Deus, in qua etiam Iſaac & Jacob nati fuerant.

Vidimus inſcriptionem libri quæ materiam concionum Moſis ultimarum, nec non tempus & locum, & modum proponendi declaravit. Nunc incipit CONCIO PRIMA, quæ Præparatoria eſt à verſ. 6. cap. 4: 40. qua repetit hiſtoriam 38. annorum cap. 1, 2, 3. & inde ſubjungit exhortationem ad obedientiam cap. 4.

HISTORIA refert I. quid factum ad montem Horeb, verſ. 6--18. II. quid in itinere, verſ. 19. & deinceps.

AD MONTEM HOREB duo refert facta. I. mandatum promovendi itineris ad Cananæam, verſ. 6, 7, 8. II. Judicum inſtitutionem, verſ. 9--18.

I. *Mandatum* iſtud itineris habet. 1. autorem. 2. impulſivam. 3. mandatum ipſum. 4. promiſſionem.

A. *Autor* mandati eſt, *Dominus Deus noſter locutus eſt nobis in Horeb dicendo.* Mandans ergo eſt Deus fœderatus; Iſraelitæ omnes erant in fœdere Dei, nati tales, ex quo Deus cum Abrahamo pepigerat fœdus, complectens omnem ejus poſteritatem naturalem, Gen. 17: 7. ſ. & omes mares fœderis iſtius ſignum geſtabant in corpore ſuo, circumciſionem, quotquot ex Ægypto egreſſi erant. Sed voluit Deus cum iiſdem, poſtquam in multitudinem populi excreviſſent, fœdus repetere, ut ſibi fierent populus peculii, neglecturus deinceps ad tempus nationes alias, ut ſuis ipſarum viis ingrederentur. Hoc egerat poſtquam ex Ægypto miraculoſe liberatos ad montem Sinai receperat in fœdus, quemadmodum in ſeqq. commemorabit. Quibus rite peractis jam erat *Dominus Deus ipſorum. Dominus* quidem, Jehova Exod. 6: 1, 2. ſic Patriarchæ ipſum non erant experti, ut promiſſionem præſtaret, quarum prima erat de poſteritate ipſorum vendicanda ex dura ſervitute, ut cum magnis facultatibus excederent ex terra peregrina, judicato populo cui ſerviiſſent: Hanc vero præſtiterat Deus: quam inculcavit & cum deduxiſſet Iſraelem ad montem Dei, Sinai. Exod. 19: 1. ſ. & cum promulgaret fœdus, cap. 20: 2. ut jam vere ab Iſraelitis dicendus eſſet, non tantum El Schaddai, ſed Jehova, quod prius complectitur & ex promiſſione ſic egiſſe teſtatur. *Deus noſter*, qui ſolenni fœdere cum Iſraele univerſo conjunctus erat, ad quod invitati fuerant Exod. 19. conditiones Deus ipſe promulgavit, cap. 20. & poſt ſufficientem moram, ipſis ad deliberandum conceſſam, declarato aliquoties populi conſenſu fuit ſancitum, cap. 24. quomodo Deus ipſorum Deus ſingulari titulo factus eſt, quod declaratur, Deut. 26: 16. ſ. & ipſi viciſſim Dei populus. Moſes *noſter* dicit, ut ſe quoque conjungat, & ſe uti membrum populi, ſic conſortem pacti iſtius eſſe demonſtret. Ille Dominus Deus noſter locutus eſt ad nos, adeoque jure eo, quod habebat non ſolum qua Deus in creaturas, ſed etiam qua fœderatus, & quidem ad Horebum, juxta illum montem, ubi pactum iſtud initum erat. Horeb & Sinai vel ejuſdem montis nomina ſunt, vel diverſorum collium in eodem monte, vel Horeb fuit tractus ille univerſus, plures montes habens, & intermedias convalles, & Sinai mons quidam ſingularis, in illo tractu, cæteris excelſior. Deſertum Sinai memoratur Exod. 19: 1, 2.

Nos tantum obſervamus, *non aliter Deum nobis loqui, quam Dominus Deus noſter.* Sumus natura creaturæ Dei, quemadmodum omnes homines; pariter experimur eum El Schaddai, potentiſſimum, & liberaliſſimum, omnibus bonus eſt, & miſericordia ejus ſuper omnia opera ſua, Pſ. 145: 9. omnibus dat cibum de plenitudine ſuæ manus; & ſatiat, prout ſibi viſum fuerit, verſ. 15. ſ. Mat. 5: 45. Sed id non ſolum, ſic non excelleret noſtra conditio Gentiles, Dei ignorantes, quos æque curat Act. 17: 25. ſ. conſervator omnium hominum 1 Tim. 4: 10. neque bruta Pſ. 36: 6, 7. homines & jumenta ſervas, &c. Sed eſt aliquid excellentius, ſumus promiſſionis poſſeſſores, & fœderati ſigillatim. Experimur, uti Iſraelitæ, Jehovam Deum noſtrum. Jehovam non ratione temporalis liberationis; quamvis enim eam conſecuti fuerimus Dei beneficio, exemti ſervitute Hiſpanica & Anti Chriſtiana non id factum vi antegreſſæ promiſſionis: alioqui etiam nuperrime ſunt liberationes hujus & aliarum provinciarum Belgii; ſed ratione liberationis ſpiritualis quam Deus pollicitus erat etiam Gentibus, & præſtitit. In ſemine Abrahami, Meſſia, benedicendæ erant omnes familiæ terræ Gen. 12: 3. cap. 22: 18. Act. 3: 25. quod factum, Gal. 3: 14. poſtquam Chriſtus Jeſus pependit in ligno factus exſecratio, benedictio Abrahami pervenit ad gentes, & Deus ac Pater D.N. Jeſu Chriſti benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœlo in Chriſto Eph. 1: 3. & per Euangelium annunciatur impervestigabilis opulentia Chriſti, quod gentes ſint cohæredes & concorpores, & conſortes promiſſionis Dei in Chriſto cap. 3: 6. ſ. Per Chriſtum Jeſum non minus nobis quam Judæis, maximæ & pretioſiſſimæ promiſſiones ſunt donatæ, ut per eas divinæ naturæ fiamus participes, poſtquam effugerimus perditionem quæ in mundo eſt per cupiditates, 2 Pet. 1: 3, 4. Inſuper Deum *noſtrum*, qui noſtros parentes admiſit in fœdus, & quidem tale quod hæreditarium foret Act. 2: 39. quod etiam in noſtra infantia per baptiſmum nobis fuit obſignatum; & quemadmodum Iſraelitæ propter illud fœdus vocabantur populus Dei, ita quoque nos vocamur Chriſtiani, quotquot pertinemus ad familiam Dei, ceu ejus domeſtici Eph. 2: 19. quæ univerſa in cœlo & terra à Jeſu Chriſto nominatur, cap. 3: 15. adeoque quandocunque Deus nobis loquitur, nonne audiendus eſt? Cogitandum jugiter eſt qualis nobis ſit Deus. Jer. cap. 2: 31. Jehovæ verbum eſt, qui promiſſiones præſtitit, neque ſe inſtar deſerti, aut caliginoſæ terræ oſtendit, verum ceu ſcaturiginem aquarum viventium, & cujus lux gratioſa diſcuſſiſſet tenebras calamitatum. Poſt hanc vero experientiam, fœderatum populum excutere imperium, & repudiare regem, ut ſibi ipſi rex ſit, id vero turpiſſimum eſt. Caveamus ne idem de nobis dici queat. Jehova eſt, qui tanta promiſſa præſtitit, ex mera gratia promiſſa, & an ipſius oblivíſcemur? quem alium inveniemus qui æque fidelis ſit in promiſſis? ſperamus quidem ab hominibus, & illis fidi ſumus, & obedientes; & ſæpe fruſtramur: aſt à Deo id experti ſumus, ut ſecuri queamus eſſe in futurum. Deus noſter eſt, fœdus iniit nobiſcum, ſeque nobis obſtrinxit, & eſt ille qui ſervat fœdus & benignitatem Deut. 7: 9. Fœdus autem mutuum eſt, non Deum ſolummodo nobis obſtringit, ſed etiam nos Deo Deut. 26: 10. Quando populi qui ſub rege ſunt, nominant ſuum regem, non tam attendunt beneficia illius ergo ſe, cui nec noti ſunt, quanquam etiam innoteſcere non poſſunt, quam ſuam obligationem, & quid illi debeant. Sic nos Dei noſtri nomen debet commonefacere, quid debeamus obſequii, qui tantis nos beneficiis & benedictionibus antevertit; Nunc quidem aliquid Speciale eſt quod nos incitet; Locutus erat hæc Jehova Deus Iſraelis juxta Horeb: ubi fœdus recens initum fuerat. Non eſt hic Horeb, ſed eſt menſa Domini, ad

quam

quam hodie fœderale convivium agimus, comedimus de cibo Dei, Chriſto Jeſu, qui cum ſe dedit Aſcham, factus eſt cibus iræ Dei, hoſtia expiatoria, ſed idem pacifica, de qua etiam nobis portio datur, ut conciliationis ſecuritatem habeamus; bibimus illud poculum, quo confirmatur fœdus novum in ſanguine Chriſti. Quæ jam loquitur Deus loquitur nobis ut Jehova noſter: eo loco ubi fœderis memoriale eſt, heic præſtitit promiſſa, renovavit fœdus. Simus nos memores eorum quæ conſecuti jam ſumus, quæ porro præſtolemur, & oſtendamus nos fœderatos ad obſequium obſtrictos, & ad præſtandum volentes, & conſtantes.

B. *Impulſiva*, verſ. 6. *Sat diu manſiſtis apud hunc montem.* Mandatum procedere jubet, & hæc ratio eſt, quia ſat diu heic loci hæſerant. Venerant ad montem Sinai menſe tertio, poſtquam exceſſiſſent Ægypto. Exod. 19. verſ 1. inde diſceſſerunt anno ſecundo, menſis ſecundi die vigeſimo Num. 10: 11. proinde iſtic morati ſunt propemodum annum integrum. Circa iſtud tempus Deus hæc dixit Moſi. Obſervatum eſt à non nemine (Abrabanele) Moſen dum hinc concionem ſuam orditur, voluiſſe occurrere ſequioribus cogitationibus Iſraelitarum. Erant iſti maximam partem nati in deſerto, & jam poſſeſſuri terram, quam patribus datam occupare debuerant qui Ægypto egreſſi erant. Sed quadraginta anni tranſierant, cujus moræ culpam ne perperam conciperent, ut vel Deo tribuerent, qui non potuiſſet introducere in Cananæam ob incolarum potentiam, aut quod in deſerto implicatus non inveniret viam, aut quod in deſerto voluiſſet perdere nationem; vel Moſi quod male affectus eſſet erga populum. Igitur docere hoc capite Culpam moræ non eſſe in Deo, qui juſſerit tempeſtive progredi; neque in ſe, qui ipſorum gubernationi rite conſuluiſſet, adhibitis ex medio ipſorum, qui una poſſent. Sed in ipſis omnem hærere, qui terram faſtidiviſſent. Sat diu commoratos dixit Deus. Erat ibi aliquandiu commorandum; nam Deus eò deduxerat illos, ut I. Solenni fœdere eos ſibi devinciret, quod poſtquam factum Exod. 19: 24. II. externo ſigno ſe fœderatum probaturus omnibus, mandavit ut ſibi tabernaculum fieret erigendum in medio populi, cujus omnem figuram ut Moſi oſtenderet, illum per quadraginta dies & noctes ſecum in monte detinuit, cap. 24: 18. III. Iſraelitæ moræ illius pertæſi conflant vitulum aureum, eique feſtum agunt, ſuperveniente Moſe, qui tabulas fœderis eapropter confregit, & mox aſcendit in montem, deprecatus Deum per dies & noctes quadraginta. Deut. 9: 9--18. impetrataque venia rediit ad Deum cum aliis tabulis, quas ejus juſſu dolarat, quibus inſcripſit priora verba fœderis, quando rurſum tanto tempore fuit in monte. Exod. 34: 28. IV. tabernaculum & ejus inſtrumenta omnia fuerunt parata, reliquis primi anni menſibus, &c. V, tandem illud erectum, & à Deo occupatum nube primo die anni ſecundi; atque dies ſeqq. tranſacti in recenſione populi, & caſtrorum collocatione, Tabernaculi dedicatione, itemque Paſchatis celebratione tum menſe primo, tum pro iis qui ob contaminationem cadaveris erant immundi, menſe ſecundo, Num. 9: 2. ſ. verſ. 10. ſ. cujus ſeptem diebus exactis, iter fuit inchoatum die menſis ſecundi vigeſimo. Unde liquet, moram etiam hanc eis fuiſſe auctam culpa propria. Quantum ejus neceſſarium fuit, ut populus fœderatus leges acciperet; tantum detinuerat Deus, ſed eo peracto, vult finiri moram. Hinc vero notamus.

(1.) *Qui fœderati Dei facti ſunt debent morari aliquamdiu ut de legibus fœderis magis inſtruantur. Satis diu morati eſtis*, etenim aliquamdiu morandum erat. Cum Deus Iſraelem eduxit ex Ægypto, non permiſit ſuo arbitrio ut agerent quod vellent, nec hominem, nec Deum agnoſcentes, præter propriam voluntatem & cupiditates, ſed adſcivit in fœdus, quod dicitur adducere ſub vinculum fœderis. Ezech. 20: 37. atque tunc de ratione cultus inſtruxit.

Alicujus momenti hoc eſt. Qui in fœdus Dei concedunt, debent impendere tempus aliquod, ut diſcant, quæ ſui ſint officii. Pace facta inter regna & Status alios, publicantur conditiones, ut omnes incolæ diſcant, quæ ſibi ſint obſervanda. Nauta nullus mare ingreditur, quin primum didicerit, quomodo cum fœderatis agendum ſit. Verum qui fœderantur Deo putant in promiſſione iſta omnia contineri; quod ſe fideles futuros dicant, non autem cogitant ut diſcant quid ad fidelitatem promiſſam requiratur. Baptizandos dant infantes ſuos ut fœderis jus hæreditarium ſibi parentes obſignatum habeant, ſed nec ipſi curant ſcire, nec liberos edocere quid fœderis ſit. Multi veniunt ad ſacram Cœnam, & fœdus profitentur, & pariter negligunt meditationem officiorum. Si quis ſcripſiſſet contractu, ſe alicui debere aureos mille, ſolvendos intra breve tempus, nonne in unam illam cogitationem incumberet, quomodo iſtud præſtiturus eſſet? Pollicemur in fœdere Deo obſequium totius cordis, animæ, virium; nonne meditandum quomodo præſtare conveniat? Qui ſe obligat Opifici per annos aliquot apud ipſum hæret, ut diſcat quicquid artis ejus eſt, quo deinceps jugiter magiſtrum ſuum queat honorare. Sic quoque nobis faciendum eſt, manendum apud Deum, & apud verbum ejus, & diſcenda quæ ſunt obſequii.

(2.) *Qui tempus ſufficiens habuerunt ad cognoſcendam Dei voluntatem debent ad praxim accedere.* Nam *ſat diu manſiſtis*; mora fuit & ſat diuturna fuit, nunc tempus ut accingatis vos ad agendum aliquid. Heb. 5: 12. *Oportebat vos eſſe doctores pro temporis ratione.* Didicerant diu, & jam debebant docendi muneri eſſe apti, quamquam eis id deerat. Vitium eſt quod homines non diſcant, quæ diſcenda; ſunt in domo ſervi, ſed ut neſciant heri voluntatem, neque etiam diſcere velint; qui peccant ex ignorantia eaque ſæpe voluntaria, nolentes ſcire, ſcilicet prætextum habituri voluntariæ inobedientiæ, dum ſibi parent, qui per fœdus ſui amplius non ſunt. Sed eſt aliud vitium, quod quidam ſemper diſcant, & nunquam perveniant ad cognitionem veritatis, 2 Tim. 3: 7. Frequentes in audiendo, legendo, ſed ibi hærent, non procedentes ad praxin. Profecto multis Chriſtianorum, dici hoc poteſt. Sat diu morati eſtis, ut cognoſceretis quid officii veſtri ſit. Cognoviſſe omnes videri volunt, & largimur ſaltem quoad tempus; ſed tamen manent iidem, quaſi jugiter diſcentes à principio. Nihil magis agunt, quam antea. Atqui non auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur, Rom. 2: 13. qui ſolum auditores, non factores decipiunt animas proprias. Jac. 1: 22. In nulla arte quis ſolum vult cognoſcere, ſed etiam experiri, & agere ſecundum leges ejus; idem hic faciendum. Hodie non ſolum, ſed dudum antea cognovimus quæ muneris noſtri ſunt; ab hoc die finiamus deſidem moram, non tardi in agendo, ſed ferventes ſpiritu. Rom. 12: 11. ſervientes Domino.

C. *Mandatum* ipſum, verſ. 7. imperans iter, & deſcribens terminum ejus. *Vertite vos.* Cum exirent ex Ægypto Deus eos non deduxit per viam breviſſimam, verſus Philiſtæorum terram, Exod. 13: 17. ſed verſus mare algoſum, & ſic per illud in deſertum & ad montem Sinai, quomodo longius recedebant à Cananæa; verum nunc jubet mutare viam, & recta proficiſci eò, atque etiam ingredi; deſcribit autem terram à ſuis terminis, & omni eo quod intermedium. A meridie mons Amoræorum, qui etiam dicuntur Cananitæ & Amalekitæ Num. 14: 45. & Deut. 1: 44. coll. & mons ille mons Seir; protendebatur enim tractus ille montanus per deſertum Pharan, & ultra mare Sodomæ. Amoræorum nomen generale eſt, pro omnibus incolis Cananææ, Gen. 15: 16. Ab illa parte erat ingrediendum venientibus à meridie. Succedunt deinde, quæ in medio ſunt gentes vicinæ & Vicini Amoræorum tam trans, quam cis Jordanem, campeſtria, montana, loca humiliora, & quæ magis expoſita erant meridiei; tum terminus occidentalis, portus maris mediterranei, totus tractus Philiſtæorum, Tyri & Zidonis, qui claudebatur ab occidente mari claudebatque terram Canaan univerſam; tandemque termini ſeptentrionales, Libanon mons non minus longe porrectus uſque Damaſcum & ultra; & Orientalis Euphrates. Nulla hic mentio Jordanis, ceu termini Cananææ; quia longe amplior eis deſignata terra. Sic ad Abrahamum Gen. 15: 18. ſ. Semini tuo dedi hanc terram, à flumine Ægypti (Rhinocura, quod ſe extendit ad montana Amoræorum.) uſque ad flumen magnum, fl. Euphratem, & recenſet 10. populos in illo tractu habitantes. Sic cum ad

Horebum conſiderent, (quo etiam reſpexit Moſes,) Exod. cap. 23: 31. *Ponam terminum tuum à mari algoſo uſque ad mare Poliſchtæorum & à deſerto uſque ad flumen* Euphratis. Ubi termini meridionalis, occidentalis, ſeptentrionalis (ſi deſertum Damaſci intelligamus) & orientalis. Dicit tamen hic quod non ſimul & ſemel velit ejicere gentes illas verſ. 28. ſ. ſed paulatim: & ſane poſtmodum Deus trans Jordanem exiguam dedit poſſeſſionem, & potiſſimam cis Jordanem; quamvis nec hic omnem, & illic longe ſpacioſiore parte relicta; quemadmodum tantum ſeptem populorum mentio eſt, Deut. 7: 1. & terra Rephaim, quam Moabitæ & Ammonitæ habitabant ex parte, excepta eſt Deut. 2: verſ. 10. ſ. Unde liquet nondum Iſraelem omnem illam terram obtinuiſſe: nam non conſiſtit in eo, quod Salomo habuerit tributarias nationes uſque ad Euphratem; ſed expulſis nationibus debebant poſſidere. Manet adhuc Deo præſtandum.

Notamus tantum *Deum collocaſſe terminos populorum, & aſſignare cui velit & quamdiu velit.* Amoritæ poſſederant hanc terræ partem, & nunc aſſignat Iſraeli, & quantum habere debeat. Deut. 32: 8, 9. Sic diſtribuit terram in poſteros Noachi, ut Canaanis maledicti progeniem collocaret iſtic, ubi tandem Iſraelitarum futura erat terra. Act. cap. 17: 26. Prærogativa hæc Dei eſt, ut terminos ponat regnis & regibus, Jer. 27: 5. ſ. *Ego feci terram hominem & jumenta, quæ in terra, virtute meâ magna, & brachio extenſo, & do, &c.* Dan. 3: 37. Verum arrogant ſibi hanc poteſtatem tyranni, Eſa. 10: 13. ſ. *virtute manus meæ egi, & ſapientia meâ; nam intelligens ſum, & removi terminos populorum, & deſcendere feci validos incolas, & omnia diripui:* eſt Aſſyrii jactantia; & praxis multorum regum, qui Nimrodi inſtar homines habent ut feras, vel uti Chaldæus ut piſces maris, quibus pro lubitu dominari queant, & omne jus in armis collocant. Exſpectandam habent Dei vindictam, ut ſuperbia illa coerceatur. Solatur eò Deus Iſraelem Eſa. 10. verſ. 5. ſ. quamvis Deus utatur tyrannis ejuſmodi ad caſtigandum ſuos, tamen quia non Deo, ſed ſibi ſuæque cupiditati ſerviunt, Deus tandem contra eos ſurget ad perniciem eorum, & eruet ex ore quod abſorpſerunt Jer. 51: 34---44. Sed eſt alia quoque diſtributio quam Deus facit, Deus ipſe portio Pſalm 16: 5. ſ. *Deus eſt portio hæreditatis meæ, &c. funes &c. celebrabo Deum &c. conſtituo Deum jugiter coram me,* &c. Lam. 3: 24. Quid aliter hodie? nonne fuit illico apprehendendus? nam in eo ſufficientia, Pſ. 73: 25, 26. uti Deus immenſus, ſic quoque poſſeſſio ſine terminis: eoque nullo modo privari quis poteſt. Ejici poteſt terminis humanarum poſſeſſionum, imo & anima ejici domicilio corporis, ſed nunquam Deo: ſive vivimus, ſive morimur Domini ſumus, animæ piorum apud ipſum colligatæ in faſciculo viventium, 1 Sam. 25. ut in hac poſſeſſione ſit ſecuritas. Lam. 3: 24.

D. *Promiſſio*, verſ. 8. proponitur. *Ecce dedi terram hanc coram faciebus veſtris.* Non dicit, Dabo, ſed *dedi*; Hæc certitudo promiſſionum Dei, quæ futura dicit, ſunt quaſi præſentia. Etenim Deus qui dixit, non ducitur pœnitentia, neque deſtituitur potentia; eoque non minus certus eſt eventus, ac ſi jam factum eſſet. Num. 23: 19. 1 Sam. 15: 29. Dixit Deus in creatione & factum eſt, præcepit & adſtitit Pſalm. 33: 9. & pariter promiſſiones Dei implentur; nomen Jehova, docet eſſentiam illis dari Exod. cap. 6: 2. Quod pertinet ad fidei noſtræ confirmationem. Heb. 11: 1. poteſtne fides hypoſtaſin dare rebus? minime. Verbum promiſſionis dat, quod vocat ea quæ non ſunt, ut ſint Rom. 4: 17. Fides non aliter, quam quatenus verbum promiſſionis repræſentat animæ, quod præſens facit promiſſa. Heb. 11: 13. viderunt promiſſiones eminus & crediderunt, & amplexi ſunt. Rom. 4: 20. ſ. *Abraham* de promiſſione Dei *non dubitavit infidelitate, ſed roboratus fuit fide, dans Deo gloriam, plene certioratus quod promiſſum erat, Deum poſſe facere.* Hoc attendendum quoad hodiernam actionem, Chriſtus dixit in verbo, *hoc eſt corpus meum pro vobis fractum, hic ſanguis meus pro vobis effuſus*, quia certiſſima ejus voluntas dandi ea bona credentibus. Quum dixit *vide dedi*, &c. undecim diebus aberant à Cananæa adeoque oculis nihil ejus videre poterant, obſtabant etiam montana Amoræorum: Fides tamen poterat apprehendere in verbo ceu præſentia. Hic Chriſtus adſcendit in cœlum, ubi erat prius, atque ibi eſt ipſius corpus & ſanguis indiviſibiliter: nec oculis corporis eouſque perſpicere multo minus manibus contrectare, aut ore manducare poſſumus. Verum verbum ejus ſecuritatem affert, eſt illud veritatis: fides apprehendens conſequitur communionem corporis & ſanguinis ejus; ſic enim editur, & bibitur, & inde percipitur vita æterna, inchoata nunc & tandem conſummanda. Qui dixit fidelis eſt, etiam faciet, 1 Theſ. 5: 24. Heb. 10: 23. Proinde merito additur hortatio, *Ingredimini & hæreditate eam poſſidete.* Promiſſio Dei facit credenti jus legitimum & conſtans. Hæreditas dat titulum juſtum & conſtantem: talem dat promiſſio Dei. *Dedi vobis, ite ergo & poſſidete.* Joh. 1: 6---9. Accuſantur Reformati quod fiduciam ſuadeant in promiſſionibus Dei, de ſalute æterna. Volunt enim Romanenſes ſemper eſſe dubitandum. Sed aliud ſuadet Deus: quando ille promittit, jubet illico apprehendere. Joh. 3: 16. Dedit filium, utique cuique non niſi in verbo, & credens verbo, fide ſtatim ipſummet filium habet & vitam æternam, 1 Joh. 5: 11. ſ. Joh. 3: 36. Eſa. 55: 1. Cant. 5: 1. Meditemur promiſſiones Dei, tantum habebimus ſecuritatis quantum fidei, Pſ. 33. ult. Marc. 9: 23. ſi potes credere, omnia ſunt poſſibilia credenti. Promiſſiones ſunt totidem obligationes, quibus Deus ſe ſuaſque perfectiones obſtringit, ad præſtandum. Iis urgere licet Deum Pſ. 119: 49. memento verbi ad ſervum tuum, in quod me feciſti ſperare & in iis poſſeſſionem adire per ſpem Rom. 8: 24. Spe ſalvi facti ſumus, ob hypoſtaſin ſperandorum.

Sed adhuc annectitur promiſſionis *Confirmatio, à jure jurando Dei*, quo terra Ab: Iſ. Jacob, & ſemini ejus data erat. Dedit Cananæam Abrahamo poſſidendam ab ejus ſemine. Geneſ. 12: 7. cap. 13: 15. cap. 15: 18. ubi ſolenne fœdus deſuper erigitur, & cap. 17: 7. ſ. *Fœdus meum ergo inter me & te, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis, ut ſit fœdus æternum, ut ſim tibi Deus, & ſemini tuo poſt te &c. & dabo tibi, & ſemini tuo poſt te terram peregrinationis tuæ, totam terram Canaan in poſſeſſionem æternam, & ero ipſis in Deum.* Repetita iſta donatio Iſaaco & Jacobo, Deuſque ſæpius teſtatus eſt ſe donationem iſtam juramento firmaſſe. Memorabilis locus 1 Chron. 16: 15. Pſ. 105: 7. ſ. Juramenti iſtius mentio quoque eſt Deut. 7: 8. cap. 11: 21. cap. 29: 8, 9. & apud Prophetas, etiam Ezech. 47: 14. ubi nova terræ diſtributio, & juramentum iſtud dicitur valere in mille generationes. Eſt ergo certiſſima reſtitutio Iſraelis; quia juramento confirmata. Etenim quicquid jurejurando à Deo confirmatum, idem eſt immutabile. Heb. cap. 6: 13. ſ. *cum Deus promiſſionem faceret Abrahamo, quia per majorem jurare non poterat, juravit per ſeipſum; nam volens hæredibus promiſſionis abundantius probare immutabilitatem ſui conſilii intervenit jurejurando, ut per duas res immutabiles*, &c. Dicit hoc Hebræis, ut præſtolarentur promiſſiones indubitanter. Sunt qui negant Deum teneri ſemper ſuis juramentis, & hoc circa donum Cananææ deſeruiſſe credunt, & ſibi credi volunt. Sed faciunt Deum mendacem perjurum apud Hebræos, quibus immutabile jusjurandum Dei probat Apoſtolus. Nullum unquam juramentum Deus violavit aut mutavit, qui neſcius eſt pœnitere & talia ſunt dona ejus Rom. 11: 29. Ipſe ſolus verax, fidelis etiam cum homines infideles, Rom. 3: 3, 4. 2 Tim. 2: 13. Ubi juramentum Dei duplex certitudo; eoque ſecuritas. Fœdus Dei juratum fœdus eſt, quod iniit cum Chriſto Sacerdote Pſalm. 110: 4. eoque quos ipſe Sacerdos conciliatos vult hoſtia ſui corporis, illi conciliantur Joh. 17: 19, 20. quicunque credunt in verbum Apoſtolorum ejus. Juratum fœdus eſt quod iniit nobiſcum qui credimus in nomine ejus. Chriſtus promiſſioni ſuæ addidit ſigilla, quæ loco juramenti, ut communionis ſuæ tanto ſimus ſecuriores. Eſa. 45: 23. ſ. *Juravi per me ipſum, verbum juſtitiæ egreſſum eſt ex ore meo & non revertetur, omne genu &c. de me dicetur, certe in Domino ſunt juſtitiæ & robur, ad ipſum ibitur; in Domino juſtificabuntur, & gloriabuntur totum ſemen Iſraelis.* Hoc nobis juravit in S. Cœna. Credamus modo & juſtificabimur, & gloriandi erit materia. Enimvero in fœderibus mutua ſunt juramenta; juremus & nos, Pſ. 119: 106. jurarunt quondam Aſa & Ju-

& Juda, ſe quæſituros Dominum, & jurantes gaviſi ſunt, nam toto corde jurarant, & tota voluntate quæliverant, & inventus fuit ab ipſis, & Dominus dedit eis quietem circumcirca, 2 Chron. 15: 11. Juremus, & ſtabiliamus, ſic proſperabimur, & quietem habebimus intrinſecam coram Deo, & extrinſecam cum hoſtibus noſtris; & cauſam gloriandi in Deo publice & privatim. Deus qui fidelis faciat nos fideles, & donet promiſſam fidelitati felicitatem, in Chriſto Jeſu. Amen.

Verſ. 9. ***Et alloquutus fueram vos tempore illo dicendo, non poſſem ſolus ferre onus veſtri.***

Verſ. 10. ***Jehova Deus veſter auxit vos, & ecce vos hodie ſicut ſtellas cœli multitudine.***

II. Officia hominum redeunt ad duo capita, Amorem Dei & proximi; ille complectitur omnia quæ ad cultum & obſequium Dei pertinent; iſte quæ ad vitam ſocialem inter homines: & cùm ea obſervantur, felix eſt conditio. Amor Dei felix eſt; nam honorantes ſe honorat Deus 1 Sam. 2: 35. Amor proximi itidem: nam tum mutuum juvant, & curant. Adeoque ad utrumque inſtruendi ſunt, quo diſcant & faciant, & proſperentur. De priore argumento inſtitutio Eccleſiaſtica Prov. 29: 18. De poſteriore politica conſilia. Prov. 11: 14. Utriuſque ergo rationem habuit Moſes, ut felicitatem Iſraelis, quantum in ſe eſt promoveret. Totum ejus miniſterium eo comparatum fuit, ut populum doceret, Deum amare & timere, obſervando quæ eis indicarat præcepta: verum etiam conſuluit in iis quæ ad mutuam dilectionem faciunt, ut non ſolum ſcirent quid faciendum eſſet, ſed etiam haberent, qui ut id fieret, operam darent, nempe Magiſtratus. De his agit inde à verſ. 9. Oſtenderat proximis verſibus diuturnæ in deſerto moræ cauſam non eſſe in Deo: Nam quam primum quæ ad fœdus cum Deo faciebant, perfecta erant, ut non ſolum conditiones promulgatæ, & ab Iſraele receptæ, atque mutuum confirmatæ eſſent, ſed etiam tabulæ deſuper expeditæ, & tabernaculum Dei in medio caſtrorum erectum, illico Deus juſſit terram repromiſſionis ingredi & occupare, adeo ut Deus eos non potuerit dici detinuiſſe. Nunc v. etiam oſtendit, moræ iſtius culpam penes ſe non eſſe, quod ſcil. dominatum ſibi quæſierit, ac iſta de cauſa eos in deſerto detinuerit. Nam tantum abfuit ab ejuſmodi ambitione, ut ab initio quæſiverit ſocios operis Magiſtratus, alios juxta ſecum gubernaturos populum. Hoc agit verſ. 9 --18. quibus verſibus de Magiſtratu differit, docens I. quibus de cauſis eligendum cenſuerit, verſ. 9--12. II. quæ ſint eligendi leges, verſ. 13, 14, 15. III. quodnam ſit officium electorum judicum & plebis, verſ. 16, 17, 18.

A. *Cauſam* eligendorum Magiſtratuum præmiſſa occaſione verſ. 9. proponit & confirmat, verſ. 10, 11, 12.

א. *Occaſio* eſt, verſ. 9. ubi tempus, quando id factum, & ratio cur id factum ſit.

De tempore teſtantur verba, *Et dixi ad vos illo tempore.* Repetendum ex verſ. 6. *Dominus Deus noſter locutus eſt nobis in Horeb juxta illum montem.* Illo tempore, non quo dixit iſta Deus, nam de quo nunc loquitur anno integro fere prius dictum eſt: ſed quo conſedimus in Horeb; antequam inde migratum eſſet, imo cùm in Rephidim eſſent, proxima ſtatione ante acceſſum ad montem Sinai. Etenim poſtquam Magiſtratus eſſent inſtituti diſceſſerunt ab Horeb, verſ. 19. Niſi dicamus proximam ſtationem à monte Sinai, quæ dicta Kibroth hattaava in eodem deſerto Horeb fuiſſe, nam etiam iſtic de inſtituendis Magiſtratibus actum eſt. Etenim bis talia contigerunt. I. cùm Iſraelitæ exceſſiſſent ex Ægypto, & per mare rubrum veniſſent in deſertum Sin uſque in Rephidim, poſt Amalekitas depulſos, Jethro Moſis ſocer acceſſit ſecum ducens uxorem & filios Moſis, cùm hic ad montem Domini caſtra poſuiſſet, & animadverſa moleſtia, quam ſolus Moſes ſuſtinebat in regendo populo, autor ipſi fuit ut adſciſceret judices alios complures majori minorique poteſtate, Exod. 18. quod conſilium illico ſecutus eſt. II. cùm digreſſi eſſent à monte Sinai, & in proxima ſtatione populus mannæ pertæſus carnes poſceret, Moſes deprecatus eſt à Deo moleſtiam regiminis, petiitque ac impetravit, ut 70. Seniores adjungerentur Num. 11. An Moſes hic alterutrum horum ſpectet, & quodnam prius poſteriuſve: vel an utrumque inquirendum eſt. Quæ de judicum iſtorum diſtinctione & poteſtate dicuntur, conveniunt primo tempori; formula qua Moſes uſus eſt, ut impetraret, poſtremo; quamquam illa tunc ad Deum uſus dicitur, heic v. ad populum: quod tamen utrobique & ad Deum & ad populum factum eſſe potuit. Cæterum ut rem intelligamus rectius, Hiſtoria ab ipſo initio deducenda eſt. Iſraelitæ non caruerunt omni Magiſtratu, antequam hoc dixit Moſes. Abraham ejuſque filii quando venerunt peregrinatum in Canaan nunquam fuerunt ſubditi populis Cananæis. ſed ſui plane juris, quique domi ſuæ ſummum exercebant imperium; unde cum indigenis inierunt fœdus. Abraham cum Mamre & fratribus ejus Gen. 14: 17. & regibus quoque Abimelecho cap. 21: 22. ſ. [Iſaac cap. 26: 26.] & ipſe agnitus Princeps Dei, id eſt, magnus ab Hittæis cap. 23: 6. Jacob denunciat capitis pœnam illi qui deprenſus eſſet idola Labani rapuiſſe cap. 31: 32. Juda Thamarem nurum adulterii ſuſpectam condemnavit ad ignem cap. 38: 24. In Ægypto habuit populus ſuos ſeniores Exod. 3: 16--18. cap. 4: 29. cap. 12. verſ. 21. per quos populi negotia gerebantur, ut nomine omnium loquerentur ad Pharaonem, & mandata accepta indicarent. Poſt exceſſum ex Ægypto memorantur etiamnum iidem Seniores Exod. 17: 3, 6. qui convivæ fuerunt Moſis cum ſocerum exciperet peractis ſacrificiis eucharifticis Exod. 18: 12. imo vocantur etiam נשיאים *Principes* **Oberſte** cap. 16: 21. ſublimiores dignitate. Verum fuit illa poteſtas fere patria, & quæ ætate maximo in quavis tribu & familia deferebatur; nomen & poteſtas שר Principis **Vogt** auditum inter eos non fuit, ut quis abſolutam haberet poteſtatem ſtatuendi & exſequendi, in quosvis, qui ſuæ familiæ non eſſent, ætatis titulo generisque ſubjecti. Hinc cum Moſes Ægyptium occidiſſet, qui Iſraelitæ injuriam inferebat, & poſtridie litigantes Hebræos dirimere vellet increpito injuriante, ei dictum, *quis te conſtituit* שר ושופט *Principem & Judicem ſuper nos?* &c. Exod. 2: 14. quia ipſe tantum ſibi ſumebat autoritatem, qui adoptivus erat filius Pharaonis, tyrannidis affectatæ eum accuſabat, & qui ſibi in omnes arrogaret imperium. Veruntamen poſtquam Deus vocationem ejus confirmaſſet omnibus miraculis per ipſum in Ægypto patratis & dum eos inde per mare eduxit, agnoverunt eum Principem & Regem, Deut. 33: 5. qui pace & bello omnia moderaretur, bello quidem; nam ipſe conſtituit Joſuam ducem contra Amalekitas, quo milites legeret, & in hoſtem duceret, Exod. 17: 9. pace vero: nam ipſe judicium in omnes exercuit, ſedens in tribunali cap. 18: 13. citra tribus & familiæ diſcrimen; manentibus Senioribus populi non ut quid regiminis haberent, ſed ut per eos indicium fieret populo eorum quæ agenda erant cap. 16: 22. Socer Moſis Jethro igitur cum videret Moſen à mane in veſperam juridicundo fatigari, ſuggeſſit conſilium deligendorum judicum, ſed non niſi ex Dei mandato, ſequendum, cap. 18: 22. quod Moſe deficiente haud erat facile in ipſius oculis. Adeoque rogatus hic fuit Deus, uti poſtea quoque, & ſic delecti hi Judices. Verum quomodo factum ut anno proximo Moſes denuo petierit à Deo collegas? fueruntne hi abrogati? Minime id videtur: ſed aliud ſpectabatur. Judices iſti tantum habebant partem audiendarum & dirimendarum litium, ſed in regimine populi nulla eis pars, ſed ſoli Moſi incumbebat? qui etiam adſcenſurus in montem, ut acciperet tabulas fœderis à Deo, Aaronem & Hur ſuo loco conſtituit curaturos iſtud ſe abſente Exod. 24: 14. cùm ergo populus ab ipſo poſceret carnes, deſperans ſe poſſe populo murmuranti ſatisfacere; deprecatus apud Deum onus iſtud poſtulavit collegas, & Deus ei gratificatus id eſt, juſſitque deligere 70. ex Senioribus, & ex præfectis, quibus communicaturus eſſet de Spiritu Moſis, ut ſubſidio eſſent, Num. 11. atque iſtud fuit ſynedrium illud majus, quod non judicavit lites forenſes ſive pecunia-

cuniarias & capitales cauſas, nec in prima inſtantia, nec per appellationem ut dicitur, ſed quæ regimen totius populi attinebant, tum in Eccleſialticis de falſo Propheta, urbe apoſtata, tum in Politicis de bello gerendo, aut pace conficienda. Fuere proinde iſti 70. Collegium novum, cujus membra, non ſecus ac Judices priores à populo ſunt delecta Num. 11: 24. ſ. Poteſt proinde Moſes reſpexiſſe utrumque, & contraxiſſe in unum Magiſtratuum inſtitutionem, cùm utrobique reperiantur ſimillima nonnulla: attamen quæ legitur hic inſtructio deſumta eſt ex priore hiſtoria, poſteriór autem ſpiritualem declarationem non habet.

Hæc de tempore; *Ratio* facti eſt: *Ego ſolus non potero vos ferre.* Dixit iſtud Moſes ad populum; Jethro initio dixit ad Moſen, Moſes idem retulit ad Deum, & hoc probante conſilium Jethronis, ac jubente ad ſecundam petitionem Moſis, ipſi populo propoſuit negotium: Se ſolum illi regendo non ſuffecturum. Non dicemus prolixe de iis quæ Moſen ad hoc proponendum impulerint, Conſilium Jethronis alienigenæ, quod ipſe quocum Deus familiariter loquebatur, & de omnibus monebat, non eſt aſpernatus, ut maximis non aſpernanda liqueat conſilia minorum, & qui extra regimen ſunt; vident noruntque ſpectatores, quod qui opus agunt, non vident; qui monere ſalutariter queunt. Atqui undecunque bonum conſilium venit illud excipiendum eſt, Abigail prudentior fuit Davide, qui ejus conſilio aures præbuit, 1 Sam. 25. Puella Hebræa ſerva conſuluit Naamani 2 Reg. 5. & Joſeph captivus Regi Pharaoni Gen. 41. Eccl. 9: 1. pauper ſapiens eripuit obſeſſam civitatem. non enim quis dicat ſed quid dicat conſiderandum. Enimvero quod Jethro ſuaſit, optima conſilia ſunt ſubjicienda Deo, an illi placeant. Conſilia humana ſtolida Deut. 32: 28. ob ignorantiam finis; quem proximum intuentur non ultimum. Etiam cum optime conſuluiſſe videntur, errant quandoque in circumſtantiis 2 Sam. 7: 1. Nathanis mutandum fuit, ſuggerente aliud Deo. Eſt ille ſolus ſapiens, magnus conſilio Rom. 16: 27. Eſa. 25: ult. quod ipſi non placet, non poteſt eſſe bonum & ſapiens conſilium: proinde Deus conſulendus. idque bifariam. I, Scripturam conſulendo, ubi omne conſilium Dei declaratum eſt, Pſ. 119: 1. Prov. 7: 24. Act. 20: 27. cap. 26: 22. quod etiam valet in negotio regiminis Joſ. 1: 7. ſ. II. precibus, ut à Deo petatur conſilium, uti Davidem frequenter egiſſe legimus; & ne quis extraordinariam rationem urgeat Joſaphatus ſic egit 2 Chron. 20: 12. & Hizkias Eſa 37: & Ezra Ezr. 8. Ipſe Saul profeſſus eſt ſe non auſum fuiſſe contra hoſtes ducere exercitum non ante conſulto Deo 1 Sam. 13: 12. quo profaniores utique nos eſſe non decet. Sunt v. duo iſta media conjungenda. Poſterius non juvat ſine priore. Sauli inobedienti Deus nullo modo reſpondit, unde deſperabundus ad pythoniſſam ſe contulit 1 Sam. 28. Perſecutores enim Deus non audit, &c. Joh. 9: 31. Iniquitates abſcondunt Dei faciem, ut audire nolit Eſa. 59: 2. Deus conſilium dat non interrogatus in verbo, qui hoc adſpernatur, eum rogatus alio non dignatur Prov. 1: 23. ſed qui iſti præbet aures, non negabit aliud quod fiet ſaluti. Pſ. 32: 8. ſ. Pſ. 73: 13. ſ. Quod Moſes dixit cauſam ſuæ propoſitionis; non poſſem ſolus ferre vos; & indicat munus, & ſuam impotentiam. Munus eſt ferre populum, quod repetitur & plenius declaratur, verſ. 12, Impotentia quod id nequeat ſolus futuro tempore. Hactenus tulerat, & quidem ſolus; ſed deinceps negat à ſe fieri poſſe. Plenius hanc impotentiam declarat coram Deo, Num. 11: 11. ſ. ubi ſimul deprecatur, tametſi non aliter quam moriendo poſſet liberari. Non dicit abolendum eſſe munus iſtud, ſed ſe ſolum iſti non ſufficere. Adeoque hoc fundamenti loco ſubſternit.

Neceſſarios eſſe intelligimus, qui ferant populum: neque ſine illis hunc felicem fore. 1 Reg. 22: 17. oves quæ non habent paſtorem, miſeri imæ ſunt, quia ſibi non ſufficiunt, & multitudine ſua potius officiunt, quam ut defenſæ ſint ſibi invicem, & ſic ſe habet populus carens regente. De urbe Lais dicitur, quod non eſſet qui coercitivam haberet poteſtatem hæreditario, neque qui ulli ob quamcunque cauſam inferret ignominiam nempe ex delegatione & electus ad regimen Jud. 18: 7. & hinc fuere prædæ. Rom. 13: 1. ſ. ordinatio Dei eſt poteſtas quævis, & Dei miniſter ad laudem bene agentium, & ad vindictam eorum qui male agunt. Si deſint, homines ſunt tanquam piſces maris, & tanquam reptilia, quæ non habent dominatorem, ut rapiantur & perdantur pro lubitu. Hab. 1: 14. ſ. Mat. 9. 36. Spiritualem conditionem ſpectat; ſed etiam verum eſt de politico: miſerandi, qui ejuſmodi ſunt, adeoque deprecandum, ne in talem conditionem incidamus. Prov. 21: 2. non illam Pſ. 119: 70. 1 Pet. 2: ult. non iſtam Pſ. 72: 1. crebra mutatio pœnam habet, & magis abolitio Eſa 3: 1. ſ. Auferet Dominus Zebaoth heroem & militem, & judicem, & Prophetam, & ſenem, & pentecontarchum, & conſiliarium: vid. verſ. 8. Utinam abſtineret ab hiſce actionibus, ne ea calamitas nobis ſuperveniat, & pereamus. Sed audiamus rationes, cur Magiſtratus ſuadeat eligendos, eæ ducuntur I. à conditione populi, verſ. 10, 11. II. à perſona Moſis, III. à munere ipſo, verſ. 12.

(1.) *Conditio* populi eſt multitudo, quam ab autore amplificat, & ſimilitudine illuſtrat. *Dominus Deus veſter vos multiplicavit*, experientia teſte, *& ecce vos ſicut ſtellæ cœli ratione multitudinis.*

Multitudo populi & ejus incrementum à Deo eſt. Pollicetur iſtud Lev. 26: 9. cum ab ipſo ſit fœcunditas & ſterilitas. Gen. 20. utique multarum familiarum, & integri populi multiplicatio Deo eſt adſcribenda. Agnoſcenda eſt benedictio Dei in multiplicatione populi. Nunquam major fuit in Iſraele quam tempore Salomonis, & tunc dicitur Juda & Iſrael 1 Reg. 4: 20. quæ tanto magis animadvertitur, quo pauciores fuerant in initio Gen. 26: 5. Jacob perditus Syrus deſcendit in Ægyptum, & peregrinatus ibi eſt cum paucis. Quando ea negatur maledictio eſt. Hoſ. 9: 11, 12. Amos 5: 2. ſ. Virgo Iſraelis cecidit, & non ſurget. Sic enim ait Dominus domui Iſraelis. quærite Dominum, & vivite, & non quærite: quomodo & cauſa imminutionis; & remedium indicatur. Deus olim Belgium multiplicavit. Exiguus iſte tractus, qui ante ſeculum bellis & perſecutionibus in ſolitudinem videbat redigendus, quantopere auctus fuit hominibus: in Hollandia urbes pleræque pomœria ſua extenderunt, ob incolarum numerum. Sed quantopere ille imminutus eſt? Multiplicia bella quæ geſſimus, ex quo Hiſpanicum finitum fuit, quot millia abſumſerunt, inprimis bellum hoc quadrienne, quot familiæ diffugerunt, aut alias perierunt dum mercimonia exerceri libere non poſſunt, infeſto mari. Quam multæ domus in hac urbe clauſæ ſunt ſine inquilinis! Deus eſt qui nos imminuit; merito dicendum nobis Pſ. 71: 8. egreſſi ſunt ex urbibus noſtris, & quorum multi perituri ſunt, ſiquidem prælium ſit committendum. Contra rogandus ut rurſum multiplicet, quemadmodum diebus antiquis, quod ſeparatim obſervandum de Iſraele.

Multiplicatio ipſorum promiſſa præſtitaque à Deo. Quando eam aceptam refert fœderato Deo, confertque multitudini ſtellarum, reſpiciens promiſſionem Gen. 15: 5. quam impletam eſſe hinc quoque Paulus probat, Rom. 4: 10. Heb. 11: 12. quam miraculoſe aucti in Ægypto; Jacob eo deſcendit cum 70. animabus, & ſpatio 215 annorum fuere plures 600000. quicquid etiam contra machinaretur Pharao. Sed longe major fuit illa multiplicatio in ipſa Cananæa. Verum etiam poſt captivitatem Babylonicam promiſſa multiplicatio Jer. 3: 14. 16. atque inprimis poſt converſionem ultimam; ſed promittit Deus Deut. 30: 6. ſ. quando circumciderit corda ipſorum, ut ſe convertant, & obedientes faciant mandata ejus, tum faciet Deus eos abundare in fructu omnimodo, ventris, & jumentorum, & terræ. Cùm enim multiplicatio Iſmaelis Hagari promiſſa Gen. 16: 10. hodieque valeat in Turcis & Saracenis, quia ſemen Abrahæ eſt, quid ni eadem impleatur circa Iſraelem? qui de filio promiſſionis deſcendit. Jer. 31: 27. Ezech. cap. 36: 9. ſ. conf. Exod. 6: 21. Stellæ cælorum quæ Abrahamo datæ ſunt in ſignum multiplicationis adhuc eum uſum habent Jer. 31: 35, 36. & 33: 25, 26. hiſce ordinationibus ceſſantibus, ceſſabit Iſrael, ut non ſit populus diſtinctus coram Deo. Hoſ. 1: 10. numerus filiorum Iſrael erit ut arena maris, quæ menſurari aut numerari nequit, & fiet in loco ubi dictum eis fuit, Lo-ammi, ibi illis dicetur, vos eſtis filii Dei viventis. Sed quod hic potiſſimum

eſt,

est, & hac ratione à Mose segregatum est.

Quo plures sunt in populo, & ille major, eo magis indiget rectoribus. Familia qnævis etiam exigua quanto magis ampla indiget moderamine; nam in ea sunt, qui per ætatem conditionemve suam semetipsos regere non possunt, perituri, si aliorum cura non gubernarentur, ut sunt minorennes liberi infantes & lactentes. Quanto magis in civitate, in provincia, ubi plurimæ familiæ; est respublica magnæ domus instar, & in ea reperiuntur qui minorennium & infantum habent conditionem. Adhæc quemadmodum in corpore multa sunt & differentia membra, quæ propriam habent operationem, & tamen indigent mutua opera; ita quoque in Republica varii generis sunt homines, agricolæ, artifices, operarii, nautæ, milites, mercatores, literati, qui mutua opera indigent, non tamen hic quivis quod sibi necessarium ab altero rapere debet; sed quemadmodum anima hominis colibet dissidium membrorum, & facit, ut permutatione quadam sibi invicem ministrent; ita quoque Magistratus in corpore civitatis moderamen tenere debent. Inprimis cùm multiplicatio ista fere conjuncta sit cum externa prosperitate. Rebus secundis illa augetur, cum adversis imminuatur, tunc judicia Dei, magna illa; bellum, fames, pestis, & feræ bestiæ Ezech. 14: 14. exscindunt homines & jumenta. Secundis autem rebus crescit insolentia, superbiunt divitiis, honoribus, & prolixiores sunt ad oppressionem aliorum, atque injuriam, ut tunc magis rectorum solicitudine sint continendi in officio.

Discendum hinc est, quo plures sumus vel numero vel opibus, beneficio divino, ut eo promtius nos regendos demus; facit opulentia insolentes, ut frenum omne excutiant, & omnium imperio se subductos credant, Jer. 2: 31. sed tum minus sumus idonei ad nos regendos. Ebrius homo minus aptus est ad sui regimen, à sobrio curandus est, ne alicubi offendat. Et ebrius prosperitate indiget aliena solicitudine. Potissimum autem indigemus omnes etiam magistratus regimine ipsius Dei. Ps. 144: 12. s. recenset multiplicationem variam à Deo dandam, filiorum & filiarum, officinarum, gregum & armentorum, pacis abundantissimæ, & concludit beatus populus cui sic est; sed & addit beatus populus, cujus Deus est Dominus. In adversis egestas virtutis magistra est; verum in prosperis vix ullus homo sufficit ut coerceat insolentiam, quia sunt instar tauri saturati Deut. 32: 15. tum vero Deum habere Magistratum, ut ille regimen suscipiat, felicitatis est. Soliciemus Deum, ut id consequamur. Quæ nobis residuæ sunt benedictiones ex priori multiplicatione nondum melius usurpantur, quam cum abundaremus, æque necessarium regimen Dei, ut coerceat omnem injustitiam & oppressionem: ut intestina pax & tranquillitas servari queat. Salomon 1 Reg. 3: 7. s. dicit in precibus suis. Sic quivis cui aliquid à Deo concessum est, Deo se regendum præbeat. Is cohibebit à superbiis, ne dominentur, & moderabitur verba oris, & meditationes cordis, ut suæ voluntati sint conformes, donec πολιτεύματι nostro finito, consequamur admissionem in civitatem cœlestem, aggregati panegyri beatorum ad æternam felicitatem. Amen.

Vers. 11. *Jehova Deus majorum vestrorum augeat vos suprà quàm estis millecuplo, & benedicat vobis, quemadmodum dixit vobis.*

Vers. 12. *Quomodo ferrem ego solus molestias à vobis, onera à vobis, & contentiones vestras?*

Prov. 11: 23. *Desiderium justorum tantummodo bonum, exspectatio impiorum furor.* Desiderare aliquid omnium hominum est; ex quo lapsi sunt à primæva sua perfectione, excideruntque gloria Dei, non habent quod acquiescentiam pariat, sed illud quærunt, ut consequantur; verum uti differentia est hominum, sic quoque desideriorum; justi desiderant bonum, id quod utile salutare sit, adeoque & honestum; imo hoc unum desiderant, neque id solum sibi, ut ad se solos illud redundet, citra respectum ad alios, aut etiam cum aliorum damno vel incommodo; sed quod absolute bonum, ad quemcunque proxime fructus redeat, se aliosve. Ast impii ea agunt, unde exspectanda ira vehemens, quæ faciunt ad injuriam aliorum, ut iram concipiant, tum homines læsi, aut videntes læsionem, tum Deus iram & indignationem ad compensationem redditurus. Sic in omni vita se habent diversæ indolis homines justi & impii, speciatim autem quoad regimen publicum, desiderium pii est tantum ad bonum, quærit ille commodum Reip. hic unus ipsi scopus, & suprema lex, adeoque on quid sibi privatim accedat vel honoris, vel emolumenti, sed absolute quid universitati commodet; ast impius hoc exspectat, quod meram parit indignationem, partim dum sibi solum consulit cum injuria & oppressione aliorum, hoc ductus axiomate, oderint dum metuant: partim dum serit lites & fovet contentiones, ut necessariam faciat suam operam, & promoveat compendium, juxta illud, divide & impera, itemque peccata populi comedunt & attollunt animas suas ad ipsorum iniquitatem Hos. 4: 8. quod non tantum de Sacerdotibus valet, sed etiam de judicibus. Prioris non posterioris ordinis fuit Moses. Equidem Dathan & Abiram eum criminantur, quod omnino principatum sibi affectavit super Israelem, & ut eum tueatur etiam oculos aliorum effossos velit. Num. 16: 13. s. Adeoque agat omnia ad oppressionem & indignationem populi; verum ipse id omne à se molitur professus coram Deo, nullum asinum ab ipsis accepi, & nemini ipsorum aliquid mali feci; proinde nihil mihi quæsivi, sed solum id quod bonum est. Hujus rei demonstrationem habemus in textu, ubi Moses de Judicibus & Magistratu agit, unde liquet ipsius desiderium tantummodo fuisse in bonum. Indicat enim causas cur Judices & Magistratus censuerit eligendos, cùm ipsemet solus gubernatione populi defungeretur. Tres vi indicantur ipsius sermone; quarum ducitur prima, à conditione populi: secunda à persona Mosis propria; tertia à muneris ratione.

Primam causam dixit, vers. 10. multitudinem pop..i, quam Deus largitus esset, & largitus ex fœdere, juxta promissionem olim factam; quo plures autem vivunt in societate politica, eo magis indigent moderatoribus, qui in corpore multivario harmoniam servent ad quietem & felicitatem publicam. Et hæc ratio cur se solum ferre posse negat. Antequam autem hinc abeat ad causas cæteras, , occurrit suspicioni sequiori, aut objectioni ex suspicione orituræ. Cùm enim hactenus populum omnem solus duxisset & rexisset, & quo minus porro id ageret multitudinem populi causatus esset, poterat quis objectasse, itane invides nostro incremento, & indignaris nostræ multitudini, quod non æque facilis tibi sit futura gubernatio inter tot capita, optares ergo nostri imminutionem, quod ei exprobrarunt Dathan & Abiram Num. 16: 13. Nam quæ dicis ostendunt te desperare de nostri imminutione, quia à Deo nobis concessa, & quidem in fœderis & promissionis Abrahamo factæ. Heic ergo protestatur contrario plane modo se affectum esse, vers. 11. Dominus Deus patrum vestrorum &c. Optat multiplicationem majorem ut millecuplo plures sint quam nunc sunt; optat à Deo, Dominus addat vobis tantum; optat à Deo fœderato, Dominus Deus patrum vestrorum; puta Ab. Is. & Jacobi addat; optat sociatam multiplicationi felicitatem, & benedicat vobis; optat denique fiduciâ divinæ promissionis, quemadmodum vobis locutus est. Unde constabat ipsorum commodum proprio sibi potius esse, qui tam serio illud optabat promotum. Unde observandum.

Cavenda est Magistratibus omnis suspicio inuidiæ & malevolentiæ, & ostendendum se Demp. cum rerum propriarum detrimento auctam velle. Hoc modo egit Moses, & probavit magis quando Deus ob populi inobedientiam hunc se perditurum dixit, & Mosen facturum populum, imo majorem & fortiorem isto, Exod. 32: 20. Num. 14: 12. Potuisset quiescendo sibi parare tantam dignitatem, sed intercessit apud Deum, neque passus est iram Dei eousque procedere opposita Dei veritate, quæ

fœde-

fœdere & promissione patribus obstringebatur; imo maluisset anathema fieri pro populo, ut illi parceretur. Exod. 32: 32. Eodem animo fuit David, non optabat ille quidem imminutionem populi, qui in multitudine ejus gloriam Regis consistere norat. Prov. 14: 28. eoque gloriandi materiam inde quærebat, numerari populum jubens: verum quando imminuendus esset justo Dei judicio fame, bello, aut peste, & hæc immitteretur, petiit ut ea in se suamque domum caderet, ac populo parceretur. 2 Sam. 24: 17. Quin ipse Achab hic aliquid laudabile egit 1 Reg. 20: 3. s. poscente Benhadado sibi ipsius thesauros, uxores & liberos assensus est: sed cum subditorum bona quoque flagitaret, renuit, propriorum damno redemturus erat pacem. sed quando subditos etiam se expilaturum dixerat, hoc malum erat Reip. eoque intolerandum. Etenim Rectoribus Reip. non sibi solum studendum est, suæ dignitati & utilitati, sed publica utilitas longe anteponenda. Grave ergo crimen est se solum suumque privatum commodum à Magistratibus quæri, cum neglectu, imo cum detrimento Reip. Qui non se Reip. causa, sed Rempub. sui causa constitutam rentur. Est hæc Regum & Monarcharum plerorumque sententia, multitudinem populi, & omnia ejus incrementa suo duntaxat emolumento servire debere: qui se ostendunt non pastores populi, qui bonorum ut David titulus, Ps. 78: 71. s. quorum studium omne pro ovibus, ut eæ pinguescant, multiplicentur, læta & copiosa habeant alimenta, defensam habeant citra suum laborem, licet cum molestia & periculo pastoris, uti Jacobi Gen. 31. sed venatores populi ut Nimrod Gen. 10: 9. qui, solum delicias sibi quærunt ex capturæ suæ epulis Gen. 25: 28. cap. 27: 3. s. & piscatores qui reti suo attrahunt, ut devorent Hab. 1: 14. s. Ita Saul Benjaminitis suis poterat dare agros & vineas 1 Sam. 22. non utique de suo, sed quia quæ populi, sua æstimabat & distribuebat. Peccant profecto illi regentes qui se suosque auctum eunt, ex publico, & hanc mercedem sibi debitam rentur, ut ditescant ipsi, dum publicum depauperatur, & quæ bona tutorum instar tutari & augere debebant, inde sibi divitias parent, Hab. 2: 6. s. Boni magistratus est ut à gerenda, repub. redeat honestior quam ditior. ut Samuel. 1 Sam. 12: 2. s. Et negat populus quicquam horum fecisse. Imitatus Mosen est, qui itidem sic protestari potuit, & nunc quoque privatus munere optime gesto, non negat preces & institutionem. Patris instar, qui non sibi, sed liberis thesauros congerit, & non suum, sed illorum incrementum quærit. Similiter boni magistratus affecti sunt, & Mosis exemplum propositum sibi habent; ut siquidem ille publicum commodum suæ genti invidere nefas esse duxit, ipsi ea quæ populi sunt sibi rapere multo magis putent esse nefas. Grave erat Mosi tantam multitudinem populi ducere, & omnia ejus onera sustinere, attamen precatus est non imminutionem, sed augmentum millecuplum, & pariter sui imminutionem quoad dignitatem, ut quia ab uno regi amplius non possent plures legerentur, sibi adderentur. Quod nos ducit ad rationes reliquas, quæ, ℣. 12. continentur.

Secunda est à persona Mosis, *quomodo feram solus ego.* Est hic æstimatio sui ipsius, suarumque virium. Hactenus istud munus sustinuerat, & solus sustinuerat, atque experiundo didicerat, quid poscat operæ, quam sibi deesset, adeoque non esse ex re non sua solum sed populi, ut solus porro gereret magistratum. Hoc etiam dixit, vers. 10. non potero solus ferre vos, etiam de futuro tempore loquitur, & solitaria functione muneris: verum hic per interrogationem rem proponit, utp. ubi nemo posset contradicere. Hinc vero discimus Magistratum gerentibus vel gesturis consideranda est propria persona & quomodo se habeat ad illud munus. Quomodo feram ego solus, inquit Moses. Æstimavit ille rite omnia, Ps. 119: 59. חשבתי *vias meas*, ceu qui ad calculos sedet, & onera ac reditus comparat, utrum hi sufficiant illis ferendis. Sic Moses: atque hic tria se meditatum docet.

1. Magistratum esse laborem non otium: feram, sustinebo, uti bajulus onus, quia humeris illud impositum est à Deo: adeoque eos qui ad regimen adhibentur populi, non idolorum instar esse, qui nihil agunt, nisi quod se adorari patiantur, & donariis affici; sed laborandum, ferendum esse non pro se, sed pro universa multitudine, Ps. 144: 14. מסובלים אלופינו non boves quibus onera imponi non solent, sed *duces nostri*; quibus Reip. onus ferendum; ut id rite faciant. Num. 11: 12. dictum sibi dicit, eopse cum soli munus imponeretur. Non vocantur ad otium, sed ad laborem & molestiam.

Hoc si meditemur, potest compescere ambitiosos multorum spiritus, qui affectant honores, & magistratum, ut otium ignavum agant. Dum privati sunt laborandum sudandumque ut sustentent familiam: sed tunc licere comedere **onbesorgt brood** / panem nulli sudoris aut fatigationis. Quasi vero Deus celsiori loco collocaret ut solummodo spectabilis foret quis, non autem ut plus ageret: à proceris arboribus debet plus umbræ, plus fructus venire ad aliorum commodum, Dan. 4. Quo quis sublimior, eo plus est laborandum; Quo columnæ sunt altiores eo plus oneris habent ferendum. Sed homines in sublimitate constituunt munus, neque cogitant de onere, pyramides ad pompam, non columnæ ad utilitatem domus: & hinc ambitione sua evanescunt, ut acumen pyramidis, quod ne minimum quidem oneris possit suscipere & sustinere. 11. Vires proprias esse imbecilles; quomodo feram, quod ferundum est, ego solus. Num. 11: 11. s. cum querela istud exaggerat coram Deo. Servum se profitetur, qui opus ab hero injunctum debeat & velit ferre, sed male haberi se dicit, cui totum onus imponatur, & eopse sibi negari favorem, contra quam homines judicant vulgo, qui gratiam & beneficium esse existimant. *Quod si tu sic facturus es mihi, occide me*, &c. imo addit: quod se defecturum videret sub tanto onere, suas vires longe excedente. Columna in ædificio debet habere robur proportionatum oneri ferendo, ne & ipsa ruat & quod impositum est.

Hæc meditatio magis ad huc valet ad ambitionem compescendam, si consideremus quid valeant humeri, quid ferre recusent. Sane si hoc agnoscerent ex sui agnitione, quam nullarum sint virium, quam parum possent in exiguo, in domestico regimine, quod levissimo oneri succumbant, utique reprimerent impetum, neque vellent adspirare ad altiora. Verum philautia facit homines æstimatores sui; & plurimorum opinio est ipsum munus conferre aptitudinem, ut non afferenda sit, sed ibi reperiatur: unde nulli non muneri se idoneos rentur, quia titulum ferre & primum locum tenere, & superbire satis, itemque præmia percipere, & absumere posse, suarum esse virium scire se putant optime. Enimvero neglectus hujus considerationis totum mundum implevit confusione. Unde est quod indignissimi & ineptissimi reperiantur quandoque qui aliis regendis præsint, quam quia suam imbecillitatem non agnoscunt; aut sibi imaginantur, exigua admodum sapientia regi mundum; adeo ut habere munus sufficiat. Id observandum in *Ecclesia* Romana: quinam illi sunt qui munera potissima habent, Episcopatus, Archiepiscopatus, &c. annon illi pastorum locum habent, qui vix oves dici possunt. Inprimis Papa, qui sibi soli totum arrogat regimen, & quod Moses sibi à Deo commissum declinabat, causatus impotentiam, id in plures à Christo distributum, Eph. cap. 4: 11. solus ad se rapit. Cum olim Constantinopolitanus Episcop: se diceret Universalem, à Romano judicabatur, talem esse præcursorem Anti Christi: Sed Paulo post à Romano id factum, qui se vere Anti Christum demonstravit. Sed etiam in aliis Ecclesiis reperiuntur, qui affectant quod suarum virium non est, qui munus quærunt, solummodo ut reditus habeant, ut familiam alere queant, & ubi consecuti sunt, voluptati indulgent, aut agriculturam exercent, quasi annuas homilias recitare esset summa muneris; & si exiguo in loco quoad reditus vivant, quærunt opimiorem, scilicet quia sufficiunt ad accipiendum, & absumendum, nihil de suis viribus cogitantes. Peccatur pariter in politia, & hinc nascuntur bella, qui munus aliquod sustinent, illi non acquiescunt, sed majus quærunt, & artibus subinde violentis eo progrediuntur; quia nullum sibi arduum nimis augurantur. Abimelech se fratribus 70. potiorem ducit, & illis trucidatis imperium rapit Jud. 9. Sic Zimri qui Baesam & alii qui alios reges occiderunt, sibique regnum sum-

se-

ſerunt. Amazia victis Edomitis provocat Joaſum regem Iſraelis; qui eum parabola monet, ut ſuas æſtimaret vires: Edomitas percuſſiſti, & cor tuum ſe extulit, habe illum honorem & mane domi tuæ; quare miſceres te malo, ut cadas tu & Juda tecum 2 Reg. 14: 10. Sic qui extenderunt ſuam jurisdictionem; uti Aſſyrius qui omnium dominus eſſe voluit; quod nunc experimur in Rege Galliæ, cui non ſufficit ſuum regnum, ſed vellet totam Europam, imo totum mundum ſibi ſoli ſubjicere, ut ſolus regnaret. Scilicet ſe onus ferre poſſe putant, quia ſibi regnandi leges fingunt, & tunc vires habent redundantes; imo ad id ſolum vires requiri cenſent, ut cupiditatum nullos habeant limites; eaſque deficere, quando in exercitio voluptatum, intemperantiæ, impudicitæ, &c deficiunt. Qui ſemetipſos rite conſiderant, tardi timidique accedent, trahendi potius, quam ut ſponte currant ſeque intrudant; uti Jeremias, Jer. 1: 6. juventutem cauſatus, & Saul, qui abſcondit ſe inter vaſa, ut regnum declinaret. 1 Sam. 10. Quoque magis ſollicitant Deum pro conſequenda idoneitate, quam homines pro impetrando munere; uti Salomo, 1 Reg. 3: 7. Sum parvus adoleſcens, neſcio egredi & ingredi: & Pauli preces frequentiſſimæ, ut idoneus redderetur, dato ſibi ore & eloquio ad prædicandum Euangelium. III. Non eſſe tamen detrectandum; *quomodo feram ſolus?* non dicit, non feram amplius, ſed *quomodo ſolus:* feram equidem, quia impoſitum à Deo, cui obediendum, ſed non poſſem ſolus, & eligantur alii, qui ſociam præſtent operam.

Contrario crimini iſtud occurrit; ambitioſa temeritas fuit taxata, quando non conſiderata debilitate propria, nihil nimis arduum creditur, unde tamen ſæpenumero, pudefiunt, quando ipſorum ſtultitia fit manifeſta: aſt nunc nimia puſillanimitas eſt notanda, quando ſuam infirmitatem conſiderant, & deſperantes de ſe vocante Deo detrectant ſubire provinciam, aut ſubducunt humeros; & deſerunt: quemadmodum Moſes, & Elias, qui deſeruit Iſraelem, & mori optat, ne unquam ad illum eſſet redeundum, 1 Reg. 9: 1. & Jonas qui fugit, ne iret quo mittebatur. Atqui mandante Deo parendum eſt, qui non patitur ſibi negari miniſterium; ad Jeremiam, *ne dic, ſum junior, quocunque miſero ibis, & quod juſſero loqueris*, ſub comminatione pœnæ: quid paſſus Jonas ob fugam? Novit Deus vires cujuſque ſed quos vocat, iis largitur quantum neceſſe eſt: quod homines non poſſunt, 2 Cor. 10: 9. Obediendum Deo, & poſtulanda ejus gratia, ſic laborare quis poterit, etiam plus aliis, ſed per gratiam Dei quæ cum ipſo. 1 Cor. 15: 10.

c. *Tertia* eſt à munere ipſo, *veſtram fatigationem, veſtrum onus*, & *veſtram litem*. Ubi tria ſunt.

a. Fatigatio. טרח, quando quis laſſatur, & exinde ſentit moleſtiam; Veſtram autem non quam ipſi patiantur, ſed quam inferant, ejus autores Moſi. Eſa. 1: 14. novilunia veſtra & feſta odit anima mea, ſunt mihi fatigationi, laſſatus ſum ferendo. Adeoque hinc liquet.

Magiſtratui eſt ferenda fatigatio à populo. In magna multitudine magna eſt ingeniorum varietas; quot capita ſepe numero, tot ſententiæ. Infinita fere eſt deſideriorum diſcrepantia, importunæ flagitationes, querelæ, adhæc iræ, comdemnationes, præpoſtera judicia, ſuſpiciones, criminationes, &c. Iſtiuſmodi autem non poſſunt non eſſe moleſtiſſima, & fatigare patientiam, ut quidvis eſſe malint, quam ut iſta ferant, quod hic Moſes ſolus ferre declinat, ſocios optans, ſuæ diffidens patientiæ, & longanimitati. Num. 12: 3. Quam primum cœpit regimen fatigatus fuit. Exod. 2: 14. *quis te conſtituit principem & judicem?* unde fugam capeſſivit, Cap. 5: 21. ſ. aggravatis oneribus ad primam petitionem dimiſſionis, dicunt, *cognoſcat Dominus de vobis & judicet, quia fœtidos nos reddidiſti coram Pharaone, dando gladium in ejus manum ad nos occidendos:* unde ipſe ad Dominum, *quare malefeciſti huic populo? quare me nunc miſiſti?* c. 14: 11. ſ. cum egreſſus perſequeretur Pharao, inquiunt, *an quod non eſſent ſepulchra in Ægypto, inde nos eduxiſti, ut moreremur in deſerto?* Sic cap. 15: 24. ob aquas amaras, & cap. 16: 3. ob defectum panis, & cap. 17: 3. ob aquæ defectum: ut diceret Moſes, *quid faciam huic populo: parum abeſt quin me lapident.* Similiter, Num. 11. & 14. & 16. & 20. de quo Pſ. 106: 33. unde male etiam fuit ipſi propter illos; utpote Cananæa excluſus.

Quam difficilis ergo hæc Provincia, ubi tantæ ac tot fatigationes ſunt ſuſtinendæ, adeo ut patientia vincatur, Debet quis compoſito eſſe animo, atque ſuorum dominus affectuum, ut nec iræ ſuccumbat, nec odio, nec gratiæ, ſed ut manſuetudine utatur, citra violationem juſti & æqui, inprimis ut ferre injurias poſſit, & illatas calumnias, & adhuc proſpiciat & benefaciat. Ut ſemetipſum nolit vindicare, uti Saul, 1 Sam. 10: 27. filiis Belial dicentibus, an nos his liberabit? & contemnentibus ipſum, neque ferentibus manus, ipſe egit ſurdum; & cap. 11: 12. ſ. re benegeſta contra Ammonitas, cum populus illos homines poſceret ad necem, non paſſus eſt victoriam ſuam funeſtari ullius civis ſanguine. Sic Samuel, & David cum iret in exilium, & inde rediret, quoad Simei 2 Sam. 16: 19. Hoc modo manſuetudine & tolerantia quis vincere debet fatigationes, & nihilominus perſeverare benefaciendo.

b. Onus, ut omnem curam & ſollicitudinem ſuſtineat, quo proſpiciatur populi commodis. Etenim Magiſtratui ferendum onus populi, uti nutritio alumni, qui ſic geſtandus eſt, ut ſimul de neceſſariis proſpiciatur ad alimoniam & defenſum, quemadmodum Joſeph de alendis Ægyptiis tempore famis, quemadmodum infans alitur, aut uti gregis onus incumbit paſtori, de quo Jacob Gen. 31: 40. interdiu ſe æſtu fuiſſe conſumtum, & noctu gelu, & ſomnum fugiſſe à ſuis oculis; imo ne quidem vitæ periculum defugiendum, uti David leoni & urſo eripuit prædam, 1 Sam. 17. & ſic iturus erat pro grege Dei contra Goliathum, quem Deus deinde conſtituit ad paſcendum populum Pſ. 78: 71. de Chriſto dicitur Eſa. 40: 11. *velut Paſtor gregem ſuum paſcet*, &c. & paſtoris boni malique munus deſcribitur. Ezech. 34. Jer. 23: 1.

Quia v. onus ferendum quantis opus vigiliis, dum cæteri dormiunt, quanta ſobrietate & abſtinentia? Ebrius & dormiens pariter inepti ad onus ferendum. Eccl. 10: 16. Regentum vita longe eſt onerioſior quam aliorum, ſiquidem totus in utilitate publica procuranda & conſervanda ſollicitus ſit oportet. Paulus totum ſe moleſtiis circumſeptum dicens, adhuc omnium Eccleſiarum cura obrutum ſe profitetur. 2 Cor. 11: 28. & ſic obruuntur cura Reip. ut & domi felix ſit & foris quieta, & quivis frui ſuis poſſit ſine metu & moleſtia.

c. Denique 3. *litem veſtram*, quicquid controverſiæ inter cives aut etiam cum exteris poteſt incidere, quod dirimendum eſt & decidendum, ut unicuique jus ſuum tribuatur, nemo lædatur, ubi neceſſaria juris & legum cognitio, ceu normæ ad quam in judiciis pronunciandum; neceſſaria prudentia ad dignoſcendam veritatem & juſtitiam, quandoquidem ſæpenumero involvitur dolo & mendaciis, de quo munere ſigillatim loquitur inſtructio. Deut. 1: 16 ſ. Hoc ergo Magiſtratui curandum quoque eſt, de quo David profitetur Pſ. 101: 2. & Pſ. 75: 3. ſ. Pſ. 78: 72. *Pavit populum Dei juxta integritatem ſui cordis, & duxit.* Hoc modo felix eſt populus, & felix regens, & habent utrinque quod gaudeant, Deumque celebrent.

Verſ. 13. ***Exhibete homines ſapientes, & prudentes, & cognitos per tribus veſtras, ut conſtituam illos primores veſtros.***

Verſ. 14. ***Tum reſpondiſtis mihi, dicentes, bonum eſt eam rem de qua dixiſti facere.***

Verſ. 15. ***Accipiens itaque primores tribuum veſtrarum, homines ſapientes & cognitos, conſtitui iſtos primores vobis, chiliarchos, & centuriones, & præfectos quinquagenis, & decuriones & moderatores per tribus veſtras.***

Miſerum eſt, populum carere Magiſtratu, vivere ut piſces maris, & reptilia, quibus non eſt dominator. Etenim

nim tunc deglutit impius illum qui juſtior eſt quam ipſe, & quo quis potentior robore, eo major injuriis. Hab. 1. verſ. 13. ſ. Prov. 26: 10. Uti ipſimet violenter opprimunt alios, ita ſuis opibus conducunt auxiliarios & inſtrumenta, tum ſtolidos, qui adulantur magnis & potentibus, & ad eorum voluntatem ſe componunt, tum malos qui iſtic mercedem invenium[illegible] malitiæ. Itaque neceſſarium eſt eſſe Magiſtratus. Qu[illegible] neceſſitatem Moſes oſtendit, quando Iſraelitis perſuaſam voluit conſtitutionem illorum. Tria autem argumenta adduxit. I. à conditione populi, cujus magna erat multitudo, quam tamen non imminutam, ſed auctam optat, utpote ad gloriam & felicitatem populi facientem. II. à ſua perſona, qui æſtimabat laborem, ſuamque imbecillitatem, adeo ut ſolum ſe ſuffecturum deſperaret, quanquam non detrectaret omnem partem iſtius muneris. III. à muneris conditione, quod eſſe fatigatio, onus, & litigiis componendis occupatum. Verum non ſatis erat neceſſitatem oſtendiſſe, conſulendum porro erat, quomodo iſti neceſſitati optime ſatisfieret. Quocirca de duobus adhuc erudit, de legibus conſtituendi Magiſtratus, verſ. 13, 14, 15. & ejus gerendi, verſ. 16, 17, 18.

B. *Quomodo Magiſtratus ſint conſtituendi*, tribus membris docet, A quibus id debeat fieri, Quales ipſos eſſe deceat, & Ad quid ſint vocandi.

א. *A quibus conſtituendi* ſint Magiſtratus docet quando ait, verſ. 13. *exhibete*, &c. *ut conſtituam*. quibus verbis reſpondit populi conſenſus, verſ. 15. *tunc reſpondiſtis*, &c. Unde colligere eſt.

(1.) *In libera Republica Magiſtratus eligendos eſſe à populo.* Iſraelitæ fuerant in Ægypto ſervi Pharaonis; inde liberati, non erant ullius hominis ſervi; Moſes dominium ſibi non arrogavit, licet à Deo conſtitutus ipſorum ductor & doctor; verum ſuadet conſtitutionem aliorum, ex neceſſitatis rationibus antea recitatis; attamen ipſam electionem non ſibi ſumit; ſed defert populo. Si ipſe ſuo arbitratu egiſſet hic, videri potuiſſet ſolus velle dominari; nam ſive ipſe ageret principem ſolus, ſive ſuo placito adhiberet alios, ubique ſolius imperium foret agnoſcendum. Hoc faciebant reges gentium, qui quos vellent præficiebant populo. 1 Sam. 8: 12. & iis aſſignabant præmia de poſſeſſione populi, verſ. 14 15. & ſic Saul regnum adeptus Benjaminitis ſuis dabat munera, & præmia ejuſmodi cap. 22: 7. Similiter reges Davidici, ſuos conſanguineos adhibebant muneribus. Scil. quia ſubditi ſunt Regum ſervi, 1 Sam. 8: 17. cap. 17: 8. qui debent ferre quicunque ſibi præficiatur. Aſt in libero populo non ſimpliciter accipiunt, ſed dant ſibi magiſtratus, חבו *Date* notat addito לכם vobis ipſis. Jotham id oſtendit parabola arborum quæ ſibi quærunt regem, non autem poſitum habent ab aliis Jud. 9: 8. ſ. & Gileadi Seniores deliberant de capite conſtituendo, cap. 10: 18. Imo Jacob cuivis tribui ſui ipſius regimen reliquit Jer. 49: 16. Dan judicabat populum ſuum ut una tribuum Iſraelis.

Eſt ea noſtra felicitas, Belgii, & hujus ſpeciatim Provinciæ. Non accipimus regentes ab alio, ſed conſtituimus ipſi: hæc libertas nobis adhuc manet. Quando unius voluntate illi dantur, neque populi ulla pars eſt in eligendo, vel jus repudiandi, jam mera eſt ſervitus. Hero enim abſolutum eſt jus quemcunque velit præficere mancipiis. Quam miſeri fuerunt Judæi, quando Romani iis miſerunt Præfectos, quorum tyrannide & injuſtitia tandem effectum eſt, ut rebelles facti amiſerint & politiam & patriam. Debemus Deo gratias pro beneficio quo fruimur; quos habemus regentes, ipſimet dedimus. Preces etiam concipiendæ, ut tales ſemper habeamus.

(2.) *Magiſtratus ſuadet conſtituendos per electionem.* Dare jubet qualitatibus certis præditos; atqui tales reperire non eſt neque per ſortem, neque per nativitatem. Sors non ſemper deſignat dotibus illis inſtructos, ſed quandoque deſtitutos. Quanquam enim Deus ſit moderator ſortis, Prov. cap. 16: 33. non tamen ſemper dirigit eam ad populi commodum, ſed etiam quandoque ad pœnam. Saul ſorte quoque delectus eſt, & Dei moderamen circa illum annotatur 1 Sam. 10: 20. ſ. verum Hoſ. 13: 11. Dedi eis regem in ira mea ſpectabilem corpore, ſed non pietate, & per quem poſtea fundamenta terræ commota ſunt, & liquefacti incolæ Pſ. 75: 4. Adeoque haud facile ſorti res committenda: Cœca appellari ſolet, non Dei ratione, qui oculatiſſimus, ſed noſtri, qui oculos claudimus, ne quid videamus; Eſt ſortis uſus in multis, ubi oculos noſtros claudere conſultum, ut in diviſionibus hæreditatum, in æqualium diſcriminatione. Act. 1: 26. ſed alias electio potior eſt, uti in Diaconorum conſtitutione factum. Act. 6. Et res ipſa loquitur, quis unquam navim committit illi nautarum qui mera ſorte deſignatus? vel medicum legit, quem ex omni multitudine ſors indicet. Atqui Magiſtratus ſunt Gubernatores navis, Reipublicæ & ejuſdem Chirurgi; delectu opus eſt, ut qui arte & uſu valeant conſtituantur. Nativitas quoque non præſtat ſemper optimos. Regentum filii non reſpondent nonnunquam majorum virtutibus, utpote qui in majori conditione educati, plus ſuperbiæ habent, inſolentiæque; Optimus Samuel habuit filios, qui avari captabant munera, & flectebant jus, ut magnificentiam tueri poſſent, 1 Sam. 8: 3. Filii Davidis degeneres fuere à patria pietate. Salomonis filius Rehabeam Stodilitate ſua faſtuque tyrannico regnum ſibi perdidit, & cauſam dedit calamitatum ſequentium. 1 Reg. 12. Bene conſuluit proinde Gideon; cum hæreditarium regimen deferretur, id abnuit, Jud. cap. 8: 22. *non regnabo ſuper vos, nec filius meus regnabit ſuper vos, Dominus regnabit ſuper vos.* (qui daret alios & alios pro conditione populi.) & cum Sichemitæ Abimelechum regem feciſſent, non tantum fratres ille ſuos necavit, ſed Sichemitas quoque evertit, cap. 9. Hæreditas certa eſt corruptionis, Job. 14: 4. Gen. 6: 5. Sed non virtutis & pietatis. Mali naſcuntur, boni fiunt divina gratia; Nati regentes omnes mali ſunt, id certum, Eph. 2: 3. an futuri boni incertum. Electio autem non tantum ſpectat quales nati, ſed potiſſimum quales facti, & hic plus poteſt eſſe ſecuritatis. Hæreditarii reges non fuere beneficium populo, ſed judicium, adeo ut quicquid etiam conquererentur non eſſent liberandi, 1 Sam. 8: 17, 18. quamvis id fuerit beneficium Davidi, 2 Chron. 13: 5. Porro.

(3.) *Monendos ante electionem de iis quæ in ea ſunt obſervanda.* Moſes eos inſtruit in anteceſſum, ceu Doctor populi, & id non tantum ex conſilio Jethronis, ſed etiam ex Dei voluntate, quem deſuper conſuluit. Sic quoque faciendum nunc. Non mero affectu, vel cœco impetu agendum, ſed conſilio meditato, quod ſuggerendum eſt, Deut. 32: 28. Petendum autem à Deo qui magnus conſilio, ut inſtruat, & monſtret quorum manu feliciſſime, regi queant, Hoſ. 8: 4. Quos v. Deus conſulat eligendos deinceps videbimus. Dei conſilium non audire nec ſequi, meræ calamitatis eſt: quod 1 Sam. 8. prædicitur, & Iſraelitæ magno ſuo damno ſunt experti. Denique.

(4.) *Leges eligendi à populo eſſe ſanciendas*, verſ. 15. Populus propoſitionem Moſis probat, & ſic fieri jubet quomodo ſtatuit ſic eſſe agendum, ut diſpiciantur & eligantur ita qualificati, atque illis committatur regimen. Scil. certis legibus circumſcriptam eſſe oportet electionem. Non ſufficit moneri de eo quod optimum eſt, ſed etiam adſtringendi ſunt ad id quod faciendum. Deus eſt Deus ordinis non confuſionis, 1 Cor. 14: 33. Si per tumultum agatur, & conſtituantur, quos cœcus impetus paucorum multorumve, aut privatum intereſſe protudit, confuſio mera eſt: neque vocatio iſtiusmodi à Deo eſt. Equidem nihil fit niſi divina providentia, ſed ea quandoque confuſione ipſa punit populum, Prov. 28: 2. ob transgreſſionem terræ multi ſunt ejus principes. Deus Jeroboamo dedit regnum decem tribuum & tamen is per tumultum illud obtinuit. 1 Reg. 11. verſ. 12. at David omnia ordine egit, electus à tribu Juda, 2 Sam. 2. & ab Iſraele reliquo cap. 3. & 5. juxta Dei deſignationem. Bonum eſt conſilium quod Deus ſuppeditat, & Salutare eſt illud ſibi legem facere, Deut. 17: 14. ſ. quando regem eſſent poſtulaturi, ſequendæ erant leges quas Deus non tantum regi, ſed etiam eligentibus præſcripſerat. Sic ſatisfaciunt conſcientiæ ſuæ eligentes, & conſulunt conſcientiæ electorum, qui divina quaſi manu ſe electos videbunt, poteruntque fiduciam concipere, uti Deus adduxit ad munus, ſic in munere quoque gubernaturum.

ב. *Quales* illos eſſe deceat Moſes declaravit, verſ. 13. & tales adhibuit muneri iſti, verſ. 15. Qualitates illæ ſunt, verſ. 13. *Viri ſapientes, prudentes, noti inter tribus veſtras*, & verſ. 15. additur *capita tribuum*; prudentia autem ſub ſapientia comprehenditur. Exod. 18: 21. deſcribuntur אנשי חיל אנשי אמת, Num. 11: 16. Deus ex Senioribus deligere jubet, & ex præfectis, qui in Synedrium majus adſciſcantur. Igitur ad Regimen adhibendi.

a. *Viri*, non fœminæ, nec pueri. Fœminæ non adſciſcendæ, quamvis enim ſint æque homines ac viri, & pariter ad imaginem ac ſimilitudinem Dei initio conditæ; tamen addita fuit mulier primo homini ſocia non domina, adeo ut Adam habuerit prioritatem ordinis. Poſtquam autem Eva marito fuit exemplum & ſuaſor peccati, in pœnam dominio ejus fuit ſubjecta, ut ipſe foret dominator in mulierem, accedit quod debilius vas evaſerit ob varias infirmitates, 1 Pet. 3: 7. Itaque dominium in maritum eoque & in alios, ei negatum eſt. 1 Tim. 2: 12. præterquam in proprios domeſticos cap. 5: 14. Politiam adminiſtrare mulierem inter judicia cenſetur Eſa. 3: 12. Et exempla confirmant; Maacha Aſæ mater idololatriam inſtituit, cum eſſet Auguſta. 1 Reg. 15. Attalia Davidis genus voluit exſtinguere. 2 Reg. 11. Nehuſta mater Jojachini Auguſta perdidit gregem. Jer. 13: 18. cap. 22: 21. Datur tamen exemplum laudabile muliebris regiminis in Debora quæ fuit mater in Iſraele. Jud. 4. & 5. ſed fuit prophetiſſa, quam Deus extraordinarie inſtruxit ſuo ſpiritu. Quemadmodum autem Deus fœminas adhibuit quandoque ad docendum ut Mirjam, Huldam, filias Philippi, cum alias non ſint admittendæ, ſic quoque extraordinarie agere poteſt in Politia fœminis permittenda: quod in ſucceſſivis regnis quandoque obſervatum fuit. Pueri per ætatem non ſunt idonei. Eccl. 10. verſ. 16. Væ tibi terra, cujus rex Puer eſt, & Eſa. 3: 4. Hinc Jethro commendat אנשי חיל *Viros roboris* quibus non ſolum corpus per ætatem, ſed etiam animus eſt corroboratus. Luc. 2: 40--52. creſcitur ſapientia & ſtatura. Imo qui dominari queant affectibus ſuis quibus juventus obnoxia eſt. Qui ipſi ſunt ſub tutoribus & curatoribus, ut ipſis ſui patrimonii adminiſtratio committi nequeat, per leges (quales parum differunt à ſervo Gal. 4: 1:) iſtis non foret tutela Reip. credenda: & quamvis per conjugium propriam domum habeant in minorennitate, non magis tamen eapropter Rectores populi conſtituendi, quam mulier quæ ſuæ domus habet regimen.

b. *Sapientes*. Intelliguntur non illi qui in mundo ſapientes dicuntur, & quam mundus æſtimat ſapientiam Act. 7: 22. poſſident, ſed longe aliud. Jethro vocat Timentes Dominum. Eſt autem timor Domini initium ſapientiæ. Pſ. 111: 10. Prov. 1: 7. imo tota ſapientia. Job. cap. 28: 28. & conſiſtit in fuga & odio mali. Prov. 8: 13. cap. 16: 6. Adeoque poſcit cognitionem voluntatis divinæ, ut ad hanc normam omnia componantur. Hinc jubetur Rex ſibi deſcribere apographum legis, ut cum ipſo ſit, & in eo legat omnibus diebus ſuæ vitæ, ut diſcat Dominum Deum ſuum timere & obſervare præcepta ejus, neque ſe efferat corde ſupra fratres, nec declinet à mandato dextrorſum vel ſiniſtrorſum. Deut. 17: 18. ſ. Eſt enim hæc ſapientia ſumma, etiam aliis populis judicantibus obſervare Dei ſtatuta. Dut. 4: 6. Et Joſuæ commendatur libri legis lectio & meditatio jugis, interdiu & noctu, ut pace & bello ſapienter feliciterque omnia adminiſtraret. Joſ. 1: 7. ſ. Non perſuadetur iſtud hominibus hujus ævi, qui nihil ex Scriptura ſolidæ ſapientiæ ad Remp. neceſſariæ diſci poſſe putant. Longe melius autem ſe inſtrui ab hominibus etiam iis qui contraria omnia docent, qui religionem & pietatem tantum in ſpeciem ſectandam ſuadent, ad imponendum aliis; imo regentibus jus faciunt religionis, ut quod illi mandant, credendum, profitendumque ſit. Contradicunt iſti Deo, qui cum nihil Scripturæ eſſet præter Moſis libros haud aliud legendum præſcripſit; quippe etiam heic optimus ſit magiſter, utpote per quem Reges regnant, & principes exercent juſtitiam. Prov. 8: 15. & cujus ſtultum ſapientius eſt, quam homines. 1 Cor. 1: 25. Unus memoratur Rex ſecundum cor Dei David. 1 Sam. 13: 14. & hic legem Dei fecit unicam meditationem. Pſ. 119: 97. ſ. nullus autem eſt cujus regnum laudabilius. Quamdiu Salomon hanc ſapientiam exercuit; felix fuit. Idem obſervandum in Aſa, Joſaphato, Hizkia, Joſia, &c. Sapientia regentis maxima eſt potentiſſimos ſibi conciliare, & Reipubicæ quorum amicitia tuta illa ſit, cum inimicitia eam deſtrueret. Non eſt hic quiſquam comparandus cum Deo, & is conciliatur timore Dei, adeo ut oculus Dei ſit ſuper eos; ut quod nullus exercitus, nullum robur heroum aut equorum poteſt, obtineat defenſionem in bello & aliis judiciis, quibus homines affliguntur. Pſ. 33: 16. Sapientia eſt conſilio & conſiliariis inſtructum eſſe. Prov. 24: 5. ſ. Pſ. 119: 23-97. ſ. Pietas ad omnia utilis. 1 Tim. 4. & facit ſapientes regentes, & qui eam negligunt, ſtulti ſunt, & ſtulte agunt. Quod omnium impiorum Regum & regentum exempla demonſtrant.

c. *Intelligentes*. Sic appellantur qui res cognitas ad uſum accommodare norunt, adeoque qui ſapientiam ad praxin transferunt. Sapientiæ erat, quod Joſeph ſomnium Pharaonis ſciret interpretari, prudentiæ quod accommodare noſſet ad uſum totius regni. Gen. 18: 19. noſſe viam Domini & obſervare ſapientiæ eſt; facere jus & juſtitiam, prudentiæ, quo nomine commendatur David. 2 Sam. 8. verſ. 15. & Joſia. Jer. 22: 15. Hinc Salomon petit à Deo *cor audiens ad judicandum populum, ad intelligendum inter bonum & malum*. 1 Reg. 3: 9. Hæc prudentia obſervat exempla, ut quod in eis probandum ſequatur, quod fugiendum caveat; unde Hizkiæ & Joſiæ exempla memorantur tempore Jojakimi & Jojachini. Jer. 26: 18. ſ. cap. 22: 15. ſ. Hujuſmodi inteligentia maximo uſui eſt ad regimen rite inſtituendum; ut omnia ſuo tempore & loco fiant. Defuit Rehabeamo, qui cùm populus onera minui vellet, nihil commodi reſpondit, uti quidem Conſiliarii ſenes ſuaſerant, ſed minatus eſt graviora, & omnes alienavit. Defuit Joſiæ, qui non neceſſario bello ſe implicuit, ſuo & regni damno. 2 Chron. 35. Imprudentia fuit Joſaphatum fœdus ſociale inire cum hoſtibus Dei, quomodo & exercitum & naves amiſit. Prudens fuit Amazia, qui dimiſit conducta auxilia, quod Deo diſplicerent. 2 Chron. 25. fuit Hizkia, qui in bello potiſſimum de Deo ſollicitus fuit, ut eum haberet in auxiliis. 2 Chron. 32. Eſa. 37. uti David Pſ. 60: 11. ſ. Prudentiæ exemplum edidit Salomon, quando matrem veram deprehendit, unde metuit eum populus, videns Sapientiam Dei in ipſo eſſe, ad exercendum judicium. 1 Reg. 3: 16. ſ. Huc pertinet. Prov. 20. verſ. 26.

d. *Noti* ידועים Belgis redditur erbarene / ſed hoc foret *ſcientes* יודעים. Experientia pertinet aliquatenus ad intelligentiam, ſed ſpecialius ad quod, verſ. 15. dicitur, capita tribuum, de quo mox ידועים לשבטיכם Noti ſint publice. Periculoſum eſt hominis ignoti omnibus periculum facere; nemo Gubernator navis conſtituitur, de quo non conſtat ulli, quod calleat artem illam; nemo fortunas ſuas omnes committit patrono publice ignoto, nec corpus à calculo ſecandum ignoto chirurgo: Sic & hic. Noti ſunt, quorum cognita via, virtus, & idoneitas, & inprimis quæ Jethro habet, veracitas, conſtantia, & avaritiæ odium. Hæc enim in converſatione civili facile pateſcunt, veracitas, an bonæ fidei ſit in contractibus, & omni ſermone. Etenim labia mendacia, & blandientia damnum ferunt & odio ſunt. Prov. 29: 5--12. Hoſ. 7: 3. Hodie multi qui adſpirant ad Magiſtratum, in eo conſtituunt gloriam, quod omnibus blandiantur, & artibus, moribuſque Gallicis, omnibus ſe ſervos mentiantur, etiam quando bella & gladii ſunt ipſorum interiora, quibus illud axioma placet, qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare; & pueros aſtragalis, viros juramentis eſſe fallendos; quorum labia doloſa exſcindet Deus, & linguam loquentem magna, qua ſibi dominium parare ſatagunt. Pſ. 13: 3. ſ. Conſtantia, אמת id ſignificat quoque. 2 Chron. 31. verſ. 1. Jer. 33: 6. Debent conſtanter eſſe immobiles in bono, ne dimoveantur gratia vel metu, amore vel odio, ut non magis de ſuo curſu deflectant, quam Sol, ut Hizkia. 2 Chron. 31: 20. Eſa. 38: 3. non uti Rehabeam, & Joas, & Salomon quoque; ſed ut Joſua in pietate, ut Moſes & Samuel in juſtitia conſtanter. Odium avaritiæ, quod non affectet opes, ut augeat quod ſuum non eſt, neque lu-

cro malo inhiet, ut in alto collocet nidum ſuum, qui enim avaritiæ dediti ſunt, abutuntur poteſtate, & quærunt munera ac compenſationem, fiunt ſocii furum, & præda miſerorum, ac theſauri impietatis in dominibus ipſorum eſt, imo meditantur iniquitatem in lectis ſuis, & dum in poteſtate manus ſuæ eſt, faciunt appetentes & rapientes agros & domos. Quo nomine infamis Jojakim, Jer. cap. 22: 13. ſ. ædificans domum iniquitate, & non perſolvens mercedem proximo, exſtruens domum magnificam, contignatam cedro, & pictam minio, neque parcens feneſtris Dei, ad ſuam ornandam; cujus oculi & cor tantum ſunt ad avaritiam, & ad faciendum oppreſſionem & onus. Hujuſmodi impius eſt ut Leo rugiens, & mulus diſcurrens, quando regnat. Prov. 28: 15. qui quærit quod rapiat, ſuamque repleat ingluviem, qui mammonæ ſervus & diteſcere vult, nunquam judicium Dei exercebit, uti oportet. Noti ſunt quærendi ab ἀντιφρασία, qui in juſtitiis ambulant, & loquuntur æqua, qui lucrum oppreſſionum repudiant, & excutiunt manus ne retineant munera. Eſa. 33: 15. ut nullius querelis vel ſuſpiriis graventur.

e. *Inquilini*, ſeu indigenæ, *noti in tribubus veſtris, & capita earum.* Præferendi hi peregrinis, utpote quorum amor major, qui ſubditos habent fratres & conſanguineos Deut. 17: 15. è medio fratrum tuorum conſtitues Regem ſuper te, non poteris conſtituere peregrinum, qui frater tuus non eſt. Quod ſi fiat, pœna eſt; peregrinos habere dominos inter maledictiones cenſetur. Attamen peregrini qui conſortio religionis & Reip. ſociati ſunt, & familiam habent, inter indigenas cenſeri poſſunt ex. Ezech. 47: 23. Experiundo probati capita tribuum, qui autoritatem habent ob ætatem & virtutes, & præfecti, qui minoribus officiis ſuam idoneitatem probarunt, nam qui in minori fidelis, illi majora credi poſſunt, & tuebuntur autoritatem facilius, qui ante munus venerabiles vixerunt. Jam ſecundum has dotes examinandi quotquot ad Magiſtratum ſunt eligendi; imo ſemetipſos examinare debent, quicunque affectant; quod ſi fieret, multi declinarent munus, & oblatum nollent, quod jam non ſine injuria ſibi deeſſe putant. Et ſi qui in munere hoc meditarentur, invenirent, quod emendarent, quo & Deo & ſibi non minus, quam populo ſatisfacerent, foretque regimen & ipſis & Reip. felix.

3. *Ad quid vocandi* ſint, verſ. 15. Moſes ait *ſe accepiſſe*, nempe datos à populo, quos iſti elegerant qualificatos eo modo, eoſque inſtituiſſe: Sed gemini ordinis facit.

a. *Imperantes;* quos vocat communiter *Capita.* Erant capita tribuum, ætatis prærogativa excellentes inter ſuos cognatos, ſed jam conſtituti fuerunt capita Reip. adeoque qui illud forent, quod caput in corpore humano. Exſtat illud ſummo loco, quemadmodum & ipſi ſupereminent omnes; ſed non exſtat ad pompam ſolum, verum ibi ſedes eſt & oculorum & aurium, & linguæ ſeu ſermonis, & inprimis nervorum, & cerebri & animæ ſeu mentis, ut omnia cognoſcat quæ toto in corpore fiunt, & eidem accidunt, ut eidem omnibuſque membris proſpiciat, conſulat, & iis imperet, quæ ad conſervationem totius faciant; ſic magiſtratibus incumbit ſolicitudo de omnibus, etiam minimis in re publica, oculi & conſilia pro omnibus excubant, eminus prævident quæ commoda vel incommoda ingruant, ut promoveant vel removeant: cuique attendunt ſubditorum, ut quod ſuum eſt agat, & quod agit non ſit ad injuriam aliorum ſed ad utilitatem communem. Et quamvis os ibi ſit, in quod omnia alimenta congeruntur, tamen id tantum ſervit, ut ea transmittantur, & ad totius corporis alimoniam & pinguedinem faciant: Ita licet omnes reditus in ipſorum manus veniant, non debent tamen ſibi ſervare, (monſtroſum fieret caput, ſiquidem omnem cibum ore retineret; tumentes buccæ impedirent loquelam, & ipſum tandem Spiritum) verum nihil ſibi ſumentes, præter laborem maſticationis debent ſapienter diſponere ad publicum uſum, ut univerſa reſpublica ea ratione pingueſcat: non ſolus lien, ſed unumquodque membrum. Hoc qui non agunt, uti non meditantur quid ſit Capitis officium, ita ejus nomen & locum non merentur. Capitis vitia ſunt turpiſſima, & plurimum incommodant, ſi cœcum, ſurdum, mutum fuerit, ſi ſtrumoſum aut excreſcentia aliqua deforme. Sic multo magis ſi principes in populo careant oculis, vel ſtultitia vel ſocordia; careant auribus, neglectu omnium; careant lingua ad loquendum quæ oportet; ſi ſolum ſpectabiles ſint, licet ad deteſtationem videntium, magnitudine deformi, quando ad ſe convertunt, quæ univerſo corpori debentur. Speciatim ſunt principes ſuper 1000, 100, 50, & 10. Non omnes æquali poteſtate gaudent, ſed diverſa; majore quidam, alii minore, attamen omnes aliqua. Sic ſolent diſtribui munia militaria, quæ etiam neceſſaria in Repub. inprimis ubi omnes & ſinguli tenebantur exire in caſtra: ſed etiam politica varietatem requirunt, ſunt pagi, ſunt urbes, ſunt provinciæ, quæ ſuos poſtulant magiſtratus, & quo plures alicubi vivunt, eo magis diffuſa eſt cura; Sunt minora ſunt majora judicia de civilibus, deque criminalibus, iiſque levioribus vel capitalibus. Etiam ubi unus rex, indiget multis ſubordinatis, ut notatur de Davide & Salomone. Eſt v. hic neceſſarium, ut quiſque ſuum tueatur locum. & eum exornet, quemadmodum in capite quodvis membrum quod ſuum eſt agit, citra impedimentum alterius, citraque invidiam, ut harmonia iſta toti corpori conducat.

b. *Exſequentes,* שוטרים ſunt qui mandata magiſtratuum exſequuntur, miniſtri publici inſtructi vinculis ad apprehendendos, & flagellis ad verberandos delinquentes; qui curant pondera & menſuras, aliaque ex magiſtratus præſcripto. Scilicet omnes qui ſubſerviunt exſecutioni, ſive contra paucos maleficos, ſive contra multos; adeo ut mercenarios milites, quales nunc ſolum habemus, huc referre liceat, ſive in præſidiis ſint, ſive in exercitu militent. Quemadmodum in capite eſt principium nervorum unde ex mentis voluntate omnis motus ſubminiſtratur membris ad exſecutionem conſiliorum, ſic quoque à magiſtratu hi reguntur, & ſunt manus ac pedes ejus. Horum proinde neceſſitas quoque eſt; & debent agere, quod ſuum eſt, attamen ex mandato: & tunc regimen omni ex parte rite procedet. Et illi, & iſti ex inſtitututione Dei ſuum habent munus, & pertinent ad Dei ſapientiam & bonitatem in eo ordine commendandam. Rogandus ille eſt, ut nunquam eo ordine careamus, & ut quos habemus ex ipſius voluntate omnia agant, quo vitam degamus in Rep. felicem, atque ut ipſum jugiter, dum vivimus, habeamus glorificandum.

Verſ. 16. *Et præcepi judicibus veſtris tempore illo, dicendo: audiendo cauſas inter fratres veſtros, judicate juſte inter virum & fratrem ejus, etiamque peregrinum ei.*

Verſ. 17. *Ne ſuſcipite perſonam in judicio, æquè parvum atque magnum auditote, ne metuitote à quoquam, nam judicium ipſum Dei eſt: rem autem quæ difficilis* erit *præ vobis, refertote ad me ut audiam eam.*

Verſ. 18. *Præcepi etiam vobis illo tempore, res illas omnes quas facturi eſtis.*

C. Gravis erat ſed calumnioſa accuſatio, qua utebatur Abſalon ad avertendum animum populi à ſuo patre, 2 Sam. 15: 2. ſ. dum optabat ſe conſtitui judicem qui cuivis adminiſtret jus. Non querebatur de defectu judicum, ſed de horum negligentia in officio. Neceſſarii ſunt judices in populo, eoque ſunt inſtituendi, ſed quia non eſt nomen dignitatis tantum, debent agere quod iſti muneri proprium eſt: de quo proinde ſunt erudiendi: quod facit hoc loco Moſes. Poſtquam ille cauſas dixit cur judices & magiſtratus conſtituendos ſibique adjungendos cenſeret, itemque electionem eorundem certis legibus circumſcripſit, docendo à quibus, quales, ad quid eſſent adhibendi: nunc ultimo loco declarat *quomodo munus iſtud gerendum ſit*, ut felix ſit gubernatio. Redeunt autem omnia ad duo capita. I. quod ſit officium Magiſtratus, verſ. 16, 17. II. quodnam etiam populi, verſ. 18.

Utrin-

Utrinque præmittitur aliquid quod momentum habet ad perſuadendum, nempe à quo & quando iſta admonitio facta ſit.

A quo, dicitur, verſ. 16-18. *Ego præcepi.* Moſes Propheta Dei, eis omnibus dedit mandata. Cum enim Dei ſit judicium, & judices ipſe conſtituat, utique ipſe quoque leges judicandi præſcribit, & parendi, de quibus per legatos ſuos Prophetas inſtruit: & horum eſt indicare unicuique quæ Dei ſit voluntas. Sic Prophetæ egerunt, Samuel apud Saulem, Nathan apud Davidem. Samuel item ad populum. 1 Sam. 8. & ad regem populumque ſimul cap. 10: 12. Eſt hoc proinde Doctorum Eccleſiæ ut admonitione iſta defungantur: neque poſſunt accuſari ἀποδεσποτεκτονίας, ſiquidem de magiſtratus & ſubditorum officio differant & concionentur. Enimvero ne in illud vitium degenerent, cavendum ipſis eſt, ut nihil dicant doceantve, quam quod Deus dicendum mandavit, Mal. 2: 8. ſ. & Zeph. 3: 3. ſ. cap. 3: 11. Hi Doctores inſtituebant judices, ſed ut id unum agerent non ut quid verum docerent, ſed quid placens defenderent, adeo ut artem exercerent torquendi legem, ut avaritiæ injuſtitiæque judicum patrocinaretur; quemadmodum enim reperiuntur Jurisconſulti qui artificium ſuum in eo collocant ut peſſimas cauſas ex legibus defendant, & has contorqueant, quo conſcientias judicum deceptas tranquillent: ſic quoque dantur inter doctores Eccleſiæ, qui artem eandem factitant; malum non malum dicunt, ſed ſpeciem duntaxat eſſe mali, & non ſpeciem mali interdictam 1 Theſ. 5: 22. ſed malum ipſum ejuſque genera. Ἀπέχεσθαι ambulationis non eſſe præciſitatem ſed tantum prudentiam. Hinc patroni ſunt communionis menſæ idolorum, & Zelotæ quo liberalius inde præmium conſequuntur, ſic uſuras de pauperibus, ſic ſaltationes vanitateſque Gallicas defendunt: ſic excuſant munera & compenſationes, ebrietatem & comeſſationes, furta & peculatus. Verum hoc modo ſunt miniſtri non Dei ſed Diaboli, mundi, mammonæ, ventris. Qui hic monere vult, non niſi verbis Dei id faciat, ex ejus verbo: & afferet autoritatem ſui ſermonis ſibique ſecuritatem.

Quando, dicit *præcepi illo tempore judicibus veſtris, illo tempore vobis:* cum conſtituerentur judices, id ipſum fuit tempus oportuniſſimum monendi utroſque de ſuo officio. Etenim tunc utrique ſunt proniores ad audiendum. 1 Sam. cap. 10: 25. & cap. 12: 13. ſ. Quando munus aliquod adeundum eſt, tum datur inſtructio, quemadmodum, 2 Chron. 19: 5. ſ. Joſaphat inſtituit judices in terra, in omnibus urbibus, & dixit judicibus, *videte quid faciatis*, & verſ. 8. ſ. ſimiliter Hieroſolymæ & præcepit illis, *ita facite in timore Domini, fideliter*, &c. Adhæc ſub initium unius cujuſque rei magis attenditur ad decus; ſolet ex bono principio conjectura ſumi de ſucceſſu: unde etiam mali tegunt initio ſua vitia, ut Rehabeam, Joas: Aſt ſi tum negligatur inſtructio, neque legibus poteſtas circumſcribatur, poſtmodum difficulter datur, & rarius admittitur. Similiter populus tunc pronioribus auribus audit, quid ſibi faciendum ferendumque ſit: uti Jephta aditurus magiſtratum omnia verba ſua locutus eſt coram Domino, ad quid nempe Seniores Gileadis obſtrinxiſſet. Jud. 11: 11.

Quibus porro dicta fuerint iſta præcepta illo tempore ſunt.

a. *Judices*, verſ. 16, 17. *præcepi judicibus veſtris*, &c. Conſtituerat delectos à populo viros ſapientes, notos, capita tribuum. Qualitates iſtæ probabant idoneos regimini, non videtur opus fuiſſe ulteriore inſtructione, ſed ſponte facturi quod ex uſu foret. Verum his præſcribuntur leges.

Scilicet *Optimi quoque indigent legum præſcripto;* in arduo ejuſmodi munere, nemo ſatis ſapit; Habere debent normam juxta quam agant, quæ non mutetur, uti quidem hominum ingenia & mores nonnunquam mutari ſolent. Deus eligendo regi præſcripſit inſtructionem peculiarem, & dedit communem ſui verbi, Deut. 17: 16. ſ. Quis magis idoneus muneri ſuo quam Chriſtus. Eſa. 11: 2. cap. 61. verſ. 1. ſ. attamen teſtatur cap. 50: 4. ſ. D. *Dominus dedit mihi linguam eruditorum, ut ſciam feſſis loqui opportune, excitat quovis mane, excitat mihi aurem ut audiam, uti qui docetur, D. Dominus aperuit mihi aurem, & non ſum rebellis, non retrocedo.* Contrarius huic inſtituto eſt Gentium mos 1 Sam. 8. declaratur quid reges illorum faciant; nullum ibi verbum de officio regis, ſed ſolum de abſoluto dominatu in perſonas & bona omnium, adeo ut nulla ſit ipſi lex præter voluntatem, & inſtructio quam cupiditates indomitæ quotidie fingunt. Hinc illa formula, qua regum edicta ſubinde muniuntur, ſic nobis placitum eſt. Tale imperium Gentilium eſt, qui Deum non habent regem, aut ſi eorum ſit qui Deum profitentur, à quibus Deus repudiatus eſt, ne ſit rex ipſorum. Pii reges & magiſtratus habent inſtructionem, eoque non ſupra legem ſunt, ſed illi obnoxii, atque qui agnoſcunt ſuperiorem. David ſedebat in throno Dei, 1 Chron. 29: 23. quia à Deo uti poteſtatem ſic poteſtatis leges habebat. Pſ. 132: 12. *Si filii tui cuſtodiant fœdus meum, & teſtimonia quæ docebo eos, etiam filii ipſorum ſedebunt in throno tuo in æternum.* Cum Joas initiaretur regno, fœdere non minus ipſe quam populus obſtrictus fuit, Domino fore in populum. 2 Chron. 23: 16. & David Salomonem hujuſmodi præceptis inſtruxit, quæ forent inſtructio jugis, rite gerendi muneris.

Sed videamus inſtructionem ipſam, ſæpius agit hoc libro de judicum officio, Deut. 16: 18. ſ. cap. 19: 18. cap. 25. verſ. 1. ſ. itaque nunc erimus breviores; heic talis inſtructio, quæ continet. I. facienda, verſ. 16. II. fugienda, verſ. 18.

a. Facienda ſunt duo.

α. *Audite inter veſtros fratres* nempe lites. Obſervandum hinc.

Officium, audiendum non ſimpliciter, ut ad omnes rumores habeant aures patulas, ſed quod in judicium affertur, & ad officium ipſorum pertinet, quod inter duos verſatur negotium litigioſum; unde ſupplementum, controverſias. Eſtque hoc primum agendum. Audiendum ſeu cognoſcendum. Nihil pronunciandum eſt ante cognitionem; iniquum enim erit quicquid id fuerit, ſive abſolvatur quis ſive condemnetur. Joh. 7: 51. Significatur proinde auditus ſeu cognitio non levis, ſed accurata, Eſa. 11: 3. ſ. Subitanea illa cognitio repudiatur, quæ obiter fiat; ſed poſcitur accurata, quæ excludat omnem torporem, & vagationem ſenſuum, omne etiam tædium, adeo ut aures animusque vacivus ſit & præſens. Gallio Act. 18: 15. ſ. non vult audire *quæſtionem de ſermone & nominibus & lege* Judæorum, & abigit tales à tribunali, neque attendit ad violentiam Soſthenì ſe inſpectante illatam. Sunt judices quibus non vacat audire, qui ne quidem veniunt ut cognoſcant; aut præſentes corpore non adſunt, animo cogitationibus in alia diſtractis: Tædium frequens eſt, ut vel plane non Luc. 18: 2. ſ. vel vix medium audire placeat; congeruntur plures cauſæ, ut confundantur. Joram rex impius audivit mulierem, cum illa opem peteret, *unde juvabo te*, inquit, *ab area vel à torculari*, 2 Reg. 6: 27. hæc ironice, qui in obſidione urbis carebat jurisdictione in agro, ab hoſtibus occupato: ſed addit, *quid tibi eſt?* Si non ſit qui audiat, periit ille cui injuria facta eſt.

Modus officii *reſpectu litigantium* eſt, *inter fratres*, non unus ſolum, ſed uterque audiendus, non tantum actor ſed etiam reus; tam hujus defenſio, quam illius criminatio: qui audita parte una judicat, æquum licet ſtatuerit, iniquum facit. Prov. 18: 17. Suam cauſam accuſator egregie ſolet pingere, nihil à ſe peccatum dicit, ſed omnem culpam eſſe alterius; & ſi ad ejus indicium feratur ſententia, triumphat: Verum ſi altera pars quoque audiatur, ſæpe actoris mendacia & calumniæ, nec non injuſtitia pateſcit. Quam inique judicavit David ad Zibæ calumnias non auditum Mephiboſethum. 2 Sam. 16: 1. ſ. & cum David hic deliquerit, non mirum alios, qui tantum pietatis non habent hoc modo peccare, maxime quando Accuſator eſt alicujus autoritatis, aut bene meritus de judice. Cui dum veracitas tribuitur, mendacio fides habetur. Salutaris conſuetudo Romanorum eſt. Act. 25: 16. quod reſpondit Summis Sacerdotibus & Senioribus Judæorum Feſtus, cum condemnationem Pauli poſtulaſſent. Deus duas aures dedit judicibus quoque, ut una actori data, alteram ſervent defenſori. Actor nunquam jure conqueritur de negata audientia, qui prior admiſſus eſt in lite, & ſi tale quid dicat, calumniatur judices. Sed reus habet, ſi non audiatur. Quod

ne fiat cavendum judicibus, ne oſtendant ſe non judices eſſe, ſed partem quoque, imo mancipium ejus qui accuſavit, cujus judicium de ſeipſo pronunciant.

Modus officii *reſpectu judicum*, eſt *inter fratres veſtros*. Litigantes ſunt judicum fratres Deut. 17: 20. de rege ſic loquitur Deus, *Ne efferat ſe ſuper fratres ſuos*. Non ſunt qui judicantur hoſtes, ut eos deprædari caveat injuſtitia; non ſunt mancipia ipſorum, ut quicquid habent, judicum ſit, ſed ſunt fratres; tantundem habent juris in Republica, quam ipſimet judices citra muneris ſui dignitatem. Eoque non ſunt contemnendi; qui vilipendunt, & habent pro fæce plebis, **canaille** / hoc unum meditentur, ſe eſſe fratres eorum, & inter illas ſordes quoque cenſendos. Sunt pariter cives aut incolæ ejuſdem urbis, & civitas par jus dat. Verum inſuper iſta ratio poſtulat fraternum affectum erga eos qui in judicium veniunt, ut doleant ob diſſenſum eorum, & ſerio laborent ut concilientur, & candide dicant quando eorum aliquis injuriam intulit, eoque nomine reprehendant. Quando fratris ſui cauſa in judicio agenda, quantopere laborabit judex ut brevi manu expediatur, etiam priuſquam in judicio cognoſcatur & decidatur: ſic agendum judicibus circa quemvis. 2 Chron. 19: 10. Joſaphat vult judices, quia agitur de fratribus ipſorum, hortando potius agere quam judicando, & eos conciliare religione Dei, & ſic immunes fore à reatu, neque iræ divinæ cauſam præbituros judicii exercendi. Judex frater manſuetudinem & pacificandi ſtudium non negliget. Solari ſolent ſe pii, quod in ultimo die Judicem exſpectent fratrem. Judices ergo qualem tunc exſpectant ſeſe nunc oſtendant aliis, quos judicant.

β. *Judicate juſtitiam inter virum & fratrem ejus & peregrinum ejus.* Sententiæ pronunciationem iſtud habet, quæ poſt cognitionem fertur ut partes ab invicem ſejungantur ne amplius litigent. Hoc faciendum juſte, de quo Deut. cap. 16: 18. 20. *Judices populum judicabunt judicio juſtitiæ. Juſtitiam, juſtitiam perſequimini.* Cap. 25: 1. *juſtum juſtificabunt. & impium condemnabunt.* Hoc enim eſt juſte judicare, ut unicuique tribuatur quod ſuum eſt. Regula proinde eſt juſtitia, ſecundum quam judicandum eſt. Ea v. regula ſcriptis legibus continetur, partim intrinſece, habent enim homines opus legis ſcriptum in cordibus digito Dei creatoris, & hoc eſt reſiduum ſimilitudinis Dei, ut quemadmodum ipſe juſtus & rectus eſt, Deut. 32: 4. ſic quoque juſti rectique aliquam ſervent notitiam. Ex hoc fonte natæ ſunt omnes gentilium leges, quibus jus & æquum definitum eſt: quæ magnam apud omnes habent autoritatem; partim extrinſece: Etenim Deus etiam ſcriptam legem dedit Iſraeli, quæ cum communia præcepta complectitur, inter omnes homines obſervanda; tum particularia illi populo ſigillatim attemperata. Cum primum Judices inſtituit Moſes nihil erat ſcriptæ legis; debebant judicare ex æquitate naturali, nec non ex conſtitutionibus oretenus traditis; nam in Mara *dedit Deus populo ſtatutum & judicium* Exod. 15: 25. ſed poſtea ſcriptis fuere conſignatæ leges omnis generis, quæ deinceps fuerunt juſtitia juxta quam judicaretur. Hujuſmodi juſtitia in judicando eſt obſeruanda, prout quævis provincia, civitas, ſocietas ſuas habet leges & conſtitutiones. Judices proinde adſtringuntur ad ejuſmodi normam, neque ab ea declinare licet; non enim ſunt domini legum, ſed legum miniſtri, qui vocem manumque eis commodant; Non eſt judicum abſolvere vel condemnare, ſed legum, Joh. 7. verſ. 51. quæ dictant ſententiam, ipſis modo facta dictaque hominum cum legibus ſunt componenda. Inique judicant, qui legem non obſervant, & ei contraria loquuntur, *qui dicunt impio, juſtus eſt* Prov. 24: 24. *& qui condemnant ſanguinem innocentem* Pſalm. 94: 21. Vocatur iſtud *flectere jus* Deut. 24: 17. quando non regulantur actiones ad normam, ſed norma ad illas flectitur, quod eſt, violentiam exercere contra legem Ezech. 22: 26. Amos. 5: 7. quales & Deo abominationi ſunt Prov. 17: 15. & hominibus, cap. 24: 24. Infamis judex eſt, qui eſt judex injuſtitiæ Luc. 18: 6.

Sed *inter quos* ſic judicandum.

1. *Inter virum & fratrem ejus.* Litigantes non tantum judicibus, ſed etiam inter ſe fratres ſunt, & his componendis dantur judices. Eoque non tam judices quam arbitros agere debent, uti fratrum cauſæ per arbitrium ſolent tolli, ut non alienentur ſed maneant fratres. Gen. 13: 8. ne ſit lis inter me & te, meos tuoſque paſtores, ſumus enim viri fratres. Sic cogitandum judicibus de iis qui veniunt in judicium, adeoque nihil agant quod fovendæ augendæve contentioni ſerviat, ſed quod eam ſedet & aboleat. Male judicium exercent, qui lites aliorum amant, & in longum extendunt. Hoſ. 4: 8. Vultures ad cadavera, & lupi veſpertini. Hujuſmodi ſunt qui prægnantes ſententias pronunciant, ut ex una lite naſcantur plures, & ipſis majus ſit compendium. Fratres ſunt qui judicantur, quos conciliaſſe gloriæ eſt.

2. *Inter virum & peregrinum ejus.* Peregrinus non eſt negligendus, licet nullo vinculo conjugatur, vel judici vel parti, quia peregrinus. Cum enim talis deſtituatur ſubſidiis aliis, judex debet ejus cauſam ſuſcipere ut jus ſuum conſequatur. Solent peregrini obnoxii eſſe injuriis, eoque præ cæteris commendantur à Deo. Deut. 24: 17. Conjungiturque pupillo & viduæ. Oppreſſionem illorum omnium vindicat Deus ſevere. Pſ. 146: 9.

b. Fugienda ſunt, verſ. 17. eaque tria.

a. Proſopolepſia, nam dicit, *non reſpicietis faciem in judicio, æque parvum & magnum audietis. Faciem reſpicere* eſt neglecta cauſa quæ agitur intueri perſonam cujus ea eſt, ejuſque conditionem corporis, opum, dignitatis, potentiæ, quod explicatur diſtinctione magni & parvi, neque enim iſtud ad rem facit. Attamen multum iſtud obtinet in judiciis, reſpicitur magnus, negligitur parvus; magnus eſt, qui magnum locum tenet in affectu Judicis, ſive ob cognationem & amicitiam, ſive ob munera & compenſationem, ſive ob potentiam & vires, ſive ob ſplendorem alium: parvus contra, quem paupertas & impotentia contemtum reddit. Querela eſt de Judicibus Iſraelis Pſalm. 82: 2. Hoc vero vitioſum eſt in judicio. Lev. 19: 15. & crebro iſta interdicta repetuntur. Directe id pugnat contra juſtitiam; quando quis abſolvitur, quia amicos, cognatos & affines habet judices; quia opibus pollet & muneribus, aliiſve beneficiis favorem emere vel penſare poteſt: & condemnatur contra quibus iſta deſunt. Contra monet ſapiens Prov. 24. verſ. 23. *faciem noſſe in judicio non eſt bonum*, & cap. 18: 5. *non eſt bonum faciem impii accipere, ad flectendum in judicio juſtum* & Joh. 4: 24. extendens id ad privatorum quoque judicium, uti Jac. 2: 1. ut ex veſte pretioſa quis æſtimetur, contemnatur pauper. Juſtitia cœca ſolet repræſentari, & fuerunt qui in tenebris judicia haberi voluerunt, ne videantur partes, ſed audiantur duntaxat quæ ad cauſam controverſam faciunt.

β. *Metus*, nam inquit, *non metuetis ab ullo.* Eſt hæc quoque ratio judicii perverſi, quando potentium iræ & inimicitiæ terrent, quæ exſpectandæ, quando adverſum illos ſententia pronunciatur, adeo ut potius juſtitiæ vim facere velint, quam gratiæ illorum diſpendium facere aut ſuæ ſecuritatis. Exemplum in Pilato, qui Jeſum fuiſſet abſoluturus, niſi dicendus fuiſſet Cæſari inimicus, fovens eum qui Regem ſe jactaſſe ferebatur Joh. 19: 12. ſ. Seniores in Iſrael metu Achabi innocentem Nabothum damnarunt 1 Reg. 21. & Seniores Samariæ metu Jehu trucidarunt 70. filios Achabi, 2 Reg. 10. Metus hominum dictat injuſtitiam, eoque à Judice abeſſe debet. Ipſe David cum Abner perfide occiſus eſſet à Joabo, licet deploraret illius necem, non tamen auſus eſt quicquam ſtatuere in homicidam, 2 Sam. 3: 39. uti neque ob necem aliam Amaſæ, unde morituris Salomonem monet, ut in eum juſte animadvertat 1. Reg. 2: 26.

Atque hic additur argumentum, quod & hoc & prius vitium avertat. *Nam judicium Dei eſt.* Non ipſi ſunt judices ſummi, ſed delegati. Summus Deus eſt, cujus nomine agunt omnia, unde etiam Dii vocantur Pſalm. 82: 16, quia à Deo ſunt conſtituti. Ergo quæ Dei ſunt, debent agere, qui omnes audit, Pſalm. 65: 3. & juſtiſſime judicat, Pſalm. 9: 5. 8. 9. Judex juſtitiæ, cujus thronus paratus ad judicium, & in rectitudine judicat, non autem agnoſcit perſonam, Job. 34: 19. Pſalm. 76: ult. Hinc imitari debent, qui ejus nomen & locum tenent, 2 Chron. 19: 6. ſ. Pſal. 82: 1. Metus hujus omnem alium metum hominum ex-

excutere debet Matth. 10: 28. & continere in officio. Si enim judicium Dei eſt, ex ipſius voluntate inſtituendum, & ipſi ratio tandem reddenda eſt, ejuſque ſubeundum judicium. Eccleſ. 5: 7. & cap. 3: 17. ſ. Meditatio, Dei eſſe judicium, non patietur ſcientem prævaricari, ut non, quod Deus jubet, agat. Injuſtus judex Deum non timet Luc. 18: 2. Eſt v. idem obſervandum in aliis quoque negotiis: Dei eſt judicium, eoque nemo ſibi illud ſumat, niſi conſtitutus; non licet alienum ſervum judicare, Rom. 14: 4. & qui facit, judicat legem, & legislatoris unius iuvadit jus Jac. 4: 11 ſ. *Ne judicate, & non judicabimini, ne condemnate, & non condemnabimini* Luc. 6: verſ. 37. Judicandi ſumus, & quiſque pro ſe rationem reddet, eoque abſtineamus judicium Dei uſurpare, quod novum reatum afferret Rom. 14: 10. ſ.

γ. *Præcipitantia*, addit enim, *cauſam quæ vobis difficilior eſt, afferetis ad me, & ego audiam.* Non præſumite vobis propter officium eſſe ſapientiam omnimodam: ut nihil arduum nimis putetis; poſſunt etiam quædam eſſe quæ ſuperent vires veſtras, ut ſapientia veſtra non ſufficiat ad decidendam cauſam; non debet pudere iſtius ignorantiæ, neque profeſſionis ejus; ut malitis judicare male, quam judicium ſuſpendere vel declinare; attamen nec negligenda cauſa illa, verum referetis ad me, & ego audiam, ut decidam. Referendum ad ſapientiores; imo ad Deum ipſum. Nam Moſes ex Dei voluntate decidit, qui ipſemet res arduas ad Deum retulit, uti circa jus ſucceſſionis filiarum Zelophchad, & earundem conjugium, Num. 27. & 36. & Deut. 17: 8. ſ. *ſi quæ res judicii vobis erit difficilior, in portis veſtris, & ibitis in locum quem elegerit Deus, & inquiretis à Sacerdotibus vel judice, & indicabunt vobis, juxta mandatum legis.* Conſulendus Deus, qui optimus juris interpres; & is loquitur in verbo ſuo; unde hujus meditationem regi mandavit, ut rite omnia judicare poſſet cap. 17. verſ. 18. ſ. Hinc petitur ſapientia, quæ judicem conſummet; uti David inde eam hauſit, etiam Senioribus majorem, Pſ. 119: 100.

b. *Populus*, verſ. 18. *Et præcepi vobis illo tempore omnia quæ facienda ſunt vobis*: non ad judices, ſed ad populum hæc directa ſunt. Complectitur autem his verbis omnem obedientiam magiſtratibus debitam. Hi eliguntur ut adminiſtrent rempublicam, & judicia exerceant, ſed fruſtra ſunt & ipſi & quæ agunt, ſi nemo ſit qui pareat. Omnia ſurſum deorſum miſcebuntur. Dii vocantur, ut autoritati ipſorum deferatur obſequium quemadmodum Deo id debemus, cujus vices gerunt. Rom. 13: verſ. 1. omnes poteſtati debent eſſe ſubjecti, quia à Deo eſt, ne Deo reſiſtatur, & pœnam ferat, propter conſcientiam, cujus ratio ſoli Deo reddenda. & 1 Pet. 2. verſ. 13. ſ. propter Dominum ſubjecti eſſe debemus humanæ ordinationi, ſive Regi, ſive ejus locum tenentibus, quia ita fert voluntas Dei. Chriſtus juſſit Cæſari dare quæ Cæſaris, uti Deo quæ Dei ſunt Matt. 22: 21. ſolvitque tributum cap. 17: 24. ſ. Laudabiliter Rubenitæ, Gaditæ, & Manaſſitæ ad Joſuam; *quicquid mandaſti faciemus, & quocunque mittes, eo ibimus; quisquis rebellarit tibi nec audiet quæ mandaveris, necabitur*, Joſ. 1. 16. ſ. *ſolummodo ſis fortis, & habe bonum animum & Dominus Deus noſter ſit tecum, uti fuit cum Moſe.* Hoc modo ſi vivant ſubditi & vivant Magiſtratus, felix erit ſtatus externus, imo promovebitur quoque ſpiritualis, ut ſubjecti Deo ab ipſo felicitemur, & hic, & in æternum.

Verſ. 19. *Deinde quum profecti Chorebo obiiſſemus totum illud deſertum magnum formidabile quod vidiſtis, viâ ad montem Emoræorum, quemadmodum præceperat Jehova Deus noſter nobis, & veniſſemus Kadeſchum barnehæ uſque:*

Verſ. 20. *Edixi vobis, veniſtis uſque ad montem Emoræorum quem Jehova Deus noſter dat nobis:*

Verſ. 21. *Vide, exponit Jehova Deus tuus iſtam terram tibi: aſcendens hæreditario jure poſſide, quemadmodum dixit Jehova Deus patrum tuorum tibi, ne timeto, neque conſternator.*

In Itinere quid factum, ſequentibus oſtenditur. Moſes inchoaturus ſermonem, quo ad obſequium Deo præſtandum cohortari vult, primum eximit animis ſequiorem de Deo ſuſpicionem, qui cum eis Cananæam dediſſet, & eo ex Ægypto voluiſſet proficiſci, tamen totis quadraginta annis detinuiſſet in deſerto, ut plerique egreſſorum periiſſent. Hujus moræ culpam igitur removet à Deo, qui fœdere inito & ſancito juſſiſſet adire illico & occupare terram, adeo ut nequiret inſimulari invidiæ aut malevolentiæ, vel etiam impotentiæ, quo minus iſtuc veniſſent. Imo à ſe quoque removet ſuſpicionem, quaſi per ſe ſtetiſſet, ut detinerentur: nam nec ſolus voluit regimen & judicium populi exercere, poſtulatis auxiliis aliorum, qui juxta ſecum regerent: & iis legibus inſtruxit, quibus etiam in terra eſſent gubernandi, idque mox ab egreſſu ex Ægypto. Verum dum ſic eximit culpa tum Deum, tum ſemetipſum, indicat autores moræ diuturnæ veros, Populum ipſum, quod reliquo capite oſtendit. Continet illud. I. Iter ſuſceptum & aliquouſque continuatum, ad limites Cananææ uſque, verſ. 19--21. II. moræ cauſam primam, ex conſilio explorandæ primum terræ, verſ. 22--25. III. moræ cauſam alteram, repudiatæ terræ, verſ. 26--40. IV. moræ cauſam tertiam cladem ab hoſtibus, verſ. 41--46.

I. *Iter ſuſceptum* recitatur, verſ. 19. mandatum deſuper datum occupandæ terræ, verſ. 20, 21.

A. De *Itinere* refert unde, qua via, quo pervenetint, verſ. 19.

א. *Unde*, ſic notat, *tunc profecti ſumus ab Horeb.* Hic fuit mons & tractus terræ circa montem, ubi conſederant per annum fere integrum, dum tota ipſorum Politia, ceu populi Dei ordinata fuit: atque iſtis expeditis Deus juſſerat iter ingredi, verſ. 6, 7. adeo ut profectio iſta fuerit obedientia Deo præſtita. Etenim Num. cap. 9: 15. ſ. Nubes mox ab erecto tabernaculo illud texit, quæ interdiu columnam nubis repræſentabat, noctu columnam ignis, hac nube ſublata à tabernaculo proficiſcebantur Iſraelitæ, & ubi quieſcebat caſtra locabant: juxta os Domini proficiſcebantur Iſraelitæ & caſtra metabantur. Jubet enim Deus non tantum verbo, ſed etiam ſignis, & oportunitatibus quas ſuppeditat, & cap. 10: 11. factum eſt anno ſecundo, menſe ſecundo, die vigeſimo menſis ſuſtollebatur nubes de ſupra tabernaculo, & filii Iſraelis profecti ſunt ex deſerto Sinai, & nubes manſit in deſerto Paran. Sic in omnibus itineribus, in actionibus omnibus: ductus Dei ſequendus, & noſtra ambulatio debet eſſe obedientiæ. Juſſi ſunt profecti. Etenim cap. 9: 18. ſ. Nube manente manebant, mota movebant ſe, & cuſtodiebant cuſtodiam Dei ſive longam ſive brevem quietem indulſiſſet, ſive noctu, ſive interdiu ductum inchoaret. Primum iter Abrahami ſuſceptum eſt juſſu Dei, Geneſ. 12: 1. ſ. cum eſſet in Ure Chaldæorum, mandavit Deus, *Exi ex terra & cognatione, & domo paterna tua, in terram quam monſtrabo tibi*; ne quidem indicium fecit terræ quo deberet ire; unde Heb. 11: 8. *per fidem Abraham vocatus, obediens fuit, ut iret ad locum hæreditario poſſidendum, & egreſſus eſt, neſciens quo venturus eſſet*, & Deus ſeipſum Ure eduxiſſe teſtatur, Gen. 15: 7. & is eum ex Charan in Cananæam ire juſſit, & hanc perambulare. Imo Iſaacum noluit egredi terra, Gen. 26.

Objecti. Recte juſſum Dei ſequitur, cui illud hoc modo revelatur. Si Deus de cœlo nos affaretur uti Abrahamum, vel columna nubis & ignis præcederet, quis nollet proficiſci? ſed non patefit nobis eo modo voluntas Dei. Sic David feliciter potuit cavere pericula in bello, & prævalere hoſtibus, Deo indicante & præcedente, 1 Sam. 23. 2 Sam. cap. 5: 19. ſ. ſed non cuivis ſic loquitur Deus, ut Saul conqueritur 1 Sam. cap. 28: 6. *Reſp.* Equidem extraordinarios ejuſmodi monitus Deus uni-

unicuique non concedit; attamen non desunt omnes. Psal. 104. 22. s. *Sole oriente homo egreditur ad opus suum, & ad laborem suum usque ad vesperam.* Nube mota universus Israel movebatur ad iter suum. Sole oriente, quæ columna lucis est universo orbi concessa Matth. 5: 45. quibus fulgere incipit, illico ad opus egredi debent lecto & cubili, siquidem non sit impedimentum peculiare. Quam multi negligunt hunc jussum Dei, homines ignavi, quibus somnus & nictatio placent, Prov. 26: 14. Ordinavit Deus diem ad laborem, & noctem ad quietem, & hæc ordinatio jussum est; & huic non obsequitur, qui otio dies transigit; & magis adhuc qui eos impendit ut obsequatur cupiditatibus, mundo, Diabolo. Non tantum operis, sed etiam otii reddenda ratio est, quando Deus Solis lucem fecit allucere, Joh. 11: 35. & cap. 9. vers. 4. Sed præterea jussus Dei datur ordinarius. Jerem. cap. 1: 7. *quocunque te misero ibis, & quodcunque tibi præcepero loqueris* :omnium Prophetarum id est; sed quomodo jubet ordinarie? Jerem. 23: 22. *si in consilio Dei stetissent* &c. & cap. 15. vers. 19. *Si pretiosum à vili secreveris, eris ut os meum.* 1 Cor. 7: 24. *quivis in quo vocatus est, in eo maneat apud Deum.* Psalm. 128: 1, 2. *Beatus qui timet Dominum, qui ambulat in viis ejus, comedes laborem tuarum manuum.* Numer. 10: 33. s. Mose quando Arca movebatur dicebat, *Surge Domine, & dispergantur inimici tui*, & ea quiescente, *redi Domine ad myriadas myriadum Israelis.* Et sic non exspectato motu Arcæ, cum eam David transferre vellet, Psalm. 132. 8. *Surge Domine ad requiem tuam, tu & arca roboris tui*, sic quoque nobis in omni motu nostro sollicitandus Dei ductus, ut custodiat egressum & ingressum, tegat, defendatque à diurnis nocturnisque incommodis Psalm. 121. vers. 6. 8. Atque hic saluberrimum consilium Asaphi Psal. 73: 23, 24. cum Deo autem est non impius, hypocrita, Ps. 5. vers. 5. s. sed qui coram ipso ambulat & integer est ut Enoch, Noach, Abraham, huic nunquam deerit ductus, usque dum pervenerit ad æternam gloriam; eoque rogandum semper Ps. 143: 10.

ב. *Quia via*; his verbis, *Et perambulavimus totum illud desertum grande & terribile: quod vidistis, via montis Amoræorum, uti Dominus Deus noster nobis præcepit.* Desertum istud describitur Deut. 8: 15. Istud desertum postquam ingressi erant transito mari Suph, debuerunt illud emetiri, quod quidem ab Horebo usque ad limites Cananææ undecim dierum iter poscebat Deut. 1: 2. limites illos vocat montem Amoræorum, quia Amoræos dicit omnes Cananæos, quemadmodum Gen. 15: 16. Duo autem hic commemorat, quæ iter istud faciebant memorabile, Experientiam ipsorum & Dei fœderati Mandatum.

Experientia est, Deserti illius magnitudinem & terrorem viderant, & viderant quomodo perambulassent.

Mandatum Dei est, *uti Deus noster* &c. Non destituebantur sensu, neque ambulabant brutorum instar, sed probe videbant conditionem deserti; quod nihil præstare posset eorum quæ tanto populo erant necessariæ, ut & ipsi & pecora alimenta haberent, & defensionem à venenatis animalibus. Enimvero mandatum Dei sequentibus non defuerat quicquam; dedit enim mannam de cœlo, & aquam ex rupe, & pluvia ista alimentosa, & aqua rupis eos comitata sunt, ut parvulorum instar à Deo fuerint nutriti, nullo damno à serpentibus dato, imo ut ne quidem pedes intumescerent, vel vestes detererentur, experti etiam erant quid damni sensissent, quando Dei mandato non obtemperabant, quod murmuratibus immisisset ignem, ut extremitates castrorum depasceret. Num. 11: 1. s. & concupiscentibus carnes dedisset coturnicum copiam, sed ut concupiscentium plurimi perirent plaga gravi, vers. 31. s. Adeoque experientia docet obedientiæ commodum & incommodum inobedientiæ. Viderant Israelitæ quomodo perambulassent desertum ingens ex mandato Dei. Si sequerentur sensum carnalem, omnia erant desperata; unde se dicunt morituros in deserto aliquoties; nullus cibus, nulla aqua, neque ipsorum labore alterutrum ibi parabile: non erat terra, quæ conseri posset & carebat scaturigine omni aquarum. Neque poterant se defendere à serpentibus: sed Deo jubente procedentes, habent sufficientem alimoniam; terra negante, cœlum & rupes subministrant. Contra cum nolunt sequi Deo clausis ut sic dicam oculis; sed ei præscribunt quid dare debeat, aut quæruntur non data, ipsa abundantia est noxæ. Ps. 34: 8. Prov. 8: 13. cap. 16: 6. & his omnia prospere cedunt. Rom. cap. 8. vers. 28. Ps. 84: 12. Verum inobedientibus adversa omnia ipsæ benedictiones damno cedunt. Eccles. 8: 12. s. Profecto etiam nobis multiplex est experientia: Bene cessit quoties Deo obtemperatum est. Abraham contra spem sub spe credidit & obtinuit, Rom. 4. Sareptana fecit juxta verbum Dei de sua farina & oleo, & abundavit toto tempore famis 1 Reg. cap. 19. Petrus ad mandatum Christi projecit rete Luc. cap. 5. Majores nostri Deum secuti sunt in omni defectu, & sic prosperati sunt; sed quando sua consilia sequuntur homines, pessum eunt. Deut. 32. 28. Gustavimus Deum fuisse bonum Ps. 73: 1. Jac. 4: 8. eoque mundemus cor, & appropinquantibus propinquabit, bonus erit nobis Ps. 125: 4, 5. Benefac, &c.

ג. *Quo pervenerint, & venimus in Cades Barnea*, quod extremum deserti ad limitem Canaan, prima nempe vice, ut alias observatum.

B. Atque hic *Mandatum* datum occupandæ terræ, vers. 21, 23. ubi notanda. Occasio, Fundamentum, Mandatum faciendorum & cavendorum.

א. *Occasio* est, *tunc dixi ad vos*, itinere finito per desertum. *Veniistis ad montem Amorai, quem Dominus Deus noster dat nobis.* הָר Mons ille longo tractu obtendebatur ad meridiem Cananææ, cujus partem magnam Edomitæ tenebant, attamen etiam Amoræi, & Cananæi, & Amalekitæ in eo habitabant. Deut. 1: 44. Num. 14: 45. Quia v. mons iste claudebat terram, etiam partem ejus faciebat, eoque pertinebat ad possessionem donatam Israelitis. Supra vers. 6, 7, 8. cum adhuc morabantur juxta Horeb montem, Deus jusserat iter suscipere eò ad montana Amoræorum, & occupare omnia longe lateque, se enim ipsis dedisse; itaque nunc postquam feliciter emensi erant istud iter desertum, Moses dicit, dat nobis Deus. Deductio ista fuit argumento Mosi, Deum dare. Non potuissent eò pervenisse, nisi Deus manu sua quasi detulisset, & quia detulit, utique non nisi dandi voluntatem habet. Dabat, qui eos quibus dabat, adduxerat eò, ubi erat accipiendum. Sic ex una Dei benedictione aliam colligere possumus. Qui deducit per viam meris miraculis, utique etiam introducere vult eò, quò illa via proceditur. Beneficium Dei unum est quasi arrhabo pro alio, Matt. 6: 25. sollicitis pro victu & amictu dicit Christus, *annon vita plus quid est quam alimentum, & corpus quam vestimentum?* qui illa dedit majora bona, non negabit ista minora, sic argumentati Jacob Gen. 31: 9. s. uxor Manohæ Jud. 13: 23. & David Ps. 71: 6. 20. Quæ præstita sibi sunt argumentum præstandæ defensionis.

Discamus hinc meminisse priorum beneficiorum, & exinde fiduciæ argumenta ducere. Nemo est qui non circumdetur à beneficiis Dei innumeris, quod est coronare benignitate & mysteriis Ps, 103: 4. & 5: ult. Cui debemus nativitatem & educationem primam, nisi Deo Ps. 22: 10, 11. & idem præstat reliqua. Equidem quia homines multa agunt ipsi, non observant Dei manum; attamen etiam in iis quæ agimus, eadem animadverti potest; cum labor & vigiliæ nostræ nihil proficiant, nisi ipse agat Ps. 127: 1. s. panis non alit, & vestis non calefacit, opes non ditant sine ejus benedictione Hagg. 1: 6. Sed quam multa sunt ubi nulla cura consiliumque humanum, nullus labor intervenit. Omnes istæ conservationes, ne damnum patiamur, ab ipso sunt, quod non offendamus pedem, quod lapsi non conteramus membra, quod quæ aliis contingunt, nobis non eveniant Luc. 13: 1. s. inde est. Et an non hinc concludendum est, quid facere velit obedientibus? Psal. 68: vers. 20. s. 2 Tim. 4: 17. s. Sic argumentatur Ecclesia. Psal. 48: 5. s. Reges congregatos fuisse contra urbem Dei, sed perterritos festinasse abire, naves maximas ipsorum Euro fuisse confractas; *eoque uti audivimus, sic vidimus in urbe Domini Zebaoth, Dei nostri, Deus eam confirmabit in seculum. Nam hic Deus Deus noster est in seculum & sempiternum; ducet nos ad mortem usque vel ultra mortem,*

tem. Vidimus ſimilia in nobis exercita; confidamus ſimilia & majora, modo ſimus urbs Dei; alioqui ſanctificamur ad diem mactationis donec maturuerint peccata ad noſtri deſtructionem conſummatam, ut Amoræi.

ב. *Fundamentum* porro adhortationis eſt, *Vide Dominus Deus tuus dedit terram iſtam coram facie tua* &c. Sunt verba ipſius Dei, verſ. 8. & his innititur Moſis mandatum & promiſſio ſequens.

Mandare & promittere tuto poſſumus, ubi Dei verbum præſtò eſt. Etenim mandare nihil licet, niſi mandante Deo. Eſt ille unus Legiſlator Jac. 4: 12. unus herus, cæteri omnes conſervi. Rom, 14: 4. ſ. pariter parendi neceſſitas incumbit, nulli imperandi. Equidem hominibus multis competit jubendi poteſtas, ſed ut dicitur Joh. 19: 11. nemo haberet, niſi datum eſſet à Deo. Is multos inſtruxit poteſtate majore vel minore, ſed ut ex ipſius legibus debeant imperare alias puniendi ceu uſurpatores. Nemo bona conſcientia mandat, niſi quod Deus mandavit, mandet & ipſe; quemadmodum de Rege liquet, cujus inter homines poteſtas maxima Deut. 17: 18. ſ. Alioqui ſunt mandata hominum, eaque vitioſa, ſiquidem de Dei obedientia aliquid jubeatur Col. 2: 12. ſ. Promittere autem minus poſſumus, quia non poſſumus præſtare, quod ſolus Deus poteſt. Qui quod dixit, facit, utpote neſcius mentiri, & pœnitere. Num. 23: 19. Fiducia nequit uſpiam ſecura eſſe; niſi in verbo Dei. Rom. 3: 4. Hominum ergo verbum ſuſpectum ſemper eſſe debet, ſiquidem agatur de credendis vel faciendis, ne forte decipiamur. Quando Eſa. 1: 15. ſ. mandatur reſipiſcentia, & promittitur reſipiſcentibus tum R. P. tum felicitas externa, dicitur, *Os Domini locutum eſt.* Eoque attendenda vox prima hic, *Vide*, intuendum eſt, an verbum Dei ſit mandans aut promittens quod proponitur, ut ſecura conſcientia poſſimus ſequi. Sic 1 Theſ. 2: 13. Atque hoc unicuique faciendum, ראה ſingulariter; non eſt acquieſcendum alius teſtimonio, ſed quiſquam ſuis oculis videre debet. Nemo ſibi patitur obligari, multo minus effodi oculos, ut duci queat, ſed etiam cùm ducitur; videt ipſe, ne ſeducatur. Ita unuſquiſque cùm ducitur, ſpectare debet, an ſit via & verbum Dei. Quivis ipſe ſciat quid ſibi faciendum, quid ſperandum ſit, eoque diſcat quid Deus mandarit & promiſerit; & conſulet ſuæ ſecuritati.

Adhæc *Promiſſiones Dei habent certitudinem præſtationis.* Nam *dedit*, cùm demum acceſſiſſent ad limitem, neque quicquam occupaſſent. Dei enim verbum eſt omnipotens, creandi vim habet; vocat quæ non ſunt, ut ſint: adeoque nihil extra ipſum poteſt impedire. Et eſt veritas, nequit fallere, quia nihil in eo pœnitendum, ut ipſemet nihil mutet. Hinc ergo fides hypoſtaſis ſperandorum Heb. 11: 1. Speranda abſentia ſunt, hypoſtaſis præſentium eſt, & hæc ſociantur. Rom. 8: 24. Spe ſalvati ſumus; ſpes autem quæ videtur, non eſt ſpes; ſperamus ergo quæ non videmus. Sed quæ exſpectamus. Si v. exſpectamus ſalutem, nondum habemus, nondum ſalvati ſumus. Hoc tamen affirmat etiam in noſtra ſpe. Scilicet quia in promiſſione Dei ſalutis eſt certitudo, & hanc fidem amplectens habet, quod certum eſt. Hinc etiam conciliari poteſt mandatum operis cum hac donatione. Dedit Deus, & tamen acquirenda eſt terra; ſcil. quia Deus vult etiam homines agere aliquid, non quod inde pendeat rei poſſeſſio, quam Deus citra illos conficit. Joſ. 24: 12. Sihonem & Ogum deſtruxit, immiſſis crabronibus non Iſraelitarum gladio aut arcu; ſed ut obedientiam fiduciamque exerceat ipſorum. Sic ſalutem Deus largitur ſolus, cujus eſt & initium & conſummatio, & tamen nobis operandum eſt Phil. 1: 6. cap. 2: 12, 13.

ג. *Mandatum* eſt *faciendorum*, quod dicit, *adſcende, hæreditario jure poſſide, uti Dominus Deus Patrum veſtrorum ad vos locutus eſt.* Promiſſio Dei dat jus legitimum. Hæreditario titulo occupanda erat terra ab iis qui non erant iſtic nati vel educati, imo quorum Patres iſtic fuerant peregrini, non poſſidentes veſtigium pedis; ſed Deus dederat ſua promiſſione Abrah. Iſ. & Jacobo, eorumque ſemini. Jam ergo ſibi poterant jure vendicare. Etenim Domini eſt tota terra Exod. 19: 5. & dat cuicunque vult Jer. 27: 5. adeoque cui ille dat, quia de ſuo illius eſt. Enimvero debet habere promiſſionem Dei, qui aliquid ejuſmodi ſibi poſcit; aut injuſtus fiet poſſeſſor. Jephta Amonitarum Regi negat jus eſſe in id quod Deus Iſraeli dederat; quia Deum Iſraelis non habebat ille, vel Deum, vel datorem, Jud. 11: 23. ſ. Et quia Deus dedit Iſraeli, manet illi jus in perpetuum Jer. 49: 1. ſ. Contra Ammonitas ſic ait Dominus, An Iſraeli non ſunt liberi? an non habet hæredem? quare ergo Malcam hæres eſt Gadi? & populus illius habitat in hujus urbibus? propterea ecce dies venient, inquit Dominus, & Rabba filiorum Ammon fiet vaſtitas, & Iſrael hæreditabit illos, qui ipſum hæreditarant, inquit Dominus. Decem tribuum primæ deportatæ ſunt Gad & Ruben, & Manaſſe, trans Jordanem, neque unquam redierunt; unde vicini Ammonitæ loca vaciva occuparunt; ſed manebat jus Gadi & Iſraeli; adeoque non tantum ejiciendi rurſus Ammonitæ, verum etiam ipſorum poſſeſſio cedet Iſraeli; quemadmodum dicitur Zeph. 2: 8, 9. Idque primæ donationis. Eſt eadem ratio melioris donationis. Sumus creaturæ terreſtres, donatio Dei dat jus cœli: eam fecit Deus Abrahamo Gen. 15: 5. Heb. 11: 10. 14. ſ. Sed fecit etiam nobis Eph. 2: 7. etiam politheuma noſtrum in cœlis eſt Phil. 3: 20. Eundum modo & occupandum, Heb. 13: 14. quærenda ſuperna Col. 3. 1. ſ. hæreditas æterna in cœlis 1 Pet. 1: 4. Obtinebimus, quia Deus dedit, & dationem verbo patefecit, quæ proinde & jus dedit, & dabit poſſeſſionem.

Cavendorum mandatum eſt, *ne timeto neque conſternator.* Significat ea ratione, quamvis muniti ſimus abunde infallibili promiſſione Dei, ut ſecuri eſſe queamus. Deum nos deducturum ad finem, plurima tamen aliunde ſubnaſci quæ metum incutiant, & exterreant, ut ſiſtamus gradum, nec auſimus progredi, ſed potius referamus pedem. Sic Moſes voluit prævenire, ut conſtantiam exercerent, neque ſe paterentur dimoveri facile, ſiquidem aliquid extrinſecus difficultatis ſe oſtenderet, quemadmodum mox patuit, cùm per exploratores incolarum conditionem didiciſſent. Hinc Deus ad Joſuam pariter uſus eſt dehortatione contra omnem metum Joſ. 1: 5. ſ. opponens ſuam promiſſionem. Solent homines quandoque magno eſſe animo audita promiſſione Dei. Petrus modo juberet Chriſtus ad ſe venire ſuper aquas, jam geſtiebat calcando eas fidem probare, ſed ubi vidit ventum impetuoſiorem, jam cœpit mergi, & inclamavit opem Jeſu Mat. 14: 28. ſ. uti idem qui mori volebat pro hero ſuo, ad vocem ancillæ titubavit, & abnegavit Dominum, Mat. 26. Meticuloſi ſumus natura in iis inprimis quæ Dei ſunt, quando ille ſequendus eſt, non tantum vani metus ſunt, quos nobis fingimus, ſed veri etiam diaboli aſtutia & violentia, mundi illecebræ, & perſecutiones, noſtra infirmitas; ubique animadvertimus quæ percellunt; ſed muniendus contra animus Dei promiſſione. Deus dixit, & fiet, quicquid mundus & diabolus contra moliantur. Eſa. 8: 12. ſ. Metuendus Deus, ne quid faciamus, quod nos excluſos oſtendat promiſſione, & tunc nihil erit metuendum, Deus erit ſanctuarium, & licebit ſecuris triumphare. Quis nos ſeparabit à dilectione Dei? Afflictio, anguſtia, perſecutio, fames, periculum, gladius? pluſquam victores hic ſumus in Chriſto. Certus ſum &c. Rom. 8: 35. ſ. & tunc licebit eis Rom. 8: 35. ſ. Ad Eccleſiam Deus Eſa. 51: 12. ſ. Ego ego ſum, qui vos conſolor; quænam tu quæ metuis hominem moriturum, & obliviſceris Domini, qui te fecit. Indo verba mea ori tuo, & tego te umbra manus meæ, & dico Sioni, populus meus es. Verba Dei qui habet in ore, tegitur umbra manus ejus, quæ omnipotens & conſervat ad vitam æternam.

Verſ. 22. *Accedentes vero ad me vos omnes dixiſtis, mittamus homines ante nos qui nobis perveſtigent illam terram: & referant nobis aliquid de via per quam aſcenſuri ſumus, & civitatibus in quas perventuri ſumus.*

Verſ. 23. *Quæ res quum bona videretur in oculis meis; accepi è vobis duodecim homines, hominem unum in quamque tribum.*

Mundus hic inferior piis peregrinationis terra eſt, non patria; ſunt in mundo, ſed non de mundo, adeoque nec habitationem in mundo ſperandam vel quærendam habent. Heb. 13: 14. & Phil. 3: 20. Agnitum iſtud à piis olim. Petrus hortatur fideles, ut peregrinos & advenas & quæ advenarum ſunt meditari jubet 1 Pet. 2: 11, 12. Hoc modo vixerunt Patres Ab. Iſ. Jacob. Heb. 11: 9. 13. ſ. unde ipſorum dies vitæ dicuntur dies peregrinationis Gen. 47. Etiam Iſraelitæ quibus poſſeſſioni ceſſit Cananæa patribus donata, in illa fuerunt peregrini, Lev. 25: 23. terra non vendetur in perpetuum, nam terra mea eſt, quia peregrini & advenæ eſtis mecum, adeo ut id merito faſſus ſit David de ſe & omni populo, quando felicisſimi erant, 1 Chron. cap. 29: 18. Inprimis autem peregrinitatis Exemplum exhibuerunt, quando Cananæam verſus profecti ſunt. Etenim egreſſi erant ex Ægypto, ibi advenæ fuerant ob famem, & ea conditione habitarunt: ubi autem inde exierunt, per deſertum inhoſpitabile tranſierunt, uſque ad terminos Cananææ. Quod quidem in Chriſtianis quoque obſervandum eſt, ſiquidem Iſraelitæ nobis typi fuerunt, 1 Cor. 10: 6. ſ. non tantum eorum quæ facienda, ſed inprimis illorum quæ fugienda: ut dum egreſſi ſumus ex mundo, non corpore ſed corde & affectu, ea faciamus & vitemus, quæ ab ipſis fuere facienda, & non neglecta: quemadmodum ex textu diſcere licet. Moſes circa vitæ finem repetiturus ſummatim tum quæ facta erant, tum quæ facienda, Dei mandata, & populi inobedientiam, initio diutinæ peregrinationis cauſam indicat, quæ totos 40. annos fuerat continuata. Removet culpam ejus à Deo, qui illico poſt erectum fœdus & quæ eo pertinebant, juſſerat ingredi terram repromiſſionis. Removet etiam à ſe, quandoquidem inſtruxerat judiciorum ordinem in terra obſervandum. Verum eam omnem in populo hærere docet, qui poſtquam iter illud aliquouſque continuaſſet uſque ad limitem extremum, triplici gradu ab ingreſſu fuiſſet cohibitus. Primus fuit intempeſtivæ ſapientiæ humanæ, verſ. 22--25. ſecundus inobedientis faſtidii, verſ. 26--40. tertius calamitoſæ neceſſitatis, verſ. 41--46.

II. *Primus gradus procuratæ moræ* fuit intempeſtiva ſapientia humana, quæ patuit in exploratione terræ; cujus conſilium, verſ. 22. & exſecutio conſilii, verſ. 23--25. indicatur.

A. *Conſilii* referuntur autores, propoſitio, & finis, Autores conſilii ſunt omnes univerſim. Tunc appropinquaſtis omnes ad me. Cum veniſſent Kades Barneam ad montem Amoræorum, & juſſi eſſent capeſſere hæreditatem terræ, quam Deus eis dediſſet, ut citra metum terroremque poſſent occupare; tunc acceſſerunt ad Moſen Iſraelitarum non aliqui, pauci multive, ſed omnes: univerſus populus, magni & parvi, ductores & qui ducebantur. Conſilium exploratorum mittendorum à populo omne profectum eſt. Num. 13: 1. ſ. Deo illud adſcribitur, Deus dixit ad Moſen, mittite vobis viros exploraturos terram. Sed hinc diſcimus, populo poſtulante id factum eſſe, Deum autem poſtulatis aſſenſum eſſe, & moderamen aliquod addidiſſe. Etenim approbatio Moſis ſecuta eſt propoſitionem populi, & eadem ſequitur determinationem circumſtantiarum à Deo præſcriptarum. Docet idem connexio; Moſes, Dei nomine juſſerat citra metum ingredi terram à Deo donatam; parendum hic illico fuerat; ſed populus ſiſtendum cenſet iter & primum per exploratores contemplandam terram, ejuſque aditus. Hoc enim Conſilium habet: Emittamus viros coram facie noſtra qui nobis terram explorent, יחפרו ſollicite, non ſecus ac foſſores, qui ipſa terræ viſcera ſcrutantur, ut quid in venis interioribus lateat, deprehendant. Finis porro explorationis, ut referant ad nos verbum, qua via ingrediendum ſit, & ad quas urbes ſimus venturi; adeoque per illos exploratores erudiri volunt tum de via, tum de opere inſtante. Hinc vero liquet.

Moræ perniciosæ in deſerto & diuturnæ culpam primam fuiſſe conſilium Iſraelitarum proprium, de mittendis exploratoribus. Patebit iſtud conſiderata hiſtoria præcedente. Num. 10: 33. factum eſt anno ſecundo, menſe ſecundo die viceſimo, elevari nubem deſuper à tabernaculo teſtimonii, *profecti ſunt trium dierum itinere à monte Domini & arca fœderis Domini proficiſcebatur coram facie ipſorum tridui itinere, explorando eis locum quietis* & cap. 9: 17. *cum elevaretur nubes, de ſupra tabernaculo, ita quoque proficiſcebantur filii Iſraelis; & in loco ubi manebat nubes, ibi caſtrametabantur, filii Iſraelis.* Adeoque Deus eis erat dux & explorator itineris, per deſertum illud horridum, citra ipſorum ſollicitudinem. Itaque cum juberentur ingredi & occupare terram, non minus promte, citra metum ac ſollicitudinem omnem fuiſſet proficiſcendum. Sed hic ſiſtunt gradum; volunt ſibi ipſis conſulere, & exploratis omnibus demum obſequi Deo, contra quam Paulus Gal. 1: 16. Sic itaque ſe probant populum pereuntem conſiliis ſuis Deut. 32: 28. Conſilium Dei bonum hactenus erant experti; quocunque duxerat ibi eis proſpectum erat, ſive ſuſtentationem quærerent, data in deſerto manna, & aqua ex rupe; ſive defenſionem contra Ægyptios, & Amalekitas. Jubebat nunc ingredi terram; utique patefacturus viam qua irent, & urbes quas occuparent. Eſa. 45: 1. ſ. Sic ait Dominus ad unctum ſuum, ad Cores, cujus dextram apprehendi ad dejiciendos populos coram facie ejus, ad aperiendum coram facie ejus januas, & portæ non claudentur; Ibo coram facie tua, & curvas vias rectificabo; æneas januas confringam, & ferreos peſſulos comminuam, & dabo tibi theſauros qui in tenebris, & occultatas divitias, ut ſcias me Dominum eſſe, qui te vocat nomine tuo, Deum Iſraelis. Siquidem id præſtabat Cyro, multo magis Iſrael, cum illud faceret, ut Deus Iſraelis agnoſceretur. Imo præſtiterat Iſraeli Exod. 14: 15. Deus ad Moſen, Dic filiis Iſr. ut procedant, Et tu, eleva ſcipionem tuum, & extende manum ſuper mare, & finde illud, ut filii Iſr. tranſeant per medium mare in arido. Atqui Iſrael univerſus poſt experimenta multiplicia id non conſiderat. Pſ. 95: 10. ſ. Deus ait, ſunt populus errantes corde, & non norunt vias meas, propterea juravi &c. Error cordis erat, neglecto juſſu & ductu Dei, velle ſequi conſilium ſuum, humanæ prudentiæ.

Obj. Joſua miſit exploratores & non peccavit. Prudentia ejus ea propter laudatur. Reſpondeo alia prorſus eſt ratio. Joſuæ dictum erat, poſt triduum transeundum eſſe Jordanem, ad terræ occupationem. Intermedio tempore mittit ſecreto duos illos non ut docerent: quid faciendum, ſed ut ſciret Jerichuntinorum conſternationem; Aſt hic mandatum præſens erat, & univerſorum conſilium contrarium. Sic Jeroboam 1 Reg. 11: 38. promiſerat illi Deus ſiquidem obtemperaret Deo, & ambularet in viis ejus, ut David, tecum ero; & domum ſtabilem tibi ædificabo, uti Davidi, & dabo tibi Iſraelem: Sed cap. 12: 26. Jeroboam dixit in corde ſuo, ſi populus adſcendat ad ſacrificandum Hieroſolymam revertetur cor ipſorum ad Rehabeamum regem Judæ, & occident me. Promiſſa Dei, facta obedienti, vana cenſet, nihil ſecuritatis habentia, Et rex iniit conſilium, & 2 Vitulos aureos erexit, eoſque colere juſſit, ut iter religioſum impediret: & hoc fuit domui Jeroboami in peccatum, ad illam exſcindendam & perdendam de terra. Ratio: Conſilia humana ſine Deo, imo contra Deum, nequeunt habere ſucceſſum. Eſa. 30: 1. ſ. Pſ. 33: 10. Job. 18: 7. & cap. 5: 12, 13. quemadmodum Iſraeli accidit: Conſiliis ſuis non promoverunt, ſed impediverunt iter & poſſeſſionem: qui non aſſenſi ſunt conſilio Dei, ederunt fructum ſuarum viarum, & ſatiati ſunt conſiliis ſuis, quando ſua averſione ſtolida perierunt Pſ. 81: 12.

Eſt hoc exemplum magni momenti, & quo confirmatur illud Rom. 8: 7. quamquam in idem exemplum ſtoliditatis homines plerunque incidant. Fuit iſtud crimen primorum hominum Eccl. 7: 29. ratiociniis ſapientiæ humanæ ſeſe averterunt à Deo. Nec aliud faciunt poſteri, quorum omnia ratiocinia prava ſunt à pueritia omnibus diebus Gen. 6. verſ. 5. cap. 8: 21. Gentiles evanuerunt in ratiociniis ſuis, &c. & Deum amiſerunt ex cognitione ſua Rom. 1: 21. ſ. neque in ſapientia Dei agnoverunt Deum per illam ſapientiam 1 Cor. 1: 21. & ſermo Euangelii, qui ſapientia & potentia Dei, Græcis fuit ſtultitia, Judæis ſcandalum, verſ. 23. Neque res aliter ſe habuit ſeqq. temporibus. Etiam illi qui Euangelium receperunt, non acquieverunt conſiliis Dei. Uti Judæi qui adſtricti erant Moſi & Prophetis, utp. à quibus erudirentur ſalutariter Eſa. 8: 20. ſecuti ſunt Seniorum traditiones & placita, ceu quibus explo-

ploratior eſſet via Domini & qui ἀκριβέστερως eam docerent, quæ Phariſæorum commendatio Act. 22: 3. Ita quoque inter gentiles accidit. Paulus docuit eos omne conſilium Dei Act. 20: 27. nihil docens præter Moſen & Prophetas, cap. 26: 22. ſuſperſtruxit ſoli fundamento Prophetarum & Apoſtolorum Eph. 2: 20. Sed jam ſuo tempore expertus eſt ſordere ſapientibus Græcorum, qui converſi erant, ſimplicitatem illam, & adhiberi excellentiam ſermonis & ſapientiæ, quando annunciandum erat teſtimonium Dei; cum tamen nec res docendas ſciret ſapientia mundi & principum ejus, nec ſermones humanæ ſapientiæ congruerent ſpiritualibus rebus, 1 Cor. 1: 2. Et tamen contra omnes ejus admonitiones & proteſtationes invaluit Græca ſapientia, ut ineptus ſtoliduſque haberetur, qui eam viam non inſiſteret. Et quid hodieque aliud fit? Conſilium Dei eſt, 2 Tim. 3: 14--17. Scriptura ſufficientiſſima tam ad elenchum, quam ad doctrinam: & exemplum Pauli juxta illud conſilium, 2 Cor. 10: 4. ſ. ambulantes in carne non belligeramus ſecundum carnem; nam arma militiæ noſtræ, &c. Eph. 6: 17. Heb. 4: 12. Pſ. 19: 8. Aſt conſilium humanum negat ſufficere Scripturam; non poſſe, ait, ſolide refutari adverſarios, niſi adhibeantur arma, quibus ipſi utantur; quæ non niſi rationis humanæ ſunt, illiuſque corruptæ; mere carnalia; quo argumentemur quoad hominem, & propriis armis hoſtes vincamus, hoc eſt, belligeremus, & victoriam quæramus ſecundum carnem. Ignorari ſine damno ſermonem Dei authenticum à doctoribus; Sed non ignorari ſine damno ſermones humanæ ſapientiæ, & vaniſſima ratiocinia eorum qui hoſtes Chriſti mancipiaque Anti Chriſti fuerunt, in quibus obſcuratum eſt ipſorum judicium, & cum ſe jactarent ſapientes, ſtulti facti ſunt. Profecto nihil aliud iſti agunt, quam quod hic Iſraelitæ. Deus dixit, *ingredimini terram, poſſidete, nihil timete; Deus vobis eam dat.* Aſt ipſi, *mittamus exploratum, qua eundum ſit.* Sic quoque Deus dixit: *Non longinquum eſt verbum, ſed propinquum*, Rom. 10: 7. *Scrutamini Scripturas.* Joh. 5: 39. *habent Moſen*, &c. Luc. 16: 29. & 2 Pet. cap. 1: 19. Aſt hi: Eundum eſt ad Græcos, Gentiles, mundi & Satanæ ſapientes; hi nos docebunt, quomodo veritas cognoſcenda ac defendenda ſit. Eundum eſt ad Philiſtæos ad acuendos vomeres, & omne inſtrumentum ferreum; quia ſcilicet in Scripturæ pomœriis nullus eſt faber. Audiendum eſt & ſequendum conſilium hominum, & quam illi pararunt viam, præſcripſerunt methodum, ea incedendum & agendum eſt. Invaleſcit hodie magis magiſque ſecta eorum, qui religionem omnem ad rationem humanam moderantur, quam omnes pii merito exſecrantur: Verum eandem ſequuntur quotquot humanam ſapientiam inferunt in Theologiam. Eſt ea quidem ſapientia Dei 1 Cor. 1: 21. Sed per quam Deus cognoſci ad ſalutem nequit, & cujus ſermones non quadrant myſteriis Dei, adeo ut qui hic ſapientes ſunt debeant ſtulti fieri, ut vere ſapientes evadere queant, cap. 3: 18. ſ. Sapientia enim mundi eſt ſtultitia apud Deum, & Deus novit ratiocinia ſapientum: quod ſint vanitas. Hæc cauſa eſt cur tam parum hodie proficiatur in converſione hominum, & Euangelii propagatione. Apoſtoli ſecuti ſunt ſimplicitatem Euangelii, & magnam partem orbis converterunt ad Chriſtum, Rom. 15: 16. ſ. His defunctis in Eccleſia docuerunt Græci, qui gloriam quoque adhibuerunt, ceu efficacius acturi ad Gentilium converſionem, & mox totus orbis Chriſtianus impletus fuit hæreſibus, quas nulla bella philoſophica potuerunt compeſcere. Ante ſeſquiſeculum nova Reformatio ſuſcepta eſt, & feliciter ſucceſſit, & quomodo: doctores ſecuti ſunt conſilium Dei, & ſolam Scripturam adhibuerunt ad docendum & refutandum. Videantur illorum ſcripta; humanæ ſapientiæ artes & ſermones ibi exulant. Sed quamprimum ad iſta reditum eſt, defecit paulatim efficacia. Conſilium hominum poſtquam placere cœpit, neglectum eſt conſilium Dei, & ſciſſi omnes in partes, ut jam unus Lutheri ſit, alter Zuinglii, Calvini, alius Mennonis, Socini, &c. imo bonum conſilium hominum, quia hominum, ſectis nomen dedit, quemadmodum olim Pauli, Cephæ, Apollo. Neque ſpes eſt felicis ſucceſſus, ni deſertis humanis nominibus & Conſiliis redeamus ad unicum Dei, in Scripturis revelatum. Conſilium Dei ſtabit, 1 Pet. 1: 23. & illi cooperabitur Spiritus conſilii; neque enim averſabitur aut deſeret proprium ut hominis verbis & conſiliis vim addat. *Qui loquitur loquatur ut eloquia Dei* 1 Pet. 4: 11. quemadmodum accepit non ab hominibus, ſed ex Scripturis 1 Cor. 15: 3. & qui audit tunc audiat ut Dei ſermones, quod vere tunc ſunt, & ſentiet operationem efficacem ad ingenerandam & confirmandam fidem 1 Theſ. 2: 13. Deus dixit audiendum eſſe Chriſtum Mat. 17: 5. & ipſe, audiendos Apoſtolos Luc. cap. 10: 16. utpote nil docturos quam quod ipſe mandavit, Mat. 28: 20. hoc fine pollicitus eis Spiritum, in memoriam omnia revocaturum quæ dixerat, Joh. 14: 26. qui nunquam reminiſci fecit, aut facere potuit humanæ ſapientiæ, aut gloriæ, cum Chriſtus nunquam iis uſus ſit apud diſcipulos. Per hos ſolos innoteſcit nobis certo conſilium Dei. Recte uſurpamus illud Joh. 9: 28. ſ. ſumus diſcipuli Chriſti & Apoſtolorum ejus, Novimus Deum illis locutum eſſe; ſed Philoſophos gentiles, Anti Chriſtianos, & quoſcunque alios homines, non novimus unde ſint, adeoque conſiliis iſtis attendere, obſequi, nolumus. Conſiliis iſtis peribimus, ſed conſilium Dei eſt ad ſalutem; quamvis non ſciamus omnes ejus rationes, videamus multa quæ terrorem incuterent, tamen poſito metu ſimpliciter ſequendum. Pſ. 73: 23 --26.

B. Jam *Exſecutio* conſilii habet. I. Exploratores, ℣ſ. 23. II. Explorationem, verſ. 24. III. Relationem, verſ. 25.

℟. De *Exploratoribus* docet deſignationem eorum, cujus antecedens Approbatio, *Et bonum fuit verbum iſtud in oculis meis.* Obj. Si probatum Moſi, quare modo improbatum fuit? Reſp. Approbatio iſta non eſt abſoluta, ſed reſtricta, ad ſolum Moſen; non in oculis Dei, ſed meis. Probatur quandoque hominibus aliquid, etiam piis, quod tamen ſimpliciter bonum non eſt. Prophetæ quandoque agunt aliquid qua homines, quod qua Prophetæ debent improbare, 2 Sam. 7. Nathan laudat conſilium Davidis de ſtruendo templo, conſultus etiam: ſed mox juſſu Dei debet illud retractare & negare Davidi illam operam. 1 Sam. cap. 15: 35. Samuel dolet de repudiato Saule, ſed jubetur ponere luctum & Davidem ungere. Sic quoque Moſes potuit humana conſilia probare; quemadmodum Jethronis, Exod. 18. & poſcere idem Num. 10: 29. ſ. cum tamen Deus ſuum ductum ſolum attendi vellet; Quod ipſum docet, ne nos etiam ſanctiſſimorum placitis duci patiamur in iis quæ Dei ſunt, quandoquidem quoque poſſunt aberrare à tramite Mal. 2: 8. cap. 4: 4. Petrus ſuadet Chriſto ut ſibi parcat, Mat. 16: 22. quod ſapientiæ humanæ erat; nemo enim unquam odit carnem ſuam Eph. 5: 29. ſed repudiatur ceu Satanas, & offendiculum. Ideoque ſequendum illud, 1 Theſ. 5: 19. ſeq. non repudianda abſolute conſilia hominum omnium: Deus his inſtrumentis uti vult; ſed explorandæ, & id quod vere bonum retinendum; exemplo Beroenſium Act. 17: 11. Verum illam approbationem Moſis quoque licet referre ad Dei placitum, poſtquam ille correxerat conſilium, uti Jethronis conſilium ſecutus eſt poſtquam Deus probarat, Exod. 18: 23. Nam non ſequitur quod ipſi, ſed quod Deus definierat. Exploratores miſſuri erant; Hi autem ex humano conſilio mittuntur non multi, ſed pauci; non publice, ſed ſecreto; Scilicet ne iis quid innoteſcat, quorum conditio exploratur. Joſua duos miſit, Joſ. 2. Danitæ quinque Jud. 18: 2. Quum Joſephus ſuos fratres diceret eſſe exploratores, hoc pacto ſe excuſant, quod tot numero eſſent fratres, uno patre geniti, Gen. 42: 9. ſ. Erant autem numero decem. Et hic XII. mittuntur, ex ſingulis tribubus unus, & hi Principes; quemadmodum Deus definivit. Num. 13: 2. *Mitte tibi viros qui explorent terram Canaanis, quam ego dabo filiis Iſraelis: è qualibet tribu patrum ejus virum unum mittite, quemque Principem inter eos.* Ex quo decreto Moſes & elegit, & emiſit illos. Hinc autem obſervamus.

Deus ſua benignitate etiam mala conſilia hominum nonnunquam corrigit, ut ſerviant commodo ſuorum. Conſilium iſtud, quamvis prudentiæ videretur, re non explorata nihil velle tentare, tamen pernicioſiſſimum erat: ut eventus docuit. Nam qui voluerunt explorare aditus, & urbium limitanearum robora, iidem virium humanarum æſtimationem inſtituerunt, quid hoſtiles, quid ſuæ valerent; unde

consternatio, & metus, & desperatio, siquidem pares non essent. Ast Deus consilium ipsorum sic moderatus est, ut ad confirmationem faceret, Duodecim viros eosque Principes, simul proficisci, & peragrare universam terram, explorare urbes munitionesque, atque omnem incolarum conditionem, (cum possessionem terræ peterent, destructis habitatoribus, qui norant quid Ægyptii propter illos passi essent) res erat periculi plenissima. Qui clam id agunt; vix evadunt; quid non metuendum iis qui publice exploratores erant? Sed Deus hoc ipso confirmatos voluit omnes, quod sub suo præsidio essent tuti. Cananæi autem sic continerentur sua providentia, ut nihil quicquam auderent moliri, vel ullam vim eis inferre. Sic consilium gentium more habendi regem, quod perniciosum erat ipsi populo, 1 Sam. 8. Deus moderatus est certis legibus, potestatem regiam circumscribentibus Deut. 17. Et consilium Israelitarum ejiciendi insontes uxores, Deus moderatus est ut innocentiæ testimonium ferret secum uxor, libellum repudii Deut. 24.

Patet hinc bonitas Dei, qui hominum mala convertit in bonum; uti lucem ex tenebris fecit splendescere, sic etiam ex tenebrosis consiliis & actionibus lucem suæ bonitatis & gratiæ. Josephus à fratribus venditus fuit in Ægyptum, ne unquam haberent se majorem: Deus eum istic præparat ad dominum, ut fratres domumque paternam sustentaret. Unde, *vos cogitastis contra me malum, sed Deus cogitavit illud in bonum convertere*, Gen. 50:20. Stephanus à Judæis necatur, & alii affliguntur, ut professio Christi exstingueretur; Deus autem hac occasione dispersit fratres, ut non tantum in Samariam, sed etiam ad dispersos Judæos, ipsosque Gentiles perveniret Euangelium. Imo Saulum euntem Damascum ad promovendam persecutionem, ibi præconem Euangelii constituit. Act. 9. Hoc modo se Deum esse probat, cujus cogitationes non sunt ut hominum, Esa. 55. Homines pauca vident, Deus omnia; illi nihil possunt, Deus omnia: eoque ubi illi errant ex defectu vel sapientiæ, vel potentiæ, ibi ipse nunquam deficit. Esa. 31: 2. *Est sapiens, & facit venire malum* (& bonum) *neque retrahit verba sua.* Eapropter rogandus ipse est, ut videns consilia nostra, ea corrigat, ut ipsi glorioſa nobisque sint salutaria.

Denique. *Quod Deo, idem nobis debet placere.* Placuit Deo probare aliquatenus consilium populi, eoque etiam Mosi bonum videtur. 1 Sam. 8. Samuel ægre fert postulatum Israelis de dando rege ut gentes habebant, sed Deus jubet gratificari ipsis, & Samuel eis dedit regem, monstratum à Deo, atque ejus regimini omnia permittit.

Discendum hinc ut acquiescamus in divino placito, sive ille jubeat, sive permittat, neque obnitamur verbis factisve. Rehabeam cum duabus tribubus meditabatur bellum contra Jeroboamum; sed edoctus de voluntate Dei illico destitit & acquievit, licet damno suo id foret 2 Chron. 11. Hizkias cum audivisset opes suas quas Babyloniis ostentarat tandem illorum fore, dixit, *verbum Domini bonum est* Esa. 39. v. ult. Siquidem fiat publice vel privatim, quod nobis displicet, quodque in se habet culpam aut damnum, quia moderatori Deo placet id fieri, nobis quoque acquiescendum est; ut Eli, *Dominus est, faciat quod bonum est.* 1 Sam. 3. Sic & prospera & adversa tolerabimus patienter, & laudantes verbum Dei quod affligit, tandem habebimus laudandum quod eripit, & felicitat.

Vers. 24. *Qui convertentes se & ascendentes montem istum, venerunt usque ad vallem Eschol: ita exploraverunt illam.*

Vers. 25. *Et accipientes in manu sua de fructu illius terræ deportarunt ad nos: retuleruntque nobis aliquid, dicentes, bona est illa terra quam Jehova Deus noster dat nobis.*

Vers. 26. *Noluistis tamen ascendere; sed maximo opere rebellavistis præstituto Jehovæ Dei vestri.*

Prov. 25: 25. *Ut aqua frigida erga animam fessam, ita auditio bona è terra longinqua.* Viatori fatigato & deficienti in itinere ob sitim nihil magis gratum, quam poculum frigidæ; quemadmodum Ismaeli in deserto potus aquæ saluti fuit, ne moreretur Gen. 21: 15. & Simson lassus à cæde Philistæorum, siti erat defecturus, nisi Deus suppeditasset aquam, quâ haustâ rediit spiritus ipsius & revixit Jud. 15: 19. Eodem modo se habet bonum nuncium ex terra longinqua, quia tarde venit, fatigatis exspectando, & desperabundis propemodum, magnam addit lætitiam, ut vita nova videatur reddi, quemadmodum cum Jacob vidit currus à Josepho ex Ægypto ad se missos, ad accersendum familiam paternam. Enimvero uti frigida quanquam ab æstuantibus avidius hausta, loco recreationis morbum mortemve affert; sic quoque nuncium bonum occasio est male dispositis tristitiæ & exitii. Exemplum præbet historia præsens. Euangelium de Cananæa sessis itinere per desertum vastum vere poterat esse refrigerio, utpote ostendens finem omnis molestiæ, quam experti erant. Enimvero illo non sunt recreati plerique, sed vitio proprio magis adhuc afflicti, fuitque eis occasio diuturnæ calamitatis. Considerandum nobis istud Euangelium, quale in se recreativum, tum quale per accidens evasit, vitio audientium, noxium & lethale. Diximus Mosen causas diuturnioris moræ in deserto soli populo adscribere, recitare autem gradus quibus id effectum fuit. Primum quidem esse Prudentiæ carnalis, vers. 22--25. quæ prodita est Consilio explorationis. Cum Deus jussisset actutum ingredi & occupare Cananæam, in cujus limite consistebant; placet ipsis considere, & primum per exploratores cognoscere, qua via eundum, quænam urbes adoriendæ essent; cum hactenus Deus qui jusserat iter, viam ipse aperuisset. Consilii istius exsecutio habuit approbationem Mosis, postquam Deus illud correxerat, ut posset servire non consternationi, sed confirmationi, & designationem instructionemque exploratorum, qui duodecim numero principes cujusque tribus ablegati sunt, & jussi considerare populos, urbes, & agros, qua conditione forent, sed de via qua invadendum esset, ne verbum quidem, ut est Num. 13: 17 s. quo ductus Deo relinqueretur, & securitas tot exploratorum poterat docere, quod validissimis & mentem & robur adimere posset, Nunc porro additur tum exploratio, tum explorationis recitatio.

ב. *Exploratio* est vers. 24. ubi promtitudo Legatorum, qui converterunt se, accepto mandato mox iter ingressi sunt. Iter ipsum, *adscenderunt montem versus*, qui Amoræorum, & *venerunt in vallem Eschol.* Hic terminus fere itineris. Ipsummet fuit prolixius, uti legitur Num. 13. vers. 20. ubi terminus meridionalis; unde egressi sunt, est desertum Zin, in quo Cades, & urbs Barnea, septentrionalis autem Rechob & Hatnath, urbes ad radicem Libani sitæ. Intermedia dicuntur Meridies respectu Libani, qui uti totum septentrionale latus clausit, sic tota terra implevit meridiem. Neque in recta duntaxat linea profecti sunt, verum in utrumque latus declinarunt, donec ad extremum venerunt Hebronem, urbem ab incolis Gigantibus & ab antiquitate celebrem, in cujus vicinia convallis fuit, quam Escol nominarunt; atque sic explorarunt terram diebus quadraginta. Unde discere est.

Consilium Dei sequentibus omnia feliciter cedunt. Non faciunt quod proposuerat populus, sed quod jusserat Moses ex præscripto Dei. Etenim Num. 13: 3. misit eos juxta os Domini; eoque quæ præscripsit, Deus jussit, & ipsi id secuti sunt; habueruntque iter prosperum totis quadraginta diebus; quamvis per medios hostes incederent, quibus facile & pronum erat omnes simul opprimere, quia Deus præsidio fuit, salvumque conductum præstitit. Sic succesſit Israeli, quamdiu Dei sequebantur consilium & ductum. Ita succesſit Abrahamo ex Dei mandato egredienti, cùm nesciret, quo esset venturus. Heb. 11. fuitque etiam hostium victor Esa. 41: 1. s. Jacob cum Deo mandante redire instituisset ex Mesopotamia in Cananæam non tantum feliciter evasit manus Labanis persequentis, sed etiam hinc fiduciam sumsit petendæ defensionis ab Esavi violentia Gen. 32: 9. s. Etenim Deus non solum sapiens,

ut

ut bona consilia det, sed etiam potens, ut eis det eventum. Esa. 31: 2. adeo ut nihil pœnitendum sit in ipsius consiliis, neque quisquam manum ejus queat impedire. Valet de consilio hominibus dato quoque illud Esa. 46: 10. & Prov. 8: 14.

Debet hoc nos animare ad sequendum consilium Dei, ut viarum actionumque nostrarum habeamus successum. Quo fine cognoscendum consilium Dei. Antecedere enim debet ejus notitia. Olim rogabatur consilium Dei, sive per Prophetas, sive per Urim, per visiones & somnia manifestandum, sed nunc sic non respondetur. Ezras rediturus in Judæam instituto jejunio petiit precibus à Deo viam rectam monstrari, & impetravit securam citra præsidium humanum. Ezr. 8: 21. s. Atque sic petendum consilium Dei in omni vita, ut Spiritu suo secreto regat ad capessendum quod salutare. Verum in itinere ad patriam cœlestem revelatum est consilium Dei in sacris Literis Act. 20: 27. cap. 26: 22. Etenim hic sapientia summa eructavit suum consilium. Prov. 1: 20. Ps. 32: 8. Esa. 48: 17. Quæ istic audivimus & vidimus præscripta, verbis factisque sequenda sunt, quicquid etiam humanorum consiliorum opponatur ad illud impediendum. Etenim fuit verissime quod dixit Gamaliel, Act. 5: 38. s. Felicius autem Deo obedientem ejusque consilio contumelia affici ab hominibus, quam humanam autoritatem & potentiam in contrarium asseruisse.

3. *Explorationis recitatio* est, vers. 25. eaque tum realis, tum verbalis.

a. *Realis* est, *Et acceperunt de fructibus terræ in manibus suis, & attulerunt ad nos.* Mandatum id erat à Mose Num. 13: 20. Erant autem dies maturarum uvarum cum reverterentur circa finem 40. dierum. Obedientia autem horum, vers. 23, 24. Commendanda fidelitas ista, ut non tantum auribus, sed etiam oculis suis credendum haberent Israelitæ Prov. 25: 13. Bonitas terræ erat exploranda; atque id optime præstabatur allatis fructibus, ut ipsimet gustarent. Idem faciendum exploratoribus melioris patriæ, cœlestis illius; quamvis enim nequeant eo adscendere, & omnia perlustrare, (Paulo id extra ordinem obtigit, ut raperetur in tertium cœlum in paradisum Dei, ubi audivit verba, quæ eloqui fas non est. 2 Cor. 12: 2. s.) tamen possunt aliquid bonorum inde afferre. Exploratores non attulerunt de uvis Libani, nimis distabant, etsi preciosissimæ essent Hos. 14: 7. Sed de uvis circa Hebronem, non longe distantem à Cades Barnea forte quinque milliaribus. Ita quoque afferre possunt de proximis, & quæ gustum præbeant, & salivam moveant cæterorum. Heb. 6: 4, 5. dicitur de gustu cœlestis doni, & participatione Spiritus sancti, & gustu boni verbi Dei, & virtutibus futuri seculi. Qui gustum habet boni verbi Dei, idem habet cæterorum; nam in verbo nobis revelatur futurum seculum ejusque virtutes, & cœleste donum, & Spiritus sanctus 1 Pet. 2: 2. s. lac sincerum verbi Dei dat gustandam bonitatem ipsius Dei. Adeoque qui doctorum volunt gustum præbere cœlestium, non habent aliud agendum, quam sinceram verbi Domini prædicationem, citra mixturam humanæ sapientiæ; qua non magis emendatur, aut ornatur, quam lac maternum admistione aquæ rosatæ, aliusve arte paratæ; quamobrem Apostolus docet 1 Cor. 2. sapientiam mundi & principum ejus nihil hic scire, quia mysteria habet, quæ oculus non vidit &c. à Deo revelata per Spiritum suum, & enuncianda sermonibus Spiritus, qui soli congruunt rebus istis exprimendis. Uti botrus Escol commendatus fuit sua simplicitate, & foliis propriis palmitis; & fidelitas exploratorum probata, quod nihil de suo addidissent, sed solum bajulandi laborem sustinuissent. Sic quoque fructus cœlestes commendatissimi, quando proprium ornatum habent verbi Dei, & fidelitas doctorum est, si tales sistant; uti Paulus 2 Cor. 2: 17. non ut multi καπηλεύομεν sermonem Dei, sed ut ex sinceritate &c. & cap. 4: 2. rejecimus operimenta pudoris, non ambulantes in versutia, nec falsantes verbum Dei, sed manifestatione veritatis nos commendantes omni conscientiæ hominum in præsentia Dei.

b. *Verbalis* est: *& retulerunt nobis verbum dicentes, Terra quam Dominus Deus noster nobis dabit, bona est.* Moses hic non recitat historiam, quomodo eandem descripsit Num. 13: 26. s. istic laudant terram, ad quam missi fuerant, sed mox extollunt vires incolarum ab urbibus munitis, à gigantibus, à populorum diversorum multitudine; quæ fuit vox decem exploratorum, qui etiam desperatam dixerunt terræ occupationem. Solum duo reliqui Caleb & Josua polliciti sunt populo victoriam, & commendarunt Dei donantis gratiam & robur cap. 14: 7. s. &c. Ast nunc Moses refert, quod terram laudassent juxta cum fiducia possessionis, Deo eam donante præsenti tempore; utpote qui jusserat ingredi & occupare; quæ erat exhortatio ad obedientiam. Patet itaque Mosen non respicere multitudinem, aut numerum majorem, sed partem saniorem; tametsi duo duntaxat Josua & Caleb, bona nunciassent, & populum animassent ad obsequium decem aliis contradicentibus, illi tamen præferuntur ceu potiores, & fide magis digni: imo quasi nulli alii fuissent, illorum narratio solum refertur in acta; aliorum negligitur ceu indigna repetitione. Quod docet.

Paucos bonos potiores esse multis malis & illos plus fidei mereri, & sequendos potius, quam horum multitudinem ac turbam. Duo sunt potiores quam decem. Sexta pars præfertur quinque reliquis; quia illi verum dicunt, & suadent quod bonum, isti vero contrarium. Nullo proinde isti sunt apud Mosen numero. Exod. 23: 2. Suffragia non muneranda, sed ponderanda. Tametsi populus universus elegerit cultum deorum vel Ægyptiorum, vel Cananæorum, tamen Josua cum sua domo Domino addictus vivet Jos. 24: 15. Testimonii autoritas pendet à fide testis, sed si hic suspectus sit, non ipse respiciendus est, sed testimonium. Erant hoc loco omnes principes pari autoritate; sed quia discrepant sententiis, æstimatur testimonium, quod pietati magis consentaneum, recessisse umbram Cananæorum, fore panem Israeli, utpote qui nihil contra duodecim fuissent ausi, ut perlustrare omnia, & de fructibus, ceu de propriis sumere licuerit. Est hæc doctrina utilissima quovis tempore. Plures ubique & semper mali. Totus mundus in malo jacet 1 Joh. 5: 19. & ubi Ecclesia vivit, multi vocati, pauci electi Mat. 20: 16. Qui per spaciosam portam & viam latam incedunt, multi sunt; ast pauci inveniunt arctam portam viamque angustam cap. 7: 13. s. Uti nemo potest duobus dominis servire; ita nemo duabus viis ingredi, & simul utrobique sequi præeuntes. Igitur in ista discrepantia adhærendum potius paucis, qui vera docent, & bonum dant consilium, quam multis; & sequi unum aut duos, quam centenos & millenos, quibuscum pereamus. Rom. 12: 2. *ne conformemini mundo huic.* Ibi viget amor mundi, & rerum mundanarum, cupiditas carnis, & oculorum, & fastus vitæ 1 Joh. 2: 16. Secundum morem seculi, & principis ejus Diaboli ambulant plerique, in cupiditatibus carnis, facientes voluntatem carnis & cogitationem Eph. 2. vers. 2, 3. Voluntas hominum est, ut ambuletur in lasciviis, cupiditatibus, potationibus, comessationibus, idololatriis abominandis, 1 Pet. 4: 3. s. & peregrinum putant si qui non una currant ad eandem effusionem luxus, & blasphemant singularitatem. Sed qui id facit, renunciare debet adhæsioni Dei, alienare se à bono, seque præcipitare in perniciem. Heic ergo discamus attendere non multitudinem euntium, sed viam quâ eundum; & præferamus paucos, quam ut abripi nos patiamur cum turbâ; quæ non valebit apud Deum ad excusandam culpam, vel imminuendam. Neque enim ille exemplum multitudinis fixit vivendi normam, sed legem eam quæ mundum deserere, & societate illa egredi jubet 2 Cor. 6: 17. quemadmodum multis persuasit Petrus, Eripimini ex generatione perversâ Act. cap. 2: 40. Idem valet in doctrina religionis. Ecclesia vera exiguum est ποίμνιον Luc. 12: 32. Olim Israel erat minimus populorum, & tamen solus populus Sanctus Deo Deut. 7. vers. 6, 7. in illo ipso nihilominus magnam partem Deus non habuit beneplacitum, quia adhæserunt idolis Ægypti, & secuti sunt consilium multitudinis, idololatria, inobedientia, rebellione, infidelitate. Divulgato per prædicationem Euangelio, licet multi crederent, quid tamen illi respectu eorum qui non crediderunt, qui adversati sunt? Et hæc condemnationis justificatio, quod discederent à religione communi, quæ omnibus populis hactenus placuisset, &

placeret adhuc. Quin hodie & Turcæ ſuam, & Papiſtæ ſuam religionem à multitudine profitentium commendant. Damnataque omni tempore diſceſſio à corpore grandiori, ceu ſignum arrogantiæ, & quod ſibi plus ſapientiæ adſcribant, quam cæteris, magno numero conſentientibus. Nota eſt illa accuſatio ſuperioribus ſeculis. Sed Apoc. 13: 3. tota terra ſtupebat pone beſtiam eamque adorabat; & adorantes una perduntur cap. 17: & 19. Duo teſtes contradicunt Beſtiæ populis terram incolentibus ei adhærentibus cap. 11. & quis non dubitat duos illos fuiſſe potiores? Noachus & Lotus ſingularitate ſua condemnarunt, ille mundum, iſte Sodomam, quando iis renunciarunt, ſeque oppoſuerunt. Ita quoque nobis faciendum; & hacpropter non reſpiciendi homines, eorumve ſapientia, ſed Deus; audienda hujus unius vox, non illorum, licet plurimorum. Dicant iſti & definiant quicquid velint, atque cogant in aſſenſum alios vi vel fraude, Spectemus quid dixerit Deus in Scriptura Eſa. 8: 20. nam Prophetis, capitibus, videntibus Deus quandoque immittit ſpiritum ſoporis, ut ſapientia ipſorum pereat cap. 29: 10. ſ. Ecl. 12: 11. ſ. non loquitur de lectione Scripturæ, quæ jugis eſſe debet Joſ. 1: 8. & voluptatem adfert Pſ. 1: 2. ſed aliorum librorum, qui ab aliis hominibus cumulantur, & pari vel digniore loco conſtituuntur, utpote unde Scripturæ Prophetia ἐπίλυσιν accipiat. Scriptura ſola nobis potior eſſe debet, quam totus mundus; & qui cum illâ loquitur, etſi ſolus ſit, quam univerſum Concilium: quemadmodum religioſior fuit Joh. Huſſus & Hieronymus Pragenſis, quam totus clerus in concilio Conſtantienſi; uti Spiritus S. duorum Joſuæ & Calebi teſtimonium tanti facit, quaſi foret omnium exploratorum, quia decem cum ſuo repudiantur: ita vult paucorum qui cum Scriptura loquuntur æſtimari ceu omnium, quia cæteros nullo loco habet, & meritis pœnis afficiet, ſi perſeveraverint. Confeſſio Belg. art. 7.

III. *Secundus gradus moræ* eſt. Repudium terræ, verſ. 26--40. quod in peccato & in pœna demonſtratur; in peccato quod repudiarint terram nolentes ingredi, verſ. 26--33. in pœna quod repudiati ſint qui admitterentur, verſ. 34--40.

A. *Peccatum* proponitur in genere, verſ. 26. & in ſpecie cum ſuis circumſtantiis, verſ. 27. ſ.

א. *In genere* habemus factum & vitium ejus, verſ. 26.

a. *Factum* eſt, *& noluiſtis adſcendere.* Ingreſſus Cananæam ex more Scripturæ adſcenſus dicitur: quamvis heic loci, ubi erant, vere etiam adſcendendum eſſet in montem Amoræorum, qui claudebat meridionale latus terræ. Fuit ille motus corporis, qui regitur à voluntate; & hæc locomotivam inhibuit. Hæc libertas homini relicta eſt, ut cum motus potentiam habeat, ejus exercitium moderetur voluntatis arbitrio. Joh. 21: 18. Et motus ille corporis, vel motus omiſſio ſpontanea, ac deliberata abſolute caret culpa, niſi quando lex aliqua ſuperior ad alterutrum obligat, tunc enim contrarium crimen habet.

b. *Vitium* iſtud facti ſeqq. indicant, *ſed rebelles fuiſtis ori Jehovæ Dei veſtri.* Voluntas illa non eundi fuit *rebellio*: quia ad eundum obligabantur. Cui verò? *Ori Jehovæ Dei veſtri.* Habent ſingula verba momentum. Primum videtur inconveniens; Deus eſt Spiritus Joh. 4: 24. Spiritus autem carnem & oſſa non habet Luc. 24: 39. adeoque nec os. Sed ſolet Scriptura ἀνθρωποπαθῶς Deo tribuere membra, quod ſimiles edat effectus ac homines per ejuſmodi membrorum inſtrumentum. Sic ore fit declaratio voluntatis, quando aliquid fieri vel non fieri jubemus. Et voluntas Dei declarata dicitur verbum oris ejus. Eſa. 1: 20. *os Domini locutum eſt:* Orique rebellat, qui verbo oris morem debitum non gerit. Equidem Deus nihil ad Iſraelem dixerat de adſcendendo, uti cum de monte Sinai fœdus ſuum promulgavit; Moſes id juſſerat Deut. 1: 20, 21. Verum quæ Moſes dixerat, quia Dei juſſu, & repetendo mandatum Dei, illudque inculcando, jam ori Dei adſcribuntur. Scilicet Moſes cæterique Prophetæ quando Dei voluntatem publicarunt, fuerunt os Dei, & ipſis rebellaſſe fuit rebellio oris Dei. *Os Dei*, quia Deus eo uſus eſt ceu proprio. Jer. 15: 19. A Deo nil vile procedit, omnia ſunt precioſa: quamvis verborum ejus defæcatum Pſ. 18: 31. ceu aurum ſepties purgatum Pſ. 12: 7. & 19: 11. & qui ab omni vili & contemto abſtinet, oris Domini in loquendo habet rationem. Johannes ſe dicit vocem clamantis, Joh. 1: 23. quod Deus ſuo ore clamaret. Confirmatur illud ex eo, quod loquentes non fuerint ipſi, ſed Deus per ipſos. 2 Sam. 23: 3. & Matt. cap. 10: 19. & 2 Pet. 1: 21. Verba ipſa Deus indidit Jer. 1. verſ. 9. 2 Cor. 5: 19, 20. Qui proinde hiſce verbis repugnat, Dei ori rebellat. Luc. 10: 16. Jeremias ſic locutus eſt Zedekiæ, & 2 Chron. 36: 12. dicitur, & verſ. 16. de Judæis, & Jer. 5: 12. ſ.

Dignitas hæc eſt miniſtrorum, Os Dei ſunt, & Deo ſe opponit rebellione qui ipſis, quemadmodum qui legato, idem leganti adverſatur, & injuria illi facta in hunc redundat, ut in Davidem, qvod legati ejus paſſi ſunt 2 Sam. cap. 10. Hinc Jer. 5: 12. ſ. Verum ut os Dei dici queant, ita ore uti debent, ut Deum decet, [Jer. 15: 19.] Vilis autem eſt omnis ſapientia hujus mundi, quæ ſtultitia apud Deum, & ſapientia carnis, omnia cognomina Job 32: 21. ſ. omnis putris ſermo, omne turpiloquium &c. Dei vivi os nequaquam dici poſſunt, ſed diaboli, ſerpentis antiqui, cujus ſe tunc inſtrumenta eſſe probant. Elogium iſtud nunquam melius quadrat, quam cùm Scripturæ verbis utuntur 1 Pet. cap. 4: 11. & quæ acceperunt ſecundum Scripturas tradunt 1 Cor. 15: 2. ſ. Quod ſi hominum verba inculcent, non utique Dei, ſed hominum os ſunt, â quibus ea ſunt mutuati; eorum inſtrumenta & legati, quomodo derogant ſuæ autoritati, non ſecus ac ſi legatus neglectis heri ſui mandatis, aliena proferret, Matt. 2: 9, 8. Contemtum tunc ſi patiantur, non is in Deum redundat, ſed in ipſos, & jure, quia mentiuntur, quod non ſunt, Mal. 2: 9. Jer. 23: verſ. 22. alia verba Prophetas urbium forte faciunt, ſed nequaquam Dei. Contra ſi Scripturæ inhæreant, ut Paulus Act. 20: 27. cap. 26: 22. Etenim qui Scripturis repugnat, Dei ori repugnat, & rebellis eſt. Nolunt homines audire, qnod ſint rebelles Deo, ejus hoſtes. Talibus anathema dicere parati ſunt, ſed non parent Scripturæ, & hoc ipſo rebelles fiunt Deo. Scriptura interdicit ſcortatione, ebrietate, avaritia, injuſtitia, mendacio, calumnia &c. qui hæc committit, rebellat contra Deum. Scriptura enim θεόπνευστος eſt; hîc leguntur verba oris ejus. Tit. 1: 15. Quantopere ergo attendendum ad Scripturam, quæ verba Dei habet, ut ad eam nos componamus, Rom. cap. 6: 17. Sic erimus obedientes voci divinæ, placebimuſque magis quam ullæ victimæ, utpote nos ipſos ſtatuentes victimam vivam Rom. 12: 12. Argumenta duo ſunt in Textu, quæ rebellionem fecerunt graviorem. Eſt *Os Jehovæ*, qui à bonitate & veritate ſemetipſum oſtendit amandum & honorandum; & eſt *Os Dei veſtri*, cui fœdere ſingulari obſtricti eſtis. Valent eadem ad noſtri commonefactionem ne rebellemus. Qui nobis loquitur in Scriptura, & per miniſtros eam inculcantes Jehova Deus noſter eſt. Bene fecit modis innumeris, quoad corpus & animam præſtitit promiſſiones 2 Pet. 1: 3, 4. Deus noſter eſt, qui dignatus eſt ſuo fœdere, & quidem ſancito in ſanguine Chriſti. Si rebellemus vindicabit fœdus & veritatem ſuam oſtendet in minarum exſecutione. Quod ſi obtemperemus fœdus & benignitatem præſtabit. Eſa. 1: 19. 20. Caveamus rebellionem, exerceamus obſequium, & Jehova Deus noſter benefaciet & hic & in æternum.

Verſ. 27. *Muſſitaſtis enim in tentoriis veſtris, dicentes, eo quod Jehova odio proſequitur nos, eduxit nos à terra Ægypti: ut tradat nos in manus Emoræorum ad perdendum nos.*

Verſ. 28. *Quo aſcenderemus? fratres noſtri diſſolverunt animum noſtrum dicendo, populus eſt major & excelſior nobis, civitates magnæ & munitæ* aſſurgentes *in cœlum uſque: quin etiam filios Hanakitarum vidimus illic.*

Malum non ſolet conſiſtere ubi cœpit. Quando mare æſtuans aggerem parumper perforavit, mox ſcindit eundem

dem magno hiatu, ut aquas maxima copia inundantes admittat, illuvione illa agros operiens, ſtragemque hominum pecudumque agens immenſam. Eadem ratione ſit nonnunquam cum hominibus, ubi ſemel cœperunt exire limites ſui officii, ruunt à minimis initiis in maximam rebellionem & calamitatem. Eſa. 57: 20. Impii ſunt ut mare ventis agitatum &c. ubi cupiditas impellere cœpit, ad extrema tandem ruere facit. Et multo magis ubi eſt impiorum multitudo. Hæc quoque confertur mari Pſ. 65: 8. & Apoc. 17: ult. Eſtque par impetus uti maris exundantis, quod aggeribus nullis impeditur, imo quo magis reſiſtitur, tanto majori impetu irruit, omniaque proſternit; ſic quo magis multitudini commotæ itur obviam, eo majori cum furore procedit in contrarium, ut ſuæ ſatisfaciat libidini. Exemplum præbet Iſrael hoc textu; uti ſæpius alias, ita quoque hic erumpit in violentiſſimam ſeditionem, à parvis initiis, & quo magis occurritur, eo furioſius impete fertur. Cùm exploratores terræ rediiſſent in caſtra incolumes, & retuliſſent tum de fructibus terræ ad demonſtrandam ejus bonitatem, tum narrationem hiſtoricam eorum quæ vidiſſent. Populus id audiens, noluit ingredi, cùm mandatus eſſet ingreſſus & occupatio, verum rebellis fuit contra os Dei, qui per Moſen voluntatem ſuam patefecerat, quique erat Jehova Deus ipſorum.

ב. *In ſpecie* rebellio iſta deſcribitur plenius qualis fuerit in ſe, verſ. 27, 28. & contra oppoſita bona conſilia, verſ. 29--33. quæ duo indicantur Pſ. 106: 25.

a Qualis *in ſe*, docetur quoad initia, & progreſſum.

a. De *initiis* dicitur, verſ. 27. *Murmuraſtis enim in tentoriis veſtris.* Verbum רגן ſignificat *ſuſurrare, murmurare.* Prov. cap. 16: 28. נרגן een oozblaſer/ qui ſecreto aliquid inſuſurrat auribus plus valet ad diſſolvendas amicitias, & ad avertendos principum animos, quam qui aperte ſerit lites, & Eſa. 29: 24. רוגנים qui criminari ſolent doctrinam prophetarum, cujuſmodi Act. 13: 27. 2 Chron. 36. 16. qui ſermones prophetarum condemnarunt, & qui baptiſma Johannis noluerunt agnoſcere ex Deo eſſe, ut eo baptizarentur, Joh. 1: 19. ſ. Luc. 7: 29, 30. Hoc loco idem verbum occurrit, in Niphal. & *ſuſurraſtis mutuum, criminati eſtis in tentoriis veſtris.* Fuit iſta criminatio magis ſecreta, in domibus privatis, ſed quo venerunt ſuſurrones, & quorum ſuſurri fuerunt recepti. Num. 14: 1.

Etiam ſuſurri privati & ſecreti de Deo ejuſque viis ſunt rebellio. Impietas non illico ſe oſtendit, ſed occultat ſeſe, & criminationibus ſemen rebellionis ſpargit, quas audiviſſe eſt concipere rebellionem. Hac via peccatum venit in mundum. Gen. 3. cùm Deus interdixiſſet fructu arboris ſcientiæ primis parentibus, Satanas ſuſurrorem egit apud Evam, ceu qui eminus non ſatis aſſecutus eſſet verba interdicentis Dei, rogat, *Etiamne dixit Deus* &c. Muliere autem reſpondente, omnium uſum conceſſum eſſe, præterquam unius ſub comminatione mortis, ipſe inſuſurrat criminationes murmurantes; *non moriemini moriendo, ſed Deus novit quo die comederitis, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Deus, ſcientes bonum & malum.* Criminatur Deum ceu invidum, & qui terriculamento injecto à felicitate arceret. Sic ſæpiſſime fit: privatæ murmurationes excitant rebellionem, quemadmodum ea ſecuta eſt in Eva. Kain pariter murmuravit ſecum, quod fratris hoſtia magis placuiſſet Deo. De Iſraele loquitur Num. 11. verſ. 1. populus erat כמתאוננים *queribundi*, ſich beklagende/ proprie *ut quærentes occaſionem* criminationis, ab affini אנה *lugere, occaſionem quærere.* Non refertur quid fecerint, & tamen Deo diſplicuit, qui immiſſo igne extrema caſtrorum depaſcente, iram ſuam teſtatus eſt; fuerunt ſuſurri ſecreti, criminantes Deum, & verſ. 10. *Populus flevit per familias, quivis ad oſtium ſui tentorii.* Huc pertinent Zeph. 1: 12. & criminatores iſti Mal. 2: 17. Luc. 15. quod exciperet peccatores, & cum iis ederet, cap. 19: 7. quod ingreſſus eſſet domum Zachæi publicani, murmurabant. & Mal. 3: 14. ſ. Sic Phariſæi qui in corde ſuo criminabantur Chriſtum, loqui blaſphemias, non obſervare Sabbathum, eſſe guloſum & vinipotorem, amicum publicanorum & peccatorum.

Eſt hoc grave peccatum Lev. 19: 16. intelligitur contra proximum, ut Pſ. 15: 3. multo magis contra ipſum Deum, uti ἐμπαίκτας illi, ubi eſt promiſſio adventus ipſius? 2 Pet. 3. verſ. 3. ſ. quorum eſt contorquere Scripturam, ſed ad proprium interitum, quamobrem hortatur 2 Pet. 3: 17. ubi enim dubitationem perſuaſerunt, jam perit ſecuritas. Dictat ipſis talia φρόνημα σαρκὸς inimicum Deo, imo inimicitia Rom. 8: 7. Nah. 1: 9. Sunt iſti conſiliarii, ſed Belialis, Satanæ 2 Cor. 6: 15. quia contra Dominum, qui bonus eſt & benefaciens, quibus exterminatio prædicta Nah. 1: 10. Cavenda nobis iſtiuſmodi murmuratio, ut ei non demus locum. Quamobrem &c. 2 Per. 3: 17. ſic Jobus, uxore dicente, *an adhuc retines integritatem? benedic Deo & morere;* tum ille, *loqueris una ſtultarum, an accipiemus bonum à Deo, & non accipiemus malum?* Job. 2: 9. ſeq. Imo etiam ut eam non exerceamus. Etenim in piis quandoque ſurgunt ejuſmodi cogitationes Pſ. 73. Aſaph impiorum proſperitate offenſus propemodum declinaſſet à recto tramite, & Dei providentiam inficiatus fuiſſet. Verum conſulit ſibi melius, verſ. 17. ingreſſus eſt Sanctuaria Dei, & obſervavit finem impiorum declaratum, & tum juſtificavit Deum, ejuſque actiones. Eſa. 29: 24. recipiendo doctrinam curatur murmuratio. Meditemur Scripturam, & inde diſcemus quæ cohibeant murmura. Pſ. 94. verſ. 19. 1 Pet. 3: 14. ſ. Pium eſſe & mala pati, criminationi obnoxium eſt, an juſtitia ſit apud Deum? vel cognitio, & cura rerum humanarum? verum ſanctificandus Deus in corde, meditanda Dei perfectio, & quod nihil in ipſo diſtortum Deut. 32: 4. quamvis diſtortæ dicantur viæ, non ſunt Hoſ. 14: ult. *An viæ Dei non ſunt rectæ? an non viæ hominum vitioſæ ſunt?* Ezech. 18. & *an non verba Dei benefaciunt recte ambulantibus?* Mich. 2: 7. valeat apud nos iſtud Pſ. 92: 6. ſ. *Quam magna ſunt opera tua* &c. ſic murmuris iſtius reatum non contrahemus.

b. Progreſſus rebellionis oſtenditur ſermone publico, quo aperte Dominus comdemnatur, & quicquid egerat boni erga ipſos, in peſſimam torquetur partem, dicendo, *quia odit nos Deus* &c.

Impietas ſe juſtificare nititur contra ipſum Deum. Nolebant obſequi mandanti Deo, quod ex fœdere debebant, quæ rebellio fuit. Sed illi hoc à ſe amoliuntur, juſtificantes actiones ſuas; tum quoad Deum, tum quoad ſe.

α *Quoad Deum*, dicendo, *Odit ille nos*, & odio habenti regi, non eſt parendum, fœdus mutuam poſcit benevolentiam & amorem. Si rex ſubditos oderit, hoſtis ſit, utique non tenentur ſubditi ad obſequium, cùm ſic ad perditionem ſuam parerent. Sed quomodo probatur odium Dei? ex facto præterito & præſenti.

Præteritum, ex odio *eduxit nos ex Ægypto.* Iſtic ſerviebant quidem duro Domino; attamen habebant victum abundantem, copiam piſcium, & olerum; verum inde educti venerant in deſertum inhoſpitum, ubi nihil erat cibi, niſi quod ſingulis noctibus depluebat man.

Præſens indicant, *ut nos Amoritis tradat exſtirpandos*: nam ad eos irrumpere eum juſſit, nil aliud eſt, quam ut nos occidendos ſiſtamus ipſis; utpote qui probe novit quo robore polleant.

β. *Quoad ſe*, qui fruſtra quid molirentur, utpote impares, cujus impotentiæ teſtes erat exploratores, *fratres noſtri*, qui nos amant cordialiter, affectu cognationis proximæ nos debiles convicerunt reſpectu illorum, quos ſtatura & munitiones, & gigantes conſtituant invictos. Sic Adam, (minus ingenuus quam Eva, quæ ſe deceptam fatetur) dicturus ſuæ inobedientiæ cauſam, ait, *Mulier, quam mihi addidiſti, dedit mihi de arbore, & comedi.* Gen. 3: 12. Jam Deus culpam ferre debet. Uxorem addidiſti mihi, nempe ut foret auxiliatrix cap. 2: 18. itaque audivi ejus conſilium, & imperata ejus feci. Atqui Deus eam addiderat, in auxilium, neutiquam ad Dominium; quæ ſocia eſſet in obſequio, non quæ ſibi illud poſceret, neglecto contemtoque Deo. Sic Saul, juſſus devovere Amalekitas, & quicquid illorum erat internecioni, parcit pinguioribus pecudum, & tum gloriatur, ſe confirmaſſe mandatum Dei; & quod ad pecudes, factum id eſſe non à ſe, ſed à populo, & fere optimo, ut offerrentur in holocauſta: ſed Samuel, *an dilectatur Deus holocauſtis & victimis quemadmodum obedientia voci Domini? Ec-*

ce obedientia melior ſacrificiis, attendere adipe Arietum: Rebellio enim eſt peccatum incantationis, & repugnantia idololatria & cultus imaginum 1 Sam. 15: 13. ſ. Ita cap. 13: 9. ſ. cùm ipſemet obtuliſſet hoſtias, excuſat factum; Samuel emanſor fuit ultra conſtitutum tempus, hoſtes ingruebant pugnaturi, diffugiebant Iſraelitæ. Deus nondum erat conciliatus victimis, ergo recte id à me factum. Sic nunquam deſunt hominibus prætextus, ut ſe juſtificent, & omnem culpam Deo tranſcribant. Quo pertinet proverbium, *Patres comederunt omphacem; filiorum autem dentes obſtupuerunt.* Ezech. 18: 2. ſ. & verſ. 15. poſt juſtificationem à Deo inſtitutam, & verſ. 29. Tametſi non haberent quod confutationi ſerviret, opponunt ſimplicem accuſationem, ſæpius repetitam. Scilicet Col. 1: 21. intelligentia eſt malorum operum, ut comminiſci queant, quo colorem inducant. Hodieque viget iſta conſuetudo. Volunt omnes eſſe innocentes, tametſi Deus ſit accuſandus. Si quid averſi contingat, Deus culpam fert, non ipſi. Jer. 16: 10. *fiet, quando populo huic omnia iſta verba indicaveris, & dicent tibi, quare loquitur Deus omne iſtud malum contra nos, & quæ eſt noſtra iniquitas, & quod noſtrum peccatum, quod peccavimus contra Dominum Deum noſtrum?* nullam ipſi norunt culpam ſuam, cum tamen onuſti eſſent reatu. Et Eſa. 58: 3. *quare jejunamus,* &c. injuria eſt Deum hæc non attendere, quæ indebita ſuſcipimus. Admiratio iſta apud plurimos, cur populus profeſſus veram religionem tam gravia patiatur. Sublatam eſſe in Belgio idololatriam publicam, repudiatum Antichriſti dominium, gloriari nos de Euangelio, imo reformationem nobis eſſe exactiorem. Sed decipimus nos ipſos juſtificando nos. Lam. cap. 3: 39. Jer. 30: 15. In omni eventu, qualiſcunque etiam ſit, juſtificandus Deus, ut Job amiſſis omnibus, *Dominus dedit* &c. & nihil inſipidum tribuit Deo, cavitque peccatum, unde peregrinæ ejus ſententiæ. cap. 9: 2. ſeq. & verſ. 30. ſ. cap. 39: 37. ſ. cap. 42. verſ. 6. Quod ſi adhuc ſurgant in nobis cogitationes accuſantes Deum, dicamus, *an injuſtitia apud Deum? abſit.* Rom. 9: 14. *an Deus injuſtus, qui iram infert? abſit, quomodo enim judicabit mundum:* cap. 4: 5, 6. vel denique, *& homo tu quis es, qui ex adverſo reſpondes Deo?* cap. 9: 20. Deus eſt, & quicquid ille facit, quia ipſe facit, eopſe bonum & juſtum eſt. Dan: 9: 7. Sic juſtificabimus Deum, & glorificabimus. Porro hinc quoque conſtat.

(1.) *Ubi affectus dominantur, perverſiſſimum eſt judicium.* Metus poſſidebat ipſorum corda, hinc male judicant de Deo & proximo. Metuunt ſe perituros in bello cum ſuis; hinc condemnant Deum injuſti odii, & æſtimant exploratores ob ſui amorem. Hi ſunt fratres, qui ſincere diligunt, non qui pro Deo loquuntur, & fiduciam in illum commendant, Joſua & Caleb, de horum ſermone nulla mentio aut memoria, niſi ut illi repugnent, & autores lapidare tentent, ſed qui monent de periculis, & ea candide enarrant, ut caveant, neque ſe conjiciant in perniciem, vident ſuas vires comparatas ad hoſtiles non ſufficere; deſperata eſſe omnia; unde conſilium de eligendo capite, ut redirent in Ægyptum. Num. 15: 34. Aſt Deus eſt hoſtis, quæcunque fecit, ſunt effecta & teſtimonia odii, eductio ex Ægypto, & deductio ad limites Cananææ. *Utinam mortui eſſemus in Ægypto, aut in deſerto,* & verſ. 2, 3. Sic metus à Pharaone fecit pronunciare Exod. 14: 11. *an quod non eſſent ſepulchra in Ægypto inde eduxiſti, ut moreremur in deſerto?* & Exod. 16: 3. *eduxiſtis nos in deſertum, ut totam hanc congregationem necaretis fame.* Exod. 17. verſ. 3. *quare nos eduxiſtis ex Ægypto, ut me, meos liberos; & jumenta mea necaretis ſiti?* Num. 20: 3. ſ. *quare deduxiſtis in deſertum hoc Eccleſiam Domini, ut moreremur? & quare eduxiſtis nos ex Ægypto, ut nos duceretis in locum hunc peſſimum, ubi nulli fructus, & ne quidem aqua ad bibendum?* Sane ſi rite rem æſtimaſſent, agnoviſſent in omnibus iſtis amoris Dei τεκμήρια. Gemebat populus ſub onere ſervitutis in Ægypto, Deus inde liberavit, & quidem tot miraculis exercitis. Oderatne pro quibus tanta egit? qui perituri fuiſſent non erepti, & nunc perditioni erepti erant. Duxit per deſertum, an ut perderet quos oderat? quibus miraculoſe panem potumque dedit, & veſtes conſervavit, ne vetuſtate corrumperentur? & nunc cuſtodia exploratorum in medio hoſtium plurimorum, annon docuit ſe amare eos? Plane aliud fuerat concludendum. Mich. 6: 3. ſ. Contra agnoviſſent abſurditatem in ſermone exploratorum. I. *Populus iſte major & excelſior nobis eſt.* Puerilis enim iſta ratio eſt, magno & vaſto corpore eſt, ergo invictus; *nos inſtar locuſtarum.* Etenim metum ſuum produnt immodicum iſta comparatione: & maxima corpora non ſunt fortiſſima, cæteroquin taurus leone quandoque præſtaret. Major & fortior populus Ægypti ceciderat coram ipſis. II. *Urbes munitæ in cælum uſque:* Sed quæ cœlo patent, ut Deus viam inveniat ingrediendi, uti in mare quod fidit, quæ etiam manu hominum facta ſunt, eadem poſſunt confringi. Evomitura erat terra incolas, eoque uti ſtomachus non retinet quod evomit, quanquam alte concluſum in viſceribus; ita quoque mœnia nequibant continere. III. *Filios Enakim.* Sed erant homines, quos robuſtiſſimos Deus dejicit; & ſagitta, gladius æque gigantibus ac nanis poteſt eſſe lethalis. Exercitus Pharaonis proſtratus in mari & ſuffocatus argumento erat nihil validum contra Deum, & eos quos Deus tuetur, & Amalekitæ profligati, etiam feſſos ad victoriam ſufficere, Deo largiente. Eſt hoc commune vitium hominum, ut affectibus dominantibus judicent, & hinc omnia perperam. Adeſt amor, omnia tum bona ſunt, quæ facit: conſilia, ſermones, actiones; peccata non tantum excuſantur, ſed etiam virtutis colore pinguntur. Contra adſit odium, omnia ſunt mala: conſilia, ſermones, actiones; virtutes ipſæ accuſantur, & colore vitiorum pinguntur. Lutherani omnia Lutheri excuſant, laudant, & venerantur fere, Calvini & Reformatorum omnia condemnant: & apud Papiſtas autores damnati ſunt omnes Euangelici. Exempla notiſſima ſunt. Mat. 11: 18. ſ. *Johannes venit non edens, nec bibens; & dicunt, Dæmonium habet. Filius hominis venit edens & bibens, & dicunt* &c. Act. 28: 21. ſ. Judæi Romæ teſtantur, ſe nihil de Paulo accepiſſe vel per litteras ex Judæa, vel per aliquem fratrum, verumtamen quod ſectam illam attineret, notum ſibi eſſe, ubique illi contradici, & hinc præjudicium odii. Contra Simon Magus, qui veneficia ſeu magiam exercebat, habetur pro magna virtute Dei, quia illi adhærebant. Act. 8: 9. ſ. Heic ergo laborandum nobis ut affectus domemus, in judicio publico illos ponendos eſſe in confeſſo eſt, Deut. 1: 17. *faciem in judicio non agnoſcetis, non timebitis à cujuſquam facie, non accipietis munera* Deut. 16: 19. atque iſtud fit, quando amicus vel hoſtis quis agnoſcitur, qui odii, metus vel ſpei, vel amoris ſit objectum, ut pronuncietur pro vel contra ipſum. Pariter in judicio privato agendum, ut paſſiones ponantur, quæ præjudicium faciunt. Joh. 7: 24. & Jac. 2: 1. Proinde valet etiam hic regula, Gal. 5: 24. *qui Chriſti ſunt crucifixerunt carnem cum motibus & cupiditatibus, & abſtinendum à cupiditatibus carnalibus, belligerantibus contra animam* 1 Pet. 2: 11. *& renunciandum carni & mundanis cupiditatibus, vivendumque juſte non minus quam ſobrie & pie in præſenti ſeculo* Tit. 2: 12. Faciendum iſtud quoque reſpectu Dei. Cur accuſatur Deus jam inſipientiæ, jam illuſionis, niſi quod amore hominum iis omnia indulgenda, & Deo ſubducendos putant, uti hic homines magis amantur quam Deus: illi fratres agnoſcuntur, hic oſor eſſe creditur. Verum Deus figuli inſtar conſiderandus eſt, & homines uti maſſa argillæ, cujus partes omnes ſimiles à mera figuli voluntate diſcriminationem accipiunt, neque ille peccat, ſi aliter de una quam de altera parte ſtatuat. Abſolvimus figulum, quia nullus nobis affectuum motus circa partes argillæ; eodem modo ſimus circa homines, qui uti argillæ in manu Domini Jer. 12. imo ut pulviſculus in bilance, cujus nullum pondus, nulla æſtimatio. Eſa. 40: 15. Sic judicabimus, uti eſt res vera, non autem flectemus judicium. Unum adhuc notare licet.

(2.) *Metum eſſe affectum homini maxime noxium & debilitantem.* Fratres noſtri, inquiunt, fecerunt cor noſtrum liqueſcere. quemadmodum cera liqueſcit coram igne. Pſ. 68. verſ. 3. Cera, aut imago cerea, quamcunque pulchra ſit, admota igni liqueſcit, deformatur & abſumitur; ita quoque animus aut cor hominis, magnis licet dotibus ornatum, ſapiens, forte, juſtum, metu admoto liqueſcit, & abſumitur paulatim, ut illarum virtutum veſtigia quoque pereant. Sic accidit hic Iſraeli, & idem dicit Caleb. Joſ. 14. verſ.

verſ. 8. Fuit hic metus ſine cauſa, cujus iſte effectus & ſic ubi metus juſtus. Joſ. 2: 9. & cap. 5: 1. cum transiiſſent Jordanem ſicco pede, Cananæorum cor liquefactum fuit. Metus enim demit fortitudinem, 2 Sam. 17: 9. ſ. Eſa. 20. verſ. 27. Et demit ſapientiam; ſic deſcribuntur Ægyptii, quos omnis ſapientia deſtituit dum metus urget, Eſa. 19. verſ. 11. ſ. Joſaphat neſcit quid agat 2 Chron. 20. Achazi & populi ipſius cor commovetur ut arbores ſylvæ à vento, Eſa. 7: 2. Syri audito ſtrepitu fugiunt omnibus relictis & abjectis 2 Reg. 7.

Optandum foret ejuſmodi metum immitti illis qui delectantur bello, metum quem Deus ciet Pſ. 76: 6. ſ. Hoc votum eſt Pſ. 9: 21. Pſ. 76: 8. ſ. Imo optandum ut terrorem ſui Deus omnibus impiis immitteret. Habent illi robur animi & corporis ad adverſandum Deo, ut Pharao quis eſt Dominus? non novi Dominum, neque dimittam Iſraelem Exod. 5: 1. ſ. & Goliath 1 Sam. 17. & Sanherib Eſa. 36, 37. Et quivis peccator ambulans in reatibus ſuis; his ſi metus à Deo immitteretur, ſaltem ſiſterent actum peccati; ut Belſazar Dan. 5. territus à Deo ſplendorem vultus amittit, & vincula lumborum ſoluuntur, & genua colliduntur, finemque facit potandi. Saul territus deſinit perſequi. Quin cum metus efficaciſſime debilitet, iræ divinæ ſervandus eſt in mente & memoria, ne auſimus peccare. Nihil vehementius liqueſcere facit cor, quam ira Dei Pſ. 22: 15. quæ ſuperat omnem metum Pſ. 90: 11. utp. ſociata omnipotentiæ 2 Theſ. 1: 9. Sed ab ea nos liberavit Chriſtus 1 Theſ. cap. 1: 10. Verum metus iræ ut eam effugiamus Mat. 3: 7. nec eam theſaurizemus peccatorum praxi Rom. 2: 5. jugiter in nobis conſervandus, ut habeamus cor molle, quod vereatur Deum provocare, ut Joſia. 2 Cor. 5: 10, 11. metus judicii apud omnes ſit oportet, ut tempeſtive caveamus quod alioqui id, quod metuendum maxime, in nos derivaret. ut Joſeph. Gen. 39. quomodo facerem tam grande malum &c. Debilitet noſtram corruptionem metus judicii Dei, ſic cum animoſos peccatores Deus deſtruet Jud. 14. ſ. nobis erit evaſio Eſa. 66: 2. Eccl. 8: 12.

Verſ. 29. *Me autem dicente vobis; ne expaveſcite, neque timete ab illis:*

Verſ. 30. *Jehova Deus veſter qui anteit vos, is pugnaturus eſt pro vobis; ſecundum omnia quæ exercuit pro vobis contra Ægyptios ante oculos veſtros.*

Verſ. 31. *Et quæ vidiſti in deſerto, Jehovam Deum tuum portaſſe te quemadmodum portat quis filium ſuum; in tota via per quam iviſtis donec perveniretis ad locum hunc:*

Verſ. 32. *Tamen propter hunc ſermonem, non credidiſtis Jehovæ Deo veſtro.*

Verſ. 33. *Qui anteit vobis in hac via ad explorandum vobis locum pro caſtrorum metatione veſtra; igne nocte, ut lucem vobis præbeat in via per quam ituri eſtis, & nube interdiu.*

Quum David tempore rebellionis Abſolomi, qui populum Iſrael fere omnem ſibi adjunxerat, ipſumque Achitophelem, magnis in anguſtiis verſaretur, profeſſus eſt ſuam conſternationem, Pſ. 55: 3. ſ. ſed tandem convertit ſe ad Deum, verſ. 17. ſ. Deſperata omnia erant apud ipſum, ſiquidem hoſtes intueretur, & ſecum compararet; Verum in Deo animadvertit prævalens robur, quod non tantum flagitat precibus, ſed ſibi etiam certiſſime pollicetur, non minus quam precum iteratarum exauditionem; Fiduciæ porro iſtius fundamentum eſt experientia præſtitæ olim liberationis, contra multitudinem adverſariorum frequentem. Tandem autem hortatur alios, ut pariter Deo confidant, verſ. 23. Quicquid datum ſibi vellet aliquis, deſideria omnia, non tantum commendanda Deo, ſed in eum projicienda eſſe, ut quam citiſſime ſe expediat illo onere, quod affligeret nimium; Deum enim non modo deſideria illa & curas, ſed ipſummet quoque, qui curis ferendis non eſt, ſuſtentaturum. Verum debet eſſe juſtus, qui juſtitiam faciat 1 Joh. 3: 7. hoc eſt, qui ambulet in lege Dei, quæ norma juſtitiæ; nam hoſce non patietur vacillare, ſed confirmabit & tuebitur ad finem uſque. Idem omnino eſt argumentum ſermonis Moſis, quo utitur in hoc textu, ut Iſraelitis perſuadeat Deo obedientes metum deſperationemque deponere, & curas omnes in Deum rejicere, cujus ſuſtentationis & defenſionis haberent experientiam prolixam. Iſraelitæ ab exploratoribus reducibus intellexerant multitudinem & robur gentium Cananæarum, urbium munitarum copiam, nec non terribilem Gigantum molem & hinc deficiunt metu, cor ipſorum liquefactum eſt, quod ſuas vires contra æſtimantes, nihil valerent, ut jam nihil ſibi imaginarentur præter cædem & internecionem virorum pugnantium, & captivitatem mulierum & minorennium liberorum. Unde conſilium ſubnaſcitur de ſubducendo ſe, & redeundo in Ægyptum.

b. Heic v. Moſes & cum eo Aaron, nec non Joſua & Caleb, duo exploratorum, ſeſe oppoſuerunt, ut eos ab iſto propoſito dimoverent. Num. 14: 5. ſ. legitur Moſen & Aaron cecidiſſe in faciem ſuam coram Eccleſia Iſraelitarum univerſa, qui geſtus eſt humillime deprecantum, & Joſuam ac Calebum laceraſſe veſtes, & hos duos commendaſſe terram à ſe luſtratam, ſuaſiſſe obſequium cum fiducia ſucceſſus optatiſſimi. Sed de Moſis ſermone iſtic nihil eſt: Recitavit autem h. l. verſ. 29--31. & quid valuerit apud Iſraelem, verſ. 32, 33.

a. Sermonem hunc ſibi tribuit. *Et dixi ad vos.* Concitato populo ad ſeditionem ipſe intercedit, & ſermone gravi ac ſalutari motus illos animorum ſtudet componere.

Hoc officium eſt eorum qui vel in Eccleſia vel Rep. præeminent, paſtores utrobique, ut intercedant ſeditionibus; ne prævaleant. Crebro id factum eſt à Moſe, cum populus ad ſeditionem pronus eſſet, ut etiam cum periculo vitæ interveniret, & ſermone conveniente eos pacare conaretur. Exod. 14: 13. cap. 16: 8. Optandum eſt ut ſemper tales reperiantur qui id faciant. nam iſti quandoque non ſufficiunt ad ſedandos impetus plebis concitatæ, quemadmodum Moſes & Aaron quos lapidare voluerunt, Exod. cap. 17: 4. Num. 14: 10. quid ergo fieret, ſi adhuc concitores forent. Hujuſmodi fuit Jeroboam Iſraeli, contra Rehabeamum tumultuanti, qui defectionem procuravit, 1 Reg. 12. uti Achitophel ſuaſit ſeditionem & rebellionem contra Davidem, 2 Sam. 15. Hujuſmodi fuerunt Sacerdotes & Prophetæ contra Jeremiam concitantes populum, quod prædixiſſet urbis vaſtationem. Jer. 26: 7. ſ. & cap. 18: 18. cap. 11: 19. item ſummi ſacerdotes & ſeniores, cum Phariſæis, qui commoverunt plebem contra Jeſum, ut ejus mortem flagitarent, ceu hominis ſeditioſi. Mat. 27: 20. Habent enim capita magnum in omnem partem momentum, & plebs regitur ſermonibus illorum, & quia cum autoritate loquuntur vel propria in Politia, vel aliena in Eccleſia, Dei ſermones annunciare ſoliti, obſequium externæ actionis inveniunt, inprimis poſteriores, adeo ut iſtorum ſuaſu pium ac religioſum opus putent, quamvis ſanguinarium, uti Judæi cum Barrabam liberari, Jeſum necari poſtularunt. Perſecutiones ſeditioſæ per hos concitatæ inter Gentiles & Pontificios. Eſt Euangelium pacis verbum, & qui illud annunciant, eos decet ſpiritus manſuetudinis quo reconcinnent etiam ea quæ luxata ſunt Gal. 6: 1. Habet etiam laudem Scriba urbis Epheſinæ qui ſeditionem compoſuit à Demetrio motam, atque eripuit innocentes Act. 19: 35.

Sermo Moſis non opponitur conſilio redeundi in Ægyptum, quamquam abunde eſſet rationum ad oſtendendam ejus ſtoliditatem & perniciem. Non poterant eò redire niſi der deſertum, ubi nec panis nec aqua. Impoſſibile fuiſſet tantæ multitudini triduum unum exigere, cum tamen undecim dierum iter foret ab Horeb uſque Kades Barneam Deut. 1: 2. Nihil ibi cibi præter mannam quotidie depluentem in uſum unius diei, cùm poſtridie fœteret; nihil aquæ niſi ex rupe quæ ſequebatur. Sed ſi-

quidem contra voluntatem Dei iter iſtud inirent, an ab ipſo erat ſperanda iſta benedictio? nonne clauſiſſet cœlum ne daret panem & rupem, ut aquam negaret? quomodo fame & ſiti fuiſſent exſtincti antequam ad fines Ægypti potuiſſent redire. Sed de hoc incommodo nihil Moſes dicit; agit ſolummodo contra cauſam iſtius conſilii importunum metum, ex conſideratione roboris hoſtilis natum. Heic ergo I. dehortatur, verſ. 29. II. rationes dicit cur non metuendum ſit, verſ. 30, 31.

a. *Dehortatio* eſt, verſ. 20. *Ne expaveſcite, neque timete ab iis.* Prius תערצו notat *conſternationem* ob violentiam majorem cui reſiſtere quis nequit, cujuſmodi ſibi proponebant Cananæorum vires. Jubet autem ut non modo gravem iſtam conſternationem deponerent, ſed etiam leviorem metum, eſſentque animo plane non perturbato à metu, verſ. 21. cùm eos juſſiſſet ingredi terram, ad eam poſſidendam, in anteceſſum confirmatos voluit contra metum, תחת ut frangaris animo, non mage valituro contra hoſtes, quam fractum brachium aut fractus arcus. Scl. norat Cananæos non illico ceſſuros terra, ſed ultimum quoque conatum adhibituros ad ſui defenſionem, adeo ut vi armata contra illos agendum eſſet; voluit ergo contra munire animos. Exod. 13: 17. ſ. Deus non duxit Iſraelem ex Ægypto egredientem per viam Philiſtæorum terræ, quamvis propinquior eſſet; ne pœniteret populum, quando videret bellum, & rediret in Ægyptum, ſed verſus mare algoſum, ut illud tranſeuntes viam haberent ad reditum interciſam. Non ſecuros præſtat ab omni oppoſitione, ſed jubet contra ſe parare, ut oppoſitionem contemnere queant, animo à metu liberato. Ita Moſes hortatus eſt populum ingreſſurum Cananæam Deut. 31: 6. & Joſuam, verſ. 7. ſ. quem etiam Deus confirmavit Joſ. 1: 9. Opus ejuſmodi cohortatione, cor hominis eſt meticuloſum; habet enim intra ſe quod animum demat, reatum majoris mali, à Deo cui peccatum eſt. 1 Sam. 13: 12. Saul ait, *Jam venient Philiſtæi ad Gilgalem, & ego faciem ſeu iram Dei nondum ſum deprecatus.* & Exod. 32: 25. Adeoque conſilium ſequi conuenit quod Eſa. 8: 12. ſ. Timens Deum non habet timendos homines: quia nunquam deeſt ei aſylum. Alias confœderationes omnes terrori erunt, ſive hoſtiles, ne prævaleant, Eſa. 7: 1. ſ. ſive propriæ, ne infidæ ſint ut Aſſyrii cum Achazo 2 Chron. 28: 20. ſ. ſed Deo conciliatus ſecuritatem habet. Prov. 28: 1.

β. *Rationes* hortationis ducuntur à Dei auxilio, quod pollicetur in futurum. Pſ. 30. ejuſque convincit ab experientia præterita, verſ. 30, 31.

I. *Pollicitatio* eſt, verſ. 3. *Dominus Deus veſter, qui antecedit vos, is pugnaturus eſt pro vobis.* Moſes territum populum non jubet reſpicere ſeipſum, ne contemtim de ſeipſis ſentirent; eſſe ipſos numero 603550, ad bellum expeditos præter Levitas non connumeratos; licet Cananæi longe plures forent, diſperſos videre per totam terram, adeoque non niſi partem exiguam ſibi occurſuram, vice una, quam ſuo numero queant opprimere; urbes etiam munitiſſimas à tanta multitudine vel funibus poſſe everti, ut Huſai loquitur 2 Sam. 17: 13. neque etiam gigantes paucos contra tantum exercitum ſubſiſtere; quemadmodum leones & elephanti à canum numero vincuntur Hæc non ſuggerit utp. inutilia; non intuendæ propriæ manus, neque confidendum proprio robori, quaſi per illud quicquam poſſit confici. Pſ. 33: 16. ſ. Rex non ſervatur magno exercitu, heros non liberatur magno robore, equus deficit ad victoriam, & non eripit magnis viribus. Sic ubicunque maximæ copiæ forent, ſemper victoria ſtaret. Vana eſt iſta fiducia, qualis Abſolomi ex conſilio Huſai, & Benhadadi cum ſuis 32. regibus auxiliariis 1 Reg. 20. & Aſſyrii Eſai. 10. verſ. 8. ſ. cap. 36, 37. & Judæi quando Ægyptios habebant ſocios ſibi pollicebantur omnia felicia, cap. 30. Verum omnia iſta vana. ſalus hominum vanitas Pſ. 60: 13. Ægyptii homines ſunt & non Deus, & equi ipſorum caro & non ſpiritus Eſai. 31: 3. multitudo hominum omnis brachium carnale 2 Chron. 32: 8. quod oſſe, eoque robore caret, & inutile eſt. Verum inſuper fiducia in iſtis reatum adfert, quem Deus inimicus ulciſcetur. Hab. 1: 11. Chaldæus victor populorum & munitionum. Sed væ illi denunciatur. Quia Aſſyrius gloriatur de victoriis, ſuæque ſapientiæ ac potentiæ eas adſcribit; hinc illud Eſa. 10: 15. ſ. Benhadadi glorificatio fecit ut Deus impio Achabo, copiis deſtituto geminam de eo daret victoriam 1 Reg. 20. Et cum innumeris Midianitarum copiis ſolum 300. opponeret ſub Gidione, amphoris, tubis & facibus armatos, fecit ne populus ſuæ multitudini quicquam tribueret Jud. 6. & 7. Obſervandum illud eſt, quia plerunque hic delinquitur, Metus hoſtium vulgo ſumitur vel ponitur prout copiæ ſunt nullæ vel multæ; quia in illis conſtituitur fiducia. Aſt quoties fit ut auxilia aliena ſint inſtar fractæ arundinis, quæ non juvet, ſed deſtituat innitentem, imo manum & latus ejus perforet ac ſauciet; & propria ſint inſtar mulierum, ut deſint manus, tanquam ſoporatæ. Utinam Belgium non haberet ſapientiam. Equidem prudentiæ eſt regem ante bellum meditari an 10000. queat reſiſtere 20000. ne periculum adeat, ſed pacem quærat, Luc. 14. verſ. 31. ſ. ſed ne quidem 20000. fidendum contra 10000. Abia duxit 400000. contra Jeroboamum qui 800000. habebat, & fuit victor 2 Chron. 13. non quod viribus ſuis prævaleret, ſed Deo quem in auxilium vocarat, quemadmodum Aſa hiſce auxiliis fretus Ceram adortus eſt, & ad internecionem delevit cap. 14. Eoque diſcamus etiam hic abnegare nos ipſos ut Pſ. 44: 7. ſ. Huc revocat Moſes populum, *Deus pro vobis pugnabit.*

Non metuendus hoſtis ullus, quamvis potentiſſimus, Deo pugnante pro nobis. Pſ. 60: 13, 14. Prov. 21: 30. ſ. Habet enim omnia quæ belli commoda in ſua poteſtate Amos 4: 13. Eſa. 31: 2, 3. modo increpet, deficis omnis vis adverſaria Pſ. 76: 6, 7. ſolus omnia conficit, ut ne quidem manus hominis commovenda ſit, ut Exod. 14: 13. & 2 Chron. 20: 17. habet alioqui omnes creaturas, qui exercitus ſunt ipſius, & quocunque mittit etiam contemtiſſimas, crabrones Joſ. 24: 12. locuſtas Joel. 2: 4. ſ. grandinem Joſ. 10: 11. ſemper vincit quando judicat. Rom. 3: 4. Adeoque ſi pro nobis Deus, quis contra nos Rom. 8: 31. Indubia eſt victoria Dei, & clades hoſtium, quis ſe obfirmavit contra ipſum, & pacem habuit? Job. 9: 2. magnus conſilio, & potens actione Eſa. 28. verſ. ult. ſedet ſuper globum terræ, & incolæ ejus ſunt ut locuſtæ, omnes populi æſtimantur ut gutta ſitulæ, aut pulviſculus ſtateræ ut nihil, minus nihilo, & vanitate Eſa. 40: 22—25. ſ.

Quis nunc non optat Deum pro nobis belligerantem? quo bello iſto pernicioſo quam citiſſime defungamur. Sed ſolis votis id non conſequimur, Securitas ejus docetur Pſ. 44: 4. Renunciandum eſt fiducia de ſe ſuisque armis; exſpectandum omne à Deo ejuſque robore: ſed fundamentum exſpectationis favor ex dilectione. Favor eſt luxficiei, & tunc dextra & brachium Dei opitulantur. Sed favor ille ſubinde eſt ex odio hoſtium, non ex amore eorum qui vincunt; ut in Achabo, in Abia, ut ſecuritas ſit, ex amore proficiſci debet vincentium: quem Iſraelitæ agnoſcunt & prædicant. Sed unde conſtabit iſta dilectio? non poſſumus demonſtrare ut Iſraelitæ. Sed eſt alia Pſ. 147. 10. ſ. non habet delectationem in robore equi nec cruribus viri, ſed in iis qui timent ipſum, qui ſperant in ejus benignitatem. Ubi metus Dei eſt ibi ejus delectatio, & tum naſcitur fiducia opis. Pſ. 33: 18. ſ. Sed metu Dei deficiente omnia adverſa ſunt Eccl. 8: 12. ſ. Novi, bene fore Deum timenti &c. Sed impio non erit bene; erit ut umbra, quia non timet à facie Dei. Væ itaque nobis, ſi deficiat timor Dei; pernicies noſtra inſtat; neque latere poſſumus, quemadmodum homines ſibi imaginantur, Mal. 3: 5. propinquabo ad omnes ad judicium, & ero teſtis velox contra veneficos, adulteros, perjuros, injuſtos oppreſſores, & qui me non timent, inquit Dominus Zeboath. Contra ſi timeamus Deum, memorialis liber conſcriptus eſt pro timentibus Dominum, & erunt mihi peculium, &c. verſ. 16.

Sed quibus argumentis nititur fiducia Deum pugnaturum pro Iſraele. Ea exſtant in deſcriptione Dei.

1. *Dominus Deus veſter.* Fœdus Dei obligat ipſum, iſto contractu uti fiunt Dei populus ad obſequium ejus obſtrictus, ſic quoque Deus ipſorum rex, ad eos defendendos. Hoc enim regum eſt 1 Sam. 8: 20. Et Dei regis; unde Eccleſia, Pſ. 44: 5. & Pſ. 74: 12. & Exod. 15: 2, 3. Unde Hiſkias

kias 2 Chron. 32: 7. ſ. ad ſuos, cum Sanherib etiam Hieroſolymæ minaretur, *nobiſcum plures, quam cum illo.* Equidem fœdus mutuum eſt, ut populo rebellante repudietur Deus rex. 1 Sam. 8: 7. Me rejecerunt ne ſim rex ſuper eos. Sed inde non ſequitur Deum quoque eos rejicere. quamquam enim id mererentur Iſrael ut iis iſtud fiat, non tamen id facit Deus. Ezech. 16. verſ. 59. ſ. & faciam tecum fœdus æternum. Neque hoc tantum ad ultima tempora refertur, idem Samuel, cui Deus dixerat ſe repudiatum eſſe ne regnaret. teſtatur 1 Sam. 12: 22. Nomen Jehovæ hoc infert Mal. 3; 6. Infidelitas hominum non facit irritam fidem Dei Rom. 3: 3. etſi illi infideles ſint, ipſe manet fidelis, ſemetipſum abnegare non poteſt 2 Tim. 2. verſ. 13.

Præliaturus Deus eſt pro nobis, ſiquidem ſit D. Deus noſter. Confectum credent ſic quidam, quod petimus, ſaltem de jure, quia Dominus Deus noſter ſit; imo murmurabunt ſecum, cur ergo non agat Deus ſic nobiſcum, ut pro nobis belligeret: ut Gideon Jud. 6: 13. ſi Deus nobiſcum, quare nobis hæc omnia acciderunt? Verum Dominum Deum populi eſſe non probatur ſola profeſſione. Novi, gloriamur Domino Deo noſtro, & ægre ferimus, de eo dubitari; Eſt tamen neceſſaria inquiſitio, ne nos decipiamus, & injuſte gravemus Deum itaque.

Fœdus Dei obligat ad obſequium, Cum Deus alicujus populi Deus eſt, populus ipſius eſt populus. Deut. 26: 17. quando à Deo ſtipulati ſunt defenſionem & regimen, promiſerunt obſequium, & viciſſim, verſ. 18: 19. Deo ſtipulante ab ipſis obſequium, promiſit exaltationem. Eoque præſtandum eſt obſequium, ſiquidem velimus ipſius præſidium. Ubi autem illud inveniemus? Fuit tempus quando dictum eſt Jer. 5: 1. ſ. *Percurrite plateas Jeruſchalaitinorum, & videte, &c. an ſit qui exerceat jus, &c.* atque id non ſolum pauperes, qui viam Domini, jus Dei ſui non norunt, ſed etiam Magnates, qui cum norint, pariter fregerant jugum & ruperunt vincula. Et num melior noſtra conditio? quid vero tunc exſpectandum? Lev. 26: 15. ſ. *faciem, inquit meam contra vos ponam, &c.* Neque id fœderi contrarium, Deut. 7: 9. ſ. Scies ergo Dominum Deum tuum Deum illum eſſe, Deum fidelem qui fœdus & benignitatem ſervat amantibus ipſum & obſervantibus præcepta ejus in mille generationes, & compenſat unicuique oſorum ſuorum in faciem, ut eum eruat, Oſori ſuo non differet, in faciem ei rependet. Quod v. Samuel & Hizkias commemorant, reſipiſcentibus, & vere reformatis quadrat; quando vi fœderis Deus rurſus benedicet; Lev. 26. verſ. 41. ſ. *ſi confiteantur peccata, & cor præputiatum flectatur.* & acquieſcant in pœna iniquitatis ſuæ, tum recordabor fœderis mei, &c. Etenim alias qui præliaretur Deus pro nobis, ſi præliemur non contra ſed pro hoſtibus ejus. Bella quæ Deus pugnet pro nobis debent eſſe bella Dei ab ipſo imperata; qualia contra Cananæos. Sed ſi ſint bella mundi, carnis, diaboli, contra verbum Dei, & ejus præcones, contra illa quæ à Deo ſunt, belligeramus contra ipſum Deum. Illud faciendum eſt, 1 Pet. 2: 11. non tantum abſtinendum, ſed oppugnandum Gal. 5: 24. Col. 3: 5. Sane tunc habebimus Deum pro nobis pugnantem Rom. 7. verſ. 23. ſeq. cap. 16: 20.

2. *Qui ante faciem veſtram ambulat.* Deus in fronte eſt acierum veſtrarum, eas antecedit, poteſtne declinare pugnam pro vobis? Exod. 23: 22. Primus omnium primus impetum hoſtilem ſuſtinere debet; qui in medio exercitu, vel in extremo agmine eſt forſan immunis manet ab inſultu hoſtili, ſed non qui primus; etſi nollet cogitur pugnare. Atqui Deus antecedit vos. Joel. 2: 11. Hic non vocem ſuam, ſed ſemetipſum ſiſtit in principiis. Joh. 10: 11. ſum bonus ille paſtor, & is procedit ante oves ſuas, verſ. 4. non tantum majeſtatis ergo, ut trahat comitatum, ſed etiam defenſæ, ponit vitam pro ovibus: non uti mercenarius, qui adventantem lupum videns fugit, deſtituitque oves, ſed qui eum adoritur & contra pugnat. uti David contra leonem & urſum 1 Sam. 17: 34.

Optandum ut ſic habeamus Deum antecedentem. Habebimus autem, ſi Deum ſequamur. Joh. 10: 4. paſtor antecedit oves, & iſtæ ſequuntur ipſum, quia norunt vocem ejus. & v. 27. Qui Dei vocem ſequitur, ſequitur Deum antecedentem, Hoſ. 11: 10. Rugit Deus in præconio verbi, & qui audiunt ſequuntur. Sed hæc non eſt omnis ſequela non tantum audientiæ, ſed obedientiæ eſt, 1 Sam. 12: 14. Illud faciamus & quia non ſufficimus ex nobis, petamus, Trahe me & poſt te curremus Cant. 1: 4. ſic perveniemus per medios hoſtes in conclavia interiora, & ad gaudia ſempiterna. Amen.

Triſtiſſima conditione fuit Aſaph in die anguſtiæ ſuæ, quando tota nocte extenſa ſuis quæreret ſolatia, ſed quæ omnia repudiabat anima, utp. nihil ſolidi habentia, Pſ. 77. Comemorat autem triplicem cogitationem, ſed quarum priores duæ auxerint malum, tertia fuerit ſalutaris. Prima fuit de Deo verſ. 4. ſ. Hæc terrorem addidit; uti Diaboli credunt Deum & contremiſcunt Jac. 2: 19. ſic rea anima Dei recordatione angitur, ac quicquid perfectionis in ipſo animadvertit, armatum putat contra ſe ad ſui deſtructionem; unde clamores immoderati, & ſilentia deſperabunda, quia non invenit quo ſe purget, eoque nil niſi extrema præſtolatur. Secunda fuit de ſe ipſo, verſ. 6. ſ. Iſta auxit deſperationem; meditatus priſcam conditionem letam dum fruebatur miſericordia & benignitate Dei juxa promiſſiones, quia omnia iſta ſubducta erant ex oculis, omnibus ſe excidiſſe rebatur, neque quicquam ſpei eſſe reſiduum, non mage in cœlo apud Deum, quam in terra. Tertia fuit de operibus Dei & experientia ſua, verſ. 11. ſ. Ultima hæc quietem attulit, meditatio operum Dei, quorum experientiam habuiſſet Iſrael rebus deſperatiſſimis, quando permedium mare eum duxit ſicco pede, atque vindicavit in libertatem. Hæc proinde meditatio commendatiſſima eſſe debet, utp. oportuniſſima; Priores quoque neceſſariæ ut rite de Deo, deque nobis ipſis ſentiamus. Sed ultima efficaciſſima ad ſolatium. Illæ perfectionem Dei, & noſtram indignitatem repræſentant, utraque terrori eſt; heic reatus & culpa mera, iſtic judex & vindicta mera ſe offerunt. Aſt ultima repræſentat exercitum benignitatis & miſericordiæ Dei, non tantum poſſe ſed etiam velle benefacere, & gratioſum eſſe; neque tantum circa unum alterumve, raro exemplo, ſed erga plurimos, integrum populum liberando, ad ſtuporem aliorum omnium, & naturæ curſum quodammodo ſiſtendo, ut ſua foret illuſtrior liberatio. Merito ergo vir Dei Moſes, quando anxium Iſraelem & deſperabundum erigere voluit, poſtremum iſtud adhibuit, ceu efficaciæ plus habens, quando eos ad memoriam actionum divinarum, & propriam de iis experientiam vocavit. Territos Cananæorum robore, quod Exploratores in immenſum extulerant, jubet terrorem ac metum omnem deponere. Rationes ſunt Deum auxiliaturum in futurum, pugnando pro ipſis, utp. qui ſit Dominus Deus ipſorum, quique coram ipſis ambularet; cujus eſt fiducia à præterito beneficio, quod experti eſſent jugiter. Hoc præteritum beneficium nunc meditandum eſt, & tunc quomodo excepta fuerit hæc adhortatio.

2. *Præteritum beneficium* deſcribit generatim, & amplificatur à teſtibus, à loco, à modo.

1. *Beneficium* eſt *ſecundum omnia quæ exercuit pro vobis.* Deus autor eſt, à quo omnia bona Jac, 1: 17. fons Pſ. 3. verſ. 9. & ſcaturigo aquarum vivarum Jer. 2: 13. אל שדי non tantum ſufficiens in ſe ipſo, quæ ejus beatitudo, Act. cap. 17: 25. ſ. ſed etiam effundens liberaliter ad alios, Gen. 17: 1. Objectum eſt Iſrael, quem populum ſegregavit, ut ei benefaceret præ omnibus populis, Deut. 32: 8, 9. Factum, quod fecit, & omne quod fecit; quæ bona eaque multa collata ſignificant. Pſ. 78: 4. Eſa. 63: 7. Hæc omnia v. facit argumentum fiduciæ, ſecundum iſtum agendi modum Deum pro ipſis pugnaturum. Unde diſcimus

Beneficia Dei priora, fiduciam faciunt ſequentium, tum quæ ejuſdem ſunt generis, tum quæ non ſunt. Deum pro ipſis pugnaturum eſſe probat ex omnibus quæ Deus ipſis præſtiterat. Erant illa partim ſimilia; pugnarat contra Ægyptios & Amalekitas pro ipſis; eoque idem nunc quoque acturus erat: partim diſſimilia, defenderat ab omnibus periculis, ab aqua & ejus ſubmerſione, à fame, & ſiti, dederat eis ſuum fœdus, & ordinarat ipſorum politiam, ne intra ſe haberent quod deſtrueret, eoque etiam ab hoſtibus erat defenſurus. Ratio ducitur à Dei immutabilitate Jac. 1: 17, 18. quos genuit etiam educat, & quando facit

primitias promittit meſſem vel maſſam benedictionis. Mal. cap. 3: 6. Jer. 31: 3. ſ. Non autem deſtruet, Hoſ. 11: 9. Deut. 4: 31. Rom. 11: 29. Unde Bileam Num. 23: 19. ſ. *Deus non eſt homo ut mentiatur*, &c. *non videt iniquitatem in Jacob nec intuetur malitiam in Iſraele, D. Deus ejus cum ipſo eſt*, &c.

Sic meditanda nobis priora Dei beneficia, ut inde futurorum concipiamus fiduciam. Pſ. 78: 7. recitanda illa aliis liberis, & nepotibus longo ordine. Paulus 2 Cor. 1. verſ. 10. 2 Tim. 4: 17. ſ. Hinc Eccleſia iſtud agit in ſuis precibus. Eſa. 51: 9. ſ. Et Deus vult id cogitari, verſ. 12. ſ. Diſcamus proinde hanc artem. Non deſunt nobis argumenta hujus generis, quæ Deus fecerit, quod Eccleſiam vindicarit à vana converſatione à Patribus tradita; uti liberavit Judæos, qui traditionum antiquarum tyrannide tenebantur; uti Gentiles à patriis ſuperſtitionibus; uti majores noſtros à nova traditionum ſervitute; ſic ergo credimus facturum poſthac, ſi rurſum invaleſcat ſimilis tyrannis. Inprimis Belgium fuit oneratum beneficiis pluſquam centum annis; quocirca fidendum etiam in futurum.

Obj. Ita quidem ſi continuarentur beneficia: ſed quid ſi abrumpantur & ceſſent? quid tunc fiduciæ? *Reſp.* Sic deſperationi patrocinabatur Gideon. Jud. 6: 13. Si Deus nobiſcum, quare hæc omnia nobis evenerunt? & ubi ſunt omnia ejus mirabilia, quæ narrarunt patres, dicendo, annon Deus ex Ægypto nos eduxit? Sed nunc Deus nos deſeruit, & tradidit in manus Midianitarum. Verum licet ob peccata hominum ſiſtatur curſus beneficiorum Dei, non tamen aboletur; obſtruitur alveus, ſed non exſiccatur fons vel alveus. Quando homines provocant Deum peccatis, obicem ponunt ipſi benedictionibus Eſa. 48: 18. Eſa. 59. verſ. 1, 2. Jer. 2: 17. ſ. Quando non credunt, non ſperant in Dominum, obicem ponunt. Eſa. 7: 9. Si non creditis, non confirmabimini. Marc. 6: 5. Chriſtus non poterat edere virtutem ob infidelitatem. cap. 9: 23. Si potes credere, omnia poſſibilia credenti. Modo fundamentum ſit fœderis & beneficiorum fœderalium, utique fiducia locum habere poteſt. Pſ. 98; 20. ſ. quamobrem obſervanda hortatio Pſ. 78: 7. &c. cum memoria beneficiorum conjungenda cuſtodia mandatorum; ſic enim fœderis ſecuritas, & jus ad priora beneficia fœderatis conceſſa.

(2.) *Amplificatio* eſt à loco & teſtibus.

Loca ſunt duo, Ægyptus unde egreſſi erant, & deſertum in quo hæſerant deinceps.

Teſtes ſunt ipſimet, utroque in loco tractat Deus in Ægypto, coram ipſorum oculis, & in deſerto ipſis videntibus. Iſtic poterant videre, publice facta erant, ſed inter Ægyptios non in terra Goſchen, ut exeundum foret hinc in alias regiones Ægypti videre volentibus: hic non poterant non videre in medio ipſorum, omnia erant patrata miracula, & beneficia, ubique cingebant, comitabantur, ducebant.

Quovis ubi fiunt *loco*, *quivis debet eſſe teſtis beneficiorum Dei erga ſe.* Act. 17: 25. ſ. diſtributi ſunt homines per univerſum orbem, habitationibus diſtincti, & ubique quærendi Dei habent occaſionem, qui ſe ubique propinquum oſtendit beneficiis. Cap. 14: 17. non reliquit ſe ἀμάρτυρον, qui quemvis hominem teſtem habet, nam tota terra eſt plena bonorum Dei Pſ. 104: 24. Sunt hæc beneficia communis providentiæ. Verum alia quæ ex fœdere fluunt, non aliter habenda. Pſ. 103: 1. ſ. non obliviſcenda, quia cingebatur benignitate & miſerationibus. Deus teſtes dicit illos ipſos, quibus benefacit, Eſa. 43: 10. ſ. verſ. 21. & verſ. 4. Veteres loca beneficiorum inſignierunt nominibus memorialibus. Puteus *Lachairoi viventis videntis me*, quia Hagarem viderat Gen. 16: 14. Mons *Dominus providebit* Cap. 22: 14. *Rechobboth* puteus à dilatatione cap. 26: 22. *Bethel* cap. 28: 19. Sic Ebenhaezer 1 Sam. cap. 7: 12. Baal. Perazim 2 Sam 5: 20.

Faciendum iſtud toti Belgio, coram oculis noſtris, & nobis inſpectantibus Deus fecit multa & magna; nulla Provincia eſt quæ non habuerit experientiam; urbes quædam ſunt loca defenſionis divinæ, ut non venerint in hoſtium partem, quemadmodum noſtra; quædam ad quas hoſtis non penetravit, ut Friſicæ; Hollandicæ pleræque & Zelandicæ; quædam unde hoſtis rurſum ejectus eſt, etiam ſolo terrore Dei, ut in cæteris Provinciis. Non poſſumus ullas intueri, non de ullis cogitare, quin teſtes eſſe debeamus divinorum beneficiorum. Excitavit Deus nobis ubique argumenta fiduciæ, etiam in futurum. Sed licet ſint ante oculos noſtros, quam negligentes ſumus ut intueamur, & quæ vidimus, quam oblivioſi eorum? Nobis ipſis præcidimus ſubſidia fiduciæ, & damus infidelitatis. Cujus quidem cauſa non eſt obſcura. Non ſignamus loca noſtræ inobedientiæ, divinorum judiciorum, cujus etiam ſumus teſtes, atque hinc non attendimus beneficiorum loca. Exod. cap. 17. & Num. 20. *Maſſa & Meriba.* ubi facti ſunt ut filii Æthiopum Amoſ. 9: 7. ut Sodoma & Gomorrha Jer. cap. 23: 14. Rurſum Num. 11: 3. *Tabbera*, & verſ. 34. *Kibbroth hattaava.* ubi judicia exercita. Imo Jud. 2: 1. ſ. *Bochim*, ubi fleverant reſipiſcentes coram Deo. Si rite agnoſceremus peccata noſtra, eorumque meritum, quivis locus eſſet memoriale beneficii divini, longanimitatis, tolerantiæ, & benignitatis; quod non abſumti ſimus Lam. 3: verſ. 22. ſ. quivis moneret reſipiſcentiæ, novæ obedientiæ, atque hinc fiduciæ in futurum. Faciendum etiam cuivis ſigillatim, ubique ingerunt ſe oculis noſtris Dei beneficia. Recolamus memoriam locorum ubi viximus, & ante nativitatem in utero materno, experti ſumus Dei benignitatem in noſtri corporis formatione mirabili Pſ. 139: 13. ſ. Et poſtquam nati in noſtri cura Pſ. 22: 10. Et ſic quocunque circumſpicimus, videmus Dei beneficam manum, quod ducat pede inoffenſo, quod ſuppeditet alimenta non ſolum corporis, ſed etiam animæ, quod in tentationibus non ſinat tentari ultra poſſe, ſed largiatur exitum, quod omnia ſuppeditat quæ ad vitam & pietatem pertinent, atque ipſa quoque adverſa faciat cooperari in bonum noſtrum. Hæc ſi cogitaremus, quæ vidimus, quæ videmus, aut videre poſſumus, utique & magis obedientes eſſemus erga Deum, & magis illi confidentes. Quo facit.

Modus beneficii, amplificans vehementer; *D. Deum tuum portaſſe te, ut vir filium ſuum in omni via perquam ambulaſtis, donec veniſtis in hunc locum.* Ubi docet.

Curam Dei erga fœderatos ſuos eſſe paternam. Qualis viri erga filium ſuum, & quidem erga parvulum; qui portatur diutiſſime, & conſtantiſſime, per omnem viam, uſque dum veniſtis huc. Idem dicitur in ſimilitudine Exod. 19: 4. Deut. 32: 11. ſ. ſine metaphora, verſ. 6--10. Eſa. 63: 9. cap. 46: 4. Hoſ. 11: 1. ſ. Indicatur cauſa, adoptis; quia dignatus Iſraelem titulo filii, ſimul ſe ad paternam curam obligavit. Jam liberi, inprimis tenelli, nihil norunt nihil poſſunt à ſe ipſis, omnis cura eſt parentis uti aquilæ circa pulliciem, quæ prorſus interiret niſi à matre nutriretur, defenderetur, & deferretur, hæc maxima tenerrimaque, ſinceriſſima, conſtantiſſima, & indefatigabilis. Maxima cura tenerrimaque, quæ dilectio excedit, imo æquat parentum? Talis hic, Eſa. 49: 15. ſ. excedit etiam. Pſ. 103: 13. ſ. qui imbecillitatem eorum agnoſcit, & indigentiam miſerationis, ut tanto promtius ſuccurrat. Sinceriſſima; parentes ſibi fieri putant, quæ liberis fiunt, & excipiunt pericula, pugnantque pro iis ad necem uſque: id obſervatur in brutis. Sic Deus, Eſa. cap. 63: 9. *cuſtodivit ut pupillam oculi*, Deut. 32: 10. & quaſi illa tangeretur ſic reputat ſi quis ſuos tangat duriter. Zach. 2: 8. Conſtantiſſima; uti in parentibus, non miſeria exſtinguit affectum, exemplo Hagaris Gen. 21. non indignitas ut Davidis 2 Sam. 18. ut patris prodigi, Luc. 15. cujus miſeratio major, quo diutius caruerat occaſione exercendi eam. Talis Dei erga Iſraelem in Ægypto & deſerto; ſic in omni ipſorum rebellione. Hoſ. 11: 1--8, 9. Jer. cap. 31: 8. ſ. & verſ. 20.

Quantum hoc beneficium! Homines fœderati ſibi ipſis non ſufficiunt. Apoc. 3: 17. Ezech. 16: 4. ſeq. ſed indigent auxilio paterno, qui curet. Non eſt miſerior conditio liberorum, quam piorum; illi naſcuntur nudi, in omni defectu, perituri illico niſi parentes curarent; Et annon omnia à Deo; qui omnia præbet liberaliter. cum ne quidem panis aleret, niſi verbo benedictionis ſuæ addat vires alendi. Mat. 4: 4. Cum primis quoad ſpiritualem nutritionem, verbi panis non niſi ab ipſo datur, qui etiam famem ejus immittit. Amos 8. imo dat verum panem de cœlo Chriſtum J. Joh. 6: 32. qui item aquam vitæ Joh. 4: 10. & veſtem Rom. 13. verſ. ult. dat hæreditatem Col. 1: 12.

Deus

Deus commendat paternum amorem ubique. Fatendum hoc piis omnibus; fatendum etiam Belgio univerſo: quæ pater egit circa Iſraelem, nos quoque experti ſumus. Eduxit illos ex Ægypto, domo ſervitutis; nos vendicavit à tyrannide gemina, corporali & ſpirituali, ut liceret incedere collo erecto. Duxit illos per deſertum, nos cum patria deſertum facta eſſet, in egeſtate ſuſtentavit: & ut illos introduxit in Cananæam, ſic nobis terram deſerti mutavit in Cananæam, ejus benedictione aliquatenus conceſſa, ut non minus quam illi fuerimus pinguefacti, defendit, auxit, ad miraculum uſque, & ſtuporem omnium. Enimvero, quid iſta cura viciſſim exigit? Mal. 1: 6. *filius honorabit patrem.* & 1 Pet. 1: 14, 15. Deut. 14: 1. *vos eſtis liberi Domini Dei veſtri;* ne quidem ceremoniæ peregrinæ ſunt uſurpandæ. Utinam non dicendum Deo, *ſi quaſi pater veſter ſum, ubi eſt honor meus?* Eſa. 1: 2. & Deut. 32: 6. *an hoc rependetis Domino? nonne*, &c. Profecto tum metuenda ira Dei, verſ. 18. ſ. rupem quæ genuit oblivioni dediſti, & oblitus es Dei qui te peperit. Cum Deus vidit, ſprevit eos, ex ira contra filios & filias. Dixit faciem ab eis abſcondam nam ſunt perverſa generatio, filii in quibus non eſt fides. Et væ quando id fit. Si pater ſpuiſſet contemtim in faciem filiæ, pudibunda latere deberet 7. diebus Num. 12. aſt ſi ejiceret domo, nollet amplius agnoſcere liberos, utique miſerrimo loco forent. Abſolom mavult occidi, quam Patrem habere cujus aditu arceatur 2 Sam. 14: 32. Deprecanda talis abſconſio, & quærenda admiſſio, quæ impetrabitur reſipiſcentia, Jer. 31: 18. ſ. Utamur hoc remedio proximo die ſupplicationum, & paternitatis demonſtrationem conſequemus, Eſa. 63: 8. ſuſtentationem perpetuam, Pſ. 48. verſ. ult. ex promiſſo Eſa. 46: 4. & 5.

b. Quomodo excepta fuerit adhortatio, dicitur, verſ. 32, 33.

Ejus inutilitas indicatur & exaggeratur.

1. *Inutilitas* eſt, *Tamen propter hunc ſermonem non credidiſtis D. Deo veſtro.* Adeoque diſcimus.

Etiam optimæ & ſolidiſſimæ conciones quandoque nihil proficiunt. Moſis ejuſmodi fuit, magna manſuetudine propoſita ſed fruſtranea, non profuerit. Suadebat fidem verbi Dei, ſed noluerunt credere, quia perſuaſi erant ut fidem tribuerent verbis hominum qui plures erant. Sic Eſa. 53: 1. Quis ſolidius dixit Chriſto, & tamen non crediderunt in eum, ne quidem confirmantem miraculis doctrinam ſuam: ſed Phariſæis. Unde querelæ, Eſa. 49: 4. *fruſtra laboravi.* &c. Iſrael non vult congregari. Cap. 65: 2.

Non ergo mirum ſi nunc quoque deſit ſucceſſus, ut qui ſuadet fidem verbis Dei, non audiatur. Jeremiæ idem accidit, Jer: 5: 12. ſ. cap. 6: 16. & cap. 44: 15. Caveamus ſic peccare, ne pœnam contemtus feramus 2 Chron. 36: 16. De quo argumento alias plenius.

2. *Exaggeratio* eſt à neglecta meditatione actionis divinæ, verſ. 33. Non eſt eadem cujus Moſis meminerat, ſed tamen eodem pertinet; Si hæc Moſis ſunt verba, novum habent argumentum, ad interpretationem ejus quod dixerat, Deum ambulaſſe coram ipſis, ſic ut diſpexerit ubi caſtra metanda, idque in columna nubis & ignis, ut die nocteque adeſſet viſibile præſentiæ ſignum: quæ ſecuritatem dabat pugnaturum pro ipſis, ut ſua caſtra defenderet. Sin quod veroſimilius hæc debuerunt eſſe verba Iſraelis, docemur.

Verbum Dei auditum ſic meditandum eſt, ut ipſimet inveniamus nova argumenta ad roborandam fidem. Munda animalia ruminant, & ſic novam alimoniam à cibo ſuo habent, & ſic ex meditatione verbi. Pſ. 119: 99. ſic doctior magiſtris ſuis evaſit David. Joh. 5: 39. *ſcrutamini Scripturas*, omnibus dictum eſt, utique ut quid ſtudeant invenire, quod alii non monſtrarunt; & quicquid ibi inveniunt eſt ad vitam æternam, & *ædificate vos* ipſos, &c. Jud. verſ. 20. non ſemper debemus eſſe puerorum inſtar, qui ſolum circumducuntur alieno vento doctrinæ Eph. 4: 14. (ſemper diſcentes & nunquam ad cognitionem veritatis venientes 2 Tim. 3: 7.) ſed aliquando adulti, & qui quoad tempus queunt eſſe doctores, & per experientiam ſenſus habent exercitatos ad diſcretionem boni & mali Heb. 5: 12. ſ. adeo ut & ipſi intelligentes ſint ad judicandum de ſermone doctorum 1 Cor. 10: 15. & ſpiritibus ipſis 1 Joh. 4: 1. Multi putant in eo eſſe legitimam Doctorum æſtimationem ut nihil dicant, quam quod audierunt ab illis & quod ita acceperunt reddunt. Fides iſtorum eſt in ſapientia hominum, & ad horum gloriam: non in potentia Dei. Debuiſſent meminiſſe eorum quæ Moſis dixit, & meditari ſimilia, licet non dixiſſet ipſe. Quamobrem habitet in vobis copioſe verbum Chriſti in omni ſapientia, ut mutuum docere & adhortari queatis Col. 1: 16. & fructificando in omnibus bonis operibus ſimul creſcere in cognitione Dei, cap. 1: 10. ſic ambulatio erit ad beneplacitum digne Deo, atque Deum cognoſcentes perſequemur cognoſcendo, & egreſſus ad nos erit ut auroræ, & veniet ad nos ut pluvia prima & ultima Hoſ. 6: 3. ut & hic & in æternum ejus ſolatio & ſalute fruamur. Amen.

Verſ. 34. *Quamobrem quum audiſſet Jehova vocem ſermonum veſtrorum; effervescens juravit, dicendo:*

Verſ. 35. Ne vivam, *ſi quis ex hominibus iſtis, ſi generatio prava iſta viſura eſt terram illam optimam, quam juramento promiſi me daturum patribus veſtris:*

B. Sequitur *Pœna* neglectæ monitionis & repudiatæ terræ promiſſæ. Pſ. 7: 12, 13, 14. Deus judex eſt, iſque juſtus, apud quem non eſt injuſtitia, nec acceptio perſonarum, nec munerum receptio 2 Chron. 19: 7. ut nequeat flecti in favorem impiorum; utp. qui alias mundum judicare non poſſet Rom. 3: 5. cujus ipſe judex eſt Gen. 18: 25. Verum ſi non animadvertat, niſi ad ſe querela deferatur, ut alii judices, latere quis longo tempore poſſet: aſt hic illico animadvertit, ſingulis diebus iraſcitur, quia ſingulis provocatur: neque diſſimulat ſemper, uti quidem nonnunquam facit Pſ. 50: 21. ſed quandoque ſtatim ſuam indignationem teſtatur, exercendo judicia in ira, & indignatione & convictionibus indignationis. Ezech. 5: 15. Habet quidem vindictam apud ſe concluſam, obſignatam in ſuis theſauris Deut. 32: 34. *in diem iræ & revelationis juſti judicii ſui, quando reddet unicuique ſecundum opera ſua*, Rom. cap. 2: 5, 6. quæ eſt ira illa ventura 1 Theſ. 1: 10. veruntamen *manifeſtat* nonnunquam *iram de cœlo contra impietatem & injuſtitiam hominum veritatem in injuſtitia detinentium* Rom. 1: 18. ut convincantur homines tum de ſeipſis ſuoque reatu, tum de Deo quod ſibi non ſit ſimilis, qui delectetur impietate; ne dicant, quisquis malum facit bonus eſt in oculis Domini, & voluptatem habet in hujuſmodi, aut ubi eſt Deus judicii? Mal. 2. verſ. ult. Exemplum occurrit in textu, ubi Deus iraſcens & ulciſcens introducitur, poſtquam Iſrael proterve impius fuiſſet contra Deum. Inde à verſ. 26. recitatum fuit, Iſraelitas noluiſſe ingredi Cananæam, territos Exploratorum narratione, accuſaſſe Deum malevolentiæ, qui ſuum interitum quærat: quia fratres dixerint, hoſtibus ipſos pares non eſſe. Et quamvis Moſes contra hortatus eſt ne metuerent, ob Dei præſentiam, qui pugnaturus eſſet pro ipſis, uti hactenus tenerrimam curam geſſerat, tamen noluerunt credere, nedum ut ipſimet meditarentur argumenta à propria experientia, quibus ſe in Deo roborarent. Jam ergo refert quod ingreſſu eis fuerit interdictum, ut non liceret ingredi; Cujus ſententiæ autor indicatur, verſ. 34. ſententia ipſa, verſ. 35—40.

א. De *Autore* ſententiæ dicitur, *Et audivit Dominus vocem verborum veſtrorum, & vehementer iratus fuit, & juravit, dicendo.* Autor Deus eſt; Cauſa impulſiva externa, auditus verborum ipſorum; interna, ira; Modus, jure-jurando confirmans ſententiam.

a. *Autor* Dominus: Hic enim uti unus eſt legislator, etiam unicus eſt judex Jac. 4: 12. quia ſervare vel perdere judicis eſt. Pœna omnis, quia relationem habet ad culpam, eamque ex voluntate legislatoris, hujus quoque autoritate, & arbitrio infligitur. Sic ſe habet res h. l. Amos 3: 6. *Num erit malum in civitate, quod D. non* facit, loquitur de malo non culpæ, ſed pœnæ Zeph. 3: 5. Lam. 3: 37. ſ. peccata faciunt juſtum judicium. Deut. 32: 39. Eſt autem etiam

in judicio Jehova, qui ſuæ ſententiæ eſſentiam largitur per exſecutionem, Eſa. 45: 7. formo lucem & creo tenebras; facio pacem & creo malum; Ego Dominus facio iſta omnia. Creationem dicit de pœna, quia omnipotenti imperio eam poteſt producere, etſi nihil probabilitatis ſit in oculis hominum. Sic creavit diluvium apertis cataractis cœli, & recluſis fontibus abyſſi, Gen. 7. Sic egit creata pluvia ignis & ſulphuris contra Sodomam, cum jam Sol fuiſſet ortus Gen. cap. 19. creatis omnibus illis plagis Ægypti contra Pharaonem Exod. 7: 8. ſeq. creato hiatu terræ, quo abſorpti Dathan & Abiram Num. 16.

Quod nobis terrorem judicis iſtius debet incutere. Impii peccatores confirmantur in malo, quando norunt impotentiam judicis. Leges quidem ferre, & pœnas definire, ſed exſecutionem non eſſe metuendam, quam non audeat ſuſcipere, cui vires aut voluntas deſint, quibus ſuperare malorum potentiam & domare velit aut poſſit. Jud. 18: 7. in urbe Lais non erat *poſſidens coercendi potentem*, יורש עוצר, Belgæ, **die iemand ſchande aen deede om eenige ſake.** quando impii gloriantur, *An non robore noſtro nobis cornua paravimus?* Amos 6: 13. & Pſ. 12: 5. Sed quicquid ſit de judicibus hominibus, quando ipſe David nequit Joabum ob homicidia punire 2 Sam. 3. uti neque Isboſeth Abnerum qui rem habuerat cum pellice ſui patris, verſ. 7. ſ. Jehovæ judicium procedit, neque quisquam impedire poteſt; dejicit potenter de turre potentes. Job. 12: 16. ſ. Quis potentior Nebucadnezare, qui pro voluntate ſua necabat & in vita conſervabat, exaltabat & humiliabat, ut omnibus metuendus eſſet Dan. 5: 19. Sed Dominus ſubito eum non tantum regno, verum etiam ratione privavit, ut brutorum inſtar, ceu unum ex illis viveret, donec tandem agnovit, habere Deum poteſtatem etiam ſuper regna hominum, imo pro voluntate ſua agere, &c. Dan. 4: 35. Hic judex proinde timendus eſt, maxime cum indeclinabile ſit ejus judicium, & quicquid etiam impunitatis ſit in hoc ſeculo, tandem tamen iſtic comparendum ſit, 2 Cor. 5: 10. eoque Eccl. 14: 9. ſ. *amove indignationem ab animo tuo & averte malum à carne tua, & recordare Creatorum in diebus quoque juventutis, nam Deus omne verbum adducet in judicium, cum omni quod occultum eſt, ſive bonum fuerit, ſive malum*, Eccl. cap. 12: 1--14.

b. *Cauſa impulſiva* gemina eſt.

a. Externa, quod *audivit Dominus vocem verborum veſtrorum.* Loquitur de Deo more humano; ubi ex ſono verborum cognoſcitur aliorum propoſitum, quia lingua eſt interpres mentis. Significat autem Dominum quæ ad Moſen dixerant, quæque murmurarunt in ſuis tentoriis privatim, cognoviſſe, non ſecus ac homines cognoſcunt, qui auditores ſunt ſermonum. Scl. Quicquid homines loquuntur privatim & publice, imo quicquid animo cogitant Deo exploratiſſimum eſt. Etenim Pſ. 94: 9. ſ. *an plantator auris non audiat aut formator oculi non intueatur*, Pſ. 139: 2. Deus audivit quæ dixerant Iſraelitæ de obſervando mandato Dei pro Moſen annunciando Deut. 5: 28. ſ. audivit etiam vocem murmurationum Exod. 16: 8. Quemadmodum oculi Dei percurrunt totam terram, &c. 2 Chron. 16: 9. ſic quoque aures Dei. Habet notitiam omnium, quæ judici omnium neceſſaria eſt, qui de omnibus ſententiam dicere debet. Mal. 2: 17. cap. 3: 13--16. loquuntur pii inter ſe, & Deus audit. Cum judicium hominum ſubinde injuſtum ſit, quia judices omnia ſcire nequeunt; multa poſſunt ab iis abſcondi: quemadmodum nonnunquam homicidium impunitum coguntur relinquere Deut. 21: 1. ſ.

Terrori hoc ſit omnibus. Deus audit vocem verborum noſtrorum; non tantum quæ ore enunciatur, quam etiam homines audire queunt, ſed quoque eam quæ corde. Exod. cap. 14: 15. *quid ad me clamas?* dicit Deus Moſi, cum nullum verbum tunc ad Deum elocutus legatur, Dantur voces ſilentes Eſa. 26: 16. & ſermo cordis ſine ſono externo, 1 Sam. 1: 13. atque Deus æque audit, ac ſi magnus clamor tolleretur ad cœlum. Nihil adeo occulte fit quod Deus non audiat, non videat. Job. 34: 21. ſ. Zeph. 1: 12. *viſitabo eos qui dicunt in corde Dominus non facit bonum vel malum.* Monemur Eccl. 10: 20. poteſt eſſe improviſus teſtis, qui ſomniantis verba, qui vigilantis audiat & deferat. Multo minus id faciendum, quia Deus audit, quem nulla ratione excludere quis poteſt, ut non arbitretur omnia. Adeoque ii debent eſſe noſtri ſermones, tam cordis, quam oris, ut teſtem Deum eſſe velimus. Pſ. 101: 2. Quod quia magno piis eſt ſolatio. Audit Deus quicquid ipſis dicitur contumeliæ, Eſa. 37: 29. audit omnia ipſorum ſuſpiria Exod. 2. verſ. ult. Cum primis audit reſipiſcentium querelas de ſeipſis Jer. 31: 18. ſ. ut miſereatur; audit ſupplicantium preces & gemitus, Eſa. 26: 16. Jer. 29: 12. ſ. ut exaudiat; audit mutua ipſorum colloquia quibus ſe ad patientiam obfirmant Mal. 3: 16. ſ. ut eis vindicias paret. Quicquid etiam eis adimatur; auris Dei adimi non poteſt, ut ibi non poſſint deponere ſuas querelas contra opreſſores, & ad petitionem ſuam exſpectare vindictam.

b. Interna, quod *indignatus eſt vehementer.* קצף ejuſmodi iram notat, quæ ſpumare facit os, quod in vehementiore contingit. Deo per ſimilitudinem tribuitur; neque enim ipſe affectibus obnoxius eſt, aut aliquid intemperanter agit, qui mera eſt perfectio. Sed quemadmodum magna indignatio eſt homini, improbanti male facta, & ea punita volenti pro merito, quando ſpumat ira, ſic quoque Dei deteſtatio mali facti, & voluntas puniendi indicatur? Etenim Deus peccatum omne odit, & ſe odiſſe teſtatum facit. Odiſſe peccatum dicitur, Pſ. 5: 5. & peccatores Pſ. 11: 5. ob ſuæ naturæ perfectionem Hab. 1: 13. Sed teſtatur iſtud odium externo quoque verbo vel facto. De Eli dicitur quod ſciens iniquitatem filiorum, qui ſe exſecrandos reddiderant, ne quidem aſpere eos eſſet intuitus, 1 Sam. 3: 13. & David Adoniam nunquam contriſtarat 1 Reg. 1: 6. Verum ira in facie teſtatur indignationem animi. Deus ita teſtimonia edit ſuæ averſionis. Nah. 1: 2. *Zelotes & vindex Dominus, vindex Dominus & valde indignatur, vindex Dominus contra adverſarios, & retinet hoſtibus ſuis*, verſ. 6. *quis conſiſtet coram ira ejus*, &c. Quando ira parumper exarſit, perit homo ſubito, Pſ. 2: 12.

Quantopere metuenda iſta ira. Metuimus iram hominis qui moritur, & filii hominis qui fiet fœnum Eſa. 51: 12. ſed obliviſcimur Dei, cujus ira infinita. Pſ. 90: 7. ſ. Zeph. cap. 3: 5. Utinam v. meditaremur iram Dei, ut de futura vitanda ſeria foret & cogitatio & occupatio. Eſa. 33: 14. cum Deus iram contra hoſtes exercuiſſet peccatores in Zion terrentur, tremor invaſit hypocritas, &c. Hanc conſternationem omnibus opto, ut tempeſtive applicent animum ad ambulandum in juſtitiis, loquendum æqua, repudiandum lucrum oppreſſionis, excutiendum manus ne retineant munera jam accepta, claudendum aures & oculos à conſortio aut approbatione mali. Sic non ira foret metuenda, ſed obtineremus lucem faciei, Eſa. 27: 4. ſ. ſi quis ſpina eſt, Deus eſt ignis conſumens: ſed qui apprehendit robur Dei impetrat pacem & proſperitatem.

c. *Modus* eſt, *Et juravit dicendo.* Dixit, & ſuam ſententiam jnrejurando confirmavit. Quid juramentum, Dei ſpeciatim, ſit docemur Heb. 6: 16. ſ. utp. quod inviolabile cenſetur, alioquin non eſſet finis contradictionis, ſed novæ manum præberet, ſiquidem non obligaret ſemper. Apud Deum non eſt pœnitentia nec mendacium, ut vel falſum dicere velit, aut quod dixit falſum facere Num. cap. 23: 19. Conſilium Dei conſtantiſſimum eſt, neque redditur irritum. Pſ. 33: 11. Eſa. 46: 10. cap. 14: 27. Verum hæc immutabilitas conſilii hominibus non ſemper patet; quando ergo placet Deo eam ipſis demonſtrare, intervenit juramento. Proinde nullum juramentum Deus adhibet, niſi immutabili conſilio demonſtrando; atque tunc conjunguntur duo immutabilia, utp. cum juramentum æque immutabile ſit ac conſilium ipſius, & Deus ἀψευδὴς habet hoc impoſſibile ut vel in uno vel in altero mentiatur: alioquin conſolatio hæredum promiſſionis non foret firma, ſiquidem niteretur re mutabili; nam hinc ſpes foret dubia & incerta. Quamobrem de juramentis Dei aſſeritur, immutabilitas. Pſ. 110: 4. *Juravit Deus & non pœnitebit ipſum.* Eſa. 45: 23. Blaſphemant ergo Deum, & dubiam faciunt fidem & ſpem piorum, qui docent Deum juramentis ſuis non teneri abſolute & ad ſemper. Ergo juramentum Dei non foret ἀμεταθετον; & conſilium Dei quod jurejurando patefacit non eſſet ἀμεταθετον; & Paulus falſum dixiſſet quando duo illa appellavit ἀμεταθετα, & impoſſibile Deum in iſtis mentiri. Aliud perſuaſum habemus de Paulo, qui mi-

miſericordiam conſecutus eſt, ut fidelis eſſet 1 Tim. 1: 12. 1 Cor. 7: 25. Aliud de Deo, qui rupes, &c. Deut. 32: 4. & qui magnificavit verbum ſuum ſuper omne nomen ſuum, Pſ. 138: 2. Sed ſunt quidam homines qui putant Deum eſſe ſicut ipſi ſunt, Pſ. 50: 21. & fingunt ſibi talem, qualem vellent & ſibi expedit. Aſt nos novimus Deum nullum unquam juramentum reddidiſſe irritum; neque enim ſe obſtingeret juramento, de quo decreviſſet nolle ſe illud facere, ut juramentum futile μορμολύκειον foret. Sic cum additur promiſſionibus: Chriſti Sacerdotium, Pſ. 110: 4. ejuſdem imperium univerſale in judicio ultimo demonſtrandum. Eſa. 45: 23. quæ factæ Abrahamo, Gen. 26: 3. & Iſaco ac Jacobo, Pſ. 105: 8. ſ. & Davidi, Pſ. 89: 36. ſ. & Iſraeli Eſa. 54: 9. *hoc mihi erit* (quod ſis uxor juventutis quamquam contemta fueris, & quod poſt occultationem faciei exiguo momento in ira, æterna miſeratione tui miſereri velim) *ut aquæ Noachi de quibus juravi aquas Noachi non amplius terram operituras, ſic juravi quod non amplius tibi iraſci aut te increpare velim.* Sic cum additur comminationibus, cujus primum exemplum eſt Gen. 2: 17. nam cum Paulus juramentum dicat, quando Deus dixit *benedicendo benedicam tibi*, &c. Heb. cap. 6: 13, 14. utique erit etiam in iſto, *quo die comederis moriendo morieris.* Aliud hoc eſt de excluſione ex Cananæa, Num. 19: 21. ſ. & verſ. 28. ſ. Pſ. 95: 10. Jer. 44: 26. Heb. cap. 3: 19. Alia ſunt Amos 6: 8. quod in Samaria utique conſummatum eſt cap. 8: 7. ſ. & hinc conſecuta everſio regni Iſraelis, & fames verbi, qua deficiunt, jam per tot ſecula decem tribuum homines Jer. 12: 24--30. Jechonia cum poſteritate ſic excluſus omni regno & dominio in Juda: cujus complementum in Joſepho fabro cernere eſt. Intueamur ergo juramenta Dei ceu demonſtrationes infallibiles immutabilis voluntatis Dei. Deus non mentitur quando loquitur 1 Sam. 15: 29. multo minus quando jurat: qui non recipit ejus teſtimonium facit eum mendacem 1 Joh. 5: 10. qui non recipit juramentum, facit ipſum perjurum. atque is experietur cujus verbum ſit ſtabiliendum Jer. 44: 28. adoremus ejus bonitatem, qui dignatus eſt homines hac declaratione: Caveamus ea facere, quibus Deus juratam communitionem addidit: quod docetur Heb. 3: 4. & Eſa. 22. verſ. 12. ſ. Deo vocante ad lamenta, cum voluptatibus ſecure indulgetur, non expiatum iri iſtam iniquitatem uſque dum moriantur. Contra ſtudeamus jus habere in juratis promiſſionibus, in Sacerdotio Chriſti, per quod adducimur ad Deum, in Dei miſericordia erga recipiſcentes; in ejus vindicta contra hoſtes, & vindiciis populi ſui. Pſ. 110. verſ. 4. Ezech. 18: 23--32. Deut. 32: 40. ſic habebimus ſolatium firmum.

ב. *Sententia* ipſa proponitur, ℣ſ. 35. limitatur, ℣ſ. 36-39. confirmatur, verſ. 40.

a. *Propoſitio* eſt, verſ. 35. *Si quis ex hominibus iſtis generationis iſtius pravæ viſurus eſt terra illam bonam, quam juramento promiſi me daturum patribus veſtris.* Eſt hæc ultima; ſed agebatur primum de alia, quam Moſes avertit ſuis precibus. Num. 14: 11. ſ. Deus in gloria ſua apparens coram omnibus Iſraelitis ait ad Moſen, *quamdiu hic populus me provocabit? & quamdiu mihi non credent per omnia ſigna quæ in medio ipſorum feci? Peſtilentia feriam, & repudiabo: & faciam te populum majorem & robuſtiorem quam ipſi ſunt.* Non definit quid facturus ſit, neque enim cadit mutatio in Deum, ſed quid meriti ſint, & quod promiſſioni ſuæ ſatisfieri queat, ſi Moſes, unus ex Abrahami poſteris, in populum excreſcat, cui dentur dona promiſſa. Poteſt commode legi interrogative, *An feriam peſte*, &c? Verum Moſes intercedit precibus; Sic Ægyptios, alioſque gentiles impotentiæ divinæ adſcripturos, quod non venerint in Cananæam, mactati in deſerto. Potentiæ ergo ſuæ debere rationem habere eamque etiam in condonatione hujus peccati exercere. Deus aſſentitur petitioni, Enimvero cum jurejurando pronunciat hanc ſententiam. *Aſt certe vivo ego tota terra implebitur gloria Domini. Nam omnes viri qui viderunt meam gloriam, & mea ſigna, quæ in Ægypto & in deſerto feci & jam decies me tentarunt, & voci meæ inobedientes fuerunt; ſi terram quam patribus ipſorum juravi, videbunt; imo nullus eorum qui me irritarunt, eam videbunt.* Habemus autem hinc notandum.

(1.) *Qui non credunt Deo, non conſequuntur quæ Deus offert dona.* Deut. 1: 21. *Ecce D. Deus veſter dedit hanc terram coram facie veſtra, adſcendite, hæreditate, uti D. Deus patrum veſtrorum vobis locutus eſt.* Cap. 9: 23. *Deo vos mittente ex Kades Barnea, dicendo, adſcendite, hæreditate terram quam vobis dedi, fuiſtis rebelles ori Domini Dei veſtri, nec credidiſtis, nec obediviſtis voci ejus.* Qui repudiant terram repudiantur ne eam habeant. Fit unicuique ſecundum fidem ſuam. Non crediderunt Deo, ſe poſſe potiri terra, ſatiuſque eſſe in deſerto manere, vel regredi verſus Ægyptum; & non potiti illa ſunt, inque deſerto manſerunt, revertentes verſus mare algoſum. Sic qui non credidit abundantiam annonæ fore Samariæ ſecundum verbum Eliſæi, ea non eſt fruitus 2 Reg. 7. & qui non crediderunt Jeſum poſſe ſigna edere, ea non ſunt conſecuti Marc. 6: 5, 6. Hinc ſervator, *Si potes credere, omnia poſſibilia credenti*, cap. 9: 23. ſed incredulo omnia impoſſibilia.

Amplius Heb. 4. docet applicationem, ut metuamus per infidelitatem in idem exemplum incidere. Verbum prædicationis inutile fuit illis, non mixtum fide in audientibus; nempe ut non fruantur bono promiſſo, non ut illud aboleatur. Nihil hodieque certius eſt. Per gratiam Chriſti credimus nos ſervatum iri, qui Judæi ſumus natura, uti & illas, qui Gentiles natura Act. 15: 11. nam Act. 4: 12. Qui hoc non credunt, ſive Judæorum, ſive Gentilium excidunt ſalute, eam non aſſequuntur. Judæi quidem qui volentes propriam juſtitiam conſtituere, adeoque ſine fide juſtitiam conſequi, ad legem juſtitiæ non pervenerunt. Rom. 9: 31. ſ. offenſi ad lapidem offenſionis, ad Chriſtum, qui juſtitia eſt cuivis credenti. Gentiles autem, quicunque per gratiam ſervari nolunt, ſed per ſua opera; aut alienam ſatisfactionem, Chriſti repudiant. Fit illis quoque ſecundum fidem ſuam, non perveniunt ad ſalutem per Chriſtum; neque etiam alia via, quia ipſe unica eſt: attamen manet ille via omnibus per ipſum accedentibus ad Deum Hebr. 7: 25. Joh. 14: 16. Adhæreamus verbo & credamus Deo in illo loquenti: ne conſilium ineamus cum carne & ſanguine, neque intueamur nos ipſos aut quicquam creatum, ſed acquieſcamus in verbo Dei, adeo ut cum Abrahamo contra ſpem ſub ſpe credamus, certo perſuaſi, qui dixit etiam poſſe facere. Rom. 4: 18. ſ. Sic glorificabimus Deum. In tuo verbo ejiciam rete. Luc. 5. ad capturam piſcium, & multo magis Euangelii rete ad capturam hominum. In te projiciam animam, tu me redemiſti, Dominus Deus veritatis Pſ. 31. verſ. 6. Rurſum.

(2.) *Juramenta Dei in ſpeciem contraria conciliantur objectorum diſtinctione.* Juravit Deus ſe daturum Cananæam, nunc jurat ſe non daturum. Juravit Abrahamo credenti Gen. 15. verſ. 6. ſ prius, poſterius juravit incredulis. Ergo per poſterius poteſt aboleri prius? Minime, poteſt impediri quidem ad tempus exſecutio, dum illi qui increduli fuerunt vivunt; ſed non in perpetuum. Atqui infidelitas illa apud poſteros quoque fuit, quando apud omnes eſt naturalis? Ergo etiam fuit in Abrahamo naturalis: Qui autem ab eo removit Deus eſt, ſua gratia: hic eum traxit efficaci vocatione. Heb. 11: 8. ſ. Quamdiu ea gratia non conceditur, abeſt fides: aſt eam Deus largitus eſt poſteris, cum introducendi eſſent Joh. 1. & 3. crediderunt, & obediverunt mandato Dei. Imo propter juramentum prius Deus daturus eſt fidem, Deut. 30: 5. ſ. Quamdiu Judæi manent in infidelitate, manent quoque extorres patria, ſed quando convertentur ad Dominum tolletur velamen, & tum qui etiam dum hoſtes ſunt propter Euangelium gentibus publicatum illecti Deo ſunt propter patres, Dei miſericordia ſervabuntur, & experientur vocationem & χαρίσματα Dei eſſe ἀμεταμέλητα Rom. 11: 29. Denique:

(3.) *Dona Dei inter & donandos debet eſſe aliqua harmonia, & convenientia.* Si quis de viris iſtis, generatione iſta mala videbit bonam illam terram. Terra erat bona, Ezech. 20. verſ. 6. terra quam pro ipſis diſpexeram, fluens lacte & melle, decus omnium terrarum. Sed ipſi generatio mala: non ergo conveniebat ipſis eam concedi Ezech. 20: 15. ſ. Cananææ gentes erant exſpuendæ inde, quia terram polluebant. Lev. 18: 24. ſ. Dona Dei proficiſcuntur ab ipſius bonitate & hæc nequit ſociari humanæ malitiæ.

Ergo, dicet aliquis, nemo frueretur Dei donis, quia omnes

omnes natura mali, indigni omnes quibus benefaciat, digni quibus inferatur ira & damnatio: atqui videmus divitem Deum misericordia, secundum magnam suam misericordiam nos etiam mortuos in peccatis in Christo excitasse, & gratia servari nos, per fidem, non ex operibus, ne quis glorietur Eph. 2:4. s. R. Verissimum etiam sic quod dicimus, non sociari Dei dona cum malitia hominis; nam quando Deo placet misericordiam illam exercere, tollit illam pravitatem dominantem Eph. 2:10. Vincit bonitas Dei malitiam hominum, aut si non vincat removetur. Quia hic prævalebat malitia non consequuntur terram bonam; itemque posteri quia in terra fuerunt mali, amiserunt terræ bonitatem, ut sibi non amplius id esset, Neh. 9:35. s. *Ecce sumus hodie servi & terra quam dedisti patribus nostris, ut comederent fructum & bonum ejus in ea sumus servi, & multiplicat proventum regibus super nos constitutis propter peccata nostra, imo fecerunt cessare bonitatem terræ.* Deut. 29. vers. 22. s. Sic Mat. 10:13. si domus fuerit digna, veniet pax vestra super illam: sin indigna redibit ad vos.

Proinde discamus ut sit harmonia inter Deum & nos: ut quando Deus nobis impertitur sua dona, studeamus illis respondere vitæ sanctitate. Quando dat Euangelium, ambulandum digne Euangelio. Phil. 1:27. quando vocat, digne vocatione, Eph. 4:1. & vocante Deo 1 Thes. 2:12. quando dat Christum, digne Domino ad omne placitum in omni bono opere fructificando, quando ullam evasionem largitur è malis quæ supervenerunt propter mala opera & magnum reatum nostrum, nequaquam redeundum ad irritum reddenda præcepta ejus Ezr. 9:13. s. Ps. 85:9. sed tanto religiosius coram ipso vivendum. Hoc si agamus, bonum Dei magis augebitur & confirmabitur. Solummodo, quia ex nobis ipsis nihil boni possumus, sollicitandus ipse, ut cum bonis quæ largitur ejus misericordia, det cor bonum, ut rite illis utamur, & ipsi serviamus in bonitate cordis: quo etiam in nobis fiat illud Ps. 125:4. Benefac bonis & rectis corde, & fruamur pace Dei & hic, & in æternum.

Vers. 36. *Solummodo Caleb filius Jephunnæ, ipse videbit eam, & ei tradam illam terram quam calcavit ac filiis ejus; eo quod plene sequutus est Jehovam.*

Esa. 65:8. s. Promissio est quæ loquitur de ultima Israelis conversione; Quanquam infidelitas & obduratio gentis tantum non universalis sit futura, quæ universalem poscat exstirpationem, tamen paucorum bonorum rationem habiturum Deum, quemadmodum unius alteriusve botri vino gravis in vite, ut non perdat, attamen cum istis sit redditurus possessionem terræ, primum rebelles esse judicandos, & judiciis absumendos. Sic Amos 9:8. s. *Ecce oculi Domini Domini sunt contra hoc regnum peccans, ut de terra perdam, nisi quod non omnino perdam domum Jacobi, dicit Dominus.* Ira Dei contra Israelem cum exceptione est; agitantur omnes in vanno, sed nullum granum cadit. Pereunt peccatores, sed alii servantur, & hæreditatem consequuntur. Plenius idem describitur Ezech. 20:33. s. *Vivo ego dictum D. Domini, sic vos congregabo ex populis & terris quo dispersi estis, & ducam vos in desertum gentium*, &c. Etiam modum declarat reductionis. Exercebit Deus magnam potentiam, sed simul justissimam iram, ut colligat undique, sed ut judicium publice exerceat in malos. Cujus exemplum proponit in prima eductione ex Ægypto, & introductione in Cananæam, (quam rationem etiam alibi se observaturum dixit. Mich. 7:15. Hos. 2:14.) omnes ex captivitate & exilio educturum, sed ut ducat in desertum populorum, & cum ipsis instituat judicium, ut omnes rebelles cadant istic, neque veniant in Cananæam: quemadmodum olim patres ipsorum omnes eduxit ex Ægypto, adeo ut ne quidem ullus ipsorum istic relinqueretur, (quod etiam hic se facturum dicit Ezech. 39:28.) attamen in deserto sic cum iis litigavit, ut rebelles omnes, qui toties ipsum tentarant, variis judiciis absumti fuerint, soli autem illi sunt ingressi, qui rebellionis non fuerunt consortes. Adeo ut qui de ultima restitutione Israelis aliquid volunt distincte cognoscere, debeant Israelis prima tempora considerare, & quid tum acciderit, ubi imaginem habent repræsentatam. Quæ quidem in textu nostro exhibetur. Habemus ibi Israelem omnem, nullo excepto, multiplicibus signis & ostentis ex Ægypto per mare deductos in desertum, & vinculo fœderis innexos, imo etiam traductos sub virgam judiciorum nonnullorum. Sed tandem factam discretionem rebellium; quando jussi occupare terram, postquam ab exploratoribus sequiora audivissent, Deo sese opposuerunt, malevolentiæ accusarunt, noluerunt obtemperare; etenim tunc Deus sententiam de rebellibus omnibus tulit, neminem ipsorum Cananæam ingressurum, sed cadavera ipsorum in deserto casura esse intra annos 40. ab exitu ex Ægypto. Cæterum sententia illa solos rebelles tangit: qui tales non sunt eximuntur pœnæ: quemadmodum nunc discemus. Sententia fuit, vers. 35. nunc sequitur limitatio ejus, vers. 36---39. & confirmatio vers. 40.

b. *Limitatio* est quoad. I. singulares homines, vers. 36-38 & II. multitudinem aliquam, vers. 39.

a. *Quoad singulares homines*, ad duos restringitur *Calebum*, vers. 36. & *Josuam*, vers. 37, 38. quorum frequens hoc nomine mentio. Fuerunt illi duo exploratorum, ille de tribu Juda, iste de Ephraim: qui & collegis suis, & populo universo restiterunt, atque à rebellione voluerunt avertere. Num. 14:6. Hos. 9. Deus à pœna excepit, Calebum solum, vers. 24. utrosque simul, vers. 30.

Hic v. quæritur, an nemo adultorum supervixerit & in Cananæam ingressus sit præter illos duos? Resp. omnino, neque id negatur. Etenim per sententiam istam, vers. 35. excluſi fuere Cananæa Israelitæ: Sed an per eandem Moses & Aaron, qui æque vehementer restiterunt ac Caleb & Josua? Horum exclusio aliam habuit causam Num. 20. ut videbitur ad vers. 37. Præterea Eleazar fil. Aaronis ingressus est terram; atqui ille secundo anno ab exitu una cum Patre & fratribus unctus fuit in Sacerdotem, eoque tunc 30. annos habuit; idemque dicendum de ejus fratre Ithamare. Ergo Sententiæ divinæ restrictio attendenda, Num. 14:29. *omnes numerati vestri à nato 20. annos & deinceps, qui murmurastis adversus me:* Concernit solummodo recensos ab annis viginti & ultra. Atqui I. soli mares recensiti, non mulieres. Num. 1:2, 3. *recensete omnem marem in singula capita eorum, aptos ad egrediendum in militiam.* Mulieres ergo non continentur sententia illa, quamobrem inter recensos qui ingressi sunt terram mentio fit Zeræ filiæ Aser, Num. 26:46. quæ cum patre & avo Jacobo in Ægyptum venisse legitur, Gen. 46:17. quæque 250. annos & ultra tunc habuit: idemque de aliis mulieribus judicandum. II. inter recensitos non fuit tribus Levi. Num. 1:49. *Verumtamen tribum Levi ne numerato.* Recensiti quidem etiam Levitæ, sed alio modo à mense & ultra Num. 3:15. numerati eorum mares. Adeoque sententia Dei non valet contra illos; ubi hoc accedit, Levitæ non habuerunt partem in possessione terræ, neque exploratorem ex sua tribu quæ nihil terræ erat habitura; ut non potuerint fastidire terram, in qua portio ipsis negata fuerat à Deo. Confirmat istud Num. 26. recensiti à Mose & Eleazare, qui ingressuri erant Cananæam, soli mares XII. tribuum, exclusa Levitica à 20. annis & ultra, diciturque inter hos neminem fuisse recensorum à Mose & Aarone, cum filios Israelis numerarent in deserto Sinai, Dominus enim de illis dixerat moriendo morituros in deserto, neque quisquam de illis remansurat præter Calebum & Josuam vers. 64. s. Supererant tunc adhuc Moses & Eleazar numerantes. De Levitis ibidem legitur, vers. 62. numeratos mares, à mense & ultra, nam non numerabantur inter filios Israelis, quia ipsis non dabatur hæreditas inter filios Israelis. Ergo sententia Dei valet super mares vicennes & ultra, duodecim cæterarum tribuum, ex illis mansere superstites soli isti duo Caleb & Josua.

a. *De Calebo* loquitur, vers. 36. qui excipitur à pœna promittitur ei terræ possessio, & causa indicatur.

1. *Exceptio* est, *Præter Calebum fil. Jephunne, ille videbit.* Solus nominatur initio, uti Num. 14:24. quia solus initio locutus est pro Deo, contra collegas, cap. 13. vers. 30. *Compescebat Caleb populum.* Sed postea conjunxit se Josua, & vehementius egit causam Dei, cap. 14:6. s. *Iosua fil. Nun & Caleb fil. Ieph. qui exploratorum*

res inter fuerant laceraruntveſtes & dixerunt ad totum cœtum &c. Hinc vero.

Quicunque pro Deo & pietate quid agit, & quo ordine agit, obſervatur à Deo, ut eximatur judiciis. Sic cum Calebo & Joſua factum videmus. Exemplum in Loto, Gen. 19. 2 Pet. 2: 7. ſ. Ezech. 9: 4. ſ. Signo notantur qui gemebant & exclamabant propter omnes abominationes quæ fiebant in medio Hieroſolymæ, mandaturque deſtructoribus, *Tranſite urbem & cædite, oculus veſter non parcat, necate ſenes, juvenes, puellas, infantes, mulieres ad perditionem uſque, ſed ne attingite quenquam ſignatorum,* Mal. 3: 16, 17. Et qui primus eſt primum habet locum. De Noacho eſt Gen. 6: 9. *Noach erat vir juſtus integer in generationibus ſuis, Noach ambulabat cum Deo,* & cap. 7: 1. Dominus ad Noachum, *Ingredere in arcam tu & tota domus tua, nam te vidi juſtum coram facie mea in hac generatione.* Sic Ebedmelech excipitur, ut vitam haberet prædam, & in hoſtium manus non veniret captivus, quia Prophetæ Dei cauſam egerat, Jer. 38: 39. Et Sunamitis illa, quæ Eliſæ hoſpitium præbuerat conſtans, à famis malo erepta fuit 2 Reg. 8: 1. ſ. Quemadmodum qui heroico facto aliis præit præ cæteris gloriam habet, ut in heroibus Davidis obſervandum eſt, 2 Sam. 23. & qui primus arcem Jebuſitarum ingreſſus eſt dignitatem Imperatoris eſt conſecutus, 1 Chron. 11: 6. ita quoque qui pro Deo pugnant. Luc. 22: 28. ſ.

Animare iſtud debet ad pietatis ſtudium, & ad Zelum in eo. ut aliquid auſimus pro Deo & pietate, atque etiam primi eſſe, quando contrarium fit & prævalet. Non eſt magnum adhærere Deo, quando omnes id faciunt, & torrens conſuetudinis ſimul abripit. Ire ad templum, & publicum cultum, quando omnes eo procedunt turmatim. 2 Chron. 34: 33. *quicunque eſt Domini veniat ad me;* Atqui Jer. 3: 10. factum illud falſo, non toto corde; Sed facere quando aliter fit, & primum facere, heic laudem habet: quemadmodum Joſias ipſe 2 Chron. 34: 1. ſ. fecit quod rectum in oculis Domini & ambulavit in viis Davidis patris ſui non declinando dextrorſum vel ſiniſtrorſum, & anno regni octavo, (cum 16. annorum eſſet) cœpit quærere Deum patris Davidis, & duodecimo cœpit idololatriam publice abolere. Exod. 23: 26. ſ. Moſe ſtans in porta caſtrorum dicit, & aggregati fuere omnes filii Levi, juſſitque ſumtis gladiis per caſtra ire, & necare etiam proximos idololatras: quod cum feciſſent, eo nomine commendantur, & hic & Deut. 33: 9. ſ. Hoc decretum Joſuæ Joſ. 24: 15. Cum Chriſtus crucifixus eſſet & expiraſſet, venit primus Joſephus Arimathæenſis, & ſecundus Nicodemus, Joh. 19. 38. ſ. & eo ordine notantur nomina eorum, uti & mulieris, quæ Chriſtum unxit nardino Mat. 26. Sic quoque qui reformationem aggreſſi ſunt primi, auſi contradicere dominanti errori, Lutherus in Saxonia, Zuinglius in Helvetia, & ante illos Wiclefus in Anglia, Huſſus in Bohemia: & poſt ipſos cæteri, qui contra traditiones & Eccleſiæ mandata auſi ſunt verbum Deum tueri. Et ſic hodie quicunque pro Scripturæ authentia & ſufficientia, pro pietatis efficacia, contra peccata dominantia audent loqui: imo qui aliquid ſincero cordis affectu coram Deo agunt, apud Deum habent memoriam. Apoc. 2: 24, novit eos qui veram doctrinam tenent, cap. 3: 4. pauca illa nomina, qui veſtes ſuas non taminarunt: & mecum ambulabunt in albis, quia digni ſunt, verſ. 8. qui cum exiguum robur habeant, cuſtodiverunt ſuum verbum, neque abnegarunt ſuum nomen. Eſa. 66. verſ. 2. intuetur illos, pauperes & contritos ſpiritu & qui trepidant ad verbum ſuum, cap. 51: 7. qui norunt juſtitiam & in quorum corde lex Dei eſt. Etenim Pſ. 33: 18. oculus Domini ſuper timentes ipſum, & Pſ. 34: 16. ſuper juſtos. imo 2 Chron. 16: 9. & Heb. 6: 10. Veruntamen rari iſtiuſmodi ſunt: multo plures qui primi ſunt in impietate. Jeroboam in idololatria & Achab aliique reges; Prophetæ Hieroſolymæ in hypocriſi; Saul in Zelo perſecutionis; filiæ Zionis in vanitate & faſtu veſtium; metropoles in omnis generis peccatis. Sic qui injuſtitiæ intemperantiæ, libidinis ambitionis primatum quærunt. Sane Dei oculum non effugiunt, & primatus eorum obſervatur, Joh. 19: 11. qui me tibi tradidit majus peccatum habet. Contra Deum locutum eſſe, & autorem eſſe non caret pœna. Decem exploratores qui terram calumniati erant, ceciderunt plaga repentina coram Deo, Num. 14: 37. & cæteri qui ſecuti eos ſunt intra 40 annos perierunt. Perditores incipiunt à ſenibus illis qui ante templum erant Ezech. 9: 6. & cap. 11: 13. Pelatja conſiliarius malus, primus cadit. Etenim apparebit tandem differentia juſtorum & injuſtorum, qui Deo ſervierunt vel non ſervierunt Mal. 3: 18. & vindicta in impios exercita facit ut dicatur, Pſ. 58: 12. *Utique eſt fructus juſto, utique eſt Deus judex in terra!*

2. *Promiſſio* terræ eſt, *Ipſi dabo terram, quam calcavit & liberis ejus.* Sic Num. 14: 24. *introducam illum in terram in quam venit, & ſemen ipſius hæreditabit eam.* Scil.

Pietas ad omnia utilis eſt habetque promiſſionem etiam præſentis vitæ. 1 Tim. 4: 8. Lev. 26: 3. ſ. ſic Deut. 28: 1. ſ. Ubi agitur de generali benedictione. Si multitudo populi magiſtratus & ſubditi faciat quod bonum eſt, ut juſtitia & judicium vigeant in terra, generalis eſt proſperitas externa, qua etiam impii inter eos fruuntur: aſt ſi multitudo maxima exerceat impietatem & violentiam; etiam pii pauci inter eos judiciis univerſalibus involvuntur. Attamen etiam ſingularibus familiis pietas eſt commodo Gen. 18: 19. Rechabitarum pietatem erga patrem Deus remuneratus eſt Jer. 35. & promiſit iſtud in quinto præcepto. Neque pietatem erga ſe Deus negligit, ut non benefaciat Pſ. 25: 12. ſ. Pſ. 128: 1. ſ. *Beatus timens Deum, qui ambulat in ejus viis, edes laborem manuum tuarum, beatus eris & bene tibi erit,* tum privatim in uxore & liberis, tum publice in politia & Eccleſia. Sic Pſ. 112.

Obj. Atqui Joh. 16: 33. Act. 14: 22. & 2 Tim. 3: 12. non habemus hic manentem civitatem, unde mundus quod ſuum non eſt odit, quæ hic pietatis utilitas? Reſp. Sic dicunt impii Mal. 3: 13. ſ. Sed dantur externa iſta cum conditione afflictionum Mar. 10: 30. Præterea Pſ. 37: 16. Exiguum quod habet juſtus præſtat abundantia multorum impiorum: & ſic utique bene proſpectum ipſi eſt. Etenim 1 Tim. 6; 6. αὐτάρκεια autem alimento & tegumento acquieſcit. Eccl. 5: 11. Somnus laborantis dulcis eſt, ſive parum ſive multum commederit, ſed ſatietas divitum non ſinit eum dormire. Αὐτάρκης pius habet omnia Heb. 13: 5. ſ. Converſatio veſtra ſit ſine avaritia & acquieſcite præſentibus, dixit enim non deſeram nec derelinquam te, ut confidenter queamus dicere, *Deus mihi adjutor & non timebo, quid faciat mihi homo?*

Studeamus ergo pietati. Pſ. 37: 27. ſ. Gen. 26: 5. Iſaaco promittuntur plurima, tandemque additur. *Propterea quia Abraham obediens fuit meæ voci, & obſervavit meum mandatum, præcepta, ſtatuta & leges.* Quid non boni conſecutus eſt David & ſibi & poſteris? De ſua experientia is dicit, Pſ. 37: 25. *iuvenis fui & ſenui, ſed non vidi derelictum juſtum, nec ſemen ejus quærens panem,* derelictum nempe, nam ſemen ejus eſt in benedictionem; ſi non proximum, quemadmodum in ſemine Abrahami nunc deficit, attamen ſerum, etiamſi in milleſima demum fieret generatione, Pſ. 105: 8. ſ. Pietas ſingulis prodeſt Eſa. 3: 10. & toti populo, cap. 1: 19. *ſi volentes ſitis,* &c. etiam ad poſteritatem. Jer. 7: 9. ſ. Impietas exſcindit omnia, aſt pietas conſervat, ſtatuminat. Si pietas prævaleret in Belgio, alia haberemus tempora. ſed hæc dum negligitur judicia judiciis cumulantur. Pietati debet Caleb & promiſſionem iſtam & præſtationem, de qua docet.

3. *Cauſa exceptionis* ipſius. *Quia implevit pone Dominum; perſeveravit Dominum ſequi.* Hoc elogium ipſi ubique datur. Num. 14: 24. Joſ. 14. 8, 9. *Implere pone Dominum;* eſt omnes partes muneris ſui coram Deo perficere; quemadmodum Caleb legatus ad explorationem à Deo emiſſus, id egit, ut vera de terra referret, & quod reſponderet fidei quam debebat Deo, ut huic maneret potentiæ & veritatis gloria, neque ullis dimovebatur contradictionibus aut oppoſitionibus. Eſtque hæc plenitudo officii quandoque particularis, quandoque univerſalis, ut omnem obedientiam complectatur, Mat. 3: 15. *decet nos implere omnem juſtitiam.* 2 Cor. 10: 6. *quando obedientia veſtra impleta fuerit.* Hinc autem.

Implere pone Deum facit ut quis excipiatur à Deo in judiciis; hæc ſi evadere lubeat implendum eſt pone Deum. De Enocho dicitur ambulaſſe indeſinenter cum Deo, Gen. 5: 22. non tantum ſubinde, interruptis vicibus apud Deum fuit, ſed indeſinenter cum ipſo ambulavit, ut non deſereret vel

Deum vel opus Dei, & assumtus fuit ad Deum citra mortem: habuitque testimonium placuisse Deo, quod sine fide non fit Heb. 11: 5, 6. unde liquet vixisse semper fide, & quid *fide vivere* aliud quam indesineter Deo adhærere, ut palmes viti, unde omnis succus vitæ & si momento absit, deficit. Ps. 3: 9. דבקה *agglutinata est anima mea pone te.* De Noacho Gen. 6: 9. *ambulare indesinenter cum Deo*, & justum & integrum esse in generationibus suis, quamvis multæ hæ forent, & indies pejores, ipse tamen constans. De Abrahamo Gen. 17: 4. sic Deum habet אל שדי & quid sit dicitur, cap. 26: 5. Ita Ps. 119: 1. s. *Beati integri via, qui ambulant in lege Dei*, &c. ut de Davide 1 Reg. 15: 5. ubi unicum excipitur, de quo & Salomone Cap. 11: 6. Salomo non fecit quod bonum in oculis Domini &c. *non implevit pone Dominum, uti pater ejus David,* qui tamen initio bonus fuit, adeo ut perseverantia connotetur. Hinc ipsius posteris magna pars regni ademta, & quod relictum propter Davidem relictum est. Apoc. 3: 2. *non inveni opera tua plena coram Deo.* Etiam in quovis opere est plenitudo, quod docet *ex corde tuo toto, & anima tota, & viribus totis: & sicut teipsum.* Rom. 13: 10. Dilectio est impletio legis, & vers. 8. & qui diligit alterum, implevit legem, de diligendo proximo. Sed pariter implenda quod ad dilectionem Dei nam qui observat totam legem, & impingit in uno, reus est omnium Jac. 2: 8. s. neque potest dici impleviſse pone Deum.

Hic v. est quod conqueramur. Quisnam propemodum est, qui impleat pone Deum. Implentes multos videre est, sed est pone cupiditates suas, pone mundum, pone diabolum Eph. 2: 2, 3. Esa. 56: 11. s. Jer. 6: 13. cap. 8: 5. s. Cap. 2: 31. *dicunt Domini sumus, non veniemus ultra ad te.* & moniti de resipiscentia, cap. 18: 12. *desperatum est, nam ambulabimus pone cogitationee nostras*, &c. aut de malis metuendis, *desperatum est, Non, nam amo peregrinos, & illos sequar.* cap. 2: 25. imo ut voluptuari magis velint Esa. 22. vers. 13. Neque multo meliores qui hypocrisi tegunt suas actiones. Ezech. 33: 30. s. qui profitentur amorem verbi Dei, veniunt in templa ut populus, & sedent ut populus Dei, blanditias facientes ore, cum cor ambulet pone avaritiam, aliasve cupiditates; nihil agentes eorum quæ dicuntur. Ezech. 14: 1. s. qui cum Deum rogant in precibus, sua idola erexerunt in cordibus. Luc. 13: 26. qui cum glorientur de auditu concionum & participatione epularum Christi, sunt operarii iniquitatis. Rursum qui timent Deum ex præceptis hominum, Esa. 24: 13. & fidem formant juxta placitum aut exemplum primatum in Ecclesia vel Rep. Joh. 7: 26. jamne primores vere scirent hunc vere esse Messiam, & vers. 48. an quis primorum in eum credidit, aut Pharisæorum? Denique cum nemo possit duobus Dominis servire Mat. 6: 24. quicunque aliquid præter Deum habet cui adhæreat. Cap. 16: 24. quisquis non abnegat seipsum, odit omnia etiam charissima ipsamque vitam suam quo Christum sequatur, non est discipulus Christi quique crucem suam non fert, sequens eundem Luc. 14: 26. s. Omnia ista pugnant cum impletione sinceritatis. Ast quoad constantiam, qui incipiunt, sed in cursu deficiunt: & cum bene cucurrissent languescunt, amore præsentis seculi: quorum Zelus magnus subinde est, sed tandem vix tepor adest. Quod quidem potissimum observare est tempore Supplicationum, quando pressi adversis Deum flagitamus opem. Implere putant non nulli pone Deum si affligant se jejunio, curvent caput ut juncum, suspiria profunda ducant, cum die meditentur de satisfaciendis cupiditatibus, & postridie redeant, ad voluptates, ad injustitiam, ad oppressionem, & tanto validius adstringant vincula & nodos impietatis Esa. cap. 58: 3. s. Itemque tempore S. Synaxeos, magna pietatis edant specimina, verum postridie redeunt ad priora, & nihilo mutati sunt, ab iis qui ante fuerant. Sunt quos metus hominum, quos favor eorundem facit non progredi, quos commodum vel damnum moratur, ut Jeroboamum in erigendis vitulis, & Jehu in non destruendis illis. Et hujusmodi sunt infinita. Enimvero implendum est pone Deum, siquidem officio nostro velimus satisfacere, & si excipi à Deo in judiciis, debemus nos ab aliis excipere qui non implent. Ps. 37: 34. *Viam Dei servate* idem est cum hoc implere Gen. 18: 19. Ps. 119: 104. Istud autem poscit integritatem in via, ut solius Dei viam servemus, propria via mala est, abducit à Deo Esa. 57: 17. Phil. 3: 8. omnia sunt damna putanda, quæ propria, integritatem in ambulatione, ut ipsimet integri simus, Eph. 5: 15. Rom. 12. vers. 1, 2. ἀκεραίως integritatem in modo, Rom. 12: 11. Sobrii & vigilantes 1 Cor. 15: 58. non acquiescentes in specie pietatis, sed ejus efficaciam exhibentes. integritatem in fine, non ferentes fructus nobis ipsis Hos. 10: 1. ut videamur ab hominibus ut Pharisæi, Mat. 6: 1. s. Sed ubique Dei gloriam spectantes 1 Cor. 10: 30. & impleti fructibus justitiæ, qui per J. Christum sint ad gloriam & laudem Dei Phil. 1: 11. integritatem in constantia, 1 Cor. 15: 58. 2 Pet. cap. 3: 17. cap. 2: 21. Phil. 3: 10. perseverando ad finem usque fideliter Mat. 10: 22. Apoc. 2: 10. Cæterum ut quis sic agere queat debet æstimare Deum super omnia Ps. 73. vers. 28. appropinquare Deo mihi bonum est: colloco fiduciam meam in Deo. Felicitas in Deo est, eoque fide ad Deum accedere decernit. Ps. 16: 5. s. *Dominus pars portionis meæ & calicis mei, tu sustentas sortem meam, funes ceciderunt mihi in amœnitatibus*, &c. *jugiter colloco Dominum coram me.* Deus portio abundantissima, & felicissima, ergo apud ipsum manere vult. ut Apostoli *Domine quo imus, habes verba vitæ æternæ, & credimus*, &c. Joh. 6; 69. imo Ps. 73; 23—25, 26. omnibus aliis sordentibus, & cum caro & cor defectura videntur. Hic est voluntas implendi, ut Job. 13; 15. s. *Si me occidat, annon sperarem, nihilominus vias meas coram ipso defendam, etiam erit mihi salutari, sed hypocrita non veniet coram faciem ipsius.* Hoc modo nobis agendum. Enimvero ut possimus, unum est necessarium. Num. 14; 24. *Servus meus Caleb, alius Spiritus fuit cum ipso, & implevit pone me.* Si habuisset solum spiritum proprium, ut cæteri exploratores, non melior fuisset; sed alius Spiritus adfuit ipsi. Dan. 5; 12. & cap. 6; 4. Danieli tribuitur spiritus excellens, aut redundans supra alios. est ille Spiritus Dei. Hic est qui necessarius; est spiritus illuminationis, & fidei, & obedientiæ. Est spiritus ex Deo, qui ducit ad Deum, ut ei conjuncti maneamus. Ezech. 36. vers. 27. quod implere est. Quamobrem petamus Ps. 143. vers. 10. *Spiritus tuus bonus*, &c. Petamus, inquam, nam dabit Luc. 11; 13. Sic *ambulantes per Spiritum non implebimus cupiditates carnis*, Gal. 5; 16. Sed implebimus pone Deum, donec tandem impleamur Deo, & beatitudine ejus in æternum.

Vers. 37. (*Etiam contra me ira percitus est Jehova occasione vestri, dicendo; neque tu ingredieris illuc:*

Vers. 38. Sed *Jehoschuah filius Nunis, qui adstat in conspectu tuo, ipse ingredietur illuc: eum confirma, quia ipse possidendam dividet eam Israelitis.*)

Gen. 18; 25. *Absit à te, ut justum perdas cum injusto. An judex universæ terræ non judicaret juste?* dicebat quondam Abraham ad Deum, cum is aperuisset consilium visitandæ Sodomæ, ut animadverteret secundum peccata ipsorum. Judicis est unicuique adjudicare quod ei debetur, impio pœnam, ac justo indemnitatem; non est æquum ut qui non est consors culpæ; fiat consors pœnæ; inprimis si omni conatu se opposuit peccantibus. Hæc fuit Loti ratio; 2 Pet. 2; 6. s. Urbes Sodomæ & Gomoræ incinerando eversione Deus condemnavit, & posuit in exemplum iis qui impie victuri essent, sed justum Lot, qui fatigatus erat impudica conversatione hominum abominandorum, liberavit. Hic enim vir justus, habitans inter eos quotidie justam animam afflixit videndo & audiendo impia ipsorum opera. Imo ad extremum vim intentarunt, Gen. 19; 9. Atque sic ipse solus liberatus fuit ex perditione. Simillime egit Deus cum Israelitis; cum universalis esset rebellio populi contra Deum, repudiando terram repromissionis, Deus rebelles omnes fruitione terræ exclusit, idque jurejurando ut scirent nulla pœnitentia ipsorum, nulla supplicatione rescindendam esse sententiam. Verum Josua & Caleb non una rebellarunt, imo rebellibus se opposuerunt

non

non ſine manifeſto diſcrimine, cum lapidationem eis intentaret: Deus ergo horum habet ſingularem rationem, ſic ut exemerit eos pœnæ, atque ſecuros præſtaret ingreſſus in terram, ex omni numero recenſorum ab annis 20 & ultra, inter omnes mares XII. tribuum, quæ terræ hæreditatem erant habituræ: quomodo utique Deus ſe juſtiſſimum judicem oſtendit, qui juſtos involvi judicio noluit. Hanc exceptionem vidimus in Calebo, verſ. 36. ſed videnda quoque in *Joſua*, quod fit in verſ. 37: 38. Eſt v. non ſimplex, ut antea, ſed cum incremento benedictionis; Non ſolum non excluſus ille fuit Cananæa, ſed conſtitutus populi dux, qui introduceret, & hæreditatem aſſignaret loco Moſis. Quomodo conjungit aliam hiſtoriam Moſes, tempore poſteriorem, annis fere 38. quæ tamen pertinuit ad confirmandam exceptionem Joſuæ à perditione. Exceptum fuiſſe Joſuam, non ſecus ac Calebum, dicitur Num. cap. 14: 30. in ſententia Dei; & in judicio repentino contra exploratores reliquos decem, verſ. 38. Cauſam quoque eandem fuiſſe liquet, quæ in Calebo. Uterque implevit pone Dominum Num. 32: 12. In hoc fuit alius, excellentior ſpiritus, ut implerit pone Dominum; & ſic in Joſua, de quo Deus ait, *eſſe virum in quo ſit Spiritus* Num. 27: 18. alius nempe, & excellentior, Spiritus Dei, qui corda flectit ad timorem & obſequium Dei. Hujus nunc quoque meminit Moſes, refertque novum beneficium Dei erga ipſum, quod iſtud ſecutum eſt, ut dux fieret populi loco Moſis. quod novam rationem præbebat confirmandi, quantopere indignetur Deus infidelitati, ut eam nolit impunitam dimittere. Indicat itaque. I. Occaſionem, verſ. 37. II. Beneficium Joſuæ excepto datum, verſ. 38. (tum procedit ad exceptionem alicujus multitudinis, verſ. 39. & confirmationem ſententiæ, verſ. 40.)

1. *Occaſio* eſt, verſ. 37. *Etiam contra me ſe ad iram Dominus commovit propter vos; dicendo, Tu quoque non ingredieris illuc.* Non factum eſt iſtud vel eodem tempore vel eodem modo. Murmurantibus contra terram vehementer ſe oppoſuit & Moſes & Aaron, non minus quam Joſua & Caleb: Moſes etiam ſuis precibus à Deo impetravit, ne populum repentina plaga deleret, quando ipſi offerebat multiplicationem in populum, & promiſſionum hæreditatem, quomodo utique in terram fuiſſet ingreſſurus. Sed exacto exilii ſpacio propemodum, anno ab exitu quadrageſimo, cum fere omnes murmuratores mortui eſſent, rediiſſetque Iſrael circa Kades, mortua ibidem eſt Mirjam menſe primo; deficientibus autem aquis in deſerto, magna ſeditio populi fuit excitata contra Moſen & Aaronem, indignante quod ex Ægypto eductis non dediſſent terram fertilem, cujus ſpem fecerant, & dolente quod non jam exſpiraſſent in deſerto uti fratres. Num 20. Deus hic juſſit Moſen accepto ſcipione ſuo, una cum Aarone accedere ad petram, toto cœtu inſpectante, & petram alloqui, ſic daturam aquam, quæ ſufficeret populo & jumentis ipſorum. Moſes & Aaron obtemperant, & cum ſcipione accedunt ad petram, dicuntque. *Audite nunc, ô rebelles, an ex petra hac proferemus vobis aquam?* tum levata Moſes manu petram ſcipione bis percuſſit, promanaruntque aquæ magna copia. Putaret quis probe omnia ſic fuiſſe acta. Nam ex Dei mandato ſumſit ſcipionem, & coram omni populo ad petram conſtitit; tum graviter populum reprehendit ob contumaciam, quam jugiter exercebant, tandem percuſſit petram ſcipione, quod olim Deus juſſerat in Rephidim Exod. 17: 6. Secutæ etiam ſunt copioſæ aquæ, adeoque ſecutus eſt effectus qui quærebatur. Veruntamen Deus hic illico dixit ad Moſen & Aaronem, *Quia non credidiſtis mihi ut ſanctificaretis me ante oculos filiorum Iſraelis, idcirco non introducetis generationem iſtam in terram quam ego do eis.* Ergo ubi quis putaret obedientiam fuiſſe, notatur ipſorum inobedientia. Circumſtantia vitioſa vitiat actionem; Facit quod juſſus erat, ſed in circumſtantiis variat, & reus eſt ut Saul 1 Sam. 15: 13. 2 Chron. 30: 18. ſ. Cauſa variationis fuit illa infidelitas, quod non crederent Deo, ſed variis modis dubitarent de ipſius verbis. Juſſi erant ſcipionem quidem aſſumere, ſed non niſi loqui ad petram, & imperare illi, ut aquam daret. Sed primum alloquuntur populum, quem quidem recte reprehendunt, ſed ut propter ejus rebellionem putarent non datum iri aquam, *an producemus*, &c. ubi utriuſque Moſis & Aaronis conſenſus eſt in iſta diffidentia. Deinde non loquuntur ad petram, uti nunc mandarat Deus, ſed quod olim, percutit eam Moſes, non credens verbis tantum efficaciæ fore, quantum facto ante explorato; tertio, iterat percuſſionem, vel quod ad primam non ſequeretur aqua, vel quod ſecuturam dubitaret. Sic v. indignatur Deus Moſi & Aaroni, & utrunque terra Cananæa excludit, ut ductores non eſſent futuri populo, quod hactenus fuerant. De hoc dicitur, Pſ. 106: 32. ſ. *male fuit Moſi propter ipſos. Nam exacerbantibus illis ſpiritum ipſius pronunciabat labiis ſuis.* Belgæ, **ſprack hy onbedachtelijk met ſijne lippen.** Num. 20: 13. hiſtoria illa ſic clauditur. *Illæ ſunt aquæ Meriba* (contentionis) *ubi contenderunt filii Iſraelis contra D. & Sanctificavit ſeſe inter illos*, vid. Moſe & Aarone. Conſiderandum hic preſſius peccatum ipſorum, & quid in eo fuerit quod Deum eousque exacerbarit. Infidelitas populi, quod turbati exploratorum ſermone, noluiſſent ingredi in terram, Deo jubente & ſuam præſentiam ac opem pollicente, effecit ut excluderentur terra, addito jurejurando, atque omnes illi ſpacio 40. annorum exſtincti erant. Jam inſtabat tempus ingreſſus, cavendum erat ne novo infidelitatis exemplo novam excluſionem, & poſſeſſionis dilationem accerſerent; quemadmodum Moſes hoc inculcat Rubenitis & Gaditis, cum peterent poſſeſſionem trans Jordanem, terram Sihonis & Og; patres repudiantes terram excluſos fuiſſe, & ſi ipſi idem facerent denuo, idem paſſuros, Num. 32: 14. ſ. *Ecce ſurrexiſtis loco patrum veſtrorum turba hominum peccatorum Etſi vos avertetis*, &c. qui fidem ſuam profitentur, & obſequium, primi futuri in occupanda Cananæa, quamvis portionem iſtic non habituri. Aſt hic peccarunt Moſes & Aaron, Infideles ſunt, non credentes verbo & potentiæ Dei, de aqua petræ danda, rebellique populo exemplum ejus præbent, itaque Deus concipit iram juſtiſſimam, & quia Deum non ſanctificarant obſequio fidei, ſanctificat ſe in ipſis vindicta inobedientiæ, adeo ut quam pœnam tulerant infidelitatis cæteri Iſraelitæ, etiam ipſi ferrent, pariter excluſi terra Canaan, & extra eam morituri: quod & Aaroni contigit, Num. 20: 23. ſ. & Moſi, cap. 27: 12. ſ. Unde diſcimus.

(1.) *Similitudo peccati adfert ſimilitudinem pœnæ.* Iſraelitæ excluſi ſunt terra propter infidelitatem, Heb. 3. verſ. ult. & pariter Moſes ac Aaron. Baeſa imitatns Jeroboamum idololatria; ejusdem confirmatione pariter ut Jeroboam exſcinditur cum univerſa familia; & Achab novus ſeductor, redigitur in ſtatum ſeductoris Jeroboami. 1 Reg. 16: 2. ſ. cap. 21: 22. ſuper Hieroſolymam extenditur linea Samariæ, & perpendiculum domus Achabi, quia Manaſſes illos erat imitatus 2 Reg. 21: 13. & quia juſtificavit Sodomam ſuis peccatis Ezech. 16: 48. quam imitata eſt Eſa. 3: 9. etiam judicium Sodomæ ſupervenit terræ, Deut. 29: 23. imo quando imitaturi erant Iſraelitæ gentes Cananæas in terra, eodem modo erant exſpuendi, Lev. 18.

Cavenda ergo peccati ſimilitudo, ne eodem modo puniamur, 1 Cor. 10: 5. ſ. *Deus in plurimis ipſorum non habuit placitum, nam proſtrati fuerunt in deſerto. Et hæc nobis facta ſunt in exemplum*, &c. Apoc. 18: 4. *Egredimini ex ea populo mi, ne participetis peccatis ejus, & accipiatis de plagis ejus.* Vivimus in mundo, & mundus jacet in malo 1 Joh. cap. 5: 19. quæ concupiſcit & agit mala ſunt, cap. 2: 15. ſ. & perit mundus: qui vivit ut mundus, peribit ut mundus. Hinc Paulus, Rom. 12: 2. *ne conformemini mundo huic.* Nequimus egredi ex mundo, quod meditati ſunt nonnulli Eremitæ, ſed qui ſepenumero mundum ſecum tulerunt in deſertum: ſed egrediendum ex conformitate mundi. Sed id pauciſſimis perſuadetur: ambulant ſecundum morem ſeculi Eph. 2: 2. nolunt ſingularitatis notam ſuſtinere, eoque una currunt ad eandem effuſionem luxuriæ 1 Pet. 4: 4. Atqui peregrini ſumus in mundo, quotquot vere Chriſtiani ſumus; etenim Chriſtus ſemetipſum tradidit pro peccatis noſtris ut nos traheret ex præſente malo ſeculo juxta voluntatem noſtri Dei & Patris Gal. 1: 5. & donat maxima, & pretioſa promiſſa, ut participes eſſemus divinæ naturæ poſtquam effugimus perditionem quæ in mundo per cupiditates 2 Pet. 1: 4. Quotusquisque autem vitat cupiditates, licet belligerantes contra animas 1 Pet. 2: 11. Zeph.

cap. 1: 8. *Se veſtier[illegible]oeſte peregrina.* Datur veſtis quæ decet profitentes pietatem 1 Tim. 2:9,10. bonis operibus. Quæ aliæ ſunt peregrinæ æſtimantur, tametſi filiæ Zionis eas fecerint & hinc pœnæ ſuper ornatum non communem. Jes 3. Sodomiticæ actiones, ſuperbia, ſatietas panis, abundantia otii, immiſericordia erga pauperes, elatio in praxi impietatis, ut correctionem non admitterent Ezech. 16: 49. ſ. impudens gloriatio de malo Eſa. 3: 9, uti faciunt principes Sodomæ & populum Gomorræ Eſa. 1: 9, 10. Prophetas Sodomæ, & auditores Gomorræ Jer 23: 14. Sic tandem in ſimilitudinem judicii deducunt: quod ſi non ad eam extremitatem adſcendat, benignitatibus Domini adſcribendum eſt. Jer. 3: 7. ſ. Iſraelis incorrigibilitas punita repudio, Judam non abſterruit à ſimili peccato, cui proinde ſimile repudium datum Eſa. 50: 1. Cauti ſimus exemplo Iſraelis, Eccleſiarum Aſiæ, Romanæ. Quod illis etiam nobis alias continget. Quemadmodum inſtante diluvio, & everſione Sodomæ contemtores hortationum ad pœnitentiam fuerunt tandem perditi, ſic quoque in extrema mundi ætate continget ſimilibus contemtoribus Luc. 17: 26. ſ.

Specialius.

(2.) *Infidelitas ſeveriſſime punitur à Deo.* Ex 60 3550. qui recenſi erant, nemo evaſit mortem in deſerto, propter infidelitatem, niſi Joſua & Caleb, qui crediderant Deo. Lev. 10: 3. *in appropinquantibus ad me ſanctificabor, & coram toto populo glorificabor; cum filii Aaronis igne* cœleſti periiſſent ob illatum peregrinum ignem. Moſes & Aaron alioqui miniſtri Dei fideliſſimi, ſic peccantes, pariter debuerunt extra terram mori. Aulicus non credens Deo, non guſtavit de bono datæ promiſſionis 2 Reg. 7. Joh. 3: 36. Etenim fit ei ſecundum fidem ſuam, qui non credit vitam ibi eſſe, atque eapropter non vult eum recipere, non invenit vitam quæ ibi eſt. Imo quia non credendo Deum mendacem facit, 1 Joh. 3: 10. habet verbum promiſſionis pro mendacio, à Deo juſto vindice ſuæ gloriæ majori ira punitur.

Obſervandum iſtud inprimis hoc die. Actiones ejus potiſſimum exigunt fidem. Verbum prædicationis eſt fidei, Rom. 10: 8. fide miſcendum ab audientibus. S. Cœna eſt exercitium fidei, ut verbo promiſſionis credamus, & panem fractum & vinum effuſum ſigna & ſigilla credamus corporis & ſanguinis Chriſti. Qui infidelitate peccat ſeveriſſime punitur. Jer. 5: 12. ſ. qui negant Deum eſſe qui loquitur in verbo, verbum habebunt ignem conſumentem. Joh. 12: 47. ſ. *qui audiverit verba mea, neque iis crediderit, à verbo illo tandem condemnabitur.* Luc. 7: 29. ſ. qui non juſtificarunt Deum Baptizati à Johanne, conſilium Dei contra ſeipſos repudiarunt, ab illo non baptizati, & Act. 13: 26--46. qui miſſum ſermonem ſalutis ad ſe repulerunt, ſemetipſos vita æterna judicarunt indignos. uti ægrotus qui panaceam vitæ averſatur, abjicit, ſanationem ab ea pariter rejicit, ſimulque medicum qui paravit contemtu iſto offendit. Familiaris admodum eſt infidelitas in uſu S. Cœnæ. Sunt qui modum excedunt, ſibi fingentes quod non adeſt, ut qui in ſymbolis ipſum corpus & ſanguinem Chriſti præſentia credunt, ſive per mutationem ſignorum ſeu converſionem; ſive per incluſionem; infidelitas illa eſt contra Chriſtum, qui ſigna memorialia eſſe dixit, in prima cœna promiſſi & futuri, in cæteris præſtiti ac præteriti beneficii; nam illic nec fractum corpus erat, nec effuſus ſanguis, quod demum poſtridie accidit; adeo ut non potuerit adeſſe, illis modis, neque nunc adſit, quibus non alia Cœna quam diſcipulis præbita fuit. Mendacem ergo faciunt Chriſtum, neque illi credunt. 2 Reg. 5: 11. Naaman credebat Eliſam tollere poſſe lepram, ſed accidentem ad ſe, & poſt preces ad Deum, tangentem manu partem affectam: ſed cum juberetur in Jordane ſe lavare ſepties, non credidit quicquam ſalutare ſe reperturum: & ſic abiturus caruiſſet Sanatione. Sic qui non niſi ore manducatum Chriſtum juvare credunt, & niſi ſic habeant adſpernantur, carent utique beneficio, quia fide carent. Sed ſunt etiam qui deficiunt, qui ſymbolis communicant, moris ergo, non attendentes verbum promiſſionis, & in eo vitam quærentes. Num. 21: 8, 9. qui admorſi à ſerpentibus ignitis, non intuebantur æneum ſerpentem, ceu nullarum virium exiſtentem, non fuere ſanati; ſed qui intuiti ſunt fiducia mandati divini, & credentes promiſſioni ejus, licet noſſent pariter æneum ſerpentem eſſe impotentem, reſtituti ſunt ſanctitati. Fidei actio conformis verbo Dei ſalutaris fuit, & ſic quoque hic. Quantum fidei adeſt tantum adeſt Chriſti 2 Cor. 13: 5. non habet Chriſtum qui non habet fidem, qui per fidem habitat in nobis Eph. 3: 17. & per verbum fide receptum Joh. 15: 7. Verbo non immanente, non immanet Chriſtus, qui proinde non in pane & vino eſt, ſed in verbo promiſſionis, eoque non ore corporis, ſed ore cordis recipitur. Caro non prodeſt quicquam etiamſi quis eam manducaſſet, quod tamen impoſſibile, quia erat aſcenſurus ubi erat prius: ſed verba Chriſti, in quibus Spiritus eſt & vita, Joh. 6: 63. quæque fide apprehenduntnr. Fide qui caret indigne edit & bibit, eoque ſibi edit & bibit judicium, 1 Cor. 11: 27—29. ſ. *propterea multi inter vos infirmi & ægroti, & multi dormiunt; nam ſi nos ipſos judicaremus non judicaremur.* Fit cuique ſecundum fidem ſuam, qui nullam vel qui malam habet, nihil obtinet. Qui credit nihil ſibi profuturum niſi oraliter manducet Chriſtum, nihil quoque proderit alia manducatio, quamquam illam quam vult nunquam ſit conſecuturus: qui non credit, comedens duntaxat de pane & bibens de poculo, panis & poculi communionem tantum habet, non Chriſti: fides una eſt quæ Chriſtum apprehendit, & in eo ſolatium & vitam, & ſalutem ſempiternam.

Denique hoc notandum.

(3.) *Infidelitas & inobedientia ſcandaloſa punitur in exemplum attamen nec reſipiſcentiam, nec ſalutem adimit.* Moſes & Aaron peccarunt infidelitate, exemplo ſcandaloſo, hac propter puniti infidelium inſtar, attamen peccatorum veniam à Deo ſunt conſecuti. Pſ. 99: 8. infidelitas quatenus admiſſa contra Deum invenit condonationem, quam precibus poſtularunt, quas exauditas dicitur; veruntamen quia offenderant exemplo Iſraelitas, qui facile ſecuti fuiſſent, vindicta contra eos exercita eſt, quantum ad Iſraelitas, ut pœnæ exemplum forent publicum. Sic omnes murmurantes contra terram mortui ſunt in deſerto, ſed non omnes æternum damnati: juramentum excluſit requie terræ ſed non univerſos requie æterna, ut reſipiſcentiæ gratia omnibus fuerit negata. Num. 27: 3. Zelophchad mortuus fuerat, ſed non inter rebelles Korachi fuerat, mortuus propter peccata ſua. 1 Pet. 4: 6. mortuis propterea euangelizatum eſt, (non poſtquam mortui, ſed dum adhuc viverent,) ut judicarentur ſecundum hominem in carne, viverent autem ſecundum Deum in Spiritu: mors corporalis in diluvio conſortium peccati ſecuta eſt, ſed reſipiſcentia impetravit ſalutem animæ. 2 Sam. 12: 7. ſ. Davidis adulterium & homicidium reſipiſcenti remiſſum fuit cum diceret, *peccavi contra Dominum*; Nathan ait, *Dominus peccatum tuum fecit tranſire, non morieris;* attamen quia ſcandalum dederat, punitur coram hominibus, quin etiam ſupervenerunt cætera, gladius contra ipſum, & quidem ex domo propria, Abſalomi contra Amnonem, & Davidem ipſum, ſtupratioque uxorum ejus publica. Sic homicidæ ſanguis effundendus eſt à magiſtratu citra veniam, ad ultionem effuſi coram hominibus qui tamen poteſt veniam homicidii, quatenus contra Deum eſt, à Deo conſequi per fidem in Chriſtum.

Eſt hoc ſolatio piis. Habent & illi multum infidelitatis, & infirmitatis; experiuntur etiam Dei manum vindicem in variis judiciis, tum communibus, tum ſingularibus. At enim propterea non ſunt deſperato loco. Reſipiſcentibus gratia fit; quamvis exemplo ſint quoad externa judicia, ad deteſtationem peccati, 1 Cor. 11: 32. *cum judicamur à Domino caſtigamur, ne cum mundo condemnemur*, dicitur de iis qui ob indignum uſum S. Cœnæ in morbos contagioſos, ipſamque mortem inciderant. Nemo ergo deſperet, ſiquidem judiciis exerceatur, in quibus peccatum ſuum legere quodammodo queat. Deus quoque in domeſticis ſuis non fert culpam, imo primum vult in iis juſtitiam ſuam animadverti. Amos 3: 2. 1 Pet. 4: 17. ſed non abjicit penitus. Mirjam publice peccans, publice ignominiam fert, ſeclusa extra caſtra, quam tamen Deus ſua rurſus gratia dignatus eſt, ut pater, qui filiæ faciem conſpuit, ignominia iſta pudefacit, non v. abdicat Num. 12. Caſtigat pater filium peccantem, ut ſe oſtendat oſorem peccati, ſed amat tamen & ſuæ ſanctitatis facit conſortem. Heb. 12: 6. ſ. Eoque excitemur omnibus judiciis ad examen & emendationem viarum

rum noſtrarum, & gratias agamus Deo, de ira, quæ operata eſt reſipiſcentiam ad ſalutem Eſa. 12: 1.

2. *Beneficium* eſt, verſ. 38. *Joſua filius Nun*, &c. Cum Moſes excluſus eſſet ingreſſu terræ, neque impetraret remotionem iſtius judicii, petiit à Deo ſubſtitui in locum ſuum alium aliquem, Num. 27: 15. *Dominus Deus Spirituum omnis carnis, ſtatuat virum ſuper hunc cœtum, qui coram facie eorum egrediatur & ingrediatur, eos & ducat & introducat, ne cœtus Domini ſit ut oves carentes paſtore.* Non ſubſtituit ſibi filios, ut hæredes eſſent gubernationis, ſed rem omnem refert ad Deum, qui diſpiciat aptiſſimum. Atque tunc Deus, *Aſſume tibi Joſuam filium Nun, virum in quo Spiritus eſt, & impone ei manus tuas, & coram omnibus ei mandata da, & impone de gloria tua ſuper ipſum, ut totus cœtus Iſraelis audiat.* Heic Deus utrunque dicit Joſuam ingreſſurum terram, & ingreſſurum ea conditione qua Moſes alias fuiſſet ingreſſurus, ut ducem.

Deſcribit autem Perſonam, *Joſua filius Nun, qui coram facie tua conſiſtit*, hoc eſt, miniſter tuus. Fuit dux exercitus contra Amalek Exod. 17. cui etiam ulterior ultio contra Amalek fuit commendata, verſ. 14. Moſis miniſter appellatur primum Exod. 24: 13. qui tunc una adſcendit in montem, ſed in partibus inferioribus, & ibi manſit 40. diebus fruitus manna depluente etiam iſtic, uſque dum Moſes deſcenderet, adeo ut non fuerit inter eos qui vitulum aureum fecerunt vel coluerunt, cap. 32: 17. Zelotes pro Moſe magnus Num. 11: 28. ſ. quem nomine tribus Ephraim miſit exploratum terram, & tunc nomen ejus Hoſea, addito Jod mutavit in Joſua, cap. 13: 8–16. & hic redux perſeveravit in miniſterio Moſis.

De hoc v. dicitur, exceptum eſſe à pœna, *ipſe ingredietur*: quæ eſt repetitio antiquioris exceptionis: verum inſuper inaugurandum ſucceſſorem Moſis: robora ipſum, nam ipſe Iſraelem faciet hæreditare.

Eſt hic quoque præmium pietatis, & fidelitatis, Joſua uſpiam non fidelis deſcribitur in opere Dei, & Moſis; hinc & Dei habet gratiam, & ſucceſſionem Moſis. Non meritus eſt iſta, ſed habuit ex gratia, à qua fluxit ſpiritus ille ſingularis. Fuit Spiritus roboris, unde jam olim dux belli, eoque maxime idoneus qui præficeretur omnibus cum bella eſſent gerenda. Quibus enim Deus uti vult eos quoque inſtruit donis, & quos inſtruit donis, eos tandem adhibet operi cui paravit. Num. 14: 4. dicunt de conſtituendo capite, qui reducat in Ægyptum: facile inveniunt homines qui duces ſint abeundi à Deo, & amittendi dona ejus, hæreditatem terræ: aſt qui ad Deum & felicitatem ducat à Deo dandus eſt, & inſtruendus. Abimelech electus à populo & Abſalom, aſt Gideon à Deo, & Jephta, & Barak, & Ehud, & Joſua. Sollicitandus Deus ut det, & det non in ira ut Saulem, ſed in gratia, ut Joſuam, & Davidem. Denique quem Deus deſignat agnoſcendus & confirmandus eſt. Sic Samuel Saulem. Ipſe Moſes eum debet roborare, deque ſua gloria & autoritate ipſi communicare. quod pluribus dicitur Deut. 31: 1. ſ. cap. 34: 9. *Joſua fuit plenus ſpiritu ſapientiæ*, Moſes enim manus ſuas ei impoſuerat. Quod autem dicitur Joſuam hæreditaturum Iſraelem docet nos, Legem nihil conſummaſſe Heb. 7: 19. Moſen non potuiſſe introducere in Cananæam, ſed id Joſuæ relictum eſſe: fœdus Moſis non affert quietem, ſed melioris ſpei autor eſt Jeſus; hic eſt qui æternam quietem facit hæreditare. Ad hunc convertamus oculos & animum. Uti Joſua jam exploravit hæreditatem illam. & ut Joſua eo ducet quotquot ei obedientes ſunt. Oſculemur hunc filium, & præeuntem ſequamur, ſic nos ducet ad ſalutem quam ſperamus, quietem æternam in cœleſti Cananæa.

Verſ. 39. *Parvuli autem veſtri de quibus dixiſtis, prædæ erunt, & filii veſtri, qui non cognoſcunt hodie bonum aut malum, ipſi ingredientur illuc: nam eis tradam eam, & ipſi hæreditario jure poſſidebunt eam.*

Verſ. 40. *Vos igitur revertimini: & proficiſcimini in deſertum ipſum, via* ad *mare algoſum.*

b. Pſ. 8: 3. *Ex ore infantium & lactentium fundaſti robur propter adverſarios tuos, ad ceſſare faciendum hoſtem & vindicem.* Licet hæc applicare præſenti hiſtoriæ. Habuit Deus adverſarios Iſraelitarum pleroſque, qui terram ſibi donatam, quam ingredi juſſi erant repudiarunt, deſperantes eam dari poſſe. Aſt Deus fundat robur ſuum, & laudem ex ore infantum, & minorenonitm, quos introducturus erat, ut beneficio Dei fruerentur datoremque celebrarent: quomodo non habituri erant hoſtes illi quod contradicerent, imo ipſimet prius deſituri erant, intra brevem annorum periodum morituri in deſerto. Audivimus ſententiam Dei, verſ. 35. deinde exceptionem tum Calebi, verſ. 36. tum Joſuæ, qui etiam ductor ingredientium conſtitutus eſt, verſ. 37, 38. cujus honoris occaſionem indicavit Moſes, ſuum peccatum, quod cum infidelitatis eſſet, pœnam cum infidelibus eandem ſubire debuit, excluſionem ex Cananæa. Quæ indicina argumentum quoque eſt alius ſpiritus, in ſcriptione ſe oſtendentis, quam apud alios obſervatur. Qui de ſe ipſis ſcribunt, publicant laudes, diſſimulant vitia, aut ſi memoranda ſint, extenuant, excuſant, pingunt colore alio: aſt Moſes ſuam culpam profitetur. Scl. actus à Spiritu S. ſcripſit, eoque quod verum, non quod honorificum, quærens honorem non ſuum, ſed Dei; qui ſanctificari vult etiam in proximis, Lev. 10: 3. Verum poſt ſingularium quorundam exceptionem, refert porro generalem alicujus multitudinis, verſ. 39. & tum exſecutionem ſententiæ, verſ. 40.

Multitudinis exceptio eſt, verſ. 39. ubi deſcriptio perſonarum, & addictio terræ. Cauſa repudiatæ terræ fuit cura liberorum *Quare D. ducit nos in terram iſtam ut cadamus gladio, uxores noſtræ & parvuli noſtri ſint prædæ?* cap. 14: 3. Unde obiter notandum.

Amorem liberorum, ne quid in terra patiantur incommodi, multis eſſe cauſam ut & ſemetipſos perdant & parum juvent liberos. Magnus fuit hic ſed præpoſterus liberorum amor: nolunt eos objicere periculo, quod tamen ſub Dei ductu & propugnatione nullum erat, & privant ſemetipſos in perpetuum, liberos per 38. annos terræ poſſeſſione. Num. 14: 31. ſ. *liberi veſtri, de quibus dixiſtis prædæ erunt, illos introducam cognoſcent terram, vos autem* &c. Jeroboam ſtabiliturus liberis regnum Iſraelis, ne rediret ad domum Davidis, invenit & erexit idololatriam vitulorum; ſeque ac omnem poſteritatem exciſioni ſubjecit. Joſaphat honori & ſecuritati filii conſulturus, affinitatem iniit cum Achabo & ſic varie afflixit ſuum regnum, filiumque perdidit. David & Eli indulgentes filiis, ne triſtarentur familias ſuas & filios illos habuere perditos. Hab. 2: 9. ſ. domus & liberis proſpectum eunt, ſed pudorem conſulunt domui, & animæ reatum. Job. 20: 7. ſ. Similia leguntur Job. 27: 13.

Utinam hoc meditarentur parentes, ut modum ponerent amori liberorum. Vulgo iſto excellere creduntur, qui plurimum pecuniæ illis congerunt; & hoc fine nihil non agunt ut diteſcant. Hoſ. 12: 8. Zach. 11: 5. Sed 1 Tim. 6. verſ. 10. *cadunt in tentationem* tum *in laqueum* tum *in multas cupiditates*, Eccl. 5: 9. quæ *ſtultæ, noxiæ*, unde merſio in *perditionem*, *interitum*. Avaritia facit deficere à fide 1 Tim. 6: 17 configi doloribus. Quoties ita paratur liberis hæreditas terreſtris, & qui ſic parant, perdunt animabus ſuis cœleſtem: ut illi emineant, dominentur in mundo, procurant ſibi ignominiam & æterna opprobria, cum damnatione æterna. Liberis etiam ſuis ſubminiſtrant inſtrumenta peccandi, ut conformentur mundo, & eo fruantur, qui tandem mundi extremum conſequuntur interitum. Mat. cap. 16: 26. Curandi ſane ſunt liberi 2 Cor. 12: 14. nam qui hoc negligit abnegavit fidem, & pejor eſt ethnico 1 Tim. 5: 8. verum recte curandi ſunt. Mat. 6: 9, 10. &c. ut ibi quoque cor ſit, verſ. 33. quærite primum regnum Dei, &c. Exemplo Abrahami Gen. 18: 19. Via autem Domini obſervatur per Dei timorem Prov. 8: 13. timor Domini eſt odiſſe malum, ſuperbiam & elationem, & viam malam, & ille timor theſaurus eſt Eſa. 33: 6. Idem timor Dei eſt ſapientia Job. 28: 28. cujus ſapientiæ commercium præſtat commercio argenti, & proventus ejus auro effoſſo, pretioſior eſt Rubinis, longitudo dierum in dextra ejus eſt, & in ſiniſtra opulentia & honos, Prov. 3: 13. ſ. Pietati inſtruendi liberi, ut Deo aſſuefcant, legem vivendi ab ipſo accipiant,

purificando vias ſuas juxta verbum ejus, converſi ad Deum remoto à tentoriis ſuis malo. ſic non ſolum augebuntur opes externæ, quod non ſemper optandum, neque etiam ſperandum, verum Omniſufficientiſſime largiens Deus erit abundantiſſimum aurum & validiſſimum argentum Job. cap. 22: 25. ſ. Perſuadendum liberis ut diſcant facere poſſe, quod Jonadab ſuis mandavit; ut non biberent vinum, nec poſſiderent domos, agros aut vineas, ſed ſemper habitarent peregrinorum inſtar in tabernaculis, quo ingruente exilio, quod Prophetæ prædicebant, nihil peregrini haberent tolerandum Jer. 35. Sumus nos liberique noſtri non niſi peregrini in mundo; eoque nec diligendus mundus & quæ in eo, nec quærendus, imo ita uſurpandus, ut non abutamur mundo 1 Cor. 7: 31. Sic cum mundo non peribimus; quando divites ejus collocabuntur in ſepulchrum inſtar ovium, ut depaſcat eos mors, tandem juſti ipſis dominabuntur in illo mane Pſ. 49: 15.

a. *Perſonæ* ſunt liberi minorennes, quos diſtinguit in majores & minores.

1. *Majores ſunt parvuli veſtri quibus dixiſtis, erunt prædæ*. quo nomine comprehenduntur omnes pueritiam primum egreſſi attamen vicenariis minores, qui non fuerant recenſi, ceu non apti ferendis armis, ut non defenſores eſſent vel aliorum vel ſui ipſorum, ſed defendendi ab aliis. Horum plurimi proculdubio aſſenſi erant parentibus, quemadmodum ſolent beneplacitum habere in majorum verbis, ſtultitiamque eorum ſequi Pſ. 49: 14. Veruntamen à Deo excipiuntur. An ergo minoribus 20. annis licentiam facit peccandi? ut quæ in majoribus punit ſeveriſſime, in illis impunita velit? Sic foret Euangelium juventutis, Eccl. 11. verſ. 9. *Lætare juvenis*, &c. Sed Salomo addit, *ſed ſcito Deum propter iſta omnia te adducturum in judicium*: ubi ſententia fertur ſecundum opera cujuſque, & redditur compenſatio, cap. 12: 14. Eſt v. hic ratio ſpiritualis. Recenſiti, qui vicenio majores erant mares, mandatum habebant occupandi terram, vi armata, non minores; eoque quando noluerunt procedere, ſed decreverunt regredi, rebellio fuit majorum, non autem minorum: nam ubi non eſt lex, ibi nec transgreſſio Rom. 4: 15. & ſpiritualis legis, eſt ſpiritualis violatio. Non potuerunt eſſe inobedientes minorennes illi, non-ſumendo arma, & non-ingrediendo in Cananæam, quibus Deus locum non fecit in exercitu, neque occupandi laborem impoſuit. Itaque ſpiritualis inobedientiæ pœnam non ferunt, cujus nequibant eſſe rei. Sic Deus diſcriminat ſontes & inſontes, ne juſtus cum impio, non reus cum reo pari judicio abſumatur. Enimvero non valet iſtud exemplum in aliis criminibus. Bechai in Leg. fol. 202. col. 1. בעולם הזק אין בית דין של מעלה מענישין עד עשרים שנה Vicenio minores non ubique minores ſunt quoad vel legem, vel pœnam violatæ legis. In obſequio fœderis Iſraelitici, quod parentes & quoscunque Deut. 29: 10, 11. liberos complectebatur, majorennitas in maribus æſtimabatur annis non viginti, ſed tredecim uniuſque diei, adeo ut quæ externi cultus erant, minores omittere poſſent, citra reatum maledictionis, (quamquam quæ erant pietatis & juſtitiæ tenerentur facere, neque inobedientia erga parentes, homicidium, furtum aliaque omni ſine pœna patrarentur.) Unde pueri cum 12. annorum eſſent ducebantur à parentibus ad feſta, ut viderent omnes cultus cerimonias, & exercere diſcerent, ad quas anno proximo obligabantur. quemadmodum Jeſus duodecennis primum ad Paſchæ feſtivitatem Hieroſolymæ agendam deductus fuit Luc. 2: 42. Aſt in Sacerdotali munere obeundo majorennitas erat 30. annorum, quam ætatem Chriſtus exſpectavit antequam munus docendi ſuſciperet, tum demum & publice vocatus à Patre de cœlo, & Spiritu S. immanente unctus Luc. 3: 21. ſ. Credimus nos ſucceſſiſſe aliquatenus in jus Iſraelitarum, utique quod ad fœdus Abrahami Act. 2: 39. & in baptiſmo infantum illud nobis obſignatum volumus, proinde liberi noſtri fœderis lege tenentur ad obſequium; Minorennitas non extendenda uſque ad vicennium, nedum ulterius, ſed breviori termino finienda, in iis quæ coram Deo agenda. Eoque Prov. 22: 6. *Initia puerum*, & nam, verſ. 15. *ſtultitia alligata eſt animo ejus*. Eoque, cap. 23: 13. ſ. *ne ſubtrahas ei caſtigationem*, &c. Sed quantopere deplorandum minorennes hodie prorſus vivere tanquam exleges. Non dico de iis qui cœlibes, & communiter juventus, **jonge lieden** / appellantur, proximos vel majores 20. annis, uſque dum matrimonium ineant, qui ſibi licentiam voluptatum ſumunt, & vanitatum praxin in veſtitu, moribusque luxuriofis, imo etiam inſolentiam compotationum, nocturnarum graſſationum, feneſtrifragiorum, digladiationum, nec non mendaciorum, calumniarum, blaſphemiarum, &c. inter privilegia cenſent, vere majores ſæpenumero in exercitu Diaboli & militia mundi; ſed de minoribus, qui adhuc triviales Scholas frequentant, ſive Latinas, ſive Belgicas. Pueros ejuſmodi videas ſepiſſime in publico, inprimis die Dominico ludentes chartis pro pecunia, rixantes, pugnantes, & cum militiæ apti non ſint, quia parentes eos alligant gladio, gladios quoque in ſe mutuo ſtringentes, aut lapides jactantes, imo tantopere prævalet puerorum nullorum protervia, ut delectentur moribus feris, & is fere nobiliſſimus habeatur, qui plus improbitatis comminiſcitur & deſignat. Præceptores monitoresque contemnere, ridere, illis illudere, imo vim facere, & lapidibus petere glorioſum ducant; ſaltem impune ferant, cum punire malum qui debent vel non poſſint, vel non velint. Quid v. de hujusmodi juventute exſpectes? nonne dicendum ſurrexiſſe pueros, non loco parentum, cum per ætatem nondum poſſint eorum loco cenſeri, ſed juxta cum parentibus multitudinem hominum peccatorum ad multiplicandum æſtum iræ Dei contra Belgium. Non eos eſſe qui excipiendi ſint pœnæ publicæ, ſed qui primos inter cadere mereantur judiciis: quin imo propter quos & contra quos ſingularia judicia metuenda ſunt. Pueros Bethelis, qui calvitiem Eliſæ exprobrabant, Deus immiſſis urſis laniavit 2 Reg. 2. Non habemus hic urſos, neque ſi haberemus forſan Deus immitteret; Sed habemus leonem rugientem, obeuntem jugiter ad devorandum homines 1 Pet. 5: 8. & huic Deus permittit, ut apprehendat unguibus, & tandem animas deglutiat. Si adulti, ſane etiam adoleſcentes poſſunt viri capti eſſe laqueo Diaboli, & ſuaviter dormire 2 Tim. 2. verſ. 26. imo ſtolidus juvenis primum decipitur Prov. 7. verſ. 7. ſ. Adeoque Juventus ne patiatur ſe decipi, prætextu adoleſcentiæ, aut ſeduci exemplo. Eccl. 11: 1. Deus etiam ipſorum creator eſt, cujus meminiſſe debent, ut quam dedit animam & corpus, & juventutem ex ipſius voluntate, & ad ejus gloriam uſurpent. Timotheus à pueris norat ſacras literas, à matre & avia inſtitutus. Joſia puer adhuc quæſivit Deum patris Davidis. Jeſus duodecennis de religione potuit reſpondere, fuitque parentibus obediens. Sic vivendum juventuti, ſic formandi ab adultis, parentibus, præceptoribus. Quam pulchrum eſt à puerulis quoque Chriſto acclamari, *Hoſanna filio Davidis*, ſive cum adultis, ſive etiam ſine illis, & illis indignantibus Mat. 21: 9--13--16. Verum quando pueri etiam conſpirant in provocatione Dei, maturatur pernicies publica. Jer. 7: 17. ſ. Quod ne nobis eveniat, avertat Deus; Ille mittat efficaciam prædicationis reſipiſcentiæ, in ſpiritu & virtute Elias ad convertendum corda patrum ad liberos, & inobedientes ad prudentiam juſtorum, ad parandum Deo populum præparatum, ut cum venerit inſpecturus vias noſtras, inveniat non quales non vult, ne nobis fiat qualem nolumus, Zelotes & vindicans; ſed populum ſpontaneitatis in decoribus ſanctitatis, Zeloten in bonis operibus, quales vult, ſitque nobis qualem optamus. El Schaddai, in ſuppeditandis neceſſariis, & Jehova in præſtandis promiſſis, ut & hic felices ſimus, & in æternum.

2. *Minores* cæteri ſunt, *filii veſtri, qui hodie nec bonum, nec malum norunt*. Infantes notat, qui nondum fari poſſunt, nihil dum agere, nec ratione uti, qui nec legis ullam notitiam habent, neque in quibus conſcientia quicquam agit in alterutram partem vel accuſando vel excuſando. Horum exceptio non tantum eadem eſt cum præcedentibus, qui multo minus legem illam de ingreſſu habebant, verum etiam alia ætatis innocentia. Non quod abſolute ſint innocentes; *Quis daret mundum ex immundo?* Job. 14: 4. quod de Davide Pſ. 51: 7. & de ipſis valet: *Sunt filii iræ natura*, quia filii Adami; unde naturam habent non corruptam ſolum,

lum, ſed etiam ream primæ inobedientiæ ejus; ſed quia innocentes ſunt, quod ad peccata propria, non peccarunt ad ſimilitudinem peccati Adami Rom. 5: 14. ut cognitæ legi rebellarent. Horum heic Deus habet ſingularem curam: non vult hoſce pari ſupplicio cum parentibus perire. Sic Jon. 4: 11. *Non parcerem magnæ civitati Ninivæ?* (Poſt pœnitentiam publicam & emendationem vitæ à violentia quæ antea exercebatur,) *in qua plus quam 120000. hominum ſit, qui neſciunt diſtinctionem inter dextram & ſiniſtram?* Equidem Deus in diluvio & in Sodoma id diſcrimen non obſervavit; ſed cum parentibus infantes & infantes propter parentes extraordinario judicio ſuſtulit, ut qui vindicat peccata parentum in liberis &c. Verum Ninives alia fuit ratio. Pepercit Deus urbi ob reſipiſcentiam adultorum Jon. 3: verſ. 20. Inſuper autem Jonam indignantem convincit ab infantum multitudine, quæ violentiæ exercitæ culpa carebat, & hinc ad commiſerationem moveri debere docet. Deus ipſe miſeretur talium, & pecudum quoque, & tanto promtior eſt ad avertendam iram, & parcendum.

Habet etiam hæc urbs & provincia infantes, qui neſciunt hodie bonum aut malum; habet Belgium plures quam Ninive, non diſcernentes dextram à ſiniſtra. Utinam in univerſali defectione in iis aliquid præſidii conſtituere poſſemus, ut ſi Deus non inveniat decem juſtos propter quos parcat terræ, quod facturus erat Sodomæ Gen. 18: 32. ſaltem ob infantes parcat, quemadmodum Ninevitis. Sed non poſſumus nobis iſtud polliceri; quia tantum non facimus quantum Ninivitæ. Illi non tantum adultis, ſed etiam infantibus imperarunt abſtinentiam. Jon. 3: 7. ſ. Adultis abſtinendum fuit à peccatis, & ipſos infantes & jumenta ſecum fecerunt abſtinere ab omni cibo, ad preces natura excitandas in iis qui nequibant preces fundere ex fide in Deum ejuſque bonitatem, qualem adulti habebant, quemadmodum in jejunio Joel. 2: 16. Congregandi dicuntur, populus, ſeniores, pueruli, & lactentes. Aſt apud nos nemo abſtinet à peccatis; eadem peccata, quæ olim in omni ordine hominum continuantur & augentur; dies humiliationis etiam novæ provocationis, & infantes quorum miſereri nos deberet, quoſque Deum ad miſericordiam vellemus movere, nobis ſerviunt ad Deum irritandum. Cum infantes neſciunt bonum & malum, omni ſtudio flectuntur ad malum ejuſque amorem, ut faſtum in veſtibus & vanitatem diſcant æſtimare. Imo quando prima vice veniunt in templum offerendi Baptiſmo, tum prima adultorum cura & matrum potiſſimum, ut quam ſuperbiſſime oſtententur, & geſtantes colorem de livrey/ conformitatem mundi, antequam Deo conſecrentur. Amoſ. 9: 7. *nonne mihi eſtis ut filii Æthiopum, ô filii Iſraelis, inquit Dominus.* Nonne agnoſcitur ex illo habitu origo Cananæa, pater Amoræus, mater Hittæa? Ezech. 16: 3. ſimulque exitium exſpectandum eſſe quale illis gentibus ſtatutum. Quocirca omnes adultos habemus cohortandos, ut infantum habeant rationem. Summa crudelitas eſt, quando in bello infantes conteruntur Hoſ. 14: 1. & ad lapidem atteruntur Pſ. 137: ult. quod facturus erat Hazael contra Iſraelem 2 Reg. 8: 12. & fiebat in anathemate 1 Sam. 15: 2. Sed fit contra hoſtes; aſt nos facimus in pace contra proprios. Jer. 44: 7. Infamis mater, & graviſſimo ſupplicio digna eſt, quæ ſui lactentis obliviſcitur, ut vitam corporis adimat; & quid non merentur illi, qui infantes mundo, diaboloque conſecrant, ad perniciem animarum, quarum ſalutem præceptis exemplisque debuiſſent promoviſſe, ut ad vitam Dei pervenirent. Jeroboamo dicitur filium moriturum, quia in eo aliquid boni viderat Deus, ne corrumperetur penitus in impia familia, & in ejus judicio æternum interiret. 1 Reg. 14: 12. ſ. Felices infantes quos Deus ſic ſubducit corruptioni quæ in mundo eſt per cupiditates. Verum qui infantum habent amorem verum, illi propter eos convertantur ad Deum, ut iis non maledictionem, ſed benedictionem relinquant, quemadmodum Abraham & David Gen. 26: 5. 1 Reg. 15: 4. ſ. ut Deus illis benefaciat, quia piorum ſemen ſunt, quod promiſſum Iſmaeli etiam poſt irriſum Iſacum Gen. 17: 20. cap. 21: 13. Adducantur etiam infantes ad Chriſtum, ut ab ipſo benedicantur, & ipſis obſignetur jus regni cœlorum. Matth. 19. verſ. 13. ſ.

β. *Addictio terræ* hiſce facta eſt, *Ingredientur, & dabo eam illis, & hæreditabunt illam.* Contrarium eſt ejus quod metuebant; erunt ſpolium, inquiunt illi, eoque carebunt terræ poſſeſſione; aſt Deus, hi poſſidebunt. Convincet eos mendacii. Scl.

Quando homines veritatem Dei in dubium vocant, tandem convincuntur mendacii, & veritas Dei tanto excellentius manifeſtatur. Etenim Rom. 3: 4. *Deus verax omnis autem homo mendax, ut ſicut ſcriptum eſt, juſtificeris in ſermonibus tuis, vincas quando judicas.* Jer. 44: 28. Judæi in Ægypto decernunt adhærere idololatriæ quam patrabant, & fuiſſe & fore utilem ad vitam tranquille agendam; ſed Deus denunciat excidium gladio & fame, ut reſidui agnoſcant, *utrius verbum præſtabitur, meum an ipſorum.* Moniti ergo ſimus ut promiſſiones Dei ſimpliciter recipiamus; & quamvis prima fronte videantur impoſſibiles, nec unquam futuræ, tamen iis habeamus fidem, non dubitantes per infidelitatem, nec conſulentes carnem & ſanguinem, ſed dantes Deo gloriam, utpote qui fidelis cum ſit etiam faciet, inſtructus omnipotentia, ne unquam cogatur mentiri vel pœnitere Rom. 4: 19. ſ. 1 Theſ. 5: 24. 1 Sam. 15: 29. Exemplo Jacobi Gen. 32: 9. ſ. Veniente Eſavo cum 400 metuit ſibi ſuiſque, ſed mox ad Deum dicit, *Domine dixiſti, redi in terram & cognationem tuam, & benefaciam tibi. Eripe me è manu Eſavi, dixiſti utique, Benefaciam tibi, & ſemen tuum conſtituam ut arenam maris.* Cogitandum iſtud Zach. cap. 8: 6. *Sic ait Dominus Zebaoth, quia mirabile eſt in oculis reſidui hujus populi, in his diebus, an etiam in meis oculis foret mirabile? Sic ait Dominus Zeb. Ecce liberabo populum meum ex terra orientis & occidentis ſolis, & adducam eos ut in medio Hieroſolymæ habitent, & erunt mihi in populum, & ero eis in Deum in veritate & juſtitia.* Sic defenſio Eccleſiæ Mat. 16: 18. Joh. 16: 33. & ſingulorum Joh. 10: 29. Luc. 22: verſ. 31. ſ. Irriſores v. qui non credunt promiſſioni adventus Chriſti, tandem convincentur mendacii ſui ad æternam ſuam calamitatem 2 Pet. 1: 5. ſ. Quibus plurimum metuebant, infantes conſecuti ſunt terram, qua ipſi fuerant excluſi.

Cæterum obſervanda gradatio, *Videbunt, Dabo, Hæreditabunt. Videbunt*, ſed id potuiſſet fieri, ſi facti fuiſſent præda, debuiſſent mancipii lege ibi vivere & ſervire hoſtibus. Itaque addit, *Dabo eam*; conſequentur proprietatem, domini terræ futuri, & conſequentur meo dono, no putetis plus amoris vel roboris ipſis fore quam vobis; uti vobis daturus fueram, ſic dabo illis; imo non tantum illis, ſed poſteris quoque, quibus hæreditario eam relinquent.

Quod Deus pollicetur hic infantibus, naturæ ſimilia fere præſtat; quod veniant per nativitatem in mundum, quod iſtic partem aliquam habeant, quod etiam relinquant hæredibus, utique à Deo eſt, Pſ. 17: 14. homines de mundo, quorum portio in hac vita, Deus eſt qui implet ventrem ipſorum occultis ſuis, ut ſatientur etiam liberi, & relinquant reſiduum puſillis ſuis. Idemque facit aliis omnibus, cum omni carni det ſuum cibum. Aſſignat omnibus hominibus & tempora, & loca habitationis Act. 17: 26. & cui nihil dediſſe videtur, utique dedit vitam & halitum & omnia, ut in Deo vivant, moveantur & ſint. Confidendum ergo Deo; qui curat infantes etiam adultos & ſenes non negliget Eſa. 46: 3, 4. & quod ipſe dare decrevit, nemo eripiet; cumprimis quoad æternam hæreditatem 1 Pet. 1: 4, 5.

C. *Exſecutio* ſententiæ eſt, verſ. 40. Jufſerat ingredi terram, ſed noluerunt, nunc quia excluſi erant ejus fruitione omni, jubentur longe inde recedere, avertere ſe, proficiſci verſus deſertum, qua itur ad mare algoſum. Qui faſtidiunt bonum, ab eo longius removentur, ut quod leve putarant, nunquam conſequantur Luc. 14: 18. 24. Faſtidientibus Judæis Euangelium ſalutis, Euangelium & ſalus ab ipſis ad Gentes fuit converſum Act. 13: 46. Recedentes à Deo, pereunt &c. Pſ. 73: 27. eoque ſtatuamus, propinquare Deo bonum eſſe, & eo contendamus, ut Deo jungamur hic in gratia, & tandem in gloria æterna. Amen.

Verſ.

Vers. 41. *Tum respondentes dixistis mihi, peccavimus Jehovæ; nos ascendemus, & pugnabimus secundum omnia quæ præceperat nobis Jehova Deus noster: & accingentes vos quisque armis bellicis suis, obtulistis vos ad ascendendum montem illum.*

Vers. 42. *Edixit autem Jehova mihi, dicito eis, ne ascenditote, neque pugnatote quia non sum in medio vestri, ut non afficiamini plaga coram inimicis vestris.*

Vers. 43. *Et quamvis edixissem vobis, tamen non auscultastis: sed maximo opere rebellavistis præstituto Jehovæ; quum arroganter ascenderetis ipsum montem.*

Ps. 78:57. Sic describitur Israel, ut qui semper in contrarium vertuntur, neque ullis promissis suis constringuntur; & comparatio oportuna sunt ut arcus dolosus, qui sagittam non emittit quo dirigitur à jaculante, sed aliorsum, semper præter scopum; nonnunquam in ipsum jaculantem. Hos. 7:16. In adversis, quæ stimulare debebant ut ad Deum redirent, mutatio quidem observatur, sed quæ alia via à Deo abducat, nequaquam autem adducat, vers. 10, s. Illud cum liberaturus essem, istud cum in speciem me precibus sollicitant, hoc cum castigassem eos. Demonstrare istud licet ex præsente historia. Vere hic videas ceu arcum dolosam. Deus dirigebat eos in Cananeam, suo mandato de occupanda terra; plane in contrarium vertuntur, & redire volunt in Ægyptum. Ergo negatur eis terra, ac jubentur retrogredi in desertum; heic in contrarium versi volunt Cananeam ingredi & dum profitentur peccatum & dolorem de eo, novo peccato volunt emendare antecedentem inobedientiam. Quod residuum hujus capitis docet. Inde à vers. 20. Moses refert causam diuturnæ moræ in deserto in ipso Israele hæsisse. Nam cum venissent in Kades Barnea anno ab exitu secundo, Deus statim mandavit terræ occupationem; sed illi differunt donec explorassent terram & aditus ejus; sic per 40. dies morati sunt semetipsos, qui isto spacio multum potuissent occupasse. Deinde exploratoribus plerisque extollentibus robur hostium, nec promisso nec mandato Dei moventur ad obsequium sed desperantes decernunt longissime discedere, Deus ergo negat eis ingressum, quem tamen Calebo & Josuæ pollicetur, qui non rebellarunt, nec non infantibus ipsorum, quorum sollicitudo moverat ad inobedientiam, jubetque remeare in desertum, ubi 38. annos solidos debebant exigere, juxta numerum dierum explorationis terræ, connumerato biennio quod in deserto jam exegerant.

IV. Nunc sequitur. *Tertia causa moræ* cujus etiam ipsi culpam ferebant, necessitas externa ab hostibus. Heic v. occurrunt. I. *Antecedentia*, vers. 41–43. II. Necessitas ipsa, vers. 44. III. Consequentia, vers. 45, 46.

A. *Antecedentia* habent. I. mutationem populi, rebellem tamen, vers. 41. II. dehortationem Dei, vers. 42. III. aggravationem & pertinaciam rebellionis, vers. 43.

N. *Mutatio populi* est, vers. 41. testata tum verbis, tum factis. Num. 14:39. s. legitur, cum Moses sententiam Dei enarrasset populo, luxisse populum, & adscendere montem voluisse, &c. Præmittit mutatos affectus in contrarium, vers. 1. tota nocte præcedente fleverant in tentoriis suis, quod jussi essent ingredi terram: jam jussi exesse proximam noctem æque tristem agunt. Scl. cor hominis est fallax & languidum. Jer. 17:9. primum metuunt hostes, & nolunt patere Deo; cor fallax seducit, ne se obediendo perditum eant. deinde metuunt Deum, cujus verba, confirmata erant subita nece decem exploratorum, jam parere volunt, cum aliud tamen nunc mandatum esset; cor fallax seducit, ne se non-obediendo perditum eant. Cætera hic quoque dicuntur, mutato ordine, quia verborum primum, dein factorum fit mentio.

a. *Verba* sunt dicta ab Israele, ad Mosen. *Tunc respondentes dixistis mihi.* Antea monentem ad obedientiam & fiduciam Mosen lapideo imbre putabant confutandum, ut se tacente lapides responderent: ast nunc audita Dei sententia ex ipsius ore, mollissime respondent. Ita frangitur judiciis pertinax protervia. Pharao interdicit Mose sua præsentia, quod ingrata diceret, & Moses ait venturos omnes ipsius servos, & humiliter petituros ut discederet cum toto Israele, Exod. 11:28. cap. 12:10. Ps. 66:3. Hebr. *mentientur tibi*, hoc est, profitebuntur obsequium, sed mendaciter, quod de Israele dicitur, Ps. 78:33. *Consumebat vanitate dies ipsorum & annos illorum terrore*, &c. (quod factum per sententiam istam de morituris in deserto) *conabantur eum decipere ore suo, & lingua sua mentiebantur illi.* Fidelitas poscebat obedientiam; ad hanc se simulant redire, cum tamen longius abirent, mentiti subjectionem, cum Deum sibi subjicere vellent, & servire suis legibus, suæque voluntati.

Verba ipsorum habent confessionem præteriti peccati, & professionem futuræ obedientiæ.

a. Confessio est peccavimus Domino. Laudandum utique hoc, si peccator veniat ad agnitionem peccati, ut se reum agnoscat. Judicia Dei immittuntur ut se reos sciant. Hos. 5. vers. ult. & habet Convictiones iræ Ezech. 5:15. cap. 25. vers. ult. & Ps. 39:12. Ps. 32:3. s. ut confiteri debeat, omnem hominem esse vanitatem. Hinc Ps. 50:22. *offerens confessionem honorabit me.* Est signum conscientiæ nondum mortuæ aut penitus cauterio resectæ, quæ facit dicere peccavi. Sed extorquetur subinde tormentis. Maleficus gaudet subinde malo, & gloriatur de suis sceleribus, ut Sodom Esa. 3:9. Sed quando oculeo impositus est, fatetur detestaturque sua facta. Pharao qui Deo cedere nolebat, nec parere, plaga grandinis cogitur ad confessionem, Exod. 9:27. & sic plaga locustarum, cap. 10:16. Sic Rehabeam & principes Israelis, arctati à Sisako, ajunt, *Dominus justus est* 2 Chron. 12:6. & Achab saccum induit seque humiliat coram Deo, ob denunciata mala 1 Reg 21, Ipse Judas proditor exclamat, *peccavi prodendo sanguinem innocentem.* Mat. 27:3, s. Sic v. datur Deo gloria, Jos. 7:19. Sed istud non sufficit, saltem ad hominis peccatoris salutem. Unde additur Ps. 50:23. *componens viam, faciam ut fruatur salute Dei.* Omnis confessio honorat Deum, sed nulla salutaris est confitenti, nisi quæ habet subsequentem vitæ emendationem. Prov. 28:13. Sine hac emendatione tristitia ob peccatum est secundum mundum; honorat Deum, ob sensum mali: & damnat peccatum ob effectum sibi molestum, in quo Dei justitia evidens, non ob ejus naturam malam; unde operatur mortem, quia non abolet amorem peccati, etiam cum ore damnatur. ast cum ea est tristitia secundum Deum, operans ἀμεταμέλητον μετάνοιαν ad Salutem. 2 Cor. 7:10. honorat Deum non tantum ob sensum mali, quod effectum peccati, sed ob Dei sanctitatem, damnatque peccatum ob hujus intrinsecam fœditatem, ut eo nolit redire. Sic quoque Israelitæ videntur agere, nam Emendationem vitæ præ se fert addita ipsorum.

b. Professio hæc est, Nos adscendemus, & pugnabimus, secundum omnia quæ præcepit nobis D. Deus noster. Quis non laudaret hanc mutationem? Omnia jam volunt facere; antea retroire parant, ne pugnandum sit; jam se offerunt pugnæ, & hoc animo se processuros dicunt; neque hic aliud quam obedientia, mandatum Domini pro lege erit, & quidem exactissime ut nihil omittant; simul fiduciam concipiunt D. Deus noster mandavit, & propterea fidenter susceperi omnia sumus. Sane si ita locuti essent cum juberet Deus initio, aut etiam cum Moses eos tanto Zelo cohortaretur, haberemus heic exemplum laudatissimum, & sollicite imitandum. Ast nunc nihil in illo probandum, omnia vitiosa sunt. Meram inobedientiam eructant homines quando hypocrisis venditat obsequium religiosum. Etenim Dei mandatum ultimum erat, ut se verterent versus desertum; nam non erant ingressuri terram nisi exactis adhuc 38. annis; & juramentum additum quo ob rebellionem excludebantur. Jam dicere, adscendemus, pugnabimus, non erat facere mandatum Dei, verum illi contrariari è diametro. & qua fronte id vocant obedientiam? aut à suo

Deo

Deo aliquid ſperant? Atqui Deus iſtud antea mandarat, R. Verum id quidem, ſed tunc noluerunt obtemperare; nunc interdixit, & inobedientia eſt priori obedire. Etenim ad obedientiam non ſufficit habere mandatum Dei, ſed debet illud quoad circumſtantias perſonarum loci & temporis quoque obſervari. Jufſerat illud prius, cum nihil impediret; aſt nunc aliter ſe res habebat, non erant iidem qui prius; jam jurejurando ob repudium terræ excluſi, qui antea admiſſibiles. Hypocriſis hic detegitur; religioſa illa eſt, non caret mandato Dei quod ſequatur; ſed quod prorſus alienum eſt. Quemadmodum Eſau Gen. 28: 6. ſ. quia Iſaac mandarat Jacobo ne duceret uxorem Cananæam, ſed iret ad cognatos in Meſopotamiam; ipſe præter Cananæas, quas habebat & retinebat, duxit filiam Iſmaelis, qui irriſor fuerat Iſaaci. Mandarat Deus Abrahamo, ut filium offerret in holocauſtum Gen. 22. exploraturus ipſius ſolius obſequium; in cujus declaratione acquievit. hypocriſis id ſequi voluit Mich. 6: 7. an dabo primogenitum, &c. & hinc natæ victimæ humanæ; de quibus tamen dicit Deus, ſe non mandaſſe, nec dixiſſe, nec cogitaſſe Jer. 19: 5. Dederat Deus Abrahamo Cananæam, ſed poſt 400. annos adimendam Amoræis, Gen. 15: 13. ſ. quando ergo Ephraimi filii ex Ægypto egrediuntur ſpoliatum Gathæos, cæduntur. 1 Chron. 7: 21. quo videtur reſpici, Pſ. 78: 9.

Nihil frequentius. Religio Pontificia conflata propemodum eſt ex meris ejuſmodi obſequiis; Quæ Deus mandavit Judæis, illi volunt obſervare; hinc multitudo Sacerdotum & unus ſuper omnes; hinc altaria, & ſacrificium; hinc templorum ſanctitas, & feſta tria anniverſaria, & aqua luſtralis, & compenſationes pro injuria datæ Sacerdoti, & innumera alia. Tandemque autoritas Eccleſiæ ſeu Pontificis abſoluta in definiendis fidei articulis, quia Pontifex audiendus fuit in interpretatione legis, ſiquidem divinæ voluntati conſentanea diceret. Deut. 17. & Eccleſia audienda in controverſia fratrum mutua ad eos conciliandos. Mat. 18: 18. Atqui non tantum quid ſed etiam cui & quando mandet Deus attendendum. Joh. 4: 21. ſ. Hieroſolymæ olim fuit adorandum Spirituali privilegio, ſed Chriſtus ait, *Mulier crede mihi, venit hora, quando neque in hoc monte; neque Hieroſolymæ Patrem adorabitis; hora venit & jam eſt quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.* Judæis mandatum fuit ut circumciderent mares, & viverent ſecundum ritus, ſed gentilibus qui crediderunt inſtinctu Spiritus S. ſcripſerunt Apoſtoli ne quid tale obſervarent Act. 15: 23. ſ. cap. 21: 25. Gal. 6: 15, 16. non circumciſio Judæorum, nec præputium Gentium quid facit ad Chriſtianiſmum, ſed nova creatura: & hæc lex omnibus obſervanda. Eccl. 3: 11. Deus fecit omnia pulchra ſuo tempore. Habent etiam præcepta ejus ſuam hic pulchritudinem. Quod aliquos, non omnes decet, ſunt enim ordines hominum diſtincti. Tempus etiam obſervandum, quia non omnes horæ pariter oportunæ. Spectandæ ergo circumſtantiæ, quoad ſpiritualia præcepta. Vendere omnia quæ habebat & dare pauperibus mandatum fuit juveni illi Mat. 19. verſ. 21. ad convincendum eum hypocriſeos: aſt male inde fit regula generalis; nam alioqui Paulus non neglexiſſet inculcare eam Gentilibus. Soli Aaroni & filiis ejus dabatur acceſſus ſacerdotalis ad Deum, non cæteris Levitis, nedum aliis tribubus. Num 16. Uzzia ſic peccavit. Jeroboami peccatum fuit feſtum octavi menſis inſtituere 1 Reg. 12. Habemus generales leges Ecl. 12: 13. Mich. 6: 8. Mat. 12. verſ. 37. ſ. ſimilesque; his tenemur; ſed quæ nobis non datæ, verum noſtro placito electæ, non ſunt in ullo pretio, quod de obſequio Dei dici nequit, ſed ad ſatietatem carnis Col. 2: 23. quæ ἐθελοθρησκίας hypocriſeoſque eſt condemnatio. Sequamur proinde conſilium Apoſtoli Eph. 5. verſ. 15. ſ. ἀκριβῶς attendit ad minimas quoque circumſtantias quod ſapientum eſt: attendit tempora ut redimat oportunitates, quæ non ſemper obviæ: attendit ad normam infallibilem voluntatis divinæ, quam ſequi ſummæ eſt prudentiæ. Sic non errabimus ad perniciem.

b. *Facta* ſunt, *& accinxiſtis quisque inſtrumenta militiæ ſuæ, & præſentes vos ſtitiſtis ad adſcendendum verſus montem.* Antea erant invitiſſimi; ne arma ſumenda eſſent regredi malunt in Ægyptum; aſt nunc armatos ſe ſiſtunt, illico profecturi.

Tanto *promtiores ſunt homines in ſervitio propriarum cupiditatum quam Dei.* Deo jubente ex 603550. tantummodo duo ſunt volentes ad eundum, Caleb & Joſua. Tot circumſiſtunt difficultates, & pericula, ut ne pedem quidem movere placeat; Aſt nunc cum dictat cor proprium, pigri illi ad obſequium & formidoloſi audent omnia, & moræ omnis ſunt impatientes. Prov. 22: 13. Sic ſumus in opere Domini, diligentiſſimi in opere carnis, Hagg. 1: 2. dicebat populus, *nondum venit tempus ut ædificetur Domus D.* at interim currebat quisque pro domo propria, & tempus erat ipſis ut habitarent in ædibus fornicatis, verſ. 4--9. Domus Domini negligebatur vaſta; obtendebantur incommoda & pericula varia, Edictum regium, vicinorum odium, defectus ſumtuum. Verum pro ſe ipſis & ad luxum abunde erat, neque impendia ulla moleſta. Sic ordinarie fit, ad exercitia pietatis, charitatis, lentitudo magna eſt. Mane ſurgere diebus Dominicis, jejunii, ut cultui divino privatim aut publice quis vacet; crebrius intereſſe ſacris; veſpertinas etiam horas impendere, tædioſum eſt: Religioſis ſermonibus & exercitiis occupari, ingratum; Hic uſurpatur illud, *Ecce, quantum fatigationis.* Mal. 1: 11. Omnia fere ſunt ſuperficiaria, & id abunde eſt in cultu Domini. Verum agatur de negotiis mundi, ut quid lucri faciat, ſurgitur ante diem, & ſero itur cubitum, & editur panis cum feſtinatione, ne quid decedat temporis impendendi. Mat. cap. 22: 5. Luc. 14: 15. abit unus in agrum, alter ad mercaturam ſuam, neuter ad epulum Domini. Si carni ſatisfaciendum, & peccato, nulla fatigatio nimia, quid non moleſtiæ & periculi ſubit fur, & adulter, & ebrioſus, & ambitioſus; Ad nutum ſunt expediti, cum Deum in dies & annos differant. Turpe profecto peſſimos Dominos habere ſervos expediti ſſimos, optimum ignaviſſimos, cum tamen illi tam malam mercedem dent, hic optimam. Rom. 6: 20. ſ. nam cum ſervi eſſetis peccati, quem fructum habuiſtis eorum, quorum nunc pudet? nam finis eſt mors. Sordidum turpe opus, & merces miſerrima. Aſt Deo ſervientes fructum habent ad ſanctimoniam, honorificentiſſimum, & extremum feliciſſimum, vitam æternam. Quocirca mutemus mores illos; pigri ſimus in opere mundi & carnis, imo prorſus refractarii: ſufficiat tempus vitæ præteritum illi impendiſſe, & feciſſe voluntatem gentium, nunc quod reliquum eſt Deo maneat, atque hic ſimus expediti ſſimi, non tardi in agendo, ſed fervidi ſpiritu Rom. 12: 11. quando ſerviendum Domino, Pſ. 110: 3. *populus ſpontaneitatum*, &c. Jud. c. 5: 9. & verſ. 2. Tantundem cauſa eſt ad laudandum Deum pro illa animi promtitudine, quam pro vindicta de hoſtibus; quandoquidem adeo aliena eſt à moribus hominum, nam verſ. 15. ſ. Ruben habuit magnas imaginationes cordis, ſed manſit inter greges, ob magnas inveſtigationes cordis: Gilead manſit trans Jordanem, Dan in navibus, Aſer in portubus; Soli Zebulon & Naphtali contemnunt animas uſque ad mortem & accincti adſunt. Non illos, ſed hos imitari convenit: Sic placebimus Chriſto, Cant. 6: 12. Piger ſervus inutilis eſt, & ejicitur in tenebras exteriores: aſt diligens fidelis & boni elogium fert & admittitur in gaudia Domini ſui, Mat. 25: 21. ſ.

ב. *Dehortatio*, verſ. 42. *Et Dominus dixit ad me, Dic ipſis.* Magna hic demonſtratio bonitatis divinæ. Erga indigniſſimos. Rebellio ipſorum erat graviſſima, & Dei ira eapropter graviſſima, quam indicabat ſententia excluſionis, roborata jurejurando, ne reſcindendam putarent; pœna contra x exploratores, ſubita plaga proſtratos. Attamen quando ſimulant obedientiæ voluntatem eos dignatur monere, ad ipſorum bonum. Adeo bonus eſt Dominus, ut in ipſa ira recordetur miſerationum Hab. 3: 2. Pſ. 78: 38. ſ. *cum mentirentur ipſi blanditias faciendo, quia cor erat infidum,* &c. Caſtigat ille filium, attamen illico rurſum monet declinaturum, Ezech. 20: 15. ſ. Admiranda hæc Dei bonitas, & amplexanda. Nam etiam circa nos ita agit. Indignationem Dei legimus in judiciis quæ exercuit; non eſt hic tantum manus hominum, qui cum Deus parum iratus, juvant ad malum Zach. 1: 15. unde David deprecatus eſt ne in illas incideret 2 Sam. 24. Sed Dei ipſius qui maris & ventorum ſolus habet poteſtatem Mat. 8. Ille eſt qui tempeſtatibus nos oppugnat, & mare ipſum ex ſuis ſedibus quaſi excitat, & mandatis inſtruit contra populum hypocritam, ſuæ excan-

descentiæ. Verum dum ita agit, non solum moderatur iram, & eam omnem non excitat, neque mari & ventis omnia permittit: sed insuper affatur nos jugiter in suo verbo, monitisque suis instruit. Ps. 94: 12. *felix vir, Domino, quem castigas, & instruis ex lege tua, ad dandum ei quietem à diebus malis.* Sic nobiscum agit. Nam non delectatur excitio nostro quod amolitur à se Ezech. 33: 11. Thren. 3. vers. 31. s. Hæ patescunt in verbi continuatione. Illi attendamus, & obtemperemus. Docet quod utile, & instruit de via, qua eundum est. Esa. 48: 17. Dehortatio ipsa habet consilium ejusque rationes. Consilium est, Ne adscendite, neque pugnate. Quemadmodum dixerat ita Armati se sistunt ad adscendendum in montem: vetat profectionem, & armorum usum; Nam qui regredi debebant in desertum versus mare algosum, à monte Amoræorum debuerunt recedere, atque tunc non indigebant armis, qui nullos homines istic erant reperturi. Rationes sunt duæ, una à defectu auxilii, *am non sum in medio vestri*; non quod absolute abesset; manebat tabernaculum Dei in castrorum medio; neque inde remotum fuit, uti post μοιχοκοπίαν Moses secesserit ex castris: Verum quod non adfuturus esset adscensuris & pugnaturis. Antea anteceſſurus erat & pro ipsis pugnaturus, vers. 30. at nunc deserturus, non comitaturus, neque propugnaturus. altera à consequente damno, ne coram facie hostium vestrorum cædamini.

Deus non est cum rebellibus suæ voluntati, & hinc cadunt coram hostibus, quantumcunque habeant animi & armorum. Hoc dicit Deus. Notissimum, non esse cum impiis Deum Ps. 5: 5. tum v. castra nudata sunt, quamcunque sint instructissima, & possunt cædi numerosissimi exercitus, Exod. 32: 25. Nudatio fuit, quæ exponebat indefensos cuivis oppugnaturo. ut si dejiciatur vallum, aut mœnia urbis. Deus est murus igneus circa suum populum Zach. 2; 5. ast per idololatriam is fuerat remotus. Num. 14: 9. Deus est umbra & protectio iis quibus adest Ps. 121: 5. & 91: 2. hoc recedente, quicquid etiam roboris & munitionum habebant, nil poterat juvare, æque facile absumendi, ac panis fructum à famelico 2 Chron. 13. Abia exercitu longe inferior Jeroboamo, qui duplum numerum ducebat, tamen huic prædicit cladem, quia Deus aberat ab ipso, aderat autem Judæ, & cap. 32. Hizkias Sanheribum non nisi carnali brachio instructum dicit, quandoquidem Deum non habebat secum.

Nihil ergo suscipiendum in bello, nisi Deus fuerit præsens. Quanquam enim omnia sint instructissima, milites, arma, instrumenta bellica, auxilia, frustranea sunt universa. Sine Deo nihil valent, & Deus valet contra illa. Esa. 31: 1. s. 2 Chron. 25: 5. s. Amazia contra Edomum bellaturus conduxit Israelitarum 100000, pro 100. talentis argenti: sed Propheta Dei ipsi dicit, *ô rex, ne eat tecum exercitus Israelis, nam Deus non est cum Israele, cum omnibus filiis Ephraimi; quod si eas, fac, sis fortis ad bellum; Deus te faciet cadere coram hoste.* Auxilia sine Deo, faciunt ad perniciem. Necessaria proinde sollicitudo, ut Deus sit in castris, adeoque caveatur ne quid ibi fiat, aut admittatur quod Deum abigat. Deut. 23: 9--14. *Quum ibit exercitus contra hostes tuos, tum cavebis tibi ab omni re mala* (etiam corporalis impuritas notatur, gonorrhææ, excrementorum,) Hodie proh dolor, egregie curatur ne Deus recedat à castris, cum ea sit castrorum ratio, ut nunquam adfuisse metuendum sit. Sunt quidem qui Deum timent etiam inter milites, Cornelius & alter ille Mat. 8. commendationem habent pietatis, quoad ipsosmet & familias suas, verum ut singulares personæ non faciunt castra & exercitum, ita nequit Deus propterea dici in castris esse, qui cum ipsis est, imo quia non in castris, neque cum ipsis, 2 Reg. 3: 13. Plurima multitudo militum non melior filiis Ephraimi; qui solam stipendii habent curam, securi numinis. Et quot sunt qui idololatræ falsum Deum colunt, de quo legitur Jud. 5. vers. 8. Equidem in moderna militia id caveri non potest, qui non solis civibus pugnamus; neque bella gerimus qualia Israelitis erant mandata; attamen opera danda est, ne Deum prorsus abigamus à nobis. Si mandata mea custodiveritis, vestrorum hostium hostis, & adversariorum adversarius ero Exod. 23: 22. contra si rebelles, Deus mutatur in hostem & contra pugnat Esa. 63: 10. Quum Balak quæreret rationem prævalendi Israeli, Bileam dicit frustra id esse, &c. Num. 23: 21. Idem tamen post consilium dedit pelliciendo Israelem ad peccatum, scortationem & idololatriam, & Israel magnam stragem passus est. Discamus hinc cavenda esse peccata & seductiones ad illud. contra operam dandam esse, non ne sint peccata, quod impossibile, sed ne videat Deus peccata. Quod fiet si clangor regis, Euangelium Messiæ adsit, & ut clangor ille agnoscatur Ps. 89: 16. s. Sic habebimus lucem faciei ejus in qua ambulemus, erit gloria roboris nostri & ipsius beneplacito exaltabitur cornu nostrum. ut per Christum conciliatio cum Deo apprehendatur per fidem in ejus nomen, tum enim tecta erunt peccata & condonata, expiatione per Christum facta immunitas est à condemnatione, eoque feliciter ambuletur porro secundum spiritum, & Deus nobiscum erit.

3. Beneficiorum Messiæ, quæ ab ipso fluunt, unum est, *erit in robur avertentibus bellum quod ad portam movetur.* Esa. 28: 6. cum enim sit murus igneus circa suos Zach. 2: 8. non possunt hostes ingredi, ubi ipse murus est; Esa. 26: 1. Imo Deus ipse salus Ps. 3. vers. ult. Verum idem est robur contra hostes, Ps. 89: 18. s. Hoc promissum Israel egresso ex Ægypto, Exod. 23: 22. s. Angelum Domini antecessurum, ad custodiam in via, & deductionem in terram, ejecturum Cananæas, fore hostem hostium. Enimvero istud acturus erat erga obedientes si audiendo audirent vocem ejus & facerent mandata Dei: sin forent rebelles ipsumque exacerbarent non condonaturum peccata, sed vindicaturum. Cujus quidem asserti veritas ex historia præsente evidens est. Persequitur tertiam causam moræ diuturnioris in deserto: cujus antecedentia sunt mutatio populi, sed contraria mandato; dehortatio Dei, & aggravatio pertinaciæ in rebellione. De postrema nunc dicendum, tum necessitas moræ ipsa & consequentia tractanda sunt.

Aggravatio rebellionis, vers. 43. cujus gradus. I inobedientia contra Mosen, *Et locutus sum vobiscum*, quæ, vers. 42. recitata fuerunt, *& non audivistis, seu obtemperastis.* II. rebellio contra Deum, *& rebelles fuistis contra mandatum Domini.* Superbia rebellionis, *& superbe egistis; adscendendo montem versus.* Duos priores vidimus notatos, vers. 26--32. quod non obtemperantes Mosi contra Deum fuerint rebelles. Tertius nunc memoratur, *Superbia in peccato.* Quando contemtis dehortationibus in contrarium suscipitur peccati exercitium, sub fiducia prævalendi, etiam nolente & contra nitente Deo. Hæc fuit Israelitarum culpa, Deus jusserat abstinere, quod se non habituri essent præsentem, eoque ab hostibus profligandi. Nolunt obsequi consilio, sed si Deus nolit secum ire, sine Deo volunt aggredi hostes, eisque prævalere. Num. 14: 41. s. superbia manifestior est. Moses dicit, *quare sic transgredimini mandatum Domini, nam non succedet, & recitatis* iis, quæ hic repetiit, *Amalekitæ & Cananitæ ibi sunt coram facie vestra, & cadetis gladio. nam quia vos avertistis à Deo, Dominus vobiscum non erit.* Inculcavit iterato inobedientiæ periculum, deserturo Deo deserentes suum mandatum; additurque, *Nihilominus contenderunt in altum ut adscenderent verticem illius montis.* ויעפילו verbum hoc non reperitur nisi hic & Hab. 2: 4. עופלה quemadmodum clivi & colles surgunt, ut planicies terræ aboleatur ita superbia Chaldæi est: dominatus suus summum jus lex summa, more Tyrannorum, cap. 1: 19. s. contemnit reges & quemadmodum de Assyrio legitur Esa. 10: 11. *uti* inquit, *feci Samariæ & idolis ejus, ita nonne possem facere Hierosolymæ & idolis ejus!* & Cap. 36: 20. Jethro de Ægyptiis. Exod. 18: 11. quæ superbia? non tantum contra Israelem Neh. 9: 10. sed inprimis contra Deum. Exod. 5: 2. *quis est Dominus, cujus voci obtemperarem, & dimitterem Israelem? non novi Dominum, neque dimittam Israelem*, & post licet fractus plagis, obfirmavit se, & reluctatus est, dimissosque voluit vi retrahere. Sed hæc exempla sunt hostium Dei. Hoc loco agitur de iis, qui sunt populus ejus. Etiam hi quandoque sunt hic rei. Jer. 18: 11. s. moniti de imminente judicio Dei, & de emendatione vitæ, ajunt, *Desperatum est. Nam ambulabimus quisque secundum cogitationes nostras, & faciemus quisque placitum pravi sui cordis.* Unde sic ait Dominus, *quærite in gentes quis audivit talia? Virgo Israelis facit rem abominandam:* Sic cap. 2: 25. periculi admonita ait, *Des-*

pe-

peratum eſt, *non*; *nam peregrinos amo*, *& hos ſectabor*. Cap. 44: 16. ſ. poſt repræſentata majorum peccata, ſuaque in terra, & judicia graviſſima eapropter immiſſa; itemque peccata præſentia, quod non eſſent contriti, vel reſipuiſſent, unde novæ calamitatis metuendæ eſſent, ajunt, nolumus facere ſecundum verbum quod nomine Domini locutus es, &c.

Eſt hic gradus, præter peccatum in Spiritum S. maximus, quando peccator audet quaſi colluctari Deo, & ſibi polliceri victoriam, & ſucceſſum. Num. 15: 30. ſ. Elata manus victoriæ ſignum eſt, Pſ. 118: 16. *dextra Domini exaltata eſt*, *dextra Domini facit fortia*. Sic ſibi imaginantur hi peccantes. Contemnunt Dominum, verbum ejus nullo loco ducunt, & adverſantur: ut 2 Chron. 36: 16. Committitur enim contra omnes admonitiones in contrarium, quas contra robur ſumunt, ut Jer. 5: 12. ſ. Sic vero peccatur ſæpius etiam hodie. Num. 15: 32. in exemplum profertur, qui Sabbatho ligna collegerat. Neque enim opus feciſſe Sabbatho ſimpliciter capitale fuit; potuiſſet id factum eſſe ab ignorante diem, vel interdictum: ſed ſi quis admonitus de utroque, in contemtum Dei, Sabbathum profanaret laborando, is demum reus cenſebatur. quamobrem hoſtes Chriſti nunquam voluerunt Chriſtum ad mortem rapere ob Sabbathum violatum, neque hujus criminis mentionem feciſſe leguntur in ultima actione; quia licet ſæpius eum accuſarint, ipſe tamen non contemſit admonitiones vel reprehenſiones, ſed has ipſas convicit ignorantiæ vel injuſtitiæ. Verum ſi admonitum rite hic delinquere elatæ manus crimen eſt, utique eſt familiare admodum. Creberrimæ ſunt cohortationes ad ſanctificandum Sabbathum Chriſtianum, ſed perſeveratur in eodem exercitio. Sic in Politia, Deut. 17: 12. & in OEconomia, Si quis habet rebellem filium, & inobedientem, Deut. 21: 18. & in Eccleſia, qui communionem habent cum impiis, participes menſæ poculi Domini & dæmonum, non cedentes monitis. *An provocamus ad æmulationem Dominum? an validiores eo ſumus?* 1 Cor. 10: 22. & qui cum frater nominetur, eſt ſcortator, avarus, idololatra, calumniator, ebrioſus, raptor, cum quo ne quidem comedendum, 1 Cor. 5: 11. Quin imo quando pertinacia accedit delectatioque cognito exercitio mali, Eph. 4: 19. Rom. 1: 32. qui cum norint, &c. & impudentia, Jer. 3: 2. ſ. Jer. 8: 5. ſ. verſ. 12. Eſa. 3: 8. ſ. Etiam quando adverſa ingruunt aut premunt. Hoſ. 7: 9. ſ. Cap. 5: 4. ſ. Ordinarat Deus ut elatæ manus peccatum capitali pœna afficeretur; Num. 15: 35. ſ. Sabbathi profanator ſuperbus fuit lapidandus; Sic rebellis ſuperioribus in Politia, vel OEconomia, vel Eccleſia, cum ſuperbia, fuit necandus, ut malum ex Iſraele removeretur, & totus populus audiret & metueret, neque ſuperbe ageret, Deut. cap. 17: 12. ſ. & cap. 21: 21. Quemadmodum judicium publicum exercitum fuit contra Gibeam, & tribum Benjamin, quia peccatum illius urbis fecerunt publicum & elatæ manus ſua defenſione; unde tribus fere exciſa; Jud. 20. & Jabeſitarum detrectatio, quod non veniſſent ad commune conſilium, & bellum, exciſione fuit vindicata, c. 21, verſ. 8. ſ. Hodie externa pœna non exercetur in delictis œconomicis, nec non religioſis, attamen manet reatus coram Deo, *anima illa eradicabitur è medio populi ſui*, Num. c. 15: 31. ſ. *& ſi volentes peccamus poſt agnitionem veritatis*, *non ſupereſt hoſtia pro peccato*, &c. Heb. 10: 26. ſ. Quocirca caveamus ejuſmodi peccatum; Deus vindex erit, etiam temporalibus judiciis, Lev. 26: 18. ſ. Utrum Deus ſic nobiſcum egerit, qui poſt bellum, unde necdum ſumus liberati, immiſit ſterilitatem, mures & inſecta, tempeſtates & inundationes, immiſſurus forſan annonæ caritatem, famem, peſtilitatem, quivis æſtimet: Saltem caveamus ſuperbiam priorem, & obſirmemus potius animum ad obſequium mandatorum divinorum, 2 Chron. 17: 6. Pſ. 119. verſ. 106. juramento ſe obligat ad obſequium Dei, uti Jobus fœdere ſingulari Job. 31: 1. cujusmodi inierunt Aſa, 2 Chron. 15. & Joſia c. 34. & Nehemia Neh. 10. Quivis etiam verba Dei abſcondat in corde, ne peccet, Pſ. 119: 11. neque dominium concedat peccato Rom. 6: 12. ſ. Et quia ex nobis non ſufficimus, implorandus Deus, Pſ. 119: 132. ſ. Pſ. 19: 14, 15. Si Deus ipſas cordis cogitationes ſibi placentes faciat, utique etiam actiones erunt voluntati ipſius conformes.

Verſ. 44. *Egreſſi enim Emoræi qui inhabitant montem illum, obviam vobis, perſequuti ſunt vos ut facere ſolent apes: & contriverunt vos in Sehire Chormam uſque.*

B. *Neceſſitas moræ* eſt ab hoſtium prævalentia, verſ. 44. ubi Hoſtes, & Loci deſcriptio.

N. *Hoſtis* erat *Amoræus*, qui habitabat in monte. Nomen iſtud generale eſt, complectens quandoque omnes nationes Cananæas Gen. 15. Heic deſignat eas quæ vicinæ erant caſtris Iſraelitarum, & montanum tractum, terminantem terram, incolebant, quæ fuere etiam ex Cananæis aliis & Amalekitis. Hæ ſane primæ fuiſſent exſcindendæ, à fidelibus & obedientibus Iſraelitis, & nunc ſunt primæ quæ ipſis prævalent, & vim inferunt. Etenim egreſſi ſunt in occurſum vobis, adeoque congreſſi prælio; & perſecuti ſunt vos, uti apes; adeoque in fugam egerunt; & contriverunt vos, in Seir uſque Hormam, adeoque magnam, inter fugientes ediderunt ſtragem. Hinc.

Devoti internecioni hoſtes à Deo prævalent, *quando Deus non adeſt pugnantibus*. De Cananæis illud certum ex fœdere cum Abrahamo Gen. 15. & repetitum. Exod. 23: 23. ſ. de Amalekitis erat juramentum Dei ſingulare Exod. 17: 16. Iſraelitæ contra fuerunt, quibus promiſſa erat terra illorum populorum, ipſis exciſis; aderat quoque tempus, quandoquidem 400 illi anni de quibus ad Abrahamum dixerat Deus, finiti erant Exod. 12: 41. Fuerat etiam mandatum recens occupandi. Sed nunc Amoræi iſti prævalent Deo abſente. Nam Num. 14: 44. ſ. *Superbe aſcendentibus ipſis montem*, *Arca fœderis Domini*, *& Moſes non diſceſſerunt è medio caſtrorum. Et deſcenderunt Amalekitæ & Cananæi*, *& percuſſerunt*, *& profligarunt eos Hormam uſque*. Arca, præſentiæ Dei teſtimonium, cum tabernaculo ſuo, & in illo manſit in caſtris, & præſtitit defenſam omnibus qui iſtic manſerant, mulieribus & infantibus, & Leviticæ tribui cujus erat cuſtodia tabernaculi. Prælientes v. Iſraelitæ caruerunt Dei cuſtodientis præſentia: Hinc tanta clades. Sic Joſ. 7. proficiſcentes contra Ai fugantur, cædunturque circiter 36. & ab hoſtibus perſequentibus ſternuntur, cujus cladis cauſa Dei propter peccatum Achanis abſentia. Peccatum unius totum exercitum privavit Dei præſidio, & hoſtibus dedit cædendos. Equidem 1 Sam. 4. habuerunt Iſraelitæ arcam fœderis in caſtris, quam magno jubilo exceperunt Philiſtæis eo nomine conſternatis. Sed non Deum ipſum; ſaltem non defenſurum niſi ſuam arcam, quam capi ſivit ab hoſtibus, ſed non deſtrui, aut idolis fieri ſpolium. Maxima tunc illata Iſraeli clades, cæſis 30000. Contra Deo præſente fugantur & humiliantur Philiſtæi cap. 7. & cum contra Midianitas Iſraelitæ irent, & illorum terram cæſis omnibus maribus deſolarent, ne quidem unus ex ipſis periit Num. 31: 49. & Deo præſente Joſaphato non fuit pugnandum, Deo conficiente victoriam ſine ipſo 2 Chron. 20.

Quantopere ergo laborandum, ne accidat quod conqueritur Eccleſia, Deum non unà egreſſum eſſe cum ſuis exercitibus Pſ. 44: 10. & 60: 12. Nequit enim bene cedere, quia Deus abeſt auxiliator; (nam nunquam abeſt quoad providentiam & judicium.) utique tunc vincunt, qui alias vincendi fuiſſent. Jud. 2: 2. ſ. Angelus dicit, *Non fuiſtis obedientes voci meæ*, *propterea dixi*, *non ejiciam eos à facie veſtra*, *ſed erunt vobis ad latus*, *& Dii ipſorum in laqueum*, verſ. 20. ſ. Votum Dei eſt Pſ. 81: 14. *Utinam voci meæ auſcultaſſet populus meus* &c. Videmus autem hinc cauſam cur bellum non felicius ſuccedat. Deus non progreditur unà: quia non auditur, tradit nos noſtro placito, & propriis conſiliis, & ſinit ire in noſtris viis, quæ uti ſunt averſionis à Deo, ſic Deus in iis nos non comitatur. Si quid fiat contra hoſtes proſpere, non tam præſentiæ gratioſæ Dei nobiſcum tribuendum eſt, quam iræ ejus zelantis pro gloria ſua contra noſtros hoſtes; uti contra Benhadadum 1 Reg. 20. Laborandum ut Deum habeamus nobiſcum. Arca Domini deerat hic Iſraelitis, eam nobiſcum feramus. Nulla quidem eſt externa, nec erit Jer. 3: 16. imo ſi foret Iſraelitarum eſſet, non gentilium. Sed habemus aliam longe meliorem, & à qua Deus nunquam recedit. Arcæ uſus

fuit ad cuſtodiam tabularum fœderis, unde arca fœderis dicta. Exod. 25: 16. cap. 40: 20. in quibus tabulis Deus ipſe ſcripſit conditiones fœderis, cap. 31: 18. cap. 32: 16. cap. 34: 28. Atque Deus promiſit ſcriptionem fœderis in cordibus Jer. 31: 33. in tabulis carneis cordis 2 Cor. 3: 3. Quivis fidelium eſt arca fœderis, Eſa. 51: 7. vi hujus inſcriptionis fit fœderatus efficaciter, qui præſtet quæ ſunt fœderis. Jer. 32: 39. cor unum eſt pariter inſcriptum Dei Spiritu, qui digitus Dei; & hinc via una. Pſ. 37: 31. ut eodem Spiritu regantur Ezech. 36: 27. eodem timore Dei imbuantur Jer. 32: 39, 40. De Chriſtianis veris dicitur, *Neſcitisne corpora veſtra eſſe templa Spiritus S. qui in vobis eſt?* 1 Cor. 3: 16. cap. 6: 19. Chriſtiani omnes audire volunt, tales ſe probent. 1 Cor. 3: 17. facit hoc qui arcam Dei ſociat Dagano Ezech. 14: 30. qui mammonam, qui potentiam ſuam, qui Baal peorem in eo collocat juxta arcam Dei, obſequium cupiditatum carnalium; qui ibi exercet pejerare, aliis diis adhærere, quomodo domus Domini mutatur in ſpeluncam latronum. Jer. 7: 9. ſ. Sane tunc Deus exeſſe vult ex ejuſmodi domo Ezech. 8. & abjicere à facie ſua. Caveat quiſquam, ne templum Dei ſit profanatum, ſed ſanctificatum; eamus habere arcam teſtimonii de noſtri cum Deo reconciliatione, & eâ digne ambulemus in viis Domini, ſic nobis Deus occurret ad noſtrum gaudium. Eſa. 64: 5.

Quod hoſtes egiſſe dicuntur *ut apes*, ſignificat deſperatam illorum pugnam, ut apes quæ impetu feruntur & aculeum figunt, etiamſi immoriendum ſit: quin etiam indeclinabilem vim, cum ſuperne invadant, neque armis ordinariis arceri queant. Hujuſmodi fuerunt Cananæi Iſraelitis, & ſic futuri erant Aſſyrii & Ægyptii Eſa. 7: 18. ſ. nihil adeo devaſtatum, adeo occultum, adeo armatum, adeo excellens, quod evadat ipſorum vim. Norant ſe deſtinatos exciſioni, eoque deſperate pugnant, fortiter pugnantes mori malunt, quam fugientes turpiter, uti Philiſtæi 1 Sam. 4: 7. ſ. *Deus in caſtra venit*, ajunt de arca, *væ nobis, quis nos liberabit è manu robuſtorum Deorum? hi ſunt illi Dii, qui Ægyptios omnigenis plagis affecerunt.* Pollicitus erat Deus Iſraeli obedienti, ſe præmiſſurum Crabrones ad hoſtes perdendos, Exod. 23. quod fecit contra Sihonem Joſ. 24. Sed inobedienti hoſtes ſunt apes, ad fugandum eum. Non eſt quod exterreamur hoſtis robore, etſi foret debiliſſimus, inſtar muſcæ & apis, valeret ad nos perdendos; & ſic eſt contra rebelles Deo. Jer. 37: 10. etſi percuteretis tota caſtra Chaldæorum oppugnantium vos, & pauci vulnerati ſupereſſent, hi ex tentoriis ſuis ſurgerent, & urbem hanc comburerent. Quocirca abſtinendum peccato, & quærendum Dei auxilium, tum nihil ab hominibus metuendum Pſ. 118: 7. 12.

ב. Quod ad *loci deſcriptionem* attinet, Mons Amoræorum, & Seir unus fuit; ſed Edomitæ magis fuere orientales, ut ei verſus fugiſſe Iſraelem appareat. Horma fuit locus ſic appellatus ab Iſraelis non clade, ſed victoria anno 40. ab exitu Num. 21: 1. ſ. Cum Rex Harad habitans ad meridiem, audiret Iſraelem venire via exploratorum, (quod factum cum vice ſecunda veniſſet Cadeſchum Num. cap. 20: 1.) pugnavit contra, & captivos quoſdam abduxit. Iſrael ergo voto facto prævaluit illi, & anathemati eum devovit, & locum appellavit Horma; ubi ante annos 38. fuerat terminus fugæ. Sic quandoque loca calamitatis fiunt felicitatis. Hoſ. 2: 14. Vallis Achor erit oſtium ſpei, ſed poſt votum glorificandi Deum, non quærendi ſuum commodum voluptatum.

Verſ. 45. ***Reverſi itaque flevistis coram Jehova, ac non auſcultavit Jehova voci veſtræ, nec aurem præbuit vobis.***

Verſ. 46. ***Sed conſediſtis Kadeſchi dies multos, ut*** multi fuerunt ***dies quibus conſediſtis ibi.***

C. *Conſequentia* ſunt 45. 46. fruſtranea ſupplicatio hic eſt, verſ. 45. *reverſi fleverunt coram Domino, ſed non exauditi ſunt.* Vim majorem hoſtium cum ſuperare ipſi non poſſunt, jam ſupplicant Deo, & flent; ſed nil obtinent, ratio autem eſt hypocriſis ipſorum, petunt opem Dei, ſed non emendant vitam: flent ob malum damni, non culpæ. Hoſ. 7: 14. *Non clamant ad me corde uno, ſed ululant in ſuis cubilibus, propter frumentum & muſtum congregant ſe, ſed loquuntur contra me mendacium.* Preces impii Deo ſunt abominatio Prov. 15: 8. Jer. 11: 14. Cap. 14: 11. ſ. Non ergo acquieſcendum ejuſmodi fletui & precibus, ſed addenda reſipiſcentia, & vitæ emendatio. Jud. 10: 10. ſ. ubi removerunt Deos falſos, & ſervierunt Domino, ipſius anima indoluit labori Iſraelis, & dedit vindicem. Si etiam nos idola cordium removerimus, & in ſinceritate vitæ Deo ſervierimus, inveniemus miſericordiam & vindicias. Ratio alia eſt juramentum Dei, quod immutabile, ne quidem reſipiſcentia. 2 Reg. 23: 26. licet Joſia exemplarem meruerit reſipiſcentiam, ut parem non habuerit, tamen Dominus ſe non avertit ab æſtu magnæ ſuæ iræ, qua æſtuavit contra Judam ob irritationes omnes Manaſſis, adeo ut ne quidem Moſis aut Samuelis precibus flecti voluiſſet Jer. 15: verſ. 1. ſ. Non ſcimus, neque ſperamus tali decreto Dei nos ſubditos eſſe judicio, attamen continuis irritationibus id poteſt procurari; habet enim & nunc quoque Deus tempora ſtatuta reſipiſcentiæ, & pœnæ indeclinabilis Luc. 19: 41. ſ. Dum nondum factum eſt decretum, aut ſaltem nondum peperit, nos ipſos veſtigemus, & emendationem inſtituamus noſtrum ipſorum Zeph. 2: 1. ſ. quod ſi decretum excidii factum ſit, ſaltem reſipiſcentiæ impetrabimus dilatationem, ut Ninevitæ, ut Joſias, ut in diebus noſtris ſit pax & veritas, quod Hizkiæ conceſſum. Eſa. 39: verſ. ult. 2 Chron. 32: 26.

Mora patiens, verſ. 46. *& manſiſtis in Kades multis diebus, juxta dies quibus manſiſtis.* Supplent alii, *in cæteris manſionibus omnibus*, qui dividunt annos 38. in duas partes æquales, ut in Kades 19. annis, & totidem alibi hæſerint; ſed hujus rei nulla certitudo. Alii *dum expectaſtis exploratores*; verum utrobique dies memorantur. Rectius indefinite, tum de deſerto Kades, tum de tempore, quantumcunque temporis in magno illo deſerto manſiſtis, ut patientia ſignificetur. Quæ neceſſaria ſub Dei caſtigationibus Lam. 3: verſ. 26. ſ. Hoc Eccleſia facit Mich. 7: 9. Sic impetratur ſi non remotio, ſaltem moderatio pœnæ 2 Chron. 12: 7. 1 Pet. cap. 5: 5, 6.

CAP. II.

PRov. 29: 15. *Virga & correptio dat ſapientiam.* Stolidus, qui propriis conſiliis periret, ſapientiam aſſequitur increpatione & caſtigatione. Increpatio ſola non juvat, eam habet pro verbo labiorum; caſtigatio ſola quoque non emendat, quia nec cauſam nec finem animadvertit, eoque magis irritatur tanquam injuriam paſſus. Verum ſi verba verberibus ſocientur, tum demum fructus ſalutaris ſequitur; unde Pſ. 94: 12, 13. Job. 33: 16. ſ. Jam experti ſunt Iſraelitæ. Stultitia ſuperbiæ ipſorum in rebellione non prius fuit coërcita, quam verbis ſociarentur plagæ, & diſcerent impoſſibilem eſſe ingreſſum in Cananæam ſine Deo, quod eis inculcatum fuerat, quando à Cananæis depulſi magnam cladem acceperant. Vidimus iſtud in fine Cap. I. & pariter initio hujus. Indicavit cap. 1: 19. ſ. quomodo Iſrael à monte Horeb profectus eſſet, uſque ad limitem terræ repromiſſionis, Kades Barneam; quodque Deus juſſiſſet illico ingredi & occupare terram, ſed ipſos moram ſibi ipſis attuliſſe. I. dum humano conſilio prius terram & aditum explorari voluerunt, ad minimum totis 40 diebus, II. dum territi ab exploratoribus repudiarunt terram Deo juſta ſententia contemtores excludente. III. dum pœnitentes facti poſt interdictum etiam ſine & contra Deum volunt occupare, & à Cananæis profligantur, ut vi humana non minus quam Dei ſententia prohiberentur ingreſſu.

Nunc pergit ITINERIS PROCESSUM deſcribere, nempe I. annorum plurium uſque ad finem anni 39. ab exitu ex Ægypto, verſ. 1. II. anni ultimi ſeu quadrageſimi, verſ. 2.

Verſ.

Verſ. 1. ***Deinde convertimus nos & profecti ſumus in ipſum deſertum via*** ad ***mare algoſum, quemadmodum edixerat Jehova mihi: & circumivimus montana Sehiris diebus multis.***

I. *Prius intervallum* quamquam tot annorum eſſet, breviſſime uno verſu complexus eſt. *Et convertimus nos* &c. Cap. 1: 40. Mandarat Deus, ut ſic iter inſtituerent; ſed illi prius tentant irrumpere in Cananæam, ſed infelici ſucceſſu; deinde manent in Kades longo tempore, verſ. 46. quamquam præciſum annorum numerum ignoremus, tamen complures fuiſſe verisimile eſt, cum manſio non minus plurium dierum fuiſſe dicatur, quam iter hoc verſu. Manſio iſta nequit dici obedientia; quia juſſum Dei non faciunt, ſive putarint ſe flexuros Deum lachrymis & humiliatione, verſ. 45. atque ipſum pœnitentem ſententiæ mutaturum iſtam; ſive aliud quid ſibi fuerint imaginati. Aſt nunc obedientiam accipiunt, faciunt quod juſſi erant, & quia juſſi erant à Deo, abeunt à terra quam longiſſime verſus mare algoſum. Adeoque

Domat Deus tandem ſuperbos peccatores. Quanquam diu ſedeant in Kades, ſive hypocritice fleant, ſive ſtupidi quieſcant, nihil proficiunt, nulla ſalus niſi in obedientia, ut eant quo Deus juſſit. Lev. 26: 40. ſ. poſt aucta ſæpius judicia, quibus conſumuntur, tandem agnoſcant ſummam iniquitatem, & juſtitiam ſummæ diſperſionis & exilii, & ſi cor incircumciſum flectatur, atque in pœna ſuæ iniquitatis beneplacitum habeant, tum recordabitur fœderis. Sic Ezech. 6: 9. & Ezech. 16: 61. ſ. cap. 20: 43. cap. 36: 31. Jer. 44: 10. ſ. cap. 30: ult. cap. 31: 1. nulla mali averſio antequam illud fiat.

Cavenda proinde omnis pertinacia in malo. An provocamus ad æmulationem Dominum? an validiores eo ſumus? 1 Cor. 10: 22. Una ſalus in obſequio. Quod ſi non impetretur remotio plagarum, tamen impetratur ne augeantur jugiter, quia finem ſuum Deus aſſequitur Eſa. 27: 9. Utinam iſtud obtineretur à nobis, ut obedientia ſequeretur, brevi videremus malorum noſtrorum decrementum, ſaltem non augerentur. Iſraelitæ ſe tandem ſubmittunt Deo, & abeunt longius à Cananæa, nunc etiam ab hominibus prohibiti. Solent verbera humanæ manus plus valere, quam quæ Deus infert judicia. Cananæi victores magis exterrent, ne quid denuo ſuſcipiant, quam Dei mandatum. Prov. 10: verſ. 13. Carnales ſunt, qui ſenſu corporis ducuntur. Pſ. 81: 13. Deus eos ſivit ambulare in viis propriis & conſiliis ſuis, traditos ſuis cupiditatibus; id non afficit, quod tamen graviſſimum judicium, quia non carnale, quod corpus affligat. Judæi ut olim non ſenſerunt judicium obdurationis ſeu occalleſcentiæ & ſpiritus ſoporis, mentes obſcurantis; ita quoque nunc: qui tamen externis calamitatibus multum ingemiſcunt. Et ſic nobis quoque contingit. Corporalia mala afficiunt, ſpiritualia non movent. Atque hæc ſunt graviſſima Eſa. 29: 14. Putabit quis deſignari quod Deut. 28: 59. *Applicabit vaſtationi terræ* Deut 29: 22. ſed graviores ſunt, nam *peribit ſapientia* &c. Hacpropter Eccleſia id deprecatur potiſſimum, Eſa. 63: 17. Affligat potius externis malis, ſed non privet ſenſu malorum ſpiritualium, ne ipſa quoque externa fiant inſanabilia, dum vera deerit converſio.

Quod porro dicit, *Circumivimus montana Sehiris diebus multis*, non vult eos proxime montem illum oberraſſe; nam verſus mare algoſum profecti ſunt, & ad illud acceſſerunt; nam Ezjon-geber ad ejus littus fuit, portus maris, quo venerunt, verſ. 8. ſed quia in deſerto Kades hæſerunt, quod monti Seir obtendebatur, ad meridiem non potuerunt non montem illum ſaltem eminus obire.

Verſ. 2. ***Tandem alloquutus eſt Jehova, dicendo:***

Verſ. 3. ***Satis circumiiſtis montem iſtum: convertite vos Aquilonem verſus.***

II. *Poſterius intervallum* habet deſcriptionem I. itinerum pacificorum, verſ. 2--23. II. Bellicorum, verſ. 24. ſeqq. cap. 3.

A. *Itinera pacifica* dico quæ Deus imperavit, cum interdicto ne quid vi & armis tentarent, aut ullam vim aliis inferrent, cujuſmodi ſunt itinera circa Idumæam, verſ. 2--8. Moabitidem, verſ. 9--15. Ammonitidem, verſ. 16--23.

Antecedit *Mandatum* generale, verſ. 2, 3. *Sat diu* &c. *vertite vos ad Aquilonem.* Hactenus ſemper longius receſſerunt à terra, meridiem verſus, ad mare uſque rubrum. Nunc Deus jubet mutare curſum, & verſus Aquilonem, id eſt, Cananæam, iter inſtituere. Factum iſtud ante annum 40. nam primo ejus menſe jam redierant in Kades, emenſi denuo deſertum. Ubi obſervandum quod notatur Deut. 8: 2. Scl. omnia noſtra itinera à Deo reguntur, ut experimenta ſumat obedientiæ noſtræ, hacpropter quandoque ſuos loco movet, ut obſequii voluntas fiat evidentior, ut in Abrahamo Heb. 11: 8. Quamdiu manent ſuo in loco, confirmantur in ſuis moribus, ceu bonis. Jer. 48: 11. ſ. Suis moribus acquieſcunt, quia nihil mutationis paſſa erat reſpub. imo Deum negligentem putant rerum humanarum Pſ. 55: 20. Eph. 1: 12. Experientiam habemus à ſuperioribus & noſtro tempore. Quando ante ſeculum & quod excurrit Deus neceſſitatem inducebat itinerum religionis ergo, ut ejicerentur ſuis habitationibus in Anglia, Belgio, Gallia, quanta fuit itinerantium pietas; quemadmodum Patriarchæ Ab. Iſ. & Jac. de regno in regnum, & de populo in populum proficiſcentes ubique erexerunt altaria ſuæ religionis teſtimonia, & exercuerunt judicium & juſtitiam, ut agnoſcerentur & æſtimarentur quoque eo nomine: ſic quoque factum à piis exulibus, qui ſuam pietatem nuſpiam non probarunt, & ubicunque ſedem invenerunt cantus ſuos inſtituerunt. Aſt nunc ex quo pacem dedit Deus Galliæ, Angliæ, Belgio, confirmati ſunt in ſuis peccatis. Itinera quæ inſtituuntur, in Galliam & Italiam maxime, uti fere non à Deo, ſed à carne jubentur magis faciunt ad diſcendam & exercendam domi foriſque inobedientiam ad provocandum Deum, atque immanendum corruptiſſimis moribus. Atqui Deus explorare vult obſequium in peregrinantibus, ut quia plura occurrant exempla in utramque partem maxime mala, variæ viciſſitudines temporum, tanto magis Deo adhæreant fiducia & pietate; uti qui mare perambulant navibus, vident Dei mirabilia Pſ. 107: 23. ſ. Itineranti Abrahamo dicitur, *Ambula jugiter* &c. Gen. 17: 1. ſemper enim peregrinus vixit in Cananæa, & præſtitit Cap. 18: 19. Cap. 26: 5. Sumus quoque nos non niſi peregrini in terra, ſiquidem politeuma noſtrum in cœlo habeamus Phil. 3: 20. quod quidem profitemur, eoque illud meditari debemus 1 Pet. 2: 11, 12. Obedientiam noſtram Deus explorat, quæ ſi deſit, multiplicabit errores noſtros, ut & ejiciat ex terra in qua radicati ſumus, & immutriti peccatis; & ejectis quoque in exilio, non det requiem plantæ pedis, ſed faciat vagos & errantes uti Kainum, ut qui nolumus pietatis exempla circumferre, circumducamur, exempla juſtiſſima Dei vindictæ Deut. cap. 28: 65. ſ.

Verſ. 4. ***Item populo præcipe dicendo, vos mox pertranſituri eſtis terminum fratrum veſtrorum, filiorum Heſaui inhabitantium Sehirem: quamvis metuant à vobis, tamen cavete vobis valde.***

Verſ. 5. ***Ne bellum miſcete cum illis, non enim daturus ſum vobis de terra eorum, vel veſtigium plantæ pedis: nam hæreditarium dedi Heſauo montem Sehiris.***

Verſ. 6. ***Cibum comparate ab eis pecunia, quem comedatis, & ſimiliter aquam emitote ab eis pecunia quam bibatis.***

Verſ. 7. ***Nam Jehova Deus tuus benedixit tibi in omni opere manus tuæ, agnovit iter***

tuum in deſerto maximo iſto : jam quadraginta annos Jehova Deus tuus tecum fuit, *non eguiſti* ulla *re.*

R. Itinerum pacificorum *primum eſt circa Idumæam*, verſ. 4. 8. ubi I. mandatum ejus, verſ. 4--7. II. iter ipſum, verſ. 8.

a. *Mandatum* videtur continuatio mandati prioris, ſed non eſt. Etenim ad prius juſſum profecti ſunt verſus Aquilonem, & venerunt rurſum in Kades menſe primo anni 40. Num. 20: 1. atque ibi mortua eſt Mirjam, & defecit aqua populum; quæ eis reddita eſt ex petra, Moſe rupem bis percutiente, cui debuiſſet imperaſſe verbo ib. verſ. 2--13. atque tunc Moſes Legatos miſit ad Regem Edom, petituros tranſitum, verſ. 14. hanc v. legationem anteceſſit hoc Dei mandatum : nam quæ offert Moſes, hoc loco Deus juſſerat obſervanda. Mandari porro iſta vult omni *populo*, quia unicuique hæc præſtanda fuerunt : quemadmodum cum exercitus iter facit, leges generales ſunt cuivis ſervandæ. Mandatum geminum eſt de non offendendo, verſ. 4, 5. de ſervanda pace ejuſque exercitio, verſ. 6, 7.

a. Prius habet occaſionem, mandatum ipſum, & rationem.

α. Occaſio eſt, *vos tranſitis per terminum fratrum veſtrorum filiorum Eſau, qui in Seir habitant, & metuunt à vobis.* Hactenus ambularunt per deſertum vaſtum, ubi nemo habitabat, adeoque ad nullius injuriam pertinebat ipſorum iter : aſt nunc acceſſerant ad loca ab aliis inſeſſa, quibus proprietas erat ab antiqua poſſeſſione ; heic ergo non eodem modo licet progredi ; quemadmodum in ſpatioſo deſerto, licet ire qua lubet, at ubi omnia ſunt culta & habitata, non licet egredi via regia. Terra autem iſta ad quam acceſſerant, deſcribitur à poſſeſſoribus ; eſt *territorium fratrum veſtrorum*, qui ab eodem vobiſcum ſtipite deſcendunt, ut ſint cognati, & quidem ex proximis filiorum Eſau, non Iſmaelis, aut filiorum Keturæ ; qui ex Abrahamo originem ducebant, ſed non ab eadem matre cum Iſaco, verum qui germanus fuerat Jacobo, & gemellus Eſau ; quomodo proximus erat populo Iſraelitico. *Qui habitant in Seir*, aliud dabat argumentum ſervandæ pacis. Quum enim Eſau filius Iſaci primogenitus, hæres quoque eſſet patris, quoad bona præſentia & futura, quæ inter etiam erat Cananæa, hanc ſua ſponte Jacobo ceſſit, Gen. 36: 6. ſ. mortuo Iſaco, quem uterque filius tumulavit, Eſau aſſumtis uxoribus, & liberis, & famulitio, & gregibus, & omni poſſeſſione quam acquiſiverat in Cananæa, abiit in terram aliam à facie fratris ſui Jacobi. Nam ipſorum facultates majores erant, quam ut unà habitare poſſent, & terra peregrinationum ipſorum non poterat eos ferre ob greges : & Eſau habitavit in monte Seir. Hæc ergo ſuadebant amicam pacem tam poſtulandam quam ſervandam : quemadmodum Moſes urget in ſua legatione Num. 20: 16. ſ. ſic ait, *Frater tuus Iſrael : noſti omnem moleſtiam, quæ nobis evenit, quod patres noſtri deſcenderint in Ægyptum, & ibi nos diu habitaſſe, & mala ab Ægyptiis paſſos eſſe, ſed Deum per Angelum nos inde eduxiſſe, & nunc acceſſiſſe ad ipſius terminum*, redituros ſcl. in Cananæam, quam ante ſeceſſionem in Ægyptum tenuerant.

Scl. *Etiam inter populos cognatio, & antiqua pacta attendenda, neque contra illa peccandum eſt.* Hoc conſiderare jubentur Iſraelitæ & faciunt. Agnoſcunt & agnoſci volunt fraternitatem, & cum Eſau haberet poſſeſſionem in Seir, nolunt inde ejicere ; ſed quoque impetrare aditum ad terram ſibi olim habitatam, Cananæam. Hodie neutrum horum attenditur à Regibus, non agnoſcunt cognationem ullam, ut eapropter â mutua noxa abſtinerent : ſed quemadmodum Reges Aquilonis & Meridiei deſcribuntur Dan. 11. cap. mutuis conjugiis connexi, iis utentur ad mutuam pernitiem, atque fœderibus ſe mutuum decipient : ita quoque fieri videmus quamquam ſane ſi cognatio aliquid poſſet, bella magnam partem ceſſarent, quibus regna & nationes colliduntur & pereunt.

Unum adhuc addit, quod in contrarias ſententias movere poſſet, *metuunt à vobis :* ſive ut facilius fugari poſſe credatis, ſive ut paraturi ſint vim & arma ad ſe defendendos; uti Rex Edom, qui & minatus eſt, ſe exercitum contra ducturum & fecit etiam, occurrens magna multitudine & manu forti defendendi limitis gratia Num. 20: 18. 20. Metus Cananæorum Joſ. 2. argumentum fuit Iſraeli ad eos invadendos. Sic meticuloſi præda fiunt aliorum. Gen. 10: verſ. 8. ſ. *Nimrod fuit venator potens coram Domino :* quemadmodum venatores terrore animalium abutuntur, ut invadant, capiant, necent : ſic agunt venatores hominum. Hac ratione ſubacti ab Hiſpanis Americani, & tyrannorum magiſtri ſummum jus in eo ſtatuunt, ut timidi & imbelles vi majore ſubigantur. Attamen metus imbellium non dat jus robuſtis & validis. Hinc querela contra Chaldæum Hab. 1: 14. & Eſa. 10: 13. ſ. Aſſyrius fatetur quod robore ſuo removerit limites populorum, & ſpoliarit opes illorum, & facultates eorum ſuam manum inveniſſe ut nidum, & congregaſſe ut ova deſerta, & neminem fuiſſe, qui moveret alam, aut aperiret roſtrum, vel pipiret. Quamobrem Deus ſe vindicem fore teſtatur ; qui metuendos ſubinde majori metu Pſ. 9: ult. ſubigit & domat ; ut Benhadadum & Sanheribum, alioſque tyrannos.

β. Mandatum eſt geminum. *Cavebitis vobis, ut eos non adoriamini : & ne miſceamini cum ipſis*, ſi vos velint adoriri, ut nec ipſi hoſtile quid tentarent priores, neque etiam ſi pararent Edomæi bellum, cum illis committi vellent : quod factum Num. 20: 17. 21. profeſſi ſunt pacificum tranſitum, & cum negaretur, oppoſito ad limites exercitu, Iſrael inde receſſit. Hinc. Quantopere cavendum ſit bellum ; *quando cauſa non eſt. non invadendi alii; immo belligeraturis non occurrendum, ſed occaſio adimenda potius.* Eſt enim bellum malum Eſa. 45: 7. quod nemo ſibi optat ſanus, neque alteri inferre debet, habet rationem pœnæ, unde non eſt legitimum, ubi non eſt culpa. Declinat quivis prudens, & quærit quæ ad pacem faciunt, Luc. 14: 32. neque inſtructiſſimus ad bellum gloriandum habet cum ſe accingit, ſed tum demum quando ſe diſcingit 1 Reg. 20: 11. cum incerta ſit belli alea, & jam hunc jam illum abſumat gladius 2 Sam. 11. verſ. 25, & inſolentes provocatores nonnunquam ſuccumbant, ut Benhadad, Jeroboam, Amaſia. Eſa. 33: 1. Hab. 2: 8.

γ. Ratio additur, *quia non dabo tibi quicquam de terra ejus, ne quidem veſtigium pedis ; nam Eſavo dedi montem Seir in poſſeſſionem.* Hinc.

Nemo poteſt occupare terram, ne quidem veſtigium pedis, niſi Deus dederit, eoque nihil faciendum pro ea occupanda, citra mandatum Dei. Dat ille ex plenitudine poteſtatis Jer. 27: 5. pro ſuo arbitrio, ut conſequi impoſſibile ſit ipſo non dante, & contra dante neceſſario quis conſequatur. Dat autem Deus quandoque in poſſeſſionem, quemadmodum Iſraeli Cananæam ; nonnunquam in pœnam aliorum, ut Nebucadnezari, ejusque poſteris Jer. cap. 25: 9. ſ. cap, 27: 6. ſ. Fruſtra ergo petitur, aut occupatur, quod Deus non dedit, vel non ſuccedit, vel non diu gaudet injuſtus poſſeſſor. Neque hic valet præſcriptio ad juſtitiam poſſeſſionis ; ſic hominum leges juſtitiam definiunt. Aſt apud Deum tandem ejiciuntur injuſti poſſeſſores, aut quorum tempus effluxit, ut Nebucadnezaris & Jehu familia.

Quæſt. Quomodo negat Deus Iſraeli terram Edom, quia data ſit Eſavo ? annon Seir partem facit terræ Canaan? Exod. 23: 23. *Ponam terminum tuum à mari algoſo uſque ad mare Philiſtæorum*, (qui termini meridionalis & occidentalis.) *& à deſerto uſque ad Euphraten fluvium*, (qui ſeptentrionalis, deſertum illud videlicet quod circa Damaſcum eſt, & orientalis terminus.) ubi ſane tota Idumæa comprehenditur : quemadmodum cum dicitur Deut. cap. 1: 7. *Ingredimini montem Amoræorum, & omnes vicinos ejus.* Idumæi ſunt, qui montis Amoræorum partem habebant, cum protenderetur ultra mare Sodomæ. Præterea David, vir ſecundum cor Dei Edomum ſubjugavit, ut præſidia iſtic collocaret, 2 Sam. 8: 14. imo optat à Deo & ſperat ſe deducendum in Edom, ut plane poſſideat, Pſ. 60: 11. quam poſſeſſionem Iſraeli pollicitus eſt Deus Amos 9: 11. ſ. *Erigam collapſum tabernaculum Davidis, & ædificabo, ut poſſideant reſiduum Edomi :* & Obad verſ. 17. ſ. domui Judæ & Joſephi promittitur poſſeſſio

ſeſſio hæreditatis propriæ, nec non urbes ad Auſtrum & montana Eſau. *Reſp.* Tota terra Seir continetur in donatione facta Abrahamo, quæ ceſſit Iſaaco; unde Abraham filios pellicum emiſit longe in Orientem, ne quid occuparent quod Iſaci erat Gen. 25: 6. Iſacus, cum Eſavo primogenito deſtinaret benedictionem, vidit ita dirigente Deo tum in Jacobum eſſe derivatam, cui poſtmodum ſoli dedit benedictionem Abrahami, quæ terram comprehendebat, confirmatam eidem à Deo Gen. 28: 4--13. ſ. cap. 35: 12. Cum ergo Deus Iſraelitas eduxiſſet ex Ægypto ut donatione avita fruerentur, pollicetur eam ſecundum omnem ſuam extenſionem. Veruntamen ut nollet ſimul & ſemel dare, quia non ſufficiebant ad eam implendam incolis, adeo ut feræ eis fuiſſent prævalituræ, ſed pedetentim Exod. c. 23: 21. ſ. Deut. 7: 22. atque ſic initio Edomitæ fuerant prætereundi idque quia frater Iſraelis: attamen terra Seir tandem debuit cedere Iſraeli: Etenim Chiuvæi citra controverſiam ſunt Cananæi Gen. 10: 17. & inter Gentes datas Abrahamo & poſteris: Deut. 7: 1. Joſ. 11; 11. cap. 9: 7. atqui Seiris Horitæ filii Chiuvæi appellantur Gen. 36: 2---20--25. Servavit autem terra conditionem eam quam habuit antequam Eſau eo concederet habitatum, unde Deut. 2. v. 12--22. Horitas expuliſſe dicuntur, ut poſſeſſio Eſavi eſſet cum antiquo onere cedendi terram Iſraeli. Eſau v. peculiari titulo, fuit aliquando ejiciendus cum Iſacus eum conſtituiſſet ſervum Jacobo, Gen. 27: 40. & quamvis tandem rebellaturus eſſet, avulſo jugo ejus; attamen ut ad extremum major ſerviret minori, uti Canaan ſervus fratrum, Gen. 9: 25. quod dixit Deus ad Rebeccam Gen. 25: 23. Itaque hoc interdictum tantum eſt pro illo tempore, non in perpetuum, & David non peccavit occupando perque præſidia tenendo terram; imo merito optavit poſſeſſionem ipſam, quam Deus per Obadiam ſic addixit, ut Iſraelitæ exciſis Edomæis eam habeant. Ergo Deus hic dedit Edomæis ſalvam cuſtodiam *ſauvegarde* ad tempus, ut nunc eos attingere non liceret, quemadmodum Kaino dedit, ne à quovis obvio occideretur. Etiam impii, quamcunque quietem habent, conſequuntur à Deo. Abraham per 400. annos caret terra, quia tantum temporis adhuc conceſſerat Amoræis, Gen. 15: 13-16.

Edom fuit hoſtis infeſtiſſimus Iſraelis, & tamen Deus ei dedit quietem in poſſeſſione, & AntiChriſtus ſub nomine fraternitatis hoſtis eſt Eccleſiæ, & tamen longa fruitur quiete. Sed veniet tempus, uti Eſavo, ſic AntiChriſto, ut privetur cuſtodia, imo ut reges qui dederant ſuam poteſtatem beſtiæ eam odio proſequantur, & edant carnes ejus, & comburant igne Apoc. 17: 12--16. Exſpectanda patienter tempora, dum implerit menſuram peccati, & tunc judicium ejus erit tanto gravius, quanto diutius floruit, c. 18. verſ. 7.

b. Poſterius habet mandatum & rationem.

α. Mandatum eſt, verſ. 6. de emenda annona. Hanc legem obtinere optandum eſt, quoties exercitus inter amicos verſatur, ut nihil ne quidem ciborum, eripiatur, ſed ut ematur ære. Luc. 3: 14. ad milites Baptiſta ait, non tantum gregarios, ſed etiam ductores. *Neminem opprimite*, &c. Milites conſtituti ſunt ut depellant injuriam ab amicis & ſociis; quod ſi eam inferant pejores ſunt hoſtibus, cum ipſorum fidei omnia credantur.

Sed quæritur, quomodo dicatur de emendo cibo & potu, cum mannam jugiter daret Deus, & aqua ſequeretur? R. Mannam & aquam iſtam habuerunt in deſerto, ſed ſi transiiſſent per Idumæam tantisper fuiſſet ceſſatura, quod tunc non eſſet neceſſitas miraculi, neque illud inter Idumæos continuandum, ut etiam ipſi participarent. Imo quando per deſertum Edom tranſierunt, licet manna eis fuerit ſuppeditata, caruerunt tamen aqua, Num. 21: 4, 5--16. unde iſtic novum puteum conſecuti ſunt.

β. Ratio eſt, verſ. 7. à providentia divina qui benedixiſſet, adeo ut eſſet unde emerent cibum, neque cogerentur ex rapto vivere; qui noſſet quacunque ambularent per deſertum, ut conſcius eſſet omnis defectus, & quomodo ſupplendus eſſet; qui denique totis 40. annis præſentiam ſuam teſtatus fuiſſet, ut nihil neceſſarii defuiſſet. Pſ. 68. verſ. 10. ſ. De hac cura Dei circa Iſraelem ſpecialius agitur, Deut. 8: 1. ſ. Hoc loco ſpectanda eſt ut ratio, cur abſtinendum à rapto.

Conſideratio providentiæ divinæ, & experientia ejus movere debet, ne per rapinam quid ſumatur, & uſurpetur. Rapina omnis eſt teſtimonium diffidentiæ de providentia Dei, eum non proſpecturum, vel quod ignoret conditionem, vel quod negligat, vel quod nolit nequeatve ſuppeditare. Deprecatur Salomo paupertatem, ne furetur & nomen Domini apprehendat, (תפשתי B. mn vergrijpe) vel agere videar quæ ſunt Dei. Prov. 30: 9. Equidem habent nonnulli cauſam, omnes qui rapinam exercent, deſperandi de providentia Dei; nam, quia quærunt ſupplementa non neceſſitati, ſed pravæ cupiditati, ſuæ avaritiæ, ſuperbiæ, ambitioni, gulæ & ventri, libidini, &c. utique à Deo non habent quicquam exſpectandum. Jac. 4: 3. precantes nihil accipiunt, quia male precantur, ut in voluptatibus abſumant. 1 Tim. 6: 17. Qui Deo confidunt, acquieſcunt præſentibus, certi ſemper fore quod neceſſarium Heb. 13. verſ. 5. Sed quibus ſpes in divitiis, nunquam finem faciunt rapinæ Hab. 2: 6--9. ut Jojakim Jer. 22: 13. ſ. Mich. 6: 12. & cap. 2. & 3. deſcribuntur tales. qui tamen ſubinde gloriantur de Deo, ejusque benedictione. Zach. 11: 5. Sine Deo hi vivere volunt, qui contra mandatum Dei, per peccata & injuſtitiam ſibi proſpiciunt: & his parum ſecuritatis, perituris divitiis, quando alis aquilinis avolant Prov. c. 23: 5. vel ipſis ut auferatur anima ipſorum ante fruitionem. Luc. 12: 20. & dum utrunque adeſt tortis inſatiabili cupiditate, & ſollicitudinum ſpinis, ut nequeant quietem conſequi. Adeoque ne rapinam admittamus, diſcamus meditari Dei providentiam etiam erga nos. Pſ. 71: 5. ſ. verſ. 17. & Pſ. 55: 23.

Diſcendum etiam habent Dii mundani, qui militibus interdicunt rapina inter ſocios, ut exemplo Dei iis proſpiciant, ut habeant ſtipendia unde emant alimenta: maxime cum debita ſint, quæ à Deo gratuita dantur. Rapina famelicorum, quibus ſtipendia non ſolvuntur, non tam ipſorum eſt, quam eorum qui mercedem non ſolvunt. ut hic proſpiciendum eis ſit, ne cogantur rapere, ut famelicum ventrem impleant. Eſa. 61: 8. Debemus nos ſiſtere hoſtiam vivam Deo, Rom. 12: 1. ne rapina adhæreat nobis. Sic privatim, ſic publice omnia bene ſe habebunt.

Verſ. 8. *Prætergreſſi itaque fratres noſtros, filios Heſavi inhabitantes Sehirem à via campeſtrium* quæ ſunt *ab Elatha & à Hetzjone geberi, convertimus nos ut transiremus via deſerti Moabitarum.*

Act. 17: 26. Deitatem probat Apoſtolus ex gubernatione mundi univerſali, inde à primo ejus initio. Cum enim condidiſſet terram, non voluit ut inanis maneret, ſed habitaretur ab hominibus Eſa. 45: 18. Homines autem condidit non multos, uti bruta, qui ubique terram implerent, ſed duos ſolam, marem & fœminam, & ex illis omne genus humanum naſci fecit, quod totum incoleret mundum; atque ut ordinate cuncta fierent, unicuique determinavit certum vitæ tempus, quod in terra exigeret, quo finito non amplius manere conceditur in terra viventium: determinavit quoque unicuique terminos habitationum, quo loco morari, quamdiu & quam bene vel male morari debeat. Eſt hæc meditatio non modo utilis, ſed neceſſaria quoque præſenti tempore, quando per bella motusque alios omnia ſuſque deque vertuntur, evertuntur limites populorum, hominesque tempore & loco nonnunquam privantur, loco quidem quando ſedibus ſuis ejiciuntur, ac exules coguntur vagari; tempore etiam, quando magno numero trucidantur, ut inter viventes non ſint, neque habitare queant. Sunt quidam tunc, qui providentiam Dei negant, & caſu omnia ferri rentur: aut ſaltem homines eſſe factos ut piſces maris, ut reptilia, quæ dominum non habent; quia tanquam hamo ſinguli, tanquam reti magno numero ſimul capiuntur & perduntur. Hab. 1: 14. ſ. Verum in omni iſta vaſtatione providentia Dei inſigniter elucet, cujus moderamine fiunt, quæ variam populorum poſſeſſionem, & ſucceſſivam viciſſitudinem habent. Quod ex hoc capite, & textu luculentiſſime claret, & nos in explicatione docebimus.

Re-

Refert itinera Iſraelitarum anni quadrageſimi ab exitu ex Ægypto: Eaque pacifica & bellica.

Pacifica quidem, in quibus nulla uſi ſunt violentia, nullis armis, ſed amico more proceſſerunt; qualia Moſes tria recenſet, eaque conjungit; quemadmodum poſtea bellica quoque conjungit. Etenim non obſervat in hoc libro exacte ſeriem temporum, ſed prorſus arbitrario agit, jam hoc jam aliud narrando quod ad propoſitum faciebat. Sic Deut. c. 1: 37. excluſioni populi infidelis ex Cananæa conjungit ſuam quoque excluſionem, cum 38. anni fere interceſſerint, quia eandem cauſam habebat, infidelitatem. Similiter in commemorandis itineribus ſociat bellica bellicis, & pacifica pacificis. Nam generis hujus ſunt tria illa, circa Idumæam, Moabitidem & Ammonitidem.

Primum iter circa Edomum, habuit mandatum, abſtinendi ab injuria, & colendi pacem, additis utrobique rationibus, verſ. 1—7.

b. *Iter ipſum*, verſ. 8. refertur, quod ſecundo itineri dedit occaſionem. *Tranſivimus*, inquit, *à fratribus noſtris, à filiis Eſau qui in Seir habitant, à via planiciei, ab Elath, & Ezjongeber.* Num. 20: 14. ſ. poſtulatus fuit per legatos tranſitus, ut mediam Idumeam tranſirent, eoque breviſſima via Cananæam ingrederentur: Sed rex Edom non permiſit, exercitu inſtructo limites cuſtodiens. Cum ergo vi ſibi viam parare non liceret, deflexerunt, & longe à terra culta per deſertum (quod tamen Edomi quoque erat) progreſſi ſunt. Et hic circuitus fecit, ut ex deſerto Edom venerint in deſertum Moab, quod orientale eſt alteri. Pſ. 105. v. 13. ſ. dicitur de Patriarchis, iviſſe de populo ad populum, & de regno ad populum alium, neque permiſiſſe Deum, ut quisquam eos afficeret injuria. Sic quoque ambularunt Iſraelitæ, ſed mandatum de non nocendo ipſis datum fuit. Scl. uti ſuos quandoque tuetur ab injuria aliorum, quemadmodum Jacobum à Labanis Gen. 31: 24. ita vult ipſos quoque innoxios eſſe: Oves quæ neminem lædunt, defenſum conſequuntur ne lædantur à lupis, feriſque aliis. Alioqui vaſtatores vaſtantur Eſa. 33: 1. Menſuratur eadem menſura, tam qui benefecerunt, quam qui malefecerunt. Eoque quæcunque vultis homines facere vobis, facite ipſis, quæ legis & Prophetarum doctrina. Mat. 7: 12.

Verſ. 9. *Tum edixit Jehova mihi, ne hoſtiliter age cum Moabitis, neque miſceto cum eis bellum: quia non ſum daturus tibi de terra ejus hæreditatem, nam filiis Loti dedi Harem* in *hæreditatem.*

Verſ. 10. (*Emæi antea inhabitabant eam populus magnus multusque & excelſus ut Hanakita.*

Verſ. 11. *Gigantes reputabantur etiam illi, ſicut Hanakitæ, ſed Moabitæ vocabant eos Emæos.*

Verſ. 12. *Sehirem inhabitabant quoque Choræi antea, in quorum hæreditatem filii Heſavi ſucceſſerunt quum perdidiſſent eos à facie ſua, & inhabitant loco eorum: quemadmodum faciunt Iſraelitæ terra hæreditatis ſuæ quam dedit Jehova eis.*)

Verſ. 13. *Nunc ſurgentes tranſite vallem Zeredi: quare tranſivimus vallem Zeredi.*

Verſ. 14. *Dies autem quibus iter facimus* conſumpti *à Kadeſcho-barnehæ uſque dum tranſivimus vallem Zeredi, fuerunt triginta octo annorum: donec confecta eſſet tota ætas illa, viri illi militares, è medio caſtrorum, ſicut juraverat Jehova de eis.*

Verſ. 15. *Nam etiam manus Jehovæ erat contra eos ad quaſſandum eos è medio caſtrorum, donec conficerentur.*

Verſ. 16. *Fuit itaque, quum omnes viri illi militares moriendo confecti eſſent è medio populi;*

Verſ. 17. *Ut alloqueretur me Jehova dicendo:*

Verſ. 18. *Tu tranſiturus es hodie terminum Moabitarum, Harem,*

Verſ. 19. *Et appropinquaturus è regione Hammonitarum, ne hoſtiliter agito adverſus eos, neque bellum miſceto cum eis: quia non ſum daturus tibi de terra Hammonitarum hæreditatem, nam filiis Loti dedi eam in hæreditatem.*

Verſ. 20. (*Terra Gigantum reputatur ipſa quoque: Gigantes inhabitabant eam antea, quos Hammonitæ vocabant Zamzummæos.*

Verſ. 21. *Populus magnus multuſque & excelſus, ſicut Hanakitæ: ſed perdidit eos Jehova à facie iſtorum, ut ſuccedentes in hæreditatem eorum inhabitarent* iſti *loco eorum:*

Verſ. 22 *Quemadmodum fecit filiis Heſavi inhabitantibus Sehirem, à quorum facie perdidit Choræos, ut ſuccedentes in hæreditatem eorum inhabitarent loco illorum uſque in hunc diem:*

Verſ. 23. *Hauvæos quoque qui inhabitabant Chatzerima Hazzam uſque, Caphthoræi qui prodierunt è Caphthore perdiderunt illos, & inhabitabant loco illorum*)

ב. Mandatum ejusmodi de non offendendo bis hic occurrit, in ſecundo & tertio itinere: cum enim propinquarent ad terram Moabitarum dixit Dominus, *ne auguſtiam Moabum, neque bello ipſis miſceamini. Nam non dabo tibi hæreditatem de terra ipſorum, quia filiis Loti dedi Ar in hæreditatem*, verſ. 9, Similia juſſa dedit, quum Moabitidem obiviſſent, & non longe abeſſent ab Ammonitide, verſ. 17, 18, 19. Cauſa eadem fere fuit, quæ circa Edom: quoad Iſraelem cognatio, quoad Deum donatio. Eſau & Jacob fuerunt fratres germani, eorundem parentum filii Iſaaci & Rebeccæ, Moab & Ammon fuere filii Lot, qui Abrahami fratris filius, ejusdemque comes cum exiret ex Chaldæa in Cananæam, imo conſors pietatis quam conſtanter coluit; unde commendatur quod eam etiam ſervarit in medio Sodomæ 2 Pet. 2: 7. ſ. ubi juſtus Lot dicitur, & juſtus abſolute, & pius; qui fatigatus fuit impudica converſatione impiorum, & quotidie afflixit juſtam animam ſuam videndo & audiendo ipſorum injuſta opera. Hic Lot cum Abrahamo reverſus ex Ægypto, quod una commorari non poſſent commode, ob gregum copiam, terra à Cananitis occupata, ne paſtores committerentur propter Paſcua, & ſic ipſimet inciderent in contentionem, decreverunt ab invicem diſcedere, (uti poſt Eſau à Jacobo Gen. 36.) & Lot facta ſibi optione, Sodomæ tractum, totius Cananææ præſtantiſſimum delegit, eoque profectus eſt. Gen. c. 13. Sodomitæ fuerunt etiam peſſimi Cananæorum, uti ſolet abundantia terrenorum bonorum facere luxurioſos, & inſolentes; utp. quibus fomenta peccati plura, ad exſtiandas cupiditates carnis. quemadmodum de Sodoma dicitur Ezech. 16: 49. ſ. deque urbibus & terris abundantibus divitiis & felicitate externa, Tyro, Babele, Ægypto,

pto, atqui ipſa Hieroſolyma Iſrael pinguefactus recalcitrat, & obliviſcitur Dei ac pietatis Deut. 32: 15. ſ. ut non ſine cauſa Salomo deprecetur, non tantum paupertatem, ne diffiſus providentiæ divinæ ſibi ipſi conſuleret furto aut rapina: Verum etiam divitias, ne ſatiatus Deum negaret, ceu cujus non egeret Prov. 30: 8, 9. poſcatque ſufficientiam mediocritatis inter utrumque, ut Dei ſemper haberet fruendam & poſtulandam benignitatem. Lotus inter impios illos multa paſſus eſt, abductus cum illis captivus, vindicatus tamen ab Abrahamo; ſed inprimis exoſus ob pietatem, quod Gen. 19. patuit, quando contradicentem impietati ipſorum, & dehortantem voluerunt malo majore afficere; imo indicantem excidium inſtans ipſi ejus generi irriſerunt. Ergo cum exſcinderetur Sodoma & Vicinæ urbes Deus per Angelos Lotum inde eduxit, juxta cum duabus filiabus innuptis; nam uxor reſpiciens contra interdictum in ſtatuam ſalis verſa fuit; qui ſe territus tanto incendio, in ſpeluncam quandam recepit. Filiæ ejus opinatæ periiſſe omnes alios homines vel ſiquidem Judæis veteribus credimus, memores promiſſionis divinæ, quam pater proculdubio domeſticis inculcavit, de Semine aliquo ſingulari, cum nullum marem præter patrem crederent eſſe ſuperſtitem, ut ab ipſo vivificarent Semen, (non filium inquiunt, ſed Semen, unum illum nempe, Regem Meſſiam) & inebriant patrem, & congrediuntur, duplici peccato, tum inceſtu, tum medio ad eum procurandum: atque hinc nati ſunt ex majore filia Moab, ex minore Ammon, autores duarum nationum. Quæ quia Loto oriundæ, conſanguineæ fuerunt Iſrael. Deus etiam propter Lotum juſtum (quamvis graviter peccaſſet ebrietate, uti quoque Noach, & per eam proceſſiſſet ad inceſtum, quamquam ignoranter, uti David ſe polluit adulterio) benefecit poſteritati, eisque aſſignavit hæreditatem. Subinde Deus benefacit piis poſt graviſſimos eorum lapſus. Sic egit hic cum Loto inceſtam progeniem quæque notam gerebat in nomine, propter Lotum hæreditate inſigni donat, & potentiſſimis hoſtibus, gigantibus facit prævalere. Sic ex Judæ & Thamaris meretricio congreſſu natus eſt Perez, unde Meſſiæ genus. Sic Bathſebæ datur Salomo. Ne ergo condemnemus pios, qui labuntur, nec indignos putemus amore vel honore, cum Deus ſic agat, qui hic dedit poſſeſſionem Loti filiis, quam noluit interturbari ab Iſraelitis, eoque monuit ſuæ donationis. Quod quidem Joſaphat commemorat, 2 Chron. 20: 10. ſ. *Ecce filii Ammon & Moab, & qui de montanis Seir, per quos non ſiviſti tranſire Iſraelem cum excederent ex Ægypto, ſed receſſerunt inde neque eos perdiderunt: Ecce nunc hi retribuunt nobis, venientes ut nos expellant hæreditate, quam nobis dediſti.* Securitas quam Deus ipſis dedit religioſe fuit obſervata. Ita fit quibuscunque Deus largitur, Mali fuerunt, Kain, Achab, hæ nationes tres, Amoræi omnes ultra 400. annos, Ninivitæ. Multo magis ergo boni, Noach, Lot, Patriarchæ, Jacob. Gen. cap. 31: 24. & 35: 5. & 46: 3. Neque cuiquam impune eſt violaſſe Dei ſalvum conductum. Moabo denunciatur exilium & vaſtitas, quod ſuperbe contemſiſſet mandatum. *Commorentur apud te propulſi mei, ô Moab eſto latibulum ipſis à conſpectu vaſtationis*, Eſa. 16: 8. Et peſſime ceſſit Pharaoni & Ægyptiis non egiſſe comiter cum Iſraele peregrinante iſtic, imo peregrini omnes Pſ. 146: 9. Exod. 22. verſ. 21. Ut cavendum ſit nequid moliamur contra eos qui Dei cuſtodiam habent, & inprimis ſtudendum ut ſimus ii quibus ea data eſt. Bileam dehortatus eſt Balakum ne quid bello tentaret contra Iſraelem, ob Dei cuſtodiam: ſed ſuaſit ſollicitandos ad peccatum, ut eam amitterent: peccatis enim nudatur populus Exod. 32: 25. Si peccata apud nos vigeant & dominentur, abeſt cuſtodia Dei, & amovetur: & expoſiti ſumus cujusvis injuriæ; non tantum hominum, ſed etiam maris & ventorum, nec non aliarum calamitatum: quod nimis verum eſt inter nos. Quando omnes ſunt hypocritæ & malefici, & os omne loquitur falſitatem Deus non delectatur juvenibus, & non miſeretur viduarum, & populus ſit pabulum ignis, & unus alteri non parcit Eſa. 9: 16. ſ. Contra piis eſt defenſio Pſ. 34: 8. quod expertus eſt Jacob Gen. 32: 1. & Eliſa 2 Reg. 6: 17. Sed timentibus Deum. Pſ. 91: 4. quia me valde amat, eripiam eum, conſtituam in excelſo, nam novit nomen meum. eoque 1 Chron. 28: 9.

Quemadmodum autem contra cuſtodiam Dei nihil tentandum, ita neque contra jura naturæ & cognationis. Hoc fuit peccatum Edomi, quod vidiſſent cum voluptate diem fratris ſui, quo exſcindebatur de terra, & juviſſent ejus deſtructionem Obad, verſ. 12. ſ. & Amos 1: 11. ſ. & Ezech. 35: 5. ſ. Quomodo ob injuriam Iſraeli illatam etiam Ammonitis & Moabitis excidium denunciatur, Amos 1: 13. ſ. c. 2. 1. ſ. Caveamus peccare contra jura cognationis: Eſt gradus impietatis magnus, quando homines fiunt ἄστοργοι, Rom. 1: 31. Cognatio eſt varia, ſed cujus ſemper habenda ratio: Remotiſſima eſt naturæ humanæ; attendenda circa pauperes, non abſcondendus animus à carne ſua Eſa. 58. v. 7. & Gal. 6: 10. dum tempus habemus, benefaciamus omnibus, ſed maxime domeſticis fidei. Hæc cognatio proximior, religionis. 1 Tim. 5: 4. primum diſcendum exercere pietatem erga domum propriam, & penſare majoribus, hoc enim bonum eſt & acceptum coram Deo: negligens domeſticos abnegavit fidem & pejor eſt gentili, v. 8. Saltem nunquam priores ſimus in inferenda injuria. Si poſſibile, quantum in vobis, ſervate pacem cum omnibus Rom. cap. 12: 18.

Verum hic oritur quæſtio, cujus nuper quoque facta mentio, quomodo Moabitis & Ammonitis & data & defenſa fuerit hæreditas iſta, quandoquidem antiquiori donatione pertinuit ad Abrahamum ejusque ſemen, Iſraelitas? Etenim filii Lot habitarunt ad Orientem ultra montem Gilead, & Hermon: aſt Abrahamo data omnis terra, uſque ad Euphraten, qui terminus orientalis crebro commemoratur, eoque debuerunt hæ nationes tandem cedere poſſeſſione. Cujus quidem demonſtrationem ex textu petere poſſumus. Etenim deſcribit Moſes terram utrorunque, imo & Edomitarum, & aliorum in Cananæa habitantium, à priſcis habitatoribus. De Moabitide, verſ. 10, 11. & Ammonitide, verſ. 20, 21. Mirari ſubit cur Gignatum varia memoret nomina, quod dicerentur *Emim terribiles* à Moabitis, & *Zamzummim*, *aſtuti* ab Ammonitis; intereſtne, hoc vel illo nomine appellentur? Sed juſta cauſa fuit; non debuit mutato nomine obliterari jus ejuſque memoria; quod heic cautum voluit. Gen. 15: 20. inter x. populos datos Abrahamo, comprehenſos inter Ægyptum & Euphraten, nominatur quoque populus Rephaim, Gigantum. Hi fuerunt, uti deſcribuntur h. l. ſtatura & robore eximii, adeo ut terrori forent intuentibus, Num. 13: 33. 1 Sam. 17: 24. Habitarunt autem non uno loco in Cananæa, tum circa Hebron, Num. 13: 22. tum inter Philiſtæos, 1 Chron. 20: 4. ſ. tum inprimis trans Jordanem, quod hic dicitur; Rephaim fuerunt olim incolæ Moabitidos, & terra ipſorum quam incoluerunt fuit enim Ammonitis; ſed alio nomine appellarunt eos, & expulerunt poſſeſſione, ſic Deo dirigente, ut tantisper ibi habitarent liberi Lot. Veruntamen quicquid ſit, eſt iſta terra Rephaim, & quamvis nomen illud ignorent Moab & Ammon, atque ſe Emim & Zamzummim expuliſſe dicant, qui in donatione Abrahami non nominantur, ſunt tamen Rephaim, & ipſorum fuit terra, manetque titulus Abramidis. Mutatio poſſeſſorum non tollit onus & ſervitutem inhærentem terræ, quemadmodum ejuſmodi onera & ſervitutes domo & fundo inhærent, quomodocunque emtione, donatione, hæreditate aliove modo mutentur poſſeſſores. Hinc eſt quod iterato dicit, verſ. 12-22. Horitas, qui Hiuvitarum progenies, habitaſſe in Seir, ſed filios Eſau eos tandem expuliſſe, & iſtic conſediſſe. Imo, verſ. 23. Caphtorim ejeciſſe Hauvitas. Caphtorim fuere poſteri Mizraim, fratris Canaan, Gen. 10: 14. ex iis prodiere Philiſtæi Jer. 47: 4. Amos 9: 7. & expulerunt Hauvitas, occuparuntque maritima Cananææ, uti notum; ſed fuit portio Cananææ, datæ Abrahamo, proinde Philiſtæi tenuerunt eam, cum onere amittendi, ut fieret Iſraelis. Joſ. 13: 1. ſ. Deus ad Joſuam; *multum terræ reſtat ad occupandum: omnis tractus Philiſtæorum, quinque Satrapæ ipſorum & Auvitæ*, &c. Videmus ergo quantopere Deus cautum voluerit ſuæ promiſſioni, ne illa veniret in oblivionem, & poſt anſa daretur ambigendi de Dei veritate. Quamvis tunc non eſſent occupandæ illæ regiones, (quia paulatim voluit in poſſeſſionem mittere,

imo ob inobedientiam ad tempus differre, Jud. 2. & 3. & penitus aliquandiu ejicere Deut. 4: 26. ſ. cap. 29. Lev. 26.) tamen debuit manere notitia juris, cujus tandem futuri ſint poſſeſſores. Jer. 31: 21. id x. tribubus deportatis dudum, in ſecuritatem reſtitutionis. Sic quoque hæc ſunt ſignum Iſraeli univerſo, ne nominum, & incolarum viciſſitudo, aliquid adimat. Omnes qui hic memorantur populi confederunt in portione Abrahami, & hinc ſunt ejiciendi. Oſtendimus de Edomo nuper, diciturque Ezech. c. 35. De tribus reliquis eſt Zeph. 2: 5. ſ. Et porro. Sic Jer. 49: 1. ſ. Atque hanc poſſeſſionem exſpectandam habent, uti David ſibi eam pollicetur Pſ. 60: 10. & 108: 10. Apparet hinc Dei in Eccleſiam amor, quod ei cautum fuerit de ſuis promiſſis. Deut. 32: 8, 9. Diſtributio terræ facta eſt longe ante natum Abrahamum; Ea tamen à Deo ſic fuit inſtituta, ut Iſraelis haberet rationem, & cum decus omnium terrarum illi deſtinaſſet, tantisper illis populis concederet habitandum, qui erant exſcindendi, poſteris maledicti Cananæis; & ſi quis illorum aliquos ejeciſſet, eandem ſubiret conditionem, ut ejiciendus eſſet: & quamcunque diu differretur tamen tandem conſequerentur Iſraelitæ, & ſi propria quoque terra ceſſiſſet aliis. Deus recordabitur fœderis ſui cum Ab. Iſ. & Jac. & terræ quoque Lev. 26: 42. & expiabit terram ſuam populumque ſuum, Deut. 32: 43. Quod ſolatio eſſe debet, quoad alias & potiores promiſſiones. Data eſt nobis vita æterna à Deo mentiri neſcio, at quam longe abſumus ab ejus poſſeſſione? Morimur quotidie, quod Apoſtolus de ſe ait 1 Cor. 4: 9. c. 15: 31. 2 Cor. 4: 10. ad extremum invadit mors corpus noſtrum, & venimus ſub poteſtatem ſepulchri; nam ſtatutum omnibus ſemel mori Heb. 9: 27. & nemo eripit animam ſuam Pſ. 89: 49. Sed licet differatur & diuturnitate ipſa videatur deſperata, tandem conſequimur. Rom. 8: 11. mortalia corpora noſtra habent Spiritum S. characteris inſtar, qui etiam cadavera ſignat ad ſalutem, cum ſit arrhabo noſtræ hæreditatis, ad redemtionem acquiſitam Eph. 1. v. 13: 14. Sic quia Deus eſt Deus Ab. Iſ. & Jacobi, licet illi amplius non ſint, animabus ſuperſtitibus apud Deum, corporibus ſub corruptione, certiſſime reſuſcitabuntur ad vitam æternam, ut Deus ſit & maneat ipſorum Deus, quod Chriſti argumentum pro reſurrectione Mat. 22: 31, 32. Eſt v. hic adhuc obſervandum.

Deus habet poteſtatem terræ, & regnorum ejus, ut poſſeſſiones diſtribuat, & mutet pro lubitu. Rephaimorum terram ipſis expulſis dedit filiis Lot. & Horitarum montem Seir Edomo: & Auvitas Philiſtæis ſeu Caphtoræis. Et quicquid homines agunt, Deus egiſſe dicitur: filii Eſau expulerunt Horitas, verſ. 12. & Deus eos expulit ante illorum faciem, verſ. 22. Sic expulit coram facie Ammonitarum Rephaim, ut ipſos ejicerent, verſ. 21. & Philiſtæi quod egerunt, id Deus quoque fecit Amos 9: 7. Scl. Dan. 4: 32. *Altiſſimus habet poteſtatem ſuper regna hominum, & dat ea cui vult.* Cap. 2: 21. Jer. 27: 5. ſ. dedit regna omnia Nebucadnezari, & quodcunque refragatur peribit, ſed quod ſubmittit collum jugo ejus ſervatur Pſ. 76. v. ult. Spiritum principum amputat ut botros, terribilis regibus terræ. & contemtum effundit in principes, & viciſſim contemtum erigit ex pulvere, & inter principes collocat Pſ. 107: 40. ſ. & 113: 7. ſ. Quando ergo videmus tot mutationes in terra, naſci regna & reſpubl. & denaſci: mutari dominos & populos, dum unus alterum expellit, oculi nobis attollendi ſunt in cœlum ad Deum; uti Chriſtus Joh. 19: 11. Etiam peſſimi tyranni accipiunt à Deo, qui arma eorum facit victricia, quemadmodum Aſſyrii, & Chaldæorum. Eſa. 10. Hab. 1. ſed eapropter illa non ſunt juſta. Juſtus Deus eſt erga eos quibus quid perit, aſt injuſtus tyrannus qui adimit Eſa. 10: 5. ſ. Punit Deus impios per impios, & ipſe puniens juſtus eſt, licet inſtrumentum non tam pœnam inferat, quam novum peccatum admittat. Quia v. Deus moderatur iſta omnia, ipſius gratia ſollicitanda: neque enim quisquam valet plusquam ipſe voluerit, prævalebimus aut prævalebimur, prout juſſerit. Jer. 7: 3. quemadmodum cum Sodom ſuperbiret in malitia, remota fuit Ezech. 16. v. 49. ſ. & cum vinitores male agunt, necantur & vinea datur aliis colenda Mat. 21: 41. Eſa. 1: 6-19-20. Notandum autem hic quod, verſ. 12. dicitur, quemadmodum Iſrael fecit terræ poſſeſſionis ſuæ: unde liquet poſſeſſionem eam ipſis datam, in qua viverent ejectis priſcis habitatoribus, uti cæteræ gentes egerant, adeo ut poſſeſſio non cenſeatur, quando ſolum tributariæ ſunt nationes. Sed majus eſt quomodo hoc dici queat, cum adhuc ultra Jordanem eſſent: quamobrem nonnulli librum hunc non à Moſe, ſed ab alio poſt ejus Joſuæque mortem ſcriptum rentur. Verum dici poteſt de terra Sihonis & Og, quam tunc tenebant aliquæ tribus. Enimvero advertendum, immiſſionem in poſſeſſionem terræ alicujus eſſe commune beneficium, quod etiam impiis largitur Deus. Quod populi hic Iſraeli æquantur? Proinde ſi nihil aliud quis habeat, non habet multum quod glorietur. Moris eſt victores Deo gratias agere, idolisve ſuis, ceu favorem ſuum teſtantibus. Et ſane victoria eſt à Domino Prov. 21: 31. ſed an propterea populus ille aut regnum in majori gratia apud Deum? Minime. Amos 9: 7. *an non tanquam filii Æthiopum eſtis mihi, ô filii Iſrael, inquit Dominus? nonne eduxi Iſraelem ex Ægypto, & Philiſtæos ex Caphtor, & Syros ex Kir?* Corporalia iſta non tanti ſunt, quæ impiis quoque dantur; Gen. c. 27: 37, 38. Singularia bona ſunt educi ex poteſtate Satanæ & tenebrarum, transferri in regnum filii amoris Dei, ejicere fortem illum Satanam, vincere giganteum robur veteris hominis, mundum ſuperare: non accipere leges à carne, ſed illas dare; Hoc modo ſecuris licet eſſe de amore Dei in Chriſto, & fore nos plusquam victores, ſaltem in morte, & poſſeſſuros vitam & ſalutem in omnem æternitatem.

Denique notandum, verſ. 14, 15. *complementum juratæ comminationis Dei*, totis 38. annis vagatos eſſe, donec omnes viri militares fuiſſent abſumti: eoque de ejuſmodi duntaxat locutus fuerat Deus: at diximus hos fuiſſe cenſitos, & punitos ob rebellionem, non alios. Sic perierunt lente, ut vix animadverteretur. Verum Deus etiam ſuper eos quandoque manum exſeruit, ut ſubito perierint judiciis, ut Num. 16: 21--25. atque ſic demum hiſce mortuis Deus promovit iter ipſorum in Cananæam. Apparet hinc, quod cap. 1. oſtenſum, Deum veracem eſſe quoque in comminationibus. Sic circa diluvium, Hieroſolymam bis, circa Babylon; Idcirco etiam implebitur. Et quamvis Deus differat, tamen habet & exercet quandoque præcipitantia judicia: quemadmodum regnum Anti Chriſti ante ſeſqui ſeculum graves ſenſit perturbationes. Et tales quoque venient; quando dabit in cor regum ut beſtiam & meretricem oderint, devorent, conburant. Saltem quando hoc factum erit propinquior erit noſter ingreſſus in cœleſte regnum. Nam maturabit illud ſuo tempore, ad noſtrum gaudium & felicitatem conſummatam.

Prov. 11: 21. Opponit ut ſolet juſtos & impios, ſicque contraria tribuit. Piis quidem, quod ipſorum ſemen & poſteritas evadat periculum? Non dicit, *ſemen juſtum*, ut ſolum piæ poſteritati evaſio promiſſa ſit; ſed *ſemen juſtorum*. Hic fructus eſt piorum parentum, ut filiis parcatur propter illos, licet ipſi non ſint digni 1 Reg. 15: 4. ſ. Rehabeam & Abiam fuere Reges mali & hypocritæ, ambularunt in peccatis, & cor eorum non fuit ſincerum cum Deo ut Davidis; attamen propter Davidem Deus dedit ei lampadem, ſeu filium, quia David fecit quod bonum eſt. Eſa. 41: 8. Contra v. impiis tribuit, non fore innocentes, adeoque haudquaquam evaſuros judicia & calamitates, Exod. 34: 7. qui ſontem non habet inſontem, viſitans &c. Quod autem dicit *Manus ad manum*, quidam intelligunt ſubito, quam prompte quis manum jungat manui, uti repentina quandoque ſunt Dei contra impios judicia, quemadmodum de Sodoma dicitur Lam. 4: 6. Et ſic manus ad manum ſignificabit complicari poſſe manus, & nullum hominem quicquam agere contra illos, attamen ſic non evaſuros; Job. 34: 20. Alii ſumunt de fœderibus quæ junctis manibus ſanciuntur, quod quævis fœderatorum multitudo ſit, tamen ſic non eripiantur; quemadmodum Eſa. 28: 15. & cap. 8: 9, 10. ſed quia de ſemine juſtorum dicit in membro ſecundo, etiam in primo ſeminis mentionem fieri eſt veriſimile, & manus ad manum notabit ſucceſſionem continuam, patribus manum præbentibus liberis longa ſerie, quomodo de manu in manum ſucceſſionis indicinam facit. Et hic ſignificatur licet aliquot ge-

ne-

nerationibus ſucceſſive Deus impiis proroget proſperitatem, tamen tandem judicio ſuperveniente apprehenduntur, ut non ſit evaſio. Hanc rationem providentiæ divinæ heic habemus. *Semen juſtorum evadit*; at poſteritas impiorum non manet inſons & exſons pœnæ, licet longâ pace per generationes plures fuiſſet fruita. Id obſervare eſt in itinere Iſraelis verſus Cananæam. Eſt illud pacificum quoad Ædomæos, Moabitas, Ammonitas; quamvis inſtructi eſſent armis, (quæ habuiſſe liquet ex bello contra Amalek Exod. 17. ex prælio contra Cananæos Deut. 1: 41. ſ. ex prælio cum Rege Harad. Num. 21 verſ. 1. ſ.) & magna multitudine exercituum, ex diſtributione caſtrorum, tamen illis populis nihil damni inferunt, idque Dei juſſu, quia erant filii Eſavi, qui Iſacum patrem, Abrahamum avum habuerat, & filii Loti juſti illius. Majoribus debent evaſonem; quia illis erant nati, Deus aſſignavit, & dedit hæreditatem, noluitque turbari in ſua poſſeſſione. Verum eorundem iter fuit bellicum quoad Sihonem & Ogum. Erant iidem Iſraelitæ, ſed non agunt idem, quia non contra ſimiles prioribus: fuerunt illi Amoritæ, de maledicti Canaanis poſteritate. Deut cap. 3: 8. dederat eis Deus inducias annorum 400. Gen. cap. 15: 13. acceſſerant adhuc anni 30. antequam excederent Iſraelitæ ex Ægypto. Exod. 12: 40. & inſuper anni 39. moræ in deſerto; crederet quis evaſiſſe eos periculum, maxime cum pacifica omnia quoque offerrentur, ſed non inſontes habiti ſunt, & pœna Dei ejuſque judicium eis ſupervenit, idque ſubito manu ad manum juncta, atque etiam divina ultione, ut manus hominis non haberet præliandum, ſed tantum ſpoliandum. De quo argumento nunc differendum.

Verſ. 24. ***Surgite proficiſcimini & tranſite flumen Arnonis; vide, trado in manum tuam Sichonem Regem Cheſchbonis, Emoræum & terram ejus, incipe adire hæreditatem: & miſce cum eo bellum.***

B. *Bellica itinera* duo ſunt contra Sihonem, verſ. 24. & contra Ogum, cap. 3: 1. ſ.

N. *De priore* occurrit I. mandatum, verſ. 24, 25. II. iter ipſum, quale oblatum, verſ. 26. quale inſtitutum, verſ. 30. ſ.

a. *Mandatum* deſignat 1. iter quæ eundum. 2. bellum quod gerendum.

a. Iter definit, verſ. 24. *Surgite proficiſcimini, & tranſite torrentem Arnon.* Quemadmodum ad mandatum Domini profecti ſemper ſunt, nube ejus præeunte, quotieſcunque fuit procedendum, & viam explorante qua eundum, ita nunc quoque agit Deus. Jubet ergo poſtquam obiviſſent terram Moab, & perveniſſent ad limites Arnonis, ut his omiſſis feſtinarent ad Amoritas, atque tranſirent torrenrem Arnon, qua attingebat Moabitas. Fuit enim ille torrens oriundus ex monte Hermon, & longo tractu fluebat ab Aquilone in meridiem, & dividebat Ammonitas orientalis ripæ accolas ab Amoritis occidenalis ripæ accolis: tum flectebatur in occidentem, ac in lacum Sodomæ ſe effundebat, Moabitis latus meridionale tenentibus, quamquam etiam ante flexum illum torrentis ad orientem quoque habitarent contigui Ammonitis. Nam Arnon fuit terminus inter Moabitas & Amoritas Num. 21: 13. Jud. 11: 18. nempe Moſis tempore, cum Iſraelitæ eò veniſſent. Nam antea Moabitarum fuerat, quicquid trans Arnonem poſſidebat Sihon; ſed is armis ademerat omnem illum tractum Regi Moab, qui vel primus fuit illius populi, vel ſaltem prior Balako, quod legimus Num. 11: 26. Hujus Sihonis regnum jubet ingredi tranſito flumine. Et quia credere potuiſſent ſibi quoque à vi nunc abſtinendum, ut antea, aut metuere Regem victorem Moabitarum, addit, ecce dedi Sihonem Regem Hesbon, Amoritam, & terram ejus in manum tuam. Significat non eſſe cognatum, ſed alienum, imo qui notam gerebat manifeſtam, Amoræum, quæ terra prior omnium ex Cananæis impleſſet menſuram peccatorum, ut eſſet ejicienda. Gen. 15: 16. Nullam hic quoque intercedere prohibitionem Dei, qua induciæ illis concederentur, ut Eſavi Lotique filiis. Ubi obſervandum.

Uti à Deo notantur quibus parcendum, ſic etiam qui perdendi. Populi priores, Edom, Moab, Ammon notantur cognati Iſraelis, quod non ſint lædendi. Aſt Sihon ad perditionem, Amorita eſt, eoque nulla illi à Deo defenſio. Amalek in libro Dei juſſu notatur jurejurando devotus internecioni Exod. 17: 14. ſic alii hoſtes Iſraelis, populi vicini apud Prophetas, Ægyptus, Philiſtæi, Tyrus & Zidon, Damaſcus, Ammon, Moab, Edom, Arabia, Elam, & inprimis Babel. Notantur Ezech. 9: 4. quibus in deſtructione Hieroſolymæ parcendum erat, adeoque reliqui non notati ad ſervandum, notantur eopſa ad excidium, Exod. 12. quæ domus non notantur ſanguine ut tranſeat angelus deſtructor, eæ notatæ ſunt ut ingrediatur. Eſa. 4: 3. legimus de ſcriptis ad vitam in Hieroſolyma; aſt Jud verſ. 4. ante ſcripti ad judicium: qui ad mortem ſcripti, æternam nempe, contra quam illi quorum nomina ſcripta in cœlis. Luc. 20: 20. Phil. 4: 3. cum iſtorum nomina ſcribantur in terra Jer. 17: 13, deficientium à Deo. Quæ ſcriptura immutabilis. Enimvero qui ad temporale judicium ſcripti, iis datur quandoque evaſio. Cananæi omnes deſtinati fuerunt excidio; aſt Rahab evaſit, quia exploratores Joſuæ excepit, & incolumes dimiſit: & Gibeonitæ qui Hivitæ, quia abnegarunt originem, ſeque Iſraeli obtulerunt in ſervitutem Joſ. 9. Diſcamus hinc aliquid quod nobis ſerviat. Scriptura Dei ad vitam mortemve æternam non mutatur, 1 Tim. 2: 19. novit &c. & pariter qui non ſunt ſui Mat. 7: 23. Sed non poſſumus librum Dei inſpicere, neque etiam id tentandum Act. 1: 7. & Deut. 29: 29. At enim ſi inſpiciamus librum conſcientiæ noſtræ, nec non Scripturæ, novimus nos mereri ut ſcribamur ad mortem; nam Eph. 2: 3. Gen. cap. 6: 5. cap. 8: 21. & conſcientia dictat Rom. 1: 32. verum ut evadamus, & ad vitam ſcribamur; abnegemus originem noſtram, ut Gibeonitæ, quo in alius populi, Dei nempe libro ſcribi queamus. (neque enim in diverſis ſimul locus eſt.) ubi eſt evaſio. Joel. 2: 32. Pſ. 87: 4. ſ. Debemus noſſe populum illum, ubi Dei præſidium, ut ad eum accedamus; uti Rahab & Gibeonitæ audiverant famam Iſraelis, & Dei ipſorum, affectuque ad eum acceſſerant. Zach. 8: 22. ſ. A Judæis prophetis & Apoſtolis diſcendum eſt; illi Deum nobis debent prædicare, & viam oſtendere, qua ad illum ſit eundum. Exod. 12: verſ. 48. ſi peregrinus inter vos degat, & Paſcha Domino velit celebrare, quicquid maſculum illi eſt, circumcidatur, & tum veniat ut celebret, eritque ut indigena. Peregrinus initiatus per circumciſionem jus habet celebrandi Paſchatis, & ſanguine ſuam domum notandi ad vitam, æque ac indigena: quando ſua manu ſcripſit, ſum Domini. Jer. 4: 4, dicitur de circumcidendis præputiis cordis, & Tit. 2: 11, 12. cupiditates carnis abnegatæ, ſunt præputia illa reſecta. Verum non tantum accedendum eſt, ſed etiam leges accipiendæ, ut Gibeonitæ Tit. cap. 2: 14. Cap. 3: 8. Luc. 6: 46. Mat. 7: 21. In hiſtoria Gideonis notatur Jud. 8: 14. ſ. quod conſignari fecerit Seniores & Principes Succoth ut eos trituraret ſpinis, quia ſibi ſuisque feſtis dum proſequitur hoſtes, negaſſent panes. Siquidem iſtos qui proſequuntur hoſtes animæ, peccata & cupiditates, Chriſti diſcipulos, famelicos non juvemus, ad judicium ſcribemur, vel temporale Deut. 23: verſ. 3. ſ. vel æternum Jac. 2: 13. Studeamus nos mutatam habere notam. 1 Cor. 6: 9–11. & tunc nulla nobis erit condemnatio. Rom. 8: 1.

Præterea; Deut. 32: 8. *Deus terminos populorum conſtituit juxta numerum filiorum Iſrael.* Moabitæ ſibi ſumſerant trans Arnonem omnem illum tractum Baſanem uſque. Deus qui Iſraelem noluit inimice agere cum Moabo, effecit, ut Sihon Amorita occuparet illam regionem ejectis Moabitis, quo Iſrael potiri poſſet citra horum injuriam. Hac de cauſa Num. 21. prolixe deſcribitur bellum Sihonis & victoria, & in libro bellorum Domini, hoc eſt, maximorum notatum dicitur, ut teſtimonio eſſet innocentiæ Iſraelis reſpectu Moab & Ammon; uti Jephta arguit Jud. 11. dedit Sihoni victoriam, ut eſ-

ſet qui ab Iſraele vinceretur; Amoræus prævalet & triumphat, ut Iſrael inveniret quod occuparet. Impii quocunque veniunt, afferunt ſecum maledictionem. Amoritæ faciunt terram Amoræam, hoc eſt, exſcindendam. Quocunque rebellis Scheba ſe recipit, eo vertitur facies belli 2 Sam. 20. Ubicunque peccatum, eo diriguntur ſagittæ Dei, & ſi peccatores aliò veniant, non tamen ibi ſecuritatem habent. Lev. 26: 33. 36. Deut. 28: 64. ſ. Amos 9: 2. ſ. Eoque laborandum ne nos notam perditionis geſtemus, Tit. 1: 15. omnia munda mundis; ſed pollutis & infidelibus nihil mundum, ne quidem mens vel conſcientia. Itaque mundemus nos &c. Eſa. 1: 16--20. transferendus reatus in Chriſtum, ut ejus ſolutione aboleatur, & abſtinendum à praxi mali, ac juſtitiæ ſtudendum. Juſtus adfert benedictionem, ut Lot Sodomæ, Joſephus Potiphari. Quod ſi nequeamus autores eſſe benedictionis, abeundum ab impiis, ne nobis autores ſint perditionis. Apoc. 18: 4. Jer. 51: 6.

b. Bellum definit, verſ. 24. *Incipe adire hæreditatem, & miſce cum eo bellum*; dat ergo bellum, quod proinde nequit per ſe eſſe malum culpabile. Deus nihil tale unquam imperavit. Aſt hic & alibi mandat Deut. 20. leges. Profitetur ſe autorem Eſa. 45; 7. Uti dicitur Deus pacis 1 Theſ. 5: 23. Sic quoque vir belli Exod. 15: 3. & qui omnia belli commoda novit, & habet, uſurpatque Amos 4: 13. Chriſtus qui pacis Princeps Eſa. 9: 5. idem Princeps exercituum Domini, gladio ſtricto ſe iſtens, cum bella à Joſua eſſent inchoanda. Joſ. 5: 13. ſ. & qui contra hoſtes defenſam præſtitit bellicam Judæ Eſa. 8: 9, 10. & cum Deus doceat, quod bonum & utile eſt Eſa. 48: verſ. 17. docet manus ad prælium & digitos ad bellum Pſ. 144: 1. & quicquid neceſſarium eſt ad hoſtem ſuperandum Pſ. 18: 30. ſ. Perperam ergo à Mennonitis aliisque damnatur bellum; de juſto loquor; injuſtum enim eopſe malum eſt & illicitum. Neque enim in Novo Teſtamento abolentur Politiæ, Magiſtratus ſunt ordinatio Dei in defenſam & præmium bonorum & malorum pœnam Rom. 13: 1. ſ. & hacpropter armati gladio, non tantum contra ſingulos, ſed etiam contra multitudinem latronum. Salomon per Benajam occidi fecit Adoniam, Joabum, Simei. 1 Reg. 2. & integri exercitus fuere ducti contra hoſtes à Dauide, Samuele, Jephta, Gideone, Debora & Barako, Joſua, Moſe. Cujuſmodi exempla quidem non exſtant in Novo Teſtamento, ſed cauſa eſt, quia nulli tum Magiſtratus Chriſtiani fuerunt, qui gladium illum gererent. Chriſtus quidem belligerat gladio oris ſui Apoc. 1: 16. Cap. 2: verſ. 16. Cap. 19: 15. quod verbum Dei eſt, Eſa. 49: 2. Heb. 4: 12. gladius Spiritus Eph. 6: 17. Pſ. 149: 6. ſed habet idem ſceptrum ferreum ad comminuendos hoſtes. Pſ. 2: 9. Apoc. 19: 15. Quando decem cornua ſeu Reges habebunt odio meretricem, eamque vaſtabunt & nudabunt, & comedent ejus carnem, ac comburent illam, id vix futurum eſt ſine bello; & Deus tamen eſt, qui id dabit in cor ipſorum, ut faciant ſuam ſententiam Apoc. 17: 17. Quamobrem Chriſtus & Apoſtoli, & Baptiſta non damnarunt militarem functionem, neque credentibus deſerendam dixerunt. Cornelii pietatem Deus approbavit, & Petrum ad eum miſit, qui Chriſtum doceret, & fidem in nomen ejus: qui tamen militiæ renunciare non juſſit; uti neque Chriſtus Centurionem in Capernaum, etiam tum cum profiteretur ſe in gerendo munere alius voluntate regi, & regere ſuos milites. Poſſunt proinde etiam nunc Chriſtiani militare, modo regulam obſervent I. quoad Deum Deut. 23: 9. ſ. Exod. 23: 20. coll. cum Col. 3: 24. 2 Tim. 2: 4. II. quoad homines Luc. 3: 14. III. quoad ſe Act. 10: 1, ſ. Luc. 16: 9. Dan. 4: 27. item Heb. 11. Luc. 3: 14. nec non caveant quæ Deum offendant Deut. 23: 9. ſ. Servis dicitur Col. 3: 24. ſervire eos Domino Chriſto; & militibus, licet hominibus ſubſint, cogitandum Chriſto quoque militare Exod. 23: 20. ſ. ſi ductori parendum, nec offendendus ille, multo magis Chriſtus, & ſtudendum, ut illi placeatur 2 Tim. 2: 4. Denique exemplo Cornelii multi ſint in precibus & eleemoſynis: in his ut non faciant pauperes, ſed defendant; viſcera miſericordiæ habeant, non v. crudelitatem exerceant; imo ut amicos faciant de mammona injuſtitiæ &c. Luc. 16: 9. & ſi quem fraudarunt, reſtituant Luc. 19: 8. ſaltem pauperibus Dan. 4: 27. & quemadmodum heroes multi à fide commendantur Heb. 11: 32. ſ. ſic quoque fide in Deum animati agant, quo vincant, ac triumphent.

Verſ. 25. *Die hoc incipiam imponere pavorem tui & timorem tui populis ſub univerſo cœlo: qui audierint famam tuam, ii trepidabunt, & langueſcent à facie tua.*

Porro *rationem* dicit cur pugnandum ſit, verſ. 25. *hac die incipiam pavorem* &c. Deus eos terrore vult armare, & terrere populos. Exod. 15: 27. Pavor Dei eſt, quia eum efficit; & Iſraelis eſt, quia is adeſt, ut hoſtibus fiant terribiles. Hinc.

Nullus terror in exercitu etiam maximo, qui hoſtes faciat pavere, niſi Deus eum faciat. Deus id effecturus erat, & fecit. Joſ. 2: 9. Rahab ait, *Novi Deum vobis dediſſe hanc terram, & veſtrum terrorem ſuper nos cecidiſſe, & incolas terræ coram facie veſtra liquefactos eſſe.* Gen. 34: 30. Jacob ob Sichemitarum cædem à filiis patratam metuebat à Cananitis, cum eſſet exiguo numero, ſed cap. 35: verſ. 5. *Terror Dei erat ſuper civitates iſtas circumquaque.* & Pharaonem proſequentem Iſraelitas terruit Deus Exod. 14: 24. exemplum terroris contra Syros, qui ſtrepitu fugati 2 Reg. 7. Etenim in hominibus & ipſorum armis nihil terribile, Eſa. 31: 3. & cap. 51: 12. cap. 2: 22. Terrorem facit ſolus Deus, & tantum terribilitatis habet homo, exercitus, quantum Deus addit. Terribiles Chaldæi, quia Deus eos tales facit Jer. 5: 15. ſ. etiam locuſtæ Joel. cap. 2: 2. ſ. quia Deus antecedit ductor, uti etiam ante Cyrum Eſa. 45: 1. ſ. Nam ubi Deus, ibi eſt pavor, Pſ. 76: verſ. 5--9. ubi ille non eſt, nihil extimeſcendum; & contra etiam contemtiſſima terribilia ipſo addente ſuum terrorem, ut ſua ira & judicium videatur, ut Ægyptii fatentur Exod. 14: 25. Si ergo voluntas terribiles eſſe hominibus, ne putemus id nos conſecuturos vel exercitus magnitudine, vel auxiliorum copia, vel armorum robore; Sanheribi exercitus, & Benhadadi auxilia 32. Regum, & equi ac currus Ægypti quid valuerunt? cum Dei terror eos non comitaretur. Gideon cum ſuis facibus & tubis exterret, & prodit copias Midianitarum Jud. 7: 14. Jonathan & armiger ejus Philiſtæos 1 Sam. 14. Sine Dei terrore nihil terribile 2 Chron. 32: 7. ſ. Brachium carneum robore caret, quod ab oſſibus procedit. Illud Deus addit, & terrorem. Eoque connitendum, ut Deus nobis addat ſuum terrorem, quem Hizkias ſibi adeſſe teſtatur, & hunc conciliat fiducia. Sic Aſa 2 Chron. 14: 13. ſ. & percuſſit Dominus Æthiopes coram facie Aſæ, & fugiebant, & terror Domini fuit ſuper hoſtes, & urbes hoſtiles, ut vincerentur, & ſpoliarentur. Jonathan 1 Sam. 14: 6. indicat ſimul rationes terribilitatis impetrandæ, ut ſit quis fœderatus Deo, & agat contra eos, qui extra fœdus ſunt. Nam ſi ſimus fœdifragi, tum Deus mittit gladium, vindicem fœderis Lev. 26: 25. Eſa. 63: 15. Fœdus obſervandum, & pietati ſtudendum Cant. 6: 4. Eccleſia dicitur pulchra à Chriſto, & terribilis tanquam vexillis plurimis inſtructa, quando grata in oculis Chriſti, etiam terribilis eſt hoſtibus, & eſt grata quando pietatis ſtudioſa. Prov. 28: 1. at Leo terribilis, ut fide Deo innitatur Pſ. 56: 4. ſ. Fiducia in Deum largitur confidentiam & pacem, cum ſine ea terrore ſolo vinci quis queat. Eſa. 30: verſ. 15. ſ. Eſa. cap. 8: 12. confidamus Domino, & ſuccedet Pſ. 60: 12. ſ. Verumtamen & hoc notandum.

Etſi Dei ſit opus hoſtium conſternatio, tamen etiam hominibus militandum. Jubet belligerare, & tamen à ſe profecturum dicit terrorem, & ſe terrore ſubacturum. Equidem Deus ſubinde ſolus agere voluit, ut ſolum conſisteret Iſraelitæ, & viderent Deum pugnantem Exod. 14. 2 Chron. 20. Alias etiam ſolus omnia egit Eſa. 37. aſt ordinarie etiam hominum manum adhibuit; contra Amalekum voluit prælium committi, & contra Midianitas Num. 31. Exod. 17. & quamvis crabronibus, grandine & tempeſta-

peſtatibus belligeraret, contra Amoræos & Cananitas, tamen voluit Iſraelem arma expedire, & pugnando quoque vincere. Quamvis enim Deus ſua providentia omnia moderetur, vult tamen mediis nos uti quæ ſuppeditavit. Aluit Moſen ſine cibo, ſed alios alimentum vult ſumere. Iſraelitas voluit de cœlo cibare ſuo man, Eliæ corvi attulerunt cibum, aſt alios vult laborare 2 Theſ. 3: 10. Act. 27: 24. 31. Paulus negat ſervari poſſe in navi, nautis abeuntibus, quamquam Deus pollicitus eſſet conſervationem. Deo media dante uſurpanda, & quæcunque in noſtra poteſtate ſunt, quia ab ipſo data ſunt. Eſt. 4: 14. Eſteræ promotio ad regnum forte eſt medium ſervandi Iſraelis, id ergo uſurpandum; quamquam eo deficiente Deo non deſit aliud. Quando Deus media dat, tentatur Deus, ſi non adhibeantur, quæ tamen non juvant ipſa, ſed Deus per ipſa; quemadmodum homo vivit pane Pſ. 104: 15. attamen non tam pane quam verbo benedictionis divinæ Deut. 8: 3. unde pani fulcrum, quod alias deeſt Eſa. 3: 1. Hagg. 1: 6. Habentes ergo media, qualiacunque etiam fuerint, paci aut bello neceſſaria, prout occaſio fert, utamur eis, non habemus niſi à Deo, & non dedit fruſtra, ſed ut uſurpemus; verum ne confidamus mediis, ſine Deo nihil poſſunt. Ipſe ſollicitandus ut exaudiat cœlum &c. Hoſ. 2: 20. ut det robur populo ſuo, & proſperet bella, ad conſequendam pacem. Eadem ratio in ſpiritualibus; Deus agit omnia, & tamen nobis quoque agendum. Phil. 2: 12, 13. Deus ſalvat 2 Tim. 1: 9. & Euangelium eſt medium ſalutis Rom. 1: 16. credendum ergo illi Marc. 1: 15. Heb. 13: 21.

Verſ. 26. *Itaque miſi nuncios è deſerto Kedemotharum, ad Sichonem Regem Cheſchbonis ad dicendum verbis pacis.*

Verſ. 27. *Tranſeam per terram tuam, indeſinenter procedam eadem via; non recedam dextrorſum aut ſiniſtrorſum.*

Verſ. 28. *Sine me comparare cibum pecuniâ ut comedam, & aquam pecuniâ datomihi ut bibam; tantum tranſibo pedibus meis:*

Verſ. 29. *Quemadmodum fecerunt mihi filii Heſaui inhabitantes Sehirem, aut Moabitæ inhabitantes Harem; uſque dum tranſirent Jordanem,* veniam *in eam terram quam Jehova Deus noſter dat nobis.*

b. *Iter ipſum* deſcribitur initio quale Sihoni oblatum, ubi Modus offerendi, verſ. 26. Petitio, verſ. 27, 28. ratio, verſ. 29.

a, Modus offerendi, verſ. 26. eſt per Legatos, hos miſit ex deſerto Kedemoth, antequam tranſiviſſent Arnonem, nihil hoſtile, ſed mera pacifica dicturos; niſi deſertum Kedemoth trans Arnonem ſit ex deſcriptione Num. 21: verſ. 20, 21. Obtulit & huic amica omnia, quemadmodum prioribus. Quæſt. Quomodo id factum, cum Deus juſſiſſet bellum miſcere, verſ. 24. *Reſp.* Vel iſtud mandatum poſt legationem demum accepit Moſes, ut repetitur, verſ. 31. Vel ſi ante juſſit, tamen potuit oblatio pacis fieri ex lege Deut. 20; 10. Si cui urbi propinquarent ad pugnandum, offerendam initio eſſe pacem, atque hoc faciendum urbibus longinquis, quæ non eſſent de gentibus exſcindendis. Nam etſi Amoritæ inter eas forent, tamen quia primum trans Jordanica regio ad occidentem occupanda erat, quod profitetur, verſ. 29. poterat adhuc omitti oppugnatio, & longinquus cenſeri Sihon. Vel denique quemadmodum Moſes Pharaonem ſollicitavit ad dimittendum Iſraelem amice, licet Deus patefeciſſet non facturum, quo judicio graviore tandem periret; ita quoque hic obtulit pacem, quamquam repudiaturum noſſet, ut belli juſtitia fieret evidentior. Etenim Deus ſic moderatur omnia, ut ſua juſtitia pateſcat hominibus, Gen. 15. dixerat ſe judicaturum populum, cui ſerviiſſet ſemen Abrahami in terra aliena; Ægyptii fuerunt ille populus, ſed an non juſtitiam ubique exſeruit, qui blande petiit per Moſen dimiſſionem Iſraelis, & recuſantes contra tot repetitas promiſſiones, & iterata judicia, tandem perdidit. Sic quoque cum Amoræis egit, Joſ. 10: 19. nulla urbs pacem fecit cum Iſraele, præter Gibeonitas, cæteræ bello occurrerunt, & ſic victæ ſunt. Deus ubique oſtendit vias ſuas eſſe juſtas & rectas, neque perverſitatem in iis eſſe. Deut. 32: 4. Hoſ. 14: ult.

b. Petitio eſt, verſ. 27, 28. tranſitus licentia ſine ullis ambagibus, & annonæ ſuppeditatio pro pecunia, & ſecuritas, tantum tranſibo pedibus, nullos eſſe equites aut currus, inſtructamve aciem, ut anceps ſit tranſitus & periculi plenus. Sic Num. 21: 22. Sic factum fuerat cum Edomo cap. 20: 17. ex mandato Dei Deut. 2: 6. uti vidimus, & ſimilia Moabo oblata. Unde diſcimus quis ſit tranſitus pacificus, quando non declinatur de via regia, ut privatorum agri, vineæ maneant inacceſſæ, nihil comedatur niſi emtum; adeo ut citra damnum ſit tranſitus, imo commodo indigenarum.

c. Ratio, verſ. 29. ducitur ab exemplo, *quemadmodum fecerunt filii Eſau & Moabitæ.* Adverſatur hic hiſtoria, Num. 10: 20. Edom non ſivit Iſraelem tranſire; magno exercitu eum arcens à limite ſuo, & Deut. 23: 3, 4. Conciliationis ergo ſeries hiſtoriæ ſpectanda, quæ docebit ſemel ad Idumæos, ad Moabitas autem bis acceſſiſſe Iſraelem, adeoque Moabum ſemel paria egiſſe cum Edomo, ſemel contrarium. Sic res geſta eſt. Cum circa finem trigeſimi noni anni mandaſſet Deus, ut iter mutarent verſus ſeptentrionem Deut. 2; 2. regreſſi ſunt per deſertum uſque in Kades, (unde olim emiſſi exploratores,) ac tunc petierunt tranſitum recta via per Idumæam in Cananeam; hanc viam negarunt Idumæi, ut terram cultam ingredi non potuerint; ſed non impediverunt tranſitum per deſertum Edom, quod ad mare rubrum extendebatur; neque etiam negarunt cibos venales, alias etiam de ipſis negatum fuiſſet hoc factum. Iſraelitæ iſtic tamen adhuc prælio congreſſi ſunt cum Rege Harad, qui viâ exploratorum venientes adortus eſt, & cæſus deinde fuit. Num. 21: 1. ſ. Poſt hoc prælium regreſſi ſunt denuo verſus mare rubrum, ut obirent Idumæam, & ob hanc moleſtiam feſtinationis murmur fuit ignitis ſerpentibus vindicatum, verſ. 4. ſ. Ex deſerto Edom venerunt in deſertum Moab, ut etiam hanc regionem circumirent ab oriente, verſ. 11. & tranſiverunt torrentem Zered, qui Moabitidem tranſverſim ſecat, & in mare mortuum labitur. Tum vero itidem cibos venales dediſſe veriſimile eſt; quia id refert Moſes factum ante prælium cum Sihone, & Deut. 23: 3. ubi negatur; conjunguntur Moabitæ Ammonitis, nec non factum Bileami. Cum vero perveniſſent ad fines Moabiticos, contiguos Ammonitidi, deflexerunt ad Arnonem, & tum Sihonem bellum moventem vicerunt, ejuſque ſubditos omnes anathemate deleuerunt, & porro progreſſi occurrentem Ogum Baſanis pariter vicerunt, occupata terra ejus uſque ad Septentrionem Gilead Deut. 3: 4. ſ. Inde revertentes Iſraelitæ caſtra poſuerunt in campeſtribus Moabi, è regione Jericho; quo dum irent Ammonitæ, juxta quorum terram proficiſcebantur, negarunt eis annonam, uti viri Succoth & Penuel Gideoni teſto, Jud. 5: 5. ſ. (Contra quam factum à Melchizedeko Gen. 14: 18.) & Moabitæ territi victoria de Ammonitis Num. 22: 25. moliti quoque ſunt bellum, ac alimenta venalia negarunt, quod hoſtile erat, accerſito Bileamo qui malediceret. Sed is ſeducendos ſuaſit ad idololatriam & ſcortationem, & ſic ad epulas ſacras invitarunt. Itaque quod dicit hic Moſes de Moabo, in primo itinere factum eſt; quod Deut. 23: 3, 4. in ſecundo cum rediiſſent Ammonitarum victores. Neque eſt pugna; adeoque verbum Dei non eſt Etiam & Non, ſed veritas, quod nobis tenendum, ne quid ſequius de eo cogitantes, ipſum fidei & ſalutis fundamentum concutiamus. Conciliatio petenda ex ſerie temporum, ut Rom. 4: 10. ſ. Gal. 1: 17.

Verſ. 30. *Sea noluit Sichon Rex Cheſchbonis ſinere ut tranſiremus per agrum ſuum: quia obduravit Jehova Deus tuus ſpiritum*

ejus & obſirmavit animum ejus, ut traderet illum in manum tuam; ſicut eſt *hoc tempore.*

Ego pax, inquit David Pſ. 120: 7. *ſed cum loquor, ipſi ad bellum.* Vocat ſe *pacem*, hoc eſt, virum pacis, ejus ſtudioſum, quique eam ſollicite ſectaretur; quemadmodum Pſ. 109: 4. ego preces, h. e. vir precum, multus in precibus. Hæc conditio piorum; unde Pſ. 37: 37. extremum eſt, ſeu merces, viro pacis; quem in toto pſalmo dixerat juſtum, pium, integrum, benignum, & tales omnes vellet eſſe Pſ. 34: 15. quemadmodum etiam Paulus tales formar, Heb. 12: 14. Rom. 12: 11. Verum non reſpondetur ipſis pari modo. Quia alii ſunt, homines mundi, prorſus contrario affectu ducuntur; *oderunt pacem*, Pſ. 120: 6. amant bellum, Pſ. 68: 31. & hinc ad bellum ruunt, etiam cum pax offertur. QueriturDavid Pſ 56: 5. non quod id ſemper præ ſe ferant, ſed quod illud ſint. Pſ. 55: 22. quales non ſolum reperiebat inter Philiſtæos in Meſech & Kedar, ſed etiam in Iſraele, & inter proximos. Nam iſtud in ipſa quoque Eccleſia contingit; ut qui à malo recedit ſe ſpoliandum conſtituat Eſa. 59: 8—15. quales in Eccleſia, ſed non de Eccleſia. Quamobrem Chriſtus dixit ſuis Joh. 16: 33. nam cap. 15: 19. & Paulus 2 Tim. 3: 12. Habemus exemplum in Iſraele, Cananæam petente. Fuerunt vere homines pacis: Idumæam, Moabitidem, Ammonitidem pacificæ adeunt, nec verbo, nec facto offendunt; imo declinant, per deſertum Edom & Moab euntes, qua licebat circumire, cum negaretur tranſitus per cultiora terræ. Poſtquam etiam juſſi erant à Deo tranſire Arnonem, & recta proficiſci verſus Jordanem & Cananæam, quum alia via non daretur quam per regnum Sihonis, fuere ad pacem; Moſes miſit legatos cum verbis pacis, quæ pollicebantur amica omnia, rectum tranſitum, nulli oneroſum aut damnoſum, cum annonam omnem emere conſtituiſſent. Sed hic vere deprehenderunt Sihonem eſſe ad bellum. Docent iſtud reliqua capitis, quæ iter iſtud Iſraeli bellicum fuiſſe referunt; Ubi. I. Belli præparatio, verſ. 30, 31. II. Bellum ipſum, v. 32—37.

C. *Belli præparatio* eſt quoad Sihonem, v. 30. & Iſraelem. verſ. 31.

a. Quoad Sihonem occurrit negatio pacis, & cauſa ejus.

α. Negatio pacis eſt, *Noluit Sihon nobis concedere tranſitum.* Quæſt. An culpandus. eo nomine eſt? Politici omnes uno ore laudabunt factum. Quid ſecuriratis in iſtis verbis? pateretur ne quis 601730. viros bello aptos, præter fœminas & liberos; & integam adhuc tribum Levi, tranſire terram ſuam, qui validiores ipſis incolis propemodum, ſaltem diſperſis per urbes & agros? Sic ſepius indigenæ expulſi ab extraneis, admiſſis amice; quemadmodum Horitæ à filiis Eſau: Etſi conceſſus fuerit tranſitus, unde ſubito tantum annonæ, quæ ſufficeret novo populo alendo? Si etiam tranſiviſſent, quid ſi à Cananæis, quibus ſe hoſtes profitebantur, occupaturi eorum terram fuiſſent cæſi, utique à fugatis extremaque neceſſitate coactis, vis erat metuenda. Accedebant exempla Edomæorum & Moabitarum, qui non paſſi fuerant ut terram cultam tranſirent, ſed deſertum, quod tueri non poterant, & in quo, humanitus loquendo, fame & ſiti videbantur exſtinguendi. Reſp. Hoc eſt ſapientiæ humanæ conſilium. Aſt non bonum. Non ſunt faciendi hoſtes, qui non ſunt; cum etiam de hoſtibus conciliandis ſit laborandum. Exemplum in Joſia. 2 Chron. 35. v. 20. ſ. Necho rex Ægypti venit cum exercitu, ut bellum gereret contra Carchemis ad Euphraten, quo Aſſyrium tranſitu fluminis prohiberet; & per Judæam duxit exercitum, atque Joſiam impediturum per legatos monuit, *quid mihi tecum, ô rex Juda, te quod attinet, non ſum hodie contra te, ſed contra domum belli mei. & Deus dixit mihi ut feſtinem; abſtine à Deo, qui mecum eſt, ne te perdat.* Sed Joſia noluit abſtinere, ſed contra inſtruxit copias ſuas & prælio voluit arcere Nechonem. Probabunt & hoc factum Politici. Verum improbat Scriptura: quæ cauſam dicit infelicis prælii, in quo cecidit Joſia, atque una Judæ pax: non auſcultavit Joſia verbis Nechonis ex ore Dei. Dicent forte, Deum aliud mandaſſe Joſiæ, & hunc Deo non obtemperaſſe, quod malum; ſed talia mandata Dei, non dari ſemper. Sed hic notandum: Mandatum Dei non fuit Joſiæ inſinuatum ab aliquo Prophetarum, ſed per Nechonem, is loquebatur ex ore Dei, cui fuiſſet mos gerendus. Unde v. rogabit aliquis, potuit conſtare de voluntate Dei, quod ea Nechonis ore diceretur. Equidem habet id multum difficultatis, cum Necho rex idololatra eſſet, & oracula, quæ conſuluerat, diabolica reſponſa dabant. Verum illud colligere potuit ex Nechonis verbis & factis. Factis quidem: quod ſine damno proficiſceretur, urbes non occuparet, aut obſideret, neque diſpergeret ſuum exercitum, feſtinans etiam tranſitum. Verbis autem quod pacem profiteretur, quod cauſam expeditionis diceret, quæ ipſa poterat Joſiæ commodo cedere. Nam ſi Aſſyrius arceretur Euphratis tranſitu, omnes qui cis flumen habitabant, magno ſolvebantur metu; cum Aſſyriorum expeditiones ſenſiſſent ſæpius funeſtas; quod Samariæ exemplum docebat. Accedit quod Reges illi vera loquerentur: quæ omnia ad Deum, autorem omnes boni referenda erant. Atque ſic quoque Sihon debuiſſet collegiſſe. Multo magis Moſes loquebatur ex ore Dei, qui in toto ductu nihil niſi juſſus fecit, & populus circumſcribebatur ejus legibus, ut nil tentaret inimici, utp. puniendus illico ſi quid peccaſſet. Fateor hodie rem fore difficiliorem, quando aliis principiis reguntur illi, quibus pacis & belli jus eſt. Turcæ habent ſummum jus in armis: quamquam ſæpe fidei ac jurisjurandi obſervantiores fuerint quam Chriſtiani. Aſt in orbe Chriſtiano nonne obtinuit diu illud, Hæreticis non eſt ſervanda fides? Præterea ſucceſſerant magiſtri alii, qui perſuaſerunt regibus, Rationem ſtatus eſſe ſummam rerum arbitram, & non teneri eos promiſſis juramentis, ullisve fœderibus diutius quam utile ſit, quæ utilitas occaſionibus regatur. Privatos teneri ſuis verbis, ad intrinſecam tranquillitatem regni; at reges non mancipia eſſe ſuorum verborum, ſed dominos. Radicatum eſſe jus in potentia, & cui plus virium, iſti quoque plus eſſe juris; Deum adeſſe fortiori, & quæ hujus generis alia ſunt. Hinc fit ut tam parum ſecuritatis ſit in fœderibus, & quæ æterna panguntur, paucisſimorum annorum ſint. Quid ergo ſecuritatis ſi quis toto exercitu quæreret tranſitum. Norunt iſtud neutrales, qui dicuntur & quam indemnes ſint incolæ; neque difficile teſtimonia hic reperire. Non obtinuit iſta deceptio in Iſraele, dum ſub Moſe à Deo regebatur: adeo ut credere debuiſſet Sihon verbis eorum. quod non fecit, ſed negavit iter poſtulatum.

β. Quæ vero *cauſa* ejus? *Nam Dominus Deus veſter induravit ejus. Spiritum & obſirmavit ejus cor, ut traderet eum in manus veſtras, uti eſt hoc die.* Hic dicitur Dominus Deus veſter; modus, induratio Spiritus & obſirmatio cordis; & finis, ut eum traderet Iſraeli. Spiritus & cor denotant conſilium & voluntatem; quæ mens hominis concepit, & apud ſe conſtituit & decrevit. Cogitationes aſcendunt in cor Luc. 24: 38. vel in Spiritum Ezech. 20: 32. & ibi formatur conſilium Eſa. 10: 7. Jer. 30: ult. cap. 29. verſ. 11. Spiritus obduratus & cor firmatum, eſt tenax conſilii, quod non decedit propoſito. Pſ. 27: 14. & cap. 31. verſ. 25. in bonam partem רוח קשת & אמץ triſtis, cujus tenax eſt dolor, dimoveri neſcius 1 Sam. 1: 15. Luc. cap. 9: 51. ἐστήριξε faciem ſuam Chriſtus: frequenter in malam. Heic denotat Sihonis animum obſirmatum, quod nollet diſcedere à propoſito, ne Iſraeli daret tranſitum, neque pateretur ſe flecti nominibus & conditionibus propoſitis. Voluntatem eam adſcripſit Moſes ipſi Sihoni, & לא אבה non voluit: aſt nunc Domino, is obduravit & obſirmavit; qui ſcopum habuit ejus perditionem per Iſraelem. Heic tumultuatur ratio humana, neque fert talia de Deo dici; adeoque vel negat quicquid hic Deo tribui, quam meram permiſſionem, quod ſibi eum reliquerit, ſiveritque agere: vel ait, Deum eſſe autorem peccati. Sed poſterius blaſphemum eſt in Deum; prius injurium in Scripturam, quam torquet contra ſententiam ejus. Quando dicit Scriptura, Deum aliquem induraſſe, (quod de Pharaone ſepius teſtatur, Deum introducens dicentem indurabo cor Pharaonis, ne vos dimittat Exod. 10: 1. cap. 7: 3. & idem de eo affirmans, cap. 9: 12. cap. 10: 20. 27.) nequit intelligi

ligi mera permiſſio, etenim ſic etiam de Moſe & Iſraele dici poſſet, induraſſe, quia fieri permiſerunt. Legimus quidem homini iſtud quoque adſcribi, Eſa. 6: 16. Sed non eſt mera permiſſio; ſic non opus fuiſſet illi ſigillatim dici, cum omnes pariter fieri ſinerent: Verum quod ipſi dicitur ſoli, & ad id ablegatur, plus imponit quam permiſſionem. Debuit iſtud judicium Dei non tam denunciare, quam agere ea ad quæ illud ſecuturum erat; ſi enim nemo eis prædicaſſet, nequiviſſent fieri aures graves obſtinatæ contra auditum, ne illi obſequerentur. Joh. 15: 22. 24. ſic aggravavit Eſaias. Verum factum iſtud aggravationis potiſſimum Dei eſt, quatenus actus providientiæ & judicii ejus. Providentiæ quidem, quia ut mundi rector omnis motus autor eſt & conſervator Act. 17: 28. qui motus non corporis tantum & membrorum ejus, ſed etiam animæ & cogitationum Pſal. 33: 15. obſervat quia format. Jer. 10: 23. Prov. 16: 9. Cap. 20: 24. Prov 16: 1. Omne conſilium & ejus ſtabilitas ac conſtantia à Deo eſt, alioqui nec ſuſciperetur, nec in eo perſeveraretur: quemadmodum etiam in ſermonibus & actionibus hominis Dei eſt moderamen, cum nequeat homo movere linguam aut os, aut ullum aliud membrum; & ſic in cordis cogitationibus. Enimvero cum motus omnis ſit à Dei providentia, qui motum indidit in creatione, ut quemadmodum aliæ creaturæ, ita quoque homo moveri queat, tam mente & voluntate, quam corpore, & qui eundem jugiter conſervat; nam retrahente manum ſuam Deo, deficiunt, emittente ſpiritum, creantur Pſ. 104: 29. ſ. Utique motus ille eſt congruens naturæ cujuſque. Eadem providentia Dei conſervat bonas malaſque arbores, facitque ut fructus ferant illæ bonos iſtæ malos: & pariter qui arboribus conferuntur, homines bonos & malos; qui ſunt objectum providentiæ divinæ Matt. 5: 45. & quemadmodum à providientia Dei eſt, ut bona arbor bonos, & mala malos ferat fructus, neque poſſit conſervata natura bona arbor malos, aut mala bonos proferre Matt. 7: 17. ſeq. ita quoque indidem eſt ut bonus homo proferat bona ex bono theſauro cordis, & contra malus mala ex malo Matt. cap. 12: 35. atque Joh. 3: 6. Neque tamen Deus eſt autor malitiæ. Ejus nempe in quâ peccatum eſt. Nam malitia arboris ejuſque fructuum non habet in ſe culpam, ſed pœnam. Si arbor, quam Deus bonam fecerat, ex ſe malos ferret fructus utique fieret contra ordinationem Dei: qui in creatione omnia valde bona condidit, ſed id impoſſibile: ſervarunt inanima & bruta legem creationis donec ipſe Deus eorum naturam immutavit per judicium, quando maledixit terræ propter hominem, & vanitatem induxit in creaturam, unde malitia arborum plantarumque, & ferarum, ſed judicio divino, in pœnam hominis. Gen. 3: 17. ſeq. Rom. 8: 20. ſ. quod judicium univerſale ſic conſervat omnia, & particulare ſæpenumero magis adhuc corrupta dat Pſ. 107: 33. ſ. Deut. 29: 22. ſ. Malitia vero creaturarum intelligentium quæ culpæ eſt, non eſt à Deo. Sed ab ipſiſmet. Diabolus à principio peccat 1 Joh. 3: 8. ſed non ita conditus à Deo Gen. 1: 31. cap. 2: 1. à ſe prodnxit peccatum. Joh. 8: 44. mendacium quod locutus eſt, unde mendacium fuit contrarium Deo, unde Satanas; & calumnia contra Deum, unde Diabolus; & eo occidit hominem, unde homicida; ſed illud habuit ex propriis, unde pater mendacii. De hominibus dicitur Jac. 1: 13, 14. *Deus tentari malis non poteſt, nec quenquam tentat*, (ad malum) *ſed quivis tentatur dum à propria cupiditate abducitur & inescatur.* Luc. 7: 29 Gen. 3: 6. Eva audito ſermone Serpentis intuita eſt arborem quod bona eſſet ad cibum, & voluptati ad videndum, (atque hactenus ut vera vidit cap. 2: 9. haud quaquam peccavit,) & quod deſiderabilis foret ad intelligentiam dandam, (quod mentitus erat Serpens) ceſſitque ſuæ cupiditati contra interdictum Dei & comedit & Adam obſecutus eſt voci uxoris ſuæ, cui potius voluit obtemperare quam Deo, verſ. 17. Sic fecerunt ſe malos. Et Deus, qui pœnæ ſubductos (quam diſtulit in diem iræ & revelationis juſti judicii ſui, quando reddet unicuique ſecundum opera ſua Rom. 2: 5, 6.) divitiis ſuæ longanimitatis, tolerantiæ & benignitatis frui voluit, ſua prudentia conſervavit ab illo tempore naturas diabolorum & hominum, quales erant, malas, & quod hominibus olim promiſerat integris, ut ſua providentia concurreret ad generationem ſimilium, qui ab integris integri fuiſſent nati id nunc quoque conceſſit; unde non poteſt fieri, ut ab Adamo reo unius iſtius tranſgreſſionis, itemque corrupto alii gignantur quam rei ejuſdem unius tranſgreſſionis & corrupti, atque ita deinceps per omnem ejus poſteritatem. Job. 14: 4. Neque accuſari poteſt Deus, qui prorogat beneficium homini integro conceſſum, ſed accuſandus homo, qui ſeipſum mutando & corrumpendo ipſum Dei beneficium corrupit. Quemadmodum Victor, qui bonum dolium fecit, & bono vino implevit, ſi quis vinum miſceat aqua aut veneno, ille conſervans dolium non eſt vitii quod ei accedit autor, ſed ſui beneficii conſervator. Sic itaque viæ Dei rectæ; ſed hominum vitioſæ Ezech. 18: 25. neque in providentia Dei culpa eſt, quamvis malorum hominum mala mens, mala voluntas, malæ cupiditates conſerventur; quia Deus naturæ conſervator eſt, quamvis ea per homines ipſos depravata ſine ea malitia nec ſit naturaliter, nec conſervari nunc queat. Induratioque in malo à Dei providentia eſt, quatenus naturam conſervat, quæ malum habet naturaliter inſeparabile. Judicii quoque, quia facit ut induratio illa ſit gravior, & homines in malo obſtinatiores, non infundendo malitiam, ſed ea agendo unde conſequitur majus, & pertinacius exercitium malitiæ, citra tamen omnem Dei culpam, imo ad demonſtrationem ſuæ tum bonitatis tum juſtitiæ, in qua bonum quoque eſt. Tempore magnæ ficcitatis boni malique agri pariter virore carent, ſed cum fœcunda pluvia cadit, malus luxuriat tribulis & ſpinis, mala arbor quo diutius toleratur, eo abundat magis noxiis fructibus, nulla culpa Dei pluentis vel tolerantis, ſed arboris & agri mali. Sic quando Deus benedictiones externas largitur, homines voluptuantur magis, ut Sodomitæ in optima terra Eſa. 26: 10. & Eccl. 8: 11. Pſ. 55: 20. tolerantia abutuntur Rom. 2: 4. 5. Anni 400. conceſſi Amoræis pertinuerunt ad implendam menſuram peccatorum Gen. 15: 13. 16. abutentibus ipſis Dei bonitate ad majorem impietatem. Item quia peccata peccatis punit, ut cum herus mancipium, aut magiſtratus miniſtrum infidelem cuſtodiæ theſauri apponit, ubi occaſione illectus magis furetur, & ejus corruptela detegatur, & juſtius puniatur. Sic Rom. cap. 1: 21. ſ. Hoc modo egit cum Pharaone. Per Moſen petiit dimiſſionem Iſraelis; Pharao Rex Deum non curans, ſed ſe tantum & ſuum commodum putavit ſibi eos eſſe retinendos, longa habitatione factos eſſe ſervos, quibus pro arbitrio uti poſſet, neque ulli alii ſuper eos aliquod jus competere. Cum eo nomine plagam immiſſam videret, adhibuit magos, & quia ſimilia agere videbantur, contemſit illam ceu magice inductam; ita aliquoties ſeſe confirmavit contra plagas, aggravatis iſtis aggravavit cor ſuum, & aggravatum fuit à Deo, qui ſollicitum ejus conſilium exſtimulavit, pro ſuo regnique commodo, quod tamen ex malitia augeſcente pejus fuit, ut quicquid etiam dictum iteratumque eſſet, alienum duceret, eique ſibi obnitendum ſtatueret. Hinc factum ut revocaret ſuas conceſſiones, & fractus judicio aliquo novis ſe roboraret in contrarium argumentis. Cum non verſus Palæſtinam, ſed mare iviſſent, à Deo deſertos credidit, & à bono conſilio. Rom. 8: 7. & dum opponitur Lex Dei, ſapientia carnis magis excitatur, ut ſe opponat, vincere ſatagens, quo plus coercetur. Sic ante Pharaonem iſtum Pſ. 105: 25. Non eſt hic ſimplex permiſſio, ſed actio efficax Dei citra culpam; Ægyptii olim fuerant humaniſſimi erga domum Joſephi paternam; aſt cum multiplicarentur numero & robore, & totam implerent terram, mutantur animi Ægyptiorum, Deus facit ut eam multitudinem intuentes non amorem priſcum ſervarent jam obliti beneficiorum Joſephi, ſed ex amore odium in eos concipierent ceu potentiores ſe, & hac potentia contra ſe uſuros crederent occaſione oblata belli alicujus: proinde decernunt ſapientia eſſe opus ut ſubigantur dura ſervitute, & impediatur multiplicatio ulterior; & quo minus id ſuccedebat eò majus ſtudium ut iſtud efficerent. Objectum iſtud fecit, ut malitia accenderetur, indieſque augeretur. Sic egit cum Sihone. Iſraelitas intuetur, ceu ſuæ terræ inſidiantes, quos etiam alii Reges ſuſpectos habuiſſent, & cum Moabitas viciſſet luculentiſſima victoria, perſuadet ſibi tantundem ſe valiturum contra Iſraelitas. Forſan

etiam

etiam credidit, cum gentibus cis Jordanem bellum essent moturi, se Amoræum quoque non fore semper immunem. Has cogitationes dum fovet, confirmatur in odio contra Israelem, ut eos provocare bello destinaret, quomodo se ipsis perdendum obtulit, Deo eos propugnaturo. Jer. 2: 3. Quæ ratio in textu ; *Dominus Deus vester ejus cor* &c. ut vobis eum traderet. Sihonis superbiam & malitiam adductis Israelitis, & tali postulato auxit, ut eis vi resistens sibi accerseret malum. Sic Jos. 11: 19. s. non fuit urbs quæ pacem fecit cum filiis Israel, præter Hivitas, incolas Gibeonis, omnes occuparunt bello ; fuit enim à Domino ut corda ipsorum offirmaret, ut bello congrederentur cum Israele quo eos anathemate perderet, ne gratia eis fieret, sed quo eos exterminaret, quemadmodum Dominus Mosi præceperat. Si humiliter petiissent gratiam parsum fuisset ipsis ab Israele ; Deus ergo facit ut nullam pacem vellent, sed vi summa reniterentur, imo Gibeonitis hostes fierent, quia non parem hostilitatem exercuerant, sed sese eis subjecerant. Hujusmodi est infatuatio hominum Esa. 19: 11. s. Sic punit Deus justissime eos qui sapientia sua gloriantes ea abusi sunt contra Deum, ut ea faciat ad ipsorum etiam perniciem, quemadmodum in Achitophele. Attamen induratio illa, quæ non est peccatum quatenus à Deo est, qui justus judex & apud quem nulla iniquitas, est peccatum quatenus hominum est actio, ut cum Achitophel sua sapientia usus est ad se subducendum pœnæ Davidis, & Saul Philistæorum injuriæ.

Agnoscenda hæc actio Dei, tum ne ei aliquid insulsi iniique adscribamus, tum ut justitiam ejus adoremus. Obfirmat Deus, quandoque adversis ut Pharaonem ; quandoque prosperis ut Sihonem, & Benjaminitas contra Israelem reliquum. Ita agit in administratione mundi, sed etiam observandum circa Ecclesiam. Postquam Christo J. regnum in mundo colligit, mittit Legatos suos cum verbis pacis, Euangelium pacis sermo est Eph. 6: 15. & per illud pax annunciatur cap. 2: 17. & qui annuntiant, sunt nuntii pacis Rom. 10: 15. 2 Cor. 5: 14. s. nihil poscit hominum, quam ut pacem velint, nullum ab eo damnum metuendum, imo dives est opum, si quis ei aperiat, non tenetur ei apparare prandium; sed ipse instruit, & convivam adhibet sibi, dat carnem suam in cibum, sanguinem in potum, se totum in vestem, in thesaurum, ad omnia. Esa. 55: 1. 2 Apoc. 3: 20. Joh. 6. Si unquam Sihon debuisset pacifice respondisse pacificis verbis; utique multo magi foret ita respondendum, maxime cum longe deteriori simus conditione quam Sihon respectu Israelis; filii iræ natura, impii hostes impotentes. Sed quemadmodum accepta fuit legatio Mosis à Sihone, accipitur legatio Dei plerunque ab hominibus. Noluit ille, & nolunt ipsi assentire. Matt. 22: 3. Luc. 14: 17. s. unde querelæ. Esa. 53: 1. cap. 65: 2. cap. 49: 4. imo pariter se opponunt Col. 1: 21. Rom. 8: 7. s. Atque tunc Deus exercet sæpe numero judicium, & indurantes se indurat, ut qui nolunt credere, non possint quoque. Joh. 12: 44. s. alii visis tot signis non credunt, secreto amici publice hostes, vers. 37. s. ut impleretur verbum Esaiæ cap. 53: 1. (qui voces Prophetarum condemnantes implent Act. 13: 27.) adeoque ad perditionem eorum hæc tendunt. Esa. 29: 13. s. timent Deum ex præceptis hominum, hi sapientiores se putant, & dum leges appropinquandi ad Deum conficiunt & tradunt, recedunt à Deo, unde Deus adimit sapientibus sapientiam, & vers. 11. & Rom. 11: 7. seq. Est enim ad perditionem. 1 Reg. 18: 37. Esa. 63: 17. Quibus sermo Euangelii non est odor vitæ ad vitam, iis sit odor mortis ad mortem 2 Cor. 12: 15. s. quibus Christus non est lapis pretiosus cui inædificentur ad salutem, iis sit petra scandali ad quod positi sunt 1 Pet. 2: 7, 8. quemadmodum etiam Christus positus ad lapsum, & resurrectionem multorum in Israel. Luc. 2: 34. Nusquam id evidentius ac sub regno Anti-Christi 2 Thes. 2: 10. s. Debet istud nos solicitos reddere, quomodo excipiamus verba pacis à Deo missa. Circumsonant illa jugiter aures nostras, ne simus quales Hierosolymitani, de quibus Christus Matt. 23: 37. ne induremur ad perditionem. Ps. 95: 7. s. populus errans corde est, hoc est, proposito cordis, qui non norunt vel amant Dei viam ii excluduntur quiete, etiam id jurejurando Dei. Habemus naturaliter omnes malum & infidele cor ad declinandum à Deo vivo. Heb. 2: 12. hacpropter hortatur voce sua, ne sequamur cor nostrum, sed vocem Dei; ne ædificemus munitiones contra Deum 2 Cor. 10: 4. s. sed eas tradamus dejiciendas. 2 Reg. 22: 19. *Cor Josiæ molle fuit*, qui se humiliavit coram Deo, & flevit auditis ejus minis. Aqua emollit nonnunquam dura; lachrymarum resipiscentiæ aqua valet ad emolliendum cor. Hac utamur. Imo rogemus Deum ut det nobis remoto corde lapideo, cor carneum, & in eo Spiritum convincentem, & ducentem, quo non recedamus ab ipso: quin potius imbuta timore ejus in obedientia confirmentur corda nostra, ut constantes, immobiles semper abundantes in opere Domini, virtutis ipsius præsidio custodiamur ad vitam æternam.

Vers. 31. ***Et dixit Jehova mihi, vide, cœpi exponere tibi Sichonem & terram ejus: incipe adire hæreditatem, ut hæreditario jure possideas terram ejus:***

1 Reg. 20: 11. Bellum ordiri facile est, uti accingere gladium, sed in eo non est justa gloriationis materia. Ea sequitur victoriam, quando victis confectisque hostibus gladium deponere licet. Verum eam non habet, qui primus bellum movet, & licet omnia sollicite pararit, iisque longe antecellat adversarium, tamen eventum in sua potestate non habet. Ps. 33: 16, 17. Prov. 21: 31. de Deo autem ait 1 Sam. 2: 9, 10. Confirmationem habuimus Cap. 1: 41. s. Israelitæ accinxerunt arma sua, & aggressi sunt Cananæos; sed cæsi, fugati contritique fuerunt. Nunc quoque habemus in exemplo Sihonis. Is oblatam pacem superbe respuit, seque ad bellum accinxit. Confisus suo robori, & insolentior victoria de Moabitis, quibus bello eripuerat omnem terram sui regni. Verum intempestive, qui nunquam se potuit discingere, bello victus, & cum suis omnibus exterminatus. Quod reliqua Capitis hujus docent.

Præparationem ad bellum diximus esse geminam, unam quoad Sihonem, vers. 30. Negavit transitum Israeli, & causa negationis induratio Dei, qua non tantum permisit eum suæ cupiditati, neque impedivit, (quod itidem promissionis est, quemadmodum Abimelechum Gen. 20: 6. morbo aliove modo impediens, ne Saram, quam in domum suum deduxerat, attingeret.) Sed insuper eas objecit occasiones, quibus superbia ejus, & prudentia carnalis, &c. fuit excitata, ut suam salutem gloriamque tutam fore desperaret, nisi se opposuisset; quod tamen pertinuit ad eum perdendum, adactis necessitate Israelitis, ut se defenderent contra ejus vim, eamque vi repellerent, & Deo quoque populi sui tutelam suscipiente, ne quid paterentur damni, dum Deo obsequebantur in suo itinere: uti porro patebit.

b. Jam Præparatio altera est *quoad Israelem*, vers. 31. ubi animantur Israelitæ ad bellum : Animans quidem Deus est, *Et Dominus dixit ad me.* Qui bello interdicebat, cum Edomo, Moabo, Ammoni essent vicini, quod nollet eis quicquam de terra ipsorum dare ; is jam ad bellum vocat. Nam summum habet belli pacisque arbitrium Esa. 45: 7. Fundamentum animationis, *Ecce ego cœpi Sihonem & terram ejus dare, coram facie vestra.* Cœpi autem istud non est respectu Sihonis, quasi tantum initium contra illum facturus esset, & reliqua ipsis relicturus expedienda; sed respectu omnium Amoræorum ac Cananæorum, quod cum illo initium faceret ejus ejectionis quam erat exercitus contra universos : quomodo explicandum ex vers. 25. Animatio ipsa est, *incipe hæreditare ad hæreditandum terram ejus*; vel ut tautologia videtur, *incipe expelle*, h. e. *incipere expellere.* Nam ירש non tantum notat hæreditare, sed etiam expellere, alium ejicere possessione quomodo hic reddidit Targum utrumque, & vers. 24. *incipe expellere eum ad hæreditandum terram ejus*, quod fieri nequivisset, nisi expulso illo. Hinc v. discimus.

Optime animantur ad bellum, quos Deus animat suo auxilio, & inimicos esse jubet, quibus ipse inimicum se profitetur.

Sic

Sic heic fit. Deus ſe declarat hoſtem, & hacpropter hoſtiliter eos adoriri jubet fiducia victoriæ. Sic David contra Philiſtæos 2 Sam. 5: 19. ſ. non tantum mandatum accipit adoriendi hoſtis, ſed etiam ei dicitur Deum anteceſſurum, & hujus proceſſus ſignum editurum, ut ductum Dei ſequi poſſet, ſonum quaſi ambulantis in ſummitate Mororum. Sic circa Cyrum Eſa. 45: 1. ſ. ad eum dicit, quod apprehendat dextram ejus ut populos coram facie ejus dejiceret, &c. Et contra Babelem Medos Eſa. 13. Imo ſic inſecta fiunt victorioſa, Joel. 2 Hujuſmodi animatio deſcribitur in exſecutione judiciorum Dei. Ezech. 21: 10. ſ. & c. 30. v. 22. ſ. Etenim Deo ſic agente nihil poteſt impedire Jer. 47. verſ. 6, 7.

Difficili bello implicati tenemur, ubi animari à Deo neceſſum habemus, liquidem eventus ſit futurus felix. Aſt quomodo id conſequemur? R. Si non nos faciamus hoſtes, ſed eos Deus declaret. Sic declaravit Sihonem; non Edomum, & Loti poſteros, quos contra nihil valuiſſent. Quæſt. quosnam declarat Deus hoſtes? non loquitur hodie nobis, ut olim Iſraeli per Prophetas, per Urim. Sic nunquam eſſet agendum contra quenquam. Reſp. Imo vero habemus declarationem Dei contra varios. Primum contra ſpirituales inimicos. I. contra Cupiditates carnales, quæ belligerant contra animas noſtras 1 Pet. 2: 11. Eas hoſtes pronunciavit Deus. Tit. 2: 11. ſ. hæ oppugnandæ, Col. 3: 5. ſ. Pugnant iſtæ, & vincunt niſi reſiſtatur, Rom. 7: 23. Gal. 5: 17. Sed reſiſtentes habent victoriam, quia agunt juxta Dei voluntatem, Rom. 7: 24. ſ. cap. 8: 13. Gal. 5: 24. Hoc bellum cuivis Chriſtiano gerendum; nullo ſexus diſcrimine; Omnibus militanda hæc militia. neque exſpectanda clarignatio à Deo nova. II. Declaravit ſimiliter ille in verbo ſuo Mundum hoſtem eſſe, & amicitiam mundi eſſe inimicitiam contra Deum, Jac. 4: 4. Joh. 2: 15. ſed quis eſt qui mundo auſit inferre bellum? Contra ſeculi conſuetudinem agere, conformitati cum mundo adverſari alieniſſimum judicatur. Loquendum vivendumque uti multitudo. Singularitas commune odium 1 Pet. 4: 4. ſ. adeo ut qui à malo recedit, ſe prædam conſtituat. Enimvero Eph. 5: 8-11--15. ſ. ἐκλεκτία omnis juxta declarationem verbi, uti etiam Rom. 12: 2. III. Contra Satanam. Habet quisque animam propriam defendendam; quicquid etiam ille promittat pacis, ubi Deus bellum indixit, non audiendus eſt, ſed induenda arma & fidenter congrediendum, ſub fiducia victoriæ. Dei declaratio Gen. 3: 13. Eph. 6: 12, 13 armatura Dei victorioſa eſt, modo uſurpetur & uſurpetur rite 1 Pet. 5: 8. ſ. Sed eſt quoque declaratio Dei facta contra peccatores apertos, Eph. 5. v. 5. ſ. Mal. 3: 5. Eſa. 1: 23. & cap. 22: 12. ſ. quando ipſe vocat ad lamenta tempore calamitoſo, ubi querela eſt univerſalis de penuria nummorum, qui gaudia habent quotidiana in ſympoſiis ſuis, nec tanguntur fractura Joſephi, horum ſuperbam provocationem odit, & iniquitati profanæ non vult connivere, ſed urbem ejuſque plenitudinem perdere Amos 6: 5. ſ. Hujusmodi ſunt declarati hoſtes, & viri anathematis Dei. Hos contra Magiſtratibus belligerandum eſt, qui gladium Dei acceperunt non fruſtra, ut eo ſe tantum ornent; neque ſuo arbitrio habent uſurpandum, ſed pro Deo; non pro hoſtibus ejus, ſed adverſus illos. Exemplo Davidis Pſ. 75: 5. ſ. primum ipſi bellum contra impietatem, ut cornua adimat, & impietatis exercitium cohibeat, & Pſ. 101: 3. ſ. ſuas manus & cor, & domum primum vult mundare ab iis quæ Deo inimica, & tandem civitatem Dei. Sic urbs & provincia ab hoſtibus Dei liberarentur. Pſ. 139: 21, 22. Nam magiſtratibus dictum in Achabo, 1 Reg. 20: 42. *quia virum anathematis mei dimiſiſti è manu tua, tua anima erit loco animæ ipſius, & tuus populus loco populi ipſius.* Quando ipſi non pugnant contra peccata & peccatores gladio Dei, (quanto magis ſi eum ſtringant pro peccato & peccatoribus, contra pios ad perſecutionem veritatis & oppreſſionem juſtitiæ.) tum gladium ſuum Deus convertit contra ipſosmet & ſubditos, & tota terra communi judicio evertitur. Verum porro declaratio belli à Deo quoque facta eſt contra fures latroneſque publicos. Quemvis patremfamillas armavit Deus contra effractorem nocturnum, cum ſol ortus non eſt, ut magiſtratus opem queat implorare, ut impune eum liceat occidere. Exod. 22: 3. Magiſtratui v. dedit gladium quem interdiu quoque exerceat, ſive unius ſive plurium manum adhibere neceſſum ſit. Invadentes & licet & debent oppugnare. 2 Chron. 20: 11. ſ. quia Moabitæ &c. invadebant; & poſſeſſionem Iſraelitarum eripere tentabant, queritur Joſaphat de injuria apud Deum, ut ſuos agnoſceret inimicos, qui amicis Dei vim inferebant, & exauditus fuit. Quando Nachas Ammonita opprobrium meditabatur ſtatuere in Iſraelem, effodiendo oculum dextrum Jabeſitarum, Spiritus Domini animavit Saulem, ut omnes evocaret ad propulſandam vim. 1 Sam. 11: 6. Injuria publica vindicanda publice. Enimvero eſt ad animationem iſtam geminum adhuc argumentum, quod in præſentibus bellis obſervari poteſt, ut Deum animare, nos conſtare queat, Unum à parte noſtra, Exod. 23: 22. *Si vocem ejus* Angeli mei, *audiendo audiveritis & feceritis quæ mandabo, hoſtium veſtrorum hoſtis, & adverſariorum adverſarius ero.* Hoſtes noſtri erunt quoque Dei, quibus ille bellum indixit, ſi Meſſiæ, ſi Deo obedientes ſimus. Impiorum nota eſt 2 Theſ. 1: 8, 9. & Deus hoſtis. Ergo contrarium faciendum. Deus noſcendus. 1 Theſ. c. 4: 1-5. *ambulate & non in motibus cupiditatis, uti Gentiles, qui Deum non norunt:* & qui hæc repudiat, non hominem ſed Deum repudiat. Gentiles noluerunt Deum in cognitione retinere, & hinc inciderunt in omnis generis ſcelera, Rom. 1: 28. ſ. Gal. 4; 8. ſic qui mammonam ventremve colunt. Novit Deum qui ei ſervit fideliter, 1 Chron. 28: 9. quemadmodum Joſias, Jer. 22: 16. & talibus occurrit Deus ad lætitiam Eſa. 64: 5. Chriſto obediendum Tit. 2: 14. non ore, ſed vita Luc. 6: 46. Pſ. 110: 3. vivendum digne Chriſto, Euangelio, vocatione. Col. 1: 9. ſ. impleti cognitione voluntatis ejus in omni ſapientia & intelligentia ſpirituali, ut ambuletis digne Domino, in omnibus bonis operibus fructificantes & creſcentes in cognitione Dei. Joh. 15: 4. ſ. Manete in me & ego in vobis; ſic feretis multos fructus & eritis mei diſcipuli. 1 Joh. 2; 6. Eph. 4: 20. ſ. Joh. 15: 7. Rom. 6: 17. Alterum à parte hoſtium. Hab. 1: 13. quando Chaldæus victoriis ſuis ſuperbiens, ſe reum facit, ſuamque potentiam pro Deo habet; tum Deo dicit Propheta, *purior es oculis quam ut videas iniquitatem, quare videres perfide agentes? & ſileres quando deglutit impius eum qui juſtior eſt ipſo?* & reſponſum conſequitur de deſtructione Chaldæi. Non dicit Judæos juſtos abſolute, aut coram Deo, ſed juſtiores Chaldæo, qui ſuperbia ſua ſe Deo æquabat, & judicium poſcit. Inſolens ſuperbia contra Deum ipſum etiam reis auxilium Dei impetrat, exemplo Achabi & Benhadadi 1 Reg. 20. Hæc ratio hoſtis noſtri; repreſentanda Deo eſt, ſed ut agnoſcamus Deum illum conſtituiſſe ad judicium, & fundaſſe ad pœnam, & ubi patienter illam ſuſtinuerimus, ex agnitione noſtri reatus, videbimus Deum vindicem contra illum Mich. 7: 9. ſ. ut perfecto opere ſuo contra illum animadvertat Eſa. 10: 5. ſ.

Verſ. 32. ***Quum egreſſus eſt Sichon obviam nobis ipſe cum toto populo ſuo in prælium ad Jahatzam.***

Verſ. 33: ***Et expoſuit eum Jehova Deus noſter nobis: itaque percuſſimus eum; & filios ejus, & totum populum ejus.***

b. *Bellum* ipſum deſcribitur à prælio, ab occupatis urbibus, à præda, ab amplitudine occupati territorii.

a. *Prælium* eſt, verſ. 32: 33. Iſtinc Sihon & omnis ejus populus. Hinc Deus & Iſrael: atque hinc ſucceſſus prælii, victoria Iſraelis, cæſis Sihone, & filiis ejus, & omni ejus populo. Num. 21: 24. dicitur Iſraelem ipſum acie gladii percuſſiſſe: aſt heic Deo adſcribitur, qui dederit coram ipſis, nempe percutiendum. Joſ. 24: 12. *miſi crabrones coram facie veſtra, qui abegerunt coram vobis duos reges Amorræorum, non gladio aut arcu veſtro.* 2 Chron. 32: 7. ſ. Sanheribo ingentes copias ducente contra Hieroſolymam, Hizkia dicit, *nobiſcum plures ſunt quam cum ipſo*, &c. Iſtud hic obtinuit. Potior ſemper conditio eorum apud quos Deus eſt: agnoſcentibus id adverſariis. Pharaone & Ægyptiis Exod. 14: 25. & Philiſtæis 1 Sam. 4: 7. ſ. Etenim quicquid etiam contrarii roboris eſt, multitudo equitum &

curruum; ſunt illi homines & caro, non Deus aut Spiritus & Deus ſapiens, & potens extenſa manu ſua impellens ad lapſum auxiliatorem & cui auxilium fertur. Eſa. 31: 1. ſ. Cui nihil componi poteſt, cum populi æſtimentur ut gutta ſitulæ, vel pulviſculus in ſtatera, minus nihilo & vanitate; ſedet ſuper circulum terræ, & habitatores ejus ſunt ut locuſtæ, principes redigit in nihilum, Eſa, 40: 15. ſ. & ſpiritum eorum præcidit inſtar botri Pſ. 76. verſ. ult. Quibuscum Deus eſt, non habent pugnandum; crabrones & inſecta alia, nullarum alias virium, prævalent; tempeſtates quoque grando & fulmina, & venti. Jonathanis ante faciem cadebant Philiſtæi, & armiger ejus poſt ipſum occidebat 1 Sam. 14: 13. Sic proſtravit Deus hoſtes, & Iſraelitis non pugnandum fuit, ſed proſtrati à Deo tantum necandi. Unde merito dicitur gladio & arcu ipſorum non eſſe confectam victoriam: quod profitentur Pſ. 44: 4. quamquam magna geſſerint bella. Eoque ſi quis ſecurus velit eſſe victoriæ, de hoc uno laborandum, ut Deus adſit auxiliator, imo promachus. Etenim *nihil eſt apud Deum juvare validum aut impotentem* 2 Chron. 14: 11. Pſ. 68: 2. ſ. *Exſurgat Deus, & diſpergentur inimici ejus & oſores ejus coram facie ejus fugient*; &c. Sed juſti gaudebunt, exſultabunt gaudio coram facie Dei. Quibus hoſtis ſit & qualis, hinc diſcimus; pariterque quibus defenſor. Hi ſunt juſti. Et quales illi? Joh. 3: 7. *qui juſtitiam facit is juſtus eſt*, & Eſa. 26: 2. *populus juſtus, qui fidelitatem ſervat.* Eſa. 51. v. 7. ſ. *qui norunt juſtitiam, in quorum corde Dei lex eſt*: & his nihil metuendum, non opprobrium hominum, & contumeliæ eorum, quia tinea ipſos devorabit uti veſtem laneam, ſed juſtitia & ſalus Dei perennabit. Homines moriuntur & fiunt fœnum, Deus autem creator cœli & terræ ſalutem verbo imperare poteſt. Modo juſti ſimus, Deus nobiſcum erit. At enim quam longe inde abſumus Pſ. 14. v. 23. Rom. 3:10. de nobis valebit, & propterea quod Joram ait 2 Reg. 3: 13. cum ſiccitate premerentur, Dominus vocavit tres hos reges ut eos tradat in manum Moabitarum. Peccantes Iſraelitas vendidit in manus hoſtium. Exaltavit dextram hoſtium, & contra ipſorum gladium obtuſum reddidit, perrupit muros, dejecit munitiones. Sic fit impiis, & nobis niſi juſti ſimus. Juſti autem erimus, non ſolum ſi fide juſtificati fuerimus propter Chriſtum, quo pacem habeamus cum Deo Rom. 5: 1. & immunes ſimus à condemnatione æterna, Cap. 8: 2. Sed etiam ſi fuerimus ſervi juſtitiæ, qui membra ſiſtamus arma juſtitiæ, obedientiam præſtantes ad juſtitiam cap. 6: 13. ſ. quercus juſtitiæ, Eſa. 61: 3. abundantes fructibus juſtitiæ Phil. 1: 11. induti novo homine in juſtitia & ſanctitate conſtantiæ. Diſcamus ergo juſtitiam, hoc fine Deus exercuit judicia in medio noſtri Eſa. 26; 9, 10. imo gratiam nobis fecit ut diſceremus, quod ſi non fiat gravius imminet judicium. Quocirca diſcite juſtitiam ut abſcondamini in die iræ Domini, Zeph. 2: 3. imo ut Deus nobiſcum ſit, qui eſt cum generatione juſtorum, adeo ut metu terreantur illorum hoſtes, Pſ. 14: 5. *nam ſi Deus pro nobis*, &c. Rom. 8: 31. *erimus pluſquam victores per ipſum nos diligentem.* O ſi poſſemus dicere vere illud 2 Chron. 13: 8. ſ. *Feciſti vobis Deos qui non ſunt Dii.* ſed *nos, Dominus Deus noſter eſt, & eum non deſervimus*: ſic liceret addere, propterea *ecce Deus nobiscum eſt in prima acie*, & ad hoſtes, *ne pugnate contra Dominum nam non proſperabimini.* Si mus Dei & erit noſter, ca. 15: 2. adhæreamus ei obſequio, & abhærebit nobis auxilio, & ſervabimur.

Verſ. 34. *Et cepimus omneis civitates ejus eodem tempore, devovimusque internecioni homines cujuſque civitatis; etiam fœminas & parvulos, non reliquum fecimus ſuperſtitem.*

b. Occupatæ urbes, verſ. 34. Ingreſſi ſunt in eas vi; quod non adeo difficile, cum viri bello apti cecidiſſent in prælio, & non reliquerunt ſuperſtitem ex omnibus incolis, qui poſſeſſionem prætendere poſſet. Videtur iſtud magnæ crudelitatis, ut ne quidem mulieribus & infantibus fuerit parſum; qui cum arma non gerant, ab armatis non forent trucidandi. Sic quoque actum cum Ogi ſubditis, Deut. 3. verſ. 6. & cum Cananæis omnibus, quos devicit Joſua.

Quæritur autem fueritne hoc juſtum? Reſp. Omnino, nam mandavit Deus, qui juſtus eſt & omnes ejus viæ judicium Pſ. 119: 147. Deut. 32: 4. neque debemus ejus actiones criminari. Rom. 9: 14. *an injuſtitia apud Deum? Abſit.* Dan. 4: 34. *nemini fas dicere, quid facis?* agit ille de ſuo quod lubet, ſunt enim omnes opus manuum ipſius. Job. 34: 19. Cæterum mandatum iſtud ad Iſraelitas habuit rationem geminam; unam reſpectu ipſorum Iſraelitarum. Deut. 20: 16. ſ. *De civitatibus horum populorum, quos Dominus Deus veſter dat hæreditatem, non ſinetis vivere quenquam, ſed anathemate perdetis, quemadmodum D. Deus veſter mandavit vobis: ne doceant te facere ſecundum abominationes ipſorum & pecces contra D. Deum tuum, ut* Deut. 7. v. 1, 2. Exod. 23: 33. non habitabunt in terra tua, ne te faciant peccare contra me. Seductionis periculum eo modo cavere docuit. Alterum reſpiritu Dei Exod. 23: 23—28. ſ. *Excidam eos, & immittam crabrones, & qui expellent eos, non anno uno id faciam, ne multiplicetur beſtia terræ, ſed paulatim, donec creveris & poſſideas terram, & terminum tuum ponam à mari rubro ad Philiſtæorum mare & à deſerto ad flumen; nam dabo incolas terræ in manum tuum, ut ejicias eos coram facie tua.* Dedit eis Deus terram in hæreditatem, eoque eam ſoli debuerunt poſſidere, expulſis habitatoribus priſcis: quæ ratio Deut. 2: 12. Iſrael fuit populus, habitaturus ſolus citra permixtionem alienigenarum Num. 23:9. Deut. 33: 28. Accedit Cananæos omnes fuiſſe ſub maledictione. Gen. 9: 25. & Amoræos jam ante aliquot ſecula deſtinatos excidio, cap. 15: 16.

Obj. Excipiendi tamen videntur infantes, quos Deus lege lata noluit ferre iniquitatem patrum, Deut. 24: 16. Reſp. Illa lex hominibus dicta de criminibus contra homines, quorum nequeunt infantes eſſe conſortes. 2 Reg. 14. v. 6. Sed non eam poſuit ſuæ adminiſtrationi in iis quæ contra ſe peccata. Diſerte dicit Exod. 20: 5. & cap. 34: 7. Imo in criminibus contra ſe, per homines voluit etiam infantes deſtrui. Deut. 13:12. ſ. in urbe apoſtaſias rea. Sic contra Achanem judicatum Joſ. 7: 24. Verum inſuper etiam infantes ſunt peccatores coram Deo, non tantum à pueritia. Gen. 6: 5. cap. 8: 21. ſed etiam à conceptu & nativitate. Pſ. 51: 7. Eph. 2: 3. Pſ. 58: 4, 5. ſunt ſerpentes, progenies viperina, Mat. 23: 33. naſcuntur omnes rei Rom. 5. v. 12—14. & mali Job. 14: 4. Quemadmodum autem juſtum eſt ſi cum ſerpentibus & viperis, etiam progenies; cum baſiliſco ova; cum lupis catuli necentur; ita quoque quando Deus judicio ſuo infantes quoque tollit, quemadmodum in diluvio, in Sodoma, inter Cananæas egit. Poſſetque pari modo nobiſcum quoque agere, & in ipſo conceptu noſtros necare, juſtitiamque afferere. Neque foret accuſandus vel injuſtitiæ vel crudelitatis: ſed ut potius admiranda & prædicanda ejus longanimitas, quod tamdiu toleret citra pœnam, uti Amoræis 400. primo mundo 120. annos dedit. Infrugiferam ficum tolerat per annos quatuor, ſed tandem excidit. Alii quod ſunt paſſi, nos quoque meremur, ſed differentiam facit tolerantia & longanimitas, & benignitas Dei, earumque divitiæ: ne eas contemnamus, augebimus alias menſuram iniquitatis, & theſaurizabimus iram ad temporale & æternum excidium noſtrum noſtrorumque. Rom. 2: 4, 5.

c. Præda indicatur, verſ. 35. Quæritur annon abſtinendum fuerit à præda, cum fuerint urbes iſtæ anathema; quemadmodum circa Jericho. Reſp. circa Jericho fuit mandatum ſpeciale, de non prædando Joſ. 6: 18. ſ. non de aliis urbibus, cap. 8: 2. Deut. 20: 14. quia Jericho primitiæ fuerunt terræ, Deo ſanctificandæ. Sed annon etiam terra Sihon primitiarum habuit rationem trans Jordanem? Reſp. minime: Rex Harad Cananæus ante Sihonem devictus eum locum tenuit, & cum omnibus ſuis urbibus fuit devotus, Num. 21; 1. ſ. Sic ergo Deus non tantum terram & immobilia bona, verum etiam mobilia dedit Iſraelitis. Nam etiam illorum Dominus eſt. Gen. 31; 9-16. Sic pollicitus eſt & præſtitit opes Ægyptiorum, cum egrederentur, Gen. 15. v. 14. Exod. 3; 21. cap. 11; 2. cap. 12; 35. Sic prædicanturſpolia data Iſraeli Num. 31. Davidi 2 Sam. 8. & A-

ſæ 2 Chron. 14. & Joſaphato, cap. 20. & Samariæ 2 Reg. 7. Beneficium ſunt ſpolia, & contra quando populus ſit ſpolium hoſtibus, Eſa. 10: 9. maledictio eſt Pſ. 109: 11. Deprecandum iſtud, quod experti ſumus: & illud petendum, ut de præda triumphare atque etiam aliis benedictionem impertiri queamus, uti David 1 Sam. 30.

Verſ. 36. *A Haroheré quæ eſt in ripa fluminis, & civitate ipſa quæ eſt in flumine, usque ad Gilhadem, nulla fuit urbs quæ ſuperior eſſet nobis: omnia hæc expoſuit Jehova Deus noſter nobis.*

Verſ. 37. *Cæterum ad terram Hammonitarum non acceſſiſti, totum tractum torrentis Jabboki, & civitates ipſius montis, denique omnia quibus interdixerat Jehova Deus noſter.*

d. Amplitudo terrorii, verſ. 36. quouſque ſe extenderit, ſed Dei beneficio. Nulla urbs nimis edita munitionibus & ſitu, non quoad ipſos, ſed quia Deus tradidit. adeo ut occupationis gloria non ipſorum foret, ſed ſolius Dei. Pſ. 60: 11, 12. cum Deo enim tranſire licet muros. Pſ. 18. v. 30. Intra quos limites ſteterit, verſ. 37. nihil de interdicto territorio. Scil. Alienum haud appetendum, nedum arripiendum, qui ſuum conſequi optat. Obtinuerunt Sihonis regnum, qui nec Ammonitarum, nec aliorum attigerunt, ex Dei mandato. Hab. 2: 6. ſ. Eſa. 5: 8. ſ. Zach. 5: 3, 4. Quamobrem cavenda rapina alieni, ut proprium ſit benedictioni. Eph. 4: 28. *qui furatus eſt*, &c. labor tunc ſufficiet etiam ad ſublevandos alios. Eſa. 33: 15. ſ. qui in integritate ambulat, & loquitur æqua, repudiat lucrum oppreſſionis, & excutit manus ne retineant munus, habitabit in alto, petrarum munitiones erunt refugium editum: panis ipſius ei datur, & aquæ ejus ſunt certæ. Pietas lucrum eſt cum ἀυτάρκεια 1 Tim. 6: 6. lucrum eſt, quia habet promiſſiones, &c. cap. 4: 8. ſed non ſine ἀυτάρκεια. qui enim ea caret, aliena appetit, eoque à pietate 1 Tim. 6: 10. diſcedit. Acquieſcamus in iis quæ nobis Deus dedit, neque deſideremus quod dedit aliis. Habet ille abunde, ut nobis dare queat; & dabit, ſiquidem fuerit neceſſarium. Saltem non negabit quæ ad pietatem, & vitam æternam requiruntur: & hæc ſi conſequamur, ſalvati erimus hic ſpe, ſed tandem etiam re, quando conferet hæreditatem regni ad felicitatem perennem, ſuamque gloriam in Chriſto Jeſu, Amen.

CAP. III.

1. PRomiſſio eſt Iſraeli facta, circa tempora ultimæ reſtitutionis implenda. *Quando hoſtis veniet, ut flumen, Spiritus Domini vexillum contra illum eriget, & veniet Zionem Redemptor*, &c. Eſa. 59: 19, 20. Ultima iſta verba Paulus explicat de Converſione Iſraelis Rom. 11: 26. & hanc antecedet uti hoſtium inſurrectio, ſic vexillum Spiritus Domini, ut contra animentur ad victoriam. Non intelligimus iſta penitus, quia futura ſunt, quæ tunc demum rite quod ad omnes circumſtantias pateſcunt, quando impleta ſunt. Sed cum ſæpius dicatur, Deum ita acturum quemadmodum cum eduxerat eos ex Ægypto, Mich. 7: 15. Hoſ. 2: 14. Eſa. 11: 16. utique quæ hic acta, etiam tunc futura colligere poſſumus, Ezech. 20: 35. ſ. Imo quod apud Eſaiam futurum dicitur illo tempore egreſſus ex Ægypto usque dum Cananæam ingrederentur, factum eſt. Cujus hic quoque habemus exemplum. Cum tranſiiſſent mare rubrum Amalekitæ, tanquam fluctus marinus, in deſerto eos opprimere conati ſunt, ſed illico Spiritus Domini vexillum erexit; Coacti in aciem Iſraelitæ duce Joſua præliati ſunt & Deus ipſis dedit victoriam pugnante non ſolum Joſua ejuſe, ſed inprimis Moſe precibus, Exod. 17. Sic cum Rex Harad adoriretur, & captivos quosdam abduceret, contra pugnatum eſt & triumphatum ad hoſtis exſtirpationem, Num. 21: 1. ſ. Sed poſtquam Edomæam, Moabitidemque obiviſſent, & proximi eſſent Ammonitidi, adeoque jam recta peterent Cananæam cis Jordanem, Sihon non conceſſit tranſitum, ſed omnibus incolis, ad bellum aptis, impedire iſtud voluit, ac fluminis inſtar adverſum ipſos ſe convertit, ſed Deus vexillum contra erexit, quando eos promiſſo victoriæ animavit ad prælium. Videmus iſtud in fine proximi capitis, & idem videbimus in initio præſentis, quod nunc inchoandum. Bellica itinera duo commemorari diximus, ubi non ambulandum, ſed etiam belligerandum fuit, uti ædificantes mœnia Hieroſolymæ reſtaurandæ, una manu opus faciebant, altera geſtabant arma, & dum laborabant gladiis accincti erant, Neh. 4: 16. ſ. ita Iſraelitæ hic iter facientes. Primum ejuſmodi iter fuit per regnum Sihonis: alterum eſt per Baſanem. de quo hoc capite, verſ. 1--7. tum ſubjungit terræ occupatæ diſtributionem, verſ. 8--17. & huic connexam obligationem qua obſtricti fuerunt quibus poſſeſſio data, verſ. 18--20. ſimulque ducem inſtruit, cujus ordinationis cauſam indicat, verſ. 21 --29.

Verſ. 1. *Inde nos convertentes aſcendebamus via ad Baſchanem: quum proceſſit Hog Rex Baſchanis obviam nobis, ipſe cum toto populo ſuo in prælium* ad *Edrehin.*

a. *Iter per Baſanem* ſic delineatur, ut referatur. I. cauſa belli, v. 1. II. mandatum ejus, v. 2. III. modus quomodo, & quo ſucceſſu geſtum ſit, v. 3--7.

a. Cauſa belli eſt, verſ. 1. ubi quid fecerint Iſraelitæ, & quomodo id acceperit Og rex Baſanis. *Illud* eſt, quod *ſe verterint, & adſcenderint via Baſanis.* Quum prælio ſuperaſſent Sihonem ejusque exercitum, occuparunt urbes & incolas exſcinderunt: non potuit illud ſimul fieri, ſed ſucceſſive. Prælium commiſſum eſt prope Jahaz. Sed tunc diffuderunt ſe tum meridiem verſus usque ad Arnon, & Moabitarum terminum, tum aquilonem usque Jabbok, qui verſus Baſanem & limitem ejus; per univerſum Sihonis regnum victricia arma circumferentes. *Iſtud*, appropinquantibus ergo ipſis terræ Baſan, Og ejus rex metuens ne longius irent, neve iſtic nidularentur, conſultum duxit, bello eos ſubmovere, & propterea omni populo ſuo convocato, magno validoque exercitu obviam eis proceſſit, non ſolum tuendi limitis ergo, ut rex Edom Num. 20: 18. ſ. ſed ad bellum; quemadmodum & Sihon, cui pacifica omnia oblata, bellum facturus occurrit. Deut. 2: 32. Conſtitit autem proprie Edrehi, quæ urbs ex potiſſimis in limite ejus meridionali, uti Sabcha in ſeptentrionali. Deut. 3: 10.

Apparet hinc iterum humana prudentia in Ogo. Rex vicinus, isque potens cum omnibus ſuis victus & interneciione deletus fuerat. Non putavit id ſibi ferendum, ſed omnia agenda ad exſtirpationem Iſraelis; Animavit eum proculdubio fiducia ſui roboris, quod abundaret munitis urbibus, nec non magnum haberet exercitum, populo promtiore partim odio, partim metu Iſraelis, cujus crudelitas in trucidandis hominibus, nullo ſexus vel ætatis diſcrimine, non potuit non deteſtabilis videri, itemque terribilis, ne paria à victoribus paterentur. Submovendos ergo decernit armis. (Sic Balak rex Moab, redeunte Iſraele à cæde duorum regum, & in vicinia caſtra ponente, valde metuit, *& Moab fuit in anguſtia, dixitque nunc multitudo iſta omnia circumcirca nos depaſcet, ut bos virorem agri.* Num. c. 22: 1. ſ. Sed cum bello non auderet, fraude occurrendum eſſe putavit, conduxitque Bileamum qui exſecraretur: & poſtea ſeductionem ad ſcortationem inſtituit.) Verum conſilium humanum fuit ei pernicioſum. Etenim hoc modo provocavit Iſraelem & hoſtem ſibi fecit neceſſarium, adeo ut juſtiſſimum fuerit bellum Iſraelis reſpectu. Exemplum Sihonis debuiſſet contrarium ſuaſiſſe. Si petitum tranſitum ille conceſſiſſet nihil damni licuiſſet inferre, aut violaſſent pacta, & ſe injuſtitia feciſſent reos, Deumque & homines habuiſſent adverſos: aſt nunc cum eos bello aggreſſus fuit, ſe hoſtem temerarium probavit, qui cum ſuis omnibus extrema belli mala merito ferret; uti etiam tulit. Non ergo ſimiliter agendum fuerat; Jabbok flumen dividebat regna; poterat nunc æque diſterminare Iſraelem, ac

antea Moabitas, & inde Sihonem: maxime cum ſolum vaſtarent terram exciſis hominibus, & ſpoliis ablatis, non autem ibi conſiderent, quod poſt demum factum. Sed metuit nimis ſuæ ſecuritati, eoque mavult eſſe injuſtus hoſtis, & aggreſſor, quam quietus vicinus. Hujuſmodi prudentia perdidit Joſiam regem, etiam calamitates ac ſervitutem multiplicem accerſivit univerſo Judæ 2 Chron. 35.

Humana prudentia ſic ſæpius perdit Regna & reſp. Metus mali alicujus majoris perſuadet injuſtitiam, & tunc malum invenit patentem portam, quando injuſtitia metuentium juſtam facit oppoſitionem partis adverſæ; & Deum juſtitiæ tutorem illi conjungit. Non deſunt etiam recentia exempla, & quod patimur bellum, nonne ſimilem cauſam habet. Sollicitudo de ſecuritate Belgii fecit, ut Gallum cætera Belgii invadentem, amoliendum putaremus. Non veniebat ille contra nos, aberat longe à termino noſtro, & Deus qui hunc tutus erat, quando hoſtes circumcirca erant, potuiſſet quoque tueri, ſi Gallus æque vicinus factus fuiſſet. Comitabatur hunc injuſtitia, quia pacta cum vicino Hiſpano non ſervabat, & inventura eum fuerat ſuo tempore, ſed nos voluimus occurrere, & juxta cum aliis principibus ſiſtere ejus progreſſum, & ſic contra nos provocavimus ejus impetum, qui hoſtes perſequitur, quia hoſtem fore diximus ſiquidem abſtinere nollet à vicini poſſeſſione. Perdidimus ſecuritatem quam noſtris conſiliis defenſam voluimus, & quibus eam præſtare ſategimus, nec ipſi habent, nec nobis eam conficiunt. Imo quotquot pari prudentia fœdus illud inierunt, ad Europæ tranquillitatem, & Europam & ſe ipſos omni tranquillitate vident privatos. Sequi oportet conſilium Balaki, ſed quatenus crimine caret, & ut quæ criminoſa ſunt in contrarium vertamus. Metuit ille ſuæ terræ ob victorioſa Iſraelis arma quem jam vicinum habebat; meditatur proinde ea quæ metui minuendo facerent ſed citra bellum. I. conducit Bileamum qui malediceret Iſraeli, quod ut opinabatur juxta ipſius ſententiam benedictio vel maledictio exerceretur. II. provocat Iſraelem ad peccata, ut Deum iratum haberet, quando judiciis divinis erat perdendus. Citra bellum fuiſſet laborandum nobis, & jam quoque, dum bellandum eſt ſimilia agenda. I. Non conducendus quidem homo qui maledicat hoſti, id fruſtra eſt; Bileam id profitetur; *quid maledicam, Deo non maledicente, & quid exſecrabor Domino non exſecrante?* Num. 23: 8. ſed adeundus ipſe Deus, qui maledicendi benedicendique abſolutam poteſtatem habet, ut ſua benedictione nos defendat, ne quid nocere queat adverſaria potentia malitiave. Poſtulanda iſta precibus, ut imperet benedictionem & pacem, Pſ. 133. v. ult. Pſ. 67. verſ. 2. Pſ. 28: 9. Verum ut id impetremus. (*α.*) Abnegatione noſtri opus Gen. 12: 1. ſ. Dicitur de Gentibus, quod ad eos perventura ſit benedictio Abrahami, Gal. 3: 14. quod licet de ea quæ in Chriſto eſt proprie intelligatur, tamen non prorſus excludit etiam hanc, 1 Tim. 4: 8. Abnegantes impietatem & mundanas cupiditates externas quoque benedictiones conſequuntur. Pſ. 45: 11, 12. quamdiu opinio aliqua eſt de nobis ipſis, & fiducia de noſtris aut acquieſcentia, non ſumus ii quibus Deus velit benedicere Apoc. 3: 17. ſ. Jud. 7. (*β.*) Obediendum Deo, eique fidendum. Pſ. 29: 11. Populus eſt ipſius, Zelotæ in bonis operibus Tit. 2: 14. Eph. 6: 1. ſ. honor parentum ſic quoque prodeſt, & univerſalis populi pietas, externa felicitate benedicitur à Deo Lev. 26. Dent. 28. Abr. Iſ. Jac. fuere hic obedientes Deo, & fuere ſic benedicti, ut Deus non ſit paſſus eis injuriam inferri Pſ. 105: 13. ſ. Exod. 23: 22. *ſi audiveritis vocem meam*, &c. *ero hoſtis hoſtium veſtrorum*, &c. qui rebellibus inimicus Eſa. 63: 10. & defenſor piorum, verſ. 8. Prov. 16: 7. Confidendum etiam, non obedit Deo, qui non confidit ipſi Jer. 17: 5. maledictus confidens in homine, & corde recedens à Deo, quod adverſatur amori, & obſequio Dei, Mat. 22: 37. Pſ. 115: 9. ſ. (*γ.*) Cavenda quæ maledictionem adducant, facienda quæ benedictionem Mal. 3: 8. ſ. Sunt etiam hodie nonnulla quæ Dei ſunt, ipſi danda Mat. 22: 21. qui Euangelium annunciant de Euangelio vivere debent 1 Cor. 9: 14. beneficentia & communicatio ſunt ſacrificia Deo placentia Heb. 13: 16. In his non ſpoliandus Deus, ne maledictio comitetur ſpolium. Sed an non ſpoliatur quando iſta alio conferuntur? quando in jugibus querelis de pauperum multiplicatorum egenorumque defectu, abunde eſt quod in voluptatibus, comeſſationibus, ſympoſiisque abſumatur? quando qui plus ſeminant in ſpiritualibus, minus de corporalibus metunt? quando quæ Deo danda dantur Cæſari, & homines magis æſtimantur, metuuntur, illiſque confidetur, quam Deus? Hæc continuata maledictionem augent; aſt mutata in contrarium, afferent benedictionem uberrimam, 1 Sam. 2: 30. Et tum maledicet hoſtibus Jer. 2: 3. comedentes eos, qui ſanctitas Domino ſunt, rei habentur & malum ſupervenit ad deſtructionem. II. Non ſeducendi hoſtes ad peccatum, ut Deum habeant hoſtem; ſic pariter ſub pœnam quidem veniremus, uti Midianitæ, eapropter cæſi Num. 31. ſed ipſius crimina Deo repræſentanda, aſt cavendum inprimis ne ſeducti ab ipſo iiſdem teneamur. Hic v. maxime deficimus; non exſpectamus ut ſeducamur, ſed ſiſtimus nos ſeducendos, & hoc unice curamus ut ſeducti agnoſcamur. Cum Gallia ſit regnum vanitatis in verbis & factis luxuriæ, libidinis, blaſphemiæ, eo excurritur ut diſcatur, & hic exercetur, atque is ſuaviſſimus habetur qui plurimum ſimilitudinis exhibet, Vitia Gallorum imitamur, eoque accerſimus ipſorum maledictionem; quando Deos ipſorum Mundum Carnemque & utriuſque Dominum Satanam colimus. Zeph. 1: 8. Deus minatur ſe viſitaturum ſuper principes & filios regum, & omnes veſtientes ſe veſtitu peregrino. Quos invenit in coloribus peccatorum, cum illis judicabit. Exuendi proinde mores Gentiles Eph. 4: 17. ſ. 1 Pet. 4: 3. ſ. neque ſeduci debemus ad curſus conſortium. Maneat hoſtibus ipſorum impietas, ut vindicem Deum ſentiant. Deſinamus hypocritice agere cum Deo, ut mentiamur reformationem ore, cum conformitas mundi ſit in opere. Et ſic non erimus populus indignationis Dei, Eſa. 10: 5. ſ. Sed hæc vertetur in ſuperbos hoſtes noſtros, ut deſtruantur.

Verſ. 2. ***Et edixit Jehova mihi, ne timeto eum, nam in manum tuam trado eum, cum toto populo ejus, ac terra ejus: ut facias eo, quemadmodum feciſti Sichone Rege Emoræorum, qui habitabat Cheſchbone.***

b. Mandatum belli, verſ. 2. Deus ipſe jubet; prohibendo metum, & mandando exterminium.

α. Probibitio eſt, *Ne metuas ipſum*, & ratio, *quia ipſum ejuſque populum & terram in manum tuam dedi.* Confirmandi fuerunt contra metum, quibus indies nova metus argumenta ſurgebant. Bellum cum Sihone vix erat finitum, cum aliud ſurgeret ab Ogo; & hæc trans Jordanem, ubi nihil crediderant agendum & occupandum; quid ergo futurum cis flumen, quum omnes illius populi eſſent oppugnandi. Hujus metus gratia Deus non recta ex Ægypto duxerat in Cananæam, ne videntes bellum, remearent in Ægyptum Exod. 13: 17. nunc quidem tam longe circumducti erant, ut regredi eo non poſſent, ſed manebant omnia æque terribilia: quamobrem contra firmandi fuerunt; Nam metus alias ſufficit ad excutienda arma & fugam capeſſendam, imo deſperationem ciet, ut, Num. 13, 14. Sed optima ratio pellendi metum, quod Deus dicit, *Dedi eum*, &c. Suum factum eis indicat; non tantum promittit auxilium, ſed jam præſtitum aſſeverat; *Tradidi*; tenentur quaſi conſtricti mea manu, & vinculis, ſolum apprehendendi ſint.

Quos tradidit Deus, victi tenentur ad judicium. Sic Og & ante Sihon Deut. 2; 24. & creberrime hæc phraſis legitur, inferens traditionem quæ damno traditi cedat. Indicaturque cauſa, peccatum, quemadmodum Amoræorum iniquitate completa hæc traditio facta eſt. Sic Iſraele peccante Deus eos vendidit hoſtibus vel in eorum manus tradidit. Amos 6: 7. ſ. Ægyptiis minatur Eſa. 19: 4. Rom. 1: verſ. 24. verſ. 26. verſ. 28. Et qui ſic traditi, tenentur laqueis, quibus ſe nequeunt expedire.

Hæc traditio cavenda. Non tradit Deus niſi reos, & quos ſic tradidit rei fuiſſe convincuntur. Sane tradiderat nos Deus in manus hoſtium hominum, & ſenſimus quid calamitatis iſtud afferret, quanquam moderatione uſus fuerit.

Pſ. 118.

Pſ. 118: 18. uti alt de Eccleſia Hoſ. 11: 8. ſ. & Iſraelem Pſ. 81: 13. Sed longe gravius eſt tradi nobis ipſis Eph. 4: 19. & noſtris cupiditatibus. Deut. 32: 28. traditi ſumus hoſtibus animarum 1 Pet. 2: 11. Eſt tamen iſtud judicium frequentiſſimum, traditorum multitudo eſt avaritiæ, eſt ventri, intemperatæ libidini, & quamvis incommodum nondum ſentiant, tamen ad illud ſervantur 2 Tim. 2: 26. Sunt ſervi corruptionis 2 Pet. 2: 19. & extremum eſt perditio & interitus. Rogandus Deus, ne ſic nos tradat aut traditos relinquat, ſed inde rurſum eximat. Mat. 5: 25. ſ. dum in via ſumus conciliationem quæramus, ne tradamur & pereamus. Equidem impii tradendi ſunt judicio, verum poteſt obtinere vicaria ſponſoris traditio. Joh. 3: 16. Rom. 8: 32. Cap. 5: 25. hoc egit pater, & filius ipſe Eph. 5: 2. & 26. Gal. 2: 20. Quid hoc ſit, nemo ſatis exprimere, imo concipere potuit. Chriſtus vocat deſertionem Dei Pſ. 22: 2. Mat. 27: 46. quando fuit in judicio & anguſtia, contritus à Deo, percuſſus, afflictus, quia animam dederat Aſcham, & eam effudit in mortem Eſa. 53: 8. Pſ. 40: 13. queritur. Ita tradi æternam perditionem nobis afferet, quia impotentes ſumus ad ſuperandum; & tamen iſtud fiet omnibus Chriſto ſponſore carentibus; Angeli qui peccarunt catenis caliginis traditi ſervantur judicio 2 Pet. cap. 2: 4. & pariter impii qui ſcripti ad damnationem Jud. verſ. 4. Mat. 25: 41. Eoque ſtudeamus in Chriſto partem habere, ut non tantum traditum agnoſcamus, & pro hominibus traditum, ſed etiam pro nobis ſigillatim. Hoc autem ſciemus ſi vitæ ejus ſimus participes. Gal. 2: 20. qui verò in Chriſto vivunt; non tradunt Chriſtum denuo, quod fit ab impiis perſeverantibus in peccato Heb. 6: 6. qui deficiunt, filium Dei denuo crucifigunt, & proſtituunt, ſed tradunt carnem & cupiditates Gal. 5: 24. tradunt ſe Deo ad obſequium, ut in Chriſto mortui cum ipſo vivant ad gloriam Dei Rom. 6: 4. ſ.

Metu carere poteſt, cui Deus tradidit hoſtes. Joſaphat timidiſſimus plenus ſic eſt fiducia, & ſuis eandem perſuadet, 2 Chron. 20. Spectemus ſolum conditionem noſtram ſpirtualem. Circumſepti ſumus hoſtibus, Joh. 15: 19. 1 Pet. 5: 8. Act. 14: 22. 2 Tim. 3: 12 Quis non metuat? Eph. 6: 12. Sed licet ponere metum. Rom. 16: 20. *Conteret*, certa eſt ejus traditio; imo Joh. 16: 33. *Princeps mundi ejectus eſt.* In Chriſto ergo una excitati, unaque in cœlis collocati ſumus Eph. 2: 5. ſ. Contriſtat illud Gen. 3: verſ. 15. inimicitiam eſſe poſitam cum ſerpente ejuſque ſemine; ſed contritum eſt ipſi caput, eoque traditus in poteſtatem Chriſti. Hoc nos ſolemur; quicquid terribile poteſt occurrere, pluſquam victores ſumus per illum qui dilexit nos Rom. 8: 37. ille vicit, & ab ejus amore nihil nos poteſt ſeparare; adeoque neque victoriæ ejus fructum nobis eripere.

β. *Mandatum* eſt, *facies illi ut Sihoni*, cujus proinde deſtructionem itidem mandarat Deus. Hinc v. diſcimus, quomodo noſtras actiones debeamus tueri, nempe mandato Dei. Videbatur actio illa crudelis. & hinc deteſtanda; ſed defenſa eſt Iſraelitis in Dei mandato. Juſſerat ille, & ipſo jubente parendum ſimpliciter; non inquirendum in juſtitiam mandati, aut contra diſputandum. Gloria omnis noſtra conſiſtit in obſequio Gen. 26: 5. Mandarat Deus oblationem filii Abrahamo Gen. 23: 1. ſ. nihil ille contradicit, ſed illico ad obſequium ſe parat, juſtum & bonum agnoſcens, quod Dei imperio ſuſcipiebat. Hoc modo nobis agendum. Peregrinum ducunt, & criminantur homines, ſi non ſit conformitas vivendi ſecum 1 Pet. 4: 4. accuſant præciſitatem; ſed opponenda voluntas Dei, quo & aliis os obturemus, & propriæ conſcientiæ ſatisfaciamus. Eph. 5: 15. 17. Rom. 12: 2. Enimvero neceſſarium eſt, ut ſciamus mandatum Dei, habeamuſque. Actionum noſtrarum ſecuritatem habere nequimus, niſi mandati Dei ſit notitia & conformitas. Pſ. 119: 9. Non ſunt viæ puræ, niſi congruæ divino verbo. Adeoque ſtudendum, ut ejus habeamus notitiam & obedientiam, verſ. 4, 5, 6. & verſ. 104, 105. & verſ. 11. Pſ. 37: 31. Non habemus alia mandata Dei hodie, quam quæ ſcripta in Prophetis & Apoſtolis. His ſi congruenter loquamur, vivamus, juſtificabuntur noſtræ actiones & ſermones coram ipſo Deo Eſa. 51: 7.

Verſ. 3. ***Tradidit itaque Jehova Deus noſter in manum noſtram Hogum quoque Regem Baſchanis cum toto populo ejus, quem percuſſimus adeout non fecerimus ei reſiduum ſuperſtitem.***

Verſ. 4. ***Et cepimus omneis civitates illius tempore eodem, nulla eſt urbs quam non ceperimus ab eis, ſexaginta civitates, totum tractum Argobi, regnum Hogi in Baſchane:***

Verſ. 5. ***Omneis iſtas civitates munitas muro alto, portis, & vectibus; præter civitates paganorum multas admodum:***

Verſ. 6. ***Devovimusque interneciòni eos, quemadmodum feceramus Sichone Rege Cheſchbonis, devovendo internecioni cujusque civitatis homines, fœminas, & parvulos.***

Verſ. 7. ***Omnia vero jumenta & ſpolia ſingularum civitatum prædati ſumus nobis.***

c. Modus belli ejuſque ſucceſſus deſcribitur, verſ. 3. *Deus dedit eum in manus Iſraelis.* Quod promiſit, præſtitit; nam Num. 23: 19. Sæpius inculcatur in Scriptura veracitas Dei, qui præſtiterit promiſſa; non tantum temporalia, ſed etiam ſpiritualia. Act. 13: 32. Promiſſionum complementum oſtendit ex dictis. Chriſtus ipſe id docuit Luc. 24: 27. 44. Verum inde concludimus, præſtiturum quæ promiſit, & nondum præſtitit. Promiſſio & præſtatio non ſemper tempore cohærent. Dono Cananææ actus ipſius pluſquam 400 annis dilata fuit, ſed tandem Deus ſe demonſtravit Jehovam præſtando exitum ex Ægypto, & ingreſſum in Cananæam. Imo ut Deus ſit Deus Ab. Iſ. & Jac. differtur per tot mille annos, poſt reſurrectionem præſtandum conſummate Matt. 22: 32. Itaque cum fiducia præſtolandum, neque dubitandum infidelitate, ſed Deo danda gloria veritatis, quam ſapientia & potentia ejus aſſeret. Equidem perit ſubinde omnis probabilitas, uti in corpore Ab. & Saræ emortuis, & oſſa mortuorum arida, ſpem præcidunt; Sed Deus verax. Cogitandum illud Eſa. 60: ult. *Ego Jehova in tempore ſuo feſtinatò iſtud efficiam.* Promiſſa Dei ſuum habent definitum tempus, & antea immatura ſunt, neque ſuum habent decus; eoque non fiunt: aſt ubi venerit Jehova facit, eſſentiam largitur, etiam ubi nihil probabilitatis, & facit feſtinato. Mal. 3: 1. Sic 2 Pet. 3. verſ. 4. Celeriter veniet ad judicium ut fur nocturnus Apoc. 16: 15. & dies ejus ut laqueus Luc. 21: 34. ſ. quemadmodum celeriter ad particularia venit judicia Mal. 3: 5. Eoque exſpectandus Deus Hab. 2: 3. Heb. 10. verſ. 37. ſ. nam qui promiſit, fidelis eſt, verſ. 23.

Illuſtratur à cæde hominum in prælio, verſ. 3. ab urbium occupatione, quarum multitudo & robur indicatur, verſ. 4, 5. ab hominum omnium extirpatione & ſpoliis acceptis, verſ. 6, 7. Pleraque iſta in bello Sihonis fuere quoque memorata, hic ſolum monendum.

Nullas urbes numero & munitione licet celebres valent ad defenſionem, ſi Deus tradat regnum aliquod. Hic 60. fuerunt munitiſſimæ, quæ aliquoties ſic numerantur Joſ. 13. verſ. 30. 1 Reg. 4: 13. ſed uti nulla urbs adeo excelſa in Sihonis regno, quam non ceperunt, ita nulla harum 60. invicta manſit. Scl. Deo debent cedere omnia, & quibus ille tradit Eſa. 45: 1. ſ. Sic de Hieroſolyma Jer. 32. de muris Babel Jer. 51: 58. Teſtimonia non aliunde, ſed ex nobis ipſis petenda. Anno 1672. quot urbes munitiſſimæ & caſtella, quæ ſingulis annis fuerant ſuperatæ, intra paucos dies ceſſerunt hoſti. Et æque celeriter ab

ipſo fuerunt deſertæ. Scl. Deus utrobique tradidit. Et cur tradidit? ob peccata incolarum Eſa. 42: 24. Hæc debilitant urbem; licet enim mœnia ſurgant in cœlum uſque, ſi intus peccatum ſit, facile capi poteſt. Peccata ſcindunt mœnia, & per rupturam introducunt hoſtem. Ne ergo fidamus munitionibus. In illis ſecuritas ſita non eſt, ſed in Deo, quem ſi habeamus propitium, omnia tuta ſunt, etiam ſine mœnibus Zach. 2: 4. ſ. Hunc ergo conciliemus nobis Pſ. 34: 8. Timeamus Dominum & erimus defenſi. Urbs Dei non movetur, quicquid etiam gentes tumultuentur, etſi mare & montes mutent ſedes ſuas. Deus in medio ejus eſt. Pſ. 46: 2. ſ. Faciamus Deum habitare in medio noſtri, 2 Cor. 6: 16, 17. ut glorificetur à nobis, & occaſione noſtri 1 Cor. 6: 20. Matt. 5: 16. Sic defendet nos, & tandem deducet in urbem munitam, ubi ſalus pro muro & foſſo eſt Eſa. 26: 2. imo in urbem immobilem, quæ habet fundamenta, cujus architectus Deus; Heb. 11: 10. ut cujus politeuma profeſſi ſumus in terra, Phil. 3: 20. conſequamur poſſeſſionem in cœlo, glorificati in æternum.

Verſ. 8. *Ita cepimus tempore illo terram hanc è manu duorum regum Emoræorum, quæ eſt cis Iardenem, à flumine Arnonis uſque ad montem Chermonis.*

Verſ. 9. (*Tzidonii Chermonem vocant Sehirjonem: Emoræi vero illum vocant Schenirem.*)

Verſ. 10. *Omneis civitates planitiei, totumque Gilhadem & totum Baſchanem, Salcam, & Edrehin uſque civitates regni Hogi in Baſchane.*

Verſ. 11. *Nam tantum Hog Rex Baſchanis ſe reliquum ſervarat ex reſiduo Gigantium, ecce ſponda ejus ſponda ferrea, nonne eſt Rabbathæ Hammonitarum? novem cubitorum eſt longitudo ejus, & quatuor cubitorum latitudo ejus cubito virili.*

Bileam cum benediceret Iſraeli Dei inſtinctu Num. 23. verſ. 23. ſ. præſentavit Balako, quid de Iſraele, quem maledictum optabat, eſſet ſtatuendum. Multam fore materiam ſermonis de illo, ſed ut Deum pro ipſo omnia confeciſſe commemoretur; hinc factum eſſe, ut licet populus moriturus eſſet, qui hactenus nomen illud non habuiſſet inter populos mundi, carens ſedibus propriis; (nam in Ægypto peregrini vixerant,) tamen non catulo leonis, ſed vetulo conferendus ſit, aut leoni in pleno vigore qui ſuo robore ſibi principatum parare poteſt; adeoque non quieturum, niſi prædam quam peteret, comediſſet, & ſanguine occiſorum ſitim extinxiſſet. Scl. ſignificavit fruſtra Balakum cogitare de Iſraele perdendo; non poſſe domari & ſubigi, imo ſubigendorum aliorum non facturum finem, donec victis exſtinctiſque hoſtibus quietam poſſeſſionem & cubandi opportunitatem ſibi paraſſet. Etenim ab initiis ſumſit argumentum, & quæ regibus Amoræorum facta erant, futurorum fecit præſagia. Deus eis confecerat victoriam de Sihone & Ogo regibus, atque ipſi leonis vetuli vigentiſque inſtar, omnes illorum urbes occuparant, incolas omnes internecione delerant, ſpoliaque ampliſſima reportarant; atque ſic tandem recubarant, adituri poſſeſſionem regionum iſtarum perpetuam. Quod idem facturi erant Cananæis cis Jordanem. Imo (quamquam Deus tunc prohibuiſſet ne Edomæis, vel Moabitis aliquid eriperent.) Moabum & Edomum prælio ſubigendum eſſe. Cap. 24: 17. ſ. produturam ſtellam ex Jacobo, & ſceptrum ſurrecturum ex Iſraele, & limites Moabitarum percuſſurum. Edomum etiam fore hæreditatem, & Seir hæreditatem hoſtibus, ſed Iſraelem prævaliturum, atque etiam reſiduum Urbis perditurum. Audivimus Moſen recitantem Leoninam victoriam Iſraelis, de duobus illis Regibus, qui provocantes Iſraelem contra ſe concitarunt ad ſui excidium; quemadmodum Leo ſolet occidere beſtias contra ſurgentes. Nunc porro refert, quomodo poſt hanc pugnam Leonis inſtar recubarint, ut poſſeſſionem adierint terræ devictæ iſtic quieturi; ſic tamen ut leonum inſtar cubarent, qui denuo ad prædam ſurgunt promtiſſimi. Ab hoc verſu octavo incipit referre conſequentia belli gemini, videl. Regionis occupatæ diſtributionem, verſ. 8–17. & onus adjectum ad quod poſſeſſuros obligavit, verſ. 18–20. eaque occaſione quæ ducem futurorum bellorum concernunt, verſ. 21–29.

b. *Diſtributio Regionis* habet I. amplitudinis ejus deſcriptionem, verſ. 8–11. II. indicium quid quibus ceſſerit, verſ. 12–17.

a. Amplitudo ſignificatur I. *à poſſeſſoribus*, verſ. 8. *Duo Reges Amoræorum trans Jordanem*; eoque duo regna magna, quicquid Amoræi ab illa Jordanis ripa poſſidebant, armis occupatum. Sihon enim ſuum eripuerat Moabitis. Num. 20. ipſe novi regni primus & ultimus Rex. II. *A limite* meridionali & ſeptentrionali, iſtic *fl. Arnon*, hic *mons Hermon*, ſed ut ſimul latus orientale clauderent, ſicut Jordan occidentale. Nam Arnon ex Hermone ſcaturiebat, & à ſept. in merid. longo tractu fluens, tandem flexo curſu in occidentem, cadebat in mare mortuum. Hermon autem protendebatur recta in ſeptentrionem, ad altitudinem Libani, quamvis interjacente deſerto Damaſci ab invicem dividerentur. Hermon porro diverſis appellatus fuit nominibus. Hic refertur, quomodo eum vocarent Zidonii & Amoritæ, verſ. 9. ne obliteraretur memoria mutatis nominibus, & exinde Iſraeli jus ſuum rederetur controverſum. Dicitur etiam Gilead, ab hiſtoria Gen. 31. & Baſan Pſ: 68: 16. à regione adjacente, uti quoque vicina tractui Gilead, ſeu cumulo teſtimonii terra Gileadis nomen obtinuit. III. *Ab urbibus*, verſ. 10. *Urbes planitiei*, quæ magis ad meridiem, inde ab Arnone uſque ad terram *Gilead*, quæ intermedia fuit, cujus Urbes pariter ceſſerunt, tandemque *Baſanis* regio, cujus unus tractus Argob 60. munitiſſimas Urbes complectebatur, verſ. 4, 5. Duæ autem memorantur Urbes fere limitaneæ *Salcha* ad ſeptent. & *Edrei* ad merid. ſed cæteræ ſummatim indicantur quod fuerint *regni Og in Baſan*. Hæc occaſione deſcribitur ipſe Og, verſ. 11. ab origine, *reſiduum Gigantum*: à magnitudine & robore, cujus conjecturam ab ejus *Sponda ferrea* ſumere jubet, quæ adhuc in Rabba Ammonitarum aſſervetur; cujus *longitudo* 9. & *latitudo* 4. *ulnarum*; quæ ſi ſesquipedis ſit, habuit tredecim cum dimidio pedes long. & 6. pedes lat.

Hinc v. obſervamus.

(1.) *Quam feſtina ſit ampliſſima etiam victoria, quando Deus eam largitur.* Terra quæ hic memoratur in longitudine habuit milliaria circiter ſexaginta; quamvis latitudo non adeo magna, in ea duo magni reges, & Urbes quam plurimæ. Commiſerunt duo prælia, cum Sihone unum, cum Ogo alterum, occuparunt omnes Urbes deletis incolis, tandem eas diſtributas inſederunt, & tamen exiguum temporis habuerunt ad iſta agenda. Etenim primo menſe anni 40. venerunt in Kades, ubi mortua Mirjam, ibi laborarunt aquæ defectu, miſerunt etiam Legatos ad regem Edom, qui cum negaſſet tranſitum, proceſſerunt ad montem Hor, ubi obiit Aaron primo die menſis quinti, triginta diebus luctui ejus indulſerunt; ſic periit totus menſis quintus. Hinc ſecuta clades à Rege Harad, & bellum contra eum in quo Urbes ejus anathematizarunt, Num. cap. 21: 1. ſ. Inde difficile & longum iter ſuſceperunt, quo totam terram Edom & Moab circumiverunt, donec ad orientem trajecerunt Arnonem, ubi Sihonem habuerunt occurrentem. Primo die undecimi menſis Moſes cœpit hanc concionem Deut. 1: 3. adeoque ſi plurimum temporis tribuamus ad longum iter poſt regem Harad deletum, & occupatam diſtributamque terram duorum regum, nec non Midianitas bello ſubactos, non manebunt niſi quinque menſes; quorum media parte iter tantum confici à tanto populo non potuit. Ergo duobus menſibus tantum bello geſtum. Sed Deo præliante nihil fuit difficile. Aliquot annis Joſua occupavit Cananæam, cujus tamen

magna

magna pars remanſit occupanda Joſ. 13: 1. ſ. Aſt tunc tractus tot menſes non habuit. Agnoſcenda Dei manus. Homines indigent multo tempore, ſed Deus non item. *Dicit & factum eſt, imperat & adſtat*, Pſ. 33; 9. vocat quæ non ſunt, ut ſint Rom. 4: 17. Miramur hoſtium noſtrorum celeritatem, qui 1672. paucorum menſium ſpatio tot Urbes & provincias occuparunt. Nihil tamen iſtud ad hoc exemplum: nam hic bis præliatum eſt, & cæſis maribus omnibus Urbes occupatæ, deletæque incolarum omnium reliquiæ. Aſt illic nullum prælium, ſed pavida fuga, Urbes illico traditæ, ut tamen fuerint inſidendæ. Verumtamen utrobique agnoſcenda manus Dei. Hic victoriam largitus eſt, & quod de Cyro promittit Eſa 45: verſ. 1. ſ. *Stravit populos, ſolvit lumbos militum, patefecit portas, neque paſſus eſt claudi.* Non uſus quidem eſt crabronibus, ut contra Amoræos, ſed miſit pavorem hoſtis in corda noſtra, ut reſiſtere non auderent plurimi. Factum eſt quod Eſa. 30: 16. ſ. equis eorumque celeritati multum confiſum fuit à nobis; ſed fugimus & perſecutores noſtri fuerunt celeres, ut coram paucis multi fugerent. Sed æque præceps fuit fuga hoſtium, quam ſubito totum Belgium fœderatum deſeruerunt. Acceſſus receſſuſque ſimillima feſtinatione eſt memorabilis. Enimvero quod tunc factum denuo fieri poteſt, ut nova feſtinatione hoſtis opprimamur. Jer. 4: 12. ſ. Quando non tantum homines infeſti ſunt, ſed etiam Deus judicia eloquitur, celerrima eſt vaſtatio. Surgunt hoſtes ut nubes, quæ breviſſimo temporis ſpatio totum cœlum obnubilant, & quemadmodum turbinis ventus vehementiſſime invadit & proſternit omnia; & uti aquilæ celerrime ad prædam advolant, & ad cadaver. Eſa. 37: 22. Sic quando Deus cum Zione eſt, & ſolus hoſtis loquitur judicia. Verum quando etiam Deus judicia eloquitur, non riſus eſt & ſubſannatio, ſed ejulatus & væ merum. Utinam iſtud non habeamus metuendum? Jeremias addit, verſ. 14. *Lava cor tuum* &c. Mundatio inſtituenda eſt, ad judicii iſtius terrorem declinandum Eſa. 1: 16. ſ. mundatio autem cordis ipſius, quandoquidem Deus Judex corda etiam intuetur, ut unicuique reddat ſecundum vias ſuas, etiam cordis Jer. 32: 19. Eccl. 11: 9. & mundatum eſt cor, quando ipſæ cogitationes pravæ, imo vanæ modo, corde ejectæ ſunt. Non quidem caveri poteſt, ut nunquam cor ingrediantur, ſed neque id requiritur, verum ne iſtic pernoctent, nedum domicilium conſtans inveniant. Nequimus cavere, ne aves tranſvolent ſuper capita noſtra, aſt id poſſumus ne ibi nidulentur. Aſt proh dolor, apud nos non cogitationes modo vanitatis & malitiæ habitant in cordibus, ſed dominantur, habentque omnia membra corporis ſerva peccato. Habitant adhuc in cujuſvis impii domo theſauri impietatis Mich. 6: 10. ſ. & divites pleni violentia, Jer. 5: 27. Adhuc ſunt qui domum domui, agrum agro jungunt; qui heroes ſunt in bibendo, & voluptates convíviaque ſectantur, non attendentes opus Domini, qui injuſtitiam oppreſſionemque exercent, & funibus vanitatis iniquitatem adducunt, qui malum vocant bonum, amarum dulce, tenebras lucem, & contra; quique rident minas judicii domini. Verum hujuſmodi contemtoribus judicii Dei contingit quandoque, quod Eſa 47. verſ. 10. ſ. qui confidit ſuæ malitiæ, & ſuæ ſapientiæ & ſcientiæ; vel ut à notitia vel ſaltem ab ultione liber ſit, propterea malum ſuperveniet tibi, cujus auroram ignorabis, & perditio irruet, quam non expiabis. Luc. 21: 34. quamobrem adhibeamus celeritatem in reſipiſcentia Zeph. 2: verſ. 1. ſ. in obedientia Pſ. 119: 59, 60. atque imploremus Deum, ut feſtinet ad miſericordiam & auxilium. Pſ. 79: 8. Tum habebimus feſtinum ſatis auxilium Pſ. 44: 5. Imperare poteſt liberationes, ſiquidem Rex noſter ſit, ut vindicemur ab hoſtibus, & victores conſtituamur, & ſalute omnimoda beemur. Imperabit benedictionem & pacem Pſ. 133: ult. benignitatem ſuam ut ipſi euchariſticum queamus accinere Pſ. 42: 9.

(2.) *Maximum robur corporis non magis valere quam minimum, ubi Deus hoſtis eſt.* Deſcribitur Ogi magnitudo octo forſan cubitorum & robur, ſolum memorata ejus ferrea ſpondâ. Putaret quis inutilem hanc narrationem; quid enim nobis in eo ſitum, fueritne ferrea vel lignea? &c. Sed Spiritui ſancto viſum eſt hæc notare, ut animadvertatur beneficium Dei in illo domando. Sic recitatur robur & ſtatura ſex cubitorum, & palmæ Goliathi 1 Sam. cap. 17. & fratrum ejus 1 Chron. 20. & cap. 11: 23. de Ægyptio magnæ ſtaturæ, quinque cubitorum. & hinc adeo terribiles fuerunt. Num. 13: 33. *Vidimus Gigantes*, inquiunt exploratores, *& fuimus locuſtarum inſtar in noſtris, & etiam in ipſorum oculis*; unde nomina *Rephaim* ut remitterent manus territi; *Emim* terribiles, *Zamzummim* aſtuti ſceleratique; quemadmodum robur & potentia inſolentes & tyrannicos facit. Verum cecidit Goliath & cæteri leviſſimo negotio, uti etiam Og, & hic quidem ſuum excidium, uti Sihon cum omni exercitu debuit crabronibus à Deo immiſſis Joſ. 24: 12. & qui alios habebant ceu locuſtas non valuere contra veros crabrones. Exod. 18: 11. nunc ſcio Dominum majorem eſſe omnibus diis; nam in quo ſuperbe egerunt, fuit ſupra illos. Robur maximum quo ſuperbiebant, dejecit re imbelli, & armatum Goliathum per inermem Davidem, ejuſque paſtoritiam fundam. *Non enim robore quicquam valet, vir.* 1 Sam. 2: 9. Quamobrem non confidamus iſtis, Pſ. 147: 10. *Non delectatur Deus robore equi, nec habet placitum in cruribus viri. Dominus habet beneplacitum in timentibus ſe, qui ſperant in benignitate ejus.* & Pſ. 33: 16. ſ. *Rex non ſervatur* &c. *Ecce oculi Domini ſunt ſuper timentes ipſum* &c. *ut eripiat animam eorum à morte, ad conſervandum eos in vita, in fame.* Timendus Deus eſt, & tunc valebimus contra robuſtiſſimos. Omnes incolæ terræ ſunt inſtar locuſtarum coram Deo Eſa. 40: 22. etiam gigantes, & multo celerius ab ipſo opprimi poſſunt, quam ab homine locuſtæ. Cùm ipſe dicit, *Revertimini filii hominum*, redeunt illico ad contritionem Pſ. 90: 3. tanquam fluctu aufert, ſunt ut ſomnus, ut gramen exareſcens. Laborandum de Deo conciliando, ut ne quidem maximos habeamus metuendos. Eſa. 49: 24. ſ. Cap. 51: 12. ſ. Confidamus Deo, & in ipſo laudemus verbum ejus, & licebit dicere, quid faciat mihi homo, caro Pſ. 56: 5. ſ. Denique.

(3.) *Deus quando vult benedicere removet in anteceſſum impedimenta.* Og iſte ſolus fuerat relictus de reſiduo gigantum: qui cum filiis ſuis nunc fuit exſtinctus. Inter Gentes quas Deus Abrahamo dedit, fuerunt etiam Rephaim Gen. cap. 15: 20. Hi prout robore præcellebant, magnam ſibi ſubjecerant regionem; terra Moabitarum & Ammonitarum fuit terra Rephaim, Deut. 2: 10. ſ. & verſ. 20. & ſpeciatim tractus Argob, in Baſan, eodem nomine fuit appellatus, cap. 3: 13. Fuere quod de Nimrodo dicitur magni venatores, qui longe lateque graſſati ſunt, & vel robore ſuo incolas ſubegerunt, vel terrore fugarunt aut ſubjecerunt. Gravi fuiſſet Iſraeli cum illis bellare, cum ipſo viſu quorundam non æque magnorum ac Og fuit, propemodum in deſperationem inciderint Num. 13. & quid non terroris attulit Goliath 1 Sam. 17: 11--24. Quanto major fuiſſet trepidatio, ſiquidem exercitus iſtiusmodi hominum occurriſſet; Verum jam olim Amraphel & 3 ſocii reges magnam inter ipſos ediderant ſtragem Gen. 14: 5. ad hæc antequam accederet Iſrael, non ſolum Moabitæ & Ammonitæ magnam partem ditionis eis ademerant, ſed etiam aliis calamitatibus ita imminuti erant, ut reſiduum omne ad unum Ogum rediret, qui Amoræis Baſanem incolentibus rex fuit, quos ſuperare longe fuit facilius. Sic cum Judæis vellet reditum dare ex Babel per Darium Medum Babylonem occupari & regnum iſtud fecit terminari, ut jam æquiores haberent Dominos, & tandem per Cyrum conſequerentur licentiam redeundi in patriam. Et removet Hamanem, ut Judæa natio non ſolum exitium evaderet, ſed etiam ad majorem æſtimationem perveniret Zach. 4: 7. *Quis es, ô mons magne, coram facie Zorobabelis eris in planiciem.*

Hoc modo facit Deus cum Chriſto, quando ei dat regnum & victoriam, dejicit in anteceſſum impedimenta ratiociniorum, & munitiones cogitationum adverſantium. 2 Cor. cap. 10: 4. ſ. quibus manentibus nec verba nec ſigna Chriſti quid promovent Marc. 6: 5. Joh. 12: 37. ſ. Paratur ei via dejectis collibus, elevatis convallibus, ut quicquid fuerat impedimenti removeatur. Poteſt id ſervire ſolatio. Multæ ſunt promiſſiones, quarum adhuc reſtat complementum:

tum : ſed tot nobis ſeſe oſtendunt impedimenta, ut deficiat fides. Deſtructio Anti Chriſti qui fiet, cum tot reges ejus autoritatem ſtabiliant. Sed qui removit eum qui impediebat ejus revelationem 2 Theſ. 2: 7. idem quoque removebit, impedimenta deſtructionis quæ nunc ſunt: dabit in cor Regum, ut odio habeant meretricem eamque deſtruant & devorent, Apoc. 17: 16. Converſio Judæorum non minus incredibilis videtur, quibusdam: Sunt apoſtatæ à Chriſto, & ſub anathemate, rami defracti dudum, & aridi; ſed qui oleaſtri ramos potuit inſerere oleæ, ut ibi creſcerent, idem poteſt oleæ ramos propriæ ſtirpi inſerere ut rurſum creſcant. Per infidelitatem defracti ſunt, & manent defracti, dum manent in infidelitate, ſed Si redemtor veniat, & avertat iniquitates à Jacob, utique benedictionis Abrahami fient conſortes. Jer. 3: 19. Eoque quoties magna impedimenta nos turbant, reſpiciendus Deus, & ſollicitandus, ut e. removeat, quo promiſſionum conſequamur fruitionem. Quid magis adverſatur plenæ redemtioni, quam mors corporis, ſed abſorbebit Deus mortem in victoriam, eritque tunc vita & beatitudo piorum ſempiterna.

Verſ. 12. *Quum itaque terram hanc hæreditario jure conſequuti eſſemus tempore illo, à Harohere quæ* eſt *ad flumen Arnonis, & dimidium montis Gilhadis cum civitatibus ejus, dedi Reubenitis & Gaditis:*

Verſ. 13. *Reſiduum autem Gilhadis cum toto Baſchane, regnum Hogi dedi dimidiæ tribui Menaſchis (totus tractus Argobi per totum Baſchanem, is ipſe vocari ſolebat terra gigantum.*

Verſ. 14. *Jair filius Menaſchis ceperat totum tractum Argobi uſque ad terminum Geſchuritarum & Mahacathitarum: ideo vocavit eas cum Baſchane de nomine ſuo, villas Jairis, usque in diem hunc)*

Verſ. 15. *Maciri autem dedi* reliquum *illud Gilhadis.*

Verſ. 16. *Sed Reubenitis & Gaditis dedi à Gilhade uſque ad fluvium Arnonis, interamnem* agrum *cum termino, ad Jabbokum torrentem usque, qui terminus* eſt *Hammonitarum:*

Verſ. 17. *Præterea campeſtria hæc & Jardenem cum termino, à Cinnereth usque ad mare campeſtrium, mare ſalſum, ſub decurſibus ipſius collis verſus orientem.*

b. Indicium quid quibus ceſſerit; in genere quidem ait, verſ. 12. *Totam iſtam terram hæreditario accepimus illo tempore.* Regem Harad vicerant quoque, ejusque urbes deſtruxerant, ſed nihil ejus tunc ſumſerunt poſſidendum, Num. 21: 3. Bellum quoque geſſerant cum Midianitis, occiſis maribus, combuſtis urbibus arcibusque Num. 31: 7. ſ. ſed non conſederunt loco illorum. Aſt devictis exciſisque Amoræis regibus iſtis, adierunt poſſeſſionem. Factum iſtud præter inſtitutum Moſis. Is arbitrabatur initio Jordanem fore terminum orientalem, & idcirco meditabatur traductionem totius Iſraelis. Verum inde abductus fuit, quando Rubenitæ & Gaditæ, quibus plurima erant armenta, & greges plurimi, obſervata ubertate illius regionis, paſcuis abundantis, petierunt ſibi eam dari portionem in hæreditatem, Num. 32. Moſes quidem primum contradixit, interpretatus faſtidium iſtud probare terræ repromiſſionis, adeo ut culpa ſimilis foret, cum illa Iſraelis, quæ 40. annorum moram in deſerto promeruiſſet, qui metuentes belli noluerant ingredi, quod periculum etiam hi videbantur declinare. Verum illi reſponderunt nihil hic à ſe fieri metu hoſtium, ut pugnandum non eſſet, terra hac jam vacuata; ſed ſe priores fore in armis, cis Jordanem circumferendis, ad ſubigendam Cananæam, & fiduciæ ſuæ in Deum documentum ſtatuunt, quod uxores, & liberos relicturi eſſent, dum bello apti procederent, quibus nulla defenſio niſi à Deo: nam urbes, quarum mentionem faciunt, à latronibus tueri poterant ſingulis, non ab integris hoſtium exercitibus. Atque ſic demum aſſenſus eſt Moſes eorum deſiderio, qui. 1. aſſignavit portionem ſingulis, & 2. ad auxilium fratribus ferendum obſtrinxit.

a. Aſſignavit. I. *Rubenitis & Gaditis*, regnum Sihonis, verſ. 12. ubi Aroer medio loco fuit inter duas tribus, Rubene tenente meridionalia quæ Arnonem ad Orientem & meridiem habebant: Gade ſeptentrionalia, medium nempe Gileadis, usque ad Jabbok; adeo ut ab occidente foret Jordan, à mare Galileæ, usque ad mare mortuum, duabus illis tribubus, quod repetitur, verſ. 16, 17. II. *Media tribus Manaſſis* totum regnum Baſanis, quod occuparunt poſt prælium in quo Og & ſubditi mares eciderant; quando Jair tractum Argob occupavit, usque ad Geshuritas & Maachatitas; qui Syriæ populi; & Machir reliquum Gileadis expulſis Amoræis: quemadmodum etiam Nobah aliquam portionem terræ cepit, eamque à Moſe in portionem hæreditariam impetravit Num. 32: 33. ſ. Obſervandum hic.

(1.) *Quantopere terrena bona alliciant homines, ut eorum poſſeſſionem in ſumma felicitatis ponant.* Rubenitæ & Gaditæ contemplati ſunt terram Gilead, & totum regnum Sihonis ceu felicem tractum alendis pecoribus quibus abundabant; prima ergo cura pecorum eſt, & eadem ratio Manaſſitarum in Baſane occupanda, boves, & tauri ejus regionis pinguedine & robore ſuperabant cæteros omnes. Hic ergo ſi habitare liceret, nihil amplius deſiderant. Atqui quam bruta iſta ſollicitudo. Tabernaculum Dei tranſiturum erat Jordanem ubi præſentiæ Dei teſtimonium; ab eo longe abeſſe non in damno putant, ut etiam à fratribus dividi, quod inprimis Manaſſi contigit. Tanto major corporis cura quam animæ, & amor pecorum quam fratrum, quod notatur in Rubene cæteriſque trans Jordanem. Jud. cap. 5: 15. ſ. Sic Lot gregum habet curam & elegit tractum Sodomiticum, omnium pulcherrimum, ſed ubi peſſimi incolæ, Gen. 13: 10. ſ. Ita conceſſo reditu in Cananæam ex Babele, plurimi maluerunt manere, licet carendum eſſet templo, aliisque cultus exercitiis, quæ extra terram non poterant habere locum. Eſt iſtud teſtimonium carnalis affectus, quando major corporis ſollicitudo eſt, quam animæ, & eorum quæ hujus ſaluti conducunt: & tamen frequentiſſime hoc exemplum imitantur homines. Ubicunque diteſcendi major oportunitas, eo ſe conferre ſolent, licet cum diſpendio religionis, ut publico exercitio, ut publica profeſſione carendum & abſtinendum ſit. Ita quando ex regiones adeuntur, ubi ne quidem nominare Chriſtum licet, nec Dei ullam memoriam teſtari, ſolummodo ut commercia exerceantur & aliquod grande lucrum obtineatur. Equidem defenditur iſtud, aut defenſio quæritur; quam ex Scriptura ſuppeditare poſſumus, Hoſ. 12. 9. Ephraim ait, *Attamen ditatus ſui*, &c. Divitiæ benedictio Dei ſunt, quas ſic acquirunt. Sed falluntur, Zach 11: 5. qui oves mactant aut vendunt ibidem Deum ob partas ea ratione divitias celebrant. Divitiæ non nunquam maledictio ſunt, Ecl. 5: 12. 1 Tim. 6: 9, 10. Conferuntur ſpinis, Luc. 8: 14. atqui ſpinæ à maledictione Dei ducunt originem Gen. 3: 17. ſ. & eam acerſunt Heb. 6: 8. Si quis vocationem prætendat, ea non à Deo eſt ſed à Mammona, cui ſervire placet & eopſe à Deo diſcedit itur Mat. 6: 24. Verum, cap. 16: 26. Qui inter idololatras manent lucri opimioris aut amplioris dignitatis gratia, quam grave adeunt diſcrimen animæ; quippe absque hoc plurimi non deficerent à veritatis profeſſione. 2 Theſ. 2: 12. qui delectantur iniquitate, (& mammona iniquitatis dicitur Luc. 16: 9. quia iniquitatis inſtrumentum eſt multis & incitamentum.) amittunt amorem veritatis ſæpenumero, & ſalutem non aſſequuntur. Quid fecit ut Gadareni poſcerent abitum Chriſti

ſti à ſe, niſi amor porcorum Mat. 8: 34. Solenne eſt pingue pratum pingues facere, & tum oblivium Dei ſequi Deut. cap. 32: 15. Hoſ. 13: 6. Aſaph invidebat impiorum felicitati, ſed poſt obſervavit eorum periculum & exitium, decrevitque apud Deum manere, Pſ. 73: 23. & verſ. 27 28. qui recedunt à Deo pereunt, recedunt autem corde qui fiduciam ſuam ſtatuunt in creatura, Jer. 17: 5. in divitiis, 1 Tim. 6: 17. Sequendum iſtud Mat. 6: 33. Rom. 13: 14. *induite Dominum Jeſum & carnis curam non habete ad cupiditates.* Caro ſuſtentanda, ſed non indulgendum cupiditatibus, quæ Dei & Chriſti oblivium inducerent; verum Deo adhærendum, qui habet plenitudinem. Hanna optabat liberos, ſed ei dicit Elkana maritus, *nonne ego tibi melior x. filiis?* 1 Sam. 1: 8. ſic quandocunque videmus aliorum bona & abundantiam & deſideramus ſimilia, vel majora, revocemus nos, & in Deo omnem ſufficientiam conſideremus; ſic ſpernere alia poterimus Pſ. 73: 25, 26.

(2.) *Quanquam quis aliquid occupet, non habet juſtam poſſeſſionem niſi Deo dante.* Jair & Machir ipſimet occuparant Baſanis terras, ſed tum demum facta fuit eorum poſſeſſio, quando Moſes dedit. Quæſt. Hoc ſi verum, unde ſciam datum mihi à Deo, quod paravi? Reſp. I. Si honeſto labore paratum ſit. Jair & Machir ſumſerunt juſto bello, quando Deus occupare juſſerat. 1 Chron. 7: 21. filii Ephraimi, patre vivente ex Ægypto egreſſi ſunt & prædari voluerunt pecora Philiſtæorum, & cæſi fuerunt. Rapina erat juſte punita, quia citra vocationem Dei. Quisquis citra vocationem Dei agit, aperto vel occulto furto raptor eſt, nec tantum qui eripit, ſed etiam qui mercedem injuſtitiæ oblatam retinet Eſa. 33: 15, 16. Pſ. 128: 1, 2. II. Si à Deo poſtulatum ſit. 1 Tim. 4: 45. *omnis creatura Dei bona eſt & nihil repudiandum, rite acceptum, nam ſanctificatur verbo Dei, & precibus.* Sanctificatio appropriationem denotat & hæc fit tum verbo Dei Mat. 4: 4. tum precibus quando benedictio poſtulatur Ezech. 36: 37. III. Si Deo referatur acceptum, Deut. 8: 17. ſ. multiplicatis opibus Deus celebrandus qui dedit; non dicendum, *meum robur & virtus meæ manus mihi hanc potentiam acquiſivit:* ſed recordandum Dei, &c. Sic in fruitione etiam terrenorum bonorum guſtabimus bonitatem Dei, & habebimus teſtimonium beneficentiæ, quod indet cordi gaudium, adeo ut in minimis quoque exſultare queamus, & porro ab eadem benignitate exſpectare, quæcunque neceſſaria, donec conceſſerit æterna, quibus dono ipſius ſolius fruamur, eumque celebremus in æternum.

Moſes Vir ille Dei hoc elogium obtinuit à Domino. Num. 12: 7. *Moſes ſervus meus in tota domo mea fidelis eſt.* Eſt hæc primaria laus, fidelitas, in ſervo. 1 Cor. 4: 2. in OEconomis requiritur ut quivis fidelis reperiatur. Cum enim in alieno opere occupetur, ad quod aliena voluntate adhibetur, cui tamen obſtrictus eſt ad obſequium, & quod ob ejusmodi obligationem exſpectat iſtud rite atque integre præſtari; debet ille omnem fidelitatem exercere, ut & ſuo debito, & heri exſpectationi ſatisfaciat. Factum id eſt à Moſe, & quidem eximie; cum enim miniſterium ejus ſe extenderet, per univerſam domum Dei, cui eam dedit ordinandam, & per eum unumquemque in populo mandatis ſuis rexit, ipſe in omnibus integra fide Deut. 33: 4. verſatus eſt. Non quidem fuit ἀναμάρτητος, nam ejus quoque notantur defectus, tum ante miniſterium, quando neglexit filii circumciſionem Exod. 4 ipſumque munus ſuſcipere detrectavit, verſ. 13. tum illo ſuſcepto, ad aquas Meriba Num. 20. fuit enim homo quorum nemo vivit ut non peccet 1 Reg. 8: 46. & quemadmodum Elias, iisdem affectibus obnoxius, Jac. 5: 17. attamen in iis quæ loquenda dedit Deus ne latum quidem unguem à mandatis receſſit, ut aliquid vel adjiceret, vel omitteret: quin etiam quæ Iſraelitis danda diſtribuendaque fuerunt, nihil ex ſuo corde fecit, ſed miſſus ac juſſus à Deo Num. 16: 28 quemadmodum iſtud fidelis ſervi eſt, omnibus ſervis præpoſiti, ut cuique debito tempore demenſum ſuum præbeat Luc. cap. 12: 42. Habemus iſtius fidelitatis exemplum hoc in textu, quomodo unicuique ſervorum Dei ſuam & portionem, & opus aſſignarit, juxta heri voluntatem. Etenim iſtud obſervare eſt cum circa duas tribus & dimidiam, queis trans Jordanem hæreditas data fuit, tum circa Joſuam, cui ductus populi univerſi fuit demandatus. Finita hiſtoria gemini belli contra 2 reges Amoræos, recitavit conſequentia, occupatæ terræ diſtributionem. quam inſtituit inter tribus Ruben & Gad, queis regnum Sihonis partitus eſt, & mediam Manaſſe, quæ in occupanda terra ſingularem operam præſtiterat, cui dedit Og; regnum Baſan videlicet. Veruntamen dedit poſſeſſionem iſtam cum onere, cujus præſtandi teſtem & exactorem conſtituit Joſuam, &c. hujus eapropter munus ſpeciatim confirmatum refert.

Verſ. 18. *Quamobrem præcepi vobis tempore illo dicendo: Jehova Deus veſter dat vobis terram hanc quam hæreditario jure poſſideatis, expediti tranſite ante fratres veſtros filios Iſraelis, viri militares omnes.*

Verſ. 19. *Sed fœminæ veſtræ, parvulique veſtri, & pecora veſtra (novi pecora multa eſſe vobis) manento in civitatibus veſtris quas dedi vobis.*

Verſ. 20. Tranſite igitur, *uſque dum quietem largiatur Jehova fratribus veſtris ut vobis; & poſſideant hæreditario jure ipſi quoque terram illam quam Jehova Deus veſter dat eis trans Jardenem: tunc revertemini quisque ad hæreditatem ſuam quam dedi vobis.*

C. Onus impoſitum iis, quibus de poſſeſſione proſpectum erat, legitur, verſ. 18, 19, 20. Hiſtoria extat. Num. cap. 32. Cum Rubenitis & Gaditis, regionem iſtam paſcuam petentibus in hæreditatem cum renunciatione portionis, quæ cis Jordanem potuiſſet obtigiſſe, Moſes graviter contradixiſſet, faſtidium iſtud eſſe interpretatus terræ repromiſſionis, & quod fratres deſtituendo, ipſis terrorem incuterent, ut & ipſi tranſire flumen detrectaturi eſſent, quomodo provocabatur Deus ad exemplum patrum ante annos 38. tribus illæ duæ ſe liberaturæ ab hoc crimine ejusque ſuſpicione conditionem oneroſam ipſimet proponunt, relicturos ſe greges & familias in urbibus & caulis, ipſosmet autem armatos non comitaturos ſolum, ſed præcelluros cæteras tribus, atque in prima acie conſtituros & pugnaturos donec etiam illæ quietam poſſeſſionem eſſent nactæ, nec ante ad ſuos eſſe redituros. Moſes ea conditione largitus ipſis eſt terram, ſub comminatione ultionis divinæ, ſiquidem non ſtarent promiſſis. Tum Eleazarem Sacerdotem, & Joſuam, & principes cæterarum tribuum hujus obligationis exactores ſtatuit, qui ſi promiſſa præſtarent, ipſis relinquerent deſideratam poſſeſſionem trans Jordanem; ſin detrectarent militiam, ipſos cogerent ea regione deſerta cis flumen juxta cum cæteris quærere hæreditatem. Quam conditionem denuo ratam habuerunt. Hoc loco Moſes. I. recitat illam ceu legem, cujusmodi vim ſortita erat poſt ratihabitionem, quæ contractui robur dat. II. declarat conditiones contractus ipſius.

a. De vi contractus teſtantur iſta, verſ. 18. & *præcepi vobis illo tempore, dicendo.* Nulla hactenus lex fuerat, quæ tale quid mandaret, neque Deus eam præſcripſit, ſed naſcitur poſt contractum, & ex illo, Rubenitæ & Gaditæ libere offerunt conditionem, Moſes eam probat, atque ipſi, hoc proponente ad contractum ineundum, approbant, *Servi tui facient uti Dominus meus mandat;* & jam lex eſt. Moſes imperat. Eoque.

Conditiones contractus in legem abeunt, habentque vim legis, quando utrunque conſenſus acceſſit & ratihabitio. Valet in omnibus contractibus, ſunt liberrimi initio, velitne quis eas conditiones admittere, nec ne? ſed ubi contractum eſt, fiunt hæ neceſſariæ, neque negliguntur aut violantur ſine crimine transgreſſæ legis. Contractus Jacobi cum Labane, de paſcendo ejus grege, pro filiabus, proque maculoſis de grege naſcituris: ubi perfidia Labanis notata, qui toties mutavit mercedem Gen. 29: 31. & alter de non of-

offendendo mutuum. Contractus Saulis cum Davide de filiabus illius ducendis, & Davidis cum Jonathane, de misericordia cum hujus posteris exercenda: quorum hic observatus, ille violatus fuit. Observandum istud omnibus contrahentibus. Novæ legi se subjiciunt, quicunque eum ineunt. Equidem legislativa potestas magistratus est, quatenus leges sancire potest gladio; verum potest quivis semetipsum lege propria obstringere, per placitum contractus; & si contra agat, legis violator est, quamquam pœnam violationis Magistratus solus irrogare debeat, eapropter implorandus. Gravius autem crimen est quando contra specialem, quam si contra generalem legem peccetur, contra normam constitutam voluntate quoque propria, quam solum aliena. Et hoc admittunt, quicunque violant privatum contractum: dommodo contractus sit legitimus, de quo nobis sermo est. Nam talis fuit præsens, initus coram facie Dei Num. 32: 20, 21, 22. coram facie Domini se armare, & in bello antecedere debuerunt cæteros, & coram facie Domini possidere terram suam. Omnesque contractus sic ineundi, & sic conditionibus satisfaciendum est, coram Deo, eo teste & judice. Multis adeo leve videtur contractibus fallere, cum tamen legem fœderis fallant, cujus Deus unus legislator judex erit, à quo omnes leges autoritatem habent. Mal. 2: 14. *Dominus testis fuit inter te & uxorem tuæ juventutis, qua cum perfide agis cum sit socia tua, & uxor fœderis tui.* Conjugium privatus contractus est, attamen quia fœdus, per quod societas certa lege constituitur, Deus testis est, & pariter judex, cap. 3. vers. 5. Contractus mercenarii, quod opera & mercede unius diei tamen adeo attenditur apud Deum, ut violati vindicias severissimas sæpissime minatus sit. Lev. 19: 13. Deut. cap. 24: 14, 15. Jer. 22: 13. Imo lex propriæ voluntatis eam vim habet, ut licet iniqua, vel dura quis postmodum patiatur, non habeat querelam injuriæ. Multis videtur injustissimum milites ob levissimum delictum suspendi, si deserant ordines, excedant castris, citra specialem veniam, aliave agant. Sed justissime patiuntur, & omnis querela injusta est: nam proprii contractus lex est quam violant, quem tamen contractum Sacramento firmant 1 Reg. cap. 20: 29. s. qui custodiam captivi susceperat sub pœnæ capitis vel talenti, cum illum elabi passus esset, audit. *Sic judicium tuum est, ipsemet pronunciasti.* 1 Reg. 2: 36. s. Salomo proposuit Simei conditionem, ne Hierosolyma excederet trans torrentem Kedron, sub pœna capitis, & hanc conditionem ipse approbavit; *Verbum istud bonum est* inquiens; atque juratus in se recepit: sed post triennium egreditur, & juxta istam legem pœnam tulit, ob rem leviculam. Sic quoque hic, Optandum tamen esset, uti Salomo præstitit habitationem tutam in urbe ipsi Simei, sic militibus hebdomadatim, aut menstruatim solverentur stipendia, ne violati contractus querelam haberent priores; cui licet pœna non sit statuta, Deus tamen qui pauperum mercenariorum curam habet, ejus judicium non negliget. Sic 1 Sam. 8. populus Israel petiit sibi dari regem, qualem gentes habebant; itaque conditiones istas proponit Deus, & iniquitatem ac tyrannidem istorum regum, & quod non sit futurus apud se locus querelæ, & cum nihilominus talem vellent, eum dedit super istis conditionibus: debubueruntque postilla quæ libere voluerunt, necessario ferre.

Enimvero notandum istud oportune in fidei professione. Contractus fœderis initus est libere ab unoque nostrum cum Deo. Licet enim à pueritia prima censeamur in fœdere, & hoc propter fuerimus baptizati, tamen sic non nisi jus fœderis confirmatum est. Quivis adultior factus debet ipse amplecti fœdus, & proposito cordis velle manere cum Deo; quemadmodum Israelitarum liberi, quam primum per ætatem poterant, quærere Deum patrum suorum, ut Josia 2 Reg. 22: 2. 2 Chron. 34: 1. s. & Salomo 2 Chron. 28. vers. 9. Conditiones quidem illius propositæ sunt à Christo Mat. 11: 28. s. & à Deo per Apostolos 2 Cor. 5: 19. s: reconciliatio ista à Deo solo confecta, ad abolitionem antecedanei reatus per hostiam Christum, à parte hominis poscit vitam reconciliatione dignam, ut non amplius hostilitas exerceatur, sed præstetur obedientia in futurum, cap. 6: 16. s. Hæ conditiones à quovis sigillatim admittendæ & ratihabendæ sunt; quando in prædicatione verbi istæ conditiones proponuntur, à quovis qui in fœdere cum Deo esse vult sigillatim adstipulandum est, Esa 56: 6. ut super iis in corde suo dicat. *Sum Domini*, seque manu sua talem esse scribat Esa. 44: 5. quemadmodum Deus quoque singulos inter suos scribit Ezech. 13: 9. Ps. 87: 6. De hujusmodi contractu gloriamur omnes, qui Christiani vocamur. Sed simul profitemur nos singulari lege teneri, quam cum violamus, tum Deo, tum nobis ipsis rei constituimur Quotiescunque S. Cœnæ participamus repetimus stipulationem, Christus nobis repræsentatur sanciens Novum fœdus suo sanguine, nos illud audientes assentimur, & desuper convivium fœderale usurpamus ad ejus mensam, quam ipsemet instruxit fœderatis suis. Tenemur ergo nova lege, seu repetimus & de novo sancimus legem istam. Deut. 26. vers. 17. s. Fecimus Deum dicere fore nobis Deum, & ipse fecit nos dicere, nos fore ipsi populum peculii: peculiaribus legibus obstrictos & obsequentes. Violamus legem si non præstemus. Deus ea ratione se obligatum censet, Lev. cap. 26: 44, 45. Deut. 4: 31. cap. 7: 9--12. 1 Sam. 12: 22. Sumus non minus lege obstricti: quicquid contra agimus ἀνομία est, quæ definitio peccati 1 Joh. 3: 4. Num. 32: 22. *Sic si egeritis, eritis innocentes coram Deo & Israele.* Hoc nobis exspectandum in alterutram partem. Jer. 34: 8. s. Zedekias fœderali ritu se & populum obstringit ad dimissionem servorum Hebræorum ad quam tenebantur, sed mox violant voluntariam promissionem, & Deus eos addicit gladio, pesti, fami, exilio, ac vastationi. 2 Chron. 15. vers. 12. pœnalis lex addita à rege & populo contra violatorem fœderis: sibi ipsis eam statuerunt; sed tametsi nobis eam non statuamus, aut non exsequamur, Deus statuit & exsequetur. Legem suam vindicabit. Testes sumus contra ipsosmet ipsos, quia elegimus conditionem fœderis, & testes sunt lapides sub sella templi contra nos, ne Domino mentiamur Jos. 24: 22---27. Meminerimus legem contra nos esse, tum Dei, tum nostram eoque præstemus promissum obsequium: meditemur & faciamus illud Ps. 119: 106. *juravi & stabiliam*, &c.

b. Contractus ipse respicit. I. quid consequi debeant. II. quid facere. I. *Quid facere* onerosum est, dura pati, bono carere, & in utroque diu detineri. *Dura pati*, vers. 18. quotquot bello apti, armati antecedere Israelitas debent, eoque in fronte consistere, & primum hostes adoriri. *Carere bono*, vers. 19. uxores, liberi, greges deserendi, & relinquendi loco periculoso. *Duratio*, vers. 20. donec Deus requiem dederit in acquirenda possessione cæteris Israelitis. II. *Quid consequi*, frui hæreditate jam concessa, vers. 18 --20.

Hinc vero notamus. *Amor terrenorum facit ut dura petpeti, commodis carere, & diu sic haberi non grave habeatur.* Hæ tribus amant terram illam pascuam, & ut eam consequantur, quam duras sibi dicunt leges? (nam juxta ipsorum oblationem hic mandantur.) Omnes bello apti, qui vicennio majores, volunt in bellum ire: ad id quidem tenebantur omnes. Verum id durum ut semper primi essent, quando vel adoriendus vel excipiendus hostis; impetus ubique sustinendus. Unde Mosis preces pro illo, in ultima benedictione, vivat Ruben & non moriatur, ut homines ipsius numerus sint. Deut. 33: 6. Tum carendum sibi edicunt uxorum liberorumque consortio, quibus alii fruebantur, & illos relinquendos circumseptos hostibus, & indefensos ab hominibus. Denique quamquam plurium annorum opus foret occupatio terræ eam exspectare decernunt, nec fatigati laboribus & periculis, nec fracti desiderio suorum, & deoque pugnaturi contra hostes & affectus proprios longe tempore. Tantum faciunt pro terreno bono cujus possessionem ipsimet forsan nunquam consecuturi, aut non diu habituri erant, ut posterorum foret. Quid non servitutis subiit sponte Jacob, ut potiretur Rachele, per totos septem, imo 14. annos? Imo quid non suscipiunt homines molestiarum ut consequantur fruitionem cupiditatum, quas maxime charas habent, ut opes, honores, voluptates obtineant, quæ mundi bona sunt? 1 Joh. 2: 16. De avaris, 1 Tim. 6: 9--10. privati in cumulandis divitiis, ut nocte dormire nequeant, nec interdiu quiescere; magnus est honestus labor, agricolæ, operarii, mercatoris, nautæ, militis

tis, &c. & omnis pro pane, ut victum amictumque habeat pro ſe & ſuis neceſſarium aut abundantiorem. Major longe labor peccaminoſus, in praxi injuſtitiæ, oppreſſionis, fraudis inveniendæ & exercendæ; in vi aperta, furto, rapinâ &c. Reges & principes in augendo imperio, Nimrod venator, & ſic venatores & piſcatores, qui bellis alios ſubigunt Jer. 16: 16. Hab. 1: 15. Eſa. 10: 13. ſ. De ambitioſis exemplum in Abimelecho. Jud. 9. in Abſalomo. 2 Sam. cap. 15: 16. De ebrioſis, Prov. 23: 29. ſ. & ſcortatoribus, Prov. 6: 26. ſ. cap. 7: 10. ſ. Exemplo etiam ſunt Sodomitæ, David, Ammon. Ezech. 16. & 23. Laboraturque ad impetrandam majorem condemnationem. Quotidiana iſta ſunt. Sed quotusquisque iſtam reſolutionem pro obtinenda ſalute in cœlis habet? 1 Cor. 9: 25. ſ. *quicunque militat ſtipendio, ſe continet in omnibus.* ἐγκρατεύεται, robur ſuum contra ſemetipſum exercet, ut ſibi, deſideranti licet, neget alimentorum copiam, & quæ palato placerent, jugi labore ſemetipſum duret, ad ferendos non minus quam inferendos ictus. *Hi autem illud quidem agunt ut coronam coruptibilem adipiſcantur.* Loquitur de Græcorum certaminibus, quorum præmia erat corona querna, aut laurea, aut oleaginea, & tamen aliquot ante menſibus ſe parabant ad exercitia illa indefatigato labore. Addit v. Apoſtolus, *nos vero incorruptibilem.* Et quanto plus hic erat agendum? Hinc de ſe, *ſic igitur curro*, &c. (item lividum quaſi ex verberibus reddo) & de Chriſtianis omnibus. 2 Tim. 2: 3. *Nemo qui militat, implicatur negotiis hujus vitæ, ut placeat illi qui ad militiam delegit: nec pugnans coronatur, niſi legitime pugnarit.* Hoc agendum omnibus, non modo non diligendus mundus, & quæ in eo ſunt 1 Joh. 2: 15. Sed etiam abnegandæ quoque mundanæ cupiditates. Tit. 2: 12. odio habendi parentes, uxor & liberi, proximi, vita propria, & ferenda crux Luc. 14: 26. ſ.

Verum hic cogitant plerique, Durus eſt hic ſermo, quis ferat eum? Conditiones graviores putant æquo, quia non æſtimant bonum quod fruendum eſt. Intuentur quæ videntur quamvis temporalia ſunt, potius quam quæ non videntur, licet æterna ſint. Hacpropter quando aliquid agendum in hoc genere, illico eſt, quanta fatigatio? Mal. 1. verſ. 13. Si otioſi dormienteſque, aut ſi convivantes ſaltanteſque eo poſſent deferri, tum quidem occupari vellent. Sed carere bonis præſentis ſeculi, adverſis inſuper premi & forſan opprimi, nimium eſt pro eo quod futurum creditur. Scil. nondum habemus ſapientiam mercatoris margaritarum, tum enim inventa excellenti, nihil non amittere vellemus ut potiremur. Mat. 13: 45. ſ. Sed filii hujus ſeculi prudentiores ſunt quam filii lucis, in ſua generatione Luc. 16: 8. Imitandus Moſes Heb. 11: 24. ſ. habebat honorem vocari filium filiæ Pharaonis, theſauros Ægypti, & poterat frui peccato ad tempus; omnia iſta præſentia erant, ſed ipſe mavult carere opibus illis, honoribus, voluptatibus, ferre autem afflictionem cum populo Dei, & opprobria Chriſti, quia ſpectavit compenſationem mercedis, & Patriarchæ peregrini vivere, citra patriam, ut cœleſti potirentur, verſ. 9. ſ. Hoc nobis debet perſuadere ſalutaris gratia Dei, &c. Tit. 2: 11. ſ. S. Cœna monet nos adventus ejus, quam celebramus, dum exſpectamus, 1 Cor. 11: 26. eoque monet, ut carere mundo, Chriſto ſervire, eumque ſequi velimus, Zelotæ bonorum operum, quo tandem potiamur æterna ſalute, in cœlo, ejusque hæreditate.

Porro ex eo quod tribus iſtæ jubentur armatæ antecedere Iſraelem reliquum, fratres ſuos, donec & illi conſecuti eſſent hæreditatis poſſeſſionem quietam, docet. *Qui in unum corpus Politicum vel Eccleſiaſticum uniti ſunt, non tantum privata curare debent, ſed etiam cæterorum; neque ſe ſubducere labori pro aliis, quando ſibi proſpectum eſt.* Rubenitis & Gaditis imperatur (quamquam ſuam portionem accepiſſent, neque quicquam terræ trajecto Jordane haberent exſpectandum,) bellum proſequi cum fratribus, & pro iis, & magis quam illi, donec tantundem obtinuiſſent atque ipſi. Non permittit ut ſubtrahant humerum ab onere, & quemquam ſibi proſpicere jubeant, ſed in partem veniant laboris, & tanto majorem, quanto plus præ cæteris erant conſecuti. Requirit iſtud ratio corporis; quodcunque membrum eſt in eo non ſibi ſolum id eſt, ſed omnibus membris. Non ſibi ſolum videt oculus, vel audit auris, vel graditur pes, vel laborat manus, ſed unicuique membrorum. Neque licet ulli ſe ſubducere à communi miniſterio. Crimen fuit Rubenem & trans Jordanitas, nec non Danem & Aſer quieti ſuæ indulgere, dum Iſachar Zebulon & Naphthali debuerunt pugnare contra Siſeram, Jud. 5: 16. imo Meroza maledicitur, quod non proceſſerit ad conſortium belli, verſ. 23. & cives Succoth & Penuel ceu hoſtes habentur à Gideone, Jud. 8. & Jabes Gilead ab Iſraelitis, quod nollent ſocii eſſe communis belli Jud. 21. Saul denuntiat excidium boum illius, qui non una contra Nahaſum Ammonitam belligeraret 1 Sam. 11. Peccant proinde illi, qui in communi patriæ neceſſitate ſe ſubtrahunt oneribus, & cùm longe plus aliis à Deo conſecuti ſint, tamen ne quidem æquant proportione inſtituta pauperiores, ne dum ut eos excedant in contributionibus, imo cum aliorum humeris alligent graviſſima, vix minimo digito illa attingunt. Neh. 2: 5. Thekoitæ in muro hieroſolymæ erigendo laborarunt, quia communis urbs erat. Sedes ſacrorum & & politiæ. *Magnifici ipſorum non ſubdebant colla miniſterio Domini.* Erant magnifici muneribus & opibus, ſed nihil magnificum agunt publico. Amos 6: 1. ſ. væ quietis in Sion, & ſecuris in monte Samariæ. (Judæ & Iſraelis homines notat) Judices populi, qui voluptuantur in conviviis, pinguiſſima comedentes, & optima bibentes, & gaudia agitantes, & non ſunt ſolliciti de fractura Joſephi. Atqui ejuſdem corporis membrum, & remotiſſimo & contemtiſſimo ſuccurrit quâ poteſt, & quod plus poteſt, plus confert; nullum plus valet manibus, & hæ ubique adſunt opitulantes. Rom. 12: 5. Non dicit nos Chriſti membra, quod tamen certiſſimum, ſed mutuum, ut mutuam obligationem ſignificet. Id ipſum docetur in S. Cœna; uti unus panis, ſic multi nos ſumus unum corpus, quia de uno pane participamus. 1 Cor. 10: 17. Phil. 2: 4. Et quam quietem, felicitatemque Deus ipſi conceſſit, laboret ut etiam ſimilem alii conſequantur, & qui à Deo impetravit robur & facultates corporales aut ſpirituales, roboret etiam fratres, ut & ipſi Deum glorificare queant.

Rurſum dum jubet armatos ſervire fratribus, & interea relinquere in Urbibus conceſſis uxores & liberos, docet: *Qui in opere Dei eſt, & fideliter hic verſatur, ſecurus poteſt eſſe tutelæ Dei.* Familias & greges cum relinquerent, videbatur neceſſarium, ut & ipſi manerent, & vel hac de cauſa detrectarent militiam. Sed nihil hacpropter commoventur; imo deſertionem illam offerunt, quamvis vicinos metuendos noſſent, ut ſervirent Deo in occupanda terra, qui interea defenſurus erat. Etenim Pſ. 34: 8. *Angelus Domini caſtra ponit circa timentes ipſum, & eripit eos*, & Pſ. 91: 11. *Angelis ſuis de te præcipiet, ut te cuſtodiant in omnibus viis tuis.* Vid. quæ eſſe debent, ſuntque Dei, à Deo definitæ, non autem viæ pravi cordis. Exod. 34: 24. *Nemo concupiſcet terram tuam, dum aſcendis ut appareas coram facie Domini Dei tui ter in anno.* Omnibus maribus adſcendendum fuit ad feſta, neque id poterat latere vicinas gentes. Occaſio nata videbatur occupandi omnia cum ſeptiduo integro, quandoque durarent feſta. Sed erant in opere Dei, & tum Deus cuſtodiam præſtitit, ut hoſtes non concupiſcerent ipſorum terram. Eſt hoc alicujus momenti. Solet cuſtodia privata prætendi ſæpe, quo minus cultui divino vacet aliquis, & inprimis ſic patrocinari ſolent homines profanationi Sabbathi. Exod. 34. 21. *Sex diebus operaberis, & quieſces ſeptimo, tempore arationis & meſſis quieſces.* Heic putant multi in meſſe fas eſſe metendo, & convehendo fœnum & frumentum etiam Sabbathum occupare. Cura proventus commendata eſt, inquiunt, & incertum, an poſtridie fit futurum ſerenum tempus. Sed annon Deus is eſt qui abſtinentiam mandavit, & vult ut cohibeamus pedem noſtrum, ne faciamus noſtram viam Eſa. 58: 13. Annon ipſe ſolem & pluviam moderatur Matt. 5: 45. ac poteſt poſtridie quoque ſerenitatem dare? ſiquidem fiducia foret in ipſum ſociata cum obedientia, nonne merito punit adverſis qui in viis ejus nolunt ambulare? Mal. 3: 10. ſ. *Comportate omnes decimas in dominum theſauri* &c. Servaſſe decimas

præsens erat lucrum. Sic sibi prospexisse putabant prudenter ; Sed maledictio mera hinc exspectanda : verum facta solutione , abundantissima erat futura benedictio, & neglecta domo Dei , ut privatis prospicerent , fecit, ut nihil esset prosperum, & cùm circumspicerent ad multa , accipiebant parum , & hoc quoque in ædes illatum difflabat Deus ; sed à die quo Dei opus faciebant se benedixisse testatur. Hagg. 1: 6. s. Cap. 2: 16. s. Faciamus opus Dei, quod singulis, quod universis commisit , magnum illud opus Christianismi & operandæ salutis , neque illud negligamus vel in totum vel ex parte , ob curam corporum, & quæ eo pertinent. Qui illud mandavit, novit & hæc esse sustentanda , adeoque cum aliis nos occupari voluerit , eam curam sibi servavit , & relictam à nobis voluit. Ps. 37: 34. Matt. 6: 33. Rom. 13: vers. 14.

Adhæc quando dicit Moses, Dominus Deus vester dedit vobis hanc terram in hæreditatem, itaque militabitis donec etiam fratribus prospectum sit , & tunc revertemini quisquam ad hæreditatem suam, monet. *Non habet justam possessionis suæ fruitionem , qui non fecit , prærequisitum opus.* Occupanda erat Cananæa pro toto Israele; quæ tribus præceperant partem , non poterant juste ea frui , nisi & aliis pariter parta esset portio sufficiens. Deus est qui dat panem & robur ejus ad nostram alimoniam , & tamen pro eo acquirendo laborandum est , 2 Thes. 3: 10. & vers. 12. Non est proprius panis pro quo non laboratum est . & si non proprius, vel donatitius est , vel furtivus. Pari ratione in spiritualibus. Habemus vitam æternam nobis datam à Deo , spe salvi facti sumus . 1 Joh. 5: 11. Rom. 8: 24. Verum laborandum nobis pro possessione, Joh. 6: 27. s. Exercenda fides est, quantum fidei , tantum Christi & vitæ æternæ habemus 1 Joh. 5: 11, 12. Deus salvavit nos & vocavit vocatione sancta 2 Tim. 1: 9. Sed debemus salutem operari Phil. 2: 12. Eph. 2: 8. 10. gratia salvi facti sumus , sed ut ambulandum sit in bonis operibus, quæ paravit Deus , qui Spiritum Christi habent , debent ambulare secundum Spiritum, & uti Christus ambulavit, nam Rom. 2: 7.

Denique cùm Deus dedisse dicat terram , & tamen se dedisse , docet : Quod ministri Dei dant ex ejus mandato & voluntate Deus dat, & quod Deus dat, dant ejus ministri. Terra Dei erat , & Deus solus eam dederat, quomodo ergo Moses se dedisse ait ? non aliter quam quia Dei minister erat , isque fidelis , nil nisi quod jussus erat agens. Sic de Josua Deut. 1: 38. Cap. 3: 28. Facit hoc ad actionem præsentis diei. Homines sunt qui inter nos versantur , & qui agunt & loquuntur , & tamen divina opera eis tribuuntur Joh. 20: 23. Act. 26: 18. Oculos aperire , mentis maxime , solius Dei est Eph. 1: 18. peccata remittere solius item Dei Marc. 2: 7. Sic etiam dare hæreditatem cœlestem Col. 1: 12. attamen id agunt, quia sunt ministri Dei. Sic 1 Cor. 10: 16. possuntne isti nobis dare corpus & sanguinem Christi ? Joh. 6: 32. s. Verum ut Paulus ait 1 Cor. 11: 23. à Domino accepi &c. & cap. 4: 1. Ne quis ergo ob vilitatem hominum dubitet de veritate Dei. Habent illi thesaurum in testaceis vasis, ut excellentia roboris sit Dei, & non ex ipsis 2 Cor. 4: 7. quando ipsi loquuntur & agunt, ex mandato Dei, oculi non defigendi in ipsos, ne vel nimium , vel minus æquo iis tribuamus , sed elevanda fides in cælum. Sic ipsis exhibentibus panem & vinum ex mandato Christi, & addita ejus promissione , consequemur à Christo ipso juxta ejus promissionem ejus corpus & sanguinem, & satiabimur ad vitam æternam. Amen.

Vers. 21. ***Jehoschuhæ autem præcepi tempore illo dicendo; oculi tui*** **sunt** ***, qui vident omnia quæ fecit Jehova Deus vester duobus regibus istis, sic facturus est Jehova omnibus regnis quò tu transiturus es.***

Vers. 22. ***Ne timetote illos : nam Jehova Deus vester , is est qui pugnabit pro vobis.***

d. Magna semper fuit religio fœderum, ut illa inviolata servarentur : quandoquidem tunc mutuis contrahentium verbis nitendum fuit ; quamobrem securitatis ergo constitutus subinde Conservator fœderis, (*Guarandeur*) qui observari curaret, accusator & vindex etiam futurus contra violantem. Hujusmodi ordinarie Deus est, qui jurejurando invocatur , ut hanc gerat curam. Abimelech ad Abrahamum ait, *Jura mihi nunc hic per Deum & ages mecum ;* quod ille fecit Gen. 21: 23. pariter cum Isaaco, Cap. 26: 28. s. Et Laban cum Jacobo cap. 31: 49. veruntamen aliquando etiam homines constituuntur fœderis custodes. In eo quod Deus iniit cum Israele, Moses ille est, & hinc Christus ait, Mosen esse qui eos accuset Joh. 5. vers. 45. Unde cum vitulum aureum fecissent , Moses tabulas fœderis confregit. Simulque fœdus irritum factum esse per illos declaravit , Exod. 32: 19. & tabernaculum suum, ubi cum Deo colloquebatur , extulit ex castris, cap. 33: 7. ut significaret communionem sublatam esse. Sic Josias 2 Chron. 34: 32, 33. Inprimis in pacto quo Nehemias obstrinxit magnates, ut oppigneratos agros & vineas redderent debitoribus, vocavit Sacerdotes & per hos ad juramentum illos adegit, ita se facturos, & ipse quoque excusso sinu dixit, *Sic excutiat Deus , non facientem verbum istud* &c. Neh. 5: 12. s. Simile exemplum habemus circa distributionem regnorum Sihonis & Ogi. Num. cap. 32: 28. s. Cum juxta conditiones à Rubenitis & Gaditis propositas Moses ipsis cessisset illam terram ; vid. ut relictis uxoribus & liberis , & gregibus, in Urbibus illorum regnorum , ipsi quotquot recensi fuerant, ad militiam non comitarentur solum , sed antecederent Israelitas reliquos , primi ubique futuri in acie contra hostes, neque redituri domum ad suos , nisi fratribus quoque hæreditas sua cessisset ; constituit mandato suo custodes fœderis seu pacti hujus Eleazarum sacerdotem , Josuam fil. Nun , & Capita patrum tribuum filiorum Israelis ; qui præstantibus promissa concederent , quam tenebant possessionem , detrectantibus eam adimerent. Hoc mandatum illud est, cujus nunc facit mentionem in textu. Non alia de causa Josuam constituit custodem illius contractus, de armatis auxiliis, quam quia ille dux expeditionis futurus erat , adeo ut ipsum attineret , quot & qua conditione duceret : quemadmodum Jos. 1: 12. s. tribus illas sui promissi monet. Hoc tamen loco non repetit quicquam sigillatim de illis tribubus , verum generale monitum illi tunc datum, quod munus ejus concernebat, solum recenset. Illud I. proponitur, vers. 21, 22. II. remoto impedimento confirmatur, vers. 23. 29.

a. *Propositioni* præmittitur connexio, vers. 21. *etiam Josuæ præcepi illo tempore dicendo.* Quando contractus cum Rubene & Gade custodem constituit , simul etiam mandavit, quæ sui essent officii. Unde discimus.

Qui curare debent ut alii stent promissis contractus , illis proprium officium curandum est religiosè. Josuæ observandum an istæ tribus rite militarent pro reliquo Israele ? debuit ergo ipse quoque militiam suam rite obire. Etenim qui observarent alios, qui semetipsos non observant ? aut exigerent ab aliis , quod à se non exegerunt ? imo qua fronte obsequium poscerent, cujus neglecti starent manifesti ? Concernit istud primores in Ecclesia & Rep. qui custodiæ huic adhiberi solent, uti hic fuit Eleazar & Josua : quibus istud incumbit, ut culpa careant , Ecclesiasticis id faciendum. Mal. 2: 4. s. *Labia Sacerdotis* &c. *Sed vos declinastis* Rom. 2: 19. s. Hujusmodi Uria Sacerdos, qui cùm cultum Dei deberet tueri , fecit ex voluntate Achazi altare novum ad Damasceni similitudinem 2 Reg. cap. 16. & prophetæ ac doctores , qui cum legis divinæ custodia non pateretur quicquam addi vel demi, suis interpretationibus & traditionibus in immensum auxerunt Jer. 8: 8, 9. Matt. 5: 21. s. Cap. 15: 3. s. Pharisæi & Scribæ, qui sedebant in Mosis Cathedra, & docebant observantiam legis, sed non faciebant; onera imponebant humeris aliorum , quæ ne quidem digito attingebant Matt. cap. 23: 2. s. Atqui quam turpe est dici, *Facite secundum ipsorum verba , sed non secundum facta* ; & refutari vita, quod verbo commendatur ; quis enim credet eos viam salutis docere, qui eadem non incedunt; neque enim semet-

metipſos odiſſe, & ſalvari nolle, perſuadebunt auditoribus. Jer. 23: 15. à Prophetis Hieroſolymæ egreſſa eſt hypocriſis in univerſam terram; quaſi impietas damno non ſit, modo profeſſio externa adſit, quam ipſi approbent. Aliud docet Paulus 1 Tim. 4: 12. 16. Joh. 13: 17. & Matt. cap. 5. 19. Politicis id faciendum. Gladium à Deo habent, ut cuſtodes ſint fœderis Dei, & ejus obſervationem procurent; debent ergo ipſimet non eſſe primores in violatione. Quantum dedecus ſi dicendum de Magnis, pariter fregiſſe jugum, & laceraſſe vincula Jer. 5: 5. ut principes ſint in tranſgreſſione, quemadmodum Simri & cæteri in Baal Peoris cultu Num. 25. Ezr. 9: 2. de connubiis cum alienigenis Jer. 34: 8. ſ. Zedekia & principes legem tulerant, firmarantque fœdere de dimittendis Servis Hebræis, ſed ipſi quoque coegerunt eos ruſſum ad ſervitutem. Cap. 36: 9. 22. indictum erat jejunium extraordinarium menſe nono pro omni populo Hieroſolymæ, & Urbium Judæ, ut venirent in domum Dei, ſed illo tempore Rex Jojakim ſedit in domo hyberna ante focum. Longe aliter Rex Ninive, qui primus regias veſtes mutavit ſacco, & loco throni cineres elegit: quibus inſideret, & tunc aliis jejunium imperavit. Joſ. 24: 15. Joſua totum populum obſtringit ad fœdus, ſed ut decretum habeat, quicquid etiam alii agant, *Ego & domus mea ſerviemus Domino.* 2 Chron. 34: 31. ſ. Joſias & ipſe toto corde & anima obſervationem præceptorum Dei ſuſcepit, & fecit etiam Judam & Benjaminem conſiſtere in fœdere, & ſervire Domino Deo ſuo, ut durante ejus vita non recederent à ſequendo Deum. Cumprimis Aſa, quando jurato fœdere ſe totumque populum ad obſequium obligavit, primam pœnam ſtatuit contra matrem ſuam, quam privavit dignitate ſua ob factum idolum, & hoc ipſum fregit combuſſitque 2 Chron. 15: 12. ſ. Sic David Pſ. 101. ipſemet ambulare decernit in via integra, tum domi ſuæ, tum foris, odiſſe peccatum, amare & exercere quod bonum, & tunc quoque impietatem aliorum & ejus operarios domo & regno ſuo ejicere. Hæc eſt genuina cuſtodia fœderis Dei in populo, quæ omnibus regentibus commendata eſſe debet, ut & ipſis & toti populo ſit bene & feliciter.

Propoſitio ipſa habet adhortationem, cujus I. fundamen-, verſ. 21. II. officium, verſ. 22.

a. Fundamentum eſt, verſ. 21. habens factum Dei præteritum, & hinc concluſionem de futuro facto. Illud eſt, *Oculi tui vident omne illud quod fecit Dominus Deus veſter duobus illis regibus:* iſtud, *ſic faciet Dominus omnibus illis regnis, ad quæ tum tranſis.* Traducturus erat Joſua populum trans Jordanem; populi Cananæi erant diſtincti in plura regna, (recitantur 31 quæ ſubegit Joſ. 12. verſ. 7. ſ.) & numero ac potentia exercituum valebant, contra omnes ſimul erat bellum ſuſcipiendum, quod communis eſſet cauſa, & omnes expellendi. Variæ cogitationes potuiſſent Joſuam turbare. Difficile eſſe opus, & multorum annorum quod eſſet aggreſſurus, ergo repræſentat ei quod recens factum eſſet, & cujus ipſe fuiſſet teſtis, & uti veriſimile etiam dux in bello contra hoſce reges, & Midianitas, quemadmodum olim contra Amalek Exod. 17. ſimulque aſſeverat ſimile præſtiturum Deum circa reges & regna, quæ haberet oppugnanda & occupanda. Præterita beneficia eſſe arrham quaſi futurorum. Eſt v. nobis notandum hinc.

(A.) *Inculcandum ſerio & ſæpius Deum eſſe, eumque fœderatum, qui præſtet victoriam ab hoſtibus.* Dicit Moſes, *Oculi tui vident quid Dominus Deus veſter fecerit* &c. Non ait, quæ vos feceritis regibus illis, quos prælio viciſtis, internecione deleviſtis, omnes incolas necaſtis, ſpolia cepiſtis, Urbes & terras occupaſtis. Factum quidem iſtud erat, ſed non recitandum, ne ſuperbirent; quo pronus eſt animus hominum, ut ſaltem partem ſibi tribuant gloriæ, Deut. 32. verſ. 27. *Manus noſtra elata fuit, neque Dominus omnia iſta egit;* quæ hoſtium & adverſariorum Dei oratio eſt. Quicquid egerat nihil erat, nequiviſſent coram hoſtibus conſiſtere, adeo validis. Dei ſolius erat opus, qui crabronibus oppugnarat reges illos Joſ. 24: 12. ut ſolum fugatos proſtratoſve haberent necandos: & id fecerat, quia fœderatus & exinde gratioſus. Pſ. 44: 4. de Abrahamo dicit Deus Eſa. 41: 2. ſ. *Quis ab oriente excitavit illum, & quis iſtud operatus eſt? Ego Dominus.*

Meditemur iſtud reſpectu patriæ noſtræ: quis olim dedit magnum illum Hiſpaniæ Regem Europæ Monarchiam affectantem coram facie noſtra? quis fecit ut tot Urbes, tot claſſes amitteret? Sane non eſt quod vires noſtras extollamus; manipulus militum fuit reſpectu temporis præſentis, quo cum maxima effecta ſunt. Deus exſeruit manum ſuam, & fregit hoſtes, quia beneplacitum habuit in nobis: fœdus gratiæ per Euangelium obtulerat, & dederat in cor incolarum, ut illud amplecterentur; & ſic prævaluimus ad ſtuporem totius mundi. Sed meditemur imprimis reſpectu conditionis ſpiritualis. Tres reges adverſarios numerare licet, quibus omnibus inferiores erimus, ſiquidem nobis ſolis ſint debellandi. *Primus* eſt Deus armatus ira contra peccatores. Hoſtis ille talibus, non minus quam ipſi hoſtes Dei Rom. 5: 10. Col. 1: 21. Nam Eſa. 63: 10. Jer. 30: 14. Eſa. cap. 1: 24. & ira ipſius armata eſt potentia, quæ ſociari ſolet Rom. 9: 22. 2 Theſ. 1: 9. & heic quis ſubſiſtat? Eſa. cap. 33: 14. Nah. 1: 6. & 8, 9. Sane ut hunc vincamus, & iram ejus exſtinguamus, magni eſt laboris, imo meræ impoſſibilitatis. Vi quidem nihil poteſt fieri 1 Cor. 10: 22. Heb. 10: 31. & cap. 12; 29. Deut. 32: 21. ſ. provocatus ad iram ait, *Ignis accenſus eſt* &c. dicitur quidem de apprehendendo ejus robore Eſa. 27: 5. Sed non eſt hoc noſtrarum virium. Ut convincendi veniant omnes illi, qui ſibi ſatisfaciendi vires & meritum tribuunt, aut aliis creaturis, quomodo tum ſibi tum aliis Deum concilient. Nihil aliud agunt illi, quam quod dicitur Eſa. 27: 4. belligerant cum igne ſpinæ & tribulæ; quos ignis momento conſumit, Nah. 1: 10. Deus ſolus eſt, qui hanc iram poteſt removere, ita ut nunquam amplius ſit nocitura. Si quid nos facimus, id facimus aliena divina virtute; fides robur illud iræ apprehendit, ſed non ex ſe facit, ſed in & per Chriſtum in quo ſumus pluſquam victores. Rom. 8: 37. & per quem roborantem omnia poſſumus Phil. 4: 13. *Alter* hoſtis eſt diabolus adverſarius noſter 1 Pet. 5: 8. fortis ille armatus Luc. cap. 11: 21. Leo, draco, ſerpens appellatus, ut robur tam malitiæ quam virium indicetur. Dominator mundi. & qui habet principatus, & poteſtates ſuos angelos Eph. 6: verſ. 12. Deus hujus ſeculi 2 Cor. 4: 4. Et quis valeat contra ipſum, quia non niſi caro & ſanguis ſumus? ζωγρημένους tenet homines in laqueo ſuo ad ſuum libitum 2 Tim. 2: verſ. 26. in ſua aula clauſos Luc. 11: 21. Qui ſuis exorciſmis ei ſe prævalere poſſe putant, quamquam habentur ut filii Scevæ illius, quibus Spiritus prævaluit, & vulneratos fugavit, Act. 19: 13. ſ. Deus ſolus eſt qui prævalere illi poteſt; neque id facit niſi fœderatis ſuis. Eſa. 40: 10, 11. Jer. 31: 10. ſ. qui oves ejus ſunt, ii defenduntur ab iſto lupo; & eripiuntur ex ejus tyrannica poſſeſſione Luc. 11: 22. Quod nos facimus, id fit fide 1 Pet. 5: 9. quæ nihil hominis adhibet, ſed utitur panoplia Dei Eph. 6: 13. ſ. Tertius hoſtis eſt caro noſtra, ſeu corruptio quæ dominatur in mortali corpore per cupiditates, Rom. 6: 12. & hæ belligerant contra animam 1 Pet. 2: 11. Quis v. ſubigere poteſt? Rom. 7: 24. & 25. Deo ſoli debetur illa gloria; illius unius Spiritu oppugnantur, necantur, operationes corporis, cap. 8: 13. Qui putant ſe ſuis actionibus prævalituros, non debilitant ſed roborant corruptionem, Col. 2: 23. humilitas, & ἀφειδία σώματος, & omnis ἐθελοθρησκεία, quamquam λόγῳ σοφίας multus prætendatur, ſunt ad ſatietatem carnis. Deus eſt qui in nobis agere, pugnare, vincere debet. Rom. 8: 2: Quamobrem abit à nobis omnis ſuperbia, non intueamur noſtras manus, quaſi aliquid confecerint. Si hoſtium illorum ceſſat pugna, potentia, victoria, Deo ſoli habemus acceptum ferendum. Pſ. 115: 1. & 118: 15. ſ. in tentoriis juſtorum eſt vox jubili & ſalutis, *dextra Dei facit robur, Dextra Domini exaltata eſt. Dextra Domini facit robur.*

(2.) *Proprium oculorum teſtimonium adhibendum, quandocunque oportunitas conceditur, ut quæ Deus fœderatus præſtat cognoſcantur.* Non dicit tantum Moſes, *D. Deus veſter fecit iſta*, ſed *oculi tui viderunt* fuiſti αὐτόπτης, utp. qui duxiſti exercitum; quemadmodum comemorat, Joſ. cap. 24: 12. Equidem non ſemper poſtulanda αὐτοψία credentibus, Joh. 4: 48. & cap. 20: 29. verum quando Deus oportunitatem dat, utique ea utendum, neque claudendi

oculi neque oblivioni dandum. Exod. 14: 22.ſ. 2Chron. 20. conſiſtendum fuit & videnda ſalus Dei. Deut. 4:3. *Oculi veſtri viderunt quæ Deus fecit propter Baal Peorem: nam quotquot ei adhæſerunt, perdidit: ſed vos qui adhæſiſtis D. Deo veſtro, hodie omnes vivitis.* & verſ. 9. *Cavete, & cuſtodite bene animas veſtras, ne obliviſcamini eorum, quæ viderunt oculi veſtri, & ne recedant à corde veſtro, omnibus diebus vitæ veſtræ.* Semper Deus facit mirabilia in mundo in regimine ſuæ providentiæ, ſed non adeo obvia ſunt noſtris oculis; aut ordinaria, ut non attendantur: aſt quando extraordinaria edit coram oculis, utique tum nimis oſcitantis, vel impii foret non obſervare.

Non deſunt nobis iſtiuſmodi. Quæ à patribus noſtris auditivimus non commemorabo, ſed quæ oculi noſtri viderunt. Quum velut inundatione hoſtis omnia ſubito impleſſet; & æque ſubito omnia deſeruiſſet, oculi noſtri viderunt Deum iſta feciſſe. Quum obſidione premeremur, & ea ſubito ſolveretur, nullo ſubſidio externo veniente aut metuendo, quod hoſtem pelleret, oculi noſtri viderunt Dei opus eſſe. Semper nobis iſta obverſari debent, neque unquam memoria deponenda. Eſt v. officii hujus ratio ſpiritualior attendenda. Oculi noſtri hodie viderunt, quæ Dominus Deus noſter fecit magnis iſtis regibus, quos antea memoravimus. S. Cœna inſtituta à Chriſto eſt in ſui memoriam, ut mortis ejus recordaremur, & eam annunciaremus. Pictus ille eſt ante oculos noſtros, tanquam inter nos crucifixus. Gal. 3: 1. Quando convenimus in templis, audimus auribus noſtris prædicatum Chriſtum, eumque crucifixum; aſt hoc ſimilibusque videt eum oculus noſter, & videt primum quid ei fecerint reges illi: quid magnus ille Rex, Deus iratus & ultor peccati. Mortuus repræſentatur nobis, panis fractus fracti corporis ſymbolum eſt, & vinum effuſum effuſi ſanguinis ejus. Deus autem talem fecit, Eſa. 53: 4. --8--10. Neque tamen injuſtitia eſt apud Deum, ut inſontem hoc modo tractaret. Rom. 3: 5, 6. an Deus injuſtus qui infert iram? Abſit, quomodo alias judicabit mundum? Sontem nequaquam habet inſontem Exod. 34: 6. eoque nec inſontem ſontis more affliget. Chriſtus ergo ſons fuit; non ex ſe, ſed ex ſponſione, ob aliena crimina, quæ in ſe recepit luenda. videt oculus noſter, quid fecerit ei Peccatum. Rom. 6: 23. mortuus eſt pro peccatis, ipſe juſtus pro injuſtis 1 Pet. 3: 18. quod non rapuit debuit reddere, Pſ. 69: 5. Eſa. 53: 5. Rom. 8: 3. 2 Cor. 5: 21. verſ. 15. Videmus ergo quod meritum fuerit peccati, quæ vis iræ Dei, ut ne quidem proprio filio pepercerit, poſtquam pro nobis eum tradidit, Rom. 8: 32. tradidit enim propter peccata noſtra, cap. 4: 25. Mortui ſumus in ipſo: uti reatum noſtrum in ſe recepit, ita pœnam noſtram ſuſtinuit. Oculi noſtri vident in ipſo, quod jugiter à peccato debet abſterrere. Lam. 1: 12. Imo videt quid fecerit illi Diabolus, qui ei colluctatus eſt, ut in eo æternam ſibi de nobis pararet victoriam concitavit omnem ſuam progeniem viperinam, omnem poteſtatem tenebrarum ut ad deſperationem deduceret, imo contrivit ejus calcaneum, ut in pulverem caderet, & videretur triumphatus, quando ſpiritum emiſit, & collocatus fuit in ſepulchrum, ibique cuſtoditus & obſignatus. Sed deinde videt quid factum ſit tribus illis regibus. *Primus* eſt Deus iratus, ignis conſumens: ſed heic victus eſt & ira ejus exſtincta. Chriſti corpus cibus eſt, ſanguis potus: hoc vidimus. Non poteſt nobis eſſe cibus, niſi quatenus hoſtia; ſed fuit Ascham, Peccatum; de qua non licuit comedere, alias edens eſt futurus peccatum Lev. 10: 17. Ignis, quæ iræ divinæ ſignum, abſumebat totam, & manebat inexſtinctus, utp. non ſatiatus bruta victima. Sed Chriſtus ſe obtulit Deo in victimam & oblationem in odorem bonæ fragrantiæ Eph. 5: 2. ſatisfactum eſt juſtitiæ divinæ pleniſſime exſtinctus ignis iræ ejus, liberavit nos ab ira illa futura 1 Theſ. 1: 10. quam experientur qui ſponſorem non habent. 2 Theſ. 1: 8, 9. Adeoque ſic eſt Peccatum, ut etiam ſit pacificum ſacrificium, unde offerentes edunt, ut ſecuri ſint ſuæ pacis cum Deo, Eſa. 53: 5. Igitur videmus in hoc epulo Deum non amplius iratum, ſed conciliatum; habemus pacem cum Deo, qui fide ad hanc menſam accedimus. Qui fuit cibus delectationis ejus, cum eum contrivit, eſt nobis cibus beneplaciti Dei quod per ejus manum procedit feliciter, ut ſervemur in perpetuum ab ira poſtquam qui hoſtes eramus per ipſum reconciliati ſumus. Oculi noſtri in ipſo vident pacem Dei, ſuperantem omnem intellectum, & cuſtodientem corda, ſenſus noſtros ad vitam æternam. *Alter* rex eſt Diabolus: verum & hunc victum hic videmus. Chriſtus nobis repræſentatus eſt mortuus; atqui ſic victus Diabolus. Venit ille contra Chriſtum, cum ſolvendum eſſet Deo luctatus tunc vehementiſſime ut ejus calcem contereret Gen. 3: 15. ſed nihil habuit in ipſo Joh. 14: 30. judicatus eſt, cap. 16: 11. & ejectus cap. 12. verſ. 31. contritum caput idque morte Chriſti Heb. 2:14. Abolitio iſta diaboli non eſt ut non ſit, ſed ut non noceat. Omne ejus robur eſt in morte, & ſtimulus mortis eſt peccatum 1 Cor. 15: 56. Atqui hunc ſtimulum abſtulit Chriſtus, dum pro eo ſatisfecit; aculeus ille in ipſum defixus fuit, qui peccatum ſuſceperat, & nunc mors & diabolus ſunt exuti poteſtate; inſtar apis ſine aculeo, quæ ſtridere poteſt, pungere autem non poteſt. Chriſtus abolevit mortem, & vitam &c. 2 Tim. 1: 10. quando gratia Dei pro omnibus filiis Dei mortem guſtavit, Heb. 2: 9. Carnem ſuam dedit pro mundi vita Joh. 6: 51. & hanc dat cibum, & ſanguinem potum, ut qui carent vita, hoc cibo & potu fruentes per fidem, non moriantur, ſed vivant per ipſum & habeant vitam æternam, non viſuri aut guſtaturi mortem in æternum. Oculi noſtri in mortuo Chriſto vident diabolum carentem argumentis accuſantibus. Rom. 8: 33, 34. *Tertius* Rex eſt Corruptio: & pariter victum videmus. In Chriſti morte, qualis repræſentatus fuit, habemus imaginem judicii ejus Rom. 6: 5.ſ. ſumus facti σύμφυτοι in ſimilitudine mortis ejus, Chriſtus peccato mortuus eſt, ſic veteri homini moriendum eſt: quod judicium Chriſtus ſubivit, idem carni ſubeundum Gal. 5: 24. Chriſtus enim pro veteri homine, corruptione mortuus non eſt; ſic foret miniſter peccati, ut illud vivere poſſet; ſed pro nobis, ut viventes necaremus membra terrena, & operationes corporis. 1 Pet. cap. 4: 1.ſ. quia Chriſtus pro nobis in carne paſſus eſt armate vos ipſos hac cogitatione, quod qui paſſus eſt in carne, deſtitit à peccato, ut non amplius ſecundum cupiditates hominum, ſed ſecundum voluntatem Dei vivat tempore reſiduo in carne. Vidit ergo oculus noſter in ipſo, quid caro noſtra ſeu corruptio pati debeat, & vitæ Chriſti efficaciam eſſe oſtendendam, ut appareat liberatio à lege peccati & mortis Rom. 8: 2. Sic vidimus quid factum ſit regibus illis, & quidem à Deo. Etenim Chriſtus Deus eſt 1 Joh. 5. verſ. 20. Ille fecit ut deſinat ira Dei 1 Joh. 1: 7. ut victus ſit diabolus Eſa. 40: 10. ut aboleantur ejus opera 1 Joh. 3: 8. Nunquam debet excidere memoria, quæ viderunt oculi noſtri: utp. in quibus abundans conſolatio, & gaudium, & vita, & felicitas.

(3.) *Experientia præteritorum beneficiorum facit fiduciam & ſecuritatem futuri.* Vidiſti quid fecerit, *ſic faciet*, & *faciet omnibus regnis.* Plura reſtant ſed non plus in iis momenti, eidem potentiæ Dei cedent, & ſub ea peribunt. Qui duos, etiam plures poteſt perdere: & qui voluit ob fœdus illud facere, etiam volet ob idem fœdus de reliquis ſimilia ſtatuere. Eſa. 41: 4. Hæc fiducia nobis quoque concipienda è S. Cœnæ communione. Rom. 5: 8.ſ. Cap. 8: 32. & hinc verſ. 35.ſ. Vicit ille fortem illum, adeoque Mat. 16. verſ. 18. poſtquam ſemel eos exuit & de iis triumphavit. Col. 2: 15. Sic qui victoriam dat de carne Rom. 7: 23.ſ. eam porro dabit ſubactam 2 Pet. 1: 3, 4. Etenim qui incepit conſummabit Phil. 1: 6. eoque dabit quæ eo faciunt, cap. 2: 13. ut ſolummodo ab eo habeamus poſtulandum. Heb. 13: 20, 21. Pſ. 138: 8.

β. *Officium* quod præſcribit. verſ. 22. *Ne timete ipſos.* Simile fuit ad totum Iſraelem, Cap. 1: 21--29. & cap. 3: 2. *Ratio* addita, *nam D. Deus veſter pugnat pro vobis* fuit quoque propoſita, Cap. 1: 30. ut non opus ſit immorari. Hoc unum concluſionis ergo. *Ponendus metus hoſtis, ubi Deus propugnator.* Pii ſubinde terrentur metu, quando ſuam impotentiam intuentur, & adverſariam potentiam. Quanta fuit conſternatio Joſaphati 2 Chron. 20. ſed quæ diſcuſſa, cum Deum pugnaturum cognovit, ut etiam ſubditis metum adimeret, fiduciam eis commendando. Sic metuunt pii, quando peccant, Pſ. 7: 12: Pſ. 5: 5. Sed 1 Joh. 2: 1, 2. metuunt diabolum, 1 Pet. 5: 8. ſed Rom. 16: 20. metuunt corruptionem, ſed 2 Cor. 12: 9. removet cor lapideum, dat car-

carneum Ezech. 36: 26. corrumpitur exterior, innovatur interior homo 2 Cor. 4: 16. abolet maculas & rugas, & ſanctificationem conſummat Eph. 5: 27. Ponendus ergo metus, Luc. 12: 32. quos fecit oves, ut oves cuſtodiet, & dabit vitam æternam, Joh. 14: 19. cap. 10: 10--27. ſ. Egit hodie paſtorem, qui vitam pro piis poſuit paſcit ducit tuetur, oſtendamus nos fuiſſe oves; auditam vocem ejus probemus obſequio. Sequentes eum, veniemus ubi ipſe eſt, ubi non amplius videbimus hoſtes, nullum habentes corpus mortis, diabolo ſubdito pedibus noſtris, in domo Dei, patris uti Chriſti ſic noſtri; & manebimus cum ipſo, & uti hic oculi noſtri viderunt eum in ſua humiliatione; ſic videbimus in gloria, eaque etiam fruemur felices in omnem æternitatem

Verſ. 23. *Quumque deprecarer Jehovam, tempore illo dicendo.*

Verſ. 24. *Domine Jehovi, tu cæpiſti oſtendere ſervo tuo magnitudinem tuam; & manum tuam robuſtiſſimam; qua quis* eſt *Deus fortis in cœlo aut in terra, qui faciat ſecundum opera tua & ſecundum virtutes tuas?*

Verſ. 25. *Tranſeam quæſo ut videam terram iſtam optimam, quæ* eſt *trans Jardenem; montem iſtum optimum, & Libanum:*

b. Sequuntur quæ ad Propoſitionis dictæ *Confirmationem* faciunt.

1 Chron. 15: 13. *Dominus Deus noſter inter nos rupturam fecit, quia ipſum non quæſivimus ſecundum jus.* Loquitur David de nece Uzzæ, quæ ab immediata manu Dei illata fuerat, occupato in opere religioſo animoque integro, juſtificat autem Deum, quia vitium erat in actione Iſraelis. Etenim quando David Arcam Domini Kiriath jearimis voluit transferre Hieroſolymam, impoſita ea fuit currui novo, quem ducebant duo filii Abinadabi, Uza & Ahio; quumque aliquamdiu proceſſiſſent, factum eſt ut ceſpitantibus bobus Uza manu ſua Arcam retineret, ne excideret ex curru. Verum ira Dei in ipſum accenſa fuit, eumque percuſſit propter iſtum errorem (**onbedachtzaemheid.**) ut ibidem apud Arcam moreretur. Miniſtrabat Arcæ, & in iſto miniſterio, quando maxime expeditus erat, ut lapſum ejus averteret, iram Dei in ſe, & necem ſibi accerſivit. Opus quod agebat, bonum videtur fuiſſe, & ipſe bona intentione in eo verſatus, & tam male ceſſit. Sed ea non fuit, quia opus iſtud non fuit conſentaneum voluntatis divinæ præſcripto. Cum Philiſtæi Arcam Dei remitterent ad Iſraelitas, novo currui impoſuerant à duabus vaccis trahendo, & Deus eas duxerat, licet vitulorum ſuorum deſiderio tenerentur, & propter eos mugirent jugiter, recta via verſus Bethſemes. Iſtam rationem imitati jam erant in transferenda arca. Verum habuit iſtud crimen, non in rei ſubſtantia, ſed circumſtantia, quam Deus ipſe definierat, & ad quam obligabantur Iſraelitæ. Mandaverat Deus quoties Arca de loco in locum erat tranſportanda, ut Sacerdotes eam ferrent ſuis humeris, unde vectes ad ejus latera, Exod. 25: 14. Philiſtæi non peccarant utentes curru. qui legem illam non acceperant, neque ei poterant obſequi, non habentes Sacerdotes Dei, ſed Iſraelitas & Sacerdotes Aaronicos hic ſequi Philiſtæos, neglecta Dei inſtitutione, id non potuit non eſſe crimen; & hoc eſt quod David dicit, non quæſitum fuiſſe Deum ſecundum jus. Debuiſſet eos abſterruiſſe exemplum Bethſemitarum, qui in ipſam Arcam curioſe inſpexerant, quamobrem repentina plaga coram Arca proſtrati ſunt; nam Deus mandarat, ut cum Arca ferenda eſſet, ab Aarone ejuſve filiis injectis aliquot tegumentis ab omnium oculis abſconderetur. Ad iſtam culpam acceſſit ſpecialis Uzzæ, qui Arcam manu ſua à lapſu voluit cohibere, quod itidem interdictum Num. 4: 15. Tectis inſtrumentis potiſſimis ſanctuarii, venient filii Kohath ut portent, ſed ſanctum non attingent, ne moriantur: & hinc Dei manu occiſus. Sic vindicat Deus, quando in ipſis quoque circumſtantiis declinatur à revelatæ voluntatis ipſius præſcripto, 2 Chron. 30: 18. ſ. Hizkia rogavit Deum pro populo, qui venerat ad celebrationem Paſchatis: & Deus dicitur ſanaſſe populum ad preces Hizkiæ. Integritas cordis in cultu non defendit à plaga, quando in circumſtantia aliqua definita peccatum fuit. Tantopere Deus Zelotes eſt circa ſuas leges, ſuamque voluntatem revelatam, ne inde homines ſuo recedant arbitrio. Exemplo nobis eſt Moſes, cui Deus vehementer indignatus fuit, quando contra declaratam ſuam voluntatem aliquid petere auſus fuit, quamvis integro animo hic verſatus ſit, & ut imitari eum conveniat, præterquam quod revelatæ voluntati Dei ſe non conformavit, in re licet, quæ non videbatur tanti eſſe momenti. De hoc argumento loquuntur reliqua hujus capitis. Refert hic Moſes ſuas preces, & quam male acceptæ fuerint à Deo. Connexio autem initio indicatur, verſ. 23. tum preces ejus, verſ. 24, 25. tandem quid iis obtinuerit, verſ. 26--29.

a. Connexio eſt, verſ. 23. *Etiam deprecabar D. eodem tempore dicendo.* Aſſignata hæreditate trans Jordanem duabus cum dimidio tribubus ſub conditione auxiliorum cæteris præſtandorum, & conſtitutis Eleazaro, Joſua, & principibus tribuum quo ſtarent poſſeſſores illi ſuis promiſſis, Joſuam ſe ducem futurum inſtruxerat ad fiduciam, ob experimenta divinæ opis in bello gerendo. Verum ſignificat quale habuerit deſiderium eopſe tempore, videlicet ut non Joſua, ſed ipſemet trans Jordanem duceret populum, & poſſeſſionem aſſignaret, quemadmodum factum erat circa duas cum dimidio tribus: quomodo Joſua, uti contra Amalek, & alios, non niſi Moſis juſſu bellum geſturus fuiſſet, manente ſummo regimine penes ipſum & Moſen. Neque enim ſimpliciter Jordanem tranſire optat, ſed qualis erat ut populi dux & gubernator ſummus; neque Joſua ejus miniſter, quicquam ei voluiſſet derogatum, qui zelo magno fervebat pro ipſo Num. 11: 28. ſ. Hoc vero Moſis deſiderium adverſabatur verbo Dei revelato, quo & ipſe & Aaron excluſi fuerant Cananæa trans Jordanem, ob provocatum Deum infidelitate Num. 20: & Aaron vi illius decreti mortuus fuerat ad montem Hor. Ipſe tamen iſtam ſententiam reſcindi optat; & quia à Deo ſolo pendebat, qui judex eam pronunciarat, ab illo precibus ſollicitat gratiam. Hoc docet vocabulum quo utitur, ואתחנן & gratiam poſtulavi magno cum fervore, ut Job. cap. 9: 15. למשפטי אתחנן: Hinc vero notandum.

Etiam ſanctiſſimi quandoque peccant, quando bonam ſuam intentionem non adſtringunt ad Dei voluntatem revelatam. Moſes ſupra cæteros homines commendationem habet pietatis: fuit Deo familiariſſimus, adeo ut tanquam cum amico loqueretur facie ad faciem, & Moſes omni tempore ad Deum ingredi, & ab ipſo reſponſa petere poſſet; fuit fidelis miniſter in tota domo Dei. Exod. 33: 11. Num. cap. 12. 7. ſ. Deut. 34: 10. ſ. Optima fuit ejus intentio, tum reſpectu populi, ut eum inſtrueret, quemadmodum feçerat hactenus, cumprimis quia proſperis rebus, quæ jam inſtabant, magis monitore indigere videbantur, quam adverſis in deſerto: (neque enim ambitione aliqua tenebatur, qui 120. annos ætatis habebat, & 40. annis rexerat, nemine affectaturo imperium, cujus ipſe ſæpius tædium habuerat; ſed populi amore quem hoc libro abundantiſſime teſtatus eſt:) tum reſpectu ſui, ut Dei potentiam & gloriam, atque inprimis veritatem uberius videret demonſtratam, quod in precibus profitetur. Peccavit tamen, quod ex ira Dei eapropter accenſa conſtat; & peccavit quia contra revelatam Dei ſententiam aliquid petiit. Notat quid & cur contra ſe & Aaronem erat pronunciatum; viderat exſecutionem in Aarone, & tamen contra agit; petitio gratiæ inſtituitur ad reſciſſionem ſententiæ impetrandam: ut Deus non eſſet verax., quo foret gratioſus. Imo ſtolide admodum ut deſiderio ſuo potiretur, utitur argumento à veritate Dei, ut ejus foret ſpectator, dum eam circa ſe negligi & mutari optat. Sic peccavit Gideon, qui inter fideles recenſetur Heb. 11: 32. quia adeo miraculoſam victoriam Deus ei dederat contra Midianitas, ipſe in memoriam rei ex pretioſis ſpoliis fecit Ephod, & illud in domo

ſua

ſua erexit: atqui interdictum erat talia privatim facere vel habere; atque hinc familiæ ipſius iſtud fuit exitio Judic. 8: verſ. 27. Sara quoque laudem habet pietatis 1 Pet. 3: 6. Ea v. cum audiviſſet ex Abrahamo ipſo naſcituſum ſemen promiſſionis, quo illud promoveret, quia ſterilis erat ipſa, ſuo conſilio Hagarem illi conjunxit; ſed unde multum deinde habuit moleſtiæ Gen. 16: 21.

Diſcimus itaque hinc non æſtimandas actiones à bona intentione virorum ſanctorum. Nam hæc ipſa ſubinde eſt occaſio vel cauſa peccandi. Omnis ἐθελοθρησκεία hoc fundamento nititur Col 2: 22, 23. humilitas & corporis ſubactio, & internunciorum apud Deum uſus, quæ λόγον σοφίας habent. Sic Eſa. 29: 13. traditiones iſtæ optima intentione fuerunt inventæ, poſuerunt ſepem legi; quivis eam interpretabitur ſuo arbitratu, & fient inde tot leges quot homines, itaque definienda una, quam deinde omnes ſequantur, tum in doctrina, tum in praxi; quod argumentum eſt Phariſæorum contra Karræos; quomodo cum Scriptura ſit lux Pſ. 119: 105. ſapientiam dans ſimplicibus, verſ. 130. Pſ. 19: 8. Lux ei accenſa eſt ab hominibus, ad depellendas ejus tenebras. Sed vere velamen inductum oculis & cordibus, ut nequeant proſpicere Scripturæ doctrinam. Vere facta ſepes legi, ut ab ea arcerentur homines ablata clavi cognitionis Luc. 11: 52. Totus papatus ad eam calamitatem deductus eſt, per ejuſmodi bonas intentiones hominum etiam piorum: ſed præter & contra voluntatem Dei. Atque nunquam illa ſequenda eſt, ſed hæc, & hujus ſectanda notitia, ne per illam abducamur à recto tramite. Luc. 24: 5. ſ. Mulieribus Chriſtum in ſepulchro die tertio quærentibus, dicit Angelus. *Quid quæritis viventem apud mortuos?* Optima fuit intentio quærentium Chriſtum, & tamen reprehenduntur; quia contra revelatum verbum. Tertio die illud dixerat reſurrecturum, non ergo ibi fuit quærendus; unde memores verbi deſiſtunt à ſua intentione eum iſtic ungendi 2 Pet. 1: 19. ſ. *Habemus firmiorem ſermonem propheticum* &c. Firmior eſt ille omnibus viſionibus, quas quis privatim habet. etiam veris, cujuſmodi Petri erat & Pauli 2 Cor. 12; 3. ſ. Firmior etiam quavis humana interpretatione, revelavit illic quid bonum &c. Deut. 10: 12. quod qui ſequitur, poteſt vias ſuas mundas cuſtodire Pſ. 119. 9. Obſequium eſt, quod omnes actiones commendat. Exemplo Abrahami, cum unigenitum immolare juſſus eſſet, placuit obſequio; ſed cum idem ſuſceperint alii, repudiati ſunt, & revocati ad obſequium Mich. 6: 5. ſ. Ne quæramus regulas obedientiæ ex noſtra intentione, ſed accipiamus à Dei revelatione in Scriptura. De intentione noſtra incertum eſt, ſitne placitura Deo; ſed certum de obſequio verbi Deut. 29: 29. cap. 4: 6. ſapientia eſt, non invenire facienda, ſed facere mandata.

Preces vitioſæ ſunt, quæ adverſantur Dei mandato & voluntati expreſſæ. Moſes hujusmodi hic fundit. Erat voluntas Dei præciſa, moriturum ipſum antequam populus Jordanem tranſiret, neque huc venturum. Ille tamen petit. Quis non videt precum iſtarum vitium? Imo cum peccatum ſit quodvis deſiderium cordis, quod contrarium eſt voluntati Dei; duplicatur iſtud, ſi quis eo audaciæ procedat, ut id ipſum poſcat à Deo. 1 Sam. 15: 35. Samuel luxit propter Saulem, cum Dei nomine ipſi denunciaſſet, repudiatum eſſe à Deo, & cap. 16: 1. Deus ad ipſum, *quamdiu tu luges Saulem, quem tamen ego repudiavi?* quanto reprehenſibilior fuiſſet, ſi auſus fuiſſet pro eo precari? Iſtud v. admiſit Moſes. 1 Joh. 5: 14. nulla fiducia obtinendi reſponſi à Deo, niſi preces ſint ſecundum Dei voluntatem: aſt ſi huic contrarientur, utique argumentum habet negationis ut Deus nolit quod poſtulatur, cum petens prior nolit quod Deus juſſit Pſ. 66: 18. Joh. 9: 31. Fundamentum precum noſtrarum eſt fides: nec poteſt fides eſſe, ubi non eſt verbum Dei, quo nitatur. Qui itaque petit ea, quæ Dei verbum petenda negat, adverſatur illi regulæ, & fidei fundamentum evertit. Inter alia quæ Chriſtus precari juſſit, & quidem antequam nobis aliquid ſigillatim petamus, eſt, *Fiat voluntas tua.* Matt. 6: 9. Aſt qui aliud vult & petit, quam Deum velle novit, nonne is invertit petitionem. quaſi dicat, ne fiat voluntas tua? Equidem non ita impudens eſt oratio, ſed tamen reapſe idem dicit, quando ſubſtituit, *Fiat voluntas mea.* Eſt autem differentiæ aliquid obſervandum circa preces, ſemper eæ conformandæ ſunt voluntati Dei, ſed ea non eodem modo ſe habet; Pſ. 99: 8. eſt Deus condonans peccata, & ulciſcens actiones. Quotieſcunque peccamus, (*& non eſt homo qui non peccet* 1 Reg. 8: 39. *In multis impingimus omnes* Jac. 3: 2.) precandum eſt pro remiſſione, & cum fiducia exauditionis, liquidem peccatum ipſum contra quod precamur non foveamus, quia Dei voluntas remittere petentibus Mich. 7: verſ. 18. Ezech. 33: 11. Eſa. 55: 6, 7. Verum quando peccantes caſtigat Deus, non tantum ad pecantium emendationem, ut ſciant quam amarum ſit peccatum, ſed etiam aliorum, quibus datum eſt ſcandalum, non eſt precanda immunitas à caſtigatione, quia voluntati Dei repugnat; omnes liberi Dei ſunt ſub ea, & qui omnino carent, ſunt ſpurii & non liberi Heb. 12: 6. ſ. neque etiam ut ad placitum noſtrum afflictio removeatur; ſed omnia ſunt ſubjicienda voluntati Dei. Diſcendum id à Chriſto. Ob reatus alienos debebat mori; ſic pepigerat cum patre ſuo, & ut id ageret, venit in mundum. Cæterum cum eſſet particeps factus carnis & ſanguinis, ut alii pueri, noſſet autem magis quam ullus alius quid eſſet ira Dei, & ejus potentia, in diebus carnis ſuæ ſæpius horruit, quæ ſubeunda erat, mortem: quin etiam fecit materiam precum ſuarum, ſed ut ſemper deſideria infirmæ carnis ſubjiceret voluntati Dei, non autem ut voluntatem Dei ad illa vellet flecti ac mutari. Joh. 12: 27, 28. & Matt. 26: 39. Marc. 14: 36. Luc. 22: 42. & Matt. 26: 42. Simile exemplum in Eli occurrit 1 Sam. cap. 3: 11--18. cum Dei ſermonem ad ſe Samuel indicaſſet, & inter alia, juravi domui Eli, ſi iniquitas domus Eli in æternum propitiabitur ſacrificio aut oblatione: ipſe ait, Dominus eſt, faciat quod bonum eſt in oculis ſuis. Uti David proficiſens in exilium ob Abſalomum, dixit, *Si Dominus dicat, non delector te* (ut denuo videas arcam reſtitutus:) *ecce adſum, faciat mihi quod bonum eſt in oculis ſuis.* 2 Sam. 15: 26. Ita fuiſſet agendum Moſi. Licet enim gratiam poſtulet, tamen definita erat voluntas Dei, cui mero ſilentio fuiſſet reſpondendum, ut Pſ. 39: 29. & Lam. cap. 3: 28. Quod ſi aliquando nobis excitat votum aliquod, ut liberemur ab afflictione, ſiquidem incertum ſit, velitne nos Deus inde liberare vel in totum, vel ex parte, hæc ſemper limitatio, fiat voluntas tua, ut leproſus ille Matt. cap. 8: 2. *Domine, ſi vis potes me mundare.* Potes, quæcunque vis, ſed an velis, ignoramus; nos quidem vellemus eximi malis; ſed ſi tu id nolis, malum erit, etiam nobis, tua enim voluntas ſemper bona eſt, eoque ſi tu nolis, etiam nos nolumus, qui nihil velle debemus, quam quod tu vis. Sic nos conformantes voluntati Dei, vel dabit liberationem, vel dabit patientiam & acquieſcentiam, ut in ejus voluntate ſolatium inveniamus.

β. *Preces* porro Moſis ſepoſita iſta contrarietate ſententiæ divinæ, inſignes admodum ſunt, & quæ oſtendunt quantopere fuerit exercitatus in arte precandi, qua antea & hoſtes vicerat, & Deum ſæpius retinuerat ne perderet Iſraelem, quod cap. 9. patebit. Duas habent partes, prior argumenta continet, poſterior petitionem ipſam.

1. *Prior* eſt, verſ. 24. ubi.

a a. *Compellatio Dei*, אדני יהוה, gemino titulo appoſitiſſimo. Dominus eſt abſolutæ poteſtatis, in cujus domo ego ſum miniſter: qui pro lubitu ſuo poteſt ſtatuere & concedere domeſticis quæcunque lubet, neque quisquam habet jus contradicendi, & Jehova, qui eſſentiam dare poteſt & creare, eoque vitæ dies præcidendos prolongare, quemadmodum factum Hizkiæ, & modo promittere placeat, etiam præſtabit; imo cùm hoc nomen connotet gratiam opportuniſſime urgetur ab eo, qui gratiam poſcit meram, nullo ſuo nixus merito aut dignitate.

b b. *Ratio petitionis, tu cœpiſti oſtendere ſervo tuo magnitudinem tuam, & manum tuam robuſtam.* Non inædificat quicquam ſibi ſuæve in miniſterio fidelitati, quam Deus ipſe prædicarat, ſed ſolæ gratiæ Dei, cujus fruitionem aliquid conceſſerat. *Magnitudo* Dei eſt ejus majeſtas & dominium univerſale in omnia, uti dicitur Rex magnus ſuper univerſam terram Pſ. 47: 3. & *manus ejus robuſta*

ſunt

ſunt actiones omnipotentiæ divinæ, quibus ſibi robur eſſe probavit prævalens ſuper omnes. Hæc ſibi dicit eſſe oſtenſa, & oſtenſa *à Deo*, qui ſe ſpectatorem ſtatuiſſet operum iſtorum. Quod v. ait *nunc cœpiſſe* id facere, docet, quomodo ea reſtringat. Viderat ſane manum Dei fortem, & brachium extenſum Dei tum in Ægypto, tum ad mare algoſum, tum in deſerto totis 40. annis: quæcunque Deus egerat ad Iſraelitas liberandos. Sed de his non loquitur, verum quæ pertinebant ad eos collocandos in poſſeſſione Cananææ, quomodo hoſtes robuſtiſſimos coram facie Iſraelis eſſet deſtructurus, immiſſis crabronibus. Hoc v. jam viderat in victoriis de Sihone & Ogo reportatis, exciſis incolis terræ, & collocatis in poſſeſſione aliquot tribubus. Deut. 2: 25. *hoc die cœpi dare timorem terroremque tuum ſuper faciem populorum.* & verſ. 31. *Ecce ego cœpi Sihonem & terram ejus dare coram facie tua.* Initium iſtud erat, quod videre magni eſſe beneficii æſtimabat; & amplificatio eſt à ſua conditione. Videre feciſti ſervum tuum. Illi non oſtenduntur omnia, neque debet eſſe curioſus, ut heri ſui videat plura, quam illi placuerit oſtendere, & eam facit, geminatum eſt beneficium ob indignitatem ſervi. Adeoque.

Gratia Dei indigno exhibita argumentum eſt poſtulandæ ulterioris gratiæ. Incepiſti gratiam exercere erga tuum ſervum, & porro fac. Initium iſtud declarat tuam voluntatem. Non auſus fuiſſem poſtulare conſcius meæ indignitatis, ſed ea non avertit tuam benignitatem; placuit tibi in me demonſtrare gratiam; nonne ergo ſequor indicium voluntatis tuæ, & peto, quod illa jam præſtare cœpit, ut continuet? Apud homines beneficium præſtitum occludit os, ne iterum quis ſit importunus in petendo, & impudens. Verum contra apud Deum, quando benefecit, aperit quodammodo os ad poſcendum plura, Pſ. 81: 11. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui te eduxi ex terra Ægypti, dilata os tuum, & implebo illud.* Prius illud beneficium tantum eſt, ut nihil adeo grande ſit, quod non liceat poſtulare. Sic egit Jacob Gen. 32: 9. ſ. 2 Sam. 7: 18. ſ. Magnum iſtud argumentum eſt, beneficia Dei exhibita. Indignitas noſtra tunc ſtimulum addit ipſa. Deus cœpit benefacere & indigniſſimo quidem. Ergo indignitas eum non debet morari à poſtulando. Placet Deo ſuam gratiam illuſtrare; fecit initium ipſe qui non mutatur, & quem non pœnitet; itaque volet etiam continuare Pſ. 138: 8. benefeciſti mihi à juventute, eoque quidni petam, ut porro benefacias Pſ. 71. Priora ſunt quaſi arrha voluntatis divinæ, qua ſe obligat quodammodo. Quamvis enim nobis nequeat fieri debitor, qui indigni ſumus minimorum, ſibi fit. Docet nos iſtud argumentum Paulus in beneficiis maximis Rom. 5: 10. cum eſſemus hoſtes, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ipſius, multo magis reconciliati ſervabimur per vitam ipſius. Benefecit hoſtibus, & benefecit in gradu maximo, dedit reconciliationem, eamque per filium, & hujus mortem; qui ſic incepit, an deficeret? Rom. 8: 32. nonne hic preces habent firmiſſimum argumentum? Ab indignis proficiſcuntur illæ, & an peccator reus multiplicis ingratitudinis auderet aliquid poſtulare gratiæ, cui nihil debetur præter iram? Sed Deus cœpit monſtrare gratiam. Fuit hæc ejus voluntas. Fiat porro voluntas iſta: Qui cœpit bonum opus, etiam perficiet. Phil. 1: 6. Deus rupes, cujus opus perfectum Deut. 32: 4. Proinde quia placuit Deo ſervo ſuo initia gratiæ præſtare, deducet ad finem. Hac fiducia accedo. Pſ. 32: 6.

cc. Rationis *illuſtratio à comparatione: nam quis eſt Deus fortis in cœlo & terra, qui facere poſſit ſecundum opera tua, & potentias tuas?* Dixerat ſibi oſtenſam Dei virtutem, quam porro videre deſiderat; jam cauſam addit ab incomparabilitate. Non eſſe Deum in cœlo & in terra, qui paria præſtare queat; alioqui iſtos adire poſſet, ut ibi videret magnifica; ſed quia tales non dantur, à nemine expleri poteſt ipſius cupiditas præterquam à ſolo Deo. Sed aliquid incongruum hic dici videtur: Daturne ergo Deus alius, præter eum qui Iſraelis Deus? aut an Moſes alios agnoſcit, ſed potentia inferiores? Contrarium docuit conſtanter. Sed loquitur more hominum, qui unicuique à quo beneficia ſe accepiſſe aut accepturos eſſe rebantur, Deitatis nomen & gloriam tribuebant. Quem admodum Paulus 1 Cor. 8: 4. ſ. *Scimus Idolum nihil eſſe neque alium eſſe Deum niſi unum.* Sunt dii & domini multi, non rei veritate, ſed erronea hominum opinione, qui deos dominoſque nominant, qui non ſunt, & quibus honorem & cultum deferunt. Eſt hoc magnum hominum crimen, quod Deum eſſe ſcientes, illum ut Deum non glorificent, ſive gratias agant, ſed evaneſcentem in ſuis ratiociniis gloriam incorruptibilis Dei mutarint in imaginem corruptibilis creaturæ. Verum quicquid etiam ejuſmodi diis adſcribatur potentiæ, nequaquam veniunt in comparationem tecum, ut opera tua queant æquare.

Scl. *quicquid divinum cenſetur in mundo, nihil eſt aut poteſt reſpectu Dei.* Eſa. 37: 12. gloriante Sanheribo, deos populorum deſtructos fuiſſe à ſuis Majoribus, & non potuiſſe defendere ſuos populos, & parem eſſe rationem Dei Iſraelis. Hizkia ait, *Domine, vere reges Aſſyriæ vaſtarunt terras iſtas, & projecerunt deos ipſorum in ignem: nam non erant dii.* Nulla gens fuit quæ non haberet ſuos deos: ſed qui reſpectu Dei Iſraelis non magis valuerunt quam Dagon Philiſtæorum ad præſentiam Arcæ 1 Sam. 5. Deo educente Iſraelem ex Ægypto, etiam contra deos ejus exercuit judicia. Exod. 12: 12. Num. 33: 4. unde Exod. cap. 15: 11. ſ. *O Domine quis tibi ſimilis inter deos?* Aſſeritur ſæpiſſime iſtud, & nobis obſervandum, ne quid tribuamus aliis diis potentiæ; Pontificii habent Sanctos potentiſſimos, quorum in uno vel altero opere excellat robur, & inprimis Virginem Mariam, cui maxima adſcribunt: ſed nullum opus producere poſſunt, niſi quod confictum eſt; neque enim Scriptura quicquam ejus novit. Opponendus nobis Deus, quando ſollicitamur ad fiduciam in iſtis collocandam. Sed ſunt etiam alii nominati dii, mammon, venter, potentia, Reges & principes. Verum nihil poſſunt reſpectu Dei veri. Habak. 2: 9. ſ. 1 Tim. cap. 6: 17. Venter deſtruitur 1 Cor. 6: 13. Potentia evaneſcit Dan. 5: 19. ſ. Principes moriuntur Pſ. 146: 3. ſ. Eoque decernamus iſtud Mich. 4: 5. *Omnes populi ambulabunt quiſque in nomine Dei ſui; nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei noſtri in ſæculum & ſempiternum.*

2. *Poſterior* eſt, verſ. 25. *Tranſeam quæſo, & videam bonam illam terram, quæ trans Jordanem eſt, bonum illum montem & Libanum.* Non intelligit autem alium intuitum, quam qualis fuerat ſibi oſtenſus cis Jordanem, ut videret terram omnem victis & exciſis incolis Cananæis, datam poſſeſſamque ab Iſraelitis. Commemorat autem in genere *totam illam terram*, quicquid inter Jordanem & mare mediterraneum intercipiebatur, quam vocat *bonam*, ob ejus præſtantiam deſcriptam ſæpius, inprimis Deut. 11. unde dicitur *decus totius terræ* Ezech. 20: 6. quam diſpexerat Deus Iſraeli antequam adhuc Abraham natus eſſet. Deut. 32: 8. II. In ſpecie autem *Libanum montem* ad ſeptentrionem, cujus commendatio magna quoque eſt, ob cedrorum multitudinem, nec non aromatum vinique præſtantiam: adhæc montem illum *optimum*, הָהָר הַטּוֹב הַזֶּה Quis autem ille? Varii fuere montes in Cananæa, ſed unus ille eximius videtur ab ipſo deſignatus Exod. 5: verſ. 17. Fuit ille mons Moria, ubi Abraham obtulerat Iſaacum, qui dicebatur, *Dominus videbitur*, ubi poſtea templum ædificatum fuit. Pſ. 68: 16. & 87: 1. Eoque optat videre quod præſtantiſſimum quoad beneficia corporalia *Libanum*, & quoad religioſa, montem templi, ubi Deus cum arca ſua tandem erat quieturus. Sic ergo Moſes appetit non tantum quæ corporalia, ſed primum potiſſimum quæ ſpiritualia: quemadmodum David Pſ. 27: 4. & 84: 3. ſ. Sic quoque noſtra ſint deſideria, ut æſtimemus externas benedictiones, ſed magis quæ ad cultum Dei & communionem cum ipſo faciant. Moſes Libano non addit epitheton, ſed Moriæ, qui tamen minus erat fertilis, quia meliorem benedictionem ſpectat, quæ ex Dei præſertia; eodem modo nos affecti ſimus. Statuamus illud Pſ. 144: 15. felix qui benedictus externis; benedictus autem ipſius Dei poſſeſſione feliciſſimus. Hoc affectemus, eo impetrato gaudeamus & gloriemur, æternum felices futuri.

Verſ. 26. *Prout excanduerat Jehova contra me propter vos, ſic non auſcultavit mihi; ſed edixit Jehova mihi, ſatis eſto tibi, ne ultra deinceps alloquitor me de hac re.*

Verſ. 27. *Aſcende verticem iſtius collis, & attollens oculos tuos Occidentem, Aquilonem, & Auſtrum, & Orientem verſus proſpice oculis tuis: quia non es tranſiturus Jardenem hunc:*

Verſ. 28. *Mandatis verò inſtrue Jehoſchuam, & confirma eum atque corrobora eum: is enim traſiturus eſt ante populum hunc, & idem poſſidendam diſtributurus eſt eis terram, quam proſpexeris.*

Verſ. 29. *Sic conſedimus in hac valle è regione Beth pephoris.*

γ. Sequitur *Succeſſus.* Servator noſter hortatus ſuos ad preces, ut ſucceſſum illarum in paradigmate oſtenderet parabolam proponit hominis, qui media nocte adiret ædes ſui amici, & peteret ab eo panes, quos apponeret ſuo amico ex itinere apud ſe divertenti: quique nullis excuſationibus ſe pateretur dimoveri ab inſtando; tandemque concludit: *Dico vobis quamvis non ſit ſurrecturus, ut id daret, quia amicus eſt, tamen ob impudentiam ejus ſurget & dabit quot indiget* Luc. 11: 5. ſ. cæterum in applicatione docet preces & importunitatem in iis non fore fruſtraneum apud Deum exercitium. Enimvero contrarium videtur demonſtratum in exemplo præſenti Moſis, de cujus precum ſucceſſu loquitur textus. Preces ejus fuere. I. ſi precantem ſpectes Amici Dei, Exod. 33: 11. *Dominus loquebatur ad Moſen facie ad faciem, uti vir loquitur cum amico ſuo,* & verſ. 13. *teſtatur Deus, Novi te nominatim, & etiam gratiam inveniſti in oculis meis,* & verſ. 17. *etiam hoc quod dixiſti faciam, quia gratiam inveniſti in oculis meis, & ego te novi nominatim.* II. ſi pro quo fuerint conceptæ, non pro amico Moſis, ſed pro ſe ipſo, ut ſibi largiretur videre & frui terra trans Jordanem, cum dediſſet initia hujus beneficii. oſtenſa ſua magnitudine & potentia in danda Iſraeli poſſeſſione, exciſis duobus regibus Amoræis, eorumque populo. III. Si finem precationis, non tam deſiderium terreni beneficii, quam ſpiritualis; frui optat in genere quidem bona illa terra; in ſpecie autem bono illo monte, & Libano. Libanus erat mons fertilitate omnigena laudatiſſimus, ſed hunc ultimo loco nominat, & ſine epitheto: Sed alium dicit bonum illum montem; intelligit autem montem Moriæ, de cujus fertilitate tanta non eſt commendatio, ſed quem deſignatum norat in ſedem ſanctuarii, ex delectu Dei ad oblationem Iſaaci, quem etiam in Cantico, Exod. cap. 15: 17. terminum ſtatuerat beneficiorum Dei. Hunc montem optat videre potiſſimum, ceu glorioſiorem præſentiæ divinæ demonſtrationem. IV. ſi modum precandi, petit meram gratiam, adeo ut excludat omne ſuum meritatum & dignitatem, omnem etiam ſuam potentiam; utp. qui nihil ſui conferre poſſet ad aliquid hic impetrandum, & petit importune etiam, nam verbum אתחנן non tantum gratiæ poſtulationem, ſed etiam frequentationem ſollicitationis connotat, ut multum inſtitiſſe appareat. Quis non exſpectet ad ejuſmodi ſupplicationem pleniſſimum aſſenſum? Verum omnia hic ſunt contraria, propemodum dicto Chriſti. Negatur amico, cum indignatione, & quemadmodum ille initio ajebat, *Ne mihi moleſtus ſis.* Sic hic in fine, *ne mihi loquere amplius de hac re;* verum ne quid impudentia & importunitate profecturum ſe crederet, ea interdicit, *Sufficiat tibi.* Hoc modo exceptas Moſis preces ne quem turbet, meditari omnia convenit, & inveniemus etiam hic ex comedente prodiiſſe cibum, & dulcedinem ex robuſto, juxta ænigma Simſonis Jud. 14: 14. Quid enim magis validum, quid magis conſumens ira Dei? atqui hinc etiam cibum & dulcedinem prodiiſſe apparebit. Diximus de precibus Moſis nunc dicendum quæ reliqua capitis, de ſucceſſu earum, ubi. I. reſpondens Deus, verſ. 26. II. reſponſum ipſius, verſ. 26. III. obſequium Moſis, verſ. 29.

1. *Reſpondens* Deus, verſ. 26. deſcribitur. I. iratus. II. non audiens.

aa. *Iratus* ויתעבר ה׳ בי למענכם *& valde indignatus eſt Dominus contra me propter vos.* Omnibus verbis momentum adeſt, 1. quomodo. 2. quis. 3. contra quem. 4. cur fuerit iratus.

a a. Quomodo; τὸ התעבר *iram* notat *vehementiſſimam,* qua ſit commotus. עבר *tranſire* terminum aliquem, flumen, quo finiebatur iter; metaph. *transgredi mandatum* peccare. De ira, deſignat limites tranſire, & Hithp. addit emphaſin, rapi violentia iræ, & transferri ultra modum, ut quis non ſit in ſua poteſtate, עברה *ira vehementiſſima,* excedens modum, qualem hoſtium ſuorum fuiſſe dicit David, Pſ. 7: 7. Tribuitur hic Deo, non proprie, ſed metaphorice, κατ' ἀνθρωποπάθειαν. Etenim Deus non eſt ut homo, ut ſit ὁμοιοπαθὴς nobis, quod de Elia dicitur Jac. 5. verſ. 17. ut affectibus regatur, adeo ut in ſua amplius poteſtate non ſit: ſpeciatim ut iræ violentia abripiatur atque modum excedat; Contra eſt Hoſ. 11: 9. Homines ita turbantur; impii ſunt ut mare agitatum Eſa. 57: 19. Aſt Deus ut mare vitreum quod circa thronum ejus collocatum dicitur Apoc. 4: 6. inſtar cryſtalli, ubi omnia tranquilliſſima, ut vitrum quod æquale eſt & læve; omnia pellucida, quemadmodum cryſtallum, tantum abeſt ut modum excedat, ut ſibi ipſi ſit modus perfectiſſimus Deut. 32. 4. Sed ex effectibus ſimilibus denominatio fit ab affectibus, qualibus homines aguntur ad eos producendos. Quando homines aliquid mutant in ſuis actionibus, cujus mutationis conſilium ante non fuit, pœnitere ducuntur: & ſic Deus pœnitere, quando mutat ſuas actiones, cujus mutationis conſilium hominibus ante non patefecit; quamvis ipſi fuerit fixum; uti, quando hominem quem fecit ſuper terram vult perdere de terra Gen. 6: 6. qui tamen ſapientiſſimo conſilio agitur, cui ab ævo nota ſunt omnia opera ſua Act. 15: 18. Quando hominum voluntati quis adverſatur indignantur, & iram minorem majoremve concipiunt, & hanc teſtantur dum malo aliquo afficiunt offendentem, & ſic Dei voluntas cum ab hominibus negligitur, Deo tribuitur diſplicentia, Hab. 1: 12. ob ſanctitatem ejus naturæ Pſ. 5: 5. & ira Pſ. 7: 12. & offendentium pœna, Ezech. 5: 15. Alioqui Deus non lædituir peccatis hominum, Job. 35: 6—8. adeoque pœna non eſt propter Deum, quamquam ſic loquatur Eſa. 1: 24. Sed propter creaturas, ut ſuam juſtitiam illis patefaciat Rom. 9: 22. unde quanto major improbitas hominum, tanto gravior ira in demonſtratione juſtitiæ Ezech. 22: 31. Varia ſunt nomina iræ, quæ gradum quandoque majorem connotant, & omnia tribuuntur Deo Hoſ. 13: 11. Pſ. 78. verſ. 49, 50. Imo de ira ejus dicuntur quæ de humana nequeunt dici, quia demonſtratio juſtitiæ ejus excedet omnem humanæ iræ potentiam; Pſ. 90: 11. *flumen ſulphureum exundans* Eſa. 30: 33. *ignis & incendium æternum,* cap. 33. verſ. 14. 2 Theſ. 1: 8, 9. *Terribile eſt incidere in manus Dei viventis, qui ignis eſt conſumens.* Heb. 10: 31. & 12: 29. Eoque cavendum ne contra nos agat Deus, quæ ejuſmodi iram concepiſſe teſtentur. Sic fuiſſe dicitur contra Iſraelem, qui & appellatur עם עברתו *populus excandeſcentiæ* ejus. Operæ pretium eſt inſpicere, quid egerint, & unde tales fuiſſe demonſtratum ſit. Pſ. 78: 59—62. habemus id in cauſa & effectis. Meritum, verſ. 56. ſ. Tentatio & exacerbatio Dei, neglectus mandatorum, progreſſus in contrarium, perfidia contra promiſſa, exemplorum malorum imitatio, quia proximorum, provocatio ad iram ſuis placitis, quæ extolluntur. Hæc modo recenſuiſſe convictionem noſtri habent, ut Deum etiam talem erga nos debeamus concipere. Quod ſi nobis blandiamur, Effectus convincunt, v. 59. ſ. Sic Jer. 7: 29. & Eſa. 10: 6. populus hypocrita eſt etiam excandeſcentiæ, & tum mandatum datur hoſti ad ſpolium & conculcationem. Agnoſcamus, & emendemus culpam, ut evadamus extrema, qui tam multa hujus effecta ſenſimus.

bb. Quis; יהוה, ſæpius diximus hoc nomen connotare gratiam, cui eſſentiam dat, præſtando promiſſa, quo-

me-

modo Deus ipſe interpretatur. Exod. 6: 2. ſ. Huic v. quomodo convenit ira, & tam vehemens. Sic concipere Deum nonnulli ſolent, ſeu mere miſericordem, adeo ut etiam juſtitiam ejus inficientur, tanquam miſericordiæ & gratiæ contrariam: Quin imo ex hoc capite negant ſatisfactionem Chriſti, quod gratia non ſit, ſiquidem juſtitia exerceatur, & ſic diabolus quoque gratioſus dici queat, qui poſtquam iræ malitiæque ſuæ ſatisfecit ceſſat agere: proinde ſimplicem peccatorum condonationem Deo adſcribunt. Sed vehementer errant, Deumque blaſphemant, & in Chriſtum injurii ſunt. Nam hunc quod attinet, nulla erga Chriſtum exercita fuit gratia, neque iſtud Scriptura unquam aſſeruit; Hoc finxere illi, qui dignitatem Chriſti, filii Dei, huc ſpectare dixerunt, ut quia ipſe filius erat, Deus minus ab eo exegerit, & ipſe minus præſtiterit, quam peccatores debuiſſent ſolviſſe ipſi: hoc autem ſuo figmento Patrem judicem fecerunt proſopolepten, & Chriſtum Sponſorem non merentem R. P. ſaltem plene, ſed ea ex gratia donatum. Unde cauſa data aliis ut totum iſtud gratiæ tribuerent, ne utrunque iſtud cogerentur dicere cum crimine. Scriptura v. teſtatur temperamentum gratiæ & juſtitiæ hic obtinuiſſe, ſed non in iisdem perſonis, verum diverſis; gratiam in debitoribus, juſtitiam in ſponſore. Rom. 3: 24. ſ. in Chriſto demonſtrata eſt Dei non gratia ſed juſtitia, & propria ut in credentibus oſtenderetur non juſtitia ſed gratia. Neque hoc dedecet Deum, ut juſtitiam æque ac gratiam exerceat. Ipſum nomen Jehovæ hic non adverſatur, Exod. 33: 18. ſ. Moſes petit à Deo, *Oſtende mihi gloriam tuam*, & Deus promittit, *omnem bonitatem meam faciem tranſire ante faciem tuam, & nomen Jehova proclamabo coram facie tua, & ero gratioſus cui gratioſus ero, & miſerebor cujus miſertus fuero.* Itaque nec cum bonitate Dei, nec cum nomine Jehova pugnat, ut quibusdam nec gratiam nec miſericordiam exhibeat. Sed quomodo præſtitit Deus iſtud? Cap. 34: 6, 7. tranſeunte Jehova proclamavit Jehova, *Jehova El, miſericors*, &c. multa hic ſunt nomina, gratiæ indicium facientia, attamen etiam juſtitiæ fit mentio: & ne quis putet ad vocem Jehovæ hanc non pertinere, nulla hic nominis Elohim, quod juſtitiam denotare ſolet, commemoratio. Proinde juſtitia Dei quoque ad bonitatem ejus pertinet, & hanc oſtendit quando illam exercet; quemadmodum bonus eſt Magiſtratus, qui juſte plectit ſontem, quamquam non erga ſontem, ſed erga cæteros; qui erga illos omnes malus foret, ſiquidem erga ſontem unum bonus fuiſſet, hujus indemnitate injuſta. Imo bonitatem ſuam Deus Moſi oſtendit, quando ſuam quoque juſtitiam vindicantem partem nominis ſui eſſe dixit. Quia enim bonitas Dei non ſinit ſontem eſſe ſine vindicta, utique fruſtra quis ſibi polliceretur gratiam, qui fons foret; contra v. qui ſontem punitum videt ad ſatisfactionem juſtitiæ divinæ videt nil præter gratiam eſſe reſiduum & benignitatem: Quæ fidelium ratio; Quia Chriſtum ſontem ob impoſita & recepta aliorum peccata non habuit inſontem, ſed eum cæſum, percuſſum à Deo, afflictum, contritum dedit, & ex judicio & auguſtia exemit tandem; utique quorum ille vicem ſuſtinuit inſontes, & propter ipſum gratia & miſericordia perenni proſequendos ſciunt. Veriſſime Nah. 1: 7, 8. Eſa. 27: 4. Deus eſt veritas Deut. 32: 4. & verbum ſuum magnificat ſuper omne nomen ſuum Pſ. 138: 2. & judicium ejus eſt ſecundum veritatem Rom. 2: 2. atque iſtud iram infert, & excandeſcentiam, anguſtiam & afflictionem illis qui mali ſunt. Cavendum proinde omnibus ne ita bonum quisquam concipiat Deum, ut quicquid etiam agat, nihil mali ſenſurus unquam ſit. Deus etiam juſtus eſt, & iratus Nah. 1: 2, 3-6. & hoc ipſis quoque patientibus bonum eſt, ſiquidem emendentur ea ratione Pſ. 119: 71.

cc, Contra quem: בי *contra me.* Moſes vir ille Dei, tam dilectus Deo in vita, ut amici inſtar habuerit; & tam dilectus in morte, ut ipſemet eum ſepeliverit; contra hunc tamen iratum, & excandeſcentem habemus Deum. Semel legimus iratum Exod. 4: 13, 14. cum declinaret legationem, dicens, Domine, mitte per manum ejus quem miſſurus es ויחר אף ה׳ ויתאנף *& accenſa eſt ira D. etiam iratus fuit D. mihi propter vos*, Rurſum Deut. 1: 37. *quia nempe fuit rebellis ori Dei*, ut ſæpius dicitur ei, verſ. 24. cap. 27: 14. *non ſanctificando Deum ad aquas Meribæ.* Idem repetitur, cap. 4: 21. התאנף Aſt hic gravius: Cum declinaret obſequium ויחר אף cum transgrederetur mandatum Dei ויתאנף, cum contra decretum Dei precatur ויתעבר.

Ergo *Deus etiam graviſſimam iram concipit contra pios, fideles, electos ſuos.* Abunde teſtimoniorum eſt in Scriptura & exemplorum, ubi conqueruntur de ira Dei contra ſe demonſtrata. Lamentationum liber abundat probationibus. Sed an hoc congruere poteſt juſtitiæ Dei, & veritati Scripturæ 1 Theſ. 1: 10. *Chriſtus liberavit nos ab ira ventura, & juſtificati ipſius ſanguine per ipſum ſervabimur ab ira.* Rom. 5: 9. Si Chriſtus inde liberavit & ab ea ſervat, quomodo poteſt ea exardeſcere aut exerceri contra fideles? Eſt ergo hic diſtinctione opus.

Ab ira ventura cujus maximus metus Mat. 3: 7. Pios liberavit Chriſtus, & ab ea juſtificatos ſervat. Quænam illa eſt? Rom. 2: 5. ſ. deſcribitur. I. *A tempore* quod ſit futura, *in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei*; ante quod tempus exercetur μακροθυμία dilatio iræ. II. *A fine*, quod ſit *compenſans*, verſ. 6: 8. quod Belgæ addiderunt: ſignificatque ſatisfactionem juſtitiæ divinæ, ut quantum pœnarum æſtimat reſpondere vilipendio ſuæ majeſtatis id omne inferatur, ut cum perduellio quadripartitione, ignitorum forcipum laceratione, &c. punitur. III. *A natura.* (1.) *Ratione agentis*, dicitur θυμὸς καὶ ὀργὴ, ſcl. Dei, & hoc modo plus dicitur quam nos mente concipere, aut verbis explicare queamus, nam æque impoſſibile eſt hanc deſcribere, quam felicitatem viſionis Dei & fruitionis ejus 1 Cor. cap. 2: 9. Pſ. 90: 11. De bono illo legitur Pſ. 31: 20. & de ira Deut. 32: 34. Hoc tamen de ea ira dicere poſſumus, eſſe non tantum carentiam ſenſus favoris Dei, qua cum ſtare poteſt Dei favor Eſa. 49: 14. ſ. cap. 54: 7, 8. Jer. 31: 3. ſed veram carentiam, ut nullum conſequatur quis effectum benignitatis ejus, qui vel immediate, vel mediate per creaturam ullam, poſſit extendi, atque inſuper quicquid doloris & tormentorum animæ & corpori unitis ab infinita ira & potentia Dei vel immediate vel mediate per creaturas poterit inferri. Nulla, inquam, benignitas; nam conſervatio in vita corporali, quæ damnatis obtinget, non eſt beneficium; Ita Philoſophi judicant, melius dicentes ipſum eſſe quam non eſſe; ſed aliud Chriſtus Mat. 26: 24. *melius fuiſſet illi homini*, filio perditionis, *non fuiſſe natum.* Vita corporalis ad quam reſuſcitabuntur impii; non minus quam pii, præſtat ſubjectum tam pœnæ quam præmio, quæ hominibus dabuntur 2 Cor. 5: 10. Nulla creatura poteſt juvare, ſi enim Deus contra nos, quis pro nobis? Rom. 8: 31. ex contrario. Omnia v. contraria, unde mentio ignis ardentis, vermis rodentis, tenebrarum exteriorum, & inprimis 2 Theſ. 1: 9. Rom. 9: 22. Sed inſuper aliter natura ejus exprimitur Rom. 2: 9. (2.) *Ratione patientis* θλῖψις καὶ συνοχωρία. quæ ſimilitudine merſionis in abyſſum depingitur Pſ. 69: 2. ſ. ſed ad augmentum flumen ſulphureum ab halitu Dei ſuccenſum dicitur, pertingens ad collum, Eſa. 30: 27, 28--34. & ſtagnum ignis & ſulphuris Apoc. 19: 20. cap. 20: 10--14, 15. cap. 21: 8. itemque magnum torcular iræ Dei, ubi calcantur Apoc. 14: 19. ſ. cap. 19: 15. quemadmodum cum uvæ multæ in torcular conjectæ & calcatæ anguſtiam & preſſuram habent. Jam ab iſta ira liberati ſunt fideles per Chriſtum, qui eam loco ipſorum ſuſtinuit, quando perſolvit pro ipſorum debitis, ſeque ſtatuit Aſcham, Eſa. 53: 4--8--10. fuit percuſſus à Deo & afflictus, fuit in anguſtia, עצר debitum cum exigeretur afflictus, Deus ejus contritionem voluit, eaque eſt delectatus, ægrum eum fecit: quæ omnia fuere inflicta ab ira Dei. Pſ. 88: 7. ſ. ממכה Quo faciunt tenebræ illæ quas in cruce paſſus eſt, & ejus teſtimonium exclamantis, *Deus mi*, &c. Hæc fuit *ira* quam tulit *in compenſationem* læſæ à nobis majeſtatis divinæ, ad ſatisfactionem juſtitiæ ejus: quamobrem nequit illa ullo modo locum habere in fidelibus. Qui dicunt uti Chriſtus deſertus tum fuit, ita quoque fideles nonnunquam deſeri, vel non intelligunt quid ea ſit, vel fideles ad eandem iram ferendam vocant, quomodo aut non ſufficiens eſt Chriſti paſſio, aut injuſtus Deus qui eam quoque ab iſtis exigat, aut ſi quid ipſi ſatisfa-

ciant, jam Chriſtus non niſi exemplum præbuerit ſatisfactionis. Poteſt quidem metus futuræ iræ nonnunquam eis aboriri, quemadmodum Chriſtus habuit Luc. 12: 50. Joh. cap. 12: 27. Matt. 26: 36. ſ. antequam veniſſet hora ipſius. Heb. 5: 7. maxime quando ſubinde ſenſus favoris Dei interdicitur Pſ. 77: 8. ſ. Sed hæc ira ipſa ut ſuperveniat, impoſſibile eſt, quæ ne quidem ante diem ultimum exercebitur.

Sed eſt alia *ira*, cui etiam pii poſſunt eſſe obnoxii, quæ non compenſans dici poteſt reſpectu Dei, ſed *convincens*, ut reos ſe agnoſcant. Sic appellatur Ezech. 5: 15. תוכחות חמה & probatur Hoſ. 5: 14, 15. *Ego ego laniabo & abibo, revertar in locum meum, donec ſe reos agnoſcant & quæraut faciem meam.* Pſ. 39: 12. תוכחות Rom. 11: 18. Cujuſmodi convictiones deprecantur fideles ne fiant in ira Pſ. 6: 2. & 38: 2. ne paterni affectus ſenſus ipſis pereat, ut Jer. 10: 24. *Caſtiga me Domine, ſed moderate, non in ira, ne conſumas me.* Veruntamen poteſt hæc ira quoque fieri compenſans reſpectu hominum, & quatenus illi ſunt læſi. Ezech. 25: 15. ſ. Convincit Deus, quando ultionem contra homines exercitam ſimili ultione penſat. Jud. 11: 7. Ira Dei contra Moſen hujuſmodi eſt ad convictionem; non quod non eſſet convictus antea, ſed ut magis convinceretur prioris culpæ, atque etiam novæ, quod iſtud peteret contra Dei denunciationem, verum etiam ad compenſationem reſpectu Iſraelis Pſ. 99: 8. quos offenderat ſcandalo: ne piis impune credant licere peccare, aut ob pietatis æſtimium eorum peccata trahantur in exemplum. Verum heic difficultatem habet ultimum iſtud.

d. Cur Deus excanduerit; למענכם propter *vos*. Sic quoque locutus eſt Deut. 1: 37. & cap. 4: 21. על דבריכם *propter verba*. Sed ſi propter Iſraelitas, nonne Moſes culpæ exſors & injuſtus Deus? Enimvero revera Moſis fuit culpa. Deus ſæpius hoc dicit, quod rebelles fuerint ipſe & Aaron, ad aquas Meribæ, neque Deum ſanctificarint coram oculis illorum Num. 20: 24. cap. 27: 14. Hiſtoria exſtat Num. 20: 9. ſ. *Audite rebelles; an ex hac petra vobis aquas producemus.* cum tamen Deus ad ipſorum juſſum dandam promiſiſſet. Fuit peccatum infidelitatis, quod dubitaſſent an aquæ ex petra prodituræ eſſent pro rebelli populo, & propterea non verbo id imperaſſent petræ quod Deus jufferat, ſed eam percuſſiſſent, & quidem repetito ictu. Quare igitur ait, *propter vos?* Non tulit ille pœnam pro populo, ut quod ille peccarat Moſes lueret. Equidem populus reus erat, murmurarant ob aquæ defectum contra Moſen & Aaronem, & contenderant cum Moſe imo cum Deo ipſo Num. 20: 2, 3, 13. atque hac ratione tantopere exacerbarunt Moſis ſpiritum, ut conſiderata populi perpetua rebellione contra Deum, jam dubitaret de Dei promiſſione, & imprudenter iſtud coram populo effutiret. Pſ. 106: 32, 33. Peccatum populi gravius erat in ſe quam Moſis; attamen ratione circumſtantiarum gravius fuit Moſis. Si ſolus peccaſſet, condonaſſet forte Deus: quemadmodum ob ſimilem ſermonem, ſed apud ſolum Deum nihil paſſus eſt Num. 11: 21. ſ. *Populus hic eſt 600000. & dixiſti dabo eis carnes, & toto menſe comedent. An ipſis mactabuntur boves & oves? aut omnes piſces maris congregabuntur, ut eis ſufficiat? Dominus autem dixit ad Moſen: Ergone abbreviata eſſet manus Domini? Videbis nunc an verbum meum futurum ſit, nec ne.* Sed hic dixit coram oculis omnium? Heic ſanctificandus fuerat Dominus, quod quia non egit, Deus ſanctificavit ſe in ipſo per hanc pœnam. *Hæ ſunt aquæ Meribæ, ubi filii Iſraelis cum Domino litigarunt, & ſanctificatus eſt in ipſis*; non tamen Iſraele, nullam enim pœnam ipſis immiſit, qui Num. 21. murmur populi ignitis ſerpentibus caſtigavit, ſed in Moſe & Aarone. Doctorum ductorumque peccatum publicum vindicatum eſt propter populum, quia fuit publicum. Lev. 10: 3. *In appropinquantibus ad me ſanctificabor, & coram facie totius populi glorificabor.* Propter illos Iſraelitas ergo indignatus eſt Deus, quia præbitum illis erat infidelitatis exemplum, & nunc quoque propter illos indignatus fuit precibus ejus, quæ judicium iſtud deprecabantur, ut ſcandalum à regente datum foret impune. Unde regentes populi in Rep. æque ac Eccleſia monendi ſunt, quantopere ſuccenſeat *Deus* ipſorum peccatis publicis: non tantum propter peccata, ſed etiam & potiſſimum propter circumſtantiam ſcandali & pravi exempli Deus eos vult punire propter populum. 2 Sam. 12: 13. ſ. Condonatur peccatum quoad Dei offenſam, ſed propter populum & hoſtes Dei ferre debet complura judicia. Quicunque in publico verſantur, tanto debent eſſe cautiores: qui coram oculis multitudinis verſantur, ibi Deum ſanctificent fide & obſequio, aut ſanctificabit ſe Deus in ipſis coram oculis multitudinis judicio. Quemadmodum contra, ſi coram multitudine glorificent Deum, glorificabuntur: nam *honorantes me* &c. 1 Sam. 2: 30. Exemplum in Jeroboamo, Achabo, qui peccarunt publico exemplo idololatriæ publice exciſi cum familia univerſa: & contra Jehu, qui contra Baalem publice zelatus eſt, publice remunerationem accepit, regnum in quartam generationem. Similia exhibuit Gideonis Ephod Jud. 8: 27.

bb. Dicendum etiam aliquid de altero, *Deus non audiens*, ſiquidem addit, *& non audivit ad me*, ut preces exaudiret. Iratus Deus preces non audit. Pſ. 80: 5. & eſt demonſtratio iræ, recuſatio precum, Lam. 3: 43, 44. Supplicationes repudiantur ab irato Deo. 1 Sam. 8: 18. Si clamarent in precibns ad Deum propter regem, quem repudiato rege Deo petierant, Deus ſe auditurum negat. Maxime quando in precibus eſt peccatum, nequit eſſe audientia apud Deum, quemadmodum heic. Juraverat Deus non ingreſſurum Moſen Deut. 4: 21. non poterat non iraſci Deus, ut ſic loquar, iis precibus, quæ poſcebant ut juratam comminationem ſeu ſententiam mutaret, eoque in ipſius gratiam & mendax fieret, & perjurus, & multo minus potuit exaudire. Quocirca nobis danda opera ne quid petamus, quod Deus dixit ſe facturum non eſſe. 1 Joh. 5: 16. Eſt peccatum ad mortem, non dico ut pro illo oretur. Ubi Deus decrevit mortem, & hoc conſtat, non eſt petendum. Preces ſunt pretioſiores, quam ut eas debeamus perditum ire, petendo ea, quæ Deus non vult dare. 1 Joh. 5: 14. ſequamur regulam voluntatis divinæ, & proſperabimur. Rom. 8: 26, 27. preces ſpiritus ſemper ſunt proſperæ, quia ſecundum Deum ſemper ſunt. Quod ſi quid petimus, ubi de Dei voluntate in alterutram partem non conſtat, ut rite tamen agamus, efficiendum nobis, ut ſint ſecundum voluntatem Dei. Fiet iſtud ſi addiderimus, Domine ſi vis, ut leproſus Matt. 8: 2. & tua voluntas fiat, ut Chriſtus. Nunquam tunc carebunt preces ſucceſſu. Fiet enim voluntas Dei, & fiet etiam ad noſtras preces, & habebimus quo nomine & gaudeamus, & gratias Deo agamus. Voluntas Dei optima eſt, & piis quoque optima, facietque ut id ſentiant, largiturus ita petentibus quod ſalutare eſt, ſi non ſpeciale iſtud quod deſiderant, attamen generale, ut tollat iniquitatem, detque bonum, atque ipſi reddant vitulos labiorum, hoc eſt, Deum audientem preces prædicent.

Magnum eſt beneficium, quod piis datum dicit Paulus Rom. 8, 26. ſ. *Spiritus ſuccurrit noſtris infirmitatibus. nam non novimus quid petendum, uti oportet; ſed Spiritus intercedit pro nobis ſuſpiriis inenarrabilibus*, ſeu non enarratis; & qui perveſtigat corda, novit, quæ ſit mens Spiritus, quia ſecundum Deum pro Sanctis rogat. Pii qui precibus ſibi omnia à Deo poſcenda & impetranda norunt, laborant infirmitatibus, etiam quoad preces, ut neſciant ſubinde vel quid, vel quomodo precandum, atque hinc in precum ſive materia, ſive circumſtantiis error aliquis eſt, per quem omni fructu poſſent excidere. Verum habent Spiritum ſanctum, qui Spiritus precum, atque is ſuccurrit infirmitatibus; non ut omnes tollat, ſintque preces omni ex parte genuinæ: Verum uti non abolet dum vivunt totum veterem hominem, ſed paulatim deſtruit, & novum hominem contra inſtruit & roborat; ita quoque ſuccurrit, & ſuſpiria quædam dictat, infirmis etiam precibus ſociata, quæ licet corde ſolum cogitentur, ore autem non enuncientur, tamen à Deo καρδιογνώστη obſervantur à Spiritu ſuo eſſe excitata, ſuæque voluntati eſſe conſentanea: quæ proinde ſaltem eatenus exauditionem conſequuntur. In Moſe ejus rei habemus exemplum. Fuit ille vir Dei, fidelis miniſter in tota ejus domo, ſed non carens infirmitatibus, quales ipſemet notavit in ſua hiſtoria. Is precatus eſt ad Deum, ſed ut infirmitates mani-

niſeſtæ forent; quamvis materia eſſet bona, dum à mera gratia Dei petit ulteriorem ſibi fieri patefactionem magnitudinis & potentiæ, ut in Jordanis altero latere videret poſſeſſam terram; vitium fuit in circumſtantia, quando ſibi id petiit contra ſententiam Dei expreſſam, atque etiam jurejurando confirmatam. Hacpropter periit ei precatio, non obtinet illam gratiam, ſed vehementem iram. Enimvero Spiritus ſanctus non defuit in precibus, qui per infirmitatem corrumpenti preces ſuas ſuccurrit ſuſpiriis, quæ ſociata fuerunt, & formata ſecundum Deum, atque hæ obtinuerunt aliquid adhuc à Deo, qui reſpondit non tantum ad verba oris, & petitionem ipſius, ſed etiam ad ſuſpiria Spiritus ſui, illis negando, iſtis concedendo quod petebatur. Reſtat adhuc hoc capite reſponſum Dei, verſ. 26, 27, 28. & obedientia Moſis, 29.

2. *Dei reſponſum* directum eſt ad Moſis preces, quamvis ipſi iraſceretur ita precanti, & illis non aſſentiretur, *& Jehova dixit ad me.* Jehova, Deus gratioſus aliquid adhuc dixit. Pſ. 78: 38. Sic cum Iſraele univerſo, & quidni etiam cum Moſe. Pſ. 30: 6. momentum eſt in ejus ira, ſed vita in ipſius benignitate. Itaque in ipſa ira meminit miſerationum Hab. 3: 2. Imo ira fuit in facie magis, ut ſic loquar, quam in verbis, deſcripſit iratum vehementer Deum antequam loqueretur, ſed quando loquitur magnam partem deferbuit, & gratia ubique ſe prodit. Sic Deus agit cum fidelibus quibus pater eſt. Iraſcitur ut pater; indignatio ſedet in vultu, ſed amor habitat in corde Jer. 31: 20. Amorem Dei in nobis id excitare debet, & reverentiam. Patres carnis caſtigatores reveremur & amamus, quia novimus patres Heb. 12: 9. quanto magis Patri ſpirituum debemus eſſe ſubjecti, quando caſtigat, cujus affectus longe teneriores ſunt. Pſ. 103: 13. Eſa. cap. 49: 15, 16. qui omnium σοφῶν autor eſt, omnes teneritudine vincit. Equidem videtur piis quandoque mora nimis longa, quia tempora menſurant ad ſuum ſenſum; ſed Jehova in tempore ſuo feſtinat gratiam ſuam Eſa. 60: ult. & momento ſuæ iræ æternam benignitatem ſubſtituit Eſa. 54: 7, 8. & nocti noſtri fletus, matutinum jubili Pſ. 30: 8. ut ſaltem in illo mane redemtionis pii habeant quod gaudeant. Porro quod Jehova ad Moſen dixit legem ponit ipſius Verbis & Factis.

aa. *Verbis*, verſ. 26. atque hîc ſpectat præterita & futura.

aa. Præterita quidem, רב לך *multum tibi eſt*, adeoque ſufficit tibi. Siſtit proinde deſideria Moſis. Negationem habet petitionis, ſed quæ prodat gratiam. Alibi ait חרחב פיך *dilata multum os tuum, & implebo illud* Pſal. 81: 11. non adeo ampla poſſunt eſſe deſideria tua, quando apud me ſit abundans voluntas ad eis ſatisfaciendum. Joh. 16: 23. ſ. *Amen, amen, dico vobis, quicquid rogaveritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; hactenus non petiiſtis* &c. Aſt hîc terminum poſuit deſiderio. Non tamen abſolute, verum poſtquam ei ſatisfactum eſt; non quidem ex hominis ſed ex Dei judicio. Non ait, nolo dare, ſed, *ſufficit tibi*, quod datum ſcilicet à me eſt. Hiſtoria videatur: Num. 20: 1. ſ. menſe primo anni quadrageſimi peccarat Moſes non ſanctificando Deum ad aquas Meribæ, rebellis factus per infidelitatem, & Deus ſententiam tulit de ipſo, moriturum extra Cananæam, non tranſito Jordane, ut ſe ſanctificaret, in ipſo coram facie populi; veruntamen condonarat illi peccatum contra ſe admiſſum & preces hacpropter fuſas exaudiverat, Pſ. 99: 8. *Domine Deus noſter, audiviſti eos*, & &c. Adeoque

Deſideria noſtra merito terminantur à Deo, quando dedit ea quæ meliora ſunt, & ſufficiunt. Condonatum tibi eſt iſtud peccatum, neque habes iratum propterea Deum; ſufficit tibi iſtud, quod multum eſt: non eſt quod extendas tua deſideria ad minora, non neceſſaria, quando hæc conceſſa ſunt. Sic actum cum Paulo, 2 Cor. 12: 7. ſ. Angelus Satan colaphizans, ne ſe efferret ob revelationes, datus ei erat; rogavit eapropter Dominum ter, ut à ſe diſcederet. Sed dixit ipſi, *Sufficiens tibi gratia mea: nam robur meum in infirmitate conſummatur.* Dederat Chriſtus Paulo multum, quemadmodum abundantiam gratiæ Dei in ſe ſæpius prædicat 1 Tim. 1: 16. atque hic inſuper revelationum, & dederat multum quoad id ipſum malum, quod deprecabatur, gratiam ſuam ſufficientem, ad reſiſtendum Diabolo. Eoque hic terminat ejus deſiderium. Atque Paulus acquievit quoque, non modo non repetens ſuas preces, ſed etiam acquieſcens & glorians in ſuis infirmitatibus, in quibus gratiæ ſufficientia magis erat illuſtranda. Deprecabatur antea pugnam, quod diffideret ſuis viribus; nunc amat in ea jugiter occupari, quia ſuas vires roboraturum erat invictum robur gratiæ Chriſti.

Diſcamus hinc preces noſtras moderari, quando eæ ſunt de rebus non neceſſariis ad ſalutem; qualis erat petitio Moſis & Pauli. Neceſſaria ſemper petenda, cujusmodi ſunt quæ Chriſtus precari docuit pro vobis quoque ipſis, non tantum remiſſionem peccatorum, ſed etiam panem quotidianum, etiam ne inducamur in tentationem ſed ut liberemur; ne deſeramur in eâ; nam ſine hiſce nequimus vivere, aut ſalvari. Verum quæ non neceſſaria, ut habeamus abundantiam rerum externarum, ut nunquam peccemus, ut nulla tentatione, nulla caſtigatione affligamur, in his modus ſervandus, & nobis imperandus à nobismet ipſis. Multum nobis eſt: Quid non dedit nobis Deus, & quoad corpus, vitam, ſanitatem, alimentum tegumentum; & quoad animam, Chriſtum, & in eo ſapientiam, juſtitiam, ſanctificationem, redemtionem, Multum id eſt. Eſau nolebat munus Jacobi, dicendo, *multum mihi eſt, adeoque ſufficit* Gen 33: 9. Sed multi Eſavo ſunt diſſimiles, quibus nunquam iſtud dicitur. Sed ſunt uti ſanguiſuga, cujus duæ filiæ, Da, Da, Prov. 30: 15. & nunquam dicunt, Sufficit. Jacob longius tamen proceſſit quam Eſau, dicens, *Dominus mihi gratioſe dedit, habeo omnia.* Nam qui Deum habet, omnia habet, & is eſt qui ſe primum dat ſuis Gen. 15. verſ. 1. cap. 17: 1. 7. Modo Deum & Chriſtum habeamus, ſufficit, ſunt omnia, ad ſalutem neceſſaria: & modo alimenta & tegumenta, ſufficit, ſunt multum, neceſſaria ad vitam præſentem. Salomo Prov. 30: 8. *paupertatem & divitias ne dederis mihi, ale me pane ſtatuti mei.* Laudabilis precatio Davidis 2 Sam. 15: 25. ſ. cum iret in exilium propter Abſalomum, remittens arcam fœderis in urbem ait, *Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, meque faciet videre illam & habitationem ſuam: Sin dicat, non habeo voluptatem in te, Ecce me, faciat mihi, quod bonum eſt in oculis ſuis.* Certus erat de remiſſione peccati ſui 2 Sam. cap. 12: 13. ſed quam ſociandam dixerat Nathan externis judiciis propter hoſtes Dei, quibus blaſphemandi anſam dederat: Ergo ſufficit illi quod accepit, plane neceſſarium, non moriturum propter peccatum ſuum: cætera quæ externa, non erant neceſſaria; ſi quæ dare, aut erepta reddere velit Deus, gratiæ donum fore agnoſcit; ſin nolit, utique ſic quoque acquieſcit. Ita affecti ſimus in precibus, ut primum meditemur, multum nobis eſſe, & qui tantum dedit, dedit immerentibus, male merentibus; quamvis non accedat ad abundantiam quæ conceſſa aliis, multum tamen eſt reſpectu noſtræ indignitatis, ſufficiat, quamdiu Deus ſufficere vult; ſive id in pace ſit, ſive in bello, dummodo gratia Dei in Chriſto adſit; hâc quoque difficillimum ſuſtinebimus, & ſuperabimus; & parum iſtud quod habet juſtus præſtabit abundantiâ multorum impiorum Pſal. 37: 16.

bb. Futura vero, *Ne addas loqui ad me, de hac re.* Interdicit precibus ulterioribus de hoc argumento. Heic negationem confirmat, dum preces repeti vetat. Eſt hinc aliquid obſervandum, quanti faciat Deus preces.

Interdicit Deus precibus, quibus de rebus decrevit nihil dare, Eſt Audiens preces Pſ. 65: 3. hic ejus quoque titulus; & *quærit qui invocent* Joh. 4: 23. & eſt *propinquus precantibus*, ſcil. ut det poſtulata Deut. 4: 7. Pſ. 145: verſ. 18, 19. unde hortatur ad preces tanquam medium impetrandi Pſ. 50: 15. Nihilque tam arduum eſt, quod preces non impetrent. Jac. 5: 16. ſ. *Precatio valida juſti multum valet*; exemplo Eliæ, qui ſic clauſit & aperuit cœlum. Jacob colluctatus principem egit cum Deo, & benedictionem quodammodo extorſit Gen. 32: 28. Hoſ. cap. 12: 4, 5. Moſes victoriam impetravit contra Amalech Exod. 17. Joſua ſtitit ſolem & lunam Joſ. 10. Hizkia & ſolem & vitam ſuam fecit regredi Eſa. 38. Negare precibus ſuorum aliquid non amat; & hinc mavult eos abſtinere precibus circa id, quod dare ob ſuam veritatem nequit.

quit. Dixerat, & juraverat Moſen non ingreſſurum Cananæam trans Jordanem Deut. 4: 21. non vult ergo iſtud ipſum petere, quod non poterat concedere ipſe immutabilis, & ἀψευδὴς, ubi duo immutabilia concurrebant, decretum & jusjurandum Heb. 6: 17. ſ. Sic decreverat Deus propter peccata Manaſſis Judam quoque ejicere ex terra ſua 2 Reg. 21: 12. ſ. Equidem Joſiæ ob piaspreces indulſerat dilationem, dum viveret, ſed manente illo decreto cap. 23: 26. ſ. itaque poſt mortem Joſiæ interdixit Jeremiæ, ne pro populo precaretur Jer. 7: 16. Ipſa importunitas & zelus, quibus preces commendantur, omitti debet; dictum iſtud regnante Jojakimo cap. 26: 1. Sic cap. 11: 14. & cap. 14: 11. nihilominus inſtante, ne preces ſuas faſtidiri putaret, ait cap. 15: verſ. 1. *Dominus dixit ad me, quamvis ſtaret Moſis & Samuel coram facie mea*, (quibus precantibus tantum tribuit Deus Pſ. 99: 6. Exod. 32: 14. 1 Sam. 7: 9. cap. 12: 17. ſ.) *non eſſet anima mea erga hunc populum; abige eos à facie mea, & abeant; viſitabo enim ſuper illos judiciis propter ea quæ egit Manaſſe.* Huc facit 1 Joh. 5: 16. interdicit precatione pro peccato ad mortem. Dicet forſan aliquis: Felices ergo nos, quibus Deus non interdixit precibus; nil tale apud nos eſt, quod nequeat iis impetrari. Reſp. Verum eſt, non datur tale interdictum externum. Sed alio modo quoque prohibet Deus preces; quando Spiritum & gratiam precandi ſubducit, ne poſcantur, quæ dare non vult. Eſa. 64: 6, 7. de Iſraelis præſenti conditione ait, *nullus eſt qui invocat nomen tuum, nam abſcondis faciem tuam propter iniquitates.* Noſtræ preces apprehendunt robur Dei, etiam quando ut ignis depaſcitur ſpinas, ut pacem faciat, & proſperet Eſa 27: 4, 5, 6. ſed quando Deus faciem abſcondit, ut nolit benefacere, ne quidem precari ſinit, ipſum iſtud ſtudium inhibet.

Sed annon precantur? Lam. 3: 44. queruntur excludi ſuas preces, quaſi nube; & Judæorum preces, quas fundunt hodieque ſunt plurimæ. Reſp. Preces iſtæ non ſunt preces veræ. Hoſ. 7: 14. *Non clamant ad me ex corde ſuo, ſed ululant in cubilibus ſuis; congregant ſe propter frumentum & muſtum, rebellant mihi.* Ululatus inſtar canum (licet ipſorum ſit precatio, uti corvorum Pſ. 147: 9.) nequit venire nomine precum divinarum. Sunt tantum preces naturæ, quæ ex defectu rerum corporearum inſtituuntur; nam ſunt propter alimenta frumentum, & propter voluptates carnales, muſtum, ut iis fruantur, non ut Deo obedientiæ quid præſtent, cui precantes rebellant. Hujuſmodi ſunt Judæorum exulum preces tantum ut carnalibus abundent, quæ in Cananæa fuerunt abundantiſſima, quæ argumento ſunt Spiritum precum eis adhuc deeſſe, adeoque eos nondum precari. Olim quando inſtabat liberatio ex Babel, promiſerat Deus ad ſe precaturos Jer. 29: 12. ſ. Sic egit Daniel cap. 9: 1. ſ. & promiſit quoque ſic fore circa reſtitutionem Iſraelis ultimam Ezech. 36: 37. Eſa. 62: 4. ſ. quando Deus *deſertam Eccleſiam* Iſraelis vocabit, *Voluptas mea in ea, & terram deſolatam Nuptam*, tunc vigiles conſtituet in muris Hieroſolymæ non quieturos à precibus. & ſigna beneficii Zach. 12: 10. quando effundet in eos Spiritum gratiæ &c. intuebuntur quem transfixerunt, & lugebunt de eo. Enimvero ſi in nos inſpiciamus, annon ſæpius Deus prohibet preces, quia audire non decrevit? Non quod nullæ ſint preces, quæ utique videntur crebriores quam unquam alias; ſed quia malæ ſunt, partim ſociatæ peccatis, quæ augentur, nullum autem deſeritur, partim pro cupiditatibus, ut in iis abſumamus. Precantem populum non negligit Deus, ſed non precantem, qualis etiam male precans Jac. 4: 2, 3. negligit, & precari nequit, niſi quem Spiritu precum donarit. Eoque laborandum eſt de Spiritu Luc. 11: 13. heic inſtemus; ipſa hæc ſuſpiria à Spiritu excitantur, & ſic poterimus precari cum ſucceſſu. Zeph. 3: 9. ſ. labium purum venit à puro illo Spiritu, qui non tantum facit bene loqui in profeſſione, ſed etiam benefacere humerum afferendo concordem ad Dei ſervitium; & tunc ſequitur zelus precantium & ſucceſſus precum.

bb. *Factis* legem ponit, geminum imperans, quorum pertinet prius ad conceſſionem poſtulati. poſterius ad negationem.

aa. *Ad conceſſionem* facit, verſ. 27. *Adſcende verticem* &c. Petierat tranſitum Jordanis ut videret terram illam. Tranſitum concedere non poterat ut dictum; eoque & nunc negat. Verum quantum poteſt concedere, ſalva veritate ſua, id facit, & hic ipſum ejus deſiderium excedit. Intuitum terræ largitur, jubet conſcendere verticem Piſga. Num. 27: 12. dicitur mons Abarim, & Deut. 32: 48. mons Abarim, mons Nebo. Tractus Montanus vocabatur Abarim, mons ſingularis, excelſior cæteris, Nebo, & vertex ſummus Piſga Deut. 34: 1. Et hic eum jubet conſiſtere, atque intueri ſuis oculis. Haud dubium eſt, miraculoſe oculos Moſis fuiſſe roboratos, ut videre omnia poſſet; nam licet oculus ejus ſenio non caligavit Deut. 34: 7. tamen fuit naturalis ille vigor, qui ſe non extendit ad tantam diſtantiam, ut omnia ſigillatim inſpicere quiverit ad extremos uſque terræ dandæ terminos. Matt. 4: 8. diabolus Jeſum conſtituit in monte altiſſimo, eique oſtendit omnia regna terræ eorumque gloriam: non viſum Jeſu roborando, ſed objiciendo ſpeciem illarum rerum. Verum Deus non adduxit objecta ad oculos Moſis, ſed hujus oculos firmavit, ut eouſque poſſent acie ſua pertingere. Interim quouſque natura potuit juvare, id adhibuit: conſtituit eum non in valle, nedum in ſpelunca, ſed in vertice montis altiſſimi. Docens non velle ſe facere miracula ſemper contra omnem naturæ curſum, ſed ſæpe ea uti quouſque poteſt pertingere. Moſen aluit ſine omni cibo & potu aliquamdiu. Sed Eliæ præbuit cibum per corvos, per viduam Sareptanam, multiplicando hujus farinam & oleum, per angelum ante iter 40 dierum. Chriſtus paucos panes & piſces adhibuit cibandis aliquot millibus. Joſuæ fecit ſtare Solem & Lunam, & prolongavit diem, non autem noctem mutavit in diem. Quod moneat ne miracula petamus vel exſpectemus, ſed utamur mediis à Deo conceſſis quouſque licet. Scandendus Moſi mons in verticem ſummum. & tunc intuendum, atque ſic demum exſpectandum beneficium, naturæ viribus majus, non autem debuit exſpectare, ut Deus ipſum in aerem raperet, excelſumque teneret. Idem ſequendum nobis. Credere eſt miraculoſum donum Eph. 1: 19. fidei oculis videtur Deus ut Moſes eum vidit Heb. 11: 27. virtutes futuri ſeculi. Sed aſcendendus eſt mons primum, unde intueri liceat. Is Chriſtus eſt mons ſine manibus factus Dan. 2: 35. qui facit Deum videre Joh. 1: 18. in quo eſt vita Joh. 5: 11, 12. aſcendendum autem per gradus verbi. Rom. 10: 17. Chriſtum cognoſcere non poſſumus, niſi monſtrante verbo. Hoc audiendum, legendum, meditandum. Chriſtus per verbum ingreditur, & manet in nobis Joh. 15: 7. & hoc cuſtodiens habet Chriſtum, & Patrem quoque proximum. Sic in aliis utendum eſt mediis ordinatis, & benedictionis miraculum tunc exſpectandum, plantandum, rigandumque, & tunc incrementum à Deo; non autem hoc ſine illis: laborandum in vocatione, & à Deo cætera præſtolanda. In judiciis ita agit Deus, Hagg. 1: 6. ſ. edunt, bibunt, veſtiunt ſe, congregant, Deus flat ſuper illa & difflat, ut non juvent: & eſt hoc quoque miraculum, quando ſua maledictione facit, ut terra non det robur ſuum Gen. 4: 12. & bona ejus careant ſua virtute, & multitudo non juvet in bello &c. Qualia ſentimus, ſed non animadvertimus. Attendenda Dei agentis manus, ut eum metuamus, & ab ipſo conſequamur benedictionem exigui, & publice & privatim, quo habeamus quod gaudeamus.

Sed Deus plura hic concedit Moſi quam petiit. Videre optat quæ trans Jordanem hæreditanda Iſraeli: Videre facit quæ uſpiam vel unquam danda. *Eleva oculos ad 4. cardines cœli & vide.* Conſtituit ipſum quaſi in centro, & non tantum verſus mare mediterraneum proſpicere jubet antrorſum, ſed etiam retrorſum, adeoque uſque ad Euphraten; nec non ad latera, ad deſertum Damaſcenum ab aquilone, & ad mare rubrum à meridie: quos terminos terræ hæreditariæ ſepius definivit. Similem intuitum dedit Abrahamo, Gen. 13: 14. ſ. Unde liquet, reſtare adhuc complementum promiſſionis conſummatum, cum nondum iſta omnia poſſederint Iſraelitæ, quos juramentum Dei non magis poteſt deſtituere, quam prohibuit Moſen tranſitu Jordanis: de quo alias dictum.

Præterea, quanti Deus faciat preces ſuorum, quas etiam liberalitate ſua excedit; & quando non dat quæ ſpeciatim petunt

petunt, dat alia in quibus ſe poſſint videre non neglectos. Non calcandam, ſed videndam dat Cananæam, quousque Joſua non vidit, ac præterea quicquid erat terræ promiſſionis. Davidi non dat vitam filii Bathſebæ, ſed dat filium alium ex ea, & quidem Salomonem, JedidJah. Non concedit ei ſtructuram templi, ſed ut paret maximam, & totam ſtructuram & miniſterium ejus ordinet. Samueli non concedit unctio à ſe Saulis confirmationem, ſed ungendum dat Davidem virum ſecundum cor Dei, cujus ſtabile regnum erat futurum. Imo plura quandoque dat petitis. Pſ. 21: 5. *vitam petiit à te dediſti ei, longitudinem dierum in ſeculum & ſempiternum.* Salomoni petenti ſapientiam, & hanc dedit, & inſuper divitias & gloriam incomparabilem. Commendare id nobis debet preces, quæ apud Deum deponuntur. Seminis rationem habent preces, & Deus agri in quo ſeminantur, & quidem optimi, in quem ſemen non cadit ſine fructus ſucceſſu. Bonum ſemen, ſi in bonam terram ceciderit, fert 30. vel 60. vel 100 plum. Malum ſemen ne quidem optandum eſt ut ſit fertile; nec malæ preces ut Deus reſpondeat juxta idola cordis Ezech. 14: 3. ſ. ſed bonum ſemen precum bonarum, apud Deum invenit fertiliſſimam terram. Eſ. 45: 19 non dixi domui Iſraelis, quærite me fruſtra. Invocantes in ſpiritu & veritate audit, & dat poſtulata, ſi non non neceſſaria, ſaltem neceſſaria; ſi non temporalia & corporalia, ſaltem ſpiritualia & æterna: Infanti Davidis non dedit vitam corporis prorogatam, ſed dedit æternam ut David gratias ageret Deo, certus ſe illi conjungendum eſſe.

bb. Ad negationem facit, verſ. 28. *ut Joſuam ſubſtituat & ipſum confirmet*, &c. hoc quoque mandatum dixit Deut. cap. 1: 37, 38. & à ſe factum refert, cap. 3: 21. ſ. Inutilis Moſis opera declaratur trans Jordanem, cum alii deferretur ductus populi. Servierat conſilio Dei quamdiu placuerat, jam ſubſtituit alium, cui non tantum cedere ſed ipſemet conferre munus ſuum debuit: uti Aaron filio Eleazaro Num. 20: 25. Sic Deus agit de functionibus in Rep. & Eccleſia, confert & aufert, ex ſuo placito. Enimvero cuique danda opera eſt, cui quid commiſit Deus, ut dum habet rite peragat, quo utilis ſervi & fidelis titulum mercedemque ferat, & in gaudium domini ſui admittatur

Quod porro eum jubetur confirmare cum id Dei ſit, oſtendit quomodo ab hominibus fiat, nempe monendo, conſolando, obſequium erga Deum & fiduciam in ipſum inculcando. quomodo Deus Joſuam confirmavit Joſ. 1:6. ſ. (quamquam hic confirmando addat robur.) & ſic alii nobis confirmandi ſunt.

3. *Obedientia Moſis*, verſ. 29. indicatur. *Et manſimus in valle hac, è regione Beth Pehor.* Sunt qui putant fuiſſe templum Bahal Pehoris, ſitum non longe à monte Nebo. Sed vel locus duntaxat ita appellatus fuit quod olim templum ibi fuiſſet: vel collocandus erit ultra Arnonem; quia cis flumen omnia tenebant Iſraelitæ, neque paſſus fuiſſet Moſes idoleum exſtare. Nebo fuit ex adverſo Jerichuntis, ſed intercedente Jordane, Deut. 32: 48. & ſic è regione Beth Pehor, itidem magno ſpacio interjecto. Hoc nobis obſervandum, in illa valle, quæ proxime ad Pisgæ verticem, ubi hæc dixit Deus, ibi manſiſſe & Moſen & populum. Eſt hæc Moſis obedientia; neque ipſe ulterius progredi vult verſus Jordanem; neque ducere populum: Sed totum ſe componit ad Dei voluntatem. Iſraelitæ contra Dei mandatum olim volebant eniti in montem. Deut. 1: 41. ſ. Sed male ceſſit. Moſes contra; Deus non vult eum tranſire Jordanem; non ergo eo pergit ut proprior ſaltem ſit: vult Joſuam ſubſtitui, non ergo ductum populi ſuſcipit; ſed quieſcit exſpectans quando juſſerit Deus etiam vitam deponere. Hoc obediendiæ exemplum commendatum nobis ſit oportet: ne egrediamur limites à Deo definitos, & ipſa deſideria noſtra finiamus, ubi ipſe terminum eis fixit: Quemadmodum David non proceſſit ad ædificandum templum, quod filio relictum voluit Deus. Johannes etiam paratus eſt decreſcere, quando Meſſiam creſcere oportet. Ubicunque & quandocunque & quouſque Deo nobis placet uti, illi ſerviendum eſt fideliter, & ubi cedere loco lubet, ſiſtendus gradus eſt. Bene manet, qui quo Deus progredi eum non vult, non procedit, ſed manet, occupatus in opere Domini; is inveniet etiam ſic rite occupatum, & loco externæ & perituræ benedictionis, quæ forſan manendo præciditur, dabit æternam & glorioſam in cœlis.

CAP. IV.

COncionis præparatoriæ partem alteram facit *HORTATIO* ad Obedientiam, quam inſtituit Moſes morti proximus perinde ut Eſa. 38: 1. Jeſaias ad Hizkiam, *Sic ait Dominus. Da mandata domui tuæ, nam morieris & non vives,* Denuncians ei vitæ finem & mortem inſtantem, ſimul docet, quomodo extremum tempus eſſet rite collocandum. Præcipere jubet domui ſuæ, familiæ ſuæ præſcribere, quid agendum poſt mortem, quando non amplius mandandi facultas ſuperfutura erat. Mandata iſta habent non ſolum quæ terrena attinent, familiæ herciſcundæ leges, verum etiam & inprimis quæ ad pietatem, verique Dei notitiam & cultum faciunt. Gen. 18: 19. Abraham id facturus erat, ut poſteri poſt ſuum exceſſum noſſent & cuſtodirent viam Domini, quæ & à Deo eſſet, ab illo patefacta, & ad Deum duceret, ejuſque communionem perennem. Habet autem illa exercitium Charitatis, Spei & Fidei. Charitatis, *ut facerent judicium & juſtitiam* משפט וצדקה, prius jus ſtrictum, poſterius miſericordiam eximiam denotat. Spei, *ut adducantur ſuper Abrahamum à Deo bona* illa ei promiſſa, cum terrenæ hæreditatis, tum cœleſtis, adhæc defenſionis omnimodæ, contra omnem hoſtilitatem, & largitionis omnimodæ ad omnem felicitatem Gen. 15: 1--5. cap. 17: 1. Fidei, *quæ ipſi locutus ſum*, verbo enim credidit, quod & ſperanda & facienda indicarat, atque ob autoritatem dicentis apud ipſum indubiam habebat veritatem. Petrus ſimiliter eam ob cauſam adhortationem repetit, & inſtat, propter vicinam mortem. 2 Pet. 1: 13. Inſtabat ejus emigratio, cujus indicium habebat à J. Chriſto, itaque tanto majore Zelo agit, ut etiam poſt mortem valeret inſtitutio. Hoc modo egit Moſes, fidelis ille ſervus in tota domo Dei, cum ipſi denunciata eſſet mors ab ipſomet Deo, non tranſiturum Jordanem, ſed ante moriturum atque finitis 40. annis vagationis ad interitum incredulorum. Extra terram repromiſſionis cum jam inſtaret ingreſſus, totum ſe compoſuit ad exhortandum populum, ut ſe defuncto quoque officium ſuum faceret ex omni parte. Vidimus hactenus compendium hiſtoriæ peregrinationis Iſraeliticæ ſub Moſis ductu; quomodo ordinata fuerit politia ad montem Horeb; quomodo mox ſuſceptum iter verſus Cananæam; quæ cauſa moræ in deſerto, cujus culpa omnis Deo nequiret imputari, ſed ipſorum. I. carnali ſapientiæ, quæ primo per exploratores voluit luſtrare aditus terræ. II. infidelitati, quæ Deo noluit credere, promiſſa ſua præſtituro. III. rebellioni, quæ contra interdictum eo penetrare inſtituit. quomodo finito tempore moræ quod definierat Deus, progreſſi fuerint, citra bellum quoad Edomitas, Moabitas, Ammonitas: ſed cum bello contra Sihonem & Ogum, qui victi & exciſi, ceſſerint Rubeni; Gado & mediæ tribui Manaſſis in portionem: quomodo ipſe, quia initium occupandæ & diſtribuendæ terræ fecerat, petierit ut idem trans Jordanem abſolveret, ſed rejecta ſua petitione tantum intuitum univerſæ hæreditatis obtinuerit, ſubſtituto Joſua, ducturo populum deinceps, quamobrem noluerit ultra movere pedem, ſed cum populo conſederit in valle iſta exſpectaturus, quando extremum juſſum adeundæ mortis eſſet accepturus; interim quicquid reſidui temporis concedebatur, id uni inſtitutioni populi impendere decretum habet, quæ commendat hoc cap. 4: 1--40. tum prolixe exſequitur cap. 5. & ſeq. Hæc ratio connexionis hujus cap. cum præcedente. *Et nunc*, &c. quia mihi non datur trajicere Jordanem, vel ducere populum ultra, ſed conſidendum heic loci, donec moriar, nunc igitur quod reliquum eſt vitæ, vobis cohortandis impendam.

Caput quartum quoad diſtributionem humanam, neque enim à Moſe aliisve ſcriptoribus διοπνεύστοις profecta eſt, habet. I. commendationem doctrinæ iſtius, verſ. 1--40. II. aſylorum aliquot deſignationem, verſ. 41--43. III. præfationem plenioris inſtitutionis, verſ. 44--49.

Verſ. 1.

Vers. 1. *Nunc ergo Israel, attende ad statuta judiciaque illa quæ ego doceo vos facere; ut vivatis & ingressi hæreditario jure possideatis terram istam quam Jehova Deus majorum vestrorum dat vobis.*

I. COMMENDATIO Doctrinæ istius ducitur. I. ab Utilitate, vers. 1--4. II. ab Honestate, vers. 5--8. III. à Divinitate, vers. 9--40. sive à Fructu, à Forma, & ab Efficiente. Quæ tamen non ita sunt distincta, ut non alia quoque admisceantur, quæ alterius classis sunt; sed spectamus id quod potissimum est.

I. Prima commendatio, quæ A FRUCTU seu UTILITATE petita est, proponitur, vers. 1, 2. & experientiæ testimonio comprobatur, vers. 3, 4.

Utilitatis prima est ratio, quia ista apud homines plurimum habet efficaciæ. Innatus est homini amor sui ipsius, non vitio corruptionis, siquidem hæc φιλαυτίαν reddit vitiosam, sed Dei creatoris voluntate, qui hunc affectum implantavit. Eph. 5: 29. unde eam regulam facit dilectionis proximi; quod non fieret, si crimen haberet. Et quamvis Amor Dei major esse debeat quam nostri ipsorum, attamen sui amorem non excludit, sed includit. Quanquam enim odisse, semetipsum jubetur secuturus Christum, Luc. 14: 26. non est illud odium sui absolutum, sed secundum quid, respectu corporalis vitæ (quæ finienda tamen serius ocyus) siquidem eam non liceat retinere nisi cum abnegatione & inimicitia contra Christum, non respectu animæ & salutis, Mat. 10: 28. & 39. amittens animam seu vitam propter me, inveniet & servabit illam. In Mose qui pro populo deleri, & Paulo qui pro Israele anathema à Christo fieri optavit, excessus est amoris cum proximi, tum Dei, sub conditione ejus voluntatis, siquidem huic plus gloriæ unius exitio & multitudinis salute posset accedere. Alioqui sui amor ad Deum amandum stimulat, vel ob eam causam, quia sine Deo non erit, cum in ipso vivamus moveamur & simus, Act. 17: 28. adeo ut ipso abscondente faciem terreantur, recipiente halitum moriantur, & redeant ad suum pulverem, emittente spiritum recreentur Ps. 104: 29. s. & 30: 8. Est proinde hoc argumentum ab utilitate efficacissimum, maxime perditissimo nostro seculo, ubi quivis quærit quod suum Phil. 2: 21. quibus istud proinde persuadendum, quod suum quærant quando Deo præstant amorem & obsequium, Ps. 73: 23. quod dubitant futurum impii Job. 24: 15. *quid est omnipotens ut serviamus illi? & quid emolumenti habebimus si ipsum invocemus ardenter?* & Mal. 3: 14. *frustra est servire Deo*, & &c. Huic ergo sollicitudini de proprio commodo primum satisfit. Adeoque merito omnes invitantur ad audientiam: cum à magno ad parvum quivis exerceat avaritiam, ut se suosque divites felicesque reddat, cum hic ratio doceatur expeditissima.

I. *Proponitur* autem initio sic ut. I. indicetur quid obsequentibus exspectandum sit boni, vers. 1. II. declaretur quæ sit obsequii ratio, vers. 2.

A. *Indicium* istud, vers. 1. habet descriptionem Officii & Commodi secuturi.

B. *Officium* est *Nunc itaque Israel*, &c. ubi cui, quid faciendum sit.

a. *Cui*, Israel est populus ille Dei fœderatus, & quidem fœdere gemino, unde Ei fœdera tribuuntur Rom. 9: 4. Abrahamico & Sinaitico, quorum hæreditas his quibus loquebatur fuit propria: istorum v. differentiam ex ratihabitione differente alias indicavimus, & plenius indicandum erit, in seqq. Utrunque autem locum habet & considerandum venit: nam si solum Sinaiticum valuit, nemo salvatus fuit ex ipsis: cum exinde nequeat esse justitia vel vita: sed quicunque salutem consecuti sunt, eodem, quo Abrahamus modo, & juxta illud fœdus impetrarunt. Israel est cui hoc dicitur, populus ille peculii, segregatus ab omnibus aliis, qui proinde excluduntur tum ab isto beneficio, sed etiam ab officio. Ps. 103: 7. & 147: 19, 20. Enimvero cum ab officio exclusos dico, hæc mens est, non quod soluti sint omni obligatione erga Deum ad obsequium. Id dici nequit de creatura, quæ obnoxia est Creatori eopse quia creatura, & nisi foret, non amplius foret creatura, quæ dependentiam connotat suo nomine, sed æquaretur Deo, quod ne quidem Deus facere potest, cum semetipsum nequeat abnegare. Sed quod revelationem istam externam non habeant. Rom. 3: 19. Gentiles non fuere in lege, sed sine lege Rom. 2: 12. Sine lege, inquam quia citra externam revelationem: qui tamen habuerunt opus legis scriptum in cordibus, vers. 15. quomodo sibi ipsis lex etiam, habentes veritatem quoad pietatem & justitiam, sibi impressam naturaliter, licet inde à lapsu multipliciter vitiatam. Eoque quæ lex dicit etiam de ipsis loquitur cum universalem hominum corruptionem, & reatum damnationis docet; sed non loquitur ipsismet. Hacpropter gentilium tempora dicuntur ignorantiæ Act. 17: 30. & ipsi fuisse sine fœderibus promissionis, sine Deo, sine spe in mundo, Eph. 2: 12. Erant longe, atque hæc nostra foret conditio, si non alio quam majores nostri, qui gentiles fuerunt, essemus loco. Sed quod ibidem dicitur, vers. 13. qui longe eratis facti estis prope, & quomodo? vers. 19. non amplius peregrini & advenæ, sed concives sanctorum & domestici Dei. Ejusdem civitatis & domus incolæ iisdem commodis fruuntur, iisdemque legibus reguntur: quod quidem de legibus constat, vers. 20. superstructi super fundamentum prophetarum & Apostolorum. Ut jam simus & nos in lege, quibus ea loquitur, non secus ac Israel, eoque pariter teneamur ad obsequium; ut nobis dici eadem queant. Quanquam Israelitæ insuper aliquid habeant singulare, quod ad Gentiles non pertinet, fuerunt illi non tantum in lege, ut voluntatis Dei habuerint revelationem externam, sed insuper sub lege, hoc est sub obligatione præstandi omne obsequium ex propriis viribus, ad quod se obstrinxerunt sua stipulatione ad montem Sinai, hoc enim proprium est Judæorum in suo Judaismo, 1 Cor. 9: 20, 21. ὑπὸ νόμον, cum gentes fuerint ἄνομοι, & qui revelationem habent ἔννομοι vel ἐν νόμῳ Rom. 2: 12. Gentiles autem conversi sunt quidem in lege, sed non sub lege Rom. 6: 14. *non estis sub lege sed sub gratia*; sub ea obligatione obsequii quæ viribus præstetur non propriis, sed gratiæ ab ea suppeditatis, & fide acceptis; qua de causa obedientia fidei appellatur, Rom. 1: 5. cap. 16: 26. Quia v. Gentes non sunt sub lege uti Israel, neque sunt sub pædagogo illo qui illis datus ut ad Christum adducerentur, ritibus seu cerimoniis Leviticis: quæ quotiescunque in hoc libro & alibi Israeli mandantur, Gentiles non attinent, neque illis obtrudi possunt, cum pertineant ad conditionem sub lege, & fœdus Sinaiticum, ad quod neutiquam vocati sunt. Quod observandum in tota explicatione, ut exinde discrimen petatur quid nobis congruat quoque juxta cum Israele, quid item istis sit peculiare, neque nobis Christianis Gentilibus imperatum sit. Hæc quidem quæ nunc dicuntur etiam nobis aliquatenus applicari queunt. Aliquatenus, inquam, nam præter differentiam indicatam alia adhuc est pariter observanda. In magna domo, ubi grande famulitium, licet omnes famuli communia habebent jura & privilegia, quatenus domestici, tamen sunt non nulla particularia, quæ quibusdam sunt propria; quidam ad stabuli ministerium pertinent, alii ad Culinæ, ad Cellæ, ad Cubiculorum, &c. Sic in Civitate, Civium omnium communes sunt leges, & commoda; sunt etiam particulares singulis tribubus, sunt Ecclesiasticæ, militares leges. Et in regno præter communes unaquæque Civitas, Provincia habet proprias. Eodem modo in regno civitate & domo Dei sunt officia generalia omnibus, sunt etiam specialia singulis ordinibus hominum, quemadmodum Maritorum & uxorum, Parentum & liberorum, Herorum & servorum: imo populorum quoque, cum Euangelium non aboleat Politias, & Christianismus queat consistere, cum legibus Germanorum, Anglorum, Gallorum, Belgarum: & olim Romanorum & Græcorum. Judæorum & Gentilium, seu circumcisionis & præputii, quorum distinctæ fraternitates, Judæorum, & quæ in mundo 1 Pet. 2: 17. cap. 5: 9. Sic ergo etiam Israel habet leges populo illi & terræ hæreditatis ipsorum proprias, cujusmodi sunt Judiciales, quæ non habent necessitatem apud alios nisi quatenus ad generalem honestatem faciunt, licetque eas vel sequi vel non sequi, prout conditio cujusque nationis & ter-

ræ

ræ iſtud fert. Unde à nobis non res ipſa præciſe exigi poteſt quoad omnes circumſtantias, ſed tantum analogia, & congruentia cum legibus moribuſque nationi unicuique propriis, non pugnantibus cum doctrina communi, quæ omnes qua Dei populus ſunt obligat. His obſervatis Iſraeli quæ ducuntur nobis quoque dicta ſunt, juxta illud, Rom. cap. 15: 4.

Eſt porro aliud adhuc notandum circa eum cui præcipitur. Iſrael eſt nomen collectivum, totum populum complectens, qui à Jacobo, cujus mutatum fuit nomen Iſrael deſcendunt, quod frequentiſſimum. Sed denotat quoque Iſraelitam ſingularem. Rom. 9: 6. non ſunt omnes Iſrael, qui ex Iſrael ſunt, qui deſcendunt, ab Iſrael non ſunt omnes Iſraelitæ: equidem intelliguntur hic qui ſunt Iſrael Dei, Gal. 6: 16. attamen quivis illius populi ſic poteſt appellari.

Hic alloquitur eos Moſes numero ſingulari, *Audi*, &c. Scil. quod dicit hoc loco, & omnibus conjunctum, & unicuique ſigillatim dicit. Singulos attinet hæc compellatio, quaſi cum ſingulis res foret, & adhortatio illi appropriaretur. Sic Deus egit in promulgatione Decalogi; affatur ſingulos, quod evidentiſſimum ex præceptis quarto, quinto, nono, decimo. Vulgo quod pluribus dicitur, nemini dictum cenſetur: creduntque homines, ſiquidem aliquid moleſtiæ conjunctum ſit, poſſe id aliis relinquere agendum. Sed hac propter ſingulis hic dicitur, ut quibuſvis dictum agnoſcatur. Chriſtus generaliorem hortationem ſic interpretatur, Marc. 13: 37. Hæc v. particularis fit, ut quivis dictum ſibi credat. Heb. 3: 13. *Hortamini vos invicem quotidie, quamdiu Hodie vocatur*, &c. Dictum fuerat *Hodie ſi vocem ejus*, &c. ne quis ergo ſe excuſet, ad alia tempora pertinere, ait, valere quamdiu vocatur hodie: proinde quodvis præſens tempus adhortationi iſti oportunum eſt, neque quisquam importunam debet putare; Eodem modo, quisquis tu vocatur, & præſens compellari poteſt, illi dicitur. Mich. 6: 8. qui homo eſt in Eccleſia illi commendatur ſigillatim quicquid hic recenſetur officiorum. Quando hodieque Miniſtri loquuntur in Eccleſia, ſingulos affantur. Rom. 11: 18. ſ. 2 Cor. 5: 20. 1 Cor. 11: 28. Tibi quisquis es auditorum dicitur, reſipiſce, crede, audi & obſequere. Indigne habes miniſtrum Dei, & Deum ipſum ſi non ſigillatim alloquentem audias & obedias.

Univerſis tamen idem dicitur ſingulari numero, ut omnium concors obſequium poſtulari appareat. Zeph. 3: 9. humero uno ſerviendum, uti primorum Chriſtianorum fuit unum cor, & una anima, Act. 4: 32. & promiſſum eſt in novo fœdere cor unum & via una ad timendum Dominum Jer. 32: 39. Quidni ergo id poſtuletur, ut omnes conſpirent ad agendum quæ mandantur. Jud. 20: 1. omnes filii Iſraelis congregabantur ut vir unus ad Dominum Mizpam, ut rogarent Deum de ultione contra ſceleratos in Gibea exercenda, & 1 Sam. 11: 7. pavor Dei cecidit ſuper populum & egreſſi ſunt ut vir unus. Hoc eſt quod optatur & poſcitur, quoties univerſi compellantur eo modo, ut uno ſpiritu regantur, unumque ſint, idem audituri, idem facturi, eadem via ambulaturi, adeo ut multi unum ſint coram Deo, unus populus, unum corpus.

b. Quid porro Iſraeli faciendum ſit, oſtendit indicato Objecto, & Actibus circa illud.

a. Eſt hic *Objectum*, gemino vocabulo expreſſum, חוקים & משפטים. Habent proprias ſignificationes, illa ſunt *Statuta*, hæc *Judicia*: ſed frequenter Synonyma ſunt, quemadmodum Pſ. 19: 8. ſ. & 119. toto. aliquando diſtinguuntur, idque diverſimode, prout plura aut pauciora vocabula conjunguntur. quemadmodum, verſ. 44. 45. quatuor occurrunt, unum generali ſenſu, cætera Specialiter; & Deut. 5: 32. cap. 6: 1. tria Specialia ſunt, præcepta doctrinam communem dicunt, ſtatuta quæ ritus, & judicia quæ politiam concernunt, Pſ. 147: 19. Mal. 4: 4. Heic חוקים *ſtatuta* indicant, quæcunque ad Dei cultum & pietatem faciunt, משפטים *judicia*, quæ hominum officia mutua complectuntur, & juſtitiam civilem: adeo ut officia utriuſque tabulæ hic notet, quæ deinceps plenius explicabuntur. Hujuſmodi occurrunt apud omnes nationes, imo homines, cum omnibus ejuſmodi principia pietatis & juſtitiæ ſint impreſſa, & ex illis deductæ ſunt leges gentium quarumvis ſive ſcriptæ ſive uſu obſervatæ, quibus cultum Dei & ſocietatem hominum moderantur. Verum iſtæ multum habent non diverſitatis ſolum, pro indole terrarum & populorum, ſed etiam vitii & criminis ex corruptione, quum nec videant ſemper quod rectum eſt neque etiam velint: quocirca Moſes non abſolute hæc inculcat, ſed cum reſtrictione, *quæ ego vos doceo*. quando removet quæcunque vel proprio placito delectaque concepta, vel ab aliena manu & autoritate accepta ſunt.

Ergo *Quum ſtatuta & judicia ſint obſervanda, pietas erga Deum & juſtitia erga proximum, non tamen alia quamquæ Moſes ſimileſque Viri Dei docuerunt.* Hanc reſtrictionem addidit, & hic, & ſæpius, quomodo damnatur omnis illa non pietas ſolum, ſed juſtitia quoque, quæ ex naturæ luce præceptis ſuis circumſcribitur. Laudantur Gentilium virtutes, quæ pie fortiter, juſte, temperanter mandarunt aut fecerunt, ſed quum non edocti fuerint à Moſe aliisve Prophetis, non per illa obtinuerunt, quæ hic promittuntur bona; Eadem ratio eſt ſtaturorum quæ à parentibus fuere tradita Ezech. 20: 18. aut regum autoritate ſancita Mich. 6: 17. Eademque traditionum omnium quæ vel olim vel nunc commendantur. Non eſt ergo iſtis vel inveniendis vel cognoſcendis indulgendum, nedum faciendis, ut ſperetur felicitas exinde conſummata: ſed ad Moſen convertendi oculi & animus. Equidem Gentiles quando eas virtutes fecerunt, rectius egerunt, quam qui contrariis vitiis fuerunt dediti, ſed uti eapropter non tam boni quam minus mali fuerunt cæteris, ita minus infelices quoque aliis: uti differentia conſtituitur inter miſeriam Tyri & Zidonis, ac Chorazin & Bethſaidæ: itemque Sodomam & Gomoram ac Capernaumum, quarum conditio tolerabilior erit in die judicii. Sequenda eſt genuina norma, quæ non niſi à veris architectis eſt mutuanda, & tunc demum poteſt aliquid commodi ad nos redundare.

b. Actus circa objectum duo ſunt, Audire & facere.

a. Audienda primum ſunt, & cognoſcenda, tum etiam facienda. Cognitio primum neceſſaria; neque enim ulli uſui eſſe poſſunt nobis niſi cognoſcuntur ſtatuta & judicia: quæ quidem auditu percipiuntur, quæ prima fuit inſtitutio; nam poſt acceſſit ſcriptura, quomodo oculis quoque percipi poteſt: utraque tamen docentis ſermone. Non exigitur obedientia cœca, nedum coacta, ut violenter obtrudatur verbum, quemadmodum doctrina Mahamedis in oriente, Pontificia in occidente & olim Gentilis utrobique imperata fuit vi externa, quando gladio & igne, omnique tormentorum genere graſſati ſunt, & coegerunt ad aſſenſum religionis etiam non intellectæ, ſed Cognitio imperatur & eum in finem audientia. Dicitur quidem tractio, Joh. 6: 44. ſed mox explicatur per auditum & apprehenſionem doctrinæ: ut edocti dici queant. Quæ non eſt ſimplex illa notitia, quam habent qui memoria tenent, uti pueri, vel etiam picæ aut pſittaci: ſed quæ conſiderationem adſtipulationemque complectitur, poſt convictionem, quia de veritate, bonitate, jocunditate, aliiſque doctrinæ dotibus perſuadentur, ut ei aſſentiantur & accedant. Hanc contra cognitionem pugnant Pontificii, qui ignorantes malunt auditores, quam qui habeant vel quærant cognitionem, quia credulos volunt, quibus dominari poſſint, & prolubitu omnia dictare. Adverſatur hoc dogma Moſi, qui univerſum populum ad cognitionem invitavit: Idem fecere Prophetæ, conqueſti quoties defectum cognitionis obſervarunt, Hoſ. 4: 1 ſ. Jer. 5: 4. Pariter Chriſtus, qui uti conſtanter docuit, ita à ſe diſcere voluit ſuos Mat. 11: 29. & per Apoſtolos docendo gentiles fieri diſcipulos, cap. 28: 19. quod Apoſtoli obedienter ſecuti ſunt, & ad cognitionem auditores ſuos cohortati. Eſtque nobis hæc cognitio affectanda, cum in ea felicitas ſit ſita, Joh. 17: 3. ſine ea calamitas Hoſ. 4: 6. Initium hinc mutatæ conditionis noſtræ, quum enim antea forent ignorantiæ tempora Gentilibus, Act. 17: 30. quia verba ſtatuta & jura Dei non noverunt Pſ. 147: 20. utique cognitio ea mutat. Quæ neceſſario exigitur, magè quam olim, quia olim Deus ea non fecit nota, uti quidem nunc: ut quæ olim excuſatio fuit ea Joh. 15: 22. nunc deſit. Eſt tamen dolendum & querendum, quod tam multis deſit auditus, qui nec habent nec volunt cognitionem, imo eam oderunt:

ſaltem ſtatutorum & judiciorum Dei, quamcunque etiam habeant rerum mundanarum, de quibus dicere licet volentes ignorare 2 Pet. 3: 5. unde judicium majus, reprobatio eorum, qui reprobant cognitionem Hoſ. 4: 6. *quia reprobaſti*, &c.

β. Attamen cognitio non ſufficit; non imperat ſimpliciter auditum, ceu in bono in quo acquieſcendum, verum ob aliud, quo facit tanquam medium, *ut faciatis*, neque enim ſcire eſt præcipuum ſed facere. Mat. 28: 19, 20. Doctrina iſta facit ad cognitionem veritatis ſecundum pietatem Tit. 1: 1. Act. 17: 30. reſipiſcendum poſtquam ignorantiæ tempora finiuntur adhortatione ſalutari. Tit. 2. verſ. 11. ſ. Illuxit ſalutaris gratia non ſolum ut multa de illa queamus diſſerere, verum ut multa faciamus, deſerendo malum exercendo bonum. Joh. 13: 17. *Si hæc noviſtis beati ſi ea feceritis.* Rom. 2: 13. *non auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.* Jac. 1: 22. qui non factores verbi, ſed auditores tantum ſemetipſos decipiunt, non ſecus ac ſtolidus ille, qui arenæ domum inædificat, vento & fluctibus evertendam. Mat. 7: 26. ſ. ſed qui non obliviosus auditor, factor nempe operis, is beatus in ſua actione Jac. 1: 25. Eſt hic defectus multorum, qui in cognitione acquieſcunt; ſufficere rati ſi audiunt Chriſtum docentem in plateis ſuis & Moſen ac Prophetas lectos in ſynagogis; ſed nihil eorum faciunt; quorum ſcientia abnegatio eſt Tit. 1: 16. Operarii iniquitatis ſive careant notitia, ſive ea valeant, non ſunt alii quam operarii iniquitatis: imo hi illis pejores. Melius non noviſſe viam juſtitiæ, quam ea cognita declinare à ſancto præcepto 2 Pet. 2: 21. qui novit voluntatem domini & non facit, neque præparat ſe ad faciendum, multis cedetur plagis, pluribus longe quam qui ignorans egit male Luc. 12: 47. ſ. Eoque quivis ſibi caveat. Audire contigit, hoc conceſſit Deus eo fine ut facias. Noli adverſari Deo. Dedit aures ad auditum, ſed etiam manus ad operandum, pedes ad ambulandum; & aures ſuo verbo implet, ut ad ejus normam membra reliqua moveantur. Mat. 22: 14. multi vocati, pauci electi. Illi omnes auditores ſunt, neque ultra progrediuntur, ſaltem non ſincere aut conſtanter progrediuntur: at iſti inſuper factores, & ſoli electi ſalvantur, cum ad ſalutem electi ſint. Electionis ſecuritas pendet etiam ab opere, quoad homines, 2 Pet. 1: 10. & 2 Tim. 2: 19. Huc ergo omne ſtudium adhibendum. Eph. 4: 20. ſ. Audimus Chriſtum in Euangelio prædicatum, diſcimus quando eum exprimimus factis: ambulantes ut ipſe ambulavit 1 Joh. 2. verſ. 6. puri ut ipſe purus eſt, cap. 3: 3. In quo verbum ejus eſt & manet, fert multos fructus. Joh. 15: 7. ſ. Eſt enim verbum ſemen illud quod in bono corde ſeminatum abundat fructibus juſtitiæ, quod cedit ad gloriam & laudem Dei, ipſorumque facientium ſalutem. Audite ergo & facite & abundanter ſuppeditabitur ingreſſus in æternum regnum noſtri Domini & ſervatoris J. Chriſti.

Quum Samueli, judici populi, ex hujus voluntate, & Dei conſenſu, ſurrogatus eſſet rex, Saul, ille quidem Sauli omne imperium detulit, & inſtructionem dedit rite adminiſtrandi regni, abſtinens deinde à regimine, veruntamen continuavit in munere docendi, 1 Sam. 12: 23. *Me quod attinet, abſit à me ut peccem contra Dominum, ut deſinam precari pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam.* & cap. 19: 20. prope Rama in Najoth, ſeu domicilio peculiari inſtituit Prophetas. Sic quoque Moſes dux populi poſtquam juſſus fuit à Deo gubernationem cedere Joſuæ, illum inſtruxit, quomodo verſandum ipſi eſſet, abſtinuitque ulteriori ductu, manens in valle illa ad montem Nebo, aſt docendi munus non depoſuit, quamdiu vitæ uſura ipſi fuit conceſſa; quin potius omne tempus reliquum illi uni impendit. Itaque hinc incepit repetitionem univerſæ doctrinæ antea traditæ, cui præmittit ejus commendationem, hoc capite. Primum autem argumentum duxit ab Utilitate, qua potiſſimum moventur homines ex φιλαυτία, quod proponit, verſ. 1, 2. & exemplo confirmat, v. 3, 4. Propoſitio habet. I. indicium officii. II. commodi, verſ. 1. III. declarationem officii, verſ. 2. Officii indicium vidimus. I. cui imperetur Iſraeli, poſteris Jacobi, quibus ſolis locutus eſt Moſes, quemadmodum ſolos delegerat Deus quibus ſuam voluntatem patefaceret; quomodo ad nos nihil horum attineret, qui gentiles ſumus origine Pſ. 147: 19, 20. Sed id tantum valuit durantibus temporibus ignorantiæ, quibus finitis Deus etiam hos invitavit ad reſipiſcentiam, Act. 17: 30. eoſque qui longinqui erant fecit propinquos, concives ſanctorum, &c. Eph. 2: 13—19. atque hinc pariter ſumus in lege, habentes notitiam voluntatis divinæ, verbo externo patefactæ, Rom. 3: 19. Enimvero non congruunt eapropter nobis omnia ea quæ dicta Iſraeli, quandoquidem hi non tantum in lege fuerunt, ſed etiam ſub lege, ſeu obligatione obedientiæ propriarum virium, 1 Cor. 9: 20. aſt Gentiles converſi non ſunt ſub lege, ſed ſub gratia Rom. 6: 14. ſub obligatione obedientiæ quæ fiat viribus à gratia ſuppeditatis & fide acceptis, unde fidei obedientia ipſis tributa Rom. 1: 5. cap. 16: 26. ſ. Præterea Judæi ſub lege habuerunt pædagogum ad Chriſtum ritus Leviticos, qui ipſis proprii. Denique cum fuerint populus terræ ſingularis, habuerunt leges politiæ ſuæ proprias; quemadmodum alii populi & nationes ſuas quoque poſſident & ſervant; quibuſcum Euangelium non pugnat, cum politias non deſtruat; eoque nulla gentilibus ad judiciales Iſraelis leges obligatio. Quæ reſtrictiones ſi obſerventur, cætera mandata, quæ Iſraeli hic & alibi dicta ſunt, nobis quoque accommodari & poſſunt & debent. II. quid imperetur, ut ſtatuta judiciaque, quæ pietatem erga Deum & juſtitiam erga homines concernunt, quæ à Moſe fuerant tradita, audirent, & facerent, hoc eſt Cognoſcerent facienda & Facerent cognita: quemadmodum religio vera eſt *cognitio veritatis ſecundum pietatem*, Tit. 1: 1. ubi tamen Apoſtolus addit verſ. 2. *in ſpe vitæ æternæ*, quam Deus ἀψευδὴς pollicitus eſt, & revelavit, verbo ſuo: indicans utilitatem quæ ad cognoſcendum & faciendum allicere poteſt. Quod factum imitatione Moſis, qui attexuit.

ב. *Indicium commodi* obedientibus obventuri; Geminum autem eſt vita, & hæreditas Cananææ.

a. *De vita* ait, למען תחיון *ut vivatis.* Intelligit autem vitam corporalem, cujus prolongatio neceſſaria ad fruitionem terræ; nam qui eam amiſerant in deſerto, & itinere 40. annorum, caruerunt Cananæa, quod verſ. 3, 4. docet exemplo eorum qui Baal Pehori adhæſerunt vel non adhæſerunt. Hanc vitam pollicetur obedientibus, uti etiam Deus in 5. præcepto: & ſæpiſſime in ſeq. Eſt enim hæc vita benedictio, & bonum aliquod naturale, quod quivis affectat, cum nemo oderit propriam carnem Eph. cap. 5: 29. ſed optatur una cum bono, ſeu immunitate ab externis calamitibus; qualem per obedientiam genuinam conſequi poſſe, docet David Pſ. 34: 13. ſ. Act. 37: 27. *recede à malo & fac bonum, & habita in æternum*, verſ. 34. *cuſtodi viam Domini & exaltabit te, ut terram hæredites*, &c. Enimvero quia omnibus hominibus ſtatutum eſt ſemel mori Heb. 9: 27. neque quisquam vivat ut non videat mortem, ut eripiat animam ſuam ex poteſtate ſepulchri Pſ. 89: 49. quæ via univerſæ terræ Joſ. 23: 14. ſapientibus & ſtultis, bonis & malis calcanda Pſ. 49: 11. Eccl. 9: 2. ſ. non fuit ea finis ſummus Iſraelitarum; optarunt ea carere & privari ærumnis adverſis, eligentes mortem præ vita, Jer. 8: 3. ipſi quoque pii, ut Elias 1 Reg. 19: 4. imo quibus magna fuit in terra felicitas, ſaltem tempore mortis, ſatietatem habuerunt iſtius vitæ, ut Abraham Gen. 25: 8. & Iſaac cap. 35. 29. Proinde neutiquam credendum in hujus vitæ promiſſo terminari commodum obedientiæ; maxime cum etiam inobedientibus nonnunquam obtingat; quod contra amicos tuetur Job, felices in hac vita ſæpiſſime eſſe impios, qui in bono tranſigunt dies, & momento deſcendunt in ſepulchrum Job. 21: 13. cum pii ſint breves dierum & ſatiati ærumnis cap. 14: 1. & de impiorum felicitate in hac vita, dum pii affliguntur, teſtantur Pſ. 37: 73. & Jer. 12: 1. ſ. Eſt proinde alia vita, quæ majoris momenti, & ſola vitæ nomen meretur, cujus pollicitatio hic includitur. Quæ etiam potiſſimum nobis conſideranda, ut quantum hæc promiſſio, obedientiæ facta, nos concernat, cognoſcamus. Paulus æternam appellavit, *Spem vitæ æternæ* commendans Tit. 1: 2. & alio nomine *vitam Dei* Eph. 4: 18. qua caruerunt Gentiles, qui ſpem non habuerunt & ſine Deo fuerunt in mundo, quia ſine Chriſto, alieni à politia Iſraelis, peregrini à fœderibus promiſſionis, cap. 2: 12. quæ

omnia

omnia Iſraelitæ, qui propinqui, habuerunt. Vita illa Dei eſt non animæ & corporis unio; quam vitam corporis dicere oportet, cum contrarium, diſſolutio iſtius unionis, dicatur mors corporis à Chriſto Mat. 10: 28. ſed unio animæ cum Deo, & fruitio ipſiusmet, quam ſequitur conſummata beatitudo, & læta ejus ſatietas. Hanc homo habuit in ſtatu creationis, conditus ad imaginem Dei viventis utique etiam quoad vitam; ſimilitudo autem vitæ Dei non quærenda eſt in vita corporis, quia Deus corpus non habet; quia item bruta eandem vitam habent; neque in animæ indefinentia, quam ſervant impii, qui vita Dei deſtituuntur; ſed, ut dixi, in communione & fruitione Dei ipſius, quando ſe impertiit animæ, & actuoſam reddidit diviniore modo, quam mens humana concipere poteſt. Hanc v. vitam peccando amiſit, quemadmodum rectitudinem, juſtitiamque abjecit; mortuus ab eo tempore, & vita Dei orbatus; neque datur poſſibilitas regreſſus ad eam vitam, niſi illi qui mortuos poteſt vivificare. Quod quidem fecit Deus ex mera gratia, ſed ut vitam illam non ipſi homini rurſum crederet, ſed Filio ſuo, quem ex pacto diſpenſatorem vitæ ejus conſtituit Joh. 17: 2. æternam vocans, quia cum illa fuerit data Adamo amiſſibilis, nunc redditur inamiſſibilis. Filius autem habet depoſitum iſtud vitæ pro aliis. 1 Joh. 5: 11, 12. qui nihil vitæ habent aut conſequi poſſunt niſi in Chriſto & cum eo, Gal. 2: 20. Rom. 8: 2. inſtrumento fidei, apprehendentis Chriſtum & vitam in ipſo. Porro patefit iſta vita per verbum, quod Chriſtum patefacit, & verbo recepto per fidem recipitur Chriſtus Joh. 15: 7. & recipitur vita, Joh. 5: 39--46. unde dicitur verbum vitæ, Joh. 6: 63--68. Phil. 2: 16. Verbum ſalutis Act. 13: 26---46. Qui Chriſtum didicerunt, non ſunt in ſtatu eorum qui vita Dei carent Eph. 4: 18--20 diſcunt autem qui audiunt de eo in verbo, & credunt, Joh. 6: 45. Cæterum vita illa Dei, quam fideles conſequuntur in Chriſto, gemino gradu conſtat, quorum unus hujus ſeculi eſt, alter futuri. Hujus quidem, quæ habet abolitionem contrariæ mortis, & unionem communionemque cum Deo, ad ſenſum lætum reconciliationis; nunquam diſturbandæ, 1 Joh. 1: 3. Joh. 8: 51. cap. 11: 25. ſ. cap. 3: 16--36. quæ mortalitatem corporis non abolet, adeoque in vita corporis prorſus non eſt radicata. Futuri autem quæ habet inſuper gloriam & voluptatem conſummatam. Pſ. 16: 11. quæ vita nunc adhuc abſcondita eſt cum Chriſto apud Deum, ſed cum ipſo revelanda ad plenam glorificationem eorum, qui jam cum Chriſto ſunt excitati Col. 3: 1. ſ. hæc abolet mortalitatem corporis, non quod vita ejus pars ejus ſit; aboletur enim ea quoque in damnandis; ſed ut totus homo ſit ſubjectum ejus vitæ, & ipſum quoque corpus, propter συνάφειαν, uti in principio, ejus fiat particeps, 2 Cor. 5: 10. Job. 19. verſ. 25. ſ.

Jam hujus vitæ Dei notitia & fides fuit olim quoque Patribus, inficiantur id quidem nonnulli inter Chriſtiani nominis homines, ſed adverſantes habent Scripturas, & ipſosmet Judæos. Docent illi, quando Deus Abrahamo promiſit ſe fore illi clypeum & mercedem magnam valde Gen. 15: 1. ſimul etiam vitam futuri ſeculi illi promiſiſſe. Et quod Paulus ait, Heb. 11: 9. ſ. ipſum exſpectaſſe civitatem patriamque cœleſtem, etiam cum in Cananæa habitaret, unde Iſaac nunquam egreſſus eſt; utique illud non niſi verbo edoctus potuit ſcire aut credere, quod verbum occurrit Gen. 15: 5. *Intuere cœlum, & numera ſtellas, ſic erit ſemen tuum, ut ſtellæ*, & *Hic erit*, in cœlo, quia vox כה utrunque ſignificat. Rurſus Deut. 30: 15. *Ecce propoſui vobis hodie vitam & bonum, & mortem ac malum: Vita illa non eſt corporis, ſed quæ poſt reſurrectionem mortuorum eſt ſeculi futuri, fruitio boni illius abſconditi.* Bechai & Lev. 18. 5. *Qui fecerit mandata, vivet per illa* expoſuerunt Onkelos, *Vivetis in illis ad vitam æternam.* Bechai. *Quadruplex vita eſt, Corporis, dum anima ei unita manet; Sanitatis poſt morbum, Remiſſionis peccatorum poſt reſipiſcentiam, & quæ poſt mortem corporis in reſurrectione piis datur, & omnes iſtæ ſpecies promiſſæ ſunt.* Menach. *Merces præceptorum in hoc ſeculo non eſt; ſed poſt exceſſum. Juſtus ingreditur in regnum, quod vocatur paradiſus, & recipit ſeu intuetur faciem Schechinæ, & ibi manent animæ uſque ad vivificationem mortuorum, & conſequuntur vitam æternam, quæ ultimum beneficium eſt. Differens autem obſervatio præceptorum differentem etiam gradum conſequitur vitæ: nam illud Ut vivas, comprehendit omnes vitæ differentias, prout cujuſvis fuit obedientia, ſive ex intuitu mercedis, ſive ex timore Dei, ſive ex mero ejus amore, qui vel conjunctus curæ corporis, vel inde ſejunctus quod in Enocho obſervandum ſit,* Igitur quando Moſes vitam promittit, h. l. etiam futuri ſeculi promittit.

Ob. Atqui conjungit poſſeſſionem terræ, quæ ad corporis vitam pertinebat. Reſp: Merito ſic locutus eſt, quandoquidem exercitium obedientiæ nequit obtinere niſi in hac vita. Ea finita nihil quicquam agi poteſt ad præceptorum obſequium faciens, adeoque nec conſequi fructus obedientiæ; nam illud tempus non eſt operis, ſed ceſſationis. Eccl. 11: 3. Itaque dum vita corporali datur frui, faciendum illud quod non mortem, ſed vitam æternam habet conſequam. Imo quia vita Dei non tantum eſt futuri ſeculi, ubi conſummatio ejus eſt, ſed etiam præſentis, laborandum etiam nunc, ut ejus ſit fruitio, quo facit obſervatio mandatorum Dei, Deut. 30: 15, 16. ſ. Nam præcipio tibi hodie ut diligas D. Deum tuum, ambules in viis ejus, cuſtodias ejus præcepta, ſtatuta, & judicia, ut vivas & multipliceris, atque Dominus Deus tuus tibi benedicat in terra quam adis hæreditaturus. Sic verſ. 19. ſ. *Vitam & mortem tibi propoſui, benedictionem & maledictionem. Eligе ergo vitam, tu & ſemen tuum, amando Dominum Deum tuum, obediendo voci ejus, & ipſi adhærendo.* Amor & adhæſio Dei pertinent ad vitam non corporalem, ſed vitam Dei, cum adhæſio non tantum ſit à parte hominis in præſtando officio, ſed etiam à parte Dei in præſtando beneficio. Eſa, 56: 6, 7. unde gaudium illud in Deo & ſalute ejus, de quo fideles veteres ſæpius gloriati ſunt. 1 Sam. cap. 2: 1. Pſ. 32: 11. Pſ. 51: 14. Hab. 3: 18.

Obſervandum autem & hoc Moſen cum dicit, *Ut vivatis*, non facere vitam ſimpliciter conſequens obedientiæ, & fructum ejus, Equidem ſi duntaxat intelligeret vitam futuri ſeculi, id dici poſſet, quia eſt fructus juſtorum Eſa. 3: verſ. 10. aſt vita Dei in hoc ſeculo nequit eſſe fructus obedientiæ. Hoc quidem vellent, quibus meritum operum placet ut operantibus merces ſit vita. Etenim vita Dei prior eſt obedientia, quæ effectus vitæ illius eſt, non autem vita effectum obedientiæ. Homo naturalis deſtitutus vita Dei nequit edere opera vitæ, ſed mortis, mortua opera, uti vocantur Heb. 9: 14. quæ profecto non remuneratur Deus vita illa. Sed vita Dei primum donatur, & tum demum poſſunt præſtari opera vita digna, quæ ſunt obedientiæ. Moſes ergo cum ait, *Ut vivatis*, non loquitur de vitæ initio, ſed de ejus continuatione, non ſolum ut ſit, (neque enim ubi ſemel cœpta eſt vita Dei unquam deficit, cum ſit vita æterna quæ reſtituitur,) ſed inprimis ut adeſſe ſentiatur; quemadmodum enim motus corporis non facit ut vita adſit, ſed teſtatur adeſſe, & continuari, dum motus continuatur, quamquam ceſſante motu in deliquio etiam de vitæ præſentia dubitetur quandoque; ita quoque ſe habet obedientia ad vitam Dei. Adeoque commodum obedientiæ indicavit Moſes, ſive qua conſequens, ſive qua antecedens, illud de futuri ſeculi vita valet, iſtud de præſentis: quamvis & hic conſequens dici poſſit reſpectu non rei, ſed ſenſus ejus. Hinc vero diſcimus.

Obedientiæ præceptorum Dei commodum eſt vita. Hoc & hic & frequentiſſime docuit Moſes, & Prophetæ ſimiliter. Amos. 5: 5. *Sic ait Dominus ad domum Iſraelis: Quærite me & vivite*, verſ. 6. *quærite Dominum & vivite*, verſ. 14. *quærite bonum & non malum, ut vivatis, & ſic Dominus Deus exercituum vobiſcum erit.* Ubi docet & quid ſit, quærere Deum? nempe obſervare præcepta ejus, facere bonum, & omittere malum; & quid ſit vivere, habere Deum ſecum, eopſe conciliato frui, & communionem cum ipſo obtinere. Neque in Novo Teſtamento aliter ſe res habet. Obedientia requiritur ut vitam Dei futuri ſeculi obtineamus. Matt. 5: 20. & Cap. 7; 21. ſ. excluſis auditoribus & concionatoribus præceptorum Dei, qui contrarium faciunt Luc. 13: 26. ſ. Luc. 11: 28. Beati qui audiunt verbum Dei. & cuſtodiunt. Cuſtodire autem eſt obedire. Joh. 5: 29. prodibunt ex ſepulchris qui bona fecerint ad reſurrectionem vitæ. Rom. 2; 7. & 10.

Obj. Annon hac ratione redigimur in conditionem Iſrae-

litarum, utpote quibus dictum, *Qui fecerit ea, vivet per ea*; quemadmodum Rom. 10: 5. Resp. Minime; tantummodo observandum, quod nuper declaravimus, & initio hujus concionis repetivimus, quousque valeat distinctio Israelitarum. Fuerunt illi sub lege, qui se obstrinxerant ad obedientiam propriarum virium, eoque justitiam propriam erexerunt; ex lege pacti ipsorum, dicebatur ipsis, *qui fecerit* &c. quod nulli omnino fuit possibile; neque quisquam eorum vi Sinaitici fœderis ad vitam pervenit. Verum nos sumus sub gratia. Verbum fidei nobis prædicatur, quod Moses Deut. 30: 12. s. proposuit, ubi obedientiæ istum fructum inculcavit; sed quæ præstanda esset postquam Deus circumcidisset cor ipsorum, vers. 6. hoc est, dedisset vires faciendi. Neque enim in eo vertitur distinctio Israelis & nostra, quod illi obedientes debuerint vitam consequi; nos autem non obedientes. Non minus nunc amari vult Deus ex toto corde, & obedientiam sibi præstari ac olim; imo magis, siquidem verum istud Luc. 12: 48. *cui multum datum ab eo multum petetur*: & abundantior justitia Matt. 5: 20. Verum quod Israeli obedientia fuerit præstanda ex se viribus propriis juxta pactum suum nobis non ex nobis & nostris viribus, sed ex gratia dante vires juxta novum pactum. Jer. 31: 33. Quod v. fidei adscribitur salus nostra, huic non contradicit, sed confirmat; illa necessarium est instrumentum per quod omnia agimus. Cum autem ex nobis nihil habeamus, neque etiam conferre debeamus, aliunde petenda sunt quæ necessaria, & quod aliunde ea petit, est fides, ea apprehendit Christum justitiam, ad abolitionem reatus; itemque sanctificationem ad innovationem naturæ, ut obedientiæ fructus ferre queamus; fides facit palmites in Christo, & vivos, & fertiles palmites, ut fructus in nobis reperiatur, licet non ex nobis, sed ex Christo 1 Joh. 15: 4. s. Hos. 14: 9. Quamobrem obedientia fidei dicitur Rom. 1: 5. Cap. 16: 26. quia fides eam operatur, non faciendo, sed apprehendendo, & retinendo eum qui facit Christum & Spiritum Christi Gal. 2: vers. 20. Gal. 3: 14. Atque hæc causa est cum olim Israeli impossibile fuerit præstare præcepta, nunc non modo possibile sit, sed etiam facile. 1. Joh. 5. 3. *hæc est dilectio Dei, quod custodiamus ejus præcepta, & ejus præcepta non sunt gravia.* Matt. 11: 30. scilicet quia sumus sub gratia, fide vivimus, eoque Spiritu S. donamur & regimur, qui nos facit facere. Ezech. 36: 27. Phil. 2: 12, 13. Gal. 5: 6.

Hinc v. sequitur alterum quod N. T. quoque docet, *Obedientiam requiri, ut in seculo præsenti vitæ Dei testimonium habeamus.* Nequit obsequi præceptis Dei, quia non prius fuerit imbutus vita Dei. Eph. 2: 10. Cap. 4: 18. 20. s. Discere Christum est ei conformari, ut imaginis ejus repræsentatio adsit. 2 Cor. 5: 17. Gal. 6: 15, 16. 1 Cor. 7: 19. quod hic est observatio mandatorum Dei, id istic est nova creatura, quam ista observatio demonstrat. Rom. 8: 1, 2. qui in Christo habet Spiritum vitæ Christi, & ambulat secundum Spiritum, qui libertatem dat à lege peccati. Gal. 5: 25. Si Spiritu vivimus, etiam Spiritu ambulemus, & 1 Joh. 2: 6.

Nunc ergo quisquis vitam amat, discat, quid faciendum sit. Cognoscenda & facienda Dei mandata. Vitam enim commendamus non corporis; eam hæc obedientia non dat, habent homines naturaliter, etiam impii; pii autem ob istam obedientiam nonnunquam amittunt, Apoc. 12: 17. Rom. 8: 36. Joh. 16: 2. Sed Dei: quam quia plures non norunt, neque desiderant. Vitam, inquam, Dei quæ æternam felicem nulli comprehensibilem tandem afferet, sed quæ nunc quoque piis aliquam felicitatem voluptatemque adfert, quæ ipsa quoque vita corporis charior est, & servatur etiam cum istius dispendio. Vita ipsius Christi, quam ille depositam apud se distribuit, & communicat se communicans Joh. 8: 51. coll. cum cap. 14: 21. 23. cap. 7: 12. 16. Ipsum nomen vitæ amabile est, & hæc tanto pretiosior esse debet quanto vitam corporis antecellit. Ea ut potiatur quis, imo se potitum norit custodienda Dei mandata. Quod quamdiu non fit, necdum de præsentia vitæ Dei licet esse securis. Est ea quidem æterna, ubi introducta est; sed ubi obedientia ista abest, dubium est, an sit introducta 1 Tim. 5: 6. quæ luxuriatur, vivens mortua est, & Jac. 5: 6. qui delicate vivunt, & luxuriantur, pascunt corda ad diem mactationis. Eph. 4: 17, 18, 19. Et quam affinis est multorum vita? de quibus neganda est vita Dei. Qui vitam Dei habent, non excluduntur regno Dei & Christi: atque hoc contingit scortatoribus, injustis, ebriosis, calumniatoribus, furibus, raptoribus, idololatris, avaris, qui hujus ordinis sunt, qui proinde vita Dei carent, & id certissimum; cum ira Dei super filios istos inobedientiæ veniat Eph. 5: 5, 6. quæ quibus incumbit, & quamdiu incumbit, vitam non vident Joh. 3: 36. Quocirca monitum est, Eph. 5: 14. s. Excitare qui dormis, & surge ex mortuis, & illucescet tibi Christus, quid autem faciendum talibus, ut excitati ex mortuis fuisse agnoscantur, vers. 15. s. *Videte ergo quomodo ἀκριβῶς* &c. *& non estote insipientes, sed intelligite* &c. quod est facere Dei mandata. Nemo se decipiat vanis sermonibus, se credere in Christum, & sic victurum, fidem enim terminari in vitam & salutem æternam Heb. 10: ult. 1 Pet. 1: 9. Sed nemo victurus est æternum, qui non in hoc seculo vitam Dei fuerit consecutus, & hanc non omnis habet, qui se in Christum dicit credere. Plurimorum fides non fertur nisi in mortuum Christum, qui mortuus sit pro peccatis ipsorum; sed non in vivum Christum, qui resuscitatus vivit ad gloriam Dei: & quomodo hi ex Christo vitam consequerentur, quam non apprehendunt? imo tales ne quidem mortuum apprehendunt. Christus nunc non mortuus est, nec mori amplius potest, sed semel mortuus vivit in æternum: qui nunc eum fide apprehendet, apprehendere debet qualis est, vivum post mortem, neque enim pro ullo mortuum dicere possumus, nisi in quo vivit: unde non tantum *σύμφυλοι* esse debemus in similitudine mortis ejus, sed etiam resurrectionis. Rom. 6: 5. s. Viventis Christi testimonia producenda sunt, quæ sunt obedientiæ. Cadavera Christianorum sunt, ubi hæc desunt: fides sine operibus mortua est Jac. cap. 2: 17. & non nisi mortui Christi. Obsequendum Dei mandatis; quandoquidem sub gratia sumus. Omnia possibilia credenti, etenim fides Christum & Spiritum ejus accipit ab eo qui nobis omnia donat, quæ ad vitam & pietatem pertinent, ut divinæ naturæ consortes reddamur 2 Pet. 1: 3. s. & quemadmodum Christus mandata Patris observavit, ita & nos observemus, quomodo in ipso nos manere demonstrabimus Joh. 15: 10. Christus autor salutis obedientibus Heb. 7: 9. Eoque redemtos facit Zelotas bonorum operum Tit. 2: 14. & ut qui crediderunt Deo, studeant bene agendo præire. Sic erit felicitas. *Pietas ad omnia utilis est* &c. 1 Tim. 4: 8. & Ps. 15: 1. s. & 24: 3. s. Sunt futuri seculi antecedaneæ actiones: & Ps. 119: 1. s. quæ nunc quoque felicem reddunt, ut vitam habeat; Spiritus est vita Rom. 8: 6. s. qua jam quoque fruuntur pii & roborantur, donec ad consummationem perveniant.

b. Alterum est *Hæreditas Cananæa*, dicit enim, *Et ut ingrediamini & hæreditetis terram, quam Dominus patrum vestrorum Deus vobis dedit.* Est hoc proprium Israeli cui Cananæa data titulo hæreditario inde ab Abrahamo: cui primo eam promisit, & jurejurando, ad quam promissionem revocat. Enimvero sic videtur pendere ab obedientia Israelis terræ possessio. Siquidem obedientia sit antecedens necessarium ingressus & possessionis. Sane inobedientes tot annis fuere excluſi, & inde rursum erant ejiciendi Deut. 4: 25. s. quod experientia prisca & moderna confirmat. Veruntamen obedientiam ingressus causam non fuisse docet Cap. 9: 5. sed Dei bonitatem & veritatem, cùm ipsi rebelles fuissent semper. Itaque hic mentionem facit hujus boni, partim quatenus pietas etiam præsentis vitæ promissa habet 1 Tim. 4: 8. Lev. 26. Deut. 28. ut non tantum consequi vellent, ut beneficium erga Majores, sed etiam erga se, quo diuturnior concederetur usura, uti Josua & Caleb, implentes pone Dominum: istud colligitur ex Exod. 33: 1. partim quatenus ad potiora excitabat. Heb. 4: 9. Cananæa requies erat, sed non potissima; ea manebat residua Cananæam incolentibus; & hæc terra fuit typus illi populo, & mnemosynon promissionis. Uti ergo promissiones factæ sunt obedientibus, ita quoque earum memorialia: quomodo Abraham intuitus est terram Heb. 11: 9. s.

Non habemus hujusmodi donationem certæ terræ; verun-

runtamen in terra universa alicubi sedem consequi commodam aliquid analogum est, & promittitur obedientiæ Eph. 6: 3. Ps. 37: 11. 29. *Justi hæreditabunt terram, & in æternum ibi habitabunt*, & vers. 34. Sumus in terra Dei, atque sumus peregrini, neque licet inde exire nostro lubitu, nonne beneficium est quietam nanciscisedem in ea? Obedientibus ea conceditur à regibus terræ etiam duris; quanto magis Deus concedet Esa. 1: 19, 20. debet hæc ratio vim habere apud nos. Quanto fuimus in periculo, ne ejiceremur terra nostra, quam nobis dedit Deus. Evomuit Cananæos terra ob inobedientiam immanem; & hujusmodi vomitus nobis imminebat. Nisi Deus residuum nobis reliquisset, facti essemus ut Sodoma Rom. 9: 29. & quid etiam nunc est? Quandoquidem pergimus inobedientes estes esse, annon verendum est, ne nos percutiat Deus, ut arundo in aqua circumagitur, & ut eruat nos ex hac bona terra quam dedit patribus nostris, nosque dispergat per orbem universum 1 Reg. 14: 15. aut saltem ut in ea simus servi, & dominos ferre cogamur, quorum servitus longe quam Dei sit futura gravior Neh. 9: 36. s. Quamobrem antequam fiat, faciamus Dei mandata, & faciamus ut Christiani fide Christo adhærentes, & in ipso abundantes fructibus obsequii. Sic non tantum servabitur patria nostra, & nos in ea posterique nostri, verum etiam tandem potiemur patria cœlesti, danda iis qui voluntatem Dei fecerint, ad æternam nostram felicitatem.

Vers. 2. *Ne addite ad verbum illud quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo, ut servetis præcepta Jehovæ Dei vestri quæ ego præcipio vobis.*

Esa. 45: 19. *Non dixi semini Jacobi, Quærite me frustra, Ego sum Jehova loquens justitiam, indicans rectitudines.* Deus est qui jussit, Quærite faciem meam Ps. 27: 8. At sub promissione Amos. 5: 4. *Sic dicit Dominus ad domum Israelis, Quærite me, & vivite*, vers. 6. *quærite Dominum & vivite.* & de Deo Ecclesia Lam. 3: 25. *Deus bonus est exspectantibus ipsum, animæ ipsum quærenti.* & Ps. 73. 1. *Utique Deus Israeli bonus, iis qui mundo corde.* Quærens Deum obtinet vitam quod bonum à Domino, imo Deus illi bonus, quomodo bonum est ipse Deus. Quærere porro Deum est quærere bonum & non malum Amos 5: 14. puro corde instructum esse, hoc est, obsequentem Deo vivere. Quod suadet Moses initio hujus Capitis. Obsequium commendat constans mandatorum divinorum cognitione, eo fine ut praxi exerceantur. Fructum seu commodum dicit vitam & possessionem Cananææ. Quænam illa vita sit, supra indicavimus; potissimum alia & excellentior quam corporalis, nam Deut. 30: 15. & 19. conjungitur cum bono & benedictione, uti contra mors cum malo & maledictione; adeoque talis vita est, quæ semper bona, semper benedictio; quod quidem de corporali dici non potest, sed valet de vita Dei, quæ nequit esse mala aut maledictio, quamquam non excludatur corporalis vita hoc loco, quandoquidem sine ea possessio Cananææ non potuit obtingere, quamobrem distinxisse vitam videtur Moses Deut. 5: 33. *In omni via quam Dominus Deus tuus tibi mandat, ambulabis, ut vivas, & ut bene tibi sit, & ut prolonges dies in terra quam hæreditabis.* Heic promittitur vita, & felicitas & longævitas in Cananæa. Ista vita corporalis est, ast illa excellentior, & quæ intermedia est felicitas, præmium pietatis, quæ præsentis & futuræ vitæ habet promissionem. Quemadmodum illud bene esse dicitur de felicitate vitæ temporalis Ps. 128: 1, 2. Spiritualis autem & æternæ Esa. 3: 10. *Dicite justo, bene ipsi erit.* Profecto si quem vitæ & felicitatis bonum potest commovere, huc suas cogitationes, conatusque debet componere, ut officio rite defungatur. Enimvero cum tantum inde commodum dependeat, non perfunctorie illud cognoscendum & exercendum est, ne quis negligenter aut male agens excidat sperato bono.

B. Hacpropter Moses *Declarationem* addidit Officii, vers. 2. cujus tria membra consideranda, Objectum, Actus & Ratio confirmans. Duo priora antea fuerunt indicata, sed nunc explicantur; tertium autem additur, sed ut aliquid etiam lucis addat, non minus quam efficaciæ.

א. *Objectum* est *verbum, quod ego præcipio vobis:* antea dixit, *Statuta & judicia, quæ ego doceo vos.* Gemino vocabulo ante fuit usus, & alias triplici, quæ omnia uno Verbi complectitur, quia est commune instrumentum enunciandi omnia, ut sensus noster aliis innotescat. Verbum autem est qualis ille, qui sensus suos per illud exprimit, Dei vel Angelorum vel Hominum, adeo ut qui illud audit, cognoscat loquentis sensum, Ps. 147: 19, 20. *Indicavit Jacobo sua verba, sic non fecit ulli populo,* Rursum à materia verbum accipit denominationem, est verbum veritatis & mendacii; est mandati & interdicti, promissionis & comminationis, absolutionis & condemnationis. Heic mandatorum omnis generis, quibus facienda & omittenda, nec non speranda & metuenda comprehenduntur aut cohærent. Dixerat de illis, *quæ ego doceo vos;* ast nunc, *quod præcipio vobis.* Tribuerat sibi munus docentis, ast heic præcipientis. Videtur istud excedere potestatem quam homines habent. Agitur h. l. de ejusmodi verbo, quo continetur religio, unde non tantum felicitas terrena fluat, sed cœlestis & æterna. Istius Verbi doctores possunt esse homines, verum nequeunt esse Imperatores. Doctores indicant, suadent quid credendum & faciendum, Joh. 6: 45. ast Imperatores illud ipsum jubent. Unde Paulus 2 Cor. 1: 24. *Non dominamur fidei vestræ, sed sumus cooperarii gaudii vestri.* Gaudent quando persuaserunt fidem, sed non possunt eam imperare, ut ad mandata eorum & autoritatem simpliciter sequatur. Hoc qui suscipit, involat in jus Dei, qui solus eam habet potestatem in corda & conscientias; & inter homines hæc est tyrannis Antichristiana. Deus annunciat omnibus ubique, ut resipiscant μετανοεῖν Act. 17: 30. Sed etiam præcipit, Esa. 55: 4. *Ecce dedi illum testem populorum, ducem & præcipientem populorum* de Messia: quia illi data est omnis potestas in cœlo & in terra Matt. 28: 8. Verum de Apostolis ejus, vers. 19. s. μαθητεύσατε, & *docentes observare quæ præcepi vobis.* Quomodo ergo Moses ait de suo præcepto? Explicat se hoc ipso versu, *Præcepta Domini, quæ præcepi vobis.* Non erant sua præcepta, quæ ex se commentus fuerat, sed Dei, eoque ipse tantum minister. Attamen dicitur, *Moses nobis præcepit legem hæreditatem congregationi Jacobi* Deut. 33: 4. contra Deus Mal. 4: 4. sed hic explicat, fuisse internuncium suum ad totum Israelem; quod petierunt deprecati Dei alloquium immediatum, ut de Sinai, unde Deus eis dedit Mosen internuncium, quo cum omnibus audientibus locutus est, ut in perpetuum ipsi crederent Israelitæ Exod. 19: 9. qui proinde ut fidelis servus in tota domo Dei præcipiendi jus habuit, Deo per illum jubente; idemque promisit alium internuncium Messiam, quo cum etiam locutus est audientibus aliis, ut ei crederetur Matt. 17: 9. quamobrem & ipse præcipiendi jus habet ut filius super domum propriam, Deo per ipsum jubente Joh. 12: 49. s.

Habent ergo hi duo speciali titulo jus mandandi, non sua, sed Dei mandata: attamen & alii, quando horum mandata inculcant. Matt. 23: 2, 3. in cathedra Mosis sedentes, siquidem hujus verba sonarent, mandare poterant, & fuit parendum mandatis. Neque aliter discipuli Christi. 2 Pet. 3: 2. *Memores estote nostri mandati, qui sumus Apostoli Domini & Servatoris.* Hisce enim dedit Spiritum S. qui duceret in omnem veritatem, & de suo sumeret ipsisque indicaret, atque in memoriam antedicta revocaret Joh. 16: 13. Cap. 24: 26. habuerunt proinde in se loquentem Christum 2 Cor. 13: 3. & Spiritum Christi 1 Cor. cap. 7: 40. & misericordiam à Domino ut fideles essent, vers. 25. adeo ut quæ scriberent, essent præcepta Domini. cap. 14. 37. qui Apostolos secuti sunt, & sequuntur adhuc, tantundem authoritatis non habent, quamquam Papa Romanus & Concilia sibi id arrogent, quibus id tribuendum, quod dicitur Ps. 94: 20. nil mandare possunt, cum tantum ministri sint per quos creditur 1 Cor. 3: 5. qui nullam habent ex se idoneitatem, vel ut comminisci aliquid queant, vel ut illud proponere. Illud est in nomine suo venire Joh. 5: 43.

iſtud venire in ſapientia & eloquentia humana. 1 Cor. 1: 17. Cap. 2: 1. ſ. ſed à Domino omnia accipienda Cap. 11: 23. cap. 15: 3. tum res quas Spiritus S. notificat, tum ſermones rebus exprimendis quos idem docet Cap. 2: 12, 13. Quod quiſquis facit, uti Legati munus implet, quia inſtructioni ſuæ adſtrictus eſt, neque eo titulo quicquam loquitur, niſi quod loqui juſſus eſt, & ſcripto conſignatum habet, ita Deus per ipſum rogat, 2 Cor. 5: 20. cujus nomine rogat, & per ipſum quoque mandat, cujus nomine & verbis mandat. Quocirca doctoribus omnibus loquendum ut eloquia Dei 1 Pet. 4: 11. quomodo patebit ex Deo ipſos eſſe, quæ probatio Spirituum 1 Joh. 4: 1. Qui ex Deo eſt, audit verba Dei Joh. 8: 47. & ſic loquitur verba Dei, verſ. 40. 42. & ℣. 26. Quod ut fiat, ex Scripturis omnia ſunt mutuanda Matt. 28: 20. mandata iſta nuſpiam nunc petenda, quam ex Scripturis & inde ſi ſumantur, poſſunt docere, & mandare quoque, uti Legatus mandat ſubditis ſui Principis, ad quos miſſus eſt; atque hoc mandatum habet efficaciam, tum ratione imperii, tum ratione ſucceſſus, *Ego ſum vobiſcum uſque ad conſummationem ſeculorum.* Cum verbo Apoſtolorum ut præcipiens gentibus, qui poteſtatem habet etiam convertendi & imperandi fidem.

Hoc nomine etiam ſunt æſtimandi, veniunt cum verbo mandati. Magni ſiunt in mundo, qui ſunt de Regimine ejus adminiſtri, etiam quando nihil poſſunt præcipere, ſed tantum mandata ſuperiorum proponere, obſequiumque poſtulare. Aſt hi habent idem, non à mortalibus dominis, ſed ab immortali Deo; qui cum faciem Principum non reſpiciat, & divitem præ paupere non agnoſcat, quia pariter ſunt opus manuum ſuarum, Job. 34: 19. hinc iſtos conſtituit contra Reges & Principes, & Sacerdotes, & populum terræ Jer. 1: 18. jubetque, *Surgite, audiant montes vocem veſtram* Mich. 6: 1. & cum montes & fundamenta valida terræ, populi principes convicíſſet ingratitudinis erga Deum, tandem præcipit, ſed divina recitans, verſ. 8. *Indicavit tibi ô homo* &c. loquitur omnibus etiam maximis ceu hominibus, qui Deum audire debent jubentem, & hominem quoque, qui non niſi Dei juſſa recitat. Familiare admodum eſt in hominum ore, non eſſe quod attendant Doctoribus, non eſſe eis jus mandandi. Atque id quidem non diffitentur, neque enim ſibi dominatum quærere debent ſuper gregem Domini 1 Pet. 5: 3. Sed non ipſi ſolum mandant, Eſt qui per ipſos mandat, Deus: Annunciant verbum Dei, & qua conditione? annon ut agnoſcatur ejus dominium in Eccleſia? Sunt ipſi vaſa teſtacea, ſed geſtant theſaurum, 2 Cor. 4: 7. cujus potentia divina eſt. Deum repudiat, qui Dei verba loquentem repudiat. Mat. 10: 40. Luc. 10: 16. Habent iſti imperium hoc modo non tantum mandandi, ſed etiam inobedientes condemnandi Pſ. 149: 6. ſ. exaltationes Dei in gutture, & gladius anceps in manu, ut ultionem exerceant contra populos, & reges & æſtimatos, ut jus ſcriptum in ipſos ſtatuant, quæ gloria benignorum Dei, & 2 Cor. 10. verſ. 6. habent paratum quicquid ad vindicandam obedientiam pertinet. Hæc autoritas Doctorum. Quod docent, idem jubent; accepta à Deo docendi materia, etiam autoritatem præcipiendi accipiunt.

ב. *Actus* eſt, *Non addes ad verbum hoc neque demes de illo.* Sic v. conſtantiam & immutabilitatem verbi hujus adſtruit: Nam quod nec augendum, nec minuendum eſt, illud nequit aboleri, quæ foret maxima imminutio; neque mutari, quemadmodum fieret ſi quid adderetur, aut etiam demeretur. At heic, licet conſtantiam facile agnoſcant, qui Scripturas æſtimant, utp. cum dicatur, conſiſtere in æternum Pſ. 19: 10. & manere in æternum Eſa. 40: 8. & eſſe verbum Dei vivens & manens in æternum 1 Pet. 1: 23. & facilius eſſe cœlum & terram præterire, quam unum legis apicem cadere. Luc. 16: 17. Enimvero immutabilitas non æque videtur certa, citra additionem & diminutionem. Nam quam plurima addita legimus, Prophetarum & Apoſtolorum miniſterio; quicquid librorum eſt præter Moſis in Codice Bibliorum noſtrorum. Diminutum etiam, cum varia quæ mandavit Moſes, ſint abrogata, & Jer. 31: 31. ſ. promiſſum fœdus aliud ab eo quod ipſe adminiſtravit. Sed veriſſimum quod Moſes dixit & repetiit Deut. 12: 32. qui ſane ſi in uno mendax deprehendatur, nihil amplius meretur fidei. Non eſt quicquam addendum demendumve de verbo ipſius, quandoquidem præter ea quæ gentem Iſraeliticam attinent, ejus origines, peregrinationes, ſedes conceſſas, leges, aliaque ſingularia; omne conſilium Dei de hominum ſalute edocuit, adeo ut nihil neglectum ab eo ſit, quod veniat ſupplendum, nihil perperam dictum quod ſit immutandum. Patefecit vitam & bonum, & benedictionem, itemque mortem & malum & maledictionem Deut. 30: 15--19. & quicquid ad illud vel iſtud extremum ducit. Nihil addiderunt Prophetæ, quod adverſaretur huic mandato, ſed fuerunt teſtes doctrinæ Moſis, ut ejus autoritas tanto magis firmaretur. Eſa. 8: 20. Doctrina Moſis eſt, unde Deus ipſe denominat, & ſic ſolam æſtimari vult Mal. 4: 4. cæterorum Prophetarum eſt Teſtimonium. non autem doctrina: nuſpiam dicitur de alio Propheta quod de Moſe, תורת משה. Quod tamen Canonis autoritatem quoque habet, quia à Spiritu S. dictatum fuit. 2 Pet. 1. verſ. 19--21. Propheticus ſermo dictus eſt, quando acti à Spiritu S. locuti ſunt ſancti Dei homines: neque id indictum reliquit Moſes, quando Prophetas dixit excitandos, quibus Deus ſe manifeſtet in viſione vel ſomnio Num. 12: 6. qui etiam optavit quam plurimos tales eſſe cap. 11: 29. ſed quemadmodum ſenioribus datum eſt de Spiritu qui ſupra Moſen erat, verſ. 17: 25. ita quoque eundem Spiritum fore in omnibus; 1 Pet. 1: 11. qui utique ſibi ipſi nunquam contrarius eſt, quia Spiritus veritatis. Nihil addiderunt Apoſtoli quod adverſaretur, cum nihil dixerint, quam quod Moſes & Prophetæ Act. 26: 22. nihil aliud credíderint cap. 24: 14. nam ipſum quoque Chriſtum annunciavit Moſes Joh. 5: 46. ſ. Act. 26: 27. ſ. Prophetis credens ille fiet Chriſtianus. Moſes ſcripſit juſtitiam quæ ex fide eſt, verbum fidei quod prædicant Apoſtoli Rom. 10: 6. ſ. Quamobrem neque Apoſtoli aliquid addidiſſe dici poſſunt, qui pariter teſtes ſunt 1 Joh. 2: 7. ſ. Hæc ſubjungit hortationi, ambulandum eſſe uti Chriſtus ambulavit, ut in ipſo eſſe appareat. Vetus iſtud eſt mandatum, inde à principio, Gen. 3: 15. inimicitia exercenda cum ſerpente, quia ſemen mulieris cum eo bellum habet; & hoc novum eſt, poſtquam in exemplo Chriſti pugna iſta probata eſt, in qua tenebrarum princeps ſuperatus eſt, adeo ut poteſtas ejus magis magisque aboleatur, & contrariæ lucis regnum extendatur. Diminutionem quisquis urget, ille quamcunque veram dicit, eopſe probat nullam eſſe diminutionem, quandoquidem Moſes ipſe eam docuit. Quæcunque mandavit, ut forent pædagogus ad Chriſtum; omnes illi ritus quos præſcripſit, poſtquam Iſrael factus erat ſub lege, ſua obligatione de obſequio propriarum virium, (quæ doctrina Moſi quadantenus fuit propria, quatenus internuncius & mediator fœderis Sinaitici,) ea docuit ceſſatura, Meſſia docturo doctrinam aliam Deut. 18: 18, 19. non abſolute, ſed ſecundum quid, Joh. 1: 17. etiam Moſis doctrina fuit gratiæ, cerimoniæ illæ nihil aliud loquebantur, ſed fuit gratia umbratilis: aſt Chriſtus veram attulit, & conſtantem, cum illa ſæpius eſſet repetenda, utp. inutilis ad rei præſtationem Heb. 10: 1. ſ. Docuit etiam fœdus novum, de quo Jeremias, Deo, quod non fecerat vi Sinaitici fœderis Deut. cap. 29: 4. facturo tandem Deut. 30: 6. quomodo Iſraelitæ futuri erant ſub gratia & juſtificandi per Chriſtum quod non dabat lex fœderis ipſorum Deut. 30: 12. ſ. Docuit etiam Gentiles eſſe advocandos ad Chriſtum ejuſque ſalutem Gen. 12: 3. ut tamen manerent diſtinctæ familiæ, uti inter ſe, ita etiam ab Abrahami; ſubditos fore Meſſiæ Gen. cap. 49: 10. & juxta cum Iſraele glorificaturos Deum, Deut. 32: 43. Qui Gentiles non audiunt aliam doctrinam, Eſa. 2: 3. ſed quæ in Zione fuit, ad ipſos quoque exit; exſpectant autem doctrinam Meſſiæ, Eſa. 42: 4. quatenus veritatem gratiæ habet. Manet proinde nihil addendum nihil demendum, quoad doctrinam Moſis: quod tamen extenditur ad cæteros θεοπνεύστους ſcriptores, quia nihil aliud docuerunt, ut ab ipſis ſanctiſſime fuerit obſervatum hoc mandatum: cum omnia ipſorum tantum ſint teſtimonium, ita ſe habere, & ſic factum quoque eſſe quemadmodum futurum prædixerat. Act. 26: 22. & quodcunque ſcripſerunt inſtinctu Spiritus S. fecerunt. 1 Tim. 3: 16. quod etiam de N. T. ſcriptoribus intelligendum eſt, 1 Cor. cap. 14: 37. juſſique teſtari ut Prophetæ. 1 Pet. 1: 11. Sic ipſi Joh. 15: 26, 27. uſque ad conſummationem ſeculorum

rum Mat. 28: 19. ſ. Luc. 24: 47. & ad fines terræ; adeoque & poſt mortem per ſua ſcripta 2 Pet. 1: 15. unde prophetæ & apoſtoli ſociantur, cap. 3: 3. Eph. 2: 20. De quibus omnibus valet Prov. 30: 5,6. *Omnis ſermo Dei eſt conflatus*, (inſtar auri igne depurati Pſ. 12: 7. & 18: 31.) *ne addas ad ejus verba, ne te redarguat, & mendax deprehendaris*, &c. Apoc. 22: 18. ſ. *ſi quis addiderit ad verba libri hujus, addat Deus ipſi plagas, hic ſcriptas, & ſi quis demſerit, demet ejus partem ex libro vitæ.*

Peccant ergo hic I. addendo, qui libros Apocryphos V. T. addunt, ſub titulo Canonicorum vel Deuterocanonicorum, cum eorum autores loquantur alia à Moſe, neque à Spiritu ſancto profecti ſint, qui Moſi dedit loquenda. Item qui Symbola & confeſſiones Eccleſiarum dicunt Normam ſecundariam ut N. T. addi mereantur; cum tamen non fuerint acti à Spiritu ſancto, ut Moſes, qui eas ſcripſerunt, & non ſint opus θεόπνευστον, cum θελήματι ἀνθρώπων ſint introducta, & ἰδίαν ἐπίλυσιν habeant, 2 Pet. 1: 20, 21. Unde formulæ iſtæ olim dictæ formulæ conſenſus, cum negatione eſſe normas ſenſus, quæ à Deo ſolo per θεοπνεύστους dari poteſt. Denique qui Traditiones non ſcriptas, aut ſcriptas laudant, ſive nova dogmata ſanciantur, ſive ſancita in Scriptura nova interpretatione circumſcribant, quando timor Domini ſit præceptum hominum eruditum Eſa. 29: 13. & Dei mandata violantur, vel ſubſtituendo alia, vel ea humana autoritate ſtabiliendo. Matt. 15: 3. ſ. Cujuſmodi additionem refutavit Chriſtus Mat. 5: 21. ſ. II. Peccant demendo, qui Moſen cæteroſque Veteris Teſtamenti libros partem Bibliorum inutilem dicunt, & fere nullius uſus, niſi ad Judæorum inexcuſabilitatem citra libros Novi Teſtamenti qui ſint ſanctiores. Atque illud *Tota Scriptura* θεόπνευστος & *utilis eſt* 2 Tim. cap. 3: 16. dicebatur potiſſimum de Moſe & Prophetis, quas Scripturas à pueris norat Timotheus; Chriſtus doctor ille magnus alter, V. Teſt. commendavit Judæis, ut ſalutem & ſe cognoſcerent Joh. 5: 39. 46. Similiter Petrus 2 Pet. 1: 19. Verum etiam Gentilibus Paulus Rom. cap. 15: 4. Cap. 16: 26. & fundamento non minus Prophetarum quam Apoſtolorum dixit inædificandos Eph. 2: 20. Manet Moſes ejuſque doctrina in ſua autoritate, citra additionem & diminutionem, quandoquidem ipſe Chriſtus (qui teſtimonio hominum non utitur, ceu cujus gratia ſit æſtimandus ne quidem Johannis,) provocavit ad Scripturas & Moſen, atque ſic ejus autoritatem in perpetuum ſtabilivit, Joh. 5: 33. ſeqq.

At enim quæ hactenus dicta reſpiciunt tantum actum primum quem exegerat cognitionem. Eſt actus quoque alter praxis, qui pariter hic accipit regulam, *Non addes, nec demes.* Scripſit Moſes regulam vivendi, non minus quam credendi. Sunt quidem iſtæ aliquatenus propriæ Iſraeli, uti nuper diximus; ſed præter illas proprias, & in illis quædam ſunt, quæ omnes fœderatos Dei attinent. Quicquid Decalogo imperatum eſt, ſi eſſentialia attendamus, vim habet æternæ legis in Eccleſia, & de qua nulla eſt diſpenſatio. Sic quod Deus fœderatus pollicetur, *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Sic quod à fœderatis præſtandum, à Moſe compendio dictum Deut. cap. 18: 13. ſimillimum illi Gen. 17: 1. quod decem præceptis concluſum eſt: etiam quartum, cum non dicat diem ſeptimum, nec primum, ſed diem quietis Sabbathi, ſanctificandum eſſe. Peccatur tamen varie hic I. Addendo. Col. 2: 21. ſ. ἐθελοθρησκεία & ἀφειδία σώματος, *quæ nullius pretii, imo faciunt ad carnis ſatietatem.* Hujuſmodi additiones Moſes prohibuit Num. 15: 39. Et ſæpius quando Gentilium moribus vivere vetuit; uti etiam legibus Majorum propriis interdictum eſt Ezech. 20: 18. ſ. Cujus criminis neutiquam reus eſt Chriſtus, quem nonnulli correxiſſe, & ampliaſſe legem Moſis vociferantur. Falſum illud dicit ipſemet Matt. 5: 17. ſ. qui juſtitiam poſcit abundantiorem non ea, quæ à Moſe imperata, ad cujus legem revocat; ſed quæ à Phariſæis & Scribis exercita. Sed convincuntur Pontificii, qui innumeras addunt leges vitæ ſanctioris, quibus etiam Deum conſtituunt debitorem, ut non ſibi ſaltem, ſed etiam aliis propter ſe teneatur dare ſalutem. Convincuntur omnes alii, qui obſervatiunculis humanæ ordinationis ſe Chriſtianos meliores notæ fieri rentur. Profecto ſi quid aliud placeret Deo, non neglexiſſet mandare; quicquid v. non mandavit, eopſe reprobavit Jer. 7: 31. de liberorum ſacrificio, in quo major cultus conſtituebatur Mich. 6: 7. *Non præcepi illis, neque adſcendit in cor meum.* Non tamen ſic damnantur circumſtantiarum cultus leges; de loco & tempore conventuum ſacrorum, ſimiliumque, quæ Iſraeli poſt propriæ datæ Exod. 20: 24. in omni loco, ubi memoriam nominis mei collocavero, veniam ad te, & benedicam tibi. Ubicunque ergo id vel publice fit, vel privatim licite exercetur, ut Chriſtus explicat Joh. 4: 21. ſ. Matt. 18: 19, 20. & 1 Tim. 2: 8. quemadmodum olim factum à Patriarchis, ut hic ſequamur Moſen, etiam cum ſequimur Chriſtum, ejuſque Apoſtolos, quem Moſes audiendum dixit. II. Sed gravius frequentiuſque peccatur demendo; dum unuſquiſque propemodum ſibi fingit exceptiones, ut ad iſtud verbum non obligetur ulterius, quam ſibi ipſi fuerit viſum. Eſt generalis exceptio, non exigi à Chriſtianis eodem rigore obſequium, uti à Judæis, quod verum eſt quatenus hi ſub lege; non poſtulatur à Chriſtianis, ut ex ſe ſuiſque viribus præſtent, quia non ſunt ſub lege. Sed alias æque poſcitur. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* &c. Deut. 6: 5. & *proximum tuum ut teipſum* Lev. 19: 18. etiamnum obligant Chriſtianos quoad omnem rigorem, nec iſtic licet dimidium cordis, animæ, virium Deo impendere, nec hic proximum minus quam ſeipſum diligere. Etiam nunc ambulandum eſt cum Deo, & integritas exercenda Gen. 17: verſ. 1. incedendumque per veſtigia Abrahami non tantum quoad fidem Rom. 4: 12. ſed quoque quoad vitam Gen. 26: 3. quod imperavit filiis ſuis naturalibus cap. 18: verſ. 19. & pariter tenentur exemplares. Quin etiam nunc imitandus, ut ſancti ſimus, quia ipſe Deus ſanctus 1 Pet cap. 1. verſ. 14, 15. quod toties à Moſe inculcatum Levit. 11: 44 Cap. 19: 2. Cap. 20: 7. Imo major nunc obligatio, cum ſint ſub gratia Rom. 6: 14. quæ vires ſubminiſtrat. Sed plurimi non curant quomodo obſequendum ſit, & unde petendæ vires, ut præſtent; verum curant quomodo declinent obſequium, & perſuadeant conſcientiæ ſuæ ſe non teneri. Sufficere, ſi audiant Chriſtum concionantem in plateis ſuis, coram eo edant & bibant Luc. cap. 13: 26. Vocent eum Dominum cap. 6: 46. licet ſint operarii iniquitatis. Si blandiantur miniſtris verbi, & ſedeant audiantque magno cum zelo, licet cor ſequatur auaritiam cæteraſque cupiditates, & nihil dictorum faciant Ezech. 33: 30. ſ. Si abſtineant ab iis peccatis, à quibus abhorrent naturaliter, & ratione temperamenti, vel educationis, unus à temulentia, alius à ſcortatione, alius ab injuſtitia &c: Verum excepta eſt cupiditas propria, ut Herodis Herodias, & Saulis Agag, & pinguia Amalekitarum Luc. 18: 11. ſ. non ſum ut alii homines, qui ſcelera patrant, aut clandeſtinas fraudes, facio inſignia pietatis exercitamenta; ſed ſuperbia ſe efferens proximum condemnans aderat, & placebat. Saltem ab ἀκριβείᾳ excuſari volunt, & ut alii ſint quam extranei ab Eccleſia, vel qui inſtar extraneorum vivunt. Innumera horum multitudo, & quis propemodum exſors culpæ, ut in alios lapidem conjicere poſſit, ne in proprium caput redeat? Enimvero aliud poſcit Moſes. Non unum alterumve, ſed omnia obſervanda, Deut. 12: 32. *Omne hoc verbum quod præcipio vobis, facietis, non addetis neque demetis.* Nam Jac. 2: 10. ſ. *qui ſervat totam legem, & in uno impingit, reus eſt omnium; qui enim dixit, Non mœchaberis, etiam dixit, Non furaberis:* & autoritas Dei non minus in uno quam in altero vilipenditur. Non ſolum externam ſed etiam internam obedientiam poſcit, adeo ut nullam cupiditatem toleret, Deut. 10: 16. quod licet Iſraelitis ipſis imperet, pro ratione ſuæ ſtipulationis fœderalis, tamen indicat neceſſitatem hujus conditionis, quam à Deo præſtandam promittit cap. 30: 6. eoque inde arceſſendam fide. Poſcit ἀκρίβειαν, qui etiam in caſtris, ubi major exercetur licentia, abſtineri vult ab omni re mala, etiam corporeas ſordes cavendas, ne Deus offendatur viſa turpitudine aliqua & diſcedat, Deut. 23: 9. ſ. multoque magis peccata, quæ Chriſtus Angelus Imperator non ſit laturus Exod. 23: 20. ſ. ſcl. *Qui minimum ſolverit præceptorum*

rum

rum Dei, minimus erit in regno cœlorum. Matt. 5: 19. h. e. nullus erit. Quocirca obſervandum, ut agatur juxta totam legem Moſis, quam præcepit, non declinando inde dextrorſum vel ſiniſtrorſum, ut prudenter proſpereque agatur quocunque quis iverit Joſ. 1: 7.

3. *Ratio confirmans* eſt, *ut cuſtodiatis præcepta Domini Dei veſtri, quæ vobis præcipio.* Moſis mandata ſervando, ſervantur Dei mandata, quia hæc ſolum Moſes præcepit. Sic Judæi Joh. 9: 28. ſ. *Sumus Moſis diſcipuli, ſcimus Deum Moſi locutum eſſe.* Ante monuimus doctoribus ut docendo præcipere queant jure, nil docendum aut præcipiendum eſſe, niſi quod Deus præcepit. Aſt hic ad ſecuritatem auditorum, facienda quæ Moſes præcepit, quia tunc Deo obſecuti erunt. Paulus monet 1 Cor. 7: 23. Emti eſtis pretio, ne eſtote ſervi hominum, quod fit ſi horum præcepta vel autoritates ipſorum recipiamus. Proinde attendendum ſemper ad legem & teſtimonium &c. Eſa. 8: 20. nullis mortuorum ſermonibus attendendo. Luc. 16: 29. ſ. 2 Pet. 1: 19. firmior iſte propheticus, quam ille extraordinariarum viſionum, quæ alicui obtigerunt. Si Moſis & teſtium qui ipſum ſecuti ſunt veterum novorumque audiverimus ſermonem, hic obſequendum eſt. Commendantur Theſſalonicenſes 1 Theſ. 2: 13. quod acceperint ſermonem prædicationis Paulinæ, non ut hominum, ſed uti vere erat, ut Dei ſermonem & fructum conſecuti dicuntur. Fuit enim Theſſalonicæ ſermo Pauli, ut ex Scripturis ageret, explicando, & ob oculos ponendo ex illis Jeſum eſſe Chriſtum illum Act. 17: 2. ſ. & magis Beroenſes, qui audito Paulo non ſtatim ſunt aſſenſi, ſed recepto ſermone cum omni manſuetudine quotidie ſcrutati ſunt Scripturas, an hæc ita ſe haberent, verſ. 11. Sic faciendum nobis, & credemus non hominibus ſed Deo; obtemperabimus non hominibus ſed Deo; habebuntque præcones honorem debitum, tanquam Legatorum Dei & miniſtrorum, per quos adducti ſumus ad Deum ipſum, ad ipſorum noſtrumque ſolatium, gaudium & ſalutem.

Verſ. 3. *Oculi veſtri* ſunt, *qui viderunt quæ fecit Jehova propter Bahal-pehorem: nam omnem virum qui ſequutus eſt Bahal-pehorem perdidit Jehova Deus tuus è medio tui:*

Verſ. 4. *Vos autem qui adhæſiſtis Jehovæ Deo veſtro, vos* inquam *omnes vivitis hodie.*

Sequitur *Experientia:* nam duo ſunt ſenſus eruditi, ſeu qui faciunt ad percipiendam doctrinam, Auditus & Viſus: ille alios magiſtros agnoſcit, & quæ dictant menti repræſentat; iſte ſibi ipſi magiſter eſt & doctor. Ille nititur teſtimonio alieno; iſte experientia, adeoque proprio. Quamobrem iſte certior, unde oculatus teſtis unus præſtat auritis decem. Samaritani crediderunt primum mulieri, quæ Meſſiam loquentem viderat & audierat, ſed ubi ipſimet habuerunt per biduum præſentem ſibi, non alieno amplius mulieris teſtimonio niti volunt, ſed propriorum oculorum experientia. Veruntamen in rebus fidei & ſalutis potiſſimum valet auditus Rom. 10: 17. quia eſt de rebus quæ viſui cujuſcunque non offeruntur Heb. 11: 1. 1 Cor. cap. 2: 7. 9. ſed accipienda ſunt à teſtimonio aliorum, qui viderunt, Rom. 10: 14. ſ. Joh. 1: 11. cap. 3: 11. Joh. 15: verſ. 27. 1 Joh. 1: 1. neque alii ſunt Apoſtoli Chriſti, niſi qui αὐτόπται fuerunt τοῦ λόγου Act. 10: 40. ſ. Interdum autem Viſus quoque adhibendus eſt, quando Deus adminiſtrationis ſuæ edit exempla illuſtria, & ſuam voluntatem quodammodo oculis noſtris ingerit, ut quid faciendum fugiendumve ſit omnibus ſilentibus diſcamus. Fuit hæc communiſſima inſtitutio Dei. Pſ. 19: 24. ea uſus eſt erga gentiles, quibus negavit verbum ad aures implendas doctrina Pſ. 147: 20. unde ipſorum fuerunt ignorantiæ tempora Act. 17: 30. iis conceſſit ſua opera ad implendos oculos Act. 14: 16, 17. Cap. 17: 25. ſ. Sed inde à lapſu hominum iſta inſtitutio non ſufficit ad ſalutem. 1 Cor. 1: 21. in ſapientia Dei mundus non cognovit Deum per illam ſapientiam. Amiſſus eſt Deus ex cognitione, & facti ſunt gentiles athei in mundo Eph. 2: 12. Quocirca neceſſaria evaſit inſtitutio ad aures, quam Deus delegit, ut per ſtultitiam prædicationis ſervet credentes. Sic tamen ut nonnunquam etiam oculis præbeat exercitium Pſ. 48: 9. *Uti audivimus, ita vidimus.* Hoc modo fit in textu. Moſes initio cohortatur ad auditum, verſ. 1. Sed nunc quoque provocat ad viſum, ut diſcerent quæ erant ſalutaria. Commendaturus enim doctrinam, quam tot annis ſui miniſterii inculcarat, & nunc compendio erat repetiturus, primum argumentum ducit ab utilitate. Officium præſcribit audiendæ & faciendæ voluntatis Dei, quam ipſe docuerat pollicitus vitam, quæ perennans futura erat, Dei nempe & beatitudinis, & poſſeſſionem Cananææ quæ ſine corporali vita non poterat adiri, aut haberi. Illud autem officium declaravit, adſtrictum eſſe ad regulam verbi Domini, ut neque in cognitione, neque in praxi additionem aut diminutionem admittat, alioqui non amplius futurum erat mandatum Dei, cui uni obſequium iſtud debetur. At nunc promiſſum ex oppoſitis illuſtrat, quantum tunc temporis fieri poterat, ab ipſorummet & experientia commodi obedientiæ & contrarii incommodi inobedientiæ ad quam provocat. Proponit autem in genere, verſ. 3. tum in ſpecie inſtituta diſtributione declarat, verſ. 3.

A. *Propoſitio* eſt, verſ. 3. *Oculi veſtri videntes illi ſunt, quid Deus fecerit propter Baal Pehorem.* Provocat ad teſtimonium oculorum propriorum, quando Deus ante noſtros aliquid facit, id ipſum facientem debemus intueri, & intuitus meminiſſe. *Videntes* dicit *oculos*, qui antea viderant, nam præterierat iſtud judicium. Sic Deut. 3. 21. ad Joſuam: *Oculi tui vident, quicquid Dominus Deus veſter duobus illis regibus fecit.* Exod. 19: 4. ad Iſraelitas omnes, *Vidiſtis quæ feci Ægyptiis, quomodo vos geſtavim alis aquilinis, & vos ad me adduxerim.* Etenim Deus nec fruſtra dedit oculos, verum ut iis videantur quæ objecta ſunt, neque fruſtra operatur ante oculos, verum ut hæc ipſa, quæ facit, videantur. Videantur autem non ut à brutis, quæ non habent intellectum, ſed ut mente perpenſis quæ oculi viderunt, Deus ejuſque inviſibilia cognoſcantur. Rom. 1: 20. Hujuſmodi nuſpiam deſunt, cum tota terra plena ſit bonorum Dei, qui omnia mirabiliter fecit Pſal. 104: 24. cœlum, terra, mare, & quicquid in illis eſt; quæ ſuppeditant inſtitutionem Deitatis & potentiæ Dei, Eſa. 40: 25. ſ. Sic nuſpiam ſumus, quin infinita ſe ingerant noſtris oculis, quæ Deum nobis contemplandum ſuppeditent. Matt. 5: 45. Aſt quandoque ſunt ſingularia quædam Dei opera, quæ ſpecialem intuitum poſcunt. Omnia Dei beneficia & judicia hujus ſunt ordinis, Pſal. 58: 11. ſ. *Juſtus gaudebit, quando videt ultionem Dei contra impios; & dicet homo, utique fructus eſt juſto; utique Elohim ſunt judices in terra.* Eſa. 26: 9. *cum judicia tua ſunt in terra, incolæ mundi diſcunt juſtitiam.*

Eſt v. dolendum, quod multorum oculi non videant, quæ & poſſent & deberent videre. Eſa. 26: 10. ſ. *Impius injuſte agit in terra rectitudinis non intuetur altitudinem Domini. Domine ſublata manu tua non vident.* Sive Deus majeſtatem ſuam oſtendat benefaciendo liberaliſſime, ſive ſuam potentiam, puniendo ſeveriſſime coram ipſorum oculis non attendunt; quod quidem ex pertinacia in malo eluceſcit. Eſa. 22: 11. Bello graviſſimo terrente, & premente, non ſuſpicietis ad facientes iſta, & formantem iſta à longe non attendetis; imo quo juſtior cauſa luctus, eo major amor & cura voluptatum. Et quid familiarius etiamnum. Quam multa facit Deus coram oculis noſtris, & communia & particularia, & quis videt? Hab. 1: 5. Factum id eſt circa Belgium; poſteritas non credet, tam ſubito proſtratam fuiſſe gloriam omnem. Sed nos, quorum in diebus quibus videntibus facta ſunt, non videmus. Dicendum cum Propheta Jer. 5: 21. ſ. *Audite, & qui habentes oculos non videtis, & habentes aures non auditis* &c. Talia non videmus, non vitio oculorum, ſed cordis, quod deeſſe dicitur, quia ſapientia deeſt, & quia rebelle eſt, à Deo averſum. Mare nobis propinquius, quam Judæis, & vim ejus frequentius experimur. Pluviæ negatæ, vel nimium effuſæ itidem habemus ſenſum; ſed par eſt incorrigibilitas. Enimvero ve-

ren-

rendum, ne quod videre nolumus, aut negligimus, cogamur videre, Eſa. 26: 11. *Videbunt, & pudefient, & ignis abſumet adverſarios tuos.* Eoque nunc adhuc videamus. Prov. 22: 3. Qui videt ſublatam manum feriturum, poteſt ſe ſubducere, qui non videt eminus, nequit declinare. Aſina Bileami videns Angelum declinavit, ſed Bileam non videns proximus fuit exitio. Videamus & nos. Multos ictus potuiſſemus declinaſſe, ſi vidiſſemus, non fugiendo, ſed apprehendendo reſipiſcentia fideque elatam Dei manum & pacem faciendo. Verum non videntes ſenſimus, & ſentiemus donec exſcindamur. Oculos dedit Deus ad videndum, nonne damnamus iſtud Dei beneficium, ſi non utamur? Oculus non videns, non eſt oculus. Equidem ſunt ubi non videndum; laudatur qui oculos claudit, ne videat malum Eſa. 33: 15. qui averti oculos optat, ne videat vanitatem Pſ. 119: 37. qui effodit oculum, hoc eſt, ſibi ejus uſu interdicit, ut ſit quaſi non eſſet amplius ne offendiculo ſit Matt. 5: 29. Verum id demum valuit ex quo peccatum introiit mundum, opus diaboli & hominis proprium. Aſt opus Dei uti ſemper bonum, ita ſemper intuendum, ſi oculis objiciatur, ut exinde Deum agnoſcere & laudare queamus, & timere.

Atque hic inprimis obſervanda ſingularia, quemadmodum hic *quæ egit Deus propter Baal & Pehorem.* Nihil in mundo eſt, ubi Deus non ſcribat aliquid ante oculos hominum, quod legant, & inde diſcant; ſed in ſingularibus operibus majores quaſi literas ſcribit, quas illi quibus objiciuntur ſigillatim habent conſiderandas, & Scripturam illam perdiſcendam. Id quod fecit propter Baal Pehorem, attinebat ſolos Iſraelitas, unde his meditandum; & quod fecit Deus in Belgio Belgis. Eſtque hic conſideratione dignum, Moſen inculcare memoriam eorum quæ propter Pehorem facta, cum tam multa alia accidiſſent, pariter iſtud docentia, damnoſam eſſe inobedientiam. Cauſa eſt, quia recentiſſimum hoc judicium, & quæ noviſſima, habent memoriam magis præſentem; ſed inprimis quia morabantur in valle è regione Beth Pehor. Eminus videbant idoleum, & iſto ſigno memoriali excitari debebant ad meditationem iſtam. Ubi ſigna ante oculos, mens excitanda ad conſiderationem non minus ac memoriam eorum quæ ſignificant. Hacpropter memorialia nomina locis impoſita, ut ſuggereret occaſionem reminiſcendi & meditandi, quæ iſtic geſta eſſent ſive mala & triſtia, Tabhera & Kibhroth Hattaava, ſive bona & proſpera, Eben Haezer; Selah hammachlekoth. Profecto quoties hanc Urbem intuemur, quia Deus eam fecit quodammodo in ſignum & prodigium, ut hic hoſtes ſiſterentur, nonne meditanda Dei beneficia? At ſigillatim in S. Cœna, quando videmus panem fractum & poculum effuſum ſigna corporis & ſanguinis Chriſti, imo inſignita nominibus corporis & ſanguinis ipſius, quia ſigna ſunt, nonne ad meditationem excitamur quæ Deus fecit? Quod Chriſtus Jeſus factus ſit hoſtia pro peccato, & expiationem conſummaverit, ut jam cibus ſit & potus, fœderis novi epulum mnemonicum. Vocamur ad iſtam meditationem, caveamus ne fruſtra vocati ſimus, ſed ubi venerimus, meditati accedamus, & quod ad recordationem inſtitutum videmus, illud læta grataque voce annunciemus, mortem Chriſti.

Cæterum quid illud ſit propter quod Deus aliquid fecit, per nomen *Baal Pehoris* indicatur. Hiſtoria exſtat, Num. 25. ſed paulo altius repetenda eſt. Decurrentibus 40. annis moræ in deſerto, cum jam abſumti eſſent omnes qui ob faſtidium terræ excluſi erant, & erepta eſſet oppugnatio hoſtium Amoræorum, duobus regibus cum omni populo ſuo exciſis, victoreſque reverſi in caſtra circa Moabitidem deeſſent, Balak rex ſibi metuit, ne & ipſe pari modo deſtrueretur, Conſilium ergo iniit cum principibus Midian, qua ratione ſe tuerentur optime. Conductus autem fuit Bileam, quod Iſraeli malediceret; ſed is invitus etiam coactus eſt benedicere: ne v. ipſi periret merces, Midianitis potiſſimum perſuaſit, ut Iſraelem invitarent ad epulas idololatricas, & ad ſcortationem cum ſuis filiabus, quo Deum haberent offenſum, & qua ipſos tuebatur, manum contra eos uſurpantem. Succeſſit conſilium iſtud; Iſraelitæ invitati ad ſacrificia deorum ipſorum comederunt, & incurvarunt ſe coram diis ipſorum, & *Iſrael copulabat ſe*, B. koppelde ſich aen *Baal Peor*, & *ſcortati ſunt quoque cum filiabus Moab.* Deus ergo iratus vehementer juſſit principes, qui hic peccarant, ſuſpendi coram Deo, & ipſemet plagam exercuit, quomodo ceciderunt 24000 de populo. Imo etiam expeditio ſuſcepta contra Midianitas, & deleti omnes tum mares, tum mulieres virum expertæ. De hac hiſtoria loquitur Moſes, ſed ut diſtincte cognoſcatur, ſequitur.

B. *Diſtributio* populi, quæ tunc fuit in ſontes & inſontes circa illud peccatum, & quid tum illis tum his evenerit.

א. *De ſontibus* ait, verſ. 3. *Nam quivis vir qui ivit pone Baal Peorem, Dominus Deus veſter illum excidit è medio veſtri.* Occurrunt hic peccatum, pœna, & utriuſque ſubjectum.

a. *Peccatum* eſt *ambulare pone Baal Pehrem, cum Dominus foret Deus ipſorum.* Fœdus cum Deo poſcit ambulationem cum Deo, ut Enoch, Noach; *coram Deo*, ut Abraham, *pone Deum*, quod itidem eſt obedientiæ. Hoſ. cap. 11: 10. *Ibunt pone Dominum*, & 1 Sam. 12: 14. *Si Dominum timebitis, & ipſi ſervietis, & attendetis ad ejus vocem, neque ori ejus fueritis rebelles, tunc eritis pone Dominum Deum veſtrum.* Verum iſti fuerunt *pone Baal Peorem.* hoc eſt, leges cultus ipſius ſecuti ſunt, ut ſaltem ejus aliquid facerent, comedentes idolothyta ſcientes, incurvantes ſe, adhæc ſcortatione ſe polluentes. Fuit itaque gemina ſcortatio corporalis & ſpiritualis; nam idololatria eſt ſcortatio in iis qui fœderati fuerunt Deo ſaltem extrinſecus, quemadmodum frequentiſſime apud prophetas repræſentatur, & qui idola colunt, diſcedunt à Deo ſcortando ſe applicantes idolis, unde longinqui & ſcortantes ſynonymos uſurpantur Pſ. 73: 27. Et fuere hic gradus peccatorum, fuit ſcortatio, quæ ad cultum idoli faciebat, fuit epulatio, fuit incurvatio: de nemine quidem memoratur quod ſacrificium obtulerit, attamen omnes pone Baalem iviſſe dicuntur: quemadmodum intueri mulierem, ut eam concupiſcas, adulterium eſt coram Deo ſic aliquid vel minimum feciſſe idolo; genuflexiſſe vel oſculatum eſſe 1 Cor. 10: 18. qui comedunt ſacrificia, communicant altari, & qui edunt idolothyta communicant altari idolorum; & cum in illis dæmones colantur, dæmonibus communicant. Idem licet nobis uſurpare de ſacrificio Miſſatico. Idolo offerunt, nam creaturam ſuam offerunt: quam ipſi fecerunt aſcham, non eſt hoſtia Dei, eoque mera idololatria. Cavendum ne quid hic habeamus commune. Ambulantes pone Miſſam deſerunt Chriſtum; 1 Joh. 2: 18. quicunque obſervant vanitates falſas, deſerunt ſuas benignitates. Sed idololatria dicitur quoque avaritia, & ambitio, & voluptas, pone iſta ambulare etiam eſt fœderis violatio Ezech. 33: 31. Matt. 6: 24. ubi fiducia figitur extra Deum, fit alius Deus vero deſerto. Et quantus idolatrarum ſic erit numerus. Siquidem geſtus quoque æſtimentur, & externa quoque communio. Verum.

Pœna heic graviſſima: autor ejus *Dominus*, qui creare poteſt inſtrumenta, atque idem *Deus veſter* fœderatus, ultionem fœderis ſumens contra rebelles. Hic perdidit, השמיד ut prorſus deſtrueret. Hebræi illum qui religionem mutat, vocant משומד, quia hujuſmodi perdendum cenſent, non ſolum corpore, ſed anima quoque; unde preces eorum, למשומדים אל תהי תקוה; quod deſtructionem omnimodam indicabit, tam futuri quam hujus ſeculi, oppoſite ad vitam in promiſſione propoſitam, corporalem, & æternam, quo facit מקרבך *è medio tui*, tam pie defunctorum quam heic viventium cœtu, Conf. Deut. 29: 21; Unde etiam cauſam ducere licet, cur hoc exemplum ſit quæſitum. Faſtidium terræ omnibus lethale fuit in deſerto, ſed ut cadavera eorum ſternerentur tantum; non omnes autem perierunt æternum: datum eis reſipiſcentiæ ſpacium, quo proculdubio aliqui uſi ſunt. Aſt hoc peccatum ipſis animabus lethale fuit; utpote ſubita plaga in peccati exercitio exſtinctis, ut ſpacium non invenerint reſipiſcentiæ. Tantum eſt odium Dei contra idola ac illos omnes, qui rei ſunt

cultus eorum. *Nam ego Dominus Deus tuus, ſum Deus fortis Zelotes, ultor* &c. dicitur in ſecundo præcepto. Et ſumma æquitatis, ut qui animam avertunt à Deo ad idola, eorum animam Deus ceu funda excuſſam longe à ſe abjiciat ad perditionem æternam. Pſ. 73: 27. Extenditur enim porro pœna ad omnes peccatores, ut idem ſubjectum ſit utriuſque Cultores Baalis ullo modo fiunt quoque conſortes pœnæ, quivis illorum exciſus eſt.

Obj. Ubi ergo iſtud excidium non ſequitur in populo Dei, ibi non eſt damnabilis idololatria? Reſp. Ubicunque eſt idololatra, qui in eo cultu perſeverat citra reſipiſcentiam, ibi quoque Deus eſt perdens, *Nullus idololatra hæres erit regni Dei* 1 Cor. 6: 10. & Apoc. 21: 8. Cap. 22: 15. Perdit ergo animam & corpus in gehenna. Verum in hoc ſeculo non ſemper illico deſtruit, quemadmodum exempla Iſraelitarum ſequentia confirmant; quoties fuerunt idololatræ ut vix natio proclivior; & nunquam ejuſmodi univerſale judicium exercitum, ſicut etiam nunquam ita univerſaliter punivit peccatum Sodomæ, uti in illis Urbibus. Scilicet Deus in uno quandoque punit, quod omnes ejuſdem ordinis merentur: & quod non fiat imputandum eſt divitiis longanimitatis, tolerantiæ, & benignitatis Dei, ut ad reſipiſcentiam invitet Rom. cap. 2: 4. Sic Chriſtus Luc. 13: 3. 5. Eſt enim hic inprimis notandum.

Exempla puniti peccati debent eſſe terrori, ut illud caveamus. Hacpropter recitat Moſes quid illis acciderit: periiſſe idololatras omnes; imo quia in genere Baal Pehoris meminit, etiam eos, qui ad idololatriam provocarunt, fraude & blanditiis, Bileamum & Midianitas Num. 31. Etenim Deus non tantum minatur peccatis pœnam, ſed etiam infert, ut abſterreantur exemplo, qui alias exemplis ſe duci patiuntur. Eph. 5: 3. ſ. dehortatus ab omni impuritate & avaritia, & ſermonis levitate, quia ſcortator, impurus, avarus in regno Dei & Chriſti, non habeant jus hæreditatis, addit, *Ne quis vos ſeducat vanis ſermonibus: nam propter iſta venit ira Dei ſuper filios inobedientiæ: ne ergo ſitis conſortes ipſorum.* & 1 Cor. 10: 6. ſ. Iſraelitæ inobedientes qui paſſi ſunt tanquam exempla intueri jubet, ne idem patiamur, & per aures repræſentare animo noſtro, quia oculorum teſtimonium nequit hic juvare. Similiter Chriſtus & primi mundi ſecuritatem in voluptatibus, & Sodomæorum proponit, utrobique ſeveriſſime & ex improviſo punitam, ne ſic audeamus vivere, tandemque addit, *Mementote uxoris Lot*, ne incredulitas negligentes faciat, & involvat perditioni malorum Luc. 17: verſ. 36. ſ. Profecto quandocunque judicia à Deo in mundo exercentur, quæ ad noſtram notitiam perveniunt, attentos nos eſſe par eſt. Convincit enim plagis ſuis non tantum eos qui patiuntur, qui ſæpe in iis pereunt, ſed etiam teſtes quocunque modo factos viſu adituve. Rom. 1: 81. & quod Deus manifeſtat, utique id nobis cognoſcendum proponit. Quando impuritas eſt, concipiunt homines Deum vel negligentem rerum humanarum, vel approbantem peccata, Eccl. 8:11. Pſ. 50: 21. ſed quando viſitat judiciis tum quibuſvis terrorem incutit. Solent ſupplicia ſontium in publico fieri, ut omnes metuant, & imitari nolint exemplum peccati, quod hoc modo amovetur: quemadmodum Deus ipſe mandavit Deut. 13: 11. cap. 21: 21. Ita quoque Deus ſua exercet judicia. Grave crimen eſt, ſic non eſſe emendatum, ut Beltaſari exprobrat Daniel Dan. cap. 5: 20. ſ. Abunde exemplorum ejuſmodi videre fecit nos Deus judiciorum, & circumcirca nos, & in medio noſtri. Si illis non moneamur, non emendemur, etiam nos ipſi erimus exemplum aliis. Hieroſolyma facta ut Silo, quia non emendata illius exemplo Jer. 7. & Iſraelitis univerſa ut Sodoma Deut 29. quia illius intuitu non reddita eſt cautior Ezech. 16: 56. Sequendus David Pſ. 119: verſ. 19. ſ. Sic meditatum eſſe judicia non oberit, Pſ. 1: 6. novit, id eſt, amat, adeoque benedicit viæ juſtorum; quando impiorum via perit.

ב. *De inſontibus*, verſ. 4. *Vos autem qui adhæſiſtis Domino Deo veſtro, hodie omnes viventes eſtis.* Utilitatem obedientiæ oſtendit in exemplo proprio, non qualem dixerat, verſ. 1. ſed quæ conſtituebat citra impedimentum ejus obtinendæ. Qui exciſi fuerant propter Baal Peorem, carebant poſſibilitate promiſſorum bonorum, hæc ipſis relicta erat, una cum ſpe proxima potiundæ terræ, & cæterarum promiſſionum. Eſt v. hic notandum.

a. *Factum* ipſorum, *Adhæſio Domino Deo fœderato.* Inſtitutio prima conjugii vult ſic virum adhærere uxori, דבק inſtar glutinis, ut ſint quaſi una caro. Fœdus Dei cum Iſraele fuit quaſi conjugale; populus ille uxor juventutis. Jer. 2. & 3. Eſa. 54: 6. Hoſ. 2. & 3. & Ezech. 16. & 23. quemadmodum uxor ea ratione viro adhæret, ut nullius præterea commercium habeat; ſic quoque Iſraeli erat vivendum, ne alii Deo ſe jungerent, ſed ipſius unius cultui manerent addicti. Quod cùm negligeretur ab aliis, hi non deſciverant à Deo, non acceſſerant ad convivia & epulas Peoris, ut ſpiritualem vel corporalem ſcortationem committerent. Hujuſmodi fuit propoſitum Joſuæ, licet ſine ſocio foret, omnibus deficientibus ad idola cum ſua familia adhæſurum Deo Joſ. 24: 15. Fuit exercitium 7000. in Iſraele decem tribuum, qui non flexerant genu Baali, neque oſculati fuerant eum, 1 Reg. 19: 18. Etiam nunc fœdus Dei cum Eccleſia conjugale eſt Eph. 5: verſ. 23. ſ. adeoque adhæſionem arctiſſimam poſtulat. Eſt ea externa, quando non alia cultus exercitia obſervantur, quam ipſe juſſit, cujuſmodi fuit, adhæſio Iſraelitarum; & ſic ſancti ſunt omnes, qui externe fœdere juncti conformes illi vivunt. Verum iſta eſt minima adhæſio. Arctior eſt cordis quam corporis. Deut. 10: 12. 20. *Deum tuum timebis, & ei ſervies, & ipſi adhærebis, & per nomen ejus jurabis*; quod antea dixerat: *Timebis, & in viis ejus ambulabis, & amabis, ſervieſque toto corde & tota anima.* & 1 Cor. cap. 6: 17. *Qui adhæret Domino unus Spiritus eſt cum ipſo.* In Idololatris eſt ſpiritus ſcortationum Hoſ. 4: 12. cap. 5: verſ. 24. Spiritus autem Chriſti eſt in iis qui Chriſti ſunt; quo ſine ipſius non ſunt Rom. 8: 2. 9. Adhæreamus igitur Domino, non ſolum profeſſione oris, ſed veritate cordis; inde autem patebit nos in ipſo eſſe, & ipſum in nobis, ſiquidem dederit nobis de ſuo Spiritu 1 Joh. 3: ult atque hic nos non patietur ab ipſo diſcedere, Pſal. 63: verſ. 9. *Anima mea adhæreſcit pone te, dextera tua ſuſtenta me.* nam Pſ. 73. 21.

b. *Commodum*, Conſervatio in vita. *Adhuc vos omnes hodie viventes eſtis.* Ut diximus, Peoris hiſtoria accedit poſtquam generatio illa terræ aſpernatrix abſumta eſſet; nam ſi horum aliqui tunc fuiſſent ſuperſtites inſontes licet quoad Pehorem juxta ſententiam juratam mori debuiſſent ante ingreſſum in ullam poſſeſſionem: eoque non manſiſſent hucuſque omnes vivi ad adeundum hæreditatem. Sed liberi, qui ingrediendi habebant jus, quotquot Peorem ſunt ſecuti, pariter & ſubito ſunt exſtincti: aſt cæteri univerſi ſervati in vita. Pietas habet promiſſiones vitæ etiam præſentis, 1 Tim. 4: 8. Deut. 30: 19. ſ. *Dominus Deus tuus, vita tua, & longitudo dierum tuorum.* Veruntamen non ita iſtud accipiendum, quaſi vitæ corporalis continuatio ſit merces pietatis, ut propter iſtam ſolum huic ſit incumbendum, quamquam etiam iſtam ſpectare liceat Pſ. 34: 13. 1 Pet. cap. 3: 10. tamen ea potiſſimum optanda eſt, ut adhæſionem Dei exerceamus, & reddamus firmiorem. Vivendum ut arctius juncti Deo vitæ melioris ſenſum habeamus majorem, & in ejus robore proficiamus. Vere adhærens unus Spiritus cum Deo eſt, & Spiritus eſt vita, & qui hunc habet vivit hodie, & vivet in æternum. Joh. 8: 51. *Amen amen dico vobis, qui cuſtodiverit verbum meum, non videbit mortem in æternum.* Adhærens verbo Chriſti, Chriſto adhæret, Joh. 6: 67. ſ. Vultiſne & vos abire? inquit Chriſtus &c. imo eſt in Chriſto Cap. 15: 7. adeoque vivet hodie & in ſecula, conſequeturque quod ſummum promiſſum, vitæ Dei initia hic, ejuſque conſummationem in æternum.

Verſ. 5. *Vide, docui vos ſtatuta & judicia, quemadmodum præcepit mihi Jehova Deus meus; ut ſic faciatis in medio illius terræ quo mox ingreſſuri eſtis ad poſſidendam eam jure hæreditario.*

Quum

Quum Deus hominem initio condidiſſet, honore eum auxit, non tantum ut dignus eſſet honore, inſtructus imagine Dei, & gloria ejus, ſed ut honore antecederet creaturas alias, dominium ei tribuendo ſuper terram, & in bruta omnia, ſive terreſtria, ſive volatilia. Honoris tamen oſtentatione, ceu eſca diabolus Evam illexit, ut ambitionem animo conciperet, & non contenta dignitate quam habebat, affectaret ſimilitudinem cum Deo ejuſque gloria quam quidem in cognitione ſeu experientia conſtituebat majoris felicitatis, & cujus reſpectu ea, qua creatoris dono gaudebat, mala & infelicitas mera eſſet conſenda. Verum miſere decepta deprehendit gloriam ſuam commutatam eſſe in ignominiam, & non modo nullam obtinuiſſe majorem, ſed ſuam amiſiſſe, ut jam nuditatis turpitudinem abſcondendam haberet. Veruntamen inſitum ab eo tempore homini ambitionis venenum, ut affectet magnus eſſe & excellens, & qui non contemtui ſit, ſed honorem ab aliis conſequatur. Diabolus etiamnum illecebris iſtiusmodi homines ſeducere ſatagit, quemadmodum ipſi Chriſto iſtam tentationem intentavit; & mundus inter bona ſua, quibus amorem hominum allicit, habet faſtum vitæ. 1 Johannis 2: 16. ſed de quo dicitur Phil. 3: 19. gloriam eſſe in ignominia, iis qui terrena meditantur. Eſt tamen etiam piis relicta aliqua ambitio, Phil. 4: 8. Excitat ad meditationem & praxin eorum, quæ laudem & gloriam afferant, ſeque doctrina & exemplo præiviſſe affirmat, & Deum faventem pollicetur. Profecto ambitioſus quisque merito, hic arrigit aures, quo ſcopum ſuum excellendi inter homines attingat. Equidem Paulus non docet quid agendum in iſto textu, & homines ſubinde honeſtum & laudabilia credunt, quod longe inde abeſt, ut neceſſaria ſit inſtitutio, ambitionis ſuſcipiendæ moderatrix. Eam vero diſcere poſſumus à Moſe, qui hic artem illam profitetur, quomodo totus populus, & unuſquiſque in populo queat ad honorem excellentiſſimum pervenire.

II. Commendaturus enim doctrinam ſuam poſt argumentum ab utilitate deſumtum, producit alterum ab HONESTATE, ſive *dignitate* exinde ad ipſos redundatura, verſ. 5–8. Heic vero. I. deſcribit doctrinam, verſ. 5. II. Honorem obedientiæ illi præſtitæ declarat, verſ. 6. III. Eundem argumentis confirmat, verſ. 7,8.

I. *Deſcriptio Doctrinæ* eſt, verſ. 5. ubi quid. Quo autore. Quoque fine docuerit indicat.

Præmittit *Excitationem* רְאֵה, *Vide*, non oculos corporis, ſed animæ poſtulans, quibus attendant. Quo ipſo ſignificat Non poſci cœcam obedientiam, ut ſimpliciter ſequendum ſit citra ullam conſiderationem propriam quemadmodum cœcus duci ſolet; nedum brutam, quemadmodum equus & mulus intelligentia carens freno lupatoque flectitur qua ſeſſori libitum fuerit. Sed qualis decet homines, ratione præditos. Equidem homines quibuſcum agendum eſt natura ſunt cœci quoad doctrinam iſtam ſalutarem, ut nihil ejus ex ſe videre queant; attamen non ducuntur manentes cœci, ſed ſub primum initium converſionis aperiuntur eis oculi, ut videre queant ſe duci, & quo ducantur Act. 26: 18. ad aperiendum oculos ipſorum, & convertendum eos, &c. & hinc votum Eph. 1: 17. ſ. ut Deus det ſpiritum ſapientiæ & revelationis in ſui agnitione, illuminatos oculos mentis. Aſt qui converſi ſunt, apertione oculorum donati, quam prædicatio Euangelii promittit, Luc. 4: 19. non debent claudere oculos, aut pati ut ſibi obligentur, ne videant ipſi, ſed ductoribus ut ducendi ſic videndi Provinciam faciant propriam: hæc calamitas & Judæorum eſt quod velamen Moſis impoſitum habeant cordibus ſuis ne videre queant 2 Cor. 3: 14. ſ. h. e. interpretationem doctorum, ut teſtimonium Moſis de Chriſto videre nequeant, & nationum aliarum quæ faciei velamento velatæ, & tegumento tectæ ſunt Eſa. 25: 7. quod ſimiliter Doctorum eſt imperium; Verum debent ipſimet videre & contemplari tum doctrinam propoſitam 1 Theſ. 5: 21. tum doctores 1 Joh. 4: 1. *Homo animalis non intelligit ea quæ ſunt Spiritus Dei* 1 Cor. 2: 14. *ſed ſpiritualis omnia intelligit:* & ſpirituales ſunt non tantum doctores, qui ſibi ea propter clavem cognitionis propriam vendicare poſſunt, ſed etiam auditores: quandoquidem Spiritus S. etiam hic datur, & Chriſtus etiam ipſis à Deo factus eſt ſapientia, & Euangelium cuivis credenti potentia & ſapientia Dei 1 Cor. cap. 1: 30–23. Agit Deus cum hominibus convertendis & converſis ut cum hominibus, quibus mentem voluntatemque dedit; quas facultates in iis non abolet, ſed juxta illorum naturam operatur, ut mentem colluſtret luce veritatis & flectat voluntatem ejuſdem bonitate, ut generoſa indoles ingeneretur ad eam amplectendam: adeoque quicquid in adverſum oggerit prudentia carnis non telorum cuſpide, ſed argumentorum acumine dejiciatur. quemadmodum docetur, 2 Cor. 10: 5. Spiritus S. cujus primarium opus eſt hominis converſio, eſt Spiritus convincens Joh. 16: 8. demonſtrationibus utitur quibus & præconceptas opiniones evertit, oſtendendo deceptionem illarum; & evidentia Euangelicæ veritatis in aſſenſum rapit, quæ dicitur perſuaſio. Act. 19: 26. Paulus totam Aſiam minorem dicitur *convicisse & avertisse*, ab idolis manufactis, & verſ. 8. B. **overreed en afgekeerd te hebben/ aengeraden/** *perſuaſiſſe* quæ ſunt regni Dei. & Luc. 14: 23. ſervus jubetur, ut convivas cogat intrare ſane non invitas per vim impellendo, ſed uti quis cogitur ad convivium, blanda vi flectendo, ut qui alienus erat rationibus perſuaſus non tantum non diſſentiat amplius, ſed inſuper magno deſiderio imbuatur: qualis vis rogantium Luc. 24: 29. Act. 16: 15. quæ eſt præconii, 2 Cor. 5: 20. & hoc eſt illud Pſ. 47: 4. *Jadher, ducet verbis perſuaſos populos ſub nos & nationes ſub pedes noſtros*, dicunt Apoſtoli, qui eas debuerunt diſcipulas facere Mat. 28: 19. Recte ergo Moſes populo, dicit *Vide*, uti quoque Deut. 30: 15. *Vide, poſui hodie coram facie tua, vitam & mortem, bonum & malum;* utique ut ipſimet meditarentur iſtorum differentiam, & quodnam eligendum aut repudiandum foret. Similiaque complura & ipſe, & alii ſcriptores V. & N. T. inculcarunt. Contrarium hujus faciunt Pontificii, qui ejuſmodi intuitum non ferunt, ſed eo interdicunt; Volunt plebem ſimpliciter credere & ſequi, quod Eccleſia juſſerit, quia ſcriptum, obedite ductoribus veſtris, Heb. cap. 13: 17. quaſi non diſpiciendum eſſet de ipſis ductoribus, annon ſint ſeductores, quod dicitur Eſa. 3: 12. Sedentibus, Mat. 23: 2, 3. in cathedra Moſis Scribis obſequendum fuit, quoties mandabant, ſed tamen ut non fieret quicquam ſecundum opera ipſorum; Erant autem illa non tantum exempli ſed etiam doctrinæ traditiones nempe & mandata hominum, quibus abducebantur à Deo; quæ proinde dijudicanda fuerunt ab audientibus. Scripturas Deus non dedit aut commiſit ſolis Doctoribus, quamvis ſpeciali titulo cuſtodiam demandatam habeant, Mal. 2: 7. ſed omnibus Mal. 4: 4. unde Moſes hic non dicit Sacerdotibus, Videte, ſed univerſis, & quidem ſingulari numero, vide, ut uniuſcujuſque officium inculcet. Vide ergo quisquis Chriſtianus appellaris conſidera & cognoſce quæ imperentur. Ambulandum coram Deo, vide ergo qua ambules. Infinitæ viæ ſunt declinantes, una vera; nulla eſt quæ non inveniat patronos; clamat unus, ecce hic eſt Chriſtus; & alter, ecce hic; & ſic tertius, & quartus; quisque ſe ducem offert, & alios ſeductores clamitat. Omnesque ſunt homines, mendaces natura, licet forſan mentiendi propoſitum non habeant. Sed qui decepti decipiunt: profecto videndum eſt. *Juſtus ſua fide vivet*, Rom. 1: 17. uti non alitur quis cibo quem alius comedit, ita neque alius cognitione ſervatur. In rebus humanis ſuis oculis niti volunt homines, quid ni etiam hic. Neque enim doctores privilegium viſus habent, plebe cœca ut dicebatur Joh. 7: 49. de angelo Laodiceno legitur, quod quicquid etiam ſibi de ſuis facultatibus pollicebatur gloriabundus, fuerit cœcus non minus quam nudus Apoc. 3: 17. Quanquam qui caligantes oculos habet vitium iſtud collyrio emendare ſtudeat; quemadmodum etiam doctorum oculi collyrio ſunt curandi, quod non homines ſed ſolus Chriſtus præbet, Apoc. 3: 18. qui ſquamas ab oculis mentis tollere, & virtutem novam eis addere poteſt, ut perſpicue omnia videre queant, ipſa quoque myſteria Legis divinæ, Pſ. 119: 18. Novus homo non eſt cœcus, ſed habet quoque oculos novos, & hi dati ſunt non ſolum ad decus, ſed inprimis ad uſum 1 Joh. 5: 20. Chriſtus nobis dedit intelligentiam, ut Veracem illum agnoſcamus. Qui aures habet ad audiendum audiat; & pariter qui oculos habet ad videndum videat.

A. *Quid* v. videndum proponit. *Docui vos ſtatuta &*

judicia, verſ. 5. audi ſtatuta & judicia quæ doceo vos. Duobus illis vocabulis deſignat ea omnia, quæ ad pietatem erga Deum & juſtitiam erga homines faciunt, ut dictum. Auditum ſeu cognitionem poſtulat dicendorum à ſe, ſed nunc judicium dictorum: quod cognitionem præſupponit, ſeu prærequirit, non tantam rei judicandæ, verum etiam normæ judicii. Nequit enim judicium legitimum inſtitui, niſi re cognita. Joh. 7: 51. Nicodemus ait. *Judicatne lex noſtra quenquam, niſi prius de ipſo audiverit, & intellexerit quid agat?* contra eos, qui damnandum ſtatuebant, in quem nemo principum aut Phariſæorum credidiſſet. Quemadmodum multis in more eſt, condemnantibus citra ullam cognitionem, modo ab iis qui principes ſunt quoad munus ſuum in Eccleſia, condemnetur. Sic Paulus condemnationem incurrebat à Corinthiorum Doctoribus Philoſophicæ ſapientiæ gloria eminentibus; ſed ipſe ſcribit infantibus in Chriſto, *ut intelligentibus loquor, judicate vos quæ dico*, 1 Cor. 10: 15. Condemnanda ſunt Pontificia, Sociniana, Arminiana &c. dogmata, non quia Doctores dicunt condemnanda, iiſque adverſantur, ſed quia falſa eſſe & recedentia à Doctrina Apoſtolica cognitum eſt. Rom. 16: 17. Didiciſſe vult doctrinam veram, & juxta eam de alia judicare.

B. Sed porro. *Quo autore* docuerat? *quemadmodum Jehova Deus meus mihi mandavit.* Profitetur hoc modo tum fidelitatem ſuam, tum Autoritatem ſuæ doctrinæ.

Fidelitatis eſt quod in omnibus mandatis nihil ſui eſſet, ſed omnia Dei. Erat ille princeps populi, tanta dignitate ac ullus unquam rex fuit, quamobrem etiam regis titulum habet Deut. 33: 5. ipſe tamen ſe agnoſcit ſubditum ſuperioris, & illum unum legislatorem, à quo datæ eſſent leges omnes. Quo facit quod dicit, non *Jehova Deus veſter*, cui ſubjecti eſtis, nec *noſter*, cui pariter ſubjectus erat cum cæteris; ſed *Deus meus*, cui ego ſingulariter devinctus ſum. Quemadmodum in regno, omnes regem nominant, regem noſtrum; ſed domeſtici, & primi ordinis miniſtri dicunt, Rex Dominus meus. Sic quoque Moſes, Erat ſervus fidelis in tota domo Dei, œconomus cui omnium regimen commiſerat. Legatus ſingularis, quo internuncio Deus omnia mandabat. Idcirco ſingulari ratione Deo tenebatur, & id à ſe obſervatum profitebatur. Deus meus eſt, quoad meum miniſterium, & ab ipſo ceu Deo meo in hoc negotio omnia accepi, unde alibi ait Se mandato Dei omnia egiſſe, nihil ex proprio corde commentum eſſe. Num. 16: 28. Sic Eſaias Eſa. 7: 13. conqueritur, quod non tantum homines inobedientia ſua fatigarent, ſed etiam Deum meum, cujus honorem ſigillatim volebat defenſum: & cap. 57. v. ult. Paulus ſimiliter Rom. 1: 8. ſ. *Gratias ago Deo meo, cui ſervio in Spiritu:* Sollicitudo hinc major, quo Deo propriores. Jer. 15: 16. cap. 17: 16. ſingularis relatio, ſollicitudo fidelitatis. Atque hoc agnitum ſæpiſſime ab aliis, 1 Sam. 12: 19. populus omnis ad Samuelem, *Precare proſervis tuis D. Deum tuum, ne moriamur*, & Saul cap. 15. verſ. 30. & Jeroboam ad Prophetam, quem propter vaticinium contra altare Bethelis comprehendi juſſerat, cum exaruiſſet extenſa ad iſtud imperium manus ipſius *ſupplica quæſo faciem D. Dei tui.* 1 Reg. 13: 6. Sic Judæi ad Jeremiam Jer. 42: 2, 3–5. Cogitandum iſtud omnibus doctoribus Deus ipſis ſigillatim Deus, cujus ante faciem conſiſtunt peculiari titulo, ne quid loquantur niſi ab ipſo acceptum, & mandatum, ut 1 Cor. 11: 23. Miniſtri Regum proponunt quandoque nonnulla tanquam à Rege mandata, quæ ipſi non norunt proponi; non ita hic agitur, Deus ipſorum præſentiſſimus eſt, novit cogitationes cordis & ſermones oris etiam antequam proferantur. Ultor futurus ſi prætexatur ſuum nomen falſo. Jer. 23: 50. ſ. Profecto infelices erant apud Deum ſuum deprecatores pro aliis, qui perfidi ſunt Deo ſuo in denuncianda Dei voluntate aliis. Proinde cogitandum iſtud jugiter, Deus meus, ut terror ejus fidelitatem perſuadeat.

Autoritatis eſt, quod mandata omnia Dei ſint. Etenim nullum datur mandatum quod animæ legem ponat, niſi quod à Deo profectum conſtat. Deus enim ſolus eſt pater ſpirituum; Homines ſunt patres carnis, & quicquid homines imperant moderatur corpus; Magiſtratus leges ſcribuntur corpori & ejus membris, animæ & cogitationibus imperare nequeunt & pœnæ ipſorum tantum corpus lædunt, quod occidere poſſunt, animam occidere non poſſunt Mat. cap. 10: 28. Aſt Deus ipſis cogitationibus legem ponit, & inobedientiam punit in animabus non minus quam corporibus. Ergo ſic miniſtris Eccleſiæ mandatum, ſic audiendum ab auditoribus, ut à Deo mandata conſtet & demonſtrari queat. Quicunque præſumit leges condere fidei, & animabus præſcribere doctrinam credendam, quum à Deo non ſit mandata; is Dei munus ſibi ſumit, aut homini tribuit quod ſolius Dei eſt. Gal. 1: 8. ſ. nam num prædico homines, vel Deum? aut quæro placere hominibus? ſi enim adhuc hominibus placerem, non eſſem miniſter Chriſti: Non accepi, nec didici ab hominibus, ſed ex revelatione Chriſti. Eſtque notandum non ſimpliciter dicere à Deo meo mandata, ſed à Jehova Deo meo. Cum enim multi ſint qui vocentur Dii in cœlo & in terra, 1 Cor. 8: 5. non tamen nomen Dei id jus dat, verum Jehovæ Deo proprium manet. Inter Pontificios Papæ tribuitur iſta poteſtas, ut definiat articulos fidei. Scil. iis qui ipſum habent pro vice Deo: qui ſe offert ſupra id quod Deus dicitur & ſic colitur, ſedetque in templo Dei ut Deus, ſeque oſtentat ceu Deus 2 Theſ. 2: 4. verum hinc agnoſcendus homo peccati & filius perditionis. Sunt quibus Deus dedit communionem ſui nominis, Ego dixi Dii eſtis, de Magiſtratibus, Pſ. 82: 1–6. Enimvero ſi iſti articulos fidei cudant, & imperent doctrinam religionis, idem agunt; & qui juxta illam autoritatem docent, aut credunt, homines Deos agnoſcunt ſuæ conſcientiæ, & ſic cuivis Magiſtratui, etiam Turcæ, erit obſequendum, qui in ſuis quoque terris magiſtratus eſt ſummus, quemadmodum etiam Alcoranum ſua autoritate tuetur. Eſa. 29: 13. timor Dei ſit præceptum hominum eruditum, quando humanæ ſapientiæ fundamento nititur; ita quoque quando autoritatem obtinet ab humano brachio. 1 Cor. 7: 19–23. circumciſio nihil eſt, ac præputium nihil eſt, ſed obſervatio præceptorum Dei: Emti eſtis pretio, ne eſtote ſervi hominum. Quandocunque ergo agitur de doctrina quam ſequamur, iſtud debet nobis eſſe decretum certumque, proceſſiſſe ab ipſo Deo, ne dependamus ab hominibus, ullisve creaturis, Job. 22: 21. Qui Dei nomine legatione fungetur, à Deo accepiſſe debet ſermonem legationis, 2 Cor. 5: 19, 20. Hominum legatus eſt cui homines dederunt inſtructionem. Et qui Dei populus, Dei mandata habere & ſequi tenetur Jer. 23: 22. fiet alioqui populus illius, cujus mandatis regitur.

C. Denique *Quo fine* docuerat? *Ut ſic faciatis in medio terræ, quo itis ad hæreditandum illam.* Non urgebimus hoc praxin imperatam, ſed quod eam referat ad terram Canaan. Ejus gemina ratio eſt I. quia plurima præcepta non potuerunt obſervari, niſi in Cananæa, non ſolum politicæ Leges de poſſeſſionibus & hæreditatibus, quæ non poterant alienari; ſed etiam Eccleſiaſticæ, poſtquam certo loco fixum fuit tabernaculum, ubi tantum ſacrificiis locus deinceps fuit ex ſtatuto Dei. Cum ergo de iſtis multa ſtatuta loquerentur, utique demum in Cananæa poterat valere obedientia. Sunt officia certi loci, temporis, quæ tunc, cum illæ circumſtantiæ exſtant, veniunt obſervandæ; Unde etiam illud, Eph. 5: 15. pertinet ad ἀκρίβειαν. fecit Deus omnia pulchra in tempore ſuo Eccl. 3: 11. & ſic quoque in ſuo loco. Religioſius verſandum eſt in domo, in die Dei, quia Deus ſigillatim cultum iſtic poſtulat: ne vel domum vel diem Domini neglexiſſe dicamur. II. Quia cogitaſſent forte, mandata iſta, quæ hactenus propoſuerat, abroganda eſſe; pertinuiſſe ad peregrinantes in deſerto, non autem ad commoraturos in propria terra: valuiſſe dum viveret Moſes, mutato rectore mutandas quoque leges. Aſt Moſes perpetui valoris eas facit, quæque in terra, quam perennem poſſeſſionem fore Deus promiſerat, eſſent inprimis obſervandæ. Obedientia itaque conſtans exigebatur, utp. cum nec addere nec demere quicquid liceret. Etenim Iſraeli datæ erant iſtæ leges, proinde ubicunque Iſrael degeret, iis regendus erat. Deut. 33: 4, 5. Moſes ſummam inter homines apud ipſos habuit poteſtatem, & obligationis hæreditas incumbit. Unde tunc quoque tenebatur, quando ejecti fuerunt terra, & hæc probatio converſionis, ſi in exilio redirent ad obſequium, Lev. 26. verſ. 40. ſ. Deut. 30: 1, 2. ſ. Quod ipſum nobis quoque cau-

cautioni esse debet. Eph. 6: 3. promissionem, quæ Israeli de Cananæa dicta, Apostolus sic applicabilem facit gentibus, *ut bene sit tibi, & diu vivas super terram.* quomodo docet hæc similiaque interpretari. Finis inculcatorum mandatorum Dei est, ut sic faciamus in medio terræ, ubicunque degimus, sive patria sit, sive peregrina; amica aut inimica Dei enim est terra & plenitudo ejus, & qui Dei populus ubique Deum æque præsentem habent; Extra territorium jus dicenti impune non paretur; Non tenemur vivere legibus Galli aut Hispani, aut Turcæ, sed ubique Dei est territorium Esa. 66: 1. nusquam concedere licet vel in cœlo, vel in terra, vel in abysso, quin præsentissimus adsit Ps. 139: 7. s. Imo ab ipso sumus collocati in quocunque loco degimus, Act. 17: 26. ut teneamur ex hoc capite obsequium præstare, quo nusquam gentium non inveniat nos bonæ fidei subditos; atque nos perveniamus ad illud quod sequitur.

Vers. 6. *Observabitis ergo atque facietis: nam hæc* est *sapientia vestra & prudentia vestra ante oculos populorum: qui audientes omnia statuta ista dicent, tantum gens ista maxima populus sapiens est & prudens.*

II. *Honor* est *Obedientiæ.* De hoc jam agit, vers. 6. ubi rursum Officium inculcat, tum dignitatem declarat, testibus Testimonioque comprobatam.

A. *Officii* inculcatio est, *Et* (*itaque*) *custodietis & facietis. Custodire* est rei alicui præsenti attendere, ne pereat. Complectitur notitiam rei, & sollicitum studium circa illud. Creberrime usurpatur de obedientia, Ps. 119: 4. s. *Præcipisti ut mandata tua omnino custodiantur.* Sic, Deut. c. 4: 2. *non addetis, nec demetis, ad custodiendum,* &c. Recte enim custoditum non est, quod non eodem in statu custoditum est citra accessionem aut diminutionem. Verum hic conjungit factionem, ut strictiori sensu veniat; utp. denotans notitiam, memoriam, meditationemque præceptorum Dei, *Facere* autem conforme exercitium. Quæ duo conjunguntur, utp. cum custodia inutilis sine praxi; quemadmodum praxis impossibilis sine custodia: Duo autem ista sociata absolvunt obedientiam. Luc. 8: 15. bona terra cui mandatum semen sunt illi, qui sermonem auditum conservant in honesto & bono corde & in constantia fructus ferunt. Est hic custodia plusquam auditus, nempe conservatio in memoria, ut Maria, quæ audita custodivisse in corde suo dicitur & meditata esse Luc. 2: 19—51. & David abscondisse Dei sermonem in corde ne peccaret, Ps. 119: 11. & 37: 31. Sed insuper accedit fructificatio, & quidem constans; non ut frumentum quod quotannis serendum sed ut arbor, quæ radicata quotannis fructus reddit. Joh. cap. 15: 7, 8. immanentia verborum debet conjuncta esse cum fructificatione copiosa. Sunt multi qui custodiam prorsus negligunt, quos *oblivioſos auditores vocat* Jacobus, Jac. cap. 1: 25. qui ut trita via semen illapsum ne quidem recipiunt. Audiunt verbum, sed perfluunt, uti cribrum, quod nihil aquæ retinet, etsi totum perfundatur, & impleatur, aut immergatur. Qui longe adhuc absunt ab obedientia. Sed sunt quoque qui custodiunt, & tamen nihilo plus præstant, Habent notitiam & memoriam præceptorum Dei, sed nil ultra, uti ille qui minam quam acceperat custodiebat in sudario defossam studiose, ne quid inde proveniret Mat. 25: 25. imo ut justo humidior terra receptum semen servat, sed ut ibi putrescat; sic notitia verbi Dei in abundantia malitiæ servit ad putres sermones, ad scurrilitatem, & blasphemos abusus. Non est hic usus imperatus, praxis debet custodiam ostendere. Haud rite custodit gladium qui rubiginosum fieri sinit, aut solum servat nitidum, nesciens ullo modo uti. Facere oportet opus, & custodienda via mandatorum est, non tantum intuendo aut differendo 1 Cor. 4: 20. aut alios ambulantes censendo, sed ambulando, & promovendo gressum juxta omnia Dei mandata Ps. 119: 9. Hoc qui facit is demum felix est Joh. cap. 13: 17. atque honoratus Mat. 7: 24. *quisquis audiverit sermones meos & (custodiverit) fecerit illos, eum comparabo viro prudenti.* Habebit honorem & dignitatem viri prudentis, quæ est dignitas quam pollicetur Moses, & proxime spectanda est.

Salomonis gloria inter homines est laudatissima; ipse Servator ejus facit mentionem Matt. 6: 29. sed solum quoad vestium sive pretium, sive pulchritudinem; ubi tamen liliorum decus ipsi præfert. Aft alibi commendatur Salomonis opulentia, & honos; de quibus Deus promittit, se ei daturum divitias & honorem ut nemo regum similis illi futurus esset omnibus diebus vitæ ejus 1 Reg. 3: 13. & factum est, ut omnibus regibus terræ major fuerit opulentia cap. 10: 23. Id v. quod potissimum habuit, fuit sapientia, qua pariter excessit reges alios, cum Deus ei dederit sapiens & intelligens cor & capax ut arena ad littus maris. ut nemo similis fuerit ante ipsum, nec similis post ipsum surrexerit cap. 3: 12. adeo ut quicunque fama sapientiæ excellerent, longe fuerint ipso inferiores cap. 4: 29. s. Id quod maximum decus ei conciliavit, ut ab omnibus æstimaretur & honoraretur, non aliud fuit quam sapientia. Est ergo inter ea quæ dignitatem pariunt & eo nomine affectanda veniunt Sapientia potissimum: quam etiam Moses producit, quando præceptorum divinorum observationem commendat. Illam enim inculcans post utilitatem quam præstat, refert honorem quem adferat. Postquam Officium denuo indicasset gemino vocabulo, custodiæ, & exercitii, refert dignitatem, hujusque præcones & præconium.

B. *Dignitas* est, *nam hæc est Sapientia vestra & Intelligentia vestra. Sapientia & Intelligentia* interdum synonyma sunt in Scriptura, aut synedochica ut unum complectatur etiam alterum. Alias distinguuntur, ut Esa. 11: 2. & Sapientia quidem est cognitio rerum divinarum & humanarum, quicquid religionis est, ad Dei cultum faciens, quicquid item justitiæ est, ut homines cum hominibus rite versentur. Ista omnia qui novit Sapiens est. Intelligentia autem conveniens ordinatio rerum cognitarum ad usum vitæ ut quid fieri vel non fieri debeat rite inveniatur, ponderetur, & dijudicetur. 1 Chron. 12: 32. *filii Issachar sciebant intelligentiam temporum ut scirent quæ facienda essent Israeli.* Sic de Daniele Dan. 5: 11, 12. qui & abstrusa cognoscebat, & inde ad usum vitæ applicabat; quorum illud sapientiæ &c. istud intelligentiæ fuit: in primo somnio Neb. explicando patuit Danielis sapientia; in secundo est sapientia, & prudentia: uti utraque in Josepho circa somnium Pharaonis. Hæc distinctio etiam hic valet, respondetque duobus illis verbis, quibus officium complexus est, Custodiæ Sapientia, Actioni seu exercitio Intelligentia. Ista officia præstita hæc allatura dicuntur, ut & habeant, & habere agnoscantur. Facit autem hæc ipsis propria, vestra Sapientia, vestra Intelligentia, ut ipsorum conditioni sit attemperata singulariter: non quasi absolute verum non sit, in istis versari sapientiam & intelligentiam, sed quia solis Israelitis hæc dicebantur, & quod solis media illas obtinendi concessa essent. Scilicet Custodita præcepta Dei dant probantque Sapientiam fœderatorum Dei, & Exercita dant probantque eorundem Intelligentiam Job. 28: 28. cum dixisset de Sapientia & intelligentia, quod ignota esset hominibus aliisque creaturis, unde veniret, & quo loco inveniretur, soli autem Deo comperta, tandem ait, Deum enarrasse, hominique indicasse, dicendo, Ecce timor Domini est sapientia, & recedere à malo est intelligentia: Prius cognitionem Dei & viarum ejus continet, posterius praxin ut caveatur quicquid inde abducit, ut viæ non observentur ambulando. Ps. 111: 10. Populum liberatum adscivit in fœdus perenne, quo nomine nomen ejus tantum & reverenter habendum. Et quid illis faciendum? Sapientiæ & Prudentiæ, cognitione & praxi probatæ perpetua est fama & decus. Cap. 9: 10. *Timor Domini initium sapientiæ,* & (qua sciunt rationem segregationis suæ ubique observandæ) *scientia sanctorum est intelligentia.*

Sed porro sigillatim I. *Custodia*, seu *cognitio divinorum præceptorum doctrinæ Mosaicæ à Deo mandatæ servata dat Sapientiam* Ps. 19: 8, 9. & Ps. 119: 130. Equidem multiplex sapientia est in mundo, quemadmodum Ægyptiorum olim commendata fuit 1 Reg. 4: 30. & Græcorum hoc institutum fuit ut sapientiam quærerent 1 Cor. 1: 22. adeo ut aliquando magistri sapientiæ universæ putarentur esse, &

quo peregrinationes inſtituebant cupidi ſapientiæ: ſed quicquid etiam laudis meruerint inter homines, ea tamen nulla eſt ſed mera ſtultitia, 1 Cor. 1: 21. & quæ ſapientia, quæ Deum non cognoſcit? Rom. 1: 21. ſ. Deum agnoſcentes nec glorificantes vani facti ſunt in imaginationibus &c. Deum in cognitione non retinuerunt. Sapientia mundi hujus & principum mundi hujus non cognovit ſapientiam Dei 1 Cor. 2: 6. ſ. cum iſta ſit in myſterio, & tecta, cujus reſpectu ſapientia mundi infatuata eſt, utpote ſtultitiæ condemnans ſapientiam Dei, quod ipſe ſapientiam eſſe voluit & fecit. Quam ſolum Verbo ſuo patefecit, quando quod caro & ſanguis, homo merus ex ſe noſſe aut invenire nequit, patefecit per Spiritum ſuum, & in Verbo indicavit ſuis fœderatis, quibus ſolis fecit gratiam patefactionis Pſ. 103: 7. & cap. 147: 19, 20. & gentes cæteræ ignorantes eorum eapropter vocantur populus ſtultus Deut. cap. 32: 21. Rom. 10: 19. II. *Praxis doctrinæ Divinæ prudentiam dat.* Pſ. 19: 12. ut ſciat cavenda faciendaque. Pſ. 119: 104. & verſ. 97. Joſ. 1: 7, 8. *Liber legis hujus non recedat ab ore tuo ſed meditare interdiu & noctu, ut obſerves facere, ſecundum omnia in illo ſcripta; nam tunc proſperas facies vias tuas, & tunc prudenter ages.* Sic Matt. 7: 24, 25. Nam qui ſolum notitiam habet, licet grandem, ut non ſibi ſolum ſciat, ſed etiam aliis, quos prophetando erudit, & non facit, ſtolidiſſimus tandem deprehendetur.

Nemo eſt hominum qui ſtultus dici velit, & nihil præſtantior brutis; quandoquidem hoc ipſo ſe excellere bruta rentur, quod homines ſint, ratione præditi: Quod beneficium Dei quando non agnoſcitur, culpam habet Elihu conquerente, quod nemo dicat, *Ubi Deus factores mei? qui dat cantica noctu? qui nos facit doctiores beſtiis terræ, & ſapientiores volucribus cæli;* Job. 35: 10, 11. nam rem ipſam agnoſcunt, & de ea gloriantur, ſed autorem Deum non agnoſcunt. Ille ut præſtantiores eſſent homines indidit ſuam imaginem & ſimilitudinem; & etiamnum poſt lapſum conſervat reliquias quaſdam: non tantum facultatem cognoſcendi, ſed etiam notitiam aliquam recti & turpis, principia aliqua tum pietatis, Deum eſſe, & eſſe colendum, tum juſtitiæ, honeſte vivendum, neminem lædendum, ſuum cuique tribuendum eſſe. Quod eſt opus legis ſcriptum in cordibus, cui conſentanea facientes, faciunt ea quæ ſunt legis Rom. 2: 14, 15. Adeoque habent inde homines aliquod principium ſapientiæ, ut multa ſcire, invenire, docere queant; quemadmodum ſapientia illa ſe in omnibus ſcientiis & artibus exſerit; nec non prudentiæ ut leges vivendi præſcribere, itemque virtutes exercere poſſint. Cujuſmodi omni ævo etiam inter gentiles facta eſſe & fieri obſervamus. Veruntamen eſt illud quod fit ſapienter & prudenter adeo parum, adeo imperfectum, ut nomina illa tribui nequeant, ſaltem quando de vita inſtituenda agitur, ut ſummi boni fiat quis particeps, quæ ſapientia & intelligentia hic ſpectatur. Deut 32: 28, 29. Sapientis eſt finem noſſe, & prudentis ita agere, ut eo potiatur, & hæc ſi deſint, nec ſapiens quis eſt nec prudens. Ipſi ſapientes Gentilium id agnoverunt, qui cum infinitis diſſenſionibus diſtraherentur de ſummo bono, quid eſſet & in quo conſiſteret, ejus ignorantiam profeſſi ſunt; unde nata repudiatio nominis ſapientis, & aſſumptio philoſophi, qui amaret ſapientiam, ea tamen nondum eſſet potitus. Et ignoratio ſummi boni, qui finis ſimul evincit defectum prudentiæ de via eò ducente, & quid faciendum ad eum aſſequendum. Quantumcunque fuerit vel gloriationis vel æſtimationis inter homines, tamen quod ad veram ſapientiam & prudentiam ſunt brutis ſimiles. Job. 11: 12. quod fatetur Salomon Prov. 30: 2. ſ. Homines naturaliter inſipientes, inobedientes, errantes Tit. 3: 3. Inſipientia & imprudentia, hic cohærent. Eph. 4: 17. ſ. atque hinc miſerrimi, Pſ. 107: 17. Prov. 1: 32. Doctrina ſapientiæ & intelligentiæ ſolum in Scriptura eſt, neque eam cognoſcere poteſt, niſi quis exinde conſequatur. Magnum proinde fuit damnum & miſeria eorum, quibus non datum eſt medium iſtud, ut Gentilium, magnum commodum & felicitas Iſraelis habuiſſe iſtud. Sed neque his profuit ſæpenumero. Doctrina Dei nemini eſt ſapientia, niſi cuſtodienti, ut eam habeat cognitam, & conſervet meditando; nemini intelligentia niſi facienti, ut juxta præſcriptum vivat. Utrobique defecerunt Iſraelitæ. Jer. 4: 22. Defectus ſapientiæ eſt Jer. 8: 8, 9. addiderunt ad verbum Dei ſuis interpretationibus ſepem factitantes legi, quod erat repudiare. Eſa. 29: 13, 14. Sapientia vera periit, quando humana placuit, quod de doctoribus Judæorum dictum, Paulus applicat doctoribus Gentilium 1 Cor. 1: verſ. 19. utpote velamine obducto oculis & cordibus ut ne quidem videre queant doctrinam ſapientiæ. licet propoſitam 2 Cor. 3: 14. Eſa. 25: 7. Defectus intelligentiæ. Jer. 5: 4. ſ. verſ. 21. Eſa. 65: 2. Unde ad eam deducti ſunt calamitatem, quæ eos facit exemplum toti mundo, per quem diſperſi ſunt, ut in iis obſervaretur ſtultitia Hoſ. 2: 9. Utinam v. iſtoc exemplo erudiremur. Obtigit & nobis felicitas audiendorum mandatorum Dei. Tempora ignorantiæ jam dudum à nobis remota ſunt, non tantum primæ tenebræ Gentiliſmi, ſed etiam ſecundæ Papiſmi. Quot annos quiſquam vixit, ſaltem poſtquam diſcretionis judicium adfuit, tot numerare poteſt comparandæ ſapientiæ & prudentiæ, quandoquidem audire potuit doctrinam Dei, Verbum Scripturæ auribus & oculis cujuſque expoſitum fuit. Ut oportunitas fuerit maxima. Non deeſt quidem Belgio ſapientia & prudentia in rebus hujus mundi, ſed quæ communis eſt cum filiis hujus mundi Luc. 16. & quæ mundanam gloriam parit. At quæ fœderatorum Dei eſt, & noſtra qui Chriſtiani, qui Reformati dicimur, quam exigua eſt. Sapientiæ parum admodum, & minus adhuc reperitur Intelligentiæ, Cognitio Dei & voluntatis ipſius non reſpondet tempori. Turpe eſt quando puer diu frequentavit ſcholam, quod tamen nihil didicerit, quem oportuiſſet proximaſſe præceptori, ut tandem æquare & ſuperare poſſet, ſed ita hic Heb. 5: verſ. 12. ſ. Sed major defectus Præxeos. ſ Quam parum ſit conformiter verbo Dei noſtræque pro eſſioni. Ambulatur uti omnes ambulant, & ſi honeſtatem eorum qui extra ſunt æquemus, jam abunde factum remur; & tamen hic vincimur à nonnullis, qui ſaltem faſtum vitæ & omnem ejus vanitatem magis deſerunt. Sapientia prudentiaque plurimorum in eo conſiſtit, ut ſibi privatim legem ponant, quouſque Dei mandata debeant obſervare: quomodo jam non amplius Dei ſunt ſed ſua, & quorum cuſtodia & praxis mera eſt contra Deum rebellio. Deus unus Legiſlator Jac. 4: 12. omnium mandatorum ſuorum, totius verbi ſui autor; qui unum vilipendit, jam vilipendit autoritatem omnium, cap. 2. & annon hæc magna imprudentia adverſari Legiſlatori tali, qui poſſit ſervare & perdere? Et ſane experimur Deum inſipientiæ & imprudentiæ noſtræ ultorem. Hoſ. 4: 6. 12. Utinam v. etiam nunc rediremus ad ſapientiam. Luc. 19: 42. Hoſ. 13. *Dolores parturientis evenient ei*; ſic vocantur afflictiones acutiſſimæ & inevitabiles, Pſ. 16. Ipſe infans ſolet eniti ut edatur in lucem: Similiter in anguſtiis iſtis deberet eſſe motus reſipiſcentiæ ut expediremur vinculis peccati. Verum eadem nobis ſtultitia eſt, deeſt motus ille reſipiſcentiæ, & ſic perſeveramus in afflictionibus, quæ diuturnitate ipſa fiunt graviores. Enimvero præſens dies monere deberet noſtri officii. Fœderis repetitioni ille ſtatutus fuit, quod ipſum doctrinam Moſis hic confirmat. Deut. 26: 16. ſ. Obligatio ſtrictiſſima eſt, & quæ dignitatem maximam affert ſegregationis. Si ſapientiæ eſt & prudentiæ tali fœderi innexum eſſe, utique eadem poſtulat, ut ſanctitatem oſtendamus praxi, atque in eo laudem, gloriam & nomen quæramus, ut Rom. 2: 7. Pudet nonnullos præciſitatis, & abſtinentiæ ab impuritate, ſed eopſe repudiandos ſe faciunt 2 Cor. 6: 17, 18. eoque cap. 7: 1. De Judæis dicitur Heb. 4: 2. non profuit ſermo auditus, quia non fuit contemperatus fide in audientibus. Hoc vitium nunc obtinet. Non miſcetur verbum Dei fide, ut credatur inibi ſitam eſſe ſapientiam & intelligentiam noſtram, & fit ſecundum hominum fidem, non perveniunt ad eam ſapientiam & prudentiam. Qui non credit ſe legendo meditandoque libros ſapientiorem redditum iri, eos negligit, caretque ſapientia, quæ inde flueret; & ſic qui non credit tantum ſe ex verbo Dei profecturum. Euangelium Dei eſt potentia Dei & ſapientia Dei 1 Cor. 1: 24. docet ſapientiam, dando cognitionem ſalutis in R. P. lucem ferendo ſedentibus in tenebris & umbra mortis, dirigendo pedes

in

in via pacis, & docet prudentiam convertendo inobedientes uſque ad prudentiam juſtorum, ad parandum Domino populum, paratum Zeloten bonorum operum. Tit. 2. 24. Luc. 1: 17. 77. ſ. Credendum Verbo, & efficax erit in credentibus. 1 Theſ. 2: 13. Faciendum, & plus ejus intelligemus Joh. 7: 17. Pſ. 25: 14. Sed ſpeciatim cuſtodia & praxis hodierna facit ad ſapientiam & intelligentiam noſtram. De S. Cœna profecto major ſapientia nobis nequit dari, quam quæ in præcepto Chriſti propoſita eſt. Gal. 3: 1. 1 Cor. 1: 24. Deum juſtiſſimum vindicem peccati inveniſſe medium ſervandi peccatores. Chriſtum J. præcognitum ante jacta mundi fundamenta, in plenitudine temporis factum eſſe agnum Dei ferentem peccata mundi, hæc ubi Deus incurrere fecit conſtitutum eſſe aſcham, & peccatum mactatum in victimam, effuſa in mortem anima. Neque tantum victimam pro peccato, ſed etiam in odorem bonæ fragrantiæ, hoc eſt, non ſolum qui oblatus pro peccato alieno, ſed qui illud plene abolevit, juſtitiæ læſæ ſatisfecit, ignem iræ divinæ exſtinxit, peperit ejus acquieſcentiam & quietem, adeo ut ipſius victima etiam foret conſummationis, & pacifica; atque eapropter talis ut ea non tantum eſſet cibus Dei, ut holocauſta & pro peccato, ſed etiam in ea cibus eorum pro quibus oblatus fuit, ad obſignandum pacem cum Deo, reconciliationem & fœdus; cujus epulum ita inſtructum eſt. Hanc ſapientiam Dei commendat fractus panis, ſignum fracti corporis Chriſti; effuſum vinum, ſignum effuſi ſanguinis ipſius. Sed inſuper quæ major Prudentia, quam in eodem præcepto, *Edite, bibite, facite ad mei commemorationem.* Videntes hoſtiam dari pro peccato, peccatum eſſe, & veſtrum eſſe dum vobis proponitur videtis; ſed ſimul in alio pœnam eſſe exercitam, & conſummate exercitam, imo pro videntibus; qui dum invitantur ad epulas iſtas, ad pacis fœderiſque convivium invitantur. Nonne prudentia eſt id facere, & invitantem ſequi, & edere ac bibere & inebriari amoribus? Mephiboſeth ait, *Ego & domus patris mei non fuerunt niſi rei mortis coram Domino meo Rege; tu v. ſervum tuum conſtituiſti inter eos qui edunt ad menſam tuam.* 2 Sam. 19: 28. Nonne prudentia eſt arripere & uſurpare illud teſtimonium publicum divini amoris? Servi Benhadadi appellationem fratris, qua uſus erat Achab arripuerunt, & tanquam omen amicitiæ uſurparunt 1 Reg. 20: 33. Sic agendum heic Cant. 5: 1. 1 Cor. cap. 10: 15. ſ. Panis fractus eſt communio corporis Chriſti, & poculum benedictionis communio ſanguinis Chriſti. Hiſce Symbolis repræſentantur iſta, & obſignatur communio. Joh. 6: 53. niſi ederitis &c. non habetis vitam in vobis. Edimus autem, quando de pane illo edimus, qui communio ejus eſt, ſymbolum communionis, adeoque vitam habemus; non corporalem, eam habuimus ante hunc cibum comeſtum, & habent, qui nec norunt, nec fruuntur unquam, ſed vitam Dei, quam Deus nobis datam in filio ſuo Chriſto Jeſu collocavit, quamque habemus quando Chriſtum habemus per fidem, 1 Joh. 5: 11, ſ. Sapientiam ergo Patris nobis hic patefecit Chriſtus, & docuit prudentiam ſalutarem animabus. Cuſtodia & opere opus eſt: Cognoſcendum & fide conſervandum in corde præceptum Chriſti, & quandocunque terror peccati angit conſcientiam, in te habebimus ſapientiam expediendorum hominum ex omnibus anguſtiis, ut nec diabolus & conſcientia ipſos accuſare, nec cor condemnare queat; Chriſtus factus ſapientia à Deo 1 Cor. 1: 30. unica ſalus Act. 4: 12. Rom. 8: 33, 34. imo prudentiam ut apprehendamus nobis ſalutem; panem nobis ſigillatim fractum, noſtra manu acceptum, noſtro ore comeſtum, ut nobis Chriſtum cibum fuiſſe, & vitam attuliſſe ſciamus. Chriſti participes habemus etiam juſtitiam, ſanctificationem, & redemtionem. Facite ad recordationem Chriſti, prudentia oſtendatur praxi, Chriſtum pro vobis mortuum ne mori vobis neceſſe foret. 2 Cor. 5: 15. ſed vivendum tantum eſſet, Rom. 8: 13. imo ſin vobis vivere, ut vitam exercere queatis. Vivite per fidem Chriſti, ut Spiritum vitæ Chriſti in vobis eſſe liqueat, quando ambulabitis non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum. Πνευμα Spiritus eſt vita & pax; & quæ major feliciorve prudentia, quam ut & hic pax ſit cum Deo, cum conſcientia, & hic quoque vita; utraque inamiſſibilis, aſt utraque augenda, & conſummanda in beata æternitate, ut in hac ſapientia & prudentia gaudendum gloriandumque habeamus in æternum.

Bethlehemitæ gratulantes Boazo de matrimonio cum Rutha, ſic claudunt vota ſua, *fac robuſte*, aut *acquire opulentiam in Ephrata & voca nomen in Bethlehem* Ruth. 4: 11. & Noomi optant, ut filius ex nuru natus Nomen haberet in Iſrael, verſ. 14. Non tantum vivere ſed laudatum vivere, res eſt vovenda. Verum ut nomen tale quis habeat, robuſte agendum eſt, quo innoteſcat quis. Primi qui in Scriptura memorantur viri nominis, fuerunt נפילים, vocati Gigantes, ſive à ſtatura terribili; ſive à robore & viribus, quibus utebantur ad tyrannidem, ut alios filiorum Adami, ejuſdem ſecum originis & nobilitatis, ſubigerent ſibique ſubjicerent, Gen. 6: 4. Famam ſibi pararunt fortiter agendo: ſed fama fuit mala, ex actionibus non bonis, & ſi invenerunt laudem aliquam factorum ſuorum fuit ex hominibus, non ex Deo Rom. 2: verſ. ult. Quorum laus fuit ex Deo, illi egerunt fortiter fide & pietate, memorati in libro Dei, apud Moſen, & Heb. 11. Fama ſequitur omnes actiones quæ innoteſcunt aliis, ſed conformis actionibus. Prov. 10: 7. Memoria juſti in benedictionem ſed nomen impiorum putreſcit. Putrida quoque ſunt & manent, verum ut fœtorem emittant, quo offendunt tractantem: ſic memoria impiorum ciet odium ac deteſtationem etiam poſt mortem, ut ſint proverbio, & maledictioni tum ob facta tum ob judicia conſecuta: Aſt Juſti benedictionem ferunt poſt mortem, ut quoties actiones ipſorum veniunt in recordationem, ſimul laudentur. Imo etiam vivi habent æſtimium apud omnes, Pſ. 112: 9. Hæc commendatio juſti argumentum eſt excitandi ad amorem & praxin juſtitiæ, ut & vivus & mortuus quis bene audiat. Et ſic utitur illo Moſes hoc loco, Cuſtodire & facere jubet, ut ſapientia & prudentia excellant; qui cognitionem haberent rerum ſalutarium, & oſtenderent ipſa praxi prudentiam perſequendi & aſſequendi ſalutem. Verum cum ſapientia & prudentia, undecunque parta, laudabilem faciat, non tamen laudem habet niſi fuerit aliis quoque nota, hacpropter Moſes non tantum materiam bonæ famæ bene agendo parari dicit, ſed famam ipſam, quando teſtes eoſque præcones fore refert, eorumque præconium recitat quæ ſunt reliqua hujus verſus.

C. *Teſtes præconeſque* ſunt, *Coram oculis populorum, qui omnia iſta ſtatuta audient & dicent.* Teſtes ſunt *Populi*, indefinite quotquot ab Iſraele diſtincti erant. orti ex tribus filiis Noachi, à quibus diſperſi ſunt omnes populi terræ; familiæ etiam ducuntur ratione ortus ab una ſtirpe, Gen. cap. 12: 3. qui à multitudine appellantur Populi. Definitè qui aguut quod teſtes facit idoneos ut videant & audiant, *Coram oculis* ipſorum, & ubi *audiverunt.* Id v. quod cognoſcunt ſunt *Statuta*: generaliter comprehendentia quicquid eſt Mandatorum divinorum, quæ vocaverat Statuta & Judicia, alias præcepta, ſtatuta & judicia; quomodo ſtrictiori ſenſu veniunt; attamen etiam ſic hoc loco ſumi poſſunt. Iſtorum porro cognitionem qui habent, fiunt teſtes loquendo, publicando. Hinc vero obſervamus.

Fœderati Dei, qui ipſius ſunt populus, expoſiti ſunt omnium populorum oculis, & cognitioni. Sic Iſrael. Num. cap. 23: 9. *Ecce populus iſte habitabit ſolus, neque numerabitur inter gentes.* Segregatio ex omnibus facit notabilem coram omnibus. Fit autem iſta ſegregatio non differentibus legibus ſolum, ſed obſervatione illarum. Si quis ſequatur leges & linguam alius populi exacte jam ſui populi oblitus, & huic permixtus cenſebitur. Exod. 19: 5, 6. *ſi audiendo audiveritis vocem meam, & cuſtodiveritis fœdus meum, eritis mihi peculium ex omnibus populis: nam tota terra mea eſt & eritis mihi ſacerdotale regnum, & populus ſanctus.* Deut. 7: 6--11. *cuſtodite ergo præcepta ſtatuta & judicia, quæ vobis præcipio hodie ad faciendum*, contra aliorum populorum ſtatuta erant vitanda, abroganda. Iſraelitæ hoc nomine memorantur, Eſt. 3: 8. Eſt populus quidam diſperſus inter populos in omnibus provinciis regni tui, dicit Haman Aſſuero, & leges ipſorum differentes ab aliorum populorum legibus. Et hæc differentia adhuc per-

perdurat in aliquibus tribuum Iſraelis. Ezech. 20: 32. Deportatis in Babel, (Juda, Benjamin & Levi, & ſi qui ſingulares aliarum tribuum inter illos vixerunt, una deportati) dicitur à Deo. Jusjurandum Dei cavet horum commixtionem cum gentibus, obſervatis harum legibus religioſis, (contra quam factum in X. tribubus, unde iſtarum notitia hodie deſideratur,) Quæ cauſa eſt ut hodieque, ubicunque degunt agnoſcuntur ab omnibus, Licet non omnia obſervent, neque uti oportet, tamen externa aliqua adeſt deque ipſis valet illud Hoſ. 3: 3, 4. In quaſcunque terras veniunt de iis dicitur, hi ſunt populus Dei, & ex terra ejus egreſſi ſunt Ezech. 36: 20. Obſervatio quarundam legum Dei parit eis & conſervat nomen populi Dei. Singularitas oculos intuentium attrahit, ut eo convertantur.

Gloriamur nos eſſe à Chriſtianiſmo Dei fœderatos, & cum plurimi Chriſtiano nomine ſe tales jactent, nos Euangelici, & inter iſtos Reformati appellamur. Ergo ſumus expoſiti omnium oculis, ut obſervent quæ ſit noſtra ſingularitas tum à paganiſmo tum ab Euangelio, tum à Reformatione ſub Euangelio. Iſtud ergo praxi vitæ non minus ac profeſſione oris demonſtrandum. De Apoſtolis Paulus, 1 Cor. 4: 9. & de Hebræis Heb. 10: 32. Qui producuntur in ſcenam, omnium exponuntur oculis, & novimus ſcenicos illos magno ſtudio id agere, ut quam ſuſceperunt perſonam dum ibi verſantur ſcitiſſime agant. Mundus univerſus conſtituitur ſpectator quando ex mundo educti conſtituimur in theatro Chriſtianiſmi. Imo ut Apoſtoli Angelis in ſpectaculum ſunt, etiam reliqui Chriſtiani 1 Cor. 11: 10. Angeli in Cœtu Eccleſiaſtico præſentes ſunt, & quemvis intuentur, ut eapropter etiam habitus debeat eſſe decens. neque unquam licet de theatro diſcedere, Chriſtianum nomen tuendum eſt ad extremum, quantopere ergo cavendum ne quid agamus quod Chriſtianum non decet. Mat. 5: 14. ſ. *Vos eſtis lux mundi; urbs ſuper monte nequit occultari: ſic luceat lux veſtra*, &c. Eph. 5: 8--11. 1 Pet. cap. 2: 9. *Vos eſtis genus electum*, &c. ad lucem vocati, in luce conſtituti, lux facti lucere debent, non autem tenebrarum opera agere. Eph. 4: 17. ſ. deſerenda gentilium opera, diſcendus Chriſtus & didiciſſe conſtabit, ſi quis habitum veterem deponat induat novum. Atque hoc utinam fieret inter nos. Ex mundo non poſſumus exire 1 Cor. cap. 5: 10. Verum ſic foret vivendum, ut in mundo degentes de mundo non eſſe agnoſceremur: Orientales populi ſervant ſuum habitum, Armenius, Turca &c. ex veſte, lingua, moribus noſcitur, & oculos aliorum in ſui admirationem rapit; nos quos viſitavit oriens ab alto, debemus pariter converſationem cœleſtem in terra exercere, & inde noſci velle. Verum quam nihil horum reperitur. In mundo viventes conformitatem cum eo habent & ſervant, Rom. 12: 2. nolunt ſingulares eſſe. Scl. quia mundum amant, & illi amici eſſe volunt, mundanis moribus vivunt. Qui in Gallias proficiſcuntur illico veſtem ſumunt ad ipſorum modum, & linguam diſcunt quam poſſunt exactiſſime, & cum redeunt in patriam in illa peregrinitate videri & audiri optant. Sic nos qui peregrini ſumus in mundo, illi aſſimilamur, & in ea ſimilitudine gloriamur, etiam tunc cum vel maxime Dei nos eſſe foret demonſtrandum. Quod objicitur Judæis Rom. 2: 23. ſ. *qui in lege gloriaris tranſgreſſione legis Deum dedecore afficis; nam propter vos nomen Dei blaſphematur inter Gentes*, Ezech. 36: 23. Sic hi ſunt Reformati. Uti Judæis dicebatur Oriundos eſſe ex Cananæa, patre Amoræo, matre Hittæa Ezech. 16: 3. quod iſtorum moribus viverent, ſic nos appellandi ſumus quivis potius, quibus aſſimilamur, quam Dei. Quanquam ne ſic quidem effugiamus ſingularitatem, quia nos dicimus Reformatos; talis æſtimatur Reformationis lex; quæ exoſa fit ac deteſtanda à noſtris moribus. Aſt quanta judicia ſuſtinuerunt Judæi quia pop. Dei, ſed adeo indigne illo nomine viventes. Ezech. 36. teſtatur, ſæpius ſe voluiſſe eos perdere penitus, ſed propter ſuum nomen ſanctum peperciſſe, quamvis ipſi profanaſſent; ne æque infidus cenſeretur atque ipſi. Et ſic quidam ſibi imaginantur bonitatem veritatemque Dei, ut quicquid etiam indigni admittant, tamen fœderis jus & beneficia retineant. Verum miſerum eſt ſic haberi. Ezech. 20: 33. ſ. Parum ſolatii eſt dici maleficum in populo, & hoc titulo necandum; ipſi enim populo infamia illa inuritur, quod tales gignat ſceleratos. Sane quæ Deus Iſraeli olim immiſit judicia, quia non præſtabant quæ populi Dei erant, nobis quoque incumbunt: & ſi augeantur uti in Judæis hodierno die, uti in Chriſtianis Aſiæ Græciæ &, &c. parum letitiæ & felicitatis dabit Chriſtianum nomen. Amos 3: 2. Eſa. 63: 11. ſ. deſertores Dei, obliti montis ſanctitatis ejus, qui vocante Deo non reſponderunt, loquente non obediverunt, ſed fecerunt quod malum in oculis ipſius, & elegerunt, quod ipſi non placet, numerabit eos Deus ad gladium, & curvabunt ſe ad mactationem; eſurient, ſitient, pudefient, lamentabuntur, ejulabunt, nomenque ſuum reliquent piis ad maledictionem. Quamobrem cogitemus unde abierimus, & exciderimus, & redeamus ad officium. Tit. 2: 11. ſ. ſalutaris gratiæ profeſſio nobis eſt, quando Euangelici dicimur, itaque hæc obſervemus, adeo ut Zelotæ bonorum operum deprehendamur. Quamobrem 1 Pet. 2: 11, 12. non ſumus alio titulo in mundo quam peregrinorum, ſi Chriſtiani, Joh. 15: 19. Gal. 1: 4. peregrinitas iſta profitenda diverſitate morum 1 Pet. 4: 2. ſ. ut agnoſcatur ab aliis etiamſi offendantur. Attamen ut ſit converſatio honeſta, & alieni etiam eam debeant tandem approbare. Ut v. iſtud fiat Paulum audito Phil. 2: 15. ſ. Lucida ambulatio facit inculpatos; ſed ea conſitit in prætendendo verbum vitæ non ut geſtetur manu, aut recitetur ore, & prædicetur ceu lucerna pedibus & lux ſemitæ, ſed ut luceat expreſſum in vita, Rom. 6: 17. ut ad normam ejus, omnia fieri appareat Pſ. 119: 9. Quo facit Rom. 12: 2. Accedat ἀκρίβεια. Eph. 5: 15. ſ. ut ad minimas quoque circumſtantias attendatur, temporisque oportunitates captentur, abſtineatur ab omni ſpecie mali 1 Theſ. 5: 23. caveantur viæ non tantum iniquitatis, ſed etiam vanitatis; non ſedeatur in conſeſſu irriſorum, neque ſtetur in via peccatorum, imo ne quidem ambuletur in malorum conſilio, ſed ut nos ſiſtamus Deo ad ipſius miniſterium, Rom. 12: 1. & ut nunquam non videamur in ipſius via, & opere, ut Domini eſſe agnoſcamur Mal. 3: 16. ſ. timentes Deum ejus ſunt peculium, qui nihil habent commercii cum malis, ſed Deo adhærent, qui iidem peculium Dei erunt in die judicii.

Speciatim cognituri dicuntur populi *Statuta*, etiam in ſenſu reſtricto, ut cerimonias deſignet, & ritus cultus à Deo Iſraeli imperatos. Præceptorum aliorum æquitatem ut & judiciorum juſtitiam gentes quoque poſſunt agnoſcere, quia ex inſitis illis principiis pietatis & juſtitiæ vident rationem illorum, cur ſic & non contrarium, fuerit imperatum: Verum de cerimoniis univerſis, quia pendent à mero Dei beneplacito, qui etiam contraria potuiſſet imperaſſe, nequeunt videre juſtitiam; Sed ſi obedientes vixerint Iſraelitæ, ipſæ illæ cerimoniæ, quæ ſtultitiæ fuerant condemnatæ ab ipſis, materiam dabunt præconii, & ſi hæc multo magis alia. Dan. 1: 15. cum Daniel & ſocii ejus ex lege Dei abſtinerent cibo regio, & veſcerentur oleribus, & inde pulchriores forent aliis, agnovit præfectus cubiculariorum obedientiæ iſtius eſſe præmium.

Notamus iſtud ob exercitium Cœnæ dominicæ. Statutum aliquod fuit obſervatum quod olim & nunc ab alienis à Chriſtianiſmo pro mera ſtultitia habitum fuit. Non tantum eſt ſtultitia prædicationis, quomodo de Euangelio judicarunt Græci, uti Judæis fuit ſcandalum: ſed etiam epulum iſtud fracti panis & vini effuſi; quod & ratione ſigni contemtibile eſt; quamobrem inter Chriſtianos quoque nonnullos faſtiditur, niſi Chriſti corpus & ſanguinem ibi productum per transmutationem vel concluſionem ore manducare queant, & ratione ſignati, Chriſti mortui, qualis repræſentatur: nam quid crucifixus & mortuus præſtabit? Pſ. 89: 51, 52. Eccleſia Deo repræſentat ignominiam ſervorum Dominiab omnibus magnis populis, quibus exprobrabant hoſtes illi Dei, quibus exprobrabant veſtigia Meſſiæ, Conculcationem calcanei; quod à crucifixo & mortuo ſalutem exſpectarent, Mat. 27: 42. alios ſervavit, ſemetipſum non poteſt ſervare. Verum hoc ipſum ſtatutum erit alienis materia præconii, ſiquidem à nobis cuſtodiatur & exerceatur prout oportet. Rom. 1: 16. Nulla doctrina in mundo poteſt tranquillare conſcientiam,

& dare

& dare ſalutem, præter Euangelium, 1 Cor. 1: 18. verbum crucis eſt iis qui pereunt, ſtultitia; ſed iis qui ſervantur potentia Dei, & verſ. 23: 24. prædicamus Chriſtum crucifixum iis qui vocati ſunt Judæis & Græcis potentiam Dei & ſapientiam Dei. Fide receptus Chriſtus vitam tribuit novam. Sic recipitur in Euangelio, ſic in S. Cœna. Caro ejus eſt panis vitæ, & ſanguis vitæ, & his qui non fruitur non habet vitam & qui fruitur habet vitam perennantem in æternum. Edit autem non qui ore manducat carnem ipſam; *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam* & hanc ſuſtulit in cœlum quo adſcendit. Verba ejus ſunt Spiritus & vita, & qui credit, is edit ad ſatietatem, ne unquam eſuriat ad perditionem. Enimvero qui fide acceſſit ad Chriſtum, & ſitis remedium ab ipſo accepit, Spiritum S. ille habet in ſe fontem aquæ viventis ex ſe profluentem Joh. 7: 37. ſ. Chriſtus fide receptus vivit, & vivere facit, ut immunitas ſit non tantum à lege mortis, ſed etiam peccati, ut vivatur ſecundum Spiritum, ut vivatur Deo ad ejus gloriam. Hoc v. ſi obſervent alii, hanc efficaciam in fidelibus habere uſum S. Cœnæ, ut nova ipſorum vita, conformitas cum Chriſto, crucifixio veteris hominis, novique dominium obſervetur, nonne præconiabunt ſtatutum iſtud, Chriſti crucifixi participes factos eſſe per fidem, & hinc mundo eſſe crucifixos & ipſis mundum, non poteſt non æſtimationem doctrinæ producere, 1 Cor. 6: 11. Immutatio tanta divinæ potentiæ demonſtratio eſt. Verum qui docent ob eam quam fingunt præſentiam localem corporis & ſanguinis Chriſti inſita vi operari ſymbola iſta, proſtituunt ſtatutum & irridendum proponunt. Si enim Chriſtus ipſe adeſt, & vivifica ejus caro; quæ ergo efficacia vivifica? hæcne ejus opera? Atqui Chriſtus crucifixus ubicunque in homine degit, (qui non niſi fide recipitur Joh. 1: 12. Eph. 3: 17.) vivit ad gloriam Dei. Rom. 11: 11. Judæi Euangelium, verbum vitæ & ſalutis repudiarunt, ſcandalo eis fuit, ſed Gentilibus ita ſalus obtigit, ut Judæos ad æmulationem provocarent. Quæ eſt iſta provocatio? Quando videbunt Euangelium Gentiles feciſſe ſanctos juſtos bonos, qui abundent fructibus juſtitiæ, ut ipſa quoque calumnia pudefiat, quæ mali eos accuſat, ut excitentur ad amorem ejus doctrinæ, & receptionem tantum mutantis; Mat. 5: 16. 1 Pet. 2: 12. cap. 3: 1, 2. ut ſine verbo lucrifiant, qui verbi efficaciam, & Chriſti potentiam vivificam, animadvertent. Sic debemus eſſe à quovis auditu ſermonis, à quovis uſu S. Cœnæ, & ipſa illa exercitia aliis reddentur deſiderabilia. Si enim verbum auditum & creditum nos emendat, ut decore ſanctitatis vita noſtra fulgeat, Rom. 6: 17. prædicabunt alii verbum & illud audire, & ſimiliter transformari cupient. Denique adhuc unum notandum.

Teſtes vidiſſe & audiſſe oportet, quæ teſtentur. Populi non pronunciare poſſunt de Statutis, niſi ubi cognoverint, ſaltem ex obedientium conditione. Nequit teſtis eſſe qui ignarus eſt, unde ab illis peti ſolet cognitionis probatio, quando & quomodo viderint vel audiverint. Multi ex Gentilibus de Judæis teſtati leguntur, quæ ſtultiſſimam doceant eſſe illorum religionem, adoraſſe aſinum & porcum, ſimiliaque, quæ nunquam facta ſunt; teſtes iſti mendaces ſunt; quia ignota ſcripſerunt. Sed qui cognita, non potuerunt non prædicare, ut Naaman Syrus. Pariter fuerunt qui de Chriſtianorum religione teſtarentur, quia nocturnos conventus agebant propter perſecutiones, promiſcuos exercere concubitus, mactatorum hominum carnibus veſci, & ſanguinem potare, quia S. Cœnæ ſymbola iſtis nominibus veniunt. Sed qui vere cognoverunt nihil niſi ſanctiſſima teſtati ſunt. Eſt hujusmodi cognitio paranda, ut teſtari queamus. Joh. 16: 2, 3. *veniet tempus quod vos occidens putet ſe Deo cultum præſtare, & hæc facient vobis quia nec Patrem noverunt, nec me.* Ita plurimorum teſtimoniis urgetur ſubinde veritas, quia homines nec viderunt, nec audiverunt, imo omnem cognitionem deteſtantur. *Non dices falſum teſtimonium*, & hoc quoque dicit, qui de ignotis teſtatur, Teſtamur de iis quæ vidimus & audivimus, dicit Chriſtus Joh. 3: 11. & 32. Sic nobis quoque agendum. Condemnat ne Lex noſtra quemquam niſi prius cognoverit Joh. 7: 51. ait Nicodemus, quando ex præjudicio Phariſæorum & principum doctrina Chriſti gravabatur. Sequamur hoc legis præſcriptum, & teſtabimur verum teſtimonium Joh. 7: 24. & non ſecundum homines, Enimvero & hoc teſtium eſt, quæ viderunt & audiverunt eloqui. Lev. 5: 1. qui audivit vocem exſecrationis, cujus teſtis eſt, ſive viderit, ſive audiverit, & non indicaverit, feret iniquitatem ſuam. Cognitæ veritatis teſtimonium dicendum eſt, quotieſcunque intereſt gloriæ Dei. Hic prædicari populum Dei, pertinebat ad gloriam Dei, qui illa judicia & ſtatuta dediſſet. Annuncianda eſt mors Chriſti, quando S. Cœna utimur, ut quam repræſentatam & obſignatam videmus Dei bonitatem, teſtemur. Pſ. 40: 10. ſ. Act. 4: 20. Teſtamur autem non tantum verbo, ſed etiam opere. Elias ambulans 40. dies & noctes virtute cibi ab angelo præbiti, teſtatus eſt eo ſe nutritum eſſe. Teſtemur & nos Chriſti nos factos participes, ambulando virtute ejus, & hæc patebit ambulantibus nobis ut ipſe ambulavit: ut Chriſtus ſit vivens & ambulans, & nos per fidem in ipſum.

D. *Teſtimonium* eſt, *Solummodo populus ſapiens & prudens eſt gens iſta magna.* Tribuunt genti Iſraeliticæ *ſapientiam & prudentiam* obedientibus, & tribuunt illi *ſolum.* Scl. quia ſola Deum regem haberet, ejuſque legibus regeretur. Pſ. 138: 4. Dan. 3: 28. cap. 6: 27, 28. Sapientis prudentiſque populi eſt ſi regem habeat conſcium omnium, & potentem ſive ad remunerandum bene aut ulciſcendum male acta, conformem legibus vivere. Jam quis rex major Deo qui omniſcius, ut ipſas quoque cogitationes norit, corda & renes exploret; qui etiam omnipotens, quique verbo & nutu omnia poteſt facere quæcunque vult. Hunc regem habuerunt ſoli Iſraelitæ quibus ſolis leges ſuas dedit, Pſ. 147: 19, 20. Et huic obedire maximæ eſt ſapientiæ & prudentiæ; Summæque ſtultitiæ contra ei negare obſequium. Iſtius ſtultitiæ innumera dederunt exempla. Quoties calamitatis & vaſtitatis terræ univerſæ una hæc dicitur cauſa, quia non ambularunt in viis Dei, Deut. 29: 24. ſ. Jer. 9: 12. ſ. cap. 16: 10. ſ. cap. 22: 8. ſ. 1 Reg. 9: 8. ſ. Quando poſtularunt ſibi regem ut gentes, repudiato rege Deo, quæ potuit eſſe major ſtultitia, ut tam duras leges ſubire vellent? & experiri quanto gravior ſit ſervitus hominum quam ſervitus Dei? Aſt quando Deo fuerunt obedientes quam magnifice de iis loquitur Bileam, Populus ſolitarius, quo cum Deus & rex ejus, qui gratioſus, & defenſor, ut nec vim, nec incantationem patiatur prævalere. Unde vidit non poſſe illi prævaleri niſi deductus eſſet ad rebellionem.

Gloriamur nos eſſe populum Dei, neque nos alium regem agnoſcere quoad religionem quam Deum. Ambitioſi ſimus ut præconium ſapientiæ & prudentiæ conſequamur à populis, etiam inimicis. Ne patiamur ut alii præter Deum nobis dominentur, ut ſervi fiamus hominum, quod fiet ſi ullas alias quam Dei leges agnoſcamus, obſervemus. Itidem caveamus ne aliter vivamus quam Dei leges præſcribunt, quæ non tantum actionum ſermonumque, verum etiam cogitationum ac cupiditatum normam continent. Gentes quando faciunt quæ legis ſunt, ſibi ipſis ſunt lex. Viva lex, ut ſic loquar, quia opus legis in cordibus. Pariter obtin eat in nobis. Oſtendamus, nobis etiam opus legis in corde eſſe, & quidem ſcriptum Spiritu Dei. Hoc eſt beneficium novi fœderis, quod renovatum gloriamur; utique ſi vere Dews non primus erit infidus. nam Eſa. 51: 7. qui norunt juſtitiam, in quorum corde lex mea eſt. At tum Pſ. 37: 31. Pſ. 119: 11. non eſt in corde, ſi non ſit in ore ac opere Mat. 12: 39. Hic ergo oſtendamus. Memineri-mus illius Pſ. 119: 106. non mentiamur Deo, ſed ambulemus in veritate. Sic ducemur ad Deum & habitationem æternam.

Verſ. 7. *Nam quæ gens maxima* futura eſt? *cui* eſt *Deus propinquus ei; ſicut Jehova Deus noſter* eſt *quotieſcunque invocamus eum.*

Prov. 22: 29. *An vidiſti hominem expeditum in opere ſuo? coram facie regum conſtituetur, coram facie obſcurorum hominum*, B. van ongeachte lieden / *non conſtituetur* deſcribit vi-

virum ſapientem, qui in ſuo opere occupatus eſt, & diligenter occupatus eſt. Qui in alieno occupatus, nequit dici ſapiens; homicida, fur, maleficus, & ἀλλοτριεπίσκοπος conjunguntur, & Chriſtiano opponuntur, 1 Pet. 4: 15. ſ. Quis v. iſtorum ullum ſapientem dicat? 1 Theſ. 4: 11. φιλοτιμεῖσθε (beneerſtichy u) *res veſtras agere.* Hæc ambitio debet eſſe, propria ut curemus, non aliena. Sed inſuper in proprio opere diligentia & promtitudo adhibenda eſt; *piger in opere ſuo, ad pauperiem redigitur* Prov. 20: 4. & conſumitur defectu judicii, cap. 13: 23. unde Rom. 12. verſ. 11. *ne ſitis tardi ſtudio*, &c. Utriuſque obſervans eſt David Pſ. 119: 59, 60. non vult reperiri in alieno opere ſed in ſuo: atque ſic non tardus, ſed expeditus. Quid v. intereſt talem ſe præſtitiſſe? Honor ſequitur & dignitas: non conſtituetur apud obſcuros, qui nihil agunt quo innoteſcant virtute aliqua, verum coram notiſſimis Regibus ipſis. חשוכים ſunt qui in obſcuro degunt nulli noti; vel etiam male noti, ob tenebrarum opera, quæ agunt, tenebris involvenda. Magni honoris eſt amicum Regis eſſe. Prov. 22: 11. Et tamen iſta non niſi terrenorum Regum gratia. Moſes majorem dignitatem commemorat, nempe à Rege regum, Deo Opt. Max. ſi quis in opere ſuo diligens fuerit. Opus ſuum dicit præcepta, ſtatuta judicia, quæ præcepit, uti à Deo mandatum ipſi fuerat, & diligentiam operis, cuſtodiam ad ſapientiæ, & praxin ad prudentiæ elogium impetrandum. Eſt hoc dignitatis adeo promtum eſſe; & ſequitur encomium videntium, ut ſapientiam & prudentiam talium agnoſcant & prædicent. Sed iſta vulgi acclamatio ſubinde erronea eſt, & impetu fertur, non ratione; Itaque opus eſt graviore teſte: quisquis hic officium facit ſtatuetur coram rege gentium. Rege regum & Domino Dominorum, & iſtius dicetur amicus: quod verſ. 7. dicit Moſes.

III. Recitavit obedientiæ honorem, à præconio gentilium, qui cognita illa ejuſque conformitate cum Dei ſtatutis teſtabuntur, Solum pop. Iſrael eſſe populum ſapientem & prudentem. Præconium autem iſtud ne quis erroris accuſet, *confirmandum* ſumit; Quum enim gentes illæ alias dicantur *populus ſtultus* Deut. 32: 21. hoc ipſo judicio & præconio ſtultitiam prodidiſſe, objici potuiſſet. Ergo probat ejus ſinceritatem gemino argumento. I. ab Honore quem habent apud Deum, verſ. 7. II. ab ipſarum legum ſanctitate, verſ. 8. Obſervato obſequio veſtro gentes vos ſolos prædicabunt ſapientes. Etenim non poteſt non magnus dici populus obediens legibus iſtis, quia is Deum facientem habet, & id teſtantem, & quia leges iſtæ antecellunt juſtitiâ.

A. *Honor apud Deum* eſt, verſ. 7. Interrogative proponit, ut tanto efficacior ſit affirmatio, ſiquidem ad ipſorummet conſcientiam provocat, ac judices quodammodo conſtituit.

א. *Judicandi* ſunt populi terræ omnes, quotquot in mundo erant à Noacho deſcendentes, excepto Iſraele, quo cum comparatio inſtituitur: imo in illis ſeliguntur, qui excellentia aliqua inſignes; *Quis magnus populus*, qui multitudine hominum; amplitudine poſſeſſionum, ſapientia potentiaque eximia ſibi nomen peperit, ut honorandus fuat: quibuſcum non erat comparatio Iſraelis, cum eſſent populorum minimus, Deut. 7: 7. neque inſignis numero, non niſi 600000. militaris ætatis & conditionis. neque habitatione, qui qnærendas habebant ſedes in deſerto tot annis vagatus; neque alia dote, ut inde æſtimari poſſet.

ב. Id *propter quod* judicium comparationis inſtituendum dicitur, eſt Propinquitas Deorum: אשר לו אלהים *cui ſint Elohim*, קרובים אליו *propinqui ipſi.*

Vox *Elohim* notat venerandum numen, judicem & moderatorem. Ita appellatur Deus, quando introducitur. Creator omnium rerum. Gen. 1: 1. In principio creavit Deus &c. primum fit mentio Creationis, & tunc nominatur Elohim, qui unus fuit venerandus quam primum cœpit eſſe, quod venerari poſſet. Hic Elohim ut omnipotente voluntate & imperio omnia produxit, ita quoque regit ac gubernat, illico creaturis ſingulis ſuas dans leges, juxta quas agerent & judicarentur. Eſt autem nomen iſtud formæ pluralis, quamquam etiam ſingulare in uſu ſit, deſignaturque pluralitas iſtic, uti hic unitas. Unitas eſſentiæ divinæ, quæ venerabilis eſt, unde τὸ θεῖον Act. 17: 29. & ἡ θειότης Rom. 1: 20. & pluralitas perſonarum divinarum, quæ ſingulæ venerabiles, Joh. 5: 23. ut omnes honorent Filium, ſicut honorant Patrem; quemadmodum uterque habet vitam in ſeipſo, verſ. 26. Perſonæ illæ tres ſunt, 1 Joh. 5: 7. In hiſtoria creationis non memoratur aliud nomen Dei quam Elohim, Gen. 1: 1. cap. 2: 3. Illud autem pluraliter eſſe intelligendum docet Moſis explicatio, non ſolum ex enumeratione, collato Pſ. 33: 6. & Gen. 1: 2, 3. ſed etiam ex manifeſta declaratione, nam quando homines fuerunt creandi legitur, verſ. 26. *Dixit Elohim faciamus*, &c. Plures ergo ſunt qui in opere creationis univerſo adhibuerunt operam, qui ſpeciatim in hominibus creandis laborarunt, ut ita loquar, & ſigillatim ſeſe expreſſerunt, ut ab omnibus ſe regi agnoſcerent, unde hominibus jugiter id cogitandum Job. 35: 10. *ubi Eloah factores mei*, & Eccl. 12: 1. recordandum inde à diebus juventutis *Creatorum* ſuorum. Quod ipſum docet Regimen Dei in homines non tam Monarchicum eſſe, quam Ariſtocraticum. Pluralitatem ſuam Deus attendi voluit in prima hominum creatione, qui à pluribus illis juxta commune conſilium producti & inveſtiti fuerunt dominio terrestrium creaturarum. Etiam poſt lapſum plurium illarum apparuit conſilium Gen. 3: 22. Et in illuſtri illo actu Dominii & regininis quando Noachidas dimiſit per univerſum orbem colonias facturos, & quidem tergiverſantes, cap. 11: 6, 7. Jehova loquitur, ſed ut pluralitatem ad opus iſtud vocet, Age, deſcendamus & confundamus labium ipſorum, ne ſe mutuum intelligant. Male ergo exemplo Dei pugnatur pro Monarchia, contra imperium plurium, cum Dei regimen ſit Ariſtocraticum 1 Joh. 5: 17--19. quicquid Pater facit, filius pariter facit: & quæ hominem attinent in concilio plurium decreta docet; quod de toto negotio Redemtionis veriſſimum Zach. 6: 12. Pſ. 2: 7, 8. Joh. 17: 1. Heb. 13: 20, 21. Sic Abraham, *Elohim errare fecerunt me.* Gen. 20: 13. & Jacobo *revelati ſunt Elohim* in Bethel Gen. cap. 35: 7. & Iſraeli gaudendum *in factoribus ſuis* Pſ. 149. verſ. 2. qui etiam ſunt factores judiciorum Iſraeli immiſſorum Eſa. 22: 11. Imo in ingreſſu Chriſtianiſmi per Baptiſmum ad cultum Trium perſonarum obſtringimur, Mat. 28: 19. Et inter homines Dominium partitus eſt, Gen. 1: 26--28. muliere conſtituta ſocia, utp. quæ tunc nondum fuit vas infirmius, quod demum poſt lapſum evaſit, peculiaribus infirmitatibus obnoxia Gen. 3: 16. Monarchiæ exemplum primum eſt in Kaino, qui urbem ædificavit ad ſui defenſam, poſt fratricidium, & poſt diluvium in Nimrodo, qui fuit fortis venator coram Domino, Gen. 10: 9. qui tale ſibi in homines ſumſit imperium, quale homini eſt ſuper bruta, poſt vanitatem propter hominis lapſum introductam refractaria, vi partum, & vi defenſum. Nimrodum ſecutæ ſunt gentes fere omnes, quæ ſibi fecerunt reges pari cum Nimrodo poteſtatis, qui populum habent pro ſervis, diſponuntque de ipſorum agris, pecoribus, liberis, corporibus pro lubitu, ut eſt 1 Sam. 8. quas quando Iſrael eſt lubitum imitari, Deus eis regem dedit in ira ſua Hoſ. 13: 11. quibuſdam tamen legibus eum adſtringens Deut. 17: 14. ſ. Verum Magiſtratus, quos inſtituit Deut. 16: 18. ſ. *Judices & præfectos conſtitues*, &c. plures utique ſunt; & ſane quibus communionem hujus nominis Elohim dedit, nunquam fuerunt ſinguli, ſed tres quibus apud Moſen ſolis ea appellatio datur. Quicquid illis Elohim faciendum fuit, Exod. 21: 6. Cap. 22: 8, 9. triumvirorum judicum munus fuit: ut Judicium Trinitatis ejuſque regimen exhiberet, quod judicium ſupernum illo triumvirum repræſentari docent Hebræi. Solus Moſes id nomen conſecutus eſt Exod. 4: 16. cap. 7: 1. quem unum delegit Deus qui Trinitatis conſilium patefaceret, & ejus nomine legationem obiret, ut Eſajas Eſa. 6: 8. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehova Zebaoth* dicit, *Quem mittam, & quis ibit nobis?* ubi Filium ac Spiritum S. mittentium ordine quoque contineri liquet ex Joh. 12: 40. Act. 28: 26. quod rurſum adſtruit pluralitatem Divinarum perſonarum, & ipſarum in regimine mundi & animas conſortium. Equidem de una quoque perſona dicitur τὸ Elohim Pſ. 45: 8. ſed id fit quia quævis perſona habet unam illam eſſentiam, quæ tribus perſonis communis eſt, eoque venerabilitatem & gubernationem

omnium

omnium. Joh. 5: 19. ex declaratione Chriſti Joh. 14: 8. ſ. Philippo poſcente, ut monſtraretur ipſis Pater diſtinctus à Jeſu. Reſpondet ille: *Tanto tempore vobiſcum ſum, Philippe, & me non vidiſti, qui me vidit, vidit Patrem* &c. Sed ut revertamur ad textum. Vox Elohim dicitur etiam de iis qui natura non ſunt Deus, 1 Cor. 8: 4. ſ. Itaque id nominis obtinent, non ex rei veritate, quod ſint venerabiles ex mundi regimine, ſed ex falſa erroneaque hominum opinione, qui rebus creatis tribuerunt honorem creatoris, quorum vanitas & ſtultitia arguitur Rom. 1: 21. ſ. Jer. 2: 11. Deut. 32. 17. *Sacrificarunt* לשדים *Dæmonibus non Deo.* אלהים *Diis quos non noverunt, novis proximè adductis, & quos patres ipſorum non expaverunt.* Ubi Deus ipſe id nominis eis dat, uti creberrime etiam in decalogo pc. I. loquens non uti ſunt, quaſi Deitas eis adeſſet. Appellantur enim fœdis nominibus שקוצים abominabiles, גלולים *ſtercorei*, כפלצת *terribilis*, חועבה *abominatio.* Sed creberrime honeſtiſſimo Elohim ſolummodo ex erronea opinione vulgi, quæ quod venerabile cujuſcunque hoc nomine inſigniebat, uti Michæ idolum Jud. cap. 17, 18. Sic Deus Exod. 12: 12. *Judicia exercebo in omnibus Diis Ægyptiorum, ego Jehova.* & Jer. 10: 10. *Dominus eſt Deus verus, Deus vivus & Rex ſempiternus.* Sic dicetis ipſis, *Elohim* &c. Eſa. 45: 20. ſ. Cap. 44: verſ. 10. ſ.

Hoc loco quæritur num falſi vel verus Elohim deſignetur? Noſtri Interpretes de falſis exponunt propter adjectivum קרובים atque ſic Scriptura dicet, Eſtne populus cujus Elohim, qui id nonſunt, ſed quos ita nomino, ſecutus communem loquendi modum, ut quod homines colunt ceu numen, id unice venerandi numinis nomine deſignetur, quamquam falſo & erronee ita loquantur. Quemadmodum etiam propinquitas non niſi erronee de iis affirmatur, cum enim nihil ſint in mundo, ſaltem multi Deorum Gentilium, mera figmenta, mendacia, utique nequeunt dici propinqui, niſi opinione erronea. Act. 14: 11. Lyſtrenſes opinantur Jovem & Mercurium veniſſe, & cap. 28: 6. Melitenſes putant Paulum Deum eſſe. Sed poteſt etiam commode dici de vero Deo, qui non ſolum Elohim dicitur, ſed etiam addito vocabulo plurali, ut perſonarum pluralitas indicetur Joſ. 24: 19. *Non poteritis Jehovæ ſervire, nam* אלהים קדושים הוא *Elohim ſancti eſt, Elohim Zelotes non feret, ſi ſerviatis Elohim diis alienis*, & Pſal. 58: verſ. ult. *Elohim* שופטים *ſunt Judices in terra.* Et hic quoque reſpicitur gubernatio Dei ſuper omnes populos, qui cum omnes ab eo regantur, eoque Trinitatis imperio & nutu, eſt obſervanda tamen diſtinctio, dum uni præ alio plus oſtendit favoris & benignitatis.

Nam de favore intelligenda eſt *Propinquitas.* Alias omnes creaturæ æque propinquæ Deo, ejus eſſentiæ, potentiæ, gubernationi Act. 17: 26. ſ. neque datur poſſibilitas ut quis longe ab illo abeat Pſ. 139: 8. ſ. Amos 9: 2. ſ. Verum uti homines longe à Deo abire, & abeſſe dicuntur, qui eum non amant, non colunt, nec ei ſerviunt, Jer. 17: 13. Pſ. 73: 27. Job. 21: 14. contra propinqui eſſe aut fieri, qui cultum exercent, Jac. 4: 8. & prout cultus vel externus eſt vel internus, Eſa. 58: 2. appropinquandi habent voluntatem; ſed hypocritice, ut cap. 29. 13. & contra vere cap. 56: 6, 7. Unde *propinqui* & *longinqui* vocantur, qui cœtui Eccleſiæ juncti ſunt, vel inde abſunt, Act. 2: 39. Eph. 2: 13. Ita Deus propinquus vel longinquus, prout beneficentiæ ſingularis teſtimonia edit vel non edit. Quando Deus negat beneficia dicitur deſeruiſſe populum & longe receſſiſſe. Hoſ. 9. 12. *Væ ipſis quando ab ipſis receſſero:* quod eſt, verſ. 15. Hoſ. 5: 15. & conqueruntur. Iſraelitæ de Dei defertione quando negatur ejus defenſio & auxilium Jud. 6: 13. Pſ. 60: 12. & hinc Num. 14: 9. *Ne metuite populum hujus terræ, nam ſunt panis noſter; umbra ipſorum receſſit.* Contra advenit & adeſt quando benefacit, 2 Chron. 15: 2. Unde Num. 10: 35. ſ. arca mota, quæ teſtimonium præſentiæ Dei, dicebat Moſes, *Surge Domine, & diſpergantur hoſtes tui*, & ea quieſcente, *Revertere Domine ad myriadas milliũm Iſraelis.* Hujuſmodi beneficium Dei quærit Moſes, an ullus populus maximus eſſet expertus? non abſolute; quia quicquid habebant populi eximium à Deo habebant. Etiam impiisqui Deum à ſe volebant recedere, impleverat domos bono Job. 22: 17. ſ. & ſic benefaciendo ſe præſentem teſtatur Act. 14: 17. Ipſe eſt qui reges conſtituit, & maxima regna ſubjicit, populoſque cogit in obſequium Jer. 27: 3. ſ. Dan. 5: 18. ſ. cap. 2: 37. ſ. Sed comparate, uti Iſrael, uti Dominus Deus noſter, nempe nobis propinquus eſt. Propinquitas illa eſt excedens omnem beneficentiam erga alias nationes exhibitam. Pſ. 148: 13. ſ. Pſ. 132: 13. ſ. *Dominus elegit Sionem, concupivit in habitationem ſibi, hæc quies mea in æternum, hic habitabo.*

Multa ſunt argumenta propinquitatis Dei erga Iſraelem univerſum Pſ. 103: 7. & 147: 19, 20. & 73: 1. & 33: 12. & 144: 15. Cujuſmodi cum obedientibus fœderatis obtingant, utique ſtudendum eſt, ut nos fœderatos obſequio oſtendamus, quo propinquitate fruamur. Fœdus Dei conjugale eſt, & non eſt propinquitas major quam conjugum, qui una caro; & ea eſt à Deo Hoſ. 2: 18. Eph. 5: 26. ſ. ſed obſequium requiritur uxoris, alioqui diſcedit maritus, eamve cum libello repudii domo ejicit, Eſa. 50: 1. ſ. Jer. 3: 8. Fœderis beneficia Deus præſtat obſervantibus fœdus. Pſ. 103: 17, 18. Itaque ſi propinquum Deum volumus, facienda quæ obedientiæ ſunt. Exod. 20: 24. coll. cum Pſ. 103: 18. Jac. 4: 8. *Propinquate* &c. *Lavate manus* &c. quia non minus cordi quam corpori propinquum habere oportet. Pſ. 73: 28. hic accedítur fide, & adhæretur conſtanti fiducia & obſequio, verſ. 26. & tum propinquitas facit ad ſalutem, verſ. 23, 24. Enimvero Deus longinquus eſt ab iis, qui inobedientes ſunt. Uti Deus longe eſt ab ipſorum renibus, quamvis propinqui ſint labiis: ita quoque longe eſt quoad auxilium ſolidum. Benedictiones tantummodo ſunt ut paſcuum pingue bovi ſaginando ad mactationem. Jer. 12: 2. 3. Verum creberrime externas quoque benedictiones una removet recedens ipſe. Quo ambulat veſtigia ejus ſtillant pinguedine. Pſ. 65: 12. ſ. ſed ubi abeſt longinquus, mera eſt deſolatio. Hoſ. 5. 15. Anguſtia eſt, quæ anxie facit quærere. Quæ conditio noſtra eſt. A longe ſtare dicitur Deus, quando ſe occultat tempore anguſtiarum, quando impii fervide proſequuntur egenum. Pſ. 10: 1. Longinquus Deus erat, ſpernens pop. Iſrael, & deſerens tabernaculum, quando eos tradit gladio, ut perirent juvenes, multiplicarentur viduæ, vaſtaretur terra. Talia ſumus experti & experimur; neque remedium hactenus ullum fuit ſalutare, quia inobedientia noſtra perennat, Deus vobiſcum, ſi vos cum ipſo 2 Chron 15: 2. 1 Chron. 28: 9. Propinquus nobis eſt Dominus quando Deus noſter. Sed quando nolumus Deum noſtrum, utique propinquitatem poſcere non poſſumus. Non eſt Deus iis, qui alium Deum habent. Jer. 2. 5. Et quid frequentius Jer. 17: 5. Pſ. 60: 13. Pſ. 62: 15. Mammonæ cultus avaritia eſt idololatria; imo quævis inobedientia 1 Sam. 15. 23. Incantatio eſt à cupiditatibus Jac. cap. 1: 15. & cuicunque obſequium præſtamus ejus ſuperioritatem agnoſcimus, & qui Dei cultum conſequitur, cordis nempe, is Dei loco habetur. Hinc v. nihil niſi calamitas Pſ. 16: 3. Multiplicabuntur dolores eorum &c. Alieni autem uti dii non ſunt, ita nequeunt benefacere vel malefacere Jer. 10: 5. ut Deo vero vindicanti deſertionem ſui, nequeant reſiſtere; ſed deſerant ipſius ultione abſumendos. Quocirca caveamus inobedientiam, ſed in ejus via maneamus, ſic non aberit à nobis longe, ſed occurret ad gaudium Eſa. 64: 5. uti Chriſtus diſcipulis Emmauntem profectis & de ſe ſermocinantibus Luc. 24. Etenim Matt. 18: 20.

ב. Verum Moſes *addit teſtimonium propinquitatis. In omnibus clamare nos ad ipſum.* בכל *In omni* ſive tempore, ſive loco, ſive negotio aut re poſtulata precibus. Eſt quædam communis Dei providentia Matt. 5: 45. & hæc non docet propinquitatem iſtam, quam ſpectamus hoc loco. Juſto & impio bono & malo, Eccl. 9: 2, 3. Qui externa felicitate abundat, non eſt Deo propinquior. Quis proſperior in bello quam Chaldæus, qui omnia ſuperabat & abſorbebat, illudebat regibus, & principes ei erant deriſui, & munitiones omnes ridebat; & ſuum robur habuit pro Deo. Hab. 1: 9. ſ. Sed demonſtratio propinquitatis eſt, quando ad clamorem promtus adeſt, ut faciat poſtulata. Etenim facere iſtud quod petitur ſigillatim,

oſtendit ſpecialem propinquitatem affectus, & facere ſtatim ad preces, propinquitatem notat, cum longinquus non audiat illico, & indigeat, ſi audierit tempore ut occurrat. Affirmatur hic propinquitas tum ratione temporis, tum ratione rerum poſtulatarum. Pſ. 145: 18, 19. Eſa. 65: verſ. 24. *Fiet antequam clament, reſpondebo, dum adhuc loquentur audiam.* ut factum Danieli, quia vir deſideriorum, Eſa. 30: 19. *quamprimum clamaveritis, audiam.* Nam hoc eſt propinqui Eſa. 45: 11. Deſerentis Dei teſtimonia ſunt, quod non audiat preces, longinquus ſit à clamore Pſ. 22: 2. ſ. & quanta fuit ea miſeria. Auditio precum negata eſt impiis. *Peccatores Deus non audit.* Joh. 9: 31. quoniam longinquitas hic eſt Eſa. 59: 2. Si quis pius faciens voluntatem Dei, hunc audit. Sane de propinquitate Dei dubitandum, quia preces noſtras non audit. Per quadriennium integrum fuerunt menſtruæ ſupplicationes, & nihil proficimus. Ratio haud obſcura. Propinquus Deus clamavit ad nos in prædicatione verbi ſui, & non audivimus remota aure, & magis corde: Ergo nunc clamantibus nobis, non audit ille preces, & avertit aurem & animam ſuam. Jer. 14: 10. ſ. *Tantopere amarunt vagari* &c. *ne precare pro hoc populo in bonum, licet jejunent, non audiam clamorem ipſorum, nec beneplacitum habebo in ipſis: gladio, fame, & peſte abſumam eos.* Etiam maximos deprecatores non exaudiam, alienata anima mea. Prov. 28: 9. *Qui avertit aurem ab audienda lege, ejus preces erunt abominatio.* Caveamus iſtud, & cum denuo vocemur ad ſupplicationem ſic vivamus, ut Deum propinquum experiamur. Quod ut faciamus, textus noſter, iſti tempori delectus, nos docebit, Pſ. 86: 5. Si preces noſtras contingat audiri, propinquo Deo fruemur, & eo nomine poterimus gloriari.

Verſ. 8. *Rurſus quæ gens maxima* futura eſt? *cui* ſunt *ſtatuta & judicia juſta, ſicut* eſt *tota hæc lex quam ego propono vobis hodie.*

B. *Juſtitia legum*, verſ. 8. *Et quis magnus populus* &c. Commendatio populi fuit ob legis obedientiam, jam v. ob ipſarum legum juſtitiam, quæ non unius duntaxat eſt partis, ſed cujuſcunque, tota illa lex ſive ſtatuta ſpectentur, ſive judicia. Pſ 19: 10. Pſ. 119: 39. Non dicit juſtificata ſunt, & obtinuerunt teſtimonium extrinſecum, ſed juſta ſunt, etiamſi nemo agnoſceret, nemo prædicaret, tamen habent hanc qualitatem intrinſecam: atque id ſunt pariter, non una tantum & altera parte ſigillatim, ſed in omnibus etiam conjunctim. Pſ. 18: 31. Pſ. 12: 7. Prov. 30: verſ. 5. nec ab ea auferendum, neque magis inde demendum eſt; adeoque ſermones juſtiſſimos eſſe oportet. Quod quidem patebit ex omnium explicatione, & quod nihil ſit, quod criminationi ſit obnoxium. Eſt v. hæc commendatio populi habere juſtas leges: quando illæ injuſtæ, quia norma mala nequit conformitas non mala eſſe, & Prov. cap. 14: 34. *Juſtitia exaltat populum, ſed peccatum eſt opprobrium nationum, maxime quando lege ſancitur.* Pſ. 94: verſ. 20. Si leges aliorum populorum comparentur cum Moſaicis, apparebit harum juſtitia. Conſideretur quod 1 Sam. 8. deſcriptum eſt. Jus regium lex eſt, ſed injuſtiſſima, ſi conferatur cum lege Dei; illud facit homines ſervos hominum, hæc ſervos Dei & inter ſe fratres: illud poſſeſſionibus & bonis privat, hæc ita conſervat, ut ſi quis ſuis excidiſſet ad tempus rurſum obtineret anno jubilæo hæreditatem & poſt ſex annos libertatem. Et quæ juſtior lex, quam quod facere vobis vultis homines, facite ipſis. Matt. 7: 12. & ejus contrarium, Gentilibus etiam laudatum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Quæ ſi obſervarentur omnia, haberemus tranquilliſſima, dando Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ Dei ſunt. Saltem ſic nulli fieret injuria verbis, vel factis, vel cogitatione; quemadmodum nobis fieri nolumus: exerceremus juſtitiam & miſericordiam, quemadmodum erga nos exerceri optamus. Sic foremus populus juſtus, ſervans fidem, & frueremur illo Dei propoſito, ut omnimoda pax nobis concederetur, & conſervaretur, ut & hic & in æternum felices eſſemus.

Verſ. 9. *Tantum cave tibi, & ſerva teipſum valde, ne obliviſcaris rerum illarum quas viderunt oculi tui, neque recedant ab animo tuo, ullo dierum vitæ tuæ, ut notas eas facias filiis tuis & nepotibus tuis.*

Inſitus eſt hominibus omnibus Numinis religioſus timor, ut quod ipſum autorem habet, non auſint improbare. eive reſiſtere. Athenienſes cum Paulum peregrinos deos annunciare audirent, æquum putarunt, ut in Areopago de iis diſſereret, & Gamaliel condemnaturos doctrinam Apoſtolorum Judæos hoc uno cohibuit, quod forſan à Deo proficiſceretur, contra quem pugnare impium foret. Eglon Moabitarum rex cum Dei mandatum ad ſe ferri diceretur, ſurrexit illico de ſuo throno. Pharao etiam non detrectaſſet obedientiam, niſi Deitatem Jehovæ vocaſſet in dubium. Ut efficaciſſimum argumentum ſit perſuadendæ obedientiæ, ſi Deum eam poſcere ſit perſuaſum. Hoc itaque neutiquam ſibi negligendum putavit Moſes, ut Iſraelitis commendatum daret obſequium mandatorum proponendorum. Hactenus duxit argumentum ab utilitate, quod magno commodo ceſſurum eſſet, non tantum longævitatem poſſeſſionemque Cananææ conſecuturis ipſis, ſed etiam vitam potiſſimam Dei nempe, & beatitudinis ſpiritualis & æternæ. Duxit etiam ab Honore, quo afficiendi eſſent, ſapientiam & intelligentiam à Gentilibus aliis prædicandam eſſe, quæ amicos Deo conſtitueret, & ſectatores legum juſtiſſimarum.

III. Nunc porro ducit à DIVINITATE mandatorum, quæ proinde eſſent indeclinabilia, quia Deum haberent autorem. Huic argumento inſiſtit, verſ. 9--40. ſic autem tractat, ut I. Divinitatem declaret, verſ. 9--14. II. obedientiam urgeat, verſ. 15--31. III. Utrunque repetat, verſ. 32--40.

I. *Divinitatis Declaratio* conſiſtit in commemoratione promulgati ante annos 40. fœderis cæterorumque mandatorum, ubi I. commendat recordationem perpetuam, verſ. 9. II. recitat circumſtantias, verſ. 10, 11, 12. III. refert id quod promulgatum fuerit, verſ. 13, 14.

A. *Commendatio recordationis* eſt, verſ. 9. Eam deſcribit à Contrario, Cautione oblivionis, & Media indicat ejus vitandæ.

א. *Cautio oblivionis* eſt tantummodo, *Cave tibi* &c. Ubi venit ſpectanda Connexio, Oblivio, & Cautio contra illam.

a. *Connexio* eſt in voce רק *tantummodo*. Hortatur ad obſequium, ut cuſtodirent & facerent mandata, quia utile, quia glorioſum; quod ſi hæc non moveant, quæ futura ſunt, adeoquo ceu incerta negliguntur, tantummodo præteritorum ſervetur memoria, quorum experientia fuit, & abunde argumenti eſt ut obtemperetis. Etſi nihil exſpectandum eſſet boni, nullæ promiſſiones ejus exſtarent; etſi nulla foret aliorum notitia & præconium, dummodo cogitetis, quæ fuerit ratio promulgationis, id abunde habet virium ad imbuendum animum reverentia, & flectendum ad obſequium. Quæ ratio apud nos valere debet. Poſcitur à nobis obedientia voluntatis divinæ, quæ variis modis ſæpius à Deo propoſita eſt per Prophetas, tandemque per Filium & hic exordio facto, per eos qui ipſum audiverant confirmari fecit, Deo una teſtante, per ſigna & prodigia, & varias virtutes & diſpenſationes Spiritus ſancti, juxta ejus voluntatem, Heb. 1: 1. cap. 2: 2. Infinitæ ſunt promiſſiones maximorum bonorum, nec non commendationes teſtium, qui viderunt fructum doctrinæ in credentibus. Sed licet iſta omnia deeſſent, tantummoda memoria patefactionis efficax eſſe debet ad perſuadendum. Quomodo Iſraeli priſco factum fuerit indicium tempore Moſis, quomodo tempore Chriſti & Apoſtolorum Matt. 7: 28. 29. Populus ſtupebat ad ſermones Chriſti, quia docebat tanquam poteſtatem habens, qui tanta gratia, tanta gravitate. tantis miraculis doctrinam roborabat, ut appareret gloria ejus, ceu Unigeniti à Patre: quemadmodum Dei gloria in monte Sinai apparuit. Sic in doctrina Apoſtolorum, etiam inter gentes. Rom. 15: 18. ſ. Chri-

Chriſtus per me operatus eſt ad obedientiam Gentium verbo & facto, per virtutem ſignorum & prodigiorum, per virtutem Spiritus ſancti, ut longe lateque omnia implerit Euangelio Chriſti. Profecto hodieque apud Gentes Dei & Chriſti ignaras eſt hoc medium efficax ad perſuadendum, promulgationis primæ hiſtoria, ob manifeſtam divinitatem, quod non homines, ſed Deum autorem habeat doctrina. Hacpropter cum Carolus M. per Germaniam Euangelium prædicari faceret, ordinavit, ut excerperentur ex Euangelica hiſtoria miracula Chriſti, quo hujus doctoris Deitas agnoſceretur, & doctrina ipſa inde fidem impetraret. Et iſta excerpta Euangeliorum nomen obtinuerunt, cum tamen pleraque tantum doctorem faciunt αὐτόπτου, doctrinam parce attingant; quamobrem illis ſolis non eſt inhærendum, ſed perſuaſis de doctore Chriſto, ejus potiſſimum doctrina inculcanda. Interim nonnunquam eſt deponenda memoria, quo doctorem legiſlatoremque Deum agnoſcentes, ipſas cogitationes inobedientiæ reprimamus. Legiſlatores Gentium ut autoritatem conciliarent ſuis ſtatutis, divinam patefactionem prætexuerunt, Minos Cretenſis à Jove, Lycurgus Spartanus à Delphico Apolline, Numa Romanus ab Egevia Nympha ſe leges accepiſſe prodiderunt. Ipſe etiam Muhamed mentitus eſt, ſe à Spiritu ſancto edoceri, columba ad aurem advolante, quam inde cibum petere docuerat, granis aliquot impoſitis. Verum figmenta iſta fuerunt, hic mera veritas ut διαμαχία ſit refractarium eſſe.

b. Etenim id cujus *Oblivio* vetatur eſt, *Ne obliviſcaris eorum quæ viderunt oculi tui.* Experientiam propriam, & quantum ulla eſt certiſſimam inculcat, viſum oculorum. Ipſimet fuerant teſtes & oculati teſtes. Obj. Utique omnes qui ex Ægypto egreſſi erant vicennio majores recenſi in duodecim tribubus, perierant in deſerto. Reſp. Sed ſupererant qui tunc temporis cum recenſerentur, vicennio minores erant præter tribum Levi, & mulieres. Ut magna reſtaret multitudo teſtium oculatorum. Etenim tam illuſtris actus memoria, ut fuit promulgatio fœderis, etiam pueris ſeptem aut octo annorum non poterat non alte inhærere mentibus, cum eventuum minoris momenti memoriam habeant.

Apud nos ſic loqui non poſſumus. Oculi noſtri non viderunt, ſive Deum loquentem, ſive per Prophetas, filium ſuum, hujuſve Apoſtolos proponentem ſuos ſermones, ut hoc argumento excitari nequeamus. Verum habemus ab iis qui viderunt ſuis oculis, Joh. 9: 28. ſ. Phariſæi ajunt, Sumus Moſis diſcipuli, ſcimus Deum ad Moſen eſſe locutum. Si certi ſimus αὐτόπτας teſtari, poſſumus acquieſcere; Hinc Luc. 1: 1. ſ. Cujuſmodi teſtes fuerunt Apoſtoli, Act. 10: 41. unde 1 Joh. 1: 1. Ab oculatis audiſſe certitudinem ſalutarem largitur Rom. 10: 17. non tantum ex viſu. Joh. 20: 29. *quia vidiſti Thoma*, &c. & commendantur Judæi fideles ἐν διασπορᾷ 1 Pet. 1: 8. *Jeſum Chriſtum non vidiſtis, & tamen diligitis, in quo nunc, etſi non videntes ſed credentes, gaudetis ineffabili & glorioſo gaudio, conſequentes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum.* Non alia ratione nobis nunc agendum. Audita nobis credenda, quia videre impoſſibile eſt, quæ tot ſeculis antequam nati eſſemus patrata ſunt. Veruntamen videre adhuc datur nonnulla. Gal. 3: 1. non plus ipſius Chriſti viderunt Galatæ quam nos; & dicitur inter eos coram ipſorum oculis Chriſtus crucifixus, tum in verbo, tum in S. Cœna. Hujuſmodi viſus nobis quoque obtigit, ut jam valeat adhortatio. 2 Cor. 5: 16, 17. *Si etiam Chriſtum novimus ſecundum carnem, nunc non amplius novimus quisquis in Chriſto Jeſu eſt nova creatura eſt.* Videmus Chriſtum in nobis ipſis, ſi fidem in nobis deprehendimus, cap. 13: 5. & hanc efficacem per charitatem, Gal. 5: 6. in nova creatura, cap. 6: 15. & ipſiusmet Chriſti vita in nobis, cap. 2: 20. Sed inſuper, quemadmodum viderunt Iſraelitæ qua ratione proceſſiſſet ſui liberatio ex Ægypto, & deductio per deſertum, & occupatio terræ Amoræorum, Sihonis & Ogi. ita quoque vidimus quæ Deus circa Belgium egit, dum à minimis & deſperatis principiis ad tantam gloriam deduxit. Imo oculi noſtri viderunt & vident etiamnum. quid egerit Deus quando à gloria illa retrorſum agit, ut ad prima propemodum principia redierimus: cujuſmodi viſum inculcat Jeremias, Jer. 2: 19. & quod legitur, Eſa. 42. verſ. 20.

c. *Cautio* hinc inculcatur: *Caveto & bene cuſtodito animam tuam, ne obliviſcaris eorum quæ* &c. Alloquitur omnes ut unum, ſeu unumquemque omnium, ne quisquam privilegio ſe exceptum opinaretur; nam quod uni dicit omnibus; *Cuſtoditus tibi ſis*, uti civitas cuſtodibus depoſitis per mœnia cuſtoditur ne hoſtis externus ſuperveniat inopinatis, & rapiat quicquam eorum quæ intra civitatem ſunt: ſic quoque quod in memoria, eſt cuſtodiendum, ne quid extrinſecus ingrediatur, quod aboleat memoriam & *Cuſtodi animam tuam valde:* memoria animæ eſt apud eam deponitur quod cognitum eſt, ut inde rurſum petatur, verum etiam hic poteſt aliquid oboriri & quidem in ipſa anima, quod memoriam exſtinguat, & quia iſtud minus evidens eſt, & irrepit, non tantum cuſtodia commendatur, ſed cum additione valde. Ut moneamur.

Oblivionis cavendæ ergo tum extrinſeca vocamenta, tum inprimis intrinſeca ſtudioſiſſime obſervanda & amovenda ſunt. Obliviſcimur rerum cognitarum partim per objecta externa, ſenſibus oblata; quæ audimus, videmus, guſtu tactuve percipimus, animum occupant, & diſtrahunt, ut ad ea quæ memoria continentur, non attendatur; partim per interna objecta, quæ cupiditates aut cogitationes aliæ offerunt, & animum diſtinent, ut ad alia ſe non applicet. Oblivioſi ſunt pueri ſuarum lectionum quas dedicerunt, dum oculis & auribus quævis obvia captant, & non reflectunt cogitatione ad ea quæ didicerunt; itemque dum jugiter cogitant de ſuis luſibus, & vanitatibus. Eademque eſt ratio adultorum: Lectio honeſtatis Chriſtianiſmi in oblivionem venit, quia cuſtodia iſta non obſervatur. Gen. 41. verſ. 51. Joſeph natum ſibi filium vocat *Manaſſe, nam Deus me fecit obliviſci omnis meæ moleſtiæ, & totius domus patris mei.* Externa proſperitas qua fruebatur & quæ jugiter afficiebat ſenſus induxit memoriam non tantum præteritæ calamitatis, ſed etiam domus paternæ, ubi longe tenuiora erant omnia: Sic externa abundantia Iſraelitis fuit occaſio obliviſcendi Dei Deut. 32: 15. Hoſ. 13: 6. unde hortatio ad cuſtodiam Deut. 8: 11. ſ. Internæ cogitationes & cupiditates quoque oblivium producunt. Ex corde egrediuntur cogitationes malæ &c. Matt. 15: 19. & hinc fit ut Dei mandata negligantur. Pſ. 50: 22. Obliviſcentes Dei ſunt, qui jugiter frequentant conſortia mala, furum, adulterorum, calumniatorum, cum voluptate ſocii facti; qui item Deum concipiunt ſibi ſimilem, non magis de ſe cogitantem quam ipſi de Deo cogitant, aut probantem quæ ipſis probantur. Quomodo fit ut mulier obliviſcatur fœderis conjugalis, quando intus cupiditatibus pravis indulget, & cogitationibus ſuis eas fovet, & extus ſenſibus ſuis admittit & captat quicquid cupiditates alat, accendat, augeat. Cogitationibus vanitatis pernoctantibus in corde, & exceptis omni ſtudio, uti hoſpes amicus ſolet excipi, ut omnes cogitationes aliis omnibus neglectis circa ipſum occupentur, utique aliarum curarum tantiſper exemplo Marthæ eſt oblivio. Hacpropter opus eſt cuſtodia, ne quid extus, ne quid intus occurrat, quod eouſque attrahat cogitationes cordis, ut priorum non habeat curam. Hinc Prov. 4: 23. ſeq. *Supra omnem obſervationem cuſtodi cor tuum: Oculi tui è regione intueantur, & palpebræ tuæ ſpectent rectum coram te.* Ne varietate objectorum abducantur ad oblivium rei agendæ: quemadmodum cor cogitando vagari poteſt. Job. 31: 1. & David petit, Pſ. 119: 36. ſ. *averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Cuſtodiam utramque à Deo petit, qui ſuam utrobique agnoſcit inſipientiam & impotentiam. Etenim ſi fruſtra cuſtodiatur civitas, Deo non cuſtodiente Pſ. 127: 1. multo magis hæc cuſtodia impoſſibilis, niſi Deus eam peragat: ut ſollicitandus ſit. Pſ. 141: 4. amoveri optat objecta, quemadmodum Prov. 30: 8. ſ. Quantopere v. negligitur iſta cuſtodia. Prov. 25: 28. Valet non tantum de ira, ſed etiam de quavis cupiditate; qui eam nequit cohibere aperit animum ut quævis objecta ſive à ſenſibus ſive à cogitationibus oblata admittat, eoque eum ſic diſtrahat, ut non habeat otium ingrediendi penetrale memoriæ & quæ iſtic depoſita ſint inſpiciendi. Cuſtodia exercenda eſt & valde exercenda, ut & membra & cor ipſum nihil agant quod hic damnoſum ſit. Hoſ. 4: 6. verſ. 10, 11.

ſic perit memoria Dei & præceptorum ejus. Similiter quando cor abit pone avaritiam Ezech. 33: 30. verborum Dei oblivio eſt, Imo in catalogo Ezech. 22: 12. peccatorum omnis generis, impuritatis, injuſtitiæ, oppreſſionis publicæ privatæque, clamula eſt, & mei oblita fuiſti, inquit Dominus. Peccato cuicunque qui ſervit, obliviſcitur Dei & ejus Dominii. Quiſquis non eſt factor operis, oblivioſus eſt auditor Jac. 1: 24. memoria enim ſtimularet ad opus.

ב. Enimvero ne hîc peccemus, ſed memoriæ cuſtodiam præſtemus requiſitam uſurpanda *Media*, quæ commendantur h. l. duo. Meditatio, & Recitatio frequens.

a. Primum eſt *Meditatio;* de qua dicit, *ne recedant à corde tuo omnibus diebus vitæ tuæ.* Cogitationes cordis ſunt; eo adſcendunt, quia ibi concipiuntur, & iſtinc prodeunt, quando ſermone vel opere exſecutioni mandantur. Porro quod eſt in corde id meditatione agitatur, quæ cum omnibus diebus vitæ imperetur, jugis omnino eſt; ut conſtans ſit objectum; quomodo impoſſibilis eſt oblivio. Qui enim excideret memoria, quod meditationem conſtanter occupat. Pſ. 139: 5. ſ. Nemo obliviſcitur dextræ, quæ ſemper ante oculos, ſic neque quod meditatione ſuper omnia alia extollit. Hujuſmodi debet eſſe meditatio verborum Dei. Pſ. 1: 1. in lege Dei voluptas ejus, & meditatur de ea interdiu & noctu. Hoc eſt exercitium viri boni & beati. Joſ. 1: 8. imperatur ad omnium actionum moderamen prudens & proſperum. Pſ. 119: 16. Totus ille Pſalmus habet ejus demonſtrationem. Ut hæc meditatio foret perpetua, Deus mandarat Iſraelitis, ut mnemos qua haberent, quæ ad meditationem excitarent, Deut. 6: 6--8, 9. Memorialia manui, & fronti, & poſtibus & portis apponi appendique voluit, ut obtutu illo, aut contactu excitarentur ad meditationem. Inprimis periculamenta in veſtium extremis, cum filo cœruleo: quod moneret cœleſtis originis eſſe mandata, quodque ſenſus & corda aberratura revocaret, ut in iſtud defixi cæleſtia meditarentur, ſimulque demonſtrandum ſibi cogitarent vitæ praxi, ſanctos ſegregatoſque ſe eſſe Deo. Deeſt iſta meditatio pluribus. Nunquam quidem ſunt ſine meditatione; anima humana nequit eſſe ſine cogitatione, ſed ea circa alia, imo contraria occupatur. Meditationes adulteri, & furis & injuſti, & ambitioſi, & ebrioſi, & avari ſunt notiſſimæ, ut aſſequantur quod ſibi propoſuerunt, neque piget in ejuſmodi cogitationibus noctes diebus jungere; & hinc nequeunt meditari verba Dei, eave memoria retinere. Luc. 8: 19. Scl. meditatio una alteram pellit, quemadmodum ſimul contrariis dominis ſervire nemo poteſt, ita neque contrariis meditationibus, ut pariter iis delectetur; Eoque tribuendum cor meditationibus Sacris, ut iis occupatum non poſſit vacare mundo, carni, peccato Pſ. 37: 31. & 119: 11. & verſ. 54, 55--111. Sic meditatio iſta ſuſcipietur ſiquidem in ea ſit oblectatio Pſ. 104: 33. ſ.

b. Alterum eſt *Recitatio;* addit enim *& notificabis ea liberis & nepotibus.* Nequit excidere memoria quod ſæpius recitatur. Sic conſervatur memoria & in dicentibus, & in audientibus. Deut. 6: 6, 7. *inculcabis filiis tuis deque iis loqui, cum ſedes domi tuæ cum ambulas in via & cum decumbis, & cum ſurgis,* quacunque occaſione non tantum oblata, ſed etiam captata, neque ſolum liberis notificanda, ſed etiam nepotibus: adeoque quamdiu ſunt domeſtici quos tenerrimo affectu complecteris iis probabis memoriam horum, & in ipſis excitabis ſimilem memoriam, Abraham propria mandata dedit ſuis liberis, & familiæ, Gen. cap. 18. verſ. 19. ut meminiſſent praxeos. Pſ. 78: 3. ſ. *filiis ex iis naſcituris.* Recitatio conſtans oblivionem non admittit, Pſ. 103: 1. ſ. Non obliviſcuntur mundani ſuarum cupiditatum, quia de iis ſermocinantur: neque pii præceptorum Dei, quando de iis loquuntur. David recitatione jugiter defunctus eſt, Pſ. 71: 6---15. ſ. Pſ. 119: 46. Utinam hæc recitatio vigeret jugiter inter Chriſtianos, nunquam conquerendum eſſet, Hoſ. 8: 12. Scripſi ipſis excellentia legis mei, peregrinum quid reputata ſunt. Mat. 12: 34. Ex abundantia cordis loquitur os: qualis ibi ſervatur theſaurus talis eſt oratio. Non eſt theſaurus melior verbo Dei, hoc ſi cor repletum fuerit lingua reſonabit. Pſ. 39: 4. Nulla recitatio melior tum in ſe, tum ratione aliorum, quibus gratiam dat audientibus. Imo facit ad obſequium dicentis. Nam quod aliis laudat, utique non audebit refutare opere, ne ſemetipſum mendacii convincat: quin potius oſtendet ſe perſuaſum praxi vitæ, quod aliis perſuadere ſatagit ſermone. Quomodo & ſeipſum ſervabit & eos qui audiverint. Utroque iſto remedio utamur, meditatione & recitatione verborum Dei, & memoria ejus radicabitur alte in cordibus noſtris, & ad manum erit quandocunque poſcet neceſſitas, in adverſis & proſperis, in vita & morte. Memores autem præceptorum Dei ut ea faciamus experiemur miſericordiam Dei erga poſteros noſtros, & benignitatem ejus erga nos à ſeculo in ſeculum, & in omnem æternitatem. Pſ. 103: 17. Mal. 3: 16, 17.

Verſ. 10. *Die* nimirum *quo ſtetiſti coram Jehova Deo tuo in Chorebo, quum edixiſſet Jehova mihi, congrega mihi iſtum populum, ut audienda proponam eis verba mea: quibus diſcant timere me quibuscunque diebus victuri ſunt ſuper terram, & filios ſuos doceant.*

Verſ. 11. *Quo accedentes ſtabatis ſub illo monte, quum mons ille arderet igne uſque ad ſummum cœlum, cum tenebris, nube, & caligine.*

Jer. 2: 32. *An obliviſcitur virgo,* &c. Interrogando negat fortius, nihil tale fieri ſueviſſe. Virgo non obliviſcitur ſui ornamenti: quodcunque perſuaſum habet ad ſui ornatum facere, retinet firmiter memoria, ut data occaſione utatur. Ingens licet ſit index, quem vanitas in immenſum auget, tamen exacta eſt recordatio, ut Eſa. 3. exprobratur, & hodie non minor eſt ornamentorum numerus, & fida virginum memoria. Idem affirmatur de Sponſa, non eſſe apud eam oblivionem ligamentorum, cujuſmodi non tantum ſunt externa torquis & armillarum, ex auro & unionibus, ſed etiam ſtipulationis conjugalis, cum eam notet colligationem quæ interveniente jurejurando fiat. קשׁוּרִיהָ *vincula* obligationem teſtantia arrhæ ſponſalitiæ. Non facile obliviſcitur annuli quo deſponſata, quaque arrha marito devincta fuit. Eadem proinde memoria jure poſtulatur ubi verus ornatus eſt adhibendus, non conſiſtens in comæ contextu, auri veſtiumque apparatu, ſed in incorruptibili ornatu manſueti ac queti Spiritus 1 Pet. cap. 3: 3, 4. veſtibus ſalutis quæ placentes faciant Domino. nec non ubi vinculum conjugale, quo Deo ipſi devinctus quis eſt, ut quemadmodum ſe habet inſtar ornatiſſimæ coronæ & regii pilei in manu Domini Dei ſui Eſa. 62: 3. ſic in Deo ſe exhilaret inſtar ſponſæ ornatæ ſuis monilibus, cap. 61: 10. Attamen Iſrael, qui fœdere conjugali Deo fuerat junctus, Jer. 2: 2. Dei oblitus fuerat, cum tamen apprime ejus obligationis debuiſſet viguiſſe recordatio. Hæc eſt illa memoria quam Moſes h. l. commendat Iſraeli, dum divinitatem iſtorum præceptorum inculcat, quæ vincula habeant conjugalis fœderis. Dixit perennem debere eſſe memoriam, verſ. 9. Hunc docet cujus rei memoria eſſe debeat, præfatus de circumſtantiis, & tunc indicans rem ipſam, Fœdus Dei.

B. Circumſtantiæ ſunt, verſ. 10, 11, 12. deſcribuntque contrahentes & eorum conditiones & actiones.

Contrahentes ſunt Iſrael, verſ. 10, 11. & Deus, verſ. 12.

א. De *Iſraele* refert quid egerint, & Quo jure egerint.

a. *Quid egerint* ſic exprimit, verſ. 10. *quo die accedentes ſtabatis,* &c. Ubi Qui, Quomodo, quo tempore & Loco ſpectentur. (a.) Qui, ſunt Iſraelitæ univerſi, citra diſcrimen ſexus ætatis aut conditionis. Alloquitur enim totum Iſraelem, verſ. 1. indefinite *Iſrael*, Cap. 1: 1. additur *totus*: quamquam ἀυτοψία, verſ. 9. non fuerit omnum, atta-

attamen cum hæc fierent quotquot tunc vivebant omnes & ſinguli præſentes fuerunt. Cum enim Deus univerſos ex Ægypto eduxerit, ut ne ungula quidem relinqueretur, & per mare ac deſertum ad Sinai deduxerit, utique univerſos hic ſpectavit. quibuſcum fœdus ſuum iniret. Quæ ratio ſigillatim hic attenditur. (*b.*) De *Modo* dicit, *Stetiſti coram facie Jehovæ Dei tui*, ſingulari numero, ut cuique diceretur, quod omnium erat. Liquet autem hinc Iſraelitas adſciscendos in fœdus jam fuiſſe antea fœderatos Jehovæ Elohim. quemadmodum circumſtantiæ. (*c.*) *Temporis*, & (*d.*) *Loci* oſtendunt, *die illo quo ſtabant in Horeb*, cujus montis tractuſve nomen quoque fuit Sinai, ut audirent promulgationem fœderis, qui fuit dies 50. ab egreſſu ex Ægypto, quando conſtiterunt eo fine coram Deo, jam tunc fuit Jehova Elohim ipſorum, hoc eſt fœdere gratiæ illi fuerunt conjuncti. Etenim quando duo iſta nomina ſociantur deſignatur tum gratia Dei voce Jehova, tam fœdus voce Elohim tuus: quæ habet appropriationem, ſingulare jus & intereſſe in Deo, ut perfectionibus ejus uti queat titulo legitimo citra præſumtionem: Imo quod verſiones in linguas alias non exprimunt ſatis efficaciter, fœdus gratiæ. Nam ut monitum nuper vox Elohim pluralitatem perſonarum deſignat, quas ex aliis Scripturis tres eſſe ſcimus, P. F. & Sp. S. Appropriatio autem fœderalis per pronomen ſolummodo fit cum hoc nomine, non cum Jehova, quia ut quis gratiæ Dei fiduciam & proprietatem habeat, omnes perſonæ Elohim conſiderandæ ſunt, Nequit enim quisquam venire ad Patrem niſi per Filium Joh. 14: 6. nullus acceſſus niſi per eundem mediatorem Rom. 5: 2. neque hunc quisquam poteſt appellare Dominum & Chriſtum niſi per Spiritum S. 1 Cor. 12: 3. Patrem nemo habet cognitum conciliatumve niſi per Filium J. Chriſtum Joh. 1: 18. 2 Cor. 5: 19. & hujus notitiam & fidem habet nemo niſi per Spiritum S. Communio cum Deo ſalutaris eſt cum Patre & filio ejus J. Chriſto 1 Joh. 1: 3. qui negat filium neque Patrem habet, aſt qui manet in doctrina Chriſti & Patrem & filium habet 2 Joh. 3: 9. 1 Joh. cap. 2: 23. ſ. atque hoc docet Unctio Spiritus S. verſ. 20--27. Itaque cum dicatur Iſraelitas conſtitiſſe coram Jehova Elohim ſuo, quando fœderis conditiones erant promulgandæ, utique jam tum fuerunt in fœdere gratiæ, quod in filio Dei Chriſto fundatum eſt. Conſtat teſtimonio Dei ipſius Exod. 2: 24. ſ. *Elohim audivit ipſorum quiritationes, & Elohim recordatus eſt fœderis ſui cum Ab. Iſ. & Jacobo, & Elohim intuitus eſt filios Iſrael & Elohim cognovit.* Fœdus illud non tantum patres iſtos, ſed & ſemen eorum complectitur. Gen. 17: 7. fœdus meum erigam inter me & te & ſemen tuum poſt te per generationes ſuas, in fœdus perpetuum ut ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te. De quo dicitur, Gal. 3: 17. fœdus illud à Deo ſancitum fuit in Chriſtum 430. annis ante legem, neque per hanc fuit enervatum, ad abolendam promiſſionem: adeoque cum veniſſent ad Sinai Iſraelitæ ſtabat in ſuo vigore, quandoquidem Iſraelitæ erant ſemen Abrahami, & quidem ad quos ſolos hæreditas iſtius fœderis derivata eſt. Abrahamo enim duos habente filios Iſmaelem & Iſacum, illo excluſo Deus iſtud huic Iſaco fecit proprium Gen. 17: 21. cap. 26: 3, 4. & ſic inter filios Iſaci Eſavum & Jacobum, huic ſolum idem beneficium appropriatum fuit ab Iſaaco, ipſoque Deo, cap. 28: 3, 4--13, 14. Verum Jacobi filii omnes ſucceſſerunt pariter in jus patris ſui unde filiorum Iſraelis appellatio, quibus Deus recordatus eſt fœderis. Quod porro ad Moſen profeſſus eſt Exod. 3: 6. ſ. *Ego ſum Deus patris tui D. Ab. D. Iſ. & Deus Jac. Vidi afflictionem populi mei in Ægypto mittam te ad Pharaonem, ut populum meum filios Iſrael educas ex Ægypto*, verſ. 16. *D. Patrum veſtrorum, D. Ab. Iſ. & Jac.* verſ. 18. *Dices Pharaoni; dimitte nos ut eamus tridui itinere in deſertum, ut Iehovæ Deo noſtro offeramus*, quod dictum, cap. 5: 3. addito, *ne nobis occurrat peſte aut gladio*, cap. 6: 5. ſ. *Ego ſum Iehova qui fœdus inii cum Ab. Iſ. & Iacob & educam vos ex Ægypto, & aſſumam vos mihi in populum, & ero vobis in Deum, & agnoſcetis me eſſe Iehovam Deum veſtrum qui vos educo ex oneribus Ægypti*, cap. 5: 1. & ſæpius, *Dimitte pop. meum*, & cap. 8: 23. *redemtionem ponam inter meum pop. & tuum pop.* Univerſi populi profeſſio id confirmat. Exod. 15: 2. *Iehova Deus meus eſt, Deus patris mei.* & verſ. 26. *ſi audiendo audiveris vocem D. Dei tui*, &c. Hæc fuit conditio Iſraelis, quaudo conſtiterunt in monte Sinai: Antequam eo venirent erant fœderati Dei eo fœdere quod Ab. conceſſum fuerat, cujus ipſi hæredes erant, & ſignum hæreditarii juris, circumciſionem, in carne gerebant. Populus omnis qui ex Ægypto exivit fuit circumciſus Joſ. 5: 5. Non fuerunt ergo conſiderati ut poſtmodum gentiles, qui fuerunt peregrini à fœderibus promiſſionis Eph. 2: 12. contra quam Iſraelitæ, quorum fuerunt fœdera Rom. 9: 4. duo nempe, Sinaiticum & antiquius Abrahamicum, utrunque Iſraelitis proprium, utp. cum in neutro illo Gentes fuerint contrahentes, de quibus loquitur dum taxat promiſſio non fœdus cum ipſis ceu aſſumendis aliquando in fœdus, quemadmodum factum eſt quando in Chriſto adducuntur, & obſignationem novi fœderis, quod ipſis ſimpliciter & abſolute novum eſt, conſequuntur. Iſraelitæ ante fœdus Sinaiticum fuerunt in fœdere gratiæ, Abrah. ſemen cum eſſent, & hoc antiquius per Sinaiticum non fuit abrogatum, proinde etiamnum jus ejus manet Iſraeli, quod ſemini ejus ſecundum carnem datum, cujuſmodi nunc quoque ſunt. Valet hodieque *Ego ſum Deus Ab. Iſ. Iac. Deus patrum veſtrorum*, & quemaddum propterea Ab. Iſ. Jacob vi hujus nominis fœderalis ex pulvere terræ ſunt excitandi, Mat. 22: 32. ita quoque Iſraelitæ reſtituendi in fœderis fruitionem. Jer. 31: 1. ſ. Levit. 26: 42--44, 45. Deut. 4: 31. Sunt quidem uxor derelicta, imo cum libello repudii dimiſſa, verum quæ ſedeat marito ſuo, & ille ipſi, ab eo rurſum aſſumenda vi primi fœderis Eſa. 54: 4. ſ. Hoſ. 2. & 3. cap.

Quæſt. Si Iſraelitæ fuerunt in fœdere Dei, quid opus denuo vocari ad fœdus? Reſp. Ubicunque fœdus hæreditarium, eſt neceſſaria declaratio, velle illo fœdere ſtare. Infantes Iſraelitarum habebant jus hæreditarium fœderis Abrahamici, & iſtud parentes per circumciſionem illorum ſibi confirmabant: Ignorabant iſtud infantes ipſi; quamobrem ubi adoleviſſent, iſtud ſe amplecti debuerunt profiteri. Deut. 31: 10. ſ. quovis anno Sabbathico Tabernaculorum feſto, congregato populo toto Iſraele, viris & fœminis infantibus ſeu pueris & peregrinis promulganda fuit doctrina iſta, ut liberi qui ignoraverant, audirent & diſcerent ad timendum Dominum Deum ſuum. Sic proſelytis, quorum liberi una cum ipſis adducti erant, & circumciſi ac baptizati, ubi ad ætatem majorem perveniſſent, profitebantur ipſimet ſe fœdus iſtud ſibi quoque amplecti. Hujuſmodi repetitiones fœderis inſtitutæ fuerunt extra ordinem ab hominibus, Joſua, Aſa, Joaſo inſtinctu Jojadæ Joſia: à Deo autem quando cum Iſaco & Jacobo renovavit; unde fœdus cum his ſigillatim memoratur Lev. 26: 42 non quod aliquid habeant diverſitatis, ſed quod novam habuerint repetitionem; quemadmodum Iſraelitæ ad ſimilem repetitionem ſunt invitati Exod. 19: 3. ſ. *ſic dices domui Jacobi, & annuntiabis filiis Iſraelis, vidiſtis quæ fecerim Ægyptiis quomodo vos geſtarim alis aquilinis, & deduxerim vos ad me. Nunc ergo ſi audiendo audiveritis vocem meam, & ſervaveritis fœdus meum, eritis mihi peculium ex omnibus populis, & eritis mihi ſacerdotale regnum & gens ſancta hæc ſunt verba, quæ dices ad filios Iſraelis.* Vocat ad continuationem fœderis ejuſdem, qvod eos faceret populum peculii Deo quod cæteris gentibus negabatur; populum ſanctum ſeu ſegregatum & ſacerdotale regnum, aut regnum Sacerdotum, quod acceſſum haberet ad Deum per Sacerdotem, cujus eſt offerre Deo ad expiationem peccatorum, quod à Chriſto ſolum vere præſentatur, attamen erat regnum Sacerdotum cum quævis familia ſanctificatis primogenitis Deo, haberet Sacerdotem proprium, accedentem ad Deum, Exod. cap. 19: 22. eoque domeſticum typum Meſſiæ & reconciliationis per ipſum.

Quod Moſes hic egit, nobis quoque obſervandum. Sumus nos omnes quales Iſraelitæ de quibus loquebatur, fœderati Dei. Uti ipſi hæreditarii ab Abrah. Sic etiam nos quorum patres cum longinqui forent, Deus adduxit ad ſimile beneficium Act. 2: 39. quemadmodum omnes illi circumciſi erant juxta rationem hæreditarii fœderis die octavo vitæ, ſic nos ſub ejuſdem initium baptizati. Sed cujus memoria nobis non eſt; quocirca repetendum nobis

fuit,

fuit, ut quivis figillatim se in fœdere esse agnosceret & profiteretur. Factum illud quando unusquisque primum accessit ad S. Cœnam, fœderis signum accepturus; & fit quotiescunque Eucharistia celebratur novis semper accedentibus, & cæteris repetito profitentibus fœdus mutuum cum Deo. Idem fœdus est citra novationem quod jugiter renovatur. Extraordinaria autem fit repetitio in solemnibus jejuniis, aut fieri debet ad roborandam obligationem. Idcirco servanda memoria primæ possessionis, ne fidem fallamus Deo.

b. Est v. porro spectandum, *Quo jure* se stiterint Israelitæ coram Deo suo; quod indicatum recitato Dei mandato & obsequio ipsorum.

α. Mandatum Dei est, *Jehova dicente ad me, Congrega mihi hunc populum, & audire faciam eos verba mea* &c. Autor convocationis ad fœdus Jehova est Deus gratiosus Ps. 14: 2, 3. Omnes longinqui fœtidi nemo faciens bonum ne unus quidem, & tales Deus de cœlo prospiciens in filios hominis ut videret, an quis intelligens foret, quærens Deum, omnes deprehendit. Sunt peccatores omnes hostes Dei, Rom. 5: 8. s. quorum φρόνημα ad augendam inimicitiam facit cap. 8: 7. Col. 1: 21. Nemo cogitat de reconciliatione, neque auderet accedere eam postulatum. Sed Jehova est qui vocat & invitat quamvis usus hominum ministerio; hic Mosen Legatum constituit, cujus instructio & mandatum est Exod. 19: 3. s. & sic quoque in repetitionibus Prophetarum operam adhibuit Idemque facit per Apostolos 2 Cor. 5: 18. s. & qui jam horum verba annunciant. Ps. 68: 27. במקהלות *In cœtibus congregandis celebrate Deum, Dominum de scaturigine Israelis.* & Ps. 47: vers. 9, 10. *Deo regnante super gentes congregantur ingenui populorum cum populo Dei Abrahami.* Magnum beneficium est sic congregari, ut invitetur quis ad domum Dei ejusque convivium nuptiale quod instruxit sanciendo fœderi. Ps. 95: 78. Querela justa congregantium, si nihil profecerint Esa. 49: 5. recusantes pronunciantur indigni Luc. 14: 24. & ab ipsis ad alios devolvitur invitatio Act. cap. 13: 46. s. Matt. 23: 37. s. cap. 21: 43. Caveamus esse inter refractarios, sed vocati veniamus & aggregemur.

Cæterum *finis* Congregationis est, *ut audiant verba Dei,* discant, timeant Deum dum vivunt, doceant liberos suos. Non est hoc extremum congregari, ut convenisse sit omnis obedientia; sed est hoc tantum medium seu prærequisitum aliquod sine quo nec cognoscere necessaria, nec præstare quis posset. Ut quidem summo jure urgeatur congregatio, & denegetur declinantibus & subterfugientibus beneficium, veruntamen nemo beatus qui tantum se stitit. Congregari in Schola & Ecclesia non facit vel discipulos, vel Ecclesiæ Dei membra; sed audiendum est & discendum & quod sic perceptum praxi exercendum, & id constanter, & docendum liberos. Fœderati sunt non qui inter fœderatos degunt, sed qui quæ fœderatorum sunt, agunt. Hinc argumenta ducere licet; sed ut socientur, non dividantur. Fœderatus Dei est I. qui audivit verba Dei, cui ne quidem loqui dignatus est Deus, suo fœdere prohibet Rom. 10: 14. II. qui audita didicit: persuasus de veritate & bonitate eorum. Alia audita negliguntur; sed istiusmodi operæ pretium est didicisse, ut maneant in cognitione Joh. 6: 45. III. qui edocta exercet, religio est cognitio veritatis secundum pietatem. Tit. 1: 1, IV. qui in exercitio constans est, dum vitæ tempus durat, est tempus exercitii. Cœpisse & desiisse facere, deficere est; imo demonstratio non vere cœpisse. V. qui denique eadem cognoscenda & facienda docet liberos, quo hæreditarium jus credere, & quantum in se est, propagare velle ostendit. Huc ergo contendendum est, siquidem fœderatæ conditionis securitatem affectemus.

β. Obsequium Israelis est, vers. 11. s. Accessistis atque constitistis ad montis radicem Exod. 17: 19. Moses eduxit populum ex castris Deo in occursum & constiterunt ad imum montis. Ulterius enim non licuit accedere, utpote sepimento ducto circumquaque ne adscenderent, Exod. cap. 19. 12. s. ut distantia servaretur cum fœdus fuit ineundum. Fuit autem hæc omnis obedientia ad mandatum congregationis, ut audirent verba Dei; cætera non sequuntur auditum. Enimvero hæc primum præstanda, ut sistamus nos Deo. Gallina glocitando congregat pullos, qui congregati recipiuntur sub alas; sic quoque vocati concurramus, ut ulteriore beneficio potiamur. Deut. 33: 3. *Constituentur medii ad pedes tuos, quivis accipiet de sermonibus tuis.* Qui venit discipuli animo, ut talis recipitur, & impetrat institutionem, & quidem ut sit διδακτός.

Addit hic Moses, quæ fuerit montis istius tunc facies; *Mons ille tunc ardebat igne usque in cor cœli*, ut ipsum cæli summi extremum concavum penetraret, quæ enim superficie profundiora sunt, in cor penetrasse dicuntur, ut Christus fuit *in corde terræ*, quando sepultus fuit Matt. cap. 12: 40: s. adhæc tenebræ, nubes & caligo. Plenius ista describuntur Exod. 14. & 30. & Deut. 4: 33. 36. cap. 5: 4 22. s. Pertinent hæc ad apparatum Dei, qui majestate sua cinctus se præsentem stitit Israelitis. Ps. 50: vers. 3. s. Eo respicitur, *Ignis ante ipsum absumit, & circumcirca tempestas magna agitatur, Deo fœdus inituro.* Ps. 97; 2. *circa ipsum sunt nubes & obscuritas, ignis antecedit faciem ejus.* Habitat enim in caligine 1 Reg. 8: 12. *Deus lux est, & non sunt in eo tenebræ*, & habitat lucem inaccessam, atque lux cum ipso habitat, 1 Joh. 1: 5. 1 Tim. 6: 16. Dan. 2: 12. dicitur tamen habitare in tenebris, ratione nostri, qui lucem illam non comprehendimus, sed ipso fulgore obscuramur vitio nostro, ut oculi imbecilles fulgore solis nimio obscurantur. Infirmitatis istud argumentum est, cum tempore perfectionis Deum visuri simus facie ad faciem, & satiandi, & fulsuri ut soles in regno Patris Matt. 14: 40. *Obscuritas* porro ista igni mixta docuit præsentiam Dei, quodque de cœlo domicilio suæ gloriæ descendisset quodammodo signata via. Recte proinde dictum est Mosen duxisse populum Deo in occursum cum Deus ipse quoque occurreret.

Vers. 12. *Tunc alloquutum esse vos Jehovam è medio illius ignis: vocem verborum vos audivisse, at similitudinem nullam vos animadvertisse, præter vocem.*

b. *De Deo*, contrahente altero, vers. 12. cujus præsentia agnita fuit aure non oculo. *Jehova locutus est ad vos è medio ignis.* Jehova est qui publicauit, & quidem publice ad omnes, expresse, & miraculose. Qui cum Israelitis contraxit Jehova est. Idem ille qui cum Ab. Is. & Jacobo. Imo cum Noacho, in cujus historia primùm occurrit fœderis mentio. Gen. 6: 17. Perditurus omnia diluvio quodcunque in terra est, *Tecum stabiliam fœdus meum.* Ubi quidem fœderis conditiones expresse non sunt, colligi tamen possunt ex vers. 8, 9. *Noach invenit gratiam in oculis Domini, Noach fuit vir justus integer in generationibus suis: Noach ambulavit cum Deo.* Deus incepit facere gratiam, quam Noach non meritus est aliquo opere aut dignitate, sed invenit gratis sibi exhibitam. Noach deinde gratiosus apud Deum, fuit justus declaratus, innocens & integer in generatione perversa, & quod fœderatorum est. Amos. 3: 3. ambulavit cum Deo. Hic est qui locutus est, & quidem solus, neque enim Israelitæ quicquam locuti sunt, ut conditiones fœderis proponerent, verum solus Jehova id egit. Quod observandum ut morem loquendi Scripturæ intelligamus in sermone Græco. Fœdus Hebræis dicitur ברית ab eligendo, est enim pactum super conditionibus delectis initum, quæ utrique parti placuerunt. Istæ conditiones utrinque solent concipi & proponi, ac super illis institui deliberatio, quid hinc inde addendum, demendum, mutandumve sit, ut inde confiant communes utrinque placitæ; hinc appellatur Græcis συνθήκη compositio, quia componunt utrinque proposita, quæ poscant polliceanturque vicissim. Verum sic se non habet fœdus Dei cum hominibus. Non patitur ille sibi conditiones ab hominibus proponi, super quibus Deo velint reconciliari. Rei Deo sunt pœnæ, neque mortis reus omniumque egenus vel audet vel potest quicquam dicere præter meras deprecationes. Dei est mera gratia, quæ fœderis consilium init, illudque patefa-

cit

cit, utique non aliis conditionibus quam quas ipſemet definivit. 2 Cor. 5: 19. ſ. Reconciliationis leges à Deo ſolo dictæ ſunt & dictatæ. Nuſquam in propoſitione conditionum fœderalium cum Deo alius loquens introducitur quam Deus aut Propheta ejus nomine. Gen. 28: 20: ſ. Jacob loquitur, quid Deum facere velit, quid contra polliceatur, ſed fuit votum ejus non fœdus, unde nulla reſponſio Dei fœderalis. Quia v. Deus ſolus proponit fœderis conditiones, hinc Græci olim & Scriptores Novi Teſtamenti adhibuerunt vocem διαθήκη diſpoſitio, Deo definiente, quid facere ipſe, quid fieri ab hominibus velit, in quo acquieſcendum eſt, & conſenſu ratihabendum citra variationem, ſi quis fœderatus eſſe velit: quamvis non ſit fœdus citra ſecutam ratihabitionem, quæ approbando conditiones illas ſuas facit. Verum equidem voce illa ſignificari Teſtamentum, ſeu diſpoſitionem ab uno factam, citra alterius ſcientiam vel conſenſum de bonis ſuis, quæ caret robore ante mortem teſtatoris Heb. 9; 16, 17. Enimvero ſic de fœdere Dei uſurpari nequit, qui cum incorruptibilis ſit, & immortalitatem ſolus habeat, Rom. 1: verſ. 25 1 Tim. 1: 17. cap. 6: 16. diſpoſitio ejus teſtamentaria careret omni robore aut ſucceſſu. Deus fecit diſpoſitionem fœderalem inter vivos valentem & valituram, dum ipſe vivit, hoc eſt, in æternum. Quod v. teſtamentum memoratur, reſpicit Jeſum Chriſtum, qui de ſuis bonis propriis jure filiorum Joh. 1: 12. gloria cap. 17: 12. 24. regno Luc. 22: 29. ſ. diſpoſuit, & morte ſua diſpoſitionem iſtam ratam eſſe fecit. Heic agitur de fœdere Dei, ut verſ. 13. docet, quod quia Deus ſolus prolocutus eſt, ſimpliciter audiendum & admittendum eſt, quo in fœdus veniamus. Eſt hic communiſſimus error, quiquam plurimos ſervat extra fœdus Dei, quod hunc ſolum loqui non ferant, ſed volunt & ipſi loqui. Quiſque concipit ſecum, qui ſermo cordis eſt, quouſque teneatur conditionibus Dei; ſuæ enim limitant; quo modo uti citra conſenſum Dei conditiones cudunt & obſervant, Dei fœdere carent: quia non locutus eſt, mandavit aut promiſit talia. Quod qui non cogitat, ſe deceptum deprehendet. Eoque Job. 22: 21. ſ. *Adſueſce ipſi & pacem habe, inde obveniet tibi bonum, accipe legem ab ore ejus.*

Porro *Locutus eſt Deus ad vos*: Quotquot conſtitiſtis coram ipſo. Publice omnia hæc facta ſunt, & quidem vobis teſtibus tanto numero; integer populus vidit audivitque, ut de rei veritate nequeat eſſe dubium. Si unus aut pauci id dicerent à ſe viſum auditumve, non invenirent fidem: ſed nunc 600000. marium vicennium & ultra, præter minorennes mares, & fœminei ſexus univerſos. Nequit hic locum habere fraus aut mendacium; ut divinum dicerent, quod tale non eſt, divinitatis argumento à miraculo ſumendo, quod Deus articulate locutus ſit è medio ignis; quemadmodum enim Moſi ex flagrante rubo. Exod. 3: verſ. 2. ſ. unde dicitur ignea lex Deut. 33: 2. de quo verſ. 33. 36.

Cæterum ne quis dubitet de Jehova loquente iſta, præſentiam ejus probat, quo indicio fuerit agnita aure videlicet, *Audiviſtis vocem ipſius*, non oculo, *& ſimilitudinem non vidiſtis ſolummodo vocem*, nempe audiviſtis, neque enim vox oculorum objectum eſt, ſed aurium: niſi verba ſenſus promiſcue uſurpentur. Objici poterat; unde conſtat Jehovam vobis locutum eſſe, Vidiſtiſne ipſum, ut ab aliis omnibus eum queatis diſcernere? ne forſan angelus aut creatura aliqua iſta pronunciarit. R. præoccupat, Non vidiſtis ullam ſimilitudinem, Deus enim inviſibilis 1 Tim. 1: 17. neque ulla datur ejus ſimilitudo aut repræſentatio, ut liqueat non eſſe corpus aliquod, quod extenſum eſt. Sed *audiſtis vocem ejus, tantummodo vocem.* Illa etiam creaturarum eſt, Angelorum & Hominum; ſed hæc alia & quæ Deum autorem proderet manifeſte. Sic Deus Adamo locutus eſt, cui ita ſe manifeſtavit, ut præſentem exinde agnoſceret. Sic ex voce agnitus eſt Abrahamo, cum mandaret immolationem Iſaci. Sic Moſi loquens ex rubo: Sic Eli cæteriſque Prophetis. Quemadmodum vox hominum ſolet plerumque aliquid ſingulare habere, ut ex ea ſubinde inter millenos dignoſci queat; ita quoque vox Dei habuit aliquid ſingulare, ut deceptio caveri poſſit. Unde certitudo quoque divinarum revelationum. Nunc non habemus tale verbum, ſed ſcriptum, verum ut in eo quoque divinitas ſit evidens. Nihil tale in ſermone hominum occurrit, quantumcunque eloquentiæ aut ſapientiæ adhibeatur. In ſimplicitate Scripturæ, quia Dei verbum majeſtas eſt & potentia, quam agnoſcunt non quivis hominum, ſed ſolum quibus loquitur Act. 9: 7. & cap. 22: 9. Paulus ſolum audivit & intellexit ſermonem loquentis ſibi Chriſti, comites autem ejus audiverunt ſonum, ſed ut nihil intelligerent. Uti Joh. 12: verſ. 29. putarunt tonitru factum eſſe. Mundani ſimiliter non audiunt vel intelligunt in Scripturis loquentem Deum, & hinc eam contemnunt ceu ſtultitiam, aut repudiant ceu offendiculum. Verum vocatis eſt potentia & ſapientia Dei Joh. 8: 42. qui ex Deo eſt, audit verba Dei: ea non audiens ex Deo non eſt. Loquentem regem audit & intelligit, licet non videat, qui domeſticus eſt ſuetus audire. Qui eſt de civitate & domo Dei, novit verba Dei. Familiares ſi fuerimus Deo, (& hoc fit cuſtodiendo ſermones ejus, inprimis praxi vitæ,) cognoſcemus vocem ejus, & ea docebimur & ducemur, donec perveniamus ad ipſummet, in domo ejus eum non tantum audituri, ſed quod nunc negatum eſt viſuri eum, & ſatiandi imagine ejus ad æternam felicitatem.

Rabſake Legatus Sanheribi invitans Hieroſolymitanos ad fœdus, quo iſti fierent ſubditi, ait, *Sic dicit rex Aſſyriæ, facite mecum benedictionem, & egredimini ad me; & edite quisquam de ficu & vite ſua, donec veniam & transferam vos in terram qualis veſtra eſt, terram frumenti & muſti, panis & vinearum.* Eſa. 36: 16. ſ. Targ. Jon. *Facite mecum pacem.* Pacem fœdere confectam cum magno & potente rege dicit *Benedictionem*: utpote fontem proſperitatis futuram, quam tantus rex præſtare poſſet, Hizkia ad iſta impotente, quæ ratio ejus repudiandi deſerendique ab eodem Rabſake inculcatur. Multo juſtiore titulo id dicitur de fœdere cum Deo, qui uti major omnibus, ita pax cum ipſo benedictio maxima, & omnium benedictionum ſcaturigo. Job. 22: 21. ſ. *Adſueſce Deo & pacem habe, inde obtinget tibi bonum: ſi converſus fueris ad Schaddai ædificaberis: Schaddai erit tibi abundans ... rum & validum argentum: oblectabis te in Schaddai omnia facturo ad deſiderium precum tuarum*, tibi & aliis. Pax iſta eſt bonum, mera benedictio, Deo ſemetipſum impendente. Verum ut pacis iſta benedictio impetretur. Conditiones ab ipſo propoſitæ, acceptandæ ſunt; quemadmodum Rabſake acquieſcendum dicit conditionibus regi ſuo placitis, etiam per colonias alio ducturo longe à patria, ſed in locum ea neutiquam inferiorem: & ſic Eliphaz: *Accipe legem ab ejus ore, & depone verbum ejus in cor tuum; elonga iniquitatem à tentoriis tuis.* Recipienda, ſiquidem frui placeat ejus pace, ejus lex, & amplectenda, ut memoria nunquam deponatur; cavendum denique quicquid illi adverſatur, ut ne quidem in tentoriis ſuis toleretur. Iſtud ipſum docet Moſes, h. l. Commendat memoriam initi ſecum à Deo fœderis ad montem Sinai, quod meræ benedictionis, utpote ablaturum vitam veram & perennem nec non longævitatem felicem in Cananæa; adhæc gloriam & honorem à gentibus felicitatem ipſorum prædicaturis. Sed ut eo felicitatis pervenirent, iſtud docet deberi, quod Deo proponente ſimpliciter eſſet excipiendum & ei obſequendum. Ad quam obedientiam toto hoc capite cohortatur, divinitate mandatorum iſtorum demonſtrata. Hoc agit dum rationem mandatorum deſcribit, quod ſint leges fœderis à Deo profectæ. Etenim contrahentes ſunt Iſraelitæ univerſi, nullo excepto, qui nati erant fœderati, utpote ſemen & filii Ab. Iſ. & Jacobi, qui ſignum hæreditarii fœderis in carne ſua geſtabant, circumciſi omnes verum quibuſcum renovandum fuit fœdus, ut ipſimet ſuæ voluntatis ederent profeſſionem, ut tamen nihil loquerentur, legeſve contractus inventas meditataſque proponerent, verum ſilentes conſiſterent audituri, quod Deo libuiſſet edere, itemque Jehova qui ſolus locutus eſt, & quæ ſibi placerent conditiones expoſuit, quid facere ipſe, quid ab Iſraele fieri vellet, ut non pateretur quicquam ab illis alienum à quoquam opponi, ſuper quo ultra citraque deliberaretur aut diſputaretur.

Verſ. 13. *Et ipſum indicaſſe vobis fœdus ſuum; quo præcipiebat vos obſervare decem illa verba, & inſcripſiſſe ea duabus tabulis lapideis.*

Verſ. 14. *Me autem præcepit Jehova tempore illo docere vos ſtatuta & judicia, ut exerceatis ea in iſta terra, quo mox tranſituri eſtis ad poſſidendam eam jure hæreditario.*

C. Nunc porro indicat, *quid illud fuerit*, quod Deus elocutus eſt, verſ. 13, 14. diſtributum ex modo proponendi immediato & mediato.

N. *Immediatus*, verſ. 13. continetur, *Tunc indicavit vobis fœdus ſuum* &c.

a. *Res* eſt *Fœdus Dei*. Dictum aliquid nuper, quid ſit Fœdus: Eſt illud Pactum mutuum inter duas partes initum, ſuper conditionibus utrinque præſtandis, in quas utrinque conſenſum eſt. I. Fœdus non eſt unius, ſed duorum, ſive illi inter ſe diviſi fuerint, vel non, ut uniantur & concilientur. Diviſi quidem quando hoſtes conjunguntur: Indiviſi, quando amici vel non hoſtes principaliori vinculo ſociantur. Neque enim fœdus abſolute hoſtilitatem præſupponit. Primum fœdus quod fuit in rerum natura initum eſt inter conjunctiſſimos Deum Patrem & Filium, ante jacta mundi fundamenta: fœdus illud mediatorium, Heb. 13: 20. Deus pacis, qui placatus pacatuſque magnum illum Paſtorem ovium excitavit ex mortuis per ſanguinem pacti æterni D. N. J. Chriſtum. Pactum æternum eſt reſpectu Chriſti, quo cum ab æterno pepigit Pater ut eſſet Paſtor ovium magnus, quod ſummi honoris eſt, ut ovibus daret vitam æternam; ſed ſub conditione oneroſa fundendi ſanguinis, ponendæque animæ, cui cum ſatisfecit ipſo facto, Deus etiam de facto eum excitavit ex mortuis; ſed juxta conditiones ab æterno dictas & placitas, Pſ. 2: 7, 8. Cujuſmodi fœdus inter homines utrinque initum legimus, Gen. 14: 13. Abrami fœderati fuerunt Mamre, Aner, & Eſcol, utique nullo unquam bello ab ipſo diviſi. Hujuſmodi quoque fuit fœdus Abrahami & Iſaci cum Abimelecho Gen. 21. & 26. Davidis & Salomonis cum Hiramo 2 Chron. 2. itemque Davidis & Jonathanis 1 Sam. 18. 20. ſic in conjugio fœdus eſt; unde uxor dicitur ſocia, uxor fœderis Mal. 2: 14. qnæ inimicitiam nullam præſupponit. Inter Deum & homines ejuſmodi fœdus eſt, h. l. quandoquidem fœderatis antea Iſraelitis jure hæreditario, utpote, Abrah. poſteris, fœdus renovavit, & corroboravit, quemadmodum etiam cum Iſaco & Jacobo ſic egit; & ſigillatim cum Davide, quo cum pactus eſt de regno ipſi dando hæreditario titulo Pſ. 89. & 132. 2 Sam. 7. quod fœdus ſalis dicitur 2 Chron. 13: 5. non corrumpendum, ſed conſervandum, & conſervaturum Davidis familiam, uti ſal præſervat à putredine & condita. Inter diſſidentes & inimicos fœdus eſt, quando hoſtes paciſcuntur ad tollendam hoſtilitatem: Achabi & Benhadadi, 2 Reg. 20. & hujuſmodi fœdera complura occurrunt in Scriptura. Tale eſt Dei cum peccatoribus, cujuſmodi 2 Cor. 5: 19. ſ. habetque locum in prima conjunctione eorundem, quando conjunctus Abram prius idololatra Joſ. 24: 2. Gen. 15: 7. ſ. itidem confirmatum. Cum conjuncti Gentiles primum Eph. 2: 12. ſ. Sic cum majoribus noſtris, quibus primum Euangelium fuit prædicatum; quod quoad nos ipſorum poſteros, qui inde à nativitate ſancti fuimus, ſanctitate ſeu ſegregatione fœderali 1 Cor. 7: 14. non niſi confirmatur; neque enim baptizari potuiſſemus in infantia, niſi fœderati eſſe conciperemur, uti nec circumcidi Iſraelitæ; (quod obſervatur in omnibus egreſſis ex Ægypto) niſi fœderati fœderatorum liberi fuiſſent habiti. Porro conditiones fœderis à contrahentibus utrinque ſolent concipi, deque iis agi mutuum & tranſigi, inter homines; interdum etiam ab una parte tantum proponi; quemadmodum cum victores cum victis paciſcuntur, potentiores cum impotentibus. Reges Aſſyrii cum aliis populis quandoque, etſi Benhadad victus eas proponeret victori Achabo. Cum Deus fœdus init cum hominibus, ſolus ipſe conditiones determinat, quod nuper diximus ſolum locutum eſſe. Enimvero non eſt fœdus niſi pars altera conſenſerit, & ſua approbatione fecerit quoque ſuas. Quæ approbatio alterius partis heic facit eſſe fœdus, quandoquidem conditiones ab uno Deo ſunt propoſitæ. Etenim quia Deus eas definit, nullam admittens mutationem ſimul declaravit ſibi eas placere, & quidem citra pœnitentiam. Proinde ſi etiam hominibus placeant, quibus propoſitæ fuerint, jam fœdus erit, non ante. Attamen fœderis nomine veniunt etiam conditiones ipſæ, ſuper quibus contractus iniri debet, ſi debeat obtinere. Quo ſenſu hic venit, neque enim verbum adhuc dicitur de ratihabitione ab Iſraele facta, cujus hiſtoria eſt Exod. 20: 24. & Deut. 5. verum duntaxat de publicatione. Quæ ſignificatio obtinet quoties dicitur de *libro Fœderis* Exod. 24: 7. *verbis Fœderis* Exod. 34: 28. *tabulis Fœderis* Deut. 9: 11. 15. *arca Fœderis* Joſ. 3: 3. ſ. ubi nil aliud ſignificatur quam conditiones, in quas conveniendum conventumve erat (non autem ipſe partium conſenſus) ſeu formula fœderis. Complectitur autem formula iſta quæ utrinque præſtanda, tum à Deo, qui cuſtodiens fœderis appellatur, quandoquidem juxta ea, quæ in formula ſe facturum promiſit, agit Deut. 7: 9. tum ab hominibus; quemadmodum iſtud liquet ex formula Deut. 5. Cæterum hic tigillatim ſpectantur officia fœderatorum hominum, quod ex fine conſtat, *Quæ præcepit vobis ad faciendum:* Unde præceptorum nomen accipiunt, & ſunt leges poſitæ fœderatis, quibus propria electione obſtringuntur, adeo ut non tantum imperio alieno, arbitriove teneantur, ſed ſuo proprioque. Unde differentiæ inter legem & fœdus. Lex eſt regula agendi, quæ obſequium imperat & poſcit; habet autem ſuam vim vel à ſolius imperantis voluntate ob ſuperioritatem quam habet, quocunque jure poſſeſſam. Ut cum parentes imperant liberis, legem eis dant ex ſuperioritate naturali; cum item victor qui vi ſubegit Urbem, leges dat ex ſuperioritate vi acquiſita, ſic herus qui ſervum in bello ceperat, aut emerat pecunia, aut qui dominatum habebat, lege regebat non exſpectato ejus conſenſu, vel etiam à voluntate obtemperaturi, quod locum habet in fœderali contractu & in votis. Hic quidem Eccl. 5: 3. ſ. *Quando voveris votum Deo, ne differto ſolvere; quod voviſti ſolve; melius eſt non vovere, quam vovere & non ſolvere; ne permitte ori tuo, ut carnem tuam faciat peccare.* Quando legem dicit cui nolit obſequi: at iſtic quia vim non habent conditiones fœderis citra voluntatem contrahentium. Lex itaque latius patet quam fœdus: in omni fœdere lex eſt, ſed non omnis lex habet fœdus. Proinde convenientius eſt dici fœdus, uti Deus appellat, vocabulo ſtrictiore & magis proprio, quam legem; unde nunquam tabulæ legis aut arca legis occurrit in Scriptura, ſed fœderis. Lex Heb. doctrina generalius appellatur Mal. 4: 4. Et hic obſervandum, quod fœderati non accipiant legem ſimpliciter. ſed faciant ſibi ipſis: quomodo Deus ipſe legem ſibi ponit, Heb. 8: verſ. 6. Fœdus præſtantius præſtantioribus promiſſis νενομοθέτηται: lege ad præſtandas promiſſiones Deus obligatur; quemadmodum ad ſuas homines. Hoc ſenſu dicuntur præcepta, quæ fœderatis imperantur à fœderato Deo, ſed quorum obligatio fœderalis pendet à fœderali placito & conſenſu hominum. Iſta præcepta decem numero ſunt, quia Deo placuit in decem articulos illa diſtribuere, quæ olim uno complexus eſt Gen. 17: 1. & ſic contrahuntur Deut. 28: 23. Hacpropter dicuntur heic *Decem Verba illa:* & Exod. 34: 28. *Verba fœderis decem illa Verba.*

b. *Modus* proponendi immediatus eſt geminus, Sermonis & Scriptionis. (*a.*) *Sermonis, quia indicavit eis* דבר notat indicium quod fit præſenti, & cum opponatur Scripturæ, eſt vocis vivæ. Quia Deus ipſemet pronunciavit & promulgavit conditiones fœderis. Antecellit autem neceſſario aſſenſum ſeu ratihabitionem populi, ut docebimus ex hiſtoria Deut. 5. (*b.*) *Scriptionis, quatenus ſcripſit ea in duabus tabulis:* quod ſecutum eſt ratihabitionem & ſanctionem, pertinuitque ad memoriam & teſtimonium fœderis initi; unde teſtimonium Exod. 25: 16. 21. dicitur,

tur, & tabulæ teſtimonii Exod. 31: 18. cap. 32: 15. & arca teſtimonii cap. 40 20, 21. Quam Scriptionem Deus promiſit Exod. 24: 12. *Dabo tibi tabulas lapideas, & legem, & præcepta, quæ ſcripſi ad inſtituendum eos.* & præſtitit cap. 31: 18. *Dedit Moſi duas tabulas teſtimonii, tabulas lapideas ſcriptas digito Dei.* Iterumque prioribus fractis cap. 34: 18. Deut. 9. *Mediatur*, verſ. 14. *Etiam præcepit mihi Dominus &c.* Propoſuiſſet Deus ipſiſmet Iſraelitis etiam alia mandata; ſed deprecantibus ipſis ne audirent vocem Dei magnificam, Deut. 5: 23. ſ. Moſe internuncio eſt uſus, & per eum eopſe tempori ante ratihabitionem publicavit ſtatuta & judicia, quæ ipſe doceret, quæ ſpeciatim attemperata erant terræ Canaan, futuræ poſſeſſioni ipſorum uti leguntur Exod. 20: 21, 22, 23. Quæ poſtea præcepta ſunt, reſpiciunt, tum modum ratihabitionis ipſorum, tum violationem μετχοποίησιν, attamen vi ratihabitionis ſuæ ab ipſis quoque fuerunt præſtanda. Hinc vero eſt obſervandum.

Deus promulgavit Iſraeli fœdus ſuum, conditiones fœderis, adeoque vim legis ab ipſorummet voluntate conſecuturum. Id affirmatur hic, & alibi ſæpius. Deus quia Deus Creator & rector omnium creaturarum, abſolutam mandandi poteſtatem habet, Jac. 4: 12. Creaturæ omnes quia creaturæ obligatæ ſunt ad ejus obſequium, quam obligationem neque declinare poſſunt ipſæmet, neque Deus eis remittere. Deus enim ſic abnegaret ſemetipſum conſtituendo creaturam non obnoxiam ſibi, adeoque independentem. Creatura autem æquaret ſe Deo per ſtultam & impoſſibilem ſuperbiam. Naturalis illa obligatio longe major, quam qua liberi tenentur parentibus. Proinde quicquid Deus mandat, ad id tenetur creatura, rationalis inprimis neque deliberationi locus, velitne obedire, nec ne. Sic omnes homines Deo ſunt obſtricti, quodcunque & quandocunque Deus mandaverit, præſtare tenentur, & ſunt inobedientes, ſi non faciant. Verum hæc eſt Dei ſapientiſſima & non minus gratioſiſſima φιλανθρωπία, quod voluerit hominibus proponere conditiones fœderis, quas ſua voluntate facerent ſibi leges. Sic enim invitat Exod. 19: 3. ſ. & promulgato Decalogo, ipſorum declarationem exſpectavit, & cum eam edidiſſent, deliberandi ſpatium conceſſit, adeo ut non cenſerentur fœdere iſto obſtricti, niſi poſt tertiam reſponſionem & ſolennem ſanctionem Exod. 20: 19. cap. 24: 3. 7. Unde liquet ad hujus fœderis aliquid amplius pertinere, quam quod creaturarum eſt: Nam de hoc nulla eſt relicta homini deliberatio; nunquam Deus rogavit creaturam, velitne eſſe creatura, velitne obſequi. Sunt iſta omnia legis, & quicquid hujus natura notum eſt, eſt opus legis ſcriptum in cordibus, hoc eſt, notitia normæ, & ſuæ obligationis. Verum fœdus habet aliquid ſingulare, quod hoc proponitur non qua homini, ſed qua corrupto, & inimico Dei, vel ex inimico reconciliato; illud in prima fœderis erectione, iſtud in erecti confirmatione ſeu repetitione, ut hominis conſenſui & ratihabitioni relinquatur, velitne fœdus amplecti, nec ne. Jer. 3: 14. 2 Cor. 5: 19, 20. cap. 6: 16, 17, 18. Invitatio ad fœdus docet eſſe voluntatis ipſorum ut ſit fœdus, ſi quis nolit, reus eſt repudiati fœderis, quod bonitatem Dei gratioſam ſpernat; ſed non violati: quamquam inobedientiæ reatum habeat, violatæ videlicet legis, tum naturalem ab Adamo reo derivatum, tum acquiſitum propria declinatione ab obſequio debito. Deut. cap. 26: 16. ſ. cap. 29: 9. ſ. Rat. Deus per fœdus facit populum peculii, diſtinctum ab omnibus populis terræ, facit gentem ſanctam ſegregatam, ſed id non præſtat obſequium creaturæ, qua creatura; maxime cum faciat regale ſacerdotium ſeu regnum Sacerdotum, quod Deo conjungitur Sacerdotis interventu, cujus eſt agere res populi illius apud Deum, offerendo dona & victimas pro peccato Heb. 5: 1. Populum etiam illum vult eſſe ſpontaneum, Pſ. 110: 3. qui propoſito cordis accedat Act. 2: verſ. 40. & adhæreat Domino 1 Chron. 28: 3. Act. 11: 23. Deus amat datorem hilarem 2 Cor. 9: 7. qui ſeipſos Deo tradant cap. 8. 5. & quod proprium eſt, abnegent, omittant deliberato animo, & contrarium faciant Tit. 2: 11. ſ. Uti in fœdere matrimoniali uxor fit propria viro ſpeciali titulo, atque conditiones propoſitas ſpontaneo motu amplectitur. Jer. 2: 2. Benignitas Dei offerentis, & ſpontaneitas Iſraelis iſtud eligentis. Sic in prima invitatione Act. cap. 13: 48. repudiantibus Judæis, gentes cum audiſſent ſalutem in Chriſto ſibi paratam, lætabantur, & prædicabant verbum Dei, & credebant. Sic in repetitione Eſa. 1: verſ. 19, 20. Eſt vero notandum voluntatem amplectendi non eſſe naturalem. Voluntas quidem naturalis eſt, ſine ea non foret homo, ſed ut conditionibus hujus fœderis aſſentiatur, id non habet à natura, uti ab Adamo fluit rea & corrupta. Reatus enim conſcientia parit odium contra Deum, & corruptio alienationem ab ejus propoſitione. Rom. 5: 10. cap. 8: 7. Deus eſt qui eam inclinationem voluntatis operatur convincendo de bonitate omnimoda, & utilitate atque etiam facilitate conditionum propoſitarum. In prima mentione fœderis, Gen. cap. 6: 17. & verſ. 8, 9. coll. Gratiæ inventio initium eſt. Ambulatio cum Deo, quæ conciliatorum hominum, ex illa gratia eſt. Inimicitia ſuſcepta cum Dei inimico diabolo eſt à Deo poſita Gen. 3: 15. & quod recipiatur fide verbum ſalutis & reconciliationis, fluit ex Dei ordinatione. Act. 13: 48. Populus ſpontaneitatis eſt ut roris productio, Pſ. 110: 3. & hoc à ſolo Deo Mich. 5: 6. reſiduum Jacobi in medio multorum populorum erit ut ros à Domino, ut guttulæ ſuper herbam, quæ non exſpectant virum, nec filios hominum præſtolantur. Phil. 2: 13.

D. Agnoſcenda nobis gratia iſta Dei, quod & majoribus noſtris, & nobis fœdus ſuum propoſuerit, quo leges ſeu conditiones fœderis, quibus & ipſe & nos teneri velit indicavit. Eſt hoc beneficium non omnibus conceſſum; negavit aliquando Deus promulgationem verborum ſuorum Gentibus aliis; negavit ſigillatim ad tempus iis in Aſia & Bithynia Act. 16: 6, 7. & quam multis per totum orbem etiam nunc. 1 Sam. 18: 13. *levene videtur in oculis veſtris, ut quis fiat regis gener?* dicebat David propoſita conditione fœderis matrimonialis cum filia Saulis. Sed hic major Saule, qui offert fœdus ſuum. David bene meritus erat de Saule ejuſque regno, cæſo Goliath, & aliquoties profligatis Philiſtæis; aſt nos male meriti ſumus, hoſtes Dei, & pertinaces in hoſtilitate, & tamen offertur fœdus, ut cum Iſraelitæ reliquis Benjaminitarum obtulerunt pacem, & inſuper procurarunt uxores ad conſervationem tribus. Jud. 21. Eſtque Dei gratia tanto major quod cum imperare poſſet, malit fœdus offerre, ut nil coacti, omnia ſponte, egiſſemus. Deut. 30: 19. Hæc generoſitas gentilium converſorum, Pſ. 47: 10. demonſtrata æſtimatione verbi Dei Act. 17: 11. inquirunt, & eo agnito ſtatim aſſentiuntur. Hanc ſpontaneitatem v. ut habeamus ſollicitandus Deus Pſ. 51: 14. Spiritus נדיבה *ſpontaneus ſuſtentet me.* Eſt enim donum Dei. Jud. 5: 2--9. ſpecialis laus Deo debetur quando tale quid factum: qui magni id facit Cantic. 6: 12. Et gaudium eſt apud homines qui faciunt 2 Chronic. 15: 12. quemadmodum etium de ſpontanea contributione ad ſtructuram templi 1 Chron. 29: 9. ſ. Cogitandum autem iſtud inprimis, fœdus initam obligationem adferre ſpontaneam: Qui legem violat peccat contra legislatorem cui ſubjectus eſt; qui violat fœdus, ſeu legem fœderis, peccat contra ſemetipſum, & contra illum qui idem fœdus conſtituit; adeo ut ille ſimpliciter, hic dupliciter reus ſit. Simei obligabatur Salomoni ad obſequium legis, de non tranſeundo Kidrone; ſed quando jurato fœdere ſe obſtrinxit, geminata fuit obligatio, & violatio gravior 1 Reg. cap. 2: 42. ſ. Et qui ſe non æſtimat, neque æſtimabit Deum. Debemus eapropter eſſe ſollicitiores. Qui gloriamur nos fœderatos Dei eſſe, non poſſumus æque leviter peccare, ac alii, ut cautione magna opus ſit. Pſ. 119: 106. *juravi*, &c. 2 Chron. 15: 13. Hæc vindicta violati fœderis, quam ſibi ſtatuerunt, præter vindictam quæ Deo propria eſt & manet. Contra qui fidelis eſt in iis quæ fœderis ſunt laudem mercedemque reportabit à Deo, qui fœderatis ſuis merces eſt, eaque maxima, ad æternam felicitatem. Pſ. 103. verſ. 17, 18.

Solenne fuit ab antiquo inter Hebræos doctrinam de officiis hominum fœderatorum revocare ad pauca capita, ut memoriæ facilius infigerentur & expeditius exprimerentur ſermone. Juxta illos magnus alias eſt officiorum numerus: recenſent 613. quorum aliqua mandatum habent

cætera interdictum: Verum longe pauciora ſunt quæ numerat Ezech. 18. quæ David Pſ. 24. & 15. Micha tria habet Mich. 6: 8. Salomo duo Eccl. 12: 13. ſimiliter Legisperitus ille Luc. 10: 26. ſ. duo, dilectionem Dei & proximi; quæ etiam Chriſtus inculcat, Mat. 22: 36. ſ. Moſes unum Deut. 18: 13. conſentenea illi Gen. 17: 1. Judæi idem ab Habakuko factum prædicant Hab. 2: 4. *Iuſtus fide ſua vivet;* Quod cum ſummam faciunt omnis doctrinæ, quæ Iſraeli propoſita, utique confitentur, quatenus à Deo propoſita eſt gratiæ doctrinam eſſe, fide amplectendæ, ut vita æque ac juſtitia obtineretur: quod dictum quoque laudatum eſt, & ſæpius quidem à Paulo Rom. 1: 17. Gal. cap. 3: 11. Heb. 10: 38. Iſtiuſmodi compendii artem Moſes ipſe docuit, quando Officia fœderato Deo populo ex præſcripto præſtanda exiguo denarii vel binarii numero complexus eſt. Quod fecit hoc loco; quando X. verborum, duarumque tabularum fecit mentionem, indicans ea quæ Deus immediate proprio ore propoſuiſſet, formulam fœderis, & conditiones ejus exhibentia; Quibus ſubjunxit quæ mediate ſua opera promulgaſſet ejuſdem argumenti, ut fœderis forent conditiones. De immediate propoſitis obſervamus geminum numerum; Talmudici & Judæi recentiores. Martyr in Rom. 7. pag. 222.

Denarius numerus eſt *Verborum*, ſeu *Sententiarum*, quæ loquuntur de Officiis Fœderatorum vel amborum, vel ſolorum Hominum. Amborum quidem; *indicavit Deus fœdus ſuum x illa verba:* eoque videntur complecti quicquid utrinque fœderati facere debeant. Exod. 20: 1. Elocutus eſt Deus omnia iſta verba, quæ in X. dividuntur Horum primum habebit quæ Dei ſunt, *Ego ſum D. Deus tuus*, &c. reliqua novem quæ ſunt Hominum, id quod primum & ſecundum dicimus connumeratis in unum. Et cum ex Heb. 8: 6. fœdus quoad promiſſiones νενομοθέτηται, quæ ſunt præſtandæ à Deo, obligatio quam in ſe ſuſcepit, utique non incommode unum iſta facit articulum. Veruntamen cum dicat Moſes, *Indicavit vobis fœdus ſuum, quod vobis præcepit ad faciendum X. illa verba*, apparet hæc reſtringi ad officia hominum, quæ ipſis præcepta ſunt. Ut quæ loquuntur de iis quibus ſuas partes Deus declaravit, extra illum numerum ſint, & partem fœderalium conditionum alteram faciant, uno articulo comprehenſam. Ergo x. illa verba habent leges ſeu præcepta fœderatorum hominum, actiones moderatura quemadmodum Exod. 24. verſ 12. ea v. ſunt vel ſimplicia, quæ ſingula continent præcepta; vel complexa, quæ plura habent ad unum idemque officium facientia: nam ſecundum conſtat tribus, non faciendum ſculptile, non procidendum coram idolo, non colendum eſſe more idololatris uſitato: quartum duobus memoriam Sabbathi exercendam, & ſanctificationem peragendam, abſtinentia ab opere ſex dierum cœterorum. Imo ex initio formulæ & Dei declaratione de ſeipſo Judæi deducunt præceptum de fide in Deum, ut ejus exiſtentia credatur, atque inſuper, quod tamen negligunt, uti unitas eſſentiæ, ſic pluralitas perſonarum, & harum omnium ad fœdus iſtud concurſus: quæ cauſa cur Hebræi 14. præcepta numerent X. hiſce ſententiis comprehenſa. (Hoc v. conſtantiſſimæ apud ipſos eſt doctrinæ illud de Concupiſcentia non niſi unum eſſe, quod uti Paulus illo, non concupiſces, indicavit Rom. 7: 7. cap. 13: 9. ſic & ipſi per Non concupiſcendum; aſt primum & ſecundum duo eſſe agnoſcunt, quod alias pluribus eſt docendum.) Hæc decem verba conplectuntur ſummam omnium mandatorum, quæ Iſraeli imperata fuerunt, ut eo revocari queant, juxta Hebræos: ſaltem hoc certum fœderis officia univerſa hic eſſe conſignata; quod v. denarius numerus ſit, licet plures rationes dicantur à variis, & ſpeciatim ea quod x. digiti memoriale eorum ſint quorum intuitu commonefiant, nihil certi habemus præter ſolam voluutatem Dei, cui viſum eſt ita partiri. Inde quidem nata eſt vulgatiſſima appellatio *Decalogi* apud Græcos & Latinos, & apud gentes alias Europæas, *x. præceptorum:* quæ rem quidem dicit, ſed humano conſilio, cum Deo placuerit appellatio non x. præceptorum, ſed x. verborum, ſeu ſententiarum: quomodo qui loquitur cum Deo loquitur. *Decem verba* ſeu ſententiæ dicuntur, quia non tantum præcepta ſingula indicant, ſed quandoque congeriem plurium, aut uberiorem præcepti declarationem, vel confirmationem: aſt decem præcepta ſolum eſſentiale attendunt, neglectis cæteris. Cæterum quia non niſi x. Verba ſunt, eopſe debent eſſe fœderatis omnibus familiariſſima. Si bis numerentur, multitudo prægravat memoriam, ſed denarius facile imprimitur memoriæ, ut inde à primis annis debeant addiſci, quemadmodum Deus ipſos quoque pueros minorennes voluit eſſe auditores. Et ſane cum x. illa verba ſint *verba fœderis*, non ne quotquot fœderati ſunt ea ſcire & plurimum in ore habere debent? Infantes noſtri ſancti ſunt 1 Cor. 7. verſ. 14. adeoque fœderis jus ipſis eſt: Annon quam primum loqui poſſunt, formulæ iſtius uſu docendi, ſe fœderis iſtius jus habere, quod iſtis conditionibus deſcriptum eſt? Adoleſcens ille, cum Jeſus ipſi recitaſſet nonnulla horum verborum, ſe à juventute obſervaſſe dixit, Marc. cap. 10: 19, 20. & Paulus eadem inculcat omnibus, Rom. cap. 13: 9. Turpe eſt tam paucorum memoriam non paraſſe, non ſervaſſe, cum infinita, quæ Mundus, Caro, Diabolus mandant, adeo firmiter hæreant, uti cupide diſcuntur.

Binarius numerus eſt *Duarum tabularum*, quibus x. verba fuerunt inſcripta, & quidem ab ipſo Deo, qui etiam primas tabulas fecit, (nam ſecundas Moſes paravit.) Exod: 31: 18. *Dominus dedit Moſi duas tabulas teſtimonii, tabulas lapideas, ſcriptas digito Dei*; & cap. 32: 15. ſ. *tabulæ ſcriptæ fuerunt ab utriſque lateribus ſuis, hinc & illinc ſcriptæ; fueruntque tabulæ opus Dei, & ſcriptura ſcriptura Dei inſculpta tabulis.* Proinde conſtat tabularum iſtarum materia, lapideæ, ſive ex communi lapide dolatæ, (quomodo Moſes potuit imitari fabricam Exod. 34: 1. ſ.) ſive ex pretioſo, quod Hebræi dictitant: autor Deus, qui ipſemet paravit; forma, tabulæ, in longum & latum extenſæ, quamvis præciſe menſura ignoretur; numerus, duæ. Verum de Scripturæ ratione in tabulis, non æque liquet. Equidem Autor etiam hic Deus eſt, qui digito ſuo dicitur ſcipſiſſe, more hominum qui digitorum inſtrumento utantur, & quidem literis inſculptis. Sed ubi ſcriptam & quantum in unaquaque, Moſes non indicavit. De illo ait, *ſcriptas* fuiſſe *à duobus lateribus ſuis, hinc & inde;* ut videantur quatuor latera impleta fuiſſe: alii, uti à pictoribus exprimuntur, in ſingulis lateribus, ut ſibi opponeretur Scriptura utriuſque tabulæ: quia fingunt duas tabulas fuiſſe connexas, ut libri inſtar complicarentur, uncis, aliiſve vinculis cohærentes: cujus nullum eſt indicium in Bibliis, ſed quemadmodum Romanorum XII. tabulæ ſolutæ fuerunt, ita quoque has ſolutas fuiſſe verisimile eſt. Nuſpiam autem expreſſum eſt, quid in una alterave tabula ſcriptum fuerit, & quicquid hic dicitur meræ conjecturæ eſt, aut traditionis eam ſecutæ, & tantundem probationis habet, qui dixerit, uni inſcriptum fuiſſe quid Deus, alteri, quid homines habeant præſtandum; vel primo lateri quæ Dei eſſent, tribus reliquis, quæ Hominum, vel quid aliud. Alii enim duo latera in univerſum inſcripta dicunt, ſingulum ſingulæ tabulæ, & ex x. verbis quina unicuique adſignant, quæ Hebræorum ſententia, qui primæ tabulæ tribuunt, officia erga ſuperiores, unde quintum de parentibus eodem pertinet, quo referunt Lev. 19: 3. quisque matrem & patrem reverebitur, & Sabbatha mea ſervabit; ubi quintum quartumque junguntur illo etiam præpoſito, ceu eodem pertinentia; quidam illorum aliam ſed falſam dicunt cauſam legem oralem, quam ſcriptæ æquant, & à traditione ſuperiorum inter homines arceſſunt; quomodo divina officia primæ faciunt tabulæ, uti ſecundæ Humana officia erga pares. Cæteri officia erga Deum primæ erga homines ſuperiores vel pares ſecundæ tribuunt; tum quia Chriſtus ex veteri conſuetudine dilectionem ita partitus eſt, Mat. 22: 37. Luc. 10: 27. tum quia Paulus quintum de honore Parentum primum appellavit, Eph. 6. verſ. 2. videl. tabulæ ſecundæ, tum quia idem cæteris hominem ſpectantibus annumeratur Marc. 10: 19. Mat. 19. verſ. 18. quomodo primæ tabulæ quatuor, ſecundæ ſex numerantur. Noviſſime illius tria, iſtius ſeptem dicuntur, verum ut contra omnem veterum conſenſum aboleatur ſecundum, & dividatur decimum, quod non niſi unicum eſſe, Concupiſcentiæ, teſtimonia Chriſti & Pauli docent; & ſecundum primi non eſſe partem res ipſa teſtatur; & hu-

hujus potiſſimum rationem habendam, quia in ſenſus incurrit aliorum, tot repetitæ inculcationes evincunt; ut mox patebit.

Porro duas iſtas tabulas Deus ſcripſit, ut forent in *Teſtimonium*, unde *tabulæ teſtimonii* dicuntur, ut de fœdere Dei cum Iſraele teſtarentur, quibus conditionibus conſtaret: quamobrem non ſcripſit eas Deus, niſi poſt ſanctum fœdus, & cum illud violaſſent per μοιχόπολιαν, (quomodo utique violarunt unum præceptorum & quidem illud de ſculptilibus non faciendis, nec colendis, quod proinde peculiare fuit à primo diſtinctum, quod non violarunt Deum Iſraelis ex Ægypto vindicem honoraturi. Exod. 32: 8.) Moſes ut fœdifragos eſſe teſtaretur eas confregit; & Deus cum reſtitueret in fœdus Iſraelem, tabulas novas eidem reſtituit. Potuerunt itaque Iſraelitæ privilegium iſtud ſuæ conjunctionis cum Deo demonſtrare, tabulis ipſius Dei, quod non puderet Deum Iſraelis nominari: qui id non tantum dixiſſet, ſed etiam manu ſua ſcripſiſſet. Delegit etiam eapropter *lapides* quibus inſculperet, ut duratura eſſet materia; uti olim æri, lapidibuſve inſcribebantur quæ volebant eſſe perennia Bechai fol. 110. 3. *Lapideæ fuerunt propter Sanctuarii meritum, quaſi dicat*, &c. *fundo in Zione lapidem*, Eſa. 28: 16. qui utique eſt Chriſtus.

Enimvero perierunt in deſtructione primi templi tabulæ & arca quibus continebantur; & ſecundo templo defuit iſtud teſtimonium, quo nomine illud priore inferius fuiſſe profitentur: imo reſtitutionis ſpem in futurum præcidit Jeremias Jer. 3: 16. *Et fiet cum multiplicati fueritis in terra*, (ſub templo ſecundo, & exhibitis Paſtoribus ſecundum cor Dei Chriſto & Apoſtolis, verſ. 15.) *illis diebus, inquit Dominus, non amplius dicent, Arca fœderis Domini*, (quæ tabulas ejus continebat,) *neque adſcendet in cor, neque ejus recordabuntur, neque viſitabunt, neque conflet amplius.* Carendum proinde eſt externo teſtimonio fœderis ipſis quoque Iſraelitis, neque habebunt occaſionem provocandi ad tabulas: attamen non carebunt teſtimonio, eoque longe excellentiore. Jer. 31: 31. ſ. *Ecce dies venient, inquit Dominus, ut pangam cum domo Judæ & domo Iſraelis fœdus novum*, &c. *non ſecundum fœdus* &c. *Sed hoc eſt fœdus, quod poſt hos dies pangam cum domo Iſraelis, inquit Dominus, Dabo legem meam in medium ipſorum, & inſcribam eam cordi ipſorum; & ero*, &c. Ne tunc quidem deſtituentur Iſraelitæ fœdere aut tabulis ejus: ſed non ut olim ubi unæ erant, uno loco aſſervatæ, in S. Sanctorum, tectæ cherubinis, ut nemini daretur acceſſus, nedum inſpectio, (quæ exitialis fuit Bethſemitis 1 Sam. 6: 19.) unde non ſine ratione potuiſſent uſurpaſſe, Deum eſſe abſcondentem ſe Eſa. 45: 15. qui teſtimonium fœderis ſecum ab ipſis abſcondebat: verum tunc unicuique fœderato dabuntur tabulæ & inſcriptio, qualis priorum, digito ipſius Dei, in unuſcujuſque corde, ut pectore ſuo circumgeſtet, & jugiter habeat præſentiſſimum fœderis teſtimonium, atque citra alius indicinam Deum fœderatum ſibi cognoſcere queat. Non quidem erit externum, ut prius, ut aliis quoque queat oſtendi; attamen externo excellentius, atque etiam efficacius. Uti enim ſpiritus hominis excellit lapidem, cum Scriptura Dei utrobique ſit, ſic excellunt tabulæ iſtæ lapideas. Sunt iſtæ evidentiores, ſaltem poſſidenti 1 Cor. 2. verſ. 11. Licet unicuique quandocunque libet inſpicere. Poteſt ſibi eſſe conſcius fœderalis conditionis, & quidem immutabiliter. Tabulæ lapideæ cum arca ſua venerunt in poteſtatem Philiſtæorum, & tandem plane perierunt; Spiritus hominis indefinens eſt, & proinde quod inſcripſit Deus perenne quoque eſt. Licet cœlum & terra pereant, nequit tamen interire Scriptura tabularum iſtarum. Eſa. 59. verſ. 21. Atque hæc uti obtinget tandem Iſraeli, quando convertetur ad Dominum, ita quoque obtinget & obtingit Gentilibus, ex quo & quotieſcunque admittuntur in fœdus Jer. 3: 17. Deficiente arca fœderis externa iſtud fiet, vocatis gentibus; quæ collectio nequit fieri citra fœdus, ut thronum Domini agnoſcant, ejus facti populus; & hic neceſſarium teſtimonium, de quo 2 Cor. 3: 3. Datur quidem Scriptura cordium naturalis, quæ gentilium omnium quoque, etiam qui ſine omni lege ſeu revelatione voluntatis Dei externa, Rom. 2: 15. ſed non eſt fœderis; cum Gentiles, qui eam habent, & non poſſunt ea carere vel eam delere tamen ſint peregrini à fœderibus promiſſionis, Eph. 2: 12. Heic eſt Scriptura fœderis, ejus quod Chriſtus ſuo ſanguine ſancivit Mat. 26: 28. & peragitur Spiritu Chriſti, qui Apoſtolorum Doctorumque miniſterio utitur, quando ipſorum verbis cooperatur, & quod illi promulgant fœdus ore 2 Cor. 5: 20. inſcribit cordibus: unde dicuntur exempla Chriſti, cui Patris voluntatem fœderalem inſcripſit. Habent ergo fœderati etiam hodie Teſtimonium, ejuſque tabulas 1 Joh. 5: 10. qui credit in filium Dei, habet teſtimonium in ſeipſo. Novi fœderis teſtimonium eſt novum cor, & novus Spiritus, cor carneum & Spiritus Dei in eo operans Ezech. 36: 26, 27. quemadmodum primæ tabulæ Dei opus fuerunt, & ſcriptura earundem Dei quoque. Novit quisque fœderatorum Dei ſe geſtare teſtimonium. Veruntamen ut olim aliis quoque potuit demonſtrari per tabularum teſtimonium fœdus cum Deo; ita quoque nunc; 2 Cor. 3: 2, 3. manifeſtos factos dicit & qui agnoſcerentur, & legerentur ab omnibus hominibus, non quod aliis poſſint oſtendere cor ſed ſcripturam cordis Hab. 2: 2. Pſ. 37: 31. Spiritus inſcribens cordi facit ut quis ambulet in Dei ſtatutis, ejuſque judicia ſervet & faciat; Ezech. 36: 27. timor Dei inditus cordi non patitur declinare à Deo Jer. 32. verſ. 39. ſ. & Eſa. 59: 21. fœderis iſtius ea eſt ratio, ut verba & ſpiritus nunquam deſerant. Qui Spiritum Chriſti habet, ambulat ſecundum ſpiritum non ſecundum Carnem Rom. 8: 2--4. Etiam hic obtinet, ex plenitudine cordis, loquitur os Mat 12: 34. Convincuntur proinde quam plurimi, qui fœdus Dei habent in ore, ſed verba ejus pone tergum rejiciunt, ut ejus jugis ſit oblivio Pſ. 50: 16. ſ. Micha olim dicebat cap. 2: 7. *vos qui domus Jacobi vocamini, an Spiritus Domini abbreviatus eſt? hæc ne ejus ſunt opera? an verba mea non benefaciunt integre ambulanti?* Fœderati Dei omnes ſe eſſe gloriantur, ſed nullum ejus teſtimonium apud multos; imo contrarium Tit. 1: 16. Nemo ſe decipiat quod decem verba fœderis norit, teſtimonio tabularum opus eſt. Semper de eo conſtat Deo, qui corda novit, ſed ut aliis perſuadeat quis, etiam his legibilis debet eſſe Scriptura iſta. Fabulantur Hebræi tabularum Scripturam fuiſſe perforatam, ut ab utroque latere omnes literarum lineæ exſtarent: fabula iſtud eſt, ſed mera veritas Scripturam novi fœderis eſſe perforatam, ut quod in corde eſt ſcriptum, in omnibus corporis membris expreſſum legatur, & cuſtodia operis teſtetur de præſentia in corde Rom. 6: 17. Pſ. 40: 9. in cujus medio eſt lex Dei, is habet voluptatem faciendi Dei placitum. Verbum Dei lux eſt, & qui illud in corde habent ſunt uti lucernæ ut luceant, & lux eorum videri queat, & fulgeant ut lumina, præferentes verbum vitæ Mat. 5: 16. Phil. 2: 15, 16. Hab. 2: 2. Dominus jubet, *Scribe viſionem*, & ſic ſcripſit Deus in tabulis. ut aliis tranſeuntibus pateat. Hæc de immediata patefactione conditionum fœderis.

Verſ. 14. ***Me autem præcepit Jehova tempore illo docere vos ſtatuta & judicia, ut exerceatis ea in iſta terra, quo mox tranſituri eſtis ad poſſidendam eam jure hæreditario.***

ב. Acceſſit huic *Mediata*, verſ. 14. *Deus* autor, *Moſes* miniſter internuncius, *tempus* idem, res ſunt *ſtatuta & judicia*, docenda à Moſe, quod ab ipſo Deo prolata non audiviſſent, *tempus* & *locus* obſervationis, terra Canaan ubi eam poſſediſſent. Poſtquam Deus decem illa verba elocutus erat, deprecati ſunt Iſraelitæ, ne amplius audire cogerentur loquentem Deum ipſummet, pollicíti nihilominus obedientiam. Deus itaque Moſi ſoli nonnulla dixit, eodem tempore, ante fœderis ſanctionem ſolennem, quæ pariter pertinuerunt ad fœdus Iſraeliticum, Exod. 24: 3. Moſes deſcendens de monte indicavit populo omnia verba Domini, & omnia judicia, quæ ſunt recitata Exod. 21: 22, 23. quorum titulus: *Hæc ſunt judicia quæ ipſis propones:* quibus attexuntur nonnulla ſtatuta, quæ ad cultum religioſum pertinent, cap. 23: 10. ſ. de his autem docet, quod obſervatio adſtringatur ad terram Canaan, ſaltem ſingulari ratione. unde obſervandum.

Quæ Iſraelitis Deus ipſe elocutus eſt & ſcripſit fœderis of-

ficia, omni loco & tempore valent; quæ per Moſen Cananæa ſunt affixa. Iſtud diſerte docet Moſes, & illud ex oppoſitione colligitur. Poſteriora extra terram fere nequeunt obſervari, ubi poſſeſſionem non habent, neque judicia propria Judæi: at priora omni tempore & loco eos obſtringunt. Exules Judæi, non peccant, quando non adſcendunt tribus vicibus quotannis Hieroſolymam, quando non exercent judicia, non obſervant ſervitutis leges, & quæ circa delicta ſunt ſtatuta. Aſt quæ Deus x. verbis conſignata tradidit, ſemper ſunt obſervanda Iſraelitis. Habet autem iſtud momentum. Plurima ſtatuta per Moſen fuerunt tradita poſt ſanctionem fœderis, quæ ejuſdem conditionis cum illis ſtatutis & judiciis non ſunt quorum obſequium quidem incumbit Judæis vi promiſſionis etiam de futuro, *Quicquid dicet tibi D. Deus noſter audiamus & faciemus*, Deut. 5: 27. Eſt tamen alia iſtorum ratio, quæ Deus vel immediate vel mediate ceu fœderis conditiones proponi, & ſuper illis ratihabitionem, & ſanctionem inſtitui voluit: alia quæ poſt imperata, quæ modum ratihabitionis, & violationem fœderis reſpiciunt. Quum populus pollicitus eſſet obedientiam ex ſe citra fidem præcedaneam, Deus inſtituit tabernaculum externum, & varias ejus leges, quæ acceſſum ad Deum moderarentur; & poſtquam idololatria ſua excidiſſent fœdere, reſtitutis in integrum injunxit varia ſtatuta quæ ſcriptionem chirographi haberent, ſimulque ejus diſpunctionem vicariam per alium ſignificarent. Iſta uti inter fœderis conditiones non fuerunt, neque habent perennitatem, ut cum novo fœdere vim ſuam amittant. Quamobrem de his Moſes hic non loquitur: Eorundemque abrogationem inculcat Paulus ad Hebræos.

Quod v. Gentiles attinet, hinc quoque diſcimus, Quæcunque mandata ſunt poſt ratihabitionem fœderis, ſive ſtipulationem ipſorum ſpectent, ſive rebellium reſtitutionem in prius jus, Gentiles non concernunt: Sed quæ ad fœderis conditiones faciunt aliquatenus. Adeoque. *Quæ Deus prolocutus eſt immediate, & ſcripſit, vim ſuam etiamnum habent, quatenus ſigillatim Iſraelitis non ſunt attemperata.* Etenim Summa de dilectione Dei & proximi etiam Gentiles fœderatos attinet. Præcepta ſecundæ tabulæ ipſis quoque in Chriſtianiſmo imperantur Rom. 13: 9. Legislatoris autoritas in omnibus eadem eſt Jac. 2: 8. ſ. Servator perennitatem Legis aſtruit, tum abſolute, Mat. 5: 17. ſ. tum reſpectu docentium, verſ. 19. tum reſpectu audientium. Quod ipſum indicandum in explicatione Decalogi, quando eſſentialia præceptorum attenduntur. Cætera, mediate per Moſen, Iſraelis internuncium proprium dicta, ſive ſtatuta ſive judicia Gentiles non attinent, quia Cananææ adſtricta. Sunt quidem qui judicialia cenſent obſervanda in Politia Chriſtiana, cum nihil ſapientius aut juſtius excogitari poſſit, quam quod Deus hic definivit, (unde commendatio ſapientiæ & juſtitiæ eorum qui faciunt.) Verum nulla neceſſitas, ob appropriationem illi terræ & populo. Si quis faciat, non peccat quidem, uti varia inde adſcita ſunt; ſed ſi omittat itidem reus non eſt. Furtum ſimplex capitale non eſt; quod ſi capitale fiat non delinquit magiſtratus: & ſi ad eam pœnam non procedat, itidem reus non eſt dummodo generalis juſtitiæ ratio habeatur. Scl. quod circumſtantias à Deo definitas habet, extra illas non habet locum. Generalis autem æquitas attendi debet. Aſt homicidii pœnam capitalem dixit Deus immediate Noacho & filiis ejus; quocirca Iſraelitis quoque obſervanda in Cananæa, Num. 35. & ſic ubivis locorum. In Decalogo pœnæ delinquentium non definitæ, quæ ad judicia pertinent, & tales ſtatuendæ, quales conveniunt cuivis populo, ut multiplicatis delictis augeantur pœnæ, uti Deus ipſe agere decrevit Lev. 26. Decalogus autem quoad eſſentialia ob Dei ipſius promulgationem habet perennitatem, ut nec correctionem, nec mutationem, nec additionem acceperit: formula enim fœderis eſt perpetua, *Ero Deus tuus, & integre ambula*, cum Deo, quæ ſumma officiorum hominis. Deut. 18: 13. ſive eris mihi populus: qua conditione nobis quoque vivendum eſt, ut Deum habeamus, imo nos habere demonſtremus ad Dei gloriam & noſtram ſalutem.

Verſ. 15. *Quamobrem cavebitis vobis ipſis valde, nam non animadvertiſtis ullam ſimilitudinem, quo die alloquutus eſt Jehova vos in Chorebo è medio illius ignis:*

Inter privilegia Eccleſiæ recenſetur Eſa. 33: 22. *Jehova Judex noſter, Jehova Legiſlator noſter, Jehova Rex noſter, ipſe ſervabit nos.* Habent aliæ gentes ſuos Judices legiſlatores, reges, quibus gloriantur; quemadmodum in pretio ſunt qui legibus ſcriptis multitudini hominum ordinem ſtatuerunt ad conſervandam augendamque ſocietatem, ne mutuis injuriis diſſiparetur & perderetur. Laudantur eo nomine Minos Cretenſis, Zaleucus Locrenſis, Solon Athenienſis, Lycurgus Spartanus. Numa Romanus, legum inter ſuos autores; qui tantum ut autoritatem his conciliarent, finxerunt colloquia cum Deo, & hujus mandata. Verum Eccleſia non habet hominem legiſlatorem & regem, qui à Deo ſuperiore acceperit leges promulgandas; ſed Deum ipſum, cujus abſoluta poteſtas jubendi & juſſa exſequendi ſanciendo præmiis vel pœnis prout illa vel obſequium vel inobedientiam inter homines inveniſſent Jac. 4: 12. Hanc dignitatem Legum ſuarum Iſraeli inculcat Moſes provocando ad ipſorummet conſcientiam; quamobrem revocat in memoriam (eamque jugem eſſe vult) promulgationem illarum, Deum ipſum eam edidiſſe tum voce tum ſcripto. Illam v. factam eſſe magno apparatu ut Dei eſſe agnoſceretur; quamvis neminem viderint loquentem. præſentiam Dei fuiſſe demonſtratam non uni atque alteri duntaxat, aut principibus quos finxiſſe alloquium Dei poterant ſuſpicari; ſed omnibus & ſingulis in populo, tum viventibus, quos omnes congregari juſſerat, ut ἀνδράσι eſſent & ἀθλαυσαι ſuæ declarationis; quando viderunt ignem caligine & nubibus vallatum, qui inde à ſummo cœlo pertingebat in montem Horeb, è cujus medio vox articulata ab omnibus fuit audita, ubi hominem conſiſtere non poſſet, animadvertebant; indicaſſe autem ipſis voce, quamvis loquentem non viderint fœdus ſuum, quid facere ipſe, quid ab ipſis fieri vellet, quæ decem ſententiis complexus ſit, & ſua quoque manu lapideis tabulis inſcripſerit. Quibus acceſſerunt nonnulla juxta ipſorummet voluntatem Moſis miniſterio indicata. Divina ergo ſunt omnia iſta mandata, quæ proinde ut talia ſemper erant æſtimanda.

II. Huc facit *Cohortatio*, quam hic interſerit Moſes, verſ. 15—31. Ne quid faciant quo dignitatis memoria abolearur: quod ſic agit ut I. dehortetur ab iis, quæ ad oblivionem ducerent. II. prædicat damna metuenda & toleranda, quandocunque id admiſiſſent: illud, verſ. 15—20. iſtud, verſ. 21—31.

A. *Dehortationis* iſtius ſpectanda. I. Occaſio. II. Gravitas. III. Fundamentum. IV. Argumentum.

ℵ. *Occaſio* eſt ex verſ. 9. ſ. ubi monuerat, Solummodo *cuſtodi temetipſum* &, &c. Sollicite conſervandam dixit memoriam promulgati à Deo fœderis in monte Sinai, ut nec ipſis excidat qui viderunt, neque liberis qui non viderunt, ſed ab ipſis recitantibus & docentibus audiverunt & didicerunt. Heic autem Moſes occurrit præpoſteræ rationi quam potuiſſent comminiſci conſervandæ iſtius memoriæ, videlicet quia vox audita perit, litera ſcripta manet; atque viſus magis afficit quam auditus, cogitaturos ipſos idoneum fore mnemoſynon & duraturum, ſi repræſentationem aliquam conficiant eorum quæ tunc geſta viderant, adeoque pingant montem Horeb, & omnem Iſraelem circumſtantem, in monte vero denſam caliginem & nubes obſcuras, & in harum medio fulgentiſſimam lucem à montis vertice uſque in cælum penetratem: vel etiam thronum Dei luciditſſimum, & inſidentem Antiquum dierum. Adhæc picturam Moſis, & rerum aliarum, quæ in promulgatione fœderis, & in ſanctione ejus, acciderant. Etenim hac ratione paulatim peritura erat memoria divinitatis legum, utp. concepturis ex picturæ indicio ſubſequentibus temporibus aliquam in Deo corporeitatem quæ ejus eſt abnegatio, & ſubſtitutio creaturæ alicujus, à qua leges iſtæ fœderis profectæ ſint. Sic v. quod in ſubſidium memoriæ effi-

efficitur ad ejus abolitionem facit; & hacpropter quibus recordandum eſt, hinc abſtinendum.

ב. *Gravitatem* graviſſimis verbis inculcat, verſ. 15. *Et cavebitis animabus veſtris valde ne perdatis eas.* Cavendum eſt animabus hoc loco, etenim, ut notat Abarbanel: *Si quis corporeum quid de Deo concipiat, magnus hic eſt defectus animæ; nam fides ſeu cognitio veritatis credita perficit animam; quod ſi iſtud quod creditur vanum ſit aut mendax, defectus eſt in anima quæ iſtud apprehendit & anima rea fit, dum iſtud jugiter credit; contra quam ſit circa fidem veram, de qua dicitur juſtus fide ſua vivet. Hacpropter dicit, & cavebitis animabus veſtris valde; hoc eſt cavebitis ab hoc valde propter animas veſtras; additque, ne perdatis eas; quaſi dicat: metuo ego ne cogitetis vos benefacturos vobis ipſis, animabus nempe veſtris, quoad ſtationem illam doctrinam ad montem Sinai, & recordationem ejus; verum accipietis inde perditionem, ſiquidem vel vos, vel liberi veſtri, vel generationes ſequentes eo veniatis ut faciatis vobis ullam imaginem ad memoriam hiſtoriæ Sinaiticæ, multo magis ut eam ipſam imaginem colatis.*

ג. *Fundamentum* porro dehortationis eſt, verſ. 15. *nam non vidiſtis ullam ſimilitudinem*, &c. Nihil corporeum venit in oculos veſtros, quamquam ex igne loqueretur Deus, qui lucem miniſtrat, ne obſcuritate illa impeditos vos dicatis, & fulgens ille ignis pertingebat uſque in medium cœli & tamen nihil corporeum, quod oculus cerneret, fuit à vobis obſervatum, quomodo ergo repræſentaretur aliquo corporeo? utique figmentum erit quicquid hujus fuerit fabricatum.

Verſ. 16. *Ut non corrumpatis vos, & faciatis vobis ſculptile ſimilitudinem ullius ſimulacri, formam maris aut fœminæ.*

Verſ. 17. *Formam ullius animalis quod ſit in terra, formam ullius avis alatæ quæ volat verſus cœlum.*

Verſ. 18. *Formam ullius repentis in terra, formam ullius piſcis qui ſit in aqua ſub terra.*

ד. Proinde Argumentum dehortationis. I. Ne quid faciant, verſ. 16,17,18. II. Ne quid ſubſtituant, verſ. 19, 20.

a. *Ne faciant* ullam repræſentationem Dei, in genere ſculptile aliquod, aut ſimilitudinem cujuſcunque figuræ, qualis in ſculptura vel pictura qualicunque, uno pluribusve coloribus adhibitis: in ſpecie, inductione facta creaturarum corporearum quæ fingi pingive poſſunt, hominis maris vel fœminæ; bruti terreſtris, volucris, reptilis, aquatici, verſ. 16,17,18. Hinc v. obſervandum.

Omnes repræſentationes Dei etiam quoad uſum mnemonicum ſolum vitioſæ ſunt. Ne memoriam promulgati fœderis pictura aut ſimulachro repræſentarent Iſraelitæ, hanc tam ſeriam dehortationem inſtituit Moſes. Oblivium quidem magna ſollicitudine cavendum; aſt longe magis cavendus hic amoliendæ oblivionis modus, per repræſentationem imaginis alicujus, Conſervandæ memoriæ ergo, & avertendæ oblivionis remedium eſt verbum, ut Deum metuerent Deus ſe non præbuit videndum, ſed audiendum, verſ. 10. & quibus id præſtitit Deus, iſti ſuis liberis idem præſtare debent, ut liberis non videndum depingerent, ſed docendo indicarent, verſ. 10.

Peccatur ergo vehementer picturis & repræſentationibus apparitiones Dei exprimentibus, & quicquid earum in Scripturis hiſtoricum eſt, Creatio univerſi, & hominum ſigillatim & fœderis promulgatio, & quicquid in V. & N.T. factum eſt, ut memoriæ roborandæ inſerviat, inprimis ſi in templis & locis ſacris, ſi in Bibliis exprimatur. Quicquid etiam judicet humana ratio, memoriæ ſic conſuli, Moſes improbat, qui talia mnemoſyna fieri vetat. Apud Judæos quidem talia olim fuiſſe uſurpata caret teſtimonio, Num. 15: 38. ſ. mnemoſynon mandatorum Dei ab ipſomet quidem inſtitutum fuit, ſed neutiquam picturæ promulgantis Dei fœdus ſuum, verum fili cærulei, ut colore qualis videtur, cæleſtis originis eſſe monerentur. Neque etiam primis Chriſtianiſmi temporibus. Papæ Gregorii M. doctrina eſt, Imagines eſſe libros laicorum, & quod legentibus Scriptura hoc idiotis picturam præſtare cernentibus: quia in ipſa ignorantes videant quod ſequi debeant, in ipſa legant qui literas neſciunt; Enimvero recte reſpondetur in Catecheſi, non debere nos eſſe ſapientiores Deo: novit ille quomodo optime ac tutiſſime inſtituantur homines, qui tamen hanc rationem per imagines non inſtituit; quæ ſi bona eſt, vel Deum ignorantia vel invidia neglexiſſe dicendum eſt; quod utrumque blaſphemum. Imperavit ille verbum ſuum, non imagines; de verbo teſtatus dare ſimplicibus ſapientiam Pſ. 19: 8. & 119–130. Quod ſi cui ſtultum videtur, is ſciat ſtultum Dei, in verbo prædicationis ſapientius eſſe, quam homines, 1 Cor. 1: 25. cum λόγῳ ille σοφίας humanæ ſit ἰδιλοθρησκείας, nullius prætii, ad ſatietatem carnis Col. 2: 23. Et ſane quomodo doceant quicquam imagines; cum nec audiant rogantem, nec reſpondeant. Nemo per eas quicquam ſciet, niſi antea fuerit indicatum. Uti picturæ Gentiles nil indicant, niſi quis alius recitet fabulam vel hiſtoriam: ita neque picturæ ſacræ, niſi ex Scriptura illæ innotuerint. Quis ergo docebit? ſane non pictura, ſed verbum; in quo nihil falſi, aſt in pictura impoſſibile ut non quid falſi admiſceatur; nullum lineamentum eſt de quo dici queat vere ſic ſe habere. Hab. cap. 2: 18. ſ. & verſ. 15. Stoliditas idola picta fictave parantium, ipſorumque vanitas multis indicata eſt in Sacris, Pſ. 115: 135. Eſa. 44: 45, 46. Quocirca abſtinendum eſt, ab omnibus iſtiuſmodi imaginibus. Nam quod porro notandum.

(1.) *Inviſibilis Dei non datur repræſentatio: nam non vidiſtis ullam ſimilitudinem* &c. Vox pingi nequit; eam audiviſtis, & ejus memoriale vivo ſermone vel ſcripto poteſt conſervari; nam decem verba in tabulis ſcripſit Deus, teſtimonium ſuæ vocis. Quod pingeretur nihil vobis viſum, eoque neque fingendum. Obj. Licet non viderint, cum promulgaretur fœdus; tamen viderunt cum ſanciretur, Exod. 24: 9, 10. *Moſes & Aaron, & Nadab & Abihu, & 70. Seniorum Iſraelis adſcenderunt in montem, & viderunt Deum Iſraelis, & ſub pedibus ejus fuit ut opus ſapphirini lapidis, & ut facies cœli in ſua claritate.* De Moſe etiam dicit Deus Num. 12: 8. *Ore ad os eum alloquor, & ſimilitudinem Dei intuetur.* Videri ergo poteſt, & viſus fuit, eoque poteſt exprimi. Adhæc in apparitionibus varie ſeſe exhibuit, 1 Reg. 22. uti Eſa. 6. Dan. 7. Ezech. cap. 1. & alibi. Reſp Deus eſt inviſibilis. 1 Tim. 1: 17. Heb. 11: 27. quem nemo vidit unquam, nec videre poteſt 1 Tim. 6: 16. Deus ipſe ait Moſi, *Nemo me videbit & vivet, & propterea non poſſes faciem meam videre.* Hinc etiam contra effigiatores Eſa. 40: 18. Cap. 46: 5. *Cui me aſſimilabitis?* Quod ergo dicitur tum de 74. perſonis ſimul, tum de Moſe ſigillatim non ſignificat viſionem eſſentiæ Dei, quæ nequit cadere in oculos corporis non niſi corporea percipientes, ſed vel de gloria Dei majore, unde præſentia Dei agnoſceretur, vel de viſione animæ ſeu perceptione majore citra medium ſpeculi aut ænigmatis, ut nunc cognoſcimus 1 Cor. 13: 12. ſed qua ſemetipſum patefecit, ita tamen ut ne tunc quidem aliud quam poſteriora Dei Moſes viderit Exod. 33: 23. quæ longe adhuc abeſt à faciei ipſius intuitu, hoc eſt, apprehenſione illa, quæ conſummationis erit. Quod v. attinet viſiones Propheticas, non magis illæ pingendi materiam ſubminiſtrant, quam deſcriptiones metaphoricæ, ut Deus pingatur imagine leonis, leopardi, urſi, tineæ &c. Non ſeipſum, ſed teſtimonium aliquod ſuæ præſentiæ oſtendit Deus in viſionibus & Prophetis, quod vidiſſent & audiviſſent, dicendum non pingendum injunxit, & cum qui viderunt, non expreſſerint, quicquid nunc ejus ſit figmentum eſt & mendacium, quo Deus non honoratur, ſed contumelia afficitur.

Cum v. Deus inviſibilis quam ſtolidum velle eum repræſentare. Ridendus ſane eſt, qui animam humanam pingere vellet. Spiritus enim eſt, non corpus; attamen ſolum corpus poteſt repræſentari eo modo. Deus autem merus Spiritus qui pingeretur. Quæcunque ergo Dei imagines proponuntur, ſunt mera mendacia. De nemine fabro dici poteſt, quod

quod repræsentavit vidisse; sed figmentum humanum esse & hacpropter mendax doctor censendus, & qui non nisi corporeum, hoc est, Deo dissimillimum nobis repræsentat. Expressit Deus equidem imaginem suam Gen. 1: 26, 27. sed ea expressio non fuit in corpore, sed in anima duntaxat. Qui videt hominem, quia tantum corpus videt, non videt imaginem Dei .sed aliquid ejus qui ad imaginem Dei conditus est; quemadmodum qui hominem occidit, eive maledicit, occidit aut maledicit ei, qui ad imaginem Dei conditus est Gen. 3: 6. Jac. 3: 9. incorporeum illud quod in homine est, indesinentis motus, intelligens, volens, potens, quod animam dicimus vel spiritum hominis repræsentat Deum aliquatenus, sed id homini est irrepræsentabile, quamobrem etiam viri fœminæve similitudine exprimendum interdixit. Sic docet Apostolus Act. 17: 28. s. Poetarum aliquis dixit, *Dei genus sumus: Cum ergo Dei genus simus, non debemus putare Deitatem* auro argentove, aut lapide similem esse, hominis arte & excogitatione paratam; *Dei genus sumus*, non quoad corpus, quod corpore alio repræsentari posset; sed quoad animam, quæ cum corpoream repræsentationem non admittat, longe minus Deus. Quod vilissimum est in homine, & qua Deo plane dissimilis, repræsentari solum posse si concedamus, an non eopse statuimus, quod optimum, & unde potissimum homo est, exprimi non posse; & multo minus Deum? Non ergo colore aliquo figurave corporea exprimitur Deus, sed anima humana, quæ quo magis sanctitate & justitia excellit, eo propius accedit ad repræsentationem Dei Eph. 4: 24. Cap. 5: 1. 1 Pet. 2: vers. 9. cum sine ista sanctitate non nisi mortua sit imago. Eph. 4: 18. Alia omnis repræsentatio vitiosa est, falsa est. Gentiles id agnoverunt. Plutarch. in Numa: *Primis 170. annis templa Rom. caruerunt simulachris, vel hominis vel animalis: quod nefas ducerent præstantiora deterioribus adsimilari, Deumque non nisi mente attingi posse censerent.* Sed postquam homines cœperunt coli pro Diis haud mirum corpora hominum repræsentatione expressa fuisse. Ast Deum exprimere impossibile. Invisibilem cum dicimus, eopse dicimus repræsentari non posse, & omnes imagines ejus hac una voce refutamus. Verum ut magis absterreamur notandum.

(2.) *Imaginem Dei habere quamcunque eamve facere, fœderatis Dei cavendum est.* Utpote pernicioſum animabus, easque perdens. Cavere jubet Moses, qui nunquam dehortatus est à bono; ut eopse malum id esse doceat: maxime cum non dicat, cavete, sed cavete valde. Et quibus cavendum est, sunt in hominibus potissimum Animabus. Si quid corpori noxium est, ut dolorem aut damnum accipiat, omni studio cavetur; magis adhuc unde mors metuenda. *Quicquid homo habet, dabit pro vita sua.* Job. 2: 4. Sed longe præstantior anima, cui redimendæ, ne uni quidem totus mundus sufficeret. Matt. 16: 26. Hinc hic cavendum est. Etenim pernicies ejus certa est. Jer. 10: 15. Imagines mera vanitas sunt; nihil ejus præstant, quod præstare deberent repræsentare Deum, cum nihil ejus repræsentent. Quotcunque diversi artifices sunt, & quotiescunque repetito faciunt, semper differentia adest, ut nullus chamæleon tam varios colores induere queat, quam differens est pictus fictusque Deus: & quæ major potest esse vanitas. Quamobrem etiam opus est seductionis. Matt. 24: 24. quando dicitur, *Ecce hic est Christus*, vel *Ecce istic seductorum ea vox est.* Et sic quando hæc & illa & ista imago Dei esse dicitur. Vanitas credita vanos facit Jer. 2: 5. Vanitas deceptionis graphice delineata est. Esa. 44: 18. s. qui ex ligno Deum fabricant, ejus repræsentationem cui Dei nomen tribuitur. Animæ est sapientia, & hæc si tollatur damnum & perditio ei adfertur. Quæ conditio idololatrarum Rom. 1: 21. Gravis hæc est perditio ad stultitiam illam prolapsum esse, sed sequitur major, traditos esse in reprobam mentem &c. & sic in Ecclesia quoque 2 Thes. 2: 9. s. Antichristi adventus est in omni deceptione injustitiæ in iis qui pereunt, quibus immittitur efficacia erroris ut credant mendacio, utique dum imaginibus ducuntur. Extinguunt enim istæ omnem religionem. Lactant. lib. 1. cap. 16. *Non est dubium quin religio nulla sit, ubicunque simulachrum est. Nam si religio ex divinis rebus est; divini autem nihil est nisi ex cœlestibus rebus; carent ergo religione simulachra: quia nihil potest esse cœleste in ea re quæ fit ex terra.* Egregie Varro apud August. de C. D. lib. 4. cap. 31. *Qui primi simulachra Deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis & metum demsisse, & errorem addidisse*, dixit. Metus numinis major est citra simulachrum, quia concipitur Spiritus ubique præsens, omnia sciens & judicans: sed quando simulachrum ponitur, corporeus concipitur, quem latere quis queat male agens, & qui punire nequeat, infinitique errores inde nascuntur, qui omnes animæ sunt exitiales, quæ castius observat Deum sine omni imagine.

Quam damnosa ergo Religio Pontificia quæ imaginum factionem & cultum probat & urget, quibus Deus exprimatur, (nam de creaturarum cultu proxime dicendum ad vers. 19. s.) ut sunt Trinitatis, & Dei Patris ceu senis. Tota Scriptura hic adversatur, ut Deo injuriam inferant, indignanti eo nomine Esa. 42: 8. *Ego Jehova, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus.* Non interest sive falso, sive vero Deo exprimendo adhibeatur; nam & hæc mendacia sunt, & in figmento exprimendo minus peccatur, quam in vero Deo. Hab. 2: 10. Pudorem consuluit suæ domui Assyrius, spoliando multas gentes, peccavit contra animam suam, quanto magis spoliando Deum honore ad pudorem domus suæ cap. 1: 11. Gideon in memoriam victoriæ à Deo datæ, consecravit in domo sua Ephod; sed quia Israelitæ cultum ibi peregerunt postmodum, evasit Gideoni & familiæ ejus in offendiculum Jud. 8: 27. Mnemosyna Dei in imaginibus humana voluntate erectis cedunt offendiculo erigenti. Jeroboamo fuit peccatum Deum Israelis vitulorum simulachro repræsentasse, ut ejus familia exsisa fuerit, & ipse infamis maneat in perpetuum. Deut. 32: 28. Sic perit quis consiliis. Quam charæ igitur nobis animæ nostræ, caveamus nobis. Deus Spiritus est, imagines omnes corpus exprimunt; alium Deum fingimus, alium honoramus, , qui imaginem ullam, quamvis ipsius dicatur, æstimamus. Ps. 16: 3. Multiplicabuntur dolores ipsorum, qui alium dotant. Christus istos nec sacrificii sui, nec intercessionis suæ beneficio frui vult. Joh. cap. 4: 24. Spiritu colendus qui Spiritus, & veritate non mendacio. Imagines Dei omnes non nisi corpus nobis repræsentant, & omne corpus creatum est; quod v. est creatum, non est Deus. Si ergo hæc repræsentatio Dei est, Deus non est Deus, & præcepta ejus non divina, quibus proinde obsequium religiosum non debemus, imo præstando nos Deo reos constituimus. Si repræsentationes Dei, quæ dicuntur, spectemus, non Dei illæ sunt, sed hominum; adeoque illas venerantes, homines colunt, dupliciterque peccant, hominem in imagine loco Dei colentes, & imaginem Dei vivam coram imagine hominis mortua prosternentes. Eoque *cavete ab idolis* 1 Joh. 5: ult. *Pudefiant qui imaginibus serviunt, & gloriantur in idolis.* Ps. 97: 7. Sint sicut ipsæmet imagines, Ps. 115: 8. ast nos dicamus cum Ephraimo, *Quid nobis & idolis?* Hos. 14: vers. 9. Deus ille nobis colatur, non qui oculis nostris repræsentandus dicitur, sed qui locutus nobis est in verbo. Sic ducemur in veritatem; quum enim imagines sint mendacium. Verbum ejus veritas est Joh. 17: 17. Deus sanctificet nos in illa veritate sua, & emittat lucem suam, ac veritatem, sic ducemur non ad perniciem animarum, sed ad Deum ipsum, æternamque animarum nostrarum salutem.

Vers. 19. *Et ne sublatis oculis tuis versus cœlum, quum aspexeris Solem aut Lunam aut stellas, ullam rem exercitus cœlestis, tum impellaris, & incurvans te eis colas ea, quæ impertitus est Jehova Deus tuus reliquis omnibus populis sub universo cœlo.*

Vers. 20. *Vos enim assumsit Jehova, & eduxit vos è camino ferri ex Ægypto, ut essetis ei populus hæreditarius, sicut* estis *hodierno die*

Esa.

Eſa. 42: 8. *Ego Jehova hoc eſt nomen meum* &c. Deus varie aſſerens ſuam Deitatem contra idololatras, tum à communibus beneficiis providentiæ, tum à ſingularibus, gratiæ erga Eccleſiam, inprimis in Chriſto, inter alia hæc inſerit. *Ego ſum Jehova*, merum ens, & eſſentiator, & hoc nomine propriiſſime ſignificor, non ullo alio quod ſimilitudinem indigitet cum ulla re aut creatura, cui queam aſſimilari, homine aut bruto: adeoque *Non dabo gloriam aut laudem meam*, neque ejus faciendi dabo licentiam *ulli alii*, ut creaturarum alicui Deitas adſcribatur, neque etiam ſculptilibus, ut ego ulla imagine repræſentet. Complectitur interdictum geminæ idololatriæ. I. Ejus qua aliqua creatura conſequatur venerationem II. Illius qua imagines fiant Dei veri ad eum in iis colendum. Non fert Deus vel aliud ſibi ſubſtitui, vel ſe alium concipi quam eſt. Hoc fit quando qui Spiritus eſt incorruptibilis, corruptibili corpore pingitur fingiturve: illud autem quando ipſo neglecto creatura æſtimatur, & citra imaginem vel in ea colitur. Quod interdictum ſæpiſſime repetiit, & primum fecit quod Moſi injunxit cum Iſraelitæ deprecati eſſent ipſius Dei vocem, poſtquam decem illa verba audiviſſent è medio ignis, quod illa manifeſtatione gloriæ divinæ territi eſſent. Notum eſt terrorem vehementer agere in imaginativam, ut homines ſe vidiſſe putent, quod non fuit, nedum viſum fuit. Pleraque ſpectra nocturna diurnaque veritatem nullam habent, niſi in imaginatione territi hominis, unde quo timidiores homines eo plura habent moleſta: quæ nulla vident imperterriti. Ne ergo Iſraelitæ heic peccarent, moniti fuerunt. Exod. 20: 22. ſ. populo eminus ſtante, acceſſit Moſes ad caliginem, ubi erat Deus, & Dominus ad ipſum, *Sic dices filiis Iſrael, Vidiſtis me vobiſcum locutum eſſe de cœlo, non facietis juxta me, argenteos Deos & aureos Deos non facietis vobis.* Nihil mecum, nullam mei imaginem neque pretioſiſſimum licet figmentum alius rei quæ pro Deo ſit. *Locutus ipſe vobis ſum de cœlo;* terror ille quem concepiſtis ex tonitru, fulgureque jugi & fumante monte ſignis illis meæ præſentiæ, non debet eouſque prævalere, ut imaginationi indulgentes aliquid vos vidiſſe opinemini, quam exprimi aliqua imagine queat. Moſes repetens eandem hiſtoriam, ſimiliter dehortatur, poſtquam 39. anni præterierant. Cum nunquam non recordandum eſſet, magnificæ iſtius manifeſtationis Dei promulgantis fœdus ſuum: tamen cavendum, ne memoriæ ſubſidia fiant præpoſtera, & fingantur quæ non fuerunt, quamquam terror ſibi fingeret; quandoquidem nihil viſum fuiſſet. Cavendæ ergo I. omnes repræſentationes Dei quacunque imagine alicujus creaturæ viſibilis. II. Subſtitutiones creaturarum loco Dei. De priore dictum. Poſterius eſt, verſ. 19, 20.

b. *De Subſtitutione* aliarum creaturarum loquitur, verſ. 19. & dehortationis argumenta affert, verſ. 19, 20.

a. Subſtitutio illa deſcribitur ab Objecto & Actibus circa illud.

α. Objectum ſunt Sol, Luna, ſtellæ, totus exercitus cœli. Luminaria iſta ſunt notiſſima, quæ Deus collocavit in expanſo, quorum duo nominantur ſigillatim, quæ à Moſe vocantur magna luminaria, ſecundum apparentiam apud homines, & in ipſorum oculis; nam alioqui luna nec luminare eſt, quia nullam ex ſe lucem habet, ſed ſpeculi inſtar lucem Solis exceptam reflectit ad nos: nec magnum luminare, cum longe minor ſit plurimis ſtellis, quæ hujus reſpectu exiguæ faculæ eſſe videntur. Ex his Sol interdiu apparet ſolus, unde dominium diei illi tribuitur; Luna & Stellæ ſeorſim vel conjunctim noctu, unde ſimul dominium noctis habere dicuntur Jer. 31: verſ. 35.

β. Actus ſunt I. *Elevatio oculorum cœlum verſus affectu religioſo;* quemadmodum Chriſtus precaturus fecit Matt. cap. 14: 19. Marc. 7: 34. Joh. 11: 41. Joh. 17: 1. & nos quoque facere par eſt; quo vocat compellatio *Pater noſter, qui es in cœlis.* Verum hic jam aliquid vitii eſt, quod oculi eleventur verſus cœlum, ſed ut illic ſit terminus uti viſus ſic cogitationum. Interdicit hoc loco Moſes in negotio cultus, oculorum elevatione in cœlum. Pſ 121: 1, 2. *An attollam* &c. quemadmodum oculi non attollendi verſus montes, validiſſimas partes terræ, ita neque verſus cœlum; nam non magis ab hoc quam ab illis venit auxilium: ſed à factore utriuſque & cœli & terræ, adeoque ſupra cœlum attollendæ cogitationes. Etenim cœli ſunt corpus, ſaltem id quod expanſum dicitur, proinde haud convenit illos terminum facere, aut quicquam quod iis non eſt altius & excellentius. II. *Intuitus* Luminarium illorum. Is abſolute improbari nequit, cum mandetur Eſa. cap. 40: 26. Deus æſtimari exinde vult, Amos 5: 8. nam *Cœli enarrant gloriam Dei* &c. Pſ. 19: 2. ſ. & hacpropter intuitum exercuit David Pſ. 8: 4: ſ. Abrahamo Deus cœlum & ſtellas fecit ſignum memoriale promiſſionum ſuarum Gen. 15: 5. & ſic quoque Solem & Lunam mnemoſynon fœderis ſui cum Davide Pſ. 89: 35. ſ. Quomodo adhuc cœlum & luminaria intueri licet non ſecus ac iridem in memoriam promiſſionis divinæ juxta Dei inſtitutum. Verum hic prohibetur intuitus propter Luminaria ipſa. Licet propter ſe intueri, ut natura eorum conſideretur, & quem præſtent uſum, quomodo phyſici & aſtrologi intuentur; aſt in negotio religionis non licet ea intueri propter ſeipſa, ut æſtimationem accipiant ex admiratione, quaſi quid divinitatis iis inſit. III. *Perſuaſio* impulſus ſive alienus; quo rationibus perſuadetur ad aliquid ſuſcipiendum, ſpeciatim in materia religionis. Uſurpatur hoc verbum de falſis prophetis Deut. 13: 10. notatque violentiam aliquam, quæ in argumentorum pondere hic ſtatuitur ad ſeductionem à via recta, aut loco proprio; unde exules dicuntur depulſi Deut. 30: 2. ſive proprius, uti Eſa. 44: verſ. 20. לב הותל הטהו ut divinitatis agnitio in iis perſuadeatur. Quemadmodum cum Paulus claudum ab utero ſanaſſet, Lyſtrenſes acclamarunt, *Dii aſſimilati hominibus ad nos deſcenderunt*, Act. 14: 11. Gentiles dicuntur ἀπαγόμενοι *abducti ad idola, ut ducebantur* 1 Cor. cap. 12: 1. Eſt enim efficacia erroris, ut mendacio credatur, & divinitas agnoſcatur, ubi non eſt: depulſi de ſano ſenſu non minus quam recta via. IV. *Reverentia* externa, ut procumbatur & corpore teſtatus fiat honor, quod genuflexione aut procubitu olim fiebat; quemadmodum nunc inclinato capite eoque nudato, quod occaſionaliter fit. V. *Cultus* ut in ſervitium ejus quaſi ſe dedat quis, & ceu ſuperioris abſoluti mandata abſolute ſuſcipiat præſtanda.

Hæc v. habent aliquid diverſum à priori interdicto. Ante prohibitum ne Deum repræſentarent ulla imagine, quia nullam vidiſſent, niſi ignem è cujus medio vox audita fuiſſet. Potuiſſent heic aliud comminiſci ad idololatriam ducens. Vidimus ſolum ignem, lucem fulgentiſſimam in ipſo cœlo radiantem. & pertingentem in montem, ex ea prodiit vox, quam audivimus; Ejuſmodi lucem videmus in Sole, Luna, Stelliſque cæteris; hæc eſt divinitas illa, per tot corpora cœleſtia diſtributa quæ tunc in unum quaſi collecta nobis apparuit; eoque uti æſtimanda, ita quoque omni ratione colenda. Nam hic non intervenit noſtra manus, in fabricanda aliqua ſimilitudine; ne quis Deos facere nos credat, ſed ſuſcipimus quales in ſe ſunt, ſeque manifeſtant. Contra prohibetur omnis cultus creaturarum ipſarum religioſus. Loquitur quidem de ſolis luminaribus cœleſtibus, quorum cultus plus viſum ſemper habere rationis, unde etiam antiquiſſimus. Cœleſtia omnia ſunt nobiliora terreſtribus, & cœleſtium nihil viſibile præter luminaria, quibus proinde dignitas maxima tributa, quia etiam longiſſime ſe extendit eorum efficacia, luminis nempe, in ſole etiam caloris. Hinc Sol dictus fere *Baal*, Dominus, orientalibus, & Luna *Domina*, ſeu *regina*. Jer. 7. verſ. 18. & hic cultus exercitui cœleſti exhibitus cum à gentibus in oriente, tum eorum imitatione ab Iſraelitis: quod crimen eorum in deſerto Amos 5: 23. ſ. *An mihi obtuliſtis ſacrificia in deſerto 40. annis, domus Iſrael? Sed tuliſtis tabernaculum veſtri Melech, & Kyna imagines veſtras, ſtellam Dei veſtri quem feciſtis vobis*, Manaſſis. 2 Chron. cap. 33: 3--5. & tempore Jeremiæ, cap. 19: 13. & c. 8: 2. & Ezech. 8: 16. vidit Propheta 25. viros inter atrium & altare, quorum poſteriora templo obverſa erant & facies orienti, qui ſe inclinabant orientem verſus coram Sole. Interdictum iſtud à Deo Deut. 17: 3. & cavit Job. cap. 31.

verſ. 26. ſ. Sic venerabantur luminaria, qui eorum imaginem oſculabantur 1 Reg. 19: 18. & hic negatur, adeo ut impulſus non fuerit efficax ad abnegationem Dei. Cultus ſimiliter ignis, ſeu Solis aliqua imago. Aliæ quoque creaturæ venerationem obtinuerunt, in Ægypto quidem plurima animalia, itemque herbæ nonnullæ, Indæ homines, reges benefici, & qui inventores fuerunt alicujus commodi, tum vivi, tum inprimis mortui, quorum ſpiritus in ſtellas mutatos dixerunt, ut cœleſtes magis æſtimarentur. Qui quidem non fecerunt ſuos Deos, ut qui imagines, quascunque venerantur; verum qui aliud ſunt, eos fecerunt Deos majori impietate, ut jam creatura habeat Dei honorem Rom. 1: 23. ſ. Primum *gloriam incorruptibilis Dei mutarunt in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis* &c. deinde *traditi in cupiditates mutarunt veritatem Dei in mendacium, & creaturam honorarunt & coluerunt præ creatore.* Iſtic, de Deo quid falſum concipitur, aſt heic falſus Deus. Idem æmulantur hodieque Pontificii qui homines defunctos, Spiritus juſtorum conſummatorum vel quos tales fingunt venerandos docent. Item dum creant Chriſtum, panem euchariſtiæ tranſubſtantiando. Idem tamen æmulantur, &c. qui effigiatione Dei quoque peccant multipliciter. Imo fictis ſuis Diis imagines ſtatuunt fictas, veras enim nullas habent. Sunt horum cultorum plurimi impulſi; deceperunt primi ſemetipſos, & deinde deceperunt alios, & tandem partim lege partim more ſtabilitus eſt cultus, uti apud Gentiles, ſic apud Pontificios, unde Zelus idololatrarum tantus, ut vi alios cogere ad cultum velint, aut recuſantes deſtruere, quod in perſecutionibus Gentilium & Pontificiorum manifeſtum eſt. Nobis v. Cavendum iſtud. Interdictum, Deut. 17. Exemplum Jobi, cap. 31: 26, 27. Prohibetur cultus Angelorum Col. 2: 18. neque alia ratio hominum, humanorumve Spirituum. Virgo Maria, Apoſtoli aliique, quia tot templa, tot cultores ſpeciali etiam ordinis lege obſtrictos habent ſic Deificantur, & Zelo magno id fit etiam in medio noſtri. Non deſunt quidem argumenta ipſis, ſed mendacia ſunt defendendo mendacio. Judicium hominum & antiqua conſuetudo Ethnicam ſuperſtitionem quoque tuebitur. Diſtinctio cultus gradu differentis, ut commentitia eſt quoad verba, *δουλεύειν* & *λατρεύειν*, quæ Scriptura non diſtinguit: ita multo magis quoad praxin. Fiducia in Sanctos par, & major quam in Deum, quo illos placabiliores rentur, & quibus Deus nil poſſit negare, imo cui etiam imperare queant. Blaſphemiam iſta omnia habent, & ferent quoque pœnam ſuam.

b. Sed Moſes gemino utitur argumento. I. ab Objecto. II. ab ipſis qui acturi eſſent.

α. Ab objecto, verſ. 19. dum dicit, *quos D. Deus tuus omnibus populus ſub toto cœlo diſtribuit.* Luminaria non ſunt colenda, quia ſunt ſub diſpoſitione Dei; non ſunt ſumma entia, ſed ſuperiorem agnoſcunt, qui legem dedit, & jubet, ſtatuitque de iis quod libet. Pſ. 136. 7. ſ. *qui fecit magna luminaria; Solem ad regimen diei, & lunam ac ſtellas ad regimen noctis.* Gen. 1: 14. ſ. Voluit fecitque Deus quarto mundi die, ut eſſent luminaria in expanſo cœli ad dividendum inter diem & noctem, & *ut eſſent in ſigna & ſtatuta tempora, & dies & annos, & ut luceant in terra.* Sunt proinde ſervi Dei, quod de cœleſtibus creaturis dicitur Pſ. 119: 91. qui Dominum laudare debent Pſ. 148: 3. quod etiam faciunt jugiter Pſ. 19: 2. ſ. Hinc Abrahamum ferunt diſceſſiſſe primum ab illorum cultu: quod Solem, & Lunam obſervaret certo motu ferri qui alieno arbitrio definitus eſſet. Et cum ſint ſervi D. Dei tui, cui fœderatus es utique ſuperioris amicitia, horum negligendam docet. II. Quia ſunt diſtributa hominibus à Deo. Deus non fecit terram & homines propter luminaria. Sed hæc propter terram & homines. Impertitus eſt, ut partem habeant in iis; & quidem univerſis, *omnibus populis, ſub omnibus cœlis.* Etenim lucem quam ferunt ferunt omnibus, & hac propter certa lege obeunt terram, ut omnibus ejus partibus diem noctemque faciant, citra diſcrimen Mat. 5: 45. Proinde Luminaria non ſunt niſi famulitium Dei, quod terræ & creaturis terreſtribus lucem præferant, eaque propter nequeunt divinitatem habere, ut hominibus quibus ſerviunt ſint ſuperiora. Sol, qui præ cæteris æſtimatus ſemper & abſolute Baal dictus, nomen habet שמש *Miniſter*, quo ab omni veneratione avocarentur homines ipſo ejus nomine. Enimvero ob univerſalem iſtum uſum inter omnes populos aſſumta luminaribus divinitas, & regimen univerſi ut juxta ipſorum motum varium, inprimis planetarum, omnia eveniant, adeo ut futurorum notitia inde duci queat. Quod hoc textu confirmari putant nonnulli, & quidem cum omnes aliæ gentes ſubſint aſtrorum influxui, Iſraelem inde exemtum eſſe. Sed poſterius falſum quia diſtributa ſunt aſtra omnibus populis ſub omni cœlo, quos inter etiam Iſraelitæ & tributa omnia omnibus, non autem uni aſtro hoc, alii aliud clima ſubjectum eſt. Hinc Jer. 10, verſ. 2. viam gentium doctrinam idololatriæ gentilis, ne diſcitote, & à ſignis cœlorum ne conſterneminí, quamvis gentes conſternentur ab illis. Etenim Eclipſis lunæ & ſolis inprimis maximam ſæpiſſime conſternationem peperit, quia pati aliquid triſtis crediderunt, & magnum malum hominibus portendere, atque inferre, quod factum etiam timentibus, ſed non ab eclipſibus; verum à vano timore proprio, qui aſtris divinitatem peperit. Deponendus iſtiuſmodi metus & religio. Etſi homo non peccaſſet, fuiſſent conſtellationes planetarum, & luminarium eclipſes, utp. procedentes ex ordinationum cœleſtium lege, quæ tamen nulla mala, nulla bella, aut mortes prædixiſſent; & poſt lapſum non magis per illa loquitur Deus ad reſipiſcentiam vocando homines. Sermo ille Dei per aſtra & eclipſes eſt ad agnoſcendam majeſtatem Dei creatoris & gubernatoris univerſi, ſed nequaquam ad publicandam concionem reſipiſcentiæ peccatoribus. Eam peragit per verbum prædicationis, quod nunc ſcriptum eſt, Eſa. 8: 20. Incantatoribus ſociantur aſtrologi, cap. 47: 12, 13. quorum deceptrix doctrina, quando præter ſiderum curſum futurorum notitiam inde ducunt quoad humana conſilia & actiones. Cavenda iſthæc vanitas, quoad Signa cœlorum; Aſt ſigna in cœlo merito attenduntur, cujuſmodi Solis & Lunæ ſtatio, ſtellarum pugna contra Siſeram, ſolis regreſſus, ejus obſcuratio patiente Chriſto, ſic quando Sol in tenebras, Luna in ſanguinem mutabitur ante diem Domini Act. 2: 20. Alia uti communia ſunt & naturalia, docent omnium miniſterio collocata eſſe in cœlo, & hinc cultum eis non deberi. Quod argumentum etiam valet contra cultum angelorum, & ſanctorum hominum vivorum & mortuorum. Apoc. 19: 10. cap. 22: 8, 9. Heb. 1: 14. Angelus, quem Johannes adorare parabat, ait ipſi, vide ne facias, nam conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum, & qui verba hujus libri cuſtodiunt: adora Deum. Servus unus altero major eſt quandoque, ſed tamen æque ſervus, neque poteſt heri honorem proprium quisquam uſurpare: niſi eopſe rebellem ſe probet, ut diabolus Mat. 4. Act. cap. 10: 25, 26. Petrus procumbentem Cornelium erexit, dicendo, ſurge, ego quoque homo ſum. Neque magis defunctorum ſpiritus id ferrent ſi vel ſcirent, vel impedire poſſent. Eſt uſus luminarium communis; ut oriente ſole prodeat homo ad laborem ſuum & opus ſuum uſque ad veſperam Pſ. 104. ut ad ſtellarum indicium in oceano curſum dirigant nautæ. Sic debent ſancti viventes attendi, quando lucem ipſorum quam lucere faciunt in converſatione videmus, ut Deum glorificemus Mat. 5: 16. 1 Pet. cap. 2: 12. & mortui, ut eos imitemur Heb. 13: 7. mementote veſtrorum, qui vobis verbum Dei locuti ſunt; imitamini fidem ipſorum, intuentes exitum converſationis, juxta iſtud 1 Cor. 4: 16. cap. 11: 1. Chriſtus, ut Sol juſtitiæ, ſine omni macula ſemper ſequendus 1 Joh. 2: 6. qui ſe dedit exemplum, ut ſic agamus Joh. 13: 15. 1 Pet. cap. 2: 21. Hic lux mundi, qui dum lucet, ut radii verbi ſui fulgeant, ambulandum eſt in ea luce, Joh. 12. verſ. 35.

β. Ab iis qui facturi erant, verſ. 20. *Vos autem accepit Dominus*, &c. Sidera omnium ſunt miniſtri, vobis ergo non colenda; Deus vobis ſingulariter præſtitit aliquid, non ergo communibus illis cultus præſtandus, ſed illi qui ſolus egit, voſque ſibi vendicavit. Illi debetis religioſum cultum, non qui nihil ſingulare præſtitit, ſed à quo id habetis.

Singularia Dei erga Eccleſiam beneficia avertere debent à cultu eorum, qui non niſi communia bona præſtant, lucem & ter-

& *calorem.* Singularia illa ſunt. Aſſumtio, ſuſcepta ſpecialis populi cura, ut eriperentur ex poteſtate Ægyptiorum. *Eduxit vos ex fornace ferrea ex Ægypto.* Servitus dura ſignificatur hocpacto; fornacis ferro colliquando deſtinatæ calor eſt intenſiſſimus, ea fuit conditio Iſraelitarum, ut ſæpius dicitur, ut Deo appropriarentur, eſſent ei populus peculii, uti hæreditas, Deus eſt hæreditas Iſraelis, & Iſrael Dei. Jer. 10: 16. *Iſrael eſt virga hæreditatis ejus*, Deus prior fecit ſibi Iſraelem hæreditatem Deut. 32: 8. ſ. *Cum Altiſſimus, &c. nam Domini portio eſt populus ejus, Jacob eſt virga hæreditatis ejus, invenit eum in terra deſerti*, &c. *Duxit eum ſolus & non fuit peregrinus Deus cum illo.* Cuncta iſta ſingularia bona, ad Dei ſolius cultum debent eos revocare: quod in ſeqq. ſæpius repetitur. Quod addit, *uti eſt hoc die*, provocatio eſt ad propriam experientiam. Hæreditas enim Domini erant, quos Dominus ſibi fœdere junxerat, & propriis legibus adſtrinxerat, cujuſmodi nulli populi habebant, unde vicinitas Dei probabatur, verſ. 7, 8.

Non minus ſingularia Dei beneficia erga Belgium, ſive ſpiritualia ſpectemus, ſive corporalia; Quod per Euangelium evocati ſumus è poteſtate tenebrarum, & à Deo extracti & translati in regnum filii amoris ejus, nonne docet huic uni Deo nos debere cultum religioſum? Quod à tyrannide Hiſpanica erepti, & ad tantam dignitatem evecti fuerimus, & nuperrime mirabiliter ex faucibus exempti, Dei evidentiſſima fuit manus, quæ non homines ullamve creaturam, ſed ſolum Deum colendum perſuadere debet. Profitemur nos proprietatem Dei, caueamus alii honorem acquiſitionis deferre, eoque illi nos proprios ſiſtamus, & ſervemus. Nemo nobis dominetur præter Deum, ſaltem cordibus noſtris, nullæ leges creaturarum religioſum cultum inde avertant, ſed oſtendamus nos Dei, etiam quando alii diſcedunt & abducere laborant, Joſ. 24. verſ. 15. & Deus nos ſuos oſtendet quando alii æternum ferent exitium, Mal. 3: 15. ſ. æterno honore donatos.

Emphatica eſt deſcriptio peccati quam dedit Samuel, 1 Sam. 15: 23. Peccatum eſt incantatio reſpectu hominis committentis, & reſpectu Dei contra quem committitur eſt idololatria: ut quivis peccator rebellis faſcinatus ſit idololatra. Cauſa peccati eſt faſcinatio Jac. 1: 15. propria cupiditas faſcinat, & quoad cognitionem. Gal. 3: 1. & Eph. 4: 14. quemadmodum populus Samariæ Simoni mago 2 Tim. 4: 3. ſ. & quoad praxin, Eph. 4: 22. vetus homo corrumpitur cupiditatibus deceptricibus; faſcinatur ebrioſus vino & inebriante potu, & ſcortator blanditiis meretriciis; & avarus auri pulchritudine & precio; & ambitioſus pompa externa, & adulatorum mendaciis: imo quævis prava actio habet aliquod in ſe faſcinum, ut etiam cum evidente periculo patrare quis auſit. Deceptum cor ſeducit adeo ut animam liberare nequeat, & agnoſcere mendacium Eſa. 44: 20. Peccatum ipſum eſt idololatria; Hoc nomine venit quicquid præter Deum eam reverentiam conſequitur, ut fiducia obtinendæ ab illo felicitatis ejus mandatis abſolute obſequium debeat, neglectis Dei præceptis differentibus aut contrariis. Iſtud fit in quocunque peccato meditato & pertinaci. Etenim negligitur quod Deus juſſit, & agitur, quod mandat cupiditas carnis & oculorum, aut vitæ faſtus, quæ mundi ſunt magiſtratus ſubordinati; quibus proinde defertur major autoritas quam Deo, & illa ipſa deificantur, ſummumque bonum conſtituitur in fruitione ejus quod ab illis donandum exſpectatur. Hacpropter avaritia idololatria dicitur Col. 3: 5. & avarus idololatra. Eph. 5: 5. & mammon Deus, ſaltem Deo oppoſitus Mat. 6: 24. Sic venter Deus Phil. 3: 19. & potentia propria Deus Hab. 1: 11. Adeoque nemini mirum videri debet, Moſen cum de idololatria agit, ab aliis peccatis demonſtrationem petere, ceu ejuſdem indolis. Quemadmodum Jacobus cap. 2: 10, 11, 12. quovis peccato violationem non unius ſed omnium mandatorum Dei eſſe affirmat, quia legislatoris autoritas vilipenditur, quæ in omnibus una eademque eſt: ſic in peccato quovis idoli cultus eſt, quia autoritas alia præter Deum legislatorem unicum agnoſcitur. Hæc conſideratio & rationem & pondus introducti proprii exempli deprehendit & juſtificat. Dehortatus eſt (ad cavendam oblivionem publicati à Deo fœderis, ne præpoſtera facerent mnemoſyna,) ab omni idololatria, tam ea qua Deus imagine aliqua repræſentetur, quia nullam vidiſſent ſimilitudinem, quam qua creatura loco Dei coleretur, puta luminaria cœleſtia, ob affinitatem lucis cum igne cœleſti ex cujus medio Deum loquentem audiviſſent, quia bonum iſtud quod præſtant non ex ſe præſtant, ſed ordinante Deo, cujus miniſtri ſunt, & præſtant communiter omnibus terræ populis citra diſcrimen, cum liberatio ex Ægypto, & aſſumtio in peculium ſingulariſſimum ſit beneficium.

Verſ. 21. ***Ac Jehova quidem percitus fuit ira contra me propter verba veſtra; & juravit me non tranſiturum Jardenem, nec ingreſſurum terram illam optimam quam Jehova Deus tuus dat tibi*** in ***poſſeſſionem:***

Verſ. 22. ***Itaque moriturus ſum in hac terra, non ſum tranſiturus Jardenem: vos autem eſtis tranſituri, & poſſeſſuri terram illam optimam jure hæreditario.***

B. Cæterum ut dehortatio foret efficacior refert *damnum inobedientiæ* hic exercitæ. I. ceu Doctor, verſ. 21-24. II. ceu vates, verſ. 25--31.

א. *Ceu Doctor* damnum iſtud oſtendit in exemplo proprio, verſ. 21, 22. illud minatur ipſis delinquentibus, verſ. 23, 24.

a. *Exemplum proprium*, verſ. 21, 22. refert, cujus tamen recitatio alieniſſima videtur; Eam fecit, cap. 1: 37. & rurſum, cap. 3: 23. ſ. & nunc quoque: Cauſam forſitan quis dicat, quoties terræ Canaan mentio fit, & poſſeſſionis ejus, ſuam excluſionem deplorare, oportune & importune: Sed gravior cauſa eſt. Equidem non idem eſt crimen in ſpecie quod admiſerat, cum eo de quo ſermo eſt, ſed idem genere, & licet levius, pœnam habet excluſionem, proinde cavendum gravius, longe ſerverius ulciſcendum. Argumentum itaque eſt à minore ad majus.

Nexus cum præcedentibus apparet ex ultimis verbis, verſ. 20. *Deus vos ſibi fecit peculium populum hæreditatis, uti eſt hoc die.* Quomodo *hoc die?* quia demonſtratio hujus beneficii fuit conceſſio terræ Canaan in hæreditatem, quam mox à morte Moſis erant adituri, uti quædam tribus trans Jordanem nactæ erant hæreditatem. Deut. 32: 8, 9. Hac demonſtratione Moſes ſe privatum dicit, & irrevocabiliter privatum, & ſolum ex ſuperſtitibus omnibus; idque ob crimen quod proinde ipſis religioſe cavendum ſit, haud impune laturis. Et, porro, *Dominus iratus*, &c. *Cavete* &c. Non meditabimur Exemplum Moſis ipſum, quod factum alias, ſed tantum quatenus huc facit, & quid ſingulare habet, antea non dictum. Excluſionis damnum deſcribit. I. à Cauſa. II. à Modo.

a. Cauſa impulſiva gemina eſt Proxima Ira Dei, cum enim excluſio illa ſit pœna, & omnis pœna actus judicis, utique proxime Deo autori adſcribenda, Ira Dei hic indicatur verbo התאנף quo etiam uſus eſt, cap. 1: 37, *iratus fuit*, & quidem continue, indeſinenter, vi Hethpahel, adeo ut conceptam iram non intermiſerit. Cap. 3: 26. dicitur התעבר, continuationem eandem ſed inſuper iram vehementiſſimam, quæ nullis obicibus ſiſtitur, ſed inſtar exundantis fluminis omnes ripas tranſit. Pſ. 99: 8. vocatur Deus נוקם *ultor* eo nomine, qui iram non ſecum premit, ſed in actum erumpere facit. Hæc omnia valent contra Moſen. Remota eſt culpa Moſis Pſ. 7: 12. Ira Dei etiam maxima, juſtiſſima tamen eſt, quia judicis juſti; ubi ergo illa memoratur, ibi culpam ſubeſſe neceſſum eſt ejus contra quem efferveſcit. Quæ v. hic Moſis? על דבריכם *propter verba veſtra*, de verbo ad verbum. Quomodo intelligendum ſit clarius dicitur, cap. 1: 37. בגללכם *propter vos.* Hiſtoria nota eſt Num. 20. deficientibus aquis, murmurat populus contra Moſen: propter illa verba nihil paſſus eſt Moſes, ſed verba notant hic rem, eventum;

tum; Moſes enim cum Araone refert ſupplex ad Deum, qui jubet aſſumto ſcipione Dei in præſentia populi rupem alloqui, ut aquam daret copioſam. Sed Moſes non credens rebellibus ſic dari poſſe, percuſſit, ut olim, rupem, & quidem bis. Peccavit ergo Moſes occaſione populi, illius ipſius cui jam loquebatur, & peccavit infidelitate, quæ oblivium Dei habebat, non recordatus veritatis & potentiæ Dei, qui quod promiſit & poſſit & velit præſtare. Et fuit infidelitas illa publica coram toto populo, non ſanctificarunt Deum coram illorum oculis: privata condonata fuiſſet, ſed hæc ob ſcandali rationem condonari non debuit, ut 2 Sam. 12: 13, 14. ut propter ipſos merito ſe punitum dicat.

b. Modus eſt in damno, ejuſque circumſtantiis. *Damnum* eſt Excluſio ex Cananæa, quod non eſſet tranſiturus Jordanem, & non viſurus, ſeu fruiturus bona illa terra, Eminus enim vidiſſe conſtat ex cap. 3: 27. ſ. *Circumſtantiæ* ſunt Irrevocabilitas, *Dominus, Jehova*, qui veritatis, *juravit. Singularitas*, ipſe ſolus, nam Aaron jam mortuus erat; hoc damnum Moſi proprium, excludi hæreditate, quam cæteri omnes à Domino Deo ſuo conſequebantur, quod repetit, verſ. 22. ſ. ſe ſolum, uti ſolus peccaverat, excluſum; ſed cæteros nunc præſentes univerſos adituros, utp. illius culpæ exſortes.

Obſervandum hic de Irrevocabilitate. *Jusjurandum Dei docet illud quod ejus additionem habet, non poſſe mutari aut revocari.* Juramentum iſtud Dei nuſpiam legitur quidem, ſed Moſen ſolum teſtem habet. Veruntamen docet non potuiſſe revocari, adeo ut Deus noluerit eapropter ſollicitari, indignatus precibus in contrarium factis, & quidem gravius quam ipſi peccato, conf. Deut. 1: 37. & cap. 3: 26. Etenim ut eſt Heb. 6: 17. *Deus volens abundantius oſtendere immutabilitatem ſui conſilii intervenit jurejurando, ut duo ſint immutabilia, in quibus impoſſibile eſt Deum mentiri.* Immutabile quid eſt jusjurandum Dei, & immutabile eſt conſilium Dei, De hoc ut conſtet hominibus illud adhibet, utp. quod externis verbis teſtatum ſit, dubitationemque omnem præcidit etiam inter homines, qui mendaces, multo magis apud Deum, qui ſolus verax. Ubicunque ergo juramentum Dei occurrit, certiſſimus eſt eventus. Sic ſe habet in minis, ſive temporales pœnæ ſint, ut hic; nam ſalvatum Moſen certiſſimum eſt, neque excluſus fuit æterna requie Pſ. 99: 8. Mat. 17: 3. & in excluſione Iſraelis ex Cananæa ob faſtiditam terram Num. 14. Ezech. 20: 15. & in Jechonia Jer. 22: 24--30. excluſio poſteritatis ab omni regimine in Juda; unde liquet Mat. 1. genealogiam texi Joſephi, non autem Chriſti, de quo Luc. 1: 32. ſ. ſive æterna bona rogentur ut Eſa. 22: 14. Sic quoque ſe habet in promiſſionibus, ſive temporalia bona ſint, ut datio Cananææ Iſraeli etiam in 1000. generationem Pſ. 105. verſ. 8. Ezech. 20: 6. cap. 47: 14 Gen. 26: 3. ſive ſpiritualia Ezech. 20: 5. quod proinde irrevocabile Lev. 26: 44. ſ. Ita quod Davidi juratum Pſ. 89: 36. & Chriſto Pſ. 110: 4. Itaque graviter errant, & Deo quaſi coronam detrahunt, cum veritatem ſuam efferat ſuper omne nomen ſuum Pſ. 138: 2. qui juratas promiſſiones Dei in dubium vocant, ſive ipſi dicant, ſive dicentibus aſſentiantur. Eſt enim peccatorum graviſſimum Spiritum veritatis mendacii argere. Hodie Deus uti non loquitur, ita neque jurat ordinarie, ſed habemus Verbum ſcriptum, ubi crebra ſatis juramenta, in utramque partem. Cavenda nobis ea quæ juratas minas habent quia inevitabilia tunc mala. Facienda quæ promiſſiones habent juratas Heb. 4. Apoſtolus urget Propheticam vim illius Pſ. 95. verſ. ult. Infidelitati contra Euangelium jurata eſt excluſio ex requie æterna. Procul ea ſit à nobis. Hab. 2: 4. Juſtus fide ſua vivet. Rom. 1: 17. Gal. cap. 3: 11. Heb. 10: 38. Juſtus nemo ſine fide, & nemo vivet ſine fide, & carenti fide Deus iratus manet Joh. 3: 36. & in ira ſua juravit non ingreſſurum in requiem ſuam. Ergo credamus, ut juſtificati vivamus, immunes ab ira Dei, imo jurata promiſſione ſecuri æternæ quietis, &. felicitatis.

Obſervandum etiam de Singularitate. *Singularitas pœnæ ſequitur eam quæ culpæ* eſt. Soli Moſes & Aaron hic peccarant, ſoli puniuntur, & quidem addito jurejurando. Sic Nadab & Abihu, Mirjam, X. exploratores, Achan, &c. Deus juſtiſſimus: ſingulis attendit ut judex, Pſ. 7: 12, 13. ſ. & 50: 16. ſ. ad unum, quod ad omnes refertur, verſ. 22. intelligite hoc oblivíſcentes Dei, Deut. 29: 18. ſ. Nemo ſibi perſuadeat ſe ſolum eſſe, & eapropter Deum non animadverſurum; Imo v. Deus ſingularem faciet talem. Communia peccata communibus pœnis, ſingularia, quæ publica, publice quoque in uno vindicantur. 2 Sam. 12: 13. ſ. Singularitas affectanda pietatis in communi defectione Joſ. cap. 24: 15. & ſingularitas erit in evaſione, ut Baruch Jer. cap. 45. Ebedmelech, cap. 39: 16. ſ. & pii illi Ezech. 9: 4. ſ. Joſua & Caleb. Melius ſolum licet anguſtam viam iniſtere & ſervari, quam in lata cum multitudine ad damnationem ire. Singularitas in bono imitanda, uti in malo cavenda. Quod hoc ſuo exemplo monet Moſes: Ego excluſus ſum Cananæa, vos ergo Cavete.

Verſ. 23. *Cavete vobis, ne oblivíſcamini fœderis Jehovæ Dei veſtri; quod pepigit vobiſcum; aut faciatis vobis ſculptile, ſimilitudinem ullius rei, quia interdixit tibi Jehova Deus tuus;*

Verſ. 24. *Nam Jehova Deus tuus ignis conſumens eſt,* Deus *fortis zelotes.*

b. *Damnum minatur* in idem exemplum labentibus, itaque. I. Dehortatur, verſ. 23. II. Periculum indicat, verſ. 24.

a. Dehortatio eſt, verſ. 23. generalis & ſpecialis.

α. Generalis, Cuſtodite vos, ne oblivíſcamini fœderis Domini Dei veſtri, quod vobiſcum pepigit. Supra id dixit, verſ. 9. Sed ibi ſpectat tantum promulgationem fœderalium conditionum, & omnem illam majeſtatem qua Deus apud ipſos uſus eſt. Hic inſuper ratificationem ſeu ſanctionem: nam non tantum notificationem, ut verſ. 13. ſed pactionem quoque commemorat, quamquam nec hic defuerit majeſtatis divinæ oſtenſio, non quidem æque publica, cum ſoli Moſes, Aaron cum duobus filiis, & 70. Seniores Iſrael hic viderint, attamen forſan illuſtrior, quia propius admiſſi in montem, viderunt gloriam Dei, ceu ſedentis in throno ſuo, Exod. 34. Hujus fœderis non fuit oblivíſcendum: quia fœdus eſt pactum ſingularem obligationem inferens; quia Domini, cui nec majeſtate, nec potentia, nec bonitate, aut veritate quiſquam comparandus; quia Dei tui, qui omnem ſuam perfectionem tibi appropriavit eo pacto, quia pepigit vobiſcum, veſtra quoque voluntas acceſſit, vos invitavit, & vos admiſiſtis, & ſic vobis illud pangendo firmavit conf. Gen. 15: 18.

Equidem nobiſcum adeo ſolenne fœdus Deus non iniit: illæ circumſtantiæ non ſunt adhibitæ, ut neque iſtiuſmodi oblivio locum habere queat. Veruntamen ſi fœderati Dei ſumus, etiam fœdus nobis cum Deo intercedat neceſſe eſt, cujus oblivio cavenda. Fœdus iſtud hæreditarium eſt, ex Act. 2: 39. & 1. Cor. 7: 14. & confirmatur parentibus in liberorum baptiſmo. Parentibus inquam, non liberis, qui nihil eorum norunt, quæ circa ſe fiunt; ſed illi ſcire poſſunt, & ſcire debent, atque illud ſe ſcire, ut apud baptiſmum liberorum profiteantur, non pudendum ducere, ſed honori, Deo ſe fœderatos, & ſuos liberos. Negligentes enim & quidem deliberate, ſe gerunt ceu obliti, aut ſaltem quos oblitos alii jure opinentur. Verum confirmatio fit etiam in S. Cœna. Uti Exod. 24. cum conditiones prælectæ, & à populo acceptæ ſunt, Moſes ſanguinem juvencorum & hircorum adſperſit altari Dei, & columnis populi, dixitque, *Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Deus vobiſcum ſuper omnibus iſtis verbis.* Sic in S. Cœna. Sanguis novi fœderis, qui ſuper altari Dei fuſus fuit, imo illatus in adytum cæleſte, omnibus fœdus iſtud amplectentibus exhibetur, non aſpergendus corpori, ſed bibendus, ut adſpergatur cordi & conſcientiæ ad interiora receptus. Unuſquiſque ergo ſanctionis ſanguinem accipit, & qui promiſſionem corde & ore quoque factam ſequitur. Cavenda ſane eſt oblivio. Licet non adfuerit ea majeſtas, eſt tamen aliquid hic majus. Mediator fœderis non Moſes, ſed Chriſtus; & ſanguis fœderis non brutorum, ſed filii Dei, & pol-

pollicitatio non operis, ex nobis præſtandi, ſed fidei omnia à Deo accepturæ. Hoc commemorandum quando mors Domini annuncianda in ipſo illo actu, ſive primum, ſive repetitis vicibus fiat, & ſemper, fœdus nobis eſt cum Deo fidei, quæ & reconciliationem per Chriſtum procuratam & obedientiæ præſtandæ vires in ſanctificatione ex Chriſto manantes apprehendit, & hoc pacto ſervat in gratia Dei. Qui hujus obliviſcitur, amittit ſolatium fœderis, & tunc eſt ſpem non habens & ſine Deo in mundo Eph. 2: 12. quæ Gentilium conditio miſerrima, à qua alieniſſimi eſſe debemus. Recordantes fœderis promiſſorum Dei & noſtrorum recordamur quoque Pſ. 103: 17, 18. non tantum quæ Deus fœderatus facit: ſed etiam quæ nos tenemur facere, ſed obſervato Dei ordine ut primum credamus promittenti Deo, & ipſius virtutis fiducia promittamus obſequium, juxta illud Phil. 2: 12. 13. Ita fœderis recordatio, etiam quoad noſtra non erit triſtis. 1 Joh. 5: 3, 4. Hæc eſt dilectio Dei, ut cuſtodiamus præcepta ejus, & præcepta ejus non ſunt gravia; nam quod natum eſt ex Deo vincit mundum, & hæc eſt victoria vincens mundum fides noſtra. Fidei omnia poſſibilia, utpote quæ Dei virtute omnia agit, cui nihil mirabile, etſi alias in oculis hominum Zach. 8: verſ 6.

β. Specialis, *Ne faciatis ſculptile imaginem ullius, quod Dominus Deus tuus interdixit.* Iſtud fuſe dictum, verſ. 15. ſ. ſed ut hic inſuper addat prohibitionem Dei fœderati, quæ in ſecundo præcepto legitur.

Nihil hic repetemus, ſed monebimus, quod ad nos ſpectet. Nulla imago facienda, quæ fœderis memoriale ſit neque etiam aliquid aſſumendum, quod ob ſpeciem memorialis pro re ipſa veniat, ut luminaria &c. colerentur, ceu res interdictæ. Itaque nullæ picturæ aut imagines faciendæ, quæ fœderis novi & ſanctionis ejus per ſanguinem Chriſti ſint mnemoſyna, & tales in templis collocare aut ibi tolerare interdicto Dei contrarium eſt. Profecto ſi iſtud utile nedum neceſſarium fuiſſet, Chriſtus id fieri mandaſſet, & Apoſtoli non neglecturi fuiſſent; ſed nihil tale factum, mandatumque ut ab idolis caveremus 1 Joh. 5: ult. Memoriale fœderis ſit non ſanguis in pictura, ſed adſperſus conſcientiæ, cujus conſpectus patet non certis locis & temporibus, ſed ubique & ſemper, corde reflectente in ſeipſum, & fidei oculis vidente, quod fidei manu accepit & ſervat. Pariter peccant, qui mnemoſyna Chriſti mutant in Chriſtum, aut eum ſymbolis includunt. Sol non adorandus ceu Deus, quia ex igne Deus locutus, & panis non adorandus ut Chriſtus, aut Chriſtus in eo concipiendus, quia per eum repræſentare voluit ſuam mortem. Joh. 6: 63. Spiritus eſt, qui vivificat &c. In verbis fides quærit & invenit Chriſtum, ejus ſpiritum & vitam; ne quidem caro ipſa manducata, nedum panis aliquid ejus darent, quamquam illud poſt adſcenſionem impoſſibile. Fides Spiritum apprehendit, & eo nutrit ſpiritum ſuum, conveniente alimento ad vitam æternam. Ne contrariemur interdicto Dei, ne periculum accerſamus.

b. Periculum iſtud eſt, verſ. 24. *Nam Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt, Deus Zelotes.* Ducitur argumentum à natura Dei, quæ & potentiam & voluntatem ulciſcendi habet. Vocat Dominum Deum tuum, uniuſcujuſque fœderati, uti unicuique ſigillatim interdixit, ſic unicuique conſiderandus ultor tranſgreſſionum etiam ſuarum, cui eſt I. Potentia *eſt ignis edens*, hoc eſt, ſicut ignis edens. Neque enim Deus ignis eſt, alioqui effigiari poſſet; & licet ex igne locutus fuerit, tamen ipſe ignis non fuit, & quando in igne viſus fuit eſſe, ille non fuit conſumens Exod. 3. Per metaphoram ſic dicitur, quæ hic appoſitiſſima; non effigiandus Deus neque luminaria colenda, ignis cognata quodammodo unde vox audita, qui tale quid molitur, experietur ignem. Hujus perditio eſt terribilis, dolorifica, ſubita, & deſtructiva. Sic concipiendus eſt Deus ratione potentiſſimæ iræ, qua peccatores abſumit, qui fomentum ignis. Hac propter non tantum ipſe dicitur ignis, Heb. 12: 29. ſed etiam quæ circa ipſum ſunt. Cum fœdus initum eſſet, Moſe adſcendente ad Deum, ut acciperet tabulas. Adſpectus gloriæ Domini fuit ut ignis conſumens in oculis filiorum Iſraelis Exod. 24: 17. & thronus ejus igneus Ezech. 1: 27. & Pſ. 50: 3. Judicium igneum Eſa. cap. 66: 16. Sermo irati igneus cap. 30: 27. ſ. Talem experiuntur fœdifragi & rebelles. Eſa. 27: 4. Eſt enim irreſiſtibilis Matt. 1: 6. Deut. 32: 22. Ignis accenſus eſt in ira mea &c. Efficaciſſima profecto ratio dehortationis Eſa. cap. 9: 17. Cap. 33: 14. Sed ſunt quidam qui hoc ab hypocritis dictum rentur, & ex vano metu confictum. Alium ſibi imaginantur Deum, glacialem potius quam igneum Pſ. 50: 21. aut ut ii qui indurati ſunt ſuper fæcibus ſuis, dicuntque in corde, *Dominus non facit bonum, nec facit malum.* Zeph. 1: 12. qualia ſunt idola Jer. 10: 5. Eſa. cap. 43: 26. Sed decipiuntur: alium experturi Heb. 10: verſ. 27. & verſ. 30. ſ. *Mea eſt ultio & rependam, & Dominus judicabit populum ſuum*, unde *terribile eſt incidere in manus Dei viventis.* Sane terribile cadere in ignem naturalem, qui tamen non niſi membra corporis poteſt lædere, animam non item. Aſt hic ignis animam & ſpiritum potiſſimum infeſtat, & indeſinentes indeſinenter urit, ut nequeant abſumi; unde ignis æternus & inextinguibilis. Nonne feſtinandum ut evadamus? Unica ratio eſt pacis contractæ per fœdus Eſa. 27: 5. Ignis validiſſimus omnia abſumens poteſt apprehendi per tranſactionem. Obſeſſa urbs hoſtilis cogitur injecto igne, & ſic pugnatur in mari; ſed pace facta ceſſant ejuſmodi ejaculationes. Hoc modo licet ſuadere & cavere ſanctitates Eſa. 33: 14, 15. & tum ignis iſte erit ſolatio & defenſioni, Zach. 2: 5. & Deut. 9: 3. Præſtemus nos obſervantes fœderis, & Deus erit ignis adverſariis, nobis autem nubes & refrigerium ab æſtu & tempeſtate, II. Voluntas. *Deus Zelotes.* Similitudo mariti, qui conjugem quam diligit, non fert adulteram, ſed juſto zelo fertur in vindictam. Joſ. 24: 19, ſ. Dominus eſt Deus ſanctus, Deus Zelotes, tranſgreſſiones & peccata veſtra non condonabit; ſi Dominum deſeruerit is, & ſerviveritis aliis Diis, vertet ſe, & male faciet vobis, & perdet vos, poſtquam vobis benefecerit. Amor læſus gravius parit odium. Num. cap. 5. Zelotypus maritus cogere poterat uxorem ad bibendas aquas maledictas. Deus maledictionem congeret in adulteram animam. Pſ. 73: 27. ſed de hoc in præcepto ſecundo. Nunc tantum cogitemus, quam periculoſum ſit Deum habere Zeloten Nah. 1: 1. ſ. Eſt tamen juſtiſſima ejus erga nos zelotypia, qui tot idola cordium habemus Ezech. 14: 3. ſ. Enimvero ita Zelotes Deus contra peccantes fœderatos, ut tamen reſipiſcentibus faciat gratiam. Jer. 3. Redeundum ad Deum eſt, & removenda quæ ſcortationem ullo modo teſtantur. Sic qui necaturus erat, parcet, & qui deſerturus erat, aſſumet, & adhærebit fœdere firmo, & zelum habebit non contra nos, ſed pro nobis, ad perdendum hoſtes, ad largiendum augendumque bonum, ut zelus ejus ſit ſalutaris, & eo nomine Deum habeamus celebrandum. Joel. 2: 18. Eſa. 37: 31. & reſiduum rurſum radices aget deorſum, & feret fructum ſurſum, zelus Domini Zebaoth faciet iſtud. Hunc zelum Deus circa nos exerceat.

Medica ars duabus abſolvitur partibus. Cum circa morbos occupetur I. curat arcere illos, ne ſuperveniant; ſed ut præſens ſanitas conſervetur, quo facit Diætetica, præſcribens quæ uſurpanda à quibus abſtinendum, ut valetudine integra frui liceat, neque morbis quis infeſtetur: II. curat morbos qui infeſtant corpus depellere, quo amiſſa ſanitas reſtituatur: quo pertinet Therapeutica naturam morbi indicans, & periculum ejus, & imprimis medicamenta ſalutaria, quæ illa ſint, & quo ſucceſſu uſurpentur ad plenam reſtitutionem. Omnia iſta corpus duntaxat attinent: ſed eſt quoque medicina animarum, quæ quanto excellunt corpora, tanto illarum medicina excellentior eſt. Medicina animæ Diætica eſt, ut morbi arceantur, ſanitate ejus conſervata & confirmata, & Therapeutica, ut morbi expellantur, qui invaſerunt, & ſanitas ejus reſtituatur. Morbi animæ ſunt peccata, reatus pœnæ pacem tranquillitatemque turbans, & corruptio univerſalem debilitatem afferens. Hi morbi expelluntur reſipiſcentia Matt. 9: 12. ſ. & R. P Eſa. 33: ult. & ſanctificatione vitæ, Pſ. 103: 3. expulſi arcentur. Medici ſunt Propheræ & Doctores Jer. 6: 14. Qui docent & quomodo vita inſtituenda, ne quid patiatur quis damni, & quomodo ut à damno incumbente liberetur. Eſtque hic Medicorum corporis & animæ convenientia, quod neuter occupetur circa ſuum

objectum ſolum, quando ſejunctum eſt ab altera parte eſſentiali hominis. Non facit quisquam medicinam cadaveri, poſtquam ab anima corpus ſeparatum eſt: neque medicinam quis facit animæ, poſtquam ea corpore exceſſit. Hominem uterque poſcit, licet aliquid duntaxat hominis curet, ut ſanetur, vel ſanum conſervetur. Exemplum Medici animarum habemus in Moſe, qui Iſraeli, quotquot viventes erant conſulit, quæ ſanitatem animæ concernant. Præſcribit initio diætam, quomodo vita inſtituenda ſit, obſervando Mandata divina, & cavendo transgreſſiones inprimis eas quæ mentem corrumpunt præpoſtero conceptu de Deo, quando vel imagine repræſentatur inſtar corporis, vel ſubſtituitur illi creatura: eo fine ut ſani & integri ſint coram Deo, ejuſque terra vitaque fruantur in pace ac proſperitate. Sed inſuper docet ſanationem, quando morbus invaſerit & prævaluerit, ut peccati calamitas eos conficiat, quibus remediis utendum, qua reſipiſcentia revertendum ſit ut reſtitui queant. Prius illud egit hactenus, ut doctor, urſit obſervationem mandatorum Dei, & meditationem jugem divinitatis illorum, quanta majeſtate à Deo fœderis conditiones publicata fuerint; juſſit autem cavere quæ oblivium divinitatis, adeoque neglectum adferrent, ne quid patiantur mali à Deo vindice potentiſſimo, & Zelota; qui etiam ſuum peccatum jnrata ultione puniat.

ב. Poſterius nunc agit *ut vates*, prædicens in quas calamitates ſint lapſuri, & qua ratione inde rurſum reſtituendi. Sunt hæc vaticinia de futura Iſraelis. I. Miſeria, verſ. 25–28. II. Reſtitutione, verſ. 29–31.

Verſ. 25. *Quum genueris filios & nepotes & habitatores veteres facti fueritis in ea terra; ſi corrumpetis vos, & facietis ſculptile ſimilitudinem ullius rei, vel feceris aliquod malum in oculis Jehovæ Dei tui provocando eum:*

a. *Miſeria* habet deſcriptionem Temporis, verſ. 25. & Mali ipſius, verſ. 26–28. *Illud* habet Conditionem ipſorum, iſtud judicia quibus affligentur. Quidam hæc præcedentibus annectunt ceu rationem, *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt*, *Deus Zelotes*, כי *Nam gignes filios*, &c, Experieris talem eſſe Deum, nam provocabis eum, & ille te plectet graviſſime. Sed τὸ כי tantundem quoque eſt ac כאשר *quando*, Et ſic commodiſſime h. l. ut quid futurum ſit prædicat, quamquam eopſe experientia illa vindicis Dei confirmetur: Quando fruiti bono receſſeritis ab illo vitæ modo quem vobis commendavi, qui vos proximos Deo conſtituit, & abieritis quæſituri proſperitatem veſtram in viis malis & vilibus, notifico vobis veriſſime gravi pœna eapropter vos mulctandos eſſe.

a. Cæterum priusquam calamitatem illam referat, Deſcribit *Tempus* ejus immittendæ à qualitate ſeu conditione ipſorummet, verſ. 25. *Quando genueris filios*, & &c. Quemadmodum accidit in morbo, non ſolet ille momento ſupervenire, quamvis ita quandoque ſentiatur, ſed à longe tempore pedetentim naſcitur. Non ſervata diæa, per intemperantem uſum alimentorum corrumpitur concoctio, & ſanguis vitiatur lentis incrementis, & tandem erumpit in morbum periculoſiſſimum. Ita quoque heic. Obſervanda h. l. Temporis deſignatio, & Actiones antecedentes.

α. Temporis deſignatio non antecedit actiones illas malas, quaſi tum demum eſſent peccaturi: ſed toto antecedente tempore patrabunt mala illa, & tum quando ille articulus venerit, irruent plagæ. Terminus ergo inferendæ plagæ eſt. Quando genueris filios & nepotes, & conſenueritis in terra. Duo beneficia commemorat concedenda, Multiplicationem, ut habeant poſteritatem numeroſiſſimam, promiſſam Abrahamo, & Poſſeſſionem terræ diuturnam, ut vetuſtatem accipiat. Obſervandum circa vocem ונושנתם, Hebræos ex literarum numerali poteſtate, quæ 852. conficit, definire terminos annorum. Quidam indicari deſtructionem templi primi, quam 850. annis poſt ingreſſum in Cananæam accidiſſe dicunt, ut ea clades per biennium fuerit anticipata, ne auctis peccatis extrema pernicies eſſet inferenda. Ab exitu ex Ægypto ad templi ſtructuram - 480.
templi duratio - - - 410.
890.
tollendi anni in deſerto - - 40.
manent - - - - 850.
Alii indicatam rentur durationem utriuſque templi, quam ad illud fere tempus extendunt, primo 410. ſecundo 420. tribuentes am s, ſed non opus eſt in literis hic quærere fundamentum, quod in reipſa invenitur, & ex phraſi ſequente poteſt concludi. Hoc tamen obſervamus.

Diutinam eſſe Dei benefacientis tolerantiam, antequam ad extremam pœnam deveniat. Multiplicatio & vetuſtas conceditur. Non debet quis opinari quod tantiſper integri fuerint cum Deo, ambulantes in viis ejus. Minime quam primum ingreſſi ſunt terram, illico declinarunt. Jer. 2: 7, 8. Ezechiel 20: 28. Equidem Jud. 2. legitur, ingreſſos in terram coluiſſe Deum dum viverent Seniores ſpectatores Dei miraculorum, ſed additur poſteros defeciſſe ad omnigenam idololatriam, ad quam ſubinde redierint, exigui temporis reformatione, intercedente. Attamen Deus non illico exſecutus eſt hoc judicium, ſed multiplicationem, & vetuſtatem conceſſit: non quidem conſtantem, nam intervenerunt judicia leviora & graviora, quibus ſubinde imminuti fuerunt, & ſemel ad tempus ejecti terra, verum ultimum judicium dilatum fuit in ſenectam extremam. Multiplicatio ante Bab: captivitatem notiſſima eſt, poſt eam finitam pariter commemoratur, Jer. 30: 18, 19. reædificata urbe ſuper tumulum ſuum, & palatio collocato ad morem ſuum multiplicabo eos & non imminuentur, & glorificabo eos & non viles erunt. Imo cap. 31: 16. de x. tribubus, unde non niſi unus ex urbe & duo ex familia cum Judæis redierunt, multiplicandas, & fertiles futuras in terra. Fuitque multitudo innumera ſecundo quoque ſub templo. Vetuſtatem tot ſeculorum habuerunt. Et Deus prioribus judiciis finem impoſuit, etiamſi gradu differentia forent, augescentia ſemper. Sic Deus uſus eſt longanimitate erga vineam Eſa. 5. & ficum Luc. 13.

Nobis idem animadvertendum eſt. Beneficia eadem nobis conceſſit Deus, multiplicationem, ut miraculo fere ſit, exiguum terræ angulum tantam multitudinem poſſe alere; vetuſtatem ſeculum conceſſit; non quod nulla forent peccata quæ mererentur pœnam aut hæc nulla fuerit, ſed quod in illis peccatis & judiciis connixerit Deus. Quemadmodum uniuſcujuſque hominis anni, menſes, dies definiti ſunt, ſic quoque regnorum & rerumpub. Act. 17: 26. & habent & iſta & illi ſuum ſenium. Hoſ. 7: 9. Canities fere ſenectutis eſt index: Senectus autem per ſe morbus eſt, deficientibus viribus, & præparat morbo emortuali. Pariter contingit in Politia. Canities Belgii & ſenectus evidens, quemadmodum quod peregrini depaſcantur ejus robur; & quam proximum fuerit morti. Et quid etiam nunc eſt? Vetuſtas noſtra vitium habet, quod promovet ad interitum; Quando ebrioſus in extremam tabem incidit, aut hydropiſin, & pergit inebriari quotidie, dicimus brevi ſatis ſenem fore, idem valet in continuatione peccatorum. Hoſ. 7: 10. Utinam hæc non foret culpa noſtra. Atqui ſapientiæ eſt non ſenectutem intemperantia præcipitare, ſed potius ſobrietate corrigere. Hoc fiet pietate Pſ. 92: 15. juſtus ut palma virebit, creſcet ut cedrus in Libano; in cana ſenecta, &c. fiet fiducia in Deum Eſa. 40: 31. aquilæ ſenectus Pſ. 103: 5. Porro.

β. Actiones ſunt in genere, *Ut perdatis vos;* in ſpecie *faciendo ſculptile, ſimilitudinem ullius rei, & faciendo malum in oculis Domini*, aliis quibuscunque peccatis; Aggravatio eſt, *ad irritandum eum.* Hinc.

Qui peccando irritant Deum, ſemetipſos perdunt, & viciſſim, qui perdit ſemetipſum irritat Deum. Peccando irritatur Deus Deut. 32: 16–21. perditur peccans à ſe ipſo, Hoſ. 13: 9. Jer. 2: 19–27. cap. 4: 18. cap. 7: 19. Perdens ſe irritat Deum. Ezech. 33: 11. Implantavit amorem ſui hominibus, & contra hoc inſitum principium peccat, qui ſe peccatis perditum it. Adhæc quando hortationes ipſius ad conſervationem ſui ipſius faſtidiuntur, Prov. 1: 20. ſ. Peccatores hinc diſcant ſuam ſtultitiam, dum peccatis ſervi-

viunt, irritant Deum, at 1 Cor. 10: 12. Stultiſſimus ille, qui bellum alicui movet, non prius exploratis ſuis viribus an comparandæ ſint,, ut prævalere poſſe ſperandum ſit, Luc. 14: 31. Job. 9: 4. ſ. & quid unus incolarum terræ valeret? Sed inſuper perdunt ſeipſos. Gladios quos acuunt contra Deum, ſuis viſceribus infigunt. Jac. 4: 1. Voluptates belligerant in membris, & 1 Pet. 2: 11. cupiditates carnis belligerant contra animas. Quivis ſibi hoſtis acerrimus. Prov. 8: 36. Eoque ſi quis amor noſtri, caveamus peccata. Homicidium perdit alium, αὐτοφονία ſemetipſum, eſtque magis contra naturam; & ea in quovis peccato. Vulnus infligitur levius aut gravius, neque quis moderari ſibi ipſi poteſt. Abſtinendum penitus, ut potius nos ſervaſſe dici queamus. Eſt v. in duobus illis peccatis vaticinium futuræ conditionis. Idololatria ante Bab. captivitatem peccatum fuit; poſt illam ſtante ſecundo templo aliis modis. Sed utrobique provocatus Deus, & peccatum fuit contra propriam animam. Illic imagines & idola coluerunt, hic homines, dum horum doctrinam ſeu traditivam ſecuti ſunt. Eſa. 29: 13. ſ. unde ſumma calamitas inflicta, Rom. 10: verſ. 19. tranſlatio regni Dei ad gentes.

Verſ. 26. *Conteſtor contra vos hodie cœlum & terram fore ut omnino pereatis quam celerrime, è terra illa quo* ut veniatis *tranſituri eſtis Jardenem ad poſſidendum eam jure hæreditario: non prolongabitis dies in ea, ſed omnino perdemini.*

b. Hoc loco illud non commemoratur, ſed aliud, præmiſſa verſ. 26. *Certitudine* eventus. *Conteſtor contra vos cœlum & terram.* Agebat de futuris, quibus ipſe non erat ſupervicturus: ne vero crederent vano terrore implere, teſtes conſtituit ſuæ admonitionis, hujuſmodi pœnas ſecuturas peccata, quo convincerentur de veritate. Teſtes illi ſunt cœlum & terra, Significant juxta quoſdam incolas cœli & terræ intelligentes, Angelos & homines; ſed convenientius ipſum cœlum & terra. Ineptæ ſunt hæ creaturæ ad teſtimonium proprie dictum. Sed adhibentur tamen ad majorem convictionem & confuſionem. Eſtque magna in eo ratio. Deut. 19: 15. duo teſtes ad minimum requiruntur, & totidem citat. Teſtes de futuro debent eſſe conſtantes, quibus major foret duratio quam Moſi, cujuſmodi ſunt, nam pereunte generatione una & altera veniente, terra conſiſtit in æternum Eccl. 1: 4. in cœlo ſtabilita veritas Pſ. 89: verſ. 3. & teſtis in ea fidelis, verſ. 38. Semper etiam præſentes. Cœlum ſuperne, terra inferne, & hunc ſitum ſemper retinent quovis loco & tempore. Quin imo nonnunquam loquuntur teſtimonium convincens, Deut. 28. 23. *Cœlum ſupra tuum caput erit æneum, & terra ſub te ferrea.* Hagg. 1: 10. Hæc ratio citandorum horum teſtium, quod etiam facit Deut. 30: 19. *Conteſtor hodie contra vos cœlum & terram.* Cap. 32: 1. Eſa. 1: 2. Jer. 22: 29. terra (ter) audi verbum Domini: non tantum ad emphaſin, ſed etiam obſervatis intervallis ante, ſub, & poſt captivitatem Jechoniam ejuſque poſteros omni dominio excludi.

Profecto iidem teſtes citati ſunt contra nos. Quantum nos tangit adhortatio Moſis, & aſſeveratio ſecuturæ poſt inobedientiam contra Deum perditionis, tantum etiam conteſtatio cæli & terræ. Habemus eos ſemper præſentiſſimos, quotquot unquam fuerunt ſunt & erunt homines, ſtante hoc mundo, iis æque adſunt, quia ſemper perſtant. Quemque noſtrum ab initio vitæ ad ejus extremum circumſiſtunt. Semper iis patemus, cum nunquam non terra ſub pedibus ſit, cælum ſupra caput; & quia dati teſtes, etiam obſervant, & teſtaturi ſunt quicquid & facimus & patimur: non poſſumus obligare oculos cœli, vel obturire aures terræ, vel utriuſque os obſtruere. Quot luminaribus fulget cœlum, tot intuetur oculis; quot poros habet terra, , totidem patula eſt auribus, & quanta ſunt utraque, tanta ora tot linguas habent. Cavendum eſt, ne fruſtra teſtatos ſe queri poſſent; quod fiet, ſi ipſorum intuitus horum nos non commonefaciat; quomodo qui nobis non teſtantur, nolentibus advertere, teſtabuntur Deo, nos indignos qui cœlum intueamur, terram calcemus Jer. 2: 12. Quam turpe; quam grave inanima iſta contra nos prodire teſtatura. Magis autem his excitis quodammodo è loco ſuo, fundamentis terræ commotis machinaque cœli trepidante nos manere immobiles. Pſ. 19: 1. ſ. Enarrat gloriam Dei, nonne nobis ille concentus audiendus; ſed enarrat quæ nos fecimus quoque, & non minus attentionis eſſe debet. Eſt vero non tantum hoc par teſtium, verum innumera multitudo. Joſ. 24: 27. cum Joſua fœdus populi cum Deo renovaſſet, erexit lapidem ac dixit, *Ecce hic lapis erit nobis in teſtimonium, audivit enim omnes ſermones Dei, quos nobis locutus eſt, imo erit in teſtimonium contra vos, ne Domino Deo veſtro mentiamini.* Sic nobis dicere licet, has columnas & fornices, hæ ſubſellia teſtes eſſe. Si lapis ex pariete clamat, & trabs de ligno reſpondet Hab. 2: 10. quando avaritia & injuſtitia parti ſunt, etſi non ſint conſtituti teſtes, multo magis citati loquentur. Id meditemur & agamus, ut teſtimonium iſtud optare poſſimus, nos convictionibus de peccatis emendatos, hortationibus ad bonum incitatos, minis à mali praxi deterritos, promiſſis confirmatos, ſolatiis exhilaratos fuiſſe, neque ullius verbi oblivioſos factos auditores, ſed factores operis ad commodum temporale & ſalutem æternam.

Calamitas tribus ſeu gradibus conſtat, Ejectione, Diſperſione & Idololatria.

a. *Ejectio* ex Cananæa, verſ. 26. *Pereundo peribitis celeriter* &c. Perditio quidem certa eſt; reduplicatio bis repetitur, ſed non abſoluta ad excidionem populi, cui repugnat, verſ. 27. & Rom. 11: 1. Jer. 31: 35. ſ. ubi iidem teſtes ſunt impoſſibilem eſſe ejuſmodi perditionem, ut non ſint amplius populus, aut ut penitus à Deo repudientur ob ſua peccata, verum ſolummodo ex terra Cananæa, & poſſeſſione ſuæ in ea hæreditatis. Cujus conditionis teſtes habent cælum & terram à longo tempore, quia vident juxta prædictionem Moſis tot jam ſeculis ejectos. Cœpta iſta ejectio eſt circa decem tribus. quando primum quæ trans Jordanem erant Ruben Gad & Manaſſe 1 Chron. 5: 26. tum reliquæ deportatæ ſunt in Aſſyriam & urbes Mediæ 2 Reg. cap. 17. deinde circa tribus Juda & Benjamin deportatas in Babel, & poſt 70. annos vaſtitatis Hieroſolymæ reſtitutas, unde tandem deſtructa vice altera Hieroſolyma penitus ejectæ ſunt. *Celeritas* quoque additur, quodque non ſint protracturi dies poſſeſſionis; quamvis aliquot ſecula liceat numerare. Sed nihilominus celeritas judicii demonſtrari poteſt. Non tantum quoad ſingulos impios. Eccl. 8: 12. ſ. & Pſ. 55: ult. ſed etiam quoad univerſitatem populi. Promiſſio obedientiæ eſt Deut. 11: 21. *Ut dies tui & dies filiorum tuorum in terra quam Dominus juravit ſe Patribus veſtris daturum multiplicentur, uti dies cœli ſuper terram.* & Pſal. 81: 16. *Ipſorum tempus fuiſſet æternum.* Jer. 7: 7. *Faciam vos habitare in hoc loco, in terra quam patribus veſtris dedi à ſeculo in ſeculum.* Denique Eſa. 54: 7. *Puſillo tempore ad momentum vobis abſcondi faciem meam.* Sic pronunciat de tempore judicii, quod jam 1600. annorum fuit, & quoad decem tribus pluſquam 2400. annorum, & quis ſcit adhuc finem ejus, cum plenitudinem Gentium ingredi oporteat, Euangelium per univerſum mundum annunciandum ſit, antequam ſalvetur Iſrael Rom. 11: 25. ſ. adeoque illi 1600 anni ab ingreſſu in Cananæam, & Judæorum per Adrianum Imperatorem ejectionem, non niſi breve tempus ſunt putandi, quorum medietatem decem tribus, quæ pars populi maxima, non attigerunt.

Nobis non licet durationem eouſque non tantum extendere. Centum annis ſtetit Reſp. & quam parum abfuit, ut non omnes ejiceremur. Et licet evaſerimus ejectionem per hoſtes, nequimus eſſe ſecuri. Habet Deus infinitas rationes perdendi nos de terra. Superiori anno videbantur multi ejiciendi inundatione maris, hoc anno quot locis incolas ejecit igne, quorum recentiſſima ſunt exempla, & in vicinia ante biduum Aſſenæ in Drentia; imo qui fulmine 1671. turres noſtras tetigit, templum unum combuſſit, habet adhuc halitum ut flumen ſulphuris & pluviam ignis prunarum & ſulphuris; ſiquidem placeat litigare igne. Sed poteſt idem agere peſte & contagio, fame & ſterilitate, feris beſtiis, captivitate & exilio, ut terra deſeratur à ſuis habitatoribus.

bus. Iſtud ergo ne fiat, & ne celeriter fiat, feſtinandum eſt ad vitæ emendationem & ſanctitatis praxin. Obedientia erga parentes habet promiſſionem longævitatis in terra Eph. 6: 2, 3. Quanto magis obedientia erga patrem cœleſtem. Jer. 24: 6. Promittit Deus ſe plantaturum & non eruiturum, ædificaturum & non deſtructurum: ſed quando dederit cor ad agnoſcendum Deum, & ad cordialem reſipiſcentiam. Poſcamus à Deo tale cor, & promiſſum dabit, atque quæ alia pollicitus eſt bona.

Verſ. 27. *Aut diſperget Jehova vos in alios populos, & reliquiſietis homines pauci in gentibus, quo Jehova vos abduxerit:*

β. *Diſperſio* inter populos, verſ. 27. *Diſperget Deus vos* &c. Diſperſio iſta decem tribuum fuit unum in locum, in Aſſyriam & Mediam, unde dicuntur *depulſi Iſraelis* Eſa. 11: 12. Aſt *diſperſi Judæ* appellantur, quia magna pars manſit in Babele, qui vero redierunt in Judæam per bella Syrorum & Ægyptiorum; ita ſunt diſſipati, ut per totam Aſiam minorem & Ægyptum habitarent, & διασπορὰ dicerentur tempore Chriſti & Apoſtolorum; verum poſt everſam Hieroſolymam toto orbe diſperſi ſunt, & vix eſt in orbe terrarum regio, quo non pervenerint Judæi. Hujus diſperſionis Deus autor eſt, qui non caſui id permiſit, quo venirent, ſed ſe deduxiſſe ait, ut ipſius manus & directio erga ſingulos ſit obſervanda. Quamvis autem in ea judicium grave ſit, Deus tamen illud temperat, ut in ira miſericordiæ meminiſſe ſignificet, nam reſiduos quoſdam futuros dicit, exiguo quidem numero, ut recenſeri facile queant; quemadmodum in omnibus locis ubi ſunt, cum antea innumeri forent. Habent ergo nunc quoque ſalvum conductum à Deo, neque fas eſt eos exſcindere quos noſtras in oras Deus deduxit. Eſa. 16: 3. ſ. quia thronus Meſſiæ eſſet ſtabiliendus in tentorio Davidis: & Moab ſuperbiæ damnatur id negligens. Sunt Dei diſperſi, quos hoſtes deſtruere ſatagunt, & cuſtoditi Eſa. 49: 6. propterea eis dandum refugium tutum quia ad tempus tantum latere debent, Meſſia tandem inter ipſos dominaturo; ſic Jer. 31: verſ. 10, 11. Diſperſio iſta finem habebit, quando eos rurſus congregabit, quod Deut. 30: 1. ſ. & plurimis apud Prophetas dictis confirmatur; quemadmodum de domo Davidis 1 Reg. 11: 39. adeo ut univerſus Iſrael throno Chriſti, qui germen Davidis, ſubjiciendus ſit Jer. 23. verſ. 5--8.

Diſcamus hinc diſperſiones fœderatorum Dei regi ab ipſo, & ſua manu ducere, neque quenquam perire poſſe citra ejus voluntatem; ſed reſiduos manere invitis quoque omnibus, quos voluerit ſupereſſe. Pſ. 56: 9. Animare id debet contra perſecutiones. Diſpergebantur fideles poſt cædem Stephani, ſed duxit eos Deus, ut Euangelium per Samariam, & inter gentes innoteſceret. Captiva puella Deum Iſraelis Naamani Syro notum facit, 2 Reg. 5. Eſa. 66: 19. Etiam nunc id fieri poteſt, ut diſpergat Deus in ira ſua Belgas, immiſſo Spiritu vertiginis, & tempeſtate ſua diſſipet, ut Euangelium per diſperſos in aliis terris annunciet, & tunc felix erit diſſipatio, felices quibus ſic utetur ad lucrandos integros populos.

Verſ. 28. *Et ſervietis illic Deis, operi manuum hominis, ligno aut lapidi, qui non vident, neque audiunt, neque comedunt, neque odorantur.*

γ. *Idololatria*, verſ. 28. Eſt hoc juſti judicii Domini, ut qui Deum noluerunt colere, efficacia erroris ſic demententur, ut colant idola muta, quod Rom. 1. & 2 Theſ. 2. docetur. Non demonſtrabimus iſtud ulterius hoc tempore, neque etiam idolorum vanitatem, quibus ipſi corporis ſenſus deſunt, utpote ligno & lapidi, longeque colentes ſunt indignioribus, de quo, Pſ. 115. & 135. Jer. 10. & alibi. Sed tantum de veritate hujus prædictionis, quæ etiam cœlum & terram teſtem habet. Etenim Judæi omnes quos per Europam novimus, alieniſſimi ſunt ab iſta idololatria, & tales fuerunt ex quo redierunt ex Babel, adeo ut maluiſſent occidi, quam ut illud patrarent; licet non negemus fuiſſe ſæpius apoſtatas tempore Antiochi, & deinceps in perſecutionibus. Notandum autem nos nullos noſſe Judæos, quam qui oriuntur ex reverſis ex Babel, & per Romanos per Europam diſperſi ſunt. Hi v. cohibentur ab Idololatria decreto Dei. Ezech. 20: 32. ſ. *Quod adſcendit in cor veſtrum fiendo non fiet, quod dicitis. Erimus ut gentes & familiæ terrarum, ſervientes ligno & lapidi, & addit Deus jusjurandum.* Verum quod hic dicit Moſes, locum habet in decem tribubus, quibuſcum Ezechieli non fuit res, ut ab illis fuerit conſultus, quæ manſere in exilio, & ut veriſimile acceſſerunt idololatriæ gentili: quæ cauſa cur etiam notitia earum apud nos perierit. Sic Deus & promiſſis, & minis ſuis præſtat eventum, ut diſcamus eum timere, quo non plectamur apoſtaſia ad idola, ſed proficiamus cognitione ad ſalutem, Hoſ. 6: 3. *Cognoſcamus, perſequamur cognoſcere Dominum, egreſſus ejus paratus eſt ut aurora*, (procedens ad plenum meridiem,) ut in luce ejus videamus lucem, & fruamur vita & felicitate coram ipſo in omnem æternitatem.

Pſ. 86: 7 *In die anguſtiæ meæ invocabo te, quia exaudies me*, inquit David. Pollicetur ſibi exauditionem, ſiquidem precatus eſſet, etſi urgente anguſtia ad preces provolaſſet, idque quia hujuſmodi exauditionis habuiſſet ſecuritatem ab experientia. Multum profecto dicit hoc pacto; ſed cui applicare licet iſtud Chriſti ad Thomam, *Quia vidiſti credis.* Joh. 20: 29. Senſus & experientia facit ſecurum: verum *beatus qui non vidit, & tamen credit.* Etiam qui caret experientia, poteſt habere ſecuritatem fidei. Pſ. 27: 13. *Niſi credidiſſem me viſurum* &c. fides hic ſine experientia antecedente, verſ. 10. *Pater & mater me deſeruerunt, Dominus recipiet me*, יאספני uti infantem expoſitum à parentibus, ſi quis colligat in ulnas, in domum. Scilicet fides eſt eorum quæ non videntur, Heb. 11: 1. ſed quæ audiuntur Rom. 10: 17. ex auditu eſt, non quovis, ſed verbi Dei. Ubi verbum promiſſionis, ibi fides habet ſecuritatem. Chriſto dicente ad aulicum illum: *Abi, filius tuus vivit.* Credidit ille huic verbo, & viventem valentemque filium reperit Joh. 4: 50. Et ſic verbum ſuppetit de eo, cujus David habuit experientiam Pſ. 50: 15. Neque demum per Davidem iſtud fuit prædictum, ſed longe antea per Moſen, qui fidei Iſraelis extremis temporibus fundamentum propoſuit in verbis textus, ubi de reſtitutione Iſraelis vaticinatur. Deſcripſit miſeriam populi, à cauſis meritoria. Perditione ſui ipſorum partim idololatriâ ſub priori templo, partim diſplicentibus Deo actionibus ſub ſecundo templo, quando traditiva hominum pro regula fuit; quomodo Deus utrobique irritatus fuit; à circumſtantia temporis, poſtquam multiplicati fuerint, & diuturnum poſſederint terram: à certitudine, teſtibus futuris cœlo & terra: à gradibus pœnæ, ejectione ex terra, diſperſione inter gentes, & idololatria. Qui gradus ſummus utpote fœderato populo Dei prorſus ſociando idolis, quem Judæi deteſtantur, & putant non poſſe locum habere in Iſraele, adeo ut Chaldæus interpolarit reddens, *Et ibi ſervietis ſervientibus Diis ab hominum manu factis* &c. & alii, *Idololatris ſervientes videbimini ipſorum Diis ſervire.* Sed textus idololatriam facit Iſraelitarum, & oſtenſum nuper eſt, quomodo id impletum ſit, cum hodie Judæos oſores idolorum eſſe ſciamus; ſcilicet in depulſis Iſrael, in decem tribubus, quæ cum ſic aſſimilatæ ſint nationibus aliis, ex notitia non Dei, ſed noſtra perierunt. Verum Judæi per Europam, de tribubus Judæ Benjamin & Levi, alieniſſimi ſunt ob Dei decretum in Babel editum. Ezech. 20: 32. Cui congruit alia declaratio, Hoſ. 3: 1. ſ: ubi repetita imagine dilectæ mulieris, quæ ſcortatur, repræſentatur Iſrael reſtitutus ex Babel, cui dicitur: *Sedebis mihi multis diebus, (non ſcortaberis, neque eris viri alius) & ego quoque tibi. Nam filii Iſraelis ſedebunt multis diebus ſine Rege & Principe, ſine ſacrificio & ſtatua, ſine Ephod & Teraphim. Polliceturque, poſtmodum convertent ſe filii Iſraelis, & quærent Dominum Deum ſuum, & Davidem regem ſuum, & venient trepidi ad Dominum & bonitatem ejus in ultimo dierum.* Adeoque reſtitutio non tantum iis Iſraelitarum, qui idololatræ facti ſunt, ſed etiam iis qui ab idololatria ſunt cohibiti, exſpectanda eſt: quem-

quemadmodum Hoſ. 1. domus Iſrael *Lo-Ruchamá*, & domus Juda *Lo-Ammi* appellatæ tandem vocantur *Ammi* & *Ruchama*. & cap. 2: 22. Deus ait, *Miſerebor ſuper Lo-Ruchama, & dicam ad Lo-Ammi, populus meus eſt, & ille dicet Deus meus.* Atque hoc pacto reſtitutio in textu extendenda eſt ad univerſum Iſraelem. Nam tempore Moſis adhuc fuit una domus Jacobi, non diſcerpta in duas familias & regna, quod demum poſt Salomonis mortem cœpit, & ſic peccatis & pœnis fuerunt diviſi.

b. Hanc v. *Reſtitutionem* Iſraelis. I. promittit, verſ. 29. II. declarat, verſ. 30. III. confirmat, verſ. 31.

Verſ. 29. *Quod ſi requiretis inde* quiſque *Jehovam Deum tuum, invenies; quum quæſiveris eum ex toto corde tuo, & ex toto animo tuo.*

a. Promiſſio eſt, verſ. 29. *& quæretis inde*, &c. ubi I. factum ipſorum. II. ſucceſſus.

a. Factum ipſorum ſic proponitur ut explicetur quoad circumſtantias neceſſarias, ſive requiſita ſua. *Quæretis inde D. Deum veſtrum, quando inquiſiveris in eum toto corde totaque anima* Jer. 29: 13. idem dicitur de reſtitutione ex Babel. Ubi ſunt verba Dei & declarant, quod dixerat, verſ. 12. hic ſunt verba Moſis, quæ idem paulo uberius dicunt, ut oportune hinc diſcere liceat quales oporteat eſſe actiones peccatoris pro ſua reſtitutione. Heic v. requiruntur.

(1.) *Defectus rei neceſſariæ* Agnitio moleſta. Colligitur ex voce וּבִקַּשְׁתֶּם *Et quæretis.* Quæruntur abſentia; quod præſens eſt & ad manum nemo quærit. Imo abſentia quæruntur, quorum defectus aliquid incommodi nobis affert, neque id leve, ut poſſeſſio non poſſit penſare moleſtiam quærendi, ſed rei neceſſariæ, vel maximopere utilis. uti cum famelicus panem quærit, quo carere nequit; vel mercator margaritas. Id quod hic quærendum, Deus eſt. Non abeſt ille quidem longe ab unoquoque noſtrum. Act. 17: 27. & Deus à longe, & à prope, cœlum & terram implens Jer. 23: 23. & tamen quærendus, quia præſentia ejus non animadvertitur, quamvis univerſalis providentiæ eſt. Sed heic alio modo quærendus, ratione ejus propinquitatis, quæ fœdere gratiæ conceditur, ut Deus in medio populi ambulet & habitet. Lev. 26: 11. ſ. Iſrael fuit populus propinquus Deo Pſ. 148: ult. & Deus propinquus ipſi Deut. 4: 7. Verum peccando receſſerunt à Deo Eſa. 1: 4. Jer. 2: 7. & Deus vicißim ab ipſis 2 Chron. 15: 2. ſ. *Deſertus deſeret vos. Iſrael multis diebus fuit ſine Deo vero, & ſine docente ſacerdote, & ſine lege.* Ubi ignorata via vel non calcata eundi ad Deum, ubi nullus dux, ibi quoque nullus Deus, ad quem perveniretur. Eſt v. hic ſtatus miſer. Hoſ. 9: 12. *Væ illis, cum ab ipſis receſſero.* & verſ. 17. Quod eſt judicium hujus loci. Enimvero non quæritur Deus, quando non animadvertitur defectus. Jer. 44: 17. ſ. & Hoſ. 2: 4. 7. cap. 5: 4. Quamdiu animus amore impletus eſt peregrino, non agnoſcitur defectus, aut pretium rei deficientis. Eſtque hoc vitium commune, Pſ. 14: 2. nemo ex ſe redit, quia nemo intelligit defectum ſuum. Huc primum deducendi homines, Hoſ. 5: 15. *Abibo* &c. Quod ſignificatur in textu, מִשָּׁם *ab inde*, ab eo loco, ubi Gentilium inſtar coluerunt idola, quomodo ſunt *ἄθεοι* in mundo, ut Gentes Eph. 2: 12. Gal. 4: 8. Quando deprehenderunt non amplius in idolis eſſe ſalutem, ſed eam in Deo ſolo reperiri; tum enim demum quærendi conſilium ſuſcipitur, Hoſ. 2: 6. *Redibo ad priorem maritum, nam tunc mihi melius erat quam nunc.* Jer. 3: 23. *Certe fruſtra exſpectatur* &c. *Pudor abſumſit* &c. Longiſſime abſumus à quærendo Deum, qui nullam ex ejus defectu ſentimus moleſtiam.

(2.) *Deſiderium rei abſentis*, quo defectus removeatur. Deſiderium amiſſæ ovis, denarii, excitat ad quærendum, & deſiderium poſſidendi uniones mercatorem. Sociatur priori ſenſui defectus, qui deſiderium excitat magis fervens & inquietum. Amos. 8: 11, 12. fames verbi, quæ uti facit deficere, ſic vagari & diſcurrere ad quærendum. Pſ. 73: verſ. 23. 25. ſ. *Semper ero tecum, nam quem habeo tecum* &c. Hujuſmodi deſiderium eſt Eſa. 26: 8, 9. Pſ. 63: 2. 1 Sam. 7: verſ. 2. Deeſt multis deſiderium Dei Pſ. 10: 1. averſantur nonnulli. Impii ajunt: *Recede à nobis* &c. Job. 21: 14. ſ. & trepidant cum de præſentia ejus audiunt, quæ ſibi terribilis Eſa. 33: 14, 15. Pſ. 10: 3. ſ. Aſt Pſ. 77: 3. Verum deſiderium impatiens eſt, uſque dum poſſideat.

(3.) *Studium & labor inveniendi.* Hoc potiſſimum eſt in quærendo, priora ſunt antecedanea quæ neceſſarium faciunt, & voluntarium ipſum laborem quærendi. Pſ. 27: 4. Unum petii à Domino, id quæram: deſiderium petitione declaratum, & hinc Quærere placuit. Significat autem diligentiam operis, quæ nullam moleſtiam defugit, nullam fatigationem quo potiatur: ut quærens amiſſam ovem pervagatur deſerta, loca horrida vepribus & ſpinis, etiam feris infeſta, & denarium amiſſum, accendit candelam, everrit domum, & verſat manu pulverem, excutitque. Sic Eſa. 26: 9. mane quæritur, & Pſ. 63: 2. in aurora oportuno tempore, quamprimum quid lucis allucescit. Pſ. 77: 3. extenſio manus citra remiſſionem, etiam noctu. Cant. 3: 1. ſ. Quærit, & ſi non ſuccedat primus conatus, non deſiſtit, ſed alia & moleſtiora ſubit, imo cap. 5: 7. ait ſe etiam verbera & vulnera ſuſtinuiſſe, & veli ſpolium, neque tamen fuiſſe impeditam. Deus quandoque eſt abſcondens faciem Eſa. 45: 15. Pſ. 10: 1. peccata faciunt diviſionem ut recedat. Quærens ergo removere debet quæ impediunt, Eſa. 55: 6, 7. & Amos. 5: 4, 5. & verſ. 14. Debet enim inſuper facere, quæ videre Deus amat. Zeph. 2: 3. 2 Chron. 14: 4. Debet quoque agere precibus, Cant. 5: 6. Dan. 9: 3. Sed ubi hæc induſtria indefeſſa? Eſa. 49: 5. cap. 65: 2. *Expandi manus meas* &c. Luc. 19: 10. *Filius hominis venit ut quærat & ſalvet quod perierat.* Quærit Chriſtus nos per Euangelium, & fit iſtud nullo fructu; nolunt quæri vel ſaltem inveniri, tantum abeſt, ut quærendi moleſtiam velint ſubire. Nulla adeo gravis quam non ſuſcipiant, ut Deum amittant, dum mundum ejuſque cupiditates quærunt. Profecto ſic nunquam felices erimus. Et tamen indigemus iſto opere, ne difficilius poſtea ſit. Hoſ. 10: 12. ſ. Hoc ne patiamur illud faciendum.

(4.) *Sollicita inquiſitio*, תדרשנו B. **ſoeken.** Aſt Jer. cap. 29: 13. **vragen.** notat inquiſitionem interrogando factam; quemadmodum quando Prophetæ conſulebantur Ezech. 14: 1. ſ. Non tantum laborandum, ſed etiam ab aliis petendum auxilium, ut vel conſilio juvent, indicando ubi quærendum Cant. 3: 2. vel auxilio una quærentes, Cant. 5: 8. cap. 6: 1. Interrogandum à familiaribus Dei; qui Deum quærentes invenerunt, commode dicent quærendi modum, Cant. 1: 8. Oves norunt caulam, & magis adhuc paſtores, ab illis & iſtis inquirens diſcet. Inprimis *Quærite in libro Domini*, ubi nihil neglectum Eſa. 34: verſ. 16. Joh. 5: 39. non poteſt non hic inveniri Deus, ubi loquitur. Sed & hic dolendum inquiſitionem vel negligi, vel perperam ſuſcipi. Nulla ſufficiens niſi ad verbum eatur, quia non licet modernis doctoribus credere, abſolute, ut quidem Eccleſia Romana jubet, ſed probandi ſunt 1 Joh. 4: 1. nam ſunt qui habent cornua ſimilia agni; ſed loquuntur ut draco Aooc. 13: 11. itaque 1 Theſ. 5: verſ. 19, 20, 21. Verum Hoſ. 8: 12. ſic multis Verbum Peregrinus Sermo; imo quem multi tanto terrore audiunt, quo Iſraelitæ Dei vocem in Sinai, & deprecantur ne legere cogantur quod nequeant intelligere, aut quod male intellecturi ſint, ſi ſolum legant, voluntque ſolos homines ſibi illud dicere. Atqui iſtud verbum eſt, quod illuminat mentes, ſapientiam dat ſimplicibus, excellere facit ſupra Doctores & Senes; eſtque ſalutiferum. Neque ulli Doctores quicquam valent, niſi hinc edocti. Sane quod Judæi non inveniant Deum, una hæc cauſa eſt, quod velum incumbat cordi in lectione Vet. Teſt. velamen traditivæ, & interpretationis ſuorum magiſtrorum 2 Cor. 3: 14.

(5.) *Integritas & zelus*, quæ requirit dicendo, *toto corde tuo, & tota anima tua.* 1 Chron 28: 9. eſt totum cor, & volens anima. Significatur voluntatis affectuumque ſinceritas & integritas. Quærere ſine corde & anima eſt inutile quærere; cujus cogitationes aliorſum converſæ ſunt, parum quærendo efficiet: adhæc ſi duas res ſimul quærat,

quod eſt corde & anima agere, neutram inveniet, aut ſaltem alterutram negliget reapſe Matt. 6: 24. Hæc actio totum cor poſcit. Prov. 23: 26. Sic Eſa. 26: 8, 9. Rehabeamo loquitur 2 Chron. 12: 14. *Fecit quod malum in oculis Domini, non autem direxit cor ſuum ad quærendum Deum.* Contra de Joſaphato, cap. 19: 2. res bonæ in ipſo repertæ ſunt, *quia direxerat cor ſuum ad quærendum Dominum.* Aſa & populus fœdere ſe obſtrinxerunt ad quærendum Dominum *toto corde & anima*, & gaviſus fuit populus de Sacramento hoc, *quia toto corde juraverant, & tota voluntate quæſiverant eum.* 2 Chron. 15: 12. ſ. Sane ubi dilectio Dei talis, quæ mandata Deut. 6: 5. & inquiſitio. Poſtulat Deus hilarem datorem 2 Cor. 9: 7. & ſic quoque quærentem. Quando tota delectatio eſt in Deo, etiam totum ſtudium in ejus poſſeſſione conſequenda impendetur Pſ. 1: verſ. 2. Aſt quam multi ut Ephraim, *Simplices columbæ ſine corde* Hoſ. 7: 11. *Clamant ad me non corde ſuo*, verſ. 14. Jer. 3: 10. Eſa. 29: 13. Exemplum notabile Pſ. 78: 34. Magna nobis hic conformitas. Ezech. 32: 30. ſeq. Sed eſtne hoc quærere Dominum, quando idola eriguntur in corde, & offendiculum iniquitatis ponitur ante oculos? Ezech. 14: 2. ſ. adeoque Jac. 4: 8. ſ. *Propinquate Deo* &c. Qui quærit Deum, utique propinquare ſtudet. Huic vero cor purgandum, ne aliud quid, dum quærit Deum, ei adhæreat. 2 Chron. 30: 19. qui totum cor direxit ad quærendum Deum, veniam habet etſi non fuerit obſervata puritas ſanctuarii, citra tamen propoſitum, quod Dei contemtum haberet; aſt hæc puritas ſine corde nulla eſt. Pſ. 119: 2. qui obſervant teſtimonia ejus, quærunt eum toto corde, & felices dicuntur.

(6.) *Fides*, nam inquit, *quæretis Dominum Deum veſtrum.* Fundamentum quærendi Deum eſt relatio fœderalis. Hujus fides excitat ad quærendum. Majus ſtudium recuperandi amiſſa, quam inveniendi nunquam adhuc poſſeſſa: in iſtis tantum opinio bonitatis eſt, in illis experientia, atque ſimul juris ſui. Hoſ. 3: 5. David regem ſuum. Excitat quoque ad ſperandum. Deus fœderatus memor eſt fœderis ad bonum ſe quærentium. Lam. 3: 24. ſ. Pſ. 105: 4. ſ. Fides nititur verbo promiſſionis quæ fallere nequit Pſ. 27: 8, 9. Fide nobis quoque opus. Credenti omnia poſſibilia; quod in fide petitur, impetratur, cum dubitans nihil conſequatur. Fit hic unicuique ſecundum fidem ſuam. Pſ. 32: ult.

β. *Succeſſus* eſt *& invenies.*

Deum quærens eo quo dictum modo illum invenit. Matt. cap. 7: 7, 8. Amos. 5: 4. 6. *Quærite me & vivite, quia Deus vita & longitudo dierum* Deut. 30: 20. *Fons vitæ* Pſ. 36: 9. adeo ut qui Deum inuenit, vitam invenerit. Eſa. 45: 19. *Non dixi ſemini Jacobi, Quærite me fruſtra, ego ſum Dominus, qui juſtitias loquitur, qui recta annunciat.* Reperiri Deus vult, quamquam à non quærentibus Eſa. 65: 1. Itaque non patietur fruſtra ſe quæri ab iis qui id agunt. Equidem legitur Hoſ. 5: 6, *Ovibus & bobus ſuis ibunt quæſitum me, perfida egerunt contra me.* Scilicet Eſa. 55: 6, 7. Eſt tempus inveniendi, adeoque non ſemper illud eſt. Quando illud tempus ſit, additur, *cum propinquus eſt*: Et talis eſt reſipiſcentibus. Verum rebellibus eſt longinquus, recedit ab eis, & tum non eſt tempus inveniendi Pſ. 32: 6. peccata confeſſis, & deprecantibus inveniri vult, etiam ad remotionem maximarum calamitatum 2 Chron. 15: 15. Gregibus & armentis jugulatis non quæritur Deus. ſed corde contrito, quod eſt victima Deo placens, quam non reſpuet, Pſ. 51: 19. Hoc modo ſi quæramus, inveniemus Deum, & vitam Pſ. 69: 34. & gaudium Pſ. 22: 27. & omnia Pſ. 34: verſ. 11. Hoc modo dictum iſtud nobis inſtitutioni eſt. Enimvero ſigillatim ſpectat Iſraelitas, de quarum miſeria dixerat. Eoque verba promiſſionis ſunt, ſeu vaticinium, quid futurum ſit. Iſraelitæ poſt miſeriam iſtam rurſum quærent Deum, & invenient. Sequentia id faciunt manifeſtius. Docetur id Hoſ. 3: 5. & Jer. 50: 4. ſ. Ubi & quærere ipſorum, & invenire egregie delineatum eſt. Illud habet dolorem ob defectum, inquiſitionem, deſiderium, progreſſum jugem: iſtud adventum, adjunctionem arctiſſimam & conſtantiſſimam. Sed inſuper obſervanda variatio numeri. Quæretis, & invenies, ſi inquiſiveris toto corde tuo &c. quæ differentia ex verſione cognoſci nequit. Scilicet, Quærere omnium eſt extrinſecus fœderatorum, invenire ſingulorum, qui legitime quærunt. Quærunt omnes: Act. 26: 7. Quicunque memoriam habent ſuæ originis, quod ſint Iſraelitæ, quærunt etiam nunc, & hujuſmodi promiſſiones in precibus ſuis urgent, attamen non omnes inveniunt Deum, quia non rite quærunt: hoc qui facient, non fruſtrabuntur. Amos. 9: 9. ſ. Ezech. 20: 34. ſ. c. 36: 37. cap. 39: 28. Hoc beneficium erit vere quærentium Deum: quemadmodum id proxime patebit. Eſt v. id cautelæ loco: Quærentium Deum magna quidem multitudo eſt, inprimis diebus extraordinariis jejunii; qui Deum quotidie quærunt, & voluptatem habent in cognitione viarum ejus, ceu qui juſtitiam faciunt, & jus Dei non deſerunt, quærentes de judiciis juſtitiæ, & habent voluptatem propinquandi ad Deum Eſa. 58: 2. quibus tamen indicandæ tranſgreſſiones & peccata, quia omnia hypocritica, dum ſuis oppreſſionibus inſiſtunt. Hi ſane nihil inveniunt; & ſi non alii ſimus proximo ſupplicationis die perdemus operam, inveniemus non Deum, ſed deſerentis nos judicia ad perniciem & exitium. Aſt ne deſperationem iſtud moveat, cum maximus numerus ſic agat fere, inhærentibus aut redeuntibus plerisque ad priora peccata, hic ſolatium tamen eſt, modo unus ſit qui rite quærat, is inveniet, ſaltem ſibi, qui juſtitiam novit, & Dominum quærit, habens legem Dei in corde ſuo, non habebit metuendum Eſa. 51: 1. 7. Cap. 58: 9. ſ. imo ædificabit loca vaſta, & fundamenta deſolata dudum reſtituet. Deus excitet tales quærentes, & quærent ipſum, & proſperabuntur.

Verſ. 30. *Quum anguſtia fuerit tibi, & obvenerint tibi omnes res iſtæ; in extremitate dierum, ſi converſus uſque ad Jehovam Deum tuum, auſcultaveris voci ejus.*

Lam. 3: 31. ſ. *Dominus non abjiciet in æternum ſed poſtquam contriſtaverit rurſum miſerebitur ſecundum multitudinem benignitatum ejus.* Hoc ſolatio ſe erigit Eccleſia Judaica, poſtquam ſe metipſam ad ſpem in Deum & tolerantiam adverſorum quorumcunque cohortata eſſet. Negat Deum penitus abjecturum, utpote cujus benignitate effectum foret, ne abſumerentur adverſis, qui ſibi portio foret peculiari titulo, unde ſalutem exſpectaret, laudatiſſimo inſtituto. Quamquam enim Deus ipſe impoſuiſſet triſtia omnia, tamen non paſſurum ut iis in perpetuum premeretur, ſed miſericordiam exerciturum, erga miſeros, imo erga indigniſſimos, juxta benignitatem ſuam, quarum eſſet multitudo. Sic quaſi vaticinata eſt per Jeremiam, de ſui reſtitutione cum Hieroſolyma primum vaſtata eſſet, per Chaldæos. Sed Moſes ſimile vaticinium edidit longe ante, cum nondum tranſiſſent Jordanem neque poſſeſſionem Cananææ adiiſſent. Prædixit ille defectionem Iſraelis à Deo tum per idololatriam, tum per actiones alias Deo inviſas. Prædixit Dei judicium in ipſos ſeveriſſimum, ut ejicerentur ex terra; diſpergerentur inter Gentes, & ubique non niſi pauci numero ſuperforent; prolaberentur ad idololatriam gentilem, manufactarum imaginum. Prædixit denique Reſtitutionem quam promiſit, verſ. 29. Quæſituros Deum inde, in loco exilii & idololatriæ, quemadmodum in Ægypto olim, ubi Ægyptiorum Deos coluerant Ezech. 20: 7, 8. cap. 23. verſ. 3. 8. 19. & preſſi gravi ſervitute ſupplices ad Deum clamaverant Exod. 2: 23. & inventum iri, uti præſtaret promiſſam collocationem in Cananæa, non omnibus quærentibus, nam qui ex Ægypto egreſſi ſunt mares vicenes cenſiti, propter infidelitatem in deſerto ceciderunt, ſed qui rite quæſiverant, adhærentes fide Deo, neque per Baal Pehoris cultum deſciverant: ſic quoque non omnibus ſollicitaturis reſtitutionem, ſed iis exulum qui integro corde quæſiviſſent, ipſius Dei unius nixi gratiæ. Eandem reſtitutionem porro declarat, verſ. 30. & confirmat, verſ. 31. plane ut reſpondeat fiduciæ Eccleſiæ in Lam. 3: 31, 32.

b. Declaratio, verſ. 30. deſcribit Tempus, & Factum ipſorum illo tempore, ad quod factum, ceu legitimæ inquiſitionis, ſecutura eſſet Inventio.

a. Tempus illud dicit quid paſſuri ſint, quo affectu futuri, & quando tales futuri. *In anguſtia tibi, & invenerint te*

iſta

iſta omnia, *in extremo dierum*. Notandus hic ordo genuinus, Anguſtia non antecedit adverſa, ſed ſequitur; nam hæc quando cumulantur oritur augeturque anguſtia: neque aliter loquitur Moſes; nam τὸ ϗ tantundem interdum eſt quod *Poſtquam*. Eſa. 64: 5. *Ecce iratus fuiſti & peccavimus* hoc eſt poſtquam: nam ira Dei non præceſſit, ſed ſecuta eſt peccatum Pſ. 65: 10. *Viſitas terram & facis eam appetentem*; & 68: 10. *hæreditatem tuam & fatigatam tu confirmas*.

Primum itaque eſt, *quando te invenerint omnia iſta verba*, quicquid modo adverſorum prædictum eſt, adeoque quid paſſuri eſſent, ejectionem in exilium, diſperſionem in exilio, & apoſtaſiam ulteriorem à Deo, Quam gravia iſta ſint docet catalogus ille maledictionum Lev. 26. & Deut. 28. recitatus; unde Deut. 29: 27, 28. populis aliis ſtupentibus ad vaſtitatem Cananææ, quæ vicerat omnes terras felicitate, cum Sodomiticam quodammodo conditionem referret, reſpondetur, quia deſerto fœdere Dei ad idola ſe convertiſſent, *ideo accenſa eſt ira D. &c. extraxitque eos è Terra ſua &c.* Deut. 32: 16. ſ. *Provocarunt eum ad æmulationem per alienos Deos*, & ideo *ſprevit* eos &c. Et hoc factum cum X tribus ejecit in Aſſyriam; *idcirco etiam ego provocabo eos* &c. Hoc factum quando gentes vocatæ, ut ipſorum lapſu ſalus obtingeret gentibus Rom. 10: 19. cap. 11: 11. atque tum demum miſeriæ venerunt ad ἄκρον; *Nam ignis accenſus eſt in ira meâ* &c. *In omnes angulos diſpergam eos*. Et hujuſmodi denunciationes frequentes ſunt, quæ ſuum complementum habuerunt, & habent etiamnum: non quidem ſemper & ubique eadem gravitate ſed per intervalla, ut tamen vagentur in exilio, & uti Kain vagus fuit poſt fratricidium, ſic ipſi poſt occiſum fratrem, non juſtum Abelem, ſed Jeſum, germen juſtitiæ, & Jehovam juſtitiam ſuorum. De quo hoc unum notemus. Si hoc factum in viridi ligno, quid fiet de arido; ſi naturalibus ramis Deus non pepercit, non parcet inſititiis pariter infrugiferis. Rom. 11: 21. ſ. Eccleſiæ Chriſtianæ in Oriente ubi ſunt? quas Apoſtoli ipſi collegerunt: quid factum de pluribus in Occidente. Etſi non ita diſperſi ſint, tamen longe abjecti ſunt à Deo, qui gratiam Euangelii & regnum ſuum inde abſtulit, & ad alios tranſtulit; quod etiam nobis metuendum. Deut. 29: 18. ſ. Eoque noli altum ſapere, ſed time.

Secundum eſt, quo affectu ſint futuri: *In anguſtia tibi*: ut mala illa te affligant vere. Paſſi multa ſæpe ſunt Iſraelitæ, ſed citra ſenſum quandoque, Eſa. 10: 12. etiam quando non amovetur ejus ira, manuſque ejus extenſa manet. Jer. 5: 3. Jer. 2: 30. Itaque aucta ſunt eorum mala Lev. 26. quando per judicia non fuerunt caſtigati Deo, ſed adverſum ambularunt, ipſe adverſus quoque ſeptuplum auxit plagas. Verum ſecuta etiam eſt nonnunquam anguſtia, ut ſenſerint ſe propter peccata affligi. In libro Judicum frequentia exempla, ut ſuſpirarint & clamarint ad Dominum propter eos qui anguſtiarunt & afflixerunt, inprimis cap. 10. 1 Sam. 1. & alias. verum plerunque ut eſt. Pſ. 78: 34. ſ. Et ſane negari nequit, Judæos hodieque in exilio ſuo anguſtiam experiri: Nullus dies quo non faciant mentionem in precibus ſuæ calamitatis, & in Sabbathis feſtiſque & inprimis in Jejuniis ſuis. Quod ſi graviora interdum patiantur per exactiones, perſecutiones, novaque exilia, anguſtiæ ſuæ teſtimonia edunt majora. Sed eſt illa anguſtia de malis quæ ſentiunt, non de Deo qui offenſus eſt. Dolor ſecundum mundum, non ſecundum Deum. Ille eſt Jer. 4: 31. audio vocem ceu parturientis, anguſtiam ceu primum enitentis, vocem filiæ Zionis, anhelat, expandit manus, væ mihi, nam anima mea fatigata eſt ab interfectoribus, at iſte. Jer. cap. 3: 21. vox audita eſt in excelſis fletus, ſupplicatio filiorum Iſraelis quia perverterunt viam ſuam, D. Dei ſui obliti ſunt Jer. 31: 18. Prior dum viget, ſed nondum eſt illud temporis momentum de quo Moſes agit, id.

Tertium eſt, *in ultimo dierum*. Obſervatum eſt ab ipſis Judæis, hac phraſi deſignari Tempora Meſſiæ adeo ut ubicunque occurrit illa vaticinium ſit de iis quæ poſt incarnationem ejus futura ſunt, Gen. 49: 1--10. Num. 24: 15. ſ. Sic *in dierum extremo* Gentes vocandæ ſunt per Euangelium Eſa. 2: 2. Mich. 4: 1. Et in N. T. Heb. 1: 1. Act. 2: 17. Sed cum totum tempus Meſſiæ dicatur *Extremum dierum*, reſpectu antecedentium, quando in promiſſione fuit duntaxat, ſecundum exhibitus, annis circiter 4000. tum illud ipſum habet extremum, reſpectu priorum quæ itidem Meſſiæ, ita 1 Tim. 4: 1. 2 Tim. 3: 1. 2 Pet. 3: 3. Jud. verſ. 18. *ultimi dies & tempora* vocantur circa glorioſum adventum Chriſti, & quæ Gogum concernunt Ezech. 38: 16. coll. cum Apoc. 20: 8. ſ. Sed quoad Iſraelem ultimum dierum eſt quando obventura erant omnia iſta mala, ab initio repudiati Chriſti & Euangelii ejus Deut. 31: 29. aſt potiſſimum finis apoſtaſiæ ipſorum & converſionis tempus Jer. 3: 5, 6. Hoſ. 3: 5. Inprimis ad textum noſtrum facit. Jer. 23: 29. ſ. cum de Prophetis Hieroſolymæ egiſſet, à quibus hypocriſis egreſſa erat per univerſam terram, quique non verbum Dei ſed ſua interpretamenta inculcabant, & ſomnia, ſubjicit, *Ecce tempeſtas Domini*, &c. *in extremo dierum intelligentia intelligetis illud* & cap. 30: 23. ſ. poſt exhibitum Meſſiam, & peractum ejus Sacerdotium expiationis, publicatumque fœdus Dei, *Ecce tempeſtas Domini*, &c. *in extremo dierum illud intelligetis*. Scl. quando faſtidierint Euangelium Chriſti, faſcinati hypocriſi & traditionibus Phariſaicis, ira Dei incumbet Joh. 3: 36. & diutiſſime incumbet, ipſis cauſam non intelligentibus, donec Deus cogitationes ſuas effecerit, quas quidem nobis aperuit Paulus Rom. cap. 11: 25. myſterium iſtud noluit Gentes ignorare, obdurationem pro parte obtigiſſe Iſraeli, donec ingreſſa fuerit plenitudo Gentium, & tunc totus Iſrael ſervabitur. Obduratio autem adimit intelligentiam, & ejus ratio deſcribitur, Rom. 11: 8. *Deus dedit eis Spiritum profundi ſoporis oculos qui non videant, aures quæ non audiant, uſque in hodiernum diem.* Sed in extremo intelligentiam illam conſequentur, quam mox excipiet Converſio Jer. 31: 1. *illo die inquit Dominus, omnibus familiis Iſraelis ero in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Eſa. 29: 13. ſ. *nam ſapientia ſapientum ejus peribit & intelligentia intelligentum ejus abſcondetur.* Sed ad extremum, quando Jacob deſinet pudefieri, ſed videbit filios ſuos, opus manuum Dei, in medio ſui, ſanctificantes ſanctum Jacobi, & Deum Iſraelis timentes, tum errantes ſpiritu venient ad intelligentiam, & murmuratores apprehendent doctrinam. Hujuſmodi anguſtiam deſignat Moſes, quæ ultimis diebus futura eſt, ut intelligant cauſam ſuæ miſeriæ. Deut. 30: 1. Lev. 28: 43. Hoſ. 5: 15. Deus *Iſraeli eſt ut tinea & domui Judæ ut putredo*, poſtea *ut validus ut juvenis leo*, qui omnia diripit, tandem *abit in locum ſuum*, (ut prorſus deſerat) *donec ſe agnoſcant reos, & quærant faciem ſuam:* ſed *cum anguſtia hæc erit eis*, (de qua Moſes,) *mane quærent Deum.* Facit hoc ad amoliendum ſcrupulum de Judæorum obſtinatione. Tot ſecula præterierunt dum exules ſunt non x. ſolum, ſed etiam reſiduæ tribus, & æque vehemens eſt ipſorum contra Euangelium Chriſti odium. Priores defectiones ſæpius fuerunt interruptæ; ſed hæc perennat, unde multis deſperata ipſorum reſtitutio. Sed Moſes docet anguſtiam fore ipſis, quam reſipiſcentia conſequatur in extremo dierum. Hoc quamdiu non venit, non eſt præſtolanda. Deus omnia pulchra fecit in tempore ſuo, Eccl. 3: 10. extra hoc carerent ſua pulchritudine. Non haberet Deus eam gloriam ſi anticiparet. Eſa. 60. verſ. ult. obſervantiſſimus temporis eſt; ſed idcirco non modo non tardat, 2 Pet. 3: 9. ſed etiam non præoccupat, unde ſic petitur Pſ. 102: 14--17. Quicquid etiam agatur, ante extremum dierum iſtud non fiet, Eſa. cap. 26: 17. ſ. *ut prægrans mulier cum propinquat partui dolores habet & vociferatur in doloribus ſuis; ſic fuimus Domine propter faciem tuam*, iram; *prægrantes fuimus, dolores habuimus, tanquam ventum enixi ſumus, neque præſtitimus terræ ſalutem.*

Si quis quærat quando illud extremum ſit futurum; reſpondemus illud Act. 1: 7. *non eſt noſtrum*, &c. Enimvero generatim quam revelatum eſt, Rom. 11: 25. quod lucem præbet duobus dictis de Judæis dicitur 1 Theſ. 2: 16. *ira venit ſuper*, Judæos *uſque ad finem*, & Mat. 24: 14. *Euangelium hoc regni prædicabitur in toto mundo, in teſtimonium omnibus populis & tunc erit finis.* Rurſum Eſa. 29: 18. ſ. *tempore quo finem habiturus eſt Tyrannus*, ille an non eſt Anti Chriſtus? cum alias poſt deſtructionem Edomi promittatur reſtitutio Iſraelis, Eſa. 34: 35., Ezech. 35: 36. Obad.

Quid ergo faciendum circa Judæos, quandoquidem fruſtranea omnia ante extremum iſtud? Reſp. Etiam nunc ad æmulationem provocandi, ut ſaltem aliqui eorum ſerventur, exemplo Pauli Rom. 11: 14. qui longius adhuc aberat ab extremo illo. Euangelium & gratia Chriſti quam prædicat, noſtra vita ſic commendandum, ut amabile, ſaltem non deteſtandum, ipſis reddatur. Sed inſuper publicandum nobis gratiam illam Chriſti etiam ad ipſos pertinere Jer. 31. verſ. 10, 11. Etenim quomodo credent & convertentur niſi audiverint? Rom. 10: 14. Sic à nobis non erit mora. Imo ſi gentiles ſtudioſe adduxerimus tum hic, tum in locis ubi nondum prædicatum Euangelium, quia promovebimus plenitudinem Gentium, etiam conferemus ad maturanda tempora ultima.

β. Factum Iſraelis tunc erit, *Et reverteris uſque ad D. Deum tuum, & obtemperabis voci ejus.* Duo ſunt, reditus ad Deum, & manſio apud ipſum. Illud, *Et reverteris*, &c. Quum enim defeciſſe dicantur ad idola, reverſione opus eſt, & reverſione non tantum ad Deum, ſed uſque ad Deum, ut non conquieſcant, donec eo pervenerint. Iſtud, *& audies*, &c. ut nullius imperium agnoſcant præterquam Dei, cujus antea fuerant peculium. Hæc duo conjungit quoque Deut. cap. 5: 3. utrunque iſtud dicitur, ſed inſuper univerſalitas, *tu & liberi tui*; ut non tantum unus & alter de populo, ſed totus populus redeat: itemque ſinceritas, *toto corde & anima*, ſic verſ. 8. hæc fuit conditio tempore alienationis à Deo, quando à Doctoribus ſuis à cubili verbi abducti varie circumducti fuerunt; ſed factum hujus loci eſt, verſ. 5. *huc verſus erunt facies eorum*, hoc eſt reverti ad Deum, *adjungentur Domino*, hoc v. reverti uſque ad Dominum, æterno fœdere cujus non erit oblivium, quod audientiam vocis connotat. Hoſ. 3: 5. qui federant diu ſine vero & falſo cultu, convertentur poſtea filii Iſrael, &c. Inprimis, Hoſ. 6: 1. ſ. Exilium dicitur dies Jer. 30: 7. *væ, nam dies adeo magnus eſt ut ſimilis non fuerit, & tempus anguſtiæ Jacobo:* ſed inde liberabitur. anguſtia urgente dicent, *venite, revertamur ad D. nam laceravit, & ſanabit, percuſſit & obligabit: poſt biduum vivificabit nos.* (dies unus eſt exilii Aſſyriaci x. tribuum, alter exilii Romani duarum tribuum,) *die tertio faciet nos reſurgere, & vivemus coram facie ipſius. Tunc cognoſcemus*, perſequemur cognoſcere *Dominum; egreſſus ejus paratus eſt ut aurora, & veniet ad nos ut pluvia primitiva & ſerotina terræ.* Hic eſt reditus uſque ad Dominum, ut cognitio ejus ſolida acquiratur, quæ ex obedientia patet. Eſa. 11: 9. Hujuſmodi reditus ad Deum eſt quo invitantur Jer. 3: 12, 13. Eſtque hic notandum quod hæc dicantur non conditionate, cum fueris in anguſtia, ſi converſus fueris, &c. ut ex conditione dubia dubius quoque fiat ſucceſſus. Sic nonnulli vellent, tum Judæorum, qui ob defectum reſipiſcentiæ in Iſraele exilium prorogari putant. Tum Chriſtianorum, qui non tantum eapropter hactenus nullam fuiſſe reſipiſcentiam, ſed etiam nullam fore arbitrantur, & conditionem hanc rei impoſſibilis ſignificare prorſus eſſe deſperatum. Sed neutris favet textus; qui nihil conditionati dicit, ſed habet abſolutam promiſſionem, converteris uſque ad Dominum, &c. quemadmodum & Deut. cap. 30: 1. ſ. & Hoſ. 3: 5. Eventus ille non pendet à bonitate Iſraelis, ſed à veritate Dei. Ille dixit per Prophetas, E. & faciet. Et quemadmodum quæ minatus eſt mala contra Iſraelem, habuerunt complementum Zach. 1: 6. etiam quod pollicitus eſt boni fiet, & Zach. 8: 6 *quia mirabile eſt in oculis reſidui de populo anne in meis quoque oculis foret mirabile inquit Dominus Zebaoth?* Quod non fiat, cauſa eſt, quia nondum venit illud *extremum dierum*, quod Deus huic eventui deſtinavit. Equidem 1 Pet. 4: 7. legitur. *Finis omnium rerum prope eſt*, ſed non eſt illud extremum dierum Meſſiæ, ſed Judææ nationis, ejiciendæ domo Dei ob repudiatum Meſſiam, & exercendæ contra eam iræ Dei. (nam Judæis ſcribit Petrus) verum iſta ira habebit finem, ut ante dictum, & reſipiſcentia Iſraelis terminum adferet. Eſa. 59: 20. Quod eſt futurum iſtud, præſtolandum juxta adhortationem Apoſtoli Rom. 11: 26.

Verum nos quoque diſcimus hinc rationem vere reſipiſcentiæ. Redeundum eſt ad Deum; peccatis inde diſcedituri, itaque ſi redeundum eſt peccata ſunt deſerenda. Jer. cap. 8: 4, 5. quamdiu retinetur peccatum impoſſibilis eſt reditus. Abjicienda omnis iniquitas, & inde abeundum ne ſit offendiculo, & redeundum uſque ad Dominum; non ſufficit initium feciſſe, & propemodum acceſſiſſe ut Agrippa fere Chriſtianus. Act. 26. ſed procedendum donec eo quis pervenerit. Sic Iſrael. Jer. 3: 22. *venimus ad te* dicunt liberi averſi, & Deus, cap. 4: 1. *Si converteris ad me convertere*, inquit Dominus. Nuſquam vagari licet, aut ad Deum non pervenitur. Aſt quam negligenter hic agitur, ut nihil cedamus Hieroſolymæ quoad vincentem averſionem. Inceditur jugiter in viis mundi & carnis, & hic tantus ardor quantus equi currentis ferociter ad prælium. Converſioni quidem deputati dies multi, ſed ea plerunque eſt ad Deum, non uſque ad Deum, ut accedatur ore & labiis, corde recedente ad perſequendum cupiditates, ut falſa ſit, qualis Judæ Jer. 3: 10. Cujus quidem cauſam quoque ex textu diſcimus; Invenerunt quidem nos adverſa; quocunque intuemur calamitates nos circumſiſtunt, quæ non minuuntur ſed ſumunt incrementa. Imo qui dies nobis fuit Euchariſticus liberatæ ab obſidio urbis hujus, fuit idem calamitatis novæ, ut pari cum hoſtibus tunc pudore, obſeſſam urbem coacti fuerimus deſerere 17. Auguſti. Verum nondum anguſtia nobis eſt propterea, ut agnoſcamus propter inquitates noſtras nos conſumi, ut eas confiteremur, & flecteretur cor noſtrum, & emendaremur judiciis, deſperantes ſic nos ſervari poſſe. Hæc anguſtia non ſineret nos quieſcere antequam uſque ad Deum perveniſſemus. Non eſt quod deſperemus eo nos poſſe pervenire. Reverteris uſque ad D. Deum tuum: Iſrael nunc quoque habet D. Deum ſuum; jus fœderis nondum eſt abolitum, adeoque ad ſuum redit, uti Hoſ. 2: 6. revertar ad maritum meum priorem quæ tamdiu pone amaſios inſanierat. Itaque nobis quoque hoc argumentum ſuppetit, Deus noſter eſt, qui adhuc in medio noſtri habet ignem & fornacem, Eſa 31: 9. adhuc verbum ſuum continuat, & menſam ſuam inſtruit. Noſtrum eſt ergo ut adeamus, etiam invitati de novo. Dabitur acceſſus: qui venit eum non ejicit foras, quandoquidem vocatus venit. Sed tum propoſito cordis manendum cum Deo, ut non redeatur ad ſtultitiam; accipiendum mandatum ab ore ejus & verba ejus ſeponenda in cor, Joh. 15: 7. Jer. 4: 2. qui venit illi jurandum *Dominus vivit in veritate judicio & juſtitia*, & quid? Pſ. 119: 106. *juravi & ſtabiliam*, &c. Obedientibus promiſſa benignitas in 1000. generationem. Neque eſt quod quis deſperet ob diuturnitatem vel ſuæ, vel aliorum averſionis, quaſi nulla reverſionis vel poſſibilitas, vel proſperitas. Judæ averſio jam 1600. annorum fuit, & Iſraelis 2400. & quamdiu adhuc continuanda incertum, cum Euangelium adhuc multas nationes debeat obire. Verum quamdiu etiam continuetur, finem accipiet, in extremo dierum revertentur, Etiam extremum eſt unicuique homini, nationi. Non quidem promiſſio ſuppetit de aliis, uti hic de Iſraele, ſed tamen poteſt dari beneficium etiam tunc. Vocantur quoque ad nonam & undecimam horam Mat. 20. & latro extremum duodecimæ horæ habuit ſalutare. Nemo differat reſipiſcentiam, nam forſitan extremum ſuorum dierum jam fluit, ne citra eam exſtinguatur, æternum miſer futurus; Nemo quoque deſperet, quaſi extremum nimis ſerum foret. Sed Hodie, quando audimus vocem Domini ne obduremus corda noſtra neve gratiam illam fruſtra acceperimus. Quodvis momentum poteſt eſſe extremum, ſit illud nobis reſipiſcentiæ, quo veniamus ad Deum uſque; licet tunc moriamur, moriemur apud Dominum, & moriemur in Domino, æternum cum ipſo futuri.

Verſ. 31. *Quandoquidem Jehova Deus tuus* eſt Deus *fortis, miſericors, non deſeret te, neque perdet te: nam non obliviſcetur fœderis majorum tuorum, quod juramento ſancivit illis.*

Hæc eſt nova promiſſio Dei, non ex fœdere Iſraelis ad montem Sinai, & unde ipſorum reſtitutio dependet, quod hoc verſu à Moſe docetur, quo promiſſam reſtitutionem confirmat. Promiſerat eam, verſ. 29. Indicato nexu inquiſi-

quiſitionis & inventionis Dei, dummodo inquiſitio fuerit genuina; ita tamen ut inquiſitionem iſtiuſmodi polliceretur futuram. Explicarat, verſ. 30. quando & qualis futura eſſet, in ultimo dierum, extremis diebus, qui Meſſiæ, fluentibus, redituris ipſis ad Dominum Deum ſuum ut conſtanti obedientia ipſi adhæreant. Verum cum incredibilia iſta forent, tum ob impotentiam ipſorum, quæ converſionem reddebat impoſſibilem reſpectu ipſorummet, tum ob fœdus ſuum Sinaiticum, quod incredibilem reddebat reſpectu Dei: addidit confirmationem utrique difficultati occurrentem, eoque promiſſionem firmiter roborantem, verſ. 31.

Confirmatio iſta eſt generalis & ſpecialis.

Generalis eſt, *Nam D. Deus tuus eſt* אל רחום *Deus fortis miſericors.* Ducit argumentum à natura Dei. Deſcribit qualem habent & profitentur *D. Deum tuum*, qui Deus gratiæ & veritatis, quod Jehova dicit, eis fœdere junctus erat. Ad illum dixit reverſuros, verſ. 30. & hunc quæſituros in exilio, verſ. 29. ut hoc extra controverſiam ponat, etiam Exules & Diſperſos Iſraelitas habere D. Deum ſuum: non poſſent enim talem quærere, neque ad talem redire, niſi talis ipſis eſſet. Nequit ipſis iſtud privilegium fœderis adimi, quandoquidem Deus ipſe illud addicit, Lev. 26: 44. præterea & hoc eſt, *cum erunt in terra hoſtium ſuorum, non repudiabo eos, neque eos abominabor, ut conſumam eos, irritum faciendo fœdus meum cum ipſis; nam ſum D. Deus ipſorum.* Ubicunque degunt Iſraelitæ, etiam profanantes nomen Domini, ſunt Populus Domini, egreſſi ex terra ejus. Ezech. 36: 20. Sic eos habet Deus, & ſic habendi nobis, & qui eos lædunt, rei fiunt Deo. Jer. 2: 3. Et ne quis hoc judicium reſtringat ad Iſraelem integræ vitæ, Jer. 50: 6, 7. Exules Iſraelitas Deus agnoſcit fœderatos ſibi, ſed ut rebelles puniat, Deut. 7: 9. D. *Deus veſter, ſervat fœdus & benignitatem amantibus ſe & obedientibus, ſed rependit cuivis odio habentium ſe in faciem ejus, ut perdat, non differet oſori ſuo, in faciem ſuam ei rependet.* Rebellis gravior pœna eſt, quam alieni peccantis. Et ſane ipſorum afflictio facit eos ſingulares, ut non communi modo habeantur à Deo, ſed quos ſegregavit quodammodo ad pœnam, exemplum futuros ubique terrarum, quod quibus præ cæteris benefecit, in ipſis præ cæteris vindicet peccatum, & domeſticos primos vocet ſub pœnam, Amos 3. verſ. 1, 2. Jer. 25: 29.

De hoc D. Deo ipſorum duo affirmat, quæ probent promiſſionem, verſ. 29, 30. *Quæretis, & invenies* rite quærens: *in anguſtia quando ſupervenerint mala, converteris, & obſequeris. Nam D. Deus tuus eſt Deus fortis miſericors.* Fundamentum reſtitutionis eſt Dei potentia, & miſericordia. Hæc generalia ſunt.

B. *Potentia* eſt in voce אל quæ à robore derivatur, & ſic redditur B. in ſecundo præcepto in Catecheſi, **ſterk en ywerigh**/ ubi verſio habet, **een ywerigh**/ &c. Et ſane potentia neceſſaria eſt non ſolum ad id quod inventione ſignificatur, quæ remotionem malorum & collationem contrariorum bonorum complectitur, quæ explicatio Dei eſt Jer. 29: 13. ſ. ſed etiam ad inquiſitionem, & converſionem, & obedientiam. Qui quærit oculis opus habet, ut videat, & lingua, ut interroget; & auribus, ut audiat reſpondentem, & pedibus, ut eat; & manibus ut moveat, ac apprehendat; ſed nihil horum ſibi homo facere poteſt. Ille faciat oportet, qui κατ' ἐξοχὴν fortis, *El*, poteſt omnia, formare oculos, plantare aures, dare linguam, manus pedesque ad motum neceſſarium largiri. Omnipotentiæ eſt dare illuminatos oculos mentis Eph. 1: 18 ſ. & ſupereminens magnitudo roboris ejus eſt in credentibus, juxta efficacem operationem potentiæ virtutis ipſius in excitatione Chriſti demonſtratam. Eſt Creationis omnipotentis excitare ex mortuis Rom. 4: 17. & vocare quæ non ſunt ut ſint: obedientes præſtare Eph. 2: 10. Et cum ſit Jehova Deus ipſorum, qui promiſit, utique potens eſt ad præſtandum Rom. 4: 21. Adeo ut ſit נצח victoria 1 Sam. cap. 15: 29. qui nulla vi majore ad mentiendum adigatur. Job. 42: 2. *Novi te omnia poſſe, neque ullam cogitationum tuarum poſſe præſcindi.*

Verum non ſufficit potentia, ſi deſit voluntas miſerendi, ut nolit eam exercere erga indignos, immerentes, contrarium meritos; proinde additur fundamentum alterum רחום qui *viſcera* miſericordiæ habet dilectionem tenerrimam qualis matris quæ utero geſtavit prolem, & miſeriis ejus afficitur intime ad commiſerandum, & juvandi voluntatem ſinceram concipiendum. Eſa. 49. verſ. 15. ſ. Pſ. 103. verſ. 13. Hujusmodi neceſſaria eſt ut anguſtiatos in malis ſuis intueatur, & iſtis commoveatur ad opitulandum, non obſtante iniquitate ipſorum, & malis meritis. Sic ſe deſcribit Deus Exod. 34: verſ. 6. & ſæpius in Sacris: promittit generatim Exod. cap. 33: 19. *gratioſus* &c. & *miſerebor* &c. Pſ. 116. 5. *Dominus eſt gratioſus & juſtus, & Deus noſter eſt* מרחם *miſerator.* Hoſ. 2: ult. *Miſerebor τῆς Lo-Ruchama.* Imo ad primam converſionem requiritur miſericordia Dei, Eph. cap. 2: 4, 5. & Deus dicitur *Pater miſericordiarum* 2 Cor. cap. 1: 3. Huic miſericordiæ debet conſervatio Iſraelis in adverſis Lam. 3: 22. & Pſ. 78: 31. nec non reſtitutio Lam. cap. 3: 31. ſ. *non abjiciet Deus in æternum; ſed poſtquam contriſtaverit, miſerebitur juxta multitudinem benignitatum ſuarum.* Hoſ. 2: ult. 1 Pet. 2: 10. Eſa. 30: 18. Mich. 7: 19. Ezech. 39: 25. *Sic ait Dominus: Nunc captivos Jacobi reducam & miſerebor totius domus Iſraelis, & zelabo ſuper nomine meo ſancto.*

Hæc duo nomina Dei magnum præſtant ſolatium, poſſe & velle miſereri. Nam ſi de his certus quis ſit, habet ſecuritatem liberationis ex maximis calamitatibus, in maxima indignitate. Unde ad miſericordiam Dei recurſus eſt, de cujus potentia non eſt quod dubitemus. Sic Hab. cap. 3: 2. & in omnium fere ore, Miſerere mei. Sed tamen multi ſic fruſtra clamant, quibus nec miſericordia, nec potentia Dei ſubſidium præſtat. Quos tamen Moſes hic non decipit, non ait, *Deus eſt fortis miſericors*, quod tamen veriſſimum Exod. 34: 6. ſed indefinitum: verum *Dominus Deus tuus eſt fortis miſericors*; fœderatis Dei hic ſolatium eſt, uti Deus ſe ſuamque veritatem obſtrinxit. Qui non ſunt fœderati Dei poſſunt ſperare aliquid, ſed non confidere, Jon. 3: 9. quemadmodum Pſ. 145: 8, 9. Aſt ſoli fœderati confidere hic poſſunt Joel. 2: 13. ſ. *Convertimini ad Dominum Deum veſtrum, nam eſt gratioſus &c. & pœnitens mali, quis novit revertetur, & pœnitebit, & benedictionem relinquet pone ſe ad oblationem Domino Deo veſtro* Ubi fœdus, ibi tenerior affectus Jer. 31: 20. Fœdus Dei præſidium dat in potentia & miſericordia Dei. Pſ. 102: 15. Eſa. 54: 6. ſ. Gloriam & immunitatem ab afflictione, & terrore quoque, adeo ut nec arma, nec linguæ contra valeant. Hodie quoque fœderis confirmationem conſecuti ſumus, potentia & miſericordia Dei nobis eſt præſidio; modo in futurum fidi ſimus in fœdere, præterita indignitas & rebellio non impediet, ut vel iſta vel illa careamus.

Specialis occurrit geminæ objectioni, quam in contrarium potuiſſent movere Iſraelitæ, & quæ nunc quoque ſpem ipſorum poſſet morari.

Primo objectio eſt: Facile perſuademur D. Deum noſtrum fore fortem miſericordem, ſi quæſiverimus, reſipuerimus, obedientes fuerimus; ſed hæc nobis præſtare impoſſibile; caremus oculis, auribus, corde ad hæc ſuſcipienda aut facienda; neque etiam nobis iſta parare poſſumus. Perdita ovis nequit paſtorem quærere, ſed ab ipſo quærenda eſt; averſi à Deo nequeunt ſe convertere; cor deceptum ſeducit, ut quis animam ſuam liberare non poſſit Eſa. 44: 20. cap. 53: 6. *Reſpondet* Moſes, *D. Deus tuus non deſeret te, neque perdet te.* Verum רפה eſt *remittere, deficere*, ut quis deſinat agere, & ex impotentia, unde remiſſæ manus, Eſa. 35: 3. & remiſſus manibus 2 Sam. 17: 2. Hoc loco eſt לא ירפך *non dimittet te*, vel *non faciet te remittere*, h.e. non ſinet te eſſe remiſſum debilem, vel non remittet ipſe à te, ut non addat robur, & vires ſufficiat, Verbum alterum לא ישחיתך *deſtructionem* negat: adeo ut ſignificet. Deum largiturum à ſe vires ut facere poſſint quæ ſibi facienda ad ſui reſtitutionem; & non perditurum, ut fruſtra illa agerent, ipſo judicia ſua prorogante, quod inventioni promiſſæ adverſaretur. Hoc modo præcidit deſperationem ob impotentiam. Manus omnium remiſſæ ſunt, & genua labant, ſunt populus corde non minus quam oculis & auribus carens, & quod plus eſt, juſto Dei judicio

dicio tales ſunt, qui occœcavit oculos, obturavit aures, & corda induravit Eſa. 6: 10. effudit ſpiritum ſoporis, capit. 29: 10. cap. 63: 17. Verum Deus in extremo dierum nolet deſerere amplius ut deficiant robore, ſed dabit vires neceſſarias. Deut. 30: 2. ſ. Converſio amor Dei & obedientia ſunt effectus circumciſi cordis, quod conſequentur à Domino, & tunc nihil mirum ſi nulla ſit perditio. Olim mandata ipſismet cordis circumciſio Deut. 10: 16. & Jer. 4: 4. ſed quod impoſſibile homini, cum iſtud opus ſit formatoris cordium Pſ. 33: 15. Quamobrem deſperata omnia, ſi ipſis agendum relinquatur. Verum Deus peraget. Ille mandat robur iſtud. Eſa. 35: 3. ſ. Sic Jer. 24: 6. ſ. Jer. cap. 32: 37. ſ. Ezech. 36: 26. ſ. reſtitutis ex diſperſione promittit, &c. ubique additis iis quæ perditioni prorſus adverſantur. Hinc vero tollitur difficultas illa de obſtinatione Judæorum, & impoſſibilitate converſionis. Deus faciet, & nihil ipſi mirabile Jer. 32: 17--27. nihil impoſſibile Luc. 1: 37. Si peccata obſtent Jer. 50: 19. ſ. *reducam Iſraelem ad ſuam habitationem*; Jer. 33: 8. Ezech. 39: 29 inquit D. Dominus Eſa. 32: 14. ſ. Aſt nos quoque diſcimus unde fluat vera reſipiſcentia & obedientia, nempe à Deo fœderato. Solicitos tenet fideles quandoque ſua impotentia, ut nec deſerere malum penitus queant, nec præſtare Deo conſummatum obſequium. Verum hoc Dei fœderati eſt, ille ſolus poteſt præſtare, & vult quoque, Rom. 7: 24. ſ. utp. non remiſſurus manus, neque perditurus. Eſa. 26: 12. Phil. 1: 6. cap. 2: 12, 13. Eſa. 61: 3. Heb. 13: 21. Col. 1. verſ. 9. ſ. Polliciti ſumus hodie obſequium novum, ſed ex nobis nihil poſſumus Joh. 15: 5. verum Hoſ. 14: 9. Poſſumus omnia per Chriſtum qui largitur robur Phil. 4: 13. & cujus robur in infirmitate noſtra conſummatur, 2Cor. 12: 9. Hacpropter factus eſt nobis cibus & potus, ut vivamus & roboremur, dummodo fide ipſius fiamus participes, Gal. cap. 2: 20. quomodo obedientia noſtra eſt fidei, Rom. 16. verſ. 26. Eſa. 40. v. ult.

Secunda objectio eſt, Equidem ſi Deus non remittat, nec perdat, ſed ipſemet in nobis & per nos operetur, iſta fieri poſſunt. Sed hæc Deus non faciet, utp. aliena à fœdere noſtro Sinaitico, quo nobis hæc incumbunt. Hinc Eſa. 5: 4. non potuit plura facere circa vineam ſuam, quam ut per Prophetas plantaret & rigaret, faceret cœleſtis doctrinæ pluviam cadere. Potuit quidem etiam incrementum dare, (quod ni faciat, nihil boni creſcet 1 Cor. 3: 6, 7.) ſed non potuit id facere ex noſtro fœdere; unde Deut. 29: 4. adeoque à fœderato Deo iſtud non eſt nobis exſpectandum. *Reſpondet* Moſes, & non obliviſcetur fœderis patrum tuorum quod juravit illis. Si ex veſtro fœdere agat, nihil conſequemini, id verillimum eſt; ſed antiquius fœdus cum Patribus Ab. Iſ. & Jacobo initum pro ipſis & ſemine ipſorum univerſo Gen. 17: 7. ejus non obliviſcetur Deus. Eſt illud fœdus gratiæ, quod Abraham fide apprehendit, Gen. 15: 6. adeoque fide derivavit robur à Deo, quo præſtaret promiſſum obſequium. Conferantur Gen. 17: 1. cap. 15: 6. cap. 26: 5. Hoc fœdus antiquius eſt, quod recentiori Sinaitico non potuit aboleri. Gal. 3: 17. fœdus ante à Deo ſancitum in Chriſtum, per Legem, quæ 430. annis poſt venit, non infirmatur, ad abolendam promillionem. Huic addidit jusjurandum, immutabili conſilio immutabilem confirmationem, Heb. 6: 17. Sic Pſ. 105: 8. ſ. *meminit in æternum fœderis ſui*, Ezech. 16: 59. Scl. reſtitutio, & prærequilita reformatio Iſraelis non fluit ex fœdere Sinaitico; ejus lex iram operatur, nam *maledictus*, &c. aſt in Iſraelitarum privilegia ſunt fœdera. Rom. 9: 4. Eph. 2: 12. præter ſuum illud, etiam antiquius Abrahami, & ex hoc fluit gratia. Novum Iſraeli promiſſum, non differt ab iſto; dicitur autem novum reſpectu prioris cum eodem populo initum in Sinai, quod ob vitium ſtipulationis ipſorum abrogandum, ut quale Abrahami fuit, fidei ſit fœdus & gratiæ, quo nitebatur David, quando petiit, Pſ. 51: 12. & 143: 10. & 1 Chron. 29: 18. Hac ſollicitudine nos liberati ſumus; non ſumus ſub lege, ſeu obligatione propriarum virium, neque ante fuimus, quia gentiles, ſine lege, ſed ſumus ſub gratia: vocati ad fœdus Abrahami quo etiam Iſraelitæ vocati, Act. 2: 39. cap. 3: 25. ſ. Hujus fœderis æterna eſt memoria apud Deum Pſ. 103. 17, 18. & ſi inceſſerimus per veſtigia fidei patris Abrahami, ſumus ejus liberi, & fœderis ejus conſortes. Hoc fœdus nobis publicatur per Euangelium, obſignatum in Sacramentis ſi fide illud recipiemus recordabitur Deus ejus in perpetuum & largietur non ſua ſolum promiſſa, ſed etiam, quia ſua, noſtra; Deus noſter fide apprehenſus dabit robur ut faciamus voluntatem ejus ambulando coram ipſo, donec abſoluto curſu & ſervata fide ad ipſum perveniamus, viſuri faciem ejus in juſtitia, & ſatiandi imagine ejus cum evigilaverimus ad ſalutem æternam.

Verſ. 32. *Nam interroga nunc, à temporibus priſcis quæ* fuerunt *ante te, inde ab eo die quo creavit Deus hominem ſuper terram, ab* una *extremitate cœli uſque ad* alteram *extremitatem cœli: num facta fuerit res cujuſmodi hæc maxima, aut num audita fuerit ſimilis ei:*

Verſ. 33. *Num audierit* ullus *populus vocem Dei loquentis è medio ignis ut tu audiſti, & vixerit:*

Verſ. 34. *Aut num tentaverit* ullus *Deus veniens aſſumere ſibi gentem* aliquam *è medio* alterius *gentis; probationibus, ſignis ac prodigiis, belloque & manu forti & brachio extento, denique terroribus maximis: qualia* ſunt *omnia quæ fecit pro vobis Jehova Deus veſter in Ægypto ante oculos tuos.*

Num. 23. & 24. inter alia argumenta pro Iſraelis perpetuitate, eſt Dei veritas & fœderalis fides eſt verbi largitio, & conſervatio eſt beneficentia in vindiciis ex Ægypto præſtita, eſt Meſſias ex Iſraele, & pro Iſraele quoque venturus. Hujuſmodi argumentis etiam uſus eſt Moſes hoc loco, Reſtitutionis futuræ fundamenta duxit à natura Dei & fidelitate fœderali, quod non obliviſcatur fœderis patrum.

III. Ducit etiam *à Beneficiis* quæ Iſraelem fecerunt prorſus ſingularem. Quæ nunc, verſ. 32. ſ. enumerat. Repetit iis argumenta quibus ad obſequium mandatorum divinorum cohortatur, verum connexio fit per voculam כי *Nam*, confirmantem proxime præcedentia: Dominum D. ipſorum fortem miſericordem non deſerturum, nec perditurum, nec fœderis cum patribus obliturum. Nam beneficia ἀπαράκλητα fiduciam facere immutabilis voluntatis circa fœdus cum patribus initum. Conſiderabimus utroque modo, & quæ confirmant Dei erga Iſraelem conſtantiam in fœdere, & qua urgeat Iſraelis erga Deum obedientiam. Illo modo, quando probat ſingularitatem populi, verſ. 32. --34. Iſto quando applicat ea ad ipſorum obſequium perſuadendum, verſ. 35--40.

A. *Singularitas* populi docetur indicando. I. modum inveſtigandi, verſ. 32. II. argumenta demonſtrandi, verſ. 33, 34.

א. *Modus inveſtigandi*, verſ. 32. eſt per inquiſitionem, ubi.

a. *Cui* imperetur, שאל נא *interroga quæſo*. Unicuique ſigillatim id mandatur, quamvis res illa omnes attineat, verſ. 34. *quæ fecit vobis D. Deus veſter coram oculis tuis.* Unicuique Inquiſitio inſtituenda, Deut. 32: 7. *interroga patrem tuum & indicabit tibi; ſenes tuos & dicent tibi.* Imo Exod. 12: 26. cap. 13: 14. Cultus ita exercendus, ut minoribus inquirendi detur occaſio. Habetque momentum τὸ נא *quæſo* indicans neceſſitatem utilitatemque inquirenti, qui rogatur, uti cum medicus rogat ægrum ut utatur medicamento; aut cum aliquis rogatur ut bono conſilio locum præbeat. 2 Cor. 5: 20. Inquiſitio humanam decet ſollicitudinem. Bruta aguntur impetu, aut voluntate ejus qui agit; ſed homines quibus Deus mentem dedit, ipſimet debent inquirere. Nemo vivit aliena vita, neque etiam aliena notitia aut fide, Heb. 2: 4. eoque ut propriam ha-

habeat inquirendum eſt. Jer. 6: 16. Non ſufficit doctores parentes noſſe, etiam ſciendum auditoribus liberis. Habemus inquirentes adultos Act. 2: 37. cap. 16: 30. & de juvenibus Pſ. 119: 9. Sunt omnes curioſi eorum, quæ fiunt in mundo, quæ ſæpe nullatenus attinent, fabularum quæ artificioſæ ſunt confictæ; inutilis iſta inquiſitio eſt, & ſæpe noxia; hic commendatur neceſſaria, ut quis norit Deum, & quis ſibi ſit, quantum ſingularitatis apud ipſum, unde æterna ſalus dependet. Pontificii prohibent eam inquiſitionem, ſufficere docentes, ſi quis Eccleſiæ fidem habeat, quod Papa Rom. & Cardinales aut Concilium dicunt, licet nunquam auditum aut cognitum. Imo jam olim, quando S. Cœna celèbranda erat, Catechumeni dimittebantur, ne viderent ritus, contra quam Deus inſtituit, qui minorennes præſentes eſſe voluit Paſchati, ut videntes inquirendi cauſam haberent; ſed tum quæſita paulatim ignorantia, ut deinde figmentis miraculoſæ præſentiæ corporalis Chriſti imbuerentur, myſterio non vulgando. Singularitas conjunctionis cum Deo non fugit lucem, inquirendum eſt, ut & inquirenti & aliis poſſit fieri manifeſta.

b. *Tempus*, de temporibus prioribus, *quæ fuerunt ante te, à quo die creavit Deus hominem ſuper terram.* Priora tempora ſunt meditanda, non tantum quæ in noſtris fiunt diebus, ſed quæ ante nos natos facta ſunt, & quia de ſegregatione Eccleſiæ agitur, inde à creatione prima hominis, Act. 17: 25, 26. cognitio Dei ſic inſtituenda, & pariter Eccleſiæ ratio Deut. 32: 7, 8. Profecto eſt hæc cognitio utiliſſima à Catecheſi inculcata, quæſt. 19. Euangelium docens à Deo patefactum in Paradiſo, & poſt per Patriarchas & Prophetas annunciatum, varie præfiguratum, tandemque per Filium impletum; & quæſt. 54. Eccleſiam ab initio mundi ad ejus finem congregari, defendi & conſervari. Sane id apprime utile cognoſcere, quo inquiſitio pertinet; qualis homo eruditus, quæ mutatio per lapſum fuerit introducta. quomodo Deus ſibi ſegregarit homines in Eccleſiam, Gen. 3: 15. ponendo inimicitiam inter Serpentem & mulierem, fiducia victoriæ de Serpente & ſemine ejus per Semen mulieris reportandæ; quomodo hominum nata fuerit diſtinctio publica, ut quidam filii Dei, alii filii hominum dicerentur, quomodo poſt univerſalem corruptionem & perditionem ſegregatus fuerit Noach, & inter filios ejus tandem Abraham, & hujus poſteritas, neglectis gentibus cæteris, donec ad extremum etiam gentes adſcitæ, & uſque ad nos pervenerit Euangelium, Jud. cap. 2: 10. ſ. *ſurrexit generatio poſt ſeniores, quæ Dominum non norat*, per experientiam, *neque etiam opus quod fecerat in Iſraele* per recordationem *tum fecerunt quod malum in oculis Domini, & coluerunt Baales, & deſeruerunt D. Deum patrum ſuorum, qui eduxerat eos ex Ægypto.* Nimis id verum de omni defectione, oblivio præteritorum, ſeu neglecta inquiſitio. Nullus fuiſſet error in religione, ſi Scripturæ manſiſſet inquiſitio, ſed dum ea negligitur, & attenditur hominis interpretationibus, illarum ingruit oblivio, Jer. 23: 27. Nulla corruptio morum tanta, ſi meditatio jugis eorum quæ Deus prioribus temporibus feciſſet. Hinc 1 Cor. 10. 6. ſ.

Sed id ſpeciatim notandum, quod inquiſitionis principium ſtatuat in Creatione, neque de anterioribus ulterius jubeat adſcendere. Præcidit hac ratione curioſitatem inquirendi ea quæ anteceſſerunt mundi creationem; quid Deus tunc egerit, ubi fuerit, Deut. 29: verſ. 29. priora illa ad occulta pertinent, & de iis nobis non inquirendum. Facit Deus omnia ex conſilio ſuæ voluntatis Eph. 1: 11. & hoc conſilium jactis mundi fundamentis antiquius eſt, verſ. 4. Sed nihil ejus ſcimus, quam quod Deo placuit revelare in verbo. Multi eo ſe macerant, quid Deus ab æterno de ſe & aliis ſtatuerit? Sed iſtud ſcire nos noluit Deus. Sed ex quo condidit hominem, & lapſo patefecit Meſſiam, ſimul indicavit quinam ſalvandi, quinam damnandi ſint ex ſuo decreto. Quotquot à Deo conſtituuntur inimici Serpentis, una cum victore Serpentis, cujus fiducia inimicitiam ſuſcipiunt exercentque rebellando cum antea ſervi forent obſequentes, triumphant, quotquot perſeverant in amore & obſequio ſerpentis, etiam hoſtes ſeminis mulieris una cum Serpente capitis contritionem patiuntur. Job. 20: 4. *Sciſne hoc ab æterno* &c. (מני עד *ab æterno*, quando id decrevit Deus) *impios tandem pœnam ferre.* Oues datas Chriſti nemo novit, niſi quando adductæ fuerint, ut audiant, & ſequantur vocem ejus Joh. 10: 16. etſi ante etiam ſint quoad electionem, 2 Tim. 2: 19. ſ. Luc. cap. 13: 24. ſ. non auditores communicantes, nedum qui neutrum agunt, ſed factores voluntatis divinæ poſſunt cenſeri inter electos à nobis, 2 Pet. 1: 10.

c. *Locus* ſic indicatur, *ab extremo cœlorum ad extremum illorum.* Deſignatur univerſa terra, & omnes homines ſeu nationes incolæ. Ubique aliquid eſt inquiſitione noſtra dignum; Deus enim nuſpiam ſe reliquit ἀμάρτυρον, etiam ubi ſivit ire homines in ſuis uiis Act. 14: 16. ſ. Sed inprimis id faciendum ut ſingularitas deprehendatur; quemadmodum h. l. anne tale quid acciderit, omnium temporum & locorum perveſtigatione opus eſt. Hujuſmodi indicavit Moſes Deut. 4: 7, 8. ἀπαρχὴ τῶν Iſrael, & nunc Deus beneficiis: & talis erit in reſtitutione Deut. 30: 4. Verum ἀπαρχὴ τῶν ἀλλοτρίων peccatorum, ſic quoque colligitur Jer. 2: 10. ſ. De Eccleſiis Chriſtianis in Aſia id dicendum, quas Apoſtoli fundarant, deſerta doctrina Prophetarum & Apoſtolorum adſciverunt Philoſophorum gentilium, & tandem Muhamedis. Dicendum de Europæis Romanam ſecutis, neglecto Deo adſcitus Vicarius homo Antichriſtus, & pro uno Chriſto patrono æternum vivente, mortui infiniti, qui augentur ſubinde, & pro uno ejus ſacrificio quotidiana miſſæ. Si totum orbem quis luſtret, nuſpiam tot Ordines Monachorum, nuſpiam tot ſuperſtitiones, adeo ut ſentina Judaiſmi & Ethniciſmi huc quaſi confluxerit. Ἀποστασία eſt iſta apoſtaſia, quæ κατ' ἐξοχὴν ſic dicitur 2 Theſ. 2: 3. Enimvero alia ratione nobis ſectanda ἀπαρχὴ τῶν λοιπῶν Eſt. 3: verſ. 8. *Eſt populus diſperſus & diviſus inter populos in omnibus regionibus regni tui, & leges ipſorum ſunt differentes ab omnium populorum legibus*, dicit de Judæis Haman. In diſperſione ſunt diviſi, quia differentes ſequuntur leges. Sic nobis vivendum ubicunque degamus, ut alias ſequamur leges 1 Pet. 4: 2. ſ. Mich. 4: 5. *Omnes populi ambulabunt, quivisque in nomine Dei ſui, ſed nos ambulabimus in nomine Domini Dei noſtri in ſeculum & in ſempiternum.* Ut in omni actione noſtra appareat nos eſſe Chriſtianos, ut ſic loquamur, ſic agamus, ſic veſtiamur, ut in ipſa Ægypto loquamur linguam Cánaan Eſa. 19: 18. deque nobis dicatur, hi homines ſunt ſervi Dei altiſſimi, docentes viam ſalutis Act. cap. 16: 17. ſaltem vita Phil. 2: 15. ſic erimus ἀπαρχὴ τῶν λοιπῶν apud Deum ubicunque fuerimus. Act. 10; 35. *In omni populo qui Deum timet, & juſtitiam operatur, eſt ei acceptus.*

d. *Res* inquirenda, *an tale quid magnum factum ſit, aut quid ſimile auditum.* Res magni momenti ſit oportet, quæ tanto ſtudio inquiratur. Aurum, argentum, margaritæ quæruntur in locis longe diſſitis, & quod rarum eſt, ita quoque hic partim viſu, partim auditu perceptum; qui ſunt ſenſus potiſſimi ad cognitionem rerum facientes. Quæ iſta ſint, dicitur verſ. 33. de auditis, & verſ. 34. de viſis mutato ordine, ut de poſtremo prius agat, & tum demum de primo, uti 1 Cor. 6: 11.

ב. *Argumenta* demonſtrandi ſingularitatem ſunt.

a. *Audita*, verſ. 33. *Audivitne populus vocem Dei loquentem è medio ignis, quemadmodum tu audiviſti, & vixit:* Spectat hiſtoriam promulgati à Deo fœderis, de qua dixit, verſ. 10. ſ. & dicet cap. 5. Singularitas hic obſervanda in circumſtantiis variis; Deus ſæpius locutus eſt hominibus, inde à condito mundo Heb. 1: 1. ſed nunquam ſic; equidem locutus eſt ex igne Moſi, Exod. 3. ſed ipſi ſoli: locutus eſt toti generi humano ſimul, ſed cum ſoli eſſent protoplaſti, & cum præter Noachum & familiam ejus nulli ſupereſſent; neque his ex igne. Verum hic locutus eſt ex igne, & locutus uni populo, eique univerſo, ut nemo ullius ætatis aut ſexus præteriretur, Exod. 19. & hi omnes ſupervixerunt Exod. 32: 20. *Nullus hominum me videbit & vivet*, dicit Dominus de viſione quæ futuri ſeculi eſt, & nunc nemo tolerare poteſt. Verum de alia revelatione præſentiæ Dei, crediderunt eam adferre mortem præſentiſſimam, ut Gideon Jud. 6: 22. ſ. Manoach Jud. 13: 22. Iſaias Eſa. 6: 5. Hic quoque Iſraelitæ ignem conſumentem metuebant ſe abſumturum; unde deprecati ſunt ulteriorem auditum Deut. 5: 23. ſ. Qui confirmati ſunt uti & cæteri illi. Anno-

notatur Exod. 24: 7. ſ. quod Seniores Iſraelis *viderint Deum Iſraelis, quod manum ſuam contra eos non extenderit, imo quod comederint & biberint, poſtquam Deum vidiſſent.* Ἀπαραιτήλως egit cum Iſraele Deus in publicando illi ſuum fœdus, eoque non deſeret, deſtruet, fœdere ſuo privabit. Deut 33: verſ. 2. ſ. Teſtimonium amoris Dei ſingularis, ſic docuiſſe ſuam voluntatem; unde immutabilis amor merito concluditur Num. 23: 21. *Non intuetur* &c. & verſ. 23. *Non eſt incantatio* &c. Rom. 3: 2. ſ. Privilegium creditorum eloquiorum Dei facit ad demonſtrationem immutabilis fidelitatis Dei. Quo pertinet quod 2 Cor. 3: 14. ſ. V. T. legere jugiter dicuntur, licet velamine corda tegente, quod ubi ad Chriſtum converſi fuerint, amovendum ſit. Quomodo habere & habituros docet Scripturam uſque ad converſionem, quam pollicetur, utique Deo non fruſtra gratiam verbi ſui eis faciente.

Enimvero nobis quoque hic quid obſervandum. Id quidem fatendum, ne nunc quidem ullum dari populum, cui Deus eo modo ſit locutus, quique pari privilegio gaudeat cum Iſraele: attamen quod Hebræis ſcribit Paulus, nos quoque attinet, quod Chriſtiani ſumus. Heb. 1: 1. Deus etiam nobis locutus eſt per Prophetas. Judæi illa tempeſtate habuerunt propheticum ſermonem 2 Pet. 1: 19. & Gentiles habent Rom. 16: 26. imo utrique Apoſtolicum quoque Judæi 2 Pet. 3: 2. Gentiles Eph. 2: 19. 20. qui ſibi æquantur hoc pacto, longinqui propinquis. Utriſque Deus locutus eſt per Filium magnum illum Prophetam alterum, qui Dei futurus erat internuncius. Deut. 18: 18. & cujus ſermo æquatur illi Dei de monte Sinai Heb. 12: 25. Qui vivo ſermone docuit Judæos miniſter circumciſionis Rom. cap. 15: 8. Matt. 15: 24. ſed poſt per Apoſtolos tam Gentes quam Judæos Matt. 28: 19 ſ. Act. 1: 8. Et hic quoque ex igne locutum dicere poſſumus, cum Apoſtolis non fuerit docendum poſt Chriſti adſcenſionem, uſque dum accepiſſent Spiritum S. qui effuſus in ipſos fuit ſpecie flammarum ignis ſuper eos ſedentis. Act. 2: 3, 4. Hæc proinde eſt doctrina ex igne non materiali, ſed Spiritus S. cujus ignea vis. Facta illa eſt ad pop. unum, non quidem naturali origine, ſed ſupernaturali regeneratione Spiritus Tit. 3: 5. & verbi veritatis Jac. 1: 18. quod ſemen regenerationis 1 Pet. cap. 1: 23. ſed acquiſitione, cujuſmodi ſunt Judæi converſi 1 Pet. 2: 9. & Gentiles Tit. 2: 14. qui omnes à Chriſto denominantur Eph. 3. verſ. 17. ab eo dicti Chriſtiani Act. 11: 26. & licet inter omnes nationes, & linguas, familias, & populos reperiantur; non tamen niſi uno fœdere Deo junguntur, & unam habent ubique legem, quæ fidei eſt, omne diſcrimen Judæorum Gentiumque abolens, cum & illi & iſti eodem modo ſalventur Rom. 3: 27. ſ. Et adhuc ſpiritualius. Deus hodieque loquitur unicuique fideli. Joh. 6: verſ. 44, 45. nequit cenſeri vere Chriſtianus, niſi ſic fuerit inſtitutus, Act. 15: 8. Deus Καρδιογνώστης teſtimonium dedit Gentibus, qui audiverunt per os meum verbum Euangelii, & crediderunt, dando eis Spiritum S. uti & nobis, purificans corda ipſorum per fidem. Qui etiam audito ſermone veritatis, Euangelio ſalutis ſuæ, eoque credito obſignati ſunt Spiritu promiſſionis ſancto Eph. 1: 13. pariter audiverunt vocem Dei, & Unctio quam acceperunt à Sancto illo docet eos omnia 1 Joh. 2: 20. 27, Atque hic demum valet, quod qui audiverit, vivet. Joh. 5: 25. *Hora venit, & jam eſt, ut mortui audiant vocem Filii Dei, & qui audiverint, vivent.* Habet enim Chriſtus verba vitæ æternæ, & verba quæ loquitur, Spiritus ſunt, & vita ſunt. cap. 6: 63. 68: Etenim qui verba ejus recipit, habet ipſummet Chriſtum Joh. 15: 7. & ipſe eſt reſurrectio & vita, qui in eum credit &c. cap. 11: 25, 26. Quis unquam audivit majora hiſce? Iſraelitæ audiverunt & vixerunt, ſed ut tandem morerentur; aſt hic vita æterna ſequitur auditum Joh. 10: verſ. 27. ſ. Oves Chriſti quæ audiunt, habent vitam æternam. Adeoque immutabilis etiam hic amor Dei Joh. cap. 14: 23. Si quis me diligit, cuſtodiet verba mea, & Pater meus eum diliget, & ad ipſum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.

b. *Viſa*, verſ. 34. *Aut an tentavit Deus* &c. Hoc eſt factum iſtud magnum cui ſimile nullum unquam viſum, quando Deus ſibi Iſraelem acquiſivit in populum; cum enim Pharao nollet dimittere Iſraelem ad Dei mandatum, ſigna & miracula edidit maxima, ut extorqueret, X plagæ miraculoſæ quoad acceſſum & receſſum Moſe eas vocante, & precibus removente, & quoad determinationem ut Iſraelitas ubicunque in Ægypto degentes non attingerent. Primogenitorum mors inter homines & bruta una nocte; ductus Iſraelis columna nubis & ignis, ſciſſio maris, tranſitus Iſraelis, Ægyptiorum ſubmerſio, ut horum perſequentium nullus evaſerit, Iſraelitarum nullus quid damni paſſus ſit, aut ungula relicta fuerit. Hinc tot congeſta vocabula, ad exaggerationem, atque uti hujus oculati teſtes erant Iſraelitæ, quotquot vicennio minores erant, quando recenſiti, ſic omni inquiſitione nullum parile exemplum poterant reperire.

Obj. Amos. 9: 7. *Annon eduxi Iſraelem ex Ægypto & Philiſtæos ex Caphtor & Syros ex Kir?* Sed ſimilitudo hic tantum eſt quoad mutatas populorum ſedes, non autem de acquiſitione, quæ proprios Deo fecit Iſraelitas; unde ſequens iſtius acquiſitionis mentio in Sacris: Verum hinc concludenda immutabilitas fœderis, cujus Bileam quoque habet rationem Num. 23: 22. ſ. Deus id docet Lev. 26: 44. ſ. *Non irritum reddam fœdus meum cum ipſis, cum fuerint in terra hoſtium, nam ſum Dominus Deus ipſorum, ſed recordabor ipſis fœderis priorum, quos ex Ægypto coram oculis Gentium eduxi, ut ipſis eſſem in Deum. Ego ſum Jehova.* Adeo teſtata publica acquiſitio non patitur, ut Deus ſe mutatûm aut pœnitentem oſtendat, ne Gentibus blaſphemiæ detur anſa, ſed aſſeret ſe Jehovam. Mal. 3: 6. Hac propter Samuel ait popŭlo, quando Deum Regem repudiarant poſtulato Rege Domino, *Non deſeret populum ſuum propter nomen ſuum magnum, quia Domino placuit omnes ſibi facere populum ſuum*, & David 2 Sam. 1: 23. ſ. *Quis eſt ut populus tuus, ut Iſrael?* Qua de cauſa dicitur liberaturum eos, uti cum ex Ægypto eduxit Eſa. 11: 16. Hoſ. cap. 2: 14. Mich. 7: 15. Ezech. 39: penult. imo liberationem ultimam magnitudine ſua ſuperaturum illam Jer. 23: 7, 8. quæ altera acquiſitio populi Eſa. 11: 11.

Habemus & hic aliquid conſentaneum. Non commemorabo vindicias Belgii in libertatem ab Hiſpana tyrannide, nec à Gallorum ſubito dominatu. Sunt iſta beneficia providentiæ divinæ generalis potius quam fœderis gratiæ. Sed quæ hujus bona ſunt. Unquamne viſum ut Deus acquireret ſibi populum peculii, non ut Iſraelem ex Ægypto. populum unum è medio populi per miracula & judicia; ſed ut Filius Dei indueret carnem, fieret homo, ſe ſanctificaret in hoſtiam, ut ſui ſibi dati ex omnibus familiis terræ ſanctificati eſſent in veritate, ſegregati à reatu, dante ipſo animam ſuam lytron pro ipſis, & ſanguine ſuo acquirente Eccleſiam; ut idem veniret contra fortem illum principem mundi, & ipſum vinceret, captivitatem ejus captivaret, & ſibi dominium pararet inter hoſtes ſuos, ut tracti ex poteſtate diaboli & tenebrarum, in ſuo regno viverent & conſervarentur, adeo ut ipſæ portæ inferorum nequirent prævalere. Hoc facit ut Iſrael perennare debeat Jer. 31: 10, 11. facit item ut perennent quotquot idem beneficium ſunt conſecuti. Joh. 10: 11. 28. cap. 17: verſ. 19, 20. Eſa. 40: 10, 11. Iſtud ſolatium eſt unicum Chriſtianorum, in Catecheſi quæſt. 1. Et hoc quod ſignificatur & obſignatur nobis in S. Cœna. Panis ille eſt ſignum corporis Chriſti pro nobis fracti. Poculum ſanguinis Novi Teſtamenti pro nobis effuſi in R. P. Quod enim Chriſtus dixit ad Apoſtolos Judæos, id Paulus etiam Gentes attinere docuit 1 Cor. 11: 23. ſ. cap. 10: 16, 17. Acquiſitionis pignus & pretium vidimus, cujus nulla Chriſto pœnitentia. Quos amavit, amavit ad finem uſque Joh. 13: 1. Acquiſivit ille etiam nos Deo ſuo ſanguine ex omni familia, lingua, populo, natione Apoc. 5: 9. *& qui nos ſibi reconciliavit per mortem Filii ſui, multo magis reconciliatos ſervabit per ejus vitam* Rom. 5: 10. *& cum Filio ſuo non pepercerit, ſed pro nobis omnibus eum tradiderit, quidni cum ipſo donaret omnia?* cap. 8: 32. Oculi noſtri viderunt Chriſtum pro nobis crucifixum; quotquot fide Chriſtum vidimus, factum nobis hoſtiam, fide manducavimus ejus carnem, bibimus ejus ſanguinem. Securis eſſe licet Rom. 8: 33, 34. Sumus peculium Chriſti, quis nos ſeparabit ab amore Chriſti? verſ. 35. ſ. Nam ἀπαραιτήλως acquiſitio certos facit ἀπαραιτήλου amoris defenſioniſque, ut fidenter queamus dicere.

cere. *Certus enim ſum, nec mortem, nec vitam, & nec ullam creaturam nos ſeparaturam ab amore Dei, qui eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

Verſ. 35. *Tibi exhibita ſunt videnda, ut cognoſcas Jehovam eſſe Deum ipſum; nullum amplius eſſe præter eum.*

Verſ. 36. *E cœlis audiendam propoſuit tibi vocem ſuam, ut erudiret te: & in terra exhibuit tibi videndum ignem ſuum maximum, qvum verba ejus audiſti è medio ignis.*

Verſ. 37. *Et propterea quod dilexit majores tuos, elegitque ſemen* cujuſque *eorum poſt eum; ideo eduxit te præſens virtute ſua maxima ex Ægypto.*

Verſ. 38. *Vt expellat gentes majores & robuſtiores te à conſpectu tuo, ut introducens te det tibi terram eorum in poſſeſſionem, ſicut* eſt *hodie.*

B. Eſa. 42: 24, 25. & cap. 43: 1. ſ. Deſperaturos in miſeria & exilio, Deus erigit ſolatio quod fundatur in fœdere; nihil metuendum Iſraeli, quia Deus eum fecit populum ſuum, gregem paſcui ſui Pſ. 100: 3. adeo ut ſuum agnoſcat peculium ſuum; quem utique facti ſui non pœnitet. Quocirca nequit eſſe, periculum tamen ſive aquis inundantibus, & abripientibus, ſive igni flammanti aſſimilandum videatur, quod ſit metuendum ceu deſtructivum; quia ipſe Deus ipſorum, & Servator appropriatus. Confirmatur à facto & affectu Dei; à Facto, quod ut ipſos vindicaret ſibi, gentes alias, majores longe deſtruxerit, proinde nullam toto orbe ipſos poſſe retinere, quo minus ex quatuor cœli regionibus egrediantur colligendi in terram ſuam; ab Affectu, quod ſemel gratuito amore complexus nihil non fecerit factu uſque ſit, ut fruantur ſuis bonis. At enim ut eos deſcribat à ſuis qualitatibus, ut non tantum nominati ſint de nomine ſuo, ſed etiam ad gloriam Dei creati, formati, facti; adeoque factura Dei conditi in Chriſto Jeſu ad opera bona Eph. 2: 10. Hæc ſunt verba teſtimonii Prophetici, conſentientia prorſus doctrinæ Moſaicæ hoc capite. Dixit ille quid Iſraelitæ patraturi, quid eapropter paſſuri eſſent, Deo graviſſime in eos animadverſuro. Verum ut deſperationem amoveat, ſolatur promiſſione reſtitutionis, cujus fundamentum eſt fœdus Dei, quo ſingulares facti erant, Dei proprietas, teſtatus illam ſingularitatem ab Affectu, familiari illo alloquio de monte Sinai, cujus fuerant auditores, & à Facto; liberatione illa mirabili ex Ægypto, cujus fuerant ſpectatores, & in utroque ἀπαράλληλοι. Id nunc porro eis applicat, ut perſuaſi ſic concludant in Deo ſibi ſecuritatem eſſe ſolatii. Colligendum id eſſe docet, verſ. 35. & probat, verſ. 36-38, & modum concludendi indicat, verſ. 39, 40.

א. *Quid colligendum* ſit, verſ. 35. *Tu videre factus es, ut ſcias*, &c. Deſignat initio perſonas quibus colligendum, emphatice *Tu, tu videre factus es.* Singularitatem id reſpicit, modo indicatum, ut nulla in mundo natio ſimile quid unquam viderit, quod Iſraeli ſoli, & unicuique eorum qui tum vixerunt, quorum multi adhuc ſuperſtites, oſtenſum eſt, & finis, *ut ſcires.* Viderunt etiam bruta ipſorum ignem & audiuerunt ſonum, ſed nihil ad illa pertinet, quia mentem non habent. Verum tibi, utp. mente & intellectu prædito demonſtratum ut ſcias. Cui multum datum, ab illo multum poſcitur; præſtandum aliquid eſt, quod congruat facto Dei. Si quid oſtendat, videndum; Si quid loquatur, audiendum; Si quid ullo modo nobis proponat cognoſcendum, Eſa. 43: 8. Jer. 5: 21. Eſt hoc quandoque judicii Eſa. 6: 9. cap. 29: 10. Sed eſt quoque voluntatis Eſa. 42: 20. Hoſ. 8: 12. Jer. 6: 10. *ad quem loquar & conteſtabor, ut audiant, Ecce auris ipſorum incircumciſa, ut nequeant attendere; ecce verbum Dei eſt ipſis in contemtum non delectantur eo.* Nobis iſtud obſervandum. Deus nil facit nos videre, audire, quin is finis nobis ſit ut ſciamus, Act. 17: 26. ſ. Sic in liberationibus Exod. 14. v. ult. in judiciis auditis 2 Reg. 21: 12. Jer. 19: 3. & viſis. Deut. 29: 24. Jer. 22: 8. Sic quoad ſpiritualia Joh. 20: 31. *hæc ſcripta ſunt*, &c. & Act. 17: 30. Luc. 10: 9. ſ. quo veneritis, dicite, regnum Dei ad vos propinquavit. & ſi non recipiant vos, ſcitote, regnum Dei ad vos propinquaſſe. Ne fruſtremur Deum, ut ipſo monſtrante nihil cognoſcamus. Eſa. 50: 2. quare veni, & nemo erat? clamavi & nemo reſpondit? eſt Chriſti querela, qui propterea ſe propterea vendidiſſe, & dimiſiſſe teſtatur Judæos, ne idem nobis quoque eveniat.

Res colligenda eſt, *quod Dominus ſit Deus non eſt ultra præter ipſum.* Loquitur de Domino Deo ipſorum, de quo verſ. 31: & qualis ipſe ſit deſcribit, & tum negat alium dari.

a. *Deſcriptio* ה הוא האלהים Obſervandum nunquam inverſo ordine dici האלהים הוא ה non quod falſum quid inſit, ſed quod ordo genuinus non ſervetur, & cognitionis ſolidæ. Subjectum ſit יהוה & האלהים prædicatum.

Illud dicit quid Deus in ſe, iſtud quid reſpectu creaturarum. Illud eſt יהוה nomen Deo proprium & incommunicabile creaturis, Eſa. 42: 8. deſignans Eſſentiam, & quemadmodum deſcribitur ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος Apoc. 1: 3. & 8. cap. 16: 5. qui citra variationem ſemper idem, Exod. cap. 3: 15. Pſ. 102: 13. tu Domine in æternum manes: uti ab æterno fuit, verſ. 26. ſ. Pſ. 90: 2. Jac. 1: 17. Eoque perfectiſſimus, qui nihil conſequitur perfectionis ab iis quæ extra ſe ſunt Act. 17: 24. ſ. & Job. 35: 6. ſ. peccando nihil ipſi noxæ infertur, & juſta agendo nihil ei datur quod accipiat. Eſt qui eſt Exod. 3: 14. Magis dici poteſt quid non ſit, quam quid ſit. Nihil imperfecti habet, ſed eſt mera perfectio. Enimvero nomen iſtud non tantum eſſentiæ verum etiam conſiliorum ratione venit, quæ cum ante conditum mundum ſint inita, ab ipſo habent ſuam certitudinem, Jehova non ſolum qui eſt ſed etiam qui eſſe dat ſuis verbis Eſa. 46: 10. Pſ. 33: 11. quia quod dicit facit verſ. 9. & Pſ. 148: 5. & hinc Jehova, qui eſſentiam dat promiſſis, Exod. 6: 2. & immutabiliter Mal. 3: 6. unde toties promiſſis additur. *Ego Jehova* Lev. 19. & cap. 26: 45.

Iſtud eſt אלהים nomen Deo conveniens, ſed communicabile creaturis, quibus videl. ille dedit munus cujus ratione ſic appellentur, Joh. 10: 35. vel quibus homines iſtiuſmodi munus tributum fingunt. Alias diximus Elohim denotare venerabilitatem ex poteſtate regendi & gubernandi. Sic dicitur Deus quam primum aliquid produxiſſet, cujus illico Dominus & rector evaſit, colendus à ſuis creaturis Gen. 1: 1. Act. 17: 24. Et ſic appellati Angeli, qui throni & poteſtates, & dominatores, Col. 1: 16. & Judices, Exod. 21: 6. cap. 22: 8, 9. Pſ. 82: 1-6. Sic quoque Idola ex falſa opinione hominum frequentiſſime. Itaque hic cum articulo emphatico dicitur האלהים *ille Elohim.* Quum tot ſint qui hoc nomine inſigniantur, quibus imperium ſit, & judicii poteſtas, eopſe timendi & colendi ab hominibus, ipſe id eſt κατ' ἐξοχήν. Eſt enim altior altis, & ſuper altos in mundo judices ſunt celſiores Eccl. 5: 7. Hoc eſt quod concludendum habent, Jehovam eſſe ſummum illum judicem & rectorem, cæteris omnibus ſuperiorem. Non dicit אלהיך *Elohim tuus*, qui te regit, gubernat, non autem alias nationes, ſed האלהי *ille Elohim* abſolute, rector & judex omnium, quod non tantum pro Iſraelitis, ſed etiam contra Ægyptioſque alioſque populos agendo demonſtravit. Id profitentur Iſraelitæ, 1 Reg 18: 39. Elias ad populum ex inſtituto Achabi Baalem colentem, *quamdiu claudicatis ſuper duabus cogitationibus: Si Jehova Deus eſt ite pone eum: & ſi Baal ille eſt, ite pone eum.* Non dubitabatur de exiſtentia Jehovæ, neque de incommunicabilitate nominis ejus, quod Baali tribuere nemo ſuſtinuit, ſed de regimine mundi, & cultu eapropter debito. Sedit quibuſdam ea opinio Jehovam res mundanas non curare, Job. 22: 12. ſ. Zeph. 1: 12. *Dominus non facit bonum, nec facit malum.* Sed adminiſtrationem mundi traditam eſſe

vel aſtris, Soli inprimis, qui Baal vel cœleſtibus ſpecialibus, vel aliis: quemadmodum & olim ea ſententia invaluit, & nunc quoque in Eccleſia Rom. obtinet, ubi regimen omne Angelis & defunctis hominibus diſtributum, ratione tum Provinciarum & Urbium, ut quævis ſuum patronum habeat, uti Jer. 2: 28. tum morborum, & malorum, quibus diſpellendis ſerviant. Sic ergo tum temporis de Baale quoque ſtatuebatur, quod eſſet Elohim, rector & judex vel mundi univerſi, vel ſaltem Iſraelitidos & vicinarum terrarum. Elias ergo experimentum ſumere jubet, quis ſit Elohim? invocate vos nomen Dei veſtri, & ego nomen Jehovæ invocabo, & Deus ille qui igne reſpondebit, is erit Elohim, agnoſcendus erit ſupremus & unicus rector: approbante conditionem populo univerſo. Et cum illud Baal non poſſet, Jehovam invocat Elias, ut ſe talem aſſerat. *Domine Deus Ab. Iſ. Jacobi innoteſcat hodie, quod ſis Elohim in Iſrael, reſponde mihi, Domine reſponde mihi, ut populus hic agnoſcat quod tu Jehova ille Elohim*, & mox reſpondente Deo igne, & ſe rectorem oſtendente, qui audiret, & moderaretur omnia, populus omnis exclamavit, ה׳ הוא האלהים, bis. Hoc de Deo agnoſcendum, & quidem privative, ut nemini præterea id tribuatur. Et non eſt adhuc præter ipſum ſolum, qui κατ' ἐξοχὴν ſic appellari queat, Pſ. 18: 32. quis Elohim, præterquam Jehova. Pſ. 86: 8. *Inter Elohim nemo tibi ſimilis Adonai*, ut de regimine intelligatur. Deus ipſe id aſſerit, Deut. 32. 39. *videte nunc quod ego ego Ille, & non eſt Deus mecum.* Eſa. cap. 44: 6. *Ego primus & ego ultimus, & præter me non eſt Elohim*, verſ. 8. *eſtne Eloah præter me? neque eſt rupes, non novi*, Cap. 45: 5. *Ego Dominus & non ultra, præter me non eſt Elohim.* Similia leguntur, verſ. 21, 22. Unde recte Paulus 1 Cor. 8: 5. ſ. *cum ſint qui vocentur Dii in cœlo & in terra, nobis tamen unus eſt Deus ex qvo omnia.* qui proinde omnium rector Jer. 10: 10. ſ. Mundum & homines fecerit oportet, quibus regendis præſit, & à quibus cultum eapropter conſequatur. Quomodo concidit omnis idololatria: uti ſupra dictum & dicetur in ſeqq. quoque. Sed adhuc aliquid hic diſcendum ab ipſis Judæis. Menachem Rakenatenſis, in Leg. fol. 192. col. 4. *Senſus horum verborum eſt* (כי ה׳ הוא האלהים) *nempe quia Jehova ſingulare eſt, & huic tribuitur, Elohim eſſe, quod plurale, Intentio eſt, non eſſe abſcindendas plantationes*, (non eſſe ſeparandas perſonas divinas ab invicem, neque etiam attributa divina ita ſejungenda) *quamvis enim iſta & illæ enuncientur plurali numero, quicquid tamen in una eſt id etiam eſt in altera, & omnes ſunt unum.* כללא דכלא עתיקא דעתיקין וזעיר אופין כלא חד וגו׳ *Conſummatio ſeu Summa omnium Antiquus antiquiſſimorum, & ἀπάνγαζμα facici, omnes unum, omnes ὁ ὤν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος, non mutatus eſt, nec mutabitur, nec mutatur; quod ſi dixeris, quid diſcriminis eſt inter hunc & illum? omnes ſunt in uno ponderc, ſed dividuntur viæ, & hinc ipſi diſtinguuntur hic ab illo; & hæc myſteria non ſunt tradita niſi metentibus agrum Sanctum, & Scriptum eſt, Arcanum Domini timentibus ipſum* Pſ. 25: 14. *& rurſum* ה׳ הוא האלהי *eſt hæc perfectiſſima unitas.* Significat myſterium Trinitatis perſonarum in unitate eſſentiæ, de quo Deut. 6: 4. proprie agitur.

ב. *Probatio* ſumitur ab iisdem argumentis, quæ verſ. 33, 34. fuerant propoſita.

a. Ab *Auditis & viſis* in promulgatione Decalogi, verſ. 36. *De cœlo audire te fecit*, &c. Notanda nunc tantum differentia à verſ. 33. Vocem Dei audiverunt è medio ignis, qui hic in terra viſus dicitur, & tamen audiviſſe de cœlo. Nequis hæc pugnare putet, conjungendus, verſ. 11. mons ardebat igne uſque in medium cœli. Scl. ignis ille viſus eſt à ſummo cœlo deſcendens uſque in montem Sinai, qui totus eo ardere videbatur, vox autem Dei ex igne audita, non tamen qua attingebat montem, ſic creaturæ alicujus fuiſſe potuiſſent opinari, ſed qua in cœlo erat, & inde ortum ducebat, ut Dei eſſe agnoſcerent. Targum hic & verſ. 33. reddit quod audiverint Vocem verbi Dei, quando audiverunt ſermonem ejus è medio ignis. Diſtinguit פתגמא ſermonem, & vocem קל, à מימרא דיי, cujus fuit ſermo, & tamen hujus vocem Deum feciſſe ut audirent. Solenne eſt Chaldæo interpreti Verbum Dei commemorare, ceu internucium Dei, & hanc appellationem inde mutuatam Johannes tribuit filio Dei Λόγου vocans, Joh. 1: 1. ſ. & nunc Λόγου introducit loquentem: quod etiam fecit Stephanus Act. 7: 38. Angelus in Sinai locutus eſt & Moſi & Patribus. Angelus nempe ille creatus, quo cum antea Sermo illi fuerat cum in rubo ardente apparuiſſet. Quod ipſum Deut. 5. plenius erit conſiderandum.

Additur hic *finis* ſermonis Dei, *ad inſtituendum te.* Non tantum majeſtatis ſuæ demonſtrandæ gratia ſic locutus eſt Deus ex igne, ſed ſpectavit ipſorum inſtitutionem. Eſa. cap. 48: 17. *Sic ait Dominus redemtor tuus, ſanctus Iſraelis, Ego ſum Dominus Deus tuus, qui te docet quod bonum eſt, qui te ducit in via qua eundum tibi eſt.* Dei fœderati eſt docere quæ facienda ſint. Etenim fœdus ejus eſt non συνθήκη, ſed διαθήκη; non utrinque conditiones fœderis proponuntur, quomodo homines quoque dicerent quid placeret facere, ſed Deus ſolus eas dicit, & has diſcere & obſervare oportet hominem, qui fœderatus eſſe vult. Neque tantum docet quid faciendum homini, ſed etiam quid facturus Deus: quamquam τὸ יסר proprie de officiis humanis agat. Quotieſcunque ergo audimus Verbum Dei propoſitum, quia Dei moderamine fit ut audiamus, (nam alias non audiemus Deo vel non concedente qui id loquantur nobis Act. 16: 6, 7. vel miſſorum os claudente, Ezech. cap. 3: 26. vel aures & animum juſto judicio avertente, Eſa. 6: 10.) cogitemus id fieri ut nos eruditi. Non loquitur ille fruſtra & quem ille finem propoſuit, eum nos quoque ſpectare par eſt Eſa. 5: 5. ſ. Præceptor in ſchola loquitur ut doceat auditores, & diſcipulorum eſt doceri velle. Magnæ gloriæ eſt non minus quam commodi, Θεοδίδακτοι eſſe. Id aſſecuti erimus ſi nos patiamur erudiri, atque illud vita ipſa oſtendamus.

b. *Ab iis quæ Viſa* in eductione ex Ægypto, verſ. 37. 38. Itidem hic ſpectanda quæ alia à verſ. 34. ſunt ea. I. cauſa impulſiva, 2. medium & 3. finis.

a. Cauſa impulſiva eſt, verſ. 37. *Et propterea quia amavit Patres tuos, & elegit ſemen ipſius poſt ipſum.* I. Cauſa eductionis ex Ægypto eſt amor Dei in patres, Ab. Iſ. & Jacobum. Sæpiſſime ille prædicatur hunc in modum. Exod. 2: 24. ſ. *Deus audivit vociferationem oppreſſorum Iſraelitarum in Ægypto, & recordatus eſt ſui fœderis cum Ab. Iſ. J. & intuitus eos eſt* & cap. 3. cum vocat Moſen ad educendum populum, ait *Ego ſum Deus A. I. & Jac. Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & deſcendi ut liberem & educam eos.* quod repetit, verſ. 13--15, 16. Crebro id repetitur apud Moſen, & apud Prophetas ſecutos. Cæterum amor ille Dei non nititur ipſorum patrum meritis vel dignitate, ſed mero Dei beneplacito Deut. 10: 15. Gratuitus plane amor uti Exod. 33: 19. *miſerebor cujus miſertus fuero*, & &c. Nam Abraham inito fuit idololatra Joſ. 24: 2. Quos amat Deus ſunt ex ſe digni odio Ezech. 16: 4. ſ. Eph. 2: 3. Itaque nihil hic dicere poſſumus quid faciendum ut amemur à Deo, Rom. 9: 11. ſ. Eph. 1: 6. Verum felices prædicandi, quos amat. Amor Dei æternus eſt Jer. 31: 3. etſi ad tempus videatur deficere, dum adverſis premuntur quos amat: tamen tandem ſe exſerit Jer. 31: 3, 4-9-20. II. Accedit electio liberorum, quæ amoris demonſtratio. Amor Dei in Abraham fecit ut fœdus iniret cum ipſo & ſemine, ejus Gen. 17: 7. Deut. 10: 15. Hæc cauſa eductionis ex Ægypto Deut. 7: 7. ſ. Expulſionis Cananæorum 2 Chron. 20: 7. Reſtitutionis futuræ Eſa. 41: 8. Eſt hæc Electio in populum ejus efficaciæ, ut non tantum ſemper ſint populus coram facie Dei, ſed ut nolit eos repudiare propter quæ fecerunt, ſed reſtituere. Quanto majus electum eſſe in populum peculii ſpiritualis, hoc qui habet liberatur à ſervitute Diaboli, & ad hæreditatem cœleſtem. Feliciſſimus proinde. Eſt ratio id ſciendi, an quis amatus & electus, illud 2 Tim. 2: 19, 20. iſtud 2 Pet. cap. 1: 10. Rurſum 1 Ioh. 4: 19. Amamus ipſum, quia prior amavit nos, & cap. 5: 3. hic eſt amor Dei ut cuſtodiamus præcepta ejus, Ioh. 14: 21, 22.

Hebræi hic aliquid obſervant ex mutatione perſonæ: *Amavit Dominus patres tuos, & elegit ſemen ipſius*, non ipſo-

ipſorum; uti etiam Deut. 10: 15. *ſemenque ipſius poſt ipſum vos*, &c. Reſpicere id ajunt ſolum Jacobum, qui patrum tertius, cujus unius ſemen omne adſcitum eſt in fœdus, & his beneficiis affectum. Abrahamo fuit etiam Iſmael, & poſt fœdus cum ſemine ejus quoque initum, filii ex Ketura complures. Iſaaco fuit quoque Eſau; qui tamen omnes excluduntur, utp. cum ſemen promiſſionis hæres Abrahamo ſolus fuerit Iſac. Gen. 17: 21. & benedictio Abrahami ab Iſaco tantum data Jacobo Gen. 28. Sed hic non habuit quenquam filiorum præteritum, unde creberrime Jacob & Iſrael ab ipſo populus ille appellatur.

b. Medium eſt, *& eduxit te*, &c. *ex Ægypto*. De robore Dei ante dixit, ſed hic addit בפניו, Redditum eſt *coram facie ſua* quaſi eſſet לפנו, quod ſic exponunt Hebræi Exod. 14: 19. Angelus Domini qui antecedebat exercitum Iſraelis abiit & proceſſit pone illos, uti etiam columna nubis. Ducebat antea, poſt fecit eos antecedere. Sed ב tam hic, quam in בכחו notat per, atque tunc diverſam admittit explicationem, *Per faciem ſuam*. hoc eſt *per iram*, quæ facies Dei dicitur Pſ. 21: 10. Jer. 3: 12. Pſ. 34: 17. quæ ira exercita contra Ægyptios, non minus quam robur illud magnum. Vel *per ſeipſum*; quærere Deum & faciem ejus tantundem eſt Pſ. 105: 4. Pſ. 27: 8. & Amos 5: 4--6. ſignificaturque ductus 2 Sam. 17: 11. & facies tua una ibit in prælium. præſentia Dei glorioſa, quam agnoverunt Ægyptii, Exod. 14: 25. Vel *per Angelum faciei Dei*, ſeu Meſſiam, qui eduxit eos Eſa. 63: 9. Chaldæus hoc loco, במימריה *per verbum ſuum*. Ille dicitur etiam Facies Dei Exod. 33: 25. *ni facies tua una eat, ne hinc abire facias nos*, quod largitus eſt Deus. Sic Mal. 3: 1. Hic eſt Angelus ille dux per mare Exod. 14: 19. qui idem Jehova verſ. 24. & in introductione populi in Cananæam, Exod. cap. 23: 20. ſ. in cujus medio nomen Dei, quod Bechai hic de magno illo robore exponit. Adeoque Meſſias eſt qui hanc liberationem præſtitit Iſraeli. Fuit illa liberatio fructus fœderis gratiæ, Gen. 15: 14. quod Abrahamo Sanctum eſt per Chriſtum Gal. 3: 17. Quid ni idem reſtituat Iſraelem. Hoſ. 1: 7. Jer. 23: 5, 6. cap. 31: 10, 11.

c. Finis eſt expulſio Cananæorum & collocatio Iſraelis in ipſorum locum, verſ. 38. Neque enim educti ex Ægypto ut in deſerto manerent, ſed ut Cananæam conſequerentur. Cujus incolæ numero & robore longe antecedebant, ut terror eorum deſperatos redderet Iſraelitas ad exploratorum narrationem, qui tamen omnes debuerunt expelli. De quo etiam Deut. 7: 1. Eſt heic unum iſtud difficile, Quomodo dicat, quemadmodum hoc die, cum Jordanem nondum tranſiiſſent. Quidam enim hinc colligunt, Moſis textum ab aliis eſſe interpolatum, ut jam non poſſit dici autor horum librorum verus. Sed Moſes ita merito loqui potuit, cum jam tribus duæ cum dimidia conſecutæ eſſent hæreditatem, expulſis duobus regibus Amoræis, quod Deut. 3. dictum. Et ſic Pſ. 135: 9. ſ. miſit ſigna & mirabilia contra Pharaonem & omnes ſervos ejus, qui multos populos percuſſit, & validos reges occidit. Sihon Regem Amoræorum & Og regem Baſan, & omnia regna Canaan, & dedit terram ipſorum in hæreditatem populo ſuo Iſrael. Idem repetitur Pſ 136: 17. ſ. omiſſis iis de regnis Canaan. Initium ergo beneficii merito beneficii nomine venit, quod ſimul pignus fuit obtinendi reſidui Deut. 3: 12. Agnoſcamus veritatem S. Scripturæ, ne ea labefactata de omnibus dubitandi anſam inveniamus. Verbum Dei veritas, Joh. cap. 17: 17. cui credentes vitam æternam reperiemus Joh. cap. 5: 39.

Verſ. 39. *Agnoſcas igitur hodie, & revoces in animum tuum, Jehovam Deum ipſum eſſe in cœlis ſuperne, & in terra inferne: nullum amplius* eſſe.

Verſ. 40. *Et obſerves ſtatuta ejus & præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, quibus bene ſit tibi & filiis tuis poſt te: ut prolonges ſemper dies ſuper terram illam quam Jehova Deus tuus dat tibi.*

Religionis Orthodoxæ deſcriptio eſt, Tit. 1: 1, 2. *Cognitio veritatis ſecundum pietatem, ſub ſpe vitæ æternæ.* Docet ea Religionem eſſe partim theoricam, partim practicam. Illo modo eſt cognitio, non quævis, ſed veritatis, qualis ea demum eſt, quæ in verbo revelata eſt & continetur, Joh. 17: 17. Iſto modo verſatur in exercitio pietatis, ut quis ſe incontaminatum ſervet à mundo Jac. 1. verſ. ult. abſtineat à malo & faciat bonum, qui timor Dei Pſ. 34: 13. timeat Deum & præcepta ejus obſervet, quod eſt totum hominis Eccl. 12: 10. Fructus autem religionis ſe extendit non tantum ad præſentem vitam, ſed etiam ad futuram eſt ſub ſpe vitæ æternæ, quæ ſequitur & cognitionem, Joh. cap. 17: 3. cap. 20: 31. & praxin 1 Tim. 4: 8. cap. 6: 6. Ubicunque ergo hæc inveniuntur mandata, veræ religionis ſtudium & exercitium commendatum eſt. Factum id in textu ubi Moſes Iſraelitis inculcat cognitionem veritatis, & praxin pietatis, ſpem proponens felicitatis obtinendæ. Verſibus 39. & 40. indicat modum concludendi illius quod colligendum dixit, verſ. 35. cujus argumenta fuerunt, verſ. 36--38. à publicatione fœderis, & à liberatione ex Ægypto.

1. *Modus* ille reſpondet duobus argumentis illis, ut prius faciat ad Cognitionem, poſterius ad Praxin vitæ: quia tanta majeſtate fœderis leges publicavit, agnoſcendus eſt ſummus Rector; & quia ex Ægypto liberavit ſibi in peculii populum obſequium ei præſtandum eſt.

a. *Cognitionem* ſpectat, verſ. 39. ubi Quid cognoſcendum & Quomodo.

a. Illud jam dictum eſt, verſ. 35. unde repetitur, Quod Dominus ſit Deus ille, *Jehovam* ens illud principii & finis, omnisque mutationis expers, omni exparte perfectiſſimum, eſſentiam dans conſiliis ſuis ab æterno apud ipſum definitis, eſſe *Rectorem*, *Judicemque* omnium verum ſummum, adeoque colendum venerandumque ab omnibus. Addit autem *hic ſuperne in cœlis*, *& inferne in terra*; quæ duo loca ſunt univerſitatem omnem comprehendentia, ut nihil ſit rerum creatarum quod non in alterutro horum exiſtat, Gen. 2: 1. Ea tamen univerſa ipſum *Elohim* debent agnoſcere, utp. autorem factoremque omnium, Eſa. 45: 18. cap. 44: 24. Pſ. 135: 5, 6. Contra Jer. 10: 10. ſ. Proinde nil agnoſcendum uſpiam, cui ſummum regimen tribuatur, & cultus ſummus deferatur, præterquam ipſe ratione tum obſequii Pſ. 139: 7. ſ. tum fiduciæ Pſ. 145: 3--6. Decernendum illud, Pſ. 73: 25, 26. quia ſolus non deficit, quamquam alia omnia deſtituant. Huc facit extremum *Nemo amplius*, quod eo modo repetitur quinquies Eſa. 44: 5, 6--14--18--22. Hoc eapropter inculcatum volunt Hebræi, ut occurrat opinioni, quæ viguit olim (etiamque inter Chriſtianos) de duobus principiis, quorum unum bonum, omnium bonorum eſſet origo, alterum malum origo malorum omnium. Nam Bono Deo noluerunt adſcribere, nec potuerunt quæcunque perperam fiunt in mundo. Hodie adhuc in America reperiuntur qui Diabolum colunt, ne noceat, non Deum, quem non niſi benefacere rentur. Et ſane duo principia agnoſcenda veniunt, ex quo peccatum fuit in mundo, quæ publicata in protevangelio, Gen. 3: 15. Serpens mali, & Semen mulieris boni. Sed non ſunt coæterna, aut æqualia. Serpens creatura eſt, Semen mulieris etiam Creator Deus. Verum quod illi voluerunt non ſunt duæ voluntates contrariæ & coæternæ, duo Elohim. Etenim ſi æquali ambo forent poteſtate, neuter eſſet Elohim abſolute, & ſi inæquali, jam inferior non eſſet Elohim. Rurſum Si malus conditum à Bono mundum corrupiſſet, hoc foret major & potentior. Eſt tantum unus Elohim, nec amplius, & iſte Bonus ac benefaciens Pſ. 119: 68. Sed qui omnia valde bona fecit, non fecit omnia immutabilia, pro ſapienti ſua voluntate, & quæ fecit mutabilia, non quidem mutavit ipſe, ſed ſivit mutari, ut ex bonis mala fierent. Sic Diabolus ex propriis mendacium locutus eſt & peccavit, factus mendacii pater Joh. 8: 44. & homines recti facti quæſiverunt inventiones multas Eccl. 7: 29. & hinc porro ubi ſemel corrupti fuerunt à propriis cupiditatibus abſtrahuntur & ineſcantur Jac. 1: 14. per cupiditates deceptrices Eph. 4: 22. quarum fons & ſcaturigo cor eſt Mat. 15. verſ. 19. Verum Deus qui mala eſſe & fieri ſivit, omnia tamen moderatur, ad gloriam ſuam, quæ non minus elu-

ceſcit in juſtis judiciis, quam in bonitate & miſericordia, & tum quoque eſt autor ſolum boni quum pœna quoque bonum ſit, juſtitiæ videlicet, quamvis creaturæ ſit malum & moleſtum, quo ſenſu Deus malum facere dicitur, Amos 3: 6. & ex ejus ore bonum & malum prodire Lam. 3. verſ. 38. & in illo moderamine ſe oſtendit illum Elohim, rectorem judicemque ſummum, utp. quem malorum maximi ſuperiorem & judicem contremiſcendo agnoſcunt Jac. cap. 2: 17. citra ejus indultum ne porcis quidem infeſtandis ſufficientes Mat. 8. nedum hominibus, Job. 1. & 2. 2 Regum 22. & quod ad homines qui mali ex malo geniti ſunt, quemadmodum malas arbores ſua providentia regit, ut fructus ſibi congeneres ferant, vel etiam decutit ne ad maturitatem, perveniant, aut prorſus facit evaneſcere, & pabulum ignis fieri. Quin etiam aridum lignum omnipotente virtute poteſt facere ut germinet, & fructus bonos ferat; Sic quoque ſinit hominem ire in viis cordium & oculorum ſuorum, impedit nonnunquam malitiæ exercitium Gen. 20: 6. cap. 31: 29. convertit malum in bonum, cap. 50: 20. imo malos facit bonos omnipotente regeneratione & recreatione Eph. 2: 4, 5-10. Proinde manet ipſe Elohim, & nemo amplius, & quemadmodum ab ipſo ſolo, qui bonus, omnia bona ſunt expetenda & exſpectanda; ita quoque ab ipſo ſolo, qui bonus, omnium malorum moderamen pendere agnoſcendum, ut ille nos præſervet à malo, & ex eo liberet & malum omne ſic regat, ne nobis dolori aut exitio ſit, ſed ut bonitate ejus fruamur & exſatiemur in æternum, Jam

b. Quomodo cognoſcendum docet indicatis actibus, *Et ſcies & corde tuo repetes.* Duo ſunt Cognitio, & Meditatio, Neceſſaria iſta ſunt ad omnem ſolidam cognitionem.

a. Requiritur primum *Notitia*, quæ videndo, audiendove, aut alio ſenſu externo mediante acquiritur. Qui oculos & aures (ſenſuum ad diſciplinam percipiendam præcipuorum organa,) claudunt, parum aut nihil cognoſcent. Quibuſdam negatur uſus horum organorum, ut oculos & aures habentes nihil videant vel audiant quod ad notitiam faciat; Eſa. 66: 19. Inſulæ quæ famam meam non audiverunt, neque gloriam meam viderunt, ad illas mittam aliquos, & gloriam meam inter gentes annunciabunt: nam alias, quomodo audient niſi ſit qui prædicet Rom. 10: 14. Sunt etiam quibus adimitur Eſa. 6: 10. cap. 29: 10, juſto judicio. Sunt v. quoque qui ſibi ipſis adimunt, negligentes videre & audire Jer. 5: 21 vel nolentes, obturatis auribus Act. 7: 57. excitato ſtrepitu Act. 23: 22. ſ. Hoc malitiæ eſt Jer. 6: 10—17. Pſ. 58: 5, 6. illud ſocordiæ, & qui amant ſimplicitatem, odere ſcientiam Prov. 1: 22. perſuaſi non eſſe tum reſpondendum. Eſt v. occaſionum & temporis reddenda ratio Heb. 5: 12. Prov. 1: 24. ſ. Enimvero hinc ducendum initium, ut audire & videre velimus. Conata hominibus eſt cupido cognoſcendi, qua utendum eſt, ſi quid boni offertur cognitioni. Sed accedere debet.

β. Secundo *Meditatio*, ut revocet ad animum, השיבות *redire facies ad cor.* quando memoriæ eſſet elapſurum, ut denuo reducatur, & iſtic ſiſtatur identidem repetendum. Id faciendum in naturali notitia comparanda Rom. 1: 20. *νοούμενα καθορᾶται.* Sic etiam in ſupernaturali, Joh. 6: 45. Eſa. cap. 50: 4. Hæc meditatio deficit ſæpiſſime. Audiunt multi & ſolum audiunt. Oblivioſi auditores Jac. 1: 25. eoque ſolum auditores, verſ. 22. non ſecus ac qui ſeminati in via, qui excipiunt verbum, ſed ut ab avibus prætervolantibus auferatur, qui profluunt ut aqua cribro excepta. Cujuſmodi Ezech. 33: 30, 31. Verbum in aure & in ore, & quidem cum voluptate, ſed non in corde; hoc occupant avaritia & aliæ cupiditates, ut locus illi non ſit. Adeoque locus ei vacivus faciendus Jac. 1: 21. Sæpius in corde agitandum Pſ. 62: 12. *ſemel locutus eſt Deus, bis audivi.* quia meditando repetitum fuit; quemadmodum ruminatio mundorum animalium quaſi altera comeſtio eſt. & ſic Jer. 15: 16. Hæc eſt meditatio viri pii Pſ. 1: 2. & Davidis Pſ. 119: 97. quam grata mihi lex tua, meditatio mea eſt tota die: facit me ſapientiorem hoſtibus, quia jugiter mecum eſt, intelligentior ſum doctoribus meis, quia teſtimonia tua meditatio mea ſunt, prudentior ſenibus, quia cuſtodivi mandata tua. Defectus meditationis facit ut tam parum cognitionis ſit apud homines. Omnia alia quæ mundus, quæ cupiditas proponunt meditando agitantur in corde; ſed nihil minus quam quod animæ ſalutem fert, verbum Dei. Siquidem corpus victu & amictu eget, & cupiditas carnis inſatiabilis eſt, cor ſemper in exercitio, ut illis proſpiciatur; ſollicitudo de præſentibus, eſt quid poſt mortem futurum exigua vel nulla, modo corpus honeſte tumulatum fuerit, cum tamen anima potior univerſo mundo, & cui hic nequit ſufficere lytrum Matt. 16: 26. & poſtpoſitis omnibus huic prima debeat impendi cura. Sed etiam hinc proſperitas in rebus vitæ præſentis Joſ. 1: 8, 9. Summum munus pace & bello ſic optime adminiſtratur, ſapienter & feliciter. Et Rex ſic quoque proſpere regnat Deut. 17: 18. ſ. Qui hinc non putant diſci politicam, iſtis fit ſecundum fidem ſuam Hoſ. 14: 10. Viæ Domini rectæ, juſti in iis ambulabunt, ſed tranſgreſſores in iis cadent. Nobis hoc certum ſit, Prov. 1: 7. timor Domini initium ſcientiæ, ſtulti contemnunt ſapientiam & eruditionem.

Sed ſpeciatim *Meditatio opus ad cognoſcendum Deum.* Iſta hic commendatur; neque enim acquieſcendum eſt ſoli traditioni. Si ullibi, ea obtinet circa cognitionem Dei. Credunt Deum, quem parentes dicunt, & quem majores coluerunt. Etenim unicuique inveſtigandum & meditando cognoſcendum eſt 1 Chron. 28: 9. *Noſce Deum patris tui.* Hoſ. 6: 3. Sine cognitione Dei perditio eſt Hoſ. 4: 6. Heb. cap. 11: 6. Cognitio autem Dei non adeo facilis eſt. Dicere quidem facile, cognoſco Dominum Hoſ. 8: 2. ſed vere dicere difficillimum. Eſt enim beneficium ſingulare novi fœderis Jerem. 31: 34. Eſa. 11: 9. Veruntamen opus eſt meditatione, ut Deus agnoſcatur & conſervetur in cognitione Rom. 1: 28. ut quod de Deo auditum eſt, non pereat ex cogitatione. Meditatio operum Dei hic multum facit, ſive naturæ Act: 17: 25. ſ. Rom. 1: 20. Sive gratiæ Joh. 17: 3. Col. 1: 9, 10. Pſ. 103: 2. ſ. Equidem cognitio Dei adeo difficilis eſt, ut Simonides meditandi tempus ſemper duplicatum poſtularit, quod minus aſſequeretur, quo diutius de eo cogitaſſet: Eſt tamen ea propter inſiſtendum meditationi, ſaltem ut agnoſcamus noſtrum defectum. Quippe reducendum ad cor iterum iterumque repetenda meditatio, ut tandem aliquouſque ſaltem perveniatur, quouſque Deus agnoſci vult. Sunt enim quædam Dei occulta, Deut. 29: 29. habitat in caligine 1 Reg. 8: 12. faciem ejus nemo videbit, dum hic vivit Exod. 33: 20. eoque gloria Dei abſcondere aliquid Prov. cap. 25: 2. & mera admiratione defungi Rom. 11: 33. ſ. 1 Reg. 19: 12. non in vento Dominus, & poſt ventum terræmotus, non in terræmotu Dominus; & poſt hunc ignis, non in igne Dominus, & poſt ignem vox ſilentii tenuis. Sic meditatio inſtituenda, quando Deus cognoſcendus, ut repetat, & reprobet cogitationes erroneas, & non conquieſcat donec incomprehenſibilitate animadverſa eſſentiæ, agnoſcat ejus regimen, & cultum uni præſtet ſoli. Deut. 30: verſ. 1. Quicquid contingit proſperi vel adverſi meditandum, ut Dei benedictio vel maledictio agnoſcatur, & ad ipſum eatur, Deum & moderatorem omnium. Meditationis defectus facit idololatras conſtantes. Eſa. 44: 18. ſ. Nemo creaturæ divinum deferret cultum, qui meditaretur eſſe creaturam Dei, multo minus idolo, creatura propriarum manuum, vel proprii cerebri. Sed quo magis qui meditatur quid ſit Jehovam eſſe, etiam Elohim ſolum agnoſcet, & ut hunc faventem habeat unice laborabit.

Reſtat adhuc aliquid ad modum cognitionis, nempe *Oportunitas*, dum dicit, *Scies hodie.* Nunc cum id dicitur & docetur. Non ſemper datur occaſio, ut audiri cognoſciqué queat. Eſt quando conticeſcunt Doctores, quando removentur in angulum aut avolant, quando fames verbi eſt, ut defectu ejus contabeſcant; eoque occaſio uſurpanda, quæ voce Hodie ſignificatur. Pſ. 94: 7. & ſic quodvis tempus præſens Heb. 3: 13. Negligitur id creberrime. Obſervant Hodie mercatores & mercatus tempora; obſervant aves tempus adventus Jer 8: 7. *Sed populus meus neſcit jus Domini:* qui temporis eam rationem non habet; quaſi ſua in poteſtate haberet, quando vellet audire cognitionis doctrinam. Verum vox Hodie ſufficit ad convictionem

nem. Hodie tantum noſtro uſui conceditur. Heri abiit, & revocari nequit. Cras autem incertum eſt, an unquam ſit futurum; adeoque quod hodie non fit, forte nunquam fiet, ſiquidem craſtinum non attingamus, aut cras verbum & præcones ejus ſileant, ut audire amplius non liceat. Quocirca Eph. 5: 15, 16, 17. Hodie ſic qui attenderit, etiam poſtquam tranſierit, fructum ejus ſervabit, & memoriam lætam.

Sed Abrabanel היום *hunc diem* intelligit de die promulgati fœderis, de quo verſ. 9, 10. 33. 36. ut argumentum iſtud commendet ad agnoſcendum verum Deum. Neque enim ullus unquam Deus hoc modo fœdus & voluntatem ſuam patefecit, ut hoc unum meditati, nequeant moveri ad alium Deum agnoſcendum; & huc refert ultima verba, אין עוד *non eſt ultra* argumentum aliud quod neceſſum ſit ad aſſerendum Deo ſummum mundi regimen & dominium. 2 Pet. 1: 16. ſ. Petrus quod vidiſſet majeſtatem Chriſti in monte, & audiviſſet vocem à magnifica gloria ad ipſum delatam, abunde habebat ſecuritatis: & ſic Iſraelitæ omnes quotquot viderant & audiverant majeſtatem longe majorem, ut Dei cognitio foret certiſſima. Hujuſmodi nobis obtingere nequit; ſed valet quod Petrus ait, 2 Pet. 1: 19. *Habemus firmiorem ſermonem propheticum* &c. Hujus ſi meminerimus, certa demonſtratione non deſtituemur.

b. *Praxin* ſpectat, verſ. 40. ubi quid agendum, & Fructus ejus.

a. *Illud* eſt obſequium mandatorum divinorum, quæ vocat nuntios, verſ. 1. 5. & 8. dixit החקים & הכושפתים eodem ſenſu, & ſuum circa illa miniſterium, quod mandarit, ſupra dixit etiam ſe docuiſſe, verſ. 1. & poſuiſſe coram oculis ipſorum, verſ. 8. & mandaſſe, verſ. 2.

Hic nihil obſervabimus, quam quatenus *Praxis obſequii facit ad concluſionem illam Dominum eſſe Deum.* Eſt ea profeſſio realis Rom. 6: 16. Obſequium docet, quem quis agnoſcat Dominum, qui Deum, is obedit ejus voluntati. Matt. 6: 24. cui quis propoſito cordis obtemperat, de illo in corde ſe convictum oſtendit Dominum ſibi eſſe. Profeſſio omnium fere eſt, Jehovam eſſe Elohim, verum mendacii convincuntur defectu obedientiæ Hoſ. 8: 1, 2. Tit. 1. 16. facta negant, quem ore profitentur, unde ob hypocriſin abominabiles erunt, & quæ illa facta? inobedientia & ineptitudo ad omne opus bonum. Jubent Mammon & mundus, & caro aliquid, non modo obſequium conſequitur, ſed etiam aptitudo in opere illo eſt, ut artificium iſtud exercere appareat. Sed in opere Domini non item Luc 6: 46. Mal. 1: 6. Jacobus ait oblivioſos auditores qui non ſunt ſunt factores operis Jac. 1: 25. Eſt v. indicium vilipendii contra Dominum, ſi mandata ne quidem memoria ſerventur. Quamobrem hic jam quivis ſeipſum excitet. 1 Reg. 18: 40. qui alicui Elohim, illum ſequitur. Caveamus reperiri inter eos qui negant hunc honorem Deo, eumque non agnoſcunt Elohim 1 Chron. 28: 9. obſequium non tantum externi operis, ſed ipſius quoque cordis requiritur, utpote qui etiam cordium reſpectu Elohim eſt, & fecit noſtras animas, & eis leges dedit; quamobrem ſi quis idola erigit in corde, ceu deficiens à Deo, & rebellis pœnam feret. Contra obedientia impetrat præmium, Deus non eſt injuſtus ut oliviſcatur operis Heb. cap. 6: 10.

b. Hujuſmodi *Præmium* hic ſpeciale eſt Iſraelitis reſpiciens.

α. *Perſonas*, quibus dicit. *ut tibi & filiis tuis poſt te bene ſit.* Etenim beati ſunt integri via, qui in lege Dei ambulant; beati qui teſtimonia ejus obſervant, toto corde quærunt ipſum, nec operantur iniquitatem, ambulantes in viis ejus Pſ. 119: 1. ſ. Non fruſtra quæri vult Deus, ſed bonus eis eſt. Sed etiam liberis bonum iſtud conceditur vi fœderis Abrahami Gen. 17: 7. itemque Decalogi Exod. 20: verſ. 6. Conjunguntur hæc Pſ. 112: 1, 2. Beatus vir timens Dominum, quia magnam habet voluptatem in mandatis ejus. Pſ. 25: 10. Benignitas & veritas cuſtodientibus fœdus in bono, & ſemen ejus hæreditabit terram. Hinc ergo diſcere eſt artem proſpiciendi liberis non minus quam ſibi ipſi. Prætexitur id ordinarie avaritiæ & injuſtitiæ hæreditatem relinquendam liberis. Sed ſic non juvantur Hab. 2: 9. ſ. & ſibi ipſi perniciem affert. 1 Tim. 6: 9, 10. Optima ratio eſt ſtudium pietatis. Sic Joſias uti cognitionem Dei probavit, ſic ſibi totique regno profuit Jer. cap. 22: 15, 16. David Pſ. 37. prolixe oſtendit pietatis commodum etiam ad poſteritatem. Votum Dei eſt Deut. cap. 5: 29. ut ipſis & liberis ipſorum bene eſſet in æternum. Votum id merito facimus noſtrum; imo non tantum hoc, ſed aliud inſuper. Domine da tale cor, & obtinebis à nobis obſequium, & nos à te benedictionem hæreditario derivandam ad poſteros.

β. *Locum* commorationis: Eſt hæc Cananæa Iſraeli, de qua etiam dictum ad verſ. 1, Pietati Gentilium promiſſa eſt terra ſimpliciter, Eph. 6: 2. *Ut bene tibi ſit, & diu vivas in terra.* Et hoc ſufficit. Licet non in terra natali; Domini enim illa eſt & plenitudo ejus Pſ. 24: 1. eoque ubique apud Dominum, qui etiam in terra peregrinationum poteſt inducere oblivium domus paternæ, ut Joſeph ait Gen. 41: 51. Ultima verba *quam Dominus Deus tuus tibi dat omnibus diebus.* Docet perennitatem juris in terram Canaan; quemadmodum Deut, 11: 21. juraſſe Deum ſe daturum, *ut dies cœli ſuper terram.* Eoque licet exilium diu continuetur, tamen tandem finiendum eſt, & ipſis reſtituenda poſſeſſio ob veritatem Dei. Hic notemus [Pietati &c.] Dedit nobis Deus hanc terram ad habitandum, temporibus & limitibus definitis. Ignoramus quidem illam definitionem; ſed poſſumus prognoſticon dare durationis: Si impii fuerimus, evomet nos terra, & peribimus; ſed ſi pii fixam conſequemur ſedem. Jer. 7: 5. Conſideremus, quid Deus egerit circa Iſraelem, & Judam vice altera, etſi proprio populo non pepercit, non parcet nobis, neque evademus. Cuſtodiamus ergo mandata Dei, & cuſtodient nos, erimuſque felices & nunc & in æternum.

Verſ. 41. *Tunc ſegregit Moſche tres civitates cis Jardenem, ad ortum Solis:*

Verſ. 42. *Vt confugeret illuc occiſor qui occidiſſet proximum ſuum per imprudentiam, quum ipſe non odiſſet eum antea: & fugiens in unam ex illis civitatibus viveret:*

Verſ. 43. *Betzerem in ipſo deſerto, in terra plana Reubenitarum, & Ramothas in Gilhade Gaditarum, atque Golanem in Baſchane Menaſchitarum.*

Sequitur *ASYLORUM DESIGNATIO*, verſ. 41, 42, 43. Cum Hizkiæ per Eſaiam denunciaretur inſtans mors, ſimul mandatum eſt, *Da præcepta domui tuæ, nam morieris & non vives* Eſa. 38: 1. Voluit ipſum ante mortem adhuc diſponere de iis quæ poſt mortem obſervata vellet, quemadmodum Abraham facturus dicitur Gen. 18: verſ. 19. Verum Hizkias non ſuſcepit curam de ordinanda domo ſua à ſe relinquenda, ſed de proroganda ſua vita, ne domus foret relinquenda. Verum ut in ea regimen ſibi maneret, quod etiam precibus impetravit, prorogata vita per annos quindecim. Moſes denunciata morte annixus quoque eſt precibus, ut eam prorogaret, & munus ſuum porro exerceret. Verum cum id non impetraret, mandata dedit non tantum domui ſuæ, ſed domui Dei univerſæ, in qua fidelis ſervus fuerat totis 40 annis. Mandata illa fuerunt partim dictorum partim factorum. Dictorum, dum populo Iſraeli inculcavit leges divinas earumque obedientiam. Factorum, dum aliquid Politiam ſpectans ordinavit. Dictorum aliqua hactenus vidimus, quæ præfationis rationem habent. Recitavit hiſtoriam commemorationis in deſerto, quamobrem ea adeo diuturna fuiſſet, cujus culpa omnis adſcribenda erat ipſorummet humanæ prudentiæ, inobedientiæ, & impotentiæ, quamquam finito tempore caſtigationis felix fuiſſet ingreſſus & occupatio terræ ad orientem Jordanis. Hortatus eſt ad obedientiam mandatorum divinorum; ut porro felices forent, neque accerſerent cladem aliam inobedientibus incubituram, quamquam ejus finis à Dei bonitate & veritate eſſet exſpectandus. Eadem dicta continuat, verſ. 44. ſ. uſque

ad finem cap. 30. Factorum unum inſerit, verſ. 41. ſ. de quo primum dicemus.

Factum illud eſt delectarum trium Urbium refugii, quod factum dicit, verſ. 41.

Delectus inſtitutus eſt, verſ. 41. *Segregavit* &c.

Temporis ratio eſt *Tunc*, poſtquam hanc exhortationem huc uſque deduxiſſet. Videbantur conjungenda ſequentia ejuſdem argumenti, ſed inſeritur iſtud factum, cujus ordinis rationem quidam putant, ut differentia peccatorum & pœnarum oſtendatur. Num. 15: 22. Si per errorem ſive tota congregatio Iſraelis, ſive ſingularis homo Judæus aut proſelytus peccaſſet, ordinatum eſt ſacrificium pro peccato, & promiſſa condonatio. Sed *ſi quis elata manu peccaſſet*, ſive indigena ſive peregrinus, iſti nulla venia concedenda, ſed necandus eſt, & de terra exterminandus. *Elatæ manus peccatum* eſt, ſi quis conſcius voluntatis divinæ & de ea identidem monitus, contra ſcientiam propriam, & contra dehortationes, in contemtum Dei, & vilipendium legis ejus admittit: cujuſmodi ab illo admiſſum ſtatuunt, qui Sabbatho ligna collegit, quod exempli gratia iſtic notatum rentur. Idem hic quando obſervatum volunt à Moſe. Deſcripſit elatæ manus peccatum, verſ. 26. ſi poſteri ipſorum prolaberentur ad idololatriam, cum cognoviſſent Jehovam eſſe Elohim illum ſolum ex factis incomparabilibus, cum audiviſſent ipſiuſmet vocem de cœlo ipſos erudientem, cum Moſis haberent hortationes, cœlo terraque teſtibus propoſitas Deum eos exterminaturum de terra, & diſperſurum, adeo ut in Cananæa non ſint habituri urbem refugii quo ſe reciperent; imo vix toto orbe reperturi, obnoxii injuriis omnium, proſequente eos ultore fœderis violati gladio: fine eo, ut ſuperbi peccatores terrerentur pœnæ magnitudine, ne contra ſcientiam aut adhortationes auderent delinquere. Contra ſi quis patraſſet, quod maximum cædem hominis, & cui primum definita eſt pœna per homines infligenda Gen. 9: verſ. 6. Siquidem ſciens volens id non patraſſet, vitæ gratiam habiturum, & Deum ipſum ei cautum velle. Et ſane multum intereſt, quo animo quid fiat. Voluntarios & deliberatos peccatores manet certiſſima pœna. Deut. 29: 19. ſ. hinc eſt quod homicidio, adulterio, idololatriæ non ſit ordinatum ſacrificium, quod levioribus definitum eſt, quia in iſtis evidens fere voluntas, & propoſitum peccandi. Inobedientia contra parentes, quando voluntaria eſt & pertinax contra hortationes & caſtigationes paternas, capitali pœna plectenda eſt Deut. 21: 20. Heb. 5: 1, 2. Sacerdotis eſt offerre dona & victimas pro peccatis, qui compati poteſt debite ignorantibus & errantibus, & cap. 10: verſ. 26. ſ. ſi volentes peccamus &c. Si quis irritam fecit legem Moſis (volens ſcilicet & manu elata) moritur ſine miſericordia ſub duobus aut tribus teſtibus. Nemo opinetur improbitati deliberatæ veniam eſſe, ut hujus fiducia patret. Chriſtus ſanctuarium eſt, ſed non miniſter peccati. Eſa. 8: 14. Gal. 2: 17. Gal. 6: 1. Errare labi humanum eſt Jac: 3: 2. operari malum diabolicum Joh. 8: 44. *Vultis agere.* 1 Joh. 3: 8. *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt.*

Autor eſt Moſes. Quæri hic poſſet rectene fecerit? Deus negarat ei tranſitum Jordanis; juſſerat deſignari Joſuam, qui ageret ſucceſſorem, & hacpropter Moſes manſit in campeſtribus Moab, nolens caſtra promovere verſus Jordanem, ne quid videretur agere, quod alii agendum dixerat Deus, alienus ab omni ἀδολεσχιστοκοπία, quam damnat Petrus, & patrantem homicidæ, furi, malefico annumerat, & propterea quid patientem negat, ut Chriſtianum pati, 1 Pet. 4: 15, 16. Quomodo ergo ſibi ſumit deſignationem aſylorum iſtorum? Sed nihil peccatum ab ipſo eſt, imo quod commendatur 1 Theſ. 4: 11. φιλοτιμεῖσθαι *Quietus eſſe & proprium opus agere, & operari propriis manibus*, hoc eſt, nihil negligere eorum quæ ſua erant. Non traducendus populus trans Jordanem ab ipſo; abſtinet ergo ſollicite: ſed cis Jordanem ubi erat, omnia ipſi regenda incumbebant. Ergo duxit populum trans Arnonem, occupari juſſit regna Sihonis & Ogi, diſtribuit hæreditatem duabus & mediæ tribui, & cuique aſſignavit poſſeſſionem, ſub onere comitandi fratres, ut à quibus adjuti fuiſſent in occupanda ſua portione, eoſdem viciſſim juvarent in occupanda ipſorum hæreditate. Et quoniam aſylorum tria cis Jordanem erant deſignanda, Num. cap. 35: 13, 14. *Sex aſyla vobis erunt, tria dabitis cis Jordanem, & tria in terra Canaan.* Utique ſuarum partium eſſe cenſuit delectum iſtum illic inſtituere. Eſt hic obſervandum Moſis ſtudium in obſequendo Deo; quicquid ab ipſo fieri potuit, id fecit, & feſtinavit facere, ne infectum maneret ſua negligentia. Hoc eſt quod commendatur Eccl. cap. 9: 10. Summa annitendum eſt diligentia, nequid demandati operis infectum relinquatur, quia mors facultatem omnem operandi adimit. Rom. 12: 11. & Eph. 5: 15, 16. *Redimentes tempus.* Joh. 12: 35. Negligentes plerunque ſunt homines, non in opere mundi aut peccati; indefeſſa hic eſt cura & ne momentum quidem perire ſibi ſinunt, interdiu vel noctu Mich. 2: 1. ſ. Sed in agendo opere Dei & propriæ animæ ſocordia eſt, & fingunt ſibi ſat temporis reſidui ad expediendum; quia non indicata eſt propinqua mors, ut Moſi, malum diem longe à ſe removent Amos. 6: 3. Sed ille propinquior ſæpe quam creditur. Luc. cap. 12: 20. qui plures annos ſibi pollicebatur, proxima nox poſtrema illi erat. Dicit id Deus non ſingulis, ſed quandoque univerſis, Pſ. 90: 3. quando bellum, peſtem, famem immittit, quibus obruit, ut ceu ſomnus, ceu cogitatio evaneſcant. Hæc denunciatio nobis facta eſt, & fit quotidie; ambitiosa eſſe debet noſtra converſatio, ne quid neceſſarii operis omittamus, imo quod ullo modo à nobis agi poteſt. Pſ. 119: 60. *Feſtinavi* &c. De beneficentia erga pauperes dicitur Gal. 6: 10. *Dum tempus habemus benefaciamus omnibus*, &c. & Prov. 3: 27. ſ. quanto magis benefaciendum animæ propriæ. Moſes ut aſyla pararet feſtinavit; nobis feſtinandum ut aſylum ſubeamus, ad animæ ſalutem. Eſtque circa Moſen adhuc obſervandum: Deſignavit aſyla, quæ tamen non habitura erant uſum, antequam tria quoque in Cananæa forent conſtituta, Num. 35: 10. *ubi tranſieritis Jordanem in terram Canaan, facietis ut vobis urbes ſint, aſyla futuræ:* ſex erunt. Eoque tum demum futuræ uſui, cum omnes ſex eſſent conſtitutæ; & tamen Moſes ordinavit tres urbes, non tantum obedientiæ ſtudium oſtendit, qui quantum poterat egit; medium præcepti, quando integrum non licebat. Verum etiam fiduciæ teſtimonium edidit. Subjugationem terræ Canaan propediem futuram: citra illam inutilis erat iſta ſegregatio, cum non poſſent eſſe aſyla ante illud tempus. Sed ſuo facto confirmavit populi exſpectationem; quemadmodum Joſuam victoria & diſtributione regnorum Amoræorum, de victoria & diſtributione Cananææ reliquæ Deut. 3: 21. Sic laborandum de fidei fulcimentis, quæcunque ex verbo Dei poſſunt ſumi, ne ea deficiat. Rom. 8: 23. cap. 11: 16. Jer. 2: 3. Ipſa prima initia, quia Dei ſunt, poſſunt de conſummatione dare ſecuritatem, ob Dei veritatem, pœnitentiæ expertem.

Uſus delectarum urbium eſt, verſ. 42. ubi Cui paratæ ſint, & quid iſti præſtituræ. Num. 35: 6. ſ. fuſe de eo agitur & Deut. 19: 1. ſ. denuo repetitur: quo etiam potiſſimum rejicimus, Nunc breviſſime. Poſt diluvium, Deo benedicente filiis Noachi, & multiplicationem generis humani jubente, quæ huic potiſſimum adverſabatur, violentam cædem hominum prohibuit, ſe vindicem profeſſus contra homicidas, ſive homines ſive beſtias. Veruntamen ne putarent homines impunitatem ſibi fore ab hominibus, quam Kain metuebat poſt cædem fratris, Gen. 4: 14. quod Deus ſibi vindictam ſumeret, ſimul ordinavit, ut qui effudiſſet alienum ſanguinem ſive animam violenter corpore exturbaſſet, (quod etiam fit ſtrangulatione, ſuffocatione in aquis &c. ubi nullus ſanguis effunditur.) idem rurſus pateretur ab hominibus. Sic homicidia cohibita, vindicibus ſanguinis effuſi agentibus ad necem homicidæ. Sed hic quandoque peccatum in exceſſu, quando nempe necatus aut ad necem poſtulatus qui hominem occiderat, ubi non fuerat animus occidendi. Innocens iſte erat quoad animum, unde æſtimanda delicta, quamvis non quoad manum. Itaque de hujuſmodi aliquid peculiare ſtatutum fuit, Exod. 21. verſ. 14. ſ. *Qui percuſſerit aliquem ut moriatur, omnino morte afficietur. At qui non quæſiverit ſed Deus ipſe objecerit manui ejus, conſtituam tibi locum quo ille confugiat. Quum autem quis arrogaverit contra proximum ſuum occidere eum aſtu, ab altari meo rapies eum ad mortem.* Non loquitur ergo de

aſylo

aſylo voluntarii homicidæ, ſed involuntarii, qui deſcribitur quod id faciat inſcius, citra antegreſſum odium; heſternum aut antiquius, quod videbatur exſtinctum, multo minus præſentem iram aut contentionem, ut ſi quis cædens ligna excidente ſecuri alterum læderet lethaliter, aut ſi tegulam dejiceret de tecto, quæ tranſeuntis cranium eſſringeret; par ratio, ſi quis feram petens venabulo, ſagitta, globo ſclopeti tangeret hominem, aut improviſo, nullo affectu pravo ſtimulante, mero caſu occideret. Aſt quicunque manu aut inſtrumento ullo alium percutit, ut voluntas ſit illum petendi; & is moriatur; homicida voluntarius eſt, & morte afficiendus. Adeoque omnes duellatores, qui gladium cultrum aliudve inſtrumentum in alium ſtringunt, ſive ebrii ſive ſobrii fuerint, qui utique voluntatem lædendi habent, ſi alter læſus ex vulnere moriatur, homicidæ ſunt, citra gratiam necandi, Num. 35: 31–33. Quamobrem ordinatum, Deut. 21. 1. ſ. ſi cadaver alicujus repertum eſſet in agro, de cujus cæde nihil conſtaret, Seniores urbis proximæ cadaveri, poſt factam inquiſitionem debuerunt pubice cæſa vacca ſuper eam lavare manus & coram Deo proteſtari, quod nec fecerint, nec autorem deprehenderint, ne inulti homicidii reatus maneret ſibi; qui tum demum ipſis ſit condonandus. Quomodo ſi hodieque judicaretur de homicidis, non tot eorum viverent, atque reatus innocentis ſanguinis non adeo premeret terram, quem ubi magiſtratus non removent cæde homicidæ, removebit Deus exterminio & magiſtratus & incolarum cæterorum, Eſa. 26. verſ. 21. Nullum aſylum voluntario ulla ratione, & ſi quis eo fugiſſet, inde abducendus erat & necandus, adeo ut juxta altare potius confodiendus eſſet ut Joab, ſanguine iſto, quia nocentis, non polluente altare. Verum involuntario illi patebant aſyla, ut ibi vitam ſervaret, à perſequente vindice.

Dicat quis; quid fuga, cum ſit innocens? R. Deus tantopere deteſtatur cædem hominum, ut ne quidem involuntariam ſine aliqua pœna eſſe voluerit; quia anima non peccarat exturbando animam alterius ex corpore, neque illa exturbanda eſt ſuo corpore; attamen quia corpus fuit inſtrumentum cædis, debet removeri ex oculis vindicis, itaque fugiendum fuit in unam harum Urbium, & ibi manendum uſque ad mortem ſummi Sacerdotis: neque licuit lytron accipere ad redimendum iſtud exilium, ut anticiparet reditum ante mortem Pontificis: & ſi extra limites Urbis deprehenderetur, impune occidebatur, Num. 35. verſ. 26–32. Si hæc hodie vigeret ratio quantopere caveretur omnis cædes hominum. Num. 31: 19. in bello contra Midianitas, quicunque occiderat hominem, licet hoſtem, & ex mandato Dei, debuit aqua purificationis tertio & ſeptimo die adſpergi, & ſeptimo corpus & veſtes lavare, antequam liceret ingredi caſtra, & David fuit prohibitus à ſtructura templi, quod multum ſanguinem effudiſſet hoſtilem 1 Chron. 22: 8. Quanto gravius cædi non juſtæ cauſam dediſſe, Deut. 22: 8. Qui tecto domus (quod planum olim) non circumpoſuiſſet ſepem, ſi quis inde deciderat, reatum ſanguinis accerſebat domui ſuæ: quod David Uriam objeciſſet hoſtibus, eo fine ut occideretur, ipſe homicida pronunciatur 2 Sam. 12: 9. & propterea gladius in ipſius regnum & familiam graſſatus eſt, etſi à Deo condonationem conſecutus eſſet, ut exemplum malum lueret; unde pollicetur exemplum aliud, quando reatu ſolvi petit Pſal. 51: 15, 16: gratias etiam agit Deo, & Abigaili, quod cohibitus fuiſſet, ne ſe cæde pollueret, propriam vindictam agens, 1 Sam. 25. Joabus autem cædis à ſe perpetratæ pœnam ſub extremum vitæ luit, ex Davidis ultima voluntate, & Salomo tunc demum ſuam domum & regnum reatu exſolutum rebatur, quando homicidium illius vindicaverat.

Porro aſylorum *Loca* & *nomina* ſunt, verſ. 41. & 43. unaquæque tribuum illarum trium habuit unum, quo expeditior eſſet evaſio à perſequente vindice. Sic proſpectum voluit Dominus Deus innocentiæ minus circumſpectæ, & culpæ leviſſimæ; & vias undique ad eas Urbes eſſe expeditas, ne quid moraretur fugientem.

Non habemus hodie ejuſmodi aſyla publica, quamvis templa & ædes ſacræ aliæ ſic habeantur, & olim ad altare & ejus cornua receperint ſe, ſed nullo bono ſi rei forent; ut nunc quoque perperam eouſque extendatur privilegium: verum habemus aſylum aliud, non contra homines vindices, ſed contra vindictam Dei, neque illud unum eſt pro tribu una, & longinquum quandoque, quivis poteſt habere proprium & proximum. Chriſtus liberat ab ira ventura, 1 Johan. 1: 10. & eſt Sanctuarium Eſa. 8: 14. & qui ſic eum recipit, habet in ſe manentem, Epheſ. 3: 17. & hoc Sanctuarium fugientem comitatur Ezech. cap. 11: 16. & largitur vitam 1 Theſ. cap. 5: 10, 11. & tum nulla eſt condemnatio. Rom. 8. verſ. 11. Nemo eſt qui non ſit reus cædis, & quidem graviſſimæ videlicet animæ; nam peccans vim facit animæ & amat mortem Prov. 8: 36. cupiditates carnales pugnant contra animam, 1 Pet. 2: 10. avaritia ſauciat, & perdit, 1 Tim. 6: 9. ſ. Verum in Chriſto eſt evaſio, dummodo fugiatur ad ipſum deſerta impietate. Eſa. 8: 13. Eſtque hæc fuga non exilii, ſed feliciſſimus ad domum paternam reditus, & procuratio pacis cum Deo vindice Rom. 5: 1. neque finis eſt commorationis in hoc Sanctuario moriente Sacerdote, ille ſemel mortuus eſt ad expiationem reatus, ſed nunc æternum vivit, ut æternum tutos præſtet qui per ipſum accedunt ad Deum. Heb. 7: 25.

III. PARS LIBRI.

Verſ. 44. *Hæc autem illa* eſt *lex, quam propoſuit Moſche filiis Iſraelis.*

Verſ. 45. *Hæ teſtificationes illæ, ſtatutaque, & judicia, quæ eloquutus eſt Moſche apud filios Iſraelis, quum exiviſſent ex Ægypto:*

Verſ. 46. *Cis Jardenem in ipſa valle è regione Bethpehoris, in terra Sichonis Regis Emoræorum habitantis Cheſchbone, quem percuſſerat Moſche, & filii Iſraelis, quum abirent ex Ægypto:*

Verſ. 47. *Quum jam hæreditario jure poſſiderent terram ejus & terram Hogi Regis Baſchanis amborum regum Emoræorum, quæ* eſt *cis Jardenem, ab ortu Solis,*

Verſ. 48. *A Harohere quæ* eſt *ad ripam fluminis Arnonis, uſque ad montem Sionis qui* eſt *Chermon.*

Verſ. 49. *Et omnia ipſa campeſtria cis Jardenem Orientem verſus uſque ad mare campeſtrium, ſub ipſis decurſibus collis.*

Succedit nunc CONCIO ALTERA, qua prolixe repetit officia Iſraeli imperata, & intermiſcet argumenta ad obſequium moventia: cujus nexus eſt oportunus, poſt Aſylorum inſtitutionem. Aſyla recipiunt à morte, ut eo ſe recipiant, qui vindicem, erepturum vitam, fugiunt; ſed eſt aſylum iſtis potius, Lex Dei, etiam hæc eripit à morte. Imo cum aſyla tantum errantes, & involuntarios reos recipiant in tutelam, Verbum Dei non hos ſolum, ſed etiam qui volentes peccarunt, dummodo reſipiſcentes eo confugiant. Prædixit Moſes, verſ. 26, 27. exilium & diſperſionem inter gentes inobedienti Iſraeli, quando nulla futura erant aſyla; interrogare potuiſſent, quo tunc confugiemus? Sed huic quæſtioni reſponſum heic eſt. *Hæc eſt Lex*, &c. Verbum Dei loco omnium eſt Proverb. 6: 23. Cap. 3: 18–22. verbum Dei eſt vitæ, Philip. 2: 15. & ſalutis Actor. 13. verſ. 16, 17. Juſtitia Dei revelatur, quæ apprehenſa fide,

de, asylum præbet æternum. Hoc verbum fidei prædicavit Moses, & prædicarunt Apostoli, Rom. 10: 8. s. Recipiamus fide, & habebimus vitam & salutem æternam:

Concioni isti præmittitur titulus, & argumentum, quæ cohærent, cap. 5. male inde divulsa: neque enim Moses capitum distinctionem fecit, sed ea recens est inventum ante 440. annos demum introducta.

TITULUS est vers. 44. ARGUMENTUM vers. 45--49. ubi circumstantiæ concionis quoad materiam, autorem, & auditores, vers. 45. tum circumstantiæ loci & temporis, quæ plerunque dicta, cap. 1: 1--5. cap. 3: 29.

Materia concionis est *Testimonia*, *statuta*, *judicia*. Una voce *Legis* seu doctrinæ comprehenduntur, vers. 44. sed hic distinguuntur, *Illa* officia fœderalia continent; nam tabulæ testimonii dicuntur, & sic quoque arca: *ista* cerimonias cultus, hæc politicas constitutiones; adeo ut nihil omittatur quod non in seqq. declaretur, faciens ad Israelis regimen.

Autor Moses, de quo dicitur in tertia persona, non quod Moses hæc non scripserit, sed quod dictante Deo scripserit, 2 Pet. 1: 21. qui quæ fecerat, consignari fecit. Repetita autem ista narratio, quia interseruerat quæ evenerant, & quod ad præparationem monendum habuerat, ut nunc scopum primum denuo insinuet.

Tempus & *Locus* ante quoque indicatus, ut nihil nunc attineat eorum quicquid repetere nisi quod *mons Sion* non sit famosus ille in sacris Zion, trans Jordanem, cui inædificatum templum, sed est Hermon ad orientem & septentrionem terræ, cis Jordanem: scriptura etiam differente; hic שׂיון, ille ציון.

Unum hic observandum: *Argumenti inscriptio momentum habet, ad excitandam attentionem.* Sic, Jerem. 36: 1. s. Sic & aliis libris præscribitur Apocal. 1: 1. s. Luc. 1: 1. s. Gustus excitat desiderium plenioris fruitionis, & sic quoque hic. Debet gustus exhibitus facere cupidos ut audiamus præstantem Mosen quæ hic præstiturus dicitur. Discemus sic fœdus Dei, & excitabimur ut illius fruitionem consequamur, ad Dei gloriam, nostramque salutem. Amen.

CAP. V.

PHil. 3: 1. *Eadem vobis scribere mihi non est tædiosum, & vobis est securum*, scribit Apostolus. Solet alias repetitio ad eosdem tædiosa esse, tum doctori, quia tarditatem discipulorum indicat Esa. 28: 13. *Verbum Domini erit ipsis præceptum ad præceptum*, (bis,) *linea ad lineam*, (bis,) *parum hic & parum illic*; quemadmodum cum infantibus primæ ætatis agendum est, tum discipulis, qui ubi se didicisse putant, alia & nova audire desiderant, quemadmodum Athenienses, Actor. 17: vers. 21. Enimvero Paulus eadem repetere sibi tædiosum esse negat, & tædium etiam auditorum removere studet, intuitu commodi ad eos redundaturi, qui licet non multa sic discerent, attamen pauca solide discerent alte infixa memoriæ, ne elaberentur. Idem docuit Salomon, Eccles. cap. 12: 11. s. *Verba sapientum sunt ut stimuli & ut clavi alte infixi à Magistris congregationum, quæ data sunt ab uno Pastore.* Uti clavus crebris ictibus infigitur, ut altius penetret & firmius hæreat; sic verba Sapientum identidem repetendo implantantur. Hoc faciendum Doctoribus in Ecclesia, & tum verba, tum ipsi hoc fine à summo Pastore dati sunt ad securitatem discentium, quos quod non tædere debeat docet Jac. 1: vers. 21. Accipite cum mansuetudine implantandum sermonem. Quibus id molestum est, Salomon hoc inculcat, *Quod præterit ista est, mi fili, admonitus seu cautus esto; multos libros facere non habet finem, & multa lectio est fatigatio carnis.* Multa alia scribuntur quidem, dum quisque sapientiam suam studet ostendere vel ostentare, quæ præsentibus & absentibus dicere & inculcare optabit. Sed circa quæ sollicite versandum est, 1 Thes. cap. 5: 20, 21, 22. & quando multum legitur, non nisi fatigatio est carni, oneratur memoria; & multum temporis sic perit. *Verum omnium eorum quæ audita vel audienda summa huc redit, Time Deum & præcepta ejus observa, nam hoc est totum hominis officium, & omnium quoque hominum officium.* Ut paucis hisce capitibus omnis institutio absolvatur; sed quæ jugiter docendo repetenda, & discenda. Haudquaquam ergo tædere debet, Mosen sæpius eadem ista capita inculcare, utpote qui quod utile, quod necessarium est, spectavit, & quod proinde tædiosam haud duxit repetitionem; quæ Israelitis quoque debuit placere, quorum securitati hoc pacto consultum voluit. Sic ergo nunc instituit repetitionem eorum quæ ante docuerat, quæ nobis etiam propter istum finem non debet esse ingrata.

Vers. 1. ***Nam Mosche advocatis omnibus Israelitis, edixit eis, audi Israel statuta & judicia illa quæ ego loquuturus sum hodie vobis audientibus: ut discatis illa & observantes faciatis illa.***

Repetitionem autem istam sic instituit, ut I. Fundamentum omnium officiorum proponat in Formula Fœderis cap. 5. II. Moralia officia declaret & inculcet capp. 6--11. Ceremonialia capp. 12---15, 16, 17. & Judicialia describat capp. 16: 18. cap. 20. III. Renovato Fœdere obliget Israelitas capp. 26--30.

I. *FUNDAMENTUM.* Hoc capite occurrit. I. Compellatio *populi*, vers. 1. II. Recitatio publicati fœderis, vers. 2---21. III. Institutio Mosis Internuncii, vers. 22--33.

I. COMPELLATIO exhibet Personas, compellantem & compellatas. & compellantis Verba.

I. *Personæ* sunt *Moses convocavit totum Israelem, & dixit ad ipsos.* Est hic descriptio concionis insignis.

A. Est *Præco* Moses, *quomodo enim audient sine prædicante?* Rom. 10: 14. Si vel nulli fuerint, quia vel avolarint, ut nullus sit Propheta aut indicans, adeo ut quisque ambulet in viis suis, tanquam ovis pastore carens. Præco Moses vocatus à Deo, & ordinatus; quomodo enim Prædicabunt nisi missi fuerint? nemo sibi ipsi sumit honorem Heb. 5: 4. alioqui valet Prophetas illos non misi & cucurrerunt, non locutus sum ipsis, & prophetarunt Jerem. cap. 23: 21. Præco Moses servus Dei fidelis in tota ejus domo, qui non sua sed Dei verba locutus est: alioqui non Dei erunt Legati, sed hominum, quorum instructionem sequuntur: sed sui ipsorum, si mentientur, sua somnia prædicantes, ut falsetur verbum Dei, vel furto subducatur, & in oblivionem deducatur substitutis commentis propriis. Jerem. 23: 25. s. Quam miserum est carere præconibus, aut eos habere qui non sunt quamvis id profiteantur; itidem sine ordine omnes simul præconium exercere. Est Ecclesia cœtus discipulorum, præceptor igitur præsit oportet, est grex, quem moderatur pastor, est familia absente patrefamilias, quam regit œconomus. Sic ergo præesse debent, verum ex autoritate summi Magistri, qui hypodidascalos, Domini qui Pastores gregibus; Patrisfamilias, qui œconomos constituit. Citra istius mandatum qui venit, mentitur munus. Et missi ab illo tenentur ejus instructione; non sunt plenipotentiarii, quibus promissum est suo agere judicio, addere, demere, mutare; verum prout mandatum est: ut eloquia Dei 1 Pet 4: 11. Tales optandi, tales qui habent felices sunt, quibus lætandum & ipsis gratulandum est.

B. Sunt *convocati*, nempe *totus Israel*, uti Deut. 24: 10. s. *statis hodie omnes coram facie Domini Dei vestri, capita tribuum, Seniores, Præfecti, omnes viri Israelis, infantes, fœminæ, peregrini, servi.* Quando in domo candela accenditur, est ut omnibus in domo luceat, quando Deus solem oriri facit, ut toti hemisphærio alluceat. Ergo I. male agent, qui lucernam abscondent sub modio, aut hominibus obligabunt oculos, ne videant solem, Qui non patiuntur loqui Prophetas, ut Amazia Sacerdos Bethelis Amosum, & quotquot prædicationem verbi non patiuntur publicam; vel qui traditivæ Ecclesiæ & ejus decretis oculos tegunt, ne videant solem Scripturæ, & lucem ejus. Deus verbum suum dedit Mosi, sed ad omnem Israel Mal. 4: 4.

non

non ſolis Doctoribus, ſedDoctoribus ad erudiendos alios. Joh. 7:48. ſ. Principibus & Phariſæis tribuunt cognitionem, plebem ob ignorantiam exſecrantur: aſt ipſi abſtulerant clavem cognitionis Luc. 11:52. Tit. 2:11. *Salutaris gratia Dei illuxit omnibus hominibus*, eoque odor cognitionis per Doctores manifeſtandus 2 Cor. 2:14. ut manifeſtatione veritatis ſe commendent omni conſcientiæ hominum in præſentia Dei cap. 4:2. II. Sed porro totus Iſrael convenit. Debent omnes congregari. Ezech. 33:30. ſ. Laudabilis eſt zelus ad conveniendum, licet deſit verus finis, diſcendi obedientiam: qui apud Cornelium cæteroſque Act. cap. 10:33. Negligunt nonnulli conventus publicos. Heb. cap. 10:25. Ne dicat quis privatim ſe poſſe legere Scripturam; id quidem verum, neque caret fructu Pſ. 1:2,3. Pſ. 119:97. ſ. verum majus quid ſperandum à congreſſibus. Matt. 18:19, 20. &c. præſentia Chriſti, & audientia apud Patrem hic promiſſa, per multorum preces aliquid impetratur efficacius, 2 Cor. 1:11. & multorum gratiarum actionibus glorificatur. Pſ. 22:4. habitat laudes Iſraelis. Thomas neglecto conventu caruit viſione Chriſti, qui etiam ſigillatim ſe illi non manifeſtavit, donec in conventu reperiſſet, licet Petro & Cleophæ ſe oſtendiſſet ad vindicandum illum neglectum. Curritur ad mercatum, ad parandum cibum corpori aliaque neceſſaria, quanto magis ubi comparanda quæ animæ ſalutaria, idque ſine pretio & nummis Eſa. 55:1, 2. Qui nolunt audire, indignos ſe judicant vita æterna, quæ verbo ſalutis annunciatur. Act. 13:46. & qui nolunt audire loquentem in verbi prædicatione Deum, non audientur à Deo precantes Prov. 1:24. ſ.

C. Eſt *Modus* compellandi, ויקרא אל כל ישראל *Clamavit ad totum Iſraelem, & dixit.* Viva ergo voce egit, eaque omnibus intellecta. Miniſterium non conſiſtit in exercitio ſcenicarum actionum, ſed in prædicatione, 1 Cor. cap. 1:21. Baptiſta ſe ait vocem clamantis. Quam miſerum loco concioniantis miniſtri conſtituere muta idola, quæ ſint doctores laicorum. Hab. 2:18. quod proderit idolum ſculptum, fuſumve, quod doctor eſt mendacii? ut formator confidat ſuo figmento, quando muta fecit idola? an doceret? quod obductum auro argentove ſpiritu caret? Quam alienum, miſſaticum Sacerdotem geſticulari multa & muſſitare quæ nemo audiat, quaſi comœdia repræſentaretur. Ritus ſacros Chriſtus ſociavit verbo, quod ubi removetur, non ſunt amplius ritus illi. Adde verbum ad elementum & fit ſacramentum; & deme verbum ab elemento & tollitur Sacramentum. Sed inſuper Sermone vernaculo, quid prodeſt non intellectus ſermo? 1 Cor. cap. 14:6. Hoc tamen fit in Eccleſia Rom. ubi ſermone latino, barbaro audientibus, quæ cultus ſunt peraguntur, mille verba tantum non proſunt, quam quinque intellecta; licet quinque barbaris maxima myſteria ſe conficere jactent, tranſubſtantiationem per *Hoc eſt enim corpus meum.* Maledictionis eſt per labium aliud loqui, ne intelligant, quam inducunt populo. Inſani videntur loquentes barbare, ſapientes qui loquuntur ut intelligantur.

II. *Materia* eſt, quid doceat, & quo fine.

A. *Quid* vocat *Statuta & Judicia*, de quibus Deut. 4:1. ſ. non ſuæ inventionis, ſed à Deo traditis. Humanis non ſatis doceri, aut caſtigari poſſumus, neque conſolatione confirmari; quia homines nec autoritatis ſatis habent, nec veritatis, ut conſcientia convicta obſequi, aut iis confidere queat. Palea ſunt quæ non nutrit; imo venenum quandoque quod necat. Solum verbum Dei eſt quod prædicandum. Eſa. 8:20. non quod nihil dicendum quam quod ibi legitur; ſed quod nihil niſi juxta illam normam, Act. 26:21. ſeq. Qui aliud proponunt, alia citant nomina, hominibus parant diſcipulos, & non Deo: eoque ſe hominum non Dei miniſtros probant Jer. 23:22. Verbum autem Dei duobus capitibus comprehenditur. *Statutis*, quæcunque ad religionem faciunt, ad cognoſcendum & colendum rite Deum. *Judiciis*, quæcunque ad ſocietatem pertinent humanam. De his dicendum, de amore Dei & proximi; quicquid hiſce capitibus continetur, docendum eſt, & quæ illa omnia ſint ſeqq. probant toto hoc libro; non ſolum officia privatorum, ſed etiam Magiſtratuum, quæ Politiam ſpectant, judicia, lites forenſes, pœnas, bella, fœdera, quamquam horum quædam nonnulli nolunt proponi, quia ipſimet doceri aut convinci nolunt.

B. *Quo fine*, I. Auditus *Audi*, Quando loquuntur audiendum; dedignantis eſt aurem avertere, obturare. Peccatum eſt, quare clamavi & nemo fuit qui audiret? Eſa. cap. 50:2. Nefas patri, qui dedit domum, negare hoſpitium, Deo qui plantavit aures negare ingreſſum, cum concedantur in domicilium vanis & putribus ſermonibus. Ratio, ab oportunitate, quæ hodie ante aures veſtras loquor. Non ſemper loquuntur; ergo loquentibus advertenda auris Pſ. 95:7. Audienda vox tubæ, Jer. 6:17. quæ non in vanum inflatur. Uti pluvia & nix non in vanum cadunt, etſi non obſervent homines, ita nec verbum Dei Eſa. 55:10. ſ. Monela eſt, ſive quis audiat, ſive non; ſed heic judicium juſtum, & citra commiſerationem; cum iſtic evitandi detur occaſio, Ezech. 33:1. ſ. II. *Diſcetis*, non ſolum audiendum, ſed cognoſcendum, & ei aſſentiendum, ut ſua ſit doctrina, quemadmodum in ſchola. Joh. 6:45. Schola eſt Eccleſia, ubi diſcipuli erudiuntur. Uti culpamus garrientes in ſchola pueros; multo magis qui in templis illud admittunt. III. *Cuſtodietis*. Memoriæ mandandum, quæ fida cuſtos. Obliviosus auditor decipit ſemetipſum. Bona terra eſt ubi verbum auditum retinetur. Semen in terra cuſtodiri debet, ut germinet, & verbum implantari. Tantum verbi Dei quis habet, quantum memoria tenet, nam quod auferri poteſt, non eſt ipſius: theſaurus in corde non poteſt amitti, quandoquidem illud ipſum indefinens eſt. Sic Maria Luc. 2:19--51. IV. *Ad faciendum.* Obſequium quæritur. Cuſtodiens verbum & non faciens, non præſtat libro: imo pejor eſt, quia liber non poteſt aliud quam cuſtodire, vita & motu carens. Joh. 13:17. non auditores, ſed factores legis Rom. 2:13. Jac. 1:23. Mat. 7:21. ſ. Hæc ſi concurrant omnia, erit laudatiſſima Concio. Præco miſſus à Deo ad miniſterium reconciliationis, loquens ſibi datum verbum reconciliationis, & illo rogans ut intelligi queat, quo velint reconciliari Deo. Populus concurrens, audiens, diſcens, retinens, faciens. Sic Deus aderit, ſed ſi populus negligat, oderit miniſtros, non accedat, ſuis magis deditus quam verbo Dei, iniquitatis exercitio, magis quam juſtitiæ, Deus hos non agnoſcet pro ſuis.

Verſ. 2. *Jehova Deus noſter pepigit nobiſcum fœdus in Chorebo.*

Verſ. 3. *Non cum patribus noſtris pepigit Jehova fœdus iſtud ſed nobiſcum, nobis* inquam *iis qui hic* ſumus *hodie, omnibus nobis qui vivimus.*

II. RECITATIO PUBLICATI FOEDERIS habet Exordium, verſ. 2--5. Propoſitionem, verſ. 6--21.

I. *Exordium* indicat Rem ipſam, & Modum rei.

A. *Res ipſa* eſt, verſ. 2, 3. Vocat *Fœdus*, quod eſt pactum mutuum inter duas partes initum ſuper conditionibus utrinque placitis, Deut. 4:13. Conditiones vocantur fœdus, improprie; neque enim illud eſt, niſi conſenſus, & ſanctio acceſſerit. Ex fœdere datur actio, ſed non ex conditionibus non admiſſis, quemadmodum pacta dotalia quæ non ſunt à partibus accepta, nec firmata. Partes ſunt hinc *Dominus Deus noſter*, qui facto fœdere talis: *feciſſe* autem *ipſe* dicitur, quia ſolus conditiones concepit, & conſenſu Iſraelitarum declarato ſanctionem addidit, Exod. 24 uti etiam Gen. 15. Etenim dicitur de eo τὸ כרת quod non propoſitionem conditionum, ſed approbatarum ſanctionem declarat Gen. 15:18. Pſ. 50:5. iſtinc *Nos* Iſraelitæ quibus loquebatur, & quorum pars erat.

Sed addit declarationem, verſ. 3. *non cum patribus*, &c. Dubium hic quinam illi *Patres* ſint, & quomodo negetur fœdus cum illis initum. *Patres* ſunt quibuſdam Patriarchæ, Ab. Iſ. Jacob; quibuſdam Iſraelitæ qui egreſſi ex Ægypto in deſerto mortui erant. Fœdus factum cum illis non eſſe, non dici abſolute, ſed non cum ſolis. Sic ergo cum Abrahamo factum eſt fœdus à Deo ſolenniter, Gen. 15. quod cum Iſaco & Jacobo continuatum, quo Deus factus

eſt ipſorum Deus, & ipſi viciſſim Dei peculium; ſed idem in contractu eſt cum Iſraelitis inito, quamquam modus paciſcendi à parte hominum fuerit diverſus. Sed de his non agit, qui illud fœdus intelligit, cujus ipſe fuit internuncius; cujus conditiones quidem eædem, ſed quia non à conditionibus, ſed à ſtipulatione fœdus pendet, pactio plane fuit alia, uti alias diximus, & dicemus poſtea quoque, adeo ut illud cum Patriarchis iſtis non fuerit initum. Loquitur de fœdere inito ad Horeb montem, & de illo ipſo ait non eſſe initum cum Patribus, ut abſolute negetur, ſi de Ab. &c. intelligamus Patres. *Patrum* ergo nomine intelliguntur qui mortui in deſerto; nam opponit iis qui tunc ſuperſtites, & fœdus Horebi habebant. Hacpropter ſubintelligitur *Solis*: nam cum ipſis pactum eſſe initum negari nequit, Exod. 19: 24. neque potuiſſent irriti fœderis reatum contrahere, pœnam accerſere, niſi in fœdus veniſſent. Aſt non cum ſolis; Etiam qui tunc vivebant, quorum aliqui præſentes fuerunt illi ſolennitati, Levitæ, mulieres, minores 20. annis: aliqui v. poſt demum nati in deſerto, quadragenarii omnes & minores. De quibus ultimis quæritur, quomodo cum illis fœdus in Horeb fuerit initum, cum nulli horum Horebum vidiſſent, vel vidiſſe poſſent meminiſſe? Moſes hortatus ad obſequium auditores univerſos, occurrit dubio; quid ad nos iſta attinent, potuiſſent dixiſſe, fœdus quidem iniit Deus, ſed cum Patribus noſtris: nos ad Horebum non fuimus. His reſponſum eſt, Deus ad Horebum nobiſcum pactus eſt fœdus, non cum Patribus noſtris (abſolute dicunt nonnulli, nam norat Deus perituros ob inobedientiam in deſerto, nec venturos in Cananæam cui plures leges ſunt propriæ Abrab.) nempe ſolis, ſed etiam nobiſcum: quemadmodum Hoſ. 6: 6. *miſericordiam volo, & non ſacrificium*, nempe tantum: pepigit Deus pactum cum populo, non unius, ſed omnium generationum ſequentium. Quemadmodum qui molam collocat in flumine, rotam circumagendam ponit non pro præſente duntaxat aqua, ſed etiam pro ſucceſſuris omnibus, eſtque mola fluminis ejuſdem, licet aliæ aliæque aquæ in eodem alveo fluant. Sic fœdus ſuum pepigit cum Iſraele, eodem modo habendum ſeqq. ætatibus. Et quemadmodum aquæ quæ præterfluxerunt nihil amplius agunt circa rotam, verum ſolummodo præſentes; nihil etiam quæ nondum adſunt; ita quoque fœdus illud eſt, quoad obſervationem hominum, non cum nondum natis, nec cum mortuis, ſed cum viventibus: atque hoc pacto viventes ſibi attribuendam habent eductionem ex Ægypto, Deut. 6: 21. ſ. & cap. 16: 3. debent Paſcha celebrare quotannis, ut recorderis diei egreſſus tui ex Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ. Obſervandum hic.

(1.) *Quod in Horeb Deus egit cum Iſraele fuit pactio fœderis*: ad fœdus eos invitavit, Exod. 19: 1. fœdus ſuum propoſuit, x. illa verba Deut. 4: 13. ſolennia fœderis adhibuit ad pactionem Exod. 24. Ergo *fœdus* dicendum eſt, non Lex niſi ſub intellecto nomine fœderis. Equidem omnes conditiones fœderis ſunt leges, ſed non omnes leges ſunt fœderis leges. Etiam novum fœdus νενομοθέτηται legibus conſtat, Heb. 8: 6. Eſt in nomine fœderis major emphaſis. Lex autoritatem habet à legislatore ſolo, fœdus ab utroque contrahente. Qui legem violat ſoli legislatori reus eſt; qui fœdus, etiam ſibi: adeoque non una ſed gemina condemnatione condemnatur. Gravior oſtenditur culpa Iſraelis, quando fœdus violaſſe dicuntur, quam cum legem: quod quoties dicitur, fœderis lex intelligenda eſt. Nos quoque pari ſumus cum Iſraelitis loco. Gentes, quæ peregrinæ à fœderibus Eph. 2: 12. violarunt legem inſcriptam cordibus: nos, quibus fœdus propoſitum, contra fœdus peccamus; illæ hoſtes Dei, nos perduelles ſumus. Debet id nos excitare ad majus ſtudium in obſequio. Nam.

(2.) *Cum viventibus Deus pactus eſt.* Manet quidem fœdus etiam mortuis firmum; ſed reſpectu viventis Dei; qui cum immortalis ſit, fœdus reſpectu ipſius æternum eſt: quocirca Ab. Iſ. Jac. ejus adhuc experientur fructum. Sed reſpectu hominum, quatenus ipſorum officia indicat, viventium duxtaxat eſt: in ſepulchro poſt mortem, nemo poteſt operari; tum nec obſervatur, nec violatur amplius, ſed ſequitur obſervati præmium, vel violati pœna. Dum vivimus fœdus nobiſcum eſt, quod faciendum, poſtquam à parentibus hæreditarium initum eſt, Pſ. 115: 17. ſ. Eſa. cap. 38: 18. prius obſequii eſt, alterum ſpei, utrunque fidei. Cum mortuis fuit Deo fœdus, cum viuentibus eſt, & niſi cum viventibus ſit, poſtea nunquam erit. Beneficium vitæ tanto magis nobis æſtimandum, quia fœderis ſine eo non poſſemus eſſe conſortes: Sed tanto ſollicitius uſurpandum, quo fœderis officia præſtemus, & paremus ſecuritatem fœderalium actionum ab æternum vivente Deo, etiam poſt mortem noſtram Pſ. 103: 17, 18.

Verſ. 4. ***In os loquutus eſt Jehova vobiſ. cum in monte illo è medio ignis.***

Verſ. 5. ***Me ſtante inter Jehovam & vos tempore illo, ad referendum vobis ſermonem Jehovæ (timebatis enim propter ignem illum, neque aſcendiſtis montem illum, dicendo:***

B. *Modus* rei eſt, verſ. 4, 5. I. Immediatus, verſ. 4. *facie ad faciem*, &c. Dicta hæc ſunt cap. 4. ſed illud facie ad faciem docet ſermonem præſentem, ab ore loquentis ad audientis aurem; Exod. 33: 11. Num. 12: 8. ore ad os alloquor eum. II. Mediatus, verſ. 5. *Ego conſtiti*, &c. Exod cap. 19. refertur Moſen ante publicatum Decalogum ter aſcendiſſe montem Sinai, verſ. 3. ſ. quando juſſus eſt populum invitare ad fœdus, verſ. 8. ſ. quando populi reſponſum ad Deum retulit, juſſuſque eſt populum ſanctificare in tertium diem, verſ. 20. quando Deus deſcenderat in montem Sinai, evocato dixit, ut moneret populum, ne adſcendere tentarent. Verum poſtquam hoc indicaturus rurſum deſcendiſſet ad populum, Deus elocutus eſt Decalogum: ut illo tempore non ſteterit medius inter Deum & populum. Sed Moſes non loqnitur tantum de actu publicationis, ſed etiam ſanctionis fœderis, ut verſ. 2. & tum agebat internuncium, quando quæ hujus muneris cauſæ fuerunt, terror ille occupavit populum, ut accedere ad montem non auderent: Quam hiſtoriam, verſ. 23. ſ. enarrat. Fuit ante legatus Dei ad populum, mandata reſponſaque ultro citroque ferens: ſed non internuncius ſeu mediator fœderis, illud factus eſt petente populo, & concedente Deo. Alias in Sanctione fœderis non minori majeſtate Deus ſe patefeciſſet, ac in promulgatione: quemadmodum in fœdere cum Abrahamo Sanciendo, Gen. 15: 12. ſ. Aſt nunc Moſes omnia peregit, & altari Deum, 12. columnis Iſraelitas repræſentans, aſperſo hic & illic ſanguine, fœdus ſancivit Exod. 24. de qua actione alias. Saltem hinc manifeſtum.

Moſen fuiſſe mediatorem fœderis hujus, quod de ſe affirmat. Rem eam firmat Stephanus Act. 7: 38. *Hic eſt qui in congregatione fuit cum Angelo, qui cum ipſo locutus eſt in monte Sina, qui accepit ſermones vivos, ut nobis eos daret.* Nomen tribuit Paulus Gal. 3: 19. *Lex ordinata per manum Mediatoris*, quæ vitam dare potis non erat: quod utique Chriſto convenire nequit. Eſt ille unicus mediator Dei & hominum 1 Tim. 2: 5. fœderis ſcl. ſalutaris, de quo, Heb. 8: 6. quod melioris pacti ſit mediator, & cap. 9: 15. mediator novi fœderis: in quo nihil reprehendendum, vel abolendum; alioqui etiam ipſe aliquid pœnitendum egiſſet. Quamvis Iſraelitæ etiam Moſen habeant mediatorem, manet unicus Chriſtus etiam reſpectu ipſorum quoad ſalutem; nam Moſes eos accuſat. Joh. 5: 45. Chriſtus v. interpellat etiam pro ipſis 1 Joh. 2: 1, 2.

Ultima vox *dicendo*, reſpicit, verſ. 4. veruntamen locutus eſt Deus ex igne ad Iſraelem immediate, x. verba, & mediate per Moſen qui adſcendit ad Deum in caliginem, Exod. 20: 21. cum primum accepit reſidua, quæ ſtatuta judiciaque concernebant, tum cap. 24: 15. ſ. poſt ſanctum fœdus, quando gloria Dei fuit ut ignis conſumens in ſummo monte coram oculis Iſraelitarum. Dixit itaque Deus omnia ex igne ad Iſraelem fœdere jungendum, oretenus, & per Moſen, illo modo x. verba, iſto reliqua, & τὸ dicendo tam ad ſequentia per Moſen dicta, quam ad Decalogum referendum. ut merito dicitur Ignea lex ad ipſos fuiſſe cum ipſo Deut. 33: 2. Sane par eſt reverenter, & at-

& attente nos audire, quod Deus ipse locutus est, plusquam 1000000. audientibus. Apoc. 2. & 3. aliquoties repetitur, *qui aures habet, audiat quæ Spiritus dicit Ecclesiis*, & hic quæ Deus locutus est. Deus det nobis aures, & cor ut audiamus, & intelligamus, & faciamus, ad ipsius gloriam nostramque salutem.

Vers. 6. *Ego sum Jehova Deus tuus, qui eduxi te è terra Ægypti è domo servorum;*

II. Sequitur publicati Fœderis *Propositio*, vers. 6--21. Quum Tyrii Sidonii que pactum inituri essent cum Herode, qui bellum eis meditabatur inferre, conciliatus autem erat per Blastum à cubiculo regis, Herodes stato tempore indutus regium vestem & sedens pro tribunali, sive in solio in publico erecto hujus actus gratia, sermonem ad illos habuit, & acclamatum ipsi fuit, *Vox Dei, & non hominis*, Act. 12: 20. s. tanta cum majestate ille dixit, & tanta cum reverentia ipsi audiverunt: cum tamen ille merus homo esset, ejusdem cum audientibus indolis; unde etiam ab Angelo Domini percussus fuit, quia Deo non dedit gloriam, & à vermibus erosus exspiravit. Occurrit nobis in historia quam meditamur longe solennior actus. Pactum inituras Deus Opt. Max. cum Israelitica natione, qui & ipsi filii iræ natura Eph. 2: 3. sed conciliatus, stato die indutus celsitudine, & robore, cinctus majestate, & gloria, comitatus myriadibus angelorum descendit in igne in montem Sinai, atque inde circumstantibus omnibus Israelitis, & videntibus caliginem & ignem, audientibusque vocem Dei publicavit sermone proprio fœdus suum. Hic sane acclamandum fuit. *Vox non hominis, sed Dei*, & si quis istud non agnovisset dignus fuisset, qui percussus ab Angelo Domini, vermibus esca, exspiraret, quia Deo non dedisset gloriam. Nos quidem Deum ipsum loquentem non audiemus, verum Sermo ille Dei est ipse quem tunc loquutus fuit, qui nunc proponendus; Etsi thesaurum habeamus in vasis testaceis, ut excellentia roboris sit Dei, & non ex nobis, 2 Cor. 4: 7. æstimandus ille tamen est auditoribus, ita quoque audiendus est ille Dei Sermo etsi ab hominibus publicetur, non ut sermo hominum, sed uti vere est ut Dei sermo, qui etiam operatur in credentibus 1 Thes. 2: 13. Etenim non repudiandus loquens ille, cujus vox tunc commovit terram, Heb. 12: 25. s. Commovere ea debet terrena corda, ut se ipsi subjiciant, & apprehendant gratiam, qua *ἐυαρέστως* ei serviant cum reverentia & pietate. Deus enim qui ea verba ex igne locutus est, est ignis consumens. Quæ ille ad omnem Israelem immediate locutus est, hoc habuerunt initium, *Ego sum D. Deus*, &c.

Antequam ea ordiamur considerandum est quem locum habeant in toto isto sermone Dei. Deut. 4: 13. dicitur, *tunc indicavit vobis fœdus suum*, quod vobis præcepit ad faciendum, *illa verba* Fœderis formulam proposuisse certum est, & quæcunque dixit eo pertinere, sed de hoc initio manet aliquod dubium, ex illis ipsis verbis enatum. Decem illa verba quidam referunt ad totam formulam fœderis, ut nihil isti insit, quod non faciat partem x. verborum. Istis primum est quod hoc versu continetur, secundum, vers. 7--10. comprehendens 1. & 2. præceptum, & sic deinceps. Causam dicunt, quia fœdus est, utriusque contrahentis officium describendum esse, quemadmodum quoties fœderis summa proponitur, semper fieri solet, Gen. 17: 1. Jer. 30: 22. cap. 31: 1--33. Itaque hoc primo verbo indicari quæ Deus fœderatus se præstiturum promittat: reliquis novem verbis, quæ præstanda sint fœderato populo, ita ut idololatria tam interna, quam externa uno verbo interdicatur: atque hacpropter dici non præcepta, sed verba, quia hic nihil præcipiat, sed promittat. Quamvis nihil impediat, quo minus etiam hoc verbum lex seu mandatum dici queat, partim quoad Deum, qui sibi ipsi heic legem posuit, & Heb. 8: 6. *novum fœdus præstantioribus promissis νενομοθέτηται*, lex data est præstantioribus promissis prosequenda, Deo quod pollicitus est ordiente, ut Jer. 31: 33. partim quoad Israelem, nam Deo promittente postulabatur fides ipsorum, ut talem Deum sibi esse & futurum esse crederent. Alii x. verba illa restringunt ad ea quæ præcepit Deus ipsis facienda, qui proinde hunc versum præfationem faciunt, & primum præceptum, vers. 7. de interna, secundum de externa idololatria loqui dicunt, & sic deinceps. Ita sentiunt Reformati plerique. Non est quod eapropter ligitemus, dummodo istud certum sit hoc initio proponi quæ Deus fœderatus præstiturum se dicat; Nam alioqui non erit formula fœderis, quod tamen Moses affirmat, sed mera lex, quia unius tantum partis, non utriusque munus indicabitur, cum tamen necessum sit in fœderis conditionibus exprimi, quid utrinque faciendum, poscendumque veniat, eoque & exspectandum. Cathechesis nostra considerat tamen ut legem officii nostri; citra vitium ratione sui instituti, quia omittit in interpretatione hoc initium, ne verbulo quidem illud attingens, neque unquam fœderis nomen de ea usurpans, quod tamen in Scriptura frequens est: Solummodo indicans quid facere nos oporteat; quamobrem etiam promissiones divinas in secundo & quinto præcepto expressas prorsus neglexit præteritve.

A. Nobis hoc initium primo loco considerandum, tanquam *Pars fœderalis formulæ prima*, quid Deus vi fœderis sit præstiturus. Videri posset id alienum, & potius promissio aliqua, aut ratio persuadendæ, quæ deinceps postulabitur obedientiæ, quia concepta est in prima persona. Solet enim in fœderibus sermo institui in tertia persona fere. Hic contrahentium faciet istud, & alter illud. Sed huic difficultati jam alias responsum est. Fœdera hominum sunt *συνθῆκαι*, ubi utrinque adferuntur conditiones, de quibus agitur, & convenitur: ast Dei fœdus est *διαθήκη*, quia Deus solus conditiones concipit proponitque, quas qui sic fœderatus esse vult, accipiat: qui non vult, repudiet simpliciter, non ferente Deo ut quicquam mutetur ullo modo. Hic ergo modus proponendi confirmat esse fœdus, sed Dei, & *διοπτρικῶς* conceptum. Sunt autem singula verba consideranda & in illis I. quis loquatur, II. quid de se promittat. III. quam securitatem det suæ promissionis.

א. *Qui* loquitur se dicit, *Ego*: magna emphasi, cum nulla creatura sit, quæ id absolute queat dicere. Notat enim existentiam æternam & unitatem perfectissimam. Ego qui dicit, ille est: Creatura ergo nequit sic loqui semper de omni duratione. Job. 3: 4. *Ubi eras cum fundarem terram;* jam tum Deus erat Ego, adeoque æternus. Esa, cap. 44: 24. *Ego Jehova faciens omnia, expandens cœlos ego solus: & extendens terram per meipsum:* Ubi simul unitatem docet, ut non foret alius præter ipsum, qui diceretur, Tu, vel ille. Hinc Esa. 44: 6. *Ego primus, & ego ultimus, & præter me non est Deus.* Cap. 41: 5. *Ego Jehova primus, & cum postremis ego idem.* Ubi immutabilitas indidem probatur; quemadmodum Deut. 32: 39. s. Exod. 3: 14. s. & Esa. cap. 43: 10. Cap. 45: 5. s. Ego unus est, & primus, principium non habens, utpote qui semper fuit ego. Est v. hic animadvertendum, Deum etiam de se loqui pluraliter, Gen. 1; 26. Cap. 3: 22. Cap. 11: 7. Adhæc, esse aliquem Tu distinctum ab Ego, Ps. 2: 7. Quomodo utique non erit unus. Verum Ego & unus appellatur respectu creaturarum, quæ omnes posteriores sunt ab ipso productæ, & respectu omnium eorum qui dicuntur Deus, sive habeant essentiam, quomodo non nisi creaturæ sunt, ad quos sermo Dei factus est, qui prior proinde illis, & autor omnis dignitatis quam possident; sive non habeant, quomodo nihil sunt, merum figmentum. Sed respectu personarum duarum pluralitas est; quemadmodum manifestum ex Ps. 2: vers. 7. & Hebræi agnoscunt Ego, & Tu, & Ipse, esse nomina Dei, & in festo tabernaculorum id profitentur omnes suis precibus, אני והו הושיעא נא *Ego & Ille Juva quæso:* quæ tres personas connotant, quæ tamen non sunt nisi unus Deus, Deut. 6: 4. Unde dicunt, *Tres Spiritus sunt colligati in unum; Spiritus infimus, qui dicitur Spiritus S. Spiritus medius, qui intermedius est, & vocatur Sapientia & Intelligentia, & hic est Spiritus qui egreditur è medio pulchritudinis consummatissimæ, cum igne & aqua: Spiritus summus, qui absolute est in silentio, in quo consistunt omnes Spiritus sancti, & omnes personæ lucidæ.* Rakenat. fol. 132. col. 3. Dicunt etiam Deum nihil agere,

niſi deliberatum decretumque antea in Concilio ſuo. fol. 80. col. 3. adeoque etiam antequam ulla eſſet creatura. Perſonarum itaque reſpectu *Ego* Patris character eſt, & *Tu* Filii Pſ. 2: 7. Eſt enim Pater principium à nullo exiſtens, ſed qui Filio ſuo æterna generatione dedit eſſentiam eandem, Joh. 5: 26. qui eſt ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως Patris Heb. 1: 3. Spiritus ſanctus etiam procedit à Patre Joh. 5: 26. alius à Patre & Filio, Joh. 14: 16. & tamen uti Pater & Filius unum Joh. 10: 30. ſic quoque tres illi Pater, Sermo, & Spiritus S. unum ſunt, 1 Joh. 5: 7. ac ratione ordinis hic & Matt. 28: 19. obſervati, Pater primus & ſummus eſt, Filius ſecundus & *medius*, Spiritus S. tertius & *infimus*, & tamen *tres illi unum nomen, colligati in unum* ob unitatem eſſentiæ. Atque hic nunc quæritur, an Ego uſurpetur ὑπιοθῶς oppoſite ad creaturas, vel ὑποστατικῶς reſpectu quoque perſonarum divinarum. Veteres Hebræos ſi audiamus, Ego Patrem denotat, Spiritum ſummum: Dicunt enim, *Cum promulgaretur lex, duæ fuerunt Perſonæ.* Rakenat. fol. 80. col. 3. loquuntur de promulgantibus. Etenim uſque ad finem præcepti ſermo eſt in prima perſona, *Ego Dominus Deus tuus* &c. *Non habebis Deos alios coram facie mea, Non facies* &c. *nam ego Dominus Deus* &c. *vſorum meorum* &c. *diligentium me.* In tertio & deinceps de Deo agitur in tertia perſona; *Non ſumes nomen* (non *meum*, ſed) *Domini Dei tui* &c. *Sabbathum eſt Domino Deo tuo* &c. „ Volunt „ duo prima verba Deum. Spiritum ſummum eſſe elocutum, „ ſed reliqua elocutum eſſe per gloriam ſuam, quæ dica„ tur El Schaddai notus Patribus, per quem Prophetæ va„ ticinati ſunt, quia appellatur Jah, in quo nomen Dei „ eſt, & dilectus Dei qui habitavit in templo, & os Domi„ ni, & facies Domini, & rupes, & bonitas illa quam vi„ dit Moſes, cum Deum ipſum videre non poſſet. Bechai „ fol. 88. col. 3, 4. alibi etiam cum dicunt Schechina, per „ quem acceditur ad Deum, & per quem preces quoque ad „ Deum diriguntur. Angelus in quo nomen Dei, qui Deus „ & Jehovâ quoque dicitur. Quæ appellationes & deſcriptiones omnes quadrant Filio Dei, qua Meſſias, & quem etiam interpretem facit Patris. Stephanus Act. 7: 30. 38. *Angelum qui Moſi in nube apparuit, quique de ſe dixit; Ego Deus patrum veſtrorum* &c. quique eum miſit, *cum Moſe fuiſſe locutum in monte Sinai, & illi tradidiſſe ſermones vivos.* atque hic alius eſt à Patre, qui teſtatur de Patre; quemadmodum etiam Patrem de ipſo teſtatum volunt, quemadmodum alias videbimus. Et ſane eſt hæc acceptio convenientiſſima. Etenim in œconomia gratiæ Deus Pater eſt, qui fœdus init cum hominibus, Filius mediator eſt qui intervenit ut coire queant in fœdus cum Deo homines. Adeoque ne quidem in hoc fœdere filius mediatione abſtinuit. Nam Moſes mediator eſt fœderis Iſraelitici quoad ratihabitionem ipſorum, & ſanctionem deſuper factam; verum Filius Dei fuit mediator quoad propoſitionem Dei, & quæ à Deo promiſſa ſunt. Eſt ergo Ego hoc loco **Deus Pater.** Ego omni modo, αὐτοθεὸς tam perſonaliter **quam eſſentialiter**: Hic eſt qui loquitur.

ב. *Quid* de ſe promittat, continetur **vocibus** יהוה אלהיך quæ ſigillatim de Patre dicuntur, uti Apoc. 1: 4. & cap. 4: 8. ὁ ὢν, ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος: *Dominus Deus omnipotens:* non quod ille ſolus id ſit, cum etiam Filio, eadem deſcriptio detur Apoc. 1: 8. 11. & Spiritui S. non minus conveniat, qui itidem eſt ille S. S. S. Dominus Zebaoth; cujus gloria totam terram implet. Eſa. 6: 9. Act. 28: 25. Sed quia ob unitatem eſſentiæ, quod omnium eſt de unoquoque dicitur ut Joh. 14: 7. ſ. *Si me noſſetis, noſſetis etiam Patrem meum, & à nunc noſtis eum, & vidiſtis eum,* & Philippo petente, ut Patrem ipſis monſtraret, Chriſtus ait; *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non noviſti me; qui me vidit, vidit Patrem: Ego in Patre ſum, & Pater in me.* Cæterum duabus iſtis appellationibus Deus promittit.

a. *Gratiam & veritatem.* I. Τὸ יהוה notat eſſentiam abſolutam, æternam & immutabilem; qui Eſt, Fuit, Erit, idem ſemper ſine ulla variatione: notat Eſſentiatorem, qui omnem eſſentiam aliam extra ſe produxit: ſed ſpeciatim notat Gratiam, proprietatem miſericordiæ, cum vo אלהים Judicium denotet; quamobrem in hiſtoria creationis, Gen. cap. 1. tantum hoc non illud nomen occurrit, quia in ſtatu creationis non erat locus miſericordiæ, ſed juſtitiæ duntaxat. Et hoc apprime erat neceſſarium Deo inituro fœdus. Si dixiſſet. *Ego Elohim*, jam fugaſſet potius quam allexiſſet ad ſe terrore judicii. Sic 1 Sam. 4; 7: ſ. id nomen adhibetur, *Venit Elohim in caſtra: Væ vobis, quis nos eripiet è manu magnificorum iſtorum Elohim: iſti ſunt Elohim, qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga.* Sed jam cum ait, *Ego Jehova.* allicit ad ſe ſuamque bonitatem Hoſ. 3: 5. ut jam meræ gratiæ oblationem faciat, ſeque talem ipſis futurum dicat. Etenim notat quoque.

II. *Veritatem* Exod. 6: 2. ſ. quomodo nunc inprimis innoteſcere vult, cum patribus ſic non fuerit revelatus, ipſa experientia. Quod etiam neceſſarium, ne quid dubitarent de præſtatione. Uti Deus non habet majorem per quem juret, eoque juret per ſeipſum ad ſecuritatem Heb. 6: 13. ita cum non habeat alium. qui pro ſe caveat, (uti dicuntur fœderis cuſtodes, guarandeurs:) cavet per ſeipſum. Eſa. cap. 42: 8. *Ego Jehova, hoc eſt nomen meum.* Et creberrime; *Ego Jehova.* Levit. 26: 45. & alibi præſtans promiſſa.

Si quis putet à Gratia alienum eſſe magnum illum terrorem, quem conceperunt Iſraelitæ Deo loquente, adeo ut potius judicium & juſtitia ſit hic ſpectanda. Illi obſervandum quod dicitur Exod. 20: 20. trepidante populo Moſe ait: *Ne timete, nam Deus venit, ut vos tentaret, & ut timor ipſius eſſet coram facie veſtra, ne peccetis.* Timor debuit eſſe reverentiæ, non autem reatus, cujuſmodi omnibus adeſſe debet fœderatis, & quicunque major eſt, procedit ex gloria majeſtatis Dei, quæ optimos quoque etiam ubi mera gratia oſtenditur, trepidare facit Gen. 15: 12. Cap. 28: verſ. 17. Jud. 6. & 13. imo Angeli quoque ſuam faciem abſcondunt. Eſa. 6. Reatus trepidationem removet alterum promiſſum.

b. *Reconciliationem & pacem.* Nam *Elohim* judicium notat, Et quidem quod plurium eſt, unde pluralitatis divinarum perſonarum explicatio eſt Gen. 1: 26, 27. *noſtram*, & *Elohim*, Regimen & adminiſtratio univerſi hinc Deo vindicatur, ut alias oſtendimus. Huic nomini quidem terror ineſſet, niſi adderetur *Tuus.* Quod appropriationem aliquam, & hinc jus & intereſſe dat in illo nomine. Dicit itaque I. *Reconciliationem*, dicendo, *Elohim tuus*, Amos. cap. 3: 3. *an duo ambulabunt una, niſi convenerint?* Hoſ. cap. 1: 9. & cap. 2: 1. non eſt Deus alicujus, ubi ceſſat conciliatio. Conciliatum ergo ſe fore profitetur: quod pluralis confirmat, nunquam apud Hebræos dicitur *Jehova tuus*, ſed tantum *Elohim tuus.* Etenim ut quis ſocietur Deo, plurium perſonarum operam intervenire neceſſum eſt. Omnes homines ſunt filii iræ naturâ, Eph. 2: 3. hoſtes Dei, ab ipſo alienati Col. 1: 21. æque Judæi ac gentes ſunt condemnabiles coram Deo; omnes peccarunt, & deſtituuntur gloria Dei Rom. 3: 19. 23. Filius Dei Meſſias, eſt ille qui conciliationem efficit ex ordinatione Dei Col. 1: 20. Rom. cap. 5: 10. Spiritus S. autem efficit fidem ad acceptandam reconciliationem. Hanc ergo reconcilationem promittit Deus, ceu ille qui judicium juſtum de peccatoribus ſumendum, dato mediatore, in hunc transfert, ut illi immunes à judicio, Deo reconciliato fruantur. Rom. 4: 25. cap. 5: 1, 2. cap. 8: 1. cap. 3: 25. Hæc una eſt, non alia, conditio, ut Jehova Deus alicujus fiat. Juſtitia tum in Sponſore, tum in debitore pro quo ſponſor intervenit triumphante. Hac Deus fœderatus eſſe vult, hinc incipiet bonitas Rom. 8: 32. Ad hanc invitavit Deus cum fœdus offerret Exod. 19: 5, 6. regnum Sacerdotum, qui omnes habeant hoſtiam pro peccatis offerendam Deo, per quam reconciliati Deo, fiant ejus peculium. Hoc ſine nulla ſalus foret fœderis. Etſi præſtitiſſet quis omnia hic imperata, ut nec opere, nec ſermone, nec corde aut cogitatione unquam deliquiſſet, nulla tamen vita & ſalus ſperanda fuiſſet, cum reus natus, utpote filius Adami, non niſi morte tolerata exſolvi queat. Sed hanc ſollicitudinem prævertit Deus. Joh. 3: 16. Hoc ſe pacto addicit fœderato, ut in Chriſto Filio amoris ſui, & propter ipſum, illius fiat. Pſal. 50: 4. ʃ. *Deus venit, cum igne & tempeſtate ad judicandum populum ſuum, Congregate benignos meos; pangentes fœdus meum ſuper ſacrifi-*

cia

cio & cœli enarrant juſtitiam ejus : nam Deus ipſe eſt Judex. II. Reconciliationem excipit *Pax* Rom. 5: 1. cui Deus factus eſt, illi eſt omnia. Job. 22: 21. ſeqq. *Adſueſce Deo & pacem habe, inde bonum tibi obtinget. Schaddai erit abundans aurum tuum, & validum argentum tuum, oblectabis te in Schaddai.* Pſal. 81: 11. *Ego Jehova Deus tuus, qui te eduxi ex terra Ægypti : aperi os tuum, & replebo illud.* Pſ. 144: 15. *bene populo, cui ita eſt ; bene populo cui Jehova Deus eſt.* Pſ. 84: 12. *Sol & clypeus, dat gratiam & gloriam, neque cohibet ullum bonum :* adeo ut in ipſo ſapientes & potentes, & divites, & nobiles, denique felicilſimi ſint ad æternitatem quoque, Matt. cap. 22: 32. Iſta ſunt Dei promiſſa, verbis pauca, ſed ſignificatione infinita, incomprehenſibilia. Eſa. 25: 8. ſeq. *Mortem abolebit in victoriam, abſterget omnem lachrymam, removebit populi ſui ignominiam, & dicetur, Ecce hic eſt Deus noſter, & ſervabit nos ; hic eſt Jehova, lætabimur in ſalute ejus.*

J. *Securitatem* addit, *qui te eduxi* &c. Securitas eſt in ipſius nomine, quam videt fides ; aliam v. ſuppeditat, quam videat oculus, palpet manus. Experimentum ceperant, in ea liberatione quid poſſet Deus conſilio & ſapientia, robore & potentia ad defendendum quos vellet, & ad deſtruendum qui ſe ipſius mandato opponerent : ut qui ſerviebant ſub dura tyrannide, neque quicquam poterant ad ſe vindicandos, extorquerentur è manibus tyrannorum his mire miſereque attritis & deſtructis : cujus beneficii meminit Deut. 4: 34. 37. & repetet frequenter. Sed hoc minimum eſt ; majoris momenti eſt hæc commemoratio. Cum Deus fœdus iniret cum Abrahamo (quod gratiæ fuit quoad Deum, & fidei quoad Abrahamum.) Inter alia hoc pollicitus eſt, *Semen ejus peregrinum fore in aliena terra, & gravi ſervitute afflictum iri, ſed ſe judicaturum eſſe populum cui ſerviret, & inde educturum cum facultatibus magnis* Gen. 15: 13. ſ. Debebat Deus hoc beneficium Abrahamo, vi fœderis : ſed quia non præſtiterat Ab. Iſ. Jac. non fuit eis notus nomine Jehova, non abſolute, Deus eo uſus eſt in illo ipſo fœdere, verſ. 9. *Ego Jehova, qui te eduxi ex Ur Chaldæorum* &c. ſed quoad effectum, qui promiſſis daret eſſe Exod. 6: 2. ſ. Nunc v. poſtquam præſtiterat, non tantum Jehovam ſe dicit in futurum, ſed ut in futurum de eo certi eſſe poſſent, probatum ſe docet quoad præteritum. Atque ſic fructus fœderis gratiæ perceptus, eſt inſtar arrhæ, de fructibus fœderis hujus percipiendis. Sic Exod, 19: 3, 4. ſ.

Iſta ſunt breviter quæ Deus in hoc exordio de ſe profitetur.

Cæterum quando hæc de ſe declarat Deus, licet nihil expreſſe præcipiat, (quamobrem præceptis non annumeratur.) Attamen implicite poſcit agnitionem & fidem, fore ſe talem fœderato. I. Publicatio iſta eſt ad notitiam, Eſai. 45: 6. *ut ſciatur ab ortu ſolis uſque ad occaſum, quod præter me nihil ſit. Ego Jehova & nemo amplius.* II. Fidem inſuper poſcit, Deum æternum eſſe gratioſum & veracem ; Eſa. 43: 10, 11. *Ego ego Dominus* &c. *ut ſciatis & mihi credatis & intelligatis me eundem eſſe.* Reconciliationem daturum, & quæcunque à pacato Deo poſſent proficiſci. Abrahamo dixit *Ego ſum clypeus tuus & merces tua magna valde, & ſic erit ſemen tuum, & Abraham credidit Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam.* Gen. 15: 1—5, 6. ſic Deum habuit reconciliatum, & omnia largientem quæ ad hanc & futuram vitam pertinent ut quoque cœleſtem habitationem apud eum præſtolaretur, Heb. 11: 10. ſ. Hoc idem dixit Iſraeli, & dicit quoque nobis 2 Cor. 6: 16. reconciliatio & pax, quæ omnem intellectum ſuperat. Quis dubitaret hac conditione cum ipſo paciſci ? 1 Cor. 5: 19, 20, 21. Quid aliud nobis contendendum eſt omni obſecratione, quam ne gratiam Dei fruſtra acceperitis. Cap. 6: 1. Non eſt quod dubitemus de præſtatione. Eductio ex Ægypto fuit arrha Iſraelitis. Poteſt etiam nobis eſſe. Qui tot miraculis aſſeruit ſuam fidelitatem, ut etiam naturæ ut ſic loquar vim faceret, ille non fallet promiſſis. Imo qui jam redemtionem per Chriſtum procuravit, dabit credentibus quicquid ad pietatem & vitam & felicitatem æternam neceſſarium eſt. Pſ. 48: 15. hic Deus Deus noſter eſt in ſeculum & ſempiternum ; hic ducet nos uſque ad mortem ; imo trans mortem ad feliciſſimam & æternaturam vitam.

Verſ. 7. *Ne ſit tibi* ullus *Deorum alienorum ante faciem meam.*

Fœdus omne non unius eſt, ſed duorum : eſt enim contractus : & quia duorum, utriuſque poſcit officium : eſt enim contractus mutuus : lex poſita eſt uni de iis quæ agenda habet, & lex poſita eſt alteri quoque de iis quæ ab ipſo præſtanda : quæ leges conditiones fœderis ſunt, & quandoque fœdus dicuntur, quando ſuper illis conveniendum, ſiquidem fœdus eſſe debeat : quamquam improprie, cum illud demum vere introductum ſit, poſtquam ratihabitio utrinque & ſanctio acceſſerit. Conditiones fœderis de utraque parte agunt, Gen. 21: 23. & Cap. 26: 28. ſ. Abimelech ad Iſaacum (ut ante ad Abrahamum) *Juramentum ſit inter nos & te, & pangamus tecum fœdus. Si feceris nobis malum, quemadmodum nos non attigimus te, & tantum benefecimus tibi, ſecundum benignitatem quam præſtiti tibi ages mecum & cum terra peregrinationis tuæ.* Sic quoque in fœdere Dei cum hominibus, conditiones mutuæ ſunt. Gen. 17: 1. & officia utrinque præſtanda, Gen. 6: 18. cum Noacho Deus ſe confirmaturum dicit, quæ prima mentio fœderis ; voce illa antea non uſurpata ; agnoſcitur autem ex officiis, verſ. 8, 9. à parte Dei ; *Noach invenit gratiam apud Deum :* à parte Noachi, *Noach erat juſtus, vir integer in generationibus ſuis, Noach ambulavit cum Deo.* Eodem modo in fœdere quod cum Iſraele initurus erat, conditiones quas propoſuit Deus, utriuſque partis munia deſcribunt, quæ Deus, quæ Iſrael faceret ; ut fœderati viverent. Initio quidem indicavit quæ ipſe facturus eſſet. *Ego* æternus ille Deus, principium & autor omnium, eoque nullius rei indigus, ero *Jehova*, gratiam exercens, & veritatem ſeu fidelitatem præſtans, & ero *Elohecha*, Judex & moderator, ſed tuus, tibi appropriatus, idque per illum & propter illum, qui juxta mecum Elohim eſt, qui judicium pro te ſubibit, ut à condemnatione commerita immunis me conciliato fruaris, deinceps defendendus & omni bono augendus, ad felicitatem perennem, uti ego perennis ſum. Quæ bona cum partim inviſibilia ſint, ne hæſitandum habeas, ecce jam præſtiti, quod vi antiquioris fœderis cum Abrahamo debebam, *Eduxi te ex Ægypto, è domo ſervorum*, ubi habitaſti conditione ſervili, ſub duro tyranno, recentiſſimaque eſt memoria & experientia, quid ſuſtinueris, quantoque molimine fueris ereptus & huc uſque deductus. Hæc eſt ſumma eorum quæ fœderatus Deus offerebat. In quibus etiam argumenta reperire erat, quæ perſuaderent pollicitationem præſtationemque poſtulandorum officiorum. Eſt *Jehova*, qui vobis ipſum eſſe dedit, & conſervat. Eſt *Elohim* Judex & rector, qui univerſi mundi habet regimen abſolutum, cui eſſe dedit, & qui eundem quoque judicaturus eſt ; qui *Tunc* ; regimen & judicium ſpeciali ratione exerciturus circa te, ut ad omnia tua attendat, de omnibus ſtatuat, & compenſationem reddat. *Eduxit te ex Ægypto* ubi ſerviebas, adeoque mancipii inſtar te acquiſivit. Servum bello captum, & victo priore domino acquiſitum tenet, cui ſummo jure herus eſt, & tu obſequium debes, etiam invitus, ſiquidem velit ſimpliciter imperare. Sed Deus fœdus intercedere voluit, ad quod primum invitavit, ut voluntaria foret obligatio, & præparationi ad audiendam formulam triduum conceſſit : atque tunc primum publicavit, quid ipſe eſſet acturus, deinde quid ipſi viciſſim haberent agendum. Circa quem ordinem obſervandum iſtud eſt, non fuiſſe pactum meritorium, reſpectu proponentis Dei, tale pactum poſcit primum opus, deinde pollicetur mercedem ; Matt. 20: 2. ſ. cum operariis convenerat pro denario in diem, & ſic cæteris ait, abite in vineam & quod juſtum eſt vobis dabo. *Illi autem qui operatur non reputatur merces ex gratia, ſed ex debito* Rom. 4: 4. Iſtum ordinem ſibi propoſuerunt Iſraelitæ ſua ratihabitatione ut opus ſuum antecederet, ſequeretur Dei, ceu merces. Sed non eo ordine egit Deus. Primum ait quid

facturus ſit; cujus reſpectu non operandum ſed credendum fuit in eum qui impium juſtificat, & per Chriſtum à reatibus abſolvit hæreditario, & quibuſcunque antecedentibus, & ſe illi addicens proprium ſimul robur addicit neceſſarium ad ambulandum integre coram ipſo; Quod eſt totum officium ab ipſo poſtulatum Deut 18: 13. & ſecundo loco à Deo proponitur, ſed in plures articulos diſtributum, de quibus nunc dicere incipiemus, Dei benedictione freti.

B. Eſt hæc *pars fœderalis formulæ ſecunda.* Homo creatura eſt, & cum quicquid in mundo eſt aut Deus ſit, aut creatura; ad utrumque habet relationem; Utriuſque reſponſum leges iſtæ habent, quomodo erga Deum, & quomodo erga creaturam gerere ſe debeat, eam ſpeciatim qua cum verſandum ſemper eſt, hoc eſt hominem.

א. *Primum* autem loquuntur, *de iis quæ ad Deum ſpectant.*

a. *Primum* horum eſt, *Non erunt tibi Elohim alii coram facie mea.* Simplex mandatum eſt primo intuito, interdicens aliquid, ſed ita conceptum ut mandatum ſeu juſſum quoque contineat. De quo agit ſunt אלהים *Judices & rectores*, atque eo nomine honorandi. Alias dictum primum Deo tributum, quam primum aliquid extra ſe produxiſſet. Nam qui fecit mundum etiam Dominus eſt cœli & terræ Act. 17: 25. Oſtenſum id fuit ad Deut. 4: 35. 39. quod Regimen & Judicium mundi univerſi Deo ſoli competat. Attamen præter Deum etiam creaturis idem nomen datum quandoque eſt, 1 Cor. 8: 5. *multi ſunt qui dicuntur Dii in cœlo & terra*, Deus eo nomine dignatus eſt, quibus aliquam regiminis poteſtatem conceſſit, Joh. 10: 34, 35. Angeli in Scriptura ſic vocantur, Pſ. 97: 7. itemque magiſtratus Exod. 21: 6. Pſ. 82: 6. Sed & homines illud nomen impoſuerunt creaturis vel Dei Soli, Lunæ, exercitibus cœlorum, Jer. 7: 18. cap. 8: 2. hominibus benefactoribus aliiſve brutis, aut plantis, ut Ægyptii; vel ſuis figmentis propriis, quæ nihil in mundo, cujuſmodi infinita ſunt. Quicquid omnino eſt præter Deum verum, venit heic appellatione Deorum אחרים aliorum. Nam illi opponuntur, *Ego ſum Jehova Elohim tuus; non erunt tibi Elohim alii.*

a. Quid de iis vetet eſt לא יהיה לך *non erit tibi.* Eſſe eſt æſtimari, ita haberi, quo facit τὸ Tibi. Non ait, *Non erunt Elohim alii*, non æſtimabuntur aut colentur alii ceu Rectores ac judices mundi; non poterant id cavere Iſraelitæ quibus loquebatur Deus; habebant omnes gentes Deos ſuos, quibus ſui poteſtatem & regimen adſcribebant; Sed quicquid etiam fit apud alios populos, Tibi non erunt, Tu non æſtimabis, eamve tribues dignitatem.

Obj. Joh. 10: 34, 35. *Scriptum eſt in Lege veſtra, Ego dixi Dii eſtis; Illos dicit Elohim ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura.* Habendi ſunt Elohim, quos Deus in Scriptura tales vocavit, poteſtate inſtruxit regiminis; Reſp. Hebræi, Dii alii ſunt אחרים, qui poteſtatem ſuam habent ab alio, & rationem reddere tenentur regiminis adminiſtrati. Sed iſtiuſmodi tamen honor debetur Exod. 22: 28. *Elohim non maledices, & principi in populo tuo non dices male.* Itaque Elohim hic ſumitur pro regente ſummo, qualem ſe dixerat, qui univerſale habet imperium ubique. Porro Eſſe Tibi Elohim ſignificat Agnoſcere Judices & Rectores, qui eam poteſtatem habeant in te, quibus proinde te humiliter ſubjicere & ipſorum mandatis obſequendum eſſe decernas, ſed etiam eos ames, ipſis confidas, omne bonum ab ipſis exſpectare, ac poſtulare velis. Adeoque.

Fœderatis Dei non debent eſſe Dii alii. qui Rectores & Judices univerſorum agnoſcantur ſive vere ſint & poteſtatem aliquam habeant, ſive non ſint, & tantum fingantur. Nam Deus ſic non tantum fictitios Deos ab honore iſto removet, ſed etiam qui aliquid ſunt in mundo. Exod. 20: 23. לא תעשון אתי *non facietis juxta mecum*, ut fingatis vobis, qui id ſint, quemadmodum pro libitu conficiuntur aurei & argentei dii, quod eodem verſu prohibetur. Pſ. 81: 10. ſ. *Non erit* בך *in medio tui* אל נכר *Deus alienigena, & non incurvabis te* לאל נכר *Deo peregrino. Ego D. Deus tuus;* Ubi ratio eadem quæ hic in textu, cujus repetitio eſt, ducta à fœdere. Qui Regi fœdere jungitur non debet alium regem putare, ſive ex amicis ſive ex inimicis regis illum deligat, ſive ſibi aliquem fingat cui obſequii debitum præſtet. Uxor unum maritum habere debet, non alium: quæ virum alium intuetur, ut concupiſcat, adultera eſt Mat. 5: 28. ſive vir ſit verus, ſive pictus Ezech. 23: 14. *addidit ad ſcortationes ſuas, nam videns viros pictos in pariete obtutu oculorum ſuorum amore accenſa eſt erga illos.* Oſtendit adulterum animum, quæ figmento accenditur. Scriptura copioſa eſt in taxanda hac idololatria. Refert quid Gentes egerint, Mich. 4: 5. *omnes gentes ambulant in nomine Deorum ſuorum*, ut ab iis & eorum cultu denominari vellent; & Jer. 2: 11. *non mutarunt Deos ſuos cum non eſſent Deus.* Paulus Gal. 4: 8. Non quidem ſemper fuerunt figmenta quamvis infinitus foret figmentorum iſtiuſmodi numerus; nam coluerunt creaturas, non ſolum viſibiles Aſtra, aliaque aërea, terreſtria, aquatalia; ſed etiam inviſibilia, Angelos, defunctos homines, quos Deos aut ſemideos fecerunt, & dæmones malos; nam quæ idolis ea Diabolis obtuliſſe dicit Apoſtolus 1 Cor. 10. verſ. 20. Sed Gentiles, quos Deus neglexit, ut ſuper eos ſpeciali titulo non dominaretur, neque à ſe denominari ipſos vellet, extranei cum fuerint à fœderibus contra hoc præceptum non peccarunt. Peccarunt ſine lege, contra opus legis ſcriptum in cordibus Rom. 2: 12--15. veritatem in injuſtitia detinuerunt, quoad pietatem, quando Deum cognoſcentes ut Deum non coluerunt, ſed creaturam cap. 1. verſ. 18. ſ. Formula fœderis eſt, quæ fœderatos attinet, Rom. 3: 19. Et hanc contra peccatum eſt ab Iſraelitis, quando Peregrinos amarunt, Jer. 2: 25. cap. 8: 2. Imo Deut. 32: 17. Pſ. 106: 37. *Dæmonibus ſacrificarunt*, &c. quod etiam in deſerto feciſſe dicuntur, Lev. 17: 7. Præterea quando cupiditates habuerunt pro diis Ezech. 14: 3. Dii erecti in corde, quos ſpectabant, non tantum fuerunt priſci Dii, quorum memoria ſervaretur, licet in Babele externus cultus non fuerit præſtitus, ſed etiam avaritia, Ezech. 33: 31. cui neglecto Deo adhærebat cor ſua fiducia.

Sed non minus peccatur à Chriſtianis, quotquot illud nomen fœderis eſſe nomen agnoſcunt, & profitentur. Non debent illis eſſe Dii alii. Qui v. cæteris potiores volunt videri, nulli ætati Iſraelitarum, nulli Gentilium cedunt; de Rom. Eccleſia loquor. Multitudo illis exprobratur, Jer. 2: 28. *juxta numerum urbium tuarum ſunt Dii tui, ô Juda*, & Ezech. 8. in omnibus locis templi & in publico patrarunt; Non cedit Rom. Eccleſia, Provinciæ, Urbes ſingulæ ſuum habent inter ſanctos patronum, quivis peculiarem habet angelum cuſtodem: nullum malum eſt terra marique, in pace & bello cui non præfectus ex ſanctis ad iſtud averruncandum. Equidem non deſunt patrocinia, quod non colant eos ut Deum, ſed ut ejus amicos. Verum quocunque nominentur nomine, utique alii ſunt; Mariam matrem Dei vocant, Deum dicere non audent, eoque agnoſcunt eſſe aliorum in ordine quidem, ſed tamen non Deorum ſeu Elohim, rectorum, cum verbum Dei mandatum regendi ad eam factum non ſit: non mage quam Bathſebæ à Salomone, cujus primam petitionem repudiavit, ne ad ſecundam rediret. Idem valet de Sanctis aliis & Angelis. Accedit quod amicis Dei injuria fiat, quemadmodum Baptiſtæ, Joh. 3: 28. ſ. quando tribuitur ipſis honos heri; cum optent minui, ut ille creſcat. Adhæc adulterium eſt, ſi uxor ſe commiſceat alteri, ſive amico, ſive inimico mariti, quæ ſe accuſat ſi id unum dicat, non uti marito devinctam eſſe. Nam quod latrias & dulias diſtinctionem adferant, nihil eſt, quandoquidem Scriptura hæc promiſcue uſurpat, & dulia revera plus dicit quam latria: quin etiam licet nomina diſtinguant τὸ eſſe ipſis idem eſt, Nam omnem fiduciam in iis collocant, amorem & reverentiam profitentur, & ab ipſis exſpectant gratiam, quam ne quidem à Deo exſpectant: ſtatuunt eis templa, dies feſtos, & precibus magis etiam quam Deum ſollicitant, adeo ut Deum non niſi propter ipſos fere implorent. Sed hos mittimus. Inter nos qui Papiſticam idololatriam deteſtamur, non minus peccatur contra præceptum iſtud. Ava-

Avaritia idololatria eſt, & avarus idololatra, Col. 3: 5. Eph. 5: 5. nam ponunt fiduciam in incertitudine divitiarum, 1 Tim. 6: 17. Hab. 2: 9. his Mammon Deus eſt, alius à vero Mat. 6: 24. Et quid magis commune, Jer. 6: 13. cap. 8: 10. à minimo ad maximum quivis exercet avaritiam Eſa. 56: 11. Quæ à Prophetis dicta ſunt, licet ſui temporis homines concernant, non tamen deſunt ſimilia exempla, quæ cuivis legenti obvia, ut ſubinde de noſtris temporibus locuti videantur. Saltem quod in catalogo reatuum Hieroſolymæ legitur, nequit ignotum dici *avaritiam exercuiſti in proximum tuum oppreſſione.* Ezech. 22:12, Alius Deus quoque eſt ambitione cultus, Potentia Hab. 1: 11--16. ſacrificat reti & naſſæ adolet, per quam portio pinguis obtigit. Deut. 8: 17. obliti Deo dicunt, meum robur & potentia brachii mei, mihi iſtud robur acquiſiverunt. Amos 6. verſ. 13. lætantur de re nihili, dicendo, nonne noſtro robore nobis paravimus cornua? atque ſic homines potentes ſæpe coluntur, ceu unici exaltatores, quamvis exaltatio & depreſſio ſolius Dei ſit, non autem ex ullo cardine mundi, oriente occidente, deſerto, quod ad meridiem fuit, & montibus, qui ad aquilonem. Pſ. 75: 7. ſ. tantumdem tribuentes hominibus, quantum principes Mediæ Dario Medo, quem ſolum adorandum ſanciverunt Dan. 6. Alius Deus eſt venter. Phil. 3:19. qui voluptatem ſummum Deum credunt, huic uni affectu adhærent & ſe mancipatos oſtendunt, ut Hoſ. 3: 1. quod adulterium à Deo eſt. Sic quævis alia cupiditas, quæ tamen ad unam illarum reduci poteſt; nam amor mundi eſt in cupiditate carnis, & oculorum, & faſtu vitæ, quomodo ab amore Dei diſceditur. 1 Joh. 3:15. ſ. imo inimicitia contra eum ſuſcipitur. Jac. 4: 4. Ab his ergo omnibus abſtinendum eſt, ſi hujus præcepti violati reatum declinamus.

Verum dum hoc interdicit, aliud adhuc interdictum obſervamus, *Atheiſmum*, quaſi nullus Deus in mundo eſſet, ſaltem quoad regimen mundi. Non dicit, *Non erit tibi Elohim.* Sic omnis numinis ſecurum redderet. Hoc ſibi perſuadent impii deſperati Pſ. 14: 1. ſ. & hinc omni impietati ſe tradunt. Pſ. 10: 3. ſ. qui *indurati ſuis fecibus dicunt in corde, Dominus non facit bonum vel malum* Zeph. 1: 12. *male agens bonus eſt in oculis Domini, & in iis acquieſcit, aut ubi Deus judicii?* Mal. 2: 17. *quid ejus novit Deus? an per caliginem judicaret? nubes ei latibulum ne videat, & obambulat circulum cœlorum,* Job. 22: 13. ſ. Hujuſmodi atheiſmus frequentior, quam multi putant, cum profeſſio vita potius, quam ſermone fiat. Quos tandem convincet Deus ut Pharaonem, qui initio ajebat, *non novi Dominum, nec dimittam Iſraelem.* Exod. 5: 2. expertus contrarium in ſui deſtructione, nam tandem patefiet, Eſſe Elohim judices in terra Pſ. 58: 12. Vincit enim quando judicat Pſ. 51: 6.

Porro interdictum iſtud contrarium mandatum habet, *Non erunt tibi Elohim alii*, Ergo ego & ſolus ego tibi ero: meum regimen tibi agnoſcendum, reverendum, eapropter amandus ego tibi, & timendus, fidendum mihi, & obediendum, omniaque exſpectanda, quæ ullo modo utilia ſunt aut neceſſaria. Rector omnium ille eſt, quia omnium conditor, adeoque à nullo alio ſimile quid præſtari poteſt. Mich. 4:5. *omnes populi*, &c. *nos ambulabimus in nomine D. Dei noſtri in ſeculum & ſempiternum.* Deut. 6:13. ſ. *D. Deum tuum timebis, & illi ſervies, & per nomen ejus jurabis, non ibis pone Deos alios.* Cap. 10: 20. *& ei adhærebis, ipſe laus tua & ipſe Deus tuus.* De quo officio alias plenius diſcendum erit.

Expedienda duntaxat nunc reſidua verba, על פני *coram facie mea* quaſi eſſet לפני, quod habet extenſionem interdicti, & obſequii motivam, nunquam alius Deus colendus *coram facie mea.* Atqui *Deus ſub omnibus cœlis videt*, nullus locus adeo obſcurus qui ab ipſius oculis abſcondat, *intuetur omnium corda novit omnium cogitationes* Pſ. 33:13. ſ. Job. 34: 21. ſ. Ezech. 14: 4 ſ. ut domum Iſraelis in corde ſuo apprehendam, quia omnes per idola ſua à me alienati ſunt. Ubique ergo cavenda æſtimatio aliorum Deorum. Coram oculis ejus omnia nuda & aperta. Adultera ſaltem oculos mariti devitat; hic nulla poſſibilitas vitandi. Eſa. cap. 3: 9. Contra Deus ſolus ſemper & ubique habendus pro Deo, Gen. 17: 1. *Quo irem à ſpiritu tuo, an non adeſſes ibi*, & &c. Pſ. 139: 7. ſ. Id unum proinde curandum ut ubique nos inveniat ſe habentem. Deut. 6: 5. nihil cordis, animæ, virium quod ipſum non habeat, Pſ. 16: 8. *Conſtitui Deum jugiter ex adverſo mei*, &c. Qui ubique æſtimatur ut Deus ubique ſe oſtendet Deum ad defenſam.

Sed τὸ על פני etiam aliter reddi poteſt, *juxta faciem meam*, ut על ſit *præter*, Gen. 31: 50. *Si acceperis uxorem præter filias meas*, quo illæ maneant uxores ſolæ. Sic erit, *Non erunt tibi Dii alii præter faciem meam. Facies* autem Deum ipſum denotabit, ut 2 Sam. 17: 11. adeoque *Præter me*, quod ipſum dicitur Exod. 20: 23. *Non facietis mecum:* quomodo Targum בר מני *præter me:* & LXX. πλὴν ἐμοῦ. Hoc modo continebitur mandatum de colendo ſolo Deo, expreſſe, neque tantum per conſequentiam inde deducetur. Verum aliud adhuc hic mandatur, quod Hebræi nonnulli urgent, vocis פנים ſignificatione obſervata, de qua etiam diximus Deut. 4: 37. *Facie ſua vos eduxit ex Ægypto*, hoc eſt, per Meſſiam, qui *Angelus faciei*, & *facies* abſolute dicitur quandoque. Ita hic: *Non erunt tibi Elohim alii præter faciem meam: Sed facies mea erit Elohim tuus.* Bechai fol. 88. col. 3. f. *Hinc eſt illud Facie ad faciem (facie ſua ad faciem veſtram) locutus eſt Dominus vobiſcum: & illud* (Exod. 19: 3.) *Moſe adſcendit ad Elohim, & Jehova clamavit ad ipſum: hoc eſt, Moſes adſcendit ad Elohim, & nomen illud ſingulariſſimum fuit loquens in medio illius, nempe Elohim.* Sic Raknat. fol. 99. col. 1. על פני *additionem notat præter meam faciem: Ecce autem facies S. B. ſunt facies miſericordiæ, quæ decus Iſraelis* אחרים *autem ſunt brachia mundi, potentiæ creatæ, quibus non ſerviendum, ut fiat abnegatio Dei.* Scilicet quod nuper diximus, volunt *Iehovam*, quem ſummum Spiritum & lucis fontem vocant, prima duo præcepta de idololatria interna & externa locutum eſſe, reliqua vero mediate pronunciaſſe per *Gloriam* ſuam, quæ etiam *Schechina*, & *facies Dei* & *Os Domini* & *Elohim*, atque etiam *Jehova* dicitur, *Bonitas Domini*, quam vidit Moſes, cum Dominum ipſum nemo videre queat ut ſupervivat, per quem acceſſus detur ad Deum, cum tamen Deus ſit unicus, & Spiritus unus; ſicut anima hominis quæ non dividitur, quæ tamen operatur in membris quoad diſtinctas facultates. Quæ Filio Dei conueniunt à Patre diſtincto. Nunc autem plus dicunt, Deum aſſeruiſſe Deitatem Filii Meſſiæ, & cum alios Deos æſtimari vetuiſſet; excepiſſe Faciem ſuam, quæ aliis illis non eſſet accenſenda. Quomodo magnam nobis patefaciunt veritatem. Eſſe plures perſonas Deitatis, ſecundam quæ mediatoris munere fungitur, ut per eam detur acceſſus ad Deum, & viciſſim Dei ſermo ad homines, à Deo ipſo æquatam ſibi quoad honorem, & qui aliis negatus eſt honos, huic tributum voluiſſe; adeoque aſſeruiſſe ipſi autoritatem divinam, quam deinceps in pronuntiatione cæterorum præceptorum exercuerit, ut tamen primam autoritatem ad Deum referret. Sane omnia illa ſunt quæ Chriſto tribuuntur Joh. 1: 18. Cap. 5: 19. quomodo ſe æquabat Deo &c. & verſ. 22, 23. Cap. 14: 10. Joh. 8: 49. Cap. 7: 16. 18. Hujus interpretationis argumentum reperimus in Scriptura. Convincendis hoſtibus Deitatis Chriſti id facit, aſſerentibus decalogum inter alia à Chriſto eſſe correctum, quod huic præcepto, Jeſum Chriſtum pro Deo eſſe agnoſcendum, & ob divinam poteſtatem divino honore colendum eſſe, addiderit; qui tamen non niſi in incarnatione cœperit eſſe. Rectius hic ſentiunt Hebræi. Jam erat ille cum promulgaretur Decalogus circiter bis mille annis ante incarnationem, & Deus eum ſibi æquavit honore, quando non potuit alius eſſe quam verus Deus. Talem vero cum manifeſtaret Pater, utique liquet fidem mediatoris in Decalogo eſſe definitam. Joh. 17: 8. hoc ipſum etiam hic docetur, ut appareat Jeſum Chriſtum heri & hodie eundem eſſe. Heb. 13: 8. & non aliam V. quam N. Teſt. fuiſſe fidem, niſi quod tunc in ἀσαφεῖ crediderint, nos nunc in ἐναργεῖ, & hoc modo nunc demum in N. Teſt. Pater locutus eſt per Filium Heb. 1: 1. cum alioqui etiam Veteribus ſic fuerit locutus. Recte ergo Chriſtus ſibi Deitatem aſſerit ex miſſione Patris Joh. 10: 36. mediationem intelligens: quemadmodum Exod. 23: 20. ſ. Angelus ille commendatur, cui obſequium debebant, alioqui non condonaturum peccata, quam haberet poteſtatem, cum Dei nomen in ipſo foret: Angelus faciei Dei Eſa. 63: 9. qui ſe dicit Jehovam, regem Iſraelis; & ſervatorem ejus,

Do-

Dominum Zebaoth, primum & ultimum, & præter quem non ſit Deus Eſa. 44: 6. ad quem ſe gentes vertere & ſervari deberent, quia Deus ſit & nemo amplius cui juxta ſuum juramentum omne genu flecti, omnis lingua jurare debeat, & profiteri, quod in ipſo ſint juſtitiæ & robur, ad quem veniendum ſit, ut juſtificentur in ipſo, & in ipſo gloriari queant Cap. 45: 22. ſ. Deplorandum eſt, quod Judæi qui mandatum iſtud agnoſcunt, tam parum obſequantur, & quem Deus colendum mandavit juxta ſecum, annumerent Diis alienis. Joh. 8: 24. Si non crediderit is me eum eſſe, moriemini in peccatis veſtris; nam quando ſervabuntur, tum eum dicent Jehova juſtitia noſtra Jer. 23: 6. Nos eum agnoſcamus quandoquidem non tantum in Decalogo eum colendum præcepit Deus; ſed etiam iterato id repetivit. Matt. 3: 17. Cap. 17: 5. Cognitio ipſius & Patris conjungitur Joh. 17: 3. & fides in utrumque Cap. 14: 1. & communio cum utroque 1 Joh. 1: 3. 1 Joh. 2: 23. ſ. Memorabilis eſt clauſula Johannis 1 Joh. 5: 20. ſ. *Scimus veniſſe Filium Dei, & dedit nobis Deus intelligentiam, ut cognoſcamus veracem illum: & ſumus in illo verace in Filio ejus Jeſu Chriſto. Hic eſt verus ille Deus & vita æterna. Filioli cavete vobis ab idolis.* Scribit Judæis, & Chriſti Deitatem & divinum honorem aſſerit ex Decalogo, quod idolorum ſeu aliorum Deorum ordine ſit exemtus, neque enim alia ratio ſubjungenda hujus cautionis. Filius Dei Jeſus Chriſtus Deus verus eſt, agnoſcendus talis, & cavendum ab idolis. Nam longe abſumus ab Idolorum cultu, quando eum colimus, quem colendum, utpote vere Deum, mandavit Deus; quam cognitionem dedit in ipſo primo præcepto. Hinc ſperanda vita æterna. Ea in ipſo eſt, & qui credit eum eſſe Filium Dei, habet vitam per nomen ejus. Joh. 20: 31. Honoremus Filium, & honorabimus obſequio Patrem, qui mandavit, & honorabit nos. Pſ. 2: 12.

Obj. Habet & Spiritus S. communem eſſentiam, proinde etiam ipſius fuiſſet facienda mentio, quod tamen factum non eſt, eoque nec de Filio Dei debet videri veriſimile. Reſp. Juxta quoſdam id factum in Exordio. Raknat. fol. 98. col. 4. *Quidam exponunt Nomen magnum locutum eſſe, & dixiſſe, Ego Iehova & Elohim tuus indicat Schechinam.* Alii exponunt voce *Ego deſignari primum, & nomen propriiſſimum Iehova. Sapientiam & intelligentiam & Elohim tuus Decus Iſraelis*: adeo ut tres Perſonæ ſint contrahentes. Verum in primo præcepto alia eſt ratio. Heic ſi ſecunda Perſona Deitatis non aliter ſpectaretur quam Filius Dei, utique non magis ipſe quam Spiritus S. quæ tertia Perſona eſt, foret memorandus. Hinc in hiſtoria Creationis, quamvis per Filium omnia condita ſint Joh. 1; 3. tamen Spiritus Sancti pariter fit mentio, implicite quidem Gen. 1: 26. explicite Pſ. 33: 6. & clariſſime Gen. 1: 3. ubi adeo evidens Filii indicium non reperitur. Verum conſideratur cum relatione Mediatoris, quomodo Deus agit cum homine peccatore, ipſo interveniente, ut per ipſum (qui hac ratione factus eſt via, veritas & vita) & Dei voluntas gratioſa pateſiat, & homines ad Deum adducantur. Sub eo titulo habet Regimen mundi univerſale, & non naturale, quod cum Patre ſemper habuit & habet, nulli viciſſitudini obnoxium; ſed œconomicum datum ſibi, uti ipſe conſtitutus eſt ad opus redemtionis miniſter Patris. Pſal. 2: 6, 7, 8. Quoniam autem hac ratione major ipſo eſt Pater Joh. 14: verſ. 28. ne quid ei derogetur honoris, Deus ſub hoc titulo & munere mediatoris internuntii, eum ſibi ipſi æquat honore. Et cum Deitas Patris paciſcentis cum Iſraele extra dubium foret, indeque etiam cultus divinus, quando Elohim alii, quibus mandato Dei regimen aliquod in mundo eſt, excluduntur ab omni cultus divini participatione, excipiendum eſſe dicitur hunc Elohim faciem Dei, filium mediatorem, quem Pater univerſali dominio inſtruxit. Joh. cap. 10: 35, 36. Hæc cauſa eſt cur toties in Scriptura Dei Patris & Filii mentio conjungatur, non addita Spiritus S. quia conſideratur non Pater & Filius abſolute, ſed Pater & Filius mediator, & ſub ipſa mediationis conſideratione. Rom. 1: verſ. 7. 1 Cor. 1: 38. Joh. 10: 29, 30. Hinc Chriſtus Joh. 17: 2, 3. Poteſtas illa Filii eſt mediatoris, ut Matt. cap. 28: 18. & hinc vita æterna in cognitione uti Dei, ſic ipſius qua mediatoris. Sic Joh. 5: 22. ſ. *Pater omne judicium dedit Filio*, (qua mediatori) *ut omnes honorent Filium* (mediatorem) &c. *Qui Filium non honorat, non honorat Patrem, qui eum miſit.* Judicium iſtud ſeu regimen, (unde Elohim) mediatorium eſt etiam quando ἀρχιερεὺς fuit, cum idem ἐνάρχῳ tributum ſit, verſ. 27. dedit ei poteſtatem judicium quoque exercendi, quia ſive quatenus Filius hominis eſt. Nam *definivit diem in quo juſte judicaturus eſt orbem per virum quem ad id ordinavit, fide ejus rei facta, quando eum ex mortuis excitavit.* Act. 17: 31. quemadmodum excitatus id profitetur Matt. 28: 18, 19. & Petrus ait excitatum Apoſtolis mandaſſe ut prædicarent populo & teſtarentur, *Ipſum eſſe ordinatum à Deo Judicem vivorum & mortuorum* Act. 10: 42.

Hinc vero evidens eſt, *Chriſtum qua mediatorem divino honore colendum atque etiam adorandum eſſe.* quatenus eſt Elohim conſtitutus à Deo. Angelus ille habet poteſtatem remittendi peccata, Exod. 23: 20. ſ. & hæc eſt quam ſibi vendicat Matt. 9: 2. 6. utique ſpeciali titulo, non tantum qua Deus juxta cum Patre & Spiritu S. ſed etiam qua Deus mediator. Et qui peccata remittere poteſt ſuo jure, utique eo nomine invocari & poteſt, & debet. Inde remiſſio peccatorum in ipſius nomine annuntiatur Luc. 24: 47. quod Prophetæ omnes de eo teſtati dicuntur Act. 10: 43. exaltatus eapropter in principem & ſervatorem ad dandam Iſraeli reſipiſcentiam & remiſſionem peccatorum cap. 5: 31. Eſt Deus qui thronum habet perennaturum, & ſceptrum regni, à Deo ſuo unctus Pſ. 45: 7, 8. cujus robur Deus ipſius mandavit, quique precibus eapropter ſollicitatus fuit, ut roboret quod cœpit Pſ. 68: 29. Ut olim jam operatum fuiſſe liqueat, quando nondum homo factus erat. Quemadmodum etiam tunc fuit Immanuel, Dominus terræ Cananææ, quique unus omnibus hoſtium copiis armis & conſiliis, & auxiliis potentiſſimis poſſet prævalere, Eſa. 8: 8. ſ. Habuit illud regimen univerſale ab initio, & adminiſtravit, utpote qui ſine eo non potuiſſet ovibus ſibi datis vitam æternam dare, (quam ab ipſo omnes habent quotquot hominum unquam obtinuerunt) Joh. 17: 2. quamquam ad exſequenda omnia quæ huc facerent, in plenitudine temporis humanam naturam aſſumere, atque eam Aſcham dare debuerit: quomodo exſpectatus fuit Joh. 11: 27. *Credidi*, inquit Martha, *te eſſe Chriſtum Filium Dei, qui venturus erat in mundum.* Neque ignarus vel Nathanael Joh. 1: 50. *Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Iſraelis.* vel Petrus cæterique Apoſtoli, quando rogati quem Jeſum Filium hominis eſſe dicerent, reſponditque pro omnibus, *Tu es Chriſtus Filius Dei viventis* Matt. cap. 16: 16. Vel cœcus natus recepto viſu, qui interrogatus an crederet in Filium Dei? ſibi eum monſtrari petiit, & audito Jeſum ſecum loquentem illum eſſe, dixit, *Credo Domine*, eumque adoravit Joh. 9: 35. ſ. Scilicet qui Angelus faciei Domini ſemper curam populi geſſerat Eſa. 63: 9. eum tandem exſpectarunt in carne venturum Mal 3: 1. *Ecce mitto Angelum meum* (Johannem) *qui ante faciem meam* (Meſſiam) *viam parabit, & ſubito veniet ad ſuum templum Dominus* (Adonai) *quem quæritis, Angelus fœderis, quo delectamini; ecce venit, dicit Jehova Zebaoth.* Hujus dominium & honorem reſpondentem didicerunt ex decalogi præcepto primo. Et quod Judæi inde didicerunt, etiam nos inde diſcere debemus; maxime quia veritas eſt quam caro & ſanguis non revelat; (quamobrem qui eam conſulunt & audiunt, negant Mediatori cultum adorationis) ſed Pater cœleſtis Matt. 16: 17. Qui fœderatis ſuis eam notitiam non negavit, cum ſine ea nequeant eſſe fœderati, aut fœderis extremum vitam æternam conſequi Joh. 17: 3. Nos itaque ſi fœderati eſſe volumus, non concedamus Judæis, & Chriſtum Elohim, cæteris omnibus faſtiditis, colamus, omni fiducia & veneratione proſequamur, ut ab ipſo regamur ad ſalutem, quam ovibus ſuis dat, nunquam eripiendam, ſociante robur ſuum Patre coëſſentiali Joh. cap. 10: 28. ſ.

Verſ. 8. *Ne facias tibi ſculptile, ullam imaginem* eorum *quæ* ſunt *in cœlis ſupra, aut quæ* ſunt *in terra infra, aut quæ* ſunt *in aquis infra terram:*

Verſ. 9. *Ne incurvans te* honorem exhibeto *illis, neque colas ea,* b. *Ar-*

b. *Articulus ſecundus* ſequitur, verſ. 8, 9, 10. *Non facies tibi ſculptile* &c. Poſtquam interdixit. Non erunt tibi in cogitatione Elohim alii, quæ idololatria interna prohibet in opere ſeu externam idololatriam. Spectandum autem I. Subjectum de quo agit; & tum II. prohibitiones circa illud ſubjectum, tandemque III. rationes obſequium perſuaſuræ.

a. Subjectum vocat פסל *imaginem* aliquam cæſam ſtatuarii lapicidæ opus, cujus apparatus majoris operis, & generatim idolum ex quacunque materia, etiam ex metallo Eſa. 30: 22. & alio vocabulo generaliori תמונה *Similitudinem*, & addito כל univerſalitatis nota, *omnem*, hoc eſt, quamcunque, quocunque modo adornatam, ſculptam, fuſam, pictam, fictam, ex quacunque materia, citra exceptionem ullius; nam כל antecedit vocem תמונה. Cæterum cum ejuſmodi imagines ſint (quod imaginis vox connotat) repræſentationis, & ſimulachra, inductione removet omnia quæ ſunt in hoc univerſo. Diſtribuit illud in tria receptacula, quibus omnia continentur, quæ in quarto præcepto dicuntur condita, *Cælum & terra, & mare;* ſic quoque hic ut contenta eorum commemoret, *quæ in cœlis ſupra terram, quæque in terra infra cœlum, quæque in aquis infra terram.* Inferioribus illa parte terræ quam homines calcant, imo quæ variæ terram ſubeunt, & cum flumina in aperto ingrediantur mare, ex ea iurſum egrediuntur per occultos meatus. Quam diſtinctionem ſequitur Paulus Philip. 2: 10. Omne genu ſe flectere debere ipſi Jeſu, cœleſtium & terreſtrium & ſubterraneorum, hoc eſt aquatilium.

De horum repræſentatione ulla ſimilitudine cujuſcunque materiæ agitur. Sed quam late ſe extendit videndum. Aliqua explicatio data fuit Deut. 4: 16. ſ. verum hic plenior ex iſta diſtributione. Cœleſtia ſunt Angeli, & quæ memorantur rotæ, & animalia, & Seraphim, ac Cherubim ſummi illius & glorioſi cœli incolæ; tum Luminaria, Sol, Luna, Stellæ ſingulæ aut in ſigna collectæ in firmamento ſeu expanſo: denique nubes, & fulgura, & cometæ, aliaque meteora aërea. Terreſtria ſunt volatilia, quadrupedes, reptilia, & homo, item plantæ & arbores, & mineralia, montes, colles, ſylvæ &c. Aquatilia, mare, flumina, fontes, nec non piſces omnis generis. Præter iſta ſunt Dæmones, qui in aëre vagantur, Eph. 6: 12. & in terra quam circumeunt Job. 1: 7. in mari item & ſubterraneis degunt. Denique ad cœleſtia quoque referenda, Deus qui in cœlis Pſ. 115: 3. ubi thronum ſuum conſtituit Pſ. 103: verſ. 20. Eſa. 66: 1. itemque Mediator Chriſtus, qui in ſinu Patris Joh. 1: 18. & nunc etiam qua homo ſedet ad dextram majeſtatis in cœlis. Heb. 8: 1. Adeoque nihil eſt aut concipi poteſt, quod in hiſce non contineatur. Loquitur tamen hic non de rebus ipſis; id factum in præcepto primo, ſed tantum de repræſentationibus & ſimulachris. Et cum iſtic exceptio eſſet Meſſiæ, uti etiam Dei, hic nulla eſt exceptio, ſed pari loco habentur ſimulachra & imagines Dei Meſſiæ, & creaturarum omnium.

b. Jam Prohibitiones ſunt tres, Factio, honor, & Servitus gradu differentes, & poſterior priore ſemper gravior; quemadmodum Pſ. 1: 1. qui enim ambulat in conſilio impiorum, tandem ſtabit in via peccatorum, & hic tandem ſedebit in conſeſſu irriſorum, qui verba Schechinæ non admittunt. Sic quoqne hic.

α. Prohibitio *leviſſimi gradus* eſt לא תעשה לך *Non facies tibi. Factionem omnem* vetat, quacunque arte paratam, cujuſcunque ſimulachri, quo aliquid repræſentetur. Hinc dicuntur *opus manuum hominis* Pſ. 115: 4. & 135: 15. *opus manuum artificis.* Jer. 10: 3. quomodo notam habet interdicti. Eſa. 44: 10, 11.

Ob. An ergo prohibitæ omnes imagines, ſculptæ, fuſæ, pictæ? Sic ipſa quoque pictoria ſtatuaria; ſimileſque artes erunt vetitæ. Reſp. Artes iſtæ non ſunt vetitæ, laudantur in Scriptura artifices, & ipſorum opus, atque donum Dei ſingulare dicitur ingenio & ſapientia ad iſtiuſmodi præditum eſſe. Exod. 31. & 35. Neque imagines omnes hinc vetitæ probantur. Non dicit, *Non facies imagines*, ſed *non facies tibi*, uti *non erunt tibi* &c. nempe omnes vetitæ ſunt ratione cultus: quod liquet ex conſequentia duorum præceptorum. *Non tibi habebis* &c. *non tibi facies* &c. *Ego ſum Elohim tuus*, talis tibi habendus; *non habebis autem Elohim alios præterfaciem meam; Non facies tibi ſculptile* &c. Neque ullorum Elohim aliorum, neque faciei meæ, Mediatoris, neque mei ullum ſimulachrum Exod. 20: 23. *Non facietis mecum: Deos argenteos & aureos non facietis vobis*: qui ſcilicet mecum veniant in æſtimium Deitatis apud te; nam uti non erunt, ſic non facies tibi; ut tibi aliquo modo ſerviant ad religionem.

Obj. Atqui Deus ipſe ordinavit imagines Cherubinorum aureas ſuper arcam, & intextas cortinis tabernaculi Exod. 25: 18. ſ. cap. 26: 1. 31. Non itaque dedecent templa, neque officiunt pietati. Reſp. Deus qui interdictum iſtud pronunciavit, illorum faciendorum mandatum dedit. Neque tamen vel mutatio eſt apud Deum, neque Etiam & Non. Cum iſta imperavit ait, *Facient mihi tabernaculum ut in medio ipſorum habitem.* Quando interdixit, ait, *Non facies tibi* &c. Deo jubente quid fieri, utique bonum eſt, & obediendum, cum nequeat mandare quid malum: ſed quod interdicit eopſe nobis malum eſt. Tale declarat ſi tu tibi facias, ex tua, non ſua voluntate.

Obj. non facimus ſimulachra nobis, ſed Deo. Non ut colantur, quod ad ſequens interdictum facit, ſed ut ſint memoralia. Sic enim forte cogitabit aliquis, non tranſgredi ſe voluntatem Dei, ſed potius beneplacens quid agere, ſi faciat imaginem ejus, quod inſtrumentum ſeu medium fuit benedictionis divinæ conferendæ, ut memoriale ſit miraculorum Dei, aut judiciorum ejus: quemadmodum Deus ipſe varia inſtituit mnemoſyna, tabernacula commorationis in deſerto, paſcha tranſitus ædium, ut ſic quoque ſtatuat memorialem ſtatuam aut picturam, quæ teſtetur de fundamentali articulo. Deitatis Domini Dei, & potentiæ ipſius. Reſp. hoc ipſum v. prohibitum eſt facere, inquiunt Judæi, refutantque omnia ſubterfugia eorum, qui pro imaginibus in templis & hiſtoriarum ſacrarum pugnant. Etenim ſigna memorialia inſtituere ad religionem facientia ſolius Dei eſt, non hominis. Interdictum hic diſertum. *Non facies tibi*, tuo conſilio ſapientiaque, tua intentione & ſcopo. Quicquid hujuſmodi eſt, ἐθελοθρησκεια eſt, damnata ſæpiſſime. Deus memoriale dedit præceptorum ſuorum Iſraeli, Zizith Num. 15: 18. ubi nulla imago, ſed cæruleum filum cœleſtem originem indicaturum. Memoriale item ſuorum mirabilium Pſ. 111: 4. ſed in ſermone vivo Pſ. 78: 3. ſ. non autem in picturis. Sic æternum memorialia nobis dedit tum in verbo, tum in ritibus quos inſtituit Deus, in quibus acquieſcendum eſt neque, fas nobis ipſis per ſimulachra quæcunque quicquam repræſentare. Itaque non Deo, ſed ſibi facit, quiſquis facit. Non propterea Deo fit, quia honori & memoriæ Dei deſtinatur. Vitulus Aaronis, & Jeroboami deſtinabantur Deo qui eduxerat Iſraelem ex Ægypto: an quis Deo dicet factos? ſed Deus dicit, *receſſerunt à viâ quam mandavi, fecerunt ſibi vitulum fuſum* Exod. 32: 8. 1 Reg. 14: 9. *feciſti tibi Deos alios, & ſimulachra fuſa, ut me ad iram provocares.* Sibi facit qui quocunque etiam prætextu ex ſuo conſilio facit, à Deo non juſſus. Cujuſmodi juſſum nec Gentiles unquam, nec Chriſtiani poſſunt citare; adeoque pariter ex hac lege ſunt idololatræ, quicunque ullam faciunt imaginem ſacram, aut beneficii divini memoriale.

Obj. Samuel erexit lapidem, memorialem victoriæ contra Philiſtæos, quem Eben haEzer dixit 1 Sam. 7: 12. Reſp. Etiam Joſua lapidem erexit mnemoſynon renovati fœderis Joſ. 24. ſed non fecit alteruter ſtatuam aut ſimulachrum, nullam picturam; eoque nil huic præcepto contrarium. Fuerunt etiam lapides illi non illati in tabernaculum, ſed in publico relicti, in loco cujus memoria ſervanda erat, neque quicquam in eis religionis, non mage quam in Zizith, in lapidibus 12 ex Jordane ſumtis, mnemoſyna quotidiana & perennia, uti etiam Iris eſt; quamvis quæ Deum autorem habent potiora ſint, quam quæ homines. Itaque apparet Simulachrorum factionem ſacram penitus eſſe interdictam, quam nullum hominum decretum poſſit facere legitimam, nedum ut obligationem afferat.

Sed ſupra omnia ſimulachra prohibita ſunt Dei, & Meſſiæ. Cum alios Deos non liceat habere, etiam imagines illorum habere nefas eſſe liquet: ſed habendi Deus, & Meſſias; non tamen horum ſimulachra. Non I. *Dei.* Etenim nullum ejus dari poteſt, cum ſit inviſibilis 1 Tim. 1: 17.

quem nemo vidit unquam nec videre poteſt, cap. 6: 16. *nemo me videbit & vivet* Exod. 33: 20. Quamvis enim Deus hominem fecerit ad ſuam imaginem &c. Gen. 1: 26, 27. non tamen eopſe promiſit ut homines ſui ſimulachrum facerent ad imaginem hominis. Si etiam ſimulachrum Dei hinc quærendum, utique homo ipſe talis habendus foret, non quod ſibi homo ad hanc imaginem feciſſet. Sed quod Deum in homine repræſentat, non corpus ejus eſt, hujuſque lineamenta: quomodo tam varius foret Deus, quam varii homines, & uti hi coporeus concipiendus: ſed anima, quam exprimere impoſſibile. Act. 17: 28. ſ. *Sumus Dei genus, & quia Dei genus ſumus, non debemus putare, Deitatem auro, argento, lapidive ſimilem eſſe*, quæ humana arte & inventione ſunt ſculptæ: Mendaces ſunt omnes expreſſiones hujuſmodi: unde Hebræis conſtitutio nata, *Omnes imagines licitæ, præterquam imago hominis.* II. *Mediatoris.* Eſt ille ἀπαύγασμα &c. Heb. 1: 3. Joh. 14. verſ. 9. qui ipſum vidit, vidit Patrem ob mutuam immanentiam. Deum ipſum videre Moſi non conceſſum, ceu quid impoſſibile. Veruntamen vidit ſimilitudinem Dei. Num. 12. 8. Et cum ſimilitudinem Dei non viderint Iſraelitæ cum promulgaretur Decalogus Deut. 4: 15. tamen ſancito fœdere Moſes & Aaron, Nadab & Abihu & 70 Seniores Iſraelis viderunt Deum Iſraelis Exod. 24: 10. hoc eſt, gloriam poſteriorem, ἀπάυγασμα, quæ eſt Schechina, & gloria quam vidit Ezechiel tanquam ſpeciem hominis. Bechai fol. 99. col. 1. fin. *Qui eſt Dominus & Legatus Domini, habetque idem cum Domino ſuo nomen. Ipſe eſt Dominus omnium quæ ſub ipſo ſunt: nam omnes exercitus ſuperiorum & inferiorum ſunt ſub ejus arbitrio, & ſub manu ejus, & ipſe Legatus eſt ejus qui ſupra ipſum, quique eum dominari fecit ſuper omnia, & conſtituit eum Dominum domus ſuæ, & Dominatorem omnis poſſeſſionis ſuæ. Hic eſt Angelus ille, per quem ſolum datur acceſſus ad Deum.* Ibid. fol. 98. 4. Hunc deſignat David Pſ. 17: ult. *Facies Dei*, & תמונה *ſimilitudo*; nam hoc eſt quod ſperandum dicitur piis 1 Joh. cap. 3: 2. *cum revelabitur ſimiles illi erimus; nam videbimus eum qualis eſt.* Hic eſt qui ſæpius viſus fuit Patribus ſub ſpecie hominis, uti Abrahamo, & aliis, ut tamen agnoſceretur verus Deus, Gen. 18: 32. ſic alias ut Angelus Gideoni & Manoæ ejuſque uxori Jud. 6. & 13. Quomodo potuiſſet imagine repræſentari. Veruntamen neque ipſe exprimendus ſimulachro. Raknat. fol. 99. col. 2. *Quicunque facit ſimulachrum Schechinæ, dividit eam à ſtructura*; hoc eſt divellit eam ab unitate eſſentiæ divinæ, quæ inviſibilis & irrepræſentabilis: & ſi ipſe exprimatur imagine, utique alius eſſentiæ eſſe ſignificatur. Equidem poſt aſſumtam carnem eatenus poteſt exprimi, fratribus per omnia ſimilis factus excepto peccato: ſed ſe exprimi non fecit, eoque nulla ejus imago poſſibilis: adeo ut quæcunque fiat, eam faciant homines ſibi ipſis contra mandatum Dei, hoc eſt, fiant idololatræ. Enimvero mandatum Dei eſt, ut faciamus imaginem Chriſti Filii ſui ſibi; quod proinde faciendum, ſed ut non unus pro aliis, ſed unuſquiſque pro ſe faciat, non externam quæ artificem manum poſceret, ſed internam, quam in ſe fieri & ſinat & allaboret. Rom. 8: 29. hæc Dei voluntas. Diſcendus ergo Chriſtus ut exprimi queat Eph. 4; 20. ſ. induendus, ut agnoſci queat Rom. 13: 14. vivida expreſſione ut in nobis vivere appareat Gal. 2: 30. Atque uti hic & Doctorum labor concurrit Gal. 4: 19. & propria quoque cura 1 Joh. cap. 2: 3. tum inprimis eſt opus Spiritus ſancti, qui in nobis operatur 2 Cor. 3: 18. Huic nos pingendos, fingendosque debemus ſiſtere, & ipſimet etiam operari. Sane ſi hic repræſentaverimus eum per gratiam, tandem etiam repræſentabimus in gloria, quando non tantum videndam dabit ſuam gloriam, ſed quoque impertietur.

De Factione dictum, ſequuntur reliquæ.

β. Prohibitio *gradus proximi* eſt לא תשתחוה להם *non incurvabis te illis, Honor* ſic prohibetur externus, qui geſtu corporis fit. Verbum השתחוה ſignificat incurvationem totius corporis. Quatuor enim occurrunt quæ geſtum honoris exhibendi denotant, קדד inclinationem verticis, כרע corporis medii, parte ſuperiore, ſeu potius totius corporis ſic ut incumbat quis flexis genibus & cubitis, uti bruta procumbunt Pſ. 95: 6. *Venite* נשתחוה ונכרעה *proſternamus, incurvemuſque & genua flectamus coram Domino qui fecit nos.* 1 Chron. 29: 20. ויקדו וישתחוו *Et caput inclinarunt & procubuerunt Domino & Regi.* ברך flexionem genuum, & השתחוה corporis totius proſtrationem in terram, manibus & pedibus expanſis quamquam ſubinde inter ſe permutentur. Heic unum verbum legitur, ſed ſub quo cætera quoque comprehenduntur, neque enim ullum horum licitum eſt. Quemadmodum prohibitum facere ullam ſtatuam, ullamve ſimilitudinem, ſculptam, fuſam, fictam, pictam, textam, ullius creaturæ quæ in ulla parte mundi reperitur, imo etiam Dei aut Mediatoris Chriſti, ut quis ſibi faciat, ex ſua voluntate, & ad ſuum uſum religioſum; ita quoque prohibetur Honor omnis externus, qui ulli iſtorum fiat. Geſtus illi liciti ſunt etiam erga homines, cujus plurima exempla ſunt in ſacris literis, ut indicetur agnitio alicujus excellentiæ, & quam profiteri etiam publice non pudet, ſuamque ejus reſpectu vilitatem. Mandavit Deus honoris ejuſmodi teſtificationem, Lev. 19: 32. *coram cano capite*, &c. & uſurpata fuit ſemper licite. Neque poteſt differentia ſtatui ſive Deo ſive homini fiat, quia corpus eodem modo flectitur, ſive coram Deo, ſive coram homine quis aperiat caput, aut flectat genu. Differentia eſt ab animo, qui cerni ab hominibus nequit, & cujus actio legem accepit in præcepto primo; Corporis geſtus qui honorem & reverentiam teſtentur iidem ſunt ſive agatur de Dei, ſive de hominis cultu. Quamobrem ut reverentiam erga Deum inviſibilem quis teſtetur, quando ſpecialem ejus præſentiam agnoſcit, illi geſtus requiruntur, quibus plurimam humilitatem erga homines teſtari ſolent. 1 Cor. 11: 4, 5. *quivis vir orans aut prophetans aliquid in capite habens, dedecorat caput proprium, & quævis mulier orans aut Prophetans aperto capite, dedecorat caput proprium.* Loquitur de more honorandi alios geſtu inter Græcos. Viri tunc aperiebant caput, & ſic in ſacris Gentilibus olim verſati fuerant, & nunc quoque Chriſtianos factos idem eos obſervare jubet in cultu externo, ne reverentiam numinis exuiſſe viderentur extraneis à religione, quorum etiam ratio habenda eſt 1 Theſ. 4: 12. Nam hoc apparet eos omiſiſſe, imitatione Judæorum proculdubio, qui tecto ſemper erant capite, (ut adhuc in oriente mos fert) vetante Deo, ne unquam ſacerdotes nudo vertice miniſtrarent. Sed quod his religionis erat, Græcis fuit profanitatis, & cujuſque gentis leges & mores honeſtatis, & geſtuum obſervandi ſunt, & in cultu divino, quibus iſtic loci ubi quis degit maximam humilitatem agentis, & æſtimationem ejus cui fit licet conteſtari, etiam judicio aliorum ſpectantium, ſive fuerint religioni addicti ſive ab ea alieni & hoſtes ejus. Verum cum geſtus illi liciti ſint erga creaturas, homines dignitate majores, vel pares etiam, atque etiam Angelos quando ſpecie humana apparuerunt, Gen. 18. & 19. tamen interdicti ſunt erga idola & ſimilitudines quaſcunque. Cujuſmodi geſtus ſunt flexio genuum & oſculum oris quæ præſtabantur imagini Baalis, 1 Reg. 19. verſ. 18. quemadmodum & oſculabantur vitulos. Hoſ. 13: 2. expanſio manuum ad Deum alienum Pſ. 44: 21. elevatio oculorum ad idola Ezech. 18: 6--15. oſculum propriæ manus in honorem diſtantiæ cauſa Job. 31: 27. Et ſi quid ſimile fiat.

Talia ſunt omnia quæ hodieque fiunt imaginibus quibuſcunque in templis, in domibus privatis, in plateis aut viis publicis erectis, quando caput aperitur, genu flectitur, caput obvertitur, oculi eo attolluntur, manus extenduntur, labia reverenter moventur. Quicunque ullum horum facit idolatra eſt, & hinc rei Pontificii, quorum religio ſic demonſtratur. Inveniſſe quidem ſe aliquid putant, quia dicitur, *non incurvabis te ipſis*; להם, negant enim ſe id facere; honorem omnem fieri repræſentatis perſonis, non imaginibus repræſentantibus, quæ memoriam duntaxat ſibi ingerant, & ſuam intentionem ad principale objectum determinent. Sed primo, ſic ſe confitentur idololatras quoad primum præceptum, qui Elohim alios habeant, quibus regimen ſui deferant: ſed deinde, non tantum prohibitum incurvare ſe *illis*, ſed etiam *coram illis*, 2 Chron. 25: 19. Amamazia conſtituit Deos Edomæorum ſibi in Deos, & *coram ipſis* proſtravit ſe & illis ſuffitum fecit. Imo tantundem eſt in Scriptura *coram illis*, vel *illis* honorem exhibere.

Pro-

Precari *ad Deum* 2 Sam. 7: 27. & *coram ipſo*, 1 Chron. 17. verſ. 14. & προσκυνήσης μοι Mat. 4: 9. & ἐνώπιόν μου Luc. cap. 4: 7. pari loco habet Diabolus, & Chriſtus negans ſe id facturum. Proinde quicquid coram imaginibus fit, ipſismet fit, & honorem conſequuntur. Eſt proinde omnis iſtiuſmodi externus geſtus reverentiæ omittendus. Et licet quis apud ſe decretum habeat non deficere à Deo, & hæc omnia facere Deo, in ſua intentione animi, nihilominus non licet; imo Hebræi adeo hic accurati ſunt, ut non modo nullus geſtus ſit exercendus qui honorem exhibeat, ſed etiam, quem quis alius eo ſua interpretatione referre queat; ut ſi cui excideret aliquid è manu coram idolo, non debet incurvare ſe ne idolo id facere credatur, ſed alio modo ſe flectere, vel in terram reſidere ut attollat. Quocirca peccant qui in locis idololatricis eo ſe habent geſtu, ut nemo ipſos alios exiſtimet quam cæteros 1 Theſ. 5: 22. abſtinendum ab omni ſpecie mali, & cap. 4: 12. honeſte ambulandum apud eos qui extra ſunt, in iis quæ ad honeſtatem, multo magis quæ ad pietatem faciunt.

Habent vulgo excuſationem ab Exemplo Naamanis, qui petierit & impetrarit licentiam procubitus in idoleo, 2 Reg. 5: 18. Sed Reſp. I. Naaman agnoſcit id eſſe peccatum, neque enim alias adeo ſollicite & iterate poſceret condonationem. Quomodo ergo urgetur ejus exemplum ad defenſam, ceu rei licitæ? Eſtne excuſandus, qui peccandi licentiam poſcit, ſub ipſa peccati notione? quid aliud hic quam elatæ manus peccatum: Novi idololatriam eſſe geſtuum honorem, ſed faciam tamen. II. Poſtulavit id Naaman non ut ſibi venia fieret abſolute: verum quando invitus id quod ſpeciem habebat cogeretur facere ratione ſui muneris. Herus ſuus innitebatur ipſi quando procumbebat in idoleo, & tunc neceſſum habebat procumbere & ipſe; procubitus ipſius non erat futurus idolo, ſed in miniſterio Regi; aſt in idoleo, quomodocunque fieret, non poterat vitari ſpecies procubitus coram idolo; id agnoſcit peccatum condonandum aut condemnaturum; ſed quia invitus facebat, & ex obligatione erga regem ſuum, condonationem mali ſaltem apparentis dari cupit. Sed qui exemplo hoc ſe tuentur, nulla obligatione tenentur, ut muneris ratione ſe coactos dicant, ſed ſolum curioſitatis, voluptatiſque gratia faciunt, eoque nihil inviti apud ipſos ne quidem prætextus, ſed voluntaria omnia, deliberata, ut ne quidem poſſint dici præoccupati iniquitate, ſed ambulare in via non bona juxta cogitationes ſuas, & Deum irritantes in faciem. Hæc ratio peregrinantium plurimorum ad populos idololatricos. III. Poſtulavit Naaman, recens converſus, qui nondum omnia meditatus erat, quouſque obedientia regis eum obligaret, attamen qui teneram conſcientiam habebat & ſollicitus ne illam læderet; cujus poſtulatum inde non abſolvi poteſt ab omni vitio, quemadmodum nec prius, ut ſibi tantum terræ Iſraeliticæ daretur, ut inde ſtrueret altare Deo, quaſi terræ in Syria adeſſet impuritas, & Iſraeliticæ ineſſet ſanctitas: quod pariter habet infirmitatem manifeſtam; nam Domini eſt terra & plenitudo ejus, & Exod. 20: 24. *altare terreum*, &c. *in omni loco*, &c. uti Patriarchæ ubique altaria erexerunt. Sed qui exemplum ejus prætendunt, non ſunt novitii in Chriſtianiſmo, neque tales volunt haberi, verum probe eruditi, aut ſaltem ratione temporis deberent eſſe eruditi, Heb. 5: 12. ſunt volentes ignari, ut irriſores, 2 Pet. 3: 5. Adhæc conſcientiæ ſollicitudinem non habent ne eam lædant, ſed potius quærunt rationem ut eam ſopiant ne ſe lædi ſentiat, quando ipſis facere contrarium deſtinatum eſt. IV. Eliſa non probavit iſtud poſtulatum, nec promiſit condonationem à Deo, quæ in caſu tanti momenti manifeſta eſſe deberent; ſed dixit, *Abi in pace*. Fuit hæc formula dimittendi aliquem. Sic Jethron ad Moſen Exod. cap. 4: 18. Sacerdos Michæ ad Danitas Jud. 18: 6. Eli ad Hannam 1 Sam. 1: 17. Jonathan ad Davidem, cap. 20: 42. Achis ad eundem cap. 29: 7. David ad Abſalomum 2 Sam. cap. 15: 9. quod alias dicitur benedicere 2 Sam. 13: 25. & qui ſic dimiſſus eſt blande, dicitur abiiſſe in pace 2 Sam. 3. verſ. 21. ſ. Proinde Eliſa comiter duntaxat dimittit Naamanem; Verba ejus ſunt non mandati, ut jubeat ſecurum eſſe; ſed voti, ut pace & proſperitate deinceps fruatur. Optando autem pacem, non conſtituit eam in illo quod propoſuerat, & quapropter conſcientia ejus turbata erat, ſed aliunde, à Deo nempe dandam ſignificat, ut vel herum regem ita ipſi conciliaret, quo excuſaret ipſum à miniſterio idololatrico, vel ita confirmaret ipſum; ut inſtar Moſis non veritus indignationem regis Heb. 11: 27. negaret potius miniſterium illi, quam ut contra dictamen conſcientiæ Deum offenderet. Atque ſic nihil eſt in verbis Eliſæ quod ſerviat iis, qui geſtuum idololatricorum licentiam quærunt. Commendandi proinde milites Chriſtiani ſub Juliano Imp. qui ut juxta cum aliis honorarium conſequerentur, grana quædam thuris injecerant in altare, rati honori Imp. tantum id tribui; ſed ubi idolis, quorum ſimulachrum nullum adfuiſſe legitur, id honori cedere intellexerunt, ſeque ab infidelibus exiſtimari abnegaſſe Chriſtianiſmum, pœnitentes ſui erroris, retulerunt honorarium ad Julianum, ſe Chriſtianos profeſſi, petentes ut ſe potius occideret, quam ut idolis honorem exhibuiſſe crederentur. Tantopere cavenda etiam ſuſpicio, ne quid imaginibus honoris factum videatur. Quo porro facit.

γ. Prohibitio *gradus ſummi* ולא תעבדם *& non ſervies illis.* עבד *Servire* generale vocabulum eſt, de omni occupatione. Cum de religione ſermo eſt complectitur omnia, quæcunque verbis factiſque imo & corde ac cogitatione ad honorem Numinis fiunt. Græci gemino vocabulo reddiderunt, σεβέω & λατρέυω, ſive de vero, ſive de falſis Diis uſurparetur. Hic quidem οὐδὲ μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς: aſt Exod. 23: 33. ἐὰν σεβέσης τοῖς θεοῖς αὐτῶν. Sic Deut. 4: 28. & cap. 28: 64. coll. item Deut. 6: 13. & cap. 10: 20. & cap. 13: 4. col. Ut appareat vanitas diſtinctionis Pontificiæ inter duliam & latriam, quarum hanc Deo propriam faciunt, illam etiam Sanctis ſuis indulgent, cum in Vet. Teſt. unum duntaxat ſit vocabulum, quod non niſi per figmentum ſic dividetur. Occurrit etiam שרת miniſtrare, de ſervitio liberaliori, ſed & hoc de Deo uſurpatur, & per λατρεύω frequentiſſime redditur. Interdicitur porrò ejuſmodi ſervitium ratione omnium imaginum, Adorationis Eſa. 44: 17. Fiduciæ, Pſ. 97: 7. Pſ. 115: 8. ſacrificiorum, 2 Reg. 17: 25. qui cultus vulgatiſſimus olim fuit, victimarum etiam humanarum Pſ. 106: 37. ſeq. ſuffitus, & libaminum Jer. 44: 4. & verſ. 17. conviviorum religioſorum Ezech. 18: 11. 1 Cor. 8: 10. templorum altarium ſtructuræ; Hoſ. 8: 11. & verſ. 14. 1 Reg. 11: 7. Salomo ædificavit excelſa idolis. Sacerdotum 1 Reg. 12: 31. cap. 13: 33. Jeroboam conſtituit Sacerdotes vitulorum & excelſorum; & Achab habuit inſuper Baalis. Prædicationis, prophetæ Baalis, & luci 1 Reg. 18. & qui prophetabant per Baalem Jer. 2: 8. cap. 23: 13. Feſtorum, ut feſtum octavi menſis, quod Jeroboam commentus eſt 1 Reg. cap. 12: 32. ſ. & quod vitulo in deſerto fuit ſtatutum Exod. cap. 32. Conſilii inde petendi, ut cum Achazia miſit Ekronem ad conſulendum Baal Zebub utrum convaliturus eſſet, 2 Reg. 1. Muſicæ ut Idolo Nebucadnezaris Dan. 3. Quodcunque ad cultum aliquatenus facit, Amos. 5: 26. *portatis tentorium* &c. quemadmodum Levitæ portarunt cortinas tabernaculi & alia ejus vaſa Num. 4: 24. ſ. Votivæ pecuniæ ad idolorum factionem, & miniſtrorum ejus ſuſtentationem, ut Micha ejuſque mater Jud. 17. Hæc ſimiliaque omnia, quæ ſervitii actus ſunt prohibentur.

Quid tamen frequentius hodieque in Papatu, nihil horum eſt quod non inveniat locum, Ad imagines Sanctorum dicuntur preces; & illis vota fiunt, his accendunt cereos, Templa & altaria, his non decorantur modo, ſed & dedicantur. Prædicantur illarum voce, cantu miracula, iis feſta convivia ſtatuuntur, ab illis ſanationes morborum, auxiliaque petuntur, iis donantur plurima. Eſt autem purus putus idolorum cultus. Nobis v. abſtinendum omnino. Deut. 6: 13. *Dominum Deum tuum timebis, & ipſi ſervies.* & cap. 10: 20. Chriſtus dicit, *& ipſi ſoli ſervies* Matt. 4. verſ. 10. & Deut. 10: 12. *D. Deo tuo ſervies toto corde & tota anima tua:* neque enim dividi poteſt cultus Matt. cap. 6: 24. Sic Samuel hortatur, 1 Sam. 7: 3. ſ. Impetrarunt ita victoriam & vindicias ab hoſtibus; qui alias ad idola rejecit Jud. 10: 13. Jer. 2: 28. unde nihil niſi pudorem habent, Pſ. 97: 7. & multiplicationem dolorum Pſ. 16: 4. cum contra Deum colentibus ſolum felicitas ſit exſpectanda; quemadmodum de utroque eventu teſtatur

Deus ipſe, in iis quibus obſequii perſuadendi ergo utitur argumentis: de quibus proxime.

Eſt v. hîc aliud nobis notandum. In originali textu legitur non *lo-tagnabdêm* ſed *lo-tâgnobdêm*, cujus alia eſt emphaſis. Illud voluntarium ſervitium prohibet, aſt iſtud involuntarium. Qui Hebræa norunt fateri debent עבד *ſervit* notare, העביד *ſervire fecit, coegit*, התעבד *ſervire factus* ſeu *coactus* eſt. Et hac forma dicitur hic, *non ſervies* eis ne quidem coactus. Sic Bechai fol. 90. col. 1. m. *non opus eſt dicere volenter, ſed etiam per coactionem id facere non eſt licitum; ſed potius occidi ſe patietur ne transgrediatur.* Atque hoc pacto ſemetipſos libere occidendos tradiderunt Anania, Miſael & Azaria: ſi enim coactio daret licentiam cultus, non tradidiſſent ſemetipſos ad fornacem ignis. Scilicet voluntaria idololatria ſub priori membro comprehendi poteſt; aut ex contrario hoc loco, ceu malum majus, intelligi; Minus eſt, quod ne quidem coactio excuſet, ut quando fortunarum, aut vitæ corporalis damnum alias ſubeundum ſit, liceat tunc externum cultum idolis præſtare. Interpretati quidam ſunt illud, *Qui fecerit ea vivet per ea*; ſed non morietur per ea, ut ſi facienti mors ſit toleranda, abſtinere liceat. Impia hæc eſt detorſio, & merito damnata omnibus, quibus religionis aliquid in pectore. Vis tyrannorum neminem excuſat. Corpus quidem quandoque cogi poteſt, ſed non voluntas. Valentinianus cum adſpergeret eum luſtrali aqua Sacerdos idoli, alapam illi inflixit. Cives Conſtantinopolitani, quia Julianus omnia edulia in forum illata polluerat ſacrificiis idolorum, nihil horum edere voluerunt, ſed totis 40. diebus cocto frumento uſi ſunt. Hoc meditati tempore Maccabæorum multi crudeliſſimam mortem maluerunt ſubire, quam ut idola colerent. Et iſtiuſmodi exempla infinita ſunt in hiſtoria martyrum ſub perſecutionibus Ethnicorum, nec non Papiſtarum, & Inquiſitionis Hiſpanicæ, quibus ſpe vitæ, & honorum facta tamen perſuaderi non potuit, ut minimum cultum idolis præſtarent. Eſtque hoc nunc quoque commendandum. Neſcimus quæ tempora immineant. Apoc. cap. 13: 7. ſ. Beſtiæ datur poteſtas ut bellum faciat ſanctis, & vincat eos, & datur poteſtas ſuper omnem familiam, linguam & populum. Et ſubjungitur, *Hic eſt patientia & fides ſanctorum.* Hujuſmodi quid ſi nobis quoque accideret, firmandum eſt conſtantia pectus, ut nemo diligat vitam ad mortem uſque, naturalem nempe, cap. 12: 11. & cogi velit ad idololatriam. Sequendi illi Pſ. 44: 21. ſ. Si Dei noſtri nomen in oblivium venit apud nos, atque manus noſtras ad peregrinum Deum expandimus. Nonne Deus id exquireret? nam novit occulta cordis. *Sed propter te occidimur toto die* &c. Act. 20: 23. ſ. cap. 21: 13. Servator Petrum vocavit Satanam & ſcandalum, quia ſuadebat declinationem periculi Matt. 16: 22. ſ. Cogitandum nobis dum ſumus neceſſariam eſſe obedientiam Deo præſtandam; non autem neceſſariam Deo eſſe noſtram vitam corporalem. Adeoque non metuendos qui occidunt corpus & &c. Matt. 10: 28. Quod ſi Deum confeſſi fuerimus morte, confitebitur nos viciſſim Deus, quando judicium exercebit, & largietur pro amiſſa vita corporali propter ejus cultum, vitam glorioſam & felicem, quæ æterna dicitur. Eſtque extremum amantium Deum.

Nam ego Jehova Deus tuus ſum Deus *fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in nepotes, & in abnepotes, in eos qui odio proſequuntur me.*

Prov. 10: 29, 30. Adminiſtratio Dei mundum regentis, quæ via ejus dicitur, diverſimoda eſt reſpectu non ſui, ſed hominum quos regit; juſtis robur eſt, ut magis magiſque confirmentur; malis, non communis ordinis, ſed qui artifices ſunt, eſt perditio, ut deſtruantur. Deut. 4: 24. *D. Deus veſter eſt ignis conſumens Deus Zelotes.* Ignis idem eſt, ſed quando imago ex argilla, & ex cera in illum injiciuntur. Hæc proſus diſſolvitur & abſumitur, illa duratur, ut deinceps nequeat diſtorqueri. Sic Deus impios deſtruit, uti cera coram igne Pſ. 68: 3. contra juſti durantur in bono, & quod corruptionem promovet iniquitas, quam bibunt homines ut aquam Job. 15: 16. magis magiſque Spiritu combuſtionis aboletur Eſa. 4: 6. Hinc v. eſt quod juſtus perennet, in æternum non commovebitur. Impii ſubito exterminentur, ut ne quidem locum inveniant commorationis in terrâ. Hoc eſt quod in textu declarat Deus: quando ſe deſcribit uno affectu, ſed qui diverſiſſimos effectus edat pro diverſitate hominum bonorum & malorum; quorum iſti deſtructionem ferunt gravem, & feſtinatam, ut de terra pereant. Illi vero conſequuntur robur, quod diutiſſime perennare facit. Faciunt hæc verba rationem mandati. Agit hoc de imaginibus quibuſcunque ſive figmenta, ſive creaturam aliquam, ſive Deum aut mediatorem repræſentantibus ad cultum religionis; Interdicit iſtarum factione, honore, ſervitio, etiam per vim, aut metum extorto. Mirari hic quis poſſet, quamobrem tantam ſolicitudinem adhibeat Deus tum in recitandis iis quæ repræſentari poſſent, tum in triplicando interdicto: maxime quod cum legis inſtar eſt, mores omnium fere gentium in contraria irent. Itaque Deus adſcribit rationem, quæ ſatisfaceret miranti, ductam à ſe ipſo, & affectu ſuo, & tum illum affectum in gemino, ſed contrario, effectu demonſtrandum dicit.

c. Ratio ducitur à Deo ipſo ejuſque affectu, *Nam ego Jehova Elohim tuus ſum Deus fortis, Zelotes.* Profitetur quis ſit, quod ſubjectum enunciationis. *Ego Jehova Elohim tuus.* Repetit quod initio dixerat, cum fœderis conditiones à parte ſua recitaret, ſed ut hîc inprimis ſpectaret appropriationem quâ ſe ipſis devinciebat & ipſos viciſſim ſibi. Solet iſta obligatio fœderalis varie explicari in Scriptura; frequentiſſima tamen, & arctiſſima ea eſt, quâ conjugalis dicitur. Societas iſta fœderalis eſt Mal. 2: 14. uxor dicitur mariti ſocia & uxor fœderis ipſius. Arctiſſima eſt Gen. 2: 24. ſunt caro una illi duo conjuges. Maritus prærogativam habet honoris, 1 Cor. 11: 7. *eſt imago & gloria Dei, uxor autem gloria mariti.* Eph. 5: 23. vir caput uxoris eſt; unde uxorem ceu corpus ſuum, amare, curare, regere debet: uxor autem maritum revereri, eique ſubdita eſſe. Hujuſmodi eſt ſocietas Chriſti cum Eccleſia, quod Eph. 5: 23. ſ. Apoſtolus fuſe declarat quoad membra comparationis omnia, partes ſociatas, & officia ex ſocietate mutua. Hujuſmodi autem eſt contractus fœderalis Dei cum Iſraele, ad montem Sinai initus. Jer. 2: 2. *abi proclama ante aures Hieroſolymæ, ſic ait Dominus. Recordor benignitatis juventæ tuæ, amoris deſponſationis tuæ, quando pone me ambulabas in deſerto, in terra non ſeminata.* Iſrael fuit Deo ſanctitas. Mera benignitate Dei appropriata natio per ſegregationem ſponſaliorum; quæ inde Hebræis קדושין *ſanctificationes*, qua ſibi ſponſi mutuo ſegregantur in proprietatem, ut non alius ſed ſui ſint. Ezech. 16. verſ. 8. cum deſcripſiſſet ceu puellam plenæ pubertatis, ſe quam educaſſet eouſque ſibi ait appropriaſſe in conjugem, *juravi tibi, & veni tecum in fœdus, inquit D. Dominus, & facta es mihi ſeu mea.* Et ſeqq. temporibus habita inſtar uxoris. Quo pertinent infinita loca, conjugium Dei & Iſraelis teſtantia. Jam ubi conjugium eſt, ibi habet locum קנאה *Zelotypia*; ſignificans amorem mariti tenerrimum, quo proprietatis ſuæ adeo eſt tenax, ut neque rem, neque ſuſpicionem ferat etiam minimæ communionis cum alio. Num. 5: 12. ſ. marito tribuitur *Spiritus Zelotypiæ*, qui ſive vere uxor adulterio polluta eſſet, nullo tamen teſte convincibilis ſive non eſſet polluta, ob meram ſuſpicionem, undecunque natam poterat uxorem ſiſtere coram Sacerdote, ut adjurata biberet aquas maledictas, quæ, ſi rea eſſet, illico facerent intumeſcere ventrem, & cadere femur, ut vivum fieret maledictionis divinæ ob adulterium ſecretiſſime patratum exemplar: ſin innocens, innoxiæ forent, imo fœcunditatem ipſi adderent; neque erat ullum crimen ſuſpicacis mariti, etſi innocentem hoc modo exploraſſet, quam Deus ipſe honorabat ſuo teſtimonio. Hujuſmodi affectum Deus ſibi adſcribit, quando ſe profitetur hoc loco אל קנוא *Deum fortem Zelotem.* Zelotem quidem, qui non ferret minimam occaſionem ſuſpicionis adulterii, ſive idololatriæ: quæ ſcortationis & adulterii nomine venit in Scriptura: cum idola & dii alii ſint amaſii Hoſ. 2. Ezech. 16: 23. Jer. 2. & 3. Ezech. cap. 20: 28. ſ. Ezech. 16. refertur qua ratione ſuam pulchri-

chritudinem expoſuerit ad alliciendos amatores, quos non ſolum admiſerit, ſed etiam conduxerit, & cap. 23. quod non tantum intuitu aliorum virorum, ſed etiam iſtorum pictura fuerit inflammata amore: notantur omnes actiones, quæ perfidiam contra maritum teſtarentur. Hinc v. nata Zelotypi, tenerrime amantis, Zelotypia, ut amor non ferens ſocium in graviſſimam iram exardeſceret. Jer. 11: 15. Eſa. 3: 8. Quod vero additur אל, *robur* ejus notat, quod comitatur iram ad exſecutionem; Cant. 8: 6. *Amor robuſtus ut mors & Zelotypia dura ut ſepulchrum, prunæ ejus prunæ ignis, flammæ Domini.* Et nota exempla robuſtæ Zelotypiæ, ut mariti uxores adulteras, ſuſpectaſve cum amatoribus ſuis crudeliſſime necarint. Phineas Zelotypia pro Deo correptus ingreſſus eſt in tentorium Zimri, & hunc cum Cozbi Midianitide uno ictu haſtæ confodit Num. 25. Confer Ezech. 8. & 9. capp. Conſiderandus nobis Deus ſub illis titulis, qui etiam gloriamur de fœdere conjugali cum Chriſto: nam huc vocamur 2 Cor. 11: 2. Hic ſponſus eſt & Johannes, cæterique doctores, amici ſponſi, at ſponſa Sponſa propria Joh. 3: 28. ſ. Sed Chriſtus eſt אל קנוא. Heb. 4: 12. ſ. Ipſe eſt vivens & efficax, & penetrantior &c. cum quo nobis res eſt, & cui reddenda ratio. Apoc. 1: 14. 16. oculi ejus ut flamma ignis, qui omnia illuminant & vident, & ex ore ejus egreditur gladius anceps acutus, qui valide punire poteſt. Nah. 1: 1. Zelotypia & vindicta junguntur, cujus illud robur, ut mare & montes eo deſtruantur, neque quiſquam coram eo queat conſiſtere. 1 Theſ. cap. 5: 22. à ſpecie mali abſtinendum, quia Deus Zelotypus, & hujuſmodi mariti uxor non à crimine ſolum, ſed etiam à ſpecie criminis abeſſe debet. Nulla hîc poteſt eſſe occultatio, ipſæ cogitationes vanitatis ipſi patent, & cupiditas ipſa adulterium eſt coram ipſo. Matt. 5: 28. Licet nunc non obtineat potus aquæ Zelotypiæ, ad detegenda ſecreta mulieris perfidæ, quæ ductorem juventutis, & fœdus Dei ſui deſerit Prov. 2: 17. non indiget hoc indicio Deus. 1 Chron. 28: 9. novit omnia corda, & perſcrutatur &c. Quemadmodum autem oculos ejus & notitiam nemo effugere poteſt, ita neque manum & potentiam; eſt Fortis ille, qui omnia quæ vult agit in cœlo, terra, mari & omnibus abyſſis Pſ. 135: 6. & nemo manum ejus poteſt cohibere Dan. 4: 34, adeo ut quocunque robur ſuum convertat, ad defendendum vel vindicandum, ſemper prævaleat: & propterea curandum eſt, ne vel Zelotypiam vel potentiam ejus adverſam habeamus, ſed potius addictam.

Effectus id demonſtrat geminus, quoad nocentes & innocentes.

α. *Nocentes, Viſitans iniquitatem* &c. Prov. 6: 34. ſeq. Viſitare iniquitatem ſemper denotat irrogationem pœnæ Jer. 14: 10. Viſitatio autem iſta eſt contra reos, non tantum ut priventur honore & commodo conjunctionis, quando domo ejicitur adultera, & ejectio quaſi libello repudii publicatur. Hoſ. 1: 9. Cap. 2: 1. Jer. 3: 8. Eſa. 50: 1. Quomodo fit uxor deſerta, triſtata ſpiritu, contemta, ferens ignominiam viduitatis, viro ſuperſtite. Eſa. 54: 4. 6. Sed etiam ut ferant pœnam graviſſimam. Ezech. 16: 37. ſ. deſcripta ſcortatione idololatriæ, (unde Iſrael averſa dicitur, quia ſemel ſuſcepto vitulorum Jeroboami cultu nunquam inde receſſit, & Juda prævaricatrix, quæ jam hanc jam illam idololatriam exercuit, & inde rediens per reſipiſcentiam & reformationem piorum regum, identidem ad aliam prolapſa eſt Jer. 3: 6. ſ.) minatur, & quantum iſtud malum ſit ibidem, & cap. 23. atque alibi apud prophetas fuſe recitatum eſt, domi cuique relegenda. In textu pœna extenditur ad patres, & liberos & nepotes in 3. & 4. generationem. Sic Hoſ. 2: 2. ſ. minatur ſi non removeat adulteria ſua, ſe nudaturum eam, uti cum nata fuit, conſtituturum ut deſertum, terram aridam, & necaturum ſiti, neque miſerturum liberorum, quia liberi ſcortationum ſunt; in ſcortatione geniti. Ezech. 23: 25.

Obj. Invenit hic aliquid humana ratio quod criminetur. Iniquum eſſe liberos puniri propter peccatum parentum, & quidem tot generationibus poſt. Contrarium mandaſſe Deum Deut. 24: 16. non necabuntur patres pro filiis, neque filii pro patribus: quiſque propter ſuum peccatum necabitur. Contrarium de ſe teſtatum eſſe Ezech. 18: 20. *anima quæ peccaverit, ipſa morietur: filius non feret iniquitatem patris, nec pater feret iniquitatem filii: juſtitia juſti cum ipſo erit, & improbitas improbi cum ipſo erit.* Reſp. Quidam ſolutionem in textu ſe reperiſſe rentur, illud *Odium habentium me*, referentes ad liberos, qui imitantur patrum peccata, & ſic quoque iiſdem judiciis plectuntur, hæredes prius impietatis quam pœnæ. Sed perperam: nam iſta deſcriptio non ad liberos pertinet, ſed ad parentes; quemadmodum in oppoſita amor Dei, & obedientia patrum eſt non liberorum. Imitatio odii Dei in liberis non tantum punienda in quarta generatione, ſed etiam ultra in infinitum, quamdiu odium continuatur: uti quoque amor Dei remunerationem habet non finiendam milleſima generatione, quaſi tunc cariturus ſit illâ in piis poſteris, ſed finem ignorat. Exceſſus benignitatis Dei ſupra rigorem vindictæ nequit obtinere ſi ipſorum liberorum mores inſpiciantur. Quocirca Exod. 34: 7. Deus abſolute utrobique loquitur, non additâ deſcriptione oſorum vel amantium Deum. Aliter proinde reſpondendum. I. Rom. 3: 5, 6. *num injuſtus Deus, qui iram infert? Abſit: alioqui quomodo judex erit Deus mundi.* Rom. 9: 14. *an injuſtitia eſt apud Deum? Abſit.* Quia Deus agit, juſtum eſt, qui injuſte agere nequit Deut. cap. 32: 4. aut judicium mundi non poſſet exercere. Adeo ut uno Abſit, ſolide obturetur os contradicentium. II. Juſtum eſt puniri adulteram non tantum in perſonâ ſed etiam in bonis ſuis. Uti jure maritus aufert jocalia, & donationem propter nuptias adulteræ uxori. Hoſ. 2: 7. ſ. ſcortanti Iſraeli Deus erat ademturus omnia bona quæ conceſſerat. Hæc inter præcipuum locum tenent liberi Pſal. 127. verſ. 3. Donum Dei quod ipſemet jure rurſum adimit Matt. cap. 20: 15. Hoſ. 9: 11. ſ. III. Lex Deut. 24: 16. hominibus judicibus lata eſt, quam obſervare tenentur: Laudato eapropter Amazia rege 2 Reg. 14: 5, 6. & tyrannis fuit, Gentilium exemplo, quando contrarium ſtatuit Saul in Achimelechum 1 Sam. 22: 16. & Achab in Nabothum 1 Reg. 21: 12. ſ. 2 Reg. 9: 26. Sed quis unquam Deo eam legem tulit? qui proinde eâ non tenetur? Sic factum in exterminatione Achanis cum liberis Joſ. 7: 24. ſ. Jeroboami, Baeſæ, Achabi. Deut. 13: 12. ſeq. legem tulit de urbe apoſtatica ad internetionem etiam infantum Deut. 13: 12. ſ. Ideoque ultionem ſumi voluit de do...o Saulis ſanguinaria, ob violatum Gibeonitis juramentum cæde 7 poſterorum ejus 2 Sam. 21: 1. ſ. IV. Quod v. dicitur Ezech. 18: 4. 20. non eſt declaratio regulæ ſemper obſervandæ, ſed indultum ſpeciale ad convictionem Judæorum in Babele: qui ſe innocentes putabant, quodque ſolummodo patrum nomine punirentur. Deus ergo ſignificari jubet, ſi forent innocentes nihil ipſos paſſuros ob delicta patrum ſuorum; perſonalem reſipiſcentiam & pietatem in futurum perſonales benedictiones conſecuturam; verum perſonalem impietatem, non modo perſonalem pœnam habituram, ſed etiam quæ parentibus præeuntibus debebatur. Eſa. 65: 2. ſ. *populus rebellis ambulans in via non bona* &c. *rependam in ſinum eorum, iniquitates veſtras, & patrum veſtrorum pariter, inquit Dominus.* Alias ex dicto ſuæ legis fœderalis procedit: exempla in Jeroboamo, Achabo, Manaſſe: & ultra quandoque; ut cum Judæi ſuæ poſteritati univerſæ imprecati ſint reatum ſanguinis Chriſti. Matt. cap. 27: 25. non tantum in 3 & 4 generationem, ſed per 16 ſecula ferunt pœnam peccati parentum.

Eſt v. obſervanda ratio comminationis. I. parentes ſpectantur proximi, non primus Adam, cujus reatus ad omnes poſteros dimanavit Rom. 5: 12. 14. 1 Cor. 15: 22. qui tamen cuique proprius eſt: fœderati item Deo, quomodo in nexum conjugii venerunt; Zelotypia mariti non eſt contra extraneas mulieres, ſed contra conjugem adulteram. Pſ. 73. verſ. 27. In extraneos Deus animadvertit citius vel verius pro lubitu; illo modo contra primum mundum, Sodomam: iſto modo contra Amoræos, quibus 400. annis, & Amalekitas quibus 430 annis dilatum ſupplicium, ultra 3 & 4 generationem. II. parentum inobedientia notatur exemplaris, *qui oderunt me:* non ex infirmitate, negligentia, errore; ut cum ſponſa non aperuit pulſanti ſponſo Cant. 5. verſ. 3. ſed ex odio concepto; Hoſ. cap. 2: 4. Jer. 2: 25. cap. 44: 15. ſ. III. vindicta iſta non eſt continua ſemper citra interruptionem. Manaſſis idololatria graviſſima punita fuit exilio Judæ 2 Reg. 21. 2 Chron. 33. in Jojakimo,

Jechonia, & Zedekia, qui tertia, medius quarta, fuerunt generatio, 2 Reg. 23: 25. ſ. cap. 24: 2. ſ. Jer. 15: 4. quamquam Manaſſes ipſe reſipiſcens in pace fuerit mortuus, & Joſias nepos tranquillum regnum obtinuerit. IV. Viſitatio iſta non deſignat æternam conditionem liberorum, ut propter peccatum parentum æternum damnentur. Ultimi judicii pœna redditur unicuique ſecundum opera ſua Rom. 2: 5. ſ. 2 Cor. 5: 10. Temporalia bona negantur liberis ob parentes malos. Davidis filium ob hujus adulterium & homicidium, Deus percuſſit, ut moreretur, qui tamen ſalutis diſpendium non fecit, uti quoque Davidi condonatio obtigit 2 Sam. 12: 13. ſ. Salomonis idololatria, in filio imminutione regni punita, 1 Reg. 11: 31. ſ. Temporalibus iſtis accenſenda eſt negatio vocationis externæ, quando propter parentum contradictionem removetur Euangelium etiam à poſteris. Matt. 21. 43. V. Viſitatio iſta in liberis ſi pii ſint pœna eſt quoad parentes, non quoad liberos. Sic mors infantis Davidis 2 Sam. 12: 13. ſ. filii Jeroboami 1 Reg: 14: 12, 13. Exempla hujus viſitationis ſunt in Jeroboamo, Achabo, Manaſſe, in Eli, cujus lenitas punita in filiis Hophni & Phineaſo, in pronepote Achimelecho, in abnepote Abjathare 1 Reg. 2: 27. Quantopere ergo cavenda omnis idololatria. Non tantum ſibi peccant idololatræ, ſed ſuæ poſteritati quoque. Jer. 44: 7. ſ. *Sic ait Dominus Deus* Zebaoth, Deus Iſraelis: quare facitis magnum illud malum contra animas veſtras, ut vobis virum & mulierem, infantem & lactantem è medio Judæ exſcindatis, ut vobis non relinquatis reſiduum? irritantes me operibus manuum veſtrarum, ſuffientes aliis Diis, ut vos ipſos exſtirpetis, & fiatis maledictio & opprobrium inter omnes populos terræ. Quid Iſrael & Juda eapropter paſſi ſint, notiſſimum eſt. Neque aliud habent exſpectandum idololatræ, qui nunc ſunt in Eccleſia.

Obj. Atqui in Romana Eccleſia viget illa à tot ſeculis, & tamen iſtud non animadvertitur ut hæc immunitas à viſitatione videatur eam abſolvere ab idololatriâ. Reſp, Scortante Eccleſia Deus ſic animadvertit: ſed quando repudiata eſt, ejecta domo cum repudii libello, non habet beneficium viſitationis circumſcriptæ adeo arctis terminis: quemadmodum in Iſraele X tribuum obtinuit olim & obtinet hodieque. Deut. 4: 25. ſ. Adultera Eccleſia Romana quæ magnæ Meretricis elogium meruit, qua cum reges terræ ſcortati ſunt, & incolæ terræ inebriati vino ſcortationis ejus, Mater illa ſcortationum, ſervatur graviori judicio Apoc. 17: 18. Quocirca nunquam vocatur Babylon iſta ad reſipiſcentiam, quo denuo uxoris locum obtineat in domo Dei, quod Iſraeli averſæ obtingit per intervalla Jer. 3: 12. 14. 22. Hoſ. 2: 13. ſed evocantur è medio ejus, qui ſunt populus Dei. Apoc. 18: 4. ne communicantes peccatis ejus etiam accipiant de illius plagis.

Cæterum non ſola idololatria ſic punitur in fœderatis Dei, ſed etiam alia peccata. Generaliter dicitur Exod. 34: 7. Exemplum Eli &c. 1 Sam. 2: 29. Achanis, Saulis 2 Sam. 21. Judæorum Matt. 27: 25. eoque cavenda omnis inobedientia, quæ gravior ſit. Si nihil aliud ſit, movere debet amor liberorum, qui natura adeſt. Nam quibus non adeſt, ut ipſimet perdere liberos malint non tolerandi ſunt ut fruantur naturali vita, ſed ceu hoſtes naturæ univerſam naturam hoſtem experiantur. Liberi qui naſcuntur à fœderatis, Deo naſcuntur, Ezech. 16: 20. ſ. cap. 23: 37. quos idolalotræ idolis ſuis offerebant, Deo ereptos. Idem patratum eſt in cæde proprii infantis, ut tegatur ſcortationis infamia. Et Deus viſitationem eapropter non negliget.

Sed de impiis & eorum infelicitate ſat dictum.

Verſ. 10. *Exercens vero benignitatem in milleſimos* à patribus, eos *qui diligunt me, id eſt, qui obſervant mandata ejus.*

β. *Innocentes* longe aliter habet Deus idem אל קנוא *fortis Zelotes.* Nam hæc nomina non minus his conveniunt, quam illis nocentibus, ſed quantum his habent tenebrarum & tempeſtatis, tantum innocentibus lucis & tranquillitatis. Etenim verſ. 10. faciens benignitatem millibus &c. ubi I. quibus, II. quid promittat, & hic exceſſus bonitatis ſuper ſeveritatem.

1. *Quibus* promittit, ſunt אהבי ושומרי מצותי *amantes me, & cuſtodientes præcepta mea.* Non deſcribit poſteritatem qualis eſſe debeat, vel ut bene ſit parentibus quibus loquebatur; neque enim quiſquam eouſque poterat extendere vitam ut decimam, nedum ut 1000 generationem videret, & mortui non norunt conditionem poſterorum Eſa. 63: 16. vel ut bene ipſiſmet ſit poſteris; nam id ante notum, perſonalem pietatem perſonalem conſequi remunerationem, tum exemplis piorum, tum Dei promiſſione Gen. 17: 1. unde Eſa. 3: 10. *Dicite juſto, bene ipſi erit* &c. Et quid faceret ad perſuadendum audientibus, ſi Deus milleſimis benefacientibus vellet benignus eſſe, cum ipſis nihil promitteret. Viventibus præſentibuſque dictæ & minæ & promiſſiones, & eorundem qualitates præcedaneæ deſcriptæ ſunt. Poſtulat idem vocabulum קנוא quod Zelotypiam mariti connotat. Ita ſe habet Deus ob fœdus conjugale erga fœderatos; hi ergo uxorum inſtar ſunt: quo titulo honorantur. Jam uxoris eſt erga maritum vel odium, vel amor. Nocentis quidem odium; quando enim amorem & affectum in alium convertit, non poteſt non odiſſe Deum Matt. 6: 24. adeoque non ſolum per externam idololatriam committitur ſcortatio & adulterium, verum etiam per cujuſcunque cupiditatis amorem, 1 Joh. 2: 15. & Jac. 4: 4. Videte quot oſores & adulteros habeat Deus in ſua domo! Innocentis vero eſt amor. *Amantes mei ſunt*, qui ob fœderis iſtius vinculum, omne ſuum deſiderium, affectum, acquieſcentiam in Deum ſolum collocant, nihil aliud æſtimantes, aut ejus reſpectu ceu æquandum aut præponendum gratum habentes, unius poſſeſſione gaudentes, & omne illud voluptati ducentes, in quo ipſius erga ſe affectum videre licet Gen. 3. verſ. 16. *Erga virum tuum erit appetitus tuus, quamvis ipſe dominetur tibi.* Pſ. 45: 11. ſ. *Obliviſcere populi tui & domus paternæ, & delectabitur Rex pulchritudine tua, nam ipſe Dominus tuus eſt, & incurvate ipſi.* Pulchritudo eſt, quando nihil aliud ipſam delectat præter maritum. Pſ. 97. verſ. 10. *Amantes Dominum odio habete malum.* Utique ſolus Deus bonus, Marc. 10: 18. & cum ipſo collatum nihil eſt bonum, quod animæ poſſit afferre acquieſcentiam ſolidam, eoque ſolus amandus. Pſ. 73: 23. 25, 26. *Jugiter tecum ero: quem habeo* &c. hinc Deut. 6: 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* &c. tibi fœderatus tuum affectum ſolus habeat in ſolidum. Pſ. 18: 2, 3. Hujuſmodi profeſſionem edit Eccleſia Cant. 2: 16. cap. 6: 3. Mutua appropriatio eſt, quæ ſocium non patitur. Eſtque ea non ſolum corporum, ſed inprimis animæ 1 Cor. 6: 17. Quotquot fœdus cum Deo profitemur, ſic debemus eſſe affecti. Amor in Deum eumque ſolum debet eſſe defixus. Jer. 2: 2. quis ille amor deſponſationis? Exod. 15: 2. quando profitebatur, huic ſoli cohabitare vult, ſolum illum canere, ceu materiam omnis ſui gaudii. Eſtque is amor mutuus, quod dicitur 1 Joh. 4: 19. hic quoque valet. Prior diligit Deus. Jer. 2: 2. חסד נעוריך antecedit amorem; eſtque ipſius quoad terminum ad quem, Dei vero ceu autoris. Deut. 7: verſ. 8. *quia Dominus dilexit vos, eduxit vos ex Ægypto*, & ſic quando rurſum adſciſcet Iſraelem Hoſ. 2: 13. ſ. *alliciam & ducam in deſertum, & loquar ad cor ejus & deſponſabo mihi in æternum;* atque tunc eadem erit profeſſio amoris Eſa. 12: 1, 2. *Ecce Deus eſt ſalus mea, Dominus Deus eſt robur meum & canticum.* Sed amor cordis eſt, cujus notitiam præter hominem ipſum ſolus Deus habet. Nequit quisquam decipere Deum. *Si quis corde intueatur iniquitatem, Deus novit* Pſ. 66: 18. Si cujuſquam cor retrorſum ivit Pſ. 44: 19. 21. ſ. Veruntamen homines facile decipit quis, quibus tantum quæ ante oculos ſunt, pateat, 1 Sam. 16: 7. Aſt Deus amoris erga ſe teſtes vult habere etiam homines; quemadmodum etiam illos teſtes vult facere ſuæ benignitatis: quapropter addit & Cuſtodientes præcepta mea. Hæc demonſtratio amoris, Joh. 14: 15. 23, 24. Amor uxoris poſcit obedientiam Eph. 5: 22. ſ. Superioritas Domini non minuit, nedum tollit affectum amoris Gen. 3: 16. imo amor dictat obſequium. Jac. 4: 4. amor adulterinus in mundum

dum nonne ſe mancipat mundo, ut nullus labor adeo durus ſit & difficilis quin lubens ſubeat? Et annon tantundem debet amor Dei? Eſa. 56: 6. amor facit ſervos, qui retinent fœdus, ut nihil velint omittere eorum, quæ imperantur, Pſ. 103: 18. qui obſervant fœdus ejus, & recordantur præceptorum ejus, ut illa faciant. Atqui ſi ex cuſtodia præceptorum judicandum ſit de amore conjugali, multi inter amantes Deum computari non poterunt. Pſ. 106: 28. Idola colentes, & Idolothyta comedentes conjunguntur 1 Corinth. 10: 19. ſed & aliter id fit. 2 Cor. 6: 14. Conjugium iſtud non poteſt eſſe niſi adulterium in fœderatis Dei. Copulatos autem ſe oſtendunt & oſtentant publice. Eſa. 3: 9. æque impudentes ut Sodoma. Hoſ. 4: 17. ſ. & verſ. 13. Mich. 6: 16. Lege conſuetudinis legitimatur peccatum. Obedientia præceptorum nulla vel exigua. Oſoribus, non amantibus Deum, ſe annumerandos factis ſuis docent plurimi; qui proinde portionem illorum ſibi quoque debent appropriare: non horum. Imitandus Abraham Gen. 26: 5. *Voci meæ obedivit, & cuſtodivit meum mandatum, præcepta, ſtatuta, leges:* & Deus eum quoque vocavit *amicum ſuum.* Eſa. 41: 8. Sic Joſua Joſ. 24: 15. & Eccleſia Mich. 4: 5. Nullum nomen agnoſcendum, cui obſequium debeamus ambulationis præter ſolius Dei. Sic erit jus in bonum hic promiſſum.

2. *Quid* promittit, עשה חסד לאלפים *Faciens benignitatem erga millenos.* חסד *Benignitas* eſt indebita, & complectitur omnis generis beneficentiam citra obligationem erga eum qui conſequitur. Hanc ſe exerciturum promittit Deus, qui multus eſt benignitate & fide, quod ſæpius de ipſo affirmatur. Hanc v. faciet erga millenos. Quinam hi ſunt? an amantes Deum? ut quam multi etiam ſint horum, nunquam exhauſtum iri dicat ſuam beneficentiam? uti Iſaaci, qui unam tantum habebat benedictionem Gen. 27. 38. Sed abunde ſemper fore omnibus. Eſt enim אל שדי Gen. 17: 1. *Fons aquarum viventium* Jer. 2: 12. Veriſſimum illud eſt Pſ. 31: 24. *nunquam dixit, quærite me fruſtra* Eſa. cap. 45: 19. Dives eſt in omnes qui ipſum invocant, Judæos & gentes Rom. 10: 12. Sed iſtud non *dicit*: non ſunt hic *milleni amantes*, ſed *milleni amantium.* Quemadmodum Oſorum generatio tertia & quarta eſt objectum viſitationis; ſic benignitatis milleſima generatio amantium Deum. Oppoſitionis ratio id poſtulat, & confirmat declaratio Moſis. Deut. 7: 9. *Dominus Deus tuus eſt Deus fidelis, ſervans fœdus & benignitatem amantibus ſe & cuſtodientibus præcepta ſua in milleſimam generationem.* Eſt ergo poſteritas piorum cui hic promiſſa Dei benignitas. Pſ. 112: 1. ſ. *Beatus timens Deum, qui multum delectatur ejus præceptis; ſemen ejus potens erit in terra, generatio rectorum benedicetur.* Pſ. 103. verſ. 17. צדקתו benignitas eleëmoſynaria ad nepotes non tantum proximos, ſed ſeros, qui omnes hoc nomine deſignantur.

Hinc liquet exceſſus benignitatis Dei ſupra ſeveritatem; iſta quartam generationem, illa milleſimam attingit. Jac. 2. verſ. 13. miſericordia gloriatur adverſus judicium. Etenim Deus delectatur benignitate Mich. 7: 18. non autem morte peccatoris. Ezech. 33: 13. judicium quando exercet, vocatur peregrinum ejus opus, & peregrina actio Eſa. 28: 21. Hoſ. 11: 9. quia Deus eſt; & non homo; moderatur iræ. Quantum in hac benignitate eſt ſolatium, quod non tantum amantibus ſe, ſed etiam poſteris remotiſſimis benefacturus ſit. 2 Sam. 7: 18. ſ. *Quis ego D. Deus, & quid domus patris mei, quod hucuſque me deduxeris? & fuit hoc parum in oculis tuis Domine Deus, ſed etiam locutus es de domo ſervi tui, uſque longe* B. **tot van verre heuen**/ & hoc more hominum *D. Domine.* David vir ſecundum cor Dei, qui Deum intime dilexit, & ſervavit præcepta, teſte Deo 1 Reg. 15. verſ. 45. & hoc præmium pietati ejus datum in poſteritate longinqua. Equidem non continua ſucceſſione fruiti ſunt poſteri benignitate Dei, imminutum regnum propter Salomonem, propter Zedechiam penitus ablatum ad tempus Ezech. 21: 25. ſ. & propter Jechoniam Jer. 22: 20. 24. Nam non poſcit hæc promiſſio continuationem non interruptam; ſic nunquam Deus id præſtitiſſet, ſed quemadmodum viſitatio oſorum in quartam generationem patitur interruptionem per benignitatem Dei erga pios, ut exemplum Joſiæ in poſteris Manaſſis 2 Reg. 23: 25. ſ. ſic quoque viſitatio in quartam generationem intervenire identidem poteſt fluentibus mille generationibus: exemplo Manaſſis id docente; nam reſtituendum regnum domui Davidi. 1 Reg. 11: 39. & quidem in Chriſto Luc 1: 31. Jer. 23: 5, 6. Hoſ. 3: 5. Sic Pſ. 105: 6. ſ. *Semen Abrahami ſervi ſui, filii Jacobi electi ipſius; eſt Dominus Deus noſter, meminit in æternum fœderis ſui, verbi quod conſtituit in 1000. generationem, dicendo, Dabo vobis terram Canaan, funiculum hæreditatis veſtræ.* Atqui quoties interrupta Cananææ poſſeſſio fuit, & nunc amiſſa penitus; Judæ quidem annos fere 1600. & Iſraeli 2500. Profecto concludere hinc eſt reſtitutionem Iſraelis; cum enim promiſſio iſta Cananææ ſe extendat in milleſimam generationem Abrahami, Iſaci, & Jacobi, unde nondum 200 generationes deſcendiſſe poſſunt, manet adhuc ſecuritas in promiſſione, etiamſi tot ſecula præterierint durante exilio; quod etiam dicitur Lev. 26: 42. fœdus illud Abrahami non habet memoriam apud Deum, ut non eadem ſit terræ. Atque hoc magnum eſt argumentum ad perſuadendum amorem Dei & obſequium mandatorum ejus; cum in ipſa fœderis formula iſtud promittat, & Moſes repetat Deut. 7: 9. ut quis liberis & ſeræ poſteritati benefaciat. Parentum eſt liberis parare theſauros 2 Cor. 12: 14. Nuſpiam major ille eſt quam in Deo ejuſque benignitate, cujus benedictio ditat ſine moleſtia. Prov. 10: 22. & hanc parare licet pietate, quæ etiam milleſimæ generationi poteſt eſſe proficua, etſi intermediæ ſua impietate exciderent. Quamvis nec proximæ generationi ſemper negetur. 1 Reg. 15: 4. ſ. propter Davidem Deus excitavit Abiæ nepoti ejus non pio, lampada in Hieroſolyma, filium ejus excitando, Aſam pium, & confirmando Hieroſolymam. Imo de impio Iſmaele: (qui perſecutus erat Iſacum irridendo ipſum Gal. 4: 29.) Deus dixit: *Etiam filium ancillæ conſtituam populum, quia tuum ſemen eſt* Gen. 21: 13. qui hodierni Arabes eſſe cenſentur. Etenim piorum in gratiam Deus interdum extraneis benedicit, Gen. 18: 39. Job. 22: 22. ſ. Siquidem intercedant, & quis dubitet eos pro liberis ſuis precari, aut precari ſine fructu, uti Abraham pro Iſmaele precatus eſt Gen. cap. 17: 18. ſ. Exerceamus pietatem & precibus noſtr' accedet robur, ut poſt mortem quoque noſtram poſteris bene ſit. Præterire hic non poſſum obſervationem. Abarbanelis. „ Oſtenſurus omnes articulos fidei Judaicæ contineri in De„ calogo, etiam illum qui de Meſſia, ejus adventu & bene„ ficiis agit, reperiri ait in hiſce verbis, *Exercens benigni„ tatem in millenos* &c. quippe quotcunque etiam ſecula „ præterierint, manere adhuc eam benignitatem quæ in „ Meſſia eſt, neque de præſtatione deſperandum, antequam milleſima generatio tranſierit. Sane benignitatum divinarum maxima eſt Meſſias, Eſa. 55: 3. חסדי דוד הנאמנים interprete Paulo Act. 13: 34. neque Davidis tantum, ſed etiam Abrahami Mich. 7: 20. ut Maria Luc 1: 50. ſ. & Zacharias verſ. 68. ſ. teſtantur. Verum errat aliquatenus Abrabanel, dum futuram facit, quæ jam præterita eſt. *Venit ille ad ſuos, & ſui eum non agnoverunt* Joh. 1: 11. Venit vi fœderis ad Judæos in prima prædicatione Euangelii. Act. 3: 25, 26. Gen. 17: 7. Enimvero ad benignitatem Dei pertinet, ut ſecundum veniat ad Judæos vi fœderis Eſa. 59: 20, 21. Eſa. 11: 11. Hoſ. 2: 13. Eſt v. etiam Gentilibus hic aliquid ſimile concludendum, Act. 2: 38, 39. Qui longe ſunt Gentiles, ſi reſipiſcant & credant in Chriſtum, habent promiſſionem ſibi & liberis factam, unde 1 Cor. 7: 14. liberi noſtri quoque ſancti dicuntur. Quod Abrahamo dictum, *Ero Deus tuus & ſeminis tui*, explicatur de milleſima generatione Gen. 17: 7. Pſ. 105: 8, 9. 1 Chron. 16: 17. Sic & heic. Etiam decima, centeſima, milleſima generatio ſunt liberi: Benignitas Dei in Chriſto huc extendi poteſt vi fœderis. Tametſi multæ Gentes defecerunt ab Euangelio, tamen quia olim in iis fuerunt pii, rediturum illud veriſimile eſt. Act. 15: 17. *quando reædificabitur tabernaculum Davidis collapſum, reſidui quoque hominum quærent Deum & Gentes ſuper quibus invocatum fuit, aut nominatum fuit nomen Domini.* Quomodo utique vice alia poſtliminio ad ipſos revertetur. Sic factum eſt nobis propter majores ex Gentiliſmo olim converſos, ſic rurſum propter eos ex Papiſmo.

Demus operam non ut propter nos poſteris adimatur Euangelium; ſed ſi id contingat propter multorum aliorum im-

impietatem, ut juxta cum aliis benignitatibus aliquando ad posteros rédeat propter nostrum in Deum amorem & obedientiam. Tales si fuerimus, Deum experiemur fortem Zeloten nostro bono. Cant. 7: 10. Non inferior est in amore Christus, Cap. 8: 6, 7. Etiam resipiscentes ille complectitur & liberat, Joel. 2: 18. Multo magis si sincero amore, obsequio, & fiducia quis ipsi adhæserit, zelus Domini Zebaoth faciet, ut hostis retrorsum agatur, & residuum suorum radices agat deorsum & fructus ferat sursum, Esa. 37. vers. 31. s. Imo suo zelo suos tuebitur & servabit ad vitam æternam, donec salutem dederit, stiteritque sibi glorioſos sine ruga & macula, prorsus inculpatos, ad zeli sui gloriam sempiternam.

Vers. 11. *Ne assumas nomen Jehovæ Dei tui in vanum: nam non relinquet impunem Jehova eum, qui assumserit nomen ipsius in vanum.*

Ps. 86: 9, 10. *quia tu magnus, faciens mirabilia, solus Deus es.* Istud causam dicit David; cur Gentes adventuræ, Deo se incurvaturæ, ipsum honoraturæ essent. Sane Ps. 96: 3. s. hoc fine istud Gentibus publicare jubet. Hoc ipsum est quod in textu nobis inculcatum habemus. Formula fœderis heic est, qua Deus indicavit, quid ab iis præstari debeat, qui fœderati audire volunt. Quandoquidem autem nos quoque licet gentes origine, istud nomen vel affectamus, vel nobis vendicamus, utique ad eadem attendendum nobis est. Deus quidem initio publicavit suam magnitudinem, *Ego sum Jehova Elohim tuus*; mirabilium effectionem circa Israelem, *qui te eduxi ex Ægypto, è domo servitutis*; & solum Elohim, prohibendo; *Non erunt tibi Elohim alii cum exceptione tamen præter faciem meam* Messiam nempe, qui regimen totius mundi à Deo accepit, & solus sic agnoscendus & æstimandus est; utpote unus ille ad quem Gentes aggregantur. Jam honorem & obedientiam huc conferendam esse docet porro prohibendo, *Non facies tibi sculptile, ullamve similitudinem* ad religiosum usum, *non incurvabis te illis*, neque patieris tibi vi vel fraude persuaderi cultum istorum. Nequit enim Deo deferri quod alii tribuitur, cum nihil divisum velit Deus, utpote qui socium non habet. Jam tandem imperat ut honor nominis sui sibi deferatur itidem prohibendo, *Non sumes nomen* &c. Est hoc *Mandatum* ordine tertium. Duobus prioribus removit ab honore, quibus ille non competit, Elohim alios, quicunque vel sunt, vel finguntur esse, instructi regimine in mundo majori aut minori, non sunt habendi Divinitatis participes, ut ipsis amor, fiducia, honor deferatur. Repræsentationes omnes externas ad cultum; ne fiant, ne honorentur, ne serviatur ἐκείνῃ λειτουργίᾳ θυμῶ. Ut v. hæc religiosius observentur, suum zelum, suamque potentiam considerandam proposuit, terribilem inobedientibus, obedientibus autem solatii & felicitatis plenissimam.

c. Nunc *Tertio* honorem suum removet ab omni profanatione. Heic vero primum occurrit modus proponendi. Hactenus Deus locutus est in prima persona de seipso; *Ego Jehova* &c. *Ego Deus fortis Zelotes, visitans odio habentes me, & benefaciens amantibus me* &c. Ast nunc & deinceps in 3. 4. & 5. præceptis in tertia persona. „ Mutatio ista apud „ Hebræos hanc creditur habere causam; Deum summum „ ordine personarum huc usque locutum esse, & hæc audita „ fuisse omnibus ex ore Potentiæ, (quemadmodum Chri„ stus ait, visuros Judæos Filium hominis sedentem ad dex„ tram Potentiæ Matt. 26: 64.) Cætera pronunciata fuisse „ à Gloria Dei, Schechina, facie Dei, Elohim, & Boni„ tate Dei: & hunc non suam gloriam quærere, sed omnia „ ad Deum illum summum, quæ prima persona est referre. Mediatorem eos sic designare alias ostendimus. De quo verissime dicunt, quod in monte Sinai locutus sit; sic enim Stephanus Act. 7: 38. Sed istud non impedit, quo minus priora Patri tribuamus, maxime cum in præcepto primo sub nomine *Faciei suæ*, hunc *Angelum faciei suæ*, atque etiam *faciem suam* alibi appellatum Esa. 6: 9. Exod. 33. vers. 14, Mal. 3: 1. declararit *Elohim* rectorem mundi summum, & eapropter divino honore prosequendum, quem honorem omnibus aliis Elohim, omnibusque sculptilibus negavit. Hic vero sic investitus publice reliqua fœderis declaret, atque more suo ad Patrem referat, non quærens suum, sed Patris honorem Joh. 7; 18. cap. 8: 49, 50. utpote agens ex missione, tanquam Legatus & Internuncius Patris, quique hujus voluntatem debuit declarare. Joh. 1: 18. Sed hoc misso præceptum præsens duobus membris constat, mandato seu interdicto potius & ratione.

α. *Mandatum* prohibitivum est *Non sumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Et heic considerandum.

I. *Objectum*, את שם ה' אלהיך *Nomen Jehovæ Dei tui.* Sæpius jam dictum quid significetur per יהוה, Ens illud primum & absolutum, & Essentiator omnium creaturarum: quid item per אלהים, rector & judex earundem omnium. Prius Creationem, posterius Providentiam complectitur: quæ duo fundamentum sunt omnis honoris ipsi debiti à creaturis: quia ab ipso habent suum esse, & vivere; nec non continuationem istorum ab ipsius conservatione & gubernatione. Act. 17: 26, 27, 28. Accedit autem affixum, *Elohim tuus*, indicans singularem appropriationem, & exinde obligationem ad cultum, quemadmodum ex fœdere fluit regimen aliquod peculiare Esa. 63. vers. ult. cujus respectu alii hominum sine Deo in mundo fuisse dicuntur, quia alieni ab illâ Dei politiâ quam Israelitæ habebant Eph. 2: 12. Sed insuper memoratur *Nomen D. Dei tui.* Sic vero simplicissime intelligitur Deus ipse, uti loquuntur, הוא שמו ושמו הוא *Ipse nomen suum est*, & *nomen ipsius ipse.* Scilicet quia vocabula sunt signa rerum, quibus istæ in sermone hominum exprimuntur, Dei quoque mentio quoties facienda, nomine aliquo opus fuit. Sic ergo heic *nomen D. Dei* indicabit quamvis expressionem qua Deus à loquente designetur. Quoniam v. perfectiones Dei infinitæ sunt, sive naturam essentiamve sive opera Dei intelligantur, quæ una appellatione comprehendere impossibile est, uti Deus ipse plura adhibuit Exod. cap. 34: 6, 7. illa omnia sunt nomina Dei, quæ ullum horum exprimunt. *Ehje*, Jah, Adonai, El, Schaddai, Zebaoth, Misericors, Gratiosus, Veritas, Vita, Potentia, Altitudo, Verax, Vivus, Potens, Altissimus, Creator, Possessor seu Dominus cœli & terræ, Deus exercituum, Judex mundi, quæ כנויין *agnomina* appellantur. His tamen omnibus potius est quod κατ' ἐξοχὴν *Nomen Dei* appellatur. Tetragrammaton יהוה quod Dei propriissimum, Esa. 42: 8. incommunicabile creaturis, (quamquam etiam alia ejusmodi sint, puta Ehje, Jah, Adonai, Schaddai, Zebaoth,) cujus explicatio est ὁ ὢν ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, Apoc. 1: 4. Essentiam & æternitatem connotans, quamvis illud etiam Essentiatonem comprehendat. Quod etiam absolute *Nomen* dicitur 1 Chron. 13: 6. *Arca Dei Domini, habitantis inter Cherubinos, qui vocatur Nomen.* Invenio etiam Bechai hoc loco interpretantem, *dictio* שם *nomen dicitur de Schechina; nam non insontem habebit Nomen singularissimum illum qui usurparit Nomen ejus* (Schechinæ) *in vanum.* Mediatorem proinde designatum vult. De hac varia explicatione plenius dicendum, ubi Actus circa objectum fuerit declaratus,

2. *Actus* memoratur vitiosus, adeoque prohibetur, attamen ut facile sit actum à vitio secernere.

(a.) *Actus* est תשא *sumes.* Designatur usurpatio quæ fit sermone; tunc enim appellatio sumitur in os, superlinguam & labia. Ps. 16: 4. בל אשא שמותם על שפתי *non accipiam nomina ipsorum super labia mea.* Ps. 50: 16. *quid tibi* לספר חקי *narrare statuta mea*, ותשא בריתי עלי פיך *& accipis fœdus meum super os tuum.* Exod. 23. vers. 1. *non accipies rumorem vanum.* Usurpatur porro Nomen Dei sermone multipliciter, commemorando, celebrando, prophetando, jurando, quomodo Esa. 3: 7. & sic Targum heic exponit. Sed si hoc solum voluisset Deus, vocem נשבע adhibuisset; ut hâc נשא etiam cætera complexum esse liqueat.

(b.) *Vitium* est לשוא *in vanum.* Tantundem est quod שקר *mendacium*; Nonum præceptum in Exodo dicit עד שקר *testem mendacii*, in Deut. עד שוא *testem vanitatis.* In omni enim mendacio est vanitas; veruntamen in omni vanitate non est mendacium, adeo ut שוא plus notet quam שקר. Prov. 30: 8. *vanitatem & verbum mendacii re-*

moveo

move à me longe. Hâc proinde voce non tantum mendacium in uſurpando Dei nomine, ſed etiam vanitas & levitas omnis in vitio eſt.

Proinde heic habemus Interdictum vitioſi actus, non actus ipſius: Non ait *Non accipies nomen D. Dei* tui, ſed cum additione, *in vanum*. Quod obſervandum circa Nominis Dei variam acceptionem, & circa Aſſumtionem diverſam.

Generatim quidem, *In omni ſermone cavenda eſt levis & vana commemoratio de Deo*, ejus eſſentia, perfectionibus, perſonis, operibus, regimine tum communi providentiæ, tum ſpeciali in Eccleſia per verbum ſpiritumque ſuum; contra quotieſcunque de iſtorum ullo capite ſermo eſt, reverenter & religioſe loquendum. De officio loquitur totus Pſalmus 119. & ſimiles alii, quibus David ſuam erga Deum reverentiam teſtatur. Contrarium eſt, ubi omiſſio laudatur Pſ. 24: 4. *innocens manibus, & purus corde*, אשר לא נשא לשוא נפשי *qui animam meam* (me Amos. 6. verſ. 8.) *non ſumſit in vanum & non juravit ad fraudem*. Juramentum diſtinguitur ab illa aſſumtione, deſignatque omnem mentionem Dei irreligioſam, à qua vir pius abſtinet, ut non minus os, quam manus & cor ſervent puritatem. Pſ. 50: 16. ſ. Fœdus Dei in vanum uſurpatur, quando ſolum materia eſt diſcurſus citra cogitationem, aut propoſitum obſequii. Jer. 23: 33. ſ. de iis qui dicebant משא ה *Oneroſam prophetiam Domini*; qui minas ex verbo Dei, & juſſu ejus propoſitas, inſuper habebant & irridebant. Hæc ſolum ſi attendantur quanta & quam multiplex eſt violatio hujus præcepti. Quam irreverenter de Deo rebuſque divinis ſermocinantur homines, ut oſtendant ſe cogitare Deum haud alium eſſe, quam ſunt ipſimet, Pſ. 50: 19. imo major reverentia, quando agunt de hominibus, quod vereantur iſtos reſcituros, ſibique damno fore; cum de Deo nihil hujus cogitent, quaſi non ſatageret rerum humanarum. Verbum porro ipſius ſæpe numero eſt potiſſimum inſtrumentum vanitatis, ut blaſphemo abuſu ejus maxime exornent orationem. Multis merum eſt argumentum diſcurſus, ſed ad praxin nil facere rentur, neque ſe eo contineri. Convictiones ex verbo & comminationes pro deridicnlo habent, ad terrorem figmenta, quæ afficiant ſimplices cordatis merito inſuper habentibus.

Speciatim v. varia occurrunt: quia de prophetia dicitur נשא. *Non eſt in prædicatione Verbi nomen Dei in vanum uſurpandum*. Doctrina Dei tradenda eſt, & accipiendum de Sermonibus Dei Deut. 33: 3. ישא מדברותיך uti Paulus 1 Cor. 11: 23. & Petrus 1 Pet. 4: 11. & Chriſtus ipſe Joh. cap. 7: 16. Cap. 12: 49, 50. Contra agunt qui linguam ſuam ſumunt, & dicunt *Dixit* Jer. 23: 31. & interim furto ſubducunt verbum Dei, & faciunt alios obliviſci nominis Domini, ſimiliter qui paleam jungunt miſcentque tritico, verbum hominum verbo Dei; qui quærunt gloriam ex hominibus, & ipſorum autoritate neglecta gloria Dei Joh. 5: 44. & humana ſapientia & eloquia exinaniunt crucem Chriſti, & humanæ ſapientiæ ſermonibus res ſpirituales obſcurant vel corrumpunt 1 Cor. 1: 17. cap. 2: 13. & carnalibus armis militiam exercent inutilem 2 Cor. 10: 4. ſ. adhæc qui pro Deo loquuntur iniquum & deceptionem Job. 13: 7. mentientes libros ſacros, & traditiones, quæ nunquam fuerunt, quod in Papatu fit. Rurſum qui accipiunt faciem in lege, & eam torquent, ut placere queant, Mal. 2: 8. ſ. qui confirmant manus impiorum, & promittunt vitam Jerem. 23: 16. ſ. Ezech. 13. cum pios contriſtent & necent citra mandatum Dei.

Porro cum omnia nomina Dei, ejuſque deſcriptiones religioſe ſint uſurpandæ, tum inprimis Proprium illud Dei. De hoc ſpeciatim ſermonem eſſe in præcepto, dicunt etiam inter Chriſtianos Tremell. Lev. 24: 11. *ut illud leviter ſine urgente neceſſitate nemo uſurpet; ſaltem poſtea ejus uſu interdictum*. Lev. 24: 11. ויקב בן האשרת הישראלית את השם ונקב *pronunciare eſt* Eſa. 62: 2. non connotat blaſphemiam, & Lex inde lata verſ. 15, 16. reſpondens gemino delicto, pronunciati nominis & blaſphemiæ: huic quidem: *quiſquis Deum ſuum blaſphemarit*, (quocunque nomine aut deſcriptione uſus,) *feret peccatum ſuum*; iſti autem: *qui nomen Domini nominarit, certiſſime morte afficietur; quando pronunciaverit Nomen, morte afficietur*: quomodo antiquiſſimæ verſiones Græca & Chaldæa reddunt. Soli Sacerdotes in benedictione populi illud deinceps uſurparunt, juſſi ſcilicet: *Nomen meum ponent ſuper filios Iſrael* Num. 6: 27. Illius autem interdicti rationem dicunt. *Quandoquidem ne mortalium quidem parentum nomina proferunt ii quibus cordi eſt pietas, ſed omiſſis propriis honoris gratia utuntur naturalibus, patrem appellantes matremque: atque ita profitentur accepta immenſa beneficia ſimulque ſuam gratitudinem. Quomodo ergo merentur veniam qui temere abutuntur ſanctiſſimo Dei nomine, tantum ad explendum ſermonem non aliter quam profanis vocibus?* Philo de vita Moſis lib. 3. Saltem quia hæc ſententia obtinuit apud Hebræos ab antiquo, ejus loco ſemper legerunt aliud, Adonai vel Elohim; quod obſervarunt Apoſtoli, qui ſemper ſubſtituunt Κύριος quod non putarent exprimendum. Judæi autem penitus obliti pronunciationis genuinæ non poſſunt amplius eo nomine uti, neque magis Chriſtiani. Nam *Jehova* dicere vera ratio non eſt, & hacpropter etiam in Verſione Belgica Bibliorum repudiata. Ut jam pronunciando nemo ſciens ſaltem peccare queat.

Potiſſimum eſt, *Juramenta vana falſaque omnia cavenda ſunt, quamvis ipſamet ſint licita*. Jurare per nomen Dei interdictum non eſt. imo vetito ſolum vitio mandatum intelligitur. Deut. 6: 13. *Dominum Deum tuum timebis, & ipſi ſervies, & per nomen ejus jurabis*, ubi trium primorum præceptorum officia recenſentur. Sic Deut. 10: 20. Eſt enim profeſſio religioſa de Deo, quod omniſcius ſit, non tantum ea cernens quæ hominum oculis obvia ſunt aut eſſe poſſunt, ſed etiam ſecretiſſima, & hominibus imperveſtigabilia, cogitationes cordis, 1 Chron. 28: 9. imo invocatio ut quia conſcius eſt omnium, velit quoque teſtis eſſe, & veritatem obſcuram aliis in apertum deducere adhibita ſua omnipotentia, cui nihil reſiſtere poteſt, quo minus patefaciendi vias inveniat infinitas. Quæ cauſa eſt ut ipſa profeſſio religionis juramenti nomine veniat. Eſa. 45: 23. *Omnis lingua mihi jurabit* Rom. 14: 11. *profitebitur Dominum. Quinque Urbes in Ægypto loquentur lingua Canaan, & jurabunt Domino Zebaoth* Eſa. 19: 18. Jer. 12: 16. & de Converſione Iſraelis Jer. 4: 2. *Si converſus fueris Iſrael, convertere ad me, & jura, Dominus vivit in veritate, judicio & juſtitia, ſic benedicent ſe in eo gentes, & in eo gloriabuntur*. Hæc cauſa eſt quod appelletur juramentum Domini Exod. cap. 22: 11. quia à Deo imperatum & eo teſte conceptum eſt. Eſt vero juramentum legitimum vel veritatis, quando rei alicujus veritas confirmatur: quale in judiciis valet, partium teſtiumve, exigiturque à Judice, eſtque finis omnis contradictionis Heb. 6: 16. Juramentum quoque dicit, qui adjuratus reſpondet, ut Matt. 26; 63. ſ. vel Amen ſubjungit, veritatis teſtimonium dicens atque optans Num. cap. 5. Quamquam etiam extra judicium poſſit locum habere, ad confirmationem veritatis magni momenti, & quæ alio modo demonſtrari nequit, vel fidei ſeu fidelitatis, quando obſti ingitur aut demonſtratur fides: hoc circa depoſitum illud in fœderibus publicis, vel privatorum, nec non in omni officio, quod alicui committitur ſub hac obligatione. In quibus omnibus ſincere verſandum eſt. Lev. 19: 12. Contra quam peccatum eſt à Judæis Eſa. 48: 1. *qui jurant per Nomen Domini, & commemorant Deum Iſraelis non in veritate nec in juſtitia*. Jer. 5: 2. *licet dicant, Vivit Dominus, tamen jurant falſo*.

Verum Hebræi duas alias ſpecies juramenti numerant abſolute malas. Futile de rebus levibus, & nullius momenti, & vanum de rebus aperte veris, vel falſis, vel impoſſibilibus, vel malis. Qualia non ſunt dicenda aut uſurpanda: quia in iis omnibus eſt profanatio nominis Domini, quod nec in falſum, nec in vanum uſurpandum eſt.

Sed hic occurrunt aliqui, qui juramenta ſaltem in Novo Teſtamento illicita docent; & hac parte Decalogum eſſe correctum, Chriſti & Jacobi autoritate moti. Verum non ita res ſe habet. Mat. 5: 33. ſ. agitur contra traditones Phariſaicas: *Audiſtis dictum à veteribus, non pejerabis, ſed reddes Domino quæ juraveris*. Vitium hic ineſſe oportet, nam Dei mandata non corrigit Chriſtus: & non Dei, ſed veterum dicit; illud eſt, non peccari, qualecunque fuerit, & per quemcunque conceptum juramentum modo præſtetur, aut verum ſit quod dicitur: itemque tum demum perjurium eſſe,

ſe, ſi quis non præſtet quæ per Dominum juravit, non autem in aliis juramentis neglectis. Heic contra Chriſtus, *Ego vero dico vobis, Ne jurate omnino.* loquitur de juramento futili, in quotidiano & familiari ſermone: *neque per cœlum, aut terram, aut Hieroſolymam*, quæ erant formulæ per creaturas conceptæ; quod item malum cum ſolum per nomen Dei jurandum ſit, adeoque ne quidem per verum Deum tum jurare convenit. *Sit autem ſermo veſter Etiam, etiam; Non, non.* Simplex aſſeveratio ſufficit in ſermone privato; *nam quicquid ultra additur, à malo eſt.* qui quocunque modo honori Dei derogare ſtudet, ſi non blaſphemando, ſaltem levitate iſta vilipendendo. Sic quoque Jacobus Jac. 5: 12. *Ante omnia fratres, ne jurate, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud ullum jusjurandum. Sit autem veſtrum Eſt, eſt, & Non, non.* Itidem de communi ſermonis juramentis loquitur. De judicialibus Paulus docet Heb. 6: 16. & Chriſtus adjuratus, religionem ejus agnovit Matt. 26: 63. ſ. Imo ſuo Amen in rebus majoris momenti, & Paulus in Epiſtolis provocatione ad Deum, ejus uſum quoque extra judicium docueruut. Quin etiam in actu religioſo, ad novam obligationem obedientiæ addendum, tum ex mandato Deut. 27: 15. ſ. tum ſponte Pſ. 119: 106. 2 Chron. 15. & 34. Peccat vero jurans, qui Deo aliquid ſociat, cum præter Deum nemo ſit cujus nomini honor per illud jurandi communicari debeat; eoque nec creatura, nec idolum ſic commemorandum: ut Zeph. 1: 5. *Jurantes per Dominum, & per regem ſuum Malcham* Amos 8: 14. *per reatum Samariæ dicentes, Vivat Deus Dan, & via Berſabæ.* Legitur tamen ſæpius: *Vivat Deus & vivat anima tua*, etiam à piis uſurpatum, 1 Sam. 25: 26. Abigail. 2 Sam. 15: 21. Ithai. 2 Reg. cap. 2: 2. 4. 6. Eliſa. cap. 4: 30. Sunamitis. Verum non niſi per ſolum Deum ſic juratur. Nam in Hebræo ſic ſonat, *per vitam Dominum, & per vitam animæ tuæ*; qui ſane non niſi Deus eſt: nam is eſt vita noſtra, & longitudo dierum Deut. 30: 20. Act. 17: 25. 28. & ſic Joſephus jurauit per vitam Pharaonis, hoc eſt, Deum, qui illi vitam dederat, & conſervabat Gen. 42: 15. Quod ſi tamen per creaturam juratum ſit, ſiquidem res in ſe licita ſit, præſtandum eſt Matt. 23: 16. ſ. contra ejuſmodi Phariſæorum exceptionem Chriſtus docet, obligatorias eſſe formulas illas, & impliplicare Deum ut huic reus fiat perjurus, etſi tantum per altare templum aut cœlum jurarit. Quanto magis ergo obligant juramenta per verum Deum concepta, neque quiſquam vel ſe vel alium ſolvere nexu poteſt, niſi contrarietur mandato Dei, quando nequit obligare, & vanum eſt, utpote de impoſſibili conceptum quale fœderati Dei eſt, quicquid divinæ legi adverſum. Act. 4: 19. cap. 5: 29. Eccl. 8. verſ. 2. Alias obligat, quamquam Papa diſpenſationem ſibi arroget. Eccl. 5: 3. *Quod promiſiſti præſta; ne permittas ori tuo, ut faciat peccare carnem tuam, neque dic coram facie Angeli eſſe errorem: quare Deus vehementer iraſceretur, propter vocem tuam, & perderet opus manuum tuarum.* Vir pius jurat ad damnum ſuum, & non mutat, & hic promiſſum habet, non nutandi Pſ. 15: 4. ſ.

Quantum vero hic peccetur, dici vix poteſt. Solummodo attendantur juramenta levia, & vana, quæ in ſermone hominum, etiam puerorum frequentiſſima ſunt, ut ora plena ſint exſecrationum, & blaſphemiarum, quibus nomen Dei profanatur. Exaggeratur Eſa. 48: 1, 2. quod id fieret ab illis, qui erant Iſraelitæ nati, denominati à civitate ſancta, & profitentes verum Deum. Quæ argumenta hic quoque militant. Verum gravitas peccati hujus maxima eſt quoque. Fundamentum prohibiti juramenti vani & falſi eſt, quod ipſam fundamentalem veritatem ſubvertat, ſitque fidei abnegatio; nam dicens, quam certe Deus eſt veritas, verba mea vera ſunt, cum ſint falſa, facit Deum mendacem. Accedit, quod aggravationem addit, cum aliórum peccatorum, homicidii, adulterii rarior ſit occaſio; qui ſe ad abuſum divini nominis adſuefecit, nullum diem præterlabi ſinet, quin ſæpius ſic delinquat, & tanquam formula elegantiæ in omni ſermone utetur. Quum etiam ex aliis peccatis voluptas aut utilitas capiatur, neutrum horum ad profanantem nomen Dei redundat. Sed leve foret carentia commodi, ſi non ſequeretur damnum maximum, cujus unius comminatione Deus terret.

β. *Ratio* enim quam addit eſt: *Nam non inſontem habebit Dominus, qui nomen ſuum in vanum aſſumſerit.* Crimen iſtud ſtatuit inexpiabile ſine pœna. Pœna ſcilicet temporali, vel æterna. Eſt enim Deus Zelotes nominis ſui, ſi non timeatur glorioſum & tremendum nomen iſtud Dominus Deus tuus Deut. 28: 58. Mal. 3: 5. *Appropinquabo ad vos ad judicium & ero velox teſtis contra veneficos, adulteros, perjuras, & qui me non metuunt, inquit Dominus Zebaoth.* & Zach. 5: 2. ſ. Volans volumen longitudinis 20. & latitudinis 10. cubitorum, eſt *Exſecratio, egreſſa contra univerſam terram: qui* furatur & qui pejerat, hinc juxta illum exſcindetur: *Ego adduco illam inquit Dominus Zebaoth, ut veniat in domum furis & perjuri & in domo ejus pernoctabit, & abſumet eam cum lignis & lapidibus ejus.* Bechai hic notat: *Nomen ejus, eſt Schechina; nam non inſontem habebit Nomen illud ſingulariſſimum illum qui Nomen Schechina in vanum uſurparit.* Mediatorem intelligit, quem honorari vult Pater, uti ſe Joh. 5: 22. & Deut. 18: 19. minatus ſit pœnam negligenti Eſa. 1: 4. conjunguntur ceu maxime enormia peccata, Dominum deſeruerunt, ſanctum Iſraelis irritarunt. Habet autem momentum nomen Jehova, quo veritas deſignatur, uti etiam illud addit præcepto, Lev. cap. 19: 12. videl. Ultionem fore veriſſimam, & ipſum eſſentiatorem creaturum potius plagas quam ut patiatur indemnem abire ſontem. Exemplum in Saulo, 2 Sam. 21. Joſuæ & populi Seniores juraverunt per Deum Gibeonitis, non exterminatum iri, quamvis fraude eos ſeduxiſſent, & ipſi eſſent ex Cananæis exſcindendis. Debuit ergo iis id præſtari quod ſic promiſſum. At Saul rex populi, ut Iſraelis poſſeſſionem ampliaret Zelo utens, eos propemodum exciderat; qui cum ſummus magiſtratus eſſet, & unicus, videbatur quod male juratum olim erat juſte retractare; neque dubium eſt quos ſecum habuit, aſſenſos eſſe. Sed Deus aliquot annis poſt ejus mortem ſub pio Davide immiſit tribus annis conſequentibus famen, cauſamque hanc dixit ob ſanguinariam Domum Saulis: neque conciliatus fuit terræ, niſi poſtquam ſatisfactum eſſet Gibeonitis, cæde ſeptem de Saulis poſteris. Si ita Deus etiam nunc velit agere quid non judiciorum incumbet? & quid non fit? Licet omnia peccata hic nobis non conſtent, Deus novit, & is punit; & puniet magis; nam ſtagnum ignis & ſulphuris eſt portio eorum qui mendaces ſunt, Apoc. 21: 8. mendacia amant & faciunt cap. 22: 15. quos inter præcipui blaſphemi & perjuri. Eoque caveamus omnes, terrore ſaltem pœnæ: Operam autem demus ut Sanctificemus Deum corde & ore, ut Nomen ejus nobis ſit venerabile, illud amemus, & ſancte profiteamur. Erit tum Meſſias non ultor, ſed ſanctuarium Eſa. 8: 14. *Qui* cum timore religioſe recordantur nominis ejus, illos faciet ſuos, quando peculium ſuum ſibi ſumet, & non ſolum parcet in communibus judiciis, ſed etiam felicitabit æterna proſperitate.

Verſ. 12. *Obſerva diem ſabbathi ut ſanctifices illum, quemadmodum præcepit tibi Jehova Deus tuus.*

d. Hactenus Deus egit prohibendo, ne aliis Diis, quibus ipſe gloriam ſuam non dedit, deferant cultum cordis; ne ullis ſculptilibus opere ipſo honorem & ſervitium exhibeant: ne nomen ſuum ore uſurpent irreverenter. Cavenda iſta omnia ſunt, & cavenda quovis tempore, quemadmodum amor qui præceptorum obſequium dictat, omni tempore adeſſe & ſtimulare debet. Nunc v. *Præcepto Quarto* aliquid præcipit, quid agi velit ad ſuum cultum, ſed certo tempore: profecto quia ſingularis pulchritudo in eo ſita eſt ex ipſius ordinatione: ad quam proinde ſigillatim nobis attendendum eſt. Moſes recitat. I. præceptum verſ. 12. II. modum obſervationis, verſ. 13, 14. III. rationes perſuadentes, verſ. 15.

a. *Præceptum* ipſum eſt, verſ. 12. *Obſerva*, &c. cum additione *quemadmodum D. Deus tuus mandavit tibi*: ubi tria occurrunt. I. Tempus definitum. II. Actio in illo tempore exercenda. III. Pulchritudo actionis in tempore illo exercitæ.

a. *Tem-*

α. *Tempus definitum* eſt, *dies Sabbathi*, ſervata voce Hebræa. Ducitur illa à שבת *quievit*, *ceſſavit*; notat *Quietem*, *ceſſationem*, ut exercitium operis intermittatur. Verum nullam habet in ſe temporis definitionem; cujus ut habeatur ratio additum eſt יום השבת *dies quietis*, numero ſingulari, adeo ut non omnes ſed ex omnibus unus deſignetur, de periodo autem dierum, unde unus ſumendus eſt, in declaratione obſervationis ſtatuitur, nihil quoque dicit de numero in dierum circulo, ſitne primus, vel medius, vel ultimus; Sabbati vox nihil tale continet, quamquam inſequentibus temporibus nomen indefinitum pro definito uſurpari conſueverit.

Cæterum cum ceſſatio reſpiciat opus, nequit de ea dici, niſi illud fuerit declaratum, quod quidem verſ 13. deſcribitur, hic tamen aliquid monendum eſt. Quum Deus hominem initio condidit, collocavit eum in horto Eden, ut eum coleret & cuſtodiret Gen. 2: 15. Fuit hæc lex laboris, quem homini imperavit; cujus ea ratio ut Paulus inde ducat regulam, qui non vult laborare, ne comedat 2 Theſſalon. 3: 10. ſignificans, Adamo fructum horti fuiſſe negandum, ſi culturam ejus ſibi imperatam, obire detrectaſſet. Verum labor ille in integritate nihil habuit moleſtum, fatigans, (qui effectus maledictionis divinæ poſt peccatum) ſed potius ad voluptatem hominis faciebat, utp. qui iſtud agendo Deum ex creaturis & earum conſervatione ac gubernatione magis agnoviſſet, ſeu potius in agnitione Dei per experimenta ejusmodi confirmatus fuiſſet; & juge ejus laboris exercitium fuiſſet cultus Dei, qui in obſequio mandati ejus conſiſtit: neque ulla ceſſatio præter nocturnæ quietis vel neceſſaria fuiſſet, viribus non imminutis aut debilitatis, ut ea ad refocillationem indigeret; neque impedito amore & ſervitio Dei, cujuſmodi nihil homini integro Deus imperavit, aut imperare potuit ut ſe per intervalla minus amaret, aut ſaltem amare externo cultu teſtaretur, vel licita, niſi Deus de poſitiva lege laboris ſpecialem diſpenſationem edidiſſet. Nullum itaque Sabbatum ſtatui integritatis quadrat. Sed poſt lapſum quando Deus divitiis longanimitatis & tolerantiæ & benignitatis ſuæ hominem frui voluit, continuavit quidem obligationem laboris, juxta illud Pſ. 104: 23. *Sole oriente homo egreditur ad opus ſuum & laborem ſuum uſque ad veſperam*; neque quiſquam habet ceſſandi licentiam, ſed operans proprium panem comedere debet 2 Theſ. 3: 12. At enim labor nunc alius eſt quam olim; maledictio Dei inſeparabiliter ei addidit moleſtiam fatigationemque, qua homo paulatim abſumitur Gen. 3: 17. ſ. *cum dolore comedes de terra omnibus diebus vitæ tuæ, in ſudore vultus tui veſceris pane tuo*; etſi cum voluptate quis ſuſcipiat opus ſuum, tamen fatigatio ſubit, quæ eum abſumit, Job. 5: 7. *homo* לעמל *ad moleſtum laborem naſcitur*. Indigi ſunt idcirco homines quietis, quam ſibi ſumerent contra legem creatoris, ni difficultas parendi victus, & ſollicitudo iſta ſtimularent. Impedit autem hic labor cultum Dei, dum corpori ſolum attenditur, ad illi providendum: quemadmodum nimis obvium eſt. Heic ergo Deus fœderis formula, iis quos ſua communione dignatur, dedit licentiam ceſſationis, ut abſtinere liceat ab opere quotidiano, & quidem die integro, non tantum ab ortu Solis ad ejus occaſum, ſed quia nox ſubinde jungitur diei Pſ. 127: 2. à laborantibus, toto die naturali ſeu νυχθημέρῳ 24. horarum. Lev. 23: 32. *à veſpera in veſperam ceſſabitis* (*Sabbatum*) *Ceſſationem veſtram.*

Hinc vero liquet beneficium fœderis hujus. Quotquot iſtud amplectuntur, privilegium habent ceſſationis per diem integrum in periodo definita. Lex Dei obligat ad quotidianum laborem; nemini fas abſtinere citra violationem mandati divini. Non edit ſuum panem, (de adultis loquor,) qui in ſudore vultus ſui, in exercitio ſui operis, moleſtia non carentis, eum non comederit, ut ſit quaſi furtivus panis. Unde convincuntur otioſi homines, qui nihil operantur, quos Paulus inordinate dicit ambulare, & vana agere 2 Theſ. 3: 11. nam nihil agendo male agere diſcitur. Multum de hiſce otioſis agit Salomo tupitudinem & damnum eis proponens, ut abſterreantur; formicæ diligentiam inculcans, Prov. 6: 6. ſ. Sed ſufficit nobis Pauli adhortatio, qui fratribus (Chriſtianis, nam extraneos non curat 1 Cor. 5: 12) inordinatis hoc pacto ſe præbet exemplum, dicens non comediſſe ſe panem gratis apud quenquam, ſed in labore & moleſtia nocte dieque operando, ne ulli foret gravis. 2 Theſ. 3: 6. ſ. & 1 Theſ. cap. 4: 11. ſ. φιλοτιμεῖσθαι *quieti eſſe*, & *agere propria*, & *operari propriis manibus*, & Eph. 4: 28. Verum è contrario peccant illi qui cum fœderatos ſe profiteantur Dei, Ceſſationem iſtam negligunt, toti ſemper occupati in labore pro alimonia corporis. Sane non conſiderant quantum in eo beneficium ſit. Qui labore abſtinet, caret ſenſu maledictionis divinæ, cujus character eſt ſudor vultus, fatigatio. Et an non hoc beneficium eſt? quantopere optabat Lamech conſolationem à labore noſtro & à dolore manuum noſtrarum, propter terram quam Deus exſecratus eſt. Gen. 5: 29. quis averſabitur fruitionem, ſi ea concedatur? an mancipium in triremi non cupide accipiet quietem à remigando & compedibus, etſi redeundum ſit poſtmodum ad eandem ſervitutem? Sed ignorant bonum quietis, quia ignorant malum laboris, quod non ſolum in moleſtia cernitur ſed inprimis in cauſa moleſtiæ, maledictione Dei, de reatu naturali convincentis. Hoc qui rite æſtimat Ceſſationem non negliget, & totum diem lubentiſſime impendet, quo tanto diutius fruatur beneficio.

Obj. Igitur ſemper abſtinere expedit, ut ſemper beneficio iſto gaudeamus. Reſp. Non licet niſi à Deo facta ſit licentia. Privilegium eſt immunem eſſe à vectigalibus; ſed poteſtne quivis vectigalia non perſolvere? nonne peculatum admittit, qui facit citra privilegium? Sic Ceſſatio iſta privilegium eſt à Deo ſpeciatim conceſſum: Soli fœderati ejus id habent, eapropter formulæ inſertum. Qui extra fœdus ſunt carent iſto privilegio, & uſurpatores ſunt illius. Hinc quando Deus ſolum Iſraelem habuit fœderatum, ſoli quoque Sabbati dedit beneficium. Ezech. 20: 11, 12. *eductis ex Ægypto in deſertum, dedi eis ſtatuta mea & notificavi eis judicia mea, atque etiam dedi eis mea Sabbata*, & Eccleſia agnoſcit. Neh. 9: 13. ſ. *Deſcendiſti ſuper montem Sinai & dediſti ejus æqua judicia & fideles leges, bona ſtatuta & mandata; & ſanctum Sabbatum tuum notum feciſti illis.* Privilegium fœderis eſt Sabbatum, ut Deus dicit. Ezech. 20: 12--20. *ut foret ſignum inter me & ipſos ... e eſſe D. Deum ipſorum, ſanctificantem ipſos.* Qui fœderatus Dei non eſt otiatur ille quidem, ſed non agit Sabbatum. Ceſſat, ſed non venia ac juſſu Dei, adeoque ceſſatione ſua non juvatur quia reus ſit Deo inordinatæ ambulationis. Quocirca ut nobis quies ſolatio ſit, fœderati ſimus & tales nos obſequio fœderali teſtemur. Quo facit.

β. *Actio* in illo tempore, *Obſerva Sabbatum*, addito fine, *ut eum ſanctifices*. Actio gemina imperatur, & prior propter poſteriorem ſuſcipienda, eſt, quæ finis eſt prioris. 1. *Prior* eſt Cuſtodia diei Sabbathi. Moſes hic aliud verbum uſurpavit quam Deus. Exod. 20. hic dixit זכור *recordare* aſt Moſes שמור *cuſtodi*. Scilicet, Moſes non ubique in repetitione fœderalis formulæ verba Dei expreſſit, ſed mentem, quod & in aliis, & in hoc præcepto inprimis, venit obſervandum, & ſuo ubique loco notabitur. Nunc quidem manifeſtus conſenſus, & differentia prorſus oportuna, Cuſtodia imperatur hoc eſt, obſervatio in quem diem incidat ex definitione Dei, ne prætereat non animadverſus, quemadmodum cuſtodia eum in finem agi ſolet. Et ſic de Sabbato Scriptura deinceps loquitur; ſolum Deus ipſe in Decalogo dixit *Recordare* quæ recordatio eandem cuſtodiam complectitur, ſed quid aliud dicit, quod ſingulare erat. Quando Deus fœderi ſuo hoc inſeruit, revocavit eis in memoriam priſca tempora inde à prima inſtitutione, quo ejus fundamentum & originem meditarentur, quemadmodum etiam propria iſta commemoravit: quod neceſſarium erat, quia Sabbati uſus aliquamdiu fuit intermiſſus, dum in Ægypto duram ſerviebant ſervitutem Pharaone ceſſationem omnem negante. Exod. 5. Ergo recordari jubet ratione habita neglectus qui intervenerat. Aſt nunc Moſes, cum totis 40. annis jugiter fuiſſet obſervatum Sabbatum, porro quoque obſervandum dicit, quod etiam à Prophetis ſæpe dictum: Nam ab eo tempore neglectum non fuit, (Sabbathum terræ, ſingulis ſeptenniis, intermiſſum conſtat Lev. 26: 34. ſ. 2 Chron. 36: 21.) ſed neglectus finis obſervationis.

Obſervandum ergo Sabbatum eſt, ut dies ejus attendatur,

qui ceſſationem illam habeat. Heic jam notanda pulchritudo à Dei inſtitutione fluens. Nequit ceſſatio alio die æque decora eſſe: alioqui Deus in alium fixiſſet diem, adeoque dies ille Dei obſervandus ut videre decus iſtud liceat. Mandata propterea ſæpius obſervatio ceu totum officium, quia ſine ea nihil fiet, quamquam ſub ea tum quod finis hic dicitur, comprehendatur. Exod. 31: 13. *Sabbata mea obſervabitis.* Sic Lev. 19: 3—30. Eſa. 56: 2. ſ. Eſt v. obſervatio iſta momenti magni, quia dies Sabbati non eſt definitus in Decalogo, quotus ille ſit: non dicitur, ut monui, vel primus vel ſeptimus aliuſve; adeoque attendendum quotus ſit, quia privilegio divino in eo ceſſandum, atque idcirco non alio quam cui privilegium additum eſt. Deus non indicavit numerum diei, ut videbitur inferius: quia mutandus erat, & in formula fœderis ſui, quoad eſſentialia nihil mutandum, quod pœnitentiæ argumentum, inſertum voluit. Eſſentiale autem hujus præcepti, paucis verbis continetur, *Obſerva diem Sabbati, ut eum ſanctifices.* Obſervandus quidem fuit Iſraelitis dies ſeptimus, ſed ita ut aliquando is non foret obſervandus. Col. 2: 16, 17. Sabbatum umbra futuri dicitur, & corpus Chriſti. Quod non attendiſſe neglectus obſervationis eſt. Sic etiam nunc obſervandus dies Sabbathi, ne eum in ſeptimo die quæramus, quia ibi privilegium & decus ceſſationis amplius non occurrit, ſed in alio cui iſta adſunt. Hujuſmodi proinde obſervatio infrequens admodum eſt. Creditur vulgo circa obſervationem parum peccari, citra oblivium numerant omnes Judæi diem ſeptimum, Chriſtiani primum, Turcæ ſextum, ut ceſſent ab opere ſuo, in quo ſibi æquantur invicem. Sed ſic non agunt quod hujus eſt mandati, cum faciant Ceſſationem finem ultimum: obſervant ignavorum puerorum inſtar diem otii, quibus omnis in otio voluptas. Obſervant alii, quibus in otio iſto odium, optantes præteritum, Amos 8: 4. avari illi qui deglutiunt egenum, & afflictos terræ perdunt, dicentes, quando præterierit Sabbatum, ut aperiamus frumentum (ad vendendum) imminuentes Epha, & augentes ſiclum, & adulterantes libram, & paleam cum vel pro frumento vendentes. Aſt aliter obſervandus dies iſte, ut fini ejus ſatisfiat. Eſa. 56: 2—6. obſervantes Sabbatum, non profanent illud. Alioqui immittet Deus judicium ut obſervari nequeat. Lam. 2: 6. Sic quando Sabbatho pugnandum aut fugiendum pro vita aut in ſervitute Turcica, nullo diſcrimine Sabbathi laborandum. Non id æſtimant, qui Sabbatum non æſtimant: iſtis enim gemina afflictio, tum quia patiuntur talia, tum quia Sabbato patiuntur. Mat. 24: 28. quod ne nobis accidat Obſervandus dies Sabbati ut juſto fine fiat.

2. *Poſterior* actio eſt, Sanctificatio, *ut eum ſanctifices.* Sanctificare eſt ſegregare ab uſu ordinario, ad extraordinarium. Ordinarius diei uſus eſt, ut homo opus ſuum in eo faciat; ſed ab hoc abſtinendum, quia Sabbatum ceſſationis dies: verum aliud opus agendum eſt. Profanat Sabbathum qui opus agit ordinarium quia non ſegregat, aut ſanctificat. Quo nomine toties reprehenſi Iſraelitæ in deſerto Ezech. 20: 13—16—21—24. ſed & poſtea; inter peccata Hieroſolymæ eam deſtructura numeratur, *polluerunt Sabbata mea.* Ezech. 22: 8. & *Sacerdotes abſconderunt oculos ſuos à Sabbatis meis*, & cap. 23: 18. ſic qui opus ferunt, aut opus faciunt. Jer. 17: 21. ſ. qui mercaturam exercent, Neh. 13: 15. ſ. de quibus hic verſ. 14. Magis profanat, qui tunc peccatis indulget, voluptatibus carnis; cum enim illa ſemper vitioſa ſint gradus accedit ab hoc die. Qui opus ordinarium facit ſervit corpori & vitæ ejus quod tunc cavendum: qui voluptates ſectatur, ſervit carni ſeu corruptioni, quod ſemper, & maxime tunc cavendum. Sanctificatio ſegregationem ab his poſcit. Eſa. 58: 13. *ſi removeris à Sabbato pedem tuum*, (ut non egrediaris ad opus vocationis ordinariæ,) *exercitium voluntatis tuæ, die ſancto meo*, (quod eſt exercitium carnis & cupiditatum.) & *honoraveris illum diem, ut non facias vias tuas* (quæ functionis tuæ ſunt) & *non invenias voluntatem tuam*, (ut ne quidem oblatas peccati occaſiones, & cupiditatem explendi arripias.) Sic agendo vitatur pollutio. Eſa. 56: 2—6. Obſervatio Sabbathi *ne eum polluat.* Sed inſuper impendendus eſt actionibus religioſis, verſ. 4. *qui obſervant Sabbathum, & eligunt quo delector, & apprehendunt firmiter fœdus meum.* Pſ. 93: 5. *Sanctitas domui Dei decora & ſic* quoque Sabbato; quapropter ſociantur. Lev. 19: 30. *Sabbata mea ſervabitis, & ſanctuarium meum reverebimini; Ego ſum Dominus.* Ezech. 23: 28. *contaminarunt ſanctuarium meum, & Sabbata mea profanarunt.* Sanctitas porro requiſita legitur. Pſ. 92. qui Sabbato dicatus, & cætera Pſalmi habent meditationem operum Dei circa pios potiſſimum, ut ipſorum conditio melior eſſe agnoſcatur, quam impiorum quamvis feliciſſimi ſint in mundo. Etenim ut Hebræi teſtantur, *Sabbatum non eſt datum alio fine quam ut Lex Dei diſcatur*, hoc eſt ut ipſe ex verbo ſuo agnoſcatur, quo illi cultus & obſequium debitum præſtetur. Sane qui non debent proprium opus agere, utique Dei opus agere debent aſt, Joh. 6: 29. *Opus Dei eſt ut credatis in eum quem ille miſit docente Chriſto.* Abrab. ait, *Sabbatum docet de adventu Meſſiæ, & futuro ſeculo, quod eſt tempus meri Sabbati.* Si Judæum audimus ex veteris Eccleſia doctrina loquentem, Meſſiæ adventum, non in carnem modo, ſed in ipſam mortem, meditemur, & Sabbatum noſtrum tum hodiernum, tum proximum, tum ſequentia ſic tranſigamus, ut mortem ejus annunciemus, donec iterum veniat, & nobis æternum Sabbatum largiatur, ſanctificandum in cœleſti gloria nullo fine aut interruptione in omnem æternitatem.

γ. *Pulchritudo* actionis in iſto tempore verbis ultimis indicatur, *Quemadmodum præcepit tibi Dominus Deus tuus:* non quod ipſamet recitent, ſed quia eò nos remittunt, ubi indicatam alibi notavit. Monuimus jam Moſen hoc loco Decalogum non exhibere iiſdem ubique verbis, quibus à Deo pronunciatus fuit; quod in hoc præcepto manifeſtiſſimum. In ipſo initio pro *Recordare* dixit *Obſerva*, vel *Cuſtodi.* Jam hæc inſerit, *quemadmodum præcepit tibi Dominus Deus tuus.* Sequentur mutationes aliæ: Neque tamen accuſandus eſt tanquam falſarius, qui miniſter Dei fidelis fuit in tota domo Dei. Num. 12: 7. ſæpius à Deo laudatus, & vivus & mortuus. Cauſa præſentis mutationis eſt, quia plura complecti voluit de eodem argumento. Quum Deus de monte Sinai publicaret fœderis conditiones, in quarto præter mandatum indicavit modum obſervationis, & rationem petitam à facto ſuo, *Nam ſex diebus* &c. Sed cum populus deprecaretur vocem Dei audire, Moſi ſoli alia dixit, ad politiam Iſraelis pertinentia, quæ itidem fuerunt conditiones fœderis, quod ſua ſtipulatione inierunt & ſolenniter ſancitum eſt Exod. 24. Illa leguntur Exod. cap. 20: 22. ſ. capp. 21: 22, 23. & inter ea eſt aliquid de Sabbatho deque quiete ſervorum. Exod. 23: 12. Hoc Moſes nunc attexuit, & addidit rationem, quam iſtic non expreſſerat, (uti & alia, hoc demum libro indicata Deut 5. verſ. 29. cap. 18: 18. ſ.) à Deo uſurpatam, qua claudit præceptum. Sed rationem à facto Dei compendio indigitaſſe ſatis habuit, quando ipſi mandato ſubjecit, *Quemadmodum præcepit* &c. Quid enim præcepit Deus, quod hic non indicavit, & quo rejicit, niſi iſtud, *Nam ſex diebus fecit Deus cœlum* &c.? Quæ præceptum & fundamentum Sabbathi continent, & unde colligitur quo die celebrandum ſit, adeo ut nobis quoque obligatio incumbat, æque & magis etiam quam Iſraelitis, quotquot videlicet fœderati Dei ſumus; quo titulo hodie vel maxime æſtimari volumus. Igitur ut ordine agamus, Moſes indicat præcipientem, & præceptum.

1. *Præcipiens* eſt *Dominus Deus tuus.* Supervacaneum iſtud videri queat, cum ſub eo titulo omnia locutus ſit Deus. *Ego ſum Dominus Deus tuus* &c. Sed habet hic momentum ſpeciale. Dominum Deum alicujus eſſe fœderis gratiæ argumentum eſt. Iſtud autem locum habere nequit citra Chriſtum Eph. 2: 12. Atqui de Chriſto & reconciliatione per ipſum, nec non redemtione, Sabbathum loquitur. Fatentur iſtud omnes qui præceptum quartum, vel in totum vel ex parte, cerimoniale eſſe aſſerunt. Quid enim ſunt Cerimoniæ quibus Sabbatum accenſent, niſi umbræ Chriſti, & quarum unus ſcopus eſt Chriſtum demonſtrare venturum in carnem. Sic Col. 2: 16, 17. Siquidem vero Sabbathum Chriſtum deſignat, fœderis gratiæ teſtimonium eſt, & Decalogus fœdus gratiæ complectitur. Hacpropter etiam Sabbathum Domino Deo tuo appropriatur, quia gratia Dei in Chriſto Sabbati religione meditanda & apprehendenda proponitur. Cæterum quia præcipiens eſt Deus ex fœ-

fœdere gratiæ agens, aut quæ eo faciant, Præceptum ipſum nequit eſſe alius indolis.

2. *Præceptum* iſtud petendum eſt ex Exod. 20: 11. ubi præmittitur fundamentum ejus, tum ipſum recitatur.

(a.) *Fundamentum* eſt, *Nam ſex diebus fecit* &c. ſeptimo. Conſtituitur iſtud in Quiete Dei, & iſta in diem ſeptimum mundi defigitur ubique: unde colligendum, cui operi opponatur, & in quo conſiſtat. Opus Dei, quod operando non ceſſavit, eſt productio rei alicujus novæ; & quamdiu aliquid novi addit ejuſdem generis, nondum ceſſaſſe dici poteſt; quamquam poſt quodvis particulare opus finitum ceſſatio quoque particularis ſit, uti poſt omnia generalis. Veruntamen Ceſſatio non excludit, conſervationem & gubernationem, quæ Providentiæ actus ſunt, quia ſine his producta illico relaberentur in nihilum: quamobrem ceſſatio huic operationi providentiæ neutiquam eſt opponenda. Jam Opus Creationis, quo Cœlum, terram, mare & quicquid in illis eſt, de novo produxit, cum nihil horum ante fuiſſet, continuavit Deus per ſex primos dies mundi. Primo quidem Cœlum ſummum abſolvit, fecit terram informem, & lucem: & hanc quidem, quæ opus ejus diei ultimum, vel initio ſtatim, vel ſaltem ineunte die, in hemiſphærio Adami; itaque totis 12 horis ad minimum tunc quievit, conſervans quod produxerat; attamen non dicitur quieviſſe, quia ſeqq. diebus alia nova fuerunt producenda juxto Dei beneplacitum. Sic ſecundo, tertio, quarto, quinto die. Sexto ultima creationis ſeu naturæ opera abſolvit, finemque impoſuit, cum legibus hominum officium circumſcripſiſſet. Eopſe autem momento quievit: nam ante finem ſexti *vidit omnia quæ fecerat, & erant valde bona;* non potuiſſet autem omnia vidiſſe, ſi non jam ceſſaſſet, neque bona probare, ſi adhuc in perficiendis laboraſſet. Attamen non dicit Scriptura eum tunc quieviſſe. Scilicet quia aliud novum opus faciendum fuit, quod in ſeptimum diem diſtulit. Sic Gen. 2: 1. ſ. *Et conſummati fuerunt cœli & terra, & omnis exercitus eorum;* ſex diebus ante memoratis; & tantum perfectionis conſecutæ ſunt creaturæ omnes & ſingulæ, á Deo, quantum dari debuit & potuit, ut tales creaturæ eſſent: adeoque Opera naturæ per Creationem ſunt conſummata. Additur tamen, *Et conſummavit Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecit, & quievit Deus die ſeptimo ab opere ſuo quod fecit.* Eſt hæc conſummatio alia à priore, & hanc excepit quies, non illam: & conſummatio, ac quies ſecuta, pariter ſeptimo diei affigitur. Conſummatio iſta non eſt operum naturæ & creationis, tum enim ſeptem dies numerandi forent creationis: ſed eſt operum gratiæ & redemtionis, quæ ſeptimo diei fecit propria, ne cum operibus naturæ confunderentur. Etenim cum principium mundi ſeptem dierum ſit, (tot enim numerat Moſes, non pauciores, non plures,) in ipſum principium Chriſtus deſigendus eſt; quod non potuit fieri ante approbationem Dei generalem, tum enim nulla Chriſti neceſſitas: factum die ſeptimo, cum in iſto opere Deus finiverit novum opus ultimum. Tit. 1: 2. Vitam æternam Deus ἀψευδὴς promiſit πρὸ χρόνων αἰωνίων. Tempora iſta non ſunt æternitas, etenim quod ante factum eſt ipſam anteceſſerit æternitatem. Neque illud πρὸ ad æternitatem referendum, neque enim tunc promiſſio facta eſt; ſed decretum: atqui hic promiſſio manifeſtationi in exhibitione opponitur. 2 Tim. 1: 9. *datio dicitur*. quod heic promiſſio. Ergo χρόνοι αἰώνιοι ſunt tempora poſt principium; quod ante illa factum heic dicitur, in ipſo principio factum eſt, & tunc gratia data in Chriſto, quando ipſe primum fuit promiſſus per Euangelium. Scilicet perfectis naturæ operibus defecit Diabolus, qui à principio peccat 1 Joh. 3: 8. & ſeducendo Evam, quam Adam ſecutus eſt, (qui à principio venditi Mat. 19: 4.) *factus eſt homicida à proprio* Joh. 8: 44. Sic vero corruptio introducta in mundum fuit, & opus Dei indigum refectionis. Hæc non potuit fieri per naturam. Ita potuerunt corrumpi, qui mutabiles conditi erant, propria voluntate: ſed nequaquam corruptionem à ſe amoliri. Omnipotentia Dei non minus hic requirebatur quam ad primam productionem; ſed omnipotentiæ gratiæ. Hanc exercuit Deus, juxta pactum æternum cum Filio initum: quando orſus exercitium divinarum longanimitatis tolerantiæ & benignitatis ſuæ, maximum opus gratiæ in mundo ſtitit Meſſiam mediatorem & vindicem, qui Semen mulieris factus corruptorem univerſi Satanam ſerpentem antiquum, poſt luctam gravem vinceret, & triumpharet; qui idem mactatus agnus à jacto mundi fundamento (præcognitus ante 1 Pet. 1: 20.) Apoc. 13: 8. in typo primi ſacrificii pelle in veſtes protoplaſtis parata, illis nuditatis tegumentum & acceſſus ad Deum autor exſtitit. Hoc opus Dei novum, gratiæ in Chriſto, ubi abſolviſſet Deus, ipſo in typo & promiſſione patefacto, quievit; nihil enim novum fuit agendum quod heic jam non eſſet definitum: ſolummodo, quæ ceſſationem non abolet, continuatio operum gratiæ deinceps fuit exercenda: atque hæc Ceſſatio Dei ſeptimo diei propria eſt, & fundamentum Sabbathi inſtituendi; cujus inſtitutio. Gen. 2: 23. *Et quievit Deus ipſo die ſeptimo ab omni opere ſuo quod fecit, & benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificavit illum, quia in eo quievit ab omni opere ſuo; quod creavit Deus faciendo.* Diſtinguit heic *factionem à creatione*, & quietem non poſt creationem, ſed poſt creati operis factionem cœpiſſe dicit, & quia hæc quies ſeptimo die cœpit in mundi principio, ei ſpeciatim benedixit, eumque ſegregavit, qui in recurrente periodo reſpondente principio ſeptiduana nempe, ejus beneficii conſummati memoriæ tribueretur. Atque hæc cauſa eſt cur ab eo tempore numerus ſeptenarius conſummatæ expiationis ſymbolum evaſerit, quando ſepties quid ſanguine hoſtiæ adſpergebatur, aut ſeptimo demum die mundabatur aliquis, quod ejus beneficium repræſentaretur, qui die mundi ſeptimo peccatoribus promiſſione patefactus fuit. Sic intelligimus quietem Dei cui ceu fundamento inædificatur Sabbati præceptum.

(b.) *Præceptum* eſt, *propterea benedixit Deus diei Sabbati & ſanctificavit eum.* Inſtitutio Sabbati heic eſt, gemino actu conſtans.

(a.) Benedictio primum beneficium eſt, quod terminatur non in hominem, ut Gen. 1: 28. ſed in diem: non autem contulit ei naturale aliquod bonum, ut vel nullæ in eo ſint tenebræ, vel lux ſolis ſplendidior, vel ut inſitam haberet efficaciam ad alendum aut exhilarandum; ſed ſupernaturale, quod declaratum eſt. Exod. 31: 13--17. Ezech. 20. verſ. 12--20. ut eſſet ſignum inter Deum & Eccleſiam, quod Dominus ſit Deus eorum, per Chriſtum reconciliatus, Sanctificans illos, per Chriſti ſanguinem eos ſegregaturus à reatu, & per Chriſti ſpiritum ſegregaturus à corruptione, & ab omni potentia Diaboli. Mat. 26: 26. ſ. Chriſtus benedixit panem & poculum in S. Cœna, unde Poculum benedictionis. 1 Cor. 10: 16.

(b.) *Sanctificatio* alterum beneficium eſt, itidem diei, quo ſegregatus eſt in uſum memorialem, ut in illo Chriſtus & Dei gratia conſummata in ipſo à credentibus meditatis apprehenderetur ad ſolatium, & ſecuritatem ſalutis.

Eſtque hic obſervanda differentia à Gen. 2: 3. ubi dies ſeptimus benedictus & ſanctificatus, quod primus eſſet, in quo iſtud cœptum: aſt in Decalogo, *propterea benedixit diei, non ſeptimo*, ſed *Sabbati*. Variatio à Deo ſapientiſſimo non ſine cauſa facta eſt. Diei Ceſſationis Deus benedixit, quicunque Quietis divinæ gereret fundamentum, ſive ſeptimanæ poſtremus foret, ſive primus. Fundamentum iſtud eſt Chriſtus conſtitutus triumphator de Corruptore univerſi Diabolo, quando eum exarmavit, ſtimulo mortis peccato, ipſi erepto, quando illud quoque expiavit æternam redemtionem nactus. Quo opere conſummato in promiſſione ejuſque Euangelio, Deus quievit, nihil agens aliud, quam ut continuet quod edidit opus. Hinc itaque dies Sabbati ille eſt, in quo ſiſtitur (obſervata principii periodo, quæ menſura hujus circuli eſt,) Chriſtus triumphator. Factum iſtud eſt ab initio die ſeptimo, quamdiu promiſſione continebatur Chriſtus, neque aliter niſi in ea contemplandus dabatur: quia ſeptimo mundi promiſſio ipſum talem ſtitit Eccleſia, quod beneficium fuit illa tempeſtate ſummum. Sic in V. T. jugiter faciendum fuit. Sed mutandus dies fuit, docente Apoſtolo. Heb. cap. 4. ubi Hebræos de hoc ipſo capite erudit. Monuerat ipſos cap. 3: 1. ſ. ut Apoſtolum & Pontificem profeſſionis noſtræ Jeſum Chriſtum conſiderarent, quo ei obſequerentur, Spiritum Sanctum id mandaſſe dicens. Pſ. 95: 7. ſ. ubi

non audita vox plectenda diceretur excluſione ex requie Dei, uti in deſerto factum fuiſſet. Sed cap. 4. applicationem facit ad ipſos, ut caveant excludi requie, quandoquidem Euangelium ejus etiam nunc prædicetur & fideles etiam nunc ingrediantur. Enimvero ſpecialius declarat quænam ſit requies Dei, in quam hominibus per fidem detur ingreſſus, utique non ea quæ in poſſeſſione Cananææ conſiſteret, cum & antiquior ejus foret prædicatio, & recentior; quam Cananææ promiſſio, quam fruitio. Utpote quæ initio mundi quidem cœperit, uti ſeptimus dies eo nomine ſignatus eſt, attamen cujus mentio fiat. Pſ. 95: 11. ſed de quo dicit, *determinat alium diem certum, Hodie, tum longo poſt tempore dicente Davide, uti dictum eſt, Hodie cum vocem*, &c. atque hic locutum eſſe de alio die. Spiritus Sanctus per Moſen definivit olim diem ſeptimum, ſed idem determinavit longo poſt tempore certum diem, utique non eundem; ſic enim non opus fuiſſet determinatione nova, ſed alium; veruntamen definitum unum factum illud per Davidem. Pſ. 95: 7. de quo dicto jam antea teſtatus eſt Chriſti vocem eſſe, & hinc priſcis & præſentibus idem Euangelium annunciari. Ibi vero dies dicitur Hodie. Cap. 3: 13. id per quotidie explicavit, quoad audiendam vocem; aſt hic certum, determinatum, & alium à priore quietis diem deſignat. Et hinc concludit, *Ergo reliquus eſt Sabbatiſmus populo Dei.* Nova hac voce Σαββατισμὸς comprehendit, quæ dixerat, & quietem, & certum illum diem alium definitum, qui non ſecus ac prior priſcæ Eccleſiæ reſiduus ſit, & proprius. Rationem autem fundamentalem addit, *Qui enim intravit in quietem, idem ipſe quoque ab operibus ſuis quievit, uti à propriis Deus.* Deſignat non fideles, quos pluraliter compellat, verſ. 11. uti verſ. 1, 2, 3. ſed ſingulariter unum aliquem, cujus ingreſſus in quietem cauſa eſt quod populo Dei reliquus ſit Sabbatiſmus, dies quietis certus & alius quam olim: quemadmodum olim quies Dei priſco Sabbato dedit cauſam. Sane is nemo præter eum cujus vox ſonat in Euangelio, quæ non audita fide requie excludit: Chriſtus nempe, is habuit magnum laborem tolerandum, dum ſolvit lytrum Deo, vocatur labor animæ ejus. Eſa. 53: 11. & dum luctatur cum ſerpente, ut eo debellato captivitatem ejus abducat. Luc. cap. 11: 21. Joh. 14: 30. verum ingreſſus eſt in requiem ſuam, ſibi poſt proprium laborem propriam, quando demonſtrato in cœleſti ſacrario ſanguine expiationis, inde dimiſſus eſt ut ſe oſtenderet glorioſum Sacerdotem, nec non triumphatorem de Diabolo qui olim interdiu & noctu accuſabat fratres coram throno Dei, ſed victus dejectuſque eſt. Apoc. 12: 9. ſ. per reſurrectionem à mortuis. Nam nunc ita laborandum non habet, utp. Heb. cap. 10: 12. ſ. una hoſtia oblata pro peccatis conſedit in æternum ad dextram Dei quod reliquum eſt exſpectans, donec inimici ſui, &c. adeoque non amplius moritur, ſed vivit Deo ad gloriam illius. Atque ſic etiam quievit Deus à propriis operibus; quæ fuerunt alia, non expiatio per lytrum non vindicatio per pugnam, ſed Chriſti hæc acturi, & conſummaturi conſtitutio.

Ergo quantum Deus fecit conſummate, Sabbatho priſco cauſam dedit; aſt nunc quod fecit Chriſtus conſummate, Sabbato moderno dat cauſam; & dat cauſam ut prior ceſſet, quandoquidem quod iſtic futurum dicebatur, hic præſtitum repræſentatur. Quies Dei cæpit die ſeptimo, & ille Sabbathum, dum non alia quies quam Dei promittentis. Aſt quies Chriſti die primo, de qua promiſſio fidem faciebat, & hic Sabbatum novum. Quod quidem demonſtrandum eſt teſtimoniis. I. Davidis. Pſ. 118: 22. ſ. *Lapis quem*, &c. Chriſtus ille eſt, jactatus & fatigatus à repudiantibus ſtructoribus, ſed qui factus eſt per reſurrectionem caput anguli. Act. 4: 10. ſ. quietem glorioſam adeptus ut lapis angularis. Atque hoc opus fecit Dominus, qui quod promiſerat præſtitit, & quietem Chriſto poſt laborem dedit. Et quid ſequitur? *Hic eſt dies*, &c. היום (uti Pſ. 95: 7. quod *hodie* redditum eſt זה היום עשה ה׳ hoc Hodie fecit Dominus: quomodo declaravit Hodie, quod determinavit Pſ. 95: 7.) atque hinc gaudium, quod in moleſte laborantes non cadit, & quodnam gaudii argumentum, *Quæſo Domine, ſerva nunc*, &c. *Benedictus* הבא *qui ingreſſus eſt in nomine Domini.* Sabbati diem definit, qui reſurrectionis Chriſti eſt. Bechai fol. 91: 18. Pſ. 119: 97. היום *dicitur de die ſingulari, qui Sabbatum in quo ſe oblectavit meditatione legis.* II. Jeſaiæ. Eſa. 58: 12. *Vocabis Sabbatum delicias propter Sanctum Domini glorificatum.* Loquitur de Sabbato, quod etiam gentibus obſervandum, juxta cum fœdere, ex quocunque populo veniant. Eſa. cap. 56: 6, 7. atque illud Sabbatum, acta quiete ab ordinariis operibus, & abſtinentia religioſiore ab operibus cupiditatum, quæ Diaboli, jubet vocare Oblectationem, ut ad gaudium quale David præcipit, vocare liqueat; & cauſa eadem, Chriſtus excitatus ex mortuis: nam hic eſt *Sanctus Domini*, quod verba poſcunt, quem Pater ſanctificavit, &c. Joh. 10: 36. Sic appellatus Mat. 1: 24. Luc. cap. 4: 34. Sed id non ſufficit, addendum *Glorificatus*, qui in reſurrectione coronatus eſt gloria & honore, poſtquam paulo minor factus fuerat Angelis propter paſſionem mortis. Heb. 2: 9. Itaque dies primus ſeptimanæ uti quietem Chriſti nobis memorandam dat, ita Sabbatum eſt, & Deus benedicens Diei Sabbati non minus hunc, quam ſeptimum benedixit, & ſanctificavit, ut à nobis celebraretur. Sed ita ut nunc loco illius obſervetur. Nam non uterque celebrandus, quia non ait, propterea benedixit diebus Sabbati; ſed diei, ut unus duntaxat ſit feriatus, ſed ut prior poſteriori cedat. Ille Chriſtum quieſcentem in promiſſione propoſuit, eoque venturum, & propterea umbris accenſetur. Quicunque ſeptimum agunt, in umbra omnem voluptatem quærunt, corpus rei præſens non videntes, imo illud videre vel agnoſcere nolentes, quæ Judæorum culpa eſt. Verum Primus dies Chriſtum proponit quieſcentem ipſo facto, exhibitum, & defunctum, ſiſtens nobis corpus ipſum rerum. Eſt dies reſurrectionis Chriſti, qui finem omni ejus operi impoſuit & in quietem ingreſſum dedit. Hic cernere eſt pulchritudinem qualem nullus alius dies habet, utp. quem fecit Dominus, & ſuam ei addidit pulchritudinem. Septimi fuit, quod benedixit illi, & ſanctificavit in mnemoſynon Chriſti poſt laborem quieſcentis in promiſſione: Primi eadem eſt, quod benedixit illi & ſanctificavit in mnemoſynon Chriſti poſt laborem glorificati & quieſcentis, in complemento & rei veritate, *Quies ejus gloria eſt.* Eſa. 11: 10. 8. Cœna dicitur δεῖπνον κυριακὸν, 1 Cor. 11: 20. quia ſymbolis ejus & cerimoniis omnibus benedixit Dominus Jeſus, & ſanctificavit in memoriam ſuæ mortis donec redeat, & dies primus dicitur ἡμέρα κυριακὴ. Apoc. 1: 10. quia huic benedixit Chriſtus ſanctificavitque in memoriam ſuæ reſurrectionis, donec veniat. Solennis habetur annuus dies reſurrectionis Chriſti, quia pulchritudinem habet aliis majorem ex gloria triumphantis Chriſti: ſed eam pulchritudinem homines ei addiderunt; ſed primo cuivis ſeptimanæ Deus addidit decus, cujus inſcriptionem gerit. Hic proinde dies ex præcepto Dei fœderati obſervandus, ne unquam negligentibus adveniat, aut prætereat. Memorialis eſt triumphi Chriſti, non obtinendi, ſed obtenti.

Obſervandus autem ut ſanctificetur. Segregandus eſt ab operibus ordinariis; Chriſtus triumphator maledictionem abolevit, factus exſecratio, ut benedictio Abrahæ exſtaret in gentibus Gal. 3: 14. eoque ceſſandum tunc à labore, ut à maledictione nos per ipſum liberatos ſentiamus. Segregandus ab operibus peccati & Diaboli; nam Chriſtus triumphator abolevit mortem, & vitam atque immortalitatem in lucem adduxit; proinde non amplius mortua opera facienda, ſed quæ vitæ ipſius communionem & efficaciam teſtentur, & ut triumphus Chriſti appareat, qui opera Diaboli deſtruit. 1 Joh. 3: 8. Segregandus ad opera extraordinaria, honorandum Sabbatum loquendo Verbum iſtud, quod ſit Oblectatio propter Sanctum Domini glorificatum; Profitendum quod Jeſus Chriſtus ſit ſegregatus Domini ad opus redemtionis, quodque illo poſt magnum laborem conſummato glorificatus ſit. Et quemadmodum in S. Cœna ſpectatur, & fide memoratur, laborem illum animæ tolerans & mortuus pro peccatis noſtris; Sic in Sabbato primi diei ſeu Dominico ſpectatur & fide memoratur excitatus ad noſtri juſtificationem, & vivens ad conſummate ſalvandum omnes per ſe accedentes ad Deum. Atque hinc lætandum & gaudendum in illo die, quum liceat oblectare ſe in Domino, Eſa. 58: 13, 14. medicatione-

tione impetratæ & demonſtratæ juſtificationis in Reſurrectionis Chriſti memoria. Rom. 4: 25. cap. 5: 1. Sed porro Pſ. 110: 3. *Populus tuus eſt ſpontaneitatum in die roboris, in decoribus ſanctitatis.* Dies triumphi Chriſti roboris ipſius dies eſt, quo ſe contra robuſtum prævaluiſſe & dominatum eſſe oſtendit: atqui tunc populus Chriſti in decoribus ſanctitatis debet excellere, & ſpontaneitatem hic probare; nunquam ſanctitas magis decora eſt; quam in die ſanctitatis Domini. Hoc agendum eſt, & addenda vota, ut quod conſummavit Chriſtus de jure victo & triumphato Satana, idem de facto conſummet; vincat Diabolum, & ejiciat foras tum ex electis ſuis, quo ex hoſtibus fiant populus ipſius, tum ſub electis ſuis ut pedibus ipſorum conculcetur, atque ipſi labore omni conſummate liberati, quieſcant tandem, Sabbatumque agant, non per intervalla, ſed jugiter, æternum illud, ad gloriam ipſius, & ipſorummet ſalutem.

Verſ. 13. *Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum:*

Date Deo, quæ ſunt Dei. Matt. 22: 21. licet alia occaſione dixit Servator, tamen hujus ſententiæ & uſus eſt in argumento præſente de Sabbatho. Equidem omnis Dies Domini eſt, uti etiam nox, fecit ille lucem & ſolem, Pſ. 74: 16. veruntamen inter omnes eſt qui ſingularem habet inſcriptionem Dei. Eſt ille quem Deus benedixit, & quia benedixit etiam ſanctificavit, ut ſibi ob impreſſam notam ſervaretur proprius. Sabbathum nomen illi eſt, ſed quod non quovis die occurrit, verum in quo imaginem quietis ſuæ fixit. De hac diximus ſupra, oſtendimuſque ubi illa exſtet. Etenim ex præcepti quarti propoſitione didicimus, quod ſit tempus aliquod à Deo definitum, dies Sabbathi nimirum; quod in eo aliquid agendum ſit, ut obſervetur quis ſit, atque obſervatus ſanctificetur; quod habeat pulchritudinem & dies, & actio ilta in illo die. Illa pulchritudo eſt Quietis Dei, poſtquam ſtitit Mediatorem Chriſtum, glorioſe triumphantem de Corruptore omnium Diabolo, quem exarmavit expiato peccato; quod ſtimulus ejus eſt, eique captivos ſuos eripuit. Sic eum ſtitit die mundi ſeptimo, ſed in promiſſione ſolum, unde ille dies typus & umbra fuit Chriſti venturi. Sic eum ſtitit die ſeptimanæ primo in rei veritate per reſurrectionem ex mortuis; quocirca hic dies eſt memorialis exhibiti corporis: quemadmodum mutationem illam diei Deus indicavit, quando in argumento à ſuo exemplo non ſeptimum nominavit, ut in prima inſtitutione, Gen. 2: 3. ſed Sabbathi diem: Apoſtolus, Heb. 4. mutationem à Spiritu Sancto definitam declaravit fundamento quietis Chriſti innixam, cujus reſurrectionem Sabbatum novum facere cum ex Davide Pſ. 118. & Eſa. 58: 13. prædictum oſtendimus, tum ab ipſo denominatum, non ſecus ac S. Cœna, Diem Dominicum Apoc. 1: 10. quomodo inſcriptionem habet.

b. Jam dicendum eſt de officio noſtro, quod Domino quoque reddendus ſit, qui ejus habet inſcriptionem. Diſcendum iſtud ex *Modo obſervationis*, quem Moſes verſ. 13, 14. recitat, qui duobus membris conſtat definitione Temporis & Perſonarum obligatarum.

a. Temporis Definitio jam facta eſt, quando diem Sabbathi dixit, Diem deſtinatum ceſſationi; unde liquet non omnes eſſe, ſed ex omnibus unum huic quieti deſtinatum. Sed inſuper ex eo quod Moſes hic omiſit, & verbis, *Sicut præcepit Dominus Deus tuus*, indicabit, exemplo Dei edocti ſumus, quem nam ille exordialem habuiſſet ſuæ quietis, tum in promiſſione, tum in præſtatione: quodque iſti diei benedixiſſet, eumque ſanctificaſſet ſub nomine Sabbathi. Verum in Decalogi promulgatione, antequam rationem iſtam attexeret, indicavit, quis circulus foret dierum unde unus iſti quieti tribuendus eſſet, quod etiam Moſes hac in repetitione indicavit; Sex diebus &c. Unde in genere diſcimus.

Sabbathi dies in circulo ſeptidui unoquoque obſervandus eſt. Hanc periodum dictat Deus ipſe. Sex dies numerare jubet, & tum *ſeptimum*, qui Sabbathum: quo finito non octavum, nonum, decimum &c. Sed tunc denuo inchoandus numerus ſex dierum, quos rurſum excipiat ſeptimus Sabbathum futurus. Sic in exemplo Dei ſe habet dierum periodus; in principio fuerunt ſeptem dies, non plures nec pauciores, quorum ſex quietem perennaturam non habuerunt, ſed ſolum ſeptimus. Principium autem, quòd ſeptidui fuit, prima eſt menſura principiati per ſeptimanas numerandi. Hæc periodus commendatur Ezech. 46: 1. poſt ſex dies operis numeratur Sabbathum. Atque hoc modo obſervatur iſta periodus apud Judæos, Turcas, Chriſtianos, quamvis Sabbatha differentibus ab invicem diebus celebrent. Obſervandum iſtud eſt, quia ſunt qui periodum illam ſeptem dierum non amplius putant locum habere, ſed in arbitrio Eccleſiæ eſſe qualem circulum placeat ſtatuere cœtibus ſacris habendis, ſive ille contractior ſit ſex aut quinque dierum, ſive laxior decem, viginti, triginta dierum. Atqui Deus ſeptiduanam dixit, & principii memoriam hoc ipſo commendavit. Non eſt arbitrii humani hic quicquam mutare. Numerus iſte convictioni eſt mundum non eſſe æternum; ſeptiduanus circulus novitatis ejus & originis Symbolum eſt. Et quemadmodum Creatorum meminiſſe debemus inde à diebus juventutis Eccl. 12: 1. & ita ad extremum vitæ, ut etiam moribundi Deo Creatori commendemus animas noſtras 1 Pet. 4: ult. Utique mnemoſynon creationis non eſt nobis negligendum. Cumprimis Eccleſiæ homines cavere ſibi debent, ne quid hic agant alienum à Dei definitione, ἐθελοθρησκεια damnata eſt Col. 2: 23. & mandatis hominum tranſgrediuntur præcepta Dei. Matt. 15: verſ. 3. 6. Solvitur unum de præceptis Dei, aut ſaltem pars ejus; contra quam fieri ſinit Chriſtus Matt. 5. 19. aut corrigitur, aut Eccleſiæ datur poteſtas legiſlativa: quæ tunc ſe extendet ad temporum moderamen, quod Deo Zebaoth proprium manet. Dei enim eſt definire tempora, & qui ipſius definitionem non ſequitur, in obſervatione temporum non Deum colit, ſed ſervus eſt hominum. Hebdomadarium circulum ſtatuit Deus ſpeciali etiam titulo in Eccleſia; ut heic minime omnium inde ſit recedendum.

Obj. Receſſum utique eſt; nam non obſervatus circulus, cum Sabbatum promiſſi & exhibiti Chriſti ſociatum fuit non intercurrente ſexiduo alio. Dies reſurrectionis immediate ſecutus eſt Sabbatum priſcum. Reſp. I. Deus ita ordinavit, uti ex determinatione Spiritus ſancti Apoſtolus oſtendit Heb. 4: 7. ſ. Eſt autem Deus ſupra ſuas leges, quas non ſibi, ſed homini fixit. Sic juſſit liberos honorare patentes, & tamen laudantur Levitæ, qui ne quidem à parentum cæde abſtinuerunt Deo jubente Deut. 33: 9. Potuit ergo Deus alium diem priori ſubſtituere, aut ſaltem numerandi ordinem mutare, ut cum quietis dies ultimus fuiſſet, jam foret primus, & cum gratiæ donum ultimo loco datum eſſet in promiſſione, tunc memoraretur; aſt nunccum primo die præſtitum primo quoque celebraretur. II. Joſ. cap. 10. Sole ſubſiſtente per integrum diem bidui lux fuit continuata citra violationem ordinis dierum; ſic quies Dei in promiſſione & præſtatione continuata, ſociavit duos illos dies, ut prior exoleſceret; adeoque & nunc manet circulus hebdomadis idem, niſi quod quies eum inchoet nunc, quæ olim finivit, & clauſit.

Sed jam in ſpecie ſeptiduum iſtud diſtribuitur atque negatur Sabbatum de ſex continuis, affirmatur de uno poſt ſex alios numerando, quomodocunque ſe habeat.

(1.) *Negatio* eſt de ſex diebus, verſ. 13. תעבד *ſervies*, ſervile opus *perages*, *& facies omne opus tuum.* Sunt hæc verba mandati non ſecus ac ſeqq. de Sabbato, non facies in eo opus ullum. Adeoque.

Quodvis ſeptiduum debet habere ſexiduum continuum laborioſum. Verba præceptive concepta ſunt & jubent laborem. Repetitur ſic præceptum in principio datum de labore. Conſtituit Deus homines in horto Eden, ut eum *colerent* לעבדה & *cuſtodirent.* Idem vocabulum eſt עבד quod hic occurrit, & alterum habet parem emphaſin, מלאכת *opus* ad quod quis miſſus eſt, B. **ſijn bootſchap/commiſſie:** ſub iſta conditione immiſſus fuit in paradiſum. Ad hoc opus tenetur homo ſemper, etiam poſt lapſum ſub Dei longanimitate tolerantia & benignitate. Gen. 3: 23. עבד etiam hic eſt ut cap. 2: 15. Nulla hic conceditur remiſſio, Pſ. 104: 23. *Sole oriente homo egreditur* (in miſſione ſua, uti Sol Pſ. 19: 6, 7.) *ad opus ſuum, & ad laborem ſuum uſque*

ad

ad veſperam. Obligatio hominis integri & lapſi eadem eſt, quamquam immane diſcrimen ſit laboris ad quem obligatur. Integri labor meræ voluptatis fuit, citra omnem moleſtiam aut fatigationem: lapſi vix quicquam habet voluptatis, nunquam caret moleſtia & fatigatione, utpote qui gerit characterem maledictionis divinæ, uti ille benedictionis geſſit. Attamen non magis lapſus declinare laborem poteſt, quam integer. Et Deus quando Eccleſiæ privilegium quietis conceſſit, tamen de cætero laborem exercitum voluit, eaque propter diſerte laborem ſex diebus continuandum ipſo Decalogo mandavit. Qui proinde labori vocationis uniuſcujuſque tribuendi ſunt, ad quam quiſque millionem, ut ita loquar, habet. Peccat contra diſertum mandatum Dei, qui ſibi ignavi otii licentiam ſumit: contra colit Deum qui illis diebus operatur. Nam uti unum diem vocavit *quietis* diem, ſic ſex reliquos ששת ימי תעשה *Sex dies operis* Ezech. 46: 1. In ſtatu integritatis fuiſſet obſequium & cultus Dei, labor exercitus juxta mandatum Dei, ſic quoque in ſtatu peccati: & quemadmodum iſtic voluptas quæ comitabatur, ſtimulus fuit ad opus, ſic quoque nunc moleſtia ſi non ſtimulus eſt, ſaltem impedimentum eſſe non debet, utpote cum patientia ſub Dei manu obſequii etiam ſit teſtimonium & ſe ſubducere velle citra ejus voluntatem, nova inobedientia. Glorificatur enim Deus, quocunque obſequio. 1 Cor. 10: 30, Quod ubi Deus definivit, non noſtræ ſapientiæ eſt illud variare: λόγῳ σοφίας in ἐθελοθρησκείᾳ incrementum addit ad carnis ſatietatem procurandam Col. 2: 23.

Quæritur. Annon ergo licet diem ex operoſis quieti deſtinare ſacræ? Reſp. Omnino, Deo ſic exigente. Eſa. 22: 12. quando Deus immittit extraordinaria judicia vocat ad fletum &c. & tum indicendum jejunium Joel. 2: 15. cap. 1. verſ. 14. Hujuſmodi indictum ſæpius, 2 Chron. 20. Jer. 36. Eſa. 58: 3. Ezr. 8: 21. Similiter tempore extraordinariæ benedictionis indicta fuere gaudia publica, in templi inauguratione 1 Reg 8. & ejus repurgatione 2 Chron. 30. de victoria 2 Chron. 20: 26. Quanquam annua jejunia aut feſtivitates annuas non reperiamus ab Eccleſia inſtitutas ſtante templo primo. Humano conſilio cœpit jejunium quarti, quinti, ſeptimi & decimi menſis, Zach. 8: 19. ſimiliter feſtum Purim Eſt. 9. & Encæniorum Joh. 10: 22. quod tamen Chriſtus quoque ſervaſſe videtur, ſaltem ingreſſu in templum, quæ quotidiana ejus occupatio. Eſt tamen differentia inter ceſſationem quam homines, & eam quam Deus imperavit. Pulchritudo cultus ſemper eſt, ſed heic divina eſt, iſtic duntaxat humana: & ſi hæc major habeatur quam illa, non colitur Deus ſine offenſa: quod fit quotieſcunque feſta humanæ inſtitutionis majoris fiunt, quam Sabbatum Dei: licet aliter fiat, & futurum ſit, Sabbato proximo eam æſtimationem non habituro apud plurimos, quam poſtridianas Natalitiorum; qui eopſe ἀκυρῶσι mandatum Dei per mandatum hominum. Longe gravius autem peccant Pontificii, qui tot feſtos Dies faciunt, & ab imperato labore homines abſtrahunt ad ceſſationem idololatricam; cum ipſorum feſta hominibus ſacra ſint. Otium agitur in honorem illi, qui à maledictione liberare poteſt, cui labor noſter ſociatus eſt. Poſſuntne autem iſtud homines defuncti, vel ulla creatura? Verum ipſi cum jam ſatisfactionem, jam interceſſionem iis adſcribant, haud mirum, quod honorem ejus beneficii, quietis nempe, ipſis tribuant: eopſe ſacrilegi, qui Deo rapiunt quod ſuum eſt, & legibus ipſius contraria mandant. Peccatur illis diebus otiando: quamquam qui in portis idololatrarum vivunt, cogantur publice labore abſtinere, privatim tamen merito laborent; aut ſi neque id liceat per violentiam perſecutorum, lugent ob violationem mandatorum divinorum Pſ. 119: 136. & uſurpant illud tempus ad Deum colendum vitato profano otio.

Quæritur rurſum. Liceatne diebus operis indicere conciones? & an eodem modo ad eas frequentandas obſtringantur, ac diebus Sabbati? R. Licet utique indicere tales conciones, ſed citra obligationem. Deus obſtringit ad laborem, nequit ordinarie quis obſtringi ad ceſſationem. Involaret etiam in jus Dei, qui ex ſex operis diebus unum conſtanter pari religione ac Dominicum vellet celebrari. Cultus Dei habet decorem; ſed quibus diebus Deus ordinavit laborem; Decus majus eſt in labore ſuo tempore divinitus imperato, quam in ceſſatione, tempore non ſuo, humana exceptione. Vocatio cujuſvis tribuit illi millionem; in ea debet diebus operis primum occupari, ſed occupari cum eo propoſito, obediendi Deo mandanti, ut glorificet Deum 1 Cor. 10: 30. Atque tunc dum laborat, colit Deum. Contra peccabit, ſi neglecto labore frequentet templa. Enimvero ſi quis ſic ordinet opera vocationis, ut maturiori diligentia ea obeat, & quemadmodum ſubinde ad maturiorem ceſſationem ſic ad exercitia publica cultus ſibi horam unam atque alteram parcat, non peccat ille, ſed laudem meretur. Conciones ſeptimanariæ preces quotidianæ mane & veſperi publicæ, aliaque exercitia religionis, ſe habent ut ſacrificium juge in templo, cui libere aderant præter Sacerdotes illius ἐφημερίας, quotquot vellent, & quibus integrum: nemo autem obligabatur ut adeſſet, reatum contracturus, ſiquidem emanſiſſet. מקרא קדש non dicebatur, quam diebus Sabbati, & aliis à Deo inſtitutis. Et tamen merito culpantur, qui otium invenire poſſunt ad frequentandas cauponas, ad conſortia prava, ad praxin peccati, cum de occupatione quærantur quoad frequentationem Concionum. Pſ. 112: 5. *Qui Deum timet, moderatur res ſuas ex officio.* & Eph. 5: 15. ſ. qui ambulant ἀκριβῶς ut ſapientes, redimunt tempus inprimis ut proficiant intellectu voluntatis Dei.

Verſ. 14. *Dies vero ſeptimus ſabbathum eſt Jehovæ Deo tuo, ne facias ullum opus, tu, aut filius tuus, aut filia tua, aut ſervus tuus, aut ancilla tua, aut bos tuus, aut aſinus tuus, aut ullum jumentum tuum, aut peregrinus tuus qui* eſt *intra portas tuas, ut quieſcat ſervus tuus & ancilla tua ſicut tu:*

Verſ. 15. *Et memineris te ſervum fuiſſe in terra Ægypti, Jehovam vero Deum tuum eduxiſſe te inde manu forti & brachio extento: idcirco præcepit tibi Jehova Deus tuus ut obſerves diem ipſum Sabbathi.*

(2.) *Affirmatio* eſt, verſ. 14. de Sabbatho: *Sed ſeptimus dies eſt Sabbatum* &c. ubi deſcriptio diei, & mandatum ceſſationis in eo.

(a.) *Deſcriptio* dicit quod ſit I. *Septimus dies*, nempe poſt illos ſex dies operis. Fuit ille initio Septimus ſimpliciter ad ſimilitudinem Septimi mundi: & ſic deinceps quamdiu Septimi illius actio fuit fundamentum Sabbati. Verum cum ex determinatione Spiritus S. alius dies primus nempe acceperit fundamentum Sabbati, propter actionem Chriſti triumphantis, primus ille venit nobis celebrandus. Eſt autem iſte quoque poſt ſex dies operis proximus eoque ſeptimus; ſi ab illis numeretur; quamvis alias ſit primus ſeptimanæ. Sic poſt ſex dies operis Sabbatum ſuccedere dicitur Ezech. 46. verſ. 1. II. *Sabbatum* quietis dies: à ceſſatione nomen ſortitus, de quo dictum jam eſt, & porro dicetur, quando explicabitur mandatum. III. *Domini Dei tui*, ſeu potius ליהוה אלהיך *Domino Deo tuo.* Non ſignificat tantum autorem diei Sabbati, qui eum inſtituit, ſed qui in inſtitutione ſpectatur. Inſcriptio eſt diei, *Sabbatum* eſt non ignavi otii, ſed *Sabbatum Domino Deo tuo.* Otium Domino Deo tuo. Tria dicta rem explicabunt. Exod. 31: 13. 17. Ezech. cap. 20: 12. 20. *Sabbata mea obſervabitis, nam ſignum eſt inter me & filios Iſrael, quod ſim Dominus Deus ipſorum, ſanctificans eos.* Sabbatum *Domini Dei* eſt, quia ſuum vocat à ſe benedictum & ſanctificatum: ſed etiam *Domino Deo tuo*, quia ſignum eſt Dominum Deum fœderatum tibi eſſe, & quidem qui meram gratiam exercet, Dominus Deus ſanctificans. Nulla conjunctio hominis cum Deo quia reus eſt, filius iræ natura: & quot inſuper reatus totâ vitâ cumulantur; neque etiam quia corruptus eſt, cujus omne figmentum malum eſt à pueritia omni tempore: ſegregandus eſt ab utroque malo reatus & corruptionis; quod ſibi ipſi præſta-

re

re nequit, neque ulla creatura alia; ſed iſtud Sabbatum Domino Deo tuo eſt, ſanctificationem iſtam ſeu ſegregationem & poteſt & vult peragere. Nemo alius eſt hic quam Chriſtus, qui Dominus Deus ſuorum ad liberationem Hoſ. 1: 7. qui ſe ſanctificavit pro ſuis ut ſancti ſint Joh. 17:19. Heb. 10: 14. ſic Eph. 5:25, 26. Tit. 2:14. Alter locus eſt Eſa. 58: 13. Vocandum Sabbatum. *Oblectatio propter ſanctum Dominum glorificatum.* Nemo alius hic quam Chriſtus excitatus ex mortuis, & glorificatus triumphator, qui ingreſſus eſt in requiem ſuam labore ſuo defunctus, ut non minus ipſius quies hic memoranda veniat quam exercenda propria. Tertius Apoc. 1:10. Domino eſt, qui à Domino denominatur. Appropriatur ſic Chriſto, & Chriſto quieſcenti & glorificato, & quod confecit opus continuanti & applicanti. Quis non æſtimet hunc diem; *Qui Dominum Jeſum Chriſtum non amat, ſit anathema Maran atha* 1 Cor. 16:23. & qui ipſum amat, non poteſt non amare, quæ ipſius ſunt, imo quæ ipſi ſunt, ipſius memoriæ honori deſtinata. Si amas κυριακὸν δεῖπνον, amanda etiam κυριακὴ ἡμέρα: utraque habet inſcriptionem Chriſti, utraque imaginem illud mortis, hæc reſurrectionis ipſius: neque tantum mneməſynon ipſius præbet, ſed etiam ſecuritatem in nobis operaturum, ut reſurrectionis ejus & vitæ conformitatem experiamur.

Eſa. 56: 12. *Sic ait Dominus: Obſervate jus, & exercete juſtitiam; nam proxime ſalus mea ventura eſt, & juſtitia mea revelanda.* Eſt hæc vox Chriſti publicantis inſtantem ſalutem & gratiam quam allaturus erat. Sed mox addit, *Beatus mortalis qui fecerit eam, & Filius hominis qui præhenderit illam.* Reſpicit iſtud tum antecedentia, & facere pertinet ad cuſtodiam judicii, & factionem juſtitiæ. Aſt apprehendere eſt fide amplecti ſalutem & juſtitiam Chriſti & Chriſtum cum iſtis bonis, tum ſequentia, quæ ſunt demonſtratio iſtius factionis & apprehenſionis; nam illud facere & apprehendere eſt *obſervans Sabbathum, ne profanet illud, & obſervans manum ſuam ne faciet ullum malum.* Duo ſunt quæ poſtulat Chriſtus propter inſtantem ſuam redemtionem Marc. 1: 15. in ſua prædicatione; *Expletum eſt tempus, & appropinquavit regnum Dei: reſipiſcite & credite Evangelio.* Eadem dicit inſtare ſalutem, & eadem poſcit reſipiſcentiam & fidem. Illam quidem cuſtodiendo manum ab omni malo. Iſtam v. obſervando Sabbatum. Heic ergo fidei exercitium eſſe debet, & fidei in Chriſtum, ejuſque ſalutem. Fatentur iſtud Judæi, Sabbatum de Meſſiæ adventu docere affirmantes; ſed major iſtis Eſaias id docet Eſa. cap. 58: 13. Judæis eapropter Sabbatum commendans: atque etiam Gentibus Eſa. 56: 6, 7. hac conditione in montem & domum Domini habent admiſſionem, ut intrent in gaudium Domini ſui. Habet ergo Sabbatum in ſe Evangelium Chriſti, adeoque Chriſtianis præ cæteris debet eſſe commendatum. Quod in ipſo Decalogo indicatum eſt, quando inſignitur hoc titulo. *Sabbatum Domino Deo tuo.* Heic fundamentum fœderis, Heb. 13: 20. *Deus pacis magnum illum Paſtorem ovium per ſanguinem pacti æterni ex mortuis reduxit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Quod Deus pacis ſit (qualis in fœdere ſit, neceſſe eſt,) id debemus Chriſto glorificato per reſurrectionem ex mortuis: tunc enim peccata fuerunt expiata, ira Dei exſtincta, ademta diabolo accuſatio abolito reatu, ſubmota condemnatio juſtificato Sponſore. Atqui talem repræſentat Chriſtum Sabbatum priſcum in umbra & promiſſione, noſtrum in corpore & veritate. Si quæ religio Sabbati olim nunc eadem & multo major eſſe debet. Deus ipſis olim fœderatus ob Chriſtum venturum, nobis ob exhibitum & omnia exſecutum, Nec falſum, nec inutile etiam axioma eſt reſpectu noſtri. *Sabbatum eſt Domino Deo tuo. Chriſtus Filius hominis Dominus Sabbati eſt.* Marc. 2: 28. Ipſe glorificatus eum diem facit, & qui ſalutem Chriſti amplectuntur, Sabbatum eapropter obſervant. Sic poſcit Deus qui modum obſervationis deſcribit: *Non facies ullum opus.* Sabbatum quietem notat, utique ab opere. Quodnam autem illud eſt? *Omne opus?* ab omni abſtinendum, nullum omnino faciendum, ſcilicet illius generis, quod ſex diebus operis imperatum eſt: quando dictum, *ſex diebus laborabis* &c. *at Sabbato non facies ullum opus iſtiuſmodi.* Opus aliorum dierum eſt vocationis particularis, ad quod unuſquiſque miſſus quodammodo eſt, ut proprium ſit, & ſub cujus exercitio panis fruitio datur. Dicitur aliquando מלאכת עבודה *opus ſervile*, conjungendo utrumque τὸ תעבד & *facies* מלאכתך; ſed quod ſufficit, interdictum etiam ſolummodo unum nomen מלאכה adhibetur. Quotidianum opus agendum eſt ad parandum victum nam *qui non vult laborare ne comedat* 2 Theſ. 3: 10. eoque pertinet ad ſuſtentationem naturæ, ut qui in eo occupatus eſt, opera naturæ exerceat, eſtque in eo aliqua ſimilitudo cum exemplo Dei, qui ſexiduum impendit producendis naturæ operibus. Verum Sabbato ab iis abſtinendum, quando non tam quod naturæ conſervandæ facit curandum eſt; ſed quod pertinet ad acquirendam & augendam gratiam: quemadmodum Deus ſeptimo die gratiæ opus conſtituit in Chriſto Jeſu, quam tum dedit per Euangelium, vitamque æternam promiſit. Sic quæ Deus diſtinxit, diſtincta manent juxta ejus mandatum, & cavetur quod plurimum damni dat in Eccleſia, ac ſaluti hominum obeſt, operum naturæ & gratiæ ſociatio & mixtura. Verum ut plenius intelligatur à quibus operibus abſtinendum ſit, notaſſe opere erit pretium, quod alias dictum laborem in ſe non habere vitium, utpote quem mandavit Deus, qui peccatum non jubet: & mandavit homini integro, quando utique nihil vitioſi in mundo fuit. Imo ne nunc quidem in ſtatu poſt lapſum in labore vitium eſt, alioquin ab eo omnibus foret abſtinendum omni tempore. Ad hæc uti in labore non eſt malum culpæ, ita neque malum pœnæ, quæ nequit habere locum per juſtitiam Dei, niſi anteceſſerit culpa: & quod eodem redit, non adeſt labori ex ſe & ſua natura malum vel turpe, vel etiam triſte. Sed habet labor poſt lapſum ex maledictione Dei conjunctam moleſtiam, ut cum ſudore & fatigatione multa conjunctus ſit vires hominum frangens, eoſque paulatim quaſi depaſcens, ad convictionem primæ inobedientiæ, inſuper eodem fine accedit ex eadem maledictione Dei terræ ſterilitas, ut, illi invitæ quaſi extrudenda ſit alimonia, & cum dolore de ea comedendum ſit. Quia tamen neceſſaria omnino eſt eſca, ad ſuſtentationem corporalis vitæ, hujus amor, quia ejus duratio ad tempus eſt incertum homini, ſtimulat ut difficultatem iſtam non tantum tolerent homines, ſed etiam affectent, & ubi ipſis augeant & geminent moleſtiam, quo abundantius habeant, quod parcius terra ſubminiſtrat; quæ cura vitium habet, & ipſum laborem reddit vitioſum. At enim citra hoc vitium, quod ſollicitudo hujus vitæ dicitur Luc. 8: 14. cap. 21: 34. Labor omnis aliquid triſte in ſe & incommodum habet, & convictionem facit naturalis & hæreditarii reatus. Jam quia Deus omnis gratiæ & ſalutis, promiſſæ olim & tandem conceſſæ, cujus memoria ſabbato agitur, voluerit fœderatos ſuos guſtum aliquem conſequi beneficii per Chriſtum parati, jubet abſtinere à labore, non propter laborem ipſum, quo ignavum otium & ἀεργίαν ceſſatio foret obſequium & cultus Dei, ſed propter conjunctum maledictionis ſenſum, qui comitatur laborem; ut eo careant, qui Chriſtum benedictionis autorem habent glorificatum, quomodo objectum eſt meditationis ſabbathicæ Eſa. 58: 13. Atque hinc facile eſt definire laborem Sabbatho omittendum; ut viciſſim quiſnam illo die prohibitus non ſit, imo etiam imperatus.

Non facies ullum opus, intelligitur de omni illo, in quo notæ evidentiores ſunt ad convictionem reatus & maledictionis divinæ: neque enim congruunt illi diei, quando gloriamur Chriſtum nos à reatu & maledictione liberaſſe & contrariam benedictionem contuliſſe. Cujuſmodi ſunt. I. agricultura & quæ eo faciunt, arare, ſeminare, metere, in horrea convehere, triturare, &c. Gen. 3. verſ. 17, 18. maledicta terra propter te: cum dolore comedes proventum ejus omnibus diebus vitæ tuæ, ſpinam & carduum proferto tibi. Quicquid ergo operis ruſtici eſt, quicquid hortenſis plantare, putare, inſerere &c. quia ſic quæritur terræ proventus, Sabbato intermittendum eſt. Exod. 34: 21. ſex dies operaberis, & ſeptimo quieſces: *in ipſa aratione & meſſe quieſces.* Si quis prætendat, captandas eſſe oportunitates tempeſtatis, ſiquidem Dominico non pluat, ut tunc agatur quod neceſſarium eſt: non dat iſtud licentiam. Iſraelitis in tribus feſtis fuit adſcendendum Hieroſolymam, maribus omnibus, majoribus 13. annis: & Deus promittit, nemo populorum deſiderabit terram

ram veſtram, dum adſcenditis ad apparendum coram facie D. Dei tui, ter quotannis. Exod. 34: 24. Sic obedienti Deus dabit aliam oportunitatem; aut faciet ut illi non noceat incommodus aer, aut ſi faciat etiam eſurire, tentabit an velit quis eſſe obediens ipſi Deut. 8: 2. ſ. II. Labor difficilis & moleſtus, ſudorem & laſſitudinem ciens, Gen. 3: 19. Sudor vultus. Sic portare onera, quod interdictum. Jer. 17: 21. ſ. addita promiſſione conſtantis felicitatis obedientibus, & comminatione ignis vaſtantis omnia obſtinate inobedientibus. III. Cura & labor ordinarius de parando victu, & quæ ad vitam naturalem ſuſtentandam ſunt neceſſaria Gen. 3: 17--19. *cum dolore comedes*, &c. *in ſudore vultus tui veſceris cibo tuo.* Adeoque quodvis opus vocationis ordinariæ, quo quis ſe familiamque alit, aut in futurum alturus eſt, artes mechanicæ, mercatura, functiones mercenariæ, & omnis ſollicitudo vitæ intermittenda eſt. Hinc Sabbato non data fuit manna, ne colligendi labor foret, qui unicus pro victu in deſerto, & prohibita omnis emtio, venditio, etiam circa eſculenta Neh. 10: 31. capit. 13: 15. IV. Itinera, quibus quis removetur à cœtu Eccleſiæ. Maledictionis fuit quod Kain ejectus fuit à facie Dei, Gen. 4: 12. & vagari cogeretur: & deprecandum habemus ne fuga noſtra fiat Sabbato Mat. 24: 20. Verum enimvero licita ſunt Itinera Sabbati ſanctificandi gratia ſuſcepta, quando quis longius abeſt à loco conventuum ſacrorum, tum proſperis, tum adverſis temporibus ſub perſecutione, atque tunc etiam jumentis, plauſtris, navibus & miniſteriis eo facientibus licite utimur 2 Reg. 4: 22. ſ. & Paulus Sabbato egreſſus eſt ad flumen ubi piorum conventus agebatur Act. 16: 13. Licita etiam opera miſericordiæ, etiam quæ dilationem ferrent, & faciunt ad levandos alios afflictione quæ ex peccato & maledictione originem trahit, ægrorum cura, per medicos, pharmacopœos, chirurgos, domeſticos; uti Chriſtus ſanavit Sabbato ægrotos, qui etiam in poſtridianum diem potuiſſent differri. Captivorum, ægrotantium, lugentium qui in cœtum venire nequeunt, viſitatio & ſolatium. Licita quoque imo neceſſaria ſunt Opera miſericordiæ quæ dilationem non ferunt, ad removendam deſtructionem magnam aut violentam. Incendii reſtinctio, Aggeris obſtructio, defenſio urbis & caſtrorum, & oppugnatio hoſtium: famelicorum cibatio, qui alioqui defecturi fuiſſent, & quæ huc faciunt opera molere & coquere panes, mactare pecudes: liberatio periclitantis in aqua aut igne, etiam pecudis: Obſtetricatio, Etenim regula hic valet, *Miſericordiam volo & non ſacrificium* Mat. 12: 7. & quod extra controverſiam ponit Chriſtus Luc. 6: 9. *licetne Sabbatis benefacere vel malefacere? hominem ſervare, an perdere?* & Hebræorum canon eſt, *Periculum vitæ pellit Sabbatum.* Neceſſitas quoque, licet non æque magna, poſcit Lactationem & curam infantum; Jumentorum curam ſubducto lacte & pabulo ſuppeditato: militaria opera in obeundis vigiliis, defendendis magiſtratibus, & ad eorum dignitatem tuendam, in cuſtodia ſacra ad Sabbati profanationem cavendam. Item itinera longiora terreſtria & maritima, quæ abſolvere ante Sabbatum non licet, & miniſteria eò facientia, Hoſpitumque peregre venientium receptio, ad neceſſaria referenda veniunt, quemadmodum exemplis ſanctorum probari poteſt.

Opera Sabbato imperata ſunt quæ ad ſanctificationem ejus faciunt, & opera gratiæ in nobis aliiſve promovenda Opus ergo prorſus Sabbaticum eſt Miniſtrorum Eccleſiæ; illorum quidem Miſſio eſt, cui ſex diebus vacare debent ut ſe functioni iſti parent; inſtandum habent lectioni, adhortationi, doctrinæ; meditari jugiter verbum Dei, & ex eo erudire alios opportune & importune, refutare, increpare, hortari, omni cum manſuetudine, & aſſiduitate. Veruntamen nunquam magis laborandum ipſis & ſudandum quam Sabbato; quod quidem notiſſimum eſt. Sic Sacerdotes die Sabbati plus laboris habuerunt obeundum, quam aliis, & de iis Servator ait, Sacerdotes in templo Sabbatum profanant ipſo Sabbato & inſontes ſunt, Mat. cap. 12: 5. Hæc tempora captarunt Chriſtus & Apoſtoli, ut tunc in Synagogis docerent. Eſt enim iſte labor neceſſarius, ad Sabbati ſanctificationem, utpote erudiens homines de Meſſia reſtituente omnia, ejuſque reſtitutione: quam ſine prædicante nemo ſcire, credere, aut profiteri poteſt. Rom. 10: 14. Quo etiam revocatur labor Diaconorum in colligendis Eleemoſynis, & qui ad ordinem & cultus decus aliquo modo facit. Iſta enim omnia pertinent ad ſanctificationem Sabbati; quemadmodum in ordinibus hominum aliis omnibus, frequentatio cœtus ſacri, cum Sabbatum & ſanctuarium ſocientur. Lev. 19: 30. auſcultatio dum legitur & explicatur Scriptura Act. 13: 15--27. cap. 15: 21. Sacramentorum uſus, cum circumciſio & paſcha Sabbato ageretur, quemadmodum & baptiſmum Act. 16. verſ. 13. ſ. & S. Cœnam cap. 20: 7--11. tunc adminiſtratam legimus. Profeſſio fidei, invocatio Dei, cantus; eleemoſynarum largitio pariter publica Sabbati exercitia ſunt. Quæ etiam ſua ratione privata eſſe debent: cum Sabbatum in omnibus fœderatorum habitationibus ſit celebrandum. Lev. 23: 3. Sabbatum eſt Domini in omnibus habitationibus veſtris.

Si jam inſpiciantur mores hominum, unde initium faciemus, & ubi inveniemus finem querelarum de Sabbato operibus interdictis profanato. Loquitur res ipſa, neque quisquam diffiteri poteſt, ſiquidem iſta omnia ſint obſervanda. Sed excuſatio in promtu eſt, hæc Judaica eſſe, quibus rigor fuerit quietis. Verum facile eſt reſpondere. Fuiſſe quædam Judæis obſervata, quæ rigorem habent majorem, ſed nullum horum ejuſmodi eſt: & alia ab inſtituto hominum fluxerunt; eoque ne quidem fuerunt illis, nedum nobis interdicta. Præparatio ciborum vetita non fuit Exod. 16: 23. Sabbatiſmus, Sabbatum ſanctitatis domino eſt cras, quod cocturi eſtis coquite, & quod elixaturi eſtis elixate, & omne quod redundat, relinquite vobis in cuſtodiam uſque in craſtinum. Non dicit reſiduum de cocto, ſed de crudo, unde in præſentem diem ſumſerant, quod coquerent. Præterea Exod. 12: 16. de Sabbatis feſti plurium dierum (quod hebdomadario æquatur:) *nullum opus fiat in eis, veruntamen quod comedendum erit omni animæ, illud ſolum parabitur:* & Servator hinc jubet jumenta aquatum ducere. Luc. 13: 15. & cum liceat bruto, an non etiam homini licebit parare victum? Aſſatio agni paſchalis Sabbato fuit licita, imo neceſſaria. Convivia Sabbatis inſtituta lautiora, quibus Chriſtus interfuit. Diſcipuli Chriſti ſpicas vulſerunt, & fricarunt Sabbato, quæ præparatio, & locis frigidioribus æque neceſſarii cibi calentes, quam cibus ipſe: cum jejunium illo non imperatum, imo non conveniat ejus oblectationi. Accenſio enim ignis vetita quidem. Exod. 35: 3. ſed non abſolute, cum ad Sacrificia & agnum paſchalem foret neceſſarius, eoque etiam ad coctionem ciborum, verum cum reſpectu ad tabernaculi ſtructuram, ut ex Exod. 35. & 31. collatis patet, Hypocriſis damnatur, ſi quis ſub prætextu colendi Deum velit violare ejus præceptum: quemadmodum Belgæ notant, etſi opus tabernaculi celerrime debeat perfici, tamen die Sabbati in eo non laborabitis. Mortis pœna indicta operanti, ſiquidem contra hortationes feciſſet, quod elatæ manus peccatum eſt, uti in exemplum hujus recitatur illud ligna colligentis. Num. 15: 32. ſ. quæ cauſa quod Chriſto non fuerit eapropter mors irrogata, quia accuſatus licet, monentes convicit legitimæ actionis, adeoque crimen elatæ manus à ſe amolitus eſt. Iter Sabbaticum traditionis eſt. Deus juſſit. Exod. 16: 29. *manete quisque loco ſuo: ne exeat ullus è loco ſuo die ſeptimo:* non ſimpliciter ſic nemini domo, lecto egrediendum eſſet, ſed ad colligendam mannam: uti textus docet; unde concludere eſt, non eſſe prodeundum ad laborem pro victu, uti aliis diebus, comparando. Eſt ergo nullum horum (quamvis prætexatur, (verum alia cauſa, quæ homines à ceſſatione alienos reddit. Mal. 1: 13. *Quæ fatigatio*, dicebant olim de cultu: ſic quoque hic, fatigatio eſt agere ea quæ ſanctificationis, magis quam quæ quotidianæ operæ. Col. cap. 2: 23. λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας qui in ἐθελοθρησκείᾳ ſpectatur, ἀφειδίᾳ σώματος commendat, ſed ſic ſatiatur caro, & corruptio. Si attendatur ratio ſapientiæ divinæ, longe aliud ſtatueretur. Immunitas à ſenſu maledictionis divinæ ob memoriam aboliti per Chriſtum reatus ejuſmodi beneficium eſt, ut ejus fruitio ſummopere æſtimanda conſectanda ſit. Iſta eſt in otio Sabbatico. Qui fœderatus Dei eſt, & ejus habet privilegium, nulla ratione ſibi ejus fruitionem pa-

patietur eripi. Non opus hinc homini mandato magistratus, aut pœnis earumve metu ad cogendum quo abstineat. Nihil efficacius proprio solatio. Non otium est quod spectat pius, qui labore ordinario quoque, Deo se obsequi novit; sed est otium à sensu maledictionis: Christus triumphator abolevit peccatum, & hujus reatu abolito nulla maledictio habet locum: consummatam abolitionem Sabbato, die resurrectionis ejus meditatus, eopse fructum in se ipso videt. Rom. 8: 1. Profecto qui nobis mandat otium, ut molestia ex maledictione careamus, quando Christum ad nostri justificationem resuscitatum meditamur, eopse nobis gustum & securitatem dat immunitatis à condemnatione, iis nempe *qui in Christo Jesu sunt*, per fidem, quæ sola hoc beneficium videt, & apprehendit. Verum additur *qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum.* Etenim qui Spiritum Christi non habet non est ipsius, vers. 9. Carnem qui sequuntur, non habent jus in beneficia Christi: illis non est datum Sabbatum, non concessum privilegium otii, quamquam ad id cogantur ne aliis scandalo sint; Satius est operari in ordinario labore, quam otiari ad carnis obsequium. Equidem cum dicitur, non facies in eo opus ullum. Carnis opera non intelliguntur; Interdicuntur enim opera quæ sex diebus non licita tantum, sed etiam imperata sunt. Atqui opera carnis, peccata, nunquam sunt licita, nedum imperata: neque in eo proprie vertitur otium Sabbaticum, ut quis à peccatis abstineat. Semper abstinendum hic est. Veruntamen nunquam minus ea licent, nunquam sunt turpiora præterquam Sabbato. Esa. 58: 13. Abstinendus pes à Sabbato, ne prodeat quis tunc in viam suæ vocationis ordinariæ; sed multo magis abstinendum à factione suæ voluntatis, à voluntatis carnis & cogitationum exercitio. Eph. 2: 3. quia dies sanctitatis Domini. Vult Deus illo se demonstrare Deum sanctificantem populum suum, ut à reatu & corruptione magis magisque segregentur. Sed an cum ista actione Dei congruit, ut quis tunc velit augere reatus? ut quis se velit polluere? *An manebimus in peccato, ut gratia amplior fiat? absit.* Rom. 6: 1, 2. *an Christus minister peccati factus est? absit.* Gal. 2: 17. Sabbatum est *oblectatio propter Sanctum Domini glorificatum*, qui semel peccato mortuus est, & eo expiato vivit Deo: an velles hoc hie eum de novo crucifigere? aut saltem crucifixionis novam causam dare? imo v. ut glorificatus agnoscatur opera danda ut in nobis vivere deprehendatur. Nemo Christum potest dicere pro se suoque loco mortuum, nisi qui eum in se vivere sentit.

Fidei actus potissimus est appropriatio. Habet ea notiam beneficii, habet assensum, sed si nihil ultra accedat, non erit fides salvifica. 1 Tim. 1: 15. Sed quid hæc fides profuisset Paulo, nisi adfuisset illud, quorum ego potissimus sum, sed mihi misericordia facta est, & 2 Tim. 1: 12. Creditur ad animæ salutem Heb. 10. v. ult. sed justus ex sua fide vivit. Rom. 1: 17. Uti nemo vivit aliena manducatione, sed propria; sic neque aliena, sed propria fide. Sigillatim cuique apprehendendus est Christus, qui Christi ejusque beneficiorum vult esse particeps. Sabbathum, dies Christi est, Domino Deo nostro sanctificanti suum populum; Domini Sancto glorificato, Dominica Dies. Christum unum nobis commonstrat excitatum gloriose ex mortuis; uti S. Cœna Christum unum nobis proponit pro nobis datum in mortem. Sine speciali fide Christi nemo rite celebrat Dominicam Cœnam, qua sibi beneficium mortis Christi sigillatim apprehendit & applicat. Sine speciali fide Christi nemo rite celebrat Sabbatum Dominicum diem nostrum, qua sibi Christum excitatum, & beneficium resurrectionis ipsius sigillatim apprehendit & applicat. Quamobrem necessarium est, ut quivis fœderatus Dei, qui sine Christo id esse nequit, (qui sine Christo, idem est sine fœderibus promissionis, & sine Deo in mundo. Eph. 2: 12.) specialem habeat religionem Sabbathi. Esa. 56: 6. peregrini adjungentes se Domino ut ei serviant, & ament nomen Domini, & ei sint servi, observant Sabbatum ne id profanent, & retinent fœdus Dei. Cætera officia fœderis actiones poscunt, Sabbatum postulat fidem in Christum. Sabbatum vetus septimi diei fuit umbra futurorum, bonorum, quorum corpus est Christus. Col. 2: 16, 17. & in omnibus typis Christi fuit necessaria fides. Sabbatum novum primi diei est memoriale exhibiti corporis, Christi resuscitati, unde Dominicus dicitur: atque hic quoque necessaria est fides: nemo potest Sabbatum dicere oblectationem propter sanctum Domini glorificatum, nisi per fidem, quæ corde concepta hanc parit professionem oris. Hæc causa est cur sigillatim enumerentur qui fœderatorum hic debeant in exercitio Sabbatico occupari: sive quousque extendi oporteat cessationem imperatam ad fidei applicantis testificationem.

β. *Personæ* enumeratæ complures sunt, sed ut conjungantur etiam quæ hujus observationis & sanctificationis Sabbaticæ sensum aut fructum non habent, ut non propter singulos qui numerantur sed potissimum propter unum, patrem familias, sive propter omnes hujus ordinis id fiat. Hactenus & deinceps in Decalogo Deus loquitur numero singulari, unum affatus, adeoque unumquemque majorennem, qui per ætatem intelligere poterat, quemadmodum tales in fœdere repetendo inter contrahentes numerantur. Neh. 10: 28. cæteri vero qui sub ipsius potestate sunt illius relinquuntur & commendantur curæ: quod hic evidens, cum quotquot alii recensentur præter ipsum, ipsius dicantur, & ipsi commendentur, ut eos curet. Habemus itaque hic numeratos. I. quemvis fœderatum. II. quæ fœderati sunt. III. qui aliquatenus eum attinent.

1. *Fœderatus* quisque: *Tu* Sunt enim conditiones fœderatis observandæ, quæ recitantur, & quarum una de Sabbato agit. Quisquis in fœdere censeri vult, Sabbati religione tenetur. Cuivis horum dicitur, *Observa diem Sabbati*, ut inter alios dies eum agnoscas, & hoc fine ut eum Sanctifices, juxta exemplum Dei: Ad observationem facit ut sex dies continuos numeres, & qui tum sequitur septimus, cum attendas, ad Sanctificationem facit, ut cum sex illi dies successive fuerint impensi operi ordinario, septimus ordine segregetur & ab illo opere immunis sit, neque impendatur exercitiis, quæ ad victum quærendum juxta vocationis propriæ rationem solent & debent suscipi, & in quibus naturæ conservandæ datur opera: quæ cessatio est Sabbatica, cum interim Sanctificatio ulterior poscat ea exercitia, quæ gratiæ sunt consentanea, & ad augendam ac roborandam vitam Dei faciunt. Etenim. Mat. 12: 5. Sacerdotes in Sabbato profanant Sabbatum & insontes sunt: quia licet opera quæ faciunt in se molestiam habent, eoque sub interdictum veniunt, tamen cum finis eorum non sit vita naturalis, sed supernaturalis, ut immunitas à reatu & damnatione, nec non reconciliatio cum Deo, & communio significetur & confirmetur, ad quietem pertinent ab operibus maledictionis characterem habentibus & sanctificationis ad opera, Sabbato propria, referuntur. Ista autem ratio de Sacerdotibus extendenda venit ad omnes fœderatos, ut ad Sacerdotalia opera obstringantur. Etenim quando invitati fuerunt ad fœdus, hæc dicitur prærogativa concedenda, *Eritis mihi regnum Sacerdotum* Exod. 19: 5. ut cuivis foret sacerdotale munus domi suæ, unde & libertas altarium ubicunque struendorum Exod. 20: 24. s. quod tamen jus post ipsorum stipulationem ad unum Aaronem ejusque familiam restrictum fuit Exod. 28: 29. & post μοσχοποιίαν primogeniti Israelitarum ab omni accessu ad altare prohibiti, substitutis Levitis, Num. 3. Ezech. 20: 26. At enim restituuntur Israelitæ per Christum ad illud privilegium, ex promissione. Esa. 61: 6. *vocabimini Sacerdotes Domini, & dicemini ministri Dei nostri*; & complementi. 1 Pet. 2: 9. *vos* (Judæis scribit) *estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitus*: sed ut Sacerdotii exercitium describatur, vers. 5. *vos estis Sacerdotium sanctum ad offerendas spirituales hostias, Deo acceptas per Jesum Christum.* Quas Paulus ad eosdem describit, Heb. 13: 15. s. Per ipsum Christum, semper offeramus Deo sacrificium laudis hoc est fructum labiorum, confitentium nomen ipsius: neque obliviscimini beneficentiæ & communicationis; nam in hujuscemodi hostiis Deus habet beneplacitum. Hæc ergo si exerceantur sacerdotalia opera, Sabbati cessatio non violatur. Quæ gentibus fœderatis pariter incumbunt, quia itidem sunt benigni Dei pangentes fœdus super sacrificio. Ps. 50: 5. Christi nimirum, pro ipsis ob-

lato Eph. 5: 2. & cujus obſignationem habent in S. Cœna, 1 Cor. 11: 25. & Sacerdotes ſunt Domino Deo per Chriſtum Apoc. 5: 9, 10, qui proinde ſe Deo ſiſtere debent hoſtiam vivam, ſanctam, beneplacentem, in cultu rationali Rom. cap. 12: 1. Hoc opus omnino Sabbato faciendum, & ut fieri queat tanto commodius, abſtinendum ab opere vocationis ordinariæ, quod vitæ præſentis ſuſtentationem ſpectat. Adeoque cuivis fœderato hæc cura debet eſſe commendatiſſima: ut fœderis rationem ſe habere demonſtret. Quocirca toties Sabbatum ex cæteris præceptis eximitur, & ſigillatim commendatur. Ezech. 20: 11, 12. & 19, 20. Neh. 9: 13. ſ. Eſa. 56: 2. 4. 6. & Judæi affirmant Sabbatum æquiparari cæteris omnibus præceptis. Quocirca Deo placuit poſt mandatum recitatum cum emphaſi fœderatum quemvis obſtringere, *Non facies* &c. *Tu*. Quod quidem cuivis noſtrum quoque dictum eſt, ſiquidem Decalogus nos attinet, (nam *quod Deus conjunxit, homo ne ſeparet*, Matt. 19: 6.) imo cum Sabbatum mutatum habeamus à ſeptimo in primum diem tranſlatum, tanto magis; quo majus eſt beneficium quod poſſidetur in re, quam in ſpe. Nam cui plus datum eſt, ab eo plus poſtulatur Luc. 12. verſ. 48. Fœdus olim à Deo ſancitum erat in Chriſtum Gal. cap. 3: 17. Ille venturus, & hoſtia futurus erat pro peccato ut conciliarentur. Sed nunc quis intentabit crimina? &c. quis ſeparabit nos à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Rom. 8: 33. ſ. Dominica Dies eſt Sabbatum noſtrum, opus Domini in eo agamus, non operemur in eo cibum qui perit, quo vita corporis fovetur, ſed cibum qui manet in vitam æternam, quam filius hominis dat; nam hunc Deus Pater obſignavit. *Opus Dei eſt, ut credamus in eum quem ille miſit.* Ipſe panis vitæ eſt, ad quem qui venit, non eſuriet, & qui in eum credit, non ſitiet unquam Joh. 6: 27. 29. 35. Sic poterimus nos oblectare in Domino, qui ſatiabit nos hæreditate Jacobi. Eſa. 58. verſ. 19.

2. *Quæ fœderati ſunt, Et filius tuus* &c. Tres hîc ſunt claſſes (a.) *Liberi*, filii & filiæ; intelliguntur autem proprie minorennes: nam majorennes, qui בר מצוה *filius præcepti*, proprio titulo obſtringebatur, adeo ut compelletur horum quivis voce *Tu*. Sed minorennes, quales fuerunt χωρὶς νόμου Rom. 7: 9. qui nondum ad omnia & ſingula obſtringebantur ſub iiſdem pœnis, utpote nondum ad annos diſcretionis progreſſi. Hi paterna autoritate cohibendi erant ne quid operis agerent. Cum enim à primis annis debeant adhiberi ad opus aliquod, & via ipſis vocatio aliqua ſit aſſignanda, illique ipſi ſint initiandi Prov. cap. 22: 6. Utique non minus initiandi ſunt quieti ſabbaticæ. Sic erudiendi fuere in Paſchate de religione iſtius feſti Exod. cap. 12: 26. ſ. Et moris fuit apud Hebræos, ut filii anno ætatis duodecimo, uno ante majorennitatem ſuam, ducerentur à parentibus Hieroſolymam, ut omnem cultus rationem & viderent & exercerent; proximo ſub comminatione maledictionis ad eum obligandi: quod etiam circa Jeſum duodecennem obſervatum legimus Luc. 2: 42. ſ. Eſt vero ratio alia ex fœdere petenda. Gen. cap. 17: 7. ſ. Deus Abrahamo & poſteris ejus dedit fœdus hæreditarium, *Ego ero tibi in Deum & ſemini tuo poſt te.* Et ad confirmationem voluit circumciſionem exerceri erga filios octiduanos. Hoc ritu infantibus nihil dicebatur qui omnium circa ſe factorum ignari erant, ſed parentibus, quibus obſignabatur jus hæreditarium fœderis, & obſtringebantur ut ad eam conditionem filios educarent, ut adulti aſſentirentur, & quod in ſe olim factum eſſet probarent, fœduſque ipſimet etiam apprehenderent. Sic ergo cum minorennibus liberis agendum fuit quoad Sabbatum; curandum ut ceſſarent, ut privilegium Sabbathi fœderale in hæredibus fœderis locum habere facerent, & eopſe in fœderis ſucceſſionem enutriri oſtenderent.

Quod utinam inter nos magis obſervaretur. Illud, *vobis & liberis veſtris facta eſt promiſſio* etiam Gentiles attinet Act. cap. 2: 39. nam hinc liberorum, etiam uno parente Chriſtiano editorum ſanctitas 1 Cor. 7: 14. hinc baptiſmus infantum ut parentibus hæreditarium fœderis jus obſignetur. Deberet itaque parentibus curæ eſſe ut minorennes liberi ad Sabbati debitam quietem adſtringerentur, ut in iis quoque aliqua fœderalis beneficii initia conſpicerentur. Sed quantopere dolendum eſt id prorſus negligi. Obſervatur quidem ut ceſſent ab ordinariis laboribus ſuis, ſed tum maxime indulgetur eis ut faciant opera mundi & Diaboli. Nullus dies huic magis exoſus quam Sabbatum, utpote *dies Sancti Domini glorificati*, (ſub quo titulo, Sancti Dei Chriſtum agnovit Marc. 1: 24. Luc. 4: 34. Dominicus Dies, eoque propter illam fundatam inimicitiam inter ſe & Semen mulieris, Chriſtum tunc maxime opus ſuum promovere ſtudet, ad cujus deſtructionem filius Dei manifeſtatus eſt ut quo die memoria triumphi Chriſti agitur, ſe victorem vel ſaltem efficacem in liberis inobedientiæ oſtendat, & non victum penitus. Inde eſt quod in filiis inobedientiæ tunc maxime operetur, ut Sabbatum profanent, Ceſſationem facientes ab opere Chriſti, ut curent non tantum carnem ad cupiditates, ſed cupiditates carnis belligerantes contra animam. In otio à laboribus ordinariis die Sabbati plus peccatur, plerunque ebrietate & intemperantia, profanatione nominis Dei, & iis factis quæ ſub homicidio, adulterio, furto, falſo teſtimonio comprehenduntur, quam ſex cæteris diebus, qui in opere vocationis honeſto eos detinent. Heic vero pueritia egregie exercetur, quam cætera ſatis indiſciplinatam, videre eſt die Sabbati effuſam in omnem proterviam, luſus, aleæ, chartarum, blaſphemiarum, clamorum inconditorum, idque in publico, circa templa, & in illis ipſis; adeo ut ceu diabolo commodati à parentibus diſcurſatione & vociferatione obſtrepant concioni, ut impediant loquentem, & aures audientium avertant. Quis tales credat eſſe liberos fœderatorum Dei, & fœderis hæredes, & non potius viperinam progeniem, quæ æternæ condemnationi paratur & ſervatur? Eſt hæc culpa parentum, qui eopſe docent, quam parum æſtiment fœdus Dei hæreditarium. cujus contemtus uti edunt profeſſionem, quando in baptiſmo infantum ſuorum pudet præſentibus eſſe, & ſe fœderatos dicere, qui fœdus hæreditarium ſibi publice, coram multis teſtibus obſignatum velint: ita quoque negligunt ut in liberis videant privilegium Sabbati demonſtratum. Sabbatum N. T. eſt dies illa quam fecit Dominus, Chriſto per reſurrectionem conſtituto in caput anguli Act. 4: 10. ſ. Pſ. 118: 22. ſ. tum vero gaudendum eſt, & dicendum *Hoſianna, benedictus qui venit* ſeu *ingreſſus eſt in nomine Domini.* Hæc vox gaudentium audita olim fuit à turba comitante Chriſtum, Matt. 21: 9. verum etiam audita à pueris in templo clamantibus, *Hoſanna filio Davidis* verſ. 15. Utinam ſic quoque fiat à noſtris, in templis; ut omiſſa omni profanatione Sabbati ſanctificatio etiam in pueris reperiretur, & fieret illud, *Ex ore infantum & lactentum præparaſti laudem*, Deo corda & linguas puerorum ſanctificante. Sane ſic liceret nobis polliceri, quod in Pſ. 8: 3. dicitur fore fundatum robur, fundationem eam jactam quæ indies novo robore augeretur, adeo ut magna bonitas & magna pulchritudo Chriſti juvenes & virgines faceret loquentes.

(b.) *Famulitium*, ſervus & ancilla. Intelliguntur non Hebræi, hi enim æque fœderati erant ac herus, & pari jure tenebantur; ſed peregrinæ originis, ſive in bello capti, ſive ære emti, ſive domi nati. Hiſce Sabbatum erat agendum, quia in fœderatorum familia degebant. Voluit Deus tales circumcidi Gen. 17: 12. ſ. ut ſegregati agnoſcerentur, adeoque in quibus non tolerandum quicquam quod alienum erat à religione. Adeo cautum Deus voluit, ne quid in domo fœderatorum fieret quod fœderi adverſaretur, aut fœderatis ſcandalo eſſe poſſet. Inter Chriſtianos ejuſmodi ſervos non habemus: ſed mercenarios duntaxat qui ſui juris ſunt. Veruntamen qui tales domi aluntur abſtinendi ſunt à labore ordinario, præterquam qui ad alimoniæ paratæ præparationem facit, nec non ad corporis curam neceſſariam, inprimis à profanatione ab omni eo quod religioni pietatique adverſum eſt, ut nec diabolo ſerviant tunc nec idolis, qui cultus uterque domo fœderatorum eliminandus eſt.

(c.) *Pecudes*. In Exodo eſt בהמתך B. uw groot bet/ quod ad opus aliquod faciendum adhiberi poteſt. Hic præmittitur inſuper *bos & aſinus*. Scilicet cum aliquæ tribus jam adeptæ eſſent hæreditariam poſſeſſionem, domos & agros, plus erat operis agendum, quam in deſerto, & ſpeciatim boves ad aratrum & trituram, aſini ad onera adhibebantur, ſe-

ſequentibus etiam temporibus poterant equos & camelos conſequi; aut ſi quod aliud foret jumentum operi faciendo aptum; cujuſmodi plura ſunt opera. His jumentis quoque fuit otiandum. Cauſa eſt: quia vix poteſt opus ſuum agere, quando manus hominis accedat rectrix; quæ jam conſtricta eſt. Sed alia adhuc eſt potior. Bruta non ſecus ac cætera creatura, ſubjecta ſunt vanitati propter hominis peccatum, adeoque ſervitus ipſorum quam homini debent, moleſtiam multam habet & fatigationem. In hac cernitur quoque *dolor ille manuum noſtrarum propter terram, cui maledixit Dominus* Gen. 5: 29. Liberationem inde præſtabit Chriſtus, & quando conſummabitur ipſius gloria in piis quos cohæredes habet, ut manifeſtetur gloria filiorum Dei, tum etiam creatura vindicabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei: quam conditionem exſpectat creatura capite exſerto, & nunc interim ſuſpirat, & parturit, Rom. 8: 18. ſ. Itaque quo die Eccleſia celebrat victoriam Meſſiæ triumphatoris, qui maledictionem abolevit, non tantum debent pii otium agere à labore ſuo, ut à ſenſu maledictionis ſint immunes & ſentiant beneficium Meſſiæ: verum etiam in brutis debet obſervari ceſſatio, ut fruantur guſtu aliquo futuræ quam anhelant liberationis à ſervitute iſta, quam non propter ſe, ſed propter hominem tolerant, & inprimis ut videant fideles in illis imaginem reſtitutionis omnium, quam Chriſtus procuravit, & ſuo tempore efficiet. Hæc eſt ratio quietis Sabbaticæ in jumentis, quam fidelis paterfamilias ſibi non adimere debet. Sed argumentum iſtud Sabbaticæ meditationis & ſpectaculum conſummatæ redemtionis Chriſti omni ſtudio obſervare. Non animadvertunt illud plurimi, qui otium jumentorum ſubinde non aliter intuentur, quam jumenta non conſiderantes mandatum Dei, & minus adhuc Sabbati beneficium & privilegium. Sed quemadmodum Iris multos non magis movet quam beſtias; cum tamen fidelibus in memoriam revocet promiſſionem Dei poſt ſacrificium bonæ fragrantiæ à Noacho oblatum, de diluvio non amplius inducendo terræ. Fides videt quod oculus corporis non videt, & hinc præſtat, quod alii ne quidem concipere poſſunt. Quod etiam heic locum habet.

Quæſt. Nulla hîc mentio uxoris, cum tamen in præcepto decimo inter eos qui familiæ ſunt recenſeatur. Reſp. Vel deſignatur ſub nomine patrisfamilias ſeu cujuſque majorennis vel omittitur ob peculiares illas calamitates, quibus ſexus muliebris ſubjectus eſt, Gen. 3: 16. Hinc enim ſæpe impeditur, ut ſabbaticam ceſſationem cogatur omittere, ut & ea quæ ad ſanctificationem publicam faciunt; moleſtiæ, geſtationis, partus, lactationis aliæque affines. Hacpropter videtur uxor præterita, ne conſcientia ejus ſauciaretur; ſiquidem non poſſet jugiter uti maritus omnia obire. Sic Hanna abſtinuit à feſto, dum Samuel lactabatur 1 Sam. 1. verſ. 22. ſeq. Cæterum cum mulieribus hîc aliquid indultum ſit, commendandæ veniunt mulieres nuptæ, quod frequentes imo viris frequentiores ſæpe in cœtu Dominicis diebus compareant, & mares pudefaciant.

3. *Qui fœderatum attinent. Peregrinus qui in portis tuis eſt.* Hic eſt proſelytus juſtitiæ, perfectus; nam ille fœderatus quoque, ſed domicilii, qui religionem veram non eſt amplexus, adeoque ad leges ejus non obligatur. Sabbatum Eccleſiæ datum eſt, qui ad eam non pertinent, non habent jus in Sabbatum, quatenus beneficium & privilegium dicit. Peregrinus itaque non agit Sabbatum; attamen debet abſtinere ab opere vocationis ordinariæ, uti bruta ab opere, is ſcilicet; qui in portis tuis eſt ſub tua juriſdictione. In portis exercebantur judicia, & portæ illorum ſunt: qui iltic regimen habent, in omnes incolas ſive urbis, ſive agri circumjacentis. Tales peregrinæ religionis homines, qui inter Iſraelitas, rerum potientes, vivebant, abſtinendi erant ab opere. Evidens autem eſt ratio, nempe ut exemplo non nocerent aliis, ut vel eos imitarentur, vel per eos ſuum facerent opus. Peccandi exemplum vel inſtrumentum eſſe vitioſum quoque eſt; & qui ipſi ſua religione non impediuntur ab ejuſmodi actione, à Magiſtratu fideli cohibendi ſunt. Quemadmodum fit circa publicum peregrinæ religionis exercitium exemplo nociturum. Cæterum ſi quis fuerit in portis aliorum peregrinorum, quamquam ipſe ceſſare debeat, non tenetur, quod neque poteſt, peregrinos ad ſimilem ceſſationem cogere. Iſraelitæ ſi in Tyro aut Zidone viverent peregrini, non habebant à Tyriis Zidoniiſque poſcendam quietem; ſed hoc poterant, ſi hi venirent in Judæam Neh. cap. 13: 16. ſ. Magiſtratus hîc monendi ſunt officii: ipſorum eſt moderari illos qui in portis ſunt, cavere debent, ne Sabbato fiat opus, non à peregrinis alienis, à religione, & multo minus ab iis qui profitentur religionem. Non permittendum, ut opera ruſtica, mechanica fiant, opera portentur, imo merces venum exponantur, ſive omnibus ſive aliquibus diei horis. Sabbatum eſt Domino: quod Sabbato proprio jejuniorum, interdictum volunt, non eſt permittendum Sabbato Chriſti, Exemplum laudatiſſimum eſt Nehemiæ, qui id cavit Neh. 13: 15. ſ. & gravis exhortatio, Jer. 17: 20. ſ. *Sic ait Dominus* (ad reges Judæ, & totum Judam, & habitatores Hieroſolymæ:) *Cavete animabus veſtris, ne Sabbato ferantur onera, aut faciatis opus. Si audiendo audieritis, per portas has ingredientur reges & principes ſedentes in throno Davidis, vecti curribus & equis ipſi & viri Judæ, & incolæ Hieroſolymæ, & hæc urbs habitabitur in æternum. Sin, accendam ignem in portis, qui abſumet palatia, neque extinguetur.*

c. Addendum paucis, quod Moſes huic præcepto adjecit, Iſraelem ſolum ſpectans. *Ratio*, illud eſt, quam ipſis commendat ex quiete famulitii ducta. Hanc inculcat in fine, verſ. 14. *ut famulus & famula tua quieſcat uti tu.* ſic mandatum ſpeciatim Exod. 23: 12. *Sex diebus facies facienda tibi, ſed die ſeptimo ceſſabis, ut quieſcat bos & aſinus tuus, & reſpiret filius ancillæ tuæ & peregrinus.*

Ratio ipſa habetur, verſ. 15. *nam cogitabis te ſervum fuiſſe in Ægypto* &c. *propterea* &c. In Ægypto Iſraeli ſervitus fuit dura, labor continuus, nulla remiſſio, ne quidem religionis ergo ceſſare licuit, unde ſuſpiria ipſorum & gemitus graves Exod. 1:2.5. Erant ſub poteſtate tyrannica aliorum. Deus omnipotente virtute eos inde exemerat, quia Deus ipſorum erat, ergo non debebant ſervos ſuos habere ut ipſi fuerant habiti; *Quod tibi fieri non vis, alteri non facito.* Non recordaris ejus conditionis, quin tyrannidem Ægyptiorum deteſteris, tuamque miſeriam æſtimans beneficium Liberatoris Dei prædices: adeoque non exercenda ſimilis tyrannis, & par miſeria tuis ſervis infligenda, ſed debent etiam iſti liberationis tuæ habere aliquem guſtum.

Rurſum; cum Deus te exemerit ſervituti illi, quæ Sabbatum omne impediebat utique libertas ipſa debet obligare ne ullum Sabbatum negligas. Nobis iſtud ſerviat, cum antea ſub tyrannide Antichriſtiana non ſerviendum fuerit hominum mandatis, & idololatriæ multiplici, Sabbati nulla fere religione, nunc liberati Dei beneficio Sabbatum Domino ſervemus. Liberati quidem tenemur ſervire Deo omnibus diebus vitæ Luc. 1: 74. ſ. Sed etiam Iſraelitæ tenebantur Deut. 16: 3. attamen eſt dies Sabbati peculiaris, ut olim Sic etiam nunc Heb. 4: 9. Hunc obſervemus memorialem liberationis, in reſurrectione Chriſti obtentæ, die reſpondente, donec redemtio conſummata æternum nobis Sabbatum afferat.

Verſ. 16. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, quemadmodum præcepit tibi Jehova Deus tuus: ut prolongentur dies tui, & bene ſit tibi ſuper illam terram quam Jehova Deus tuus dat tibi.*

ב. Hactenus fuerunt quæ ſolum Deum ſpectarent; nunc ſequuntur quæ homines. Horum ea ratio eſt, & ſeries, ut primum ſpecialia recitentur, ad extremum Generale, decimo præcepto.

a. *Specialium* unum ſpectat, inæquales, quintum præceptum; cætera æquales.

a. Inæqualium officium eſt in præcepto quinto, ubi I. mandatum eſt II. rationes perſuadentes.

a. Mandatum eſt, *Honora patrem tuum, & matrem tuam:* ubi de Quibus, Quid mandet venit conſiderandum.

1. *Perſona* de Quibus, ſunt *Pater & mater* uniuſcujuſque, cui loquitur Deus: quas deſcribere ſupervacaneum

neum est. Sunt illi à quibus vitæ originem habemus non futuri homines nisi ipsorum beneficio. Duo homines in mundo fuerunt, mas unus, & una fœmina, qui creatione fuerunt introducti in mundum; cæteri omnes generatione. Act. 17: 26. ex uno sanguine factum est totum genus humanum. Unus Christus solam matrem habuit, conceptus & partu editus à muliere: sed non genitus à viro, utpote editus juxta promissionem & vi istius. Semen solius mulieris. Homines alii & patrem & matrem habent; qui licet sint tantum parentes carnis, non spiritus, utpote cum Deus sit pater spirituum Heb. 12: 9. qui format spiritum in medio cujusque Zach. 12: 1. & facit unicuique suam animam Jer. 38: 16. sunt tamen parentes hominum, quandoquidem in principio Deus addixit concursum providentiæ suæ in conjunctione maris & fœminæ, tam inter bruta quam homines, ad generationem similis cum gignentibus: quem concursum suæ providentiæ etiam post lapsum continuavit: unde est, ut quemadmodum bruta, quæ ante lapsum hominis sine vanitate genuissent, postquam propter hominem subjecta sunt vanitati, non gignunt nisi cum vanitate; sic quoque homines, qui integri integros genuissent, nunc corrupti non nisi corruptos gignant. Gen. 5: 3. *Adam genuit filium ad imaginem & similitudinem suam*, non tantum quam acceperat in creatione imaginem & similitudinem Dei, sed quam post lapsum habebat, partim amissam, partim vitiatam. Hi parentes primum designantur, neque quisquam est qui hanc relationem tanquam ad superiores non habeat.

2. *Mandatum* est כבד *honora*, à כבד *gravis*, *ponderosus fuit*; uti contrarium קלל *levis fuit*, in Pihel *maledixit*, quemadmodum enim maledictio fructus est vilipendii, sic honos sequitur æstimationem, & ejusmodi æstimatio est honoris omnis principium vel compendium. Maximum æque ac primum beneficium est nasci homines, & natos educari. Quicquid eximium aliquis habet in mundo, abinde fluit, sine hoc impossibile futurum. Nemo foret homo sapiens, nisi prius fuisset homo; sic nemo dives & potens. Reges & principes non forent, nisi homines fuissent nati: imo nemo foret filius Dei, hæres futuri seculi, nisi homo fuisset genitus. Adeoque hacpropter maxima debet esse æstimatio parentum. Esa. 45: 10. *Væ dicenti ad patrem, quid gignis? & ad fœminam quid paris?* qui parentes viliter habent, quia non genuerunt ad possessionem bonorum & honorum; quibus cum post demum potiti sunt, parentes ceu indignos negligunt. Væ ingratis illis qui vitæ autores vita indignos credunt, quod suæ dignitati non sint æquandi. Prov. 30: 17. Oculum irridentem Patrem, & contemnentem obedientiam matris corvi torrentis effodient, & pulli aquilæ comedent. Sed honor iste non solum æstimationem habet, verum etiam reverentiam, ut gestu & sermone testetur quanti eos faciat, & superioritatem illorum naturalem agnoscat & profiteatur. Hebræi volunt exprimendum esse aliquatenus honorem quem Deo debemus, uti ille solus est habendus pro Deo & quavis occasione profitendus, ut gloriæ quis sibi ducat eum agnovisse, neque alium ei societ, sic quoque parentibus tribuendus honos. Inter homines summus, neque quisquam inæqualium in paritatem ejus æstimationis admittendus. Et uti nomen Dei non vane usurpandum; ita neque parentum, quos pariter nomine proprio ne quidem compellare deceat. Sed insuper Parentibus debetur sustentatio, siquidem egeant, & ministeria, quæ servus præstaret; Mal. cap. 1: 6. *Filius honorabit patrem & servus dominum suum: quod si pater sum, ubi honor meus, si dominus, ubi timor meus?* Honor idem ab utrisque poscitur & timor æque à filiis Lev. 19: 3. ministerium item Mal. 3: 17. *uti pater parcit filio, servienti sibi.* Paulus Obedientiam dicit Col. 3. vers. 20. *liberi parentibus obedientes estote in omnibus.*

Atque hic æquantur Pater & Mater: *Honora patrem & matrem.* Quamvis enim Mater sit sub Dominio patris Gen. cap. 3: 16. eoque isto minor, manet tamen superior liberis suis, & eandem cum patre habet ab his distantiam. Quod vero familiarius cum liberis agat, dum lactat, curatque, eo nomine non magis contemtim habenda, sed amor in eam & gratitudo debet esse major, quæ tot mensibus utero gestavit, tantis cum doloribus peperit, tantâ cum molestia lactavit, & educavit, quando infans per ætatem misericordia ipsius solum servari ab interitu potuit. Hacpropter non tamen postposita, sed etiam præposita legitur patri mater, Lev. 19: 3. *quisque matrem & patrem timeat.* Peccatum graviter olim fuit contra hoc mandatum. Ezech. cap. 22: 7. in catalogo peccatorum, quæ excidium Hierosolymæ attulerunt, recitatur & hoc, Patrem & matrem in te vilipenderunt. Filii Eli non obsecuti sunt monitis Patris 1 Sam. 2: 25. quæ David à filiis suis passus sit notum est. Pharisæi tempore Christi invenerant speciem religionis, quæ parentes non tantum negligeret, sed etiam, quantum in istis liberis erat, necaret Matt. 15: 5. qui dicebat, *donum est* unde parentibus aliquid utilitatis posset accedere, is non tantum non reus censebatur, sed etiam religiosus. Quod imitantur Pontificii, quando liberos in monasteria alliciunt, & cui maxime inhiant istorum hæreditatem, etsi ipsos parentes adgnatosque alios ad mendicitatem redigerent. Sed hodieque non desunt exempla inobedientiæ liberorum; quamvis ea minor sit, quam lex Dei arguit; quandoquidem quod malum est, & à parentibus vetandum foret, hi non tantum indulgent, sed etiam verbis factisve docent. Præeunt matres liberis vanitate, & inde à prima infantia ad fastum vitæ & vestitus luxum formant, patres otio, ebrietate, aliisque vitiis liberis exemplum præbent: quæ idololatria est tum idolorum, tum ventris, avaritiæ, ambitionis in liberis, à parentibus eam fere didicerunt Jer. cap. 9: 14. & ut est Jer. 7: 18. *Liberi colligunt ligna, & patres accendunt ignem, & matres depsant pastam pro collyris figuratis Reginæ cœlorum.* Conspirant in exercitio peccati: quæ obedientia liberorum mala est. Eph. 6: 1. Liberi obedientes estote parentibus in Domino; nam qui parentes magis amat quam Christum, non est hoc dignus Matt. 10: 37. unde falsa est interpretatio hujus præcepti, de traditione Majorum quod illa obligemur non secus ac lege Dei scripta: contra est Ezech. 20: vers. 18, 19. Quod si parentes dent præcepta, qualia Salomoni data, iis obtemperandum. Estque data parentibus virga castigationis, non ad occidendum, sed ad corrigendum, Prov. 18, 19. & 23: 13. s. & 29: 15. Quod si filius esset voci parentum inobediens, & castigatione ipsorum non corrigibilis, is ad magistratum fuit deducendus, & lapidandus ab omnibus, ut morereturr, ut malum removeretur è medio, & totus Israel audiret, metueretque Deut 21: 18. s. Parentum est liberos rite educare Eph. 6: 4. Liberorum autem est obsequi parentum piis exhortationibus: atque etiam ipsorum defectus & infirmitates patienter ferre, tegere, & semper meminisse quid iis debeant, ut in omnibus quæ timorem Dei non lædunt, eos revereantur, honorent, obsequantur, ut liberi esse tum suæ conscientiæ, tum hominibus quoque & Deo queant approbare.

Moses hic addidit, uti in quarto præcepto. *Sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus.* Complexus ibi est, quæ non recitabat, & à Deo de Sabbato mandata erant. Sic quoque hic formula ista respicit, quæ interpretationem habent hujus mandati Lev. 19: 3. & alibi tum inprimis quæ faciunt ad extensionem. Patris matrisque nomine designantur quoque in familia herus & hera, Naaman à servis suis pater dictus est 2 Reg. 5: 13. in Schola Præceptores: Elisa Eliam vocat *Patrem* tuum, sive ut herus consideretur, sive ut magister: & *filii prophetarum* eorum discipuli sunt 2 Reg. 2: 12. In Ecclesia Doctores sunt Patres, sic à regibus compellati prophetæ 2 Reg. 6: 21. cap. 13: 14. In Rep. Magistratus; reges Philistæorum dicebantur Abimelech, rex pater, & Josephus *pater Pharaonis*, dominus domus ejus, & rector Ægypti Gen. 45: 8. Debora *pater in Israel* Jud. 5: 7. Sic *Eliahim pater domus Judæ, & incolis Hierosolymæ* Esa. 22: 21. Imo huc quoque pertinet illud Lev. 19: 32. coram cano capite &c. Summa, quicunque aliquam habet à Deo præeminentiam, æstimandus, honorandus & pro conditione inæqualitatis ei obediendum est: adeo ut benefactores quoque eo nomine veniant. Job. 29: 16. *Egentibus fui ut pater*, & cap. 31: 18. Pauperibus & pupillis se semper patris instar fuisse dicit, & *pater pupillorum* Psal. 68: 6. hoc est, tutor Est. 2: 7. Horum omnium honor hic sancitus est & obedientia. Sed quid sigillatim requiratur, est prolixioris operæ, & in hoc libro dabitur occasio magis opor-

oportuna, ſiquidem Deus largiatur ad finem uſque procedere.

Quod autem obſervationem attinet, ea miſerrime negligitur, ut omnes propemodum jugum fregiſſe, vincula laceraſſe videantur. In familia famulitii exigua eſt erga heros reverentia, obedientia, pigritia, faſtus, vanitas dominantur illis: quod tamen non adeo mirum, cum mercenarii ſint, quibus rarus eſt amor ſincerus. Aſt in Scholis minoribus quanta protervia, contemtus, rebellio, ut fere nomen affectent, prout fuerint petulantiores. Et in ſuperioribus licentia ſumitur major, quaſi nulla lege tenerentur. In Eccleſia Doctores, in Rep. Magiſtratus eam quoque reverentiam & cultum non conſequuntur, qui eis debetur. Monendi omnes ſumus, ut attendamus quiſque officio ſuo, & huic mandato præſtemus obſequium. Quod ut fiat una ejus extenſio adhuc ſpectanda.

Honora patrem tuum dicitur, *& matrem tuam.* Abrabanel ait, *Honor Dei hic quoque docetur, qui eſt pater verus, & honor legis ejus, quæ eſt mater.* Sane honor Dei merito hic comprehenditur, qui in generatione hominis ſua providentia concurrit, & plus agit quam parentes, ipſe ſolus eſt pater Spiritus Heb. 12: 9. unde ſubjectionem concludit Apoſtolus: Ipſe eſt qui totum corpus format in utero materno Job. 10: 10. ſ. Pſ. 139: 15. ſ. Ipſe qui inde educit, Pſalm. 22: 10, 11. qui exceptas ſuſtentat. Quamobrem nonnulli Hebræorum hic Dei honorem præceptum putant, cum tribus primis tantum interdicta neglectus occurrant, & hacpropter primæ tabulæ accenſendum; aſt ob convenientiam aliquam parentibus terrenis communicatum honorem: quippe quemadmodum dicitur, *quiſque matrem & patrem timeat* Lev. 19: 3. ſic *Dominum Deum tuum timebis* Deut. 6: 13. & *maledicens patri & matri necabitur* Exod. cap. 21: 17. ſic *maledicens Deo ſuo feret iniquitatem ſuam* Lev. 24: 15. & honora patrem &c. ſic honorabis Deum de ſubſtantia tua Prov. 3: 9. Saltem quotquot fœderati Dei ſunt, ſpeciali titulo Deum habent patrem, Deut. 32: 6. *nonne pater tuus eſt* &c. & hinc ipſi filii Exod. 4: 25. Deut. cap. 14: 1: Hinc reverentiam conſequuntur idola Jer. 2: 27. *qui ligno dicunt, pater meus es; & lapidi, genuiſti me: nam cervicem mihi obvertunt & non faciem*; cum agnoſcendus eſſet, *Pater meus, ductor juventutis meæ* cap. 3: 4. Valet iſtud circa nos quoque, quibus quotidianum eſt dicere, Pater noſter &c. quia vi fœderis 2 Cor. 6: 18. & quidem tali paternitate, ut ſic neminem liceat patrem vocare Mat. 23: 9. ſed quam juſta hic querela Dei Mal. 1: 6. Eſa. 12: 4. Huic patri ſi honorem & obſequium deferremus, contra nullum, qui pater dicitur, delinqueremus unquam, quia ipſe mandavit, ſed quod dicitur 1 Joh. 4: 20. *qui fratrem non amat, quem vidit, quomodo amabit Deum, quem non vidit?* ſic de patre hoc dicere licet. Eſt tamen hic ſtudium omne impendendum 1 Pet. 1: 14. ſ. & verſ. 17. alioqui de nobis valebit Deut. 32: 5. 19. *non ſunt filii ejus* &c. Utinam id nos non experiremur; ut quæ lex inter homines contra inobedientes filios abrogata eſt, eam contra nos exerceat. Eoque reſipiſcendum, & ſaltem ſub caſtigatione diſcenda obedientia Jer. 31: 9. Veniendum cum fletu, ſic ducet jugi gratia ut Pater: & vera reſipiſcentia paternum affectum eliciet, verſ. 18. 20. 2 Cor. 6: 17, 18. cap. 7: 1. Eſt tamen petendum ut fiat, quod Deus promittit Jer. 3: 19. *quomodo ponam te inter liberos? ſed dixi, Pater mi, vocabis me, & pone me non amplius diſcedet.* Deo filiale cor largiente, filialis erit profeſſio, filiale obſequium.

Sigillatim hic monendi officii Magiſtratus, qui ſpeciali titulo *Filii Altiſſimi* dicuntur, Pſ. 82: 6. Pater Deus mandata ſingularia eis dedit, verſ. 3. ſ. hoc ni fecerint invenient non patrem miſerentem, ſed judicem juſtiſſimum, contra judicantes injuſte, & acceptantes faciem impii: ambulanteſque in tenebris. ut opus ſuum à Domino occultent; & morientur ut homines, & cadent ut principes, quorum lapſus & ruina longe gravior, quemadmodum exempla docent Jeroboami, Baeſæ, Achabi, quorum familiæ exſtinctæ, Jojakim qui aſini ſepulturam nactus, Nebucadnezar qui ad beſtias detruſus fuit. Imo David exemplo ſit, in ſuo exſilio poſt factum contra Uriam.

β. *Rationes* perſuadentes ſunt, I. *ut prolongentur dies tui*, hanc unam legimus in Exodo. Exponi poteſt active, *ut prolongent dies tuos.* Parentes id præſtant, qui cauſa ſunt impulſiva externa apud Deum, ut hoc bonum præſtet: qui ipſi etiam liberis à Deo id precantur: quemadmodum Zedekias dicitur combuſturus Hieroſolymam, qui ſua pertinacia cauſam comburendi dedit Jer. 38. 23. vel paſſive, *ut prolongentur*; quemadmodum Deus obedientibus iſtud promiſit. Deut. 4: 40. ubi etiam altera ratio legitur. II. *Ut bene tibi ſit*, hanc addidit Moſes comprehenſam alias priore: notatque omnimodam proſperitatem, ſine qua longævitas potius malum quid foret. Abenezra animæ bonum, & mercedem futuri ſeculi intelligit, quæ pietati quoque promiſſa 1 Tim. 4: 8.

Promiſſio fruitionis *in terra* Canaan eſt peculiaris Iſraeli vi fœderis Abrahami, uti donum eſt genti illi proprium. Paulus attemperavit gentilibus, Eph. 6: 2, 3. *Honora patrem & matrem, quod primum præceptum cum promiſſione*; (vel ſecundæ tabulæ vel cum ſpeciali promiſſione, quia quæ in ſecundo præcepto eſt, generaliter amantes Deum, & obedientes miſericordiæ ſecuros reddit.) *Ut bene tibi ſit, & diu vivas in terra.* Diximus de hoc ad Deut. 4: 40. Obedientia erga parentes habet remunerationem longævitatem, ut à liberis conſequatur, quod parentibus præſtitit, aut ſaltem ut bene ei ſit: teſtimonium bonæ conſcientiæ habeat apud Deum, laudem apud homines, felicitatem ſive temporalem ſive quæ optima æternam. Hanc anhelamus: ergo faciamus quæ eo faciunt, quandoquidem nemo eſt, qui non obſequii hujus exercendi obligationem & occaſionem habeat in terra & in cœlo; ut impetremus à Dei promittentis bonitate & veritate

Verſ. 17. *Ne occidas.*

Omnes leges quæ feruntur hominibus vel præceptivæ ſunt vel prohibitivæ; illæ memorant virtutem, quæ exerceri debet; iſtæ vitium, quod caveri: unde duobus comprehenduntur omnia, Pſ. 37: 27. *Recedite à malo & facite bonum.* Enimvero hæc ſunt interpretatio cujuſcunque mandati vel interdicti; Etenim ſi quod vitium prohibetur, contrarium bonum mandatur & ſi quæ virtus mandatur, contrarium vitium prohibetur. Adeoque nihil intereſt ſive hoc, ſive illo modo voluntas Dei ſignificatur; ſemper docetur timor Dei Pſ. 34: 12. ſ. nam timore Dei receditur à malo. Prov. 16: 6. ille eſt odiſſe malum, & omnem viam malam cap. 8: 13. & rurſum, timere Deum eſt in viis ejus ambulare, ipſum amare, ei ſervire toto corde & tota anima, Deut. 10: 12. Attamen Divina Sapientia in formula fœderis quædam concepit præceptive, quædam prohibitive. Illo modo quæ inſtitutionem requirebant, quoad circumſtantias perſonarum, loci & temporis, quæ in praxi boni attendendæ veniunt: iſto quæ ſimpliciter omnibus omni tempore & loco omittenda. Hujus generis ſunt octo, iſtius duo. Et occurrunt in utraque tabula, ſed contrario ordine. Prima incipit ab interdictis, quæ tria ſunt, *Non habebis Elohim alium præter faciem meam; non facies aut coles imaginem; non vane uſurpabis nomen Domini:* clauditur mandato; *obſerva diem Sabbathi.* Secunda incipit à mandato, *Honora patrem & matrem*; clauditur interdictis quinque, *non occides, non adulterum ages*; & &c. Egimus de primæ tabulæ interdictis, & mandato; nec non de mandato ſecundæ tabulæ.

b. Sequuntur *Interdicta.* Mandatum loquebatur de Hominibus quoque, ſed inæqualibus, Superioribus & Inferioribus, quid hi illis deberent; Interdicta agunt *de æqualibus*, quamvis inæqualitas poſſit accedere ad delicti aggravationem. Prohibentur autem. I. Actiones, præc. 6. 7. & 8. II. Sermones, præc. 9. III. Cogitationes & cupiditates, præc. 10. unde hic generalitas occurrit, cum reliqua ſint ſpecialia.

Porro conjunguntur hæc præcepta omnia per copulam *Et*; *non occides, & non adulterabis; & non furaberis*, & &c. quæ in Exodo abeſt. Iſtic enim Deus jubet ſimpliciter, quid fieri velit: heic Moſes tantum repetit, atque & hoc & iſtud & illud refert interdictum. Vel quia ſubinde interpretem agit, aliquid adjiciendo, ſignificatum voluit, quod Abrab. dicit, *nexum præceptorum*, quod non minus unum atque alterum ſit obſervandum; eoque obſequium

quium præſtitiſſe negandus ſit, qui unum quidem aut plura etiam, ſed non omnia præſtitit. Quod ipſum legitur, Jac. 2: 10. Etenim ab uno legislatore procedit tota, ejuſque autoritas ubique eadem eſt, quam qui vilipendit in uno, æſtimat in nullo. Quomodo omnia peccata ſunt æqualia, quia ἀνομία, 1 Joh. 3: 4. transgreſſio legis quam legislator juſſit: quamvis ab objecto deinde graduum differentias accipiat. Connexio etiam facta videri poteſt, quia in tribus primis nulla eſt mentio objecti, quod indicatur in duobus ultimus *Proximus tuus*: qui eſt non tantum frater & amicus, ſed etiam inimicus; nam Exod. 11. verſ. 2. Ægypti eo nomine veniunt, qui fuerunt inimici ſaltem animo. Quod ſi quis putet nimis anguſtum, quia quis contra ſemetipſum peccare queat, id quoque valet in 9 & 10. præceptis, ubi Proximi vox expreſſa eſt. Etenim valet ibi argumento à minore ad majus, juxta regulam Diliges proximum tuum ſicut te ipſum Lev. 19. verſ. 18.

a. Sed ut ad rem ipſam accedamus *Actiones* prohibitæ ſpectant proximi. I. Vitam, & ipſum eſſe, præc. 6. II. Vitæ commoda & bene eſſe, tum in eo quod conjunctum eſt, & unum cum ipſo præc. 7. tum quod diviſum ab ipſo in facultatibus, præc. 8.

1. *Vita* & ipſum *eſſe* proximi defenditur præcepto ſexto, *Non occides*, Unum vocabulum eſt, ſed quod multa comprehendit. Quanquam enim de facto loquatur, & voluntas faciendi tam hic, quam in duobus ſeqq. ad decimum præceptum, quod ſpiritualitatem attinet, referri queat, unde Servator interpretationem mutuatus eſt, tamen latiſſime ſe extendit, quemadmodum quanta licet brevitate oſtendemus. Verbum רצח *occidit*, uſurpatur tantum de Homine, ut hic ſit objectum proprium. Eoque errant, qui extendunt etiam ad Bruta, quemadmodum non tantum Philoſophi Pythagorici cenſuerunt cædem animalium eſſe illicitam; ſed etiam inter Chriſtianos Manichæi, & qui tempore Apoſtolorum putarunt non eſſe comedendas carnes, Rom. 14: 2—21. 1 Cor. 8: 13. quia ad vanitatem creaturarum pertinet earum mactatio, unde vindicandæ ſunt. Rom. 8: 20. ſ. quamobrem à Chriſtianis non putarunt eſſe promovendam. Sed Apoſtolus iſtos vocat infirmos fide, proinde errantes hactenus, qui tamen non ſint offendendi: & porro docet, quicquid in macello venditur licite comedi. 1 Cor. 10: 25. Deus, qui in ſtatu primo hominibus lege cibaria ſolum fructus arborum & terræ naſcentia conceſſit. Gen. 1: 29. poſt diluvium legem ampliavit cap. 9: 3. & Act. 10: 11. ſ. Petro in viſione omnis generis animalia offerens, jubenſque ut mactaret & ederet, omnia mundata dicens, licentiam iſtam confirmavit, qualem Noacho dederat, ut nihil nunc impurum ſit: quamquam ſuperſtitio humana vel opinio ſic de quibusdam judicet. Atenim peccari poteſt quoque contra bruta, ſiquidem crudeli animo fiat, ex odio & vindicta: ut cum Bileam aſinæ minatur necem, ſiquidem gladius ad manum fuiſſet, quia ſibi illuſiſſe credidit. Num. 22: 29. ſive animi gratia & ad voluptatem. Etenim qui amant crudeliter effundere ſanguinem brutorum, minus averſantur humani ſanguinis effuſionem; Venator ferarum Eſau minabatur interfectionem fratris Gen. 26: 27. cap. 27: 3. ſ. & v. 41. Sic Nimrod, factus eſt Venator hominum, cap. 10: 9. Homines quod attinet cædes admittitur, quando vita hominis læditur facto, ſive penitus adimatur, ſive reddatur infelicior, dum membrorum corporis uſus perit, per mutilationem, aut corruptionem, vel decus per vulnera & cicatrices. Patratur iſtud quocunque inſtrumento, ferro, ligno, lapide, vel ſine iſtis manu feriente vel impellente; quomodocunque aliquis lædi poteſt. Fit item non tantum à latronibus, qui cædem ſitiunt ad rapinam exercendam, ſed etiam & crebrius ab omnibus duellatoribus, ſive ex ſubito furore iræ, ſive meditati in provocationibus, alios aggrediantur.

Gravitas hujus peccati profecto maxima eſt. I. Reſpectu patientis: Opus Dei eſt, qui eum fecit; licet ne autem cuiquam opus Dei deſtruere? ſi quis tibi tuguriolum dejiceret, nonne tibi injuriam factam diceres, & tu facies Deo, in ædificio quod in te conſtituit excellentiſſimo? *Etenim ad imaginem Dei fecit Deus hominem.* Gen. 9: 6. licet corpus Deum incorporeum non repræſentet, homo tamen repræſentat, qui corpus habet; & hoc ipſum ita fabricatum eſt, ut attemperatum ſit inſtrumentum, neque homo inter homines videbitur ſi corpore exuatur. Statua Cæſaris dicitur marmorea, ærea, aurea, quæ tantum lineamenta corporis, & maxime veſtium exprimat; non Animam, ſine qua corpus inutile eſt, & hanc dejicere, aut truncare, maximo ſupplicio vindicatur. Quanto ſceleratius imaginem Dei deſtruere aut turpare? quæ irreparabilis eſt: quod tamen intenditur ad minimum, ut notam quis geſtet. Accedit quod proximus ſit tua caro Eſa. 58: 7. quam nemo odiſſe ſolet, qui mentis ſanæ eſt. Eadem natura omnium, pariter homines, Leo Leonem non laniat, ſed homines contra propriam ſpeciem crudeles ſunt, eopſe beſtiis pejores: Imo Chriſtiani Chriſtianos. Rom. 14. verſ. 15. ne perde tuo cibo, pro quo Chriſtus mortuus eſt: & multo magis, ne perde manu aliove modo, Chriſtus mortuus eſt ut vitam æternam haberet, & tu ei vitam corporis adimes, ſine qua æternam conſequi nequit, quamque ne quidem moriendo potes reſtituere? II. Reſpectu facientis, quisquis facit filius Diaboli eſt. 1 Joh. 3: 12. *Kain ex illo malo erat & occidit fratrem ſuum*, & Joh. 8. verſ. 43. ſ. non filius Abrahæ nedum Dei. Maledictus eſt, Gen. 4: 11. ut Kain contra quem Deus ultor erit, qui ne quidem brutum impunitum eſſe vult quod hominem necat. Gen. 9: 5. 1 Joh. 3: 15. Apoc. 21: 8. Hoc modo vindicant ſe ſuumque hominem duellatores ad momentum, ſive perdant ſive pereant, ut cum Diabolo puniantur & omni carni ſint abominationi in æternum. Eidem crimini ſunt obnoxii, qui mandato, conſiliove occidunt, Secundi item, David Uriam hoſtili gladio, Jezebel juſſu, & magiſtratus Jizreelis injuſta ſententia. Sic immiſſis percuſſoribus, etiam brutis, cum qui bovem ſuum cornipetam novit, neque cuſtodit cædis ab iſto illatæ pœnam etiam ſua cæde luat. Exod. 21: 29. item veneno; Huc quoque referendæ mulieres, quæ fœtus ſuos nondum natos vel editos occidunt, abortum procurant. Non æque graviter peccat qui aliquem gladio perimit, quam quæ hoc facit: luere dicitur culpam propriam qui occiditur, ſed hic luit fœtus culpam occidentis. Infanticidium Herodis infamem facit, & magis infanticidium proprium, tanto magis miſerandum, quanto tenerior eſt, qui necatur infans. Si pater filium adultum occidat grandius ſcelus eſt *quam* ſi peregrinum; & idem faciunt iſtæ mulieres. Contra φύσιν naturalem peccatur, quæ tenerior in matribus Eſa. 49: 15. etiam in meretricibus illis 1 Reg. 3. Ut mirandum ſit audere quemquam iſtud excuſare, ubi ſupplicium deberet eſſe atrocius ad terrorem. Qui v. ſemetipſum occidit non minus peccat, cum ſimul ſit patiens & agens: quemadmodum Saul, Achitophel, Judas, Etſi Gentiles id virtutis crediderunt, aſt revera ignavia maxima, contraria fortitudini Chriſtianorum potiſſimæ, patientiæ injuriarum & calamitatum. Peccat contra ſeipſum, Eph. 5: 29. & regulam amoris proximi Lev. 19: 18. & contra Deum qui vitæ & necis poteſtatem habet. Rom. 14: 7, 8. nemo ſibi ipſi vivit, &c.

Attamen datur caſus ubi cædes inſons, licita, neceſſaria eſt: Inſons, quæ caſu fit, cum quis citra omne odium iram aut propoſitum facit, ut ſi ſecuris excidens manubrio alium lædat vel perimat: qui tamen debuit in exilium ire, in aſylum uſque ad mortem ſummi Sacerdotis, quia imprudentia & ſollicitudinis debitæ neglectus eſt, quod crimen morte Chriſti Sacerdotis expiandum. Exod. 21: 13. Num. cap. 35. Deut. 19: 4. ſ. Negligentia enim proxima fit culpa Deut. 22: 8. qui tecto domus non addebat ſepem, ſanguinis reatum imponebat domui, ſi quis inde delapſus moreretur. Licita, furis nocturni. Exod. 22; 2. quando auxilium implorare impoſſibile eſt: ſic latronis in loco ſolitario. Nam in urbe, & præſentia hominum hæc excuſatio inculpatæ tutelæ negata eſt. Deut. 22: 23. ſ. Neceſſaria Magiſtratus, Gen. 9: 6. cui Deus dedit gladium ad ultionem. Rom. 13: 4. Hujus jus involat, qui ſemetipſum ulciſcitur, imo Dei ipſius, cujus miniſter eſt magiſtratus. Rom. 12: 19. Magiſtratus autem reus ſit non occidendo, Num. 35: 31. ſ. non accipietis expiationem pro anima homicidæ, qui reus mortis eſt, (ut caſus non ſit in cæde,) ſed

ſed certo necabitur, ne profanetur terra ſanguine, & pro terra non fit expiatio propter ſanguinem in eo fuſum, niſi ſanguine ejus qui effudit. Non licet ulli principi aut magiſtratui condonare vitam homicidæ; non magis quam carnifici, qui ſententiam tantum exſequi debet ceu miniſter, ſed magiſtratus ſententiam Dei. Alioqui valebit illud ad Achabum, 1 Reg. 20: 42. *quia virum quem anathematizavi, ex manu dimiſiſti, erit anima tua loco animæ ipſius, & populus tuus loco populi ipſius.* quamdiu Joab non fuit mactatus, cædes ab ipſo patratæ Davidis throno & regno incumbebant. 1 Reg. 2: 33. Dicuntur Elohim exſecutores juſtitiæ, ſed non Jehova diſpenſatores gratiæ, hoc nominis & gloriæ ſibi Deus ſolus ſervat. Eſa. 42: 8. Diſpenſationem habent de legibus propriis; cujuſmodi ſunt militares, ſed neutiquam de legibus Dei. Deus vindex erit. Eſa. 26: 21. Jer. 48: 10. *Maledictus qui agit opus Domini doloſe, imo maledictus qui cohibet gladium ſuum à ſanguine,* nocenti nempe; & huic crimini conſortes fiunt, qui homicidarum, fugam juvant, ne pereant gladio magiſtratus. Prov. 28: 17. Quemadmodum autem contra unum maleficum gladius à Magiſtratu ſtringendus eſt, ſic quoque contra multitudinem in juſto bello. De tali dicitur Jer. 48: 10. ad defenſionem ſubditorum. Talia vocantur bella Domini. 1 Sam. cap. 25: 28. & Spiritus Domini ad ea animavit Saulem, 1 Sam. 11: 6. & alios heroas: & uti carnifex non peccat occidendo damnatos, ita neque milites: tametſi propriam vitam cogantur effundere, ut Simſon. Quod ſi tamen magiſtratus aut belli dux aliquem objiciat periculo ut moriatur, homicida eſt, uti David Uriæ.

„ Cæterum Hebræi quoque homicidium dicunt, ſi ſervus Hebræus ultra annum ſextum detineatur invitus, quia „ vitæ libertas ei adimitur: ſi quis artifex dolo calumnia„ ve ſubducat alteri ſocio negotiationem & alimoniam: ſi „ negetur pauperibus eleemoſyna quia præceptum eſt, „ pauperem debere nobiſcum vivere. Lev. 25: 35, 36. nam cohibens eleemoſynam, occidit pauperem. De vero paupere loquimur; *Si oculus tuus malus ſit ſuper ipſum, neque dederis, clamabit contra te ad Dominum, & peccatum tibi erit* Deut. 15: 9.

Et v. alia adhuc vita & quidem potior, Animæ nempe cujus cædes magis cavenda. Primus hic autor Diabolus, Joh. 8: 44. per mendacium Sequuntur exemplum homines. Quippe fit vel falſa doctrina, quæ venenum eſt animæ; vel prohibitione veræ, quæ panis vitæ: quando hominum inſtituta commendantur, & verbum Dei removetur aut corrumpitur, aut palea datur loco frumenti. Fit quando impiis non denunciatur mors, ſed adhibentur blanditiæ. Ezech. 33. aut pii ad deſperationem adiguntur. Ezech. 13: 19. Atque hic quivis poteſt reus fieri. Lev. 19: 17. Peccatum necat animam. Qui poculum veneni admoventem ori vel bibentem, ſive alter ſciret eſſe venenum ſive non, non prohiberet, utique culpa cædis non careret: multo magis hic. Prov. 11: 30. fructus juſti eſt arbor vitæ, Quicquid à nobis procedit, debet tendere ad vitam aliorum; & qui capit animas is ſapiens eſt: quia animarum cura debet eſſe maxima. Amor proximi ut ſui ipſius hic potiſſimum valet. Lev. 19: 18. aſt Eph. 5: 29. ſic agendum cum proximo. Mat. 7: 12. & vita ejus ſecura erit. Heic v. opera danda ut moderemur Iræ tum noſtræ Eph. 4: 27. *Iraſcimini, neque peccate, nec date locum Diabolo,* ut nec hanc neque ipſos illi ſiſtamus inſtrumenta, tum Alienæ Rom. 12: 19. *ne vindicate vos ipſos, ſed date locum iræ,* ut patientia illi cedat: ſic evaneſcet citra adverſarium.

Verſ. 18. *Neque ſcorteris:*

2. *Vitæ commodum* ſeu *bene eſſe*, quatenus quid conjunctum eſt homini, defenditur *in præcepto ſeptimo.* Etenim Uxor eſt una caro cum marito, adeo ut non amplius ſint duo, ſed una caro. Mat. 19: 5, 6. Hoc dicit. Non committes adulterium. Verbum נאף interdum de ſolo adulterio accipitur; ſed alias generale eſt tantundem quod ſcortari, ut Aben Ezra probat. Cum Deus condidit animalia & homines initio, paria condidit, marem & fœminam, ordinavitque horum conjunctionem, promiſſo concurſu ſuæ providentiæ, ad generationem ſimilis Gen. 1: 28. verumtamen homini illico dedit legem conjunctionis Gen. 2, verſ. 24. (nam Chriſtus Deum id dixiſſe teſtatur Mat. 19: 5.) *Relinquet vir Patrem ſuum & matrem ſuam & adhærebit uxori ſuæ.* Quomodo definivit conjunctionem unius viri & unius mulieris, ut ſibi invicem ſolis adhæreant, utp. cenſendis pro uno. Huic legi contrariatur quod hic vetitum eſt; Scortatio omnis & impuritas. Quando aliquid hujus ſit citra conjunctionem ab uno ſolo: μαλακοὶ Apoſtolo B. ontuchtige 1 Cor. 6: 10. Quando conjunctio ſit fœminæ & viri citra agglutinationem vel veram, in concubinatu, vel perpetuam, in ſcortatione inter ſolutos. Quando unius vir præter agglutinatam, ſibi jungit aliam ad tempus vel in perpetuum; vel mulier præter agglutinatum, jungitur alii, quod adulterium eſt. Gravius longe ſi vir viro & fœmina fœminæ. Rom. 1: 26. ſ. aut vir mulierve bruto jungantur, quæ Sodomia, & beſtialitas; muta dicuntur vulgo, quia ne quidem nominanda ſunt. Veruntamen inſuper aliud interdictum continetur. Deſerendi parentes ut jungantur vir & mulier; eoque in recta linea non eſt permiſſa conjunctio. Et hic primus & unicus tunc inceſtus lege vetitus: non autem cum fratribus & ſororibus: cum à Deo mandato multiplicationis obligarentur filii Adami; qui utique ad peccatum neminem obſtringit; & viderat valde bona quæ fecerat ne quis naturam conſtitutam neget, cum ex uno pari totum genus humanum voluit propagatum: Sed poſtmodum non ſolum fratrum ſororumque, ſed & aliorum propinquorum conjugio interdixit Lev. 18. Atque hæc omnia compendio hic comprehenduntur. *Non committes adulterium* ſeu *ſcortaberis.* Hebræi huc quoque referunt conjunctionem matrimonialem cum alienigena quoad nationem, ſeu tribum, mater Jephtæ, & quoad religionem quoque de quo eſt Mal. cap. 2: 11. Habent hæc matrimonia pro ſcortatione, & hujuſmodi mulierem זונה *meretricem* vocant. Quantum hoc, quod hic prohibetur, crimen ſit, non difficile eſt probare. Heb. 13: 4. Una conjunctio matrimonialis maris & fœminæ honeſta eſt: tum ad propagationem generis humani, quæ cauſa inſtitutionis primæ, tum in remedium incontinentiæ. 1 Cor. 7: 2. *ſcortationis cauſa quivis vir propriam uxorem & quævis mulier proprium virum habeat,* & verſ. 9. Peccatum autem inexcuſabile eſt, quod contemto remedio patratur. Pœnam Deus præſcripſit magiſtratibus Lev. cap. 20. Sed Judicia Dei etiam ſunt evidentia, in mundo primo Gen. 6: 2--4. in Sodoma cap. 19. in Gibea Jud. 19. verſ. 20. Imo impuritas iſta judicium eſt, quo alia peccata puniuntur, eoque aliis gravius Prov. 22: 14. Idololatria gentilium ſic punita Rom. 1: 24. Accedunt ignominia, paupertas, & tandem æterna condemnatio. 1 Cor. 6: 16. Apoc. 21: 8. cap. 22: 15. deſtruunt ſcortatores corpus ſuum, & inprimis pretioſam animam. Aufert ſcortatio cor. Hoſ. cap 4: 11. adeo ut nullum peccatum declinet, Salomo ad idololatriam David ad homicidium prolapſus eſt. Et frequens infanticidium ſcortationis & adulterii fructus eſt: quod frequentiſſimum in papatu ob interdicta clericis & monialibus matrimonia. Contra mandatum Dei, Heb. 13. verſ. 4. apud omnes; præcipue Sacerdotes, qui apud Hebræos circa delectum admodum fuerunt cauti. Quantum damni afferat œconomiæ & politiæ quando ſpuriis repletur, Deut. 23: 2. notiſſimum eſt. Et apud Gentes honeſtiores ſemper fuit in abominatione. Magiſque deberet eſſe inter Chriſtianos. 1 Cor. 6: 13. *An membra Chriſti faciam membra ſcorti? abſit.* Qui ſcortatur peccat contra corpus proprium, & ſic quoque qui quæ unum ſecum erit corpus in matrimonio, primum facit ſcortum, antequam fiat Uxor. Quam crebro & graviter hic peccetur, publice notum eſt, & clamans peccatum, quod à Deo ultionem poſcit, quia tam rara eſt pœna per homines, imo luſus & jocus. Unde metuendum nobis. Hoſ. 4: 14. Jer. 5: 7. ſ. Talia judicia metuenda, ſi talia porro patrentur peccata. Eoque *fugite ſcortationem.* Multus Salomo in hoc. Prov. 2: 5, 6, 7. 1 Theſ. 4: 3. ſ. 1 Cor. 6: 19, 20. Domini ſumus, furtum faceremus. Cæterum ut caveamus abſtinendum Otio & Intemperantia. Ezech. 16: 49. hæc corruperunt Sodomam. Rom. 13: 13. *ambulemus honeſte ut de die, non in gula & ebrietate.* (1 Theſ. 5: 7. nocturna iſta ſunt.) *non in cubilibus & laſcivia, ſed induite Dominum Jeſum,* &c. Midianitæ feſtis conviviis Iſraelitas pellexerunt ad ſcortationem, quam

quam clade 23000. millium luerunt Num. 15. 1 Cor. 10:8. Inprimis rogandus Deus ut det cor novum, & ſpiritum firmum. Pſ. 51: 12. ſic ambulabimus in viis ipſius & impollutos nos ſervabimus ab impuritate carnis, ac ſpiritus, & perficiemus ſanctimoniam in timore Dei.

Verſ. 19. *Neque fureris:*

Regula obedientiæ circa proximum eſt. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Lev. 19: 18. quam charus tibi ipſi es, tam charus tibi quoque debet eſſe proximus: uti Servator explicat. Mat. 7: 12. *quicquid vultis ut homines faciant vobis, facite ipſis.* Talis fœderati Deo homines inter ſe eſſe debent, idque magno exemplo Dei ipſius. Teſtatur alicubi æque charos ſibi eſſe ſuos fœderatos, quam ſibi ipſemet eſt, Deut. 32: 19. Zach. 2: 8. *qui vos tangit, dicitur* Eccleſiæ, *tangit pupillam oculi ejus.* Quæ ſuis fiunt bona vel mala, Chriſtus ſibi facta dicit. Mat. 25: 35. ſ. & olim, Eſa. 63: 9. *in omni anguſtia ipſorum ipſe anguſtiatus fuit.* Atque iſtud probatum dedit in ipſa fœderis formula, qua quantam ſui, tantam fœderatorum ſuorum curam geſſit, & quod ſibi præſtari, quod circa ſe caveri idem ſuo modo circa proximum præſtari caverique voluit. Agnoſci ſe voluit Jehovam Deum ipſorum Ens æternum & eſſentiatorem, adeoque non abnegandum, quaſi non eſſet, quomodo vita & eſſe ipſi quoad negantis opinionem adimeretur. Pſ. 14: 1. Sic interdixit, *Ne occidas*, ut proximus inter viventes non amplius ſit, & Dei imago deſtruatur. Interdixit, ne alii habeantur Elohim præter faciem ſuam Filium Mediatorem, ut amor fiduciaque transferantur in creaturam ullam, vel figmentum, quæ ipſi Sponſo regi & Domino ſoli debetur: quod ſpirituale adulterium eſt. Sic quoque non committes adulterium; ne qui uni uxori debetur affectus ullo modo aliorſum vertatur. Interdixit ne fiat quod colatur ſculptile, ut ſua bona, honor & cultus eripiantur & à furibus impendantur proprio arbitratu cuicunque libitum fuerit; Sic *non furaberis*, ut proximo quicquam eorum quæ propria habeat, eripias, & iis ceu tuis utaris. Interdixit, ne profanetur nomen ſuum, ut vane vel falſo uſurpetur, contemtim habeatur. Sic, ne falſum dicatur de proximo teſtimonium, ut mendaciter de eo quid aſſeratur. Ita ergo quemadmodum ſuum honorem tanquam ſepimento aliquo circumducto quibuſdam mandatis tuitus eſt; ita quoque incolumitatem proximi circumſepſit: adeoque vere ſe oſtendit Cuſtodem hominum. Job. 7: 20. Servatorem omnium maxime fidelium. 1 Tim. 4. verſ. 10. qui fœderati ejus ſunt.

3. *Bonis extrinſecis* proximi cavetur *Mandato octavo* quo dicit, *Non furaberis.* Quid furari ſit vulgo ſatis notum in genere; quod ſit injuſta ablatio rei alienæ invito domino. De quo nihil recte ſtatuemus niſi declarata ſit proprietas, unde naſcitur meum & tuum, ut quod unius eſt alteri ſit alienum. Arceſſenda autem omnia à prima rerum origine. Deo hoc univerſum creante, poſtquam terram quoad ſuperficiem diſtribuiſſet in aquas & aridam; aridam exornaſſet omnis generis plantis; in eadem conſtituiſſet animalia terreſtria & volatilia, uti in aqua piſces; tandem dixit, *faciamus homines*, &c. & *qui dominentur in animalia univerſa*: ac mox exſecutus ſuum conſilium produxit homines marem & fœminam, deditque eis terram, & omnia bruta; *ſubigite terram & dominamini brutis omnibus*, Gen. 1. verſ. 26-28. Unde liquet totam terram generi humano fuiſſe datam indiviſim, communi omnium uſu, quemadmodum omnes fruimur ſole, & luce, ut nullum fuerit futurum meum & tuum, nulla proprietas particularis, unde nec furto locus eſſe potuit. Hæc fuit conditio in ſtatu integritatis. Poſt lapſum primus Kain invaſit proprietatem, & cum ſe nuſquam tutum putaret ob cædem fratris, ædificavit urbem, quæ ſic ſua foret, ut omnes alios arcere poſſet. Gen. 4: 17. Quod alios homines imitatos eſſe credibile eſt. Poſt diluvium cum Noach ejuſque filii ex arca egreſſi eſſent, Deus eis dominium reſtituit ſuper bruta, ſed quod magis metu contineretur, quam obſequio, Gen. 9: 2. timor & terror veſtri ſit ſuper animalia quæ in terra ſunt; unde neceſſitas nata defenſionis contra bruta, quæ etiam contra homines poſtmodum uſurpata: in loco quem ſibi quisque proprium fecit, ſed inprimis quod Deus terram univerſam habitatam vellet, Noach eam diſtribuit inter filios ſuos, ut quiſque partem ſibi caperet; quandoquidem autem inviti ab invicem divellebantur, adeo ut etiam contra Deum ſuam conjunctionem tueri niterentur, urbem & turrim molientes, ipſos Deus confuſis linguis ab invicem diſcedere coegit. Ab eo tempore cœpit proprietas, ut unicuique familiæ & populo certa terræ pars aſſignaretur. Diſtributio iſta Deo adſcribitur Deut. 32: 8. *Cum Altiſſimus populis hæreditates divideret, cum filios Adam ab invicem ſepararet, conſtituit terminos populorum ſecundum numerum filiorum Iſrael.* Qui ſua providentia ita moderatus eſt; quemadmodum hæc circa quemvis hominem iſta diſponit, Act. cap. 17: 26. Cæterum eam proprietatem homines conſequuntur legitime. I. qui veniunt in loca ab hominibus vacua: ea fiunt occupantis, juxta cum omnibus plantis, & animalibus; jure primo & antiquiſſimo, quo homini conceſſum ut ſibi terram ſubjiceret. Quemadmodum dantur hodieque Inſulæ non habitatæ, & regiones prorſus deſertæ: atque ſic Noachi filii occuparunt poſeſſionem; quamquam acceſſit. II. pactum & conventio, ut hic unam, alius aliam adiret, partem, ſibi ſedem fixurus: qui partiuntur inter ſe quod commune erat ipſis ex primo titulo: Ita Noachidæ partiti ſunt. Sic Abraham & Lot non quidem proprietatem, ſed uſum ejus quod occupantibus redundabat partiti ſunt, ad fructum temporarium. Gen. 13. Hujuſmodi diviſio quotidiana eſt; quando communis hæreditas diſpeſcitur in proprietates ſingulorum liberorum. Sic diviſio terræ inter Iſraelitas. III. hæreditas legitima, qua proprietas quam quis habet poſt mortem ejus devolvitur ad alios, qui pari titulo habeant & poſſideant ut Iſraelitæ ſequentium ſeculorum. Jud. 11. IV. quod quis labore & induſtria acquiſivit, uti cum Jacob pro mercede vendidit operam, & labori addidit induſtriam, ſibique acquiſivit facultates. Gen. 30. vel etiam emtione, uti Abraham locum ſepulchri. Gen. 23. & Jacob agri partem. Gen. 33. V. juſto quoque bello, quando hoſtes ipſa quoque poſſeſſione ejiciuntur. Gen. 48: 22. Jacob ad Joſephum, *dedi tibi portionem terræ, quam gladio & arcu meo accepi è manu Amoritarum.* Sic cum Iſraeli à Sihone negaretur tranſitus, armata manu, dum ſibi eum faciunt exciderunt Sihonem cum populo ſuo, & Ogum id impediturum, pariter perdiderunt, occupata ejus terra. Jam quod quis hoc modo proprium fecit, ſi invito eripiatur injuſte, furti nomine venit.

Sunt qui putant proprietatem omnem in Chriſtianiſmo abolitam & bona communia eſſe facta, quomodo furtum admitti non poſſet. Quæ ſententia antiquiſſima eſt & fundamento aliquo nititur, ſed quod perperam adhuc applicatur. Quæ felicitas fuit in ſtatu integritatis, quando omnia communia erant, qua per peccatum exciderunt homines, ea per Chriſtum reſtituetur. Act. 3: 21. de temporibus reſtitutionis omnium locutus eſt Deus per os omnium ſanctorum prophetarum ſuorum ab ævo. Fatemur equidem lubentes nos ignorare non ſolum quando ea futura ſint, ſed etiam qualia; nihil horum ſcimus; non quia *nihil* revelatum, cum tot teſtes laudentur, ſed quia revelata non intelligimus. Veruntamen Deus olim imaginem quandam dederat Iſraelitis. Lev. 25: 1. ſ. ſeptimo quoque anno juſſit abſtinere ab agricultura, & ſponte naſcentibus in commune frui; unde ſepimenta agrorum & vinearum removebantur, ut cuivis nullo diſcrimine daretur acceſſus, & fruitio. Sic cum Chriſtus adſcendiſſet in cœlum, & Euangelium regni ejus publicaretur, primi fideles Hieroſolymæ crediderunt iſta tempora jam auſpicanda eſſe, eaque propter ſua bona fecerunt communia fidelibus, Act. 2: 4. quemadmodum & alia quæ ſtatui integritatis quadrabant, obſervare cœperunt, ſed intempeſtive, unde brevi tempore in ſummam egeſtatem ſunt prolapſi, & eleemoſynis fidelium ex Gentibus fuerunt ſuſtentandi, Gal. 2: 10. Rom. cap. 15: 26. ſ. 1 Cor. 16. 2 Cor. 8: 9. Act. 11: 29. Neque unquam Paulus inter Gentes ad ejuſmodi communionem hortatus eſt; quam ipſam Petrus liberam eſſe docuit etiam inter Judæos. Act. 5: 4. Proinde & nunc ea nequit poſci. Quemadmodum autem per eam tolleretur proprietas, ſic quoque beneficentia: atqui Chriſtus dixit, *pauperes ſemper habebi-*

bebitis vobiſcum, ut benefaciatis. Mat. 26: 11. & Heb. 13. verſ. 16. *ne obliviſcamini beneficentiæ & communicationis, nam iſtiusmodi ſacrificiis delectatur Deus.*

Manet igitur certa proprietas, & ſic quoque locum habet contrarium proprietati furtum. Quod quidem diverſimode committitur. Apertiſſimum eſt quando vi publica alicui eripitur, quod ſuum eſt; uti latrones faciunt, pauci numero: aut integris exercitibus in bello injuſto. Sic primus Nimrod egit, & ſecuti innumeri. Etſi enim inſtrumenta Dei ſint in exercendis judiciis, ſunt tamen latrones impii, quia non adeſt voluntas obſequendi Deo. Eſa. 10: 5. ſ. *Væ Aſſyrio virgæ iræ meæ &c. mittam eum &c.* quomodo ergo Væ denunciatur, quia miſſus fecit? *ſed ipſe non ſic putat* &c. verſ. 13. Sic Hab. 1. & 2. Unde dictum à veteribus, magna regna eſſe magna latrocinia: & pirata Alexandro Magno reſpondit, ſe in exiguo agere, quod ipſe in magno. Hujus generis ſunt omnia bella, quæ ſolum augendæ dominationis ergo ſuſcipiuntur. Sic occupata ab Hiſpanis America, & Papa Romanus furti ſuaſor, & furtivus donator fuit, cum jus nullum haberet. Atque utinam juſta quoque bella non mutarentur in latrocinia, dum qui arma gerunt, omnia ſua putant ubi degunt, non in hoſtico tantum, ſed etiam inter amicos. Sed ſunt magis clandeſtina quæ admittuntur interdiu vel noctu citra bellum furibus, vel homines, vel pecudes, vel alia auferentibus; qui ſupplicium ferunt à Magiſtratu deprehenſi. Plagium capitale fuit, fuit abigeatus compenſatio dupli, quadrupli, quintupli, furtum aliud compenſatio, quam qui præſtare nequibat, vendebatur in ſervitutem tantiſper. Exod. 21: 16. cap. 22: 1. ſ. Prov. 6: 31. magis ſecreta ſunt, quæ adeo facile non deprehenduntur, de quibus Lev. 19: 13. verſ. 35. ſ. Contra peccant qui bilances doloſas habent amantes opprimere, quod mercatoribus tribuitur, qui ſibi tamen de divitiis gratulantur Hoſ. 12: 9. qui imminuunt epha, aggravant ſiclum, & vendunt paleam cum vel pro tritico Amos 8: 5. Sic qui debito, qui depoſito poſſeſſores invitos ad tempus aut ſemper fraudant, qui quæ adminiſtrant aliorum bona, imminuunt, inque proprium commodum vertunt, qui jus aliorum vendunt, in ſe transferunt, eove vi vel fraude quibuſcunque artibus potiuntur, qui uſuris exactionibuſve immodicis exedunt alios. Qui rationes grandiores faciunt, & qui eas probant, & de ſuperfluo partem capiunt. Qui conſcii tacent & celant. Infinita ejuſmodi ſunt, quæ ex avaritia ortum ducunt. Radix ea eſt omnis mali 1 Tim. 6: 9, 10. Hac peſſundantur Reſpublicæ. Eſt tamen vitium vulgatiſſimum, quod etiam maximos poſſidet, qui maximi fures, quamvis ſupra pœnam, quia vel gladium Dei gerunt, vel eum cohibere poſſunt, ne ſe feriat. De Chaldæo Hab. 2: 5. Sed de Judæo Jojakim Jer. 22: 13. ſ. Hujuſmodi Eſa. 1: 23. cap. 10: 1, 2. Mich. 2: 1, 2. cap. 3: 3. in œconomia famulicium, non tantum rapaces manus habens, ſed etiam ignavum, furto ſubducens locatam operam: quæ mercenariorum quoque culpa, quod dicitur **dagh dieven**/ ſic Zach. 11. verſ. 5. Utrum tales inter nos ſint, judicet quiſque. Si quis tamen quicquam horum facit, fur eſt. Magiſtratus tutores ſunt, & publici, & privatorum: (Patres eſſe nolunt; qui quos congeſſerunt theſauros patriæ velint relinquere; ſed tutores, qui ſua bona à pupillorum ſecreta habent.) Si quicquam hic agunt in detrimentum pupilli, fures ſunt, & tanto majores, quanto id crimen in tutore, in depoſitario majus, nihil fraudatur de publico, quin ſit peculatus: ipſa negligentia crimen habet, ſi tutor non tantum pro pupillo agit, ac pro ſeipſo. Ordinarat Deus ut qui fraudaſſet ulla ratione proximum, illud ſuperaddita parte quinta reſtitueret Num. 5: 6. ſ. etiam poſt mortem læſi. Nehemia contra nobiles & Magiſtratus egit, & coegit reſtituere quod per oppreſſionem populo extorſerant, addita exſecratione ut Deus excuteret omnem virum ex domo & labore ſuo, ut excuſſus & vacuus eſſet, qui non præſtaret Neh. 5. Sed Deus facit ultionem Eſa. 3: 14. ſ. Mal. 3: 5. Teſtis celer contra cohibentes mercedem violenter, & qui viduam, pupillum, peregrinum opprimunt, & ipſum non timent Zach. 5. verſ. 3, 4. maledictio à Deo adducitur, ut veniat in domum furis, & ibi provocet & abſumat cum lignis & lapidibus. O utinam nemo eſſet, qui non intrepide poſſet ad hæc dicere; Amen; ita Deus agat mecum & cum mea domo, & cum meis orphanis, uti ego cum magno pupillo, republica egi. Qui non queat cum Samuele proteſtari, *teſtamini contra me coram Domino, cujus bovem vel aſinum accepi, quem oppreſſi; à cujus manu munus accepi, ut abſconderem oculos meos ab ipſo, (ut conniverem ad iniquitatem alienam) & reddam illi*; 1 Sam. 12: 3. Profecto qui ſunt tales, ambulabunt in timore Dei: & dominabuntur in juſtitia & judicio Eſa. 32: 1, 2. & ipſimet felices cap. 33: 14. ſ. trepidantibus impiis &c. Quod ſi hujuſmodi non ſint, optandum ut Deus agat, quemadmodum dixit Eſa. 57: 17, 18. 21. ſic ſaltem triſtes evadent everſionem. Furtum contra homines quoque patratur, quando quis ſui ipſius fur eſt. Cum ſervus aufugit ab hero ut Oneſimus (& Jacob neſcio Labane fugiens) qui ſubducunt ſe contra obligationem. Imo eſt etiam contra ſemetipſum, qui prodigit intemperantia, faſtu vitæ: & tunc furto ſupplendum eſt damnum. Præter hoc furtum facultatum alienarum ſuarumve eſt & aliud 2 Sam. 15: 6. ut Abſalom, ſic agunt quicunque ſeditionem concitant, & blanditiis obſequium à legitimo Magiſtratu avertunt ad ſe, aut eum cui hic ſerviunt. Sic amiſit David regnum per filium, & fere rurſum per Sebam Bichridem. Furtum etiam eſt contra Deum, quando quæ ipſius cultui ſacrata ſunt, ſubducuntur Mal. 3: 8. ſ. *an homo ſpoliabit Deum? ſed me ſpoliatis in decimis & oblatione: maledictione maledicti eſtis, totus populus quod me ſpolietis.* Achan. Sic Prov. 3: 27. *ne cohibe bonum a ſuo Domino cum in poteſtate tua eſt ut des*: ſi pauperi negetur eleëmoſyna. Sic Jer. 23. verſ. 30. *Prophetæ qui verba mea furantur à proximo ſuo.* Contra hoc vitium inprimis valet ἀυλάρκεια 1 Tim. 6: 6. 8. Prov. 30: 8, 9. & diligentia Eph. 4: 28. & meditatio Scripturæ Pſ. 119: 36. cum precibus.

Verſ. 20. *Neque proferas contra proximum tuum teſtimonium falſum.*

β. *Sermonis moderamen* eſt in *Nono præcepto*, ... quid inde damni accedat proximo. *Non reſpondebis contra proximum tuum teſtis vanus.*

Objectum hic judicatur, רֵעֲךָ *proximus tuus*, non frater tuus, quomodo reſtringeretur nimium; ſed etiam extenditur ad hoſtem; nam eo nomine veniunt Ægyptii, qui ſaltem animo fuere hoſtes Exod. 11: 2. Proinde quivis homo. Eph. 4: 25. explicatur, *nam ſumus invicem membra*, non ſolum in Eccleſia, ſed etiam in Republica.

Contra hunc non peccandum, ut quis teſtis ſit, qui de alterius dictis vel factis, (cor enim & cogitationes ſub hominis alius teſtimonium non cadunt, cujus teſtes ſunt, tum Deus Job. 16: 10 tum cujuſvis conſcientia Rom. 2: 15.) profiteatur, ſed falſus, dicens aliud quam quod res eſt: nam Exod. 20: 16. eſt עֵד שֶׁקֶר *teſtis mendacii*. & quidem reſpondendo. Quando rogatus reſpondet. Adeoque valet hoc de teſtimoniis judicialibus, ubi coram judice agitur. Is habet rogantis rationem, cur veniant in judicium de ſe mutuo teſtatum? Hic quicunque falſum dicit, ſive actor accuſans, ſive reus defendens, ſive advocatus linguam alterutri commodans, ſive teſtis aliquid deponens, ſive actuarius ſcribens, ſive judex pronuncians, nam & ipſe reſpondet rogatus, Teſtium falſorum reatum contrahunt. Zach. cap. 7: 9. *Jus veritatis dicite*, cap. 8: 16. *veritatis & pacis jus dicite in portis veſtris.* Sed To עֲנֵה non ſolum reſponſum notat, verum etiam ſermonis exordium: adeoque falſus teſtis eſt, ſive rogatus ſive non rogatus quis dicat, in judicio atque etiam extra judicium viva voce, vel ſuſurro, vel ſcripto, vel alio quocunque modo aliquid notum faciens de proximo; quomodo prohibentur omnia mendacia, detractiones, & calumniæ, quibus proximi fama læditur. Lev. cap. 19: 11. & verſ. 16. Verum peccatur heic plurimum, ut Prophetæ querantur. Pſal. 50: 18, 19, 20. Eſa. 59: 3. ſ. Jerem. 9: 3. ſ. Mich. 7: 5. Pſalm. 12: 3. ſ. Mich. 7. verſ. 1. ſ. Falſum teſtimonium quoque dicendum non eſt de ſeipſo; ut qui mentitus ſe Saulem necaſſe 2 Sam. 1. Prophetæ Samariæ 1 Reg. 13. Anania Act. 5. Simon cap. 8. qui ſe dicebant Judæos Apoc. 2: 9. cap. 3: 9. ſic Gal. 6: 3. Contra Johannes Joh. 1: 20. Chriſtus 1 Tim. 6: 13.

Eſt v. turpiſſimum peccatum, nullum magis contrarium Deo. Solus verax eſt, & veritas ipſa. Rom. 3: 4. Deut. cap. 32: 4. qui mentiri non poteſt Tit. 1: 2. Heb. 6: 17. Diabolus mendax & pater mendacii Joh. 8: 44. atque hinc omne medacium ad diabolum referendum eſt. Mendacium & calumnia fuere prima ejus arma ad occidendum hominem, Prov. 18. 21. 1 Sam. 22. Pſ. 52: 4. ſic 2 Sam. 16. Apoc. cap. 21: 8. & cap. 22: 15. Quocirca Eph. 4: 25. *Deponite mendacium, & loquimini veritatem quiſque cum proximo.* Pſ. 34: 13. ſ.

Enimvero duo ſunt mendaciorum genera, quæ nonnulli putant ſaltem excuſabilia, I. Officioſum, quo alicui commodum aliquod procuratur, aut incommodum amovetur. Sed huic contradicit lex בְּרֵעֶךָ non tantum ſignificat *contra proximum tuum*, ſed etiam *propter proximum tuum*. Proinde non dicendum, falſum teſtimonium propter ipſum, ſive in bonum, ſive in malum ejus. Rom. 3: 8. *non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.* ne quid pro Deo Job. 13: 7. an pro Deo loqueris inique? an pro ipſo loqueris deceptionem? Deus verax hoſtis eſt mendacii, Prov. 12: 22. mendaces perdet, à viris ſanguinis & doli abhorret Pſalm. 5: 7. II. Jocoſum, quo voluptatis ergo quis utatur, ſed apud Moſen hic refutatio eſt, non dicit *teſtis mendacii*, ut Exod. cap. 20: 16. ſed עֵד שָׁוְא *teſtis vanitatis:* non poteſt ad aliud genus revocari iſtud jocoſum. Et Mat: 12: 36. de quovis otioſo verbo reddenda ratio. Prov. 30: 6. *vanitatem & mendacium longe remove à me.* utrunque turpe & damnoſum eſt Eph. 5: 4.

Cavendum proinde eſt mendacium, mundandum cor à malitia, ut veritas ibi habitet, quo ex ejus plenitudine os loquatur, & tum lingua interpres mentis veritatem dicet. Implendum cor amore & teget multitudinem peccatorum ne ea effutiat lingua. Eſt ea alias malum indomitum, & quæ facile ab infernali igne accenditur. Jac. 3. neque uſpiam magis proclivis lapſus. Coercenda illa Pſ. 39: 2, 3. Rogandus profecto Deus Pſ. 147: 3, 4. Adſuefcenda lingua veritati, ut hæc ejus ſit exercitium, adeo ut in veritate ambulet coram Deo & hominibus. Sit ea medicina Prov. 12: 18. arbor vitæ cap. 15: 4. vitam dans cap. 18: 22. ſit gloria Pſ. 30: ult. glorificans Deum. Sic felicitas obtinget Pſal. 15. verſ. 2, 3. in monte Domini commorabitur, *qui integre ambulat, & operatur juſtitiam, & corde loquitur veritatem, qui lingua non detrahit, non tollit opprobrium contra proximum, hæc faciens non movebitur in æternum.*

Verſ. 21. *Neque concupiſcas uxorem proximi tui, neque expetas domum proximi tui, agrum ejus, aut ſervum ejus, aut ancillam ejus, bovem ejus, aut aſinum ejus, denique rem ullam quæ ſit proximi tui.*

b. (*Generale* præceptum ſequitur; quod poſtremum eſt.)

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Mat. cap. 22: 37. Deut 6: 5. hoc ſummam dicit præceptorum primæ tabulæ; ubi objectum Deus: actus, dilectio: modus actus, toto corde: Neque tamen omnia ſic exhauſta, ut nihil hujus remaneat aliò vertendum. Etenim ſumma alterius tabulæ præceptorum eſt. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*; ubi objectum, proximus: actus, dilectio; modus actus, *ut teipſum.* Differentia eſt quoad objecta, quæ maxima, iſtic Deus Creator & Gubernator omnium, hic creatura; iſtic herus rex abſolutæ poteſtatis, hic conſervus: unde Servator ait non ſolum illud *primum eſſe præceptum*, hoc *ſecundum*, quoad ordinem: ſed etiam illud eſſe *maximum*, ut alterum vix veniat in comparationem. Convenientia autem eſt quoad actum, utrobique dilectio: unde Servator ait, *Secundum priori eſſe ſimile.* Sed quæri poteſt, an etiam convenientia ſit quoad modum actus aut gradum? Erga Deum poſcitur ſummus amor ex toto corde: Erga proximum haud minor; nam quomodo amat quis ſeipſum? ſane toto corde. Impoſſibile eſt, ut quis ſe minus amet, Eph. 5: 29. neque Deus iſtud vetat. Non ponit modum amori ſui, ſed hunc normam facit & menſuram amoris proximi: non faceret autem normam, niſi bonum quid foret, & à ſe Deo implantatum homini. Equidem à Chriſto dicitur Mat. 10: 37. *ſi quis patrem, matrem, filium, filiamve diligit præ me, non eſt me dignus:* & Luc. 14: 26. *ſi quis venit ad me, & non odit patrem, matrem, filium, filiam, uxorem, vitam etiam propriam, nequit eſſe meus diſcipulus;* quomodo dilectio proximi poſtponitur Deo, & quoque ſui ipſius. Verum licet dilectio appelletur utrunque, tamen in oppoſitione iſta dilectio ſui ipſius non eſt dilectio, ſed odium potius, dilectionis colore tinctum, Mat. 10: 39. *qui invenit animam ſuam, perdet eam; & qui eam perdiderit propter me, inveniet eam.* Non eſt amor ſui, qui ſe perditum it. Ἀυλόχιμος qui ſui amore terminat omnes moleſtias vitæ maximus ſui oſor eſt. Qui corporis vitam, & quæ ad ejus voluptatem faciunt præfert Euangelio, & Chriſto ejuſque redemtioni, & Deo ejuſque gratiæ, oſor ſui eſt, qui animam corpore præſtantiorem perditum it. Qui ſe toto corde amat vere, nequit non Deum amare toto corde, in quo vivit, movetur & eſt; imo qui eſt uti vita & longitudo dierum, quæ vita Dei dicitur. Proinde dilectio ſui ipſius eſt toto corde, quod quivis intelligit, expreſſione nulla addita: Dilectio Dei autem hoc modo expreſſa eſt, quia iſtud non debuit ad normam creaturæ explicari, cui etiam creaturæ atque ſui ipſius amor cedere debet, Rom. 9: 3. unus optat anathema fieri à Chriſto, quo Iſraelis univerſi ſalute glorificaretur Chriſtus; quamquam etiam ſic ſe amet toto corde, qui in eo felicitatem conſtituit, quod medium ſit, inſtrumentumve glorificandi Dei. Eſt itaque dilectio proximi quoque toto corde. Hactenus quidem id non patuit; nam quæ mandata fuerunt circa proximum dilectionis officia fuerunt prohibitiones contrariarum dilectioni ejus Actionum, quoad vitam & eſſe ejus: quoad commoda vitæ & bene eſſe, tum in eo quod illi unitum arctiſſime in uxore, tum quod diviſum ab ipſo in facultatibus. Sermonum item quoad ejus famam. Nunc ſequitur prohibitio contrariarum cogitationum, quæ in corde ſunt, & ibi concipiuntur ac formantur. Atque ſic manifeſtum fit hic in decimo præcepto, imperari dilectionem proximi toto corde.

Eſt hoc præceptum ultimum, non ultima, quod plura diceret, quandoquidem unum eſt. Qui ſecundum de externa idololatria exemtum vellent ex Decalogo, quia ſuam praxin ſcandaloſam facit; ne numero deficiant, dividunt hoc in duo: & factum probant; quia bis verbum *Concupiſces* repetitur, quia Moſes duobus diverſis verbis utitur; quia objecta ſunt præceptis diſtincta, uxor ad ſeptimum, reliqua ad octavum præceptum pertinent. Sed perperam: repetitio verbi non multiplicat præceptum, quin potius multiplicationem prohibet, quia non alium actum dicit; unde petenda diſtinctio foret. Mutatio verbi non magis quia ejuſdem ſunt poteſtatis, aut ſi graduum diverſitas ſit, non variant genus; uti in ſecundo præcepto talis gradus eſt, *non facies, non incurvabis, non ſervies* nequidem coactus. Diſtinctio objectorum itidem nil huc facit, alioqui etiam in ſecundo præcepto valebit, atque etiam ſubjectorum in quarto. Quod objecta præceptis diſtinguantur antea non facit hic diſtinctionem, nam Exod. 20: 17. miſcentur, domus primum, deinde uxor, tum reliqua bona; quæ ſi partem faciant decimi, & domus nonum abſolvat, utique diſtinctio iſta evertitur: ſin ad domum referenda ſint, peccavit Deus, & Moſes ſapientius ordinavit, qui uxorem præpoſuit domo, quod blaſpheme dicetur. Sed porro non tantum duo, ſed quatuor hinc fingenda præcepta, ſi objecta faciant diſtinctionem, quæ expreſſa ſunt ad ſeptimum & ad octavum pertinent, ſed clauſula *quicquid proximi tui eſt*, non ad octavum eſt reſtringenda, verum etiam extendenda ad famam, & ad vitam proximi, eoque pertinet ad nonum & ſextum præceptum. Eſt tamen unum duntaxat, quemadmodum ab Apoſtolo citatur Rom. 7: 7, 8. cap. 13: 9.

Quod differentiam attinet, quæ hic & Exod. 20: 17. occurrit, ea ſe habet uti alias monuimus in cæteris; Moſes non ſimpliciter recitat Decalogum, ſed ſubinde attexit, quæ alibi à Deo de eodem argumento dicta fuerunt, aut etiam ad illuſtrationem faciebant. Sic ergo hic I. mutavit verbum ſemel. Deus bis dixit *non concupiſces*, Moſes ſemel, & ſemel, *non deſiderabis*, ut concupiſcentiam

tiam designari doceat non tantum cum formata vivit, sed etiam cum primum concipitur. II. mutavit ordinem. Deus observat seriem acquirendi, primo domus ubi habitet, deinde uxor vitæ socia in domum ducenda, tertio famulitium, qui opus facerent ad victum parandum, quarto jumenta, operi idonea, denique alia minoris momenti. Moses sequitur ordinem, delicti, gravissime peccatur contra uxorem, proxime contra immobilia, domum, tum contra possessionem hominum, pecudum, inanimatorum, quæ mobilia sunt. III. inseruit, *Agrum ejus.* Cum Deus promulgaret Decalogum, in nullius possessione erat ager; nam vagabantur in deserto: sed repetente Mose duæ & media tribus agros habebant, regna Sihonis & Og inter illas distributa: eoque horum eandem esse docuit rationem; collocavit à post domum, quod hæc homini adhuc sit proximior, utp. in qua habitat.

Cæterum ut ad ipsum præceptum accedamus, consideranda veniunt. I. Actus interdictus. II. Objecta circa quæ actus versatur.

a. Actus est לא תחמד *Non concupisces*, & לא תתאוה *non desiderabis.* Verba illa non discrepant multum; frequentissime redduntur ἐπιθυμέω, *concupisco.* Hebræi putant אוה *desiderium* primum, חמד *cupiditatem* cum voluntate conjunctam notare, ut hoc isto gravius sit. Est enim desiderium aliquod citra voluntatis assensum & electionem, aliud quod habet voluntatem consipirantem. Utrunque hic prohibetur. Non concupisces, non desiderabis. Sic apud Paulum recitatur: neque tamen absolute accipiendum est, ut omni cupiditate interdictum sit. Nam cupiditas omnis mala non est. Tribuitur Deo, à quo omne malum remotissimum est. Pf. 68: 17 *hunc montem* חמד *desideravit Deus ad habitationem sibi;* Pf. 132: 13. f. *Dominus elegit Zionem,* אוה *concupivit ad habitationem suam. Hæc est requies mea in æternum, hic habitabo, nam* אויתיה *concupivi eam,* & de Messia. Pf. 45: 12. tunc יתאו *desiderabit rex tuam pulchritudinem.* Sic Ecclesia, Cant. 2: 2. חמדתי B. **ik heb grooten luſt in ſyne ſchaduwe / en ſitter onder.** Esa. 26: 7,8. *anima mea* אויתיך *desideravi te nocte.* Et *cupiditas justorum est tantum bonum,* Prov. 11: 23. & hanc dabit Deus cap. 10: 24. Accedit, feciſſe Deum nonnulla desiderabilia, quæ proinde desiderare non potest non esse bonum, & talia aversari malum foret, contrarium sapientiæ & voluntati divinæ: in rebus naturalibus, Gen. 2: 9. *germinare fecerat Dominus Deus ex terra omnem arborem* נחמד *desiderabilem ad visum,* & in supernaturalibus. Pf. 19: 11. *judicia Domini* הנחמדים *desiderabiliora auro, etiam multo pretiosissimo.* imo Messias dicitur חמדת כל גוים *desiderium omnium gentium.* Hag. 2. vers. 8. & culpa fuit non desiderasse. Esa. 53: 2. quod est illud Joh. 1: 11. Itaque distinctione opus est; peti ea potest ex Objecto, rei bonæ cupiditas bona est & malæ mala, & mala damnatur. Res bona est quæ vel in se bona, vel quoad voluntatem Dei. Res mala contra quæ vel in se mala, vel quoad voluntatem Dei. Voluntas enim Dei quod in se bonum est potest homini facere malum; quemadmodum in positivis legibus de ciborum discrimine, 1 Tim. 4. vers. 4. omnis creatura Dei bona, & nihil repudiandum cum gratiarum actione perceptum. Eadem quod in se malum est, non culpæ sed triste potest homini facere bonum. Pf. 119: 71. Jer. 10: 24. Esa. 12: 1. Heb. 11: 24. f. *Moses æstimavit opprobrium Christi majores divitias,* &c. Potest etiam peti ex Subjecto homine, quo cum Deo loquenti res erat: qui considerandus venit sive in statu naturali & irregenitus, sive in statu gratiæ & regenitus. Illo modo gemina est Concupiscentia; Una qua homo est, creatura Dei, imaginem Dei adhuc gestans; tunc Cupiditas est facultas bona, & ejus actus bonus; motus nempe affectus seu appetitus, accedente etiam sæpe voluntate, qua fertur in id quòd naturaliter desiderabile est, istiusmodi factum à Deo. Consentaneum istud est voluntati divinæ & ad exemplum Dei, ita quoque desiderantis. Altera qua corruptus est gestans imaginem Diaboli. Hæc corruptio Caro dicitur, & vetus homo, quia in toto homine est idque ab ipso ejus ortu per generationem, atque tunc Cupiditas, occupata à carne, mala est, & actio ejus mala, appetitu solo, vel cum voluntate, moto à corruptione; fertur autem tantum ad malum. Eph. 2: 3. cap. 14: 2. Hæc est Cupiditas carnis, Concupiscentia quæ peccatum, & peccatum peccans, & lex membrorum, agens ex lege peccati, appellatur. Rom. 7: 13—23. Isto modo triplex: nam duæ istæ adsunt, quæ ex creatione, & quæ ex peccato. Regeniti enim sunt homines, unde cupiditas bona, sed indifferens ad utrunque: & Corrupti, unde cupiditas mala tantum & incorrigibiliter mala; quamdiu quicquam ejus adest, quicquam veteris hominis, & accedit tertia, quæ ex gratia est, & regeneratione. Hæc dicitur Spiritus; & Interior ac novus homo, respectu corruptionis, quæ Caro, exterior, & vetus homo appellatur. Pervadit, quod innovatur totum hominem qua creatura Dei est, eoque utitur, adeoque occupans & movens Cupiditatem, bonam facit, & actionem ejus. Hæc est Cupiditas Spiritus, concupiscentiæ illi quæ carnis est contraria. Gal. 5: 17. estque lex mentis agens secundum legem Dei, eique serviens Rom. 7: 23—26. Jam ut ad interdictum Dei veniamus, loquitur istud de Cupiditate non tertii generis, eam Deus efficit per Spiritum regenerantem. Joh. 3: 6. semperque consentit voluntati divinæ. 1 Joh. 3: 9. Neque secundi generis, ea incurabilis. Joh. 3: 6. Rom. 8: 7. imitatio diaboli Joh. 8: 44. quæ oppugnanda, & destruenda, & cum veteri homine, cujus pars est, abolenda est. Sed primi generis; Homini, creaturæ suæ Deus dat legem, atque interdicit cupiditati, quæ uti initio mutabilis fuit condita, sic quoque nunc ad malum se applicare potest, etiam in rebus naturalibus, & quæ eo referri debent: quod prohibetur, maxime ne se inhærenti carni & cupiditati ejus unquam uniat, atque ab illa se regi patiatur. Gal. 5: 16. Rom. 6: 12. Illud v. quod concupiscere prohibet est omne malum turpe per se, quicquid opus legis inscriptum cordi malum esse dictat. Rom. 2. 15. pietati adversum justitiæque manifestis in homine naturaliter. Nam quicquid hujus generis est malum, ejus quoque cupiditas mala est. Occidere, mœchari, furari est malum, & sic quoque cupiditas horum. Datur quoque malum per accidens, ex Dei voluntate mera: quando res per se bona est, vel indifferens, sed positiva lege Dei interdicta. Hujus prohibitio non excedit definitionem. Si tantum actus interdictus sit, concupiscentia licita est: Sed hæc illicita, si diserte ipsamet interdicta. Vita omnis bonum est, & sua natura desiderabile. Pf. 34: 13. Job. 2: 4. nemo peccat desiderando vitam. Sed si Deus jubeat deponere vitam, parendum est; attamen desiderium seu cupiditas vitæ non peccat, siquidem voluntas non sequatur concupiscentiam, sed voluntatem & mandatum Dei. Exemplo Christi Mat. cap. 26: 39. Cupiebat vitam servare, quam desiderabilem fecerat Deus; sed quia mandatum Dei jubebat eam ponere, voluntate ipsius sequente non cupiditatem, sed mandatum Dei nullum in eo fuit peccatum. Hinc Hebræi dicunt, in ejusmodi positivis mandatis (non in illis prioris generis) melius esse concupiscere quam non concupiscere, dummodo actus interdictus ob reverentiam Dei omittatur, ut cum Deus prohibuisset vesci adipe; qui aversabatur adipem abstinendo non obtemperabat Deo, neque obedientiæ laudem habebat. Sed qui impense amabat, si diceret, *quam vellem comedere, sed prohibuit Pater noster qui est in cœlis,* & abstineret, is vere obediens fuit. Ast si hic quoque concupiscentia prohibita sit, in ea quoque est peccatum. Deut. cap. 7: 25. f. Aurum & argentum sunt desiderabilia, & Cananæorum Israelitis, quibus Deus dederat; sed si forent adhibita idolis, non solum idola destruenda, sed etiam aurum ipsorum abominandum neque concupiscendum. Contra peccavit Achan in spoliis Jerichuntis, vidit & concupivit & rapuit de anathemate. Jos. 7: 21. Porro prohibito desiderio seu concupiscentia rei per se malæ seu turpis, non tantum spectatur quando consensus voluntatis quæ חמדה accessit, sed etiam ante illum quæ תאוה consensum. Esa. cap. 59: 12, 13. *Deficere & mentiri in Dominum, & avertere se à sequendo Deum nostrum, loqui oppressionem & apostasiam,* (hæ sunt actiones in factis & dictis) *concipere & meditari ex animo verba falsa:* non est eloqui falsa, sed meditari ea הגה quod fit in corde, & habet voluntatem consentientem: & antecedit, quod itidem annumeratur peccatis, conceptus הרה, quando objectum cum aliqua voluptate recipitur Jac. 1: 14. f. quivis tentatur quando à propria

Eſt v. turpiſſimum peccatum, nullum magis contrarium Deo. Solus verax eſt, & veritas ipſa. Rom. 3: 4. Deut. cap. 32: 4. qui mentiri non poteſt Tit. 1: 2. Heb. 6: 17. Diabolus mendax & pater mendacii Joh. 8: 44. atque hinc omne medacium ad diabolum referendum eſt. Mendacium & calumnia fuere prima ejus arma ad occidendum hominem, Prov. 18. 21. 1 Sam. 22. Pſ. 52: 4. ſic 2 Sam. 16. Apoc. cap. 21: 8. & cap. 22: 15. Quocirca Eph. 4: 25. *Deponite mendacium, & loquimini veritatem quiſque cum proximo.* Pſ. 34: 13. ſ.

Enimvero duo ſunt mendaciorum genera, quæ nonnulli putant ſaltem excuſabilia, I. Officioſum, quo alicui commodum aliquod procuratur, aut incommodum amovetur. Sed huic contradicit lex בְּרֵעֶךָ non tantum ſignificat *contra proximum tuum*, ſed etiam *propter proximum tuum*. Proinde non dicendum, falſum teſtimonium propter ipſum, ſive in bonum, ſive in malum ejus. Rom. 3: 8. *non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.* ne quid pro Deo Job. 13: 7. an pro Deo loqueris inique? an pro ipſo loqueris deceptionem? Deus verax hoſtis eſt mendacii, Prov, 12: 22. mendaces perdet, à viris ſanguinis & doli abhorret Pſalm. 5: 7. II. Jocoſum, quo voluptatis ergo quis utatur, ſed apud Moſen hic refutatio eſt, non dicit *teſtis mendacii*, ut Exod. cap. 20: 16. ſed עֵד שָׁוְא *teſtis vanitatis:* non poteſt ad aliud genus revocari iſtud jocoſum. Et Mat: 12: 36. de quovis otioſo verbo reddenda ratio. Prov. 30: 6. *vanitatem & mendacium longe remove à me.* utrunque turpe & damnoſum eſt Eph. 5: 4.

Cavendum proinde eſt mendacium, mundandum cor à malitia, ut veritas ibi habitet, quo ex ejus plenitudine os loquatur, & tum lingua interpres mentis veritatem dicet. Implendum cor amore & teget multitudinem peccatorum ne ea effutiat lingua. Eſt ea alias malum indomitum, & quæ facile ab infernali igne accenditur. Jac. 3. neque uſpiam magis proclivis lapſus. Coercenda illa Pſ. 39: 2, 3. Rogandus profecto Deus Pſ. 147: 3, 4. Adſuefcenda lingua veritati, ut hæc ejus ſit exercitium, adeo ut in veritate ambulet coram Deo & hominibus. Sit ea medicina Prov. 12: 18. arbor vitæ cap. 15: 4. vitam dans cap. 18: 22. ſit gloria Pſ. 30: ult. glorificans Deum. Sic felicitas obtinget Pſal. 15. verſ. 2, 3. in monte Domini commorabitur, *qui integre ambulat, & operatur juſtitiam, & corde loquitur veritatem, qui lingua non detrahit, non tollit opprobrium contra proximum, hæc faciens non movebitur in æternum.*

Verſ. 21. *Neque concupiſcas uxorem proximi tui, neque expetas domum proximi tui, agrum ejus, aut ſervum ejus, aut ancillam ejus, bovem ejus, aut aſinum ejus, denique rem ullam quæ ſit proximi tui.*

b. (*Generale* præceptum ſequitur; quod poſtremum eſt.)

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Mat. cap. 22: 37. Deut 6: 5. hoc ſummam dicit præceptorum primæ tabulæ; ubi objectum Deus: actus, dilectio: modus actus, toto corde: Neque tamen omnia ſic exhauſta, ut nihil hujus remaneat aliò vertendum. Etenim ſumma alterius tabulæ præceptorum eſt. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*; ubi objectum, proximus: actus, dilectio; modus actus, *ut teipſum.* Differentia eſt quoad objecta, quæ maxima, iſtic Deus Creator & Gubernator omnium, hic creatura; iſtic herus rex abſolutæ poteſtatis, hic conſervus: unde Servator ait non ſolum illud *primum eſſe præceptum*, hoc *ſecundum*, quoad ordinem: ſed etiam illud eſſe *maximum*, ut alterum vix veniat in comparationem. Convenientia autem eſt quoad actum, utrobique dilectio: unde Servator ait, *Secundum priori eſſe ſimile.* Sed quæri poteſt, an etiam convenientia ſit quoad modum actus aut gradum? Erga Deum poſcitur ſummus amor ex toto corde: Erga proximum haud minor; nam quomodo amat quis ſeipſum? ſane toto corde. Impoſſibile eſt, ut quis ſe minus amet, Eph. 5: 29. neque Deus iſtud vetat. Non ponit modum amori ſui, ſed hunc normam facit & menſuram amoris proximi: non faceret autem normam, niſi bonum quid foret, & à ſe Deo implantatum homini. Equidem à Chriſto dicitur Mat. 10: 37. *ſi quis patrem, matrem, filium, filiamve diligit præ me, non eſt me dignus:* & Luc. 14: 26. *ſi quis venit ad me, & non odit patrem, matrem, filium, filiam, uxorem, vitam etiam propriam, nequit eſſe meus diſcipulus;* quomodo dilectio proximi poſtponitur Deo, & quoque ſui ipſius. Verum licet dilectio appelletur utrunque, tamen in oppoſitione iſta dilectio ſui ipſius non eſt dilectio, ſed odium potius, dilectionis colore tinctum, Mat. 10: 39. *qui invenit animam ſuam, perdet eam; & qui eam perdiderit propter me, inveniet eam.* Non eſt amor ſui, qui ſe perditum it. Ἀυτόχειρ qui ſui amore terminat omnes moleſtias vitæ maximus ſui oſor eſt. Qui corporis vitam, & quæ ad ejus voluptatem faciunt præfert Euangelio, & Chriſto ejuſque redemtioni, & Deo ejuſque gratiæ, oſor ſui eſt, qui animam corpore præſtantiorem perditum it. Qui ſe toto corde amat vere, nequit non Deum amare toto corde, in quo vivit, movetur & eſt; imo qui eſt uti vita & longitudo dierum, quæ vita Dei dicitur. Proinde dilectio ſui ipſius eſt toto corde, quod quivis intelligit, expreſſione nulla addita: Dilectio Dei autem hoc modo expreſſa eſt, quia iſtud non debuit ad normam creaturæ explicari, cui etiam creaturæ atque ſui ipſius amor cedere debet, Rom. 9: 3. unus optat anathema fieri à Chriſto, quo Iſraelis univerſi ſalute glorificaretur Chriſtus; quamquam etiam ſic ſe amet toto corde, qui in eo felicitatem conſtituit, quod medium ſit, inſtrumentumve glorificandi Dei. Eſt itaque dilectio proximi quoque toto corde. Hactenus quidem id non patuit; nam quæ mandata fuerunt circa proximum dilectionis officia fuerunt prohibitiones contrariarum dilectioni ejus Actionum, quoad vitam & eſſe ejus: quoad commoda vitæ & bene eſſe, tum in eo quod illi unitum arctiſſime in uxore, tum quod diviſum ab ipſo in facultatibus. Sermonum item quoad ejus famam. Nunc ſequitur prohibitio contrariarum cogitationum, quæ in corde ſunt, & ibi concipiuntur ac formantur. Atque ſic manifeſtum ſit hic in decimo præcepto, imperari dilectionem proximi toto corde.

Eſt hoc præceptum ultimum, non ultima, quod plura diceret, quandoquidem unum eſt. Qui ſecundum de externa idololatria exemtum vellent ex Decalogo, quia ſuam praxin ſcandaloſam facit; ne numero deficiant, dividunt hoc in duo: & factum probant; quia bis verbum *Concupiſces* repetitur, quia Moſes duobus diverſis verbis utitur; quia objecta ſunt præceptis diſtincta, uxor ad ſeptimum, reliqua ad octavum præceptum pertinent. Sed perperam: repetitio verbi non multiplicat præceptum, quin potius multiplicationem prohibet, quia non alium actum dicit; unde petenda diſtinctio foret. Mutatio verbi non magis quia ejuſdem ſunt poteſtatis, aut ſi graduum diverſitas ſit, non variant genus; uti in ſecundo præcepto talis gradus eſt, *non facies, non incurvabis, non ſervies* nequidem coactus. Diſtinctio objectorum itidem nil huc facit, alioqui etiam in ſecundo præcepto valebit, atque etiam ſubjectorum in quarto. Quod objecta præceptis diſtinguantur antea non facit hic diſtinctionem, nam Exod. 20: 17. miſcentur, domus primum, deinde uxor, tum reliqua bona; quæ ſi partem faciant decimi, & domus nonum abſolvat, utique diſtinctio iſta evertitur: ſin ad domum referenda ſint, peccavit Deus, & Moſes ſapientius ordinavit, qui uxorem præpoſuit domo, quod blaſpheme dicetur. Sed porro non tantum duo, ſed quatuor hinc fingenda præcepta, ſi objecta faciant diſtinctionem, quæ expreſſa ſunt ad ſeptimum & ad octavum pertinent, ſed clauſula *quicquid proximi tui eſt*, non ad octavum eſt reſtringenda, verum etiam extendenda ad famam, & ad vitam proximi, eoque pertinet ad nonum & ſextum præceptum. Eſt tamen unum duntaxat, quemadmodum ab Apoſtolo citatur Rom. 7: 7, 8. cap. 13: 9.

Quod differentiam attinet, quæ hic & Exod. 20: 17. occurrit, ea ſe habet uti alias monuimus in cæteris; Moſes non ſimpliciter recitat Decalogum, ſed ſubinde attexit, quæ alibi à Deo de eodem argumento dicta fuerunt, aut etiam ad illuſtrationem faciebant. Sic ergo hic I. mutavit verbum ſemel. Deus bis dixit *non concupiſces*, Moſes ſemel, & ſemel, *non deſiderabis*, ut concupiſcentiam

tiam deſignari doceat non tantum cum formata vivit, ſed etiam cum primum concipitur. II. mutavit ordinem. Deus obſervat ſeriem acquirendi, primo domus ubi habitet, deinde uxor vitæ ſocia in domum ducenda, tertio famulitium, qui opus facerent ad victum parandum, quarto jumenta, operi idonea, denique alia minoris momenti. Moſes ſequitur ordinem, delicti, graviſſime peccatur contra uxorem, proxime contra immobilia, domum, tum contra poſſeſſionem hominum, pecudum, inanimatorum, quæ mobilia ſunt. III. inſeruit, *Agrum ejus.* Cum Deus promulgaret Decalogum, in nullius poſſeſſione erat ager; nam vagabantur in deſerto: ſed repetente Moſe duæ & media tribus agros habebant, regna Sihonis & Og inter illas diſtributa: eoque horum eandem eſſe docuit rationem; collocavit à poſt domum, quod hæc homini adhuc ſit proximior, utp. in qua habitat.

Cæterum ut ad ipſum præceptum accedamus, conſideranda veniunt. I. Actus interdictus. II. Objecta circa quæ actus verſatur.

a. Actus eſt לא תחמד *Non concupiſces*, & לא תאוה *non deſiderabis.* Verba illa non diſcrepant multum; frequentiſſime redduntur ἐπιθυμέω, *concupiſco.* Hebræi putant אוה *deſiderium* primum, חמד *cupiditatem* cum voluntate conjunctam notare, ut hoc iſto gravius ſit. Eſt enim deſiderium aliquod citra voluntatis aſſenſum & electionem, aliud quod habet voluntatem conſpirantem. Utrunque hic prohibetur. Non concupiſces, non deſiderabis. Sic apud Paulum recitatur: neque tamen abſolute accipiendum eſt, ut omni cupiditate interdictum ſit. Nam cupiditas omnis mala non eſt. Tribuitur Deo, à quo omne malum remotiſſimum eſt. Pſ. 68: 17 *hunc montem* חמד *deſideravit Deus ad habitationem ſibi;* Pſ. 132: 13. ſ. *Dominus elegit Zionem,* אוה *concupivit ad habitationem ſuam. Hæc eſt requies mea in æternum, hic habitabo, nam* אויתיה *concupivi eam,* & de Meſſia. Pſ. 45: 12. tunc יתאו *deſiderabit rex tuam pulchritudinem.* Sic Eccleſia, Cant. 2: 2. חמדתי B. ik heb grooten luſt in ſyne ſchaduwe / en ſitter onder. Eſa. 26: 7,8. *anima mea* אויתיך *deſideravi te nocte.* Et *cupiditas juſtorum eſt tantum bonum,* Prov. 11: 23. & hanc dabit Deus cap. 10: 24. Accedit, feciſſe Deum nonnulla deſiderabilia, quæ proinde deſiderare non poteſt non eſſe bonum, & talia averſari malum foret, contrarium ſapientiæ & voluntati divinæ: in rebus naturalibus, Gen. 2: 9. *germinare fecerat Dominus Deus ex terra omnem arborem* נחמד *deſiderabilem ad viſum,* & in ſupernaturalibus. Pſ. 19: 11. *judicia Domini* הנחמדים *deſiderabiliora auro, etiam multo precioſſimo.* imo Meſſias dicitur חמדת כל גוים *deſiderium omnium gentium.* Hag. 2. verſ. 8. & culpa fuit non deſideraſſe. Eſa. 53: 2. quod eſt illud Joh. 1: 11. Itaque diſtinctione opus eſt; peti ea poteſt ex Objecto, rei bonæ cupiditas bona eſt & malæ mala, & mala damnatur. Res bona eſt quæ vel in ſe bona, vel quoad voluntatem Dei. Res mala contra quæ vel in ſe mala, vel quoad voluntatem Dei. Voluntas enim Dei quod in ſe bonum eſt poteſt homini facere malum; quemadmodum in poſitivis legibus de ciborum diſcrimine, 1 Tim. 4. verſ. 4. omnis creatura Dei bona, & nihil repudiandum cum gratiarum actione perceptum. Eadem quod in ſe malum eſt, non culpæ ſed triſte poteſt homini facere bonum. Pſ. 119: 71. Jer. 10: 24. Eſa. 12: 1. Heb. 11: 24. ſ. *Moſes æſtimavit opprobrium Chriſti majores divitias,* &c. Poteſt etiam peti ex Subjecto homine, quo cum Deo loquenti res erat: qui conſiderandus venit ſive in ſtatu naturali & irregenitus, ſive in ſtatu gratiæ & regenitus. Illo modo gemina eſt Concupiſcentia; Una qua homo eſt, creatura Dei, imaginem Dei adhuc geſtans; tunc Cupiditas eſt facultas bona, & ejus actus bonus; motus nempe affectus ſeu appetitus, accedente etiam ſæpe voluntate, qua fertur in id quod naturaliter deſiderabile eſt, iſtiuſmodi factum à Deo. Conſentaneum iſtud eſt voluntati divinæ & ad exemplum Dei, ita quoque deſiderantis. Altera qua corruptus eſt geſtans imaginem Diaboli. Hæc corruptio Caro dicitur, & vetus homo, quia in toto homine eſt idque ab ipſo ejus ortu per generationem, atque tunc Cupiditas, occupata à carne, mala eſt, & actio ejus mala, appetitu ſolo, vel cum voluntate, moto à corruptione; fertur autem tantum ad malum. Eph. 2: 3. cap. 14: 2. Hæc eſt Cupiditas carnis, Concupiſcentia quæ peccatum, & peccatum peccans, & lex membrorum, agens ex lege peccati, appellatur. Rom. 7: 13--23. Iſto modo triplex: nam duæ iſtæ adſunt, quæ ex creatione, & quæ ex peccato. Regeniti enim ſunt homines, unde cupiditas bona, ſed indifferens ad utrunque: & Corrupti, unde cupiditas mala tantum & incorrigibiliter mala; quamdiu quicquam ejus adeſt, quicquam veteris hominis, & accedit tertia, quæ ex gratia eſt, & regeneratione. Hæc dicitur Spiritus; & Interior ac novus homo, reſpectu corruptionis, quæ Caro, exterior, & vetus homo appellatur. Pervadit, quod innovatur totum hominem qua creatura Dei eſt, eoque utitur, adeoque occupans & movens Cupiditatem, bonam facit, & actionem ejus. Hæc eſt Cupiditas Spiritus, concupiſcentiæ illi quæ carnis eſt contraria. Gal. 5: 17. eſtque lex mentis agens ſecundum legem Dei, eique ſerviens Rom. 7: 23--26. Jam ut ad interdictum Dei veniamus, loquitur iſtud de Cupiditate non tertii generis, eam Deus efficit per Spiritum regenerantem. Joh. 3: 6. ſemperque conſentit voluntati divinæ. 1 Joh. 3: 9. Neque ſecundi generis, ea incurabilis. Joh. 3: 6. Rom. 8: 7. imitatio diaboli Joh. 8: 44. quæ oppugnanda, & deſtruenda, & cum veteri homine, cujus pars eſt, abolenda eſt. Sed primi generis; Homini, creaturæ ſuæ Deus dat legem, atque interdicit cupiditati, quæ uti initio mutabilis fuit condita, ſic quoque nunc ad malum ſe applicare poteſt, etiam in rebus naturalibus, & quæ eo referri debent: quod prohibetur, maxime ne ſe inhærenti carni & cupiditati ejus unquam uniat, atque ab illa ſe regi patiatur. Gal. 5: 16. Rom. 6: 12. Illud v. quod concupiſcere prohibet eſt omne malum turpe per ſe, quicquid opus legis inſcriptum cordi malum eſſe dictat. Rom. 2. 15. pietati adverſum juſtitiæque manifeſtis in homine naturaliter. Nam quicquid hujus generis eſt malum, ejus quoque cupiditas mala eſt. Occidere, mœchari, furari eſt malum, & ſic quoque cupiditas horum. Datur quoque malum per accidens, ex Dei voluntate mera: quando res per ſe bona eſt, vel indifferens, ſed poſitiva lege Dei interdicta. Hujus prohibitio non excedit definitionem. Si tantum actus interdictus ſit, concupiſcentia licita eſt: Sed hæc illicita, ſi diſerte ipſamet interdicta. Vita omnis bonum eſt, & ſua natura deſiderabile. Pſ. 34: 13. Job. 2: 4. nemo peccat deſiderando vitam. Sed ſi Deus jubeat deponere vitam, parendum eſt; attamen deſiderium ſeu cupiditas vitæ non peccat, ſiquidem voluntas non ſequatur concupiſcentiam, ſed voluntatem & mandatum Dei. Exemplo Chriſti Mat. cap. 26: 39. Cupiebat vitam ſervare, quam deſiderabilem fecerat Deus; ſed quia mandatum Dei jubebat eam ponere, voluntate ipſius ſequente non cupiditatem, ſed mandatum Dei nullum in eo fuit peccatum. Hinc Hebræi dicunt, in ejuſmodi poſitivis mandatis (non in illis prioris generis) melius eſſe concupiſcere quam non concupiſcere, dummodo actus interdictus ob reverentiam Dei omittatur, ut cum Deus prohibuiſſet veſci adipe; qui averſabatur adipem abſtinendo non obtemperabat Deo, neque obedientiæ laudem habebat. Sed qui impenſe amabat, ſi diceret, *quam vellem comedere, ſed prohibuit Pater noſter qui eſt in cœlis,* & abſtineret, is vere obediens fuit. Aſt ſi hic quoque concupiſcentia prohibita ſit, in ea quoque eſt peccatum. Deut. cap. 7: 25. ſ. Aurum & argentum ſunt deſiderabilia, & Cananæorum Iſraelitis, quibus Deus dederat; ſed ſi forent adhibita idolis, non ſolum idola deſtruenda, ſed etiam aurum ipſorum abominandum neque concupiſcendum. Contra peccavit Achan in ſpoliis Jerichuntis, vidit & concupivit & rapuit de anathemate. Joſ. 7: 21. Porro prohibito deſiderio ſeu concupiſcentia rei per ſe malæ ſeu turpis, non tantum ſpectatur quando conſenſus voluntatis quæ חמדה acceſſit, ſed etiam ante illum quæ תאוה conſenſum. Eſa. cap. 59: 12, 13. *Deficere & mentiri in Dominum, & avertere ſe à ſequendo Deum noſtrum, loqui oppreſſionem & apoſtaſiam,* (hæ ſunt actiones in factis & dictis) *concipere & meditari ex animo verba falſa:* non eſt eloqui falſa, ſed meditari ea הגה quod fit in corde, & habet voluntatem conſentientem: & antecedit, quod itidem annumeratur peccatis, conceptus הרה, quando objectum cum aliqua voluptate recipitur Jac. 1: 14. ſ. quivis tentatur quando à propria

pria cupiditate abducitur & ineſcatur, hic conceptus eſt, poſt cupiditas, quæ concepta eſt, parit peccatum. Peccatum eſt actus externus, inter quem & conceptum intercedit formatio, quando voluntas cupiditatem conceptam fovet & format, ut accipiat per partum plenam formam, Eph. 2: 3.

Veruntamen Peccatum originis hic interdictum non eſt, non quod malum non ſit, ſed quod ſub interdictum non cadat. Loquitur Deus hominibus natis, & adultis; qui cauſa ejus peccati ſibi non ſunt, ſed parentes, contra quos tamen ipſis litigare vetitum, Eſa. 45: 10. Præſcribit Deus obedientiam in futurum quam præſtarent fœderati: promiſerat ante ſe præteritum reatum aboliturum, quando regnum Sacerdotum ſibi fore dixit Exod. 19: 5. per Sacerdotium conciliandos expiatione facta.

b. Objecta ſunt quorum actus prohibentur, præcepto, VII. *uxor proximi*, quæ alius eſt; nam quæ nullius, innupta, concupiſci poteſt, ad legitimam vitæ ſocietatem. Sed quæ proximi eſt nequit fieri tua, & ne quidem id deſiderandum Prov. 6: 23. ſ. *Præceptum lucerna eſt & lex lux, ut cuſtodiant te à mala muliere; ne concupiſce pulchritudinem ejus in corde tuo, & ne capiat te ſuis palpebris, qui ingreditur ad uxorem proximi, quisquis eam tangit non erit inſons* Hinc Job. 31: 9. *fœdus pepigi cum oculis meis, ne ad virginem reſpicerem.* Sic Servator Mat. 5: 28. *Ego dico vobis, qui intuetur mulierem ut eam concupiſcat, jam mœchatus eſt cum ipſa in corde ſuo.* Præcepto VIII. domus, ager, & quæcunque bona habet immobilia vel mobilia. Mich. 2: 1, 2. *Væ meditantibus iniquitatem & operantibus malum in cubilibus ſuis, lucem matutinam faciunt eam*, &c. Hoc habet actum externum, illa conceptum, & formationem internam; quæ dicuntur cupiditas & illud rapina. Sic Achab Nabothi vineam concupivit, tanta violentia deſiderii, ut inde ægrotaret 1 Reg. 21: 4. & Jojakim. Jer. 22: 17. Et omnes avari. Sed inſuper etiam præcepto VI. & IX. inter ea quæ proximi ſunt, eſt etiam ejus vita X. fama: quæ concupiſcere, hic interdictum, licet non enumerentur quia nihil inde accedit concupiſcentibus quando perficiunt, uti in prioribus. De VI. explicat Chriſtus Mat. 5: 22. *Ego dico vobis, qui ſine cauſa iraſcitur fratri, reus erit judicio* (exciſionis per manus cœlorum,) & qui fratri dicit Raka, (contumelia verbalis eſt,) *reus erit Synedrii*, (ut pœnam ferat ab hominibus,) *& qui dicit Stulte* (itidem verbalis, deſperate Impium & damnandum dicens) *reus erit gehennæ ignis*; ut quod cogitavit fratri facere ipſe ferat. Omnis injuſta ira, odium, vindictæ cupiditas; Sic Eſau necem fratris Jacobi, Abſalom Ammomis, Haman Mardochæi, David Uriæ concupivit. Omnis cogitatio & deſiderium imminuendæ famæ proximi, Zach. 8: 17. *alter alterius malum ne cogitetis cum animo veſtro.* Ziba contra Mephiboſethum, Abſalom contra Davidem, falſi teſtes, dum meditantur ſua mendacia & calumnias. Act. 5: 3. *quare Satanas implevit cor tuum, ut mentireris Spiritui Sancto*: qui nihil locutus legitur. Mat. 9: 3. ſ. Scribæ in corde dixerunt, hic blaſphemat. Eſa. 59: 13.

Atque hinc liquet quod Paulus inde probat, *Legem eſſe Spiritualem.* Rom. 7: 14. quæ Spiritualitas in hoc X. præcepto præcepta, reſpectu ſecundæ tabulæ, uti in primo, reſpectu primæ. Multi abſtinent ab externo actu homicidii, adulterii, furti, falſi teſtimonii: ſed non ſunt eapropter obſervatores legis. Credidit hoc de ſe Paulus ante majorennitatem ſuam. Rom. 7: 9. & hinc ſe vivere: ſed ubi ad X. ſe teneri vidit, mortuum ſe animadvertit, non tantum non obedientem, ſed etiam ad obedientiam impotentem, cadaveris inſtar. Nam Jac. 2: 10, 11. *Lex dixit, non concupiſces* eoque cupiditatem peccati damnavit, & ego venditus ſub peccato, non faciens bonum ſed malum, per peccatum in me habitans. Hinc Divinitas Decalogi evincitur. Leges humanæ ſermones & actiones externas moderantur, Cogitationes & cupiditates culpam non habent. Aſt heic cor, cogitationes & cupiditates quoque circumſcribuntur legibus. Deus videt & judicat cogitationes Gen. 6: 5. cap. 8: 21. 1 Chron. 28: 9. Mat. 15: 19. *Ex corde prodeunt cogitationes malæ*, &c. dum adhuc in corde ſunt malæ etiam. Gal. 5: 19. Unde horum remiſſio petenda. Act. 8: 22. *ut cogitationes cordis remittantur tibi*, & purgatio inſtituenda. Jer. 4: 14. uti otioſum verbum damnabile, ſic quoque otioſa cogitatio, quæ hoſpitium conſequitur. Atque hinc intelligimus quod Chriſtus ait. Mat. cap. 5: 20. niſi abundaverit, &c. Phariſæi & Scribæ multum præſtabant: erat illorum ſecta ἀκριβεστάτη. Act. 26: 5. ſed quia hic non attenderunt; nihil egerunt Mat. 23 37. Luc. cap. 11: 39. Non dixit hoc Chriſtus Judæis, ſed diſcipulis; eoque nos quoque attinet, ne quis removeat iſtam præciſitatem ab Euangelica profeſſione. Etiam ipſi debent ἀκριβῶς ambulare, intelligentes quæ ſit voluntas Dei. Eph. 5. verſ. 15. ſ. Non concupiſcendum quod proximi eſt, & implebimus omnem juſtitiam ſecundæ tabulæ & diligemus proximum ut nos ipſos, toto corde. Eſt hic medium ſalutare ἀυτάρκεια, regulata ab Apoſtolo, 1 Tim 6: 6--8. Qui acquieſcit ſua vita, conjuge, facultatibus, fama, non deſiderabit eadem proximi: quod facit ille qui propria leviora putat, ſi alius aliquid iſtorum habet, quod tantundem aut pluris ſit quam ſua. Sed quæ à Deo petenda eſt ut det panem Prov. 30: 8. ſufficientiæ, & gaudium in ſua ſorte, Eccl. 2: 24. cap. 5: 18. Eſau dicebat Jacobo, *Habeo multum, tuum ſit quod habes* Gen. 33: 9. aſt Jacob habeo omnia, verſ. 11. Pius αὐτάρκης habet omnia. Heb. 13: 5. ſ. Deum poſſidens habet omnia. Pſ. 4: 7, 8. Job. 22: 25, 26. Præterea ut hic ſatisfaciamus ipſi quoque ſpiritualitati legis exercenda Obedientia fidei: ut quia ex nobis non ſufficimus ne quidem ad cogitandum quid boni 2 Cor. 3: 5. extra nos quæramus & apprehendamus vires, quæ ſunt in Chriſto cum plenitudine. Joh. 1: 12--14--16. cap. 15: 5. immanetur autem fide. Col. 2: 6, 7. Hoſ. 14: 9. Phil. 4: 13. Eſa. 40. verſ. 29--31. dat feſſis robur, & qui nullis viribus ſunt illis vires multiplicat; qui exſpectant Dominum, &c. adeoque currunt, &c. Pſ. 119: 32. Et hic denique ſollicitandus Deus Pſ. 51: 12. fœderale bonum eſt. Jer. 32: 38. ſ. Ezech. 36. verſ. 26. ſ. Sic & hanc & omnes Decalogi leges obſervabimus, Spiritu Chriſti in nobis vivente, & operante ut ambulemus ſecundum non carnem ſed ſpiritum, & jus legis in nobis ſic impleatur. Rom. 8: 2--4. Mat. 5: 19. *qui minimum præceptorum fecerit, magnus vocabitur in regno cœlorum.* Adeoque labor noſter, ſiquidem conſtantes, immoti, ſemper abundantes ſimus in opere Domini, non erit vanus in Domino 1 Cor. 15: 58. ſed ita abundanter nobis ſuppeditabitur ingreſſus in æternum regnum Domini & ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti. 2 Pet. 1: 11.

Verſ. 22. ***Hæc verba edixit Jehova toti congregationi veſtræ in ipſo monte, è medio ignis nubis & caliginis voce magna, neque*** ulterius *perrexit: ſed inſcripſit illa duabus tabulis lapideis quas dedi mihi.*

Verſ. 23. ***Fuit enim quum audiſſetis vocem illam è medio tenebrarum illarum & montis ardentis igne, ut accederetis ad me, omnes primores tribuum veſtrarum & ſeniores veſtri:***

III. Sequitur INSTITUTIO MOSIS INTERNUNCII, verſ. 22--23.

Cum Regina Sabæ vidiſſet ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificarat, & cæterum apparatum aulæ ipſius, & miniſtrorum multitudinem & ordinem, & adſcenſum ejus in domum Dei, non fuit in ipſa amplius ſpiritus: dixitque ad regem, confitendo veriſſimam fuiſſe famam ſapientiæ ejus quam audiviſſet, imo ne medium quidem ejus ſibi indicatum eſſe; cum longe exceſſerit ſapientia & bono: tum felices prædicavit, miniſtros ejus & ſubditos; quibus daretur jugiter conſiſtere coram ejus facie, ad audiendam ſapientiam ejus: denique laudavit Deum qui ipſum conſtituiſſet regem Iſraelis, nam quia Dominus Iſraelem in æternum amet, ipſum dediſſe regem, 1 Reg. 10: 4--9. Servator noſter hujus hiſtotiæ mentione facta ait, *aliquid majus Salomone hic eſt*, Mat. 12: 42 collato hoc & hujus ſapientia ſecum. Verum poſſumus idem dicere quoad omnes circumſtantias de præſente hiſtoria, in hoc capite recitata, *plus Salomone hic eſt*, eoque longe majori jure ita judicandum nobis, uti Regina Sabæ judicavit. Sumus

mus, uti ipſa etiam, nos ratione originis noſtræ ex gentibus, quæ longinquæ dicuntur, Eſa. 57:19. Act. 2:39. Eph. 2: 13. 17. de longe remotis inſulis quæ per Legatos Dei, Prophetas, & Apoſtolos, famam Dei audiverunt, & gloriam cognoverunt. Repræſentata ea nobis fuit in narratione Moſis, quanta concipi poteſt magnificentia. Deut. 33: 2. ſ. Apparuit cœleſtis gloria, & miniſtrorum multitudo glorioſa. Pſalm. 68; 18. Deſcenſus Dei in montem, Deut. 4: 11. *Mons ardebat igne uſque in cor ſeu medium cœli, & fuit tenebræ, nubes & obſcuritas* Ipſe Deus pronunciavit meram ſapientiam, cui ſimilis nec eſt, nec concipi poteſt; quando audire fecit ipſos ſua verba, quæ diſcerent, ad timendum Deum omnibus diebus, docerentque liberos, quo viverent, verſ. 10. & 1. Profecto profitendum nobis eſt, quod ſit nullus populus & maximus, cui ea ſapientia & prudentia quoad juſtas leges & ſtatuta, qualis lex quam ipſe dedit, verſ. 6. 8. Nam ſapientiæ Dei nulla perſcrutatio: prædicanda felicitas Iſraelis, quibus ſolis datum eſt conſiſtere coram Deo, & audire vocem ejus, quod nulli populo unquam contigit, uti dicitur verſ. 32. ſ. laudandus Deus qui ipſis dediſſet regem, atque in eo amorem ſuum erga ipſos demonſtraſſet Deut. 33: 2, 3. Loquitur de Rege, quem ex amore erga Iſraelem ipſi præfecit, quique Rex & Doctor populum ſuum erudiret, qui uti diſcipuli ad pedes ejus ſtetiſſent circumcirca montem, & omnes pariter audiviſſent Dei verba & mandata. Rex ille eſt de quo Bileam Num. 23: 21. *Dominus Deus ipſius eſt cum ipſo & clangor Regis apud ipſum eſt.* Angelus ille in quo Nomen Dei Exod. 23: 20. ſ. qui cum Moſe fuit in monte Sinai Act. 7: 38. locutus ipſi & patribus. Facies Dei, quem Deus conſtituit Elohim, rectorem univerſalem mundi, talemque declaravit honorandum pari ſecum honore Deut. 5: 7.

Enimvero quod felicitatis cenſendum eſt & prædicandum, quando datum Iſraeli circumſiſtere montem, & audire Deum ipſum loquentem & erudientem, id Iſraelitæ deprecati ſunt; maluerunteque hominem quam Deum habere magiſtrum. Deut. 33. 4. Hominem ſic conſecuti ſunt doctorem & rectorem. Quod quomodo factum ſit, hic recitatum habemus, ubi Moſes refert inſtitutionem ſui ceu internuncii: ultima parte capitis deſcriptam; ſuntque obſervanda hic Internuncii I. petitio verſ. 22--27. II. conceſſio verſ. 28--31. III. reverentia & obſequium verbis ejus debitum, verſ. 32, 33. cap. 6. 1--3.

I. *Petitionem* quod attinet occurrit initio, Occaſio, & tunc poſtulatum ipſum.

A. *Occaſio* eſt, verſ. 22, 23. quid factum ſit, & cur factum ſeu quomodo id acceptum à populo.

א. *Prius* dicitur verſ. 22. ubi Sermo Dei, eius Ceſſatio, & dictorum conſervata Memoria.

a. *Sermo Dei* eſt, *Hæc verba elocutus eſt Dominus* &c. *voce magna.*

a. Loquens eſt Dominus *Jehova*, qui unus eſſentia, & trinus perſonis, de quo myſterio dicet Deut. 6: 4. Cujus ratio omnino habenda in Decalogi pronunciatione. Etenim *locutus eſt Jehova Elohim tuus.* Numen illud æternum, Ens abſolutum, & Eſſentiator omnium creaturarum, qui in creatione pluralitatem demonſtravit Gen. 1: 3. 26. & ſic regimen mundi exercuit, atque in fœdere cum hominibus peccatoribus plurium actionem deſignavit, reconciliatione impoſſibili citra interventum Mediatoris. Et cum hunc declaraſſet Rectorem mundi, & talem haberi voluiſſet, negato hoc honore omnibus aliis; per illum, qui ſecum unus, reliqua Decalogi proclamavit.

b. Locutus autem eſt *ad totam congregationem veſtram.* Intelliguntur univerſi principes & populus, viri mulieresque, adulti & minorennes, heri & ſervi, & peregrini qui inter eos. Deus ſe coram oculis omnium dixerat deſcenſurum in montem, & Moſes univerſum populum eduxit ex caſtris in occurſum Deo, & conſtiterunt circumcirca montem Exod. cap. 19: 11. 17. & quivis accepit de ſermonibus Dei Deut. cap. 33: 3. Scilicet Deus univerſos Iſraelitas, nullo dignitatis, ſexus, ætatis diſcrimine dignatus eſt ſuo alloquio & inſtitutione. Adeoque omnibus par jus in verba Dei ſcripta. Omnibus in fœdere locus Deut. 29: 10. ſ. capita tribuum, Seniores, præfecti, omnis vir Iſraelis liberi minorennes, fœminæ, peregrini, contemtiſſimi quoque qui ligna cædunt, & aquam hauriunt. Omnibus proinde cognoſcendæ conditiones fœderis Deut. 31: 10. ſ. ſeptimis quibuſque annis in feſto tabernaculorum tota lex proclamanda coram auribus totius Iſraelis, congregato populo, viris, mulieribus, liberis, peregrinis, ut audirent & diſcerent & timerent Dominum Deum ſuum, & obſervarent ut facerent omnia verba legis hujus, & ut liberi ipſorum, qui non ſciviſſent, audirent & diſcerent.

Peccant proinde, qui plebem ſemovent à cognitione verborum Dei, interdicentes lectione, ne plura ſciant, quam Doctoribus, qui clavem cognitionis ſibi vendicant, & auferunt aliis, placet indicare. Hoc eſt *furari verba Dei a fratribus* Jer. 23: 30. quibus tantundem juris conceſſit ac Doctoribus. Affatus eſt omnes initio, nullo diſcrimine, conſtiterunt omnes ad radicem montis, neque Sacerdotibus, qui tunc fuerunt, propiorem acceſſum indulſit Exod. 19: 24. Et quando per Moſen poſtmodum locutus eſt, tamen totum Iſraelem ſpectavit Mal. 4: 4. Pſalm. 103: 7. & 147: 19. unde Deut. 33: 4. Et annon violentia eſt, quando quis ſua hæreditate ſpoliatur? Quantus hic reatus Eccleſiæ Romanæ. Atque utinam praxis eorum non obtineret quoque inter Euangelicos! Quam multis perſuaſum eſt, Scripturam tantum pro Doctoribus & Paſtoribus eſſe; ſibi ſatis eſſe ſi audiant & credant, quæ hi dicunt neceſſaria eſſe ad ſalutem: hos ipſos inter ſe diſſentire quandoque, neque poſſe ſe hujuſmodi controverſiis caput ſuum fatigare. Sed de his dicere licet eſſe homines nullo deſiderio tactos Zeph. 2: 1. ſcilicet rerum potiſſimarum. Deus loquitur omnibus, & an non omnes ad auditum confluere debent? loquitur lex omnibus qui in lege Rom. 3: 19. quibus utique cognoſcendum, quid loquatur Eſa. 50: 2. *quare veni, & nemo adfuit? clamavi, & nemo reſpondit?* Promiſſio eſt Eſa. 54: 13. & propterea veniendum & audiendum Joh. 6: 45. A pueris norat Timotheus Sacras literas &c. 2 Tim. 3: 15. ab avia & matre edoctus cap. 1: 5. & idem faciendum adultis Pſalm. 1: 2. etiam maximæ dignitatis Joſ. 1: 8. Judicandum auditoribus de Doctore, 1 Joh. 4: 1. quod circa Paulum egerunt Beroënſes Act. 17: 11. & fieri voluit 1 Cor. cap. 10: 15. Non poſſumus de ullo modernorum Doctorum dicere, quod Judæi de Moſe Joh. 9: 28, 29. *Sumus Moſis diſcipuli, novimus Deum Moſi locutum eſſe.* Quicunque loquitur, debet loqui ut eloquia Dei 1 Pet. 4: 11. an v. faciat, auditoribus judicandum eſt; quod nequeunt facere, ſi ignari ſint verborum Dei. Rom. 7: 1. ſ. *An neſcitis fratres? nam loquor iis qui legem norunt.* Tales eſſe debemus omnes: aut de nobis valebit illud Hoſ. 8: 12. Loquitur Deus adhuc ad omnem congregationem noſtram ad unumquemque noſtrum. Dominus etiam nobis delectatus eſt propter juſtitiam ſuam, fecit nos magnos per legem, & fecit magnificos Eſa. 42: 21. imo majores Iſraele per Euangelium; æſtimemus hanc magnitudinem comparatione inſtituta cum illis, quibus negata eſt Pſ. 147: 19, 20. *Quibus multum datum ab illis multum repoſcetur*, dicitur de iis quibus patefacta Dei voluntas Luc. 12: 47. ſ. Oſtendamus nos auditores fuiſſe probando nos factores operis Jac. 1: 22. ſ. ſic proficiemus cognitione, & ſuperabimus difficultates, quibus nos abſterreri querimur Pſal. 25: 14. Joh. 7: 27. antecellemus doctores noſtros Pſ. 119: 99.

c. Modus eſt in circunſtantiis loci, *in monte* Sinai; apparatus, *è medio ignis, nubis & caliginis;* quemadmodum cap. 4: 12. 15. 33. 36. cap. 5: 4. & vocis, *magna voce.* Illa declarata ſunt; de hac monendum, Deum eam adhibuiſſe, ut omnes poſſent audire. Multitudo 600000 præter mulieres & pueros non potuit ſimul compellari, niſi voce alta: & hæc adhibenda in cœtu magno. Hacpropter cum Ezra legeret librum legis coram viris & mulieribus, & omnibus intelligentibus, fecerant ei ſuggeſtum ligneum, ut ſuper omnem populum eſſet, & ab omnibus videri & audiri poſſet Neh. 8: 4. ſ. quomodo etiam Salomo talem locum editum habuit, cum preces diceret ad conſecrationem templi 2 Chron. 6: 13. & hodieque uſurpamus. Eſt hoc quoque crimen in Eccleſia Romana, ubi potiſſima pars cultus peragitur vel muſſitando, ut nemo audiat, vel ſermone Latino, ut plebs non intelligat. Sic probant ſe nolle eſſe imitato-

tatores Dei, qui magna voce usus est, ne quisquam fraudaretur institutione, neve justum haberet ignorantiæ prætextum; aut ipsi ignorantiam fovent, & simul populi perniciem. Prov. 29: 18. *Deficiente prophetia nudatur populus.* & Hos. 4: 6. *exscinditur populus meus ob defectum cognitionis*, væ autem illi, qui eam auferet Luc. 11: 52. *quia repudiasti cognitionem* &c. Prov. 11: 26. & verbum Dei frumentum est Jer. 23: 28. cujus fames gravior quam panis, defectum animæ inducens Amos 8: 11. s. Johannes se vocem dicit clamantis Joh. 1: 23. Sic voces sunt ministri: quibus una cura ut audiatur, quod dicendum habent. 2 Cor. cap. 5: 18. s. Muti canes qui non possunt latrare, inutiles sunt, Esa. 56: 10. Clamandum tanquam inflata buccina ad indicandum peccata Esa. 58: 1. filii tonitru sic esse debent. Marc. 3: 17. Sed etiam clamandum ad promulgationem Euangelii salutis Esa. 40; 2. s. Illo modo soporati peccatores excitandi, ut evigilent è laqueo diaboli: isto modo tristes & desperabundi, quo recipiant animum, & utrique festinent ad id quod salutare est.

b. *Cessatio sermonis Dei* est, ולא יכף *& non addidit*. Sufficientiam rerum in Decalogo expressarum, sic denotari putant nonnulli; quod nihil iis esset superaddendum. Et sane id verissimum est. Quicquid ad fœderis conditiones pertinet plene hic continetur, quamvis exiguum sit compendium. Dilectio enim hic descripta est, tum Dei erga fœderatos, qui se Deum ipsorum fore declarat, omnem suam perfectionem ipsorum bonum exerciturum, neque falsum fore, qui facto illustri liberationis ipsorum ex Ægypto suam fidelitatem demonstrasset, tum fœderatorum primum erga Deum, deinde erga se mutuum. Quicquid hujus generis est per universum Codicem sacrum, radicatum est in ista fœderis formula. Veruntamen id hic non dicitur. Sufficientia doctrinæ divinæ asserta fuit Deut. 4: 2. & asseretur cap. 12: 32. aut hic aliud quid significatur: Deum nempe hisce dictis desiisse loqui ad populum sermone proprio. Plura fuerunt, quæ Deus dicturus erat ad Israelem, quæ politiam quoque ipsorum attinerent, nec non quædam facientia ad cultum externum, quæ ad ipsorum fœdus quoque referenda sunt, quemadmodum id liquet ex Exod. 24: 3. recitavit Moses, cum de monte rediisset ad fœdus sanciendum, omnia verba Dei, & omnia judicia: quæ cap. 21, 22, 23. leguntur: nam judicia de his accipienda, sensu strictiori, discimus ex Jer. 34: 13. s. *Sic ait Dominus Deus Israelis; fœdus feci cum Patribus vestris quo die eos ex Ægypto domo servitutis eduxi, dicendo; finiente septimana quaque annorum dimittetis quisque servum suum Hebræum, qui venditus tibi per sexennium serviit; dimittetis eum liberum.* Exstat Exod. 21: 2. s. & pars statuitur conditionum fœderalium Israeli propriarum. Sed hæc Deus ad populum non dixit; cujus rei causa est, postulatum populi, quod vers. 24. s. commemoratur. Quum huc usque processisset Deus loquendo, populus petiit à Mose, ut abstineret Deus, & Deus qui audivit, utpote cui notum est verbum antequam sit super linguam hominis Psalm. 139: 4. Extemplo conticuit, cohibuitque vocem illam magnam, in omnium auribus sonantem. Atque hoc indicat Moses, nihil amplius Deum ad universum Israelem esse locutum. Habet ergo Decalogus aliquam præeminentiam super omne verbum Dei. Est quidem Deus autor totius Scripturæ 2 Tim. 3: 16. 2 Pet. 1: 21. unde Rom. 3: vers. 1. sed ministerio hominum Heb. 1: 1. Ipsemet sermone externo quoque sæpius usus est & ante & post, sed fuit sermo ad paucos, ad singulos prophetas, vel audientibus simul paucis, ut Matt. 3: 17. coram Johanne & si qui tunc alii fuerunt præsentes, quamquam non constet certo, an plures adfuerint. Matt. 17: 5. præsentibus tribus discipulis, & audientibus 2 Pet. 1: 17. s. imo coram multitudine Joh. 12. vers. 28. s. sed quæ sonum audivit, non intellexit verba; quemadmodum etiam cum Paulum affatus est Christus Act. cap. 9: 4. 7. cap. 22: 8, 9. Nunquam autem factum ut populus integer audierit vocem Dei loquentis è medio ignis Deut 4: 33. Tot centena millia potuerunt testari de hoc verbo Dei, qui immediate ex ore Dei suis perceperunt auribus. Quoties illud legimus, audimus, recitamus, debet singularis Dei reverentia animos nostros occupare. Quippe quod semel locutus est, manet ejus sermo prorius: quem agnosci vult, & se in illo. Huc facit.

c. *Dictorum conservata memoria; & scripsit in duabus tabulis, & mihi eas dedit.* Non factum est hoc illico, sed aliquanto post; neque enim operæ pretium erat scribere conditiones fœderis, antequam consensus & sanctio accessisset, ut fœdus dici posset. Exod. 24: 12. post ista Deus ad Mosen dixit: *Veni ad me in montem, & esto istic, & dabo tibi tabulas lapideas, & legem & testimonium quas scripsi ad docendum eos:* quas tabulas exactis 40 diebus, cum descensurus esset, ei dedit cap. 31: 18. Nihil hic dicemus de numero tabularum & inscriptis uni alterive præceptis, quod dictum ex parte Deut. 4: 13. & dicendum de istis cap. 9: 9. s. sed hoc unum, nihil in istis fuisse scriptum, quam quod Deus ipse locutus est. Deut. 9: 10. *Dominus dedit mihi duas tabulas lapideas, digito Dei scriptas, & in illis secundum omnia verba quæ Dominus in monte è medio ignis, die congregationis vobiscum locutus erat.* Quemadmodum nihil addidit loqui ad cœtum populi omnem præter decem illa verba: ita quoque nihil addidit scribere. Scilicet quod immediate locutus fuit, immediate consignavit, neque permisit alterius fidei scriptionem, quod citra internuncium proposuerat; ne quid mutatum quis suspicari posset. Sed quod per homines revelavit, etiam per homines voluit scribi, quia non minus in uno, quam in altero fides hominum fuit attendenda: est v. hic quoque observandum ex isto facto Dei, differentia quædam conditionum fœderalium. Eo referenda quoque quæ Exod. 21, 22, 23. capp. scribuntur, ut dictum. Ista uti Mose internuncio Israelitis fuerunt proposita, ita quoque ad Israelitas solos pertinent, neque ad alios extendi possunt, quam qui Mosen internuncium postularunt. At illa quæ Deus ipse & dixit & scripsit, perpetuam vim habent, & ad omnes omnium sequentium temporum fœderatos debent referri. Unde etiam Gentilibus ista inculcantur Rom. 13: 9. Quamvis autem tantum commemoret præcepta de dilectione proximi, uti de honore parentum Eph. 6: 1. tamen quæ dilectionem Dei concernunt, vim suam retinent 2 Cor. 6: 14. s. Etiam quartum præceptum, quatenus considerantur essentialia, quæ diem Sabbati præscribunt, sed numerum dierum in septimana non definiunt, quod ex fundamento Sabbati colligendum est, quemadmodum suo loco monuimus. Tenentur ergo hodieque fœderati Dei legibus Decalogi. Deus scripsit in tabulis, & idem scribit in cordibus fœderatorum quæ docuit Jer. 31: 33. s. Scriptura indelebili, utpote observatione futura constante 2 Cor. 3: 3. Ezech. 36: 26, 27. Jer. 32: 39. s.

Vers. 23. *Fuit enim quum audissetis vocem illam è medio tenebrarum illarum & montis ardentis igne, ut accederetis ad me, omnes principes tribuum vestrarum & Seniores vestri.*

ב *Posterius cur factum seu quomodo id acceptum à populo* dicitur vers. 23. *Factum est cum vocem illam audiretis è medio tenebrarum, & mons arderet igne, & accessistis ad me omnia capita tribuum vestrarum, & Seniores vestri.* Quum eousque loquendo processisset Deus, ea quæ viderunt, & audierunt, persuaserunt ipsis ut aliud consilium inirent. Exod. 20: 18. refertur. *Omnis populus vidit tonitrua & fulgura, & sonum buccinæ, & montem fumantem: cum populus id videret, recessarunt, & constiterunt eminus. Vidisse* dicuntur *tonitrua*, id est, observasse, uti regina Sabæ vidit sapientiam Salomonis: Verbum sensus ponitur pro rei perceptione, quicunque sensus etiam fuerit instrumentum Ps. 34: 9. Joh. 8: 51, 52. & si hic etiam fuerint objecta visibilia, fulgetra & mons fumans. Audiverunt quoque vocem è medio tenebrarum, cum toties antea è medio ignis vox prodiisse dicatur. Etenim ignis in quo descenderat Deus, & ex quo loquebatur, cingebatur fumo & caligine, ut inde etiam vox prodierit, quæ per caliginem penetrabat, uti fulgetra ex nube obscura erumpunt. Cæterum populus universus, qui distabat aliquousque à monte, sepimento quoque excluso, tunc longius adhuc recessit: & facti sui rationem reddidit Mosi. Egerunt istud Capita tribuum, & Se-

& Seniores, qui totius populi nomine conſenſu communi propoſuiſſe colliguntur. Ipſam propoſitionem videbimus, σὺν θεῷ, proxime. Nunc tantum obſervamus acceſſiſſe ad Moſen; adeoque Moſen juxta cum populo conſtitiſſe ad pedem montis: nam ſi in eo fuiſſet, acceſſus fuiſſet illicitus, quandoquidem arcebantur omnes. Scilicet munus internuncii nondum habebat quoad rationem fœderis; quamvis alias verba Dei & populi ultro citroque retuliſſet; internuncius verborum, non autem mediator pacti. Quod etiam indicavit, verſ. 5. quando id muneris ſibi adſcribit, poſtquam metus ignis Iſraelem perculit. Itaque quod modo quoque monuimus: Decalogus quoad promulgationem, non habuit mediatorem Moſen: hic tunc habitus ut unus de populo. Sed quoad ſanctionem fœderis, in conditiones in Decalogo à Deo & extra illum per Moſen expreſſas nec non ſtipulationem Iſraelis Moſes mediator fuit. Sed ſolorum Iſraelitarum, non noſter; itaque nec accuſator noſter eſt. Joh. 5: 45. Hoc modo eum non habemus intuendum. Mediator nobis eſt ſolus Meſſias, per quem Decalogi promulgatio magnam partem facta: & hic non eſt accuſator, ſed paracletus, utpote qui quod deſideratur præſtat de ſuo propitiatio factus pro peccato, & per Spiritum Sanctum efficiens obedientiam. Joh. 1: 17. Hinc ergo ſpectemus fide, & amplectamur, & habebimus quod gaudeamus & gloriemur in ipſo, ad æternam ſalutem.

B. *Poſtulatum populi* recitatur, verſ. 24–27.

Verſ. 24. *Et dixiſtis, en, oſtendit nobis Jehova Deus noſter gloriam ſuam & manſuetudinem ſuam, & vocem ejus audivimus è medio ignis: hodierno die vidimus quando Deus cum homine loquutus eſt,* hominem *etiam vivere.*

Quando Dominus ipſe regnum exercere dignatur ratione ſingulari, ut Jehova, Deus gratiæ & veritatis, eſt id materia gaudii omnibus, quos ſubditos hic habet. Pſalm 97: 1. ſ. Maxima enim eſt dignitas, maxima felicitas, Deum habere regem, & eſſe illi populum peculii. Enimvero quando Deus rex omnem ſuam majeſtatem manifeſtat, maxima ſimul oritur conſternatio, Teſtimonium habemus in textu. Deus gratiæ dignabatur Iſraelem ſuo regno ſpeciali, Exod. 19: 3. ſ. *ſic dices domui Jacobi, & annunciabis filiis Iſraelis. Vos vidiſtis quid fecerim Ægyptiis, &* &c. *hæc ſunt verba quæ dices ad filios Iſraelis*, quod cum per Seniores populo ſignificaſſet Moſes cupide id audiverunt, ſeque ex præſcripto pararunt, ut ipſius Dei declarationem audirent, qua conditione Dominus ipſorum Deus, & ipſi viciſſim Dei populus & peculium futuri eſſent. Sed cum Deus deſcendiſſet in montem Sinai, cum tonitruis & fulgetris, & voce tubæ vehementis, nec non cum nube denſa & caligine, in medio ignis, adeo ut mons totus fumaret, ceu fumus accenſæ fornacis, tremeretque vehementer, populus exterritus fuit valde, verſ. 16. ſ. & magis adhuc cum audiviſſent vocem loquentis Dei è medio ignis; adeo ut deprecarentur, ne foret neceſſum porro audire loquentem iſto modo Deum, ſed ut per internuncium mediatorem ſecum loqui & agere vellet, deinceps.

Moſes repeturus ſtatuta judiciaque populo obſervanda, ne quis obſequium detrectaret, auctoritatem eorum aſſerendam initio putavit; ut licet ipſe juberet, non tamen auderet quisquam vilipendere. Docet proinde Dei eſſe omnia, qui ea fuiſſet elocutus initio, & univerſa elocuturus, niſi ipſimet petiiſſent, ut ipſe Moſes vicariam præſtaret operam, polliciti hunc ſuum legatum pari loco apud ſe futurum, ac ſi Deus ipſe omnia eſſet elocutus, Deut. 5: 3. ſ. Dominus Deus noſter pepigit nobiſcum fœdus in Horeb, facie ad faciem locutus eſt Dominus vobiſcum in monte è medio ignis: ſed addit, *Ego ſteti illo tempore inter Dominum & vos ut vobis verbum Domini indicarem, nam metuebatis ignem, & non adſcendiſtis in montem.* Mediatorem egit Moſes, poſtquam metus major perculit Iſraelitas, ut non modo non adſcenderint in montem, ſed longius inde abſcederent. Quod ipſum confirmat, recitando, quid Deus ipſe locutus ſit, nempe X. illa verba: tum cur Deus non perrexerit loqui, quæ porro præcipienda habebat, quæque ad confirmationem fœderis ſolennem pertinebant non egerit, ſed ut ipſe conſtitueretur interpres & mediator fœderis cum ipſis. Iſtius ordinationis ſuæ petitionem tribuit Iſraeli, conceſſionem & juſſionem Deo; unde ſequitur audientiæ & obſequii obligatio.

Petitio nata eſt occaſione eorum quæ viderunt & audiverunt. Illa recitantur, verſ. 22. quomodo & quouſque Deus ſua voce locutus ſit; quodque ſuorum verborum memoriam conſtituerit, illa ipſa inſcribendo tabulis, quas Moſi dedit. Auditus & viſus refertur, verſ. 23. ſed ut non declaretur affectus Iſraelitarum, qui ex verbis ipſorum colligendus eſt. Verba iſta propoſita ſunt Moſi, qui inde agnoſcitur apud populum conſtitiſſe, ceu unum ex eorum numero, quamvis principem; nondum autem conſtitutum mediatorem: & propoſita à Capitibus tribuum & Senioribus, qui totius populi nomine commune omnium deſiderium propoſuerunt, neque enim poſſibile fuiſſet ut omnes ſimul peterent, qui circum montem ſtabant, longe ab invicem ſemoti, & clamor omnium tumultus fuiſſet, nequaquam ciendus loquente Deo & præſente.

Jam *Oratio* ipſa. I. declarat quanti æſtiment quod ſibi contigiſſet, verſ. 24. II. deprecatur ulteriorem immediatam audientiam, verſ. 25, 26. III. petit mediatam, verſ. 27.

א. *Declaratio* quanti æſtiment quod ſibi contigerat, verſ. 24. ubi quid viderint, quid audiverint, quid dixerint.

a. *Viſa* profitentur, *Ecce Dominus Deus noſter videre fecit nos gloriam ſuam, & magnitudinem ſuam. Ecce* conſiderationis vox eſt, quod momentum habeat res proponenda. Talem agnoſcendam habent, qui rite advertunt animum: Spectaculum rariſſimum, cujus memorant autorem & ſpectaculum ipſum. Autor eſt, Dominus Deus noſter, videre fecit nos. Cum plura ſint Dei nomina, quæ diverſum ſignificent unum ab alio, delectus hic adhibetur, neque ullum eorum eſt quod terrorem offenſi judicis & vindicis declaret; non dicunt Deus Zelotes & vindex, judex, juſtus & qui tota die indignatur, ignis conſumens, quamvis ex igne loqueretur, & ſe Deum fortem Zelotem proclamaſſet, ſed *Jehovam Deum ſuum*, fœderatum ſibi hæreditario titulo inde ab Abrahamo Iſaco & Jacobo, & qui ſe Jehovam Deum gratiæ & veritatis demonſtraſſet, ſua ex Ægypto liberatione. Non reſpiciunt conditiones modo demum propoſitas à Deo, cum nondum omnes, quæ fœderis, eſſent recitatæ, ſed priſcum jus; adeoque agnoſcunt beneficium, quale profecto Deus ipſis exhibebat, quemadmodum invitatio ante recitata probat. Et Deum non iratum ſed clementem, non odium ſed amorem teſtatum docetur. Deut. 33: 3. *Utique valde diligit* (חובב intimo amore) *populus, omnes Sancti ejus in manu tua. Sancti* vocantur Dei uti Angeli quoque appellati ſunt, verſ. 2. Eſt ergo Deus gratioſus & fœderatus qui fecit videre. Non potuiſſent tale quid videre ipſimet, niſi Deus manifeſtaſſet. Nemo ipſorum potuiſſet penetrare eo, ubi tale ſpectaculum juge eſt; nemo lacerare cœlum, vel Deum inde deducere. Solius Dei eſt ſe manifeſtare, & gradum quoque ſuæ manifeſtationis definire. *Nemo Deum vidit unquam*, ex ſe videlicet Joh. 1: 18. Manifeſtatio Dei ab ipſo Deo eſt. Rom. 1: 19, 20. Sic de naturali notitia Dei, ſive inſita, ſive acquiſita; multo magis de illa quæ major eſt & longius procedit, utque liberrima Dei voluntate præter iſtam creationis beneficio factam manifeſtationem conceditur à Deo gratioſo & fœderato. Exod. 6: 7. ſ. patribus notus factus eſt ut El Schaddai, & Iſraeli per eductionem ex Ægypto, & introductionem in Cananæam ut Jehova. Imo etiam Elohim, qui judicarat gentem cui Iſraelitæ ſervierant. Gen. 15: 14. Nobis quoque agnoſcendum, quod D. Deus noſter fecerit videre, quicquid ſcimus naturaliter de Deo, quicquid ex revelatione verbi, Deus oſtendit nobis: quin niſi ille nobis oſtenderit, non eſt quod de ea notitia multum gaudeamus. Quæ homines ſciunt, & docere poſſunt quam pauca, quam incerta ſunt? Gentiles dicuntur fuiſſe athei in mundo. Eph. 2: 12. Etiam ſapientiſſimi. Rom. cap. 1: 21. ſ. & ignorationis teſtimonium fuit idololatria. Gal. 4: 8.

Gal. 4:8. Deum ſine Deo nemo novit. Illo patefaciente tantum cognoſcitur. Mat. 11:25. ſ. ut patefactioni ipſius attendendum ſit. Spectaculum eſt, Gloriam ſuam & magnitudinem ſuam: hoc eſt Majeſtatem divinam, quicquid glorioſum in mundo eſt & concipi poteſt infinite excedentem, ut quivis intelligat illam quoque enunciari non poſſe. Pſ. 93; 1. Rex Aſuerus aliquando voluit oſtendere divitias gloriæ regni ſui. Eſt. 1:4. & quicquid potuit produxit in medium, quoad magnificum ornatum loci, & vaſorum, ubi excepit principes & magnates Perſiæ. Herodes magna pompa in tribunali ad Tyrios Sidonioſque ſermocinatus eſt, adeo ut Dei vocem ſe audire acclamarent. Act. 12:21. ſ. Sed ſupra omnes fuit gloria Salomonis, quando ſe Reginæ Sabæ oſtentavit divitiis & ſapientia 1 Reg. 10. Verum iſta omnia umbra ſunt, & minus nihilo reſpectu gloriæ & majeſtatis Dei. Eſa. 40:22. qui tunc maximam exhibuit, quia fœderis ineundi gratia apparuit, ut quantus eſſet, quo cum contractus ineundus eſſet, adverterent. Hinc quemadmodum reges terreni quando homagium præſtandum eſt, & ipſi inaugurandi, glorioſiſſimos ſe iſtunt, magno cum ſono tubarum adventantes, & comitatum adducentes frequentiſſimum prætioſiſſime ornatum; ſic hic Deus, Deut. 33:2. Pſ. 68:18. Spectaculum ſibi ſoli oblatum refert Eſaias cap. 6:1. ſ. vidi Dominum ſedentem ſuper throno alto & excelſo, & fimbriæ ejus implebant templum. Seraphim conſiſtebant ſupra ipſum, quisque ſex habebat alas, binis faciem, binis pedes tegentes, & binis volantes, & clamabant, Sanctus, &c. ut commoverentur poſtes, & domus impleretur fumo. Sic Daniel cap. 7:9. ſ. vidit Antiquum dierum, inſidentem throno ſcintillanti unde rivus ignis egrediebatur, millies milleni & decies millies decies milleni miniſtrabant illi. Sic Ezech. 1. Simile quid videre fecit Deus univerſum Iſraelem: cujuſmodi ſpectaculum gloriæ divinæ nec ante illud tempus, nec poſt ulli populo univerſo, contigit, quod dicitur Deut. 4:32. ſ. nam Senioribus delectos tantum poſt ſancitum fœdus id conceſſum, ut adſcendentes in montem Sinai viderint Deum Iſraelis, & ſub pedibus ejus ut opus Sapphyrinum, & ut intuitum cœli in ſua claritudine. Exod. 24:10. Cæterum omnis iſta gloria & magnitudo non fuit teſtimonium iræ, ſed majeſtatis duntaxat demonſtratio: neque enim Deus ea ratione terrere peccatores voluit, ſed ſolum reverentiam ſui excitare in animis fœderatorum Exod. 20:20. non terrori eſt ob præterita peccata, hic metus deponendus, ſed venerationi ad cavendum peccata in futurum.

b. *Audita* ſunt, & *audivimus vocem ejus è medio ignis* quemadmodum ſæpius dictum eſt: non tantum ſonum tonitrui, & tubæ, ſed ipſius Dei loquentis, ut articulatos ſermones exceperimus noſtris auribus, ut. Deut. 23. verſ. 3.

Quod didicerunt eſt, *hodie vidimus* (experti ſumus) *Deum loqui cum homine, & hunc manere in vivis.* Nam ſibi vita manſerat, quam crediderant ad vocem iſtam magnificam ſtatim perituram: quod memoratur. Deut. 4:33. an audivit populus vocem Dei loquentis ex igne, uti vos audiviſtis, & manſit vivus? Hæc opinio ſedit omnibus: Glorioſam manifeſtationem Dei non poſſe ab homine tolerari, quin ab iſta gloria abſorbeatur. Jacob Gen. 32:30. *Vidi Deum facie ad faciem, & anima mea erepta fuit*, Gideon, Jud. 6:12. *Ach Domine Deus, ideo quia vidi Angelum Dei facie ad faciem:* & Dominus ad ipſum. *Pax tibi, ne metue, non morieris?* Sic Manoach. Jud. 13:22. Eſaias Eſa. 6:5. Majeſtas Dei terrori fuit, non intuitus peccati tantum; quandoquidem ipſi Seraphim faciem tegunt, ceu non pares ferendæ illi gloriæ. Daniel poſt viſiones ait, *cogitationes meæ perterruerunt me.* Dan. 7:28. *factus ſum debilis, & aliquot diebus æger*, cap. 8:27. & cap. 10:7, 8. *magnus terror cecidit in me, & non remanſit in me robur, & decus meum mutatum fuit in perditionem, ut non ſervarem robur* & verſ. 6. ſ. Cum tamen eſſet vir deſideriorum, & quod gratioſus eſſet, ei hæc oſtenderentur. Hic eſt ille metus quem deſcribit Apoſtolus. Heb. 12:18. ſ. quod ad montem Sinai, & ardentem ignem, & obſcuritatem, & tenebras, & tempeſtatem, & ſonum buccinæ, & vocem verborum venerint, ut audientes petierint, ne verbum denuo ad ſe fieret, & Moſes, adeo terribilis fuit viſio dixerit. *Expaveſco & Contremiſco.* Similiter Mat. 17:6. ſ. in glorificatione Chriſti in morte, Patre clamante, *Hic eſt filius*, &c. Diſcipuli id audientes ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde: adeo ut Jeſus eos attingeret, diceretque, *Surgite & non timete.* Sic ad viſionem Angelorum, Mat. 28:4. non tantum impii ſed etiam pii fuerunt territi. Marc. 16:5. Imo quoties Jeſus aliquod Deitatis teſtimonium edidit, timuerunt. Luc. 5:8, 9. & quando poſt reſurrectionem ſe manifeſtavit, Mat. 28:10. Luc. 24:37. Scilicet excedit gloria Dei apprehenſionem creaturarum niſi à Deo ſuſtententur; & hæ agnoſcentes ſuam imbecillitatem, nihil aliud ſibi perſuadent quam interitum, & annihilationem. Enimvero ſapientiſſimum eſt dictum uxoris Manoæ ad perterritum maritum. *Si delectaretur Dominus morte afficiendo nos, non accepiſſet ſacrificium à manu noſtra, neque nobis oſtendiſſet iſtud omne, nec hoc tempore audire feciſſet uti hoc eſt.* Jud. 13:23. Sic confirmavit Chriſtus quandoque territos. Luc. 5:9. Mat. 17:7. Mat. 28:10. & Deus Gideonem. Jud. 6:23. imo Moſes hic ad populum. Exod. 20:20. Verum iſtud non valuit apud Iſraelem.

Verſ. 25. *Nunc itaque quare moreremur? nam abſumeret nos ignis ille maximus, ſi pergeremus deinceps audire vocem Dei noſtri: utique moreremur.*

Deprecantur ulteriorem audientiam, verſ. 25, 26. quæ immediata ſit. Non eſt vilipendium ſermonis divini, ſed ſollicitudo de ſua vita, quod ſe non ferendo eſſe crederent. *Nunc autem, quare moreremur?* Hoc enim futurum, ſi porro audiamus. Manet ille terror, & quia eum excutere non poterant, ſibi conſulunt ex illo principio implantato, quod nemo ſemetipſum oderit. Patrocinium autem ducunt ex ſcopo Dei, quem indicarant *Dominus Deus noſter* &c. Sic nobiſcum egit Deus, ut agnoſcamus ejus gloriam & magnitudinem, & ut experiremur Deum loqui hominibus citra horum interitum. Hoc utrumque Deum aſſecutum dicunt: Viſam ſibi Dei majeſtatem; deprehenſam bonitatem, ut quod ſermone ſuo dignatos ſuſtentarit, & dederit ſupereſſe. Verum ut ſuperſtites deinceps maneant, neque fruſtranea ſit iſta agnitio, & experientia momentanea, id optant ceſſare, unde mors conſecutura eſſet. Hanc enim extra dubium ponunt, igne iſto ipſos abſumturo; nam quod hactenus non exſtincti eſſent, quadantenus etiam tribuunt tempori; exiguum illud erat, & adhuc vivebant; ſed ſi continuaretur vox Dei ejuſque ignis, quod reſiduum habebant virium, abſumtum iri rentur, quod in longum non ſufficerent.

Verſ. 26. *Nam quæ eſt ulla caro, quæ audita voce Dei viventis loquentis è medio ignis ſicut nos, deinde vixerit?*

Argumento eſt, verſ. 26. quod nulla caro queat ſufficere. *Carnis* voce utuntur non hominis ad debilitatem denotandam. *Omnis caro gramen* &c. Eſa. 40:6. ſ. Non quod ſignificent ſimile exemplum exſtitiſſe, ſed quod exſtare poſſe negent, ne quidem in ſeipſis. Quicquid hujus eſt, oſtendit prævalentiam metus ex apprehenſione gloriæ Dei. Si rem ipſam ſpectaſſent, poterant contrarium concluſiſſe. Quia poſt hanc demonſtrationem vivi manſimus. Ergo etiam porro manebimus vivi. Non magis continuatio auditus nos exſtinguet, quam primum Dei vocem audiviſſe. Sed eſt defectus fidei, dum magis ſe intuentur quam Deum, non ſecus ac Petrus, Luc. 5:8. *Cecidit ad genua Jeſu dicens, Domine egredere à me, nam ſum homo peccator, nam perturbatio eum occuparat.* Quia Jeſus id ipſi præſtiterat, petendum potius fuiſſet, Domine ne unquam à me diſcedas. Sed quemadmodum Petrus ſuæ perturbationis cauſam in ſe videt, ita & Iſraelitæ, quod caro ſint. Pſalm. 78:39. pulvis Pſalm. 103:14. pulvis & cinis, quod Abrahamum quoque ſollicitum habuit cum Deo loquentem.

tem. Gen. 18: 27. Non eſſemus nos firmiores, Si Deus quoque nobiſcum ſic ageret. Equidem homo integer familiariter egit cum Deo, & Moſes facie ad faciem illum ſibi loquentem habuit ut amicum citra ullam perturbationem Exod. 33: 11. Num. 12: 7. ſed non apparuit tanta majeſtate & gloria; quæ ipſos quoque Angelos habet attonitos. Quod autem foret, ſi Deus gloriam iræ & juſtitiæ ſuæ oſtenderet? Eſa. 2: 19. Sic Apoc. 6: 15. Majeſtas Dei terribilis eſt creaturæ; ſed majeſtas Dei judicis & vindicis terribilior peccatori, quæ tandem revelabitur 2 Theſ. 1: 8, 9. Ut hæc nos non percellat quærenda reconciliatio in Chriſto, qui fuit in judicio, & majeſtas Dei tunc demonſtrata, quando tenebris extremis obſcuratus ipſo meridie Sol: & quæ porro fuit manifeſtatio iræ omnipotentis in anima Chriſti; ſed exemtus eſt judicio, & vidit faciem Dei placatam, ut patris, & reſtitutam lucem. Et quotquot fide ipſum apprehendunt, ſunt immunes à condemnatione Rom. 8: 1. Verum majeſtas Dei gratioſi debet jugiter nobis verſari ante oculos. Gen. 17. verſ. 1. & cap. 6: 9. Qui majeſtatem regis ante oculos habet, non audet eum factis verbiſve offendere, qui Dei, etiam cogitationes ſuas moderabitur, ne oculi gloriæ ipſius exacerbentur. Eſa. 3: 8. Unum adhuc notandum, quod dicant *ſe audiviſſe vocem Elohim viventium*, quod exponunt qui מקור חיים *fons vitæ*. Sed ſimiliter loquitur Joſua cap. 24: 19. *Elohim ſancti*, & Pſalm. 58: ult. *Elohim judices*; adeo ut pluralitas perſonarum indicetur, quam non tantum agnoverint Iſraelitæ: ſed etiam in pronunciandis decem verbis obſervarint ex mutata perſona; cum initio in prima, deinde in tertia locutus fuerit. Quomodo confirmant, quod olim diximus Patrem primum poſt Filium mediatorem, ubi declaratus fuerat Elohim pronunciaſſe iſta verba.

Verſ. 27. *Accede tu & audi quæcunque dicturus eſt, Jehova Deus noſter: deinde tu eloquitor nobis quæcunque edixerit Jehova Deus noſter tibi, ut audiamus faciamusque.*

1. *Petunt* mediatam audientiam, verſ. 27. *Propinqua tu* &c. Non deprecantur vocem Dei, quod nolint auditis præſtare obſequium: ſic fuiſſet rebellio aperta, uti tum jubent ſilere Prophetas Eſa. 30: 9. & Sacerdos Bethelis Amoſum Amos. 7: 12. ſ. & Amaſia Prophetam 2 Chron. 25: 16. ſed immediatam ejus audientiam; adeoque deferunt provinciam illam Moſi, *Propinqua tu & audi, quicquid Dominus Deus noſter dicturus eſt: & tu loquere ad nos, quicquid Dominus Deus noſter ad te loquetur.* Moſes fuerat à Domino Deo deſtinatus dux populi & rector: quo miniſtro Deus uſus erat, ut ad fœdus ipſos invitaret & præpararet, & moneret Deo jam præſente ſua majeſtate in monte, ne eo ruerent, Exod. 19. itaque hunc putant oportuniſſimum, qui mediator foret internuncius fœderis, & audiret ſolus quæ Deus fœderatus ſibi huc pertinentia mandaturus eſſet: atque eadem ad ſe referret. Equidem Moſes non obſtante ſua apud Deum familiaritate non minus trepido metu perculſus, attamen neminem norant magis eſſe idoneum, & de quo ſperare poſſent, admiſſum iri à Deo. Habuit ergo Moſes deſignationem ad mediationem ab Iſraele univerſo, quem capita tribuum & Seniores repræſentabant, ut pro ſe audiret, & pro Deo ad ſe loqueretur. Sed inſuper pollicentur obedientiam, & *audiemus* te dicente ex ore tuo, & *faciemus*. Docent ſuo exemplo poſſe conſtitui homines, qui cognoſcant ſpecialius voluntatem Dei, eamque revelent. Deberent omnes meditari jugiter verbum Dei Pſalm. 1: 2. & familiarem habere ejus ſermonem, ut omnes eſſent Prophetæ, ad quos verbum Dei factum eſſet, ſaltem ex Scripturæ lectione, uti hi debuiſſent ex ore Dei audiviſſe: ſed quia, quod hi ex metu, alii ex negligentia, aut prætenſa occupatione alia omittunt, conſtituendi alii qui verbum Dei penitius cognoſcant, vt alios de eo erudire queant. Hi ſunt doctores in Eccleſiis & Scholis, quorum id unum debet eſſe ſtudium, ut quod cæteri ignorant, ipſi ſciant, ut qui ad eos veniunt, inde audiant verbum quod à Domino prodiit. Ezech. 33: 30.

Eſt v. hic notandum horum officium. Propinquandum habent ad Deum, non ad homines, ut horum audiant placita, ſic erunt interpretes non divinæ ſed humanæ voluntatis. Servi hominum gemino titulo, non tantum reſpectu Eccleſiæ, quæ eos conſtituit, neque pudendum eſt; ſed etiam reſpectu eorum, quorum verba cognoſcent & indicabunt, quos profiteri pudet mentiendo Deum. Propinquandum ad Deum; non ut Moſes qualis acceſſus nunc non datur; ſed in ſanctuarium verbi Pſalm. 71: 17. qualis ducit ad cognitionem verborum & voluntatis divinæ. Deus hodie non loquitur ordinarie niſi in verbo Scripturæ, quod exinde eloquia Dei dicitur Rom. 3: 2. & ſic loquendum 1 Pet. 4. verſ. 11. 2 Tim. 3: 15. ſeq. neque enim aliud referendum, quam quod inde acceptum eſt. Jer. 23: 18. 22. *Quis ſtetit in conſilio Domini* &c. quærunt Prophetæ populi, & eis reſpondetur, *ſi ſtetiſſent in conſilio meo* &c. Paulus 1 Cor. cap. 11: 23. & cap. 15: 3, 4. Sic fiet, ut qui eos audit, audiat Deum, 2 Cor. 5: 19, 20. & qui ipſos ſpernit, Deum ſpernat 1 Theſ. 4: 8. Denique officium hominum, audiendi ipſis ſunt & obtemperandum. Delegerunt interpretes voluntatis divinæ; ſic ergo accipienda ipſorum verba. Iniquum eſt & impium jubere, ut inquirant in voluntatem Dei, & poſtmodum contradicere: ut Judæi qui in Ægyptum fugere deſtinabant, cum Jeremiam mitterent inquiſitum apud Deum, hoc teſte invocato de voluntate obſequendi; ſed cum non placeret mendacii eum accuſarunt Jer. 42. 43. Verum quidem hodie non æque ac de Jeremia certos nos eſſe de integritate eorum, qui conſtituti interpretes, ſed hacpropter Deus nobis expeditam oſtendit viam. Quia Sacerdotes declinarant de via, & faciebant alios impingere in Legem Mal. 2: 8. ergo cap. 4: 4. & Eſa. cap. 8: 20. Joh. 5: 39. Hæc qui loquitur, debetur ei obedientia. Heb. 13: 17.

Verſ. 28. *Audiens itaque Jehova vocem verborum veſtrorum quum alloquereminı me, dixit Jehova mihi, audivi vocem verborum populi hujus quibus alloquuti ſunt te, quæcunque loquuti ſunt, bene ſunt loquuti.*

Veriſſimum, idemque triſtiſſimum teſtimonium eſt, quod Deus olim de Iſraelitis perhibuit ipſe, non de externis tantum actionibus, quæ oculis hominum quoque patent, ſed de interno affectu cordis, cujus notitiam juxta cum homine unoquoque ſolus habet & magis accuratam quam quivis ipſe, utpote qui novit omnium corda, & perveſtigat omnia figmenta cogitationum 1 Chron. 28: 9. Exſtat illud Deut. 32: 28. ſ. *Sunt gens periens conſiliis, & non adeſt ipſis intelligentia.* Deſcribit iſtic loci hiſtoriam populi, non humanam, quæ de præteritis refert, ſed divinam, quæ futura recitat; quid poſt mortem Moſis eſſet futurum, quæ beneficia à Deo largienda, quæ ingratitudo, & impietas ab ipſis patranda, quibus judiciis à Deo affligendi eſſent, quod moderamen hic adhibendum, & quo fine tandem terminanda judicia eſſent. Interſerit autem iſtud de ipſis judicium, quod non ſolum indolem ipſorum ſub extremum indicet, quod cauſam ipſorum malorum non intelligant, uti etiam Jer. 30: 23. ſ. ſed etiam inde ab initio, quemadmodum ſub ipſum exordium dixerat verſ. 6. populeſtulte & non intelligens. Nam cum primum adſciſcerentur in populum inſipientis ſtultitiæ dederunt documenta, quod quidem ex hoc textu manifeſtum eſt. Deo utrobique ſimillimo voto id confirmante: nam quemadmodum poſt illud teſtimonium de ipſorum ſtoliditate dixit, verſ. 29. *Utinam ſapientes forent, intelligerent iſtud, attenderent extremo ſuo.* ita quoque hic, *Utinam tale cor ipſis foret ad timendum me* &c. Vota enim iſta ſunt ſimillima, de iiſdem, & hoc ſub ipſum initium pacti pronunciatum, eoſdem nobis depingit Iſraelitas, ac fuerunt ſub extremum & nunc quoque reperiuntur. Votum hoc dictum à Deo cum deſiderio populi aſſentiretur, & quem poſtulabant internuncium inter Deum & ſeipſos, ipſis concederet, tum in præſens, tum etiam in futurum, quod promittit pollicendo Meſſiam hominem Prophetam, de quo dicitur Deut. 18: 15. ſeq.

II. Vidimus poſtulatum Domini, cum audiſſent Deum

loquentem ex igne decem verba, territi tum igne, tum voce illa, adierunt Moſen, & profeſſi quanti æſtimarent alloquium divinum ad ſe factum, deprecati ſunt ne ulterius audire cogerentur, cui ferendo non eſſent, & poſtularunt Moſen internuncium cum pollicitatione obedientiæ. Nunc recitat Moſes *ſui Ordinationem à Deo in Mediatorem*; verſ. 28. 31. ſic ut doceat, Quomodo Deus acceperit ipſorum petitionem, verſ. 28, 29. Quomodo aſſenſus ſit, verſ. 30, 31.

A. *Quomodo* acceperit Deus ipſorum petitionem ſic proponitur, ut quid probarit, verſ. 28. & quid deſiderarit, verſ. 29. indicetur. Etenim probantur verba deſideratur ſapientia. De horum utroque prius quam dicamus, ad intelligentiam faciliorem res altius repetenda eſt. Deus gratiæ qui fœdus hæreditarium cum Abrahamo inierat, ejuſque vi Iſraelem ex Ægypto eduxerat, quemadmodum illud repetierat olim & cum Iſaco, & cum Jacobo Lev. 26: 42. ita quoque cum ipſis renovare voluit, atque ad illud invitari fecit Exod. 19: 3. ſ. & cum aſſentirentur invitationi ad ſolennem conditionum propoſitionem juſſit ſe parare. Deſcendit ergo in montem Sinai cum majeſtate cœleſti, & omnibus videntibus & audientibus promulgavit decem verba, quæ fœderis, quibus ſignificavit quid facturus eſſet ipſe, *Ego Jehova Deus tuus qui* &c. Futurus idem qui Abrahamo documento liberationis jam edito: tum quid faciendum ipſis, quod pluribus articulis continebatur, ſed qui ad unum revocantur Deut. 18: 13. hoc eſt, ut forent iidem cum Abrahamo, uti ab ipſo poſtularat Gen. 17: 1. Majeſtatis demonſtratio adhibita fuit non ad terrorem, ut fugarentur, ſed ad reverentiam Exod. 20: 20. Sic quoque cum ſanciret Deus fœdus cum Abrahamo factum Gen. cap. 15: 12. 17. *Cecidit ſuper Abrahamum ſopor profundus, & ecce terror, obſcuritas magna cecidit ſuper ipſum, tranſeunte fornace fumante & face ardente inter partes cæſorum animalium*, quando Deus fœdus confirmavit. Verum Abraham non perterritus fuit, ut Deum recedere optaret, quod factitatum ab Iſraelitis. Terror Abrahami fuit reverentiæ, utpote fluens ex fide, Deus dixerat, *Ego ſum clypeus tuus* &c. quod etiam dicitur quando Deus ait, *Ego ſum Dominus Elohim tuus*. Elohim Mediator eſt unicus clypeus contra ultionem divinam: & Abraham crediderat Deo &c. Gen. 15: 1. 6. adeoque apprehenderat Deum reconciliatum; unde etiam robur ad obſequium, ut coram facie Dei jugiter ambularet, præſentiam Dei ſemper meditatus, & ambularet obediens Gen. 17: 1. cap. 26: 5. Terror Iſraelitarum quem conceperunt non fuit reverentiæ, ſed conſternationis, non ex fide, ſed ex æſtimatione ſuæ debilitatis reſpectu glorioſæ majeſtatis citra meditationem ſui reatus & juſtitiæ divinæ, nec conſideratis ſuis viribus; eoque tantum ſolliciti ſunt, qui expediantur illo ſpectaculo, de cætero nihil habentes curarum, unde liberaliſſime pollicentur obſequium omnium eorum, quæ ex ore Moſis audirent poſtulari officia. Hinc vero jam evidens fit, quouſque probarit vel improbarit Deus ipſorum poſtulatum; unde conſtat quomodo illud acceperit.

N. Prius verſ. 28. habet cognitionem & judicium de cognito approbativum.

a. *Cognitio* refertur à Moſe, & à Deo ipſo.

a. A *Moſe* dicit enim, *Et audivit Dominus vocem verborum veſtrorum, cum loqueremini ad me*. Erant omnes ad montis radicem, Moſes & populus, & antea Moſes populi reſponſum ad invitationem retulerat ad Deum Exod. cap. 19: 8. ſic quoque nunc volebant per Moſen fieri. Sed non opus fuit iſtiuſmodi indicio; Deus æque cito audivit populi ſermonem ac Moſes ipſe. Scilicet Deus omnia ubique & audit, & videt. Nihil ab oculis, nihil ab auribus ejus abſconditum eſt, Prov. 20: 12. *aurem audientem & oculum videntem, utrunque fecit Dominus*. Eoque multo magis ipſemet habet quod largitur aliis, Pſalm. 94. verſ. 9. 11. *An qui plantat aurem non audiet?* Pſal. 139. verſ. 4. Eſt hoc terrori impiis, quicquid loquuntur ipſi in terris, Deus audit præſentiſſimus, Eſa. 29: 15. Jer. 23: verſ. 23. Eſa. 37: 29. Sic audire liquet impiorum verba, dicentium, *quisquis male facit, bonus eſt in oculis Domini* Mal. 2: 17. & *fruſtra eſt ſervire Deo* &c. cap. 3. 13. ſ. & licet fileat ad tempus contra ſe & proximos loquentibus, qui ſibi fingunt Deum ſui ſimilem Pſ. 50: 21. tandem ſe audiviſſe teſtabitur: quando veniet ad judicium exercendum, vel hic ad convictionem, vel olim ad condemnationem, ut puniat impios cum de impiis operibus, tum de omnibus duris verbis, quæ locuti ſunt Jud. verſ. 15. Eſt pariter conſolationi quicquid injuſte oppreſſi gementes dicunt, auris Dei excipit peregrinos, pupillos, orphanos, mercenarios, &c. audit. Pſ. 10: 17. Audit vota, antequam fiant verba, & aures ſuas parat ad audiendum, quando ipſorum corda parant ad precandum. Dan. 9: 23. incipiente ipſo ſupplicationem, egreſſum eſt verbum ad reſponſum ei dandum. Eſa. 65: 24. *fiet antequam clament, ut reſpondeam; dum adhuc loquuntur, ego audiam*. Nam Mal. 3: 16. Utrique & pii & impii hinc norunt Deum habere & iſtis & illis aurem Matt. 12: 36. ſ. de quovis otioſo verbo reddenda ratio, ex verbis juſtificandi vel condemnandi. Hic ab hominibus non audiuntur omnia, non compenſantur: aſt iſtic reddetur compenſatio, quæ audita fuiſſe doceat, ad æternum, vel gaudium, vel dolorem, ac opprobrium.

b. *A Deo* ipſo. *Et dixit Dominus ad me, Audivi vocem verborum hujus populi, quæ ad te locuti ſunt*. Idem ergo dicit quod Moſes, ſed eſt emphaſis in expreſſione, quam hic notare lubet. Non dicit, *Audivi verba*, ſed *vocem verborum ipſorum* &c. Illud ſignificat ſenſum quoque & animum loquentis, ſed hoc ſonum verborum duntaxat. Etenim verſ. 29. docet, diſtingui inde animum & cor, quod ſociatum non erat. Teſtatur itaque de *verbis* ipſorum ſolummodo quod ad *ſonum* externum, & quid ea cuivis audienti ſignificabant, non habito reſpectu ad internam diſpoſitionem cordis; quæ vox ex ore ipſorum fuerit audita, & de hac tantum judicium adprobativum pronunciat. Quod niſi diſtincte animadvertatur, vix patebit, quid vitii fuerit in reſponſo Iſraelis, & ſic quæretur mutatio aliqua in actionibus & conſiliis Dei, quæ ſolum in homine reperitur. Si enim abſolute probarentur quoad reſponſum ſuum, nequiret illud unquam improbari, & ad idem exemplum vocandi eſſemus, cum tamen ex hoc initio fluxerit id quod fœdus Iſraelis habuit reprehenſibile.

Judicium ergo hic eſt *approbans. Bene ſe habent quæcunque locuti ſunt*: quod dixerant, ſe abunde imbutos reverentia Dei, ſufficere demonſtrationem majeſtatis divinæ, commodius ſe ab homine doceri poſſe, paratos ſe omnia facere quæ Moſes Dei nomine & juſſu mandaret. Quod ſolemus dicere de hominibus omnia liberaliſſime offerentibus aut pollicentibus, *Verba bona eſſe*; hoc idem dicit Deus. Non culpandus, ſed laudandus erat ſermo ipſorum, ſi ſonus tantum attenderetur. Sic Jer. 42: 5. ſ. Johanan & alii principes Judæorum poſt mortem Gedaliæ petunt, ut Jeremias pro ſe rogaret Dominum, quid conſilii ſibi ſuſcipiendum ſit, & pollicentur ſub juramento, *ſi non ſecundum omne verbum, quo cum Dominus Deus tuus ad nos te mittet, ſic faciemus, ſive bonum ſive malum fuerit, voci Domini Dei noſtri ad quem te mittimus obtemperabimus, ut bene ſit nobis ſi obediverimus voci Domini Dei noſtri*. Hi quoque internuncium faciunt Jeremiam cum ampliſſimis promiſſis. Poteſtne quicquam deſiderari in verbis? laudanda profecto oratio. Jer. 44: 16. prorſus contraria oratio eſt, quam nemo poteſt non deteſtari. Matt. 21: 28. ſ. Homo quidam habuit duos filios, quibus ſucceſſive dixit, *Abi fili, operare in vinea mea*; reſpondit autem major, nolo; & mimor, etiam Domine, qui hæc dicta audit, utique non priorem, ſed poſteriorem bene locutum dicet. Hujuſmodi commendatio eſt hoc loco. Ita ſincerum eſt judicium Dei, ut quicquid aliquid boni habet, ſic quoque declaret. Sic Ezech. 33: 30. de Judæis in Babylone, qui ſibi mutuum dicebant, de Propheta loquentes, *Venite, audite verbum, quod prodit à Domino*. Sic 1 Reg. 21. externam humiliationem Achabi: & 2 Reg. 10. Zelum Jehu contra Baalitas.

Eſt hoc obſervandum contra cenſuras nonnullorum quoad vitam verbaque compoſita non tantum Mennonitarum, ſed etiam Reformatorum, qui linguam & mores moderantur, accuſantque hypocrileos. Verum dupliciter peccant, & quod ſibi ſumunt judicium cordis, quod nec poſſunt, nec debent uſurpare; cum Deo ſoli proprium ſit;

& quod

& quod coudemnant oris temperiem, quæ laudanda eſt, dum nihil conſtat de animi diſcrepantia. Deus qui interiora Iſraelis norat, laudat tamen externam vocem, quemadmodum. Jer. 34: 15. proclamationem libertatis ſervis Hebræis, juxta fœderis formulam. Optandum profecto eſſet omnium verba ſic ſe habere, ut laudari poſſent; nam licet cordi deſit ſinceritas, quamdiu iſta non prodit ſeſe ſcandalo non eſt; illa autem verba adhuc cedunt ædificationi. Aſt quam multi ſunt, quorum verba tantum culpanda. Rom. 3: 13. ſ. quorum *guttur eſt ſepulchrum apertum, linguis ſuis fraudem exercent; venenum aſpidum ſub labiis ipſorum, quorum os plenum eſt exſecratione & amaritudine.* Sane de his dicendum, ex plenitudine cordis loqui os, & non poſſe loqui bona, quia ſunt mali. Mat. 12. verſ. 34. Studeamus itaque ſermoni, ut ille careat vitio. Inſtat renovatio fœderis, caveamus rebellem contradictionem, qualis fuit. Jer. 6: 16, 17. ſed polliceamur obſequium; quemadmodum Deum volumus loqui nobis bona, ſic etiam loquamur Deo. Deut. 26: 17. Joſua repetente fœdus, Iſraelitæ dicunt, Abſit à nobis, ut deſerto Domino colamus Deos alienos. Etiam nos ſerviemus Domino, nam Deus noſter eſt; ſerviemus Domino Joſ. 24: 16. ſ. & obtemperabimus voci ejus. Sequendi iſti ſunt nobis promtitudine promiſſionis; verum ut attendamus, quod Joſua dixit, ne Deo noſtro mentiamur. Adeoque laborandum de eo quod neceſſarium ad præſtationem promiſſorum, de corde videlicet, quod defuit Iſraeli, ut liquet ex ſeqq.

Verſ. 29. *O ſi eſſet hic eorum animus illis, ad timendum me & obſervandum omnia præcepta mea omnibus diebus; ut bene eſſet eis & filiis eorum in ſeculum.*

ב. *Poſterius* quod improbavit, verſ. 29. exſtat, ubi modus proponendi, & res ipſa ſpectanda venit.

א. *Modus proponendi* eſt votivus, *Quis dabit? utinam?* Unde duo colligimus. I. Iſtud defuiſſe, quod commemorat, quod tamen neceſſarium erat adeo ut ſine illo promiſſa præſtare non poſſent. Præſentia non optantur, ſed abſentia. Adeoque cum Deus optet, defuit Iſraeli tale cor. Quod quidem porro probatur, quia naturaliter nemo tale cor habet, Gen. 6: 5. cap. 8: 21. *malum cor infidelitatis*, Heb. 3: 12. *declinans & rebelle.* Jer. 5: 23. *cor lapideum*, flecti neſcium ad obſequium, Ezech. 36: 26. Rom. 2: 5. Docet etiam Moſes uſque ad vitæ ſuæ finem non habuiſſe, quando dicit. Deut. 29: 4. Deum hactenus ipſis non dediſſe. Nec non ex confeſſione Judæorum, qui culpant majores, quod ſic loquente Deo non petierint. Da nobis cor. Neque nos natura meliores ſumus. Tit. 3: 3. ne quidem poſtquam tamdiu viximus in Eccleſia. Cultus noſter excors eſt quicquid etiam profiteatur os. Eſa. 29: 13. & quamvis blandiamur ore, cor ſequitur avaritiam Ezech. 33: 31. Æque gravis cauſa optandi Deo datur à nobis. Deut. 32. verſ. 28, 29. Luc. 19: 42. II. Improbare Deum hoc voto Iſraelitarum ſtultitiam, qui pollicerentur obedientiam perfectam, cum non eſſent inſtructi corde, ad obedientiam neceſſario. Luc. 14: 28. ſ. ædificaturus turrim, & rex geſturus bellum, in anteceſſum vires ſuas explorare debet, ne deridendum ſe præbeat, quando in medio opere deficit. Atque hic defectus in eo conſiſtit quod non ſecuti ſint ordinem Dei, paciſcendi conditiones utrinque proponentis; quod exemplo Abrahami erat faciendum. Deus primum dixit quid facturus eſſet, tum quid ipſis eſſet præſtandum. Deus vult eſſe Deus ipſorum, adeoque ſe totum iis appropriare; Ipſi ſe totos viciſſim Deo impendere debent. Prius illud fide amplectendum, adeoque Deus apprehendendus, quomodo utique etiam robur ipſius apprehenditur, ut in ipſo & per ipſum agantur omnia, tum ad defenſionem ab ultione, tum ad ambulationem & actionem omnem exercendam. Sic Abraham. Gen. 15: 6. & ita ſancitum fuit fœdus, quod merito ab Abrahami actione *fœdus fidei*, & reſpectu Dei *fœdus gratiæ* fuit appellandum. Poſterius conſtat obſequio, quod non difficile credenti, cui omnia poſſibilia. Marc. 9: 23. utpote potenti 1 Joh. 4: 4. cap. 5: 3, 4. per Deum, cum ipſa obedientia fidei ſit effectus. Scilicet hæc eſt ſapientia heic requiſita, ut fœdus initurus cum Deo, impotentia ſua naturali æſtimata Rom. 5: 6. & oblatione gratiæ à Deo facta vires ſibi paret per fidem, cor à Deo petens, quod præſtet quod pollicendum habet. Sic Pſ. 86: 11. Pſ. 119: 36. Pſ. 143: 10. Verum Iſraelitæ hanc curam omiſerunt; poſterius ſolum attendunt, poſtulationem obedientiæ: & hanc pollicentur promte; imo quod ad reverentiam Dei altius implantandam faciebat, juge alloquium Dei, id quoque deprecantur, quaſi memoria brevis alloquii ſatis durabilis & efficax futura eſſet. Sic itaque neglectum penitus exercitium fidei, vires à Deo arceſſituræ, & omnia redierunt ipſis ad proprias vires, quas ſibi habere imaginabantur uti ſolent homines de ſe optima opinari; aut quas ſibi ipſis parare debuerunt, poſtquam ſancitum eo modo & conditione fœdus fuit, quo præſtarent, uti appellatur, juſtitiam propriam, quæ juſtitiæ Dei contraria eſt, & hujus ignorantiam habet apud omnes, qui illam volunt conſtituere. Rom. 10: 3. Atque hinc factum eſt, ut fœderis alia foret natura, & reſpectu ipſorum, & quoad originem obedientiæ, *operum fœdus* appellandum. Quanquam hic nondum pactio facta ſancitaque fuerit, quod poſt demum contigit Exod. 24. & hic ſermo Dei ſic exprobrativus ſit ſtultitiæ, ut ſimul fuerit inſtructivus, quid deeſſet ipſis, & quid agendum eſſet, ſiquidem ſapienter rebus ſuis proſpicere vellent; Quod fatentur Judæi dicentes Moſen, quando votum iſtud Dei editum eſt, ad ipſos hæc fatum eſſe, *O ignorantes ſeu non agnoſcentes boni, cum hæc optaret Deus fuiſſet reſpondendum, Da nobis tale cor:* quomodo utique erudiiſſet, fide parandum eſſe, quod ad obſequium ſufficeret. *Abhoda Zara*, cap. 1. fol. 5.

א. Equidem ſunt qui Votum iſtud Dei aliter interpretantur, nempe hinc ſequi Deum libero hominis arbitrio permiſiſſe, ut faceret quicquid vellet, ſive bonum ſive malum: atque huic eſſe abunde virium ut agere queat alterutrum: unde cum omnia ſubjiciant regimini poteſtatique Dei, eximunt tamen timorem Dei, cujus ſcilicet autor quivis homo ipſe foret. Sic Judæi; & alii, qui alioqui Dei votum ridiculum rentur, optare ut homo faciat, quod facere nequit, ſed Deo ipſimet faciendum eſt. Verum perperam ſic interpretantur votum Dei: cum non niſi more hominum loquatur, non deſignans humanam potentiam, ſed ſuam delectationem in obſequio hominum, & quid iſtis neceſſarium ut bene ſit, ut excitentur ad ſollicitudinem parandi iſtud, unde impetrari poteſt. Eſa. 48: 18. Pſ. 81: 14. Sed inſuper hoc ubi fœdus ineundum erat, permittendum duxit Deus Iſraelitarum electioni, ut ipſimet optionem facerent liberam, quæ tamen non inferret potentiam præſtandi quod bonum eſt. Exod. 20: 20. *Deus venit ut tentaret vos.* Deut. 8: 2. *ut tentaret vos, & ſciret quid in corde veſtro eſſet an cuſtodituri eſſetis ipſius mandata, nec ne.* Atqui hic oportunum eſt exemplum Hizkiæ 2 Chron. 32: 31. *Reliquit eum Deus, ut tentaret, ſciretque quid eſſet in corde ejus.* Hoc modo Deus egit cum univerſo Iſraele, etiam piis in populo ut hac exploratione manifeſtum faceret, quid ſapientiæ, quid ſuperbiæ etiam apud ipſos eſſet, ob Dei alloquium ſingulare cæteraque beneficia multum ſibi imaginantis, non ſecus ac Hizkia ibid. verſ. 25. Aſt quid homo facere ex ſe queat, egregie docent Hebræi. Votum Dei eſt ut conſequantur Cogitationem mundam ad timendum Deum omnibus diebus, quam dare non ipſius ſit, ſed ſuperioris. Omnia quidem eſſe in poteſtate Cœli, ſed excipi timorem Cœli, quem optet dari ab excellentiore. Loquentem dicunt Schechinam. Nomen illud propriiſſimum, quem alias Mediatorem Filium Dei eſſe oſtendimus; Hunc inferiorem eſſe, uti Chriſtus ſe patre minorem dicit. Joh. 14: 28. & appellari Cœlum, habentem poteſtatem omnium ut Dan. cap. 4: 26. qui idem altiſſimus, verſ. 17--25--32. Atenim timorem ſui largiri, ſuperioris eſſe dicunt, unde petendum habeat, ſcilicet ratione œconomiæ. Operari cor iſtiuſmodi eſt Spiritus Sancti. Ezech. 36: 26, 27. ſed Spiritus Sanctus nondum erat. Joh. 7: 39. quem Chriſtus exaltatus dextra patris accepit effundendum Act. 2: 33. atque antea ſe Patrem rogaturum dixit ut daret illum Paracletum

Joh. 14: 16. Quæ eſt gratia illa quam univerſo Iſraeli aliquando præſtiturus ſit, cum ſe præſtolari dicat ut gratiam faciat, & exaltatum iri ut ipſorum miſereatur. Eſa. 30: 18. Bechai fol. 195. col. 1. *quando circumcidet cor Iſraelis & Seminis ejus.* Deut. 30: 18. Quo pacto Votiva oratio propriiſſime intelligitur, & futurum beneficium, quod ſuo tempori reſervavit Deus Pater, à Mediatore jam tum optatur. Hic commemorandum eſt, quod Hebræi obſervant de gemino Voto in libris Moſis, „ Nimirum Præce„ ptorem optaſſe, *Utinam eſſet tale cor ipſis*, &c. Diſcipu„ lum autem Moſen. Num. 11: 29. *Utinam eſſet omnis po„ pulus Domini Prophetæ ut Dominus Spiritum ſuum ſuper „ illos daret!* Sed neutrius verba fuiſſe completa hactenus, aſt implenda utriuſque tandem in futuro ſeculo, ſeu in diebus Meſſiæ verba Magiſtri. Ezech. 36: 25. & Diſcipuli, Joel 2: 28. *effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & filii filiæque veſtræ prophetabunt.* Eſt ergo qualitas iſta beneficium divinum, & quod Deus ipſe aliquando largiturus eſt, ſine quo nemo habet.

Enimvero felices nos qui in ea tempora ſervati ſumus, quando iſtud datur, non Judæis, ſed Gentilibus; Nam etiam his dedit Deus Spiritum Sanctum Act. 15: 8. & cap. 5: 32. & dedit illis qui ipſi obedientes ſunt, non quod obedientiam ipſorum remuneretur Spiritu Sancto, ſed quod obedientia teſtimonium ſit dati Spiritus Sancti qui eam operatur. Petendum nobis eſt, ut Chriſtus juxta acceptum jus & poteſtatem dandi Spiritum Sanctum & per eum dandi cordis novi, & ſapientiæ & mundæ cogitationis, & timoris Dei, in nobis operetur.

b. *Votiva* iſta *oratio* non amplius eſt Dei, quoad eos qui in novo fœdere ſunt, ſed debet eſſe fœderatorum ad Deum, ut hoc beneficium ipſis largiatur. Iſtud beneficium conſiderabimus, uti voto Dei continetur, qui deſcribit Radicem officii. Officium ipſum, & Fructum ejus: quæ omnia ſunt beneficia Dei.

a. Radix eſt *Cor iſtud.* Nullus hominum eſt, qui non habeat cor, hoc eſt intellectum & voluntatem, & affectus animi; quæ omnia cordis nomine veniunt in Scriptura. Sine iſtis enim non foret quis homo. Prov. 16: 9. & cap. 4: 23. inde ſunt egreſſus vitæ. Verum inde à lapſu Cor malum eſt. Gen. 5: 5. cap. 8: 21. Prov. 22: 15. ſtultitia ligata eſt in corde pueri. Eſtque radix mala. Mat. 15: 19. Legitur quidem de populo excorde, non ſimpliciter, ſed ratione bonæ qualitatis. Hoſ. 7: 11. Jer. 5: 21. Itaque non dicitur hic, de corde, ſed de tali corde, de qualificato corde, quod radicalem habet bonitatem, ut bonum inde procedat. Etenim arbor bona ſit oportet unde quid boni enaſcatur, nequit mala bonos, nec bona malos edere fructus Mat. 7: 17. ſ. cap. 12: 33. Joh. 3: 6. Nihil ſperandum boni & felicitatis; nihil poſſibile ſancti & juſti, niſi tale cor fuerit, quod radix ejus eſſe queat. Cæterum cor bonum uti nemo natura habet, ita neque ulla arte facere ſibi poteſt. Nec creare ſemetipſum quisquam, nec generare valet, ut ſit homo: ita neque ut ſit novus homo. Solius Dei eſt iſtud creare, & dare. Deut. 29: 4. Ergo non habebant, quia Deus non dederat. Neque magis nunc illud quisquam ex ſe habet. 2 Cor. 3: 5. Initium ipſum à Deo eſt Phil. 1: 6. cap. 2: 13. Quando itaque de tali corde agitur, non proponitur ut officium præſtandum, ſed ut beneficium optandum. Optandum autem ab eo qui ſolus dare poteſt. Pſ. 33: 15. format omnium corda, de hominum omnium inclinationibus, & multo magis hic. Pollicetur iſtiuſmodi cor Ezech. 36: 26. & cap. 11: 19. Jer. 32: 39, 40. *dabo timorem mei in cor illorum*, &c. & pollicetur vi novi fœderis: proxime antecedit, verſ. 38. *& erunt mihi in populum, & ero ipſis in Deum.*

Quod proinde nobis obſervandum eſt. Gloriamur de fœdere Dei, non quali Iſraelitæ inierunt, ſed quod iſti ſucceſſit, fœdus gratiæ novum, quod ſancitum eſt ſanguine Chriſti. Quamvis Gentiles ſumus origine, non minus ac Iſrael vocamur & invitamur, non per unum Moſen, ſed per Apoſtolos Jeſu Chriſti, & qui etiamnum ad nos mittuntur Paſtores & Doctores 2 Cor. 5: 18. ſ. Mundum, Gentiles quoque reconciliat ſibi Deus in Chriſto, & reconciliationis miniſterium, & ſermonem inſtituit, atque inter nos exercentur; Vel hoc ipſo die quid aliud actum eſt, quam ut reconciliatio perſuaderetur ſuper fundamento Chriſti facti pro nobis peccatum, ut nos eſſemus juſtitia Dei in ipſo. Nemo communicantium eſt qui videri vult gratiam Dei fruſtra accepiſſe. Atqui hoc ſi eſt, utique cor tale datum nobis ſit oportet. Etenim ſic pergit Apoſtolus Cap. 6: 1, 2. dicit, tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis juvi te. Ecce nunc eſt tempus illud acceptum. Ecce nunc eſt dies ſalutis: Acceptum autem tempus eſt, quando nos acceptos facit in Dilecto illo transferendo in regnum filii amoris ſui ex poteſtate tenebrarum ereptos. Et dies ſalutis, quo largitur eum in quo uno ſalus, qui factus non ſolum juſtitia, ſed etiam ſanctificatio, à Deo nobis. Proinde ſi tali die ſalutis juvet Deus, utique Cor tale largitur. Examinet itaque quivis ſemetipſum ſitne vere fœderatus, & Cor ejuſmodi acceperit. Non ſufficit profeſſio, *Regnum Dei non eſt in verbis, ſed in virtute.* 1 Cor. 4: 20. qui dicunt, *Domine, Domine, coram facie tua edimus & bibimus, & in plateis noſtris te docentem audivimus: imo in nomine tuo prophetavimus*, poſſunt ipſi tamen ignoti eſſe, qui tamen ſuos, ſibi fœderatos exacte novit. Luc. 13: 25. ſ. Mat. 7: 21. ſ. 2 Tim. 2: 19. Cor tale unum eſt, & unam viam tenet. Non congruit illi συζυγία cum infidelibus: nulla communio juſtitiæ & injuſtitiæ, luci & tenebris, Chriſto & Belial, templo Dei & idolis. Templum autem Dei ſunt fœderati ejus, uti dixit *in ipſis habitabo*, &c. 2 Cor. 6: 14. ſ. Vel cadit Dagon, & truncatur coram Dei arca, vel hæc arca fœderis Dei inde emovenda eſt. In quorum proinde corde idola erecta ſunt, ubi avaritia, omnium malorum radix habitat & colitur, ubi potentia, ubi voluptas, fœderati illi ſunt, ſed Diabolo, carni, mundo: nequaquam autem Deo. Mat. 6. verſ. 24. odit Deum, qui amat mammonam & adulterium committit contra Deum, qui amicus mundi eſt. Jac. 4: 4. Via unica cordis unius eſt Chriſtus. Joh. 14: 6. & tunc Eph. 4: 20. ſ. *Quapropter egredimini è medio ipſorum & ſeparamini, inquit Dominus, neque tangite quod impurum eſt & recipiam vos, & ero vobis in patrem*, &c. *Deus lux eſt & non ſunt tenebræ in ipſo, ſi dixerimus nos communionem cum ipſo habere, & in tenebris ambulemus, mentimur, & veritas in nobis non eſt.* 1 Joh. 1: 6. Nullum fœdus Deo cum aperte impiis. Tales nunquam recepit. Salutaris Dei gratia efficaciter erudit ad deſerendam impietatem omnem. Tit. cap. 2: 11. ſ. & carnales cupiditates: avertendo amorem cordis in contrarium, quomodo cor tale fit ut hic deſcriptum eſt. Puritas in corde eſt, quæ puritatem ſuadet. Uti qui munditiei amans defugit tangere vel extremo digito carbones, non quia candent; ne ſe adurat, ſed quia ſordidi ſunt licet non ardentes, ne ſe polluat. Sic quoque ſe habent circa mundum & mundana, quæ cavent non ob noxam tantum ſed inprimis ob turpitudinem, etſi nemini quam ſibi ipſis ejus ſit notitia. Hujuſmodi non recipiet modo, ſed ſe recipiſſe demonſtravit. Talibus eſt Pater, qui dedit Spiritum Sanctum cordis ejuſmodi effectorem. Veruntamen quam multis iſta deſunt. Quibus cor eſt lapideum prorſus & immobile quoad omnes Verbi perſuaſiones, quos nemo obſervet unquam in iis quæ Dei ſunt, niſi quando in templis ſedent, immixti populo Dei, cum tamen etiam tunc cor abeat pone avaritiam, & meditetur vias prævalendi in mundo. Quos venientes Deus judicat ſecundum idola cordium ſuorum & quantumcunque fraudulentum ſit ad decipiendos ipſosmet cor ipſorum, Deus illud perſcrutatur, ut reddat unicuique ſecundum vias ſuas, Jer. 17: 9, 10. At enim qui animadvertunt vitium cordis ſui, ex voto Dei diſcant votum ſuum, Quis dabit tale cor; imo quia Dei donum eſt, Crea mihi cor novum & Pſ. 51. verſ. 12. Quia quivis fœderatorum inſtare debet ad emendationem cordis ſui; quandoquidem cor malum quoque adeſt, dum vetus homo ullatenus vivit; ut illud roboretur, ad prævalentiam, uti David Pſ. 86: 11. & id vi fœderis, Pſ. 143: 10. quo ſequatur officium Pſ. 119: 32.

b. Officium ipſum eſt, *ut me timeant & omnia mea præcepta omnibus diebus cuſtodiant.* Cor bonum eſt radix, inde enaſcitur truncus, qui ſe dividit in ramos complures. Truncus ille eſt Timor Dei: rami obſervatio præceptorum ejus & his omne officium abſolvitur. Eccl. 12: 13. *Omnium quæ audita ſunt ſumma hæc eſt, Time Deum, & præcepta ejus obſerva; nam hoc eſt totum hominis*, ſeu *omnium hominum* officium

ficium neceſſarium. Timor Dei eſt ſancta reverentia Dei quem præſentem, omniaque videntem novit, cognitum antea perfectiſſimum, & abſolutum Rectorem judicemque univerſorum, ne quid faciat, non modo externis factis aut verbis ſed etiam internis cogitationibus & animi motibus, quod offendat, omnia autem inſtituat, ut ei placeat. Præſupponit cognitionem Dei. Eſa. 11: 2. ſpiritus cognitionis & timoris Dei. Ignotum nemo reverebitur. Quo vero magis cognoſcitur eo quoque magis timetur. Imo timor Dei eſt, qualis cognitio. Si qui Deum cognoſcant ceu non curantem res terrenas, neque metuent ejus judicium. Qui tantum externa intueri putant, cogitationum curam nullam habebunt. Et quivis qualem concipit mente Deum, qualem fingit, talem etiam timorem ejus habet. Quocirca nonnunquam promiſcue dicuntur cognitio & timor Dei. Profuſio in omnis generis peccata inde dicitur fluere, quod nulla ſit cognitio Dei in terra. Hoſ. 4: 1. ſ. quod nullus timor Dei. Mal. 3: 5. Timor Dei deſcribitur. Gen. 17: 1. *ambula indeſinenter coram facie mea*, & obſervatio præceptorum, *& ſis integer*, uti Deut. 18: 13. Meſſias deſcribitur dominator in timore Dei, 2 Sam. 23: 3. & qui habet Spiritum timoris Dei Eſa. 11: 2. & ipſe teſtatur Pſ. 16: 8. *Diſpoſui Dominum jugiter coram me.* Hic itaque eſt timor Dei, conſideratio jugis præſentiæ Dei, coram quo quis ambulet anima æque ac corpore, non tantum ob iram & juſtitiam vindicem, ſed ob majeſtatem quoque, & gloriam, ob bonitatem & perfectionem ejus. Quemadmodum cum Senex gravis præſens eſt reverentur eum, & non audent, quicquam ludicri, nedum turpis agere. Sic Jobus de ſe, Job. 29: 8. ſ. Ita præſente Rege & Principe quanta eſt modeſtia, ex mera reverentia. Hoc modo ſe habet timor Dei. Ubicunque ille eſt, ſequitur obſervatio præceptorum ejus. Nam quis adeo impudens ut in oculis & præſentia ejus quam agnoſcit, auſit contra ejus mandatum agere? imo quis non ſtudebit ſe tunc obſervantem oſtendere. Hinc conjunguntur, *qui Dominum timet, & ambulat in viis eius* Pſ. 128: 1. *qui Dominum timet, & valde delectatur ejus præceptis* Pſ. 112; 1. Imo hacpropter dicitur, *timor Domini eſt initium ſapientiæ* Pſ. 111: 10. Prov. 1: 7. & Job. 28. verſ. 28. *timor Domini eſt ſapientia, & recedere à malo prudentia.* Eſt enim revera maxima ſapientia præſentis Dei meditatione abſterreri à peccati praxi: quatenus illa poteſt ab ipſo obſervari, quod cum æque faciat circa cor quam actiones externas æque iſtius rationem habere ſuadet hæc ſapientia timoris Dei. Nullus titulus frequentior eſt, qui piis tribuitur, quam hic Timentes Deum; & ſic ſolent deſcribi, quod Deum timeant, neque quiſquam eſt inter fœderatos Deo profeſſione externa, qui alius cenſeri velit. Verum ſane eſt, quiſquis timet Deum habet tale cor, quale Deus hic commendat, cum inde naſcatur Dei timor uti declaratum: ſed quemadmodum homines iſtud cor videre nequeunt, ita nec timorem Dei in eo natum 1 Cor. 2. verſ. 11. ſibi ſoli quis conſcius eſt, & tamen hic nonnunquam errat, deceptus à corde ſuo fraudis pleno. Judicium ſumendum eſt ex effectis omnium præceptorum Dei conſtanti obſervatione. Qui unum præceptum volens negligit, nullum obſervat, quia Legiſlatoris autoritas eadem eſt in omnibus Jac. 2: 10. ſ. qui item uno in loco, uno tempore deliberato negligit Deum, præſentem nuſquam reveretur. Reverentia mariti non admittit adulterum vel in corde, ubicunque etiam degat mulier. Et ſic quoque Dei. Hæc eſt demonſtratio defectus timoris Dei, violatio præceptorum ejus. Pſ. 36: 2. ſ. Abraham ajebat de Gerare, *tantummodo timor Dei non eſt in hoc loco* Gen. 20: 11. & hinc metuebat ſcelera maxima, raptum uxoris, & cædem ſui. Deum non metuens, ut præſentem cogitet, nec futurum timet, nec perjurium, nec oppreſſionem tyrannicam. Deus non eſt in omnibus cogitationibus impii, & tunc ad omnia mala facienda & probanda proclivis eſt Pſ. 10: 3. ſ. Contra per timorem Dei receditur à malo Proverb. 16: 6. Sic Joſephus Timeo Deum Gen. 42: 18. & propterea non vult tyrannice agere. Si timor Dei adſit, cavebitur omne malum, exercebitur omne bonum. Ipſi piorum defectus unde ſunt, niſi quod timor Dei meditatio præſentiæ ejus ſubinde deſit. Hinc inadvertentia in audiendo verbo, neglectus præpararationis in uſu S. Cœnæ, & diſcretionis neceſſariæ, ut judicium non exerceamus de nobis ipſis. Adeoque hic adhibenda cura eſt. Deus nunquam abeſt à nobis Act. 17: 27. ſ. non poſſumus ab eo diſcedere, vel latum unguem Pſ. 139: 1. ſ. præſentiſſimus adeſt etſi eum corde & cogitationibus noſtris excluſerimus: ſed debemus meditari ejus præſentiam Pſalm. 16: 8. ut ambulemus coram ipſo. Gen. 17: 1. uti David Pſ. 101: 2. ſ. Exemplo Noachi Gen. 6. verſ. 9. tota terra corruperat viam ſuam, non erat qui eum cohiberet inter homines (uti de habitatoribus Lais dicitur non fuiſſe qui ullum pudefaceret Jud. 18: 7.) ſed ambulabat jugiter cum Deo; hujus præſentia retinebat, & tanto magis quanto major cæterorum impietas. Neh. 5: 9. dicitur principibus & nobilibus Judæorum opprimentibus alios avaritia ſua. *annon ambularetis in timore Domini* &c. Metus Dei debet diſcrimen facere vitæ & converſationis, ne blaſphemandi detur anſa alienis. Caſtigatiſſimæ debent eſſe noſtræ actiones, noſtri ſermones, compoſita omnia ad omnem voluntatem Dei, ut timorem Dei noſtri probemus. Quandocunque ſollicitamur ab alio à propria cupiditate ad ullum peccatum, hic clypeus quaſi opponendus, Timeo Deum. Illum obſervantem video, nolim provocare oculos gloriæ ipſius, nolim in faciem ei maledicere: *tantum ne malum facerem, & peccarem contra Dominum?* ipſomet inſpectante? Timeo Dominum, jugiter coram eo ambulabo, itaque nunquam deprehendi volo, niſi in viis ipſius, in opere ipſius, obſervabo omnia præcepta ejus omnibus diebus vitæ meæ. Cæterum ut Noach talis foret, præſtitit gratia Dei Gen. 6: 8. Ideoque hæc ſollicitanda, Pſ. 73: 23, 24. Non tantum cum Deo eſſe debemus, ut ambulemus in ipſius præceptis, ſed etiam ut ambulare poſſimus. Pſ. 16: 8. ad dextram meam eſt, ut non dimovear. Sic quoque cogitandum de Deo; & augebitur timor Dei ad obſequium, & ad felicitatem Eſa. 64: 5. cogitantibus de Deo in viis ejus, Deus occurrit ad gaudium & perennem ſalutem, remota ira propter peccatum antea demonſtrata.

c. *Fructus* eſt, *ut ipſis & liberis ipſorum bene ſit in æternum.* Hic fructus obedientiæ promiſſus quoque fuit Deut. cap. 4: verſ. 40. & ſpeciatim quinto præcepto adjectum eſt, cap. 5: 16. & repetitur verſ. 33. & deinceps ſæpius. Generatim eſt felicitas, ut bene ſit ipſis quoad corpus & animam, ſpiritualia & corporalia bona. Iſta enim omnia promiſſa ſunt pietati 1 Tim. 4: 8. & timori Dei. Pſ. 112: 1. & 128: 1. το אשרי proprie geminam felicitatem notat, quæ hujus & futuri ſeculi ſit; aut ſi ad hanc vitam referatur, quæ animam & corpus juvent. Infinita ſunt teſtimonia Scripturæ in hanc ſententiam. Quæ tamen habent reſtrictionem afflictionum, Marc. 10: 30. quas ipſas facit felices, ut de iis gaudere queant. Jac. 1: 2. 1 Pet. 1: 6. cap. 4: 13.

Felicitas iſta amplificatur *à ſubjecto*, ipſis & liberis ipſorum. Nulla major ſollicitudo parentum, quam ut liberis proſpiciant. Debent illis theſauros congregare 2 Cor. 12. verſ. 14. & quantum moleſtiæ ſuſcipiunt, ut id faciant, quam laborant quandoque ut damnationem ſuam aggravent & accelerent, quo divites relinquant liberos. Hic ratio expeditior, timor Dei, demonſtratus obſequio conſtanti, tum facientibus, tum liberis ipſorum fructuoſus, exemplo Davidis, propter quem benedictio ad poſteros ejus dimanavit. Pſal. 103: 11. 13. 17. *quam altum eſt cœlum* &c. *ut miſeretur* &c. *benignitas Dei* &c Pſalm. 112: 1, 2, 3. Semen ejus potens erit in terra, generatio rectorum benedicetur, in domo ejus erunt opes & divitiæ. Sic Pſ. 128.

Amplificatur etiam *à duratione*, dum dicit, *in ſeculum.* Notatur ſic ſæpe vita hominis, & hac durante bene erit Deum timentibus, & ei obedientibus. Eccl. 8. 12. ſ. *novi iis bene fore qui Deum timent, qui coram ejus facie timent; ſed impio non erit bene, neque prolongabit dies, quia non timet coram facie Dei erit ut umbra.* Sed cum timor Dei radicatus ſit in anima, quæ indeſinens felicitas iſta extenditur ad hujus ſeculum fine carens, ut & ipſa ſit indeſinens. Enoch ambulavit cum Deo, quod eſt ipſum timere Dei, & aſſumtus fuit à Deo, ut æternum cum Deo eſſet, Gen. 5. verſ. 24. Mal. 3: 16, 17. Quiſquis ergo deſiderat vitam, amat dies ad videndum bonum, diſcat timorem Dei, & eum oſtendat cuſtodia præceptorum ejus, abſtinendo à malo, & fa-

& faciendo bonum; non habebit ille defectum ullius boni, Deus erit ei sol & clypeus, dabit gratiam & gloriam, ut & hic felix sit, & post hanc vitam in omnem æternitatem.

Vers. 30. *I, edic illis, revertimini ad tentoria vestra.*

B. *Dignitatis istius collatio* est, vers. 30, 31. habentibus concessionem petitionis Israelitarum. Hæc fuit bimembris, I. ne amplius audirent vocem Dei tantæ majestatis. II. ut Moses pro se audiret, & ad se referret. Adsentitur Deus utrique.

א. *Priori* quidem, vers. 30. *Abi, dic ipsis, revertimini vobis in vestra tentoria.* Jubet Mosen abire ad ipsos, & indicare. Constiterat apud ipsos; neque enim alias ad ipsum accedere, vel potuissent ob sepem monte circumductam, vel debuissent ob interdictum Dei, vel ausi fuissent, qui jam quoque trepidabant propter ignem illum, siquidem Moses in monte constitisset apud Deum. Sed cum Deus eorum postulatum audivisset, evocavit eum in montem, & suam voluntatem desuper indicavit, quam renunciaret, quemadmodum factum fuit sæpius Exod. 19: 3. 8. 20. Itaque evocatum nunc rursum dimittit, ut concessionis suæ notitiam haberent: & primum quidem est. Non necesse esse ut porro audiant suam vocem, *Revertimini* &c. Eduxerat Moses populum ex castris, & constituerat ad pedem montis, audituros vocem Dei; nunc cum ea non amplius audienda foret, redire jubet in tentoria sua, sibi ad proprium commodum. Hæc ultima vox habet aliquid quod reprehensionem sapit. Quos tædebat audire Deum loquentem, dimittuntur ut domi suæ sibi vivant. Sic qui Deum Regem amplius nolebant, dicitur à Samuele, *Abite singuli in urbem suam.* 1 Sam. 8: 22. & qui deficiebant à Davide 2 Sam. cap. 20: 1. & à domo ejus 1 Reg. 12: 16. *quivis ad tentoria sua ô Israel.* Sane quando tædium est Domini & verborum ejus ut fatigationi sint, solet Deus dimittere cum neglectu. Ps. 81: 12. s. Sic Ezech. 20: 39. Infelicia sunt tentoria privata, si hoc modo quis eo dimittatur. Deum faventem in iis non inveniet, qui ut faventem non audiret, eo dimitti optavit. Cui displicet audire consilium Dei in ejus domo, habebit in propria domo tantum propria consilia, quibus peribit Deut. 32: 21. Sed Israelitæ nondum hic aversionem verborum Dei prodiderunt, qui audientiam ex alieno ore promiserunt: itaque hoc loco ea emphasis τῶ vobis non est.

Aliud autem hinc discendum habemus. *Quando auditus fuit cum congregatione sermo Dei, redeundum est ad tentoria sua unicuique.* Felicitatis est esse in domo Dei, & frui exercitiis quæ ibi peraguntur. Verum ubi id factum est, reverti debet quisque ad suam vocationem. Quandoquidem terra quam incolimus maledictioni subjecta est propter hominem, atque cum dolore & sudore inde comedendum est, utique huic occupationi Deus quoque suum tempus deputavit, & ad eam redire oportet. Hinc Deus unum diem Sabbati instituit, & sex dies operis, quos non minus occupatos voluit opere vocationis ordinariæ, quam illum suo. Et Christus quando finivisset concionem ex nave Petri, hunc in altum provehi, & rete ad piscationem demittere jussit Luc. 5. Eunuchus Candaces audita Philippi institutione & baptismo percepto, abiit viam suam cum gaudio Act. 8: 39. Hoc modo dimittuntur à singulis concionibus hodieque. Redeundum ad domos suas, sed ne unquam excidat memoria ejus loci ubi fuimus, quod Israeli inculcatum Deut. 4: 9, 10. Et profecto, tum ante octidnum, tum hodie proximi fuimus Deo, non tantum in domo ejus, sed etiam ad ejus mensam, & inde dimissi sumus ad nostra. Servemus memoriam præteriti boni, & domi nostræ versemur cum diligentia in vocatione, ut cum Deus nos viderit extra domum suam juxta suam voluntatem, non tantum videat otiantes, & vagantes, nihil aut male agentes, sed in opere domus cujusque non aliena, sed propria agentes, quo proprium panem comedamus, & Deo etiam hic cum gaudio serviamus.

Vers. 31. *Tu autem hic consiste apud me; edicam tibi omnia præcepta statutaque & judicia illa quæ docebo eos: ut exerceant* illa *in ea terra quam ego do eis possidendam hæreditario jure.*

ב. *Posteriori*, vers. 31. *Tu vero consiste hic mecum, ut ad te loquar* &c. Constituit hic Mosen Legislatorem mediatum, veruntamen ut instruat I. de iis quæ muneris ipsius essent. II. de legum ferendarum ratione.

a. *Munus* est esse cum Deo, audire à Deo, & audita docere.

a. Primum est esse cum Deo, *Tu hic consiste mecum.* Voluit sibi præsentem adesse in monte, & τὸ עמדי emphasin habet, ut proximus sit. Exod. 20: 21. *Moses propinquavit ad caliginem, ubi Deus erat.* itemque Exod. 24: 18. *Moses in nubem ingressus est.* Fuit hæc propinquatio Mosi propria neque aliis concessa; quemadmodum singulare munus habuit, unde etiam deinceps quandocunque libuit, ingressus est in tentorium conventus Exod. 33. vers. 8. s. utpote quo cum Deus loquebatur facie ad faciem, uti quis cum amico agit, & in S. Sanctorum, ubi è medio Cherubinorum arcæ Mosi respondit Exod. 25: 22, Num. 7. vers. 89. Veruntamen aliis quoque legatis Dei id faciendum est, debent cum Deo esse. Sacerdotes hinc describuntur propinquantes ad Deum Exod. 19: 22. Ezech. 44: 15, 16. & hac phrasi Sacerdotium Christi designatur Jer. 30: 21. & Psal. 134: 1. & 133: 1, 2. *Vos servi Domini, qui consistitis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.* Ipse Servator matri suæ dixit, cum frustra ægro animo quæsivisse ipsum quereretur, an nescisset, me debere esse in locis Patris mei, in templo cum esset Luc. 2: 49 nullo alio in loco quærendus.

Istud observandum omnibus legatis Dei Ecclesiæ doctoribus; *debent consistere apud Deum.* Non quidem habemus externam domum Dei, & carnale sanctuarium. Verum non destituimur loco præsentiæ ejus, ubi consuli potest, & ubi loquitur suis. Ps. 73: 17. usque dum ingrederer in sanctuaria Dei, & observarem extremum impiorum. Ista sunt Scripturæ, describentes quid maneat impios, etsi hic felicissimam transigant ætatem. Ps. 92: 7. s. Ad Deum ingreditur, qui eò abit, & quidem in secretissima Dei Jer. 23: 22. Act. cap. 20: 27. Sunt istic mera eloquia Dei Rom. 3: 2. neque usquam alibi nunc reperimus loquentem. Heic proinde eos esse oportet. Ast quam multi sunt qui alibi consistere amant apud homines, ab iis oracula exspectantes. Pontificii nolunt ut alibi consistant, nisi apud Ecclesiam, Concilium Tridentinum, Papam Romanum. Alii licet ipsis contradicant, imitantur tamen, & quemadmodum olim Corinthii ab hominibus denominari amant, licet non tantæ dignitatis, ut illi dicentes, *Ego sum Pauli, Cephæ, Apollos.* Imo qui ne quidem apud homines Ecclesiæ consistunt, sed apud extraneos Gentilium philosophos, aut Antichristianos Scholasticos. Et si horam unam consistant apud Ecclesiam Dei, sex vel octo apud omnis generis scripta humana consistunt, ut erudiantur. Imitatores quadantenus Bileami, qui ut vaticinaretur, adiit suas incantationes Num. 24: 1. Legimus quidem Deum illi bis occurrisse sic agenti, & indidisse verba sua ejus ori, cap. 23. quemadmodum etiam non semper destituit eos qui hominibus attendunt, Patrum doctorumque autoritati deferentes; attamen commendandus Bileam, qui deseruit incantationes, & soli Deo attendit: & pariter illi homines qui aversi ab hominibus soli Scripturæ & Deo in ea loquenti se sistunt. Id mandat Timotheo Paulus 1 Tim. 4: 13. Intende lectioni, & 2 Tim. 3: 14. s. In humanis scriptis possibile est reperiri Deum, unde opus est exploratione 1 Joh. 4: 1. in Scripturis certum est 2 Pet. 1. vers. 21. Fiducia hujus adesse semper potest; unde promiscue dicitur, Deum loqui, & Scripturam loqui Rom. 9. vers. 17. cap. 10: 11. cap. 11: 2.

Sed non tantum doctoribus sic adesse licet, sed auditoribus quoque Asaph Psalm. 73: 23, 28. qui privati instar se habet in eo argumento. Sanctuaria Scripturæ etiam privatis patent. Joh. 5: 39. quorum usui quoque conscripta est Rom. cap. 15: 4. Quæ dicuntur Psalm. 19: 8. ff ad privatos spectant, & David expertus est. Hinc jugis opera commendatur Psalm. 1: 2. & Jos. 1: 8. Est etiam alia ratio accessus.

Matt.

Matt. 18: 20. in cœtu ubi verbum Dei prædicatur. Act. 10. verſ. 33. nos omnes ſumus præſentes coram Deo, ut audiamus tibi à Deo mandata. Conſulens Prophetam, Deum conſulere dicebatur 1 Sam. 9: 9. & ſane qui prophetiam Dei, explicationem verbi ejus audit, Dei præſentiam agnoſcit in ejus convictione 1 Cor. 14: 24. ſ. Sic conſiſtamus quandocunque licet coram Deo, & apud ipſum. Promiſſio eſt Joh. 6: 45. diſcipulo autem diligenti adhærendum eſt præceptori ſuo. Sic adhærendum Deo, non tantum in lectione, ſed etiam in meditatione, ut Pſalm. 139: 18. cum evigilo adhuc tecum ſum: hæc nocturna illa exercitatio eſt. Haud dubitandum fore tunc ſalutarem profectum.

b. Secundum Audire à Deo: *ut ad te loquar omne præceptum, ſtatuta & judicia.* Non debuit ipſe apud Deum meditari, quæ putaret oportuna, ſed ſimpliciter à Deo accipere, cujuſcunque generis forent, ſive mandatum aliquod eſſet, ſive cerimoniale inſtitutum ſive judicialis ordinatio. Legati munus eum facit alienorum mandatorum nuncium Jer. 1:7. declaratum iſtud 2 Cor. 5: 18, 19. miniſterium reconciliationis ponente Deo verbum reconciliationis in ipſis, ſic demum aliquid agere poſſunt. Hac de cauſa Moſes nihil ſe ex proprio corde dixiſſe teſtatus eſt Num. cap. 26: 28. & in rebus dubiis Deum conſuluit Lev. 24: 12. Num. 15: 34. ſ. c. 27: 5. c. 36: 5. Sic Paulus à Domino ſe accepiſſe teſtatur 1 Cor. 11: 23. non tantum immediate, ſed etiam mediate ex Scripturis cap. 15: 3. ſ. Act. 26: 22. Hoc modo quotquot legatione Dei fungi decretum habent, inde ſolum arceſſere debent omnia. Prophetæ Dei nequeunt os Dei dici, niſi ratione verborum Dei. Qui verba hominum audiunt, hominum legati eſſe poſſunt, non Dei, cum ab illis non ab hoc mandata accipiant Prophetæ Urbium. Equidem poteſt intervenire miniſterium homiuum, ut 2 Tim. cap. 2: 2. quæ à me audiviſti ſub multis teſtibus committe fidis hominibus, qui idonei ſint ad docendos etiam alios: non tamen alia quam Dei verba, uti hodie in Verſionibus illa accipimus, nec non in concionibus, quibus eloquia Dei proponuntur 2 Pet. 1: 20. & explicantur. De quibus dicere licet, *Os Domini locutum eſt*, & ut Chriſtus ajebat, *Verba iſta non ſunt mea, ſed mittentis me Patris* Joh. 14: 24. Id quod eſt.

c. Tertium quæ *docebis eos.* Hanc legem fixit Apoſtolis Chriſtus Matt. 28: 19, 20. & tunc legatione funguntur, ut non ipſi, ſed Chriſtus per eos loquatur 2 Cor. 5: 20. & non ſit ſermo hominum, licet homines loquantur, ſed vere Dei 1 Theſ. 2: 13. Iſtud ni fiat vel mentiuntur Dei nomen, vel adulterant ejus verbum, paleam miſcentes tritico Jer, 22: 25. ſ. Atque hic Iſraelitis ſimpliciter credendum fuit Moſi, quandoquidem non ſolum eum poſtularunt interpretem, ſed etiam viderunt ad Deum ingredientem in nubem, imo audiverunt Deum ipſi loquentem, quod eo fine factum Exod. 19: 9. unde Joh. 9: 28, 29. Verum quod ad cæteros Prophetas, Deus conceſſerat populo normam judicandi de illis Eſa. 8: 20. Joh. 5: 29. ſ. Hodie vero totam inſtructionem legatorum ordinariorum populo communicavit, ut examinare quivis & poſſit, & debeat, an quid dicatur mandato Dei diſſentaneum vel conſentaneum.

Quod unicuique tanto magis obſervandum. Heb. 5: 12. Eſt tempus quando unuſquiſque deberet eſſe doctor, tantum didiciſſe, ut & alios queat inſtituere juxta decoris & ordinis leges. Debent proinde noſſe accepta à Deo verba, quæ aliis rurſum communicent. Sic licet mulieribus in cœtu loqui non liceat, attamen mater & avia Timothei eum à pueris docuerunt Scripturam, & Priſcilla non minus quam ejus maritus Aquilas, privatim informarunt Apollon. Quæ quis à Domino accepit, didicit ex verbo Dei ea docere alios par eſt, ſi non verbo, ſaltem opere. Rom. 6: 17. Phil. 2: 15, 16.

b. *Ratio ferendarum legum* eſt, *ut faciant in terra quam ipſis daturus ſum, ut hæreditario poſſideant.* Reſtringit leges ad terram Canaan; loquitur enim primario de iis quæ Exod. 21, 22, 23. imperata ad fœdus Iſraelis pertinentia, & ſanctione cap. 24. comprehenſa. Unde liquet reſtrictio obſervationis; non valent ubique, ſed in Cananæa; non ſunt itaque obſervationis univerſalis, quaſi politiæ omnes ad eam normam ſint inſtituendæ, ſed ſoli Iſraeli, & quidem in Cananæa commoranti præſcripta. Non peccatur itaque ſi aliud quid ſtatuatur, pœnæ augeantur aut minuantur; neque etiam ſi quid conforme ordinetur in regimine politico. Libertas relicta eſt pro conditione cujuſvis populi. Aliter ſe habent decem verba, quæ Deus ipſe elocutus eſt citra reſtrictionem ad Cananæam; (nam in præcepto V. generaliùs loquitur de terra quam Deus daturus eſt, non addita hæreditatis mentione.) Quicquid illius eſt, ubique eſt obſervandum; unde Chriſtianis quoque inculcatur Rom. 13: 9. ubicunque in terra degimus Eph. 6: 2, 3. Quemadmodum per totum mundum mittit, qui mandata ſua gentibus proponant, ita his ubique vult obedirri, Act. cap. 17: 30. ſive ea terra fuerit hæreditaria, ſive peregrina; quia Dei eſt cum omni ſua plenitudine, & ipſi ubique mandandi poteſtas eſt, & nobis obſequii debitum incumbit.

Verſ. 32. *Obſervabitis igitur ut faciatis quemadmodum præcepit Jehova Deus veſter vobis: ne recedatis dextrorſum aut ſiniſtrorſum.*

III. *Poſtulatio obſequii* ex verſ. 32, 33. cujus Obligationem, Modum, & Fructum deſcribit.

A. *Obligatio* eſt, verſ. 32. *Obſervate ergo ut faciatis, quemadmodum Dominus Deus veſter præcepit vobis.* Poſtquam credentiales ſuas, ut ſic loquar, oſtendiſſet, Deum ſibi dixiſſe mandata ſua recitanda, nunc obligationem declarat. Agnoſcenda eſſe pro mandatis Dei, non ſe ſpectandum, ſed Deum, qui autor eſſet, cum ipſe tantum miniſter foret. Sic dixit Deut. 4: 2. *ad verbum quod ego tibi præcipio, non addes, neque inde demes, ut obſerves mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi.* Dei obſervat mandata, qui obſervat Moſis, cum non niſi legatum Dei in iis proponendis egerit: quemadmodum Deus teſtatur Mal. 4. verſ. 4. Hujuſmodi obligationem quis doctorum non optet? Quibus proinde preſſe inhærendum legantis verbis, quia tunc non ipſi, ſed legans loqui cenſetur Luc. 10: 16. qui vos audit, is audit me; & qui vos repudiat, repudiat me: & qui me, illum qui me miſit. Joh. 13: 20. *Amen, amen dico vobis: ſi quem miſero, qui eum recipit, me recipit, & qui me, eum qui me miſit.* Miſſus Chriſtus agnoſcendus, quia non ex ſeipſo locutus fuit, ſed Pater mittens dedit illi mandatum, quid dicere & quid loqui debeat; & quæ locutus eſt, ſic locutus eſt, uti Pater ipſi dixit Joh. 12: 49. ſ. Quam cautos ergo oportet eſſe doctores, ne quid de ſuo dicant, ne quid ab hominibus aut creaturis profectum, obligatio tunc ad credendum nulla. Non enim ſunt Domini fidei aliorum, quod ſolius Dei axioma. Quantum autoritatis habent homines, tantum obligationis afferunt mandata ipſorum, de quibus valet, *Deo obediendum magis quam hominibus* Act. 5: 29. Ezech. 20: 18. ſ. Si quis abſolute auditores obligatos velit Dei mandata ſolum proponat & urgeat Heb. 13: 7. 17. 1 Theſ. 4: 1. ſ. Si quis autem hoc ſpernit, non ſpernit hominem, ſed Deum. Et Deum habebit vindicem: uti David ultus eſt, quod legati ipſius paſſi erant, ſic quoque Deus ſe facturum minatur. Deut. cap. 18: 18. ſ. *Dabo verba mea in os Prophetæ illius, & loquetur ad ipſos, quicquid ei præcipiam, & fiet, vir ille qui non auſcultaverit verbis meis, quæ loquetur in nomine meo, ab illo requiram.* Et fecit 2 Chron. 36: 15, 16. Eſt vero hic neceſſarium auditoribus, ut non ſemper maneant pueri, quibus ingeritur in os quem nutrix vult cibum, qui circumferantur quovis vento doctrinæ, ſed ut adoleſcant & fiant perfecti, qui propter habitum ſenſus habent exercitatos ad diſcretionem boni & mali Heb. 5: 13, 14. ſic enim ex omni eo quod audiunt, ſeligunt inſtar mundarum avium grana munda, & non contemnentes prophetias, probabunt omnia, & retinebunt quod bonum 1 Theſ. 5: 20. ſ. eruntque obedientes non hominibus, ſed Deo per homines roganti jubentive, cui uni cordis obligationem debent.

Verſ. 33. *Tota illa via quam præcepit Jehova Deus veſter vobis itote; ut vivatis, &*

bene ſit vobis, & prolongetis dies in ea terra quam hæreditario jure poſſeſſuri eſtis.

B. *Modus* obſequii eſt reſpectu ipſorum, verſ. 32. *non recedetis dextrorſum vel ſiniſtrorſum.* Non poſtulat confeſſionem duntaxat, quod viæ Dei rectæ ſint, ſed obſequium accuratiſſimum. Ambulatio requiritur, & vere ἀκριβῶς. Eph. 5: 15. Mat. 7: 14. arcta porta & anguſta via eſt. In ſpacioſa magna eſt libertas, ut jam in hoc, jam in oppoſito latere quis incedat, prout commodiſſimum eſt, & volupe maxime: aſt in anguſta limites arcti claudunt, quemadmodum ſi quis per trabem foſſæ impoſitam debeat procedere. Æque arcta hic via eſt, & ſi quis ſemitam non teneat, extra viam eſt, & errat: quod omnino cavendum, tum ad dextram, ne quid addatur; quod facit ἐθελοθρησκεια per λόγου σοφίας correctura Deum; cum ſic transgrediantur mandata Dei: tum ad ſiniſtram, ne quid dematur; quod facit profanitas, ſtatuens modum quouſque ſufficiat obtemperaſſe, modo non ſint ſcelerati publice, quomodo plerique ſibi fingunt obedientiæ regulam. Neutrum admittendum eſt, ſed ſemper audienda & ſequenda vox, *hæc eſt via ambulate in ea, ſive ad dextram ſive ad ſiniſtram eſſetis declinaturi.* Eſa. 30: 24 Reſpectu Dei, verſ. 33. In omni via, quam præcepit Dominus Deus veſter vobis, ibitis. Via Dei in genere una eſt, quæ calcatur obedientia, nempe Legis Dei, ſed unumquodque præceptum Dei via quoque eſt ſpecialis, & obedientia Specialis requiritur; quemadmodum dixit Deus, verſ. 29. ad omnia mea præcepta omnibus diebus obſervanda. Huc pertinet illud. Jac. 2: 10, 11. David ait. Pſ. 119: 128. Deus diligendus toto corde; declinatur ab amore ſi alicubi Deus negligatur, & quæ alia eſt obedientia, non amovet perditionem Apoc. 2: 2 ſ. Contra Pſ. 119: 6. non pudefiam, cum attendero ad omnia mandata tua.

C. *Fructus* id docet, verſ. 33. *ut vivatis & bene ſit vobis & prolongetis dies in terra quam hæreditabitis.* Dictum iſtud eſt, verſ. 29. & dicetur, cap. 6: 2. Non immorabimur iſtis nunc, cum exinde conſtet, non eſſe fruſtraneum Deo ſervire, quod impii dicunt Mal. 3: 14. Deus nunquam dixit. Quærite me fruſtra, & loquitur meram veritatem. Eſa. 45: 19. Juſſit dicere juſto, Bene ipſi fore, comeſturos fructum operum ſuorum. Eſa. 3: 10. Anguſta illa via ducit ad vitam & incorruptibilitatem, ad pacem, felicitatem & gloriam æternam.

CAP. VI.

CAp. 5. fundamentum omnium officiorum propoſuit, in formula fœderis, quam Deus ipſemet enunciarat; qui plura fuiſſet dicturus niſi Iſraelitæ id deprecati fuiſſent ob terrorem majeſtatis divinæ, & poſtulaſſent ac impetraſſent Moſen internuncium & interpretem. Hoc porro munus extrema vice exercet, & verborum Dei latitudinem indicat, quoad *Officia* moralia, verſ. 6: 13. quoad cerimonialia cap. 14--16. quoad judicialia cap. 16-25. quibus ſubjungit ſanctiones cap. 26--30. Attamen tractationem iſtam non ſic diſtinguit, ut nihil immiſceat uni de aliis, ſed varia ſociantur, ut tamen una ſpecies potiſſimum pertractetur.

Explicationis iſtius initium facit hoc capite, & generale EXORDIUM præfigit, verſ. 1-3. quo declarat. I. indolem & differentiam doctrinæ tradendæ. II. autoritatem ejus. III. finem reſpectu Dei & Iſraelis. IV. Exhortationem reſpondentem.

Verſ. 1. *Hoc autem eſt præceptum, ſtatuta, judiciaque illa, quæ præcepit Jehova Deus veſter ut doceam vos; ut exerceatis ea in terra, quo mox tranſituri eſtis ad poſſidendum eam jure hæreditario:*

Verſ. 2. *Ut timeas Jehovam Deum tuum, obſervando omnia ſtatuta ejus & præcepta ejus quæ ego præcipio tibi; tu & filius tuus & nepos tuus omnibus diebus vitæ tuæ: & ut prolongent dies tuos:*

Verſ. 3. *Quum audies, ô Iſrael, & obſervans facies* id *quo bene erit tibi, & quo augeſcetis valde; quemadmodum dixit Jehova Deus patrum tuorum tibi,* in *terra affluente lacte & melle.*

I. *Indoles* & *Differentia* eſt, verſ. 1. *Hæc ſunt Præceptum, ſtatuta & judicia.* Generatim alias dicitur תורה *doctrina*, docens ea quæ homo non novit, vel non ſatis novit. Cum Deus hominem primum condidit, quia eum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condidit, fecit eum rectum, quemadmodum Deus rectus eſt, non per inſtitutionem, ſed per naturam. Quod de Deo cognoſci debebat, de ejus natura, regimine, cultu, notum fuit in ipſo ex manifeſtatione naturali; unde Deus nullum externum ejus præceptum dedit, de ſui cognitione & cultu. Paulus vocat *opus legis ſcriptum in cordibus.* Rom. 2: 15. non dicit legem ſeu doctrinam, quia docendo non accepit, ſed creando, & poſteri, quicquid ejus reſiduum eſt, naſcendo; ſed opus legis, quia materia eadem eſt, quæ nunc per doctrinam quoque inculcatur, ut quod ob corruptionem naturæ per peccatum vel deletum eſt, vel vitiatum, denuo, & ſecurius cognoſcatur. Verum homini integro Deus quoque aliquas leges dedit, docuitque nonnulla natura non nota, ſeu ex placito Dei, quæ obſervaret, pertinentia ad ſocietatem humanam, de conjugio, de labore, de dominio in bruta; & ad cultum Dei externum, de abſtinentia à certo cibo. Sed poſt lapſum, & iſta & illa quoque uti dictum, fuerunt docenda, & quicquid porro neceſſarium erat ad homines ſalutariter inſtituendos. Quam inſtitutionem in Eccleſia ſemper viguiſſe conſtat, cum publice, Gen. 4: 26. tum privatim cap. 18: 19. Sed nunquam ante plenius ac per Moſen, quando Iſraeli eam largitus eſt, quæ excellentia ejus fuit ſuper cæteros mundi populos, Eſa. 42: 21. & Pſ. 147: 19, 20. Cæterum hæc doctrina diſtinguitur ex objecto circa quod verſatur, in tres ſpecies; uti David commemorat, & hoc loco, atque alibi ſæpius Moſes, de quibus ſeorſim dicendum eſt.

A. מצוה *Præceptum*, generali appellatione, Lev. 26. verſ. 14, 15. ult. Deut. 4: 45. cap. 5: 31. cap. 6: 1. 20. cap. 7: 11. Mal. 4: 4. uti & תורה *doctrina*, & דברים *Verba* vocatur. Sunt omnia illa quæ generalem vitæ humanæ normam ponunt. Præcepta iſta abſolute ſic dicuntur, uti & doctrina; quia generalia ſunt, omni ætati conditionique hominum convenientia; quorum veſtigia etiam nunc homini connata ſunt, & unde fluxerunt quæcunque Gentiles laudabiliter fecerunt, qui legem non habentes ſibi ipſis fuerunt lex vi iſtius operis legis inſcripti cordibus Rom. 2. verſ. 14, 15. quæcunque etiam laudabiliter conſtituerunt, maxime qui de virtutibus præcepta dederunt, & mores generatim moderati ſunt. Singulari nomine venit, quia unum duxtaxat habet officium, uti docetur. 1 Tim. 1: 5. Summa legis charitas, & quamvis objectis diſtinguatur, ut ſit dilectio Dei & hominis, Mat. 22: 37. ſ. eſt tamen actus unus; Charitas eſt impletio legis. Rom. 13: 10. quamquam agat de dilectione proximi, & Gal. 3: 6. fides per charitatem efficax, utique etiam Dei dilectionem complectitur, cum alibi idem dicatur obſervatio mandatorum Dei 1 Cor. 7: 19. Imo cum proximus diligitur Deus ipſe diligitur. Jac. 3: 9. maledicere homini crimen eſt (uti etiam occidere hominem. Gen. 9: 6.) quia ad imaginem Dei homo conditus eſt, adeo ut homo diligatur propter Deum, ſive illud quod Dei in ſe habet, atque ſic Deus diligatur in homine, qui Deum aliquatenus repræſentat. Hæc eſt ſumma præcepti, uti illud quoque proponitur. Deut. 6: 4, 5. In Scriptura dicuntur quoque עדות *teſtimonium*, tum quia teſtantur de voluntate Dei, quid voluerit ab hominibus obſervari; tum quia ſummam eorum conſignavit in duabus tabulis, quæ *tabulæ teſtimonii* inde dicuntur, & arca iſtas continens, *arca teſtimonii*, utpote teſtimonium extrinſecum,

cum, ad quod recurrere poterant & inde petere indicium, inprimis autem quia ſuper conditionibus illis fœdus initum fuerat, quarum cuſtodiam ipſis dedit, ne unquam obliviſcerentur. Hujus generis ſunt quæ inculcabit. Deut. 6. verſ. 13.

B. חקים *Statuta*, quæ Hebræi dicunt ſolo auditu percepta התורות השמעיות, & quorum ratio ab hominibus dari nequit, ſed ſimpliciter pendent à voluntate mandantis Dei. Priora vocant מצות שכליות *intellectualia*, quia intellectus aſſequitur rationem eorum: Ipſa ratio dictat Deum eſſe amandum, colendum, eique obtemperandum: quemadmodum etiam diligendum proximum, honeſte vivendum, neminem lædendum, ſuum cuique tribuendum. Unde in omnium Gentium legibus aliqua occurrit congruentia; Sed hæc ſtatuta illam rationem non habent. Hujuſmodi ſunt cerimonialia, quæ mero placito Dei nituntur: diſtinctio animalium mundorum & immundorum cum ad uſum ſacrificiorum, tum ad cibum; interdictum fermenti & mellis in ſacrificiis, ſanguinis & adipis in cibis, lanæ & lini in una veſte, aliaque plurima, quæ ſi contrarium mandaſſet Deus, nemo eum injuſtitiæ arguere poſſet. Sic omnium feſtorum tempora & ſacrificiorum ritus meri ſunt arbitrii Divini. Horum fundamentum in Decalogo eſt Sabbathum ut poſt ſex dies operis ſequatur unus otii ſeu quietis ab opere. Nam ille numerus meri placiti eſt, quem minuere, vel augere potuiſſet, & ſeptenarius exinde in purgationibus & expiationibus ſolennis factus eſt. Neque tamen minor ſtatutorum iſtorum dignitas, cum ab eodem autore proficiſcantur juxta cum reliquis, cujus voluntas, ceu rectoris abſoluti, pro ſumma lege eſt. Utilitas vero horum, ex ſententia Hebræorum, major quam cæterorum, quod ducant hominem ad timendum Deum, & ad bonum æternum quod animæ congruit, & ad diuturnitatem vitæ corporalis: quæ bona cum hinc exſpectent, liquet deſperatam habere operum juſtitiam ad impetrandam ſalutem æternam. Et ſane ſunt pædagogus ad Chriſtum Gal. 3: 24. ut per fidem juſtificemur; unde Græcis & Heb. 9: 10. dicta ſunt δικαιώματα *juſtificationes*, docentes juſtitiam ſeu innocentiam extra nos quærendam, quam non niſi in Chriſto conſequi datur per fidem; nulli rei innixam præterquam mero beneplacito gratiæ divinæ. De his aget, Deut. 14: 16.

C. משפטים *Judicia*, quæ nihil aliud quam leges forenſes & politicæ, de ſocietate humana, quo plures una habitare queant, citra mutuam injuriam; quæ cum in hac corruptione caveri omnino nequeat, vel metu pœnarum impeditur, vel pœnis illatis compenſatur. Qualia judicia apud omnes gentes reperiuntur. Habentque fundamentum in decalogo, ubi conſtituitur ordo ſuperiorum & inferiorum, & injuriæ prohibentur, quæ vitæ, conjugio, facultatibus, famæ hominum inferuntur. De quibus dicet. Deut. 16: 25.

Eſt vero nobis obſervandum non carere nos quoque tribus illis ſpeciebus, quamvis non eodem cum Iſraelitis modo. *Præcepta* quidem moralia communia ipſis ac nobis ſunt eadem. Decalogi leges fœderatos Dei etiam nunc obligant, quoad eſſentialia. Amor Dei & proximi nunc quoque officiorum Summa eſt. *Statuta* vero cerimonialia habemus & nos, ſed non eadem; Quæcunque pertinuerunt ad juſtificationes carnis uſque ad tempora διορθώσεως, umbræ futurorum bonorum, quorum corpus Chriſtus eſt, ea finem habent; quamobrem etiam Sabbatum ſeptimi diei abrogatum fuit, non ſecus ac ſacrificia, feſta, locaque ſacra, & ſimilia complura. Verum ſunt alii ritus, qui æque ſunt arbitrii divini, & nobis imperati ſunt & ſervandi, Sabbatum primi diei ex fundamento quieſcentis Chriſti ipſo facto, qui ante ſolum in promiſſione quieſcebat; uti nuper demonſtratum fuit. Baptiſmus olim uſurpatus circa admiſſionem in fœdus Dei, qui proinde circa proſelytos obtinuit, & creditum fuit à Judæis novi fœderis fore proprium, circa ipſos Judæos qui fœderati erant exercendum Joh. 1: 25. quem Chriſtus circa gentiles quoque initiandos voluit valere. Mat. 28: 19. S. Cœna, quam in memoriam ſuæ mortis Chriſtus inſtituit. Ut nihil dicam de Conventibus ſacris, concionibus, precibus, cantu publicis, quorum circumſtantiæ determinationi Eccleſiæ cujuſque ſunt relictæ, uti Paulus multa ejuſmodi ordinavit 1 Cor. 16: 1. & generalem canonem dedit. 1 Cor. 14: 40. Aſt *Judicia* neceſſaria eſſe extra dubium eſt, ſine illis enim ſi foret, nemo vitæ ſuæ & eorum quæ chara habet, per horam ſecurus eſſe poſſet. Ea vero non neceſſario eadem habemus cum Hebræis, quorum politiæ ſingulari accommodata ſunt, ſed pro conditione cujuſque gentis, modo fundamentum earum in Decalogo attendatur, ne quod ibi vetitum, fiat licitum; Cæterum pœnæ definitæ gradu variari queunt, & quoad hæreditates, ſervitutes, alia prorſus ſtatui. Interim habere nos liquet tria illa quoque, ut eatenus non cedamus Iſraelitis, eoque nobis quoque applicabile eſt dictum. Eſa. 42: 21. Enimvero differentia eſt quoad.

II. *Autoritatem* quæ hic Deus eſt: dicitur enim, quæ *Dominus Deus veſter mandavit ad docendum vos*. Quomodo ſignificat ſe quidem Doctorem eſſe immediatum, veruntamen doctrinam non eſſe ſuam, ſed mittentis ſe; quemadmodum Chriſtus de ſe loquitur Joh. 7: 16. juxta prædictionem Deut. 18: 18. Et ſanæ Deus eſt legislator unicus Joh. cap. 4: 12. qui non tantum corpori ejuſque membris leges dare poteſt; ut magiſtratus humanus, cui nullum jus in corda & cogitationes, ſed ipſi quoque cordi, utpote qui major corde. 1 Joh. 3: 20. & cui non corpore tantum verum etiam ſpiritu ſervire tenemur, 1 Cor. 6: 20. Poſſumus idem dicere de præceptis illis generalibus; nec non de ſtatutis Sabbati, Cœnæ Dominicæ, Impoſitionis manuum ad ordinationem miniſterii. Verum neque de feſtis noſtris; quæ Eccleſiaſticam, neque de Judiciis, quæ Politicam autoritatem, hominum habent. Attamen cum Poteſtas omnis à Deo ſit, ſi nihil divinæ legi contrarium mandet, ſi ordinem & honeſtatem obſervet, mediate ſaltem ad Deum referenda ſunt quæ imperantur, & obediendum eſt propter conſcientiam, quæ alias ſoli Deo obnoxia eſt. Rom. 13. verſ. 1. ſ.

Hinc autem liquet qua ratione non tantum miniſtri Eccleſiæ, ſed & Magiſtratus queant ſtabilire ſuam autoritatem; quando nempe omnia à Deo mutuantur, ut tantum interpretes ſint voluntatis divinæ. Sæpius id jam diximus de doctoribus Eccleſiæ; ſed valet quoque de Magiſtratibus. Moſes hic non Eccleſiaſtæ, ſed ſummi magiſtratus partes egit. Et tamen quæ mandavit, non ex le mutuatus eſt, aut ſua voluntate, ſed à Deo: in particularibus quoque negotiis, ut de hæreditatibus filiarum Num. 27: 36. Gentilium qui memorantur legislatores, quod viderent ſe ſufficientem autoritatem legibus ſuis conciliare non poſſe, finxerunt colloquia cum Diis, & ipſorum mandata. Itaque Magiſtratibus idem obſervandum; Joſ. 1: 8. Deut. 17: 18. Si contra agant, ſemper valet regula, Obediendum eſt Deo magis, quam hominibus Act. 5: 29. Quod ſi Deum ſequantur, in iis maxime ubi ſimpliciter ſequendum, quemadmodum circa pœnam homicidii; utique nec contemni: nec reſpui poſſunt, quandoquidem religio utrunque prohibet, ne non tantum contra homines, ſed contra Deum quoque peccetur.

III. *Finis* eſt reſpectu Dei imperantis, ut *facias in terra*, &c. Leges non feruntur ad ſpeculationem aut materiam colloquii, ſed ad obſequium, Pſ. 50: 16. ſ. Pſ. 119. verſ. 46, 6. Quod vero additur de terra hæreditanda cum de omnibus ſpeciebus legis agat, etiam quas Deus immediate mandavit, & quæ illis continentur, non vult reſtringere obſequium ad terram, quaſi extra eam non tenerentur, ſed potius ne putarent, Deo obediendum quamdiu non obtinuiſſent, ſed ubi poſſiderent, Deo nihil amplius debere: imo vero tum demum longe religioſius ſerviendum, quando remota impedimenta, & conceſſa omnia incitamenta. Deut. 28: 47.

Reſpectu Iſraelis eſt finis Summus, gloria Dei, quæ procuratur Timore Dei, verſ. 2. *ut timeas Dominum Deum tuum*. Significatur vera pietas, reverentia Dei, qua quis jugiter meditatur præſentiam Dei, ejuſque autoritatem munitam omniſcientia & omnipotentia, unde oritur ſollicita cura ne offendatur. Eſt hic Dei timor fundamentum, quodammodo omnium virtutum, & nihil aliud quam pietas genitrix omnium honeſtarum actionum. In Scriptura Synonyma ſunt timens Deum, & juſtus. Abſente timore

Dei seu pietate vita instituitur, uti solent liberi absentibus parentibus. Cohibet enim ceu fræno ne obsequamur affectibus, & cupiditatibus pravis.

Timor ille Dei demonstratur obsequio mandatorum Dei, *ut custodias omnia ejus statuta & præcepta*, (sub quibus judicia complectitur,) *quæ tibi præcipio*. Sic jam aliquoties dictum inprimis Deut. 5: 29.

Claret autem hinc ἐθελοθρησκείαν damnari: hæc sibi leges cultus fingit, & timor Dei est præceptum hominum. Atqui quicquid tunc religiosi in ore & labiis occurrit, cum cor longe absit, Deo abominabile est, & ab ipso gravissime vindicatur, Esa. 29: 13, 14. Pontificiorum hic culpa manifesta est, qui infinita habent humanæ institutionis, quibus Deum se demereri rentur; uti Pharisæus. Luc. 18: 12. jejuno bis, &c. de quibus Deus, quis hoc postulavit à manibus vestris? Esa. 1: 12. Sed etiam Reformatorum, quotquot sibi fingunt limites obedientiæ, & tunc non amplius Deo, sed sibi obtemperant, aut moribus hominum. Oppositæ sunt voluntas Dei & hominum. 1 Pet. 4: 2, 3. conformitas mundi & voluntas Dei. Rom. 12: 2. Si quis prætendat bonam intentionem, revera Deum insipientiæ & injustitiæ accusat, seque magistrum facit Dei. Nemo aliter judicabit de servo, qui neglecto herili mandato, ex suo judicio volet obedire; Potest tamen herus homo servo suo minus sapere; Sed an hoc præsumet quis de Deo? abneganda est propria sapientia, ut Deo obtemperare queamus. Rom. 8: 7. Col. 2: 23.

Porro qui hoc facere tenentur sunt, *tu & filius tuus, & filius filii tui*. Omnes, parentes & liberi, continua successione. Agitur enim cum iis qui hæreditarium fœdus habent, quorum posteri quoque obstringuntur, & cum timor Dei facientibus & posteris prosit. Deut. 5: 29. Utique vicissim utrique eum testari obsequio debent. Debent ergo utrique doceri velle, ut discant facere; non tantum minorennes discipuli, debent esse in schola Dei, sed etiam majorennes. Mat. 28: 19. μαθητεύσατε & primum nomen Christianorum fuit μαθηταὶ. Act. 11: 26. Mnason Cyprius vocatur *vetus Discipulus*. Act. 21: 16. Et licet secundum tempus possint esse doctores, respectu aliorum hominum. Heb. 5: 13. tamen respectu Dei semper manent discipuli; semper ex verbo ejus discere est. 2 Tim 3: 14, 15.

Etenim officium istud debet esse perpetuum, *omnibus diebus vitæ tuæ*. Constantia obsequii requiritur. 2 Pet. 2: 21. melius foret viam justitiæ non cognovisse, quam ea cognita recedere à Sancto præcepto quod traditum fuit. Apoc. 2: 10. fidelis esto usque ad mortem. Quid dicetur de servo, qui ad tempus solummodo servit, & quoties lubet vel propria, vel hostilia agit? Qui se junxit Domino, proposito cordis, cum Deo manere debet. Act. 11: 23. & quia cum Domino, etiam in opere Domini Esa. 50: 6. quomodo glorificabitur Mat. 5: 16.

Subalternus finis, felicitas propria, *ut dies tui prolongentur*. Job. 35: 7. *Si justus fueris, quid das ipsi? aut quid accipit à manu tua? justitia tua pro filio hominis erit*. Sibi ipsi prodest timens Deum. Licitum est desiderare longævitatem, & medium ejus timor Dei, obedientia probatus, Ps. 34: 12. s. Cum primis æterna longævitas sic obtinetur. Ps. 103: 17. debent proinde & ipsi perennare, Mal. 3. vers. 16. s.

IV. *Exhortatio* respondens est, vers. 3. qualem Cap. 4. aliquoties instituit, item Cap. 5: 1.

Officium est audire, custodire, facere, cognitio, memoria, praxis, posteriora sine prioribus esse nequeunt; & priora sine posterioribus sunt inutilia; imo magis aggravant judicium. Luc. 12: 47.

Beneficium triplex. I. *ut bene tibi sit*, tranquillitatem animi denotat, & lucrum ἀυταρκείας. 1 Tim. 6: 6. Heb. 13. vers. 5. s. neque enim in abundantia felicitas, sed in animo sua sorte contento. II. Augmentum, & *ut valde multiplicemini*, quæcunque etiam fuerit abundantia, quando benedicit Deus operi manuum, fructibus agri, & speciatim multitudine posterorum; quæ speciatim Abrahamo promissa. Ps. 115: 13. s. *benedicet Deus timentibus Dominum magnis & parvis, multiplicabit Dominus super vos benedictionem, super vos & liberos vestros: benedicti estis Domino qui fecit cœlum & terram*. Sic Ps. 128. III. *terra fluens lacte & melle*. Sic designatur Cananæa, promissa Israeli. Sed Belgium partem ejus habet, fluit lacte: & olim abundabat omnibus benedictionibus aliarum terrarum etsi non ferret. Quas nunc magis magisque desideramus, quia timor Dei, & obedientia deficit. Negligitur auditus & cognitio verbi à multis, quasi non attineret nos: alii sunt oblivioni auditores, & nullam ejus habent custodiam, perfluunt, & semper discentes non perveniunt ad cognitionem veritatis, alii sciunt voluntatem Domini, sed non faciunt, gloriantur de cognitione, sed à praxi abhorrent. Hinc caremus bonis istis. Jer. 2: 19. O si timeremus Deum quam subito omnia cerneremus mutata. Hoc exercendum, audiendo, custodiendo, faciendo Dei mandata; & ut queamus, à Deo postulandum, qui uti bona illa promisit Israeli ita quoque vi novi fœderis timorem sui ad obsequium. Jer. 32: 39, 40. Cum constanti timore constantem dabit felicitatem.

Vers. 4. *Audi Jisraël: Jehova Deus noster Jehova unus* est.

Jam ab antiquo obtinuit consuetudo, ut summa totius religionis in compendium redigeretur, quo facilius menti infigi, atque etiam expeditius voce explicari posset. Christiani quidem multi fuerunt in ejusmodi Symbolis concipiendis, quemadmodum in diversis Synodis factum est, primum Nicenâ A. C. 325. deinde Constantinopolitana 381. tum Ephesina 431. denique Chalcedonensi 451. sub Impp. Constantino M. Theodosio M. Theodosio II. Marciano, ex quibus tandem conflatum est illud quod Apostolicum dicitur, incerto autore. Factum etiam à privatis quibusdam; Athanasii præ cæteris æstimato. Verum ea tantum agunt de credendis; neque iis omnibus, cum duo duntaxat articuli sint, de quibus concinnatores illorum Symbolorum fuerunt solliciti, propter hæreticos qui istos negabant aut corrumpebant, de Deo Essentia uno & Personis trino, deque Christo Deo & Homine in una persona. De aliis capitibus doctrinæ nihil definitum fere nisi post Reformationem superioris seculi, ut in Symbolo aliquo exstarent. De vitæ autem praxi vix quicquam attigerunt. Unde factum ut Religio Christiana apud multos abierit in meram speculationem, praxi vitæ neglecta, & disputando de veritate satisfieri creditum, quomodocunque etiam institueretur conversatio; cum tamen Religio Christiana sit *Cognitio veritatis secundum pietatem*. Tit. 1: 1. & potissimum in ea sit τὸ facere, qui finis cognitionis, Joh. 13: 17. & sine quo illa non inutilis modo Mat. 7: 21. Rom. 2: 13. sed etiam noxia. Luc. 12: 47. In Scriptura unum exstat Symbolum à Mose Scriptorum primo conceptum, omnibus aliis compendiosius quoad verba, plenius quoad sensum; quod tam facienda, quam credenda complectitur, quodque in eum usum fuit commendatum Israeli. Exstat istud in duobus proximis versibus, de quibus propterea majori accuratione agendum nobis est.

Moses interpretationem mandatorum Dei auspicatur à MORALIBUS OFFICIIS, quæ citra distinctionem sexus, ætatis, conditionis, fœderatis Dei sunt observanda, & præfatus ea quæ nuper vidimus, ex Decalogo primum spectat partem illam, quâ Deus expressit, quid ipse vi fœderis faciat facturusque sit, indicans quomodo ista ab Israele excipienda sint, quidque eorum respectu faciendum.

I. Pars illa est, *Ego Dominus Deus tuus, qui te eduxi ex Ægypto è domo servitutis*: cujus membra duo. I. quid de se profiteatur. II. quam securitatem ipsis suppeditet. Utrique attemperat Moses suam institutionem, priori, vers. 4-9. posteriori, vers. 10. seqq.

A. *Prius* est *Ego Jehova Elohim tuus*, & hic indicat. I. quomodo sint ista excipienda, vers. 4, 5. II. quid ad constantiam ejus exercitii faciendum, vers. 6--9.

N. Quomodo *excipienda sint* docet Moses partibus duabus, quarum prior Cognitionem mentis, posterior Affectum voluntatis moderatur.

a. *Cognitionem mentis* moderatur, vers. 4. ubi, quomodo & quid cognoscendum sit, indicat.

a. Quomodo, cum ait, *Audi Israel*. Propositurus est creden-

denda & hic nihil aliud à parte hominis fieri poteſt, quam ut audiatur. Jubet igitur *Audi*. Quid *Audire* ſit nemo neſcit, quando ſonus illabitur auribus, eum percipimus, & cum Deus patulas eas fecerit, etiam nolentibus nobis ſonus intrat. Oculis Deus addidit palpebras, quibus claudi queunt, cum videre nolumus oblatam lucem, & objecta à luce illuſtrata. Verum aures carent ejuſmodi foribus: obturandæ ſunt ſiquidem audire nolimus, uti Act. 7. verſ. 57. Enimvero quando nullus eſt ſonus, nihil quoque audiet auris, & ſi quid ejuſmodi ſit quod non niſi per ſonum innoteſcere queat; illo negato ſimul negabitur cognitio. Rom. 10: 14. ſ. *quomodo credent in eum, de quo non audiverint? & quomodo audient ſine prædicante.* Hæc fuit Gentilium conditio, Pſal. 147: 19, 20. Fuerunt illi, qui famam Domini non audiverunt Eſa. 66: 19. & hinc Deum ignorarunt Gal. 4: 8. & athei fuerunt in mundo Eph. cap. 2: 12. Aſt Iſraeli hæc gratia facta ut audierit; Deus ſonum ſuæ vocis edidit ante ipſorum aures, id quod nulli unquam populo conceſſum fuit Deut. 4: 12. ſ. verſ. 32. ſ. Cap. 5: 4. 22. Eſt autem iſte auditus corporeus duntaxat, quem quotquot præſentes erant, non potuerunt non audire; adeo gravis fuit illa vox Dei ut auribus eam excludere impoſſibile foret. Sed hunc Auditum non urget Moſes. Præterierat ſonus vocis Dei, ante annos 40. & deprecantibus conceſſum ne unquam illum rurſus audirent, ſed manſit verbum vocis, id quod Deus dixerat, atque hoc audire jubet. Eoque *Audire* ipſi eſt cognoſcere quomodocunque repetitum, & cognito aſſentiri, neque enim nudam cognitionem intelligit, ſed ſociatam aſſenſui; auditum fidei. Eſa. 53: 1. *quis credidit auditui noſtro?* Verbum prædicatum dicitur auditus, quia ſic enunciandum, ut audiri queat, uti eo fine datum ut audiri debeat; & auditorum reſpondens actio eſt fides. Rom. 10: 17. *fides ex auditu* &c. heic auditus eſt prima & mera cognitio, quam aſſenſus fidei ſequitur: ſed Moſes hunc una complectitur, quando ait *Audi*. Sic Joh. 6: 45, *ſcriptum eſt in Prophetis, omnes erunt docti à Deo; qui igitur audierit* &c. Ipſum iſtud diſcere auditu continetur. Eſa. 50: 4. *Excitat quovis mane, excitat mihi aurem ut audiam, uti qui docetur.* Sæpius eadem auribus occinere facit, ut menti innoteſcat ad perſuaſionem, & quid diſcitur, ut memoriæ infixa hæreant. Hacpropter obſervatur in hodiernum diem apud Judæos, ut ſingulis mane & veſperi hoc Symbolum recitetur, & quidem clara voce ut audiant auribus quiſque ſuis, & ut diſcant; imo unuſquiſque recitare tenetur, ut ſe didiciſſe profiteatur. In textu Hebræo occurrunt duæ literæ grandiores in hoc verſu, de quarum quantitate neſcimus autorem. Verum illæ conjunctæ faciunt dictionem עד *teſtis*. Scilicet habent hæc verba teſtimonium Dei quod teſtatus eſt de ſeipſo: eoque Symbolum teſtis eſt ſermonis illius Dei, & quicunque audit, audit teſtem, & quidem veraciſſimum. Joh. 17: 17. Pſalm. 19: 8. *teſtimonium Domini fidele, ſimplicibus dans intellectum.* Sic ſe habet ut ſecuram det cognitionem; licet rationem omnium aſſequi non valeant homines, ne quidem ſapientiſſimi, utpote myſteria incomprehenſibilia habentium, tamen ſimpliciſſimi ſufficientiſſime erudiri queunt, ſapientes reddi ad ſalutem ob teſtis infallibilitatem, verſ. 10. *Judicia Dei ſunt veritas.* Proinde auditus hic eſt aſſenſus ob veritatem Dei. 1 Joh. cap. 5: 10. qui Deo non credit, facit eum mendacem, & contra Joh. 3: 33.

Hujus auditus teſtimonium eſt Profeſſio, quam Judæi edunt recitatione quotidiana, mane & veſperi. Carent jugi ſacrificio, quod mane & veſperi olim offerebatur; ſed ejus vicem præſtare rentur hanc recitationem ex Pſal. 50. verſ. ult. *Qui ſacrificat* תודה *confeſſionem, honorabit me.* Equidem non ſatis intelligunt, quod profitentur, hoc tempore, ut quod Samaritanæ Chriſtus dixit, *Vos adoratis quod neſcitis* Joh. 4: 22. de ipſis dici queat, Vos confitemini quod neſcitis. Verum quod addit, *nos adoramus quod ſcimus*, de nobis valere debet. Iſtud Audi, nobis quoque inculcandum venit. Non vivimus majorum gentilium more in ignorantia. Rom. 10: 18. *an ipſi* (gentiles & nos inter illos) *non audiverunt? imo vero ſonus ipſorum* (Apoſtolorum) *egreſſus eſt ſuper univerſam terram, & verba ipſorum uſque ad mundi fines.* Inſonatur vox Euangelii jugiter auribus noſtris. Sed audiendum eſt, cognoſcendum, credendum, Exod. 19: 5. *ſi audiendo audiveritis vocem meam.* Non eſt ſuperficiarius auditus, quemadmodum obliviſcenda audiuntur; ſed attentus, per quem erudiri quis velit; ut, quemadmodum oportuno loco vox ſonans repercutitur & claram vocem reddit, &c. videlicet ſic ſonum gignat internum, uti Pſal. 62: 12. ſemel locutus eſt Deus, bis illud audivi. Atque hic neceſſarium I. Marc. 4: 24. *videte quid audiatis.* Omnis noſtra cognitio nititur teſtimonio, cum ſapientia hujus ſeculi nihil ejus aſſequi valeat, proinde neque hominum ullus quicquam teſtari, ut in ejus teſtimonio queamus acquieſcere; omnes enim homines ſunt mendaces Rom. 3: 4. & vanitas ipſa, etiam maximi Palm. 39: 6. 12. & 62: 10. quamobrem Apoſtolus ait 1 Cor. 2: 1. ſ. *Non veni cum excellentia verborum* &c. Et hacpropter Beroenſes inquiſiverunt in Scripturis quo ſcirent an teſtimonium illud, quod Paulus proponebat, Dei foret Act. 17. verſ. 11. nam eſt hoc fundamentum fidei magnum 2 Tim. 1. verſ. 12. Novi cui crediderim. Sic 1 Joh. 4: 1. *qui à Deo miſſus eſt, loquitur verba Dei* Joh. 3: 34. Et quo magis quis iſtud cognoſcit, eo magis ei revelabitur Joh. 17: 8. verba quæ mihi dediſti, dedi ipſis, & receperunt &c. verſ. 26. notum feci ipſis nomen tuum, & notum faciam. Aſt qui multum ab hominibus ſe didiciſſe retur, ille magis abſcedit à vera cognitione Joh. 5: 44. quando timor Dei eſt præceptum hominum, tum Deus juſto judicio aufert verbum Matt. 23: 31. perire facit ſapientiam & intelligentiam Eſa. cap. 29 13. ſ. 11. Luc. 8: 18. *Videte quomodo audiatis.* Modus iſte regulas habet quid cavendum, quid agendum. Cavendum eſt vilipendium Jer. 6: 10. *ad quem loquar & teſtabor ut audiant. Ecce auris ipſorum incircumciſa eſt* &c. cap. 8: 9. Auditus negligitur ex contemtu, Joh. 18: 38. Pilatus tanti non æſtimatur, ut aures verbo Dei accommodare lubeat 2 Tim. 4: 3, 4. *prurientes auribus avertent aures à veritate, & advertent fabulis.* uti Athenienſes irriſores Act. 17: 32. Quod ſapientibus mundi familiare Græcis & eorum admiratoribus, Euangelium ipſis eſt ſtultitia 1 Cor. 1: 23. quidvis potius audire & legere juvat, quam quod Scripturæ habent, tum odium. Negligitur & ex malitia Pſ. 95: 7. Eſa. 30: 9. ſ. quod non tantum circa facienda, ſed etiam circa credenda obtinet. Joh. 6: 60. *Sermo hic durus eſt, quis poteſt eum audire?* & ſic deſeruerunt Chriſtum. Quod non illico capiunt, quod ſuis conceptibus adverſatur, illi ſe opponunt, & indignum putant ſua cognitione. Act. 28: 22. & Paulus non credentibus duritiem cordis exprobrat. Velum iſtud præjudiciorum adhuc hodie facit ut corda ad auditum inepta habeant, 2 Cor. 3. verſ. 14. Hoc modo plurimi hodie non audiunt. Eſt autem cavendum, aut neglectus pœnam feremus, qui non audit, non credit, non ſalvatur; & qui reſpuit audire, obdurato corde, excluditur requie Dei. Agendum eſt Joh. cap. 1: 19. *Sit omnis homo celer ad audiendum*, deſiderium eſſe debet, quale turbæ quæ confluxit ad audiendum Chriſtum Luc. 6: 1. & Mariæ cap. 10: 39. *tardus ad iram. Etenim impedit ira animum ne poſſit cernere verum.* Præterea verſ. 21. *abjectis omnibus ſordibus* &c. Auris animuſque alio ſono impletus nequit audire. Debet ſilentium eſſe ut audire quis queat. Pſalm. 131: 2. Deinde cum manſuetudine audiendum, ut ſi non illico intelligamus, nec indignemur, nec deſperemus, ſed intendamus animum meditationi. Scrutandum eſt Joh. 5. 39. ut venatores, ut metalli foſſores, quos fatigatio fruſtranea non facit negligentes; ſed patienter inſtant. Luc. 8: 15. ὑπομονὴ requiritur. Prov. 8: 33. ſ. quærendus ergo eſt, Heb. 3: 13. manſuetudo patitur quotidianas exhortationes, & amolitur deceptiones peccati; quaſi vel ſatis ſciamus, vel nunquam iſtud aſſequi poſſimus. Denique implantari debet, ut radicetur: non oblivioſi auditores, ſed ubi manet alte infixum, unde addi ſolet auditui cuſtodia. Luc. 8: 15. qui verbum audiunt, & in bono & honeſto corde cuſtodiunt. cap. 11: 28. Hoc eſt quod dicitur Heb. 3: 14. Sic David Pſalm. 119: 111. Job. 23: 12. uti Maria verba quæ audivit, cuſtodivit in corde Luc. 2: 19. Hoc eſt illud audire quod exigitur.

Moſes id imperat Iſraeli: *Audi Iſrael.* Compellat totum populum, quotcunque nomine Iſraelis cognominantur,

Esa. 48: 1. & in singulari unumquemque illorum, *Audi*, quasi cum singulis ageret. Est hoc magni momenti, cum agatur de summa omnis veritatis, & ejus professione. Quotquot fœderati Dei censeri volunt, Audire hoc modo debent. Atqui id sunt omnes Deut. 29: 10. s. Ad omnes directa sunt verba Dei Mal. 4: 4. Deut. 33: 3. Plures participare queunt citra impedimentum vocis in auditu. Quod uni dicitur, dicitur omnibus Marc. 13: 37. siquidem proclametur uti Deus ad Israelem, vel uti Moses ad omnes. Et sane necessarium id est. Rom. 10: 13. s. *quisquis invocaverit nomen Domini servabitur. Sed quomodo invocabunt* &c. Unicuique ergo audiendum erit, aut fidei, invocationis, salutis exsors manebit. Hab. 2: 4. nemo vivet nisi justus; nemo justus nisi sua fide. Esa. 53: 11. verum quivis debet eam cognitionem habere. Deum non nosse, eoque nec invocare gentilium est conditio Ps. 79: 6. Jer. 10: 20. & damnandorum. 2 Thes. 1: 8, 9.

Falsa ergo & deceptrix est doctrina Romanensium, qui docent plebem submovendam esse ab auditu verbi divini; eam curam solis Clericis relinquendam; & quia fides omnium poscitur, nihilominus eam plebi tribuunt, asserentes fidem esse citra cognitionem, recte definiri per ignorantiam, modo quis acquiescat in iis quæ Ecclesia credit, licet nullam habeat eorum notitiam. Profecto sic si se res habet, stolidus fuit Moses, qui dixit *Audi Israel*; dicendum fuisset, non opus est ut audiatis, imo noxium. Ego novi quid verum sit, & id sufficit; licet in scrinio pectoris mei maneat clausum, neque alii præter Aaronem ejusque filii aliquid ejus à me audiant. Sed quamvis ipsi soli plurima revelata essent, non sibi, sed populo universo revelata novit, ex voluntate, tum populi, tum Dei, & licet Levitis docendi provinciam demandarit. Deut. 33: 10. tamen omnibus discendi partes incumbere significavit. Ergo ipsi id agunt ut populus obliviscatur Dei, & hacpropter furantur verba ejus ab illo. Jer. 23: 27. s. Hos. 4: 6. *Excisus est populus meus, quia non adest cognitio:* Væ ergo illi per quem defectus iste introducitur: Sic judicat Deus *quia repudiasti scientiam, ego quoque te repudiabo*, & qua ratione tuebitur Papa, & Clerus ejus sacerdotium? Prov. 11. vers. 26. *frumentum cohibentem maledicet populus.* Nullum frumentum præstantius verbo Dei, Jer. 23: 28. hoc qui aufert introducit famem, qua animæ conficiuntur Amos 8: 11. s. Est illud sincerum lac, quo nutriuntur & augescunt. 1 Pet. 2: 2. quo subducto non ne lactentibus pereundum est? Sed interest Papæ & Cleri ejus ut populum habeant ignorantem, sic enim facile sibi credulum faciunt. Pendent à doctoribus suis, qui nihil audiunt nisi à doctoribus suis, non consulta Scriptura ad judicandum de Doctoribus. Non possent ipsis tam falsa, tam absurda persuaderi; nisi ignorantes ducerentur. Gal. 4: 8. Sane non colerent idola, non venerarentur mortuos, nisi Scripturæ ignorantes viverent. Esa. 42: 8. cap. 8: 19. Imo non possent illi populo dominari & sub cœca superstitione detinere, nisi ignorantes tenerent; nec missa, nec purgatorium, nec merita & satisfactiones, æstimarentur, si Scripturæ notitiam haberent, quæ unum novit sacrificium satisfactorium Christi, unam purgationem in ipso in sanguine & spiritu ejus, unum ipsius meritum,

Sed etiam inter Euangelicos magnus error est, dum multi sibi auditum non putant necessarium. *Audi Israel*, dicit Moses fœderatis, & nonne se fœderatos dicunt? & quidem meliori fœdere, quod melioribus promissionibus sancitum est. Heb. 8: 6. Inter istas promissiones quoque legitur, *non docebunt amplius alter alterum, dicendo, cognoscite Dominum, nam omnes cognoscent me à minimo ad maximum* Jer. 31: 34. Sed hinc non sequitur non amplius esse audiendum. Imo his ipsis, quos novi fœderis promissionibus solatur Apostolus, inculcat, audiendam vocem Christi quantisper Hodie vocatur. Heb. 3. attendendum esse iis quæ audita sunt ne perfluant, cap. 2: 1. omittendum paulatim initium doctrinæ Christi, & pergendum ad consummationem cap. 6: 1 non deserendam congregationem mutuam, cap. 10: 25. Etenim in cognitione Dei Col. 1: 9. s. usque dum cognoscamus quemadmodum cogniti sumus 1 Cor. cap. 13: 12. Debemus omnes esse θεοδίδακτοι Esa. 54: 13. adeoque à Deo discere. Joh. 6: 45. audiendo. Cæterum Deus non amplius de cœlo nos instruet, ut eousque differre liceat cognitionem, non magis id exspectandum, quam quod dives ille præstolabatur præconem ex mortuis. Christus ait Luc. 16: 29. Habent Mosen & Prophetas, audiant eos. Habemus eosdem loquentes in scriptis suis, habemus insuper Christum & Apostolos, Mat. 28: 19, 20, in his posuit Deus sermonem suum. Luc. 10: 16. Certus est sermo, & omni acceptatione dignus quem locuti sunt, & loquuntur adhuc post mortem suam. Audiamus & discamus, ut non solum sciamus & credamus, sed etiam loqui vicissim & profiteri queamus. 2 Cor. 4: 13. Rom. 10: 9.

b. Nunc sequitur *Quid illud sit*, quod audiendum & cognoscendum est, *Dominus Deus noster. Dominus unus:* quæ verba continent, quod Christus cognoscendum dixit. Cæterum antequam quicquam hic dicamus, monendum necessario consideranda esse verba, qualia sunt in textu Hebræo. Etenim nec nostra, nec alia versio potest nobis exprimere emphasin; non culpa interpretum, sed vitio linguarum, quæ destituuntur vocabulis, quibus idem dicere queant, nisi longa circumscriptione. Atque hinc factum est ut hoc dictum fuerit obscuratum adeo ut non nisi partem ejus dicere crederetur, quod illo indicatum voluit Moses, nempe, unitatem Essentiæ divinæ, quomodo moderni Judæi illud interpretantur; cum tamen etiam pluralitas personarum doceatur, sive Trinitas; quemadmodum veteres agnoverunt, & satis aperte professi sunt, quamvis non uno modo eam inde demonstrarint. Nos spectabimus. I. Vocabula ipsa. II. Sententiam verborum. III. Hebræorum veterum fidem quam profitentur his verbis.

α. Vocabula sunt quatuor, sed unum bis ponitur, quartum caret difficultate; ut de duobus maneat disquisitio.

Prius est יהוה quod quomodo pronunciandum sit hodie nemo novit. Olim omissa fuit pronunciatio ejus ex lege. Lev. 24: 16. à plebe, ne profanaretur; ut alias diximus: sed postmodum etiam ab ipsis Sacerdotibus, quamvis contra legem. Num. 6: 27. ex traditione. Substitutum nomen aliud אדני, communiter, quod secutæ sunt versiones. Antiquissima Græca scripsit ejus loco Κύριος *Dominus*; & sic Apostoli ex more suæ gentis, Luc. 4: 8. *adorabis Dominum Deum tuum*, vers. 12. *non tentabis Dominum Deum tuum*, vers. 18. *Spiritus Domini super me*, quibus locis Moses & Esaias tetragrammaton scripserunt. Et quod Apostoli putarunt faciendum, id quoque observarunt qui Biblia in linguas vernaculas transtulerunt; plerique substituerunt vocem *Dominus*, Galli soli *l'Eterne*, &c. originem vocis intuiti. Belgæ cum adornanda esset versio, de hac quoque deliberarunt, & placuit exemplum Apostolorum, sed ut vocem *Dominus*, grandioribus literis scriberent, ut lectori pateret, singulare illud nomen ibi exstare. Quidam vocales nominis *Adonai*, quas Hebræi adscribunt, more suo quando alias literas attendendas monent, conjunxerunt cum hujus vocis literis & hinc fecerunt *Jehova*; æque convenienter ac si vocalem τῶ **Godt** / jungamus literis τῶ **Heer**/ & inde faciamus Hor. Quæ tamen pronunciatio, quia vera ignoratur, tolerari potest, si tantummodo serviat ad memoriam & distinctionem ab aliis, & quemadmodum alias quoque nomina mutata usurpantur pro conditione linguarum peregrinarum. Quomodo nunc quoque nobis exprimi conveniet, ut distinguatur. Ergo primum vocabulum, quod *Jehova* legemus, denotat Essentiam divinam, quæ Ens est absolute, & à nemine alio suam habet essentiam: cui nulla congruit mutatio, quia temporum differentiis non subjacet, unde nomen illud sic se habet, ut designet eum *qui Est, qui Fuit, qui Erit*, quomodo declaratur Apoc. 1: 4. eoque æternus est, & immutabilis; quo facit affine nomen *Ehje*; & *Ehje qui Ehje*. Exod. 3: 14, 15. Ero, indesinens & in totum, & omni ex parte: Semper idem; quod tum ratione essentiæ, tum ratione voluntatis explicatur. Mat. 3: 6. Porro docet esse Essentiatorem, qui omnem essentiam aliam, ubicunque fuerit, produxit, utpote non exstituram nisi ortum dedisset, imo nisi jugiter daret continuationem. Neh. 9: 6. Act. 17: 25--28. unde etiam fluit & omniscientia, & omnipotentia, & omnipræsentia. Cum nulla sit essentia nisi ab ipso, utique novit quicquid à se eam habet aut habebit, & eam solus sua virtute

tute produxit producetque, & intime omnipræsens est ut quam dedit habeat. Hinc quoque est Essentiatio, ut sic loquar, suorum consiliorum & promissionum, ut tandem existent & eveniant, quando & qualiter voluit. Ita omnia dicit primum vocabulum.

Alterum אלהים, quod Græci, & illos secuti, reddunt Θεὸς *Deus*, longe plura dicit, quam hæc exprimunt, Rom. 1:20. Apostolus ex creaturarum contemplatione agnosci posse ait, ἀίδιον δύναμιν καὶ θειότητα; τὸ *Jehova* indigitat, per ἀίδιον δύναμιν, æternam immutabilemque essentiam, & essentiantem significans: τὸ *Elohim* autem per θειότητα. *Elohim* autem seu *Eloah*; notat Majestatem venerabilem, regimen & judicium summum habentem; relationem dicit ad alia extra Deum, quibus cum esse dederit & continuet, ea ad venerationem ejus obstringuntur, & subsunt ejus regimini absolute, quod agnoscendum, & tolerandum habent. Sic τὸ Θεῖον interpretatur Paulus, Act. 17: 25. s. *Deus qui fecit mundum & omnia in illo Dominus cœli & terræ existit*: Creatio dat jus dominii. Hic cum totum genus hominum fecerit, & omnia circa illos moderetur, tempora & loca unicuique assignans, debent ei servire, & quia in ipso vivunt, moventur & sunt, præsentissimum agnoscere, & hoc est τὸ Θεῖον. Hinc in tota historia Creationis non aliud nomen occurrit quam *Elohim* Gen. 1. quia creaturæ ad creatorem hic sunt relatæ, ut venerabilitas ipsius, & regimen absolutum necessario fuerit insinuandum. Hinc vox *Elohim* communicatur creaturis quibusdam, (non *Jehova*, quia nulla potest esse essentia absolute, & essentians,) quia judicii seu regiminis potestas & veneratio congrua eis tribuitur ab ipso Deo, qui solus ex se eam habet, Joh. 10: 35. quamvis abusive deinde homines quoque ita vocarint sua figmenta, quibus adscripserunt talem potestatem & honorem. Sed porro, (ubi deficiunt aliæ linguæ) dicitur in plurali *Elohim*. Etiam singulare in usu est, sed frequentissimum plurale, non ad elegantiam sermonis, sed ut pluralitas indicetur; quandoquidem conjunguntur alia pluralia, Deut. 5:26. Joh. 24:19. Ps. 58. vers. ult. Sic etiam Gen. 20: 13. cap. 35: 7. 2 Sam. cap. 7: 23. Et hæc pluralitas excedit non tantum unitatem, sed etiam dualitatem; nam tunc dicendum fuisset *Elohajim*; adeoque ad minimum tres denotat. Quot, & non plures designari, unico testimonio Judæorum confirmatur, Abhoth cap. 3: 5, 6. „ Quæruntur testimonia Scripturæ, qui„bus probetur Deum gratiose præsentem esse iis qui medi„tantur Sacras literas, quemadmodum Christus, ait. Mat. „cap. 18: 20. s. Ostendunt illud si deni fuerint, item si „quini una, sed etiam si terni, idque hoc dicto Ps. 82: 2. „*judicat Deus in medio Elohim*. Hac itaque voce tres designari docent; & quando judicibus apud Mosen id nominis datur. Exod. 21: 6. cap. 22: 8, 9. non nisi triumviri notantur. Ergo Trinitas in hoc nomine est, tum respectu hominum, Judex unicus nedum plures nunquam dicuntur Eloah, (nisi quod Assyrii potentia ab ipsomet sic æstimetur. Hab. 1:11.) sed judices, triumviri potissimum & unus Moses dicuntur Elohim, quia referunt Judicium cœleste, à quo potestatem habent, & quod in regimine mundi sic quoque agit; quemadmodum ex initio constat. Gen. 1: 1, 2, 3. *Elohim condidit*, Jehova per verbum & spiritum. Ps. 33: 6. *per verbum omnia facta sunt*. Joh. 1: 3. & *Spiritus Elohim* fovebat massam, terræ, & Gen. 1: 26. hominis creatio, & gubernatio indidem processit. Et hoc alterum est vocabulum explicationis indigum.

β. Sensus verborum nunc videndus, qui magno compendio diffussimus est. Etenim docet Moses audiendum Israeli, agnoscendum & profitendum, quod sane etiam nobis faciendum, Deum esse.

1. *Jehova*, Ens absolutum, habens ut vitam, sic essentiam, in se ipso. Joh. 5: 26. qui originem omnem ignorat. Æternum, qui fuit est, & erit; non respectu sui, sed nostri, qui differentiis temporum creaturarum durationem mensuramus, quæ initium habuit, & finem vel habet vel saltem habere potest teste omni illa mutabilitate & mutatione quam experiuntur: sed Essentia divina semper est eadem, Deut. 32: 40. vita ego in seculum. Ps. 102: 13. *tu Domine in æternum manes*, vers. 27, 28. Essentiatorem omnis alius essentiæ, quam uti omnipotentia sua fecit & conservat, sic eam exactissime novit, & ei præsentissime adest. Hinc vero discitur Perfectio Dei. Nullius rei indigus est, sibi ipsi sufficiens, & Beatus ille. 1 Tim. 6: 15. cui nihil defuit ante conditum mundum; nam quid ulla creatura habet quod ab ipso non acceperit? 1 Cor. 4: 7. quid ulla ei confert? Job. 35: 6. s. bonitas nullius ad ipsum pertingit. Ps. 16: 2. Condidit alia ut esset qui solum sufficientem agnoscerent, & omnia alia sine ipso defectuosa. Essentiator ejusmodi; ut ubi semel dedit, jugiter dandum sit, & continuandum, illico alias peritura essentia ista, qui proinde necessario omnibus adest, omnia novit, omnia potest, omnia regit. Sustentat omnia sua manu. Et quemadmodum quod per manum nostram agimus, illi præsentes sumus, id novimus id nostra sapientia & potentia regimus; ita quoque Deus. Itaque quando de nobis ipsis, aliave creatura cogitamus, illico Dei subire animum debet cogitatio, Essentiam nec alia nec nos habemus à nobis ipsis; Essentiator aliquis est prior, & is essentiatorem non agnoscens, & hic essentiam dedit, & in singula momenta prorogat quomodocunque etiam se habeat; possumusne ergo discedere ab ipso? abscondi ab ejus oculis? effugere ejus manum? Obsidet nos ante & pone, longinqua nobis & propinqua omnia ei proxima; & præterita & præsentia & futura; non minus spiritus eorumque motus, quam corpora. Quanta hinc cogitantibus ista æstimatio Dei & perfectionis ejus; quanta materies laudis; quanta amoris: quanta timoris; quanta patientiæ in adversis & spei, & fiduciæ, quanta in prosperis gaudii & gratitudinis. Act. 17: 27. s. quærendus Deus, & inveniendus, ut celebretur. Sumus Dei genus, quia ad imaginem ejus conditi. Quod in corpore nostro potest & facit anima nostra, quæ omnium quæ fiunt notitiam habet, hoc multo magis facit Deus in hoc universo.

2. *Elohim*; cum Jehova unitatem essentiæ dicat, hic pluralitas indicatur; Plures sunt Personæ. In ipsa creatione & regiminis initio illud patuit, ut diximus. Kabbalistæ; qui per literas de arcanis mnemosyna faciunt, dicunt, Elohim significare אל הם *Deus sunt*, plures illud habent quod Dei est, & nomen illud facit competere; Jod autem quod deest in duabus istis vocibus, ad indicium exstare, Eccl. 12: 1. *Recordare* בוראיך *Creatorum tuorum*; quod intelligentes facile assequantur. Plures ergo sunt Creatores, quia Elohim in Creatione dicitur: quemadmodum etiam. Job. 35: 10. cuivis id agnoscendum esse docetur, quando queritur Elihu, neminem dicere, *Ubi est Eloah* עושיי *factores mei*. Nam *Spiritus Domini fecit omnes*. Job. cap. 33: 4. & *Verbum illuminat omnem hominem venientem in mundum*. Joh. 1: 9. & memoratur in Baptismo Christi, Mat. 3: 16. s. & in baptismo nostro Mat. 28: 19. quemadmodum olim apud Judæos in baptismo proselytorum Elohim triumviri judices autoritatis & testimonii ergo interfuerunt, sic Christus voluit trium cœlestium (quos illi repræsentabant) nomen invocari, & præsentiam illorum professione exprimi. Atque sic in V. T. Esa. 63: 9. s. memoratur *Jehova*, & *Angelus faciei* (qui alibi Angelus Exod. cap. 23: 20. & *facies Dei*, cap. 33: 14. Mal. 3: 1.) & *Spiritus Sanctitatis ejus*; de quo etiam. Neh. 9: 20. Judæi clarius loquuntur, veteris Ecclesiæ doctrinam explicantes. אני & אתה & הוא sunt ipsis nomina Dei; quæ simul ei conveniunt, quando sic in festo tabernaculorum compellant, אני והו הושיעה נא *Ego & Ille, juva nunc*; quæ meram absurditatem habent, nisi tres personæ simul compellatæ intelligantur. Cumprimis insigne dictum, Menah. Rakn. f. 132. col. 3. f. *Tres sunt spiritus colligati in unum; Spiritus intimus, qui vocatur Spiritus Sanctitatis: Spiritus medius, qui in medio est, & vocatur Sapientia & intelligentia; & hic est spiritus qui egreditur è medio pulchritudinis consummatæ, cum igne & aqua; Spiritus summus, qui absolute est in silentio, per quem consistunt omnes spiritus sancti, & omnes personæ lucidæ.* Quomodo ordo personarum indicatur, & quod omnes à Prima habeant vitam seu essentiam communicatam, & operentur quoque ab illa, Joh. 5: 19--26. cap. 16: 13. s. cap. 15. vers. 26.

Hæc proinde veritas nobis quoque est agnoscenda: *Plures esse Deitatis personas, easque tres*, & has Regimen mundi habere: uti illud in principio exercuerunt. *Pater*

omnia

omne judicium dedit Filio. Joh, 5: 22. & is per Spiritum Sanctum quoque regit, qui autor donorum ſapientiæ & cognitionis, non tantum ſalutarium, ſed etiam aliorum; quicquid eximium in artificibus, in bellatoribus, Spiritui Dei tribuitur. Exod. 31. 1 Sam. 10: 10. cap. 11: 6. Jud. cap. 14: 6–19. cap. 15: 14. uti alias dicitur Dominum miſiſſe filium & Spiritum ſuum. Eſa. 48: 16. Verum heic oritur magnum dubium; quod lapis offenſionis eſt tum Judæis modernis, tum pluribus aliis. Contradictoria iſta eſſe, eoque impoſſibilia, *Jehova unus*, & Elohim plures; una eſſentia, perſonæ tres: adeoque vel hoc falſum, ut una ſolum non plures ſint perſonæ; vel iſtud, & plures ſint non una eſſentia; neque enim tres poſſunt eſſe unus, vel unus tres. Heic ergo.

3. *Jehova unus.* Sic ſolvitur illud dubium; & hæc cauſa repetiti nominis Jehova; cui declaratio additur, unus; quod per accentus ſociandum eſt. Jehova Eſſentia illa ſimpliciſſima & unica, eſt Elohim, tribus perſonis diſtinctis ab invicem, attamen hinc non multiplicatur eſſentia, ut tres inde Jehova concipiendi ſint, ſed manente diſtinctione perſonarum eſt tamen Jehova unus una eſſentia, & quidem ea unitate ut unicus dici debeat, quando præter ipſum unum non datur alius, qui eſſentiam habeat ſimilem. Itaque hic aſſeritur Unitas & Trinitas in Deo ſimul, & Unitas eſſentiæ divinæ per pluralitatem Perſonarum non tollitur, ſed hac ſtante, manet tamen una eſſentia, & hanc tres illæ perſonæ indiviſim habent & exhauriunt: ut hac una aſſertione omnes contradicentes confutentur. Hoc dicitur de tribus. 1 Joh. 5: 7. quemadmodum Hebræi dicunt, *Tres ſpiritus eſſe colligatos in unum.* Et de duabus Patre & filio Joh. 10: 30. de quibus Hebræi, Raknat. f. 191. col. 3. *Quando bis dicitur Jehova, Jehova, aut Jehova Dominus, unum nomen deſignat* יעיר אפין *ἀπάυγασμα τῆς δόξης, & alterum Antiquum antiquorum quamquam ambo unum ſint, & uno nomine, vocentur. Sic quoque quando dicitur* יהוה אלהים *nomen plenum eſt, Antiquiſſimus omnium & ἀπάυγασμα illud* & fol. 192. col. 4. ה' הוא האלהים *Senſus eſt, non eſſe abnegandam fidem fundamenti, quamvis enim pluraliter de Deo loquatur Scriptura, quicquid tamen in uno eſt, idem eſt in altero, & omnes unum ſunt; Sic dixerunt, Perfectio omnium, Antiquiſſimus antiquorum, & ἀπάυγασμα, omnes unum ſunt; Omnes ὁ ὤν, & omnes ὁ ὢν, & omnes ὁ ἐνόμιν, non mutatus fuit, nec mutabitur, nec mutatur, Quod ſi dicas, quid inter hunc & illum diſcriminis? omnes ſunt ejuſdem ponderis, ſed dividuntur ſuis operationibus. Hæc autem myſteria non ſunt tradita, niſi illis qui agrum ſanctum metunt:* hoc eſt, qui Scripturas meditantur. Unde non mirum, quod qui rationem ſuam ſequuntur, quæ non intelligit ea quæ Dei ſunt, imo ſtultitiæ condemnat, in contrarium abierint. Audiens hic Moſen, novit & credit Jehovam Elohim eſſe Jehova unum. Alium eſſe Patrem, alium Filium, alium Spiritum Sanctum & tamen unum duntaxat Deum, & qui unum habet, habere omnes, utpote cum ſibi mutuo inſint, unam poſſidentes eſſentiam.

4. Hactenus ita demonſtratum, Eſſe unum verum Deum: nunc etiam oſtendendum, eſſe quem miſſum ſervatorem. Huc facit *Elohim noſtrum*: eoque fœderatum nobiſcum. Etiam Diaboli norunt Jehova Elohim eſſe Jehova unum, & hoc ipſo non ſunt feliciores Jac. 2: 17. longiſſime tamen abſunt à vita æterna. Heic ſalutaris cognitio ſpectatur, quæ nulla de Deo, inde poſt lapſum, niſi ex fœdere. Eph. 2: 12. Cujus documentum eſt approbatio, ut jus & intereſſe quis habeat in Deo. Iſtud non datur niſi interveniente, qui conciliat [illegible]nem Deo, & qui de ea conciliatione homines erudit & ſecuros reddit, quomodo poſtulatur pluralitas perſonarum voce Elohim ſignificata, quarum omnium conjunctio neceſſaria eſt: atque ſic iſta appropriatio eſt Patris mundum ſibi in Chriſto reconciliantis, Filii reconciliationem iſtam promerentis, quando peccatum factus eſt pro hominibus in humana natura; Spiritus Sancti qui de ea reconciliatione convincit, eamque facit per fidem, quam operatur, apprehendere. Talem ſe profeſſus fuerat Deus; *Ego Jehova Elohim tuus*; quomodo utique complectitur quod in invitatione dixerat, *Eritis mihi peculium, regnum ſacerdotum, gens ſancta: Peculium* per electionem Patris, *Regnum Sacerdotum* per redemtionem Filii, *Gens Sancta* per ſegregationem efficacem Spiritus S. Neceſſaria proinde agnitio & appropriatio Trium perſonarum Deitatis 2 Joh. 9. qui non manet in doctrina Chriſti, non habet Deum, qui in doctrina Chriſti manet, habet & Patrem & Filium. Proprietas Dei pretioſa, quæ acquirenda per mediatorem Tit. 2: 14. regnum quod ſacerdotalem acceſſum habet ad Deum, mediante ſanguine expiationis, & populus ſegregatus à cæteris. Talem ergo oportuit credere & apprehendere. Eſtque notandum etiam alia de cauſa appropriationem nunquam fieri cum voce Jehova, quamquam ita quoque gratia denotetur, ſed ſemper cum voce Elohim, quod judicii connotationem habet; quia conciliationem fruſtra credimus à mera gratia; Veritas Dei non minus quam juſtitia poſcit judicium, & hic decidendum eſt. Decipiunt ſe qui abſolutam Remiſſionem peccatorum ſomniant; Aliter docemur Rom. 3: 24, 25, 26. juſtificatio judicialis eſt, ob intervenientem ſolationem ſponſoris, quam fides ſibi fecit propriam. Cap. 8: 31–34. Hæc eſt vera appropriatio, & nititur cognitione Sponſoris. Eſa. 53: 11. eoque eſt ejus quem Pater miſit & quo fine miſit. Joh. 17: 3.

Cæterum & hoc conſiderandum, quod *Elohim noſtrum* dicat; Verſu ſeq. ait, *Diliges Dominum Deum tuum*; ſic quoque compellatio *Audi Iſrael*, videbatur poſtulare. Sed Moſes mutavit, ut ſe quoque conjungeret profitentibus, atque communionem ſanctorum in fide oſtenderet: ſuum quippe Deum non minus quam aliorum eſſe affirmat. Hæc proinde fides eſt ſemel tradita ſanctis, quam Moſes ut docuit alios, ſic quoque amplexus eſt, non alia via ad ſalutem perventurus. Quomodo monet ut non ſolum accedamus communi iſti profeſſioni, ſed etiam pro eadem certemus: nunquam nos ſejungentes ab illis qui Deum Trinum in Chriſto Mediatore fœderatum agnoſcunt corde, & ore profitentur.

γ. Hebræorum Veterum fides adhuc reſtat indicanda. Hi magni faciunt hanc pericopam, & ſatis aperte Trinitatem inde adſtruunt, ſed alio modo; Raknat. fol. 193. col. 3. Memorat tria nomina, quibus deſignantur tres Patres ſuperni, & fol. 194. col. 3. *Jehova, eſt principium omnium in ſplendore, antiquus ille Sanctus, & vocatur Pater. Elohim noſter, eſt profunditas fluminum & ſcaturiginum, manantium ad omnes. Jehova eſt ipſamet virtus arboris arbor, perfectio radicum; Unus, omnes ſunt una perfectio; colligatusque eſt unus alteri, neque reperitur ſeparatio, ſed omnes unus ſunt.* Scilicet ſingulis nominibus unam Perſonam Deitatis indicari autumant; quæ tamen ab invicem non dividuntur, ſed unum ſunt eſſentia, & unus in altero eſt, ut Chriſtus de ſe & Patre loquitur. Joh. 14: 10, 11. Addunt vero myſterium iſtud nondum plene revelatum eſſe, nec revelari debere; „ſed quando venerit Rex Meſſias, tum manifeſtan„dum uberius, quemadmodum in N.T. factum novimus. Quam interpretationem ſi quis ſequatur, facile erit dicere cur ſecundæ perſonæ dederit nomen *Elohim noſter*, quia ſcilicet nec Pater, nec Spiritus Sanctus, ſed Filius, ſecunda perſona, noſter factus eſt, ſive judicii poteſtate, quam Pater ei dedit, ut datos ſibi ſervaret, ſive humanitatis aſſumtione, ut foret unus fratrum. Sane hujuſmodi explicatio placuit pluribus Chriſtianorum. Pſ. 67: 7, 8. *Benedicet nobis Elohim, Elohim noſter, benedicet nobis Elohim; & timebunt illum omnes fines terræ:* Iſtam enim repetitionem non eſt veriſimile otioſam eſſe. Sic duæ perſonæ deſignantur Pſ. 45: 8. quid ni ergo tres perſonæ? adeo ut habeamus numerum, ordinem, & diſtrinctionem perſonarum unius eſſentiæ divinæ, in qua Filius Dei mediator vere eſt *Elohim noſter*, quia perpetuo eſt propitiator, eapropter dictus *Immanuel* Eſa. 7: 14. Unitas autem eſſentiæ aſſeritur quando ait *Omnes fines terræ timebunt illum.*

Nobis ergo obſervandum. Agnita Perſonarum divinarum trinitate, & ſecunda inter illas ceu mediatore noſtro, reverenti timore unus ille Deus proſequendus eſt, non tantum à Judæis, ſed etiam inter Gentes; ad has quoque patefactio pervenit; nos qui fines terræ incolimus Deus dignatus eſt iſta inſtitutione per Verbum; in iſtud Nomen baptizati ſumus; iſtud non abnegandum, ſed profitendum. Judæi docent qui hanc profeſſionem unitatis quotidie præſtat gaudium ei paratum eſſe. Rectius qui profeſſionem

Trium

Trium perſonarum in unitate profitetur, illi gaudium paratum eſt. Profitentem ſe profitebitur Chriſtus, profitentem Patrem Filium & Spiritum Sanctum ſibi in Chriſto fœderatos, profitebuntur Pater Filius, & Spiritus Sanctus.

Verſ. 5. *Itaque diliges Jehovam Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex toto animo tuo, & ex totis viribus tuis.*

Et hæc quidem ad Cognitionem mentis ſpectarunt.

b. Nunc dicendum de *Affectu Voluntatis*, quem hoc verſu pari brevitate indicat. *Et diliges Dominum Deum tuum*, & &c. Ubi duo, Quid, Quomodo præſtandum ſit.

a. Quid? *Et Amabis Jehovam Elohim tuum.* Quid amor ſit non eget explicatione quia nemo eſt, qui non alicujus rei amore ducatur; Eſt affectus animi, quo rei alicujus excellentia perſpecta eam non tantum æſtimat, ſed ei jungi deſiderat, & ea frui, atque in ejus fruitione tum voluptatem, tum acquieſcentiam habet. Sequitur cognitionem; nam ignoti nulla cupido: & quo cognitio bonitatis, quæ rei alicui adeſt aut adeſſe creditur, major, eo magis quoque creſcit amor: aſt cum vileſcit excellentia illa, dum penitius cognoſcitur, amor quoque imminuitur, & in odium degenerat. Nullus hominum vivit ſine amore, & primum ejus objectum eſt ipſemet: φιλαυτία cuivis connata, quæ ſimpliciter mala non eſt, cum Deus eam inſeverit, atque etiam multum excellentiæ homini inſit, magis quam ulli creaturæ terreſtri. Sed quemadmodum homo primum cognoſcit ſuum corpus ita primus amor corporis eſt Eph. 5. verſ. 29. quem omni cura demonſtrat, quamdiu nihil corpore agnoſcit excellentius, eoque in ejus voluptate totus conquieſcit. Multorum amor non aſſurgit altius, ut corpori bene ſit, ut impleatur deliciis, tegatur magnifice, & aliis omnibus gloria excellat. Eſt tamen aliquid excellentius corpore, pretioſa anima, quam pauci contemplantur, ut præſtantiam ejus agnoſcant, alioqui amor à corpore maximam partem removeretur, ut in animam converſus ibique defixus hæreret: jam vero mundum lucraturi, ad commodum corporis, animæ faciunt jacturam. Mat. 16:26. cujus conſervatio unice deberet eſſe curæ. Etenim Anima eſt condita ad Dei imaginem; corpus tantum inſtrumentum eſt animæ, iſtius operationibus attemperatum, & corpus ipſum ſine anima mortuum, cadaver fœtidum, & putreſcens, niſi ejus præſentia ſuſtentaretur & moveretur. Si lineamenta corporis cognoſcantur reſpondere perfectiſſimæ pulchritudinis imagini, quantopere diligitur corpus, & cavetur ne quid ei decedat, ſed ut magis adhuc conformetur? Aſt cum anima habeat imaginem Dei, quanto magis excellit, & diligenda eſt; & ad conſervationem ac augmentum omnis cura conferenda. Verum datur adhuc aliquid præſtantius anima, eoque amore noſtro dignius. Id eſt cujus imago animam facit excellentem, Deus ipſe. Hic conſtituitur hoc loco amoris objectum, & quidem qualis cognitus fuit. Cognoſcendus dicebatur *Jehova Elohim noſter*, quod additum fuit *Jehova unus*, non quid novum dat cognoſcendum. Sed ſolum veritatem dictorum indicat, unam Eſſentiam & plures perſonas nihil dicere ἀσύστατον, ſed in iſta pluralitate eſſe & manere unitatem eſſentiæ. Idem nunc dicitur amandus. Et ſane quod ciet amorem hic eſt, Jehova omnem perfectionem complectitur. Concipiat quis ullam, quæ in rerum natura occurrit, eam habet ipſe longe perfectius; quia omnem illam mera ſua voluntate & potentia produxit. Act. 17: 25. creator mundi nullius rei indigus eſt, utpote omnibus dans vitam & halitum & omnia. Equidem pulchritudinem corporis non habet, neque etiam habere poteſt, cum ſit Spiritus Joh. 4: 24. verum nec habere debet, quia ipſum corpus imperfectionem habet, eoque nequit Deo convenire. Quam arctis ſpaciis circumſcribitur corpus? & extra ea non eſt, nec operatur: aſt Deus ubique, Pf. 139: 2. ſ. & ubique beatus, ſibi ſufficiens, ſed quam indigum corpus rerum aliarum? Magna eſt pulchritudo oculi, ejus ſtructura admirabilis, ſed quid in eo æſtimandum, quam quod cognitionem ſubminiſtret rerum extra nos, eamque admodum acciſam; quam parum terræ videt perſpicaciſſimus oculus? aſt Pſ. 94: 9. ſ. *Deusne plantator auris, an non audiret? eſtne formator oculi? annon videret? Docet ſcientiam hominem, & novit cogitationes ipſorum.* Sed inſuper Jehova dicit conſummatam bonitatem, Exod. 33: 18, 19. Moſes gloriæ manifeſtationem poſcit; concedens Deus, quantum capere poterat homo, ait ſe bonitatem traducturum, proclamando nomen Jehova & quid illud ſit dicitur cap. 34: 6, 7. Quot hic vocabula, tot perfectiones, & tot argumenta amoris. Ens & eſſentiator, potens, gratioſus indignis, miſericors miſeris, bonus provocantibus, tolerando, benefaciendo, conſtantiſſime, condonando, citra juſtitiæ violationem. Sed Elohim alias perfectiones nobis repræſentat. Regimen illud dicit quod habet ſuper omnia quæ condidit. Act. 17. verſ. 24. Deus qui condidit mundum eſt Dominus cœli & terræ, & moderatur omnia ſingulariſſime circa quemvis hominem, verſ. 26. Iſtud regimen facit venerabilem, & amabilem. qui tanta ſapientia & potentia omnia adminiſtrat, & tantam ubique exſerit juſtitiam. Quid conciliavit Salomoni amorem, niſi ejus ſapientia, juſtitia, potentia, quæ tamen exiguis admodum limitibus circumſcribebantur; Dei regimen, qua patet mundus, extenditur. Jer. 10: 6. ſ. Imo longius patet regnum ejus Pſ. 115: 3. & 135: 6. Dan. 4: 34. ſ. Sed & illud in regimine conſiderandum, quod ſit plurium perſonarum, quorum ſapientiſſimo & conſentiente conſilio gubernantur omnia; Cum homo condendus, qui in terris ſolus poterat Deum agnoſcere, conſilium commune ſecuti ſunt. Gen. 1: 26, 27. cum ab invicem dividendi eſſent homines per univerſam terram ſimiliter. Gen. 11: 7. Sed longe evidentius in regimine Eccleſiæ: ab illis Elohim ſe ex patria evocatum ſcivit Abraham. Gen. 20: 13. apparuiſſe ſibi Jacob profitetur. Gen. cap. 35: 7. Cumprimis in regimine Iſraelis. Eſa. 63: 9. ſ. Evidentiori adhuc in N. T. cum omnes in nomen P. & F. & Spiritus Sancti baptizentur, & illorum regimini ſe ſubjiciant. Quæ Pater facit, filius pariter facit, & hic non operatur à ſe ipſo, ſed à Patre, Pater ei dedit omne judicium, omnem poteſtatem, & ipſe geſtat omnia potente verbo, ut per ipſum conſiſtant, juxta legem Patris, per Spiritum Sanctum qui ſceptrum potentiæ ipſius eſt, & quem emittit ad faciem terræ innovandam. Pſ. 104: 30. Quanquam plurimi Chriſtianorum non agnoſcant, eoque nec ament ſimultaneam illam dominationem.

Verum, quod propius facit ad amorem conciliandum, cum regimen iis, qui mali & rei, tremendum ſit Eſa. 33. verſ. 14. eſt quod ſit *Elohim noſter*, qui omnes collaborarunt ad noſtri reconcillationem efficiendam, & ſic ſe nobis appropriandum. Annon amabilis pater mundum ſibi reconcilians in Chriſto, non imputans illis offenſas, ſed Chriſtum pro iis faciens peccatum, ut ipſi eſſent juſtitia Dei in illo? Annon amabilis filius, qui nos dilexit & tradidit ſemetipſum pro nobis, in hoſtiam & oblationem Deo, ad bonam fragrantiam? Annon amabilis Spiritus Sanctus offerens illam reconciliationem, & operans fidem qua apprehendatur? Hæc ſunt quæ amorem noſtrum provocant, quia proprietatem dicunt, ſine qua non eſt ſolidus amor. 1 Joh. 4: 8–19. ſeq. 2 Cor. 5: 14, 15. de Filio, & Spiritus Sanctus eſt ſpiritus amoris, per quem amor Dei effunditur in corda noſtra. Rom. 5: 5. tum quo amamur à Deo, tum eum ſentiamus, tum quo amamus Deum viciſſim, quique obſignat nos ad diem redemtionis ea propter non contriſtandus. Eph. 4: 30. Etenim ſenſus ille antecedit noſtrum amorem. Pſ. 18: 2, 3. *intime diligam te* אֶרְחָמְךָ, *Domine, robur meum*, ſenſus tam fructuoſæ proprietatis, cauſa amoris tanti. Quamobrem ſi amare Deum volumus conſiderandus in ſua perfectione, nobis appropriata ad commodum, Pſ. 84: 3-12. Unumquodque horum amabilem nobis repræſentat. Sed multi non amant, quod horum nullo indigere ſe putent. Apoc. 3: 17. ſ. qui tenebras amat, non delideRat, nedum diligit ſolem; ut qui dormiunt, ebrii ſunt, in cubilibus & impudicitia vivunt: qui pacem ſibi fingit & immunitatem à periculo, non curat clypeum aut arma; ut ſecuri peccatores: qui juſtitiam ſibi propriam fingunt, faſtidiunt gratiam: quibus felicitas & bonum hujus ſeculi placet, non quærunt gloriam: qui habent in quo ac-

quieſcunt, aut id ſua induſtria ſe parare poſſe rentur, non curant alienum datorem, cui debitores fiant. Nulli horum diligitur Deus, quamquam forſan id ore dicant: & horum nimis magna multitudo. Quisquis fœderatum Dei ſe dicit & non amat Deum, fœdifragus eſt; nam hi dicuntur oſores Dei, contra alii amantes eum, in præc. ſecundo. Amantes autem iſta apprehendunt. Abraham dicitur à Deo, amans me, Eſa. 41: 8. & quid ille? Jac. 2: 25. cognitio & appropriatio excitavit amorem. Deut. 15: 16. ſervus Hebræus qui ſeptimo anno liber eſſe poterat, ait, *Non exibo quoniam amo te*, Amoris cauſa fruitio boni; & hæc apud Deum conſummata, Gen. 15: 3. merces magna valde. Job. 22: 26. *Oblectabis te in Schadai, utpote qui dat deſideria cordis* Pſ. 37: 4. utpote apud quem ſatietas gaudiorum. Pſ. 16: 11. Eoque Pſ. 31: 24. *Amate Dominum omnes benigni ejus; nam Dominus cuſtodit fideles*, & hæc cuſtodia deducit ad vitam æternam.

b. Quomodo? *ex toto corde, tota anima, totis viribus.* Vocabula iſta diverſimode diſtinguuntur: quibuſdam ad animam tantum referuntur, quia corpus animæ inſtrumentum ad ejus voluntatem movetur, atque tunc tres facultates denotantur, *Corde* Intellectus cognoſcens; quemadmodum *ſapiens cor & intelligens*, quale Salomo petiit & impetravit. 1 Reg. 3: 9--12. cap. 4: 29. *Anima* voluntas decernens ut 1 Chron. 18: 9. cor perfectum & anima volens, & 2 Chron. 15: 12, 15. fœdus inierunt toto corde & tota anima; & explicatur juraſſe toto corde, & quæſiviſſe tota voluntate. *Poſſe*, affectus, quicquid in iis eſt virium, Potentia exſequens Matthæus reddit διάνοια, Mat. 22: 37. quæ ad intellectum referenda. Marc. 12: 30. pro eo eſt διάνοια & ἰσχὺς, & Scriba verſ. 33. addit ad καρδίαν σύνεσιν, & poſt ψυχὴ ἰσχὺν, robur ergo deſignatur internum, quod animæ eſt, & in affectibus cernitur. Hebræi longius extendunt. *Cor* quibuſdam eſt anima intelligens; *anima* vita corporalis; *poſſe*, quicquid aliarum virium eſt: Plurimis Cor eſt anima & omnes ejus facultates; anima corpus & omnia ejus membra, (nam נֶפֶשׁ corpus notat frequentiſſime: affligere animam eſt jejunio corpus mercerare; anima Joſephi venit in ferrum. Pſ. 105: 18. corpus catenis conſtrictum: imo hominis cadaver dicitur eo nomine, immundus ob animam eſt id à cadavere; & Pſ. 16: 10. non deſeres in ſepulchro animam meam, hoc eſt, corpus,) poſſe facultates & opes, quarum univerſalitas poſcitur.

Ergo modus amoris Dei eſt *toto corde*, ut anima ejuſque facultates omnes Dominum Deum ſuum unice deſideret, illi jungi, eo frui, velit, in eo uno acquieſcens, & tantum contenta, quantum ejus poſſidet. Pſ. 73: 25, 26--28, 29. Acquieſcentia in omni voluntate Dei, Pſ. 56: 11. *in Elohim* (judicio) *laudabo verbum. In Jehova* (miſericordia) *laudabo verbum.* Pſ. 101. v. 1. *Benignitatem & judicium* (Dei) *canam*, Pſ. 116: 3, 4--13. Eſt *tota anima* ſeu corpore, ut hoc ejuſque membra uni Deo ſacrata ſint ad ejus amorem obſequio probandum. Rom. 12: 1. Ut moveantur quemadmodum juſſerit. Rom. 6: 12. atque etiam negligantur ſi demonſtrationem Marc. 9: 43--45--47. amoris Deo morarentur. Apoc. 12: 11. qui vitam non amarunt uſque ad mortem, ut naturalem vellent, violentam averſati, quam amplexantur propter Dei amorem. Eſt totis viribus, ut omnes opes facultates in illius amore expendantur, ſive erogando, ſive deſerendo, & ſpoliationem tolerando. Non tamen ea mens eſt, quaſi nihil aliud amare liceat. Etenim Amor iſte Dei non prohibet amorem proximi, aut ſui ipſius, qui norma amoris proximi. Sed toto corde amandus Deus tum quatenus omnia alia quæ amantur, propter Deum amantur: ita quivis ipſe & proximus, quia ad imaginem Dei conditi, ut Deus in imagine ſua ametur; accedit quia Deus imperavit amorem, & cum Dei amor demonſtretur obſequio. Joh 14: 15. hoc præſtans Deum amat, ut in amore inimicorum, tum quatenus omnium amor propter Deum negligitur. 2 Chron. cap. 19: 2 ſ. Pſ. 139: 21. ſ. Pſ. 73: 25, 26. omnia in cœlo & in terra vilia, præter unum Deum; imo ſibi ipſi vilis eſt ejus reſpectu, in quo uno acquieſcit, & ſe felicem putat, unde illi conjungi optat & amat, verſ. 28. & 23. Sic Mat. cap. 18: 37. qui patrem aut matrem, filium aut filiam amat præ me, non eſt me dignus, & Luc. 14: 26. qui venit ad me & non odit patrem & matrem, uxoremque & liberos, & fratres & ſorores, imo & propriam vitam, non poteſt eſſe meus diſcipulus. Equidem hæc dicuntur de amore Chriſti; verum qui hunc non amat, non amat Deum, cum æque honorandus ſit ac Deus Joh. 5: 23. cum ad Deum nemo veniat niſi per ipſum. Joh. 14: 6. adeo ut qui ipſum non amat ſit anathema. 1 Cor. 16: 22. Exempla amoris ejuſmodi ſunt Abraham, *amans ille Dei*, ter appellatus, Eſa. 41: 8. à Deo & à Joſaphato. 2 Chron. 20: 7. & Jac. 2. verſ. 23. Amavit Deum totis facultatibus, qui deſeruit juſſus à Deo patriam & cognationem profectus neſciens quo iret, ut ſe erraſſe dicat: qui decimas dedit Melchizedeko, qui noluit quicquam de præda Sodomæ quam recuperarat, ne diceretur ditatus alienis: toto corpore qui ubique excitatis ſuis altaribus, præconium veri Dei inſtituit circumciſionemque unde centenarius admiſit; tota anima denique, qui contra ſpem ſub ſpe credidit Deoque dedit gloriam veritatis, quam potentia Dei eſſet præſtitura. Rom. 4. Cum primis quando filium ſuum, unicum, quem diligebat, Iſacum mandante Deo duxit ad montem Moria, & ligatum impoſuit altari, mactaturus illum, ni cohibitus à Deo fuiſſet, quando utique ſemetipſum ſuoſque affectus vicit, unius Dei amore, ut in omnibus obſequeretur: quo facto titulum amici impetravit. Jac. 2: 21. 23. Deo teſtante Gen. 22: 16. & rurſum cap. 26: 5. ad Iſacum, *in ſemine tuo benedicentur omnes populi terræ, quia Abraham obediens fuit voci meæ, & cuſtodivit mandatum meum, præcepta, ſtatuta & leges.* Iſac quoque qui ſe præbuit mactandum; nam & ipſius amor hic agnoſcendus, qui non infans fuit, ut qui geſtavit ligna ad holocauſtum, aſcendendo montem, ut veriſimile ſit eadem ætate fuiſſe qua Chriſtus, quando hoſtia factus eſt pro peccato. Martyres tempore Maccabæorum, qui ut oves mactationis fuerunt propter Deum. Pſ. 44: 23. Paulus, qui vitam ſuam non habuit pretioſam pro ſe ipſo, paratus non tantum vinciri, ſed etiam mori pro nomine Domini Jeſu. Act. 20: 24. cap. 21: 13. qui omnia putavit damnum & ſtercus, quæ olim pretioſiſſima rebatur, ut Chriſtum lucraretur & ejus cognitionem. Phil. 3: 8. ſ. qui voluit fieri anathema ut gloriam Chriſtus majorem haberet in ſalute Iſraelis totius? Rom. 9: 3. Hebræi, qui non tantum communionem & ſympathiam habuerunt cum patientibus, ſed ipſi multa paſſi ſunt, per ignominias & afflictiones facti ſpectaculum & ſpoliationem bonorum cum gaudio ferentes. Heb. 10. verſ. 32. ſ. Iſraelitæ ad tabernaculum, David & populus omnis ad templum conferentes, Macedonii ſemetipſos, Deo, & ſupra poſſe ſua in contributiones ſanctorum dantes 2 Cor. 8.

Aſt quam parum iſtud apud nos. Amor magnus ut, Cant 8: 6, 7. eſt manifeſtus, ſed mundi, rerumque mundanarum; Unde defectus amoris Dei, imo odium ejus concludendum. Jac. 4: 4. 1 Joh. 2: 15, 16. Honorandus Deus de facultatibus, neque cohibendum bonum à Domino ſuo, quando in poteſtate manus eſt, & Deus poſtulat ut ſibi in pauperibus mutuo detur. Prov. 3: 9--27. ſ. cap. 19: 17. quemadmodum Chriſtus ſibi præſtitum vel negatum in illis dicit. Mat. 25: 35. ſ. & quam malus ſæpe oculus & malum cor, ut non detur. Deut. 15: 9, 10. Quod ſi parte aliqua cedere grave dum maxima retinetur, quomodo perſuadebitur ut omnibus cedatur, propter Deum ejuſque Euangelium? Quomodo odiſſent corpus & vitam propriam ob amorem Dei, cui ille non perſuadet ut ullam cupiditatem, belligerantem contra animam deſerant, ut ullum membrum terrenum necent, ut ullum inſtrumentum peccati deponant. Jubeat quicquam peccatum, anima meditatur obſequium, corpus ſe ſiſtit expeditum, nihil eſt in facultatibus quod non impendere parati ſint. Jubeat aliquid Deus, vel nihil fit, vel adeo parce, & tarde, ut metu potius extortum appareat, quam ex amore ſuſceptum. Nimis verum. Mat. 6: 24. non habet Deus amorem, quem non totum habet. Adeoque hic opera danda ut præſtemus iſtum amorem. Sed hic quæritur, an talis amor Dei poſſibilis ſit? Reſp. Sub hoc prætextu negligitur, quia deſperant ad ſummum gradum perveniri poſſe. Sed quia Salomonis ſapientiam & divitias aſſequi nequis, an nihil earum parare vis? Petrus rogatus num plus diligeret quam

alii?

alii? dixit, *Domine ſcis quod te diligam.* Joh. 21: 15. ſed non ſunt impoſſibilia, unicus Joſia eſt, de quo Scriptura talem converſionem affirmat. 2 Reg. 23: 25. ante ipſum non fuit rex ipſi ſimilis, qui ſe toto corde ſuo, & tota anima ſua, & toto poſſe ſuo ſecundum omnem legem Moſis converterat, & poſt ipſum non ſurrexit ipſi ſimilis. Impoſſibile quidem omnino ex propriis viribus; natura ſumus inimici Dei. Rom. 5: 10. Col. 1: 21. oſores Dei. Rom. cap. 1: 28. Verum agitur de fœderatis Dei? Deus poſcit ab illis. Et quod poſcit deſcribitur. 1 Joh. 5: 3. Mat. 11: 29, 20. *recipite jugum meum*, &c. Et quomodo? non ex nobis, ſed per fidem. Marc. 9: 23. *omnia poſſibilia credenti.* 1 Joh. 5: 4. *hæc eſt victoria quæ vincit mundum*, (adeoque & amorem mundi) *fides noſtra.* Etenim fides utitur non hominis, ſed Dei robore. Chriſtus per fidem in piis vivit. Gal. 2: 20. & per Chriſtum robur dantem omnia poſſunt. Phil. 4: 13. hujus gratia ſufficiens. 2 Cor. 12: 9. ſine ipſo nihil, per ipſum omnia valent. Joh. 15: 5-7. Hoſ. 14: 9. Deus operantibus ipſis operatur. Heb. 13: 21. Phil. 2: 12, 13. qui inchoat bonum opus & conſummat in diem Jeſu Chriſti, ut pleni ſint fructibus juſtitiæ, qui per Jeſum Chriſtum ſunt ad gloriam & laudem Dei. Phil. 1: 6—11. qui non poſt mortem, ſed ante eum debent eſſe producti; nam cap. 11: 3. *uti arbor cadit, ſic erit.* 2 Cor. 5: 10. Joh. 4: 16, 17. Sanctificationem conſummat Deus. 1 Theſ. 5: 23. & conſummant fideles. 2 Cor. 7: 4. Sed quod rem conficit eſt. Deut. cap. 30: 6. ſi non fiat vel pœnitentia eſt apud Deum, vel impotentia, & utroque modo mendacium, contra. 1 Sam. cap. 15: 29. ſic Jer. 32: 39, 40. Ezech. 36: 27. quæ beneficia novi fœderis. Agi hic tantum dicitur de ſinceritate, & perfectione partium, non graduum, ſed infinitum gradu amorem à finitis creaturis Deus non poſcit, nec poſcere poteſt, tum quod poſcit, qualecunque ſit, id promittit. Deut. 6: 5. cap. 3: 6. & quod ipſe operari vult ad modum præſcriptum, illud utique aſſequitur. Zach. 8: 10. Atqui iſte amor hodie deeſt? Nimis id verum, ſed id vitio noſtro. 1. ob immanentiam & prævalentiam carnis, hæc facit impotentes. Rom. 5: 6. cap. 8: 3. Eſt hoc opus novi hominis, qui nec peccat, nec poteſt peccare. 1 Joh. 3: 9. ſed nos magis nos præbemus veteri homini, quam novo gubernandos. Joſias conſecutus cor molle ad reſipiſcentiam hoc præſtitit. 2 Reg. 23: 25. II. ob defectum fidei: non potuit propterea Chriſtus virtutes edere. Marc. 6: 5. & ſic quoque nec hanc, fit nobis ſecundum fidem noſtram. Spiritus Sanctus effundit amorem in corda, & hunc accipimus per fidem. Rom. 5: 5. Gal. 3. 14. Jus legis impletur in iis qui ſecundum Spiritum non ſecundum carnem ambulant. Rom. 8: 4. Petendum ut Deus augeat nobis fidem. Luc. 17: 5. Chriſtus, qui utique precari docuit ſecundum voluntatem Dei, (ubi fiducia exauditionis. 1 Joh. 5: 14.) ſic docuit, *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlis* (ab Angelis qui Deum rite amant. Pſ. 103: 21. ſ.) *ſic etiam in terris*, ab hominibus; utique viventibus. Mat. 6: 10. Quod ſi non in vita, ſaltem in articulo mortis confieri debet, aut per totam vitam fruſtra nos precari Chriſtus docuit. Sed interior homo ſemper amat Deum, & quantum prævalet tantum facit delectari lege Dei. Rom. 7: 22. & ei ſervire, verſ. 26. & hoc eſt amare Deum. Sic vero felicitatis ſecuritas. Proverb. 8: 17—20, 21. Pſ. 91: 14. ſ. Quare Pſ. 97: 10. ſ. *amantes Deum, odio habete malum: cuſtodit animas benignorum ſuorum, & eripit è manu impiorum. Lux ſata eſt juſtis, & lætitia integris corde. Vos juſti, gaudete in Domino, & dicite laudem memoriæ ſanctitatis ejus.*

Verſ. 6. *Et erunt verba iſta quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo.*

ב. Sequntur *Facienda.* Diximus enim Moſen indicare quomodo excipienda ſit prima declaratio Dei de ſeipſo, *Ego Jehova Elohim tuus*; ſcilicet reſpondendum eſt, mente & corde: Mente cognoſcente per fidem quis & qualis ſit; corde amplectente amore integerrimo. Verum non putavit ſufficere iſtud indicium, niſi illico docuiſſet quid ad conſtantiam hujus officii faciendum ſit, ut eo modo excipere Dei oblationem non negligant. Tria vero ſunt quæ hoc fine commendat, Exercitium Cordis, Oris, & externi Operis. Illud verſ. 6. iſtud verſ. 7. hoc verſ. 8, 9.

a. *Cordis* exercitium. *Et erunt verba iſta, quæ ego hodie tibi præcipio, ſuper corde tuo.* Valet quidem de omnibus aliis, quoque mandatis, quæ porro declaraturus erat, veruntamen potiſſimum de modo indicatis, quæ cognitionem & amorem Dei habent, quamvis quicquid aliorum eſt ad amorem Dei revocari poſſit & debeat, utpote qui fons eſt omnis genuini obſequii. Objectum proinde aliud non eſt, quam duo illa capita credendorum & faciendorum; actus primus circa illa, pertinens ad conſtantiam exercitii eſt Cordis, ejusque meditatio. Quemadmodum verſ. 5. ita & hîc Cordis nomine Anima intelligitur, ejuſque facultates, regimen habens totius hominis, cum decernat omnem motum corporis voluntarium, cujus proinde prima debet eſſe cura. Prov. 4: 23. *Cuſtodi cor tuum ſuper omne quod cuſtodiendum eſt, nam inde ſunt egreſſus vitæ.* Eſt enim cor ſeu anima in continuo motu; ut autem occupetur circa aliquid quod ad vitam faciat, debet fieri quod hic commendatur, ut verba iſta ſint ſuper cor, ut jugis ſint materia meditationis, quo cognoſcatur & obſervetur norma iis comprehenſa. Hoc eſt opus fœderatorum Dei, qui ſic ab ipſomet deſcribuntur. Eſa. 51: 7. Deus eſt ſpiritus, & qui eum colunt in ſpiritu & veritate eum colere debent; adeoque primum ſpiritus ipſi ſiſtendus ad obſequium, qui regulam obſequii accepiſſe, & ſervare debet. Job. 22: 21. ſ. Etenim ubi cor hanc normam habet, & ſequitur, (alioqui non habet normam,) non deeſt obſequium. Pſ. 37. 31. Lex Dei ſui in corde ejus eſt, greſſus ejus non vacillabunt.

Heic vero primus maximuſque defectus occurrit. Cor aliorſum verſum eſt. Uti Gen. 6: 5. ita Eſa. 59: 13. aut accipiunt verba & leges mundi & principis ejus, quæ conjunguntur Eph. 2: 2, 3. Sic fit ut verba Dei locum in corde vel non inveniant conſtantem: ut ſit illud vel inſtar viæ publicæ, ubi ſemen nequit ſubire, ſed ab avibus rapitur qui oblivioſi auditores; vel inſtar terræ petroſæ, aut ſpinis tribuliſque obſitæ, ubi ſemen receptum nequit excreſcere, qui pœnitentes auditores, qualis Demas. Proinde primum amovenda impedimenta, & parandum cor. Jer. 4: 3, 4. & verſ. 14. lava cor tuum à malitia Hieroſolyma, ut ſerveris: quamdiu cogitationes vanitatis tuæ in medio tui pernoctabunt? Caveri nequit ut cogitatio vanitatis non ingrediatur cor, non magis quam cavere quis poteſt, ne avis ſupervolet ſupra caput, patentibus omnibus undique feneſtris; & ſic ſenſibus corporis: ſed cavendum omnino eſt, uti ne aves in capite nidulentur, ita ne illæ cogitationes hoſpitium commorandi inveniant, aut etiam domeſticæ fiant, illico ejiciendæ rurſus ſunt, & quæcunque reliquerunt veſtigia, ut fimus avium, abolenda, eluendæ ſordes omnes; atque tunc quantum potes curandum, ne denuo ingrediantur obſeptis fœdere aliquo oculis ut Job. 31: 1. Nam ſi mundatum fuerit cor, & non cuſtoditum, ſpiritus immundus redit, & comitatus ſeptem pejoribus occupat, & in pejorem conditionem conjicit Matt. 12: 44. ſ. Quod ut caveatur voluptas debet eſſe in verbis Dei. Pſ. 1: 1, 2. non ambulat in conſilio impiorum, nedum conſiſtit in via peccatorum, nedum ſedet in conſeſſu irriſorum; & unde id fit? *Voluptas ejus eſt in lege Domini*, hinc iſta omnia ſordent, & cordis meditatio occupatur in Dei lege. Sic Chriſtus Pſ. 40: 9. *voluntatem habeo, ut faciam voluntatem tuam, & lex tua eſt in medio viſcerum meorum.* Sic David Pſ. 119. v. 97-111, 112. Nequit quis meditari legem Dei cum delectatione, & contrarium facere, verſ. 6. Quemadmodum meditatio præſentiæ Dei cohibere poteſt à peccato, ita quoque legis Dei; neque enim hanc ſine meditatione legiſlatoris quis meditari poteſt: cujus autoritas ſola obligationem affert. Meditatio facit familiarem legem Dei; unde Davidi ſapientia major quam præceptoribus, Senioribus, hoſtibus, Pſ. 119: 97. ſ. Quod felicitatis eſt, Pſal. 84: 6. *beati in quorum corde ſunt viæ tritæ.* Lex Dei via eſt quia norma ambulandi, & ignorantes legis, ſunt ignorantes viæ Jer. 5: 4. verum meditantibus non tantum viæ illæ adſunt, ſed ob continuam meditationem tritæ ſunt in quibus cogitationes ultro citroque commeant. Suntque uti notiſſimæ ita faciles & ſuaviſſimæ. O ſi hoc inter nos obtineret! Orandus Deus, Pſ. 119: 36. Pſ. 141: 4. & inprimis

ut faciat ex fœderali promiſſione, Jer. 31: 33. & Ezech. cap. 36: 27. Si & lex & doctor legis detur, non tantum cor erit θεοδίδακτον, ſed etiam περιτμητον, ut quod didicit, & loquatur, & faciat.

Verſ. 7. *Eaque acute ingeres filiis tuis, ac loqueris de eis quum ſedes domi tuæ, & quum ambulas per viam, quum cubas, & quum ſurgis;*

b. Exercitium *Oris* eſt, verſ. 7. ubi Quid, apud Quos, Quando agendum.

a. *Quid* eſt ſermo de hiſce verbis, ſed quia cohæret cum verſu præcedenti ſermo radicatus, ut ex corde procedat. Sunt qui loquuntur de ſtatutis Dei, quos Deus eo nomine reprehendit Pſ. 50: 16, 17. verba Dei abjecta pone tergum cum os ea enarraret. Debet hic ex plenitudine cordis loqui os, & ex illius theſauro bona iſta verba proferri. Matt. cap. 12: 34. ſ. Hinc Joſ. 1: 8. *Liber hujus legis non recedat ab ore tuo, ſed meditare illam interdiu & noctu;* ut loqui jugiter queas, jugiter meditanda ea eſt. Meditatio facit ferventem, ut continere ſe nequeat, quo minus eloquatur. Pſ. 39: 4. & Pſ. 40: 9, 10. *lex tua in medio viſcerum meorum eſt.* Col. 3: 16. Pſ. 119. cum conſtans eſſet in meditatione, non fuit parcus in ſermone, & privatim, verſ. 54. & publice, verſ. 46. ſed quid illud, *& non erubeſcam?* fuitne pudendus iſtiuſmodi ſermo? Apparet etiam tunc deridiculo fuiſſe multis ſermones religioſos. Scilicet uti nunc quoque plurimis faſtidio ſunt. De rebus ſecularibus grata ſunt colloquia, qualia nemo recte reprehendat ſuo tempore habita; multis vero gratiora, quæ habent Eph. 4. 29. cap. 5: 4. Aſt de rebus Dei & S. Scriptura tædioſum, odioſum eſt. Sane Apoſtoſtoli quibuſdam propterea videbantur muſto ebrii Act. 2. verſ. 13. & Paulus Athenienſibus nonnullis fuit deridiculo cap. 17: 32. Quando ſalutaris aqua de novo ſcaturit, commendabile quid eſt, multo magis quando cor eructat verba ſalutaria, Pſ. 45: 2. ad ædificationem utilem Eph. 4. verſ. 29. ut lingua ſit arbor vitæ Prov. 15: 4. ut vitam fruentibus miniſtret.

b. *Apud quos* dicit, *liberos tuos*, Sic dixit Deut. 4: 9, 10. ſic cap. 11: 19. Sæpius idem mandatur, Pſ. 78: 5. ſ. Exemplum in Abrahamo à Deo laudatum Gen. 18: 19. mandabit ceu teſtamentaria diſpoſitione poſt mortem valitura quod verbo צוה indicatur 2 Sam. 17: 23. 2 Reg. 20: 1. quæ inſtitutio efficax admodum; & ſic hic שנן acues; quemadmodum ſagitta aut gladius attritu multo acuitur, ſic quoque crebra repetitione doctrina, quod alia phraſi expreſſit Salomo Eccl. 12: 11. *Verba Sapientum ſunt ut ſtimuli, & ut clavi, implantati, alte adacti à magiſtris congregationum quæ tradita ſunt ab uno paſtore.* Et ſane quid liberis excellentius relinqui poteſt? Jer. 9: 23, 24. Hæreditas ea eſt optima, de qua gloriari licet; ſed hic nullo loco ſunt ſapientia, potentia, opes, conjungantur iſta omnia, & poſſideat quis mundum univerſum, animæ tamen factura poteſt contingere, imo continget certiſſime, niſi cognitionis divinæ parata fuerit poſſeſſio. Parentes tenentur theſauros congregare liberis 2 Cor. 12: 14. etiam ad vitæ temporalis commodum ut honeſtæ alicui vocationi eos paraverint, & innutriverint, Prov. 22: 6. ſed inprimis illos, qui nec tineis, nec rubigini obnoxii ſunt, neque à furibus rapi poſſunt Matt. 6: 20. quos quidem in cognitione Dei invenire eſt. Hæc eſt enim vita æterna. Joh. 17. verſ. 3.

c. *Quando* illud eſt, *cum ſedes in domo, ambulas in via, decumbis, aut ſurgis.* Idem repetitur Deut. 11: 19. Deſignantur omnia tempora quibus vigilant homines, ut diei initium ſic occupetur, & pariter ejus finis, & intermedium tempus domi foriſque, quoties ſcilicet cum liberis agunt parentes. Omnis oportunitas huc referenda eſt. 2 Tim. 4. verſ. 2. ſic quoque parentibus faciendum, ceu domeſticis concionatoribus. Eph. 6: 4. educandi liberi in doctrina & exhortatione Domini: atqui nulla tempora ſunt, quibus educatione abſtinendum ſit. Timotheus à pueris ſacras literas norat, & hoc debebat aviæ Loidi, & matri Eunicæ 2 Tim. 1: 5. cap. 3: 15. Quatuor illa tempora ſunt occaſiones captatæ, quando otiantur homines; ne quis vocationis exercitio præreptum queratur tempus, ut quod otio tribuitur huc convertendum ſit, & ſic redimendum tempus, & voluptati tribuendum religioſæ, quod alii carni & mundo impendunt. Luc. 10: 42. Unum eſt neceſſarium, & hoc ut diſcant liberi urgendum, ne vel parentes antequam docuerint, vel liberi antequam didicerint moriantur, & culpam neglectus contrahant. Solent infantibus in tenera ætate cum induuntur vel exuuntur fabulas mendaces recitare, & cantilenas vanas accinere; recitandæ ipſis potius hiſtoriæ Biblicæ, & edocendæ ſententiæ; accinendi pſalmi, ut innutriantur cognitioni veritatis ſecundum pietatem, & cum Joſia inde à teneris diſcant quæ ſalutaria animæ, ut ſi quando in pueritia moriantur, inveniatur tamen aliquid in ipſis boni coram Domino Deo noſtro, ut in filio Jeroboami. 1 Reg. 14: 13. ſcilicet quod Deus operatus eſt, cooperantibus parentibus, 1 Cor. 3: 9.

Verſ. 8. *Etiam alligabis ea in ſignum manui tuæ, & erunt pro frontalibus inter oculos tuos:*

Verſ. 9. *Denique inſcribes ea poſtibus domus tuæ, & portis tuis.*

C. Exercitium externi *Operis* eſt, verſ. 8, 9. *Et alligabis ea in ſignum manui tuæ: & in frontale inter oculos tuos, & ſcribes ſuper poſtibus domus tuæ, & in portis tuis.* Jubet fieri ſigna memorialia, quæ dextræ, fronti, & foribus ædium urbiumve apponantur. Judæi hinc habent ex corio mundo confectum quid, cujus cavitati inſerunt hæc & alia quædam dicta. Exod. 13: 1-10-11-16. Deut. 6: 4-9-11-13 --21. quod tempore precum alligant brachio dextro, & fronti: quemadmodum etiam omnibus oſtiis ſchedulam ad poſtem dextrum inſerunt. Magna hic eſt Judæorum ſuperſtitio, & de conficiendis geſtandiſque iis multa præcipiunt, efficaciam ſingularem iis adſcribentes. Servator mentionem facit. Mat. 23: 5. Non improbat factum ipſum, ſed facti modum & finem. Factum autoritatem habebat à Deo, tum *Tephillin*, hoc loco, tum *Zizith*. Deut. 22: 12. Num. 15: 38. *Dic filiis Iſraelis, ut faciant ſibi filamenta in angulis veſtium per generationes ſuas, & filamentis illis ſuperaddant filum cæruleum; & hoc filum erit ſuper filamentis ut illud intuentes recordemini omnium præceptorum Domini & ea faciatis, &c. ut recordemini & faciatis omnia mea præcepta, & Deo veſtro ſancti ſitis, &c.* Hoc non damnat Chriſtus; ſed damnat modum, quod ligamenta Tephillin grandiora haberent, & latiora illa filamenta, quam Deus præſcripſerat, & finem, qui erat, ut ab hominibus ſpectarentur, & laudarentur; quomodo etiam ſuas eleemoſynas, preces, jejunia agebant, quamobrem mercedem ſuam conſecuti dicuntur. Mat. 6: 1. ſ. neque enim aliud quid quam ab hominibus exſpectandum habebant, qui hominum captabant gloriam: manent tamen bonæ actiones, & exercendæ eleemoſyna, preces, jejunia. Sic quoque Tephillin, Zizith, Mezuzoth quæ nihil typici in ſe habent, ſed ſolis Iſraelitis imperata ſunt.

Enimvero: hinc diſcimus rationem divini ritus, Dicitur *Signum*, non quod ſit res ipſa, ſed rei ſignificativum, & quidem uti de Zizith dicitur, *memoriale*: qui finis quoque S. Cœnæ, *ad mei recordationem id facite.* Autor Deus, hic ordinavit. Equidem ſunt quædam memorialia inſtitutionis humanæ. Gen. 32: 32. ſed ea non niſi humanam vim habent, & obligationem; & ſi cultus opinio accedat, vitioſa ſunt ἐθελοθρησκεια. Heic Dei juſſum eſt, cui obſequium debetur. Alligatio illorum phylacteriorum in manu & ad frontem, ut inter oculos pendeant, & liminalium, pertinebat ad viſum, ut hoc ſpectaculo monerentur de præceptis divinis. Inprimis in Zizith, ubi nulla dicta Scripturæ, ſed filamenta candida, quæ puritatem præceptorum, & filum cæruleum, quod cœleſtem originem indicaret. Intuitus debuit oculos & cogitationes vagantes revocare ad meditationem præceptorum divinorum, quibus vi fœderis obſequium debebant. Sic teſtabantur contra eos iſtæ appendices veſtium, & poſtium; ſive ingrederentur ſive egrederentur, habebant monitorem obſequii, ubicunque agerent;

rent vigilantes. Eſt hoc familiare admodum obliviſci Dei, & præceptorum ejus; Omnia peccata in indice illo. Ezech. 22: 12. ex hoc fonte manant, *Et mei oblita fuiſti*, & Eſa. 57: 11. Memoria Dei ſancienda eſt. Pontificii contra mandatum Dei, conſtituunt imagines, ſimiliaque, memorialia non ſibi, ſed Deo, quæ recordari faciunt peccatum, quod de Miſſæ ſacrificio recte dicitur. Deus nihil per picturam agit, ſed filamentis & eorum colore; ſed dictis, & inprimis Symbolo iſto commonefieri voluit. Nobis non iſta, ſed aliud conceſſit ſignum mortis Chriſti, in S. Cœna; hoc uſurpemus ex ejus præſcripto non ad hominum ſpectaculum, ſed ad obſequium Deo, & poterit idem præſtare quod hic. 1 Cor. 5: 14, 15. Sic ſi cogitemus, habebimus monitorem obſequii, & incitamentum amoris erga Chriſtum.

Verſ 10. *Quum autem* hoc *evenerit, quum introduxerit te Jehova Deus tuus in terram quam juramento promiſit majoribus tuis, Abrahamo, Jitzchako, Jahakobo ſe daturum tibi* in *civitates maximas & optimas quas non ædificaſti.*

Verſ. 11. *Et* in *domos plenas omni bono quas non impleviſti; & ad ciſternas effoſſas quas non effodiſti*, ad *vineas & oliveta quæ non plantaſti: & comedens ſaturatus fueris:*

Verſ. 12. *Cave tibi ne obliviſcaris Jehovæ, qui eduxit te è terra Ægypti è domo ſervorum.*

Heb. 6: 17. *Deus voluit hæredibus promiſſionis abundantius probare immutabilitatem ſui conſilii.* Quos dignatus eſt fœderibus promiſſionis, ut hæredes eſſent illarum, non ſatis habuit conſilium ſuum aperire externo verbo, quamquam illud abunde firmitudinis haberet, cum eſſet Dei immutabilis etiam in verbis ſuis, ſed inſuper addidit documenta alia, quæ ſecuritatem ipſis augerent. Illa ſunt vel verborum, ut in jurejurando: nunquam iſtud adhibet Deus, niſi quando eſt conſilium immutabile confirmandum; nam juramentum quoque irrevocabile eſt. Eſa. 45: 23. Pſ. 110: 4. vel rerum, ut in beneficiis prioribus. Gen. 15: 7. *Ego ſum Dominus qui te eduxi ex Ur Chaldæorum, ut darem tibi hanc terram hæreditario poſſidendam.* Prius beneficium, hoc fine datum, poſterioris fuit pignus. Ibid. verſ. 13. ſ. ſemen ejus terræ egreſſurum & in aliena terra peregrinaturum dixit, duramque ſervitutem ſerviturum, ſed inde à ſe liberatum iri magnis hoſtium judiciis, in ſecuritatem reditus in Cananæam. Iſta liberatio pignus ſit cæterorum beneficiorum. Sane cum Deus fœdus iniret cum Iſraele, quando propoſuit quid à ſua præſtiturus eſſet parte, ſecuritatis ergo appoſuit beneficium iſtud liberationis ex Ægypto. Ego Jehova Elohim tuus, qui te &c. quod quidem tanti momenti eſt, ut valere doceat etiamnum, ad extremam uſque reſtitutionem, Lev. 26: 45. Vindiciæ illæ populi miraculoſæ, coram mundo univerſo exercitæ, produnt conſilium Dei immutabile de hoc populo in peculium adſciſcendo, adeoque erit Deo populus tandem, qui Deus veritatis. Moſes ergo qui Iſraelem inſtituit quomodo excipienda eſſent Dei de ſe promittentis verba, non tantum monuit quid faciendum eſſet reſpectu verborum Dei, nempe ut crederent eſſe Jehovam Elohim, Jehovam unum, Unum eſſentia Deum, perſonis trinum, citra unius eſſentiæ multiplicationem, eundemque Eſſentiatorem & rectorem ſummum, & quod potiſſimum hic, fœdere gratioſo, in quo conficiendo omnes perſonæ Deitatis collaborarint, ſibi conjunctum: atque ut hunc Deum ita agnitum amarent, in ejus fruitione conſummatam voluptatem ſtatuentes. Suaſitque quæ ad conſtantiam iſtius fidei & amoris facerent, meditationem cordis, ſermonem oris, & mnemoſyna oculis ſe jugiter ingeſtura.

B. Verum inſuper quod Deus ad ſecuritatem commendavit, ejus quoque *Memoriam* juſſit eſſe perpetuam. Facit iſtud, verſ. 10--12. atque ſic progreditur ad declarationem officiorum ab Iſraele poſtulatorum, præcepto primo verſ. 13. ſeq. tandemque redit ad iſtam memoriam liberationis ex Ægypto verſ. 20. ſeq. Connexio eſt materiæ magis quam verborum. Commendarat quæ conſtantiam amoris & obſequii juvarent, meditationem, ſermocinationem, & ſignorum geſtationem. Nunc aliud mnemoſynon commendat, priſcorum beneficiorum recordationem. Pſ. 111: 4,5. Teſtimonium eſt magnæ miſericordiæ, ſic ſuccurrere memoriæ; ut undique adſint monitores. Induenti & exuenti ſe occurrebant Tephillin & Zizith: hæc quoque ambulanti: exeunti & ingredienti Mezuzoth; ſed meditanti facta Dei priora & inprimis magni iſtius vindicationis ex Ægypto.

Memoria beneficii iſtius imperatur, verſ. 12. ſed promittitur.

ℵ. *Deſcriptio* ipſorum ab ejuſmodi conditione, quæ memoriam erat exſtinctura, non tamen aliter quam vitio ipſorum, verſ. 10, 11. *Conditio* illa eſt magnæ felicitatis externæ. Ea deſcribitur ab impetrata Poſſeſſione, & Fruitione.

a. *Poſſeſſio* eſt *Et erit quando Dominus*, &c. ubi Autor, Impulſiva, Res poſſeſſæ.

Autor eſt *Dominus Deus tuus:* Eſſentiator & Rector omnium, tibi fœdere junctus. Eſſentiatorem agnoſcendum habebant non tantum quia terram incolendam, & homines incolituros omnipotente ſua virtute produxit. Jer. 27. verſ. 5. & Rectorem, qui diſtribueret hominibus ibid. & Act 17: 25, 26. ſed etiam Eſſentiatorem & Rectorem qua ipſis fœderatus. Rectorem quidem. Deut. 32: 8, 9. Delegerat in ſuo decreto ſemen Abrahami Iſaac & Jacobi ſibi in peculium, antequam ullus ipſorum eſſet, & propterea cum Orbem univerſum hominibus diſtribueret, diſpexit portionem aliquam terræ, quam incoleret ille populus peculii, optimum omnino decus univerſæ terræ Ezech. 20: 6. atque ut interea coleretur, tantiſper aſſignavit illis nationibus, quæ erant exterminandæ, poſteritati Canaanis, maledicti à Noacho, Porro in ea exterminatione Cananæorum Judicem ſe oſtendit juſtiſſimum, ne ſuis gratioſum contra alios iniquum criminarentur: nam Gen. 15: 13. ſ. Abrahami nepotem terra exiturum ad tempus ait, annis 400 enim finitis demum immittendos in poſſeſſionem, nam iniquitas Amoræorum nondum completa eſt. Compleverant menſuram ſuam ſubito Sodomitæ & vicinæ gentes, fueruntque exterminatæ Ezech. 16: 50. ſed cæteri lentius progreſſi ſunt ad eam impietatem, & Deus longanimiter eos toleravit ad præfinitum tempus. Hinc Deut. 9: 5. *Non propter juſtitiam veſtram* &c. Cujuſmodi judicium Deus quoque contra Pharaonem & Ægyptios exercuit. Eſſentiatorem quoque, nam Omnipotentiam creatricem probavit, dum crabrones produxit, quibus oppugnavit & expugnavit hoſtes Exod. 23: 28. Joſ. 24: 12. ſic quando grandes lapides grandinis immiſit, & necavit eos, Joſ. 10: 11. Sole inſuper & Luna conſiſtentibus, ut duplicaretur dies & commoditatem daret perſequendis hoſtibus. Sic quando ſtellæ vel angeli pugnarunt pro Iſraele Jud. 5: 20. & hoſtes ipſi mutuum ſe confecerunt cap. 7: 22. Prædicat iſtud Eccleſia Pſ. 44: 3, 4.

Profecto Belgium id quoque aliquatenus habet agnoſcendum. Non quidem introduxit Deus Belgas in terram alienam, ſed cum alienanda videretur, & ipſi per tyrannidem libertate omni, & per inquiſitionem Hiſpanicam veritate Euangelica arcendi aut ſpoliandi, adeoque eradicandi ex terra; quia fœdus gratiæ publicarat; & acceptationem ejus operatus erat, oſtendit ſeſe Judicem, qui judicavit hoſtes ſuos, & fregit ipſorum potentiam, & tot eis excitavit inimicos, ut cum Monarchiam Europæ affectarent antea, nunc ſpolientur undique. Oſtendit ſeſe eſſentiatorem, qui exiguis imo nullis copiis noſtris eouſque benedixit, ut valuerint ad reſiſtendum & vincendum potentem hoſtem, ut amici conciliati fuerint, qui juvarent; ut auxerit divitiis, feceritque famoſos in Europa, imo in orbe univerſo.

b. *Impulſiva* eſt *jusjurandum Ab. Iſ. & Jacobo dictum*, de dan-

danda posteris eorum terra. Crebro hujus juramenti fit mentio in sacris, Deut. 7: 8. cap. 8: 1. cap. 9: 5. inprimis Psal. 105: 8. s. ubi synonyma fiunt fœdus & juramentum, quia juratum fœdus est, & illud semper terræ mentionem habet, Gen. 22: 13. 15. 17. 26. 28. Juramentum istud immutabile est. Heb. 6: 18. qui non fallit in verbis, multo minus in juramentis. Et hac de causa restitutio quoque terræ necessaria est. Recordatio fœderis cum Ab. Is. & Jacob conjuncta est cum recordatione terræ. Lev. 26: 42. & loquitur istic de ultima restitutione: novoque juramento roborat. Deut. 32: 40--43. post judicia omnia, quæ vocationem gentium secuta sunt, ait, *Levo manum meam cœlum versus & dico, Vita ego in seculum, vindictam exercebo contra hostes meos, Vos gentes facite jubilare populum ipsius, nam vindicabit sanguinem servorum suorum, & expiabit terram suam, populumque suum.* Sic Ezech. 36: 7. s. quo tempore Deus reductos Israelitas donare vult mundatos puris aquis, corde novo & spiritu novo; imo spiritu suo, efficaciter operaturo ad obedientiam; & habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris, & eritis mihi in populum & ero vobis in Deum. Veteris vero juramenti memoriam quoque habet. Ezech. 47: 14. (æquis portionibus) Veritas ergo Dei jurejurando roborata causa est dandæ possessionis. Si ipsosmet Israelitas intuitus esset, nunquam quicquam obtinuissent. Deut. 9. neque obtinerent. Ezech. cap. 36. Sed Deus spectat semetipsum. Nam Mal. 3: 6. quod uti olim, etiam nunc valere debet: unde 1 Sam. 15. vers. 29. *Netzach Israelis*, &c. Rom. 11: 29. Nihil in hominibus cur eos amare debeat, & pariter cur in amore perseveret. Sed Deus non facit quicquam pœnitendum, qui potens est omnia removere impedimenta, & sibi cuncta reddere obsequentissima.

Non habemus juratam promissionem de patria terrestri retinenda, aut recuperanda. Verum habemus de cœlesti. Abrahamus fœdere constitutus pater exemplaris multitudinis gentium, & ei dictum, cum jussus fuit intueri cœlum & numerare stellas. Hic & sic erit semen tuum; unde ipse exspectavit civitatem fundamentum habentem cujus structor Deus, & cœlestem patriam. Heb. 11: 10-16. Hæc patria nobis quoque si incedamus per vestigia fidei Patris Abrahami, promissa est. 2 Cor. 5: 1. Quamvis in terra semper peregrinorum instar habeamur, & nusquam certam reperiamus sedem, tamen politeuma nostrum in cœlis est, regnum immobile, hæreditas immarcessibilis, quæ servatur in cœlis nobis, & nos robore Dei custodimur illi. 1 Petrus 1: 4, 5. Sane si nos ipsos attendamus parum fiduciæ nobis esse potest: sed si Deum, indubia. Tit. 1: 2. spes vitæ æternæ, quam Deus ἀψευδὴς promisit ante tempora secularia. Adeoque omnia serviunt attributa veritati divinæ. Ps. 138: 2. Vincit omnes creaturas, vincit etiam reatus & corruptiones nostras, ut perducat ad destinatum finem. Hos. 13: 14. Quin etiam temporalem habitationem dabit, quia dixit non deseram, nec derelinquam te. Heb. cap. 13: 5. pietas enim etiam præsentis vitæ promissa habet. Res promissæ sunt in genere terra, in specie urbes magnæ & bonæ, domus plenæ suppellectile, putei, vineæ & oliveta, circa quæ omnia nihil laborarant. Ita Deus Cananæos fecerat servos Israeli, ut, quæcunque ceu mancipia pararant multis annis, inde à donatione, istis paraverint. Sola Jericho fuit excisa, & omnia ejus bona anathemati subjecta: verum cætera omnia servata sunt, solis hominibus internecione delendis. Fuit hoc beneficium soli Israeli præstitum, prout peculium fuit Dei. Verum possumus id nobis applicare respectu præsentis conditionis. Quæ possidemus in iis parum laboravimus ipsi, sed alii ante nos & pro nobis, quam habemus Remp. quas urbes, agros commoda populi, non nos paravimus; sed Deus parentibus nostris hac parte adfuit sua benedictione, ut ex conditione servili, aut huic proxima, in libertatem magnam fuerint educti, & nobis ea bona parta concessit. Non debent vilia bona censeri, quæ nos ipsi non paravimus, non magis quam hæreditas opima alia, quam tanto magis æstimant, quanto facilius, citra laborem, sudorem, sollicitudinem ad nos pervenit. Non nisi hæreditaria sunt quæ commemoro, & quæ uti sine nostro labore consecuti sumus, ita quoque curandum foret ut ad posteros nostros quoque pervenirent.

C. *Fruitio* est, vers. 11. *Et comederis & satiatus fueris.* Multum est tantam possessionem consequi, sed majus adhuc possessis posse frui, & frui ad satietatem. Negatur nonnunquam fruitio. Eccl. 6: 12. Contra Cap. 5: 18. Negatur interdum satietas ex fruitione. Hag. 1: 6. editis, sed non ad satietatem, bibitis, sed non ad ebrietatem; vestitis vos, sed non ad calefactionem. Contra Ps. 37: 16--19. *parum quod habet justus bonum est præ abundantia multorum impiorum.* Prov. 13: 25. *justus edit ad satietatem animæ suæ.* Æstimandum utrunque beneficium, quando Deus illud concedit; ut det cibum & potum, nec non amictum, ut insuper det inde posse comedere & saturari. Nemo id magis æstimat quam pauper, qui non habet ut ventrem impleat, Luc. 15: 17. vel æger; cujus vita panem ipsum abominatur, & anima ejus desiderabilem cibum. Job. 33: 20. Ps. 107: 18. quantum bonum sit habere, & cum voluptate frui, quod sani sæpe non attendunt; quibus tamen prædicandus Deus quando implet corda cibo & lætitia Act. 14: 17. Quo facit quæ nunc imperatur.

ב. *Memoria beneficii*, vers. 12. *Cave tibi ne obliviscaris Domini qui te ex Ægypto, ex domo servitutis eduxit.* Prolixe hoc agitur. Deut. 8. quo remittimus, ubi ostendit fruitionem externæ felicitatis inducere quandoque oblivionem Dei; quasi non à Deo sed à propria industria haberent bona sua quemadmodum factum dicitur ab Israele. Deut. 32: 18. Hos. 2. cap. 13: 6. & nimis verum quoque apud nos; prosperitas fecit oblivioſos Dei. Quando quæ aguntur in vocatione prospere cedunt, solent homines suas intueri manus, quasi sua manu sibi parassent cornua, peperissent opes, vicissent hostes. Huic autem vitio opponit Moses recordationem eductionis ex Ægypto. Nam tum non poterant non meminisse Dei, & ipsi soli omnia accepta ferre. In Ægypto fuerant non solum peregrini, sed servi; premebantur duro labore, ut vix respirandi foret tempus. Moses & Aaron, qui de dimittendo populo Pharaonem compellarant, repudiati fuerunt, & aucta servitus ipsique prohibiti tandem accessu ad regem, ceu iniqua postulantes. Quot miraculis fracta Pharaonis pertinacia, & extorta tandem Israelis dimissio, qui ad extremum per mare divisum habuerunt viam Ægyptiis persequentibus in mare submersis: ubi nihil consilii aut auxilii attulerunt Israelitæ. Exod. 14: 31. Profecto istud beneficium docebat quicquid aliorum deinde successit ab eodem Deo profectum esse, qui uti asseruisset in libertatem ita quoque sustentaret, ut parto beneficio frui jugiter possent, unde illud. Hos. 12: 10. cap. 13: 4. *Ego utique Dominus Deus tuus sum inde ab Ægypto* & Hos. 11: 1. Exod. 4: 22.

Utinam nos quoque meminissemus Dei liberatoris ex servitute corporali & spirituali, abolita tyrannide inquisitionis & dominationis illegitimæ jugo. Non quidem talia miracula patravit Deus circa majores nostros, attamen quæ egit fuerunt præter spem, ut miraculo fuerimus toti mundo, Ps. 71: 7. כמופת Quod dicitur. Lev. 26: 13. *Ego Dominus Deus vester qui vos ex terra Ægyptiorum eduxi*, id nobis applicari potest, & quemadmodum non tantum corpoream sed etiam spiritualem servitutem terminavit, qui jussit ut idola Ægyptiorum abjicerent. Ezech. 16: 7. & judicia exercuit in idola illa Exod. 12: 12. Num. 33: 4. Sic quoque utraque servitute expedivit nos. Quanti æstimandum foret hoc bonum, ut sartum tectum maneret etiam posteris. Jer. 2: 20. *dicebas, Non serviam*, &c. Nunquam me aliena servitus tenebit, ut Deo soli maneat cultus utpote liberatori: Par fuit promtitudo de nulla servitute deinceps subeunda. Sed quantopere descitum est ab isto proposito, quando quæsitæ oportunitates serviendi. Loquor de servitute cupiditatum, dum membra statuuntur serva carni & cupiditatibus ejus, mundo & ejus moribus, diabolo, & ejus imperiis. 2 Pet. 2: 19. à quo quis vincitur, *ei* servus constituitur, & sic plurimos servos habet mundus & caro, inescatos, & victos, qui se expedire non possunt. Sed dantur etiam qui semetipsos vendunt, ut faciant quod malum est in oculis Domini, ut placeant novis dominis, quibus se servos constituerunt, quod Achab fecit. 1 Reg. cap. 21: 25. & Israelitæ. 2 Reg. 17: 17. Hinc vero est ut Deus cujus liberatio negligitur, fastiditur, libertate abjecta, novam instituat venditionem in manus hostium; Sic ven-

vendidit Iſraelitas oblitos Domini Dei ſui & ſervientes Baalimis & lucis, in manum Cuſchanis, ut octennio integro ei ſervierint. Jud. 3: 7, 8. & vendidit poſt in manum Jabinis. Cap. 4: 2. in manum Philiſtæorum & Ammonitarum cap. 10: 6. ſ. Juxta id quod minatus erat, Deut. 28: 47. ſ. aut quod lenius 2 Chron. 12: 8. Quam prope abfuimus ab ea conditione ante quinquennium. Hæc una urbs fuit, quam hoſtis fruſtra obſedit, cæteris cedentibus. Aſſeruit Deus noſtram libertatem; ſi nimis longum videtur meminiſſe vindicatæ olim nobis ex poteſtate Hiſpanâ: proximum eſt beneficium ſervatæ ne veniret in poteſtatem hoſtium. Non obliviſcendum Domini qui ſecunda vice liberator exſtitit, ut ſervitutem velimus eligere Ezr. 9; 13. ſ. Debitores ſumus, non carni, ut ſecundum carnem vivamus, ſed Deo, ut liberati è manu hoſtium noſtrorum, ſemper meminerimus ipſius, & propterea ei ſerviamus in juſtitia & ſanctitate coram ipſo omnibus diebus vitæ noſtræ Luc. 1: 74. ſ. Si meminerimus ipſius vindiciarum, & ei ſervierimus, ille meminerit noſtri, & non exhilarabit tantum in domo precationis ſuæ, ſed etiam in die quo peculium ſuum conficiet, ut nos ſibi totos vindicet, ſibi ſervituros in omnem æternitatem.

Inter alia quæ exprobrantur Phariſæis & Scribis à Chriſto, etiam hoc eſt quod multa aliis imperarent, quæ tamen ipſimet facere negligerent Matt. 23: 34. inſtar ſtatuarum mercurialium, indicantium quâ eundum, cum nunquam eò vel hilum promoveant ipſæmet. Non ſic egit Moſes, fidelis in domo Dei miniſter; quod aliis mandavit, ipſemet egit prior. Juſſit Iſraelem egredi ex Ægypto, & ipſe prior egreſſus eſt, dux cæterorum omnium; poſt faſtiditam ob exploratorum calumniam terram, juſſit abſtinere ingreſſu, atque tunc uti arca ita quoque ipſe caſtris non eſt egreſſus. Habemus etiam hîc exemplum, Mandavit verſ. 7. *Inculcabis filiis tuis verba quæ ego præcipio*, ut repetendo exacuantur, & firmius hæreant; atque hoc ipſum quoque egit, totus in eo ut repeteret, & inſtaret, & quicquid vitæ reſiduum erat, huic operi impenderet. Fundamenti inſtar præmiſerat formulam fœderis divini, quam Deus ipſe olim recitarat; & huic textui attemperat ſuam interpretationem. Et cum in illa formula Deus initio diceret quid à ſua parte facturus eſſet, *Ego Jehova Elohim tuus*, cujus documentum *qui te eduxi ex Ægypto, domo ſervitutis*; ipſe etiam initio docet quomodo iſtam declarationem Dei haberent excipiendam, ut crederent *Jehovam Elohim noſtrum Jehovam unum*, & ſe totos in ejus amorem effunderent; atque præſtitum ad ſui ſecuritatem beneficium liberationis ex Ægypto nunquam oblivioni darent. Sed abſolutâ hac parte uti Deus ſic & procedit ad alteram, de officiis fœderatorum hominum agentem, inde à verſ. 13. Inculcat hîc illico quæ facienda, citra evidentem connexionem: quæ tamen realis eſt, & prudentiſſima. Dixerat proximo verſu, cavendum eſſe oblivium Dei, qui ex Ægypto eduxiſſet, & commemorarat varia ſigna memorialia & actiones ſimiles, meditationem cordis, & ſermocinationem oris, & frontalia dextræque ac poſtium mnemoſyna. Arbitrari quis potuiſſet ſatisfactum eſſe memoriæ, modo ſuis tephillin & mezuzoth, nec non Zizith inſtructus incederet, ſi multum de Dei natura, fœdere & beneficiis diſſereret, quin etiam mente iſta agitaret & ſpeculando quam plurima iuvenire & aſſequi ſtuderet; de cætero vitæ inſtituendæ arbitrium ſibi eſſe relictum, ut agat quod lubet, juxta voluntatem hominum, carniſque & cupiditatum. Heic ergo occurrit Moſes, Dominum Deum tuum timebis &c. Memoria potiſſimum demonſtratur factis. Pſ. 50: 16--22. *Impio dicit Deus, quid recitas ſtatuta mea & fœdus meum aſſumis in os tuum? cum oderis eruditionem & verba mea projicias poſt tergum tuum; amans furum & ſocius adulterorum, & calumniator fratrum, machinatorque fraudum*, & ſecurus numinis & tandem eos dicit *obliviſcentes Dei*. Multa meditatio & ſermo multus, non probant memoriam requiſitam, multoque minus appendices illæ veſtium externæ. Qui hiſce inſtructiſſimi, ſiquidem maledici ſint, patratores mali vel patrantium approbatores, Deumque ſilentem ſibi credant faventem, non timentes eum quem non ſentiunt ferientem, non ſunt niſi obliviſcentes Dei, etſi in nomine Dei prophetarint, orbem ſcriptis ejuſcemodi implerint, ſiquidem ſint operarii iniquitatis, Deus eos non novit, adeoque ſunt Dei obliti, qui novit & meminit optime, qui ſui memores ſunt Mal. 3: 16. Jacobus monet Jac. 2: 18. *Tu fidem habes: oſtende fidem tuam* &c. Equidem fides, quia cordis eſt, videri nequit; profeſſio oris nonnunquam mentitur, quandoquidem etiam corde & corde loquuntur homines, aliud fingentes ore, quam habent. Sic quoque de memoria licet dicere. Actionibus vitæ demonſtrandum eſt. Pſ. 119: 5, 6. Non optat ſolum ut loqui queat de ſtatutis Dei; ſic non poſſet amoliri pudefactionem; ſed ut facere poſſit. Obſequium operis atque illud non partiale, Jac. 2: 10, 11. ſed univerſale demum facit operarium qui non erubeſcat. Simeon commendatur quod fuerit juſtus vir & Deum timens, Luc. cap. 2: 25. timor Dei facit juſtum; nam habet obſervationem mandatorum Dei, Ecl. 12: 13. Et de hoc dicunt Hebræi, hoc uſum fuiſſe apophtegmate, Eruditio non eſt principale, ſed actio Jac. 1: 23. ſ. Quare audiamus non ſolum Moſen, ſed alterum quoque magnum prophetam J. Chriſtum, quem non audiſſe rebellio eſt, à Deo vindicanda; is dicit Joh. 13: 17. *ſi hæc noveritis beati eritis ſi feceritis illa*. Hæc de connexione.

Verſ. 13. *Jehovam Deum tuum timeto, & ipſum colito, ac per nomen ejus jurato.*

Hunc verſ. 13. quod attinet, quidam cenſent ſummam continere trium præceptorum primi, ſecundi & tertii, ſed ut ſimul explicationem eorundem exhibeat. Enunciata illa ſunt negative, non habebis Deos alienos; non coles ſculptile, non ſumes in vanum nomen Domini. Imaginari quis ſibi potuiſſet, omne obſequium abſolvi abſtinentia à malo. Omne aliud numen abnegare, factis geſtibuſque imagines non honorare: Dei nomen non blaſphemare probare obedientem, licet non magis æſtimet, factis verbiſque nullis honoret verum Deum, plane atheus, ſolum moribus & ſermonibus ſibi temperans à publica profanatione: cujuſmodi non pauci ſunt in mundo. Moſen ergo ajunt hîc docere quomodo negativa præcepta ſint intelligenda, nempe interdictum complecti contrarium mandatum, neque ad obſequium ſufficere ſi quis abſtineat à malo, verum etiam faciendum eſſe bonum. Sic igitur cum vetat Deus *non habebis Deos alienos*, mandari ſimul, *D. Deum tuum* timebis; cum vetat, non facies nec coles idolum, mandari, D. Deum *tuum coles*; cum vetat, *non ſumes Domini nomen in vanum*, mandari, *per nomen ejus jurabis*. Et ſane veriſſimum iſtud eſt, ſociari ſemper ſi non verbis ſaltem, ſententia duo iſta *abſtine à malo & fac bonum* Pſ. 34. verſ. 15. quæ ſumma timoris Dei, Pſ. 37: 27. Eſa. 1: 16, 17. Amos. 5: 15. *odio habete malum & amate bonum*. Rom. cap. 12: 9. Et ſane abſtinentia à malo damnationi non eximit. Luc. 13: 6. ſ. ficus in vinea, quæ fructus non fert, exſcindenda dicitur; non accuſatur quod malos fructus ferret, ſed quod nullos; *quare inutiliter occupat terram?* Luc. 3. verſ. 9. *ſecuris poſita eſt ad radicem arborum: omnis ergo arbor quæ non fert bonos fructus exſcinditur & in ignem conjicitur*; non dicit quæ malos fert, id dubio caret Heb. 6. verſ. 8. ſed quæ non bonos etſi nec malos. Debent eſſe, *quercus juſtitiæ, plantatio Domini, ut glorificetur*. Eſa. 61. verſ. 3. Non glorificatur plantator, ſi mali ſint fructus ſed neque ſi nulli; Debent eſſe boni, fructus juſtitiæ, qui quo copioſiores, eo plus gloriæ habet Joh. 15: 8. Phil. 1: 11. *Qui fecerit voluntatem patris cœleſtis ingredietur in regnum cœlorum* Matt. 7: 21. & quidem ut abundarit juſtitia ejus ſupra eam quæ eſt Phariſæorum & Scribarum Matt. 5: 20. *Illis qui in perſeverantia boni operis gloriam & honorem & incorruptibilitatem quærunt, vita æterna compenſabitur; gloria & honor & pax cuivis operanti bonum* Rom. 2. 7. 10.

Hæc obſervatio veriſſima eſt, & huic quoque loco eſt convenientiſſima, ut latitudo præceptorum divinorum intelligatur, ne quis negativam formulam anguſtiorem faciat; veruntamen heic ſolum de primo præcepto loqui videtur Moſes, & affirmativam ejus partem non una duntaxat voce, ſed pluribus declarare. Nam quod aliorum Deorum meminit verſ 14. id ipſum confirmat, quia de iis agitur præcepto primo; aſt de imaginibus eorundem præcepto ſecundo, & de his loquitur Moſes Deut. 7.

II. Ita-

II. Itaque hic orditur *interpretationem primi præcepti*, & docet I. quid jubeat, verſ. 13. II. quid prohibeat verſ. 14. III. quid ſpecialis reſtrictio præcepti velit verſ. 15--19.

A. *Quid jubeat* verſ. 13. tribus membris complectitur, officium Cordis, Operis, & Oris proponens.

Præmittit *Objectum dicendo, Jehovam Elohim tuum.* Sæpius jam explicata hæc ſunt. Ens illud æternum, qui eſt, qui erat, & qui erit Apoc. 16: 5. ſeu ut Eſa. 48: 12. Ego ſum idem; *Ego ſum primus, & Ego ſum ultimus.* Eſſentiator rerum omnium, adeoque & tuus, qui dedit vitam & halitum & omnia, & in quo vivis moveris & es Act. 17. verſ. 25. 28. Judex & rector univerſorum, Dominus cœli & terræ, & qui tempora ac loca diſpenſat, quæque in illis ſunt moderatur & judicat verſ. 25, 26. Idemque *Elohim tuus*, cujus omnes perſonæ conſpirarunt ut tibi bene ſit, & ſibi conjunctus vivas, expiato reatu, abolitâ inimicitia, oblatâ omni bonorum affluentia, per fidem omnibus iſtis apprehendendis & uſurpandis. Hunc *Dominum Deum tuum*, qui talis tibi erit, fiduciâ factâ inſigni illâ liberatione ex Ægypto officiis iſtis viciſſim proſequeris.

א. *Timebis eum.* Timor dicit internam cordis ſeu animæ reverentiam, quâ quis meditatus ejus præſentiam & ſcientiam, ſic ſe componere ſtudet, ut ipſi placeat. Gen. cap. 28: 16. ſ. Jacob evigilans poſt ſomnium ſuum *ait, certe Dominus eſt in hoc loco & neſcivi; Et timuit, dixitque quam venerandus eſt hic locus; hic non eſt niſi domus Dei & porta cœli.* Meditatio præſentiæ Dei excitavit timorem reverentiæ. Contra de impio dicitur Pſ. 14: 1. *dicit non eſt Deus; corrumpunt abominanda patrant; nemo eſt qui faciat bonum.* Pſ. 10: 4. 11. *Deus non eſt in omnibus cogitationibus ejus*; & Pſ. 36: 2. ſ. Tantundem eſt dicere, Deum non timere, & Deum exeſſe ex cogitationibus, & tunc nullum peccatum abominabile eſt. Quod non patrentur tamen multa, timor facit, ſaltem hominum, qui vel facientem videbunt, vel feciſſe ſcient. Hos ſi latere queat, ſibique id poſſint perſuadere, fidenter patrant; Job. 24: 15. ſ. unde conſtat perſuaſiſſimos eſſe Deum non adeſſe, vel non noſſe, vel nolle noſſe, non curantem, ne ſuam felicitatem turbet, ut illi Job. 22: 12. ſ. Ergo Timor Dei, præſentiæ ejus agnitæ reverentia requiritur. 1 Theſ. 4: 1. *ambulandum & placendum Deo, & in eo abundandum*, & Col. 1: 9. *ambulandum digne Deo ad omne placitum* &c. Petrus id ait 1 Pet. 1: 17. *quia Deus pater veſter judex ἀπροσωπολήπτως ambulate tempore incolatus veſtri in metu.* Pſ. 111: 10. Prov. cap. 1: 7. *timor Dei initium ſapientiæ.* Et ſane hinc fœderatorum Dei ſapientia incipit, quod Deum cogitent præſentem inſpectantem. Nam an quid audebunt facere mali coram ejus oculis? Joſeph ait Gen. 42: 18. *Timeo Deum*, & hinc non vult injuria afficere fratres; imo hinc illud ad heram cap. 39: 9. *quomodo facerem tam grande malum & peccarem contra Dominum?* & Nehemias ad nobiles & magiſtratus, magnos populi oppreſſores per exactiones, *An non deberetis ambulare in timore Dei noſtri?* Neh. 5: 9. Nam Eſa. cap. 57: 11. *A quo ſollicita fuiſti aut timuiſti?* Judicia Dei incutiunt quandoque ejus metum ob præſentiæ demonſtrationem; ſed Dei longanimitas, & ſua impunitas reverentiam omnem excutiunt, Pſ. 55: 20. Deus ab Abrahamo poſtulat, *ambula coram facie mea & eſto integer.* Gen. 17. verſ. 1. & de Noacho Gen. 6: 9. *Noach fuit vir juſtus integer in generationibus ſuis*, (quæ tum peſſimæ) *Noach ambulabat cum Deo:* hoc illius integritatis cauſa, & Enoch ambulavit cum Deo, habuitque teſtimonium quod Deo placuerit Gen. 5: 24. Heb. 11: 5. Eoque faciendum, quod David egit Pſ. 139: 1. ſ. Nihil diſplicens, omnia placentia Deo meditari & facere propoſitum habet. Timor Dei præſentis eſt præſidium firmiſſimum contra peccatum, & ſollicitationes ejus, & quæ conſpiraturæ forent cupiditates. Deus videt ſollicitantem & ſollicitatum, & quid hic optet, quo inclinet. Eſt. 7: 8. Aſuerus videns Hamanem incumbentem lecto Eſteræ, ait *an etiam vim inferet reginæ apud me in domo?* tentabiſne aliquid contra Deum ipſo vidente & audiente? non ne longe gravior ejus ira & vindicta erit? Adeoque Timeamus Dominum Deum noſtrum, radicatus ſit timor ille in corde noſtro, ut nunquam niſi ſe meditatos inveniat; ſic optimo loco erimus. Pſ. 119. verſ. 132--138. intuere me & ſis gratioſus, juxta morem erga eos qui te amant & metuunt. & hic eſt. Pſ. 103: 17. Mal. 3: 16. ſ.

ב. *Servies ei.* Dicit iſtud externum operis obſequium. Sequitur autem modo dictam reverentiam: ubi hæc poſſidet cor, utique omnia membra corporis & animæ quoque facultates ad obſequium promtæ ſunt. Servitus illa deſcribitur. Eſa. 56: 6. qui ſervire volunt, debent id facere ex amore. Exod. 21: 5. ſervus nolens exire ſervitio, quia amat herum. De cultu idolorum vetat Deus, non *tognobhdem* patieris te cogi ad cultum; ut ne quidem invito extorqueatur; ſed hic non dicit, *tognobhad*, cogeris ad ſervitutem hanc. Debet ea eſſe ex amore. Vult Deus hilarem datorem eoque volentem in eleemoſynis. 2 Cor. 9: 7. & non minus vult voluntariam ſervitii præſtationem. Macedoniis adfuit abundans lætitia, & ſpontaneitas, & ſic ſe tradiderunt primum Domino, deinde Apoſtolo ad contributiones cap. 8: 2, 3, 4. Hæc amoris ſpontaneitas requiritur. 1 Chron. 28: 9. & promittitur Pſ. 110: 3. & neglecta vindicatur. Deut. 28: 47. ſ.

Quam multi autem ſunt averſi animo, qui dicunt Deo, *recede à nobis, nam in cognitione viarum tuarum non eſt nobis voluptas, quis eſt Omnipotens, ut ei ſerviamus?* Job. 21: 14, 15. qui quæruntur, *quanta fatigatio.* Mal. 1: 13. & cum nolint gratis agere quicquam, ajunt, cap. 3: 14, 15. *fruſtra eſt ſervire Deo.* &c. *& nunc felices putamus ſuperbos*, &c. Opinantur mundum ejuſque principem longe liberalius habere ſervos, cui proinde ſe addicere malunt. Alius fuit David. Pſ. 18: 1. ſ. Servum ſe dicit Domini, in titulo, & mox incipit, *intime diligo te Domine, robur meum;* & recitat quantum commodi inde percipiat, utpote cui Deus eſſet inſtar omnis neceſſitatis. Eſaias dicit לשרתו ſignificatur honoratior ſervitus. 1 Reg. 1: 3. quia honori ducitur Deo ſervire; utpote unde gloria accedit ſervienti; uti ſervus regis, multis heris dignior. Sic æſtimandum, & deſiderium erit impetrandæ, amor & gaudium impetratæ ſervitutis iſtius. Eſa. 61: 6. vocabimini miniſtri Dei noſtri.

Sed porro, addicere ſe debent, deſtinato conſilio, ut ei ſint famuli. Non ſolum eſt oblatio aut præſtatio alicujus ſervitii, quod eſt ſervire, ſed addictio ad iſtam functionem miniſterii, ut ſint famuli, ſerviſque domeſticis annumerentur, ſervus æternus. Exod. 21: 6. defenſio certa; *Servi mei edent & bibent & lætabuntur.* Eſa. 65: 13. & cap. 54: 17. *hæc hæreditas ſervorum meorum*, ut nihil contra eos valeat vel armorum, vel linguarum, & juſtitia ipſorum eſt ex me, inquit Dominus, imo jus petendæ informationis. Pſ. 119: 125. *ſervus tuus ſum, fac me intelligentem, & cognoſcam, amabo, teſtimonia tua.* Denique cuſtodiendum Sabbatum, & firmiter retinendum fœdus. Servitus hæc ex pacto eſt, adeoque debet ſtari conditionibus, ut præſtentur quæ promiſſa ſunt omnia. Nemo adſciſcit famulum, ut is ſuo arbitrio vivat, nedum ut conſervis, ipſive hero leges det Abnegare propriam voluntatem debet, & ad alienam ſe componere. Qualis Servus Chriſtus qui teſtimonium habet acquieſcentiæ Dei. Eſa. 42: 1. non fecit ſuam ſed Patris voluntatem. Joh. 6: 38. atque in eo ſummam conſtituit voluptatem, cibo omni potiorem. Joh. 4: 34. Aſt quam paucos ejuſmodi ſervos habet Deus. Nemo Chriſtianorum alius videri vult, ſed multi id non ſunt. Quemadmodum ſervi mercenarii ſæpe præſcribunt, quibus conditionibus ſervire velint, ſic quivis ſibi fingit ſervitutis ſuæ leges, verum apud homines ejuſmodi leges non valent, niſi herus aſſenſus fuerit: Aſt hi nullum unquam habuerunt aut habebunt aſſenſum Dei (neque enim ille unquam accipit leges, qui famulorum indigus non eſt; ſed ipſi indigi ſunt boni heri: qui præter Deum nullus hic eſt.) Proinde neque ſunt famuli Dei. Rom. 6: 20. ſ. *Quum ſervi eſſetis peccati, liberi eratis à juſtitia: & tum fructus ad pudorem, & finis mors. Sed liberi facti à peccato ſervi eſtis Deo, & fructus eſt ad ſanctimoniam, finisque vita æterna.* Non eſt ſervus Deo qui non eſt juſtitiæ, ſed peccato, pudendis duntaxat fructibus ſpectabilis: cujuſmodi ſunt qui mundo conformes vivunt, cupiditatibus carnis obnoxii ſunt, ſed qui excuſſit hanc ſervitutem, ſeque totum compoſuit ut juxta voluntatem Dei reſiduum vitæ exigat, ejuſque per-

noſ-

noſcendæ & præſtandæ ſtudioſus eſt, is vere famulus, & quem Deus ceu bonum & fidelem ſervum remunerabitur & exhilarabit.

J. *Per nomen ejus jurabis.* Qui hæc de juramento ſimpliciter intelligunt, hinc qualitates jurantis deducunt. *Dominum Deum tuum timebis, eum coles & jurabis per nomen ejus:* quicunque jusjurandum per Dei nomen dicturus eſt, debet primum cor habere imbutum Dei timore, ut præſtantiam notitiamque Dei meditatam habeat; debet id facere in ſervitio Dei, ſic ut pars ſit ſui obſequii, adeoque non niſi quando, & de quibus ille juſſit. Quod quidem omnes attendere operæ pretium foret; non modo nulla falſa, ſed ne vana quidem dicerentur; forent omnes timentes juramentum. Eccl. 9: 2. non ad illud abſolute declinandum, ſed ne citra timorem aut ſervitium Dei id dicerent. Verum quamquam phraſis probet juramenta licita eſſe, de quibus alia mandata exſtant. Exod. 22: 11. Lev. cap. 5: 1. cap. 19: 12. & exempla plurima laudatiſſimorum hominum; heic tamen nexus poſcit, ut ad primum præc. pertineat, & oris obſequium indicet, quod in profeſſione conſiſtit. Hoc ſenſu accipitur frequentiſſime, ubi alius, juramenti, non eſt locus. Eſa. 45: 23. & Rom. 14. verſ. 11. per profiteri explicatur, & ſic quoque. Eſa. 19: 18. *quinque urbes Ægypti loquentur lingua Canaan & jurabunt Domino Zebaoth.* Jer. 4: 12. conf. Pſ. 63: 12. Jer. 12. verſ. 16.

Scilicet *quemadmodum corde revereri, & opere ſervire, ſic ore quoque profiteri Deum oportet.* Eſt vero profeſſio iſta gemina; Una apud Deum, ut promittatur obſequium, quale Davidis. Pſ. 119: 106. ſic Aſa & populus inierunt juraruntque Domino fœdus de quærendo Dominum, & gaviſi ſunt de jurejurando, quia toto corde jurarunt, & tota voluntate ipſum quæſiverunt. Quemadmodum miniſtri majoris momenti non niſi jurati adſciſcuntur, ſic quoque qui Deo fiunt ſervi. Quoties S. Cœna celebratur, quodammodo repetitur jusjurandum; eoque ita unicuique æſtimandum communicanti. Quanta hic opus ſollicitudine, ne quis non ſolum mendax, ſed etiam perjurus reperiatur. Dicat quis; ſatius ergo abſtinere. Reſp. non licet. Qui detrectat jurare, & obſequium promittere moraturus in urbe; is habet voluntatem non obediendi, imo malum ei machinandi. Qui Dei eſſe vult, jurare debet; aut hoſtis ejus erit; nam qui cum Deo non eſt, contra ipſum eſt, & quis heic conſiſtet. Eoque ex Pſ. 76: 12. *Dicite vota & perſolvite Domino Deo veſtro.* Non defugiendum jusjurandum hoc, ſed cavenda præſtiti violatio; eoque memoria ejus nunquam deponenda. Altera, de Deo, ut quo loco nobis ſit, & nos ipſi, apud alios profiteamur. Qui gloriam ſtatuit in ſervitio ſuo, ne quidem apud hoſtes id diffitebitur, ſed hoc ipſo ſe ſolabitur. 1 Pet. 3: 14. ſ. *ſi patiamini propter juſtitiam, beati eſtis, ne timete timorem ipſorum neque expaveſcite. Sed ſanctificate Deum Dominum in corde, & eſtote ſemper parati ad apologiam cuique rationem exigenti ſpei quæ in vobis eſt cum manſuetudine & metu, & habete bonam conſcientiam.* Sanctificatur Deus profeſſione iſta. Luc. 12: 8. ſ. & Luc. 9: 26. Jonas à nautis rogatus quis eſſet, ait, *Ego Hebræus ſum, & timeo Dominum Deum cœli, qui mare & aridam fecit.* Profitendum nos Domini eſſe, adeoque nec alium regem cordium, nec alias conſcientiæ leges agnoſcere, & quod Apoſtoli dicebant, Obediendum eſt Deo magis quam hominibus. Act. 5: 29. & metuenda magis ira Dei offenſi, quam hominum ſi ipſis obtemperatum non fuerit. nam Luc. 12: 4, 5. unde Socii Danielis Nebucadnezari reſpondent, ſe Deo quem honorent obtemperaturos, non ipſi, ſive Deus eripiat, quod poſſe & facturum eſſe confidenter confitentur, ſive non Dan. 3: 16. ſ. 1 Pet. 3: 10. Non pudeat nos unquam dicere Chriſtiani ſumus; & ſi non detur occaſio id dicendi lingua, dicat habitus; Servus regis, principis, ex veſte agnoſcitur. Colores pro ipſo loquuntur. Sic obtineat in nobis. Rom. 13: 12—14. deponamus opera tenebrarum & induamus arma lucis; imo induamus Dominum Jeſum Chriſtum, neque curemus carnem ad cupiditates. *Deus lux eſt, & nullæ in eo tenebræ*, & qui communionem cum eo habent, debent in luce ambulare, uti ipſe in luce eſt. 1 Joh. 1: 5-7. Eoque Eph. 5: 8. & Mat. 5: 16. Mat. 6: 24. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire*, &c. ſiquidem ſubalterni ſint, fieri id poteſt. Prov. 24: 21. *Fili mi, time Dominum & regem*, 1 Pet. 2: 17. *time Deum, honora regem*, & verſ. 13. *eſtote ſubjecti omni humanæ ordinationi, propter Dominum.* quatenus illa poteſtatem habet à Domino, ſuperior aliis Rom. 13: 1. ſ. ex ordinatione Dei, ut Deus in illa colatur obſequio; Verum ſi quando alius præter Deum, illi æqualis aut par, vel etiam major eſſe velit, nequit ejus cultus locum habere, Mat. 4: 10. *Dominum Deum tuum adorabis & ipſi ſoli ſervies.* Quando agitur de honore Domini Dei tui, ibi cultus ipſi, & ipſi ſoli deferendus eſt. Hoc eſt quod in primo præcepto mandatum eſſe Moſes docet. Poſtquam dixit Deus, *Ego ſum Dominus Deus tuus*, mandat *Non erunt tibi Dii alii:* Et Moſes explicat, quid imperet, verſ. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & ipſi ſervies, & per nomen ejus jurabis.* Tribues illi reverentiam cordis, obſequium operis, & profeſſionem oris.

Verſ. 14. *Ne ſequimini Deos alienos, è diis populorum qui circumſtant vos:*

B. *Quid* item *vetet*, verſ. 14. *Non ibis pone Deos alios, de Diis populorum, qui circumcirca te ſunt.* Heic attendendum objectum, & actus circa illud interdictus.

N. *Objectum* ſunt *Elohim alii.* Explicatum id jam eſt, *Elohim* ſunt qui regiminis & judicii poteſtatem habent in mundo, unde venerabiles ſunt ſubjectis, ſive vere eam dignitatem habeant, ſive mendaciter ex opinione & arbitrio humano. Id nominis nemini prius aut verius convenit quam vero Deo, qui creator mundi univerſi Dominus etiam & rector eſt cœli & terræ, ab omnibus creaturis colendus. Verum de eo non agitur hoc loco, cum, verſ. 13. ipſi vendicet omnem cultum & obſequium, & ad diſtinctionem ab ipſo hic dicuntur *Alii*, ejuſmodi qui non habent regimen iſtud proprio titulo, ut ille qui ſibi creavit quem regeret mundum, ſed alieno; ad quos ſermo mandati à Deo factus eſt, Joh. 10: 35. ut ſunt Angeli, & Magiſtratus: aut factus fingitur ab hominibus, ut ſunt numina humano placito delecta, & ad eam æſtimationem opinione illorum evecta.

A. *Actus interdictus* eſt, *Non ibitis pone illos.* Cultus Dei indicatur phraſibus Ambulandi, quæ non deſidem & oſcitantem eſſe patiuntur, ſed actuoſum & conſtantem in opere. Non eſt ſtare, nedum ſedere, vel cubare aut dormire, ſed incedere, & jugiter procedere, ceu qui finem viæ nondum attigit; uti Eſa. 40. verſ. ult. *current & ambulabunt citra defatigationem.* Et ſane cum Deus ſit ſpiritus, & colendus propterea Spiritu. Joh. 4: 24. utique nequit eſſe quies, quia animus hominis ſemper actuoſus eſt. Legitur de via cordis Eccl. 11: 9. Eſa. 57: 17. quia cor nunquam non ambulat. Enimvero hic ambulatio eſt quæ in meditatione & cultu religioſo occupata eſt. Et iſta diverſimode declaratur; Eſt coram facie Dei; quod poſcit ab Abrahamo Gen. 17: 1. ut ſemper cogitet oculos Dei in ſe defixos eſſe, & obſervare motus omnes, ne quis ſit qui illi jure diſplicere queat. Eſt cum Deo, ut Enoch. Gen. 5: 22—24. & Noach cap. 6: 8. ceu qui lateri junctus eſt, præſentiſſimum & pariter amiciſſimum habens, Pſal. 73: 23. ut caveat quicquid offenſioni foret, & agat quod placiturum eſſet. Eſt pone Deum, quomodo hic, & 1 Sam. 12: 14. Idem dicit quod modo, verſ. 13. dictum fuit, Teſtimonium profeſſæ ſervitutis eſt ſequi herum ſuum. Significatur enim ea ratione, non ſumere quem ſibi arbitrium viæ, ſed ejus delectum ab alio accipere, cujus voluntatem ſimpliciter ſequatur, ducem magiſtrumque agnoſcere & autoritati ejus obſequium ſuum mancipare: imo ſalutis fortunarumque omnium datorem vindicemque fidenter æſtimare, qui omnem adverſariam vim à ſe depulſurus & felicitatem largiturus ſit. Iſtud autem prohibetur reſpectu Deorum alienorum. Familiariſſimum id eſt; Sic ordinarie deſcribitur defectio à Deo, quod vel ſinguli vel populus univerſus iverint pone Deos alienos.

Neque aliud etiamnum fit: Mammon alius eſt Deus. Mat. 6: 24. Eſa. 56: 14. quæ averſio à Deo, Eſa. 33: 6. & reperiturin avaritia cap. 57 17. *indignabor injuſtitiæ avaritiæ ipſorum*, &c. *tamen iverunt porro averſi in via cordis ſui.*

Sic hodieque fit, & æque universalis est ista ambulatio. Mammon est quem spectant, pone hunc ambulant, & ejus vestigiis insistunt, credentes, quod de Deo dicitur. Ps. 65: 12. ea stillare pinguedine. 1 Tim. 6: 9, 10. *qui volunt ditescere, incidunt in tentationem & laqueum* (extrinsecus ea veniunt à Diabolis & mundo) & in multas stolidas & noxias cupiditates, (intus & ex se eas habent) *quæ faciunt homines cadere in perditionem & interitum: avaritia enim est radix omnium malorum, quam aliqui desiderantes defecerunt à fide & semetipsos compunxerunt variis doloribus.* Apostasia ista est vers. 17. *divitibus superbientibus, & spem collocantibus in incertitudine divitiarum; non in Deo vivo.* Unde superbia gloriationis in divitiis. Jer. 9: 23. & fiducia Job. 31. vers. 24. s. Spei & fiduciæ istius argumentum est. Hab. 2. vers. 9. qui mala avaritia satagit pro sua domo, ut nidum suum collocet in excelso, & immunis sit à manu mali: gaudii autem. Zach. 11: 5. qui mactantes aut vendentes oves, & pro suo usu iis utentes, dicunt, Benedictus Dominus quod ditatus fuerim. Quæ celebratio Dei non magis Deum sequi docet, (qui utique non incedit per viam injustitiæ,) quam illa Pharisæi semetipsum justificantis quando dixit, *Gratias ago tibi, ô Deus, quod non sim ut alii homines*, &c. Luc. 18: 9. s. ut hæc professio non doceat aliquem sequi Dominum, sed doceat hypocrisin sequentis mammonam. Quæ quidem nuspiam evidentior ac Ezech. 33: 30. s. *cor ipsorum pone avaritiam. ipsorum ambulat.* Qui tantum pro se ferebant amorem verbi, ut alios quoque excitarent ad ejus auditum, qui verbis factisque blandiebantur Prophetæ; & probatio est, quia audiunt verba Prophetæ; ea autem non faciunt. Non sequuntur quo vox Dei vocat, sed quo vox avaritiæ. Jac. 1: 22. qui auditores verbi & non factores, decipiunt proprias animas. Quemadmodum Saul qui se gloriabatur verbum Dei stabiliviſſe cum servasset pinguia gregis, saltem ad eucharistica, (ubi avaritia ne de propriis essent sumenda,) cui dicitur inobedientiam esse peccatum incantationis, & rebellionem esse idololatriam & cultum imaginum. 1 Sam. 15: 13–23. Non sequitur Deum, qui sequitur cupiditatem ullam, unde vel bonum aliquod vel defensionem exspectat. Annon sequitur intemperans, ebriosus, scortator, adulter, ambitiosus suam cupiditatem, quam ut assequatur cogitationes actionesque eo sunt comparatæ? Non sine causa Jesus dixit. Mat. 16: 24. *si quis pone me vult venire, abneget semetipsum.* Sequi Christum nequit, qui se sequitur, & pariter qui mundum. Et quotusquisque se non sequitur? Adeo ut magnæ necessitatis fuerit hoc monuisse. *Non ibitis pone Deos alienos.* Enunciat istud pluraliter, cum alias, etiam vers. 13. singulariter fuerit locutus. Videtur voluisse prætextum multitudinis adimere. Universis abstinendum; societas non imminuendo sed augendo peccato facit. Marc. 13. v. ult. *quod vobis dico; dico omnibus.* Non ibitis omnes, ut sit decretum quasi consuetudinis universalis: Sed tamen neque singuli; sunt hi membra universitatis; & quod omnibus, idem singulis interdictum est: Imo licet omnes consentirent, singuli tamen se & debent segregare, & possunt, exemplo Josuæ, Jos. 24: 15. Etsi omnes avaritiæ & injustitiæ (mammon injustitiæ dicitur. Luc. 16: 9.) indulgeant & consuetudo in jus abierit, tamen abstinendum est. Atque hic oportunæ preces. Cant. 1: 4. Trahe me, curremus post te. Trahit Deus beneficiis, quæ sunt ut funes amoris. Jer. 31: 3. Hos. 11: 4. allevando jugum, & præbendo pabulum; sed vers. 7. *populus meus suspensus manet de aversione mei.* Itaque tractio alia poscitur, quæ sit efficaciæ Spiritus, immutantis animum & convertentis desideria aliorsum, Ps. 119: 36. Ps. 143: 10. & tum sequi possumus & quidem cursu concitato. Ps. 119: 32.

3. Objectum porro amplificat, quod itidem facit ad actum magis cohibendum, *de Diis populorum, qui circumcirca vos sunt.* Nulla natio est quæ non habeat opinionem aliquam Deitatis, quæ mundum sive totum, sive aliqua parte regat, quamvis pleræque neglecto vero Deo Creatore ad creaturas se converterint, Cœlum & Luminaria cœlestia, Elementa, Angelos seu Dæmonas, Animalia, Reges, aut benefactores; Figmenta, quæ quod æstimant repræsentent. Habet autem Exemplum populorum magnam vim ad persuasionem imitationis; Si quæ natio in sua religione felicitate gaudeat, ut sapientia & eruditione, & artibus, ut divitiis & potentia crescat & excellat. Ezech. cap. 20: 22. Nullum tamen periculum ab exemplo, quando nulla ejus notitia, quemadmodum de remotis admodum, cum quibus nullum est commercium. Verum à vicinis est periculum, quorum & mores & successus incurrunt in oculos. De his proinde monet, ne vicinorum exemplo abstrahantur: intelligit tum Ægyptios unde digressi erant, tum Cananæos quo venturi erant: uti conjunguntur Jos. cap. 24: 14. s. juxta cum avitis Chaldæorum. Sed par ratio est aliorum quoque, qui unquam in notitiam venturi erant quemadmodum Idumæorum Moabitarum, Ammonitarum, Syrorum, Tyriorum, Zidoniorum, Philistæorum, qui contermini, sed etiam cæterorum populorum omnium etiam remotissimorum. Sunt enim omnes Dii alii; & quæ commendatio ab hominum æstimatione & cultu accedit, nequit efficere quo minus sint & maneant Alii. Quamquam Israelitæ insanum in modum ruerint in ejusmodi idololatriam, quod exprobratur multis Ezech. 20. & 23. ut non cognoverint fere de ullo gentilium Deo, quem non susceperint imitatione; uti Athenienses, qui ne ullum neglexisse viderentur Ignoto quoque Deo aram collocarunt. Act. cap. 17: 23. Amazia videns Deos Idumæorum eos sequendos suscepit, cum victor illorum fuisset, & Achaz viso altari Damasceno ad ejus exemplum aliud fieri fecit, repudiato Dei altari. Atque ab hoc cavendum imprimis monet. Est in eo aliqua ignorantiæ felicitas; ut nesciatur non bonum hæc ignorantia vitiosa, & quantum pote imminuenda; sed malum: habet illud illecebras aliquas, ad seducendum: quæ cessant dum ignorantur. Est quidem abstinentia à malo non cognito neutiquam virtutis; attamen inde est indemnitas; quemadmodum infans nequit damnari ob adulterium, quod quid sit ignorat. Romani per annos 170. non peccarunt imaginum cultu, quibus caruerunt templa, quia non noverunt eas; donec vicinarum gentium mores cognoverunt & didicerunt. Verum quandocunque notitia est, cavenda tamen imitatio. Mich. 4: 5. *omnes populi ambulabunt, quisque in nomine Dei sui sed nos ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in seculum & sempiternum.* Loquitur Propheta de tempore N. T. quando gentes venturæ essent ad domum Dei & montem Domini, ut docerentur de viis ejus, & ambularent in semitis ejus recepta lege & verbo Domini, prodeunte Zione & Hierosolyma.

Adeoque nobis illud dictum esse apparet. Cavenda ambulatio pone Deos alios cumprimis eos qui vicini, & unde majus seductionis periculum. Vicini nobis sunt Pontificii, qui circa nos & in medio nostri habitant: quot Deos alios illi sequuntur? Angeli, Sancti demortui, & Maria inprimis habent partiale vel universale mundi regimen ipsorum sententia; unus huic alius alii regno, regioni, urbi præest; alius in mari, alius in terra valet, huic vel illi morbo aut incommodo medetur, Maria omnem gratiam dispensat. Sunt proinde Dii alii, & ipsimet diffiteri nequeunt, non esse Deum Creatorem & Rectorem universi; non ergo sequendi sunt, & quicquid illi faciant, nos eorum exemplo non debemus abduci. Si quod regimen habent; quod Angelis & Magistratibus non possumus derogare, sunt tamen Dii alii, & eapropter non sequendi religioso & fiduciali cultu. Nec populorum multitudo, nec diuturnitas, nec externa pompa, nec felicitas, quæ jactantur debent persuadere: Itta omnia olim fuerunt in populorum Diis, & sunt etiamnum in multis, maxime circa Muhammedem. Quod porro Deum unum se colere dicunt per imagines confictas, tantumdem agunt quod Jeroboam cum vitulis suis, qui Dii alii tamen. 1 Reg. 12: 28. cap. 14: 9. At enim sunt etiam Dii alii populorum, nobis cavendi. Habent nationes singulæ quædam vitia propria, quæ amant & fovent; ea non discenda nec sequenda. Felix fuit majorum nostrorum simplex ignorantia; qui ab omni fastu vitæ alieni erant; nullus vestium excessus, castitas sobrietasque laudatissima. Verum ex quo cognita est leviſſima vanitas Gallorum, (quorum mores ut discantur mittuntur magni & parvi dignitate istuc:) annon universalis fit sectatio Dii illius, alieni Gallicismi; nisi quis colores ejus gestet, habitu conformis sit, deridiculo est: ab illis est imitatio profanitatis in sermone, blasphemiarum, atheismi; sic in vitâ levi-

levitas, protervia, impudicitia, ſcortationes, & quæ ab Italis ipſi didicerunt crimina. Hi dii alieni perdunt Belgium, ubi nihil fere antiqui ſupereſt, ſed omnia Gallica ſunt, etiam nunc cum tantum mali inde patiamur. Si quis dicat quid in veſte mali? Deum audiat ille Zeph. 1: 8, 9. *animadvertam in omnes qui induuntur veſte alienigenarum.* Deus Iſraeli non dedit portus marinos, præter unicum Joppenſem, ne commerciis longinquis aliorum populorum diſcerent, & imitarentur mores & religionem. Salomo ait Prov. cap. 22: 15. *ſtultitia alligata eſt animo pueri* & hos mittimus in regnum vanitatis eo fine ut ſeducantur, & reverſi ſeducant alios. Sed Eccl. 11: 9. Judicabitur etiam juvenis, qui ſecutus eſt oculos & cor ſuum Num. 15: 39. & idola quæ ibi erexit. Jer. 3: 17. hæc debet eſſe noſtra conditio, converſis ad Deum, non amplius ſequendi Dii alii quicunque, ſive aliorum populorum, ſive aviti, ſed unus vivus & verus Deus, & quem ille miſit, Jeſus Chriſtus; juxta illud, *Non erunt tibi Dii alii præter faciem meam.* Quod inculcat atque etiam declarat Moſes, dum rationem exhortationis ſuæ edit.

Verſ. 15. (*Nam* Deus *fortis zelotes Jehova Deus tuus* eſt *in medio tui*) *ne accenſus ira Jehova Deus tuus in te, perdat te è ſuperficie terræ.*

C. In explicatione præcepti primi oſtendimus, quid veteres Hebræi intellexerint per illud *Præter faciem meam*, illa tibi erit Elohim: nempe intelligi Filium Dei Mediatorem ἄναρχον, qualis tunc fuit, qui facies Dei appellatur Exod. 33: 14, 15. Mal. 3: 1. itemque à Judæis, ex uſu priſco, Schechina, præſentia Dei gratioſa, is per quem datur ad Deum acceſſus, & qui omnem poteſtatem à Deo accepit ut totum mundum, & inprimis Eccleſiam regat, qui in primo præcepto Rector & judex univerſalis declaratus eſt, & ei divinus honor à fœderatis Dei poſtulatus. De hoc ſane egit Deus cum Moſe Exod. 23: 20. ſ. ubi dicitur Angelus, cuſtos & dux futurus (quod in eductione ex Ægypto per mare præſtiterat, Exod. 14: 19. 24. atque Deus per faciem ſuam feciſſe dicitur Deut. 4: 37.) cujus voci obtemperandum ſit, neque provocandus, quia alioqui peccata non ſit condonaturus, in quo ſit nomen Domini, qui obedientibus auxilio ſit futurus, & hoſtibus ejectis in poſſeſſionem Cananææ immiſſurus; quos Deos tamen non debeant ſuſcipere. Iſta omnia Mediatorem Deum eſſe docent, & ejus cultum jubent, à Deo ſigillatim imperatum, quando alii Dii prohibentur. Sane hæc nihil aliud dicunt, quam non habebis Deos alios præter faciem meam, Angelum mediatorem. Eadem vero heic in interpretatione dicuntur à Moſe. Quum negaſſet Deos alios ſequendos, porro in ratione indicat exceptionem Mediatoris, Faciei Dei. Jehova Deus tuus eſt Mediatoris titulus, à Deo ipſi datus Hoſ. cap. 1: 7. utpote in quo nomen Dei eſt; non aliter quam Col. 2: 9. & Targumim illud, *in medio tui*, ipſi applicant, reddentes, שכנתיה בינך *Schechina ejus eſt inter te*, & שכנתיה שריא ביניכון *illa habitat inter vos.* Ipſius eſt ira vindex ceu judicis ſi provocetur; eoque non eſt tentandus, quod ab Iſraele contra Chriſtum factum dicitur 1 Cor. 10. verſ. 9. & ipſe obedientibus terram Cananæam dabit, expulſis hoſtibus, juxta id quod dixit Dominus; quod Exod. cap. 23. 20. ſ. dictum fuit. Ergo habemus interpretem Moſen mandati divini, & ejus explicationis, quam Deus ipſi in monte dederat, & cujus intuitu poſtulavit ut facies Dei, non alius Angelus ductor foret, aliqui non acquieturus. Proponit autem Moſes hæc ceu rationem. Nam, quæ & reſpicit præcedentia, ne alios Deos ſequantur, & ſequentia ut qui præter alios Deos habendus, Facies Dei, & Angelus faciei ejus, conſequatur cultum, quem ei Deus pater deferri voluit. Atque heic docet quid I. cavendum verſ. 15, 16. II. faciendum verſ. 17, 18, 19. priori præmittit metum incommodi, ſi non caverent: poſteriori ſubjungit ſpem commodi, ſiquidem facerent.

א. *Id quod cavendum* eſt dicitur verſ. 16. ſed præmittitur metus incommodi, verſ. 15. quoniam illud incubiturum erat non tantum ſi facerent quod circa ipſum cavendum erat ſigillatim; ſed etiam ſi quod ei debetur honoris alii Deo detuliſſent, quomodo connexionis habuit rationem.

a. *Incommodum* cujus metu terret deſcribitur ab autore, cujus Nomen Indoles ceu impulſiva interna Locus ceu impulſiva externa & denique Actio ſeu Damnum indicatur.

a. *Nomen* eſt *Jehova Deus tuus.* Tribuitur hic ſpeciatim Mediatori, quem ſic quoque Pater inſigniverat Exod. 23. verſ. 25. *Ego mittam Angelum meum: Angelus meus coram facie tua, & introducet te ad Amoritas* &c. *& ego exſcindam eos; non incurvabis te coram Diis ipſorum. Domino Deo tuo ſervies, & benedicet pani & aquæ tuæ; & ego morbos è medio tui arcebo* &c. Diſtinguitur Angelus à Deo, & ita diſtinctus Angelus eſt Dominus Deus tuus. Imo ille eſt qui verſ. 13. colendus mandatur, ut omnia ad eum referantur. Timor, qui idem cum honore Pſ. 2: 11, 12. Joh. 5: 22, 23. obſequium Luc. 6: 46. Act. 2: 36. Eſa. 55: 4. Phil. 2: 9. ſ. profeſſio juramenti Eſa. 45: 22. ſ. *Ego Elohim, & nemo amplius. Juravi per meipſum* &c. Pſ. 63. 12. *Lætabitur Rex in in Deo, quiſquis per eum jurat, gloriabitur.* Titulus iſte Deo communiter competit, ut ſit fœderatus Eccleſiæ, quod fœdus conſit per Mediatorem Filium. 2 Cor. 5: 19. Verum eſt adhuc fœdus ſpeciale Mediatoris cum Eccleſia, & cujus reſpectu ſingulari modo Dominus Deus ejus eſt. Iſtud eſt fœdus conjugale, per quod maritus ejus eſt, & ſervator, unum cum ea corpus, & ipſius caput. Matt. 22: 2. regnum cœlorum ſimile eſt regi paranti nuptias filio ſuo. Rex in parabola Deus Pater eſt, Filius non alius quam Filius Mediator, nuptiæ parantur non regi, ſed filio regis: ſed non niſi ex voluntate regis, qui diſpexit quæ illi jungeretur uxor. Filius ergo eſt Sponſus, qui habet ſponſam Joh. 3: 29. cui paratur uxor 2 Cor. 11: 3. Eccleſia eſt Agni ſponſa Apoc. 19: 7. ſ. Nuptiæ tandem futuræ ſunt; ſed deſponſatio fit nunc, & facta eſt ex quo adſcita per Euangelium Eccleſia. Speciatim de Iſraelis vocatione id dicitur Jer. cap. 2: 2, 3. Sponſa dicitur uxor, & ſi ſcortetur deſponſata, adultera eſt, & ita punienda Deut. 22: 23. ſ. hinc Iſraeli & Judæ ſcortatio & adulterium objicitur, & pœna denunciatur & infertur, Ezech. 16. 23. Hoſ. 1, 2. Jer. 3. Eſa. 50: 1. De hoc conjugio eſt Eſa 54: 5, 6. *Conditor tuus maritus tuus eſt, & ſanctus Iſraelis eſt redemtor tuus Deus (Elohim) totius terræ appellabitur tu & uxor juventutis*, etſi contemta, deſerta, viduata fueris: & promittitur Hoſ. 2: 15. Dominus inquit, *illo die vocabis me Marite mi; & deſponſabo te mihi in æternum, & in juſtitia, judicio, benignitate, miſerationibus: & in fide, & agnoſces Dominum.* De hoc in Pſal. 45. dicitur, Deus ille unctus habet Reginam, quæ omnium ſuorum propinquorum debet obliviſci, ut Rex delectetur ejus pulchritudine, & eum colere quia Dominus ejus eſt. Eadem eſt ratio Mediatoris incarnati, cujus conjugium commendatur Eph. 5: 23. ſ. ceu ejus qui ſalutem dat Eccleſiæ, & ex vinculo illo conjugali omnia pro ipſa egit, & circa eam agit & aget, quo glorioſa fiat conjux tandem. Qui quod caput ejus ſit, habet à Patre Eph. 1: 22. ſ. eſtque ut caput ſingulari honore proſequendus. Debetur ergo Mediatori Chriſto is titulus Dominus Deus noſter. In hac conjunctione matrimoniali magna nobis ſecuritas. Immutabilis ejus amor, invincibilis ejus potentia. *Nemo unquam odit carnem ſuam* &c. Qui ipſi adhæret fide, eſt de carne ipſius, & unus quoque cum ipſo Spiritus, 1 Cor. 6: 17. Uxoris eſt amare & revereri maritum, idem nobis faciendum, & licet non habeamus ex nobis quod nos commendet, quia non delegit copulandos ſibi, quia pulchri eramus, ſed ut pulchros faceret, tantummodo patiamur nos emendari; neque tegamus vitia noſtra, nedum defendamus, ſed potius ingenue confeſſi denudemus, mundationem admittamus.

Quum D. N. Jeſus Chriſtus ſe Paſtorem illum ovium bonum dixiſſet, qui & vitam poſiturus eſſet pro ovibus, poſtea reſumendam, & ovibus vitam æternam daturus, utpote invincibilis potentia, quam cum Patre eandem haberet, unus cum ipſo Deus eſſentia Joh. 10: 11: ſ. Judæi indignati lapides ſuſtulerunt ad ipſum lapidandum, quod blaſphemare dicerent, qui cum homo eſſet, ſemetipſum faceret Deum. Reſponderat jam modo ſciſcitantibus, an eſſet Meſſias? ſe dixiſſe licet non crederent, & opere ipſo demon-

ſtrare, & nunc indidem petit defenſionem; Scripturam Dei nomen, Elohim, dare illis ad quos ſermo mandati, de regimine aliquo, factus eſſet; multo magis ſibi deberi, quem Pater ſanctificaſſet & miſiſſet in mundum. Duo dicit I. Patrem ſe ſanctificaſſe, ſegregaſſe in Chriſtum, Paſtorem ovium, qui datas ſibi à Patre contra omnem vim tueretur, & æterna vita donaret, II. etiam miſiſſe ſe in mundum, ut homo factus vitam pro ovibus poneret, eaſque acquireret. Proinde longiſſime aberat à blaſphemia, qui nihil ſibi tribuebat, quam quod ſibi à Patre datum erat. Datum iſtud illi fuiſſe, teſte Scriptura, conſtat ex formulâ illa fœderis, quam Deus ipſe promulgavit. Non erunt tibi Elohim alii præter faciem meam: Quamvis ſint Elohim alii, qui aliquam regiminis poteſtatem à Deo acceperunt, tamen ſummum regimen in Eccleſia nulli tribuendum, & divinus inde honos habendus nulli eſt, præterquam illi quem Pater ſanctificavit, & ad illam dignitatem ſegregavit, nempe Facies Dei, ſeu Angelus faciei. Etenim hic eſt ille Angelus Exod. 23: 20. ſ. qui à Deo mandatum & munus datum habet, ut Iſraelem duceret & regeret, poteſtate illi factâ ulciſcendorum aut remittendorum peccatorum; quæ nulli creato Angelo datur, ſed Deo propria eſt, & illi qui natura Deus ex ordinatione Dei factus eſt Mediator, Dei ſervus, idemque populi ſui ſervator & vindex. Et quandoquidem judicium omne ipſi datum eſt, honorandus eſt à fœderatis Dei non ſecus ac Pater qui ipſum miſit. Joh. 5: 21. ſ. Hoſtes Chriſti quæſtionem movent, an cultus Chriſti in Decalogo fuerit imperatus, fides in illum, & invocatio? ſed cum Facies Dei heic ſit Meſſias, utique manifeſte iſta imperantur, quando præteritis aliis omnibus Elohim ſolus ipſe in delegato regimine divino honore afficiendus dicitur, qui utique eſt quoque fidei. Joh. 5: 21, 22. & cap. 14: 1. coll. Sic quoque Moſes hoc primum mandatum eodem modo interpretatur Deut. 6: 13. ſ. Poſtquam enim abſolvit explicare, quod Deus fœderatus pollicetur, & quomodo iſtud recipiendum ſit, progreditur ad partes officii fœderatorum hominum, & quod heic primum eſt, *Non habebis Deos, Elohim alios præter faciem meam;* Atque ad hujus explicationem docet I. quod Facies Dei ſit habenda pro Elohim, verſ. 13. huic debetur reverentia cordis: Dominum Deum tuum timebis, Pſ. 2: 6, 7. 11, 12. obſequium operis; ei ſervies, Pſ. 2: 11. Act. 2: 36. Gen. 49: 10. profeſſio oris; per nomen ejus jurabis Eſa. 45: 23. Rom. 14: 11. Phil. 2: 9, 10. II. quod alii Elohim non ſint habendi verſ. 14. non ibitis poſt Deos alios; & præ cæteris cavendi, ad quorum cultum facilis foret ſeductio, ob exemplum vicinorum populorum. III. rationem hujus utriuſque mandati, ſeu partis negativæ atque affirmativæ edit verſ. 15. IV. tum plenius declarat, quid ſit habere eum verſ. 16--19. additis promiſſionibus.

b. Dei *Indoles* ſeu *Impulſiva interna* eſt אל קנא *Fortis Zelotes.* Maritus ſi autor ſit incommodi ſuæ uxori, citra culpam propriam, (quæ in ipſum non cadit Pſ. 45: 8.) erit culpa uxoris; & quod ipſum intus commovet, eſt Zelotypia, fervidus amor conjugis, in qua nihil poteſt tolerare, quod amori adverſetur. Non fert ſocium, imo ne ſuſpicionem quidem conſortis vel conjugium, vel ſummum imperium, nec regna ſocium, nec tædæ ferunt: Atqui ipſe eſt ſolus Elohim delegata poteſtate ſumma: ſolus eſt maritus: ſi quis alium Elohim habeat, adulterum amorem & ſubjectionem exercet: quod non tantum ſit per idola ſeu falſos Deos, qui ejuſmodi nomen & cultum externum conſequuntur, ſed etiam per cupiditates. Adulterium eſt amare lagenas vini Hoſ. 3: 1. & ſic alias quoque. Dominium peccati agnoſcitur quando ei quis ſe ſervum conſtituit ſuaque membra, ex amore Rom. 6: 12. ſ. Hic Zelotypia Mediatoris, qui ſuam uxorem & à culpa, & à ſuſpicione ejus vult abeſſe. Non tantum à malo, ſed etiam à ſpecie ejus abſtinere 1 Theſ. 5: 22. Intimum amorem ſoli marito debet uxor Gen. 3: 16. quid ni ergo & Chriſto debetur qui ſimili amore flagrat Cant. 7: 10. *Ego dilecti mei, & ejus appetitus eſt erga me.* Amor Zelotypus eſt pro conditione ipſius; ipſe Deus, & θεοπρεπὴς amor eſt, & Zelotypia; in ſummo gradu, ſive faciat officium Eccleſia, ſive negligat; hoc modo ad terrorem, illo ad ſolatium. Cant. 8: 6, 7. amor fortis ut mors; Zelus validus ut ſepulchrum; prunæ ejus &c. ubi additur quod altero vocabulo אל *El* ſignificatur. Robur prævalens, quod ex ſe habet, quia Deus, unde etiam אל גבור dicitur Eſa. 9: 5. habens invictam manum & potentiam Joh. 10: 29. Ipſe amor & Zelus dat robur, ut qui alias debilis ſe validiſſimis hoſtibus objiciat, tuendæ aut vindicandæ uxori; quanto magis ubi robur adeſt illud excitabitur, Eſa. 63: 15. conjunguntur Zelus & potentia, commotio viſcerum, quæ pro Eccleſia ſolent exerceri in bonum; quæ vero in malum ſunt, quando provocavit infidelitate ſuâ. Nah. 1: 2.

Opera danda ne unquam hæc adverſa habeamus, ſed faventia, ut Zelus Domini Dei noſtri pro nobis laborat in bonum Eſa. 9: 6. Imo Zelum & nos concipiamus conjugis Chriſti, non quod ipſe minus bona fide agat nobiſcum, ſed ne nos quicquam peccaſſe ſuſpicandi cauſam habeat. Suſpicio datur marito, ſi quæ uxor ab illo ſibi data monilia neglectim habens, induat & ſuperbiat iis quæ ab alienis, ab amaſiis dantur. Jer. 2: 32. Paulus qui parabat ſponſam virginem Chriſto magno Zelo 2 Cor. 11: 2. leges ornatus dat 1 Tim. 2: 9. ſ. Petrus 1 Ep. 2: 3. ſ. Apoc. 19: 7, 8. Zeloſus amor dedecori ducit aliis quam marito placuiſſe, maxime quando contrariis judiciis utuntur. Jac. 4: 4. 1 Joh. cap. 2: 15. Filia, Regis ſponſa, obliviſci debet patriæ paternæque domus, ſi ſponſo placitura ſit, & mundum interiorem habere Pſ. 45: 11. ſ. Quod ſi data eſt ſuſpicio, parati ſimus ad ipſius placitum bibere aquas amaras Zelotypiæ, tolerare afflictiones quas immittit, ſpoliari ornatu quo ſuperbivimus Exod. 33: 5, 6. potari amarore, fieri ad tempus opprobrium: ſiquidem cor averſum non fuerit, ut Petri abnegantis Chriſtum, & abſtentum ab actu adulterii, non peribimus ſub iſto judicio, ſed caſtigabimur, & conſequemur fructum pacificum juſtitiæ conſortes ſanctitatis ipſius, Heb. 12: 10, 11. & deprehendemus cum gratiarum actione, bonum nobis fuiſſe ſic caſtigari Pſ. 119: 71. 67. 1 Cor. 11: 32. Eſa. 12: 1.

c. Locus ſeu *impulſiva externa* eſt בקרבך *in medio tui.* Præſentia commorationis; quam Targumim Mediatoris faciunt, *Schechina ejus in te eſt, inter te habitat.* De hâc dictum Exod. 23: 21. *Ecce mitto Angelum coram facie tua, cave à facie ejus.* Præſens eſt, oculis ejus vos non poteſtis ſubducere; habet in Zione ignem & Hieroſolymis fornacem Eſa. 31: 9. habitat in medio, & ambulat inter illos Lev. 26: 11. ſ. Longe gravior & juſtior ira mariti ſi domi ſuæ, ſe præſente adulterum uxor admittat. Jer. 7: 9. ſeq. Ezech. 8: 5. oſtendit Dominus prophetæ in ipſo ingreſſu templi, juxta portam altaris collocatum ſimulachrum Zelotypiæ, eam excitans, & totam domum impletam adulterinis ſignis. Maxima hæc provocatio Jer. 11: 15.

Habemus & nos præſentem nobis Chriſtum. Viſitat quodoque ex intervallo extraneorum peccata, ut Sodomæ, Ninives, non quod non ſemper adſit omni præſenti providentia, ſed quod non ſemper ſe præſentem demonſtret. Sed quod ad domum ſuam, ambulat in medio candelabrorum, & novit omnium opera, quid bene aut male egerint, imo quantum à priore amore declinatum ſit, vel non. Si conveniamus in domo ejus, adeſt & videt manus plenas ſanguine, & quæcunque patratæ ſunt iniquitates; ſi adſideamus menſæ ejus venit & inſpicit convivas, quibus nuptiales deſunt. Imo corpora noſtra ſunt ipſius templum, ibi ſedem ſuam habet, & exactiſſime obſervat, an quod idolum in corde ſit erectum, an quæ cupiditas inordinata ſit, quæ aliorſum feratur. Quanta ſolicitudine Chriſtianis vivendum eſt tum quoties in templum Chriſti venimus, comparemus coram Deo, coram facie ejus; aut etiam S. Cœnæ adſumus, ad menſam ipſius accedimus: quamvis non videamus oculis noſtris niſi miniſtros magni regis, videmur tamen ab ipſo rege, qui non viſus nobis videt quod videntes nos miniſtri videre nequeunt, ipſum cor noſtrum, & cogitationes: tum ſemper, quia nunquam ſumus ſine templo & domicilio ejus; ſi non in iſtiuſmodi extrinſeco, eſt illud tamen in nobis, jugiter circumferimus, poſſidet ille renes ipſos. Non licet vitare oculos ejus; Hi adulteram cohibent; eoque cum indeclinabiles ſint, nunquam averſi, nunquam dormientes aut nictantes, reverentia eorum ſemper cohibeat etiam cogitationes & cupiditates, quas occultare ab ipſo impoſſibile. Deut. 23: 14. *Dominus Deus*

tuus

tuus ambulat in medio castrorum tuorum ut liberet te, & hostes tuos det coram facie tua; propterea castra tua sancta erunt (etiam à sordibus externis) *ne quid turpe in te videat, & retrorsum abeat à te.* Quanto magis cor purum servandum est, qui ne quidem corporis pollutionem fert, ceu suo amori, & conjugali fidei adversam. 1 Cor. 6. vers. 15. s.

d. Actio seu *damnum* ipsum est, *ne ira Domini Dei tui contra te exardescat, & te de terrâ perdat.* Conjunctio illa specialior facit pœnam celeriorem & severiorem. Exod. cap. 23: 21. *Cave à facie ejus; nam transgressiones tuas non condonabit; nam Nomen meum in ipso est.* Habet Angelus iste potestatem remittendi peccata sed ea benignitate nolet uti contra provocantes. Nam in medio ejus est Nomen Dei; Pater in ipso est, & ipse in Patre, omnis plenitudo Deitatis in ipso habitat corporaliter, Col. 2: 9. ipse & Pater unum sunt: adeoque Dei jus quoad Remissionem peccatorum etiam ipsius jus est, quo utatur prout placuerit: & quemadmodum proprium ipsi & personale fœdus cum Ecclesia intercedit, ita proprium jus regiminis & dominii, & vindiciarum fœderis sui; quod sæpius minatur Hos. 1: 2. Esa. 50: 1. Jer. 2: 3. Ezech. 16: 23. Sic Ps. 2. vers. 12.

Gloriamur & nos de conjugio cum Christo, & annon experimur ardentem ejus iram, quæ exterminationem minatur, imo magis magisque promovet. Exterminata pax est gravi bello, exterminata publica opulentia tot sumtibus, fama & arma & viri tot cladibus, commercia, benedictiones aliæ; & quod exterminationem consummabit, nisi tempestive occurratur, fraterna conjunctio, mutuus amor, dum propter excandescentiam Domini Zebaoth populus est ut fomes ignis, & mutuum non parcunt, carnes brachii sui edunt, Manasse Ephraimum, & vicissim, atque hi simul Judam. Profecto causa alia non est, quam justa vindicta perfidiæ. Gladium mittit, ut vindictam fœderis exerceat Lev. 26: 25. ut nudam constituat instar deserti & necet siti, constituat ut sylvam, quo comedatur à bestiis agri: Hos. 2: 3. 11. quomodo se non tantum non maritum, sed etiam hostem ostendit. Una ratio impetrandæ veniæ est, remotio scortationum & adulteriorum; imo ut licet carendum sit, ejus favente præsentia, fedeatur ipsi, citra declinationem in viduitate solitaria, quo misereatur. Osculandus filius, omni obsequio & fiducia ei adhæren dum, ut exterminium evadere, imo felicitate perfruisci detur.

Vers. 16. *Ne tentatote Jehovam Deum vestrum quemadmodum tentastis Massæ.*

b. *Quid cavendum sit* vers. 16. *Non tentabis Dominum Deum tuum; quemadmodum tentasti eum in Massa. Tentare* est explorare, personæ aut rei alicujus conditionem, an & qui valeat ad id quod inde exspectatur. Sic homo sui ipsius experimentum sumit, ut David cum Saulis arma induisset, tentavit in iis ire, sed mox deposuit, quod sic experiundo non esset edoctus. Alius tentatur, vel à Deo homines, qui jugiter id agit, scrutans corda & renes Ps. 7. vers. 10. Jer. 17: 10. sed & singulariter, quemadmodum tentavit Abrahamum. Gen. 22: 1. & Hizkiam 2 Chron. 32. vers. 31. & Israelem Deut. 8: 2. non ut experimentum quæreret humanæ conditionis, quæ utique ei exploratissima est, Ps. 103: 14. sed ut illud exhibeat cum homini ipsi qui probatur 2 Chron. 32: 31. 25, 26. Ps. 26: 12. tum aliis, ut Jobi constantia Diabolo Job. 1: 2. Israelitæ aliis. Vel Homines tentant Deum, ut experimentum sumant perfectionum ejus. Ea indifferens est, bona vel mala, prout vel ex fide vel ex infidelitate proficiscitur. Bona & laudabilis tentatio est, quæ instituitur ex fide, quæ semper habet verbum aliquod promissionis, quod jubeat. Mal. 3: 10. *Inferte omnes decimas in domum thesauri, ut cibus sit in domo mea & explorate me in eo dictum Domini Zebaoth, si non aperuero vobis fenestras cœli* &c. Jubet experimentum sumere bonitatis & veritatis suæ, quod speciale obsequium speciali benedictione velit remunerari. Sic Gideon tentavit Deum vellere irrorato solùm, vel sicco in universali rore, sed fidens divinæ promissioni de liberatione Israelis suo ministerio, & petita hujus facti venià Jud. 6: 36. s. atque impetratâ; & fuit peccatum Achazi, quando jussus signum petere, tentationem illam se facturum negavit Esa. 7: 11. s. Mala est & criminosa tentatio quæ fit ex infidelitate, citra mandatum aut promissionem, ex proprio lubitu, animo dubitante de Dei potentia, veritate, bonitate, Mal. 3: 15. qui faciunt impietatem, tentant Deum & evadunt; tentatio est sitne damnum superbæ impietatis, ut Deus vel sciat admissam, Job. 22. vers. 13. 14. vel cognitam improbet Mal. 2: vers. ult. Ps. 95. vers. 9. Ps. 78: 18. s. *tentarunt Deum in corde suo, possetne Deus mensam instruere in deserto? Ecce percussit petram ut effluerent aquæ? an posset etiam populo suo dare panem & parare carnem?* Ubi geminatum crimen fuit, Experimentum omnipotentiæ in danda ex petra aqua fit argumentum dubitandi de ea, & citra necessitatem, meræ voluptatis ergo poscendi documentum novi ad cupiditatis satisfactionem.

Hæc fuit tentatio, quam cavendam monet Moses. Dicit autem non esse suscipiendam contra Dominum Deum tuum, singulari fœdere conjunctum, hoc est mediatorem. Etenim Exod. 23: 21. Angeli exacerbationem cavere jubet: ea vero est tentatio Ps. 78: 17, 18. & vers. 40, 41. *Sanctus Israelis* Christus est, qui segregatus illi est per desponsationem, uti Israel Sanctitas ipsi Jer. 2: 2, 3. Quia disertam habemus interpretationem Pauli 1 Cor. 10: 9. *Ne tentemus Christum, sicuti quidam illorum tentarunt*, Num. 21. Moses id factum dicit in Massa Exod. 17: 2. s. quando in Rephidim aquis carerent, quem locum vocavit Massa & Meriba, propter litem filiorum Israelis, & quod Dominum tentassent, dicendo, Estne Dominus in medio nostri, nec ne? ut bonitatem & potentiam, & veritatem habeat pro nostri sustentatione. Ps. 95: 8, 9. Cavenda proinde Tentatio Christi, ut ipsius potentiæ, bonitatis, veritatis, justitiæ, experimentum ex infidelitate sumatur. Sic frequenter actum contra Christum. A Satana volente ut miraculo necessitati suæ vellet consulere, lapides in panem vertendo; ut contemtâ ordinariâ providentia extraordinariam poscceret, neglecta via præcipitem se dando de tecto templi; ut abnegato Deo prosperitatem à Diabolo exspectaret, adorando Diabolum Matt. 4: 1. s. A Judæis itentidem poscentibus signum miraculosum, & sibi vendicantibus imperium in ipsum, quid & quando faceret. Cujusmodi tentationes sæpissimæ adhuc fiunt. Satanico more agitur cum Christo, non quidem eadem dicendo, sed tamen faciendo, quæ simili oratione exprimenda forent. Ps. 78: 41. contrahuntur in unum *Tentarunt Deum, & posuerunt terminum Sancto Israelis.* Evidentissima est tentatio Dei, quando talis terminus ei ponitur, an ipsius bonitas potentia eousque possit pertingere, quousque humana voluntas & cupiditas poscit. Tentat Christum quisquis Diabolo, mundo, carni servit, neglecto cultu Dei. An ipse hostem & adversarium citius velit beneficiis cumulare, quam novi illi quibus servit Domini. Achazus noluit faciendo voluntatem Dei experiri ejus opem, sed hoc fastidito implorare Assyrium fiducia opis ab ipso consequendæ. Sic adoratur Mammon, venter, brachium; & felicitas à mundo & principe ejus exspectatur.

Rursum tentat Christum, qui viam quam calcandam proposuit negligens, per miraculum iter conficere vult, Eph. cap. 2: 10. Rom. 2: 7. quisquis est in hâc viâ, tutò ambulat, providentia Dei eum tuetur Esa. 64: 5. Ps. 119: 1. s. Sed hæc via molesta est & tædiosa; Matt. 7: 13, 14. quærunt molliorem, & inde se avolaturos credunt in cœlum, modo habeant alas externæ professionis, Luc. 13: 24. seq. nulla agonia ad intrandum, manent extra; sed poscunt introitum quia audiverunt prædicantem, ante faciem ejus comederunt & biberunt, cum sint operarii iniquitatis. Nihil hac frequentius tentatione, possitne Christus servituti peccati stipendium vitæ æternæ dare? & viam impiorum felicitate sempiternâ beare? cum non faciat nisi voluntatem Patris, & Pater non aliis destinarit regnum Dei quam facientibus suam voluntatem Matt. 7: 27. Vel, quamvis totam vitam quis transigerit in omni placito gentium & conformitate mundi, tamen in præcipitio æternitatis, ad unum Miserere mei peccatoris, sitne per Angelos deportaturus in sinum Abrahæ, & non præcipitaturus impium in

locum tormenti? Sic quando quisque modum statuit suæ obedientiæ, & si eousque processerit, & eam secutus fuerit normam, tunc sibi Christum debitorem facit ut præcipitem tueatur & subvehat in cœlum.

Rursum, tentat Christum, qui in quavis necessitate, quam sibi fingit, miracula poscit, & ipsamet præscribit. Fames non illico conversis lapidibus in panes explenda, sed excitanda fides. Deut. 8: 3. Deus sivit esurire, ut doceret, non solo pane vivere hominem, sed quovis verbo prodeunte ex ore Dei. Fiducia ponenda non in divitiis instabilibus sed in vivo Deo, 1 Tim 6: 17. Maria sic peccavit Joh. 2. voluit illicò miraculo succurri defectui vini. Jesus negat horam suam yenisse, & ipsam cum petitione suâ amolitur. 2 Thes. 3: 10. qui non vult laborare, ne comedat & vers. 12. *per D. N. Jesum Christum mandamus*, ut *tacite laborantes proprium panem comedant*; qui desides sunt deserunt viam ad panem, & merito non reperiunt. Quod si labori industrio non sufficiat tamen panis, exercenda ἀντέχεια, preces, patientia, & Deo fidendum; non desituro suos. Heb. 13: 5. s. In Ecclesiæ afflictione tempus & media liberationis finguntur, & præscribuntur Deo; tentatur sic Christus; utendum mediis quæ ipse præscripsit, quam diu illa largitur, non tantum corporalibus, sed etiam spiritualibus. 2 Chron. 7: 13. s. Quamvis hoc nobis non sit dictum, tamen ausim affirmare, hæc media fore salutaria. Sed cum ista negligamus, aversemur, poscimus miraculum. Tale fuit quod Deus dedit Achabo contra Benhadadum 1 Reg. 20. Sed ex speciali promisso, ad asserendam suam gloriam contra blasphemantem Deum. Non habemus ejusmodi promissionem. Esa. 63: 15. queruntur ubi tuus Zelus, & potentiæ, tumultus viscerum, & misericordiæ? erga me clausæ tenentur. Sed haud mirandum, cum hic foret res miraculi; cap. 64: 6, 7. & cap. 63: 17. Hoc modo si nos habeamus, miraculum requiritur: atque istud petere non tentare Deum est, sed obsequium, ut ipse det cor novum ad se timendum; timorem sui indat cordibus, ne recedatur ab ipso; Spiritum suum, qui & doceat & ducat, & faciat ambulare in suis viis. De istis vult sollicitari, & sollicitantes audire; sic precemur proximâ supplicatione, & idoneitatem impetrabimus ad media illa ordinaria, iisque religiose utamur: Non erit istud frustraneum, Obsequium erga Deum ipse remunerabitur benedictionibus dabitque experimentum, non dixisse Deum unquam, Quærite me frustra Esa. 45: 19. sed esse Deum qui justitiam loquitur, & annunciat quæ recta sunt: ut bene sit timentibus Deum & custodientibus fœdus ipsius.

Vers. 17. *Diligenter observatote præcepta Jehovæ Dei vestri, & testimonia ejus statutaque ejus quæ præcepit tibi:*

Vers. 18. *Ut facias quod rectum & quod bonum videtur in oculis Jehovæ (ut bene sit tibi, & ingressus hæreditario jure possideas optimam illam terram quam juramento promisit Jehova majoribus tuis.)*

Vers. 19. *Expellendo omnes inimicos tuos à facie tua: quemadmodum loquutus est Jehova.*

ב. Nunc sequitur, quid faciendum & quo commodo id futurum.

a. *Quid faciendum*, legitur vers. 17, 18. habetque descriptionem abundantiæ accuratam: Cui, circa Quæ, Quid, Quomodo, Quo fine præstandum sit.

a. Cui, id est, *D. Dei vestri*. Diximus hic agi de Facie Dei, Mediatore, qui singulariter fœderatus Israeli. Dei patris vox est Exod. 4: 22. filius meus, primogenitus meus est Israel. Sed filii Mediatoris Jer. 2: 2, 3. Patris est Esa. 63. vers. 9. in omni afflictione &c. uti Pater afficitur filiorum calamitatibus Jer. 31: 20. Filii est, Angelus faciei ejus servavit eos amore fideque suis eos redemit, & susceptit eos & gestavit, omnibus diebus ab antiquo; uti maritus servator est suæ conjugis Eph. 5: 23. s. Jam mariti est imperium domi suæ, neque uxori alius mandata audienda agnoscenda, sequenda sunt Ps. 45: 11, 12. oblivio paterni obsequii, quod naturale, ut valeat conjugii: renunciatio & abnegatio illorum, & subjectio solitaria, & humilis. Hujusmodi reverentiam sibi debitam, & præstandam jurat Esa. 45. vers. 23. & Pater præstari illi vult Phil. 2: 9, 10. Hæc obedientia mandata Exod. 23: 20. s. Obediendum ipsi & faciendum quod mittens Deus dicit. Annon hic duobus Dominis serviendum? sed nihil hîc periculi, quandoquidem quæcunque Filius Mediator dicit, jussus dicit; sunt Patris verba, qui per ipsum loquitur. Deut. 18: 18. s. *prophetam excitabo eis è medio fratrum, ut te, & dabo verba mea in os ipsius, & loquetur ad ipsos omne quod præcipiam illi; & fiet quisquis non audierit verba mea, quæ locutus fuerit in nomine meo, ab illo requiram.* Cum enim Nomen Dei in ipso sit, utique nequit diversum quid imperare; quod sæpius dixit Joh. 7: 16. *Doctrina mea non est mea sed ejus qui me misit*, Cap. 8: 28. Cap. 12: 49, 50. Cap. 14: 10. & Cap. 16: 15. Atque hinc est quod non nisi hujus Mediatoris vox audita fuerit olim. 1 Pet. 1: 11. qui unus hîc audiendus mandatur, Elohim ille delegatus Dominus, qui unus eo honore habendus. Adeoque quicquid Israelitæ olim peccarunt, contra Christum peccarunt: quemadmodum tentatio contra ipsum fuit 1 Cor. 10: 9. ita quoque idololatria, & scortatio, & murmuratio, ibidem commemoratæ. Confirmatur istud Heb. 3: 6. *Christus ut filius super propriam domum est; cujus domus sumus nos: quare sicut dicit Spiritus S. Hodie cum audiveritis vocem ejus, ne obdurate corda vestra, ut in exacerbatione in die tentationis in deserto; ubi me patres vestri tentarunt, explorarunt & viderunt opera mea quadraginta annis; propterea iratus fui isti generationi* &c. Et cap. 4: 2. *ipsis Euangelizatum tunc* ait, *uti & nobis; sed non profuisse ipsis* &c. prodesse autem credentibus, ut in requiem ingrediantur, de quâ jusjurandum irati testatur. Scilicet Christus tum fuit constitutus Rex absolutus, cui omne imperium fuit commissum Rex unctus Prov. 8: 23. inde à principio: & speciatim Zionis Ps. 2: 6. Immanuel Dominus terræ longe ante incarnationem, qui divina potentia vires & consilia hostilia poterat irrita reddere Esa. 8. vers. 8. s. Verum idem Filius Mediator nobis quoque agnoscendus; Præter regnum Zionis habet quoque Gentium, Ps. 2: 6. s. cui cæteri incolæ terræ se subjicere debent vers. 11, 12. Schilo habebit obedientiam populorum Gen. 49: 10. & sic sæpius promissum, Num. 24: 19. Ps. 72. & quod nos propius concernit Matt. 28: 18. s.

Heic ergo etiam nostra res agitur, Mediator Dominus Deus noster ille est cui obsequium præstandum. Atqui quam pauci sunt qui hoc agnoscunt; quamquam plurimi se Christianos nominent, eoque ejus cultum profiteantur. Sunt qui solum factum Deum dicunt, & inde non nisi cum humana nativitate cœpisse docent. Sed male concludunt. Facti *Elohim sunt, ad quos sermo Dei factus est* Joh. 10: 35. qui mandatum regiminis à Deo acceperunt; & ipse factus est Elohim, qui itidem datum habet imperium, quod œconomicum vocatur, ad quod se sanctificatum dicit; sed id non demum accepit cum venit in carnem, sed accepit ante jacta mundi fundamenta Ps. 2: 7, 8. & accepit qui jam tum erat filius Dei habiturus idem cum Patre regnum jure creationis, quam primum aliquid productum esset; & exercuit quam primum cœpit Ecclesia, toto tempore Vet. Test. Est itaque Jehova, Verus & æternus Deus, sed qui insuper Regimen accepit, Ecclesiæ suæ bono, cui sigillatim fœderatus est, exercendum. De quo Esa. 48: 12. Apoc. 1: 8. Esa. 44. vers. 6. Agnoscendum proinde quod sit Jehova, Ens illud æternum, & Essentiator omnium, Joh. 1: 1. 3. Col. 1: 15. primogenitus, hoc est Dominus omnis creaturæ, qui idem imago Dei invisibilis, per quem omnia creata, & per quem omnia subsistunt; Sed insuper quod sit constitutus Elohim rector universorum, quatenus Mediator Joh. 17: 12. Et speciatim *Elohim noster*, uti Ecclesiæ Hos. 1: 7. Deus eum dedit superiorem omnibus, subjecitque omnia ejus pedibus, & dedit eum caput Ecclesiæ super omnia. Quicquid dignitatis, potestatis, divitiarum maritus habet, id quoque uxori habet, quæ non tantum viri, sed talis viri uxor est. Sic quoque circa Christum se res habet. Nihil adeo magni-

ficum habet, quod fideles in ipso non habeant. Verum Uxor regis, est etiam subdita regis, & quævis uxor subjecta marito. Gen. 3: 16. Non sic debemus intueri excellentiam Christi, & participationem ejus, ut superbiamus, vel securitatem, & lætitiam nobis persuadeamus, nisi etiam meditemur jugiter, esse nobis Dominum; Accepit à Deo illam potestatem in nos quoque Act. 2: 36. cap. 5: 31. s. jam ὑπαρχ⊙, uti olim ἄπαρχ⊙, & si quis eum non agnoscit quoque Dominum, non habet quod de ejus honore & bonis quicquam speret. Dominus noster est ad nos regendos, sed qui regi velimus. Huic uni parendum, quem Pater unum sanctificavit, ut quicunque alii sunt ipsi debeant cedere, & si quid contrarium jubeant, non ipsis sed huic uni obtemperandum. Est ille unicus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum 1 Cor. 8: 6. Quod nisi fecerimus uti nuper dictum, Dominus Deus noster fortis Zelotes, præsens, indignabitur, & non condonabit transgressiones, veram ulciscetur exterminio.

b. Circa quæ vero obediendum; sunt *præcepta ejus, testimonia, statuta. Præcepta* sunt, quæ præscribunt officia facienda; *Testimonia*, quæ testantur de voluntate Patris, promissiones gratiæ quascunque fecit, non notæ nisi ipso testante; *Statuta, quæ pædagogiam* habent ad Christum, ceremoniæ typicæ, umbræ futurorum. Siquidem distinctio placeat; alioqui sæpius synonymôs accipiuntur. Ps. 19. & 119. Proinde, quia de Christo agitur, hîc occurrunt Facienda. Quotquot Christi subditi sunt, ii sunt creaturæ rationales, adeoque obligantur natura ad obsequium creatoris; neque à Christo illâ obligatione liberantur, aut liberari possunt, quia fierent independentes: sed hîc insuper specialia mandata sunt, quia constitutus testis populorum, princeps & præcipiens populorum Esa. 55: 4. præceptio illa memoratur Matt. 28: 20. Estque breviter dictum Marc. 1: 15. Hæc sunt Christi specialia, qui hæc mandavit ipse, & mandari fecit per Apostolos suos Luc. 24. vers. 47. quemadmodum Act. 20: 21. Paulus nihil quod utile celans, docuit publice & privatim testatus Judæis & Græcis conversionem ad Deum & fidem in D. N. Jesum Christum, & sic semper. Verum hæc mandata etiam olim. Verbum fidei etiam Moses docuit, Rom. 10: 7, 8. Moses de Christo scripsit Joh. 5: 46. Etiam in Vet. Test. libris Respiscentia & fides in Messiam fuerunt doctrinæ in Ecclesia traditæ & inculcatæ. Uti ex prima promissione Gen. 3: 15. evidens est & Esa. 55: 1. s. vers. 6. Credenda Testimonia, quæ non nisi ex teste Christo disci possunt, hîc quoque inculcantur. Non sunt ea quæ luce naturæ cognosci possunt, sive inscripta cordi, sive ex meditatione rerum creatarum Rom. 1: 19, 20. sed quæ naturaliter ignota 1 Cor. 2: 9. Deus in Christo conciliatus Joh. 1: 18. Testimonium istud quod Deus mundum dilexerit, ut filium unigenitum daret &c. Joh. 3: 11, 12, 16. & illud 1 Joh. 5: 11. s. cujusmodi testimonia etiam olim fuere edita plura, Spiritu Christi testante in prophetis 1 Pet. 1: 11. Qui de omnibus testati fuerunt, quæ pertinent ad vitam æternam in Christo Joh. 5: 39. 2 Tim. 3. 15. Statuta denique & quicquid cerimoniarum fuit adumbrantium Christum, quæ manuductionem præstarent. Scriptio chirographi, sed ab alio, Messia nempe, delendi: quo se debitores Deo profitebantur, sed vicaria hostia expiandos in quam reatum à se transtulerunt, citra effectum tamen expiationis, quia semper erant repetendæ hostiæ, donec veniisset ille, qui ignem iræ Dei exstatiare, & æternam redemtionem procurare posset.

Priora duo nunc quoque locum habent Mandata Luc. 24. vers. 47, 48. Act. 57: 30. testimonia non tantum quid facturus Christus, sed etiam quid fecerit. Joh. 15; 27. Act. 10. vers. 41. s. De statutis non item istud dici potest, cum fuerint umbræ, quæ adveniente corpore evanuerunt Col. 2: 17. Verum & nunc utilissimæ sunt consideratione. Quemadmodum & volupe & utile est scire in mappa, qua via vel nos, vel majores nostri in has aliasve oras delati sint, licet non eandem repetamus; ita quoque meditari, qua ratione Christi notitia & communio olim fuerit Israeli concessa: neque minus cerimoniæ istæ adumbrantes, quam promissiones delineantes considerationem merentur, quæ aliquid Christi indicarunt, quod eventurum erat, & confirmamur æque illo quod eum depinxit figuris, quam quod indicavit verbis, ut eundem sciamus quem fide amplectimur, & qui amplectendus olim fuit propositus. Sunt tamen etiam statuta Novi Testamenti non futuri, sed præteriti beneficii Symbola, Baptismus & S. Cœna, quæ mnemosyna sunt Christi, & ejus communionem obsignant pariter & significant: quæ ipsius sunt Matt. 28: 19. 1 Cor. 11: 23. quorum usus manet usque dum venerit.

c. Quid porro faciendum, *Custodiendo custodietis.* Custodia non significat simpliciter aliquid servare ne pereat, uti vigiles custodiunt urbem, thesaurum, quem non viderunt, aut videbunt, nec eo fruentur. Uti Judæi custodes sunt Eloquiorum Dei, & multi custodiunt Biblia sua. Sed notitiam & usum congruentem. Quemadmodum via custoditur, in qua quis caute ambulat, ut jugiter procedens nullibi declinet à tramite recto. Sic custodienda mandata, ut eis obediatur: testimonia ut eis credatur; statuta ut quid significent, & quo ducant, attendatur. Geminatio verbi indicat diligentiam, sinceritatem, constantiam, ut vere assidue & indefesso studio in eo quis occupetur. Et istud à nobis quoque exigitur. Etenim sine custodia peribunt nobis ista, & nos istis. Mandata, testimonia, statuta Christi verbo continentur & proponuntur. Hæc diabolus furari studet, qui avis instar semen Verbi auferens á negligente corde, Matt. 13: 4. 19. Sunt & homines qui furantur sermonem Dei à proximis, & faciunt eos illorum obliviscí, qui miscent paleam tritico, humanos sermones divinis; imo sua somnia verbis Dei substituunt. Jer. 23: 27. 30. Custodia opus est, ut nec ab his nec ab illo quid patiamur, sed ut thesauri instar abscondamus, ut Maria Luc. cap. 2: 19. 51. & David qui omni auro & argento potius duxit verbum Dei Ps. 115: 72. & vers. 14. & vers, 102. & vers. 11. uti nauta custodit pyxidem nauticam, sine qua cursum in Oceano tenere nequit. Sed nos etiam sumus custodiendi. Cordis hîc opus Prov. 23: 26. & hoc eget custode Prov. 4: 23. alioqui vagabimur averfi per vias cordis Esa. 57: 17. & Psal. 95: 10. Sicut pueri nec ipsi viam tenent, amantes vagari, & facile quovis spectaculo, quovis exemplo abducuntur. Sic quoque & propria vanitate & cupiditatibus, & mundi exemplo, spe metuve ostentatis avocamur. Serio & constanter custodia adhibenda, ne unquam verbum Dei excutiatur nostro corde, & meditatione, nostris sermonibus & inprimis actionibus, ut ex omni nostra conversatione id appareat, Rom. 6: 17. cera typum sigilli servans, imo metallum matricis omnem figuram in quam fusum fuit, cujus adeo constans rigor est, ut contra magnam etiam vim perstet sine mutatione. Mat. cap. 7: 24. s. audiens & faciens verba Dei, (& hic est custodiens Joh. 14: 21. 23.) similis est domui inædificatæ rupi, quam nulli fluctus aut tempestates queunt labefactare, nedum evertere.

d. Quomodo Id ita exprimit, *quæ præcepit tibi.* Quod fide & obsequio præstandum est, id sit mandatum Christi. Nullus hic locus τῇ ἰθελοθρησκείᾳ, uti nec placitis aliorum hominum, sive pauci sint, sive multi, sive Ecclesiasticum, sive politicum axioma habeant. Statuta domus Omri, licet rex foret, male custodiebantur Mich. 6: ult. & quæ Prophetæ tum Samariæ, tum Hierosolymæ præscribebant, vel commendabant, quod neminem in arcano Dei stetisse dicerent, qui verbum ejus audivisset, & interpretationem ab ipso hausisset Jer. 22: 13. 18. itidem malum. Sed regula certa est Ezech. 20: 18. s. Nunquam Deus Ecclesiæ suæ fidem alligavit voluntati hominum, 2 Pet. 1: 20, 21. Quanquam multum datum Levitis, Deut. cap. 33: 10. & hinc Mal. 2: 7. verum quia decedunt nonnunquam, utpote & ipsi homines, eoque mendaces Rom. cap. 3: 4. propterea Mal. 4: 4. Eph. 5: 15. 17. Et heic notanda sollicitudo Mosis, quam habuit & commendavit. Dixit *custodietis*, de omnibus simul, & *quæ mandavit tibi* de quovis sigillatim. Debet quisque nosse regulam sibi, ut secundum eam agat. Docenda ministris quæ Christus præcepit, Matt. 28: 20. & custodienda ea omnibus, sed ut quivis sigillatim sciat mandata esse eoque omnibus debent mandata Christi esse familiaria, ut sciant Joh. 5: 39. & ut judicare queant, an doctores ea doceant 1 Joh. 4: 1. quemadmodum Beroenses, & Aquilas, & Priscilla circa Apollon Act. 18: 26.

e. Quo

e. *Quo fine*, verſ. 18. *& facies quod bonum & rectum eſt in oculis Domini.* Non factum conforme mandato obedientia eſt, ſed quando Dei attenditur autoritas, & ut ipſi ſatisfiat. Eleëmoſynæ, preces, jejunia Phariſæorum Matt. 6. Plus poterant juvare dona divitis quam viduæ duo minuta ad pauperum ſuſtentationem, Luc. 21: 1. ſ. Marc. 12. 41. ſ. aſt hæc fecit quod rectum erat in oculis Domini. Bene Paulus 1 Theſ. 4: 1. ſ. precamur & hortamur vos in Domino Jeſu. uti à nobis accepiſtis quomodo ambulandum & Deo placendum, ut magis abundetis. Non ambulare ſufficit, ſed junctum ſit oportet τὸ placere Deo. Subjunxit autem mox mandatum Dei. Noſtis enim quæ præcepta vobis dederimus per Dominum Jeſum &c. Etenim nihil poteſt placere Deo, quam quod ſuæ voluntati conſentaneum eſt, quæ ſola bona. Rom. 12: 1, 2. Notitia neceſſaria Col. 1: 9. ſ. rogamus pro vobis, ut impleamini cognitione voluntatis ejus in omni ſapientia & intelligentia ſpirituali; ut ambuletis digne Deo &c. Diſſimilitudo Dei nequit illi placere, debet eſſe digne Deo, digne Chriſto, digne Euangelio: illo modo 1 Pet. 1: 14, 15. iſto Eph. 4: 20. ſ. hoc Phil. 2: 15, 16. ut Deus ſanctificetur Eſa. 61: 3. Matt. 5: 16. 1 Pet. 2: 1, 2. An & quantum hic fiat cujuſvis permitto examini & judicio. Multiplex defectus evidens, qui nos monere deberet, ut emendemus, ne damnum illud patiamur, cujus verſ. 15. meminit. Neglectus eſt graviſſima tentatio Dei, an videat, an vel auſit, vel poſſit punire provocantes, ſed quæ tentatio eventum habet, qui Eſa. 27: 4. quis mihi dabit ſpinam &c. ſi quis putet ſe poſſe vincere ignem, is audacter contra eat, ſed experietur impios eſſe ut ſtipulam, ut aridas ſpinas quæ ſubito tanquam tempeſtate abripiuntur. Quare ut evadamus, Oſculandus filius, & obſequium iſtud commodo cedet.

b. *Commodum* eſt Largitio boni & Amolitio mali.

a. *Largitio boni*, verſ. 18. in genere *ut bene tibi ſit*, in ſpecie, *ut ingrediaris & poſſideas terram bonam;* & ſecuritas à jurejurando Dei. Iſta jam aliquoties dicta ſunt Deut. 4. verſ. 1. 40. cap. 5: 16. 33. cap. 6: 1, 10. & nunc repetere non eſt opus; prius etiam nobis applicari poteſt, in quacunque vixerimus terra; poſterius Iſraeli proprium, hoc tantum quî conditio obedientiæ adſcribitur, ubi juramentum Dei eſt? hoc oſtendit immutabilitatem conſilii Dei Heb. 6: 17. ſ. Ergò non pendet à conditione humana. Reſp. Sic eſt ab immutabili conſilio id pendet; unde docetur Deut. 9: 3. ſ. non obſequium Iſraelis, ſed jusjurandum Dei facere ut detur. Verum potuit adimi ad tempus ob inobedientiam Deut. 4: 25. ſ. & reſtituetur ob idem juramentum. Sed ut Deus velit per Spiritum ſanctum obedientes reddere Deuteronom. 30. Ezech. 36. quo poſſeſſio ſit conſtans.

b. *Amolitio mali*, verſ. 19. Hoſtium depulſio ex promiſſione, quæ Exod. 23: 22. *ſi vocem Angeli audiendo audieritis, & feceritis quæ dixero, ero hoſtis hoſtium veſtrorum, & adverſarius adverſariorum: & Angelus meus vos introducet in terram Amoræorum.* Solliciti ſunt patriotæ, quomodo avertendi hoſtes, ubi defectus apud nos conſiliorum, militum, theſaurorum &c. & omnia quotidie in pejus ruunt, expedita ratio hîc oſtenditur. Obediendum Chriſto. Si non tantum conſpiraverimus cum ipſius hoſtibus occulte, ſed etiam aperte ipſum oppugnaverimus, amici mundo, ſervi voluptatum; expediet contra nos ſceptrum ferri ad noſtri contritionem. Verum ſi obtemperaverimus, noſtri hoſtes ipſius quoque erunt, & tum facile erimus ſuperiores. Ipſe eſt vir belli, princeps exercituum Domini. Surgat modo, diſſipabuntur hoſtes, ut fumus à vento, cera ab igne. Pſ. 68: 2. ſ. Addicamus nos Chriſto ſincere, & ſollicitemus ut hanc promiſſionem primam præſtet circa hoſtes inteſtinos; cupiditates carnales pugnantes contra animam; hos ubi devicerit, ſerviemus ipſi liberati in juſtitia & ſanctitate omnibus diebus vitæ, & ipſe nos cuſtodiet ab omni malo opere, & ex ore quoque leonum eripiet, & ſervabit ſuo regno cœleſti.

Verſ. 20. *Quum autem interrogaverit te filius tuus poſthac, dicendo, quid* ſibi volunt *teſtimonia ſtatutaque & judicia illa quæ præcepit Jehova Deus noſter vobis?*

III. Moſes poſtquam expoſuit, tum quomodo Dei fœderati promiſſa excipienda, tum quid ipſis ad obſequium primi præcepti præſtandum ſit; antequam ad ſecundum procedat, adhortationem inſerendam putavit, qua perſuaderet obſervantiam, ſeu potius qua erudiret, ut aliis eam perſuadere poſſent. Etenim I. proponit neceſſitatem hujus perſuaſionis, verſ. 20. II. rationes perſuadentes recenſet, verſ. 21–25.

A. *Neceſſitas* perſuaſionis eſt, verſ. 20. ubi I. quis, II. quando, III. quid poſtulaturus ſit.

א. *Quis.* ille eſt *Filius tuus:* ſic omnes poſteri deſignantur; horum inſtitutionem imperavit Deut. 4: 9. & cap. 6. verſ. 7. ut parentes eos erudiant; ſed hîc poſtulant eum filii. *Si interrogaverit filius tuus*: loquitur de majorennibus liberis. Minorennibus ſimpliciter dicitur quid facere debeant, quandoquidem per ætatem non ſunt capaces accuratioris informationis; verum quorum eſt major ætas, ſolent, ſaltem debent ſcire cur faciendum ſit, atque de eo inquirere. Etenim quicquid mandatum eſt à Deo, ſapientiſſimum eſt. Deut. 4: 6. eoque cauſam habet ſapientiſſimam eopſe quia Deus mandavit, qui nihil agere poteſt quam quod ſit bonum & juſtum & ſapiens. Voluitque quæ mandavit ut ſcrutaremur. Quamvis enim quædam ſint myſteria inſcrutabilia, quemadmodum quæ decreta Dei ſunt, alia tamen ſunt revelata, mandata nempe Deut. 29: 29. Judæi quando traditiones ſuas obtrudunt, ſimplex obſequium poſcunt citra ſcrutationem, adeo ut licet dicatur de ſiniſtro dextrum eſſe, & viciſſim, id tamen credendum ſit. Et illorum exemplo Pontificii ſimplicem credulitatem poſcunt. Verum ſic pueri ducuntur: Aſt in religione non ſemper debemus eſſe pueri, qui circumferamur aliorum arbitrio, ſed veritatem conſiderantes in charitate ſemper creſcere Eph. 4: 14. ſ. Rom. 12: 1, 2. rationalis debet eſſe cultus noſter, adeoque explorandum, quæ ſit bona, & placens, & perfecta Dei voluntas. Quo magis ſcrutamur, eo plus intelligimus, & tanto efficacius perſuademur; quando fides noſtra non nititur ſapientia & autoritate hominum, ſed autoritate & ſapientia Dei.

ב. *Quando*, id eſt, *Cras.* Ita omne tempus futurum indicatur, non præciſe proximus, ſed etiam longiſſime diſtans dies. Præſens tempus *Hodie* dicitur, & præteritum *Heri*, quando de Veteri & Novo Teſtamento agitur Heb. cap. 13: 8. Sed cum V. T. eſſet hodie, Novum fuit Cras. Poteſtque ad tempora ultima quoque referri, quid in extremo dierum rogaturi eſſent liberi. Sed etiam ad propiora pertinet, quicquid poſt futurum eſſet, ut Joſ. 22: 27. ſ. Rubenitæ Gad. & Man. ſtructi altaris rationem dicunt, ut liberis Iſraelitarum aliorum cras dicentibus, non eſt vobis pars in Domino, hoc ipſo eos refutarent. Ergo ſollicitudinem parentibus commendat de poſteritate, ut ei quid ſatisfaciat, meditentur. Quod hodie liberis citra hæſitationem admittitur, forte poſtulabitur ab iiſdem cras ejus demonſtratio; quemadmodum hodie de multis quæritur, quæ heri nemini videbantur examinanda. Meditanda proinde argumenta veritatem confirmantia ad convictionem. Infirmum fundamentum eſt placitum hominum, quod multi vel pauci ſtatuerunt. Sic merito repudiatus fuiſſet Chriſtus ejuſque Euangelium; nam principes & Phariſæi aliud cenſuerunt. Sic manendum in Gentiliſmo, in Papatu, ubi tot hominum & ſeculorum conſenſus erat. Sed Chriſtus ait, *Ego teſtimonium ab homine non ſumo* Joh. 5: 34. ſed amandat ad Scripturam, verſ. 39. Hominum autoritatem qui ſequitur, negat eum poſſe credere, verſ. 44. quia eo nititur qui mendax, & cujus ſapientia vanitas; adeo ut per illos decipi queat ad æternam perniciem. Alia paranda ſunt argumenta, quæ potentia per Deum ad dejiciendas munitiones &c. 2 Cor. 10: 4. ſ. Sic Petrus paravit, quæ poſt ſuum exceſſum poſſent eſſe inſtitutioni. 2 Pet. 1. verſ. 15.

ל. *Quid* nempe, *Quænam ſunt teſtimonia, ſtatuta & judicia, quæ Dominus Deus noſter mandavit vobis?* Reſpicit omnia Dei mandata. I. *teſtimonia*, quæ teſtantur de Dei voluntate, quam vult normam actionum omnibus. II. *Statuta*,

tuta, placita cerimonialia, quæ in cultu obſervanda præſcripſit. III. *Judicia*, leges politicæ ad civilem ſocietatem pertinentes. De his omnibus quæritur ratio; quandoquidem habent autorem Deum fœderatum, qui Iſraeli ea omnia præſcripſit, & ad quæ etiam liberi tenentur, qui in fœderis hæreditatem ſuccedunt. Scilicet quia Deus etiam ipſorum Deus eſt, æquum eſt ut ſciant, quid & quare juſſerit. Magno argumento etiam liberis noſtris 1 Cor. 7. verſ. 14. ſunt in fœdere: Ergo debent noſſe velle, quid illud fœdus velit: ne fœdifragi inveniantur, quando noluerunt inquirere; eoque volentes ignari ſunt. Et quæritur ratio ab iis qui primum acceperant, ad quorum teſtimonium provocari poterat, utpote qui viderant audiverantque omnia quæ fœderis iſtius circumſtantiæ erant, & conditiones & ſanctionis ritus. Sic nobis attendendum ad eos qui præſentes fuerunt pangendo fœderi ejus internuncii, Moſes & Prophetæ, nec non Apoſtoli Jeſu Chriſti, qui teſtes conſtituti Joh. 15: 27. Luc. 24; 48. ubi Moſes Exod. 19: 9. Quanquam etiam proximi parentes intelligi queant, ſed qui rite norant fœderis hujus rationem omnem. Sane ſi liberi hæreditarium fœdus apprehendere debent, parentibus illud exploratum eſſe par eſt, & non minus accurati eſſe, ut hanc partem hæreditatis liquidam dent liberis, quam ullam aliam. Parentes teſtamento liberis diſponunt terreſtria bona; ſed multo magis de cœleſtibus cauti eſſe debent; ut qui feudale bonum relinquunt, ſimul declarant quando & quomodo à Domino ſuperiore illud petere, accipere, tenere oporteat; ſic quoque quomodo à Deo fœderato conſequantur omnia, quæ ad hanc & futuram vitam pertinent.

Verſ. 21. ***Dices filio tuo: ſervi eramus Parhonis in Ægypto: ſed eduxit nos Jehova ex Ægypto manu forti:***

Verſ. 22. ***Ediditque Jehova ſigna prodigiaque maxima & peſſima contra Ægyptios, contra Parhonem & contra totam familiam ejus ante oculos noſtros.***

Verſ. 23. ***Eduxit autem nos inde, ut introduceret nos & daret nobis terram hanc, quam juramento promiſerat majoribus noſtris:***

B. *Rationes perſuadentes* ſunt in Reſponſione, verſ. 21. *Et dices filio tuo.* Reſponſum negari jure nequit. Filius eſt qui rogat, & huic debet inſtitutionem Pater. Habet hic naturale imperium in liberos, jus ad eos caſtigandos Heb. 12: 9, 10. prout bonum videtur, & ferendus eſt: utique debet ergo noſſe quas leges inculcandas habeat, ut caſtigatio juſta ſit. Turpe eſt velle eſſe patrem, & non noſſe quid reſpondendum filio, regulam vitæ exquirenti, & quæ eo pertinent. Rationes ipſæ ſunt, I. Fundamentum obligationis, verſ. 21, 22, 23. II. Finis mandatorum, verſ. 24. III. Fructus ad ipſos redundaturus, verſ. 24, 25.

א. *Fundamentum obligationis* eſt in vindicatione ex ſervitute Ægyptiaca, quam proponit.

a. *In genere*, verſ. 21. indicata ſervitute. *Fuimus ſervi.* non noſtri, ſed alieni juris & poteſtatis, & quidem *Pharaoni*, regi magno & violento *in Ægypto*, terra nobis peregrina, ſed quæ ipſius regnum erat, ut abunde virium illi eſſet ad nos opprimendos, nihil nobis ad noſtras vindicias, ut nos ipſos aſſereremus in libertatem & liberationem, & *Jehova* Eſſentiator omnium, etiam ſuarum promiſſionum, *eduxit nos ex Ægypto*, ut nec nos, nec quicquam noſtri in tota illa terra manſerit; idque *manu forti*, ſuperato omni niſu in contrarium.

b. *In ſpecie* illuſtrat, tum à Modo, verſ. 21. à miraculis & ſignis plagarum publice & privatim editis, ſe inſpectantibus, tum à fine vindiciarum, verſ. 23. ut eductis daret poſſidendam Cananæam, patribus jurato promiſſam. Sæpius hæc jam dicta, & cap. 4: 37. modus indicatus, *& eduxit te per faciem ſuam, robore ſuo magno ex Ægypto:* ut Mediator conſtituatur inſtrumentum. Rem ipſam ſpectare præter ſcopum eſt, ſed quod intenditur, huc redit. Cum quæratur cur tam multa variaque præcepta ſint obſervanda? ratio datur.

a. A conditione vindicatorum, dum dicit, *Fuimus ſervi hominis duri*, tyranni pro voluntate ipſius, uti Neh. 9: 37. nullis legibus circumſcribebatur ſervitus, ſed pro lubitu augebatur, ut finem miſeriarum non licuerit proſpicere, illimitatum arbitrium libidinis humanæ. Nunc vero habemus leges finitas voluntatem Dei exprimentes, quæ & bona & conſtans.

Eſt hoc argumentum 1 Pet. 4: 2, 3. ceſſandum à peccato, *ut non amplius juxta cupiditates hominum, ſed juxta voluntatem Dei tempus reſiduum in carne vivamus.* Et Tit. cap. 3: 3. coll. cum cap. 2: 11, 12. Æſtimanda nobis ſervitus peccati, infinita ſunt imperia mundi & moris ejus, carnis & cupiditatum internarum, neque ulla ſtabilitas; quod hodie rectum, cras malum eſt; quod hodie laudatur, cras ridetur, damnatur: imperia indies & augentur & acrius urgentur, neque unquam datur remiſſio, Roman. cap. 6: 12. ſ. dominante peccato, corpus mortale obſequi debet cupiditatibus, & membra militare impuritati & injuſtitiæ; utpote cum venditis ſub peccato mancipiis nihil non imperet peccatum, & extorqueat. Aſt Dei lex ſancta & juſta, & bona & conſtans, quæque voluptatem adferet facienti. Poteſt de ea conſtare Rom. 12: 1, 2. & licet videatur diffuſa, pauciſſimis comprehendi poteſt Mich. 6: 8. Matt. 22: 37. ſ. ut gaudere debeamus hoc obſequio longe præferendo priori.

b. A conditione Vindicis: Ille magna & omnipotente virtute ſolus citra noſtram opem nos vindicavit, ut felici poſſeſſione quam promiſit, donaret. Acquiſivit ſibi quos exemit tyrannidi, maxime cum tantum laboris impenderit, non ſua tantum æſtimatione, ſed teſtibus iis qui redemti ante oculos noſtros, ut pro ipſo judicare debeant ipſimet; & ut ex ſervis nihil habentibus conſtitueret poſſeſſores hæreditatis eximiæ. Valet iſtud argumentum & quoad nos, Luc. 1: 68. ſ. Loquitur Zacharias de Judæis, ſed etiam Gentibus applicari poteſt, cum promiſſum fuerit, In ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ, & Chriſtus paſſus in cruce effecit ut benedictio Abrahami exſtaret in Gentibus Gal. 3: 14. Quid vero non egit Chriſtus facies Dei, ut nos eriperet tyranno diabolo. Gen. 3: 15. Joh. 14: 30. Eſa. 40: 10. Col. 2: 15. Quid aliud concludendum quam noſtra obedientia, 1 Cor. 6: 19. ſ. Tit. 2: 14. Atque id factum eſt coram oculis noſtris; nonne vidimus mortuum in S. Cœna? quando ſemetipſum dedit victimam pro peccato ad nos reconciliandos Deo. Nam eopſe tempore cum perſolvit lytron Patri, luctatus eſt cum Diabolo, eumque vicit Pſ. 69: 5. Col. 2: 14. ſ. Joh. 14: 30, 31. & Jer. 31: 11. Adeoque Heb. 2: 14, 15. ſua morte expiavit peccatum, eoque exarmavit Diabolum, qui ſtimulo caret, ut mors non ſit metuenda redemtis Rom. 8: 1. qui proinde illi vivere debent 2 Cor. 5: 15. hoc nobis jugiter cogitandum, & id amor Chriſti extorquere poteſt, verſ. 14.

Verſ. 24. ***Et præcepit nos Jehova exercere omnia ſtatuta iſta, timendo Jehovam Deum noſtrum; ut bene ſit nobis omnibus diebus, ut nos conſervet in vita ſicut hodie:***

Verſ. 25. ***Et juſtitia ſit nobis; ſi obſervantes fecerimus omnia hæc præcepta coram Jehova Deo noſtro, quemadmodum præcepit nobis.***

ב. *Finis mandatorum*, verſ. 24. *Dominus mandavit omnia iſta ſtatuta nobis*, (ſub una ſpecie complexus & cæteras) *ad timendum Dominum Deum noſtrum.* Servitutis Ægyptiacæ multi fines erant, Exod. 1: 11. Pharaoni debuerunt ædificare urbes theſaurorum, & inſuper quibuſvis Ægyptiis, verſ. 13. Ægyptii fecere Iſraelitas ſervire in duritie, & amaram vitam eis reddebant duro labore, in luto & lateribus, & omni labore ſervili in agro. Multi ergo fuerunt timendi, & multis præſtandum quid operæ; qua fruerentur;

tur, nulla obligatione mutua; aſt hic omnia mandata redeunt ad unum timorem Dei, reverentiam cordis, Deut. cap. 5; 29. Eccl. 12: 13. Eſt agnitio benefactoris, cui proinde nihil adverſum agere, ſed ſemper placere ſtudeat. Et timendus Dominus Deus noſter, qui abſolute jubere poteſt. Dominus Eſſentiator, id obſequii vi fœderis poſcit; timetur Dominus Deus noſter, ex pacto, quo voluntarie nos obſtrinximus. Hoc die iſtud argumentum nobis de novo eſt conciliatum. Hodie nos Deum fecimus dicere fore nobis Deum, & ipſe nos fecit dicere, nos fore illi pop. peculii & obſervaturos præcepta ejus omnia. Sponte acceſſimus, & mutuam ſtipulationem popoſcimus; Dominus ergo Deus noſter eſt propria noſtra electione. Nonne ergo timendus? non tantum inobedientes ſumus ſi non præſtemus, ſed etiam mendaces. Metuendum juramentum proprium. Perjurus infamis eſt apud homines, qui hominibus talis: quid igitur judicandum de perjuris Deo? Legite Jer. 34: 17. ſ. Vindicem violati fœderis repetiti ſe fore docet, ut tradat eos gladio, peſti, fami, & commotioni omnibus regnis terræ. Non poſſumus negare factum, uti lapis fuit teſtis promiſſi quondam Joſ. 24: 27. ſic columnæ & parietes templorum, ſic menſæ ad quas acceſſimus. Timeamus ergo Deum noſtrum. Meditemur ejus præſentiam ubique in omnibus actionibus, ſermonibus, cogitationibus, & ſic nos in iis geramus, ut qui oculos ejus nolimus exacerbare, ſed inde amovere quicquid turpe, ut præſentem ſemper habeamus cum omni benedictione. Quæ nunquam deerit. Nam.

3. *Fructus* redundaturus eſt generalis & ſpecialis.

a. *Generalis*, verſ. 24. Judæi id interpretantur juxta illud. 1 Tim. 4: 8. Bonum hic recenſeri ajunt animæ & corporis. Animæ quidem; *ut bene ſit nobis omnibus diebus*; futuri ſeculi ipſis hæc eſt felicitas, quia vocetur cum articulo illis diebus, qui ſunt dies longiſſimi æterni, de quibus David dixit. Pſ. 34: 13. *Quis vir deſiderans vitam, amans dies ad videndum bonum:* nam in illis diebus conſequetur homo bonum illud abſconditum: nempe de quo Pſ. 31: 20. Corporis autem, *ad conſervandum nos in vita, uti eſt hodie:* præſentis ſeculi hæc eſt felicitas. Apparet hinc calumnia quorundam in V. T. non fuiſſe notas promiſſiones futuri ſeculi, uſque Moſen quicquam de iſtis patefeciſſe Iſraeli. Aliud teſtantur Hebræi ipſimet, qui futuri ſeculi ſpem non tantum ſciverunt ex Moſe & Prophetis, ſed etiam omnibus aliis bonis potiorem duxerunt. Et ſane veriſſimum eſt, Timorem Dei, & quod hujus demonſtratio eſt, obſequium præceptorum ejus, & in hoc & in futuro ſeculo felicem facere. Nunquam fruſtraneum eſt ſervire Deo, & obſervare cuſtodiam ejus: quamquam profani id dicant, Mal. 3: 14. nunquam dixit, quærite me fruſtra Eſa. 45: 19. Eccl. 8: 12. *hoc novi bene habebunt qui Deum timent, qui coram facie ejus timent:* teſtatur Salomo, & Deus jubet Eſa. cap. 3: 10. *Dicite juſto, bene erit, comedent fructum operum ſuorum.* Quod ſi non comedant, vel non adeo abundanter ut impii in hoc ſeculo, utique in futuro, Pſ. 97: 10. ſ. *Dominus cuſtodit animas benignorum ſuorum eripit eos è manu impiorum. Lux ſata eſt juſtis, & lætitia rectis corde; vos juſti gaudete in Domino.* Agricola felix eſt, qui ſeminavit, certus meſſis abundantis, & exultat gaudio, licet nondum congeſſerit in horreum. Sementem fecerunt, quæ non fallet. 1 Cor. 15: 58. Joh. 12: 24. Chriſtus exemplum, ſeminatus excrevit in multam fertilitatem. Vidimus in figura ſeminatum, at nunc quanta gloria fertilitatis? Timeamus rite Deum, licet omnia emortua videantur, non erit niſi conditio ſeminis, efflorescet, Pſ. 34: 10. ſ. *Timete Dominum Sancti ejus* (ſic ſunt ſegregati per fœdus,) *nam qui ipſum metuunt, non habent defectum, non habent defectum ullius boni.* Imo *Guſtate & videte quod bonus ſit Dominus; beatus qui illi confidit*, verſ. 9. nam Rom. 8: 28—32. Licet multæ ſint afflictiones juſtorum ex omnibus eximet Dominus & cuſtodiet ad æternam ſalutem. *Dominus redimit animam ſervorum ſuorum, & omnes confidentes ipſi non declarabuntur* rei: quod eſt alterius fructus.

b. *Specialis*, verſ. 25. *Et juſtitia erit nobis*, &c. Juſtitia eſt, ut quis ſit ſine reatu: atque hoc habet, qui ſatisfacit obligationi ad obedientiam; *Qui juſtitiam facit juſtus eſt*, 1 Joh. 3: 7. & qui mandata omnia implet, præſtat iſtud. Iſraelitæ ad iſtud ſe obligarant propriis viribus, eoque ſiquidem impleſſent, non poterant rei pronunciari, ſed juſtitia futura ipſis erat apud Deum: huc facit illud, qui fecerit ea, vivet per ea. Lev. 18: 5. ut non tantum juſti forent, ſed etiam fruerentur bono, modo recitato. Et quamvis ſic tantum præſenti & futuræ obligationi ſatisfacturi eſſent; non autem neglectui præteritæ obligationis, neque reatui Adami hæreditario, ubi pœna neceſſaria eſt, tamen juſtitia illa manſiſſet, quandoquidem Deus fœdus initus pollicitus erat ſe eos facturum regnum Sacerdotale; qui per ſacerdotium Chriſti (quem ſic promittit) ab antecedentibus reatibus eſſent expiandi. Enimvero nemo Iſraelitarum hac ratione vel ad juſtitiam pervenire potuit, vel ad vitam. Unde nemo per fœdus Sinaiticum ſervatus fuit. Itaque non opus, ut heic conformitatem quæramus, cum Iſraelitis, juxta ipſorum ſtipulationem: attamen ſi attendamus verba uti jacent; utique dirigunt nos exacte. Loquuntur de juſtitia quæ noſtra fiat, ut coram Deo ſimus juſti, immunes à reatu, & docent quomodo id obtineamus. Juſtitia, ſeu immunitas à reatu ſequitur ſatisfactionem obligationi; huic qui non ſatisfacit reus eſt. Obligatio noſtra gemina eſt. 1. tolerandæ pœnæ ob peccatum Adami, cujus culpa hæreditaria nobis; nec non ob transgreſſiones à nobis ipſis admiſſas: ab hoc reatu nemo abſolvitur ut non ſit reus, niſi vel ipſe, vel alius pro ipſo pœnam toleravit, ad ſatisfactionem læſæ juſtitiæ Dei. 2. obedientiæ in futurum, quia creatura rationalis nequit exſolvi obſequio Dei, cum ſic foret independens, Deoque æquaretur: huic nemo ex ſe poteſt ſatisfacere Gen. 6: 5. cap. 8: 21. Eccl. 7: 20. & 2 Cor. 3: 5. Verum docent hæc verba, quomodo juſtitiam illam queamus aſſequi: non opinione noſtra ſolum vel aliorum hominum, ſed coram Domino Deo noſtro, qui decipi nequit, neque agnoſcit niſi quæ vera ſit, & in ſuo judicio valeat. Modus ille eſt, ſiquidem cuſtodiverimus ut faciamus omne hoc præceptum, quemadmodum mandavit. Verſ. 20. præceptum illud complectitur *teſtimonia ſtatuta judicia*, quorum omnium obſervatio requiritur. Jam obſervatio ſtatutorum facit ad juſtitiam, quæ obligationi ad pœnam ſatisfactum dicit. Cerimoniæ, maxime ſacrificiorum, docebant vicariam hoſtiam ſubſtitui, quæ culpam alienam ſibi impoſitam ſua morte lueret, adeo ut offerentes expiarentur. Sed typice ſolum; non vere, pædagogus ad Chriſtum. Qui vere ſic iis utebatur, uti Dominus Deus noſter dederat uſurpanda, fide Chriſtum reſpiciens, & in ipſum ſua peccata conjiciens, immunis erat à reatu, eoque juſtus apud Deum; uti Abraham Gen. 15: 1, 6. Nobis vera hoſtia repræſentata fuit Chriſtus traditus pro peccatis noſtris, ut eſſemus juſtitia Dei in ipſo 2 Cor. 5: 21. Obſervantes ſtatutum iſtud memoriale, uti præceptum eſt, annon apprehendimus iſtum, qui juſtitia noſtra eſt? imo obſignationem in eo nos juſtificatos, & Deo reconciliatos eſſe? Rom. 5: 1. cap. 8: 1. & verſ. 33, 34. Chriſtus eſt Jehova juſtitia noſtra. Jer. 23. 6. Sed obſervatio teſtimoniorum (judicia Iſraeli propria ſunt) facit ad juſtitiam, quæ obligationi ad obedientiam ſatisfactum dicit. Cuſtodia iſta inſtituenda ſicut Deus noſter mandavit. Aſt nunquam ille mandavit Iſraelitis propriam juſtitiam hominis; ea enim tunc Dei foret, ab illo imperata, cum tamen ei contraria ſit, & ignorantiam ejus habeat. Rom. 10: 3. norat enim perfide acturos, & quod eſſent transgreſſores ab utero Eſa. cap. 48: 8. Sed quando dixit *Ego ſum Deus tuus*, indicavit in ſe eſſe robur, quod fide apprehendendum. Lev. 26: 11. coll. cum 2 Cor. 6: 16. quivis fidelium fit templum Dei vivi. Deus eſt qui operatur obſequium. Eſa. 61: 3. Hoſ. 14: 9. Ezech. 36: 37. Hoc modo nobis præſtanda juſtitia obedientia. Phil. 2: 12, 13. Idoneitas quæ ex nobis nulla, ex Deo ſufficientiſſima, 2 Cor. 3: 5. Phil. 4: 13. omnia valeo per eum qui robur mihi largitur, cujus gratia ſufficiens, 2 Cor. 12: 9. Joh. 13: 5. ſ. Hinc Meſſias dicit. Eſa. 45: 24. *De me dicetur, certe in Domino ſunt juſtitiæ & robur, ad ipſum ibitur.* Veriſſimum eſt in Chriſto eſſe & juſtitias ad abolitionem reatus, & robur ad obedientiam præſtandam; ad ipſum eundum fide, ut utriuſque beneficii fiat apprehenſio & appropriatio, & Rom. 8: 2. ſ. Spiritus vitæ in Chriſto liberat à lege peccati & mortis; ab hac, nam quod legi impoſſibile, quod propter carnem infirma eſſet, Deus miſſo in

car-

carnem filio, pro peccato, condemnavit peccatum in carne, ab illa, jus legis impletur in nobis ambulantibus ſecundum ſpiritum, & non ſecundum carnem. Qui opera ſpiritus edit, ut quis ſe & velit & poſſit ſubjicere legi Dei. Ita fides Chriſtum apprehendens aſſequitur juſtitiam, ad abolitionem reatus, quando juſtificatur ejus cognitione; & ad præſtationem obedientiæ, quando ejus inhabitatione ſanctificatur, & Chriſtus per ipſum fructus fert dignos Chriſto, ut ipſe vivere & agere agnoſcatur. Sic nobis ergo agendum eſt, ut per fidem Chriſtus nobis ſit juſtitia & ſanctificatio. Sic erit in nobis Chriſtus, & nos in Chriſto erimus inſtructi juſtitia coram Domino Deo noſtro obſequium fidei præſtantes; atque fiet in nobis, quod Judæi ſummam omnium præceptorum Dei faciunt. Hab. 2: 4. *Juſtus ex fide vivet.* Ubi omnis noſtra juſtitia in nobis ex fide fuerit, aliena Chriſti & quam habet tolerata pœna pro nobis, imputata illa: & quam efficit per Spiritum ſuum, ingenita vi regenerationis, utique vivemus, vita Dei tum hic vita gratiæ, tum in futuro ſeculo vita gloriæ.

CAP. VII.

JOh. 5: 22, 23. *Pater non judicat quenquam, ſed omne judicium dedit filio; ut omnes honorent filium uti honorant Patrem: qui non honorat Filium, non honorat Patrem qui illum miſit:* dicit Chriſtus ad Judæos. Loquitur de Patre & Filio ceu diſtinctis perſonis; utpote quæ doctrina tunc nota fuit, utique ex Scriptura, quæ de Deo & Filio ejus teſtatur. Pſ. 2: 7. Prov. 30: 4. Neque de hoc aſſerto controverſia ei mota, ſed quod ſe illum filium Dei diceret, Joh. 5: 18. cap. 10: 30—33. quod tamen alii agnoverunt & confeſſi ſunt Nathanael. Joh. 1: 50. cœcus natus cap. 9: 35. ſ. Martha cap. 11: 27. Porro docet Filium eodem honore cum Patre honorandum, non tantum qua filius, ſed etiam qua miſſus eſt; & miſſionem in eo conſtituit, quod Pater ei dederit poteſtatem judicii exercendi, ſeu adminiſtrationem univerſalem; de quo munere agit Joh. 17: 1, 2. Debuit ergo & hoc notum eſſe inter Judæos, quibus fruſtra talia fuiſſent propoſita, niſi in Scriptura eadem olim exſtarent indicata; quemadmodum eo illos Chriſtus remittit. Joh. 5: 39. & ſpeciatim ad Moſen, verſ. 46. Proinde apud Moſen ea veritas ſcripta ſit oportet. Et ſane exſtat illa ſatis evidenter, ſiquidem Judæos audiamus interpretes, in ipſo Decalogo; quando Deus mandavit, *Non erunt tibi Elohim alii præter faciem meam;* hæc enim erit tibi Elohim. *Elohim* judicem notat, ad quem mandati verbum à Deo factum eſt, ut adminiſtrationem habeat in mundo, hic autem ob datum omne judicium, totius mundi; quod judicium hoc ipſo verbo delatum eſſe faciei ſuæ, qui Angelus ejus, & Angelus faciei, & Jehova Deus Eccleſiæ, ſignificavit, atque eapropter ipſum honorandum publicavit ceu ſolum Elohim; neque præter ipſum ulli alii eum honorem deferendum, ſive cordis affectu, ſive corporis cultu, quando externa imagine repræſentatum viderint. Huc tendunt duo prima præcepta. Cæterum poſtquam Iſrael deprecatus eſt audientiam vocis divinæ immediate, petiitque ac impetravit internuncium Moſen, Deus hanc ipſam ordinationem & honorem faciei ſuæ, filii Mediatoris, fuſe declaravit. Exod. 23: 20. uſque ad finem capitis: quam declarationem ſibi ſoli factam Moſes ex officio ſtatim recitavit & inculcavit populo. Sed circa vitæ finem, ultima concione eundem populum erudiens, etiam hoc repetivit, ſic ut ſimul, exemplo Dei, primum ſecundumque præceptum explicuerit. Fecit illud jam aliquatenus, Cap. 6: 13—19. Sed nunc hoc Cap. 7. fuſius perſequitur, ut commentarium dicere liceat uti primi & inprimis ſecundi præcepti, ſic divinæ deſuper expoſitionis Exod. 23. verſ. 20. ſ. quemadmodum ex collatione, quæ identidem inſtituenda erit, liquebit. Indicat ergo. I. quid mandatum ſit ſecundo præcepto, verſ. 1—5. II. rationem ibi propoſitam enarrat, verſ. 6. ſeq. quæ omnia illuſtrationem ex promiſſione illa Angeli Dei accipiunt.

Verſ. 1. *Quum introduxerit te Jehova Deus tuus in eam terram, quo tu mox ingreſſurus es ad poſſidendum eam jure hæreditario; & dejecerit gentes magnas à facie tua, Chitthæam, & Girgaſchæam, & Emoræam, & Cenahanæam, & Perizzæam, & Chivæam, & Jebuſæam, ſeptem gentes majores & robuſtiores te,*

Verſ. 2. *Expoſueritque eas Jehova Deus tuus tibi ut percutias eas: omnino internecioni devoveto eas, ne pangito cum eis fœdus, neque gratiam facito eis;*

I. *Quod mandatum eſt* ſecundo præcepto ſic proponitur, ut qua occaſione faciendum ſit declaret. Equidem interdicitur illic factione & cultu imaginum, ſed hic inſuper ex primo præcepto ne quidem habere conceditur, uti non Deos alienos, ita neque imagines ipſorum. *Occaſio* eſt, quæ invitaret ad idololatriam, verſ. 1, 2. hanc contra vigilandum & laborandum eſt, verſ. 2, 3, 4, 5.

A. *Occaſio* invitatura ad idololatriam eſt conſortium idololatrarum, & quidem proximorum. Deut. 6: 14. *non ibis pone Deos alios de Diis populorum, qui circum te ſunt;* ſumma hic eſt; & plenius Exod. 23: 23. ſ. *Angelus meus ibit ante faciem tuam, & introducet te ad Amoræos, Hittæos, Pherizæos, Cananæos; Hivvæos, & Jebuſæos, & exſcindam eos: non incurvabis te coram Diis ipſorum,* &c. Aſt hic pleniſſime, ubi occaſio proximitatis idololatrarum, quando Deus eos in Cananæam introduxerit, ut incolas ſubigere queant. *Cum Dominus Deus tuus,* &c. Hic.

R. *Autor* occaſionis proximitatis, *Dominus Deus tuus.* Ex loco Exod. 23: 23. liquet eſſe Angelum Domini ſingularem illum, in quo nomen Dei eſt, quique poteſtatem habet remittendorum vel ulciſcendorum peccatorum, quem ibidem *Dominum Deum tuum* dixit verſ. 25. *Domino Deo tuo ſervies, & benedicet pani & aquæ tuæ; & ego morbos arcebo è medio tui:* cujus eſt ille angelus. Deut. 4: 37, 38. *quia Dominus dilexit Patres tuos, & ſemen ipſorum poſt illos elegit, eduxit te Facie ſua in virtute ſua magna ex Ægypto ut populos, te majores & robuſtiores, coram facie tua ejiceret poſſeſſione, teque introduceret ad poſſidendum terram eorum.* Facies illa Dei eſt Angelus & Jehova educens & per mare ducens Exod. 14: 19. ſ. & Princeps exercituum Domini qui ſe ſtitit Joſuæ, Joſ. 5: 13, ſ. ad cujus præſentiam exuendi fuere calcei, ut olim ad Angeli præſentiam in rubo Exod. cap. 3: 5. quem adoravit Joſua. Habemus ergo Mediatorem Deum, quique ut alias oſtenſum, Eccleſiæ Deus eſt titulo proprio, qua ſponſus ejus, & maritus, qua item rex Iſraelis, uti vocatur. Eſa. 44: 6. cap. 47: 15. Rex Zionis Pſ. 2: 6. & Immanuel Dominus terræ ipſorum Eſa. 8: 8. Iſte eſt qui introduxit in terram quam hæreditandum habent; qui inde ejicit gentes, & quidem נשל adeo facile quam quis extrahit calceum ſuum, aut olea dejicit fructus ſuos; qui tradit eos coram facie ipſorum Iſraelitarum. Quæ omnipotentiam ejus declarant, uti quoque cum omniſcientia ei tribuitur Eſa. 8: 9, 10. de quo Pſ. 44: 5. *tu ipſe rex meus, O Deus* (cujus dextra & brachium, & lux faciei gratioſa olim juvit,) *impera liberationes Jacobi.* Profecto magna dabatur ſecuritas Iſraeli tranſituro Jordanem, ad hoſtes, cui hic Dominus Deus ipſorum iſta præſtiturus eſſet.

Utinam, dicet aliquis, haberemus & nos talem, quibus à tot annis grave bellum eſt, & cujus metus indies major ſurget. Iſti ſollicito reſpondemus ex Pſ. 2: 8. idem Mediator rex Zionis etiam habet dominium in gentes; & inſtructus eſt ferreo ſceptro ad conterendos hoſtes uti vas figuli verſ. 9. habet poteſtatem omnis carnis, & leviſſimo negotio perdere poteſt modo parum exarſerit ira ejus, verſ. 12. In limine extremæ humilitationis ſuæ, cum diceret, *Ego ſum,* conciderunt hoſtes ejus Joh. 18: 6. Terrori eſt hæc ipſius potentia, quæ facit ut populi ſint ut conbuſtiones calcis, ut præciſæ ſpinæ, quæ igne comburuntur; adeo-

que peccatores & hypocritæ in ipſa Eccleſia trepidant, metuentes exitium Eſa. 33: 12. ſ. utpote qui ſe ſpinam & carduum ipſi dederunt belligerando cap. 27: 4. Verum ſolatio & ſecuritati erit, ſi fuerit Dominus Deus noſter. Ejus nobis nova datur occaſio quibus Chriſti communio obſignata eſt, quod ſit maritus & caput Eccleſiæ, quæ corpus ejus, quodque ſimus membra ejus; adeo ut quivis Deum ſuum Dominumque ſuum dicere queat cum Thoma Joh. 20: 28. qui ſe quoque ſui traditione acquiſiverit in populi ſui hominem. Iſtud ſi vere eſt, non magis metuendum nobis ab omnibus qui poſſunt oriri hoſtibus, etiam potentiſſimis quam Iſraeli hic; & ſolum nomen Immanuel opponitur, Eſa. 8: 10. Enimvero non eſt quod quid ſperemus, ſi non fuerit Dominus Deus noſter. Tam hypocritæ, qui ſimulant obſequium profeſſione quam manifeſti peccatores mero metu percelluntur. Luc. 19: 27. hos hoſtes meos, cives antea Eſa. 1: 24. qui noluerunt ut ſuper ſe regnarem adducite, & occidite coram facie mea. Regnare autem ipſum nolunt non tantum qui renunciant obſequio, ſed etiam qui dicunt ipſum Dominum, & non faciunt quæ mandat Luc. 6. verſ. 46. operarii iniquitatis, licet audierint concionantem, & coram ipſo ederint & biberint Luc 13: 26. Qui oſculantur uti Judas, ut prodant, & Chriſtianum nomen Reformatum ignominiæ exponunt, ut blaſphemetur inter Judæos, & quotquot ab hac profeſſione alieni ſunt. Qui vivunt ſecundum morem ſeculi, juxta principem poteſtatis aeris efficaciter operantis in filiis inobedientiæ, in cupiditatibus carnis &c. Eph. 2: 2, 3. cum, ubi Chriſtus judicium exercet, Princeps hujus mundi ejectus ſit, & condemnatus Joh. 16: 11. Utinam hæc inter nos non fierent. Exod. 23: 21. Cavendum à facie, ejus (ſeu ira. Pſ. 21: 10. quæ conſtituit ut fornacem ardentem,) & obediendum ejus voci, neque exacerbandus; alioqui non condonabit transgreſſiones præteritas, ſiquidem jugiter addideritis novas. Quando unus Achan violaſſet ejus mandatum, toti populo infeſtus fuit. Joſ. 7. Hoc cogitet quisque de ſe: ne ego ſim Achan, ne radix amaritudinis, qui ſurſum germinans turbem, & multi polluantur; ne quis ſit ſcortator, ſpiritualis aut corporalis, ne quis impurus, ne quis qui cibo pereunte permutet jus filii Dei & hæreditatem cœleſtem; & ut dives fiat in hoc mundo, fidem conſcientiamque inſuper habeat. Si Regem iſtum intueri placeat in ſua pulchritudine, ſi frui pane ſuo & aquis certis, ſi habitare in excelſo in robore cupis; ambulandum in juſtitiis, & loquenda quæ æqua, manus & oculi & aures cohibendæ ab omni malo, & oppreſſione, & muneribus. Eſa. 33: 15. ſ. Cum dixiſſet quid fiduciæ foret in Immanuele, rege terræ Eſa. 8: 8. ſ tandem addit, *Nam ſic Dominus mihi dixit manu forti, & inſtituit me ne ambularem in via hujus populi dicendo; Non dicetis Confœderatio de omni quod populus iſte dicit, Confœderatio* (ſive inimica, ſive amica,) *neque metuite ipſorum metum* (propter inimicam) *neque conſternate*, (propter amicam;) *Dominum Zebaoth ſanctificabitis, & ipſe ſit veſter metus, & veſter conſternator;* (quem timeatis offenſum, quem confidatis conſternaturum hoſtes,) *& erit ſanctuarium.* Hic rex erit *tanquam abſconſio à vento, & latibulum ab inundatione*, Eſa. 32: 2. & *beati omnes qui confidunt in illo.* Pſ. 2: 12. Ipſo largiente pacem, etſi non ſit qualem largitur mundus, cor tamen noſtrum non debet turbari, nec formidare Joh. 14: 27. ſuperat illa omnem intellectum, & cuſtodiet præſidio corda & mentes noſtras. Phil. 4: 7. ad vitam æternam.

ב. *Populi* illi quibus proximi futuri erant, enumerantur *ſeptem*, dicunturque *plures & fortiores te.* Notandum hic *Septem* dici præciſe populos, uti & à Paulo idem numerus Act. 13: 19. exprimitur: aſt Gen. 15: 19. ſ. recenſentur decem; ſex quidem qui hic leguntur, ſeptimus Hivæus iſtic non eſt, & quatuor alii ſunt Kenæus, Kenezæus, Kadmonæus & Rephaim. Itaque præter illos 7 populos reſtant Abrahamo dandi tres quatuorve populi, quos nunquam habuit, in ſua poſteritate. Nam præter ſex, Hittæos, Girgaſæos, Amoræos, Cananæos, Pherizæos, & Jebuſæos (quibus continentur Tyrii, Zidonii, Palæſtini non ſubacti: Cananæos enim fuiſſe ſpeciatim dictos veriſimile eſt. Mat. 15: 21, 22.) ſunt Hivvæi, qui iidem videntur cum Idumæis, nam Zibeon filius Seir fuit Hivvæus. Gen. 35: 2. cujus neptem duxit Eſau & tandem montem Seir occupavit, & hi omnes acceſſerunt Judæis ſub Hyrcano, Paulo ante tempora Herodis M. an iidem nomen habuerint proprium ex cæteris, Gen. 15, vel fuerint ramus aliquis nominatorum ſex incertum eſt. At terra Rephaim eſt ea quæ Moabitarum & Ammonitarum Deut. 2. verſ. 11--20. quam nunquam poſſiderunt Iſraelitæ, ipſisque promiſſa eſt. Jer. 49: 1. ſ. Zeph. 2: 8. ſ. uti Edom Obad. verſ. 17. ſ. Kenæi, Kenizæi, & Kadmonæi ſunt qui porro habitant uſque ad Euphratem qui terminus ultimus ſtatuitur, & forſan omnem Arabiam complectitur. Hæc proinde terra adhuc reſtat danda ob veritatem Dei, ad Abrahamum; & id Moſes docet. Deut. 19: 8. qui poſt ſex urbes refugii cis & trans Jordanem, tres alias dicit conſtituendas: *quum dilataverit Dominus Deus tuus terminum tuum, uti juravit patribus veſtris, & vobis dederit omnem terram quam ſe patribus veſtris daturum dixit.* Addita ibi eſt conditio obedientiæ, ſed eam Deus promiſit ſe operaturum in ipſis Deut. 30: 5, 6. & Ezech. 36. ut magis quam patribus benefaciat. Sed porro populos magnos & potentes Deus ejicere poteſt. Aviti fuerunt hi populi tot annorum poſſeſſione, & conſpirabant omnes ad ſui defenſam, & exiguus populus, eorum reſpectu, prævaluit ſeu Deus ſolus Amos 2: 9. Scilicet Immanuel eſt potentior omnibus Eſa. 8: 8. ſ. nulla enim ſapientia, nulla prudentia, nullum conſilium contra Dominum; Equus paratur ad bellum; ſed victoria eſt Domini. Prov. 21: 30. ſ. Habebant illi populi jus antiquum, ultra 400. annos; ſed quantum creverant annis, tantum iniquitate, Gen. 15: 16. quæ jus excidii parat. Rom. 1: 32. & ſic debilitatur populus; conſtituitur ut ſpina coram igne. Removendum peccatum, ſic robur erit Prov. 28: 1. apprehendendus Deus ut ipſe nobis non ſit contrarius. Eſa. 27: 5. & adverſarius ſit hoſtibus; nam Rom. 8: 31. de quo hoc cap. plura.

B. Jam *quid contra occaſionem illam faciendum*, in genere, & ſpeciatim dicitur inſerta ratione.

ה. *Generatim*, verſ. 2. *Et Dominus Deus tuus eos dederit coram facie tua & percuſſeris eos*, ut eouſque prævalueris, ut in tua ſint poteſtate, quemadmodum Benhadad & exercitus ejus in manus Achabi, 1 Reg. 20. *devovendo devovebis eos.* Anathema exſcindendum erat, ut perderetur, & ſi eſſet homo, is fuit occidendus, neque licita erat redemtio. Lev. 27: 29. & ſic hic Deut. 20: 16. ſ. *de urbibus populorum quos Dominus Deus tuus tibi in hæreditatem dat, non ſines vivere ullam animam, ſed penitus eos anathemate devovebis, uti Dominus Deus tuus mandavit tibi.*

Generatim hinc, *cavendas* eſſe *& amoliendas occaſiones peccati*, ſiquidem in noſtra poteſtate ſit. Cananæi erant idololatræ, qui tot annis id fuerant, & proſpere egerant; Exemplum ipſorum, & conſuetudo erat allectura ad ſocietatem exercitii peſſimi: Eoque ubi victi & ſubacti eſſent, alias erat impoſſibile ad occipiendum, vel ſaltem ad defendendum quod occœptum erat; exterminandos voluit, ne commercio nocerent. 1 Cor. 15: 33. & parum fermenti totam maſſam fermentat. Gal. 5: 9. & 1 Cor. 5: 6. Convivantes & commeſſantes cum Midianitis una commederunt idolothyta. Num. 25. Impoſſibile eſt aliquem ignem contrectare neque aduri. Prov. 6: 27. ſ. in ſcabioſo grege ovis ſane contrahit ſcabiem, non communicat ſanitatem. Candida veſtis inter carbonarios nigreſcit, non illos candidos facit. Ergo cavendum. 2 Cor. 6: 14. ſ. *ne idem jugum induite cum infidelibus: Nam quæ communio.* Eph. 5: 8--11. Rom. 12: 2. Nullum debet eſſe commercium cum ſcortatoribus, avaris, idololatris, calumniatoribus, ebrioſis; non abſolute, ſic enim è mundo egrediendum eſſet: ſed familiariter, ut religioſum conſortium inſtituatur. 1 Cor. 5: 9. & quod ad alios, pietas vult ut nos ſervemus impollutos à mundo. Jac. 1. v. ult.

Sed annon trucidandi omnes, qui offendiculo forent, uti hic jubentur? Reſp. Id mandatum fuit Iſraelitis olim, ſed non abſolute; Nam ne quidem contra omnes jubentur belligerare; quæ non erant de gentibus ſibi datis, ſi eas bello peterent, pacem debebant offerre, & ſi eam nollent ſolos mares exſcindere: de ſolis Amoræis omnes homines. Cujus ratio ſingularis. I. Reſpectu Amoræorum; jam ab antiquo Cananæi erant maledicti. Gen. 9: 25. eoque juſte Deus decernebat exſecutionem maledictionis per Iſraelitas:

tas: quamquam diu eos toleraſſet, & ſaginaſſet in terra id non ademit Deo jus puniendi. Præſcriptio poſt plures annos obtinet inter homines, non apud Deum cui mille anni ut dies unus, & minime omnium ratione pœnarum. Tolerantia Dei uſurpata ad augmentum culpæ, non aufert, ſed auget pœnam. Sodomitas tanto tempore ante exciderat, & potuiſſet etiam tunc cæteros perdere, ſed diſtulit ad definitum tempus. Saul parcens Amalekitis, à Deo ad excidionem damnatis. Exod. 17. & cujus ſententiæ exſecutio ei mandata fuit, peccavit. 1 Sam. 15. Cananæorum ſententia antiquior erat, quam non licuit exſecutoribus conſtitutis variare. II. Reſpectu Iſraelitarum; hi ſoli erant peculium Dei, reliquis populis repudiatis, adeoque debuiſſent ſoli habitare. Deut. 33: 28. citra commercium aut commixtionem ullius extranei, non ejuſdem religionis; excitis proinde habitatoribus terræ quæ dabatur incolenda. Hæ rationes nunc non valent: non poſterior, nulla natio eſt quæ jam ſola habet privilegium populi Dei: neque proinde omnes ad unum locum ſunt colligendi. Euangelium prædicandum omnibus populis, & exeundum fuit Apoſtolis, & doctrinæ ipſorum ad omnes gentes, ut diſcipuli Chriſto fiant: qui benedictionem omnibus familiis terræ allaturus eſt, & obedientiam earum habiturus. Non ergo exſcindendi, quibus æternæ ſalutis ſpes offerenda; non prior: non conſtat nobis de ſententia aliqua Dei, ut exſecutio ejus juſtam faciat eam actionem. Neſcimus inter peſſimos quoſnam ſcripſerit ad damnationem; Etſi quis vivus teneatur in laqueo Diaboli, forte Deus illi aliquando dabit reſipiſcentiam ad agnitionem veritatis 2 Tim. 2: 26. Zizania in agro mundi manifeſta, & forte manſura ſunt, quia tamen Deus mutare poteſt (uti oleaſtrum oleæ inſerendo,) relinquenda ſunt Deo, uſque ad conſummationem ſeculi Mat. 13: 29. Quin imo idololatræ Anti-Chriſtiani, cum Anti Chriſti exitium decretum ſit, tamen nobis non ſunt anathematizandi, partim quia tempus deſtruendi Anti Chriſti nondum venit, & hoc non licet anticipare, quemadmodum nec Iſraelitis Cananæorum cædem. 1 Chron. cap. 7: 21. cæſi Ephraimitæ qui id tentarunt, dum in Ægypto vivebat Ephraim ipſe, partim quia adhuc inter illos habet Deus ſuos, qui egreſſuri ſunt, evocati prædicatione Euangelii Apoc. 18: 4. Accedit arma militiæ noſtræ non eſſe carnalia, &c. 2 Cor. 10: 4. ſ. Pſ. 149: 5. ſ. quod fit quando cæduntur per Prophetas, necantur ſermonibus oris Dei, ut ejus judicia manifeſta fiant. Enimvero anathemati gemino etiamnum locus eſt. Publico magiſtratus, qui gladium non gerit fruſtra, ſed ea uti debet, neque cohibere illum à fundendo ſanguine; verum contra viros anathematis Dei, uti Iſraelitæ exſecutores dati contra Amoræos, & ni faciant ipſi fiunt anathema 1 Reg. 20: 42. Tales ſunt homicidæ privati extra bellum qui irati levius graviuſve lædunt aliquem ut moriatur, Num. 35. nullus tunc locus vel condonationi, vel lytro, item peccantes elata manu, ad ſeductionem aliorum ſuo exemplo. Deut. 17: 12. cap. 21: 21. Sic David Pſ. 101: 8. *quovis mane omnes impios terræ perdam, ut ex civitate Domini omnes operarios iniquitatis exſcindam.* Eſt vero & alia magiſtratui excidio demandata; non malorum, ſed malitiæ publice exercitæ, timori & vindictæ ipſe eſt malis operibus Rom. 13: 4. non malos omnes cohibere poſſunt, ut non ſint, ſed malitiam debent coercere. Pſ. 75: 5, 6–11. *dixi inſanis*, &c. *Omnia cornua impiorum præſcindam.* Judicium eſt non ad exſcidionem impiorum, ſed cornuum: ne quidem ipſam malitiam poſſunt abolere, radicata eſt in corde. verum excreſcentiam ejus, eamque non omnem, ſed noxiam, quæ aliis terrori vel damno eſſe queat, & hic quoque cohortatio antecedit pœnam, quæ potentiam nocendi adimat. Privato, unius cujuſque; habet quisque intra ſe quod anathemati à Deo devotum eſt. Caro & cupiditates ejus, quæ belligerant contra animam. 1 Pet. 2: 11. & habent vim ſeducendi, Eph. 4: 22. Nullum cum illis debet eſſe commercium ut eis pareamus Gal. 5: 16. Rom. 6: 12. Sunt Diabolicæ indolis, Joh. 8: 44. Chriſtus autem venit ut deſtruat opera Diaboli, 1 Joh. 3: 8. proinde ſententiam contra carnem habemus exſequendam.

Exuendus vetus homo, Eph. 4: 22. crucifigenda caro Gal. 5: 14. necanda membra terrena Col. 3: 5. operationes corporis Rom. 8: 13. ut deſtruatur corpus peccati, cap. 6. verſ. 6. Heic igitur non parcendum, ſed omni ſtudio promovenda exterminatio, adeo ut cum felix dicatur, qui infantes Babylonis conterit, illiſos Petræ Pſ. 137: 9. ſic qui primos quoque motus cupiditatis, & conceptum peccati necat: ſunt enim ſemen viperinum, quod conterendum uti ipſa baſiliſci ova comminuuntur. Huc nos ſacrare debemus. Levitæ ſic ſe ſanctificarunt Domino, quod ultionem ejus contra peccatores proximos ſanguine exercuiſſent Exod. 32: 29. ſic ſi contra deſideratiſſima deſideria carnis ſævierimus, effodiendo oculum, amputando manum vel pedem, uti appellatur Marc. 9: 43. ſ. Pſ. 139. verſ. 21. ſ. *annon odiſſem Domine, qui te oderunt* &c. Carnis hoſtilitas & cupiditatum contra Deum manifeſta; odium concipiendum, & exſequendum, idque ſincere, utpote coram oculis Dei, qui corda ſcrutatur. Verum quandoquidem multum nobis deeſt, rogandus Deus, ut & velle & perficere largiatur, Pſ. 60: 11. roburque addat, ut novus homo veteri colluctans tandem vincat, & anathema conſummet, depoſitis pollutionibus & carnis, & ſpiritus, ad perfectionem ſanctitatis in timore Domini; quo in conſcientia factæ ultionis Domini hic ſolatium habeamus, & tandem fidelitatis laudem conſequamur, & victores coronam vitæ impetremus in Chriſto Jeſu.

Prov. 13: 20. *Qui ambulat cum ſapientibus ſapientior fiet: qui vero ſe conſociat ſtolidis pejor evadet.* Solent homines induere mores eorum, quibuſcum verſantur, adeo ut ex ſocio agnoſcatur, qui alias ipſe ignotus eſt. Qui commercium habet cum ſapientibus, diſcit ab illis ſapientiam; at qui cum irriſoribus ipſemet quoque fit irriſor. Iſtud inprimis valet in re religionis, Sapientes ibi dicuntur, qui ſunt pii; nam timor Dei, quæ ſumma pietatis Eccl. 12. verſ. 13. eſt ſapientiæ initium. Pſ. 111: 10. imo tota ſapientia Job. 28: 28. at impii dicuntur *ſtulti*, utpote ignorantes ejus quod potiſſimum. Gentes quæ Dei ignorantes Gal. cap. 4: 8. & athei in mundo Eph. 2: 12. dicuntur *populus ſtultus* Deut. 32: 21. Rom. 10: 19. imo ſibi ſunt ſtultiſſimi Deut. 32: 28. quod utrumque conjungitur Rom. 1: 21. ſeq. Itaque uti piorum conſortium excitat ad pietatem, ſic impiorum ad impietatem: & apud ſtultos iſtos aliquis non ſolum ſtulteſcit, ſed etiam confringitur, ut eodem pereat fato, eidem involvatur exitio. *Via impiorum peribit* Pſ. 1: 6. & qui cum illis incedit, eundem ſortitur finem; contra qui cum juſtis progreditur, ad eundem cum ipſis pervenit terminum. Prov. 4: 18. ſ. *ſemita juſtorum eſt ut lux ſplendens, quæ procedit & ſplendet uſque ad plenum diem. Via vero impiorum eſt ut caligo, neſciunt in quod impingent;* Non tantum neſciunt quo tandem perventuri ſint, ſed antequam ad terminum veniant varia occurrunt offendicula ad quæ impingunt, & conteruntur. Hujus aſſerti veritas conſtabit ex præſenti textu, quo Moſes hoc argumento utitur ad Iſraelitas deterrendos à conſortio idololatrarum. Ut nullum alium Elohim habeant in corde, colant opere, præter ſolam faciem Dei, Angelum Mediatorem, rectorem judicemque populi, cavendos monet idololatras & ipſorum conſortium, illos maxime qui futuri eſſent viciniſſimi. Introducendi erant in terram Cananæorum, qui ſumme impii & idololatræ, ſed ut Deus eos redigeret in ipſorum poteſtatem. (Si autem fortiores, forent Iſraelitis ipſorum domini, impoſſibile futurum erat, ut eos coërcerent.) Ad cautionem itaque monet Generatim, ut eos anathematizarent, adeo ut nullam animam in vitâ relinquerent; de quo ſupra diximus, quæ fuerit juſtitia hujus actionis; quia Cananæi jam à tempore Noachi devoti fuerant maledictioni, adeo ut ſolum exſecutores eſſent anathematis divini, cujus moderamen ipſis permiſſum non erat. Cæterum ſublatis penitus Cananæis, non poterant eſſe vel exemplo præſente, vel ſermone idololatriæ ſuaſores: uti mortui non mordent, ita quoque hi trucidati non poterant nocere.

2. Sed porro *ſpeciatim* monet cavendum commercium cum ipſorum perſonis & actionibus.

a. *Cum Perſonis* geminum commemorat commercium, quo utroque interdicit. Publicum & privatum, illud politicum eſt, hoc œconomicum.

a. Publicum ſeu *Politicum*, verſ. 2. *non inibis cum illis*

fœdus, neque gratiaſus eris ipſis : Poſterius illud gravius eſt. Qui fœdus habent, illis mutua intercedit obligatio; ſed quibus gratia fit, illi citra dantis obligationem gaudent aliquo bono, vel ſaltem carent damno. Mendico etiam indigno ſit gratia quandoque, ſed non pangitur cum eo fœdus. Hic & fœdus negandum, & ipſa quoque gratia; quomodo occaſio fœderis præcidebatur : & hanc negationem gratiæ exigebat anathema exercendum.

Obj. Quid opus hoc monito, cum anathema imperatum eſſet? Reſp. Neceſſarium omnino fuiſſe liquet, verſ. 22. ex Exod. 23. ubi Deus ipſe ſic loquitur : Quum dixiſſet Deus Angelum ſuum ipſos introducturum in Cananæam, ſeque eos perditurum gentes, & ejecturum addit, *uno anno illas coram facie tua non ejiciam, ne terra fiat vaſta, & feræ beſtiæ ſupra te non multiplicentur; ſed paulatim eos ejiciam, uſque dum multiplicatus fueris & poſſederis terram. Non panges cum illis fœdus, neque cum Diis ipſorum; non habitabunt in terra tua*, verſ. 29. ſ. Poſſeſſionem terræ paulatim Deus ipſis daturus erat, & hac propter multi Cananæorum interea erant manſuri. Hinc argumentari poterant quòs Deus reſiduos facit, ſaltem ad tempus, illis & nos gratiam ad tempus facere, atque fœdus cum ipſis inire nequit eſſe malum. Sed hoc prohibetur, ne quidem tum iſtis reſiduis licet pactum quodcunque inire, neque gratiam illam facere, ut inter ipſos habitent. Etenim hâc ratione conſortium commerciumque indulgetur, quod quam periculoſum ſit dicitur Exod. 23: 33. *non habitabunt in terrâ tuâ, ne te faciant contra me peccare; ſi ipſorum Deos colueris, erit tibi certo in laqueum.* Atque hic fuit Iſraelitarum peccatum, quod cum Gibeonitis fœdus fecerint. Equidem memores fuerunt hujus interdicti, quod non liceret cum indigenis, in medio ſui habitaturis, contrahere, ſed cum illi ſe indigenas non eſſe mentirentur, nec ipſi inquiſiverunt accuratius, neque Deum per Urim reſponſurum interrogarunt, atque adeo præcipites pepigerunt, & juramento confirmarunt. Veruntamen cum jusjurandum reſcindere non poſſent, obſervarunt alteram partem mandati, ne fœdus irent cum Diis Gibeonitarum, ut ipſis idololatriæ ſuæ concederent libertatem; ſed quo penitus ab eâ abſtinerent, & ad cultum Dei Iſraelis tranſirent : Joſua eos fecit cæſores lignorum & hauſtores aquæ in domo Dei, addixit eos ſervituti tabernaculi ut proximi ſemper forent, adeoque obſervari poſſent, ſi quicquam egiſſent, quod vel minimum ſaperet averſionem à Deo Iſraelis ejuſque cultu. Accedit quod Iſraelitæ Gibeonitis gratiam fecerint, non ſua ſponte, ſed rogati ab ipſis ſuppliciter; quod nulli alii Cananæorum egerunt. Joſ. 11: 19. ſ. *nulla urbs fecit pacem cum filiis Iſrael præter Hivvæos habitatores Gibeonis; omnes occuparunt bello; fuit enim à Domino ut obduraret corda ipſorum ut occurrerent Iſraeli bello, ut anathematizaret illos, ne illis gratia fieret ſed ut ipſos exſcinderet, quemadmodum Dominus mandarat Moſi.*

Obj. Sed cum Deus eos vellet ſupereſſe, quia Iſraelitæ eo numero non erant ut terram omnem occupare poſſent; annon ſatius erat pacem cum reſiduis inire, quo tranquillitate fruerentur, neque in perpetuo belli motu & metu verſarentur? Reſp. minime Jud. 3: 1. ſ. Plures populos Deus reſiduos eſſe ſivit, I. ut bello adſuefceret, II. *ut tentaret Iſraelem per eos*, &c. Fuit itaque hæc culpa poſt mortem Joſuæ, quod quos non potuerunt illicò bello ejicere, aut noluerunt tædio belli, aut metu ejus, cum iis contraxerint, quâvis propemodum conditione Jud. 1: 2. Atqui poterant, quietem habere citra fœdus. Joſ. 11: 23. *quieſcebat terra à bello.* licet ubique tot hoſtes adhuc manerent. Scilicet fiebat quod promiſit Deus Exod. 23: 27. quod Rahab profitetur Joſ. 2: 9. Et quemadmodum Deus effecturus erat, ne quis hoſtium appeteret terram ipſorum, Iſraelitis ad feſta profectis Exod. 34: 24. ita quoque impediturus, ne quid contra ipſos tentarent tantiſper dum quieſcendum erat. Illius porro obſequii, de cavendo commercio gentium iſtarum, exploratio debuit aliquamdiu continuari, non tantum ratione eorum qui primum ingreſſi erant terram, ſed etiam poſt natorum; quemadmodum ejuſmodi experimenta Deus ſæpius ſumſit; ut Deut. 8: 1. ſ. dicetur. Ergo hinc liquet quæ fuerit conditio Iſraelis quoad fœdera cum Cananæis. Enimvero cum aliis gentibus, quæ longinquæ erant, paciſci licuit ut ſubacti tributarii fierent, ſalvâ ipſis quandoque ſuâ religione, Deut. 20: 10. ſ. & quomodo cum Moabitis Ammonitis, Edomitis tranſactum poſtmodum fuit quandoquidem dilliti longe erant, neque inde metus ſeductionis. Imo cum Cananæis quos Deus reſiduos fecit & inſuperabiles, tandem licuit fœdus inire ſalvo omni ſuo jure, quemadmodum David cum Thoi Hamatheſi, cum Hiramo Tyrio pepigit, quod etiam fecit Salomo cum Hiramo, & Pharaone, fœdere amicitiæ & commercii. Qui ſuam ditionem diſtinctam habebant; ſed qui Cananæorum inter Iſraelitas habitarunt, fuerunt coacti ad proſelytiſmum, ut qui ſervi Salomonis dicti ſunt.

Quod ſi quæratur de noſtris fœderibus, an cum idololatris inire liceat? facilis eſt reſponſio, non poſſe nos adſtringi ad leges iſtas Iſraelis. Etenim nulla gens in mundo nobis eſt ut Cananæi vel Amalekitæ Iſraelitis, quæ ſimpliciter exſcindenda ſit : quia nulla alia eſt quam Deus ita devoverit anathemati; nam Gen. 12: 3. multo minus ut nobis demandata ſit exſecutio, anathematis iſtius. Licitum proinde fœdus cum omnibus citra præjudicium religionis, ut utrique parti ſua maneat, quando politice tantum contrahitur de non offendendo, de commerciis : ut Davidis & Salomonis fœdera : attamen ſi illi quibuſcum pactum eſt idololatræ verſentur in portis noſtris, ſub noſtra jurisdictione, cohibendum exercitium ne ſcandalo ſint & ſeductioni; ut Nehemia Tyrios impedivit ne Sabbathum violarent : & ſi qui noſtrum verſentur in portis idololatrarum, cavere debent, ne ſeducantur : quod ſi portæ utrorumque ſint, utique tolerantia mutua requiritur, neceſſaria prorſus; uti in Germania ex fœdere Paſſavienſi. Fœdus auxiliare bellicum cum idololatris licitum, citra religionis præjudicium, dummodo per illud non diſcedamus à Deo, ut auxiliis fidamus, quod factum ab Aſa 2 Chron. 16: 7. neque abigamus Deum, ut hoſtibus Dei nos ſociando, Deum nobis faciamus hoſtem, 2 Chron. 25: 6. ſ. Amazia conductos Iſraelitas debuit dimittere quia Deus contra illos erat. cap. 19: 2, 3. Joſaphat reprehenſus ob fœdus cum Achabo. Etenim plus proficitur ſine illis quibus cum Deo eſt hoſtilitas, quam cum omni illorum multitudine. Deus ſolus abunde roboris habet, & hujus quærendum pactum, Rom. 8. 31. imo poteſt omnes conciliare Prov. 16: 7. Eſt vero cuivis privatim hic obſervandum, nullam dari licentiam fœderis, nullam gratiæ erga carnem & cupiditates. Eadem hic ratio quæ Cananæorum apud Iſraelitas, extirpandæ iſtæ ſunt : non licet ullam iniquitatem intueri corde, ullam occulere ſub lingua, ulli parcere nec quia pinguis, ut Amalekitarum greges Sauli; nec quia parva, ut Zohar Loto æſtimabatur. Bellum juge ſit oportet, ut ſubigantur, & ſubacti crucifigantur necentur aboleantur. Etiam hic Deus facit carnem reſiduam manere, uti & mundum & Satanam, ut diſcamus bellum, & ut exploret noſtram obedientiam. Itaque ſequendus Paulus, qui luctam jugem exercebat, & licet ſubinde alicubi ſuccumberet, & captivus duceretur, tamen reſumebat animum, implorabat Dei opem, & delectatus lege Dei quoad interiorem hominem, mente ſerviebat legi Dei, & coercebat corpus ſuum atque mancipabat, ſic magis magiſque promovebat victoriam. Rom. 7: 22. ſ. 1 Cor. 4: verſ. ult.

Verſ. 3. *Neque conjungito te affinitate cum eis; filiam tuam ne dato filio ullius* earum, *& filiam ullius ne accipito pro filio tuo :*

b. Privatum & Oeconomicum. verſ. 3. Interdicet conjugiis mutuis cum Cananæis. Hoc quoque prohibitum, juxta cum fœdere politico, Exod. 34: 15, 16. Eſt etiam hoc fœdus, ſed privatorum viri & fœminæ ad individuam vitæ ſocietatem. Mal. 2: 14. Uxor eſt ſocia, & uxor fœderis marito, & Deus teſtis eſt inter illos ambos. Nulla eſt ſocietas arctior, cum vir & uxor ſint una caro Gen. 2: 24. Hujuſmodi ſocietatem, quam Deus inſtituit, non vult obtinere cum idololatris. Mal. 2: 11. Iſrael erat populus ſanctus Deo ex omnibus populis, Deut. 7: 6. ſ. liberi Domini Dei ſui. Deut. 14: 1. Idololatræ ſunt ſancti ſuis idolis, Jer. 48: 46. Moabitæ dicuntur *populus Camos, & ipſorum*

li-

liberi; nam *dicunt ligno, pater meus es, & lapidi genuisti me.* Jer. 2: 27. quod dicendum populo Dei de suo Deo, Deut. 32: 6--18. Jam quam indecens jungi filios Dei & idolorum? quod commercium inter ista, 2 Cor. 6: 14. s. quanta perfidia qui segregatus Deo ad exscindendos Cananæos, cum iisdem se segregare, ad eorum defensam? Et cum Deus quærat semen sanctum Mal. 2: 15. à sanctitate ista se segregare. Jer. 11: 15. Est hoc peccatum ex antiquissimis, Gen. 6: 1, 2. cum multiplicarentur homines in terra, filii Dei intuebantur filias hominum, quod pulchræ forent, & sumebant sibi uxores ex omnibus quas elegerant. Postquam publica facta esset hominum distinctio, & qui ad Ecclesiam pertinebant de nomine Dei appellarentur ejus filii, non attendentes nomen segregationis suæ intuebantur filias hominum, qui alieni ab Ecclesia, & oculos suos solum secuti, quos forma illarum alliciebat, tantum pro lubitu suo, uxores adsciscebant. Utique iniquum est citra, imo contra voluntatem parentum iniri matrimonium, & qui liberi Dei sic agerent respectu Dei; cujus voluntas magis certa hic, quam terrenorum parentum, cum in verbo suo consignatam habeamus. Quam frequens tamen hic peccatum est, ut minimum istud sit de quo cogitatur sæpenumero, modo forma, & opes, & affinitas, & alia mundana conditionem commendent.

Si quis dicat, aliam nunc esse rationem nostram, quam Israelitarum. Id quidem largimur, cum ne quidem in alienam tribum exire deberent, & nobis nulli sint instar Cananæorum. Veruntamen alienæ religionis conjugia non sunt imperata nec permissa: equidem quæ talia sunt, (uti fiebat, quando Ethnicorum conjugum alter Christianus fiebat,) dirimi non debent, modo una vivere velit infidelis: sed non sunt contrahenda; nam si quis prætendat conversionem alterius, Apostolus ait, *unde nosti mulier te servaturum maritum? aut quid nosti vir, te servaturum uxorem?* 1 Cor. 7: 16. Qui in ejusmodi conjugio vivunt operam dandam habent, ut infidelem conjugem sancta & pudica conversatione etiam citra verbum lucrentur. 1 Pet. 3: 1. s. Sed nemo hoc fine tale conjugium inire debet. Etenim æque proclivis est ipsius conversio per conjugem, quam conjugis per ipsum.

Vers. 4. ***Abduceret enim filium tuum à sequendo me, & colerent Deos alienos; quamobrem accensus ira Jehova in vos perderet vos celeriter.***

Est hæc *ratio Prima* in contrarium, vers. 4. *nam averterent liberos tuos à me ut alios Deos colerent.* Seductionis periculum est gravissimum, arctissima illa societas vitæ, & amor tenerior multum valet ad inclinandum affectus in eandem sententiam, ut vel conjuges, vel liberi saltem, ad idola abducantur. Exempla plurima sunt in Scriptura, Neh. 13: 23. s. uxores Asdodææ &c. faciebant ut liberi loquerentur Asdodice ignari Judaicæ linguæ, & sic religionis, 1 Reg. 16: 31. s. Achab ductu Jezebele suscepit Baalis cultum: & in quotidiana experientia. Imparium istiusmodi conjugiorum longe plura sunt seductorum, quam convertentium; & ne quis dicat fuisse seductos illos minus edoctos religionem; eopse de causa debuissent abstinere conjugio istiusmodi, qui non satis armati erant ad defensionem suæ fidei. Ast qui se fortissimos hic censent, levi negotio quandoque per illecebras illas abripiuntur. Quis sapientior Salomone qui Deum amabat, & cui Deus bis apparuerat, & in visione cum ipso fuerat locutus, hunc tamen uxores idololatræ seduxerunt, ut indulgeret primum ipsis suam idololatriam, tum Spectator accederet, tandem una coleret. 1 Reg. 11: 1. s. Neh. 13: 26. Nemo proinde suæ fidat sapientiæ constantiæ, tentatur ea ratione Deus, & is superbis resistit, ut qui sibi fidunt ipsis, sibi ipsis relinquantur, & cadant ad perniciem.

Et hæc est *ratio Secunda*, vers. 4. *& ira Dei contra vos exardesceret, & te subito exscinderet.* Jungens se idololatræ, facit sibi Deum hostem; fœdere domestico discedit à fœdere cœlesti. Nihil hic est quod hominem terreat, siquidem per conjugem Deo resistere, ejus iram vincere queat, & perditionem ejus avertere queat. Non habet timendum Deum, qui illi par, aut fortior. Sed quis se contra Deum roboravit & pacem habuit? Job. 9: 4, 5. Eoque an provocamus Deum, &c. 1 Cor. 10: 22. Esau dicitur profanus, qui pro cibo vendidit primogenituram. Heb. cap. 12: 16. & magis adhuc profanus, qui propter conjugem amittit Deum & salutem; & ut suæ cupiditati satisfaciat dotalem eligit iram Dei, & æternam condemnationem. Itaque caveant sibi omnes, & abstineant ejusmodi connubio. Parum remedii hic est. Nullæ enim preces sociæ esse possunt, ubi Deus unus non colitur imo alterius Deus odio est, eoque quantum unus ædificat, tantum alter destruit, & vel juges lites habent de religione, vel eam penitus amittunt si non in alterius partes concedunt. Et si nihil horum fieret, tamen id sequitur, ut quorum socia est vita in corpore, insociabilis sit status animarum in æternum, cum idololatræ regnum Dei possidere non queant. Quanto satius ut conjuges sic unum Deum hic colant, ut tandem æternum simul eundem glorificent eo læti fruentes.

Vers. 5. ***Quin potius sic facitote eis, altaria earum diruitote, & statuas earum frangitote; etiam lucos earum succiditote, & sculptilia earum comburitote igne.***

b. *Cum actionibus* commercium vitandum, vers. 5. *Sic autem eis facietis, altaria ipsorum dejicietis*, &c. Quamvis excisi fuerint idololatræ, ut nec exemplo, nec suasione queant nocere, tamen nec instrumenta idololatriæ toleranda, quæcunque etiam fuerint. Sic Exod. 23: 24. s. Repetitur idem addita ratione inf. 25, 26, quo referemus. Hoc tantum notetur, veram reformationem poscere abolitionem omnium instrumentorum idololatriæ. Esa. 30: 22. ut impura ejicienda quæcunque ornatui idolorum serviebant, quamvis prætiosissima, & Esa. 27: 9. post judicium Dei grave.

Quæst. An ergo omnia idolorum altaria, &c. destruenda sunt? Magistratus reformatus ubi absolutum dominium habet in portis, non debet ea tolerare; & sic Imperator bello victor, uti David combussit Deos Philistæorum in bello captos. 2 Sam. 5: 21. 1 Chron. 14: 12. Pariter paterfamilias in domo sua merito idola non fert: Sed privatorum non est in alieno territorio sic agere, imo ne quidem in suis portis sine Magistratus autoritate. Nunquam Prophetæ vel ipsi dejecerunt idola vel privatos id facere jusserunt; sed semper id factum autoritate Magistratus. Moses fuit summus judex & rex in Jeschurun. Exod. 32. Gideon constitutus judex & à Deo jussus id egit Jud. 6. Elias habuit Regis & populi decretum 1 Reg. 18. sic populus egit jussu Hizkiæ & principum. 2 Chron. 31. & plures reges Asa, Josaphat, Josiä, &c. idem fecerunt. Magistratuum vero est uti destruere idola constituta ita cavere & prohibere constituenda. Qui contra facientes non tantum peccant ipsi, sed populum quoque peccare faciunt. Et si ut Achab per Jezebelem ad idololatriam ducantur, vendentes se ad id ob amorem conjugalem, geminant iram Dei, & sibi suisque exterminium procurant. Verum qui Zelo utuntur pro Deo contra idola, & eorum introductores, consequuntur benedictionem & sibi suisque & populo. Deus tales nobis semper largiatur & conservet ad Belgii incolumitatem suamque gloriam. Amen, Uti vero instrumenta idololatriæ ita quoque peccati destruenda Jud. v. 23. *odio habete togam tamquam à peccato.* Peccatrix crines quibus amatores illaquearat fecit instrumentum detergendorum pedum Christi. Luc. 7: 38. & specula ænea mulierum, fuere materia labri in tabernaculo Exod. 38: 8.

Vers. 6. ***Nam populus sanctus es Jehovæ Deo tuo: te selegit Jehova Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris præ omnibus populis qui sunt sub universo cœlo.***

Reliquo capite rationem præcepto iſti additam declarat & amplificat.

II. Declaratio eſt verſ. 6--10. Amplificatio per applicationem verſ. 11. & ſeq.

A. *Declaratio* rationis dicit de parte generali, verſ. 6, 7, 8. de ſpeciali, quid obedientibus, verſ. 9. quid inobedientibus, verſ. 10. ſit præſtiturus

א. *Generalis* pars rationis eſt, *Nam Ego Dominus Deus tuus, Deus fortis Zelotes*, de qua docet. I. quid ſit, *Dominus Deus tuus*, verſ. 6. II. quid item, *fortis Zeloles*, verſ. 7, 8.

Prius illud ſic declarat ut propoſitionem invertat, quo ejus efficaciam clarius onſtendat, ad convictionem obſequii obſervata ſtipulatione ipſorum, qui priores voluerunt facere quæ ſui officii; uti dicitur Eſa. 63: 8. Non dicit ipſe eſt *Dominus Deus tuus*; ſed *tu es Domini Dei tui*: refert, inquam, non proprietatem ſolum quam Iſrael habet in Deo, verum etiam quam Deus Mediator habet in Iſraele, & qua ratione illud jus conſecutus ſit.

a. *Proprietatem quam habet in Iſraele*, ſic indicat, *Nam tu es populus Sanctus Domino Deo tuo.* Connexio eſt rationalis; cauſam dicit cur ab ejuſmodi communione abſtinendum ſit cum Cananæis gentibus: *nam appropriatus es Domino Deo tuo.* Qui alii arctiſſimo vinculo matrimonii, ſive promiſſi ſolum, ſive conſummati, adſtrictus eſt, non debet cum aliis ſimilem contractum inire, aut quæ illi affinia ſunt agere. Adulterii ſpeciem habet familiaritas nimia cum aliis à marito ſeu ſponſo. Non debet ergo Iſrael conſuetudinem habere cum Cananæorum perſonis & operibus, Nam eſt proprius Domino Deo ſuo. Non cum operibus, & idololatria. Jer. 11: 15. Non cum Perſonis idololatricis, Mal. 2: 11. Utrumque adverſum eſt Sanctitati iſti, quæ hic in ratione commemoratur, *Nam populus Sanctus es Domino Deo tuo.*

Sanctum eſſe nihil aliud eſt, quam ſegregatum eſſe ad uſum aliquem ſingularem, neque per ſe & ſua natura complectitur inhærentem aliquam ſanctitatem & puritatem, uti quidem in vernaculo ſolet accipi, ſed hæc puritas poteſt eſſe conſequens & requiſitum ſegregationis, quæ ſignificatur. Sanctificat bellum contra aliquem Jer 6: 7. & homines ad bellum Jer. 51: 27, 28. quando ſegregatur tempus & arma ad illud gerendum, & ſegregantur ex aliis illi contra quos geratur, & ſegregantur etiam milites qui gerant; qui dicuntur ſanctificati Eſa. 13: 3. ſanctificantur ad diem occiſionis Jer. 12: 3. qui tum occidendi ſunt. Ita Sanctum eſt & ſanctificatum Deo, quod ſegregatum eſt ad ejus cultum, ſive locus, ſanctuarium inde dictum, ſive tempus, Sabbathum ſanctum, & alia feſta, & conventus religioſi tempora, ſive perſonæ illi adminiſtrando deſtinatæ, Sacerdotes, Levitæ; ſive inſtrumenta, vaſa omnia ſancta; imo quisquis in cultu illo occupatus eſt, debet ſanctus eſſe ſegregatus ab omni alia occupatione; ſanctitas enim ſegregatio ab aliis curis non peccati ſolum, ſed ſeculi & vitæ hujus, decet domum Dei Pſ. 93: 5. Deus ipſe ſanctus eſt, ſegregatus ab omni creatura, ob perfectionem ſuam, non peccaminoſa, ſed etiam integra Eſa. cap. 6: 3. Deus etiam ſeipſum ſanctificat, ea agendo unde agnoſcatur ſegregatus ab omni malo, injuſtitia Lev. 10: 3. Ezech. 36: 23. cap. 38: 23. Homines ſanctificant ſeipſos aut alios, quando ſegregant ſe ab immunditia, aut occupationibus ordinariæ vocationis. Joſ. 7: 13. Porro Homines ſanctificant Deum; ſegregant ſuis cogitationibus & cultu ſupra omnem honorem & gloriam creaturæ, verbis factiſque talem prædicando; Deus ſanctificat homines, ſegregat eos à conditione aliorum, ſive nominetenus, ſive reapſe operando in iis quod faciat ſegregatos, quod ſolum eſt ſanctificatio internæ mutationis Joh. 17: 19. Speciatim ſanctificatio uſurpatur de conjunctione matrimoniali. *Kidduſchin* ſunt *ſponſalia*, & מקודשת eſt *deſponſata*; quia ſegregata eſt per ſponſalia, ut unius ſponſi ſit propria; imo Meretrix publica dicitur קדשה *Kedeſcha* Gen. 38: 21. quæ ſemetipſam ſegregavit ad cujuſvis concubitum. Specialiſſimus iſte ſenſus de ſegregatione matrimoniali huic loco maxime congruit, ubi ſponſæ rationem habet Iſrael ſponſi Mediator, & appropriatio ex ſegregatione eſt ſanctitas, quæ dicitur de Iſraele, & viciſſim Mediator dicitur Deus tuus. Iſtud habemus expreſſum Jer. 2. verſ. 2, 3. Deſponſatio attulit ſegregationem. Ezech. 16: 6. & quia Deus ipſi quoque juravit fœdere reciproco; (nam ſanguis fœderis non ſolum adſperſus fuit populi columnis; ſed etiam medietas ejus altari Dei Exod. 24: 6.) fuit & ipſe ſegregatus, & ſanctificatus Iſraeli; unde titulus ille frequens apud Eſaiam, Sanctus Iſraelis Eſa. 1: 5. imo ut dicatur maritus & Iſrael uxor, & uxor juventutis Eſa. 54. Hoſ. 1, 2. capp. Adeoque appropriatio eſt Iſraelis Domino Deo ſuo, Angelo Mediatori, cui Eccleſia Iſraelis deſponſata eſt.

Obj. In ſecundo præcepto loquitur Deus Pater in prima perſona, *Ego ſum Dominus Deus tuus*, itaque nequit appropriari Filio Mediatori. Reſp. Intelligendum iſtud ex Matt. 22: 2. *Rex quidam nuptias fecit filio ſuo.* Filius eſt ſponſus, & ſponſa eſt filii: at tamen quia ſponſæ delectum facit Pater, & deſponſationem imperat Filio, non incommode deſponſaſſe dicitur, & deſponſata ipſius eſt, pro filio nempe eius, fitque ipſi propria, uti filius, habens rationem filiæ; quemadmodum quæ Angelus facit, ſe facturum dicit Exod. 23: 22. ſ. ſi obediveris voci ipſius, & feceris quæ loquar, ero hoſtis hoſtium tuorum. Angelus meus te introducet in terram Amoræorum &c. & ego perdam eos. Domino Deo tuo ſervies, & benedicet pani & aquæ tuæ, & ego morbos arcebo è medio tui. Quæ probant iſtud Joh. 5: 19. Sic ergo Iſrael fuit ſanctus Mediatori, ejus uxor. Imo cum divideretur in duo regna, & familias; ambæ fuerunt ejus uxores, ſub titulo Ohola & Oholiba. Ezech. 23. Eademque ratio eſt Eccleſiæ ex gentibus; de qua prædictum Cant. 8: 8. & præſtitum eſt 2 Cor. cap. 11: 2. Eph. 5: 23. ſ. Totaque Eccleſia vocatur Sponſa Agni Apoc. 19: 7. Hoc beneficium etiam ad nos pervenit. Sumus & nos ſancti Domino Deo noſtro. Ipſi liberi dicuntur Sancti 1 Cor. 7: 14. adeoque & adulti Chriſtiani. Hujus vocabuli vi ſumus ſegregati, idque Chriſto in conditionem conjugii. Eſt hæc dignitas & materia gloriationis, ut profiteri iſtud cedat honori deſponſatæ. Puella deſponſata, in primis ſupra ſuam ſortem, de eo gloriatur, & ubique illud profitetur, ſe uni ſanctificatam eſſe; neque minus parentes ejus eo nomine ſe jactant, & alii quoque eam prædicant: cum quæ innuptæ manent ſubducta occaſione per cædem juvenum in bello, non laudatæ dicantur Pſal. 78. verſ. 63. Porro ſanctificatam cum ſe cogitat ſponſa, novit non amplius ſuam ſe eſſe, ſed ſponſi, cui uni placere ſtudet; multo minus ut ſe aliis familiarem faciat & commerciüm cum illis habeat, ne famam ſuæ ſegregationis ulla ſuſpicione gravet. Hæc ergo ratio apud nos quoque valere debet. Iſrael fuit Deo ſanctitas; & nos ſumus ſanctitas Chriſto; unde nomen quoque ſegregationis ducimus, uti uxor à marito. Et conditio iſta neutiquam pudenda. Sponſus eſt Dominus Deus noſter, qui Pſ. 45. dicitur pulcherrimus filiorum hominum, Heros, Deus. Eſt Elohim ille à Deo ſanctificatus, Angelus faciei ejus, & facies Dei, Mediator, & quicquid titulorum alias de ipſo productum eſt, & producetur poſthac. Annon prædicanda iſta ſegregatio? Aſt quam parum æſtimatur à multis. Si pauperis filia deſponſata foret filio & hæredi regni, nonne Pater de eo gloriaretur ubique? nonne vellet intereſſe, & quidem in publico, ubi deſponſationis arrha, ſeu externum ſignum ipſi exhiberetur, & ſuum conſenſum publice teſtari vellet? Qui fit ergo quod liberis ſanctis ex fœdere & ſegregationis ſignum baptiſmum conſecuturis publice patres adeſſe & ſuum in ſegregationem conſenſum profiteri tergiverſentur, vel prohibeantur? pudetne ſegregationis ſeu ſanctitatis, ut nolint videri ſancti Chriſto, & quando ipſimet tales videri nolunt quid mittunt eò liberos ſuos? Sancti illi ſunt, quia vobis & liberis facta promiſſio: ſed ſi quis ſibi eam factam profiteri renuit, quid poſcit proli ſuæ? In cauponis profitentur deſponſationes liberorum citra pudorem inter pocula intemperantiæ creberrime, qui mundo ſæpe nubunt; verum ignominiæ ducunt in Eccleſia Dei profiteri deſponſationem eorundem Chriſto, ne mundi ſint. Pudendum iſtud factum parentum. Pudendum pariter ipſorummet, qui propius teſtimonium ſanctificationis defugiunt, & differunt acceſſum ad S. Cœnam, donec de conjugio ſibi proſpectum ſit, ut exinde ſe applicent religioni alicui, aut donec

donec ſatietatem habeant voluptatis mundanæ. Si quis in eunis deſponſatus eſſet regiæ proli, nonne optaret quantocyus, ubi majorennis factus eſſet, & annos diſcretionis attigiſſet, ut eadem deſponſatio ſibi ipſi ſcienti & volenti confirmaretur? Et hic nimis maturum creditur, conditionem illam ſuæ ſegregationis Chriſto habere obligatam? & felicitatis iſtud, **ongebonden beſt?** quos utique ſui baptiſmi pœnitet, quem ſuſcepiſſe nolunt, quod circa ſe factum improbantes. Sed qui hic rei non ſunt, ac ipſimet ſanctificationem iſtam in S. Cœna ſæpius repetiverunt, his porro cogitandum, ſancti ſumus Domino Deo noſtro. Non ſumus noſtri amplius, ſed alius Chriſti nempe, 1 Cor. 6: 19. 1 Theſ. 4: 3. ſ. Hæc eſt voluntas Dei veſtra ſanctificatio, ut abſtineatis à ſcortatione &c. Segregatus Deo nequit ſe addicere Scorto; imo ſic mundum ſe ſervare debet Jac. 1: ult. ut ne quidem motus cupiditatis aliò ſpectet. Gentiles id agunt qui Deum non norunt, non amant, de nomine ejus non appellantur, ſine Deo & Chriſto in mundo vivunt: ſed ad ipſorum voluntatem non eſt vivendum nobis, verum ad voluntatem Dei, 1 Pet. 4: 2. ſ. 1 Cor. 6: 20. glorificate Deum in corpore & ſpiritu veſtro, quæ Dei ſunt: non licet membra corporis noſtri, quia eſt Chriſti, ſumere & facere membra ſcorti, & non licet cogitationes cordis, quod itidem Chriſti eſt, ſumere & facere propria peccato. Etiam intuitus oculi ſegregationi contrarius, adulterium eſt Matt. 5: 28. Omnis impuritas actionum & cogitationum exulat ab honeſta ſponſa aut maritata, propter hoc unum, non eſſe ſe ſui juris, ſed alius; & ſi quis vel conſcius vel inſcius ejus conjunctionis eam ſolicitaret, hoc uno eum amoliretur; ſic quoque hîc contra omnes ſollicitationes mundi, diaboli, carnis & cupiditatum, quamvis maxima polliceantur reſpectu ærumnarum quæ Chriſtianiſmum comitantur, hoc unum valet, ſanctus ſum Deo. Non eſt locus alii ſanctificationi, niſi hac abolita adulterio & ſcortatione, quæ abominanda ſunt. Iſrael, cum eſſet ſanctitas Deo, ambulabat pone Deum etiam in deſerto. Quando ſanctitatis habuit rationem, non ſecuta eſt alium quam Deum: non tantum in abundantia omnium, ſed in ipſo quoque deſerto. Sterilitas iſta non movit, ut ſegregationi iſti renunciaret. Sic quoque nobis faciendum: ſancti debemus eſſe Chriſto, non ſolum quando nos ducit in paradiſum voluptatum, ſed quoque quando per deſertum & umbram mortis iter faciendum eſt. Cant. 1: 7. *Dic mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas? ubi recumbas in meridie?* nam quare eſſem ut quæ ſe tegit juxta greges ſociorum tuorum? Sancta ipſi apparere publice vult, & ipſi adeſſe, etiam in meridie, in æſtu maxime, ne cum ſociis ejus, aliis præter ipſum, hærere contingat. Reginæ maxima gloria eſt, quando cum rege eſt, & Chriſtiano, quando cum Chriſto. Caveamus autem ne unquam de nobis dici queat, ſanctam carnem à nobis receſſiſſe, ut ſegregationis negligentes ſimus, copulati aliis. Quod tamen nimium fit. Belgium ſanctitas Domino, populus fidelis, nonne mutatum eſt in ſcortum? non ſolum quia tot Reformatorum connubia habent cum idololatris; ſed potiſſimum, quod fere omnes copulati ſunt mundo & peccatis, ut vix crimen ſit, cui ſe non ſanctificaverint aliqui. Eccleſia Romana eſt קדשה quia ſacrata publice idololatriæ omnimodæ, uti Hieroſolyma, etiam pictis ſimulachris inardeſcens: quod majori licentia etiam nunc in Belgio fit; ſed idem nomen debetur Belgio, ubi idololatriæ Mammonæ, Ventris, Potentiæ vigent. Adulterium eſt amplecti lagenas vini Hoſ. 3: 1. & Ephraim idolis ſociatum erat, quia potatio ipſorum erat recedens, & nihil agebant quam ſcortari, cum clypei ipſorum amarent verbum, Ja. cap. 4: 17, 18. Sic cum homines ſe ſegregent ad cupiditates ſuas, utique ſanctitatis ſuæ negligentes ſe probant Hoſ. 4. verſ. 14. ſeparant ſeſe ad ſcorta, & qui ſcortantur à Deo, longinqui ſunt ab ipſo Pſ. 73: 27. quibus pernicies imminet. Sanctificat Deus tales ad exciſionem, & ſanctificat alios, qui hujus exſequendæ inſtrumenta ſint Zeph. 1: 2. 8. Segregavit populos, qui vel aperte, vel latenter nos devorent; quemadmodum Syri & Philiſtæi & Nebucadnezar hoſtiliter, & filii Noph & Tahpenes verticem depäverunt ſub ſpecie ſocietatis, Eſa. 9: 11. Jer. 51: 34. cap. 2: 16. Et ſic nos devoramur, imo ſanctificamur ad mutuum nos devorandos. Jer. 6: 4. *Sanctificate bellum contra ipſam Hieroſolymam.* O ſi ageremus quod ſuadetur Zeph. 2: 1. ſ. Sanctificantur quidem eo fine jejunia: ſed non ſanctificamus nos ad jejunia, & quæ illius temporis ſunt, non ſanctificamus nos Deo. Sanctitas quam habemus nominis, non poteſt nos ſervare: rami oleæ, palmites vitis, ſi intrinſecam virtutem non habeant, exſcinduntur, & comburuntur ſub illo nomine Chriſtiani infrugiferi, damnantur ſub nomine Chriſtianorum. *Indignatio & ira, afflictio & anguſtia ſuper omnem animam hominis facientis malum, primum Judæi, inde Græci;* Rom. 2: 9. Quare antequam iſta patiamur, meminerimus inde excidimus, & faciamus priora opera. Sanctos nos Deo probemus abſtinentia ab omni malo maliqué ſpecie, & exercitio boni & Domini eſſe agnoſcamur, quia facimus quæ ſunt Domini, ut ambulemus Deo placenter, nos ſiſtentes ipſi hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem, qui cultus rationalis, & non ſimus conformes mundo; ſed alii renovati mente, & conformes voluntati Dei noſtri Rom. 12: 1, 2. ſic ſanctitatis noſtræ ſolatium erit & felicitas. Jer. 2: 3. Sanctitas, *quicunque comederunt eum, rei habebantur, malum eis ſupervenit, inquit Dominus?* Quicquid Deo ſanctum erat, non licuit illud comedere; qui feciſſet imprudens, reus erat, & hoſtia fuit expiandus; qui id negligebat, aut volens fecerat, exſcindendus à Deo è medio populi ſui. Sic qui ſanctitatem Dei violat, quam grave fuit Ægyptiis violaſſe Iſraelem; & ſic dicitur de Aſſyrio & Nebucadnezare Jer. 50: 17. ſ. Pſalm. 14: 4, 5. *an operarii iniquitatis omnes non habent notitiam? comedentes populum meum, quaſi ederent panem? ibi pavore pavefacti ſunt, nam Deus eſt cum generatione juſtorum.* Si velimus nos eripi è poteſtate hoſtium noſtrorum, ſimus juſti, ſancti Deo; & ſic nocendo nobis, accelerabunt ſuam perniciem hoſtes. Edant ad tempus, & voluptuentur, quod noſtri in ore eorum fuit ut mel, in ventre mutabitur in fel, & venenum; cogentur evomere rurſum, vel ipſimet rumpentur inde. Aſt qui ſancti Deo, illos Deus tuebitur, qui ſancti ſcribuntur ad vitam Eſa. 4: 3. & ſunt ſtabilimentum terræ cap. 6: 13. & tandem plene vindicabit, & patebit, felicem eſſe populum qui Dei eſt, utpote quem æternum exhilarabit, & glorificabit.

Pſ. 33: 12. *Beatus populus, cujus Deus Jehova, populus quem ſibi in ſortem elegit.* Sic canit David, & Pſalm. 144: 15. iſtud ſuper omnem felicitatem extollit: nam catalogo eorum recenſito, quæ vulgi judicio populum felicem reddunt, omnibus iſtis connumeratis hoc unum longe præfert, cui Jehova Deus eſt. Unde merito ſurgit deſiderium cognoſcendi, qua ratione quis ad hanc conditionem queat pervenire. Eſt quidem generalis notitia ex antecedentibus, quæ etiam his dictis continetur, fœdus nempe Dei, quibus Dominus eſt Deus illi ſunt Deo populus, ſeu membra populi ipſius; ſed quomodo quis fœderatus fiat Deo? id inquirendum eſt. Conſit iſtud non ab hominibus, ſed à Deo, Pſalm. 33: 12. Pſalm. 65: 5. Atque hoc diſcimus ex textu; Moſes declaraturus quid ſit, *Dominus Deus tuus*, ex oppoſito id indicat quando ait, *Tu es populus ſanctus Domino Deo tuo.* Quomodo docet proprietatem eſſe mutuam, ut cui Dominus eſt Deus; ille viciſſim ſit Dei Deut 32: 9. *Portio Domini populus ejus, Jacob eſt funiculus hæreditatis ejus.* aſt Jer. 10: 16. *pars Jacobi, non eſt ut idola, nam eſt formator omnium, & Iſrael eſt virga hæreditatis ejus, Dominus Zebaoth nomen ejus.* Sed adeoque ſegregationem eſſe & appropriationem, quomodo ſponſus & ſponſa, maritus & uxor ſibi invicem proprii ſunt, quod eſt fœdus illud inter Chriſtum & Eccleſiam olim Iſraeliticam, ubi Moſes amicus ſponſi (cujuſmodi nunc quoque eſt cum Eccleſia ex Gentibus:) unde Meſſias olim dictus Sanctus Iſraelis. Segregationem illam fecit Deus Pater, qui Filio ſuo parat nuptias Matt. 22: 1. & hic ſanctificavit filium, & miſit in mundum Joh. 10: 36. & qui Filio dat Sponſam, quam juxta cum Patre in æterno conſilio elegit. Atque ſic indicatur ratio qua Mediator jus illud ſegregationis conſecutus ſit: quod bifariam docet, I. quid. II. quo fine egerit.

a. Quid egerit, *Te Dominus Deus tuus elegit.* Initium ſegregationis, quâ ſanctus eſt populus, à Deo ipſorum eſt.

α. Electionis *Auctor* est *Dominus Deus tuus*. Ille est qui dispicit sibi quo cum fœdus matrimoniale ineat. Nihil fecit Israel ut Dei fieret aut Deum haberet. Sed hoc est opus Dei, qui Deus ipsorum dicitur cum eligeret, utpote cujus consilio omnia ordinantur. Qui eligit quam ambiat sponsam, semetipsum jam illi segregat, illius futurus, quamprimum consenserit. Eligit Christus sibi, eoque se illi proprium destinavit. Sed nemo ipsum eligit Joh. 15: 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Electio est sapientis beneplaciti: consilium dicitur Eph. 1: 11. hoc deest hominibus. Deut. 32. vers. 28. quod illis placet, malum est. De hominibus dicitur Esa. 66: 3. Eligunt abominanda, & repudiant desideranda: pro scaturigine vitæ cisternas ruptas, pro Creatore creaturam, pro Deo Diabolum, pro vita mortem. Luc. 7. 30. *Pharisæi & Legisperiti consilium Dei contra semetipsos repudiarunt à Johanne non baptizati.* Dei sapientissimum consilium fuit segregare in fœdus novum Israelem, qui per fœdus vetus Sinaiticum servari non poterant; quemadmodum promiserat, cujus fœderis præparatio & initiatio erat ministerium & baptismus Johannis; à quo quicunque baptizari voluerunt, Deum justificarunt, gloriam veritatis & bonitatis tribuentes quam amplectebantur; Pharisæi vero & Legisperiti repudiato ejus baptismo, simul consilium Dei de sua per novum fœdus salute repudiarunt. Hæc stultitia eligentium hominum, quemadmodum Act. 13: 46. verbum Dei quod salutis repulerunt, seque vita æterna indignos judicarunt. Neque nos foremus sapientiores in eligendo; siquidem nobis id relinqueretur; sumus omnes natura insipientes, inobedientes, errantes Tit. cap. 3: 3. φιλήδονοι magis quam φιλόθεοι 2 Tim. 3. 4. amici mundi & mundanorum, imo nostri ipsorum, quomodo perniciem nostram eligimus. Cœci sumus, myopazontes 2 Pet. 1: 9. & qui extremum non prospicimus, in diem viventes, æternitatis negligentes quasi incertæ; imo veræ pulchritudinis & felicitatis ignari: & quid ab illis exspectabitur boni consilii, & salutaris electionis? Adeo ut felices simus, si alieno consilio dirigamur in electione Esa. cap. 56: 4. felices prædicat Deus, qui eligunt id, in quo ego delector. Et hoc docet pios. Ps. 25: 12. *Quis vir timens Deum docebit eum de via quam eligat.* Inprimis in electione Dei quam Josua proposuit Israeli, & proponitur quoties fœdus renovandum proponitur; ut si malum videatur in alicujus oculis, servire Deo: eligat quem colat, sive Deos Ethnicorum, sive Pontificiorum, qui majoribus nostris olim placuerunt, sive cupiditates Jos. 24: 15. quorum omnium damnosissima electio Jud. 5: 8. quando Israel novos Deos elegit, bellum fuit ad portas, proinde adeundus Deus, ut ille consilio suo nos regat, & nobis eligat hæreditatem Psalm. 73: 23, 24. & 47. vers. 5.

Nam *Deus eligens est sapientissimus*, quod patet ex.

β. *Fine*, quem dicit, *ut sis ipsi populus peculii ex omnibus populis qui in terra sunt.*

Liquet hinc *Electionem non esse omnium, sed aliquorum ex omnibus.* Populi terræ multi sunt, sed ex omnibus unicum delegit Israeliticum, cæteris præteritis. Ps. 147: 19, 20. Ps. 103: 7. Act. 14: 6. Sic 1 Chron. 28: 4, 5. Equidem promissum Gen. 12: 3. cap. 18: 18. cap. 22: 18. sed ut maneat etiam tunc electio ex omnibus populis. De Corinthiis 1 Cor. 1: 27. s. Deus elegit stultum, infirmum, ignobile mundi, ut contraria pudefaceret. Joh. 13: 18. novi quos elegerim de Apostolis suis, & pariter de cæteris, quia de multis dicet, nunquam novi vos Matt. 7: 23. Luc. 13. vers. 25. Sequuntur Christum oppugnantem Babelem & ejus consortes, vocati electi & fideles Act. 17: 14. Est vero electio ista diversa ad extrinsecam proprietatem, Joh. 6: 70. nonne ego vos duodecim elegi? & unus vestrûm est Diabolus, ad munus illud ministerii: & intrinsecam Joh. 13. vers. 18. non &c. Sic quoad conditionem populi vel extrinsecam, segregationis per vocationem ad fœderis externam cognitionem & professionem, vel intrinsecam segregationis per vocationem efficacem ad fœderis veram fruitionem. Vocatio externa electionis testimonium est externæ, ut quis in cœtu Ecclesiæ sit, uti Judas inter Apostolos: sed vocatio interna testimonium est electionis internæ, ut quis in cœtu Ecclesiæ sit, uti cæteri Apostoli præter Judam. 1 Joh. 2: 19. & hi sunt palmites non manentes in Christo, Joh. 15: 6. qui professione externa cum cæteris vocatis accesserant, & ad tempus credebant electi ex illis, qui nunquam accesserunt; veruntamen non sunt electi & constituti ut fructus ferant, & fructus eorum maneat, vers. 16. Hoc loco indefinite loquitur; quemadmodum etiam Esa. 41: 8, 9. *tu Israel serve mi, & tu Jacob quem elegi: semen Abrahami amici mei: Servus meus es, elegi te, & non reprobavi te.* Electio Israelis; omnium & singulorum, ut essent soli populus Dei, (uti omnis seminis Abrahami ut essent in fœdere Dei) fuit extrinsecæ segregationis; unde etiam cum in exilio forent, & profanarent nomen Dei, dicebantur populus Dei fœderis signaculum in carne gerentes Ezech. 36: 20. Verum in illis fuerunt quoque, qui alia electione Deo appropriati erant, juxta illud Rom. 9: 6. *Non omnes sunt Israel, qui ex Israel sunt*: qui ex Israel sunt circumcisi omnes; sed qui vere Israel, Israel Dei, ambulant secundum regulam novæ creaturæ, in vestigiis fidei patris Abrahami in sua circumcisione, Gal. 6: 15. s. Rom. 4: 12, Electionis intrinsecæ finis est ad salutem 2 Thes. 2: 13. ejusque demonstratio sanctificatio spiritus & fides veritatis, quo efficaciter vocantur per Euangelium ad impetrandam gloriam Domini nostri Jesu Christi, quæ gloria nunc quoque inchoatur 2 Cor. 3: 18. & sic electionis certitudo nascitur 2 Tim. 2: 20. seq. Electionis extrinsecæ finis est ut quis sit in domo Dei, in quam plurimi non veniunt, quamvis ibi tantum sit ut vas ad dedecus; cujus judicium majus est; uti palmitis infrugiferi, qui resectus abjicitur, & comburitur, & qui propter inobedientiam infidelitatis domo & requie Dei excluduntur Heb. 3: 6. s. Beneficium est adduci & admitti in domum Dei, externi fœderis jus & notitiam consequi: uti quicunque in familia Abrahami erat; consequebatur enim institutionem de via Domini, quæ alibi non dabatur, saltem successu temporis: sed qui in familia illa erat ut irrisor Ismael, ut profanus Esau, ejectus tandem fuit & hæreditate exclusus. In domo Dei sunt servi, feliciores utique extraneis; sed si tantum servi, illud manentes, non manent semper in domo, verum qui liberi sunt, aut manumittuntur à filio, jure filiorum donati, illi semper manent, futuri hæredes Joh. 8: 34. seq. cap. 1: 12.

Finis hîc dicitur, *ut forent peculium* סגולה quid sit, discimus ex Eccl. 2: 8. *Congregabam mihi argentum & aurum*, & סגולה Belg. **kleynodien** / *jocalia regum.* & 1 Chron. 29: 3. *præterea ex delectione mea in domum Dei mei habeo* סגולה *peculiarem thesaurum*, Belgice diceres, **een spaarpot / een dierbaar opgegaarde en opgespaarde legat** / *aurum & argentum, præter illud quod jam destinavi illi structuræ*, 3000. *talenta auri Ophir*, & 7000. *talenta argenti defæcati.* Est ergo aliquid pretiosissimi pro conditione possessuri; quod enim privato pretiosum vile est regi: hîc vero rege Salomone major est, Mediator Deus. Enimvero an habuit Israel pretium in se, cujus rationem Deus habuit in delectu? Reges inveniunt metalla, & lapides pretiosos, artifices parant monilia, jocalia, & ex illis delectum faciunt maximorum & splendidissimorum. Nihil tale hic obtinet, Mal. 3: 17. *Erunt mihi, dicit Dominus, illo die quo ego facio (segylla) peculium.* Salomo congregabat Eccl. 2: 8. sed Deus facit. Quicquid pretii adest, sive externi & visibilis, sive interni & invisibilis; id omne à solo Deo effectum est; ex se enim nihil omnino habent. Ezech. 16. nudam abominandam Deus curavit & adornavit, ut stupori foret omnibus nationibus. Et sic fuit peculium externum. Habuit decus istud rationem **van 't amalieersel** cujus pictura veri pretii ignorantes allicit; sed vitrum est, & ignem non fert; ast quod vere pretiosum, se habet ut gemmæ in Ephod, quæ adeo arcte cohærebant, quamvis duodecim forent, ut unica viderentur. Hoc quoque pretium Deus solus facit; nam 1 Cor. 4: 7. quod dicitur Mal. 3: 17. idem est cum Eph. 5: 27. Itaque quod externum & internum est, ab ipso pariter est. David de suo Segylla testatur, *omnia à te sunt, & damus tibi è tua manu*, 1 Chron. cap. 29: 14. *Meum est aurum*, Deus inquit, & *meum est argentum*, Hagg. 2: 9. Dicitur quidem Esa. 43: 4. *Ex quo pretiosus fuisti in oculis meis dilexi te.* sed non dicitur pretium

tium illud ex ſe habuiſſe, quod Ezech. 16. refutatur allegorice, & proprie Ezech. 20. neque anteceſſit pretioſitas amorem, ſed ſecuta eſt. Ezech. 16. primum amat Deus, deinde exornat: eoque copula ו recte exponitur per poſtquam, ut Eſa. 64: 5. *Ecce iratus fuiſti & peccavimus*; peccata vero anteceſſerunt iram. Si quis ergo pretioſus eſſe optet & peculium Dei, ſiſtat ſe Deo. Chriſtus eſt inſtar aurifrabri, qui conflat & purgat argentum & aurum Mal. 3. verſ. 3. ferendus hic ignis afflictionum & malleus convictionum, & ſtylus comparationis, & multus jugiſque labor ut fiamus jocale Dei. Reprobum argentum eſt, unde plumbum & æs non ſeparatur, ſed potius follis conſumitur igne: tales reprobat Deus. Jer. 6: 28. ſ. Debemus eſſe ut aurum purgatum igne, ne quid ſcoriarum adhæreat, ut illo die ſimus peculium Deo placens, & glorioſum.

Verſ. 7. ***Non eo quod plures eſſetis omnibus reliquis populis, amore propendit Jehova in vos, ac ſelegit vos: vos enim*** eratis populus ***pauciſſimus omnium populorum:***

Verſ. 8. ***Sed eo quod diligit Jehova vos, & eo quod ſervat juramentum illud quod juraverat majoribus veſtris, eduxit vos Jehova manu forti, ac redemit te è domo ſervorum è manu Parhonis Regis Ægypti.***

Sed quod nihil in Iſraele ſit pretii ex ſeipſo, liquet ex ſeqq. ubi ſimul docetur, quod Deus ſit *El Kanno* id eſt, *fortis Zelotes*.

I. *Zelotes* dicitur ab intimo amore, qualis eſt mariti erga uxorem, vel ſponſi erga ſponſam: Cant. 8: 16. amor & Zelus uſurpantur ſynonimos; ſed ut hic gradus major ſit. Intenſiſſimus iſte amor declaratur à cauſa impulſiva. I. negata, verſ. 7. II. affirmata, verſ. 8.

(a.) *Negata*, verſ. 7. Statuitur hic deſiderium conjunctionis & communionis, & hinc electio ad eam efficiendam: uti Prov. 8: 31. Sapientia ait, delectationem ſuam eſſe cum filiis hominum, & hinc eos invitat ad ſe. חשק deſiderare conjunctionem *chaſchûkîm* faſciæ, cincturæ, *chiſſchûkîm* canthi, cincturæ rotæ. Si ſpectetur electio ad ſalutem tum hoc חשק *deſiderium*, tantundem erit ac præcognitio antecedens prædeſtinationem; illa eſt ad conformitatem cum filio, quæ arctiſſimæ unionis effectum eſt. Rom. 8: 29, 30. Sed hujus deſiderii motiva negatur eſſe multitudo ipſorum. Prov. 14: 28. *In multitudine populi eſt regis gloria; ſed in defectu populi principis contritio.* Rex Sodomæ petebat, ut animæ ſibi redderentur, utpote ſine ſubditis non futurus rex, niſi titularis. Gen. 14: 21. Et quo major populus, aut plures populi ſub uno rege, eo ille glorioſior; ut Aſſur, nonne omnes principes mei ſunt reges? Eſa. 10: 8. Nebucadnezar Rex regum, utpote cui ampliſſimum erat regnum. Dan. 2: 37. ſ. Deus dicitur Rex *gentium*, cui timor debetur ab omnibus, Jer. 10: 7. Sed hanc multitudinem Deus in Iſraele non ſpectavit. Act. 17: 25, 26. Indigentia hominum facit, ut hic æſtimetur multitudo utpote cum 20000. plus efficere queant quam 10000. Luc. 14: 31. ſed nullus defectus in Deo qui omnes fecit, & conſervat in omnibus quæ habent, & tempora ac loca ſingulorum definit omnipotens rector omnium. Dan. 4: 34. pro ſua voluntate Pſ. 115: 3. ut nihil habeat laborandum pro ſubditis ſibi faciendis: quemadmodum de ſacrificiis dicit, ſe indigere nullatenus illis ad cibum, qui omnium creaturarum conditor eſt Pſ. 50: 9. ſ. ſic quoque nec hominibus ad cultum. Conſpirarunt aliquando homines plerique contra Deum, nolentes diſpergi per univerſam terram, & Deus miraculoſa confuſione linguarum ſuam potentiam victorioſam oſtendit. Imo gentes omnes præter Iſraelem repudiavit, ceu indignas ſui regiminis. Eſa. 63. verſ. ult. Speciatim Chriſtus. Eſa. 8: 8. ſ. Multitudinem non metuit, non quærit Deus: in ſe habens quicquid ad gloriam ullo modo facere poteſt, qui in ſe beatus 1 Tim. 6: 15. citra cultum hominum; quique nationes omnes quas fecit poteſt ſibi ſubjicere ad obſequium. Dan. 7: 10. *millies milleni ſerviunt ei & 10000. decies milleni conſiſtunt ante ipſum.* Et angelorum miniſterium longe glorioſius eſt humano. Ergo multitudo Iſraelitarum non fuit ſpectata à Deo. Sed an adfuit multitudo Iſraeli? in verſione negatur: *quia vos eſtis pauciſſimi omnium populorum.* Sed tunc in contrarium licuiſſet argumentari, non propter multitudinem, ſed propter paucitatem noſtram; Nam huc facit. Pſ. 105: 12. ſ. *cum pauci eſſent numero, pauci & peregrini in terra*, eam illis dedit, & errantes hinc inde non paſſus eſt ut quis eos opprimeret, imo *corripuit reges propter ipſos*, &c. Novimus tamen neque paucitatem hominum cauſam eſſe, quaſi non ſufficeret ad plures. Et multitudo tandem erit ſubditorum Gen. 49: 10. Eſa. 49: 6. Verum Deut. 10: 22. legitur: *cum 70. animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum: & nunc Dominus Deus tuus te conſtituit, ut ſtellas cœli in multitudine*; quæ promiſſio eſt. Gen. 15: 5. fuerunt enim recenſiti vicennes mares pluſquam 600000. præter fœminas & minores vicennio, qui illum numerum longe ſuperarunt & totam tribum Levi. Itaque Hebræi ſic reddunt, *Quamvis vos quod attinet, an pauci eſtis præ omnibus populis?* & argumentum eſt efficacius; multitudo nequit movere, quæ non adeſt; Sed quando ea adeſt, ſi tum non moveat, id momentum habet. Sic hoc loco. Alias Deus imminutionem fecit, populi multitudo ne æſtimaretur, in bello contra Midianitas Jud. 8. & Zeph. 3: 12. minatur ſe redacturum ad conditionem pauperem & afflictam, quo confiderent in Domino. Si quis tamen verſionem malit ſequi, conciliatio erit ut Mat. 7: 14. cap. 20: 16. coll. cum Apoc. 7. præter 144000. quæ Iſraelis, multitudo innumerabilis ex omni lingua, natione, & tribu.

(b.) *Affirmata*, verſ. 8. eaque gemina, Gratia, & Veritas.

Gratia, dicit enim, *Sed propter amare Dominum vos.* Quod Deus deſiderium concepit conjunctionis fœderalis cum Iſraele impulſiva eſt gratuitus amor Dei: nihil extra Deum in ipſis. Deut. 9: 5. ſ. removetur dignitas & juſtitia ipſorum, & convincuntur indignitatis ob injuſtitiæ pertinaciam: ſed ſolus amor Dei. Conſtat ex collatione cum Eſavo. Rom. 9: 11--13. Eſau & Jacob concepti pariter in utero, erant homines & peccatores, pariter indigni amore, digni odio; Deus autem Jacobum dilexit, Eſavum odio habuit: quæ cauſa? propoſitum Dei, & hujus immutabilitas, etiam tempore Malachiæ; qui addit de Eſavo, eſſe populum cui Deus indignatur in æternum: de Iſraele, Deum magnificandum eſſe propter terminum Iſraelis. Amor & Odium ſunt prima cauſa diſcriminationis, ſed iſtorum cauſam odere impoſſibile eſt. *Quis enim novit mentem Domini.* Rom. 11: 34. *miſeretur cujus vult, quem vult indurat*, cap. 9: 18. Ne quidem homines ſui amoris & odii ſemper rationem reddere poſſunt: quanto minus Dei, cujus intelligentiæ non datur perſcrutatio Eſa. 40: 28. De hac & aliis occultis Dei ne quidem inquirendum eſt. Deut. 29. verſ. 29. Sed quando de iis agitur, dicendum, quod nautæ. Jon. 1: 14. *Tu Domine feciſti, uti tibi placuit.* Amor iſte Dei valuit ad externam Iſraelis ſegregationem; ſed longe excellentior eſt, qui ad internam ſegregationem facit. Amor ad electionem æternam, prorſus gratuitus. Omnes natura ſunt filii iræ. Eph. 2: 3. Si quis ponatur non ad iram, ſed ad obtinendam ſalutem in Chriſto Jeſu. 1 Theſ. 5: 9. ſoli gratuito amori adſcribendum eſt. Et hinc demonſtratio nequit peti ab iis quæ in nobis anteceſſerunt amorem Dei, ſed ex iis quæ ſecuta ſunt. Jer. 31: 3, 4. effectus docent, & docebunt ob immutabilitatem ejus, etſi aliquandiu interruptum fuerit exercitium illorum effectuum. Ita quoque quoad nos; non quidem ex iis quæ ante faciem ſunt, & pariter juſto & injuſto eveniunt; inde amor & odium Dei non diſcitur Eccl. 9: 1, 2. ſed ex iis quæ in nobis: ut ſunt. 1 Joh. 4: 19. Diligimus Deum, quia prior dilexit nos. Si amemus Deum vere; natura ſumus θεοστυγεῖς, hoſtes Dei; ſi intime diligamus, hic ignis ab ejus flamma accenſus eſt. 2 Tim. 2: 19. cognitus à Deo abſtinet ab injuſtitia, quæ profeſſionem dedeceat; amantis offenſio

cavetur, quæ non curatur si nulla amoris securitas. Rom. cap. 8: 28. quicquid accidit sive prosperum, sive adversum, si id cooperetur ad salutem, ut alienet à mundo, infestum reddat peccato, exstimulet ad sanctitatis exercitium amoris Dei demonstratio est, & quidem ejus qui non tantum segregat ad speciem sed vere; non ad tempus, sed ad æternitatem felicitatis.

Veritas in hoc est & *ad observandum jusjurandum quod juravit patribus.* Hic sunt duæ illæ Heb. 6: 17. res immutabiles, Consilium & juramentum. Illud est amoris & pacis, hoc verbi veritatis. Illud non patitur pœnitentiam, istud non patitur mendacium: Hinc Deus dicitur Victoria vel æternitas Israelis. 1 Sam. 15: 29. Nequit ullum verbum cadere, quod non fiat; differri potest, at nequit prorsus omitti. Esa. 46: 10. & cap. 14: 24. *Dominus Zebaoth juravit, si non quemadmodum cogitavi ita fiet; & quemadmodum consilium inii, ita consistet*, vers. 27. *Nam Dominus Zebaoth in suo consilio decrevit, & quis irritum reddet? & manus ipsius extensa est, quis ergo avertet?* Studeamus partem habere in juratis promissionibus, ut Dei fœderati simus, & experiemur ad solatium & salutem nostram Zelotem æterno amore.

2. *Fortem* porro demonstrat ex liberatione ex Ægypto, cujus toties fit mentio, quod tot miraculis suam omnipotentiam ad Israelis vindicias ostenderit. Sic famulatur potentia Dei ejus amori & veritati. Sic fiet in vindiciis ex electione ad salutem. Joh. 10: 28. s. Esa. 51: 9. s. in hoc fundantur preces, & promissio Dei. Doceamus nos esse populum cognoscentem justitiam, & in cujus corde lex Dei est & habebimus quod gaudeamus citra metum, in omnia secula.

Vers. 9. *Ut agnoscas Jehovam Deum tuum esse Deum ipsum*; Deum *fortissimum, fidelissimum, observantem fœderis sui & benignitatis suæ erga diligentes se & observantes mandata sua in mille generationes,*

Vers. 10. *Et rependentem odio habentibus se* cuique *in faciem ejus perdendo eum*, qui *non dilaturus est odio habenti se, in faciem ejus rependet ei:*

Quum sacrificium Abelis ex fide factum Deus sibi placuisse externo signo probasset supra Kaini, & hic eapropter indignaretur, Deus ad ipsum, *nonne si bene feceris erit exaltatio?* &c. Gen. 4: 7. Qualia facta sunt talem quoque docet esse eventum: pietas præmium habet impietas pœnam eamque citam. Hoc est quod Deus inculcavit in secundo præcepto, quando rationem illi attexit, ut obedientiam persuadeat. In genere quidem dicit, sic esse Deum Zelotem, tenerrimi amoris, qui nihil patiatur deesse à parte sua, neque etiam ab altera parte sibi arctissimo fœdere sociatorum: validi roboris ad amoris demonstrationem, vel vindicias.

ב. *In specie* autem declarat, qualem exinde se experturi sint tum infidi, *visitans iniquitatem*, &c. tum fidi, *& faciens benignitatem*, &c. Hæc eadem Moses urget dum interpretatur Decalogum; Quæ de secundo præcepto dicat, ostendimus ex, vers. 1—5. tum rationem Dei enarrat, illam generalem, *Ego Dominus Deus tuus, fortis Zelotes;* quando docet quid sit, *Ego Dominus Deus tuus*, ex opposito, *tu es populus sanctus Domino Deo tuo*, vers. 6. ubi porro quid fecerit, & quo fine, ut talem populum haberet; eligendo in peculium, vers. 6. præterea quid sit Zelotes, quando removet impulsivam amoris falsam, multitudinem ipsorum, vers. 7. recitat veram, Dei meram gratiam, & veritatem, vers. 8. quid item fortis, qui sua virtute ex Ægypto liberavit, vers. 8. Jam progreditur ad rationem specialem, sed ut agat. I. de fidis, vers. 9. II. de infidis, vers. 10. quid illi, vel hi habeant exspectandum.

Præmittit vero *fundamentum* utriusque actionis, cujus cognitionem mandat, vers. 9. *Et scies, Dominum Deum tuum esse illum Deum.* Habet hic aliquod momentum istud mandatum cognitionis. Et scies. Impossibile est quicquam valere argumenta omnia, si non cognoscantur: quem alliciet Dei benignitas in bonos, severitas in malos, nisi cognitæ fuerint? Hinc Rom. 11: 22, *Vide benignitatem & severitatem Dei. Severitatem in eos qui ceciderunt; benignitatem autem in te siquidem manseris in benignitate; alioqui & tu exscinderis:* in aliis, & in seipso observanda ista; ut cognoscantur actiones Dei, & Deus ipse. Ps. 92: 7. *brutus hæc non novit, & stultus non intelligit*, quæ sit impiorum & piorum conditio ad extremum; unde nascitur neglectus Dei, imo blasphemia in Deum. Sed qui norunt, illi hinc capiunt eruditionem, ut caveant quod perniciem affert, assequantur vero felicitatem. Sed specialius adhuc designatur hac voce reciprocum aliquod officium. Tu es populus sanctus Domino Deo, qui id testatus est amoris exercitio, in tui electione, ex mera gratia & veritate, & in tui segregatione, potenter te eximendo Ægyptiacæ servituti. Et tu vicissim cognosces ipsum Dominum Deum tuum. Sic Hos. 2: 18, 19. *Desponsabo me tibi in æternum, imo in justitia, & judicio, & benignitate, & miserationibus; & desponsabo te mihi in fide, & cognosces Dominum.* Appropriatio ut sit populus Dei, poscit reciprocam agnitionem appropriantis. Sic Jer. 31: 33, 34. fœdus novum quod pangit Deus, hunc habet fructum *Cognoscent me omnes à minimo ad maximum*, quod sim segregans, condonando peccatum & non recordando iniquitatis. Ita hortatur David filium Salomonem. 1 Chron. 28: 9. Rem ipsam dicit Psaltes Ps. 45: 11, 12. Obliviscendum populi proprii & domus paternæ, & delectabitur rex pulchritudine tua; quando segregatio fuerit non corporis solum, sed cordis; ut quicquid ante charum emoveatur cogitationibus. Verum ut id fiat requiritur cognitio, & cognitionis demonstratio; quia Dominus tuus est, incurva te illi. Ubi idem inculcatur quod in textu habemus: Uxor regis ejusdem quoque subdita est. Rex dicitur maritus, sed quem Dominum agnoscere, & sic ei se subjicere tenetur. Rex absolutus non patitur socium in regno: sed omnibus rex est, etiam conjugi; proinde de numero est hæc quoque subditorum. 1 Reg. 1: 16. s. Bathsebæ, uxor Davidis, non alio nomine quam Domini mei & regis Davidem, & famulæ tuæ se insignit, & se filiique fortunas omnes ejus ceu summi judicis judicio subjicit. Hoc ipsum est quod Moses cognoscendum proponit. Cognosces inquit, non tantum quod ipse sit Dominus Deus tuus; istud sequitur ex oppositione; si tu populus sanctus ipsi, ille vicissim tibi sanctus est; Israel sanctitas Domino; & Dominus Sanctus Israelis: tu portio Domini; Dominus portio tua, uti Hos. 2: 22. *Ego dicam Populus meus es, & ille duet, Deus mi.* Vel Zach. 13: 9. *Ego dicam Populus meus est, & ille dicet, Dominus est Deus meus.* juxta illud Cant. 2: 16. cap. 6: 3. Sed quod Dominus Deus tuus sit ille Deus. Expressus est articulus, qui magnam habet emphasin. Non ait, *Scies Dominum Deum tuum esse Elohim*, sed *ha Elohim*. Sæpius diximus *Elohim* denotare Judices, qui regiminis vel judicii potestatem habent, sive falso, qui non habent à Deo immediate vel mediate, sed à creatura tantum, sive vere, qui à Deo habent, ut ad ipsos verbum mandati factum sit. Hujusmodi sunt tum Angeli, tum magistratus, tum inprimis filius Dei, qua Mediator, Joh. 10: 35, 36. Sed de omnibus mandarat Deus, *Non erunt tibi Elohim alii præter Faciem meam:* eoque Facies mea erit tibi Elohim, & hæc facies est Angelus faciei vel facies vel Angelus, imo D. Deus tuus; uti ex Exod. 23: 20. & interpretatione. Deut. 6. & 7. ostendimus; atque huc respicit Moses dicens, Scies Dominum Deum tuum esse illum Elohim; qui unus Rector & Judex summus agnoscendus est. Quamvis veniat tecum in fœdus connubiale, & arctissimo amore te complectatur, est tamen & manet ille Elohim, summus Rector, cujus tribunal tibi quoque agnoscendum est. Ezech. 16: 8. Israeli juravit Deus, & venit cum ea in fœdus, & facta est ipsius; conjux juventutis; sed quando scortatur adultera, vers. 38. Hoc est quod toties inculcatum legimus, Mediatoris munus salutiferum conjunctum esse cum omnipotente regimine universorum, & judicii potestate suprema. Act. 2: 36. Sciat tota domus Israel quod Deus nunc Jesum, crucifixum à Judæis & excitatum, fecerit Dominum & Christum. Cap. 5: 31. consti-

ſtituit principem & ſalvatorem. Cap. 10:42. ſ. Jeſum Nazarenum Unctum à Deo Spiritu Sancto & potentia, quem excitavit ex mortuis, annunciandum habemus populo, & teſtandum, quod à Deo ordinatus ſit judex vivorum & mortuorum, & quod quivis in ipſum credens Remiſſionem peccatorum impetraturus ſit per Nomen ejus. Et ſane id neceſſarium fuit, ut Servator eſſet omnium judex: quomodo enim ſalutem piis daret conſummatam, niſi hos & dijudicare ab aliis, & vitæ ſolos conſortes facere, cæteros vero vitæ fruitione excludere, atque ob contemtum & oppugnationem ſui punire poſſet. Joh. 10:11. ſ. Paſtor ille bonus, (imo magnus. Heb. 13:20.) non tantum novit oves ſuas, eaſque tuetur & beat, verum etiam lupum & ejus progeniem oppugnat, & quotquot non ſunt ex ovibus ſuis vita & ſalute arcet. Cap. 17:2. Iſtud nobis quoque meditandum eſt, qui fœderis matrimonialis conſortem credimus Eccleſiam ex Gentibus, juxta Eph. cap. 5:23. ſ. & nos membra illius. Qui Dominus Deus noſter, idem eſt ille Elohim Rom. 14:9. *In hoc Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, & vivificatus eſt, ut ſuper mortuos & vivos dominaretur. Omnes ſiſtemur tribunali Chriſti, & quiſque pro ſeipſo Deo rationem reddet, cui omne genu flectetur,* & 2 Cor. 5:10. ſ. *Omnes debemus manifeſtari coram tribunali Chriſti* &c. *Scientes ergo terrorem Domini perſuademus homines ad fidem.* Terribile eſt judicium, quia citra proſopolepſiam judicabit ſecundum uniuſcujuſque opus Rom. cap. 2:6. 11. 16. eoque nunc per fidem agnoſcendus & apprehendendus eſt, ut judicium ejus non ſit pertimeſcendum. Joh. 5:23. ſ. Imitandus Paulus, ut militemus militiam bonam, curſum teneamus rectum, ad ſupremam uſque metam ſervemus fidem, fideles ad mortem, quo conſequamur coronam juſtitiæ, ab ipſo judice juſto dandam omnibus qui ejus apparitionem ad judicium amant, & cum deſiderio exſpectant 2 Tim. 4:6, 7, 8.

a. *De fidelibus* ait, *Deus ille, fidelis ille,* (hoc eſt *Deus fortis fideliſſimus*) *cuſtodiens fœdus & benignitatem amantibus ſe, & cuſtodientibus præcepta ſua in milleſimam generationem.* Quædam horum dixit Deus in ſecundo præcepto, nempe quibus amorem præſtet, utrobique ſunt amantes Deum, & cuſtodientes præcepta ejus; ut demonſtratio amoris in opere appareat 1 Joh. 5:3. hæc eſt dilectio Dei ut cuſtodiamus præcepta ejus. Sed quod iſtic dictum eſt in millenos, ne quis putet ſolum indicare multitudinem eorum qui fruantur, quod multis millibus ſufficiat Dei benignitas, neque numero eorum exhauriatur; ſed quemadmodum pœna ad poſteritatem, ita quoque eò beneficia Dei referenda ſit, hic aperte dicitur in mille generationes; quomodo longius extenditur benignitas quam ſeveritas; imo eouſque, ut æternitas connotetur durationis, cum mille generationes, imo millenæ, ut in decalogo ad ultimum uſque terminum extendantur mundi. Sed quædam inſuper addit Moſes, unde ſecuritas præſtationis ſurgat. Exercitium benignitatis tam diuturnæ fluit ex cuſtodia fœderis, & hæc cuſtodia ex Dei natura eſt Deus ille fidelis. Unde ſequitur.

Fidelitas Dei facit, ut fœdus ſuum cuſtodiat, & benignitatem exerceat etiam in milleſimam generationem. Non quod nulla ſit interruptio exercitii benignitatis, dum juſtitiam exercet, ſed quod non ſit præciſio, & ut excidat Dei ſermo. Exod. 6:2. ſ. *Ego Jehova & notus factus ſum* &c. Non negat ſe olim fuiſſe Jehova, neque etiam ait ignaros patres fuiſſe ejus nominis, quo Deus ad ipſos uſus eſt Gen. 15:7. ſed non expertos eſſe vim nominis in præſtatione, quam nunc ſit daturus. Itaque hoc nomen dicit Eſſentiatorem promiſſionum, quod eſt fidelitatis Jer. cap. 10:10. Dominus eſt Deus Veritas, Deus Vita: æque naturalis ipſi eſt veritas ac vita: neque magis ſine illa quam ſine iſta Deus foret unde veritatis maximam habet rationem Pſ. 138:2. Veracitas illa valet tum quoad conſilium ſeu decretum Dei, Eph. 1:11. Eſa. 14. 24. *Dominus Zebaoth juravit, dicendo, ſi non uti cogitavi, ita fiet, & uti deliberavi, ita ſtabit.* tum quoad externam declarationem voluntatis divinæ in Verbo factam Rom. 2:2. qualis hic attenditur, ubi cuſtodiam fœderis habet; fœdus autem declarat externi ſermonis ſtipulationem, qua ſe obligavit, & propter ſuam veritatem præſtat, adeo ut quod promiſit in fœdere illud facturus ſit. Num. 23:19. ſ. *Deus non eſt homo qui mentiatur* &c. *an diceres* &c. *non videt iniquitatem in Jacob, nec malitiam in Iſraele; Dominus Deus ejus cum eo & clangor regis apud ipſum eſt. Eduxit ex Ægypto, nulla incantatio contra Jacobum.* Tempore oportuno dicetur de Jacobo & de Iſraele, quid operatus ſit Deus. 1 Sam. cap. 15:29. *Victoria Iſraelis* &c. Hoſ. 11:8. ſ. *quomodo tradam te Ephraim? Iſrael? nam ſum Deus & non homo, ſanctus ſegregatus in medio tui.* Eſa. 41:8. ſ. Sic poſt declarata judicia, etiam anathematis Eſa. 42:25. propterea effudit ſuper ipſos excandeſcentiam iræ ſuæ, & vim belli, & undique conſtituit in flamma, ſed non attendunt neque animadvertunt. cap. 43:1. ſ. ſic verſ. 28. cap. 44:1. ſ. cap. 54. Jer. 31:3, 4. Ezech. 16:59. ſ. Conf. Lev. 26:42. 44, 45. *recordabor fœderis mei cum Jacobo* &c. Mal. 3:6. adeoque ſi conſumerentur, non foret Jehova. Hinc Rom. cap. 3:3, 4. *Quid ſi quidam ipſorum infidi facti ſunt* &c. Impoſſibile ergo ut exciderit ſermo Dei Rom. 9:6. *Abſit, ut Deus repudiarit populum ſuum.* Deus non repudiavit populum ſuum, quem præcognovit cap. 11:1, 2. quod pluribus ibidem demonſtrat. Negant proinde fidelitatem Dei, & cuſtodiam fœderis qui Judæorum reſtitutionem negant; quod nec diffitentur, qui malunt Deo perjurium tribuere, quod juramentum non ſervet, quam ut Judæis benignitas Dei poſtliminio reddatur. Quod conſilium ab omnibus Deum timentibus longiſſimum eſt. Et ſane parum eſt quod ſperemus de fidelitate Dei fœderati, ſi adeo luculentum exemplum contrarium in Judæa natione ſtatuerit Deus.

Si quis dicat fœdus reciprocum eſſe, & non obligari alteram partem, quando una violarit; id valet in fœderibus hominum, unde ſe removet Deus Hoſ. 11:8. ſ. 1 Sam. cap. 15. Num. 23:19. ſ. Si valeat iſtud, heic nihil nobis ſperandum, quia veriſſimum eſt, quod in formula baptiſmi dicitur, cum in omnibus fœderibus duæ partes ſint, nos per baptiſmum obſtringimur, ad novam obedientiam. Nam deficientibus nobis in obedientia, Deum quoque receedere à pacto neceſſum erit. Sed aliud docet Paulus 2 Tim. cap. 2:23. ſi infideles ſumus, ipſe fidelis manet; ſemetipſum abnegare non poteſt. Differri poteſt complementum, non præcidi: & quod hæreditarium eſt interrumpi per aliquot generationes, non abrumpi. Tit. 1:2. ſpem vitæ æternæ Deus ἀψευδὴς promiſit ante tempora ſecularia, & manifeſtavit ſuo tempore poſt 4000. annos. Act. 3:25. ſ. *Vos eſtis filii Prophetarum & fœderis quod Deus pepigit cum patribus noſtris, ad Abrahamum dicendo, In ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Deus excitato* &c. Deus cuſtodiens fœdus & familiam Abrahami propriam, & cæteras terræ benedicere debet; eoque Meſſias non tantum primum ad Iſraelem venire debuit per Euangelium, ſed etiam ad eum redire Eſa. 59:20. ſ. Rom. 11:25. ſ. Imo etiam venire illo modo ad omnes terræ nationes, ut habeat tum regnum Zionis, tum omnium gentium, obedientiam populorum, ut ſerviant illi humero uno, profeſſi nomen ejus: totaque terra impleatur, ut agnoſcant gloriam Domini, ut aquæ mare tegunt. Hab. 2:14. Hæc fidelitas fœderati Dei ſolatio eſt. Dan. 9:5. 9. ſ. Hoc fundamento nititur reſtitutio, & niſi unum hoc ſit, deſperata noſtra ſunt omnia; quicquid de regibus, principibus, patribus, toto populo terræ dicit Daniel, veriſſimum de nobis: & nulla apud nos emendatio; hoc unum juvare debet, aut nihil juvabit. Quanquam ſi non juvet ad continuationem noſtræ felicitatis, juvabit ad reſtitutionem. Fidelitas Dei eſt ad fœderis fructum in 1000. generationem. Quot ſecula tranſierunt, quibus Iſrael anathema eſt, & Deus naturalibus ramis non pepercit; ſed tamen rurſum inſerentur ſuæ oleæ. Radix ſancta eſt, etiam rami, & primitiæ ſanctæ, etiam maſſa, & ſic Act. 15:16. ſ. Erigetur tabernaculum Davidis, ut reſidui hominum Dominum quærant, & omnes gentes ſuper quibus invocatum fuit nomen meum, inquit Dominus, qui omnia facit. Omnipotentia Dei ſubſervit fidelitati, האל הנאמן etiam quæ defecerunt nationes ab Euangelio, (quia & his fœdus hæreditarium Act. 2:39.) revocabuntur; & ſi Judæorum lapſus fuit plenitudo mundi, & ipſorum imminutio, plenitudo gentium, quanto magis ipſorum plenitudo? nempe erit plenitudo

gentium & eorum receptio erit, mundo tanquam vita ex mortuis, Rom. 11: 12--15. Deus fœderatus dabit Ab. Is. & Jac. reſurrectionem eorundem corporum; dabit itaque quicquid in fœdere pollicitus eſt, ut agnoſcatur Deus Amen.

b. *De infidelibus* & malis ait, verſ. 10. *Et retribuit oſoribus ſuis unicuique in faciem ſuam ad perdendum ipſum; non tardabit oſori ſuo, in faciem ſuam ei rependet.* Conſiſtit hoc cum priore promiſſo: quemadmodum ad ſecundum præceptum oſtendimus. Hic ſingulare eſt. Compenſatio ſingularis ad convictionem erga oſores ſuos ſingulos. Non loquitur de peccatoribus communiter, qui omnes ſunt στυγητοὶ. Rom. 1: 30. & hoſtes Dei naturaliter cap. 5: 6. Col. 1: 21. ſed de fœderatis deficientibus ad rebellionem. Cujuſmodi Deut. 29: 19, 20, 21. *Separabit illum Dominus in malum; ab omnibus tribubus Iſraelis*, ut Jeroboam, Achab, & qui ſe vendunt ad faciendum malum, 2 Reg. 17: 17. uti in x. tribubus, in Judæis ex Babel reſtitutis, imo etiam in Eccleſiis Orientis evidens eſt. Nec deſunt exempla etiamnum, eruntque Evidentiora in nobis. Etenim noſtra delicta Odii Dei indicia habent manifeſta. Jer. cap. 44: 15. ſ. quis hic non agnoſcat odium? Luc. 19: 14. Cives oderant ipſum, & miſſa legatione, &c. Quid aliud fere fit inter nos? Veniant miniſtri Chriſti, clament ſingulis mane, inſtent tempeſtive, & intempeſtive, quid proficiunt? nonne in contemtum augentur peccata, & minori cum pudore patrantur? Equidem non ita dicunt, ut iſti Judæorum ore. Sed dicunt corde. Atheiſta nonne eſt oſor Dei? Sed is id corde dicit. Pſ. 14: 1. & deprehenditur opere ſuo; Pſ. 36: 2. ſ. Indicate ipſimet an talia non fiunt inter nos, qui nos fœderatos Dei gloriamur? Adulterium eſt evidentiſſima demonſtratio odii. Jer. 2: 25. monita ait, *Deſperatum eſt, Non, nam amo peregrinos, & iſtos ſequar*, & cap. 3: 5. *Ecce, dicis & facis malitias illas, & prævales.* Cap. 18: 11. ſ. cum denunciatur malum quod Deus format, & monentur ad reſipiſcentiam & vitæ emendationem ſeriam. Dicunt, Deſperatum eſt; nam ambulabimus pone cogitationes noſtras & faciemus quisque placitum mali ſui cordis. Quid aliud inter nos fit?

Object. Non eſt Odium Dei quod apud nos fit, nam dicit hic non tardaturum. Atqui ſumus citra compenſationem. Reſp. Si ita judicamus, quia non venimus in poteſtatem hoſtis: ſimiles ſumus Judæis Jer. 2; 35. dicentibus, *Certe innocens ſum; averſa utique eſt ira ejus; cui Deus* &c. *Ecce judicium exercebo tecum, quia dicis, non peccavi.* Sed annon Deus in opere compenſationis eſt? annon plagam plagæ addit? & quicquid reſpirationis eſt non niſi elevatio manus eſt ad vehementiorem ictum, & ut qui adverſi ambulant, ſeptuplum experiantur adverſantis pœnam? Non differt Deus iram in perpetuum. Si quis veritatem in injuſtitia detineat, manifeſtat eam de cœlo ad terrorem omnium extraordinariis judiciis, Rom: 1: 18. Eccl. 8: 12. ſ. *quamvis peccator centies male agat, & Deus ei prolonget iram, tantum impio male erit, non prolongabit dies, quia non timet à facie Dei.* Quod ſi differatur pœna per totam vitam, non tamen tardat Deus Pſ. 92: 8. *impii germinant ut herba, & operarii iniquitatis florent, ut in æternum perdantur* 2 Pet. cap. 3: 9. *non eſt tarditas quam vocant nonnulli, ſed longanimitas Dei ſuper pios*, ne illi involvantur: quos Deus evocat, & per mortem, ut abſcondantur à malo Eſa. 17: 1. ſ. Ne quis contemnat divitias longanimitatis Dei, coacervabit modo iram, & implebit menſuram iniquitatis, ut nihil ſpei amplius ſuperſit de ſanatione. Longanimis Deus, ſed magnus robore, & qui ſontem non habet inſontem, & qui tandem velox teſtis erit, & vindex. Caveamus actiones oſorum Dei, faciamus ea, quæ amantium ſunt. Benefaciet Deus bonis; ſed qui declinant ad vias diſtortas, faciet eos Deus abire cum operariis iniquitatis. Pax ſuper Iſraelem erit. Pſalm. 125: 4, 5. Gal. 5: 16. quotquot incedunt ad normam novæ creaturæ, ſuper illos erit pax & miſericordia, & ſuper Iſraelem Dei.

Verſ. 11. ***Et obſerves mandatum ſtatutaque & judicia illa, quæ ego præcipio tibi hodie ut facias ea.***

B. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire*, &c. Hoc fundamento revincitur idololatria. Hoc adhibitum eſt quum Servator abſterreret ſuos auditores à ſolicitudine parandarum opum, quod cultus foret Mammonæ, quo cum cultus Dei ſociari nequiret. Veruntamen quod urgeri poſſet neceſſitas victus & amictus ad vitæ præſentis ſuſtentationem, ad omnia iſta curarum amolienda ait, *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus*, &c. Mat. 6: 33. Et Paulus pariter ait. 1 Tim. 4: 8. pietas ad omnia utilis, &c. Idem docuit Moſes, cum alibi ſæpius, tum hoc loco. Incipit hic *Amplificationem* declarationis quam dederat de ratione ſecundo præcepto addita, per applicationem ſpecialiorem, oſtendendo quid benedictionis à fœderato Deo ſit dandum obedientibus tum generatim, verſ. 11--15 tum ſpeciatim præcepto de vitanda idololatria, verſ. 16--26. Utrobique autem reſpicit quod dictum à Deo ipſo, Exod. 23: 20. ſ. interpretante duo prima præcepta Decalogi.

℟. *Generalis applicatio* habet. I. Hortationem Moſis, verſ. 11. II. Promiſſionem doctrinæ benedictionis, verſ. 12. ſ.

a. *Hortatio*, verſ. 11. eadem eſt, quæ aliquoties propoſita, cap 4, 5, 6. *cuſtodiam* ad praxin commendat omnium mandatorum Dei, cujuscunque generis, ſive de vitæ regula communi, ſive de ritibus cultus, ſive de judiciis agatur, quæcunque miniſterio Moſis tradita fuerant, & nunc inculcabantur. Quod vero id longius ſpectet, quam idololatriæ argumentum, facit Dei explicatio, quam attendit; Nam. Exod. 23: 21, 22. obedire jubet voci Angeli, & facere quicquid Deus præcipit. Ergo cuncta quæ hinc mandantur ſunt attendenda. Adhæc ea eſt præceptorum connexio ob Legislatoris autoritatem, ut non liceat diviſionem facere & quædam eligere, quædam repudiare, niſi ab ipſo Legislatore aliter fuerit ſtatutum, ſed omnium par ratio ſit habenda; quia in cujuscunque neglectu vilipendium eſt Legislatoris, & proinde violatio omnium, quia non magis in uno quam in altero ejus autoritas ſpectatur Jac. 2: 10. ſ. ſed obedientiæ privata ratio eſt, & carnalis.

Verſ. 12. ***Eritque propterea quod audientes judicia iſta obſervaveritis ac feceritis ea; ut obſervet Jehova Deus tuus tibi fœdus illud & benignitatem, quam juramento promiſerat majoribus tuis.***

b. *Promiſſio* indicat. I. nexum obſequii & commodi, verſ. 12. II. enumerat commoda obtinenda, verſ. 13, 14. 15.

a. *Nexus* ille eſt, verſ. 12. docens non tantum quid facientibus illis facturus ſit Deus, ſed etiam cur ita facturus.

Factum ipſorum eſt, *Audire*, *cuſtodire*, *facere* illa judicia: ſub uno nomine omnia complexus. Primum Cognitionem dicit, quæ audiendo paratur; ſecundum meditationem jugem quo ſemper in promtu ſit, quandocunque aliquid agendum eſt, uti faber normam ſuam in manum habet, ad quamcunque occaſionem; tertium praxin conſentaneam. Nonnunquam uno horum omnia comprehenduntur: Exod. 23: 21. Eſa. 1: 19. *audire:* Pſ. 119: 2--4, 5. *cuſtodire:* Pſ. 34: 15. & 37: 27. *facere:* Duobus quandoque quemadmodum verſ. 9--11. cuſtodire præcepta ad faciendum. Pſ. 103: 18. eſt cuſtodire fœdus, & id fit, recordando mandatorum ut ea faciant. Iſta cuſtodia cordis eſt; dirigentis actiones vitæ omnes, & verſatur circa fœdus, quando conditiones præſtandas ex ejus præſcripto jugiter intuetur ut nihil diſſentaneum committat, nihil conſentaneum omittat. Conditiones iſtæ quoad fœderatos homines ſunt Officia præſtanda, in Decalogo præſcripta, imo quia Iſraelitæ promiſerunt obedientiam omnium quæ Deus mandaturus eſſet, non minus quam quæ jam mandarat ipſis audientibus, vel per Moſen; (uti ſtipulatio ipſorum habet. Exod. 24: 7. & Deut. 5: 27.) omnia judicialia & cerimonialia.

Fa-

Factum Dei eſt, quod fœderis titulo præſtiturus erat, ut cuſtodiret fœdus, conditiones fœderis, quas ſibi dixerat, quæ una voce benignitatis abſolvuntur meræ gratiæ indebitum beneficium ſignificantis, cujus firmamentum, urgens præſtationem dicitur juramentum factum Patribus. Unde colligere eſt, quænam illa fuerit benignitas quam fœdere & jurejurando obſtrictus Deus erga Patres debuerit exercere. Patres quidem illi fuerunt Ab. Iſ. & Jacob. Benignitas autem promiſſa jurejurando indicatur Mich. 7. verſ. 20. & Zacharias Luc. 1:72. & Maria, verſ. 54. ſ. Hæc illa eſt benignitas quæ jurata fuit à Deo Abrahamo; Equidem hæc non eſt ſola, pollicitus etiam ipſi eſt Cananææ poſſeſſionem. Gen. 15. & 17. & Pſ. 105: 8. ſ. ſed eſt hæc minima pars benedictionis Abrahæ. Gen. 28: 4. Iſacus ad Jacobum, *Det Deus tibi benedictionem Abrahami*, & verſ. 13. ſ. Deus ipſe, *Ego ſum Dominus Deus patris tui Abr. & Deus Iſ. hanc terram tibi dabo, & in te & in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Maximum ergo bonum eſt in promiſſione, *In ſemine tuo*, (qui Chriſtus Gal. 3:8--16.) *benedicentur omnes familiæ terræ*, & inter eas quoque locum habet, eumque potiſſimum, quæ Abrahamo propria Iſraelitica. Iſtam benignitatem Deus fœderatus præſtiturus erat Iſraeli; Hanc enim teſtatur I. *nomen Domini Dei tui*, conjunctionem: interventu Mediatoris ſignificans; II. quod uti fœderatus Abrahamo cum Iſraele pepigit, utpote vi illius pacti ipſis Ægyptiâ ſervitute liberatis. III. quod invitans ad pactum non tanquam ad novum invitavit, ſed tanquam ad continuationem veteris. Exod. 19: 5. ſ. vidiſtis quæ fecerim, &c. nunc ergo ſi audiendo audiveritis vocem meam, & ſervaveritis fœdus meum. IV. quod denique proprietatem talem ſibi fore declarat, qua fierent ſacerdotum regnum, qui ſacerdotii beneficium haberent, hoſtiam ad expiationem & reconciliationem obtinendam apud Deum. Iſta benignitas eſt Dei fœderati; ex jurejurando patribus facto eam debentis, & præſtituri Iſraeli, ut religioſum ſe fœderis cuſtodem probaret. Unde Daniel precibus ſuis hoc ſubſternens fundamentum Dan. 9: 4. *qui fœdus & benignitatem ſervat*; gratiam petit pro populo peccatore & pro ſanctuario vaſtato, propter Dominum hoc eſt Meſſiam, verſ. 17. quod ille hoc fœdere vel potiſſimum contineretur.

Eſt vero heic omnino ſpectanda ratio hujus præſtationis, *Et fiet quia feceritis iſta* &c. cuſtodiet Dominus Deus veſter &c. Habemus hîc rationem omnem fœderis Iſraelitici. Omnia iſta ſplendida Dei promiſſa ſequuntur factum Iſraelis. Polliciti ſunt obedientiam ſuorum officiorum priores citra fidem antecedentem, quæ extrinſecus vires arceſſit, eoque ex viribus propriis, & ſic Deum erant exſpectaturi præſtiturum ſua. Iſtud declarat Moſes; quando vos obſervaveritis, quæ polliciti eſtis, tum vero Deus obſervantem ſe probabit ſuorum promiſſorum; factum Dei erit extremum, uti calcaneus extremum in corpore, aut erit merces antecedentis laboris danda non propter opus indebitum, ſed ex pacto fœderis; ut ſi quoad tempus futurum præſtarent obſequium, conſequerentur & condonationem reatuum præteritorum, naturalis & actualium, in Meſſia ejuſque ſatisfactione, & felicitatem omnimodam maxime æternam, & utrumque iſtud bonum ex mera Dei benignitate; cum quæ Deus ex fœdere facit mera ſint benignitas. Etenim ſic explicatur Eſa. 63: 7. ſ. Obedientia perfectiſſima non potuiſſet ipſos expedire reatu, qui non niſi per pœnam expiatur, nec mereri vitam, quia ſervi inutiles, qui omnia præſtantes non faciunt niſi quod debent, Luc. 17: 10. Bona illa merces ſunt ex pacto, quæ debita reſpectu promittentis, non reſpectu operis aut operantis. Mercedem hanc pollicetur heic Moſes, uſus voce עקב *merces*. והיה עקב תשמעון *erit merces, quando audiveritis* &c. Sic Pſ. 19. verſ. 12. עקב רב & petit ceu partem mercedis condonationem peccatorum, confeſſus tamen ſuam impotentiam, & in fide redemtionem ac gratiam in Meſſia poſcens. Eſt vero neceſſario nobis iſtud notandum: quia Heb. 8: 6. præſtantius fœdus dicitur præſtantioribus promiſſis in conditionibus conſtitutum eſſe, νενομοθέτηται. Danturne præſtantiora promiſſa Chriſto & remiſſione peccatorum per ipſum, nec non vitâ æternâ ex gratia Dei? Non in his eſt differentia, ſed in aliis. Heic iſta promittuntur conſequentia ad obedientiam ipſorum, quam ex ſe præſtarent; & ſic nihil impetrabile erat; aſt in novo fœdere alium ordinem ſervaturus eſt Deus, primum daturus ſemetipſum, & idoneitatem, Jer. 31: 33. quomodo Luc. 1: 71. ſ. juxta miſericordiam fœduſque juratum Abrahamo, liberationem per Chriſtum, & ut liberati ſerviant ipſi in juſtitia &c. Hoc modo nobis fœdus Dei conſiderandum eſt, non ut miſericordia Dei ſequatur obedientiam noſtram, ſed ut illa antecedat, & hanc in nobis operetur ex voto Davidis Pſ. 119. verſ. 33. *doce me viam ſtatutorum tuorum eam tenebo* עקב *ad extremum.* Non extremum erit benignitas Dei, & eam antecedens meum obſequium; ſed benignitas antecedet in opere, ſequetur mea obedientia. *Obſervabo ubi dederis intellectum, curram ubi dilataveris cor.* verſ. 34. & 32. quamquam ut obedientia ſequi ſemper poſſit, concomitans & conſequens quoque benignitas Dei neceſſaria ſit Pſ. 23: 5, 6. ſic Ezech. 36: 27. Jer. 32: 39. ſ. *dabo cor unum, & viam unam ad timendum me, & pangam fœdus æternum me non receſſurum ab ipſis, & indam timorem meum cordibus ipſorum* &c. Hæc ſunt promiſſa præſtantiora, & his conditionibus in novo fœdere Deus ſe obſtrinxit Heic tantum opus eſt fide, non opere noſtro, ſed fide operoſa, utpote quæ vires operandi conſequitur aliunde. Eph. 2: 8, 9, 10. Opera non antecedant fidem, ſic noſtra erunt, & mala erunt; ſed ſequantur fidem, ſic non erunt noſtra, ſed Chriſti in nobis, eoque bona Deo placentia & ducentia ad ſalutem æternam.

Verſ. 13. ***Diliget enim te, & benedicet tibi, atque augebit te, benedicet inquam fructui ventris tui & fructui terræ tuæ, frumento tuo muſtoque tuo & oleo tuo, fœtui boum tuarum, & gregibus pecudum tuarum, in ea terra quam juramento promiſerat majoribus tuis ſe daturum tibi.***

Verſ. 14. ***Benedictus eris præ omnibus populis, non erit in te ullus ullave ſterilis, etiam in jumentis tuis.***

Verſ. 15. ***Et amovebit à te Iehova omnem morbum: & nullos languores Ægyptiorum peſſimos quos noſti, imponet tibi, ſed indet eos omnibus odio habentibus te.***

b. Enumeratio commodorum.

α. Generatim, verſ. 13. *Et amabit te, & benedicet tibi.* Non eſt hic amor primus & antecedens, qui eligendi cauſam dedit; iſte enim nihil amabile invenit, cum mere gratuitus fuerit, & indignorum; ſed eſt amoris continuatio, & conſequens demonſtratio. Prov. 8; 17. *Amo amantes me.* Joh. 14: 21. verſ. 23. *Etenim diligit Deus juſtitias, & oculi ejus intuentur rectum.* Pſ. 11: ult. & Dominus amat juſtos Pſ. 146: 8. Magnum eſt amari à minoribus, à paribus, ſed à majoribus id proficuum, cum illi vix poſſint prodeſſe: ſed hic Deus eſt amans, quo nihil excellentius. Salomo dictus *Jedidja* quod Deus eum amaret 2 Sam. 12: 29. ſ. Verum quotquot Deum colunt, eos ille amat. *Amamus ipſum quia prior amavit nos.* 1 Joh. 4. 19. & ipſe amat nos, quia ſuo amore nos in ſui amorem excitavit.

Amorem iſtum comitatur *benedictio*, non patitur ille ſuam beneficentiam amato clauſam eſſe. Amor primus fecit donare filium Joh. 3: 16. & conſequens nihil poteſt negare dato filio. Rom. 8: 32. Pſ. 67: 2. Gratia amoris eſt. Pſ. 115. verſ. 11. ſ. *Qui timetis Dominum, confidite Domino.*

β. Speciatim eſt.

1. *Largitio incrementi*, quatenus *multiplicabit te*, adeo ut non naturæ, ſed benedictionis divinæ effectus agnoſci debeat, ut in nativitate Iſaci: *nam benedicet fructum ventris tui*, ut liberi ſint plurimi: *fructum terræ, ut frumentum muſtum & oleum abundet: fructum pecudum*, ut armenta & greges augeantur, & quod ad amplificationem facit, id fiet *in terra* repromiſſionis, & fiet ſupra felicitatem aliorum populo-

pulorum, quos ſuperabis, verſ. 14. non tantum ratione cognitionis Deut. 4: 6. ſed etiam proſperitatis Deut. 26: 19. ut te ſuper omnes populos quos fecit, exaltet in laudem & in nomen, & in gloriam, & ut Domino Deo tuo ſanctus ſis, ſegregatus ad benedictionem Pſ. 4: 4. Scitote Dominum ſeparaſſe ſibi benignum. Exod. 23: 25. pro his dicitur, *benedicet pani & aquæ tuæ.* Verum Lev. 26. & Deut. 28. plenius iſta enarrantur. Pſ. 144: 12. ſ. ſimilia optantur felicitas quoad filios & filias, quoad horrea repleta, quoad greges per chiliades & myriades multiplicatos. Iſtiuſmodi benedictio quoque fuit ſubinde conceſſa Iſraeli, maxime ſub Salomone. 1 Reg. 4. Et promiſſa eſt in ultima reſtitutione Deut. 30: 5. *Dominus Deus tuus te introducet in terram quam patres tui poſſederunt, & poſſidebis eam, & benefaciet tibi, & multiplicabit te ſupra patres tuos: & circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum* &c. *ut vivas, & converteris, & obedies voci Domini Dei tui, & facies omnia præcepta ejus, & Dominus Deus tuus faciet te redundare in omni opere manus tuæ, in fructum ventris, pecudum, terræ in bonum, & Dominus rurſum gaudebit de te ut de patribus tuis.* Similia leguntur Jer. 31: 27, 28. *Ecce dies venient, inquit Dominus, & conſeram domum Iſraelis, & domum Judæ ſemine hominum & pecudum:* & Ezech. 36. toto.

Quis non optabit ſimilem benedictionem? qui optant fruitionem boni, id ſe impetraſſe rentur, quando triticum & muſtum ipſorum multiplicatur. Pſ. 4: 7, 8. ſed iſtud promiſſum eſt obedientiæ. Pſ. 34: 13. ſ. ſi ſinceritas ſit ſermonis, ſanctitas operis, ſtudium pacis, quæ etiam extra Cananæam ſperanda ſunt, 1 Pet. 3: 10. ſ. in ipſa diſperſione. Verum hæc ſi deſint, quis ſpondeat? quando fraus & dolus artes ſunt omnium, impietas incrementa ſumit, & pax omnis profligata eſt, Jer. 9: 3. ſ. Hunc ſane fructum conſequimur indies, mercedem inobedientiæ, & niſi mutemus mores, experiemur magis. Faciendum quod dicitur Jer. 7: 3. ſ. *vias veſtras facite vere bonas* &c. ſic perennabitur vobis habitatio in terra conſtantiſſime. Enimvero in externis iſtis bonum non terminandum; majus eſt: ſi Deus lucere faciat ſuper nos lucem faciei ſuæ, majus inde gaudium fideli animæ, quam ex omni mundanorum abundantia. Etenim cum iſta in hoc ſeculo impleant ventrem, ſatient liberos, & reſiduum maneat nepotibus Pſ. 17: 14. ſ. Intuitus faciei Dei in juſtitia felicior, & hinc fluit ſatietas quæ excitatis ex morte felix, perenniſque.

2. *Remotio* decrementi, quod conſiſtit in impedimento augmenti futuri, & præſentis imminutione.

De iſto dicitur verſ. 14. *non erit ſterilis vir aut mulier tibi aut pecori tuo.* Promiſſum iſtud quoque Exod. 23: 26. Magnum beneficium hoc eſt, cum judicium fuerit in domo Abimelechi propter Saram, ut omnes mares & fœminæ ſterileſcerent Gen. 20: 17, 18. Sic Hoſ. 9: 11. 14. 16. Ephraim à fertilitate nomen habebat; ſed jam ipſe fons quodammodo exſiccandus erat. Sterile matrimonium infelix cenſetur, ſed in civitate unum non æſtimatur; quod ſi omnia ejuſmodi forent, quivis animadverteret. Poſſunt quidem naſci tempora, ut dicatur, *Beatæ ſteriles & ventres, qui non peperierunt, & ubera quæ non lactarunt.* Luc. 23: 29. quando ob calamitates judiciorum liberi tantum ſunt ad augmentum miſeriæ, ut in bello proferendi ſint ad occiſionem, aut infantes comminuantur alliſi lapidibus, & nondum nati ex utero materno exſcindantur, aliave crudelitate necentur, vel in fame deficiant, pabulumve fiant etiam ipſis matribus. Cujuſmodi exempla in Scriptura commemorantur, & de bellicis malis Belgium olim ſub Hiſpanica tyrannide, ac nuper in Hollandia à Gallis patrata ſunt; Germania autem in diuturno illo bello talia quoque à fame perpeſſa fere eſt. Aſt quando pax eſt & proſperitas, addit aliquid fertilitas iſta, ne peregrinus alicujus laborem & hæreditatem poſſideat.

De hoc eſt verſ. 15. *Dominus omnes morbos à te amovebit:* ut morbi naturales abſint: Sic Exod. 23: 25, 26. Sed inſuper extraordinariæ plagæ, quæ homines & jumenta perdant procul erunt. Plagæ ejuſmodi vocantur morbi terræ Deut. cap. 28; 59. ſ. cap. 29: 22. Similia pollicitus fuit Exod. 15. verſ. 26. Hic vero inſuper addit hoſtibus ipſorum impoſitum iri: ut in iis videant juſtitiam Dei, quæ in obedientibus non reperit ſubjectum ubi ſe exerceat. Quantum & hic beneficium ſit, non ſolum carere plagis extraordinariis peſtilentiæ, grandinis & tempeſtatum, inſectorum, ulcerum malorum; imo ne quidem morbis ordinariis infeſtari, febribus, phthiſi &c. ſed firma valetudine frui & non niſi ſaturum vitæ dierum, leni morte obdormire, id norunt omnes & æſtimant potiſſimum, qui carent acutis, chronicisve morbis afflicti. Sanitas pietatis fructus quoque eſt, quam etiam Deus piis nonnunquam largitur in medio contagionis Pſ. 91. Peccata vero vitæ valetudinique adverſa ſunt, & nonnulla morbos ſecum ferunt proprios, teſte experientia. Ut amor corporis ab illis abſterrere, & ad pietatis ſtudium excitare debeat.

Verum an iſtud omne eſt, quod obedientibus exſpectandum? Minime. Diffitentur iſtud Judæi ipſimet: quamvis enim memorentur duntaxat corporalia, tamen ſpiritualia & æterna ſubintelligi, fruitionem Dei, quâ animæ poſt mortem quoque ſatiantur. Cæterum cauſa eſt, cur & hîc, & Lev. 26. Deut. 28. præmia & pœnæ conſtituuntur in corporalibus & temporalibus; quia ſermo eſt de univerſitate populi; quando univerſalis eſt juſtitia externæ diſciplinæ, vel maxima multitudo eam exercet, externa proſperitas conceditur univerſis adeo ut impii quoque una fruantur publica pace & immunitate à judiciis: quod ſi plurimi extrinſecam impietatem exerceant & injuſtitiam, & inprimis Magiſtratus tum faciendo, tum non impediendo, nec puniendo, immittuntur judicia generalia belli, famis, peſtis, quibus etiam pii involvuntur: Deo non ſemper differentiam conſtituente. At enim quod ad ſpiritualem & æternam conditionem, ſingulorum habet rationem Deus: *juſtitia juſti ſuper ipſum eſt, & impietas impii ſuper ipſum eſt.* Nam valet regula Eccl. 8: 12, 13. & Eſa. 3: 10, 11. Non enim æſtimandus amor odiumve Dei ex iis quæ ante oculos ſunt. Eccl. cap. 9: 1. ſ. Pii hîc ſubinde miſerrimi, & impii florentiſſimi; ſed ex fine ferendum judicium, quod his miſerum, illis feliciſſimum Pſ. 37: 73. 92. Veniet tempus, quando Deus manifeſtabit diſcrimen inter juſtos & injuſtos, qui ei ſervierunt, & non ſervierunt Mal. 3: 17, 18. Eliguntur à Deo in peculium; ſed demonſtrantur id eſſe in ultimo die. Gemmæ jocali inſerendæ poliuntur, aurum in igne excoquitur, malleo tunditur, multoque labore omnia aptantur, ſed tandem unitæ habent pulchritudinem conſummatam. Sic parantur pii, illo die futuri corona decoris, & pileus regius in manu Dei ad ipſius gloriam & ipſorum ſalutem & gaudium ſempiternum.

Beatus ille qui non ambulat in conſilio impiorum, nec ſtat in via peccatorum, nec ſedet in cathedra irriſorum, Pſ. 1: 1. Felicitatis id eſt ſejunctum eſſe à conſortio malorum, etiam leviori, ut audiantur, & magis à propiori, ut cum ipſis converſetur quis, aut una ſedeat ceu unus ex ipſis. Conjunctio enim damnoſa eſt. 1 Cor. 15: 33. parum fermenti totam maſſam corrumpit, cap. 5: 6. Diſcuntur malorum mores, & ſimul plagæ ipſorum accerſuntur Apoc. cap. 18: 4. Qui cum impiis eandem viam latam ingreditur ad eandem cum ipſis perniciem divertit Mat. 7: 13. Iſraelitæ fuerunt populus ſanctus Domino, ſegregatus ab aliis omnibus. Deut. 7: 6. ergo commercium cum aliis familiare, vitandum habuerunt. Hoc eſt quod Moſes mandavit ad obſervationem primi & ſecundi potiſſimum præcepti. Non ſunt colendi Dii alii, neque externa idololatria admittenda; Itaque cavendum conſortium eorum qui eo pelleſturi eſſent. Quorum populorum terram occupabis, eorum perſonas non tolerabis, ſed exſcindes; nullo politico aut œconomico fœdere eis conjunctus: & ipſorum opera idololatrica abolebis. Id dixit initio capitis hujus.

Verſ. 16. *Quum autem abſumturus es omneis illos populos quos Jehova Deus tuus dat tibi, ne parcito oculus tuus illis, neque colito Deos eorum, quia tendicula id eſſet tibi.*

1. Idem nunc repetit, rationis de commodo obedientiæ & incommodo inobedientiæ *ſpeciali applicatione* quoad idololatriam. Recitavit benedictiones quas Deus largiturus erat ex fœdere ipſorum obſequentibus, in omnigeno ipſo-

ipſorum incrementò promovendo, & decremento removendo. Sed erat aliud adhuc præter memorata, impedimentum incrementi, quod ſpirituale bonum, & conjunctionem cum Deo præpediret, ubi non ſolum actio Dei ſed ipſorum quoque debebat occupari, videlicet Hoſtilis potentia, de qua agit, verſ. 16. & contra difficultates actionem eam urget, verſ. 17. ſ.

a. Incrementum impediunt morbi ordinarii, & extraordinaria judicia quibus Ægyptus afflicta, quæ cuncta amovebit Deus ab Iſraele obediente, verſ. 15. ſed hi morbi, & plagæ iſtæ tantum corpus & externa lædunt; Datur aliud malum, quod & corpori externiſque commodis adverſum & animæ quoque incolumitati, Hoſtes nempe, & contra hos uti Deus aget, ſic ipſis quoque laborandum, eo quo dictum ante modo; idque ob rationem validiſſimam.

a. Quid faciendum, ſcilicet *Comedes omnes illos populos, quos Dominus Deus tuus tibi dat.* Idem dixit, verſ. 1, 2. I. Actio Dei eſt *Dat tibi iſtos populos*; ex fœdere cum Abrahamo, nam in Decalogo eorum mentio expreſſa non eſt, ut Abrahami fœdus quoad bona promiſſa valere appareat, & quidem ut nunc præſtet quod promiſit olim; dederat enim Amoræos cis Jordanem, & daturus mox erat eoqui trans Jordanem. II. Actio ipſorum, *Comedes eos*: metaphorice, *perdes*, uti quod comeditur aboletur, ſed ut facilitas connotetur: quod ori inſertum eſt cibi citra magnum laborem comminuitur dentibus & deglutitur: accedit voluptas quæ ex guſtu eſt, & commodum ex alimento quod ſic percipitur.

Deo tradente hoſtes etiam agendum quid eſt; ſed illud facile, ſuave, fructuoſum. Quamvis Deus verbo hoſtes omnes potuiſſet exſtinguere, voluit tamen ipſosmet Iſraelitas pugnare, Viſuri erant bellum Exod. 13: 17. Jud. 3: 1. ſ. Populi illi pugnaturi erant pro ſua poſſeſſione & vita; Contra ergo pugnandum, ſed, quia dabat Deus hoſtes, pugna ipſorum futura erat ut comedentis propoſita fercula. Num. cap. 23: 24. *Populus ſurget ut leo vetulus, & efferet ſe ut juvenis leo, neque procumbet uſquedum comederit prædam, & ſanguinem cæſorum biberit.* Utitur leo robore ſuo ad comedendum quæ vincit animalia. Cap. 24: 8. *vires ejus ut monocerotis; gentes hoſtes ſuos abſumet, & oſſa ipſorum comminuet.* Sic obedientibus ſunt. Num. 14: 9. *tantum contra Dominum ne eſtote rebelles, neque metuite populum terræ hujus; nam panis noſter ſunt.* Sic experti ſunt Iſraelitæ ſæpius. Equidem hoſtes, ſuo ſiſi robori, comeſtionem piorum à ſe faciendam rentur. Pſ. 14: 4. impii edunt populum Dei uti panem edunt, Deum non invocant; cujus ope non indigere volunt. Imo efficiunt nonnunquam, Jer. 2: 3. maxime quando Deo rei facti ſunt ut eos ceu hoſtes tradat hoſtibus. Jer. 50: 17. cap. 5: 34. Verum tandem Eccleſia eripitur ex ore hoſtium, & hi conſumuntur. Jer. 30: 16. *omnes comedentes te comedentur.* Et quia reatus eſt feciſſe, cap. 2: 3. contra hoſtes recte precamur. Pſ. 79: 6. ſ. Jer. cap. 10: 25.

Experti ſumus ſimilia; & ut comederimus hoſtes; & ut comeſti fuerimus. Illud cum fœderis aliqua obſervatio: iſtud cum violatio prævalet; quemadmodum nunc experimur. Juſtus eſt ut leo. Prov. 28: 1. & hic poteſt timida animalia facile rapere ad paſtum. Reus populus ut agnus errabundus, agitatus à leonibus. Sic fuimus ab annis aliquot. Num. 14: 9. panis noſter ſunt, umbra ipſorum ab ipſis receſſit, & Dominus nobiſcum eſt. Sed nunc invertendum: imo panis ſeu cibus ſiunt ſuis paſtoribus. Zach. 11. 4. ſ. quando Deus vocat *oves occiſionis*, & non parcit habitatoribus terræ. Sic agitur cum illis qui non obſequentes fuere Deo. Sane ſingulis Chriſtianorum dicitur recte, *Comedes populos quos Deus dat tibi.* Habet quiſque abunde hoſtium privatim, eoſque potentiſſimos, Satanam, mundum, cupiditates proprias. Sed Deus eos dedit nobis, oppugnandos & vincendos. 1 Joh. 5: 3. ſ. Cap. 4: 4. Per fidem habent Chriſtum. Gal. 2: 20. & per Chriſtum poſſunt omnia Phil. 4: 13. Etiam prævalere carni & cupiditatibus. Gal. 5: 24. Fides ſi exerceatur, quia Chriſti viribus utitur, poteſt comedere omnes hoſtes, & facili negotio ad ſuam voluntatem eos perdere.

b. Sed obſervandus *Modus* à Deo definitus: De hoc ait, *non parcet ipſis oculus tuus, & Diis ipſorum non ſerviet.* Quid ſic ſignificetur ante ad verſ. 2. ſ. diximus, & ſimul cur ea ſeveritate utendum fuerit, non tantum contra opera ipſorum, ſed etiam contra perſonas: quia Deus anathematizavit, cujus ipſi ſolum erant exſecutores: cujuſmodi decretum contra noſtros hoſtes nobis non eſt revelatum. Verum quod modo monuimus de Spiritualibus hoſtibus, hinc regulam accipit. *Non parcet ipſis oculus tuus neque coles Deos ipſorum.* Sic agendum contra illos. Ne parcat eis oculus noſter. Saul Amalekitarum gregibus pepercit, cum Deus anathema feciſſet, quia pingues erant, & Achab Benhadado, quia ob regiam dignitatem pro fratre habebat, & uterque ſibi accerſivit iſtud anathema. Habent homines inter cupiditates ſuas quaſdam pingues, quæ commodum afferunt; habent quaſdam cognatas, fraterne dilectas, unde ſeparari nolunt, his parcunt; Ad necem perſequi volunt omnes eas, à quibus cum temporamento naturæ, tum vi educationis aut conſuetudinis abhorrent, ſed quæ ſibi dilectæ, quæ utiles, his non adverſantur, ſed omni ſtudio fovent. Libinoſus iniquus eſt & hoſtis avaritiæ, & oppreſſionis, peccatis his aliiſque in concionibus contradici fert patienter & laudat, ſed ubi agitur de intemperantia, nec abſtinet, nec fert contradicentem: uti Herodes Johannis conciones amabat, quamdiu Herodias ejus intacta manſit; ſed tunc non fuit ferendus Johannes. Sic agit Ebrioſus, injuſtus, & &c. & quivis alius crimina odit, & perſequi ea alios optat & gaudet, ſed ſua ſuique ordinis non item. Ita quoque quæ lucrum non ferunt facilius deſerunt, aſt quæ proficua ab iis diſcedere ſtolidum, malum cenſent. Verum cum omnibus abſtinendum, tum ſollicitius à propriis. Pſ. 18: 24. *Cavi mihi diligentiſſimè à mea iniquitate.* Oculus, manus, pes proprii quando ſcandalo ſunt, licet membra chariſſima & utiliſſima, perdenda ſunt, citra conniviſcentiam. Marc. 9: 43. ſ. Sic non ſerviendum Diis aliis, Mundus Deos varios habet; Venter, Mammon, Dominatus, cultum habent frequentiſſimum; Sed qui Chriſtiani, debent alieni eſſe. Sed quam ægre abſtrahuntur. Abſtineant modo à ſummo actu, ut non ſacrificent Baali, id ſatis putant; ſed genu illi flectere, manum ſuam oſculari in ejus honorem, privatim placentas ei pinſuiſſe, crimine vacat. Geſtant colores mundi, & ei conformes vivunt, juxta leges moris, & tum corde ſuo inde diſceſſiſſe jactant. Atqui non modo diſcedendum ab amore mundi, ſed etiam à ſpecie ejus. Non odit adulterum, quæ ſe ornat & ſuperbit ejus coloribus, & inſtrumentis. Heic proinde mandatum Dei obſervandum, & ſtrictiſſime adverſandum iis quos adverſos eſſe voluit, 1 Joh. 2: 15. ſ. Rom. 12: 2. Eph. 2: 2. Gen. 3: 15. & Rom. 13. verſ. ult. Davidis exemplo Pſ. 139: 21. ſ.

c. Ratio id ſuadet propriæ ſalutis, *foret tibi in tendiculum.* Nemo ſibi ipſi hoſtis, ſi ſanæ mentis, Eph. 5: 29. At qui parcit Cananæis, qui colit idola eorum, laqueum ſibi parat quo tandem ſtranguletur; Seductio utrinque metuenda, ad interitum animæ. Sed idem periculum à cupiditatum indulgentia, & mundi cultu. Laqueum ſibi parat, qui id agit. 1 Tim. 6: 9. & Prov. 1: 18. ſ. Adulter feſtinat ut avis ad laqueum & neſcit quod ſit contra animam ſuam, Prov. 7: 23. Quæcunque injuſti impiique aliis tendunt retia, ut ipſorum vitam, famam, bona capiant, contra proprias animas tendunt, & quando proſperrime potitos ſe putant, arctiſſime conſtricti tenentur. Qui ſpondet pro alio illaqueatus & captus eſt ſermonibus oris ſui, & propterea non debet ſibi ſomnum & nictationem indulgere, ſeque eripere inſtar ceruæ velociſſime, & inſtar avis è manu aucupis. Prov. 6: 2. ſ. Fit ſponſor pro mundo & carne, qui in ejus obſequio & conformitate Deo, Chriſtianiſmo, ſatisfacturum ſe retur; nemo periculoſius illaqueatus eſt; eoque feſtinandum ut inde ſe expediat, & animam ſervet.

Verſ. 17. *Si dicas in animo tuo, majores ſunt iſtæ gentes me: quomodo poſſem expellere eas?*

b. Moſes urget quod dixit, amoliendo difficultates, quas proponit, verſ. 17. & removet, verſ. 18. ſ.

a. Difficultas propoſita eſt, *Si in corde tuo dixeris, Populi iſti*, &c. Prov. 16: 1--9. Sed ut ex Rom. 8: 7. Sapientiæ eſt conſulto omnia agere; conſidendum & cogitandum an ſufficiat ad ſtruendam turrim, gerendum bellum in anteceſſum Luc. 14: 28. ſ. Verum humana ſapientia ſemper invenit quod objiciat hortationibus ad obſequium Dei, Prov. 22: 13. *Ignavus dicit leo foris eſt; in medio plateæ occideret.* Ignavia obſequii pariter periculum pertimeſcit, atque in immenſum exaggerat, ut ſe excuſet. Prov. 19: 20, 21. *in corde hominis ſunt multæ cogitationes, ſed conſilium Domini ſtabit.* Sic ſtatuendum nobis, & hacpropter id ſequendum eſt.

Sed quid eſt quod cor ſuggerit? *Populi iſti ſunt majores me, quomodo illis prævalebo, ad expellendum eos?* Interdixerat fœderibus publicis privatiſque, jubens exſcindere. Sapientia humana contra; Populi illi plures ſunt, longe numeroſiores, quam nos, qui unus populus ſumus; eoque robore inferiores ſumus, ut nequeamus victos expellere. Non ea nobis eſt arrogantia, ut noſtris viribus vincere poſſe ſperemus. Conſcii ſumus nobis ipſis, & noſtræ imbecillitatis. Quid ergo provocaremus crudelitate noſtra populos iſtos; ubi conſecuti fuerimus commorationis locum, longe prudentius & tutius conſilium erit, fœderibus mutuis ipſis conciliari, & ipſorum amicitia nos munire; Si pacem colere velint, ſi etiam tributum pendere, abunde lucrati erimus, quemadmodum hæc conſilia poſtmodum placuiſſe conſtat. Jud. 1. Sic ſolet deliberari & ſtatui ratione mundi & carnis. Totus mundus hoſtis ſi fuerit, nos oppugnando non prævalebimus, Stolidum eſt unumquemque illi velle adverſari: præſumtio de viribus noſtris non minus inutilis ac fatua, imo ſuperbia ejuſmodi foret culpabilis. Qui à malo recedit ſe ſpoliandum dat. Eſa. 59: 15. & ſi quis non una currat ad eandem effuſionem luxus alienos omnes habet, & blaſphemantes. 1 Pet. 4: 4. ſatius ergo aliquatenus ſe accommodare moribus hominum, & à præciſitate odioſa abſtinere. Alias exeundum foret è mundo, in quo nos conſtituit Deus. Sic invenit caro quod reſtrictæ obedientiæ prætexat, & conformitatem mundi excuſet, ne deridiculo ſit. Verum. 1 Cor. 3: 18. ſ. *nemo decipiat ſemetipſum: ſi quis veſtrum putet ſe ſapientem eſſe in hoc mundo, is fiat ſtultus ut ſapiens fiat; Nam ſapientia mundi hujus eſt ſtultitia apud Deum.* Male ſibi conſulit pace ſic facta Jac. 4: 4. ſ. amicitia mundi eſt inimicitia cum Deo; adeo ut qui amicus mundi eſſe vult, deprehendatur inimicus Dei. Equidem mundo egredi non poſſumus, ſed tamen eapropter conſpirandum cum mundo neutiquam eſt; peregrina conditio ſervanda, quo ex mundo electus quis agnoſcatur; & gloriæ ducendum ſi difformis ſit, etſi eapropter odium ac perſecutionem à mundo debeat ferre: memores Chriſtum ſe tradidiſſe pro peccatis noſtris ut nos traheret ex præſenti malo mundo, juxta voluntatem Dei & Patris Gal. 1: 4. & quod vera pietas ſit, ſe impollutum ſervare à mundo Jac. 1: 27.

Verſ. 18. ***Ne timeto ab eis: fideliter recordare eorum quæ fecit Jehova Deus tuus contra Parhonem & totam Ægyptum.***

Verſ. 19. ***Probationum illarum maximarum quas viderunt oculi tui, & ſignorum prodigiorumque & manus illius fortis & brachii extenti, quibus eduxit te Jehova Deus tuus: ſic facturus eſt Jehova Deus tuus omnibus illis populis à quorum facie times.***

b. Reſponſum ſubmovet cogitationes illas ſolicitas. I. à recordatione præteritorum, cui quid ſimile ſperandum, verſ. 18--20. II. à Dei præſentia, & inde ſecuturo ſucceſſu, verſ. 21--24. tandem deſtructionem idololatriæ inculcat, verſ. 25--27.

a. Primum revocat in memoriam id quod Deus in Ægypto egerat. Quum Moſes à Pharaone poſtulaſſet populi dimiſſionem, & hac propter onera Iſraelitarum aggravarentur, iſti indignantur Moſi, quod fœtidos reddidiſſet, & gladium dediſſet in Ægyptiorum manus ad ſe occidendos. Exod. 5: 21. & *Abſtine à nobis & ſerviamus Ægyptiis.* cap. 14: 12. Verum cum ſervitutem toleraturi fuiſſent, quia deſperabant ſe evadere poſſe, Deus miraculoſe ipſos eduxerat, adeo ut nunquam ſimile quid factum fuerit, quot modis tentavit Deus Pharaonem, ut obſtinatio ejus manifeſta fieret; quot ſigna miraculoſa ediderit, & omnipotentiam ſuam victorioſam declararit; cujus facti fuerant ἀντίτυπα qui vicennio minores fuerunt in prima recenſione. Sic Deut. 4: 34. & creberrime repetitur in Sacris. Docetque.

Contra metum à potentia adverſariorum uſurpanda recordatio declaratæ antea divinæ omnipotentiæ & cujus experientiam habemus. Metus hominum ob potentiam quam habent, facile pellitur meditatione omnipotentiæ Dei jam luculenter probatæ. Sic confirmatus fuit à Moſe Joſua. Deut. 3: 21. *Oculi tui viderunt omnia, quæ Dominus Deus veſter fecit duobus regibus Amoræis, ſic faciet regnis omnibus, ad quæ proficiſcimini; ne metus illos.* Simſon cæſis 1000. Philiſtæis maxilla aſini, & deficiens fere ſiti, ait, Domine *per manum ſervi tui magnam illam ſalutem dediſti, an morerer nunc ſiti?* Jud. 15: 18. David 1 Sam. 17: 37. *Dominus qui me è manu leonis & urſi eripuit, eripiet me quoque è manu Philiſtæi iſtius.* Magnum in hac recordatione ſolatium. Eſa. 51: 10. ſ. Potentiæ hominis, quæ ſubito deficit, opponitur omnipotentia Dei, quam in creatione univerſi, & cujuſcunque hominis oſtendit, & in factione ſpeciali, qua Eccleſiam ſibi ſegregavit; imo metum propter iſtius operis obſtacula oboriri docet. Diſcendum nobis iſtud argumentum eſt ad metum pellendum, quem potentia humana excitat.

Experimenta omnipotentiæ Dei Belgium habet luculenta, quando exemtum fuit monarchæ potentiſſimi in Europa tum temporis imperio: & recentiora quoque ſunt, quæ pellendo metui hominum valere debent: ut ſi nobis fœderatus ſit, & talem demonſtrare velit, nequeat deſtituere nos ſalus & victoria. Sed etiam privatis malis hinc remedium. 2 Tim. 4: 17. ſ. *Deus me roboravit, & ereptus ſum ex ore leonis, & Dominus liberabit me ab omni malo opere, & ſervabit ad cœleſte regnum ſuum*, & Aſaph contra metum deſertionis ſpiritualis memoriam recolit beneficiorum Dei priorum, & liberationis ex Ægypto Pſ. 77. Omnipotentia ejus etiam contra metum Diaboli valet, qui nihil agere aut movere poteſt, niſi Deo conſentiente. Chriſtus verbo eum ſæpius coercuit, ejecit; proinde timere ad deſperationem nihil habet fundamenti, omnipotentia Jeſu modo in recordatione ſit. Nam non defecit illa, manus ejus non eſt abbreviata; quomodo hic ait, *ita Dominus Deus tuus faciet omnibus populis*, &c. Idem eſt & immutabilis, non defatigatur, neque defetiſcit, ſed qui Pharaonem, idem Sihonem & Ogum, idem Cananæos reges ſubegit virtute omnipotente. Et ſic quoque nunc idem eſt; quod vero talem non experiamur, cauſam dant noſtra peccata. Eſa. 59: 1. ſ. non defectus eſt potentiæ, ſed voluntatis. Potentiam exſerit in contrarium, non avertitur ira, & extenſum eſt brachium ad judicia & vindictam quando immittit hoſtes externos, & non attenditur ferientis manus; quando clades addit cladibus, dum hypocritica eſt reſipiſcentia; quando inteſtinis diſſidiis lacerat, & abſumit per ipſosmet mutuo, aucta indies improbitate; quando omnis juſtitia civilis per avaritiam evertitur Eſa. 9. & 10. Sic vero omnipotentia concludit in anguſtias, unde exire impoſſibile Jer. 11: 11. niſi ipſe laxarit vincula; ut à peccatis diſcedendum ſit, ne pereamus ſub ejus manu. Quemadmodum autem non timendi homines, propter omnipotentiam Dei prævaliturum; ita metuendus Deus, propter eandem invictam. Jer. 5: 22. *an me non timebitis? trepidabitis coram facie mea qui mari limites*, &c. *dicit Dominus*; dicamus ergo *Timeamus Dominum*, &c. Tempeſtates anni Divina virtute conſervantur: in ipſa pluvia vel cohibita, vel data manifeſtat potentiam, ut eum timeamus.

Verſ. 20.

Verſ. 20. *Sed etiam* tanquam *crabronem immittet Jehova Deus tuus in eos, donec pereant qui reliqui fuerint, quique abſconderint ſe à facie tua.*

Cæterum quod ſimili potentia ſe demonſtraturus ſit, verſ. 20. docet *Etiam crabrones*, &c. Idem promiſſum, Exod. 23: 28. & præſtitum fuit primum contra Sihonem, & Ogum, Jeſ. 24: 12. Quomodo id factum non refertur, ſed Judæi teſtantur, quod crabrones involarint in oculos, & aculeo fixo eos excœcarint, ut citra periculum à quovis Iſraelitarum occidi potuerint. Non deſunt Deo inſtrumenta judiciorum; licet non miracula nova edat; potentia ejus cernitur in uſu infirmarum creaturarum, & robore earum. Locuſtæ, Joel. 1: 2. inſecta, pediculi, ranæ, &c. fulmen, grando, pluvia, &c. Hinc Deus exercituum quos infinitos verbo congregare & immittere poteſt, ut reſiſtere impoſſibile ſit. Sed non tantum in acie ſic juverunt, verum etiam contra eos qui elapſi erant & latentes; crabronibus latebras ſubeuntibus, ſpeluncas quas habebant multas, & clauſtra ſecreta, ut venenatis eorum morſibus perierint. Quidam, quia de latentibus hoc judicium enunciatur, morbi genus deſignari credunt affine lepræ, (צרעה & צרעת vicina ſunt.) quo Deus fecerit eos contabeſcere. Scilicet. Nulla datur evaſio à Deo Amos 9: 2. ſ. *Etſi fugerent in infernum, manus mea inde petet eos; licet adſcenderent in cœlum, inde faciam deſcendere, licet in ſummitate Carmeli ſe abſconderent, inveſtigarem eos & inde peterem; licet in fundo maris latitarent, inde ſerpenti mandarem ut eos morderet; licet irent in exilium, mandarem gladio ut eos occideret.* Eoque nihil mage conſultum quam ut non abeamus ab ipſo, ſed ad eum redeamus, & paremus nos ei occurrere Amos 4: 12. non pugnaturi ipſi, ſed ſupplicaturi morituri potius amplexantes ſcabellum pedum ejus, quam in fuga. 2 Sam. 24: 16. Superbis reſiſtit, humilibus dat gratiam, hoc modo invictum ejus robur retinere, & gratiam obtinere poſſumus ad ſalutem. Sicut autem invenire poteſt ad judicia impios; ſic quoque ad ſolatium pios, qui clauſi in carcere, in umbra mortis, in terra oblivionis, poteſt immittere radium lucis, & ſonum Euangelii; in animam deſperationi involutam, & quæ à Deo ſe abſconditam opinatur. Pſ. 42: 19. Illuminat obſcuritatem, & ſiſtit in luce. Imo latentibus in ſepulchris dabit ſonum audire ſuæ vocis, & faciet prodire ſuos ad vitam & gaudium in luce glorioſa in æternum.

Quum Moſes impetraſſet dilationem judicii divini, poſt deſtructum aureum vitulum & ultionem contra idololatras à Levi exercitam, Deus mandavit occupationem terræ Canaan, promittens ductorem Angelum; ſe enim non una adſcenſurum eſſe. Exod. 33: 1. ſ. Angeli ſunt valentes robore, facientes voluntatem Dei. Pſ. 103: 20. unus potuit 185000. Aſſyriorum una nocte delere; unus omnia primogenita Ægyptiorum, in hominibus & brutis necare: ut contra Cananæos ſic ſatis proſpectum eſſet; imo quævis alia judicia Dei id præſtare poterant. Pſ. 78: 49. angeli ſeu nuncii Dei ſunt judicia Dei, & inſtrumenta per quæ exercentur. Sed Moſes prorſus in eo non acquievit, dicens, *niſi facies tua una eat, ne facias nos hinc adſcendere. Nam unde conſtabit inveniſſe me gratiam in oculis tuis, me & populum tuum? nonne ex eo quod nobiſcum eas? ſic ſegregati erimus, ego & populus tuus, ab omni populo qui ſuper terram eſt*, tulitque reſponſum. *Etiam hoc ego faciam quod dixiſti, quia inveniſti gratiam in oculis meis, atque ego te de nomine novi.* Exod. 33: 15. ſ. Dixerat Deus cum promulgaret fœdus ſuum. *Non habebis Deos alios præter faciem meam*, & declararet. Exod. 23: 20. f. Eſſe habendum pro Elohim, agnoſcendum, obſequio & fiducia colendum Angelum ſuum, quem miſſurus eſſet, ut devictis hoſtibus eos collocaret in poſſeſſione Cananææ; utpote in quo eſſet nomen ſuum; ut hoc eunte una iret Deus: (unde jam ſe, jam Angelum acturum ait; quia ut eſt Joh. 15: 9. ſ. Pater in ipſo, & ipſe in Patre eſt.) quique jus haberet peccata remittendi vel ulciſcendi: qui idem eſſet Dominus Deus ipſorum, ſingulari ratione ſociatus, adeo ut vere ſegregati forent ab aliis populis terræ arctiſſimo fœdere ipſi conjuncti. Aſt poſt fœdifragium per idololatriam, quando alium Deum habuerant præter ipſum, negabatur præſentia Dei, & angelus promittebatur, utique prorſus alius ab illo, nam in illo acquieverat Moſes. Aſt hic non item, malens ſemper manere in deſerto quam ſolum iſto duce & cuſtode niti: poſcit autem Angelum iſtum ſingularem Angelum faciei. Faciem Domini; ut unum habeant, & ab uno habeantur. Sic demum felices futuri. Quod quidem à Deo impetravit futurum eſſe. Hoc eſt quod commemorat nunc quoque. Cum ingrediendum eſſet in Cananæam dehortatus ab idololatria, qua alium Elohim haberent, docet contra hoſtes, indigenas terræ non ſolum mittendos crabrones, qui etiam legati Dei illos ex occultiſſimis quoque latebris ejicerent & perderent, verum etiam affore ipſummet Dominum fœderatum.

Verſ. 21. *Ne conſternator metu illorum: nam Jehova Deus tuus in medio tui* eſt, Deus *fortis, magnus, & formidabilis.*

β. Hoc *alterum argumentum* eſt amoliendi metus, perſuaſuri alias ad fœdera cum Cananæis ineunda, ut ipſis parceretur, verſ. 21--24. & ſic repetit mandatum de abolenda idololatria, verſ. 25, 26.

1. *Dehortatio* à metu eſt, verſ. 21. *Ne paveas à facie illorum* Jam, verſ. 18. dixit, *ne metuas ab ipſis*: ſed nunc repetit, aucta emphaſi, uti ſæpius: *ne conſternemini neque metuite ab ipſis.* Deut. 1: 29. תערצון ut hic תערץ, verbum hoc notat *Violentiam exercuit*, itemque eam metuit ſibi inferendam. Hujuſmodi futurus erat metus à Cananæis ſiquidem illos ſolos intuerentur. Exploratores ſic deſcripſerant eos olim, ut nihil niſi terribile repræſentarent, Gigantum quoque mentione facta, quorum reſpectu ſibi videbantur inſtar locuſtarum. Num. 13. verſ. ult. Erat ille metus juſtus, quatenus homines ob oculos verſabantur, ipſimet & adverſarii, & commendatur iſta æſtimatio ceu prudentia, Luc. 14: 28. ſ. non debet periclitari ſe ſuaque. qui tantum 10000. habet contra 20000. hoſtium, ſeu potius pacem ſectari. Aſt prudentia iſta ſuas vires cenſet non ſolum proprias, ſed etiam auxilia, quemadmodum Syri tum ſuis, tum mercenariis copiis nitebantur. 2 Sam. 8. & Ammonita cap. 10. Hoc eſt quod hic monet Moſes. *Nam*, inquit, *Dominus Deus tuus eſt in medio tui*; & ut acceſſio iſtius unius ſufficiat ad fiduciam, addit, *Eſt Deus magnus, & metuendus.* 2 Reg. 6: 15. ſ. cum exercitus Syrorum cinxiſſet urbem Dothan in qua Eliſa erat, ad ipſum comprehendendum, Servus ejus dixit illis viſis, Ah Domine mi quid agemus? ſed Eliſa, *ne metue*, ait, *nam qui nobiſcum, plures ſunt, quam qui cum ipſis*; & cum obtinuiſſet, ut illi aperirentur oculi vidit montem plenum ignitis equis & curribus circa Eccleſiam. Sic Pſ. 34: 8. Quanto autem præſtat Angelus robore præ homine, tantum illius præſentia valet ad minuendum metum hominum. Attamen nondum id ſatis eſt. Gen. 32: 1. ſ. Jacob digreſſo Labane habuit obvios Angelos Dei: quibus viſis dixit, *Sunt hic caſtra Dei*, vocavitque locum *Machanajim*, *bina caſtra*, ſua nempe & Angelica; quis non crederet fuiſſe confirmatiſſimum, cum auxilia ejuſmodi nactus eſſet? Verum audiens Eſavum contra ſe venire, cum 400. Valde metuit, anxiuſque fuit. Scilicet creatura quidem una alia validior, ſed tamen creatura eſt, cujus circumſcripta potentia, eoque non licet illis fidere, poſito omni metu & ſollicitudine; & Angeli ſunt alius dominio obnoxii, cujus voluntatem exactiſſime faciunt Pſ. 103: 20. ſ. Dominus ſi jubeat, deſerunt illico, imo oppugnant. Uti propugnantem angelum habuerunt Iſraelitæ. 2 Reg. 19. ſic oppugnantem. 2 Sam. 24. Ergo non ad angelos mittit Moſes Iſraelem fiduciæ ergo, ſed ad eum qui major Angelis eorum Dominus, Deum ipſum, *Dominus Deus tuus eſt in medio tui.* Significatur gratioſa præſentia ad auxilium. Deus ſemper præſens, non longe abeſt ab unoquoque noſtrum Act. 17: 27. cœlum & terram implet, neque ab eo datur abſconſio. Ve-

rum dicitur abeſſe vel adeſſe, ratione demonſtrandi auxilii. Exod. 17: 7. *Eſtne Dominus in medio noſtri, nec ne?* cum aquas in deſerto ſibi ſuppeditari vellent. Heic ea promittitur præſentia, Dominus Deus tuus fœdere adſtrictus ad benefaciendum, quod intereſſe inde fluit. Jud. 11: 24. Ammonitis dicitur à Jephta, merito ſibi vindicare poſſeſſionem quam Camos Deus ipſorum ipſis daret, & Iſraelitas ſibi quam à Domino Deo ſuo accepiſſent. Et hic erat ſecuritas; nam quem habent Deum fœderatum, eſt magnus & tremendus, qui non tantum præſentibus inſtrumentis juvare queat, ſed etiam illis deficientibus; qui mirabilia ſolus edere poteſt Pſ. 86: 10. Pſ. 72: 18. & creare media, imo imperare ſalutes Iſraelis Pſ. 44: 5. quomodo de ipſo judicarunt Philiſtæi 1 Sam. 4: 8. quis nos eripiet è manu magnificorum iſtorum Deorum? Habuerunt & iſti ſuos Deos & in prælium eduxerunt contra Davidem. 1 Chron. cap. 14: 12. ſed illi venerunt in poteſtatem Davidis, fugatis Philiſtæis, & ab ipſo combuſti ſunt; uti antea coram arca Domini Dagon ipſorum proſtratus & capite manibuſque truncatus fuit, 1 Sam 5. Speciatim quis ſit Dominus Deus tuus, explicant Targumim. Onkelos: *Nam Dominus Deus tuus Schechina ejus in medio tui eſt*, Jonathan: *Schechina Domini Dei veſtri inter vos eſt.* Schechina Meſſias eſt, & Onkelos dicit eſſe ipſiſſimum Dominum Deum ipſorum, plane uti Angelus ille mittendus Exod. 23: 20. ſ. à mittente Deo vocatur, verſ. 25. *ſervies Domino Deo tuo, & benedicet panı & aquæ tuæ, & ego arcebo omnes morbos à te.* Joſ. 5: 13. ſ. cum ordiendum eſſet bellum contra Cananæos, Joſuæ ſe ſtitit princeps exercitus Domini, ſtricto enſe, ſe veniſſe dicens ad cujus præſentiam Joſua non ſolum procubuit & adoravit, ſed etiam juſſus eſt exuere calceos, uti Exod. 3. Angelus ille Jehova, qui Iſraelem per mare duxit ſuffocatis Ægyptiis, dicitur, *Dominus vir belli, Dominus nomen ejus* Exod. 15: 3. utpote in cujus poteſtate omnia belli commoda & oportunitates. Amos. 4: 13. *formans montes, creans ventum, indicans homini ſuas cogitationes, auroram in tenebras vertens, & calcans excelſa terræ, Dominus Zebaoth nomen ejus.*

Profecto metum & terrorem exuere poteſt, qui hunc D. Deum ſuum in medio ſui habet. 2 Chron. 32: 7. ſ. Sanheribo potito urbibus Judæ, & minante obſidionem Hieroſolymæ. Hizkias ad ſuos, *fortes eſte* &c. *nam plures nobiſcum quam cum ipſo. Cum ipſo eſt brachium carneum, ſed nobiſcum Dominus Deus noſter.* Ipſius præſentia omni timori pellendo ſufficit Pſ. 56: 4. ſ. queſtus de multitudine oppugnantium ſe ait, *in die quo metuam, in te confidam, in Deo obſervabo verbum. Confido in Deum, non timebo quid faciet mihi caro?* & verſ. 10. ſ. Timori ſuo opponit fiduciam in Deum, imo certitudinem præſentiæ ejus, & quæ illa? in verbo promiſſionis, quod cum Dei, cum Domini foret, adeo ſecurum reddebat, ut nullum hominem ob robur metuendum haberet. Hinc Eccleſia Pſ. 46: 2. ſ *Deus nobis refugium & robur* &c. Et hinc merito Rom. 8: 31. & verſ. 37. plus quam victores ſumus per eum qui dilexit nos Mediatorem & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; qui Princeps exercituum Domini, ſic repræſentatus Apoc. 17: 14. cap. 19: 11. ſ. vere magnus, Rex regum, & Dominus dominantium, cui data eſt poteſtas omnis carnis in cœlo & in terra; vere terribilis, ex cujus ore procedit gladius anceps, qui habet ſceptrum ferreum, & Spiritu oris ſui necat impium. In ſua humilitate verbo potuit ſternere hoſtes ſuos. Joh. 18. verſ. 6. & quid non præſtabit glorioſus? Felix qui eum habet præſentem Deut. 33: 26. ſ.

Nemo nunc amans patriæ Belga, qui non optet, ut idem de nobis valeret, quando hoſtes undique, nobis longe potentiores, Dominum Deum noſtrum Mediatorem Chriſtum, in medio noſtri eſſe ſua majeſtate & omnipotentia verendum, utique omnia forent feliciora. Equidem gloriamur fœdere, qui de nomine Chriſti denominamur. Sed ut eſt Eſa. 48. 1. ſ. Domus Jacobi cognominati nomine Iſraelis denominati ab urbe ſancta, nitentes Deo Iſraelis, Dominus Zebaoth nomen eius eſt, & jurant per nomen Domini, & memorant Deum Iſraelis, non in veritate, nec in juſtitia, atqui talium iniquitates dividunt inter ipſos & Deum ipſorum Eſa. 59: 2. deſerit eos, ut non juvet, non reſpiciat, non exeat cum exercitibus, ut fugiant coram hoſtibus; imo ut aciem gladii obtuſam reddat, juvet, roboretque adverſarios, & in manum eorum tradat, quando ipſemet oppugnet Eſa. 63: 10. *dolore affecerunt Spiritum S. ejus, ſic mutatus eſt ipſis in hoſtem, & contra ipſos pugnavit.* Non aliter agitur à nobis, & à Deo contra nos. Majeſtas & terribilitas Dei non pro nobis, ſed contra nos eſſe animadvertuntur. Nullum enim malum in civitate, in tota terra, quod Deus non fecit, ab ipſo eſt quod obſcuretur terra, & incolæ ſint uti nutrimentum ignis, quia impietas ardet ut ignis; ut hoſtes noſtros conſtituat virgam iræ ſuæ, mittatque contra populum hypocritam, & mandata det contra populum ſuæ excandeſcentiæ. Eſa. cap. 9: 18. ſeqq. Si Deus debeat eſſe in medio noſtri, ſic noſtra inſtituenda, ut nobiſcum eſſe velit. Exod. 23. verſ. 20. ſ. ut Angelus eſſet ductor in Cananæam, & expelleret populos illos, audienda fuit vox ejus, & ipſe non exacerbandus; ſic Deus futurus hoſtis hoſtium &c. Qui habent pro Elohim ſuo, eos ſub eo titulo, & quidem fœderis ratione defendit & propugnat Deut. 20: 1. ſ. hortandi erant, ſed Deut. 23: 9. *quando caſtra egrediuntur contra hoſtes, cavebis tibi ab omni re mala*, verſ. 14. *nam Dominus Deus tuus ambulat in medio caſtrorum ad liberandum te, & ad dandum hoſtes tuos ante faciem tuam: propterea caſtra tua erunt ſancta, ne quid turpe videat in te, & retro à te abeat.* Etenim Pſ. 5: 5. ſ. vel recedet Deus ab impiis, vel removenda ipſorum impietas. Eſa. 1: 19. ſ. *ſi volentes ſitis* &c. quando Moſes ſegregatum optavit populum Iſrael, propter præſentiam una procedentis Dei, non tantum deſtruxit idolum Vituli, & ultionem exercuit contra ſontes, verum etiam juſſit ex voluntate Dei, ut ponerent omnia ſua ornamenta; ſuperbia & faſtus ponendus eſt, & externa humilitatis ſigna edenda juxta cum emendatione vitæ; quod quamdiu non fit, utique Deus porro adverſus ambulabit ad exſtirpationem. *Eoque parà te Iſrael in occurſum Domini* Amoſ. 4: 12. & quomodo? Hoſ. 14: 2. ſeqq.

Verſ. 22. *Et quanquam dejiciet Jehova Deus tuus gentes illas à facie tua paulatim; non poteris conſumere eas celeriter, ne numero ſuperent te beſtiæ agri:*

Moſes ut hujus promiſſionis fiduciam excitet, occurrit difficultatibus objectandis forſitan.

Prima eſt. Si Deus nobiſcum, omnium ſubito eſſemus victores, ſed videmus ſæpe nos nihil proficere, licet deſiderio prægnantes ſimus, & dolores experiamur, parimus ventum, neque cadunt validi terræ incolæ; eoque Deus non eſt nobiſcum. Jud. 6: 13. Ergo ut hanc cogitationem præverteret, dicit, *paulatim ejiciet, non poteris ſubito eos perdere, ne multiplicetur contra te beſtia agri.* Terra iſta quam à ſeptem populis habitari dixit, verſ. 1. non poterit à te occupari, ut eam totam colas; ſi omnes hoſtes ſimul exſcinderet Deus, vaſta redderetur terra, quæ culturæ humanæ eget, & feræ augerentur, ut eis ſubigendis non ſufficeres. Idem dicitur Exod. 23: 29, 30. Deus moderatur benedictiones pro conditione populi ad ipſorum bonum. Totam Cananæam ſimul dare vacuam ab hoſtibus, damnoſa fuiſſet benedictio, prævaluiſſent feræ, terra vaſtitiem induiſſet, cultis locis in deſertum mutatis, corruentibus ædificiis non habitatis, & terrâ ſpinis tribulisque obtectâ, & culturam arcente. Bonitatis divinæ erat relinquere aliquos Cananæorum, etiam ut bellum diſcerent. Jud. 3: 1. ſ. Ita Deus ſapientior eſt quam homines, qui omnia ſtatim confecta vellent, quod tamen damno cederet Conf. Joh. 2. Hinc deprecatur ſapiens Prov. cap. 30: 8, 9. non tantum pauperiem, ſed etiam divitias, poſcitque ſolum panem demenſi ſui. Atqui divitiæ videbantur conſummare benedictiones externas; ſed aliter judicat, ne ſatiatus abnegem, & dicam, Ubi eſt Dominus? Aundantia oblivium, contemtumque Dei afferret, & ut omnem vocationis curam negligeret, indulgeret voluptatibus: ſaltem dependentia à Deo non ſic æſtimaretur; quemadmodum quando Iſraelitæ bellis exercebantur. Hac ratione temperat Deus victorias & proſperitatem externam,

nam, Proverb. 1: 32. *Proſperitas enim ſtultorum eos perdit.*

Poſſumus hinc quoque diſcere in bello ſpirituali, cur Deus non illico plenam det de hoſtibus victoriam, tum externis ſatana & mundo, tum internis carne & cupiditatibus. Potuiſſet utique ſatanam illico & in perpetuum conjicere in ſtagnum ignis & ſulphuris, ut in mundo caruiſſet omni poteſtate; conſummare item ſanctimoniam abolito prorſus veteri homine, ita nulla fuiſſet lucta carnis & ſpiritus. Verum voluit ſupereſſe hoſtes iſtos, ut diſceremus bellum, nunquam ſecuritati indulgentes negligeremus excitare & exercere fidem, temperantiam, vigilantiam, preces, fiduciam in Deum; ne quid prævaleant hoſtes, atque ut nos augeamur donis, non deficiamus. Sic Deus ſinit zizania creſcere in agro mundi, imo in medio Eccleſiæ, ut bonum ſemen agnoſci melius queat. Simit perſecutiones excitari, ut ſuorum virtus fiat illuſtrior.

Verſ. 23. ***Exponet tamen eas Jehova Deus tuus tibi; & divexabit eas vexatione maxima, donec perdantur.***

Secunda eſt, verſ. 23. Si non ſubigantur, & ejiciantur omnes Cananæi ſtatim nunquam vincentur, imo inſultabunt jugiter nobis, aut etiam prævalebunt. Huic objectioni amoliendæ, ait, *Dominus dabit eos coram facie veſtra.* licet differatur quorundam ſubjugatio ad tempus; tandem tamen ſuperabuntur, Deo dante eos in victoriam. Imo jugi metu deſtructionis eos torquebit, quod promiſſum fuit Deut. 2: 25. *Hoc die incipiam terrorem & metum, veſtrum dare ſuper faciem populorum ſub toto cœlo, qui audient famam veſtram, trepidabunt, & anxii erunt à facie veſtra.* Eſt hæc expedita ratio ad victoriam. Joſ. 2: 9. ſ. Rachab ait, *Novi Dominum vobis hanc terram dediſſe, & terrorem veſtrum ſuper nos cecidiſſe, & omnes incolas hujus terræ coram facie veſtra liquefactos eſſe, ut non maneat in ullo animus ob veſtram præſentiam.* Sic anno 1672. Galli plus ſui terrore effecerunt quam armis. Terror fuit qui cohibuit vicinos Iſraelis, ut omnibus maribus abſentibus ad feſta, ne quidem appeterent ipſorum terram. Exod. cap. 34: 24. Equidem terror iſte ſubinde deſperatos reddidit ad ſuſcipiendam oppugnationem, ſed infelix prælium auxit terrorem. Etſi in ſpirituali bello contra diabolum lenta eſt victoria, tamen metum ejus ſemper experitur, unde deſperatio, & ex ea conatus extremi, ne pereat inultus, & 1 Pet. 5: 8. reſiſtitur ei fide, quæ Chriſtum ei oſtendit triumphantem, & robur ejus; cujus nomine fugatur.

Verſ. 24. ***Et tradet Reges earum in manum tuam, ut perdas nomen eorum ſub cœlis, non conſiſtet quiſquam coram te donec perdideris eos.***

Tertia eſt, confirmatum iri hoſtes diuturna tranquillitate. Respondet, Reges maximos ſubjugandos & delendos, neminemque in perpetuum reſtiturum, qui non tandem deſtruatur. Quam multi reges ſubacti fuerint, in Joſuæ libro indicatum eſt; & quod non ſucceſſerit in omnibus, ipſorum Iſraelitarum culpa factum, qui contra mandatum Dei tranſegerunt fœderibus cum hoſtibus. Sed implebitur in nobis. Bellum nobis eſt cum poteſtatibus & dominatibus malorum ſpirituum, quorum princeps ſatanas. Sed quantumcunque diu pugnent, & affligant, tamen ad extremum Satan conculcabitur ſub pedibus. Et quæcunque cupiditates carnis moleſtæ ſunt lucta & prælio, tandem ſuccumbent, quando deſtruetur corpus peccati, & vetus homo quod ad omnia membra ſua aliquando abolebitur.

Verſ. 25. ***Sculptiles deos earum comburite igne: ne concupiſcas argentum vel aurum quod ſit in eis, aut accipias tibi, ne illaqueeris eo, nam abominationi eſt Jehovæ Deo tuo:***

2. *De Idololatria* monet repetito deſtruenda omnia ejus inſtrumenta, verſ. 25. quod dixit, verſ. 5. Cogitaret aliquis, ad obſequium heic ſatis eſſe idola abolere, quoad uſum; ut non obſerventur ad cultum; verum deſtruenda ſunt, igne comburenda, ut factum à Davide 1 Chron. 14. verſ. 12. & ab Aſa 2 Chron. 15: 16. & Joſia 2 Reg. 23. verſ. 4. quodcunque artificium in iis foret, non licuit ſervare ſibi ad artis memoriam, quæ utique Dei donum, quia abuſum ejus merito oblivione vindicat. Unde liquet non licere ſtatuas aut picturas idololatricas Gentilium vel Chriſtianorum, ſervare ob artem in illis demonſtratam. Hoſ. cap. 2: 15. *Non vocabis me amplius Baali, & nomina Baalim amovebo ex ore ejus, neque amplius nomine ſuo memorabuntur.* Si memoria eorum abolenda ex ſermone, neque ſervandum nomen tranſlatione licet factâ ad Deum; utique multo minus in re ſupereſſe debent idola, ne quod auribus illabi non debet, illabatur oculis. Eſa. 30: 22. *impurum reputabitis tegmen ſculptilium argenteorum & involucrum fuſilium aureorum: abjicietis ut veſtem menſtruatam, & dicetis unicuique eorum, Egredere.* Unde liquet interdictas eſſe imagines idololatricas omnes, & non obſtante pretio abolendas, non debet parcere oculus, uti factum à Joſia 2 Reg. 23. Sed porro aliquid addit ſpeciale, *argentum & aurum eorum non concupiſces, neque tibi ſumes.* combuſtis illis aurum & argentum, aliave metalla igne conflata, amittunt figuram, ne quam poſſunt memoriam ſervare; illis ergo rite quis utetur, cum pertineat ad prædam datam à Deo: ſic dicet quis, & Hebræi nonnulli interpretantur: verum male. Prohibetur cupiditas, & multo magis uſus, addita ratione ne irretiaris eo modo. Hacpropter fuere necandi Cananæi, verſ. 16. quia idololatræ, multo magis quod fuit pars idoli. Non videtur id veriſimile, cum perierit figura idoli; ſed licet non irretiat ad imitationem peccati, tamen irretiet ad participationem pœnæ & damni. *Nam eſt Domino Deo tuo abominatio.* In quo judicio Dei acquieſcendum eſt. Deo abominante, quomodo illud appetere aut poſſidere licet? Eligendum quo delectatur Deus, quæ cuſtodia fœderis ejus Eſa. 56: 4. quod ſi eligatur in quo non habet voluptatem, Deus eliget quod merentur, ut ſuperveniat quod metuunt Eſa. 66: 4. imo numerabit eos ad gladium, & ad mactationem cap. 65. verſ. 12.

Verſ. 26. ***Ut ne inferens rem abominabilem domum tuam ſis anathema, ſicut ea eſt: omnino deteſtator eam, & prorſus abominator eam, quia anathema eſt.***

Hacpropter verſ. 26. *non inferes abominationem in domum tuam, ut ſias anathema, ſicut ipſum eſt.* Quicunque anathema ſibi ſumſiſſet, fiebat anathema: ſi homo ideo foret necandus, Lev. 27: 29. Exemplum in Achane Joſ. 7. quod de anathemate intulit in domum ſuam, id ipſum & omnem ejus familiam exſtinxit. Idola omnia & quicquid in illis eſt, aut eò pertinet, anathema eſt; nullius privati uſibus tribuendum, ſed deſtructis iis reſiduum aurum inferendum fuit in theſaurum Domini, ad uſum ſacrum, quia ſanctitas ſanctitatum Domino, Lev. 27: 28. ceſſurum Sacerdotibus Num. 18: 14. & cum alia ſancta privatis erant prohibita, tum inprimis iſta Prov. 20: 25. tendicula homini, deglutire ſanctum. Hinc patet, quid ſtatuendum de bonis illis quæ idolorum cultui fuerant ſacrata. Anathema ſunt, neque ulli privato ea licet inferre in ſuam domum. Rom. cap. 2: 22. qui abominaris idola, ſacrilegium patras, dum vitant peccatum eripiendo inſtrumenta & alimenta idololatriæ, peccatum faciunt ſacra ſpoliantes: & hinc pœna certa. Divitiæ inde redundantes ſunt, ut poſſeſſorem faciant anathema, quod etſi ab hominibus non judicatur, Deus vindicabit: aquilæ pennas congregat, quæ alias quibus adduntur, abſumunt. Sanctiſſimum quid Deo ſunt, quod ſacrilegio illi eripitur, quæ ſpecies furti turpiſſima, damnoſiſſima. Deus Sacerdotibus aſſignavit in mercedem

ſui miniſterii; eoque quicquid horum eſt ad cultus divini, & miniſterii conſervationem pertinet, ut qui altari ſerviunt, de altari participent, & qui miniſtrant in domo Dei de bonis ejus conſequa..tur, neque cogantur, quando non dantur alimenta deſerere munus, & ad agri ſui culturam ſe convertere, uti factum. Neh. 13: 10. ſ.

Ad avertendam porro cupiditatem, & uſurpationem, jubet, *averſando averſaberis illud*, & *abominando abominaberis; quia anathema eſt.* Nemo non abhorret fieri anathema; itaque abhorrendum quod eo loco conſtituit. Quicquid idolorum eſt deteſtabile ſit oportet, quam quis nolit deteſtabilis eſſe Deo. Hinc Deus idola turpibus nominibus inſignivit. Et Judæi cenſent de idolo non loquendum, niſi cum epitheto, deteſtationem teſtante. Abominatio Dei nobis quoque talis ſit, ut oderimus quod Deus odit, neque ullum cum eo commercium habeamus; quia nullum templi Dei & idolis. 2 Cor. 6: 16. & quia Dei ſimus templum, nihil cupiditatis in corde ſit, quod anathema foveat, ſed inde prorſus ſegregati, ſimus ſancti uti ipſe ſanctus eſt; ſic in nobis habitabit & ambulabit, & ſui fruitionem indulgebit, nunc & in omnem æternitatem.

CAP. VIII.

DE Judæis qui ex Babele redierunt, teſtantur hiſtoriæ, uti moderna quoque experientia, alieniſſimos eos fuiſſe à cultu idolorum, cui majores ipſorum tantopere fuerant addicti; quod quidem factum eſt ex ſpeciali decreto Dei Ezech. 20: 32. ut qui meditabantur conformitatem cum gentibus, (quomodo facile illis permixti, amiſſuri fuiſſent conditionem populi peculiaris in notitia hominum; quemadmodum X. tribubus contigit,) ut flecterentur in odium conformitatis, & ſemper diſtincti manerent, uti eſt hoc die. Ergo poſteriores Judæi meliores prioribus ſaltem quoad idololatriam? Minime. Idola ſunt non tantum externa ex auro & argento fabrefacta, aut ſimili materia. Poteſt Deum alium habere, qui illa abominatur. Mat. 6: 24. Eſt hæc explicatio illius, *Non habebis Deos alios;* & habet qui Mammonam habet; Avarus idololatra eſt Eph. 5: 5. & avaritia idololatria. Col. 3: 5. Cum Chriſtus illud dixiſſet, Phariſæi qui audiverant, cum avari eſſent, irriſerunt ipſum, utpote qui ſe ab idolorum cultu longiſſime abeſſe rebantur; quamquam Jobus de hac ſpecie idololatriæ teſtatus erat. Job. 31: 22. ſ. qui Cultum ſolis & lunæ, & fiduciam in opes pari loco habet: imo gaudium de incremento opum. Et ſane Chriſtus cum Mammonæ cultum damnat, mox docet, quid ergo cavendum. Mat. cap. 6: 25. *propterea dico vobis, ne ſolliciti eſtote de vita veſtra, quid comeſturi, & quid bibituri ſitis; nec de corpore veſtro quo veſtiri queatis.* Cura corporis & vitæ corporalis Mammonæ cultum frequenter habet, & idcirco abſtinendum eſt; cultus autem uni Deo deferendus, qui curæ iſtius neceſſitatem tollet, verſ. 33. *quærite primum*, &c. *ne ergo ſolliciti ſitis.* Hanc doctrinam videmus hic quoque à Moſe traditam. Ne habeant Deos alios jubet Iſraelem cavere commercium cum idololatrarum perſonis: Cananæos exſtirpando, neque ullo fœdere politico aut œconomico iis parcendo: & cum ipſorum operibus, omnia inſtrumenta deſtruendo, non contenti abolitione uſus mali, ſed ut etiam forma externa perdatur, imo ut ipſa quoque materia abominationi ſit. cap. 7. Sed nunc procedit ad aliud genus idololatriæ, quod in cura victus & amictus, cæterarumque rerum terrenarum conſiſtit, & hic contra inſtruit, ne per eam fiat ut Deos alienos habeant, non Deum verum, ſeu faciem ejus, filium Mediatorem: & hoc eſt argumentum, cap. 8. Cæterum bifariam victus & quæ huc pertinent, faciunt ut Deus non habeatur, ſed alio vertantur homines. Vel cum rebus anguſtis & in penuria fides eos deſtituit, ut non omnem ſpem & curam in Dei bonitate ponant: vel in abundatia rerum omnium, cum ſecuri Deum negligunt, quaſi opis ejus non amplius indigi, ſibi ipſis ſufficientes. Utroque modo diſceditur à Deo; illo modo ex deſperatione potentiæ & bonitatis Dei quidvis aliud quæritur cui Deitatis honos habeatur: iſto ex ſuperbia, & opinione ſufficientiæ ſemetipſum Deum facit, alius negligens & contemtor. Utrumque agnovit Sapiens. Prov. cap. 30: 8. ſ. *paupertatem aut divitias ne des mihi: ale me pane demenſi mei: ne ſatiatus abnegem & dicam; quis eſt Dominus? aut ne depauperatus furer, & nomen Dei apprehendam.* Contra utramque declinationem à Deo inſtruit Moſes, contra Egeſtatem, verſ. 1--5. contra Abundantiam, verſ. 6--18. tandemque generatim contra Idololatriam, verſ. 19, 20.

Verſ. 1. *Unumquodque præceptum quod ego præcipio tibi hodie obſervantes facitote, ut vivatis & augeamini, ac ingreſſi poſſideatis hæreditario jure terram illam quam juramento promiſit Jehova majoribus veſtris.*

I. Contra *egeſtatem*, & ut res adverſas rite ferant, inſtruit Moſes primum, ſic ut generalem inſtructionem det, verſ. 1. tum argumenta ſpecialia producat, verſ. 2--5.

A. *Generalis inſtructio* eſt, verſ. 1. qua obſequium commendat cujuſcunque præcepti quod Dei miniſter & interpres ipſis proponebat, & quidem quod uni ipſorum dicebat omnibus faciendum; utpote omnes pariter attinens; ne quis ad paucos rejiciat pietatis exercitium: uti in Papatu perſuaſum quibuſdam, in monaſteriis coli Deum pro omnibus, & licere aliis majore libertate vivere. Moſes non ait, vos Sacerdotes & Levitæ cuſtodite in notitia, & praxi exercete mandata Dei, ut populus reliquus ſecure agat quod libet; ſed pariter omnes, tam hunc quam illos compellat: quia omnium eadem eſt obedientiæ ratio. Sacerdotes pro reatu populi ſatisfacere, & pro illo precari debuerunt, repræſentantes Chriſtum ſe oblaturum hoſtiam pro peccatis ſui populi, & pro illo interpellaturum; ſed obedientiam quisque debuit propriam debetque adhuc. Debemus enim omnes ſiſti tribunali Chriſti, & quiſque pro ſe Deo rationem reddere debet. Rom. 14: 10--12. 2 Cor. 5: 10. judicium enim conſequentur conforme actionibus cujuſque propriis; qui bona egerint prodibunt ex ſepulchris ad reſurrectionem vitæ, & qui mala ad reſurrectionem condemnationis Joh. 5: 29. Omnes arbores in vinea Domini plantatæ judicantur ex fructibus; quæ malos, quæ non bonos ſive nullos fert, exſcinditur comburenda, quæ bonos relinquitur, & cultura juvatur. Verum illud ferre fructus, illud facere præcepta, nemo ex ſe habet aut habere poteſt, cum natura omnes mali & corrupti, arbores malæ; aliunde bonitas arceſſenda eſt Joh. 15: 4. ſ. Hoſ. cap. 14: 9. Hoc Moſes hic non dicit, qui tantum quid poſcatur indicat, non unde illud debeant habere; Verum nobis id eſt indicatum. In Chriſto eſt plenitudo. Joh. 1: 14. & inde accipimus, verſ. 16. & quidem per fidem, verſ. 12. quæ totum Chriſtum apprehendit. Eph. 3: 17. ut in nobis vivat, & agat, Gal. 2: 20. vitis in palmitibus per fidem illi inhærentibus, ut fructibus abundent. Quæ eſt obedientia fidei, & ſalutaris: nam gloria & honor & pax cuivis facienti quod bonum eſt; & cuivis qui in perſeverentia boni operis gloriam & honorem & incorruptibilitatem quærit, vita æterna compenſabitur. Rom. 2: 10. & 7. Etiam Moſes compenſationem bonam pollicetur obedientibus; videlicet vitam, multiplicationem, additionem & poſſeſſionem terræ, jurejurando Dei promiſſæ. Nihil horum eſt, quod non aliquoties jam fuerit inculcatum, ut immorari nolimus; Hoc unum tantum monebimus, quod ſemper ſcopus nobis ſit in quem intueamur.

Deum reſpiciens, & eum pio obſequio habens, ut in ipſo omnes ſpes & opes ſuæ ſitæ ſint, obtinebit vitam felicem inſtructam copiis ex Dei fidelitate. Fauſta utique & felicia ſunt, quæ pollicetur, fiducia jurisjurandi Dei; ſed quid faciendum ut iſtis potiantur? non ait parate arma contra Cananæos, convehite ligna vel naves ad ſternendum ponte Jordanem ad tranſitum, colite terram, aliaque, quorum aliqua etiam facienda; verum hinc non ſuſpendit vitam & cætera bona: ſolum commendat cuſtodiam præcepti divini ad praxin obedientiæ: ut tantum Deum colant obſequio debito, ad normam præcepti ejus, miniſtrorum ἀξιοπίστων opera traditi, de cætero ſollicitudine vacui,

cui, quæ proinde Deo relinquitur. Hoc dicit Chriſtus, Mat. 6: 33. *ne ſitis ſolliciti de victu & amictu, ſed quærite*, &c. *Quærendum*, omni cura & labore in id incumbendum, ut potiamur *regno Dei*, ſimus inter cives ejus, quibus felicitas ejus obtinget, & propterea etiam *juſtitia ejus*, quæ abundantior quam Phariſæorum & Scribarum, juſtitia ſanctimoniæ, conformis voluntati Dei in lege præſcriptæ, quam antecedit juſtitia à reatu, quæ eſt imputata ſatisfactionis Chriſti. Rom. 14: 17. *Regnum Dei non eſt cibus & potus, ſed juſtitia & pax & gaudium per Spiritum Sanctum.* Iſta qui quærunt, conſequentur *cætera*, non tantum aliqua, ſed *omnia*, victum & amictum; & conſequentur ceu *adjectionem*; eoque & priora dabuntur, quæ quærunt, ut ea inveniant non ut faciant & parent ipſi; ſed inveniunt, quando datur Chriſtus, factus nobis à Deo juſtitia, &c. Olim ſic David Pſ. 34: 10. ſ. *timete Deum ſancti ejus, nam qui eum timent non habent defectum.* Pſ. 84: 12. Pſ. 37: 3--34. ſ. Pſ. 37: 25. Etiam tunc Deus curat. Exod. 24: 6. Eſt hoc argumentum oportuniſſimum hoc tempore; vivere, multiplicari, ingredi & poſſidere terram, quivis optat; ſed dum iſtud quærunt, ſe ſuosque & patriam ipſam perdunt. Etenim non reſpiciunt iſta ceu appendicem pietatis, & fructum obſequii Deo præſtiti; qui ſic remuneratur ex promiſſo, 1 Tim. 4: 8. De Chaldæo dicitur, Hab. 2: 9. quid familiarius quam hoc modo proſpicere domui, & ſui nidi ſecuritatem curare, ut vivant, & ventrem ſatient bono & relinquant abundantiam liberis. Et dum hoc quærunt, ſibi licitam credunt omnem violationem præceptorum Dei: præter unum iſtud 1 Tim. 5: 8. *ſi quis ſuos potiſſimum domeſticos, non curat, abnegat fidem, & pejor eſt infideli.* Sed ô homo, an neſcis illud? Jac. 2: 10. *qui totam legem ſervat & impingit in uno, reus eſt omnium?* eoque multo magis qui totam violat, & unum ſervat, omnium reus erit: nam eadem eſt Legislatoris autoritas in ſingulis. Verum ne quidem unum obſervas: abnegat fidem & infideli pejor eſt, qui ſuos non curat, non ſolum negligendo, ſed etiam male curando. Et fur & receptor furis curant ſuam domum; ſuntne illi fideles magiſtratui? cur ergo puniuntur? & fideles Deo quis dixerit? Militibus dicit Johannes. Luc. 3: 14. neminem *opprimite*, &c. Fidem non abnegans intra iſtos limites ſe continet & Dei præſtolatur benedictionem Heb. 13: 5, 6. Et hoc inculcatur militibus; verum non ſolum gregariorum eſt, ſed etiam præfectorum: imo omnium; quivis hominum habet militiam in terra Job. 7: 1. Sub providentia divina; quivis Chriſtianus peculiarem ſub ſigno Chriſti. Ergo cuivis abſtinendum ab oppreſſione aliorum violenta aut fraudulenta & acquieſcendum ſtipendio. Quivis eſt œconomus Deo, & in iis id requiritur ut fideles deprehendantur. 1 Cor. 4: 2. Sed æſtimate voſmet ipſi an fidelitatis ſit, Si œconomus debitores heri pro 100. jubeat ſcribere 50. vel 80. ut de reliquo ipſe gaudeat, Luc. cap. 16. ſi œconomus demenſum domeſticis dandum in heri rationes referat, verum ipſe magnam partem ſibi ſervet, & conſervis partem exiguam det, aut eos ſatiet lachrymis ac verberibus; largitus quandoque aliquid liberalius quibuſdam, qui ſe in verberandis aliis juvant? Mat. 24. verſ. 48 ſ. Si diſpenſator juſſus cuique operario mercedem pactam numerare ſtato tempore, eam detineat, & pro ſuo arbitrio fruſtilla tantum exſolvat, vel partem ejus mercenariis extorqueat: Si cum pepigerit, aut pangere potuerit pro denario, duos treſve conſtituat, ut ipſe ſibi reliquum acquirat? Mat. 20: 8. ſ. Nemo eſt qui iſtud auſit defendere, qui non facientem proclamet flagitioſum curatorem ſuorum; ſed quivis examinet ſemetipſum, ne condemnans alium, ſemetipſum condemnet, ſiquidem ipſe agat, quod condemnat, & agat in majoribus, quod condemnat in minori; deglutiens camelos, quando aliis muſcarum deglutitionem exprobrat. Sane iſtiuſmodi homines fidem non ſervarunt. 1 Tim. 6: 9, 10. Hæc ſi afforet ſpectarent Deum: non confidentes incertitudini divitiarum, ſed Deo vivo, qui abunde dat ad fruendum, verſ. 17: Utique ſuo inſtituto pudorem & damnum ſibi parant. Pudorem; proditur ipſorum artes. Jac. 5: 4. *lapis ex muro clamat, & lignum trabis reſpondet.* Etſi homines ſilere cogantur, lapides loquuntur; quam vocem etſi ipſi non audiant, audit Deus: qui evocatus veniet ſubito ad teſtimonium. Hab. cap. 2: 10. Mal. 3: 5. Damnum. Jer. 17: 11--13. Eccl. 5: 12. ſ. Prov. 10: 23. cap. 11: 4. Pſ. 37: 34. Cuſtodienda via Domini, & tum abſtinendum eſt omni via propria, qua tantum aberratur à Domino. Annon, ſi bene egeris exaltatio erit? Gen. 4: 7. ſi ea non illico ſe offerat, exſpecta Dominum; noli ipſe eniti alis divitiarum, & injuſti mammonæ, ipſe te exaltabit, temporum oportuno. 1 Pet. 5: 7. Pſ. 37: 3, 4. faciendum bonum, & paſcendum fidelitate & oblectandum in Domino, ſic terræ incolatus erit felix à Domino omnia deſideria concedente. Cuſtodientibus mandata Dei Deus cuſtodit benignitatem. Pſ. 112: 1. ſ. felix qui Dominum timet, qui valde delectatur præceptis ejus; ſemen ejus potens erit in terra, generatio juſtorum benedicetur; in domo ejus erit poſſeſſio & divitiæ: juſtitia ejus manet in ſeculum, lux ei oritur in tenebris. O ſi hoc crederent homines quam multis peccatis carerent, quæ nunc in ſubſidium vocant, ut felices ſint in mundo; nec malum facere, nec malis adulari neceſſe haberent. Non vagarentur cum peccatoribus, & ſe fatigarent, ſed ſolum Deum reſpicerent, qui occurrit gaudentibus, & juſtitiam agentibus, ejuſque recordantibus, in viis ipſius. Eſa. 64: 5. & quanto præſtaret hæc pietas nobis & liberis, quam impia & injuſta induſtria?

Verſ. 2. *Ideoque recordaberis totius iſtius viæ, qua deduxit te Jehova Deus tuus jam quadraginta annos per ipſum deſertum, ut affligeret te tentando te, ad cognoſcendum id quod* erat *in animo tuo, utrum obſervares præcepta ejus necne.*

Verſ. 3. *Afflixit enim te & fecit ut eſurires:*

B. Obj. Hæc quidem pulchre dicuntur, de pietate colenda, & Dei benedictione exſpectanda; ſed hanc non ita ſequi animadvertimus; Scimus qui maxime diteſcant, & floreant in mundo. Certe qui tenerioris conſcientiæ non multum lucrantur: dum reſpiciunt Deum & illi fidunt, ſobrie admodum vivunt, imo ad egeſtatem prolabuntur. Scilicet Deus iſta temporalia cujuſque induſtriæ reliquit, & qui ſibi ipſi proſpicit, plurimum poſſidet. Egeſtatem ergo merito quivis quantum poteſt amolitur. R. Eſt profecto hæc cauſa cur non reſpiciatur Deus, atque ei obedire tergiverſentur, Egeſtas; quod eam non curare videatur, ut curandum ipſismet ſit. Verum eſt error gravis. Tantum abeſt ut egeſtas doceat Deo res noſtras cordi non eſſe, ut vel maxime liqueat, ſollicite nos curare: utpote Deo & in defectu, & per defectum id probante; ut veriſſima maneat aſſertio, Obſervantes præcepta Dei vivere, valere & florere. Paradoxum id eſt in auribus hominum; ſed Moſes adſtruit, ab ipſa pauperie argumenta ducens Deum in ea ſuſtentare poſſe, & ipſamet uti ad vitam & felicitatem ſuorum promovendam. Refert ergo Utilitates paupertinæ conditionis, quæ ſunt. I. Horum exploratio. II. Demonſtratio potentiæ Dei. III. Emendatio hominum.

Præmittit deſcriptionem illius temporis, quo caruerunt abundantia, utpote quo durante iſtæ utilitates fuerint evidentes, verſ. 2. *Et recordaberis omnis illius viæ qua Dominus Deus tuus te duxit hiſce 40. annis in deſerto.* Miſeria Iſraelitarum deſcribitur. I. ab Autore *Dominus Deus tuus.* Vixerant in Ægypto, terra fertiliſſima, & quamvis laborandum duriter, tamen abundantia victus fuit. Num. 11: 5. cum carnem deſiderarent, ajunt, *recordamur piſcium, quos ibi gratis edebamus*, & omnis generis herbarum. Et Deus potuiſſet eos breviſſimo itinere ducere in Cananæam, fluentem lacte & melle Exod. 13: 17. ſed duxit eos in & per deſertum. Scilicet non eſt malum vel afflictio in civitate quam Deus non faciat Amos 3: 6. Eſt autor tam tenebrarum quam lucis, tam belli quam pacis Eſa. 45: 7. *ex ore ejus prodit malum & bonum.* Lam. 3: 38. & quæ agit, pro jure ſuo agit, & beneplacito, Dan. 4: 35. adeoque non murmurandum, ſed in ejus voluntate acquieſcendum eſt.

eſt. Licet ei de ſuis facere quod vult, Matt. 20: 15. qui injuriam facere non poteſt, negando vel adimendo quod non debet. Sequendus David Pſ. 39: 10. Obmutui non aperiam os, quia tu feciſti. & Job Dominus dedit &c. Job. 1. verſ. 21. II. à Loco, *in via*, *in deſerto*: Terra non culta, & culturam non ferens, pabulum præbens jumentis, non hominibus. Nullæ iſtic domus aut civitates, ſed ſub tentoriis manendum fuit, & hæc quies nocturna; interdiu ſæpe pedeſtre iter fuit faciendum, quæ omnia abſunt à commoditate. Viatoris multæ ſunt moleſtiæ, qui impedimenta ſua ſecum portare cogitur. Sed paucorum dierum incommodum facile fert, ſi tandem quies læta concedatur. Sed hic incrementum mali. III. à Tempore, *annis* 40. tanto ſpatio, ut qui numerati ex Iſraelitis in itinere perierint, alii minorennes tunc fere conſenuerint; nonnulli in eo nati & educati ſint, alius conditionis ignari. Si iſto modo Deus nobiſcum ageret, non eſſemus primi quoad talem conditionem: & quam impatientes ſumus paucorum annorum afflictione, quæ obtingit in patria, terra habitata, ubi ſub tecto dormire & habitare licet. Hinc ſi ejiceremur, & vagaremur, tamen foret acquieſcendum, & quando longe parcius ſubminiſtrarentur, quibus ſuſtentandi ſumus.

Jubet autem Moſes *recordari*. Memoria perpeſſarum calamitatum conſervanda eſt. Sic meminiſſe jubet ſervitutis Ægyptiacæ ſæpiſſime. Eſt enim recordatio iſta utiliſſima tam proſperis, quam adverſis rebus. In proſperis, quod hæc non fuerint perpetua, eoque non fingamus horum perpetuitatem; quod cœpit, poteſt finiri, neque magis extremum quam initium peregrinum videri debet. In adverſis, quod hæc non ſint nova vel inſolita: redeunt identidem noctes, etſi dies intercurrat. Et quod tunc ſalubriter egimus, vel meditati ſumus, denuo ſuſcipiendum. Job. 1: 21. *nudus egreſſus ſum* &c. Ergo nudari non eſt ferendum impatienter. Si recordemur malorum priorum, non ſolum patientia & acquieſcentia nos roborabimus, ſed rite recordantium ejuſmodi recordabitur Deus, & afflictionum quas tolerant, ut eos ſoletur, & tandem liberet, ut fruantur felicitate, & gaudeant benigni ipſius. Pſ. 132. verſ. 1.

א. Prima utilitas eſt *Exploratio* ipſorum, ubi I. Exploratio ipſa. II. id quod exploratione inveſtigatur. III. Subjectum exploratum. IV. Lapis lydius ad quem exploratio facta eſt.

a. *Exploratio* eſt לנסותך *ad probandum te*. Deus qui duxit per deſertum, idem eſt qui exploravit. Jac. 1: 13. Deus tentari malis non poteſt, nec quemque tentat, nempe malis, ut ſollicitet ad peccatum: hoc magiſterium Diaboli eſt, qui inde Tentator dicitur. Dei tentatio alia eſt. Exploratio qualitatum & virtutum, quæ adſunt hominibus aliiſve creaturis, quo manifeſtæ fiant. Eam inſtituit Deus frequenter Pſ. 11. 4, 5. Probat omnes, ſed juſti ſunt probati, hoc eſt, approbati, impii improbati & exoſi. Probatio ea metaphorice declaratur Pſ. 17: 3. בחנת B. **geprooeft** / פקדת **beſocht** / צרפת **getoetſt** / proprie **geſmolten.** Pſ. 26: 2. primum & tertium eſt, & interponitur נסני **verſocht.** Hic בחן *probare* fortalitii alicujus robur, נסה *tentare* ut ſignum aliquod eliciatur, פקד *inſpicere* præſentem & *perſpicere*, צרף *igne liquefacere*, ut metalla, utrum quid permixtum ſit alienum. Pſ. 139. verſ. 1. חקר *perveſtigare meditando*. Omnia vero eo fiunt, ut quod ignoratur, ea ratione patefiat & innoteſcat. Sic hic dicitur finis לדעת *ad ſciendum* Verum ſcientia iſta non quæritur Deo, ceu qui ea ante careat. Eſt enim omniſcius, nulla creatura abſcondita ab ipſo, ſed omnia ſunt nuda & aperta coram oculis ejus Heb. 4: 13. Novit omnes, nec habet neceſſe, ut quis teſtetur de homine, nam ipſe novit quid in homine ſit Joh. 2: 24. ſ. Hominibus quorum exigua eſt potentia, & quia non vident niſi quod ante oculos eſt, multa exploratione & perſcrutatione opus eſt, ut quid cognoſcant hominis alterius, & vere cognoſcant. Prov. 20: 5. Pſ. 64: 7. 1 Cor. 2: 11. Imo ne quidem ſemetipſum quis recte novit Jer. 17: 9. fallacià iſtâ utitur ad decipiendum ipſummet hominem. Illud ergo ad ſciendum, referendum eſt non ad Deum, ſed ad homines, ut tantundem ſit ac ad notificandum. Sic dicitur Exod. 31. verſ. 13. *Sabbathum ſignum eſt inter me & vos per generationes veſtras* לדעת *ad ſciendum*, (ad notificandum, ut ſciatur ab hominibus indicante per iſtud ſignum Deo,) *quod ego ſim Dominus ſanctificans vos*. Legitur tamen Gen. cap. 22: 21. *Nunc ſcio*, dicit Deus ad Abrahamum quem tentarat, *quod Deum timeas*, & (id eſt *poſtquam*) *proprium tuum filium à me non cohibuiſti*. Verum ſic Deo non innotuit, quod ignorabat, ſed virtutis quam dederat, & adeſſe norat, effectum elicuit, & quod novit in virtute radicis, evidens fecit in maturitate fructus, quemadmodum Gen. 1: 31. *Vidit Deus quæ fecerat* &c. Vidit & cognovit in conſummatione, quod eodem modo cognorat in ſuo decreto. Sic Exod. 32: 9. Dominus ad Moſen: *Vidi hunc ipſum populum*, & *ecce eſt populus duræ cervicis*. Norat Deus cor Iſraelis antequam admiſiſſent idololatriam vituli Eſa. cap. 48: 8. *Novi quod prævaricando prævaricaberis*, & *inde ab utero vocatus fuiſti tranſgreſſor*. Sed tunc novit ex effectu: quamvis enim Deus æque novit futura ac præſentia, tamen futura novit non eſſe præſentia, & præſentia non eſſe futura: & quando futura ſuo tempore eveniunt, novit ea non ut futura amplius, ſed ut ſunt præſentia: neque tamen plus novit quam antea, quia præſentia non ſunt alia, quam noverat futura; ut nihil accedat Deo notitiæ quam antea ignoraverat. Manetque omnis notificatio reſpectu hominum, tum ipſorummet tum aliorum, ut ipſi ſciant quod vel penitus, vel aliqua parte ignotum fuerat. Sic aurifaber nummum: quem falſum novit, explorat ad lydium lapidem, ut alii quoque vitium videant, ſive proprietarius ſit, ſive peregrinus. Cæterum Deus tentans ad notificandum hominibus explorationem ſui aliorumve hominum, dicitur hic.

b. *Subjectum* habere Cor ipſorum, *quid in corde tuo eſſet*. Hoc Deo adſcribitur creberrime Pſ. 7: 10. *Probans corda & renes juſte Deus*. Jer. 20: 12. *Domine Zebaoth, qui juſtum probas, qui renes & cor vides*. cap. 12: 3. *tu Domine noſti me, tu vides me, & probas cor meum*. Nam cap. 17. verſ. 10. nemine noſcente cor fraudulentum, *Ego Dominus perſcrutor cor, probo renes & hoc, ut unicuique reddam ſecundum vias ſuas, fructum actionum ſuarum*. Neceſſarium enim iſtud Deo ad judicium juſtum. Sed heic exploratio fit ad notificandum, ut illud quod in corde eſt innoteſcat. Amos. 4: 13. indicat Deus homini, quæ ſit ejus cogitatio. Faciet Deus iſtud potiſſimum in ultimo judicio, quando judicabit occulta hominum Rom. 2: 16. & propterea in lucem producet, quod in tenebris occultatum eſt, & manifeſtabit conſilia cordis 1 Cor. 4: 5. Sed heic loquitur de notificatione rerum cordis, quæ in hac vita fit: quæ cogitationes, conſilia, deſideria, motus voluntatis & affectuum iſtic ſint. *At enim in corde hominis, ſunt multæ cogitationes* Prov. 19: 21. neque omnes notificantur hominibus, uti nec neceſſe eſt. Indicatur proinde.

c. Id quod exploratione notificatur, *an cuſtoditurus ſis ejus præcepta, nec ne.* Spectatur obedientia erga Deum præſtanda vel non præſtanda; non tantum ratione actionis, ſed ratione originis. 1 Tim. 1: 5. *finis præcepti eſt charitas*, (hæc ſumma omnium mandatorum dilectio Dei & proximi,) *ex puro corde & conſcientia bona & fide ἀνυποκρίτῳ.* Fiunt ſæpe nonnulla, quæ ſpeciem obedientiæ habent, neque homines aliter de iis judicare poſſunt, qui tantum vident quæ ante oculos ſunt. Herodis obedientia Marc. 6. verſ. 20. Simonis Magi fides Act. 8: 13. Judæorum amor verbi Ezech. 33: 30. ſed utrum ex puro ſinceroque corde iſta fiant, nec aliis, nec ipſiſmet, quandoque exploratum eſt. Hoc autem manifeſtandum per experimenta, quomodo cor ſe habeat reſpectu Dei, an ipſum habeat, & an ſolum habeat, vel alios loco ipſius aut præter ipſum, adeoque agitur de obedientia non operis ſolum, ſed cordis, ut Rom. 6: 13. ex corde auſcultaſtis ei formæ doctrinæ in quam eſtis traditi. Hæc exploratio humanæ obedientiæ inſtituitur ſimpliciter per providentiam gubernantem omnia, & intuentem actiones ipſas, tum externas Pſ. 14. verſ. 22. *Dominus de cœlo proſpexit ſuper omnes filios hominis, ut videant, an quis intelligens ſit, qui Deum quærat. Omnes deflexerunt* &c. *quod omnis caro corrupiſſet ſuam viam* Gen. cap. 6. *& venit viſum Sodomæ corruptionem*. Sed ut notificetur hominibus adhibet inſtrumenta explorationis. Tria hujus

jus generis ſunt I. Verbum ſuum ejuſque miniſterium. Verbum Dei quia norma actionum obedientiæ, eſt ut lapis lydius, docens integritatem metalli; dicit quales debeant eſſe actiones, ut obedientiæ dici queant. Prov. 6. verſ. 23. Pſ. 119. 130. Verum lydius lapis non facit explorationem, niſi metallum illi affricetur: ita nec Verbum niſi applicetur, Pſ. 119. 9. & hæc applicatio fit ab unoquoque privatim, verſ. 11. & 6. *non pudefiam* &c. Jac. 1. verſ. 25. *qui intuetur in legem perfectam, & in ea manet factor operis, is beatus erit in ſuo opere.* Sed fit quoque à miniſtris Dei, quorum opera utitur, & per eos agit Jer. 6. verſ. 27. ſ. בחון *exploratorem*, מבצר *propter aurum conſtitui te.* Et quid egerat Propheta? verbum admorat, verſ. 16, 17. & verſ. 10. *ad quem loquar & teſtabor, ut audiant, ecce auris ipſorum incircumciſa eſt ut nequeant attendere; ecce verbum Domini eſt ipſis in opprobrium non delectantur illo.* Luc. 2: 34. ſ. Hujuſmodi exploratio fit 1 Cor. 14: 24. ſ. *omnibus prophetantibus ſi ingrediatur infidelis vel idiota ab omnibus convincetur, ab omnibus judicatur, & ſic occulta cordis ejus manifeſtantur, & ſic procidens in faciem adorabit Deum, & annunciabit Deum vere inter vos eſſe.* II. Beneficia Dei. Quando cumulat multis magniſque bonis ut pateat an etiam in abundantia Deum ſolum habeant. 2 Chron. 32: 31. cum legati Babelis miſſi ad eum veniſſent inquiſitum in prodigium quod factum erat in terra, deſeruit ipſum Deus ad *explorandum eum; ut ſciret quid in corde ejus eſſet.* Loquitur de Hizkia, hunc totaliter ægrotum Deus ſanarat, vita in 15. annos prorogata, & confirmationis ergo ſignum dederat regredientis ſolis. Obſervatum id fuerat in Babylone, & auditum propter Hizkiam factum etiam eſſe; itaque Rex Merodach Legatos miſit inquiſitum in miraculum. Sed Hizkia illis oſtendit omnes ſuos theſauros, & armamentaria & quicquid magnificum erat, & de hoc facto dicitur verſ. 24. ſ. Hizkia miraculo ſanatus *non fecit retributionem* &c. Proſperitas patefecit ſuperbiam, quæ in corde latebat. Sic Nebucadnezaris *cor efferebatur* &c. cum regnum ejus adeo auctum erat, ut de hominibus ſtatueret quod libebat omnibus eum metuentibus, Dan. 5: 18. ſ. Hoſ. 13: 6. III. Judicia Dei, & adverſa quæ immittit Eſa. cap. 48: 10. *Ecce purificavi te, non ut argentum*, ut omnes ſcoriæ tollerentur, ſic enim nihil manſiſſet reſidui; ſed tantum modice ad convictionem; alias ut argentum, quia in ignem miſeriarum deducit. Pſ. 66: 10. ſ. Prov. 17: 3. *Dominus probat corda*, igne, afflictionibus. Jer. 9: 7. Zach. 13, verſ. 9. De hoc tertio genere loquitur Moſes, hunc Lydium lapidem Deum adhibuiſſe, introduxit in deſertum, & tamdiu iſtic duxit, למען ענותך & verſ. 3 ויענך וירעיבך *ut te humiliaret, ut te exploraret* &c. & verſ. 3. & humiliavit, afflixit; & fecit te eſurire. Adverſitas & penuria quam te experiri fecit, eo pertinuit, ut ea ratione patefierent ſecreta cordium, & quomodo ſe haberent reſpectu obſequii.

Eſt hoc medium efficaciſſimum ad nudandum animum & ſinceritatem ejus. Cum enim rebus proſperis magno animo & ſpecie multi ſpectabiles ſint, adverſa larvam detrahunt. Mat. 13: 20. ſ. ſeminati in petroſa, verbum auditum recipiunt cum gaudio, & virore ſubito præ aliis ſpectantur, ſed veniente afflictione & perſecutione propter verbum offenduntur & deficiunt. Sic Jobum deprehenſum iri Satan dixit Job. 1: 9. ſ. *an fruſtra Job Deum timet? nonne ſepem feciſti circa ipſum & domum ejus, & quicquid habet? benedixiſti operi manuum ejus; ſed jam extende manum tuam, & tange quicquid habet, an non in faciem tibi ſit benedicturus?* Et hoc conſilium fuit uxoris Jobi, cap. 2: 2. *an adhuc retines integritatem? benedic Deo & morere.* Et quamvis Job non prorſus defecerit, tamen in adverſis non ſemper potuit impatientiam ſubigere, ut non loqueretur quandoque durius de Deo & viis ejus circa ſe. Petrus quantus athletes, qui cum Chriſto & pro Chriſto mori paratus erat; ſed cum Chriſtus vinctus teneretur, & ancilla ei ſocietatem objiceret, non negavit modo, ſed etiam ejuravit notitiam Jeſu, quemadmodum qui animoſe in undis ambulare præſumebat, viſo vento & fluctibus exterritus cœpit mergi, Mat. 14: 29. ſ. Et quid valuerint adverſa ad explorationem Iſraelis in deſerto, loquitur hiſtoria, & Pſ. 78. Sectabantur Deum in deſertum, quamdiu cibus & potus erat in vaſis, quem exportarant ex Ægypto; quia vaſa aurea & argentea Ægyptiorum ipſis conceſſerat Deus; ſed quam primum defectus aquæ dulcis fuit, murmuratum eſt, & abſumto commeatu, & deficiente omni aqua, Exod. 15: 16, 17. Apparuit tunc eſſe populum errantem corde, ignorantem viæ Dei. Pſ. 95: 10. Hujuſmodi explorationem Deus etiam inſtituit circa nos. Gloriamur non minus quam Iſrael fœdere Dei, & quidem inter Euangelicos nos melioris notæ jactamus Reformatos, ſed an ſimus quod profitemur, explorando diſcitur. Ea quidem in multis non eſt opus, ſaltem extraordinaria. Eſt Lydius lapis verbi, quem Paſtores concionando admovent. 1 Cor. 6: 9. ſ. *an ignoratis injuſtos regnum Dei, non hæreditaturos? ne errate, nec ſcortatores* &c. Phil. 3; 18. ſ. hoſtes ſunt crucis Chriſti, quorum extrema perditio, Deus venter, gloria in ignominia, quæ terrena meditantur. Sæpe animadvertunt ipſi, in conſcientia ſe convictos, quamquam vel negligant ſubſannantes, vel odio concepto audire deſinant. Saltem homines exploratores dicendum habent. Eſa. 1: 21. ſ. c. 3: 9. Loquuntur actiones defectionem. Sed quotidiana iſta & humana, uti rentur, parum æſtimatur. Adhibita fuit diu, ea quæ per proſpera fit, & nimis convictos dedit cordis Dei obliti; quamvis id fateri nolint homines. Quamobrem Deus adhibuit tertiam Adverſitatum, & hic patefecit quæ ſit cordis noſtri ſinceritas in obſequio Dei. Afflicta fuere commercia, immiſſi hoſtes, aucta damna incremento onerum, & decremento redituum quorumcunque. Atque hic apparuit quo corde eſſent, & num Deum haberent cui obedire ſolum vellent. Sane quod Joramus verbis dixit factis probant plurimi. *Malum iſtud à Domino, quid ultra Dominum exſpectaremus?* 2 Reg. 6: 33. In afflictione Saul non Deum, ſed dæmonem quæſivit, & ſic multi non pietatem in ſubſidium vocant, ſed impietatem & injuſtitiam. Meditamini, quid 1672. acciderit, ſociavit Deus tunc omnes explorationis ſpecies, Verbum, proſpera & adverſa. Durante obſidione adverſis exercuit, & ea temperavit mirabiliter, ut damnum non excederet vires noſtras. Jer. 10: 19. Licet diceremus *Væ mihi ſuper contritione mea*; tamen etiam dicebamus, *profecto ægritudo hæc eſt, cui ferendo ſum.* Nam pauci homines perierunt armis hoſtilibus, non præciſus fuit acceſſus ad inferendam annonam, tum ad auxilia addu cenda. Et quæ fuit ſub iſta exploratione demonſtratio obedientiæ? ſane qualis Eſa. 23: 12, 13. Deo vocante ad fletum, luctum, calvitium, ſacci cinćturam; ecce fuit gaudium & lætitia in conviviis & voluptate. Minabatur ibi Deus non condonatum iri illam iniquitatem, uſque dum morerentur. De nobis talis revelatio prophetica non eſt. Verum alia forſan nobis applicabilis Pſ. 81: 8. 12. ſ. Annon hoc judicium in nobis exercetur? Liberavit Deus peccatores ab hoſte; factine ſumus meliores? an quicquam emendatum eſt in moribus? annon aucta ſunt & gradu, & numero peccata? an pudor eſt injuſtitiæ? Jer. 3: 5. 3. ſ. Dan. 5: 18. ſ. Nebucadnezar probatus fuit proſperis & ſuperbivit, adverſis autem fractus agnovit humiliter Deum; at filius Belzazar non humiliavit cor ſuum cum iſta omnia noſſet: ſed extulit ſe contra Deum, non glorificando Deum; & hinc manu ſcriptum, Mene &c. Deus numeravit & finivit regnum tuum, in ſtatera appenſus & levis inventus fuiſti, diviſum eſt regnum tuum & datum *Medis & Perſis.* Non in aliis, ſed in nobis ipſis Deus edidit exempla, quæ emendationem vitæ, & humilitatem ſuaderent: nos vero magis magiſque ſuperbimus in peccatis. Verendum ne exploratio fiat imo facta ſit ſtatera & leviores è quo deprehenſi ſimus, ut jam numerandi ſimus ad gladium, & noſtra dividenda aliis. Hortamentum oportunum eſt Zeph. 2: 1, 2. Conceptum eſt decretum, partus proximus, ut evadamus exſecutionem noſtrum ipſorum inquiſitione opus eſt, ut emendemus quod vitioſum eſt. Quivis exploret ſeipſum 1 Cor. 11: 28. nam ſi nos ipſos judicaremus, non judicaremur à Domino: faciendum id ratione S. Cœnæ: & pariter quoad omnem vitam. O ſi foremus ut David Pſ. 17. 3. ſ. Pſ. 139. 21 ſ. ſic enim temperandum noſtrum examen ut Deus defectibus ſuccurrat. Hoc modo agentibus fiducia poteſt eſſe major de Dei benignitate & auxilio. Quod ſi etiam tunc Deus pergeret explorare adverſis ad eſuriem, nuditatem, ne tum quidem deſperandum aut

deficiendum. Jac. 1: 2. ſ. Rom. 5: 3. *ut exploratio fidei, quæ pretioſior auro pereunte & probato igne reperiatur eſſe in laudem & honorem, & gloriam, in manifeſtatione Chriſti* 1 Pet. 1: 7. Si verbum patientiæ Dei cuſtodiverimus, Deus nos cuſtodiet ex hora tentationis, quæ ſuperveniet terræ ad tentandos incolas ejus Apoc. 3: 10. Felix qui tunc inventus fuerit talis ut ſuſtinere diem Domini queat: ille ut ignis ardebit, & ſiquidem ut palea ſumus, impios conſumet, aſt ſiquidem ut, aurum, non perdet, ſed longe puriores & fulgidiores ſiſtet, ad gloriam Dei ſempiternam. Quod nobis largiatur Deus per Jeſum Chriſtum.

ſed cibavit te man, quod non cognoveras neque cognoverant majores tui: ut notum faceret tibi non ſolo pane vivere hominem; ſed omni eo quod prodit ex ore Jehovæ vivere hominem.

ב. Utilitas ſecunda eſt *Demonſtratio Potentiæ* Dei ad ſuſtentationem ipſorum, quam modo ex Eſa. 63: 9. Angeli faciei, Mediatoris, eſſe diximus, de quo Deus ipſe dixit Exod. 23: 25. *Domino Deo tuo ſervies & ipſe benedicet pani tuo & aquæ tuæ;* cujus proinde cognitio hic commendatur. Potentia iſta animadvertenda quoad Victum & Amictum.

a. *Quoad Victum*, verſ. 3. Cum autem docuiſſet egeſtatem fuiſſe in fame, quam induxit Deus, dum deduxit in deſertum incultum: quomodo exploravit Iſraelis obedientiam. Exod. 15: 24. ſ. in Mara, ubi aquæ amaræ, murmurarunt, dicendo, *quid bibemus?* & Deus oſtendit lignum edulcans aquas: *ibi conſtituit ſtatutum & judicium, & ibi probavit populum, dixitque: ſi vocem Domini Dei tui audiendo audies, & facies quod rectum eſt in oculis ejus, & advertes aures ad præcepta ejus, & cuſtodies ſtatuta ejus, nullum morborum tibi imponam quos Ægypto impoſui: nam Sum Dominus medens tibi.* In defectu non fuit indignandum murmurando: ſed cum fiducia repræſentandus Deo, & poſcenda benedictio quæ ipſi placuiſſet, in qua acquieſcerent. Deus enim omni malo mederi abunde poteſt. Hæc potentia bifariam demonſtratur, dando ubi nihil eſt, augendo ubi ſufficientia non eſt.

a. *Dedit* ubi nihil erat, *Et cibavit te Manna, quam non noveratis, neque Patres veſtri.* Hiſtoria exſtat Exod. 16. quum ventum eſſet in deſertum Sin, abſumta omni annona quam aſſumſerant ex Ægypto, vel invenerant hactenus in via, dicit populus, *utinam mortui eſſemus in Ægypto manu Domini, ubi carne & pane abundabamus; nam duxiſtis nos in hoc deſertum, ut totum cœtum necetis fame.* Et tunc Deus ad Moſen, *Ecce panem de cœlo vobis faciam pluere, & exibit populus & colligent quotidie diurnam menſuram ut tentem eum, velitne in lege mea ambulare nec ne.* Continuatur exploratio obedientiæ, dum continuatur egeſtas, & non niſi uni diei ſimul proſpicitur: attamen demonſtratur Dei potentia, ubi nihil erat: non arbores fructiferæ, nulla meſſis, non horrea ab aliis impleta: nihil quod ordinarius naturæ curſus præberet vel promitteret. Sed Deus ſe oſtendit Schaddai, non ſolum potentem, vel omniſufficientem, ſed liberaliter effluentem: qui ex ſua ſufficientia poteſt producere, & vocare ea quæ non ſunt, ut ſint. Quis putaſſet ipſi in aere eſſe agros, horrea, molas, ut tantæ multitudini illico ſuppeditaret. Uti ipſe ſolus pluviam dat, ita poteſt mandare nubibus ut pluant, Jer. 14. v. ult. cap. 5: 24. Eſa. 5: 6. & hic ut pluant panem Pſ. 78: 23. ſ. Panis אדירים non eſt Angelorum, qui non lædunt, neque etiam dederunt aut pararunt illum cibum; ſed Dei qui mandato ſuo produxit; diciturque אלהים אדירים. 1 Sam. 4: 8. atque uti mandatum Dei mare ſemper cohibet, ſic etiam tot annis ſtato tempore fecit deſcendere. Fuit autem cibus prorſus ignotus, unde nomen accepit, Exod. 16: 15. nunquam ante viſus, & ad memoriam aſſervatus, quia non videndus amplius, verſ. 32. ſ. attamen ſuaviſſimus, ut placentæ mellitæ, ut præſtantiſſimum oleum. Miracula circa manna plurima fuerunt, quo cibo ſuſtentati. Sic in initio mannæ dedit **quacktelen/** coturnices, tanta copia ut caſtra operirent, & rurſum cum carnes importune peterent ventus à mari rapuit coturnices, & ſparſit itinere unius Diei circa caſtra, altitudine duorum cubitorum ſupra terram, Num. 11: 31. unde Pſ. 78. verſ. 27. dicitur *depluiſſe carnem ut pulverem, & volucres, ut arenam maris.* Ita in defectu aquæ ad potum hominum, & jumentorum, ex rupe eduxit aquam tanta copia ut fluminis inſtar manaret, & eos comitaretur in itineribus, Exod. 17. & rurſum, Num. 20. Hujuſmodi potentiam Deus habet, ut in defectu rerum omnium procuret alimenta. Trium regum Iſraelis, Judæ & Edom exercitus periturus erat ſiti in deſerto, & Deus citra ventum aut pluviam venire fecit copiam aquæ maximam, ut omnibus ſufficeret. 2 Reg. 3: 17. Et Samariæ obſeſſæ inſtruxit in caſtris hoſtium tantam copiam, ut magna foret vilitas, 2 Reg. 7. Sic alias in egeſtate. Memorabile quod factum in obſidione Rupellæ 1573. & ſingulari miraculo accenſendum, certum quoddam piſcis genus præter conſuetum ordinem tanta copia eo tum ſingulis diebus appellere ſolitum in eam oram, ut panis loco eorum piſcium eſſet uſus tenuioribus, illam autem copiam eo pone ipſa die abſceſſiſſe, quum pactis de pace conventis regius diſceſſit exercitus. Eadem ratio ſingularium Eliæ ad torrentem Cherit corvi quotidie attulerunt panem & carnem, imperio Dei, 1 Reg. 17. ejuſdem cibatio per Angelum, ut 40. diebus ſatiatus ambularet, 1 Reg. 19. Continuatur in egeſtate exploratio obedientiæ, ſed ut Deus ſubminiſtret victum. Pſ. 33: 18. ſ. *Ecce oculus Domini eſt ſuper timentes ipſum, ſuper eos qui benignitatem ejus ſperant, ad eripiendum animas ipſorum à morte, ad conſervandum eos in vita in fame.* Non præſervat eos in abundantia ſemper, ut rebus omnibus affluant, ſed etiam ipſi pii quandoque colluctantur fami; attamen non deſerit eos Deus, & hoc dicit Salomo, Prov. 10: 3. *Dominus non ſinit animam juſti eſurire*, hoc eſt fame perire; uti David de ſua experientia loquitur, Pſ. 37: 25. Eſt tamen hoc ipſum non abſolute intelligendum, quaſi Deus nunquam ſinat fame occumbere pios; adeo ut qui ſic intereunt impii pronunciandi ſint. Salomo & David agunt de ſuis temporibus; quando Deus externas quoque benedictiones Iſraeli fuit pollicitus.

Verum gemina exceptio eſt. I. in judicio famis communi; quemadmodum bellum & peſtis, iſta quoque fames pariter incolas terræ, homines & jumenta affligunt neque piorum tunc diſcrimen eſt, involvuntur communi malo. Ezech. 14: 13. fili hominis, quando terra contra me peccaverit graviter transgrediendo, tunc *extendam contra illam manum meam, & frangam illi ſcipionem panis & immittam famem, ut homines & jumenta inde exſcindam licet tres hi viri Noach, Daniel & Job in medio ejus forent, juſtitia ſua non niſi ſuam animam liberarent.* Horum exemplaris pietas prodeſſet ipſis, non aliis, non liberis propriis; non quod nemo amplius fuerit inter illos pius, cap. 9. notantur qui gemebant & exclamabant propter abominationes quæ patrabantur, qui quidem non erant attingendi ab iis qui perdendæ Hieroſolymæ mandatum habebant; attamen alias in judiciis communibus non parcitur, & valet illud, idem evenit juſto & impio, mundo & immundo, bono & peccatori; neque amorem vel odium novit homo ex iis quæ ante oculos ſunt. Eccl. 9: 12. Differentia eſt in occultis, quod Deus animis piorum non ſubducit omnia ſolatia, quæ inter eſt acquieſcentia in Dei voluntate, ut cum patiantur ſecundum Dei voluntatem, animas ſuas ei commendent benefaciendo, tanque fideli creatori. 1 Pet. cap. 4: 19. II. in ſpeciali afflictione, & perſecutione religionis ergo, quæ ſolis piis accidit propter Chriſtum & pietatem. Rom. 8: 35. ſ. *quis ſeparabit nos à charitate Chriſti? afflictio, anguſtia, perſecutio, fames, nuditas, periculum, gladius? nam uti ſcriptum eſt, propter te totâ die necamur, æſtimamur ut oves mactationis; ſed in his omnibus plus quam victores*, &c. Victores non ut evadamus, ſed ut non ſuccumbamus ad abnegationem agnitæ veritatis. Martyrologia ſuppeditant exempla etiam fame enectorum Apoc. 13: 17. facit beſtia ut nemini liceat emere vel vendere niſi qui habet characterem, aut nomen, aut numerum beſtiæ. Cujuſmodi penuria per exactiones, exilia, aliamve vim ſi obtingat, quandoquidem pertinet ad afflictio-

ctiones Chriſti, non tantum facit ad exploratione obedientiæ, ſed etiam ad conformitatem cum Chriſto, & ut per conſortium paſſionum ejus confirmetur futurum conſortium gloriæ ejus Rom. 8: 17. 1 Pet. 4: 13. ſ. Nobis diſcendum ne propter defectum alimentorum deficiamus ab exercitio pietatis. Sequendus Deus etiam in deſerto, & hæc concipienda fiducia Deum ducentem in deſertum ſe tunc Deum demonſtraturum non ut deſertum Jer. 2: 31. ſed ut ſuppleat neceſſitates. Eſa. 43: 2. ſ. in igne & aqua nihil noxæ ipſo præſente; ſic quoque in defectu omnium. Pſ. 22: 1. ſ. cap. 1: 26. Quærendus non cibus qui perit, ſed qui manet in vitam æternam. Joh. 6: 27. quem filius hominis dat, ſemetipſum, ad ſolatium & ſalutem animæ ſempiternam; qui cibus eſt longe magis de cœlo, & miraculoſus, etiam quoad effectum quam manna Iſraelitarum.

b. Auxit ubi ſufficentia non erat: *ut notificaret tibi, quod non propter panem ſolum vivat homo, ſed quod propter omne egrediens ex ore Domini vivat homo.* Penuria rerum ad alimoniam neceſſariarum lectio eſt à Deo hominibus injuncta, ut aliquid diſcant. Deus eſt magiſter incomparabilis, nemo docet uti ille; docet non tantum verbo, ſed etiam providentia ſua; nihil eſt quod fiat, quo non eruditat. Cœlum & ſidera, dies & nox, proſpera & adverſa: quando eſurire fecit, quando cibavit Manna, omnia pertinuerunt ad eruditionem populi. Sic ex rebus conditis cognoſcitur Dei eſſentia potentia & divinitas Rom. 1: 20. ex providentia, quod rerum omnium ſuſtentator ſit. Act. cap. 14: 17. cap. 17: 25. ſ. Hoc loco docuit Deus Iſraelem, quod augeat, ubi non eſt ſufficientia, *non de ſolo pane*, &c. Non ait, non pane vivit homo, &c. ſic de abſoluto defectu loqueretur, ubi Deus ſuſtentationem dat; *ſed non ſolo pane*, &c. Ergo ponit præſentiam panis. Hunc ordinavit Deus ad ſuſtentationem hominis. Pſ. 104: 15. Intelligitur autem non tantum panis, ſed quodvis alimentum. Pſ. 136. verſ. 25. qui omni carni dat לחם *cibum*, Eſa. 65. verſ. ult. pulvis erit לחמו *cibus ejus* ſerpentis. Etiam caro, & fructus terræ vel arborum hoc nomine veniunt. Jam de iſtiuſmodi cibis vivit homo ordinarie: Sed negatur propter iſtum ſolum vivere, ſed aliquid aliud eſſe docet quod accedere oporteat. *Id quod egreditur ex ore Domini.* Græci & Matthæus cap. 4: 4. dicunt verbum omne quod ex ore Dei egreditur, & indicatur non tantum verbum externum, ſed mandatum Dei benedicentis, ſive in promiſſione expreſſum ſit ſive non. Pſ. 89: 35. ſ. *Fœdus meum, non profanabo, & egreſſionem labiorum meorum non mutabo, ſemel juravi per ſanctitatem meam*, &c. Hæc benedictio Dei alit hominem, non autem ſolus panis. Nam benedictione deficiente alimenta non alunt. Eſa. 3: 1. Dominus Deus Zebaoth auferet ab Hieroſolyma & Juda ſcipionem & baculum, omnem ſcipionem panis & omnem ſcipionem aquæ. Ezech. 4: 16. ſ. *Ecce frango ſcipionem panis Hieroſolymæ, & edent panem ad pondus & cum penuria* B. hommer *& aquam ad menſuram & cum trepidatione bibent*, ut panis & aquæ defectum habeant. Mich. 6: 14. *edetis & non ſatiabimini.* Hag. cap. 1: 6. editis, non ad ſatietatem; bibitis non ad ebrietatem; veſtitis vos, non ad calefactionem. Contra benedictione præſente, parum ſufficit. 1 Reg. 17: 14. farina ex urceo non abſumetur, & oleum ex lagena non deficiet, uſque in diem quo Deus dederit pluviam in terra. 2 Reg. 4. verſ. 2. ſ. oleum unius lagenæ multiplicatum fuit ut ſufficeret omnibus vaſis præſentibus implendis. 2 Reg. 4: 42. ſ. cum pauci panes primitiarum ad Eliſam deferrentur, & ille 100. hominibus juberet apponi, quibus neutiquam ſufficiebant, addidit promiſſionem, ſic ait Dominus: quod etiam factum. Ita cum Chriſtus paucis panibus jam 4000. jam 5000. cibavit, præter mulieres & infantes, & plus reſiduum fuit, quam quod primum apponebatur Mat. 14. & 15. Etenim cum omnia fiant ex decreto Dei, ſi cujus mortem aut famem decreverit, nullus cibus etiam in maxima copia alet, & ſi vitam & ſuſtentationem, minimum cibi ſatiabit & pinguefaciet. 1 Tim. 4: 5. *Omnis creatura* (de cibo loquitur) *ſanctificatur Verbo Dei & precibus*, non tantum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad quantitatem. Pſ. 37: 16. *Parum quod habet juſtus præſtat abundantia multorum impiorum*, v. 19. *Non pudefient tempore mali, & in diebus famis ſatiabuntur.* Prov. 10: 22. *benedictio Domini ditat.*

Convincuntur hinc ſtultitiæ plurimi, qui tum demum ſe felices credunt, quando plurima bona congeſſerint. Luc. cap. 12: 16. ſ. colonus ille in ubere proventu agri ſui, & ſtruit & auget horrea, eaque implet, dicitque animæ, anima &c. ſed declaratur ſtultus cujus anima eadem nocte auferenda erat: ſunt qui viventes non habent poteſtatem inde commedendi ob avaritiam. Eccl. 6: 2. Sola benedictio Dei (& hæc in Deo divitem facit) poteſt alere ad ſufficentiam & abundantiam. Gen. 32: 10. Jacob agnoſcit, *minor ſum omnibus benignitatibus tuis, nam cum ſcipione tranſivi Jordanem & jam factus ſum geminus exercitus*, & cap. 33: 11. *habeo omnia*; cum Eſau ſe *multum habere* dixiſſet. Experimur iſtud quotidie & publice & privatim. Quam exigui fuerunt olim reditus Belgii, & quanta felicitas: non niſi à benedictione Dei. Nunquam tam multum fuit exatum per tributa, quam ultimis annis, & nihil efficitur, omnia congeruntur in crumenam perforatam, & projiciuntur in abyſſum maris: quia benedictio Dei abeſt. Eademque ratio privatim; in omni copia per injuſtitiam parta, defectus eſt, non adfert ſufficentiam vel ad prodigos ſumtus, vel ad avaritiam, Eccl. 5: 9. ſ. Si exiguum quod ſuppetit ſufficere debeat, benedictio Dei accedat oportet. Hinc pauperum liberi fere corpore magis ſano vegetoque ſunt quam divitum: uti olera Danielem & ſocios pulchriores reddiderunt, quam æquales alios cibus regius: beneficio nempe benedictionis divinæ. Ea ſperanda eſt ſi adſit pietas. Etenim timor Domini eſt theſaurus Eſa. 33: 6. Eadem eſt lucrum, 1 Tim. 6. 6. non quoad opum abundantiam, ſed propter poſſidentis αὐτάρκειαν, quæ divitias putat alimentum & tegumentum, verſ. 7. imo quod his longe majus, Deum, Heb. 13: 5. ſ. Hag. 1: 9. ſ. Mal. 3: 9. ſ. quod deprehenſum, 2 Chron. 31: 10. Aſt qui adimunt miniſtris Dei alimenta, & mercedem debitam pactamque non benedictionem ſed maledictionem ſibi accerſunt, quæ rem familiarem & publicum non auget, ſed adimit. Laborandum magis eſt de benedictione Dei, quam de pane. Mat. 6: 33. non quod pro victu non ſit laborandum, mandatum enim eſt, 2 Theſ. 3: 12.

Verſ. 4. *Veſtimentum tuum non veteravit quin tegumento ſit tibi, & pes tuus non intumuit: ipſos quadraginta annos:*

b. *Quoad Amictum.* verſ. 4. *Veſtimentum tuum nequaquam veteravit ſuper te, neque pes tuus intumuit jam quadraginta annis.* Quemadmodum miraculoſa fuit alimonia Iſraelis in deſerto, ita quoque veſtitus. Etenim veſtes non fuerunt veſtutate attritæ, ut nulla permutatione unquam opus fuit. Uti quoque ex diuturno itinere pedeſtri nemini pes intumuit, ut calcei non detriti inutiles fierent: imo ne quidem Sacerdotibus & Levitis, qui nudipedes arcam aliaque Sanctuarii inſtrumenta portarunt. Memoratur iſtud quoque Deut. 29: 5. & Neh. 9: 21. Solet hic quæri, an veſtes cum corporibus creverint? nam alias id beneficium inutile fuiſſet. Hebræi affirmant, & probant exemplo cochleæ cujus domus una creſcit; uti quoque teſtudinis. Servator curam veſtium in Deum rejiciendam docet, quia Deus lilia campi adeo magnifice veſtit, ut gloriam Salomonis excedant, Mat. 6: 28. Atqui liliorum veſtis cum illis creſcit, quid non ergo potuerit idem agere circa veſtes Iſraelitarum, quamvis identidem eas exuerent, & lavarent? Quantum hoc beneficium Dei, Gen. 28: 30. Jacob vovet: Si Deus mecum fuerit, meque cuſtodiverit in via hac, qua proficiſcor, & dederit panem ad comedendum, & veſtes ad induendum, Dominus erit mihi in Deum. Longe majora præſtitit Deus Iſraeli. Jacob vixit inter homines in terra culta, ubi cibi & veſtium copia: Iſraelitæ in deſerto, tot annis. Jacobo ſerviendum fuit ut acquireret alimenta & veſtimenta; Iſraelitis omnia ſuppeditata ad victum, & veſtes conſervatæ. Deus ſimilia hodieque præſtat volucribus quoad victum, parat quotidie eſcam, ut ſolum colligendi labor ſit, quemadmodum Iſraeli. Gramina & flores induit ſua veſte, eamque ad extremum conſervat: licet non eodem modo agat cum hominibus, tamen non minus eos curat, cum illis creaturis ſint præſtan-

tiores, & Deus majorem ipſorum habeat rationem. Hoc argumento Chriſtus perſuadere nititur fiduciam in Deum. Novit ille indigentiam ut avium, ſic quoque hominum & ſuorum liberorum potiſſimum. Dedit Jacobo, & promiſit ſuis hæreditatem Jacobi. Eſa. 58: 14. Eoque omittenda nobis iſta cura, aliter quam à Jacobo fuit exercita; non ut Gentiles, qui à ſua manu exſpectant, ſed qui ſatisfacientes ſuæ vocationi diligentia, exſpectant benedictionem à Domino. Sic non deſtituemur neceſſariis, Pſ. 55: 23. qui juſtus eſt jus habet deferendi curam Deo, & Deus amans juſtum ei proſpicit, & quoad corpus & quoad animam, ut in deſerto hujus mundi habeat ſufficientiam, & emenſo itinere, conſequatur ſatietatem gaudiorum, & amœnitates coram facie ejus, in domo ejus, æternum.

Cum puer eſſet Iſrael, dilexi eum, & inde ab Ægypto vocavi eum filium meum. Hoſ. 11: 1. Dei iſta verba ſunt, teſtantis amorem in Iſraelem, & demonſtrationem amoris appellatione efficaciſſima filii. Nomen iſtud non legitur datum Ab. Iſ. vel Jacobo, ſed hujus poſteris in Ægypto; Hæc prima legatio ad Pharaonem, *filius meus, primogenitus meus eſt Iſrael, dimitte filium meum ut mihi ſerviat*, Exod. 4: 22. Non merebatur Iſrael hunc titulum; nam in Ægypto fuerunt idololatræ, ſtercoreis Ægyptiorum Diis addicti Ezech. 20: 8. digni excidio; Deus tamen eos elegit ex mero beneplacito amoris, & hinc benefecit ſuſtentando, Hoſ. 11: 3. ſ. Hoc beneficium præſtitit Deus Iſraeli in deſerto, potentiam ſuam exſerens ad ipſorum alimoniam. Quemadmodum parentum eſt liberis theſauros congregare & impertiri, ſic Deus aperuit theſaurum ſuum bonum, & cœlitus largitus eis eſt Manna, & coturnices, & aquam ex rupe, ut nunquam fuerint deſtituti alimento: continuavit veſtes ne detererentur vetuſtate. Servator, Mat. 6: 32. Cœleſtem patrem hiſce ſuos indigere exploratum habere ait: ut ἀμέριμνοι eſſe queant, quibus pater eſt. Verum hæc minima cura patris eſt, quia tantum pro vita corporis, & corpore ipſo: Habet homo aliquid excellentius, animam nempe, quæ majori cura indiget, ut vita Dei ingeneretur, & conſervetur, & hanc quoque Deum Iſraeli præſtitiſſe Moſes ait, hoc verſu.

Verſ. 5: *Ut agnoſcas cum animo tuo, ſic ut erudit quis filium ſuum, Jehovam Deum tuum erudire te:*

1. Tertiam utilitatem Afflictionum indicat, quæ eſt *Demonſtratio bonitatis Dei* ad ipſorum emendationem. Induxit Deus Iſraelem in deſertum & totis 40. annis ibi detinuit varie circumductum, & quidem in egeſtate, qua eum humiliavit, ut exploraret obedientiam præceptorum divinorum, ad ipſorummet notitiam; ut demonſtraret potentiam ſuam in ipſorum alimentis, quæ dedit cum nulla eſſent, & quæ pauca erant ſua benedictione auxit ad ſufficientiam, ſimulque nuditatem veſtium conſtanti conſervatione texit, quæ duæ ſunt penuriæ utilitates, & quæ tertia nunc meditanda, ut demonſtraret bonitatem ſuam in ipſorum emendatione ſpirituali. De hac tria obſervabimus. I. Quid Deus agat. II. quomodo agat. III. quid Iſraeli faciendum.

a. *Quid* Deus agat. *Dominus Deus tuus te caſtigat.* יסר *caſtigare*, eſt ob malefactum alicui quid ægritudinis afferre, ut doleat de ſuo facto animo aut corpore, aut utriſque. Etenim fit gemino modo, verbis, ad convictionem, quo pudeat de eo quod admiſit, & metuat quod meritus eſt damni, qui animi dolor eſt: factis quando verbera adhibentur corpori, ut ſentiat incommodum, & tanto magis commoveatur ad pudorem & metum pœnæ: neque enim in ipſis verberibus eſt compenſatio, cum hæc longe graviora mala adferat, atque ex mera ira inferentis proficiſcatur, effectus juſtitiæ; aſt caſtigatio etſi quid iræ habeat, ea tamen non adverſatur amori eumve abolet, quin imo ab amore procedit & regitur. Græce dicitur παιδεύω *caſtigo*, quæ vox tantundem ſignificat, correptionem verbalem, & correctionem realem, quod utrumque mali actionem reſpicit, & exercetur circa pueros, diſciplinam deſignans quæ teneræ ætati adhibetur, minorennibus qui ſui juris non ſunt, atque erudiuntur præceptis, & plagis quoque ad emendationem. Heb, 12: 5, 6. tria vocabula occurrunt, παιδεύειν *caſtigare*, quod generale eſt, ἐλέγχειν *convincere*, quod verbis fit, μαστιγοῦν *flagellare* quod fit factis. Conjunguntur ſæpe ceu ſynonyma יסר & יכח Prov. 9. Prov. 3: 11. מוסר B. **tucht** / תוכחת **caſtijdinge**/ proprie **beſtraffinge** quæ componuntur תוכחות מוסר **beſtraffinge der tucht**. Prov. 6: 23. ubi dicuntur eſſe via ad vitam. De inſtitutione, Prov. 31: 1. Job. 4: 3. cap. 29: 19. *verbis non caſtigabitur ſervus*, de verberibus, cap. 22: 15. Duo illa conjuncta, Prov. 29: 13. Hæc caſtigatio tribuitur Deo fœderato reſpectu Iſraelis. Inſtituit eam Deus verbis, Deut. 11: 2. cap. 32: 10. cap. 33: 3. quemadmodum pueri inſtituuntur, Prov. 23: 13. Sic erudiit de monte Sinai loquens ipſe, Deut. 4: 36. *de cœlo fecit te audire vocem ſuam* ליסרך *ad erudiendum te.* Deinceps per miniſtros Prophetas, Pſ. 2: 10. ſ. *erudimini judices terræ ſervite*, &c. Deo loquente in verbo ſuo, Pſ. 50: 18. ſ. Sic per Spiritum ſuum Eſa. 63: 10, 11. Neh. 9: 20. *dediſti Spiritum tuum bonum ad ipſos erudiendos* להשכילם Eſt enim Spiritus officium inſtituere, convincere, & is fuit qui locutus eſt in Prophetis, 2 Sam. 23: 2. 1 Pet. 1: 11. 2 Pet. 1: 21. Inſtituit quoque factis, Lev. 26: 18. Hoſ. 7: 12. Caſtigatio autem iſta dolorifica, Pſ. 39: 12. Utrunque modum conjungit, Zeph. cap. 3: 2. Ubi ſimul uſus eruditionis iſtius indicatur uti & alibi, verbi, Jer. 7: 13. ſ. verſ. 25. ſ. cap. 25: 4. ſ. cap. 9: 13. Plagarum, cap. 2: 30. cap. 5: 3. cap. 6: 8. Sic egere Iſraelitæ cum caſtigaret Deus, ut emendatio ſecuta non fuerit, cui fini inſtituebantur, unde aggravata judicia, & aggravantur aut continuantur etiamnum, donec eruditi fuerint, & emendati: *donec humiliati ſint, & incircumciſum cor inclinatum & acquieverint in pœna iniquitatis ſuæ.* Lev. 26. verſ. 41. Nam in deſerto Deus id non eſt aſſecutus, Pſ. 95. verſ. 10.

Verum non aliter quoque Deus nobiſcum egit. Non defuit eruditio verbi. Illius uſus eſt ad παιδείαν 2 Tim. cap. 3: 16. & Spiritus Sanctus per illud ἐλέγχει Joh. 16: 8. quando prædicatur, arguuntur auditores de ſtultitia quæ ipſi connata, ut eam deponant, & intelligentes fiant; Denunciatur juſta ira & vindicta Dei pertinacibus, ad exitium. Omnes conciones iſtud inculcant; miniſtri non deſinunt eſſe viri convincentes, Ezech. 3: 26. clamant ex gutture, neque cohibent, indicant peccata populo, & prædicunt incubitura judicia. Sed parum proficiunt, ut dicendum habeant Jer. 6: 10. *ad quem loquar & teſtabor, ut audiant*, & cum Chriſto Eſa. 49: 4. *fruſtra laboravi, vires meas inutiliter & vane conſumſi, nam Iſrael non vult congregari*, cap. 50. 2. *quare veni, & nemo fuit, clamavi, & nemo reſpondit?* Non defuit correctio plagarum. Judicia Dei in medio noſtri, fuerunt multa & magna. Jam ab aliquot annis plagæ noſtræ fuerunt continuæ, & inſtrumenta divinæ iræ multiplicantur. Hoſtes externi undique, qui terram & mare infeſtant. Interna diſſidia, ut mutuum devorentur. Deus ipſe de cœlo oppugnans jam ſiccitate nimia, jam nimiis pluviis, jam tempeſtatibus ventorum & fluctuum inundationibus; jam annonæ imminutione & corruptela ad famem, jam morbis & peſtilitate ad necem incolarum, & quæcunque judicia undique nos circumſiſtunt, & conſtrictos tenent, quorum incrementa quidem cernimus, finem autem non proſpicimus, Hoſ. 7: 12. Iſta tamen omnia nihil magis effecerunt ad emendationem, etſi ſociata verbo, Eſa. 26: 9. ſ. *cum judicia tua ſunt in terra, incolæ mundi diſcunt juſtitiam.* Ipſi gentiles ſic commoventur ad emendationem vitæ civilem, & in iis quæ ſecundæ tabulæ ſunt. Sic Ninivitæ converſi fuerunt Verbo, concione Jonæ, Joh. 3. ſic aliæ gentes judiciis, contra ſe exercitis, 1 Sam. 5. Philiſtæi præſentia Dei vindicantis arcæ ſuæ contemtum, & contra alios, Ezech. 5: 14. ſ. Quemadmodum in judicio adulteræ eruditur, Ezech. cap. 23: 48. Etenim Deus etiam circa Gentes correptionem & correctionem inſtituit, Pſ. 94: 10. Sed nuſpiam magis quam in Eccleſia; quod & nos novimus. Verum quo profectu? Eſa. 26: 10, 11. nec gratia inſtitutionis, nec manus percutiens æſtimantur. In diebus ſupplicationis id ſemper dicitur, & Magiſtratus dici volunt, peccata judiciorum cauſam faciunt, quod verbo Dei obtemperatum non ſit, & con-

continuatas jubent ſupplicationes durantibus judiciis, quod ſub illis non emendemur. Sed væ quando ſic vivitur, quandoquidem παραλειφθέντα metuenda. Deus vincit, quando ſic vivitur, quandoquidem perſeverent in ambulatione Deo ejuſque mandatis adverſante, Deus perſeverat in ambulatione votis ipſorum adverſante, & auget ſeptuplum plagas, idque identidem, aucta magis magiſque indignatione, ultionem fœderis ſumens de fœderatis. Hinc tamen fluit.

b. *Modus* actionis divinæ, Deus caſtigat, *uti vir filium ſuum.* Similitudo inſtituitur inter Deum & parentes, quod in caſtigatione eodem modo ſe habeant, hi filiorum, & ille fœderatorum: quandoquidem & hi ſunt filii: Hoc loco fuerunt Iſraelitæ, Deut. 14: 1. *Vos eſtis filii Domino Deo veſtro*, & cap. 32: 6. *nonne pater veſter eſt?* peccata ipſorum fuerunt contra Deum, qui pater, & judicia ejus contra liberos, verſ. 18. ſ. *rupem quæ genuit te oblivioni dediſti & oblita es Dei qui te enixus eſt. Quum Deus vidit, ſprevit illos ex indignatione contra filios & filias ſuas.* Jam Parentes erudiunt liberos, verbis verberibuſque, Prov. cap. 4: 1. ſ. Prou. 31: 1. cap. 19: 27. cap. 19: 18. cap. 23. verſ. 13. ſ. cap. 29: 17. Heb. 12: 7. Ratio eſt amor, quo liberos proſequitur, Prov. 4: 1. Prov. 13: 24. Sic quoque Deus, Deut. 33: 3. Prov. 3: 1. ſ. Heb. 12: 6. Apoc. 3: 19. ſ. Quemadmodum autem amor movet parentes ad caſtigationem, ut correptioni & correctioni filiorum inſtent, Prov. 4: 3. ſ. Gen. 18: 19. Prov. 13: 24. שחרו *mane quærit*, &c. Indulget diu ſervis, negligit extraneos, ſed illico liberos corrigit. Ita Deus, Act. 14: 16. aſt Pſ. 147: 17. ſ. & Amos 3: 2. ipſorum peccata ſunt ut fructus æſtivi, citius matureſcunt ad pœnam, utpote quæ ad ſplendorem Solis Euangelii fiunt. Incipit Deus plagas à Domo ſua, ab iis qui de nomine ejus nominati ſunt, Jer. 25: 29. 1 Pet. 4 verſ. 17. in appropinquantibus ad ſe vult ſanctificari etiam in juſtitia, Lev. 10: 3. Movet idem amor ad moderationem in caſtigatione & ad maturandum finem ejus, Pſ. 103. verſ. 9—13. *non agit nobiſcum*, &c. *uti pater miſeretur*, & &c. Jer. 31: 20. *parcit uti pater filio*, Mal. 3: 17. Job. 5: 18. Atque hæc ſimilitudo ſe habet uti in aliis, quando homines Deo conferuntur, Eſa. 55: 8, 9. moderatur iræ quia Deus eſt & non homo Hoſ. 11: 9. unde Pſ. 103: 11. ſ. quam altum eſt, &c. quam longe diſtat oriens, &c. uti moderatio iræ requiritur in parente ne occidat filium, Prov. 19: 18. ita apud Deum, ne pereant ſub ejus ira Pſ. 78: 38. Jer. 46. verſ. 28. Eſa. 27: 8. Hinc Eſa. 54: 7, 8. Æquat ergo Deus, imo ſuperat Parentes, in hoc affectu erga liberos, quod magnum momentum habet ad tertium.

c. *Quid* Iſraeli faciendum, *Scies cum corde tuo.* Scire eſt noſſe, atque etiam probare, amare, acquieſcere. Pſ. 1. verſ. 6. & 91: 14. novit nomen meum. Quæ hic oportuna ſignificatio eſt, quia debet fieri in corde, ut voluntatis quoque ſit. Igitur Commendat notitiam hujus rei, neque levem, ſed accuratiſſimam, ut animus advertatur, & ſtudioſa meditatione iſtud perpendatur, & velut certiſſimæ veritatis agnoſcatur ametur probetur, & ſervetur in cogitatione. Caſtigationem omnem à Deo eſſe, eſſe filiorum; ferri à parentibus; Deum parentibus ſimilem eſſe; imo majorem. I. Caſtigatio eſt correptio & correctio ad emendationem. Nemo eſt, qui non debet optare emendationem ſui: cum enim omnes natura mali & etiam adhuc multum corruptionis adſit, utique quicquid ad hanc minuendam facit, cognoſci meretur, & cognitum probari & amari debet: ſive illud verbis tantum fiat, vel ſi iſta non ſat virium habeant, etiam factis, quamquam ingratis. Prov. cap. 12: 1. Cap. 23: 12. Cap. 19: 20. *Audi conſilium & ſuſcipe correctionem, ut ſis ſapiens in noviſſimo tuo.* Qui id non facit tandem cogetur dicere, quando ſerum erit cap. 5: 12. ſ. *Quomodo odi eruditionem, & increpationem ſprevit cor meum?* ut ille impius Pſ. 50: 11. ſ. Prov. 1: 7. Valet etiam de correctione. Prov. 27: 5. ſ. *Melior eſt increpatio manifeſta quam amor abſconditus* Pſ. 141. 5. *Juſtus percutiat me, erit benignitas, & arguat me, erit oleum capiti; non frangat modo caput.* (quomodo excederet modum caſtigationis.) *nam preces meæ erunt in ipſorum adverſis.* Heb. 12: 11. *Omnis caſtigatio dum præſens eſt, non videtur eſſe gaudii, ſed triſtitiæ; ſed tandem de ſe reddit pacificum fructum juſtitiæ iis, qui per eam exercitati ſunt.* Non ſumus neque etiam debemus eſſe ἀναίσθητοι ſic plagæ inutiles forent Jer. 5: 3. & ſentiens non poteſt non dolere, ut David cum interdiu noctuque incumberet manus Dei, ut ſuccus vitæ abſumeretur quaſi æſtu æſtivo. Verum poſtmodum reddit fructum exercitatis, non qui unam alteramve, ſed qui multas ſuſtinuere plagas; reddit autem fructum juſtitiæ vitæ emendatæ, & pacificum, ut non aliæ ſuccedant plagæ, quia cavetur offenſa. Pſ. 119: 67. 71. II. Caſtigatio eſt à Deo. Quicquid ab ipſo venit, melius eſt & efficacius. Pſ. 94. verſ. 12. ſ. *Beatus vir ille Domine, quem tu caſtigas. & quem doces ex lege tua, ut requiem ei des à diebus malis:* quando hæc duo ſociantur, non poteſt non felix eſſe cogitatio. Pſ. 119. verſ. 75. Facit enim ad emendationem maximam Jer. 31. verſ. 18. naſcitur homo ut pullus onagri, Job. 11: 12, & nemo ſemetipſum domat, neque alius naturam mutare poteſt; ſed id poteſt Deus. Heb. 12: 10. Hæc efficacia magnum bonum, ſi obſignans caſtigationem hominem avertat ab opere ſuo, & à ſua ſuperbia abducat Job. 33. verſ. 16. Et majus quod animam avertat à perditione, 1 Cor. 11: 32. etiamſi cum temporali judicio quis amittat vitam corporis, ut iſtic peſte, & judicetur quoad hominem in carne, quo vivat quoad Deum in Spiritu. 1 Pet. 4: 6. Quamquam ſæpe vitam corporis quoque ſervet, Pſ. 118. verſ. 18. *caſtigando caſtigavit*, &c. Unde non deprecantur pii caſtigationem, ſed iram majorem, Pſ. 6: 2. & 38: 2. & Jer. 10: 24. *Caſtiga me*, &c. Proinde *fili mi, ne neglexeris caſtigationem Domini* Heb. 12: 5. Felix ille ſervus cujus correctioni Deus inſtat, cui dignatur iraſci: quandoquidem ex majori ira abſtinet, Hoſ. 4: 4—14. nemo litiget neque redarguat quenquam, neque ego viſitabo ſuper ſcortantes, populus carens intelligentia. III. Caſtigatio eſt filiorum, Heb. 12: 7, 8. Extraneis in domo plagæ multæ ſunt & dolores, Pſ. 32: 10. ut inſtar equi & muli cohibeantur ne noceant: ut Pharao. Spurii dicuntur, qui gloriantur nomine patrisfamilias, cum abeo geniti non ſint, & hos odit, ejecturus domo, & perditurus; filii ſunt, Jac. 1: 18. Eph. cap. 2: 10. hos emendare vult non illos, qui proinde caſtigatione excluduntur. Itaque eadem afflictio poteſt incumbere domeſticis omnibus, ſed diverſimode ſe habet, Spuriis eſt moleſta pœna, unde indignantur, murmurant blaſphemant, pejores fiunt: filiis eſt caſtigatio, qui emendantur. Quam multi ergo ſpurii, qui proficiunt indies in pejus; Eſa. 8: 21. Soli qui emendantur ſunt filii, Pſ. 115. verſ. 3. Vult emendationem filiorum & efficit; filius proinde eſt in quo effecit. Quantopere affectanda hæc dignitas ut filii Dei vocemur? 1 Joh. 3: 1. quanti æſtimanda ejus ſecuritas? hæc eſt in emendatione. Et ad hanc pertinet aliud: tolerantia caſtigationis: non qua omnes neceſſario ferunt, quia declinare non poſſunt; ſed quâ volentes, citra murmur, Mich. 7: 9, Pſ. 39: 9, 10. Eſa. 26: 16. Job. 34. 31. ſ. IV. Toleratur à parentibus, Heb. 12: 9. ſ. Notiſſimum iſtud: Parentes ea obedientia formidant liberi, ut licet forte pro tempore effugere potuiſſent, tamen ſe ſiſtant caſtigationi, & Parentes in caſtigatione magis affectu aguntur ſæpe quam liberorum commodo. Quod ſi quis ſe ſubducat, gravius punitur. Liberi in parentibus norunt eſſe φυγὰς ad miſericordiam, ut pro magno peccato parum ſupplicii ſatis eſſe credant, & mox rurſum priſcum amorem oſtendant, quaſi non fuiſſet contra ipſos peccatum. Degener filius eſt, qui caſtigationem parentum non fert, Deut. 21: 18. talis tandem incidit in judicium magiſtratus. V. Deus ſimilis & major eſt parentibus, Heb. 12: 9. Eſt ille creator animarum, quanto anima potior corpore, tanto potior hic Deus: iſtud deſinit per mortem, & ſubducitur parentibus, (nam in animam non magis poteſtatem habent quam magiſtratus, Mat. 10: 21.) anima indefinens eſt, & ſemper indiga ſuſtentationis; Parentes vitam ſervare liberis non poſſunt, neque etiam præſtare emendationem. Deus poteſt largiri vitam & pietatem. Miſerationes parentum affectibus reguntur: Deus mera bonitas, & æterna bonitas. Hoc ſi meditemur non nocebunt judicia: ſemper lucrabimur; eoque nos non ſubducamus, ſed ſiſtamus, ut in iis experiamur paternum Dei amorem, & obſignationem noſtræ filiationis, & ex iis liberabimur ſaltem quoad animam, ut fruamur paterno corde, cuſtodiaque plene ſanctificati ad æternam hæreditatem.

Verſ. 6. *Et obſerves præcepta Jehovæ Dei tui, ambulando per vias ejus & timendo eum.*

Tota vita hominis ambulatio eſt, & homo viator. Via vero quæ calcanda non ſemper plana & commoda, ſed ſæpe etiam aſpera, acutis ſilicibus ſtrata, aut ſpinis tribuliſque obſita, ubi pedes lacerantur, vulnerantur que, ut averſentur eam, & declinent qua poſſunt ſpectantes & elicientes planam. Evidens iſtud hyberno tempore, quando frigus acre viam aſperavit, eligitur profluens glacie conſtrictus, ubi omnia planiſſima. Eſt tamen illa lævitas periculoſior: firmius figitur pes, ſaltem non æque proclivis lapſus in aridâ, ac in glacie; & ſi quis in hac labatur fere durius cadit, imo hâc ruptâ ſubinde vitam amittit ſuffocatus. Unde majori cautela opus per glaciem eunti, ubi omnia videntur expeditiſſima, & greſſus magis circumſpectè promovendi. Quod quidem pariter faciendum eſt in ambulatione metaphorica, ſeu vitæ inſtituendæ modo. Via aſpera, ſpinoſa eſt afflictionum tempore, quando omnes greſſus difficiles redduntur, hinc pungente egeſtate, inde lacerante adverſitate varia, & in ſpinetis latentibus feris beſtiiſve venenatis aut latronibus, ut etiam armato progrediendum ſit: Diabolo & mundo perſecutionem moventibus, ut vulnerent perdantque. Magno cum metu hic progrediuntur homines, & quantum poſſunt, declinant, ut moleſtiâ careant. Sed eſt alia via lævis & plana *proſperitatis*, ut nihil incommodi videatur, ſentiatur, ſed omnia ſint ex voto, ut mera voluptas ſit incedere per eam, imo in ea velociſſime currere, uti pueri in glacie aut ferri ſoleis ferreis. Sed illa placens, lubricitas periculoſiſſima ad lapſum, ut non metuens labatur, ſeque lædat, vel præceps ruat in abyſſum. Eſt horum conditio, quæ Pſ. 73: 3. ſ. pax ipſorum eſt, ut non ſint in moleſtia, neque cum aliis quid patiuntur, & robur ipſorum vegetum ſit; ſed verſ. 18. Unde tales dicuntur ſtolidi, qui ſcilicet ſecuri procedunt, quia leviſſimo negotio incauti cadunt graviore damno. Quamobrem ſi prudentia opus eſt in adverſis longe majore opus eſt in proſperis, & ſi iſtic oportuna eſt inſtitutio, heic longe magis. Quocirca Moſes hanc partem, non duxit negligendam, & poſt inſtructionem de adverſis, addit aliam de proſperis, ut ad utramque conditionem parati forent Iſraelitæ, neque alterutra moverentur ad deſerendum Deum. Dixit de Adverſis, verſibus quinque primis; in genere obſequium inculcans ad obtinendam felicitatem; tum enumerans Afflictionis & indigentiæ in qua totis 40. annis fuerant, utilitatem triplicem, Notitiam ſui ipſius, ſuſtentationem à potentia Dei & emendationem ab ejus bonitate. Jam à verſu ſexto agit de Proſperis, inſtruens de uſu iſtorum legitimo, verſ. 6--10. deque abuſu cavendo, verſ. 11. ſeqq.

A. *Legitimus uſus* geminus eſt pietas & gratitudo.

ℵ. *Pietas* poſcitur, verſ. 6. *Cuſtodies præcepta Domini Dei tui*, verſ. 1. dixerat, *omne præceptum quod ego præcipio tibi hodie cuſtodietis:* quæ tamen ſimillima ſunt, licet enim præcipientes ſint diverſi, Moſes & Deus, tamen non ſunt adverſi, quia utrobique Deus eſt; ſed vel interveniente internuncio voluntatem ſuam declarans, vel ſine eo; quemadmodum id Deut. 4. initio, & cap. 5. in fine dictum. Hinc promiſcue dicitur Lex Dei & lex Moſis; quia per Moſen à Deo tradita Mal. 4: 4. Porro iſtic dixit præceptum eſſe *ad faciendum*; aſt hic *ad ambulandum in viis ejus, & ad timendum eum*, quæ itidem conſentiunt: nam praxin poſtulant, ſed prius proprie, poſterius per metaphoram, addito ſimul præſtationis argumento. Timore Dei.

Qui facere vult præceptum Dei, & in viis ejus expedite ambulare, illi Deus timendus eſt. Dei timor eſt agniti ceu præſentis & inſpicientis, & judicaturi reverentia, ne offendatur quem latere nequit, neque effugere poteſt: tum enim ſtudium eſt ſe illi approbandi, ut faventem habeat. Prov. 8. 13. Superbia & elatio ſunt contrariæ timori, non agnoſcunt ſuperiorem, ſed ſe dominos rentur. Jer. 2: 19. apud quos Dei timor non erat, verſ. 31. & cap. 5: 23. neglecto omni metu Dei. Itaque metus Dei commendatur ad obſequium; Eccl. 12. 13. *Time Deum, & cuſtodi præcepta ejus, nam hoc eſt totum hominis.* Timor Domini eſt initium ſapientiæ, tum ad cavendum malum Prov. 16: 4. tum ad faciendum bonum. Pſ. 112: 1. & 128. verſ. 1. Unde Samuel 1 Sam. 12: 24. *ſaltem timete Dominum, & ſervite ei in veritate toto corde veſtro.* Moſes Deut. cap. 10: 12. *Nunc ergo Iſrael, quid poſcit Dominus Deus tuus à te? quam metuere Dominum Deum tuum, in omnibus ejus viis ambulare, ipſum diligere, & Domino Deo tuo ſervire toto corde & tota anima.* Imo obſequium eſt ſignum timoris Dei Prov. 14: 1. quemadmodum ex effectis de cauſa, ex fructibus de arbore cognoſcitur. Adeoque hinc colligere eſt quid exſpectandum ſit de ambulatione hominum? Abraham cum peregrinus veniret Gerarem, ajebat, *ſolummodo timor Domini non eſt in hoc loco.* Quantumcunque omnia videantur ordinata in politia, nihil ſecuritatis mihi peregrino, ſiquidem Deum non timeant, quidvis in me patrabunt nullo cohibente. Gen. 20: 11. Eſa. 57: 3. 11. appellantur *filii adulteræ*, & de quibus ait, *me non timuiſtis.* Quæ noſtra pictura eſt: Non ambulatur in viis Dei, quia Deus non timetur. Hinc ſunt adulteri, perjuri, qui mercedem operarii violenter detinent, & alios opprimunt, teſte Deo Mal. 3: 5. Eſtque hoc non tantum peccatum, ſed etiam judicium Dei, Eſa. 63: 17. Qui nolunt incedere in viis Dei ex reverentia ipſius, tandem non poſſunt, quia contra eam reverentiam obfirmantur. Atque utinam iſtud judicium non experiremur? ut non eſſent qui dicerent ſaltem in corde, *Deum non timeo, & hominem non revereor.* Luc. 18: 4. Pſ. 36: 3. ſ. ut Deus ſolicitandus ſit, ut judicium illud avertatur. Et ſiquidem fœderis aliquod adhuc nomen & jus eſt, rogandus ut ſui timorem ex fœderali promiſſo indat cordi noſtro, ne ab ipſo ejuſve viis declinemus; imo vt cor unum & viam unam nobis det ad timendum ſe omnibus diebus bono noſtro Jer. 32: 39. ſ. Hujus boni meditatio eò excitare & animare debet.

Verſ. 7. *Quandoquidem Jehova Deus tuus mox introducturus eſt te in terram optimam: terram* irriguam *fluminibus aquarum, fontibus & voraginibus prodeuntibus in convalles & in montes ſingulos:*

Verſ. 8. *Terram* feracem *tritici, & hordei, & vitis, & ficus, & malogranati; terram* feracem *oleæ oleoſæ, & mellis.*

Verſ. 9. *Terram in qua non comedes cum penuria panem, neque egebis quoquam in ea; terram è cujus lapidibus ferrum, & è cujus montibus excides æs:*

ב. Hoc modo proponitur iſta ad pietatem exhortatio. Nam probationis ergo recitatur excellentia terræ Canaan. Docens.

Spem boni debere movere ad obedientiam, & reverentiam Dei, etſi nondum ſit præſens poſſeſſio. Hoc volunt omnes promiſſiones, quibus ad obedientiam alliciuntur. Futurum aliquod bonum oſtenditur quod certiſſimum. Equidem Deus ſimpliciter imperare poteſt, & creatura creatori abſolute tenetur ad obſequium. Verum placet Deo ſubinde ſtimulum addere oſtenſo aliquo bono. Non quod ſolummodo ob præmium iſtiuſmodi Deo ſerviendum ſit, Deut. 6. verſ. 5. ubi nulla merces addita, & liberi parentibus ſerviunt non propter mercedem, uti ſervi, ſed ex obligatione & affectu naturali. Quod ſi polliceatur aliquid pater, filius magis fervet ad obſequium, quod gratuitam remunerationem habet. Heb. 11: 26. Moſis reſpexit compenſationem mercedis, ſed fide, quæ nihil ſui intuetur, eoque nec dignitatem, & meritum proprium; ſed ut verſ. 11. quia fidelem æſtimavit qui promiſerat. Sic in promiſſionibus Dei eſt incitamentum, ob veritatem infallibilem, qui promiſit fidelis eſt, idem faciet, 1 Theſ. 5: 24. Sane futuri

turi boni oſtentatio homines allicit ad obſequium. Mercenarius extollit animam ſuam ad mercedem Deut. 24. verſ. 15. Hac eſca Mundus, diabolus, caro homines inescant. Satan ad Chriſtum oſtenſis regnis mundi omnia iſta ſe daturum dixit, ſi procidens ſe adoraret, Mat. 4: 9. etſi mendax, nihil præſtare poſſet: ſic divitias oſtendit avaro, per injuſtitiam obtinendas; ſic honores ambitioſo, per tyrannidem & violentiam aſſequendos; ſic voluptates carnis per intemperantiam & impudicitiam impetrandas, & hac ſpe faſcinatos agminatim habet concurrentes, & ad omne imperium expeditos: uti piratæ ſpe prædæ maris pericula & pugnæ adeunt, ubi ſæpe pereunt antequam quicquam ad eos redeat. Sunt enim omnia incerta. Aſt quæ Deus oſtendit certiſſima; uti hoc loco. Nam Dominus Deus tuus introducens te, non introducet, ſed jam in eo eſt, quædam tribus jam tenent hæreditatem, & quod reliquas attinet, non diu eſt & tranſibitis Jordanem, Hodie Deut. 9:1. Poterant jam proſpicere, caſtris non longe à Jordane diſſitis. Sed licet non videantur oculis corporis promiſſa bona, tamen æque certa ſunt, & parem vim habent; nam Deus non fallit promiſſis, Pſ. 81: 14. ſ. Si iviſſent in viis mandatorum Dei, Deus iviſſet in viis votorum ipſorum, Pſ. 37: 3, 4. Cumprimis allicere debent quæ hujus vitæ non ſunt, 1 Tim. 4: 8. ſunt Chriſtiani miſerrimi ſi nihil aliud habeant exſpectandum, 1 Cor. 15: 19. ſed non attendimus quæ videntur, verum quæ non videntur: nam viſibilia temporalia ſunt, inviſibilia æterna, 2 Cor. 4: 18. & hæc præſentem afflictionem, quæ à pietate abſterret multos, faciunt in piorum oculis levem, & admodum celeriter tranſeuntem, & quæ nihil æſtimanda reſpectu gloriæ revelandæ, Rom. 8: 18. Proinde debet ad obſequium reddere promtiſſimos, Eſa. 33: 15. ſ.

a. Cæterum *commendatio terræ* quam Dominus eis daturus eſſet, verſ. 7, 8, 9. eſt in genere quod ſit *bona*; in ſpecie.

a. Irrigua, à rivis, fontibus, ſcaturiginibus inexhauſtis (abyſſi abundantiam aquæ notant) quæ vel erumperent in convallibus, vel ex montibus altis effunderentur. Quæ benedictio magna iſtis in locis, ubi raræ pluviæ, & apud Iſraelitas tanto magis æſtimanda, quia vixerant in Ægypto, ubi nulla ſolet cadere pluvia, ſed irrigatio ab exundante Nilo exſpectanda.

b. Fertilis, proventu terræ & arborum: ſub tritico & hordeo comprehenduntur & alia ſemina, ad alimoniam; quemadmodum ſub arboribus etiam aliæ intelliguntur; nam & aliarum fructus laudantur pomi, & poma, Cant. 2: 3-5. Mel vel apum eſt, quarum abundantia fuit, vel ſunt fructus dulces, 2 Chron. 31: 5. filii Iſraelis afferebant multas primitias frumenti, & muſti, & olei, & mellis, & omnis proventus terræ; atqui mel non eſt de proventu terræ, non magis quam ova avium, & mel non fuit in primitiis ſacris, cum in ſacris non liceret offerre, Lev. 2: 11.

Conſequens utriuſque, ut *non in pauperitate comeſturi ſint panem*, & ubi nihil defuturum ſit. Hebræorum aliqui intelligunt de eo pane, cujus mentio, Prov. 9. 5. Sapientia invitante, *venite, edite de pane meo, & bibite de vino quod miſcui*. Scilicet Verbo Dei: cujus defectus fames dicitur pernicioſior omni alia Amos 8: 11. ſ. abundantia autem fuit in Iſraelitide, & quidem ſola, Pſ. 147: 19, 20. uti hic ſolum lux, tenebris reliquam terram operientibus, ſpiritualiter, Eſa. 60: 2. ſic hic ſolum panis, & ejus abundantia, cum alibi prorſus deeſſet. Quæ ſane felicitas maxima, pabulum animæ, ad eam exſatiandam & pinguefaciendam, Eſa. 55: 1, 2. Et ſi myſticum ſenſum ſequamur, verus panis de cœlo datus, Chriſtus eſt, dans vitam mundo, Joh. 6. quod beneficium nobis felicitandis conceſſum. Sed ſimpliciter intelligitur abundantia ad victum, quæ conſtituitur in iis quæ domi proveniunt, neque aliunde inferuntur, ut non indigeat regionibus aliis, ad ſuſtentationem incolarum, quantopere etiam multiplicati fuerint. Quod experti Iſraelitæ; Cum tanta foret multitudo in terra non ampla, Deus obedientibus abundantiam dedit. Joſaphat poſſedit duas tribus, Judam & Benjamin, terram latam 14. & longam 28. circiter milliaria horaria; habuit autem bello aptos in ſubditis 1160000, præter præſidiarios urbium. Jam fœminæ, & minorennes longe plures fuerunt, & mancipia, & peregrini; ut miraculi inſtar ſit tot homines ali potuiſſe, & tamen tunc fuit copia rerum omnium, etiam citra commercia cum aliis regionibus & populis; quia pietati ſtuduit publice & privatim.

c. Dives metallis, ferro & ære, quo nomine Aſer dives, Deut. 33: 25. *ferrum & æs ferit ſub calceo tuo.* Aurum & argentum potius æſtimant homines, ſed male; quamvis enim horum pretium majus, utilitas tamen minor; nequeunt eum uſum præſtare, quem ferrum & æs. Hinc enim fiunt inſtrumenta ad colendam terram; alioſque uſus: (Aurum & argentum non valent ad conficiendos vomeres, ſecures, cultros, clavos.) quamquam Copia iſtorum & cæterorum bonorum facit ut aurum & argentum aliunde inferatur, quo alii levent ſuam penuriam, permutatione facta; unde tempore Salomonis tantæ divitiæ, ut argentum eſſet ut ſilices Hieroſolymæ, & vix æſtimaretur, auro abundantibus omnibus, & cum ad vaſa templi aurum & argentum ad pondus daretur, æs non appendebatur.

Cauſa tantæ fertilitatis & abundantiæ deſcribitur à cauſa efficiente Deo Deut. 11. quo referimus meditationem; Nunc ſufficiat notaſſe, quantum bonum ſit, ſi quæ terra naturalibus divitiis inſtructa eſt. Angelus ille Domini benedicturus erat pani & aquæ ipſorum, Exod. 23: 25. Benedictio conſtituitur non in largitione auri, argenti, gemmarum, &c. ſed in iis quæ neceſſaria, & omnibus expedita; quo etiam facit vulgatiſſima deſcriptio, terra fluens lacte & melle: qui viliſſimorum & pauperrimorum cibus eſt, Eſa. 7: 21, 22. & ſic fuit ubi rivi & fontes, ubi proventus terræ uberrimus, & ſubterranea quoque divitias haberent neceſſarias. Nobis in Belgio id negatum eſt; nulla quidem penuria aquæ, ſed in ea copia ſæpe defectus, quando ſalſa eſt, ut potui non ſerviat: imo ſubinde in dulcis copia pœna eſt, quemadmodum nunc experimur, continuatis per tot hebdomadas pluviis. Frumentum & terræ naſcentia non alere ſufficienter incolas poſſunt. Verum quod naturali proventui deeſt, id artificiali Deus ſupplet, quando per commercia, maritima maxime, horreum hic eſt, unde etiam aliæ regiones aluntur. Et in defectu metallorum Deus dat glebam uſtilem, cujus æque magna nobis neceſſitas. Sed quemadmodum naturales divitiæ indigent benedictione divina ſine qua terra fertilis ſterileſcit, & flumina ac fontes areſcunt; ſic quoque induſtriales, ut commercia deficiant, piſcatura fruſtranea ſit, aut utraque in prædam cedant aliorum, & mera ſit penuria. Iſtud fit propter inobedientiam, Pſ. 107: 33. ſ. quemadmodum ſæpius experti Iſraelitæ, & cum de pane ſine egeſtate comedendo promiſſio facta eſſet, ſæpe eo plane caruerunt, ut fames multos in exilium egerit, interdum & ad necem deduxerit. Sed Tyrus exemplo eſt, ubi ex commerciis abundantia, quid peccata & ſuperbia inprimis ac luxus attulerint damni, Ezech. 26: 27, 28. Similiaque judicia Deus nunc quoque exercet, & augebit ni convertamur. Hoc enim faciendum ſi velimus ſervari. Imo Deus quandoque redigit in egeſtatem, ut ſervari velimus, & ad Deum converti, Zeph. 3: 12. Hoc ſi fieret, ut nemo diceret ſe Judæum, qui non eſſet, ſed Synagoga Satanæ; nemo Chriſtianum, qui non eſſet; vere Iſraelitæ, in quibus non eſt dolus; ſane videremus mutata omnia, Deut. 15: 4. ſ. non erit mendicus inter vos; nam Dominus abunde vobis benedicet in terra, ſi modo voci Domini Dei obtemperando obtemperaveris, & cuſtodiveris facere præcepta, quæ præcipio tibi; nam Dominus Deus tuus benedicet tibi, uti dixit tibi. Quærela eſt jugis, quod tam multi in egeſtate edant panem, & patiantur defectum; Et cauſa evidens; benedictio Dei receſſit. Fertilitas terræ fere periit, Joel. 1. verſ. 10. ſ. Sic agit Deus nobiſcum, quia nondum ſatis fuit nos depauperari ab hoſtibus. Quia noluimus Deum timere, qui nobis pluvias tempeſtivas dedit, & cuſtodivit tempora meſſis; jam ſaltem timeamus qui illa omnia abſtulit, & laceremus non veſtes, ſed corda, & redeamus ad Deum & ad cuſtodiam viarum divinarum, & ſupplicemus, pro reſiduo populi ſui; Deus miſericors forte pœnitebit mali, & parcet, & reddet frumentum muſtum, oleum ut ſatientur, neque tradantur in opprobrium gentium, Joel. 2: 12. ſ. Pſ. 132: 16. ſ. Ubi Deus ſibi domicilium deligit, ibi promittit, *cibo ipſorum abunde benedicam*, &c. Faciamus Deo pla-

placens domicilium, ut Exod 15: 2. & quale Pſ. 22: 4. Sanctus es, habitans laudes Iſraelis. Afferimus laudes Deo, non tantum oris, ſed etiam operis, 1 Cor. 6: 20. & 2 Cor. 6: 16, 17. Sic impetrabimus Pſ. 76: 6. ſ.

Terra duobus aliquid debet, Deo pluviam largienti, & homini eam colenti, & quod debet eſt commodum germen; germen autem illud eſt pro ſolo colente homine, atque tunc à Deo benedictionem conſequitur. Verum ſi careat germine bono, ferat mala & noxia, maledictionem fere & combuſtionem. Quæ aliquid accipit, aliquid conſentaneum redolere debet; Deus non vult hominem ſuum laborem, ſuum ſemen fruſtra terræ impendere, utpote cui ſuam addit pluviam, ut abundantius compenſet, & judex eſt, ut reſpondentem culturæ benedicat, non reſpondenti maledicat 1 Cor. 9: 9. ſ. Apoſtolus recitata lege, non obligabis os bovi trituranti: quærit: Curatne Deus etiam boves, aut hoc plane propter nos dicit? nam propter nos id ſcriptum eſt. Sic dicere libet, Curatne Deus terram? aut hoc plane propter nos dicit? Propter nos, inquam, hoc ſcriptum eſt 1 Cor. 4: 7. quid habes, ô homo, quod non accepiſti? & ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi non accepiſſes?

Verſ. 10. *Quum comederis & ſaturatus fueris, benedices quoque Jehovæ Deo tuo in illa terra optima quam dederit tibi.*

b. Quæcunque habet homo, aliunde accepit, provocandum ad ipſiusmet conſcientiam; nihil eſt quod excipere queat, quando ad teſtimonium dicendum vocatur. Quanta ergo impudentia gloriari, quaſi non accepiſſet, adeoque danti non deberet? Eſt tamen id non infrequens hac ipſa arguente exprobratione, ut hortatione opus ſit, quo meminerint homines accepti, neque ceu non accepto fruantur & glorientur: Oportuniſſimo agumento quod conſiſtit in accipiendo bono, cui aliquid reſpondere debet fructus; hic totus in eo eſt, ut inſtruat Iſraelitas, quid acceptis benedictionibus facere, quid cavere debeant.

a. Quid facere eſt, verſ. 10. duobus conſtans, Acceptione & Gratiarum actione.

α. Enarravit divitias terræ. Sed iſtud nihil eſt quam oſtentatio divitiarum, quæ deſiderium accendere, nunquam exſatiare poteſt, ut quis inde felicior ſit: non ſecus ac ſi quis in gazophylacium regium ductus, opes contemplaretur, quas ne attingere quidem liceret. Ergo addit *Acceptionem*, dicendo, *& comedes, & ſatiaberis*. Eſt hæc conceſſa & uſurpata fruitio paratæ & oſtenſæ & oblatæ benedictionis. Benedictio eſt, hoc conſequi, cum dans aliquis ſit. Quid juvat plurima præſto eſſe, ſi non liceat frui, Deut. 28: 31. ſ. abundantia omnis abſumenda vel ab hoſtibus vel ab inſectis, ut fame torqueantur & pereant. Sic præripitur ab aliis: quandoque à ſeipſo Eccl. 6: 2. Eſt hæc conditio avarorum, qui habent non ut fruantur, ſed ne quiſquam fruatur, uti canis in ſtrue fœni. Eſt hoc theſaurum à Deo datum defodere, ne vel ipſe vel alius inde juvetur. Dei dantis finis eſt ut comedat homo de proventu illo, & quidem non parce, ſed ad ſatietatem. Maledictionis eſt edere, & non ſatiari, bibere, & non exhilarari, veſtiri, & non calefieri. Hag. 1: 6. ut ſcipio panis remotus ſit, neque quis illo ſuſtentetur. Eccl. 5: 18. Quod vero Deus donat, recte accipitur & uſurpatur ad id quo donat, Eccl. 2: 24. ſ. Enimvero datorum acceptio non extenditur ultra Edere & Satiari. Luc. 12: 15. quemadmodum parabola divitis agricolæ docet. Eccl. 6: 7. Os & venter poteſt ſatiari, at oculus avari non poteſt. Eccl. 15: 9. Atqui Deus ſatietatem dat ori Pſ. 103: 5. P. 81: 11. Avaritia non accipit tantum ſuam, ſed rapit quoque portionem alterius. Loquitur Moſes univerſo populo, quamquam in ſingulari unumquemque compellat, atque omnibus id datum affirmat; adeoque omnibus in ea benedictione participandum. Eſa. 5: 8. *væ domum domui jungentibus, & agrum agro addentibus*. Sic qui ſoli edere & ſatiari volunt, Amos 6: 4. ſ. Cap. 8: 4. Eſa. 3: 4. Quibus minatur Deus, Eſa. 5: 13. Edere & ſatiari etiam aliis concedendum qui itidem incolæ terræ; impertiendus panis famelico, veſtiendus nudus, neque à propria carne quis ſe debet abſcondere, Eſa. 58: 7. Job 31: 16. ſ. Hoc modo benedictio Dei communis, Pſ. 112: 3. צדקה Hic eſt miſericordia, quam dum jugiter exercet, cornu ejus glorioſe exaltatur, qui ſibi amicos facit de mammona injuſtitiæ, recipitur in æterna tabernacula. O ſi quod ſupra ſatietatem abſumitur, in pauperes converteretur, quam multi ventres famelici ſatiarentur; & quod profunditur in veſtes citra calefactionem, citra tegumenti uſum, quam multorum terga & lumbi nos benedicerent. Edere & ſatiari utique non ſolum incolis terræ, ſed etiam Domino ejus debetur: Pudendum foret ſolum ipſum fame, ſiti, nuditate affligi, perire. Atqui Meſſias de ſe hoc profitetur. Eſurivi, ſitivi, &c. nam quod pii pauperes ſic patiuntur, ipſe patitur; & quod illis datur vel negatur, ipſi datur vel negatur Matt. 25: 33. ſ. Quis hic auſit parcus eſſe? modo eum agnoſcat, non erit perditum beneficium, ne quidem poculum frigidæ carebit remuneratione Mat. 10. verſ. 42. Prov. 22: 2. non tantum quâ homines, ſed etiam quâ illa conditione ſunt 1 Sam. 2: 7. Dominus pauperat & ditat; deprimit & extollit Prov. 14: 31. Prov. 19: 17. Matt. 25: 34. Regnum hæreditarium gloriæ; quomodo ſors & uſuræ non niſi centuplo & millecuplo reddentur.

β. Verum hæc Acceptio & Fruitio communis etiam eſt cum brutis Pſ. 145: 15. ſ. omnium oculi te exſpectant, das eis cibum tempore ſuo, aperis manum tuam, & ſatias quicquid vivit, beneplacito; ut acquieſcant. Hoc ſi agant homines duntaxat, non agunt plura brutis. Eſt proinde aliud quod ab illis præſtandum. *Gratiarum actio*, nempe, *& laudabis Dominum Deum tuum de bona illa terra quam tibi dedit*. Heb. וברכת *benedices*. In Novo Teſtamento pro eo dicitur *ἐυλογίω* vel *ἐυχαριστίω*, & uſurpantur pro precibus, uti Judæis quotidianæ preces dicuntur ברכות *Benedictiones*. Atque hoc loco mandari putant preces ante cibum; reddunt enim copulam ו per *poſtquam*, *& comedes ac ſatiaberis, poſtquam benedixeris Dominum Deum tuum*, &c. Nempe Moſen hæc juſſiſſe, ut nihil cibi vel potus aſſumatur, niſi antecedente precatione, quod nuſquam alibi in lege præſcriptum ſit: hinc conceptæ apud ipſos formulæ recitandæ non ſolum cum ad menſam panem & vinum alioſve cibos comeſturi ſunt, ſed etiam quando fructus æſtivos, aromata vel ſimilia, quorum odore ac ſapore fruituri ſunt, præ manu ſunt. Docent enim quicunque ulla re creata fruitur ſine præcedente benedictione, furtum committere. Deum autem eſſe Dominum omnium, neque quicquam citra ejus veniam contrectare & uſurpare fas eſſe, furis & raptoris hoc eſſe. Sed precatione antecedanea peti à Deo licentiam, ut de ſuo patiatur alimenta conſequi 1 Tim. 4: 3. ſ. Docet idem Paulus; Deus condidit cibos ad participandum cum Euchariſtiâ. Nulla iuſta participatio ciborum ſine gratiarum actione. *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, ſi cum gratiarum actione ſumatur*; adeoque non bona eſt citra hanc benedictionem, non quidem in ſe; naturam enim ſuam non mutat, verum reſpectu utentis: *Sanctificatur enim per verbum Dei, & preces*. Sanctificatio ſeu appropriatio ciborum ad uſum hominis bifariam fit, I. per verbum Dei, tum Gen 1: 28. quo fructus arborum & terræ in cibum hominibus aſſignavit, tum Gen. 9: 3. quo carnium uſum pariter conceſſit. II. per preces, quæ quod communiter omnibus datum, comeſturo fideli appropriant, ut ex manu Dei in ſuam quaſi tradatur. Iſtud obſervatum ſemper à Chriſto, quoties turbam cibaturus erat, benedixit prius panibus, piſcibuſque Matt. 14. & 15. Joh. 6: 11, 23. & in Emaus Luc. 24: 30. imo pro more gentis ſigillatim panem & vinum Matt. 26: 26, 27. Sic Paulus in navi Act. cap. 27: 35.

Quod & nobis obſervandum, contra profanum & impium morem illorum, qui citra ullam benedictionem ruunt ad menſam, uti ſues ad lintrem. Quales plerunque nec Deum timent, nec homines reverentur, & quemadmodum ex rapto & oppreſſione vivunt, omne id ſuum credentes, quod vi dolove conſequi poſſunt; ſic quoque circa Dei bona parem majoremve licentiam ſumunt. Enimvero Deus eſt, qui dat vitam & halitum & omnia, Act. cap.

cap. 17: 25. & hoc ipſo ſe non ἁμάρτυρον eſſe patitur, *bona tribuendo, dans cœlitus pluviam & fertilia tempora, implens cibo & delectatione corda noſtra*, cap. 14: 17. Ergo æquum eſt ab ipſo poſcere licitum & ſalutarem uſum. Parentes, qui omnia congerunt liberis, ab iis tamen rogari volunt, ut panem, ut piſcem, ut ovum dent & tum præbent petita, Luc. 11: 11. ſ. & quid ni ſic agant liberi Patris cœleſtis? Profitendum ipſum eſſe autorem & datorem omnium, & qui ita bonus eſt in dando, ut nobis benigne uſum concedat, prece ſolicitandum, ut benedicendo benedicat cibo, & ſatiet nos ſuo pane. Sed generalius ſignificatur Gratiarum actio pro ſaturitate conceſſa, imo pro omnibus beneficiis. Nam benedictio iſta non tantum eſt pro cibo præſente, ſed etiam propter terram conceſſam, cujus aliquod commodum eſt alimentum, verum inſuper, habitatio, & quæcunque eo faciunt, ut ea ſit jucundiſſima, in pace & abundantia boni, & quod illa omnia obtineant beneficio Dei, & quidem fœderati & vi fœderis benefacientis. Etenim terram Canaan & quicquid inde felicitatis habebant à Deo vi fœderis cum Abrahamo erecti, & jurejurando confirmati, & hoc quotieſcunque aliquid fruendum dabatur agnoſcendum erat & prædicandum. Hinc ordinatæ primitiæ communes offerendæ Deo ante quam quicquam guſtarent de proventu terræ; de ſegete ſtante manipulus, de demeſſa panes duo, & privatæ de area cum trituratum eſſet, de mactra, cum depſerentur panes, ſemper portio aliqua Deo, in miniſtris Sacerdotibus exhibenda fuit, ut recognitio foret à Deo poſſideri omnia. Imo de fructibus quoque arborum aliquid incorbe afferendum fuit ad ſanctuarium cum profeſſione in ſigni Deut. 26: 2. ſ. Sed hic privata eſt gratitudo, quoties aliqua fruitio, ſive quis ſolus, ſive apud alios. Sic 1 Cor. cap. 10: 30. ſ. *per gratiam participo*, & *pro eo gratias ago*, & hinc, *ſive edentis*, &c. Ad gloriam Dei facere eſt participare cum gratia, ut à Dei mera gratia habere omnia agnoſcatur, & de omnibus gratias agere; ſive ore, ſive opere; benedictio enim fit non tantum ore & lingua, ſed anima, cujus actiones in omnibus evidentes, & omni quod in homine; ut facultates animæ, & membra corporis, & horum omnium motus eo comparatus ſit, quo per omnia Deus celebretur. Pſ. 103: 1. ſ. *Benedic anima mea Dominum*, &c. & cum omnium memoriam ſervet ad benedicendum, non tantum ſpiritualia, ſed etiam corporalia bona recitat: ſatietatem oris, & ſanitatem corporis, ut vegetum ſit.

Faciendum iſtud quoque nobis; fruitio unius boni, etiam vilioris, excitare debet ad gratitudinem de omnibus: Satietas cibi pro omni bono in terra Canaan, uti Jacobus, Gen. 32: 10. intuens quod unum olim habebat, de omnibus quæ ab eo tempore conſecutus erat, ſe debitorem profitetur bonitati & veritati Dei. Sic Jacob, & David, 2 Sam. 7: 18. ſ. *quis ego & quid domus mea, quod hujuſque me deduxeris?* &c. Pſ. 68: 20. ſ. &c. Etenim qui unum, etiam cætera dedit. Eſt ille Scaturigo aquarum vivarum, El Schaddai undique effundens, ex plenitudine ejus & unum & reliqua accipiuntur: qui vitam etiam victum, qui corpus etiam veſtes dat; in ipſo vivimus movemur & ſumus; ubique ſuſtentamur ejus manu, uti omnes creaturæ. Neh. 9: 6. Pſ. 36: 6. Fruitio nobis conceditur in terra Dei quam nobis dedit. Eſt enim terra Domini & plenitudo ejus. Pſ. 24: 1. Jer. 27: 5. Act. 17: 26. locum & tempus cuique aſſignavit. Habitant omnes ut coloni in terra, Lev. 25: 23. quandocunque lubet poteſt removere, & tranſportare, ut Joſephus Ægyptios, Gen. 47: 20. ſ. Etiam minimum ſpacium mero beneficio obtingit, & id prædicandum. Quam miſer Kain, quando ejiciebatur à Deo, ut vagus eſſet in terra, & nuſquam quietam habitationem habebat, Gen. 4: 12. ſ. Ubicunque ſub cœlo datur, Domini eſt: Eph. 6: 3. Fruitio nobis conceditur à Deo fœderato, qui teneriori affectu agit, Exod. 19: 3. Eſa. 46: 3, 4. Luc. 11: 13. Nullum ejus donum ubi non tantum bonitas & miſericordia; verum etiam ſingularis amor & fidelitas non demonſtretur. Paterfamilias etſi de eodem cibo pane & potu det liberis & famulis, tamen plura præbet illis quam iſtis; etiam paternum amorem. Guſtant filii Dei, quod bonus ſit Dominus, Pſ. 34: 9.

Hæc omnia & ſingula poſtulant gratitudinem. Sed quam parca illa eſt. Nonne exclamandum, Deut. 32: 6. *an hoc rependetis Domino, ſtultus & inſipiens populus, &c.* Eſa. 1. verſ. 2. ſ. Vix decimus tangitur ſenſu beneficii, ut illud prædicet; quemadmodum unus de X. leproſis, & hic peregrinus, Samaritanus, cum cæteri Judæi negligerent. Major gratitudo ſæpe apud alienos, quam qui ſe fœderatos & domeſticos profitentur: quemadmodum mendicus majores gratias agit pro panis fruſtro, quam domeſticorum aliquis: quali ipſis plus deberetur: quod licet circa homines valeat; non tamen quoad Deum, qui nemini debet, & omnibus omnia præbet; dat nobis omnia abunde ad fruendum, 1 Tim. 6: 17. cingit benignitate & miſerationibus, Pſ. 103: 4. Pſ. 5. v. ult. Sed iſta gratiarum actio negligitur, ut Deum benedicamus, de quo crimine ingratitudinis proxime plenius. Nunc tantum officii monendi ſumus. Deus nos ſatiat adhuc etſi non eadem copia; propter hoc ipſum & de hoc & de omni alio bono gratiæ agendæ. Gen. 28: 20. ſ. *Si Deus mecum fuerit, & me cuſtodiverit in via mea, & dederit mihi panem ad comedendum, & veſtes ad induendum, eſt mihi in Deum, & hic locus domus Dei, & quicquid dederis, decimas tibi dabo.* Deus ſe dixerat Deum ipſius, & hinc benefacturum, & ipſe hæc pollicetur, Deus nobis Deus, & inde omnia bona: victus & amictus & quicquid poſſidemus; gratitudinem teſtemur ut nobis ſit Deus, domus noſtræ templa ut eum colamus & quæ dedit ipſi non negemus.

Verſ. 11. *Cave tibi ne obliviſcaris Jehovæ Dei tui, non obſervando præcepta ejus, judiciaque ejus, & ſtatuta ejus quæ ego præcipio tibi hodie.*

b. Quid cavere debeant ſequitur. Incipit hinc inſtruere quomodo cavendus ſit abuſus proſperitatis externæ, poſtquam de Uſu legitimo inſtruxerat.

B. *Abuſus* ille conſtituitur in *Oblivione Dei*, quæ deſcribitur, verſ. 11. indicatur qua ratione illa oriatur, & quid operetur, verſ. 12--17. adducuntur quæ inde abducant, verſ. 18-20.

א. *Deſcriptio* eſt, verſ. 11. ubi Cautio, Res cavenda, & quæ ejus Demonſtratio.

a. *Cautio* eſt, השמר לך *cuſtodire tibi, cave tibi.* Cuſtodia eſt diligens rei alicujus obſervatio, ut eadem conditione maneat, qua commiſſa ea eſt, ſaltem ne ea fiat deterior. Sic enim male cuſtodiviſſe quis dicitur, non ſi res aucta eſt in melius, pretioſior aut fructuoſior reddita; talis eſt fidelis ſervus qui talento credito lucratus eſt; malus qui cuſtodivit defodiendo, ne quid commodi daret, quo pertinebat, & deterior fiebat uſu neglecto. Cavetur autem deterioratio, ſi nihil boni decedat, nihil mali accedat. Cuſtodia iſtiuſmodi habet admodum ſollicitam curam, cum labore & incommodo, vigiliarum & attentionis, imo pugnæ & defenſionis cum proprio periculo, quemadmodum cuſtodes militares, aliique debent eſſe præſentiſſima mente, & animo, qui hanc faciant cogitationem principem, imo perpetuam, & quidvis ſuſcipere promti ſint, ne quid damni accidat. Hanc cuſtodiam debet quivis ſibi ipſi. Pſ. 119: 176. כשה אובד *ut ovis periens* Jer. 50: 6. *populus meus fuere oves pereuntes ibant de monte in collem, oblitæ ſui accubitus.* Eſa. 53: 6. Mat. 10: 6. JamEph. 5: 29. nemo unquam odit carnem propriam, &c. & huc cautela facit, Prov. 4: 23--25. ſ. Egregia hæc cuſtodiæ ſui ipſius deſcriptio; primo internorum, cordis, tum externorum converſationis, ubi opus oculorum, diſpicientium & dirigentium, deinde corporis movendi, recte, firmiter, conſtanter.

Utinam hujuſmodi cuſtodiam ſui quivis ageret? caveret corpori, ne quid damni patiatur, & inprimis animæ, ut illa maneat incolumis. Sed cavetur magis per cuſtodiam opibus & divitiis, honori etiam imaginario, voluptatibus, & negligitur pretioſa anima, & corpus omnibus periculis exponitur, totuſque homo ſe præcipitat in perditionem, patiturque ſibi oculos obligari, imo ſibi ipſi mentis oculos obſtruit, ne quid obſervet, quod ad cautionem ſollicitam

excitet. Hinc tot hominum offenſiones, ad æternam perniciem. Mich. 7: 6. hoſtes viri ſunt domeſtici ejus. Quivis ſibi ipſi maximus hoſtis, Jer. 17: 9. & cum cavere ſibi ſollicite deberet, id ſubinde ſumma ſollicitudine agit, ut ſemetipſum prodat, deſtruat: qui peccant, vim faciunt animæ, & amant mortem Prov. 8: 36. Veriſſimum illud Luc. cap. 16: 8. *filii hujus ſeculi prudentiores ſunt quam filii lucis in ſua generatione;* Cuſtodiunt ſolicite, ut ſatisfaciant cupiditatibus peccati; ſic adulter obſervat, & fur, & homicida, ſed non cavent ſibi ut evadant tyrannidem peccati, & obſequium pudendum, & mercedem condemnationis æternæque miſeriæ 1 Pet. 2: 11, 12. Luc. 21: 34. ſ. *cavete vobis, ne graventur ullo tempore corda veſtra*, &c. nam quia cautela noſtra multifariam deficit, poſcenda cuſtodia alius, qui ſapientior, ad ſciendum quid facto opus; qui potentior ad præſtandum quæ conſervandis augendisque bonis, & amoliendis malis neceſſaria ſunt quam nos ipſi; imo qui melior & amantior noſtri quam nos ipſi Cuſtos ille hominum Deus Job. 7: 20. ut apponat cuſtodiam ori, imo cordi; atque ut virtutis ipſius præſidio cuſtodiamur ad ſalutem, 1 Pet. 1: 5.

b. *Res cavenda* eſt, *Ne obliviſcaris Domini Dei tui.*

Actus malus eſt Obliviſci. Eſt ignorantia, & hæc non ſimplex rei non revelatæ, vel neglectæ & non cognitæ; ſed quæ cognitioni acquiſitæ adverſatur, ut eam aboleat. Mens humana non tantum ſpeculi inſtar recipit imagines rerum propoſitarum, quæ adſint dum præſentia ſunt objecta; talis eſt intuitus oculi; verum inprimuntur firmius, ut etiam objectis remotis ſint præſentes, ut quoties lubet de iis cogitari poſſit; Iſta rerum cognitarum cuſtodia dicitur memoria: quæ eſt uti Scriptura in libro, ubi maneat, ut eo recurri queat: quemadmodum factum Mordechai detegentis proditionem in libro conſignatum, & poſtea relectum fuit; qui liber memorialis, qui tantundem præſtat quod memoria. Jam ſi quis quæ libro inſcripta forent, vel deleat, & eradat, vel nunquam inſpiciat, peribit notitia ejus paulatim, ut quaſi nunquam fuiſſet, habeatur, ſic quoque quæ mens cognovit, ſi ſcire deſinat, dum non cuſtodit in corde, & non repetit meditatione, mentem diſtrahens aliis. Iſtud dicitur Obliviſci. Eſt inter ea quæ mediæ ſunt naturæ, pro conditione objecti. Pſ. 45: 11. *Obliviſcere populi tui & domus paternæ*, &c. Quæcunque animum amore adulterino alieno implerant, ea ex cogitatione ejicienda & arcenda ſunt. Contra vero ſi quid poſſit inflammare ad amorem boni, iſtud cogitatione excludere vitioſum eſt. Hujuſmodi eſt Oblivio h. l.

Objectum eſt *Dominus Deus tuus.* Loquitur iis qui cognitionem Dei habebant, Iſraeli enim ſe revelarat Deus, non tantum ut aliis hominibus, quemadmodum Pſ. 19: 1. ſ. & Pſ. 8: 4. ſ. quæ naturalis eſt, ſed ſingulari modo Pſ. 103: 7. & 147: 19, 20. unde Deus in Juda notus Pſ. 76: 1. Accedit experimentalis, audiendo vocem ipſiusmet, fruendo beneficiis ſingularibus: Et his mandat ut caveant Obliviſci. Eoque *Oblivio Dei cavenda, iis, quibus cognitionem ſui largitus eſt ſingulari modo.* Cognitio Dei naturalis eſt Rom. cap. 1: 19, 20. & hæc obſervanda & retinenda, quod neglectum oblivio eſt: unde gentes oblitæ Dei Pſ. 9: 18. quæ alias ignorantes Dei Pſ. 79: 6. ſpecialis eſt ex revelatione verbi, Pſ. 103: 7. & 147: 19. ſ. quod verbum neglectum oblivio eſt Jer. 8: 9. 2 Chron. 15: 3. Iſrael multis diebus fuit, &c. Hoſ. 4: 1-6. Cognitio demonſtratur ex ipſa deſcriptione Dei. Eſt I. *Jehova* Exiſtens perfectiſſimus, eſſentiator omnium. Illud non innoteſceret niſi hoc fuiſſet; Produxit autem alia, ut ſe iis cognoſcendum daret. Act. cap. 17: 25--27. factor omnium, non ſemel tantum producendo, ſed jugiter conſervando, dat omnibus vitam & halitum & omnia; ut ipſum quærant, &c. II. *Elohim* rector & gubernator omnium ac judex ſummus Act. 17: 24--26. Dominus cœli & terræ, ex uno ſanguine, &c. Act. cap. 14: 17. non reliquit ſe ἀμάρτυρον, &c. Jer. 5: 22 -24. III. *tuus*, quod ſingularem rationem habet. Deus tuus fœderalem notitiam indicat, ut agnoſcatur per appropriationem gratiæ, quatenus ſuam perfectionem obſtrinxit ad bonum; ſapientiam, potentiam, bonitatem; imo veracitatem quam Jehova connotat, ut promiſſis in fœdere propoſitis ſit daturus complementum, quorum maximum eſt reconciliatio per Meſſiam, ut Dei bonum poſſit fruitioni concedi. De hoc fœdere, notitia erat multiplex, tum quatenus hæreditarium inde ab Abrahamo, tum quatenus cum ipſismet erectum, & fœderati Dei amor & cura multipliciter demonſtrata erat. Hæc cognitio tamen caret nonnunquam conſtantia, Deut. 32: 18. *rupis quæ genuit te oblita es*, &c. Ezech. 23: 35. Jer. 3: 32. & oblivitionis ratio eſt, verſ. 6-8 non dixerunt, ubi eſt Dominus, qui nos ex Ægypto eduxit. Sacerdotes non dixerunt, *Ubi eſt Dominus, & tractantes* legem non noverunt me, & Prophetæ prophetant per Baalem, & ambulant in iis quæ non proſunt. Crebra ſunt de hac oblivione teſtimonia: maxime cum plura forent mnemoſyna, quæ memoriam refricarent, cum tot dies feſtivos, tot ritus eo fine inſtitutos haberent, quo fœderis Dei, & Dei fœderati meminiſſent.

c. *Demonſtratio* oblivii, *ut non obſerves*, cuſtodias, *ejus præcepta, & judicia & ſtatuta, quæ tibi hodie mando:* neglecta cuſtodia obſequii divini, eſt demonſtratio oblivii ejus, Jer. 3: 21. filii Iſrael perverterunt viam ſuam, & oblíti ſunt Domini Dei ſui. Ezech. 22: 6--12. ingens eſt catalogus patratorum peccatorum. Injuſtitiæ, impudicitiæ, idololatriæ, δωροφωγίαι, avaritiæ, oppreſſionis, & extremum eſt, cæterorum origo, *& mei oblita fuiſti, inquit Deus Dominus.* Sic Jer. 13: 25. cap. 18: 15. Pſ. 106: 19. ſ. Etenim adultera eſt quæ ductorem juventutis ſuæ deſerit, & fœderis Dei ſui obliviſcitur, Prov. 2: 17. & ſic in ſpirituali adulterio: obliviſcitur amoris & obſequii, debiti Deo, qui animo deflectit ad alium, Pſ. 50: 21. ſ. impius qui verba Dei pone ſe abjicit, probat furem, ſocius eſt adulteri, ore dolos conſuit, maledictiſque alios lacerat, vocatur *Obliviſcens Dei.* Equidem de eodem dicitur, quod recitet ſtatuta Dei, & fœdus Dei in ore habeat; quæ ab oblivione longe abſunt; ſed oblivio hic ſtatuitur non in vocabulis, ſed in virtute; quod cum ſciat quid jubeatur, oblitus ſit autoritatis ejus qui juſſit, & unde mandata omnia vim ſuam habent, Hoſ. 4: 6. quia legis meæ oblitus fuiſti, ego obliviſcar filiorum tuorum; oblitus legis qua Dei eſt, ut Deum oblivioni dediſſe cenſeatur, qui ei opponitur. Oblivioſus auditor eſt, qui non eſt factor operis Jac. 1: 25. neque enim æſtimat autoritatem legislatoris: cujus recordatio facit obedientem. Eſa. 64: 5. qui juſtitiam operantur, recordantur Dei in viis ejus. Atque huc facit Jac. 2: 10. ſ. *qui totam legem ſervat, & impingit in uno*, &c. *nam qui dixit, non adulterabis*, &c. Oblitum ſe Dei eſſe oſtendit, qui non in omnibus parem Dei autoritatem agnoſcit; quamobrem hic dicitur *præcepta, judicia, ſtatuta* ſervanda; quicquid omnino Deus per Moſen præcepit. ut Dei non oblitum appareat. Quantus igitur oblitorum Dei numerus, & quis fere innocens? ſiquidem ex non obſervatis Dei præceptis ſit ſumendum argumentum. Cujus quis obtemperat voluntati, illius memor eſt. Rom. 6: 16. cui quis ſe ſtatuit obedientem, ejus ſervus eſt, & memoriam ſervat heri, ſuæque ſubjectionis, quicunque ergo ſe ſtatuit obedientem mundo, & principi ejus Diabolo, itemque carni, & ejus cupiditatibus, ſervum ſe illorum meminit, ſervatque obligationis memoriam; ſed eopſe oblitus eſt obligationis qua tenetur Deo. Eſa. 57: 11. Jactabant quidem memoriam Dei, &c. fœderis ejus, ceu quærentes Deum, & delectati cognitione viarum ejus, ſed mentiebantur; nam perſeverabant in peccatis ſuis; unde liberi hypocritæ dicuntur, ſemen adulterinum, & ſcortans. Sic vivitur inter Chriſtianos; uti Iſraelitæ qui Dei obliti dicuntur, quamquam ſæpius ei blandirentur lingua, quia cor non fuit ſincerum, neque illi fideles in fœdere, Pſ. 78. Pſ. 10: 3. ſ. impius gloriatur de voto animæ ſuæ, benedicit avaro, blaſphemat irritat Deum, in omnibus ejus cogitationibus Deus non eſt. Etſi de eo cogitet non cogitat ut de Deo, ſed plane alium ſibi fingit idolum cordis ſui, quod cum Deus non ſit, in ejus meditatione oblivium Dei evidens eſt, Rom. 1: 21. ſ. Ita vero Deus in multorum cogitatione eſt, non qualis eſt & in verbo deſcriptus, ſed qualem ſibi fingunt; qui res humanas non curet, ſive quis bene aut male agat, qui malum non improbet, non puniat; manifeſta veri Dei oblivione, ut idolum ſuum colant: cui pla-

placere ſtudent, cavent offendere, quæ memoriæ ſunt; ſed Deo vero negantur. Formula fœderis eſt Gen. 17: 1. qui ambulat cum Deo, vel coram ipſo & quidem integre, utique obediens eſt mandatis, hæc enim integritas viæ Pſ. 119: 1. ſ. ſed idem memor Dei. Qui enim ambularet coram eo & cum eo, qui Dei non meminiſſet? nam non ſignificatur quævis ambulatio, uti omnia ſunt coram oculis Dei; ſed quæ ab ambulante intenditur; unde obſequium Pſ. 119: 55. quia lex Dei lex eſt, memoria nominis Dei, unde denominatur, perſuaſit cuſtodiam, verſ. 15, 16. praxis teſtimonium memoriæ. Hoc nobis quoque commendatum ſit. Chriſti memoria nunquam deponenda, & nunc tanto magis, quia nos obſtrinximus ad recordationem. Ne mentiamur ipſi, ſed reapſe memoriam ejus teſtemur. *Tradidit ſe pro nobis*, &c. Tit. 2: 14. Si hujus memores ſumus, populum peculii nos probemus, non ſolum profeſſione oris, ſed Zelo operis: hoc niſi ſimus, neque illud erimus, quia Chriſtus finem ſuum aſſequitur, qui Dominum eum dicit, debet facere quæ mandat Luc 6: 46. Oblivio eſt eorum quæ quis audivit, didicit; quomodo hæc circa Chriſtum cavenda, dicitur Eph. 4: 20. ſ. Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ita ambulare, uti ipſe ambulavit, 1 Joh. 2: 6. & purgare ſeipſum, uti ipſe purus eſt, cap. 3: 3. *qui juſtitiam facit eſt juſtus uti ipſe eſt juſtus*, verſ. 7. 2 Cor. 3: 18. ſpeculum niſi jugiter obvertatur Soli, ejus ſimilitudinem non exprimit: aſt obverſum id facit, ſic intuendus Chriſtus, & imaginem ejus magis magiſque exprimemus, ejuſque conſervatam docebimus memoriam, quod utique ſolatio cedet Eſa. 64: 5. occurris læto, &c. & ſaluti Mal. 3: 16. ſ.

Verſ. 12. *Ne, quum comedens ſaturatus fueris, & domos bonas exſtruxeris ac inhabitaveris.*

Verſ. 13. *Armentaque tua & greges tui aucti fuerint, ac argentum & aurum auctum fuerit tibi, denique quicquid* eſt *tibi auctum fuerit.*

Verſ. 14. *Efferat ſe animus tuus & obliviſcaris Jehovæ Dei tui, qui eduxit te è terra Ægypti è domo ſervorum:*

Verſ. 15. *Qui duxit te per deſertum illud maximum & formidabile,* abundans *anguibus, preſteribus, & ſcorpionibus, ac ſiticuloſum ubi non* ſunt *aquæ; qui produxit tibi aquam è rupe ipſa adamantina:*

Verſ. 16. *Qui in eo deſerto cibavit te manna, quod non noverant majores tui, ut affligeret te, & ut tentaret te ad benefaciendum tibi ad extremum:*

ב. Jam progreditur ad *Cauſam oblivionis*, ejuſque demonſtrationem. Cauſa eſt ſuperbia, & demonſtratio ſui ipſius æſtimatio.

a. *Cauſam* indicat verſ. 14. cujus occaſio proſperitas, verſ. 12, 13. effectus oblivio, verſ. 14--16. & ſic refert ſuperbiæ & oblivionis demonſtrationem, verſ. 17. Deut. 32. verſ. 15. iſta conjunguntur: quod etiam hic ſequi dicitur, verſ. 19. Sed ut ſequamur ordinem Moſis, Proſperitatem refert, occaſionem Superbiæ, verſ. 12, 13. Non ſunt bona terræ ante recitata, ſed fructus & fruitio: nam inter illa non fuit argentum & aurum, neque armenta & greges, quia non naſcuntur inde, ſed ex proventu parantur & aluntur. Similia fere dixit Deut. 6: 10. ſ.

Hic eſt eadem copia & fruitio, quæ felicitati externæ accenſenda, & benedictionum Dei aliqua etiam pars; uti Deut. 28. & 32: 10. ſ. recenſetur. Eſtque bonum quod Belgio fuit conceſſum; nam abundantia & ſatietas fecit ut ædificarentur domus magnificæ, & illæ implerentur auro & argento & omni bono, & ut prædia accederent ampliſſima, alendis etiam pecoribus: quod factum quoque exſiccatis lacubus, ut agris pratisque accederet modus amplior. Neque hoc damnatur; Poſſeſſio abundantiæ non eſt mala, modo non acquiratur malis artibus. 1 Tim 6: 9. qui volunt diteſcere, qui appetunt avaritiam. Voluntas, deſiderium diteſcendi debet abeſſe, ut finis actionum ſit opulentia; nam ille perſuadebit omnes malas artes, Hab. 2: 9. & verſ. 5, 6. Jer. 22: 17. ubi oculi & cor ad avaritiam, tum oppreſſio & violentia exercetur, & mercenario non ſolvitur merces, ſed cogitur proximus ad gratuitum miniſterium, dummodo magnifice ipſe habitet, & vivat. Finis & ſcopus debet eſſe obedientia mandatorum Dei, regnum ejus & juſtitia regni; ut invocatione propria diligenter quis occupetur, & tum ſequetur opulentia non quæſita Mat. 6: 33. Pſ. 112: 1. ſ. & 128: 1, 2. Hinc illud Pſ. 62: 11. Incrementum opum debet eſſe ut proventus agri; fraudes & oppreſſio ibi locum non habent, nequit quis alienum laborem vel vi vel fraude magica transferre in ſuum agrum, ut quod alius ſeminavit, in ſuo fundo creſcat; ſed diligentia facit ut emendetur ager proprius & fertilior fiat: ſic manus diligentis ditat Prov. 10: 4. cum ignavi ager & vinea ſylveſcant Prov. 24: 30. ſ. qui laborat manibus ſuis in opere proprio, habet quod det etiam egeno Eph. 4: 28. neque ullius indigus eſt 1 Theſ. 4: 11, 12. Enimvero etiam honeſte quæſitæ opes quæ proventus inſtar accreſcunt rite poſſidendæ, ut non apponatur eis animus; quemadmodum factum à colono Luc. 12: 16. qui proventum agri fecit rupem ſuam, cui fiducia ſua inniteretur.

Sed de eo erudit nos Moſes ipſe. Loquitur de honeſte partis opibus Deo donante: quarum poſſeſſionem non vult occaſionem fieri ſuperbiæ. Hoc dicit, verſ. 14. *Et efferatur cor tuum.* Elatio cordis ſuperbia eſt, quando quis plura ſibi ipſi tribuit quam habet. Varie iſtud fit, ſed unus modus eſt, quando quis ob aliquid quod extra ſe eſt, ſe majorem arbitratur quam eſt; puerili ſtultitia, qui ſi menſæ imponantur jam ſtatura æquare, imo ſuperare alios ſe opinantur: ſic hic fit, opulentia congeſta cui inſiſtunt ceu tumulo terræ, facit ut ſe cæteris majores putent, cum ne hilum quidem ipſismet acceſſerit. Qui aliquem hac propter majoris æſtimat, quia annulum aureum in digito geſtat, aut veſte precioſa indutus eſt, quam pauperem iſtis deſtitutum, in illa diſtinctione judex eſt pravarum ratiocinationum, Jac. 2: 2. ſ. utpote aurum & veſtes majoris faciens quam hominem ipſum, haudquaquam æſtimaturus ſi pariter nudum conſpiceret. 1 Tim. 6: 17. divitibus in præſenti ſeculo manda, ne ſuperbi ſint, neque ſpem collocent in incertitudine divitiarum. Eſt hic morbus divitibus familiariſſimus, & naſcitur ex ſpe quam in opibus collocant; ſed qua ſtultitiæ convincuntur, cum illæ ſint non incertæ modo, ſed mera incertitudo. Jer. 17: 11. Prov 23: 4, 5. Non eſt quod quis ſuperbiat de re incerta & extra ſuam poteſtatem. Hujuſmodi ſunt divitiæ; nihil ſunt, quia ſubito deficiunt, uti aquila quæ ſubito avolat, etiam extra conſpectum hominum. Sane ſi evolantes in cœlum, non tantum verſus divitiæ una aſſumerent ſuum poſſeſſorem, utique omni ſtudio ſectandæ forent, & placeret id apprime mundanis: ſed faciunt alas ſibi, non poſſeſſoribus: qui cum ſibi id perſuadeant, ſe divitiarum alis evolaturos altius, ab iis deſtituti cadunt in tentationes & laqueum, & in multas ſtolidas & noxias cupiditates, quæ homines faciunt mergi in perditionem & interitum. 1 Tim. cap. 6: 9. Pſ. 49: 7. ſ. Stulta ſuperbia de eo quod homine ipſo vilius. Hab. 2: 6. vocatur denſum lutum, quod oneri eſt ipſi corpori, quodque in naufragio abjicitur, ut corpus non mergat. Reſpectu animæ vero nihil eſt, neque poteſt quicquam illi addere, cum nihil niſi cæleſte & divinum illi congruat. Theſauri quos ærugo, tinea, fures tollunt, nullius hic ſunt, ſed qui in cœlo omnibus illis ſuperiores ſunt. Animæ non ſunt divites niſi in Deo; quia in eo ſufficientia exſatians, quæ à nulla creatura illis præſtari poteſt Pſ. 73: 25, 26. De hiſce opibus licet ſuperbire & gloriari. Jer. 9: 23. ſ. Deum qui poſſidet, poſſidet omnia. Multa habeat alius, cui cum Eſavo ſunt opes magnæ: qui Dei benedictionem habet cum Jacobo, habet omnia Gen. 33: 9--11. & plus gaudii in corde à luce facici

ejus, quam cum alii frumento & musto abundant. Pſ. 4: 7. ſ. Eoque 1 Tim. 6: 17. ſpes ponenda in Deo vivente, quod ſuperbia illa non facit, ſed Dei obliviſcitur, Hoſ. 13. verſ. 6.

Hoc ipſum hic ſecuturum dicit Moſes, verſ. 14. *ut obliviſcaris Domini Dei tui.* Exaggerat porro oblivium ab iis quæ iſtud debuiſſent avertiſſe; ſunt autem beneficia, I. *Liberationis ex Ægypto*, quod adeo magnificum, ut nulla unquam oblivione videatur obliterari poſſe; quia tot miraculis extorta Pharaoni populi dimiſſio cum ejus ſuffocatione, ut nihil tale unquam factum fuerit. II. *Deductionis per deſertum*, ut nihil damni paterentur, v. 15. cum ſerpentibus & ſcorpionibus ſcateret, à quibus nihil palli ſunt, niſi quando Deus voluit caſtigare inobedientiam populi Num. cap. 21: 6. Solent hæc animalia latere in vepribus, aut gramine. Nam non concipiendum eſt illud deſertum quaſi arenoſum, & ubi nullum gramen. Suffecit iſtud ubique pecoribus Iſraelitarum, quæ magno numero eduxerunt ex Ægypto, Exod. 12: 38. neque unquam conqueſti ſunt, quod pabulum illis deeſſet, ſed quod potus Exod. 17: 3. Num. cap. 20: 4. quamquam quererentur ſibi cibum deeſſe Exod. cap. 16: 3. qui non poterant gramen edere ut pecora, cum non redigerentur in ſimilem conditionem cum Nebucadnezare. Neque quod ipſis ſuppeditatum eſt cibi, manna & coturnices, unquam legitur etiam pecoribus præbitum fuiſſe. In gramine, myrica, fruticibus & vepribus delituerunt ſerpentes, & ſcorpii, ſed non paſſus eſt Deus, ut nocerent vel hominibus, vel brutis Iſraelitarum: quemadmodum nec aliæ feræ, quæ in deſertis morantur, ipſis fuerunt moleſtæ. Factum itaque quod Pſ. 91: 13. quem Moſi adſcribunt nonnulli uti præcedentem: quia *Angelis præcipiet de te, ut te cuſtodiant in viis tuis, geſtentque manibus, ne offendat ad lapidem pes tuus.* Nam habuerunt Angelum faciei Dei, qui ſervavit, & liberavit, ſuſtulit & portavit omnibus diebus antiquis Eſa. 63: 9. Ut alimenta haberent ſufficientia, potum quidem, verſ. 15. in loco arido, ſiticuloſo, ubi non erat aqua, dedit aquam ex rupe; quod beneficium fuit conſtans; nam ſequebatur eos aqua rupis 1 Cor. 10: 4. ut ſemper ſufficeret ad potum. Equidem Num. 20: 1. ſeq. poſt mortem Mirjam defeciſſe legitur, unde novo miraculo ex alia rupe fuit reſtituta; ſed cauſa defectus non annotata eſt. Cum tranſituri eſſent per terram Edom, & Sihon, petierunt ut ſibi cibus & aqua venderetur Num: 20: 19. Deut. 2: 28. quia ſcilicet in habitationibus gentium Deus mira[illegible] mannæ & ſequentis aquæ non erat exerciturus. Utrum talem tranſitum fecerint per terram cultam gentium, & reverſi in deſertum, manna rurſum acceperint, aquam interciſam non item, licet ſcriptum non ſit, eſt tamen veriſimile, unde repetitum miraculum apertæ petræ, ad fundendam aquam.

De cibo, verſ. 16. quod etiam verſ. 3. dixit, repetiteque finem, qui ibidem recitatus fuit, *afflictio* per defectum, *tentatio* ſeu exploratio, beneficia tanto magis æſtimanda. Sane hæc omnia Dei memoriam ſervare debuiſſent conſtantiſſimam, Sed quod dicitur Exod. 1: 8. *ſurrexit rex novus in Ægypto, qui Joſephum non noverat:* quamdiu Joſephi recordatio viguit; quanta ſapientia ſervarit Ægyptios in fame ſeptenni; quantum regibus profuerit, quibus totam terram fecit propriam; Iſraelitis ejus cognatis optime proſpectum fuit: ſed cum illa memoria periiſſet, opprimendi Iſraelis conſilium initur. Sic quoque hic: Jud. cap. 2: 7. ſ. populus ſervivit Domino omnibus diebus Joſuæ & ſeniorum, qui viderant omne illud magnum opus Domini, quod fecerat circa Iſraelem, ſed hac generatione mortua ſurrexit generatio alia poſt illos, quæ Dominum non norat, neque opus quod fecerat circa Iſraelem, & fecerunt quod malum in oculis Domini, & coluerunt Baalimos. Neque aliter de nobis teſtari poſſumus. Quamdiu vixerunt illi, qui viderant opus Domini in Belgio, quomodo per extrema eos duxiſſet, & miraculoſe ſervaſſet, auxiſſetque; fuit aliqua Dei religio, ut pietas & juſtitia vigerent; ſed poſtquam ea generatio periit, & non niſi ex auditu conſtat, quæ Deus pro Belgio egerit, oblivio prævalet; neque tentatio majorum nos commovet. Illam inſtituit Deus, ut tandem benefaceret.

Verſ. 17. ***Neque dicas cum animo tuo, virtus mea & robur manus meæ paravit mihi opulentiam hanc.***

b. Nos qui benefactis illis fruimur tentationis antegreſſæ memoriam non ſervamus, verum prolabimur, quod probavit *Superbiam* Iſraelis, *ad æſtimationem* noſtri, & ἀποθέωσιν propriarum virium, verſ. 17. *Et dicas in corde tuo*, Virtus mea, & robur manus meæ mihi acquiſivit hanc potentiam. Quæ Deus præſtiterat in deſerto, docebant ab ipſius unius manu alimenta & defenſionem omnem promanaſſe, eoque in abundantia ipſius quoque agnoſcendam manum: ſed abundantia facit, ut homines ſibi ipſis ſuperbe omnia adſcribant, quia aliquid ſuæ operæ intervenit. Sic dicturi erant hoſtes Iſraelis de victoriis ſuis. Manus noſtra excelſa eſt, & Dominus non fecit iſta omnia Deut. 32: 27. & Hab. 1: 11. Chaldæus ſucceſſibus ferox, mutaturus erat ſpiritum, & habiturus robur ſuum pro Deo ſuo. Et quia homines non ſecus ac piſces reti ſuo concludit, propterea gaudet & lætatur, atque ſacrificat reti ſuo, & ſuffit ſuo reti; quia per illa portio ejus pinguis facta eſt, & cibus adipoſus. Nebucadnezar dixit, cum cor ejus ſe extolleret, & ſpiritus ejus obfirmaretur ad ſuperbiam, an non hæc eſt magna Babel quam ædificavi in domum regni robore potentiæ meæ, & ad honorem gloriæ meæ Dan. 4. verſ. 30. Sic intuentur homines manus ſuas ex ſuperbia, & inde ſibi felicitatem pollicentur Eſa. 9: 8. ſ. Ephraim & incolæ Samariæ dicunt in ſuperbia & elatione cordis, lateres ceciderunt, ædificabimus cæſo lapide; exciſi ſunt ſycomori, & mutabimus in cedros, ſed non reſpiciunt Deum. Et ſimilia ſi non dicant, cogitant ſaltem multi mortalium. Hoſ. cap. 12: 8. ſ. *in omnibus laboribus meis non inveniet in me iniquitatem & peccatum.* videlicet, Magiſtratus ſententia puniendum crimen, qui ad dolos non attendit. Amos 6. verſ. 13. Et quamvis non prætexant nomen Dei, tamen ſuæ impietati debent ſuam fortunam, ut Zach. 11: 5. Sic homines ſibi ipſis Deus ſunt, ſuæ ſapientiæ, potentiæque & violentæ oppreſſioni ſuam felicitatem tribuentes. Quæ non tantum oblivio, ſed etiam abnegatio Dei eſt, quandoquidem alium Deum ſibi erigunt, quem venerentur, & dicunt Deo in corde ſaltem, *Recede à nobis: quid eſt altiſſimus, ut ei ſerviamus? ipſe vero domos illorum implerat bono* Job. 22. verſ. 17. ſ. Cujuſmodi atheorum magnus numerus. Militer de robore ſuo dicunt, illo ſe confecturos aut confeciſſe victoriam: Mercatores ſuæ diligentiæ & prudentiæ adſcribunt; & quivis fere aliquid habet, cui vel ſoli laudem tribuat, vel cum Deo ſaltem partiatur. Neque aliter in religione. Ubi ſuæ ſapientiæ, juſtitiæ, bonitati, ſalutem adſcribunt; ut Dei gratiæ, & Chriſti merito vel nihil relinquatur, vel exiguum quid, & quod vix exemplum excedat. Hæc eſt ſuperbiæ inſania, quæ non putat ſe ſatis emerſiſſe, niſi Dei locum occupaverit; quemadmodum Rex Tyri Ezech. 28. & Aſſur Eſa. 10. & Benhadad 1 Reg. 20. & ſi non ſibi tribuant, ab aliis tribui ſinunt, ut Herodes Act. 12: 22. quia pacem dederat Tyriis & Zidoniis, vox Dei & non hominis. Cujus uti & cæterorum ſuperborum exemplo probatum eſt, Deum reſiſtere ſuperbis, Prov. 3: 34. Jac. 4: 6. 1 Pet. 5: 5. & quo altius adſcenderunt, eo profundius fuerunt præcipitati. Quamquam facillima ſit ratio convictionis, ſi quod homines gloriantur, Deus ipſis concedat, ut ſuo conſilio, ſuæque virtuti relinquat. Etenim tunc illico patet, quod ſint pereuntes conſiliis ſuis & ſine omni ſapientia Deut. 32: 28. quod quivis homo firmiter conſtitutus, ſit mera vanitas Pſ. 39: 6. & Pſ. 62: 10. Et quid glorietur vanitas, & quod ea vilius eſt? quos impietas facit ut folium aridum Eſa. 64: 6. ut paleam coram vento Pſalm. 35: 5. ut ſomnium Pſalm. 73: 20.

Verſ. 18. ***Sed recordaberis Jehovæ Dei tui, quia ipſe eſt qui dat tibi virtutem ad comparandum opulentiam, ut præſtet fœdus ſuum quod juramento ſanciverat majoribus tuis, ſicut eſt hodie.***

a. *Remedia* quæ contra ſuggerit Moſes, ſunt meditatio.

a. Bo-

a. Bonitatis Dei, verſ. 18. Quicquid virium quis habet, quod aliquid contuliſſe videtur ad ſuam proſperitatem, id omne à Deo proficiſci. 1 Cor. 4: 7. Dan. 2: 20. ſ. David id profitetur Pſ. 62: 11. חיל כי יעב ſicut prouentus agri à Deo eſt, ſic omnis hæc potentia. & 1 Chron. 29: 11. ſ. Etenim natura creaturæ id docet, quod in omnibus dependeat à creatore, Act. 17: 25, 26. 28. & quid poſt illa manet homini, niſi peccare Jac. 1: 14, 15. quod ipſum cohibere poteſt Deus: ſiquidem velit Gen. 20: 6. & quando non facit, ſed hominem ſibi relinquit, ut ſibi omnia conſulat & procuret, tum vero graviſſimum immittit judicium Pſ. 81: 13. Act. 14: 16. Rom. 1: 24. Quicquid Iſraelitæ conſecuti erant, à Deo fluebat, & ejus gratuito fœdere, ut fatentur Pſ. 44: 3. ſ. Gen. cap. 31: 11. ſ. Deus eſt qui fecit ut greges Labanis fierent Jacobi, non ipſius ſolertia cap. 30: 37. ſ. qui Iſaci ſementem tantopere benedixit ſupra Philiſtæos cap. 26: 12. & id ob fœdus cum Abrahamo. Hic fecit ut ſæpiſſime exiguæ copiæ prævaluerint maximis exercitibus, & ſubinde nihil agendo, cum ſine ejus auxilio nihil valuerint robuſtiſſimi. Inprimis id valet in ſpiritualibus 2 Cor. 3: 5. neſcimus hic quid agamus, & apud nos non eſt robur. Verum per Chriſtum roborantem valemus omnia Phil. 4: 13. cujus gratia ſufficiens & robur in infirmitate conſummatur 2 Cor. 12: 9. Hoc ſi agnoſcatur utique, nihil placebit præter ipſum, ad ipſum curretur, apud quem eſt juſtitia & robur Eſa. 45: 24. imo plenitudo, ut ex ea ſumatur Joh. 1: 14. 16. in ipſo acquieſcetur, ut in ipſo ſint divitiæ Luc. 12: 21. & portio & omnia Lam. 3: 24. Sed addendum votum Davidis 1 Chron. cap. 29. 18. *Domine Deus patrum noſtrorum Ab. Iſ. & Iſraelis, cuſtodi iſtud in æternum.* Ut memores Dei ceu autoris omnis benedictionis obſequio conſtanti illud teſtentur: quod ipſum non à ſe exſpectant aut pollicentur, ſed à Deo, quem rogant, ut cor unum & viam unam largiatur ad timendum ſe, Jer. 32: 39, 40. quomodo viciſſim conſtantia benedictionis Dei certa erit ad incrementum.

Verſ. 19. ***Erit enim ſi omnino oblitus Jehovæ Dei tui ſequutus fueris Deos alienos, & colens eos incurvaveris te eis: conteſtor contra vos diem hunc:*** fore ***ut omnino pereatis.***

Verſ. 20. ***Sicut hæ gentes quas Jehova perdiderit à facie veſtra, ita pereatis, propterea quod non auſcultaueritis voci Jehovæ Dei veſtri.***

b. *Juſtitiæ* Dei, verſ. 19, 20. Oblivium Dei veri, ut ad ad falſos declinetur quoſcunque, ſive numina gentilium externa, ſive proprii roboris & ſapientiæ idolum, quo mammon & venter & dominatus pertinent, non manebit inultum: quemadmodum idem conteſtatus cælum & terram, denunciavit Deut. 4: 25. ſ. Sed confirmationis ergo addit exemplum, verſ. 20. Gentes idololatras tam iſto quam illo modo Deus ejecit terra, ſic quoque faciet ipſis inobedientiâ oblivium Dei teſtantibus. Nam qui in alienis non tolerat ſui neglectum, Zelotes pro gloria ſua, multo minus iſtum tolerabit in filiis & domeſticis; utpote qui ſanctificari vult in propinquantibus ſibi Lev. 10: 2. Amos. cap. 3: 2. Itaque cavendum nobis: quo viciniores Deo, eo religioſiores ſimus. Zelotypia ferventiſſima ad vindictam contra adulteram, Ezech. 16. & 23. Probemus amorem Dei & memoriam ejus jugi obedientia, & ſi obſervaverimus fœdus & teſtimonium ejus, recordati mandatorum ad faciendum ea, tum benignitas Dei ſuper nos erit à ſeculo & in ſeculum, & juſtitia ad nepotes.

CAP. IX.

IDololatriæ gentilium cauſam & originem egregie delineavit Paulus Rom. 1: 21. 23. 25. *Deum cognoſcentes ipſum ut Deum non glorificarunt, neque gratias egerunt, ſed evanuerunt in ſuis ratiociniis, & gloriam incorruptibilis Dei mutarunt in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, aut bruti: & veritatem Dei mutarunt in mendacium, & creaturam honorarunt, & coluerunt præ Creatore.* Si Deum conſideraſſent ut autorem omnium, atque etiam gratias egiſſent, ceu unde cuncta haberent, atque etiam eſſent, non declinaſſent inde ad creaturas, quod tum factum, quando averſi à Deo ſua cogitatione ejuſque obliti, reſpexerunt creaturas, & admiratione illarum finxerunt ſibi Deitatem in illis quam venerarentur, ſive imagines fabricati, ſive ipſaſmet ſine imagine colentes. Oblivio Dei & beneficiorum ejus occaſionem dedit falſorum Deorum fingendorum. Hacpropter idem Apoſtolus per recordationem beneficiorum Dei revocare Athenienſes conatus eſt ad agnitionem veri Dei, Act. 17: 24. ſ. *Deus qui fecit mundum & quæ in illo, Dominus cum ſit cœli & terræ, nec habitat manu facta templa, nec colitur manibus hominum indigens allcujus rei, cum omnibus vitam & halitum & omnia dederit, & cuique hominum aſſignarit limites tum durationis tum habitationis, ut ipſum quærant, in quo vivunt, moventur & ſunt*, quo eum colant, cujus ignorantes & obliti vivunt, licet genus ejus ſint; quod altare Ignoto Deo erectum profitebatur. Eandem prorſus viam inſtitit Moſes, ut Iſraelem ab idololatria averteret, tum imaginum & idolorum externorum, tum creaturarum, & inprimis ſui ipſorum. Avocat ipſos in intuitu ſuæ felicitatis à cauſis proximis inſtrumentiſve, ad cauſam primam, cujus beneficio illa obtingebat; nam vigente apud illos Dei recordatione tanquam largitoris omnium, non erat metuenda declinatio ad idololatriam eam, ſpeciatim qua ſeipſos Deificarent. Magna pars capitis octavi in hoc argumento fuit occupata, & continuatur idem etiam in 9. & 10. capp. Etenim perſequitur convictionem deificationis propriæ, cujus unam rationem refutavit ductam à potentia, Deut. 8: 17. *robur meum & virtus manus meæ mihi hanc potentiam acquiſivit:* quando oſtendit illud ipſum robur à Deo fuiſſe datum ipſis: cui proinde obſtricti vivant uti propter datas opes, ſic propter datas vires, quibus opes illas acquirerent. Sed eſt alia adhuc ratio quam eripit Cap. 9. ducta à pietatis dignitate & merito Cum in Urbe Lyſtrorum claudum ab utero ſanaſſent Paulus & Barnabas Sacerdos Jovis ipſis ut Diis voluit ſacrificare; Sed Paulus refutat, dicendo, *Sumus & nos homines.* (eoque non infinitæ potentiæ ut Deus) *earundem vobiſcum paſſionum*; eoque obnoxii infirmitatibus & peccatis. Et concurrente turba ad Petrum & Johannem ob ſanatum ſimilem claudum, Petrus ait: *Viri Iſraelitæ quid ſtupetis ad hoc? aut quid intuemini nos valide, quaſi propria noſtra virtute aut pietate hunc feciſſemus ambulare? Deus Ab. Iſ. & Jac. Deus patrum noſtrorum glorificavit ſervum ſuum Jeſum, & per ipſius nomen hic ſanatus eſt.* Act. 14: 15. & cap. 3: 12. ſ. Sic Moſes ubi potentiam eripuit, etiam juſtitiam ereptum it, ne hacpropter ſemetipſos æſtimarent. Atque hoc agit, verſ. 1--5. tum fuſe probat quam longe abſint à juſtitia, verſ. 6. ſeqq. Sequitur autem hæc pars præcedentem aptiſſimo nexu.

I. Dixit non proprio robori ſuo quicquid adſcribendum habere, ſed ſoli Deo, roboris iſtius autori, ut ſatisfaceret fœderi ſuo jurato cum patribus, addiditque comminationes ſi obliti Dei ad idololatriam quamcunque prolaberentur, non ſecus deſtruendos eſſe quam gentes Cananæas. Nunc vero repetit à Deo robur ipſis datum iri ad obtinendam terræ felicem poſſeſſionem, ne quid ſuo robori abſcriberent, verſ. 1, 2, 3. tum prævertit objectionem aliam de juſtitia ipſorum, verſ. 4, 5.

Verſ. 1. ***Audi Iſrael, tu tranſiturus es die hac Jardenem, ut ingreſſus hæreditario jure poſſideas gentes majores & robuſtiores te, civitates magnas*** aſſurgentes ***in cœlum uſque.***

Verſ. 2. ***Populum magnum & excelſum, filios Hanakitarum, quos tu noviſti, & de*** quibus ***tu audiviſti, quis conſiſteret coram filiis Hanaki?***

A. *Repetitio* illa refert acquiſitionem potentiæ, verſ. 1, 2. & quod Deus robur det ad obtinendum, verſ. 3.

Poſcit autem initio attentionem novam. *Audi Iſrael.* Amor ſui alte radicatus eſt in corde, neque malus, ſi non excedat modum; Deus omnibus creaturis implantavit illum ad ſui conſervationem procurandam; Eph. 5: 29. modus autem obſervandus ut ſe amet homo ceu creaturam; dependentem proinde à Creatore, qui magis amandus; adeo ut ſe etiam negligat reſpectu ipſius, quæ eſt abnegatio ſui. Verum iſtud à corrupto homine impetrari nequit; unde cohortatione opus, Pſ. 45: 11. audi filia, & vide, & inclina aurem, & obliviſcere populi tui, & domus paternæ. Sic quoque hic. Eſa. 30: 21. ſ aures tuæ audient vocem ejus qui pone eſt, &c. Iſtud beneficium magnum ſemper habere monitorem, nam tum idololatria cavetur, ad quam relabi quem contingeret, ſiquidem Deus ſinat incedere propriis viis. Salutaris vox eſt, quæ auditum commendat, ne oblivioſi fiamus auditores, decipientes noſtras animas ad perniciem, ſed factores operis ad ſalutem.

ℵ. *Acquiſitio potentiæ* eſt: *Tranſibitis Jordanem hodie, ſtatis* in procinctu, ut poſſeſſionem Cananææ apprehendatis; atque hic repræſentat eis vires & robur hoſtium, cui ſuas æquare non poſſent. I. *populos magnos & robuſtiores te*, licet & ipſi populus magnus & validus forent, non tamen pluribus pares erant. II. *urbes magnas & munitas in cœlum* quarum excelſa mœnia, ut viderentur educta in eam altitudinem, quam nemo ſuperaret niſi qui avium cœli inſtar alis inſtructus eſſet. III. inter illos populos etiam *Gigantes*, auctos numero, quorum ſtatura & robur eis notum eſſet, cum experientia propria, in Ogo Baſanis rege, tum auditu, referentibus Exploratoribus terræ Num. 13: 32. ſ. *Omnis populus quem vidimus ſunt viri ſtaturæ proceræ; etiam vidimus Gigantes, & fuimus ut locuſtæ, in ipſorum oculis, atque etiam in noſtris oculis.* Olim rumor hujus potentiæ deſperare fecerat Iſraelem, ut faſtidirent terram, quam inſuperabilem rebantur, & mallent redire ad ſervitutem Ægypti, quam ſubire pericula prorſus exitioſa. Neque adhuc decreverat illa potentia, ut minus metuendi forent, ſiquidem nihil opponendum ſuppeteret præter vires proprias. Non eſt ergo quod proprio robori quis confidat, aut ea propter glorietur; Datur majus in aliis creaturis. Gigantes proſternere poteſt lapis fundæ à manu longe infirmioris; ut Goliathum, & illi qui ceciderunt per Davidis milites, imo brutum prævalere poteſt, non leo ſolum, ſed & muſca, inſectumve aliud. Munitiſſimæ urbes cuniculis ſubiri, aut muri dejici. Populi ingentes crabronibus, locuſtis, grandine ſuperari, enſe fame ſiti peſte imminui exſtingui. Morbus robur maximum frangit, & totos populos ſimul debilitat; frangens oſſa ut leo. Eſa. 38: 13. Sed

Verſ. 3. *Scias ergo hodie Jehovam Deum tuum ipſum qui tranſit ante te, ignem* eſſe *conſumentem, ipſum perditurum eos, & ipſum proſtraturum eos ante te, ut expellas eos & perdas eos celeriter quemadmodum Jehova dixit tibi.*

ב. *Potentiam* Suppeditaturus erat Deus, verſ. 3. ubi deſcriptio Dei, quid ille facturus, & quid ipſi facturi ſint.

a. *Deum* ſic deſcribit, *Et ſcies, agnoſces, hodie*, quo die ingredieris terram, ſimul etiam debebis agnoſcere autorem omnis prævalentis potentiæ. Ea enim eſt in Deo; *agnoſces Dominum Deum tuum eſſe, qui tranſit coram facie tua, ignem conſumentem.* Conſiderandum dat.

Dei gratiam. Dominus Deus tuus, qui fœdere tibi ſociatus tibi adeſt. Siquidem ſolus tot hoſtibus opponaris, ſuccumbere te neceſſe eſt; ſed non es ſolus: Dominus Deus tuus eſt, à tuis ſtat partibus, tibi annumerandus. Si homines hominibus committantur æſtimantur exercitus, num quis 10000. occurrere queat venienti cum 20000. Luc. 14. verſ. 31. ſed ſi ab una parte ſtet Deus, ſatis eſt contra quoscunque, Eſa. 31. 2. ſ. cum alii ſint homines, & non Deus, & equi ipſorum caro & non Spiritus, quando extendit manum adverſarii impingunt & cadunt, & intereunt. Adeſt autem Deus quando fœderatus eſt, qui verbo fœderali ſe obſtrinxit, nam quia Jehova non revocat verba ſua, ſed præſtat quæ dixit, & cui ſe addixit promiſſione illi adeſt; quomodo ſufficit adverſus omnes. Adeoque Rom. cap. 8. verſ. 31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Dei fœderati præſentia erexit ſe Abia, 2 Chron. cap. 13. pugnaturus cum 400000. contra Jeroboamum & 800000. *Deus nobiſcum eſt, in fronte*, inquiebat, *ô filii Iſraelis, ne pugnate contra Dominum; non enim proſperabimini*, & Hizkia 2 Chron. 32: 7, 8. *robuſti eſtote, & bono animo, neque timete aut terremini à facie regis Aſſyriæ & omnis multitudinis quæ cum ipſo eſt: nam nobiſcum plures quam cum ipſo: cum ipſo eſt brachium carnale, aſt nobiſcum Dominus Deus noſter.* Et Deus ſic erexit Joſaphatum cum à tribus populis ſimul oppugnaretur, cap. 20: 17. *ne timete, nec terremini, egredimini contra eos, nam Dominus vobiſcum erit.* Quando bellum gerendum eſt contra validos hoſtes ſollicite confiunt fœdera, uti potentes reges & populos ſocios habeant. Heic diſcimus quod nam fœdus maxime conducat. Eſa. 8: 12. ſ. *ne dicite Conjuratio*, (**verbintenis**) uti ſolet populus, ut metuatis adverſariorum fœdera, terreatis ſociorum fœderibus; *Dominum Zebaoth ſanctificabitis, & ipſe ſit veſter metus*, ſi adverſus ſit; *veſter terror* in hoſtes, ſi fœderatus; & erit vobis ſanctuarium. Hoc conſilium ſi ſequeremur, liceret longe præſentiori eſſe animo; qui tot fœderibus nec juvamur, nec juvamus, ſed ſumus mutuum arundines fractæ, quæ innitentem deſtituunt, & ad huc manus & latera perfodiunt: non juvant, ſed angustiam augent, ut Achazum Aſſyrius, & Ægyptius ſocios.

Dei providentiam, dicit *antecedit te.* Num. 14: 42. Dei arca non receſſit ex caſtris, Iſraele enitente in montem contra hoſtes, à quo miſere cæſi ſunt, & 1 Sam. 4. licet arca foret in caſtris, Deus ſe præſentem non oſtendit. Aſt heic antecedit; Tranſituros Jordanem non ſinit ſolos ire, verum ſocius eſt & anteſignanus; priuſquam quiſquam ingrederetur Jordanem, Sacerdotes ferentes arcam in eam deſcenderunt Joſ. 3. & inde ab exitu ex Ægypto anteceſſit Iſraelem columna nubis interdiu, & ignis noctu. David non ante aggreſſus *eſt Philiſtæos*, niſi poſtquam audiviſſet ſtrepitum ambulantis in Summitate mororum, unde cognovit Deum egreſſum eſſe coram facie ſua, 2 Sam. 5: 23. ſ. Hoc petit, Pſ. 35: 2. ſ. contra litigantes & oppugnantes ſuos, *ſurge*, dicit Domino, *ad auxilium meum*, &c. *dic animæ meæ, ſalus* tua am! quando anguſtias occupat, ut pone tutus ſit, & Pſ. 3: 4--7. uti clypeus ante corpus eſt ad ejus defenſam qualem ſe Deus probet Gen. 15: 1. Tutus quis eſt qui Deum ante ſe habet, neque enim vinci & perdi poteſt, niſi victo prius Deo, qui invincibilis. Verum ſi velimus Deum nos antecedere, ſequi eum debemus. 1 Sam. 12: 14. pone Deum ſunt, qui Dominum timent, ei ſerviunt, audiunt vocem ejus, neque rebellant ejus mandato: hoc qui faciunt, fideliter corde toto, aget pro illis magna ad ipſorum defenſionem & victoriam. Nam ſi male agant, antecedet non ipſos ſed hoſtes, & erit primus oppugnator, aut ſaltem deſeret, ut poſt Achanis peccata, Iſraelem deſtituit, ut cæderentur.

Dei potentiam. Ignis conſumens eſt. Deſignatur valida & feſtina *potentia* ad ſuperandos adverſarios: quemadmodum *ignis* ſubito depaſcitur quæ invadit. Sæpius confertur igni conſumenti. Pſ. 56: 10. Nah. 1: 6-9, 10. Eſa. 10. 16. *in loco gloriæ ſuæ vehementer ardebit ſecundum combuſtionem ignis*, quemadmodum factum in cæde Sanheribi cap. 30: 27. ſ. Verum uti nemo hoſtium coram ipſo conſiſtere poteſt, ita neque ullus rebellium fœderatorum. Etiam ipſis proponitur ut ignis conſumens, Deut. 4: 24. *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt*, Deus Zelotes. Amor tenerrimus vertitur in vindictam maximam & feſtinam. Eſa. 27: 4. ſi quis in vinea ſit ſpina, experietur ignem, cap. 5: 24. Adeo ut terreri ea debeant peccatores & hypocritæ in Eccleſia, Eſa. 33: 14. ſ. nam Pſ. 11: 6. &, Deut. 32: 22. Si incipiat contendere igne, non datur evaſio; utpote abſumente omnia ut nec radix nec ramus ſuperſit.

Hæc eſt deſcriptio Dei; ſed cujus ſpecialiorem interpre-

pretationem ſuppeditant Chaldææ verſiones; quæ veteris Eccleſiæ Judaicæ fidem nobis repræſentant: Onkelos: *Dominus Deus tuus tranſit coram facie tua, verbum ejus eſt ignis conſumens: illud deſtruet eos*, &c. Jonathan *Dominus Deus veſter, Schechina decoris ejus, tranſit ante faciem tuam, Verbum ejus eſt ignis conſumens: iſtud exſcindet eos*, &c. Non alium intelligunt quam Filium Dei Mediatorem, quem vocant *Dominum Deum tuum*, & explicant, quod ſit *Schechina, gratioſa præſentia Dei*, quam non præſtat niſi in filio mediatore: Schechina decoris ejus, cum ſit effulgentia gloriæ ejus; Verbum ejus; uti à Johanne appellatur. Etenim reſpiciunt quod Deus ipſe dixit Exod. 23: 20. ſ. *Ecce mitto Angelum meum coram facie tua; qui antecedet te & introducet te in terram Cananæorum*, qui idem dicitur *Dominus Deus tuus* cui ſerviendum ſit, & qui rebellionem non ſit condonaturus. Hic profecto eſt qui Joſ. 5. ſe ſtitit principem exercituum Domini, cum Cananæi jam eſſent oppugnandi. Et ſane hujus eſt Gratiæ, cujus plenitudo in ipſo, & qui fœdus gratiæ ſuo ſanguine ſancivit adeo ut in ipſo gratiam & reconciliationem conſequamur; Angelus fœderis Mal. 3: 1. Angelus ille faciei Dei, qui ſervavit, liberavitque ſuo amore & gratia, & ſuſcepit ac portavit, Eſa. 63: 9. Quod eſt Providentiæ ejus: commiſit Deus Iſraelem ipſi, ut antecederet, duceretque quo eundum; Moſe deprecato iter ulterius, niſi ſub hoc duce. Et nihil impenetrabile, ubi ipſe dux viæ, Mich. 2: 12. ſ. Et quando ipſe ducit, quis retinebit & remorabitur? Ducit oues ſuas ut paſtor, & dat eis vitam æternam; neque quicquam habent metuendum, quia non fugit veniente lupo, ſed vitam ſuam ponit pro ovibus, & hanc poſitam reſumit, ut pro iis conſiſtat ad defenſam. Neque quiſquam hoſtium prævalere poteſt, cum ſit ignis conſumens, qui flammante igne contra eos ultionem exercebit 2 Theſ. 1: 8. Immanuel iſte Dominus terræ, quando conſpirarunt hoſtes, quando ut exundans flumen omnia rapiunt, ſua ſolum præſentia confringere potentiam omnem, & ſapientiam omnem eludere poteſt Eſa. 8: 8. ſ. Sanctus Iſraelis accenſurus erat ignis inſtar Aſſyrium cap. 10: 17. & cap. 66: 14. ſ. Erit ille murus igneus circa Eccleſiam Zach. 2: 5. ut qui contra inſurgit, non in murum duntaxat ruat, ſed in ignem ad ſui contritionem & combuſtionem. Verum eſt quoque ignis conſumens contra rebelles ſuos. Pſ. 2: 12. in via perit, quando parum exardeſcit ejus ira. Cavenda ejus exacerbatio, contra humili obſequio ipſi ſerviendum, ut ejus patrocinio defendamur ad ſalutem æternam, Nunc.

b. *Quid facturus ſit. Ipſe exſcindet eos, & ipſe humiliabit eos.* Hoſtes ſuperabit, & vel perdet, vel, quia ſimul non ſunt exſcindendi, ne vaſta fiat terra, & multiplicentur feræ, humiliabit, ut ſuperſtites licet nequeant prævalere. Cap. 7. iſtud declaratum eſt uberius. Hoſtium devictionem, ad excidium vel ſubjugationem ſolius Dei eſſe Angeli Meſſiæ. Sic ſuperati Sihon & Og Amoritæ, ſic Jericho & reges Cananæi, eorumque Urbes, qui ita ſubacti, ut manus Dei agnoſcenda ubique eſſet; quemadmodum etiam ſæpius ſequentibus temporibus: quando immiſit crabrones, grandinem gravem, flumina, & ipſa aſtra de cœlo pugnarunt. Pſ. 135. & 136. Hinc vero diſcimus, quid commodi ſit, ſi Deum ſi Chriſtum habeamus præſentem & præcedentem. Hoſtes vel perduntur, vel ſaltem domantur; illo modo ne ſint, iſti ne obſint. Non tantum corporei, ſed etiam ſpirituales. Inimicitia fundata eſt inter ſerpentem & ſemen ejus, & inter ſemen mulieris & mulierem ipſam. Gen. 3: 15. Sed Chriſtus promachus eſt. Quod dixit Joh. 18: 8. Si me quæritis, hos dimittite, valet hic; nam uti Syriæ rex ſuis equitibus mandavit, ne contra alium quam contra regem Iſrael pugnarent, 1 Reg. 22: 31. ita Princeps mundi contra Chriſtum aliquando ſolum pugnavit, ſed nunc valet, ſi iſtos quæritis, me habetis. Ipſum perſequuntur, & ipſe pugnat. Colaphis Satanæ gratia Chriſti ſufficit tolerandis & ſuperandis, & ipſius robur ſe exſerit evidentiſſime 2 Cor. cap. 12: 8. ſ. In ipſo plus quam victores ſunt, Rom. 8: 37. & is ſatanam conculcabit ſub pedes noſtros Cap. 6: 20. Verum ut fructum roboris ejus felicis habeamus, debemus ipſi adhærere. Si aliorſum declinemus, diſcedimus à præſidio ejus. Oves ſe ſequentes defendit à lupo; ſed qui palant ab ipſo, prædæ fiunt. Ambulandum qua ipſe ambulavit; & qui ipſum ſequitur, veniet victorioſus quo ipſe venit, ut triumphet de omnibus hoſtibus Pſ. 73. verſ. 28.

c. *Quid ipſi* ſint facturi. *Et expelles eos, & perdes eos celeriter, uti locutus eſt tibi Dominus.* Alienum iſtud videtur, ſi Deus exſcindit, & domat, quid ipſis agendum reſtat? & ſi ipſis agendum eſt, nihil ejus actio juvat. Sed non pugnant iſta. Deus agit, ſed non vult eos ſemper otioſos ſpectatores. Sic militandum fuit contra Cananæos, bellum diſcendum & exercendum; quamquam Deus conficeret omnia, ut Pſ. 44. fatentur. Auxilium Dei non immediatum ſemper eſt, ſed ordinarie mediatum: attamen ut Dei ſit victoria, qui vires & ſucceſſum largitur: In ſpirituali militia id evidentiſſimum, Eph. 6: 12. ſ. Armatura Dei ſumenda & exercenda, tum quâ tuti ſimus ab inſultibus quibuſcunque, tum quâ oppugnemus: clypeus fidei exſtinguens ſagitras igneas, & gladius ſpiritualis verbum Dei configens, 1 Pet. 5: 8. reſiſtendo Diabolo fugatur Jac. 4: 7. & fugatur fide, quæ victoria Chriſti, quandoquidem fides Chriſti robur apprehendit, & eo utitur, ut ipſe gloriam habeat. Draco belligerat contra reſiduos de ſemine mulieris, qui cuſtodiunt præcepta Dei, & habent teſtimonium Jeſu, & hi viciſſim vincunt ipſum per ſanguinem agni, & per verbum teſtimonii ſui Apoc. 12: 17. & 11. Ferendæ afflictiones dum militant, ut bonis militibus Chriſti, 2 Tim. cap. 2: 3. Sed qui in ipſis eſt, eſt major quam qui in mundo 1 Joh. 4: 4. Nam uti per fidem in nobis vivit, ſic quoque & pugnat, & vincit, & omne opus noſtrum nobis conficit. Et hic fidelis eſt, pollicitus eſt ipſis ſuam præſentiam, & auxilium, & eſt Deus Amen. Licet diu repugnent hoſtes, tandem ſuccumbent, & deſtruentur, atque ipſi ad extremum ſuper pulverem ſtabunt, & induti candidis ac inſtructi palmis triumphalibus ſequentur Agnum, & fruentur ejus gloria & felicitate in omnem æternitatem.

Verſ. 4. *Ne loquitor cum animo tuo, quum expulerit Jehova Deus tuus eos à facie tua, dicendo, propter juſtitiam meam introduxit me Jehova ad hæreditario jure poſſidendum terram hanc, ut propter improbitatem gentium iſtarum Jehova expellit eas à facie tua.*

B. Sed inſuper monet ut caveant opinionem juſtitiæ & meriti, quibus Deus deberet quæ conceſſiſſet bona. Atque de hoc nunc agit, & L. proponit iſtam opinionem, verſ. 4. II. refutat, verſ. 5. Poſtea demonſtrat defectum juſtitiæ verſ. 6. ſeqq.

℟. *Propoſitio* verſ. 4. improbat eam opinionem, ſeu dehortatur ab ea. Refert autem veritatem opinionis, & opinionem ipſam.

a. *Veritatem* ceu fontem, *Poſtquam Dominus Deus tuus à facie tua eos expulerit, ne dicas in corde tuo.* Quando poſſeſſionem terræ eo quo dictum eſt modo adeptus fueris, dices cogitabis ratiocinaberis in corde tuo. Sic locutus fuit de priori opinione. Nam verba ejuſmodi vix publice enunciaturi erant, ſed in corde & cogitatione. ſic ratiocinaturi. Sunt quædam adeo turpia, ut pudeat proloqui. Conſcientiam aliorum hominum reverentur, à quibus condemnandos ſe verentur. Itaque premunt corde, & latebras quærunt apud ſemetipſos. Sunt enim cordi inſcriptæ quædam veritates de pietate & juſtitia quas adeſſe cor & conſcientia teſtantur, & quando veritas iſta Dei detinetur in injuſtitia, qui moratiores ſunt inter gentiles quoque ex agnito jure Dei dignos morte judicant & condemnant Rom. 1: 18 32. Hoc judicium declinant, quando nondum penitus depuduerunt, & corde claudunt malum. Hoc eſt ut ſpelunca latronum, ut luſtrum ferarum. Mat, 15. verſ. 19. non prodirent inde, niſi iſtic forent, iſtic ova baſiliſcorum foventur & excluduntur. Blaſphemiæ ut plurimum in corde deliteſcunt; Sic Phariſæi de Chriſto Mat. 9. verſ. 3. & Pſ. 14: 1. *Stultus dicit in corde; non eſt Deus*; neque enim id audet profiteri juxta id quod Eph. 5: 12. *quæ in ſecreto fiunt, turpe eſt dicere.* Enimvero etiam quæ in corde

de dicuntur aut fiunt, Deo patent, & ille obedientiam eorundem poſcit, judicaturus etiam ſecreta cordium Eccl. cap. 11: 9. cap. 12: ult. Jer. 17: 10. Homines intuentur ſolum quod ante oculos eſt, Joh. 4: 24. & quæ ſpiritus ſunt æque evidentia ipſi, quam oculis quæ corporea. Pſ. 95: 10. *ſunt populus errans corde, & non cognoſcunt vias meas.* Non erratur corpore & externis actionibus niſi prius corde, quod moderatur externa. Deus vero & iſta & illud novit Pſ. 94: 11. novit cogitationes hominum, quod ſint vanitas. Sed cum iſtud quod in corde fit norit & judicet, quantopere metuendum nobis; ubi nullum cor quod non deprehendatur reum. Prov. 20. 9. *Quis dicat, mundavi cor meum, mundus ſum à peccato meo?* Neque iſtud in occulto, non amplius clauditur intra ejus penetralia. *Ex plenitudine cordis loquitur os* Matt. 12: 34. & cogitationes ſunt cogitationes iniquitatis, Eſa. 59: 7. Mich. 2: 1. *cogitant malum in cubilibus, & ad lucem matutinam faciunt.* Atqui etiam cogitationum cenſura eſt apud Deum, & cordi leges ponit, quarum violationem vindicabit, 1 Chron. 28. verſ. 9. *Dominus novit omnium corda, & intelligit omnes imaginationes cogitationum, ſi quæras eum* &c. Noſtrum eſt quærere Deum; aſt quomodo id fiat, novit Deus; quamvis blandiamur ore, aut mentiatnur lingua, videt, ſi cor non ſit ſincerum, & infideles ſimus in fœdere: & cor aliud dicat quam os. Qui in corde erexerunt ſua idola, etſi rogent Deum Ezech. 33: 31. & Eſa. 57: 17. magna ſpecie devotionis, reſpondebit ſecundum idola cordis, & apprehendet in corde Ezech. 14: 4, 5. Sane ſi Deus unumquemque judicet ſecundum id quod dicit nunc in corde ſuo, quæ multorum miſerrima foret conditio. Nah. 1: 9. *Quid cogitatis contra Dominum? ipſemet faciet conſummationem*, ut ſecunda vice aliquid hic agere non ſit neceſſe. Eoque Ezech. 14: 6. ſ. O ſi fiat hodie quod 1 Cor. 14: 24. ſ. ut ea foret vis prophetiæ doctorum, ut quicunque audiverunt ab omnibus convincerentur, & judicarentur, & occulta cordium ipſis detegerentur, ut Deo gloriam darent, & confiteri cogerentur Deum eſſe vere in medio noſtri. Saltem id nobis ſuadendum, quia Deus novit quid in corde fiat, & lege ſua regere vult, Lava cor tuum à malitia, ô Hieroſolyma, ut ſerveris &c. Jer. 4: 14. non tantum ejicienda malitia, ſed etiam eluendum cor, ut quid de ſordibus iſtis remaneat, omnia veſtigia abolenda, quin ipſæ cogitationes vanitatis arcendæ, ſaltem ne iſtic pernoctent. Jac. 1: 21. impoſſibile eſt ut arbor plantari queat commode, quando omnia ſentibus & ſpinis, imo lapidibus & ſaxis ſunt repleta: neque verbi ſucceſſus ſalutaris eſſe poteſt, ut radices agat, & ferat fructum, niſi in puro & honeſto corde plantetur Luc 8: 15. Jer. 4: 3. ſ. *novellate novale, & ne ſeminetis inter ſpinas. Circumcidite vos Domino, & removete præputia cordium.* Prov. 23: 26. *Fili mi, da mihi cor tuum, & oculi tui cuſtodiant vias meas.* Dei vox eſt. Si in corde noſtro fuerit lex Domini, non vacillabunt noſtri greſſus Pſ. 37: 31. & qui juſtitiam norunt, & legem Domini in corde habent, non eſt quod metuant hominem Eſa. cap. 51: 7.

b. Sed quæ eſt illa cogitatio, ſeu cordis ſermo, qui interdicitur? *Dicendo, propter juſtitiam meam introduxit me Dominus ad hæreditandum terram hanc,* וברשעת *& propter impietatem harum gentium expellit eos Dominus ex poſſeſſione coram facie tua.* Utrumque eſt quod ſecum ratiocinaturi erant; prius autem ipſorummet verbis enunciat Moſes, poſterius ſuis inde deductum. Quum proxime refutaſſet opinionem potentiæ propriæ, & comminatus ſi ad talem idololatriam prolaberentur ejiciendos eſſe Cananæâ, non ſecus ac populi Cananæi ante faciem ipſorum ejecti eſſent, iſtud arripiunt, ut inædificent novum idolum, juſtitiæ propriæ. Ejiciuntur hæ gentes propter ſua crimina, & ejiciuntur coram facie noſtra. Ergo nos introducimur à Domino propter noſtram juſtitiam; & ſic commode poſterius de impietate Cananæorum rationis loco attexitur. Sic vero patefit fraus cordis humani. Jer. 17: 9. non unum duntaxat latibulum habet, uti vulpes excluſo uno foramine in aliud ſe recipit. Intuentur ſuas manus primum: his debent ſuam felicitatem; pugnarunt fortiter & prævaluerunt hoſtibus, laborarunt ſtrenue in parandis opibus, ſapienter verſati ſunt negotiando, & vocationem ſuam reddendo proficuam. Ergo ſumus fabri noſtræ fortunæ. Sed revincit eos Moſes; non vos, ſed Deus vobis omnia iſta dedit, & quod veſtra fortitudo, induſtria, prudentia paravit, Deo adſcribendum, qui robur, diligentiam, prudentiam dedit. Quod ſi Deo debitam gloriam vobis adſcripſeritis, puniet vos uti gentes, quas coram facie veſtra ejecit. Deſerunt itaque hoc, non nos noſtro robore terrâ potiti ſumus; ſed Deus Cananæos ejecit; hæc gloria ipſius eſt, verum quando ejecit eos, id fecit propter ipſorum impietatem, & fecit coram facie noſtra; eoque juſtitiam noſtram intuitus eſt, iſti debebatur talis remuneratio. Si illi ejiciuntur propter impietatem, nos introducimur propter pietatem, & hoc nomine licet nobis gloriari.

Solent homines ſuæ juſtitiæ imputare ſuam proſperitatem, quod non niſi debita ſit merces. Sic agunt Iſraelitæ. Quicquid conſecuti ſunt præ cæteris gentibus, quod eos digniores redderet, id ſibi tribuerunt tanquam mercedem dignitatis. Luc. 18: 11. ſ. Phariſæus gratias agit Deo, quod non ſit ut alii homines, raptores, injuſti, adulteri, aut etiam ut Publicanus ille; eoque quod tanta juſtitia fulgeret: imo faciebat adhuc excellentiora jejunia, decimaſque extraordinarias. Et adoleſcens ille Matt. 19: 16. *Bone magiſter, quid faciendum boni, ut vitam æternam habeam?* & propoſitis illi mandatis: *Omnia iſta*, inquit, *obſervavi a juventute mea: quid adhuc mihi deeſt?* quaſi jam Deum ad extremum debitorem haberet. Hæc ſuperbia nimis familiaris eſt nata tum ex oblivione Dei ut non recordentur ſuæ obligationis, quod creaturæ creatori teneantur ad obſequium, neque ab eo nexu liberari queant, ne quidem à Deo ipſo: abnegaret autem ſeipſum, quod impoſſibile 2 Tim. 2: 13. ſi creaturam faceret independentem parem Deo. Qui hujus meminerunt ſe Deum habere, utique norunt exinde ſe debitores eſſe, & ſervos inutiles etiam cum omnia fecerunt. Luc. 17: 10. Recordatio Dei monet Deum eſſe colendum, eique gratias agendas Rom. cap. 1: 21. quomodo meriti opinio ceſſat 1 Cor. 4: 7. Tum ex φιλαυτία, qua ſe ſuaque nimium æſtimat homo 2 Cor. cap. 10: 12. *qui ſe ipſi commendant ipſi ſeſe ſeipſis metiuntur & ſeſe ſibi ipſis comparant.* Fingunt ſibi ipſis regulam juſtitiæ, & quando eam vel æquant, vel etiam ſuperant, perfectionis opinionem concipiunt. Sic concipiunt de ſua juſtitia Juſtitiarii omnes, tum veteres, tum recentes. De juſtitia iſtiuſmodi profeſſio eſt Eſa. 65: 5. *qui dicunt, mane apud te, ne appropinques mihi, quia ſanctior ſum te.* Eph. 2: 11. vocabant ſe *circumciſionem*, & gentiles *præputium*, & Gal. 2: 15. ſe *Judæos*. Gentiles autem *peccatores*; imo Matt. 15: 26. ſe *filios*, & Gentiles *canes*. Juſtificantes ſemetipſos, & alios contemnentes: qui cum gratia indigeant, ipſi non item: quemadmodum Laodicenus Apoc. 3: 17. etiam ſine Deo abundans. Tales rentur non minus Deum ſibi, quam ſe Deo obſtrictos, cui etiam uti ſuas juſtitias & merita recenſent, ita definiunt, quid vicillim ſibi debeat. Cujuſmodi meritorum theſaurum congerunt Pontificii, & Papa diſpenſatorem ſe venditat. Sed de ejuſmodi Deus ait, Eſa. 65; 5. *Iſti ſunt fumus in furore meo, ignis ardens tota die. Nam quod excelſum eſt coram hominibus, abominatio eſt coram Deo* Luc. 16: 15. Et Papa cuſtos eſt ignis, theſauri iræ, & hunc vendit ad augmentum condemnationis, quando remiſſionem peccatorum & ſalutem æternam promittit. Caveamus iſtam ſuperbiam, & agnoſcamus nos omnes eſſe ut impuros, & juſtitias noſtras optimas ut veſtem menſtruatam Eſa. 64: 6. *Etiam nos*, dicit Paulus de Judæis, *ambulavimus ſecundum morem mundi, & juxta placitum Diaboli in cupiditatibus carnis &c. & eramus filii iræ natura, uti & cæteri* Eph. 2: 3. Ordinarat Deus ut in feſto expiationis etiam expiaretur impuritas rerum ſanctarum Lev. 16: 19. Et ſi in optimis eſt vitium, quid erit de aliis. Scilicet Eccl. 7: 20. & Pſ. 14: 3. ſ. Deus teſtis, quem nihil latet, nihil fallit; adeoque ponendum omne ſupercilium, & judex ſollicitandus ut gratiam faciat Job 9: 15. uti publicanus egit Luc. 18: 13. non nobis, ſed Deo danda gloria, prædicanda ejus gratia, non noſtrum opus, ut gloriatio omnis ſit in Domino.

Verum quando alii malo afficiuntur, & alii contra bonum eorum conſequuntur, uti iſtic peccati, ita hîc juſtitiæ meri-

meritum agnoſcendum. Hoc modo ſtringunt argumentum. Ob impietatem ipſi ejecti ſunt, ergo nos introducti propter juſtitiam; quia ipſi coram facie noſtra ejecti. Atque hoc quidem veriſſimum ejectos Cananæos, plantatos Iſraelitas, Pſ. 44: 3. Sed perperam inde ſuam concludunt juſtitiam. Scilicet, putant, uti judicia Dei immittuntur propter peccata, ſic beneficia obtingere propter ſanctitatem. Sic Jobi amici ratiocinabantur, ubi adverſa, ibi eſt culpa, ubi proſpera, ibi adeſt integritas & juſtitia, quod prorſus erroneum erat judicium, cum adverſa obveniant quandoque propter juſtitiam 1 Pet. 3: 14. ut omnes afflictiones Chriſti, Cap. 4: 17. ſ. & quicquid infertur à Serpente & ſemine ejus ex illa inimicitia. Gen. 3: 15. proſpera concedantur malis ut ſaginentur ad diem occiſionis, Jer. 12: 3. Quando etiam mali ob peccata ſua affliguntur, & alii ipſorum adverſa effugiunt, aut erepta bona conſequuntur; hi eapropter non probantur vel boni, vel meliores Luc. 13: 1. ſ. Galilæi quidam à Pilato fuerant trucidati, & turris Siloam ruens oppreſſerat octodecim homines: de quibus Chriſtus. *putatiſne illos magis peccatores fuiſſe præ omnibus Galilæis & Hieroſolymitanis, quia talia paſſi. Dico vobis, Non. Sed niſi reſipueritis, vos omnes pariter peribitis.* 2 Chron. 28: 9. ſ. Idem Oded propheta dicit Iſraelitis victoribus Judæorum, qui cæſis 120000. in prælio, captivos ducebant 200000. fœminas, filios & filias. Sic Eſa. cap. 10: 4. ſ. *Aſſur venit contra populum hypocritam* &c. An ergo juſtus Aſſur, qui prævalet? cujus ſuperbia & faſtus depinguntur, & atrociſſima vindicta ei decernitur. Hab. 1: 13. Chaldæus victorioſus omnia ſuperat, *ſed impius diſperdebat juſtiorem ſe.* Attamen quod Iſraelitæ, etiam alii judicant. Cum Hiſpani Americam occuparunt, & crudeliter contra incolas graſſati ſunt, jactarunt impietatem populorum illorum, ſed ſuam pietatem, qui Chriſtianam religionem profiterentur, & hinc ſe victores fuiſſe: cum tamen barbari iſti juſtiores fuerint quam Hiſpani, mera avaritia & crudelitate famoſi. Neque deſunt qui ut Hiſpanorum tyrannidem in corpora & conſcientias ipſis amittendi Belgii fœderati, ſic Belgarum pietatem libertatis obtinendæ cauſam faciunt. Imo hodie quicunque vincunt bello, ſe juſtiores rentur, & hinc ſe obtinuiſſe. Sed pari errore. Equidem perditionis cauſam ſatis veroſimiliter in hominibus invenire eſt; ſed reſtitutionis & proſperitatis nunquam. Hoſ. 13: 9. Mereri pœnam poſſumus, ut Neh. 9: 33. juſtus es in omnibus quæ ſupervenere nobis; nam tu fideliter egiſti, nos impie; mereri beneficia non item. Si juſtitiam intueatur Deus, tum par eſt ratio Iſraelis, & aliorum populorum. Amos. 9: 7. ſ. *nonne mihi eſtis ut filii Æthiopum, ô filii Iſraelis?* inquit Dominus: *nonne Iſraelitas eduxi ex Ægypto, & Philiſtæos ex Caphtor,* (ante Iſraelem) *& Syrios ex Kir?* Faceſſat ergo omnis juſtitiæ præſumtio, ex aliquo ſucceſſu externo. Mali non ſolum per bonos affliguntur, ſed etiam per malos, & quidem nonnunquam pejores. Et qui evadunt, non ſunt minus rei ſemper, ſed magis quandoque, verum ſervantur graviori judicio. Anno 1672. aliæ urbes & provinciæ venerunt in poteſtatem hoſtis; nos ſervati ſumus: an igitur id debemus noſtræ juſtitiæ? quod cæteris Belgis religioſiores fuerimus? Non audet ipſa impudentia iſtud aſſerere; cum iniquitas noſtra teſtetur in faciem noſtram, quia actiones noſtras non inſtituimus ut nos convertamus ad Deum noſtrum, atque magis magiſque cadamus, Iſrael & Ephraim ſimul, propter noſtram iniquitatem, & Juda nobiſcum cadat. Quicquid alii dicant de juſtitia, nobis ille prætextus præciſus. Non eſt juſtitia Reformata; Memnonitæ, Pontificii æque honeſte, imo honeſtius ſæpius vivunt: non Chriſtiana, Gentiles majorem ſobrietatem, caſtitatem, integritatem exercuerunt; injuſtitia & avaritia oppreſſioque more invaluerunt, & jure uſurpato ſe tuentur ut juſtum id cenſeant, quod nemo punire vel vult, vel ſi velit, audet, vel ſi audet improbare, poteſt. Et quia ſic abiit in conſuetudinem, ſi quis juſtitiam appellarit, poterit uſurpare verba Iſraelis, propter juſtitiam &c. Ex illo Zach. 11: 5. qui paſtorum oves occiſionis necant, neque pro culpa habent, & quando eas vendunt, dicunt, *Benedictus Deus quod ditatus ſim.* Enimvero conſilium impiorum ſit longe ab omnibus, qui Deum timent.

Verſ. 5. ***Nequaquam propter juſtitiam tuam aut propter rectum animum tuum ingreſſurus es ad poſſidendum hæreditario jure terram earum: ſed propter improbitatem gentium iſtarum Jehova Deus tuus expellit eas à facie tua, & ut præſtet verbum quod juramento promiſit majoribus tuis, Abrahamo, Jitzchako, & Jahakobo.***

ב. *Refutat* Moſes iſtam opinionem, verſ. 5. quæ cum bimembris eſſet quid ſibi, & quid Cananæis obtigiſſet ob cauſas contrarias: *prius* membrum negat ſimpliciter: *non propter juſtitiam*, &c. Cæterum quia ſimplex negatio non ſufficiebat ad convictionem, prolixam demonſtrationem inſtituit, verſ. 6. ſeq. quo rejicimus. *Poſterius* affirmat, *propter impietatem populorum*, &c. Hoc enim dixerat in fine cap. 8. & Lev. 18. & 20. terram exſpuere habitatores ob abominationes plurimas. Sed adhuc antiquius teſtimonium eſt, Gen. 14: 16. traditio donatæ Abrahamo terræ differtur per annos 400. nam iniquitas Amoræorum hactenus nondum impleta eſt. Erant jam tum rei; ſed nondum ad eam menſuram ut ejiciendi eſſent terra; itaque eam moram ipſis indulget Deus & qui norat quando plena futura erat, adduxit Iſraelitas, qui ejectis ſuccederent. Sodomitæ jam tum fuerunt maximi peccatores Gen. 13: 13. & hinc ſubito judicio ſublati ſunt, cap. 18: 20. cap. 19. Ergo Iniquitas populi impleta excidium affert. Primus mundus exemplo eſt 120. annis dilationis datis, ubi præteriiſſent citra emendationem, diluvium omnes ſuſtulit. Sic factum circa regnum Iſraelis & Judæ Ezech. 4. Iniquitas cauſa eſt excidii, quando menſuram ſuam attigit, & fuiſſent exſcindendi Amoræi, etſi Iſraelitæ periiſſent in deſerto ob ſua peccata, atque Moſen Deus auxiſſet in populum. Peccatum ergo vitandum eſt, hoc exſcindit populum. Eſa. 3: 8. ſ. Hoſ. 14: 1. Samaria vaſtabitur, nam rebellis fuit contra Deum ſuum: cadent gladio, infantes conterentur & prægnantes findentur. Idem nobis metuendum. Non habemus privilegium peccandi, quamvis ſibi licentiam ſumant multi, neque ſecuritatem multorum annorum. Fixit nobis Deus quoque menſuram, hac impleta, deplebitur, theſaurus iræ effundetur in nos, & maledictio talis quæ domos & incolas abſumat. Nineve proxima fuit termino, non totos 40. dies abfuit: ſed reſipiſcentia impetrarunt prorogationem. Sequamur exemplum, ſed non ut Nineve tantum; verum ut præſcribitur Ephraimo, Hoſ. cap. 14: 2. ſ. de hujuſmodi ſucceſſu & nos & poſteri etiam noſtri habebunt quod gaudeant.

Moſes addit inſuper verum cauſam introductionis Iſraelitarum in Cananæam & *ut ſtabiliat jusjurandum*, &c. Dederat terram illam Abrahamo poſſidendam ab ejus ſemine addito fœderali jurejurando, & hinc tenebatur ad præſtationem. Etenim Deus eſt verax Rom. 3: 4. veritas ipſa, Jer. 10: 10. Jehova Exod. 6: 1, 2. qui nequit mentiri. Tit. cap. 1: 2. & juramentum novum addit impoſſibilitatem mentiendi Heb. 6: 17. Hinc nequit impediri, aut annihilari propter peccatum. Exod. 33: 1. jubet proficiſci Moſen, & Iſraelem in Cananæam introducere, juratam Ab. Iſ. & Jac. miſſurus angelum qui ejiciat gentes illas, cum tamen ſuam præſentiam negaret Deus, propter populi rebellionem. Hinc Num. 23: 14. ſ. non violat promiſſa, & ideo non intuetur peccata, ut propterea exſcindat. Poſſunt quidem generationes aliquæ, aut perſonæ ſingulares puniri; ſed nequit Deus verbum promiſſionis abolere, Mal. cap. 3: 6. Rom. 3: 3, 4. Jer. 31: 37. Nobis tale verbum non eſt: Et tamen eſt aliquod, nobis applicabile. Jer. 18: 7. ſ. *momento loquar de populo & de regno, me expulſurum, & diruiturum, & perditurum; Sed ſi populus ille, de quo locutus ſum reſipuerit à ſua malitia, pœnitebit me mali quod cogitaveram.* Sane juſta eſt ſuſpicio, Deum formare contra nos malum; omnia noſtra in pejus ruunt, Annon illud verbum deberet profuadere, *Convertimini quisque à via ſua mala, & facite vias & actiones veſtras bonas?* Ne quis ſit adeo deſperate malus, qui dicat, *Deſperatum eſt, ſed ibimus*

mus pone cogitationes noſtras, & faciemus quiſque placitum pravi ſui cordis. Hujuſmodi improbitatem ſequetur excidium immedicabile; ſed potius etiam nunc reſipiſcamus toto corde, quæramus Dominum Eſa. 55:6. dum adhuc inveniri poteſt, & invocemus dum adhuc propinquus eſt; Impius deſerat viam, & injuſtus cogitationes, &c. Si zelaverimus contra peccata Deus Zelabit pro nobis, & parcet terræ ubi nos eſſe volet & dabit nobis poſſeſſionem ejus quietam dum vivimus hanc vitam, tandemque concedet, quæ potiſſima promiſſio pietatis, vitam æternam.

Verſ. 6. *Ut* autem *cognoſcas non propter juſtitiam tuam Jehovam Deum tuum dare tibi terram iſtam optimam ad hæreditario jure poſſidendum eam, ſed populum durum cervice eſſe te:*

II. Judæis in Babylone exulantibus, ſæpius legimus cum Seniores, tum populum ad Prophetam Ezechielem ventitaſſe, magnam ſpem pietatis præ ſe ferentes, imo ſe juſtificantes ſolenni proverbio. Patres comederunt omphaces, ſed filiorum dentes obſtuperunt, Ezech. 18:2. Jactabant ſuam innocentiam, & quod nihil criminis apud ſe foret, cur carerent patriâ, omnem culpam eſſe parentum proximorum. Verum Deus per prophetam convincit frequenter, quod qui venirent rogatum Deum idola erecta haberent in corde, & foverent ſua quæ ſectarentur peccata. Cap. 14:3. & Cap. 33:31. Cap. 32:2. Cap. 23:36. Cap. 20:4. Cap. 16. & 23. quando inde à prima origine rebelles fuiſſe oſtendit, juxta illud Eſa. 48:8. *prævaricator ab utero vocatus es.* Conſimilem convictionem Iſraelis inſtituit Moſes, ut omnem ſuperbiam ab ipſis removeret. Rebus proſperis efferri ſolet animus, & ſemetipſum intueri, quaſi à ſeipſo proficiſceretur felicior conditio, quam vel paraſſet corporali virtute, quæ tyrannorum gloriatio potiſſimum, & injuſtorum avarorum & oppreſſorum, Eſa. 10:13. ſ. Hab. 1:11. ſ. item Hoſ. 12:8, 9. Amos 6:13. Zach. 11:5. vel meruiſſet ſpirituali virtute, ſive juſtitia, quæ privatorum ſolet eſſe præſumtio, & jactantia, ut Phariſæorum, Matt. 5:20. Luc. 18:11. ſ. Utrique opinioni occurrit Moſes, tum de potentia, quia quæ adeſſet potentia, aliena fuiſſet, tum de juſtitia, quia nulla omnino adeſſet. Gloriatio prior erat de bono aliquo vero & præſente; potentia quæ conſilium & ſapientiam, & vires comprehendit ad parandas opes externas, quæ inter fortunæ bona cenſentur, ſed aliena, non ſua, ſed Dei qui ea facultate inſtruebat: Poſterior gloriatio erat de bono falſo, & abſente juſtitia, qua prorſus carebant. Hanc ipſis eripuit, verſ. 45. negans poſſeſſionem terræ ipſorum juſtitiæ datam debitamque fuiſſe. Fuit hæc accuſatio gravis, quam demonſtratam oportuit, ut ſe convictos agnoſcerent. Moſes ergo ingreditur probationem rei generalem, verſ. 6, 7. 11. ſpecialem verſ. 8. ſ.

A. Generalis & repetit negationem, & contrarium affirmat, verſ. 6. probatque v. 7. *Et ſcies quod non propter juſtitiam tuam Dominus Deus tuus tibi dat bonam illam terram*, & v. 5. dixerat non propter juſtitiam tuam, & propter rectitudinem cordis tui: quomodo diſtinguit externam actionem & internam intentionem; quæ ſub illo nunc comprehendit. Eſt tamen diſtinctio neceſſaria ob deceptionem cordis, quæ ſubinde hinc ducitur. Bonæ intentionis juſtitia venditatur pro juſtitia, etiam quando actiones vitioſæ deperduntur 1 Sam. cap. 15:13. ſ. Saul revertens à bello Amalekitarum ait Samueli: *Benedictus ſis Domine, ſtabilivi verbum Domini:* & hoc dicente, *quæ iſta vox ovium & boum quam audio?* quæ convictio inobedientiæ, quia exſcindere juſſus fuerat & pecora Amalekitarum, v. 3. mox præſidium arceſſit ab intentione bona: Optimis pecudibus parſum eſſe, ut Deo offerrentur euchariſtica, & accuſatus inobedientiæ, contra ſe obedientem affirmat, & intentione iſta inobedientiæ ſpeciem aboleri putat; cui Samuel negat ſacrificiis placeri Deo magis quam obedientia; inobedientiam enim eſſe peccatum incantationis & idololatriam, quibus peccatis nulla victima fuit ordinata. 2 Sam. 6:6. Uza oſtendit manum ut aream apprehenderet, ne curru excuteretur, bobus offendentibus, & percuſſus fuit à Domino ob errorem, incogitantiam. Intentio optima videbatur, ſed peccatum tamen quod attingere arcam præſumeret. Non enim mage eſt rectitudo in corde humano, quam in actionibus externis Gen. 6:5. Cap. 8:21. Fruſtra cordis jactatur ſinceritas, ubi fraudum omnium ſcaturigo, Jer. 17:9. & unde omnes actiones malæ Matt. 15:12. Prov. 14:12. & Cap. 16:25. *Eſt via quæ alicui videtur bona, ſed extremum ejus ſunt viæ mortis.* Obedientia noſtra non regitur voluntate noſtra, ſed Dei, 1 Pet. 4:2. at intentio iſta nihil aliud quam voluntas noſtra, quod ambulatur ſecundum placitum proprii cordis, quæ rebellio evidentiſſima. Deut. 29:19. Indicavit nobis Deus, quid bonum & quid exigat Mich. 6:8. non eſt quod nos iſtud inveniamus, fingendo noſtra intentione jam facimus quod malum eſt, quia regulam Dei negligimus, condemnamus, corrigere volumus. Hæc eſt gloria bonæ intentionis, quod peccati patrocinium obeat: eoque illi non indulgendum, & nobis blandiendum. Integritas cordis nulla eſt laudabilis, quam quæ exacte conſentit voluntati Dei, ut cor perfectum ſit cum Domino Deo ſuo, uti David 1 Reg. 15:3—11—14. non quod careat omni peccato: David non ſemel lapſus eſt, & in negotio Uriæ graviſſime, ſed quia cor ipſius directum erat ad obſervandum ſtatuta Dei, Pſ. 119. quod ipſi Deo regendum commendabat, Pſ. 86:11. quem imitandum habemus.

ב. *Affirmatio* contraria, verſ. 6. *Nam es populus duræ cervicis.* Similitudo à bove adhibendo aratro, cujus collo jugum imponendum eſt; ejus impatientes ſunt initio, & omni modo excutere ſatagunt, nolunt ferre vel onus ejus, vel moleſtiam, niſi domiti, & uſu adſuefacti Jer. 31. verſ. 18. *vitulus non doctus.* Hoſ. 4:16. cap. 10:11. *Ephraim juvenca eſt trituranti aſſueta*, ſub jugum cogam: Habent, vero boves colli duritiem naturalem; & ſic naturalis eſt refractaria Iſraelis inobedientia, ſæpe dicitur populus duræ cervicis, Exod. 33:3. 5. cap. 34:9. idque natura habuit Eſa. 48:4. Adeſt hoc naturaliter omnibus. Nam homo naſcitur ut pullus onagri Job. 11:12. & accedit major durities incremento ætatis Jer. 2:34. ipſa conſuetudine duratur cervix, refractaria magis, ubi hoc agendo cœpit obniti. Jer. 13:23. Naturalis durities eſt Rom. 8:7. & cum ætate creſcit quoque caro, ſeu corruptio quæ vetus homo dicitur, eſtque jugi impatientior. Jer. 5:5. ut Pſ. 2:3. Sic Judæi Jer. 7:26. 2 Reg. 17:14. Cujuſmodi Zedechias 2 Chron. 36:13. Cordis obſtirmatio attulit indurationem cervicis, uti Pſ. 2:2, 3. conſilium contra Dominum & Chriſtum ejus antecedit diruptionem vinculorum, & utraque agnoſcitur, quando perſeveratur in peccatis citra reſipiſcentiam, licet monitores prophetæ voluntatem Dei contrariam indicent & de ea convincant; quemadmodum Zedechias Jeremiam habuerat, coram quo ſe non humiliarat loquente ex ore Domini. Caveamus eam exprobrationem populi duræ cervicis, non ne ſit, ſed ne perpetua ſit. Ne ſit, cavere non poſſumus, qui multipliciter omnes rei ſumus magni & parvi. Nimis vera de nobis confeſſio Neh. 9:16, 17. Inobedientia, & obſtinatio in ea. Sed ſic accenſa ira Dei ut nulla foret ſanatio. Proinde hinc abſtinendum. 2 Chron. 30:8. Hortatur Hizkias Iſraelitas qui reſidui erant, *ne eſtote ut patres & fratres veſtri, qui contra D. Deum patrum ſuorum tranſgreſſi ſunt, & ipſe tradidit eos vaſtationi, nz indurate cervicem veſtram, ut patres veſtri. Date Deo manum, & venite ad ſanctuarium ejus.* Obedientiæ promiſſio ſignificatur ut 1 Chron. 29:24. *omnes principes & fortes, & omnes filii regis Davidis dabant manum ſe fore ſub rege Salomone.* Matt. 11:29. *tollite jugum meum* &c. quomodo collum flectendum, atque huc adſuescendum eſt à juventute Lam. 3:27. *bonum viro ut ferat jugum in juventute, quia tu impoſuiſti:* Sed inprimis ſollicitandus Deus Jer. 31:18. Jugum Domini leve Mat. 11:30. Jugum Diaboli, mundi, peccati grave, ſed Domini leve & ſuave Hoſ. 10:11. *tranſivi ſuper pulchrum collum ejus*, aſſiduo jugo collum ejus attrivi, ſed levi & commodo uſus ſum, ne pingue & tenerum collum nimis premeretur. Si collum obdurandum eſt contra jugum, id faciendum contra grave: obedientia neganda illi cujus grave jugum ad nos perdendum; aſt Deo præbenda & manus & cervix, qui trahit funibus hominum & rudentibus amoris, quique eſt ut attollens

lens jugum à maxillis, & pabulum præbet. Hoſ. 11: 4. Etiam cum laborandum maxime, præbet ſolatia, ut gaudere queamus.

Verſ. 7. *Recordare, ne obliviſcitor eorum quibus effeciſti ut irâ efferveſceret Jehovæ Deus tuus in ipſo deſerto, inde ab ipſo die quo exiviſti è terra Ægypti uſque-dum veniſtis in hunc locum, rebelles maximo opere fuiſtis contra Jehovam.*

1. *Probat* verſ. 7. inductione ſummariâ. Ubi

a. *Modus* convictionis, *Recordare, ne obliviſcaris.* Præcedente verſ. 6. dixerat *& ſcies:* nunc quomodo ad notitiam pervenire queat, Recordatione; Contra opinionem juſtitiæ propriæ convictio efficaciſſima eſt meditatio & memoria vitæ ſuæ prioris. Sic agit Moſes: non opus eſt ut ſolicite argumenta conquiram, vos iſtam operam mihi præſtabitis, modo repetatis memoria anteactæ vitæ hiſtoriam. Juſtus eſt qui juſtitiam facit 1 Joh. 3: 7. & hoc ſe facere ex plurium actionum conditione concluditur. Ergo quando actiones omnes injuſtæ deprehenduntur, non juſtitiam ſibi quis tribuere poteſt, ſed injuſtitiam; Iſtud vero deprehendet recordando citra oblivium: ut nihil negligatur. Conſcientia eſt in homine זוכור *actuarius*, qui memoriam ſervat accuratiſſimam omnium actionum, ſermonum, cogitationum; & hæc ex indice ſuo exactiſſime recitabit omnia in die judicii ultimi. Rom. 2: 15, 16. verum poteſt & nunc multa recitare, ni ſopiatur negle&u inquiſitionis, aut cauterio privetur motu linguæ, ne quid loquatur. Hæc vero loquitur quoties memoria recolitur. Et iſtud fieri vult accuratiſſime, utpote aperiendis tunc omnibus illis, quæ quia non cogitata ſunt, non facta cenſentur. Hinc eſt pertinacia in peccato, quod non ſit memoria pravæ actionis, Jer. 8. verſ. 6, 7. Vincens averſio eſt, quia nemo pœnitentia mali ducitur, dicendo, quid feci; quivis convertitur in curſu ſuo, uti equus ruens in bellum: memoria & meditatio priorum actionum cohibuiſſet. Pſal. 119: 59. cum rationes ineuntur, priora omnia revocantur in memoriam, & æſtimantur, ut de iis ſtatuatur an commodo vel incommodo cedant. Quare ad memoriam vocamur, Apoc. 2: 5. recordare unde excideris, & convertere, & fac priora opera. Jer. cap. 3: 12, 13. Eſt hæc recordatio veræ reſipiſcentiæ ſignum Jer. 31: 18, 19. Ezech. 36: 31. Eph. 2: 11. ſ. recordatio miſeriæ priſtinæ ſervanda quando inde liberati; & peccatorum etiam condonatorum, tum ne quid ſuæ dignitati tribuat quis, tum ut tanto magis æſtimet Dei gratiam. Si negligamus recordationem, non negliget Dominus, Jer. 14: 10. ſic amarunt vagari, non cohibuerunt pedes ſuos, propterea Dominus non habet beneplacitum in illis; nunc recordabitur iniquitatis ipſorum & viſitabit peccata ipſorum. Facit iſtud judiciis & convictionibus Pſ. 50: 21. ſ. quando ordine proponit meminiſſe ſe probat, & quando punit longe magis. Recordatio ad reſipiſcentiam de præterito & ad cautionem in futurum ſalutaris eſt. Sic cogitabit Deus ad benefaciendum Jer. 31: 20. & cogitabit fœderis ſui Lev. 26: 42.

b. *Quid* egerint; *quod Dominum Deum graviter offendevis in deſerto.* הקצפת *egiſti ea quæ ad iram provocarent*, eamque gravem, uti cum quis ob iram vehementem ſpumat ore. Atque adeo docet de indole actionis ipſorum: Etſi alius non offenderetur; cauſa tamen poteſt in actione eſſe, Factum autem iſtud eſt in deſerto, ubi mera Dei beneficentiâ vivebant, adeo ut ne uno quidem die potuiſſent ſubſiſtere, niſi ſuffeciſſet iis & cibum, mannam; & potum, aquam ex petra; & defenſam à feris & inſectis. Ubi omni modo ſtudendum erat ne gratiam amitterent, ibi provocarunt ad iram. Pſal. 106: 7. rebelles fuerunt ad mare algoſum, ubi non niſi divina bonitate & potentia poterant ſervari, hinc aquis, inde hoſtibus prementibus, ibi rebellarunt, quo tertium haberent hoſtem ſuperne imminentem, & utrunque alterum habentem in poteſtate, ut per eos perderet; ſiquidem vellet. Hæc eſt corruptio humana ut tunc quoque provocare auſint Deum, quando ejus maxime indigi ſunt. 2 Reg. 6: 33. *malum hoc à Domino, quid amplius Dominum exſpectabimus?* in maxima fame, quam ſolus Deus poterat removere. Eſa. 8: 21. *maledicet regi ſuo & Deo ſuo* uti Jobi uxor ſuadet marito, *an adhuc retines integritatem tuam? benedic Domino, & morere.* Et Eſa. 22: 13. quando imminebat calamitas extrema, tum vero voluptatibus frui volunt. Provocationes iſtæ quotidianæ, adeo ut dicat Deus Eſa. 1: 6. *cur amplius percuteremini; augeretis defectionem.* Eſa. 57: 17. *Indignabar iniquitati avaritiæ ipſorum, & percuſſi eos; abſcondi faciem meam & indignabar, ſed ipſi abierunt averſi in via cordis ſui.* Quod utinam non fieret jugiter inter nos! redigimur propemodum in conditionem deſerti. Non ducit nos Deus in illud, ſed mutat terram in deſertum. Sive per hoſtes, ſive per alia judicia tempeſtatum, imbrium, diſcordiæ inteſtinæ. Aſt provocationes Dei indices incrementa ſumunt. Hoſ. 5: 14. ſ. *abibo & revertar in locum meum donec* &c. Iſtud quidem experimur, ſed necdum adducti ſumus ad ejuſmodi agnitionem, & ut Deum quæramus. Pſ. 107: 4. ſ. qui errant in deſerto, in via vaſtitatis, & non inveniunt urbem habitationis, & defectu omnium deficiunt, clamant ad Deum in anguſtiâ ſuâ, & juvantur, & cum terra evaſit deſertum vaſtum judicio divino, converſio ad Deum ſuſcipienda, & ſupplex deprecatio Joël. 2. ſic impetratur Dei auxilium ad reſtitutionem. Pſal. 63: 2. Quo minus rerum terrenarum, eo plus quærit Deum, qui inſtar omnium: Qui nunquam ſuis deſertum, aut terra caliginis maximæ Jer. 2: 31. etiam in terra maximi deſerti, ubi ducit, & docet, & fovet pari cura qua pullos ſuos aquila Deut. 32: 10. ſ.

c. *Quandiu* egerint? *à die quo egreſſus* &c. Conſtantia rebellionis ab egreſſu ex Ægypto uſque in illum diem. Complectitur votum tempus ſui miniſterii; & vocat rebelles ipſos, quia contra pactum quod inierant, & quo ſe ad obſequium obſtrinxerunt, de quo ſigillatim agit in ſeqq. Conſtat iſtud ex hiſtoria. Egreſſi ex Ægypto læti, ob ſpolia quæ ferebant, ubi in deſerto ad mare perſequentes habent Ægyptios, rebellant. Exod. 14. liberati canunt Deo euchariſticum: ſed in Mara denuo murmurant ob aquæ amaritudinem cap. 15. in Sin ob defectum cibi, cap. 16. in Rephidim deficiente aqua cap. 17. Hæc antequam venirent ad Sinai, intra bimeſtre. Et hoc non omne peccatum ipſorum; vix unum ubi non fuit plurium nexus. Exod. 16. data manna cum interdicto ne aſſervarent in craſtinum; aſſervarunt; ne quærerent Sabbato, quærunt nonnulli; unde dicitur ipſis, *quamdiu renuitis ſervare præcepta & leges meas?* verſ. 28. Quoties poſt rebellarint apud Moſen legere eſt; & Deus teſtatur Pſ. 95: 10. *annis 40 irritatus fui à generatione iſta, & dixi, ſunt populus errans corde, neque norunt vias meas.* Idem annotatum Pſ. 78. & 106. ſed ut attexantur quæ in Cananæa peccarunt, adepti poſſeſſionem, uſque ad regnum Davidis. Ezech. 20. altius incipit propheta ab Ægypto, antequam liberandi eſſent, idololatræ facti more indigenarum, & continuat uſque ad captivitatem. Sic cap. 23. & 16. Sic Jer. 7: 25. ſ. cap. 5: 23. & tribuitur averſio vincens & perennans cap. 8: 5. Dicet quis: non ita malos fuiſſe; Jer. 2: 2. ſeq. *memini benignitatis juventutis tuæ* &c. Deus ergo teſtimonium perhibet obedientiæ ipſorum. Reſp. Benignitas juventutis non eſt Iſraelis, ſed Dei erga Iſraelem in juventute, uti etiam amor Dei eſt, non Iſraelis. Hoſ. 11: 1. ſ. Tum ſecutus eſt Iſrael Deum in deſerto, ſed quantâ cum obedientia, & conſtantia, hic Moſes dixit; neque Deus iſtic eo nomine laudat: imo Jer. 31. verſ. 2. *Sic ait Dominus: populus reſiduorum gladii invenit gratiam in deſerto, Iſrael nempe, cum irem ut quietem ei darem.* Tunc licet rebellantem ſæpius caſtigarit, fuit tamen Iſrael ſanctitas Domino, populus peculii, & non multum reliquit, qui lædere auſus fuit. Non meliores ſumus nos in Belgio. Ex quo Deus vindicavit in libertatem in hunc uſque diem rebellio multiplex obtinuit: & nunc etiam obtinet.

De Belgio valet verbum Moſis magis quam de Iſraele. Tota illa natio fuit fœderata Deo; præterquam quod mixta multitudo peregrinorum in deſerto quoque fuit, ſæpius rebellionis autor Num. 11: 4. Aſt in Belgio minima pars eſt fœderata Deo; magna vel aliena à fœdere, vel etiam adverſa quæ Anti-Chriſto ſervit. Et quis exſpectet ab inimicis Dei aliud quam provocationes. Qui porro fœderatos ſe

profitentur, quam multi inter eos impii, Jer. 5: 26. de quibus Pſ. 58: 4. *impii alienati ſunt inde ab utero*; Sunt & hypocritæ, qui blandiuntur ore, mentiuntur lingua, cor non eſt rectum &c. Pſ. 78: 36. ſ. Sic provocatorum multitudo ſemper. Qui optimi, habent naturam pronam in malum Eph. 2: 3. & hanc exuere penitus non poſſunt. Hinc in multis impingimus omnes Jac. 3: 2. nullus eſt qui non peccet 1 Reg. 8: 46. Enimvero ſi non ametur peccatum, ſi non continuetur, ſi dolor ſit propter admiſſum, & lucta ne admittatur, iſta accuſatio locum non habet. Rebelles dici poſſunt ut Moſes & Aaron, ob inobedientiam Num. 20. verſ. 24. ſed non conſtanter rebelles, & duræ cervicis; quia reſipiſcunt, & emendant vitam. Quod agunt pii, Zelotæ bonorum operum. Sed quam exiguus horum numerus. Multitudo aliorſum abit; & quidem juſto judicio Dei, qui ſinit ire in viis noſtris traditos placito cordis, quia noluimus audire, aut ſequi Deum Pſ 81: 12. ſ. Oportuna eſt querela Eſa. 63: 17. Utinam agnoſcamus, quo deploremus, & medicinam quæramus, antequam exſcindamur. Jer. 3: 20. ſ. Det Deus agnoſcere & deplorare averſiones, ſed idem ſanet, ut ipſi adhæreamus conſtanti adhæſione & fœdere æterno, quod nunquam oblivioni detur.

Verſ. 8. *Etiam in Chorebo feciſtis ut effervesceret irâ Jehova: nam percitus fuit ira Jehova contra vos ad perdendum vos:*

B. Nunc *ſpeciatim* producit id quod maximum & evidentiſſimum erat, Idololatriam publicam. Prolixus autem eſt in ejus deſcriptione, ut exaggeraret, indicans I. circumſtantias peccati. II. peccatum ipſum tum ratione accuſationis & convictionis, tum ratione deprecationis.

N. *Circumſtantiæ* duæ ſunt Loci & Temporis.

a. *Loci* verſ. 8. *Et in Horeb Dominum provocaſtis* &c. Horeb vel montis, vel tractus nomen fuit, uti etiam Sinai, illi ſynonymum; nam promiſcue, dicitur Deus de monte Sinai, vel de monte Horeb dediſſe ſuam legem: in Exodo, Levitico & Numeris fere dicitur Sinai, & in Deuteronomio Horeb plerunque. Saltem deſignatur locus promulgati à Deo fœderis: in quem deſcenderat de cœlo Deus, magna majeſtate, in denſa nube, & tonitruis ac fulgetris, & voce validæ tubæ, cum igne magno, ardente monte uſque in cœlum, Deo locuto ad ipſos è medio ignis, quando omnes circa montem conſtituti audierant trepidi, & deprecati fuerant ulterius alloquium Dei ipſius: imo ad quem ſolenniter fœdus initum fuerat, ipſis promittentibus obedientiam omnem, & confirmatum ſanctione per aſperſionem ſanguinis deſuper factam, ac ſenioribus LXX. loco omnium admiſſis in montem ad propriorem communionem cum Deo, cujus gloriam viderunt, & coram facie ejus ederunt & biberunt, fœderali epulo excepti; denique in quo monte habitabat gloria Dei, & nubes eum tegebat in quam Moſes ingreſſus erat, & *adſpectus gloriæ Domini, erat ut ignis conſumens, ut in ſummitate montis in oculis filiorum Iſraelis.* Exod. 24: 17. Interdiu & noctu evidentiſſimum erat præſentiæ Dei glorioſum teſtimonium, quod videbatur ab omnibus montem intuentibus; neque poterat ab ipſis abſconditum eſſe, juxta montem caſtra habentibus, Matt. 5. verſ. 14. uti civitas in monte ſita nequit latere. Iſtic loci Deum provocarunt ad iram vehementem, ea egerunt quæ talem mererentur, & Deus quoque valide offenſus fuit, ea dixit & fecit quæ graviſſimæ iræ indicia ſunt, adeo ut nil niſi exterminatio immineret.

Peccata ab ipſo loco aggravationem accipiunt quandoque. Quamvis enim nulla ſit locorum intrinſeca ſanctitas, & Deus æque vicinus ſit omnibus, qui cœlum & terram implet, & nuſquam longe abſit ab ullo homine, tamen quædam loca extrinſecam ſanctitatis ſeu ſegregationis prærogativam conſequuntur, ubi Deo placet ſingularem præſentiæ gratioſæ indicinam facere. Sic ubi revelarat ſe Deus Abrahamo, hic altare excitavit. Gen. 12: 7. cap. 13: 4. Sic Jacob Gen. cap. 28: 18. cap. 35: 7. ſ. Et Exod. 20: 24. *in omni loco* &c. Poſtea cum Deus tabernaculum ſibi fieri fecit, uni illi loco conceſſit ſignum ſuæ præſentiæ, nubem quæ illud implevit. Exod. 40. quod tandem in templum mutatum fuit 1 Reg. 8, 9. capp. Quod ſi locus ullus illuſtre habuit præſentiæ divinæ teſtimonium, fuit Horeb ſeu Sinai, de quo Pſal. 68: 18. *Currus Dei binæ myriades, millibus duplicatis, Dominus inter ipſos, Sinai in ſanctitate*; & Deut. 33: 2. Etſi vero demonſtratio majeſtatis iſtius poſtmodum evanuerit, tamen quamdiu iſtic hæſerunt, nubes incubuit monti, donec ſuper tabernaculum conquievit; quod non deſeruit toto tempore peregrinationis per deſertum. Jam ubi talis præſentia Dei peccatorum offenſio gravior erat. Lev. cap. 10: 1. ſ. Nadab & Abihu peregrinum ignem intulerunt in S. Sanctorum & igne Dei necati ſunt, dicentis, *ſanctificabor in propinquantibus ad me.* Jer. 7: 9. ſ. Ezech. 8. oſtenduntur prophetæ omnes abominationes quæ in templo fiebant, & ſemper jubetur attendere quid ibi ageret; & ad extremum, *Vidiſtine fili hominis*, &c. Manaſſis peccata cum recenſentur iſtud ultimum eſt velut graviſſimum, 2 Reg. 21: 7. Adulterium gravius eſt ſi patretur non foris, ſed in ipſa mariti domo, in ipſius thalamo, coram ipſius oculis: Uti Iſrael Jer. 11: 15. Proſtitutio corporis, & quidem in domo, ut ea fiat lupanar. Non fert Deus violationem domicilii ſui in hoſtibus, Jer. 50: 28. quæ Babel feret mala, in Zione publicantur ut ultio Domini Dei noſtri, ultio templi ejus: quanto magis indignabitur ſi ea patretur à domeſticis ſuis, imo ſi ab uxore violatur ſuus quaſi torus.

Pretium operæ eſt, ut & nos iſtud obſervemus. Nullus locus eſt ubi Deus non ſit præſens, adeo ut in quocunque præſentia ejus reverenda ſit, & cavenda provocatio oculorum gloriæ ejus. Quemadmodum enim ubi adeſt vir gravis, ubi propheta Dei, ubi magiſtratus, ubi pater aut herus, reverentia eſt cohibens ſcelus manifeſtum; unde ſuaſerunt Ethnici fingendam talem præſentiam jugiter. Heic nihil tale fingendum cum præſentiſſimus adſit ubique, licet non magis viſibilis oculis, quam quem imaginamur teſtem. *Quo irem à ſpiritu tuo? aut quo fugerem à facie tuâ? nam in* ſummis & imis ades, ad orientem & occidentem, interdiu & noctu, Pſ. 139: 7. Sed eſt præſentia Dei ſpecialis quibuſdam in locis, quæ loca proinde reverenda, gravius offenſo Deo, ſi ibi peccetur. Non quidem hodie, ſanctitas aliqua conſtans locorum eſt ex inſtitutione Dei, ut olim tabernaculum & templum, quæ Deus ipſe ſanctificavit & ſegregavit ſibi in domicilium conſtans. Tota terra eſt ſcabellum Domini Eſa. 66: 1. quæ appellatio templo ſigillatim tribuitur Pſ. 99: 5. & proinde nec in Hieroſolyma, nec in monte Samariæ tantum ſed quovis loco manus puras attollere, & Deum adorare licet Joh. 4: 21. 1 Tim. 2: 8. Veruntamen etiam nunc ſunt loca ſingularia, Deo ſanctificata. Non loquor de templis noſtris, quæ ſanctificationem debent non Deo ſed hominibus: ſed de iis quæ ſanctificationem Dei iis addunt. Matt. 18: 20. ubi 2. vel 3. congregati ſunt in nomine meo, ſum ego in medio ipſorum. Nomen Domini facit ſegregationem: iſtud non refidet in lapidibus & lignis, aut clauditur fornice templi manufacti; ſed eſt in profeſſione hominum; ubi plures eam edunt, iſtic habitat Deus, Pſ. 22: 4. tu ſanctus, habitans laudes Iſraelis. Itaque in templis, ubi conveniunt plurimi ad profeſſionem nominis Dei, in prædicando & audiendo verbo ejus & invocando & celebrando ipſum, ibi quoque eſt; ex illo Exod. cap. 20: 24. Et quia inter homines ejuſmodi habitat, evidens eſt, ſoluto cœtu & digreſſis hominibus qui convenerant ceſſare omnem templorum ſanctitatem divinam & non niſi humanam ſupereſſe. Si ergo peccetur in pubico cœtu fidelium crimen majus eſt, & Dei exacerbatio major. Lev. 19. verſ. 30. & cap. 26: 2. *Sabbata mea ſervabitis & ſanctuarium meum reverebimini. Ego Dominus.* Pſ. 93: 5. *ſanctitas decora eſt domui tuæ, Domine in longos dies.* Semper illi ſtudendum, ſed tunc maxime, quia proximior Deus. Heic peccare, & deſtinato conſilio peccare addit pondus crimini ab ipſo loco. Fit iſtud idololatria. Si uſquam in Domo Dei, ubi habitat, obſervandum illud, *Non habebis Deos alios præter faciem meam*; *non facies tibi ſculptile* &c. quod Iſraelis crimen, ubi Deus præſens in nube, ibi erexiſſe vitulum. Quam graviter itaque delinquunt ad provocationem Dei, qui in locis conventus ſacri omnia ſculptilibus & picturis repleta habent, ſive ea adorent, ſive non Ezech. 8. verſ. 5. ſ. imago prima quæ Prophetæ in templo occurrit dicitur, *imago Zeli*, ad Zelotypiam provocans (quod omnibus imaginibus congruit, in templo collocatis,) & Deus

ait,

ait, hujuſmodi abominationibus iſtic factis, ſe à ſuo Sanctuario longe abigi. Nonne ergo imaginum interdictum violant coram ipſius oculis & eum abigunt à ſanctuario ſuo, ut cœtibus adeſſe nolit, qui delectantur pictis fictiſque idolis? Quod ſi inſuper ad ſanctos illos, quos fingunt, dirigatur devotio, ut ipſi vel per ipſos Deus invocentur, nonne violant interdictum, non habebis tibi Deos alios; non præter faciem meam Meſſiam, per quem ſolum acceſſus eſt ad patrem? quot Chriſtiani nominis cœtibus igitur excluditur Deus, quia cogitur introductis adulteris ſuum domicilium deſerere? Sed non ſic ſolum eriguntur in domo Dei, loco præſentiæ ejus, idola. Ezech. 14: 3. ſ. qui veniunt in cœtum, habentes ſtercoreos Deos ſuos in corde, quibus alienatos ſe oſtendunt à Deo, quantopere offenditur ipſorum acceſſu Deus; adeo ut faciem ſuam contra illum collocare, & ipſum in ſignum & proverbium ſtatuere, & è medio populi exſcindere velit, quo ſciant ſe eſſe Dominum; & ſuam præſentiam experiantur in ultione, qui proterve ſibi illuſerunt. Hujuſmodi Dii cordis ſunt avaritia Ezech. 33: 30. ſ. mammon Matt. 6: 24. Eph. 5: 4. ſic quævis cupiditas dominans. Iſtiuſmodi provocatorum Dei multitudo eſt inter nos: qui ſuas cupiditates, idola cordium, ſecum ferunt in cœtum, dum Dei præſentiam profitentur.

Eſt porro alia adhuc violatio hujus loci. Deut. 32: 21. *provocarunt me ad æmulationem per id quod non eſt Deus, per vanitates ſuas ad iram me provocarunt. Ego quoque provocabo eos ad Zelum per eos qui non ſunt populus, per populum ſtultum ad iram provocabo eos.* Paulus Rom. 10: 19. hanc pœnam docet inflictam Judæis, quando Gentes vocatæ ſunt per Euangelium ad cognitionem Dei in Chriſto: itaque tunc potiſſimum peccatum iſtud patratum fuit, cui ea pœna per talionem inflicta eſt. Atqui tunc longiſſime abfuerunt ab omni idololatria externa, hoſtes ejus acerrimi, & qui mortem potius adire vellent, quam pati ut idola publice erigerentur. Quomodo ergo tunc provocatus per eos qui non ſunt Deus, & per vanitates? Sane non aliter quam prædictum Eſa. 29: 13. & factum Matt. 15: 8. per idololatriam diſceditur à Deo, dum alius habetur, cujus autoritati defertur fides cordis; ſic egerunt quorum timor Dei fuit præceptum hominum, ut quicquid in cultu Dei fieret, ex lege hominum fieret; quod dicit Chriſtus eſſe ἀκύρωσιν mandatorum Dei. Equitat Chriſtus in verbo veritatis Pſ. 45. verſ. 5. quod inſtar currus & ſedis ipſi eſt, ut ubi illud eſt etiam ipſe ſit Joh. 15: 7. ſed quando verbum Doctorum attenditur, ut quia ipſi dicunt, credatur; jam Chriſtus excluſus eſt & iſti locum ejus tenent. An quis principum in ipſum credidit vel Phariſæorum? ſed turba &c. Joh. 7. verſ. 48. ſ. habent illi clavem cognitionis Luc. 11: 52. labia ſacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, & ab eorum ore inquiretur lex, quia legatus Domini, Mal. 2: 7. ut non aliter ipſis credendum ſit, quam ſi Deus ipſe loqueretur.

Hæc provocans illa idololatria, quando Doctorum doctrinæ & interpretationi creditum, quia illi dicerent; & gloriam alter ab altero ſumſerunt & viciſſim tribuerunt, quod fidem facit impoſſibilem Joh. 5: 44. utpote quia loco Dei non Deus reſpicitur, & in hominum veritate fiducia ponitur, quod eſt recedere corde à Deo. Religio præceptum ejus eſt cujus autoritate recipitur. Sic Turcarum eſt Muhamedis, & Pontificiorum Eccleſiæ, & quem caput ejus faciunt Papæ. Sic eorum qui Lutheri, qui Calvini, qui Mennonis, qui Socini, Arminiive autoritate ducuntur: imo qui ullum hominem vel ſolum vel juxta cum aliis reverentur & nomen ejuſmodi ſequuntur. Provocatio Dei ad æmulationem maxima hæc, quam maximâ vindicabit; propterea mire agam, &c. Eſa. 29: 14. & verſ. 10. ſ. immittit ſpiritum Soporis, claudit oculos, & capita ac videntes excæcat, ut omnis viſio fiat ut liber obſignatus: quemadmodum Judæis accidit, Jer. 8: 8, 9. quorum cordibus incumbit velamen, ſcilicet interpretationum humanarum, per quod veritatem & Chriſtum nequeunt videre, aut non niſi male videre 2 Cor. 3: 14. Et pariter fit illis qui credunt quod Eccleſia, quod Doctores credunt: obvolvuntur pari velamine, & non Deum venerabundi reſpiciunt. Hæc idololatria ſubtilis admodum eſt, & propterea frequentior, quam vel obſervatur, vel creditur. Eccl. 3: 16. *Vidi ſub cœlo, in loco judicis, ibi erat impietas, & in loco juſtitiæ, erat impietas.* teſtatur Salomo ad aggravationem injuſtitiæ: ſic ad aggravationem idololatriæ hujus facit, quod nuſquam magis patretur, quam in loco præſentiæ Dei, quando convenitur, ut Deus colatur. Quantopere cavendum tum Doctoribus ne ſuam vel hominum aliorum autoritatem inculcent, aut ſpectari patiantur. 1 Pet. 4: 11. non dominantes fidei. 2 Cor. 1: 24. nec gloriam gratiamve quærentes ab hominibus dum verbo Dei miſcent humanam autoritatem, idque quaſi *in præſentia Dei.* 2 Cor. 2: 17. cap. 4: 2. nihil docentes aut dicentes niſi quod Moſes & Prophetæ, quodque Apoſtoli dixerunt, & ut iſtud dixiſſe auditores norint, quando ex Scripturis omnia petita oſtenduntur: tum Auditoribus, ne homines Deificent, ut ab illis alius Pauli, alius Cephæ, alius Apollos, denominari velint: ut intueantur eos tanquam miniſtros per quos crediderunt, 1 Cor. 3: 5. non quibus crediderunt, qui honos ſoli Deo debetur, & θεοπνεύστοις 2 Tim. 1: 12. Exod. 19. verſ. 8. Proinde ne cuivis ſpiritui credant, &c. 1 Joh. 4: 1. ſcrutentur Scripturas, an ſic habeant uti ipſi dicunt, exemplo Beroenſium Act. 17: 11. & juxta mandatum Dei. Eſa. 8: 20. & Chriſti Joh. 5: 39. In cœtu publico conſtituunt Deum in medio ſui, ad cujus pedes erudiantur, eoque unuſquiſque de ſermonibus ipſius participare debet, Deut. 33: 3. qui ex amore ſe ipſis præſentem ſiſtit, ut à Deo docti ſint. Joh. 6: 45. non eruditis humanæ ſapientiæ ſermonibus, nedum arte compoſitis fabulis, ſed ſermonibus quos docet Spiritus Sanctus ut Verbum Chriſti inter ipſos copioſe habitet. Col. 3: 16. quod per Prophetas & Apoſtolos locutus eſt, ut & ipſe immaneat. Joh. 15: 7.

Sed porro locus aggravat peccatum quando aliquid Deo promiſſum iſtic eſt, & non præſtatur. Qui vel ipſe Baptizatus eſt in templo coram facie Dei in Eccleſia, vel ſuos liberos ibi Baptizari fecit, ſic qui S. Cœnæ ibi adfuit, ad confirmationem fœderis, ſiquidem fœdus non obſervet, quotieſcunque ibi ſe ſiſtit convictionem à loco conſequitur; & qui iſtic præſens eſt à Deo. Joſ. 24: 27. lapis teſtis contra Iſraelem, qui audiverat omnia verba ipſorum, ne Deo mentirentur. Sed Deus ipſe teſtis toties adeſt, & mendacem agnoſcit. Quid aliud quam offenſam habet ab ejuſmodi homine, quam ultione demonſtraturus eſt. Pſ. 50: 16. 1. obſervat quibus fœdus in ore & profeſſione, cum praxis prorſus alia ſit, & præſentem ſe oſtendet convictione reali, quando verbalis non fuit efficax. Quotieſcunque procedebant ad Sanctuarium dicebantur apparere ante faciem Dei Pſ. 42: 3. Deo præſenti te ſiſtis, quoties venis in cœtum; cave ne alium quam fœderatum, quam obſequentem te ſiſtas Ad nuptias vocatus ſi non nuptialis veniat, præſentem hoſpitem injuria afficit, & ejus iram experitur vehementiſſimam Mat. 22: 11. ſ. Verum adhuc arctius conſtringenda eſt hæc adhortatio. 1 Cor. 3: 16. *An neſcitis templum Dei vos eſſe?* Non dicitur hoc omnibus hominibus indifferenter, ſed ſolis fidelibus; Mundus Spiritum illum veritatis non poteſt accipere, nam nec videt, nec novit eum: aſt manet cum fidelibus, & in illis eſt Joh. 14. verſ. 17. Adeoque in nullo loco ſunt nec eſſe poſſunt, ubi non habeant præſentem Deum. Non tantum quando veniunt in templum externum & Eccleſiæ cœtum; ſemper circumferunt templum Dei, quod ipſimet ſunt. Nihil impuri inferendum in templum, nullus immundus illum ingredi debet: quantopere cavenda ergo pollutio noſtrorum ipſorum? 2 Cor. 6: 14. ſ. *ne aliud jugum induite cum infidelibus; nam quæ communio juſtitiæ & injuſtitiæ? luci cum tenebris? Chriſto cum Belial? templo Dei cum idolis? nam eſtis templum Dei viventis, uti Deus dixit, in ipſis habitabo,* & &c. habentes ergo ejuſmodi promiſſiones, &c. cap. 7: 1. Eliſabetha ait; *unde mihi hoc, quod mater Domini mei ad me veniat?* Luc. 1: 43. aſt hoc, unde hoc nobis quod Dominus ipſe ad nos veniat; prudenter agendum in via integra, ambulandum in integritate cordis jugiter, ut venientem Dominum citra metum cum gaudio excipere, & fovere queamus; uti Maria audiendo, & meditando ejus verbum, ceu unum neceſſarium, ut ad nos veniat & habitationem in nobis faciat. Joh. 14: 21. ſ. Verum uti impura omnia procul eſſe à nobis debent, ſic quoque peregrina. Filii Aaronis habuere Sacra thuribula, & ſuffi-

tum genuinum, ſed adhibuerunt peregrinum ignem, non ex tabernaculo petitum, ſed domo propria, de ſuo allatam, & hacpropter perierunt igne Dei. Lev. 10: 1. Deo præſenti in nobis non miniſtrandum niſi iis quæ Dei ſunt. Quæcunque ex nobis ſunt, propria, diſplicent; hinc removenda humana ſapientia & eloquentia, ἰδία ἐπίλυτις, ſapientia hominum ſtultitia eſt apud Deum; attendendum Prophetico ſermoni, & hac meditatione occupandus animus, ut vera ſapientia imbuamur; removenda propria juſtitia, quæ juſtitiæ Dei adverſatur, & adferenda juſtitia Dei, quæ apud ipſum valet, ſanguinis Chriſti ad abolendum reatum, Spiritus Chriſti ad novam obedientiam; fructus ferendi ex Chriſto, ipſo eos ſuppeditante; ut ſimus quercus juſtitiæ, plantatio Domini, ut glorificetur Eſa. 61. verſ. 3. ut in atriis Domini creſcamus, & in ipſa quoque fenecta vegeti & fertiles ſimus, ad annunciandum quod Deus ſit rectus, rupes in quo non eſt iniquitas Pſ. 91: 15. qui incipit & conſummat bonum opus ut impleamur fructibus juſtitiæ, quæ per Jeſum Chriſtum ſint ad gloriam & laudem Dei Phil. 1: 6--11. Dei ſic omnia erunt, non noſtra; non peregrina Deo, ſed propria: & operantes ſalutem noſtram in timore & tremore, non nos id agemus, ſed Deus operans & velle & perficere, cap. 2: 12, 13. atque ſic conſummabit pro nobis Deus, cujus benignitas in ſeculum, neque deſeret opus manuum ſuarum. Pſ. 138. verſ. 8.

Verſ. 9. *Quum aſcendiſſem montem ipſum accepturus tabulas lapideas, tabulas ipſas fœderis quod pepigerat Jehova vobiſcum, & conſediſſem in ipſo monte quadraginta dies & quadraginta noctes, cibum non commediſſem, nec aquam bibiſſem.*

b. Circumſtantia altera eſt *Tempus*; indicatur autem, verſ. 9. & amplificatur, verſ. 9, 10, 11.

a. Indicium temporis eſt, *Quum adſcendiſſem in montem ad accipiendum*, &c. Poſtquam fœdus Iſraelis cum Deo ſolenniter ſancitum eſſet, tum ſanguine fœderali in contrahentes ſparſo, tum Senioribus ad intuitum Dei & propius commercium admiſſis Deus dixit ad Moſen, *Veni ad me in montem, & eſto ibi, & dabo tibi tabulas lapideas, & legem & præcepta quæ ſcripſi ad illos inſtituendos.* Exod. cap. 14: 12. Erat fœdus initum promulgatis conditionibus & ſolennibus vicibus ſancitum; ſed actus illi omnes fuerunt tranſitorii qui facile darentur oblivioni. Cumprimis in pactis & contractibus qui verbis ineuntur. Memoria horum elabitur, ut licet conditiones ipſæ menti inhæreant, tamen voces omnes quibus conceptæ ſunt, & in quibus aliqua emphaſis eſt, excidant. Itaque non modo utile ſed neceſſarium quoque eſt conſignari omnia duraturis tabulis, ut recurrere eo ſemper poſſint contrahentes, tum ratione eorum quæ præſtanda habent, tum etiam quæ ab altera parte poſcenda & præſtolanda. Sic quando contractus matrimonii initus, conditiones nitide deſcribuntur in pergameno, & obſignantur. Pariter Deus egit. Pſ. 111. verſ. 4. Inter mirabilia Dei uſque tunc maximum fuit Iſraelis ſegregatio in populum peculii & hic duo actus conſtituuntur, liberatio ex Ægypto, & publicatio fœderis, quibus nihil ſimile unquam dicitur factum, Deut. 4: 32. ſ. inde à conditis hominibus per univerſum orbem terrarum. Hujus memoriale excitare voluit Deus, eopſe demonſtraturus quod ſit gratioſus & miſericors. Mandavit proinde Moſi ut ad ſe veniret in montem à ſua manu tabulas illas accepturus. Et Moſes iſtud indicavit populo, quod hoc fine aliquamdiu abfuturus eſſet; unde Aaronem & Hur nominavit, qui interea temporis jus dicerent controvertentibus. Adſcendit etiam omnibus inſpectantibus in montem, & nubem quæ illum operiebat ingreſſus eſt. Itaque Iſraelitis magna religione exſpectandus fuerat ejus reditus, ut tabulis iſtis potirentur, & ipſimet cuſtodes fierent teſtimonii, de inaudito hactenus contractu quem cum Deo habebant. Jam hæc eſt aggravatio peccati ipſorum, à Tempore, quod iſto intervallo illud patrarint.

Tempus nonnunquam auget crimen. Si deſponſatio facta fuerit, antequam conveniant, dum adhuc conditiones deſcribendæ ſunt, tum ſcortari ſponſam fœdiſſimum eſt ſcelus. Deut. 22: 23. ſ. Hoc erat crimen cujus Mariam habuit ſuſpectum Joſephus quæ ſibi deſponſata prægnans reperiebatur merebatur παραδειγματίζεσθαι Mat. 1: 19. Sed Angelus innocentiam Mariæ declaravit, Iſrael autem hujus reus fuit. Jer. 2: 2, 3. per deſponſationem factus Deo ſanctitas; ſed illo ipſo tempore, perfidus, verſ. 20. *dicebatis non ſerviam*, ſcilicet idolis Ægyptiis, quibus adhæſerant. Ezech. 20: 7, 8. vel ob varietatem literæ unius, *non transgrediar.* Scilicet divina præcepta, vel mea promiſſa: quæ omnia conſentiunt. quemadmodum in deſponſationibus, poteſtas proprii corporis appropriatur ſponſo à ſponſa, ſic ſe totum Iſrael addixit Deo. Fidelis, quamdiu non data occaſio delinquendi; detur modo oportunitas minima, clivus altior, arbor umbroſior, mox feſtinatur ad idololatriam: Imo ne quidem oblatis iſtis, in planitie ad montem Sinai patratum malum, cum vix evanuiſſet ſonus promiſſi ſui. Num. 25: 6. dum Moſes & Iſraelitæ flent ad oſtium tabernaculi, ob peccatum populi & Dei iram. Zimri Midianitidem quandam omnibus inſpectantibus in ſuum tentorium introduxit: impudentiſſima provocatione. Ita poſt recens promiſſum obedientiæ. Deut. 29: 18. ſ. Dum ſonus conditionum fœderalium in aure adhuc, quas admiſit, alias non foret Dominus Deus ſuus, jam meditatur in corde adulterium. Unde ira implacabilis ad vindictam. Hoſ. 6: 3 4. Subito evanuit omnis religio. Scilicet mos hominum eſt, vanis ceremoniis illudere Deo, te complimenteeren met God. Nullus hominum occurſus eſt qui ſi maxima fiant promiſſa ab hominibus, ſum ſervus, humilis imo humillimus famulus, & non digreſſum eſt quin prorſus contraria agantur, imo dum adhuc verbum illud in ore, cor meditatur malum. Pſ. 41: 7. Non aliter agitur cum Deo. Quotieſcunque acceditur in ejus præſentiam, nihil non pollicentur, quod velint eſſe Domini. Sed vix egreſſi ſunt ex templo, vix exiit verbum ex ore, quin illico redeatur ad cultum idolorum quæ quiſque ſibi delegit. Pſ. 78: 36, 37--41.

Non eſt iſtud ſolum peccatum Iſraelitarum: non ſumus alii. Meditamini tria tempora, quæ iſtam aggravationem ordinarie afferunt: I. Tempus Sabbathi ſeu Dominicæ, quod recordandum ut cohibeatur pes à faciendo opere proprio, & abſtineatur à placitorum propriorum praxi ſeu judicetur à Domino Deo noſtro in exercitiis reſipiſcentiæ & fidei. Sed quis dies magis deſtinatur placitis propriis; ſi ſemel aut ad ſummum bis ingreſſi fuerint templum, tum vero cæteræ horæ liberæ ſunt ad vanitatem, temulentiam, aliaque peccata, aut conſilia ineuntur otioſe, qua maxime oportunitate ſuas expleant cupiditates. Amos 8: 5. ſ. Quin hoc tempore creditur privilegium eſſe violandi Sabbathi, dum ventri & culinæ proſpicitur, & cum Deus nollet quenquam egredi Sabbatho ad colligendam mannam, imo nollet tum dare: iſto die mactantur boves; ſed an Deus velit depluere benedictionem quis promittat? II. Tempus S. Cœnæ, quando renovatur fœdus cum Deo, tum promittitur, quod Dei ſimus futuri, quod nullum alium Deum ſimus agnituri, non victuri aliis legibus, & rationes adduntur à beneficiis præſtitis redemtione per Chriſtum, & quæ hanc conſequuntur. Sed ſi dies ille tranſmittatur in abſtinentia à publicis tranſgreſſionibus, ſaltem poſtridie reditur uti ad vocationis opera, ſic ad peccata quoque, & poſt recentiſſima promiſſa, peccata ſunt eadem, imo graviora. Sicut Joſ. 24: 16. ſ. cum fœdus repeteret Joſua commemoratis Iſraelitæ reſpondent *ſerviemus Deo, nam Deus noſter eſt*, & moniti de Zelotypia Dei contra perfidos, tamen perſeverant, *Serviemus Domino Deo noſtro*, factum iſtud ſub finem vitæ Joſuæ: ſed quamprimum ipſe per mortem ab ipſis remotus illico deficiunt, quaſi nihil promiſiſſent, quod adeo recens erat. III. Tempus eſt jejuniorum, quæ menſtrua ſunt, quando ex lege omnium jejuniorum affligendum eſt corpus, ut ſentiat moleſtiam inediæ, & qui non facit iſtud Deum habet vindicem, ſi verbo ejus fides eſt etiam quoad noſtra jejunia. Sed quis eſt propemodum qui jejunet? Jer. 36. cum ageretur jejunium publicum, Jojakim ſedit in domo ſua ad focum, ſecurus

rus ſuæ voluptati ſerviens. Religioſior rex Ninives, qui primus poſuit regias veſtes, & cilicium induit, ſeditque in pulvere, mandavitque abſtinentiam ab omni cibo, tam pecoribus quam hominibus Jon. 3. Sane ſatius foret abrogari jejunia, quæ ſemper mendacia ſunt, & Deo in faciem patrata. Eſt vero hoc minimum adhuc eorum quæ tunc admittuntur. Admovetur tunc tuba ori, & denunciatur adventans judicium ob tranſgreſſionem fœderis, & rebellionem contra legem Dei; atque tunc clamatur ad Deum; Deus mi novimus te, ut Hoſ. 8: 12. quando commotio aliqua major eſt, quærendo Deum, & delectando cognitione viarum ejus. Sed aſtringuntur nodi impietatis, & aggravatur jugum; neque deſeritur vel tranſgreſſionum minima. Non omittitur ullum vanitatis & faſtus inſtrumentum in veſtibus, fraudis & injuſtitiæ artificium in actionibus, nedum ulla cupiditas in cordibus. Hoc modo vero tempus ipſum uti aggravat peccata, ſic auget iram Dei. Eſa. 1: 13. ſ. Amos. 5: 21. quæ tempora forent conciliandi Dei, fiunt alienandi. Ezech. 23: 38. ſ. Deus fecit omnia pulchra ſuo tempore Eccl. 3: 11. à tempore etiam accedit decus, & contra dedecus ſi quid ſuo tempore non fiat. Ne temporis accuſationem addamus ad alias convictiones. 2 Cor. 6: 1. ſ. Pulcher dies, quando Deus audire facit vocem ſuam; & hodiernus talis fuit: itaque Pſ. 95: 7, 8. Dies Domini dedecoratur, quem ipſe facit ſui alloquii, ſi tum nolimus habere aures audientes. Tempus ipſum uſurpandum ut commendet obſequium noſtrum. Eſa. cap. 56: 2. ſ. Præter officium pietatis etiam tempus commendatur. Hoc obſervemus qui peregrini ſumus. Redimendum tempus quia dies mali & hæc eſt Chriſtiana ἀκρίβεια Eph. 5: 15, 16. multo magis quod Deus ipſe conſtituit, aut Magiſtratus Sabbata: ſic benedictionem & felicitatem conſequemur; adducam eos ad montem ſanctitatis meæ &c. Eſa. 56: 7.

b. Amplificatio eſt in deſcriptione I. actionis Moſis. II. actionis Dei. III. tabularum.

a. Actio Moſis eſt adſcenſus in montem, & mora in monte.

1. *Adſcenſus* fuit alicujus moræ, Exod. 24: 13. una cum Joſua adſcendit, & hic manſit in monte uſque in reditum Moſis cap. 32: 17. adeo ut nihil eorum ſciret, quæ ab Iſraele patrata interim eſſent: atque ibi quoque manna fuit ſuſtentatus, idque per dies 47. Etenim Moſes cum ſexiduum in monte præſtolatus fuiſſet, dum gloria Dei & nubes montem operuiſſet die ſeptimo Deus Moſen vocavit è medio nubis, atque ille ingreſſus eſt in medium nubis, altius adſcendens in verticem montis. *Mora*, & fuit in monte 40 diebus & 40 noctibus. Exod 24: ult. de qua mora hic dicit ſe tanto tempore manſiſſe, neque comediſſe panem, neque bibiſſe aquam.

Hinc diſcimus, *quanta præparatione opus, accedentibus ad propiorem communionem cum Deo.* Septiduum integrum in monte hæſit, antequam evocaretur in ipſam nubem. Cum Deus promulgaturus eſſet fœdus ſuum triduanam ſanctificationem mandavit Iſraeli Exod. 19: 10. Et quia Moſi plura revelaturus erat ulteriorem exegit præparationem. Non admittimur ad ejuſmodi communionem cum Deo ut ſuo ore loquentem audiamus, vel videamus propius ejus gloriam; veruntamen nobis quoque opus præparatione Eccl. 4: 17. Plures menſes impendebantur ad præparandas virgines introducendas ad Aſuerum, ſex oleo myrrhino, & ſex aromatibus, & ornatu muliebri, Eſt. 2: 12. Paramur nos, ceu virgo Chriſto 2 Cor. 11: 3. tempus omne impendendum eſt præparationi legitimæ, Cant. 1: 3. olea tua bona ad odorem. Nomen tuum eſt oleum effuſum. Hac debemus penitus quaſi imbui ad diem nuptiarum. Aſt nunc quoties ad miniſtros ejus accedendum eſt, qui aliquid de ipſa, Sponſo Chriſti nunciant, parati ſimus oportet. 1 Cor. cap. 11: 10. Mulier in cœtu debet geſtare ſignum ſubjectionis marito ſuo, qui Chriſti capitis repræſentatio eſt, propter Angelos, miniſtros Chriſti, & multo magis debet & mulier, & quivis accedens eam ob cauſam ornatus eſſe convenienter, 1 Tim. 2: 9. ſ. turpes alias fœminæ, & longe turpiores viri. Vocantur ad nuptias præparatio nuptialis ſit oportet, ne temporis profanatio & loci judicium accerſat.

2. *Mora* Moſis iſta tot dierum prima fuit, repetita deinde. Quid toto illo tempore egerit Exod. 25--31. capp. explicatum eſt. Deus ipſi mandavit ſtructuram tabernaculi, & omnia ejus inſtrumenta cum verbis delineavit, tum in viſione repræſentavit ut exacte noſſet, & aliis deſcribere poſſet, qui opifices futuri erant. Sed heic notatur miraculum ſuſtentationis ejus ſine cibo & potu toto illo tempore. Præter ipſum idem expertus eſt Elias 1 Reg. 19. & Chriſtus Matt. 4. ſed differenter. Chriſtus in deſerto tentatus à diabolo, qui finitis illis diebus eſuriit Mat. 4: 1. ſ. Marc. 1. verſ. 12. ſ. Elias in itinere præparatus cibo & potu quem Angelus ipſi attulit: aſt Moſes apud Deum in fruitione gloriæ Dei.

Communiter hinc obſervamus, *Non vivere hominem ſolo pane*, Deut. 8: 3. Poteſt etiam Deus ſine illo ſuſtentare, ſiquidem velit. Verbum benedictionis ejus præſtat omni abundantiæ. Sive parum ſit, ſive nihil, modo ipſe velit, ſatiatur homo. Pſ. 127: 2. Hacpropter fiducia collocanda in Deum. Habet ille theſaurum occultum quo poteſt ſatiare, Pſ. 17: 14. ſed largitur iſtud ſolum dilectis ſuis. Pſ. 34: 10. ſ. Non quidem eodem modo agit, neque miracula poſtulanda, veruntamen præbet quantum neceſſarium eſt ad conficiendum iter præfinitum; uti Eliæ. Subinde defectum facit neceſſarium uti Chriſti cum Diabolo verſantis, qui non niſi precibus & jejuniis expellitur. Sic quoque facit eſurire, ut tentet conſtantiam obſequii, etiam in egeſtate & dependentiam ab ipſo. Aſt conditionem Moſis in vita æterna obtinebimus. Speciatim enim imaginem cœleſtis vitæ cernimus in Moſe. Judæi de eo ſtatu; *in futuro ſeculo non eſt eſus aut potus, ſed beati ſatiantur fulgore gloriæ Dei, & ſedent coronas habentes in capitibus ſuis.* Servator ait in illo ſeculo non nubere aut ducere uxores, ſed eſſe ut Angelos Dei Luc. 20: 35. ſ. Corpora tunc erunt glorioſa, incorruptibilia conformia corpori Chriſti glorioſo Phil. 3: 21. 1 Cor. 15: 42. ſ. 1 Cor. 6: 13. dicitur *Cibi ſunt pro ventre, & venter pro cibis, Deus autem & hunc & illos abolebit.* Non quod corpora caritura ſint membris ſuis, ſed quod uſus ille ſit ceſſaturus, utpote ſuſtendandis corporibus immediata Dei virtute. Felix ille ſtatus, excedens Adami felicitatem in integritate; tunc indigebat cibo & potu, eoque etiam labor ei imperatus, quamvis citra omnem moleſtiam & fatigationem. Verum in futuro ſeculo illo erimus ut Angeli Dei, cibo & potus non indigi, neque labori obnoxii, niſi qui Angelorum eſt, qui interdiu & noctu non habent quietem, dicentes, *S. S. Sanctus Dominus Deus omnipotens qui erat & venturus erit.* Apoc. cap. 4: 8. ut Deum celebremus in omnem æternitatem.

Verſ. 10 *Et daret mihi Jehova duas illas tabulas lapideas ſcriptas digito Dei; quibus inerat ſecundum omnia illa verba quæ loquutus fuerat Jehova vobiſcum in ipſo monte è medio ignis, die congregationis.*

β. *Actio Dei* eſt, verſ. 10. *Dominus dedit mihi tabulas*, & verſ. 11. dedit eas in fine 40. illorum dierum. Dominus qui dixerat conditiones fœderis, idem quoque dedit conſignatas, ne quid mutatum dici poſſet. Fuit hæc quaſi ratificatio ſolennis. Ea peracta erat per Moſen, Exod. 24. ſed jam tabulas ſua manu extradit Deus. Multum inde autoritatis accedit fœderi, quod non tantum à Legato, ſed à Rege ipſo habet confirmationem. Quod demum ultimo die traditæ, non docet tamdiu Deum fuiſſe in opere, quum ad creationem tabulæ pertineant, ſaltem quoad præparationem ubi juſſum Dei ſufficit, imo jam ante Moſis adſcenſum in montem ſcriptæ fuerunt, Exod. 24: 12. ſed quia Deus priores illos dies occupavit in inſtruendo Moſe; quem more hominum quodammodo edocuit, & tot dies tribuit, uti in prima creatione ſex dies fuit occupatus; cujus ſpacii aliam rationem edere non poſſumus præter Dei beneplacitum.

γ. Tabulæ ipſæ deſcribuntur à forma externa, *tabulæ*, quæ longitudine & latitudine excedunt denſitatem, ſuntque planæ: à materia, *lapideæ*, ſed an ex communi vel pretioſo lapide non indicatum eſt; illud veriſimilius, quia

quia Moſes poſtea ſimiles parare juſſus fuit, à numero, *duæ*: quæ etiam dicta Deut. 4: 13. & ibi explicata. Tabulæ, ut in iis ſcribi poſſet; lapideæ ut durabiles eſſent: ut Job. 19: 24. duæ, ut teſtium duorum vicem eſſent; quamobrem tab. teſtimonii dicuntur Exod. 31: 18. cap. 32: 15. niſi materia inſcripta differentiam fecerit, ut una haberet Dei, altera hominum fœderalia officia: vel prima inſuper quæ homo Deo, & altera quæ homini præſtanda habebat.

Sed potiſſimum hic eſt *Uſus*, inſcriptio nempe: Cujus Autor Deus; *ſcriptæ digito Dei*, ut etiam Exod. 31: 18. atque hinc dicitur Scripturam fuiſſe Dei Scripturam, quemadmodum opus quoque Dei fuerunt, cap. 32: 16. *Digitus Dei* potentiam Dei notat, quod omnipotente virtute facta ſit, Pſ. 8: 4. cœlum dicitur *opus digitorum Dei*, & Gen. 1: 6. dicit Deus, *ſit expanſum*; adeo ut juſſum indicetur. Sic Exod. 8: 19. productio pediculorum. Cæterum *digitus* dicitur, quia ſolet eſſe inſtrumentum ſcribentis, Joh. 8: 6. per anthropopatheian.

Materia ſeu res quæ ſcripta, verſ. 9. fœdus Dei. Conditiones pacti mutui, quid Deus, quid homo præſtandum haberent, ut fœderati forent. Deut. 4: 13. Decalogum fœdus eſſe dicitur. Atque hinc tabulæ denominantur Tabulæ fœderis, verſ. 11. 15. & ſic in Novo Teſtamento Heb. 9: verſ. 4. Hodie ſolent appellari tabulæ legis, ſed conſilio humano; nam in Scriptura univerſa iſtud nomen non occurrit. Spiritus S. illo uſus non eſt, ſed vel tabula fœderis, vel teſtimonii, quia de fœdere teſtantur: cujus conditiones exhibent, & qui mavult cum Spiritu S. quam cum hominibus loqui, etſi clavem cognitionis ſe habere jactent, cautius & religioſius facit. Sic enim ſemper monetur de fœdere & mutua obligatione, & uti inde diſcit quid imperetur homini, ſic quoque quid Deus ſibi impoſuerit, ex pacto ſeſe obligans. Sed de his alias dictum. Cæterum fœdus Dei & ejus conditiones cum Iſraele complectitur quoque judicia, & ſtatuta quæ Exod. 21: 22, 23. continentur, quæ omnia Moſes repetiit, & in ſuo fœderali libro deſcripſit cap. 24: 3. ſeq. Sed iſta omnia non ſcripſit Deus in tabulis, quamobrem additur limitatio verſ. 10. *in illis juxta omnia verba quæ Dominus è medio ignis* &c. nihil aliud quam Deum ipſummet locutum audierant. Quæcunque per Moſen mandavit, ab ipſo quoque ſcribi voluit: ſed ſua verba ipſemet conſignavit. Diſcimus hinc conſtantiam illorum verborum: quæ magis adhuc confirmatur iteratione Scripturæ Deut. 10: 4. & potiſſimum Jer. 31: 33. legem ſuam non aliam, ſed eandem ſcribet mutatis tantum tabulis, ut corda ſubſtituantur lapidibus. Cordibus inſcribenda à nobis ipſis eſt Prov. 3: 3. jugi meditatione, ſed efficaciter fit à Deo, ut nunquam deſeri queat. Hæc Scriptura digito Dei indiget, Spiritus S. ita vocatur Mat. 12: 28. coll. cum Luc. 11. 20. Eſt ea vere, quod Judæi de Scriptura tabularum fabulantur, penetrans: quod in corde ſcripſit, poteſt legi in vita Pſ. 37: 31. Rom. 16: 17.

Verſ. 11. ***Fuit enim exactis quadraginta diebus & quadraginta noctibus; quum daret mihi Jehova duas illas tabulas lapideas, tabulas ipſas fœderis.***

Verſ. 12. ***Ut ediceret Jehova mihi, ſurge, deſcende celeriter hinc, nam corrupit ſe populus tuus quem eäuxiſti ex Ægypto: receſſerunt citò ab ea via quam præſtitui ipſis, fecerunt ſibi fuſile.***

ב. *Peccatum* ipſum deſcribit, indicans quomodo id detectum & condemnatum fuerit à Deo, verſ. 11--14. quid ipſe egerit ut exſecutionem iſtam averteret, verſ. 15. cap. 10: 11.

a. *Quomodo Deus ſe geſſerit* circa illud peccatum docet ejus I. Detectione, verſ. 11, 12. II. Condemnatione verſ. 13, 14.

a, *Detectio* habet quando facta fuerit, & quomodo.

α. *Quando* facta ſit, verſ. 11. *Et fuit in fine* 40. *dierum* &c. *dedit mihi Dominus* &c. *Et dixit Dominus ad me*. Quadrageſimo die Deus tabulas illas fœderis dedit Moſi, & dans ſimul indicavit peccatum Vituli. Jam patrata erat idololatria, cum Deus dedit Teſtimonium iſtud. Nam ipſo die quadrageſimo dedit illud Deus: atqui illo die quoque fuit feſtum Vituli, Exod. 32: Tardante Moſe in Monte populus ab Aarone popoſcit confectionem Deorum, qui antecederent progreſſuros verſus Cananæam. Aaron aſſenſus, quod tamen non illico feciſſe credibile eſt, juſſit ſuas inaures conferre, ſpoliatis uxoribus & filiabus, quod ſe non putabat impetraturum: & his collatis à ſuperſtitioſis, conflavit vitulum & cælo formavit, atque ipſis ſtitit, quod cum placuiſſet omnibus, illud idolum erexit, altare ante illud ſtruxit, & in craſtinum poſt erectionem feſtum proclamavit, quod celebratum fuit oblatis ſacrificiis, & conviviis, ac tripudiis ſolennibus inſtitutis. Liquet hinc compluribus diebus fuiſſe in præparatione. Neque id latuit Deum, qui non tantum perrexit inſtruere Moſen de tabernaculi ſtructura & ejus opificibus, ſed cum jam ageretur feſtum vitulo, tradidit tabulas Moſi.

Mirantur omnes heic duo I. cur Deus qui norat quid ageretur ab Iſraele, non indicarit citius & impedierit per Moſen illo miſſo? II. cur poſt idololatriam patratam tabulas dederit Moſi?

Prior quæſtio eſt, cur Deus non citius indicarit? Si Moſes veniſſet in principio, cum poſcerent idolum, diſſipata fuiſſent illa conſilia: nam tardante Moſe id factum. Reſpondemus autem, ratio fœderis ipſorum id poſtulabat. Polliciti erant obſequium exactum ex propriis viribus; verbum quod audiverunt à Deo, non miſcuerunt fide Heb. 4: 2. quærentes juſtitiam non ex fide, ſed ex operibus legis Rom. 9: 32. Fides apprehendiſſet Deum dicentem, Ego Dominus Deus tuus, qui te eduxi &c. dixiſſetque: Tu Deus meus es, Hoſ. 2: ult. & Zach. 13: ult. & in Deo habuiſſet, & inde petiiſſet robur ad obſequium. Sed ipſi pollicebantur citra fidem antecedaneam, eoque non de alieno, quod fides ſolum ſpectat ſui abnegationem afferens; verum de proprio, cum tale cor, quod requirebatur, non haberent, neque peterent Deut. 5: 29. Debuerunt ergo ſibi relinqui, ut quod ſuſceperant agerent ipſi, & quærerent gloriam à ſeipſis. Ut Eſa. 5: 4. quid fuit faciendum ultra vineæ meæ quod non feci? non quod plura nequiret facere, aut quod aliud exſpectandum eſſet, ſi plura non faceret; ſed quia ex pacto non erat plus faciendum Deo, ne quærentibus ſuam gloriam eam præreptum iret. Sufficit indicaſſe officia præſtanda, & de iis monuiſſe; Cætera ipſismet fuerunt permittenda, ut ſibi conſulerent. Pſ. 81. verſ. 12. ſ. Sic ergo ſivit eos Deus progredi ad extremum uſque actum, ut conceptum peccatum parerent, quemadmodum Sodomitas ſivit in omnigenis peccatis procedere, & tandem venit viſum, an extremum gradum attigiſſent, Gen. 18: 20, 21.

Quæſt. Quare Deus non cohibuit eos ante patrationem, uti Abimelechum, Gen. 20: 6. qui deſiderans Saram, eam in domum ſuam jam deduxerat. Reſp. Debuere ſibi ipſis innoteſcere, ut ſui pacti ſtultitiam agnoſcerent, Ergo hic deferendi fuere, ut tentaret eos Deus ad ſciendum, quid eſſet in corde ipſorum, eſſentne obſervaturi præcepta Dei Deut. 8: 2. Abimelechi exemplum aliud eſt, Deus ait. Novi in integritate cordis tui te iſtud feciſſe, & impedivi te ne contra me peccares: propterea non ſivi te ut ipſam attingeres. Integros corde cohibet Deus, ne peccent, iſtis benefacit, ſed qui ſe inclinant ad contortas vias ſinit abire cum operariis iniquitatis. Pſ. 125: 4, 5. Pſ. 81: 12. ſ. *Populus meus vocem meam non audivit, Iſrael me non voluit, propria tradidi ipſos in placitum cordis ſui, ut ambularent in conſiliis ſuis*. Exſpectat Deus peccantes impios, ſed ut conſument peccata, aut impleant menſuram: quandoque etiam pios negligentiores, ut ſibi pateſiant, & ſuperbiam dediſcant. 2 Chron. 32: 31. Deprecanda iſta exſpectatio eſt, & poſtulandum, Pſ. 19: 14. *Cohibe ſervum tuum à ſuperbiis*, &c. ut quandocunque declinamus illico injiciat manum, & retrahat; obſepiat vias ne inveniamus, Hoſ. cap. 2: 5, 6. amaſios noſtros, ſed regrediamur ad Dominum cui devincti ſumus. Adhæc ſollicitudo adſit ad examen viarum, ne longius aberremus Pſ. 119: 59, 60. & ut ſtabiliantur pedes noſtri in ſtatutis Dei, neque dominetur nobis iniquitas, verſ. 133.

Poſte-

Posterior quæstio est, cur Deus idololatria admissa dederit tabulas? violarant illi fœdus, adeoque tabulæ istæ inutiles erant, & Israel indignus qui haberet; unde Moses eas illico confregit. Resp. Si Mosen spectemus necessarium erat, ut id fieret. Voluit Deus ut Mosi crederent in perpetuum, hac de causa populo audiente cum ipso locutus est. Exod. 19: 9. Jam Moses adscendens in montem ad Deum hanc causam dixerat, ut acciperet tabulas illas Exod. 24: 12. s. Si ergo rediisset sine tabulis, potuissent dubitare de ejus fide, & cætera quoque conficta credere. Accedit quod iis utendum habuit ad convictionem ut vers. 17. videbimus. Sed si spectamus Dominum, majoris momenti causa est. Num. 23: 19. Differentia est inter Deum & hominem: hic mendax est, & pœnitens facti sui: Deus non item; qui hominis indolem omnem novit, ut præsciat quid facturus sit. Itaque Deut. 7: 9. est Deus ille fidelis qui servat fœdus & benignitatem. *Etsi ipsi fuerunt infideles, an ipsorum infidelitas fidem Dei irritam reddet? Absit. Sed esto Deus Verax & omnis homo mendax.* Rom. cap. 3: 3, 4. *si nos infideles sumus, ipse manet fidelis semetipsum abnegare non potest* 2 Tim. 2: 13. Mal. 3: 6. Equidem testatur Jer. 31: 32. *irritum fecerunt fœdus meum, & sprevi eos;* sed id dicitur respectu promissionis ipsorum & ut vindicaret in osores suos, eorumque filios & nepotes; sed non valet ad abolendum promissionem suam, se fore eis Deum. Ezech. 16: 59. s. *Sic ait Dominus Deus: an etiam ego facerem, ut tu fecisti contemnendo jusjurandum, frangendo fœdus? Imo recordabor tibi fœderis mei tecum, in diebus juventutis tuæ, & faciam tecum fœdus æternum.* quatenus Israelitarum erat, ab ipsis fuit violatum, & sic nihil habebant postulandum: ast quatenus Dei erat, manebat constans, & Deus sibi ipsi debitor ad præstandum. 1 Sam. cap. 12: 22. *Dominus non deseret populum suum propter nomen suum magnum; quia Domino placuit vos sibi facere in populum.* Deus ipse hujus rei testis Lev. 26: 44. s. non tantum promittit recordationem fœderis cum Jacobo, Isaco, Abrahamo, vers. 42, sed etiam Sinaitici: Gentes testes fœderis à Deo initi forent testes Deum mendacem, pœnitentem esse, nisi Deus perennaret Israelitis fœdus: unde horum peccata negatur intueri. Num. 23: 21. scilicet ad illum usque effectum. Jer. 31: 37. qui propterea eis novum fœdus promisit, non respectu sui, sed respectu ipsorum: non alium se fore dicit, sed alios se facturum ipsos. Etiam in novo fœdere erit Deus ipsorum, sed in hoc inscribet legem suam cordibus, & indet reverentiam sui, ut nunquam recedant à se, & suam voluntatem ut faciant ac mandata, per Spiritum suum operabitur. Jer. 31: 33. cap. 32: 38. s. Ezech. 36: 26. s. Hæc ergo causa est, quod etiam nunc tabulas fœderis Mosi tradiderit. Magnum in ista Dei immutabilitate solatium cujus quoque tabulæ traditæ testimonium sunt. In hac fidelitate Daniel constituit fundamentum suarum precum. Dan. 9: 4. Nihil aliud de Israele dicit præter peccata & transgressiones omnium ordinum, & rebelliones gravissimas: attamen petit veniam, & restitutionem propter fœdus, quia populum suum fecerat Israelem, à se denominatum. Quocirca laborandum nobis ut simus fœderati Dei; æterna securitas inde est, Rom. 8: 38. non pœnitet Deum, licet multa supervenire queant adversa, imo per mortem temporalem omnia videantur præcisa, tamen ut τὸ Deus Abrahami ejus resuscitationem & felicitatem æternam demonstrat Mat. 22: 31. s. ita quoque nostram si etiam nobis Deus sit. Equidem non impedit istud ut osores suos non puniat, etiam in posteritate sua, in 3 & 4 generationem: veruntamen amantes ipsum in 1000. generationem fidelitatem ipsius experientur. Ps. 103: 17, 18. Hos. 13: 14.

β. *Quomodo* detectio facta fuerit discimus ex sermone Dei ad Mosen, vers. 12.

In genere hinc observamus, *quam perspicaces sint Dei oculi, ad omnia hominum pernoscenda.* Erat cum Mose occupatus ut instrueret eum de tabernaculi structura: sed hinc non minus intentus in vias Israelis Jer. 32: 19. Impii negant Job. 22: 13. s. vel impediri opinantur densitate nubium, vel aliis occupationibus. Sed falluntur, maximopere. Occupatissimus quidem Deus est, dum mundum universum regit, Act. 17: 25. s. & operatur jugiter Joh. 5: 17. Sed moles illa negotiorum incomprehensibilis nobis, nec facit insufficientem, neque fatigat. Esa. 40: 28. & ℣. 26. nihil fit vel aperto vel in operto in intimis visceribus terræ aut maris, imo in profundissimo corde, quod non habeat exploratissimum: Omnia cum fiunt, & antequam fiant. Cauti ergo simus quoad omnes vias nostras, tum externas, tum internas cordis. Cunctæ patent Deo, non tantum ut possit, si velit, videre; sed qui videat, quia vult & debet videre, utpote alioque non futurus judex justus, & supremus qui nec nosset omnia, neque de omnibus sententiam diceret. Ignorantia aliorum facit confidentes ad peccandum: noctu perfodit fur ædes, & adulter tenebras observat, dicens, nullus oculus me videbit, & imponit velamen faciei Job. 24: 14. s. merces injustitiæ, munera & compensationes, captantur in occulto. Sed si cui pudor est ob oculum alienum, cur non est ob oculum Dei? alius oculus testis est, & famam tantum inter homines lædet, sed Dei oculus judicis est, qui æternam damnationem inferet. Mich. 6: 9. Jer. 17: 10. Deus quidem invisibilis. 1 Tim. 1: 17. sed nulla creatura invisibilis coram ipso. Heb. 4: 13. Quem non vides, videt te. Imitandus Moses, contemsit honores, divitias, voluptates Ægypti, & ipsam iram regis. Heb. 11: 27. fide intueamur Deum, qualem se nobis depinxit in verbo, & intuitu isto moveamur ne quid agamus quod offendat oculos gloriæ ejus: sic videbit nos ad nostrum solatium & salutem. Mal. 3: 16. qui nolunt cum impiis Deum neglectim habere, sed timorem ejus servant, & mutuum excitant, Deus videt, & recordabitur ad æternam felicitatem. Præterea: Occulta peccata Deus tandem manifestat. Indicat Mosi & per illum ipsi populo, qui sibi placebat in suis actionibus. Sic protrahit in lucem peccatores, Davidem. 2 Sam. 12. Sic ministri sunt Dei homines, signa, conscientia propria, & tandem dies ultimus, Eccl. 12. v. ult. 1 Cor. 4: 5. Serius ocyus patescet turpitudo peccati ad temporalem vel æternam ignominiam.

In specie, Indicat Mosi, jubetque celeriter descendere. Fuerat ille postulatus à populo, & à Deo admissus Mediator fœderis, & ipse sanciverat istud solenniter super stipulatione Israelis, itaque ipsi indicium facit Deus, & jubet ipsummet inspicere, quo testis foret, & qui Israelitas convinceret: hinc dicit, nam populus tuus, quem ex Ægypto eduxisti, corrupit. Populum ipsius vocat, quia ejus populi personam egerat apud Deum, adeoque de ipso monetur.

Festinatio mandata, ut deserat istam communionem cum Deo in monte, & ad Israelitas descendat. Nihil magis festinationem requirit, quam ut homines de peccato moneantur ad illud impediendum. Respectu Dei quidem, quia cum hoc unum adversetur gloriæ Dei, peccatum nempe, festinanter illi obviam eundum, ne gloria Dei lædatur, non agnoscendo eum legislatorem, neque ei obtemperando. Omnia facienda sunt ad gloriam Dei, 1 Cor. cap. 10: 31. & proinde omnis provocatio ejus, & unde blasphemandi occasio datur impediendum est. Homines cum se lædendos putant, provolant ut illud impediant; multo magis pro gloria Dei festinanter zelandum. Act. cap. 14: 14. Paulus & Barnabas lacerant vestes, & prosiliunt in populum ne sibi sacrificaretur, contra Herodes, cap. 12: 23. Festinatur ut qui ex aqua, ex igne extrahatur. Hic æterna ista sunt unde eripendi. Festinavit Abigail, ne David sanguinolentam vindictam exerceret, 1 Sam. 25. qui ei gratias egit. Olim lacerabant vestes audita blasphemia alius. Ostendendum nobis lacerari corda nostra provocationibus Dei. Respectu hominum autem, quia facile possunt in suo peccato mori, Deo maturante ad vindictam, ut damnationi si pote eripiantur. Jud. v. 23. Convertens peccatorem ab errore viæ suæ servat animam à morte, Jac. 5: 20. vel etiam neglecti indurantur in malo. Primi delicti deprehensi pudor est, sed si nunquam innotuisse credit, confirmat in praxi Heb. 3: 13. quando meretricis frons est, non cohibetur amplius. Jer. 2: 25. *Desperatum est; Non: diligo alienos*, &c. Dicat Propheta quicquid lubet, non audiemus, sed faciemus quod placitum nobis, Jer. 44: 15. s.

Quorum populus sunt & dici possunt, illi homines festina-

re debent ad coercenda peccata. Sic Moſes. Fuit ille tum politicus, tum Eccleſiaſticus paſtor, & utroque nomine pro populo ſuo debebat excubare, & feſtinare ad ejus perniciem per peccatum avertendam. Sic Doctores Eccleſiæ. Num. 16: 46. Aaron feſtinus cum thuribulo in medium populi currere debuit, accenſa jam Dei plaga. Sunt Vigiles qui de omni malo monere tenentur citra cunctationem, uti adventante hoſte nocturno. Ezech. 3. & 33. Tuba ab ipſis inflanda non tantum loquitur de futuro periculo Hoſ. 8: 1. *Tubam ad os tuum, venit ut aquila contra domum Domini, quia transgreſſi ſunt fœdus meum, & defecerunt à lege mea.* Sed etiam de præterito peccato, Eſa. 58: 1. Heb. 13: 17. Vigilandum ipſis pro animabus, ut quibus ratio reddenda: uti de ove rapta à lupo, ſic de amiſſa, ſiquidem non adhibuerint feſtinatam diligentiam. Sic Magiſtratus Jer. 13: 20. Regi & reginæ dicitur, *ubi eſt grex tibi datus, oves gloriæ tuæ?* ratio ipſis quoque reddenda. Non ſolum poteſtas eſt vindex ad pœnam male agenti. Rom. 13: 3, 4. & omni mane impii terræ ipſis exterminandi, ut ex urbe Dei operarios iniquitatis exſcindant. Pſ. 101. 8. ſed etiam feſtinandum habent ad cautionem. Pſ. 75: 5, 6. dixi inſanis, ne inſanite, & impiis, ne extollite cornu: ne extollite cornu in altum, ne loquimini duro collo. Debent malis operibus eſſe terrori ne admittantur, ne continuentur.

Declarat tandem in quo perditio iſta conſiſtat.

Generatim in inobedientia, *ſubito receſſerunt à via quam ipſis præcepi.* Lex Dei norma eſt ambulationis hominum, quibus inſtar viæ eſt qua ambulandum; eam qui non obſervat, deſerit illam viam; quod eſt inobedientem eſſe. Sed id parum habet controverſiæ, ut non opus inhærere. Aſt hoc notandum.

Perditio conſiſtit non in judicio Dei & pœna, ſed in peccato. Perdidit Iſrael, quando declinavit à via obſequii, Hoſ. 13: 9. *Perditio tua, Iſrael.* Pœna effectus judicis eſt, atqui perditio non eſt Dei, hoc loco; autor ille eſt ſalutis, & auxilii, non perditionis, quæ Iſraelis: hæc ergo peccatum eſt. Et ſane nulla major perditio eſt quam peccatum. Iſtud eſt quod privavit hominem gloria Dei, Rom. 3: 23. Pſ. 14: 3. *ſunt ut vas in quo non eſt delectatio.* Hoſ. 8: 8. Non abjiciuntur judicio Dei ut perdantur, ſed quia perditi ſunt. Jer. 22: 28. 2 Tim. 2: 21. Vaſa decora non perdit Deus, iis ornat domum ſuam; ſed qui ſe perdit impuritate & peccato, eum ejicit & propterea ejicit. Non foret quid metuendum à Deo pœnale, niſi quis ſemetipſum perderet reatu. Quam charus ergo quisque ſibi, caveat ſe perdere Eccl. 7: 29. primi hominis culpa fuit, ne imitemur, ſed potius laboremus, ut quod perditum in nobis eſt emendetur, & emendatum oſtendatur, quo nil durius à Deo judice habeamus exſpectandum, ſed potius honorem & gloriam, Rom. 2: 7.

Speciatim in idololatria, *fecerunt ſibi conflatile: aureum vitulum fuſum.* De figura ejus dicetur ad verſ. 16. Nunc tantum quid Deus de idolis omnibus judicet, ſunt declinatio à via quam Deus mandavit. Nequeunt ergo eſſe cultus Dei; nam per illum accedere nitimur ad Deum: aſt ſic receditur Cultus omnis debet eſſe imperatus; aſt ſic diſceditur ab eo quod Deus mandavit; adeoque eſt mera ἰδιοθρησκεια, quomodo receditur corde à Deo, quia placito humano illud regitur. Λόγῳ σοφίας illum cultum non emendat, cum legislator unicus negligatur, & alii inducantur qui corrigant ejus mandata, eoque ſuperiores cenſeantur. Judicet autem nunc quiſque an per inobedientiam Deo obtemperetur & placeri queat, Col. 2: 23. additur quod non ſit ulli uſui. Id hic verillimum. Perditio eſt, qua quis ſemetipſum perditum i.: ut corrumpat ſe omnemque cultum. Heic ergo idololatræ diſcant: Defendunt ſuas imagines & repræſentationes. Contra hic Deus. Excipiunt quidem hic fuiſſe pecus aliquod, quod contumelioſum Deo, ſed Deut. 4: 16. ſ. Corrumpunt ſe æque hominis quam alius creaturæ imagine, & à Dei mandatis recedunt, Amen.

Verſ. 13. ***Præterea alloquutus eſt Jehova me dicendo, conſideravi populum hunc, ecce autem populus durus cervice eſt:***

Verſ. 14. ***Deſiſte à me, ut perdam eos & deleam nomen eorum ſub cœlis, efficiam autem te in gentem robuſtiorem & majorem ea.***

b. Duo hi verſus nobis exprimunt ſecundum ſermonem Dei ad Moſen poſt traditas tabulas. Priore indicium fecit peccati Iſraelis, ac illud Moſi detexit. Poſteriore *ſententiam condemnatoriam* deſuper pronunciat. *Et dixit Dominus ad me, dicendo:* Deus non tantum teſtis & index eſt mali, verum & judex & vindex. Unicus Legislator, qui poteſt ſervare & perdere. Jac. 4: 12. judicii ſolus poteſtatem ſummam habens & ut eam exerceat, omniſcientia ipſius indicium omnium præſtat & informationi, uti omnipotentia exſecutioni ſubſervit. De duabus iſtis perfectionibus declarat. I. Omniſcientiæ informationem, verſ. 13. quæ habet convictionem reatus. II. Omnipotentiæ exſecutionem, verſ. 14. quæ docet judicii juſtitiam. Sed huic addita eſt aliqua conditio, unde diſcimus modum ſiſtendæ exſecutionis.

a. Informatio Omniſcientiæ eſt: *Vidi hunc populum, & ecce populus duræ cervicis eſt.* Duo hic ſunt membra, quid egerit ad cognoſcendum, & quid ſic agendo cognorit.

1. *Quod egit* eſt, *Vidi hunc populum.* Agebatur de populo Iſrael, cujus indolis eſſet, & quarum actionum. Ut id ſciret, vidiſſe ſe ait. Omnia iſta dicuntur de Deo ἀνθρωποπαθῶς, nam nec oculos habet, nec tali intuitu ad notitiam pervenit. Omniſcius eſt, quia omnia intime explorata habet, adeo ut nihil ſit ab ipſo tectum, quemadmodum alias, & nuperrime quoque dictum eſt. Videre ergo Dei eſt noſſe; nam videndo ad notitiam pervenimus. Deus tamen non videt ut norit, ſed videt quod novit. Quod decrevit futurum, ſive ipſo faciente, ſive fieri permittente, id novit antequam fiat, quam primum decrevit; ſed non novit niſi futurum; aſt quando factum eſt, & quam primum factum eſt, novit ut præſens, & deinceps ut præteritum: quod tamen exactiſſime eſt quale futurum antea novit; atque adeo nulla vel minima mutatio eſt in notitia Dei, ſed eſt mutatio in re quam novit. Noviſſime autem dicitur quando quid factum eſt, quia ita ſe habere, uti ipſe noviſſe ſe teſtatur, etiam homini, ſaltem ex parte, liquere poteſt. Vidit ergo populum Iſraelem, obſervavit ipſorum actiones, quicquid externe patrarent, ſermone vel opere, quicquid etiam corde meditarentur aut molirentur. Sic obſervavit primi mundi homines, Gen. 6. ſic etiamnum alios omnes. Job. 34: 21. ſ. Pſ. 33: 13. ſ. Etiam cordium, 1 Chron. 28: 9. Pſ. 14: 2. Videt proinde & nos; nemo noſtrum eſt qui non oculis ejus pateat. Pſ. 139: 1. ſ. Oculus Dei ubique ſequitur & aſſequitur. Operam demus ne alios videat, quam videri vellemus. Quis optet videri ſcortator, adulter, fur, latro, munera capiens judex, ebrius, idololatra, profanus, hypocrita, &c. is ne ſit talis, ne quidem in corde; quia Deus videt. Uti ubique eſt, ita ubique videt. Pſ. 11: 4, 5. Ne inveniamur exacerbantes oculos gloriæ ipſius, ſed oculi ejus ſint nobis conſiliarii. Pſ. 32: 8. ut ita vivamus quo probationem queamus ſuſtinere Gen. 17: 1. ſ.

2. *Quod cognovit* ſic agendo, *Ecce populus duræ cervicis eſt.* Alias diximus hacce phraſi deſignari hominem intractabilem & refractarium, qui ſub alius imperio vivere non vult; ut vacca jugi impatiens adeoque ſignificatur Iſraelem noluiſſe jugum divinæ legis ferre, ſed rebellaſſe, ut ſuo arbitrio, quamvis peſſimo, ageret omnia, & *Ecce*, emphaticum eſt, ceu omnium inſpicientium judicio talis deprehendendus. Moſes iſtud dixit antea de ipſis, ſed prior illo Deus, longe certior teſtis. Eſa. 48: 4- 8. Pſ. 95: 10. experientiam producit. Neque alios poſt illa deprehendit, quemadmodum ubique apud Prophetas teſtatur. Sed haud meliores reperit alios. Gen. 6: 5--12. Sic vidit ſtructorum Babelis conjurationem Gen. 11: 5. & Sodomæ ſcelera cap. 18: 21. Ezech. 16: 50. Imo Pſ. 14: 3. videns omnes, *deprehendit omnes deflexiſſe*, &c. & inter illos omnes etiam nos videt, nihilo aliis meliores; nam iſta corruptela univerſalis non illius ſolum temporis eſt, ſed etiam nunc obtinet, aucta magis quam imminuta. Ante diluvium

vidit.

vidit. Gen. 6: 5. & poſt diluvium homines eoſdem cap. 8. verſ. 21. Quod hic dixit de Iſraele, poſſet etiam de nobis dicere eadem veritate. Populus ſumus duræ cervicis: non tantum naturæ reſpectu quia naſcimur ut pullus onagri, Job. 11: 12. ſed ex experientia: quia adducti ſumus ad jugum, & per profeſſionem collum illi ſubdidimus. Chriſtus omnes vocat ad recipiendum jugum ſuum Mat. 11: 30. Sed dura cervix agnoſcitur quod illud jugum excutimus; Amamus triturare, ubi implere licet ventrem bono, ſed arare tædet, & occare. Quando benedictiones largitur, ipſius nos eſſe profitemur, ut una fruamur: ſed quando obediendum eſt, alieniſſimi ſumus; tum querimur, *quæ fatigatio!* neque ullis ſtimulis aut ſcuticis corrigi volumus; uti neque minis vel blanditiis movemur. Jeremias queritur pauperes ſtulte agere quod viam Domini, jus Dei ſui ignorent, & magnos fregiſſe jugum, & lora laceraſſe, & ſi quis tranſeat per vicos Hieroſolymæ, videns & attendens, & quærens in plateis, non reperiri ullum qui faciat jus, quærat veritatem, & profeſſionem omnem falſam eſſe, Jer. 5: 1-4, 5. Quod ſi videat Deus pari modo nos, an felicius inveſtigabit? Et incorrigibilitas tantum non deſperata, ferrea cervix, ænea frons, lapideum cor. Quod eopſe demonſtratur, quia non agnoſcimus, non deploramus, non anhelamus Hoſ. 5: 13. ſanationem. O ſi afficeremur ut Ephraim Jer. 31: 18. ſic videns Deus miſereretur, verſ. 20. Sed ſi perſeveremus, væ nobis Hoſ 4: 16. ſ.

β. *Exſecutio omnipotentiæ* eſt verſ. 14, in declaratione judicii immittendi, *Et perdam eos, & delebo nomen eorum de ſub cælo, & faciam te in gentem validiorem & multam præ illo.* Tria minatur. *Deſtructionem*, ut exſtinguantur & intereant, ne amplius ſint. *Oblivium*, ut ne quidem memoria ſuperſit nominis. Aliorum ſubſtitutionem in ipſorum locum. Priora duo conjunguntur. Deut. 32: 23. ſ. Hujuſmodi judicium poſtea paſſi quandoque ſunt, perditionem quidam ſaltem de quibus Deut. 29: 18. ſ. Aſt oblivium nominis ad tempus, decem tribus deportatæ in Aſſyriam & Mediam: & cæteri Judæi neſciunt de qua familia aut tribu deſcendant. Inter Gentes mundi alias quoque factum, ut memoria veterum exſtincta ſit, neque quiſquam norit ſint ne ſuperſtites, nec ne. Eſt vere tale judicium metuendum. Pſ. 5: 5. ſ. *ſuper impium pluet prunas, ignem, & ſulphur, & vehemens procella erit portio calicis ipſorum* Pſ. 11. verſ. 6. Jer. 17: 13. *qui Deum deſerunt pudefient, & qui ab eo recedunt, ſcribentur in terra;* quæ Scriptura illico aboletur. Pſ. 73: 27. Iſtud judicium nobis metuendum eſt, ſiquidem tale contra duræ cervicis homines velit exſequi. Meditabantur iſtud hoſtes contra Iſraelem Pſ. 83: 5. *venite, exſcindamus eos ne ſint populus, ut nominis Iſrael nulla ſit memoria.* Sed quia homines dixerunt, non potuerunt præſtare; ipſimet perierunt à facie Dei. Pſ. 9: 6, 7. Verum ſi Deus dicat, quis impediet; Quando ignis exardeſcit in ira ejus, ardet in infimum uſque ſepulchrum & abſumit terram ejuſque proventus, & fundamenta montium inflammat Deut. 32: 22. pereundum in via, quando tantummodo parum exardeſcit Pſ. 2: 12. Intueamur judicium primi mundi ob corruptionem univerſalem, quæ ne quidem 120. annorum tolerantia potuit emendari. Judicium Sodomæ & vicinarum urbium; Samariæ, Hieroſolymæ bis. Imo quot nationes, quot urbes noſtris temporibus perditæ ſunt, & memoria exſtincta; quot millia hominum pereunt quotannis in bello, fame, peſte, à feris mari beſtiis, Ezech. 14: 14. ſ. de quibus proxima ætas nihil novit, an unquam fuerint. Eodem modo ſi haberemur, nil iniquum pateremur. 1 Reg. 14: 14. ſ. minatur exſtirpationem familiæ Jeroboami, & Iſraelem ex bona terra extractum iri, & diſperſum trans flumen, additque, & quid nunc quoque erit? Quam vere dicimus de futuris judiciis metuendis, & quid nunc quoque eſt? Nonne cœptum jam eſt judicium, per quod conſumendi ſumus? Inſpiciatur Eſa. cap. 9: 8. cap. 10: 4. annon iiſdem gradibus procedat, uti peccatum, ſic quoque judicium.

Tertium judicium eſt, *Et faciam te in populum validiorem & majorem quam ille eſt.* Iſtis verbis ineſt juſtificatio viarum Dei in judiciis denunciatis, & judicium novum. Abſumturum ſe dixerat populum Iſraelem in ira ſua; iſtud pugnabat cum juſtitia Dei; quia Moſes inſons, erat pars populi, unà tamen perdendus; & cum veritate Dei ejuſque promiſſo, Abrahamo dicto. Ergo limitationem addit, quæ doceat rationem ſe habere I. juſtitiæ. Quando Deus dixerat de Sodoma evertenda, Abraham de Loto cogitans, ait, *an etiam juſtum cum impio perdes? Abſit à te ut id facias, ut juſtum neces cum impio*, & pari ſint loco. *An judex univerſæ terræ non faciet jus?* Gen. 18: 23, 25. Itaque ait de excipiendo ipſo. Qui non fuiſti conſors culpæ, eximeris à pœna. Eademque fuiſſet ratio Joſuæ. Sic Deus diſtinctionem facit piorum Ezech. 14: 24 ab impiis. Equidem externa judicia quandoque communia ſunt, bellum, peſtis, fames, & de iis valet Eccl. 9: 2. ſ. idem accidit omnibus; & externa iſta amoris aut odii documenta non ſunt. Verum ſi non ſemper extrinſecum diſcrimen ſit, ut piis vitam det in ſpolium, ut Ebedmelecho & & Barucho Jer. cap. 39. & 45. eſt intrinſecum: idem malum non habet eundem effectum, 1 Cor. 11: 32. quando judicamur &c. convictio quæ ineſt, impiis cedit ad condemnationem, dum vel obdurantur contra illam, vel deſperant; piis vero ad converſionem, & Prov. 14: 32. II. Veritatis. Promiſſa poſteritas Ab. Iſ. Jacobo poterat præſtari, ſi unus ipſe ſupereſſet, & familiæ proximior origo ſtatueretur, uti Iſaco præſtitum fuit, etſi Eſau excluderetur: ſic licet cætera Jacobi progenies, præter unum Moſen, exſtingueretur. Ita argumentatur Paulus Rom. 11: 1. *An abjecit Deus populum ſuum? Abſit: nam ego quoque ſum Iſraelita, de ſemine Abrahami, tribus Benjaminitica.* Etiam in uno poteſt veritas promiſſionis deprehendi. Deut. 32: 4. *Deus eſt veritas & non eſt iniquitas, juſtus & rectus eſt.* Cæterum non debuiſſet manere unus Moſes, verum multiplicari in populum, quia de augendâ poſteritate promiſſio loquebatur. Et Paulus, qui populum ſuum à Deo abjectum negat, non tantum ſe ſupereſſe docet, ſed præter ſe multitudinem magnam licet non magis notam, quam 7000. fuerant Eliæ: imo tandem univerſum Iſraelem, ſuo tempore convertendum.

Judicii ratio in eo, quod quicquid privilegiorum Iſraeli aderat, ipſis ademtum in Moſen erat transferendum, & quidem cum augmento. Aggravatio pœnæ eſt quando bona quibus excellebat quis, alii tribuuntur. Eſa. 22: 19. ſeq. de Sebna poſt alia mala id dicit. Ex graviſſimis quæ Iſrael paſſus eſt, hoc ſtatuitur Deut. 32: 21. *provocabo ad æmulationem per eos qui ſunt non populus*, &c. Iſtud Judæi adhuc experiuntur; juxta Matt. 21: 41. Dominus vineæ malos mala morte afficiet, & vineam aliis colonis tradet, qui fructum ipſi exhibeant tempore ſuo: judicium ejuſmodi nobis quoque metuendum. Non alligatus eſt Deus noſtris perſonis; quia perſeveramus provocantes Deum durâ cervice, poteſt nos exſtinguere, & filios minorennes ſervare benedictionibus iiſdem & majoribus quoque, quibus per omnem injuſtitiam proſpicere parentes ſtudent, ut Iſraelitas minorennes Num. 14: 31. Imo quia liberi fere ſunt viperina progenies quando parentes ſerpentes Matt. 23: 33. totam nationem noſtram abjicere, ubi electos ad ſe evocarit per mortem; & candelabrum è medio noſtri auferre, & Euangelium ad aliam nationem transferre. Veniet aliquando tempus quando ii qui vocantem Deum non audiverunt, neque loquenti reſponderunt, ſed fecerunt quod malum eſt in oculis ipſius, & elegerunt quod ipſi non placet, eſurient & ſitient & pudefacti ejulabunt; ſed ſervi Dei fideles edent & bibent & læti jubilabunt. Eſa. 65: 12. ſeq. Eoque Luc. 13: 24. & piis aſſidentibus coram ipſorum oculis ipſimet ejicientur foras, ubi fletus & ſtridor dentium Luc. 13: 28. quæ condemnationis aggravatio eſt. Quis non terreatur ad ejuſmodi denunciationem? imo quis non deſperet? nam quis poteſt conſiſtere coram igne conſumente, coram æternis ardoribus? nulla hic evaſio.

Sed Deus aliquid adjicit ſuæ condemnationi, quod deſperationem prohibet & ejus avertendæ ſpem facit. *Dimitte me*, quaſi retrahendo manum retinentem הרף ממני quod fit ſi manus ſint remiſſæ. הניחה לי, ut Angelo percutienti Hieroſolymam dicitur 2 Sam. 24: 16. Exod. 32: 10. *ſine me accendatur ira mea.* Ergo Deus æſtuans ira & properans ad vindictam contra peccatores poteſt impediri, poteſt retineri, quemadmodum poteſt retineri pater virgam expeditam habens à matre, ne feriat filium. Ἀνθρωποπα-

ἀνθρ. hæc dicuntur de Deo, quemadmodum & ira aliaque Deo tribuuntur. Veruntamen docent & tardum esse Deum ad ultionem, & dari media ejus retinendi, ne meritam exerceat. Esa. 27: 4, 5. Robur omnipotentis Dei potest apprehendi, & tamdiu teneri, donec pax confecta fuerit, ut non amplius ab ira metuendum sit. Docuit hoc Deus Mosen. Quum ipsi indicasset peccatum populi, quod futile feciſſent, ipse obmutuit. Ezr. 9: 3. seq. postquam audiviſſet transgressionem populi ductis peregrinis uxoribus, consedit attonitus, & mansit sedens attonitus. Sic Moses obstupefactus silet, uti in cujus ore non sunt redargutiones.

Itaque Deus repetit alloquium; hinc denuò scribitur, initio versus decimi tertii. *Et dixit Dominus ad Mosen:* quia nihil respondes & silendo confiteris, quod ego observavi, populum esse duræ cervicis, abstine porro neque intercede, & vindicta eos absumet, & tu eris mihi materies implendæ promissionis. Monet enim hoc pacto, posse se cohiberi, & posse ab ipso cohiberi, & si ipse suscipiat, non successuram illam ultionem repentinam ad destructionem. Est sane in hoc verbo, quod dicitur Hos. 2. vers. 13. *Vallem Achor faciam in ostium spei.* Quæ major conturbatio, quam iræ divinæ consumentis, sed in ea est spei apertum ostium. Hab. 3: 2. Sine me, retrahe à me manum, ut facere queam, alias non potero. Armata manus nil valet, si ab alio retineatur ut se movere nequeat. Gen. 19: 22. Incredibile omnino foret circa Deum id posse effici, nisi Deus id ipse diceret; nam quid homo comparatus ad Deum? caro ad Spiritum? Sed Deus veritas: ipse dixit, fieri potest; invincibilis sic vinci potest. Jud. 16: 6. Delila rogabat Simsonem, heroem invictum, indica mihi quæso, in quo consistat robur tuum magnum & quo vinciri queas? & ipse victus ejus amore revelavit ipsi ad suam perniciem; Ast simili interrogationi sollicitorum hominum responsum est à Deo, imo antevertit interrogationem ex tenerrimo amore ad quærentium salutem. Apprehendendum robur Dei. Quomodo id potest fieri? Precibus fervidis. Esa. cap. 64: 6, 7. nam abscondis. Invocando nomen ejus Deus apprehenditur. Et hoc negligebatur illo omisso. Hinc Deus discessit, qui potuisset retineri Hos. 5: 15. *ibo revertar* &c. Samuelem abiturum veste apprehendit Saul, sed vestis lacerata fuit: Jacob apprehensum Angelum retinuit, passus licet luxationem femoris. Jacob dicitur luctatus cum Deo, quem licet femur luxatum ipsi foret, noluit deserere, priusquam sibi benedixisset. Gen. 32: 28. Fuit quidem externa quoque lucta, cum in viri specie Deus illi occurriſſet, sed quod potissimum fuit in illâ luctâ & victoriosum refertur Hos. 12: 4. s. Robur precum Zelus, quo fervens cor ebullit in lachrymas & instat supplicare pro gratia impetranda, nolens denegationem admittere. Jac. 5: 16. & quod illud vers. 15. Corporis & animæ sanitas extorquetur Deo precibus fidei. 1 Joh. 5: 3. hæc est victoria vincens mundum, fides nostra: addimus nos, hæc est victoria vincens Deum, fides nostra. *Omnia sunt possibilia credenti*, Marc. 9: 23. non tantum ut dominetur creaturis, & montes loco movere queat, Matt. 21: 21. cœlum claudere & aperire Jac. 5: 17. sed ipsi quodammodo creatori. Amos. 4: 12, 13. propterea sic tibi faciam ô Israel, & quia sic tibi faciam, para te ô Israel, ad occurrendum Deo tuo; Nam ipse qui montes format, & creat ventum &c. Horret Dei animus effari malum, quod incorrigibili populo erat inferendum à Deo ipso; unum consilium ut occurrant Deo; non hostiliter pugnaturi; quid hic valerent contra eum, cui omnia belli commoda ad manum & in suâ potestate? sed fide; occurrendum Deo tuo. Fides aliquid in Deo speculari debet, quod apprehendat, ut sistatur impetus, ut excidant arma. Istud est gratia Hos. 13. vers. 15. *Veniet Eurus, ventus Domini, surgens ex deserto, & scaturigo Ephraimi exaresçet, & fons ejus siccabitur, & ille auferet thesaurum omnium desiderabilium*, Cap. 14: 2. s. *Convertere Israel usque ad Dominum Deum tuum, assumite verba & dicite ipsi* &c. utique pupillus &c. Jer. 31: 18. 20. Dei gloria est convertere, & hoc fœderis beneficium; hoc præsta: & vincuntur viscera Dei. Apprehenditur etiam Deus suâ veritate Esa. 64: 9. Esa. 45: 11. Si res attineat Ecclesiam, vult esse in potestate precantium. Heic ergo si avertere libet iram Dei destruentem, ad preces confugiendum. Veruntamen debet abstineri à peccatis. Joh. 9: 31. Prov. cap. 15: 8. Esa. 1: 15. si manus plenæ sint sanguine non audit preces. Preces efficaces sunt justi: Job. 22: 22. s. Sic valuère preces Abrahami pro Sodomitis & Loti pro Zohar. Neque hoc singulare beneficium istorum. Jac. 5: 17. ὁμοιοπαθὴς Ps. 145: 18, 19. omnium fœderatorum Deut. 4: 7. Est enim magnus benignitate, & dives super omnes invocantes ipsum Ps. 86: 5. Rom. 10: 12. Nunquam dixit domui Jacobi, quærite me frustra; Est Dominus qui justitias loquitur, & annunciat æqua Esa. 45: 19. Quærentes precibus inveniunt Amos. 7. quotiescunque precatur propheta, avertuntur judicia. Precemur & nos sed in fide. Preces fidei obtinebunt. Fides quanta tantus successus. Ps. 37: 40.

Vers. 15. *Quamobrem convertens me descendi ex ipso monte (mons autem ille ardebat igne) cum duabus tabulis ipsis fœderis in ambabus manibus meis.*

b. Vidimus quid egerit Deus, quod detexerit peccatum Mosi, & illud condemnârit. Nunc refertur *quid egerit Moses.* Recitata ea sunt Exod. 32, 33, 34. quo ordine gesta fuerint omnia; & is ordo etiam nobis attendendus est; ut ea quæ recitat Moses ad suum singula locum referamus, quoniam ille heic nonnulla immiscuit, quo convictionem de peccato faceret efficaciorem. Historia refert I. Deprecationem Mosis, illico institutam Exod. 32: 11. s. II. descensum ad populum & quæ egerit contra peccatores vers. 15---29. III. adscensum primum Mosis ad Deum ad repetendam deprecationem, vers. 30. cap. 33: 3. IV. descensum ad populum & quæ porro egerit contra peccatores vers. 3--11. V. adscensum secundum eodem fine vers. 12. cap. 34: 3. VI. descensum ad parandas alias tabulas & VII. adscensum tertium ut nove scriptas acciperet vers. 4. seqq. Quæ in Deuteronomio recitat ista omnia non repetunt, attamen quædam dicunt, ad illustrationem facientia; inde enim discimus geminum adscensum Mosis ad deprecandum, antequam adscenderet ut novis tabulis inscriberetur fœdus. Nos sequemur ordinem quo in textu quem interpretandum sumsimus leguntur, sed ut semper indicemus seriem temporis, quando hoc vel illud gestum est, quandoquidem manifestum est Mosen illam heic non observasse, cum inseruerit varia alias gesta.

Incipit heic à *descensu suo primo*, omissâ deprecatione quam illicò auditâ Dei denunciatione instituit. Causa omissionis est, quia eadem fuit materia suarum deprecationum, quotiescunque repetitarum, ut semel recitasse summam de omnibus edoceat; quare eam refert in historia secundi adscensus sui. vers. 25. s. quo etiam meditationem differimus. Nunc tantum, ne prorsus omittamus, aliqua circumstantialia tangemus. Exod. 32: 11. post Dei sententiam, quam audivimus nuper, legimus *Moses adoravit faciem Domini Dei sui, & dixit Domine, quare accendetur ira tua contra populum tuum* &c. Deus dixerat *sine me remitto* (manum tuam) *à me & perdam eos.* Moses qui ad indicium peccati obmutuerat, audita sententia ferali loquitur, & quidem cum interdictum esset, Sine me, noli intercedere: Nonne hæc inobedientia est? Resp. Non est, quia non est interdictum absolutum. Mandatum est de invocando Deo. Deut. 6: 13. coll. cum Matt. 4: 10. quod ibi *timebis*, hic est *adorabis.* Et potissimum in angustia Ps. 50: 14. quod factum ab Israele Ps. 81: 8. Et commendantur Moses Aaron & Samuel, quod fuerint invocantes Deum. Ps. 99: 6. Neque unquam peccatur precando. Quia Deus istud uti jussit, sic amat Ps. 145: 18. multus benignitate & dives super invocantes se Ps. 86: 5. Rom. 10: 12. & qui se nominat audientem preces Ps. 65: 3. Verum conditio adesse debet, ut sint secundum Dei voluntatem 1 Joh. 5: 14. quam ipse Spiritus Sanctus observat in excitandis precibus Rom. 8: 26, 27. nam eâ neglectâ male precantur homines & peccant Jac. 1. vers. 6. cap. 4: 3. Jam occurrit interdictum precum pro Israele Jer. 7: 16. Vetat preces pro Judæis non absolute, ceu peccaret propheta si eas continuaret, cum officium sit doctorum eas concipere, peccatum negligere, 1 Sam. 12: 23. *me quod attinet, absit à me ut peccem contra Dominum, ut desinam precari pro vobis*; & ministri Domini flere & precari

pro

pro populo jubentur Joël. 2: 17. ſed ſub denunciatione ſucceſſus defuturi. Sic Jer. 11: 14. nullas preces ſe auditurum teſtatur & cap. 14: 11. Attamen non tantum antecedunt preces ferventiſſimæ prophetæ, ſed etiam ſequuntur; citra peccatum tamen ipſius. Etenim quemadmodum cap. 12: 1 *juſtus es Domine, quando tecum litigo; attamen judicia tecum loquar; ut inquiram* in rationem providentiæ tuæ circa proſperitatem impiorum; ita quoque in precibus rationes adducuntur aliæ, quæ Dei voluntati ſunt conſentaneæ, & tentatur an ſint validæ & applicabiles præſenti ſubjecto, ſub eâ fiduciâ precantium ejuſmodi & perſonas, & preces acceptas eſſe, quarum ſanctam importunitatem Deus amat, etſi illud ipſum facere nolit quod petitur, & quod non petitur niſi cum expreſſa, aut tacita conditione, ſiquidem Deo placuerit. Ita Jeremias, cui reſpondet Deus cap. 15. verſ. 1. *Etſi Moſes & Samuel ſtarent coram facie mea, anima mea non foret erga hunc populum; ejice eos à facie mea, & exeant.* Non precationem reprehendit, ſed rem petitam negat; quia impietas pertinax vindicanda erat, citra dilationem ulteriorem. Non vult Deus peti gratiam pro peccatore impœnitente, ſed vult pro pœnitente, quæ pœnitentia omni ſtudio excitetur & promoveatur. Jon. 3. rex Ninives id agit. Non vult peti, niſi petitiones ejusmodi nitantur rationibus, quæ voluntati revelatæ ſint conſentaneæ. Hæc ratio valet circa Moſen. Sine me, dimitte me, niſi videlicet manum injiciendi & retinendi cauſam habeas juſtam: Cujus inquirendæ hoc ipſo verbo excitat ſtudium & Zelum.

Atque hinc Moſes, excuſſo ſtupore, aliquid tentat. Quid autem illud eſt? ויחל את פני ה׳ Verſio rem quidem exprimit, ſed emphaſin non item: alias reddidere Belgæ per ſmeeken / Zach. 7: 2. Proprie eſt *fecit ægrotare iram Domini.* Ira Dei quandoque dicitur *facies* Pſ. 21: 10. & cap. 34. verſ. 17. Jer. 3: 12. 2 Theſ. 1: 9. ſic in illa phraſi faciem meam ponam contra aliquem Ezech. 14: 8. Hæc valida eſt ad deſtructionem, Nah. 1: 6. Verum debilitari poteſt, quando exercitium ejus impeditur, aut frangitur impetus: quod Deus dicit, *apprehendere robur ſuæ indignationis* Eſa. cap. 27: 4, 5. Debilitanda ira Dei ut pernicies extrema avertatur. Jeroboamus cum manus extenſa contra Prophetam exaruiſſet petiit ab ipſo, חל נא *infirma quæſo faciem, iram Domini*, & factum ab illo eſt ad reſtitutionem regiæ manus 1 Reg. 13: 6. Sic David Pſ. 119: 58. חליתי פניך *Debilitavi iram tuam*, Mal. 1: 9. Quas admoverit machinas Moſes, in ipſa formula videbimus ſuo tempore, verum Deus ipſe quaſdam ſubinde admovet. Pſ. 78: 38. debilitata ira quæ non poteſt ad extremum graſſari, imo ne quidem tota excitari: & hoc facit miſericordia ipſiuſmet. Hoſ. cap. 11: 8, 9. Dei miſeratio erga Eccleſiam. Hæc argumenta à Deo diſcere debemus. Non poteſt diſplicere, quod ipſe agit ſponte, ab ipſo peti & quod ſe facturum dixit, utique ſecundum voluntatem ipſius erit ſiquidem ut faciat petatur.

Hoc etiam monendum de Moſe, Maxima ipſi proponuntur & promittuntur commoda, ſi negligat Eccleſiæ perniciem, neque ſuis eam impediat precibus. Ipſe ſolus habiturus erat omnia privilegia Iſraelis, & majora adhuc. Sed omnia propria illi ſordent reſpectu univerſitatis Eccleſiæ. Nil ſibi petit, ſed Eccleſiæ. Huic maneant, odit divitias illi ereptas; mavult communiter cum aliis parum, quam ſine illis omnia ſolus poſſidere. Hic eſt generoſus ille animus quem etiam ante oſtendit. Heb. 11: 24. ſ. fide Moſes grandior factus renuit dici filius filiæ Pharaonis, eligens potius cum populo Dei male tractari, quam ad tempus fruitionem habere peccati, æſtimans contemtum Chriſti majores divitias, quam theſauros Ægypti. Maluit cum Eccleſia externe infelix eſſe, quam ſine ea felicisſimus in mundo. Et hic ne quidem ſtatum conjunctionis cum Deo felicem duxit, ſi cæteri omnes eo privarentur. Hoc agens longius adhuc proceſſit: ut etiam carere ſalute mallet, quo ipſi non carerent, de quo alibi. Eſt hoc amare proximum ut ſe ipſum, qui ſe amare ſeipſum non poſſe credidit, ni etiam foret proximus quem amaret; neque ſe illum ut ſeipſum amare, niſi idem tantundem ſuo voto & ſtudio poſſideret ac ipſemet. Hinc Joſuæ æmulationem pro ſe corrigit, cum ille Eldadum & Medadum Prophetantes inhiberi vellet, Num. cap. 11: 29. *an pro me Zelum habes? Utinam vero omnis populus Domini forent Prophetæ, ut Dominus Spiritum ſuum ſuper illos daret!* Quam alieni moderni mores hominum ab hoc exemplo. Hoc unum votum ut quod ipſi habent, nemo alius habeat Luc. 11: 52. claves cognitionis Phariſæorum, Joh. 7: 48, 49. ut quod alii juxta poſſident, ipſis ereptum ſoli habeant: Eſa. 5: 8. qui domum domui, agrum agro jungunt, donec locus nullus ſuperſit, & ipſi ſoli habitatores conſtituantur in medio terræ. Mich. 2: 2. Et iſta fiunt contra Dei mandatum, & ubi væ facienti denunciatum eſt: quid non facerent ſi Deus talem conditionem obtuliſſet? Sic Ezech. 11: 15. Hieroſolymitani dicebant de deportatis, *elogati vos à Domino, nobis data eſt hæc terra in hæreditatem:* qui damnum aliorum ſuum ducunt compendium & infelicitate eorum abutuntur ad ſuum incrementum. Infinitæ ſunt artes iſtiuſmodi, quæ huc faciunt, & amorem proximi exſtinctum eſſe docent. Aliud à nobis poſtulat Sanctorum communio, quæ facit ut quis ſe feliciorem putet, ſi cæteri idem ſint, & in omnium membrorum gloria ſuam gloriam ſitam putet, uti in dedecore & damno cæterorum ſuam quoque calamitatem ſtatuat. Nehemia in aula regis Perſiæ averſatur omnem voluptatem cum audit Hieroſolymæ contemtum & omni ſtudio id agit, ut ad meliorem conditionem redigat. Et Mardochæus Eſteræ iſtud inculcat ſolam non fore felicem, ut pro omnium incolumitate laboraret. Plurimorum laudibus glorificari Deum ſatius eſt quam unius, aut paucorum, & iſtud optant, & promovere ſtudent, qui Dei glorificandi ſtudium habent: qui proinde non ſibi ſolis, ſed aliis etiam, atque etiam magis quam ſibi ſtudent.

Sed accedimus ad ea quæ hoc capite porro refert Moſes. I. deſcenſum ad populum poſt cognitum Dei indicio crimen, verſ. 15;-17. II. adſcenſum primum deprecandi ergo, verſ. 18--20. III. quædam ad hujus & aliorum criminum convictionem facientia, verſ. 21--24. IV. adſcenſum ſecundum, verſ. 25--29.

a. Deſcenſus iſte *primus* indicatur, verſ. 15. quid deſcenſu facto deprehenderit, verſ. 16. Quid ad convictionem egerit, verſ. 17.

a. Deſcenſus deſcriptio, verſ. 15. Unde & Quomodo abierit.

1. *Unde* hoc ita dicit, *Et converti me & deſcendi de monte, mons autem ardebat igne.* Jusſerat id Deus, ut defectionis conſummatæ teſtis eſſet, & ipſe obſecutus fuit. Deſerebat commercium illud familiare cum Deo, ut abiret ad Iſraelem à loco ſanctitatis ad conſortium peccatorum, & fecit lubens. Eſt enim maxima hominis in obſequio Dei felicitas, non ut fruatur ſua voluptate, ſed ut Dei voluntatem faciat. Ita Chriſtus Joh. 6: 38. Cum eſurienti adferretur cibus, Meus cibus, inquit, eſt, ut faciam ejus qui me miſit voluntatem, & opus ejus conſummem. Joh. 4. verſ. 34. Hinc Pſ. 40: 7. ſ. *Ecce adſum ut faciam Deus voluntatem tuam.* Quem imitari debemus Phil. 2: 5. ſ. Caſtigat iſtud multorum ſtultitiam, qui felices ſe putant futuros, quando votis ſuis potiti fuerint, & nihil non ſibi faciendum cenſent; quo id aſſequantur, quamvis omnis generis peccata in ſubſidium ſint vocanda. Sed hi præcipiti greſſu properant ad miſeriam extremam. Felix eſt, qui Dei facit voluntatem. Hic finis nobis propoſitus eſt, quandoquidem ad gloriam Dei omnia ſunt facienda; quod utique non tantum de nobis, ſed etiam per nos fieri debet: & fit faciendo quod jusſerit. Hoc pacto ſumus quadantenus Angelis ſimiles, quorum id unum opus Pſ. 103: 21. ſ. & quum ſint ſpiritus cœleſtes, expedite in terris quoque agunt, ad quod miſſi fuerint, Dan. 9: 21. Luc. 1: 19. 26. Quamquam aliquatenus difficilius iſtud exercitium quibus non adeſt ſanctitas, qui corpus mortis circumferimus, atque in conſortio malorum facile quoque corrumpimur. Sed tanto magis vigilandum, Deuſque rogandus, ut qui ad ſuam voluntatem agendam dimittit, in eo opere verſantes cuſtodiat, regat, & in nobis operetur quo idonei ſimus ad faciendum ejus voluntatem, ipſo illud per nos conſummante.

Mons ardens igne, Talis fuit, cum Deus in eum adſcendiſſet, & talis fuit gloria Dei in monte toto tempore quo Moſes ibi fuit, & ſic quando inde diſceſſit, propter Dei

præſentiam qui ignis conſumens; veruntamen Moſes nihil inde paſſus eſt. Scilicet, Deus gratioſus ignis eſt non conſumens. Quando apparuit in rubo, arſit ille quidem, ſed citra damnum Exod. 3: 2. Ira Dei deſtruit, gratia à deſtructione tuetur. Peccatores ſunt materia quæ ſubito inflammatur Nah. 1: 10. ſunt ut ſpinæ, ut arida palea, Mal. 4. verſ. 1. unde metuunt Eſa. 33: 14. Pii non item, non quod careant peccato, ſed quod non imputetur. Moſes invenit gratiam apud Deum, & hinc potuit ingredi in ignem illum, & hac ratione non conſternatus ſed recreatus fuit. Deus etiamnum ignis conſumens eſt, volumuſne eum non timere, & illi ſine damno appropinquare? ſtudeamus id quod combuſtibile à nobis removere, aut ſaltem ſic curare ne inflammemur, & illud nobis perditionem afferat. Ferunt manum inunctam ſanguine ſalamandræ non ardere, ſaltem ad tempus: ſed certiſſimum eſt animam lotam ſanguine Chriſti ignem iræ divinæ non admittere. Apoc. 7: 14. ſ. quorum veſtes lotæ in ſanguine Agni ſuper illos non cadit ſol aut æſtus ullus.

2. *Quomodo* abierit, *duæ tabulæ fœderis erant in manibus meis.* Acceperat eas à Deo antequam indicaretur peccatum Iſraelis. Eo audito deprecationem inſtituit, quando tantiſper depoſuiſſe veriſimile eſt. Sed ea finita deſcenſurus recepit in manus, ut eas deferret. Hanc ob cauſam adſcenderat in montem, ergo ut nuper diximus, eapropter detulit, ut probaret quam dixerat adſcenſus cauſam. Sed cur non fregit in monte tabulas? fuerunt oſtendendæ Iſraelitis ad convictionem majorem, quod proxime monebimus. Hoc unum nunc adhuc. Qui potuerit geſtare lapideas tabulas? Liquet non fuiſſe ejus molis, qua pinguntur, ſed tenues admodum, & per ſculpturam tenuiores quibuſdam in locis; & pondus tale ut Moſes ſuffecerit eis geſtandis in duabus manibus, ſive ſinguli unam geſtarit, ſive ambas duabus. Nullum inde à creatione fuit opus excellentius, tabulæ Dei artificium, & Scriptura in iis Dei quoque Scriptura, & longe excellentior adhuc materia Scripturæ, fœdus Dei, ejus conditiones. Quanto procul dubio gaudio exultavit Moſes eas geſtans, de Dei bonitate cogitans: ſed quanto item conflictatus fuit dolore, quod teſtimonium illud fœderis contra Iſraelem teſtaturum eſſet. Habemus nos quidem non illas tabulas, ſed totam Scripturam totum conſilium Dei patefacientem, & familiare eſt eam geſtare ad templum & in eo. Iidem affectus nobis adeſſe debent, & gaudii de bonitate Dei dum nos conſtituit cuſtodes revelatæ ſuæ voluntatis, & gratiæ in Chriſto: & triſtitiæ quod tam frequenter violetur, ut David Pſ. 119: 97.

Verſ. 16. *Quumque inſpicerem, quod ecce peccaveratis Jehovæ Deo veſtro, facientes vobis vitulum fuſilem, receſſeratis celeriter ab ea via quam præſtituerat Jehova vobis:*

β. *Quid deprehenderit*, verſ. 16. tale eſt, ut prorſus alios invenerit quam voluiſſet. Refert autem quid viderit; ſed Exod. 32: 17, 18. præmittitur quid audiverit: Sonus enim longius exauditur, ſi fuerit gravis, quam oculorum acies pertingat. Joſua audivit vocem populi jubilantis, dixitque ad Moſen: *Clamor bellicus in caſtris eſt.* Joſua Moſen herum ſuum comitatus fuerat in montem, quouſque licuit adſcendere, atque ibi cum Moſe ſubſtitit in ſeptimum uſque diem, quando Moſes vocatus à Deo in nubem ingreſſus eſt, manſitque iſtic per dies quadraginta. Interea Joſua perſeveravit præſtolari reditum Moſis in eo loco, unde digreſſus ab ipſo fuerat, ſuſtentatus manna & aqua de rupe Horeb manente, uti etiam Moſes fecerat primis illis ſex diebus. Hinc factum ut nihil eorum ſciret, quæ interea in caſtris patrata erant. Moſe ergo deſcendente, & egreſſo ex nube, redire placuit eadem via, qua adſcenderat, & ſic venit ad Joſuam, qui ſe ſtatim comitem adjunxit, & quo viciniores facti fuerunt, eo proprius potuerunt cognoſcere quæ in caſtris fierent. Confuſius quidem ex ſono per auditum. Populus peractis ſacrificiis & epulis ſacris, ſurrexerant ad ludendum, ut cantus choreaſque agitarent, & jubilos ac clamores lætos tollerent. Joſua eminus confuſum audiens clamorem, bellicum eſſe credidit, opinatus forſan Amalekitas, qui cladem magnam à ſe acceperant, uſos occaſione abſentiæ Moſis invaſiſſe Iſraelem, vel alios hoſtes id egiſſe. Sed Moſes, qui indicio Dei cognoverat populi factum, attamen nihil ad Joſuam de eo dixerat, reſpondit, non eſſe vocem clamoris eorum qui vel vincerent, vel ſuccumberent, ſed eſſe gaudentium; *audio vocem cantantium alternis*, (ut Num. cap. 21: 17. Eſa. 27: 2.) Erat profecto clamor bellicus, ſed ut Joſua rebatur hominibus infeſtis inter ſe depugnantibus. Felix fuit Iſrael cum ſic clamaret ab Amalek; nam tunc Moſes precatus ad Deum, hujus impetravit auxilium ad debilitationem Amaleki Exod. 17. Verum clamor bellicus contra Deum, quando in ſuo peccato exſultabant, Jer. 11: 15. *quid dilecta mea in mea domo? quia turpe ſcelus cum plurimis patrat, & ſancta caro à te receſſit? quando malum tuum eſt*, (in gradu ſummo.) *tunc gaudio exultas.* Gaudium in peccato eſt gravior provocatio Dei. Hinc Servator Luc. 6: 25. *Væ vobis qui nunc ridetis, nam lugebitis & flebitis.* Loquitur de riſu peccatorum, & in peccatis ſuis. Pertinet ille ad confeſſum irriſorum, Pſ. 1: 1. qui gradus improbitatis ſummus; & tamen plurimum invenit acquieſcentiæ inter homines mundi hujus; ambulatur in conſilio impiorum, & ſtatur in via peccatorum, ſed ſedile conſeſſus eſt irriſorum, & in eo ſedetur. Verum quicquid etiam gaudeant, & quamdiu rideant, habent nunc quoque Deum in cœlo ridentem & ſubſannantem eos, ſed qui riſus terminatur in iram & excandeſcentiam Pſ. 2: 4, 5. & quamquam diu eis indulgeatur, tandem tamen riſus mutabitur in fletum & jubilus in ægrimoniam cordis & fractionem ſpiritus, Eſa. 65: 14. atque conſequentur ejectionem in tenebras exteriores, ubi fletus & ſtridor dentium Mat. 8: 12. Eoque Hoſ. 9: 1. ſiquidem id faciatis. Pſ. 2: 11, 12. *Servite Domino cum timore, & exultate cum tremore. Oſculamini filium* &c. Gaudium dum oſculatur quis vitulos, idola mundi aut cordis ſui, provocat iram Chriſti, ad ſubitam deſtructionem. Gaudium ſollicitum in cultu & oſculatione Meſſiæ adfert ſecuritatem æternæ felicitatis.

Sed progredimur ad id quod vidit Moſes. In Exodo dicitur, propinquantem caſtris, vidiſſe vitulum & choreas. Sed hic omnia ad aggravationem peccati faciunt: *Et vidi, & ecce* quicquid vidit evidentiſſimum erat cuivis animum & oculos advertenti. I. Generatim, *peccaveratis, rei facti eratis Domino Deo veſtro.* Onkelos, חבתון *Debitores facti eratis coram Domino Deo veſtro.* Etenim Syri tempore Chriſti pro peccare ſolebant dicere debitorem fieri: unde ſervator in precatione ſic quoque locutus eſt. Jonathan סרחתון *fœtidi facti eratis*, quod conſequens eſt peccati Pſ. 14: 3. Eſa. 65: 5. fumus. II. Speciatim, *feceratis vobis vitulum fuſum:* idolum in vituli ſpecie conflatum ex auro, feceratis vobis ex proprio arbitrio. III. declarationem reatus in eo facto, *ſubito receſſeratis à via quam Dominus præcepit vobis.* Crimen ipſum eſt conflatio vituli aurei. Sic crebro vocatur, Pſ. 106: 19. ſ.

Quæritur hic, unde factum fuerit, quod non hominis, ſed vituli imaginem delegerint? Reſp Variæ rationes dicuntur à variis. Quidam aſtrologicum dicunt, quod inter aſtra ſignum ſtatuitur tauri, illud ibi delegiſſe; ut cum Ægyptus eſſet ſub Arietis ſigno ipſi aliud adiciſcerent, & fortius: ſed nulla talia ſigna in aſtris ſunt, & quæ finguntur, ut meminiſſe ſtellarum queant, vix credibile ſub ullis nominibus illo tempore jam fuiſſe: neque etiam Ægyptum ſubfuiſſe arieti, & taurum ſibi Iſraelitas vel voluiſſe, vel potuiſſe deligere. Alii volunt cum Aaron & ſeniores Iſraelis juxta cum Moſe adſcendiſſent in montem, & vidiſſent gloriam Dei, vidiſſe etiam Cherubinos, qui quadriformes deſcribuntur facie hominis, leonis, bovis & aquilæ Ezech. 1: 10. Bovis autem dicitur fuiſſe ad ſiniſtram, quam viderint Iſraelitæ illi, quumque deſertum & quicquid vaſtum eſt ſiniſtrum putent. Bovis ſpeciem delegiſſe, quod ejus curamin curru Dei (qui Cherubinorum eſt Ezech. 10: 1.) verſus deſertum, ubi degebant directam exiſtimarent. Sed neque iſtud habet certitudinem. Veram cauſam; docet Deus ipſe Ezech. 23: 6. ſ. Cum in Ægypto me domui Jacobi notum feci, dixi ipſis: & cap. 23: 3. *in Ægypto ſcortatos dicit.* Jam notum eſt Ægyptios potiſſimum

ſimum numen habuiſſe Apin, bovem vivum, certis notis inſignem: quem coluerunt in metropoli, & templo proprio, ſed etiam imagines ejus fuerunt formatæ ad ejus ſimilitudinem & in quibus coleretur. Iſraelitæ ergo in Ægypto gnari ejus cultus & quem exercuerant, eundem in deſerto inſtituerunt. Quandoquidem enim Moſes diutius morabatur in monte, qui Dei voluntatem in omnibus indicaverat hactenus, & dubitarent annon igne illo, in quem ingreſſus erat abſumtus periiſſet, uti dicunt *neſcimus quid fuerit illi*, hoc eſt factum fuerit, vel etiam quia non redit vir iſte Moſes, humani forſan quid paſſus ut mortuus ſit, & neſcimus, quid fuerit ipſi, qua arte, ſive magica, ſive idoli alicujus (ut Labanis Teraphim) inſtructus; Volunt itaque non hominem alium, qui mortalis, ſed imaginem Numinis in Ægypto culti; quam ſcirent non abituram à ſe ſed in ſua ſemper fore poteſtate. Non quod putarent eſſe Deum illum vitulum, nedum quod ſe eduxiſſet ex Ægypto, qui jam demum fuſus erat, ſed repræſentationem Dei Ægyptii, quem ſibi faviſſe profitentur, quandoquidem Ægyptii contra ſe nihil valuiſſent. Apim repræſentatum fuiſſe hoc pacto, liquet ex formatione. Fuſus fuit vitulus ex auro, & ſtylo formatus, ſcilicet ut ſculperentur in eo characteriſmi Apidis. Adhæc Jeroboam cum formaſſet vitulos eadem reſpexit, uſurpata eadem formula 1 Reg. 12: 28. De quibus Deus Ezech. 23: 8. Ohola, quæ Samaria, regnum X. tribuum, non deſeruit ſcortationes ſuas ex Ægypto, nam hi in adoleſcentia ejus cum ipſa fuerant ſcortati. Vitulorum cultus Ægyptius fuit. Obſervare idem licet in Chriſtianis, Iſrael enutritus in Ægypto didicit, & ſecutus eſt identidem ejus idololatriam: Gentiles cum fuiſſent Chriſtiani, alii à Judæis, idololatræ Gal. 4: 8. 1 Cor. cap. 12: 2. etſi deſeruerint idola, tamen hæſit memoria & amor priſci cultus, & paulatim ad eum redierunt. Rom. Eccleſia demonſtrationi eſt. Si veteres Romani reviviſcerent, viderent ſuas cerimonias plurimas mutatis duntaxat nominibus Impp. Romani, quanquam idolorum Capita ſuſtulerunt & ſua ſubſtituerunt, ut ipſi colerentur. Sic Pontificii quodammodo demtis capitibus Gentilium deorum ſubſtituunt Sanctorum manente eadem idololatria. Pantheon ſuum omnium ſanctorum eſt, & ſua numina nomina Sanctorum ferunt, plane uti Iſraelitæ Apis ſimulachrum Dei Iſraelis nomine inſigniverunt. Sed nomen non mutat idololatriam in cultum Dei: non patitur ille ſe coli ex placito hominum, averſatus etiam nomen bonum alioqui, quia idolis tributum fuit, Hoſ. 2: 15. Agnitum fuit iſtud vitium à Reformatoribus ſuperioris ſeculi, qui idololatriam gentilem in Rom. Eccleſia taxarunt, & deferendum docuerunt. Sed licet id in aliquibus locis factum ſit, multæ tamen adhæſerunt, conſtructionem novam facientes, Imagines & altaria ex Papatu in templis retinuerunt jam decoris, jam memoriæ ergo. De quibus omnibus dicendum, non deſeruiſſe ſcortationes ſuæ Ægypti, (nam Roma etiam Ægyptus dicitur Apoc. 11: 8.) & juventutis idololatriam nondum ex animis eſſe eradicatam. Adeo ut non accuſare Judæos debeant Chriſtiani Euangelici, qui nimium ſimiles ſe oſtendunt. Idem dicendum de idololatria interna cupiditatum; ex conſuetudine etiam adſciſcitur, Pſ. 49: 14. Habent nationes ſua vitia, & qui inter eas verſantur, maxime in juventute, diſcunt mores illos, & vix dediſcunt: imo propagant ad poſteros. Gallia Ægyptus nobis eſt, ubi juventus diſcit idololatriam vanitatis, levitatis, impudicitiæ, blaſphemiæ & profanitatis, ipſiuſque atheiſmi, & hâc corrumpuntur omnia. Sic qui in Italiam abeunt. Non ſollicitius ſtylo fuit ſculptus Apis in effigiem vitulus, quam finguntur omnia ad imaginem ejus quod in Gallia vitioſum eſt, & Zelus tamen tantus pro iſtis, quantus Iſraelis in cultu vituli, tantundem gaudii, & jubili, quando ipſorum choreas expreſſerunt. Sed.

Gravitas criminis eſt. I. *defectio* à Deo fœderato. Huic obſtricti erant per contractum ſolennem, ut ipſum ſolum agnoſcerent Deum, Rectorem & Judicem; ſpectare alium, erat crimen, quo ipſi rei fierent. Uxor oculos & animum avertens à marito, concepit adulterium, quod etiam in oculis & intuitu deprehenditur. Mat. 5: 28. 2 Pet. cap. 2: 14. II. *ſubſtitutio* vituli aurei. Loco vivi Dei mutum vitæ exſors idolum, opus manuum humanarum, quæ ſtultitia exprobratur. Pſ. 115. & 135. Eſa. 44. ſ. Jer. 10. Hab. 2: 18. ſ. Sed inſuper, quæ ratiocinationum vanitas, & ſtultitia, mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis quadrupedis, & creaturam coluerunt ſupra creatorem. Rom. 1: 23. Pſ. 106: 20. III. transgreſſio mandatorum Dei, receſſerunt à via imperata, & quidem celerrime. Cum Dei mandatis ceu lege adſtringerentur, quaſi ſui juris forent, ſuo placito deſiniverunt cultum. Vix 50. dies præterierant cum audiviſſent, non habebis Elohim alios, non facies tibi ſculptile, &c. & nunc fecerant contrarium; Deum viſibilem, ſeu in viſibili ſpecie pararunt, iſti gloriam tribuerunt veri Dei, altare ſacrificia convivia feſtum agitarunt. Eadem vero aggravant idololatriam Pontificiam. Fœdus gloriantur ſe habere cum Deo, cujus Eccleſiam Rom. ſponſam faciunt. Sed quanta eſt perfidia, cum Deum habeant, qui ſocium non fert, alios quoque habere velle. Nonne ſancta caro receſſit, quando patratur ſcelus cum multis? Qui ſe jungit ſcorto, fit una cum illa caro 1 Cor. 6: 16. & quæ ſe jungit adulteris, cum unoquoque illorum fit una caro. Et ubi tunc fœderis religio? Sic vero in Papatu agitur. Amant peregrinos, & illos ſequuntur: quorum tanta multitudo, ut ſecundum numerum Urbium, Parochiarum, ſint Dii ipſorum. Ezech. 8: 10. ſ. præter ſimulachrum Zelotypiæ oſtenſum Prophetæ conclave, ubi omnis imago omnium ſtercoreorum deorum domus Iſraelis depicta erat circumquaque in parietibus, & quivis privatim habebat. Sic ſe habent publica & privata ſacraria Pontificiorum. Et quemadmodum ad intuitum pictorum virorum exarſit amore erga eos Oholiba, ſic quoque imagines illæ pictæ ſculptæve aut fictæ accendunt affectum adulterinum, ut corde iis adhæreant. Sic vero uti adulter marito ſubſtituitur ita idola Deo; Neque enim propterea non eſt idololatria, quia ſe Deum in idolo venerari dicunt, & repræſentatione tantum excitare memoriam. Iſraelitæ dicuntur mutaſſe Deum in imaginem bovis comedentis gramen, quamvis dicerent ſe Deum colere qui ſe ex Ægypto eduxiſſet. Non aliud agunt Pontificii. Quicquid faciunt hic eſt factio Deorum aliorum ſibi ex ſuo arbitrio. ἐθελοθρησκεια autem eſt fœcunda idololatriæ mater. Eſt vero hic diſceſſio à via quam Deus præcepit, non facies, non honorabis geſtu, non coles. Quæ omnia ſine modo & ſine imaginibus præſtantur. Innocentes hic credimus nos, quia ſimulachra abhorremus; ſed alia ratione tenemur. Subſtituimus Deo non vitulum fabrefactum arte, ſed ventrem, ſed faſtum, ſed ambitionem, ſed avaritiam. Idololatria eſt citra externum idolum, ſed nihilominus contra fœdus Dei habetur alius & diſceditur à Dei mandatis. Cupiditates dominantes venerationem & cultum obtinent, & ſi quid ſuccedat feſtum in corde, & choreæ inſtituuntur; quæ licet homines non videant, legati Dei, videt Deus, & deteſtatur, & vindicabit, niſi per reſipiſcentiam & preces impediatur.

Verſ. 17. *Apprehendens duas illas tabulas, abjeci eas ab ambabus manibus meis, & confregi eas ante oculos veſtros.*

γ. Quid fecerit Moſes eapropter, ut non invenerint ipſum qualem voluiſſent. Plura ſunt quæ fecit ad convictionem & vindictam. I. fregit tabulas. II. vitulum ſuſtulit. III. idololatrarum aliquot necari fecit. IV. tentorium ſuum ex caſtris removit. Hic primum memoratur duntaxat ante adſcenſum ad deprecandum primum; quamvis ſecundum & tertium quoque anteceſſerint. At quartum ſecutum eſt primum adſcenſum. De prima convictione, verſ. 17. *Et apprehendi tabulas duas, & projeci eas utraque manu mea, & fregi eas coram oculis.* Tabulæ fuerunt fœderis, in quibus conditiones fœderis conſignatæ erant, & promiſſæ Iſraeli in teſtimonium, ut cuſtodes earum forent, & ſuum iſtud privilegium per illas demonſtrare poſſent; uti Capitulationes Imperatoris, aut regum ſunt in cuſtodia procerum populi, cujus hi pars ſunt. Has tabulas ferens Moſes, viſo vitulo confregit coram oculis Iſraelis; non caſu, ex perturbatione & dolore, quando ſubinde labaſcunt manus, neque retinent quod geſtant: ſed deſtinato

nato consilio. Non erat ipsi ignotum factum Israelis, attamen non fregit tabulas nisi postquam ad populum venisset, & ipsi in manibus ejus vidissent. Apparebat ipsis veram fuisse causam absentiæ ipsius, ut tabulas acciperet, sed illas mox vident ab ipso cum violentia projectas & confractas. Ira ipsius vehemens hinc patescit, qui dicitur *mansuetissimus hominum*. Num. 12: 3. Sed nulla ira ipsius fuit hic, ob injuriam factam sibi privatim, verum ratione muneris sui. Fuit ille Mediator fœderis Gal. 3: 19. ad hoc expetitus ab Israele & à Deo constitutus, qui fœdus solenniter sanciverat, super promisso populi de obedientia virium propriarum. Quando ergo violatum est fœdus ab Israele, ipsius Mediatoris erat, ut eos accusaret & convinceret. Joh. 5: 45. *qui vos accusat est Moses, in quem speratis.* Hanc accusationem & convictionem peregit frangendo tabulas. Etenim sic testatus est fœdus ipsum esse ruptum, cujus tabulæ fractæ essent: quemadmodum si pacta dotalia mulieris nuptæ coram ejus oculis lacerentur per eos qui internuncii fuerunt contractus, hic irritus declaratur, quando testimonium abolitur quo eum debuisset deinceps probare; quod utique tantumdem valeret, ac si cum libello repudii dimitteretur; imo plus, quia sic rea & adultera declaratur, à quo crimine libellus repudii absolvit mulierem. Jer. 31: 32. non stetisse in isto fœdere Israelem, Moses docuit, qui eis omnem provocationem ad suum fœdus ademit: fragmenta tabularum testimonii vim habuerunt quidem, sed perfidiæ ipsorum. Merito perterriti fuerunt Israelitæ ad istum actum; nam factum ad pedem montis, ubi constiterant cum Deus promulgaret fœdus, ubi altare struxerat Moses, cum Sancitum fuit fœdus; ibi quoque instrumenta cancellata & abolita. Zach. 11: 10. Scipio convinctionis frangitur, in signum fraternitatis abolitæ: sic hic tabulæ. Dixit hoc ritu Moses, vos non estis amplius populus Dei; non amplius privilegium citare potestis præ aliis populis, qui Dei non sunt: imo vos pejore loco; illi non sunt Dei, qui nunquam sociati fuerunt; Vos non estis Dei, qui desiistis esse ob perfidiam & adulterium. Illis est negatio gratiæ, vobis spoliatio.

Istiusmodi convictio contra Christianos institui nequit; sed tamen eapropter non sunt immunes ab eo crimine, quod sic convictum fuit. Postquam perierunt alteræ tabulæ in deportatione Babylonica, non potuerunt confringi; neque etiam vivebat Moses, qui jure mediatorio id faceret. Veruntamen analogum quid obtinere potest, siquidem perduelles deprehendamur. Fœderis tabulas habemus in Scripturis: quando Deus eas aufert populo, privat testimonio fœderali. Esa. 29: 10. s. & ablatæ sunt cum obsignati libri rationem habent, quando velamine tectæ sunt, 2 Cor. 3: 14. s. Hæc vero conditio uti Judæorum est, ab eo jam tempore, quo doctores clavem cognitionis abstulere: ita quoque inter Christianos obtinet, ubi pariter Scriptura vendicatur solis doctoribus, quemadmodum in Papatu; & plebi obtruditur credendum, quod illis placuerit. Tabulæ enim Dei negantur, & substituuntur aliæ, quas Doctores confinxerunt. Nunquam ex his fœdus Dei probabitur. Eas habere & scire oportet, & tunc convenienter vivendum est. Qui primum amorem deserunt, privantur justo judicio Dei candelabro verbi. Apoc. 2: 5. s. & perit fœdus fœderisque testimonium. Sed fœdus externum tamen. Internum & spirituale nequit perire. Mediator ejus Christus non acculat fœderatos, sed patrocinatur 1 Joh. 2: 1, 2. tabulæ fœderis non franguntur. Scriptura est in corde, & qui scripsit Spiritus Sanctus Joh. 24: 17. idem facit obsequi. Jer. 31: 33. Ezech. 36: 27: adeoque est fœdus æternum, nec Deo recedente, nec fœderatis hominibus, quibus timorem sui eo fine indidit. Jer. 32. vers. 39. s

Sed cur Moses fregit tabulas coram Israelitis, & non coram Deo in monte? imo cur Deus ipse non fregit antequam daret? Violarant Israel, non Deus; Ergo Israeli convictio facienda fuit. Deus non discessit à fœdere, noluit proinde ipse tabulas frangere; infidelitas Israelis non abolevit fidem Dei. Rom. 3: 3. Non vult similis fieri Israeli. Ezech. 16: 59, 60. Licet generationes aliquæ experiantur damnum suæ rebellionis perfidæ, tamen Deus servat commodum fœderis nationi. Immutabilitas Dei id postulat, Mal. 3: 6. Hæc Dei immutabilitas nobis sit solatio, maxime in novo fœdere.

Vers. 18. *Deinde prorui coram Jehova sicut prius quadraginta dies & quadraginta noctes, cibum non comedi & aquam non bibi: propter omnia peccata vestra quibus peccaveratis, faciendo quod malum* videtur *in oculis Jehovæ provocando eum.*

Vers. 19. *Metuebam enim ab ira illa & excandescentia qua efferbuerat Jehova contra vos ad perdendum vos: & auscultavit Jehova mihi etiam vice illa.*

Moses singulis illis vicibus, quibus ad Deum rediit, 40. dies & noctes in monte exegit. Bis istud factum legitur in Exodo, quater in Deuteronomio, ubi prima mora communis est cum Exodi prima, sed Exodi postrema non indicatur numero dierum addito: reliquæ tres Deuteronomio peculiariter notantur, sic tamen ut una videatur bis recitata. Quod ut obscuritas removeatur, & series juxta historiam constet, operæ pretium est breviter declarasse, Deut. 9: 9. prima mora, qua durante informatus est de tabernaculo conficiendo, & ultimo ejus die accepit tabulas fœderis, quarum accipiendarum gratia in montem adscendit: de hac legitur Exod. 24: 18. Deut. 9: 18. secunda mora est, de quo adscensu scriptum est. Exod. 32: 30. quando impetravit ne illico perderetur populus, sed promitteretur Angelus aliquis dux in Cananæam, veruntamen ut Deus visitare vellet peccatum suo tempore; dilata scilicet non condonata pœna. Deut. 9: 25. tertia mora postquam tentorio suo translato extra castra testatus fuisset populo indignationem Dei, qui nollet in medio ipsorum versari, sollicitavit ulteriorem gratiam, & ne Angelus alius, sed facies Dei, hoc est Angelus faciei, dux viæ sibi foret confirmareturque segregatio Israeli; quod impetravit, jussus tabulas novas parare. Exod. 33: 12. s. Deut. 10: 3, 4. reditus in montem ut tabulis de novo fœdus inscriberetur, sibique denuo daretur, & hæc fuit mora ejusdem durationis quarta, Exod. 34: 28. quæ ultima. Ast Deut. 10: 10. similis moræ mentio est: sed non est alia à secunda, quæ in hodierno textu est: nam facta est proxime post separationem tribus Levi: hæc vero accidit, postquam cædem idololatrarum patrassent, Exod. 32: 26--29. nam illico secutus est primus adscensus ad deprecationem, vers. 30. s. Factum est postridie, ut diceret Moses ad populum. Vos magnum peccatum peccastis, & nunc adscendam ad Dominum forte expiationem faciam pro peccato vestro, & reversus est Moses ad Dominum, dixitque, Ah, populus iste peccavit peccatum magnum, &c.

b. De hoc *adscensu* hic agitur describiturque I. quid egerit, II. cur egerit, III. quo successu egerit pro Israele. & IV. quid pro Aarone speciatim egerit.

a. Quid egerit vers. 18. refert factum, circumstantiam temporis, & suæ actionis.

I. *Factum* est, *Et projeci meipsum* ואתנפל *indefinenter coram facie Domini.* Idem dicitur vers. 25. quoque, designatur autem gestus humillimus, quod se projecerit in terram pronum, ceu indignum qui intueretur Deum, dignum qui conculcationi foret. Etenim quoties supplicandum est, impetrandæ gratiæ ergo precantium gestus debent esse tales, ut quantum maxime licet testentur humilitatem & pudorem. Sic egit hic Moses, & sic Josua ac Seniores, Jos. cap. 7: 6. Josua laceravit vestes, & procidit in faciem suam in terram, coram arca Domini, & Seniores Israelis, & projecerunt pulverem in capita sua. David procubuit in terram, vel jacuit in terrâ, cum pro filio deprecaretur 2 Sam. cap. 12: 16. & cum videret Angelum percutientem Hierosolymam procidit ipse & Seniores tecti cilicio, in facies suas 1 Chron. 21: 16. Ezra flexis genibus expandit manus ad Deum. Ezr. 9: 5. & cap. 10: 1. Etenim quando gratia peten-

tenda, extrema quæque merito, humilitas profitenda eſt. Sic agendum apud homines. Benhadadi ſervi pro hero deprecaturi, induunt ſaccos, & laqueos circumdant capiti, ut miſericordiam impetrarent 1 Reg. 20: 31. ſ. nam ſuperbis negatur gratia quæ humilibus conceditur. Agagi delicatus inceſſus provocavit magis Samuelem ad ejus necem 1 Sam. 15: 32. ſic quoque apud Deum humilitas gratioſa eſt, exoſa ſuperbia Jac. 4: 6. 1 Pet. 5: 5, 6. Luc. 18: 10. ſ. Sic Jer. 31: 18, 19, 20. Exemplo Rehabeami & principum Iſraelis, de quibus Deus, *Humiliarunt ſeſe non perdam eos, ſed dabo evaſionem, ut nunc non effundatur indignatio mea ſuper ipſos* 2 Chron. 12: 7. & Achabi 1 Reg. 21: 29. Obſervant Hebræi, hic & verſ. 25. dici & *projeci meipſum*, & verſ. 9. & *ſedi in monte*, & cap. 10: 10. *ſteti in monte*. Adeoque in precibus tres illos corporis habitus exemplo Moſis valere, ſeſſionem, ſtationem, proſtrationem. Et ſane occurrunt exempla Stantium in precibus ferventiſſimis, Abraham Gen. 18: 22. Salomo 1 Reg. 8: 22. Joſaphat 2 Chron. cap. 20: 5. Publicanus Luc. 18: 13. Sedentium David. 2 Sam. 7: 18. Ezra laceratis veſte & pallio, & evulſis crinibus capitis & barbæ ſedebat attonitus Ezr. 9: 3. 4. Nehemias Neh. 1: 4. & Jud. 20: 26. Iſraelitæ poſt cladem alteram venerunt in domum Dei, & fleverunt, & ſederunt coram facie Dei, jejunantes. Adeoque indifferentes ſunt hi geſtus, ut exinde nihil pronunciari queat; hoc tantum obſervandum, illum eſſe convenientiſſimum, qui humilitatem & reverentiam magis teſtatur: quam aliquando magis ſedendo, quam ſtando oſtendunt precantes; quando inclinato capite ſedentes, modeſtiam pudoremque & ſecretos gemitus lachrymaſque conjungunt, ne videantur ab hominibus, ſaltem ab omni vago intuitu ſuos & aliorum oculos cohibent; quod à ſtantibus non ſemper caveri poteſt. Quemadmodum vero in precibus, cum Deum alloquimur, probanda eſt humilitas; ita quoque reverentia demonſtranda, quando Deus nos alloquitur, & ipſius verba ex Scriptura præleguntur. Deo alloquente populum de monte Sinai, conſtitit omnis populus Deut. 4: 10. & ſic quando prælegebatur verbum Domini ex Moſis ſcriptis. Neh. 8: 4. ſeq. Ezra lecturo legem, cum aperiret librum legis conſiſtebat totus populus, & ſtabat in ſtatione ſuâ. Imo Eglon Moabitarum rex, dicente Ehudo, *Verbum Domini mihi eſt ad te*, illico ſurrexit de ſuo throno Jud. 3: 20. Hæc reverentia olim in hac Eccleſia obſervata fuit, ut cum textus Scripturæ explicandus legeretur, omnes & mares & fœminæ ſurgebant, & conſiſtebant. Neque uſquam id magis decet, quia non hominum, ſed Dei ipſius verba proponuntur, ut tanquam Dei verba ſint audienda: quibus efficacia adeſt ſiquidem credantur, 1 Theſ. 2: 13. Hominum autem ſcriptum quodcunque ſi legatur pari honore non eſt audiendum. Quando benedictio pronunciatur ſtare omnes convenit, quia ea pronunciatur formulâ illâ quam Deus ipſe præſcripſit, ſe unà benedicturum pollicitus. Num. 6: 23. Non aliter ſtandum foret ad lectionem illam ſolennem textus Scripturæ διοπτίνῳ, in quo Deum nos alloquio ſuo dignantem habemus agnoſcendum.

2. *Circumſtantia temporis*, uti vice primâ, 40 *diebus* & 40 *noctibus*. Factum ergo id nunc vice altera: & Actionis ſuæ, non comedi panem, nec bibi aquam. Sic egerat antea verſ. 9. ſed longe alia nunc ratio. Tunc jejunium tot dierum non habuit afflictionem corporis; erat in fruitione gloriæ Dei, quemadmodum etiam cum ſecundas tabulas accepit, quando ipſius facies fulgorem concepit maximum, qui ipſum non deſeruit: aſt nunc uti & verſ. 25. fuit jejunium afflictionis; quamquam roboratus fuerit à Deo, ut eouſque durare poſſet. Heic videmus exemplum fervoris in precibus, ex duratione per tot dies, & conſtante toto illo tempore jejunio. Equidem miraculoſum hîc aliquid agnoſcendum eſt, & propterea imitatio nec poſcenda, nec ſuſcipienda. Servator noſter ſemel ſic egit, antequam muneris ſui exercitium adiret, itidem miraculoſe; ſed poſt illa nunquam repetiit, & cum preces ejus fuerunt intenſiſſimæ. Adeoque ſtolida eſt imitatio Pontificiorum in precibus 40 horarum, horam ſubſtituendo diei, & illas horas interruptas tranſigendo: itemque in jejunio quadrageſimali, quando ſolis carnibus avium & quadrupedum abſtinent; aſt carnes piſcium & quicquid alias delicati eſt, & potum quemcunque etiam generoſiſſimum avidiſſime ſumunt, ſeque ingurgitant: qualia ludibria ἐθελοθρησκείας in nullo ſunt pretio, ſed ad carnis ſatietatem Col. 2: 23. Veruntamen id diſcimus, quod multum facere & tolerare fervor precantis poſſit. Joſua & Seniores uſque ad veſperam jacuerunt proni in faciem ſuper terrâ, cum fugati fuiſſent ante urbem Ai Joſ. 7: 6. ſ. Iſraelitæ poſt cladem à Benjaminitis acceptam ſederunt coram arca & fleverunt, & jejunarunt uſque ad veſperam Jud. 20: 23, 26. David jejunavit & procubuit tota nocte in terra continuans preces. 2 Sam. 12: 16. Sic Ezra & Nehemia, & Daniel continuarunt preces & jejunia ad dies nonnunquam plures, ut ante ſolis occaſum nihil guſtarent, atque tunc etiam abſtinerent à deliciis. Et Neh. 9: 1. totus cœtus reducum ex Babel veniunt operti ſaccis, & pulvere inſperſi capita, & jejunant, & quartam partem diei impendunt lectioni Scripturæ, & quartam confeſſioni peccatorum & precibus. Sic David Pſ. 102: 5. ſeq. 1 Reg. 18: 42. ſ. Verum ſi noſtras preces & jejunia intueamur, nihil horum iſtic apparet. Chriſtus ad diſcipulos, *non poteſtis unam horam mecum vigilare?* Matt. 26: 40. ſic dicere poſſumus, ne unam quidem horam precari, ne unam quidem dieculam jejunare poteſtis? Non poſcitur iſtud quotidie; Deus neceſſitatem lege aliqua non impoſuit. Unum quotannis inſtituit jejunium, atque id ſtrictiſſime obſervari voluit Lev. 23: 27. & tempore extraordinariorum judiciorum extraordinaria inſtitui vult Eſa. 22: 12. Joël. 1. & 2. ſed ordinaria quarti & quinti, & ſeptimi, & decimi menſis non probavit Zach. 7. 8. Frequentia illa non auget, ſed minuit Zelum, & Deus non propitiatur precibus & jejuniis illis, ſed provocatur frigore precum & ementito jejunio. Ecl. 5: 3. ſ. Diſcamus à Moſe fervorem & conſtantiam in precibus. Tum erunt preces validæ, quæ multum poſſunt Jac. 5: 16. Jacob in lucta non adeo diuturnus fuit, ſed vehemens, flendo & ſupplicando fregit Angelum, uti ſponſa Simſonis maritum fregit, ut ei indicaret ænigma Jud. 14. Eſa. 62: 5. ſ. Deus dicitur ſuper Eccleſiam gaudere ut ſponſus ſuper ſponſam, & mox additur *Vigiles ſuper muris Hieroſolymæ jugiter tota die & tota nocte non tacituros*; imo quotquot Deum recordari faciunt, iis dicitur, ne ſilentium ſervent, neque ſileant coram ipſo, donec confirmet, & donec Hieroſolymam conſtituat laudem in terrâ; & tunc ſequitur juramentum Dei, de reddenda conſtanti felicitate. Iſtud ſequamur & labor noſter, non erit fruſtraneus in Domino.

β. *Cur legerit*, indicat bifariam reſpectu Iſraelis & Dei. Iſraelis quidem, *propter peccatum veſtrum quod peccaveratis, faciendo quod malum in oculis Domini, ut eum ad iram provocaretis.* Dei autem: *nam* יָגֹרְתִי *vehementer metui propter* אַף *iram*, & חֵמָה *indignationem*, *qua* קָצַף *valde iratus fuit Dominus ad exſcindendum vos.* Fervidas preces & jejunia vera, cum conſtantia excitat meditatio peccati, & metus iræ Dei, in ſuis aggravationibus. Moſes tamdiu proſtratus precatur, quia meditatur I. *Iſraelis* peccatum. *Peccatum veſtrum, quod peccaſtis*, ne à ſe in alios rejiceret: dixerat id eſſe peccatum magnum; *An populus hic admiſit peccatum magnum: faciendo quod malum in oculis Domini*, quicquid etiam rationum ſapientiæ ſit ad palliandum iſtud, ut boni ſpeciem habeat coram hominibus, Deus improbat, *ad provocandum eum;* non potuit aliò pertinere, quam ut ægre faceretis ei in faciem. II. *Dei*, Metus vehementior, quia magnam iram oſtenderat Deus, quæ exſtirpationem minabatur, ne ira & indignatio exercerentur, & gradus gradui ſuperadderetur. Sic alibi quoque, & ſpeciatim Pſ. 90: 7, 8. Quid fecit pios adeo fervidos in precibus, quam meditatio ſuorum peccatorum, & metus iræ divinæ Sic Pſ. 6: 32. 38. 51. Pſ. 38: 4. & Pſ. 39: 9. ſ. Legantur preces Danielis cap. 9. Ezræ cap 9. Eccleſiæ Neh. 9. Heic ſe manifeſtat cauſa, cur preces & jejunia noſtra adeo frigeant; deeſt juſta meditatio noſtri reatus, & metus iræ Dei. In genere agnoſcitur peccatum; adſueti ſunt omnes dicere formulam, Remitte nobis debita noſtra, ſed uti picus vel pſittacus; verum reatus peccati non ſatis agnoſcitur, eoque non afficit: quis enim multum ſollicitus ſit de debito 10000 talentorum, qui neſcit

ſe vel 100 denarios debere? Faciunt homines vias ſuas bonas, etiam cum ſcortantur maxime pone cupiditates ſuas; & quando judicia mitigantur, ſe innocentes putant, & peccato caruiſſe Jer. 2: 33. 35. ſecuri pergunt cap. 8: 6. & ſi quando peccata confitentur, ſunt aliorum; ſed proprias trabes non animadvertunt. Jejunium Judæorum non proderat eapropter; unde Propheta convictionem ſuſcipere jubetur Eſa. 58: 1. ſ. Nihil ſperandum eſt ſine iſta agnitione Hoſ. 5: 15. quam conſequitur miſeratio Dei, Jer 31. verſ. 19, 20. unde à Deo petit converſionem verſ. 18. Quod vero iram Dei attinet, vere queſtus eſt Moſes Pſ. 90: 11. *quis novit robur iræ tuæ; indignatio tua eſt quantus metus tui?* In adverſis intuemur homines non Deum, neque quod hic mandatum dederit hominibus, ut vel linguis, ut Simei, vel armis, ut Aſſur, oppugnent. Atqui ira Dei in omnibus agnoſcenda foret, & metuenda major: non illico omnem excitat, habet theſaurum, & ſi eum aperiat, & inſtrumenta ſuæ indignationis proferat: quis ſubſiſtet? Pſ. 7. verſ. 12. ſ. *Deus juſtus judex* &c. ſi peccator ſe non convertat &c. Lev. 26. ſæpius ſeptulo. Leonis rugitus exterret, quanto magis ira Dei, qui vult eſſe peccanti populo ut vetus Leo & ut juvenis Leo, laniaturus, & abrepturus ut non ſit qui eripiat; aut ut tinea, & putredo, ut tacitis malis conſumantur Hoſ. 5: 14, 12. Ibidem verſ. 15. ait, cum anxii erunt, quærent me mane. Periculum, metum exitii afferens, facit precari intenſius. Hizkia tolle preces pro reſiduo quod invenitur Eſa. 37: 3, 4. Sic Joël. 2. Et nobis ita agendum Pſ. 50: 21, 22, 23.

Prætereundum hic non eſt, quod ſingulare fuit in precibus hiſce Moſis Exod. 32: 32. *Magnum peccatum peccavit hic populus, faciendo ſibi Deos aureos. Nunc itaque ſi condonaveris peccatum ipſius, bene eſt; ſin minus, dele me de libro tu quem ſcripſiſti.* Quidam hæc verba componunt cum illis Num. 11: 15. *Si ita mecum agas, quin enecas me ſi inveni gratiam in oculis tuis, atque nec ſinas me videre malum meum.* Explicant itaque. *Nunc ergo ſive condonaris peccata ipſorum, ſive non, dele me* &c. ut inter viventes non amplius foret. Sed hoc impatientiæ fuiſſet; & contrariatur textui noſtro, qui metuiſſe Iſraeli dixit ob peccata & iram Dei, quam voluit averſam, non autem ſe abreptum ne intercederet. Menahem Rakanat. rectius: *Intentio Moſis fuit, cum dixit, Dele me, quod vellet mori loco ipſorum, & ferre ipſorum pœnam; juxta illud quod dicitur. Et ipſe vulneratus fuit propter prævaricationes noſtras: nam mors juſtorum expiatoria eſt; atque hoc eſt myſterium magnum.* fol. 120. col. 1. m. Vicarium ſe facere Moſes paratus eſt pro populo. Si condones, bene eſt: verum ſi non & ira tua vindictam vult, cadat in me. Tu me vis facere populum loco ipſorum; ego vero malo exſtingui loco ipſorum, ut maneant illi *liber*, unde deleri ſe poſcit, ſiquidem alias averti ira nequiret, eſt non communis providentiæ, de vita corporali Pſ. 139: 16. omnia iſta, de mei formatione in utero materno, ſcripta erant in libro tuo: neque admiſſionis in Eccleſiam Ezech. 13: 9. Pſeudoprophetæ non venient in in congregationem populi mei, & in ſcripto domus Iſraelis non ſcribentur: Sed eſt ordinationis ad ſalutem, qui liber vitæ Phil. 4: 3. & Apoc. 20: 15. Deleri hinc vult Moſes ſiquidem aliter placari Deus non poſſet. Ut in ſe unum pœna derivaretur. Exceſſus eſt hic amoris erga populum nam Joh. 15: 13. & tamen conjunctus cum amore Dei & gloriæ ejus, ut ſi ea non aliter poſſit demonſtrari, quam per vindictam, in ſe ea cadat. Similis Pauli Rom. 9: 3. *Optarem ipſe ego anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, cognatis ſecundum carnem.* Pœnam eorum ſibi uni optat, ut gloria gratiæ erga plurimos, nationem integram foret evidentior. Vicaria mors corporalis reperitur etiam inter gentes Rom. 5: 7. ſed talis ad quam ſe hi obtulerunt Moſes & Paulus, nuſquam locum habet præterquam in ſolo Chriſto. Eſt hic excellentia amoris Chriſti facientis Eph. 5: 2. 25. & amoris Dei admittentis Rom. 5: 8. Hoc eſt exemplum Eſa. 53: 5. *vulneratus propter prævaricationes*, & mors juſti unius ſolius, non aliorum, quæ expiatoria eſt, & myſterium magnum religionis veræ. Qui unus mortuus pro aliis omnibus, ut in ipſo alii omnes mortui cenſeantur. 2 Cor. 5: 15. quippe hunc unum conſtituit Deus placamentum &c. Rom. 3: 25, 26. adeoque & nos habemus in eo vicarium. 2 Cor. 5: 21. & ipſe vi hujus vicariæ ſolutionis intercedit pro nobis 1 Joh. 2: 1, 2. Deus noluit admittere hanc oblationem Moſis, Exod. 32: 33. *illum delerem ex libro meo, qui peccaſſet contra me.* Veruntamen magna fuit in iſta oblatione efficacia, & ubi apprehendit Deum; aut condona, aut me dele; non dimittam te alia conditione. Et quod Deus? non faciam hoc; ut te deleam. Ergo illud condonabo, ſaltem ne illicò ipſos deleam, Abi, duc populum quo dixi, Angelus meus ante faciem tuam ibit, & die viſitare me, viſitabo ſuper illos peccatum ipſorum. Qui eſt ſucceſſus precationis. De quo proxime.

γ. Tertium eſt, *quo ſucceſſu egerit.* Non petierat iſtud unum, ut deleretur de libro, ſed ancipitem ſtatuerat conditionem. *Aut condona peccatum, aut me dele:* non deſinam inſtare niſi alterutrum conceſſeris. Iſtud quidem malim. Condona peccatum; hoc ſi feceris, habeo quod volo: Sin nolis iſtud, alterum ergo fac, & in me deriva ultionem. *Exaudivit*, inquit, *me Dominus hac vice.* Quid ergo hic Deus? Poſterius iſtud non faciam, delebo peccantem, non te: Ego faciam prius potius: ſaltem ne ſubitâ irâ eos abſumam. Nam ait: *Et nunc abi, duc populum iſtum quo dixi, Ecce Angelus meus ibit ante faciem tuam, & in die viſitare me, viſitabo ſuper ipſos peccatum ipſorum.* Impetravit itaque Moſes aliquid, quod dicit etiam hac vice. Reſpicit experientiam priorum temporum, quod ſuæ preces à Deo fuerint exauditæ in Ægypto, ad mare, in deſerto, quando edulcatio aquæ, quando cibus, quando aqua ad potum neceſſaria fuit, quando cum Amaleko prælïatum fuit. Sed poſt vituli cultum, etiam iſtâ vice eum audivit Deus.

Scilicet, *Preces fidelium nunquam ſunt fruſtraneæ; ſemper aliquid impetrant* Quoties de novo inſtitit Abraham pro Sodomitis, Deus ipſi annuit. Gen. 18. Deus dicitur audiens precum, ad te omnis caro veniet, Pſ. 65: 3. non factura ſi incerta foret exauditio. Inprimis piorum, quia Servator omnium hominum maxime fidelium 1 Tim. 4: 10. unde Pſ. 145: 18, 19. Job. 22: 27. Et Deus Eſa. 54: 19. Equidem non ſemper impetrant omnia, ſed tamen aliquid. Moſes adſcendit montem ut impetraret expiationem; forte expiationem faciam pro peccato veſtro: & iſtud quidem nondum conſecutus eſt, Deus ſe viſitaturum dixit etiam nunc; ſed aliquid tamen, dilationem, ut non illico omnes ſimul exſcinderet; ducendi ſunt ad terram promiſſam, etiam Angelo addito, qui definito tempore viſitabuntur. Et deinceps cum petiit ut ſibi gloriam ſuam oſtenderet Deus, obtinuit aliquam declarationem, ut videret poſteriora Dei. Exod. 33: 18. ſ. Sic Ezech. 14: 14. ſ. Noach, Daniel & Job non liberant filios aut filias, ſed animam propriam 1 Sam. 16: 1. Samuel non impetrat aliquid pro Saule quem unxerat, ſed jubetur ungere alium Davidem, cujus ſtabile regnum foret. Jeremiæ negatur exauditio pro populo, interdicitur precibus pro ipſis, ſed eopſe ſignificatur quam gratæ ſint ejus preces, quodque non negetur ipſi quid, ſed quod non eſſet res impetrabilis, adeo ut Moſes & Samuel nihil amplius fuiſſent effecturi Jer. cap. 14: 11. cap. 15: 1. Docet iſtud inſtare precibus, & alias ſemper ſuperaddere, ſemper aliquid impetraturas. Moſes hac vice aliquid obtinuit, & hinc rediit poſtea ad preces, aliis adhuc quadraginta diebus, donec omnia impetraſſet, ut fœderis tabulas denuo promitteret Deus, quaſi eo loco conſtituens, quando primum ſancitum fuerat fœdus Exod. 24. Adeo ut dies viſitationis foret tempus plenitudinis, quando viſitatum fuit in Mediatore Chriſto, vel dies iræ & demonſtrationis juſti judicii, ultimi nempe. Sic quoque inſtandum, Pſ. 34: 5. ſ. Pſ. 56: 4. Flumen ſemper decurrit pari impetu, ſic quoque preces piorum, & nulla pudefactio. Semper audit Deus, ſi non in totum, ſaltem ex parte Ezech. 14: 14. ſi non ſtatim, tamen tandem, Pſ. 40: 2. ſi non in eo ipſo, in alio ſaltem, 1 Sam. 16: 1. quod melius, quod ſufficiens; uti Paulo non dat liberationem à Satanæ colaphis, ſed gratiam ſufficientem, non ut nil patiatur, ſed robur ut patiendo vincat. 2 Cor. 12. verſ. 8. ſ.

Verſ.

Verſ. 20. ***In Aharonem quoque ira percitus eſt Jehova valde ad perdendum eum: ſed ſupplex oravi etiam pro Aharone eodem tempore.***

d. *Quartum* eſt, *quid pro Aarone egerit*, verſ. 20. ubi Ira Dei & Deprecatio Moſis.

1. *Ira* Dei, & *contra Aaronem* הִתְאַנַּף *excanduit Dominus* מְאֹד *valde ad perdendum ipſum.* In hiſtoria nihil de eo dicitur expreſſe, veruntamen colligere eſt ex ipſo ſermone Dei. Delebo illum, qui contra me peccavit, & hic deſignari Aaronem docent ultima verba Exod. 32: 35. & percuſſit Dominus populum, propterea quod fecerant vitulum, quem fecerat Aaron. Aaroni ergo adſcribitur peccatum facti vituli. Judæi vehementer laborant abſolvere ipſum à culpa: quia Moſes ipſum non directe accuſat, verſ. 21. ſ. Moſes dixit ad Aaronem: *Quid fecit tibi populus iſte, ut tantum peccatum ſuper ipſum adduceres?* & ipſe: *Domini mei ira non excandeſcat; noſti populum hunc quod in malo ſit; & dixerunt mihi, fac nobis Deos anteceſſuros nos; nam hunc Moſen, qui nos eduxit ex Ægypto, neſcimus quid ipſi fuerit vel contigerit. Et dixi ad eos, Cui aurum eſt, avellat & det mihi, & projeci in ignem, prodiitque hic vitulus.* Unde colligere eſt, non ſponte feciſſe, nedum autorem fuiſſe, ſed coactum egiſſe. Neque caret veri ſpecie, quod dicunt Hebræi: Moſes dederat mandatum, ut Aaron & Hur ſe abſente gubernarent populum Exod. 24: 14. ſed Moſe diutius emanente, quod tæderet populum moræ diuturnioris, voluerunt iter Cananæam verſus ingredi. Sed Aarone & Hure negantibus ſe noſſe viam, voluerunt ut ſibi pararent Deos, imaginem viſibilem, quæ antecederet, quam præferrent, quandoquidem non conſtaret, quid Moſes habuiſſet inſtrumenti, unde Dei voluntatem perciperet. Repugnantem heic Hurem à populo fuiſſe occiſum; Aaronem autem idem metuentem promiſiſſe ſe facturum. Atque hoc fecit ipſi populus; qui in malo, in poteſtate malarum cupiditatum, ut ceu furore actus ruat, & reſiſtentem evertat. Exod. 17: 4. Num. 45: 10. Aaron itaque arte voluit eludere, & vel inter ſe committere, vel mora evertere conſilium ipſorum. Juſſit ut inaures uxoribus, filiis, & filiabus ereptas ſibi darent; quod hinc domeſticæ lites eſſent orituræ, ornatum illum nolentibus amittere: & politicæ, quando aliquibus multum conferendum eſſet aliis parum aut nihil habentibus quod adferrent. Sed quando hic vicit omnia ſuperſtitio, aurum iſtud conflavit in vitulum, (qualem imaginem voluiſſe credibile eſt, Ægyptiæ idololatriæ amantes) & tunc ſtylo formavit, moras nectens: ubi id factum, placuit populo, & in eo Deum vindicem ſuum ſe colituros profeſſi ſunt. Erexit ergo vitulum, & coram ipſo ſtruxit altare, & in craſtinum indixit feſtum, ſed Jehovæ; verum illuceſcente die illico ruerunt ad ſacrificia offerenda, primogenitis Sacerdotibus miniſtrantibus.

Verum quamvis Aaron ſic non fuerit in eodem delicto cum cæteris tamen multipliciter peccavit. Primum quidem contra illud *Lo tognobdem*, non ſines te cogi ad idololatriam ullo modo fovendam aut juvandam. Occidi eligendum magis quam tranſgredi. Hur ſanctificavit Deum morte, quem Aaron provocavit & profanavit vivendo. Metus mortis corporalis non patrocinatur peccato, & quam ſtolidum, ne quis alius occidat tuum corpus, ut velis occidere animam, Prov. 8: 36. *qui mihi peccat, vim facit animæ ſuæ, & amat mortem.* Metus Petrum non abſolvit, ut abnegatio Chriſti non fuerit peccatum, quamvis ore ſolum facta, cum corde amaret Jeſum. Regula eſt Mat. cap. 10: 28. *& qui abnegaverit Deum coram hominibus* &c. verſ. 33. Aſt quam multos metus hominum, & reſpectus erga ipſos facit ſilere, ubi pro Deo loquendum fuerat: facit agere ubi abſtinendum erat, ne communionem habeant cum infrugiferis operibus tenebrarum, & idem jugum trahant cum infidelibus, aut abripiantur cum aliorum hypocriſi. Quicquid etiam faciant homines, minenturve illud fixum ſit Deo magis obtemperandum quam hominibus Act. 5: 29. *tantumne malum facerem, & peccarem contra Deum.* Gen. 39: 9. Danielis ſociis indicit Nebucadnezar Dan. 3: 15. ſ. ut colerent idolum, alias conjiciendi in fornacem ignis. Et ipſi, non opus eſt hic reſpondere. *Si ſic erit*, (ut iſta tormenta toleranda ſint.) *Deus noſter poteſt nos liberare ex fornace ardente, & liberabit nos è manu tua. Quod ſi non, ſcias tamen, ô rex, nos Deos tuos non veneraturos.* Non eſt deliberandum: ſitne in gratiam hominum peccandum, Job. 36: 21. *Cave tibi neque te inclines ad iniquitatem, ut eam eligas præ afflictione.* Impoſſibile hanc evadere peccando, quia à Deo veniet, cui nemo reſiſtere poteſt; at afflictio hominum poteſt averti per Deum, & id ſi non fiat, ſociata erit cum teſtimonio bonæ conſcientiæ quæ epulum, Prov 15: 15 & brevi tranſibit mutanda in gloriam maximam 2 Cor. 4: 17. Rom. 8: 18. 1 Pet. 3: 14. ſ. Pretioſa autem in oculis Dei mors juſtorum, quantumcunque vel ignominiæ vel doloris habeat Pſ. 116: 15. conſequentur in requiem & remunerationem ampliorem. Apoc. cap. 6: 9. cap. 20: 4.

Deinde vero humana ſapientia vult in ſpeciem gratificari hominibus, & tamen abſtinere ab idololatria, habet effugia, ut ſaltem ad extremum actum non perveniatur; ſed ſic paulatim progreditur, & juvat perficere. Obſequar vobis, ſed materia ſint oportet inaures, at quis ſpoliari velit ornatu iſto? Jer. 2: 32. Materia iſta in aliam formam operoſe convertenda eſt; faciendus vitulus, factus ſtylo pingendus, inauguratio ſeu dedicatio ſolenniter facienda. Sapientia carnis eſt peſſimus conſiliarius in religione, & omni pietate, Rom. 8: 5. Qui hominibus placere vult, non poteſt eſſe miniſter Dei aut Chriſti Gal. 1: 10. *Nemo repente fit peſſimus*; hæc carnis ſapientia ut gradatim perſuadeat, & initio adeo exiguum, ut inutilis fere credatur ſcrupuloſitas. 1 Sam. 15. populus pepercit gregibus Amalekitarum, & Saul ſinit, quod euchariſtica ducerent. Salomo 1 Reg. 11. ducit peregrinas uxores invitas non vult cogere ad religionem; non debent tamen ſine omni cultu vivere. Ergo proprium permittit, dum curioſitatis gratia videt; tandem una exercet. Judas avarus indignatur ſibi ereptam occaſionem lucri, effuſo nardino oleo in Chriſtum Joh. 12. meditatur aliam ergo ab hoſtibus Chriſti, quibus vendit proditionem, ratus Jeſum non poſſe retineri: & cum condemnatum audiret, reſtitutione reſciſſurum ſe omnia retur, & ſic ducitur ad deſperationem. Pilatus innocentiam Jeſu agnoſcit & profitetur, ſed ne offendat Judæos, conjungit Barrabbæ ceu minus malum; & hoc prælato, flagellat miſere; neque adhuc exſatiatis Phariſæis, tandem cruci adjudicat. Col. 2: 23. ἐθελοθρησκεία juxta traditionem hominum habet λόγον σοφίας, facit ad humilitatem, & ἀφειδίαν σώματος: ſed non eſt in pretio, verum ad ſatietatem carnis. Reſiſtendum primis initiis peccati, etiam ad ſanguinem Heb. 12: 4. nondum reſiſtitis ad ſanguinem uſque pugnantes contra peccatum, ubi primum cedere quis cœpit, ægre rurſum figet pedem. Victus jam eſt, qui aliquid indulſit; & ubi impetratum minimum jam plurium petendorum jus ſibi putat quæſitum caro. Serpens quo caput inſertare poteſt, totum inferet corpus. Perforetur agger ut tantum pollicis meatum habeat aqua, dilatabit eum ut pedis, ut cubiti, ut orgyiæ, ſit, donec prorſus evertatur. Cavenda prima initia; ne unquam cogitemus de peccato, quod Lotus de Zoar, *nonne exiguum eſt?* Gen. 19: 20. Meditemur unum eſſe Legiſlatorem Jac. 4: 12. & illum non unum duntaxat, ſed omnia interdixiſſe, & in quovis violationem eſſe autoritatis ipſius, cap. 2: 10. ſ. Indulgere quicquam eſt animare illud. Jud. 19: 25. Levita ut à ſe averteret vim, tradit Gibeæ civibus concubinam, quam ad mortem ſtuprarunt. Cum idem de filiabus ſuis meditaretur Lotus, non permiſerunt Angeli Gen. 19: 8. ſ. Non ſunt enim facienda mala, ut eveniant bona Rom. 3: 8. Abſtinendum non tantum à malo, ſed etiam ab omni mali ſpecie 1 Theſ. 5: 22. Non adulterandum, ſed ne quidem oculis indulgendus intuitus libidinoſus Job. 31: 1. & cor ipſum à cupiditate cuſtodiendum. Pſ. 141: 4. Petit cuſtodiri cor ſuum, ne rem malam deſideret; nam hinc ſequeretur actus, ſaltem accedente aliorum exemplo & fructu quem illi ſuaviſſimum putant. Auguſtinus de Monica matre refert, cum puella adhuc vinum peteret ex cella, guſtaſſe primum inde hauſiſſe parum

& ſic ſæpius parum addendo inebriatam fuiſſe, modicum & modicum tandem non habuit modum. Eph. 5: 15. *Videte ut ἀκριβῶς ambuletis, non ut inſipientes, ſed ut ſapientes:* illi extremum caveri ſufficere putant; hi ne quidem initia admittere volunt; hi ſervabunt ſe impollutos à mundo, at illi jam polluti ſunt, qui inchoarunt peccatum, quod probarunt in primo initio. Ad prudentiam neceſſarius eſt intellectus voluntatis Dei, & abſtinentia à vino, verſ. 17, 18. Rom. 12: 2.

Evidens ergo peccatum Aaronis, quamvis non adorarit vitulum, imo averſatus fuerit idololatriam; quia inſtrumentum fuit peccati. Percuſſit Deus populum, quia fecerunt vitulum, quem fecit Aaron. Illi fecerunt ad cultum, qui eo fine petierunt, Aaron tantum ut ipſis placeret: & tamen ipſe cauſa dicitur: uti Exod. 32: 25. Moſes vidit populum nudatum eſſe, nam Aaron eum nudarat. Hic rupturam fecerat, quamvis aliis mandantibus. Infenſus inde ipſi Deus vehementer.

Idololatriæ, aut peccato alieno ſervire, peccatum eſt, & Dei iram concitat. Exemplo Aaronis. Sic faber imaginum, ſculptura vel pictura eas ſuppeditans idololatris, Pſ. 115. verſ. 8. Hic cultor & factor æquantur ad pœnam Exod. 20: 4. 5. Lena non melior meretrice, & qui occulit non melior fure, ſeu qui huic perfoſſionis inſtrumenta facit. Eſt autem idololatria ſpirituale adulterium, & furtum quoque, dum cor furando abſtrahitur. Hab. 2. 15. Qui aliis ebrietatis cauſam præbet ſub væ cadit, uti ille qui bibit ab ebrietatem. Eſa. 5: 22. Cavendum proinde tum ne peccemus, tum ne aliis peccandi ſimus inſtrumenta. Quantopere Naaman ſollicitus eſt, ut ſibi condonetur, ſi quando miniſtrans regi in idoleo videretur idololatriæ ſervire, ſaltem conſenſu. Serpens quia diabolo ſe præbuit inſtrumentum ſeducendi Evam, maledictus fuit, neque ab ea maledictione liberabitur unquam Gen. 3: 14. Eſa. 63: ult. Juviſſe peccatum mercedem quoque peccati meretur, uti inſtrumentum fuiſſe boni & pietatis, laudem mercedemque fert à Deo. Viri Sichem Abimelecho dant pecuniam, qua ille conducit ſatellites, & trucidat ſeptuaginta fratres ſuos: ſed tandem exſcinduntur penitus, ubi Abimelech quoque occubuit. Quamvis autem Aaron non perierit cum idololatris per Levitas, quia non fuerat unus ex illis, attamen non evaſit ab ira Dei niſi per interceſſionem Moſis: quod Moſes ad extremum dicit. Scilicet etiam minimus gradus peccati, & quod occaſionem aut inſtrumentum præbuit, Remiſſione Dei indiget. Nihil adeo leve eſt, ut veniale ſit per ſe & ſua natura; ut Pontificii volunt. Peccatum eſt ἀνομία 1 Joh. 3: 4. & meretur iram. Adeoque Pſ. 19: 13. ſ. *Errores* &c. Superbiæ deprecandæ; ſed etiam errores, licet ſecreti, indigent purgatione. Hoc itaque & illud petamus, & ut ſermones quoque & cogitationes noſtræ Deo placeant.

Verſ. 21. *Peccatum autem veſtrum, ipſum quem feceratis vitulum, accipiens combuſſi igne, & contrivi eum molendo optime, donec comminutus eſſet in pulverem, & projeci pulverem ejus in torrentem, qui deſcendit ex illo monte.*

ε. Narrat porro quid de *Vitulo* quem Aaron fecerat, *ſtatuerit.* Ubi occurrit I. Deſcriptio. II. Abolitio. III. Uſus

α. *Deſcriptio* eſt, *Peccatum veſtrum quod feciſtis vitulum.* Ducitur.

1. A forma externa, *Vitulus* fuit aurum conflatum in figuram vituli, & quidem qui ſculptus erat, ut Apin Ægyptiorum repræſentaret.

2. A forma interna, *Peccatum veſtrum.* Ipſi vocarant ſuos *Elohim*, qui ſe ex Ægypto eduxerant, memoriale ejus. Aſt Moſes vocavit *Peccatum*, quia quicquid in eo æſtimabatur & ſpectabatur, fuit legi divinæ contrarium. Non fuit imago vituli, licuiſſet eam facere, uti Salomoni boves æneos ſub mari æneo; ſed imago vituli ad cultum. Itaque merum peccatum & reatus ipſorum Exod. cap. 20: 45. Sic de vitulis Jeroboami, Hoſ. 10: 8. cum Bethel ipſis Iſraelitis eſſet regis ſanctuarium, Amos 7: 13. Sic de Baale, cap. 8: 14. Similiter Hoſ. 9: 10. Iſraelitæ ita loquuntur in ſua confeſſione, Jer. 3: 24. Reatus enim pudendus eſt.

Hic ergo omnes imagines, quæ ad cultum fiunt & eriguntur, ſuum genuinum nomen accipiunt à Moſe viro Dei. Sunt peccatum facientium, & erigentium, & colentium. Quicquid fere cernitur in templis Pontificiorum, peccatum eſt: omnes imagines ibi pictæ aut ſculptæ. Adulter peccati nomen eſt, & iſtud ſunt quia cum iis ſcortari dicuntur cultores. Hoſ. 8: 11. verſ. 14. Multa templa teſtantur oblivium Dei, quia omnia faciunt ad peccandum, & peccatum eſt quod illa implet, & à quibus denominatur. Sed pariter peccati nomen meretur, quod per peccatum acquiſitum fuit. 2 Sam. 23: 17. aquam ex puteo Bethlehemitico hauſtam periculo vitæ trium heroum, David vocat *ſanguinem* ipſorum. Sic ager emtus 30 argenteis proditionis Jeſu dictus fuit *Akeldama* Act. 1: 19. Eodem modo omnis ornatus filiarum Zionis, quicquid ad faſtum in veſtibus pertinet, indice longo enarratum Eſa. 3: verſ. 16. ſ. vocatur ipſorum *Stercus*, cap. 4: 4. Ita Peccatum merito dicuntur quæcunque fraude ac dolo, vi & oppreſſione injuſtâ parta fuerunt. Mich. 6: 10. Mal. 1: 4. Domus Saulis eſt *domus ſanguinis* ob necatos Gibeonitas, 2 Sam. 21: 1. Eſt vero hæc denominatio etiam ad convictionem ſolatii; quemadmodum illud reatus dicitur, quod per reatum factum partumque eſt: ita quoque iſtud in quod reatus ad expiationem tranſlatus eſt. Pecus pro peccato offerendum dicebatur Peccatum & Reatus, quia per impoſitionem manuum offerentis & confeſſionem ejus quicquid ipſi peccati & reatus incumbebat, in illud transferebatur, morte iſtius piandum. Hujuſmodi habuere Iſraelitæ complura, ſed in umbra, non in corpore, quæ proinde non potuerunt purgare offerentes, neque conſcientiam peccatorum abolere, quorum memoriam renovabant, cum ſanguis taurorum & hircorum non poſſit auferre peccata Heb. 10: 1. ſ. Sed exſpectarunt eum, qui animam ſuam poſiturus erat Aſcham Eſa. 53: 19, 20 Quod nos gentiles habemus in Chriſto 2 Cor. 5: 19. 21. Quod Johannes dixit nobis quoque acclamandum eſt Joh. 1: 29. Veruntamen affectus ille ſit, qui Zach. 12: 10. ut videntes compunctum transfixumque à nobis, lugeamus ſerio, neque unquam ad peccata redeamus, quia non datur hoſtia alia pro peccatis ſi volentes peccaverimus, in contemtum hujus hoſtiæ Heb. 10: 26.

3. Ab efficiente, *quem feciſtis.* Iſraelitæ non fecerunt ipſi, ſed fieri juſſerant, & ipſorum juſſa paraverat Aaron. Ipſis tamen adſcribitur, quia ſic mandarant. Quod quis per alium facit, ipſe facit. 2 Sam. 12: 6. 1 Reg. 21. Non ſufficit abſtinuiſſe manum à patrando malo, ſi quis conſilium, mandatum, conſenſum addidit, reus quoque eſt Deo. De Jeroboamo, frequentiſſimum, *quod peccavit & fecit peccare Iſraelem*, etiam longe poſt mortem: quia autor fuit iſtius peccati, & vitulos confieri fecit; & tamen toti quoque Iſraeli tribuitur, approbanti Hoſ. 8: 5. ſ. Tuum peccatum eſt quod approbas, Rom. 1: 32. quod quia ſiles non improbas 1 Sam. 3: 13. ſuper Eli judicium adducam, propter iniquitatem quam ſcivit; nam filiis ejus ſe abominandos reddentibus ne quidem aſpere intuitus ipſos eſt. Caveamus ne conſortes fiamus peccati alieni, quando alios eidem adhibemus, & alienæ animæ reatum in nos derivamus, quin potius ſtudeamus alius quoque animam à morte liberare ab iniquitatibus ſuis eum convertendo. Jac. 5. verſ. ult.

β. *Abolitio* eſt, *Acceptum* vitulum *combuſſi igne, & contudi, ac commolui in pulverem tenuiſſimum.* Inſtrumenta idololatriæ deſtruenda ſunt, adeo ut omnis ejus figura aboleatur. Superſtitio non parcit ulli rei, quo devotionem oſtendat; Inaures, quæ chariſſimæ ob pretium, figuram, uſum, debuere cedere majori idolo; imo ea perſuadet ut ne quidem parcatur imagini Dei, ſive ad occidendos obnitentes, ſive ad immolandos dilectiſſimos liberos proprios. Itaque Religio & Zelus pro ea non parcit imaginibus quibuſcunque, præterquam Dei, quas Deus ipſe finxit, & deformatas per veram cognitionem emendare ſtudet. Quod vero aurum iſtud non ſervavit, adhibendum tabernaculo, verum comminuit in pulverem, factum iſtud juxta legem, Deut. 7: 25. Quemadmodum tunc declaratum eſt; quo pertinet.

γ. *Uſus*

v. Uſus eſt, *Et pulverem ejus projeci in torrentem, qui de monte deſcendit.* Hiſtoria addit. Exod. 32: 20. *& potavit filios Iſrael.* Cur ſic fecerit varia dici ſolent. Diſperſio facta fuit in contemtum; quid levius eſt viliuſque pulvere, ſparſo per aerem? quid minus idoneum ad juvandum contra vim inimicam; unde dicitur impios fore ut glumam, ut ſtipulam, ut pulverem Pſ. 18: 43. terræ tenuiſſimum, contemtiſſimos. Homines coram Deo ſunt ut pulvis libræ, & inſulæ ut pulvis tenuis. Eſa. 40: 15. Tales manufactos Deos eſſe oſtendit, qui nequiverint ſe tueri, eoque nec aliis poſſint vel benefacere vel malefacere. Jud. 6: 30. ſ. cum Gideon altare Baalis dejeciſſet, & ſuccidiſſet lucum poſcereturque eapropter ad necem à populo, pater ejus Joas dixit. *An litigabitis pro Baale, an liberabitis eum? quisquis pro eo litigaverit, occidetur; ſi Baal Deus eſt litiget pro ſe ipſo, ob dejectum altare ſuum.* Quo facit, quod bibendum dederit, ut ingreſſus in ventrem, inter excrementa ejiceretur, abominandus omnino, quem antea venerati erant, Eſa. 30: 22. *impurum putabitis velamen*, &c. *abjicies ut pannum menſtruatum, & unicuique eorum dices, Exi*; vel nominabis ſtercus, quod quivis averſatur. Quod utinam cogitarent, qui corpus Chriſti in S. Cœna oraliter manducari docent, nam & illi redigunt in conditionem ejuſmodi, ut tandem in latrinam ejiciatur. Mat. 15: 17. Alii gravius quid deſignatum rentur: quemadmodum Sacerdotes comedentes hircum pro populi peccato, incorporabant peccatum, & ferebant iniquitatem congregationis, ut pro iis expiationem facerent. Lev. 10: 17. in typum fore aliquando eandem perſonam & Sacerdotem & victimam: ſic voluit Moſes eos potare peccatum proprium, quomodo vitulum appellavit, ut ſuum reatum in ſe reciperent ipſimet pro eo ſatisfacturi. Pſ. 109: 18. Conferunt etiam hoc factum cum illo contra ſuſpectam mulierem, Num. 5. cui bibendæ dabantur aquæ Zelotypiæ. Sumebat Sacerdos de pulvere Sanctuarii, & injiciebat aquis, & in iis abluebat ſcriptam maledictionem; Mulier autem cogebatur bibere illas aquas, quæ ſi rea foret, ſtatim faciebant intumeſcere ventrem & cadere femur; quomodo omnibus detegebatur ſcelus, ſin inſons, cedebant in fœcunditatem. Sic ergo Moſen pulverem vituli injeciſſe aquæ, ut eam bibentes deprehenderentur qui rei eſſent, non inaurata barba vel labiis, aut gilva facie, ut dignoſci poſſent à Levitis, qui gladio ſevierunt in idololatras aliquos; ſed ſecreta plaga, qua Deus populum percuſſiſſe dicitur Exod. 32. v. ult. tumeſcentis ventris, & concidentis femoris, aliove modo: adeo ut ipſimet experirentur in corpore ſuo, quid eſſet provocaſſe Deum, malum nempe & amarum eſſe: uti Joram percuſſus fuit malis morbis in viſceribus & lente abſumtus biennali infirmitate, donec viſcera exciderent. 2 Chron. 21: 18. ſ. Sed alia adhuc myſtica videtur. Sparſit pulverem in torrentem de monte manantem, & bibendum dedit. Torrens ille fluere cœpit ex rupe Horeb percutiente Moſe, ut populo eſſent aquæ, Exod. 17. ſequebatur autem deinceps Iſraelitas in deſerto, ut quemadmodum panem quotidianum conſequebantur in manna, ſic potum haberent ab illa rupe & torrente ejus. 1 Cor. 10: 4. Petra illa fuit Chriſtus, typus ejus qui eſt fons vitæ, à quo manant flumina delectationum ad potandos fideles ad vitam æternam. Super hanc torrentem conjectus eſt pulvis vituli, ut ſignificaretur contra reatum peccati unicum eſſe antidotum Chriſtum, & quando homines bibunt iniquitatem ut aquam, & omnia viſcera implentur ignominioſo reatu, adhærente pulvere iſto viſceribus, Chriſtum Jeſum ejus ſanguinem & Spiritum hauſtum fide, diluere, & abſtergere, ut nihil ejus remaneat, ſaltem ea quantitate ut mortem adferre queat. Sic quadantenus factum quod dicitur, Col. 2: 14. Chirographum Judæorum in ritibus fuit contra eos, ſed idem ſubcontrarium: quotieſcunque adducebant victimam pro peccato, publice ſe profitebantur reos, & victimæ ſanguine quodammodo illud ſcribebant, ſe debitores eſſe Deo; ſed manibus in victimæ caput impoſitis ſimul peccata, quæ confitebantur in illam transferebant, ab illa per mortem expianda, quomodo Sponſoris Chriſti rationibus adſcribebant, & contrarietatem chirographi aliquatenus imminuebant. Ita Iſraelitæ bibentes una cum pulvere ſui reatus mortem obſignante hauriebant aquam vim illam inhibentem, imo ſecum ex corpore evecturam. Lignum à Deo monſtratum edulcavit aquas naturaliter amaras, in Mara. Exod. 15: 25. & hic pulverem ſuffocaturum comedentes, innoxium reddidit aqua de petra manans. Rom. 7: 24, 25. qui ex iſta bibit, fit in ipſo fons aquarum ſaliens in vitam æternam. Joh. 4: 14.

Verſ. 22. *Etiam Tabheræ, & Maſſæ, & Kibrothis thaavæ; feciſtis ut Jehova efferveſceret irâ.*

Hæc ſecunda convictio eſt à Moſe inſtituta apud Iſraelem: cui ſubjungit hoc loco Moſes exempla aliarum defectionum. Quod qui factum ſit, ut nexus orationis Moſis appareat, inquirendum eſt. Dixerat Moſes Deum maximopere ſuccenſuiſſe Aaroni, ut pro eo ſpeciatim deprecandum fuerit; quia ipſe fuerat faber vituli: de quo vitulo porro dixit, ſe eum penitus aboleviſſe. Objicere hic potuiſſent Iſraelitæ, Aaronis omnem eſſe culpam, qui vitulum conflarit, ſtylo formarit, omnia ejus expediverit, itaque ſibi nihil ejus, ſaltem minimam partem imputari poſſe; ut exaggeratio ejus non ſit admittenda. Ergo Moſes, qui Aaronem quoque reum dixerat, non unum hoc ipſis peccatum eſſe docet, cujus conſors erat Aaron, neque inde minus peccatum erat; Sed alia quoque ubi hic non habebat partem, atque ſic recitat gravia nonnulla, unde populi rebellionem concludit. Unde obſervamus. Quam proni ſint homines peccatorum reatum à ſe in alios convertere, & ſe vel in totum vel ex parte innocentes jactare. Populus hic Aaronem accuſaret; Aaron populum: ſic Saul populum quod pepercifſet gregibus Amalekitarum, & antea Samuelem quod tardius veniſſet, & ipſi Deus hoſtia propitiandus eſſet. Similiter Eva ſerpentem deceptorem accuſat, & Adam uxorem iſtud jubentem. Familiariſſimum iſtud ex ſuperbia φιλαυτία, dum quisque ſe juſtificare ſtudet, ne infamis fiat, aut cenſeatur cauſa infelicitatis. Ita videmus Magiſtratus accuſare peccata populi, populum crimina Magiſtratuum exaggerare, quemque in aliis deprehendere quod carpat, & blandiri ſibi ipſi etiam quando invenitur injuſtitia ejus odioſiſſima, trabes ingentes, dum ipſe feſtucas aliorum inſectatur. Joh. 8: 7. qui veſtrum ſine peccato eſt conjiciat primum lapidem in ipſam; de privatis loquitur. Lapis conjiciendus in peccatores in proximum primum torquendus eſt, qui eſt quisque ſibi. Rom. 2: 1. ſ. Lam. 3: 39. ſ. Publicorum malorum cauſam quivis in ſeipſo agnoſcat, & deploret, ac condonationem quærat. 1 Reg. 8: 37. ſ. In calamitatibus publicis quiſque de propriis peccatis ſollicitus eſſe debet, etiam ſecretis, & ea deprecari; forte enim, hæc poſtrema ſunt, ad implendam menſuram reatus terræ, ſine quorum adjectione differendæ ſunt pœnæ, & Deus audiet & dabit, prout cujuſque cor novit. Si illud intueatur iniquitatem non audiet. Pſ. 66: 18. Hinc Daniel & Nehemias non aliena tantum ſed ſua quoque & domeſtica confitentur, & David cum etiam populus peccando concitaſſet Deum ad immittendum peſtem ſe ſolum reum dicit, & in ſe derivari judicium optat, 2 Sam. 24: 1--17. O ſi quiſque ſemetipſum inſpiceret, ſemetipſum corrigeret, quam multum proficeretur emendando; jam dum de aliis laboramus, negligimus propria, & alios non juvamus, ſed impedimus, qui dum ſe tueri volunt à nobis, novo reatu & pertinacia priorem aggravant. Non quidem negligendi alii, ſed tum quando nos primum curaſſe liquebit, ut exemplo non minus quam Sermone juvare queamus; ne nobis dicatur, *Medice cura te ipſum, & ejice primum trabem ex oculo proprio:* quid rapis oviculam proximi, & parcis gregibus & armentis propriis? Purga cor, & munda manus tuas primum, ne propriis ſordibus alios tamines, quos mundandos ſumis.

Sed quænam ſunt illa peccata propria Iſraelis, ubi Aaron non fuit particeps. Specialia quatuor ſunt, & tunc generalem concluſionem addit. Illorum tria ſunt, verſ. 22. *Et in Tabhera, & in Maſſa, & in Kibbroth hattaava fuiſtis provocantes Dominum.* Hiſtoriarum iſtarum alias in Deuteronomio mentio non fit præterquam Maſſæ, nominando tan-

tantum. Deut. 6: 16. Deut. 33: 8. Temporis ſeriem, ſi attendamus. I. eſt *Maſſa* Exod. 17: 1. ſ. in Rephidim, quando deficiente aqua litigarunt cum Moſe, quod ſe ex Ægypto eduxiſſet, & tentarunt Deum, dicentes, *An Deus in medio noſtri eſt vel non?* unde locus dictus Maſſa & Meriba. II. *Tabhera* Num. 11: 1. ubi lugentes fuerunt tædio viæ, ut ira Dei accenſa excitaret incendium in extremitate caſtrorum, qui ignis interpellante Moſe apud Deum exſtinctus eſt, locus unde denominatus eſt *Tabhera incendium*. III. *Kibroth hattaava*, Num. 11: 4. quando carnium avidi murmurarunt, & Deus eis dedit in ira ſua coturnices toto menſe, ſed ſimul etiam magnam plagam, in qua plurimi occubuerunt, & hi tumulati loco fecerunt nomen *Kibroth*, &c. *Sepulchra concupiſcentiæ*. De hiſce locis ait, non *Provocaſtis*, ſed *provocantes fuiſtis*. Illud malum eſt, hoc pejus, utpote quod dicit artem quam factitarint. *Dicuntur iſti Operarii iniquitatis*, pertinetque ad veteranos, Pſ. 68: 22. impietatis, qui ſæpius peccando contraxerunt habitum, apud quos eſt ſapientia ad faciendum malum: quales deſcribuntur, Pſ. 10: 2. ſ. & 36: 2. ſ. Eſt hæc aggravatio peccati. Omnes ſunt peccatores naturâ, ſed non omnes ſunt artifices. Naſcuntur omnes ut pullus onagri, Job. 11: 12. feritas eſt naturalis, viperina progenies, ſed quidam ſunt ſerpentes. Mat. 23: 33. qui naturæ addiderunt adſuetudinem diuturnam. Jer. 2: 24. Jer. 13: 23. Cavere peccatum non poſſumus, Jac. 3: 2. non eſt homo qui non peccet. 1 Reg. 8: 46. Eccl. 7: 20. Sed cavendum eſt ne ſimus artifices in peccando. Profectus in omni alio 1 Tim. 4: 15. Prov. 12: 20. exercitio laudatus, hic vitioſus eſt, & incrementum mali. 2 Sam. 3: 13. Cujuſmodi Achab qui leve putabat priora crimina Iſraelis, niſi nova addidiſſet, & Iſebel quæ incitaſſe cum dicitur, ingenioſa in meditandis ſceleribus ut contra Nabothum. Simus pueri in malitia, ſed in intelligentia boni ſimus adulti. 1 Cor. 14: 20. Pudori quidem eſt officiperdam eſſe, een bzodler te zijn in ſuo opere: ſed ſi id ſimus in opere Diaboli, melius eſt, tantoque magis inde abſtineamus, & nos exerceamus in bono, ut pudefiamus non nos, ſed qui bonam noſtram converſationem in Chriſto blaſphemant.

Eſt vero alia quoque hic aggravatio, quod loca denominata ſint à peccatis iſtis. Jer. 17: 1. peccatum Judæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo, cuſpide adamantis; ſculptum in tabulis cordis, & ſuper cornibus altarium. Loca ipſa ſic ſunt convictioni, ſervantia memoriam delicti. Act. 1: 19. notum factum eſt quod egit Judas Iſcarioth omnibus Hieroſolymam incolentibus, & ager ille nominatus ipſorum lingua propria Akeldama, *ager* ſanguinis. Ne infamemus locum ullum, ut ſervet memoriam noſtræ transgreſſionis & provocationis divinæ; ſed ſi velimus nomen novum procurare loco, faciamus vel hunc Bochim, ut Jud 2: 1. ſ. ut convicti de peccato & metuenda Dei vindicis ira fletibus non oculorum ſed cordium deploremus noſtram ſortem, deprecando flendoque flectamus Deum ad condonanda peccata, & largienda bona neceſſaria ad pietatem & vitam æternam.

Verſ. 23. *Item quum mitteret vos Jehova Kadeſcho barnehæ, dicendo, aſcendite & hæreditario jure poſſidete terram iſtam quam dedi vobis: rurſus maximo opere rebellaviſtis in præſtitutum Jehovæ Dei veſtri, non credentes ei, neque auſcultantes voci ejus.*

Quartum eſt, verſ. 23. de peccato faſtiditæ terræ, cum hanc inſuperabilem facerent exploratorum decem ſua relatione. Hiſtoriam hanc fuſe recitavit Moſes, & nos declaravimus quoad ſuas circumſtantias, Deut. 1: 19. ſ. ex Num. 13. & 14. ut nihil neceſſe ſit de ea dicere, præter hoc unum, peccatum iſtud tantum fuiſſe, ut Deus voluerit Iſraelem exterminare, & cum intercedente Moſe iſtud judicium condonaret denunciarit addito jurejurando, intra 40 annos in deſerto extra Cananæam morituros omnes qui recenſiti fuerant ætate bellica poſt egreſſum ex Ægypto.

Verſ. 24. *Rebelles fuiſtis maximo opere in Jehovam, ex quo die cognovi vos.*

Concluſio quæ adjungitur verſ. 24. generalis eſt. *Rebelles fuiſtis Domino à die quo vos novi.* Simile eſt quod legitur verſ. 7. *à die quo egreſſi eſtis ex Ægypto donec veniſtis in hunc locum, fuiſtis rebelles Domino.* Teſtatur de ipſorum rebellione ex propria experientia, ſed ea eſt 40 annorum verſ. 7. aſt hoc verſ. 24. annorum 80. nam cœpit Iſraelem noſſe cum quadragenarius eſſet, quando repudiavit dici filius filiæ Pharaonis, abiitque fratres ſuos viſum, ubi vindicavit Iſraelitam ab Ægyptio hoc occiſo, ſed cum etiam Iſraelitas rixantes voluit judicare & componere repudiatus fuit, & coactus fugere in Midianitidem. Act. 7: 23. ſ. reverſus inde octogenarius. Fuit ergo inveterata rebellio Iſraelis, à quo tempore cœpit eos noſſe Moſes, qui primos vitæ annos in aulâ Pharaonis exegerat. Sed Dei notitia adhuc longius extenditur. Eſa. 48: 1. ſeq. Obſervant Prophetæ Dei continuationem rebellionis ad convictionem majorem. Sic Jer. 25: 3. Jeremias ſe totis 23. annis docuiſſe ait & vocaſſe ad reſipiſcentiam, & non audiviſſe. Et Deus Jer. 7: 25. ſ. ſe inde ab exitu ex Ægypto ad illud uſque tempus per Prophetas inſtitiſſe, ſed non auditum fuiſſe, ipſis ſe contra obfirmantibus. Imo Pſal. 95: 10. annis 40 &c. Chriſtus Eſa. 49: 5. cum ſervus fuerit Deo ad reducendum Iſraelem, Jacobum noluiſſe congregari, & cap. 65: 2, 3. *Expandi tota die manus meas ad populum rebellem, ambulantem in via non bona, juxta cogitationes ſuas; populum me jugiter provocantem in faciem meam.* Luc. 13: 6, 7. ſ. Matt. 23: 37. *quoties volui congregare* &c.

Ne putemus Deum negligentius agere circa nos; obſervat accuratiſſime à quo die Belgio, huic urbi, unicuique ſigillatim Euangelium annunciatum fuit. Et ſi teſtari velit, an aliud de nobis teſtari poterit, quam continuatam rebellionem. Miniſtri Dei quidem iſtud conſtanter queruntur. Utinam iſtud nos commoviſſet, non idem de cœlo diceret Deus continuatis judiciis, ut non correctis & contrariis ſibi contrarius ſit & identidem ſeptuplum addat ad plagas Lev. 26: 18. ſ. Eſa. 9: 11, 12. Syri ante, & Philiſtæi pone comedunt Iſraelem pleno ore; propter omnia iſta non avertit ſe ira ejus & manus ejus adhuc extenſa.

Verſ. 25. *Ideoque prorui coram Jehova quadraginta illos dies & quadraginta noctes quibus dixi me proruiſſe, eo quod dixerat Jehova ſe perditurum vos;*

d. Lucratus aliquid eſt, non omnia non ablationem ſed dilationem judicii. Opus ergo fuit novo impetu, ut cedentem Deum penitus vinceret, & fidei triumphum reportaret. Hic ultimus impetus deſcribitur, verſ. 25. ſ. Ubi I. quid fecerit. II. cur fecerit. III. quomodo fecerit, verſ. 26. ſ.

a. *Quid* fecerit, verſ. 25. *Et projeci me coram facie Domini, 40. diebus & 40. noctibus, in quibus me projeci.* Significat humillimam proſtrationem coram Deo, qua ſemetipſum conſtanter projecit ſupplicationem continuans, quemadmodum etiam dixit, verſ. 18. Mora etiam eadem eſt, 40. νυχθήμερα. Sed quæſtio movetur an hæc eadem ſit cum una præcedentium manſionum in monte. Verum non eſt, omnibus accurate penſiculatis. Non prima, verſ. 9. quando tabulas accepit, nam non fuit toto illo tempore in ſupplicatione, qui ultimo demum die cognovit Iſraelis peccatum, & unas tunc fudit preces. Non ſecunda, verſ. 18. quæ alia à prima, illi ſimilis quoad moræ tempus & inediam: diſſimilis quoad actionem, in deprecatione jugi. Huic vero licet præſens, verſ. 25. ſimillimam deſcriptionem habeat moræ & actionis; alia tamen conſtituitur tunc per illam additionem אשר התנפלתי, quæ ſubintellecto כ ſimilitudinis eam confert cum præcedente, uti illa cum priore collata fuerat; cujuſmodi collatio etiam fit, Deut. 10: 10. *uti primis diebus*; ſed tantum quoad moram temporis, quæ nunc eſt quoad actionem, tum per ſucceſſum

ſum hujus petitionis, qui fuit condonatio, ut juberetur Moſes novas tabulas conficere, cap. 10: 1. quod non factum ad priorem, tum potiſſimum per cauſam agendi, comparatam cum hiſtoria.

β. *Cur* fecerit eſt, *quia dixerat Dominus de perdendis vobis.* Dixit autem iſtud Deus juxta cum indicio primo peccati, ultimo die primæ moræ, verſ. 14. Exod. 32: 10. Et Moſes poſt abolitum vitulum rurſum adſcendens ad Deum verſ. 30. Deut. 9: 18. perditionem iſtam amoliri conatus eſt tam diuturna deprecatione. Verum etiam tunc dixit Deus ſe perditurum populum; quod ſeries hiſtoriæ demonſtrat. Impetravit Moſes ne confeſtim omnes ſimul perirent, ſed ducerentur in Cananæam duce Angelo. Addidit vero Dominus de viſitandis peccatis ipſorum, quo die placuiſſet, uti etiam ſtatim plagam aliquam ſtatuit in ipſos. Quia vero Moſes id non ſatis intellexiſſe videbatur, & ad iſtam comminationem dilatæ pœnæ obſtupeſcebat. Deus ipſi clarius mentem ſuam aperuit, Exod. 33: 1. ſ. *Abi, proficiſcere tu & populus iſte quem ex Ægypto eduxiſti, in terram Ab. Iſ. & Jac. juratam; Ego mittam Angelum ante faciem tuam, & ejiciam Cananæos, in terram fluentem lacte & melle. Nam non adſcendam in medio tui, quia populus duræ cervicis es; ne te in hac via abſumam.* Hinc vero intellexit negari Angelum ducem, quem promiſerat. Exod. 23: 20. ſ. in quo nomen Domini, cujus remittendi peccata, qui Jehova Elohim ipſorum; uti Menachem Raknat, ait fol. 120. col. 1. *Angelus iſte non eſt Angelus fœderis, de quo dicitur tempore beneplaciti, Facies mea ibit; nunc enim S. B. abire fecit Schechinam ſuam è medio ipſorum, voluitque eos ducere per Angeli alius manum.* Et hæc eſt negatio præſentiæ ſuæ; qua conceſſa perdendi eſſent in via, quoniam nondum condonatum erat peccatum, ſed ad incertum terminum dilatum, qui quavis nova provocatione præcipitare poterat, quandoquidem populus nullum adhuc dolorem propter peccatum patratum exercuerat, quem proinde populo indici Deus juſſit. Hoc fuit reſponſum ultimum quo cum tunc dimiſſus fuit: in quo utique Moſes non potuit acquieſcere. Quanquam non inſtiterit de novo apud Deum, priusquam nova conviction apud populum defunctus eſſet. Ergo ad hunc reverſus. I. indicavit iſtud, verſ. 4. *cum populus malum iſtud verbum audiret,* וַיִּתְאַבְּלוּ *& luxerunt valde.* Antea meliora ſperabant, cum vitulus abolitus, idololatræque aliquot necati eſſent, quia Moſes ſpem fecerat adſcenſurus ad Deum, ſe forſitan expiationem ſuis precibus facturum. At cum exactis 40. diebus in ſupplicatione talem referret nuncium, tum demum ſollicitudo major occupavit animos, & luctum gravem de facto ſuo conceperunt. II. Hortatus ipſos eſt ex mandato Dei ad teſtimonia reſipiſcentiæ externa, verſ. 4. ſ. *Et filii Iſrael ſe ſpoliarunt diligentiſſime ſuis ornamentis,* מֵהַר סִינַי *propter montem Sinai*, ubi majeſtas Dei in nube cernebatur, vel longe à monte Sinai, ut inde longius receſſerint, indignos ſe præſentia proximiore agnoſcentes. III. Moſes tentorium ſuum ex caſtris removit, & ad aliquam diſtantiam conſtituit, verſ. 7. quia Deus, qui ſecum ſæpius loquebatur, nolebat inter ipſos manere, ut & ſibi qui Deo adhærebat, inde diſcedendum eſſet. Vocavit illud Tentorium conventus, non à conventu populi, qui excludebatur Dei præſentia, (ſic poſt appellatum Tabernaculum in medio caſtrorum erectum,) ſed quia Deus Moſen iſtic conveniebat, quemadmodum declaratur hoc loco. Hæc omnia demonſtrant voluntatem Dei ad perdendum Iſraelem, eoque Moſen nondum impetraſſe primâ deprecatione quadraginta dierum, ut novam ſuſcipere debuerit, de quâ nunc loquitur Deut. 9: 25. Verum enimverò, quia poſt primam illam, tam fervidam & diuturnam deprecationem, Deus adhuc dixit de perdendo Iſraele, licet dilationem aliquam conceſſiſſet, ne omnia ſupplici negaret: inde nobis obſervandum.

(1.) *Deprecationes pro aliis inſtitutæ impetrant quandoque dilationem judicii, ſed non ablationem, niſi ipſi quoque peccantes reſipiſcant, lugendo & humiliando ſe.* Moſes fervore magno egit pro Iſraele, ſed ipſi nihil. Nullus luctus in corde, nullum indicium in habitu. Monilibus ſuis ſuperbiunt omnes, quæ ab Ægyptiis acceperant, ceu triumphantes de hoſtibus ſuis: imo quæ geſtarant in feſto illo, quando vitulum coluerunt. Provocabant ea ratione Deum jugiter; adulterino ornatu incedentes; & quid proficeret hîc Moſes precando. Hoc cultu ſe offendi dixit Deus, & moneri populum voluit, ut humilitatem exercerent extrinſecus teſtatam, tum demum ſe indicaturum quid facturus ſit. (Nam τὸ *noſſe* Dei etiam hîc de notificatione intelligendum.) Iſtud niſi anteceſſiſſet ſe nolle mitiora reſpondere. Quamobrem Moſes abrupta precatione ſuâ properavit ad populum, ut iſtud ipſis diceret ac perſuaderet. De Joſia legimus, cum ex lege Moſis didiciſſet quid Deus idololatræ populo minatus eſſet, ſciderit veſtes, & fleverit & emollito corde deprecatus fuerit iram Dei; atque impetrarit ut ipſo vivo judicium non immiteretur 2 Reg. 22: 11. ſ. & tamen cap. 23: 26. Deum ſe non avertiſſe ab irâ fervente, ut Judæ deportatio minata non procederet. Cauſam autem dicit Deus Jer. 3: 6, 10. Si populi converſio fuiſſet qualis Joſiæ, impetraſſet plura: aſt nunc cum hypocritica foret, exigui temporis dilatio tantum conceſſa eſt. Ezech. cap. 14: 14. ſ. Noah Daniel & Job non erant liberaturi filios & filias, non reſipiſcentes nempe. Joël. 2: 12. ſ. hortatur ad ſeriam converſionem, qua non veſtes ſed cor laceraretur, & tum jubet indici generale jejunium, in quo Sacerdotes deprecarentur pro populo: ſignificans horum preces parum profuturas, dum perſeveraret populus in peccatis Jer. 13: 17. Sic Deus ait ſe non placari, ſed offendi hoſtiis, jejuniis, ſupplicationibus, quando peccata non deſeruntur; hoc ſi fiat, notificat quid facturus ſit Eſa. 1. verſ. 16. ſ. Lavate vos &c. & Eſa. 55: 6, 7.

Nos vero hinc concludere poſſumus, quare repetendæ jugiter Miniſtrorum ſupplicationes, & quod non proficiant ad minuenda, nedum ad removenda judicia, quæ indies augeri animadvertimus; quia non deſeruntur peccata; nullus de iis dolor, aut luctus; ut dicendum ſit, quod Deus ait Jer. 8: 4. ſ. *quare avertit ſe populus hic averſione vincente?* Eſt ne hîc quicquam quod nobis non congruat? & porro verſ. 10. 12. Hæc ſimiliaque faciunt, ut preces non proficiant ſupplicantium miniſtrorum. Jer. 14: 10. ſ. Prophetæ licet conſiſtant in ruptura pro terra, & arcere velint judicia irruitura, quid promovebunt ſi interea populus omnis, aut ſaltem maxima ejus pars nocte dieque ſuffodiat vallum, & eo foſſas proprias impleat, ut nudetur tota urbs, & una ſit undique porta? Iſtud fit quando magni & parvi perſeverant in ſua malitia, neque deſerunt avaritiam & injuſtitiam, impuritatem & impudicitiam quibus ſe reos fecerunt. Hoſ. 8: 5. Mich. cap. 6: 9. ſ. Qui enim averteret ſe Deus à percutiendo, quando nos non avertimus à provocando in faciem, niſi deſiſtat majore judicio, ut circa deſperatos Eſa. 1: 5. Quocirca ſi quod deſiderium melioris conditionis, (de quo certis licet eſſe, quibuſdam id deeſſe, qui in turbido opimam faciunt piſcationem:) Si quæ cogitatio de reſtitutione aliqua, ne preces omnes pro nobis faciamus inutiles, concipiamus omnes & ſinguli ſerium de peccatis dolorem. Et lugeamus ex imo ſenſu cordis ob malum illud verbum, quod Deus tum in Scriptura elocutus eſt, tum de cœlo quotidie loquitur, propter iniquitates noſtras. Exemplum regis Ninevitarum & omnis populi ejus nos moveat, Convertatur quiſque à via ſua mala, & à violentia quæ in manibus eſt; quis novit Deus mutabit ſe, & pœnitebit eum; & convertet ſe ab æſtu iræ ſuæ ne pereamus Jon. 3: 8. & Deum, teſtem hujus mutationis, pœnituit mali comminati, neque fecit. Si nolimus iſto emendari, pudefaciet nos, & condemnabit. Quare dum ſupplicatur pro nobis, faciamus quod in obſidione fit, dum quidam irruptionem avertunt, reliqui congerunt humum, ut rupturam claudant, & vallum firment, ut etiam ſpem potiundi hoſtibus adimant; ſic quoque ſinguli vera converſione, & emendatione vitæ obſtruamus aditus, Eſa. 61: 3, 4. Eſa. 58: 12. Rurſum

(2.) *Ubi verus luctus de peccato & ira Dei, omnia ornamenta ſuperbiæ deponenda ſunt.* Non fuit tantum conſilium Moſis, quod voluerit mundum omnem deponi, ſed fuit expreſſum mandatum Dei. Ornatus iſtiuſmodi eſt teſtimonium gaudii, aut ſaltem immunitatis à dolore & triſtitia; atque longe aberant ab eâ conditione: Imo ſæpe ornatus habet indicium ſuperbiæ, ut filiarum Zionis Eſa. 3: 18. Deus vocat tunc ad fletum, luctum, calvitiem, indumentum cilicii Eſa. 22. verſ.

verſ. 12. ubi non congruunt monilia. Lacerabant olim veſtes, & ſpargebant cineres in capita; ambulabant atrati Pſ. 35: 14. ut omnia teſtarentur convictionem indignitatis, & ut fœdi ſatis eſſent in ſuis aliorumque oculis. Rex Nineves ponit togam regiam, & induitur ſacco ſedetque in cinere Jon. 3: 6. Sic Achab, & Joram ſaccis veſtiuntur. Sic David & Seniores Iſraelis 1 Chron. 21: 16. & reduces ex Babel omnes congregantur die jejunii, induti ſaccis, & terrâ ſibi inſperſa Neh. 9: 1. Equidem Chriſtus jubet ſic jejunare, ne quis videatur ab hominibus jejunans, eoque de ordinario habitu nihil mutari vult Matt. 6: 16. Sed loquitur de privato jejunio: aſt in publico vult ut omnes videantur afflicti & dolentes: ut non tantum de ſe profiteantur aliquid, ſed etiam alios exemplo excitent. Et ſane cum in luctu privato ponantur ornamenta, & atrati incedant, annon multo magis in luctu publico: ſi quando maritus obiit, qui gloria uxoris: magis adhuc ſi gloria Eccleſiæ, Dei favor, & hujus teſtimonia ſubducta experimur. Nonne ergo juſta querendi cauſa, quod nihil ornamentorum ponatur tam luctuoſo tempore: ne quidem diebus jejunii. Imo quod ſuperbia in ornatu iſtiuſmodi incrementa ſumat majora; & dum depauperat nos Deus, oſtententur divitiæ; & vanitatis inſtrumenta abundantius geſtentur. Eſa. 3: 16. ſ. quia filiæ Zionis tempore calamitoſo ſic ornatæ incedebant, Deus minatur. Quod ſi mundus iſte non decet fœminas, multo minus viros; qui dedecori putant ſi dicantur facti ut mulieres, & tamen ſæpe affectant iſtud, ut nulli fœminæ ceſſiſſe dici queant. Depoſitio ornatus eſt ad pudorem teſtandum. Mulier ſuſpectæ pudicitiæ ſiſtebatur coram Deo, & Sacerdos nudabat ejus caput. Num. cap. 5: 18. Confitentium peccata vox eſt, Jacemus in pudore noſtro, & ignominia noſtra nos obtegit, quia peccavimus contra Dominum Deum noſtrum nos & noſtri patres, à juventute noſtra in hunc uſque diem Jer. 3: 25. Lugentium cultus eſt non aurum, argentum, gemmæ, veſtes pretioſæ, ſed Spiritus fractus, cor contritum, lachrymæ pœnitentes, quæ faſtidiunt quicquid faſtus ſuperbiæque fuit inſtrumentum. His amictus quis odio poteſt eſſe Deo, ſed illo modo ſemper placet, Eſa. 57: 15. cap. 66: 2. eſt enim iſte cultus qui deceat profitentes pietatem 1 Tim. 2: 10. quique precioſus apud Deum 1 Pet. 3: 4. cui nos parare tunc vel inprimis par eſt. Sic mutabit Deus noſtrum habitum, dabitque lugentibus Zionis ornatum pro cinere, oleum lætitiæ pro triſtitia, amictum laudis pro anxio Spiritu Eſa. cap. 61: 3. veſtibus ſalutis, & pallio juſtitiæ, ornatu Sacerdotalem aut Sponſæ vincente verſ. 10. Denique

(3.) *Deus cum peccatoribus non vult habitare.* Dixerat hoc Deus, & propterea Moſes diſcedit è medio populi ſuo tentorio. Pſ. 5: 5. Hab. 1: 13. propter peccata Judæorum ſe deſerturum ait ſanctuarium ſuum Ezech. 8. Hoſ. 5: 15. Meditemur iſtud; non vult Deus habitare inter impios. Judæi quia templum habebant, ſecuros ſe rebantur, quaſi Deus alligatus eſſet templo Jer. 7: 4. ſ. ſed Deus exemplo Schiluntis, convincit. Cap. 12: 7. ſ. *deſerui domum meam, dimiſi hæreditatem meam; ſuſtulit contra me vocem ſuam, propterea odio habui eam.* Non habitat Deus manu facta templa. Act. 17: 24. ſed homines. Verum inde emoveri oportet, quicquid impurum eſt, non ſecus ac olim in reformationibus Hizkiæ, Manaſſis, Joſiæ, ex templo. 2 Cor. 6. verſ. 16. ſ. Joh. 14: 23. Si velimus Deum inter nos habitantem, faciamus ei habitaculum Exod. 40: 2. nihil ibi Baali, injuſtitiæ maneat, habet abunde comitatus, ut omnia implere queat, donis Spiritus ſui, ut impleamur ad omnem plenitudinem Dei Eph. 3: 17. 19.

Verſ. 26. *Et ſupplex oravi Jehovam dicens; Domine Jehovi, ne perdito populum tuum,* & quidem *poſſeſſionis tuæ; quem redemiſti magnitudine tua: quem eduxiſti ex Ægypto manu forti.*

7. *Quomodo* fecerit impetum Moſes, eſt illud quod jam ſequitur. Audito primum peccato Iſraelis debilitare conatus eſt iram Dei, nunc poſtquam huic eouſque prævaluit, ut dilationem daret exſecutioni, incipit jure agere, ſed ut argumenta omnia à Deo mutuaretur, & recordari tantum eorum faceret. Sunt illa numero quatuor, I. Vocationis genera ἀμεταμέλητον, verſ. 26: II. Verbum promiſſionis & jusjurandum ἀμεταθεσία, verſ. 27. III. Gloria non obſcuranda ἀναπόφητον, verſ. 28. IV. Argumentum primum repetitum, verſ. 29.

1. *Primum* eſt *Gratia vocationis* ἀμεταμέλητον, verſ. 26. nam quicquid heic dicit, nititur illo Rom. 11: 2. & 29. Præmittitur compellatio. *Adonai* baſis & ſuſtentator omnium, per quem omnia ſubſiſtunt, quod de Filio Dei dicitur Col. 1: 17. Quique omnia portat verbo ſuo potente. Heb. 1: 3. Dominus omnium quæ condidit nullius rei indigus, quæ eatenus baſis ipſi foret; ſed omnibus largiens vitam & halitum & omnia, in quo vivunt, moventur & ſunt Act. 17: 25. 28. ut vere ſit baſis, quo ſe ſubducente omnia collabi & deficere neceſſe eſt, & Jehova Ens primum, & eſſentiator creaturarum omnium, & quod hic inprimis ſpectatur qui gratiæ & veritati ſuæ eſſentiam largitur. Exod. 6: 2. ſ. quamobrem in argumento ipſo ſingulare pondus habere oſtendendum deinceps erit.

Præmittitur etiam petitio negative concepta, ſeu forma deprecationis, *Ne perdas.* Dixerat Deus Exod. 32: 10. ſ. *Sine me, & ira mea contra eos accendetur, & eos conſumam.* Et Moſes, *Quare Domine accenderetur ira tua.* Nulla conſumtio niſi ab ira Dei. Nah. 1: 6. Ut ergo conſumtionem amoliretur, deprecatur iram: qua impedita ne efferveſcat, nihil metuendum. Aſt hic, verſ. 14. *Dimitte me, & exſcindam eos* ואשמידם *& delebo nomen eorum de ſub cœlo.* Huic attemperata præſens deprecatio, *Ne perdas,* אל תשחת. Verbum hoc quamvis perditionem & noxam denotat, adeoque latius patet quam illa à Deo uſurpata. Iſta excidium denunciant, ne amplius ſupereſſent, exſtinctis ipſis, & ipsâ quoque memoriâ. Moſes non tantum dicit, *Ne exſcindas,* ſed *Ne perdas;* ne ullum ipſis inferas damnum. Colligimus inde pertinere hanc formulam ad ſecundam deprecationem. Nam quum ad primam id reſponſi tuliſſet, dilatam eſſe pœnam, ad viſitationem ſuo tempore inferendam; imo humiliatione probata, quid mitius reſpondendum; nunc ergo petit, *Ne perdas,* viſitatione omni peccati iſtius abſtine, ut nullam ab ipſis ſumas ultionem; ſed ut deinceps ab omni perditione propter iſtud crimen immunes ſint & maneant. Sic Abraham Deo deſtructionem Sodomæ minante, petit indemnitatem ſub conditione præſentium paucorum juſtorum, & Lot impetrat eam ſimpliciter urbi Zohar. Hæc eſt ſancta precum impudentia; maxima petunt, non acquieturæ minimis. Job. 22: 27. Amos Deo per locuſtas terræ naſcentia, & per ignem incolas abſumturo, omnibus condonari, & ab omnibus arceri poſcit, ut reſiduum omne maneat Amos. 7: 1. ſ. Chriſtus non tantum petit ut quos ſibi Pater dederat, conſervarentur à malo, ſed etiam ut viderent gloriam ſuam, eaque donati fruerentur Joh. 17: 15. 22. 24. Sic quoque nobis agendum. Sic deprecanda mala, uti Jabez, ut ita Deus faciat, quo nobis non ſint dolori 1 Chron. 4: 10. ſic petenda bona, ut magnum donum Patris, Chriſtum petamus, cum quo omnia donantur, Joh. 4: 10. Rom. 8: 32. 1 Cor. 1: 30. Eliſa nimium petiiſſe videbatur Eliæ, quod duplam menſuram Spiritus poſtulaſſet, & tamen obtinuit, dummodo obſervaſſet adſcendentem, & abeuntem à ſe. 2 Reg. 2. verſ. ſ. Verum nunquam nimium poſtulabimus à Deo, non rerum corporalium, quæ ſub conditione promiſſæ quantum conducit; ſed rerum ſpiritualium, ſiquidem obſervemus patienti fide venientem ad nos Deum, & benedicturum. Inter Pſalmos occurrunt tres cum hac inſcriptione *Al taſcheth*, nempe 57, 58. & 59. Cauſa ignoratur; ſed ſuſpicio mihi ſurgit, hinc à Moſis petitione denominatos, vel quod decantarentur ad melodiam hujus precationis, vel quod congrueret voto, Ne ulla perditio ſibi adferretur à Saule & ejus irâ, quemadmodum Moſes iſtud petierat pro Iſraele, reſpectu iræ & perditionis divinæ.

Accedimus ad argumentum petitionis. *Populum tuum & hæreditatem tuam.* Ducitur à vocatione & proprietate Dei, & amplificatur à demonſtratione externa, *quem redemiſti tua magnitudine, quem eduxiſti ex Ægypto manu forti.*

Urget

Urget gratiam vocationis, ejuſque demonſtrationem, tanquam res quarum pœnitere non queat Deum.

(a.) *Gratia vocationis* eſt, *ſunt Populus tuus, tuaque hæreditas.* Erant populus, multitudo ab una ſtirpe deſcendens, ſed nihil in eo eximium; multi alii erant populi, iique majores & validiores in mundo. Sed iſtud affert quod Dei forent populus. Pſ. 18: 44. ſ. Uti Gibeonitæ Iſraeli. Non ſic Iſrael Deo, ut ſibi eum poſtularint regem, ſeque obtulerint ſubditos, ſed id omne eſt à Dei vocatione, ex mero ejus amore profecta. Pſ. 100: 3. Pſ. 95: 4. ſ. Fecit autem actuali ſegregatione ipſorum. Cui aliud acceſſit factum, fœderis pactio de quo Exod. 19: 4. Neque hic quicquam in ipſis fuit, quod eum moveret ad hanc ſegregationem, non multitudo Deut. 7: 7. non juſtitia cap. 9: 5. Quæ ipſorum averſionem perſuaſiſſent potius Ezech. cap. 16: 20, 23. Sed ſolum ex amore gratuito. Deut. 7. verſ. 6. 8. Atque id facere decrevit diu antequam eſſent Deut. 32: 9, 10. Cum homines dividerentur per terram, jam de habitatione eis proſpexit, Cananæam illis populis aſſignans, qui exſcindendi erant; quia Iſrael populus ipſius, imo hæreditas. Eſt illa poſſeſſio propriiſſima, chariſſima, conſtantiſſima, quam nunquam amittere quis vult, ſed etiam manere liberis ſuis, ſiquidem ipſe manere non poſſit. Talis Iſrael Deo, unde dicitur peculium Deut. 7: 6. Jocalia autem quam ſolicite amantur cuſtodiuntur? Jam in hoc eſt argumentum petitionis, Ne perdas. Populus tuus ſunt tua electione & vocatione: & quidem hæreditatis titulo, quæ perennitatem ſignificat. Poteſtne iſtud à te impetrare, qui Dominus: ut perdas? conſiſterene id poteſt cum tuo amore, cum tuo conſilio qui Jehova? caditne in te pœnitentia aut mutatio? Paulus ait Rom. 11. verſ. 2. *non abjecit Deus populum ſuum quem præcognovit.* Iſrael univerſus præcognitus eſt, ante amatus, ad eam relationis prærogativam, quæ nulli populo in univerſa terra conceſſa eſt: eoque non abjicit ut ſint non populus. Dicitur quidem Hoſ. 1: 9. dicendos *Lo ammi*, Deo dicente, *non ſunt populus meus.* Verum duntaxat ad tempus, verſ. 10. ſ. *fiet in loco ubi dictum ipſis, non eſtis populus meus, ibi dicetur ipſis, Vos eſtis filii Dei viventis.* Rurſus Rom. 11: 29. Vocatio Dei ἀμεταμέλητος. Sic Samuel 1 Sam. 12: 22. *Dominus non deſeret populum ſuum propter nomen ſuum magnum; quia placuit Deo vos ſibi facere populum.* Generalis veritas de populo Dei ob nomen ejus: & hinc applicatio ad Iſraelem. Sic cap. 15: 29. נצח *Iſraelis* &c. victoria ſuperat omnia, & eapropter perennat, ut nihil ſit quod vel mendacem, vel pœnitentem facere queat. Bileam Num. 23: 19. ſ. non ergo intuetur iniquitatem, ut pœniteat facti, neque valet incantatio, ut ipſe ſuccumbat. Pſ. 102: 28. *Filii ſervorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum ſtabilietur coram facie tua.* Eſa. 44: 6. ſ. *æternum populum conſtitui?* Cap. 48: 8. ſ. teſtatus, ſe ſciviſſe pertinaciam populi, & quod perfide acturus eſſet, & ab utero tranſgreſſor dicendus, addit, *propter nomen meum differam iram meam, & propter laudem meam tuo bono me cohibebo, ne te exſcindam* (אפ־עשה) *propter me, propter me faciam;* quomodo enim profanaretur, *& gloriam meam non dabo alii.* (quod fieret, ſi quis prævalere mihi videretur) Cap. 41: 8. ſ. *Elegi te, & non reprobavi te:* Jer. 31: 3. ſ. Hoſ. 11: 8. ſ. Mal. 3: 6. Exod. 3: 14. ſ. Efficax proinde iſtud argumentum eſt, populum & hæreditatem Dei eſſe: nequit Deus deſtruere penitus; ut ex hoc titulo felicitas concludatur Pſ. 33: 12. Ut preces ei inædificentur Pſ. 28: 9. cum fiducia, Pſ. 29: 11. & Pſ. 3. verſ. 9. Salus eſt Domini, benedictio tua: Huic fundamento innititur Iſraelis reſtitutio. Pſ. 102: 28. Quæ ſi fallat, nihil habemus ſecuritatis etiam nos. Si vocationis iſtius Deum pœnitet, ſi illum populum abjecit, quid ni idem faciat aliis. Nam etiam nobis heic ſuppeditatur argumentum precum efficacium. Dixit etiam Deus de populo ex gentibus adſciſcendo. Eſa. 55: 4. ſ. *Dedi ipſum,* Meſſiam, *teſtem populorum, ductorem & præcipientem populorum. Ecce vocabis populum, quem non noras; & populus qui te non norat, ad te curret, propter Dominum Deum tuum, & propter Sanctum Iſraelis, nam decoravit te.* Pſ. 2. verſ. 8. & 82: ult. תנחל hæreditabis omnes nationes. Eos qui longe, advocaturus erat Act. 2: 3. 9. oves alius caulæ adducturus Joh. 10: 16. Et ſi populus Iſrael gaudet, *quia benignitas Dei in ſeculum eſt, fidelitas ejus à generatione in generationem.* quidni etiam gentiles vocati Pſ. 117. *laudate* &c. *quia benignitas ejus valida eſt ſuper nos, & veritas Domini in ſeculum.*

Gloriamur nos quoque vocatione Dei, quæ nos fecit populum Dei: quod cum longe eſſemus, ſine Deo & Chriſto, ſine bono & ſpe ejus, fecerit propinquos, concives ſanctorum & domeſticos Dei. Eph. 2: 12. 19. Quoties convenimus in cœtum ad audiendum verbum Dei, ad aſſidendum menſæ ejus, populum ipſius nos profitemur, & qui fœdere mutuo ipſi ſumus conjuncti. Sic vero naſcitur fundamentum precum: ſi ſumus populus & hæreditas, non poteſt nos abjicere. Equidem deſerit domum ſuam, dimittit hæreditatem ſuam, dat animam dilectæ ſuæ in manum hoſtium, & odit hæreditatem ſuam, quando effert vocem ſuam contra ipſum, & fit illi ut leo in ſylva Jer. 12: 7, 8. ſed non in perpetuum, Jer. 51: 5. *Iſrael & Juda non relinquetur viduus* &c. Cap. 50: 20. Sic quoque poteſt momentum iræ ſupervenire (quod circa Iſraelem plurimorum ſeculorum eſt. Eſa. 54.) ſed æternis miſeretur benignitatibus. Verum id unum laborandum, ut ſimus populus Dei. Iſraelitæ omnes id habuerunt; nulla vero natio gentilium, ſed ex omnibus aliqui obtinebunt. Quanquam externa vocatio in populum non ſufficiat ad ſalutem. Documenta alia ſint oportet. Eſa. 43: 22. Hunc populum mihi formavi, laudem meam annunciabunt. Talis non eſt formatus Judæus, qui ita nominatus, qui cognitione voluntatis Dei excellit, ut alios docere queat, qui tamen ſemetipſum non docet, ſed facit contrarium; & gloriatur in lege, ejus tranſgreſſione Deum ignominia afficit, & blaſphemandi Dei cauſam dat alienis Rom. 2: 17. ſ. ſed debet ex Matt. 5: 16. Pſ. 2: 8. 10. ſ. Sic beatus qui confidit in ipſo: non poteſt eum deficere ſalus. Joh. 10: 28. ſ. oves audientes vocem & ſequentes &c. Poſſunt quidem fieri in mundo ut oves mactationis, & male haberi: ſed in eo quoque plus quam victores ſunt. Nam Certo perſuaſus ſum &c. Rom. 8: 37. ſ.

(b.) *Demonſtratio* gratiæ vocationis eſt. *Quem redemiſti* &c. Gloriam majeſtatis & potentiæ ſuæ exſeruit Deus in vindicandis ſibi Iſraelitis. Cum in Ægypto ſervirent, neglecti prorſus cenſebantur: & Deus magnitudinem ſuam exſeruit, Exod. 4: 22. cap. 5: 1. *Sic ait Dominus Deus Iſraelis, dimitte populum meum, ut mihi feſtum agat.* Hanc porro tuitus eſt potentia ſua, ut hæc per ſigna & prodigia agnoſceretur, & exinde magnitudo & dominium abſolutum in omnia, teſte hiſtoria. Quod redemiſſe dicitur explicandum ex Eſa. 43: 3, 4. Ego ſum Dominus Deus tuus, Sanctus Iſraelis, Servator tuus, Ægyptum, Æthiopiam, & Seba dedi lytron tuum, loco tui. Ex quo pretioſus fuiſti in oculis meis, fuiſti glorificatus, & dilexi te, propterea dedi homines loco tui & nationes loco animæ tuæ. Sic Num. 3: 13. *Omne primogenitum meum eſt, à die quo percuſſi omne primogenitum Ægypti, mihi ſanctificavi omne primogenitum in Iſraele.* Ezech. 20: 8. Prov. 11: 8. & 21: 18. Cæterum hoc modo publice ſibi aſſeruerat Iſraelem. Exod. 19: 3. Deut. 4. 34. Num. 23: 22. & cap. 24: 8. Et hinc Lev. 26: 45. *recordabor fœderis ipſis majorum, quos ex Ægypto eduxi coram oculis gentium, ut ipſis eſſem in Deum. Ego Jehova.* Ipſemet facit id fundamentum conſtantiæ, ut merito id urgeat Moſes; quorum acquiſitione majeſtatem potentiamque ſuam aſſeruit. Sic dona gratiæ ſunt ἀμεταμέλητα. Etiam externa illa beneficia eo pertinent. Deut. 32: 11. ſ. Invenit eum in terra deſerti &c. circumduxit eum, intelligentem fecit, cuſtodivit ut pupillam oculi; uti aquila &c. Dominus duxit eum ſolus &c. Eſa. 63: 10. Hinc nequit deſerere Hoſ. 11: verſ. 1-9. ſed ſemper curabit Eſa. 46: 3, 4. Et huc reſpiciunt preces Pſ. 74: 1, 2.

Suppeditavit Deus nobis quoque talia argumenta. Sane Belgium Deus miraculoſe ſibi aſſeruit coram oculis totius Europæ. Majeſtatem & potentiam ſuam exſeruit; cum conſcientiis dominari vellent homines, ibi ſuum dominium, cum corporibus, ſuam potentiam declaravit. Magna fecit pro nobis adeo ut ſomnia viderentur, & ſtuperent alii. Et an deſereret penitus! Equidem quando Iſraelitæ ut filii Æthiopum fuerunt, eorum liberatio æſtima-

tur ut Philiſtæorum ex Caphtor, & Syrorum ex Kir, & contra peccatorem populum Dei oculi fuerunt ad perdendum; attamen ſervandis reliquis, & reſtituendo Davidis tabernaculo Amos 9: 7. ſ. Sic nobis quoque poteſt fieri, & tandem adhuc dari aliqua reſtitutio. Sed majus bonum eſt, quod nunc ſpectamus, Deus majeſtatem & potentiam ſuam oſtendit cum nos fecit populum ſuum. Ubi magis id demonſtratum quam in redemtione per Chriſtum. Jer. cap. 31: 11. Tit. 2: 14. Joh. 13: 1. venit contra robuſtum & manus ejus dominatur Eſa. 40: 10. eſt magnus paſtor ovium, qui venit ut oves vitam habeant & abundantiam habeant. Joh. 10: 10. non perdit ullum ſuorum, precatus eſt pro uno ne deficeret fides ejus. Luc. 22: 32. & precatus eſt pro omnibus, Joh. 17: 20. & precatur adhuc Rom. 8: 34. Non eſt dubitandum de ſalute, quæ per Chriſtum parta eſt eadem cuſtoditur ſalus, & nos ad ipſam Dei potentia 1 Pet. 1: 3. ſ. Sed nequeunt hæc dici de omnibus qui adfuerunt S. Cœnæ: qui comederunt carnem filii Dei, & biberunt ejus ſanguinem habent vitam æternam, manent in Chriſto & Chriſtus in ipſis, atque ipſi vivunt per Chriſtum in æternum Joh. 6: 50. ſ. Aſt non omnes id fecerunt: verſ. 35. qui venit ad me, &c. venire & credere nemo ex ſe habet, verſ. 44: 45. eſt hoc omnipotentiæ divinæ Eph. 1: 19. ſ. Hoc ſi habeas potes ſecurus eſſe. Sed non omnium eſt fides 2 Theſ. 3: 2. ſed quibus datum eſt, Phil. 1: 29. Eoque probate vos ipſos an ſitis in fide, 2 Cor. 13: 5. Paulus ait Gal. 2: 20. fides Chriſti ſecurum reddit amoris & redemtionis ejus; ſed etiam vitæ ejus efficaciam exſerit: quem fides mortuum pro ſe apprehendit in S. Cœna, eundem viventem in ſe experitur & oſtendit. Rom. 8: 1, 2. 1 Joh. 2: 6. qui dicit ſe in ipſo manere, debet ambulare uti ipſe. Eph. 4: 20. ſ. Converſatio noſtra debet eſſe digna Chriſto, ut etiam alii eum agnoſcere in nobis queant, & nos pretio emtos eſſe, quando corpore & ſpiritu redimentem glorificamus 1 Cor. 6: 20. Quod ſi quandoque vel occupemur offenſa aliqua & incidamus in peccatum, erit hic argumentum deprecationis Chriſti, 1 Joh. 2: 1, 2. & noſtræ cap. 1: 7–9. Si debiles ſumus, *calamum contritum*, &c. Mat. 12: 20. ſi affligimur in mundo, ipſe eum vicit Joh. 16: 33. & nos victores faciet, Rom. 8: 37. conſortium afflictionum Chriſti, parit conſortium gloriæ ejus 1 Pet. 4: 14. ſ. & Spiritus gloriæ requieſcet in nobis. Licebit ſemper uſurpare illud. Pſ. 138: 8. *Opus manuum tuorum non dimittes.*

Verſ. 27. *Recordare ſervorum tuorum Abrahami, Jitzchaki, & Jahakobi; ne reſpicito ad duritiem populi hujus, & ad improbitatem ejus & ad peccatum ejus:*

2. Secundum *à promiſſione* ἀμεταθέτῳ, verſ. 27. quod I. proponitur. II. removetur quod adverſaretur.

(a.) *Propoſitio* eſt, *Recordare ſervorum tuorum Ab. Iſ. & Jac.* ubi.

(a.) *Actus* Recordatio, quando ea quæ ante dicta factaque ſunt, revocamus in memoriam, ſive eorum oblivium inductum ſit, ſive ſepoſita ad tempus meditatio. Illius exemplum eſt pincerna Pharaonis, qui non recordatus eſt Joſephi, ſed ejus oblitus Gen. 40: 23. poſt biennium demum occaſione ſomnii Pharaonis, aliis inſolubilis, recordatus eſt ſui peccati, & Joſephi. Iſtius Pſ. 137: 5. ſ. *Si tui obliviſcar Jeruſalem, obliviſcetur ſui dextra mea, adhæreat lingua mea palato, ſi tui non meminerim, ſi Jeruſalemum non extulero ſupra ſummum gaudii mei.* Deo nec oblivium, nec recordatio congruit, nam Act. 15: 18. nec minus omnia hominum opera, quæ uti aperta ſunt coram oculis Dei, ſic etiam oculi Dei ſunt ſuper omnes hominum vias, Heb. 4: 13. Jer. 32: 19. obſervat cogitationes à longe, & novit ſermones antequam veniant ſuper linguam, Pſ. 139: 2. ſ. *format omnium corda, & attendit ad omnium opera.* Pſ. 33: 15. Uti nec dormit, neque nictat, quæ neceſſarium inducunt oblivium, uti cogitationes fere impediunt, Pſ. 121: 4. ita neque obliviſcitur, utpote quod juſtitiæ judicii ejus adverſaretur. Heb. 6: 10. *Deus non eſt injuſtus, ut obliviſcatur laboris veſtri*, & ſic quoque peccatorum. Attamen Deo adſcribitur recordatio & antecedens oblivio, more humano, quia differt quandoque actionem, quaſi nulla memoria foret eorum quæ iſtam poſtulant ſive ad benedictionem ſive ad judicium. Sic judicant impii. Pſ. 10: 11. ſ. *Dicit in corde ſuo, Deus oblitus eſt, abſcondit faciem ſuam, non videt in æternum, non requiret*; & hinc pii, verſ. 12. *Surge Domine Deus, eleva manum tuam, egeni ne obliviſcere.* Pſ. 44: 25. Pſ. 77: 10. 2. Hinc ei adſcribitur *liber memorialis* Mal. 3: 16. & precantes dicuntur *Recordari facientes Dominum.* Eſa. 62: 7. qui promiſſa Dei recitant coram ipſo, quomodo hominibus memoria excitatur, & poſcunt eas actiones providentiæ, & regiminis exerceri, quæ præſentem memoriam apud homines teſtantur. Ita quoque Moſes poſtulat Recordationem à Deo, hoc eſt actionem quæ doceat non fuiſſe oblitum.

(b.) *Objectum* ſunt in genere *Servi tui*, & in ſpecie *Ab. Iſ. Jacob*, tres principes generis Iſraelitici autores; quorum Abraham conſtitutus eſt autor ſingularis iſtius familiæ, ſed non ſolius, quia etiam ex Iſmaele & Keturæ filiis nationes aliæ prodierunt: Iſaac item illius filius habuit quoque Eſavum, patrem Idumæorum: Jacob vero hujus filius, iſtius nepos, per XII. ſuos filios totam ſolamque gentem Iſraeliticam progenuit. Horum memoriam eſſe optat apud Deum, quia ipſimet jamdudum mortui non poterant videri amplius humano oculo, ut ſic ſervaretur eorum memoria, ſed cogitando erant quodammodo ſiſtendi præſentes menti. Quemadmodum autem quando mens aliquid ſollicite cogitat, oculi minus accurate obſervant quod eis propoſitum eſt, adeo ut neſciant interdum ſe vidiſſe, aut etiam viſibile ſibi fuiſſe; ſic quoque à Deo fieri optat.

(b.) *Remotio* illa eſt ejus quod impediret, *Ne intuearis duritiem hujus populi, neque ejus impietatem neque ejus peccatum.* Hoc crimen aurei vituli reſpicit, iſtud priores transgreſſiones, illud indolem ipſam. Eſt hæc repetita confeſſio peccati, & unde eam diſcere poſſumus. Antea dixerat, *populus hic peccavit peccatum magnum, faciendo Deos aureos:* nunc adhuc plus dicit; non tantum hoc factum fatetur, ſed plura alia, quæ non errores, ſed impietates dicenda, imo indolem pravam accuſat, obduratam in malo. Nihil heic quod patrocinetur peccato, nihil quod excuſet, quod elevet; & naturæ corruptionem, in duritie illa, non producit ad imminuendum, ſed ad augendum peccata. Sic quoque nobis faciendum eſt; In precibus commemoranda omnia. Pſ. 103: 3. *qui ſanat omnes morbos tuos.* Medico autem indicium faciendum omnium; alioqui non applicabit remedia; quod pudet medico fateri malum, ejus ſanationem ab eo non petet, nec conſequetur. Pſ. 32: 2. ſ. Non opus enumeratione particulari omnium delictorum coram paſtoribus Eccleſiæ; quod fieri volunt Pontificii in confeſſione auriculari; Non ſunt hi medici; ab ipſis nulla Sanatio: poſſunt quidem nonnunquam, & debent etiam erudire ægros de vero medico, & ejus ſufficentia; oſtendere etiam in iſtiusofficina pyxides alexipharmacorum, fontes conſolationum; nec non modum applicationis indicare; ſed non poſſunt præſtare ſucceſſum, & ipſis confidere tantundem peccati eſt, ac Aſæ in morbo ſuo medicis fidentis 2 Chron. 16: 12. imo periculoſius, quia animæ damnum majus. Deus ſolus eſt Medicus abſolutus Exod. 15: 26. Huic aperiendum malum non quia neſcius, ſed ut noſtram fidem de ejus ſufficentia in omnibus profiteamur. Neque tamen neceſſe ut ſingula peccata ſemper recenſeantur in precibus; Sufficit generalia propoſuiſſe, uti Lev. 16: 21. Sacerdos confitebatur Iſraelis univerſas iniquitates, transgreſſiones, peccata; & ſic Daniel, Nehemias, Eccleſia: ſed quæ ſpecialia ſunt, conſcientiam ſigillatim vulnerantia, Deumque offendentia, proximoque ſcandaloſa, ſpeciali confeſſione indigent. 1 Reg. 8: 38. plaga uniuſcujuſque cordis. Pſ. 51. David confitetur ſuam transgreſſionem, iniquitatem, peccatum, originalem, corruptionem & reatum, ſed ſpeciatim Sanguines, adulterium & homicidium. Hujuſmodi confeſſione movetur Medicus cœleſtis, qui delectatur veritate in interioribus, & tum etiam alia ſymptomata, non indicata, nec obſervata ægroto, medicando removet; quod peti-

petitur. Pſ. 19: 13. Pſ. 66: 18. non dicit, ſi fuiſſet iniquitas in corde, non audiviſſet Dominus; nam Prov. 20: 9. ſed ſi intuitus eſſem, &c. ut non deſerendam, nedum confitendam cenſuiſſem. Confeſſio תודה proprie eſt ejectio profeſſione deteſtationis, Eſa. 30: 22. uti ſordes à curioſa matrefamilias ejiciuntur domo, quæ nullas relinquit ob magnitudinem, ut pudeat attingere; aut ob exiguitatem, ut non putet operæ pretium ab iis liberari: Ita quoque nullum peccatum cognitum adeo leve ut contemnendum ſit, nullum adeo magnum, ut ex pudore coram Deo reticendum ſit. Nunquam nimis turpis es in oculis Medici Jeſu Chriſti, quando temetipſum nudum illi ſiſtis, ut ab omnibus tuis morbis & ulceribus ſaneris. Mat. 11: 28. ſ. 1 Joh. 1: 9. Prov. 28: 13.

Sed quid opus aperire Deo ſua peccata cum Moſes precetur, ne Deus ea videat? Reſp. Intuitus Dei diverſus eſt; alius ut medici, Eſa. 57: 18. ſ. *Video vias ipſorum* (qui averſi abierunt in viis cordium ſuorum) *& ſanabo eos*, &c. Hic intuitus poſtulandus. Pſ. 25: 18. *intuere miſeriam & laborem meum, & tolle omnia peccata mea*, alius ut judicis, ut cum venit viſum Sodomam. Gen. 18: 21. Hujuſmodi intuitûm inſtituerat Deus, verſ. 13. ſ. *Vidi hunc populum & ecce populus duræ cervicis eſt & nunc dimitte me & eos exſcindam.* Iſte vero omnino deprecandus eſt. Quod hic facit Moſes. ſic Pſ. 51: 11. *occulta faciem tuam à peccatis meis.* Atque ut id impetret, aliud Deo agendum commendat, cogitationem ſeu recordationem ſervorum ſuorum Ab. Iſ. & Jac. Sed cui bono iſta recordatio? Eratne aliquid in iſtis Patriarchis, ut propterea vel minus mali cenſendi eſſent Iſraelitæ, vel minus puniendi ob ſua peccata? Sane aliquid in iſtis vidit Moſes, quod foret præſidio contra reatum & iram Dei, quanquam illum aggravaſſet, ut etiam hæc eſſet augenda, quemadmodum Deus eam erat minatus. Sed quid iſtud ſit propius examinandum eſt. I. Sunt qui Patrum mentionem fieri putant, ut Deus recordetur precum & interceſſionis quam jugiter facerent pro ſuis poſteris. Sic quidam Judæorum volunt, qui Jer. 31: 15. Rachelem plorantem pro liberis ſuis exponunt de Rachele mortua, deplorante deportationem populi; cum ſolummodo ſit metaphorica locutio, Rachelem, ſi ſuperſtes videret, quæ tanta cupidine liberorum flagrarat, conſolationem non admiſſuram, ſed damnatur iſtud. Eſa. 8: 19. *nonne populus rogabit Deum ſuum? an loco viventis mortuos?* Nam nihil tale fieri poſſe, docet Salomo, Eccl. 9: 5, 6. *mortui nihil ſciunt.* Hinc Eccleſia Eſa. 63: 16. *tu pater noſter es, nam Abraham de nobis nihil ſcit, & Iſrael non novit nos; tu, Domine, Pater noſter eſt.* Quæ etiam refutant Pontificios, invocationem demortuorum hinc aſſerentes; qui contra ſemetipſos argumentantur, cum Patres Vet. T. in limbum quendam concluſos fuiſſe dicunt, ubi Dei præſentia prorſus caruerint; ut nec videre potuerint ſtatum poſterorum, quem in Speculo Trinitatis fulgere fingunt, nec affari Deum. II. Sunt qui Patres memorari credunt, ut Deus meritorum recordetur. Judæi in ſingulis aliquid inveniunt, quæ Juſtitiarii facile admittunt, ut Deum debitorem conſtituant ob dignitatem operis. Abrahami obedientiam, Iſaaci ſatisfactionem, Jacobi victoriam. Sed in nullo inveniunt, quemadmodum retrorſum eundo oſtendemus. Jacobum victorem faciunt Angeli, quia nullum in eo repererit peccatum; verum non demonſtrata hic eſt perfectio Jacobi, ſed robur fidei ejus, & quod tunc petiit non poſteritati, ſed ſibi petiit, ut ab Eſavo & metu ejus liberaretur, non ob dignitatem ſui meriti, qui ſe indignum minimorum beneficiorum Dei profeſſus eſt, ſed ex mera gratia benedicentis. „ De Iſaco dicunt: *Iſacus* quia fuit „ hoſtia perfecta, beneplacitum in eo habuit Deus, & re„ movit dominatum potentiarum deſolantium ab ipſo & „ ſemine ejus, quaſi omnes oblati iſtic fuiſſent, quia omnes „ in ipſo fuerunt potentia, tempore oblationis. Et hic eſt „ vere finis oblationis & neceſſitas ejus, & propterea con„ veniens eſt, ut Deus nobis recordetur in noſtris afflictio„ nibus ligationis Iſaci, quandoquidem in oblatione ipſius „ nos omnes oblati fuimus, & æquum eſt, ut & nos mun„ demur in mercedem illius *operis* excellentiſſimi. Iſta vero omnia agnoſcimus vere dicta de antitypo, ſed non de typo. Corporis hæc bona ſunt, non umbræ; Corpus illud Chriſtus eſt, & de merito hoſtiæ ipſius nihil nimis magnifice hic dicitur; Beneplacitum Dei in ipſo eſt, qui in vicaria ejus oblatione omnes qui Chriſti ſunt, acceptos habet, & hoc fine eam ordinavit, ut ejus recordatione miſericordiam in omnibus ærumnis iſtis exhiberet, & quæ alia de hac oblatione dicunt; Iſaco, qui umbra duntaxat, nihil horum vere convenit. Quod ne quis arbitraretur, rarior eſt Iſaci ſolius mentio, in V. T. quam Abrahami vel Jacobi, cum alias ejus unius fuiſſet inculcanda. Abrahamus inſigne habet eloquium Gen. 26: 5. ſ. Deus pollicetur Iſaco, quæcunque Abrahamo juratus promiſerat, עקב *propterea quia Abrahamus obediens fuit voci meæ, & obſervavit præceptum meum, mandata, ſtatuta & leges meas.* Verum nihil inde concluditur de Abrahami merito. Etenim Abrahamus initio fuit idololatra Joſ. 24: 2. quando merita non fuerunt niſi mala. Meræ gratiæ fuit quod Deus eum evocavit ex Ure Chaldæorum; qui tum illi promiſit benedictionem omnimodam, perſonalem, hæreditariam in familia, ſpiritualem & æternam in Chriſto, nec non Cananæam. Gen. 12: 1. ſ. Eædem promiſſiones ſæpius ſunt repetitæ ipſi; non merces operis ipſius merita, ſed debitæ obedientiæ gratuita remuneratio, quandoquidem opus omne anteceſſit promiſſio Dei gratuita. III. Aliud itaque ſit neceſſe eſt, quod ſpectavit Moſes. Fœderatum Dei eſſe magnum erat præſidium & ſolatium. Sed hoc perierat Iſraelitis; violarant fœdus idololatria, & ipſe fractis tabulis ſignificarat, ex hoc titulo nihil ipſis poſtulandum reſtare. Ergo provocavit ad antiquius Abrahamicum, cujus etiam jus erat Iſraelitis, poſteris Abrahami. Nam ſic dixerat Deus. Gen. 17: 7. Hæreditarium illud erat omni ejus poſteritati per Iſaci filium Jacobum. Etenim ſucceſſit Abrahamo Iſacus, in quo vocatum eſt ei ſemen. Gen. 17: 19--21. *fœdus meum erigam cum Iſaco, in fœdus æternum ſemini ejus poſt ipſum; fœdus meum cum Iſaco ſtabiliam.* Cap. 21: 12. & poſt mortem Abrahami Deus ipſe Iſaco id confirmavit cap. 26: 2. ſ. Iſacus porro jus illud in ſolum Jacobum tranſtulit cap. 28: 4. *Det Deus omnipotens tibi benedictionem Abrahami*; quod confirmavit Deus in viſione nocturna, verſ. 13. Adeoque tres illi immediate quoque à Deo dictas habuerunt promiſſiones: à quibus jus devolutum eſt ad Iſraelitas, teſte Deo, qui ſic affatur Moſen & Iſraelitas, *Ego Deus patris tui, D. Ab. Iſ. Jac. vidi oppreſſionem populi mei.* Exod. cap. 3: 6. ſ. & verſ. 15. ſ. *Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Ab. Iſ. Jacobi.* In iſto porro fœdere Abrahamico duo erant quæ præſidio forent (1.) Gen. 12: 2, 3. *faciam te gentem magnam, & in te benedicentur omnes familiæ terræ*; quod cap. 22: 18. eſt *in ſemine tuo.* Eſt autem ſolus Meſſias qui deſignatur. Hujus recordari vult Deum. Etenim ſic Deo repræſentat, & familiam Abrahami eſſe conſervandam, & huic non minus quam aliis in terra benedictionem propter Meſſiam concedendam. (2.) Gen. 15: 1. *Ego clypeus tuus*, adeoque nullæ contra te ſagittæ emitti poterunt, quas, ſi ſub me clypeo latueris, non ſim à te averſurus, Ultione omni in me terminanda, quæ tibi deſtinabatur. Hujus quoque recordari vult Deum, ut contra iram, ultionem meditantem opponeret clypeum, & in Meſſia gratiam faceret. Nam ſi hujus vicarii meminiſſet, huic ſervatum iri iram, tempore plenitudinis tolerandam; Iſraelem vero, etſi reum, non fore objectum juſtæ vindictæ. Ergo quod hic agit Moſes, eſt immutabilis promiſſionis argumentum. Hæc facta, & juramento confirmata fuit Ab. Iſ. & Jacobo etiam quoad ſemen eorum. Sic Exod. 32. verſ. 13. *recordare Ab. Iſ. & Iſraelis ſervorum tuorum*, quibus per te ipſum juraſti, & locutus es, *ſemen veſtrum multiplicabo ut ſtellas cœli, & totam hanc terram dabo ſemini veſtro, in hæreditatem æternam.* Scilicet id attendit quod Paulus obſervat, Heb. 6: 13. ſ. Deum promittentem Abrahamo, juraſſe per ſeipſum, ut per duas res immutabiles, (conſilium immutabile promiſſione declaratum, & jusjurandum immutabile,) in quibus impoſſibile Deum mentiri, valida foret conſolatio iis, qui ad hanc ſpem confugiunt. Bileam ſic concludit ex promiſſione Num. 23: 19. ſ. Immutabilis promiſſio; eoque non intuetur peccata ad ipſorum perniciem, quæ quidem adfore ſignificat, partim ob fœdus Dei, à quo ipſe non diſcedit, partim ob regem Meſſiam, cujus Euangelii clangor eis adeſt. Deus ipſe

Lev. 26: 42--44. Sic Jer. 31: 36, 37. Eſa. 54: 6. & Hoſ. 2. illud dicitur pluribus Jer. 51: 5. Eſa. 41: 8. ſ. Quia ſemen Abrahami ſunt, benedicturus eſt tandem. Ergo Abrahami recordatio magnum habet momentum. Hinc illud Mich. 7. verſ. 20. in ſecuritatem reſtitutionis Iſraelis poſt peecata maxima & judicia divina, verſ. 9. *Dabis veritatem Jacobo, miſericordiam Abrahamo, quam juraſti patribus noſtris à diebus antiquis.*

Evidens ergo efficacia argumenti Moſaici: ſed cujus etiam apud nos poteſt eſſe uſus. Confugit ad gratiam Dei, ne juſtitia ſæviret ad ultionem, poſtulatque ut Deus intueatur ſuam miſericordiam; non autem reatum populi. Sic fecit David Pſ. 25: 6, 7. Pſ. 106: 4--6. & patres. Sed Moſes non tantum ad Dei gratiam provocat, verum ad promiſſam juratamque. Et hæc nobis quoque ſubminiſtratur. Gal. 3: 14. benedictio Abrahami debet etiam exſtare in gentibus, in Chriſto Jeſu. Act. 3: 25, 26. *fœdus quod Deus pepigit cum patribus noſtris*, dicit Petrus, *dicendo ad Abrahamum, In ſemine tuo*, &c. & ſic Chriſtus primum prædicatus Judæis, inde Gentibus. Licet ergo nobis Gentibus dicere Deo, *Recordare Abrahami, & non intuere nos eſſe populum rebellem.* Sumus etiam nos familiæ terræ, benedictio in ſemine Abrahami etiam nobis promiſſa & jurata. Hæc vero omni maledictioni meritæ opponi poteſt. Etiam nobis in Chriſto clypeus contra ultiones. Et quid aliud hodie nobis dictum demonſtratumque eſt. Panis fractus in S. Cœna ſignum corporis Chriſti pro nobis dati, poculum benedictionis ſignum ſanguinis ejus pro nobis effuſi. Non clypeus tantum nobis repræſentatus, ſed clypeus ſagittis Dei confixus, quæ debebantur noſtris peccatis Non reſpicit Deus ad peccatores nos, quorum peccata in Chriſto jam ultus eſt. Recordare Domine, dicamus & nos, Abrahami; imo recordare quod recordatus ſis tuæ promiſſionis, & ultus in ipſo noſtros reatus. Recipiamus nos vera fide ſub eum in quo eſt benignitas jurata Abrahamo. 1 Joh. 2: 1, 2. Pſ. 84: 12. Quod Dominus Abrahami quoque Deus eſt, nondum inutilis promiſſio eſt. Hacpropter Ab. Iſ. Jacob ex mortuis excitandi & æternum beandi ſunt, Mat. 22: 32. hæc benedictio Abrahæ eſt, eoque etiam in gentibus exſtare debet. Fide ſi apprehendamus, idem aſſequemur, Mat. 8: 10, 11. *multi venient ab Oriente & Occidente, & accumbent cum Ab. Iſ. Jac. in regno cœlorum.* Pſ. 47: 10. *Ingenui populorum aggregabuntur ad populum Dei Abrahami.* Fides nobilitat, ut ſimus filii Abrahami; eadem hæreditatem ejus dabit, & felicitatem æternam.

Verſ. 28. *Ut non dicant* incolæ *illius terræ unde eduxiſti nos, propterea quod non poterat Jehova introducere eos in illam terram quam promiſerat: & quia oderat eos, eduxit eos ad morte afficiendum eos in deſerto illo.*

3. Tertio loco nunc argumentum ducit à *Gloria Dei*, qui ἀναπόφευκτος. verſ. 28. Si quod dixiſti facias, perdaſque Iſraelem, actum eſt de gloriâ tuâ, blaſphemaberis. Blaſphemantes deſcribit, & argumentum blaſphemiæ triplex, contra potentiam & veritatem bonitatemque Dei.

(a.) *Blaſphemantes* ſunt, *Ne terra, unde nos eduxiſti dicat.* Ægyptios deſignat: Num. 14: 15. non hos tantum commemorat, ſed Gentes etiam cæteras, quæ audiverant famam Dei. Ægyptii vero potiſſimi hîc futuri erant, utpote qui plurimum propter Iſraelem paſſi erant à Deo, attriti plagis, maxime cum primogeniti omnes cæderentur, & flos exercitus ſuffocaretur in mari; adeoque obſervaturi diligenter, ſiquidem aliquid fieret, quod criminari poſſent, & derogare honori ac gloriæ Dei.

(b.) *Blaſphemiæ* autem concipiuntur I. contra Dei *Potentiam: quia Dominus nequivit eos deducere in terram quam ipſis dixerat.* Quamvis prævaluiſſet ſibi & Diis ſuis, Exod. cap. 12: 12. Num. 33: 4. inferiorem tamen ſe agnoviſſe Cananæis ac Diis ipſorum, & propterea noluiſſe experiri aliquid contra illos, ſed maluiſſe Iſrael abſumere paulatim in deſerto, ne ſupereſſent, neque opus haberet periclitari ſuum robur. II. contra Dei *veritatem, terram quam eis dixerat*, adeo ut pollicitationi eventus non reſponderet. Dives promiſſis, ſed opere pauper, & mendax. III. contra Dei *Bonitatem; & quia oderat eos, eduxit eos, ut necaret eos in deſerto.* Quicquid etiam præ ſe tulit amoris, fuit tamen merum odium, & quæſivit oportunitatem ultionis, ut in deſerto, omni ope humana deſtitutos, opprimeret ac deleret. Hoc vero ne pateretur Deus ab Ægyptiis aliisve nationibus alienis à fœdere ejus, Moſes poſcit averſionem iræ. Sic exprimitur Exod. 32: 12. Et condonationem peccati. Sic legimus Num. 14: 13. ſ.

Intereſt gloriæ Dei, quam negligere non vult, ut Eccleſiæ parcat, neque animadvertat in eam ad ejus deſtructionem, licet hanc mereatur. Deus ipſe teſtis; Gloriæ ſuæ rationem habet quando parcit reæ: Eſa. 48: 8. ſ. Non indulget propterea hoſtibus Deut. 32: 26. ſ. Non ſuæ iræ Hoſ. 11: 9. ſeq. *nam Deus ſum, & non homo, ſanctus in medio ipſorum.* Sic egiſſe ſe refert. Ezech. 20: 8. ſ. Hujuſmodi eſt actio Dei cum Iſraele in Ægypto Ezech. 20: 8. ſeq. Sed *feci propter nomen meum, ne profanaretur coram oculis gentium*, & verſ. 14. 22. Sic in præſenti exilio Ezech. 36. verſ. 20. ſ. In reſtitutione futurâ Ezech. 36: 12. ſ. Ex hoc fundamento reſtitutio procedet, verſ. 22. ſ. *Non facio propter vos, ô domus Iſraelis*, Sic reſpectu hoſtium Eſa. 52. verſ. 5. ſ. Memorabile exemplum eſt in Achabo, regum peſſimo, 1 Reg. 20. dedit ei Deus victoriam de Syris, ob horum inſolentem ſuperbiam, & altero anno rurſum; *Sic ait Dominus. Quia Syri dixerunt, Dominus eſt Deus montium, & non eſt Deus vallium, omnem hanc multitudinem dabo in manum tuam; ut ſciatis me eſſe Dominum.* Et contra Sanheribum, minantem Hizkiæ & Hieroſolymis deſtructionem in contemtum Dei, denunciatis judiciis, hæc clauſula eſt, *Zelus Domini Zebaoth faciet iſtud.* Eſa. 37: 32. gloriæ ſuæ aſſertio, ut ait Eſa. 33: 10. ſ. Tanti Deo eſt gloria ſua etiam inter alienos ab Eccleſia, ut huic penitus deeſſe nolit, neque pati ejus interitum. Merito ergo à gloria Dei petuntur argumenta ad obtinendam gratiam & vindicias, quemadmodum Moſes heic egit. Nam quia Deus ipſe hâc ratione adeo efficaciter ſe moveri teſtatur, quid ni eâ roboremus preces noſtras. Sic egit Joſua, fugatis Iſraelitis ante Ai. Joſ. 7: 7. ſ. *Et quid facies nomini tuo magno?* Et ſi humana intueremur, periimus quod una urbs Ai egit ut nos fugarit, quid non facerent univerſi Cananæi; ut longe ſatius futurum fuiſſet, non tranſiiſſe Jordanem, aut eos provocaſſe. Sed id parum eſt, ſi nos pereamus, agitur de gloria tua? quid de illa fiet? quam tibi paraſti famam potentiæ contra hoſtes Iſraelis, & bonitatis erga ipſos, & veritatis in præſtita liberatione, ex Ægypto, & deductione in Cananæam, ea omnis tibi peribit; ceu qui nihil magis valeas quam Dii aliorum populorum. Quomodo Aſſur ait Eſa. 10: 10. ſ. *quemadmodum feci Samariæ & idolis ejus, annon ſic poſſem facere Hieroſolymæ & idolis ejus?* cujusmodi fuerunt verba Sanheribi. Ita Eccleſia Pſ. 115: 1. ſ. *non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam, propter benignitatem tuam, propter veritatem tuam, quare dicent gentes, ubi nunc eſt Deus ipſorum?* Deum dicere eſt dicere omnipotentem gubernatorem, Deum alicujus dicere, eſt dicere faventem, qui & benefaciat, & porro benefacturus ſit. Hoc Iſraelitæ de Deo profeſſi erant. Eſſe ſuum Deum, teſtatum tot beneficiis, tot promiſſionibus, quæ veritatis, ut illa bonitatis demonſtrationes fuerant. Horum gloria peribit Deo, ſiquidem non adſit defenſor & vindex. Equidem lubentes agnoſcunt. Nihil in ſe eſſe quod mereatur aliquid à Deo, quod moveat ad auxilium, ſed eſt ſolum nomen Dei, ejus gloria, bonitatis & veritatis quam attendi volunt. Iſtam blaſphemabunt gentes, dicendo ubi eſt? Tu hanc gloriam aſſere. *Deus noſter in cœlis eſt* &c. *Idola gentium ſunt opus manuum hominum*, quibus omnis ſenſus & motus deeſt. Aſt tibi omnipotentia quæ bonitati & veritati ſubſervire poteſt. Sic Pſ. 79: 9, 10. *quare dicerent gentes, ubi eſt Deus ipſorum?* ne gloriæ Dei quid decedat apud gentes, poſcitur exercitium potentiæ ad vindicias, & bonitatis ad remiſſionem peccatorum Luc. 14. verſ. 28. ſ. quis ædificaturus turrim, non prius computat ſumptus, an habeat quod ad perfectionem requiritur, ne quando fundamento jacto abſolvere nequit, irrideatur. Et quis rex in bellum iturus non prius æſtimat ſuas vires, an ſufficiat adverſario. Gloria ſapientiæ & potentiæ perit, niſi

niſi hic proſpectum ſit. Et annon ita quoad Deum? An ipſe ſuſciperet alicujus ſalutem, & non conſummaret? nonne contemnendum, deridendum ſe daret? Id nunquam patietur fieri, qui נצח ישראל *victoria* ejus, qui nec mentitur, nec pœnitet. Gloriam tuetur ſuæ bonitatis, non pœnitet; ſuæ veritatis, non mentitur; ſuæ potentiæ eſt victoria, & hæc omnia bono Iſraelis. 1 Sam. 15: 29. Argumentum iſtud gloriæ Dei eleganter tractatur Pſ. 102: 13. ſ. poſtquam exaggeraſſet ſuas calamitates, quæ deſperatæ videbantur, convertit ſe ad Deum, & gloriam ejus facit unicum argumentum ſuæ petitionis. Huc facit illud Phil. 1. verſ. 6. quod ut conſummationem operis Domini infert Pſ. 138: 8. ſic etiam operis fœderatorum Dei. Pſ. 90: 16. ut Mal. 3: 6. Quando Dominus ædificaverit Zionem, apparebit in gloria ſua: quia celebrabitur ob auditas preces, conceſſam liberationem iis qui occidendi erant. Nam quo minus conſilii opis ſpei ſupereſt apud homines, eo illuſtrior gloria Dei vindicantis. Pſ. 12: 6. Vel ut Eſa. 37: 22. Deo imbellibus dando victoriam. Imo hoc argumentum valet ad remiſſionem peccatorum Sic Pſ. 79: 9, 10. Mich. 7: 18. ſ. *Quis Deus ut tu* &c. Gloria bonitatis & veritatis, & potentiæ quoque vertitur in condonandis, in ſubigendis, in expiandis peccatis. Pro gratia ad perſeverationem Phil. 1. verſ 6. Pſ. 138: 8. Pſ. 90: 16, 17.

Diſcendum nobis iſtud artificium. Iſtud in eo conſiſtit, ut tales ſimus, quos ſigillatim curari gloriæ Dei interſit. Et ſane eſt aliquid, quod nos facit eos in quibus magna queat demonſtrari gloria Dei. Si ſpectemus miſeriam noſtram, in quam calamitatem deducti ſimus, non ſolum communiter cum Belgio, ſed etiam ſigillatim, ubi ob inteſtina Procerum diſſidia, cuncta tendunt ad perniciem extremam. Quæ humanitus adhibentur conſilia, nihil juvant, adeo ut deſperatis omnibus propemodum à ſolo Deo queat præſtari pax & tranquillitas. Gloria ejus manifeſtabitur, ſi ipſe conficiat, uniat animos diſcordes, ut vulnera patriæ curent, & columnas ejus ſtabiliant. Nonne oportune precabimur cum Ieremia Jer. 14: 7. ſ. *Vocati ſumus de nomine tuo, ne deſeras nos.* Ubique argumenta gloriæ Dei. Verum quid obtinuit? *Sic ait Dominus de hoc populo. Ita amarunt vagari* &c. *& ne precare pro populo hoc in bonum.* Intereſt gloriæ Dei non ut gratioſus ſit, ſed ut vindicem ſe oſtendat. Jer. 5: 4. ſ. quando pauperes viam Domini, jus Dei ſui ignorant. & magni fregerunt jugum, & ruperunt vincula. 1 Sam. 2: 10. Examinemus ipſi, an hæc etiam nobis quadrari queant. Rom. 9: 22. *Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam toleravit longanimitate multa vaſa iræ compacta ad interitum.* Eſt gloria iræ & potentiæ Dei, hanc habet de vaſis iræ. Quæ vero ſunt vaſa iræ? quæ aliquando implebuntur irâ. Et quæ talia? Dicuntur *coagmentata ad interitum:* ſed non nominato coagmentante; quia ille non unus eſt. Deus facit Jer 25: 15. ſ. qui poculum indignationis bibendum dat, ut bibant & inebrientur, & inſaniant, & cadant, & non amplius ſurgant, & fæces eis ſervantur Pſ. 75: 9. ſed etiam ipſi faciunt. Rom. 2: 4, 5. *An contemnis divitias benignitatis* &c. *ſed ſecundum duritiem tuam & cor reſipiſcere neſciens* &c. Vas iræ ſe oſtendit, compactum ad interitum, qui theſaurum iræ ſibi congerit, quo impleri queat. Et iſtud agit, qui bono Dei non movetur ad emendationem vitæ, qui obduratus eſt in malo, qui alienus eſt ab omni emendatione. Qui ex contentione ſunt, & veritati inobedientes; obedientes autem injuſtitiæ, facientes malum, iis indignatio & ira, afflictio & anguſtia deſtinantur, qui pœnam ferent &c. 2 Theſ. 1: 9. Eſa. 33: 10. ſ. Deo dicente, ſe exaltatum iri ad hoſtium impiorum deſtructionem, ut forent inſtar reſectarum ſpinarum, quæ igne conſumuntur, ut agnoſceretur ſua potentia: *Peccatores in Zione territi ſunt* &c. quia ſe non meliores norunt. Quanto magis terror debet eſſe, quando talia nobis ipſis denunciat Deus; nonne optandum eſſet, nos poſſe ingredi in ſpeluncas petrarum, & cavernas terræ propter terrorem Domini, & propter gloriam majeſtatis ejus, quando ſurget ad terram potenter terrendam Eſa. 2: 21. Nonne cogitandum qua ratione evadamus demonſtrationem gloriæ potentiæ Dei & juſtitiæ in noſtri deſtructione? Antequam Moſes in ultima deprecatione uteretur argumento gloriæ Dei, populus ex mandato Dei humiliarat ſe poſitis ſuis ornamentis, & luxerat, atque in eo exercitio adhuc erant. Intereſt gloriæ Dei peccatores pertinaces judiciis obrui: ſed intereſt gloriæ Dei humilibus facere gratiam, reſipiſcentes eripere exitio, vitam rite inſtituentes augere benedictionibus. Jer. 13: 15. ſ. poſtquam denunciaſſet omnes lagenas impletum iri vino, ſed indignationis divinæ ut reges & Sacerdotes, & Prophetæ, & incolæ terræ, patres & liberi implerentur ebrietate, & mutuum colliderentur & conterentur Deo non parcituro, neque miſerturo, ne perderet, ait, *Date gloriam Domino Deo veſtro, antequam obtenebret* &c. Addit autem porro: *Quod ſi necdum audiveritis, anima mea in locis occultis flebit propter ſuperbiam, oculuſque meus amare lachrymis defluet, quia grex Domini deportatur.* Deus vincit, quando judicat, Pſ. 51: 6. Glorificabit ſe in adverſariorum exitio, ſi ipſum noluerint glorificare humili obſequio. Eſa. 57: 15. *Sic ait altus & excelſus, habitans æternitatem, & cujus nomen ſanctum eſt: Habito in excelſo & ſancto, & apud eum qui eſt contriti & humilis ſpiritus* Eſa. 66: 1, 2. *Cœlum eſt thronus gloriæ Dei:* ſed pariter pauper & fractus ſpiritu, & trepidans ad verbum ejus. Iſrael ædificarat Deo domum, & propter hanc poſcebat defenſam Jer. 14: 21. & reſtitutionem Eſa. 64: 11. Verum in manu factis in templis non habitat, longe glorioſior ſtruitur domus in corde pœnitente, atque hanc tuebitur propter gloriam nominis ſui. Equidem gloria Dei cauſa ipſi eſt, ut propter veritatem & bonitatem ſuam etiam indigniſſimis benefaciat, quos fœderatos habere dignatus eſt. Eſa. cap. 59: 18. Ezech. 36: 20. ſ verum antequam eos reſtituat plene, glorificari vult ipſorum humiliatione, verſ. 31. ſ. *Non facio propter vos, inquit Dominus.* Quamdiu iſtam pudefactionem non operatur parum ſperandum, quod adhuc velit gloriam oſtendere in nominis vindiciis, Eſa. 57. verſ. 17. ſ. *triſtibus in Zione*, qui per verbum convincuntur reatus, perſuadentur ad reſipiſcentiam, moventur ad fidem promiſſionum, dantur *ornatus pro cineribus, oleum lætitiæ pro triſtitia, & amictus laudis pro ſpiritu anguſtiæ.* Verum illi tum ſunt vocandi *quercus juſtitiæ* Eſa. 61: 3. Non eſt triſtitia ſecundum Deum, niſi quæ operatur reſipiſcentiam ἀμεταμέλητον 2 Cor. 7. 10. Alioqui dicendum iſtud Hoſ. 6: 10. *quid faciam tibi Ephraim, Judæ? quia benignitas tua eſt ut nubes matutina, ut ros mane veniens*, qui evaneſcit? Mendaci reſipiſcentia non glorificatur Deus; vera ſit oportet; quæ ipſa à Deo poſcenda propter ejus gloriam. Jer. 31: 18. ſ. Marc. 9: 24. credo &c. Phil. 2: 13. Deus operatur & velle & perficere, eoque Heb. 13: 21. conſummet in omni bono opere, ut faciamus ipſius voluntatem, operando in nobis, quod beneplacitum eſt coram ipſo per Jeſum Chriſtum. Joh. 15: 8. glorificatur Pater ſi multos fructus feramus; itaque rogandus ut det fertilitatem in Chriſto, & magis magiſque ſua cura mundet, quo abundantiores ſint fructus, verſ. 2. imo ut impleamur fructibus juſtitiæ, quæ per J. Chriſtum ſint ad gloriam & laudem Dei Phil. 1: 11. Si fuerimus vinea Deo vini rubri, nobilium plantarum, quæ fructus reddant tempore oportuno, tum Dominus cuſtodiet, quovis momento eam rigabit, & ne viſitet hoſtis ſervabit interdiu & noctu. Eſa. 27: 2, 3. aut ſi quid accidat vaſtationis degenerantibus plantis, colonis eam depaſcentibus feris, fruibuſque externis deſolantibus, viſitabit vineam, quam plantavit, propter nomen & gloriam ſuam. Pſ. 50: 15. liberabit ut celebretur, & voce, & vita noſtra, donec tandem propter gloriam ſuam æternum beet, quo æternum glorificetur in ſanctis ſuis.

Verſ. 29. *Sunt enim populus tuus, & quidem poſſeſſionis tuæ, quem eduxiſti virtute tua maxima, & brachio tuo extento.*

Addit adhuc quartum argumentum, verſ. 29. *Sunt utique populus tuus & hæreditas tua, quam eduxiſti robore tuo magno & brachio tuo extenſo.* Dixit iſta omnia, verſ. 26. in ratione prima, ut heic ſuperſedere poſſe videamur, ne eadem repetito dicamus. Verum ſi hæc conferamus cum hiſtoria, aliquid notatum obſervabimus, quod mereatur hujus horulæ meditationem. Antequam Deus ad petitionem Moſis

ſis diceret, *Dola tibi duas tabulas*, quod haſce preces ſecutum eſt, Deut. 10: 1. narratur in Exodo ultima & victrix argumentatio Moſis, vide hanc gentem eſſe populum tuum, cujus clauſula eſt, ſic ſeparati erimus, ego & populus tuus ab omni populo, qui ſuper terram eſt. Quod indicatum voluit Moſes verbis noſtri textus, & in eo diverſitatem habemus à primo argumento. Itaque Exod. cap. 33: 12. ſ. Poſtquam Moſes humilitatis teſtimonia in depoſitione ornamentorum imperarat populo, & tentorium ſuum removerat ex caſtris, & reverſus ad Deum precibus repetitis egerat, ad extremum dixit: *Ecce tu dicis ad me Adſcendere fac populum iſtum, & tu non notificaſti mihi, quem miſſurus ſis mecum, & dixiſti tu tamen, novi te nomine, & inveniſti gratiam in oculis meis.* Dixerat Deus Moſi ut populum duceret in Cananæam, Exod. 32. 34. cap. 33. verſ. 1. & utrobique addiderat ſe Angelum ſuum una miſſurum eſſe; qui igitur negat Moſes factum ſibi indicium? Exod. 23: 20. ſ. promiſerat Deus ducem Angelum, in quo nomen Dei eſt, qui remittendi peccata habet poteſtatem, quo jubente Deus jubet, & ipſi obedire Deo obedire eſt, qui eſt ipſe Jehova Deus ipſorum, & quæ Deus agit, ipſe pariter agit; qui nullus alius quam Filius Dei Mediator. Verum nunc promiſerat Angelum ducem, ſed ut diſerte negaret ſuam præſentiam. Hîc ergo merito dicit, non indicaſſe ſibi Deum quem eſſet comitem additurus: nam merito ſe dubitare, non eſſe eundem Angelum cum priore, ſed alium quendam ſibi ignotum, utpote non deſcriptum, uti quidem fuerat deſcriptus alter. Proinde ut id indicet ſibi argumenta dicit, Amorem Dei erga ſe, notitiam ſui nominatim, & gratiam erga ſe teſtatam. Hinc preces, *Nunc ergo ſi inveni gratiam in oculis tuis, notifica mihi viam tuam, & te agnoſcam, ut inveniam* &c. *& vide gentem hanc, tuum eſſe populum.* Via Domini quam ſcire cupit eſt, quid Deus cum Iſraele eſſet acturus, an deſerturus negata præſentia, & tandem perditurus? an vero condonaturus; cum tale quid humiliantibus ſe videretur pollicitus, dicens, & ſciam quid facturus tibi ſim. verſ. 5. Nam hæc eſt via Dei, reſipiſcentibus condonare. Eſa. 55: 7, 8. *impius deſerat*, &c. *nam viæ meæ*, &c. hoc ſi impetraſſet novo experimento cogniturum gratioſum ſe eſſe apud Deum: addit autem rationem aliam, à conditione ipſius populi, qui Dei foret. Hic ergo Deus ait: *Facies mea ibit, & tranquillabo te?* Interrogatio eſt, etſi nota interrogationis non præponatur. *Facies Dei* interdum iram ejus notat, uti Jer. 3: 12. & Exod. 23: 21. *cave à facie ejus*, quod idem cum Pſ. 2: 12. Sic quidam, *An ira mea abibit ut acquieſcas?* ſed non congruit vel petitioni Moſis, quis una debeat ire, non quid abire debeat: vel reſponſo Moſis, *Si ira tua non abeat, ne hinc facias nos adſcendere*, utique ſic ira illa in deſerto abſumendi fuiſſent, contra rationem tertiam, Deut. 9: 28. Præterea diſerte poſcit comitatum Dei, in ſeqq. verbis. Igitur *Facies Dei* eſt idem ille quem ſolum voluit Deus haberi Elohim, Exod. 20: 3. per quam educti erant ex Ægypto Deut. 4: 37. *Angelus faciei* Eſa. 63: 9. ille in quo nomen Dei; quo præſente Deum præſentem habiturus erat; & *Ire* hic tantundem eſt ac una ire, quod petierat ut ſecum mitteretur. Rogat proinde Deus, an facies mea, angelus olim promiſſus, qui angelus faciei meæ, te comitari debebit; ut animo ſis tranquillo, & ceſſes inſtare precibus? Raknat. fol. 121, 2. *ſignificatio præcipua eſt Facies mea, hoc eſt Angelus redemtor*, de quo Eſa. 63: 9. & Mal. 3: 1. & Onkelos. *Schechina mea ibit tecum.* Et mox *Facies iſta eſt veritatis & miſericordiæ*, conf. Joh. 1: 14--17. Ad hoc Moſes. *Niſi facies tua*, Angelus iſte, *nobiſcum eat, ne hinc jubeas abire;* ſatius eſt nos manere ad montem Sinai, quam ut moveamus hinc pedem. In Sinai hactenus videmus tuam nubem, licet in caſtris nolis eſſe cum Iſraele, hic te adire poſſum; ſed hinc diſcedentes, deſerti erimus. Confirmat iſtud ratione. *Nam unde conſtabit ullibi* (אפוא) *quod gratiam invenerim in oculis tuis, ego & populus tuus? annon quando iveris nobiſcum? Sic ſegregati erimus, ego & populus tuus, ab omni populo qui ſuper terram.* Hæc eſt proprietatis demonſtratio quam Moſes urget. Hinc vero obſervandum.

Populus Dei, talis eſt & talis agnoſcitur, qui habet præſentem Meſſiam, & ſimul gratioſum Deum ipſum. Moſes petit indicium ducis mittendi ſecum, & notificationem viæ Dei gratioſæ, quod citra illum ducem non erat futurum, intuitu populi ſui. Et conceſſa facie Dei, quomodo Deum comitem habituri erant, demonſtratum iri publice quæ eſſet ſua ſegregatio in populum Dei, præ aliis omnibus populis, Eſa. 63: 8, 9. quia Dei populus, habent Angelum faciei. Et hoc negato, carent Deo. Eph. 2: 12. ſine Chriſto, & ſine Deo in mundo. Equidem abeſſe à Deo nunquam poteſt quiſquam Act. 17: 27. impoſſibile à præſentia ejus fugere Pſ. 139: 7. Amos 9: 2. ſ. ſed abeſſe à Deo ut ſuo in quo ſpes, id contingit iis qui ſine Chriſto, in quo fœdus. Chriſtus etiam fuit olim, ante aſſumtionem humanæ naturæ, quem Iſraelitæ habuerunt, inter quorum privilegia fuit: quia ſoli olim populus Dei: at gentes fuere non populus, Rom. 10: 19. Deut. 32: 21. eoque ſine Chriſto. Tantundem eſt, *populus Dei & grex paſcui ejus.* Pſ. 95: 7. & 100. verſ. 3. verum grex ovium eget Paſtore, & qui Deo ſunt grex, eos per Paſtorem regit & tuetur: qui nullus alius præter Meſſiam. Sic deſcribitur Ezech. 34: 23. ſ. *Ego ſervabo oves meas, & unicum Paſtorem ſuper ipſas excitabo, & paſcet eas, ſervus meus David; hic paſcet eas & erit ipſis Paſtor, & ego Dominus ero ipſis in Deum.* 1 Reg. 22: 17. Micha ait; *vidi totum Iſraelem diſperſum in montibus, ut oves quæ non habent Paſtorem, & Dominus dixit: Hi non habent Dominum.* Grex ſine paſtore non eſt grex, populus ſine Domino non eſt populus, & homines qui Chriſtum non habent ducem, non ſunt populus Dei. Sociantur iſta Jer. 31: 10, 11. hoc prædicandum Iſraeli. *Qui diſperſit Iſraelem, eum rurſum congregabit, & cuſtodiet eum ut paſtor oves ſuas: Nam Dominus* redemit *Jacobum*, &c. Paſtorem ſi habeat, grex Domini eſt, nam hoc & cura ejus negatis, diſperſi ſunt, atque gregis amiſerunt faciem: iſtum autem habebunt, ſiquidem Chriſtum conſequantur. Sic olim Iſraelem intuitus eſt Mat. 9: 36. Jer. 50: 6. Atqui hoc pacto peribat facies populum Dei. Quemadmodum autem Chriſti præſentia neceſſaria eſt ad conditionem populi Dei, ſic quoque notitia experimentalis viæ Dei ſingularis qua ducit peccatores. Pſ. 25: 6. ſ. Hæc via Dei non alia eſt quam Meſſias, Joh. 14: 6. nam ſine ipſo non eſt communicatio hominibus cum Deo Rom. 5: 1, 2. Ipſe eſt Scala illa, Jacobo in ſomnio repræſentata. Gen. 28: 12. ſ. Joh. 1. v. ult. Hæc dicuntur Mich. cap. 7: 18. ſ. *Quis Deus ut tu, condonans iniquitatem*, &c. Nullius via iſtiuſmodi, qua agnoſcitur ſingularitas ejus erga populum ſuum & hæreditatem. Iſtud autem facit in Chriſto. Miſerebitur noſtri rurſum, ſubiget iniquitates noſtras, & quomodo? *projicies omnia peccata ipſorum in profundum maris.* Quid iſtud? Peccatum mergi nequit, niſi una mergatur in quo illud eſt. Reatus ſeu obligatio ad pœnam reſpicit ſubjectum in quo eſt. Si illud ſit qui patravit, conjicietur tandem in ſtagnum ignis & ſulphuris. Apoc. cap. 20: 15. quod abyſſus iræ Dei, juxta cum externa illa corporibus affligendis. Verum ſi reatus tranſeat in alium, jam qui geſtat, non qui contraxit eo præcipitandus eſt. Sic itaque Deus à fidelibus tranſire fecit peccatum. Job. 7: 20. 2 Sam. 12: 13. in Chriſtum Eſa. 53: 6. ſ. & hic venit in abyſſum iræ Dei, eo projectus Rom. 10: 7. Pſ. 69: 2. ſ. Et ſic Deus projecit Iſraelis peccata in profundum maris, quando Chriſtum, peccatum, eo projecit. Facit autem iſtud ob fidem & benignitatem Patribus juratam. Quod quoniam non omnibus, ſed ſolum populo ſuo præſtat, quibus fœderatus, utique maximo diſcrimine diſtinctionem facit inter eos & populos cæteros, longe magis quam cum inter Iſraelitas & Ægyptios diſtinxit in plagis illis quas hiſce immiſit. Hinc ergo diſcere eſt, quomodo titulum populi Dei tueri, & vi illius aliquid à Deo impetrare queamus, nempe quando Meſſias præſens adeſt ductor. Titulo tenus populus Dei eſt, qui profeſſione oris iſtud ſe eſſe dicunt, & cœtui id profitenti cohærent. Et hoc modo quotquot Chriſtiani vocantur, populi Dei ferunt nomen. Sed non ſunt omnes: plurimi ab inferioribus paſtoribus ſeducti, vagantur de monte ad collem, cum in montibus monſtratis non inveniunt quod ſatisfaciat conſcientiæ, obliti interim veri accubitus. Quod de tot ſectis, ab hominibus denominatis evidentiſſimum. Sed qui propiores cenſentur, quia de accubitu cognito & ſervato gloriantur, iſti habent ſegregationem populi veram, ſiquidem Faciem Dei, Meſſiam habeant, ſecum eun-

euntem, & ducem ſe præſtantem 1 Tim: 2: 5, 6. Chriſtus mediator illorum eſt apud Deum, pro quibus factus lytrum. Act. 20: 28. Eccleſia Dei eſt quam Chriſtus ſuo ſanguine acquiſivit, & hanc quoque tuetur. Eph. 5: 23. ſ. Quando iſtam dignitatem affectamus populi Dei ſegregati, Chriſti nobis poſtulanda eſt præſentia & ductus. Sine ipſo nunquam erimus, & ex nobis ipſis nunquam eum impetrabimus. Promiſſionis divinæ fuit Exod. 23: 20. & ſic Moſes hic à Deo poſtulavit, qui etiam pollicitus eſt, in illo Exod. 19: 45. Sanctitas ſeu ſegregatio nititur ſacerdotio, quod peccatores conciliat Deo mediante hoſtia. Iſtud eſt Chriſti populus 1 Pet. 2: 9. Et Chriſtus ſecundum ordinem Melchizedeki Sacerdos, qui regnum habuit ſacerdotale. Eadem promiſſa ſunt Gentilibus Pſ. 67: 2. ſ. Heic facies Dei cum gentibus ad eas ducendas, & ſic nota via Dei gratioſa: unde gaudium ob ſegregationem. Tale gaudium annunciabatur paſtoribus in Bethlehem, per Euangelium nati Meſſiæ, Luc. 2: 10. ſ. Ipſe enim bonus paſtor ovium, qui eas undecunque congregat, & animam pro iis ponit, eaſque ducit, tuetur & ſalvat, Joh. 10: 10. ſ. Veriſſimum in hoc erit diſcrimen omnibus qui conſequuntur ab aliis quibus Deus iſtud non eſt gratificatus. Sed id jam conſecuti eſſe debemus, ſi non tantum votiva ſit appellatio populi Dei, verum etiam profeſſionis veræ. Iſtud ergo conſiderandum. Num. 23: 9 —21. *populus hic habitabit ſolus*, &c. *Deus non intuetur iniquitatem*, &c. *Dominus Deus ejus cum ipſo eſt, & clangor regis apud ipſum.* Populus Dei eſt, ubi viam ſuam Deus notificavit, non intuendo peccata, & hoc habent quibus eſt Deus, atque eum in finem clangorem Regis Meſſiæ largitur. Negatum id fuit omnibus olim populis præter Iſraelem. Eſt vero conceſſum etiam nobis, Clangor Euangelii ad nos quoque pervenit & apud nos jugiter ſonat. Sed hoc ſolum non ſufficit, faciebat olim diſcrimen Iſraelis, quia nuſquam alibi ſonabat: Verum nunc exivit ſonus in omnes terras, & ad extrema orbis Rom. 10: 18. Prædicatur Euangelium omnibus gentibus per totum mundum, Mat. 28: 19. Marc. 16: 15. Debet aliud quid accedere ad diſcretionem populi Dei. Pſ. 89: 16. *Beatus populus qui novit clangorem:* non qui habet, qui audit clangorem, ſed *qui novit.* Noſſe eſt amare, de rei veritate & bonitate perſuaſum eſſe, adeoque amplecti, & in ea cognitione felicitatem ſuam conſtituere; adeo ut nil aliud noſſe volupe ſit, quam regem illum, quem clangor Euangelii notificat. Sed hujus notitiæ demonſtratio eſt, Domine, ambulabunt in luce faciei tuæ. In luce Chriſti, qui facies Dei, ambulabunt. Ipſe eſt enim lux mundi, & in ejus luce ambulandum, ut in luce quis ſit, liberatus tenebris, Joh. 12: 35. cap. 9: 5. cap. 8: 12. juxta illud Eph. 5: 8. Idem aliter dicitur, Joh. cap. 10: 27. *oves meæ vocem meam audiunt, & novi eas, & ab ipſis agnoſcor, & ſequuntur me.* Et ſine parabola Tit. 2: 14. Zelotæ bonorum operum.

Sed ſi nos inſpiciamus, an poſſumus gloriari de hac ſegregatione populi Dei præ aliis, qui Chriſtiani dicuntur? Act. 3: 26. adventus Chriſti eſt ad benedictionem, ut avertat ab iniquitatibus. Sed ſi hæc ſit efficacia adventus ejus, an poſſumus dicere veniſſe, ut nobiſcum eat? Sane non aliter ac Eſa. 40: 2. *quare veni, & nemo fuit, clamavi, & nemo reſpondit?* & cap. 65: 2. *toto die expandi manum meam ad populum rebellem, ambulantem in via non bona populum me toto die irritantem.* Clangor Chriſti adeſt quidem: *ſed quis credit auditui, & in quo brachium Domini revelatum eſt.* Eſa. 53: 1. Clangor carnis, mundi, Diaboli agnoſcitur, nam ambulatur ſecundum morem ſeculi, ſecundum principem, &c. Eph. 2: 2, 3. Segregatio ſic evidens, non ut ſint, ſed quod non ſint populus Dei. Eſaias Iſraelem ſub regno Judæ vocat Principes Sodomæ & populum Gomoræ, Eſa. 1: 10. & ſi viveret an alios nos poſſet dicere? & quod miſericordiæ Dei deberent; nondum Sodomæ & Gomoræ æquatos eſſe judiciis. Segregaturus eſt Deus ad malum, ut omnes maledictiones ſuperveniant, illum qui cum fœderatus ſit, decernit ambulationem juxta placitum cordis ſui mali, ſibi pacem pollicitus. Deut. 29: 21. O ſi iſtud meditaremur, & deſiſteremus. An poſſumus populi Dei nomen tueri, qui nihil ejus quod Dei eſt agimus? *Vos non eſtis ex ovibus meis, oves meæ audiunt vocem meam, meque ſequuntur.* Joh. 10: 26. ſ. Operarii iniquitatis non agnoſcuntur à Chriſto, uti ipſi non agnoſcunt voluntatem Dei quam non faciunt Mat. 7. verſ. 21. ſ. Quantopere neceſſariæ ſunt ſupplicationes qualis Moſis: Ut Deus Viam ſuam manifeſtet, condonando peccata: ut faciem ſuam Meſſiam largiatur, ut ductu ejus regamur.

Verum quando Moſes iſtud beneficium petere aggreſſus eſt, populum ante ad luctum & humiliationem adduxerat. Hæc nobis quoque adeſſe oportet, ſi quid ſucceſſus ſperamus. Sic ſi videat nos Deus, ſciet quid nobis agendum ſit, nempe ut audiat ſupplicationes, & nobis largiatur Meſſiam, Remiſſionem Peccatorum in ipſo, & ductum ſpiritus ſui, & defenſam, & regimen, & quicquid ad vitam & pietatem pertinet, gratiam hic, & tandem gloriam, ad æternam noſtram felicitatem.

CAP. X.

LOquitur de renovando fœdere Iſraelitico, autore Deo. In qua actione merum eſt beneficium Dei, cui ſummo jure humanum officium reſpondet. Facit illa Dei actio primum hujus capitis membrum, verſ. 1—5. alterum habet nonnulla ad peccati vituli aggravationem facientia, verſ. 6—11. tertium exhortationem ad obedientiam, verſ. 12—22.

Verſ. 1. *Tempore illo edixerat Jehova mihi, dola tibi duas tabulas lapideas ſicut illæ priores* erant, *& aſcende ad me in monte, faciesque tibi arcam ligneam:*

Verſ. 2. *Ut inſcribam iſtis tabulis eadem verba, quæ fuerant in tabulis illis prioribus quas fregiſti; deinde ponas eas in arca illa.*

I. Primum habet *Renovationem fœderis* reſpectu Dei, dum tabulas ejus repetito ſcripſit, & Iſraeli exhiberi fecit, ubi. I. mandatum parandarum tabularum, verſ. 1, 2. II. conſequentia mandati, vid. tum obedientia Moſis, verſ. 3 tum factum Dei, verſ. 4. tum factum Moſis, verſ. 5.

Eſt autem connexio petenda ex Exod. 33: 17. Cum Moſes in poſtremis precibus vehementer inſtitiſſet pro impetranda præſentia Dei, dato ſibi Angelo ductore, qui Deus & dominus, adeo ut mallet in deſerto manere, ſiquidem facies Dei, Meſſias, non foret comes; neque acquieturus eſſet niſi hac ſegregationis ſuæ demonſtratione conceſſa; tandem Deus ait, *Etiam hoc verbum quod locutus es, faciam, quia gratiam inveniſti in oculis meis, & ego te de nomine novi.* Fœderis divini beneficium eſt unio cum Deo. Sed Iſrael ſua idololatria violarant fœdus, & Moſes tabulas, fœderis teſtimonium fregerat; adeo ut ſegregatio abolita foret, quantum ad Iſraelitas. Moſes ergo reſtitutionem & confirmationem ejus poſtulat, & conſtanti ſua importunitate impetrat. *Faciam*, inquit Deus, *quod petis: quia gratiam inveniſti*, &c. Pſ. 145: 19. *facit placitum timentium ſe*, &c. Quicquid petiit, Abraham pro Sodomitis, Deus ei indulſit, & prius ipſe petendi, quam Deus promittendi finem fecit. Servator eapropter monet ſemper inſtandum, neque remittendum, adhibita parabola injuſti judicis, quam vidua ſua importunitate fatigavit, & extorſit vindicias Luc. 18. verſ. 2. ſ. multo ergo promtiorem fore Deum, ad ſatisfaciendum ſuorum deſideriis, modo non pigeat inſtare. Sane non piguit Moſen, qui ſupplicans bis 40 νυχθημερον jejunus tranſegit. Aſt nos non poſſumus unum diem jejunare. Equidem dum Sponſus adeſt, non eſt congruens jejunare, Mat. 9: 15. Aſt quando ille ſubducit ſeſe, & nos deſerit, utique tunc oportunum eſt. Vocatur jejunium עִנּוּי הַנֶּפֶשׁ *afflictio animæ*: Affligitur quidem corpus jejunando, ſed ſi nihil aliud adſit, non eſt jejunium Deo placens. Triſtitia animi, etiam ob externum aliquod malum, faſtidium cibi parit: dolor ſecundum Deum idem pariat Pſ. 102: 5. Pſ. 42: 4. Vicit Moſes ſua inſtantia & ad eam hortatur Deus ipſe Eſa. 62: 6, 7. *Laus in terra* eſt Jeruſalem, quando ſegregationis beneficium ei reſtituitur,

verſ. 12.

verſ. 12. *Vocabunt eos, populum ſanctum redemtos Domini; & vocaberis Hieroſolyma, Quæſita, Urbs non deſerta.* Quod ſi etiam nos impetraremus non eſſet pœnitendum, quod tot jejunia & ſupplicationes egiſſemus, quæ ſi undecim acceſſerint, 80 dies Moſis aſſequentur, per ſeptem annos diſtributæ: licet nulla fuerit, pari Zelo ac Moſis tranſacta, unde nec adeo feſtinata impetratio. Verum Moſes impetrato pro populo quod poſtulandum ſuſceperat, ubi Dei erga ſe gratiam obſervat, aliquid etiam pro ſe privatim popoſcit. Oſtenſionem gloriæ divinæ, & quamvis non obtinuerit totum poſtulatum, quia non cadit in mortales ea Dei communio, obtinuit tamen aliquid, ut poſteriora Dei videret, & Deo traducente coram ipſo omnem ſuam bonitatem, proclamando nomen ſuum, tantum cognoſceret, tantumque conſequeretur, quantum ante ipſum nemo. Sic qui pro Eccleſia laborant, etiam pro ſe aliquid poſtulare poſſunt. Et quando Deum pronum inveniunt ad concedendum, ipſi ſint audaces in poſcendo ut Abraham, cum Iſaac & ampliſſima cum ipſo promitteret Deus, pro Iſmaele petiit benedictionem, & conſecutus eſt. Gen. 17: 18. ſeq. 2 Cor. 6: 12. ſ. Pſ. 81: 11. Joh. 16: 24. Quærenda benedictio Eccleſiæ, Reip. & privata quoque. 2 Sam. 7: 26. & 1 Chron. 29: 18. ſ. Quemadmodum benedixit populo, & deinde domui ſuæ, 2 Sam. 6: 18. 20. ſic quoque à Deo poſtulanda benedictio ſuper populum & domum propriam, atque ipſummet precantem. Moſes ergo pro ſe ſigillatim aliquid conſecutus eſt, quod petiit: quia Deus eum nominatim norat, & invenerat gratiam apud Deum, ut propterea Iſraeli indulgeret.

A. Quantum vero indulſerit Iſraeli, patet ex *Mandato* parandarum tabularum. Hiſtoria hæc refert.

א. *Tempus, Illo ipſo tempore dixit Dominus ad me.* Finitis precibus Moſis, & dato ad poſtremas reſponſo, quia nolebat acquieſcere Moſes niſi addito Angelo Meſſiæ, ad ſegregationem populi genuinam, *Etiam hoc verbum faciam* Deus novas fœderis tabulas promittit. Unde conſtat,

Non potuit reſtitui fœdus Dei cum Iſraele, niſi per Meſſiam. Hic ubi conceſſus, ſtatim Deus de tabulis reſtituendis agit. Etenim nequit hominum reorum natura conjunctio cum Deo fieri, niſi interventu Mediatoris 1 Tim. 2. verſ. 5. Nequivere ergo etiam Iſraelitæ aliter conjungi. Cum promulgarentur conditiones fœderis, Angelus, qui ex rubo Moſi locutus fuerat, fuit cum ipſo in monte, & ei tradidit ſermones vivos, ex quibus vita fluit. Imo Deus, qui prima duo verba, in prima perſona, locutus eſt, Faciem ſuam pro Elohim agnoſcendam & venerandam propoſuit, & Exod. 23: 20. ante ſancitum fœdus, cujus iſta quoque fuerunt conditio, Meſſiæ promiſſionem & beneficia ejus pleniſſime declaravit. Hinc etiam nunc in reſtitutione nequivit præteriri. Hacpropter Eph. 2: 12. ex contraria conditione gentilium diſcimus, Judæos habuiſſe Chriſtum, & ex hoc fundamento proceſſiſſe ſingularitatem politiæ, fœdera, promiſſiones, ſpem veram, & Dei poſſeſſionem. Atque adeo liquet quale fuerit fœdus Dei cum Iſraele, reſpectu Dei proponentis fœdus. Gratiæ videlicet in Chriſto: quia non venit ad reſtitutionem fœderis ejuſdem quod violatum erat, & novas tabulas, niſi dato imo reſtituto Angelo Chriſto; in quo ſolo omnes benedictiones cœleſtes à Deo dantur Eph. 1: 3. Quamquam reſpectu Iſraelitarum & ratihabitionis ipſorum fuerit fœdus operum; qui non agnita neque apprehenſa juſtitia Dei, propriam voluerunt conſtituere, quæ propriarum virium eſt, & hinc vitam conſequi, ut ſibi obedientibus Deus daret vitam ex pacto, atque etiam immunitatem à reatu mortis naturali per Meſſiam, quem exſpectarunt. Enimvero, quia Iſrael non habuit fœdus datum vel reſtitutum niſi in & propter Chriſtum, utique nobis non eſt aliud quærendum. Ad quod nos vocamur ſancitum eſt in Chriſto, ſed melioribus promiſſionibus, Deo pollicente idoneitatem ad operandum, Jer. 31: 33. atque id habet condonationem & oblivium peccati verſ. 34. quod Heb. 10: 14. ſ. per hoſtiam Chriſtum introductum docet. Et ſane propter Chriſtum etiam Moſes condonationem impetravit Iſraeli, ut ſic demum admitterentur ad fœderis reſtitutionem. Et nos qui fœderis optamus renovationem vel renovatam confirmationem an poſſumus alio reſpicere? 1 Joh. 1: 8, 9. peccatum habemus, citra illud ſi foret, nullo fœdere indigeremus. 2 Cor. 5: 19. aſt nunc peccatum confitendum, ut in Chriſto obtineatur gratia. Et 1 Joh. 2: 1, 2. quotieſcunque violatum eſt fœdus, in Chriſto eſt reparatio. Solenni ritu id confirmatur in S. Cœna.

ב. *Mandatum* de novis tabulis, ubi Quis, Quid facere debeat & Quo fine.

a. *Quis* Moſes: *Dola tibi duas tabulas lapideas, uti priores.* Tabulas priores paraverat Deus ipſe; fuerunt opus Dei, uti Scriptura earum ſcriptura Dei. Exod. 31: 16. Eas Moſes viſo vitulo aureo confregerat, teſtatus hoc pacto, Iſraelem violaſſe fœdus, & irritum reddidiſſe, adeo ut aboleretur teſtimonium ſuæ cum Deo conjunctionis. Nunc ergo cum Deus ad fœderis gratiam denuo admitteret Iſraelem, etiam teſtimonium illius voluit reſtitutum. Sed quare non omnia reddidit Deus ipſe? Sic placuit Deo: qui ſignificavit hoc ipſo immutabilitatem ſui conſilii in diſpenſatione ſui fœderis cum Iſraele. Elegerat hunc populum in peculium, atque illud ſolenni fœdere teſtatus eſt, conditionibus ſuo ore promulgatis, quas etiam ſua manu conſignavit in tabulis; qui utique nihil pœnitendum agit. Illas violato jam fœdere ab Iſraele per vituli cultum, tradidit Moſi deferendas, ut ſuam teſtarentur conſtantiam. Moſes eas fregerat non juſſus à Deo, ſed Zelo ſancto ad convictionem Iſraelis; cum itaque repetenda foret fœderis ejuſdem obligatio, Moſes debuit reſtituere tabulas. Equidem dixerat Deus de delendo populo, ſed nequit inde concludi pœnitentia, & voluntas abolendi fœderis, & rurſum ineundi. Verum ἀνθρωποπαθῶς iſta dicuntur de Deo, quia homines ſic agere ſolent; nam Deo proprie non quadrat, teſte ipſomet Lev. 26: 44. *in terra hoſtium* (ubi profanarunt nomen Domini Ezech. 36: 20. ſ. & irritum fecerunt fœdus cap. 16: 49. ſ.) *non abjiciam* &c. *nam ſum Dominus Deus ipſorum.* Mal. 3: 6. Indicavit Deus meritum Iſraelis, ut Moſen excitaret ad deprecationem, & docuit, non ad ſingulares homines, & generationem certam ſe adſtringi, ſed cum populo pepigiſſe; quomodo fœdus ratum eſſe poterat, dummodo pauci, dummodo unus ſuperforet, multiplicandus in populum. Itaque Moſe deprecante illico, inhibuit Deus ultionem ſubitam, quod pœnitendi phraſi exprimitur Exod. 32: 14. Non mandavit proinde tabularum confractionem, & noluit eos reſtituere, ne mandaſſe illud crederetur; imo Moſi refectionem mandavit, ut illud populo conſtaret. Quod Scriptionem tamen ipſe addiderit, ejus rationem poſt dicemus. Admiremur Dei bonitatem. Chariſmata & vocatio ejus ἀμεταμέλητα Rom. 11: 29. Novit ab ævo omnia opera ſua Act. 15: 9. Scit hominum conditionem natura malam, & eò inclinaturam, & tamen ex mera gratia cum eis paciſcitur. Nihil accidere poteſt, quod non habuerit cognitum antequam fœdus iniret, adeoque propterea non vult fœdus diſſolvere. Quia Deus & non homo: imo quia Deus condonans peccata populi ſui, qui propterea fœdus in Chriſto init, ut peccato remedium oppoſitum ſit, & ipſius fides & benignitas maneant intemeratæ Mich. 7: 18. ſ. 1 Sam. 15: 29. Victoria Iſraelis Deus citra pœnitentiam aut mendacium, quæ in hominum conditionem redigerent, non tantum quoad externos hoſtes, ſed etiam quoad internos. Pſ. 65: 4. ſ. *Verba iniquitatum prævaluerunt contra me; tranſgreſſiones nostras tu expiabis eas*, (majori robore, Pſ. 103: 10. ſeq. quam altum eſt cœlum &c.) *beatus ille quem elegis.* &c. In hâc Dei conſtantia eſt ſolatium noſtrum. Fœdus Dei multipliciter violamus; ſi illico quoque Deus abrumperet & aboleret actum de nobis eſſet. Sed Deus immutabilis; noſtra infidelitas nequit irritam facere fidelitatem Dei; Verax ipſe, etiamſi omnis homo mendax ſit Rom 3: 3, 4. Eſa. 65: 16. Benedicent ſibi in Deo Amen, & jurabunt per Deum Amen: quia priores anguſtiæ oblivioni traditæ & ab oculis meis abſconditæ erunt. Recordabitur non peccatorum, ſed ſuæ bonitatis & veritatis. Pſ. 25: 6. ſ. Et hæc veritas & bonitas eſt in Chriſto Jeſu 2 Cor. 1: 20. In hoc ſi noſtrum fœdus fuerit ſancitum, nihil metuendum eſt, Deus fidelis cuſtodiet nos à malo, præſidioque virtutis ſuæ per fidem ad ſalutem 2 Theſ. 3: 3. 1 Pet. 1: 5. Eſt vero & hoc diſcendum exemplo Moſis.

Miniſtrorum Dei eſt peccatores convincere fœdifragii, & humi-

miliatis rursum fœderis integritatem ostendere. Moses fractis tabulis Israelem convicit, sed idem humiliatis, refectis tabulis, restitutionem in integrum confirmavit. Jer. 1. vers. 10: quemadmodum verbum Dei ab ipsis prædicandum dictat Jer. 18: 7. s. Debent convincere de peccatis, non tantum ut perperam facta exprobrent Esa. 58. 1. sed ut reatum ostendant, & quid metuendum eapropter sit, cap. 59: 2. divisio ista quid aliud quam fœderis per peccantes dissolutio. Iidem habent resipiscentibus confirmandam gratiam fœderis ibid. vers. 20: 21. Exaltationes Dei in gutture, & gladius anceps in manu, ad faciendum jus scriptum, Ps. 149: 6. s. & vicissim consolationes expeditas ad sanandos afflictos, fructum labiorum, pacem proclamantium Esa. 57: 18, 19. Sic Nathan Davidi, *Tu es vir ille mortis, & judicia non recedent à te:* & rursum ad ejus *Peccavi, Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris* 2 Sam. 12: 7. 13. Sic Paulus de incestuoso, 1 Cor. 5: 3 s. & rursus 2 Cor. 2: 6, 7. Istud officium ipsorum est ut peccatori dicant, *Morieris:* & vicissim justo, aut peccatori resipiscenti, *Certe vives* Ezech. 33: 8. seq. Esa. 3: 10, 11: Hæc est denunciatio, qua dicunt impiis, & non resipiscentibus iram Dei & æternam condemnationem eis incumbere: & vicissim resipiscentibus & credentibus remissionem peccatorum & vitam æternam in Christo datam esse Joh. 3: 36. Marc. 16: 16. Atque in utroque Zelus ipsorum laudabilis ut magno peccato magnum judicium denuncient, & humiliatis certam salutem polliceantur. Neque debent eo nomine argui, quasi nimis rigidi forent in damnandis malis; Deus Mosen non reprehendit propter fractas tabulas, quod convictio sic foret efficacior. Sic quando arcent à signis fœderis Dei, qui pertinaces sunt in provocando Deo, per violationem fœderalis obsequii. Qui nolunt esse Dei per obedientiam fœderis, illis merito negantur bona domus Dei, & sancta palatii ejus, quorum distributio ipsis credita: Verum si vera fuerit humiliatio, & dolor de peccato, etiam publice testatus iis, quibus scandalo fuerant, ut Israelitarum fuit, non tantum licet sed etiam debent promto solatio eos recipere & obsignare gratiam fœderis. Peccabat Jonas, quod judicio Ninevitis pertinacibus indicato, quod imminebat, doleret illud non irrogari etiam conversis; quamquam exsortes essent fœderis. Multo magis peccarent ministri Dei si fœderatis resipiscentibus non facerent fidem juris fœderalis & omnium beneficiorum ejus. Esa. cap. 40: 1. Mandatum Dei eos obstringit ad solatia, sed fractis & contritis corde, quos Deus sua conjunctione dignatur Esa. 57: 15. s. Sunt hæc munia sociata, ut sint *filii tonitrui*, & *filii consolationis:* sed ut hos vel illos se ostendant, id auditorum est, 1 Cor. 4: 21. Istud procul dubio malunt omnes; itaque opera danda ne venientes, non inveniant ipsos quales volunt, & inveniantur ab ipsis quales nolunt 2 Cor. 12: 20. sed potius vota utrorunque impleantur, Pastorum ut obedientia fidei in grege, Gregis ut pastorum baculus consolationem afferat, etiam ambulantibus in valle umbræ mortis.

b. *Quid.* Factum ipsum. *Dola duas tabulas lapideas, ut priores.* Lapides (qualescunque fuerint non attinet scire uti neque scriptum est,) fuerunt instrumentis requisitis parandi à Mose ad eam figuram, quæ priorum fuerat, quas Deus paraverat, ut planæ essent citra omnem Scripturam verum aptæ ad eam recipiendam. Ubi labor aliquis necessarius, ut sic confierent.

c. *Quo fine* vero fuerint parandæ tabulæ, dicitur vers. 1. 2. *& adscende ad me in montem, (ut ad me eas deferas.) Et scribam super tabulis illis verba ea quæ fuerunt in primis tabulis, quas confregisti, & collocabis in arca*, quam modo dixerat faciendam. Verba sunt evidentia; unde unum istud observare placet.

Tabulæ polienda fuerunt, & politæ Deo ad institutionem exhibendæ. Non debuit adferre rudes lapides, qui prorsus inepti ad scripturam, neque in iis ipse scribere quæ luberet. Complananda fuerunt omnia, atque sic Deo offerenda, ut ille quæ vellet inscriberet. Notum est tabulis respondere corda nostra, 2 Cor. 3: 3. adeoque hinc nos posse discere, quæ cordium nostrorum debeat esse præparatio ad Scripturam Dei consequendam. Ubi tamen notandum in antecessum, haudquaque loqui nos de prima præparatione ad fœderis divini inscriptionem; Ea se habet ut in primis tabulis, Deus solus eas paravit, nulla manu humana interveniente. Deus est creator novi cordis, quæ acto creaturæ non convenit. Deus excitat ex mortuis, quod creatura pariter nequit. Convertit Dominus solus; dat cor novum & spiritum novum, aufert cor lapideum & dat cor carneum Ezech. 36: 26. Verum hæc aptanda veniunt iis, uti Israelitæ tunc fuerunt, qui fœderati Deo, per transgressiones suas, quantum in se est fœdus fecerunt irritum, atque ad ejus beneficium postliminio sunt reducendi: Isti fiunt peccato lapides rudes, nec habentes, nec recipere apti scripturam Dei; qui viam Domini & jus Dei sui ignorant, imo fregerunt jugum & ruperunt funes. Jer. 11: 8. Imo opus legis scriptum in cordibus, naturalis notitia, veritas de pietate & justitia propemodum periit, obtenebrati menti, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ in ipsis per obdurationem cordis sui, qui insensibiles facti se tradiderunt impietati, ad omnem impuritatem fervide patrandam. Cujusmodi hominum multitudo est apud nos, & qui levius & qui gravius defecerunt contemto juramento suo, & irrito fœdere reddito. Hic necessarium est quod Moses fecit poliendis lapidibus in tabulas, ut agatur per Doctores Ecclesiæ, Poliendi sunt convictionibus. Hos. 6: 4, 5. *benignitas tua est, ut nubes matutina,* &c. *propterea cecidi eos per Prophetas, necavi sermonibus oris mei.* Lapicida malleo & stylis suis vim adhibet, & magna subinde frusta præcidit, ut videatur lapidem perditurus, solum ut complanet. Sic quoque faciendum Doctoribus Luc. 3: 3. s. Baptista prædicavit resipiscentiam, uti scriptum est, *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, facite rectas semitas ejus: omnis vallis implebitur, omnis mons & collis humiliabitur, & curvæ viæ fient rectæ, & inæquales fient planæ.* Hoc modo polienda corda, ut omne asperum tollatur; non vi ipsorum propria, sed aptitudine instrumentorum; uti lapicida sine cælo suo nihil efficere potest. Vox clamantis sunt, Jer. 23: 29. *an non verbum meum est ut ignis, inquit Dominus, & ut malleus conterens petras?* Hic adhibitus fuit lapicidarum labor etiam hodie. Utinam isto successu qui fuit Baptistæ, ut dicerent auditores, *quid faciemus?* unoquoque se sistente ad politionem Ps. 141: 5. & ferente indicium, quid omittendum sit priorum actionum, non tantum plebs, sed etiam ditiores, avari, qui publicanorum instar sub juris titulo, & potentiores, qui militum instar vi armata ad oppressionem aliorum, suique exaltationem securam utuntur. Optandum ut quod auditoribus Petri accidit, nobis quoque applicari posset, quod audientes *compuncti fuerimus corde.* Act. 2: 37. Talia corda sunt complanata, maxime si nullam addiderimus scripturam de nostro: ut nobis ipsis fingamus fœderis leges, sed ut iidem illi, *Quid faciemus viri fratres?* quibus dictum, *resipiscite & baptizetur,* &c. & cum Davide Ps. 141: 5. *justus percutiat me,* &c. Ps. 119: 29.

Vers. 3. *Arcam itaque curavi fieri è lignis cedrorum lectissimarum, & dolavi duas tabulas lapideas sicut illæ priores* fuerant, *& ascendi montem cum duabus illis tabulis in manu mea.*

B. Hujus vero mandati consequens nunc sequitur in I. obedientia Mosis, vers. 3. II. facto Dei, vers. 4. III. facto Mosis, vers. 5.

N. *Obedientia* Mosis, vers. 3. *feci arcam quandam ex lignis Sittim; dolavi duas tabulas lapideas ut priores, & adscendi in montem, & duæ tabulæ fuerunt in mea manu.*

Quam promtus est corrigere factum suum scopo bono factum, ut obtemperaret Deo. Fregerat tabulas, & ipsemet reficit, eatenus factum suum, quantum in se, redditurus infectum. Suo consilio fregerat, ex vehementi Zelo: sed nunc laborat in iis restituendis, jussu Dei, quo non jubente prius illud egerat. Sic Nathan 2 Sam. 7. consultus à Davide de structura templi; probat consilium, & ad ejus executionem animat. Verum Deo aliud proxima nocte jubente, statim Davidem prohibet, istum laborem filio relinquendum dicens; qui tunc necdum natus erat.

Scilicet non ſpectandus honor proprius apud homines, ſi quis Deo obediens eſſe vult. Jonæ peccatum hic evidens, indignatur excidium Nineves non ſuccedere, quia pſeudoprophetæ opprobrium metuebat: qui potius Dei benignitatem erga pœnitentes debuiſſet prædicaſſe. Jer. 28. Amen dicit ad vaticinium Chananjæ ſuo contrarium etſi de illo dubitaret.

Obſervandum iſtud inprimis quoad converſionem. Hanc mandat Deus hominibus, qui proprio conſilio à Deo abierunt, Eſa. 55: 7. Impius deſerat viam ſuam, & vir injuſtus ſuas cogitationes. Hæc pudorem inconſtantiæ repræſentant; hinc meliora diſcere, aut facere ſuperſedemus. Sed iſta damnanda ſunt. Pudenda eſt conſtantia in malo, in repudiando bono, Inconſtantia autem, qua à malo diſceditur, laudanda eſt, & ſeriò exercenda, Jer. cap. 31: 18. ſ. Vituli indocilis ſimilitudo fugienda, quamvis conſtantiam habeat, qualis Æthiopis & pardi, Jer. 13. verſ. 23. aſt pudor de anteacta vita minime pudendus. In omni noſtra vita attendendum conſilium & mandatum Dei, & illi obtemperandum, 1 Pet. 4: 2. etſi conſilia noſtra omnia deſerenda ſint. Pauli conſilium erat perſequi Chriſtianos, & ad blaſphemiam, vel ad vincula & necem ducere; & ibat Damaſcum auctoritate Pontificum: ſed Chriſto aliud jubente huic ſe obedientem ſiſtit, & Damaſci Chriſtum prædicat. Gal. 1. v. ult. Illaudata vox eſt, etſi frequentata admodum hominum praxi Jer. 18: 11. & cap. 2: 25. 1 Cor. 6: 11. *Hoc eratis quondam*, laudi erat, hoc eſtis adhuc, ignominiæ & damni. Sic judicandum de malo, ſic etiam judicandum de bono, ſi non progrediamur, Heb. 6: 1. deferentes initia ſermonum Dei, feramur ad perfectionem, non rurſum jacientes fundamentum, & Phil. cap. 3: 14. Eph. 4: 14. non ſemper debemus eſſe pueri, ſed creſcere ad menſuram plenitudinis in Chriſto.

Cæterum hic adhuc obſervandum, quod ante dixi, fuiſſe Iſraelem conſtitutum eo loco ſeu conditione, qua fuerat cum fœdus ad Sinai erat ineundum. Tunc non licebat ulli Iſraelitarum accedere ad montem, imo ſepe circumducta arcebantur & ipſi & quæ ipſorum, etiam pecora. Scilicet ſignificabatur ante fœdus non eſſe conjunctionem, aut familiarem acceſſum ad Deum. Nam quam primum fœdus ſancitum fuit, Moſes juſſus eſt Seniores populi 70. in montem ad Deum adducere. At nunc, quando fœdus erat reconfirmandum pariter omnes arcentur ab omni ad montem acceſſu, quod mandatur pari ſeveritate Exod. 34. verſ. 3. & quemadmodum tabernaculum Moſis, quo Deus veniebat, removendum fuit extra caſtra Iſraelis; ſic Deo in monte evidentius comparituro, omnes à monte abſcedere oportuit. Qui fœderati non ſunt, abſque Deo ſunt, & ſpe, Eph. 2: 12. accedit quis ſuo malo Pſ. 5: 5. *non commorabitur tecum malus, perdes impium:* fœderatus qui non eſt, aut fœdere indignum qui ſe gerit, ne quidem fœderis ſignis frui poteſt, niſi ſuo damno. Edit & bibit ſibi judicium. 1 Cor. 11: 27--29. fœderati uti habent pacem cum Deo, ſic acceſſum ad gratiam, in qua ſtant. Rom. 5: 1, 2. gratia magis magiſque frui illis licet. Denique Moſes defert tabulas manu, arcam quam fecerat relinquit in ſuo tabernaculo, ad uſum qui mox dicetur.

Verſ. 4. *Inſcripſitque tabulis illis ſecundam ſcripturam priorem, eadem decem verba, quæ edixerat vobis Jehova in monte è medio ignis, die congregationis: & dedit eas Jehova mihi.*

ב. *Factum Dei*, verſ. 4. eſt ſcriptio tabularum, ſed quæ nonnulla habuit antecedanea, prorſus neceſſaria conſiderationis, confirmantia fœderis prioris repetitionem, ex Exod. 34. Quemadmodum Exod. 19. Deus glorioſe deſcendit in montem Sinai, promulgaturus fœdus, ſic quoque nunc, attamen citra tubam & tonitrua, & ignem, locuturus non univerſo populo, qui id fuerat deprecatus, ſed Moſi legato populi & à ſe admiſſo, quem in monte ſecum habebat. Huic ex ſpeciali promiſſo ad ejus petitionem oſtendit aliquid ſuæ gloriæ, nempe ſuam bonitatem, proclamando Nomen ſuum, quo ſane patefecit viam illam ſuam, condonationis peccatorum, qua ſe ſolum Deum eſſe probavit, quemadmodum Mich. 7: 18. dicitur, & Moſes ipſe uſus eſt hoc argumento Num. 14: 18. Imo uti aliquando ſervi Benhadadi captarunt verbum favoris & gratiæ ex ore Achabi 1 Reg. 20. ſic Moſes quoque hic; feſtinus inclinato capite verſus terram incurvavit ſe, & dixit: *Domine ſi nunc inveni gratiam in oculis tuis, eat quæſo Dominus in medio noſtri, quamvis populus duræ cervicis ſit, & condonabis iniquitatem & peccatum noſtrum, & hæreditabis nos.* Deum bis vocat Adonai abſolutæ poteſtatis Dominum, baſin & ſuſtentatorem, qui etiam excutere valeat, quos lubet, de ſuo diſponens; poſtulat denuo Præſentiam & comitatum Dei, quem Deus jam addixerat, & poſtulat ob rationem quam Deus ipſe dixerat, *Etiam hoc verbum, quod locutus es, faciam, quia inveniſti gratiam in oculis meis, & novi te de nomine.* Remedium opponit illi quod Deus cauſam ſeceſſus ſui dixerat, Eſſe populum duræ cervicis, à ſe in via conſumendum: quamvis talis ſit populus, tu condones iniquitatem & peccatum noſtrum, tam meum quam populi, & ſumus nos tibi in hæreditatem, ut ſegregationem noſtram gratiæ demonſtratione jugiter teſteris.

Opponamus heic quem nos habemus Mediatorem fœderis Jeſum, & iſta inveniemus luculentiora Petit & ille ne peccatores Deus perdat, ſed gratiam faciat, ingreſſus eſt cœlum & ſedet ad dextram Patris, & vitam iſtic impendit in jugi deprecatione. Rom. 8: 34. Heb. 7: 25. 1 Joh. cap. 2: 1. Deus etiam indulget illi, tum quia eum de nomine novit, qui ſum à ventre vocavit, & à matris viſceribus nomen ejus memoravit Eſa. 49: 1. ceu ſervum & ſalvatorem Jeſum, & quia gratiam invenit in oculis ejus, Eſa. 42: 1. Mat. 3: 17. & propter ipſum nobis gratiam facit Eph. 1: 6. Verum adeſt aliud quod Moſes non habuit, nec potuit habere. Vicarium pro Iſraele Deus ipſum non admiſit, ſed admiſit pro nobis Jeſum 1 Tim. 2: 5, 6. & hinc ex pacto poſcit Chriſtus, vi meriti & perſoluti lytri. 1 Joh. 2: 1, 2. cap. 1: 8, 9. Rom. 3: 25, 26. Poteſt ergo Chriſtus conſummate ſervare, qui per ipſum accedunt ad Deum, quod Moſes non potuit, qui tantum dilationem potuit impetrare, ut pœna differretur in diem viſitationis, quia in tempore plenitudinis ſatisfecit, & reconciliavit omnia Deo, ſanguine crucis ſuæ Heb. 7: 25, 26. ſ. Imo non tantum agit Chriſtus cauſam noſtram apud Deum, ſed etiam apud nos 2 Cor. 5: 20, 21. atque una agit Deus ipſe, longe pronior ad gratiam faciendam, quam nos ſumus ad petendam, imo ad deſiderandam. Adeoque in hoc Mediatore habemus beneficium hæreditatis, ut Dei ſimus, peculium & hæreditas, ad defenſionem præſentem Zach. cap. 2: 8. pupillam, &c. & felicitatem æternam, Mal. 3. verſ. 17.

Ad hanc Moſis petitionem Deus repetit ſuam conceſſionem. Antea promulgarat audientibus omnibus X. Verba, tum privatim Moſi locutus erat omnia quæ poſt, cap. 20, 21, 22, 23. annotata leguntur, quæ omnia à Moſe in librum fœderis relata & ſuper illis fœdus ſancitum fuit, tum demum Deus Decalogum tabulis inſcripſit, cap. 24. Sic quoque nunc agit quæ à ſe fuerunt facta repetit, relinquens Iſraelitarum ratihabitationem qualem fecerant, ſub eadem quam ſubierant obligatione propriarum virium; neque enim novam ab Iſraele poſcit declarationem, ut nulla hic queat eſſe mutationis ſuſpicio. De ſe ergo Deus teſtatur, verſ. 10. *Ecce*, אנכי (quomodo Exod. 20: 2.) *Ego pango fœdus:* נגד *ex adverſo totius populi tui* (qui pars contrahens altera) *faciam mirabilia, qualia non fuere creata ſuper totam terram, aut inter ullas gentes, & totus populus in cujus medio es, videbunt opus Dei quod tremendum eſt, quod ego facio tecum;* ſpectant iſta Moſen, & gloriam faciei quam conſecutus fuit. Tum recitavit ea quæ privatim Moſi antea dixerat, pleraque. Exod. 23. notata; atque tunc mandavit cap. 34: 27. *Scribe tibi iſta Verba, num juxta hæc verba pango fœdus meum tecum & cum toto Iſraele*, quomodo utique Angelus ille ductor, qui remittendi peccata poteſtatem habet, utpote in quo nomen Dei eſt, & ipſe Dominus Deus Iſraelis, benedictionis diſpenſator, inter conditiones fœderis eſt à Deo præſtandas, quamquam juxta Iſraelis ratihabitationem conſequenter poſtquam ipſi obedien-

dientiam præſtitiſſent. Hæc Moſes uti antea ſcripſerat, ita nunc quoque ſcribere debuit; Verum X. verba, ut olim, ita & nunc ſcripſit ipſe Deus, quemadmodum ipſe ea locutus fuerat audientibus omnibus. Sic egerat prius, & ſic agit nunc quoque, neque paſſus eſt Moſen id agere, quamvis reparare tabulas juſſiſſet.

Ad confirmationem fœderis Dei, ut ejus ſecuritatem & teſtimonium habeamus, Dei ipſius chirographo opus eſt. De Dei fœdere nemo certior teſtis Deo ipſomet. Non adhibet, neque fert ſcripturam humanam. Veruntamen quæ ad explicationem faciunt, per Prophetas ſuos voluit addi, & teſtis eſſe primum ipſe ſuo chirographo, tum vero miniſtros accedere ad declarationem. Et ſane ſic adhuc fieri oportet. Fœderis fundamentalia à Deo ipſo ſuo digito inſcribenda ſunt cordibus. Moſis manum non in tabulis, ſed in libro exſtare voluit. Et ſic quoque patitur vocem in auribus & coram oculis, ſed non patitur humanam manum aut autoritatem in cordibus. Non ſunt domini fidei, ut cor ipſorum Scripturæ debeat patere. 1 Cor. 1. v. ult. Dei vox eſt. Prov 23: 26. fili mi, da mihi cor tuum &c. Corde creditur ad juſtitiam Rom. 10: 10. eoque debet illud ſervari juſtitiæ Dei. Servator ait Joh. 5: 44. quomodo poteſtis credere qui gloriam ſumitis alter ab altero, &c. fides cordis eſt; ſi hoc gloriam ſumat ab hominibus mutuo, ut horum autoritate perſuadeatur ad credendum, utique fides erit in ſapientia hominum, & timor Dei præceptum hominum eruditum, fides vera locum non inveniet; licet ore propinquetur ad Deum, quod eum profitetur, attamen cor longe à Deo removetur Eſa. 29. verſ. 13. gloria quæ à ſolo Deo eſt non quæritur, ut ipſius autoritate & juſſu cordis tabulæ conſcribantur, atque quis à Deo ſe didiciſſe, & Deo credidiſſe teſtari queat. Hoc tamen eſt quod promiſit Deus in novo fœdere. Jer. cap. 31: 33, 34. Hæc eſt demonſtratio inſcriptæ à Deo legis in cor, quod quis non ſit edoctus ab hominibus. Non quod hominum inſtitutio damnetur, & aboleatur miniſterium, quod Chriſtus imperavit Apoſtolis Mat. 28: 19. ſed removetur quod apud Judæos olim obtinebat, & pariter pertinebat ad fœderis corruptelam, cum haberent legem Dei, eam recipiebant ex autoritate magiſtrorum, & ex horum interpretatione. Hi ſunt qui Jer. 8: 8, 9. gloriantes de lege (juxta illud cap. 18: 18. *lex non peribit à Sacerdote, nec verbum à Propheta,*) calamo falſitatis Scribarum vanitatem operabantur, repudiata lege Mat. 15: 3--6. qui legivm afferebant חמסו Ezech. 22: 26. Zeph. 3: 4. & faciebant populum impingere in legem, & faciem acceptabant in lege, Mal. 2: 8, 9. qui clavem cognitionis abſtulerant, Mat. 23: 13. Luc. 11: 52. per quos velamen impoſitum eſt cordibus Judæorum ut ne nunc quidem videre 2 Cor. 3: 14. queant finem & verum legis ſenſum, interpretationibus doctorum, & horum autoritati fidem ſuam addicentes. Quotquot ſic egerunt, & agunt adhuc non habent fidem Dei, ſed hominum duntaxat, (alii fuerunt vere fideles de quibus Pſ. 37: 31. & Eſa. 51: 7.) ſcriptura hominum eſt in corde ipſorum, non Dei. Hoc vero modo fieri non debet cum iis qui ſunt novi fœderis participes. Scriptura Dei in ipſorum cordibus ſit oportet, non hominum.

Hic magnus error Pontificiorum, qui Magiſtrorum, inter Judæos exemplum ſequuntur, & Papæ Rom. credi volunt, qui omnibus conciliis & decretis fidei, imo ipſi Scripturæ autoritatem largiatur, quomodo eum collocant in templo Dei, ut ibi ſedeat ceu Deus, & agat quæ Dei, 2 Theſ. 2: 4. Sed eundem ſequuntur, qui ullius hominis nomen & autoritatem crepant, & hacpropter credi volunt, aut credunt, quia unus pluresve ut 1 Cor. 1: 12. ſ. ſic cenſuerunt. Joh. 6: 45. Erunt omnes docti à Deo, qui nempe à Deo audiverunt & didicerunt. Hujus unius debemus eſſe diſcipuli, & huic uni propretea credere; nullum autem hominem magiſtrum agnoſcere, Mat. 23: 8--10. Phariſaica & AntiChriſtiana vox eſt, ſi quis hominum dicat, *ego ſum Veteranus Theologus*, debes mihi credere. Pariter enim iſtud dicentibus Veteranis Doctoribus Pontificiis aut Muhamedicis, credendum foret, quia pariter homines ſunt. Apoſtolus ait, *nos ſumus miniſtri per quos credidiſtis.* 1 Cor. 3: 5. non quibus credidiſtis; ſic fuiſſent domini fidei auditorum, aſt illo modo, tantum cooperatores gaudii. Equidem poſſunt loqui ad interpretationem doctrinæ Dei, ſed ut non liceat evagari. Lex poſita eſt Mat. 28: 19, 20. μαθητέυσατε, *docentes obſervare quæ præcepi vobis* 2 Pet. 1. verſ. 20, 21. Unde Paulus à Domino accepi, &c. 1 Cor. cap. 11: 23. cap. 15: 3. ſ. non revelationem extraordinariam tamen crepat (hæc pertinuit ad ejus Apoſtolatum, Gal. cap. 1: 1. ſ. ſed ordinariam verbi. Act. 26: 22. ut judicium poſſit eſſe auditorum, Eſa. 8: 20. 2 Pet. 1: 19. 1 Joh. 4: 1. juxta normam ſcripturæ, quibus proinde familiariſſima eſſe debet Scriptura. Rom. 7: 1. *intelligentibus legem loquor.* Joh. 5: 39. Luc. 11: 29. Col. 3: 16. 1 Theſ. 5: 21. unde 1 Cor. 10: 15. quod à Beroenſibus laudabiliter factum eſt. Act. 17: 11. atque recipiendum verbum prædicationis, ſiquidem Dei ſit, non ſermo hominum, ſed Dei; quod operatur in credentibus 1 Theſ. 2: 13. audiendumque non quid dicant miniſtri, ſed quid Deus per eos dicat, adeo ut non ipſis ſed Deo credidiſſe 2 Tim. 1: 13. poſſint affirmare, quando attendunt eloquiis Dei, juxta quæ loquendum illis eſt, 1 Pet. 4: 11. Itaque ut à Deo doceamur, & ipſius Scripturam conſequamur. א. Jac. 1: 21. nuda corda afferenda ſunt, alias non fiet inſcriptio bona: ponenda ſunt omnia præjudicia, quicquid ab hominibus didicimus, illorum autoritate commendatum. ב. Act. 10: 33. *ſumus omnes præſentes coram Deo, ad audiendum quæ Deus præcepit tibi.* Deo præceptori nos ſiſtere debemus, & divina ſolum audituri 2 Pet. 3: 2. Prophetico & Apoſtolico ſermoni tantum attendentes. ג. 1 Theſ. 2: 13. *recipientes* quod eſt, Joh. 3: 33. ד. Precibus ſollicitandus Spiritus Sanctus qui digitus Dei ut audita inſcribat cordi; quod eſt gratificari legem. Pſ. 119: 29. Sic vero conſequens erit, ut obedientiam fidei præſtemus, quod ſignum inſcriptionis factæ, Rom. 6: 17. Phil. 2: 15, 16. quando fulgent ut lux, oſtendunt verbum vitæ; pellucent ut lucernæ, quæ in medio conditam habent candelam ardentem. Hac ratione conſequemur inſcriptionem divinam, & ejus non tantum habebimus notitiam, ſed etiam aliis demonſtrabimus: juxta illud Pſ. 37: 31. Felices illi quibus Deus hanc ſcripturam fecit in corde, atque eis tradidit tabulas fœderis ſui, uti lapideas Moſi tradidit, poſtquam inſcripſiſſet X. Verba.

Verſ. 5. *Tum convertens me deſcendi è monte, & poſui tabulas illas in arca quam feceram: quæ ſunt ibi, quemadmodum præcepit mihi Jehova.*

Reſtat *factum Moſis*, verſ. 5. *Et converti me, & deſcendi de monte, & collocavi tabulas in arca quam feceram, & ibi fuerunt, uti præceperat mihi Dominus.* Moſes fuit in monte per 40. dies & noctes, quemadmodum vice prima non in deprecationibus & jejunio, ſed in fruitione gloriæ Dei & bonitatis ipſius, non indigus cibi; quemadmodum nec angeli. Quid toto illo tempore egerit, non eſt notatum, an ei denuo oſtenderit totam ſtructuram tabernaculi, quam mox fieri præcepit, vel quid aliud: ſaltem uti olim, ſic nunc ad extremum ſcriptas accepit tabulas, & cum illis deſcendit lætior ac olim, quando reatum populi cognoverat, qui nunc condonationem obtinuerat. Tabulas porro depoſuit in Arcam quam fecerat; non fuit ea quæ poſtea à Bezaleele facta eſt, in quam tabulæ illatæ, & in Sanctum Sanctorum depoſitæ ſunt, ſed Moſes juſſu Dei paravit eam ante adſcenſum ultimum, ad cuſtodiam tabularum, donec altera confecta eſſet; Moſis tantum fuit lignea, Bezaleelis inaurata, cum vectibus, & operculo. Voluit Deus Scripturam ſuam reverenter haberi, unde Judæi adhuc volumen Legis magna religione tractant, & Muhamedani chartam omnem æſtimant, quia Alcoranus eidem inſcribi ſolet. Non urgemus ſuperſtitionem, veruntamen reverentiam poſtulamus ipſi volumini Scripturarum. Neh. 8: 6. ſ. Magni æſtimantur tabulæ dotales, teſtamentariæ, donationum, fœderum, & hæ ſpectant corporale aliquod commodum, ab hominibus exſpectandum; aſt Scripturæ habent iſta omnia divina. Multitudo exemplarium non vilitatem, ſed pretium perſuadeat, quod omnibus expoſitam videamus, quæ olim apud Judæos à ſingulis fuit de-

ſcribenda. Sed potiſſima cuſtodia debet eſſe cordis. Servatæ fuerunt tabulæ in arca Moſis, & poſt Bezaleelis; ſed tandem cum illa perierunt in excidio templi primi; neque reficiendæ ſunt, Jer. 3: 16. Studeamus in corde habere Scripturam iſtam Pſ. 119: 11. ſic nunquam peribit nobis. Alia omnia ſubjecta ſunt temporum hominumve injuriis, adimere poſſunt libros Scripturæ, adimere poſſunt ipſum corpus, ſed animam attingere nihil poteſt, Mat. 10: 28. Verbum Dei vivens eſt & manens in æternum 1 Pet. 1: 23. & ubi eſt ibi vitam & permanentiam vitæ largitur. Indelebilis eſt Scriptura Dei, Spiritus Dei ſi cordi noſtro fœdus Dei inſcripſerit, nunquam delebitur, erit fœdus æternum quod fœdus pacis eſt, Ezech. 37: 26. ut Dei ſimus, & Meſſiam regem paſtoremque habeamus ad æternam felicitatem.

Verſ. 6. *Filii autem Iſraelis quum eo progredientes à puteis filiorum Jahakanis, & Moſera; ubi mortuus eſt, & ubi ſepultus Aharon, functuſque ſacerdotio Elhazar filius ejus in loco ejus:*

Verſ. 7. *Inde Gudgodum, & Gudgodo Jotbatham regionem fluminibus aquarum* irriguam *progreſſi fuiſſent* Horem uſque.

II. Procedendum nunc fuiſſet ad repetitas adhortationes; ſed id demum facit, verſ. 12. ſ. addit autem nonnulla quæ ad ejuſdem peccati convictionem facta ſunt. Ea revocamus ad tria membra. I. mortem Aaronis, verſ. 6, 7. II. vocationem Levitarum, verſ. 8, 9. III. deprecationem Moſis, verſ. 10, 11.

A. *Mortem Aaronis*, verſ. 6, 7. refert, uti tria quoque 1. nexus. 2. hiſtoria. 3. locorum deſcriptio.

N. *Nexus* admodum obſcurus eſt, cur mentio fiat in vituli hiſtoria de Aaronis morte, quæ anno 40. poſt exitum ex Ægypto contigit, cum anno primo Vituli cultus fuerit inſtitutus? Sunt qui hinc concludunt, non à Moſe ſed ab aliis libros ab iſto denominatos conſignatos eſſe, & ex plurium obſervatis conſarcinatos; qui non fuerint ſolliciti de ordine, aut nexu. Sed hoc revincit Petrus 2 Pet. 1: 21. ſubitus hominis removetur, ubi Spiritus Sanctus efficax actio ſtatuitur. Alii Moſen ipſum quidem ſcripſiſſe omnia, uti juſſus fuit, cujus fides in dubium vocari nequit: verum ex prolixa oratione quædam dûntaxat compendio notaſſe, ubi non potuerit obſervari evidens ratio connexionis. Quod quidem verum eſt, quoad compendium; attamen orationis continuæ nexus non plane deeſt, dummodo rite attendamus. Quemadmodum conabimur oſtendere ex ipſa hiſtoria. Exod. 32. refertur Aaronem fuiſſe architectum vituli, quamquam non idololatrico animo, ſed metu adactus, & deprehenſus fuit non peccans tantum contra, Non cogi te ſine ad colendum: verum etiam peccare faciens, qui inſtrumentum peccandi paravit. Faſſus eſt Moſi factum ſuum, hac unam prætexens excuſationem, noſti populum eſſe in malo, hoc eſt in poteſtate mali, (ברע in malo turpi 1 Joh. 5: 19. at triſti Pſ. 10: 6.) hic utrumque, adverſis majoribus prorſus turbantur, ſeque permittunt indomitis cupiditatibus, quibus cedendum eſt, niſi quis velit illico perire. *Et Moſes vidit populum nudatum eſſe, quia Aaron nudarat illum, ad imminutionem inter illos qui contra voluiſſent inſurgere.* Et quum prima vice deprecatum iret in montem, ſpecialem ſupplicationem fecit pro Aarone, uti ejus peccatum ſingulare fuit, quod dixit ſe feciſſe Deut. 9: 20. Sed quid tunc impetratum fuerit, Exod. 32. refertur. Deus quidem ſubitam omnium reorum deſtructionem non ſuſcepturum ſe dicit, attamen dilationem non fore ablationem, quod reſpectu Aaronis obſervandum eſt, verſ. 34. ſ. *die viſitare me viſitabo ſuper eos peccatum ipſorum. Et percuſſit Dominus populum, quia fecerant vitulum, quem fecerat Aaron.* Neque poſt illa pro Aarone aliquid poſtulatum aut conceſſum ultra legitur. Generatim tantum uti Deus declaravit, *peccantem contra me delerem de libro meo*; ſic quoque *gratiam faciam cui faciam gratiam, & miſerebor cujus miſertus fuero.* Itaque iſtud colligimus ex hiſtoria impetraſſe Moſen pro Aarone condonationem pœnæ, quatenus contra Deum peccavit, qui etiam quod ei deſtinaverat antea Sacerdotium, ipſi ſolenniter contulit. Veruntamen quoniam exemplo vel ſaltem adjuvando peccavit quoque contra populum, non potuit effugere omne judicium temporale. Die viſitationis ſuæ viſitavit etiam ipſum Aaronem. Atque hoc eſt quod Moſes hic ſignificat: Neque Aaronem qui ſingularis fuerit in culpa effugiſſe ſingularem pœnam, ad convictionem non ipſiusmet ſolum, ſed & totius populi. Equidem Num. 20. legitur ob non ſanctificatum Deum ad aquas Meriba utrumque & Moſen & Aaronem excluſos fuiſſe Cananæa, at non impedit iſtud quo minus etiam peccatum vituli, & ſcandalum tunc datum una cum ſcandalo infidelitatis fuerit punitum, & propterea Aaron octo fere menſibus anticiparit moriendo.

Scilicet ſic docere voluit. *Ne quidem in proximis Deum tolerare peccatum, ſed quod ab ipſis promanat ſcandalum coram hominibus temporali vindicare judicio, etſi condonationem apud ſe inveniant.* De Aarone non dubitandum remiſſionem peccatorum impetraſſe, Sacerdotio id confirmante, ad quod adhibitus; & in quo pro ſe ſigillatim quoque obtulit, prius quam pro populo offerret. Attamen noluit Deus eum naturali morte exſtingui, ut ab omnibus animadverteretur Dei juſtitia, qui exemplum faceret per judicium, quia exemplum fuerat peccandi. Sic quoque factum circa Moſen, uti Deut. 1: 37. cap. 3: 26. cap. 4: 21. indicatum eſt. Idem dicitur Pſ. 99: 6. ſ. Commendatur ipſorum gratia apud Deum, qui audivit precantes; ipſorum quoque pietas erga Deum, & charitas erga proximum, pro quo deprecati ſunt; ſed porro duo affirmantur, condonata ipſis à Deo peccata, eademque à Deo vindicata. Sane non vult Pſaltes, condonatâ culpâ Deum infligere pœnam. Sed diſtinguendam eſſe culpam & pœnam culpæ reſpondentem. Objectum peccati geminum eſt, Deus & proximus, quando amor iis debitus negligitur. Peccatur autem vel contra Deum ſolum, vel contra Deum & proximum ſimul; nam nequit aliquid contra proximum fieri, quin ſimul contra Deum legiſlarorem peccetur, Jac. 2: 10, 11. Jam quicquid peccatum eſt contra Deum vel ſolum, corde & cogitationibus, nullo homine teſte; vel juxta cum proximo, ſive ut offendatur idololatria, blaſpemia &c. teſtibus hominibus, & exemplo læſis, ſive ut lædatur proximus, & in ipſo autoritas prohibentis Dei, quicquid, inquam, peccatur contra Deum, à Deo ſolo condonandum eſt, quando vicariam ſolutionem Sponſoris pro eo admittit, nulla autem vindicta in ipſo homine cum condonatione conſiſtere poteſt. Verum quod contra proximum peccatum eſt ſive facto, ſive exemplo, ejus vindictam Deus imperavit hominibus, qua tolerata expiatum ſit peccatum apud homines, & ſatisfactum, & delinquens ea ratione juſtificatus apud homines. Gen. 9: 6. Num. 35: 33. *ſanguis* (per homicidium effuſus) *polluit terram, & pro terra non fit expiatio deſanguine in eo fuſo, niſi ſanguine ejus, qui illud effudit.* Homicida peccat contra Deum, cujus imaginem deſtruit, & contra proximum quem vita corporis exuit. Quando trucidatur juſſu Magiſtratus, vindicatur quod contra proximum peccatum eſt, & ſatisfit; & qui ſic mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato Rom. 6: 7. Verum ſic nullatenus ſatisfit Deo, ut ſolviſſe, & vindictam compenſantem ſuſtinuiſſe dici queat; Manet reatus iſte integer, quem vel totum Deus condonat; vel totum ſervat in diem iræ & revelationis juſti judicii ſui. Iſtud fit homicidæ obſtinato, reſipiſcere neſcio, vel ſaltem ad Deum non converſo. Illud reſipiſcenti, & Chriſti ſatisfactionem per fidem apprehendenti: qui plenam habet remiſſionem peccatorum antequam moriatur à Deo, & tamen Magiſtratus exercere, & ipſe ſuſtinere debet vindictam definitam, pœnam capitis. Hanc vindictam Deus ipſemet quoque exercet quandoque, debitam peccato contra homines, etſi quod ſibi peccatum eſt, penitus dimittat. 2 Sam. 12: 13. ſ. Nathan pronunciat Davidem propter adulterium & homicidium virum mortis, & variis judiciis ex ipſa domo ſua orturis plectendum. David ex vero dolore contriti cordis dicit, *Peccavi.* Et Nathan illico reſpondet, *Dominus tranſire fecit peccatum tuum,*

non

non morieris. Sic abſolvit à reatu quoad Deum, quem in vicarium tranſlatum dicit. Sed non quoad homines: *Veruntamen quia hac in re hoſtes Domini feciſti blaſphemare vehementer filius tibi natus morietur:* imo quæ alia minatus fuerat ex domo ejus nata ſunt mala: Amnon ſtupravit ſororem Tamare. Amnonem trucidavit frater Abſalom; hic rebellavit contra patrem Davidem, & hujus x pellices polluit. Hæc ſane fuit ultio, ſed coram hominibus, non autem in judicio Dei. Atque hoc pacto poteſt ultio à Deo & condonatio in eodem homine, & quoad idem peccatum concurrere, citra omnem contradictionem, dummodo diſtinguntur quâ Deum concernit, & quâ homines. Hanc ultionem Dei quoad peccatum Aaronis contra Iſraelitas (quamvis ipſis volentibus, invitus ipſe miniſtraſſet, & juviſſet peccatum ipſorum, quo nudati fuerunt) ſpectavit hoc loco Moſes, quando mortem ejus commemoravit.

Nobis vero iſtud obſervandum eſt, I. ut refutemus errorem Pontificiorum, quaſi remiſſa culpa maneat pœna, & in purgatorio toleranda ſit. Ignorat iſtam pœnam Scriptura. Cui Deus remittit culpam idem immunis eſt à pœna: ſed cui Deus, quod tibi peccatum, remittit, ut nulla ei ſit condemnatio: ab eo vult ſatisfieri hominibus, quod illis eſt peccatum, cui fini Magiſtratus vindices conſtituit, & gladio armavit & diſpenſationem gratiæ in iis quæ definivit, illis non permiſit, ut juſtitia vindicativa vigeret ad ſocietatis publicæ conſervationem. II. Ut caveamus omne peccatum, inprimis quod ulla ratione proximum concernit; de omnibus petenda eſt remiſſio apud Deum, & ſatius utique non peccaſſe nec offendiſſe Deum, quam ab offenſo conſecutum eſſe veniam; non contraxiſſe debita, quam condonationem impetraſſe; Nam non eſt quod quis metuat ne minus debeat gratiæ Dei: Gratia condonans neceſſaria eſt pro originali peccato, etſi nullo alio teneremur, quod tamen de nemine dici poteſt: Gratia etiam ſanctificans ad innovationem & gubernationem, quo abſtineatur à peccatis in futurum. Inprimis cavenda peccata contra proximum, quia condonatis licet quoad offenſam Dei, tamen ultio ſeu ſatisfactio requiritur quoad proximum. Qui læſit hunc fraudando, tenetur ad reſtitutionem ſuperaddita parte quinta vel ipſi, vel hæredibus eis, vel Deo in miniſtris ſuis Num. cap. 5: 6. ſ. vel in pauperibus Dan. 4: 27. præter arietem offerendum ad tranſlationem teſtandam quatenus Deus legiſlator offenſus eſt. Qui læſo non ſatisfacit, Deum vindicem habet, in externis judiciis, Exod. 22: 22. ſ. *non lædes viduam neque orphanum: Si feceris, & clamaverint ad me* (quando vicarii Dei, Magiſtratus non audiunt, neque vindicant) *Ego audiam, & ira mea accendetur, & vos necabo gladio, ut uxores viduæ fiant, & liberi veſtri pupilli.* Cavendum itaque ne facto vel exemplo offendamus. Exemplum ultus Deus eſt in Moſe & Aarone, in Davide & aliis; & quis fere inſons, ut exemplum non fuerit alicubi, facto aut verbo, aut ſilentio: adeoque ſtudendum ut exemplo proſimus: ut Job. 1: 8. ut Pſ. 51: 15. *Docebo transgreſſores tuas vias, & peccatores ad te revertentur*, Pſ. 71: 7. *in exemplum fui multis, quia tu mihi validum refugium:* illic reſipiſcentiæ, hic fiduciæ. III. Ad ſolatium. Si quando delicta contra homines conjiciant in vindictam extraordinariam aut ordinariam. Extraordinariam Gen. 42: 21. *Certe rei ſumus ob fratrem* dicunt Joſephi fratres, & Ruben. Sic cum Simei ſpeciali transgreſſione prioris quoque pœnam ſibi accerſit, & Joab conſpiratione geminati antea homicidii 1 Reg. 2. Ordinariam quando maleficus quivis incidit in manus Magiſtratus. Judicant homines tum declarari iram Dei remittere neſciam: qui miſeros & infames conſtituit coram hominibus. Sed perperam ſilentium Dei, non affligentis impium, non eſt argumentum, vel innocentiæ hominis, vel condonationis Dei. Exſpectat ille ut homo ſemetipſum judicet, & ſi quem læſerit ſatisfaciat, uti Zachæus, & tunc judicio opus non eſt; 1 Cor. 11: 31. aut per magiſtratum judicium exercet, ut ſatisfactio extorqueatur ad omnium eruditionem, & terrorem: aut magiſtratu negligente, ipſemet & negligentiam magiſtratum, & malorum crimina coram univerſo mundo ulciſcitur Ezech. 5: 14. ſ. Si quem ergo aſſecuta eſt ſua injuſtitia coram hominibus, quia ſatisfaciendum eſt, neque datur venia, maxime in caſu homicidii, is non patienter modo ferat pœnam iſtam compenſantem in foro humano, ad ſui juſtificationem, & conſcientiæ tranquillitatem, quam alias ſemper accuſatorem tortoremque circumfert, tunc vero accuſare deſinet; verum inprimis excitetur ad conciliandum Deum, & quæ ſibi ipſi inſuperabilis, eſt ſatisfactio in foro divino, eam fide in Chriſtum transferat, ejus lytron apprehendat, ut juſtificatus in corde ſuo, quando Spiritus redibit ad Deum, corpore ejectus, veniat citra omnem reatum, neque ad carcerem tormenti ablegetur, ſed ſpiritibus juſtorum conſummatorum aggregetur. Felixque is qui ſic adducitur ad remiſſionem peccatorum à Deo impetrandam; quum ſi in magiſtratus manus non incidiſſet, nec hominibus ſatisfeciſſet, nec Deo reconciliatus fuiſſet. Sed obduratus in ſuis facinoribus, iiſque patrandis adſuefactus, divina judicia ſibi accerſiviſſet, & æternam tandem condemnationem.

ב. Sed quid habet mors Aaronis, ut ad pœnam ejuſmodi debeat referri. Moſes hoc loco tantum dicit mortuum ſepultumque eſſe, ac filium Eleazarum ei ſucceſſiſſe, ſed hiſtoria Num. 20: 27. ſ. docet. Aaron & Eleazar cum Moſe adſcenderunt in montem Hor, inſpectante Iſraele univerſo; ibi debuit exuere veſtes Pontificales, adeoque privari munere illo ac honore, quibus illico filius fuit inveſtitus; atque tum demum mortuus eſt mandante Deo. Non obiit diem ſuum ex ſenio, aut virium defectu, uti multi dies ſuos abſolvunt; ſed ad mandatum Dei vitam ſubito amiſit. Pſ. 90: 3. quando ſubitis judiciis pereunt, quemadmodum peſte, fame, gladio, feris beſtiis; ſic mandavit mortem Aaroni citra morbum ſubitaneam. Adhæc non licuit ei mori Pontifici; exutus eſt illo honore; uti Abjathar à Salomone. Eſt aliquid adhuc ſolatii honores cum vita ponere, quando naturali morte; aut in vocatione ſua legitima quis moritur: Verum privari vita ex antecedente judicis ſententia, & privari antequam vita ſuis honoribus ex eadem ſententia; id vero ignominiam habet. Atque hoc contigit Aaroni ſummo pontifici primo, etiam quia aliquatenus juvit idololatriam populi, quam non probaverat, nec exercuerat, ſed metu obſecutus fuerat. Παραδειγματίζειν eſt publice exemplum ignominiæ facere; Sic Deus egit cum Aarone & proclamavit illud, *In hunc intuens pius eſto.* Sic exemplo ſunt quotquot judiciis divinis occumbunt 1 Cor. cap. 10: 6. 11. 2 Pet. 2: 6. Quotquot etiam humanis, quæ in publico fieri voluit Deus, ut audirent omnes & timerent, neque peccarent Deut. 17: 12. ſ. cap. 21: 21. Aaronis obſequium tamen commendandum, qui ignominiam iſtam lubenter ſubiit, quo juſtificaretur Deus, Lev. 10: 3. *ſanctificabor in propinquantibus meis, & coram oculis totius populi glorificabor*, dixit Deus cum filios Aaronis igne ſubito exſtingueret; & Aaron ſiluit tunc; & ſic quoque nunc. Non ſubducendi ſupplicio rei, Deut. 13: 6. ſ. *ſi frater aut liberi, aut uxor, aut amicus ſollicitarit ad idololatriam, non aſſentieris neque obtemperabis: oculus tuus non parcet, neque miſereberis, neque occultabis: necabis eum & manus tua primum contra eum erit, & tum populi.* Prov. 28: 17. Datur Deo gloria in confeſſione peccati Joſ. 7: 19. & datur etiam in patienti toleratione pœnæ; ut latro Luc. 23: 41. nos juſte, quia digna ſupplicio egimus. Neh. 9: 33. Num. 12. verſ. 14.

Veruntamen Aaronem ſic mortuum ſepeliverunt Iſraelitæ, & luxerunt eum. Non infamem credidit defunctum, qui morte ſua infamiam inobedientiæ expiarat. Erroneum vulgi judicium eſt, infamiam omnem reſidere in pœna; atqui ea infamiam abolet, quæ culpa contrahitur. Fur, ſcortator, homicida, avarus, calumniator, infamis eſt apud Deum & homines, propriamque conſcientiam; neque infamiam abſtergere poteſt niſi ſatisfactione, per pœnam alienam Chriſti, quoad læſum Deum; per propriam vero ſive verbis aut factis, ſive ære aut corpore luat; quoad læſum hominem: atque tunc infamia aboletur: uti qui mulctam tranſgreſſioni ſtatutam exſolvit. Hinc Deus mandavit ut ſuſpenſi tumularentur, Deut. 21: 22. ſ. quo ſatisfactum ſignificaretur, & memoriam delicti abolitam. Quemadmodum ſepultura Chriſti à Deo procurata, juſtificationis ipſius teſtimonium fuit, neque Deum judicem juſtum Eſa. 53: 9. ad ſatisfactionem ulterius quid deſiderare potuiſſe, cum & ipſe ut maleficus, qui per pœnam ſatisfecit,

tumulatus fuerit. Quamvis itaque ignominia obſervetur in Aaronis morte, in ipſius tamen ſepulchro eſt gloria. Moſes ipſe mortuus eſt cis Jordanem ob ſuam transgreſſionem, Dei ſententia, & qui obedienter ita mortuus, ab ipſo Deo tumuli honorem eſt conſecutus. In morte noſtra ſemper eſt convictio de peccato hæreditario, ex lege Heb. cap. 9: 27. ſi eam in obſequio voluntatis divinæ obierimus ad exemplum omnium qui hæredes culpæ naſcuntur, Eph. 2: 3. impetrata per Chriſtum Remiſſione Peccatorum ut juſti ſimus coram Deo, Deus cuſtodiet corpus noſtrum, ad glorioſam reſurrectionem.

3. Reſtat *Deſcriptio locorum*, quæ prorſus intricata videtur: *Et profecti ſunt filii Iſrael à Beeroth Bene Jaakan Moſeram, & ibi mortuus eſt Aaron; inde profecti ſunt Gudgodam, inde Jotbatam, terram rivorum.* Aſt Num. 33: 30. ſ. refertur, profectos fuiſſe poſt varias ſtationes, *in Moſeroth*, inde *ad Bene Jaakan, ad Hor gidgad, ad Jotbatham*, & verſ. 38. *in monte Hor*, unde Kadeſcho venerant, mortuum eſſe Aaronem. Sunt qui differentia loca deſignari putant, aut diverſa fuiſſe eorundem locorum nomina, & montem Hor, longo tractu porrectum, vel communi vel ſingulari appellatione fuiſſe inſignitum. Sed ſimpliciſſima ratio hæc videtur: Iſraelitæ bis fuerunt in Kades ſemel cum venerunt à Chazeroth. Num. 12: 16. cap. 13: 26. atque tunc emiſerunt exploratores in Cananæam: ſed Num. cap. 33: 18. nec Kades, nec Paran deſertum in quo Kades memoratur. Juſſi hinc redire verſus mare algoſum per deſertum cap. 14: 25. per varia loca tandem venerunt in Ezjongeber, quæ ſita ad illud mare, quouſque poterant ire meridiem verſus: & hinc redierunt in deſertum Zin, quod Kades, cap. 33: 36. ad ſeptentrionem magni illius & multinominis deſerti: quod non potuit fieri, ut ad eundem locum, Kades nempe, Num. 21: 1. via exploratorum euntes, reverterentur; quin eadem loca denuo adirent; quæ non ſunt recenſita in Num. 33. ſed hic à Moſe memorantur, non omnia ſed aliqua, tum contrario ordine Bene Jaakan & Moſera, tum eodem Gudgod & Jotbatha, prout in deſerto caſtra ſua in locis vicinis varie extenderant. Quod vero mors Aaronis medio loco collocetur, cauſam dicunt Hebræi, quod ob regem Harad bellum moventem receſſerint Num. 21: 1. ſ. ſed verſ. 4. dicitur rediiſſe verſus mare rubrum obiturus terram Edom: quomodo eædem ſtationes denuo fuerunt tenendæ, eodemque ordine, quo vice prima, quod veriſimile facit poſteriora iſta loca ſequi montem Horeb, & intermedia eſſe inter Hor montem obeuntibus Edomi regionem, & campeſtria Moab, ubi tunc degebant: nominaque uti loca fuerunt eadem. Quanquam vero tota ratio itineris per deſertum incerta ſit, & deſcribantur ſtationes pro varia interpretum & geographorum ſententia, Situs item diſtantiaque ſtationum incerta, certum tamen eſt, Deum definiviſſe loca, ubi ſui in peccatum odii monumentum excitaret, etiam in chariſſimis, ut diſcamus, ſi iſta facta ſint in viridi, quid futurum ſit in arido, quo ſic vivamus, ut non juſtæ animadverſionis, ſed largæ benedictionis relinquamus memoriam, ad Dei gloriam, & plurimorum ædificationem & imitationem ſalutarem. Amen.

Verſ. 8. *Tempore illo ſeparavit Jehova tribum Leviticam ad portandum arcam fœderis Jehovæ, ad ſtandum coram Jehova ut miniſtraret ipſi & ad benedicendum in nomine ipſius, uſque in diem hunc.*

B. Refert *Delectum Levitarum* ad miniſterium Dei ſingulariter: in quo nihil animadverteretur huc faciens, niſi Moſes ipſe adjeciſſet notam certiſſimam, quando ſuam deprecationem 40. dierum & noctium ſecutam dixit. Enim delectus tribus Levi factus eſt cum erectum eſſet tabernaculum, & cenſus initus populi univerſi Num. 1. 23.. nam tunc noluit Deus recenſeri Levitas cum cæteris tribubus, cenſum vero ipſorum iniri voluit peculiarem atque eis ſuum munus proprium aſſignari circa tabernaculum, & ejus miniſterium. Sed tunc fuit actu ipſo exercita diviſio Levitarum ab aliis, quæ jam ante definita fuerat, id quod hic indicat Moſes, ubi obſervandum eſt. I. Tempus. II. Segregatio ipſa. III. Munus ad quod ſegregati, verſ. 8. IV. Conſequens muneris, quid illud habeat incommodi, atque etiam commodi, verſ. 9.

א. *Tempus* primis verbis annotatum eſt. *Illo tempore*, quando vitulus confectus & cultus fuerat, antequam Moſes adſcenderet montem deprecatum, nam quæ verſ. 10. memoratur prima fuit deprecatio, quemadmodum hiſtoria docet, Exod. 32: 26. ſ. Moſes viſo peccato Iſraelis, vitulo aureo, priuſquam ad Deum rediret deprecator, varia egit ad convictionem populi. I. fregit tabulas, ut fœderis indignos oſtenderet. II. contrivit in pulverem vitulum, & ſparſit in aquam, ut idoli vanitatem & vilitatem demonſtraret. III. cognita ab Aarone rei geſtæ ſerie, vindictam ſuſcepit. Conſtitit in ingreſſu caſtrorum, dixitque. Quisquis Domini eſt, ad me: Voluit ſic ſegregationem facere eorum qui declinaſſent ad idololatriam, & aliorum, qui adhæſerant conſtanter Deo, ut reos à non reis diſtingueret, ut ſe jungerentur à peccatoribus, ne cum iis pari judicio exſcinderentur, atque etiam ut conſtaret, an major minorve pars populi culpæ obnoxia foret. Ergo ad ſe, qui utique exſors erat, accedere jubet, qui Domini eſſent, non fœdifragi per idololatriam. *Et congregati fuerunt ad ipſum omnes filii Levi*, tota illa tribus. Reliquæ omnes tenebantur reatu, quas vel amor peccati ſui, vel conſcientia patrationis retinuit, ut vel nollent, vel non auderent accedere. Levitas inter fuerunt etiam Aaronis & Moſis filii. Moſes & Aaron conſiſtebant una: Ille ergo congregatis Levitis dixit. Sic ait Dominus, Deus Iſraelis; quisque enſem ſuum femori accingite, & tranſite per caſtra, à porta ad portam, & occidite, quisque fratrem, amicum, proximum ſuum. In caſtris diſtinctæ erant tribus & habebant ſingulæ plures ingreſſus, & vias inter tentoria ſua, neque enim aliter in tanta multitudine fieri potuit. Juſſi ergo ſunt Levitæ, qui cum Deo ſteterant fideles, non à Moſe, ſed à Deo, fœderis ſui vindice, (quamquam nihil ejus ante legatur; ſufficit enim Moſis teſtimonium, qui nihil confinxit ex ſuo corde Num. 16: 28. & fidelitatis teſtem Deum habet Num. 12: 7.) ſumtis armis quaquaverſum tranſire, & idololatras trucidare, citra reſpectum ullius relationis, vel ex genere, vel ex affectu, vel ex conſuetudine vitæ. Lev. 26: 25. *gladium adducam ſuper vos, vindicaturum vindictam fœderis.* Quum enim Dei partes agerent, non debuit privata apud ipſos ſpectari neceſſitudo.

Cæterum cum omnes Levitæ hic ſtarent ſociati, quinam fratres fuerunt occidendi? Iſraelitæ omnes inter ſe fuerunt fratres; præterea mutuis affinitatibus jungebantur, Mirjam nupta erat Huro de tribu Juda, & Aaron duxerat ex eadem tribu Eliſebam filiam Amminadab, ſororem Nahaſſon. Itaque fratres fuere affines, quorum ſorores habebant uxores, aut illi horum ſorores, ſic quoque filii fuerunt generi, & pater materque ſocer & ſocrus; aliarum tribuum univerſi. Obedientia Levitarum annotata eſt, *Et filii Levi fecerunt ſecundum verbum Moſis, & ceciderunt de populo circiter ter mille.* Deut. 33: 9. de Levi dicit; qui dixit de patre & matre; non video illum, & qui fratrem non agnovit, & filium non æſtimavit; nam cuſtodiverunt verbum tuum, & ſervarunt fœdus tuum. Hoc eſt quod Moſes ſignificavit per *Illo tempore*. Unde quædam ſunt neceſſariæ obſervationis petenda.

(1.) *In univerſali populi corruptione, ſervat Deus aliquos qui non una deficiant.* Unam tribum ex XIII. hic cuſtodivit. Tempore Eliæ in idololatrico regno Iſraelis, ſervarat ſibi Deus 7000. quæ genu non flexerant Baali, 1 Reg. 19: 18 Sic fuerunt in extremo regni Judæ, cum idololatria omnigena prævaluiſſet, aliqui qui ſuſpirarunt, & exclamarunt, privatim publiceque teſtati ſunt dolorem ſuum de abominationibus quæ patrabantur. Ezech. 9. verſ. 4: Et tempore nati Chriſti, invaleſcente traditionum religione & multiplici profanitate, qui Deum timentes exſpectabant redemtionem Iſraelis: quemadmodum paulo ante tempore Malachiæ Mal. 3: 16. Et Paulus ait, Iſraele univerſo fere adverſante Euangelio Chriſti, *reſiduum etiam tunc factum eſſe ſecundum electionem gratiæ*, Rom. 11: 5. Apoc. 3: 4. *habes pauca nomina in Sardis, qui non polluerunt*

ſuas

ſuas veſtes. Pollicitus illud eſt Deus ſæpius, Eſa. 4: 3. c. 6: 13. cap. 10: 20. reſiduum & qui evaſerunt, nitentur in Dominum Sanctum Iſraelis, ſincere. Cap. 17: 6. remanebit, uti poſt decuſſas olivas aliquot manent in extremis, & fertiliſſimis ramis baccæ, inquit Dominus Deus Iſraelis. Etenim non patitur perire omnem ſuum populum, ut Chriſtus nullos habeat ſubditos, nullos cultores, nullas oves. Equidem longe minor numerus ſubinde eſt, una tribus ex 13. Multi vocati, pauci electi Mat. 20: 16. exiguus grex eſt Luc. 12: 32. anguſta porta & arcta via, quam pauci ingrediuntur Mat. 7: 14. Sed tamen ſemper pauci ſunt, quos Deus cuſtodit & roborat 2 Theſ. 3: 2. ne inter malos corrumpantur, vel à malis exterminentur. Eſt hoc beneficium ſolius Dei, cui gloria ejus adſcribenda, deque eo gratiæ agendæ ſunt: nemo ſemetipſum poteſt ſegregare. 1 Cor. 4: 7.

Verum noſtrum eſt ut ſtudeamus ſegregationis iſtiuſmodi habere ſecuritatem. Hanc in Levitis animadvertimus. I. Abſtinentia à conſortio impietatis; aliis idolum colentibus, & in eo cultu gaudentibus, ipſi abſtinuerunt. Petrus 1 Pet. 4: 1. ſ. abſtinere à peccato, non facere voluntatem gentium, nec ambulare in laſciviis, cupiditatibus, crapula, ebrietate, & abominanda idololatria, ut peregrini agnoſcantur, Jac. 1: 27. Paulus Eph. 5: 8. ſ. Phil. 2: 15. ut ex omni converſatione appareat ad illam normam inſtitui. Quod ipſum in Levitis fuit, qui fœdus Dei ſervaſſe dicuntur, ut leges ejus rite meditarentur, & iis obtemperarent. II. Animoſa profeſſio vocante Deo, reverentia ipſius. Qui non prodierant ad vituli feſtum, domi latentes, Moſe dicente, qui Domini eſt ad me accedat, prodeunt illico, ſeque ſiſtunt publice. Act. 2. verſ. 5--40. ſ. viri religioſi, audita hortatione Petri, *eripimini è medio generationis hujus perverſæ*, libenter receperunt ejus ſermonem, & additi ſunt eo die 3000. Audiverunt & crediderunt mandato ſegregationis, eique obediverunt, convicti de priſcæ vitæ vitio & periculo. Sic 2 Cor. 6: 17. & cap. 7: 1. Hæc ubi deſunt, deeſt quoque divina ſegregatio quoad efficacem operationem. Et quam frequens defectus. Sumus Eccleſia vocatorum, ubi non omnes electi. Multitudinis ambulatio non differt ab ea quæ eſt alienorum ab Eccleſia, ipſorummet gentilium Eph. 2. verſ. 2, 3. cap. 4: 17, 18. quibus ſi ſe Chriſtianos & quidem Reformatos dicant, quod faciunt, opponi queat illud Mich. 2: 7. *O qui vocamini domus Jacob: an Spiritus Domini abbreviatus eſt? hæc ne ejus opera? nonne verba mea benefaciunt apud integre ambulantem?* Vox Miniſtrorum Dei jugiter clamat, Separamini, diſcedite, à malis & malitia, & jungite vos iis qui Domini ſunt, & voce & vitæ praxi. Sed quod legitur Eſa. 65: 2. Segregati ſunt potius ad mundum & peccata. Hoſ. 4: 14. Jac. 4: 4. Quod ne patiamur, oſtendamus nos Domini eſſe, & ad ipſum acceſſiſſe 1 Pet. 1: 14, 15. Rom. 12: 3. non tantum dicendum ore & ſcribendum manu, Domini ſumus, Eſa 44: 5. aut acquieſcendum in aliorum appellatione Ezech. 36: 20. dum profanamus nomen Domini; ſed ipſo opere 1 Cor. 6: 20. ut Deus nos agnoſcat ſuos, & hic tueatur, Eſa. 43: 1. ſ. quando ad ipſius gloriam vivimus, & laudem ejus annunciamus, verſ. 7--21. & tandem glorificet, Mal. 3: 16, 17.

(2.) *Antequam petatur & expectetur gratia condonationis à Deo condemnandum & ulciſcendum eſt peccatum coram hominibus.* Moſes antequam redit ad Deum deprecatum, ultionem iſtam inſtituit. Eſt iſtud potiſſimum obſervandum Magiſtratibus, quando volunt à Deo condonari peccata, debent prius ipſi ulciſci. Fluit iſtud ex eo quod nuperrime docuimus. Peccata publica fiunt & contra Deum & contra proximum; Utrovis modo vindicanda ſunt, quia ſons non eſt habendus inſons; quod Deus obſervat, & hominibus faciendum præſcripſit, Exod. 34: 7. Deut. 25: 1. Quod Deo peccatum, Deus condonare debet, donata vicarii Chriſti ſatisfactione. Quod hominibus peccatum Deus compenſari voluit, & quando ipſemet pœnam definivit, hominibusque exſecutionem imperavit, non permiſit diſpenſationem. Cujuſmodi definitio generalis eſt, univerſo generi humano in Noacho & filiis ejus de homicidio: & ſpecialis multiplex & varia Iſraelitico populo; & quemadmodum interdictum eſt patrare mala, ita interdictum magiſtratui patrata mala non punire. Si vero hæc ultio negligatur, quomodo poteſt aliquid cum fiduciâ peti à Deo, condonatio nempe, quæ eſt arbitrii ipſius, utpote abſolutæ poteſtatis Domini & qui ſolutionem in Chriſto reperit, pro reſipiſcentibus & credentibus; ſiquidem provocetur ipſe condonando quod condonari vetuit, aut illud negligendo. Hoc ſpectavit Moſes, gratiam petiturus à Deo, vult prius obſequium præſtare mandato ejus, Exod. 22: 20. *Qui ſacrificaverit Diis præter Jehovam exſcindetur.* Id facere ſibi incumbebat, cum cæteri Magiſtratus inferiores in tribubus rei facti eſſent: & hanc ultionem imperavit Levitis, non ſuo, ſed Dei juſſu, cujus ipſemet quoque miniſter erat: Et hoc facto, poſtridie ait ad populum, *peccatum magnum peccaſtis & nunc intercedam pro vobis ſi forte conſequar condonationem.* Hoc dicitur Jer. 31: 2. *Sic ait Dominus, populus reſiduorum gladii invenit gratiam in deſerto; Iſrael cum irem ut in quietem deducerem.* Gratiam invenerunt reſidui à gladio. Num. 25: 3. ſ. *populus jugatus fuit Baal Peori & ira Dei exarſit contra Iſraelem; & Dominus dixit ad Moſen. Accipe capita populi, & ſuſpende eos Domino coram ſole, & avertetur æſtus iræ Dei ab Iſraele. Moſes itaque dixit judicibus Iſraelis, unuſquiſque necet viros ſuos, qui jugati fuerunt Baal Peori, quo facto coram tentorio conventus fleverunt.* Ibidem quando Phinehas trucidaſſet Zymri cum ſcorto Midianitico Cozbi, Deus ait, *Phinehas removit æſtum iræ meæ ab Iſraele, ne Iſraelitas perderem in Zelo meo.* Sic enim poſt ultionem iſtam exemplarem plaga cohibita fuit qua 24000 perierunt. Ita 1 Reg. 18. Deus non voluit exorari terræ, neque Elias preces pro impetranda pluvia concepit, priuſquam ex decreto totius populi Sacerdotes Baalis fuiſſent trucidati: neque audire deprecationes ob triennem famem, niſi prius Saulis violatum contra Gibeonitas juramentum fuiſſet vindicatum, 2 Sam. 21. Eſt hoc quod dicitur Eſa. 1: 15. ſ. non audio preces, & ſupplicationes, nam manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine; *lavate vos* &c. *diſcite benefacere*, Fruſtraneæ ſunt ſupplicationes, dum peccata ſunt impuntia, adeo ut neminem pudeat, nemo pudefaciat. Quando provocatur Deus continuis peccatis, iiſque ſpontaneis, & elatæ manus, & quando Magiſtratus quibus ultionem demandavit Deus, eam negligunt. Jer. 48: 10. Maledictus qui agit opus Domini doloſe, qui cohibet gladium ſuum à ſanguine, quem Deus fundendum mandavit. Opus Domini ultio eſt Rom. 12: 19. quam magiſtratui commiſit cap. 13: 4. Sed quando ſe maledictum reddit, quid juvabunt preces? Nam cum Deus ſibi ſuarum legum gratiam fecerit propriam, ſolus & incommunicabiliter Jehova, gratiæ Deus: nonne invadunt jus Dei, qui de Dei legibus diſpenſant, quos Elohim fecit, exſecutores juſtitiæ? atque ſe Deo reos faciunt exemplariter, ſumentes ſibi gloriam Dei. Nonne aggravabitur pœna, inflammata magis Dei ira, quando non puniuntur crimina, eaque fiunt peccata clamantia, & à Deo poſcentia vindictam non tantum contra patrantes, ſed etiam & inprimis contra negligentes judices: quemadmodum ſi ab inferiore judice non adminiſtratur jus, provocatur ad ſuperiorem, & is non tantum judicat impium, verum & judicem injuſtum. Deus vero inſuper populum cum ejuſmodi magiſtratibus plectit. 1 Reg. 20: 42. quia virum anathematis mei dimiſiſti de manibus, erit anima tua loco animæ ipſius, & populus tuus loco populi ipſius.

Utinam iſtud meditarentur qui Dii in terra judicium Dei exercere debent, ut Zelum Moſis haberent contra graſſantia ſcelera, injuſtitiam, avaritiam, oppreſſionem, furta & rapinas quocunque titulo exercitas contra pupillum, Patriam: item ſcortationes, adulteria, homicidia, & quæcunque ipſis punienda ſunt demandata. Sic ſupplicationes majori cum fructu ſuccederent. Eſt vero etiam privatim id obſervandum. 1 Cor. 11: 31. *ſi nos ipſos judicaremus, non judicaremur à Domino.* Habet quivis Chriſtianus judicium ſui ipſius, & iſtud exercendum contra veterem hominem, & membra terrena, ut ille crucifigatur, hæc necentur: atque cum Deus adjudicarit iſta internecioni, nihil ipſi relictum eſt præter exſecutionem. Si quis hîc parcat, & unam corruptionem tanquam exiguam negligat, aliam tanquam validiorem toleret, aliam ut proficuam, unde lucrum,

crum, unde voluptas foveat; putamuſne cum fructu aliquid poſtulaturum à Deo? Pſ. 66: 18. Joh. 9: 31. Deum peccatores novimus non audire; qui ſcilicet retinent peccata. 1 Cor. 9: verſ. ult. ſubigo corpus &c. reprobus damnabilis eſt, & talis fit, qui damnatas cupiditates non ſubigit omni conatu. Gladius Dei hic ſtringendus. Verbum Dei, ut ejus virtute aboleantur, quando totos nos compoſuerimus ad ejus præſcriptum.

(3.) *Ultio Dei: contra peccatores exercenda eſt ab iis qui gladium ejus habent*, ἀνθρωποληπτως. Cum gladium pro Deo Levitas ſumere jubet Moſes, ſimul jubet ponere privatos affectus. Quia Deo omnes homines eodem loco ſunt, Job. cap. 34: 19. qui faciem principis non recipit, neque divitem præ paupere agnoſcit, quia omnes ſunt opus manuum ſuarum; utique miniſtro Dei omnes pari loco eſſe debent. Deut. 13: 6. Etenim Pſ. 139: 21. ſ. an non odiſſem &c. Qui militat eoſdem hoſtes habet quos ſuus Imperator, & ceſſat omnis privata relatio. Qui Deo militat, Dei affectum ſequi debet, non ſuum. Deus fundavit inimicitiam contra Serpentem & Semen ejus: qui Serpenti ſerviunt & militant, hoſtes ſunt. 2 Cor. 5: 16. non agnoſcimus nunc quemquam ſecundum carnem; quando nos Deo addiximus. Judicibus iſtud ſequendum, Judicium agunt non hominibus ſed Deo, apud quem non eſt acceptio perſonarum, aut receptio munerum 2 Chron. 19: 6, 7. eoque hæc ab ipſis quoque procul eſſe debent. Turpe eſt non minus quam deplorandum, ſi propter judicum præſentiam vel abſentiam dici in anteceſſum queat, qualis ſit futura ſententia. Verum privatim iſto animo eſſe debemus. Matt. 5: 29. ſ. tibi ipſi perdenda illa membra, ut Deo ſervias: hoc eſt cupiditates illæ quæ iſtis chariores perſequendæ & abolendæ ſunt: ſic odiſſe oportet parentes, liberos, fratres, uxorem, imo vitam propriam, ſiquidem Chriſti obſequio adverſentur. Luc. 14: 26.

(4.) *Deo imperante ſuam ultionem confidenter agendum eſt, contemtis periculis.* Levitæ à menſe & ultra fuerunt 22273. verum à 30 ad 50 annum 8580. his adde ex reſiduis 4564. tertiam partem in 13693. quia Iſraelitæ à 20 annis & ultra fuerunt numerati, habebimus 13144 Levitas armatos pro Deo. Ita Levitæ fuerunt circiter 13 milleni, ſed cæterorum Iſraelitarum 606000 & ultra; contra tantam multitudinem iſtud ſuſcipere, (quod videbatur ſeditionis inteſtinæ, unam tribum contra omnes reliquas enſem ſtringere,) ſtolidæ temeritatis erat, humano judicio. Sed Deus jubet, & hinc obtemperant, clauſis quaſi oculis. Sic Gideon cum paucis domeſticis evertit altare Baalis, & cum 300 Midianitas aggreſſus eſt. Etenim quos Deus admovet operi ſuo, iis quoque adeſt ut robur & ſucceſſum largiatur. Sic agendum Magiſtratibus, 2 Chron. 19: 11. Accidit ſæpe quod David de ſe profitetur, 2 Sam. 3: 39. quia deſperat ſe quid valiturum, relinquit Deo: qui tamen regi Salomoni ultionem commendavit 1 Reg. 2: 5. ſ. Metus eſt in peccatis puniendis, ne forte magni & potentes, ne dilecti deprehendantur, ubi abſtinere magis placet. Adeſſo debet Zelus Dei in cauſa Dei. Hunc non deſtituet Deus; frangetur impiorum audacia & furor; Levitæ executi ſunt nemine repugnante; quotquot non ſeceſſerunt in ſua temtoria, dum enſis Dei graſſabatur, perierunt, uti Ægyptii, qui grandinem noluerunt declinare: ſic enim probabilius eſt actum fuiſſe, quam quod ex mutato aliquatenus colore reos deprehenderint, cum culpa videatur fuiſſe omnium: Iſtiuſmodi Zelus adſit neceſſe eſt, ut Pſ. 75: 11. ſi impii ſalutaribus monitis non auſcultent, ſed elevent cornu, loquantur dura cervice, præſcindam omnia cornua impiorum. Pſ. 101: 8. Singulis mane omnes impios terræ perdam, ut ex urbe Domini omnes operarios injuſtitiæ exſcindam. Hunc Zelum metuerent omnes; ſi quemadmodum Joſia impedivit idololatriam & impietatem dum vixit, etiam hodie fieret, utique eſſet pax in diebus regentum, & tum ipſis tum toti populo bene foret.

ב. *Segregatio* ſic proponitur *Dominus ſeparavit tribum Levi.*

Segregans *Dominus* eſt, huic ſoli jus illud competit. Dominus eſt ſuæ domus & adſciſcit miniſtros quos lubet; invito famulus obtrudi nequit, ut admittere vel tolerare debeat ex alius voluntate. Nemo in domo Dei eſt niſi quem ipſe adduxerit Pſ. 65: 5. ſic de Gentibus Act. 2: 39. unde non amplius ſunt peregrini &c. Eph. 2: 13. 19. Iſraelitæ fuerunt populus propinquus Deo Pſ. 148: verſ. ult. quos Deus ſegregaverat ex omnibus aliis populus Deut. 7: 6. ut nulli æque propinquus foret Deus cap. 4: 7. Quum cæteræ omnes nationes longinquæ forent. Verum in domeſticis ſunt gradus propinquitatis, & magis adhuc in ſubditis. Nemo longinquus, qui intra limites regni habitat, propinquior qui in metropoli, magis qui in regia, qui in cubiculo verſatur. His ultimis comparandi Levitæ in ſuâ propinquitate, quam non niſi beneficio Dei obtinuerunt. Heb. 5: 4. nemo ſibi ipſi ſumit hunc honorem ut fiat Pontifex, niſi qui vocatus fuerit, uti etiam Aaron. Communiter omnibus &c. Deut. 33: 8. Pſ. 4: 4. Gal. 1: 15. 1 Cor. 15: 10. &c. longinqui Pſ. 73: 27.

Cæterum quos ſeparavit Deus, *Tribum Levi.* Eſt propinquitas maxima in ſpecialiori miniſterio, cultus ſacri. Omnis obedientia ſervitus eſt Eſa. 56: 6. ſed in cultus divini exercitiis proximior, maxime quando pro aliis ille exercetur. Nam pro ſe agens quiſque propinquat in precibus Pſ. 145: 18. Olim quivis Paterfamilias haſce partes obivit, Gen. 4: 3, 4. filii Adami adduxerunt ſuas oblationes, ſcilicet ad patrem ſuum; Sic Noach, Abraham, Iſ. Jacob egerunt. Verum quando Deus primogenitos Ægyptiorum una nocte perdidit, primogenitos Iſraelitarum ſibi ſegregavit Exod. 13: 2. Num. 3: 13. qui hoc pacto ſacrorum adminiſtri conſtituti. De his dicitur Exod. 19: 22. Sacerdotes, qui ad Dominum propinquant, ſanctificabunt ſe. & Cap. 24. verſ. 5. Moſes miſit juvenes filiorum Iſraelis, qui obtulerunt holocauſta & euchariſtica juvencos. Hi vero cum vitulus aureus erectus eſſet, & proclamatum feſtum Jehovæ miniſterio ſuo iſtic functi ſunt, & holocauſta & euchariſtica obtulerunt. Cap. 32: 6. neque enim alios adhibuiſſe verſimile eſt. Et liquet ex ipſorum repudiatione, Ezech. cap. 20: 26. Propinquitatis ſignum erat quod quivis domi fere haberet ſacerdotem filium ſuum, ſed impuros declaravit Deus, quando primogenitos excluſit, in quorum locum adſcivit Leuitas. Num. 3: 12. Ego ecce, ſumſi Levitas è medio filiorum Iſraelis, loco omnis primogeniti aperientis uterum, & erunt Levitæ mei, quod olim de primogenitis dictum fuit. Exciderunt primogeniti honore iſto, ſuo peccato. Levitæ vero eum adepti ſunt ſuo obſequio. Adeoque Iſraelitæ quotieſcunque viderunt Levitam miniſtrantem, ſimul etiam viderunt ſe ceu impuros ab acceſſu ad altare & propinquitate illa Dei ſeclusos. Nos autem ibidem videndam habemus ſeveritatem & benignitatem Dei &c. Rom. 11: 22. Diximus nupere mandatum ultionis divinæ contra cultores vituli prompte, ἀνθρωποληπτως, corddate exſecutos fuiſſe. Hinc iſte honos Exod. 32: 29. *Dixit Moſes, Impleto hodie manus veſtras Domino, nam quiſque fuit contra filium & fratrem ſuum; & ut det ſuper vos hodie benedictionem.* Implere manum ſignificat miniſterio divino inaugurari, quia inaugurandi afferebant hoſtias, quarum partes quædam imponebantur ipſorum manibus, atque hoc pacto conſecrabantur. Levitæ non hoſtiis, ſed cæde hoſtium Dei ſe præpararant, & hos elegit Deus.

Hinc, *Deus ſegregat ad ſuum miniſterium, & illos potiſſimum, qui religioſe obſequio ipſius hoſtium cæde ſe conſecrarunt.* Sic Levitæ. Hoſtilitas contra Deum primogenitos privavit honore; uti Eli & filios ejus; aſt Zelus contra hoſtes Dei Levitas evexit. Sic Phinehas Num. 25: 7. ſ. confodit Zimri & Cozbi, quod videbatur ipſum indignum facere Sacerdotio, quia privatus & ſacerdos cædem patrarat deliberato, quùm caſualis homicida exulare deberet: ſed quia Zelum pro Deo contra hoſtem elatæ manus patrarat, Deus dicit, *Ecce do ei fœdere meo pacem, & habebit ipſe & ſemen ejus poſt ipſum fœdus ſacerdotii æterni, quia pro Deo ſuo Zelavit & expiationem fecit pro filiis Iſraelis.* Expiationem facit Sacerdos offerendo pecus reum, in quod translatum eſt peccatum. Ergo erat inſtar oblationis cædes illius qui provocabat peccato publico Deum; & ſic æſtimat Deus actionem ejus ſacerdotalem; atque ipſi ea ad juſtitiam imputata fuit Pſ. 106: 31. innocens declaratus, confirmatumque Sacerdotii jus. Non eſt iſtud facere privati cujuſque (quamquam apud Judæos fuerunt qui ſe Zelotas nominabant & ſub eo titulo impune cædibus graſſabantur.) verum

Ma-

Magiſtratuum eſt munus, qui honorem ſeparationis Dei ad dignitatem majorem ea ratione conſequuntur præmii vicem. Hoc modo Jehu obtinuit regni confirmationem in generationem quartam, quod cum Zelo Baalitas trucidaſſet 2 Reg. 10: 30. etſi propriæ crudelitati quoque ſatisfeciſſet: at Saul quod Midianitis pepercifſet, regnum amiſit 1 Sam. 15: 26. Eccleſiæ miniſtrorum: ſi reveriti faciem hominum non Zelent contra impietatem, confodientes gladio verbi pertinaces, ipſimet à Deo conſternandi ſunt. Jer. 1: 17. Verum ſi pretioſum à vili exſtrahant, hoc perdentes, erunt ut os Dei, & defenſam ejus habebunt, Jer. cap. 15: 19.

3. *Muneris officia* deſcribuntur, verſ. 8. Hæc eſt illa benedictio, quam Exod. 32: 29. conſecutos dixit? Munia iſta ſunt quatuor, ſed ultimum Sacerdotum Aaronicorum proprium, benedicere: ſunt communia geſtare arcam ſtare coram Deo & miniſtrare illi, ſic tamen ut Sacerdotes ubique primas partes haberent, & propioris forent admiſſionis. Num. 16: 9. ſ. *an parum* eſt (dicitur Koracho) *quod Dominus te & omnes fratres tuos, filios Levi ſeparavit ex omni cœtu Iſraelis ut vos ad ſe faceret appropinquare, ut miniſterium Dominici tabernaculi curetis, & quæritis etiam Sacerdotum?* Unde liquet Filios Aaronis inter Zelotas illos quoque fuiſſe, ut quod ipſis & patri ipſorum deſtinatum fuerat, confirmaretur. Deut. 33: 8--10. alia memorantur. *De Levi dixit, Tummim & Urim tui ſunt viro benigno tuo. Docebunt Jacobum judicia tua, & Iſraelem legem tuam; ſuffitum ponent ante naſum tuum & quod totum conſumitur ſuper altari tuo.* Conſideranda breviter iſta munia & diſtinguenda. Aaron, cujus familiæ Sacerdotium fuit appropriatum, fuit quoque Leviticæ tribus, ut quod ipſi conceſſum illi tribui quoque datum eſſet, veruntamen quæ ſacerdotii propria erant cæteris Levitis attingere non licuit, quod Korachi exemplo demonſtratum, quemadmodum excluſio cæterarum tribuum germinatione virgæ Aaronis Num. 16: 17. Communiter omnibus dictum quod ſint benigni Dei, Deut. 33: 8. quibus Deus benignitatem exhibuit ut eo Zelo eos animaret, & eum remuneraretur Pſ. 4: 4. Deus ſegregat ſibi benignum, ut talis ſit, & quæ illius ſunt faciat. Quomodo omnis opinio propriæ dignitatis præciditur. Dignatio gratiæ Dei eſt, quæ deſtinat, & deſtinatis quæ neceſſaria confert, Gal. 1: 15. & 1 Cor. cap. 15: 10. Sine qua gratia & benignitate ne nunc quidem quicquam ſit. Quis enim ad hæc idoneus? 2 Cor. 2: 16. inepti ſumus omnes homines ad quid cogitandum; idoneitas omnis à ſolo Deo eſt cap. 3: 5. Etſi quis habeat maximum Theologum in ſe viventem, imo omnes quotquot fuerunt unquam, attamen ſtultiſſima foret gloriatio iſta, & impia quia ſeparationem & idoneitatem ab homine arceſſerat; Benignus hominum non Dei. Eliſa optavit non ut Elias in ſe viveret, ſed ſpiritus Eliſæ 2 Reg. 2: 9. & hic erat Spiritus Chriſti, in Prophetis efficax 1 Pet. 1: 11. Sic Paulus dabat probationem loquentis in ſe, non hominis, ſed Chriſti, 2 Cor. 13: 3. Non propinquus Domino, ſed longinquus eſt ab ipſo, qui timorem Dei docet præceptum hominum quod edoctus eſt Eſa. 29: 13. & longinqui, &c. Pſ. 73: 27. Munia ſunt. I. *ferre arcam fœderis Dei.* Eam geſtarunt initio Kohatitæ, cum tantum tres forent Sacerdotes Aaron & filii Eleazar & Ithamar. Num. 4. ſed multiplicatis Sacerdotibus ipſis ſolis tributum Joſ. 3: 6. cap. 6: 6. Kohathitis non aliter quam tectam ferre licuit, Sacerdotibus nudam; qui ſoli in Sanctum Sanctorum ſtatuere poterant: ſed una intelliguntur vaſa Sanctuarii reliqua; Levitis aſſignata Num. 4. quæ nemini de populo attingere licuit. II. *Stare coram Deo ipſi* ſoli eſſe devinctos, uti miniſtri qui ſtant coram hero, nihil ſui agere poſſunt, ſed ſolum vacaturi ſunt ipſius imperiis. Sic 1 Reg. 10: 8. Dan. 7. verſ. 10. III. *miniſtrare* eſt agere opus ipſius quod injunxit. Geminum Deut. 33: 10. indicatur docere populum, & ſacrificare pro populo; hoc Sacerdotum ſolorum, illud etiam Levitarum cæterorum. IV. *Benedicere in nomine Domini:* Sacerdotum proprium quoque Num. 6: 23. ſeq. unde 1 Chron. 23: 13. *Aaron ſeparatus fuit ut ſanctificaret ſanctiſſima, ipſe & filii ejus in æternum, ad adolendum coram facie Domini, ad miniſtrandum, & ad benedicendum in nomine ejus in ſeculum.* Etenim benedictio iſta non fuit communis, uti quivis alteri benedicere poteſt, non tantum major minori, aut par pari, ſed etiam minor majori, cum ſit tantum votum benedictionis divinæ: ſed ſingularis, & unde Paulus probat Melchizedekum fuiſſe Sacerdotem, & Abrahamo majorem Heb. 7: 6, 7. Scilicet autoritativa, quæ non optaret ſed prædiceret & polliceretur bona, adeoque conferret, cooperante Deo. Non, *Deus benedicat & cuſtodiat*, quod voti eſt; *ſed benedicet & cuſtodiet*; &c. ceu prophetantes; aut *benedicat & cuſtodiat*, &c. (uti 2 Reg. 1: 10. cadat ignis, &c.) quod eſt jubentis benedictionem; *nam ponent nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam ipſis.* Cujuſmodi benedictionem nunc nemo pronunciare poteſt, uti etiam non niſi votive eam pronunciamus; quia non ſumus Sacerdotes ejuſmodi. Unicus eſt Sacerdos noſter Chriſtus, qui ſolus obtulit hoſtiam pro peccato veram, ad reconciliationem, ſolus offert ſuffitum precum Deo, & idem ſolus benedicit: major omnibus qui promiſſiones acceperunt, quia omnium promiſſionum divinarum diſpenſator eſt, & 2 Cor. 1: 30.

Qui hodie munus ſuſtinent propioris miniſterii coram Deo, illorum eſt Stare coram Deo atque miniſtrare, quemadmodum Levitæ, & geſtare vaſa Domini. I. Standum eſt, ut curas & occupationes alias deponant, Levitis non licebat offerre hoſtias; ſed ipſimet fuerunt hoſtia agitationis Num. 8. qui agitati fuerunt, ad quatuor cardines cœli converſi & circumducti, ut ſcirent, ſe quocunque juberentur expeditiſſime converti debere, 2 Tim. 2: 4. qui militat, non implicatur negotiis hujus vitæ, ut placeat illi, qui ſuſcepit in militiam. Militi omnia alia omittenda ſunt, ſemper debet paratus eſſe ad omnia mandata excipienda: quam primum tympanum pulſatur, aut tuba clangit, non inquirendus eſt, ſed ſtatim præſentem in armis ſe ſiſtere debet, uti Levitæ advocante Moſe, quisquis Domini ad me. Non uti illi qui primum patrem tumulare, primum domeſticis valedicere voluerunt. Luc. 9. verſ. 59. ſ. non ſtabant iſti coram Domino, quibus alia agenda erant; qui reſpicit ad ea quæ retro ſunt, quando manum admovit aratro, non eſt idoneus ad regnum Dei, & præconium ejus. Samuelis inſtar eſſe oportet, vocante Domino, quod Eli eum docuerat, loquere audit ſervus tuus, &c. 1 Sam. 3: 19. ſ. & Paulus in magno negotio perſecutionis, illico *quid vis Domine me facere* & abjecit omnia alia, non contulit cum carne & ſanguine Act. 9: 6. uti quoque Eliſa 1 Reg. 19: 19. ſ. Miniſtrandum porro, ut quicquid operis impoſitum fuerit, agatur alacriter quocunque tempore. Non eſt otii munus, ut die toto liceat ſtare uti illis non conductis Mat. 20: 6. Laborioſiſſima fuit Sacerdotum vocatio, & quando alii feriabantur ipſis magis laborandum Mat. 12: 5. Sabbathis & feſtis & Expiationis die. Levitæ quoque ad negotium fuerunt vocati. Cuſtodes tabernaculi; tandem templo ſtructo, oſtiarii ſeu cuſtodes, & muſici. Atque iſtud non interdiu ſolum ſed noctu quoque. Pſ. 135: 1. ſ. *Laudate nomen Domini Laudate ſervi Domini, qui ſtatis in domo Domini, in atriis Dei noſtri.* Pſ. 134: 1. ſ. *Ecce Laudate Dominum omnes ſervi Domini, qui ſingulis noctibus ſtatis in domo Domini, tollite manus veſtras in ſanctuario, & laudate Dominum.* Semper in opere, in locis Domini. Non ut illi qui miniſtrarunt populo in idolis ſtercoreis, & fuerunt in offendiculum iniquitatis Ezech. 44: 12. aut ut ſacerdotes & Prophetæ *errantes*, &c. Eſa. 28: 7. lucubrantes potius in cauponis aut ſympoſiis. Pſ. 73: 17. Sanctuaria Dei ſunt Scripturæ; hic decet eſſe jugiter, hic occupari; juxta 1 Tim. 4: 13. ſ. II. Geſtanda arca fœderis; Ejus pretium fuit ex tabulis fœderis ibi ſervatis. Si hodie fœdus ipſum circumferant, rem eandem præſtant; Deus conſtituit miniſtros novi fœderis 2 Cor. 3: 6. & cap. 4: 7. *habemus theſaurum illum in teſtaceis vaſis.* Hunc utique circumgeſtare ubique debent. 1 Reg. 8: 9 in arca nihil erat præter duas tabulas. Id ſolum quod à Deo profectum fuit verbum. Nihil etiam geſtandum ipſis quam verbum Domini, Act. 26: 22. 1 Pet. cap. 4: 11. Quam turpe eſt circumferre Baalem, uti Prophetæ Samariæ, ex mandato regum, & lege ſanctuarii ejus Jer. 23: 13. Amos 7: 13. quam alienum circumferre omnia humana, & traditiones ſeniorum; quam profanum non minus quam ſtolidum jactare verbum hominis. 2 Cor.

cap. 4: 2. 1 Cor. 2: 1. ſ. III. Benedicendum foret quoque: ſed diximus jam, id hodie non poſſe fieri; verum aliud, quod eodem pertinet, ſuſcipere licet Gen. 32: 26. non dimittam te, niſi benedixeris; ſic ipſi Eſa. 62: 6, 7. Ita Paulus Col. 1: 9. &c. Hoc modo verſandum eſt omnibus illis, qui Miniſtri Dei proximiores audire volunt, quod an quantum fiat, nunc non attingimus. Eſt vero etiam aliis ſuo loco quoque faciendum, Omnibus dicitur, Rom. 12: 1. Omnibus ſtandum expeditis ad opus Domini Eſa. 56: 6. omnibus ſerviendum Deo & opus ejus jugiter agendum. Pſ. 119: 60. omnibus proferendum verbum vitæ Phil. 2: 16. omnibus precandum ut Deus benedictionem addat. Pſ. 86. v. 11. & 143. 10. Sic etiam remunerationem conſequentur quæ Levitis promiſſa, ut Deus ſit ipſis portio, quæ quidem excellentiſſima Pſ. 16: 5, 6. Nam.

Verſ. 9. ***Idcirco non eſt Levitæ pars aut poſſeſſio cum fratribus ſuis: Jehova eſt poſſeſſio ejus, quemadmodum loquutus eſt Jehova Deus tuus ei.***

ד. *Muneris beneficia* ſunt, verſ. 9. ubi aliquid eis negatur, aliquid datur.

Quod negatur eſt, *Propterea Levi non habet partem nec hæreditatem cum fratribus ſuis.* Id ſæpius dicitur, & plenius Deut. 18: 1. ſ. quo etiam rejicimus tractationem uberiorem. Nunc tantum ſtrictim. Deus Levitas noluit habere partem in Cananæa; ſed terra ceſſit XII. reliquis tribubus; quæ etiam miſerunt exploratores, non Levi, & cenſæ fuerunt in exercitum, non Levi. Cauſa fuit, ne dum hæreditatem curant negligerent ſuum miniſterium: non poſſunt ſtare ſemper coram Deo, illique miniſtrare, qui in agricultura occupantur. Sic vero miſera Levitarum conditio; quippe dicendum videtur ex Mal. 3: 14. fruſtra eſt Deo ſervire, & quod commodum ſi cuſtodiam ejus obſervaverimus? Stolidos judicant multi Iſraelitas, quod tantopere affectarint illam provinciam, ut ſeditionem quoque eapropter moverint Num. 16: 17. Homines mundani iſtam legem etiam nunc obſervandam putant, atque miniſtris ſacrorum hæreditatem omnem ereptam vellent ipſis, abhorrent ab ea functione, quaſi ad eſuriem & mendicitatem vocarentur.

Quod affirmat eſt illud *Dominus hæreditas ipſius.* Non ergo carituri erant hæreditate omni; Dominus hæreditas ejus, & quid iſti conferendum? Deus excelſus, cui miniſtrant eſt poſſeſſor cœli & terræ Gen. 14: 19. Ille אל שדי cap. 17: 1. jugiter effluens bona & benedictionem. Hunc qui habet, abunde habet Job. 22: 25. eſt aurum abundantiſſimum & validiſſimum argentum, in defectu omnium non tantum ſpem fovet Lam. 3: 24. *Dominus portio mea inquit anima mea, propterea ſperabo:* ſed etiam rem largitur Pſ. 73: 25, 26. Pſ. 102: 20. Enimvero quia Deus portio ipſorum, non deſtituit ipſos omni terreno bono. Homines ſunt, qui ex aere non aluntur ſolo; non ſinit ſuos ſervos eſurire. Prov. 10: 3. Servi qui non habent poſſeſſionem, heri ſui bonis ſuſtentantur. Et ſerviunt iſti hero optimo maximo Gen. 14: 19. Terra ipſius eſt & omnis ejus plenitudo, verum providit ſpeciatim pro familiaribus ſuis: ut Num. 18. videre eſt. Inde alimentorum abunde potuit eſſe. Et quando iſta non exhibebantur, non Levitis adimebantur, ſed Deo ipſi Mal. 3: 8. ſ. Non confertur hodie quicquam ad miniſterii alimenta; ſed quod ſuperſtitio olim congeſſit, id unum ſuppetit, quod rationem habet anathematis; ſine eo foret, deſerendum eſſet munus, ut Neh. 13: 10. aut eſuriendum imo fame moriendum. Verum utinam illo ipſo non ſpoliaretur Deus, dum potentiores ad ſe trahunt, dum mala adminiſtratione diſſipatur, dum miniſtris merces non perſolvitur. An hodie Deus non amplius curet ſervos ſuos, quis dixerit? Ergo etiam nunc maledictionem habet contra fraudatores, & benedictionem erga obſervantes mandati. Nam illa, uti Dominus Deus veſter ipſi locutus eſt, veritatem Dei ſervis ipſius proximis adhuc addicunt.

Verſ. 10. ***Cum igitur ego ſtetiſſem in illo monte ſicut diebus prioribus quadraginta dies & quadraginta noctes: exaudivit me Jehova etiam vice illa, noluit Jehova perdere te.***

Verſ. 11. ***Sed edixit Jehova mihi, Surge, ſuſcipe profectionem ante populum hunc, ut ingreſſi poſſideant hæreditario jure terram, quam juramento promiſi majoribus eorum me daturum eis.***

C. Verſ. 10, 11. repetunt ea quæ Deut. 9: 18. dicta ſunt. Nam poſt ſegregationem Levitarum iſtam Moſes adſcendit prima vice ad deprecationem inſtituendam. Exod. cap. 32: 30. ſ. Impetravit tunc aliquid; ut perditio repentina & univerſalis non procederet; ſed ut Deus juberet duci populum in Cananæam, quo juratam poſſeſſionem obtinerent. Multum ſane ſic impetratum fuit; ſed in quo Moſes non acquievit; qui proinde humiliationis documentis populo imperatis & editis, denuo aggreſſus eſt Deum, & tamdiu inſtitit donec rurſum Meſſiam faciem Dei, ſeu Angelum faciei ejus ductorem impetraſſet, & reſtitutionem in integrum, fœderis tabulis refectis & reſtitutis. Tantum valent preces fervidæ, ſiquidem & condemnatio, & deſertio peccati anteceſſerit. Ultus fuit peccatum per Levitas, qui præmium miniſterii conſecuti ſunt, & populus humiliavit ſe in luctu & depoſitione ornamentorum ſuperbiæ.

Verſ. 12. ***Nunc itaque Iſrael quid Jehova Deus tuus petit abs te; niſi ut timeas Jehovam Deum tuum, ambules in omnibus viis ejus, & diligas eum, & colas Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex toto animo tuo.***

Verſ. 13. ***Obſervando præcepta Jehovæ & ſtatuta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, ut bene ſit tibi;***

III. *Hortationem* orditur, verſ. 12. & continuat ad finem cap. 11. Sæpius autem eadem inculcat, ſed ut novis ſemper argumentis roboret.

A. *Hortatio* prima eſt, verſ. 12—19. in qua ſpectanda. I. Connexio, verſ. 12. II. Propoſitio, verſ. 12, 13. III. Confirmatio, verſ. 13. ſ.

א. *Connexio*, verſ. 12. *Nunc ergo Iſrael, quid poſcit Dominus Deus tuus à te?* Interrogatio Moſis refert Iſraelis interrogationem. Poſt gravem iſtam convictionem de graviſſimis iiſque multis reatibus, ſollicitus populus quæiturus erat, quid ergo Deus à ſe poſceret? Conſcientia rea, ſollicita eſt. Convicta culpæ metuit pœnam, & hacpropter anxia quærit, qua poſſit ratione iratum Deum placare, ne ſub ejus manu & judiciis pereat. Inſigne exemplum eſt, Mich. 6: 6, 7. Deo litem conteſtante cum populo, & arguente quod beneficia ſua magna ac diuturna indigniſſime penſata eſſent; dicunt, *Quomodo occurram Domino, incurvabo me coram Deo excelſo? an occurram holocauſtis?* &c. Nihil adeo precioſum, quod non libentiſſime impendere velit, de rebus extra ſe; juxta & ſupra facultates, imo ne quidem liberis, primogenito parſura, ſiquidem, hoc pacto procurare pacem queat. Sic Act. 2: 37. audientes majeſtatem & poteſtatem Jeſu (quod eſſet factus Dominus & Chriſtus) quem crucifixerant, compuncti corde dicunt, *Quid faciemus, viri fratres?* Scilicet quemadmodum quando æger convictus eſt de morbi ſui gravitate & periculo, quem, quia non ſentiebat, non æſtimabat, ſollicitus eſt, & quærit Medicum ac medicinam Hoſ. 5: 13. ad malum potius confugiendo quam ad nullum. Hæc vis eſt conſcientiæ convictæ. Equidem aliquid infelicitatis eſt, conſcientiam habere anxiam, quando ſermonibus aliorum & cogitationibus propriis accuſantibus teſtimonium contra ſe præbere, ſeque condemnare cogitur. Felicior longe quem cor ſuum non condemnat, ut parrheſiam habeat apud Deum 1 Joh. 3: 20. Aſt hic ſtatus ſanitatis non omnibus contingit. Mundus, Eccleſia, Noſocomium eſt. Plerique ægrotant; pauci, qui reſtituti ſunt ſanitate, qui tamen magis ſentiunt debilitatem ex morbo reſiduam, & ſollici-

licitius ſibi cavent ab iis quæ recidivivam parerent. Hoc eſt, qui non dicendum habent, *Æger ſum*, quia habent remiſſionem peccatorum Eſa. 33. v. ult. qui tamen conqueruntur ſæpenumero de carne pugnante contra Spiritum, quam contra luctandum habent. Cæteri ægrotant; ſed aliqui ſine omni ſenſu, oppreſſi lethargo, 2 Tim. 2: 26. aut cauterio adusti 1 Tim. 4: 2. qui dedoluerunt Eph. 4: 19. vel etiam opinionem ſanitatis habentes; atque hi ſunt infeliciſſimi Mat. 9: 12. Sani non egent medico, &c. qui ſua opinione ſani ſunt; non quærunt, non admittunt, imo oderunt & adverſantur Hoſ. 7: 9. cap. 8: 3.

Felices vero qui morbum vident, & moleſtiam ejus ſentiunt, atque hinc anxia ſollicitudine torquentur. Nam hi affectabunt ſanationem; quo major ſenſus mali, & metus periculi, eo majus ſtudium & Zelus, ut juvari queat. Et ſane optandum foret, apud nos obtinere iſtud.

ב. *Propoſitio* eam declarat; *niſi Dominum Deum tuum timere*, &c. Sunt eadem duntaxat, quæ antea quoque poſtulata fuerant. Reges & principes quando reos rebellionis ſubditos rurſum recipiunt in gratiam, ſolent grandem mulctam imponere, aliaſve pœnas in aliquos, aut aggravant onera veſtigalium. Pharao. Exod. 5: 4. ſ. Rehabeam, quia populus non acquieſcebat abſoluto imperio, minatur duriorem ſervitutem 1 Reg. 12: 4. ſ. Non ita Deus, omnia eadem ſunt: Non poſcit ſatisfactionem, quam meditantur, Mich. 6: 8. *Notum fecit tibi, homo*, &c. Priſca ſolum, non jugum gravius. Jubet obedientiam præſtare. Hac tamen nequit aboleri reatus neglectus præcedentis. Non quod voluerit condonare citra ſatisfactionem; Contrariatur iſtud naturæ Dei Exod. 34: 7. qui ſontem non habet inſontem: adeoque certum per pœnam fuiſſe expiandum. Sed quia non aliud poſcitur quam antea, liquet utique in priori pacto promiſſam fuiſſe ſatisfactionem vicariam Chriſti, cujus rationibus etiam peccatum vituli adſcriptum nunc fuit; ſiquidem quod paciſcentes promiſerant, ipſi rite facerent, futuri regnum ſacerdotale, per Sacerdotem & hoſtiam ab eo oblatam renonciliati de prioribus delictis, originali & actualibus.

Verum quomodo dicit Moſes præter hæc officia nihil poſci? annon Deus nova impoſuit onera, poſtquam reſtituit ipſos in fœdus? nam totus ille cultus in Levitico deſcriptus capitibus 7. primis erecto tabernaculo fuit, imperatus: de quo antea nihil fuerat dictum. Reſpondemus hic illud Jer. 7: 22. ſ. ut quod nunc holocauſtis impenditis ſerviat veſtræ menſæ. *Nam non locutus ſum patribus veſtris, quando ex Ægypto eos eduxi, neque mandavi eis de rebus holocauſti & ſacrificii; ſed hanc rem eis præcepi, dicendo, Audite vocem meam & ero vobis Deus, & eritis mihi populus; & ambulate in omni via quam præcipio vobis, ut bene ſit vobis.* Quando Deus conditiones fœderis propoſuit, nullam fecit mentionem hoſtiarum offerendarum, in Decalogo; ut ad eſſentialia officia pertinere dici non queat. Imo cum ad Moſen mentionem fecit Exod. 20: 24. ſ. non imperat ea, ſed libertati relinquit; ſolummodo legem ponit altari, ne quid hic fiat, in quo pauper ditiſſimo nequeat par eſſe. Sed quod imperavit, eſt tantum obſequium in futurum. Atque etiam tunc per Jeremiam non exegit ſacrificia, ſed carnibus iſtis pro ſe frui juſſit; juſſit autem obedientiam præſtare, qua exercita non opus erat ullis ſacrificiis. Obedientibus, & reatum novum non contrahentibus, nulla erant offerenda, Lev. 4: 5, 6, 7. ſed delinquentibus. His vero ſuccurrit, inſtitutis tot expiationum victimis, & tota illa lege Levitica, ut per eam ceu pædagogum ad Chriſtum ducerentur, Gal. 3: 24. ut quando per ignorantiam aut errorem, (deſtinatis peccatis, adulterio, homicidio non dabatur victima,) deliquiſſent, reatum contractum à ſe transferrent in alium, Chriſtum nempe, victimis adumbratum, Col. 2: 14. ut quando ſe reos profitebantur publica confeſſione, eam tantum facerent ſuper caput victimæ, & manibus ſuis quodammodo imponerent, ut eam ſubſtituerent, & cum anima quæ peccavit mortis rea foret & hanc ſubire deberet, jam anima bruti, ejus loco veniret. Lev. 17: 11. *anima carnis in ſanguine eſt, propterea dedi illum vobis ſuper altari, ut pro animabus veſtris expiationem faciat; nam ſanguis eſt, qui pro animabus expiationem facit.* Atqui in his Statutis fuit novum onus; Deus ipſe de iſtis dicit, Ezech. 20: 25. *dedi eis ſtatuta non bona, & jura per quæ non viverent.* Reſpondemus; novum onus fuit impoſitum, ſed ut delinquentes convincerentur & ad Chriſtum ducerentur. Gal. 3: 19. *Lex transgreſſionum gratia addita eſt, uſque dum veniſſet ſemen*, & Rom. 5: 20. *lex inſuper ingreſſa eſt, ut abundaret peccatum:* nam quo pluribus legibus libertas circumſcribitur, eo plus peccari poteſt, *nam ubi non eſt lex, ibi non eſt transgreſſio*, Rom. 4: 15. quemadmodum nos comedendo adipem, geſtando veſtem ex lana & lino mixtis, peccare non poſſumus, quia nobis non eſt interdictum; quomodo Judæi delinquebant. Iſta porro præcepta dicuntur non bona, & *per quæ non viverent*, Fuerunt contraria quodammodo, teſtabantur reatum, & eum translatum, ſed non expiatum. Heb. 9: 9. dona & ſacrificia non potuerunt eos, *qui miniſterio fungebantur ſanctificare ſecundum conſcientias* cap. 10: 1. ſ. fuit miniſterium mortis & condemnationis, 2 Cor. 3: 7--9. ſi quis in iis ſuam juſtitiam conſtitueret: quemadmodum enim hoſtiæ oblatæ non reviviſcebant, ſic quoque non poterant vitam dare offerentibus; ſed hi legebant in iis ſuam condemnationem: impoſſibile enim ſanguinem taurorum & hircorum abolere peccata Heb. 10: 3 eoque quod in hoſtia ſtatutum fuerat in ſe quoque ſtatuendum eſſe, & animam mortis ream teneri.

Non ergo poterant per iſta vivere, quia præſtantior hoſtia requirebatur, Chriſtus, cujus illa fuerunt umbræ & figuræ. Qui cum ſemetipſum obtulerit victimam Deo, unica iſta hoſtia, ſemel oblata, in æternum conſummavit quotquot ſanctificantur Heb. 10: 10. 12. 14. Unde eſt ut qui nunc delinquunt ſub novo fœdere, non opus habeant ut in ſacrificio chirographum ſcribant contra ſe, ſed habent ſolum apocham ſolutionis præſtitæ exhibendam fide, 1 Joh. 1: 9. Rom 3: 26. & Chriſtus ipſe ſuam ſolutionem victimalem repræſentat 1 Joh. 2: 1, 2. Quod eſt opus fidei apprehendentis benificium alienum: Quicquid vero faciendum eſt, illud ipſum eſt, quod ſemper à fœderatis poposcit Deus: quod præſtitum fuit ab Abrahamo Gen. 26. verſ. 5. Deo teſtante, & quod eodem teſte, ſuis poſteris mandavit Gen. 18: 19. Hanc viam Deus ipſe conſtituit; neque eam mutavit, quia nihil pœnitendi in ea eſt, Eph. cap. 2: 10. Non eſt quod ſollicite diſcurramus, ut ejus nobis fiat indicium. Non longe eſt verbum ſed propinquum. Joh. 5: 39. Verbum Dei ubi prædicatur, Via Domini docetur qua eundum ut tandem ad ipſum perveniamus. Verum rogandus Deus eſt ut ipſe velit eſſe doctor viæ iſtius unicæ, imo ductor. Sic petit Chriſtus Joh. 17: 17. Sic petendum nobis Pſ. 86: 11. Pſ. 119: 33. 32. *Doce me D. viam ſtatutorum ſuorum* &c. Atque ſic reſpondere poterimus quærenti cuivis. Quid poſcit Dominus Deus tuus à te, cum Davide Pſ. 119: 9. quomodo mundabit adoleſcens &c.

Sed ſpecialius conſideranda quænam illa dicat eſſe: *Niſi ut timeas* &c. Duo ſunt officia, fontes reliquorum omnium, *Timor* & *Amor*. Objectum idem eſt utriuſque officii, *Dominus Deus tuus*. Iſta omnia meditata ſint oportet, aut nec timor, nec amor erit genuinus. Jehova eſt; & quid illud ſit, nemo rectius dixerit Deo ipſo, Exod. 33: 19. Omnem bonitatem meam tranſire faciam coram facie tua, & proclamabo nomen Domini coram facie tuâ & cap. 34. verſ. 5. ſ. proclamavit nomen Domini, & cum Dominus tranſiret coram facie ejus, proclamavit, Jehova, Jehova &c. Mera bonitas hic eſt non ſolum in ſe, ſed inprimis reſpectu peccatorum; meram gratiam loquuntur: Jehova eſſentiator æternus uti ipſe eſt æternus, Deus robore inſtructus neceſſario; miſericors erga miſeros; gratioſus erga indignos; longanimis erga provocantes; multus benignitate & veritate, abunde largiendum habens & conſtanter id agens; cuſtodiens benignitatem millibus, non uni, ſed innumeris, multis quoque ſeculis poſt demum naſcituris; condonans iniquitatem &c. qui omnis generis peccata aufert; Additur quidem, qui ſontem non habet inſontem; ſed & iſtud ad bonitatem facit, ſociatum priori; quippe hoc agens, cum abſtulerit à reo peccatum, utique docet non ipſum patrantem ſemper plectere, ſed qui ultionem non omittit, reatum in alio punire, in quem videlicet tranſlatus eſt: Quod vero vindicet patrum iniquitatem in liberis, id tantum fit

in oſoribus ſuis, uti in ſecundo præcepto Decalogi dictum eſt. Jam hæc Dei bonitas annon veneranda & amanda eſt? Singula habent argumentum efficax ad perſuadendum. Si in hominibus aliquid horum deprehendatur, reverentia & amor excitatur: Eſt tamen tantum unum aut alterum, non omnia iſta; & illud ipſum quod adeſt, non eſt perfectum, ſed admodum defectuoſum, quoad rem ipſam & ejus conſtantiam. Verum in Deo ſunt omnia ſimul eaque perfectiſſima, infinita duratione, ut nihil deſit quod deſiderari queat, excedens infinite omne id quod poſſumus petere aut cogitare. Præterea Deus tuus eſt. Elohim judex univerſorum & rector, qui diſpenſationem habet eorum omnium atque is tuus, in quo jus habet & proprietatem, ei arctiſſimo fœdere ſociatus, quod reconciliationem neceſſariò præſupponit, quando peccatori dicitur. Amos. 3: 3. An duo unà ambulabunt, niſi uniti fuerint. Et nulla hic unio, niſi per Chriſtum, in quo pax eſt cum Deo, & acceſſus ad Deum ejuſque gratiam, perenniter Rom. 5: 1, 2. Amanda & reverenda bonitas ubicunque cernitur etſi nihil ejus percipiatur; quomodo fit circa remotiſſimos loco & tempore. Ipſi mortui ſic æſtimantur & amantur. Heb. 13. verſ. 7. Proprietas eis negata ut à Deo denominari nequeant. Si quæ forſitan ſit reverentia Dei, (quamvis non ſatis cogniti non poſſit eſſe legitimus timor,) nullus tamen poteſt eſſe amor; nam ſunt ſine ſpe Eph. 2: 12. & quid hic amoris? Sed qui fœderati, habent Deum in Chriſto, & habent ſpem; atque apud illos poteſt eſſe qui hic requiritur. Timor & Amor. De quibus ſigillatim quid ſint, & & quæ eorum ſit demonſtratio.

a. *Timor*, dicit enim, *ut Dominum Deum tuum timeas.* Timor aliquis naturalis eſt, affectus animi malum aliquod ſeu incommodum futurum anteconcipientis, contrahens cor, & frigore quodam ſpiritus & ſanguinem in motu ſuo impediens. De hoc non agitur, cum iſte in omnibus & ſingulis hominibus ſit, & in impiis quoque reſpectu Dei cujus ira & ultio malorum omnium maximum, Jac. 2: 19. Luc. 21: 26. quæ ſupervenient terræ. Timor alius eſt voluntarius, non ex intuitu mali, ſed boni, animi nempe reverentia, æſtimantis aliquem, & ſibi ab omni ejus offenſa abſtinendum ſtatuentis. Dicitur Mich. 6: 8, 9. הצנע לכת *modeſte ambulare cum Domino Deo tuo.* quod noſtrates dicerent **met ontſach/ eerbiedigheit.** Lev. 19: 3. quivis matrem & patrem revereatur. & Honora patrem & matrem. Non eſt hic pavor ex malo inferendo, quod liberi à parentibus non expectant, à quibus omnia ſibi pollicentur; ſed æſtimatio, & ſollicitudo ne quid indignum iſta æſtimatione admittant. Timor iſte habet I. æſtimationem magnitudinis Dei. Pſ. 96: 4. ſ. II. æſtimationem bonitatis & beneficiorum exhibitorum. Mal. 2: 5. *fœdus meum cum Levi fuit vita & pax, & dedi eam ad timorem, & metuit me, & propter nomen meum expavefactus fuit.* III. æſtimationem offenſæ ejus. Jer. 26: 19. Hizkia audita denunciatione judicii, nonne metuit Dominum & debilitavit iram Domini. Hæc eſt reverentia quæ poſtulatur. Agnitio majeſtatis Dei & perfectionis, itemque beneficientiæ ejus, nec non judicii & juſtitiæ: 1 Pet. 1. verſ. 17. *ſi eum invocatis patrem* & &c: bonitas patris, majeſtas judicis, ejuſque juſtitia ſunt timoris fundamenta & motivæ.

Demonſtratio timoris Dei eſt, *ambulando in omnibus viis ejus;* ut caveatur declinatio omnis dextrorſum aut ſiniſtrorſum. Nam timore Dei abſtinetur a malo Prov. 16: 6. & cap. 8: 13. Etenim deficiente timore Dei, declinatio eſt ad omne malum. Pſ. 36: 2. ſ. de impio. *Non eſt timor Dei coram oculis ejus, ambulatio in via non bona; mali nullum repudium.* Jer. 2: 9. ubi Dei timor non adeſt, deſeritur Deus, averſiones meræ obtinent, & malitia omnis. & cap. 5: 23. ſ. non timentes Deum habent cor *declinans & rebelle*, Mal. 3: 5. & Gen. 20: 11. *tantummodo timor Dei non eſt in hoc loco, occident me propter uxorem meam* dicit Abraham; Liceat omnia optime ordinata videantur, timore Dei abſente abeſt agger, & impietas concitata tempeſtate aliqua cupiditatis omnia inundabit & everter. Timor Dei meditatur Dei præſentiam, & oculos apertos in omnes ſuas vias: & cum reverentia hominum, viri gravis, coh beat à patratione ſceleris, multo magis ille retinet. Ecl. 1 1: 9. & cap. 12: 13. ſ. *time Deum & præcepta ejus obſerva; hoc enim eſt totum hominis; nam Deus omne opus adducet in judicium, cum omni eo quod occultum eſt, ſive bonum, ſive malum.* Neque tamen hic eſt pavida conſternatio, ſed eſt ex ſollicitudine, quia beneficus Deus Phil. 2: 12, 13. & ſociata gaudio Pſ. 2: 11. qualis eſt filiorum metus Mal. 3: 16. ſ. Metuentes Dominum, cogitant de nomine ejus, dolent de aliorum improbitate, ſunt ut filii ſervientes patri quibus nihil magis metuitur, quam quod illum offendat.

b. *Amor*, nam ſequitur, *ut eum diligas.* Amor eſt affectus animi quo objecti alicujus perfectione, pulchritudine neque intrinſeca, nec non extrinſeca beneficentia fertur in ejus unionem & communionem, ea delectatur, & acquieſcit. Pſ. 31: 24. *amate Dominum benigni ejus; Dominus cuſtodit fideles;* Hic Dei bonitas, & hujus conſtantia. Cant. 1: 2, ſ. De hoc amore dictum Deut. 6: 5.

Demonſtratio eſt *Servitus* Eſa. 56: 6. David ſe profeſſus ſervum, dicit, *Intime diligo te*, Pſ. 18: 1, 2. Deut. 15: 16. ſervus libertatem repudiat, quia herum & domum ejus amat, quia bene ipſi apud illum eſt. Servitutis ſinceritas, toto corde & anima 1 Sam. 12: 24. 1 Chron. 28: 9. cognitio amorem connotat; & hinc ſervitus ſincera. Obſequium univerſale, *Cuſtodiendo præcepta Domini & ſtatuta ejus, quæ vobis hodie impero.* Eſa. 56: 6. Sabbathum & fœdus. Cujuſmodi aliquoties ſupra inculcavit. Hic tantum neceſſaria eſt Hortatio ad præſtationem. Eadem à nobis poſcuntur, qui Dominum Deum noſtrum eſſe gloriamur. Amor & Timor Dei. Quibus quidem nemo carere vult videri. Et cum cordis ſint motus, qui hominibus inconſpicui, nemini poteſt contradici. Veruntamen quemadmodum Jacobus de fide loquitur: quæ cordis, *oſtende mihi fidem ex operibus tuis* Jac. 2: 18. ita quoque hic quia effectus affectuum iſtorum non claudi poſſunt in corde, & demonſtrationes ejus indicatæ ſunt, utique non prorſus vana eſt de iis conjectura. Pſ. 36: 2. ſ. *transgreſſio impii dicit in medio cordis mei*, Ambulatio in viis Domini eſt timoris indicium Pſ. 119: 63. Qui ergo extra vias Dei ambulant, non dico extra eam abripiuntur vehementia tentationis, ſed qui iſtic ambulant, conſiſtunt, ſedent, operarii ſunt iniquitatis, carent timore Dei. Atque ſic quantus horum erit numerus? Sic Jac. 4. verſ. 4. 1 Joh. 2: 14. ſ. Matt. 6: 24. Amor, ſervitus, obſequium hoſtium Dei, nequit conſiſtere cum Dei amore. Et quid aliud propemodum fit? Quam parum ſit quod Deus poſcit. Mich. 6: 8. ſ. Hæc vero quando fiunt, quid aliud exſpectandum, quam ut experiamur malum & amarum eſſe, Deum deſeruiſſe ſe & timore caruiſſe Jer. 2: 19. & Deum hoſtibus ſuis infenſum eſſe, & conſolaturum ſe de adverſariis ſuis Eſa. 1: 24.

3. Confirmationem ducit à bono, ſeu commodo obſervantium; quod aſſerit verſ. 13. & adſtruit verſ. 14. ſ.

a. *Aſſertio* eſt, *Tibi in bonum.* Non ſimpliciter, *in bonum*, ut dubium ſit, cui iſtud obtingat; ſed *tibi in bonum*, ut facientis fore appareat. Sæpiſſime id dictum hactenus à Moſe Deut. 4: 1. 40. Cap. 8: 1. Dicendum erat ipſiſmet, Cap. 6: 24, 25. Deus ipſe, in Decalogo, cap. 5: 10. *Exercens benignitatem in millenos qui me amant* &c. & verſ. 16. *ut prolongentur dies, & bene tibi ſit in terra* &c. Et poſt verſ. 29. *Utinam tale cor foret ipſis* &c. Sed Lev. 26: 3. ſ. & Deut. 28: 1. ſ. prolixe recitantur commoda obſequii, tum corporalia, in omnimoda felicitate externa, pace & bello; tum ſpiritualia in fruitione Dei & præſentiæ ejus; ſic in tranquillitate conſcientiæ Jer 6: 16. invenietis requiem animabus veſtris; in ipſa morte Pſ. 25: 12. ſ. *timentem Dominum docet viam eligendam, anima ejus pernoctabit in bono:* poſt mortem, Pſ. 31: 20. *quam magnum eſt bonum quod ſepoſuiſti timentibus te:* quod eſt bonum electorum Dei Pſ. 106: 5. quod eſt ipſa ſalus. Apparet ergo non eſſe fruſtraneum colere Deum, ut impii jactant Mal. 3: 14. Hæc una ad felicitatem via, Job. 22: 21. ſ. Pſ. 34: 12. ſ. Pſ. 37: 27. Eſa. 3: 10. *dic juſto, bene erit, comedent fructum ſuorum operum.* Pſ. 19: 12. *in iſtorum obſervatione eſt merces magna.* Imo licet intueri commodum iſtud, ceu ſtimulum ad obedientiam. Equidem fuit quidam (Antigonus Sochæus) qui docuit ſuos, *ne eſtote uti ſervi, qui hero ſerviunt, eo fine ut accipiant mercedem;* non quod negaret mercedem fore pietatis, uti diſcipuli nonnulli degeneres interpretati ſunt, Zadok & Bajethos, ſed ut doceret obedientiæ incentivum non

non debere eſſe ſolùm mercedem: quemadmodum in mercenariis, iſtuc offerentibus animam ſuam, nullo amore vel reverentia ejus cui ſerviunt, adeo ut perinde ipſis ſit, quisnam ille fuerit: Voluit autem eſſe nos ut filios, qui ſerviunt non eo fine quo mercedem obtineant, ſed ex amore & reverentia parentis, ut illi placeant, atque conſequantur ab ejus bonitate theſauros ab ipſo congeſtos, & hæreditatem. Etenim liberi naturaliter obligantur ad obedientiam erga parentes, ſive hi habeant, ſive non habeant quam relinquant hæreditatem: &, qui habent, parentes liberè de ea diſponere poſſunt, ut filio rebelli adimant exhæredando, obedienti addant augendo; qui merito nullo eam ſibi depoſcere poteſt. Sic quoque qui ex gratia adoptionis jus filiorum aſſecuti ſunt, obligantur ad obedientiam, & manet Patri adoptanti jus diſponendi de ſua hæreditate, quantam portionem illi velit aſſignare. Mal. 3: 17. Reliqua hac ſpectantia alibi perſequimur.

Verſ. 14. *En Jehovæ Dei tui* ſunt *cæli & cæli cælorum, terra & quicquid* eſt *in ea:*

b. Moſes iſtud commodum ſecuturum *adſtruit*, docens I. non ad Deum redire quicquam verſ. 14. II. ſed ad ipſos verſ. 15. III. adeoque ipſis præſtandum obſequium verſ. 16, 17, 18.

a. Nihil redire ad Deum, verſ. 14. *Ecce Domini Dei tui cœlum eſt, cælum cælorum, terra & quicquid in illa eſt. Ecce*, res manifeſta eſt, Dominum Deum tuum cœli terræque & omnium iis contentorum eſſe poſſeſſorem. Etenim qui omnia condidit, omnia poſſidet, Act. 17: 24. dominus & poſſeſſor omnium Gen. 14: 19. quod frequentiſſime dicitur. Sed hoc loco memoratur, ut ſcirent, nihil accedere Deo, ipſorum obedientia, ut bonum ad ipſum redundet. *Tibi in bonum:* Ecce Deus habet omnia. Et hinc dicit Cœlos, cœlos cœlorum; ſummum deſignat, quod conſummationem perfectionis creatæ illico accepit, quæ terræ defuit uti primo die cœpit; ornatum, incolatum lucem ſtatim dedit, fecit gloriæ thronum, implevit myriadibus angelorum miniſtrantium, lucem inacceſſam ibidem collocavit; adeo ut nihil defectus ibi ſit; & quam exigua ſit ejus reſpectu terra, & incolæ omnes, fuſe docetur Eſa. cap. 40. Jam qui omnia iſta poſſidet, utique nullius rei indigus eſt Act. 17: 25. ſ. ut hominum cultu juvetur, quibus omnia dat. Omnia poſſidens obſequio humano non augetur, ut inde commodum conſequatur. Pſ. 16: 2. *Adonai, Dominus es, bonitas mea non ad te*, aut *non propter te*; ut per eam felicior evadas, qui ipſe Dominus & ſuſtentator omnium. Sic quoad externa dona Pſ. 50: 8. ſ. Sic quoad actiones obſequii. Job. 22: 2. ſ. Cap. 35: 5. ſ. Dominium iſtud Dei ſummum & abſolutum proterit omnem opinionem dignitatis & meriti creaturæ, reſpectu ipſius; 1 Tim. 6: 15. *Beatus ille & ſolus dynaſtes, rex regum & Dominus dominantium.* Beatitudo autem iſta non conveniret, ſi quid aliunde accederet; Sed tantum abeſt ut ipſi aliquid accedat, ut ab ipſo procedat quicquid ulla creatura habet; tum quoad naturam Act. 17: 25. 28. tum quoad gratiam 1 Cor. 4: 7. Quæcunque ab ullo præſtantur obſequia, ab ipſo habet 2 Cor. 3: 5. Eſa. 61: 3. quercus. Adeoque quicquid homines præſtant boni, ſe habet ut in largitione ad templum 1 Chron. 29: 14. 16. Datur Deo de eo quod ipſius eſt, qui non minus cordis divitias quam terræ operatur, & largitur ſpontaneitatem ad ipſi iſtas offerendas. Eph. 2: 8. & Phil. 1: 29. Quocirca quando aliquid officiorum præſtamus, non debemus Deum æſtimare debitorem, cui aliquid per nos datum ſit, ſed nos debitores Deo, quibus, quod daremus ſibi, dedit prior: Divitiæ ipſius ſunt, quod divites ſumus ad ipſum divitiis noſtris honorandum.

Cæterum quia ipſe Dominus omnium cœli & terræ, utique ejus imperium nobis agnoſcendum. Pſ. 119: 89. quia fecit cœlum & terram, & conſervat ſua voluntate & ordinatione, ſunt Servi Dei. Sane etiam nos ſervos ipſius eſſe convincimur, qui partem facimus eorum quæ in terra. Jer. 10: 10. *Dii qui cœlum* &c. ſiquidem in terra Dei ſibi aliquid arrogent; Quamobrem ſic vivendum ne nos terra & cœlo ſuo excludat; ſed ut in terra ſua locum & proſperitatem largiatur. Et quia Dominus eſt, acquieſcendum in eo quod de nobis ſtatuet, ſive id parce fiat, ſive liberaliter. Licet ei facere de ſuo, quod lubet. Matt. 20: 15. Dominus dedit, Dominus abſtulit, &c. Job. 1: 21. contra ſuperbiam & contra impatientiam ſolidum eſt argumentum; quid ſuperbiamus de alieno, quod retinere non poſſumus ipſo nolente: quid murmuremus ob amiſſum alienum, quod ipſe Dominus repetiit. Pſ. 90: 30. ſi jubeat homines redire ad contritionem, dicens, revertimini filii hominum; utique jure ſuo migrationem impetrat colonis. Sed quia Dominus omnium; etiam cœli ſummi & felicitatis quæ iſtic eſt, ſtudeamus omni prece & ſupplicatione ab ipſo impetrare, ut quando terra excedere jubet, in cœlo inveniamus habitationem: 2 Cor. 5: 1. quo ipſi Domino ſummo propiores, quod ad thronum majeſtatis majore felicitate beemur & majori obſequio eum glorificemus.

Verſ. 15. *Tantum in majores tuos propenſus fuit amore Jehova diligendo eos, unde ſeligit ſemen eorum poſt eos, vos* inquam *præ omnibus populis; ſicut* eſt *hodie.*

b. Ad ipſos venire bonum omne à Deo, dicit verſ. 15. *Solummodo Dominus delectatus eſt Patribus tuis* &c. Deus omnium Dominus & qui nihil conſequitur ab ullo, ſed à quo omnes omnia, nuſquam ſuam bonitatem liberalius exercuit quam erga te & benefecit antequam aliquid ſibi præſtitum eſſet; quomodo liquet non ipſius bono eſſe tuam obedientiam, ſed tuo. Hanc benignitatem Dei oſtendit in ipſorum Patribus, in ipſiſmet.

a. In Patribus, Ab. If. Jacobo nempe quoad principium, חשק *amplexari ex amore*, ut arctiſſime conjunctus quis ſit & maneat. Merum beneplacitum amoris; nihil in ipſis quod dignos faceret, Abraham idololatra. Joſ. 24: 2. odio dignus fuit, & Rom. 9: 11. Jacob in utero materno haud melior Eſavo; quorum hunc odio habuit, cum illum diligeret, antequam quicquam feciſſent boni vel mali, neque intuens quid poſtea operaturi eſſent quoad finem, ut amaret eos; amavit eos, non quod digni eſſent amari, Deut. 9: 5. neque quod ſe amarent, ſed ut ipſos amaret, & quæ amor præſtare poſſet, Rom. 9: 3. in eos congereret, quæſivit in quos effunderet ſuum amorem Deut. 7 3. quoad modum, *Solummodo patribus tuis delectatus eſt.* In tanta hominum multitudine, cæteris præteritis, hos iſto affectu complexus eſt. In ipſiſmet, Et ſemen ipſorum poſt illos, vos, elegit ex omnibus populis, uti eſt hoc die. Patribus defunctis non exſtinctus fuit amor ille, ſed perennavit ad poſteros; demonſtratus eſt actuali electione ipſorum ex omnibus populis, dum Iſraelem adeo potenter ex Ægypto eduxit, ſibique proprios fecit; & continuatur demonſtratio in ipſis, qui eopſe die habebant experientiam. Similia dicta fuerunt Deut. 7: 6. ſ. Ubi Iſraeli quoque illum amorem demonſtratum ait. Meditati iſta tunc ſumus. Nunc hoc tantum.

Electio ex gratuito amore ad amoris demonſtrationem, excludit omne bonum quod ab homine ad Deum redeat, ſed bonum ad hominem redundare docet, Pſ. 44: 4. Beneplacitum Dei fecit ut Deus omnia conficeret, neque ipſis aliquid agendum relinqueret. Nam licet uſi fuerint armis, nihil tamen ſibi eapropter debuerunt; nam Deo quieſcente ante exiguam urbem Ai fugati fuerunt, Exod. 14: 14. & 2 Chron. 20: 17. conſiſtere jubentur & videre ſalutem Domini; ſed etiam in præliis id factum; nam Deus terrore, crabronibus, grandine & tempeſtatibus pugnavit, ut citra cladem unius maximos hoſtes conficerent: ſed hæc differentia eſt, quod iſtic ne quidem gladium habuerunt ſtringendum, ad cædendos hoſtes, quos Deus ipſe confecit, ſine gladio & haſta, in mari Ægyptios; gladiis hoſtilibus Moabitas, &c. Multo magis in ſpiritualibus beneplacitum Dei omnis boni origo, Rom. 8: 28. & 29. ſ. Eph. 1: 4. Tit. 3: 3. ſ. Quantum in eo beneficium: neque enim commune bonum eſt; Solum patres, & poſt ſolum ſemen eorum, cæteri omnes præteriti. Eſa. 41: 8, 9.

Verſ. 16. *Circumcidetis ergo præputium cordis veſtri; & cervicem veſtram ne obduretis amplius.*

c. *Obedientiæ ſtudium* inculcat verſ. 16. geminâ phraſi metaphoricâ, quarum poſterior aliquoties jam fuit propoſita, *Ne obdurate cervicem*, uti vitulus refractarius, qui jugum excutit, neque collum ſubmittere vult. Iſtud hactenus fecerant Deut. 9: 6. 13. adeoque ne id amplius faciant, hortatur. Sic vero prohibet externarum actionum inobedientiam pertinaciâ auctam. Prior nondum fuit uſurpata, & propterea nobis meditanda: *Circumcidite præputium cordis veſtri.* Quid Circumciſio ſit ex Gen. 17. diſcendum eſt. Deus hæreditarium fœdus cum Abrahamo initurus, voluit ut fœderati omnes maſculi ſignum fœderis in carne ſuâ geſtarent, reſectionem præputii: fuitque iſtud diſcretiva nota ab iis qui alieni à fœdere, qui præputiati & præputium dicebantur, cum cæteri forent circumciſi & circumciſio Eph. cap. 2: 11. ſ. Tranſlata ad cor ſignificat remotionem pravarum opinionum & cupiditatum, quæ impediunt obſequium cordis & affectum, & quæ ſi removeantur ſignatum fœderalis ſegregationis obtinetur. Proinde hanc imperat, quo internarum actionum inobedientia deſinat. Unde diſcimus,

Rite obtemperaturus Deo in requiſito timore & amore, debet internam & externam præſtare obedientiam, removere inobedientiam, circumcidendo cor, & cervicem non indurando. Poſterius iſtud demonſtratione non indiget. Cujus actiones externæ ſunt refractariæ, ut jugum fregerit, funes diruperit, ſit inſtar vaccæ indomitæ, nemo aliter de eo judicabit, quam eſſe inobedientem. Facta ſi negant timorem Domini, uti cum abominandam inobedientiam exercent, & ad omne bonum opus inepti ſunt, Tit. 1: 16. fruſtra jactabunt ſinceritatem cordis. Verum de priori magis laborandum. Habent ſubinde externæ actiones ſpeciem bonam, cum tamen veritas abſit. Cor eſt ſcaturigo cogitationum & actionum. Inde ſunt egreſſus ad vitam Prov. 4: 23. ſed inde quoque procedunt malæ cogitationes, homicidia, adulteria, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, Matt. 15: 19. Ex plenitudine cordis loquitur os, ſive illa mala fuerit, ſive bona Matt. 12: 34. ſ. & ſic quoque ſe habent actiones cæteræ. Hæc cordis pravitas dicitur *præputium* ejus. Eſtque ea omnibus naturalis; quemadmodum omnes maſculi naturaliter cum præputio naſcuntur, neque Iſraelitæ hic ab aliis gentibus differunt; ſic quoque omnes habent cordis præputium ſeu corruptionem. Gen. 6: 5. cap. 8: 21. Eph. cap. 2: 1, 2, 3. Hoc præputium per circumciſionem removendum eſt. Quod Moſes dicit, Circumcidite præputium cordis veſtri. Jeremias triplici ſimilitudine idem inculcavit, Jer. 4: 14. *Lava cor tuum à malitia ô Jeruſalem* &c. quando ſordes eluuntur, ut licet ſubinde aliquæ ibi ſint aut inferantur, non tamen tolerentur, ut ſimetum fiat aut ſterquilinium. Ibid. verſ. 3. ad viros Judæ, & incolas Hieroſolymæ, *Novellate vobis novale neque ſeminate inter ſpinas.* Spinæ, cardui, tribulique ſua ſponte naſcuntur in agro, & impediunt fertilitatem boni. Non ſufficit falce demetere quod excrevit, ſed novellando ipſæ radices ſuccidendæ & abolendæ ſunt, ne bonum ſemen illis excreſcentibus ſuffocetur. Et verſ. 4. *Circumcidite vos Domino, & removete præputia cordis veſtri.* Quod ipſum hîc mandatum eſt. Eſt vero officium ſatis moleſtum; Externa circumciſio iſtiuſmodi; Saucianda enim caro, & parte aliquâ mutilanda, non ſine magno dolore, qui plurium dierum eſt, donec ſanati fuerint Gen. 34: 25. Joſ. 5: 8. Quanto magis interna, cum ſenſibilius ſit cor quam corpus, ſpiritus quam caro. Præputium cordis non conſiſtit in actionibus externis, ut ſi illæ omittantur, circumciſio facta ſit; ſic tempus eam præſtaret; quando vel occaſio patrandi deeſt, vel vires corporis deficiunt; ſed in interioribus; Eſt illud quod dicitur Caro, vetus homo; & amputatio dicitur crucifixio veteris hominis Rom. 6: 4. itemque carnis cum cupiditatibus & deſideriis Gal. 5: 24. quæ ſunt præputia illa multiplicia; cum carnis non niſi unicum ſit, & nunquam renaſcens, niſi arte retrahatur 1 Cor. 7: 18. Hæc vero ſæpius repullulant, & repetitam jugiter poſcunt circumciſionem, quandocunque ullatenus ſe oſtendunt. Peragitur autem non externis inſtrumentis manus & cultri, ſed gladius ſpiritus requiritur, qui verbum Dei Eph. 6: 17. *gladius anceps* Pſ. 149: 6. & *manus ſpiritus*, Rom. 8: 13. Col. 3: 5. ſ. Pſ. 51: 8. Rom. 2: 29.

Verum hæc omnia ſi meditemur, exclamandum, *ad hæc quis idoneus?* Poteſtne iuſans octiduanus ſemetipſum circumcidere? non ne alienâ manu id præſtandum eſt? Longe major ineptitudo hominum ad circumciſionem internam. Falſum id opinantur nonnulli, quia imperatum eſt; & quicquid eſt imperatum, eopſe poſſibile rentur illi cui imperatum eſt; Sed vehementer errant. Imperatur officium, ad quod quis tenetur, ſive præſtare queat, ſive non, viribus propria culpa amiſſis. Deus homines fecit rectos, & hinc recta facere jubet, licet ipſi ſe rectitudine privarint. Tenetur ad obſequium creatoris, quia creatura; licet vitiatus propria culpa nihil ſine vitio agere queat. Sed eſt circa Iſraelem peculiaris ratio. Hi in ſuo contractu polliciti erant obedientiam propriarum virium, juſtitiam propriam: adeoque ex pacto ſuo ſibi ipſis parare debebant omnia eo neceſſaria. Et quia non habebant naturaliter novum cor, & ſpiritum novum, ſine quibus obedientia requiſita præſtari nequit, ſibi ipſis ea debebant facere; unde Ezech. 18: 31. *Abjicite omnes tranſgreſſiones veſtras* (hæc circumciſio;) *& facite vobis cor novum & ſpiritum novum.* Deus ex hoc fœdere nec dedit ipſis cor intelligens &c. Deut. 29: 4. nec debuit dare. Eſa. 5: 4. quid amplius faciendum vineæ meæ, quod non feci? nempe vi fœderis iſtius. Abſolute Deus plura facere poteſt, & facere quoque debet, aut nihil unquam ſequetur. Si Deus non det novum cor & ſpiritum nemo habebit, creandum enim eſt, ejus opus omnipotentiæ, creaturis univerſis incommunicabile & ipſo non circumcidente, nemo corde circumciſus erit. Sed non potuit ex formula fœderis iſtius plura facere, quam ut plantaret, & cœleſti pluviâ rigaret, ſtillis verbi ſui per prophetas officii moneret, ſed incrementum dare & terram fertilem reddere, id vero debuit illis relinqui, qui ignorantes Dei juſtitiam, propriam voluerunt conſtituere. Itaque ſi idem nobis diceretur, non magis valeremus. Sed non ſumus ejuſdem fœderis, neque ad nos dicendum, *quid amplius faciendum* &c? *quare exſpectavi uvas & protulit labruſcas?* Si hæc Dei ad nos verba ſint, vel impotens Deus eſt, vel priſcum fœdus reſtituitur, Miniſtriſic de ſe loqui poſſunt: quorum eſt duntaxat plantare, rigare, non dare incrementum; quorum illa nihil ſunt, hoc ſolum efficax, & ſolius Dei. 1 Cor. 3: 6, 7. Atque hoc ipſum novi fœderis beneficium eſt, uti cor & ſpiritum novum dare Ezech. 36: 26. ſ. ſic Deut. 30: 6. *Dominus Deus tuus circumcidet cor tuum & cor ſeminis tui.* Quod quando facit, non poteſt non ſequi effectus. Ad hoc novum fœdus non tantum vocantur Iſraelitæ, Jer. 31: 32. Ezech. 36. Deut. 30. quæ omnia Iſraeli loquuntur; ſed etiam Gentiles origine admiſſionem habent. Gentilibus ſcribit Apoſtolus. Col. 2: 11. *Circumciſi & vos eſtis in Chriſto* &c. Qui magnus ille *Mohel* circumciſor omnium eorum qui hanc internam conſequuntur. Phil. 3: 3.

Verſ. 17. *Nam Jehova Deus veſter, is eſt Deus Deorum. & Dominus Dominorum*, Deus *fortiſſimus, maximus potentiſſimus, ſummèque formidabilis, qui non accipit perſonam, neque recipit munus:*

Verſ. 18. *Agit cauſam pupilli & viduæ, & amat peregrinum dando ei cibum & veſtimentum.*

Sed Moſes quoque argumenta habet perſuadentia.

a. A Dei Majeſtate verſ. 17. *Nam Dominus Deus tuus eſt Deus Deorum, & Dominus Dominorum.* Summum deſignatur imperium. Pſ. 136: 2, 3. *Laudate Deum Deorum, Dominum Dominorum.* Tribuitur Patri, 1 Tim. 6: 15. *Chriſtum ſuo tempore manifeſtabit beatus ille & ſolus dynaſta Rex regum & Dominus Dominantium.* Et Filio, Apoc. 17: 14. *Agnus eſt Dominus Dominorum & rex regum:* & cap. 19: 16. hic titulus ſcriptus eſt in veſte & femore ejus, cujus nomen *Verbum Dei.* Scilicet quia Pater omne judicium dedit Filio, quâ miſſus eſt, Mediator Joh. 5: 22. ſ. poteſtatem omnis carnis cap. 17: 2. omnem poteſtatem in cœlo & in terrâ Matt. 28. verſ. 18. quem exaltavit longe ſuper omnia, Eph. 1: 21. adeo ut ipſi quoque angeli ſubjecti ipſi ſint. Imperium iſtud deſcribitur Dan. 4: 35. Utrumque ſub nomine *Domini Dei tui* colendum dixit Exod. 23: 20. ſ. Et hîc internum externumque obſequium ſub hoc titulo poſtulatur. Jer. 10: 6, 7. Si potentior detur princeps, qui tueri queat & magis augere bonis, homines negligunt ſubinde officium; Hæc perfidiæ & rebellionis in inferioribus cauſa, qui ſecuritatem cri-

mi-

minis ſui ſibi promittunt, honeſtate omni inſuper habitâ. Verum tale conſilium inutile eſt reſpectu Dei. 2 Chron. 28. verſ. 23.

β. *A Dei juſtitia*, dicitur enim, *magnus ille, potens & terribilis Deus, qui faciem non recipit, neque munera acceptat.* Judicem deſcribit, qui exſequi ſententiam poteſt, neque vel gratia vel munere corrumpi poteſt. Sic 2 Chron. 19: 6, 7. apud Deum non eſt iniquitas, nec proſopolepſia, nec munerum acceptio, qui tamen eſt in judicio, & cujus illud eſt. Præſciſſa eſt omnis facultas ullo dominatu prævalendi; ſed non minus corrumpendi ejus judicium. Qui declinare tribunal nequit, ſic tamen ſibi poteſt proſpicere, ſiquidem inveniat judices qui munera & compenſationem quærant, vel qui ex affectu judicent, gratiæ vel odio indulgentes, ſpe metuve flexiles. Nihil horum eſt apud Deum. Job. 34: 19. *faciem principum non recipit, & divitem præ paupere non agnoſcit; nam omnes ſunt opus manuum ſuarum.* Et Eſa. 11: 3. *non judicat ſecundum intuitum oculorum, vel auditum aurium, ſed in juſtitia & rectitudine.* Tonitrui inſtar hæc deſcriptio eſt omnibus impiis; quod cum ſuperiorem hunc cogantur agnoſcere, juſtiſſimum habeant. Quibus id unum ſolatii, longinquum eſſe judicium ejus, & interim ſe frui ſuâ tyrannide & injuſtitiâ. Alii malunt omnem cogitationem de Deo excutere, quaſi vel nullus foret, vel nihil curaret rerum mundanarum: quos Nebucadnezar & Baltaſaris &c. exempla revincunt. Solatium magnum autem piis, quicquid etiam patiantur in mundo, habent judicem Deum; tribunalia terrena condemnent, uti Jeſum, committunt illi qui juſte judicat, 1 Pet. 2: 23. Nihil eum flectit præter innocentiam; quiſquis Deo ſervierit, quamquam humanis moribus & legibus contrariis adverſatus, abſolvetur, imo conſequetur felicitatem æternam.

γ. *A Dei Bonitate.* verſ. 18. *qui litem pupilli & viduæ curat; qui amat peregrinum, ut ei panem & veſtes det.* Non tantum juſtè judicat; ſed etiam oppreſſis, aut injuriæ obnoxiis, quia defendere ſe nequeunt, ſuccurrit; Hujus ordinis eſt pupillus, vidua, peregrinus. Pſ. 68: 6. *Eſt pater pupillorum & judex viduarum.* Pſ. 146: 9. peregrinum ſervat, Frequentia illa dicta ſunt apud Moſen. Proinde qui humana ope aut conſilio deſtituuntur apud Deum inveniunt. Quamdiu vidua illa apud injuſtum judicem inſtitit? Luc. cap. 18: 2. quem importunitate vicit; ſed quam ſæpe pupillo non faciunt jus, & lis viduarum ad ipſos non venit: Eſa. 1: 23. quid Deus teſtetur de judicibus Pſ. 82: 1. ſ. apertum eſt. Si quid tale ergo fiat, habent pii afflicti quo ſe recipiant. Hoſ. 14: 4. *utique pupillus* &c. Exod. 22: 21. ſ. de tribus illis, *ſi lædantur & clament clamando ad Deum, Deus audiendo audiet, & iraſcetur & gladium ultorem expediet.*

Speciatim *peregrino*, qui nihil habet, cum vidua & pupillus in Iſraele aliquid poſſiderent, illum amat, ad dandum alimenta & tegumenta. Hæc poſtulavit peregrinaturus Jacob Gen. 28: 20. & Deus ei præſtitit, quod hîc promittit. Solatium in eo: ſumus adhuc in patriâ, ſed neſcimus quamdiu futuri, annon ejiciendi in terram alienam? Bellum diſſidiaque multiplicant vaſtationes; & aliam minatur impietas, & indigna Euangelio vita; ut ejus tranſlatio fiat aliò, quando juſti aguntur in vaſta Eſa. 29: 21. Pſ. 11: 2. Qui Deum timent peregrini, (nam impiis peregrina conditio in pœnam eſt,) nuſquam deſtituuntur amico, Deus amat; & quia poteſt, ſuppeditat neceſſaria, quantum ſufficit pietati 1 Tim. 6: 6. ſ. Heb. 13: 5. *qui coram Domino habitant, edent ad ſatietatem & juge habebunt operimentum* Eſa. 23: 18.

Verſ. 19. *Itaque amabitis peregrinum, quia peregrini fuiſtis in terra Ægypti.*

Subjungitur verſ. 19. *Exhortatio* ad imitationem Dei, erga peregrinos, recordatione propriæ conditionis. Matt. 18: verſ. 32. imitandus fuerat herus in eo, quod ſibi præſtitum. Imitatio Dei liberorum eſt 1 Cor. 11: 1. Matt. 5: 45. ſ. ſic ſecuritas ſtatus erit 1 Pet. 1: 14, 15. eoque & hæreditatis, Rom. 8: 17.

Verſ. 20. *Jehovam Deum tuum timeto, eum colito, & ei adhæreto, ac per nomen ejus jurato.*

B. Quandoquidem autem tantæ neceſſitatis & oportunitatis iſtud eſt, tantique compendii, haud mirum eſt Moſen ſub extremum vitæ ſæpius illud inculcaſſe; quia nunquam nimium dicitur, quod cuivis quadrat quocunque tempore: Quod proinde neque nos tædere debet, ſi ſæpius repetamus. Propoſuit illud verſ. 12. ſ. & rationibus aliquot confirmavit. Nunc denuo urget, reſiduis verſibus, Officium ipſorum declarans, verſ. 20. & cauſam dicens verſ. 21, 22.

א. *Officium*, verſ. 20. deſcribit Objectum, & Actus circa illud.

a. *Objectum* eſt *Dominum Deum tuum*, quæ voces frequenter explicatæ ſunt, & verſ. 17. non tantum eaſdem habet, Eſſentiatorem deſignans, inprimis, gratiæ reſpectu, utpote qui Regimen judiciumque exerceret juxta fœderis leges, quod cum ipſis inierat, ut tum conciliatum Deum haberent, tum benefacientem & omnia eorum moderantem ad commodum fœderatorum. Sed inſuper addit declarationis ergo, *Dominus Deus tuus eſt Deus Deorum, & Dominus Dominorum, Deus ille magnus, validus, venerabilis.* Quæ quid ſignificarint, & quomodo olim Judæi intellexerint, id non poſſum negligere, ut non indicem. Raknat fol. 201. col. 2. *Nullam in lege literam eſſe* dicunt, *unde non magni montes dependeant*; (ut ſignificent non ſupervacaneam eſſe plurium nominum divinorum congeriem, ſed inſuper inexhauſtam eſſe ſapientiam, quam Spiritus Sanctus in Scriptura depoſuit; ut Scrutatio, quam Chriſtus commendavit, Joh. 5: 39. nunquam finem habere queat, ſed quamvis tot ſeculis in iis laboratum ſit, tamen abunde relictum ſit, quod & in hoc & in futuris ſeculis occupatos habeat homines, & ſcrutantes non vento vanitatis, ſed ſolidis divitiis impleat.) *Intellige, quod hic memoret initio Nomen illud propriiſſimum poſt illa Deus Deorum, & tandem Dominus Dominorum.* (Sic quoque Pſ. 136: 1, 2, 3.) *indicat enim iſtis tres perſonas primas*, (ſubſiſtentias, יהוה) *& de prima dicit, qui facit mirabilia magna ſolus*, verſ. 4. *de ſecunda*, verſ. 5. *qui facit cœlum per intelligentiam, & de tertia qui expandit terram ſuper aquis*, verſ. 6. *Deus ille magnus, validus & venerandus. Deus ille eſt Deus Excelſus; cætera indicant tres patres*, (perſonas illas duas,) *Magnus indicat Benignitatem; Validus robur ſeu Judicium; Venerandus Miſericordiam, ex illo apud te eſt Condonatio, ut timearis.* Antrinitarii clamitant dogma iſtud novum eſſe & confictum à Chriſtianis, & quæ in N. T. dicuntur de eo diſtorquent. Alii qui confutant ipſos, id tamen eis largiuntur in V. T. non quidem penitus ignoratum fuiſſe, ſed tamen adeo obſcurum, ut exigua admodum fuerit ejus notitia, adeo ut vix ſine N. T. explicatione intelligi queat. Verum Judæi veteres illud habuerunt exploratiſſimum, adeo ut ubique ejus non tantum veſtigia, ſed demonſtrationes reperiant. Ita ut heic quoque ex triplici deſcriptione Dei tres perſonas indicatas profiteantur, quarum omnium opera in creatione animadvertantur. Primæ tribuunt ex Pſalmo omnium actionum principium, qui Jehova Eſſentiator primus; mirabile maximum enim dare eſſe cum non eſſet, Joh. 5: 19. Secundæ, factionem cœli, Pſ. 33: 6. qui Deus Deorum, Elohim gubernator ſummus ſupra omnes creatos; quicquid Deus vocatum eſt præter ipſummet. Tertiæ, expanſionem terrarum ſuper aquas, Dominus Dominorum, qui exercituum ſeu incolarum productor Pſ. 33: 6. & in prima creatione terræ ſuper aquas incubando fovit ſua virtute Gen. 1: 2. Porro, Deum ſummum & unum prorſus, trium Patrum nomine denotant, id eſt perſonarum, quæ principium omnium rerum; quarum actiones ſunt, in adminiſtratione mundi, & Eccleſiæ potiſſimum. Benignitas ampliſſima magnitudine, Judicium validiſſimum robore: Miſericordia condonationis ergo reverenda.

b. *Officia* iſta jam aliquoties dicta ſunt Deut. 6: 13. ſ. *Dominum Deum tuum timebis, & ipſi ſervies & per nomen ejus jurabis; non ibis poſt Deos alienos*; quod contrarium eſt adhæſioni. Hic Bechai fol. 200. col. 3. *Timebis abſtinendo interdictis; Servies faciendo mandata; ipſi adhærebis, ut cogitationem tuam ab ipſo non ſejungas.* I. Quatuor Officia. poſcuntur. I. *Timor.* reverentia agniti & æſtimati, ut nihil animo concipere, ore eloqui, opere exſequi velit, quod non habeat religioſum ejus intuitum, ne Diſplicentiam adferat. II. *Servitus*, ut ipſius voluntati & imperio obnoxius

xius vivat, paratus ſuſcipere & agere quodcunque quandocunque & ubicunque juſſerit, utpote abſolutum Dominum agnoſcens omni tempore & loco. III. *Adhæſio* eſt intimus amor, qui diviſionem non fert, quemadmodum conjuges ſibi cohærere oportet Mat. 6: 24. ut in iſta conjunctione felicitatem conſtituat. IV. *Profeſſio* publica, quæ jurejurando ſignificari ſolet, ut non pudeat eopſe innoteſcere, quod præter illum neminem agnoſcat aut colat, Eſa. 56: 6. הנלוים *adhærentes*, ad miniſtrandum, & amantes nomen Domini ut ſint ei ſervi; Miniſterium reverentiæ eſt Servorum ſervitus & adhæſio & amor, reſpondet huic adhæ.ere; aſt loco juramenti profeſſionis eſt obſervatio Sabbathi & fœderis apprehenſio valida. Adhæſio quæ hic primum exerte mandatur, Emphaſin habet ſingularem: arctiſſimam connexionem dicit, qualis rerum conglutinatarum. Quæ omnino neceſſaria, qualis deſcribitur à Raknat fol 201. col. 4. *Et ipſi adhærebis, Interpretatio eſt ſignificari per myſterium munditiei membrorum ſuorum, poſſibile eſſe ut quis adhæreat Schechinæ, quamvis ſit ignis conſumens; nam anima munda vocatur lampas Domini, & accenditur ab igne Schechinæ, & in hac eſt ejus adhæſio, & eminentia ejus, & appetitus ejus.* Scilicet quod Johannes dixit, Joh. 1: 9. Filius Dei eſt *lux vera, illuminans omnem hominem venientem in mundum*, ut anima ſit lux; verum inſuper qui eum recipiunt, animam illorum mundat, & diſcuſſis tenebris vere illuminat, ut lux ſint in ipſo quà Meſſias eſt; atque ipſi adhæreant, & in illa adhæſio[illegible]m excellentiam habeant, tum voluptatem: atque etia[illegible]id teſtentur externa munditia membrorum, 1 Cor. 6: 15–17. *qui Domino adhæret, unus Spiritus eſt cum ipſo.* Adhæſio iſta arctiſſima eſt, & ſine qua, non datur vera Rom. 8: 9. Demonſtratur autem 1 Joh. 2: 6. ubi idem ſpiritus, ibi eadem ambulatio, uti ipſe vivit Deo ad gloriam Patris, Rom. 6: 4–10. ſic quoque hic; ut Chriſtus in nobis habitare, & vivere agnoſci queat, Gal. 2: 20. Eph. 4: 20. & qui adhærent tandem erunt ubi ipſe, Joh. 12: 26. *qui mihi ſervit, ſequatur me: & ubi ego ſum, ibi quoque erit miniſter meus.* Etenim qui longe abſunt à Deo peribunt, &c. Pſ. 73: 27. quæ cum naturalis omnium conditio ſit utique primum reconciliatio quærenda, ut longinqui fiant propinqui; quod per Chriſtum præſtatur, fide apprehenſum, Eph. 2: 13. ſ. per illum ſanctum fœdus conjunctionis; de quo, Jer. 50: 5. Venient, & Domino addentur æterno fœdere non obliviſcendo. Nam adhærentes ſuſtentat Deus, Pſ. 63: 9. *Agglutinata eſt anima mea poſte; nam dextra tua me ſuſtentat.* Pſ. 73: 23, 24. Deſignatur *ambulatione cum Deo*, vel coram Deo ut Enoch, Noach, Abraham: quorum hic Deum Schaddai expertus eſt; iſte gratiam defenſionis, ille glorioſam aſſumtionem in cœlum. Cæterum ſpecialiſſima adhæſio eſt. Ambulandum in viis Domini & adhærebit nobis. Eſa. 64: 4, 5. Joh. 14: 23. Bechai fol. 200. col. 3. *Recte dicitur de hominibus hujus excellentiæ, qui habent excellentiam adhæſionis hujus, quod anima ipſorum etiam dum vivunt in faſciculo viventium ligata ſit, ſunt enim ipſimet habitatio Schechinæ.* Nam Eph. 3: 17. Joh. cap. 11: 25. ſ.

Verſ. 21. *Ipſe eſt laus tua, idemque Deus tuus, qui fecit apud te res maximas & formidabiles iſtas, quas viderunt oculi tui.*

ב. *Cauſa* officii indicatur generatim, verſ. 21. *Ipſe eſt laus tua, & ipſe eſt Deus tuus.* Quidam primum membrum referunt ad officia; æquum eſt ut ſit laus tua, ut non glorieris de ulla virtute, præterquam de ipſo ſolo. Hunc liberalem ſenſum facit Bechai ibid. quomodo hic nihil aliud dicetur, quam quod in præcepto primo, *Non erunt tibi Elohim alii præter faciem meam.* Nam Schechina deſignatur per Laudem tuam; & huic ſoli, non aliis virtutibus laus danda, in ipſo ſolo gloriandum. Jer. 9: 23, 24. Sed potius eſt (quandoquidem gloriatio ſub jurejurando profeſſionis continetur,) ut hic cauſa dicatur iſtorum officiorum, quæ heic eſt beneficentia divina. Eſt enim iſta materia laudis. Eam reſtringunt quidam, Ipſe eſt laus tua, quia eſt Deus tuus, ut fœderalis conjunctio materiam præbeat; Quæ profecto magna eſt, & abundantiſſima; ut nunquam ſatis eo nomine laudari queat, inprimis ſi conſideretur quomodo iſtud fœdus confectum ſit, per Mediatorem filium Dei. Sed heic non quæritur ratio laudis dicendæ, ſed ratio obſequii præſtandi; Quarum prima eſt Laus, cujus argumentum ſuppeditat, Exod. 15: 2. Similis eſt profeſſio Eſa. cap. 12: 2. Pſ. 22: 4. ſ. Pſ. 32: 7. Pſ. 130: 1 ſ. & pariter Deus cingitur laudibus, Pſ. 7: 8. ſiquidem judicium exercueris ad mei vindictam ab hoſtibus. Eſt vero hoc magnum momentum ad obſequium; Etenim cui laudes dicuntur ob beneficia meræ gratiæ, poteſtne aliud concludere, quam debere ſe illi obedientiam? Joſ. 24: 16. ſ. Verum quam frequens eſt neglectus, Pſ. 106: 7. ſ. Nihil familiarius: laudes Dei externo teſtimonio probatæ, conjunguntur cum inobedientia; & lætitiæ feſta ſociantur ebrietati & crapulæ ad oblivium Dei & mandatorum ejus. Aliter David, qui ſequendus. Quando Deus laus, etiam obſequii novus ſtimulus, Pſ. 56: 13. ſ. & Pſ. 116: 12. ſ. Sic Deus poſcit, Pſ. 50: 23. maxima ſalus tunc exſpectanda:

Eſt etiam alia interpretatio Raknat. 201. col. 4. חלל *in* Hiph: *lucere* notat, Job, 29: 3. בהלו, & hinc תהלה *lux*, qua ſignificetur lux ſeu ignis Schechinæ. Scilicet uti Pſ. 27: 1. Eſa. 10: 17. *Lux Iſraelis*, idem eſt *Sanctus ejus*, unde proſperitas omnis, cauſa obſequii religioſi.

Altera eſt *ipſe Deus tuus*: rector & judex tuus, cui debes obedientiam. Crebro dicitur, hacpropter eduxiſſe ex Ægypto, ut Deus ipſis foret & ipſi ſibi obtemperarent Lev. 19. verſ. 36. ſ. cap. 23: 31. ſ. cap. 25: 55.

Chriſtus nobis quoque factus eſt in Deum, quando nos ex poteſtate Diaboli exemit, ut liberati ipſi ſerviremus Luc. cap. 1: 74. ſ. 1 Cor. 6: 29. & factus eſt Belgio in Deum, cum ex tyrannide Anti Chriſtiana vindicavit; Quantum deberet eſſe noſtrum obſequium! Meditanda hacpropter ſpeciatim beneficia, de quibus, verſ. 21. *qui tecum fecit magna iſta & mirabilia, quæ viderunt oculi tui.* Provocat ad propriam experientiam; de qua plenius cap. 11: 2. ſ. Non deſunt experimenta nobis tum publice; tum privatim. Si memoria maneret jugis, non illico adverſaremur.

Verſ. 22. *Ad ſeptuaginta animas deſcenderunt patres tui in Ægyptum: nunc autem diſpoſuit te Jehova Deus tuus*, ut ſis *ſicut ſtellæ cœli multitudine.*

Sed aliud experimentum addit, verſ. 22. *cum 70. animabus deſcenderunt*, &c. Confert exiguum numerum initii ad præſentem. Numerus ille filiorum & nepotum Jacobi legitur Gen. 46: 27. Exod. 1: 5. Non dicemus de ratione computi; unde Judæi Jacobum excludunt, & Deum includunt, aut Jochebed addunt quam dicunt in limite Ægypti natam eſſe: omnes animæ domus Jacobi, quæ venerunt in Ægyptum, quamvis filii Joſephi duo iſtic nati eſſent, erant 70. A 75. anno Abrahami, quando Harane egreſſus eſt, uſque ad ingreſſum Jacobi in Ægyptum, fuerunt anni 215. & tantum excrevit familia hæres promiſſionis ad 70. numerum; ſed poſt 215. annos in Ægypto, fuerunt 600000. virorum vicennio majorum, præter tribum Levi, & mulierum ac minorennium forſan major fuit multitudo. Merito ergo dicit Moſes, quod ſint ut ſtellæ innumerabiles. Mirabile profecto iſtud incrementum. Sed prædictum Gen. 15: 5. & tam brevi ſpatio ad complementum Deus rem deduxit. Quo ſpectat Moſes, cum Jehovæ Dei tui mentionem facit, qui iſtud effecerit, juxta promiſſionem. Hæc eſt benedictio Dei ſingularis, Pſ. 107: 38–41. Alibi dicuntur multiplicandi, ut pulvis terræ innumerabilis Gen. 13: 16. quod itidem factum Heb. 11: 12. Hoſ. 1: 10. Miraculoſa multiplicatio ſub Joſaphato, duarum tribuum rege 2 Chron. 17: 13. qui habuit delectos ad militiam 1160000. præter præſidiarios in urbibus munitis. Sed uti miraculoſa benedictio multiplicationis, ſic quoque mirabilis imminutionis maledictio, Amos 5: 3. urbs egrediens cum mille habebit reſiduos centum, & quæ cum centum decem, in domo Iſraelis Eſa. 1: 8. ſ. quia populus Gomoræ & principes Sodomæ. Hiſtoria Iſraelis exempla imminutionis mira refert, 40000. Iſraelitarum & tota tribus Benjamin, exceptis 600. Jud. 19. cæſa Iſraelitarum uno prælio 500000. cap. 28. Plagæ aliæ abſumſerunt 24000. Num. 25. & 70000. 2 Sam. 24.

CAP. XI.

Vers. 1. *Itaque diliges Jehovam Deum tuum, & observabis observationem ejus, & statuta ejus, judiciaque ejus, & præcepta ejus omnibus diebus.*

Vers. 2. *Et agnoscetis hodie, non filios vestros, qui non noverunt neque sunt experti eruditionem Jehovæ Dei vestri vidisse, magnitudinem ejus, manus ejus fortem, & brachium ejus extentum.*

Vers. 3. *Et signa ejus, & facta ejus quæ fecit in medio Ægypti, adversus Parhonem Regem Ægypti & adversus totam terram ejus.*

Vers. 4. *Quæque fecit exercitui Ægyptiorum, equis ejus, & curribus ejus, quod fecit ut aquæ maris algosi inundarent super faciem eorum quum persequerentur vos, ita ut perdiderit eos Jehova usque in diem hunc.*

Vers. 5. *Et quæ fecit vobis in deserto, donec perveniretis ad locum hunc.*

Vers. 6. *Et quod fecit Dathani & Abiramo filiis Eliabi filiis Reubenis quum aperiens terra os suum absorbuit eos, & domos eorum, & tentoria eorum & omnia corpora viventia quæ sequebantur eos in medio Jisraelis.*

Vers. 7. *Sed oculos vestros* fuisse, *qui viderunt quodque opus Jehovæ maximum quod fecit.*

MAgnum fuit miraculum, quod Christum patrasse legimus Joh. 6: 11. Secuta ipsum erat multitudo magna, ad mare Tiberiadis, circiter viri 5000. præter mulieres & pueros: (Matth. 14: 21.) ad hos cibandos non fuerunt ad manum nisi panes quinque & duo piscículi. Sed Jesus benedixit, & distribuit per discipulos; & omnes fuerunt satiati, superfuitque tantum ut 12. corbes impleverint. Benedictio multiplicationis fuit, quæ omnem vim naturæ excedit; ut quod 25. hominibus vix satis erat, forte 6. vel 8. millibus sufficeret, atque adhuc redundaret. Est vero etiam notabile quod additur de miraculi hujus æstimatione, vers. 14. &c. Homines, qui viderant signum, istud agnoverunt Jesum esse Prophetam illum, venturum in mundum, & voluerunt illum facere regem, ut ei se subjicerent, atque ab ipso regerentur. Similitudine aliquâ respondet, quod nobis occurrit in textu, quem ordine tractamus. Beneficium multiplicationis habemus longe illustrius, Deut. 10: 22. Patres vestri cum 70. animabus descenderunt in Ægyptum, & nunc Dominus Deus vester vos constituit ut stellas cœli in multitudine. Illa benedictio fuit in alimento hominum, ut parum plurimis sufficeret; sed hæc in hominibus ipsis. Septem istic sunt, quinque panes, & duo pisces; & hinc post exsatiatos forsitan 6000. vel 8000. restant 12. corbes pleni fragmentorum. Hic sunt 70. animæ quæ intra spacium 250. circiter annorum excreverunt ad numerum forte 12. centenorum millium. Quemadmodum istic non natura alimenti solum id præstitit, sed benedictio Jesu; ita hîc non naturalis virtus duntaxat, sed ponere Dei fœderati, qui omnipotentem gratiam exseruit. Verum istic satiati illâ multiplicatione Christum voluerunt regem, agnoscentes benefactorem & ipsum amantes. Ita etiam hîc Israelitas facere voluit Moses: quo eos hortatur vers. 1. hujus capitis. Hæc est connexio cum præcedentibus, ut denuò inculcet officium ipsis, vers. 1. adhibitis novis argumentis vers. 2--7.

1. *Connexio* fit per copulam *Et*, quam Interpretes reddidere, *Propterea*. Dicit autem validam rationem ad persuadendum obsequium.

Miraculosa bonitas Dei, ex minimis initiis ad stupendam copiam permovens valide auctos urget. Septuaginta animæ pleræque minorennes veniunt peregrinatum in Ægyptum, ubi quoad religionem, & vitam pastoritiam erant abominationi Gen. 43: 32. cap. 46: 34. quam facile fuisset eos exterminare? Sed servantur & tantopere augentur, etiam sub variis oppressionibus ad imminutionem institutis. Annon hacpropter obstricti erant Deo? Imperatur istud Deut. 26: 5. primitias fructuum terræ debuerunt offerre coram Deo, cum professione; *Pater meus fuit Syrus periens & descendit in Ægyptum, & degit istic ceu peregrinus cum pauco populo, sed factus ibi est populus magnus & validus & multus. Jacob ipse* Gen. 32: 10. *minor sum omnibus hisce beneficiis & fidelitate, quam exercuisti erga me, nam hoc scipione transii hunc Jordanem, & nunc factus sum in duos exercitus.* Crimen est magnum, si istud non observetur 1 Sam. 15: 17. &c. Davidi proponitur istud beneficium præstitum 2 Sam. 7: 8. & exprobratur neglecta obedientia. Sane beneficium multiplicationis evidens est circa Belgium, in Politicis & Ecclesiasticis. Quæ fuere initia Ecclesiæ 1566. & deinceps. Exiguus fidelium numerus, qui in occultis locis, & desertis convenerunt, sæpiusque dissipati sunt, grassante inquisitionis persecutione, & quot myriades postmodum implerunt terram, & obtinuerunt omnia templa. Quæ initia Reip. ubi vix locus relictus ad figendum pedem, ut in navibus patriam mobilem facere cogitarent, dum invenirent alibi stabilem, & quantum aucti fuimus? Quid non debemus tali Deo, cui uni accepta ferenda sunt omnia. Ps. 136: 23.

A. Sed videamus officium, generatim & speciatim propositum,

R. *Generatim*, dicit *Diliges Deum tuum.* Dixit istud cap. 10: 12. & cap. 6: 5. unde sumsit Christus Matth. 22: 36. quemadmodum inter Judæos id erat vulgatissimæ professionis Luc. 10: 22. Marc. 12: 33. Et pii inde denominantur Ps. 97: 10. Amantes Dominum, & amantes nomen Domini Ps. 5: 12. & 69: 37. Estque summa ac principium omnis obsequii. Esa. 56: 6. itemque æquissimum Ps. 31: 24. ut merito dicatur anathema deficienti 1 Cor. 16: 22. Sed etiam quod ubique desideratur. Non ferunt homines istam exprobrationem, utpote qui exsecrantur, nisi plane athei sint, si quis quod perfectissimum est omni ex parte, & utilissimum sua beneficia, quomodo Deum concipiunt, non amet; verum uti sunt, qui Deum se nosse dicentes factis negant, Tit. 1: 16. sic qui se Deum amare dicentes, factis negant, osores Dei, Rom. 1: 30. & inimici Dei Col. 1: 21. Quod non tantum valet de hominum naturali conditione, Rom. 5: 8, 10. sed etiam de iis, qui uti Israelitæ hic, etiam fœderati Dei externa professione. Injuriam sibi dici quidem autumant, uti Hazael 2 Reg. 8: 13. cum crudelitas contra Israelem indicaretur, quam erat exercíturus, ait, *An servus tuus canis est, ut rem istam magnam faceret?* Si verò quivis semetipsum examinet, quam multa reperiet, quæ eum convincant. Non amat Deum, qui non toto corde amat: uti non amat maritum, quæ ullum præter eum amat. Matt. 6: 24. mammonæ autem amor est universalis; Jer. 11: 13. *juxta numerum urbium tuarum fuerunt Dii tui, ô Juda, & juxta numerum* platearum Hierosolymæ constituistis altaria pudori, ad sufflendum Baali. Sic juxta numerum dæmonum Mich. 6: 40. mammona colitur; à minimo ad maximum quivis exercet avaritiam & falsitatem Jer. 8: 10. & juxta numerum cordium constituuntur altaria pudori, cupiditatibus pudendis; habente quovis suos stercoreos Deos in corde, & offendiculam iniquitatis ante oculos suos. Ezek. 14: 2. Hos. 3: 1. Israelitæ conferuntur mulieri amatæ ab amico, marito, adulterium committenti, sic ipsi amati à Deo, respiciebant Deos alienos, & amabant lagenas vini. Etiam ebrietas adulterium Hos. 4: 16. est, quia venter Deus Phil. 3: 19. & potentia Hab. 1: 11. & quævis cupiditas. Imo vestium fastus, & quodvis instrumentum ejus, quæcunque recenset Propheta Jesa. 3: 18. &c. totidem idola erant, quibus affectus filiarum Zionis adhærebat, ut se officium neglexisse putarent, siquidem ullum negligerent; & virgines magis cavebant oblivium sui ornatus & ligamentorum Jer. 2: 32. quam Dei. Neque id mirum, 1 Joh. 4: 20. non amat Deum qui fratrem non amat: sed pariter & magis adhuc valet, non amat Deum qui se non amat. Non loquar de amore sui neglecto propter amorem Dei. Matt. 10: 37. Luc. 14: 26. quando maximus est sui amor, qui quod perituram est, corpus ejusque vitam negligit propter Deum & Christum, ut quod indesinens habet, æternum felix sit anima nempe, & vita Dei à Christo fluens, & fide apprehensa.

henſa. Sed quando odit quis animam & eam in mortem æternam præcipitat. Hoc vero fit à plurimis. Prov. 8: 36. 1 Tim. 5: 6. cupiditates ſequens viva eſt mortua, & agit mortua mortiferaque opera, quæ viventis Dei odium teſtantur. Iſta quando fiunt apparet prima elementa Chriſtianiſmi nondum fuiſſe percepta. Jud. 21. *Cuſtodite vosmet ipſis in amore Dei.* non tantum in ea quâ diligimini à Deo, ſed etiam qua diligitis Deum; quæ illius effectus & teſtimonium eſt, 1 Joh. 4: 19. & cap. 5: 3. Additur autem *neque mandata ipſius ſunt difficilia.* Incredibile iſtud multis: ſed veriſſimum, non tantum reſpectu Dei, qui largitur vires ad faciendum, omnia poſſunt per Chriſtum ſuppeditantem robur Phil. 4: 13. & operantem in ipſis Heb. 13: 21. dummodo credant Marc. 9: 23. ſed etiam reſpectu noſtro, ſiquidem diligamus, Gen. 29: 20. *Jacob pro Rachele ſervivit 7. annos & fuerunt in oculis ejus, ut ſinguli dies quia diligebat illam.* Dilectio peccati quam duram nobis ſervitutem imperat & ſuavem facit; & idem præſtabit dilectio Dei.

2. *Speciatim* demonſtratio exigitur, & *cuſtodies cuſtodiam ejus ſtatuta, judicia, præcepta ejus, omnibus diebus.* Abraham dictus fuit amans Dei Eſa. 41: 8. & hæc præſtitiſſe Deus ipſe ait Gen. 26: 5. *Abraham voci meæ obediens fuit, & cuſtodivit cuſtodiam meam, præcepta, ſtatuta, leges.* Indicat hoc modo perfectionem Legis, quicquid ea comprehenditur, Habet ſtatuta, mero placiti divini circa ſuum cultum, & Judicia de officiis in politica & œconomica ſocietate obſervandis: & præcepta de pietate & honeſtate, coram Deo & hominibus exercenda, proinde quicquid omnino faciendum eſt, citra ullum defectum. Coercet hâc enumeratione humanam ἰθελοθρησκείαν. Hoc ſunt homines ingenio, ut aliquid ſemper addere velint de ſuo; ab omni tempore id obtinuit, neque ſuperſtitiones, & idololatriæ, & religiones differentes aliam habent originem λόγῳ σοφίας ſuadet præcepta hominum, humilitatem, & ἀφειδίαν corporis. Col. 2: 23. Tot regulæ inter Pontificios ita ſe habent; unaquæque aliquid reperiſſe jactat, quod Deo magis obſequentem faciat, & placentem. Sed Moſes aliud docet non ſolum verbis expreſſis, non addes, nec demes Deut. 4: 2. cap. 12: 32. ſed ſolâ iſtâ enumeratione. Habetis inquit, omnis generis leges, ſive moralia, ſive ceremonialia, ſive judicialia velitis: quicquid privatim erga Deum & proximum, quicquid publice in ſocietate politica vel eccleſiaſtica obſervandum. Scrutamini eam probe, invenietis eam regulam perfectiſſimam in qua nihil deficit. In ea ergo acquieſcite, neque comminiſcimini in cerebro veſtro vel additiones, vel correctiones. Mich. 6: 8. notum fecit Deus quicquid bonum eſt, & quicquid requirit à te; Ne finge tibi, te rectius noſſe mentem Domini, quid ipſi placeat, quo glorificetur. Noluit pendere à tuo arbitrio, ſed te ſibi obnoxium eſſe. Hoc modo Moſes & hîc & alibi magnificat verbum Dei, ne quis deroget ejus autoritati, ſibique arroget, à ſe ſupplendum eſſe: ſed ut diſcant non ſapere ſupra id quod ſcriptum eſt 1 Cor. 4: 6. abnegent ſemetipſos ſuamque ſapientiam, & ſimpliciter ſe ſubjiciant ejus voluntati in omnibus. 2 Pet. 1: 19. &c.

Porro, quod poſcat *cuſtodiam cuſtodiæ Dei* in omnibus iſtis, declarat exactitudinem obedientiæ Dei. Miniſterium Sacerdotum & Levitarum in ſanctuario vocatur cuſtodia Dei ab iis cuſtodienda, quia exactiſſime ad minimas quoque circumſtantias attendendum erat. Zach. 3: 7. Adeoque obedientia exquiſita notatur, uti cuſtos accurate debet obſervare omnes & omnia, quæ circa ſuam ſtationem fiunt: ſic ut nihil fiat omittendum, nihil amittatur faciendum. Pſ. 130: 5, 6. *Exſpectо Dominum, anima mea exſpectat, & præſtolor verbum tuum. Anima mea ad Dominum, magis quam vigiles mane, vigiles mane!* Verbum promiſſionis dicit; eademque debet eſſe verbi mandati cuſtodia. Dicitur *cuſtodia viæ Domini* Gen. 18: 19. quando caventur omnes declinationes. Eſa. 30: 21. Hoc nomine commendantur Zacharia & Eliſabet, parentes Johannis Luc. 1: 6. fuerunt ambo juſti coram Deo, ambulantes in omnibus mandatis & juſtificationibus divini inculpate. Juſtitia coram Deo, non fuit propria, qualem Judæi voluerunt conſtituere, quæ ignorantiam & contrarietatem habebat cum juſtitia Dei, ſed ipſammet hanc Dei juſtitiam, quemadmodum declarat; ambularunt enim in juſtificationibus Dei, ſtatutis, quæ docebant juſtitiam innocentiæ non habere hominem in ſeipſo, ſed extrinſecus obtinere, per ſatisfactionem vicariam quæ fide apprehenſa fiat ipſius hominis, & in cerimoniis illis repræſentabatur; hæc eſt juſtitia Dei imputata; & in præceptis Dei, obſequendo mandatis Dei in exercitio judicii & juſtitiæ, amoris Dei & proximi, quod obſequium operabatur in ipſis & per ipſos Spiritus S. renovationis, cujus per fidem erant facti participes, hæc eſt juſtitia Dei inhærens. Inculpate autem quia coram Deo tales, juxta illud Deut. 18: 13. & Noachi ac Abrahami exemplum. atque ex Phil. 2: 15. &c. coram hominibus.

Duratio porro eſt *omnibus diebus*, ut conſtantia ſignificetur. Levitæ circa tabernaculum locuti fuerunt, ut jugiter obſervarent. Egerunt cuſtodias in templo nocturnas & diurnas, ne quid polluti in eo fieret, vel inferretur. Hoc modo cuſtoditur cuſtodia Dei. Pſ. 119: 4. &c. Hæc vota, & facta verſ. 59, 60. & 11. Cuſtodientibus cuſtodiam ſuam Deus promittit honorem ſui miniſterii hic & ambulationem cum angelis, ut iis ſint ſimiles Zach. 3: 7. nam in cuſtodiâ præceptorum Dei eſt merces magna. Pſ. 19: 12.

B. *Argumentum* quo iſtud roborat ducitur ab experientia propria providentiæ & gubernationis divinæ circa ipſos: quam experientiam proponit verſ. 2. & objecta ejus diverſa recenſet, verſ. 3. ſeqq. negative: & affirmative verſ. 7.

Proponit experientiam *negative*, verſ. 2. *Et ſcietis, agnoſcetis, quod non liberis veſtris, qui neſciunt, & non viderunt. Affirmative* verſ. 7. *nam veſtri oculi ſunt, qui viderunt omne illud magnum opus Domini, quod fecit.*

Experientiæ propriæ de vis & adminiſtratione Dei circa ſe & ſuos magna vis eſt ad obſequium perſuadendum, quæ teſtituuntur qui ea carent. Infantes Iſraelitarum neſciebant iſta, ſed adulti norant. Quanquam enim Egreſſi ex Ægypto majores vicennio mortui eſſent, tamen vivebant, qui minores vicennio fuerant, & Levitarum tribus, & mulieres multæ: & qui nati erant in deſerto plurima quoque viderant. Sed infantes, & inprimis poſt naſcituri, ignorabant. Jud. 2: 7. &c. *Populus ſerviit Deo omnibus diebus Joſuæ & omnibus diebus. Seniorum, qui diu poſt vixerunt, qui viderant omne illud magnum opus Domini quod fecit Iſraeli; ſed his mortuis ſurrexit generatio alia, quæ Dominum non norat neque opus quod fecerat Deus Iſraeli; tunc fecerunt filii Iſrael quod malum erat in oculis Domini, & coluerunt Baales, & deſeruerunt Deum patrum, qui eduxerat ex Ægypto.* Sic ſolet fieri, qui non viderunt quæ Deus egit, ſingulares providentiæ ejus actiones, non multum moventur, ut eapropter ſe obſequentes probent. Equidem quod viſu non cognoſcunt, quia auditu percipiunt, deberet eos movere; quamobrem Deus mandavit, ut recitarentur poſt natis. Pſ. 78: 5. &c. Quod etiam valuit Pſ. 44: 2. &c. *O Deus, audivimus auribus noſtris, patres noſtri narrarunt nobis, opus operatus es in diebus ipſorum.* Sæpiſſime tamen negligitur, quia minus movent teſtimonia oculorum aliorum, quam propriorum. Verum hîc provocatur ad proprios oculos; *Vos ipſi eſtis teſtes.* Si non excitemini ad obedientiam & amorem, prætextus omnis vobis præciſus; gemina eſt veſtra culpa, & judicium quoque erit gravius. Viximus in Belgio per annos aliquot ut liberi redemtorum, qui ipſimet non viderunt opus Dei, quod patribus præſtitum eſt. Illi quidem recitarunt, ex quibus anguſtiis & extremitatibus exemti, & quantis beneficiis aucti eſſent, & monuerunt ut iſtum Deum amaremus & revereremur: verum haud multum profuit iſtorum teſtimonium, quaſi nihil unquam ſingulare ipſis eſſet præſtitum, quaſi perpetua fuiſſet felicitas pacis, neque Deo quicquam deberemus, ita viximus exleges reſpectu Dei, obſequentes propriis cupiditatibus & deſideriis. Ergo Deus, ut nos ἀναπολογήτους conſtitueret, noſtris oculis exhibuit nova ſpectacula. Deduxit in rete, arcta vincula lumbis circumpoſuit, fecit homines equitare ſuper capita noſtra; venimus in ignem & aquam, & eduxit nos in interriguam refectionem. Quæ anno 1672. & deinceps facta ſunt, non liberis noſtris recitantur, ſed nobis ipſis revocantur in memoriam. Experientiam habuimus ſtupendæ dejectionis, & æque mirandæ liberationis. Non eſt urbs in Belgio, cui ſic factum, ut nobis; aliæ illico cæſſerunt hoſti, & ab illo rurſum deſertæ ſunt. Hæc una vim hoſtilem experta & defenſa fuit, ut in ejus poteſtatem ne quidem venerit. Quid non debemus poſt tantam gratiam. Sed & quivis ſigillatim experimenta habet variorum beneficiorum, liberationis ex periculis & affli-

afflictionibus, defensionis & protectionis, ne incideremus in calamitates benedictionis multiplicis; quotidiana ista sunt, & quotidianæ, proinde obligationes ad amorem & cultum. Ps. 66: 9. & 68: 20. Hæc sunt argumenta obedientiæ inprimis, quod dedit reconciliationem secum per Christum, quod extraxit ex potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii amoris sui. Aures nostræ audiunt beneficium istud prædicari, oculi vident in S. Cœna Christum pro nobis traditum; gustamus & videmus quod bonus sit Dominus. Esa. 43: 12. *Vos estis testes mei, quod ego sim Deus, inquit Dominus, quod in ipso sint justitiæ & robur.* Esa. 45: 24. Amandus Deus, & colendus, 2 Cor. 5: 14, 15. Testetur vita nostra, nos vidisse: quando digne ambulabimus, ut qui nos redemtos sentimus redemtori. Totos nos consacremus. 1 Cor. 6: 20.

Huc pertinet institutum cognoscendi geminum; Est illud I. מוסר ה׳ *eruditio* Domini, & II. potentia magnifica, quam indicat *robustæ manus & extensi brachii* metaphora. *Prius* dicit institutionem verbalem, Ps. 2: 10. vel realem per castigationes. Prov. 3: 11. Illud & istud videtur satis oportunum. Concessa enim præter castigationes ipsis fuit institutio Mosis totis 40. annis, ut nil dicam de Dei institutione, quem audiverunt, & viderunt loquentis majestatem; Deut. 5: 3. nam non cum patribus ipsorum solis, sed etiam cum ipsis superstitibus fœdus iniit. *Posterius* indicat miracula omnia quæ Deus edidit, ut suam omnipotentiam ostenderet. Hæc duo juncta sunt instrumenta cognitionis requisitæ ad persuadendam obedientiam. Miracula potentiam Dei docent, & reverentiam pariunt, ut metuamus offendere; sed institutio verbi erudit de affectu Dei patrantis miracula, & quo fine egerit, ut amemus. Posterius solum stuporem excitat, sed prius accendit amorem. Hoc beneficium est Ecclesiæ proprium. Ps 65: 9. Hic potentiæ spectatæ effectus; sed in Ecclesia, ubi verbum est & ejus institutio, ibi vers. 5, 6. Felices nos quibus utrunque obtingit. Magna potentia Dei facit ut simus quod sumus; alioqui jam dudum periissemus: sed dum manum & brachium Dei videmus, fruimur etiam eruditione Domini: verbum suum adhuc sonat in medio nostri, vident oculi nostri doctores, & audiunt vocem instituentem. Ps. 95: 3. &c. Hic effectus meditatæ potentiæ: sed eruditionis iste. Vox ejus audiatur ut pastoris, ut agnitam sequamur, sic amorem nostrum testabimur, & ducemur scipione verbi & spiritus ejus, & defendemur potentia ejus, ut hîc fruamur bonis ejus citra defectum, & tandem obtineamus vitam æternam.

Actionum Dei exempla illustria; sive beneficia sive judicia spectemus, Moses recitat ceu argumenta amoris & obsequii divini, sed ut ipsimet Israelitæ auditores experientiam eorum habuerint. Hujus experientiæ objecta sunt beneficia vers. 3--5. judicia vers. 6. experientia ipsa vero vers. 7.

א. *Beneficia* tribus temporum intervallis distincta, in Ægypto, in Mari, in deserto.

a. *In Ægypto* vers. 3. sunt judicia illa exercita contra regem & populum ejus terræ, ut Israelem eis extorqueret. Plagæ Ægypti X. famosissimæ I. Aqua versa in sanguinem in omnibus fluminibus, lacubus, & receptaculis quibuscunque, item in vasis ligneis & lapideis universis, per dies septem, ut ex flumine non possent bibere. II. Ranæ non tantum omnes aquas implentes, agrosque sed inde etiam in domos & tectos, & furnos, & mactras. Hebræi quidam longe gravius faciunt hoc judicium: quandoquidem nusquam hoc nomen reperitur nisi de hac plaga, quia Psal. 78: 45. dicitur quod hic eos perdiderit, interemerit, quomodo ranæ non agunt; quia cessante plaga in solo Nilo remanserunt cum ranæ in paludibus quoque & potissimum vivant, hacpropter credunt fuisse crocodilos, qui adscenderint ex aqua, & terram pervagati sint, minoribus etiam ingredientibus domos & tectos, & subeuntibus loca obscuriora ubi laterent, à quibus plures necati fuerint. Et hos esse qui ab eo tempore in Solo Nilo remanserunt, qui à Crocodilibus hodieque notus est. III. Pediculi, pulvere terræ in eos mutato, unde tanta multitudo in hominibus & jumentis; qui nulla arte magica potuerunt produci, ut in minimo ab incantatoribus agnosceretur digitus Dei. IV. ערוב *mixta multitudo*; quidam putant fuisse insecta omnis, generis. Hebræi intelligunt feras varias, leones, pantheras, ursos, lupos, vulpes, quia Ps. 78: 45. dicuntur ipsos comedisse; & in historia, gravem fuisse hanc mixturam, super Pharaonem & servos, & populum ejus, in ipsorum domibus, & totâ terrâ ut perderentur, quemadmodum postea Samariæ novos incolas perdidit leonibus, & feræ bestiæ sunt unum quatuor gravissimorum judiciorum. Ezek. 14: 14. &c. V. Pestis in jumentis, quæ in agro, equis, asinis, camelis, bobus & ovibus caprisque quâ mortua sunt omnia pecora Ægyptiorum, scil. quæ fuerunt in agro patente; de quibus dixerat Moses; nam alioqui nulla pecora potuissent perire per grandinem, neque multitudo equorum servari ad expeditionem persequendo Israeli institutam. Verum quicquid sub tecto fuit, mansit immune, quo forsan aliqui sua congregarunt, credentes minis illis. VI. Ulcera mala in hominibus & bestiis, pustulæ ferventes & ulcus malum; quali Job laboravit, & Lazarus, adeo ut consistere non possent, ob dolorem, siquidem sese moverent. VII. Grando cum tonitru & fulgetris, gravissimus densissimusque, ut quicqnid in aperto campo, sive hominum, sive bestiarum, sive herbarum grandiorum, & arborum, esset, perderetur, viventes necarentur, plantæ confringerentur. VIII. Locustæ, quæ quicquid plantarum vim grandinis effugerat absumserunt, adeo ut spem præciderent, germine primo devorato, ut nihil viride remaneret, in tota Ægypto. IX. Tenebræ triduanæ densæ, quæ nullo artificiali lumine potuerunt vinci, ut nemo loco suo se movere auderet, ne incommodum quid pateretur. Quod palpari potuerint, Hebræis non fit verisimile, cum contra naturam tenebrarum sit, quæ nil nisi privatio lucis, & si ea fuisset densitas aeris in quo toto illa obscuritas fuit, non potuisset quisquam spiritum ducere, sed omnes statim, suffocati fuissent. Verbum מוש quod aliquando *palpare* notat, est etiam *removere*, *recedere*, Jos. 1: 8. Esa. 54: 10. *montes movebuntur* ימושו *sed benignitas mea non movebitur.* Zach. 3: 9. & sic hoc loco, ad indicandum miraculum judicii, Exod. 10: 21. *Extende manum ad cœlum & veniant tenebræ super Ægyptum*, וימש חשך *postquam recesserint tenebræ.* Cum nocturnæ tenebræ præterierint, & Sol ortus novum cœperit diem, tenebræ eum auferant, (ut cum meridie occidere dicitur Sol Amos. 8: 9. &c) & tam diu durent: ne casui imputarent Ægyptii quod Sol ortus non fuisset. Denique X. Cædes primogenitorum in hominibus & jumentis, peccoribusque omnibus: adeo ut nulla domus careret mortuo, à summo ad imum. Quin etiam in Diis Ægyptiorum Deus edidit judicia Exod. 12: 12. Num. 33: 4. Istarum plagarum experimentum habuit Pharao & tota ejus terra. Fuit vero in hisce judiciis beneficium Israeli. Etenim vindicta contra hostes est oppressorum ab illis commodum. Ps. 58: 11. &c. *Justus gaudebit quando videbit ultionem, lavabit pedes suos in sanguine impiorum* (ceu in signum conculcatorum hostium) *& dicet homo utique fructus est justo, utique Elohim sunt judices in terra.* Destructis debilitatisve hostibus cessare vel impediuntur nocituri: Sed beneficium circa Israelem fuit evidentius, quia habitantes in Ægypto, cum plagæ essent universales, ipsi fuerunt prorsus immunes, nec homines nec pecora ipsorum aliquid passi sunt, & *non fuit in omnibus tribubus ipsorum* impingens, Ps. 105: 37 imo *in omnibus habitationibus Israelitarum fuit lux*, & solis radii eò penetrarunt, in totâ terrâ Gosen, & ubicunque degerant eorum familiæ. Præterea Ægyptii territi cæde primogenitorum fecerunt eos petere aurea argenteaque vasa, & pretiosas vestes, & quicquid in cimeliis habebant, quo maturarent abire, & ipsi evaderent mortem illis manentibus ad se quoque perventuram. Unde tantæ divitiæ Israelitarum, citra tamen fraudem & furtum. Nam Deus Esa. 61: 8. qui amat jus & odit rapinam, in holocausto noluisset ex furtivis sibi strui tabernaculum. Plurimum ergo beneficii concessum Israeli in plagis Ægyptiorum: sic cum Israelitæ Midianitarum spoliis ditati sunt cæsis hostibus, citra jacturam unius ex suis Num. 31. in subjugatione Sihonis, Ogi & regi Cananæorum. Inprimis David 2 Sam. 8. Asa post cædem Æthiopum, & Josaphat victis Moabitis & sociis 2 Chron. 14: 20. Istiusmodi beneficiorum experientia Belgio non deest. Quid non egit Deus contra hostes nostros, quot judiciis fregit eorum potentiam. Non tantum continuis bellis, in quibus tamen manus & brachium Dei eminuit, quando paucis copiis & mediis tenuibus adeo benedixit, ut potentissimum hostem, qui aliis

omnibus regibus terrori erat, ut nemo partes noſtras aperte tueri auderet, fractum viderimus, & exutum ſuo dominio; & poſtulantem pacem. Sed ubi miraculoſa manus Dei viſa fuit. Intuemini ſolum Pharaonem, noſtrum Philippum II. qui poſt tot millium cædem in Belgio ipſius juſſu patratam, religionis potiſſimum gratia, tandem incidit in morbum diuturnum, febrem, arthritidem, ulcera mala, & fiſtulas, diiſenteriam (**root meliſaen**) apoſtemata plura in corpore, quæ aperta fluxerunt ſanie plurima, unde nati pediculi & vermes, qui corpus vivum depaſcebantur, tantuſque fœtor, ut nec alii nec ipſe ferendo eſſent, atque ſic tandem infelicem animam emiſit. Sic quoad divitias ipſius, annon Deus paucis navibus dedit ingentes theſauros Indiæ, claſſem argenteam? & ipſius poſſeſſiones multas in Orientali & Occidentali India? Deus eſt qui iſta fecit, neque noſtra manus id egit: ut Pſ. 44: 4. &c. dicendum quod Pſ. 118: 14. &c. *Dominus robur meum* &c.

b. *In mari* ſimillima fuit ratio, verſ. 4. Pharaone perſequente Iſraelem, quem in deſerto aberraſſe putabat à via, ut objecto ſinu Erythræi maris egredi Ægypto non poſſent; adeoque quos facile deleret, deſertos à Deo ſuo, quia non duxiſſet recto tramite, ubi eos aſſecutus erat primum acceſſu prohibitus, Angelo Dei, Jehova in nubem ſe interponente, & Iſraeli lucem dante, Ægyptiis tenebras: deinde ſecutus antecedentium ſtrepitum, deductus fuit in medium mare: tum rotæ currium fractæ, ut procedere non poſſent, ægre tractis curribus; denique revocato mari interclusus ipſi abitus, & paulatim ſuperfuſum mare, quod opertos ſuffocavit ad unum omnes. Hiſtoria eſt Exod. 14. Id vero difficultatem habet, quod ſic dicitur perdidiſſe eos uſque in hunc diem: cum jam 40. anni poſt illa tranſiiſſent. Bifariam reſponderi poteſt, reſpectu Ægyptiorum, quod ea clades eouſque afflixerit, ut etiam tunc ſenſerint damnum illud: reſpectu Iſraelitarum, quibus adhuc præſtabat uſum, Exod. 14: 30. &c. vidit Iſrael Ægyptios mortuos ad littus maris, & vidit manum magnam quam Dominus in iis oſtenderat; hoc factum illico: ſed Pſ. 74: 13. &c. *robore tuo fidiſti mare* &c. Ultimum huc facit. Fiunt homines aliorum cibus, à quibus vincuntur Num. 14: 9. ſed hîc dicitur de cadaveribus ſuffocatorum, qui utique nequeunt eſſe cibus hominum, verum populus aridorum locorum eſt Iſrael in deſerto tot annis moratus, & Ægyptii eis cibus, quoad jugem memoriam. Quæ nunc potiſſimum ſpectatur, ſeu argumentum amoris & obſequii divini. Etenim propterea judicia ſua in Ægyptios ſtatuit Deus ut coleretur. Exod. 8: 16. Imo ut amaretur à ſuo populo Exod. 6: 2. Verax in promiſſis Exod. 6: 2. qui promiſſa in fœdere Abrahamo definito tempore & modo præſtitiſſet, judicato populo cui poſteri ejus ſerviiſſent, & his eductis cum facultatibus magnis. Gen. 15: 14. Hinc canunt Deo Exod. 15. prædicantque ceu ſuum & patrum ſuorum Deum. Et frequentiſſima eſt liberationis iſtius memoria ad amorem, fiduciam, obedientiam excitandam. Quod ipſum etiam nos attinet, qui Dei manum contra hoſtes non tantum in arida, ſed etiam in mari & aquis vidimus. Anno 1588. Claſſis Hiſpana, invincibilis dicta, triennio inſtructa 115. navium, 2000. tormenta vehens, & 20000. claſſiarios, 10000. milites. qua Angliam & angelum hunc Belgii voluerunt ſuperare, partim tempeſtatibus partim prælio lacerata vaſtataque, mihil niſi luctum ex naufragio reliquit ſuis, & 1639. Claſſis alia magna, à 12. navibus, noſtratibus in fugam acta, & tandem deſtructa fuit. Et nuperis annis quot prælia navalia, quibus plures majoreſque claſſes victæ fugatæque: Et ubi Dei manus evidens, quando continuato refluxu maris impediit Anglorum acceſſum, & rurſum denſa nebula intercepit viſum littorum noſtrorum. Oſtendit Deus ſe eſſe virum belli, & calcare ſuper excelſa maris. Exod. 15: 3. Amos. 4: 13. Job. 9: 8. Quamvis iſta præterierint, meditanda tamen nobis ſunt, ceu præſentia: repræſentare nobis ipſis debemus opus Dei magnum, & admirari Dei potentiam, quod major ſit omnibus Diis: nam in quo hoſtes ſuperbierunt contra ipſum, fuit ſupra ipſos, ut Jethro fatetur Exod. 18: 11. Admirari potentiam ejus, quod pro ſuis eam exſeruerit, quo illi liberarentur; non ratione bonitatis ipſorum, fuerunt enim mali & pertinaces & infecti Ægyptiorum idololatria Ezek. 20: 8. & cap. 23: 8, 27. Sed ſuæ fidelitatis, quia erant fœderati ſui hæreditarii. Sic Dei potentia circa Belgium, Superbos hoſtes ſæpius domuit, & Eccleſiæ ſuæ quæ hic hoſpitium habet tutelam egit; non quod digni eſſemus; nihil ejus valet, æquamus & ſuperamus Iſraelis crimina; utpote contra majorem lucem, & excellentiora beneficia delinquentes; ſed quia placuit fœderis gratiam nobis facere, & Euangelium ſuum adhuc inter nos prædicatur. Maximus zelus amoris noſtri eſſe deberet, quibus tantam dedit evaſionem & tantum poſuit diſcrimen inter ipſos & nos. Licet enim nunc videamus hoſtes florentes alicubi, attamen in ipſorum quoque victoriis cibus eſt. Nam oſtendit, quod ſit ſupra ſuperbos Pſ. 76: 11. quando non paſſus eſt eos longius graſſari, cum poſſent; imo quando rurſum hoſtem ejecit, ut quod devoraverat, rurſum evomeret, non extremâ vi coactus, ſed intrinſeca; uſque in hunc diem fruimur beneficio abactorum hoſtium, à mœnibus, à limitibus. Deus egit cuſtodiam noſtri, & propugnavit nos, ut de novo nos acquiſiviſſe agnoſcendum ſit; quemadmodum Iſrael ſe dixit populum tunc redemtum Exod. 15: 15. & acquiſitum verſ. 16. declaravitque Deus in æternum & jugiter regnabit, ut hac propter perenne ſit obſequium noſtrum debitum, ſic quoque ex recenti liberatione & acquiſitione perpetuæ obedientiæ obligatio agnoſcenda, profitenda, & præſtanda eſt.

c. *In deſerto*, verſ. 5. Huc ſpectant verba: *quicquid fecit, uſque dum huc vos deduxit.* Sunt illa omnia quæ cap. 8: 1—5. proſpera & adverſa, quæ omnia beneficiis accenſenda: proſpera quidem, alimentum ſuppeditatum, veſtes conſervatæ, & valetudo ex itinere non læta; adverſa autem, humiliatio & fames, ad explorationem cordium & ſinceritatis obedientiæ, caſtigatio ad demonſtrationem paterni affectus erga filios, quemadmodum tunc explicatum fuit. Si omnia enumerare liberet, quantus numerus foret beneficiorum. Privilegia Judæorum pleraque tunc cœperunt. Adoptio Exod. 4: 22. Gloria præſentiæ Dei, Fœderum unum Exod. 24. legiſlatio & cultus, illa judicialis, hic cerimonialis & promiſſiones plurimæ, etiam de Chriſto Deut. 18: 18. Huc pertinent victoriæ de Amalek, de rege Harad Cananæo, de Sihon & Og, de Midianitis. Huc quoque judicia in Labhera, Kibhroth hattaava, circa vituli cultores. Exploratores & murmuratores, & qui à ſerpentibus ignitis, qui à plaga propter Baal Peorem fuerunt exſtincti. Nam etſi fuerit judicium pereuntibus, viventibus tamen fuit eruditio & proinde beneficium; & illi ipſi qui perierunt, non omnes ſunt damnati, ſed quod 1 Pet. 4: 6. de exſtinctis diluvio, quod judicati fuerint ſecundum hominem in carne, quo viverent ſecundum Deum in ſpiritu: ut de patre ſuo Zelophehad loquuntur ejus filiæ. Num. 27: 3. Hunc in modum ſi ſpectemus Dei actiones circa nos, deprædicandam habemus ejus bonitatem, & merito accendimur ad ejus amorem & obſequium. Equidem non vivimus in deſerto, cum incolamus eadem loca quæ dudum. Atenim patria fere deſerti inſtar eſt, Hoſ. 2: 2. propter ſcortationes & adulteria Eccleſiæ, facturus eam erat Deus ut deſertum, & conſtituturus ut terram aridam; ſic duxit nos Deus in deſertum, mutando patriam in deſertum, per annorum ſterilitatem, commerciorum defectum & infelicitatem, bellorum injuriam & inteſtina diſſidia, & tamen hic quoque beneficia agnoſcenda; quando humiliavit, quando eſurire fecit, quando caſtigavit, tametſi dure habuit, tamen beneficiſſe dicendus eſt. Pſ. 94: 12. &c. Caſtigatio felix eſt quæ conjuncta cum inſtitutione verbi, Pſ. 119: 7. &c. bonum mihi quod afflictus fuerim, ut diſcerim ſtatuta tua. Lex oris tui mihi melior eſt quam millena auri & argenti. Ditiſſimus qui acquiſivit notitiam ſalutarem verbi; ſic egit Deus nobiſcum; etiamſi guſtaverimus de pane & aqua afflictionis, tamen doctores nobis non ademti Eſa. 30: 20, 21. & ſic in fidelitate nos caſtigavit Deus Pſ. 119: 75. hoc fine ut à malis diebus quietem det. Quod cum non aſſequimur, noſtra culpa eſt, qui lectionem iſtam nondum didicimus, & propterea toties cogimur repetere. Beneficium eſt quando pater filium non proficientem repetito & gravius caſtigat, quo deinceps non cadat in manus judicis maleficus, imo ut omni bono paternæ domus fruatur. Quando non amplius aberraverit, quemadmodum antequam caſtigaretur, ſed obſervaverit legem patris. Pſ. 119: 67.

2. *Judiciorum* unum exemplum recitat verſ. 6. Hiſtoria eſt Dathanis, & Abirami, Num. 16. Korah Levita affectabat Sacerdotium, quod ſoli Aaroni datum erat, & ſociavit ſibi duos illos, una cum On itidem Rubenita, (ſed

qui

qui reſipuiſſe videtur illico.) qui Moſi regimen populi ereptum volebant, moveruntque graviſſimam ſeditionem, ille Eccleſiaſticam, hi politicam. Korah ſe ſubjecit explorationi, ut ipſe & ſocii 250. juxta cum Aarone ſuffitum facerent, & à Deo deciſionem exſpectarent, quam conſecuti ſunt, igne Dei necante Korachum & ſocios, verum Dathan & Abiram noluerunt ſe ſiſtere coram tabernaculo, ut inde deciſionem acciperent, ſed proterve admodum reſponderunt, ut manſuetiſſimus hominum Moſes ira exardeſceret, & Deum judicem inter ſe & illos imploraret: ſic tamen ut deprecaretur ne judicium latius ſerperet & toti populo exitiale foret. Atque progreſſus cum ſenioribus Iſraelis ad iſtorum tentoria, monuit ut omnes longe abſcederent, ſtatuitque ſignum ſuæ vocationis, ſi morerentur vel naturaliter, vel plaga ſubitanea, uti ſæpius ſublatos viderant peccatores, non eſſe ſe agnoſcendum Dei legatum: verum ſi Deus aliquid novi crearet, judicium inauditum, ut terra dehiſcente abſorberentur vivi cum omnibus ſuis facultatibus, tum appariturum non contra ſe legatum, ſed contra Deum legantem rebelles fuiſſe. Atque hoc dicto fiſſa ſubito eſt terra, & vivi abſorpti ac obtecti fuerunt, tentoria duorum illorum cum uxoribus liberis famulitio & pecoribus. Idem accidit tentorio Korachi, & iis quæ habebat, niſi quod filii evaſerint Num. 26: 11. Hoc eſt judicium illud, exercitum in rebelles contra Moſen, & inprimis Deum, ejuſque regimen. Fuit hoc judicium graviſſimum, & cui nullum aliud æquandum; quod Korah cum ſociis paſſus eſt, eodem Nadab & Abihu, ſublati olim ſunt, quod ſanctuarium ejuſque leges violaſſent: ſed quod hic peccatum contra Moſen, & Deum in ipſo, novum adeoque inſolitum quid paſſi ſunt. Recitatur etiam Pſ. 106: 15. &c. Sic ultus eſt Deus ſeditionem contra Moſen, & inprimis contra ſuum regimen. Non producemus ſimilia judicia, quando per terræ motum abſorptæ urbes integræ, priſcis moderniſque temporibus. Raguſæ everſio, & inprimis oppidum Plurs in Rhætia anno 1618. in Auguſt. Unum duntaxat producemus. Eſa. 5: 11. &c. *Væ mane ſurgentibus ad perſequendum potum inebriantem* &c. Hic defectio ebrietatis & abnegatio regiminis divini Hoſ. 3: 1. cap. 4: 18. Amos. 6: 1. Mal. 3: 14. Judicium iſtud denunciatur ebrioſis, ſecuris numinis, ſuperbis & faſtuoſis, mundanis denique. Non quidem extraordinarium, ut Dathanem ſuſtulit, ſed ordinarium magis; ut deſcendant in ſepulchrum, Pſ. 49: 15. dicitur de divitibus, qui operibus ſuis & potentiæ confidunt. *Etiamſi putent domos ſuas fore in æternum, domicilia in generationem & generationem; neque videbunt lucem in æternum.* Evidentius judicium Pſ. 55: 24. & Pſ. 9: 16, 18. Et quod graviſſimum Apoc. 21: 8. O ſi homines haberent oculos ad videndum, quomodo terra ſe aperiret ad deglutiendos peccatores, quantopere terrerentur; quemadmodum Iſraelitæ fugerunt videntes abyſſum illam, dicentes, ne & nos abſorbeat terra. Vidit Stephanus, quod nemo alius, cœlum apertum, & Jeſum &c. Act. 7: 55. &c. Utinam omnes impii, imo omnes nos videremus ſepulchrum, imo infernum apertum, & quæ ibi tormenta, qui fletus & ſtridor dentium? Epulo ille volebat ut Lazarus mitteretur ad fratres ſuos, qui eis teſtis foret eorum quæ ibi fiunt, ne venirent in locum illum tormenti Luc. 16. 27. &c. Sed non opus eſt reſuſcitato mortuo, dicitur illi, habent Moſen &c. Hi vivis coloribus depinxerunt & ſtatuerunt ante oculos noſtros.

2. Ἀνόητος dicit Moſes Iſraelitas verſ. 7. Et nos quoque ſumus, argumento loci Gal. 3: 1. Ne ſimus *populus ſtolidus & excors qui habent oculos & non vident, aures & non audiunt.* Jer. 5: 21. cor & non intelligunt. Deus ille qui tunc creaturam novam producere potuit, & ſcindere terram ad iſtos rebelles Deo devorandos, eodem ad huc robore pollet; poteſt idem circa nos ſtatuere, ſi rebelles fuerimus contra ipſum. Caveamus iſtud admittere; & admiſſo eo feſtinemus referre ſubito pedem, ut On; ne quidem conjunctiſſimis aſſentiamur, ut Korachi filii, & evademus judicium; & cæteris pereuntibus ſervabimur, imo ſi fuerimus amantes & obſequentes Deo, & patientes ſub ejus caſtigationibus, ſpectatores erimus judiciorum pro nobis contra hoſtes à Deo potente & juſto judice exercendorum. Mich. 7. 5. Deus nos faciet videre mirabilia, non temporalia tantum ſed inprimis magnum iſtud, & per quod Deus ἀπροσδιάλυτος probabitur, quod ſit condonans iniquitatem, ponens iram, delectatus miſericordia, miſericordiam exercens, ſubigens peccata, fidem benignitatemque præſtans ad ſolatium & ſalutem ſempiternam.

Hæc argumenta debebant eſſe ponderis maximi ad perſuadendam obedientiam. Homines erant quibuſcum ipſi res erat, ut Ezek. 34: 31. *Vos, dicit domui Iſraelis, oves meæ, oves paſcui mei, vos eſtis homines, & ego ſum Deus veſter, inquit Dominus.* Quamobrem ut cum hominibus agit, & quæ præſcribit officia rationibus perſuadere ſatagit. Fecit iſtud ſæpius hoc libro, & recentiſſime inde à Deut. 10: 12. ubi identidem inculcat officium, ſed ut ſemper argumento aliquo valido convincere ſtudeat, & permovere ad voluntarium obſequium. Revocari ea poſſunt ad unum, & quod apud homines ſui amantes, (quales Deus condidit & eſſe vult Eph. 5: 29.) pondus habet maximum, commodum proprium, quando ait, *Tibi in bonum.* Verum iſtud bonum plenius fuit explicandum, quo vim perſuadendi haberet majorem? Itaque docet I. ipſis bona cedere, non Deo, qui omnium poſſeſſor & Dominus ſit, & benefaciendi voluntatem liberrimam ſuſcepiſſet & exercuiſſet erga patres ipſorum & ipſoſmet; adeo ut debeant cultum internum & externum ejus ob majeſtatem & potentiam, ob juſtitiam, ob bonitatem & miſericordiam. II. Non habere materiam laudis & gloriationis præterquam in Deo, qui ſuo regimine ita benedixerat, ut brevi tempore ab exiguis initiis in ſtupendam multitudinem excreverint. Quod factum dum commorati in Ægypto. III. Experiam ipſosmet habere beneficentiæ divinæ in vindiciis ſuis in Ægypto, in mari, in deſerto; ubi etiam judicium in rebelles viderant. IV. Conſecuturos bonum, & ejus fruitionem in Cananæa. Poſſumus iſta revocare ad boni fontem, amorem Dei merum, patribus & ipſis præſtitum cap. 10: 15. ad boni fructum præteritum verſ. 22. præſentem cap. 11. verſ. 2--7. futurum verſ. 8. &c. De hoc nunc dicendum eſt.

Verſ. 8. *Ut obſervetis quodque præceptum quod ego præcipio tibi hodie; ut roboremini; & ingreſſi hæreditario jure poſſideatis, terram, quò mox tranſituri eſtis ad poſſidendum eam jure hæreditario.*

Verſ. 9. *Et ut prolongetis dies ſuper illam terram, quam juramento promiſit Jehova majoribus veſtris ſe daturum eis, id eſt, ſemini eorum: terram affluentem lacte & melle.*

Verſ. 10. *Terra enim quò mox ingreſſurus es ad poſſidendum eam jure hæreditario, non eſt ut terra Ægypti unde exiviſtis, ut ſemines ſemen tuum, deinde irriges* labore *pedis tui, ſicut hortum olitorium.*

Verſ. 11. *Sed terra illa quò mox tranſituri eſtis ad poſſidendum eam jure hæreditario, terra montium & convallium eſt, ad pluviam cœli imbibit aquam.*

Verſ. 12. Eſt *terra quam Jehova Deus tuus curat, jugiter oculi Jehovæ Dei tui* intenti ſunt *in eam, à principio anni uſque ad finem ejus.*

Suadet *Obedientiam* ob bonum Cananææ conſequendum, atque hic recurrit Hortatio verſ. 8, 9. & deſcriptio Cananææ verſ. 9--12. Fertilitas danda obedientibus, neganda inobedientibus verſ. 13--17. Conſtantia felicitatis iſtius verſ. 18--21. Amplitudo verſ. 22--25.

A. *Hortatio* dicit officium & ſecuturum beneficium generatim. verſ. 8, 9.

8. *Officium* eſt, *& obſervabitis omne præceptum, quod ego præcipio vobis hodie.* Poſtulato iſti adverſandum videtur, cum contrarietur illi quod dixit Deut. 10: 12, 13. *ad obſervandum mandata Dei & ſtatuta eis.* Deus unicus legiſlator eſt Jac. 4: 12. uni illi debetur obſequium. Matt. 4: 16. Non debemus eſſe ſervi hominum 1 Cor. 7: 23. & qui ſervi

hominum Deo placere non poſſunt Gal. 1: 10. Ezek. 20: 18. &c. Arrogat ſibi honorem Dei, qui univerſale & abſolutum obſequium ſibi depoſcit. Verum notandum heic. Si quis hodie ſic loquatur, merito iſta omnia valent. Eſt vero ſingularis ratio Moſis, Illi uni ſic loqui licuit, imo loquendum fuit. Etenim cum Deus omnem voluntatem ſuam quam habebant obſervandam proponere cœpiſſet Iſraelitis, ipſi interpellarunt, ne audirent amplius vocem Dei tantæ majeſtatis, atque ſollicitarunt Moſen, ut ſuo loco audiret, & ad ſe referret, polliciti omne obſequium, non ſecus ac ſi ex Dei ore audiviſſent Exod. 20: 19. Deut. 5: 25. &c. & Deus illi petitioni gratificatus, Moſen conſtituit internuncium verſ. 30. &c. Atque deinceps illi ſoli dixit, quicquid porro voluit eſſe inter conditiones fœderis cum Iſraele ineundi, Exod. 21, 22, 23. tum etiam quæcunque ordinavit poſt ſancitum fœdus ad populi regimen, & pædagogiam ad Chriſtum faciens. Hac propter fuit ejus autoritas, qualis legati plenipotentiarii, cui abſolute credendum; quia hanc à legante conſecutus eſt, & conſecutus eſt, non ut pro ſuo libitu dicat faciatque, ſed quod fidelem novit, nihil dicturum facturumve quam quæ habet in mandatis. De Moſe dicit Deus, in tota domo ſua fidelem eſſe Num. 12: 7. qualem alium præter ipſum non habuit ſervum, & voluit ut Iſraelitæ in æternum ei crederent Exod. 19: 9. Hoc titulo ergo dicit, obſervanda præcepta quæ præcipiat; qui autoratus erat ad jubendum, quamquam nihil de ſuo, omnia à Deo accepta juberet. Sic ſeſe explicat Deut. 4: 1, 2. *ad verbum, quod mando, non addes neque demes, ut cuſtodias, mandata Domini Dei tui, quæ Ego tibi præcipio.* Poſcit obedientiam ſuis mandatis, cum excluſione omnis variationis, quam quis vellet facere, quod ſic demum Divinis eſſent parituri. Neque aliter de ipſo loquitur Deus, Joſ. 1: 7. *Obſervato jura & legem quæ Moſe ſervus meus præcepit vobis neque ab ea recedite, dextrorſum vel ſiniſtrorſum, ut prudenter agas quocunque iveris.* & Mal. 4: 4. *Moſis legem* vocat, quia à Moſe eam acceperant; etſi totam Deus ipſe mandaſſet. Hinc æque frequens denominatio à Moſe ac à Deo. Nullius Prophetæ unquam dicitur, ſed omnes Prophetæ ad eam adſtricti fuerunt, & in omnibus adhortationibus ad ejus unius obſervationem ſunt hortati. Eſa. 8. verſ. 20.

Habemus præter Moſen unum adhuc Doctorem paris autoritatis, Deut. 8: 18, 19. Propheta alter univerſæ domus Dei, non tantum ut ſervus, quomodo Moſes, ſed ut filius ſupra domum ſuam Hebr. 3: 5, 6. cujus ori Deus verbum ſuum indidit: quique à ſemetipſo non locutus eſt, ſed uti mittens mandavit Job. 12: 49, 50. Hic quoque pari & majori jure potuit dixere. Matt. 20: 19, 20. *docentes diſcipulos obſervare quæcunque præcepi vobis.* Hujus autoritate locuti ſunt Apoſtoli, Act. 10: 42. unde Paulus 1 Cor. 11: 23. Et quicunque alii Doctores ſecuti ſunt debent loqui ut eloquia Dei 1 Pet. 4: 11. utpote non domini fidei aliorum 2 Cor. 1. v. ult. nihil dicentes ex ſeipſis, ſed quæ Moſes & Prophetæ ante dixerant Act. 26: 22. & per propheticas Scripturas promoventes obedientiam fidei inter omnes gentes Rom. 16: 26. Anti-Chriſtiana vox eſt, *Obſervate quæ ego præcipio*, quod ſibi Papa Rom. arrogat, & quicunque ſuo vel alius hominis verbo poſcunt fidem obedientiamque. Recte Phariſæi. *Sumus Moſis diſcipuli, ſcimus Dum Moſi locutum eſſe*, Joh. 9: 28. &c. quamquam non reſponderent verbis facta; nam ſi credidiſſent Moſi, etiam credidiſſent Jeſu Chriſto, quia de hoc ille ſcripſit cap. 5: 46. ut exinde revinceretur quod addebant. Sed hunc Jeſum nempe, neſcimus unde ſit. Sed nos quoque ſumus Jeſu Chriſti diſcipuli, ſcimus Deum ipſi locutum eſſe. De aliis id neſcimus, ideoque non alii ſed ipſe ſolus reverenter audiendus. Ni faciamus, Deus requiret. *Hodie ergo quando audimus vocem ejus, ne obduremus corda.* Heb. 3: 6. &c. qui audiunt & ſequuntur, ut oves paſtoris vocem, ut eam agnoſcant, cum repudio omnis vocis alienorum, ducuntur ab ipſo ad vitam æternam.

2. Secuturum *beneficium* eſt cum internum tum externum.

a. *Internum* ſic dicit, *ut roboremini.* Obedientia enim facit validos animo. Prov. 28. 1. Impii, qui inobedientes, pleni ſunt pavore; agitatum folium percellit Lev. 26: 36. Etenim habent Deum inimicum, & hinc nullam pacem Eſa. 57: 21. quemadmodum Diaboli trepidant cogitantes de Deo Jac. 2: 17. Sic quoque cogitatio de Deo anxietatem parit ipſis Eſa. 33: 14. & hoc increpante etiam fortiſſimi non inveniunt manus ſuas: vel non ſufficiunt illis manus ſuæ Pſal. 76: 6. Exemplo ſit Paulus Act. 9: 1. Contra juſtus, obediens Deo, plenus eſt animi robore, uti Leo juvenis; qui Eſa. 31: 4. Etenim à cœlo nihil habent metuendum; Quicquid etiam faciant impii ad ſui defenſionem, quam validis ſe claudant arcibus, quam numeroſis ſe cingant exercitibus, ut terram ſibi ſecuram præſtent; manent ſemper nudi reſpectu cœli, & ejus qui iſtic habitat. Illac mors & perditio ſupervenire poteſt, quæ prævaleat. Sed pii iſtac tutiſſimi; Deum habent amicum, & Rom. 8: 31. adeoque etiam alia omnia tranquillare poteſt. verſ. 28. Exemplo Paulus, quanta fortitudine fuit poſtquam Chriſto obediens factus eſt, ut nihil metueret, Act. 21: 13. *poterat omnia* per Chriſtum robur ſuppeditantem Phil. 4: 13. imo in ipſa infirmitate gloriatur, quia tum validiſſimus per Chriſtum 2 Cor. 12: 8. &c. Sic Pſ. 112: 1, 7. &c. qui Dominum timet & delectatur valde ejus mandatis. Hoc perſuadere debet obedientiam; hâc ſine deerit robur: nudatus Iſrael Exod. 32: 25. & unius peccato Achanis Joſ. 7. & infinita exempla ſunt ejus generis. Contra obedientia dat robur. 2 Chron. 25: 5. Uzzia quam primum defecit ab obedientia, ſenſit debilitari ſe. 2 Chron. 11: 17. æqualis extenſio confirmationis & pietatis; & ſimul defecerunt. O ſi iſtud meditaremur, quo & nos & patria confirmari poſſet: nutat illa & columnæ ejus, ac fundamenta terræ, quia obſequium deeſt. Nunquam Deus obedientem populum deſeruit; Lev. 26. Deut. 28. Si multitudo maxima obtemperet Deo, toti urbi, terræ, pacem proſperitatemque largitur Deus, adeo ut ne quidem deſiderent hoſtes, quæ ipſorum ſunt Exod. 34: 24. Imo quæ naturales infirmitates ſunt, ſic ſuperatæ inquam fuerunt, Eſa. 38: 3. &c. cum morbo lethali laboraret Hizkias, provocat ad ſinceritatem ſuæ obedientiæ, ea impetrat prolongationem vitæ per annos 15. juſtitia eripit à morte Prov. 11: 4. cum nulla arma alias valeant in hoc bello Eccl. 8: 8. Qui Deum exſpectant, renovabunt vires &c. Eſa. 40. v. ult.

b. *Externum*, eſt occupatio & fruitio terræ Canaan, ex promiſſione jurata dandæ: quæ ſingula partim dicta ſunt, partim dicenda, in ſeqq. Igitur illis omiſſis hoc unum notabimus. Quomodo ingreſſus, & poſſeſſio Cananææ fiat fructus obedientiæ, cum Deus ante Iſraelis exiſtentiam & obedientiam eam dediſſet Abrahamo & ſemini ejus? Quemadmodum Deus ex mero amore Abrahamum vocavit, ſic quoque ei donavit Cananæam, Gen. 12: 17. tandem à ſemine ejus poſſidendam. Gen. 13: 14. quod ſæpius repetiit, & fecit conditionem fœderis Gen. 15: 18. cap. 17: 8. & firmavit jurejurando Gen. 26: 4. Pſ. 105: 8. definivit quoque tempus, ut ante annos 400. non eſſent potituri Gen. 15: 13, 16. Adeoque ob veritatem Dei danda erat terra Iſraelis poſteris, ſive obedientes forent, ſive non Exod. 33: 1. poſt vituli idololatriam, dicit Deus ad Moſen *abi adſcende tu & populus quem eduxiſti ex Ægypto in terram quam Abrahamo, Iſaaco & Jacobo juravi, dicens, Semini tuo eam dabo & angelum meum mittam ante faciam tuam, nam non adſcendam in medio tui.* Verum licet non potuerit aboleri promiſſio, ejuſque complementum, tamen per inobedientiam potuit differri; propter faſtidium terræ, exploratorum relatu falſo, dilati ſunt per annos 40. Num. 14. & novam dilationem metuebat Moſes, ſiquidem Rubenitarum & Gaditarum petitio de hæreditate obtinenda trans Jordanem ex ſimili faſtidio profecta fuiſſet, Num. 32: 15. Porro inobedientia poſſeſſorum erat ipſos ejectura, & exilium protractura. Lev. 26: 33. &c. Sed non in perpetuum, quemadmodum Deus docet circa Davidem, cui regnum dederat perpetuum in Iſraele, quod cum propter Salomonis peccata minueret, addit tamen reſtrictionem 1 Reg. 11: 30. Sic heic Deut. 4: 25--31. cap. 30: 1. &c. Deus, dabit converſionem, & reſtitutionem in terram. Ezek. 36: 24. Jer. 33: 7. cap. 50: 19. nam Deus tuus eſt miſericors Deus non deſeret te, neque perdet te, neque obliviſcetur fœderis patrum tuorum quod iis juravit. Itaque liquet obedientiam merito inculcari, daturam fructum poſſeſſionis acceleranda; quamquam etiam citra eam danda erat; ſed non poterat eſſe ſecuritas retinendæ niſi obedientibus, neque recuperandæ exulibus; niſi obedientibus: licet veriſſimum heic quoque ſit illud. Eſa. 60. v. ult. *Ego Jehova oportuno tem-*

tempore ejus, festinare faciam restitutionem. Imo Deus faciet eos obedientes; circa tempus restitutionis, uti pluribus in locis docetur, Levit. 26: 20. &c. Deut. 30: vers. 1. &c.

c. Addit *Descriptionem* Cananææ; *terram fluentem lacte & melle*, uti appellavit Deut. 6: 3. & alibi frequentissime. Sic generatim designat ubertatem ad victum, etiam pauperrimorum. Esa. 7: 21. residuus in terra, habens buculam & duas oves ob lactis abundantiam comedet cremorem; nam cremorem & mel comedet residuus in terra. Alibi latius describitur Deut. 32: 13, 14. Sed istud jam non attendit potissimum, verum quid aliud, quod incitamento sit ad obedientiam. Hoc expressit vers. 10--12. confert terræ Ægypti, à qua differre docet, sed ut non sit infelicior, quamquam magis solicitos poscat incolas quoad exercitium pietatis. Negat similem esse Cananæam Ægypto: hujus habebant experientiam, ob annorum 250. incolatum: non item istius. Ægypti conditio est, *seminabas semine tuo, & rigabas.* (ברגלך) tuo more & placito, *ut hortum olerum.* Ægyptus ignorat pluviam, sed quotannis semel exundat Nilus, qui quo altius adscenderit eo plus fœcunditatis affert. Hoc redeunte in alveum suum possident agri annuam benedictionem, reliqua cura industriæ humanæ relicta est, uti in horto, quem rigare solet hortulanus; sive derivata aqua Nili in fossas & alveos, sive allata inde. Ast conditio Cananææ est alia, non est plana ut Ægyptus, sed inæqualis ob montes & convalles; non habet Nilum rigantem, aut fluvium similem, & licet haberet, non posset tota rigari: sed hoc beneficium consequitur à pluvia. Hoc vero solius Dei beneficium est; non solum uti inundatio Nili, cui statum tempus assignavit; sed cujus dispensatio prorsus arbitraria est. Enim vero Deus sigillatim Cananæam curat, & oculos suos habet intentos toto anno, ut cujus non sunt fixa tempora largitionis, licet sint necessitatis, dispensationem instituat prout maxime oportunum est ad fertilitatem. Observanda hic multivaria sapientia Dei in regimine providentiæ suæ. Differentiam statuit in terris & regionibus; habent diversa commoda; & quod uni deest, alio quo bono compensatur, ut omnis terra abundet bonis Domini Ps. 104: 24. Etiam in prima creatione quædam regiones auro eoque præstantissimo, & bdellio excellebant. Ezek. 27. Tyrum mittebant regiones singulæ merces proprias, & inde pretium habebant; & Tyrus per mercaturam habebat omnium fruitionem. Sic hodieque fit, & in singulis regionibus est prædicanda Dei bonitas, quæ incolas facit contentos, ut nusquam libentius esse malint; maxime quando suppletur defectus per navigationes & commercia. Sed speciatim quoad media fertilitatis differentia est. Aliter Ægyptus, aliter Cananæa; istic statum est medium, quemadmodum alibi stati venti certis anni temporibus: hic vero non item, quemadmodum etiam in aliis regionibus; quæ pluvialibus aquis rigantur: quod Dei donum solius Jer. 14: 22. Ubi providentia Dei singularis est quando pluviam identidem largitur, ne nimia sit, neve parca nimis; quam tamen exercet super bonos & malos Matt. 5: 45. & gentiles Act. 14: 16, 17. Sed specialissima cura fuit Cananææ, quam Deus singulariter delegit. Ezek. 20: 5, 6. & hic delectus indicatur Deut. 32: 9. Singularitas curæ divinæ hinc probatur, uti plus agit circa populum peculii, sic circa terram peculii. Dicitur custos Israelis qui nunquam dormit aut nictat Ps. 121: 4. & Ecclesia Israelis vinea ejus, quam custodiat, singulis momentis riget, & ne visitetur ab hoste custodiat interdiu & noctu. Esa. 27: 4. Sic testatur, hic de terrâ, & declaratur Ps. 65: 10. &c. Sumus & nos aliquatenus ea conditione; terra nostra non habet flumina, qualis Nilus: Aquæ abundantes Oceani Salsæ sunt; pluvia fœcunda plurimum præstat; sed quam Deus mittit quandocunque lubet. Amos. 4. 7. Quam necessarium ergo ut Deus colatur obedienter; qui demittere vel inhibere potest. Sed de hoc proxime uberius. Quemadmodum autem terra bibit de pluvia cœli ad suam fertilitatem: multo magis bibunt corda de pluvia cœli ad fertilitatem spiritualem. Deut. 32: 2. Hanc nemo nisi Deus largiri potest, & largitur dando prophetas, qui sunt stillatores Mich. 2: 6. siquidem verbum Dei prædicent; alias sunt nubes ἄνυδροι Jud. 12. Rogandus Deus ut non tales nobis det, sed qui veniant cum plena benedictione Euangelii Christi, & quando hi rigant, addat incrementum ad fertilitatem sibi gloriosam, & nobis salutarem. Hoc largiatur etiam nunc per Dominum nostrum Jesum Christum.

De Gentilibus dicit Ecclesia Israelitica, quando se in exilio illis æquatam quæritur. Esa. 63: 19. *facti sumus ut illi, super quibus ab antiquo non es Dominatus.* Negat Gentiles subesse spirituali gubernationi Dei, qualem Ecclesiæ solitus fuit impendere. Ecclesia fuit domesticorum Dei, Gentiles extranei. De his parum sollicitus est paterfamilias. Sic Act. 14: 16. *Deus præteritis ætatibus sivit Gentes suis ipsorum viis ingredi*: neglexit eos, ut sua sequerentur consilia. Equidem manserunt sub providentia communi, ut omnes creaturæ, quæ in Deo vivunt, moventur & sunt Act. 17: 28. alioqui interiturræ illico; benefecit eis de cœlo; sed singularem curam non est eis impertitus. Hanc impendit Israeli Zeph. 3: 5. *justus Dominus est in medio ejus*, Hierosolymæ, Ecclesiæ Judaicæ non facit injuriam. Luc. 15: 12. Minor filius accepit à Patre suo bonorum partem suam, & sic excessit domo, & uti non respexit patrem, sic nec pater ipsum; quod habuit suo arbitrio impendit & absumsit. Ita Gentiles quæ acceperunt à Deo bona, usurparunt, neglecto Deo, qui eos neglexit. Sed Israelitæ fuerunt in domo Dei, ut filius major, qui uti semper mansit in paternâ domo, ita quoque ibi omnibus paternis bonis fruitus est, quotidie patre suppeditante, quicquid in singulos dies necessarium erat. Hujus administrationis differentis exemplum exhibet Moses, describens domicilium extraneorum & domesticorum Dei. Extranei, apud quos Israelitæ peregrini vixerant, in Ægypto, acceperant suam benedictionem generalem, inundationem Nili semel quotannis, & tunc toto anno reliquo non secunda inundatio, neque ulla fuit pluvia; sed instar hortulani debuerunt rigare terram sua industria; & derivare aquam Nili ad suum commodum. Sed ipsi, qui filii, venturi erant in Cananæam, quæ fertilitatem consequebatur à pluvia, quam Deus demitteret, quotiescunque res poscerent; adeo ut ipsorum industria rigationem dare non posset, sed unius Dei foret eam largiri, quemadmodum liberis domi paternæ, quotiescunque vescendum est, à patre instruenda mensa est. Det licet demensum servis, simul quantum tota die hodiomade, mense sufficiat; sive illud eosque frugalitate extendant, vel absumant intemperantia; liberis semper ex manu & penu singulis vicibus portionem suam exhibet. Hinc vero facile est concludere, quid liberis faciendum. Minor ille filius, quamdiu neglectim habuit patrem, habuit unde sine illo bene beateque vivere se posse credidit. Sic Ægyptii & Gentiles alii. Sed Israeli nonne vivendum fuit ut semper faventem haberent Deum, cujus quotidiana benignitate sustentandi erant? Hoc est quod urget Moses. Quia fertilitas Cananææ pendet à pluvia, quam Deus dispensat, Ergo istic habitaturi debent Deum reverenter colere, ut obtineant istud bonum, quod inobedientibus non concedetur.

Vers. 13. *Erit itaque si seriò auscultaveritis præceptis meis quæ ego præcipio vobis hodie, diligendo Jehovam Deum vestrum & colendo eum ex toto cordo vestro & ex toto animo vestro.*

Vers. 14. *Ut dem pluviam terræ vestræ tempore suo, tempestivam & serotinam: sic colligas frumentum tuum, & mustum tuum, & oleum tuum.*

Vers. 15. *Etiam dem herbam in agro tuo pro jumentis tuis: ut comedas & satureris.*

B. *Commodum obedientiæ* istud indicat vers. 13--15.

8. *Obedientia* describitur vers. 13. quemadmodum jam sæpius; ubi objectum, Actus.

a. *Objectum*, seu norma dicuntur *præcepta Mosis quæ mandavit*, quia ut nuperrime dictum, fuit servus & internuncius Dei in tota ejus domo, per quem mandavit Israeli omnia; adeo ut non minus Lex Mosis quam Lex Dei vocetur, etiam ab ipso Deo; qui fidelitati Mosis hoc ipso testimonium perhibuit.

b. *Actus* circa objectum est I. Theoricus, *Si audiendo audiveritis*, *audire* sæpe est obedire, Esa. 7: 19. sed hic stri-

ſtrictius deſignat cognitionem & aſſenſum; ut voluntatem Dei propoſitam intelligat, non nuda notitia, ſed quæ habeat perſuaſionem de veritate & bonitate, unde convictus eam diſcat, & ceu regulam acceptat, & ad ejus præſcriptum ſibi omnia componenda decernat. Hoc eſt audire hîc requiſitum. Duplicatio facit ad emphaſin, ut diligentia conſtantiaque ſignificetur. Sic Job. 6: 45. audire & diſcere hic auditu comprehenduntur. Sed non eſt iſtud apud omnes. Audiunt nonnulli ſolâ aure corporea, & his quæ audiunt, eſt ſonus evaneſcens, oblivioſi auditores, decipientes animas ſuas. Sed aliud requiritur inſuper. Pſ. 95: 7, 8. audire ut ingrediatur vox Domini ipſum cor. Fit iſtud quando convictione verbi perſuadetur. Heb. 3: 12. ut abſit cor malum infidelitatis, quod perſuaderi detrectat, contra fidele. 1 Pet. 2: 2, 3. verbum deſiderandum ut lac nutriens, ſiquidem guſtaſtis quod bonus ſit Dominus. Guſtus perſuadet de bonitate cibi, & uti palatum cibos, ſic auris explorat verba Job. 12: 11. cap. 34: 3. ut quod verum bonumque eſt ſcire & retinere decernat. Utinam ſic omnes audiremus. Quomodo id futurum, diſcere eſt ex Eſa. 50: 4, 5. Poſcenda eſt à Deo auris audiens, quam ipſe facit Prov. 20: 12. & ipſo aperiente cum propoſito cordis diſcendum, & quod cognitum eſt obſequio demonſtrandum eſt juxta illud Joh. 13: 17. II. Practicus, & hic internus, *ad amandum Deum veſtrum*, & externus, *& ad ſerviendum illi*; modus autem utriuſque, *toto corde & totâ anima*. Eadem dicta Deut. 10: 12. Primum omnium dandum eſt cor & ſpiritus Prov. 23: 26. & tum cultus, oculis cuſtodientibus viam Domini. 1 Tim. 1: 5. ſumma præcepti charitas ex puro corde. Omnia complexus eſt David ad Salomonem 1 Chron. 28: 9. cognoſcere hic amorem comprehendit, utpote qui ut patris Deus agnoſcitur, tot beneficiis ſe amabilem demonſtrans, &c. Et commonſtrantur nobis in exemplo peregrinorum Eſa. 56: 6, 7. Prophetia hæc eſt, ſed de qua dicendum foret, hodie hæc Scriptura impleta eſt in oculis noſtris, ut quondam de alia Luc. 4: 21. Non loquitur de Iſraelitis, ſed de Gentibus, de quibus heic quidem nihil dicit quoad auditum, ſeu cognitionem ex convictione, verum id ſupplendum ex Eſa. 55: 3. &c. cum Iſraeli promiſiſſet fœdus æternum, & benignitates Davidis fideles, quas in reſurrectione Chriſti oſtendit Paulus Act. 13: 34. addit, *Ecce dedi eum teſtem populorum, principem, & præcipientem populorum* (ceu alterum magnum prophetam Moſi ſucceſſurum Deut. 18: 18.) *Ecce, vocabis populum quem non noras, & populus qui te non norat, ad te curret, propter Deum tuum, & propter ſanctum Iſraelis; nam glorificavit te.*

Hos inter ſimus oportet, ſiquidem nobis hæc applicanda ſint; ſumus de gentibus, quæ Deum non norant & remotis inſulis, quæ famam Chriſti non audierant, nec viderant gloriam ejus, ſed quibus ea annunciata eſt; ſiquidem rite audivimus ut noſter Dominus Deus & Sanctus Iſraelis nobis innotuerit, utique perſuaſerit accurſum ad hunc teſtem, ducem, præcipientem nationum, ut nos ei ſubjiciamus. Et quid, quæſo, aliud hodie teſtatum voluimus? Quid fecit accurrere hoc mane ad domum, ad menſam Domini? nonne quod teſtis fuit inter nos gentiles, ſe omnibus ſitientibus & ad ſe venientibus & audiendo audientibus ſe, bonum & pinguedinem ad lætam ſatietatem animæ, ejuſque vitam largiturum, ut in ſua morte & reſurrectione ſuæ reconciliationis cum Deo habeant ſecuritatem? nonne quod Princeps ad dandum reſipiſcentiam & remiſſionem peccatorum? nonne quod dux ſalutis per paſſiones conſummatus, qui liberos Dei ad gloriam ducit? nonne præcipiens, hoc facite ad mei recordationem; & quoties de hoc pane ederitis de hoc poculo biberitis, mortem Domini annunciabitis? quandoquidem eſt Sanctus ille Domini Joh. 10: 36. & ſanctus noſter, qui ſe ſanctificavit Joh. 17: 19, 20. pro nobis, in hoſtiam ſegregavit in reatum, ut totus cenſeretur peccatum & חטאת; ut nos ſanctificaremur, ſegregaremur à reatu, in veritate, non tantum in figura typorum, quæ umbratilis, citra veritatem & conſtantiam, uti Iſraelitæ olim, ſed vere & conſtanter utpote; qui una hoſtia ſui corporis in æternum conſummavit qui ſanctificantur, Heb. 10: 14. à reatu ſegregantur. Hoc modo audiviſſe nos oportet; de his inſtructos & convictos eſſe; atque tunc ſequi debet, quod iſtius auditus demonſtrationem facit, Praxis tum interna Amoris, tum externa operis, de Amore loquuntur iſta, peregrini, qui Domino adhærent, non tantum accurrunt, uti Judæi ad Chriſtum, cum comediſſent de pane multiplicato, ſed qui non loquente ipſo ad ſuum captum, aut placitum durum ſermonem cauſati ab eo audiendo alieni, non amplius cum Chriſto ambularunt; Joh. 6: 60, 66. ſed qui adhæreant æterno fœdere, ſervituri Deo, & amaturi nomen ejus; ut ipſi ſint miniſtri, quemadmodum ſervus qui aurem dabat hero perforandam, ut amorem ſuum erga illum & deſiderium miniſterii teſtaretur, atque ejus ſibi in perpetuum conceſſi obſignationem obtineret ſignum in corpore, quod ſibi glorioſum duceret, quamquam forſan apud alios contemtum. Hujuſmodi amore ſtimulante acceſſiſſe, & hoc ſcopo de menſa ejus participaſſe oportet, ut nos domeſticos ejus ab ipſo agnitos obſignaretur. Sed reſtat ut amoris quem profitemur documenta demus operis in cultu ejuſque ſinceritate; obſervatio Sabbathi ne eum profanemus; Diem illum quem fecit ſignum ſe eſſe Deum ſuorum, ſanctificantem ſuos: non illum priſcum, ſeptimum; ſed quem Spiritus S. longe poſt illum definivit, alium, certum tamen Heb. 4: 7, 8. diem quem fecit Dominus, quando lapidem rejectum ab ædificantibus conſtituit caput anguli, Pſ. 118: 22. &c. quod in reſurrectione factum docemur Act. 4: 10. Hunc diem ſanctitatis Domini & à laboribus vocationis ordinariis, & à deſideriis propriis potiſſimum immunem ſervare debemus, eumque agnoſcere & profiteri oblectationem propter Sanctum Domini glorificatum Eſa. 58: 13. ut quod olim factum legimus, nos Chriſtianos profiteamur, ſervata Dominica. Præterea ne uno die ſervitutem finitam credamus, firmiter retinendum fœdus Dei, ut quicquid conditionum eſt, certo tempori non adſtrictarum, citra intermiſſionem magnâ ſedulitate & conſtantia exerceamus, juxta illud, Pſ. 103: 18. Servat fœdus, qui recordatur præceptorum ejus, non ut ſciat tantum loqui, ſed ut faciat. Ad iſta quæſo examinemus nos ipſos, tum ad ſatisfactionem conſcientiæ propriæ, tum ad convictionem aliorum, ut amantes heri noſtri, Jeſu Chriſti, ſervos nos probemus, faciendo, ne propriam animam decipiamus, atque alii ad æmulationem excitentur. Quantum vero hujus fiat vel non fiat, non opus eſt à me dici; res ipſa nimis loquitur. Verum ſi deficiamus in hiſce utique requiſitæ à Moſe conditiones deerunt, & nos probabimur non audiviſſe ad convictionem, ad eoque nec amorem Dei concepiſſe, neque ſerviendi propoſitum habere ſincerum & conſtans. Quod num ad noſtrum commodum & ſecuritatem faciat, cuivis æſtimandum relinquo. 1 Tim. 4: 8. utriuſque commodi defectus pietatis quoque defectum arguit; nam alioqui conſequentiam definivit Deus. De commodo ad futuram vitam faciente loquitur Eſa. 56: 7. hos quoque adducam &c. peregrini, ſe jungentes Domino non habebunt conquerendum, Dominus me penitus ſegregavit à ſuo populo. verſ. 3. adducet, & exhilarabit bono domus & ſancto palatii ſui & ſacrificia eorum, tum pro ipſis oblatum, Chriſtus חטאת: tum quæ offerent laudis & obſequi placebunt; & preces ipſorum in domo Dei parient eis lætitiam à Deo exauditæ. Et quid habebunt ultra deſiderandum, dum hic vivunt? Feliciſſima pietas quæ tanta conſequitur.

2. *Commodum* præſentis vitæ in textu memoratur verſ. 14, 15. fiet, tales ſi fueritis, & dabo pluviam &c. Moſes loquitur, ſed ut Deum loquentem faciat; quis enim ipſe qui vel aquam ex rupe, vel pluviam de cœlo largiatur? Deus qui indiderat verba ſua ejus ori, per ipſum loquebatur. Hic promittit pluviam Cananææ neceſſariam, & à ſe ſolo dandam, ut ſe toto anno terram illam curare appareat. Itaque I. *oportunam*, ſuo tempore, & primam menſe Octobri poſt ſementem factam, & poſtremam menſe Martio, ſpicis jam plenis ad granorum incrementum ante meſſem. II. *Fœcundam*, ad abundantiam pro hominibus, *& colliges, frumentum, muſtum, & oleum tuum*: pro pecoribus *dabo herbam, gramen, viride germen, in agro tuo, pro jumentis tuis*; & fruitionem, *& comedes & ſatiaberis*. Obſequium poposcit in plurali numero, *ſi audiveritis* &c. & promittit pluviam univerſorum terræ, abundantiam autem & fruitionem ſingulis, *& colliges*, &c. Diſcimus hinc rationem promiſſionum iſtiuſmodi externarum. Obtingunt illæ ſingulis in populo, quando univerſitas populi, multitudo maxima, pietatem exercet. Sic hic deſcribit, & teſtatur experientia ſacra. Quando reges & principes populi & qui ipſorum leges & exempla ſequuntur ſubditi majorem partem, (ſemper enim adſunt quo-

quoque impii ſed contra quos tunc animadvertendum eſt, ſi publice ad ſcandalum aliorum impie agant:) pietati ſtudeant, univerſalis eſt proſperitas externa, ut nullo hoſte externo turbentur ſaltem ad perditionem, & intus felicem abundantiam obtineant; adeo ut etiam mali una fruantur de bono illo. Sic factum eſt ſub Davide, Salomone. Aſa Joſaphato, Hizkia, Joſia. Non defuere tunc quoque impii, ſed tamen multitudo fuit religioſa, imo ſub Joſia tantum hypocritica obedientia, ſed quæ publico ſcandalo non foret, rege pio cogente eos ut ſe vivo non recederent à Dei mandatis. 2 Chron. 34: 32. &c. Jer. 3: 6. atque Deus dedit proſperitatem in diebus Joſiæ ſic 1 Reg. 4: 20. *Juda & Iſrael erant multi, ut arena juxta mare in multitudine, edentes & bibentes, & gaudentes, & habitabant ſecure omnibus diebus Salomonis.* 2 Chron. 14: 7. Aſa ad Judam *Quæſivimus Deum noſtrum* (quod fecerat & mandarat ſubditis verſ. 2. &c.) *quæſivimus & dedit nobis regem circumquaque,* Sic etiam poſtquam novo fœdere ſe Deo obſtrinxerant. Joſaphato id obtigit, qui excelluit pietate eamque in populo ſollicite excitavit inſtitutione publica procurata; & felicitas hujuſmodi conceſſa, ut cum duas tantum tribus poſſideret, diſtrictu exiguo, tamen haberet in cenſu militari ex Juda 780000. ex Benjamin 380000. in univerſum 1160000. omnes אנשי חיל præter eos quos rex in munitis urbibus per univerſum Judam conſtituerat, præſidiarios: quibus ſi annumerentur tum minorenes & veterani ex maribus, quibus immunitas fuit ab armis; tum fœminæ omnes nuptæ & innuptæ, & minorenes, iſte numerus denuo & plurimum auctus erit ſtatuendus. Qui omnes cum vixerint feliciter, & citra mercimonia, quia portu maris carebant & fluvius ipſorum Jordanes oſtio maritimo deſtituebatur, utique fertilitatem oportuit eſſe maximam, imo incredibilem fere.

Facit hoc ad inſtitutionem noſtram; iſtæ promiſſiones fertilitatis & felicitatis non fuerunt Iſraelitis propriæ, quaſi terrenis bonis ſigillatim fuiſſent allecti ad obſequium, & iis remunerati. Eadem nobis polliceri audeo, ſub iiſdem conditionibus. 2 Cor. 6: 16. gentibus applicatur, quod Iſraeli dictum Lev. 26: 11. unde & reliqua ibidem appropriare gentibus licet. Sed dicitur univerſitati. Hæc ſi religioſa, etiam felix fuit. Et ſi nos quoque univerſi tales, non deerit felicitas. Exempla non deſunt nobis. Quando Belgium publicæ pietatis nomine commendabatur, viventibus illis qui ex magna afflictione venerant, & viderant omne opus Dei magnum, affluxit abundantia, & in exiguo angulo terræ, multitudo vixit innumerabilis propemodum. Aſt ea religio multitudinis maximæ evanuit: nomen Reformatorum eſt ſint rei veritate, plurimis ambulantibus ut Gentes in vanitate mentis ſuæ &c. Eph. 4: 17. &c. Pauci ſunt, quos puer deſcriberet, qui genu non flexerunt Baali, mundo videlicet; qui gemunt & exclamant ſuper omnes abominationes quæ fiunt in terra, & patiuntur adverſa cum multitudine illa, quæ ſua impietate fecit, ut bonum illud non videamus. Hoc quidem verum, frequentiora fuiſſe felicitatis externæ exempla in Iſraele; ſed frequentiora quoque univerſalis emendationis, quia populus ſolus habitabat, & ad unum cultum à piis regibus potuit adduci. Aſt nos vivimus in mixta multitudine, nationum & religionum variarum, atque ibi prævalet crebrius pejorum numerus, & clamor peccatorum provocantium excedit paucorum ſuſpirantium vociferationem, ut externa proſperitas non ſuccedat. Proinde omnes excitandi ad pietatis & juſtitiæ exercitium. Jer. 5: 24. Dicendum foret omnibus in corde, & publicandum quoque ore, *Timeamus Dominum Deum noſtrum, qui dat nobis pluviam primitivam & ſerotinam, tempore ſuo; ſervat nobis ſeptimanas, ſtatuta tempora meſſis.* Eſt profecto hæc cura Dei non benigniſſima tantum, ſed quotidiana, ut ad quævis momenta attendat. Mich. 5: 6. Zach. 10: 1. dabit abunde pluviæ pro quovis germine agri. Sic oculi quodvis germen, quamvis herbam intuentur, atque hoc concedit obedientibus abundantiſſime. Deut. 28: 12. Lev. 26: 4. &c. Memorabile eſt Mal. 3: 10. obedientiam in uno capite ſic remunerari vult; *afferte omnes decimas in theſaurum, cibus ſit in domo mea,* (ne miniſtris Dei eſuriendum ſit) & *probate me in iſto, ſi non aperuero vobis feneſtras* &c. non ſolum benedicet pluviâ, ſed pluet benedictionem. Optat Deus hoc facere Pſ. 81: 14. &c. Sit etiam votum noſtrum, non tantum ut hoc beneficium impetremus, ſed ut ipſum officium, Deo nos faciente obedientes. Quo pertinet pluvia alia, nempe verbi & gratiæ divinæ. Eſa. 55: 10, 11. Eam primam non impetramus obedientia, cum omnem obedientiam antecedat, & eam excitet; ſed conſequimur mero deſiderio. Zach. 10: 5. &c. Matth. 11: 28. Pſ. 65: 10. Sic Pſ. 68: 10. Huc facit illa promiſſio Eſa. 55: 6--10. quærentibus & reſpiſcentibus gratia Dei ſperanda, quia Deus eſt & non homo, & gratia hujus pluviæ; O ſi, ſatis pauperes eſſemus ſatis deſiderantes, non deforet efficax iſta pluvia. Quandoquidem non negabit Deus piis, quotieſcunque deerit Pſ. 34: 16. Pſ. 33: 18. Eſa. 44: 2. &c. Iſrael *ſervus Dei*, ex vocatione efficace, & qui *Jeſchurum* ex electione, non qui jam eſt rectus, ſed etiam qui erit, imo ut fiat, irrigabitur pluvia illa ſpiritus ad fertilitatem lætiſſimam, tum multitudine, tum incremento graduum cujus profeſſio. Hic dicit ego ſum Dominus. Studeamus oſtendere hanc gratiam nobis factam eſſe. Et ubi cœperit Deus, non deſeret opus ſuum Pſ. 138: 8. ſi cura conſtans & quotidiana circa terram, multò magis circa Eccleſiam, Eſa. 27: 3. Ego Dominus cuſtudio vineam, quovis momento rigabo. Imo Deus ipſe erit ros irrigans. Hoſ. 14: 6. Ero Iſraeli ut ros, florebit ut lilium, fructus tuus ex me repertus aſt. Pluvia iſta & ros efficit fertilitatem, & quemadmodum oculus Dei jugiter toto anno in Cananæam, & in Eccleſiam, ſic fertilitas jugis; arbores ſic rigatæ, ſingulis menſibus recentes fructus ferunt, & folia ſunt ad ſanationem gentium Apoc. 22: 2. qui & ipſi ſunt ad laudem & gloriam Dei, & eos qui vident ad Dominum glorificandum excitant. Quid aliud dicendum nunc quam illud Pſ. 84: 6. &c.

Joſ. 24: 20. Obedientes Deo habent Deum benefacientem: aſt inobedientes malefacientem. Eſa. 63: 10. *Rebelles fuerunt* &c. qui autem populus, & Deus ipſis ſervator. Valet illud de ſingulis Eſa. 3: 10, 11. & de univerſitate populi Eſa. 1: 19, 20. Nam quando occultat faciem, quis eum intuebitur, Job. 34: 29. ſimiliter, ſi lucere faciat faciem ſuam, ſive uni, ſive populo, fruuntur bonitate ejus. Habet enim Deus diverſa bona; etiam quædam communia, externæ providentiæ, quæ multitudini, externam diſciplinam obſervanti largitur, & negat violanti: & ſunt ſingularia, quæ ex ſingulari gratia dat iis qui veram pietatem præſtant, ſive ad hanc ſive ad futuram inprimis vitam pertinentia. De prioribus agit hoc loco, & quid univerſo populo exſpectandum eſſet in Cananæa, ſive pie, ſive impie vixiſſent. Cananææ curam Deus ſibi ipſi vendicat; Negat induſtriam humanam ſufficere, ſed benedictionem fertilitatis à pluvia pendere, quam Deus pro ſuo lubitu demittat; contra quam 215 annis in Ægypto experti erant ubi, ſemel exundante Nilo quotannis, reliqua rigatio propriæ curæ fuit, uti hortulani in horto olerum. Verum quia rigatio Cananææ omnis eſt à pluviâ diſpenſationis divinæ, utique Deum propitium habere neceſſe erat, ad eam dono ejus conſequendam; qui ſi offenderetur, eſſet negaturus. Hoc affirmavit Moſes de Cananæa, verſ. 11: 12. *bibit aquam de pluvia cœli*, &c. *Equidem dixit* Deut. 8: 7. eſſe terram bonam. Sed nihilominus, riganda erat à pluvia, quod rivi illi, non inundarent ut Nilus, & fœcundarent terram ubique; quod multi montes iis prorſus carerent, & quod in ſiccitate majore exſiccarentur, adeo ut etiam pluviâ eſſent conſervandi; ut hîc quoque neceſſitas pluviæ obſervanda eſſet, exemplo 1 Reg. 17: 18. Itaque hortatur Iſraelem ad obedientiam ſinceram, pollicitus uberrimam pluviam ad fertilitatem. verſ. 13-15. Verum contra dehortatur ab inobedientia, quod pluvia tunc neganda eſſet. Id agit in ſequentibus. verſ. 16, 17. & tum quæ de conſtantia & extenſione poſſeſſionis eos erudiant.

Verſ. 16. *Cavete vobis ne ſeducatur animus veſter ut recedentes colatis Deos alienos & incurvantes vos* honorem habeatis *illis.*

Verſ. 17. *Unde accenſus irâ Jehova in vos ita claudat cœlos ut non ſit pluvia, & terra non edat proventum ſuum: ſic pereatis celeriter à terra illa optima quam Jehova daturus eſt vobis.*

C. *Inobedientiam* deſcribit cum dehortatione verſ. 16. & incommodum indicat verſ. 17.

R. *Dehortatio* præmittitur, *Cavete vobis ipſis.* Cuſtodiam mandat pluraliter: quandoquidem hæc cura omnium & ſingulorum eſt, non tantum pro ſe ipſis: ſed etiam pro aliis. Pro ſe quiſque vigilare debet, quam chara ſibi ſua ſalus, ne ejus poſſeſſione excidat, aut ſecuritatem amittat, ſed etiam de aliis ſollicitus eſſe debet; Heb. 3:12.&c. Non tantum ſui cordis: ſed etiam fraterni curam commendat; ut non tantum ipſemet, ſed etiam alii omnes à declinatione impediantur. Hinc Lev. 19:17. *non feres in proximo tuo peccatum*, vel non feres propter eum peccatum; contrahit enim reatum, qui negligit, ex Kaini judicio, *an fratris mei cuſtos ſum?* Gen. 4: 9. Atque id inprimis, quando agitur de communi benedictione vel maledictione, quam Deus juxta multitudinis conditionem immittit, ut à plurimorum pietate vel impietate pendeat Reip. externa conditio felix vel infelix. Ubi ſingulis laborandum tum ut ipſimet ſint inter eos, quibus benefacturus eſt Deus, non autem ex iſtorum numero propter quos judicia & vaſtitatem immittet; tum ut plurimos ab hoc numero abducat & adducat ad iſtum. Huc faciunt dicta, Zeph. 2. verſ. 1. התקוששו וקשו *colligite vos*, & *colligite* alios nempe, ut antequam dies æſtus iræ Dei veniat, alii ſitis. קוש eſt ligna colligere ad ignem fovendum. Num. 15:33. 1 Reg. 17:10. Peccata ſunt ligna quibus fovetur ignis ira Dei, ea debent accurate exterminare, ut non amplius ſint, & fomento carens ignis ille exſtinguatur: Eſa. 27:4. Ergo ſi aboleantur, ut non ſint ſpinæ, utique ceſſabit ignis & erit pax, atque hoc faciendum ubicunque poteſt quis, ubi videt, tollat & aboleat. Ezek. 14:6. *convertimini & convertite* prius eſt שובו, poſteriora והשיבו: illud quemvis, iſtud alios, reſpicit, ſic Luc. 22:32. Ezek. 18:30. והשיבו non tantum ſingularem, ſed univerſalem reſipiſcentiam vult, ad univerſalem calamitatem removendam; benedictionem largiendam; eoque etiam in aliis promovendam docet. Utinam id apud nos obtineret. Equidem frequentiſſimæ ſunt cohortationes, ſive verbo, ſive exemplo ſolum, quia pudor eſt dicere, quando homines Prov. 1:13. & quantus eſt eorum numerus qui, cum à maximo ad minimum omnes exerceant avaritiam. Sic Eſa. 56:12. Sed qui alios excitent ad reſipiſcentiam, & vitæ ſanctitatem pauci ſunt, & qui ſunt à paucis audiuntur. Imo generatim non eſt cura ſui ipſius, nedum publici. Nam quam curam gerunt pro ſe ipſis, ad perniciem eſt; de avaris dicitur. Hab. 2: 9, 10. *Peccaſti contra animam tuam*; & de luxuriosis, Jac. 5:5. *delicatè vixiſti & quaſi die mactationis.* Qui exſcinduntur Jer. 12:3. Qui vero data opera propriam animam perdere ſatagit, quomodo de alienis laboraret. Amor proximi eſt ad normam ſui ipſius. Hic prior; & ſi fuerit genuinus, etiam ad proximum ſe extendet. Huc excitat S. Synaxos exercitium; non ſolum communio noſtri cum Chriſto obſignatur fruitione fideli panis fracti, & poculi effuſi in S. Cœnâ, ſed etiam communio mutua, quod omnes unus panis ſimus, qui de uno pane participamus 1 Cor. 10:16. &c. Cum membra ſimus ejuſdem corporis, & iſtud profeſſi ſimus, pro omnibus mutua ſit cura. Sic fit in corpore, non ſolum damnum, ſed etiam ſordes removere ſtudent membra reliqua, ab uno digito. Heb. 12:14. eoque ſimul & aliorum ſanctificatio perſequenda, ſiquidem ſimul Deum videre lubeat; quo faciunt ſequentia. Simus cooperatores mutuæ emendationis, nam qui peccatorem avertit ab errore viæ ſuæ, animam liberabit à morte Jac. 5:20 & qui mutuæ converſionis, etiam gaudii erunt autores; Pſal. 32. verſ. 11.

2. *Deſcriptio* inobedientiæ eſt, *ne perſuadeatur cor veſtrum & declinetis & colatis Deos alienos & incurvetis vos illis* Docet proceſſum peccati I. *Perſuaſio* cordis, ut rationibus quibus ἐγλοφησεία abundat (λόγῳ σοφίας dicitur, & περὶ ἀληθείας σοφίας λόγοι;) quis pelliciatur in aſſenſum; corde autem perſuaſo II. eſt *Declinatio* à via quam quis calcabat, quæ diſplicet, III. ſequitur tunc *cultus* aliorum Deorum, quæ via placens nova & IV. externa demonſtratione oſtenditur, *incurvatione.*

Scilicet *omnis erroris principium eſt cor*; hoc ubi perſuaſum, quia in omnia membra corporis imperium tenet, movet ea pro libitu. Matt. 15:19. malæ actiones ſunt *placitum pravi cordis* Jer. 18:12. Job. 31:27. Et corde non melius perſuaſo, non eſt ſpes emendationis Eſa. 44:18.&c. de idololatris, opus manuum humanarum adorantibus Pſ. 78:8. Nemo eſt peccatorum, qui non cordis ſui judicium ſequitur, & illud amplectitur, quod à ſeipſo vel ab alio perſuaſum eſt melius & utilius eſſe. Non quod ſemper rite judicet: ſi id fiat in rebus ad ſalutem æternam facientibus à Dei gratia ſingulari eſt, qui dat intellectum, ut agnoſcamus veritatem, & eam amplectamur, ac ſequamur: alioqui Deo teſte poſt inquiſitionem accuratam nemo id habet ex ſe, Pſ. 14: 2, 3. Dominus de cœlo proſpexit in filios hominum, ut videret, an quis eſſet intelligens quærens Deum; *Omnes declinarunt* &c. & mox, *operarii iniquitatis?* Et cum is defectus ſapientiæ ſit, quid mirum, ſi decipiantur homines. Prov. 14:15. Atque hinc tantus deceptorum numerus: Impia Stolida mulier pluribus perſuadet, quam vera ſapientia Prov. 9. quia illa humanam ſapientiam & gloriam, humanas voluptates & commoda oſtentat; aſt hæc humana contemnere, & divina ſectari jubet. Totus orbis deceptorum eſt Eph. 2: 2, 3. & hinc tanta declinantium à via, & idolatrarum omnis generis multitudo. Cœci ſequuntur cœcos, qui ſe videre jactant, etſi in foveam præcipites agantur. Et frequentia in via lata hanc eligere perſuadet, ut eatur non qua eundum, ſed quâ plures eunt, ne quis unquam ſolus ſit. Sic Hebræi vanam converſationem ſecuti erant à patribus traditam 1 Pet. 1:18. Jer. 9:14. & Judæi exſpectabant judicium Principum an Jeſus eſſet Chriſtus Joh. 7:26. Itaque ſuper omnia cordis habenda ratio, ne pravis ſuaſionibus obtemperet, Prov. 4:23. Et quia à nobis non ſapimus, Tit. 3:3. inobedientia & error ex inſipientia; nihil nobis tribuamus, ſed ad illum eamus qui non ſuadet niſi quod ſalutare; ne ſimus ut equus & mulus ſine intelligentia, qui freno & habenis ducuntur Pſ. 32:8 &c. ut pariter nobis frenum injici patiamur, & citra inquiſitionem ullam impellamur, quo ſeſſori placet. Sed ad Deum conſiliarium, ut renes perſuaſi ipſimet erudiant quoque nos Pſ. 16:8. ad Chriſtum conſiliarum Eſa. 9:5. qui ſuadet quomodo veras divitias, veſtes puriſſimas, & collyrium efficaciſſimum conſequi valeamus Apoc. 3:18.&c. ad Spiritum S. cujus eſt ἐλέγχειν Joh. 16:8.&c. illuminando oculos mentis ad videndam veritatem, & flectendo voluntatem ad obſequium ad verbum quod eſt Conſiliarius Pſ. 119:24. non ſolum quæ ſuadent, ſed perſuadent, ut in ipſis voluptas ſit. O ſi hos ſuaſores audire & ſequi placeret. Prov. 23:26. Si quis convictus cor tradat Deo, oculi erunt in obſequio; & ſi Lex Dei in medio, greſſus erunt firmi; non declinantes Pſ. 27:31. Hoſ. 2:13. *Ecce perſuadebo illi poſtquam duxero in deſertum* &c. Sæpius ſuaſerat dum in proſperitate declinabant ad omnis generis errores, ſed fruſtra: perſuadebantur à falſis doctoribus, qui pollicebantur bona peccantibus, & fracturam leviſſime curabant, ſed ad perniciem. Igitur Deus ducit prius in deſertum, ut amiſſis omnibus, & deſertam ab iis quibus fidebat, diceret, abibo, & revertar ad maritum meum priorem; nam tunc melius mihi erat quam nunc. Ipſa paupertas & anguſtia eſt, perſuaſio, ſaltem ut auris præbeatur bono conſilio. Zeph. 3:12. Hi ſunt idonei quibus perſuadeatur, & ad horum cor Deus loquitur. Deus ob neglectas priores ſuaſiones, ducit nos in deſertum; talis fere patria noſtra eſt, & indies magis ei aſſimilatur, utinam eouſque proficeremus, ut agnoſceremus nos eſſe populum pereuntem conſiliis; & cui non eſt intelligentia, ſic facilius perſuaderemur; Dei verba forent ad cor noſtrum, ut in iis haberemus delectationem, illa ſuper omnia æſtimantes & ad illa deinceps nos totos componentes; ſic quod Deus Iſraeli pollicetur, ſperare auderemus, quod vallis Achor ſit futura oſtium ſpei, ut jubilandi inveniremus materiam, etiam ex reſtitutis vineis & cæteris, quibus olim fruiti ſumus benedictionibus, quæ contrariæ ſunt incommodo inobedientiam ſecuturo.

3. *Incommodum* illud eſt verſ. 17. Gradatim etiam hîc procedit I. *Ira* Dei, quæ Deo tribuitur ἀνθρωποπαθῶς, quando agit, quæ homines irati agunt; illi averſantur rem ingratam & offendentem, & quam habebant benevolentiam & amorem deponunt; odium autem concipiunt, & voluntatem ægre faciendi illi qui patravit. Sic Deus Pſ. 5:5.&c. Pſ. 7:12.&c. Confertur autem ira Dei igni, quia vehementiſſimum, perniciosiſſimum, ſubitum eſt malum, quod ea infert. II. *Occluſio cæli, ne pluat*; quemadmodum

dum enim ipſo aperiente cœlum, deſcendit pluvia, Deut. 28: 12. ſic illo claudente, cohibetur. III. *Sterilitas* terræ non rigatæ, IV. ipſorum *ſubita pernicies.*

Peccata, & ſpeciatim idololatria, faciunt ut iratus Deus pluviam, & alia fertilitatis inſtrumenta tollat, ad perniciem incolarum. Sic minatus eſt Lev. 26: 19. Deut. 28: 23. &c. Cœlum ſupra æs erit & terra infra ferrum. Exempla illuſtria ſunt Amos. 4: 7, 8. 1 Reg. 17, 18. quando Deus per 3½. annum pluvias cohibuit, propter idololatriam Baalis, & Jer. 24. ubi deſcribitur ſiccitas quæ homines & beſtias perderet, quam fervidis precibus propheta amoliri ſtudet, ſed nihil impetrat, reſpondente Deo, verſ. 10. &c. ita amarunt errare &c. & nec prophetæ, nec ipſorum ſupplicationes exaudire vult. Maximum eſt, quod hodieque exercitum videmus, Deut. 29: 22. &c. & liberi veſtri; & populi alii videntes plagas & morbos terræ, *dicent tuas, Cur Deus ita fecit huic terræ? & quæ accenſio tantæ iræ, & dicetur, quia deſeruerunt, fœdus Domini Dei ſui, & coluerunt alios Deos.* Sane Iſraelitis nunc talis eſt, ut fertilitas priſca incredibilis videatur; cum nunc ne centeſimæ, imo vix milleſimæ parti ſufficiat. Sed non ſoli Iſraelitæ ſic puniuntur. Zach. 14: 18. Ægypti peccantis plaga, cum nunquam ibi pluat, non erit cohibitio pluviæ, ſed quæ illi analoga ſit, ſterilitatem afferens. Adeoque in regionibus pluvioſis, nimia quoque in pœnam eſt; quod crebro experimur; nam Job. 37: 13. Pſ. 107: 33. &c. *nubes & pluviam vel in virgam, vel ad benignitatem efficit.* Amoſ. 5: 8. cap. 8: 8. cap. 9: 6. Jer. 3: 3. De nobis idem dici poteſt, cum animadvertimus & terræ & maris fertilitatem deficere, ut multum ſeminetur, & parum metatur, & quando in domum delatum eſt, Deus ſufflando diſſipet: quia cura unica fere pro corpore & fortunis, nulla & exigua de conciliando Deo; unde cohibitio pluviæ gravior metuenda. Amos. 8: 11. &c. propter oppreſſionem pauperum & injuſtitiam violentorum jurat Deus, in æternum ſe non obliturum operum ipſorum, immuſſurum inundationem, ſolem ipſo meridie occaſum habiturum, feſta in luctum mutanda: tandemque *Ecce dies venient dictum Domine, & immittam famem* &c. Doctores ſunt ſtillantes, & verba eorum ut pluvia; ſed illis qui ſic non emendantur ſubducet, Eſa. 5: 6. præcipiam nubibus ne pluviam depluant, quando vel obmuteſcere faciet, ne ſint convincentes Ezek. 3: 26. vel faciet avolare Eſa. 30: 20. Heb. 6: 8. terra quæ pluviam ſæpius ſupervenientem imbibit, & ſpinas ac tribulos profert reproba eſt proximaque maledictioni, cujus finis eſt ad combuſtionem. Væ nobis ſi iſtud judicium nos maneat. Quanta ſollicitudo nobis eſſe deberet, ne iſto pereamus. Solent magnæ domus grandes ciſternas parare, ut pluviam cadentem ſervent, etiam in ſiccitate inſerviturum; ſic faciamus. Recondamus verbum Dei in corde noſtro, & congeramus theſaurum, ut ſi quando extrinſeca prædicatio periret, ejectis iis qui illud purum ſine corruptela annunciant, vel nobis ipſis qui audiebamus, tamen non ſit moriendum ſiti, ſed ut ſtatuta Dei nobis ſint cantica in locis peregrinitatis noſtræ Pſ. 119: 54, & verſ. 92. & in omnibus hæſitationibus, & æſtu perſecutionum, inde ſit refrigeratio Pſ. 94: 19. ſic non deerit fertilitas, verbum in nobis habitans faciet nos fructum ferre, ſiquidem in bona corde cuſtodiatur, ampliſſimum 30. 60. imo centuplum. Luc. 8: 15. nunquam autem redibit ad Deum vacuum verbum ejus, ſed proſperabitur, ut qui in Dei atriis plantati ſunt, vireant, & in ſementa quoque ferant fructum.

Verſ. 18. *Sed reponetis hæc verba mea in corde veſtro & in animo veſtro, & alligabitis ea in ſignum manui veſtræ, eruntque pro frontalibus inter oculos veſtros.*

Verſ. 19. *Præterea docebitis ea filios veſtros loquendo de eis, quum ſedes domi tuæ, & quum vadis per viam, & quum jaces & quum ſurgis.*

Verſ. 20. *Etiam inſcribes ea poſtibus domus tuæ, & portis tuis.*

Verſ. 21. *Ut tam multiplicentur dies veſtri & dies filiorum veſtrorum ſuper terram illam, quam juramento promiſit Jehova majoribus veſtris ſe daturum eis, quàm* multi ſunt *dies cœli ſuper terram.*

Hoſ. 11: 4. Deus commemorans beneficia exhibita Iſraeli, poſtquam eum filii loco habere dignatus eſt, hoc verſu ad duo revocat, unde funibus hominum & rudentibus amoris traxiſſe liquebat, fui ut qui jugum deſuper à maxillis eorum levaret, & protendi eis cibum. Prius fuit liberationis ex Ægypto, ubi in domo ſervitutis jugo duro onerabantur, ut deorſum premerentur capita, & jugum in ipſas maxillas prolaberetur; ſuſtulit jugum illud, imo penitus fregit, Lev. 26: 13. *Ego ſum Deus veſter, qui vos eduxi ex terrâ Ægypti ne eſſetis ſervi ipſorum, & temones jugi veſtri fregi, & feci vos incedere erectos.* Poſterius fuit liberaliſſimæ alimoniæ in Cananæa, ubi abundantia magna, ut ederent proventus, agri, ſugerent mel & oleum ex petris, & ſilicibus; buthyrum & lac, pinguiſſima armenta & greges, triticum denſiſſimum, & vinum generoſiſſimum. Deut. 32: 13. ſeq. Enimvero ut hæc beneficia, poſtremum inprimis, obtingeret, & continuaretur, neceſſaria fuit obedientia. Qua deficiente, nec potiti omni terra ſunt, nec poſſeſſionem conſtanter ſervarunt, quemadmodum etiam nunc evidens eſt. Hacpropter Moſes eò tam multis cohortatus eſt in extremis diebus ſuis. Hoc capite dum obedientiam urget, utriuſque beneficii mentionem facit: illius ceu præteriti, cujus memoria deberet inſtigare; iſtius ceu futuri, quo illo potirentur. Inde à verſ. 8. ad obſequium legitimum vocat, ut promiſſa terra potirentur. Atque ut in hoc argumento agnoſcerent vim aliquam, deſcribit Cananæam, terram feliciſſimam, ſed quæ ab immediatâ Dei providentia penderet, ſupra omnes alias; adeo ut Deo favente opus foret ſingulariter; itaque ad impetrandam fertilitatem terræ, conſtantiam poſſeſſionis, & amplitudinem obſequio religioſo ſtudendum eſſe. De fertilitate dixit per pluviam datum iri obedientibus, & contra inobedientibus negata pluvia negatum iri, ad ſubitum interritum, verſ. 13--17. Nunc ſubjungit conſtantiam poſſeſſionis, alium fructum obſequii | verſ. 18--21. tum amplitudine m, verſ. 22--25.

D. *Conſtantia* declaratur verſ. 21. obſequium autem deſcribitur iiſdem partibus, & propemodum verbis, quæ fuerunt. Deut. 6: 6. &c. Conſideranda hæc obedientia in nexu cum antecedentibus. Quidam proxima verba tantum ſpectant; *Subito peribitis de terrâ; Et ponetis verba hæc mea* &c. notantque Notitia & meditatio verbi Dei non tantum rebus proſperis, ſed etiam adverſis neceſſaria. Etiam ubi ejecti Cananæa exulabitis omne ſtudium adhibendum, ut & adulti & infantes norint, & memoriam eorum conſervent. Impia vox eſt Jorami, *malum hoc à Domino, quid amplius Dominum exſpectabo?* 2 Reg. 6: 23. & uxoris Jobi, *quid ampliùs retines tuam integritatem? benedic Deo & morere.* Job. 2: 9. Judæi tale conſilium meditabantur in Babel, ut fierent conformes Ethnicis in idololatriâ Ezech. 20: 32. Imo vero rebus adverſis ſtudium pietatis debet eſſe ſollicitius. Quandoquidem ob neglectum ejus affliguntur, non utique agendum quod afflictionem procuravit, ſed contrarium. Illud faciet ut augeat Deus afflictionem, iſtud impetrabit imminutionem vel remotionem. Amos. 4: 4. &c. ob idololatriam Deus immiſerat caritatem annonæ & famem, tum negarat pluviam, immiſerat ſterilitatem, peſte & gladio vaſtarat, Sodomitico incendio quoſdam delerat; ſed ad unumquodque judicium dicit, *non tamen ad me converſi eſtis dictum Domini,* & hinc propterea *ſic tibi faciam, ô Iſrael,* extremum minatur, quod horret dicere & Lev. 26. quando plagæ priores non ſufficiunt ad frangendam ſuperbiam rebellionis, identidem augetur ira Dei, & plagæ ſeptuplum augentur. Ezra ait nihil exſpectandum quam excidium ultimum, ſiquidem judiciis divinis tantopere imminuti denuo redirent ad impietatem. Ezr. 9: 14. Reſipiſcentia & emendatione vitæ opus eſt, ſi quid conferendum ad imminuendas & amoliendas calamitates, Lev. 26: 40. &c. ſi in terra hoſtium agnoſcant & confiteantur ſuæ peccata & cor præputiatum flectatur, & in pœna iniquitatis beneplacitum habeant, tum Deus promittit gratiam. Nam ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam. 1 Pet. 5: 5. vult vincere quando judicat. Rom. 3: 4. Eoque humiliare ſe debet

quis ſub manu Dei potente, ut eum exaltet ſuo tempore. Quando Dei judicia ſunt in terra ab incolis ejus diſcenda juſtitia: quod quando impii non faciunt, tandem manum Dei cogentur videre, & pudefient, & conſumentur Eſa. 26: 10. &c. Jam ad reſipiſcentiam vitæque emendationem inſtituendam, neceſſarium eſt verbum Dei, ejus notitia & obedientia. Pſ. 119: 67. *Priuſquam affligerer, erraham*, &c. & verſ. 71. *bonum mihi quod fuerim afflictus*, Pſal. 94: 12. &c. *beatus vir Domine, quem caſtigas, & erudis ex verbo tuo; ut ei requiem des à diebus malis, donec fovea pro impio fodiatur.* Hæc eſt felicitas afflictionis, quod inſtitutio verbi addatur. In ſe illa non gaudii ſed triſtitiæ materia, ſed ratione effectuum felicitas in illa eſt, quod ſanctitatis Dei reddat participes, & fructum juſtitiæ pacificum ferat. Heb. 12: 10, 11. Atqui nihil horum ſequetur niſi ex verbo didicerimus. Verbum docet emendationem veram, ut cauſa mali amoveatur. Verum idem ſuppeditat ſolatia in adverſis, Pſ. 119: 92. *Si lex tua non fuiſſet omnis mea oblectatio, in afflictione mea dudum periiſſem. Mandatorum tuorum in æternum non obliviſcar; nam per illa me vivificaſti.* Pſ. 94: 19. *Nam Dominus non deſtituet populum ſuum, neque deſeret ſuam hæreditatem.* Rom. 11: 29. coll. cum 1 Sam. 12: 22. *Dominus non deſeret populum ſuum propter nomen ſuum magnum; nam placuit Domino vos ſibi facere populum.* Hæc ex nexu cum proximis.

Paulo altius ſi adſcendamus, aliud occurrit, quod ad inſtitutionem faciat verſ. 16. monuit, *Cavete vobis ne perſuadeatur cor veſtrum, ut recedatis, & colatis Deos alios, utque vos incurvetis.* Quærere quis poſſet, quomodo id cavendum? non ſufficit nos vocari ad officium aliquod, ſi non erudiamur, quomodo iſtud ſit faciendum. Hujuſmodi quæſtioni ſatisfit præſenti exhortatione, quæ media ſubminiſtrat. Eſt quidem illud unicum duntaxat, verbum Dei, ſed ejus uſus deſcribitur pro varietate periculi varius. Heb. 3: 12. &c. Contra ergo. *Hortamini vos invicem.* &c. Hæc opera aliena eſt, ſed heic indicatur propria.

Prima cauſa erroris eſt à corde, quod perſuadetur & ſeducitur ea ratione, Jac. 1: 15.

Heic remedium verſ 18. *ponetis ergo hæc mea verba in corde & anima veſtra.* In morbo cordis remedium applicandum cordi. *verba mea*, inquit Moſes, *ponetis in corde veſtro, & anima veſtra.* Cor perſuadetur atque confirmatur & obduratur in perſuaſione per deceptiones peccati, ſi illis attendat. Ergo cordi adhibeantur verba Scripturæ, quæ contrarias perſuaſiones efficiant; quando hæc jugiter occupant cor, non vacabit attendere alias, aut ſi quæ ſint, per has confutabuntur, & confirmabitur cor in obſequio. Conjungit hacpropter *cor* & *animam*, illud intellectum, hæc voluntatem notat, quæ utraque perſuadenda, ille veritate, hæc bonitate rei, ut non poſſit non aſſentiri, non amplecti. 1 Chron. 28: 9. Hoc fecit David. Pſ. 119: 11. *Sermones tuos abſcondi in corde meo, ne contra te peccem.* verſ. 104. *ex mandatis tuis fio intelligens propterea odi omnes ſemitas mendacii.* Ubi verbum Dei in corde, cavetur deceptio, exercetur obſequium. Pſ. 37: 31. & 40: 9. *delector facere placitum tuum, & lex tua eſt in medio viſcerum meorum.* Deus idem confirmat. Eſa. 51: 7. *Vos qui noſtis, & amatis juſtitiam, vos, populus, in quorum corde mea lex eſt:* qui hoc habent, norunt quæ ſit juſtitia, quid inde declinet, & eam amant, ut faciant. Pſ. 84: 6. in quorum corde viæ tritæ; hæ non ſunt præter mandata Dei, in verbo ejus definita, & tritæ dicuntur à jugi inceſſu & obſervatione; & qui in iis, non habet vel otium vel voluntatem in aviis errandi. Pſ. 119: 127. &c. *amo præcepta tua magis quam aurum, illudque optimum, propterea omnia tua præcepta de omnibus recta putavi, omnem ſemitam mendacii odi*, & huc facit votum verſ. 133. *firma greſſus meos in verbo tuo, & ne dominetur mihi iniquitas.*

Heic prima mali labes. Verbum Dei non habent in corde. Quidvis potius ibi hoſpitari & habitare ſinunt, quam verbum Dei; Eph. 4. verſ. 22. Vetus homo corrumpitur per cupiditates deceptionis. cap. 2. verſ. 3. & qui perſuadeantur meliora, ſi verbo Dei non concedatur locus? Job. 21. verſ. 14. &c. *dicunt Deo, recede à nobis, nam in cognitione viarum tuarum non eſt nobis voluptas. Quid eſt omnipotens ut ei ſerviamus? & quid proderit ſi ad eum accurramus?* Mal. 3: 14. *Fruſtra eſt Deo ſervire & quæ utilitas cuſtodiam ejus obſervare & atratos incedere coram facie Domini Zebaoth.* Argumenta perſuaſionis hæc ſunt contra obedientiam Dei, & non pauciora pro obſequio peccati Pſ. 50: 17. &c. *abjicis verba mea pone tergum tuum: hinc, videns furem beneplacitum in eo eſt tibi, cum adulteris portio, inter calumniatores præcipuus es.* Si verbum Dei ſit in corde, nihil horum fit. Pſ. 1: 1, 2. meditatio jugis verbi cum delectatione, facit ut conſilium impiorum, via peccatorum, cathedra irriſorum fordeat, odio ſit. Jer. 5: 4. &c. *Pauperes ſtulte agunt, quia viam Domini, jus Dei ſui ignorant. Magni male agunt, quia jugum fregerunt, vincula lacerarunt.* Verbum Chriſti debet copioſe habitare non tantum inter nos, ſed etiam in nobis: ut non tantum auditores, ſed etiam factores ſimus. Illi oblivioſi ſæpe ſunt, quibus accidit quod auditoribus Ezekielis Ezek. 23: 30. &c. auribus cantilena grata eſt, ſed cordi inſidet conſiliarius alius, avaritia, aut quod Matt. 12: 44. &c. quando ſpiritus immundus invenit domum cordis vacuam, bono verbo Dei excluſo, aſſumit 7. ſpiritus pejores, ad perniciem hominis majorem. Demus habitationem cordis noſtri verbo Dei, habebimus conſiliarium optimum, & efficaciſſimum; nam ubi verbum Chriſti, ibi Chriſtus Joh. 15: 7. & hic docet ducitque ſuo ſpiritu, & convincit, ad ſalutarem obedientiam. Verum etiam extrinſecus dantur quæ abducant à viâ rectâ. Sunt exempla, quæ in oculos incurrunt; Achaz viſo altari Damaſceno, illico perſuaſus fuit ut ſimile fieri juberet 2 Reg. 16. Salomo adſpectu ad imitationem proceſſit idololatriæ. 1 Reg. 11. Mos ſeculi ſeducit. Eph. 2: 2. Heic remedium, verſ. 18. *alligabis in ſignum manu* &c. verſ. 20. *ſcribes in poſtibus* &c. Illud loquitur de *Tephillin*. **gedenkzedelen** Matt. 23: 5. quæ erant dicta quædam Scripturæ, obſequium ſincerum & conſtans inculcantia, ex hoc capite, & Deut. 6. petita; & iſtud de *Mezuzoth*, quæ ſimilia habebant. *Tephillin* alligabantur capiti, & dextræ, *Mezuzoth* inſerebantur poſtibus januarum. Eodem pertinent *Zizith*, filamenta in oris veſtium, cum filo cæruleo, ut intuentes recordarentur mandatorum Domini, & facerent, neque pone cor ſuum & oculos ſuos errarent (**ſpooren**) pone quos ſcortabantur Num. 15: 28. &c. Chriſtus vocat *fimbria*, **ſoomen der kleederen**. Neque damnat uſum quem Deus inſtituit; ſed hypocriſin Phariſæorum, qui iſtis externis ſuperbiebant; cum non reſponderent legitimo fini. Scilicet voluit Deus Iſraelitas geſtare iſtiuſmodi ſigna memorialia, ut extendentes manum viderent, ne eam moverent præter Dei voluntatem revelatam; ut inter oculos ſpectarent, ne oculos, ne capitis cogitationes, aliorſum verterent; ut in veſtibus haberent, ne ullum membrum corporis aliter uſurparent, & ipſas veſtes ſic fieri curarent, ut divina præcepta obſervata eſſent. Jer. 31: 21. Dum Iſraeli exulii in fiduciam reſtitutionis, ut viarum meminiſſent: Talem uſum præſtiterunt quoad vias Dei, iſta mnemoſyna in corpore, veſtibus, portis urbium & oſtiis domorum: ut ubique Dei meminiſſent, & autoritatis ipſius, ne legibus ipſius contrarium admitterent vel privatim, vel in œconomia, vel in politiâ. Peccata fiebant graviora, ſiquidem patrarentur; aſt poterant eſſe rariora obſervantibus: Nam quomodo mentem intenderet iniquitati, oculos vanitati impenderet, manum ſacraret injuſtitiæ, veſtibus abuteretur ad faſtum, qui omnia iſta Dei mandatis mancipata ſubjectaque præſenti judicio moneretur? quomodo domum, urbem peccatis pollueret, ubi Deum legiſlatorem noſſet, vindicaturum rebelles incolas? Mandata iſta nobis data non ſunt, neque nos obligant: verum res ipſa, memoria præceptorum Dei, nobis quoque obſervanda. Pſ. 103: 18. qui fœdus ejus ſervant, qui recordantur mandatorum ejus ut faciant. Pſ. 105: 8. hinc Dominus Deus noſter recordatur fœderis ſui in æternum: atque mnemoſynon ſibi conſtituit Iridem, fœderis quod cum Noacho iniit, de non perdenda terra Gen. 9: 12. Neque tantum recordatur, quando in nubibus videtur; ſic nobis teſtatur ſe recordari, ſed ſemper. Iris jugiter eſt circa thronum Dei. Ezek. 1: 28. Apoc. 4: 3. Si Deus ſibi ipſi ſtatuit ſignum memoriale fœderalium promiſſionum ſuarum, debemus & nobis ſtatuere; ſaltem ſtatuendo non peccamus. Joſ. 24: 26. &c. lapis conſtituitur promiſſionum Iſraelis, & Gen. 28: 18. Jacobi. Scriptæ & ſignatæ tabulæ Neh. 9. verſ. ult. cap. 10. Habemus Baptiſmum & Cœnam Dominicam: ſed templa omnia columnæ ſedilia monitorum vice eſſe debent, quid mandatum audiverimus, & polliciti ſimus. Imo manus noſtræ ſi unquam eas extendimus in precibus monent ne exten-

extendamus ad provocandum Deum 1 Cor. 6: 20. membra omnia, & ipſe ſpiritus, Dei ſunt, non noſtra; quoties intuemur, cogitamus, moneant præceptorum Dei. Non licet ſumere membra Chriſti & alio impendere quæ Dei, Deo maneant appropriata ad ſervitium, ut Deum per omnia glorificemus.

Denique aures ad omnem ſonum patulæ, facile excipiunt aliquid quod ſeducat. Heic remedium verſ. 19. *& docete liberos veſtros* &c. Circumſonet omni tempore & loco aures tenellas verbum Domini; ut quandocunque vigilant & præſentes ſunt nihil aliud audiant, quam quod cogitationem & amorem verbi Dei augeat & accendat. Eſa. 30: 20. beneficii eſt, ſi ſemper audiatur vox dicens, Hæc eſt via &c. Hanc vocem quivis præſtare debet, & quo major obligatio, eo magis. Contra quam illi faciunt, qui nihil audire faciunt alios, quam quod pertinet ad vanitatem, ad pravitatem, ad injuſtitiam, & oppreſſionem aliorum, adeo ut guttur eorum ſit ſepulchrum apertum, venenum aſpidum ſub lingua, os plenum æmarulentia & exſecratione, labia doloſa; ut ſonus ille deteſtandus ſit; Eph. 4: 29. *nullus ſermo putris* &c. ne contriſtetur ſpiritus Dei. Col. 3: 6. ſermo ſemper ſit in ſuavitate, ſalitus; ſale pietatis & veritatis quo alii juventur auditu.

Beneficium porro quod hæc facientibus promittitur, eſt poſſeſſio Cananææ ex juramento dandæ conſtantiſſima. Crebro iſtud jam dictum, ſed hic expreſſio ſingularis; *uti dies cæli ſuper terram.* Hebr hæc conjunguntur non multiplicationi dierum, ut conditionale beneficium ſit obedientiæ, ſed promiſſioni juratæ; *ut multiplicentur dies veſtri & dies veſtrorum filiorum in terra quam juravit Dominus patribus veſtris ſe daturum illis, uti dies cœli ſuper terram.* Adeoque docetur hic donatio terræ per jusjurandum Dei perennis, quamdiu cœlum & terra conſiſtunt, dum mundus durat. Non quod poſſeſſio nunquam ſit interrumpenda, ſed quod nunquam abrumpenda; quandoquidem jus perenne eſt, & proptera Iſraelitæ reſtituendi. Non congeremus multa teſtimonia, ſufficiat conſentiens dictum Jer. 31: 35. &c. poſt alia quæ Iſraeli reſtituendo promittuntur, *Sic ait Dominus qui ſolem dat ad lucem interdiu* &c. Immutabiles leges diei & noctis, & luminarium utroque tempore fulgentium, conſervationem Iſraelis diſtincti populi confirmant; & cœli terræque ratio docent non eſſe propter peccata ſua abjiciendos: & mox reſtitutio Cananææ conjungitur: *Ecce dies veniunt, dictum Domini, quibus hæc urbs Domino reædificabitur à turri Hananeel ad portam anguli,* &c. nihil rurſum evelletur, neque defringetur in æternum. Ubi reſtitutio facta fuerit. Eccleſiæ querela eſt Eſa 63: 18. *Sanctus populus tuus tantum exiguo tempore poſſedit.* Loquitur de omni tempore poſſeſſæ Cananææ, tum ab ingreſſu primo ad deſtructionem Hieroſolymæ primam annis 872. tum poſt reditum ex Babel ad ſecundam deſtructionem annis 606. & vocat tempus exiguum; ut longe diuturnius exſpectet. Quando fiet, quod Zacharias dixit, ubi Hieroſolymæ reſtitutionem ſimillimam deſcripſit, *habitabunt ibi & non erit amplius anathema,* quale fuit Eſa. 43. verſ. ult. *nam Hieroſolyma habitabit ſecure.* Zach. 14: 11. Dedit olim Deus ſignum Abrahamo tum multiplicationis ſeminis, tum habitationis cœleſtis. Cœlum & ſtellarum numerum. Gen. 15: 5. Dedit Davidi de regno hæreditario Pſ. 89: 36. &c. Dedit patribus Judæorum Cananæam jurejurando, & pariter ſignum addidit quoad ſecuritatem durationis, ut dies cœli ſuper terram, quotieſcunque conſideramus cœlorum & terræ ſtabilitatem, merito cogitamus de hac promiſſione, deque futura ob ejus ſtabilitatem reſtitutione populi. Pſ. 119: 89. &c. Hæc nullam vim ſolatii habent, ſi non valeat quod heic dicitur. Signa divina, quale hoc à Deo inſtitutum, nihil nobis probabunt, ſi in uno falſus deprehendatur; ideoque cavenda promiſſionum, juramentorum, ſignorum divinorum labefactatio: quam urgent, qui hæc circa Judæos inficiantur ad conſtantiam facere. Sed Deus verax, omnis autem homo mendax, verbum Dei veritas. Zach. 8. verſ. 6. &c. Quod poſt reditum ex Babel promiſſum, adhuc complementum exſpectat: æque certum ac conſtantia cœlorum ſuper terram. Et quemadmodum hæc promiſſio ita quoque aliæ tandem complebuntur. Luc. 16: 7. Eſa. 51. verſ. 4. &c. Eſt hic aliquid conſtantius cœlo & terra. His deficientibus ſecuritas rerum per ea ſignatarum perit: aſt excedit quæ eſt de juſtitia, & ſalute Meſſiæ. Hæc nobis proinde ſpectanda, quæ Euangelio Chriſti publicatur; audiamus, & fide exſpectemus, licet cœlum terraque conditionem quam habent amittant, juſtitia Chriſti vim habebit conſtantem ad condemnationem omnem amovendam, & ſalus Chriſti ad æternam noſtram felicitatem.

Verſ. 22. *Nam ſi diligenter obſervaveritis totum hoc præceptum quod ego præcipio vobis faciendum, diligendo Jehovam Deum veſtrum, incedendo per omneis vias ejus, & adhærendo ei.*

Verſ. 23. *Utique expellet Jehova omneis gentes iſtas à facie veſtra, & hæreditario jure poſſidebitis gentes majores & robuſtiores vobis.*

Verſ. 24. *Omnis locus quem calcaverit planta pedis veſtri, veſter erit: à deſerto ad Libanum uſque, ab ipſo flumine, flumine Euphratis uſque ad mare poſterum erit terminus veſter.*

Verſ. 25. *Non conſiſtet quiſquam ante faciem veſtram: pavorem veſtri timoremque veſtri indet Jehova Deus veſter ſuper faciem totius terræ quam calcabitis, ſicut loquutus eſt vobis.*

Si auxilium Dei ubi iſta non intuenda conſequi votum eſt, pariter fœdere opus eſt, quod ineundum & Sancte obſervandum, ut quod noſtrum eſt præſtemus, Deo tum quoque valide auxiliaturo. Hujuſmodi fœdus oportune diſcimus ex hoc loco. Moſes proponit conditiones Iſraelitis præſtandas, & tum quantum Dei auxilium bellicum futurum ſit exponit. Quæ dicit non niſi repetitiones ſunt ante dictorum; ad quæ ſi reſpiciamus, apparebit fœderis leges iſtas eſſe. Exod. 23: 20. &c. (quæ in fœdere contineri ex cap. 24: 3. & Jer. 34: 13. &c. liquet) talia leguntur, quorum ſumma verſ. 22. *Si vocem ejus (Angeli, in quo Nomen Domini* qui Meſſias) *audiendo audiveritis, & feceritis quæcunque locutus fuero, ero hoſtis hoſtium veſtrorum, & inimicus inimicorum veſtrorum.* Simillima dicit Moſes in textu. Pertinet autem ad aliam Cananææ commendationem, quæ in poſſeſſionis amplitudine conſiſtit, & obſequii ipſorum, futurus eſſet fructus.

E. Itaque *fœderis bellici conditiones* ad auxilium Dei obtinendum ſunt I. à parte Iſraelis, obedientia. verſ. 22. II. à parte Dei auxilium promtiſſimum & efficaciſſimum. verſ. 22-25.

N. *Obedientia* ab Iſraelitis præſtanda eſt verſ. 22. Propolita

a. Generatim, *Si cuſtodiendo cuſtodiveritis præceptum omne hoc, quod ego vobis præcipio ad faciendum.* Articuli, ſuper quibus pactum initum, religioſe obſervandi ſunt. Non cuſtodietis, ſed cuſtodiendo cuſtodietis, duplicata ſinceritate, diligentia, conſtantia; quicquid vobis mandatum eſt, quando conditiones auxilii præſtandi fuerunt propoſitæ. Poſcit id ratio contractus: cum ſit mutua conventio, utrinque ſtandum legibus; & ſi cui auxilium fertur, non impleat quod pollicitus eſt, nec ſperandam, nec poſtulandam habet opem. Licet non illico ſuſcipiatur bellum, tamen paulatim diſſuitur pactum, ut deſinat auxiliator juvare; Pſ. 81: 12. quin ob perfidiam quandoque hoſtis ſit & oppugnator. Eſa. 63: 8, 10. *Angelus faciei* &c. *ſed rebelles* &c. Quæ utinam non experiremur & ipſi Deum deſerentem, & deſtituentem ſuo auxilio conſilioque; imo hoſtiliter oppugnantem: qui non egreſſus eſt cum noſtris exercitibus, immo tradidit hoſtibus; ipſe graviſſimus, quando ex nobis ipſis lupos excitat, qui gregi non parcunt inteſtina diſſidia, ut mutuum nos mordeamus & devoremus, quæ documenta ſunt ardentis iræ divinæ & immittentis ſpiritum malum inter rectores patriæ; ut cum gubernatores navis unius pugnant invicem, & negligunt gubernaculum, permittentes navim vento & fluctibus; vel ut feſtinato adverſarium perdant, unus perforet navim ut mergatur, alter pulverem pyrium incendat ut comburatur, non cogitantes quod ſe ipſos una perdant. Quanto conſultius factum Aſæ & Judæorum, cum religioſos Deus defendiſſet, & magna victoria ditaſſet, novo ſe fœdere obli-

garunt, & 2 Chron. 15: 12. &c. ingreſſi ſunt fœdus, ſe Dominum Deum patrum ſuorum quæſituros toto corde & anima, & qui non faceret necandum eſſe, à parvo ad magnum, à viro ad fœminam: Et jurarunt, gaviſique ſunt de jure jurando ſincere dicto, & de quæſito Deo voluntate integra, qui repertus ab ipſis fuit, deditque requiem circumcirca. Hoc exemplum ſequi nos oportet; non quidem ſolennitate illa adhibita, pacti alicujus, quod & publicè & privatim frequens illic Joſiæ 2 Chron. 34. Nehemiæ Neh. 9: 10. hic Pſ. 119: 106. neque in eo quid cerimoniale; ſed vi pacti quo tenemur ex Chriſtianiſmo, cujus toties recolimus memoriam, & ſigna ejus uſurpamus. Satisfacientes fœderali promiſſo, Deus non negliget fœderalia beneficia præſtare.

b. Speciatim: *adamando Dominum Deum veſtrum, in omnibus ejus viis ambulando & ei adhærendo.* Eadem hæc in deſcriptione obedientiæ propoſita ſunt Deut. 10: 12. ambulare in viis Dei, & eum diligere, & verſ. 20. ei adhærere. Non repetemus dicta, ſed tantum intuebimur, quatenus ad auxilii bellici impetrationem faciunt. Qui auxilium ferre debet amandus eſt. Quippe amore deficiente, odiove flagrante, quis ſe committit alterius fidei? quid exſpectabit? imo nonne magis metuet ab illo, quam ab hoſte aperto, cum illi magis pateat? Amor non cogitat malum, ſperat omnia 1 Cor. 13: 5, 7. abſente illo meræ ſuſpiciones, diffidentiæ, ut declinetur auxilii exhibitio, quæ noxia creditur. Amandus *Dominus*, immenſæ bonitatis & veritatis; *Deus veſter*, qui vinculo fœderis ſe dignatus eſt vobis obſtringere & addicere. Provocare iſta amorem debent, & fiduciam, adeo ut nos totos ei permittere queamus ceu omnia ad commodum noſtrum directuro. Verum *in viis ejus* quoque ambulandum, & in iis *omnibus*. Quem amamus non eſt provocandus: amor non patitur injuriam inferri, ſed urget ut omni modo placere & demereri alterum velit. 2 Cor. 5: 14, 15. Si in uno offendit voluntas, falſus eſt amor, qui ne minimam quidem offenſionem dare vult quando verus eſt. Hic quidem eſt Dominus Deus veſter, reciproco fœdere, ut teneamini ad ejus obſequium, qua fronte poſtulabitur; largitio votorum noſtrorum, cujus obſequium recuſamus? quandoquidem par utrinque eſt obligatio. Jud. 1: 3. Juda ad Simeonem, Adſcende mecum in ſortem meam, & pugnemus contra Cananæos; atque ego adſcendam tecum in ſortem tuam. Bellica ſocietas; ut hoſtes mutuum oppugnentur. Si Deus nobiſcum debet adſcendere in ſorte noſtra contra hoſtes homines; debemus cum ipſo adſcendere in ſorte ipſius, ut ſic dicam, Dei, contra hoſtes ipſius, Diabolum, mundum carnem & cupiditates. Denique *adhærendum ipſi*, adeo arte, adeo ſincere, adeo conſtanter, uti conjuges ſibi invicem adhærent. Auxilium ipſius eſt in ejus præſentia. Deo deſerente, quod agit circa deſerentes ſe, deſtituuntur illo, & omni miſeriæ patent 2 Chron. 15: 2, 5, 6. ſed cum ipſis eſt quando cum ipſo ſunt, & tunc mera felicitas. cap. 13: 10. &c. Adhærendum proinde, ut nullo modo dividi velimus. Peccata faciunt diviſionem. Eſa. 59: 2. Diſceditur à Deo, Jer. 2: 5. & tum Deus quoque abit ſua gratia & beneficiis, & væ illis à quibus Deus diſceſſit Hoſ. 9: 12. & qua Deo abierunt Pſ. 73: 27. Felices autem qui adhærent. verſ. 28. & 23. &c. Eſa. 64: 5. *occurris lætanti, & qui juſtitiam facit, qui tui recordantur in viis tuis: in iis æternitas ut ſervemur.* Juſtitiam faciens ambulat, in viis Dei, qui inſuper Dei tunc recordatur, ubique obſequium ejus ſpectat, huic occurrit Deus gaudenti, quia gaudii cauſam dat, & in viis iſtis habet æternitatem ſalutarem. Nam adhærens Deo conſequitur quæ apud Deum ſunt Pſ. 16: 11. Qui vero æterna obtinet, temporalibus non excluditur, aut privatur; cujuſmodi eſt auxilium bellicum, de quo proxima.

2. *Auxilium* iſtud ſtatuitur.

a. *In expulſione* hoſtium verſ. 23. *& expellet Dominus omnes iſtos populos* &c. Similia leguntur initio cap. 7. & 9. Iſta omnia videntur meram actionem Dei indicare; ſed revera ſunt auxilium, licet tale cui ſoli omnia adſcribenda. Deus olim donarat Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo Cananæam, dixeratque ſe poſteris daturum; ſed ut ipſimet aliquid agere debuerint, ut pararent ſibi poſſeſſionem. Nam donatio non excludit omnem laborem ad acquirendum. Pſ. 3: 8. datio gentium in hæreditatem Chriſto, & tamen debuit ille ſortem illum vincere, & captivitatem ejus abducere Luc. 11: 21. &c. Act. 26: 18. Sic hic ſe res habet. Exod. 13: 17. Deus Iſraelem non recta via duxit in Cananæam; ne videns bellum pœnitentia duceretur & rediret in Ægyptum. Juſſit Iſraelem arma capere ad ſui defenſam, contra Amalekum Exod. 17. ad ultionem hoſtium, contra Midianitas Num. 31. ad ſubigendos hoſtes Sihonem & Ogum Deut. 2. & 3. & Cananæas gentes. Joſ. 8: 10, 11. & reliquit nonnullos reſiduos, ut poſt nati diſcerent bellum. Jud. 3: 1. &c. Veruntamen licet ipſiſmet belligerandum eſſet, ab ipſorum armis & robore non pendebat victoria, ſed à Dei unius auxilio. Hoc deſtituti cæduntur ab Amoræis. Num. 14: 44: &c. & fugantur ab incolis urbis Ai Joſ. 7. qui alias miraculoſe quodammodo pugnaſſent. Deut. 32: 30. Dei auxilium dedit ſucceſſum, quando immiſit crabrones. Deut. 7: 20. quomodo duo reges Amoræorum ſubacti ſunt Joſ. 24: 12. quando fulmina & grandinem immiſit Joſ. 10: 11. quando prælio victores fecit citra jacturam unius ex Iſraelitis Num. 31: 49. Hinc Pſ. 44: 3, 4. Iſtud auxilium Deus pollicitus eſt, & propterea omni metu vacare vult Deut. 20: 3, 4. Atqui in hoc auxilio vertebatur bellica ſalus: unde cavendum quod illud averteret. Deut. 23: 9, 14.

Auxilii divini conſideratio abſterrere debet ab omni impuritate, peccati maxime. Non vult Deus commorari ſua gratia apud eos qui impie vivunt. 2 Cor. 6: 16, 17. Pſ. 5: 5. &c. Peccata exigunt Deum ex templo Ezek. 8: 6. & magis ex caſtris. Aderat Deus arcæ fœderis in nube, ſed cum in caſtra impia delata eſſet arca, non caſtra ſolum, ſed ipſam arcam deſeruit 1 Sam. 4: 11. Jam non eſt mirum cur auxilio Dei deſtituamur in bello contra hoſtes? Non patimur præſentem. Unus Achan ſuo peccato eum abegit: & quam multos habemus qui conturbant nos ſuis tranſgreſſionibus, non quidem uti ille Achan, de anathemate furando; ſed varie provocando Deum. Vultne Deus ibi eſſe auxilio, ubi oculi ejus: gloriæ jugiter exacerbantur. Amos 3: 3. *quomodo duo ambulabunt unà niſi fuerint conciliati?* Sed qui nolunt una ambulare in viis Dei, in illorum viis Deus una non ambulabit. Deut. 33: 26. Non poteſt ſub tali auxilio deeſſe victoria. Sed hoc obtingit ישׁ Jeſchurum: quod ſi contra ſignificationem nominis recalcitret, & Deum dimittat, & ſpernat rupem ſalutis ſuæ, nil niſi pernicies manet, cumulatis malis ad excidium.

b. *In dilatatione* poſſeſſionis verſ. 24. *quocunque loco pedem figes, tuus erit, à deſerto atque Libano, à flumine, flumine Euphrate uſque ad mare ultimum, erit terminus veſter.* Docet quam ampla ſit futura poſſeſſio ipſorum, enumerando extremos terminos, quos facillime eſſent occupaturi, modo vellent adire; quod phraſi, illa plantam pedis tui indicatur. Termini illi ſunt, à meridie deſertum, magnum illud, quod inter montem Amoræorum vel Seir & mare algoſum interjacet; ab Aquilone Libanus; ab oriente Euphrates, ab occidente mare ultimum, hoc eſt, mediterraneum, quo nomine etiam venit Deut. 34. Joel. 2: 20. & Zach. 14: 8. ubi mari orientali opponitur, ſive illud ſit mare Galilææ aut Tiberiadis, ſive mare mortuum. Seu potius mare Perſicum, alluens Arabiam felicem, & quod attingunt mare rubrum à meridie, & Euphrates cum ſinu Perſico à ſeptentrione. Dicitur autem mediterraneum *ultimum*, quia quæ ad orientem anteriora dicuntur, & ad meridiem dextra Pſ. 89: 13. unde ſeptentrionalia ſiniſtra, & occidentalia poſteriora, juxta ſitum corporis humani orientem intuentis. Exod. 23: 31. *dabo terminos tuos à mari algoſo.* (Adeoque totum deſertum intra terminum eſt, quod Paran dicitur, aliaque habet nomina;) *uſque ad mare philiſtæorum*, (quod mediterraneum cujus littus inſidebant,) *& à deſerto* (ſeptentrionali, quod Damaſci dicitur, & ſequitur recta linea Libanum) *uſque ad flumen*, (Euphraten nempe:) *nam dabo incolas hujus terræ in manus tuas, ut coram facie tua eos ejicias.* Extenſio hæc ampliſſima eſt, & quæ magnam Syriæ partem, & forſan totam Arabiam complectitur. Deut. 4: 27. Deus monſtraturus Moſi terram promiſſam Iſraeli, jubet adſcendere in verticem Piſgæ. Si nihil aliud quam trans Jordanica fuerunt exſpectanda, ſolum ad occidentem & ſeptentrionem fuiſſent vertendi oculi: ſed jubet etiam cæteras plagas intueri, ut in centro quaſi conſtitutum oſtenderet, unde tantundem ab omni parte abeſſet. Equidem nunquam hactenus omnem illam terram obtinuerunt, cum poſſeſſio poſcat ejectionem incolarum priorum, Exod. 23: 31. ſed noluernnt adire; quum ne quidem trans Jordanem omnia occuparint, quæ data erant

Joſ.

Jos. 13: 1. &c. Jud. 3: 1. quia pertæsi belli maluerunt Cananæis habitationem concedere, sub tributi onere; quod ipsum fuit contra mandatum Dei Deut. 20: 16. &c. quomodo sibi ipsis posuerunt impedimentum, Deut. 19: 8. &c. statuerat Moses tria asyla pro involuntario homicida cis Jordanem cap. 4: 21. &c. mandaverat tria alia trans Jordanem statuenda, cap. 19: 1. &c. sed addit, *& si dilataverit D. fines tuos, ubi observaveris præcepta ejus addes adhuc tres civitates* &c. Quod non factum hactenus; non futurum quodque docent illi, qui Deum juramento suo teneri negant, quemadmodum inter homines sunt, qui Reges supra sua juramenta constituunt, quibus Deum in exemplum blasphemе statuunt. Deus verax est, & verbum ejus veritas; promissiones Israelitis factæ habent immutabile consilium Dei, quibus Deus alterum immutabile, in quo æque atque in altero mentiri non potest, jusjurandum, addidit. Et juravit Abrahamo ex mera gratia, nullo intuitu meriti, vel ipsius vel posterorum, adeoque sibi tenetur, ad præstandum; quemadmodum alias demonstratum est. Verum homines sibi ipsis obicem ponunt sua infidelitate, segnitie, & tunc secundum fidem suam carent, quod tamen Deus suo tempore præstabit aliis. Egressi ex Ægypto desperabant se Cananæos vincere & exigere posse, & perierunt omnes in deserto, & filii ipsorum ingressi noluerunt ultra bellare, & sic tandem Cananæis facti sunt tributarii. Infidelitas & inobedientia æternum multa nobis præripiunt. Nazarethæ non potuit Christus signa edere; non quod virtus eum destitueret, sed propter infidelitatem ipsorum: qui indigni erant ut iis darentur. Credamus verbo Dei, & emendemus nos & magnæ promissiones, de quibus locuti sunt omnes prophetæ, de temporibus ἀποκαταστάσεως πάντων, definito tempore venient Act. 3: 21. & seminata lux germinabit justis, Mich. 7: 20. ut Israel possideat donationem factam Abrahamo, atque ut hujus familia, juxta cum omnibus familiis terræ fruatur benedictione in semine Abrahami: ut terra impleatur, ut gloriam Domini agnoscant (quod multis gentibus adhuc negatur Esa. 66: 19.) uti aquæ mare operiunt. Hab. 2: 19. nam Zeph. 3: 9, 10. Illi gentiles, hi Judæi; & tunc Dominus rex erit super universam terram: illa die Dominus unus erit, & nomen ejus unum. Zach. 14. 9.

c. *In securitate* possessionis vers. 25. *nemo coram facie vestra consistet*; *Dominus Deus vester favorem vestrum*, &c. Promissa ista exstant Exod. 23: 27. Deut. 7: 23. Talis fuit pavor Cananæorum teste Rachab. Jos. 2: 9. &c. Solo pavore tutatus Deus est Jacobum, post Sichemitarum cædem Gen. 35: 5. Sic Josaphatum 2 Chron. 17: 10. & cap. 20: 29. cap. 17: 3. &c. *Dominus fuit cum Josaphato.* Sic Deus reddidit terribilem. Prov. 28: 1. *Justus ut leo*, tum sui, tum aliorum respectu. Profecto cum Deus Belgium reddiderat terribile, ut per totam Europam & longe divisos Indos revererentur hanc Remp. Verum elatio secuta est, non in viis Domini, id emendasset nostram conditionem, sed in viis peccati, atque hinc factum ut non pavor nostri alios, sed aliorum nos perdat. Anno 1665. unius Monasterienſis Episcopi. & 1672. fœderatorum hostium. Atque ne nunc quidem inde immunes sumus. Causa est quam Saul dixit 1 Sam. 28: 15. Atque tunc minatur contraria præsenti conditioni, ubi pedem fixeris, tuus erit locus, nam Deus pavorem tui immittet: Deut. 28: 65. Rea conscientia coram Deo nequit pavorem excutere. Prov. 28: 1. habet enim Deum adversum, & quis non paveret. Esa. 33: 14. Conficienda pax cum ipso, & deserto peccato recipienda lex ab ejus ore, & abscondenda verba in corde, ne peccetur, sic cessabit pavor noster; Rom. 8: 21. imo pavori erimus hostibus, ipsique Diabolo. Jac. 4: 7. &c. **onderwerpt u Godt**/ qui superbis resistit &c. resistite Diabolo & fugiet à vobis, Appropinquate Deo & appropinquabit vobis: Mundate manus peccatores, & purgate corda. Sic nullus terror nos turbabit Ps. 112: 1, 7, 8. timens Deum, & delectatus præceptis ejus, non metuet rumorem malum, cor ejus firmum est, confidens Domino, non pavebit usque dum videat in hostes suos; victor omnium, & ipsomet etiam Satana conculcato sub pedibus.

Vers. 26. *Vide, ego propono vobis hodie, benedictionem aut maledictionem.*

Vers. 27. *Benedictionem, si auscultabitis præceptis Jehovæ Dei vestri quæ ego præcipio vobis hodie.*

Vers. 28. *Maledictionem verò, si non auscultabitis præceptis Jehovæ Dei vestri, sed recedetis ab hac via quam ego præcipio vobis hodie, sequendo Deos alienos quos non nostis.*

III. Stultitiæ accusat Deus populum Deut. 32: 28. *populus sunt periens consiliis, & non est in ipsis intelligentia.* Docet autem in quo vertatur illa stultitia, vers. 29. *O si forent sapientes, intelligerent istud; attenderent ad extremum suum.* Eventu comprobante, Lam. 1: 9 *impuritas ejus in fimbriis ejus est, non recordata est extremi sui, propterea mirabiliter descendit, non habet consolatorem.* Hæc stultitia hominibus communis est. Præsentia duntaxat intuentur, aut futura proxima, sed finem ultimum non magis meditantur, quam si nunquam futurus esset. Eccl. 11: 9. Quod sciendum dicit, multi nec sciunt, nec scire volunt. Deus hinc se Deum esse probat, Esa. 46: 9, 10, Loquitur de sua scientia ex decreto suo æterno; quid futurum sit etiam ultimis temporibus, quia sic futurum solus ipse definivit. Verum eodem consilio definivit finem quoque hominum? Hinc illud Ps. 37: 37. &c. Quod cum homines ex se non cogitent, Deus indicari voluit. Esa. 3: 10, 11. & indicavit ipse cap. 1: 19, 20. Haud mirum ergo Mosen simile indicium fecisse, qui fuit servus fidelis in tota domo Dei; & quidem sæpissime, quotiescunque pietatis & obsequii commoda, & contra incommoda inobedientiæ Israelitis proposuit. Speciatim id egit in fine hujus capitis ubi finem summum bonum & malum proposuit vers. 26--28. conservandam memoriam docuit vers. 29, 30. & praxin commendavit. vers. 31, 32.

A. *Finem* ultimum, summum bonum & malum sic proponit, ut I. ad considerationem excitet. II. extrema illa opponat, & III. ostendat quibus mediis ad illa extrema perveniatur.

8. *Excitatio* ad considerationem est vers. 25. *Vide*, consideratio imperatur voce ראה vide, singulariter, quamvis cætera deinde, pluraliter enuncientur, quia unusquisque de suo fine sollicitus esse debet. Mal. 1: 2. Luc. 13: 23. *an pauci salvabuntur Domine?* rogat quis: & respondet Christus non curioso illi rerum alienarum, sed omnibus, *contendite ingredi &c.* quisque pro se laboret, ne excludatur. Porrò visus non est oculorum corporis, sed mentis. Nam si illi solum testes & judices sint, aliquando contrarium judicabunt. Eccl. 8: 14. Vanitas est quæ fit in terra, quando bonis mala, malis bona eveniunt: siquidem juxta externa fiat judicium, quamquam etiam pii hic nonnunquam offendantur Ps. 73. animadversa malorum prosperitate, & afflictionibus piorum, adeo ut subinde frustraneam putent sanctimoniam; quod expresse dicunt impii Mal. 3: 14. &c. *Frustra est Deo servire* &c. Sed oculi mentis longius prospiciunt, ad finem extremum. Ps. 73: 16. Ps. 92: 6. Hic ergo visus requiritur, qui non attendat ea quæ videntur, sed quæ non videntur: nam quæ videntur sunt temporalia, sed quæ, non videntur, æterna. Utinam istiusmodi intuitus apud omnes foret? profecto plurimi alia inirent & sequerentur consilia: neque ingrederentur viam cujus extremum ultimum non foret perspectum. *Non est sapientis dicere, Non putaram*: quod ne usurpandum sit circa conditionem æternam, dum adhuc licet considerationem faciamus hanc potissimam de fine ultimo. Prov. 16: 23. *Est via quæ alicui videtur recta, sed ultimum ejus sunt viæ mortis.* Et huc cum ventum, non licet referre pedem. Itaque nunc quoque videamus & meditemur, quæ ad pacem nostram faciant sempiternam. 1 Pet. 4: 7. Loquitur ad Judæos in dispersione, & de fine Politiæ Judaicæ imminente; atque hacpropter sobrietatem vigilantiam & preces commendat. Sed idem nobis omnibus dici potest, instat finis, non dicam mundi, vel ne etiam Resp. Belgicæ, de quibus conjecturam multi faciunt, sed uniuscujusque, Eccl. 7: 2. *in domo luctus* ob mortem alicujus, est seu exitus *finis omnium hominum, & vivus reponit in corde*: quivis dies potest esse ultimus, & in loco ubi arbor cadit, ibi erit cap. 11: 3. ut jam extremum istud sit meditandum, ut quando terrestre tabernaculum corporis nostri frangetur, non reperiamur nudi, neque domo careamus,

mus, ſed jam quoque ſciamus quo eundum, & ſecuri ſimus quod habeamus ædificium à Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis 2 Cor. 5: 1.

2. *Extremorum oppoſitio* eſt, *Ego ponens hodie ante faciem veſtram benedictionem & maledictionem*: ubi à quo, quomodo, quibus, quando, & quid proponatur.

a. A quo, *Ego*, Moſes ſumus ille Doctor populi, quem Deus autoravit; notitiaque & eloquio ſufficiente inſtruxit. Excitatus fuit à Deo Propheta Deut. 18: 18. & Deus ei patefecit ſuam voluntatem Pſ. 103: 7. atque ipſe juſſus fuit, ea ſic annunciare. Exod. 19: 3, 9. Etenim quæ proponit ejuſmodi ſunt, ut non niſi ex revelatione divina ſciri, neque aliis quam Dei verbis enunciari rite queant. Eſa. 64: 4. de ſummo bono; & de ſummo malo Deut. 32: 34. De enunciandiis iis ait Apoſtolus 1 Cor. 2: 12. *accepimus (ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ nobis à Deo donata ſunt*, alias imperveſtigabilia; *quæ etiam loquimur non ſermonibus* &c. Quicquid ſive ſapientiæ ſive concinnitatis reperitur in Philoſophorum, hominumve aliorum ſermonibus, nequit nobiliori elogio decorari, quam eruditorum ſermonum humanæ ſapientiæ; (ſi quis ad Spiritum Dei referat, quemadmodum providentiæ communis donum eſt ſapientia mundi, tamen huc nequit referri, niſi naturalium hominum ſapientiam ad ſalutem ſufficere dicat quis, contra verſ. 7.) & hi ſunt incongrui. Ex ſermonibus de miſſione judicandum, Joh. 3: 34. quem Deus miſit, loquitur verba Dei, qui ergo loquitur verba vel gentilium, vel Anti-Chriſti; ab iiſdem ſe miſſum agnoſci vult, etiam quando ea ſociat & ſublidiariarum copiarum loco adhibet & Jer. 23: 22.

b. Quomodo: *Do*, redditum eſt *Pono*, ſignificatur doctrina, verbum *Do* indicat poſſeſſionem, nemo dat quod non habet; & nemo habet niſi qui accepit; & qui accepit, non dat rite, ſi aliter det, quam accepit. Moſes ſæpius teſtatus eſt, non niſi Domini præcepta eſſe quæ det, Deut. 4: 2. *ad verbum, quod tibi præcipio, non addes, neque de eo demes, ut cuſtodias præcepta Domini Dei tui quæ tibi præcipio.* cap. 6: 1. *Hæc ſunt mandata, quæ Dominus præcepit ad docendum vos.* Sic Paulus 1 Cor. 11: 23. & cap. 15: 3. *tradidi vobis primum quod etiam accepi ſecundum Scripturas.* Ubi docet, quandoquidem Deus immediate omnes non docet, quæ docere debent, unde haurienda, ut Dei tamen eſſe agnoſcendum ſit; nempe ex Scripturis. 2 Tim. 3: 15, 17. & ex illis ſolis. Jer. 23: 28. propheta apud quem verbum meum eſt, loquatur verbum meum vere; quid paleæ cum tritico? inquit Dominus. Etenim Eſa. 29: 13. receditur à Deo corde, quando timor Dei eſt præceptum hominum eruditum. Fides hominum non debet eſſe in ſapientia hominum, ſed in potentia Dei 1 Cor. 2: 5. & proinde non ſapiendum ſupra id quod ſcriptum eſt, 1 Cor. 6: 4. Eccl. 12: 11. Verba ſapientum ſunt ut ſtimuli, & ut clavi alte adacti à magiſtris congregationum, quæ tradita ſunt ab unico Paſtore; & quicquid præter illa eſt, fili mi, cautus eſto: nam multa lectio eſt ad fatigationem carnis.

c. Quibus, *coram facie veſtra.* Loquitur ad Iſraelem univerſum, quibus omnibus propoſuerat, ut cuivis ea videre, & æſtimare integrum eſſet. Indicat non tantum indicium ſe feciſſe; ſed etiam judicium detuliſſe; Non ſimpliciter mandaſſe, quæ credenda, quæ facienda; ſed quia cum hominibus ipſi res erat, ſimul nationibus convincentibus ea muniviſſe, quibus ipſimet aſſentiri, eaque amplecti cogerentur, 1 Tim. 1: 15. Hinc cum primum legandus eſſet, voluit inſtrui convincentibus argumentis, tum verbalibus, ab autoritate & miraculis Exod. 3. & 4. Et toto hoc libro rationibus roborat mandata divina. Nunquam cœcam obedientiam imperavit, ut alienis tantum oculis videre vellent; ſed cuivis voluit explorata eſſe, quæ ſequeretur. Marc. 9: 24. *Videte; quid audiatis*; non tantum audite, quæcunque dixerint, qui gloriantur de clave cognitionis; ſed videte quid illud ſit, quod audiendum proponitur; ne velamen imponatur oculis, viſum omnem adimens. 1 Joh. 4: 1. 1 Cor. 10: 15. ut intelligentibus loquor &c. Quando cap. 3: 1. &c. eos *infantes* vocat *in Chriſto*, lacticiniis alendos, non dicit iſtud reſpectu tam cognitionis, quam vitæ & affectuum nondum domitorum, *nam adhuc carnales eſtis. Nam quia inter vos eſt invidia, lis, contentio, nonne carnales eſtis & ambulatis ſecundum hominem?* Sic Chriſtus de ſua doctrina, Joh. 5: 39. & Eſa. 8: 20. Verbum illuminat, & ſimplicibus dat intellectum, ut etiam ſenibus & magiſtris quis doctior, eſſe queat, ſaltem idoneus eſſe ut de doctiſſimis judicet, exemplo Beroenſium.

d. Quando: *Hodie*, non tantum olim, ſed nunc quoque: totis 40. annis docendi munus obierat, & nunc quoque idem agit; circumſonat aures ipſorum iſto ſermone; Crebro iſtud Hodie inculcat: quod repetiit Pſaltes Pſ. 95: 6, 7. & Apoſtolus Heb. 3: 13. Quotidiana iſta cura eſſe debet, & quando Deus novum Hodie concedit; ſimul etiam repetendum docet iſtud cenſum: ne quis cras heſterno labore defunctum ſe penitus credat uti redit ad opera quotidiana Pſ. 104. verſ. 23. Panem quotidianum petimus quovis Hodie, & quovis Hodie audienda & meditanda quæ ad finem ultimum faciunt. Joh. 6: 27.

e. Quid denique *Benedictionem & maledictionem.* Illa complectitur quicquid felicitatis vel verbis enunciari, vel mente concipi poteſt; imo abundantius, ſupra omne quod petimus vel cogitamus, Eph. 3: 20. Nam non tantum votiva oratio eſt, ſed eſt definita voluntas Dei de efficiendo & largiendo iſto bono. Pſ. 31: 20, 21. Complectitur bona quæ nondum habebant, pertinent enim ad extremum; ſed quæ conſecuturi erant, partim in hoc ſeculo, Cananæam & ejus felicitatem, tum in futuro. Benedictionum largus catalogus eſt Lev. 26. & Deut. 28. Conjungitur cum ſalute Pſ. 3. verſ. ult. cum juſtitia ſeu miſericordia Pſ. 24: 45. cum pace Pſ. 29: 11. cum vita Pſ. 133: 3. cum cœlo Eph. 1: 3. cum regno cœleſtique hæreditate Matt. 25: 34. & gradus varii Pſ. 115: 12. (Eph. 1: 3. ſpirituales benedictiones in cœlo in Chriſto.) Abraham conſtituitur benedictio Gen. 12: 3. ſic Pſ. 21: 4. Iſta complectitur quicquid eſt infelicitatis, cujus ex oppoſitione facienda eſt æſtimatio. Maledictionum catalogus eſt prolixus Lev. 26. Deut. 27, 28. Sed fere tantum in temporalibus conſiſtit; ſunt maledictiones graviores, quæ futuri ſeculi Matth. 25: 41. ubi ſociatur igni æterno in conſortio earundem pœnarum cum Diabolo & angelis ejus. Ibidem &c. Hæc duo conjunguntur. Deut. 30: 15. dicuntur *vita & bonum*, item *mors & malum.* Futura ambo, & quo neceſſario perveniendum, ut alterutrum quis adipiſcatur; quæ rite æſtimanda, ut ſtatuatur, quod nam extremum quivis ſibi optet. Velitne quicquid vere felicitatis in hominem cadere poteſt; vel quicquid miſeriæ & calamitatum; neque enim datur medium, aut ſtatus neuter, ut nec unum nec alterum habeat locum. Pſ. 109: 17. quia maledictionem dilexit, ſuperveniat ipſi: neque delectationem habuit in benedictione, longe abſit ab ipſo. (Ibidem maledictio eſt inſtar veſtis amicientis, & cinguli cingentis & ingredientis in medium aquæ, & olei penetrantis ipſa oſſa: Num. 5: 28. quæ etiam ratio benedictionis.) Quivis ſane optat bonum & vitam, & ut benedictionem accipiat à Domino, averſatur maledictionem. Nam quod Pſ. 109: 17. contrarium affirmatur, non intelligitur de reipſa, ſed de cauſis & antecedentibus. Amat maledictionem, qui amat & agit, quæ eam merentur & obtinent compenſationem. Odit benedictionem qui odit ea, quorum exercitio benedictio promiſſa eſt. Atque hæc ſunt.

2. *Media*, ad iſta extrema ducentia. verſ. 27. ad benedictionem, & verſ. 28. ad maledictionem. Illa obedientia, hæc *inobedientia* continentur, quarum iſta, illuſtratur ſpeciali quodam facto, deſertionis viæ bonæ, & idolorum cultus, licet ignotorum. De quibus ſæpiſſime jam dictum, quamvis nunquam nimium dici queat. Complexus iſta eſt Paulus Rom. 2: 6. ubi de extremis in ultimo judicio adſignandis loquitur: & in hac vita quandoque ſic fit; verum non ſemper; quandoquidem compenſationem Deus ultimo diei reſervavit; nunc autem ſæpiſſime idem eventus eſt juſti & injuſti, ut ex iis quæ ante oculos ſunt nequeat conſtare de amore vel odio, unde duo iſta manant, Eccl. 9: 1, 2. verum in futuro ſeculo, qui bona fecerunt prodibunt ex ſepulchris ad reſurrectionem vitæ, & qui malum ad reſurrectionem condemnationis. Joh. 5: 29. Itaque cogitet unuſquiſque quid agat. Quamvis inobedientia præceptorum Dei nunc placeat, ut longe ab ejus viis abeſſe maximæ ſit voluptati, & in cultu idolorum, quæ in corde ſuo quis erexit, & quibus ſe in ſervitutem addixit, ſummam inveniat delectationem, extremum ejus peſſimum eſt, non magis comprehenſibile, quam eſt omnis illa beatitudo, quam obedientiæ promiſſam dixímus. Itaque ſi quis genuinus amor noſtri, qui ſui curam ad felicitatem poſcit, abſtinea-

mus

mus ab inobedientia 1 Cor. 6: 10. Eph. 9: 5, 6, 7. & exerceamus nos ad obedientiam & pietatem, quæ promissionem habet præsentis & futuri seculi. 1 Tim. 4: 8.

Vers. 29. *Erit autem quum introduxerit te Jehova Deus tuus in terram istam, quò tu mox ingressurus es ad possidendum eam jure hæreditario, ut edas benedictionem hanc in monte Gerisimorum & maledictionem istam in monte Hebalis.*

Vers. 30. *Nonne sunt trans Jardenem secundum viam ad occasum solis, in terra illius Cenahanæi qui inhabitant campestria; è regione Gilgalis uxta planitiem Moræ?*

B. Docet conservandam *memoriam.* vers. 29, 30. quamprimum introducti fuerint in Cananæam, publicanda fuit benedictio in monte Gerizim, & maledictio in monte Ebal. Idem mandatum repetitur. Deut. 27. & exsecutio post occupatam Ai Jos. 8: 30. &c. Scilicet voluit Deus, ut ingressis in terram mox indicaretur non esse illam benedictionem omnem, sed locum in quo benedictionem consequuturi essent siquidem Deo obsequentes viverent; sed quoque maledictionem, siquidem inobedientes fuissent. Debuit autem universus populus esse præsens, saltem militantium (nam plurimi de 2½. tribu manere trans Jordanem,) ut sex tribus utrinque forent, Levi suum locum tuente, & propterea Josepho nonnisi unam faciente. Imo fuit ab universis pronunciandum Amen, non tantum quoad benedictiones, quas quivis optat; sed etiam quoad maledictiones; quemadmodum Mulier bibitura aquas Zelotypiæ, Amen, Amen debuit adjurationi subjicere. Num. 5: 22. videmus quantopere curarit Deus, ne forent ignorantes Israelitæ viarum quæ ad extremum ducerent, sive bonum sive malum: Lege imperavit conventum omnium, publicationem verbi & voluntatis suæ, & publicam homologiam, ut sic sibi eveniret, prout hoc illove modo egissent. Imo Deus jussit ibidem in lapidibus scribi summam istorum omnium, ut memoria etiam futuris temporibus exstaret. Hæc sollicitudo omnis non propter Deum fuit sed propter Israelitas: Apud ipsum non est ignorantia nec oblivio; verum homines istis sunt obnoxii, adeoque succurrit Deus; & succurrente ipso debemus utique amplecti, quod instituit. vocamur sæpius ad loca, ubi Deus publicari facit suam voluntatem, quid obedientibus, aut inobedientibus paratum sit. Concurrendum nobis est ut audiamus; sed insuper testandum nos audivisse; respondendo Amen. Sic dicimus quoties audivimus preces fundi, ut votum nobis testemur consentiens, 1 Cor. 14: 16. Sed dicendum quoque ad benedictionis maledictionisve pronunciationem: ad illam Jer. 28: 6. *Amen*, dixit Jeremias ad promissiones Hananjæ. *Dominus ita faciat, Dominus stabiliat verba tua, quæ locutus es.* Ad istam Jer. 11: 3. Deo dicente, Maledictus vir, qui non audit verba hujus fœderis, quod pepigi cum patribus vestris, quando eduxi eos ex Ægypto: & respondit, Amen Domine. Quotiescunque fœdus renovamus, Amen nostrum requiritur in alterutram partem. Cavendum ne contra animam nostram sic locuti deprehendamur: quemadmodum Simei 1 Reg. 1: 38. sed potius ut simus filii benedictionum, ut eæ in nos deriventur, & super nos multiplicentur, ut & nunc & in æternum bene nobis sit.

Vers. 30. topographia duorum illorum montium datur. Non opus ut hic multum immoremur. Sufficiat notasse montem *Gerizim* propter benedictionem inde pronunciatam magno in honore fuisse, & Samaritanos tandem ibi templum struxisse. Atqui nulla loci sanctitas fuit, sed quicquid æstimandum erat, fuit verbum benedictionis. Non est quod æstimemus loca, quemadmodum nonnulli fecerunt & olim, ubicunque apparitiones factæ erant; & nunc ubi tot loca sanctiora finguntur ob miracula inibi facta, quamquam mentita. Verbum Dei æstimandum est, & locus reverendus, quamdiu illud sonat; quo conticescente etiam loci sanctitas cessat. Amos. 5: 4. &c. *Sic ait Dominus ad domum Israelis, Quærite me & vivite: & ne quærite Bethel neque venite in Gilgal neque transite in Berseba.* (illic Jacobus viderat visionem scalæ, & erexerat lapidem memorialem; istic circumcisi fuerant Israelitæ & ablata ignominia Ægypti, ibi quoque collocati XII. lapides, mnemosynon transitus Iordanis; hic Abraham pepigerat juratam fœdus cum Abimelecho, & plantaverat lucum invocato nomine Domini Dei æterni;) Deus autem non quæritur certo loco, maxime nunc. Ioh. 4: 21. *hora venit, quando vos nec in hoc monte* (Gerizim, sanctuario Samaritanorum) *nec Hierosolymæ*, (sanctuario Iudæorum) *patrem adorabitis.* vers. 23. *hora venit & jam est quando veri adoratores Deum adorabunt in spiritu & veritate.* 1 Tim. 2: 8. precari licet in omni loco, modo sanctæ manus attollantur & appropinquat Deo, cujus cor & manus puræ Ps. 24: 4. Iac. 4: 8. hæc dant accessum, qualem nullus unquam locus dedit. Ps. 145: 18. Deut. 4: 7.

Vers. 31. *Nam vos transituri estis Jardenem, ut ingredientes hæreditario jure possideatis terram quam Jehova Deus vester dat vobis: & hæreditario jure possessuri estis eam, ac habitaturi in ea.*

Vers. 32. *Itaque observantes facietis omnia hæc statuta, & judicia, quæ ego propono vobis hodie.*

C. *Præceos commendatio* est vers. 31, 32. Quia dixit duos istos montes trans Iordanem sitos, ubi publicatio illa facienda, ne in longum differendum crederent, docet mox eo venturos, & hæreditatem adituros Deo donante possessionem, qua fruituri essent, adeoque non diu fore quin habeant oportunitatem publicandi. Sed hortatio tunc necessaria; quando promulgabitur Dei benedictio & maledictio; vestrumque Amen, utrique addiderit confirmationem, *Vos ergo custodietis ad faciendum omnia statuta & judicia quæ præcipio vobis hodie.* Quo recentior obligatio, eo sollicitior cura, ne quid fiat perperam. Donatio terræ & nova publicatio veritatis divinæ & stipulatio non debebant effluere memoria. Quotiescunque audimus prædicatum verbum Dei, quoties repetimus obedientiæ stipulationem, debemus cautionem duplicare, ne deficiamus aliquo modo; sed ut meminerimus qua via ad felicitatem penetrare liceat, & qua ad æternam præcipites eamus calamitatem, ut tanto magis oderimus semitas malas, & inde longe discedamus, ne quid in extremo patiamur damni, sed per semitam genuinam incedentes, assequamur finem desideratum, Salutem animarum.

CAP. XII.

SUmma præcepti amor est 1 Tim. 1: 5. & amor est impletio legis Rom. 13: 10. Loquitur de amore proximi, eumque dicit impletionem legis de proximo agentis, quemadmodum ex enumeratione constat, quæ tantum mandata de proximo agentia habet: sed dicendum idem de amore Dei, esse complementum legis; quatenus de officiis erga Deum loquitur. Hinc Servetor duobus mandatis complectitur omnia, amore Dei & proximi: in quibus distinctio est non in actu, sed in objecto, Matt. 22: 37. Enimvero amor cordis est, cujus testis Deus est, & quivis ipse. Nam 1 Cor. 2: 11. *nemo novit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est.* Interiora cordis, cogitationes & affectus animi secretos, nemo hominum penitus novit præter illum, cujus sunt; alii quidem scrutantur quandoque profundum cor Ps. 64: 7. & tanquam ex profundo puteo hauriendo educere laborant Prov. 20: 5. sed licet aliqua, non tamen omnia deprehendunt; imo ipse homo nonnunquam à corde suo decipitur. Ier. 17: 9. Verum Deus scrutatur corda, & probat renes, & ipsi homini suas cogitationes futuras notificare potest Amos. 4: 13. 2 Reg. 8: 12. Hic ergo solus novit accurate quis amor cordis, tum erga Deum, tum erga proximum, verum poscit Deus etiam externas demonstrationes amoris utriusque, unde hominibus quoque aliis constare queat, num adsit vel absit. Amor Dei in externis cultus exercitiis probandus est, & amor proxi-

mi externis juſtitiæ officiis. De utroque loquitur Moſes cum initio hujus capitis. Poſtquam recitarat quæ Deus ipſe elocutus fuit verba fœderis, quia poſt illa ſe internuncium poſtulârant verborum Dei reliquorum, propoſuit & inculcavit quæ ad amorem Dei internum faciunt. cap. 6--11 variis argumentis eò perſuadens, quæ ſubinde repetit, & novis rationibus confirmavit. Nunc progreditur ut doceat amorem externum, ſeu demonſtrationem amoris externam tum reſpectu Dei cap. 12--16, 17. tum reſpectu proximi cap. 16--18. cap. 25.

Verſ. 1. *Hæc ſunt illa ſtatuta & Judicia, quæ obſervantes facturi eſtis in ea terra, quam dat Deus majorum vestrorum ibi ut hæreditario jure, poſſideas eam: omnibus diebus quibus victuri eſtis ſuper terram.*

Præmittit autem Exordii vicem, ſeu tituli loco verſ. 1. hujus capitis: ubi I. diſtributionem officiorum edit, *Hæc ſunt ſtatuta & Judicia*: illa concernunt Deum & ejus cultum, iſta ſocietatem hominum inter ſe: de quibus in ſeqq. agit. II. determinat locum obſervationis, in Cananæa, dum eam hæreditario jure poſſident. Etenim plurima utriuſque generis officiorum ejuſmodi ſunt ut extra Cananæam nec poſſint, nec debeant obſervari. Sic ſe habet deſtructio idolorum, exterminatio hoſtium, hæreditates, ἀνθυποφορία, & quæ cultum certi loci definiunt. Unde jam liquet, qui fiat quod ne quidem judiciales leges omnes valeant inter Chriſtianos, & quamvis Deus autor ſit, adeoque ſumma tum ſapientia quam juſtitia in iis obſervanda veniat, tamen non peccetur ſi omnia & ſingula non admittantur; quia Deus illi terræ appropriavit: ut præter ſcopum Dei futurum ſit, ſi extra illam ab ipſis Iſraelitis, Sic templum & ſacerdotium Oniæ in Ægypto vitioſum fuit.) nedum ab aliis gentibus, iſtæ ſancirentur. Quæ hic mandata ſunt, poſſunt atque etiam debent valere. Quoad genus ſuum, ut cultus Dei externus, & juſtitia in Rep. obtineat, neque quis vel illo vel iſta neglectis damno ſit aliis; ſed quoad ſpeciem Iſraelitis, manent propriæ, neque in uſum gentilium ſunt transferendæ, niſi ſpecialis oportunitas id permiſerit. Itaque ſi quædam conſtitutiones civiles de hæreditatibus, de ſervitutibus varientur, ſi quædam delicta civilia, levius aut gravius puniantur, non ſtatim dicendum eſt peccari à magiſtratu, ut ſit in adulterio furtoque ſi etiam non fiant quæ Iſraeli in cultu fuere propria, ut de primitiis & feſtis de votis, ut de immundis animalibus in cibo non uſurpandis, id bene legitimeque negligitur, quemadmodum datâ occaſione monebimus.

Verſ. 2. *Omnino perdite omnia illa loca, ubi gentes quas hæreditario jure poſſeſſuri eſtis, coluerunt deos ſuos, in ſingulis montibus excelſis, & in ſingulis collibus, & ſub quaque arbore virente.*

Verſ. 3. *Diruetis igitur altaria earum, & confringetis ſtatuas earum & lucos earum comburetis igne, ac ſculptiles Deos illarum ſuccidetis: ſic perdetis nomen eorum è loco illo.*

Verſ. 4. *Ne facitote ſic Jehovæ Deo veſtro.*

II. AMOR DEI EXTERNUS demonſtrandus Iſraelitis præſcribitur reſpectu I. loci verſ. 2--8. II. modi, ne ſit gentilis verſ. 29--32. & cap. 13. ut ſit congruus ipſis cap. 14. nec non cap. 15. III. temporis cap. 16. verſ. 1--17.

I. *Reſpectu loci*, quis reprobandus verſ. 2--4. quis obſervandus verſ. 5. &c.

A. *Loca religioſa gentilium repudianda ſunt.* Deut. 7: 5. ſimilia leguntur. Sed iſtic agebat de occupanda poſſeſſione Cananææ, exſcindendiſque eapropter tum incolis, idololatris, tum omnibus inſtrumentis idololatriæ ipſorum. Hoc autem loco de cultus externi loco publico; Atque hic negat ſequendum delectum gentilium, ut qui illis placuiſſet, etiam Iſraelitis placere poſſet aut deberet, ſed ut contra illa loca repudiarent, quia Dominus Deus ſuus ipſis eſſet colendus.

B. *Generatim* mandat iſtud verſ. 2. *Perdendo perdetis omnia illa loca, ubi populi quos hæreditabitis ſervierunt Diis ſuis*; recenſet autem iſta, *in montibus excelſis, & collibus & ſub quavis arbore viridi.* Hujuſmodi loca olim delecta, ceu Deo propiora, celſa omnia, quod proximiora cœlo, & quia inde citius orientem ſolem & ſidera videre poſſent; nam luminarium cœleſtium cultus fuit antiquiſſimus, in Oriente inprimis, aut ceu Deo gratiora, virides arbores & lucos, pro Diis ſylveſtribus. Quando vel qua occaſione iſta loca delecta fuerint incertum eſt. Hoc tamen veriſimile, Diabolum mutuatum iſta eſſe ab exemplo Eccleſiæ, cui iſtiuſmodi uſurpata fuiſſent, quæ ipſe plurimum depravavit. Omnem enim ritum ſacrificiorum & altarium didicit ab Adamo ejuſque filiis, tandemque à Noacho egreſſo recens ex arcâ, cujus poſteri à vero Deo ejuſque cultu deficientes ritus illos externos retinuerunt, uti à majoribus acceperant. Α'ντιποφορίαι fuerunt inſtituta Abrahami exemplo, cui Deus Iſaci filii immolationem mandarat, ut ejus amorem & obſequium exploraret, & inprimis ut ipſi in typo oſtenderet, diem Chriſti, immolatione hoſtiæ ſui corporis expiaturi peccatum. Imo quæ hîc Cananæis tribuuntur, ab Abrahamo eos didiciſſe conjectura eſt, quem Deus Prophetam dixerat eſſe ad Abimelechum, Gen. 20: 7. atque ipſi ceu magnum principem reverebantur, cap. 23: 6. fœderibuſque ſe illi conjungebant. In celſis montibus, quia juſſu Dei in montium Moriæ uno filium offerre debuit. Gen. 22: 2. ſub viridibus arboribus, quia idem icto cum Abimelecho fœdere plantaverat lucum in Berſeba, & invocaverat ibi nomen Domini, Dei æterni. Gen. 21: 33. ſtructo nempe pro more altari Gen. 12: 8. cap. 13: 4, 18. Hujuſmodi locorum delectum Iſraelem ſequi Deus noluit; ut quæ idolis ſacrata fuerunt, ibidem Deus verus coleretur, quod tamen ſeqq. temporibus non ſatis frequenter factum 2 Reg. 17: 10. Jer. 2: 20.

C. *Speciatim* jubet deſtructionem inſtrumentorum idololatriæ quæ in illis locis erant, ne præſentiam intuitus venerationem excitaret, ſed deteſtationem everſio. verſ. 3. *altaria dejicienda*, quæ ex pluribus lapidibus conſtabant; & *frangendas ſtatuas* quæ ex uno, etiam informi Gen. 28: 8, 22. ad memoriam fiebant, & *comburendos lucos*, & *concidendas, idolorum imagines.* Non dicit tamen montes & colles ſolo æquandos, quia ibi idololatria fuiſſet exercita. Erant hi opus & creatura Dei, Pſ. 104: 2. quæ per abuſum hominum non amittit ſuum uſum à Deo ſibi datum. Luminaria cœli non abolet Deus, quamvis adorata fuerint à Gentibus: neque juſſit homines fontes & flumina obſtruere, aut ſylvas exſcindere, quia ibi & circa iſta patrarunt ſuam idololatriam: ſed quicquid fuit ſtructuræ humanæ id fuit abolendum, ſiquidem in honorem idoli fuiſſet erectum. Quod ſi in alium uſum fuiſſet ædificata domus major minorve, & poſtmodum illatum idolum, ibique cultum, quamdiu ibi manebat idolum, idoleum fuit; ſed ſi inde removeretur, domus ipſa non neceſſario deſtruenda, & Arbor vel lucus ſi poſtea ad idololatriam adhiberetur, ubi idola remota & rami amputati eſſent, trunci poterant ſervari, & germinantes denuo legitimo uſui rurſum eſſe. Imo cum idolea hoc fine ſtructa in Cananæâ deſtruenda eſſent ſimpliciter, quemadmodum factum à Jehu circa templum Baalis, & in reformatione Hizkiæ 2 Chron. 31. & Joſuæ cap. 34. extra terram ab idolis purgari ſufficiebat, & poterant cedere uſibus Iſraelitarum; quia dictum, & abolebis nomina eorum ex illis locis, non loca unà cum idolis. Hinc vero diſcimus.

Quid faciendum circa idolea? Chriſtiani quidem non adſtringuntur legibus Cananææ propriis, verum tamen faciendum quod etiam extra illam terram ab Iſraele faciendum fuit. Idola quidem & inſtrumenta cultus omnia, altaria, vaſa, veſtes deſtrui debent, quemadmodum id Deut. 7: 25, 26. dictum, neque ullo prætextu vel pretii vel formæ iis parcendum; neque etiam privatis uſibus cedere debent. Sunt anathema, quod in domum attuliſſe ipſam quoque facit anathema; Domino ſoli, & ad uſum cultus ejus ac miniſtrorum adhiberi tantum poſſunt, abolita omni forma, ne memoria idoli exſtet amplius. Idolea vero vel deſtruenda, vel purgata ab idolis; Deo ſacranda ſunt. Sic actum quando Conſtantinus M. cæterique Imperatores Chriſtiani

Eth-

Ethnica templa everterunt prorſus, aut mutarunt uſum ad cœtus Chriſtianos. Sic in Reformatione ſuperioris ſeculi Templa conſecrata ſanctis, non deſtructa, ſed ſolum ab idololatriæ inſtrumentis fuerunt, mundata. Quorum quædam ſtructa erant ad cultum Dei & Chriſti, ſed poſt polluta idolis innumeris: ubi ſufficiebat emundatio: quemadmodum quando Hizkia 2 Chron. 20. Joſias cap. 24. quando item Judas Maccabæus templum purgavit à Græcorum idolis, citra deſtructionem; alia dicata hominibus defunctis, quæ itidem ad uſum legitimum revocata ſunt. Adeoque perperam nonnulli offenduntur uſu templorum, quia olim idolea fuerunt. Habent quod querantur, ſi ſervatis templis etiam idola, & imagines, & inſtrumenta talia, altaria, ſerventur; quod in quibuſdam Euangelicorum templis fit, ſed his emotis non eſt juſta eorum querela: maxime cum quæ habemus non fuerint Gentilium idolis ſacra, ſed primum ſacrata religionis Chriſtianæ exercitiis, tametſi plurimum idololatriæ fuerit admixtum poſtea. Vitioſum quod fuit ubi remotum eſt, cætera poſſunt optimo uſui cædere, cum nulla inſit loco ſanctitas, ſed ea ab hominum ſanctorum præſentia & ſanctis exercitiis eorundem fiuat, quamdiu iſta durant: quod ſi homines ibi irreligioſe degant, profanant loca iſta non minus, quam ſi idola illic exſtarent. 1 Cor. 11: 22. Joh. 2: 14. ſeq. Cæterum deſtructio idolorum & inſtrumentorum, non privatorum fuit, ſed magiſtratuum & eorum quos hi autorarant. Autorati erant à Deo Iſraelitæ, omnes, cum bellum gererent contra Cananæorum idola & idolea; verum poſt occupatam poſſeſſionem, magiſtratuum fuit. Nullus prophetarum vel juſſit populum, vel ipſemet manum admovit dejiciendis vitulis Jeroboami, neque Elias id egit circa Baalem: Comitia regni decreverunt cædem ſacerdotum Baalis 1 Reg. 18. & Jehu rex ipſum cultum ſuſtulit. 2 Reg. 10. Hizkiæ autoritate factum eſt, quod populus patravit 2 Chron. 31. Apoſtoli quoque & ſpeciatim Paulus Athenis aras & delubra Deorum non everterunt, aut eò plebem cohortati ſunt, ſed verbo refutarunt, quod ubi creditum deſtructa ſunt inſtrumenta peccandi. Act. 19: 19. à privato privatim. Proinde quod per tumultum fuit geſtum per Belgium 1566. probari nequit: ſed laudandus populus Groninganus, qui à Magiſtratu petiit & impetravit, ut templum quod jam eſt Academiæ & Eccleſiæ Gallicanæ proprium, ab idolis mundatum prædicationi Euangelii cederet, cujus facti ſecularem memoriam, 1666. eodem in loco, celebravimus. Attamen quod nonnulli & olim ſub Gentilium, & nuperius ſub Anti-Chriſtiana perſecutione privato conſilio & zelo idola fregerunt, conculcarunt, non facile imitandum, quamvis neque abſolute damnandum, quia de inſtinctu peculiari non conſtat. Gideon privatus mandatum habuit ut Baalis altare & lucum deſtrueret Jud. 6: 25. quod aſſumtis 10. ſociis noctu præſtitit, metu præpeditus ne interdiu provocaret zelotas. Privatis ordinarie ſufficit ut ſuſpirent & exclament propter abominationes ejuſmodi, ut Ezek. 9. qui nihil tentarunt externa vi, ad idolorum abolitionem.

Ipſa quoque idolorum nomina abolenda. Sic heic mandatum, Exod. 23: 13. Jos. 23: 7. & Zach. 13: 2. (Pſaltes profitetur hoc pacto deteſtationem idololatriæ Pſ. 16: 4, 5. *non efferam libamina eorum de ſanguine, neque ſumam nomina ipſorum ſuper labia mea.*) Eſt hoc obſervandum contra pravum morem, quod falſorum Deorum, qua gentilium, qua Anti-Chriſtianorum, nomina maneant eodem uſu, quo olim. Sidera cœleſtia iiſdem veniunt nominibus quibus inſignita à Gentilibus. & dies ſeptimanæ Latine ſic appellantur, uti olim; & templa diſtinguuntur iiſdem nominibus à ſanctis demortuis. Equidem memoria non omnis abolita, alioqui prophetis ea non fuiſſent nominata; quia quod reprobandum fuit, & abolendum, idem fuit ſuo nomine deſcribendum & hiſtorice quoque repetendum, Rom. 11: 4. Verum ut uſum, quem idololatræ dederunt, retineant, ut fit in templorum, temporumque titulis, nequit probari. Neque careat culpa, qui gentilium Deorum nominibus utuntur ad verum Deum deſignandum. Diſerte hoc vetat Deus. Hoſ. 2: 15. Hoc nomen *Baal* dicit Dominum & maritum, & ob fœdus Dei cum Eccleſia, eidem dari poteſt. Eſa. 54: 5. *nam (Bagualaich) maritus tuus eſt factor tuus.* Verum quia nomen Baal appropriatum fuit idolis, Deus eo inſigniri non vult. Quia nihil illi communionis cum idolis 2 Cor. 6: 16. Deteſtanda hæc, & quæ ipſorum, etiam nomina. Tyrannus olim regum titulus fuit, ſed quia mala regés & oppreſſores uſi eo ſunt, boni repudiarunt. Sic Rubenitæ mutarunt nomina urbium priſca, ut idololatriæ memoria periret. Num. 32: 38. (Pſaltes &c. Pſ. 16: 4, 5. &c. mea.) *Dominus pars portionis meæ* &c. Habet ille abunde nominum in Scriptura, quæ ſingula ſuam habent emphaſin, ut non ſit opus ab Ethnicis mutuari, quæ perfectionem ejus exprimant. Quod utinam magis obſervaretur apud eruditos, qui dum Latinam Græcamque Gentilium linguam & ſapientiam æſtimant ipſis pueris ſimul inſtillant nomina idololatrica, quibus deinde rite ſe uti credunt, modo mente verum Deum concipiant.

Contrarium hic poſcitur. verſ. 4. *Non ſic facies Domino Deo tuo.* videlicet, ſi ad remotius referatur, ut ibidem loci colas, ubi culta idola: quomodo idolum idolo mutatum credent, non autem verum Deum deinceps colendum eſſe, & humanum conſilium & delectus obtinebit. Factitatum iſtud à Pontificiis, qui Romæ Gentilium templa nonnulla retinuerunt cum omnibus priſcis; inſuper multos gentiles ritus in ſua templa receperunt, ut ſi priſci Gentiles reſurgerent, multa veteris ſuæ ſuperſtitionis eſſent reperturi. Atqui eſt Dominus Deus tuus, cui etiam fœdere obſtringeris, ut leges cultus non præſcribas ipſi, ſed ab ipſo accipias. Notiſſimum Diabolum olim per oracula, aut aliis indiciis monuiſſe, quomodo ſub hoc vel illo nomine coli vellet, (nam quod idolis præſtitum, id Dæmonibus factum eſt Deut. 32: 17. 1 Cor. 10: 20.) Et annon tantundem juris tribuetur Deo, ut non aliter quam ipſemet velit, aut nominetur, aut colatur? Atqui ipſe in verbo adeo multipliciter voluntatem ſuam aperuit ut mirandum ſit, quemquam Chriſtianorum, qui utique fœderati dici volunt, contrarium ſtatuere, aut ſuo arbitratu uti in adſciſcendis gentilium moribus. Mich. 4: 5. *Omnes populi ambulabunt* &c. in nomine alicujus ambulare, eſt in ejus obſequio, ut ejus nomen & autoritatem ubique profiteatur. Sic faciendum nobis reſpectu Dei. Matth. 28: 19, 20. baptizati in nomen Dei, debent ejus mandata obſervare. Moabitæ ſunt populus Cemoſch Jer. 48: 46. quia idoli iſtius honorem & obſequium ubique ſpectabant. Sed quam multi videri volunt populi Dei, qui omnia honori & obſequio Dei contraria agunt: populus Bacchi & veneris, & quotquot alios Baalimos ore profitentur & opere, ne de cordis cultu quis dubitet; qui avaritiæ, ambitioni, ventri, cupiditatibuſque aliis ſunt addicti. Quibus omnibus recte dicitur, *non ſic facies Domino Deo tuo.* Rom. 12: 1, 2. Conformitas mundi omittenda eſt, ſic Deo hujus mundi placetur. Eph. 2: 2, 3. ſed iidem ſunt filii iræ. Ezek. 20: 18, 19.

Si ad propiora reſpiciatur, *non ſic facies Domino Deo tuo,* interdicitur, ne quis altaria Deo jubenti dicata deſtruat, aut diruat templum ejus, aut aboleat nomen ejus, etiam ſcripto conſignatum. Sic Judæi interpretantur, qui magna ſuperſtitione cavent, nec quid quod ad cultum Dei adhibitum unquam fuit, profanetur: ne quod ex divinis nominibus propriis, cujus modi decem numerant, deleatur de libro aut ſcriptura aliqua. Sed ultimum tantum ſpectabimus, de nomine Dei non abolendo. Faciendum iſtud circa idola, quamquam multi ſollicite caveant, ne quid cerimoniarum gentilium in oblivionem veniat. Nequaquam faciendum circa nomen Dei. Attamen fit iſtud, non ſolum quando gentilium Deorum nomina uſurpantur pro nominibus veri Dei, potiſſimum in poëmatis, ſed aliter; de quo Deus agit Jer. 23: 27. Idololatria inducit oblivium nominis Dei, Matt. 6: 24. Jer. 3: 21. Pſ. 44: 21. Verum alia adhuc eſt ratio obliviſcendi nominis Dei. Prophetæ Hieroſolymæ non arguuntur idololatriæ, uti Prophetæ Samarjæ Jer. 23: 13, 14. ſed hypocriſeos verſ. 15. ſed quod loquerentur ſomnia, & deceptiones cordis ſui, verſ. 16, 26. miſcebant ſua verba verbis Dei, paleam tritico verſ. 28. furabantur verba Dei à proximis ſuis, dum jactabant verbum & mandatum Domini, de propriis ſermonibus verſ. 30. Quando iſtud factum ſi conſtet, rectius inteligemus modum inducti oblivii. verſ. 19, 20. *Ecce tempeſtas Domini, indignatio egreſſa eſt, tempeſtas doloroſa* &c. Eadem verba leguntur Jer. 30: 23. &c. poſt deſcriptum ſacerdotium Chriſti, & Euangelium fœderis novi: ut appareat de tempore Chriſti loqui, & Prophetas ſeu Doctores illius ætatis deſcribi. Iſti non fuerunt idololatræ externi, verum hypocritæ inſigniti & ejus autores aliis Matt. 23. Hi fecerunt obliviſci

Dei, dum ſuis traditionibus & interpretationibus mandata Dei, vel irrita reddiderunt, vel ſaltem autoritate caſſa Matt. 15: 3. &c. furati ſunt verba Dei, ſubſtitutis ſuis, quando omnis timor Dei per eos fuit præceptum hominum eruditum Eſa. 29: 13. ut non ſcrutarentur Scripturam ejuſque teſtimonium. Sed gloriam unus ab altero quæreret. Joh. 5: 44. quomodo non potuerunt credere vel ipſi doctores, qui gloriabantur de clave cognitionis, vel alii quibus claudebant regnum cœlorum; cum fides horum niteretur ſapientia hominum; Joh. 7: 26, 48. non autem potentia Dei 1 Cor. 2: 5. Fuit vero hæc idololatria perniciosiſſima, quamvis ſecreta. Rom. 10: 19. & Deut. 32: 21. Ab hac idololatria ne nunc quidem ſumus immunes: quando verbis placitiſque hominum nititur religio, & negligitur Scriptura; & quid homines dixerint attenditur, licet obliviſcantur verborum & nominis Domini. *Sic non facies Domino Deo tuo.* In rebus fidei valet, *Novi cui credidi* 2 Tim. 1, 12. ſed ſi quis tum nominet Lutherum, Zuinglium, Calvinum, Mennonem, aliosve homines quoſcunque, ſive falſum dixerint, ſive verum, ſecuritate caret omnis enim homo mendax, & poteſt ſurgere ſuſpicio tempore tentationis, annon mendacium dixerint, & qui illis credidit mendacium dilexerit, ad perniciem Apoc. 22: 15. Id ſolum ſaluti erit ſi cui quis credidit, Deus ſit, & illi quibus credendum Deus dixit, Prophetæ & Apoſtoli. Horum verba ſi ſciverimus, ſciemus Domini verba, quia novimus Deum iſtis locutum eſſe; & recipientes illa quod vere ſunt ut Dei verba, per ea ſapientes reddemur ad ſalutem, neque unquam obliviſcemur nominis Domini Dei noſtri, ſed illo recreabimur, & ſervabimur ad vitam æternam.

Jer. 10: 1, 2. *Audite verbum, quod Dominus ad vos loquitur, ô domus Iſraelis, Sic ait Dominus viam gentium ne diſcitote.* Mali magiſtri ſunt Gentes, in iis quæ Deum ejuſque cultum attinent: Pſ. 79: 69. Ignorant enim Deum, & quomodo docerent quicquam quod ad ejus notitiam & cultum faciat? Gal. 4: 8. loco veri Dei fictitium coluerunt, & hinc modus cultus nequivit eſſe legitimus. Oſtenditur iſtud de loco. Delegerunt iſtum ex ſuo placito, etſi imitati ſunt quod olim ab amico Dei Abrahamo factum fuit, ut deligerent montes & colles, & arbores virides: ibi ſtatuerunt inſtrumenta cultus; Sed Iſraelitis ea loca in Canaanæa deſtruenda fuerunt, non autem adhibenda ad exercitium religionis veræ, imo ne quidem uſurpanda eadem nomina, ne Deus & idola æquarentur.

Cæterum antequam locum legitimum intueamur, obſervandum aliquid ex nuperrimâ meditatione Ezek. 17: 23. Pollicetur ibi Deus ſe ramum de Cedro Libani plantaturum in monte celſitudinis Iſraelis, eumque ſic germinaturum ut fiat cedrus magnifica, & ſub ea, in umbra ramorum ejus, avem omnis alæ habitaturam. Deus itaque ipſe deligit in locum cultus montem excelſum, & arborem viridem, quo convolent & morentur cujuſcunque nationis & linguæ homines: Qui ergo interdicit uſu iſtorum locorum apud Moſen, & exſcindi lucos arboreſque ejuſmodi jubet, quæ adumbratio eſſe poterant, imo vetat ipſa nomina idolorum uſurpare. etiam quæ verum Deum deſignare poſſunt, & deſignarunt: Sed reſpondemus I. Locus apud Ezekielem non tam eſt externus & corporalis, quam internus & ſpiritualis. Mons celſitudinis Iſraelis exaltatus fuit celſitudine ſpirituali, ut omni vertice montium ſublimior foret. Eſa. 2: 2. & confluxus gentium eo ſpiritualis eſt, ut doctrinam inde prodeuntem reciperent, & juxta leges inibi publicatas viverent. Sic Hieroſolyma dicitur thronus Domini, quo gentes congregabuntur, obſequio ſuo ſubjectionem teſtantes. Jer. 3: 17. Iſtic plantatus per mortem Chriſtus, in reſurrectione germinavit, & factus eſt cedrus magnifica, regnum adeptus ſpirituale, ſub quo non minus tutæ ſunt animæ ad ſalutem æternam, quam aves in ramis arborum denſiſſimarum: quamobrem publicata per Euangelium ejus notitia, eo gregatim populi undique ſunt confluxuri; & qui ſucceſſerunt profeſſuri illud. Cant. 2: 3. *uti pomus in arboribus ſylvæ, ſic eſt dilectus meus inter filios*; Nihil hujus ſciverunt, nedum egerunt gentiles, qui fuerunt ſine Chriſto, &c. Eph. 2: 12. Quicquid religionis fuit, quod hic damnatur à Moſe, fuit externum & corporale, corporalis autem exercitatio ad pauca utilis eſt, etiam in vero cultu, niſi ſociata fuerit pietati veræ 1 Tim. 4: 8. adeoque ſejuncta ab hac pietate & in cultu falſo, non poteſt non eſſe vitioſiſſima. II. Loca iſtiuſmodi interdicta externa, quæ ſunt inſtitutionis gentilitiæ, quamvis imitatio Eccleſiæ Dei iſtic obſervari queat; quandoquidem in iis manifeſta inobedientia, citra purum cor, conſcientiam bonam, & fidem non ſimulatam 1 Tim. 1: 5. ſed haudquaquam vitanda loca illa, ſi Deus ipſe mandarit. Jac. 4: 12. Deus eſt legiſlator unicus; abſolute ſummus proinde, qui leges dare omnibus jure ſuo poteſt. Elohim inde à creationis initio Gen. 1: 1. Act. 17: 24. Deus qui fecit mundum, & quicquid in eo eſt, Dominus eſt cœli & terræ, omnes creaturæ, inprimis homines, debent ei obſequium, eopſe quia creaturæ; neque ullus eorum obligatione illa exſolvi poteſt; quia tunc fieret independens, Deo exæquatus, quod eſt Deum abnegare, qui ſolus independens. Verum Deus qui omnes homines & creaturas legibus ſuis circumſcribit, ipſemet iis non tenetur (niſi quatenus fœderales fecit, & ſe voluntarie obſtrinxit, Heb. 8: 6 ſed iis ſuperior eſt, ut etiam alia & contraria queat juſte imperare. Interdixit lege, ne quis privatus alium manu aut telo vulneret Exod. 21: 18. Lev. 24: 19. &c. Aſt 1 Reg. 20: 33. &c. qui recuſavit aliquem ex filiis prophetarum vulnerare, cum id verbo mandatoque Domini poſtulatum ab ipſo fuiſſet, inobedientiæ contra Deum pœnam tulit, occiſus à leone: qui vero fecit, indemnis manſit. Ita etiam circa loca cultus, mandatum Dei ſumma lex eſt. Quod docetur in textu.

B. Enimvero dum repudianda *loca* gentilium, alia omnino *obſervanda*. De hoc jam erudit in ſeqq. deſignando Locum verſ. 5. & Actiones iſtic exercendas verſ. 6, 7.

Verſ. 5. *Sed in loco quem elegerit Jehova Deus veſter ex omnibus tribubus veſtris, ad collocandum nomen ſuum ibi; in habitatione ejus exquiritote eum, quum veneris illuc.*

א. *Deſignatio Loci* verſ. 5. indicat autorem, finem & uſum.

a. *Autor*, eſt Deus. *Locus quem Dominus Deus veſter eliget ex omnibus tribubus veſtris, ſunt ut Nomen ſuum ibi collocet.* Deſcriptio loci religioſi eſt, ubi Nomen Domini collocatum eſt, 1 Reg. 14: 21. 2 Reg. 21: 4, 9. ubi id nomen eſt 1 Reg. 8: 29. atque intelligitur locus ubi præſentiam ſuam teſtari Deo placet ſingulari modo. Nomen enim Dei Deus ipſe eſt, & Deus eſt nomen ſuum. Gen. 28: 16. &c. Jacob viſione Dei in ſomnio fruitus ait, *Certe Dominus eſt in hoc loco, & ego ignoravi: non eſt hic niſi domus Dei, & hæc porta cœli.* Non erat neſcius Deum ubique locorum eſſe, cujus cuſtodiæ ab Iſaco patre commendatus erat ubicunque degeret; Gen. 48: 15. Sed neſcivit ſpecialem iſtam præſentiam, Deo ſe manifeſtante in viſione nocturna. Sic Deus declaravit ſuam præſentiam in templo, quando nube implevit adytum, & incubuit arcæ fœderis 1 Reg. 8: 10. &c. uti olim in tabernaculo Exod. 40: 34. &c. Lev. 16: 3. & Deus declarat 1 Reg. 9: 3. *ſanctificavi domum quam ſtruxiſti, iſtic collocaturus nomen meum in æternum, & oculi mei & cor meum ibi erit omnibus diebus.* Abia præſentiam Dei demonſtrat ex cultu & miniſterio, à Deo inſtituto 2 Chron. 13: 20. &c. uti Deus Eſa. 31: 9. Dominus qui in Zione ignem; & Hieroſolymæ fornacem habet; quæ teſtimonia incolatus ſunt. Chaldæus heic, *Nomen ſuum ponere ibi*, reddidit, *facere ut habitet ibi ſua Schechina*: Quod exponunt de gloria Dei, quæ eſt Schechina. Bechai f. 202, 4. & clarius Menachem fol. 103, 2. *ibi unietur gloria cum decore roboris ejus; & inquiretis ad habitationem ejus, ad videndum faciem Domini Jehova, nam ibi eſt habitaculum Schechinæ.* Nomen ergo Dei eſt Facies Dei, Jehova, Angelus Domini, in quo Nomen Domini, quem qui colit obſequio, Deum colit, qui ipſum miſit Exod. 23: 20. &c. Joh. 5: 23. Neque enim vel notitia eſt Dei propitii, vel cultus ejus, niſi per Meſſiam filium Dei, qui Patrem notum facit Joh. 1: 18. Matt. 11: 27. & acceſſum dat ad Deum Rom. 5: 1, 2. vi reconciliationis quam confecit, ut Deus fiat fœderatus. Neque aliter Nomen Domini hic conſideratur; cum expreſſe dicatur, *Dominus Deus veſter elegit locum ad Nomen ſuum collocandum ibi.* Fœderatis ſolum iſtud conceſſit Deus, ut ſe in Meſſiâ agnoſcerent Eph. 2: 12. Pſ. 147: 19, 20. nullis aliis, quam-

quamvis omnibus hominibus notum fuerit esse Deum; quia ignoratus in facie Jesu Christi 2 Cor. 4: 6. ut singularitas satis evidens sit. Hujusmodi vero locum extraordinariæ manifestationis suæ præsentiæ eligere, solius Dei est. Act. 17: 26. Deus ponit limites habitationis cuivis hominum, & quidni habitationis propriæ loca determinaret? Placitum Gentilium deligendi quosvis montes, quasvis umbrosas arbores, hoc ipso quoque vitiosum reddidit cultum. Sed insuper alia culpa est. 1 Cor. 10: 19. quæ Gentes offerunt, offerunt Diabolo, non Deo. Sic quæ loca sacrarunt suis Diis, Diabolo sacrarunt, non Deo. Atqui sic furati sunt Deo sua loca, ut darent hosti ejus, Satanæ. *Domini est terra & plenitudo ejus.* Ps. 24: 1. non Diaboli, quamquam sibi arroget Luc. 4: 6.

Obj. Quandoquidem vero *Domini est terra* &c. nonne quovis in loco eum colere licet, ubicunque hominem collocavit? sic Paulus 1 Tim. 2: 8. *Volo ut viri* &c. quomodo ergo hic delectus loci soli Deo vendicatur? Resp. Verissimum illud, *Domini est terra* &c. ergo ubique terrarum Deum colere fas est. Cœlum & terram ille implet. Jer. 23: 24. ubique proximus, Act. 17: 27. à nullo longe, inprimis proximus invocantibus Ps. 145: 18. adeoque locus cultus privatus ubique piorum cuivis licitus est, ut in spiritu & veritate Deum veneretur & colat. Joh. 4: 23. &c. Verum quæstio hic est de loco cultus publico, sive singulorum: sive plurium. Historiam si spectemus ab ipso rerum exordio, primum exemplum est Gen. 4. 3. &c. sacrificia & altaria filiorum Adami ibi leguntur, sed nullius loci designationem diserte adscriptam habemus. Sic cum ibid. vers. 26. post natum Enosum cœptum est invocari nomen Domini, vel vocari de nomine Domini, ut fideles filii Dei dicerentur. Post diluvium Noach altare struxit, ubi ex arca in terram descenderat. Gen. 8: 20. Sed Abraham, Isaac & Jacob ubi vel Deus apparuerat, vel alias tentorium suum fixerant Gen. 12: 7, 8. cap. 13: 4, 18. cap. 21: 33. cap. 26: 25. cap. 33: 20. cap. 23: 7. adeo ut libertatis fuerit ipsis ubicunque vellent cultum publicum exercere. Diserta concessio Dei est in conditionibus fœderalibus, quas per Mosen populo Israelitico proposuit. Exod. 20: 24. &c. *altare terreum facies mihi, & ibi offeres tua holocausta & pacifica, oves & boves; in omni loco* &c. *Quod si ex lapidibus facies mihi altare* &c. Facit arbitrii proprii structuram altaris, sed materiam definit, ne quid dives excellentius facere posset quam pauperrimus; qui æque glebam congerere, & rudes lapides comportare & coaptare poterat. Quod delectum Deus sibi vendicare videtur, *ubi memoriam nominis mei constituam*; in textu Hebræo est, *in omni loco, ubi recordari faciam nominis mei*: hoc est, ubicunque movebo alicujus animum, ut mei recordetur, & recordationis istius externum testimonium erigere velit, altare ad sacrificia sive holocausta sive pacifica, istuc veniam ad te, tibique benedicam. Libertatis itaque fecit delectum loci etiam tunc cum fœderis conditiones proposuit. Verum postquam Israelitæ fœdus rati habentes, sese obligarunt ad obedientiam propriarum virium, erecturi propriam justitiam; quomodo impossibile fuit pervenire ad justitiam & vitam, Deus gratiose ipsis succurrit, & post sanctum fœdus eâ quam voluerant lege, antequam vituli cultu rebelles facti essent, instituit confectionem Tabernaculi, & in eo unius altaris, & sacerdotii, Exod. 25: 30. In quo geminum fuit beneficium Israeli concessum; unum convictionis de peccato, nam cum excluderentur omnes, præter Sacerdotes, accessu ad altare, & ingressu tabernaculi, convincebantur impuritatis & reatus; & in sacrificiis pro peccato fuit scriptio chirographi contra ipsos Gal. 2: 14. Et hoc bonum, ne innocentem se opinetur nocens, & ad hostem irrumpat, qui præsentiam suam aversatur. Alterum pædagogias ad Christum, Gal. 3: 24. exclusis dabatur accessus in & per sacerdotem; & chirographum in ritibus fuit ὑπεναντιον, vicarium substituens pœnæ Col. 2: 14. sed in umbra tantum; neque enim quicquam sic potuit consummari; sanguine taurorum non expiante peccatum, cum victimæ manerent mortuæ; & sacerdotibus post ingressum ad arcam denuo per velum exclusis aditu toto anno. Nam Joh. 1: 16, 17. ἀντι χαριτος; Mosis doctrina habuit quoque gratiam, sed in umbrâ, non in corpore; ad tempus, non in perpetuum: ast in Christo Jesu est gratia & veritas: gratia quæ vera est, & quæ constans, qui significatus quoque veritatis est. Exod. 17: 12. 2 Chron. 22: 1. Ab hoc itaque tempore, quo Deus tabernaculum sibi erigi mandavit, delectus loci penes solum Deum fuit: Quod hoc loco significatur. Equidem quamdiu tabernaculum ambulatorium fuit; id privilegii datum summo populi principi, ut in suâ tribu illud haberet. Sic Josua Ephraimita, quam primum occupata fuerat terra, istud collocavit in Schilo Jos. 18: 1. & Saul ex Schilo transtulit in Nob, & hâc urbe eversa ab ipsomet, in Gibeon, quæ duæ urbes Benjaminiticæ, unde ipse oriundus 1 Sam. 21: 22. 1 Chron. 21: 29. ut viciniores essent sacerdoti summo consulturi Urim, aut alias sacra facturi. Etenim de Schilo Dei approbationes habemus Jer. 7: 12. *abite ad locum meum, qui fuit in Schilo ubi nomen meum in initio feci habitare.* De locis aliis quoque colligere est ex 2 Sam. 7: 6, 7. 1 Chron. 17. 5, 6. *non habitavi in domo aliqua à die quo Israelem eduxi ex Ægypto, usque in hunc diem; sed ivi de tentorio in tentorium, & de tabernaculo in tabernaculum. Ubicunque ambulavi cum toto Israele, num verbum dixi ad ullam tribuum.* (Judicum) *Israelis, cui mandavi ut pascerent populum meum de struendâ domo?* Judicibus itaque & tribubus, unde judex delectus, à Deo, jus fuisse probatur transferendi tabernaculi; licet non ædificandi templi, quomodo periisset transferendi potestas. David ergo jure suo usus est in Arca Hierosolymam deportanda, quæ tot annis à tabernaculo fuit sejuncta, postquam regnum suum super totam Israelem stabilitum animadvertit: sed consilium ædificandi templi Deus improbavit, servato isto honore filio ejus Salomoni. Interim indicium fecit Davidi, delecti à se loci. 1 Chron. 21: 28. *Illo tempore, cum vidisset David Deum sibi respondisse in area Ornanis Jebusitæ, obtulit ibi; & dixit, Hic erit domus Domini, & hic erit altare holocausti pro Israele.* cap. 22: 1. Hic locus in monte Moria fuit ultimus, quem Deus in Israele delegit, ad Nomen suum collocandum. Ps. 132: 13. *Dominus elegit Zionem, concupivit eum ad habitationem sibi; dicendo, Hæc est requies mea in æternum, hic habitabo; nam concupivi eum.* ut est 1 Reg. 9. 2 Chron. 7. Hunc ipsum locum in textu designatum censuerunt Hebræi: Bechai fol. 202. col. 4. hic locus fuit mons Moria, & fuit notus inter gentes ex traditione, quod excellentissimus foret, quia ibi Isaci ligatio contigit. Deum autem heic non nominasse Moriam dicunt, ne contentio oriretur propter montem illum, omnibus possessionem ejus sibi vendicaturis. Sane montis hujus fuisse notitiam ab antiquo, constat ex cantico Mosis. Exod. 15: 17. *Introduces populum, & plantabis eos in monte tuæ hæreditatis, in locum quem tibi, Domine, feciſti in habitationem tuam; sanctuarium quod manus tuæ pararunt, Domine.* Et Moses sic precatur. Deut. 3: 25. *transeam quæso, & videam bonam illam terram, quæ trans Jordanem, montem illum optimum, & Libanum.* Verum cum in tabernaculo præsentia Dei in nube esset evidens, non potuerunt locum evidentiorem quærere, & hac propter de loco tabernaculi monentur, ne aliud sanctuarium statuant, quam Deo placuisset definire.

b. *Usus* delecti loci à Deo est, *ad habitationem ejus inquiretis & eo ibitis.* Quærendus & adeundus Deus ubi esse vult, non ubi homines eum esse vellent. Quærere est notitiam alicujus investigare. Hinc Hebræi docent, Consulendos fuisse prophetas de loco habitationis divinæ, quinam placeret; quemadmodum David inquisivit à Nathane 2 Sam. 7. & didicit à Gade 2 Chron. 21: 18. & ubi cognitus locus, eò fuit eundum, ut apparerent coram Domino, ubi Deus dignabatur evidentius se præsentem testari. Raknatensis fol. 203. col. 2. *Ad habitationem ejus quæretis, ad videndum faciem.* האדון יהוה *Domini istius Jehovæ: ibi enim est tabernaculum Schechinæ.* Hinc dixerunt Rabbini. *Interpretationis hujus ratio:* אין ראיה לדבר אלא זכר לדבר *non est demonstratio rei, sed signum memoriam reficiens, & de illa indicandâ monens.* Coccei, in Sanhed. pag. 81. *Omnes inquisitiones quas eo institutis, ne sint nisi ad habitationem ipsius Dei, hoc est ad Schechinam unionis ejus.* Significat Schechinam in qua Deus, & per quam ad Deum unionem cum eo accedituri. Ste idem, loquens de precibus, & unione cum Deo, fol. 135. col. 2. *Non licet ingredi ad Regem benedictum & excelsum, sine Schechina; indicium hujus rei est, Ego in justitia videbo faciem tuam.* Ps. 17: 15. *& quomodo adscendam ad Patrem meum, & puer non fuerit mecum.* Gen. 44. 29. Quæ manifestam faciunt fidem veterum, quod non in loco ipso constituerint sanctitatem & salutem, sed in Schechina, quæ ibi se manifesta-

feſtaret, per quem ſolum acceſſus ad Deum datur.

Sub hac conſideratione; mandatum iſtud nobis apprime obſervandum eſt. Quamvis enim ſublata ſit ſanctitas ſeu ſegregatio loci alicujus ſingularis, quam quidem Deus ipſe fecit. Joh. 4: 20, 21. Tamen ad locum quem Deus elegit ad habitationem ſuam, quærendum & veniendum eſt. Locus ille eſt ubi Schechina ſeu Chriſtus. Exod. 23: 21. Col. 2: 9. in ipſo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter Sic Joh. 1: 14. Col. 1: 19. Imo Deus in ipſo habitat. Joh. 14: 6. per ipſum ſolum aditus ad Patrem, quia Pater in ipſo: quomodo Philippum docet verſ. 7. &c. adeoque qui habet filium etiam patrem habet, & qui quærit filium non poteſt non ſimul quærere & invenire patrem: Jam quærenti Chriſtum, quærendus ubi eſt. Joh. 15: 7. Chriſtus in verbo eſt, inequitat verbo veritatis Pſ. 45: 5. & qui eum rite quærit, in verbo quærat oportet, & ibi invenitur & cum eo recipitur; nam quemadmodum verbum fide recipitur, ſic etiam Chriſtus per fidem habitat in corde Eph. 3: 17. & Marc. 1: 15. 1 Joh. 2: 24. Joh. 14: 23. Profecto non ſollicite quærendum, neque longe eundum ut ad eum veniamus, quem in nobis habere poſſumus, & habere ad majorem manifeſtationem, verſ. 21. Hoic jam inquirendum unicuique an in fide ſit? an Chriſtus Jeſus in ipſo ſit. 2 Cor. 13: 5. talis qui non eſt, reprobus eſt. Quam multis autem iſtud deeſt? 2 Joh. 9. Tranſgredi Chriſtianum nomine, eſt non manere in doctrina Chriſti. Eph. 4: 20. Gentilis converſatio aliena prorſus eſt à Doctrina Chriſti. Aut gentium more ambulant plurimi, & ut ipſos inter gentiles moratiores puditum ſit ſic ambulaſſe. Qui didicerunt Chriſtum, exuerunt veterem, induerunt novum hominem: aſt induti Chriſtum non curant carnem ad cupiditates: non ambulant in comeſſationibus &c. Rom. 12: 13, 14. Rom. 8: 1. &c. qui in Chriſto Jeſu ſunt ambulant non ſecundum carnem ſed ſecundum Spiritum, non ſunt in carne, ſed in ſpiritu; Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberat eos à lege peccati & mortis: qui vero Spiritum Chriſti non habet, non eſt ejus. Atqui quando omnis generis injuſtitia & oppreſſio viget, cum contemtu & odio convictionum propheticarum, nonne valet illud Michææ cap. 2: 7. *O vos qui vocamini domus Jacobi: an ſpiritus Domini abbreviatus eſt? an hæc ejus opera?* Parum Chriſti iſtic eſt, ubi Spiritus Chriſti nulla agit opera, Pſ. 5: 5. Sic abigitur Deus ex ſua habitatione, Ezech. 8: 6. non autem invenitur. Quærendi Deum ſi voluntas ſit, faciendum quod de gentibus dicitur Zach. 8: 22. &c. Pſ. 76: 1. &c. ibi quærenda Gentibus notitia, ab illis qui norunt, prophetis & Apoſtolis, Iſraelitis, & unde doctrina prodiit, Hieroſolyma, unde emiſſi ſunt, in univerſam terram. Accedendum ad verbum, ejuſque prædicationem Rom. 10: 14. quomodo credent &c. Act. 13: 42. gentes rogarunt Paulum ut verba ſalutis ſibi quoque dicerentur: & audito eo gaviſi ſunt, & prædicarunt verbum Domini, & crediderunt &c. Quærentibus porro debilitanda eſt ira Dei: hâc fervente, veniunt ad ignem conſumentem. Debilitationis medium eſt Pſ. 105: 2. *Inquirite in Deum & robur ejus, quærite nomen ejus jugiter.* Chriſtus, qui facies Dei & robur ejus Pſ. 68: 29. & quærendus, & ſic poterimus Dei robur igneum licet, apprehendere & pacem cum ipſo conficere. Eſa. 27: 4, 5. Hoc docet verbum Euangelii Rom. 5: 1. cap. 8: 1. docet S. Cœna; in eâ Chriſtus repræſentatur, ceu hoſtia pro peccato, & in cujus contritione vicariâ Deus voluptatem cepit. Eſa. 53: 16. ſed is non ſolum debilitavit iram Dei, ſed plane removit; non tantum flammam imminuit, ſed prorſus exſtinxit. Qui eſuriens juſtitiam fide eum apprehendit, & de pane & poculo ſignis corporis & ſanguinis ejus particeps ſit, is in iſto habet vitam & ſalutem æternam. Atque hic poterit dicere, Pſ. 65: 5. *beatus quem eligis, & facis, propinquare, ut habitet in atriis tuis; ſatiabimur bono domus tuæ, ſancto, palatii tui.*

Verſ. 6. *Igitur adducetis eò holocauſta veſtra, & ſacrificia veſtra, decimaſque veſtras, & oblationem manus veſtræ: item vota veſtra, & voluntarias oblationes veſtras, & primogenita armenti veſtri, ac greges veſtri.*

Verſ. 7. *Ut comedatis ibi coram Jehova Deo veſtro, & lætemini vos & familiæ veſtræ* comedentes *ex omni re ad quam admoveritis manum, qua benedixerit tibi Jehova Deus tuus.*

2. Id promittit Moſes ex *actionibus* ibi peragendis; verſ. 6, 7. de quibus tamen nil dicemus, cum verſ. 11, 12. & verſ. 17, 18. repetantur, ut eò differre explicationem queamus. Hoc loco tantum notemus, 1 Cor. 3: 16, 17. *An neſcitis vos Templa Dei eſſe, & Spiritus Dei habitare in vobis.* Eligit Deus locum habitationis, & hic non eſt alius quam homo fœderatus 2 Cor. 6: 16. vos eſtis templum Dei vivi &c. Eſtque demonſtrationis loco inhabitatio Spiritus S. Non eſt heic quærendus & adeundus locus, ſi Chriſti ſumus; in nobis ipſis eſt: ſed cavenda violatio ejus; 2 Cor. 6: 17, 18.

Ezekiel convicturus Judæos in Babel, exhibet ipſis hiſtoriam primorum temporum, quid olim feciſſent, contra diſertas Dei in contrarium præceptiones. Ezek. 20: 5. &c. Mandaverat primum in Ægypto, ut hanc idololatriam deſererent, quam ab indigenis didicerant, dum iſtic commorati ſunt: contra præceperat, ut ſua ſtatuta & jura obſervarent, ac Sabbatha cuſtodirent. Sed non impetravit obſequium ab Iſraelitis, qui ob variam rebellionem in deſerto affiicti & tandem quotquot primum recenſi fuerant, inibi proſtrati ſunt. Igitur liberis ipſorum ſimilia præſcripſit, hac tamen variatione, quod non interdiceret imitatione Ægyptiorum, ſed parentum propriorum verſ. 18. &c. Quæ faciebant in cultu idololatrico, non erant alia quam Ægyptiaca, (nam ne quidem in Cananæa unquam penitus deſeruiſſe dicuntur Ezek. 23: 3, 8, 19.) attamen non vocat ſtatuta Ægyptiorum, *ſed ſtatuta patrum ſuorum*; quia non didicerant ab Ægyptiis, neque hos imitabantur, quod patres fecerant; ſed didicerant à patribus, & ipſorum autoritate, præceptis & exemplis movebantur: adeoque hunc prætextum peccati ipſis eripuit, ne amor honorque parentum tanti apud ipſos fieret, neque ipſorum ſtatuta & judicia, magna ſpecie rationis & ſapientiæ ordinata, eouſque æſtimarent, ut quæ iſtis, & quia iſtis placuiſſet aut ſancita fuiſſet religio, eam amplecterentur & ſequerentur. Opponit autem Dominum Deum ipſorum, quem vi fœderis ſui tenebantur agnoſcere pro unico legiſlatore, & ſe legibus ipſius ſubjicere. Hoc argumentum Moſes etiam tractat in præſenti. Agit cum liberis egreſſorum ex Ægypto; quibus ſimilia inculcat; ac apud Ezekielem leguntur; non contra Ægyptiorum idololatriam, ſed contra Cananæorum. Nam ſermo ipſi eſt de loco cultus publici in Cananæâ obſervando. Jubet deſtruere loca à Cananæis gentibus tributa cultui idololatrico; neque iſtic Deo cultum exhibere; ne Gentium viam ingreſſi, & ipſorum ſtatuta adoptaſſe dici poſſent: ſed illum locum obſervandum, quem Deus ipſe deſignaſſet. Verum poterat heic quæri effugium, quo enervaretur vis hujus hortamenti; Scilicet recte mones cavendos eſſe mores gentilium, neque ipſorum religionem eſſe ſuſcipiendam. Sed alia eſt ratio quam rite ſequi licet, Patres noſtri, & nos tanto tempore ſumus fœderati Dei, itaque ſi noſtro more conſueto, inde à patribus vivamus, extrâ crimen & culpam erimus. Hanc ergo exceptionem prævertit, Moſes, eamque rejicit, verſ. 8, 9. tum demum inculcat locum à Deo deligendum. verſ. 10, 11, 12.

Verſ. 8. *Ne facitote ſecundum omnia quæ nos hic facimus hodiè; quiſque quicquid rectum videtur in oculis ejus.*

Verſ. 9. *Non enim adhuc ingreſſi eſtis ad locum illum quietis, & ad poſſeſſionem illam quam Jehova Deus tuus dat tibi.*

1. *Exceptionem*, quam præoccupando notat, rejicit verſ. 18. *Non facietis ſecundum omne quod hic facimus hodie: quiſque quod rectum eſt in oculis ſuis.* Geminum vitium cavendum monet, conſuetudinis, & ἰδιοθρησκείας. Utrumque humanæ voluntatis & arbitrii ſed illud alieni, iſtud proprii.

Conſuetudinis, eſt *ſecundum omne quod facimus hic hodie.* Præſentes actiones ad normam compoſitas dicit, quæ tamen

tamen nulla alia quam placiti alieni consuetudinis. Atqui sic non faciendum. Etenim consuetudo nequaquam legitimus magister est. Nihil ibi attenditur quam exempla: non facti indoles & qualitas: & quidem multitudo exemplorum, alioqui non erit consuetudo; quæ in duobus, tribusve exemplis non consistit. Sed primùm exemplis non vivendum, sed legibus Dei. Frequentissima sunt monita Mosis, ut audiant, observent & faciant præcepta, statuta, & judicia Dei: non item ut se componant ad hominum aliorum mores & exempla. Equidem non sunt repudianda omnia exempla; Deus se in exemplum proposuit in quiete septimi diei, post sex dies operis: & Christus toties hortatur ad imitationem Dei, in perfectione, in condonatione peccatorum; in beneficentia erga inimicos nostros, in sanctitate. 1 Pet. 1: 14, 15. Eph. 5: 1. & Christus constituit exemplum imitationis in amore mutuo in patienti toleratione injuriarum. 1 Pet. 2: 29. in humilitate Phil. 2: 11. Joh. 13: 34. Imo & homines immitandi. Laudatur Davidis imitatio in Josaphato, in Hizkia, in Josia; commendatur eadem Jeroboamo 1 Reg. 11: 38. Paulus se exemplum statuit, 2 Thess. 3: 9. 1 Cor. 4: 16. Phil. 3: 17. Verum exempla imitanda pauca sunt, quæ consuetudinem non stabiliunt. Erant studiosè talia observanda, quod rara forent; quæ nec ubique nec sæpius occurrerent; nam ut addit, vers. 18. *multi aliter incedunt.* De quibus testatur esse hostes crucis Christi, qui voluptates sequuntur, & terrena curant. Deinde, exempla plura, quæ consuetudinem faciunt, mala sunt. Matt. 7: 13, 14. in lata via dominatur consuetudo, non in augusta. Et tamen istic perditio est extremum. 1 Joh. 5: 19. Totus mundus in malo jacet. A malo autem provenit malum, 1 Sam. 24: 14. Consuetudo proinde mundi non potest non esse mala. Eph. 2: 1, 2. Unde dehortatio. Rom. 12: 1, 2. qui se sacrant Deo, uti olim Levitæ, ad cultum rationalem, ut glorificent Deum vita sua, & caveant, quantum possunt aliorum profanationes nominis & cultus Dei, pauci sunt; mundus prorsus aliam vitam instituit, & hic cum omni sua multitudine cavendus, deserendus: unicuique observanda regula voluntatis divinæ. Equidem licet justissimæ causa sint declinatæ consuetudinis, 1 Pet. 4: 3. &c. non vivendum amplius secundum cupiditates hominum, sed secundum voluntatem Dei, tempore illo quod residuum est in carne; sufficit enim tempore vitæ antegresso feciſse nos voluntatem gentium. Ab una parte quidem sunt homines multi, gentes omnes; ast ab altera unus Deus. Sed nonne hic unus præstat illis omnibus? Multitudinis istius sunt cupiditates multæ, æque malæ & turpes; ut pudere earum debeat quemvis: ast voluntas Dei bona est & justa, & sancta, cujus nunquam pudor esse potest. Illis diu immorati sumus, quod tempus omne perditum est, imo impensum procurandæ, augendæ accelerandæ damnationi; exiguum restat quod impendatur legitimæ ambulationi. Attamen deridiculo & odio est singularitas. Quam contumeliam qui ferre detrectat, consuetudini paret: quemadmodum principes isti Judæorum, qui credentes in Christum, eum non profitebantur, propter Pharisæos, ne ejicerentur Synagogâ Joh. 12: 42. Atqui summæ est sapientiæ subducere se consuetudini Eph. 5: 8. & vers. 15. &c. Hoc docet Christianismus Eph. 4: 17, 20. Christus inde redemit, licet mos paterna autoritate roboraretur. 1 Pet. 1: 18.

O si illud rite meditaremur, non essemus mancipia moris: qui in omnibus dominatur, & omnis generis vitia hoc uno titulo valent & vigent. Vanitas & fastus in vestibus, in motu corporis, in verborum fuco justificatur publice suo nomine de Modes, & quod peregrinus sit, Gallicus; cum damnatus, fuerit in filiabus Zionis, & stercus ipsorum dicatur abluendum Esa. 3: 16. cap. 4: 4. improbeturque sub gravi comminatione visitationis divinæ peregrina vestis Zeph. 1: 8. quâ cum peregrina vitia amantur & introducuntur Ezek. 23: 22, 14. &c. Avaritia, injustitia, oppressio, furta & rapinæ publicæ taxantur ceu consuetudinariæ in Magistratibus & omni populo Hierosolymæ Esa. 1: 23. cap. 10. 1. Mich. 2, 5. cap. Sic ebrietas & luxuria; scortationes & adulteria. Esa. 5: 11, 12. Ezech. 22: 3. &c. Amos. 6: 1. &c. plurimæque ubique sunt prophetarum accusationes: de quibus hoc unum dicere licet; Nihil novi sub sole; quod fuit, idem erit Eccl. 1: 9. Exempla pessima, quæ vitanda proponuntur, imitationem facilius inveniunt, quam optima. In religione quoque vivitur ad aliorum placitum. Joh. 7: 18. *An quis principum in eum crediderunt aut pharisæorum?* & vers. 26. *an principes nostri nunc vere scirent, hunc esse verum Christum?* Et dictum à senioribus. Matth. 5: 21. &c. & Act. 28: 22. *de hac secta novimus ab omnibus contradici.* Sic quoad cultum externum. Jer. 9: 13. &c. *deseruerunt legem meam, quam dederam ante faciem ipsorum, & in eâ non ambularunt, sed secundum Baales, uti docuerant eos patres*; hi mali sequendi, bonique repudiandi autores fuerant suo exemplo; quod profitentur Jer. 44: 16. *uti fecimus nos & patres nostri* &c. Atque hoc vitio laborabant ipsi Israelitæ in deserto, Lev. 17: 7. non amplius sacrificia sua offerent Dæmonibus, pone quos scortantur, & Amos. 5: 25. &c. *An mihi 40 annis in deserto attuliſtis victimas & oblationes ô domus Israel? imo tuliſtis tentorium vestri Melech, & Kyun vestras imagines: Stellam Dei vestri, & quem vobis feceratis.* Non solum semel in aureo vitulo sic peccatum est sed constanter; & sic à Jeroboamo, & ad finem regni Israel vitulorum cultus non fuit omissus: & licet Baalis cultus semel iterumque convinceretur, vel tolleretur, tamen vituli manserunt, moris titulo. Et ab ipsis Judæ regibus subinde calcatæ sunt viæ regum Israelis, aut gentilium, omni populo exemplum sequente. Ita hodieque sunt multi, quas nihil à Reformatâ religione avertit præter consuetudinem πολυτροπίαν. Exemplis inædificatur fides, & vita & salus; acquiescentibus multis in conditione aliorum, quibus, nec meliores nec feliciores esse volunt.

Alterum vitium accessit ἰδιοδροσεία; *quisque quod rectum est in oculis suis.* Est hæc ingenii humani indoles, & φιαυτία, ut se quid melius & accuratius invenire posse credat ad cultum ejusque decus. Micha sibi facit idolum domi, & Levitam statuit Sacerdotem. Dicitque, nunc scio Deum mihi benedicturum &c. Jud. 17: 13. Jeroboam commentus est novum cultum per vitulos; nova loca Dan & Bethel; novum tempus, octavum mensem. 1 Reg. 12: 28. Num. 13: 39. Gentiles ambulasse dicuntur ad placitum pravi sui cordis Jer. 3: 17. & hic suam sapientiam exercuerunt quæ stultissima apparuit Rom. 1: 21. &c. & sic frequentissime fit, tota religio Gentilis infinite diversa, & Mahumetana, hinc originem trahunt, placitum est proprium, cui deinde mos accedens robur addit. Enim vero cum sapientia carnis ejusque placitum adversetur Deo, Rom. 8: 7. nihil inde exspectari laudabile potest: neque quicquam magis inimicum quam sapientia hujus mundi. 1 Cor. 3: 18. Est hoc maximum judicium Dei contra rebelles & idololatras, ut suo judicio tradantur Ps. 81: 12, 13. & Rom. 1: 28. Quid de ἰδιοδροσία statuendum discimus Col. 2: 23. habet λόγον σοφίας, habet humilitatem, habet ἀφειδίαν σώματος, quæ abnegatio sui dicenda: sed malum est principium, *mandata & doctrinæ hominum*: mala forma, *non sunt in pretio ullo*: malus finis, *ad satietatem carnis*, abnegationi sui vel maxime adversa: malus effectus, *perdunt in usu.*

Atqui si intueamur totum Papismum; quid aliud est, quam ἰδιοδροσία, & consuetudo superinducta. Solum in S. Cœna, quid non additum ex placito Episcoporum Rom. unoquoque fere gloriam alicujus additionis quærente; adeo ut nihil propemodum ejus residui sit. non mensa, sed altare; non minister sed sacerdos; non cœna sed sacrificium non panis & vinum, sed transsubstantiatum corpus, & sanguis: non Christus crucifixus, sed creatus ex pane & vino alius; non communio corporis & sanguinis Christi, cum poculum semper negetur plebi; sæpe nemo præter sacerdotem fruatur. Præterea infinita alia quæ placito proprio duntaxat nituntur, ut in Concilio constantiensi, quod Hussum condemnavit, definitum, etsi Christus instituerit sub utraque specie Eucharistiam, & sic observarint Apostoli, & deinceps, hoc tamen non obstante statutum est, laicis negandum poculum. Ab eodem placito & imagines & cultus illarum introductus est. Verum hæc ipsa de causa suspectum esse, imo repudiari debet in religione ejusque exercitio, quicquid placiti proprii est, etsi post accesserit consuetudinis robur. *Nulla prophetia, Scripturæ est propriæ explicationis.* 2 Pet. 1: 20. &c. quod lubitus hominum induxit, lubitus hominum augere & emendare potest: sed quod illum aversatur quoad initium, non aliter se habet circa additamenta. Merito suspecta & damnata novitas est siquidem rectum in oculis alicujus habet. Sed hæc novitas

non

non tantum agnoſcenda, quando primum aliquid producitur; verum etiam, quando nove unquam productum fuit. Quod à duobus pluribuſque olim dictum fuit, utique tum novum fuit, & tale manet ſemper, quoad autoritatem inventoris. Imitatio, & mos, & gloria quam alii homines tribuunt, non efficiunt ut non ſit placitum proprium. Jer. 9: 14. ambularunt ſecundum placitum cordis, uti docuerant patres. Adeoque qui novitatis alios condemnant, nihil aliud plerunque agunt; recipientes ea quæ pariter nova fuerunt in ore illorum quos ſequuntur; ſed addunt alterum crimen Moris; eopſe pejores iis, quos damnant. Itaque ne hic peccemus, non eſt reſpiciendum quicquam animi, ſive extra nos in exemplis, ſive in nobis, proprium judicium; huic prima virtus Chriſtiana opponitur *abnegare ſemetipſum*, ſine quo diſcipulus Chriſti nemo erit, Matt. 16: 24. Luc. 14: 26. Diſcipuli nomen monet aliunde omnia accipienda. Matt. 28: 19, 20. Dei placitum ubique ſequendum, non proprium; & hujus via calcanda non hominum. Omnium credendorum faciendorumque lex ab ipſo ſolo petenda; quam in Scripturis nobis aperuit. Hæ proinde ſcrutandæ, & quod inde deductum eſt, id ſequendum; licet antea non fuerit obſervatum, & nove proponatur, tamen quia non proprium dicentis eſt, ſed Scripturæ; ſic recipiendum. Qua de cauſa omnibus attendendum prophetico & Apoſtolico ſermoni, ut doctores loquantur ut eloquia Dei, & auditores probare ſpiritus queant, & ſequi eos, qui ex Deo. Sic cavebunt utrique quod hic damnatur, & cavebunt perniciem. Sed iſtud judicium proprium inprimis cavendum in vitæ normâ. Frequentiſſimum iſtud, ut quiſque ſibi fingat, quantum ad Chriſtianiſmum ſufficiat. Si externa nonnulla obſervet cultus publici, cætera libertatis cenſet, neque quicquam ſibi illicitum niſi infamem reddat, etiam apud Gentiles. Sed nemo ſibi ipſi regula 1 Cor. 11: 28. qui ſe probare debet ad alienam normam compenendus 2 Cor. 13: 5. Pſ. 131: 1. &c. omnis ſuperbia propriæ ſapientiæ & regiminis deponenda, vivendum ut puero ablactato apud matrem, qui ſe totum illi permittit. Sic apud Deum ſimus oportet & ille curabit. Enim vero ſunt quoque plurimi, quos ad Reformatam Religionem ducit, & in ea conſervat ſola conſuetudo, & mos parentum, aut patriæ; qui revera non Dei; ſed hominum ſunt ſervi.

Sed naſcitur *exceptio* ex verbis Moſis, dicit *Facimus*, quomodo ſe includit: unde apparet, licet mala ſint iſta, attamen excuſabilia eſſe, ob magnorum & piorum alias hominum conſortium; ſaltem in conſuetudine. *Reſp.* I. *Facimus* dicit ut maximam multitudinem populi deſignet, quomodo loqui ſolemus, etſi is ipſe qui dicit, non ſit particeps. Gen. 9: 14. II. Sed quid ni de ſe quoque fateatur, qui & ipſe quandoque moris efficaciæ ceſſit. Qui recens egreſſus domo circumciderat filium primum, paulatim refrixit, & more Midianitarum in ſecundo omiſit. Quin in deſerto inter rebelles, & incredulos ipſe quoque incredulitate peccavit, & parem cum aliis pœnam tulit Num. 20. Sed neque maximorum facta exemplo defenduntur, neque ipſi exempla ſunt laudabilia; quando perperam agunt, Abrahami mendacia de uxore, uti & Iſaci, & Jacobi: Davidis adulterium & homicidium, Petri abnegatio, & hypocriſis, Jacobi & Johannis ambitio. Sub piis regibus ſacrificia in excelſis, quamquam Deo ſoli. Quamobrem non ſufficiat nomen ullius hominis; neque ſic agere velimus, niſi ſub iſta limitatione, 1 Cor. 11: 1. Chriſti vita norma eſt, hæc cognoſcenda, ſequenda. Joh. 2: 6. cap. 3: 3. alios ſi intueamur; videndum initio, quam probe aſſecuti ſint exemplar, & tum demum ſequendi, neque ultra quam ipſi bene ambularunt; oculi tamen in conſummatum exemplar intueri maxime debent quod exprimant. III. *Facimus* dicit etiam reſpectu ſuæ tolerantiæ: paſſus enim eſt multa fieri, quæ mala erant in ſe. Joſ. 5: 5. *omnis populus egreſſus ex Ægypto, viri milites; fuere circumciſi, ſed omnis populus natus in via, in deſerto, cum non circumciderant*; quod factum per Joſuam. Hunc neglectum circumciſionis per annos 38. toleravit Moſes. Sic Ioſ. 5: 10. *tunc celebrarunt Paſcha*, quod ſemel tantum in deſerto habitum Num. 9. Pariterque omiſſa fuere deinceps ſacrificia. Sane qui aliquid fieri finit, quod poſſet, quod deberet impedire, is unâ feciſſe cenſendus eſt. Etiam piis regibus imputatur, quod ſacrificatum fuerit in excelſis. Et magiſtratus peccata ſunt quæcunque committit populus, quia gladium Dei quem habet; contra illa non ſtringit. Rom. 1: 32. approbantes in aliis, eopſe rei: & qui non improbant, quum tenerentur ſilentio ſuo approbant. 1 Cor. 5: 2. ut è medio veſtri amoveretur, qui factum illud inceſtus patravit. Superbia eſt non punire malum, ut quæ ſe effert contra Deum, & quod hic condemnat, abſolvit. Quin imo tolerata à conſtituto vindice impietas, licentiam eidem facit ulteriorem, quia David non punivit Ammonis ſtuprum, excitavit Abſalomum ad homicidium; & hoc non punito, eundem animavit ad rebellionem; & ſua triſtitia de ipſo mortuo, cauſam dedit Adoniæ, cui indulgentiſſimus fuerat, ut affectaret & ipſe regnum. Veterem ferendo injuriam, invitas novam, de Magiſtratibus recte dicitur. David toleravit Joabi homicidium in Abnerum; & ſic fecit inſtrumentum cædis Uriæ patronum homicidæ Abſalomi, homicidiam vice altera in Amaſam, 1 Sam. 3: 13. judicabo Domum Eli in ſeculum, propter iniquitatem quam ſcivit; nam filii ſui ſe fecerunt maledictos, & ipſe ne quidem terve intuitus eos eſt. Deut. 21: 1. Seniores urbis in incerta cæde, profiteri debuerunt notitiam autoris ſibi deeſſe, non voluntatem ultionis & petere veniam ne ſibi imputaretur, quod non vindicaſſent.

Obj. Saltem ſic non carebit exemplo voluntaria tolerantia inobedientio; quia Moſes id fecit: Et Magiſtratus qui ſic agunt, tueri ſe poſſunt. *Reſp.* Minime. Occurrit iſti criminationi Moſes verſ. 9. *Nam nondum veniſtis ac quietem, & ad hæreditatem, quam Dominus Deus veſter vobis dat.* Propterea multa ſunt omiſſa; quæ fieri debuiſſent ex lege, quia attemperata erant Cananæa: unde crebro additur, *quando eò veneritis.* Sed hinc petitur, ratio promiſſionis Moſis, ut Paſcha, ut circumciſio fuerint intermiſſæ. Paſcha nequivit celebrari niſi à circumciſis: Ergo feſtum iſtud recte intermiſſum, ſi circumciſio legitime intermiſſa: de quo quidem nil diſerte exſtat: attamen conſuetudo & comparando Scripturas forte aliquid deprehendi poteſt. Gen. 17: 7. 8. in formulâ fœderis cum Abrahamo inferitur donatio terræ poſtidendæ: & huic formulæ ſigni loco addita circumciſio, quæ proinde & jus poſſeſſionis confirmat. Jam Num. 14. populus egreſſus ex Ægypto, cum juſſi eſſent adire iis hæreditatem repudiarunt terram; & jurejurando Dei inde excluduntur. Erant iſti omnes circumciſi, ſed quia fœderi adverſabantur, juſto judicio Dei videtur prohibita filiorum circumciſio, obſignans hæreditarium jus, quod à parentibus ad liberos derivatur: ipſis parentibus in liberis; Nempe quia ipſi Cananæam nolebant, & Deus eis jus omne abſtulerat, noluit ipſis concedere, ut confirmationem uſurparent in circumciſione filiorum, qui nullam hæreditatem ejus habebant tranſmittendam. Ergo in hoc caſu judicii intermiſſa jure fuit. Cæterum quia filiis illorum de vero dabatur terra, antequam poſſeſſionem adirent, debuere circumcidi per Joſuam, utpote in quibus hæreditarium jus de novo inchoaretur, in liberis deinceps continuandum. Hæc porro ratio, quia non ſunt in terra Canaan, Judæos à pluribus præceptis abſolvit. Leges hæreditatum, matrimoniorum in eadem tribu, terræ adſcenſionis ad feſtivitates annuas, primitiarum, decimarum &c. prorſus ceſſant extra terram.

Nos quod attinet non habemus ejuſmodi terram, ubi ſingulari modo coli Deus velit; ut extra eam ſimus excuſati ab omnium obſervatione. Eſt tamen, quod per figuram dici queat de nobis, & quod ad ſolatium memori mente ſervandum. Nondum venimus ad quietem & hæreditatem quam Dominus Deus noſter nobis dedit. Eſt ea in cœlis, in urbe quæ fundamentum habet, cujus architectus Deus; ſed ſumus in deſerto hujus mundi, obnoxii variis ærumnis, tentationibus, ut non poſſimus illud obſequium, ad quod obligamur in omnibus præſtare; ſunt impedimenta extrinſecus, ſunt intrinſecus; Satan, mundus, caro, jugiter inſidiantur, obnituntur oppugnant: & noſtrum robur exiguum eſt, & noſtrum quoque ſtudium, vigilantia, conſtantia tenuis. Jam blanditiis deceptricibus cedimus, jam deſidiâ & ſomno negligimus, jam alio modo ſuperamur, adeoque non facimus quæ deberemus. Meremur quidem hoc pacto judicium excluſionis, & deſtructionis. Imo privationis ſignorum, futuræ quietis & hæreditatis jus teſtantium: Sed Deus indulget veniam peregrinantibus, dummodo non faſtidium promiſſæ quietis apud nos ſit, ut malimus in Ægyptum reverti, quam eo contendere; ſed retinea-

tineamus amorem & deſiderium. 2 Chron. 30: 18. &c. *Dominus qui bonus expiationem faciet pro eo, qui totum cor direxit ad Deum Dominum, Deum patrum ſuorum quærendum, etſi non juxta puritatem ſanctuarii.* Quando Deus nos per deſertum tandem introduxerit in quietem æternam; in hæreditatem cœleſtem, tum non tantum exactiſſima erit ad colendum Deum obligatio, ſed etiam conſummata glorificatio, ut poſſimus; quando Chriſtus conculcabit Satanam ſub pedes noſtros, & nos ſiſtet ſibi glorioſos, citra rugam aut maculam, ſanctos & inculpatos, ut ipſi ſerviamus, & ipſum glorificemus in æternum.

Verſ. 10. *Sed ubi trajecto Jardene; habitabitis terram quam Jehova Deus veſter poſſidendam dat vobis: & quietem dederit vobis ab omnibus inimicis veſtris circumquaque, ita ut habitetis ſecurè.*

Verſ. 11. *Erit* ut *eo loci quem elegerit Jehova Deus veſter ad collocandum nomen ſuum ibi; adducatis quæcunque ego præcipio vobis: holocauſta veſtra, & ſacrificia veſtra, decimas veſtras, & oblationem manus veſtræ, & ſelectum quodque votum veſtrum quod voveritis Jehovæ.*

Verſ. 12. *Ut lætemini coram Iehova Deo veſtro, vos, & filii veſtri, filiæque veſtræ; & ſervi veſtri, ancillæque veſtræ; Levita etiam qui intra portas veſtras* erit; *quia non* eſt *ei pars aut poſſeſſio vobiſcum.*

Eph. 5: 15, 16, 17. Accuratiſſimum vitæ modum præſcribit, qui non metum habeat ſuperſtitioſum ut tangere, comedere, tractare vereatur, quæ mandata & doctrinæ hominum introduxerint, Col. 2: 21. ſed qui doceat ſapientem omnium actionum & circumſtantiarum ponderationem, cuſtodiendo cor ſollicite, unde egreſſus ſunt vitæ; moderando linguam, ne quid perverſi exeat ore; regendo oculos, ne vagentur, ſemitæ negligentes: ponderando greſſus, & eos firmando, ne ullatenus declinent ad malum. Prov. 4: 23. &c. Sed porro redimendum eſſe tempus dicit, ne tarditate ſua, & multum procraſtinando negligant officium, amiſsâ oportunitate agendi, quandoquidem dies mali, non in ſe, ſed propter homines qui in iis vivunt; unde occaſiones ad bonum rariſſimæ, illecebræ ad malum quotidianæ, impedimenta agendi bonum undique plurima, plurimaque malum agendi adjumenta. Cæterum cum ſapientiæ fore judicetur mundo uti dum licet, & hominum moribus ſe attemperare, quo amorem reperias, tandem docet unde vera neceſſariaque prudentia petenda ſit, & quomodo demonſtrari queat, nempe in cognoſcenda atque obſervanda voluntate Dei. Hujuſmodi inſtitutum etiam Moſes deſcribit, dum docet ſapientiam redimendi temporis, quando locus oportunitatem aliquam ſuppeditat, ubi ad normam voluntatis divinæ omnia jubet componere. verſ. 8. monuit cavendam eſſe ſtultitiam, quæ cauſa erat ambulationis ab omni accuratione ſemotæ, quando ſe quis tradit peſſimis magiſtris Mori publico, & placito proprio. Addidit tamen verſ. 9. quod magis impellebat ad ejuſmodi ambulationem vitioſam, Dies malos, dum carent quiete, & vagantur in deſerto; quamquam tunc fuiſſet ſapientiæ majoris, tempus redemiſſe. Nunc vero indicat temporis oportunitatem obtinendam verſ. 10. & voluntatem Dei de loco cultus obſervandam. verſ. 11, 12.

1. *Temporis oportunitas*, quâ caruiſſe dixit, mox obtinenda, deſcribitur verſ. 10. à loco commorationis, & à commoditate ejus.

a. *Locus commorationis* eſt. *Tranſibitis Jordanem, & habitabitis in terrâ, quam Dominus Deus veſter vos facit hæreditare.* Conjungit tranſitui Jordanis habitationem terræ, ut poſſeſſionem ejus adierint. Etenim incommodum cujus fecit mentionem verſ. 9. non erat ante ceſſaturum, adeoque non futurum poſſibile ut ad accuratam obſervationem mandatorum Dei, etiam quoad locum cultus venirent. Judæi tempus iſtud incommodum extendunt per annos adhuc 14. quia ſeptennium in occupanda terra, & aliud ſeptennium in ea diſtribuenda fuit inſumtum. Illo autem tempore durante nequivit obſervari legum omnium obſequium, Teſtantur Hebræi Legem de ciborum diſcrimine ceſſaſſe toto illo tempore; & porcinam carnem, aliorumque animalium immundorum æque fuiſſe licitam ac aliorum mundorum. Etenim neceſſitas aliqua fuit, cum belligerantes in hoſtico neque ejus culturam habentes nequiverint parare quos vellent cibos, ſed præſentibus cogerentur frui. Quam libertatem diebus Meſſiæ quoque vendicant, abolito ciborum diſcrimine. Sic tabernaculo nondum erecto in Schilo, cum in Gilgal ad tempus depoſitum eſſet, fas fuiſſe alibi erigere altaria, & in excelſis ſacrificare; quod poſterius non fit veriſimile; quamquam illi altare Joſ. 8. commemorent, quod ſpecialis mandati fuit Deut. 27. & alterum Rubenitarum poſt Schiluntis delectum dicant erectum.

Sane hinc diſcere eſt, *Tempore belli gerendi accurationem illam obſequii non poſſe obſervari; atque etiam indulgeri aliquid quoad circumſtantias externas, ob legem neceſſitatis.* Sabbathi externa religio hinc debuit cedere. Ipſe Deus mandavit ut Sabbatho quoque circumirent armati Jerichuntem, & forſan tunc ſepties, atque ut Sacerdotes geſtarent arcam. Joſ. 6. Sic vigiliæ obeundæ & præliandum nonnunquam in Sabbatho. 2 Reg. 11. ita ordinavit Jojada, ut ad defenſam Joaſi adeſſent præſidiarii egredientes & ingredientes Sabbatho & Neh. 13: 19. Nehemias ſuos famulos appoſuit portis cuſtodes, ne violaretur Sabbathum. Etenim neceſſitas vitæ pellit Sabbathum, quæ ratio in bello maxima. 1 Sam. 21. Ahimelech Davidi, expeditionem faciendam prætendenti & commeatum petenti, præbuit ipſo Sabbatho panes propoſitionis, qui illo die removebantur & comedebantur à Sacerdotibus. Nam regula valet, *Sabbathis licitum eſt ſervare hominem, ne pereat*; quale periculum alias foret adeundum. Hinc apparuit inepta Judæorum, ſuperſtitio potius quam religio, qui bello à Græcis preſſi Sabbatho arma tractare noluerunt, paſſique ſunt ſe trucidari citra defenſam: quod tamen damno edocti deinceps omiſerunt, pro aris & focis pugnantes Pari ratione nunc quoque militibus major hic libertas eſt, ut Vigilias aliaque obire munia belli liceat, etſi multa externa religionis exercitia omittenda ſint, & auris quoque ſervanda tympanis & tubis in periculo imminenti, quando vel concio datur, vel preces dicuntur, ut illico convolent ad ſigna, & in hoſtem ruant: neque hoc modo peccatur, quamvis violari videatur ſanctificatio externa; quemadmodum non peccabitur ſi in ſubito incendio, in aggerum maritimorum laceratione, ſimilibuſque neceſſitatibus quicunque auxilium ferre poſſunt feſtini abeant: uti privatis ſingulis talis neceſſitas oboriri poteſt.

Veruntamen Militibus eapropter non omnia indulta ut quicquid libet, impune liceat facere, non ſolum coram hominibus, ſed etiam coram Deo. Utuntur quidem vulgo iſta exceptione ad patrocinium ſcelerum, adeo ut vita militaris credatur exlex, ſolis militaribus legibus exceptis. Aliter Johannes Luc. 3: 14. ad quæſtionem militum, quid ſibi agendum: ait *Nemini graves eſte* &c. In officiis erga proximum nihil ipſis eſt conceſſum licentiæ. Nulla furta aperta vel occulta, nullæ oppreſſiones, ſed acquieſcentia in pacto ſtipendio. Quod ſi hoc non ſoluto cogantur neceſſitate ad injuſtitiam, non tamen carent culpa, cum à peccato non ſit quærendum ſubſidium, neque peccatum peccato vel ulciſcendum, vel excuſandum. Verum qui cauſa ſunt non perſoluti ſtipendii, ſive directe negantes, ſive indirecte impedientes, imminuentes, vendentes mercedem, accerſunt ſibi à Deo maledictionem illam ſeveriſſimam, quam minatus eſt mercenarium mercede ſua fraudantibus. Porro Moſes leges militares fixit etiam religioſas, ut in ipſis quoque caſtris caveant omnem impuritatem, & habeant caſtra ſancta, ob Dei ibidem præſentiam ſingularem, qua indigent ad ſui defenſam, & hoſtium oppugnationem. Deut. 23: 9. &c. Deus ipſe pollicetur Angeli Mediatoris præſentiam, ſuamque opem, qui eoſdem juxta cum ipſis ſit habiturus hoſtes, ſed ut audiant vocem Angeli, & præcepta Dei obſervent, alias remiſſionem peccatorum non conſecuturos, quomodo Deus hoſtis eſt & manet. Exod. 23: 20. & Joſuam ſummum belli ducem monet Deus ut librum legis nunquam deponat, ſed jugiter legat & meditetur, & conformis vivat, ſic demum futurus & prudens & felix miles. Joſ. 1: 6. Hoc modo vivendum militibus. Et multo magis

iis qui milites Christi sunt, Christianis omnibus, qui mundum habent adversum Joh. 15: 14. & cap. 16: 33. Diabolos magno numero oppugnantes. Eph. 6: 11. cupiditates carnales 1 Pet. 2: 11. Libertas quidem nobis est, ut cibis festisque non teneamur, aliæque externæ cultus cerimoniæ non obligent absolute; attamen nulla est licentia. Militiæ leges sunt rigidissimæ, & sic militiæ Christianæ. Nemo coronatur nisi qui legitime pugnarit 2 Tim. 2: 3. Liberi facti à peccato sumus facti servi Deo, ut sistamus nos ipsi expeditos, & membra nostra arma justitiæ ad sanctimoniam, ne unquam pudendos habeamus fructus sed præmium vitam æternam. Sacramentum dicebatur Romanis jusjurandum dictum Imperatori à militibus; placuit Latinis S. Cœnam dicere Sacramentum, & barbara vox etiamnum in usu est. Non peccabimus si humanam vocem humano more exponamus, saltem apud eos qui illâ utuntur. Sacramentum militiæ suæ repetierunt, qui [illegible]municantes fuerunt, quemadmodum Deum fecerunt [illegible]ere, fore ipsis Deum, & quia vir belli Exod. 15: 4. belli ducem, ita Deus ipsos fecit dicere, quotquot confluxerunt ad vexillum populorum, radicem Jesse, Jesum filii Davidis, ambulaturos se in ipsius viis & observaturum omnia ipsius mandata: adeoque debent omnes digne vocatione, digne Christo, digne Deo ambulare ad omne beneplacitum, in omni bono opere fructificantes, & crescentes in cognitione & obsequio. Semper apertæ debent esse aures ad sonum tubæ verbi. Jer. 6: 17. Heb. 3: 7, 8. & 12; 13. neque deceptio peccati nos inde abducat. Semper in manu nostra sit gladius anceps ad vindictam exercendam Ps. 149: 4. contra hostes Dei potentissimos, gladius ille spiritûs, qui est verbum Dei Eph. 6: 17. ut resistamus Diabolo, vincamus mundum, necemus membra terrestria & operationes corporis; dejiciamus omnem munitionem ratiocinationum, & omnem celsitudinem cogitationum sese offerentium contra cognitionem Dei, & captivemus nos sub obedientiam Christi Sic placebimus Deo, securam reddemus nostram conscientiam, & tandem impetrabimus requiem.

b. *Commoditas* commorationis in illâ consistit, uti dicitur. *Et dabit vobis regem ab omnibus hostibus vestris circumcirca, & habitabitis secure.* Hoc est beneficium tranquillæ possessionis, quod pollicitus est. Exod. 34: 24. *Nemo concupiscet terram vestram* &c. Lev. 26. & concessisse sæpius legitur sub Davide, Salomone, Asa, Josaphato &c. Atque tunc æquissimum est, ut obedientia omni ex parte præstetur accurata. Huc facit concio Josuæ cap. 23. Asa se & populum novo jurejurando devinxit Deo, quod victoriam de hoste, & quietem à vicinis omnibus dedisset, & majorem adhuc quietem obtinuit 2 Chron. 15. cap. Sane dederat tale beneficium nobis Deus, & hostem plurimorum annorum, Hispanum, sic pacavit, ut quietem haberemus, metus expertem. Tunc utique tempus fuerat religiosissimæ conversationis. Sed contrario modo actum in Belgio fuit, quam Moses hic describit: Dum quiete carebamus major fuit pietatis zelus, justitia civilis major: quamprimum quies data est, transtulerunt eam plurimi ad licentiam quorumvis facinorum; uti de Jeschurun Deut. 32: 15. &c. pinguefactus recalcitravit, & non tantum oblitus est Dei, sed etiam eum deseruit. Et quid hinc? Deut. 28: 47. *quia Domino Deo tuo non servisti cum gaudio & bonitate cordis, propter abundantiam omnium, propterea hostibus tuis, quos Deus contra te mittet, servies in fame, siti, nuditate, defectu omnium, & imponet tibi jugum ferreum, donec perdiderit te.* Impletum profecto est hoc verbum ab eo tempore in oculis nostris, quot non hostes ab eo tempore habuimus, & quas non calamitates inde tulimus, quam longe abfuimus à secura habitatione. Quamvis etiam Deus nos servarit ab ultima calamitate, & evasionem dederit uti est hoc die, rediimus tamen ad mandata Dei irrita reddenda, & nos maritavimus, injustitiæ, impudicitiæ & cupiditatibus omnigenis magis quam unquam ante. Adhuc Deus ostendit novam quietis spem, pacem extrinsecam: utique vel nunc deberemus abstinere ab impietate, quæ hactenus dominata est, quo ea conferet. Prov. 16: 7. alioqui Deus contra nos *indignabitur ad consumtionem, ut nulla detur evasio.* Esd. 9: 14, *Impii non habent pacem, dicit Deus meus.* Esa. 57. vers. ult. Ea solis benignis Dei contingit, & dum vivunt Ps. 4: 4. Scitote Dominum sibi segregasse benignum, vers. 9. *Ego in pace simul recumbam & dormiam; nam tu Domine solus* vel *solum me facies habitare secure*; & dum moriuntur Esa. 57: 2. *ingreditur justus, qui perit & subducitur, pacem, seu in pace: quiescent in cubilibus suis, quisquis ambulavit in suâ, integritate.*

Cæterum cum Moses loquatur de possessionis Cananææ commoditate, & id fateatur David, *Dominus Deus Israelis dedit suo populo quietem* 1 Chron. 23: 25. quî tamen fit ut de alia quiete adhuc loquatur Ps. 95. vers. ult. distincta omnino ab eâ quam Josua duce obtinuerunt? Heb. 4: 7, 8. Resp. Mich. 2: 10. Lev. 18: 28, &c. Terra illa si pollueretur, exspuitura erat Israelitas, ac olim Cananæos. Non erat proinde quies in qua terminandum erat desiderium & spes omnis, ut in ea acquiescerent; fuit quies adhuc excellentior præstolanda, quam adduceret antitypon Josuæ, Jesus Messias. Sic de eo prædictum. Esa. 9: 5, 6. Titulum ejus inter alios fore, *Princeps pacis: amplitudini dominatus & pacis non erit finis* &c. Esa. 11: 9. de ipsius regno: *non dabitur damnum nec perditio in toto monte sanctitatis* &c. & impletio monstratur à Zacharia, Luc. 1: 68. Hanc quietem confecit, Christus hostia sui corporis. Per sanguinem crucis ejus procurata est pax cum Deo Col. 1: 20. & secura habitatio Zach. 3: 8. &c. veniente servo Domini, Germine, & Sacerdotium suum exercente, dicit Dominus, *Ego iniquitatem terræ uno die removebo. Illo die, inquit Dominus, vocabitis quisque proximum suum ad sub vitæ & ficu sessionem*; quæ tranquillitatis summa descriptio est 1 Reg. 4: 24, 25. Hanc quietem in ipso obtinent gentes, Esa. 11: 10. & quies ejus erit gloriosa: qualis describitur regni ejus ratione Jer. 23: vers. 5. non foret rex prosper, si deesset quies populo suo. Quies non solum externa, cum hominibus, sed quæ longe excellentior, pax cum Deo, quam conficit Rom. 5: 1. & quam tandem etiam consequetur Israel. Jer. 23: 6. causa redemtionis & quietæ habitationis in titulo professionis de Christo continetur, Jehova justitia nostra; qui potens ad salvandum, & qui jus habet ob præstitam satisfactionem, quam aliis impertitur. De quibus ait ipsemet. Esa. 45: 24. *De me dicetur, Certe in Domino sunt justitiæ & robur; ad ipsum ibitur, in Domino justificabuntur, & gloriabuntur omne semen Israelis.* Hujus quietis publicationem Deus inter nos instituit Eph. 2: 17. per Euangelium pacem annunciavit illis qui longe & illis qui prope. Et confirmat in S. Cœna. *Eruditio pacis nostræ super ipsum fuit.* Esa. 53: 5. Comedimus ipsum ceu sacrificium pacis, qui tamen animam suam dedit Ascham, & factus est peccatum, quia expiavit peccatum, & æternam redemtionem nactus est; satisfecit Deo plenissime, adeoque confecit nobis fœdus cum Deo, ut convivas esse suos velit, & de dape sibi parata portionem nobis concedat, signum conventionis. Sanguis ejus est fœderis signaculum; quia sanguine crucis ejus pax facta est, nunquam desturbanda. Venit ad quietem optimam qui ab ipso eo deductus est. Verum enimvero qui eo perveniisse se credit, illi studiose obedientia exercenda, Luc. 1: 74. &c. 1 Cor. 6: 20. Tit. 2: 14. 1 Pet. 1: 17. &c. *Ambulate tempore incolatus vestri cum timore.* (non qualis hostium, qui desperationis: sed qualis est legitimi principis, reverentiæ, sociatus gaudio Ps. 2: 11.) *scientes vos non corruptibilibus* &c. *sed sanguine* &c. Agnus ille Dei est, qui peccatum mundi sustulit, & cujus participes facti sumus per fidem. Hoc meditemur jugiter. Quietem paravit Christus, ipsimet eam non turbemus. Turbabimus autem quando inobedientes sumus. Tranquillitas Reip. non solum per hostium invasionem, sed etiam per civium rebellionem tollitur, & hoc periculosius, & perniciosius quam istud: quia unde defensio exspectanda foret, inde maximum veniet malum; Esa. 63: 9, 10. quantum olim tutelæ, tantum nunc noxæ. Cujus exemplum 2 Chron. 15: 5, 6. Deo deserto *non fuit pax egredienti* &c. ut *populus contra populum, & urbs* &c. Ps. 2: 9. tumultuantes & consultantes contra Deum & Christum confringuntur sceptro ejus ferreo, &c. & pereunt in viâ, quando parumper accensa est ira ejus. Quod si cogitaremus aliam iniremus viam. Est vero necessario agendum, ne quiete omni excidamus. 2 Cor. 6: 1. ne frustra acceperimus gratiam, de qua profitemur Christum pro nobis à Deo factum peccatum & nos in ipso factos justitiam Dei. Est dies beneplaciti, dies salutis: agamus ea quæ saluti connexa sunt; ut requiem Christi faciamus gloriosam, quando erimus populus spontaneitatis. Et quia non est in nobis ipsis ut id præstemus, à Christo petamus ut nos faciat

ciat Zelotas bonorum operum. Zacharias ait Luc. 1:72.&c. exhibito Chriſto memorem fuiſſe ſancti fœderis ſui &c. Adeoque urgeamus Deum ſuo promiſſo; fidelis eſt qui promiſit, faciet etiam. 1 Theſſ. 3:24. Spiritus S. eſt ſpiritus ſpontaneitatis Pſ. 51:14. hunc ſi largitus fuerit, aderit juſtitia, & quies certiſſima Eſa. 33:15. &c. Non quod perenni pace in terra fruantur, nam Joh. 16:33. 2 Tim. 3:12. Act. 14:22. ſed pace regni Chriſti, de qua Rom. 14:17. regnum Dei non eſt cibus aut potus, ſed juſtitia, & pax & lætitia per Spiritum S. & hæc pax Dei, quæ omnem captum ſuperat, cuſtodiet corda & ſenſus in Chriſto Jeſu Phil. 4:7. ad vitam æternam.

7. Dicendum nunc foret de voluntate Dei circa locum cultus obſervandâ verſ. 11, 12. ſed denuo occurret in ſeqq. verſ. 17, 18. inprimis; quo & hoſce verſus. & verſ. 6, 7. rejicimus, omnes ſimul explicaturi, ſi voluerit Deus, & nos vixerimus. Epilogi loco hoc tantum inde notabimus; *Quo in loco Deus publice habitare facit nomen, ſuum, eo ferenda etiam noſtra ſacrificia.* Ne putetis me indicaturum vobis locum qualem habuerunt Iſraelitæ, neque talia poſtulare ſacrificia; ſed in ſimilitudine duntaxat. Locus ubi Deus nomen ſuum publice facit habitare, eſt cœtus Chriſtianorum fidelium. Ubi 2. vel 3. congregati in ipſius nomine, ipſe medius eſt Matt. 18:20. *habitat laudes Iſraelis.* Pſ. 22:4. qui ſic ei faciunt habitationem. Exod. 15:2. *Ipſe diligit populos.* Deut. 33:3. Pſ. 89:6. Huc accedere debemus, nam etiam tunc apparemus coram facie Dei, ut olim in ſanctuario, Act. 10:33. hoc animo veniendum auditoribus, & ſi prophetent Miniſtri, loquentes quæ Deus mandavit, ad convictionem & ad condemnationem ut ſecreta cordis auditoribus manifeſte proponantur, cum humili adoratione agnoſcetur Deum vere in medio eſſe. Proinde noſtræ mutuæ congregationes non ſunt deſerendæ, Heb. 10:25. Iſtic exhibentur veſtra ſacrificia; iſtic repræſentatur nobis in verbo Chriſtus qui ſe obtulit Deo in victimam & oblationem in odorem bonæ fragrantiæ. Eph. 5:2. Iſtic pingitur ante oculos noſtros ut inter nos crucifixus Gal. 3:1. Iſtic participamus de ipſo ceu pacifico ſacrificio, ut cum Deo, & mutuum habeamus communionem ejuſdem menſæ: quas actiones in Eccleſia fieri Apoſtolus ordinavit 1 Cor. 11:20. &c. Sed & iſtuc deferenda noſtra Euchariſtica. Docent Hebræi, futuro tempore omnes oblationes ceſſabunt, Confeſſio laudis tamen nunquam ceſſabit; quia dictum Pſ. 56:13. *rependam celebrationes tibi.* Sic Hoſ. 14:3. *ſolvemus vitulos labiorum noſtrorum* & Heb. 13:15. *Per ipſum* tanquam altare verſ. 10. ſanctificans hoſtias Matt. 23:19. *offeramus boſtiam laudis.* Quod exercitium in cœtu publico decentiſſimum, Pſ. 149:1. & David Pſ. 26:12. Pſ. 27:6. Pſ. 116:16. &c. Sed & aliud genus oblationis eſt, tempore Meſſiæ conveniens, de quo Hebræi: Quiſquis ſacrificat Deo concupiſcentiam ſuam & de ea confeſſionem edit, Scriptura eum prædicat, quod honorarit Deum, Pſ. 50:23. *qui ſacrificat confeſſionem* (peccatorum nempe, ut verſ. 21, 22. docent,) *honorabit me.* Et rurſum, ſtante ſanctuario, qui offerebat holocauſtum vel oblationem (ut in iis acquieſceret, non ultra ſpectans,) mercedem ſuam habebat in ſua manu (ut Matt. 6:2, 5, 6.) ſed cujus mens humilis eſt, Scriptura eum prædicat, quaſi obtuliſſet omnia dona & oblationes, quia dictum, Pſ. 51:19. *Sacrificia Dei ſunt ſpiritus fractus*; hujus precatio non ſpernitur, nam ibidem, cor fractum & contritum, ô Deus, non ſpernes. Alius generis mentionem facit Paulus Heb. 13:16. *ne obliviſcamini beneficentiæ & communicationis*; *nam hiſce ſacrificiis Deus delectatur.* Eleemoſynæ quoque ſunt oblationes, ſacrificia ſunt cibus Dei Num. 28:2. Cibum conſequitur Chriſtus in pauperibus. Matt. 25:35. & Deus miſericordiam vult, & non ſacrificium. Hoſ. 6:6. adeoque hoc potiorem æſtimat; Mich. 6:8. loco omnium oblationum, multitudine & precio excellentium poſcitur *juſtè agere* &c. ſecundum eſt beneficentiæ erga alios: primum eſt aliud genus 1 Sam. 15:22. At tertium ſeu poſtremum ultimum genus ſuppeditat. Rom. 12:1. hoſtia viva, contradictionem habere videtur; ſed eſt hominum quoque oblatio, non ad mactationem, ſed ad agitationem; ſic Levitæ Num. 8:11. ſic gentes per Paulum Rom. 15:16. ſum miniſter Jeſu Chriſti inter gentes, miniſtrans Euangelium Dei, ut oblatio gentium accepta ſit, ſanctificata per Spiritum S. Talem quiſque ſe ſiſtere debet, ſanctificatus ut ſit ſua quoque voluntate Deo, in exercitio cultus rationalis ut cuſtodiam Dei cuſtodiat, & quotidianis canticis Deum celebret, loquente lingua, loquente vita, ad confirmationem piorum aliorumque convictionem ſive converſionis, ſive confuſionis. Hoc modo agentes, Eſa. 56:6, 7. noſtra ſacrificia erunt accepta Deo in ſuo altari, & exhilarabit nos Deus in domo ſuâ & monte ſanctitatis ſuæ hic, & in omnem æternitatem.

Verſ. 13. *Cave tibi, ne offeras holocauſta tua, in omni loco qui videbitur tibi.*

Verſ. 14. *Sed in eo loco quem elegerit Jehova, in aliqua tribuum tuarum, ibi offerto holocauſta tua, & ibi facito quæcunque ego præcipio tibi.*

C. Pſaltes profitetur amorem domus Dei Pſ. 26:8. ſed idem ait verſ. 6. *in innocentia lavo manus meas.* Magni æſtimat ſanctuarium Dei, locum quem delegit Deus ſibi in habitationem; neque ullum magis gratum habet, ut ſuâ electione eum velit præponere. Verum in illo loco non aliter vult verſari, quam ex ejuſdem Dei placito: antequam accedat, lavat manus in innocentia, ne cum reatu veniens maledictionem pro benedictione conſequatur. Et dum ibi eſt intueri vult ſuavitatem Domini, & inquirere in ipſius templo Pſ. 27:4. quæ domus Dei ſunt, in domo ejus agere vult, non extra eam quo aſſequatur myſteria cultus divini, & ſuavitate Domini recreetur. Quiſquis Deo favente frui optat, & eum rite colere, non aliud placitum ſequi debet quam Dei ipſius; quicquid Deus jubet, & quamcunque circumſtantiam jubet, obtemperandum eſt. Solus legiſlator eſt, & domus ſuæ Dominus, omnes homines ſunt ejus imperio ſubjecti; & qui domeſtici, uti propioris admiſſionis, ita ſpecialioribus legibus obſtricti tenentur, ne quid ſibi ſumant ordinandum circa regulam obſequii. Hujus veritatis exemplum eſt in textu. Circa locum publici cultus divini nihil promittit Deus ſapientiæ aut voluntati humanæ; quæ delegerunt loca Cananæi, ubicunque, & quomodocunque inſtructa, in ſublimi, & expoſita omnium oculis, in montibus & collibus: aut in humili, & occulta magis, in lucis & ſub arborum viridium umbra, ea vaſtanda & deſolanda ſunt, ne quid ſuperſit, quod allliciat. Quæ ipſimet deligerent, pariter improbantur, ſive antiquiorem conſuetudinem ſequerentur, ſive proprium judicium. Relinquendus eſt delectus ipſi Deo, & quem ipſe ſibi placuiſſe teſtatus fuerit, ille & ille ſolus æſtimandus eſt. Illum adeundum & cultum ibi exercendum jam bis dixit hoc capite, verſ. 5, 6, 7. & verſ. 11, 12. Sed illum ſolum adeundum, & ibi ſolum cultum publicum exercendum, dicit nunc; & quidem ter, ſed ut ſemper aliquid ſingulare moneat, I. de holocauſtis, verſ. 13--16. II. de decimis, primogenitis, aliiſque oblationibus verſ. 17--19. quæ duo ſpectant futuros incolas Cananææ. III. de utriſque quoad illos qui longius ſemoti habituri erant à Sanctuario. verſ. 20--28.

8. Primum loquitur de iis qui intra limites Cananææ habituri erant Jordanem inter & mare mediterraneum; quibus tamen annumerandi, qui Jordanem in terra Amoræorum hæreditatem ſortiti fuerant; definit autem I. holocauſta, II. alias mutationes.

a. *De holocauſtis* vetat locum delectus proprii verſ. 13. imperat eum quem Deus delegit, verſ. 14. Alias mactationes liberas facit verſ. 15, 16.

a. Interdictum eſt verſ. 13. *Cave tibi, ne offeras holocauſta tua in quovis loco quem videbis.* Singulariter quemvis Iſraelitam compellat, quia privatim à ſingulis iſtud fieri poterat, dum ſuæ familiæ domeſticum ſacrarium parat, uti Micha Jud. 17. imo quia ſic facere ſoliti erant. (Lev. 17:3.) & verſ. 8. Licitum id fuit antea, & laudatum in Patribus Abraham, Iſaac & Jacob, Iſraelitæ egreſſuri ex Ægypto dicunt ſe Deo ſacrificaturos in deſerto, quamquam autem locum à Deo indicandum exſpectarunt, tamen interea delegit ipſe locum ſocer Jethro eum ad Moſen veniſſet, Exod. 18:12. Jethro accepit holocauſta & victimas Deo; neque dubitandum à Sacerdotibus Iſraelitarum tum antiquioribus, tum novitiis, primogenitis, ſæpius oblationes factas fuiſſe Exod. 19:22. cap. 24:5. cap. 32:6. Verum interdictum poſtea; quando Deus tabernaculum ſibi ſtrui, ibi ſolum altare

tare erigi, atque ibidem sacrificia omnia immolari jussit. Lev. 17: 3, 8. (Hujus mandati causam indicavimus; voluit Deus succurrere Israeli, qui fœdus cum Deo, sic inierant, ut neglecta justitia Dei propriam erigerent, suis viribus obsequium se præstituros polliciti; quod tamen impossibile ipsis fuit; ut beneficiis fœderis omnino carituri fuissent, & æternum perituri, nisi Deus definitis cultus ritibus eos tum convicisset de reatu, quo de se ipsis nihil magni sentirent sed potius sanctâ desperatione ad sollicitudinem agerentur extra se quærendi quod saluti foret: tum duxisset ad Christum ejusque satisfactionem, ad reconciliationem cum Deo; quamobrem Lex dicitur pædagogus ad Christum Gal. 3:24. De utroque beneficio est Col. 2: 84. chirographum convictionis est, sed idem ὑπεναντίον ritibus ad accusationem facientibus simul vicarium substituentibus, in typo saltem.) Istud interdictum repetitum hic ut in Cananæa observaretur (ne tantum in deserto, valere opinarentur) & contrarium mandatum.

b. Istud *mandatum* est vers. 14. locus delectus à Deo, est locus offerendorum ab unoquoque oblationum; imo istic prorsus vivendum ex lege quam Deus rogasset. (Hujus &c.) Atenim dictum istud Col. 3: 14. nihil expresse habet de loco, qui heic considerandus est, quamquam non omni indicio careat. Chirographum fuisse dicit τὸς δόγμασι. Δόγμα est *placitum*, & quia supremorum regum placita legum vim habent, statutum, decretum Luc. 2: 1. Actor. 17: 7. sic leges cerimoniales appellantur Eph. 2: 15. νόμον ἐντολῶν ἐν δόγμασι; & *statuta Apostolica* Act. 16: 4. Talibus δόγμασι quoque regebatur chirographum, quæ sane non fuere scribentium, sed Dei: quemadmodum non est in arbitrio debitoris chirographum dare, sed illud creditor definivit, quale velit Prov. 22: 7. **die ontleent is des leeners knecht.** Atqui Deus definiens circumstantias chirographi omnes, simul etiam definivit locum, ubi consignari velit. Scilicet in domo suâ. Quandoquidem hanc ipsis fecit gratiam, ut in medio ipsorum habitaret, erecto tabernaculo & præsentiæ suæ illustri testimonio edito: quando hoc quoque voluit, ut quibus privilegium dilationis debitorum obtinere votum esset, ad suam domum venirent, professionem reatus ederent, ac chirographum ex Dei voluntate consignatum ibidem, ut sic loquar, **ten protocolle gebracht wierde.** Chirographum omne istud habet, debiti professionem & solutionis concessam dilationem. In sacrificiis istud evidens. Israelitæ rei alicujus culpæ debuerunt adducere pecudem ad tabernaculum Dei, cui rei erant atque ibi coram Deo, audientibus ministris ejus, sacerdotibus, fateri suam culpam; atque sic Deus solutionis exactionem differebat, acquiescens chirographo isto, juxta leges suas scripto, & domi suæ registrato. Gentiles etiam offerebant sacrificia, & sæpe etiam ad deprecandam culpam, & averruncandam pœnam; verum quicquid etiam haberent similitudinis cum sacrificiis Israelitarum non potuerunt dici chirographum, non tantum quia aliis diis fiebant, sed & quia ex propria placito, neque in loco à Deo definito. Necessarium ergo fuit ut nonnisi uno loco offerrentur holocausta. Sed accessit alia ratio; in illo chirographo fuit convictio reatus, sed simul pædagogia ad Christum, quia sub contrarium, ipsis vicarii substitutione sponsorem Christum adscribentibus. Confessio peccatorum fiebat super caput hostiæ, & hæc in eam transferebantur, adeo ut jam tota rea, eapropter esset exterminanda: Sed non nisi in typo, haudquaquam in veritate Heb. 10: 4. Qui figurabatur Christus fuit, quem pro se soluturum suo chirographo testabantur. Heic autem necessarium erat ut Christus ipse substitui vellet, & sponsionem in se suscipere. Neque enim licet debitori hoc onus in nolentem devolvere. Et hac propter illic loci faciendum fuit, ubi Christus consensum suum significare voluit, non alibi Lev. 17: 5. filii Israel victimas suas adferent domino ad ostium tentorii conventus, ad sacerdotem, & sacerdos sanguinem sparget super altare domini, quod est ad ostium tentorii conventus. Quæ ratio spargendi sanguinis super altare? Altare repræsentabat mediatorem, qualis tunc fuit, Filius Dei ἄναρχον, quoad divinam naturam, factum ex ligno Sittim, quod non sentit corruptionem aut putredinem, quia semper vivit: tectum undique ære, ad designandum robur invictum. Hoc sanctificabat sacrificium Matt. 23: 19. ut licet nil nisi sanguinis aliquid adspersum esset, totum sanctificaretur & foret ad placitum, unde Hebræi dicunt, *Beneplacitum est altare* Menach. fol. 132. 4. & *Altare est Schechina.*

Quoties ergo holocaustum aut aliud sacrificium offerebatur spargendus fuit sanguis victimæ super altare, & ad sperſionibus peractis reliquum sanguinis effundendum ad altaris fundum. Scilicet filius Dei Mediatorem etiam tunc egit, quamvis nondum assumsisset carnem, quam daret victimam pro peccato; attamen Deitas, quæ sanctificatura erat victimam, jam tum erat, utpote semper vivens, ad interpellandum pro iis qui per ipsum accedebant ad Deum, & hanc suam Deitatem, cum illo munere Mediationis, adumbrare voluit per altare; atque quoties à suo populo offerebantur victimæ, quibus imposuerant sua peccata per confessionem, voluit sanguinem altari adspergi, adeoque scribi ibidem & in suas rationes referri, ut stato tempore omnes victimæ suæ oblatione expiaret, ac sic procuravit beneplacitum offerentibus, Deo sponsionem suam ratam habente, & quod sibi adscribi fecerat per sacerdotes, non ab ipsis debitoribus sed ab hoc sponsore postulaturo, quando dies solutioni dictus venisset. Sic vero liquet subcontraria ratio chirographi. Scribebant se reos, debitores qui offerebant, sed ut in vicarium transferrent, victimâ figuratum; Sed non sufficit scribere aliquem sponsorem, si ipse nolit recipere sponsionem. Itaque Ministri Christi, sacerdotes, ejus nomine & jussu, sanguinem victimæ adspergebant altari, & in sponsorias ejus rationes referebant, ut quod in altari scriptum erat, ipse qui sic designabatur teneretur ad solutionem Deo præstandam. Poterat proinde Altare quodammodo dici liber rationum Mediatoris Filii Dei, & quo scripta erant debita singulorum, qui Sponsorem habebant, quorum omnium numerum claulit, in unam summam obsignavit, & expiavit suâ morte, factus propitiatio per fidem in sanguine suo, ad demonstrationem justitiæ Dei propter transmissionem peccatorum ante patratorum in tolerantia Dei; quam transmissionem per fidem fecerant offerentes, fecerat per Sacerdotes aspergentes in se Christus, approbarat Deus judex, Hinc vero evidens quam necessarium fuerit, ut hostiæ adducerentur ad locum à Deo delectum, ubi Deus creditor præsens, ut qui à sponsore à se admisso admitterentur, ipsius Ministris pateret, & præsens Sponsor recepturus eos qui vadem vellent, ceu qui istic rationibus locum tenebat, **zijn comptoir hield**; & per Sacerdotes, adscribi debitis curabat, **sijne boeckhouders op sijn debit liet stellen tot sijnen laste.** Etenim si quis aliò iret aliudve altare statueret, non inveniebat ibi Mediatorem, Vadimonium aditurum. (De Achazo legimus 2 Reg. 16: 10. &c. quod æneum altare, coram facie Dei removerit, & ejus loco constituerit aliud, ad Damasceni similitudinem factum, & in hoc omnes hostias offerri voluerit à Sacerdotibus, quorum princeps Uria novum illud ex mandato regis fieri fecerat, & 2 Chron. 28: 23. dicitur sacrificasse Diis Damasci: quia scilicet ipsorum altare erexerat.) Duci eos voluit Deus ad Christum, sed ubi ille se volebat reperiri, in domo Patris, coram quo interpellatione usurus erat & dilationem procuraturus, donec à se promissa solutio fieret, atque interim debitores Dei gratia & pace erant fruituri, qui vadis substitutionem gratam habebat, tum viventes, tum mortui quoque. Nam quando pro offerente sanguis spargebatur in altare, ut debitum speciale Christo volenti imputaretur, reliquum sanguinis effusum fuit ad fundum altaris. Cujus facti mysterium est, Apoc. 6: 9. animæ fidelium dicuntur esse sub altari. Scilicet Spiritus sanctorum demortuorum fuerunt sub Mediatoris filii Dei tutelâ, ut qui viventes habuerant sponsorem, defuncti quoque sub ejus sponsione tuti forent; & hinc sanguis victimæ ad fundum altaris effusus fuit, ut defunctos fideles ejusdem hostiæ pretio & virtute reconciliandos significaretur, & Christum in quâvis adumbratione istorum defunctorum non minus, quam vivorum, meminisse constaret. Qui etiam in dispensatione plenitudinis temporum juxta beneplacitum voluntatis Dei, sanguine crucis suæ omnia recollegit, & reconciliavit, tum quæ in cœlo, tum quæ in terra; Eph. 1: 10. Col. 1: 20. quorum hi viventes sunt, isti defuncti fideles. Hoc est mysterium observandi loci à Deo delecti: unde quantum solatii Israelitis nasci potuerit, evidentissimum est.

Sed quid nobis inde commodi? Heb. 9: 24. præter sanctuarium manu factum, quod abolitum est dudum, datur anti-

antitypon, verum aliquod, in ipſo cœlo, & Heb. 13: 10. habemus altare, de quo non habent poteſtatem comedendi qui tabernaculo ſerviunt, ſiquidem in hoc externo cultu acquieſcant; Altare Chriſtus eſt, qui hodie & heri idem & in ſecula, verſ. 8. hoc altare habemus; jus in eo nobis eſt, adeoque & in tabernaculo vero, cœleſti, ubi illud eſt, Sponſoriam functionem nondum depoſuit Chriſtus ut in ſe & per ſe beneplacitum inveniant apud Deum patrem, qui per ipſum accedunt ad Deum. Scribitur iſtud quidem Hebræis, quorum de gente non ſumus; quibus æquantur proſelyti inter ipſos. Num. 15: 14. Sed nobis gentilibus jus idem factum Eſa. 56: 6, 7. Domus precationis cœlum eſt, & eo nobis quoque ire fas eſt. Pſ. 122: 1. 1 Tim. 2: 8. Joh. 4: 23. &c. Altare Chriſtus ibi eſt apud Deum, ſignatum non ſanguine taurorum & hircorum quæ ſponſorem ſoluturum dicerent: ſed ſanguine proprio, quod ſponſorem monſtrat defunctum ſolutione, Heb. 12: 24. tam pro mundo gentilium quam pro gente Iſraelitica. 1 Joh. 2: 1, 2. cap. 1: 9. Demonſtrata eſt in Chriſti ſanguine juſtitia Dei pro tempore præſenti, ſecuto ſatisfactionem ejus, *ut Deus ſit juſtus, juſtificans* &c. Rom. 3: 25, 26. Verum ſi reconciliationis volumus eſſe participes, quod textus dicit, caveamus ne ſacrificium noſtrum offeramus in quovis loco quem videmus: ſed ad locum quem Deus elegit; Matt. 24: 23. &c. *ſi quis vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, vel ecce hic ne credite;* Hoc ſane fit in Eccleſia Rom. quot enim altaria, quot non mediatores habent, quibus ſponſionem pro ſe deferunt, infinitos ſanctos. Sed ſuntne loca iſta alia quam propriæ electionis? Dei locus unus eſt Act. 2: 36. cap. 4: 12. cap. 5: 31. (De Achazo &c.) Imaginem heic videmus Anti-Chriſti Rom. Fabricarunt illo mandante altare novum, quod ſubſtituerunt in locum ejus quod coram facie Dei eſt, Deum Miſſaticum, loco Filii Dei Mediatoris, & cerimoniæ plurimæ à Gentilibus ſunt deductæ, & quemadmodum impius ille Achaz mandavit ut neglecto Dei altari in ſuæ inventionis altari & ſua & univerſi populi ſacrificia offerrent, deliberaturus quid de Dei altari tandem ſtatueret; habuit Sacerdotes obſequentes; ita Papa Rom. repudiato ſacrificio Chriſti & altari ejus, ſtatuit novum (quamquam, quod & Achaz dixit, dicat eundem cultum Deo fieri:) & mandat ut huc omnes, ſuas oblationes ferant, habetque Sacerdotes ſuos ſerviliter parentes; atque olim morte luendum habuit, qui ipſius locis & altari repudiatis, in uno altari Chriſto fiduciam collocaret. Sane quod de Achazo, idem hic valet, Diis aliis ſacrificant: & hinc Papa κατ' ἐξοχὴν ille ἄνομος dicitur 2 Theſſ. 2: 8. *homo ille peccati, filius perditionis, qui ſe opponit & effert ſupra omne quod Deus vocatur, aut honoratur, & in templo Dei ſe pro Deo gerit.* Gratias agamus Deo, quod ab hujus ſeductione & tyrannide liberarit; & ſolicite caveamus, ne ad eam aliamve ullam aures inclinemus, aut obſequium præſtemus. Sufficiat unus ille locus, quem Deus elegit, ubi altare ſuum collocavit. Sic precari docuit Chriſtus, *Pater noſter qui es in cœlis.* Et ipſe apud Patrem; in cœlis advocatus eſt, qui pro nobis roget, imo cujus nomine rogatus Pater nihil negaturus eſt, utpote qui æternam redemtionem nactus eſt, & adduxit juſtitiam ſeculorum omnium, ut in ipſo habeamus reconciliationem, & acceſſum ad gratiam in qua ſtamus, & in qua conſervamur ad vitam æternam. Si proinde quæratur ex nobis, quo ituri ſimus; nihil aliud dicendum, quam quo iremus niſi ad montem Domini, ad domum Dei Jacobi Eſa. 2: 3. Altare vocatur aliquoties Ariel, Leo Dei; ſed ſemel Harel, Mons Dei Ezek. 43: 15. ad hunc montem Dei, Altare iſtud unicum eundum. Videbimus fide, tinctum ſanguine proprio, eoque defunctum expiatione; non opus alio ſacrificio; Eſt coram Deo, & Deus jugiter videt, & beneplacitum in eo habet, & in iis omnibus, qui in hoc uno ſuam redemtionem factam credunt, & ejus fiducia ad Deum accedunt.

Enimvero quod hic mandatum eſt, venit obſervandum; qui ad locum illum adducere ſuas victimas, debent ibi agere, quæcunque Dominus præcepit. Non licet amplius vivere arbitratu vel proprio, vel hominum aliorum, ſed unius Dei. Papa Rom. uti obtrudit alia loca, quotquot ſibi conſecrare placet ſive in urbibus, ſive in deſertis, aliudque altare, ſic quoque ad obſequium ſuum obſtringit abſolute. Multo magis Deo debemus nos addicere ad obedientiam voluntatis ejus. 1 Joh. 1: 7. Si quidem Chriſtus pro nobis mortuus eſt, utique vivendum nobis Deo in novitate vitæ, Deo nos debemus ſiſtere ceu ex mortuis vivos, & membra noſtra arma juſtitiæ ad ſanctimoniam; atque ea propter ex corde obedientes vivere typo doctrinæ ejus, & ad eum confirmari, ambulando dignum Deo, ad omne placitum &c. Rom. 6: 4, 13. Col. 1: 4.

Verſ. 15. *Verumtamen omnino prout deſiderat animus tuus mactare poteris & comedere carnem in omnibus portis tuis, ſecundum benedictionem Jehovæ Dei tui quam largitus fuerit tibi: immundus & mundus comedere poterit ex ea, ut capreæ & ut cervi carne.*

b. De *Mactationibus aliis* agit verſ. 15, 16. Potuiſſet hic aliquis objeciſſe, ſi non eſt offerendum alibi, quam loco uno, à Deo delecto, ergo nulla licebit alibi mactare animalia; nam moris fuit, ut quoties mactarent pecus aliquod de ſanguine ejus parum libarent. Lev. 17: 7. non amplius oblationes ſuas facient Diabolis, pone quos ſcortantur. Docet ergo Moſes, nihil mactandum cultus ergo, niſi loco à Deo definito; Verum ſi ad uſum privatum, in cibum, aliquid mactare libeat, id liberrimum erit quovis loco & ad uſum cujuſvis. Loquitur proprie de animalibus ad altare promiſſis, de his credunt Hebræi, in deſerto quotieſcunque mactarentur, etiam ad uſum privatum, tamen in ſanctuario fuiſſe agendum, ut ſanguis ſpargeretur in altare, & partes cederent etiam ſacerdotibus uti in pacificis. Sed quicquid hujus ſit, ubi in Cananæam veniſſent ſit eis licentia ubicunque mactandi boves, oves, capras; nam conferuntur cum caprea & cervo, qui non poterant ſervire ad ſacrificia. Solent tamen Hebræi aliud inde cudere interdictum. Quicquid ad privatum uſum paratur, in ſanctuario mactare non fuit licitum; aut fiebat illicitum tum ad altare, quia illi non fuerat deſtinatum; tum afferenti, quia loco ſacro mactatum, & qui non erat privatæ poteſtatis. Cui reſpondet illud. 1 Cor. 11: 22. docens privatam refectionem in ſacro cœtu fieri non debere; nam agapæ ſacra fuere convivia. Hanc diſtinctionem obſervatam voluit Deus, ne quid decederet honori domus ſuæ, ſi in lanionum officinam mutaretur; atque etiam ne privarentur Iſraelitæ conceſſâ olim libertate comedendæ carnis. Et quoniam iſta caro non fuit ſanctificata Deo ſed *ad deſiderium proprium*, hinc quivis in domo, tam qui munditiem haberet, ut ad templum venire, & de pacificis comedere poſſet, quam qui immunditie aliquâ laboraret, ad eſum admittebatur communi jure non ſecus ac de carne quæ ad altare licita non erat, ferarum puta. (Etenim nulla fera hîc potuit ad hiberi, nullum animal quod ex rapto viveret, nullum carniverum, nullum quod impuris uteretur cibis, ſed ſolum quæ domeſtica, veſcentia cibis mundis, & in lege creationis brutorum alimento deſtinatis: Scilicet docere voluit, nihil propinquaturum Deo, quod ferum & indomitum, impatiens jugi, quod violentum & delectans oppreſſione, quod non haberet appetitum temperatum averſantem impuritatem: Tales quos in bobus jugi patientibus, in ovibus ſilenter tolerantibus, in columbis & turturibus caſtitatem & puritatem, & ſimplicitatem exercentibus voluit nobis oſtendere.)

De libertate iſta commedendarum carnium nunc non dicemus, ſed unum atque alterum duntaxat monebimus heic notatum.

a. Comedes carnem ſecundum benedictionem Domini Dei tui quam tibi dedit. Quum ad deſiderium animæ caro comedenda, non tamen aliter quam ſecundum benedictionem Dei. Deſiderium iſtud hic memoratur, non de alimento neceſſario, ſed quod ad voluptatem pertinet non gulæ ſed honeſtam, ſive privatam ſive in conviviis, non eſt iſtud interdictum, cum donum Dei ſit frui & gaudere de iis quæ dedit. Eccl. 2: 24. cap. 3: 13. cap. 5: 17. &c. dummodo caro non curetur ad cupiditates, Rom. 12: 14. neque cor gravetur crapula & ebrietate Luc. 21: 34. Verum ipſa hæc voluptas licita reſtringitur hic ad benedictionis divinæ modum. Itaque damnatur omnis rapina & injuſtitia, unde lautitiæ menſæ petantur. Luc. 11: 39. Matt. 23: 25. quando in-

trinſecum poculi & patinæ eſt rapina intemperantis, malitia. Oppreſſio & rapina non ſunt incrementum benedictionis divinæ Pſ. 62: 11. Attamen quod eo modo partum eſt, converti ſolet frequenter in luxum, Eſa. 5: 11. &c. qui domum domui, agrum agro jungebant, proxime ſociantur ebriis, & luxuriosis convivatoribus, & verſ. 22. qui heroes in poculis iidem impium juſtificant pro munere & juſtitiam juſti ab eo avertunt. Debent iſti ſuam benedictionem non Deo, ſed Mammonæ, ſed avaritiæ; ſed quicquid ſic edunt, & de quo voluptuantur, furtivus panis eſt; manetque eos judicium Dei, ablaturum & divitias quas pararunt, & epulas quibus ſe paverunt ad diem mactationis. Damnatur etiam omnium prodigalitas: lautior victus conceditur, ubi benedictio Dei major: ſed ubi ea minor, quia Deus vocat ad ſobrietatem, huic ſtudendum. Impia vox fuit eorum qui dicebant. Edamus & bibamus, nam cras moriemur. Eſa. 22: 12. quia vident res ſuas deſperatas eſſe, voluptati ſuæ reſiduum tribuere volunt. Juſtus commendatur quod omnia ſua diſponat cum judicio Pſ. 112: 5. & hoc judicium in eo verſatur, ut modum benedictionis divinæ attendat, non ut tantundem abſumat, quantum ea concedit, ſed ut inde etiam ſervet, quod ad cultum Dei, quod ad proximi ſublevationem, quod etiam ad liberorum commodum pertineat, quibus theſauros congregandos docet Apoſtolus 2 Cor. 12, 14. Qui benedictionem Dei agnoſcit in iis quæ conſecutus eſt, non abutitur eâ; ſed ſic utitur, ut qui in Dei manu ſitum norit, ſemel eam; an ſæpius velit concedere; ne ſe ipſum privet; & cauſam det ut ceu indigno deinceps negetur.

b. Mundus & immundus comedet libere carnem; tum ille qui nulla immunditie arcetur à ſanctuario, quam qui ea de cauſa arcetur. Ergo carnis eſus non repugnat munditiei, ut qui ſanctiores eſſe volunt, & quando tales eſſe volunt, eſu iſtius abſtinere debeant: quemadmodum in Rom. Eccleſia quidam monachorum ordines & omnes in quadrageſima & feria ſextâ. Ubi tam multæ puritatis regulæ viguerunt, heic nullam ſtatuit Deus: adeo ut ſapientiores Deo ſe velint oſtentare. His merito, dicitur quod Deus mundavit, id tu ne polluas Act. 10: 18. & ſic, quod puris purum dixit, id ipſis ceu impurum non eſt prohibendum. Quanquam ne quidem à carne abſtinere velint, quibus eam interdicunt. Præſcribunt eis piſces, qui non minus caro ſunt. Sic judicarunt Iſraelitæ. Num. 11: 4, 5. plebs petit *carnes; quis nobis* eas *dabit veſcendas? recordamur piſcium, quos ſine pretio edebamus in Ægypto:* & Moſes verſ. 21. &c. 600000 *ſunt hic populus, in cujus medio ſum & dicis, Dabo eis carnem, & toto menſe comedent: an mactabuntur, boves & oves ipſis an omnes piſces maris congregabuntur, ipſis, ut ſufficiat ipſis?* & Paulus 1 Cor. 15: 39. *omnis caro non eſt eadem caro; alia eſt hominum, alia jumentorum alia piſcium, alia avium.* Quando Paulus ait ad cavendam offenſam fratrum, ſe nunquam comeſturum carnem 1 Cor. 8: 19. Rom. 14: 21. intelligit quicquid vivi animalis eſt, acquieturus oleribus Rom. 14: 2. ſed ſimul abſtenturum vino. A quâ abſtinentiâ alieniſſimi ſunt. Verum in ipſis debuit exſtare ſignum iſtud ſpirituum deceptorum, qui jubent abſtinere cibis, quos Deus creavit ad fruendum cum gratiarum actione, pro fidelibus quique veritatem agnoverunt. 1 Tim. 4. verſ. 3. à quâ ſe declinaſſe profitentur.

Verſ. 16. *Tantum horum ſanguinem ne comeditote, ſuper terram effundito illum ſicut aquam.*

Reſtat verſ. 16. *Reſtrictio* circa ſanguinis eſum prohibitum: quæ repetitur tum cap. 15: 23. tum inprimis hoc cap. 12: 23, 24, 25. quo merito rejicimus.

Maneamus nos in eo quod Deus mandavit: etſi hoc modo circumſcribamur quibuſdam limitibus, quos mundani non agnoſcunt, tamen non patietur ſuis quicquam deeſſe. Prov. 15: 16. inquietudo impiis non deerit, tum à ſeipſis, tum à Deo, Eſa. 27: 20, 21. Contra, qui legem tuam amant, habent magnam pacem, & non habent offendiculum. Pſal. 119. verſ. 165. nam regnum Dei non eſt cibus, aut potus, ſed juſtitia, & pax & lætitia per Spiritum S. & qui Chriſto in hiſce ſervit, Deo placet, & acceptus eſt hominibus Rom. 14: 17, 18. adeoque nec hic infelix, & tandem erit feliciſſimus.

Verſ. 17. *Non poteris comedere intra portas tuas decimas frumenti tui, aut muſti tui, aut olei tui, vel primogenita armenti tui, aut gregis tui: neque ulla votiva tua quæ voveris, aut voluntarias oblationes tuas, denique* ullam *oblationem manus tuæ.*

Verſ. 18. *Sed coram Jehova Deo tuo comedito illam in loco quem elegerit Jehova Deus tuus; tu & filius tuus; filiaque tua, & ſervus tuus, ancillaque tua, & Levita qui eſt intra portas tuas: ſic lataberis coram Jehova Deo tuo comedens ex omni re ad quam admoveris manum.*

Quum Deus poſuit conditiones fœderis cum Iſraele, etiam meminit Mediatoris. retuliſſet agnitionem & cultum Angeli ſui ſingularis, qui Deus Mediator, inter alia quæ ad declarationem pertinebant, dixit Exod. 23: 25. *Domino Deo veſtro ſervietis, & benedicet pani tuo & aquæ tuæ, & ego removebo morbos è medio tui,*) Quandoquidem enim nulla ſalus eſſe potuit citra Mediatorem, non potuit nec debuit ejus revelatio & cultus negligi. *Decebat enim illum propter quem omnia & per quem omnia, ut multos filios ad gloriam ducens ducem ſalutis* eis daret. Heb. 2: 10. Ergo Faciem ſuam pro Elohim habendam mandavit, & hoc habere explicuit, ut caverent ejus iram, obtemperarent ejus voci, citra provocationem, quia alioqui remiſſionem peccatorum negaturus ſit, cujus poteſtatem habeat in terris, utpote in quo Nomen Dei, Pater in ipſo & ipſe in Patre, ut qui uni, idem & alteri obtemperet; habiturus utrumque auxiliatorem contra hoſtes, imo Angelum illum ducem exercitus; hunc ceu Dominum Deum ſuum ſingulariter fœderatum, fœdere conjugali, quod eſt inter Meſſiam & Eccleſiam Hoſ. 1, 2. Eſa. 54: 3. &c. Jer. 2: 2. fœdere imperatorio, quale inter Jephtam & Gileaditas Jud. 11: 6. &c. Joſ. 5: 14. colendum eſſe, & ab ipſo ſpecialiſſimam benedictionem exſpectandam, panis & aquæ, alimenti cujuſvis, quod unuſquiſque ſigillatim eſſet ſumturus; ut ſalubre foret Deo omnem morbum procul remoturo. Exod. 20: 24. Verum enimvero poſtquam Iſraelitæ fœdus pepigerant de juſtitia propria, & obſequio ex propriis viribus præſtanda, Deus bono ipſorum tabernaculum ſuum uno loco conſtituit, ubi, ut Hebræi loquuntur, uniret gloriam cum decore roboris ſui, teſtaretur glorioſam præſentiam ſuam, inacceſſam niſi per Decus illud, quem pulcherrimum dictum novimus, & cujus robur Deus mandavit, qui Meſſias eſt, quem ibidem voluit habitare; dicunt enim Schechinam iſtic voluiſſe habitare: ut quærerent videre faciem Domini Jehova, quia eſſet tabernaculum Schechinæ; mandaſſe proinde ut non quærerent niſi habitationem Dei, hoc eſt, Schechinam unionis ejus, ſive quo cum unitus eſt Deus, utpote in quo nomen ſuum eſt; ſive per quem unio cum Deo conceditur hominibus, quia non datur acceſſus ad Deum, niſi per Schechinam. Hacpropter additum dicunt. *Non poteris holocauſta tua offerre quovis loco*, ſed addendum fuiſſe unicum illum à Deo delectum, quia unde benedictiones dandæ ſint, jugiter ibi benedicturo ipſis Schechina. Voluit, inquam Deus non niſi uno loco ſe præſentem teſtari, & non niſi per definitos ritus, ut Iſraelitas convinceret diviſionis à ſe propter reatus, & impoſſibilis conjunctionis niſi mediante Meſſiâ. Hacpropter obligavit Iſraelitas ad acceſſum ad tabernaculum, & quidem talem qui convinceret non niſi per Mediatorem aliquouſque poſſe admitti, ſed unde ſolatium naſceretur tranquillaturum conſcientias, & gaudio corda repleturum. De illo loco adeundo hoc cap. dixit bis, & de cultu ibidem præſtando: ſed de illo ſolum cultus gratia adeundo ter loquitur, aliquid ſemper monens quod ſingulare ſit. Primum de holocauſtis ibidem offerendis quia iſtic ſolum fuit altare, quod ſanctificabat victimas, & reatum offerentium, in victimam tranſlatum, ipſi adſcribebat, definito tempore expiandum, quando

quando nempe Filius Dei Mediator, altari adumbratus victimam ſibi paraſſet, humanam naturam ad oblationem adaptatam. Cæterum alias mactationes, in quibus non fuit ſcriptio, chirographi, ſed ad deſiderium alimenti corporalis, promiſit quovis in loco ſuæ commorationis, dummodo à ſanguine abſtineretur.

2. Jam *ſecundò* agit de alia neceſſitate adeundi unicum illum locum delecti, à Deo tabernaculi, verſ. 17, 18, 19. Quæ agenda ibi ſint indicavit jam verſ. 5, 6. item verſ. 11, 12. verum hic repetit, ut neceſſitatem loci iſtius oſtendat: quamobrem oportune nunc etiam illos verſus explicabimus. Dicemus autem I. de quibus rebus agat, II. de uſu vetito in urbibus ſuis, III. de uſu legitimo in loco Dei.

a. *Res* de quibus agitur heic ſunt præter holocauſta, quæ verſ. 13. fuerunt definita, & ſub quibus comprehendit omnia alia ſacrificia quæ lege imperata erant, pro peccato nempe & reatu, nec non quæ ad mundationem immundorum, puta puerperarum, fluxum paſſorum, leproſorum pertinebant; itemque feſtis definita omnia, ubi lex diſerta determinaretur; nunc ergo loquitur de ſacrificiis voluntariis, quantum duobus primis locis ſociarat holocauſtis, ſcilicet pacifica, ſeu euchariſtica, etiam non votiva, ſed quæ placeret offerre. Nominat autem I. *Decimas veſtras* verſ. 5, 11. *decimas frumenti, muſti & olei tui.* Eſt vero hic notandum, hæc non eſſe decimas primas. Etenim illæ de triturato frumento & expreſſis vino atque oleo dabantur Levitis per totam terram, ubicunque areæ & torcularia erant, & Levitæ eas petebant inde, atque libere comedebant in ſuis habitationibus, tanquam de area & torculari propriis, cum ſuus foret proventus. Num. 18:30. Sed fuerunt decimæ ſecundæ, tum Levitarum, nam antequam decimis ſuis fruerentur inde debuerunt decimas dare Sacerdotibus, & hæ ipſis in loco ſanctuarii fuerunt dandæ, tum Iſraelitarum, qui de decimato proventu alias ſeparabant in uſum religioſum, de quibus agitur ſigillatim Deut. 14: 22. aſt verſ. 28. pauperum non egebant declaratione ad ſanctuarium. Fuerunt etiam decimæ boum & ovium imperatæ. Lev. 27:32. ſed eæ non cedebant Sacerdotibus verum manebant proprietariis, ſolummodo ſanguis fuit altari adſpergendus. II. *Primogenita boum & ovium* verſ. 5. & verſ. 17. ſiquidem maſcula forent, quæ ſolis Sacerdotibus cedebant, loco ſacro comedenda. III. *Votiva omnia*, quæ tamen differentis erant conditionis. *Nedarim, vota tua quæ voveris*, quemadmodum ſi quis voveat holocauſta pacifica aliaque indefinite: *Nedabhor, ſpontanea*, ſi hunc illumve bovem, ovem &c. definite voverit: *Oblationem* ſeu *elevationem manus tuæ*, votiva pecunia; Huc pertinent quoque votivi homines, quorum pretium, æſtimatione juxta ætatem & ſexum factâ Lev. 27: 2. afferendum erat ad Sacerdotem, ſic domus & auri votivi: item primitiæ, quæ ſingulis annis ad feſtum pentecoſtes in corbibus afferebantur de 7 ſpecibus proventus annui, hordeo, tritico, uvis, ficubus, pomogranatis, olivis, dactylis, de quibus & pompa ſolenni. ſcriptum eſt Deut. 26:1. cæteræque primitiæ, nam quoties pars ſexageſima dabatur, ex placito Doctorum, non Dei definitione, non potuit utique omne iſtud uno corbe contineri (verſ. 11. dicitur, *electum votorum*, ut ſignificetur non niſi optima fuiſſe vovenda, delectu inſtituto Mal. 1: 7. Deus vocat *panem impuratum altari* ſuo illatum, ſi quis cœcum vel claudum, vel ægrotum adduxiſſet, aut etiam ex rapto, quod proprium non erat, dicitque maledictus ille, qui quidem maſculum habet in grege, & tamen vovet Domino, ac offert quod corruptum eſt.)

Cuncta iſta docent quam neceſſaria ſit publica profeſſio omnia à Deo obtineri, & ipſum omnis poſſeſſionis autorem eſſe, quod tum imperatum erat in decimis; nam quia Deus vere annuum canonem, quem ſuis miniſtris aſſignavit; Sic in primitiis, & in primogenitis redemtionis agnitionem, & Dei in ſe Dominum tum voluntarium, ut ſpontanea quoque foret profeſſio. Cujuſmodi ſane, licet non ad eum modum & menſuram etiam nunc Chriſtianis incumbit, Prov. 3. verſ. 9. &c. Non definit hic vel decimas, vel primitias preciſe (primitiæ heic potiſſimum, electum notat, uti primogenitus præcipuus dicitur Pſ. 89: 28.) ſed indefinite jubet Deum honorare de iis quæ quis poſſidet, ut agnoſcatur dator, & tunc uberrimam benedictionem promittit. Hanc quidem omnes optant, & non concedi queruntur, ſed illud facere detrectant. Atqui Pſ. 50: 14, 15. gratitudine præſtitâ petendi nova fit poteſtas, & promiſſio nova benedictionis. Vota ne nunc quidem vitioſa ſunt, licet non eodem ſe habeant modo. Sunt templa, non manufacta, quæ ſuperſtitio ſuper omnia commendat, ſed quæ Dei manus fecit; fideles, ſancti qui in terra, pauperes; ſunt miniſtri Dei; quibus licet benefacere. Sed ſuper omnia votivi homines ſunt, quos dare queamus, non tantum ut Hanna filium Samuelem, ad miniſterium Dei perpetuum; ſed in ſemetipſo quivis habet Rom. 12: 1. & in liberis, ut Maria Jeſum; ſic in baptiſmo, qui coram Deo fit, quod tamen pudendo more pudori ducitur, quaſi domus Dei, & altare ejus foret contemtibile. Sane ſi quid haberemus pro Deo, tum debitum, qualia nos liberique noſtri, vi fœderis Gen. 17: 7. 2 Cor. 6: 16, 18. tum voluntarium; experiremur abundantius, quid Deus habeat pro nobis, quam dives ſit ſuper omnes qui eum invocant. Sic David ait Pſ. 59:8. & Pſ. 119:108. neque parcior Deus Pſ. 68:10. Hoſ. 14: 3. &c. *ſolvemus vitulos labiorum noſtrorum. Sanat averſiones, amabo altaria* &c. quo fiant *populus voluntarius.* Pſ. 110: 3. Verum id notandum, ut quod damus Deo ſit electum verſ. 11. Rom. 12: 1, 2. Conformitas mundi omittenda, renovatio inducenda ex præſcripto voluntatis ipſius. Aſt quam cœca, clauda, ægrota omnia, & maledictio manet talia offerentes; maledictio, inquam ſi hæc afferant, habentes maſculum in grege; aliquid melius & pretioſum. In externis oblationibus nihil vitioſi afferre licuit; ſed quando de oblatione vivâ ſui ipſius agitur, nemo poteſt perfectum quid afferre, ut nil deſit: atque Deus accipit offerentem ſecundum id quod habet, non ſecundum id quod non habet, 2 Cor. 8: 12. modo adſit promtitudo animi, & gratioſe condonat, ſi quis totum cor direxerit ad quærendum Deum patrum, licet non ſecundum puritatem Sanctuarii 2 Chron. 30: 18. &c. Sed ſi quis habeat maſculum pro mundo & carne, & Diabolo, ut integrum cor & volentem animam applicet ad exercitium cupiditatum carnis, oculorum, & faſtui vitæ, cum in Dei cultu omnia ſine languida, clauda, manca, cœca, quis poſſet iſtum eximere divinæ maledictioni? Quare caveamus nobis ipſis, & meditemur ſerio ne ſic videamur coram facie Domini, ſed ei ſiſtamus cor fractum & ſpiritum contritum quibus hoſtiis delectatur, depoſita omni impuritate & abundantia malitiæ, deſerta impietate & mundanis cupiditatibus, viventes ſobrie, juſte, pie, ut & nos Deo nos exhibeamus vivos, & membra noſtra arma juſtitiæ & ſanctimoniæ, ad ipſius gloriam, noſtramque ſalutem.

b. *Uſus* vetitus in urbibus propriis eſt verſ. 17. *Non licebit vobis hæc comedere in portis veſtris. Portæ* notant urbes, quæ his clauduntur, imo, quia in iis habebantur judicia, quæ his reguntur; & dicit veſtræ, nam ſi forent alienæ, ut peregrini degerent inter gentes dominantes, uti nunc in exilio ſuo non erant ſui juris ut cultum publicum pro libitu exercerent, ſed debent alieno lubitu vivere; Non poteſt vir bonus fallere fidem; nec honeſta matrona ſcortari. Verum veſtræ ſi fuerint, ubi ſegregati eſtis à gentibus & idololatris, tamen iſtic non licebit hæc comedere. Ratio eſt, cum Deus præſentiam publicam uno loco teſtaretur, voluit eos omnes in ejuſmodi profeſſionibus gratitudinis & obſequii venire ad ſe, ubi domeſticos ſuos teſtes haberet; Et quia non dabatur etiam iſtic acceſſus niſi per Schechinam, utique non potuere alibi iſta agere, quam ubi altare erat Meſſiam repræſentans: imprimis, quia in plurimis iſtis adſperſio ſanguinis requirebatur ad altare, ut acceptatio fieret in ſanguine Chriſti, qui ut iniquitates ſanctiſſimorum noſtrorum tollere debet. Tantopere voluit ipſos Deus obligare ut ad Chriſtum irent, & in ipſo atque per ipſum quærerent favorem & acceſſum ad Deum ejuſque gratiam. Non habet Deus nunc domum χειροποίητον, nec altare typicum, quo nobis eundum ſit, ſed jam cœlum habitat, & ibidem Chriſtus eſt. Cœlum autem omnibus urbibus, ædibus, aque vicinum eſt, adeoque in omnibus portis noſtris eo ire licet, & noſtra ei votiva & hoſtias offerre; imo etiam in portis hoſtium noſtrorum; non poſſunt illi prohibere egreſſum noſtrorum deſideriorum ad cœlum; claudant carcere etiam, & in profundas conjiciant foveas, inde ad cœlum iter eſt, & per Chriſtum ad Deum acceſſus promtiſſimus & acceptiſſimus.

Ante-

Antequam hinc abeamus, Hebræa phraſis notanda, לא תוכל לאכול *non poteris comedere* &c. Quid opus interdicto, ſi id facere non poterant? Sed emphaſis eſt in expreſſione iſta; non poteris, nempe rite, & voluntati divinæ conformiter. Matt. 9: 15. *Poſſunt ne filii nuptiarum lugere, dum ſponſus apud ipſos eſt?* decenter nequeunt, foret iſtud contra leges nuptiales. Non poteſt vir bonus fallere fidem; nec honeſta matrona ſcortari. Sic hic pii, amantes Dei, non poſſunt mala agere; quia jure non poſſunt. 2 Cor. 13: 8. *non poſſumus quicquam contra veritatem. Omnis homo mendax.* Rom. 3: 4. non deſierat eſſe homo, & tamen nil poterat contra veritatem quia lege prohibebatur Gen. 39: 9. *quomodo faciam hoc magnum malum* &c. Jer. 36: 5. Propheta impeditus aliqua forſan impuritate, *non potero ire ad domum Domini.* Sic affectos eſſe oporteret pios omnes, ut quando malum agendum eſt, & ad illud ſollicitantur, ſtatuant ſe non poſſe. Nulla enim potentia, quando Deus prohibet. Bileam profitebatur ſe non poſſe loqui, niſi quod Deus juſſiſſet. Num. 22: 18. & cap. 24: 13. quod non liceret. Legitima potentia regulatur mandato Dei quod ſequi unica eſt vivendi regula.

c. *Uſus legitimus* verſ. 18. deſcribitur, ubi locus, perſonæ fruentes, & fructus.

a. Locus eſt, coram Domini Dei tui facie comedes illud, in loco quem eligit Dominus Deus tuus. Dixit verſ. 5. *in loco quem Dominus Deus eliget ex omnibus tribubus tuis*, verſ. 14. *in una tribuum tuarum.* In deſerto omnes tribus æque vicinæ fuerunt tabernaculo, quod in medio omnium collocatum fuit: ſed ubi ille in ſuas poſſeſſiones abituræ erant ſingulæ, non potuit apud plures quam unum eſſe. Ea initio fuit tribus Judicis Joſuæ, in Ephraimi Silo: ſub rege Saule in Benjamine, Nobâ, & Gibeon. Verum ſub Salomone Hieroſolymis, ſed in parte Benjaminis, quamvis atrium populi in Judæ portione foret. Putant Hebræi aream Araunæ in Benjamine, emtam fuiſſe ex pecunia collata ab omnibus tribubus, Davidem autem pro ſua tribu ſolviſſe, & hanc eſſe differentis ſummæ rationem. 1 Chron. 21: 25. 600. *ſicli aurei*; aſt 2 Sam. 24: 24. tantum 50. *argentei* ſicli. Attamen tabernaculum & templum omnibus ſubire non licuit, ob diverſam propinquandi licentiam; verum coram facie Domini comparuiſſe dicebatur, qui Hieroſolymam veniſſet, quouſque licebat, & comediſſet ubi licebat: Ultra enim non poterant: Sacerdotes ſanctiſſima comedebant in atrio ſuo; leviora domi: alii Iſraelitæ aderant in atrio cum ſpargeretur ſanguis, ſed quæ comedere poterant de ſanctis intra ambitum mœniorum edebant: Non his extra urbem quicquam offerre licuit, neque ſacerdotibus extra atrium potiora vel domum ſuam leviora ſancta.

b. Perſonæ ſunt *vos & domus veſtræ*, verſ. 6. *vos filii, filiæ, ſervi, ancillæ, & Levitæ, qui in portis veſtris.* verſ. 12. ſic quoque hic. Alloquitur autem patresfamilias omnis ordinis, non ſolum Iſraelitas, ſed etiam Levitas & Sacerdotes; ut unuſquiſque ederet quod ſibi licitum. Decimas Levitarum, primitias, aliaque Sacerdotes vel ſoli, ſi in atrio, vel omnes domeſtici, ſi in ædibus edere liceret; votiva pacifica, decimas pecudum, Iſraelitæ cum ſuis. Quod omnes recenſeantur inde fit, quia mares circumciſi omnes, ſiquidem majorennes, eo ire tenebantur, quomodo filii famuliqne obligabantur; mulieres autem filiæ, ancillæ ſæpius una ibant, partim ob feſti religionem; partim ſi puerperæ aut debitrices voti fuiſſent, quia ſacrificium fuit offerendum; quod differre ſoliti fuerunt uſque ad feſtum. Præterea enumerat quibus edere de his licet ſi iſtic ſint, non autem neceſſario iſtuc eundum dicit omnibus iſtis. Levitæ qui ubique diſperſi habitabant, pariter tenebantur legibus iſtis ſive de proprio, ſive de alieno iſtic foret victitandum; & hi potuerunt edere de decimis pecudum, de decimis ſecundis pauperum. Adeo univerſale facit Deus hoc mandatum, plane uti religionem Sabbathi: quandocunque de ſacris iſtis aliquid guſtare placuit, eo loco tantum licuit. In omnibus iſtis inſtruebant ipſi menſam Deo quodammodo, Num. 28: 2. itaque debebant ad domum ejus ire. Sed nunc non à nobis ſibi menſam inſtrui vult, poſtquam Chriſtus hoſtia factus fuit. Sed inſtruit menſam nobis, & venit ad nos, nobiſque benedicit. Apoc. 3: 20. Olim toti Iſraeli inſtruxit, dans mannam de cœlo; aſt nunc dat cuique fideli verum panem de cœlo, carnem & ſanguinem filii Dei. Niſi, quis eorum particeps factus fuerit, non habet vitam, quam per ipſum ſolum conſequi datur. Heic heris, liberis, famulitio pariter acceſſus datur; quiſquis eorum credit, & quandocunque credit nec eſuriet, nec ſitiet unquam, ſed fruetur bono, quod additur hic.

c. Fructus eſt, *& lætaberis coram Domino Deo tuo, de omni quo manum tuam miſeris*; nonnulli id reſtringunt ad ea quæ attulerunt, & de quibus comedunt; ſed alii propter omne, quo manum &c. quo Dominus Deus tuus tibi benedixit, ut ad omnem poſſeſſionem extendatur, unde iſta allata fuerant ſumta. Lætitia iſta partim mandati eſt, Pſ. 2: 11. & 100: 2. neque enim ſancta Dei licuit comedere in luctu Deut. 26: 14. Hoſ. 9: 4. ſacrificia ſi fuerint panis luctu treur-broot/ comedentes impurantur, partim promiſſionis Pſ. 65: 5. quia Deus levavit eos timore & ſollicitudine pro domibus, quas deſeruerant Exod. 34: 24. inprimis exhilarabat dum reconciliationem obſignabat, admiſſo ſponſore Chriſto, & concedebat communionem ſecum in pacificis, in votorum acceptatione, adeo ut de futura benedictionis conceſſæ fruitione fiduciam conciperent. Merito hinc appetebat hunc locum David, & ſibi pollicebatur gaudia, ut ſæpius Pſ. 27· 56, 65, 84, 116. & Pſ. 118: 26. *Benedicimus vobis è domo Domini.* (enim Sacerdotes benedicebant cum efficaciâ.) Beneficium iſtud gentilibus quoque promiſſum. Eſa. 56: 6, 7. Imo jugiter exercendum Phil. 3: 1. & cap. 4: 4. verſ. 6, 7. Gaudium in libertate à ſollicitudine, in gratiarum actione ſociatâ precibus, in pace inenarrabili; imo in ipſis afflictionibus Chriſti, quia ſecuritas majoris gaudii Jac. 1: 2. 1 Pet. 4: 13. &c. 2 Cor. 4: 17. quando gaudium erit æternum, in Dei præſentia & fruitione Pſ. 16: 11.

Verſ. 19. *Cave tibi ne deſeras Levitam, ullo dierum tuorum in terra tua.*

Specialis commendatio eſt Levitæ verſ. 19. *Cave ne deſeras Levitam omnibus diebus tuis, ſuper terram tuam.* Proximo verſu eum nominavit, qui una compareret, comederet, & gauderet; verum duo ultima vix poterat, qui quod afferret parum habebat, verſ. 12. *nam non eſt illi pars ac hæreditas vobiſcum.* Ergo nullus proventus agri, pecudes paucæ, quia nulla prata, decimæ afferendæ Sacerdotibus illis ſolis cedebant, & eas exſolvere non poterant niſi ſuas obtinuiſſent ab Iſraelitis. Hinc commendandi erant aliis tum Sacerdotibus, tum populo, ut Levitis ſuppeditaretur, ex illorum abundantia, quo pariter gaudere poſſent; & cum dicatur verſ. 12, & 18. *De iis qui in portis tuis* videtur peculiariter obligatos ejuſdem urbis & tribus homines, ut ſuis proſpicerent: quo potuerunt etiam referri decimæ ſecundæ tertii & ſexti anni, quibus juxtacum aliis egenis frui dabatur Deut. 14: 28. Sed nunc generalius mandatum eſt, ut ſemper eis cautum ſit, ne unquam fraudentur aſſignatis debitis proventibus, decimis; quomodo liberaliter ali poterant, ſi à XII. tribuum proventu ipſi haberent decimam partem, atque ut liberalitate quoque populi augerentur. Scilicet quibus cura religionis & inſtitutio publica demandata fuit, & ut illi vacarent religioſius, negata poſſeſſio, fuerunt utique liberaliter ſuſtentandi. Dei quo plenius Deut. 18.

Eſt iſtud nunc quoque obſervandum, ſi quidem Paulo credimus, qui debita Miniſtris Eccleſiæ ſtipendia non tantum ſimilitudine militum, agricolarum, paſtorum probat, ſed etiam ex Lege Iſraelitica, 1 Cor. 9: 13. *An neſcitis eum qui adſiſtit altari*, participare de altari? apponitque mandatum Chriſti, *ſic quoque ordinavit Dominus, qui Euangelium annunciant, ut de Euangelio vivant.* Addit etiam rationem æquitatis: *ſi vobis ſpiritualia ſevimus, an magnum quid eſt ſi veſtrum corporeum metamus?* Hortatio iſta itaque nondum eſt importuna, cui quantum deferatur, nunc non libet examinare. Et olim diffugiendum fuit Levitis à munere, quod alimenta non præſtarentur Neh. 13: 10. & nunc quoque non deſunt ſuſpiria, ob imminuta, non ſoluta ſtipendia. Sed quid fiat fierive debeat alius eſt temporis. Votum Davidis id fuit, Pſ. 132: 8. &c. Deus vero pollicetur verſ. 14. Pollicetur Miniſtris domus ſuæ tum aptitudinem ad munus ſuum, tum alimenta abundantia. Utrunque beneficium nunc quoque poſtulandum, & à præſentia Dei gra-

gratioſa exſpectandum. Fideles ea opere ſervos ſuos non deſtituet, etſi vel religioſi auditores, ut Sunamitis, vel paupercula vidua, Zareptana, vel corvi denique aut angeli ſint adhibendi. Sint modo fideles Domino, & ipſi, & quicunque Deum amant, quia etiam ipſi Sacerdotes & ei ſerviunt, Deus eis proſpiciet; imo eis erit portio; & tunc funes eeciderunt in amœnitatibus, & hæreditas pulchra obtigit Pſ. 16: 5, 6. & quamvis deficiat caro & cor, tamen Deus rupes & portio in ſeculum Pſ. 73: 26. ut nihil excellentius deſiderandum ſuperſit.

Verſ. 20. *Quum dilataverit Jehova Deus tuus terminum tuum, quemadmodum promiſit tibi, ſi dixeris, comedam carnem, eò quod deſideret animus tuus comedere carnem, omnino prout deſiderabit animus tuus, comedes carnem.*

Quæſtioni de pace impetrandâ negative reſpondit Jehu, 2 Reg. 9: 22. Joramo ſciſcitanti, *Eſtne pax?* Jehu reſpondit hic, *Quid pax! dum ſcortationes Jezebelis matris tuæ, & incantationes ejus adeo multæ ſunt.* Verum affirmativum reſponſum diſcere eſt à Rege Salomone. Prov. 16: 7. ſi cujus viæ Deo placeant, hoſtes ejus ipſi pacabit. Etenim nulla pax infeſto Deo Eſa. 48: 22. cap. 57: 21. nullum contra bellum prævalens, Deo propitio. Rom. 8: 31. Nam *oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus ad ipſorum preces: ſed facies, ira, Dei contra facientes malum*, 1 Pet. 3: 12. ubi additur, *Et qui eſt qui malo afficiet vos, ſi benefeceritis?* Loquitur de juſto malo, quod debetur peccantibus; nam de injuſto, quod infligitur propter juſtitiam, propter nomen Chriſti, illud ad gaudium & beatitudinem patientium facit, ut ibidem, & cap. 2. & 4. docetur. Ergo pietas & obedientia mandatorum Dei eſt via regia ad pacem; contra profligatur illa & procul removetur ſiquidem obedientia negligatur. Quod ex textu præſente diſcere eſt, ſemel atque iterum obedientibus felicia promittente. Continuatur mandatum de cultu ſacrificiorum ſolum in loco divinæ electionis obeundo. Jam bis iſtud poſuit verſ. 13--16. ut ſolummodo iſtic offerrentur holocauſta, & quæ alia ſacrificia imperata à Deo; quæ vero aliæ carnes mactarentur alibi, forent uſus privati, cuivis, quovis in loco licitæ. II. verſ. 17--19. ut alia ſacra & votiva ſolummodo iſtic comederent, quibus in ea jus foret. Et hæc duo ſpectant Iſraelitas à Moſe & Joſua hæreditatem conſecutos. Jam III. verſ. 20--28. eadem repetuntur, de ſacris & votivis v. 26. & de holocauſtis v. 27. de carne communi, uſui conceſſa v. 20. &c. ſed differentia eſt quod loquatur de iis qui extra illos terminos habituri erant. De hac tertiâ inſtructione nunc dicendum eſt, ut & quæ ſingularia habet expendamus, & quæ communia, in hunc locum rejecta.

a. *Singulare* eſt, de quibus agat, verſ. 20. *Quando Dominus Deus tuus dilatarit terminum tuum, quemadmodum tibi locutus eſt.* Habebant 2½ tribus poſſeſſionem trans Jordanem; reliquæ Jordanem tranſituræ erant, ut quæ cis flumen erat, terram occuparent; & his legem jam dixerat, de loco cultus, & cultu in illo ſolum loco peragendo: nunc autem loquitur de termino ampliando, qui proinde longinquiores facturus erat incolas à ſanctuario. Explicatius id dicitur Deut. 19: 1. expulſis Cananæis (præter tria aſyla à Moſe delecta in terra Amoræorum,) tres urbes ejuſmodi conſtituere jubentur pro homicida non voluntario, (quod factum Joſ. 20. cap.) Verum additur verſ. 8, 9. *quod ſi Dominus Deus tuus dilataverit terminum tuum, quemadmodum juravit patribus tuis, & dabit tibi omnem illam terram quam patribus tuis ſe daturum dixit; (quando cuſtodiveris omne hoc præceptum ut illud facias, quod tibi hodie præcipio, diligendo Dominum Deum tuum, & in viis ejus ambulando omnibus diebus, & addes tres urbes ad iſtas tres ne ſanguis innocentis fundatur in terra.* Scilicet intelligitur reſiduum promiſſæ terræ, quod hactenus nunquam obtinuerunt Iſraelitæ; Nam ſeptem gentes conſecuti ſunt, quamquam non omnem earum terram cis Jordanem, Deut. 7: 1. ſed Abrahamo x. promiſſæ: Gen. 15; 18. quæ ſeſe extenderunt uſque ad Euphratem, & ad mare Erythræum, terram Ammonitarum, Moabitarumque (quod Rephaim fuit Deut: 2: 10, 11, 20.) Edomitarum, & quæ porro gentes verſus orientem habitabant uſque ad flumen magnum. Neque hoc ſolum dixerat patribus, ſed ipſismet etiam poſtquam ex Ægypto egreſſi erant, quando fœderis conditiones & commoda enarrabantur Exod. 23: 31. & proxime Deut. 11: 24. Equidem addita legitur conditio eximiæ obedientiæ, quæ hactenus ab Iſraele præſtita non eſt: & hinc non mirandum quod hactenus etiam illam portionem non obtinuerint, veruntamen obtinebunt propter jusjurandum Dei, Ezek. 47: 13, 14. & ut obtinere queant hanc conditionem Deus ipſe in illis efficiet. Deut. 30: 5, 6. Cæterum hoc ubi factum erit, & extrema illa promiſſæ terræ habitabuntur, incolis illis hæ leges dictæ ſunt: Interim illæ fuerunt obſervandæ ab Iſraelitis, longius extra terminos præſentes commorantibus, cujuſmodi ſunt qui poſtea vixerunt in Babel, in diſperſione Græcorum per minorem Aſiam, in Græciâ item & Italiâ, in Ægypto & Africæ aliis plagis. Non adſtringebantur iſti ad ternas illas apparitiones Hieroſolymæ quotannis, uti quidem mares omnes intra limites priores. Verum non licuit alio loco ſacrificia offerre, aut votiva comedere; ſed quaſcunque carnes comederunt, fuerunt profanæ, & non religioſi uſus. Adeoque recte factum à Babyloniis Judæis, qui non venerunt ipſi, ſed votivam pecuniam per legatos miſerunt Hieroſolymam, ad locum à Deo delectum. Zach. 6: 10. &c. & male à Judæis Hieroſolymitanis, qui admittere tergiverſabantur. Religio loci obſervata ab illis fuerat, ne votiva aliò deferrent; ſed frequens ille acceſſus impoſſibilis, neque etiam imperatus. Contra peccatum ab Onia Sacerdote, quando in Ægypto templum ſtruxit, & omnem cultum ibi exercuit; quia dum frequentiam cultus publici procuravit, locum Dei neglexit, delegit proprium, & hoc pacto omnem cultum vitiavit. Sane Deus ipſe indulſit aliquid neceſſitati externæ, quæ indeclinabilis. Ad ſanctuarium omnibus maribus veniendum fuit ter in anno. Sed David, quamdiu illud neglexit? tum quando inter gentes finitimas exulavit; tum quando in ipſa Judæâ latitavit, non auſus prodire in publicum ob Saulis perſecutionem. Sic pii in X. tribubus, quibus reges Iſrael non permiſerunt ut ad templum irent; quorum abſtinentia quia coacta, culpa caruit, quos Deus ſe ſibi ſervaſſe teſtatur, ne ad Baalem deficerent. 1 Reg. 19: 18. Quibus ejuſmodi neceſſitas incumbit Deo moderante, licet externo Sanctuario excludantur quoad corpus, tamen acceſſum habent ſuis precibus. 1 Reg. 8: 44. Imo habent Sanctuarium, inviſibile, quod multo præſtantius, quam ſolum externum. Ezek. 11: 16. Sic ait Deus Dominus: Quanquam longe removerim eos inter gentes, & diſperſerim eos in terris, ero tamen ipſis ſanctuarium exiguum in terris, quo venerunt, quo fruuntur ſanctificando Deum in corde Eſa. 8: 13. 1 Pet. 3: 15.

Verſ. 21. *Si procul aberit abs te locus ille: quem electurus eſt Jehova Deus tuus ad collocandum nomen ſuum illic, & mactabis de armento tuo, aut de grege tuo quem dederit Jehova tibi, quemadmodum præcepi tibi; tum comedes intra portas tuas omnino prout deſiderabit animus tuus.*

Verſ. 22. *Verum quemadmodum comeditur aliqua caprea aut cervus, ſic comedes eam: mundus ſimul & immundus comedent eam.*

b. *Communia* ſunt, ſed attemperata conditioni iſti ſingulari.

a. *Mactatio & eſus carnis*, cum reſtrictione ſuâ, quæ occurrunt verſ. 15, 16. ſed hic paulo plenius utrunque dicitur.

a. *Eſus carnis* verſ. 20--22. ubi I. *impulſiva*, verſ. 20. *& dixeris comedam carnem, quia anima tua deſiderat edere carnem, ſecundum omnem cupiditatem animæ tuæ comedes carnem.* Hebræi vocant hinc carnem deſiderii; quia appetitum ejus habet homo, citra peccatum. Etenim Deus indidit homini integro quoque appetitum cibi & potus, qui cibos ei alendo deſtinavit, eique appetibiles fecit. Gen. 2: 9. Dominus Deus omnes arbores ex terra fecit germinare, deſiderabiles ad viſum, & bonas ad cibum: & quando appetitus conformis eſt objecto quale à Deo formatum eſt, ne-

que lege prohibetur, utique bonus est & irreprehensibilis. Jam talis erat appetitus edendæ carnis, de quo loquitur, ejus quam licitam Deus fecerat Israeli Lev. 11. & Deut. 14. Heic appetitum habere, & ei satisfacere licet; Deus hanc licentiam aperte concedit. Unde convincuntur Pontificii, qui certis temporibus, & nonnullis hominibus in perpetuum carnium quarundam, quadrupedum & avium, interdicunt. In Israele, ubi libertas circa cibos arctata fuit tamen omnibus nullo discrimine concessum fuit appetere carnes, & appetitui satis facere comedendo: Sacerdotibus & Levitis æque ac Israeli reliquo. Nihil in eo quod officeret sanctitati. Ast Romanenses, quasi sapientiores forent Deo, id prohibent scilicet quia ἐθελοθρησκεια habet σοφίας λόγον, in ἀφειδίᾳ σώματος, cum sit ad satietatem carnis, seu corruptionis, Col. 2: 23. Quin cum Nazaræi voti religione arctius haberentur, non tamen carnes prohibuit ab ipsis, sed vinum, & quicquid à vite ortum habet. Num. 6. Ipsi vero ut se Antitheos ostendant, non minus quam Anti-Christos, contrarium imperarunt; vinum omne concedunt, carnes damnant. Equidem Daniel in suo trium hebdomadum jejunio, ad solis occasum usque, abstinuisse dicitur carnibus, sed quemadmodum carnes, ita quoque vinum non venit in os ipsius: imo desiderabilem cibum non comedit. Dan. 10: 3. cujusmodi abstinentiam abominantur Pontificii. Legitur interdictum fruendæ carnis & vini, sed non simpliciter, verum intemperanter. Prov. 23: 20. nam intemperanter ingurgitare vinum & carnes; vitiosum est: Comessatio & ebrietas est placitum gentium 1 Pet. 4: 4. unde Christiani abesse debent ut faciant voluntatem Dei: Luc. 21: 34. Inhonesta ambulatio est in istis, quod non congruit honestæ ambulationi Christianorum, quæ lucem ferat, & quos Domino Jesu indutos esse oportet, & non curare carnem ad cupiditates, hoc est corpus ad prava desideria Rom. 13: 13. II. *Locus* esus. vers. 21, *si locus sanctuarii longinquus sit* &c. *mactabis boves & oves, datas à Deo & comedes in portis tuis juxta desiderium animæ tuæ.* Mentionem facit Sanctuarii, quia religiosi Israelitæ, quando comedebant de pecude altari aptâ, optabant eam communem habere cum Deo, ut eucharistica fierent, parte Deo cedente in altari, parte Sacerdoti, omni reliquo sibi suæque familiæ: Atque hac de causa differebant istas dapes in tempus festi, ut sic fruerentur. Verum qui adeo dilliti habitabant, non poterant ad templum ire, & sic semper illis carnibus abstinendum fuisset. Nolebat autem Deus tam duriter ipsos habere, ut cum dedisset greges, esu carnium privaret; itaque quod cæteris Israelitis, etiam his remotioribus concedit, ut citra scrupulum ubique in suis habitationibus mactent & edant, prout ferret ipsorum appetitus. Etsi alias illæ pecudes altari admoveri potuissent. III. *Modus* edendi vers. 22. *veruntamen uti cervum* &c. Cervus & caprea erant animalia munda ad cibum ipsorum, sed non ad cibum Dei, ut in altare venirent. Hujus generis tantum erant boves, oves, capræ, & de volucribus turtures & columbæ; animalia domestica, non rapacia, non carnivora: laboriosa item, aut patientia & simplicia. Astque feras, non carnivoras licet, (nam quæ carnibus vescuntur laniatorum animalium etiam ab ipsorum mensis removit,) quæ permissæ esui, reprobavit in sacris, quia indomitæ & ex rapto vivunt: Odit autem Deus rapinam in sacrificio, Esa. 61: 8. & propterea noluit tales victimas. Igitur cum cervinam comederent ubique libere, quia inutilis ad religionem, ita quoque haberi vult bubulam & ovillam, quæ alioqui sacra fieri poterat, & non sacram esse, adeo ut promiscue, mundus & immundus quoad sanctuarii ingressum, (nam qui immundus Israeli, ut leprosus, menstruata &c. segregandus fuit ubique à mundis,) de eâ ad eandem mensam, ex eadem patinâ comederent, quasi dicat. Nulla adsit opinio sanctitatis, quasi carnes bovis & ovis in se forent sanctiores; Usus, qui solum in loco Dei delecto obtinebat, faciebat discrimen: citra illum, nihil differebat à ferinâ. Quod confutat opinionem de inhærente sanctitate pani & vino S. Cœnæ: nulla ea est extra usum religiosum. Sancta sunt illa elementa, quando signa & sigilla sunt corporis & sanguinis Christi: sed quando ille usus cessat etiam omnis sanctitas: adeo ut servare, & illi vim sanctificantem adscribere post illa, vanæ superstitionis sit, & quæ in idololatriam degenerat.

Vers. 23. *Tantummodo persta ut non comedas ullum sanguinem, quia sanguis cujusque est ejus anima: ideo ne comedito ullius animam cum ipsius carne.*

Vers. 24. *Ne comeditote illum, super terram effundito illum, sicut aquam.*

Vers. 25. *Ne comedito illum, ut bene sit tibi & filiis tuis post te, quum feceris quod rectum videtur in oculis Jehovæ.*

β. *Restrictio*; quæ etiam vers. 16. exstat, sed heic prolixius proponitur vers. 23--25. Ejus rationem indicant Hebræi, ad nexum ostendendum. Boves & oves heic comedere debent, ut cervum & capram. De cervo comedere licuit adipem, non de bove & ove; quod ne facerent, non dixit, omne quod de cervo comeditur de eo comedetis, sed ut cervum. Porro ne concluderent uti adeps cervi &c. licitus, ita quoque sanguis, qui in bobus &c. prohibitus, itaque interdictum fuit, exprimendum. Illud heic sæpius recitatur & semper addita memorabili aliqua institutione. Est profecto interdictum istud maximi momenti. Nam quod sæpius ingeminat Deus, id utique sollicite observatum vult. Atqui septies apud Mosen legitur; simpliciter quidem quater. Lev. 3: 17. *Sit statutum æternum pro generationibus vestris, in omnibus habitationibus vestris nullam adipem, nullumque sanguinem edetis.* Lev. 7: 26. *in omnibus habitationibus vestris nullum comedetis sanguinem neque de volucribus, neque de pecoribus.* Deut. 12: 16. & cap. 15: 23. quæ simillima. Ter autem vestitum rationibus & repetitionibus. Gen. 9: 4. Lev. 17: 10. & hoc loco ubi triplex est repetitio.

1. Vers. 23. ubi interdictum cum emphasi: non solum *ne comedas sanguinem*; sed *fortis esto & tantummodo fortis esto, ne comedas.* Abstinendum est, & sollicite, ut quis sibi quodammodo vim faciat, & ut una hæc cautela sit. Dicunt Hebræi obtinuisse eam consuetudinem inter Gentiles illorum locorum, ut sanguinem libarent Diis, (atque huic etiam Israelitas admodum addictos fuisse, utpote qui in deserto Diabolis sacrificasse leguntur Lev. 17: 7.) & ut de sanguine ederent & ipsi, quo communionem cum Diis suis haberent. Contra tormentem Maris vero niti, magnum animi robur postulare, quivis novit. Sed hujusmodi robur quoque postulatur ad obsequium mandatorum Dei. 1 Chron. 28: 7. *confirmabo regnum ejus in æternum, si validus fuerit ad faciendum præcepta & judicia mea.* Sic Jos. 1: 7. Scilicet ad obsequium Deo præstandum confirmandus animus qui nullo robore adverso, vincatur aut cedat; & hac obstinatione religiosâ, circa mandatum de sanguine uti voluit Israelitas; quomodo momentum præcepti agnoscitur. Ratio est, *nam sanguis est anima*; *neque comedes animam cum carne.* Sanguis in brutis est animæ subjectum, quæ in sanguine est, & per sanguinem agit, & cum sanguine perit; adeo ut sit sanguis quodammodo loco animæ, neque quic quam animæ videmus, nisi quatenus videmus sanguinem, subjectum animæ. Atqui cibus corporis debet esse homogeneus, corpus corporalibus nutriendum; ast anima alimentum idoneum non est, quamvis non sit Spiritus immaterialis anima bruti, tamen non magis nutrire potest, quam aer, quo adhuc subtilior est. Totum animal devorandum non est, cujus partem tantum Deus concessit. Reliquam sibi soli servavit, *qui Deus spirituum omnis carnis* Num. 27: 16. *omnis spiritus vitæ, qui est in ulla carne.* Gen. 6: 17. cap. 7: 21. *omnis caro, quæ se movebat, in terrâ, reddidit spiritum, de volucribus, jumentis, feris, reptilibus, & omni homine: quisquis habuit halitum spiritus vitæ in naribus suis super modum mortuum fuit.* Adeoque partem Dei cernere videbantur qui sanguine animam vescerentur.

2. Vers. 24. *Non comedes illam* idem interdictum est; sed quid de eo faciendum? *effundes in terram ut aquam* adeoque abjiciendus, ceu nulli usui tibi futurus; non secus ut aqua effundi solet, quâ non uteris: quamquam non uti aqua effusa negligitur, sed removendus ex oculis; & pulvere operiendus. Lev. 17: 13. abhorrente visum hominis indole.

3. Vers. 25. *Non comedes illum*: rursum ingeminat: & quæ

quæ causa tot vicibus ingeminati mandati? *ut tibi & filiis tuis post te bene sit; quando feceris quod rectum est in oculis Domini.* Duo argumenta heic sunt; Posterius est, *rectum est in oculis Domini* sic facere; etsi nulla dici posset ratio præcepti, hæc una instar omnium; ita rectum censuit Deus; & quis sibi sumat cum ipso litigare? quam multa mandavit quorum rationem non novimus? Cur Adamo interdixit unius arboris fructu, qui tamen desiderabilis ad visum, & bonus ad cibum? Placuit, ipsi; & hic placitum est; una generalis ratio, explorare obedientiam, erga unicum legislatorem. Prius, *ut tibi & posteris bene sit.* Deo obedientiam remuneraturo, non tantum in præstante sed etiam in ejus liberis, Exod. 20:6. Quam multa suscipiuntur hac spe commodi, quæ mala sunt Hab. 2:9. & quanto magis id quod nil mali in se habet; ubi certissimum commodum; quod illi nunquam assequuntur.

Lev. 17:10. &c. alia ad huc sunt argumenta. *Quicunque de domo Israelis & de peregrinis illum sanguinem comederit; contra animam comedentis sanguinem ponam faciem meam, & exscindam eum è medio populi sui.* sic quoque. v.14. Eandem pœnam ponendæ faciei apud Mosen statuit contra immolantem liberos Molecho Lev. 20:5. neque amplius sic loquitur de ullo singulari peccato; ut hæc duo ceu gravissima socientur. Porro: *anima carnis est in sanguine, propterea dedi hunc vobis super altare.* &c. *propterea dixi nulla anima de vobis comedet sanguinem.* Hostiæ vicariæ sunt pro homine; corpus pro corpore; sed pro anima sanguis; Etenim nihil sensibile datur quod animam repræsentet, præstet sanguinem, in quo bruti anima hæret. Jam anima potissimum rea est: ex corde procedunt &c. Matt. 15:19. corpus duntaxat instrumentum animæ est; itaque anima potissimum luere debet; & hujus vicarius est sanguis, & hic solus sæpenumero illatus est in altare, & nihil de toto corpore, quod extra sanctuarium & ipsa castra combustum fuit, ubi nullum altare illud sanctificaturum. Quandoquidem ergo sanguis pro anima hominis rea est, quæ Deo debetur, utique non fuit comedendus; nam absumebatur quod deberet esse vicarium pro sua omnia, & reatum translatum in animam bruti deglutiendo sanguinem rursum incorporabat, adeoque renunciabat sanctificationi alienæ, & abnegabat Mediatorem; quando quod usquam repræsentabat ejus sponsoriam solutionem, ipsemet absumsisset. Nam Christus cor suum in sponsionem dedit, animam Ascham, & lytron pro multis Jer. 30:21. Esa. 53:10. Matt. 20:28. quæ typico sermone sanguis dicitur, quia anima pro anima danda; & anima non bruti, sed hominis pro anima hominis; neque enim corpus aut corporeum quid pro anima seu spiritu hominis potest esse lytron idoneum: cum justitia Dei postularet ut quæ natura peccavit, etiam pœnam ferat: quæ in anima quærenda sunt, non separata à corpore, sed in eo & cum eo, quomodo hoc ceu instrumento uti potuit. His ergo de causis Israelitis sanguis interdictus. Lev. 17:15. &c. aliud præceptum de sanguine in corpore, & cum carne comesto. *Quæcunque anima indigenæ vel peregrini comederit de cadavere, aut discerpto* (suffocatum designatur, aut alio modo mortuum, dilaniatumve citra mactationem) *lavabit vestes & corpus, & immundus erit usque in vesperam, & tunc mundus erit: si se lavare neglexerit, feret peccatum suum:* sed crimen tamen non est.

Verum heic quæstio oritur, an etiam istud interdictum ad nos Christianos pertineat? Responsum dabit Moses in primâ mentione. Gen. 9: 3, 4. Noacho & filiis ejus Deus dicit *quicquid se movet, quod vivum est, sit vobis in cibum; omne dedi vobis ut viridem herbam; solummodo carnem cum anima sua, sanguine suo, non comedetis.* Adamo Deus in cibum dedit herbas & fructus arborum, nulla animalia; Noacho dedit Deus animalia ut herbas; verum cum exceptione sanguinis, sive ille in corpore vivo mortuove esset, sive extra corpus liquidus, aut coagulatus: quemadmodum Adamo una arbore interdixit. Si quis filiorum Adami vixisset in paradiso, teneretur illa lege & libertas fuisset restricta; sic quoque filii Noachi tenentur; lex omnibus dicta, & indultus carnis hanc limitationem habet; quam nemini removere fas est. Nulla hic mentio typi, quo quis se eximat; omnia generi humano universo dicuntur. Si crudelitatis vitandæ ergo id mandatum, nihil in eo cerimoniale, & nunc non minus truculenta crudelitas viget; ut observationis eædem sint causæ: neque ulla abolendi mandati; nam abolitio non exstat, ne quidem in Novo Testamenti Act. 10:13. cum Petro in visione omnis generis animalia exhiberentur, quadrupeda, fera, reptilia, volatilia, ut sublato discrimine ciborum significaretur sublatum discrimen gentium; non tamen alia licentia datur, quam Noacho olim; dicitur enim illi, macta & ede; ut Petrum moneret, more recepto primum deducendum esse sanguinem. Act. 15. cum Judæi Christiani vellent Gentes quæ crediderant obligare ad ritus Judaicos, Apostoli instinctu Spiritus S. & ex Scriptura Gentiles inde absolvunt; sed obstringunt eos ad illa quæ antiquiora erant quæ fidelibus generive humano communiter imperata; ut abstinerent ab idolorum communione, omni, & scortatione omni, quod tempore Enoschi mandatum, quando segregati homines ad cultum Dei, ne commercium haberent cum idololatris Gen.4:26. & à scortatione, quæ inter filios hominum invalescebat. Gen. 6:4. &c. nec non à sanguine & suffocato, quæ Noacho prohibita fuerunt Gen. 9:4. Sic scribunt Apostoli *visum est nobis & Spiritui S. non esse vobis, Gentibus, imponendum ulterius onus, præter necessaria ista, ut abstineatis ab idolothytis, & sanguine, & suffocato, & scortatione; à quibus si vobis caveritis, bene facietis. Valete.* Quando ab onere omni Levitico immunes constituunt, hæc dicunt necessaria, & pari loco habent omnia, & abstinentiam bonam utilemque pronunciant. Dici quidem solet, ad tempus duntaxat ista imperata; sed id contrariatur historiæ decreti hujus; Ceremonias Leviticas nolunt Apostoli imponi gentibus, quia jugum, & onus, & tentaretur Deus, & labefactarentur animæ gentilium. Ergo etsi ad tempus tantum valuit, eousque voluerunt imponere jugum, tentare Deum, labefactare animas Gentilium; hoc est, contraria sententiæ suæ facere, & graviter peccare. Sed porro Act. 15: 30. Epistola illa Antiochiæ exhibita attulit consolationem non labefactationem. cap. 16:4. Paulus & Silas peragrantes urbes, tradiderunt eis dogmata ab Apostolis & senioribus Hierosolymæ statuta, ut observarent. Et cap. 21:24. Jacobus & Seniores illius decreti vim constantem docent, *de Gentilibus qui crediderint scripsimus, visumque nobis est, nihil istorum* (quæ Judaicorum rituum) *eos debere observare, sed ut abstineant ab idolothytis, sanguine, suffocato, & scortatione.* Quod factum cum Paulus ultima vice esset Hierosolymæ. Adeoque nequit dici hunc aliquid contrarium antea docuisse, in 1 Cor. 10:20. &c. qui tunc ostendit falso se accusari non observatæ Legis; qui 1 Cor. 9. testatur, se Judæis fuisse ut Judæum, & iis qui sine lege, ut qui sine lege, attamen legibus Christi obnoxius, & qui Spiritus Christi scita non violaret. De idolothytis autem docet omnino abstinendum esse, quandocunque ullo indicio de eo constat, quisquis etiam dixerit. Sed non inquirendum, quia in se non habent immunditiem, verum ubi cognoscitur illeusus, ex Dei mandato religiose abstinendum: & hoc quoque ultimus Apostolorum Johannes inculcat Apoc.2:14,20. De sanguine & suffocato nil scripsit Paulus unquam: ut nulla conjectura inde duci queat. *Omnia munda mundis.* Tit. 1:15. *& nihil impurum in se,* 1 Tim. 4:4. sed mandatum Dei tamen usum prohibet, ut in fructu vetito, in cibo omni prophetæ illi 1 Reg. 13. in iis quæ sancta erant Israelitis. Manet ergo interdictum; quod olim à Christianis religiose observatum adeo ut hoc argumento confutarint calumniam, quod in cœtibus nocturnis mactato infante aliquo sanguinem ejus haurirent; Tertull. Apologet. cap. 9. *Erubescat error vester Christianos, qui ne animalium quidem sanguinem in esculentis habemus; qui propterea quoque suffocatis & morticiniis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur, vel vera viscera sepulto, &: quale est, ut quos sanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhilare credatis?* Minutius Felix in Octavio, *tantum ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus.* Biblis martyrium tolerans dixit, *Multum erratis, ô viri, quod putatis infantum visceribus vesci eos, qui ne mutorum quidem animalium sanguine utuntur.* Euseb.lib.5. cap. 1. Sic veteres Doctores, præter Augustinum omnes; sic Synodi variæ, quæ ad divinum mandatum circa sanguinem & suffocatum provocant, & contra facientes clericos deponendos, laicos segregandos statuunt. Leo Basil. Imp. A. C. 88. constitutione 28. idem sancivit observandum, sub pœna flagrorum, exilii & confiscationis bonorum. Concil. Gangrense A. C. 325. can. 2. Aurelianense II. sub

Vigilio Papa circa annum 550. can. 20. Constantinop. VI. in Trullo, A.C. 681. canon. 63. Quin adhuc A.C. 850. obtinuit, ut certum pœnitentiæ tempus servaret qui Apostolicam hanc legem fuisset prævaricatus. Rabanus Maurus in pœnitentiario. Et sunt qui A.C. 1120. Pomeranis ad fidem conversis idem imperatum testantur. Attamen paulatim in Occidente neglectum fuit; quamquam Æthiopes, & Orientales Ecclesiæ multæ, Græcæque, quibus Moscovitæ annumerandi, adhuc observant illam abstinentiam. Quæ quantis nitatur fundamentis unicuique meditandum commendamus, ut quivis agat, de quo in animo suo plene, persuasus fuerit. Consuetudo annorum 500. aut 600. non debet præponderare mille annis præcedentibus, quibus Apostilica constitutio fuit religiose observata; neque 2300. annis ante, ex quo Noachidæ jus consecuti sunt vescendi carnibus sub hac exceptione sanguinis. Sane Deus qui faciem iratam positurum se dixit contra violantem hoc interdictum Israelitam, & benedicturum illi & posteris si hanc reverentiam detulisset Deo mandanti, dispensationem suæ iræ & misericordiæ forsitan etiam nunc ostendet, prout volentes & destinato consilio leges illas exceperimus. Nam est ratio aliqua singularis Christianis. Nullus sanguis pabulum idoneum corporis, quia anima est: neque etiam ullus humanæ animæ pabulum præbet præter sanguinem Christi; Joh. 6:63. unde hunc unum fide bibendum mandavit, proinde in orali manducatione, brutali abstinendum, sanguinem etiam nunc, ut omnem illum credere nos inutilem ipsâ aversione testemur.

Vers. 26. *Sed res sacras tuas quæ tuæ* erunt, *& votiva tua, sumito, ut venias ad locum quem elegerit Jehova.*

Vers. 27. *Et paratis holocaustis tuis, carnem cum sanguine eorum* adoleto *in altari Jehovæ Dei tui; sacrificiorum vero tuorum* aliorum *sanguis effunditor in altari Jehovæ Dei tui, & carnem comedito.*

b. *Votivâ.* vers. 26. &

c. *Holocausta*, nec non *Eucharistica* vers. 27. si quæ talia habere velit, quantumcunque remotissimus vixerit, debebit offerre loco à Deo delecto nusquam alibi, & istic sanguinem in altare effundere, & carnes vel comburere vel comedere, quomodo desuper definitum est: & jam vers. 14, 17. &c. declaratum quoad propinquiores, à quibus heic nihil dissentaneum conceditur remotioribus.

Ita nihil concedit hominibus ut propter incommodum aliquod mutent suas constitutiones. Facit liberum ab ejusmodi externis abstinere; sed vetat aliquid mutare. Quod ipsum sollicitos reddere debet, ne quid facile variemus, uti quidem illi, qui fractionem panis in S. Cœna, qui poculum Laicis abstulerunt.

Vers. 28. *Observa ut auscultes omnibus verbis istis quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi & filiis tuis post te usque in seculum, quum feceris quod bonum & rectum videtur in oculis Jehovæ Dei tui.*

Subjungitur generalis *Clausula* vers. 28. cujusmodi jam vers. 25. abstinentia à sanguine apposita est, promissio felicitatis hæreditariæ. Sic quoque hic. Obsequium Deo præstitum in quibuscunque præceptis ejus sive rationem intelligamus, sive non, proficua est. Nunquam ille quicquam mandat in quo non sit summa sapientia, etsi nos nesciamus aut non capiamus, aut summa nostra sapientia obedire sapientissimo, & potentissimo, tum in pœnis reprobantium voluntatem ejus, tum in præmiis sancta admiratione se subjicientium; ut hoc faciendum sit, ad felicitatem æternam.

Quum David Arcam fœderis Hierosolymam transferre constituisset, vice primâ imposuerunt eam currui novo; sed bobus cespitantibus manum Uza extendit, retenturus arcam, sed percussus à Deo concidit mortuus, quia arcam attigerat: 1 Chron. 13:7. Secuti fuerant exemplum Philistæorum, quando remiserunt Arcam, currui impositam vacuis lactantibus trahendam permiserunt, quæ nusquam impingentes iverunt ad Bethsemitas usque. Atque aliud mandarat Deus circa translationem arcæ de loco in locum, videlicet ut humeris Sacerdotum ferretur. Num. 4:15. Quod David agnovit, & errorem correxit 1 Chron. 15: vers. 13. jubet Sacerdotes arcam portare, *Nam quia hoc non factum à vobis, antea Dominus Deus noster ruptu-ram inter nos fecit, quia eum non quæsivimus*, כמשפט **na 't recht** / *juxta morem*, à Deo definitum, Scilicet Deus non solum cultum suum definivit ab hominibus præstandum, sed etiam circumstantias cultus, quo omnem ἰδιολοδρησίαν removeret, nihil permittens hominibus quod essentiale foret, imo & quod circumstantiale siquidem declinaret ad ritus idololatricos. Quanquam superstitio imitaretur cæremonias veræ religionis, tamen non passus est Deus ut vera religio fieret simia superstitionis. Quicquid idolatrarum superstitio ad cultum divinum fecit, id didicit à Dei institutis, & piorum factis, sed quibus postea, ex suæ sapientiæ vanitate multa addiderunt, utpote in externis omnem religionem constituentes. Sacrificia didicerunt ab Adamo & filiis ejus, qui cum ex fide obtulerint, utique verbum Dei habuisse certissimum est. Sic Noach in altari obtulit, Abraham jussu Dei in monte, & quidem filium, similiaque; & hæc imitati Gentiles varie auxerunt & corruperunt. Ast Deus noluit quicquam disci à Gentibus & idololatris, quasi ipsorum sapientia suam emendaturus; qui solus sapiens nihil facit aut facere potest, quam quod sit sapientissimum, adeo ut stultum Dei sit sapientius quam homines. 1 Cor. 1:25. quamvis homines ceu stultitiam condemnent, longe tamen excedit ipsorum sapientiam, qui vani facti sunt in suis ratiociniis, & se venditantes pro sapientibus stulti sunt facti, & cor ipsorum insipiens obtenebratum est Rom. 1:21. &c. Istud liquet ex Mosis institutione præsenti, qua Israelitas hortatur ad amorem Dei, etiam externis actibus demonstrandum, sed ut in circumstantiis nihil permittat imitationi aliorum hominum, sed moderetur omnia voluntate divina. Fecit istud circa Locum cultus, ne deligerent qui placuisset gentibus, sed sequerentur delectum Dei, & illo in loco atque ibi solum sacrificia offerrent, & votiva comederent. vers. 1--28.

Vers. 29. *Quum exciderit Iehova Deus tuus à facie tua gentes illas quo mox ingressurus es ad possidendum eas jure hæreditario; & hæreditario jure possidens eas habitabis in terra earum.*

Vers. 30. *Cave tibi ne sequendo eas illaqueeris, postquam perditæ fuerint à facie tua; & ne exquiras de diis earum, dicendo, quomodo coluerunt gentes istæ Deos suos; ut sic faciam ego quoque.*

II. Jam idem agit circa *Modum cultus.* Ne sit ad exemplum Gentilium vers. 29. cap. 13, 18. Sed qui deceat ipsos cap 14:1. cap. 15:23.

A. *Modus cultus non debere esse Gentilium more*, docetur vers. 29--32. Adeoque non audiendos nec ferendos, qui istud suadere sustinent cap. 13.

a. *Modum cultus Gentilium more non instituendum esse* dicitur reliquo capite, uti I. quid cavendum vers. 30. II. cur cavendum vers. 31. III. quid faciendum. vers. 31.

Præmittit autem vers. 29. descriptionem temporis & loci *Quando exciderit Dominus Deus tuus à facie tuâ gentes, quas abis hæreditaturus, & hæreditabis eas, & habitabis in terra ipsorum.* Similia dixit vers. 10. & cap. 7:1. & alibi sæpius ista repetuntur. Non eo sensu, quod hæc solum in Cananæa sint observanda, ne imitatores sint Gentilium, & quod extra Cananæam, liceat vivere gentilium more. Falsissima est ista collectio; quando Judæi in Babel cogitationes istas volvebant animo, se fore ut gentes & nationes, colentes lignum & lapidem. Ezek. 20:32. Deus gravissime indignatur. Deus rex est totius terræ Ps. 47:8. adeoque in omni loco colendus est ita uti mandavit, quia ubique in suo territorio habet homines, neque impune quis ullibi se illi non parere cogitet. Definitio ista loci respicit certam cultus speciem, puta sacrificia, quæ extra sanctuarium, quod unicum

cum, non potuerunt offerri; & in illis mos gentilium non ſequendus in terrâ, multò minus extra terram, ubi ne quidem ritus à Deo præſcripti fuerunt uſurpandi. Verum quod alios mores Gentilium attinet religioſos, illos imitari non licet. Sic hortatur Judæos Chriſtianos Petrus 1 Pet. 9: 23. (*Sufficit nobis præcedenti tempore vitæ voluntatem gentium feciſſe, & ambulaſſe* &c.) non amplius ſecundum cupiditates hominum, ſed ſecundum voluntatem Dei tempore in carne reliquo vivendum, nam (ſufficit &c.) Pariter Chriſtianos Gentiles hortatur Paulus Eph. 4: 17. &c. *dico & obteſtor in Domino, ne amplius ambuletis ut cæteri Gentiles* &c. Deus etiam Gentium Deus Rom. 3: 29. dominatur ſuper Gentes Pſ. 22: 29. itaque ejus ſolum legibus vivendum, ut & nos ſimus ipſi populus, & agnoſcamur differenti ambulatione, prætendentes ſermonem vitæ Phil. 2: 15. &c. Cæterum in iſtis verbis ſunt argumenta ſpecialia ad convincendos Iſraelitas: *Gentes illas exſcindet Dominus Deus tuus*, ut vacuam tibi faciat poſſeſſionem, & hanc tu occupabis & poſſidebis. Omnia tibi conſient à Deo; nihil tu facies per te ipſum, ut tibi ſoli debeas poſſeſſionem illam, eoque habeas jus agendi pro tuo lubitu; nihil tibi concedent Gentes, ut viciſſim iis gratificare debeas; nam fuit à Deo obſirmante cor Cananæorum ne pacem facerent, ſed bello ſe ad extremum tueri vellent Joſ. 11: 19. &c. inde non potes declinare obſequium Dei, qui in terra à ſe occupata, plenum jus imperandi habet, eſtque tibi tantum obſequii gloria relicta. Pariter ubicunque degimus, & quæcunque, poſſidemus, Deus nobis paravit; quamquam intercedat etiam noſter labor, tamen ab illo non pendet ſucceſſus, Pſ. 127: 2. Dei benedictio ditat, & ejus aperta manus ſatiat ſuo beneplacito: Prov. 10: 22. Pſal. 145: 16. Quamobrem non nobis quicquam juris manet. Domini eſt terra & plenitudo ejus Pſ. 24: 1. in ea plenitudine & nos ſumus & quæ noſtra: cujus demonſtratio Pſ. 90: 3. facis hominem redire ad contritionem, diciſque revertamini filii hominum. Sic ſumus ſub Dei poteſtate ut ipſo jubente viniamus, & abeamus, volentes nolenteſve: idcirco ſtudendum ut ceu ſervi proximæ admiſſionis, ipſo dicente hoc facite, id faciamus, Matt. 8: 9. & facientes humili obſequio ipſi placeamus, & hîc habeamus bonam conſcientiam, & tandem ingrediamur in gaudium Domini noſtri.

a *Quid cavendum* verſ. 30. explicatur,

a Generaliter quidem, *Cave tibi*, (cuſtodi temet ipſum,) *ne illaqueeris pone illos, poſtquam perditi fuerint coram facie tuâ.* Sollicitudinem commendat, ne exemplo iſtorum populorum moveantur ad imitationem. Sed id non dicit ſimpliciter, verum utitur emphaticis verbis, quibus tum vis, tum damnum exempli imitandi declaratur: in illo laqueus, & imitantes laqueo illo implicantur ut exire nequeant, ſed ſerventur aucupi ad cædem. Habent exempla mala in ſe laqueum, & qui inter ea, & pone ea ambulat, capitur facillime. Pſaltes quando ſe periculoſiſſimo loco conſtitutum queritur, commemorat laqueos, Pſal. 140: 6. Pſal. 142: 4. Hoc modo ſe habent exempla idololatrica, imo quævis mala. Diabolus auceps ea proponit; eſt in iis aliquid quod alliciat, eſca cupiditati ſtolidæ; & inſuper quod intricet & conſtrictum teneat; quod quidem occultari ſolet, ne appareat & caveatur. De peccatoribus dicitur, 2 Tim. 2: 26. quanta hæc calamitas, etſi non ſentiant dormientes; Luc. 21: 34. nam niſi eximantur, tandem necabuntur. Sive vigilent ſive dormiant. Laquei ejus etiam varii, Eccl. 7: 25, 26. Prov. 7: 23. Idololatriam hîc commemorat Moſes, ſed etiam Ebrietas idololatria eſt, Hoſ. 3: 1. & avaritia Col. 3: 5. & venetris cura Phil. 3: 19. & ambitio Hab. 1: 11. & amor mundi univerſim, qui adulterium Jac. 4: 4. Jam hîc cavendum eſt, Prov. 1: 17. Videntes laqueum cavebunt aves, & hâc cautione opus eſt, videndi nobis laquei, & aliis quoque oſtendendi Heb. 3: 12, 13. Imo quod avibus impoſſibile, non tantum animadvertendi laquei, ne quis implicetur; ſed etiam removendi. Hinc adhortationes. Exod. 23: 33. *non habitabunt Cananæi in terra, ne faciant te peccare contra me; Si colueris Deos eorum, revera erit tibi in laqueum.* Sic cap. 24: 12. Deut. 7: 16. 25. Quæ cura Magiſtratuum eſt. Ita Hizkias, Joſias, removerunt idololatrias & inſtrumenta idololatriæ, nec non lupanaria & meritorios; quomodo, cautum fuit publice, ne quis illaquearetur, 2 Chron. 34. v. ult. Amos. 3: 5. Privatim autem unicuique avertendi oculi ne videant vanitatem, & quando impii poſuerunt laqueum, ne aberret à mandatis Dei Pſ. 119. v. 47. 119. ad quod ipſum Dei auxilium poſtulandum, ut anima noſtra evadat uti avis ex laqueo aucupis; laqueus ſi frangatur, evademus nos; auxilio Nominis Dei, qui fecit cœlum & terram, Pſ. 124: 7; 8.

Moſes addit *argumentum* ad perſuadendam cautelam; *cave ne illaqueeris, poſtquam perditi ſunt.* Siquidem oculos tantum aperiatis, videbitis illico nationes iſtas eſſe perditas juſto Dei judicio, ſive in totum, ſive ex parte, (quia non conſultum vobis ut omnes ſimul deſtruantur,) & hic intuitus tantum valere apud vos debet, ut nolitis imitari. Nam idem exitium metuendum eſt; in eandem perniciem Deus vos quoque præcipitabit. Idololatria & impietas omnimoda exidit Cananæos, hac de cauſa exſpuit eos terra; & non diffitemini, juſte iſtis hæc eveniſſe. Verum quod ipſi paſſi ſunt propter actiones malas, patiemini & vos ſiquidem actionum iſtarum fueritis imitatores. Exemplum exitii ad deterrendum longe efficacius eſſe deberet, quam voluptatis ad alliciendum, 1 Cor. 10: 5. &c. Apoſtolus ab imitatione Iſraelitarum peccantium cupiditate, idololatria, ſcortatione, tentatione Chriſti, murmuratione dehortatur uno argumento calamitatum quibus propterea in deſerto afflicti & propemodum attriti fuerunt. Atqui quam negligens ſuæ ſalutis eſt genus humanum; monſtrata fovea cum hortamento ut caveant, ut intueantur in eam ante lapſos, non valet ſæpiſſime ad cohibendos; ruunt impetu per eandem viam, ut tandem & ipſi in eandam foveam præcipitentur. Jer. 3: 5. &c. Sic Judæ exprobratur, quod nec Sodomæ nec Samariæ exitio fuerit deterrita à ſimilibus peccatis. Ezek. 16: 49. &c. Epulo in inferno hanc concionem fratribus proponi optat, quid ipſe patiatur, ne velint agere, quod ad eam conditionem ſe deduxiſſet. Luc. 16: 27. &c. Sed non mittuntur teſtes ejuſmodi ex mortuis; habemus longe certiorem, Jeſum Chriſtum, Luc. 23: 3. &c. niſi reſipueritis, pariter peribitis.

Specialiter autem, *& ne inquiras de diis ipſorum, dicendo, Quomodo* (איכה) *ſervierunt Gentes iſtæ Diis ſuis? & faciam ſic etiam ego.* Docet hic quæ ratio illaqueationis iſtius, reſpectu Iſraelitarum. Curioſitas, ut ſcire velint, & quos habuerint Deos, & quomodo fuerint culti: atque tunc ſequitur approbatio, & imitatio. Non dicit Conſilium imitationis anteceſſiſſe, & hac propter inſtitutam cognitionem; ſed primum meram eſſe curioſitatem, hanc vero dum explere ſatagunt, incidere in amorem, & praxin ejuſdem idololatriæ. Num. 25: 1. &c. Moabitæ ex conſilio Bileami invitarunt populum ad victimas Deorum ſuorum, & populus comedit & ſcortatus eſt, & inclinavit ſe coram Diis ipſorum: Sapientiſſimus hominum Salomo ſic lapſus eſt, Uxoribus idololatris permittit cultum, permiſſum intuetur, & viſum minus odit, tandemque amat & exercet 1 Reg. 11. cap. Sic Amazia Deos Edomitarum videt, & delectatus illis eorumque cultu, veneratur deinceps 2 Chron. 25. v. 14. &c. [& Achaz viſo altari Damaſceno ſimile confici curat, & illud præfert altari Salomonis 2 Reg. 16: 12. &c.] Act. 17: 16. &c. Athenienſes curioſiſſimi volebant omnia ſcire, & hinc fuere ſuperſtitioſiſſimi, adeo ut omnium Deorum notitiam non ſolum habere, ſed etiam cultum exercere vellent. Ignoto quoque Deo aram collocantes, ne quod numen neglexiſſe viderentur. Eſt hoc vitium Curioſitatis vere Religionis ſinceræ peſtis maxima. Uti olim Iſralitæ, ſic poſt Chriſtiani in errores graviſſimos prolapſi ſunt. Si cultum ſpectemus, unde corruptela emerſit in Eccleſia Romana? Dum intuentur Gentilium ritus; amâre cœperunt, & mox imitari: adeo ut ſi Romani; qui ante Chriſtum natum vixerunt, ea viderent, agnituri eſſent ſuam ſuperſtitionem reſtitutam eſſe: quemadmodum id ab aliquibus oſtenſum eſt, quantopere Pagana ſit Roma, utpote ab Ethnicis plus habens, quam a Chriſto & ejus Apoſtolis, nomina ſi excipiamus. Hujuſmodi curioſitas eſt eorum qui omnem ſuperſtitionem veterem ſtudioſiſſime inquirunt, & in eo labore toti verſantes, non quidem ad eam amplectendam moventur, ſed diverſitatem infinitam, tum quoad Deos innumeros, tum quoad cultum eorum, cognoſcentes, in atheiſmum labuntur, & omnem religionem deridiculo habent, ut confictam commodi alicujus gratia, ut plebs contineretur ſub metu aliquo: quomodo Leo X. dixit fabulam de Chriſto, quæ tantum profuiſſet. Talium curioſorum generatio magna eſt, & diffuſa longe lateque. Rurſum, quantus

numerus eorum qui curiositate sola fuerunt seducti ad apostasiam; & Romanenses hac arte potissimum alliciunt homines; ut saltem videatur quanta pulchritudo imaginum, quanta voluptas aurium, quanta devotionis species, & quicquid alere cupidinem istam cognoscendi potest. Paulus de hoc vitio agit 2 Tim. 4: 3. &c. *Erit tempus quando sanam doctrinam non ferent, sed prurientes auribus congregabunt sibi doctores secundum cupiditates proprias, & auditum avertent a veritate & convertent ad fabulas.* Factum istud jam olim inter Judæos, quærebant gloriam alter ab altero, ut scirent, quid hic, iste, ille; Magister statuisset; neglecta, quam scrutandam Christus jubebat, Scripturam Joh. 5: 44. 39. uti & olim Jer. 8: 8, 9. Sed idem futurum prædicit. Mera curiositas est, quæ à simplici veritate abducit; ingenium instabile, omnia scire volens, licet nullum ejus sit commodum, præter vanam illam multiplicis scientiæ gloriam. Quam multi sunt qui omnes religiones mundi nosse optant, & quicquid ab ullo hæreticorum fuerit creditum, qui dum de falsis inquirunt, negligunt veram; & refutationes ab hominibus discentes nesciunt, quid Scriptura doceat, unde & hactenus proditi errores, & quotquot futuri sunt, refutari non solum possunt, sed etiam debent. Quibus non desunt exempla, qui dum curiose inquirunt in falsa, ut ea refutent, quia vana curiositate, & superbia ingenii agebantur, ipsimet capti fuerint, Deo eos deserente, & veritatis fecerint naufragium. O quam necessaria cautela igitur, *Cave ne inquiras* &c. Rom. 12: 3. Ignorati errores neminem decipient, neque officient saluti. [Quibus pugnandum contra est, illos quidem nosse debent, sed ut dispiciant non quomodo paribus armis ad gloriam aucupandam pugnent; verum quomodo gladium spiritus ancipitem rite tractent, & arma potentia per Deum, quæ dejicere munimenta ratiociniorum & cogitationes Christo subjicere valeat; quod erudita sapientiæ humanæ verba: nunquam conficient.] Verum cognovisse verum Deum & quem misit Jesum Christum, quæ revelatio in Scriptura facta est, facit ad vitam æternam Joh. 17: vers. 3.

Vers. 31. *Ne facito sic Jehovæ Deo tuo: nam quicquid abominationi est Jehovæ, quicquid odit fecerunt diis suis, cum etiam filios suos & filias suas comburant igne* offerentes *diis suis.*

b *Cur cavendum* v. 31. gemina ratio est. *Non facies sic Deo tuo.* Idem dixit v. 4. ibi respiciebat locum cultus; sed hoc modum. Poterat hinc quæri prætextus curiositatis. Inquirimus in mores gentilium religiosos, non ut idola eorum colamus, sed quod rite ab iis fieri videmus, id usurpemus ad decentiorem cultum veri Dei. Sic vituli Aaronis & Jeroboami more Ægyptiorum erecti, non ut Apim colerent, sed Deum Israelis. [Achaz 1 Reg. 16: 12.] Est in hoc grande crimen: nam volunt emendare ordinationes Dei, & quasi longe forent sapientiores, augere decus & Zelum. Hinc convincuntur Pontificii, quorum tota religio hoc modo consarcinata est, Quicquid gentilibus pulchrum ipsum est, mutato solum nomine fecerunt Christianum; Uti illi semideos habuerunt, ex bene meritis hominibus, & Deos minores, quos adirent proxime, ne summum Deum importunitate fatigarent: sic Angelos isti & defunctos Sanctos ad eum honorem evexerunt; quemadmodum illi suis diis templa altaria, festa statuerunt, sic & isti. Ad istorum morem, & Pontifex Maximus est, & Sacerdotes varii ordinis, & virgines vastales. Circa quæ hæc una excusatio, se Deum verum colere. Atqui Deus sic coli non vult; neque ablegavit, ut ab ignorantibus Deum discamus, & quod illi suis idolis fecerunt, ipsi faciamus. Sic corrumpitur cultus Dei. Nostrum judicium non est mensura legitima; Id ipsum displicet quod idolis tributum fuit, quantumcunque nostris oculis placeat: neque hanc opinionem allegasse, apud Deum nobis patrocinabitur. *Non facies sic Domino Deo tuo.* Qui ne quidem communi cum idolis nomine appellari sustinet, Hos. 2: 15. multo minus ad ipsorum vult coli morem. *Dominus Deus tuus* est. Itaque non ab aliis, sed ab ipso leges vivendi & serviendi accipere debes. Alieni servus agnoscaris in ejus domo, qui alieno modo servis, & hoc modo mereberis non gratiam, sed iram & vindictam. Nam huc facit altera ratio. *Nam quicquid abominatur Deus, quod odit, fecerunt Diis suis; adeo ut etiam liberos suos iis combusserint.* Qui posset placere Deo, quod odio ipsi fuit cum fieret gentilium Diis? Legatur Ezek. 16. & 23. & res patebit. Unico, sed illustri exemplo id probat, combustorum liberorum, quod factum Molecho; & idem factum ab Israelitis. Ps. 106: 37. &c. Et unde id abominetur Deus, qui πεγλὼ in liberos implantavit parentibus? Jer. 7: 31. cap. 19: 5. Tantoque gravius id fuit in Israele, quia cum essent fœderati Dei, qui Deus ipsorum & seminis quoque Gen. 17: 7. non suos solum, sed Dei liberos combusserunt. Ezek. 16: 20. &c. *Filios tuos filiasque accepisti quas mihi pepereras, & obtulisti ipsis ad consumendum; An parum est scortationum tuarum; quod liberos meos mactaris, & illis tradideris?* Verum habemus quoque locum, ubi tales hostias Deo placando voluissent offerre Mich. 6: 6, 7. Qui vero delectaretur Deus hoc cultu; placet ille Diabolo, qui homicida Joh. 8: 44. ast Deus est custos hominum. Joh. 7: 20. qui φιλανθρωπία habet Tit. 3: 4. & ut homines à morte servaret proprium filium sponsorem dedit. Joh. 3: 16. Enimvero nunc etiam aliquid analogum admittitur. Uti Romani gentiles virgines vestales idolis suis sacrarunt ad perpetuam virginitatem, sic & moderni Romanenses faciunt Deo: sed quo non magis colitur, quam istic, & plerunque comburuntur igne libidinis, ut Diaboli fiant præda. Cavendum ergo tanto magis, ne quid simile à nobis fiat, provocaturum Deum.

c. *Quid faciendum?* vers. 32. dicitur, *Omne istud verbum, quod vobis præcipio, id custodietis ut faciatis; non addetis ad illud, neque demetis de illo.* Hic ostendit remedium ad evitandos omnes laqueos, omnia incitamenta peccandi; custodia mandati divini ad obsequendum. Qui jugiter ad illud attendit, & ad regulam istam componit vitam suam, non habet otium vel cognoscendi, vel observandi alienam, eique contrariam regulam, Ps. 119: 9. Custodita via est in puritate, quando ad legem Dei exigitur. vers. 11. Ps. 1: 2. declinat ab omni consortio & conformitate peccatorum, qui meditatur cum voluptate legem Dei. Rom. 12: 2. Abstinet à conformitate mundi, qui voluntatis divinæ cognitionem sectatur; imo idem ἀκριβῶς ambulat Eph. 5: 15. &c. Et magnum momentum habet, *non addes, neque demes.* Istud jam dixit Deut. 4. 2. Sed nunc repetit, ut doceat, regulam verbi divini esse perfectissimam, nam tale est quod augmenti & imminutionis non est capax; alterutrum arguit imperfectionem; uti monstrum est hominis à nativitate, & perfectione destitutus, qui vel tria brachia, sexve digitos habet, vel brachium unum tantum, digitosque quaternos aut pauciores in manu. Quandoquidem autem ea est perfectio utique nemo debet præsumere, ut quid addendo, vel demendo mutet; quomodo eam Legem imperfectionis arguet. Deum insipientiæ accusabit, ceu ignorantem justitiæ, vel injustitiæ ceu invidentem necessariam informationem. Atqui Deus solus sapiens, solus Legislator; Ast familiare admodum aliter agere; Additur ad verbum Dei, quando alia præter illud ejusdem autoritatis statuuntur; quemadmodum Pontificiis conciliorum scita, dicta Patrum, Pontificum decreta æquantur. Sic ab iis qui humana placita nomine Normæ secundariæ insigniunt, & sic respici volunt. Et quod ad vitam, quando plura agere volunt quam mandavit; uti Pharisæus Luc. 18: 11. &c. Infinita ejusmodi sunt quæ hoc pacto addiderunt; quibus semper responsio parata est, quis ista requisivit à manibus vestris? Non debemus sapere supra id quod scriptum est, 1 Cor. 4: 6. Sed & ab altera parte nihil demendum. Sunt qui addunt; qui strictiorem regulam sibi fingunt, aut imponi sinunt. Verum longe plures, qui demunt; qui dispensant se à multis, ceu sibi non necessariis, & si satisfaciant sibi quoad eam laxitatem, jam se egregie rem gessisse rentur. Sed Jac. 2: 10. *qui observat omnia, & delinquit in uno,* etiamsi sibi persuaserit licere diminuere, *reus omnium est,* & violavit autoritatem legislatoris. Caveamus itaque & stricte sequamur legem Dei; Obedientia sincera, nec dextrorsum declinat, nec sinistrorsum. Ps. 119: 128. *Mandata tua in omnibus pro rectis reputavi, & omnem falsam semitam odi.* Optandum vers. 5, 6. *Utinam viæ meæ directæ essent ad custodiendum statuta tua; tum non pudefiam, quando observavero omnia mandata tua.*

CAP.

CAP. XIII.

SEducendo hominem duo dantur magiſtri, intrinſecus & extrinſecus. Intrinſecus eſt homo ipſe, Jac. 1:14. nam *cor hominis eſt fraudulentum, & quis novit illud?* Jer. 17:9. Extrinſecus eſt unuſquiſque qui decipiendo perſuadet id quod malum eſt; ubi Archididaſcalus Diabolus, qui primus ſua aſtutia & mendacia ſeduxit mulierem 2 Cor. 11: 2. & hypodidaſcali ejus infiniti, quotquot ipſe adhibet inſtrumenta, quemadmodum ſpiritus mendax omnibus prophetis Achabi uſus fuit. Omne ſemen ſerpentinum, ſive inter angelos Satanæ, ſive inter homines reperiatur. Itaque ne quis ſeducatur, quia ſeductio ad damnum & perniciem ſeducti inſtituitur. gemina cautione opus eſt, contra ſemetipſum, & contra alios. Exemplo ſit libido: ſeipſum quis caveat oportet. Matt. 5: 28. Hinc Job. 31: 1. Caveat etiam blanditias externas. Prov. 7: 21. &c. unde hortationes frequentes ne quis ſe patiatur ſermonibus geſtibuſve ejus inflecti. Eadem eſt ratio ſcortationis ſpiritualis: à ſeipſo quis ſeducitur. Job. 31: 26. &c. Unde monitum Deut. 4: 19. *cave ut attollas oculos in cœlum, & intuearis ſolem, lunam, ſtellas, totum exercitum cœlorum, & impellaris ut incurves te illis, & colas.* Seducitur & ab aliis, quemadmodum Iſrael ab Ægyptiis, Cananæis, aliiſque populis vicinis idololatriam didicit. Contra utrunque deceptionis modum inſtruit Moſes populum, ut idololatriam omnem caveret, neque Gentium aliarum more cultum Dei inſtitueret. Contra ſemetipſos cap. 12: 30. Illaqueatur aliquis curioſitate; Lectione vanorum & laſcivorum librorum homines vani laſcivique redduntur; & curioſitas circa idololatriam ad amorem & praxin ineſcat. Curioſitatem ergo prohibet Deus, uti etiam Lev. 19:4. *ne reſpicias idola*; ipſam figuram idoli intueri vetitum dicunt Hebræi, ne ullo modo affectus pelliciatur, & Num. 15: 39. *ne exploretis* (ſpooren) *poſt cor veſtrum & poſt oculos veſtros, poſt quæ ſcortamini.* Cor ſciendi avidum oculis utitur, & intuitu oculorum, & cordis meditatione peccatum allubeſcit, ut patretur voluntate, & tandem ipſo quoque actu.

Verſ. 1. *Quum ſurgens in medio tui Propheta, aut ſomnians ſomnium, ediderit tibi ſignum aut prodigium.*

Verſ. 2. *Quamvis eveniat ſignum illud aut prodigium quod prædixerat tibi dicendo, ſequamur Deos, alienos quos non noveras, & colamus eos.*

Verſ. 3. *Non auſcultato verbis Prophetæ iſtius, aut iſti ſomnianti ſomnium: quia tentat Jehova Deus veſter vos, ad cognoſcendum an ſitis amantes Dei veſtri ex toto corde veſtro, & ex toto animo veſtro.*

1. Contra alios inſtruit toto hoc capite 13. Heic vero triplicem cautelam dat, quandoquidem deceptio extrinſeca triplici modo perſuadetur, Dicentis I. autoritate verſ. 1-5. II. amore, verſ. 6-11. III. multitudine verſ. 12-18. de ſingulis agit.

a. *Autoritatem* ſuadentis non debere permovere primo loco docet, atque heic occurrit. I. Suadentis perſona & autoritas, argumentum ſuadendi, res quam ſuadet verſ. 1, 2. II. Audientium officium quoad ſuaſionem verſ. 3, 4. & ſuadentem. verſ. 5.

a. *Suadentem* quod attinet,

α. *Perſona* deſcribitur à munere. *Propheta*, Græca vox, quæ futurorum prænuncium denotat: Hebr. נביא id proprie non dicit. Abraham, qui primus ſic appellatus Gen. 20:7. nunquam de futuris vaticinatus legitur; uti nec Iſaac, cui idem titulus datus fuit. Pſ. 105: 15. Sed notat eum qui de Deo & ejus cultu alios docet publice; quemadmodum Abraham, qui quocunque venit excitato altari invocavit, ſeu prædicavit nomen Domini; & quotquot eo venerunt de viâ Dei erudivit; Cæterum iſti Doctores ſunt vel Ordinarii, qui ordinario modo inſtituebantur; quemadmodum filii prophetarum, eorum diſcipuli, quorum cœtum habuit Samuel 1 Sam. 19: 20. & ſic in pluribus urbibus 2 Reg. 2. & fungebantur munere ordinario, ut prophetæ Hieroſolymæ Jer. 23: 14. &c. cap. 26: 7. &c. vel extraordinarii à Deo immediate excitati, Amos. 2: 11. Num. 12: 6. *Si fuerit inter vos propheta, Ego Dominus per viſionem me illi notum faciam, per ſomnium alloquar eum.* Viſiones quidem ſunt, quæ vigilantibus ſive in ecſtaſi, ſive citra eam exhibentur; cujuſmodi fuere viſiones Ezekielis, Danielis, aliorumque, uti & Petri, Act. 10: 10. &c. Pauli 2 Cor. 12: 1. &c. Johannis Apoc. 1: 4. ſeqq. Somnia vero, quæ dormientibus exhibentur imagines, quas ſe videre putant, cum tamen ſolum in imaginatione ſint, dum corpus per ſomnum ad actiones ſenſuum ineptum eſt. Sunt autem ſomnia varii generis; Naturalia quæ vel ex recordatione diurnarum actionum oriuntur, vel ex temperatura corporis; utraque vana, quia nihil veri in ſe habent; iſta tamen obſervanda quandoque medicis, ut de temperamento judicent; nam melancholici triſtia ſomnia habent, pugnas, cædes: phlegmatici aquas & natatus. Præternaturalia vel Divina ſunt, quæ Deus immittit, ut Jacobi, Pharaonis, Nebucadnezaris, uxoris Pilati: vel diabolica, quando diabolus in ſomnio quandoque nonnulla repræſentat, quemadmodum oracula ejus generis fuerunt apud gentiles: qui poſt certos ritus loco ſacro dormientes captabant ſomnia. Hoc loco ſomniatoris etiam fit mentio. Intelligitur ergo per Prophetam non extraordinarius ſive à Deo, ſive à Diabolo exitatus, ſed ordinarius, qui in populo muneris ſui ratione notus, & hacpropter autoritatem dicendi haberet. De hoc utroque teſtatur, quod ſit de medio ipſorum, qui in Eccleſia ipſorum inde ab origine vixiſſet, ut generis ſic religionis conſortio conjunctus.] Ait enim porro vel *ſomnians ſomnium*, qui ordinariæ cum ſit vocationis, extraordinariam quoque jactaret, & revelationem immediatam voluntatis Dei, cujus foret interpres, quo tanto majori autoritate loqui poſſet, & tanto religioſius audiretur. Iſtud factitaſſe liquet ex Jer. 23: 25. &c. Hujuſmodi Somniatores intelligit; non quod olim aliquando veras viſiones & ſomnia à Deo habuerint, uti aliquando Bileam; ſed ſomnia quæ huic doctrinæ autoritatem addant, quæ non ſunt divinæ, ſed mendacia, ſive in ſe, figmenta mera; ſive ratione finis; à Diabolo immiſſa ad mendacii confirmationem. [De hoc &c. Conjunctus.] item ſi ſurrexerit, non ſi excitatus fuerit à me, uti Propheta ille magnus Deut. 18:18. Deus enim tales non excitat, quamvis citra ipſius voluntatem non veniant, quemadmodum v. 3. dicetur. Sed ſi ſurrexerit; ſua ſponte cœperit docere non abſolute; nam Prophetam jam notum diximus; verum quoad iſtam doctrinam, cujus mandatum nullum habet à vocante vel Deo vel hominibus. Niſi placeat dicere Prophetam novum, qui viſionis obtentu, uti alter ſomnii, ſe autoratum venditet. Unde liquet.

Nomen munuſque Prophetæ vel ſomniatoris non auctorare doctrinam, ne eapropter credendum ſit. Quicunque publice, de Deo ejuſque cultu docet homines, Propheta eſt; ſed non minus falſi Prophetæ dantur quam veri. Falſorum Deorum Prophetæ nequeunt eſſe veri. Omnes populi Iſraeli vicini habebant ſuos Prophetas, divinos, ſomniatores, Guichelaars/ Toovenaars/ Edom, Moab, Ammon, Tyrus, Zidon quorum Dii falſi. Jer. 27: 3. 9. Imo in ipſo Iſraele, Prophetæ Samariæ Prophetabant per Baalem, cap. 23: 13. qui *Prophetæ Baalis* vocantur 1 Reg. 18: 22. & quales fuerint Prophetæ Hieroſolymæ dicitur. Jer. 23: 14. &c. unde Hypocriſis egreſſa pervaſit terram, & falſitatem tractaſſe dicuntur Jer. 6: 13. De quibus Deus ipſe Jer. 14: 14. *Prophetæ Prophetant falſum in nomine meo non miſi eos neque mandavi ipſis, neque ipſis locutus ſum, Sed Prophetant vobis falſam viſionem, & nullitatem, & deceptionem cordis ſui.* Neque tantum olim iſtud factum fuit. Matt. 24: 24. Chriſtus ait, *Surgent falſi Chriſti, & falſi Prophetæ.* & Matt. 7: 15. *cavete à Pſeudoprophetis.* Sic Paulus Act. 20: 29. &c. *hoc novi, poſt abitum meum graves lupos* (quod ad internam conditionem, cum extrinſecus agninam veſtem habeant,) *ad vos ingreſſuros, qui non parcant gregi: & ex vobis ipſis ſurgent viri loquentes perverſa, ad avertendos pone ſe diſcipulos:* & in Epiſtolis aliquoties de iis monet, ut caveantur. Proinde nobis quoque cavendum eſt. Sive quis ordinarius ſive extraordinarius. Propheta ſit, interpres rerum divinarum ad probatus ab hominibus, id nondum ſufficit, ut in ipſo ejuſque

que Sermonibus acquieſcamus. Munus ipſorum honorificum, & ipſi eo nomine reverendi, ſed id num habeant, & an ſint quod ſe eſſe dicunt, inquirendum eſt. Neque enim ordinaria vocatio per homines eos tales facit. Habent iſtam Prophetæ omnium nationum, non minus quam qui Chriſtianorum; & Antichriſtiani æque ac Evangelici, ſuo ſinguli more atque ordine. Verum uti Samariæ, ſic Hieroſolymæ Prophetæ à Jeremia arguuntur, quamvis hi comuni ſententia Jeremiam ceu Pſeudoprophetam condemnaturi erant ad mortem Jer. 26. quod expertus Chriſtus ipſe, & Stephanus, aliique. Equidem quod Hazaël dicebat, cum Eliſa prædiceret qua crudelitate contra Iſraelem graſſaturus eſſet, an ſervus tuus canis eſt, qui tantam rem faceret? 2 Reg. 8: verſ. 13. ita etiam ipſi cogitant, & dicunt, verum eò prolabi poſſe Exempla docent. Sequenda proinde conſilia Apoſtolorum, 1 Joh. 4: 1. nam multi Pſeudoprophetæ egreſſi ſunt in mundum, 1 Theſ. 5: 21. *omnia explorate* &c. dicitur de prophetiis, quod judicium exercuerunt de Apollo Priſcilla & Aquila, & de ſe fieri jubet Paulus 1 Cor. 10: 15. & qui fecerant Beroenſes laudantur Act. 17: 11. ſed fieri debet uti hi fecerunt, indagantes non ad doctrinam receptam, ſed ad Scripturas: quod præſcribit Chriſtus Joh. 5: 39. Scripturæ enim æque patent auditoribus quam doctoribus; poſſuntque iſti hos antecellere meditando Pſ. 119: 99. & ni faciant, ut Scripturæ notitiam habeant, peccant, Heb. 5: 11. &c. Puerorum ea ratio eſt, quibus ingeritur cibus in os pro voluntate nutricis; ſed non debemus ſemper eſſe pueri, qui ut fluctus quovis vento doctrinæ moveantur pro voluntate hominum, ſed veritatem conſiderantes in charitate ſemper creſcamus in cognitione Chriſti. Eph. 4: 14. Job. 34: 3. auris probat verba, uti palatum cibos guſtat, & ſic quoque illud adultior in religione. Etenim promiſſum eſt, non ſolum ſenes ſomniaturos, & juvenes electos viſiones viſuros, ſed etiam filios filiaſque, famulos & famulas prophetaturos Joel. 2: 28. & non tantum alieno indicio fratrum cognituros Dominum, ſed ipſoſmet quoque; Deo ſui cognitionem indente cordibus Jer. 31: 33. &c. ad quam dignitatem adſpirandum eſt, & pervenire licet, ſiquidem lex Domini, ejus verbum, fuerit juge ſtudium. 2 Tim. 3: 15. & qui ſic ſapit, ſufficientiſſime ſapit.

β. *Argumentum* ſuadendi, verſ. 1, 2. *Et dederit vobis ſignum, aut portentum, atque illud quod dixit vobis, venerit.* Signum eſt quod rei alicui ſignificandæ inſervit, & alterum oſtentum, quod aliquid exemplo, vel adumbratione repræſentat. Sed eadem vocabula declarant quandoque ejuſmodi ſigna quæ vel captum hominum, vel ipſam inſuper rerum naturam excedunt. Poſteriori modo ſolius Dei eſt facere miracula, Pſ. 72: 18. *Benedictus Dominus Deus, Deus Iſraelis, qui facit mirabilia ſolus.* & Pſ. 86: 10. *magnus es, & facis mirabilia, tu ſolus es Deus.* Etenim illius ſolum eſt mutare ordinem naturæ, qui ejus autor eſt. Univerſale diluvium inducere, Solum & Lunam ſiſtere, Solem retrorſum agere. Sic verbo ſanare, cœco nato oculos aperire, virgini conceptum dare. Hinc Jer. 32: 17. *D. Domine, Ecce feciſti cœlum & terram, magno robore & extenſo brachio tuo; nihil tibi mirabile*; quod potentiam tuam excedat. Priori modo etiam Diabolus poteſt facere miracula, non ut rerum naturam mutet, ſed ut agat quæ homines non poſſunt vel mente ſua, vel viribus aſſequi, ſive reapſe agendo, ſive oculos falſa ſpecie faſcinando; licet nihil, niſi Deo permittente. Quemadmodum vere potuit corpus Chriſti transferre in montem excelſum, ſuper pinnas templi, ſic quoque poteſt diſſita corpora ſubito transferre; ſic cum ſit principes poteſtatis aëris, poteſt ciere tempeſtates Matt. 8. corpora mirum in modum contorquere; ſemetipſum ſub figura Samuelis ſiſtere Sauli, repræſentare oculis varia, ut Chriſto regna mundi & eorum gloriam, ſimiliaque plurima. Et quemadmodum Deus per ſuos Prophetas ſigna ſæpiſſime edidit; ſic etiam Satanas per ſuos. Quod quidem hîc locum habet. Nam non intelliguntur ſigna, quibus olim veri Prophetæ innotuerint, quorum fiducia deinceps falſam doctrinam voluerint confirmare; ut ſi Judas tandem quid falſum docuiſſet; qui ante cum cæteris Apoſtolis miracula patrarat: ſed ejuſmodi quæ expreſſè fiunt ad confirmationem parandam dogmati. Quidam iſta nihil putant aliud quam prædictionem futurorum; ſed hæc quoque ſolius Dei eſt. Eſa. 41: 23. *annunciate quæ poſt ventura ſunt, ut ſciamus vos Deos eſſe.* cap. 46: 9. &c. *Ego ſum Deus, & non eſt Deus amplius, neque eſt ſicut ego, qui à principio annuncio finem, & ab antiquo res quæ nondum factæ ſunt.* Enimvero & hîc multa futura prædicere Satanas poteſt, tum ex iis quæ revelata ſunt à Deo, quæ ſæpe rectius nobis intelligit; tum experientia longa edoctus, & ſagacitate quanta in creaturis maxima inſtructus; ut multo magis quam homines nonnunquam aliquid poſſit præſagire: quamquam, quia ſibi ipſi conſcius eſt defectus, ambiguis reſponſis ſæpe illuſerit, ut quomodocunque res caderet, verum dixiſſe crederetur. Itaque ſive accipiatur de futurorum prædictione; quæ eventu comprobata ſit, ſive de alio aliquo opere ſtupendo hominibus, ea poſſunt ab iſtiuſmodi Prophetis proficiſci, non qualia ſolius Dei ſunt, ſed qualia Diaboli virtutem non excedunt: quemadmodum Simoni Mago famam pararunt, ut diceretur, *magna Dei virtus* Act. 8: 10. quia *longo tempore ſenſus populi ſuis incantationibus dementaverat*; neque tantum deceptione oculorum, ſed vera rerum exhibitione. Matt. 24: 24. *Pſeudoprophetæ ſurgent, & facient magna ſigna & mirabilia, adeo ut ſi fieri poſſet etiam electos ſeducerent.* Apoc. 13: 13. *Beſtia ſecunda facit ſigna magna adeo ut etiam ignem de cœlo faciat deſcendere in terram coram hominibus, & ſeducit habitantes in terra ſignis illis, quæ ipſi data ſunt ut faciat coram Beſtia.* Equidem 2 Theſ. 2: 9. legitur adventum hominis peccati, qui ſe Deo opponit, & locum ejus in templo ejus occupat, eſſe *ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute & ſignis, & miraculis mendacii.* Sed non eo ſenſu quaſi omnia ſigna eſſent mendacia, quæ facturus eſt; Etiam vera poteſt edere Diabolus reſpectu humanæ virtutis; ut cum novacula cotem ſcidit augur, & veſtalis virgo ſola fune navem traxit, quam plurimi homines movere non potuerant, hîc retinente, illic impellente Satana; qualia nunc quoque patrare poſſe quis neget? Verum ratione uſus, quia mendacio roborando adhibentur, quemadmodum hoc loco. Multa; quidem ſunt mendacia, imagines plorantes, ſudantes ſanguinem, quando arte humana jam palmes vitis oculis inſertus, jam ſanguis caninus inditus fuit: ſed etiam nonnunquam vera, Satana vel ex pacto cum Magis, cujuſmodi inter ipſos Papas fuerunt, vel citra pactum ſua ſponte ad ſtabiliendum regnum ſuum inter gentiles & inter Chriſtianos, nonnulla edente. Itaque ubi Signa & portenta, nondum eſt demonſtratio Prophetæ veri. Quo tempore Moſes & Aaron ediderunt ſigna coram Pharaone, Jannes & Jambres cæterique magi ſimilia edere viſi ſunt; quanquam pediculos producere non valuerint, & digitum Dei ſe agnoſcere profeſſi ſint Exod. 8: 18. &c. Apoſtolis ejicientibus Dæmonia etiam Exorciſtæ Judæorum ſimilia factitarunt. Act. 19: 13. &c. quod tamen male ceſſit quibuſdam, nomen Jeſu uſurpantibus. Simon & Elymas magi ſuis miraculis faſcinabant quoque homines, Act. 8: verſ. 13. quando vera faciebant Apoſtoli. Itaque infirmum argumentum eſt veritatis Eccleſiæ Rom. donum miraculorum. Impii doctores de iis olim gloriabuntur, quos Chriſtus non agnoſcet Matt. 7: 21. & falſi ea facient Matt. 24: 24. Judæi eo nomine reprehenduntur quod ſigna quærerent 1 Cor. 22. & Joh. 4: 48. neque crederent niſi ſigna & miracula vidiſſent. Johannes nulla fecit Joh. 10: 41. Moſi quidem Deus dedit miracula, tum ut miſſio ejus extraordinaria adſtrueretur, & quia apud Pharaonem & Ægyptios Deus ſuam potentiam voluit oſtendere in vindiciis Iſraelis, ſed veritas doctrinæ ejus non adſtructa eſt miraculis quæ fecit, ſed quod Iſraelitæ ipſimet audivere Deum Moſi de cœlo loquentem Exod. 19: 9. quo provocant Judæi Joh. 9: 29. Chriſtus vult ut propter opera ſua ſibi credant Joh. 14: 11. quia Dei ipſius erant Joh. 10: 38. & miſſionem ejus demonſtrabant Joh. 5: 36. & prædictum erat iſta patraturum Matt. 11: 2. &c. doctrinam tamen ſuam ex ſcriptura examinari voluit verſ. 39. 46. Hæc doctrina, cum alia nulla ſequi debeat, non habet opus ullis miraculis, ut inde demonſtrationem accipiat. Verum qui novam doctrinam ferunt, illi à miraculis quærunt ei fidem. Sic hîc.

γ *Res enim ſuadenda* eſt v. 2. *dicendo, ſerviamus Diis aliis, quos non noviſtis.* Hæc deſcriptio vel à Moſe eſt, ut doctrinam illam odioſam reddat, vel Pſeudoprophetæ, ut novitatis avidos homines hoc pacto alliciat. Eſt ergo doctrina falſa, quæ alios Deos, mundi rectores, commendat, quæque illorum cultum ſuadet, deſerto Deo nam quando pone hos eundum eſt, deſinent ſequi verum Deum.

Scil. *Falſitati & idolatriæ quæritur robur à ſignis & miraculis.* [Jer. 23: 25. &c.] Taliter Antichriſtianum futurum ex

ex 2 Theſſ. 2: 9. &c. Liquet, & prævaliturum apud eos, qui amorem veritatis non receperunt, ut credant mendacio, quod ſigna habet. Apoc. 13: 14. Beſtia altera ſeducit ſignis, *dicendo, habitatoribus terræ, ut Beſtiæ ſanatæ à lethali vulnere faciant imaginem* eamque adorent. Nihil familiarius in Papatu. Vix ullus error ſine miraculo propoſitus fuit aut perſuaſus, ſive illa vere mira fuerint, ſive mendacia. Hinc honor imaginibus, variis in locis, reliquiis etiam fabuloſiſſimis. Novi enim Dii, qui ex propinquo venerunt, quos patres non noverunt, neque exhorruerunt, (cujuſmodi infiniti & facti ſunt & fiunt adhuc) novis argumentis aſſerendi ſunt, & quia verbo Dei deſtituuntur, ſignis ſunt commendandi quæ vel vivi egerint, vel mortui ſuis cadaveribus, veſtibus, nominis fiducia. Hinc ordines Monachorum æſtimati ob ea quæ Franciſcus, Dominicus, Ignatius, Xaverius aliique feciſſe dicuntur, longe plura quam unquam Chriſtus egit in terris. S. Brigittæ in ſomnio revelatum fuit Mariam matrem Jeſu ſine peccato orig. conceptam, quamquam S. Catharina Senenſis contrarium ſibi in ſomnio revelatum dixerit. Apparitiones vigilantibus vel dormientibus factæ propemodum omnis ſuperſtitionis origo ſunt & fundamentum. Jam olim inter gentes id obtinuit: Romulum à Senatoribus diſcerptum, Julius Proculus juravit ſibi viſum auguſtiore ſpecie, qui cœlum conſcenderit, ſibique ſub Quirini nomine delubrum fieri mandarit. Numa omnem religionem à nympha eteria didicit. Infinita iſtiuſmodi ſunt. Atque hæc unius fere mendacis hominis fide nituntur. Rom. 3: 4. Profecto debile admodum eſt argumentum, ut manifeſtus error eo modo perſuadeatur: Et ut mutabilis Deus probetur, ejuſque verbum Etiam & non, aliquo peregrino facto doceatur. Matt. 5: 18. Luc. 16: 17. facilius eſt cœlum & terram præterire, quam ut apex legis cadat. Verbum Domini manet in æternum 1 Pet. 1: 25. licet omnia mutata urbis dicantur per miracula, tamen non eſt dubitandum de mandati divini conſtantia, neque de obſequio ejus diſcedendum.

b. Auditorum officium id docet, tum quoad ſuaſionem v. 3, 4. tum quoad ſuadentem verſ. 5.

a. Quoad ſuaſionem docet quid non faciendum & cur v. 3. quid faciendum verſ. 4.

1. *Quid non faciendum* verſ. 3. *non attendes ad verba Prophetæ aut ſomniatoris iſtius.* Non ſolum non obſequendum ſed ne quidem audiendus iſte eſt. Nulla autoritas dicentis, etſi miraculis roborata, valet ad verificandum errorem verbo Dei contrarium, adeoque ad perſuadendum obſequium. Deut. 12: 32. ad verbum Dei nihil addendum neque demendum. Atqui utrunque fit hujuſmodi doctrina, quæ contraria eſt. Deus dixit *Non habebis Deos alios*, hoc demitur, & pro eo additur contrarium, Habebis & coles alios: Neque hîc valent ſigna ut verum faciant, quod in ſe falſum eſt. Gal. 1: 8. *Etſi nos vel Angelus de cœlo aliud vobis Evangelium annunciet, præter id quod annunciavimus vobis ſit anathema.* Nec Apoſtolica autoritas, nec Angelica gloria quicquam valet contra veritatem revelatam. Huic plus roboris adeſt, quam ſi aliquis ex mortuis id diceret, Luc. 16: 29. &c. quanto minus valebit hujuſmodi teſtimonium ad everſionem illius. Eſa. 8: 19, 20. Hac propter Petrus 2 Pet. 1: 19. &c. firmior quam arte compoſitæ fabulæ, quam revelationes divinæ extraordinariæ, uni vel paucis factæ. Prophetæ in Scriptura locuti ſunt acti à Spiritu Sancto. Qui jam crepant inſpirationes aut ſomnia ad colenda idola, non poſſunt loqui acti à Spiritu Sancto quia Spiritus veritatis, ſibi ipſi contrarius non eſt. Etſi quis autoritatem Apoſtolicam ut Papa crepet, aut ſanctitatem Angelicam, quomodo in Rom. Eccleſia commendantur iſtiuſmodi, reſpondendum, Deo magis obtemperandum quam hominibus, & ille magis audiendus quam homines, Deum in Scripturis locutum eſſe novimus. 2 Tim. 3: 16. de iſtis unde ſint non ſcimus; niſi quod à Spiritu mendacii eſſe credendum ſit, qui Spiritui veritatis contraria loquuntur. *Novi cui crediderim* non poteſt ſecurum reddere niſi fuerit, Deus ipſe, & de quo conſtat Deum illi & per illum locutum: & hi omnes locuti ſunt ſermones vivos quos acceperant, & conſentientia iſtis; nihil extra Moſen & Prophetas. Adeoque hos audientes audimus Deum, & huic obſequentes obtinebimus finem fidei, ſalutem animarum.

Prov. 1: 10, 15. &c. Quanquam conſortium iter facienti gratiſſimum ſit, & ſi quis ſe offerat non comitem tantum, ſed etiam ducem, id libenter amplectatur, tamen cautionem hanc commendat Sapiens, ut offerentis primum exploret quis indolem. Si peccator fuerit, jam juſta eſt ſubterfugiendi ratio; quod quidem ſuo produnt ſermone. Etenim *beatus qui non ambulat in conſilio impiorum, ſed cujus voluptas in lege Domini*, Pſ. 1. v. 1, 2. Hoc ipſum ſuadet Moſes, quoad cultum Dei. Si quis hic ſe offerat comitem ducemque, non adſentiendum eſt, niſi indoles ejus fuerit explorata; Quantumcunque dignitatis & autoritatis ei ad fuerit, non debet pellectio ejus in aſſenſum trahere, ſiquidem fuerit peccator. Talem heic proponit. Adſunt quidem multa quæ ſollicitantem faciant reverendum. Munus propheticum, extraordinaria dona, cujuſmodi ſunt ſomnia jactata de rebus futuris, eventus prædictioni reſpondens. Verum non obſtantibus hiſce peccatorem ſe eſſe prodit, Nam dicit Abeamus pone alios Deos quos non noviſtis & illis ſerviamus. Peccatum eſt ἀνομία 1 Joh. 3: 4. & qui à norma legis recedit peccator eſt. Hoc facit iſte ſollicitator. Dicit Lex, *non habebis Deos alios.* At hic ait, *Eamus pone alios, iiſque ſerviamus* Alios inquam; *quos non noviſtis*; qui non poſſunt non eſſe Alii, cum Deus Iſraelis ignotus non eſſet Pſ. 76: 1. &c. Et iſtos neceſſario habet, qui pone eos ambulat, adeo ut deſiderio cordis in eos feratur, & in conjunctione cum iis felicitatem ſuam ſtatuat, quique illis ſervit, ut omni honore & obſequio conjunctionem iſtam conſervare & augere ſtudeat. Et heic quidem valeat, נעבדם ut quicquid etiam in contrarium occurrat, quæcunque convictiones ex Scriptura afferantur, tamen ſigni miraculive intuitu cogamur in aſſenſum, & idolum colamus, alios Deos ab eo qui ſe colendum revelavit. Heic ergo non eſt aſſentiendum, ut cum aliquo affectu aut approbatione audiatur, neque ambulandum ad propoſitam ab ipſo regulam, ut obſequium impetret, quamvis ſignum & prodigium, quod ceu divinitus ſibi revelatum futurum dixerat, evenerit. Non audies verba illius Prophetæ aut Somniatoris, ut iis obtemperes; dicitur enim audire ad verba; & hoc ſigillatim unicuique dicitur, quia uniuſcujuſque ſigillatim intereſt, ut moneatur: quandoquidem iſtiuſmodi ſollicitationes ordinarie non ſolent publice proponi, ſed privatim, & ſecreto, ceu myſterium non vulgandum, & quod ſingulari affectu communicatur. Non judicandum eſt de doctrina ejuſque veritate ex miraculis, ſed de miraculis ex doctrina; & iccirco primùm examinanda doctrina, quam quis moveatur miraculis. Hoc docuit Moſes; atque Judæi ſe dicunt ſecutos, quando Jeſu Nazareno noluerunt credere, tametſi tam multa ederet ſigna. uti eſt Joh. 12: 37. Dixerunt enim quod alios Deos ſequendos colendoſque dixerit, quos non noverant. Nam cum homo eſſet fecit ſemetipſum Deum Joh. 10: 33. & dixit Deum eſſe proprium ſuum patrem, ſemetipſum Deo parem faciens, Joh. 5: 18. item Dei filium Joh. 19: 7. juſſit ut in ſe crederent, ſibi obedirent, ſe honorarent, uti honorem divinum admiſit Joh. 9: 25. &c. Et tamen profitebantur, ſe ipſum non noſſe, unde eſſet Joh. 9: 29. aut non aliter noſſe quam quod ex propinquo veniſſet, ex Galilæa, unde nullus unquam ſurrexiſſet Propheta Joh. 7: 27, 42. In quo judicio de Jeſu perſeverant, & uti ipſum pro ſeductore habent, ſic quoque nos pro ſeductis. Non ergò alienum, antequam progrediamur in textus explicatione, ut refutemus Judæorum criminationes, & honorem Jeſu vindicemus, noſque minime ſeductos oſtendamus. Judicium faciendum eſt de doctrina, antequam ad miracula attendamus. De hâc teſtatus eſt, Joh. 7: 16. &c. Pſeudoprophetarum eſt dicere, *ambulemus pone Deos Alios, quos non noviſtis, & colamus eos*, captivantes noſtram mentem, & abnegatis contrariis convictionibus ob ſigni dati eventum. Sed ipſe non dixit, *ambulemus poſt Deos Alios, quos non noviſtis*, &c. Etenim quid dixit Deus in formula fœderis cum Iſraele? *Non habebis Deos alios præter Faciem meam.* Hanc itaque habebis: & hæc eſt Filius Dei Meſſias, Exod. 33: 15. Mal. 3: 1. angelus faciei ejus Eſa. 63: 9. Eſt illa Elohim, judex univerſalis alius à Patre, qui habet Oeconomicum regnum Mediatoris titulo, cujus reſpectu Patre minor eſt, & qui illud regnum depoſiturus eſt, cum naturale non magis poſſit ponere, quam ſemetipſum abnegare. Quoniam autem in primo præcepto voluit eum haberi pro Elohim, judice & rectore univerſi, utique dedit ei omne judicium, non judicaturus quemquam, *ut omnes honorent Filium*

lium ſicut honorant Patrem; Joh. 5: 22. &c. Adeoque Jeſus eopſe quæſivit honorem Patris, quando ſe honorari voluit, quandoquidem Pater ipſum ſanctificavit & miſit in mundum ut multo magis ipſi nomen Elohim competeret, quam ulli eorum, quos Scriptura iſto nomine honoravit, ob verbum mandati ad eos factum, quo Judicii munus aliquod eis fuit delatum Joh. 10: 34. &c. Neque iſtud ignotum eſſe poterat iis qui Scripturam habebant; ad quas proinde provocavit Joh. 5: 39, 46. Moſes eſt qui de ipſo docuit. Faciem Dei, Angelum illum in quo nomen Dei, qui remittendorum peccatorum poteſtatem haberet, Iſraeli regendo, ducendoque affore, ejuſque mandatis parendum eſſe, ut Dei voluntati obſequerentur Exod. 23. v. 20. &c. cap. 33: 13. &c. Qui item docuit excitandum è medio ipſorum hominem Prophetam, cujus ori Deus verba ſua inditurus ſit, & huic obtemperandum, Deo ulturo inobedientiam contra ipſum, & verba ipſius quæ Dei ſint Deut. 18: 18. &c. Neque aliud in Jeſu deprehenſum. Joh. 5: 24. *Amen amen dico vobis, qui audit verbum meum & credit in eum qui me miſit, habet vitam æternam, neque venit in judicium. Qui me rejicit, & non recipit verba mea, habet qui ipſum judicet* Joh. 12: 48. Joh. 8: 23. *Si non crediderit me eum eſſe, moriemini in peccatis veſtris.* Fuit ipſe magnus Propheta, qui in mundum venturus erat Joh. 6: 14. fuit Chriſtus filius Dei, qui in mundum venturus erat Joh. 11: 27. quæ fides Judæorum illo tempore, eſſe exſpectandum talem, quamvis pauci duntaxat ipſum receperint. Attamen ſe talem demonſtravit, cui poteſtatas in terris remittere peccata, & ſanare verbo Matt. 9: 2. &c. & patrare miracula, qualia nemo unquam patraſſet, Joh. 10: 21, 37. &c. cap. 15: 24. ſed quæ à ſolo Meſſia erant patranda Matt. 11: 4. &c. Joh. 7: 31. *quando Chriſtus venerit, an plura faciet ſigna, quam iſta quæ hic edidit*, dicunt illi de turbâ, qui crediderant. Iſta vero omnia abſolvunt Chriſtum ab omni crimine. Quod autem Judæi eum non noverint, non eſt cauſa repudiandi ipſius, ſed potius repudiandorum ipſorum, quia noſſe poterant, cum revelatus eſſet; Matt. 22: 29. *Erratis ignorantes Scripturas*, dicitur Sadducæis: & ſic quoque hîc. Joh. 5: 46. &c. Fuit enim ille de quo Moſes in Lege & Prophetæ ſcripſerunt Jeſus Meſſias Joh. 1: 42, 46. Acceſſit voluntaria multorum ignorantia, qui agnitum noluerunt profiteri, tum metu Judæorum, ne ejicerentur ſynagogâ, tum ſtudio honoris humani, Joh. 12: 42. &c. cap. 5: 44. Itaque ſupervenit ipſis, quod dicitur Joh. 3: 36. uti prædictum Jer. 30: 21. &c. quando Magnificum Dominatorem ex ſe ortum, qua Homo, Sacerdotioque defunctum non agnoverunt, egreſſa eſt tempeſtas iræ Dei, quæ ipſorum capitibus imminet, & facti fuerunt anathema Eſa. 43. verſ. ult. Quia doctorem veritatis ceu ſeductorem condemnarunt, & ejus doctrinam perſecuti ſunt, ſuper ipſos venit ira Dei, ad finem uſque determinatum duratura 1 Theſſ. 2: 13. &c. Ergo perperam hæc applicantur Jeſu Nazareno, quæ Moſes heic ſcripſit; cum alibi expreſſe eum exceperit, tum quia non eſt Deus alius prohibitus: tum quia non eſt Propheta non audiendus: ut quicquid contradicant, hic unus ſit nobis audiendus, Doctor à Deo, viam Dei in veritate docens, & iis deinde ſignis, quæ Deus ei dedit facienda. Nam, quod ad Hebræos Paulus ſcripſit Heb. 2: 3. *quomodo evademus, ſi tantæ ſaluti non attenderimus; quæ cœpta annunciari per Dominum, nobis confirmata eſt per eos qui illum audierant, Deo inſuper una teſtante per ſigna & prodigia, & multiplices virtutes, & diſpenſationes Spiritus Sancti juxta voluntatem ipſius.* Verum quicunque alii Prophetæ ſunt, qui alios nobis Elohim prædicant, quorum Dominium in conſcientias agnoſcamus obtentu miraculorum quorumcunque, non ſunt nobis audiendi, neque obtemperandum ipſis eſt.

Atenim dicet aliquis. Signa iſtiuſmodi & prodigia, quæ antequam fiant pronunciantur, habent aliquid majus in ſe, quam ut repudiari queant. ut non ſine cauſa dicatur נעבדם *coacti ſerviamus.* Nam alioqui Deus irritum feciſſet ſignum ne coram cœco ponat offendiculum. Moſes huic dubio occurrit, indicando; Cur ſignis falſæ doctrinæ additis, non ſit credendum. *Nam Deus veſter tentat vos, ad ſciendum, an ſitis amantes Deum veſtrum toto corde, totaque anima* Ergo Deo permittente ſit ut & Propheta talis aut ſomniator ſurgat, & ut fiat quod dedit ſignum. Imo Deo moderante, ut explorationem veſtri inſtituat, & patefiat quid ſit in veſtro corde, an vere ametis Deum, amore ſincero & conſtante. Illud ad ſciendum, non reſpicit Deum, quaſi ignoret, & ſit exploratione ejuſmodi erudiendus; Nam *novit omnia figmenta cogitationum cordis* 1 Chron. 28: 9. *Format omnium corda & obſervat omnium vias* Pſ. 33: 15. *Non indiget ut quiſquam ei teſtetur de homine, nam ipſe novit quæ ſunt in homine* Joh. 2: 25. quod de Chriſto dicitur. Sed dicitur iſtud reſpectu Creaturarum, ad ſciendum, ut ſciatur, ab iis qui iſtud naturaliter non norunt; quodque cum κατὰ διογμάσιν non ſint, ex effectis quibuſdam de ejus affectu quid colligunt. Hi ſunt vel illi ipſi qui tentantur, vel alii qui ſpectatores ſunt. De his habemus exemplum Jobi, qui multipliciter tentatus fuit, ut Diabolus ſciret ſinceritatem ipſius, qui illam ſuſpectam reddere conabatur: & ut alii ſciant, quibus patientia ejus imitanda proponitur Jac. 5: 11. Hoc loco ſpectantur ipſimet tentati, quo ſibi ipſis innoteſcant, quæ ſinceritas ſit ſui in Deum amoris. De iſto gloriantur omnes; quivis paratus eſt dicere anathema, non diligenti Deum; neque dubitat de ſuo corde, quamvis illud ſit fallax. Jer. 17: 9. Quanta ſui fiducia fuit Petro, etiam ſupra cæteros Apoſtolos Joh. 13: 36. Quia ergo ſemet ipſos non norunt ſatis, Deus per explorationes ſibi ipſis patefacit. Quod beneficii eſt & per reſipiſcentiam datur Jer. 31: 18, 19. Verbum tentandi נסה affine eſt נוס ſignum extollere; tentando enim elicitur ſignum, unde cordis conſtitutio poſſit manifeſtari: Tentatio autem Dei quoad ſui amorem eſt vel quoad agnitionem & fidem, vel quoad adhæſionem fiducialem in praxi vitæ. De poſteriore legimus Deut. 8: 2, 3. *Dominus humiliavit te, & fecit eſurire, ut te probaret, ad ſciendum quid in corde tuo ſit, an obſervaturus ſis præcepta ejus, nec ne.* Hic per adverſa; at per proſpera Hizkiam 2 Chron. 32: 31. in negotio legatorum Babelis, qui miſſi erant inquiſitum in miraculum quod factum erat in terrâ, *Deus eum deſeruit, ut eum probaret, ad ſciendum, quid in corde ejus eſſet*: & patuit ejus ſuperbia. Sic exploravit Abrahamum, & juſtos Pſ. 11: 5. qui eam explorationem optant Pſ. 26: 2. & 139: 23. De priore hoc loco agit: ut fidei veritas & conſtantia pateat, quod ſolum verum Deum, & quem miſit Jeſum Chriſtum agnoſcant. Nam cum ſic docuerit in fœdere, *Ego Jehova Elohim tuus; Non habebis Elohim alios præter Faciem meam*; quam Meſſiam eſſe ſæpius oſtendimus: uti quam operæ pretium eſt, ut ſinceritas fidei exploretur, & patefiat. Quod quidem non ſatis evidens eſt, quando nulla alia doctrina quam vera proponitur, ut nihil aliud audiatur, ſed liquet quando falſa contrariaque inſinuatur, atque etiam ſignis confirmatur. De ſeminatis in petroſa dicitur quod initio feliciter germinent, verbum cum gaudio recipiant; ſed in æſtu perſecutionis, quando falſa doctrina roboratur vi corporali, tum deficiunt Luc. 8: 13. Hinc dicitur Luc. 2: 34. &c. *Ecce poſitus eſt iſte caſui & reſurrectioni multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicatur, ut detegantur ex multis cordibus cogitationes.* Chriſto per Evangelium prædicato contradicendum erat, ut multorum patefierent cogitationes, utrum eum amarent nec ne. Si à nemine fuiſſet contradictum fides ἀνυπόκριτος & hypocritica non patuiſſent; quæ iſta occaſione ſeſe exſerunt. Eſt igitur iſta manifeſtatio neceſſaria. 1 Cor. 11: 19. Neceſſitas illa eſt, quod ad ipſos Chriſtianos, utilitatis ad ſui notitiam, ut quam debiles ex ſe, quam valeant in Chriſto & per eum experiundo quoque ſciant. Quod ad Deum verò ordinationis divinæ, Gen. 3: 15. hoc quoque eſt fundatæ iſtius inimicitiæ, ut an vere quis à ſerpentis amore diſceſſerit & ſemini mulieris acceſſerit, fiat evidens.

Verum annon Deus cauſa eſt deceptionis, qui patitur Pſeudodidaſcalos prodire, & errores etiam ſignis roborare. Reſp. Minime. Deut. 32: 4. *Viæ Dei juſtæ, & in illis non eſt iniquitas* Hoſ. 14: 10. Quicquid agit, eopſe quod ipſe agit, juſtum eſt. Juſta quoque eſt quam inſtituit hominum exploratio, maxime juſtorum Pſ. 11: 4. &c. Amor Dei eſt cauſa probationis, uti aurum probatur igne, ob pretium & amorem; ſic quoque fides piorum 1 Pet. 1: 7. Probaturus autem Deus adhibet inſtrumenta quibus probet; quæ inter ſunt etiam Pſeudoprophetæ; non quod eos faciat mendaces, aut mendacium inſpiret aut imperet dicendum, Ier. 14: 14. *Prophetæ prophetant falſum in nomine meo, non miſi eos, neque mandavi eis, neque locutus ſum iis; prophetant vobis falſam viſionem, & vanitatem & cordis ſui deceptionem.*

Erant

Erant prophetæ Hieroſolymæ, ordinariâ vocatione hominum in munere conſtituti, quæ divina, quatenus Deus ordinis omnis boni autor eſt; ſed non habebant inſtructionem Dei in iis quæ prophetabant & docebant. Deus tamen iis utebatur, & permiſit ut iſta mentirentur, ſuo etiam nomine prætenſo. 1 Reg. 22: 23. Micha ad Achabum, *Dominus ſpiritum mendacii poſuit in ore omnium prophetarum tuorum.* Repræſentarat Deum ut judicem, Achabum per Syros perditurum, & huic ſe offert ſpiritus dicens, ſe perſuaſurum Achabo bellum contra Syros, nam egreſſurum, & futurum ſpiritum mendacii in omnium prophetarum ejus ore; cui Deus ait, Egredere & fac ita. Mendacium non operatur Deus, ſed Diabolus; qui mendax & pater mendacii; ſed Deus eo utitur juſto judicio, ut inſtrumentum ſit ad decipiendum non tantum Achabum, ſed etiam prophetas ejus, qui omnia ſua componebant ad placitum Achabi, mentientes Dei revelationem, & quibus Achab fidem habebat, veros Dei prophetas ceu hoſtes averſatus: quod circa Eliam, & nunc quoque circa Micham oſtendit, quem ob veritatis indicium ſalutare in carcerem compegit. Ezek. 14: 9. *Cum pellectus fuerit propheta ut eloquatur verbum, ego D. pellexero prophetam iſtum.* Et quomodo? Ezech. 13: 2. &c. *ſequuntur ſpiritum ſuum & quæ non viderunt, dicentes, Dominus dicit, cum non dixerit.* Quando deſerto Deo ſuum ſpiritum ſequuntur, ſinit eos illum ſequi, & ſibi, ob munus, Divinum ſpiritum & mandatum imaginari. Et ſic quoque procedit deceptio populi. Jer. 9: 10. *Ab D. utique plane ſeduxiſti populum hunc & Hieroſolymi, dicendo, habebitis pacem, cum gladius pertingat ad animam.* Quia patiebatur Pſeudoprophetas ſuo nomine polliceri pacem mendaciter. Sed juſto judicio, quia populus nolebat alios audire quam dicentes placentia. Eſa. 30: 10. &c. qui verbum Dei nolunt audire *dicentes videntibus* &c. Jer. 44: 16. Jer. 5: 31. *Prophetæ prophetant falſum & populus meus ita amat; & quid in fine agetis?* Excæcantur proinde ut mendacio credant. 2 Theſſ. 2: 3. &c. apoſtaſia prius ventura eſt, quam dies, Chriſti, & *manifeſtandus homo peccati, filius perditionis tempore proprio, cujus adventus eſt juxta operationem Satanæ* &c. *& in omni deceptione injuſtitiæ, in iis qui pereunt, propterea quod amorem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent: Et propterea Deus eis mittet efficaciam erroris* &c. Enimvero quia Deus hæc ita fieri voluit, ad explorationem, utique nobis tanto magis laborandum ne in iſta exploratione deficiamus. Sollicitatio ſit ad deſerendam inſtitutionem verbi Dei, heic vero ſtatim patebit, an amor Dei ſit nobis: genuinus iſte, non patitur ut verbum Dei negligamus. Pſ. 1: 1, 2. conſilium impiorum, & voluptas in Lege. Ita quidem dicunt homines, & divinam revelationem prætendunt ſigno: ſed aliud dicit Deus; & dicit in verbo indubio, cui fruſtra dubium opponitur. Oves Chriſti audiunt vocem Chriſti paſtoris, quia eum norunt, amant; & alieni non audiunt, quia non norunt illum, non amant. Joh. 10: 4, 5. Qui amorem veritatis non habent, credunt mendacio; imo Deus mittit efficaciam erroris, quia veritati non crediderunt. Deceptum cor abducit, ut nequeat ſuam animam eripere, dicendo, nonne mendacium eſt in manu mea? quod de idololatris dicitur. Eſa. 44: 20. Proinde ſtudendum impenſe verbo Dei; illud uti ad doctrinam, ſic quoque ad refutationem utile eſt, etiam ad perfectionem viri Dei ad opus bonum omne 2 Tim. 3: 16. Eſt gladius ſpiritus, Eph. 6: 17. ad omnes hoſtes debellandos. Hinc intellectus ad agnoſcendas & vitandas omnes ſemitas mendacii. Hoc unum qui ſequitur, non poteſt decipi; eſt enim veritas; ut ſolum habeamus petendum quod Chriſtus pro nobis, Joh. 17: 17. ſanctifica nos in veritate tua; ut in ea ambulemus, ad vitam æternam.

Verſ. 4. *Jehovam Deum veſtrum ſequemini, & ipſum timete; & mandata ejus obſervate, ac voci ejus auſcultate, eumque colite, & adhærete ei.*

2. *Quid faciendum* docet verſ. 4. ſex officia præſcribit, quæ univerſa & ſingula probant amorem Dei omni ex parte ſincerum. Expreſſiones iſtæ jam aliquoties fuerunt declaratæ; ut breviter percurriſſe ſufficiat, quatenus argumenta ſunt, non audiendorum Pſeudoprophetarum. I. *Pone Dominum Deum veſtrum ibitis.* Illi volunt ut eatis pone Deos alios, quos non noviſtis. Abſurdum eſt ad ignotum ire, deſerto noto, quis viator, qui viæ rectæ gnarus, velit ſe abduci ad ignotam? Eſt quoque ingratitudinis impiæ, beneficiis probatum relinquere, & peregrini velle gratiam incertam ſequi. Eſt Dominus, cujus gloria bonitas & beneficentia Exod. 33: 18. Pſ. 119: 68. Deus veſter, qui fœderatus vos curat. Infinita ſunt quæ vobis præſtitit bona, defendendo, augendo omni modo. Jer. 2: 13. *duplicem malitiam fecit populus meus* &c. Sic agitur cum ignoti, adeuntur. Bene Polycarpus: *Octoginta ſex annis ſervivi Domino, & ſemper optimum expertus ſum, quomodo in fine vitæ eum deſererem, alium ſecutus?* II. *Et ipſum timebitis*; quia beneficus. Jer. 5: 22. *Nonne me timebitis, qui maris limitem ſtatui arenam.* verſ. 24. *timeamus Dominum, qui pluviam dat* &c. *qui ſeptimanas, ſtatuta meſſis tempora nobis ſervat.* Rurſum, quia *zelotes Deus & vindex, vindex Dominus & iratus valde, vindex Dominus contra adverſarios* &c. Nah. 1: 2. Eſt ignis conſumens, & terribile ſi quis cadat in manus ejus. Heb. 10: 31. cap. 12: 29. ut cavenda ſit ejus provocatio: ſi deſeratur 1 Chron. 28: 9. ſi alius dotetur Pſ. 16: 4. Atque ſic quoque ſi offendatur Meſſias Pſ. 2: 11, 12. quia oſores & hoſtes ponet ut fornacem ardentem tempore iræ ſuæ, & abſumet in irâ ſuâ. Pſ. 2: 10. Verum alii dii non metuendi. Jer. 10: 5. *Ne timete ab ipſis quia non affecturi ſunt malo, etiam benefacere non eſt penes ipſa.* III. *Et præcepta ejus ſervabitis.* Habent homines ſuperiorem, Eccl. 5: 7. cui obſequium debent; Pſ. 119: 73. Jer. 37: 5. cap. 10: 11 jam ſolius Dei præcepta ſunt juſta ſancta & bona, Rom. 7: 14. adeo ut juſtiora nuſquam dentur; Deut. 4: 8. quamobrem iſta in normam agendi ſuſcipienda ſunt, quam ulla alia. Quæ proinde contraria, nequeunt eſſe bona; imo neque ab illo profecta qui mandandi habet poteſtatem. IV. *Et vocem ejus audietis*, ſeu obtemperabitis. Hanc audiviſtis cum loqueretur vobis de monte Sinai, veſtris auribus, & quomodo prohibuerit idola habere, Deoſque alienos; aſt qui vobis alieni commendantur, nec viſi vobis, nec auditi; Vates ſolum de iis teſtantur. Poteſtne autem horum vox potior haberi illius ſermone, ut alienis auribus malitis quam veſtris credere? V. *Et ipſi ſervietis.* Non poteſtis duobus Dominis ſervire, Matt. 6: 24. renunciandum Deo, ſi alii vos addicatis. Jam cum ex Domini dignitate accedat ſervo honor, utique nullus dignior Deo; cui ſervire, regnare eſt: Aſt qui aliis, ſerviunt Dæmonibus. 1 Cor. 10: 20. & ſervitus moleſtiſſima, pudenda, noxia eſt. VI. *Et ipſi adhærebitis.* Conſtantia ſervitutis, quam nunquam velitis finiri: Eſa. 56: 6. Jer. 50: 5. &c. ubi quidem ab idolis diſcedere optant, quos Alieni fruſtrantur. Hebræi volunt deſignari mercedem animæ; quod etiam poſt mortem corporis animæ juſtorum adhæreant Deo, 1 Sam. 25: 29. fruanturque felicitate; cujuſmodi nihil alieni dii dare poſſunt; qui ipſi non ſunt, quæ ratio valida eſt.

Verſ. 5. *Propheta autem iſte, aut ſomnians ſomnium iſte, plectitor morte, quia ſuaſit apoſtaſiam contra Jehovam Deum veſtrum, qui eduxit vos è terra Ægypti, & qui redemit vos è domo ſervorum depulſurus te à via quam præſtitit tibi Jehova Deus tuus ut ambules in ea: ita ſuſtuleris illud malum è medio tui.*

β. *Officium audientium quoad ſuadentem* eſt verſ. 5. pœna capitalis in ipſum ſtatuenda: & cauſa ſupplicii, quia ſua ſit defectionem à Deo, tot beneficiis obſtrictos tenente, atque impulit ad inobedientiam: & finis ſupplicii: ſed hæc fere omnia recurrunt verſ. 9, 10, 11. quo rejicimus. Nobis tantum maneant commendata iſta officia, ut totos nos Deo mancipemus, & nullum alium velimus aut feramus illi contrarium. Si illi adhæſerimus in vita 2 Chron. 15: 2. non deſeret imo ne quidem in morte nos deſeret, ſecundum illud Joh. 12: 26. *Si quis mihi miniſtrat me ſequatur: & ubi ego ſuero illic & miniſter meus erit: & ſi quis mihi miniſtraverit, honorabit eum Pater.* Hac vita 1 Sam. 2: 30.

honorantes me honorabo: ſed etiam poſt hanc, Rom. 2: 7, 10. *gloria & honor, & pax, cuivis facienti bonum, Judæo & Græco.*

De Simone Mago legimus Act. 8: 9. &c. ipſum ſuis incantationibus longo tempore ſenſus Samaritanorum faſcinaſſe, ut omnes ab eo penderent à minimo ad maximum, dicendo. Hic eſt magnus virtus Dei. Quia magicis artibus patrabat ſigna, opera edens hominum iſtorum ſapientiam & potentiam excedentia. Divinam ipſi tribuerunt virtutem, atque iſtius autoritate ſe convictos ipſi fidemque ſuam ſubjecerunt. Ea eſt Deitatis reverentia in hominum cordibus, (quæ veritas eſt ſecundum pietatem. Rom. 1: 18.) ut ubi ejus majeſtas & potentia agnoſcitur, obnoxium ſeſe agnoſcat quoque homo, & qui repugnare aut declinare obſequium non auſit. Et quum æterna Dei potentia & divinitas ex omnibus rebus conditis cernatur, tum inprimis ex ſignis prodigiiſque illis in quibus naturæ quodammodo vis ſit, aut fieri videtur, ut naturâ major manum ſuam exſeruiſſe appareat: utique tunc animi magis commoventur religione aliqua. II. Hoc ne fieret in Pharaone, ad Moſis miracula vere divina, Magi omni ſtudio laborarunt illi perſuadere, non niſi magicis artibus illa fuiſſe edita; quæ ſibi quoque notæ forent, & non divinæ ſed humanæ ſapientiæ ſpecies. Iſraelitæ quando viderunt manum Dei agentem cum Moſe, in tranſitu per mare algoſum, crediderunt in Deum & Moſen Exod. 14. verſ. ult. Et id quidem recte; Enimvero III. Contra (de Simone &c. ſubjecerunt.) Iſtiuſmodi eſt perſuaſio prima, quam Moſes cavendam monuit, quæ ad apoſtaſiam à Deo & ad idololatriam deduceret. Hæc eſt quæ ſignis & prodigiis roboraratur. Nam propheta aut ſomniator prædicit ſignum, & iſtud ſit, ut prædictioni eventus reſpondeat, & hacpropter credi facit ſuæ doctrinæ & hortationi, eamus pone Deos alios; & vis perſuaſionis eſt ונעברם *& cogamur ad colendos eos.* Ordinarium Dei verbum cedere debet extraordinario, cui miraculo fides quæſita: itaque coactum te vides ad aſſenſum, Dei manu exſertâ: quemadmodum ſenex propheta Samariæ mentitus fuit, decepitque prophetam qui venerat ex Judâ, dicens, *Ego quoque ſum propheta ſicut tu, & angelus locutus eſt mihi in verbo Domini, dicendo, reduc virum illum domum tuam, ut edat panem & bibat aquam.* 1 Reg. 13: 18. ut huic obſecutus ob reverentiam ementiti oraculi, Dei fuerit refractarius, & leoni præda factus. Hacpropter in ſecundo præcepto mandavit Deus, tum de voluntaria idololatria, non incurvabis te illi, tum de hâc violentâ, non cogeris ad colendum illud, ſive humanis ſive divinis quæ jactantur argumentis. Valent hæc ad confirmationem veræ doctrinæ, & ſic cogi ad aſſenſum id rectum eſt & mandatum, ſiquidem veri Dei cultus ita urgeatur. Jeſus, quia doctrina ipſius non propria erat, ſed mittentis ſe Patris Joh. 7: 16. ſignis quoque ſuis fidem poſcit, Joh. 10: 38. cap. 15: 24. Si non feciſſem inter eos opera, quæ nemo alius fecit, non haberent peccatum: ſed nunc viderunt, & tam me quam patrem meum oderunt; Verum quando doctrina falſa eſt divinæ contraria, nulla ſigna vim habent convincentem, maxime circa idololatriam, ubi frequentiſſime huc provocatur, & propterea à Deo diſerte hæc efficacia erroris declinanda imperatur.

Verſ. 6. *Si clam incitet te frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, aut filia tua, aut uxor chariſſima tibi, aut amicus tuus qui eſt ſicut tu ipſe, dicendo eamus & colamus Deos alienos, quos non noveras tu aut majores tui.*

Verſ. 7. *E diis populorum qui ſunt circa vos, propinquorum tibi aut longinquorum abs te, ab una extremitate terræ uſque ad alteram extremitatem ejus.*

Verſ. 8. *Ne acquieſcito illi, neque auſcultato illi, neque parcito oculus tuus illi, neque clementia utitor, neque celato illum.*

b. Succedit jam *ſecunda perſuaſio*, eodem ſcopo inſtituta, ſed cujus argumentum eſt hominum, *Amor ſuadentis*, ubi conſiderandi ſuadentes verſ. 6, 7. Audientes verſ. 8--11.

a. Suadentes deſcribuntur à proximitate, & modo agendi.

α. Proximitas variis gradibus conſtat. I. *Frater*, non latiori ſenſu, quatenus omnes Iſraelitæ dicuntur fratres, ſed proximæ cognationis homines, quibus iidem ſunt parentes, & hinc additur *filius matris tuæ*, vel exegeſeos ergo, vel ut ſit novus gradus ad inſinuandum ſe in affectum, & tunc prius notat fratrem germanum, vel etiam conſanguineum, quibus idem à patre genus & nomen; II. *Filius matris tuæ* qui ſub eodem corde geſtati, & iiſdem uberibus lactati ſunt; quique non facile agebantur ad contentionem, quia ſi diverſi forent patres, non habebant commenem hæreditatem, quæ facile litem parit inter cohæredes. III. *Filius aut filia*, quorum tenerrimus amor, ut ſuis precibus flexanimes ſint parentem. IV. *Uxor ſinus tui*; quæ ſocia, & fœderata; imo una cum ipſo caro. V. *Amicus, qui uti anima tua*, conjunctiſſimus: adeo ut fratre magis diligat, & adhæreat Prov. 18: 24. magis quam mulier aliqua 2 Sam. 1: 26. imo ut propria anima & vita. 1 Sam. 18: 3. Jonathan amavit Davidem *uti animam ſuam* cap. 20: 17. *amore animæ ſuæ.* Notiſſimum eſt de omnibus iſtis maximam habere vim ad perſuadendum, priora omnia ob naturæ vinculum & πρῶτον naturalem ultimum ob ſingularem de eo fiduciam. Prov. 27: 9.

β. Modus agendi eſt impulſio מסית *blandimentis adhibitis perſuaſit* ut conſilio placitove ejus fides tribuatur & obſequium, quemadmodum Jezebel Achabum ad omnem idololatriam & injuſtitiam 1 Reg. 21: 25. & filiam Calebi maritus ejus *fecit perſuadere* patri, ad dandam dotem irriguam Joſ. 15: 18. & Zedekiam amici ejus *incitarunt & prævaluerunt ipſi* Jer. 38: 22. & Baruch cognatum Jeremiam *impuliſſive* dicebatur ad prophetandum, quæ ipſe vellet. Jer. 43: 3.

Hæc porro impulſio eſt I. quoad circumſtantiam loci, *in occulto*, cum propter ſecuritatem ſuadentis, quod in publico iſtud agere periculi plenum foret: tum inprimis ad ejus vim majorem, quod ex ſingulari affectu, grande ſecretum, ſingulari beneficio velit indicare & perſuadere; dum alter præter ſe neminem habeat qui ſe opponat, amore tantum valente ad flectendum animum ejus in ſuam ſententiam. II. Item quoad ſermonem, qui ſuperiori prophetæ propemodum congruit; *Eamus*, non tu ſolus, ſed ego tecum, ut quantum mihi tantundem tibi me conſulere appareat, non verbis ſolum, ſed ipſo opere: *& colamus Deos alios*; Non ut ille, cogamur ad colendum; quia ſigna & prodigia, vim divinitatis oſtentant, quæ ab his non adhibentur; ſed colamus, quia non niſi humana argumenta, ab intemerato amore & fidelitate dicentis, non autem ab autoritate, & virtute ejus extraordinariâ.

Objectum illud Deos alios, deſcribit à notitia audituri: quæ non valet apud omnes: Athenienſibus ſuadetur cognitio & cultus ignoti Dei Act. 17. verum apud Iſraelitas, quibus pleniſſima inſtitutio à Moſe data, augmenti & decrementi non capax. Deut. 12. verſ. ult. *Quos non noviſti neque tu, neque patres tui.* Erat enim gemina ratio fidei apud Iſraelem; Ex traditione una, quæ à patribus accepta; ſic initio omnes credunt; dicitur à patribus, qui id faciendi mandatum habent; & majorum autoritas magnam vim habet. Verum cum ea laudanda ſit in infantibus ætate, vel ratione Chriſtianiſmi, (quomodo enim credent, niſi audiverint, & prædicatum fuerit domeſticâ aut extraneâ, quæ publica plerumque, doctrinâ, Joh. 4: 39.) Attamen in adultis Chriſtianis non ſufficit. Habet ſe ut cœcorum ambulatio, qui alienum apprehendunt, & ab eo ſe duci patiuntur, quem videntem credunt, & veracem, viæ rectæ gnarum, & hanc unam calcantem: qui ſi cœcus & ipſe ſit, ſeu ut cœcus ſe ab aliis duci ſinat, alter unà aberrat, & præcipitatur in foveam. Altera itaque eſt ex propria cognitione, ut quis ipſemet norit veritatem, habens ex lege formam cognitionis, & diſtinguens quæ inde diſcrepant. Ut cum quis ipſam Scripturam novit, & Dei vocem in ea loquentis intelligit, adeoque à Deo doctus fuerit; quemadmodum Samaritani illi Joh. 9: 42. Utraque bona, ſed ſuo tempore; imo poſterior ſemper bona, prior non niſi ad tempus. Nam infantum ea conditio eſt, qui aluntur lacte materno, neque aliam habent eſcam, quam quæ ex uberibus

bus maternis manat; uti traditur, & quia traditur à matre eam recipiunt; aſt qui adulti ſunt ipſimet diſcriminant palato cibos, ut quod ſalutare, ſapidumque diſcernant. Heb. 5: 14. adultorum, qui juxta tempus poterant eſſe magiſtri, ſolidus eſt cibus, qui per habitum ſenſus habent exercitatos ad diſcretionem boni & mali. Poſterior cognitio requiritur ad judicium de priore: quod per traditionem à patribus traditum eſt, examinari debet ad ea quæ ipſimet cognovimus. (quæ viliora &c.) 1 Cor. 13: 2, 3. Apoſtolus tradidit, quæ acceperat, juxta Scripturas: ſed ut iſtud credi tuto queat, ſcrutandæ Scripturæ Sacræ, ut ſciatur, num eo modo ſe habeant, Act. 17: 11. quamobrem neceſſaria cognitio ipſarummet Scripturarum; neque acquieſcendum, quod alii ſe inde hauſiſſe teſtati fuerint. Fides, quæ habitarat in matre Eunice, & avia Loide etiam habitavit in Timotheo, vi traditionis; ſed eadem ibi poſtmodum fuit vi cognitionis propriæ, quia à pueris &c. 2 Tim. 1: 4. cap. 3: 11. &c. Et Theſſalonicenſes acceperant à Paulo, quomodo ambulandum & Deo placendum eſſet 1 Theſſ. 4: 1. ſed iidem poſtea non habebant neceſſe ut docerentur, utpote ab ipſo Deo edocti, verſ. 9. qui in Scripturis loquitur ad inſtitutionem omnimodam. Heic non tantum prior cognitio repugnabat; [quippe vitioſa eſſe poteſt, Jer. 9: 14: ambularunt ſecundum Baales, uti patres docuerant, 1 Pet. 1: 18.] Sed etiam poſterior, quæ ex Scriptura eſt, & omni idololatriæ adverſatur. Etenim utraque intelligitur legitima, ſed ut proponatur potiſſima, quæ propriæ cognitionis eſt: quarum iſta immediate ex Scriptura deducitur, illa mediate; ſed ut immediata Dei ſolius teſtimonium recipiat, mediata etiam hominum.

Cæterum ulteriorem addit deſcriptionem Deorum aliorum verſ. 7. quæ revera omnes comprehendit, nam *propinqui & longinqui*, non tantum gentes notat, ſed etiam ipſos Deos: dicuntur autem *propinqui*, qui recentis originis Deut. 32: 17. *Dii quos non noverunt, novi, qui de propinquo venerunt, quos non timuerunt patres ipſorum*: Contra Deus, *à longinquo* viſus dicitur Jer. 31: 3. quæ deſcriptio ad ætatem priſcam novamque reſpicit; uti proxima ad locum, ab uno extremo cive ut Exod. 20: 4. atque è diametro adverſatur omni idololatriæ cum Gentilium tum Pontificiorum. Etenim falſum eſt quodcunque numen præter Deum colendum proponitur, ſive longinqui temporis ſit, uti Angeli, Patriarchæ, Maria & Apoſtoli, Martyres primi; ſive noviſſimi, tot Sancti demortui, canonizati à Papis Rom. quorum numerus nondum completus; ſive ſub hoc, ſive ſub illo cardine cœli; Bethlehemi ad locum præſepis aut Hieroſolymæ ad ſepulchrum Chriſti. Sive Lauretæ in Italiâ, ſive Hallæ, & in Aſpero colle in Belgio; Jacobus compoſtellæ, Dionyſius in Gallia, tres Reges quos dicunt, Coloniæ; & innumeri cujuſvis regionis, urbis, domus Pontificiæ Dii. Recte Paulus 1 Cor. 8: 4. &c. *non eſt alius Deus præter unum: Etſi non ſunt qui vocantur Dii in cœlo & in terra, (uti ſunt Dii multi & domini multi,) nobis tamen non niſi unus eſt Deus Pater, ex quo omnia & nos ad ipſum; & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia & nos per ipſum. Deus noſter in cœlis eſt.* Pſal. 115: 3. non iſtic concluſus, ut ſit tantum à longinquo, & non quoque à propinquo, cum cœlum & terram impleat Jer. 23: 23. &c. & non longe abſit ab unoquoque noſtrum Act. 17: 27. ut nullum alium quærendum aut admittendum habeamus. Porro ex hac deſcriptione diſcimus.

Nullius hominis amorem adeo validum eſſe debere ut in ipſius gratiam ulla idololatria recipiatur. Enumeravit deſcendentes, & collaterales, ſed ejuſdem conditionis ſunt adſcendentes. Non magis parentum quam liberorum, fratrum, uxoris, amici ſingularium amor perſuadere debet, ut propterea aſſentiamur & exerceamus idololatriam. Matrem ſecutus eſt Micha Jud. 17. uxorem Achab, Salomo. 1 Reg. 16. & 21. cap. 11. Neh. 13: 26. amicos aulicos Joas 2 Chron. 24: 17. &c. Hinc interdixit Deus conjugio & affinitate gentilium ſæpiſſime. & Mich. 7: 5. Equidem non tantum de idolis loquitur, ſed quia de omni perſuaſione abducente à Deo ejuſque cultu, utique etiam idololatriæ ſuaſores caveri jubentur. Nihil tribuendum conjunctiſſimis in præjudicium Dei & mandati ejus. Matt. 10: 37. Luc. 14: 26. Deus diligendus toto corde, &c. nequit in comparationem venire ulla creatura, ad æqualitatem amoris, etiamſi conjunctiſſima ſit, naturæ & propriæ electionis vinculis connexa. Quî ergo amor creaturæ perſuadent apoſtaſiam à Deo? qui ob perfectionem, ob beneficentiam omni amore dignus eſt. Accedit quod omnes homines ſint mendaces, ut nulli, licet dilectiſſimo, abſolutè credere liceat, ut jugiter examinandi ſint univerſi ipſorum ſermones. Joh. 5: 44. gloria ab hominibus etiam conſiſtit, in æſtimio amoris dicentis; quomodo credere quis nequit. Aſt Deus ſolus verax, atque ipſa veritas; & ipſius amor intemeratus, citra anomaliam, quem in docendo exſerit, ut ſi quid amoris argumentum ad perſuadendam fidem & obſequium, heic illud valeat, Deut. 33: 3. *Utique diligit populos, quilibet accipiet de verbis ejus.* cap. 10: 15. &c. *tantum Deus in patribus veſtris delectationem habuit, ut eos diligeret. Circumcidite ergo præputium cordis veſtri: neque indurate cervicem veſtram. D. Deum veſtrum timebitis, & ei ſervietis, & ei adhærebitis, & per nomen ejus jurabitis; ipſe eſt laus veſtra, & Deus veſter, qui tanta vobiſcum egit, tamque tremenda, quæ oculi veſtri viderunt.* Si amori quid tribuendum, nullus excedit Dei erga nos, experimentis quoque, non ſolis promiſſis, probatus; qui dedit vitam halitum & omnia, benefacit de cœlo, dans pluviam & tempora fertilia, implens corda cibo & lætitia. Cuſtos hominum, imo qui ſic dilexit mundum ut filium unigenitum daret, & omnia cum ipſo: ut ſemper ſit materia laudis. Itaque Amor iſte ſummus conſtringere debet, ad audiendum & colendum ipſum, & perſuadere, ne ullum Deum alium cum illo velimus commutare; à quibus nulla amoris teſtimonia profecta ſunt; quo ipſi ſoli adhæreamus fiducia, & fœderali obſequio. Cavendum ne unquam dicat Deus, quod Judæis Jer. 35: 14. &c. Rechabitas amor patris mandantis fecit abſtemios à vino; & multo magis amor patris cœleſtis mandantis debet abſtemios facere à peccatis 2 Cor. 6: 17, 18. & amor Chriſti vindicis 2 Cor. 5: 14, 15. Amoris efficacia in perſuadendo, in Rechabitis caruit omni præmio; quid daret mortuus poſteris obedientibus? Eſa. 63: 16. in aliis adfert perniciem Jer. 9: 25. cibabo propterea ipſos abſynthio, & potabo aquâ fellis: & diſpergam eos inter gentes quas non noverunt: aſt in Deo dat præmium, vitam æternam.

b. Audientes quod attinet dicitur I. quid, II. qua de cauſa, III. quo fine faciendum ſit quemadmodum ſimilia, verſſ. 5. præſcripta ſunt.

a. Officium bimembre injunctum habent, I. quod cavendum verſ. 8. *non aſſentieris ei*, ut beneplacitum habeas in ejus ſermonibus, tibique placeant, ut Pſ. 50: 18. *ſi furem videas, & habes delectationem* in eo. & Prov. 1: 10. *ſi pellexerint te peccatores, ne aſſentiaris illis.* Deſignatur theoricus acceſſus; ut audiantur ſuaſiones & placeant invitationes. Pſ. 58: 5. &c. impii ſunt ut ſuada aſpis, obturans aures, ne audiat vocem incantatoris: ſic nos debemus aures obſtruere, ne quid audiant ejuſmodi. Diximus alias, quantopere curioſitas valeat ad perſuadendam idololatriam: qui averſatus eſt audire tales ſermones per illos non fuit deceptus. Præterea, *non obedies ei*, ut progrediaris ad exercitium. Practicus acceſſus prohibetur ne quid tale fiat, non mage heic ob amorem dicentis, quam ante, ob autoritatem, II. *Quod agendum.* verſ. 5. dixit occidendum: id heic plenius declaratur. Interdictum quidem, non parcet ei oculus tuus, neque miſereberis, neque teges. Imperatur accuſatio, & teſtimonium, & iſtud integrum nullatenus mutilum. Multa condonat amor, & diſſimulat. 1 Cor. 13: 4. &c. amor longanimis eſt, non exacerbatur, non cogitat malum, tegit omnia, ſperat omnia, tolerat omnia. Sic quoad injurias corpori graves. Verum ſi vitam alii adimat, hic non tacendum; [nam effundentis ſanguinem ſanguis per homines effundendus eſt, Deo alias non condonaturo reatum terræ Gen. 9: 6. Num. 35. Prov. 28: 17. Multo minus ſi ademturus eſt vitam Dei, & animam necaturus. Qui venena miſcet etſi nemini adhuc necem attulerit, quia eam artem factitat, deferendus & puniendus eſt. Sic qui perduellionem communicat privatim. Aſt heic majus quid corpore, cujus pernicies quæritur. Etſi ergò talis in ſecreto dixerit, non eſt diſſimulandum, non eſt connivendum, non ex commiſeratione erga illum cujus tener alias & ſincerus amor exploratus eſt, quicquam reticendum, qui audivit debet eſſe accuſator, & teſtis quoque. Sed apud quem? nam non ipſemet etiam

judex esse potest, Hebræi dicunt Synedrium summum LXXII. virum judicasse de Pseudopropheta, & seductore ejusmodi. Confirmatque Christus Luc. 13: 33. &c. Synedrium istud Hierosolymæ habuit suum tribunal, & quia istic solum necabantur Prophetæ, liquet ab illis damnatos, qui solum istic jus dicebant. Quemadmodum etiam Jesum, & Stephanum, alioque ibi damnarunt ad mortem. Eo voluit Saul Damasco adducere Christum profitentes Act. 9. Et hoc imperatum heic, ut ad majus Synedrium eum deferrent: imo quia unus testis non sufficit ad necandum reum, ne talis impune ferret solicitationem istam, quam in occulto, apud unum instituerat, cujus affirmationem negante eludere posset; censuerunt Hebræi, testes alios collocandos esse, qui eum videre & audire queant, & sub specie curiositatis ad repetitionem suasionis suæ invitandum, quam tamen responsurus repudiet; ut valida fiat, quam ex mandato Dei tenetur instituere accusationem: quæ per testes illos roboretur, quo à judice rite condemnari queat.

Vers. 8. *Ne acquiescito illi, neque auscultato illi, neque parcito oculus tuus illi, neque clementia utitor, neque celato illum.*

Vers. 9. *Sed omnino occidito illum, manus tua primùm esto contra illum ut morte afficias illum, postea verò manus totius populi.*

Mandatum vero vers. 9, 10. ubi pœna, *Occidendo occides eum*, certissime; quem necandum dixit vers. 5. Modus porro pœnæ quoad exsecutores, *manus tua*, actoris, *primum contra eum erit, deinde totius populi.* Iste ordo etiam legitur Deut. 17: 7. quoad speciem, conjicies in eum lapides, ut moriatur. Capitalis ergo fuit pœna, & quia nulli carnifices ordinarii erant illo tempore; populus omnis exsecutionem peregit; quo spectat illud Christi, Joh. 8: 7. qui vestrum sine peccato est, primum lapidem in illam conjiciat. Atque istud judicium statutum in Stephanum; quod vero paulo ante contra Jesum non statuerent eam pœnam, cum tantum propter hanc culpam (falso licet) damnarint Matt. 26: 65. &c. & Joh. 19: 7. causa est quia pridie festi vel Sabbati neminem morti dabant, eoque cum esset tale tempus, parasceve & pridie Sabbathi, negant id sibi licere Joh. 18: 28, 31. qui tamen, ne occasio elaberetur, damnatum tradiderunt Pilato Gentili, qui exsequeretur, quod sibi scilicet agere religio erat; unde factum ut supplicio Romanorum servili fuerit punitus, crucifixione Itaque.

Peccatum est contra Deum, si quis quem Deus absolute damnandum, necandumque pronunciat, præpostera misericordia cohibeat à pœna & eam non promoveat. Dei mandatum evidens; qui tibi soli dixit, huic non parces &c. sed primus eris in occidendo; actio & testimonium incumbit: Lev. 5: 1. Hebræi Deum testem dici ajunt; ut sciat, qui audivit, & cognovit, licet solus sit, non esse solum. Semper Deum quoque testem esse, & quod alter tegit, & indicium atque accusationem cohibet, apprime nosse, & revelandi media habere abunde, etsi aves deberent id agere Eccl. 10. vers. ult. & illum silentem reum fieri Deo, contra quem peccet, quandoquidem eum testem constituit, ut per illum fiat accusatio. Itaque non prodest alteri, & nocet sibi. Infamiam quidem putant homines, si accusent; sed non unicum est exemplum, ut obedire Deo, qui hic diserte jussit, infame dicant; qui gloriantur sæpenumero de suâ inobedientia. Jer. 48: 10. *Maledictus qui opus Domini negligenter, perfide, agit.* Et hoc est opus Dei. Nimis familiare hic est delictum hominum. Homicida tantum consideretur; eum omnes conscii tenentur accusare, & procurare, ut sententia Dei in eum statuatur Gen. 9: 6. sed hic potius omnes juvant ejus fugam, indignantur & maledicunt indicibus, & dolent de supplicio ejus. Atque Prov. 28: 17. nullus amor patrocinium, nullus silentium, nullus misericordiam erga sontem excusat. A viris sanguinis abhorret Deus Ps. 5: 7. Jer. 48: 10. *maledictus qui cohibet gladium suum à sanguine*; gladium quem Deus stringi voluit, & Magistratui dedit Rom. 13: 4. non frustra gerendum. Nam si quis virum anathematis Dei dimittit, quem in manus tradiderat, erit loco illius, 1 Reg. 20: 42. & magistratus populum universum eidem reatui involvet, & terram sanguine impurabit, provocaturo ad Deum, severissime ulturum.

Sed hujusmodi quoque actio requiritur contra carnem nostram & cupiditates. Sententia est Col. 3: 5. *necate membra terrena.* Hoc ergo agendum, ut crucifigatur caro & cupiditates, vetus homo ad abolitionem corporis peccati, necentur operationes corporis. Verum qui parcit, qui miseretur, qui tegit, contrahit reatum novum. Prov. 28: 13. *qui transgressiones tegit, non prosperabitur.* Ps. 32: 4. *cum silerem* &c. peccata mea. Itaque decernamus. Ps. 139: 21. *annon odissem, osores tui, Domine* &c. Si inimici fuerint nobis quia tales Deo; non tantum placebit nostra sinceritas Deo, sed etiam docebit, & ducet ad consummationem.

Hebr. 10: 28. *Qui aspernatus fuerit Mosis legem, absque misericordia ex duorum vel trium testimonio moritur.* Legis Mosaicæ sic indicatur justitia; quicunque eam violavit non tamen punitur nisi convictus sufficienti testium numero, siquidem ipsemet confessus non esset, aut alio modo deprehensus. Achan sortis divinæ indicio notatus, confessionem edidit: Zimri ab uno Phinehaso ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensus fuit. Alioqui requirebantur testes ad minimum duo, iique consentientes. Unde in actione contra Christum nihil confectum est à Synedrio per testes, studiose licet conquisitos, quia non repererunt duos consentientes; quamobrem ex ore ipsiusmet elicere debuit Pontifex Cajaphas, quod sub blasphemiæ nomine damnaret. Indicatur insuper ejusdem legis severitas, moritur citra misericordiam, qui mortis reus per eam declaratur. Non concessa judicibus fuit gratiæ faciendæ facultas. Deus leges illas tulerat Israeli, non pro lubitu laxandas vel adstringendas, sed simpliciter exsequendas. Hinc judicibus, à se delegatis, nomen Elohim communicavit, quod justitiæ exercitium denotat, non autem nomen Jehovæ, qnod gratiæ significationem habet; quia hujus dispensationem sibi soli servavit. Itaque quicquid Deus capitale dixerat, tale pronunciandum habuerunt, & exsecutioni dandum. Num. 35: 30. Confirmatur istud de severitate justitiaque legis Mosaicæ toto hoc capite. Violatores ejus sunt, qui ad idololatriam pelliciunt ut deserto Deo Israelis, alios Deos; sibi non agnitos ex Legis indicio, colant. Habent illi argumenta persuadentia diversi generis. Quædam ab autoritate dicentis: Propheta, aut Somniator, signum prodigiumve prædicens, quod eveniat, cujus vis cogens quodammodo, ceu Dei manu exsertâ, quâ illi apostasiam mandari urgent. Quædam ab affectu dicentis, sanguine proximus aliquis, vel fœdere matrimonii, aut amicitiæ conjunctissimus. Quædam à consensu multitudinis. De justitia ex convictione aliquid monuimus; sed plura dicenda ad vers. 12, 14. De severitate singula membra habent aliquid singulare; sed medium diserte omnem misericordiam excludit, vers. 8. *non parcet oculus tuus, neque misereberis, neque teges.* Non sufficit aversari sollicitationem ad apostasiam, sed persequenda est; non licet connivere, non indemnitatem ejus procurare, non reticere. Ubi affectus amoris potissimum argumentum suadendi, ibi contra omnis amor exuendus est. Deut. 33: 9. *qui de patre suo & matre sua dicebat, non video illum; & qui fratrem non agnovit, & filios non æstimavit; nam observarunt verbum tuum, & custodiverunt fœdus tuum*; dicitur de Levitis, qui Dei jussu contra cultores aurei vituli vindictam exercuerunt ἀπεργωπόλητον, adeo ut naturalem στοργὴν posthaberent obsequio divino, parentes, fratres, liberos, non minus quam extraneos trucidantes; quibus eapropter benedictio à Deo data, ut primogenitorum locum fuerint consecuti, in ministerio Sacro. Hæc severitas erga seductores ad aliorum Deorum cultum, etsi neminem pellexerint, Lege Mosis adhibenda est.

Verum hic quæstio nascitur, antequam ulterius procedamus, expedienda. Num eadem severitas hodie adhibenda, ut Sollicitatores ad alios Deos colendos, morte afficiendi sint? Pontificii quidem affirmant, statuentes hæreticos esse exstirpandos; adeoque omnes illos, qui discedunt à doctrina Ecclesiæ Rom. neque agnoscunt autoritatem Papæ in definiendis fidei articulis, vel aversantur characterem Ecclesiæ istius, imaginum cultum ac Missæ sacrificium, atque in sua aversione perseverant, non tantum anathemate suo feriunt, sed Magistratus gladio plectendos tradunt, vel

plebi

plebi ſuperſtitioſo Zelo flammanti permittunt; unde factum ut ab aliquot ſeculis tam multæ myriades laqueo, enſe, igne, aqua, & diris ſuppliciis, nec non bellis & cædibus crudeliſſimis fuerint necatæ; cujuſmodi exempla ſuperiori ſeculo in Anglia, Gallia, Belgio, judicialia infinita patrata ſunt, & plura extra judicialia, per Galliam poſt lamienam Pariſienſem, in Pedemontio contra Waldenſes, olim & nuper, uti etiam in Hibernia. Imitati hac parte Gentiles priſcos * (quod nunc quoque Japonenſes factitant,) qui deferentes ſacra Deorum ſuorum, ſumma crudelitate, exquiſitiſſimiſque ſuppliciis necarunt; Imitati Arianos, qui ſuum dogma, contrarium Deitati Jeſu Chriſti oppugnantes Chriſtianos atrociter perſecuti ſunt, cædibuſque graſſati. Imitati Muhamedum, qui ſuum Alcoranum vi armata obtruſit, recuſantes internecione delens. Quibus nihil defenſionis eſt ex hoc textu, non magis quam illis quos imitatos diximus, quia non ſæviunt contra aliorum Deorum cultum ſuadentes, ſed qui iſti ſe opponunt, cum ipſimet ii ſint, multitudine aliorum Deorum & eorum cultu Gentiles æquantes, ſi non ſuperantes. Quicquid heic agunt ſuperſtitionis idololatricæ zelus eſt, de quo conſtat, immiſericordem eſſe: teſte Chriſto Matt. 10: 21. &c. Antichriſtus etiam ex hac nota crudelitatis cognoſcitur. Meretrix Babylonica ebria eſt ſanguine ſanctorum & teſtium Jeſu. Apoc. 17: 6. cujus vindictam ſumet Deus cap. 19: 2. quicquid etiam ſibi imaginati fuerint, qui illos occiderunt, ſe cultum præſtare Deo Joh. 16: 2. Etenim quemadmodum Pontificii ipſimet idololatræ & ſeductores, non autorati ſunt hoc dicto ad faciendum, ita multo minus ad faciendum contra iſtos quos perſequuntur. Judæi ex hac lege voluerunt exterminare Chriſtianos, tanquam ſeductores, cum veraces forent, veritatis doctores, & eam profitentes, à qua ipſimet defecerant. Act. 28: 22. *Hæreſi iſti ubique contradicitur.* Verum Paulus hanc defenſionem opponit Act. 24: 14.) *Fateor me ſecundum viam illam, quam hæreſin vocant ſic colere Deum patrium, ut credam omnibus quæ in Lege & prophetis ſcripta ſunt: ſpem habens in Deum, reſurrectionem mortuorum fore juſtorum & injuſtorum. Et in hoc exerceo me ipſum, ut conſcientiam habeam ſine offenſa coram Deo & hominibus jugiter.* Quia Scripturæ credit, & vitam inculpatam agit, licet interpretationi Scribarum non accederet, reum ſe non eſſe evincit. Enimvero apud Pontificios hi maxime rei, qui Scripturæ ſoli adhærent, quantamcunque pietatem in vita exerceant, ſiquidem Papæ & Eccleſiæ ejus placitis & interpretationibus non adſentiantur.

Verum his omiſſis, an veræ Eccleſiæ in N. T. juxta hanc legem procedendum contra ſeductores? inprimis eos qui Trinitatem SS. qui Deitatem & munus Chriſti negant, aliiſque idem perſuadere ſatagunt? Reſp. Duo ſpectanda I. an heic rei ſint? II. an & quo ſupplicio afficiendi? Rei ut agnoſcantur, conſideranda Doctrina, & perſonæ eam docentes. Doctrinam quod attinet, eſt ea de Aliis Diis colendis. Eos agnoſcimus ex Dei ipſius declaratione in fœderis formula. *Ego ſum Jehova Elohim tuus.* Hoc eſt, Deus P. F. & Spiritus S. juxta Deut. 6: 4. Item, *non habebis Deos alios præter faciem meam.* Quum multi ſint qui dicantur Dii, rectores & judices mundi, tum falſo, mero hominum figmento, & opinione falſâ; tum verè, ad quos verbum Dei, mandatum regiminis, factum eſt; tamen nulli iſtorum habendi pro rectoribus univerſalibus, præter faciem meam, Filium Dei, quâ Mediator eſt, quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum Joh. 10: 34. Dedit ei omne judicium, & honorem, parem ſecum, etiam quâ miſſus eſt Joh. 5: 2. &c. Olim quidem ἀσεβεκτῶν, de cujus cultu mandat Exod. 23: 20. & neglectus vindicatus fuit 1 Cor. 10: 9. Chriſtus tentatus fuit in deſerto, & qui fecerunt à ſerpentibus perditi fuerunt. Poſteaquam vero manifeſtatus eſt in carne, ἀνθρώπων; de quo Joh. 17: 3. *Dediſti filio tuo poteſtatem omnis carnis, ut* &c. *& hæc eſt vita æterna* &c. ſe mediatorem diſtinguit ab uno vero Deo, ſuique cognitionem & fidem ad vitam æternam ſigillatim neceſſariam facit. 1 Joh. 5: 20. &c. *Novimus filium Dei veniſſe, & dediſſe nobis intellectum, ut verum illum agnoſcamus.* (Joh. 1: 28. Matt. 11: 27.) *& ſumus in illo vero, in filio ejus Jeſu Chriſto* (1 Joh. 1: 3.) *Hic eſt verus ille Deus & vita æterna.* (quem Deus fecit Elohim & vitæ æternæ diſpenſationem commiſit Joh. 17: 2.) *filioli, cavete vobis ab idolis*: ut præter hunc ſanctificatum & miſſum Elohim, nullos agnoſcatis, nullis confidatis, nullos colatis. Ab hac doctrina qui diſcedunt, male ſentientes de Jehova Elohim Jehova uno, ut in novitate eſſentiæ pluritatem perſonarum, trinitatem non agnoſcant; itemque Faciem Dei, angelum faciei ejus, filium Mediatorem quoad perſonam & munus non credentes, neque colentes; non habent quidem verum Deum, neque quem miſit Jeſum Chriſtum: Eph. 2: 12. attamen necdum habent Deos alios. Id nominis convenit iis, qui natura non ſunt Dii Gal. 4: 8. Habendi autem hoc loco proponuntur, ubi revelatio vera facta eſt, ut ſummi regiminis honor tribuatur aliis, quem Deus ſibi & Chriſto ſuo proprium ſervat, Pſ. 2: 2. Quod fit bifariam: tum quando Deus verus per imagines quaſcunque colitur. Nam quia incorporeus, nemini viſus aut viſibilis, nullius creaturæ corpore poteſt repræſentari, ſive hominum ſit, ſive brutum. Deut. 4: 15. &c. Rom. 1: 23. ſic factum in vitulis Aaronis & Jeroboami, qui ſe Deum Iſraelis colere profeſſi ſunt, & tamen Deos alios feciſſe & coluiſſe dicuntur, 1 Reg. 12: 28. cap. 14: 9. tum quando id, quod non eſt Deus, loco Dei colitur, ſive fuerit creatura aliqua, ut Angeli, Luminaria, bruta, planta, homines vivi mortuive cultum divinum conſequantur, vel is eorum imaginibus exhibeatur, ſive figmentum merum, quod nunquam fuit in rerum natura, & imagine aliqua exprimitur. Vitioſior autem eſt doctrina de aliis diis qui id natura non ſunt, quam de alienis expreſſionibus veri Dei: uti cultus Baalis longe pejor fuit, cultu vitulorum Jeroboami 1 Reg. 16: 31. &c. 2 Reg. 10: 28.) Doctrina de aliis Diis utraque etiam obtinet inter Chriſtianos. Plurimi enim ſunt qui Deum Chriſtumque quales ſunt magis minuſve agnoſcentes in imaginibus & per imagines colunt; Pictis fictiſve Trinitatis, Chriſtique expreſſionibus, maxime hujus crucifixi, iiſque templa domoſque exornant, cultumque exhibent: quive inſuper Creaturas, aut figmenta ſua, vel utrorumque imagines colunt, ut inter Pontificios Angelorum, Mariæ, Sanctorum defunctorum, Papæ Rom. Hoſtiæ Miſſaticæ adoratio; & idololatria infinita imaginum, reliquiarum, &c. Omnis hæc doctrina Deorum aliorum eſt. Perſonæ ſuadentes heic ſunt non cujuſvis religionis homines, ſed qui ſunt Eccleſiæ. Nam è medio ipſorum ſurgere; ſanguine fœdereque arctiſſimo rite conjuncti eſſe; & ejuſdem reip. limitibus legibuſque circum ſcripti dicuntur. Diſtinguuntur autem ut alii ſint Doctores publici, prophetæ, in munere conſtituti: alii privati, qui domos ſubeunt fiducia amicitiæ; alii denique non ſeductores, ſed ſeducti, totius urbis incolæ perſuaſi. Priores ſive autoritate muneris, ſive blanditiis aliiſve artibus aliorum Deorum cultum, quos Scriptura non patefecit colendos, ſuadent; quando etiam ſignorum prodigiorumque cogentem vim jactant inculcantque; Hi vero faſcinati pertinaciam Zelumque addunt ad ejus profeſſionem & defenſionem. Quemadmodum cum alibi, tum inprimis apud Pontificios fieri notiſſimum eſt.

Jam *An & quomodo* contra hos procedendum ſit, diſpiciendum eſt. Perſonæ quidem, de quarum pœna agitur, reſpectu doctrinæ ſunt, qui Deos alios ſectandos ſuadent. Ergo qui male loquuntur de Deo, alioſque loqui faciunt, quia non Alios docent, proprie huc non pertinent, ſed ſunt blaſphemi, & lex peculiaris de ejuſmodi agit. Lev. 24: 15. Quod ſi huc quoque revocentur, quia Deum alium proponunt quam eſt, non tamen gravius peccant, quam qui Deum verum falſo modo per imagines colunt, aut qui falſos plane Deos invocant; de quibus textus diſerte agit. Cujuſmodi idololatræ ſunt, non avari, voluptuarii; ambitioſi, quibus mammon, venter, potentia, mundus, Deus ſunt: qui & ipſi alium Deum erigunt incorde, & opere colunt; ſed qui idola externa venerantur. Reſpectu originis, non alieni à Religione & Eccleſiâ. 1 Cor. 5: 10. &c. *Miſceri non debetis, non omnino cum idololatris, blaſphemis hujus mundi, ſic e mundo vobis egrediendum eſſet; ſed ſi quis, quum frater nominetur, fuerit idololatra aut blaſphemus, nam quid judicem ego extraneos: Extraneos judicat Deos.* Differentia heic oſtenditur Iſraelitarum & Chriſtianorum. Iſraelitæ abſolute miſceri non debebant, adeoque nullum omnino in ſua terra tolerare, de ſuis deficientibus: qui ne quidem peregrinum idololatram ferre debebant: Lex peculiaris mandavit exſtirpationem Cananæorum, ne quem ſeducerent. Deut. 7: 2. &c. Debebant in terra ſua vivere,

quali

quasi soli forent in mundo, nullo commercio aliis populis impliciti. Num. 23: 9. *Populus hic solus habitabit, neque numerabitur inter gentes.* Sed Christianis eo modo vivere non licet. Manendum in mundo, inter gentes, unde evocantur non quoad externam habitationem, sed quoad spiritualem subjectionem Christo; quamobrem ferre alios debent, utpote unde jugis conversionis materia speranda est. 1 Pet. 2: 12. Ipsi Judæi, quoties in terra peregrinorum vivebant, nullâ lege tenebantur ad destructionem vel idolorum, vel cultorum ejus; sed abstinendum eis fuit à cultus commercio, & si necessitas foret, profitenda veritas. Jer. 10: 10. &c. & pro ea etiam patiendum. Uti socii Danielis Dan. 3. & Daniel ipse cap. 6. Sic quoque Paulus neque Athenis, neque Ephesi, neque alibi iconoclasten egit; sed vanitatem idolorum verbo demonstravit, Act. 10: 10, 26. destructionem illis reliquit quibus in eâ jus erat; uti in libros curiosos possessoribus Act. 19: 19. Sed qui Christiani sunt cujuscunque nationis, qui fratres vocantur, Deum & Christum professi, & per Baptismum ad Christiani nominis communionem admissi; quales longe lateque per orbem terrarum dispersi vivunt, & maximum istorum numerum Pontificii faciunt, idololatræ maximi. Quod si arctius restringere placeat ad Politiam quoque, sunt qui in eodem territorio, sub eodem magistratu vivunt, cujus est capitaliter punire, neque enim alibi potest statuere quid Magistratus. Quid illud sit si quæratur, Capitalis pœna mandata est Israeli; sed si eadem inter Christianos valeat, potissimùm in idololatras sæviendum, & tum in alios seductores, quotquot deficiunt à professione verâ. At enim ne quidem pœnæ delicti civilis eædem necessario sunt, quæ olim inter Israelitas. Homicidii pœna capitalis sancita est pro omnibus filiis Noachi, neque ulla natio jure se potest eximere, aut contrarium statuere. Sed quoad pœnam incestus, (qui in linea recta prohibitus ipsi Adamo, eoque universo generi humano, Gen. 2: 24.) quæ capitalis Lev. 20: 11. filio cum noverca congresso, Apostolus 1 Cor. 5: 1. &c. in Christiano non facit capitalem, ut jubeat deferri illum ad magistratum, sed quia hic gentilis erat & forsan indulgens in ejusmodi crimine, in pœna Ecclesiastica acquiescendum docet, *tollite inquit, istum improbum ex vobis ipsis.* ut extra cœtum Ecclesiæ constituatur. Neque aliud dicunt verba, vers. 2. Quod cum factum fuisset, & ipse vere resipuisset, Apostolus eum recipi vult rursus 2 Cor. 2. Neque aliud poscit de Pseudoprophetis Rom. 16: 17. 2 Tim. 3: 5. Tit. 3: 10. 2 Joh. v. 10. *si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert,* (quæ doctrina Christi sit) *ne recipite in domum, neque dicite illi Ave: communionem habentes cum malis ejus operibus*; 1 Cor. 5: 11. Hæc privatis agenda; qui debent esse non pueri, decipi faciles, sed magistri, qui per consuetudinem sensus habent exercitatos ad discretionem boni & mali. Publicè Doctores debent tales cavere quoad doctrinæ communionem 2 Tim. 3: 5. Tit. 3: 10. eosdem refutare Tim. 1: 13. 2 Tim. 2: 16. &c. Auditores inde avertere Tit. 1: 13. Nam à Christo. Apoc. 2: 14. improbatur quod essent in Ecclesia qui tenerent doctrinam Bileami ad esum idolothytorum & scortationis; quique tenerent doctrinam Nicolaitarum, & magis vers. 20. quod permitterent mulierem Jezebel, se dicentem prophetissam, docere & seducere servos Dei, ut scortarentur & idolothyta comederent. Ut verò eam occiderent non dixit, sibi istud servans; *liberos ejus occidam morte; & scient omnes Ecclesiæ, me renes & cordæ probare.* vers. 22. &c. At Magistratus fidelis si fuerit, hæc cohibitio efficacius fieri potest; quia habet gladium cogentem. Sed ut stringat ad necem, sub Novo Testamento in medio mixtæ multitudinis, id non legitur, neque à Constantino M. contra Arium, aliisve Imperatoribus contra alios hæreticos statutum est: etsi quando seditio movetur, & quies publica turbatur, politica pœna recte statuatur. Alioqui contra idololatras seducentes & seductos ad internecionem foret sæviendum. Sed quod Christus respondit Jacobo & Johanni, qui Eliæ exemplo igne cœlesti vindicare volebant injuriam illi factam: Filius hominis non venit ut animas hominum perdat, sed ut servet Luc. 9: 56.

β. *Causa* severitatis tunc usurpatæ est vers. 10. *nam quæsivit te depellere à Deo tuo, qui te ex Ægypto, domo servitutis eduxit.* Similia leguntur vers. 5. *locutus est recessionem, apostasiam, contra D. Deum vestrum*, &c. *qui redemit vos* &c. Omnis suasio cultus idololatrici habet apostasiam à Deo & Christo. nec non ab obsequio Deo debito. Deus & Christus fuerunt educentes ex Ægypto. Deut. 4: 37. *Dominus vos Facie sua, per potentiam suam magnam eduxit ex Ægypto.* Exod. 14: 19. *Angelus Dei, Jehova, perdidit Pharaonem & copias ejus in mari. Angelus faciei Dei* Esa. 63: 9. quippe uti Jacobum Deus alius & Angelus, *redemit ab omni malo*, Gen. 48: 15. &c. ita quoque posteros ejus. Non potest quis ad alios Deos ducere, quin hos deserat; Alios Deos qui habet, faciem Dei non habet, & is neque Jehovam habet. 1 Joh. 2: 12. &c. 2 Joh. vers. 9. qui transgreditur, nequit manet in doctrina Christi, non habet Patrem; qui manet in doctrina Christi, habet & Patrem & Filium.

Quid ergò statuendum de Rom. Ecclesia? Nihil ibi aliud docetur, quam *eamus pone alios Deos, quos non novistis.* Eoque ut deseramus Christum & Deum. Uti Israelitarum vox, de vitulis, *Hi sunt Elohim tui, qui te eduxerunt ex Ægypto*, non effecit ut alios Deos coluisse non dicerentur. Sic neque cum in imaginibus & his monentibus Deum se colere dicunt. Multo minor defensio est, cum Angelos, sanctos venerantur. Sane Maria Virgo longe potior ipsis est Deo: in Rosario quinquies paternoster, quinquagies suum Ave Maria recitant; decuplo magis æstimatam professi, & Papa sibi omnem potestatem Christi arrogat in terris, remittendi peccata, adjudicandi paradisum, leges fidei condendi. Non habet proinde Deus & Christus majorem in domo sua hostem. De quo tamen constat non esse destruendum humana virtute, sed Christus Spiritu oris sui necabit impium, eumque perdet illustri adventu suo, & eos omnes qui Bestiam adorarunt, & characterem ejus acceperunt Esa. 11: 4. 1 Thess. 2: 8. Apoc. 17. & 19. Etsi nunc tumultuentur qui ipsi mancipati sunt, contra Dominum & Unctum ejus, tamen virga ferrea Christi tandem comminuentur. Quare caveamus ab illo seduci, *Serviamus Domino cum timore* &c. *Osculemur filium* &c. *Beatus omnis confidens in ipso.* Ps. 2: 11, 12.

Perperam Judæi in Talmude Jesum suspensum ajunt, quia populum depulit à colendo Deo, qui ex Ægypto eduxit. Quando enim se Deum, Deique filium dixit, & colendum fide, obsequio, veneratione, ad eum adduxit qui ex Ægypto Israelem eduxit. Nam ipse illus fuit Deut. 4: 37. Exod. 14: 19. &c. cap. 3: 2. &c. idem Angelus de quo Exod. 23: 20. &c. ut hinc injuste condemnatum liqueat, & nos jure summo ipsi tribuamus honorem divinum.

Quæst. An loquitur apostasiam propheta, qui aliquid dicit mandato Dei contrarium? Atqui Elias erexit altare, & sacrificavit extra Hierosolymam in Carmel monte. Josua ipso Sabbatho jussit circumire urbem Jericho & portare arcam fœderis, & forte Sabbatho septies, & cædere incolas omnes. Propheta jussit alium se vulnerare 1 Reg. 20. Sed distinctione opus. Nulli Prophetæ licet ullam legem Dei abolere in perpetuum; sed vero & probato Prophetæ licuit quandoque divino instinctu & mandato actum contrarium mandare, extraordinaria occasione. Veruntamen nunquam vel minimum quod faciat ad idololatriam. Et quando fecerunt tale quid, fuerunt liquida testimonia Deum id jussisse, qui Legibus suis superior est: uti in Elia, Josua &c. probatum. Ast hodie, quia ordinarii omnes, non licet quicquam mutare, sed inculcanda est lex Dei Matt. 28: 20. *docentes observare omnia quæ præcepi vobis.* unde illi, *A Domino accepi* &c. 1 Cor. 11: 23.

Vers. 11. *Ut audiant omnes Israëlitæ & timeant: nec pergam ulli facere secundum rem malam hanc in medio tui.*

γ. Finis vers. 11. supplicium publicum est, ut ad omnium notitiam & terrorem pertineat, neque quisquam ausit illud sequi. Idem dicitur Deut. 17: 13. cap. 21: 21. Judiciorum divinorum hunc fructum esse vult Apostolus 1 Cor. 10: 6. &c. ut quod passi sunt Israelitæ in deserto ob peccata, nobis terrori sit, ne ad eadem peccata prorumpamus. Jud. vers. 7. Sodomam & Gomoram scortantes constituit Deus *exemplum, ferentes pœnam ignis æterni.* Servator ait Luc. 17: 32. *mementote Uxoris Lot.* Publica judicia

dicia ſunt monitores omnium. Epulo propterea optabat ſuam pœnam fratribus innoteſcere ad terrorem. Luc. 16: 28. &c. ſed abunde teſtium habemus in Moſe, & Prophetis. Quin imo ira Dei cœlitus manifeſtatur ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum, veritatem in injuſtitia Detinentium Rom. 1: 18. Quando videmus quid Deus Siluntì, Hieroſolymæque fecerit. Ezek. 23: 48. Ohola & Oholiba judicio adulterarum & homicidarum judicabuntur; Conqueritur Deus Jer. 3: 8. Quum Iſraeli averſæ dediſſet libellum repudii ob adulterium ejus, Judam perfidam id vidiſſe, ſed non timuiſſe; imo abiiſſe ſcortatum magis quam illa. Quam familiare iſtud! Judicia Dei parum terrent homines, indurantur potius; ſed eopſe provocant graviora in ſe, ut fiant omnibus exemplo & erudítioni Ezek. 5: 15. Caveamus itaque, imitati Davidem. Pſ. 119: 119, 120.

Verſ. 12. *Si audiveris de aliqua civitatum tuarum, quas Jehova Deus tuus dat tibi ad habitandum illic, dicentes.*

Verſ. 13. *Egreſſi homines nequiſſimi è medio tui depulerunt habitatores civitatis ſuæ, dicendo, eamus & colamus deos alienos quos non noveratis:*

c. Prov. 29: 25. Trepidatio hìc peccatum eſt, & quidem defectionis à Deo, nam opponitur fiduciæ in Deum. Religio & cultus veniunt nomine *pavoris*: Deus vocatur *pavor Iſaaci* Gen. 31: 53. de Levi Mal. 2: 5. Hy vreeſde myn en wert om mijns naams wille verſchrikt. hic verus cultus Dei; verum ſi trepidatio opponatur cultui Domini, ſeu fiduciæ in Deum collocandæ, utique apparet ferri in alium præter Deum, illi adverſum, ſive in alium Deum. Deut. 32: 17. quos non expaverunt patres noſtri. Hujuſmodi autem trepidatio pernicioſa eſt; non tantum caret bono, quod religio vera adfert, quæ in excelſo locat tutò, quum tali receptu edito privetur, ſed inſuper in laqueum incidit, ut captus detineatur ad voluntatem accupis. Imo Pavor iſte aliorum Deorum ponit laqueum: non ſibi ſolum, ſed aliis noxius eſt, quos ſuo exemplo pellicit, ut irretiantur, & eadem defectione involvantur ad perniciem. Hoc periculi eſt in trepidatione אדם hominis cujuſcunque, etiam vilis alias, dummodo vinculo aliquo conſanguinitatis, matrimonii, amicitiæ fuerit conjunctus, ut in affectum alius ſe queat inſinuare. Multo magis ſi fuerit dignitatis alicujus, & excellentiæ majoris, Prov. 29: 6. in de overtredinge eens boſen mans is een ſtrik. Dicitur איש vir eximius, muneris aut dotium prærogativa ſupra cæteros eminens. Qui ſi malus ſit, ut à pietate & juſtitia recedat, Dei & religionis negligens, in ipſius tranſgreſſione eſt laqueus; addit peccato autoritatem, ut habeat vim pelliciendi intuentes ad imitationem pernicioſam. Utrumque confirmatum habemus hoc capite. Moſes oſtendit primùm in trauſgreſſione viri mali eſſe laqueum. Proponit prophetam aut ſomniatorem muneris autoritate pollentem, prædicentem quoque ſignum quod eveniat, qui tranſgreſſionem ſuam eo modo roboret, & laqueum faciat, ut aliis idololatriam perſuadeat, cultum Deorum aliorum. Sed non ſolum laqueum evitandum eſſe docet, verum ne quis eo capiatur, ipſum illum Virum, quamvis excellentem munere & dotibus ſingularibus, exterminandum eſſe, judicii ſummi ſententia necatum. Deinde proponit hominem, privatum aliquem, ſola relatione proximitatis alicujus inter homines alios ſui ſimiles æſtimatum, cujus trepidatio Deorum aliorum ponatur in laqueum, quo cæteri irretiantur ad imitationem & conſortium. Contra quos pariter procedendum ſit ad exſtirpationem; neque magis hos contemta vitæ ratio, quam illos dignitatis excellentia pœnæ eximere, vel indemnes conſtituere debet, quemadmodum hactenus vidimus. Verum Salomo Prov. 29: 8. habet aliud adhuc quod ultimæ parti hujus capitis reſpondeat, *Homines deriſores* אנשי לוץ *inflammant urbem*, blaaſen de Stad aan brand/ & *ſapientes auertunt iram.* Loquitur non de uno, ſed de multis; & his quidem peſſimis. Irriſores Pſ. 1: 1. pejores ſunt impiis, & peccatoribus: pejores ſimplice & carente intellectu Prov. 9: 4, 7, 8. qui non tantum mali ſunt, ſed in malitia delectantur, & ludum jocumque putant ſi eam patrent; Hi irriſores non ſingulis, ſed multitudini damnoſi ſunt, non unum alterumve, ſed integram urbem mactant malo, quod quidem graviſſimum; incendium excitant ſufflando, quo conflagret univerſa. Incendium iræ; nam ſapientes, pii, avertunt quod oppoſitum eſt, iram: quam iſti excitant vehementiſſimam, quæ flammæ inſtar accenſa omnia depaſcatur: Eſt enim iſta ira tum Dei, Zelotæ contra idololatras, tum hominum, quos Zelo ſui feruore Deus vult. quemadmodum ultima hujus capitis docent. Agitur heic de integra urbe ad idololatriam traductâ, & ejus exterminatione ſeveriſſima. Deſcribit autem I. peccantes, II. pœnam eorum.

a. Peccantes verſ. 12, 13. quoad Perſonas, & Peccatum conſiderantur.

a. Perſonæ ſunt, *Una urbium tuarum, quas Dominus tibi dat, ad habitandum ibi.* Non jam agitur de ſingulis, ſed de multitudine. Integra urbs eſt, id eſt, incolæ ejus: ſed urbium tuarum, tibi à Deo datarum quas incolas. De illis quæ intra limites poſſeſſionis hæreditariæ ſitæ erant. Reſtrictio iſta confirmat, quod nuper diximus, leges iſtas Iſraelitis fuiſſe ſingulares; quia ſolos voluit habitare, juſſit quoque cultum ſingularem obſervare; itaque in portis ſuis non debuerunt tolerare profanationem Sabbathi, ſic quoque idololatriam omnem prohibere oportuit, & exſtirpare. Jer. 29: 7. Exulibus mandatur, *quærite pacem urbis quo captivos vos feci abduci, & rogate pro ea Dominum; nam in pace ejus habebitis pacem.* Quærere pacem debuerunt peregrinarum urbium, non exſtirpando idola & cultores, quemadmodum in ſua terrâ; ſufficiebat, ſi ſollicitarentur ad idololatriam, profiteri quid verum Deum inter & falſos intereſſet Jer. 10: 10, 11. tum honeſte vivendum, ne culpam afferrent novam, ad accelerandum judicium aliquod; denique precibus pro felicitate externa illius laborandum.

Neque aliter nobis agendum. Nullus populus nunc eſt Eccleſia, uti Iſrael: quamvis plurimi populi ſint in quibus eſt Eccleſia; eoque hæc ubique hoſpita eſt; neque habet abſolute politiam, uti iſtic; ſed politia nunc mixtura eſt variorum hominum, qui pariter poſſeſſores ſunt: quemadmodum in Belgio; Conſœderatio incolarum plures religiones conjungit ad externam Reip. ſocietatem, nequit exſcindi quiſquis à verâ profeſſione diſſentit. Si publicum offendiculum prohibeatur, ut idola, imagines, & cultus illarum publice non videantur, id quidem jam ſatis eſt. Si non excitetur ſeditio prætextu religionis, & pax turbetur politica, gladius ſtringendus eſt ſpiritualis, Verbi Dei, & ſcriptum judicium contra eos exercendum; ſed ut gladio externo magiſtratus necentur, non videtur neceſſarium. Apud Iſraelitas ratio fuit peculiaris, Dominus eis dedit urbes: non uti ſingulis hominibus dat habitationem deſtinatam Act. 17: 26. ſed modo prorſus peculiari, ut Deus ſibi ſervaret proprietatem, ipſi tantum forent incolæ, qui jus vendendi vel alienandi non habebant Lev. 25: 23. feudatarii Dei, imo ipſe ſervaret jurisdictionem, ſuis legibus regens omnia. Hinc Pſ. 101: 8. *quovis mane* &c. *ut ex urbe Dei* &c. Sic noſtræ urbes ſe non habent. Cives Dei habitant in noſtris urbibus, ſed non omnes cives urbium, ſunt etiam cives Dei. Quamobrem jus in Iſraele fuit ſtrictum magis, quod ad noſtras urbes applicari ſimpliciter nequit.

Additur adhuc de Famâ, *Quum audiveris de aliquâ urbium tuarum.* Actiones publicas ſequitur fama. Quòd in urbe publice fit, innoteſcit alibi & auditur, ſive bonum ſit, ſive malum. 1 Tim. 5: 25. Bona opera manifeſta fiunt, & ea quæ ſecus habent, occultari non poſſunt. Injuſti quæſtoris actiones, diſſipantis bona heri ſui, famæ indicio vulgantur. Sic peccata Sodomæ Gen. 13: 13. cap. 18: 20. Contra fama Salomonis narrabat ejus ſapientiam & magnificentiam 1 Reg. 4: 31. cap. 10: 1. Deut. 4: 6. obediendum divinis mandatis, ut fama exeat laudata ad gentes: Sic fides Romanorum Rom. 1: 8. & Theſſalonicenſium 1 Theſſ. 1: 8. ubique nunciabatur. Opera danda, ut famæ bonæ demus materiam, & ſic vivamus ut magis laudandi ſimus quam vituperandi, inprimis ob Dei præſentiam notitiamque Zach. 8. verſ. ult. Jer. 3: 17. Equidem ſubinde optime facta peſſimam habent famam, ſed vitio aliorum, qui bonum malum dicunt, & malum bonum; atque hinc

non debet vita noſtra conformari famæ, ut quod ea laudatur, faciamus; ſed vitæ ſtudendum quod ſequatur fama bona ex merito, licet deſit, & contraria ſequatur 1 Pet. 2: 11, 12. & cap. 4: 2, 4. Et quia judicia hominum perverſa ſæpe ſunt, ſectanda fama non apud homines ſed apud Deum, Rom. 2. verſ. ult. qui obedientes collocabit in alto ſuper omnes alios, ad laudem, & nomen, & gloriam, & ut ſancti ſint Domino Deut. 26. verſ. ult. ſi non in hoc, ſaltem in futuro ſeculo. Rom. 2: 7, 10.

β. *Peccatum* eſt verſ. 13. cujus Autores. *Egreſſi ſunt viri, filii Belial, è medio veſtri*; Sunt iſti Iſraelitæ, non peregrini; è medio ipſorum; ut verſ. 1. non quod impune id fuerit peregrinis; ſed quod peregrinis non concedenda eſſet habitatio, niſi idololatriam prorſus deſeruiſſent. Proſelyti autem cenſebantur cum indigenis in omnibus. Hebræi volunt ejuſdem urbis cives eſſe, quia ſua urbs dicitur, ſed iſtud erunt etiamſi tantum incolæ ſint & advenæ dummodo Iſraelitæ origine. *Filii Belial* deſperatæ impietatis titulus eſt: quidam reddunt een deught niet/ ex בל & יעל; quemadmodum נבל in quo nullus bonitatis ſuccus. Hebræi heic reddunt vel qui non adſcendunt ad partem Dei, & ſe continent intra parietem intergerinum, qui alienos omnes inde diſterminat; vel qui ſine jugo legis eſt, & jugum regni cœlorum excuſſit. Belial 2 Cor. 6: 15. Diabolus eſt, oppoſitus Chriſto, & filii Belial, ſunt filii Diabolii Joh. 8: 44. 1 Joh. 3: 10. Quod idolis, id Diabolis oblatum dicitur 1 Cor. 10: 20. quocirca qui idola colunt, Diabolum colunt, & inde denominari merentur, uti populus Chemoſch Jer. 48: 46. Hinc & Ebrii 1 Sam. 1: 16. & avari cap. 25: 17. filii Belial dicuntur, quia idolum ventris & mammonæ colunt. Hoſ. 3: 1. Phil. 3: 19. Eph. 5: 5. Eſt hoc nomen turpiſſimum, & quod peſſimis tribuitur, deſperatæ malitiæ, ut quivis honeſtus id averſaretur. Caveamus ne quid unquam patremus, quamobrem filius aut filia Belial, quis appelletur. Non inutilia terræ pondera, ſed Act. 12: 36. quercus juſtitiæ; non filii Diaboli, ſed filii Dei inculpati &c. Phil. 2: 15. &c. Adſtipulatores, Habitatores urbis ſuæ impulerunt, ut adſentirentur, & obtemperarent. Non fiebat urbs apoſtata, quæ ſollicitabatur, ſed quæ ſollicitata ceſſiſſet, & idololatriam ſuſcepiſſet & exercuiſſet. Cæterum incolæ debebant eſſe ſeducti, vel omnes, vel ſaltem plurimi, ut inde denominari poſſet. Si enim pauciores ſeducti eſſent, de ſingulis judicium peculiare fuit. Modus ſeductionis eſt, qualis verſ. 6. Eamus & ſerviamus aliis Diis, quos non noviſtis. Exempla iſtiuſmodi non deſunt, ut ab uno vel paucis tota urbs fuerit ſeducta. Jeroboam & Achab, aliique reges fecerunt peccare Iſraelem, ſed hi poteſtate politica quoque uſi ſunt. Verum quinque Danitæ idolum Michæ toti tribui ſuſcipiendum perſuaſerunt Jud. 18. Sic apud ſuperſtitioſam plebem pauci prævalent, ut idolum aliquod ejuſque cultus perſuadeatur, & hic vel ille ſanctus religioſe colatur; quando homines noto, & in Scripturis revelato Deo non acquieſcunt, ſed novos ignotoſque cupide prædicari audiunt, & devote recipiunt: quod hodieque ſæpius fit. Caveri autem optime poteſt, ſi τὸ, non novimus, opponatur, ſiquidem nihil ſcire velimus, quam quod ex Scriptura ſcire poſſumus.

Verſ. 14. *Ubi inquiſiveris, & perveſtigaveris, ac percunctatus fueris bene, ſi ecce vera certaque erit res illa, ſi commiſſa fuerit abominatio hæc in medio tui.*

Verſ. 15. *Omnino percutito habitatores civitatis illius acie gladii; internecioni devoveto eam, & omneis qui erunt in ea, jumentaque ejus acie gladii.*

Verſ. 16. *Omnem verò prædam ejus comportato in medium plateæ ejus, & combures igne civitatem ipſam, omnemque prædam ejus prorſus Jehovæ Deo tuo: ut ſit tumulus perpetuus, ne ædificetur deinceps.*

Verſ. 17. *Neque adhæreſcito manui tuæ quicquam de ullo anathemate: ut convertat ſe Jehova, ne accendatur ira ejus, & ut conferat tibi miſericordiam, & miſereatur tui, atque augeat te, ſicut ſe facturum juramento promiſit majoribus tuis.*

Verſ. 18. *Quum auſcultabis voci Jehovæ Dei tui obſervando omnia præcepta quæ ego præcipio tibi hodie, faciendo quod rectum videtur in oculis Jehovæ Dei tui.*

b. Pœna habet antecedentem cognitionem, v. 14. Non ad primum auditum & rumorem ruendum eſt ad ultionem. Tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri eſt fama. Præceps judicium pœnitendum eſt. Falſus poteſt eſſe rumor, & innocentes hoc modo damnarentur & perderentur. Itaque inquiſitione opus eſt, ad quam rumor excitet. Joſ. 22. ad famam excitati à Rubenitis & Gaditis altaris convocantur quidem cæteræ tribus ad bellum, ſed antequam id inferatur Phinehas & legati tribuum adeunt eos, inquiſitum in factum & rationem ejus, quomodo inſontes fuerunt deprehenſi. Inquiſitio porro heic non eſt ſuperficiaria & perfunctoria, ſed accuratiſſima. De ſingulari facto mandatur. Deut. 19: 18. Judices probe inveſtigabunt; multo magis hîc, ubi centenorum & millenorum cauſa agitur, de vita aut internecione. Hinc dicitur, ודרשת & וחקרת *inquires & inveſtigabis*, ושאלת & וה׳׳טיב *rogabis probe*. Primum generale eſt, ſecundum perſcrutationem arcanorum, tertium examen teſtium per interrogatoria notat, in quibus omnibus ſumma diligentia & accuratio adhibenda. Iſta inquiſitio fit potiſſimum apud teſtes, quia de publico cultu idoli quæſtio eſt; nam quæ fides cordis ſit, ſoli judicio Dei manet inveſtigandum & deſuper ſtatuendum.

Inquiſitionem ſequi oportet reatus evidentia, ubi ait, & *ecce*, (emphaticum iſtud ob momentum rei,) *veritas*, ſeu *verum eſt, res firma*, נכון (non tantum quoad factum, ſed etiam quoad conſtantiam & ſtabilitatem facti. Nam non illico poſt deprehenſum factum fuit procedendum ad exſecutionem; ſed, monentibus Hebræis, indicii veritate comperta, mittebantur à Synedrio majori Doctores qui convincerent incolas; qui ſi agnoſcerent culpam & reſipiſcerent, ipſi ſacrificium offerebant pro peccato; ſeductores autem lapidabantur: Quod ſi incolæ pertinaciter adhærerent defectioni, eamque tuerentur, adeo ut firmatum eſſet apoſtaſias propoſitum atque exercitium, tum demum procedebatur ad exemplarem iſtam vindictam.)* *Facta eſt*, tam conſtantiæ, quam initii ratione, *abominatio iſta in medio tui.* Idololatria vocatur *abominatio*, quia Deo abominata, & proinde etiam abominanda omnibus iis qui Dei ſunt. Cum enim Deus, Zelotes ſit, qui gloriam ſuam alteri, laudemve ſculptilibus dare non vult Eſa. 42: 8. non minus abominatur idololatras, quam ullus maritus adulteras. Sed etiam alia peccata Deus abominatur, quæ ſi pertinacia ſint, & elatæ manus, omnes convictiones ſpernentis, non minus ſevera eſt pœna: ſive unus ſit, ſive integra multitudo. Filius refractarius Deut. 21: 18. &c. Num. 15: 30. &c. Jnd. 19, 20. quidam cives Gibeæ ſtuprarant ad necem concubinam Levitæ, majus ſcelus intentantes ipſimet; Benjaminitæ non plectebant ſceleratos illos, filios Belial: imo cum reliquæ tribus maleficos ad pœnam poſcerent, non modo non tradiderunt, ſed defenſam eorum unanimiter, ſuſceperunt. Atque tunc contra tribum Benjamin actum eſt, ut heic imperatur. Unde merito colligimus. Eandem eſſe rationem pertinacium ſcelerum, ſive contra Deum immediate per idololatriam, ſive mediate per injuriam & oppreſſionem proximi agatur. Nam de pertinaci peccato dicitur. 1 Sam. 15: 23. *Rebellio eſt peccatum incautionis, & inobedientia eſt idololatria, & cultus imaginum.* Deut. 29: 18. *Ne ſit inter vos vir, aut mulier, aut domus, aut tribus, avertens cor ſuum à Domino Deo noſtro, ad ſerviendum Diis populorum; ne ſit inter vos radix pullulans fel & abſynthium, & fiat cum audierit verba hujus exſecrationis benedicat ſibi in corde ſuo, dicendo, habebo pacem, etiamſi ambulem ſecundum placitum cordis mei, addendo ebriam ſitienti,* (ut cupiditates ſuas ſequatur uſque ad ſatietatem.) *Dominus nolet ei parcere ſed Domini ira & zelus contra eum fuma-*

fumabit, & omnis maledictio, hîc ſcripta, ipſi incumbet, & Dominus nomen ejus delebit de ſub cœlo, & Dominus ſeparabit eum ad malum ex omnibus tribubus Iſraelis. Idem exitium omnes pertinaces manet, ſi non manu hominum, attamen manu Dei: quemadmodum ſi cultum Molechi non puniant homines, ſe vindicaturum dixit Deus. Lev. 20. verſ. 4. &c.

Pœna ipſa eſt

Contra animata omnia verſ. 15. *gladio* militari (nam ex decreto Sanhedrin bello oppugnanda & expugnanda talis urbs, ut Jud. 20. Gibea, quia defendit armis ſuum crimen,) *cædendo cædes*, quomodocunque licuerit, quibuſcunque armis pereant, dummodo pereant; *incolas urbis*, cujuſcunque ſexus & ætatis; *anathemate* enim feriendi, quomodo nemo ſuperſtes relinquitur, ne quidem de brutis; ut Jericho, & Amalekitæ.

Obj. quid peccarunt infantes, quid bruta, ut una debeant occidi? utique Deus utrorumque ſolet miſereri. Jon. 4: 11. *Nonne parcerem magnæ urbi Ninive, in qua plures 120 millibus hominum, qui diſcrimen dextræ & ſiniſtræ ignorant; & multæ quoque pecudes?* Reſp. Pſ. 37: 22, 28. *Semen impiorum exſtirpatur.* Exod. 20: 5. *Ego Deus fortis Zelotes viſitans* &c. Neque longius procedit hic pœna, neque enim quis, longævus licet, plures de poſteris videt, quam generationem tertiam aut quartam nempe abnepotes. Puniuntur idololatræ in omni eo quod poſſident; & liberi quoque ſunt poſſeſſio Pſ. 127: 3. Ea eſt ratio anathematis Lev. 27: 29. quicquid de hominibus anathemati devotum eſt, non redimetur, ſed necando necabitur, id eſt, certiſſime. Quod dicitur Deut. 24: 16. *filii, non necabuntur pro patribus ſed quiſque pro peccato ſuo*; loquitur de judiciis hominis, ſed hoc judicium Dei eſt; quandoque in ipſe fœdere contrarium ſancivit, de idololatris; & de aliis pertinacibus Exod. 34: 7. Sic contra Jeroboamum, Achabum, &c. proceſſit ad exſtirpationem totius poſteritatis. 2 Reg. 10. Et ſic ſtatuerunt Iſraelitæ contra tribum Benjamin; homines omnes nulla ætatis habita ratione omnia pecora trucidarunt & urbes combuſſerunt Jud. 20: 48. Exemplum hujuſmodi pœnæ contra Iſraelitas nullum deſcribitur in ſacris niſi Jud. 20. ſed non ob idololatriam, niſi ex 1 Sam. 15: 23. Verum aliud ſtatuit Deus in Hieroſolyma. Aliorum Deorum cultus invaluerat, Deut. 32: 21. Rom. 10: 19. quando Deo & Chriſto prætulerunt ſuos doctores Eſa. 29: 13, 14. & mira mirabiliſque ultio eſt, quod Deus Jacobum tradiderit anathemati, & Iſraelem opprobriis Eſa. 43: 28. quod urbs eorum combuſta vaſtataque ſit, & relinquatur deſerta Matt. 22: 7. cap. 23: 38.

Diximus ſic actum contra urbem cujus maxima pars incolarum rea: ſed quid fiebat de non reis inter eos? Diſcedendum iſtis fuit tempeſtive, ne una perirent; quod ſi manſiſſent, una peribant gladio bellico. 1 Sam. 15: 6. Saul exciſurus Amalekitas monuit Kenitas ut inde diſcederent ad ſui indemnitatem. Sic veriſimile eſt monitos, qui nollent idem experiri; ſed qui noluiſſent egredi, paria patiebantur. Quemadmodum generi Loti, qui ipſo monente deſerere Sodomam noluerunt, una flammis ejus fuerunt abſumti. Gen. 19: 14. Sic Jer. 51: 6. *Fugite è medio Babelis & eripite quiſque animam ſuam, ne exſcindamini in ejus iniquitate; nam tempus eſt vindictæ Domini qui illi reddit debitum.* Jer. 38: 2. &c. *Sic ait Dominus, qui in urbe manet* Jer. 6: 26. *gladio fame peſte morietur, ſed qui egredietur ad Chaldæos vivet & animam ſuam habebit prædam.* Si quis hoc manſiſſet, ſibi ipſi erat excidii cauſa.

2. *Contra inanima*, verſ. 16. ſpolia ejus omnia comburenda, cum urbe ipſa; & hæc nunquam ædificabitur. Sic ſtatutum de Jericho Joſ. 6: 24. urbem combuſſerunt cum omni præda, (excepto tamen metallo omni, quod in theſaurum Domini illatum; heic vero ne hoc quidem exceptum:) & maledictus qui unquam reædificaret. Imo nemini quicquam privatim cedere debuit. verſ. 17. Sicut etiam de ſpoliis Jericho, quod neglexiſſe non Achani ſolum & familiæ ejus exitiale fuit, ſed univerſo Iſraeli damnoſum. Joſ. 7. Si prædam conſecuti fuiſſent, ſpe commodi facilius damnaſſent, & ſubegiſſent: ſed nunc inferebant maledictionem in domum. Unde Deut. 7: 25. &c. prohibitum ne aurum argentumve idolorum inferatur in privatas ædes, quia anathema & abominatio, quam quis in ſe ſuamque domum accerſat. Hinc apparet quam grave peccatum defectionis à Deo, cum pertinacis idololatriæ tum alius peccati: corrigere neſcii. Multitudo id non minuit, uti quidem apud homines quandoque, ut decimatio rebellium inſtituatur. Quando totæ urbes deficiunt, totæ exſcinduntur. Quum tota terra corrupta eſſet, & omnis caro viam ſuam corrupiſſet, univerſale diluvium immiſit Deus. Gen. 6. & cum minimi maximique, pauperes & magnates peccarent, contra omnes judicium exercitum Jer. 5: 4. &c. cap. 6: 15. &c. Debentque iſtud judicium ſibi ipſis, Jer. 44: 7. *quare facitis magnum adeo malum contra animas veſtras ut vobis virum & fœminam, puerum & lactentem è medio Judæ exſcindatis; ne vobis reſiduum relinquatis? irritando me operibus manuum veſtrarum, ſuffiendo aliis Diis, ut vos exſcindatis, & ut fratris maledictio, & probrum inter omnes populos terræ.* Jer. 38: 23. tu combures urbem hanc igne, dicitur Zedekiæ pertinaci. Et infamia manet perennis, Prov. 14: 34. peccatum eſt probrum nationum, ut infames fiant in perpetuum; quemadmodum ſinguli id fiunt Jer. 29: 22. Infamia Jeroboami, Achabi: Sodomæ, Samariæ, Hieroſolymæ Ezek. 16.

Sigillatim notandum ex verſ. 16. *combures urbem & prædam ejus totam.* כליל dicitur de holocauſto, Pſ. 51. verſ. ult. *tunc delectaberis ſacrificiis juſtitiæ holocauſto, & eo quod totum comburitur.* De holocauſto pellis cedebat Sacerdoti; ſed peccatum, cujus ſanguis inferebatur in ſanctuarium, etiam cutis, & inteſtina & fimus, & omnia comburebantur. Lev. 4: 11. &c. Deut. 33: 13. ſuffitum ponent ante naſum tuum, & כליל quod totum comburitur ſuper altari tuo. Hoc nomen etiam hic uſurpatur ad ſignificandum.

Pertinaciter impiorum cædem æque gratam eſſe Deo, ac ſacrificium expiationis pro peccato ſolenniſſimum. Num. 25. Phinehas occiſo Zimri, ſcortatore publico avertiſſe dicitur iram Dei, quemadmodum ea ſacrificiis amovetur expiatione facta, & Levitæ qui idololatras juſſu Moſis trucidarant, ſe Deo ad Sacerdotium conſecraſſe dicuntur. Sunt nonnulla peccata, quæ nullis hoſtiis expiari poterant, 1 Sam. 3: 23. cum filii Eli ſe maledictos reddiderant, dicitur iniquitatem domus Eli nulla hoſtia aut oblatione expiandam. Debent ipſi ut hoſtia aboleri, Pſ. 37: 20. Novimus gravibus peccatis, homicidio, adulterio &c. non fuiſſe definitam hoſtiam: Debuerunt ipſimet peccantes fieri ut hoſtia, deſtrui: Et uti Levitæ, ſic magiſtratus ſacrant in iſtorum cæde manum ſuam Domino, & magis, hæc mors ſontium placet Deo, quam ulla veterum hoſtia. Eſt hæc pœna tamen duntaxat corporis; ulterius homines progredi nequeunt; ſed poteſt Deus Matt. 10: 34. Hebræi docent; *incolæ urbis apoſtatæ non habent partem in futuro ſeculo:* quia pertinaciter perſeverant in idololatriâ, & nullus idololatra regnum Dei hæreditabit 1 Cor. 6: 10. quemadmodum neque qui moritur in peccatis ſuis. Quod ſi quis dum judicium humanum deſtruit corpus, reſipiſcentiæ gratiam obtineat à Deo, poteſt anima ejus ſervari à damnatione 1 Pet. 4: 6. etiam qui in diluvio perierant, aliqui eorum judicati ſunt ſecundum hominem in carne, ut viverent ſecundum Deum in ſpiritu.

Impulſivæ ad exſequendum judicium iſtud verſ. 17, 18. Videtur ſeveritas nimia, & crudelitas ad internecionem graſſari, imminuere populum excidio integræ urbis. Sed his omnibus occurritur: Non eſt ſeveritas nimia, ſed juſta & neceſſaria ſui præſervatio. Ira Dei æſtuans eſt contra omnem terram, quamdiu rei de terra non removentur. Crudelitas foret, ut unus vel pauci humano judicio eripiantur, ſeipſum omneſque incolas divino judicio obnoxios conſtituere: imo innocentes omnes noxæ dare, dum nocenti parcitur, atque is pœnæ ſubducitur. 2 Sam. 21: 14. non fuit Deus terræ placatus, ut famem triennem removeret, donec perjurium Saulis in ejus poſteris fuiſſet vindicatum. Sanguis homicidæ imputatur terræ, quem magiſtratus negligit effundere. Miſericordiam non invenit apud Deum, qui miſeretur impiorum. 1 Reg. 20. verſ. 42. 2 Chron. 19. verſ. 5. &c. Interdixit ille horum miſeratione verſ. 8. & quomodo ſperet miſericordiam à Deo, qui Deum provocat? Denique multiplicatio fluit, non ab impiorum conſervatione, qui urbium confractionem procurant Prov. 11. verſ. 11. ſed à Dei benedictione, quam largitur obedientibus quemadmodum hæc obedientiæ ſæpius promiſſa remuneratio eſt, felicitas. Audiens vocem

Domini & præstans mandata, consequitur & hic misericordiam, & tandem æternam beatitudinem, Ps. 37: 34. *Peccatores de terra exterminabuntur.*

CAP. XIV.

HUmilitas à Christo & Apostolis insigniter collaudatur, ne quis alteri se præferat, ex vana gloria, ut cæteris major censeri velit; Christo ambitiosis, & dominari volentibus servitium commendante, & non solum puerorum exemplum proponente, sed sui imitationem heic jubente. Matt. 23: 11. cap. 20: 26. &c. cap. 18: 1. &c. cap. 11: 29. Paulus tamen alicubi ambitionem prædicat, jubens φιλοτιμεῖσθαι, honorem amare, 1 Thess. 4: 11. quod & se factitare ait Rom. 15: 20. & ab omnibus Christianis observari. Sed citra contradictionem, neque in præjudicium humilitatis requisitæ. Ambitio huic adversa se cum aliis confert, & illis præfert, ob falsa verave bona; ut Pharisæus supra publicanum Luc. 18: 9. &c. Aut quam Paulus prædicat se sibi ipsi confert, & semetipsum magis magisque excellere studet: quomodo semper in se observat argumenta humilitatis, queis ad sui emendationem stimulatur. Sic Thessalonicenses jubet 1 Thess. 4: 11. &c. nam ἀλλοτριεπίσκοπος non magis Christiane vivit, quam homicida, fur aut maleficus 1 Pet. 4: 15. &c. Sic ipse Paulus in Apostolatu suo ambitionem habuit Euangelium diffundendi apud gentes ignarissimas Rom. 15: 20. cap. 11: 13. sic de omnibus dicit 2 Cor. 5: 9. Ambitio non respicit heic alios homines, sed semetipsum & conformitatem cum Dei voluntate; quod alibi dicit digne ambulare sua professione, quæ intrinsecam excellentiam postulat, ut Christianus. 1 Pet. 4: 16. Huc facit Eph. 4: 1, 2. & Phil. 1: 27. quæ instrumentum vocationis, & notificans ambulandi regulam. Col. 1: 10. & 1 Thess. 2: 12. *Ambulate* cap. 4: 1. Ambitio hæc est qua semetipsum excellere quis studet, ut ambulatio sua placeat Deo, quod fit quando non attenditur placitum propriæ voluntatis, neque exemplum hominum aliorum, sed Deus & ejus vocatio, quæ cum ad conformitatem cum Deo vocet, nobis ipsis cæterisque hominibus mundanis excellentiores esse, & vivere jubet. Atque hoc ipsum est quod Moses in hoc textu postulat, quo Israelitas digne Deo & vocatione ambulare vult, adeoque conformitatem cum gentilibus cavere. Digne Deo, cujus sint liberi; digne vocatione cum sint segregati in peculium ejus ex omnibus populis terræ: itaque non sunt usurpandi ritus gentiles. Prosequitur adhortationem suam de amore legitimo extrinsecus demonstrando respectu Dei, quoad locum, modum, & tempus cultus. De loco dixit, quis ad cultum Dei reprobandus, quis observandus sit; qui placuisset non gentilibus, non ipsismet, sed Deo. Deut. 12: 2--28.

β. *De modo* docuit, non debere esse gentilem Deut. 12: 29. cap. 13. ad fin. sed *qui congruus* ipsis. cap. 14. & 15. quod ostendit I. circa luctum cap. 12: 1, 2. II. circa cibos vers. 3--21. III. circa decimas vers. 22--29. IV. circa dimissionem obligatorum bonorum & personarum. cap. 15: 1--18. V. circa primogenita vers. 19--23.

Vers. 1. *Filii estis Iehovæ Dei vestri:*

Præmittitur ceu fundamenti loco generalis declaratio conditionis ipsorum, *Filii estis Domini Dei vestri.* Quæ verba excellentiam dicunt Israelitarum summam, & qua major nulla datur. Estque eadem summa qua nos potiri possumus, de quâ si securis esse liceat, hunc diem lætiorem transigere licebit. Ut rite declaremus, spectandus est I. status, II. ii quibus tribuitur.

Status est, *Filiorum Dei.* Non autem eodem sensu id dicitur de quibusvis. Quum filius proprie dicatur, qui ab alio ad sui similitudinem, genitus est; *Adam genuit filium ad similitudinem suam, ad imaginem suam.* Gen. 5: 3. filius Dei proprie dicitur, qui à Deo genitus est, ad similitudinem & imaginem suam. Ps. 2: 7. Heb. 1: 3. *Filius est effulgentia gloriæ & character personæ* patris; non tantum communicatione similis essentiæ, ut inter homines, sed ejusdem Joh. 5: 26. est *in forma* Patris, neque rapinam duxit *Deo parem* esse; Phil. 2: 5. qui *proprius* ipsi *Pater* Joh. 5: 18. & ipse *proprius* illi *filius.* Rom. 8: 32. unus cum Patre Joh. 10: 30. qui in Patre & Pater in ipso, adeo ut qui unum videt etiam videat alterum Joh. 14: 9. ob unam eandemque essentiam quam communiter possident. Hoc sensu dicitur, *Filius Dei unigenitus*, Joh. 1: 14, 18. qui idem in plenitudine temporis Caro factus, Deus manifestatus in carne, fuit Christus, Messias, Filius ille Dei qui in mundum erat venturus. Joh. 1: 42, 46, 50. cap. 6: 63. cap. 11, 27. Improprie filius dicitur, qui non generatione productus, sed beneficio singulari illo titulo, atque etiam jure donatus est; uti sunt filii adoptivi, qui facti sunt, non nati, respectu ejus qui eos adscivit in filios. Quando creaturæ alicui filii Dei nomen tribuitur, impropria est appellatio. Primùm ea legitur de Angelis Spiritibus cœlestibus. Job. 38: 7. cum fundaretur terra omnes stellæ matutinæ simul cantabant, & *jubilabant omnes filii Dei.* Non fuerunt tunc aliæ creaturæ rationales præter Angelos, cum cœlo summo paulo ante conditi. Filius Dei naturalis & proprius non nisi unus est, non plures; & ipse fuit condens terram, cum per ipsum omnia condita sint Joh. 1: 3. etiam throni & dominatus, & principatus, & potestates invisibiles. Col. 1: 16. De hominibus legitur, postquam multiplicati erant Gen. 6: 6. *Filii Dei* & *filiæ hominum* opponuntur: adeoque ad diversas classes pertinent. Hominis filii sunt, quotquotquot naturaliter geniti, reatus & corruptionis hæreditatem habebant, & imitatione augebant. Filii Dei vero vocantur, qui eodem modo naturaliter geniti, à consortio aliorum segregati, & fœdere gratiæ Deo conjuncti erant. Gen. 4: 26. nato Enoscho cœptum est vocari de nomine Domini: quod nominis datum iis, qui invenerant gratiam in oculis Domini, erantque justi & integri in generatione sua, atque ambulantes cum Deo; ut Noach, cui fœdus à Deo confirmatum est Gen. 6: 8, 9, 18. Cæterum id nominis hominibus tribuitur vere I. quando iis conceditur jus; quod fit per adoptionem, destinatam à Deo Patre Eph. 1: 5. qui nos aperte destinavit ad υἱοθεσίαν, per Jesum Christum in seipso, secundum beneplacitum voluntatis suæ: Collatam à filio Joh. 1: 12. qui jus filii sibi proprium ex Patris voluntate communicat aliis; non dedignatus habere fratres, quos Deus dignatur habere filios. Heb. 2: 12. Obsignatum à Spiritu S. qui datur ut Spiritus adoptionis, hujus securitatem effecturus, & cum fiducia professionem in precibus Rom. 8: 15, 16. II. Quando porro iis confertur similitudo cum Deo, per regenerationem; cujus efficiens Deus est Pater ille luminum, qui volens genuit nos sermone veritatis Jac. 1: 18. qui sermo est semen regenerationis incorruptibile 1 Pet. 1: 23. atque efficax redditur per Spiritum renovationis & regenerationis, qui est Spiritus S. copiose effusus per Jesum Christum. Tit. 3: 5. Demonstratur autem similitudine, quæ imitando exprimitur. Uti Pater exemplaris, quem alii imitantur, & eapropter filii appellantur. Joh. 8: 39. &c. *Si filii Abrahami essetis, faceretis opera Abrahami; nunc autem quæritis me occidere, hoc Abraham non fecit; vos estis ex patre Diabolo, & cupiditates Patris vestri vultis perficere.* Ita quoque imitatione probatur filius Dei. Matt. 5: 44. Diligite inimicos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum &c. Estote ergo perfecti, uti Pater vester cœlestis perfectus est. Tribuitur tamen idem nomen non nunquam quoad externam fœderis gratiam; quæ uti sanctos constituit, hoc est segregatos; ita quoque filios nomine, extrinseca re Esa. 1: 2. *Filios educavi, & exaltavi*, &c. Deut. 32: 6. *an hoc reponendes Domino*, &c. *nonne Pater tuus, qui te acquisivit, fecit, confirmavit.* & vers. 18. &c. *rupis quæ te genuit, oblitus es, & oblivioni dedisti Deum qui te peperit: cum Deus vidit sprevit eos, ex indignatione contra filios & filias suas.* Veros filios Deus non spernit, Rom. 11: 29. sed specietenus tales, etiam hoc privat. Deut. 32: 5. Est autem status dignitatis maximæ, 1 Sam. 18. 23. *an levi vobis videtur generum regis fieri dicebat David*: ast hic majus quid ullo rege, 1 Joh. 3: 1. admirabundus dicit Apostolus, *Ecce, quantam nobis charitatem ostendit Pater, quod Filii Dei appellamur!* Magna distantia inter Regem est & hominem pauperem & vilem: sunt tamen utrinque homines ab uno Adamo orti, & pariter ad imaginem Dei conditi, quam gestant. Ast hic Deus creator & possessor cœli & terræ, & hominum in eâ, & homo filius iræ natura, inimicus Dei, & rebellis. Amor infinitus est, qui nihil hominis intuetur, sed solum beneplacitum suæ voluntatis, ut demonstret divitias

vitias gratiæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ, quæ præparavit ad gloriam Rom. 9: 23. Etenim qui filii Dei ſunt, ſunt etiam hæredes Dei, & cohæredes Chriſti. Rom. 8: 17. Eſt verò hæc gloria filiorum Dei incomprehenſibilis 1 Joh. 3: 2. & illuminatis oculis mentis opus eſt ad ſciendum, quænam ſit ſpes vocationis & quæ opulentia gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis Eph. 1: 18. ut nihil glorioſius, nihil beatius poſſit concipi, aut impetrari 1 Cor. 2: 9.

Ii quibus ſtatus iſte tribuitur, ſunt Iſraelitæ, *Vos*. Deſignatur totus populus, nemine excepto. [Uti omnes & ſinguli fuere fœderati Deo ob deſcenſum ab Abrahamo, ita etiam filiorum dignitas ipſis collata fuit.] Sic vocantur hic: & primum omnium in Ægypto Exod. 4: 22. *Filius meus, primogenitus meus eſt Iſrael. Dimitte filium meum ut mihi ſerviat, quod ſi renueris, filium tuum primogenitum tuum necabo.* Hinc Hoſ. 11: 1. *Quum Iſrael puer eſſet dilexi eum: & inde ab Ægypto vocavi in filium meum.* Iſrael populus Dei fuerunt liberi illi quos educavit & exaltavit, Eſa. 1. verſ. 2. Enimverò Fundamentum tribuendi, quod omnino hic conjungendum eſt, eſt fœdus Dei, *vos eſtis filii D. Dei veſtri.* Quia Dominus ipſis Deus, hinc ſunt filii Dei, Deus autem ipſorum, fuit vi fœderis hæreditarii ab Abrahamo, Iſaaco & Jacobo. Exod. 3: 6. &c. ad Moſen, *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, vidi oppreſſionem populi mei qui in Ægypto eſt. Deus patrum, Deus Hebræorum, Deus Iſraelis.* Exod. 6: 5. &c. Et his jam dederat titulum filiorum, antequam fœdus Sinaiticum iniretur. [uti &c. fuit.] unde omnes & ſinguli naſcebantur filii Dei Ezek. 16: 20. &c. filios tuos & filias tuas, quas mihi pepereras, liberos, inquam, meos mactaſti & obtuliſti idolis ad conſumendum. Scl. quale fœdus, tale etiam filiorum nomen & dignitas; Iſraelitarum privilegiis accenſetur adoptio Rom. 9: 4. non ea quæ electis ad ſalutem deſtinata eſt Eph. 1: 4, 5. ſed quæ ad populi peculiaris dignitatem electis eſt donata: quæ quidem in nonnullis ſociata fuit cum altera illa ſalutari adoptione, verum in plurimis ſine illa manſit, cum hic valeat Multi vocati pauci electi, quod Judæis dictum Matt. 10: 16. cap. 22: 14. Sic ergò omnes Iſraelitæ, nemine excepto, fuerunt filii Dei; ſed quandoque veri, *qui non mentirentur*, quando filiorum officium fecerunt, Eſa. 63: 8. ſæpiſſime falſi, Eſa. 30: 9. &c. *populus rebellis, filii mendaces*, Repudiantes Prophetas, & adſciſcentes doctores proprii placiti, deſerunt viam Dei, & abnegant Meſſiam ſanctum Iſraelis. Hac propter facti anathema à Chriſto, uti Lo Ammi, & Lo Rychama: qui tamen etiam nunc recte vocantur *filii DDei ſui*, ſed cum additione *mendaces*; ad majus dedecus ipſorum, ut unde dignitatis deciderint agnoſcatur. Sed & ad ſuſtentandam ſpem reſtitutionis ipſorum. Nam promiſſio ſic habet Hoſ. 1: 10. *Numerus filiorum Iſraelis erit ut arena maris, quæ non menſuratur neque numeratur, & fiet in loco ubi dictum ipſis, Vos non eſtis populus meus, ibi dicetur ipſis, vos eſtis filii Dei viventis.* Eſa. 43: 6, 7. dicit Iſraeli & Jacobo, quem ſuum vocavit. Jer. 31: 8. &c. & verſ. 20. &c. Etenim fœdus cum Iſraele & Juda renovabitur conditionibus melioribus verſ. 31. &c. Et ratione electionis ſunt dilecti propter Patres, quamvis hoſtes ſint ratione Evangelii propter nos, nam Dei chariſmata & vocatio ſunt ἀμεταμέλητα Rom. 11: 28. &c. qui proinde eos reſtituet in integrum. Jer. 3: 19. Dabit Deus Spiritum adoptionis, per quem clament Abba, pater. (neque enim futurum eſſet, niſi ipſe futurum faceret,) ut vere locum filiorum obtineant, & tum profitebuntur Patrem, & agent quod filiorum eſt.

Enimverò iſtud beneficium, ſeu axioma filiorum non eſt Iſraelis proprium. Eſt quidem populus ille filius *primogenitus*, ſed non *unigenitus*. Habet Deus etiam alium minorem. Luc. 15: 11. &c. major Judæos, minor gentiles repræſentat. Ab eadem ſtirpe Noachi & filiorum ejus, fœderatorum Dei, omnes pariter deſcendunt; ſed plerique deſerto Deo abierunt Act. 14: 16. pone voluptates ſuas, perditi, & mortui reſpectu relationis ad Deum, unde ἄθεοι in mundo fuiſſe dicuntur Eph. 2: 12. Etiam minor iſte filius tamen reſtituitur in locum filii. Iſraelitæ ſunt *primitiæ populorum* Apoc. 6: 1. *quod ſi primitiæ ſanctæ, etiam maſſa* Rom. 11: 16. & meſſis reliqua. Iſraelitæ reſtituendi ponentur inter filios, Jer. 3: 19. ergo erunt tunc alii filii præter illos, Gentiles nempe, de quibus verſ. 17. dixit confluxuros ad thronum Dei, propter nomen Domini. Hieroſolymis, neque ambulaturos amplius juxta placitum cordis ſui. Fœdus gratiæ Gentilibus conceſſum, facit eos filios filiaſque Dei. 2 Cor. 6: 16, 18. *Vos eſtis templum Dei viventis, quemadmodum Deus dixit, in ipſis habitabo, & inter eos ambulabo, & ero eis in Deum* &c. *& ero eis in Patrem* &c. Fœdus proinde iſtud jus dat, quod per Verbum Evangelii offertur 2 Cor. 5: 19, 20. Mundo, gentilibus, reconciliatio offertur per miniſtros, uti Iſraeli oblatum eſt id donum per Moſen Exod. 19: 5, 6. A noſtra autem parte recipiendum eſt fide, cujus mediator Chriſtus eſt, quique illud ſanguine ſuo ſancivit; qui ipſe fide recipiendus, & in ipſo fœdus reconciliationis. Gal. 3: 16. *Vos omnes eſtis filii Dei, per fidem in Chriſto Jeſu*, qui jus filiorum largitur Joh. 1: 12. Galatæ autem gentiles fuerunt. Teſtimonio eſt baptiſmus. Gal. 3: 27. &c. Hoc teſtimonium externum baptiſmi omnes conſecuti ſumus, & hinc ſancti, & filii Dei facti; diſtincti ab aliis qui adhuc alieni ſunt ab iſta adoptione. Verum inſuper acceſſit nova confirmatio in exercitio S. Cœnæ. Obſignatur in eâ novum fœdus, ſancitum in ſanguine Chriſti; adeoque ſimul adoptio. Et ſane ipſe modus communionis illud evincit. Menſa Domini in domo ejus inſtruitur; an cui in ea locus niſi liberis? non ne panis liberorum eſt qui ibi apponitur? Matt. 15: 26. *panis liberorum* vocatur gratia Chriſti ad ſanandum morbum corporis in filia Cananitidis: quanto magis erat gratia Chriſti ad ſanandos morbos animæ in remiſſione peccatorum Eſa. 33. v. ult. quæ remiſſio peccatorum heic obſignatur. Quicunque ergo de pane illo edit, & de poculo illo bibit, particeps factus eſt panis liberorum, panis ejus qui de cœlo deſcendit, quem Pater liberis ſuis dedit. Antequam accederant ad menſam Domini, cum id fieri inciperet, Eccleſia univerſa cecinit, *Pater noſter, qui es in cœlis:* ut quivis ſe filium filiamve profiteretur. Et qui digne de pane illo edit, & bibit de poculo illo, liberorum portionem ſe nactum eſſe gaudere & gloriari poteſt. Dignitas ejus maxima. Quid majus concipi poteſt, quam filium eſſe Regis regum, & domini dominorum, Regis non terreni, ſed cœleſtis. Pauperrimus fidelium maximis monarchis potior eſt: cujus laus non eſt ex hominibus, ſed ex Deo. Magnum quid erat mulierem dæmoniacam dici filiam Abrahami Luc. 13: 16. & contemtum Zachæum filium Abrahami Luc. 19: 9. ſed multo majus dici filium filiamve Dei Abrahami. Cujus tituli excellentia contra omnes mundi contemtus nos ſolari debemus. Felicitas ejus maxima. Deus curam ſuſcipit. Eſa. 36: 8. &c. ſic *factus eſt in Servatorem, in omni afflictione* &c. teneriori affectu eſt quam mater ulla Eſa. 49: 15. & cap. 66: 13. ſic vita præſens tranſigitur, & tum demum ſequitur hæreditas Rom. 8: 17. cuſtodita in cœlis 1 Pet. 1: 4, 5. æternum deinceps fruenda, cum & ipſi ad eam cuſtodiantur virtutis Dei præſidio per fidem, ad ſalutem tandem revelandam. Dixi hanc dignitatem & felicitatem (quæ nullis cogitationibus exacte concipi, multo minus ſermone explicari ſufficienter poſſunt,) eſſe illorum, qui digne ederunt & biberunt in S. Cœna. Sed qui indigne, iis non eſt pars nec ſors in hoc bono; edunt ſibi judicium; quia cum canes ſint, inſiliunt in menſam, & cum liberis de eorum pane vorant, plagis eapropter contundendi; quod ſibi ſumſerit quod filiorum, & quod polluerint panem illorum, adeo ut ſubinde tenerioris ſtomachi filii abhorreant ab uſu ejus panis, de quo canes ejuſmodi impuro ſuo ore comederunt. Qui teneriores meditari debent, an pane liberorum omnino abſtinendum putent, quia caveri nequit quo minus canis aliquid de eo rapiat? Nonne manet ſatis ſibi, & citra diminutionem ſuæ virtutis ad ſignificationem & obſignationem? qui verò pane ut canis fruitus eſt, nonne pœnam ſufficientem conſequitur, qui judicium, & damnationem ſibi edit: Apoc. 22: 15. Abſtentus ſi fuiſſet; aut abſtinere ſi potuiſſet, minus fuiſſet infelix, qui novo judicio caruiſſet, quod ſibi accerſivit, nihil tui lucratus, nihil illius tibi præ ipiens: imo ſiquidem eum noris, argumentum aliquod ſufficit tibi ad ſolatium, quantum tibi datum, cum datum eſſe filium, non canem; & quam ex portione liberorum tibi commodum, quod alteri pernicies & mors. Cæterum ut conſtet quis indigne vel digne comederit obſervandum eſt Moſen hoc de Iſraele dicere non ad docendam ſolum dignitatem & felicitatem ipſorum, ſed etiam & potiſſimum officium. De hoc loquuntur antecedentia

& conſequentia, quid cavendum ſit, & inferitur iſta deſcriptio, ut ſuæ conditionis intuitu moneantur digne Deo Patre ambulare, & proinde ab omni eo quod eam dedecet abſtinere. Sic quoque nos hanc conditionem intueri debemus. Omnes Communicantes dicunt, quod Judæi Joh. 8: 41. *Habemus unum Patrem, Deum.* Sed quam multis quadrat reſponſio Chriſti. *Si Deus pater veſter foret, me diligeretis.* Promtum quidem ad hoc illud 1 Cor. 16:22. *Si quis Dominum Jeſum Chriſtum non diligit, eſto anathema Maranatha.* Verum revincit dictum Chriſti Joh. 4: 23. *ſi quis me diligit, cuſtodiet verbum meum: qui me non diligit non cuſtodit verbum meum.* Et horum quantus numerus! Eph. 4: 17. ſeqq. plurimi ergo Chriſtum non didicerunt, neque ab ipſo vere edocti ſunt. Joh. 8: 38. *Loquor*, inquit Chriſtus, *quod vidi apud meum Patrem* (& cap. 10: 37. *facio opera Patris mei.*) *vos facitis quoque quæ vidiſtis apud Patrem veſtrum: vos facitis opera veſtri Patris?* Solent liberi imitari parentes. Aſt facta hominum docent, quod ſint ſerpentes, progenies viperarum, ex patre Diabolo, qui efficaciter operatur in filiis inobedientiæ, quibus exemplum & pater factus eſt, uti ipſi cupiditatis ejus ceu patris volunt efficere. Inter iſtos omnes olim converſati ſumus. Eph. 2: 2, 3. Naſcimur ſemen ſerpentinum, filii Dei demum renaſcendo ſimus. Itaque nemo deſperet, qui fuit; ſed quivis caveat, ne ſit 1 Cor. 6: 11. hoc fuiſtis quondam, non damnabat, ſed τὸ eſſe excludit hæreditate regni cœlorum, verſ. 9, 10. hoc fuiſtis quondam; ſed loti, ſanctificati, juſtificati eſtis &c. Laborandum ut id in nobis quoque locum habere deprehendatur. Proinde obſervemus iſtud Eph. 5: 1. & 1 Pet. 1: 14, 15. 2 Cor. 6: 17, 18. 1 Joh. 3: 2, 3. 1 Joh. 1: 3. &c. Chriſtiani fuerunt olim tenebræ, ſed nunc ſunt lux in Domino: ambulandum ut filiis lucis, citra commercium operum tenebrarum. Eph. 5: 8. Lux noſtra fulgere debet &c. Matt. 5: 16. qui factura Dei, ſunt conditi in Chriſto Jeſu ad bona opera. Eph. 2: 10. Hæc ſi exercuerimus erimus liberi Dei, non mendaces, quibus revera Pater mendacii pater eſt, ſed in veritate, & experiemur Deum Patrem, tum commiſerantem defectibus noſtris, ſine quibus nemo vivit, Pſ. 103: 13. condonando peccata, & curando infirmitates. Tum parcentem ad ſalutem Mal. 3: 16. &c. timentes ipſum, & recordantes nominis ipſius declarat, *erunt mei* &c. & hæreditabunt omnia Apoc. 21: 7. & Deus ſe illi Deum fore, & illum ſibi filium dicit.

Quando Deus ab initio fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condidit: cujus excellentiæ veſtigia quædam etiam poſt lapſum ſuperſunt, adeò ut ipſimet gentiles agnoverint hominibus cum Deo cognitionem quandam intercedere Unde Paulus cum Athenienſibus diſſerens poëtam Aratum citavit, dicentem, *ipſius*, Dei nempe, *ſumus genus.* Act. 17: 28. Non ut male locutum confutet, ſed ut ejus teſtimonio, quod verum agnoſcit, auditores ſuos convincat. Ex hoc aſſerto cognationis cum Deo argumentatur ad agnitionem Dei ipſius. verſ. 29. Cum ergo ſimus genus Dei, non debemus putare, quod Deitas auro argentove aut lapidi ſimilis ſit, humana arte aut inventione ſculptis. Etenim homo non eſt aureus, argenteus, lapideus, fabrefactus humana arte & ingenio; quomodo ergo ſi Deum talem concipiamus, à quo homines deſcendunt? Siquidem quod viſibile eſt in homine ſolum intueamur, corpus ejus, tanto decore inſtructum, & ad motum varium idoneum, poteſtne ars quid ſimile efficere? vita carent & motu idola gentium omnia, & his cum nulla cognatio hominibus. Veruntamen illa ipſa membra hominum viſibilia Deum non repræſentant, neque eorum reſpectu genus Dei poſſunt dici. Imperfectiones corporis perfectiſſimi nimiæ ſunt, quam ut ſimilitudo Dei in illo queat reperiri. Spiritus eſt ſeu anima inviſibilis, intellectu, voluntate, potentia inſtructus, in quo ſui imaginem Deus expreſſit, & unde autorem ſui Deum agnoſcere homo debet Rom. 1: 19. &c. Cognobile Dei manifeſtum eſt *in homine* Deus enim in ipſo manifeſtavit. Inviſibilia enim Dei, æterna ejus potentia & divinitas, ex rebus conditis; quæ homini obverſantur, mente perpenſa pervidentur; neque quicquam eſt unde magis ea queant homini innoteſcere, quam ex intuitu ſui ipſius; quandoquidem quicquid in aliis creaturis terreſtribus meditandum hic occurrit, id in ſeipſo quoque habet, atque inſuper quod nuſquam alibi, imaginem Dei à Deo creatore impreſſam, & hoc fine impreſſam, ut Deum agnoſcerent, ſuamque cum Deo cognationem. Verum hæc meditatio cognationis humanæ cum Deo aliam adhuc ſuppeditat concluſionem, ab ipſis quoque gentilibus obſervatum: ſi Deus eſt animus nobis ut carmina dicunt, hic tibi præcipue ſit pura mente colendus. Cognatio iſta ſimilitudinis obſequium congruum poſcit uti Chriſtus dicit. Joh. 4: 24. *Deus eſt ſpiritus, adeoque ab invocantibus* (qu. ſpecies cultus præcipua.) *invocandus in ſpiritu & verita.e.* (Auctor ſuperſtitionis Romanæ Numa interdixit uſu effigiei ullius Deorum, quæ hominis aut animalis formam haberet; & totis 270. annis nullum in Romanorum templis fuit ſimulachrum, quod nefas ducerent præſtantiora deterioribus adſimilare; quodque Deum non aliter quam mente attingere poſſe crederent.) Sic quoque Moſes agit cum Iſraelitis, qui omni idololatriâ gentilium abſtinendum, eique adverſandum docet, ob arctiſſimam quam cum Deo habeant cognationem; non tantum genus Dei, vi creationis, exiſtentes; ſed inſuper vi fœderis gratiæ filii Domini Dei ſui: & hac de cauſa exigit cultum & converſationem congruam iſti proximitati.

De proximitate iſta diximus. Quid ſit eſſe filium Dei; qua ratione id tribuatur Iſraelitis: & quomodo ad nos idem beneficium pertineat. Nunc porro videndum, quid obſervari velit, ut oſtendant ſe Deo dignos liberos.

Ne incidite vos, neque inducite calvitium inter oculos veſtros propter mortuum.

8. *Primum* heic eſt *interdictum Gentilis ritus*, additâ ratione ab ipſorum conditione.

a. *Interdictum* gentilis ritus eſt verſ. 1. Agit de lugentium moribus, *inciſionem facere in corpore*, ſive unguibus, dentibuſve, ſive cultris aliiſve inſtrumentis fiat; & *inducere calvitiem* evulſione capillorum, vel eorum reſectione aut raſione. Talibus enim ritibus utebantur gentes idololatricæ, in magno luctu & dolore Jer. 47: 5. cap. 48: 37. ſic Jer. 41: 5. quibuſcum Iſraelitis non debebat eſſe communio. Sic Lev. 19: 27. *Cæſuram pro nulla anima* (cadaver, quemadmodum in textu explicatur; & immundus ob animam, eſt, ob cadaver hominis: & ſic Pſ. 16: 19. animam meam non relinques in ſepulchro; corpus meum exanime, quod animatum fuit: quæ phraſis non intellecta peperit fabulam de locali deſcenſu animæ Chriſti in infernum) *inditote canni veſtræ* &c. Intuitu ipſius, qui Jehova, abſtinendum ab ejuſmodi ritu deturpandi, & lacerandi corporis proprii, in luctu ob mortuum hominem. Lev. 21: 5. reſtringitur ad Sacerdotes; ob mortuum non facient calvitium in capite, nec abſcindent angulum barbæ ſuæ, neque incident inciſionem in carne ſuâ. Non quod ſolis ſacerdotibus: iſta obſervanda ſint, ſed uti hi ſingulariter Sancti, ita ipſis ſingulariter heic ſanctitas, ſive ſegregatio obſervanda: alias, cum tota Eccleſia Judaica fuerit ſancta, univerſis eadem lex dicta; inprimis quia ſervorum & ſacerdotum Domini titulus etiam cæteris communicatur Eſa. 61: 4. Targ. Hieroſol. diſtinguit hoc interdictum: *Vos eſtis filii dilecti coram Domino Deo veſtro; non facietis vibices ad cultum alienum, neque ponetis calvitium ſuper faciem veſtram propter immunditiem animæ mortui.* Poſterius ad luctum refert, prius ad idololatriam. Nam eo refertur 1 Reg. 18: 28. ſacerdotes Baalis clamabant voce magnâ, & ſcindebant ſeipſos cultris, & ſubulis, more ſuo, donec ſanguinem ſuper ſe effunderent. Hoc ſenſu reſpicit antecedentia, uti non debent hortamenta aliorum audire & ſequi ad colenda idola, ita neque ſua ſponte imitari idololatrarum mores. Speciatim circa mortuos, ubi multa fuit frequentata idololatria, dum defunctis divinitas adſcribitur, aut numinis ira circa illos agnoſcitur, cultu aliquo propitianda; unde ritus circa mortuos religioſi facti. Heic ergo interdictum.

Nulli ritus idololatrici uſurpandi iis qui liberos Dei ſe profitentur, neque in luctu pro mortuis corpus ullo modo deformandum. De ritibus idololatricis legitur Jer. 10: 2. ne diſcite viam Gentium. Via eſt vivendi modus receptus, per quam jugiter ambulatio inſtituitur. Nemo hominum extra viam eſt, ſed interdicitur via gentium, cujus inventores gentiles ſunt, qui eam definiverunt, unde ibid verſ. 3. ſtatu-

ſtatuta populorum dicuntur. Omnem autoritatem ab iſtis habent, & à conſuetudine eorundem confirmationem. Hæc ne quidem diſcenda, nedum exercenda. Ineptiſſimi enim Doctores ſunt gentes. Gal. 4: 8. *Ignorantes Deum coluerunt eos qui natura non ſunt Dii.* Rom. 1: 25. &c. *vani facti ſunt in ſuis ratiociniis, & cor ipſorum inſipiens obtenebratum* eſt, &c. Et quid à talibus diſcatur? Præterea ſtatuta illa ſunt vanitas: hæc eſt natura idololatriæ; vanitas ſunt, opus deceptionum, doctores mendacii, & num doceant? Hab. 2: 18. &c. Habent qui ſunt in Eccleſia, Doctorem meliorem, Deum. Eſa. 48: 17. *qui docet quod utile, & ducit in viâ quâ ambulandum.* Qui unus ſequendus, repudiatis omnium hominum, etiam proximorum, inſtitutis Ezek. 20: 18. Qui ſolus Deus & cui ſoli fœdere ad cultum ſolitarium, citra ſocietatem alius numinis, obſtricti ſunt. Unus Pater, neque alius præter ipſum; Etiam filius adoptivus non niſi unum habet, utpote qui naturalem propter hunc deſerit, adeo ut ne nomen quidem hujus retineat. Mich. 4: 5. *Omnes gentes ambulabunt* &c

Nihil hic dicemus de Pontificiis, quorum idololatria ſæpius oſtenſa. Reſectio capillorum ad cultum, inciſiones in cute flagellis &c. & circa mortuos, quam multa ſuperſtitio. Verum quam multos ritus ab illis mutuatos ſervamus. Collocatio cadaverum verſus orientem, delatio per vias ſacratas, pulſus campanarum, alibi lucernæ & cuſtodes nocturni propter cadaver non tumulatum, ſimiliaque omnia ſuperſtitione tum gentili tum papiſtica ſunt introducta. Sed ſpeciatim corpus non deformandum propter mortuum, ademtione naturalis ornatus, capillorum & barbæ, integræque cutis. Decus capillitii Deus dedit, & omnem corporis pulchritudinem. Si per graviores motus animi deformetur, in quibus vitium eſt; accedit hinc ſane augmentum. 1 Reg. 20: 43. Achab convictus criminis dimiſſi Benhadadi, *abiit indignatus & iratus.* Sic quoque cum Nabothi vineâ potiri non poſſet cap. 21: 5. Et Chriſtus improbat in hypocritis jejunantibus, quod σκυθρωποὶ forent, & *fœdarent* (miſmaecken) *faciem ſuam, ut viderentur ab hominibus.* Matt. 6: 16. Quæſt. An ergo mortuos lugere non licet neque ritibus ullis dolorem teſtari? Reſp. 1 Theſſ. 4: 12. Apoſtolus qui ambulandum dixit & Deo placendum, (quod eſt digne Deo,) jubet honeſte ambulare apud eos qui foris ſunt, ab Eccleſia alieni, & mox ſubjicit de mortuorum luctu. *Nolo vos ignorare fratres de iis qui obdormierunt, ne contriſtemini, uti alii quibus ſpes non eſt.* Honeſta ambulatio, Deo digna & placens, quæquam extraneis quoque probari queat, luctum omnem non perhibet, eoque nec lugentium ritus; ſed prohibet quod ſpei ipſorum adverſatur. Licitus eſt luctus iſte, ob affectus naturales, quos Deus naturæ implantavit; Parentes de liberis, ut Rachel Jer. 31. 15. Conjuges mutuum Gen. 23: 2. Joel. 1: 8. Ezek. 24: 1. Liberi de parentibus Gen. 50. ſic de fratribus amicis, iis qui publico bono vixerunt in Eccleſia & Rep. Luxerunt Aaronem, Moſen, Samuelem, Joſiam univerſus populus; David Saulem & Jonathanem. Abnerum. Etenim uti in corpore ſi membrum aliquod pereat, reliqua omnia membra condolent, & dolor eſt gravior, quo membrum illud utilius, decentius; ſic quoque ſi quis de corpore domeſtico, politicove tollatur. Eſt ſpecies honoris qui exhibetur defunctis citra vitium; negatur in pœnam Jojakimo. Jer. 22: 8. *Non deplorabunt eum, Ah frater, ah ſoror; ah Domine, ah majeſtas ejus; Aſini ſepultura ſepelietur:* contra beneficii loco, promittitur Zedekiæ Jer. 34: 5. *morieris in pace, & deplorabunt te, ah Domine; nam ego verbum iſtud locutus ſum, inquit Deus.* Imo eſt argumentum reatus noſtri, excitans ad luctum de peccatis. Per peccatum mors introiit in mundum. Rom. 5: 12. & ſpecialis convictio ſubinde eſt in morte. Mors filioli Davidis, nec non cæterorum filiorum. 2 Sam. 12. Eſa. 57: 1. &c. Eliſa, ut ante Elia, æſtimabatur ut currus Iſraelis & equites ejus 2 Reg. 2: 12. cap. 13: 14. quod periret defenſio quam præſtabant ſuis precibus; ſubducuntur autem quibus mundus non dignus. Heb. 11: 38. Ritus proinde lugendi uſitati fuerunt. Jer. 16: 6. &c. *magni & parvi morientur neque tumulabuntur, neque deplorabunt eos, neque incident ſe ipſos, neque calvitium incident propter illos,* (hi duo vetiti:) *neque ipſis aliquid diſtribuetur propter luctum, ad conſolandum quemquam ob mortuum, neque potus eis præbebitur de poculo conſolationis ſuper patrem matreve alicujus.* Ezek. 24: 16. prohibetur ſpecialiter in typum ritus alioqui licitus; ſubducta per mortem uxore. *Ne plangito* &c. *pileum tuum alliga tibi* (cum nudato capiti alias pulvis inſpergeretur) *& calceos tuos applica pedibus tuis,* (incedebant nudipedes) *neque obvelato myſtacem* (ad teſtandum ſilentium) *& nullius cibum comedito.* Item laceratio veſtis ſuperioris, ater habitus, aut ſaccus junum ſimiliaque. Hæc non prohibita. Lev. 21: 1. &c. Sacerdotibus permiſſa pollutio ob mortuum, qui proximæ agnitionis. Et à piis uſurpata fuerunt. 2 Sam. 1. & 3. Luctus Davidis de Saule & Abnere, quando omnibus ſuis lacerationem veſtis mandavit, & ipſe exercuit, ſecutus ſandapilam Abneris, & flens acerbe, & jejunans uſque ad occaſum ſolem. Sed corpori non intulit fœditatem permanſuram, inciſione vel calvitio. Scilicet in luctu deponere licet ornatum humanæ artis, non autem divinæ; quam ipſe creator dedit, ut corpus vitietur. Quia corpus Domini, cujus poteſtatem nemo habet; & eſt in fidelibus templum Dei, quod non eſt fœdandum.

Moderatus ergo debet eſſe luctus, & illa ſævitia in proprium corpus, quæ deſperabundi, aut furentis eſt, omitti debet, ob ſtatum illum excellentem, *Vos eſtis liberi Domini Dei veſtri.* Unde fontes conſolationis naſcuntur plures. Etenim, quod ex connexione capitis præcedentis fluit, ſi fuerit mortuus ex illis verſ. 6. Frater aut filius matris, aut filius, aut filia, aut uxor, aut amicus intimus: vel etiam inter cives urbis apoſtatæ, aut propheta ſomniatorve, qui pereunt ex ſententia Synedrii, non eſt eapropter lugendum. Eſtis filii, Domini Dei veſtri. Hæc eſt vera propinquitas; non autem cum Dei hoſtibus. Et an licet quos Deus odit, diligere? *qui amat patrem aut matrem, aut liberos, aut fratres magis quam me, non eſt me dignus.* Matt. 10: 37. Laudantur Levitæ, qui poſito omni affectu ergo idololatras parentes, fratres, ſorores, ultionem Dei exercuerunt in illos, Deut. 33: 9. Luctus Davidis de Abſalomo non fuit de ipſo mortuo, ſed de mortuo in peccatis ſuis, ut de ſalute ejus nullam haberet fiduciam; quam cum concepiſſet de infante ſuo, ne quidem lugere voluit mortuum. 2 Sam. 20: 23. Quod ſi idololatriæ aliorumve ſcelerum graviorum non ſint rei, qui moriuntur ſive propinqui, ſive alii, magis adhuc luctum decet eſſe moderatum; nam Eſtis filii Domini Dei veſtri tum mortui, tum ſuperſtites. Hi quidem; quicunque etiam moriantur quacunque proximitate, Pater tamen ipſorum ſuperſtes eſt. Et hoc ſalvo, jactura aliorum omnium tolerabilis. Deus namque pater immortalis, qui nunquam deficit. Pſ. 27: 10. *Pater & mater me deſeruerunt, ſed Dominus recipiet me.* Eſa. 63: 16. *Tu Pater noſter es.* Dicit ſe Patrem pupillorum Pſ. 68: 6. quibus ſuorum in terra pater non eſt, his ipſe Pater eſt, & quidem talis ubi pupillus miſericordiam conſequitur. Hoſ. 14: 4. Intereſſe in ipſo Patre perpetuum eſt, non mage mutabile, quam ipſemet Gen. 45: 3. cum Joſeph ſe detegeret fratribus, hoc tantum dixit, *Ego ſum Joſeph, vivitne adhuc pater meus?* Et ſic, ubi iſtud certum, quemadmodum certiſſimum, vivit pater noſter, ille cœleſtis, fœderatus in Chriſto, pereant licet omnes homines, quibus gaudebamus, abunde ſupereſt. Illi autem: Etſi fuerint filii filiævæ tuæ, aut filii familiæ, ſunt etiam liberi Dei; fœderati Dei liberos ſuos gignant Deo, & non minus Dei ſunt, quam ipſorum Ezek. 16: 20. &c. Longe majori jure dicere poteſt quam Laban Gen. 31: 43. iſtæ filiæ meæ ſunt filiæ, & iſti filii ſunt filii mei, & quicquid vides meum eſt. Quando ſubducuntur de terra viventium, jactura ſi quæ eſt non eſt tua, ſed Dei. Eſt Deus ſpirituum omnis carnis, & poteſt animam eripere cuicunque libet; nam ſui ſunt Num. 27: 16. Dan. 4: 37. nam annon licet ei facere de rebus ſuis quod libet? Matt. 20: 15. Rom. 14: 7. *Nemo noſtrum ſibi ipſi vivit, aut moritur, nam ſive vivimus vivimus Domino, ſive morimur, morimur Domino: ſive ergò vivimus, ſive morimur, ſumus Domini.* Injuſtus ergo luctus de eo quod alius; uti cum Jona indignabatur de ricino Jon. 4: 9. &c. Religioſa Jobi oratio, cum filiis omnibus ſimul orbatus eſſet, *Dominus dedit inquit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum.* Præterea. Homines quidem hujus mundi, quibus portio ſua eſt in hoc ſeculo, quando aliquis ſuorum moritur, quia nihil amplius ſperandum ſupereſt, lugent impenſe, utpote qui abſolute periit:

at vos

at vos Estis filii D. Dei vestri. Chazkuni. *Si alicujus vestrum Pater moriatur, non excedendum in luctus ritu; nam non estis sine patre: habetis enim patrem qui est magnus, vivus, & permanens, S. B. ille.* Sed infidelis tunc caret patre, qui juvare queat; nam qui ei relictus est, idolum nempe, est ligneus & lapideus Jer. 2: 27. Defuncti habent Deum patrem, & patris est filio dare hæreditatem quantam possidet optimam; Atqui Deus hæreditatem futuri seculi paravit liberis suis, cujus spem fiduciamque habent morientes, 1 Pet. 1: 4. 5. & quando perit corpus, spiritus redit ad Deum, apud quem inhabitat, quando extra corpus habitat. Hacpropter lugere immodice non docet, quia sic se gerunt, quasi spem non habentes; ut 1 Thess. 4: 13. & Hebræi bene: qui immoderate luget, semetipsum & defunctum eximit de generali fiducia constantis seculi. Menach. fol. 203. col. 4. pr. Denique est argumentum solaminis Resurrectio. quod urgetur 1 Thess. 4: 14, qui mortui denuo vivent, Esa. 26: 19. vivent mortui tui &c. uti granum seminatum, licet moriatur in terra regerminat longe speciosius; ita quoque fidelium corpora. 1 Cor. 15: 31. &c. *Dormiunt in cubilibus suis* Esa. 57: 2. sed prodibunt ex terra pulveris Dan. 12: 2. Jer. 31: 15. &c. Rachele non admittente solatium ob liberos occisos, *Sic ait Dominus cohibe vocem à fletu, & oculos à lachrymis, nam revertentur, ex terra inimici: & est exspectatio pro posteris tuis, liberi tui revertentur ad terminum suum. Estis filii D. Dei vestri, non est Deus mortuorum sed viventium*, Matt. 22: 32. adeoque debent rursum vivere, in unione animæ & corporis, & in ea conditione postea manere cum Deo, qui immutabiliter Deus ipsorum est. Quandoquidem ergò resurrectio certa est, non magis excedendum in luctu, quam si quis cubitum abeat, exactâ nocte evigilaturus; aut peregre proficiscatur confecto itinere rediturus; ut dilata duntaxat, non ablata sit consuetudo. Hæc quoque consolatio fluit ex illo, *Estis filii D. Dei vestri.* Luc. 20: 35, 36. *qui digni erunt ut futurum seculum consequantur & resurrectionem ex mortuis, non poterunt amplius mori; sunt enim Angelis similes, & filii Dei, quia filii resurrectionis.* Agitur enim de resurrectione justorum.

Est verò ista meditatio oportuna præsenti tempore, ubi ægrorum numerus tantus, & subinde mors quæ dilectissimos, quæ utilissimos, quæ piissimos aufert: Ubi meditatos esse oportet argumenta solamen datura. 1 Joh. 3: 1. etiam hic valet; qui defunctis, qui nobis dedit esse filiis Dei, dedit bonum ἀμεταθέτον respectu Dei, & hinc nobis & illis perennaturum. Immortalem habemus patrem & immortalitatem suis daturum; Neque enim quicquam amorem ejus abolere potest, cujus fiducia certa Rom. 8: 38. Ergo nec mors finit amorem Dei, sed hujus custodia perseverat in morte, & restituit ex morte, & servat in omnem æternitatem.

Vers. 2. *Quia populus sanctus es Jehovæ Deo tuo, & te elegit Jehova ut sis ei populus peculiaris, præ omnibus populis qui sunt in superficie terræ.*

b. Atque huc facit *Ratio* quam Moses addidit, à conditione ipsorum vers. 2. *Names populus sanctus* &c. Eadem leguntur Deut. 7: 6. atque istic explicata sunt. Verum hîc spectanda, prout argumenta sunt cohibendi luctum de mortuis immoderatum. Etenim ille solet excitari ob damnum irreparabile vel mortui, vel superstitum; utrique enim sollicitudini occurritur. Nullum quippe damnum superstitum; *Es populus sanctus D. Deo tuo.* Segregatio Domino manet, etiam cum mortui sunt nonnulli. Mortuis Abrahamo, Isaaco, Jacobo Deus posteris mansit Deus; utpote qui fœderatus erat ipsis & semini eorum, & qui exercet benignitatem erga millenos amantium se, &c. Ps. 103: 17. & 13. qui miseretur ut pater, ejus benignitas est à seculo in seculum, super timentes ipsum, & justitia super nepotes eorundem. Segregavit in populum suum, & Deus nequit abjicere populum quem præcognovit. Rom. 11: 2. Populus non est unius generationis; licet una pereat, alia succedit; estque idem populus quamvis varient individua; uti idem Rhenus, etiamsi aqua alia alii succedat in eodem Esa. 46: 3, 4. *Attendite mihi domus Jacob, & omne residuum domus Israelis qui portati estis à me à ventre, bajulati ab utero: & usque in senium idem ero*, &c. Ut dici queat Exod. 13: 2. *Dominus est robur meum & canticum, & fuit mihi in salutem; hic est Deus meus, propterea domicilium faciam illi; est Deus patris mei, propterea eum exaltabo.* Jer. 31: 3. & qui Israelem *filium primogenitum* dixit in Ægypto, idem parem relationem in sera progenie agnoscit vers. 9. *sum Israeli pater*, &c. Nullum damnum defunctorum: Matt. 22: 32. Eadem ratio membri proximi. Dominus te elegit ut sis ei populus peculii. Sic loquitur de viventibus, Exod. 19: 5. sed valet etiam de defunctis. Segylla est jocale, monile quod seponitur in thesaurum, Eccl. 2: 8. Ps. 116: 15. *pretiosa est in oculis Domini mors justorum; & custodit ossa eorum*, Ps. 34: 21. & *anima* ipsorum *ligata est in fasciculo viventium* apud D. Deum suum 1 Sam. 25: 29. quam ei morientes commendant Ps. 31: 6. liberatio autem proprietatem infert, 1 Cor. 6: 19. Veritas porro constantiam designat. Apud Deum est *Ecclesia primogenitorum conscriptorum in cœlis*, quæ Israelitarum defunctorum, & Spiritus justorum consummatorum, qui omnium fidelium, post satisfactionem Christi defunctorum Heb. 12: 23. de quibus valet Mal. 3: 17. *Erunt mei, in die facere me peculium, & parcam eis, ut filio obedienti parcitur.* Quæ beneficia aliis populis negata sunt, fœdere isto carentibus.

Felices ergo nos quibus istud fœdus quoque concessum est, ut Dei simus. Hujus fœderis beneficio luctum moderari, si non prorsus deponere licet. Est tamen unus luctus de mortuo necessarius, ad securitatem fœderis. Zach. 12: 10. Lugendum de Christo transfixo, ad eoque de peccatis, quæ causam dederunt morti ejus; Luctus Christianorum proprius, non ab ipsis profectus, sed à Spiritu gratiæ excitatus; qui eum ciet in iis, quibus dedit oculos ad videndum transfixum, & transfigentes, & simul videntium hæc oculorum lachrymas. Est autem hoc agendum quoties mortem Domini annunciamus. Huic luctui quoque solatium est Zach. 13: 1. illo die erit fons apertus domui Davidis & incolis Hierosolymæ, contra peccatum & impuritatem. Qui serio dolet de transfixo Christo à se, is solide gaudere potest in ipso, qui factus hostia pro peccato, illud expiavit, mortem abolevit, vitamque & incorruptibilitatem adduxit, qui mœstos solatur, & tristibus in Zion parat, ut detur decus pro cineribus, oleum lætitiæ pro tristitia, amictus laudis pro Spiritu angusto. Esa. 61: 3.

2. Sequitur *Discrimen Ciborum* Descripsit mansiones, ne loca idololatrica incolerent, aut quemque inter suos ferrent, qui idola inter ipsos collocari colique suasisset. Describit stationem in loco sanctuarii ab omnibus tempore definito occupandam. Sed & cibos ipsorum definivit, ut viventes in aulâ regis universorum Dei, non tamen aliis vescerentur quam ipse assignasset. Istud de cibis repetitur hisce versibus, ut hâc quoque parte se gererent uti congrueret domesticis, imo liberis Dei. Repetitur inquam, nam Lev. 11. mandatum istud de ciborum discrimine primùm legitur. Nunc generale præceptum præmittitur vers. 3. aut enumerantur animalia esui permissa aut prohibita, vers. 5--20. tandem specialia ciborum genera vetantur, vers. 21.

Vers. 3. *Ne comedito ullam rem abominandam.*

a. *Generale præceptum est*, vers. 3. *non comedes ullam abominationem*, vel *quicquam abominabile.* Quod interdicit, esca est, esculentum quid; extenditur enim ad omnia quæ in seqq. recensentur, vel olim recensita fuerunt, quorum esum Deus prohibuit, ut licitè edere non potuerint. Vetitos illos cibos vocat abominationem, quod aversationi sint, ut longissime à se removeat qui comedit. Sic vero appellatur cibus neque respectu comesturi hominis, quamquam dentur à quibus nonnulli antipathiam habent, vel naturalem, ut non odorem, nec visum, nedum gustum ferre queant, adeoque vel nauseam vel etiam lipothymiam eapropter patiantur, vel ex consuetudine, quod insoliti sint, ut carnes crudæ, aut equorum, canum, necessitate famis urgente, aut ranarum, cochlearum voluptate quorundam suadente. Sic quod uni bruto, deliciæ, alii est fastidium; & multo magis in diversis populis observandum. De hoc non agitur, hoc loco, unicuique sequendus suus appetitus; qui

qui non patitur talia assumi, nisi magno commodo quod sperat illectus, uti pharmaca fere solent sumi. Neque respectu comedendi cibi, quando ullus in se quid abominandi habet. Etenim dantur nunc qui noxietatem habent, venenata omnia in plantis & animalibus, adeoque aversioni sunt, & merito, iis qui propriam vitam amant, quod facere debent omnes, ex naturæ instinctu; hujusmodi tamen nulla recensentur, ceu quæ negliguntur sponte & caventur ab omnibus qui norunt indolem illam pravam. Verum respectu Dei, ut recte Targ. Jonath. Non comedetis quicquam quod ego removi à vobis, abominabile vobis esse volui. Quomodo ab unius Dei arbitrio pendet quod taliter habendi sunt. Voluntate, inquam Dei non creatoris, Apoc. 4: 11. *omnia creasti, & tua voluntate sunt & creata sunt*; nam condidit & ordinavit omnes cibos, & non alius sunt virtutis & efficaciæ quam ipsi placuit facere. Atque sic primitus omnia valde bona fuerunt, nihil in se malum aut noxium: sed post hominis lapsum, ad ejus convictionem sub tolerantia Dei, maledixit terræ & iis quæ eo referuntur propter hominem, ut spinæ ac tribuli, ut venenatæ plantæ inde nascerentur, venenata mineralia in eâ continerentur, & creaturam vanitati subjecit, ut animalia fera, noxia, mortifera forent, excellente heic genere serpentum: sed heic non spectatur. Non Medici, qui de salubribus & insalubribus alimentis populum erudierit, ut scirent quid valetudini bonum, aut noxium foret. Hanc hominibus reliquit, quibus etiam sapientiam dedit ut naturam herbarum plantarumque, nec non animalium prospectam habeant, quo tum sibi, tum aliis consulere queant, quid ad depellendos morbos, conservandam & recuperandam sanitatem conducat: quod medicorum est, & ubi Salomo excelluit. 1 Reg. 4: 33. Dicitur quidem Deus morborum medicus Ps. 103: 3. sed spiritualium animæ; & se medicum corporum fore pollicetur, ne morbi Ægyptiorum ipsos invadant Exod. 15: 26. Sed ea cura non medica est, uti cum lignum Mosi monstravit edulcandis aquis in Mara; verum benedictionis singularis, quâ obedientiam suorum mandatorum remuneraturus erat. Verum Domini absoluti & Legislatoris summi, qui subditis legem ferat quam vult, jubeatque abstinere, pro suo arbitrio. Illud vero sic intermittendum, ac si abominabile foret, ut non minus serio & constanter ejus usum omittamus, quam si naturali antipathia laboraremus. Hebræi monent, non esse talia dicenda abominationem, quasi suâ natura talia forent; quomodo abstinentia non foret religiosa; ut si abstemius Naziræi votum faceret: sed cum bonitas nota sit, propter unius Dei autoritatem & reverentiam: non dicet quis, non est mihi appetitus ac desiderium suillæ; sed appetitus mihi est, verum pater meus cœlestis super me decrevit, abstinendum esse. Adeoque cibi vetiti sunt abominatio apud Deum, qui hominibus quoad usum tales esse voluit. De qua voluntate Dei circa cibum observandum.

Omnis creatura Dei bona, & nihil reprobandum. 1 Tim. 4: 4. Condidit Deus animalia cibo sustentanda, quæ inter etiam homo est, & condidit cibos ad illorum usum; & fecit utraque valde bona; neque potuit quicquam in se abominabile per creationem consistere. Atenim definivit illico lege cibariâ, homines & bruta terrestria solis terræ nascentibus debere vesci. Carnes non fuerunt permissæ, quæ licite comedi non potuerunt. Unius arboris fructus autem sub comminatione mortis homini fuit interdictus; non ob vitium plantæ, quæque ac aliæ horti Eden fuit desiderabilis ad videndum & bona ad edendum: sed ob voluntatem Dei simplicem; qui pro jure suo sic vetuit illis quibus obsequendi obligatio naturalis erat. Post diluvium Deus ampliavit legem cibariam, concessitque uti olim germina, ita nunc quascunque animalium carnes, nullo discrimine; vetito tamen, juxta jus suum absolutum, sanguine; quo interdicto omnes Noachi posteri tenentur, citra intuitum salubritatis, sed reverentia mandantis Dei. Tandem vero Israelitis in fœdus peculiare adscitis restrictam magis fecit cibariam legem, prohibitis variis animalibus, quemadmodum recensentur; itidem ex jure suo, non autem ullo commoditatis ad alendum respectu. Et hoc dicit abominationem, Israelique fuit habenda abominatio, quod suo mandato prohibuit. Quemadmodum pii inter eos religiose abstinuerunt; unde Daniel ejusque socii ne polluerentur cibis regiis, desiderarunt solis leguminibus vesci. Dan. 1. Ezekiel deprecatus est cibos ex lege abominandos Ezek. 4: 14. & sub persecutionibus maluerunt vitam per sævissima tormenta effundere, quam ut porcinam gustarent; teste Maccabæorum historiâ, & Petrus profitetur Act. 10: 14. se ad illud usque tempus non comedisse quicquam communis aut impuri. Sed illo tempore Christus in visione lintei magni, in quo omnis generis animalia, quadrupeda fera, repentia & volatilia, Petrum erudiit de libertate restituta ut Noachi ætate, jubens *macta & ede*, vice etiam tertia; ut quasvis carnes licitas sciret, observato, duntaxat sanguinis interdicto, quod mactatio mandata Judæo satis evincit, non alia utique quam qua uti suevissent. (Agnoscentibus Judæis: Galatin lib. 11. cap. 12. ex Mose haddarschan. Ps. 146: 7. *Dominus solvit vinctos, solvit vincta seu interdicta*: *Omnis enim bestia, quæ immunda reputata est in seculo isto, Dominus S. B. ille faciet eam mundam in seculo venturo, in diebus Messiæ, quemadmodum omnia primum munda fuerunt filiis Noachi.* Bechai fol. 232. col. 2. *Quare vocatur nomen porci* חזיר *à revertendo, quia Dominus* עתיד לכחזירו *reverti faciet eum ad Israelem.* Quin & tempore necessitatis esum immundorum indulgent, ne quis fame pereat, & in bello (uti cum subigeretur Cananæa) licite à militibus in hostico comesta dicunt.) (Agnoscentibus Judæis &c. dicunt.) Hæc libertas nostra est, quam nulla religiosa prohibitio arctare potest. Deceptores spiritus sunt, & hypocrisis mendacia loquentium, qui jubent abstinere cibis, quos Deus condidit ad fruitionem cum gratiarum actione, procredentibus, & qui agnoverunt veritatem. 1 Tim. 4: 1. Et monet cunctos, Col. 2: 18, 20. Quæ doctrina Pontificiorum est, sanctitatem in discrimine ciborum collocantium, repudiatis tamen Dei antiquis legibus, & substitutis aliis, sæpe contrariis. Equidem licet magistratui prohibere nonnunquam cibos nonnullos, sed non religionis ergo, ut cultus Dei aliquis in eo constituatur. Sanitatis ergo pruna, pisces putentes, carnes morbidas: itemque boni publici, ne absumantur pecora; quem Angli prætextum habent carnisprivii verni. Licet privato sibi interdicere quibusdam alimentis, citra opinionem sanctitatis religiosæ; quemadmodum Jacobi posteri abstinent à femore, ob nervum Jacobi in femore luxatum memoriæ ergo, Gen. 32: 32. & Jonadab sibi & suis vino interdixit, ut discerent temperantiam, seque ad peregrini conditionem paupertinam tolerandam durarent. Jer. 35. cap. Sed fuerunt in Ecclesiæ Christianæ initiis, qui religiose abstinuerunt omni carne & vino, solis oleribus vescentes, de quibus Rom. 14. agitur; Non damnantur illi quidem, quia abstinentes non minus Domino abstinebant, quam comedentes Domino comendebant, utpote lege primitiva in integritate se teneri rati, quam tempore restitutionis omnium per Messiam validam crediderunt, & illa tempora inchoata: attamen dicuntur infirmi; quibus erudiendis magna cum mansuetudine & condescendentia studendum; docendumque tempora χρηστότητος omnium nondum venisse, quando creatura liberabitur à vanitate, & servitute corruptionis. Dies Christi, in quibus ipse peregre profectus in terram longinquam, ut regnum accipiat, & per Ministros suos ubique negotiatur prædicatione Evangelii, dant libertatem Noachicam circa cibos; Inprimis scrupulosis inculcandum illud Heb. 13: 9. bonum est cor stabiliri gratia, non cibis: unde nullam habuerunt utilitatem qui in illis ambularunt. Nihil hodie abominabile in cibis; fruimur Noachi privilegio, cui par in animalia omnis generis, quod in germina, jus datum: dummodo caveret à sanguine, uti Adamo ab arbore scientiæ abstinendum fuit. De quo sanguine recte mandatur nobis, *non comedes ullam abominationem*: quemadmodum id Apostoli Gentibus necessarium esse declararunt, Actor. 15. vers. 28.

Est vero generalior hinc observatio, *Abstinendum ab omni abominatione*, quam Deus talem pronunciavit. Deut. 7: 25. Aurum argentumque idolorum Domino est abominatio; *non ergo inferes in domum tuam abominationem*, ut *fias anathema sicut ipsum; plane abominaberis & aversaberis.* Sic peccata omnia Deo sunt abominatio, qui eo nomine insignit, & peccatores ab eo abominabiles. Apoc. 21: 8. Ab illis ergo abstinendum, longe magis quam Israeli à cibis vetitis. Matt. 15: 11. non quod ingreditur in os impurat hominem, sed quod egreditur; prodientia nempe ex corde, cogitationes malæ, homicidia, &c. hæc sunt quæ impurant hominem.

nem. De istis quoque dicitur, quod congruat textui, Job. 15: 16. *Abominabilis est vir & fœtidus, imbibens, iniquum ut aquam* & Deut. 29: 19. Ejusmodi vero hominum multitudo magna est, ubi non tantum peccatum admittitur, sed cum voluptate, uti cum cibo quis utitur; adeoque voluntarie, destinato consilio, & gestiente affectu. Luc. 16: 15. *quod excelsum est apud homines, abominatio est coram Deo.* Amos. 6: 8. *Juravit Deus Dominus per animam suam, abominor Jacobi superbiam*: Jer. 13: 17. quod voluptuarentur nec malum Diem metuentes, nec tacti aliorum adversis. (Abominationes erant idololatria & mores gentium. Ezek. 8: 6. &c. *Abominatio Domino est via impiorum*, Prov. 15: 9. *Cogitationes mali* vers. 26. *preces impii* vers. 8. hypocritæ externus cultus Esa. 1: 13.) Ps. 14: 2. Pertinacium ejusmodi exemplum sunt filii Eli, 1 Sam. 3: 13. qui se exsecrandos fecerunt. Abominabile est canem devorare, proprium vomitum 2 Pet. 2. vers. ult. & sic faciunt qui redeunt ad deserta & repudiata ante vitia. Sed caveamus Ps. 5: 7. *virum sanguinis & mendacii*, (& quis major mendax hypocritâ?) *abominatur Dominus*. Sic quoque in consorte impiorum. Mal. 2: 11. Sic qui se copulat impiis, & cupiditatibus pravis. Qui uti elegerunt abominationem Domini, fiunt abominatio Domini ipsimet, & consequentur extremum abominandorum, stagnum ignis & sulphuris Apoc. 21: 8. Sed quisquis se ab istis mundaverit, ut abominatio ipsi non adhæreat [illegible]s consequitur à Domino benedictionem & justitiam, à Deo salutis suæ. Ps. 24: 5.

Vers. 4. *Hæ sunt bestiæ quas comedetis boves, ex pecudibus oves & capræ.*

Vers. 5. *Cervi, & capreæ, & damæ, & rupicapræ, & strepsicerotes, & bubali, & cantelopardalides.*

Vers. 6. *Denique omnem bestiam habentem ungulam scissam & bifidatam fissura in binas ungulas. revocantem ruminis cibum inter bestias ipsam comedetis.*

Vers. 7. *Verumtamen hæc ne comeditote ex revocantibus ruminis cibum, & ex habentibus ungulam scissam bifidatam solùm: camelos, & lepores, & montanos mures, quia revocant quidem cibum ruminis ista, sed ungulam scissam non habent, immunda sunto vobis.*

Vers. 8. *Similiter suem, quia ungulam quidem scissam habet, sed non revocat cibum ruminis, immunda esto vobis: de carne eorum ne comeditote, & cadaver eorum ne tangite.*

Vers. 9. *Hæc comedetis ex omnibus quæ sunt in aquis: quæcunque habent pinnas & squamas comedetis.*

Vers. 10. *Quæcunque verò non habent pinnas aut squamas, ne comeditote: immunda sunto vobis.*

Vers. 11. *Omnem avem mundam comedetis.*

Vers. 12. *Hæc autem sunt ex quibus non comedetis: aquilæ, & ossifragæ, & haliæeti.*

Vers. 13. *Et cornices, & picæ, & milvi secundum speciem suam.*

Vers. 14. *Et omnes corvi secundum speciem suam.*

Vers. 15. *Et ululæ, & hirundines, & æsalones, & accipitres secundum speciem suam.*

Vers. 16. *Et bubones, & noctuæ, & monedulæ.*

Vers. 17. *Et plateæ, & merops; & mergi.*

Vers. 18. *Et ciconiæ, & ardeæ secundum speciem suam, & attagenes & vespertiliones.*

Vers. 19. *At omne reptile volucre, immundum esto vobis: ne comeduntor.*

Vers. 20. *Omne volucre mundum comedetis.*

b. *Enumeratio animalium* prolixa est, distincta per classes. I. *Quadrupedum*; quorum catalogus, domesticorum terna; ferorum septena genera. vers. 4: 5. tum signa, fissa ungula, eaque bifida penetrans; itemque ruminans. vers. 6. Equi asinique solidam ungulam habent; Leones, ursi, canes ungulam fissam, sed non bifidam, neque penetrantem; scissa in digitos quodammodo, sed inferius una pelle tectos connexosque. Ruminatio eorum animalium est, quæ inferiorem maxillam dentatam habent, non superiorem, unde ex rumine revocant cibum, non satis ante masticatum. Denique signa sociata esse oportet; adeo ut non tantum quæ nullum habent, sed etiam quæ unum tantummodo ordine mundorum moveantur, v. 7, 8. nam tria sunt ruminantia, & simul multifida, Camelus lepus, & cuniculus: unum contra, bifidæ ungulæ, & non ruminans, porcus: horum omnium caro non debet edi, & cadaver non attingi. II. Piscium ubi signa, pinnæ ad natandum, & squamæ ad tegmen; quæ ubi simul adsunt licitus est esus, alias, illicitus vers. 9, 10. III. *Avium*, de quibus mundas permittit, vers. 11. sed quænam illæ sint, aut quibus signis dignosci queant non dicit. Verum nominat magnum numerum avium immundarum, vers. 12--18. quas solas proinde prohibitas Judæi credunt. Præterea ex genere insectorum volatilium nihil permittitur vers. 19. Attamen Lev. 11: 22. quatuor genera locustarum conceduntur ad esum; quemadmodum novimus, fuisse cibum Baptistæ Matt. 3. vers. 4. quam concessionem indicatam habemus vers. 20. omnem volucrem mundam de ejusmodi volantibus insectis, comedetis.

Non est quod de singulis hisce differamus, & naturam uniuscujusque indicamus ex physiologis. Sed breviter solum quædam notabimus. I. Animalia quædam munda dicuntur, alia immunda distinctione non naturali ex prima creatione, sed accidentali voluntatis divinæ, uti dictum. Cœpit ea jam ante diluvium, Gen. 7: 2. de mundis septena servata sunt in arcâ de immundis bina: & cap. 8: 20. Noach servatus ex diluvio obtulit sacrificium de omnibus mundis animalibus & avibus. Sed non conveniunt distinctiones; ista, & quæ Lev. 11. Deut. 14. est. Prima dicitur respectu altaris, quid offerre liceat, quid non, cum nullum adhuc animal vescum esset. Quando Israeli leges hæ datæ, mundities est conditio licitorum, & longius se extendit, quam quæ altare respicit. Sic munda sunt solum boves, oves, capræ, & de avibus turtures & columbæ: juxta quosdam etiam passer, in mundatione leprosi hominis & domus. Ast, nunc de animalibus quadrupedibus adhuc septem feræ: de avibus plurimæ; de insectis quatuor; & de piscibus squamati & pennati omnes. II. Munda animalia terrestria omnia gramine, seminibusque vescuntur, non autem carnibus, ac sanguine; neque aliud signum in avibus Rabbini norunt. Significatum fuit abstinendum esse ab omni crudelitate, & crudis sanguineisque cibis, quibus talia amantes pecudes & aves prohibuit Deus: quemadmodum nullas rapaces admisit in altare, testatus se odisse rapinam in sacrificio Esa. 61: 8. III. In quadrupedibus, præterquam quod non sint carnivora, debuerunt esse ungulis bifidis: multifidæ plures & acutos ungues habent, ad lacerandum alios; & solidipedes fortius ungula lædunt: non ita bifidæ ungulæ, quo monerentur vitæ quietæ, citra injuriam & damnum aliorum; sed insuper designabant divisione ungulæ rectam distinctionem rerum sanctarum, nec non firmum incessum ac constantem in fide & obedientia, uti hæc animalia firmius figunt pedem: unde Cherubinis apud Ezekielem tribuitur pes rectus, ut pes vituli. Ezek. 1: 7. Rumination autem meditationem verbi divini, quod esca animæ, interdiu ac noctu. Ps. 1: 2. & 39: 4. Jer. 20: 9. & cap. 15: 16. Debent autem duo hæc conjungi, verbi cognitio & meditatio, & vitæ rectæ ambulatio constans. Nam

cogni-

cognitio verbi inutilis ſine praxi vitæ Joh. 13: 17. quamobrem repudiati camelus, lepus, & cuniculus; ille monſtroſus gibbo peccati evidentis; iſte vaga diſcurſione, vanitatis; hic latibulis ſubterraneis ad tegenda peccata, & per variarum excuſationum anfractus evaſione, citra confeſſionem ac emendationem: quorum omnium ſcientia inutilis. Ambulatio autem vitæ non niſi mala, quando deeſt verbi notitia & directio: hinc ſus adeo abominanda, quia ſordibus gaudet, eapropter etiam vaſtans agros & vineas, ſuffodiendo plantas roſtro; & lota extrinſecâ operâ redit ad volutabrum luti; obnoxia morbis ex ſordibus quibus delectatur, ut deſignet voluptuarium, & in ſordibus illis immorantem & immorientem, ad fovendum morbum animæ, & bonum ſemen verbi ſuffodientem ne radicetur, & repetentem ſua peccata. IV. Piſces ſquamati ſolidiores ſunt & tecti armatura quaſi, ut de Leviathane dicitur Job. 41: 6. &c. ut moneant de tota armatura Dei induenda ad defenſam, & pinnati celerius remigio ſe promovent, ut expeditos in via eſſe jubeat. Plura adhuc alia ſunt, quorum rationes non intelligimus, attamen Dei abſolutum jus inde diſcimus, qui Iſraelitarum libertatem ſic arctavit ut obedientiæ ſemper meminiſſent.

Verſ. 21. *Ne comeditote ullum cadaver (peregrino qui erit intra portas tuas dabis illud, ut comedat illud, aut vendes alieno) nam populus ſanctus es Jehovæ Deo tuo: ne coquito hædum in lacte matris ſuæ.*

---

c. *Specialia ciborum genera* ſunt verſ. 21.

a. *Primum vetat cadaver*, ſponte mortui animalis, quia in ſuo ſanguine perierat: tale tangere prohibitum, & multo magis *edere*, ut mortua opera fugienda doceretur. Cæterum addit Uſum ejus, & Cauſam interdicti. *Uſus eſt dabis peregrino in portis*; qui inquilinus, non proſelytus, abſtinens ab idololatria, ſed ad alia non adſtrictus, adeoque impune veſciturus: aut vendes alieno, extra terram Canaan gentili. Illi gratis ob conſortium domicilii; iſti pretio, quia nullum commercium mutuum. Exod. 22: 31. cani projiciendum dicitur, ſiquidem alio modo diſponere non liceat, potius quam ut ipſimet edant. Sunt qui gentiles canes vocari rentur, uti impii Phil. 3: 2. Apoc. 22: 15. *Ratio* eſt, *nam eſtis populus ſanctus Domino Deo veſtro.* Hæc exſtat quoque verſ. 2. & poſt cibarias leges inculcatur Lev. 11: 44. Segregatio autem extrinſecus quoque patere debet, Inſtruxerat eis Deus de ſua plenitudine quod placuit; non decet liberos faſtidita patris menſa & dapibus ſectare aquas furtivas & propriam voluntatem. Pſ. 111: 5. Dominus gratioſus & miſericors. Dedit timentibus ſe cibum; recordatur in æternum fœderis ſui. Quidni dicamus nos, quibus longe liberatiorem menſam apparavit, Ale me pane demenſi mei, Prov. 30: 8. quod ipſe definivit, vi fœderis ſui.

b. *Alterum* eſt, *Non coques, hœdum in lacte matris.* Ter hoc legitur Exod. 23: 19. cap. 34: 26. & hîc. Sed quid deſignetur admodum obſcurum eſt: attamen toties repeti magnum habet momentum. *Hebræi* vetitam volunt lactis & carnis conjunctionem in coctione, in eſu, in uſu alio quovis: & cavent lacticinia & carnes in iiſdem vaſis coquere, eodemve cultro ſcindere. Sed tum ſuffeciſſet lactis mentio, inutilis verò matris. Alii, non comedendum dum ſugit lac maternum; ſed 7 primis diebus non ſacrificandum hœdum bis aperte dicitur Exod. 22: 30. Lev. 22: 27. & cui bono idem ter obſcure indicaretur? Alii, ad deteſtandam crudelitatem, juxta illud Lev. 22: 28. bovem aut ovem cum pullo ſuo eodem die non mactabis, & Deut. 22: 6. avis cum pullis ex nido non tollenda, ſed dimittenda. Verum lac maternum nec vitam minuit matris, nec ullum ſenſum ei ciet coctione iſta magis quam alia. Maimon. & Abrab. „idololatricum morem fuiſſe ajunt Gentilium, ut cum col„ligerent fructus tali modo epulum inſtruerent. Et hâc de „cauſa bis legi, ubi de collectione fructuum ſcribitur. Sed „hæc circumſtantia temporis aliò nos vocat. Bechai fol. „97. col. 4. profitetur iſta quidem dici ad amoliendum in„terrogantem, ſed non dicere rem ipſam: quæ ſit ex ma„ximis ſecretis Legis; quorum notitia, demum futuro „tempore (Meſſiæ ſcl.) revelanda ſit. Hoc tamen ex „Kabbala haberi, reſpondere hæc terreſtria cœleſtibus, „& in cibis ordinata hæc eſſe ad ſignificandum ſuperna illa, „quamvis non aſſequantur adhuc. Ut conjecturam noſtram dicamus, utrobique in Exodo reperitur, cum de fœdere ineundo, ac reſtituendo agitur, (ut ad fœdus gratiæ referendum ſit, ejuſque beneficia ritè uſurpanda,) in legibus de feſtis. Tria illa; Paſcha, Pentecoſtes, quod meſſis, & Tabernaculorum quod collectionis fructuum, etiam uvarum & olivarum; in quibus maribus comparendum coram Deo. De ſingulis aliquid mandatur: de Paſchate, non offerendam hoſtiam cum fermento, neque adipem ſervandum per noctem. Chriſtus paſcha mactandus non eſt cum fermento; iſtud primum expurgandum illo fruituris 1 Cor. 5: 7. neque ejus oblatio ultra tempus legitimum extendenda; ne ſæpius oblatus videatur, de Pentecoſte, primitias fructuum inferendas in domum Dei: quando primitiæ Judæorum fuerunt adductæ & agitatæ coram Deo; unde de meſſe benedicendâ fiducia fit. de Tabernaculorum feſto, hoc præſens: iſto, Num. 28: 12. durantibus ſeptem diebus, oblati fuerunt 70 juvenci; quos pro 70 populis mundi oblatos dicunt Hebræi: ut his omnibus reconciliatio in Chriſto obſignaretur futura & ſucceſſive futura. Tum vero quando Gentium in Eccleſia ſalus procuratur per oblationem Chriſti hoſtiæ, non coquendus hœdus in lacte matris. Idololatriam id vetat non præteritam, ſed futuram; & in Anti-Chriſtianiſmo frequentatiſſimam. Hœdus ille Chriſtus eſt, agnus Dei ferens peccata mundi, gentilium quoque; hic coquendus eſt, ut cibus gentibus ſit, uti & Judæis, qui carnem ejus edere, ſanguinem bibere debent: ſed non in lacte matris. Mater Chriſti Maria eſt; habet illa (unde beata Luc. 11: 2. & 1: 43.) lac, alendo fœtui ſuo, dum ineptus altari. Lac ipſum ibi inutile, nunquam adhibitum, expiationem ſolus ſanguis facit Heb. 9: 22. ſanguis agni iſtius unici, qui ſemen mulieris. 1 Pet. 1: 19. Gal. 4: 4. Itaque lac Mariæ, quod ipſa filio tunc inepto contulit, & multo minus hujus ſive meritum, ſive gratia quam ei tribuunt, non conjungendum hoſtiæ Chriſti, ut tanquam à lacte ejus novum & meliorem ſaporem, virtutemque accipiat. Quo faciunt illa de lacte Mariæ cum ſanguine Chriſti miſcendo. Hoc notari puto, & res quidem certiſſima, licet typus non agnoſcatur. Rem illam amplectamur. Joh. 2: 4. *Quid mihi & tibi?* heic potiſſimum valet. Chriſtus moriens ſe non matri commendavit, ſed matrem Johanni. Act. 4: 12. Ne alium vel ſolum, vel junctim ſpectemus, ſed ipſum ſolum, qui perfecte ſervare poteſt &c. Heb. 7: 25.

Verſ. 22. *Fideliter decimato omnem proventum ſementis tuæ, qui pervenit in agro quotannis.*

Verſ. 23. *Et comedes coram Jehova Deo tuo; in loco quem elegerit ad collocandum nomen ſuum ibi; decimas frumenti tui, muſti tui, & olei tui, & primogenita armenti tui, gregiſque tui ut diſcas timere Jehovam Deum tuum omnibus diebus.*

1. Succedit de *Decimis, non videbitur facies mea inaniter*, Verbum Dei eſt ad omne maſculum in Iſraele, ter repetitum Exod. 23: 15. cap. 34: 20. Deut. 16: 16. quando apparitionem iſtam imperat in tribus feſtis anniverſariis. Verbum illud juxta quoſdam promiſſionis eſt, non videbitur facies mea inaniter, ut fruſtra acceſſiſſe conqueri debeant, quos Deus inanes dimiſiſſet. Luc. 1: 53. Nam Eſa. 45: 19. *Non dixi ſemini Jacobi quærite me fruſtra: Ego ſum Dominus qui juſtitiam loquor, qui recta annuncio.* Verum juxta alios, eſt Verbum mandati, Ne iſtuc veniant manibus vacuis, ſed aliquid afferant, quo Deum honorent, tam oblationibus debitis, puta pro peccatis, purgationibus tum puerperarum, tum aliorum, quam voluntariis, quibus ſuam ſubjectionem teſtarentur: quandoquidem illa marium omnium citatio homagii præſtandi gratia quodammodo fiebat. Heic autem aliud inſuper adjunctum erat, *ut lætarentur coram facie Dei* Deut. 12: 18. *Nam Deus amat hilarem datorem*,

torem, 2 Cor. 9: v. 7. *non ex triſtitia, neque ex coactione.* Quamobrem ſe comparabant ad omnem lætitiam, quoties feſtum ejuſmodi celebrandum fuit, Pſ. 42: 5. Cæterum ut lætitia eſſe poſſet, cum maximam partem extra domum ſuam degerent, in loco ſanctuarii, & quidem per plures plerunque dies, quod dicitur de providentia Dei erga gentes, benefacere de cœlo, & implere corda cibo & lætitia Act. 14: 17. iſtud multo magis valuit hic. Inſtruxit ipſis menſam largiſſime, poculum redundans, & ne oleum capiti deficeret, ſua benignitate & bono proſecutus. Etenim docuit qua ratione copia futura eſſet ad proviſionem horum itinerum religioſorum. Mal. 3: 10. &c. iſta omnia conjunguntur, *Afferte omnes decimas, in theſaurum, ut cibus ſit in domo mea, & probate me in eo, inquit Dominus Zebaoth, ſi non aperiam vobis feneſtras cœli, & effundam ſuper vos benedictionem, ut non ſit futurus ſufficiens locus ad recipiendum.* Vetat inanes venire, ſed præſtare abundantiam domeſticis ſuis omnibus, quomodo lætitiæ materia erat; Pollicetur benedictionem copioſiſſimam, exſpectationem ipſorum excedentem. Reperimus eadem omnia in textu, ubi inſtruuntur Iſraelitæ quid faciendum ne inanes unquam veniant, neque inanes dimittantur, ſitque lætitia omnibus qui ſe ſiſtunt ad feſta, de quibus loquitur. Rem ipſam dixit Deut. 12. ſed ut ſpectaret locum apparitionis, quem Deus elegiſſet conſtituendo ibidem ſanctuarium ſuum. Aſt nunc docet unde ſumenda, quæ in illo loco facienda mandarat; conviviorum ſacrorum apparatus. Oportune autem cohærent hæc præcedentibus. Iſraelitæ non debent imitari Gentilium idololatriam, aut mores, ſed ſic vivere ut conveniat dignitati ipſorum, qui ſunt filii Dei fœderati, populus peculii. Huc facit delectus ciborum, ut nihil comederent quod Dei voluntas averſandum definiverat, de omni viventium genere; nam de plantis & germinibus agri nihil quicquam uſui exemtum, arbore ſcientiæ, quam ſolam Adamo prohibuerat, jam dudum ab hominum præſentia, imo de facie terræ remota. Sic ergò menſa domeſtica potuit abunde inſtrui, carnibus quadrumpedum, piſcium, avium, & inſectorum quorundam volatilium. Sed nunc cibarias leges ultrà extendit, docetque Unde inſtruenda menſa, tum propria, ſacra in feſtis, verſ. 22-26. tum aliena, & quibus ſit inſtruenda iſta menſa verſ. 27--29.

Unde propria & aliena *inſtruenda* ſit, ſunt *Decimæ*, de quibus expreſſa verba verſ. 22. & 28. & implicite verſ. 27. neque tamen ſunt eædem, verum diverſæ. Quod ut intelligatur, advertendum eſt de iis generatim. quod ad earum conditionem facit. Decimæ ipsâ appellatione deſignantur quod ſint decima pars, quæ ſegregatur, cæteris novem relictis. Illæ ſegregabantur de terræ naſcentibus, ſeminibus agrorum, & fructibus arborum: olera hortorum non tenebantur ad decimas, licet ſuperſtitio & ἰθελοθρήσκεια Judæorum inde quoque ſumerent Matt. 23: 23. Segregabantur etiam de mundis animalibus, ſed tantum quadrupedibus domeſticis, hoc eſt de bobus, ovibus, capris, unius anni. Lev. 27: 32. Decimæ porro fuerunt vel Sacræ, vel Politicæ. Sacræ ſeu religioſæ, à Deo imperatæ, varii fuerunt uſus. De terræ naſcentibus, ſive agrorum ſive arborum proventu univerſo, cujuſque anni, poſtquam ſeparatæ erant primitiæ, quæ ordinarie fuerunt pars quinquageſima, ſegregabatur pars decima, ceſſura Levitis, in mercedem miniſterii, quod pro univerſo Iſraele obibant in ſanctuario. Vocantur decimæ primæ. De his Levitæ tenebantur decimas dare Sacerdotibus, quæ merces ipſorum. Num. 18: 21. ſeqq. Poſtquam decimæ primæ Levitarum ſeparatæ erant, rurſum decimabatur reliduum, & dicebantur decimæ ſecundæ; ſed non eodem modo uſurpandæ. Sex annis continuis colebatur ager, ſeptimo non item, ſed ceſſabat Exod. 23: 10, 11. Lev. 25. cap. Itaque primis ſex annis decimæ debebantur tum primæ tum ſecundæ. Hæ non cedebant quidem Levitis, verum non poterant ab agri poſſeſſore uſurpari pro cibo familiæ ordinario, ſed annis primo ſecundo, quarto & quinto, ad ſacrorum itinerum ſumtus ſervabantur. verum annis tertio & ſexto cedebant pauperibus. de quibus hic verſ. 28, 29. & de prioribus verſ. 23. &c. deque Leviticis verſ. 27. De pecudibus decimæ manebant proprietariis, ſed uſurpandæ uti decimæ ſecundæ quatuor annorum, in uſum feſtorum Lev. 27: 32. &c. Politicæ decimæ memorantur 1 Sam. 8: 15, 17. Regem decimaturum ſemina & vineas, nec non greges: jure gentilium regum, ſibi abſolutum dominium arrogantium, & ſubditos pro ſervis habentium. Quod Deus non præſcribit, neque probat; ſed prædicit futurum, in pœnam repudiati ſui regni. Hæ fuerunt decimæ tertiæ. De his non eſt nunc dicendi locus; fiet oportunius, ubi ad Deut. 17: 14. &c. De ſacris autem agemus, quo ordine Moſes, I. de ſecundis, manentibus dominis agrorum, ſeu poſſeſſoribus potius. II. de primis Levitarum, III. de ſecundis pauperum. Primis propria, poſtremis duabus aliena menſa inſtruebatur.

a. De ſecundis poſſeſſorum I. definit uſum v. 23. II. incommodum aliquod removet verſ. 24-26.

Mandatum generale præmiſſum eſt verſ. 22. *Decimando decimabis omnem proventum ſeminis tui, quod egreditur de terra*, vel quod terra producit (ſi נתן tranſitive ſumatur juxta Aben-Ezram) Quod jubet Decimatio eſt, ſegregatio partis decimæ ab acervo, vel theſauro. Fuit inſtituenda à poſſeſſore, qui agros coluerat, arbores plantarat, & fructus utrorumque collegerat, imo quæcunque & quotieſcunque conſtitutæ eſſent: omnia egerat ut uſurpari poſſent, ita ut omne frumenti genus trituratum eſſet, vinum & oleum expreſſum. Repetitio verbi quibuſdam deſignat geminam decimationem, quam diximus, quæ ſibi illico debuerunt ſuccedere: aliis unam ſecundarum, ſed quæ duobus contiguis annis fieret, quia in fine verſus dicitur anno, anno, quod notat duos annos contiguos; ut tertius annus excludatur, de quo ſigillatim quid præcipitur verſ. 28. Sed non dicitur *Decima, Decima*, verum *Decimando decimabis*, quomodo ſollicita cura indicatur, non minus quam diſtrictum mandatum. Emphaſin enim ſemper habet iſta repetitio, & recte exprimitur Belgis, **gy ſult getrouwelijk vertienen.** Debuit fieri, & debuit optima fide fieri. Quo facit Geminatio temporis, *anno, anno*, quod eſt ſingulis annis; uti *dies, dies*, ſunt ſinguli dies: Nam quotannis de ſex illis decimatio fuit inſtituenda utraque. Objectum denique circa quod verſatur; eſt. Circa fructus agrorum & arborum omnes, qui ſeponuntur ad alimentum hominum. Non licuit quicquam ante de iis comedere, quam religioſe ſeparatum eſſet ſanctum Deut. 26: 14. tum primitiarum, tum decimarum; nempe ad ordinarium alimentum familiæ. Licuit tamen tranſeunti ſegetes, vellere ſpicas; & vineam, carpere uvas, ſed quam ſtatim comederet, non autem ut quicquam deferret domum: ſic trituranti bovi non fuit obligandum os. Verum de eo quod collectum, & ad cibum paratum erat, non licuit partem ſubducere quæ non decimaretur. Decimæ enim Domini ſunt, cujuſcunque generis, & furtum eſt, quando Deo aliquid adimitur. Jus Domini conſtat ex Lev. 25: 23. terra mea eſt, nam eſtis peregrini & inquilini apud me. Iſraelitæ habuerunt Cananæam donatione Dei, qui donarat, hæreditario titulo Abrahamo & poſteris: & tandem in poſſeſſione collocavit ſic, ut non ſibi, ſed Deo adſcribendam haberent Pſ. 44: 3. &c. Sed non poſſederunt abſoluto jure; non licuit ulli vendere in perpetuum, ſed uſum fructum duntaxat, uſque ad Jubilæum. Fuerunt tantum Emphyteutæ. Sed Deus admodum moderatum canonem imperavit in recognitionem; Homines poſcunt ab uſu fructuariis ſpicam tertiam aut quartam, vel tantum pecuniæ, quæ ad hanc proportionem aſſurgat; ſed Deus non niſi decimam ſibi pro domeſticis & miniſtris cæterorum. Et aliam decimam, ſed non ſibi, verum ipſiſmet poſſeſſoribus. In iſtâ perſolutione noluit ullam fraudem admitti, quemadmodum homines non ferunt ſe fraudari à colonis, ita neque Deus. Imo uti Magiſtratus graviter plectit negantes, aut fraudantes vectigalia; ita quoque Deus. Mal. 3: 8. &c. *an homo ſpoliabit Deum? ſed vos ſpolitatis me, & dicitis, in quo ſpoliamus te? in decimis, & oblatione.* Hæc offer. (primitiæ intelliguntur.) maledictione maledicti eſtis, quia me ſpoliatis, etiam tota domus Iſraelis; non afferendo decimas omnes, & pariter cætera. Qui nihil dabat, negabat ipſo facto Deum eſſe dominum directum, & proprietarium: qui partem ſolum, ſe in proprietate Deo quaſi ſociabat: & uterque fur erat, non tantum quod ſacra interverteret, quæ ſpecies furti ſceleratiſſima, ſacrilegium; ſed etiam quod Deo honorem ſuum eriperet, qui gloriæ ſuæ Zelotes eſt, quamobrem maledictionem geminata voce minatur, ut & certiſſimam & graviſſimam fore ſignificaret,

ret. Maledictionis rationem discimus ex Zach. 5: 3, 4. vidit propheta volumen volans, longitudinis 20. & latitudinis 10. cubitorum, & heic nihil scriptum præter maledictionem: multiplex sane, quæ tantum spacium occupat; & cujus adventus celer est & inopinatus ob alas quibus instructum volumen dicitur; Hæc non venit sua sponte, sed adducente eam Domino, & immittente in domos à se designatas; & heic prima nominatur furis; adducta vero excludi nequit, verum ingreditur, & ibidem pernoctat, vi immissionis divinæ, quæ judicis indeclinabilis, & consumet illam cum lignis & lapidibus suis. Exemplum in Ananiæ & Sapphira, ubi mendacium circa votivam pecuniam subitaneâ utriusque morte punitum fuit. Actor. 5. vers. 1. &c.

Immunes hic se credunt plerique, quia Christiani. Verum agnoscendum jus Dei in possessionem terræ: Ps. 24: 1. *Domini est terra & plenitudo ejus*, quod repetitur 1 Cor. 10: 26, 28. & habet vim non tantum de plenitudine, unde cibi petuntur, sed etiam de terrâ, in qua homines habitant: Omnes sunt peregrini in terrâ, Dominium terræ illis nequit vendicari. Professi id sunt pii David Ps. 119: 19. & Ps. 39. v. penult. & Israel 1 Chron. 29: 15. & sic 1 Pet. 2: 11. Quod æque de nobis valet ac de Judæis, qui tantum juris non habemus in terram quam inhibitamus, hæreditatem non solum tot annis possessam, sed ab ipso Deo juratam. Debemus itaque Deo recognitionem. Non loquor de proportione heic definita: sed de rebus heic obligatis, fructibus terræ & arborum; attamen qui nihil horum habent ne censeantur excusati. Nihil dicitur de alio lucro, quia Deus Israelitas à mercimoniis cohibuit, qui nullum habuerunt portum præter Japhuntem ad mediterraneum, & Eziongeber ad Erythræum mare, sed occupavit in agricultura. Veruntamen quod aliunde lucrum est, sub similem obligationem cadit. Ps. 62: 10. quando potentia accrescit ut proventus terræ, &c. Adeoque in genere, quicquid ad hominem sustentandum Deus largitur, illum obligat ad agnitionem realem. 1 Chron. 29: 11. *Omnia tua sunt, D. & ex tua manu damus tibi.* nam sumus peregrini, &c. Debemus itaque recognitionem Deo, professionem realem ab ipso nos habere omnia, atque ipsi partem aliquam reddere. Prov. 3: 9. Verum quam multi sunt, qui non modo nihil ad Deum recognitionis istius redire faciunt, de quo crimine alias dicetur; sed ne quidem quod illi datum ab aliis est, aut cessit, relinquunt. Superstitio superiorum seculorum plurima dedit idolis, & eorum sacerdotibus. Inde sunt omnia, quæ dicuntur bona Ecclesiastica. Ista vero Dei sunt, non ex intentione donantium; quod idolis offertur, Dæmonibus offertur, & non Deo 1 Cor. 10: 20. quamquam præ se ferant cultum Dei, sed ex alio capite. Quicquid idolis sacratum est, anathema est Deut. 7: 20. & anathema Deo cedit Lev. 27: 28. quemadmodum Jerichuntis spolia, inferenda in thesaurum Domini Jos. 6: 18, 19. Hoc modo se ista bona habent; & hinc aliquid surripere peccatum est quale Achanis, qui hoc pacto & se & suos omnes fecit anathema, Jos. 7. quod denunciatur cuivis hic peccanti. Deut. 7: 26. Equidem exempla piorum quoque regum sunt, qui thesauros domus Domini adhibuerunt ad redimendam patriam, emtâ pace à potente hoste, ut Hizkia 2 Reg. 18: 15. sed ut in privatorum usum convertatur, qui titulum à Domino non habent, id vero crimine non vacat. Prov. 20: 25. *Tendicula est homini deglutire sacrum.* Quod avide vorant, in eo laqueus est; & uti piscis cum esca hamum deglutit, ad suam perniciem, sic quoque hi anathema vorant; & maledictio ista quam amarunt, ingreditur in medium ipsorum, uti aqua, & uti oleum in ossa Ps. 109: 17. cujus lethiferam vim licet non illico experiantur, tamen manet; & ipsam posteritatem inveniet malum.

α. Locus hic describitur.

β. Usus Decimarum *ad instruendam mensam propriam, sed sacram* est vers. 23. ubi definitur. Locus, Acto, Finis. *Coram facie Domini Dei tui, in loco quem elegit ut ibi habitare faceret nomen suum.* Chald. *Schechinam suam.* Deus gratiosam suam præsentiam nusquam collocat quam in Messiâ, per quem solum accessus est ad Deum Joh. 14: 6. & veteres Judæi fatentur. Imo ipse est Schechina, in quo Deus habitat. Exod. 23: 21. *Nomen Dei in ipso est.* Verum placuit Deo externo quoque signo istud testari, Nubes supra arcam, typum throni Dei, id significavit, & quia typus externus fuit adhibitus certus locus ei fuit assignandus, qui domus & palatium Dei appellatur. De quo loco dictum ad Deut. 12. Deum sibi delectum servasse, quemadmodum reges facere solent. Nebucadnezar ædificavit Babelem *in domum regni* Dan. 4: 30. & Bethel fuit *domus regni* Amos. 7: 13. Deus quoque testatus est de Hierosolyma, se delegisse, ut nomen suum ibi habitaret, uti olim in Silo. Imo dicitur ibi habere ignem & fornacem. Esa. 31: 9. Hinc ibi sacrificia omnia offerenda fuerunt, quemadmodum ostendimus ad Deut. 14: 17. In domo creditoris debuit fieri & professio debiti à debitoribus, & ejus transcriptio in rationes Sponsoris, ut testibus illis fieret, quorum intererat, Creditoris & Sponsoris. Ast nunc decimæ ibidem fuerunt sistendæ, Nam Colonum oportet ad ædes domini, proprietarii, professionem edere suæ obligationis; de qua ex professo agitur. Deut. 26: 12. seq. Hodie ubi unum ejusmodi locum Deus non habet, ista circumstantia non obtinet. Joh. 4: 23. ubique in spiritu colendus Deus est, attamen ubi Deus præsentiæ suæ testimonia edit, ibi probatur ista professio. Ps. 116: 17.

β. Actio est, *Comedes ibi decimas frumenti, musti & olei tui.* Non sunt decimæ primæ: Levitarum illæ, comedebanturque ipsæ in omni loco, postquam decimæ sacerdotales remotæ fuissent, uti alii suum proventum comedebant. Ast hæ necessario edendæ in loco sanctuarii; quod secundarum decimarum est, & à non Levitis, quod v. 26. clarius dicitur. Id vero non male observatum, decimas tui frumenti vocari, quod tum demum tuum frumentum sit, quando decimæ inde semotæ. Meum non est, in quo indivisim alius quid habet, atqui Dei portio inerat; Omnia quidem Dei; merito ait, meum frumentum, & meum mustum Hos. 2: 8. qui omnium donator; sed quando canon à colono persolutus est, reliquum ipsius est. Sic quoque, quando hic satisfactum Deo, ut Sanctum separarit à profano, qui illius mixtim comedendi jus non habet. Additur, *primogenita boum & ovium*, quibus tamen vesci non licuit, nisi Sacerdotibus, & sanguis adspergendus altari, unde eo deducenda: quemadmodum etiam decimæ animalium, quæ tamen Sacerdotibus non cedebant, sed manebant proprietariis, sanguine duntaxat adspergendo altari.

γ. Finis est, *ut discas timere Dominum Deum tuum omnibus diebus.* Hoc beneficium redundare volunt ad venientes Hierosolymam; cognitio timoris Dei. Nam in loco sanctuarii fuerunt Sacerdotes & Levitæ, & Synedrium majus, quorum institutione frui licebat; ut Luc. 2: 46. In festis legebatur lex, & speciatim septimo quoque anno in festo tabernaculorum, præsentibus omnis sexus, & ætatis, & ordinis hominibus Deut. 36: 10. &c. Hæc vero repetitio pertinebat ad constantiam persuadendam in religione, quæ timoris Dei nomine continetur. Sed potius hoc imperatum est ut agant, quo discerent Deum semper timere; semper agnoscere autorem omnis boni, cujus beneficio possiderent, quo fruebantur, proventum. Quotiescunque enim sic comparebant, agnosci volebant coloni Dei, de quibus ipsi statuere, quod vellet, fas erat, & ipsis gloriæ non minus, quam gaudii imperatam recognitionem exsolvisse. Atque continuandæ benedictionis ab eodem Deo fiduciam aluisse. Contra factum à gentilibus Rom. 1: 21. Deum cognoscentes, ut Deum non glorificarunt, nec gratias egerunt. Dei notitia hæc suadet, & illi discendæ servit adventus ad hujumodi professionem. Inveniuntur glorioſi homines, qui sibi multum tribuunt; sive virium ex se, sive meritorum: sed quoties hi veniunt coram facie Dei audiunt, seu vident lectionem de timendo Deo. In precibus Deum autorem fatentur sui boni, eoque se debitores. Superbus ille Pharisæus in omni sua gloriatione Deo agebat gratias, Luc. 18: 11. Ergo à Deo acceperat, & sic nihil gloriationis veræ relictum erat 1 Cor. 4: 7. Quando nos apparemus coram facie Domini, in Ecclesia, discamus timere Dominum Deum nostrum omnibus diebus; ut ei serviamus in timore & exsultemus in tremore & transigamus tempus incolatus nostri in timore 1 Pet. 1: 17. ut pote quod est totum hominis, initium & omnis sapientia ad salutem.

Vers. 24. *Quod si magnum sit præter facultatem tuam iter ipsum, ut non possis ferre illas decimas; si distet præter facultatem tuam locus quem elegerit Iehova Deus tuus ad collocandum nomen suum ibi: eò quod benedixit tibi Jehova Deus tuus.*

Vers. 25. *Tum commutabis pecunia; & colligatam pecuniam habens in manu tua, ibis ad locum quem elegerit Jehova Deus tuus.*

Vers. 26. *Expensaque pecunia illa in omnia quæ desideraverit animus tuus in boves, aut in pecudes, & in vinum, aut in alium potum inebriantem, denique in omnia quæ expetierit abs te animus tuus; comedes ibi coram Jehova Deo tuo, ac lætaberis tu cum familia tua.*

b. Incommodum removet, vers. 24.

Proponitur istud, *Si major fuerit via quam possis eo deferre*; & causa gemina est, I. distantia sanctuarii, quod non nisi uno loco Deus constituit; sic quidem aliquæ tribus propinquæ fuerunt, sed aliæ longinquæ, & quidem aliquot dierum itinere, siquidem quod Hebræi volunt, pedibus istud conficiendum foret, Luc. 2: 41. &c. II. quia benedicet tibi Dominus Deus tuus, ut adeo uberem proventum largiatur. Per viam brevem aliquid ferri potest, quod non fit æque facile per longam, deficeret quis sub onere; & si copiosa messis, utique non manibus & numeris, sed plaustris subinde pluribus opus fuisset ad omnis generis frumenta, mustum & oleum deferenda; juxta cum gregibus tum primogenitorum tum decimarum.

Remotio incommodi vers. 25. *Muta in pecuniam.* (sed permutatio hæc fiebat persoluto justo pretio, & superaddita quinta parte, sive pro quatuor, quinque, sive pro quinque sex de 20. vel 25. vel 24.) & colliga in manu tua, & proficiscere ad locum &c. Sic sane expeditius erat iter. Circa festa multitudo venditorum in templo. Usus pecuniæ vers. 26. *Dabis eam pro omnibus quæ desiderat anima tua*; Afferenda erant proventus terræ, & pecudes; talia sunt rursum emenda; sed non alias quam pecudes sanctas ad altare, boves & greges, quo oves & capras comprehendat; vid. Joh. 2: 14, 23. item vinum & siceram, Targ. *vinum novum, & vetus; & quæ porro desideres, de generibus panis, aut fructuum aliorum, recentium aut aridorum. Et comedes ibi* &c. *& lætaberis tu & domus tua.* Deut. 12: 18. *tu & filius, & filia, & famulus & famula, & Levita qui in portis tuis.* Unde decimas secundas esse liquet.

Sed hinc videmus quomodo Deus sapientissime omnia ordinarit, ut cultum suum faceret leviorem & suaviorem. Adstringebantur mares omnes, ut ter irent ad festa, quæ coram sanctuario agitanda, Paschatis, Pentecostes, Scenopegias, (nam alia domi celebrare licuit, neomenias, tubarum, expiationis.) & plurium dierum fuerunt primum ultimumque; non poterat sine sumtu id fieri, adeoque alieniores futuri erant, & dicturi, licet, **wat eene bermoei-te.** Mal. 1: 13. imo quantum damnum rei familiaris? sufficisset pro mense, quod unum festum absumit: Saltem tristes comparuissent, & tempus transegissent. Verum has querelas Deus præcidit. Sanctificavit decimas secundas quatuor annorum, quæ sepositæ, aut pretium illarum, sufficerent omnibus itineribus religiosis septem annorum: & quia fere pares decimis Levitarum, & non licebat ad alium usum transferre, abundabant ut convivari hilariter possent. Festa non sine tristitia fuerunt agenda, indulgendumque etiam externæ lætitiæ. Neh. 8: 11. Festo instante ob pacem Gallicam lætari licet, sed lætitia Domini non carnis, &c. Ex thesauro isto poterant etiam pauperes in festis ad lætitiam ali. Est hæc prudentia religiosa, ne quid sollicitudo vitæ impediat, tempestive necessitatibus istiusmodi prospicere. Ps. 112: 5. *Rite exsequitur res suas.* ut cuique adsignet quod ei debetur sumtuum, sacris & profanis. 1 Cor. 16. 1. &c. Postulat pro modo benedictionis divinæ, in via seu vocatione præcedentis septimanæ: & Deus pro modo proventus annui concessi. Superstitio excedit modum; Ea sacrat, unde parentes alendi fuissent, Matt. 15: 5. Ita in Papatu; hæreditates integræ sic eripiuntur necessariis, non ut ipsi lætentur coram Domino, sed ut ipsi misere vivant & alii otiosi ventres lætentur in omni genere carnalis voluptatis. Ast avaritia deficit: quicquid religiose impenditur, nimium putat. Atqui non aliis, sed tibi ipsi Deus instruxit mensam; suæ benedictionis partem sibi dispensandam servavit, ut tibi ipsi in agnitione donationis factæ gaudeas, & tecum alii. Agnoscendum hic quoque Ps. 23: 5, 6. parare mensam, implere poculum, inungere ad lætitiam oleo: & fiducia de constanti benedictione in domo Domini, & hic Ps. 65: 5: *satiabimur* &c.

Quum Deus Hierosolymam delegisset, ubi stabilis foret sedes arcæ fœderis, & domicilium gratiosæ suæ præsentiæ, ad votum Davidis, *Surge Domine ad requiem tuam, tu & arca roboris tui*, respondens. Hæc, nempe Zion quam elegerat & concupiverat sibi in habitationem, *hæc inquam est requies mea in æternum, hic habitabo, nam concupivi eam.* Ps. 132: 8, 13. mox subjungit, quid benedictionis ibidem sit largiturus, *cibum ejus benedicam benedicendo, egenos ejus satiabo pane, Sacerdotes ejus vestiam salute, & benigni ejus jubilando jubilabunt.* Commemorat quæ beneficia in Zione & Hierosolymis sit erogaturus. Quandoquidem istuc deinceps, tanquam ad locum à se delectum suæ habitationis, omnes mares Israelitæ, in festis tribus annuis debuerunt proficisci, omnis ordinis hominibus à se prospectum iri pollicetur. Israelitis promiscue, pauperibus ipsorum, Sacerdotibus & Levitis. Primum de Israelitis ait, *Cibum ipsorum benedicendo benedicam.* Vox צידה non simpliciter *Cibum* notat, sed vel veneratione partum, vel in viaticum assumtum: posteriori modo hic sumitur. Cum ex omnibus Israelitidos finibus ad festa confluendum esset, debuerunt assumere viaticum unde istic viverent, huic provisioni sacræ vult benedicere benedicendo, abundantissime, ut non solum ad necessitatem, sed etiam ad lætitiam sufficeret. Deinde de pauperibus, quibus non erat unde sibi prospicerent, vel ad festa, vel domi, iis panem suppeditaturum se dicit ad satietatem. Tum de Sacerdotibus, se amicturum eos salute, ut omnis generis abundantiam habeant. Denique de Levitis, nam hi sunt quos חסידים dicit, non solum quia Sacerdotibus Aaronicis Levitæ solent subjici, domus Israel, Aaron, Levi Ps. 138: 13 sed etiam quia Levi dicitur, איש חסידך in voto Mosis ad Deum Deut. 33: 8. jubilandi naturam habituros abundantissimam. Cæterum hæ benedictiones non intelliguntur miraculosæ, ut cum mannam de cœlo depluit, ut omnibus copia esset uberrima, sed quæ parata bona facerent, ad istud omnium commodum redundare. Etenim Deus jam antea certis legibus prospexerat provisioni omnium, quibus si obsequerentur, tum vero benedictionem suam additurus erat, ut nulli defectus futurus esset, quo minus festa Dei summo cum gaudio transigeret. Prov. 3: 27. Dominus boni Israelitarum Deus fuit, qui suam terram omnem dixit, Israelitas colonos. Lev. 25: 33. & inde suum frumentum & mustum & oleum. Hos. 2: 8. Quando ergo proventus collectus esset, non negandum canonem Deo: Tum vero se benedicturum largitur; Prov. 3: 9. *Honora D. de facultatibus tuis & de primitiis omnis proventus tui.* Promissionem istam habemus in textu, annexam legibus de provisione facienda, bono omnium eorum quos in Psalmo illo enumeratos audivimus. Primum de viatico Israelitarum qui possessiones habebant, vers. 22-26. Decimas secundas diligenter segregandas dixit, annis culturæ primo secundo, quarto & quinto, & vel ipsasmet in viaticum festorum itinerum assumendas: vel permutationem earum pecuniam, ut læti istic cum suâ familiâ convivari possent, citra indigentiam, tam tribus cæteris annis tertio, sexto, & septimo, quibus nullas ejusmodi decimas habituri essent, quam prædictis quatuor annis. De quo capite actum est hactenus.

Jam porro mandat de provisione faciendâ tum Levitis vers. 27. tum pauperibus vers. 28, 29.

Vers. 27. *Sed Levitam qui erit intra portas tuas ne derelinquito; non enim est ei pars aut possessio tecum.*

b. De

b. *De Levitis* agit verſ. 27. ubi Quid & Cur ei faciendum.

Quid ei faciendum ſit. *Et Levitam, qui in portis tuis eſt, non deſeres eum.* Levita quis ſit, non ignotum eſt. Sic vocantur omnes poſteri Levi, qui tertius filiorum Jacobi, quos Deus omnes & ſingulos, totam illorum tribum aſſumſit in miniſtros ſui tabernaculi, loco primogenitorum in toto populo Iſraelis, quos poſt cultum vituli honore illo excluſit atque iſtâ propinquitate. Horum una familia, Aaronis videlicet ante fuerat aſſumta ad Sacerdotium; de quibus quâ Sacerdotibus ſigillatim agit Deut. 18: 1. &c. qua ratione ſuſtentandi eſſent. Sed quâ Levitæ, hic quoque conſiderantur, Nam ſingulare non hominem hic, ſed tribum notat, & cunctas ejus familias. Quod de eo jubet, eſt, Non deſeres eum. Quid eo jubeatur mox dicemus, dum cauſam explicabimus. Sic Deut. 12: 19. *Cave tibi ne deſeras Levitam omnibus diebus tuis in terra tua*: quamdiu frueris terrâ non ut peregrinus ſed ut poſſeſſor, etiam curabis Levitam, ubi innuitur quoque eadem quæ heic adſcripta eſt.

Ratio, cur non deſerendus, *Nam non habet partem, neque hæreditatem tecum.* Idem dictum legimus Deut. 10: 8. Plenius autem declaratum Num. 18: 20. ad Aaronem, *non hæreditabis in terra ipſorum, neque partem habebis in medio ipſorum, Ego ſum pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſraelis* & ne quis id ſolos ſacerdotes tangere putet verſ. 24. legitur, *dixi Levitis, non hæreditabunt hæreditatem in medio filiorum Iſraelis.* Num. 26: 53, 62. cum à Moſe ultimum recenſerentur XII tribus Iſraelis, quas inter Joſepho duæ erant, ex teſtamento patris Gen. 48: 5. dixit Deus Moſi, *His diſtribuetur terra in hæreditatem, juxta numerum nominum: verum de recenſis Levi, hi non recenſebantur inter filios Iſraelis.* (uti quoque olim id fuerat obſervatum Num. 1: 47.) *quia ipſis non data hæreditas in medio filiorum Iſraelis.* Placuit enim Deo Leviticæ tribui imponere miniſterium tabernaculi, & omnem ejus cuſtodiam, unde cæteri Iſraelitæ arcebantur. Hoc verò munus occupatiſſimos habere poterat, ut vacare non poſſent agriculturæ: quo labore ne diſtraharentur, ipſam occaſionem eis præcidit Deus, & poſſeſſiones eis negavit. Cæteri omnes deſcripti fuerunt ad militiam Num. 1. nempe ſi neceſſitas foret, quia ſtipendiarium militem non habebant: verum non ſemper eſt bellum; imo promiſſa fuit ſecura requies obedientibus. Sed Levitæ adſcripti fuerunt militiæ perpetuæ, quamprimum ætatem triginta annorum attigerant, uſque ad quinquageſimum, ad faciendum opus tabernaculi cap. 4: 3. (à 25 anno tyrocinium imbat cap. 8: 24.) iſta vero militia ſic occupabat; ut vel alia negotia, vel hanc deberent negligere; Valuitque ſpeciatim circa Levitas, non poteſtis Deo ſervire & mammonæ Matt. 6: 24. illud 2 Tim. 2: 4. Et ſane tantum operis ipſis impoſitum, ut vacivi temporis parum eſſet. Non ſolum tabernaculi vaſa ferenda, quoties locum mutabat; ſed & alia Deut. 33: 10. *Docebunt Jacobum jura tua, & Iſraelem legem tuam; ſuffitum ponent coram naſo tuo, & id quod totum comburitur ſuper altari tuo*: iſtud ſacerdotum proprium fuit, quibus tamen miniſtrabant ſæpe Levitæ: illud verò Levitis commune prorſus. Quantum autem laboris ad docendum requiratur, Mal. 2: 7. dicitur. Quomodo autem cuſtodient ſcientiam, qui non acquiſiverunt, & quomodo requirentibus de Lege reſpondebunt, qui ipſimet eam non intelligunt? Legati Domini Zebaoth ſunt, eoque non ſolum miniſterium iſtud habere: debent ab ipſo Legante; ſed etiam verba in miniſterio legationis uſurpanda ab ipſo accepiſſe, atque eopſe, non alia, bonâ fide enunciare. 2 Cor. 1: 18. &c. Quantum laboris hic requiratur ad præparationem, quantum ad legitimam functionem, facile colligitur. Præparationi quidem Deus ipſe quinquennium ſtatuit, Num. 8: 24. ab anno 25. demum inchoandum. Exercitio totam vitam, & hacpropter prohibuit ab iis curam rei familiaris, quam aliis reliquit.

Neque iſtud inſtitutum prorſus alienum eſt à conditione Novi Teſtamenti Paulus illo argumento utitur 2 Tim. 2: 4. *tu bonus miles* &c. de miniſtris Eccleſiæ, quamquam à plurimis negligatur, quorum aliqui magis curant hæreditatem terrenam quam miniſterium; alii non alia de cauſa quærunt miniſterium, quam ut hæreditatem terrenam habeant: magis ſolliciti de reditibus, quam de docendi labore; cui ſi partem Dominici diei impenderint, tota hebdomade mundi non negotiis ſolum, ſed voluptatibus licite ſe vacare rentur. Sed de horum officio alius dabitur dicendi locus.

Occurrendum ſolummodo eſt objectioni quam movent. Si non curemus ipſi res hujus vitæ, fame forſitan nobis familiiſque noſtris pereundum foret; præterquam quod nunc non ſit interdictum habere hæreditatem Eccleſiæ Doctores. Reſp. Licet hunc habere hæreditates; quod Ananiæ & Sapphiræ dicebatur, potuit etiam Barnabæ applicari, qui Doctor fuit, non fuiſſe neceſſarium, ut venderet agrum ſuum & pretium communi ſanctorum uſui ſacraret Act. 4: 37. cap. 5: 4. Et Paulus ſuis manibus ſæpe operatus eſt, σκηνοποιὸς ὢν τῇ τέχνῃ Act. 18: 3. quando vel non potuit vel non voluit alieno ſubſidio cum ſuis ſuſtentari. Neceſſitas vitæ frangit heic legem, Neh. 13: 10. cum Levitarum portiones non darentur, Levitæ & Cantores, qui opus faciebant in Sanctuario, fugerant quiſque in agrum ſuum, ut domus Dei deſerta eſſet. Sic quoque ob non ſoluta ſtipendia domus Dei deſerta eſt non à perſonis miniſtrorum, ſed ab ipſorum ſtudiis, Zelo, vigiliis pro animabus auditorum. Interim monendum cum Paulo 2 Tim. 2: 3, 4. *Tu vero tolera afflictionem ut bonus miles Chriſti, Nemo qui militat*, &c. hæc quoque ſors eſt militiæ ſacræ, ut afflictionem hanc tolerent, quam ut inter nos quoque ferant, pari fere conditione habentur tum profani, tum ſacri milites, ut cum legibus ſuæ vocationis non debeant implicari hujus vitæ negotiis, eoque ex ſtipendiis vivere, iiſque contenti eſſe, vix ullis minora dentur, nullis malignius ſolvantur, ut & illis & iſtis ſæpe ultra annum vel ſeſquiannum merces peracti laboris debeatur, quibus omnis lucri alius occaſio aut illicita eſt, aut præciſa. De quo quis dubitet eos ſuſpirare ad Deum, quam viam ipſis Deus patefecit Deut. 24: 15. neque homines eam ipſis claudere poſſunt; habetque Deus patulas ad audiendum aures Jac. 3: 4. Imo ipſis facentibus, obſervat Deus, & vindicaturus eſt. Mal. 3: 5. *propinquabo ad vos ad judicium & ero teſtis celer* (ne exceptionibus differri poſſe credatur) *contra detinentes per vim mercedem mercenarii, & me non metuentes, inquit Dominus Zebaoth.* Levitas quod attinet, Moſes prævidit quid futurum eſſet, quando in ſua benedictione dixit Deut. 33: verſ. 11. *Benedic D. copiis ejus* &c. Contra *Maledictione maledicti eſtis qui me ſpoliatis* Mal. 3: 9. quod fiebat, quando domeſticis ſuis non præbebatur, quod ipſe herus illis adſignarat. De quo textus mandat, *non deſeres Levitam, quia non habet hæreditatem tecum.* Deus hanc totam vobis cæteris dedit, ſed cum hoc onere legati, ut Levitis proſpiciatis. Eſt verò certi juris, non poſſe frui hæreditate qui legata non vult perſolvere, quod hic deſerere dicitur. Quantum verò illud ſit, quod dandum ne deſeruiſſe dici queat, non permiſit Deus arbitrio uniuscujuſque; ſic ſobrie admodum victitandum, imo ſæpe eſuriendum Levitis fuiſſet; ſed Deus definivit, Num. 28: 21. *Ecce filiis Levi dedi decimam decimarum* &c. *propterea ad ipſos dixi, non hæreditabunt in medio filiorum Iſraelis.* Deus dedit decimas ipſis hæreditatem, non ſecus ac terram cæteris Iſraelitis, ut par jus utriſque ſit in ſuam portionem; quia Levitæ illas habent, non habent hanc. Non conſequuntur tamen ut beneficium ab Iſraele, ſed ut mercedem debitam. cum pro iis faciant, quod facere ipſimet non poſſunt, neque fas eſt. Dant illi non ipſis ſed Deo, cui debet canonem iſtum, unde ſe ſpoliatum dixit à non ſolventibvs. Deus ipſos adſcivit in domeſticos, & aſſignavit ſtipendia ab univerſo Iſraele; qui proinde non Iſraelis, ſed Dei portionem conſequuntur. Quamobrem is dixit ſe ipſis eſſe portionem; Deut. 10: 9. non quod exſpectare ab ipſo debeant miraculoſam ſuſtentationem; ſed quod de ſuo, à ſe ipſis deſtinato eſſent alendi. Fecit autem id Deus liberaliter. Erant decima tertia tribus; quibus $\frac{1}{115}$ terræ ad ſummum potuiſſet cedere imo cum ſtatutum eſſet Num. 26: 54. *multis ampliabis hæreditatem. & paucis eam diminues; unicuique tribui juxta recenſos ſuos dabitur hæreditas*; non potuiſſent conſequi ultra partem quinquageſimam quartam vel quinquageſimam. Nam Iſraelitæ cæteri à 20 annis & ultra cenſi fuerunt 601730; & eodem tempore Levitæ cenſi à menſe & ultra 23000. unde ſi minorennes uſque ad annum vigeſimum demantur, non excedent numerum 11. vel 12 millium, & erit iſta proportio. Deus tamen eis attribuit, decimas omnis proventus, & quidem præparati ad uſum. Quando frumentum trituratum, & muſtum atque oleum expreſſum

erat

erat, demebantur primitiæ, pro ſacerdotibus; tum veniebant Levitæ, ad aream & torcular, accipiebantque decimas de omni acervo. Quippe habebant jus exigendi. Heb. 7: 5. filii Levi mandatum habent decimas accipiendi à populo, à formilibus ſuis, ſecundum legem. Uti lex obligabat Iſraelitas ad ſolvendas, ſic præceptum peculiare autorabat Levitas ad exigendas illas: quæ beneficii & liberalitatis omnem ſpeciem tollunt.

Nec prætereundum quod additur de Levitis, *in portis tuis.* Num. 35. mandavit Deus, *Jube filios Iſrael ut de hæreditate poſſeſſionis ſuæ Levitis dent urbes cum ſuburbiis certâ* menſurâ circumſcriptis, urbes in univerſum 48. ad domicilium, ne quicquam precariò obtinerent; & à tribubus multum terræ habentibus pro ratione ſuæ multitudinis, plures; à minus poſſidentibus pauciores, Levitis dandas dixit, habita ratione hæreditatis cujuſque, quemadmodum factum Joſ. 21. Hoc reſpicit Moſes: Levita in portis erat ille, qui in ipſa tribu urbem ſui domicilii habebat, vel ibi peregrinabatur. Hiſce cedere debuerunt decimæ iſtius tribus; neque licuit Iſraelitis hos præterire & alios ſubſtituere; ſed prout Deus unicuique aſſignarat: qui omnibus proſpexerat, nihil hic relinquens placito Iſraelis. Adeoque videt quivis quam liberaliter fuerit proſpectum Levitis à Deo, magis quam ullis Iſraelitis. Itemque quam æqua ſemper proportione; ſive multum, ſive parum proventus fuiſſet: pariter participabant de benedictione, atque etiam de maledictione publicâ, terræ incumbente, de fertilitate & ſterilitate. Accedit, quod ad nexum cum præcedentibus pertinet, quia Levitæ decimas ſecundas in uſum ſacrorum itinerum non habebant, (nam decimas de ſuis decimis tenebantur dare ſacerdoti, & quidem de optimo Num. 18: 26. &c. reliquum pertinebat ad familiæ ſuſtentationem,) Iſraelitæ in feſtis Levitam ſuarum portarum non debebant deſerere, ſed illi quoque de ſua copia impertiri Deut. 12: 18. &c.

Sed jam quæritur, An hæc Chriſtianos quoque attineant ſub N. T. Reſpond. In genere. Omnia miniſtris Dei ad inſtitutionem ſacram populi debentur alimenta, Chriſtus diſcipulos ſuos, non Levitas, emittens ad docendum, non vult ſibi proſpicere de pecunia, unde vivant; ſed ait *mercenarius dignus eſt ſuo alimento, mercede ſuâ.* Matt. 10: 10. Luc. 10: 7. Non conſequitur beneficium aut eleemoſynam, ſed debitam mercedem. Paulus id multis argumentis oſtendit, 1 Cor. 9: 7. quemadmodum militi debetur ſtipendium; agricolæ cuicunque fructus laboris; ipſimet bovi trituranti portio liberaliſſima, ex Dei præſcripto; ita par eſt multo magis, qui aliis, ſpiritualia ſeminant, ut de ipſorum corporalibus metant, & porro ex hac præſenti conſtitutione de Levitis. Imo vendicat ſibi Apoſtolus poteſtatem quam cæteri uſurpabant, ut ſtipendium acciperet, quâ & alibi uſus eſt, quamvis apud Corinthios gratis prædicaret, & Evangelium ipſis ἀδάπανον ſtatueret, verſ. 12, 18. 2 Cor. 11: 7. &c. propter Pſeudapoſtolos. 1 Tim. 5: 17. *Presbyteri qui bene præſunt duplicis* τιμῆς *mercedis digni habeantur, maxime qui multum laborant in verbo & doctrina,* τιμὴ *pretium, merces* Matt. 27: 6, 9. Act. 4, 5, 7, 19. cap. 1 Cor. 6: 20. cap. 7: 23. Scriptura enim dicit, *non obligabis os bovi trituranti, & dignus eſt operarius, mercede ſua.* In ſpecie, quod proportionem decimarum attinet, fuerunt illæ quidem Leviticæ, ſed tamen ad cerimonias Leviticas nequeunt referri; non magis quam docendi munus, (nam Sacrificia Levitarum non fuerunt,) iis propria eſt docendi merces. Decimæ fuerunt in uſu ante fœdus Sinaiticum, nam Melchizedek non tantum decimas ab Abrahamo accepit, ſed eum decimavit, Hebr. 7: 2, 4, 6. Gen. 14, 20. typus Chriſti, & quid ipſi debeatur: cum in hoc non oppoſitio ſit, ſed ſimilitudo ſacerdotii Melchizedekiani & Levitici: quorum illud & prius, & poſterius eſt Levitico; atque idcirco ad ordinem illius quoque pertineat decimas accipere. Ergo neutiquam vitioſa eſt proportio decimarum: neque peccatum in eo quod Eccleſia Rom. eas conſervarit, atque etiam quædam Eccleſiæ Euangelicæ. Pleræque tamen abrogarunt; quod doctorum reſpectu tolerabile, ſiquidem alio modo ſufficienter proſpiciatur. Quanquam vero illud fieri queat ex anathematis Dei, cujus generis Bona Eccleſiaſtica eſſe nuper oſtendimus, (modo miniſtris domus Dei inde ſolatio fieret, neque ſaltem deterius haberentur, quam qui nihil miniſterii ibidem præſtant) tamen id non liberat obligatione unumquemque privatum, cui Deus largitur quam habet hæreditatem, utpote qui oneri legati iſtius nequit prorſus exemtus eſſe. Gentiles ſumus origine & talibus ſcribit Apoſtolus. Gal. 6: 6. &c. quotuſquiſque vero hoc facit? ſi voluntarium iſtud quis dicat, reſpondet Apoſtolus, hoc eſt ſeminare & metere diſcentium; quorum ſeminare eſt meſſis docentium. 1 Cor. 9: 11. Metere autem poſt eam ſementem, eſt tranquillitas conſcientiæ quod Deo obſequentes fuerint & vita æterna: uti hæc ſequuntur ſementem eleemoſynarum Luc. 16: 9. Addit autem Apoſtolus: **Soo dan terwijle wy tijdt hebben / laet ons goed doen aen alle**; maxime autem domeſticis fidei, ut etiam aliis, inprimis fidei domeſticis & œconomis benefaciamus, & recte: nam illud faciendum, & hoc non omittendum. Nam textus porro mandat.

Verſ. 28. *A fine trium annorum depromito omneis decimas proventus tui provenientis illo anno; & relinques eum intra portas tuas.*

Verſ. 29. *Quem venientes Levitæ (quia non eſt eis pars aut poſſeſſio tecum & peregrini, pupillique, & viduæ qui ſunt intra portas tuas, comedant & ſaturentur, ut benedicat tibi Jehova Deus tuus in omni opere manus tuæ quod facies.*

c. *De pauperibus.* verſ. 28, 29. Sunt hæ decimæ ſecundæ, ſed tertii & ſexti anni. Eæ ſegregabantur uti in quatuor reliquis annis, ſed non deferebantur ad locum ſanctuarii, non mage quam decimæ primæ Levitarum, ſed manebant in portis: deinde non cedebant fundi poſſeſſoribus, quibus hiſce frui non licuit, verum pauperibus qui in portis illis; unde Hebræis decimæ pauperum nominantur. Erant autem pauperes iſti, Levita, tribus illius indigena, quia caret hæreditate, ſi quo caſu forte depauperatus fuerit; & *peregrinus*, potiſſimum legitimus, ſeu proſelytus, itidem carens hæreditate; item *pupillus & vidua*, ſiquidem patris familias morte ad pauperiem fuerint redacti. Hi omnes jus habuerunt veniendi, & has decimas petendi, ut ſibi diſtribuerentur, vel ut inter ſe diſtribuerent. Heic quoque nihil juris relictum fuit poſſeſſori; non licuit inde Eleemoſynas largiri; hæ de ſuo faciendæ erant Deut. 15: 7. aſt decimæ iſtæ non ipſius, ſed pauperum erant, donatione divina: neque convertere in uſum pauperum non ſuarum portarum, extra urbem vel tribum. Clarius id liquet ex Deut. 26: 12. ubi ſolennis, profeſſio coram Deo facienda injungitur, ex præſcripto Dei fuiſſe diſtributas. Porro pauperes iſti debuerunt decimis iſtis fruiſci *in portis ſuis*, & inde ſatiari: nam quo indigebant in feſtis, id quoque ex abundantia aliorum habebant exſpectandum Deut. 12, 12, 18. Ita Deus proſpexit quoque pauperibus, ut quamvis agros non haberent, habereut tamen aliquam meſſis partem ſaltem tertiis quibuſvis annis, titulo proprio, ut nulli hominum, ſed uni Deo eo nomine obſtricti eſſent. Sed de hoc Deut. 26: 12. plura dicuntur, & de ſpontanea liberalitate erga pauperes. Deut. 15. Quare nunc omittimus ſolum meditaturi.

Promiſſionem iſtam ut Dominus Deus tuus te benedicat, in omni opere manus tuæ, quod facies. Non eſt autem ea reſtringenda ad ultimas decimas pauperum; ſed pertinet quoque ad priores tum feſtorum, tum Levitarum. Quod decedere videtur, Deus liberaliſſime compenſabit, ut citra damnum futuri; imo lucrum facturi ſint: ſive futuro proventu, ſive ut reſiduum magis juvet. Nam non de ſolo pane vivit homo, ſed de quovis verbo prodeunte ex ore Dei Deut. 8: 3. Multum avare comparſiſſe non facit ditiorem. Hagg. 1: 5. 2 Chron. 31: 2. Hizkia Levitas admovit rurſum ſuo miniſterio, & juſſit omnes ſubditos adferre portiones Sacerdotum & Levitarum primitias & decimas, ut roborarentur in lege Domini: quod factum eſt, tantaque fuit abundantia, ut ſuperent rex & principes; quibus Azaria Pontifex reſpondit, A quo *cœptum eſt adferri ad domum Domini* &c. Et tamen erant tantum duæ tribus quæ conferrent, Juda & Benjamin; Levitæ vero omnes, cum Jeroboamus jam eos ejecerit ex terra decem tribuum.

Quam

Quum vero tanta foret abundantia ex primitiis & decimis, quanta debuit esse residui pro Israele ipso. Interdictum est ne quis Deum tentet, Deut. 6: 16. verum hic tentari Deus vult & se benedicentem deprehensum iri affirmat. Mal. 3: 10. Tentamus Deum sæpe inobedientia, & experimur justissimum vindicem. Tentemus obedientia, non tantum in hoc, sed in omnibus partibus officii nostri; experiemur benignissimum. Ps. 50: 23.

CAP. XV.

SErvator noster commendaturus amorem proximi Luc. 6: 27. docet eum non tantum esse gratitudinis, sed liberalitatis: non tantum provocatum, sed etiam provocantem: cujus regula sit, *quod vultis homines facere vobis, id facite ipsis*: non solum quod fecerunt ipsi vobis. *Nam si diligatis diligentes vos, & benefaciatis benefacientibus vobis, & commodetis reddituris vobis*; *quæ gratia vobis*; Debiti hic potius solutio est, quam aliquod beneficium; & ipsi peccatores, seu gentiles, (qui peccatores dicuntur Gal. 2: 15.) tantundem faciunt: qui tamen sunt extra politiam Israelis, peregrini à fœderibus promissionis, sine Deo in mundo Eph. 2: 12. Itaque jubet vers. 35. *diligite inimicos vestros* &c. *Estote misericordes, uti Pater vester misericors est.* Amor à vobis incipiat, & incipiat citra spem compensationis, sic gratia vobis erit, & merces magna; sic eritis filii Altissimi, demonstrante istud imitatione: Nam ipse prior benefacit, & ingratis ac malis benefacit; & hujus misericordiam imitari vos decet. Idem est quod Moses heic Israelitis commendat. Sed ut argumentum amoris præmittat, Deut. 14: 1, 2. *Vos estis filii Domini Dei vestri*; *populus sanctus Domino Deo vestro, qui vos elegit in populum peculii.* Hoc axioma poscit vitam dignam Deo, quæ speciatim in beneficia erga non pensaturos ostenditur, quando ipsis benefit; mercede donandâ, non ab ipsis, sed à Deo longe amplissima. Quod argumentum fere unicum est totius hujus capitis. Est autem aptissima cohærentia cum proxime præcedentibus. Quia filii Dei estis, & populus peculii ejus, decimæ vobis rite dispensandæ sunt. I. Ut quando ter quotannis omnes mares veniunt comparituri coram Deo, non desint sumtus, sed sit copia, ad festivalem lætitiam, decimæ secundæ vobis sunt tempestive segregandæ, quas ipsas vel pretium illarum sumatis vobiscum, ut citra solicitudinem ex thesauro illo cum familiis vestris convivemini. II. Ut Levita non deseratur, qui caret possessione terræ ipsi decimæ primæ sunt solvendæ, unde vivat, qui alii ministerio loco ipsorum apud Deum vacare debet. III. Ut qui depauperatus est, cum hæreditatem in terrâ non habeat, uti Levita & peregrinus; vel eam amiserit quoad fructum ejus, pupillus & vidua; consequatur decimas secundas tertio quovis anno; adeoque habeat aliquam quoque messis partem. Sic vero cum mentio facta sit pauperum, quibus decimæ ultimæ destinatæ sunt, porro alia præscribit Moses, quæ pauperes & depauperatos attinent, ubi sic vivendum uti filios Dei decet. Ita duæ sunt hujus capitis partes; I. de pauperibus, II. de primogenitis gregis.

I. *De pauperibus* vers. 1--18. Trimembris est constitutio quatenus dicit vel Obæratos, vel omnium egenos, vel venditos; primi habent aliquid, sed alius, non suum; secundi nihil habent, nec suum nec alienum; tertii ipsimet alius facti sunt. De singulis mandat aliquid quomodo cum iis versandum sit, cum primis vers. 1--6. cum secundis vers. 7--11. cum tertiis vers. 12--18. tandem de primogenitis pecudum aliquid mandat. vers. 19--23.

Vers. 1. *A fine septem annorum facito intermissionem.*

A. *De pauperibus obæratis* agit primo loco, & docet I. quando, II. quid, III. cur faciendum sit.

a. Quando faciendum, vers. 1. ubi descriptio temporis generalior, & quæ commodum aliquod adfert pauperibus antea recensitis, imo expedit difficultatem, quæ ob mandatas decimas diversi generis moveri poterat. *In fine septem annorum facies dimissionem.* Sensus hujus mandati repetendus est ex primâ institutione. Quando Moses ex voluntate populi cæteros articulos fœderis, præter x. illa verba, à Deo auditurus in montem Sinai adscendisset, alios inter etiam hunc accepit, Exod. 23: 10, 11. *Sex annis conseres terram tuam, & colliges proventum ejus: quolibet autem septimo intermittito eam incultam, ut comedant egentes è populo tuo, residuum vero comedant bestiæ agri; sic facito vineæ tuæ & oliveto tuo.* Huc nunc respicit, *in fine septem annorum*, hoc est, anno septimo, *facies dimissionem* quam scilicet olim satis accurate definitam audivistis; nam etiam Lev. 25: 1. de eadem dimissione septimi anni loquitur, prolixe ejus rationem describens. Est ergo hic notandum Septimo anno terram fuisse dimittendam, ut nihil rustici laboris in eo fieret, non arandum, seminandum, metendum; imo neque novellandum, stercorandum, aut quicquam agendum ad præparationem anni sequentis: non putandæ vites, aut arbores frugiferæ aliæ, aut circa illos fodiendum quod ad futuram culturam pertinere queat; neque ullus fructus colligendus in apothecas. Hæc facienda sex prioribus annis, non septimo. Causam interdicti faciunt nonnulli physicam; Ex quo propter hominis peccatum terra maledictioni subjecta est, magno labore & sudore de ea comedendum Gen. 3: 17. & tamen ægre exserit virtutem suam; quæ paulatim deficit, ut quiescere debeat interdum, quo vires rursus quasi colligat. Hinc alibi tertio, alibi quarto anno cultura omittenda; imo tum quoque multo labore subigenda novellando, ut Zizania eruantur, attamen quo diutius cultura continuari potest, eo ager felicior. Sic ergo censent terram Israel septimum annum habuisse, ut sex continuis coli posset. Verum hoc non spectatur. Equidem fertilitas elucet ex continuo sexennio fructuoso; sed non ob defectum illius cessatum septimo. Nam cum alias ultimis culturæ annis parcius & ignobilius reddat semen; hic sextus annus fuit uberrimus. Lev. 25: 20. Et proinde causa mandati alia de quâ post dicemus. Septimo anno saltem non cessatum ob agrorum sterilitatem. Etenim illo ipso anno, citra omnem culturam, quæ prohibita, aliqua erat futura fertilitas; quomodo enim alias de eo comedere possent, quos recenset. Lev. 25: 5. seq. legitur. Abunde ergo edentium est, de illo proventu, qui vel ex granis deciduis in messe, (quam sexto anno adeo copiosam promisit,) vel ex radicibus progerminasset; & quem dedissent vites non putatæ, & arbores non cultæ. Cæterum ut omnes isti admissionem haberent, remotæ fuerunt omnes sepes, & quicquid agrum, vineam, hortum arborum clauderet à peregrinorum accessu, inde ut omnibus æque paterent omnia, quibus omnibus par jus concessum; ipsis quoque bestiis tum domesticis, tum feris. Quod ut observaretur rectius non licuit ulli, cujuscunque conditionis, ex isto proventu unâ vice pro se plus sumere, quam illo die posset absumere, nihil in crastinum seponendum fuit, ne quid aliis præreptum dici posset. Causa mandati hujus reperitur. Lev. 25: 2. &c. *Quum veneritis in terram, quam vobis do terra quiescet Sabbathum Domino. Septimo anno erit terræ Sabbathum Sanctæ quietis, Sabbathum Domino, non seres agrum, nec putabis vineam tuam. Sabbatum Sanctæ quietis erit terræ. Et erit Sabbathum terræ vobis in cibum, omnis proventus ejus.* Nihil hic naturale spectandum, sed præternaturale, & quod gratiæ sit beneficium. Tale enim est Sabbathum. De septimo die, qui ultimus in quavis hebdomade, alias ostendimus quam rationem habeat. *Est dies quietis Domino*, seu *propter Dominum*; ut cum aliis sex diebus juxta legem primævam laborandum cuivis esset, qui labor propter hominis peccatum maledictioni sociatus est, ut molestus sit, sudorem, fatigationem, & consumtionem afferens, Deus septimo die concessit, imo mandavit quietem à labore, iis omnibus qui Euangelium gratiæ audirent; ut quo die Christus in Euangelio patefactus fuisset victor Serpentis, per quem corruptio in mundum venerat, eopse fruerentur privilegio immunitatis à maledictione, inseparabiliter cohærente labori ex Dei instituto, ad hominis convictionem jugem: Ista vero quies agenda Domino, & propter Dominum, in agnitione propter Messiam solum hoc beneficium concessum esse, & ad honorem ejus, cujus beneficium eo die celebratur. Non aliò respicit Sabbathum terræ; nam vocatur Sabbathan, quod sanctam, religioso fine institutam quietem notat: & Sabbathum Domino, ut propter illum eundem Dominum & ad ejus honorem observandum constet. Scilicet, maledicta est terra propter hominem, ut carduum & spinam, noxia proferat;

bona ægre, & multo labore fatigata reddat, Gen. 3: 17. De hoc legimus Rom. 8: 20. *Creatura vanitati ſubjecta eſt, non volens, ſed propter illum qui ſubjecit.* Sed additur, *ſub ſpe creaturam ipſam liberatum iri à ſervitute corruptionis ad libertatem gloriæ filiorum Dei.* Ergo Maledictio illa terræ non eſt perpetua, verum ſpem habet liberationis: quia non ſuâ voluntate & culpâ ſub vanitatem venit; & quod ſperat, eſt vendicatio à ſervitute corruptionis, & libertas gloriæ filiorum Dei, quæ reſpondeat ipſorum gloriæ, qualem olim habuerunt, ſed per & propter peccatum amiſerunt. Felicitas iſta certa quidem eſt, ſed longi temporis; quamobrem Creatura exſerto quaſi collo exſpectat manifeſtationem filiorum Dei. Interim autem ſpem illam Deus foveri voluit in Iſraele, filiis ſuis, & populo peculii ſui. Et quemadmodum ipſis ſignum dedit Sabbathum hebdomadarium, ut vindicias ſuas in Chriſto ſeptimo die promiſſo, ſibi ſecure pollicerentur, imo præguſtarent; ſic quoque dedit Sabbathum annorum, ſeptimum quemque, ut ad ſeptimum diem relationem haberet, & idem beneficium, ejuſdem vindicis ſignificaret, quandoquidem terra fine fidelibus terræ incolis non vindicatur. Septimo illo anno terra Iſraelis immunis quodammodo conſtituebatur à maledictione, ut non eſſet duro labore hominum colenda, ſed ut ſua ſponte ferret fructus bonos, & ferret citra ſervitutem ſpecialem Eccl. 5: 8. uti in ſtatu creationis indiviſim omnibus, hominibus, & brutis; qui ſine ſollicitudine in craſtinum fruerentur communiter benedictione creatoris, amota propter Chriſtum maledictione, & citra mei & tui diſtinctionem ſimul amiciſſime viventes in pari alimento, ſibi à Deo deſtinato, acquieſcerent. Adeoque ſeptimus quiſque annus ex inſtitutione Dei repræſentabat Eccleſiæ Iſraeliticæ conditionem terræ primævam, antequam veniſſet ſub maledictionem, quomodo omnia communia, & citra defectum terra liberaliſſime creaturis terreſtribus cibum definitum exhibebat. Sed inſuper fiduciam faciebat, ſecuturam tandem ejuſmodi conditionem terræ, liberandæ ſuo tempore à maledictione, & ſponte daturæ proventum, communem omnibus redemtis Domini, & citra invidiam promiſcue fruendum. Nam quemadmodum Sabbathum hebdomadarium ſeptimi diei obſignavit exhibendum Meſſiam victorem ſerpentis; ita Sabbathum annorum ſeptimus quiſque obſignavit exhibendam liberationem creaturæ à maledictione, ad conditionem primævam. Ut hîc promiſſam cernerent conſolationem ſuper opere ſuo, & ſuper dolore manuum ſuarum propter terram, quam Dominus maledixerat Gen. 5: 29. Et ſane iſtud crediderunt Judæi fideles olim, qui Euangelium Chriſti reſuſcitati receperunt. Quum ipſum reapſe victorem Serpentis agnoſcerent, demonſtratum per reſurrectionem ex mortuis, in quâ ultimus luctatorum ſuper pulverem ſtetit, Job. 19: 25. putarunt ab illo temporis momento quoque initium ducere complementum Sabbathi annorum, & dimiſſionis terræ; itaque dimiſerunt agros, non amplius eos colituri, & quia inter tot infideles non poterant communes facere ſolis fidelibus, venditorum agrorum pretium communi uſui ſacrarunt. Act. 2: 44. cap. 4: 32. Hinc quoque factum ut nonnulli non alio cibo ſibi deinceps fruendum opinarentur quam qui in ſtatu creationis fuerat conceſſus, videlicet ſolis oleribus Rom. 14: 2. abſtinentes eſu carnium, quia demum poſt diluvium conceſſæ ſunt, & vini potu, quia tunc demum à Noacho uſurpatum legitur. verſ. 21. 1 Cor. 8: 13. Verum errarunt illi in applicatione temporis, quod tunc jam Sabbathum terræ verum incepiſſe crederent, unde infirmos vocat iſtos Paulus, & qui communionem bonorum inſtituerunt, brevi tempore in extremam egeſtatem inciderunt. Quamobrem etiam quæ à nonnullis Anabaptiſtis urgetur vel exercetur, communio bonorum, merito non ſolum infirmitatis arguitur, ſed erroris, quia vel in circumſtantia temporis peccant, vel inſuper in reipſa, cauſam non intelligentes iſtius inſtituti. Sane Paulus Gentibus nihil unquam hujus imperavit, qui totum conſilium Dei ipſis fideliter expoſuit juxta revelationem à Moſe & Prophetis factam: & Petrus diſerte dixit, Ananiæ, hypocritice id imitanti, Agrum non venditum manſurum fuiſſe ipſius, proprium ipſi: & venditi pretium pariter in ipſius fuiſſe poteſtate. Act. 5: 4. Quæ regula nunc quoque valet, veruntamen quod Sabbatho annorum figuratum fuit, ut terra quieſceret vendicata à vanitate, eſt bonum etiamnum exſpectandum. Teſtes ſunt duo illi Apoſtoli Paulus Rom. 8: 22. Deſcribit creaturæ anxiam exſpectationem, quam ἀποκαραδοκίαν dixit. Non vanam utique; quemadmodum non fruſtra gemit & dolores patitur mulier parturiens, prolis certa quam utero geſtat. Attamen non præſentem quia ſperare dixit; ſpes autem non eſt eorum quæ videntur, ſed quæ certo videbuntur, ut cum patientia exſpectetur tempus illud. Et quod hîc potiſſimum attendendum, *Scimus*, inquit; Eſt hæc liberatio creaturæ res notiſſima, extra omnem dubitationem poſita; non tantum quoad Apoſtolum, qui revelationibus excellebat, ſed etiam quoad cæteros fideles; qui juxta cum ipſo de eadem veritate erant perſuaſiſſimi. Petrus Act. 3: 21. *de tempore reſtitutionis omnium*, ἀποκαταστάσεως reſtitutio, ut in integrum reſtituantur, ad primævam perfectionem, non autem eſt abolitio, ut annihilentur. Non ſolum tempora iſtiuſmodi futura dicit, ſed ab *omnibus prophetis inde ab ævo prædicta* & promiſſa, Deo per ipſos loquente. Adeo ut abunde veterum teſtium ſit, qui quod Sabbathum annorum præfiguravit, apertis verbis deſcripſerunt futurum. Et tamen, quod mirandum, noſtro hoc ſeculo plurimi nihil hîc ſciunt; quidam iſtud inficiantur & oppugnant: pauci aliquid, exiguum valde, ſe ſcire autumant: haud alia de cauſa, quam quia prophetas de iis loquentes non intelligimus: niſi Apoſtolos male intellexiſſe dicendum ſit. Equidem Sabbathici anni, & ceſſatio agriculturæ in illis, & communio proventus, exſpectationem veteris Iſraelis aliquo guſtu quoque roborarunt; & meditatio noſtra eandem in nobis debet firmare. Meditatio inquam, ut aliarum cerimoniarum, ita etiam hujus: quandoquidem nos ad eandem annorum periodum adſtricti non ſumus, qui fœdere Decalogi ad ſeptimanarium, mutato tamen die, obligamur. Imo ne quidem Judæi extra Cananæam hac lege tenentur: cum Deus illi terræ hoc privilegium conceſſerit; quod ſi neglectum eſſet, ſe vindicaturum dixit Lev. 26: 34. terram quieturam ſua Sabbatha, toto tempore vaſtitatis; quia habitantibus in ea Iſraelitis obſervata non fuiſſent.

Cæterum hæc dimiſſio terræ plurimum valuit ad docendos Iſraelitas. Fiduciam in Deum; Anno ſeptimo nec ſementis erat, nec meſſis, nihil proventus ſperandum poſſeſſoribus agrorum, adeoque nullæ decimæ vel Levitis, vel pauperibus. Poterat iſta ſollicitudo naſci, quomodo daremus decimas primas Levitis & ſecundas pauperibus anno ſexto, qui tertius à priori: nam ipſimet. Lev. 26: 20. *Quid edemus, anno ſeptimo?* &c. Deus ibi reſpondet de augenda benedictione anni ſexti, ad proportionem triplam, quemadmodum ſexto die duplam portionem mannæ, ne ſollicitudo foret & labor colligendi die ſeptimo. Quomodo & poſſeſſoribus & Levitis, & pauperibus proſpectum erat liberaliter, etiam pro ſeptimo imo & octavo anno. Verum inſuper eopſe anno citra laborem hominum daturus erat proventum ſpontaneum, ut & homines & brutis eſca, ſuppeteret. Magnum promiſſum eſt quod fit Hizkiæ, cum Sanherib vaſtaſſet omnia, in ſignum liberationis conſtantis. 2 Reg. 19: 29. Hoc vere eſt vivere de verbo benedictionis divinæ. Deut. 8: 3. Aliis annis mane ſurgebant, ſero cubitum ibant, & edebant panem dolorum: aſt hoc anno Deus ipſis ceu dilectis ſuis dabat tanquam in ſomno. Pſ. 127: 2. Præterea Æqualitatem, erant magno diſcrimine quoad facultates, alii divites agris, alii deſtituti, ſed ſeptimo anno omnium æquum jus in terra proventus; herus & famulitium, & peregrinus, & pecudes pari loco fuerunt. Quo æſtimante autem? Deo. qui cum terræ dominus foret, ut talis agnoſceretur, ſeptimo anno (quo nihil in eo agebant poſſeſſores, ne quid ſibi laboris ſui ergo arrogarent) de eo diſpoſuit: & ita diſpoſuit, ut pari loco apud ſe eſſe pateret: Omnes filii Dei, eoque omnibus eandem inſtruxit menſam. Nam divitem præ paupere non agnoſcit, cum omnes ſint opus manuum ſuarum Job. 34: 19. Prov. 22: 2. Sic in deſerto eadem manna, iiſdem coturnicibus, eadem aqua ſunt nutriti. Condemnata iſto inſtituto ſuperbia divitum ac potentum in mundo. Tanti pauperimus apud Deum, quam ditiſſimus. Neque nunc deſtituimur aliquo teſtimonio hujus æquationis, Pſ. 145: 15. omnium oculi in te ſperant domine, das eis cibum ſuum ſuo tempore, aperis manum tuam, & ſatias quicquid vivit beneplacito. Quod ſi cibi differentiam quis attendat, eſt unus maxime neceſſarius, & ſine quo nemo vivere poteſt, qui ſimpliciter com-

communis. Aer nempe, quem principes, & mendici eundem hauriunt. Act. 17: 25. Et cum implet corda cibo & lætitia Act. 14: 17. quid poteſt liberalius dare? quas dapes crebrius reperias in menſa plebejorum, quam divitum quos avaritia & vitæ ſolicitudo jugiter exercent, & vitam faciunt inquietam, ut in riſu medio habeant dolorem.

Verſ. 2. *Hoc autem eſto jus intermiſſionis, intermittito omnis creditor jus habens vindicandi manu ſua, id quod vindicaturus eſſet à proximo ſuo: ne exigito à proximo ſuo & à fratre ſuo, quum indicta fuerit intermiſſio Jehovæ.*

1. *Quid* faciendum, quatenus ſpeciatim pauperes hic attenduntur, verſ. 2. dicitur. Et hoc eſt negotium, ratio dimiſſionis. De dimiſſione anni ſeptimi in Exodo & Levitico leges ſcriptæ ſunt, ſed de hoc, quod nunc ſcribit, nihil omninò. Dimittendos dixit agros, ne colerentur, ſed non debitores. De Jubileo quædam habet hujus generis; ſed non applicabilia anno ſeptimo, quod quinquageſimi anni duntaxat iſta ſint. Eſt ergò ſtatutum prorſus novum, quod hactenus non propoſuit; quare verba prima ſic reddenda ſunt, Etiam hoc eſt negotium dimiſſionis, quæ anno ſeptimo imperata. Præter eam quæ agrorum, eſt quoque debitorum. Quorum remittendorum tempus ex verſ. 1. petendum; à fine ſeptem annorum; intelligunt nonnulli de fine anni ſeptimi; qui exactionem illo durante permittunt, finito prorſus vetitam ſtatuunt. Sed non dicitur *à fine ſeptimi anni*; ſed *à fine ſeptem annorum*; qui ſeptimus annus; uti Deut. 14: 28. *à fine trium annorum*, eſt *tertio anno*. Quin Eccleſia Judaica ſociat utramque dimiſſionem agrorum & debitorum, quando ſe ad obſervationem fœdere peculiari obſtringit. Neh. 10: 31.

Statutum ipſum proponitur: *quivis Creditor* &c. Habemus hic Perſonam obligatam ad hoc officium, tum illam cui hic obſtrictus dicitur, & tandem officium ipſum & ejus obligationem. I. *Perſona obligata* eſt *Creditor*, Vocatur בעל משה ידו *dominus, proprietarius, commodati manus ſuæ*. Agitur de pecunia credita, quæ manu traditur; quod de domo vel agro dici non poteſt. Et quæ credentis propria ſit, ut ipſe ſit dominus ejus. Aliena pecunia nequit remitti, unde depoſitum non fit depoſitarii, neque perit deponenti, aut proprietario. אשר ישה *qui commodato dedit*, ut quod ſuum erat ceſſerit in poteſtatem alius manente proprietate creditori; ne donum quis putet quod illico alienatur, & fit proprium donati. II. *Perſona cui* obſtringitur, eſt *Proximus ipſius*: cujus deſcriptio ſpecialior ſequetur. III. *Officium* eſt *Dimiſſio*, R. Sal. conjungit cum ידו, dimittere *manum ſuam* debet. Quemadmodum dimittendus ager ut ab eo non exigatur proventus ceu debitus. Labore circa illum exercito, ita quoque dimittendus debitor, ut ab eo non exigatur debitum. Quod clarius deſcribitur, *Non exiget à proximo, vel fratre ſuo*: ut ſolutionem ab eo poſcat ſive ipſemet, ſive autoritate judicii. Obligatio autem obſtringens, *nam vocavit, proclamavit*, nempe Magiſtratus, *Remiſſionem Domino, vel propter Dominum*.

Obligationem hanc preſſius ſpectemus. Proclamans fuit Magiſtratus; qui ſicut Jubileum, ita quoque Sabbathicum annum publicavit, ne quis ignorantiam aut oblivionem poſſet prætendere. Remiſſionem tum agrorum, tum ſpeciatim hanc debitorum, & quod potiſſimum, Domino. Sic de Sabbatho loqui ſolet Scriptura; & ſic dimiſſionem agrorum, deſcriptam audivimus Lev. 25: 3. &c. ſed nunc etiam ad debita refertur. Scil. quemadmodum Chriſti beneficium in illis attenditur, ſic in hoc quoque officio. Dimiſſionem promulgat dies Victoriæ Chriſti publicatæ, ut magnus ille Creditor Deus dimittat debita. Venit Chriſtus ut proclamet libertatem captivis, ut proclamet annum beneplaciti Domini, diemque ultionis Dei noſtri, ad conſolandum omnes triſtes Eſa. 61: 12. Etenim hæc eſt publicatio per Evangelium, Deum in Chriſto ſibi mundum reconciliaſſe, non imputando illis offenſas ipſorum; feciſſe illum qui non norat peccatum, peccatum pro nobis, ut nos eſſemus juſtitia Dei in ipſo; quæ gratia Dei, publicantis vindictam in Chriſto exercitam & dimiſſionem in nobis, non fruſtra excipienda; cum ſit tempus beneplaciti, dies ſalutis 2 Cor. 5: 19, 21. cap. 6: 1. Publicatâ Chriſti triumphantis in cœlis gloriâ ſimul compunctis corde & ſollicitis ob ſuos reatus annunciatur ut reſipiſcant, & baptizentur in nomen Domini Jeſu ad remiſſionem peccatorum Act. 2: 37, 38. Verum hæc publicata dimiſſio ſimul etiam monet dimiſſionis noſtræ. Eph. 4: 32. Publicata dimiſſio de cœlo, poſcit dimiſſionem in terra à nobis exercendam.

Attamen Dimiſſionem iſtam non ſimpliciter mandat, verum cum reſtrictione I. quoad perſonas debentes, II. quoad tempus durantis obligationis.

Verſ. 3. *Ab alienigena exiges: ſed ab eo quod erit tibi apud fratrem tuum intermitito manum tuam.*

2. *Perſonæ debentes* verſ. 4. deſcribuntur. Verſu antecedente nominavit *proximum ſuum*; deinde *proximum ſuum & fratrem ſuum*. Atque hæc vocabula generaliter quemvis hominem notant. Sic proximum intelligendum docet Servator, quando de dilectione ejus ſermo eſt Luc. 10: 20. &c. & Ægyptii eo nomine veniunt Exod. 11: 2. Fratres etiam dici poſſunt, qui unius patris Adami ſunt filii. Sed Deus ſtrictiorem ſenſum heic valere vult; nam excludit *Alienum*, qui fratrum ordine non continetur, ſub quo tamen proximus quoque comprehenditur, Itaque *Peregrinus* eſt qui in terra peregrina, non Iſraeliticâ ortum & habitationem habet; itemque qui Peregrino Deo addictus vivit. Frater verò qui Iſraelem familiæ autorem habet, aliquis de tribubus tredecim. *Proximus* qui habitationis ac religionis ſocietatem habet. Alieni ſunt politiæ Iſraelis exſortes, & peregrini à fœderibus promiſſionis, ſine Chriſto, ſine ſpe, ſine Deo in mundo. Eph. 2: 12. *Fratres* ſunt filii Dei, & proximi ſunt domeſtici Dei, illi nati cives, hi adſciti. Diſcrimen circa hos ſtatuitur, Alienus jure ſtricto tractandus; ab iſto exiges, ſervato tramite juris, ut vel ipſe poſcas ſolutionem, vel per magiſtratum poſci cures, ut conſequaris quod tuum eſt, ejus uſibus aliquamdiu conceſſum. Verum frater & proximus ab exactione liber erit: *remittes manum tuam*, non autem extendes ut tuo jure uſus ab ipſo accipias. Cauſa diſcriminis dicta eſt, Proclamata eſt dimiſſio Domino, propter Dominum. Quicunque alieni ſunt à Chriſto ejuſque Eccleſia, excluduntur beneficiis Eccleſiæ, quæ iis tribuenda, qui ad ejus ſocietatem pertinent. Annus remiſſionis proclamatur non omnibus nationibus, ſed ſoli Iſraeli, propter Dominum. Uti huic ſoli datum fuit Sabbathum jure privilegii Ezek. 20: 12. Neh. 9: 14. ſignum divinæ ſanctificationis quam Deus fœderatus ei dedit, quod ſegregaret ipſum & jumenta ejus à maledictione ſociatâ labori, ad convictionem: Sic quoque ſoli Iſraeli proclamatus annus remiſſionis, imperatæ à Deo, ut terræ vindicias videret à vanitate & ſervitute corruptionis ad gloriæ filiorum Dei libertatem: quæ gloria ſolis filiis Dei deſtinata, ab ipſis ſolis ſperanda, & idcirco ab ipſis ſolis in pio guſtu fruenda eſt.

Verum quæ ab ipſis tunc exercenda remiſſio debitorum, quæ itidem proclamanda propter Dominum, ſeu Domino, pariter ad filios Dei, & domeſticos Dei reſtringenda eſt. Excludere autem licet Alienos, ut ejuſdem cum fratribus beneficii ſocietatem & fruitionem non conſequantur. Diſtinctionem iſtam obſervat Deus, 1 Tim. 4: 10. ſervator eſt omnium hominum, maxime vero fidelium; & obſervanda nobis Gal. 6: 10. dum tempus habemus, benefaciamus omnibus, maxime domeſticis fidei. De Domeſticis docet Chriſtus in parabola Matt. 18: 23. &c. Rex cum ſervis ſuis rationes iniens, non tantum longanimitate utitur erga ſervum qui myriadem talentorum debebat, quod unum petebat, ſed intimâ miſericordiâ affectus totum debitum ei remittit. Sic non agit cum Extraneis; erga illos exercet divitias longanimitatis, tolerantiæ, benignitatis, Rom. 2: 4. ſed divitias miſericordiæ ex amore ſingulari profectas, ſolis ſervat liberis Eph. 2: 4. Rom. 9: 22, 23. Ita quoque ſervus miſereri debuiſſet erga conſervum, & ei remittere debitum exiguum centum denariorum. Si ab extraneo rigide exegiſſet, caruiſſet culpâ; ſed conſervo extorquere velle, id crimen habuit, quo meruit ut in conditionem extranei redigeretur, ad rigidam exactionem,

donec ultimus quadrans fuiſſet ſolutus Matt. 5: 26. Unde epiphonema, *Sic Pater meus cæleſtis faciet vobis ſiquidem non remiſeritis ex toto corde unuſquiſque fratri ſuo peccata ipſius.* Matt. 6: 9, 12. &c. Qui Deum invocant Patrem ſuum, illi precantur *Remitte nobis* &c. intelliguntur debitores fratres; quemadmodum Petrus intelligit, *quoties condonabo fratri meo, contra me peccanti* Matt. 18: 21. & Chriſtus Luc. 17: 3. &c. *Si frater contra te peccaverit, redargue eum, & ſi pœnituerit ipſum, remitte illi.* Neque aliud dicitur, Eph. 4: 32. &c. *Dilexit Chriſtus Eccleſiam* &c. Sic vero extraneos non dilexit; Joh. 17: 9, 19. Dicitur quidem generaliter Matt. 6: 14. &c. Sed Homines hic notat religione fratres & proximos, (oppoſitum enim eſt ethnicus & publicanus Matt. 18: 17.) quemadmodum de fraterna offenſione loquitur. Matt. 5: 23. &c. Oblatione non expiatur debitum proprium illi, qui debitum proximi non remiſit. Aſt Extraneo religione idem præſtare non neceſſarium. Equidem non eſt præceptum, *Exiges ab extraneo*, uti nonnulli Hebræorum volunt, ut peccet qui non exigit; verum abſolvit à crimine facientem. Quanquam poſſit eſſe crimen non exigere; ſiquidem non ipſemet quis faciat (quippe propria vindicta reatum habet, & pœnam meretur, quia involat in jus Dei & magiſtratus, ſeque judicem conſtituit;) ſed judici ſummo, Deo commendet exactionem. 1 Pet. 2: 22. Cujus preces ad ultionem impetrandam fuerunt vehementiſſimæ Pſ. 69. & 109. Rogavit tamen Chriſtus pro crucifigentibus ſe Luc. 23: 44. quia norat eſſe ex illis quos Deus ſibi dederat redimendos; & quamvis adhuc longe eſſent, & extranei, tamen norat eſſe de ovibus ſuis, adducendos ad caulam ſuam, & gregi ſuo ſociandos. Joh. 10: 16. Sic quoque ſe res habet quoad nos. Matt. 9: 44. *diligite inimicos veſtros, benedicite maledicentibus vobis, benefacite odio vos habentibus & precamini pro iis qui vobis vim faciunt, & vos perſequuntur, ut filii ſitis Patris veſtri qui in cœlis eſt*, &c. Qui vobis ſunt infeſti, non ſunt pari modo excipiendi, quod propriæ vindictæ foret; imo benefaciendum illis, qui alieni cum ſint poſſunt fieri domeſtici & concives. Verùm quatenus extranei ſunt, alienati per intelligentiam malorum operum Col. 1: 21. & hoſtes Dei, profecto non ſunt amandi, neque in hoc opere juvandi, ut iis remittatur, & pax promittatur dum ambulant in reatibus ſuis: quos ipſe Deus conciſurus eſt Pſ. 68: 22. Chriſtus ait, Luc. 19: 27. *Hoſtes illos meos, cives alias, qui noluerunt ut ſuper ſe regnarem, adducite & occidite coram facie mea*; & Deut. 29: 19. &c. Tunc verò valet, *An non odiſſem oſores tuos? Odi eos odio perfecto*, &c. Contra 2 Chron. 19: 2. *an juvares impium, & oſores Domini diligeres?* Etenim Gen. 3: 15. Ex quo Evangelium gratiæ publicatum eſt, genus humanum in contrarias partes ſciſſum fuit, quibuſdam ſecedentibus ab obſequio ſerpentis ad ſemen mulieris, hoſtem ejus, tandem glorioſe triumphaturum; plurimis in obedientia & amore perſeverantibus; atque inter iſtas partes, non minus quam inter duces irreconciliabilis inimicitia, à Deo fundata eſt. Heic jam amare, juvare, obedire hoſtibus, transfugæ eſt aperti vel occulti proditoris: quique non alio loco cenſendus quam hoſtis & extraneus.

Nobis ergò hinc diſcendum quomodo cum hominibus verſandum ſit. Aliter agendum cum fratribus, horum tolerandæ infirmitates, condonandi lapſus, & quicquid contra nos admittunt: quod ſi alienum quis ſe oſtendat reſpectu Dei, ut veritati, ut pietati adverſetur, tum verò non condonandum. Uti non licet Dei vindictam exercere privato, ſic neque Dei miſericordiam & condonationem cuiquam uſurpare licet. Remittendum debitum tuum, non Dei; qui diſpenſationem gratiæ ſibi propriam ſervavit. Quod vero Apoſtolis dictum, *ſi remiſeritis alicujus peccata, remiſſa illi erunt; & ſi retinueritis retenta ſunt.* Joh. 20: 23. eſt tantum poteſtas miniſterialis, & ſub conditione, quando pronunciant agnoſcentibus & gratiam poſtulantibus, remiſſionem peccatorum datam eſſe; qui ſi non recte agnoviſſe & poſtulaſſe deprehendantur, quando ad eadem peccata redeunt, & illis ſerviunt, cum voluptate, reatum incumbere rurſum denunciatur. Hæc eſt hujus mandati ſignificatio, & ſpirituale ejus, ad quod etiam nos obligamur. Cujus remiſſionis mandata & adhortationes complures. Convincere autem heic debent argumenta in textu, quæ duo ſunt. Reſpectu Dei, Proclamata eſt Domino Remiſſio. Publicat ille per Evangelium tum ſuam erga te cæteroſque liberos & domeſticos ſuos, tum tuam erga fratres & proximos: ab eadem autoritate fluit utrunque beneficium: ſi audis promittentem tibi, audiendus quoque tibi mandans: neque minus promtus eſſe debes ad faciendum officium, quam ad apprehendendum beneficium. Si amas & probas Dei liberalitatem, Deumque celebras; abi & fac ſimiliter, teque amabilem & laudandum præbe propter iſtam imitationem, imo tibi ipſi para teſtimonium conſcientiæ de tua filiatione, dum Dei imitator es. Reſpectu ejus cui dimittis. Frater eſt, vel ſaltem proximus, concivis ſanctorum & domeſticus Dei. Viſcera miſericordiæ, & σοφὴ hîc vigere debet. Membra ejuſdem corporis uti phyſici, ſic politici non decet mutuum luctari; & ſibi vendicare quod alterum habet neceſſarium ad ſui ſuſtentationem; furor eſt ſi manus, ſi dentes cutem detrahant aliis membris, ſic hîc foret, Rom. 13: 8. *nemini quicquam debete, præter mutuum amorem*: cujus teſtimonia etiam exigere fas eſt: debita offenſarum privatarum condonanda ſunt, quia fratrum, qui ejuſdem corporis, & ejuſdem hæreditatis conſortes erunt; unde tandem rependetur auctiori gloria beatitudinis, quo ſimiliores Deo fuerunt in exercitio miſericordiæ, citra defectum tamen alterius, quia eſt hæreditas ſanctorum in luce, quam omnes pariter habent fruendam; quamquam aliquis pluribus, alius paucioribus & anguſtioribus feneſtris eam recipiat. Col. 1: 12.

Verum Iſraelitis Remiſſio debiti pecuniarii fuit facienda erga fratres. Voluit Deus externum remiſſionis exemplum ſtatuere ad confirmationem ſpiritualis; quemadmodum externam dabat, dando incrementum fructuum cum laborem remiſiſſet agriculturæ, ut ſpiritualis daret aliquod ſignum ſenſibile. Atque hic excluſi Extranei. Scl. ſignorum divinorum jus non eſt, neque id concedendum iis, quibus Deus gratiam ſuam negat. Extraneis non proclamavit Deus remiſſionem agrorum propter Dominum, ut maledictione par Meſſiam ſolverentur, itaque nec ipſis remiſſio danda, fidem iſtius beneficii roborans. Signa ſacra nequeunt convenire iis, quos ſignata non attinent. Panis & poculum Domini iis non communicanda, qui Domini mortem annunciare non poſſunt, non volunt. Quomodo enim ederent & biberent de iſtis ſymbolis ad remiſſionem peccatorum, qui nihil norunt, nihil credunt de remiſſione peccatorum per Chriſti mortem ſibi impetrata? Alienus *qui* propinquaverit ad ſancta morietur, frequens denunciatio eſt in Lege. Sic alienus hic edit & bibit ſibi ipſi judicium. Non adſidendum in nuptiis illi qui caret veſte nuptiali, non dapibus iſte fruitur, quæ filiis thalami, nuptialibus paratæ, ſed quæ debentur extraneis, ut conſtrictus ejiciatur in tenebras exteriores, ubi fletus & ſtridor dentium Matt. 22: 11. &c. Studeamus eſſe liberi & domeſtici Dei, & panis liberorum nobis quoque debebitur, ad quem canes jus non habent. Matt. 15: 26.

Cæterum quando Remiſſio debitorum fratribus facienda mandatur, citra exactionem, ut intelligatur, obſervandum quouſque ſe extendat. Ubi ſi vocem attendamus, quæ dimiſſionem agri denotat, & temporis notationem, ſolummodo durante anno ſeptimo, veriſimile eſt remiſſionem debitorum non eſſe intelligendam niſi de intermiſſa exactione anno ſeptimo, ut quemadmodum non exigebatur proventus ab agro, ſic neque exigeretur debitum à debitore eodem anno: Sed ut debitum ipſum maneret; ſequentibus annis licite repoſcendum, quemadmodum ſeqq. annis licite redibant ad agrorum culturam. Ita tantum inducias annuas lucratus eſſet debitor: quod ſane magnum fuit commodum, debitorem eſſe & compellari non poſſe. Fuitque repræſentatio conditionis fidelium illo tempore, quotquot fide Chriſtum amplexi erant. Debitores erant Deo, ſed quia Evangelium remiſſionis audiverant: & crediderant, immunes erant ab exactione divina, quæ dilatio obſignabatur ſabbathici anni imperata debitorum remiſſione. Num. 23: 21. non intuetur iniquitatem in Jacob, neque videt peccatum in Iſrael: Dominus Deus ejus cum ipſo eſt, & clangor regis apud ipſum eſt. Aderant iniquitas & peccatum, ſed Deus non videbat, ſcl. ad exigendam ſolutionem, ob gratiam fœderis, reſpectu Dei, & ob Evangelium Meſſiæ creditum, reſpectu piorum. Remiſſio abſoluta facta eſt poſt ſatisfactionem Chriſti, Heb. 9: 15. Media-

diator ille eſt Novi Teſtamenti Rom. 3: 25. &c. Hæc tolerantia obſignabatur remiſſione iſtâ, quali ſigno non indigemus nos. Demonſtrata enim eſt juſtitia Dei in placamento ſanguinis Chriſti, præſenti tempore, ut ſit ipſe juſtus &c. In Veteri Teſtamento præceſſit debitum ſolutionem; in N. præceſſit ſolutio debitum: & fides veterum fuit ſperandi boni heic, noſtra eſt non viſi, ſed præſtiti. Qui tamen olim hoc beneficio exactionis dilatæ carebant, habuere conſcientiam trepidantem, uti debitor qui in ſingula momenta exactorem exſpectat: quod optatur deſperate impiis Pſ. 109: 11. Pſ. 55: 16. Matt. 5: 26. quod quia non poteſt, æternum carcerem conſequitur.

Hebræi abſolutam debitorum remiſſionem hic mandatam putant, ut nulla ſequatur debiti ſolutio; & hacpropter varias conditiones habent, quibus circumſcribatur hoc officium. Dicunt ergo exigere debitum non licet creditori; ſed debitori non eſt prohibita ſolutio ſpontanea. Licet & paciſci de debito poſt decennium ſolvendo, & ſabbathicus annus non dat remiſſionem; uti neque quando fundus in hypothecam datus eſt; ſed pignus mobilium bonorum remiſſionem non impedit. Si quis ante Sabbathicum annum Magiſtratui exactionem commiſerit, eam Magiſtratus remittere non poteſt: qui cum ſit pater pupillorum, horum debita ſub remiſſionem non cadunt. Hæc ſimiliaque ſtatuta eo pertinent, ne mutuum omne negaretur, cujus certa foret amiſſio. Sed alia ratio ſuppeditatur membro proximo.

Verſ. 4. *Tantum quia per te non debet eſſe egens; cum omnino benedicturus ſit tibi Jehova in ea terra quam Jehova Deus tuus dat tibi in poſſeſſionem, ut hæreditario jure poſſideas eam.*

Verſ. 5. *Si tamen diligenter auſcultaveris voci Jehovæ Dei tui; obſervans ut facias totum præceptum hoc quod ego præcipio tibi hodie.*

Verſ. 6. *Nam Jehova Deus tuus benedicit tibi quemadmodum loquutus fuerat tibi: adeo ut poteris mutuare gentibus multis, & tu non habebis opus mutuari, & poteris dominari in gentes multas, neque in te dominaturæ ſunt.*

b. *Tempus* durantis obligationis verſ. 4. *præterquam quando non eſt egenus in te.* אפס כי *præterquam quando* &c. quando hoc fiet, non opus ut dimittas manum; ſed quamdiu id non fit, remittenda eſt. Sic nulla eſt pugna hujus verſus cum verſ. 7. & 11. Si remiſſio fiat, non propterea ceſſabit pauper; cum pauperes ſint qui nullum creditum numerum habent, ex eleemoſynis ſuſtentandi. Non ergo finis remiſſionis iſtius indicatur, verum terminus obligationis. Unde colligimus reſtrictionem; Non loquitur Moſes de quovis debito pecuniario. Ita contrarium contingeret ejus quod Legiſlator intendit; non conſuleretur pauperibus, ſed tenuiores ad extremam perniciem redigerentur; neque exerceretur miſericordia, ſed violenta oppreſſio. Qui plurimum debitorum habent, ſunt divites', qui mutuam ſumunt pecuniam, ut hæreditates augeant, agrum agro, domum domui jungant; aut ut faſtum vitæ ſequantur & tueantur. Hi facile traherent ſolutionem in annum ſeptimum, & tunc ejus privilegio ſe exſolverent omni ære alieno, ad creditorum perniciem & egeſtatem. Sed aliud dicitur; non remittendum, quando non eſt pauper: Ergo qui non pauperes ſed divites & ſolvendo, non debetur eis remiſſio: ſolis pauperibus & extremè indigis debetur, ut remiſſio iſta ſolicitudine liberet durante anno gratiæ. Pauperibus conſulitur remiſſione agrorum Exod. 23: 11. & iiſdem remiſſione debitorum. Atque hoc eſt quod Chriſtus inculcat, Luc. 6: 35. *benefacite & mutuum date, nihil inde ſperantes*; quæ ſpes circa egenos decollat, non circa opulentos, reddere idoneos; & merces veſtra erit magna, uti ſeqq. confirmant.

Occurrit objectionibus, quas movere potuiſſent. Si remiſſio facienda, niſi cum non eſt egenus; quando igitur obligationis finis erit? Reſp. *Quando benedicendo benedicet tibi Dominus in terra* &c. *Benedictio Dei ditat.* Prov. 10: 22. & hæc ſi generaliter fuerit conceſſa, non erit egenus, ſed omnes ditati: qui mutuari non cogantur neque fieri debitores aliorum. Tempore Salomonis, proximi fuerunt illi conditioni, quando argentum Hieroſolymæ fuit ut lapides in abundantia 1 Reg. 10: 27.

Rurſum quærentibus, quando tanta benedictio obtinget? Reſp. verſ. 5. *tantummodo cum audiendo audiveris* &c. Obedientiæ præmium iſtud erit: quemadmodum creberrime dictum hoc libro: nam pietas promiſſiones habet etiam præſentis vitæ 1 Tim. 4: 8. Docent Lev. 26. & Deut. 28. longo catalogo bonorum obſequentibus Deo tribuendorum, & exempla evincunt, quotieſcunque ſub piis regibus publice obtemperatum fuit Deo, multiplicata fuit Dei benedictio.

Sed heic promiſſio certior ſpecialiorque adſcribitur verſ. 6. Certitudo eſt: Nam *Dominus Deus tuus benedixit tibi, uti locutus tibi eſt.* ברכך in præterito. Jam mandavit benedictioni, ut obſervantibus viam Dei ſuperveniat; non eſt quod demum anxie ſollicitetur: habet benedictio Dei commiſſionem, quam domum ingredi, apud quem debeat commorari. Et quemadmodum maledictio Dei novit invenire domum furis, & perjuri, & ſedem ibi figere, Zach. 5: 4. ſic non minus benedictio Dei novit invenire domum timentis Deum. Pſ. 42: 9. Certiſſimum ergò eſt bonum iſtud ſpeciale; *& pignorabis multas gentes, ſed non accipies mutuum dato pignore.* Non erit mutuo dandum fratribus, ſed extraneis, illi abundabunt, ut non egeant credita pecuniâ; ſed iſti indigebunt, non pauci, ſed plurimi, totæ nationes & tunc. Dominaberis gentibus multis, ſed tibi non dominabuntur, juxta Prov. 22: 7. *dives dominatur pauperi, & mutuum ſumens eſt ſervus dantis mutuum.* Sic Pſal. 37: 21. Profectò hæc benedictio fuit aliquando Belgii, ea fuit opulentia, ut Regibus principibuſque commodare potuerit, & hinc quoque dominium, ut ſæpiſſime belli paciſque arbitrium habuerit in ſua poteſtate. Sed hæc gloria periit; quia defecit pietas & obſequium voluntatis divinæ. Non opus id verbis demonſtrare, cum rerum teſtimonia adſint. Si unquam reſtitui optamus, tantummodo audiendo audienda voluntas Dei & facienda. Si porro male faciamus, non audiendo vocem Domini, ſed rebellando ori ejus, Domini manus contra nos erit & peribimus ſubito: ſin ei ſerviamus fideliter toto corde, non deſeret nos, ſed bene dicet, facietque nos benedictionem in medio terræ, & tandem conſtituet hæredes cœleſtis hæreditatis, & felicitatis æternæ.

Miſericordiam volo & non ſacrificium, Hoſ. 6: 6. hoc eſt, magis quam ſacrificium, inquit Deus. Etenim ubi deeſt miſericordia, contrario ejus, immiſericordiâ, dominante, ſacrificium offertur idolis. Et quî placeret ſacrificium, conjunctum cum ſacrificio idolis oblato. Quantopere indignatus fuit Deus, quod in templo ſuo colerentur idola, Ezek. 8. Matt. 6: 24. Atqui hoc facit immiſericors, avarus; eſt ille idololatra Eph. 5: 5. & avaritia idololatria Col. 3: 5. *ſacrificans reti ſuo, & ſuffiens ſagenæ ſuæ*, Hab. 1: 16. Non colit Deum, qui non miſeretur pauperum. Prov. 17: 5. Hacpropter Moſes religionis leges præſcribens multus fuit in imperanda & comendanda miſericordia, ut egenis ſuccurreretur. Præter decimas ſecundas tertio quoque culturæ anno pauperibus aſſignatas, in fine cap. 14. quarum ſolutionem debebant agrorum poſſeſſores: Inſuper mandavit ut privilegium ſeptimi anni pauperibus concederetur cap. 15: 1, 2. quod geminum facit, Remiſſionem agrorum, ne colerentur, ne in proventu ejus ſibi proprium quid vendicarent poſſeſſores, ſed ut illum haberent pari jure pauperes; imo majore, quia carebant theſauro domeſtico. Remiſſionem debitorum, ut æris alieni illo anno non foret exactio, quo pauperes citra ſolicitudinem poſſent vivere. In iſtis liberalitatis fuit determinatio à Deo, neque ipſorum arbitrio quicquam relictum. Verum nunc præſcribit liberalitatem aliam, quæ tamen ab ipſorummet voluntate modum accipiebat majorem minoremve. Iſtic pauperes lege Dei poterant agere ad definitam ſummam; totas decimas anni tertii ſecundas, communem proventum anni ſeptimi poſcere poterant pauperes, & exactioni debitorum exceptionem Remiſſionis divinæ opponere. Hic vero ſpectanda fuit benignitas, quam quantamque vellent exercere. Officium prioribus quadantenus gravius; Illa fuerunt vel tertii anni, vel ſeptimi: at hoc non agnoſcit periodum annorum, imo neque menſium aut hebdomadum, ut tempore inter-

medio obligatione vacet quis; ſed eſt quotidianum, perpetuum citra intermiſſionem: nunquam intempeſtivum ſollicitari à paupere, vel exerceri ab eo qui quod eroget habet.

Verſ. 7. *Si fuerit apud te egens quiſpiam è fratribus tuis intra aliquam è portis tuis, in terra tua quam Iehova Deus tuus dat tibi; ne obfirmato animum tuum, neque occludito manum tuam adverſus fratrem tuum qui egens ſit.*

Verſ. 8. *Sed liberaliter aperito manum tuam ei, & liberaliter mutuato ei quantum ſatis eſt indigentiæ ejus, id cujus indiget.*

B. *Pauperes* de quibus agit, ſunt ſecundi ordinis, qui nihil habent, nec ſuum, nec alienum. Præſcribit autem officium verſ. 7, 8. & ejus exercitium perſuadere nititur. verſ. 9, 10, 11.

K. *Officium* præſcribit, indicando I. objectum, II. agentem, III. actum vitandum, verſ. 7. faciendum, verſ. 8.

a. *Objectum* eſt, verſ. 7. *quando fuerit apud te* &c. Tria heic notat, quæ ſingula etiam cauſas exhibent exercendæ benignitatis. Erga quem benignitatem hanc vult exerceri, in genere eſt pauper. אביון *Egenus* dicitur à deſiderando, qui aliquid avet habere. Non tamen eo ſenſu, quod quicunque cupidus eſt, debeat donari. Sic enim nemo plus conſequi, hinc deberet quam avarus, cujus cupiditas eſt inſatiabilis. Dicuntur qui volunt diteſcere 1 Tim. 6:9. Hab. 2:5. qui cupiunt agros & domos. Mich 2:2. quo jungant, ut ſoli ſint poſſeſſores in terrâ Eſa. 5:8. Ἀυτάρκεια raro apud divites habitat, Eccl. 5:9. Sed hi non intelliguntur. Prov. 22:16. Nam qui amant dona divites, uti non implentur, ita exhauriunt donantes, & abſorbent ut mare flumina; nullas autem emittunt aquas niſi in æſtu, ſed quas in refluxu pari majorive menſura recipiant, vel in exundatione, quæ ad damnum eſt, prodigalitate quæ depopulatur tum corpora tum animas eorum quibus videtur benefacere, ingurgitando; ſed non auget opes niſi vento favoris promiſſi. Egenus hic eſt pauper, qui vere pauper eſt, & deſiderat, quod non habet, alioqui non deſideraturus: apud quem defectus eſt rerum neceſſariarum ad vitam corporalem; nudus aut deſtitutus alimento quotidiano, aut aliis preſſus malis, quibus depellendis impar eſt, quia non habet quod omnibus reſpondet & æquivalet argentum. Matt. 25:35. mala iſta enarrantur, fames, ſitis, nuditas, morbus, peregrinitas, carcer. Suntque majora pro patientis ipſius conditione, qui firmioris corporis & animi, vel infirmioris, ſolus aut cum ſociis, uxore liberiſque. Sed requiritur notitia defectus iſtius. Nam ſi quis neſciat indigentiam alicujus, nequit ſuccurrere egeſtati ejus, & quod facit non eſt liberalitatis de quâ hic agitur, verum uti unus alteri benefacit, 1 Joh. 3:17. ſi quis (bonum hujus mundi habet. &) videt fratrem ſuum indigentem (& claudit cor ſuum ipſi, quomodo amor Dei in ipſo manet) Job. 31:19. & verſ. 16. Egeſtas cognita, quocunque indicio, ſive proprio, ſive alieno; (nam pudor ſilenter tolerat extrema quandoque,) eſt prima cauſa in objecto, & quæ ei denominationem dat; Egenus, & qui defectum habet; non quemvis ſed qui vitæ damnoſus, Lev. 25:35. &c. *ut viuat tecum*, vel *ut ſit ei vita tecum*: quæ alioqui eſſet peritura.

Alia cauſa eſt proximitas generis, *Si fuerit apud te egenus, unus fratrum tuorum.* Iſraelita, qui cognati tum quoad carnem, tum quoad religionem. Illud 1 Tim. 5:4,8. Ἀσεβεία hæc eſt, & naturaliter abeſt, niſi in iis qui eximii in malitia Rom. 1:31. aut ſuperſtitione infatuati, Matt. 15:5. Marc. 7:11, 12. Iſtud Gal. 6:10. Eſt hoc vinculum neceſſitudinis æque validum. Act. 4. v. 32. &c. Collectæ illæ inter gentiles Eccleſias, pro Hieroſolymitanis ſanctis fiebant ob fidei conſortium, Rom. 15. 1 Cor. 16.

Alia adhuc eſt vicinitas *habitationis*, *in aliqua portarum tuarum in terra tua*, Quomodo extenditur etiam ad alios, iſtic peregrinantes. Lev. 25:35. Sic mandarat de decimis pauperum; *qui in portis tuis*, Deut. 14:29. nam in ordine beneficii antecedunt fratres carnis & fidei, cæteros pauperes urbis & viciniæ; & hi antecedunt aliarum urbium pauperes: quibuſcum tamen aliqua cognatio deprehenditur. Eſa. 58:7. famelico impertiendus panis, pauper fugatus recipiendus in domum, ſi videatur nudus tegendus eſt, neque quis ſe abſcondat à carne ſuâ. Ex uno ſanguine fecit Deus totum genus humanum Act. 17:26. & caro pauperum eſt ut caro cæterorum Neh. 5:5. qui pariter filii Adami, eodem diſtantes gradu: membra ejuſdem corporis politici vel ſaltem univerſi hujus, quos unus Deus eodem modo homines naſci fecit. Hi ſunt objectum. [Fuerunt &c. pertinet,]

2. *Agens* circa illud eſt, verſ. 7. quivis Iſraelita; in urbibus *terræ tuæ quam Dominus Deus tibi dat.* Qui non tantum eſt in terra, ſed ejus partem aliquam datam ſibi à Deo poſſidet. Levitæ hanc non habebant, ſed ſolummodo locum domicilii Deut. 14:27, 29. ſimiliter pauperes in terra manebant, inf. verſ. 11. ſed nihil ejus poſſidebant, alienatâ hæreditate ob egeſtatem, vel ob peregrinitatem nunquam poſſeſſa vel poſſidenda. Qui vero datam à Deo poſſidebant, hi obligantur ad dandum. Nam cui nihil eſt, nihil daret poteſt. Sie 1 Joh. 3:17. Igitur quicunque habet aliquid bonorum hujus mundi, erogare debet. Non tantum qui multum ſed etiam qui parum poſſidet. 2 Cor. 8:14. **u overvloet zp om haar gebzek te verbullen.** Non tamen ſic iſtud intelligendum, quaſi nihil dare neceſſum eſſet, niſi quod redundat: quomodo avaris nihil unquam ſupererit; ſed redundantia æſtimanda non ratione cupiditatis, ſed ratione neceſſitatis. Neceſſitas autem definitur 1 Tim. 6:6. &c. *pietas eſt lucrum magnum cum αὐτάρκεια: nam nil intulimus in mundum, & manifeſtum nos inde nihil elaturos: quando ergo habemus alimenta & tegumenta, iis contenti ſimus.* In lucro deputanda, quæ non intulimus, nec efferemus, quia noſtra non ſunt; Alimenta & tegumenta iſtiuſmodi ſunt, quæ tamen neceſſaria; & hæc lucratum eſſe ſufficit, & debemus eſſe contenti illis. Quod vero redundat, eſt materia liberalitatis. Unde Johannes Luc. 3:11. ad multitudinem communiter ait, cum ſciſcitarentur *quid faciemus? Qui habet duas tunicas impertiat non habenti, & qui habet eſcas ſimiliter faciat.* uti Job. 31:27. De Macedonibus teſtatur Paulus 2 Cor. 8:2. *Paupertas quæ ad Fundum uſque eos exhauſerat, redundavit in copioſam benignitatem ipſorum.* Paupertatis magnæ exceptione non ſunt uſi, ne quid darent, ſed ea non obſtante ſic dederunt, ut divites viderentur, non quoad ſcopum ſuum ut jactarent ſe, ſed quoad ſenſum pauperum. Sic vidua illa Luc. 21:1. ſeq. cum divites dona ſua injicerent in gazophylacium, (quod pauperibus deſtinatum erat ad eleemoſynas ſervandas; nam ad templi ſtructuram & cultum mulieres non tenebantur conferre medium ſiclum, ſed ſoli mares,) etiam vidua paupercula duo λεπτὰ injecit: de qua Chriſtus dixit, plus omnibus dediſſe; Liberalitatis iſta fuit excellentia, non tamen neceſſitas. 2 Cor. 8:13. nam non imperatur largitio, ut alii habeant *relaxationem*, & dantes *oppreſſionem*; ſed ut ſit æqualitas, nemine defectu laborante. Hinc in dando obſervanda proportio, pro modo facultatum. Non omnia poſcuntur: Quod vellent voluntarii illi pauperes in Papatu, monachi & moniales; ut alii tota patrimonia in ſe effunderent, vere Devoratores domorum & agrorum uti olim Phariſæi Matt. 23:14. quo ipſi luxuriari queant, ſuper omnes mundi divites. Qui dum ſua cœnobiis donant, in iiſdem & ſuis aliorum donis laute fruuntur. Prov. 5: verſ. 15. &c. Fontis poſſeſſio ſervanda, & rivi communicandi; alioqui ne rivi quidem communicari amplius poterunt.

Cæterum quæ ſit proportio, quis modus, in Scriptura definitum non eſt. Hebræi dicunt, non excedendam partem quintam facultatum. Sed id non valet de Cananæa, ubi non licuit alienare hæreditates fundorum, niſi ob egeſtatem poſſidentis; non ergò ad ſublevandam egeſtatem alienam: itaque reſtringendum eſt ad reditus agrorum aut laboris. Exemplum tamen Zachæi longius proceſſit Luc. 19:8. qui coram Chriſto hoſpite ſuo profeſſus eſt, Domine, medium bonorum meorum do pauperibus. Dicet quis forte, fuit publicanus, qui multa injuſte corraſit, & inde fuit liberalis. Sed non ita ſe res habet, addit: *& ſi aliquid cuiquam per fraudem alienavi quadruplum reddo.* Eleemoſynæ ejus mediam habuerunt legitimi lucri partem Sed neque hinc regulam conficere poſſumus. Dandum uti res exigit, & ut nemo ſe putet excuſatum; cum etiam qui manu victum quærunt, obligentur, Eph. 4:28. *qui furatus*

tus &c. ſi quem paupertas fecit furari, abſtineat deinceps & ſtudeat edere de labore manus ſuæ panem proprium; & eam adhibeat diligentiam, ut etiam habeat unde pauperibus largiri queat. Quod ſi hi tenentur, multo magis quibus liberalius accreſcunt opes. [Fuerunt autem qui hoc præceptum ſolum in Cananæâ valere putarunt, quia & verſ. 7. & verſ. 11. fit mentio portarum tuarum in terrâ tuâ. Sed iidem ſtatuunt extra Cananæam quoque obſervandum eſſe, ne obliviſcantur quando in terram redierint. Alii tamen exponunt, in terra tua, hoc eſt etiam in terra tua, adeoque & extra eam eleemoſynas deberi, in quovis loco, quia reſpicit debitum corporis, & ad ejus ſuſtentationem pertinet.

Porro eſt heic impulſiva ad dandam eleemoſynam à conditione agentis, ſeu dantis. Deus ipſi dat terram, unde habet facultates, etiam ſic uſurpandas. In omnibus quæ poſſidet, donum Dei agnoſcendum eſt, & quid ni de dono iſto ſit liberalis erga alios? 1 Chron. 29: 14. &c. de liberali contributione ad ſtructuram templi dicit David ad Deum, *omnia tua ſunt, & à manu tua, & nos damus tibi è manu tuâ*; ſic quoque circa eleemoſynas, Dantur à Dei manu; hic prior dedit, unde dare quid poſſumus. Et hujus donationis exemplum ad imitationem provocare debet, Pſ. 62: 11. quando opes accreverint, ut proventus agri, ne apponite cor. Cum Deus det robur ad faciendum robur Deut. 8: 18. æquiſſimum eſt ut roboremus alios, quibus tantundem conceſſum non eſt. Matt. 10: 8. gratis accepiſtis, gratis date, quod dicitur de Apoſtolis & illorum inſtitutione, heic quoque locum habet. Datum vobis eſt à Deo, Date viciſſim pauperibus.

2. *Actus* eſt tum vetitus, tum imperatus.

a. *Vetitus* actus verſ. 7. *non obſirmabis cor tuum, neque claudes manum tuam à fratre tuo, egeno illo.* Geminum vitium notat, quod utrunque cavendum.

a. Cordis duritiei voluntaria. *Non obſirmabis cor tuum.* Cor hominis naturaliter molle eſt ad intuitum calamitatis alienæ. Sunt viſcera miſericordiæ, & ea commoventur ejuſmodi objecto, maxime ſi ea relatio, ut ſit frater, & illa miſeria ut ſit egenus. Sed ſunt quidam qui cor ſuum adeo obdurant, ut miſerrimo ſpectaculo non commoveantur ad ſympathiam. Cujuſmodi ſæpe milites, qui ſubinde miſereri neſciunt, ingenioſi ad omnis generis calamitates excogitandas, quibus alios affligant, & perdant: imo fuit qui gloriaretur de tali corde immiſericorde. Hoc eſt quod prohibetur 1 Joh. 3: 17. Id Avarorum eſt Eſa. 32. v. 5. &c. Exemplum in Sacerdote & Levita tranſeuntibus vulneratum à latronibus Luc. 10: 31. &c. In Nabale, qui Davidi negavit ſubſidium 1 Sam. 25: 10. &c. Et in illis omnibus, qui pauperibus nihil amoris & affectus deferunt: non tacti fractura Joſephi, ut aliquid vel voti pro ipſis habeant, dummodo ſuam curent cuticulam Amoſ. 6: 6. Luc. 16: 19. &c. Fieri autem ſolet ex contemtu pauperum, & ſuperbo faſtu, & inprimis ex avaritia Eſa. 25: 5. Hæc habet cor durum, quod vix ſibi quid tribuit, multo minus egeno. Nam non habent facultatem Eccl. 6: 2. inde commedendi, potius deglutire volentes ea quæ alterius etiam pauperis, quia minor reſiſtentia hic metuenda, quam ut aliquid eis ſuppeditet. Contra ergo debet eſſe cor molle, quod moveri illico queat. Nam ex corde procedunt actiones: illud eſt fons liberalitatis, qui ſi clauſus ſit, ſi exaruerit, ne gutta quidem inde derivabitur ad alios. Col. 3: 12. Pſ. 41: 2. beatus qui intelligenter agit erga pauperem: quod utique agnitionem & æſtimationem facit ejus miſeriæ, qualem fieri oportet, proinde etiam voluntatem habet juvandi. Quotieſcunque Chriſtus ſic affectus fuit erga miſeros, promtiſſimus fuit ad ſuccurrendum. Cor non obfirmatum, unde exulat frigus omnia indurans, ceu aquam congelatam, diffluit calore amoris, ad deſiderium juvandi. Hæc eſt laudata illa voluntas; 2 Cor. 8: 11. de qua cap. 9: 7. ut Macedones cap. 8: 3. Hinc æſtimatur liberalitas verſ. 12. Deus intuetur cor, & judicat prout cor novit. Lætitia cordis benefacientis, facit eleemoſynam cordialem. Rom. 12: 8.

b. Clauſa manus, ut nihil eroget, ſed omnia ſibi retineat. Nunquam hæc deeſt, ubi cor obfirmatum eſt. Verum ſubinde hoc mollitiem præ ſe fert, & tamen manus manet clauſa, Jac. 2: 15. &c. qui fratri aut ſorori nudis & carentibus quotidiano alimento dicat, *Abite in pace caleſcite & ſatiamini*, ſed eis non præbeat neceſſitates corporis. Miſerentur iſti ob calamitates aliorum, & optant omnia neceſſaria, ſed nihil ipſi conferunt: adeoque revera non juvant. 1 Joh. 3: 18. *ne diligamus ſermone, vel linguâ, ſed facto ipſo & veritate.* Promtitudinem ac ad volendum ſequi debet *complementum* 2 Cor. 8: 11. Manus ſit aperta ad erogandum. Pſ. 37: 21. & Pſ. 112: 9. & 2 Cor. 9: 9. Prov. 21: 9. nulla hic invidia, quæ malus oculus dicitur Matt. 20: 14. ſed communicabilitas, ut impertiatur de ſuo; Eſa. 58: 10. Rom. 12: 14. eadem deſcriptio objecti; fratris, & egeni.

b. *Imperatus* verſ. 8. non tantum actus liberalitatis, de quo dictum ex oppoſito; apertio manus, quomodo Dei liberalitas deſcribitur, Pſ. 104: 28. aperis manum tuam, ſatiabuntur bono, & 145: 16. *aperis manum tuam, & ſatias quicquid vivit, beneplacito*: hæc promtitudo voluntatis, & quibus id præſtat ſunt indigi; *omnium oculi in te ſperant* & te exſpectant, ſed inſuper frequentia & feſtinatio, & amplitudo largitionis. Huc ſpectat verborum geminatio, *aperiendo aperies*, & *commodando commodabis*. Amplitudo, *benedicendo benedicam*, uberrime, Gen. 22: 17. Non parce dandum, 2 Cor. 9. *Qui ſeminat parce etiam parce metet, & qui ſeminat in benedictione etiam in benedictione metet.* Hoſ. 10: 12. in eleemoſynis ſeminans, metit ad ampliorem beneficentiam. Feſtinatio, repetita ſomnia Pharaonis celeritatem indicant eventus Gen. 41: 32. Non eſt procraſtinandum, Prov. 3: 28. Bis dat qui cito dat; Prov. 16: 12. & verſ. 19. Differre famelicum & nudum eſt miſeriam ejus non levare, nedum tollere, ſed augere. *Frequentia.* Sæpius agendum ratione temporis Eccl. 11: 6. *ſemen hunc ſemina mane, nec veſperi abſtrahe manum tuam* & ratione perſonarum Luc. 6: 30. Aqua multitudinem notat indiſtinctam. Eccl. 11: v. 1, 2. *da partem ſeptenis, imò octonis.* &c. Mich. 5: 5. Septenarius numerus pro multitudine, ſeptiesremittere, ſepties vindicare; ſed hic inſuper additur octavus, ut certo numero non contineri pateat. Adhæc ſæpius iiſdem, uti peccanti condonandum, ſic egenti donandum, etiam importune poſcenti, ut qui nocturno tempore petenti panes ſuppeditat Luc. 11: 5. &c. Rurſum pro conditione egentis, tum *aperiendo aperies*, tum *commodando commodabis*; petenti donum, donabis; mutuum, mutuo dabis. Si quem neceſſitas jubet petere ſimpliciter dandum; ſi tanta egeſtas non ſit, vel ſic pudeat accipere, mutuo dandum ſine pignore vel ſub eo. Nam & hoc pertinet ad largitionem, Pſ. 37: 21. *juſtus miſeretur & dat.* verſ 26. *tota die miſeretur & commodat.* Pſ. 112: 4. *ſpargit & dat egenis*, & verſ. 5. *miſeretur & commodato dat, Res ſuas juſtè exſequitur.* ut convenienter cujuſque conditioni agat. Quo facit quoque, extremum, *ſatis pro egeſtate.* Non omnium egenorum eadem eſt ratio. Aliter agendum fuit cum mendico oſtiatim circum eunte; aliter cum Davide, regio genero, & duce copiarum, & poſt rege; unde ſubſidia Abigailis, 1 Sam. 25: 18. & Barzillai, Sobi, Machiris 2 Sam. 17: 27. & ab ipſo Achis exceptus fuit. 1 Sam. 27.

Heic jam examinandum foret, quomodo hæc inter nos fiant. An pauperibus genuinis, à poſſeſſoribus donorum Dei, rite fuerit datum? Profecto invenietur multus defectus, omni ex parte; quamquam nec deſint, qui ad hanc regulam ſtudeant largiri. Sed proxima uberiorem præbebunt materiam. Itaque nunc tantum commendanda dictorum memoria, & monitum Chriſti, *ſi hæc noſtis, beati eritis ſi feceritis* Joh. 13: 17. & quod dixit Phariſæo poſt deſcriptam Samaritani benignitatem, *Abi & fac ſimiliter* Luc. 10: 37. 2 Cor. 9: 11.

Verſ. 9. *Cave tibi ne ſit quicquam in animo tuo nequam, ut dicas, appropinquat annus ille ſeptimus, annus remiſſionis, & malignus ſit oculus tuus in fratrem tuum qui egens eſt, ita ut non des ei, idcircò inclamet contra te Iehovam, & ſit in te peccatum.*

Eccl. 11: 1, 2. *Projice panem tuum ſuper aquam, invenies enim poſt dies multos.* Sic quoque Eſa. 32: 20. *beate vobis qui ſeminatis ſuper omnes aquas, & eo dimittitis pedem*

bovis

bovis & asini, ut semen terræ lutulentæ infigant, cum rastrum trahere istic non queatis. Metaphorica locutio est, à moribus Ægypti deducta; istic post exundationem Nili, quando agri obtecti aquis, sementis fit. Ea perdita videtur; quid enim crescat in aquâ, ubi semen corrumpitur & putrescit: sed post multos dies reperiet illud, quando in abundantissimam segetem surgit, redditque messem amplissimam. Sic agendum de eleemosynâ. Tametsi pauperes sint instar aquæ vel quoad multitudinem, vel quoad indignitatem, vel quoad inutilitatem, ut nihil sperandum appareat, dandum tamen est & liberaliter dandum; & fiet, ut quod abjectum videtur, post longum tempus, præter exspectationem, uberrimæ messis instar ad te redeat, ac perditum inveniatur. Igitur fructus magnus est eleemosynæ. *Da partem septenis etiam octonis*, &c. Nullo certo numero coërce tuam liberalitatem, ut nolis illum excedere, sed donatis septem etiam octo alii tibi donati dimittantur, ut neminem dimittas sine reali solamine, nescis enim quid mali futurum sit in terra, & hac propter ubique tibi parandi amici, ut quæcumque sors obtingat, & quocunque ejiciaris, alicubi reperias qui te recipiant & sustentent. Igitur multum incommodi avertit eleemosyna. vers. 6. *Semina semen tuum mane, nec vespero cohibe manum tuam* &c. Quovis tempore exercenda beneficentia; non omnis peribit; aliqua saltem cedet commodo: forte etiam omnis, & nihil erit pœnitendum. Simillima argumenta habet Moses, quibus ad liberalitatem erga egenos urget. 2. Hactenus mandata præscripsit beneficentiæ, decimas secundas anni tertii culturæ; remissionem anni septimi, quoad agriculturam, & quoad exactionem debitorum; quotidianas eleemosynas. Verum nunc mandata roborat, I. tergiversantes terrendo, II. liberales animando. III. necessitatem repræsentando.

a. *Tergiversantes* terret vers. 9. ubi

a. Tergiversantium *descriptio*, quoad cogitationes cordis, sermones oris, & factum operis: quæ omnia cavenda dicit; utpote tergiversationis effecta & testimonia.

a. Cogitationes cordis. *Cave tibi ne sit in corde tuo aliquid impium.* *Cor* & *caro* sunt anima & corpus Ps. 73: 26. & 84: 3. Cor sedes constituitur in Scriptura cogitationum: notat autem non viscus illud in pectore, sed animam ipsam, Etenim hujus sunt cogitationes. Prov. 19: 21. *in corde hominis sunt multæ cogitationes.* Neque in eo vitium est. Cor non potest non cogitare; sed cogitationes pravæ vitium habent, idque vitio cordis pravi. Matt. 15: 19. Malæ enim arboris non possunt esse nisi mali fructus; quæ conditio hominum post lapsum, ante diluvium Gen. 6: 5. & post illud Gen. 8: 21. Uti fons scaturit aquas, sic solet cor malitiam edere. Verum contra laborandum est. Jer. 4: 14. ut quia cavere nequimus quominus cogitationes vanitatis vel iniquitatis subinde in corde sint, attamen non patiamur ibi morari & domicilium figere; sed si in eo nascantur, non secus ac Ismael inde ejiciantur, ne jus sibi connatum putent: sin aliunde veniant, non secus ac insanum fatuumve Achis excludi domo jussit, arceantur. Verum hic longe sollicitius cavendum, ob enormitatem vitii, *Ne sit in corde tuo verbum seu res Belial.* Vocabulum hoc infame est in Scriptura, significat sive inutilem, sive indomitum: diciturque de hominibus **een deugniet / ofte ontembli**. Profligatè impii Jud. 19: 22. cap. 20: 13. 2 Sam. 23: 6. incorrigibiles, 1 Sam. 2: 12. rebelles magistratibus 1 Sam. 10: 27. 2 Sam. 20: 1. 2 Chron. 13: 7. Sollicitatores ad idololatriam Deut. 13: 13. falsi testes 1 Reg. 21: 10. ebria mulier 1 Sam. 1: 16. κατ' ἐξοχὴν Diabolus 2 Cor. 6: 15. De Rebus. tentationes & persecutiones graves dicuntur *torrentes Belial*, Ps. 18: 5. sic sceleratissima consilia, crimina (Ps. 101: 3. *non ponam verbum Belial coram oculis meis; odi factum declinantium*) & Ps. 41: 9. *res Belial adhæret ipsi, & qui decumbit, non surget iterum.* Hoc sensu hic sumitur. Cogitationes immisericordiæ, quæ eleemosynas & beneficentiam erga pauperes Fratres cohibent, sunt res Belial. Quidam mollissime, inutilis, ut nihil redundet ad pauperum sustentationem. Jac. 2: 16. immisericordes describit, qui cognita nuditate & alimenti defectu in fratribus, vota quidem largiuntur, sed non præbent necessitates corporis; additque *quæ hæc utilitas est?* Verum non satis illud est; rectè redditur **een Duyvels stuk**. Sic Johannes interpretatur 1 Joh. 3: 10. &c. *quisquis justitiam non facit, non est ex Deo*, & qui suum fratrem non diligit: adeoque vi oppositionis est ex Diabolo, vers. 17. Immisericordia omnis mala est; sed quæ contra fratres, religionis professione, pessima est. Habet ea testimonium viperinæ progeniei, & serpentini seminis, profecta ex inimicitia contra semen mulieris. Nulla communio est Christi & Belial; ut Belialis instinctus sit, hostis Dei maximi, Deo & Christo adversari; etsi non externâ violentiâ, ut Leo vel Draco, saltem tectâ fraude, ut serpens dolosus. Quamvis enim non apertum bellum geratur, tantundem tamen agitur; ut si quis vim non inferat armis, impediat autem ne alter alimenta consequatur, Lam. 4: 9. Matt. 25: 41. &c. damnantur ad consortium pœnarum cum Diabolo & angelis ejus, qui misericordiam erga fratres Christi non exercuissent, succurrendo illis in necessitatibus corporis; quia sic quoque Diabolo militarunt in Christo persequendo. Et sane cogitationes de non succurrendo fratribus (de quibus hic potissimum agitur, cum mox privilegium Israeliticum septimi anni memoretur,) Deum autorem non habent; neque consistunt cum dilectione erga Deum & Christum. Qui enim Christum diligit, nequit odisse qui Christi sunt, in quibus Christus vivit, & de quibus profitetur non tam pauperes illos, quam se consequi. Prov. 14. vers. 31. Annon hoc magnum argumentum ut ipsas cogitationes immisericordiæ corde emoveamus? Jud. 5. vers. 15. cum manus auxilium, afferendum esset fratribus, ut vindicarentur à servitute hostium, *in partibus magnæ erant imaginationes cordis.* Initio magnæ resolutiones, חקקי לב; ad primam miseriæ alienæ notitiam ex naturæ communis instinctu magna viscerum est commotio, ut omnia videantur effundenda: sed mox residet ille motus, sedetur, & audiuntur balatus ovium, & solum curatur quod ad gregum suorum incolumitatem pertineat & incrementum: & hæ sunt magnæ *cordis investigationes*, חקרי לב. Tam multa magnaque occurrunt cogitanti, ut nihil omnino sequatur. Nah. 1: 11. Istud dicere licet de cogitationibus avaritiæ. Et quid ni dicatur, cogitatio Diabolica; cum Judas Diabolus dicatur, quia avarus; & diabolus in ipsum ingressus, quando lucri gratia Christum vendidit. Sed an facies cor tuum templum Diaboli, quod Deo sacratum esse oportuit? Nabal fuit vir Belial, desperatæ Esa. 33: 5. stultitiæ, qui negavit subsidium egenti Davidi 1 Sam. 23: 25. & quis velit Nabali similis censeri? quamobrem quisquis hisce cogitationibus hactenus audientiam tribuit, eas deinceps ejiciat animo. Prov. 6: 18. Prov. 4: 23. Ps. 101: 4. Roget Dominum ex Ps. 119: 36. *inclina cor meum ad tua testimonia, & non ad avaritiam* quam qui sequuntur audiunt quidem sed non faciunt verba Dei per prophetas dicta Ezek. 33: 31. Induenda viscera misericordiæ Col. 3: 12. & meditanda quæ eam persuadeant, ut quod dicitur Nah. 1: 15. Belialis verbum non amplius per nos transeat, sed prorsus exstirpetur.

β. Sermones oris. *Dicendo, propinquat annus septimus, annus remissionis.* Matt. 14: 34. *viperina progenies quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? nam ex plenitudine cordis loquitur os.* Quales cogitationes Belialis in corde habitent, eructat os, quod patrocinatur. Apparet autem hæc non tantum respicere versus duos proximos, sed etiam priores, qui de anno septimo agunt; quin & extremo cap. præcedentis, ubi de decimis pauperum mandatur. Habent autem exceptiones varias, quibus se roborant contra pauperum sublevationem. Decimæ pauperum tertio quovis anno erant solvendæ, & mox dicitur de anno septimo, qui attingebat tertium alterum, & ab illo argumentum sumitur non solvendarum decimarum istarum illo anno. *Proximus est annus septimus, annus remissionis;* proventus agri spontaneus pauperum potissimum est; quare jam anno sexto haberent decimas? duobus annis continuis? Ordinavit Deus decimas illis tertio quoque anno, adeo ut plures annos det possessoribus & cultoribus agrorum: itaque continui anni eis non debentur, & sextus annus nobis debet manere: quia septimus proximus est, qui ipsorum est fere in solidum. Rursum: proximus est annus septimus remissionis, Deus in illo largam fecit eleemosynam, de nostris agris: habent illius anni proventum. Ergo hoc instante nobis licet esse parcioribus; nam non sunt cumulandæ eleemosynæ, quas prudentius servamus tempori magis oportuno. Rursum: Proximus est annus septimus, remis-

remiſſionis, etiam debitorum, ut exigere nil liceat, non conſultum eſt, quicquam nunc ei mutuum præ manu dare: abjeciſſe iſtud videri poteſt, & rem familiarem prodigere velle. Sic ratiocinia ſunt ad defendendam tenacitatem; neque enim quiſquam profiteri vult turpitudinem ſuam; ſunt tegumenta pudoris, & colores quibus pingatur vitium.

Sunt ejuſmodi exceptiones plurimæ. Nabalis familiariſſima 1 Sam. 25: 11. Spoliabone familiam meam neceſſaria proviſione in hyemem, & ignotis dabo, de quibus neſcio ſintne digni vel indigni? Alia eſt Prov. 3:28. qui ſemper differt, quod alienare nolit. Fons vero omnium abuſus regulæ ſanctiſſimæ, *Diliges proximum ſicut teipſum*: adeoque à te incipit dilectio; quæ ſi foret, tribuendo aliquid proximo, utique non alia erit, tribuendo ſibi, & legitima hæc, quæ ordinis prioritatem habet. Sed perverſio eſt regulæ, cujus interpretationem aliam dedit Chriſtus. Matt. 7: 12. Quin ipſa regulæ verba contrariantur illi patrocinio, *Diliges proximum ſicut teipſum*, neque enim tunc licet ſoli tibi ſervare, ſed etiam proximo impertiendum, ut ſimilitudo ſit: 2 Cor. 8. quemadmodum Job. 31: 17. & Eſa. 58: 7. Monet Salomo avaros, *mitte ratiocinia tua*, ut inveniantur rationes, quibus quis ſemetipſum decipiat, & animæ ſuæ perſuadeat peccatum. Eccl. 5: 4. De loquentibus ejuſmodi dicitur, Eſa. 3: 9. *væ ipſis, male faciunt ſibi.* Patrocinium mali faciendi pejus eſt quam facti; hoc pudor dictat, illud malitia: facti confeſſionem agnitæ culpæ declinatur; faciendi, ipſam culpæ notionem exſtinguere laborat: facti, conſcientiæ vulnus tegit; faciendi, cauterizat conſcientiam, ne quid ſentire queat. Caveamus abuti hoc modo noſtro ſermone, & Deum rogemus. Pſ. 141: 3. &c. *cuſtodiam pone ori meo & inclina cor meum* &c. **In godlooshept te handelen.** Linguæ cuſtodia optime ſuccedit, quando cor avertitur à malo, & tum quoque ſequetur operis integritas.

γ. *Factum operis. Et malus ſit oculus tuus erga fratrem tuum egenum illum, & nihil ei des.* Duo ſunt mala; I. invidia. Malus oculus hanc notat Matt. 20: 15. talis eſt avari Prov. 28: 22. & cap. 23: 6. *Malus oculus* in extrema fame eſt, quando invident ſibi conjuges carnes liberorum, Deut. 28: 54, 56. Eſt mali cordis fructus Marc. 7: 22. Prov. 28: 22. Hæc invidia prohibet liberalitatem. Prov. 27: 20. oculi hominis non ſatiantur, non ſecus ac ſepulchrum & perditio. Eccl. 4: 8. avari oculus non ſatiatur divitiis: ſibi deeſſe credit omnia, & propterea invidet aliis fruitionem, quaſi tantum ſibi decedat. Hinc ſequitur II. retentio omnium, ut nihil detur. Dixit hoc verſ. 7. *claudere manum*, ne quid inde elabatur, vel eximi queat, quomodo alter nihil conſequitur, quamquam ille ſit, quod etiam ante dictum, frater tuus, religione potiſſimum, qui ejuſdem hæreditatis jus habent, & egenus, qui caret viliorib⁹, quæ terrena ſunt, Jac. 2: 5. Hæredes regni cœleſtis non eſſent vilipendendi; qui licet ad tempus indigeant, tandem poſſidebunt maxima. Et divites ſunt fide: quibus externa ſubſidia deſunt, magis fidei exercendo habent oportunitatem, quæ etiam in eo cernitur quod promiſſioni Dei nitantur; qui ipſis proſpexit apud alios: Pſal. 14. Hoc cavendum neque tergiverſandum. Prov. 22: 7. oculus bonus habet apertam pro pauperibus manum, & conſequitur benedictionem. Contra malus oculus clauſam tenet manum, & obtinet maledictionem.

b. Terror adſcribitur, *Et clamet contra te ad Dominum, & ſit in te reatus.* Proceſſus juris contra ſe movebitur. Quam calamitoſum ſit in foro litem habere, notiſſimum eſt. Mulier Sunamitis eo nomine felix; cum Eliſa offerret, ut pro ea loqueretur Regi, vel belli duci, reſpondit, habito in medio populi mei 2 Reg. 4: 13. nulli gravis, & nullum gravem experta, ut cauſa judicio definienda eſſet. Ad judicem trahi miſerum eſt, Matt. 5: 25. Sed hoc inane terriculamentum videtur. Quis vocabit in jus divitem avarum? Prov. 10: 15. cap. 13: 8. cap. 14: 20. Quin imo heic uſurpat gloriationem Ephraimi Hoſ. 12: 9. *utique ditatus ſum, magnas mihi paravi opes; in omni meo labore non invenient mihi iniquitatem quæ ſit reatus.* Verum eſt hic lis parata, ubi Actor, judex, & ſententia. Actor eſt egenus frater, cui nil datum. Et clamet contra te. Sed quid refert, ſive clamet, ſive non? quis æſtimabit ejus clamorem? Imo vero Judex eſt Dominus, qui faciem principum non accipit, & divitem præ paupere non agnoſcit, cum omnes ſint opus manuum ejus. Job. 34: 19. Indeclinabilis judex, qui uti cuivis querulo aurem præbet, ſic quemvis ad tribunal ſuum venientem recte judicat ab adverſario ſuo, & apud eum non eſt iniquitas, neque proſopolepſia, neque acceptio munerum 2 Chron. 19: 7. Sed quid metuat judicem ſiquidem actor cauſam querendi non habeat juſtam. Uſurpare poteſt gloriationem Phariſæi. Luc. 18. verſ. 11. *Gratias ago tibi Deus, quod non ſim ut alii homines, rapaces, injuſti.* Hoſ. 12: 9. Quippe nihil abſtulit pauperi; nihil ei negavit quod ipſius erat; & ſuum utique manebat ſuum, neque debebatur ejus quicquam alteri. Atqui ſententia ſequetur condemnatoria. Erit in te reatus. Immiſericors judicium veniet contra illum qui miſericordiam non exercuit, Jac. 2: 13. ſic legitur Deut. 24: 15. & peccatum ſignificat reatum magnum, Prov. 21: 4. cap. 24: 9. *cogitatio ſtultitiæ eſt peccatum, & irriſor eſt homini abominatio.* Joh. 15: 22, 24. Prov. 22: 24. &c. Imo Pſ. 109: 7. Si quis „ miratur, juſtitiam actionis, & judicii non videns, He„ bræi egregie eam oſtendunt in parabolâ. Dives non eſt „ niſi quæſtor Dei, quem conſtituit ſuper theſauros ſuos, „ quos in manum ejus tradidit, cum mandato, ut inde e„ leemoſynam det pauperibus. Notum autem quæſtorem „ regis debere erogare pecuniam domini ſui, quemad„ modum ipſum juſſit. Qui ſi expeditus fuerit in miniſte„ rio ſuo, & juxta voluntatem domini expenderit pecu„ niam, Rex ipſum non tantum continuabit in munere ſuo, „ ſed etiam benigne eum habebit, & munus ad liberos ejus „ quoque derivabit. Verum ſi id non fecerit, & opes „ domini retinuerit, neque eas erogarit juxta mandatum „ ejus; ecce habet mercedem ipſius ſecum, ut eum de„ ponat ab officio, eripiat ipſi theſaurum & alii eum com„ mittat. Sic quando dives fuerit juxta verbum Domini, „ & expenderit divitias ſuas in eleemoſynas, quemadmo„ dum ipſi mandavit, divitiæ & honor erunt ipſi hæredi„ tas, & liberis ejus poſt ipſum. Sin omiſerit facere, pœ„ na ejus erit ut incidat in paupertatem, neque ei ſuperſit „ unde eleemoſynam det, ſed eam ab aliis petet. Nam „ pauper clamabit ad Dominum, dicendo, Serva O Rex, „ nam ecce Dives iſte, quæſtor tuus, adivi ipſum juxta „ mandatum tuum, ut ab ipſo peterem, ſed noluit ſtabi„ lire verbum tuum, & erit in te peccatum & reatus ma„ gnus, propterea quod præceptum Domini non ſervaſti; „ Dandum enim ipſi fuerat de eo quod ipſius eſt, Dei nempe. Pauperes habent literas mutui **een aſſignatie op de rijcken** à Domino, cujus ſunt omnes ipſorum divitiæ. Si quæſtor nolit ſolvere **op ozdonnantie** de theſauro non ſuo ſed Domini, juſta eſt querela fruſtrati ad communem Dominum, & juſta judicis condemnatio contra quæſtorem. Æſtimet jam quivis apud ſe, an conſultum ſit querelam illam contra ſe excitare? Apud homines quidem ea parum proficeret; ſed hic Deus eſt, qui citra dilationem promtiſſime audit, & reum pronunciat. Væ autem illi quem Deus reum pronunciat. Luc. 16: 1. &c. Quæſtor injuſtus, qui dilapidabat heri bona, ut primum accuſatus fuit, illicò vocatur ad rationes reddendas, cum denunciatione depoſitionis à munere. Non opus eſt magno molimine, ut ad judicem quis pervenire queat, aut ut decenti oratione vel ſua vel advocati ſupplicet. Pſ. 10: 17. Ipſa deſideria audit Deus, & excitat quoque, & ad ea excipienda aurem ſuam paravit, ut hic jus adminiſtret. Imo verſ. 14. Ipſemet animadvertit, ut excitet querelas ad ſe, quibus jus dicturus eſt. Quæſtor injuſtus in Euangelio abuſus erat bonis heri; & in apodoſi commendatur uſus in pauperes, facite vobis amicos de mammona injuſtitiæ, ut ubi defecerit, recipiant in tabernacula æterna. Luc. 16: 9. Hoc fuit conſilium Danielis ad Nebucadnezarem. Dan. 4: 27. Quanto magis prolongatio erit, ſi pauperibus fuerit erogatum promte, & iſte uſus conceſſarum divitiarum. Non erit tunc metuenda pauperum querela ad Deum, de injuria, negatæ ſibi portionis, ſed teſtes & præcones erunt exercitæ liberalitatis. 2 Cor. 9: 13. Nec illi ſolum, verum ipſe quoque judex teſtimonium perhibebit ampliſſimum, quicquid præſtitum eſt egenis fratribus, ſibi cognitum, imo ſibi præſtitum publicaturus Matt. 25: 35. Non erit quoque hinc metuendus reatus, quia ſic abolebitur, Prov. 16: 6. Jac. 2: 13. Heb. 6: 10. Qui nec querelas pauperum, nec reatum coram Deo judice metuit, pergat eſſe immiſericors, cum bona mundi à Deo acceperit, & avare corradat & retineat; ſed

exſpectet illud Pſ. 68: 22. Qui vero his malis carere optat, det pro modulo benedictionis datæ ſibi, & habebit faventia omnia, Amici quos paravit recipient eum in æterna tabernacula, pauperes & judex ipſe, ad æternam felicitatem. Imbris inſtar, inquam, qui non à terrenis aquis ſuas habet, ſed à Deo, qui ſolus facit pluviam, ut à benedictione Dei ſingulâri divitias habent.

Verſ. 10. *Liberaliter dato ei; neque malignus eſto animus tuus quum das ei: nam hujus rei cauſa benedicit tibi Jehova Deus tuus in omni opere tuo, & in omni re ad quam admoves manum tuam.*

b. *Liberales* animantur verſ. 10. ubi

a. *Deſcribitur* liberalis, ab Actu manus, & Affectu cordis.

Actus eſt, *Dando dabis ei.* Duplicatio verbi copiam doni, celeritatem, & frequentiam denotat; ut verſ. 8. *aperiendo aperies manum tuam, & mutuando mutuaberis ipſi*, ſufficientiam defectus ejus, quod ei deerit. I. *Affectus* eſt, *& non malum erit cor tuum in dando te ipſi.* Malum cor eſt invidum, triſte, heic tamen non ad negationem, uti malus oculus claudebat manum; ſed in dando. Adeoque eleemoſynam depingit genuinam. Dandum aliquid eſt, vota, bonaque verba non ſufficiunt; iis non ſatiatur venter famelicus, neque veſtitur nudum corpus. In facto hic veritas, non in verbis & lingua, 1 Joh. 3: 18. Neque parce dandum, ſed liberaliter. Agitur de neceſſitatibus hujus vitæ, ad ſuſtentationem corporis, eoque ut ſublevetur defectus; non ut abundent, ſed ut defectui occurratur, ſaltem ut *levationem* aliquam habeant. 2 Cor. 8: 13. &c. Attamen in liberalitate iſtâ dantis etiam attendenda conditio; dandum non ut dans deinceps habeat defectum, ſitque ipſi *oppreſſio*, ſed ex abundantia ſua, id quod ſupra defectum eſt, ut ſit aliqua æqualitas. Proinde modus liberalitatis differens, prout unius abundantia alterius abundantiam excedit. Dona Salomonis fuerunt ſecundum manum Salomonis 1 Reg. 10: 13. ſic quivis ὅπ ἂν ἐυοδῶται 1 Cor. 16: 2. Sic juvari pauperes poſſunt; veruntamen nondum eſt eleemoſyna danti. 1 Cor. 13: 3. *licet omnia bona mea diſtribuerem ad ſuſtentationem pauperum, & charitatem non haberem, non adferret mihi utilitatem.* Debet danti adeſſe bonitas cordis in dando, Citra invidiam avaritiam. ὥσπερ εὐλογίαν ἀλλὰ μὴ ὡς πλεονεξίαν. 2 Cor. 9: 5. ut benedicendi propoſitum ſit, non avaritiæ dictamen; cui quidvis nimium, vel ſaltem ſufficiens: cum in benedictione liberalitas ſit. Quando quis propoſuit in corde, *non ex triſtitia aut neceſſitate*, ſed corde hilari. verſ. 7. Adeſſe debet προθυμία, *promptitudo animi ad volendum & faciendum* cap. 8: 11. tum vero adeſt liberalitas, æſtimatur ex affectu dantis, verſ. 12. Eſtque hîc in Macedonum exemplo medium quod expeditos reddat, verſ. 5. non tantum contulerunt eleemoſynas, ſed dabant ſemetipſos primum Domino. Qui eouſque proceſſit, ut ſeipſum tradat Domino, non habebit quicquam adeo charum, quod non propter Dominum ad ejus voluntatem velit impendere. Abnegatio ſui facillimam facit liberalitatem de bonis hujus mundi. Cor non poſſeſſum à Mammona, ut hunc herum agnoſcat, poſſidet Mammonam, ut ſibi ſervire cogat: quod ſi cor poſſideatur à Deo, utique ad Dei voluntatem mammonâ utetur, ut ſe dominum mammonæ, Dei tamen ſervum demonſtret. Hæc eſt bonitas cordis in dando. Eſt vero alia adhuc malitia cordis, quæ vitanda, dationem non impediens, ſed urgens, & augens, Luc. 21: 1. Marc. 12: 41. multi divites multum injiciebant in theſaurum. Sed uti Phariſæi, qui facturi eleemoſynam buccinam inflari curabant, aut in publico id agebant, ut viderentur ab hominibus Matt. 6: 2. Hypocriticum & ſuperbum cor iſtud dictat, quod utique malum eſt. Periit iſtis eleemoſyna; quam quidem ipſi nunquam reperient ex ſuâ ſemente. Habent mercedem ſuam; quia ſcopus eſt videri ab hominibus, id conſequuntur, ut ab hominibus videantur & laudentur: neque plus ipſis exſpectandum. Monito Chriſti parendum verſ. 1. Deus delectatur ſinceritate in interioribus, Pſ. 51: 8. proinde cor approbandum Deo, qui in occulto videt, & obedientiam, ſibi duntaxat demonſtratam, remuneratur in aperto. Hoc beneficium quidam concludunt ex phraſi, Dando dabis; ſi dederis, dabis deinceps, & quidem ſæpius; non deficiente ſub iſta liberalitate tuo theſauro, ſed abundantius ſufficiente 2 Cor. 9: 8. &c. **God is machtigh alle genade te doen overvloedigh zijn in u / op dat ghy in alles alle tijdt alle genoeghſaemheyt hebbende / tot allen goeden werche overvloedigh mooght zijn.** Ut ſcriptum, diſperſit, dedit egenis, צדקתו eleemoſyna conſiſtit in æternum; ut nunquam deficiat.

b. Indicatur id quod animet. Nam propter hoc negotium benedicet tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo; & in omni extenſione manus tuæ. Pollicetur felicitatem, à Deo fœderato, propter hanc liberalitatem, in omni negotio.

Felicitas deſignatur per benedictionem. Iſta manet liberales. Prov. 28: 27. Avarus & tenax etiam theſaurum habet, ſed multæ maledictionis. Verum liberalis carebit defectu. Pſ. 37: 23. &c. &, vel *quamvis ſemen ejus peteret panem.* Nam ipſi Davidi eo res rediit, ut panem petierit ab Achimelecho, à Nabale, & acceperit à Barzillai & aliis. Invenit tandem adhuc unde impertiatur egeno. Et major abundantia ei ſurgit. Proverbio res confirmatur, Eleemoſynas dare non depauperat. Pſ. 112: 3. צדקתו *eleemoſyna ejus conſiſtit in æternum*, etſi interdum tenebræ ſuperveniant, non ſunt perpetuæ, ſed inde effulget lux proſperitatis.

A Deo fœderato autem obtinebit, nam is diſtribuit iſta ſuis. Pſ. 24: 5, 6. *Benedictionem accipiet à Domino, & juſtitiam* צדקת *à Deo ſalutis ſuæ, hæc eſt generatio quærentium eum, qui faciem tuam in quirunt, Jacob* nempe. Nomen ejus Jehova promiſſionum firmitatem docet, quod præſtiturus ſit, qui nec mentitur, nec pœnitet, neque unquam impotentia impeditur, & alterum, Deus tuus, novam obligationem addit, ut quæ in Domino Deo perfectio eſt, ipſius bono iſtic eſſe agnoſcatur. Pſ. 81: 11. *Ego Dominus Deus tuus, diſtende os tuum & ego illud implebo.* Quod quidem manifeſtiſſimum, cum benedicturus ſit propter hanc ipſam liberalitatem, Prov. 19: 17. Non tam donum eſt, quod datur in eleemoſynam, ut alienetur penitus, quam mutuum, quod poſitum in fœnore, non quidem apud pauperes, ſed apud Deum. Habet ille libros memoriales, quibus inſcribit facta hominum, tam bene quam male facta; fuga & lacrymæ piorum ibi notantur Pſ. 56: 9. imo quæcunque inter ſe loquuntur ut ſe mutuum confirment in timore Dei, contra impiorum pernicioſa conſilia & exempla Mal. 3: 16. ſic quoque quicquid in pauperes erogatum eſt beneficiorum & officiorum Matt. 25: 35. &c. ut ne quidem poculum frigidæ in nomine Chriſti datum oblivioni detur. Matt. 10: 42. Et adſcribitur ceu ipſi Chriſto datum. Matt. 25: 40. Deus autem Chriſtuſque nihil gratis ſibi datum volunt, quamquam nil detur niſi de ſuo; qui honorat Deum de ſubſtantia ſua & primitiis proventus ſui, horrea ejus implebuntur abundantia, & torcularia muſto exundabunt Prov. 3: 9. ſi decimæ inferantur in domum ſuam, benedictionem effundet, non ſtillatim ut pluvia cadit; ſed apertis quaſi feneſtris, uti in diluvio Mal. 3: 10. In uſuram ſibi datum accepit, & reddet compenſationem liberaliſſimam. Iſaco ſeminante in Gerar, centuplam meſſem accepit Gen. 26: 12. non centum pro centum, ſed pro uno centum. Sic hîc, *Qui ſeminat in benedictione, metet in benedictione.* (Incrementum autem agri dat ſolus Deus, cum plantans & rigans nihil ſint 1 Cor. 3: 7. & qui mane vel veſperi ſeminat, à ſuo labore & impendio ſibi nihil poſſit polliceri. Eccl. 11: 6. Eſa. 55: 10.) 2 Cor. 9: 6, 10, 11. Hæc enim eſt æquitas providentiæ divinæ, quæ juſtiſſima ſemper. 1 Sam. 2: 30. Honorantes me honorabo. Atqui Prov. 14: 31. Quem proinde Deus viciſſim honorabit. Merces vocatur compenſatio beneficentiæ erga pauperes. Matt. 6: 1. Hanc Deus non negabit, qui ſe ſeveriſſime vindicaturum dixit, ſiquidem merces detineatur operarii. Deut. 24: 15. Mal. 3. 5. Merces dicit debitam compenſationem; non quod hic ſit meritum operis; longiſſime id abeſt, cum nemo de propriis aliquid faciat, omnia de alienis, Dei ipſius donis 1 Chron. 29: 14. neque quicquam indebitum; ad mutuum amorem vinculo charitatis tum humanæ, tum Chriſtianæ obligatio eſt: ſed quod ſit debitum gratioſe promittentis Dei. Heb. 6: 10. Adeoque liberalis in minimo non amit-

amittit mercedem ſuam Matt. 10: 42. Ea vero patebit in omni opere, & omni extenſione manus, ut ubique ſentiat benedictionem Dei. Pſ. 37. & 112. id docetur, ſed iſtud minimum eſt mercedis; vita corporalis brevis eſt, & quæ ei commenſuratur benedictio, nequit eſſe prolixior. Etiam poſteritati bene eſt. Pſ. 37: 26. & 112: 2. &c. Potiſſima merces eſt poſt hanc vitam, in cœlo repoſita dicitur. Matt. 6: 1. Adeoque quando Chriſtus venerit in gloria, merces ipſius, quam diſtribuat cuique, cum ipſo erit Apoc. 22: 12. quam dabit ſervis ſuis, ſanctis & qui nomen ejus timent, magnis & parvis Apoc. 11: 18. quando aſſignabit regnum hæreditarium æternæ felicitatis & gloriæ, Matt. 25: 34. Veriſſime ergo dictum Prov. 22: 9. bonus oculus benedicetur, nam dedit de pane ſuo egeno, & Prov. 14: 21. Utinam vero iſta eam haberent vim in animis Chriſtianorum, ut vellent liberalitate uti. Terror Dei deberet tergiverſantes impellere, quia immiſericordia illicò defertur ad Deum, qui gemitus afflictorum audit; & reos notat ad pœnam: ſed multo efficaciores deberent eſſe funes amoris quibus Deus trahit. Univerſalis querela eſt, de male collocata pecuniâ, temporibus adeo calamitoſis; ſunt qui nolunt, ſunt qui non poſſunt reddere, uſuræ differuntur, & ſors ipſa quandoque perit. Hic optime collocatur, licet hic uſurpare illud 2 Tim. 1: 12. novi cui crediderim & certus ſum, potentem eſſe cuſtodire depoſitum meum, uſque in illum diem, quando patebit mercedem eſſe juſto, & multam benignitatem illi qui benignitatem exercuit: quando ipſi pauperes eum recipient in æterna tabernacula, quæ propter beneficentiam erga Chriſtum in ipſis exercitam conſequentur, felicitatem vitamque æternam.

Verſ. 11 *Quia non deſinet egens è medio hujus terræ: idcircò ego præcipio tibi dicendo, liberaliter aperito manum tuam erga fratrem tuum, erga pauperem tuum, & erga egenum tuum in terra tua.*

C. *Neceſſitas* exercitii hujus reſtat, repræſentata verſ. 11. Hæc proponitur. *Nam egenus non deficiet è medio terræ.* Supra verſ. 4. dixerat Remiſſionis beneficium Iſraelitis exercendum ſeptimis quibuſque annis in Cananæa niſi quando deſierit eſſe egenus inter ipſos. Aſt nunc dicit non ceſſaturum egenum è medio terræ. Scl. tamdiu remiſſio ſeptimi anni obtinere debet, donec antitypon illius anni Sabbathum magnum & tempora reſtitutionis omnium venerint: quando vanitate creaturæ abolita, ſimul etiam ceſſabit omnis indigentia, quæ cum libertate gloriæ filiorum Dei conſiſtere nequit. Verum antequam iſtud fiat, non deficiet egenus. Non contrariatur experentia Davidis [Pſ. 37: 23. &c.] Chriſtus id confirmat Marc. 14: 7. *pauperes ſemper habetis vobiſcum, & quando vultis poteſtis eis benefacere*, nunquam deſunt iſta objecta beneficientiæ. Prov. 22: 2. 1 Sam. 2: 7. & cap. 30: 8. ipſe dat paupertatem & divitias. Ex quo maledicta terra propter hominem, ut carduos & ſpinam ferat, & in ſudore vultus veſcendum ſit pane, abundantia primæ conditionis mutata eſt, & multus defectus occupavit mundum; neque quiſquam eſt, qui non ſentiat iſtud: etſi quibuſdam major ſit in iſto defectu portio; quemadmodum poſt introductam corporis mortalitatem unus altero breviorem habet vitæ uſuram. Sic ubique terrarum reperiuntur tam pauperes quam divites, & iſti plures plerunque; quia ſæpe præda egenorum eſt in ditiorum domo, Eſa. 3: 14. & pauperes quandoque ſpoliantur, quia pauperes Prov. 22: 22. utpote quibus prævalere poſſunt, quoniam deſunt vires ad reſiſtendum; quas in divitibus metuunt. Potiſſimum autem hæc conditio paupertatis frequens eſt apud pios. Nam præter communes calamitates, ubi nullum diſcrimen pii & impii, juſti & injuſti Eccl. 9: 2. &c. habent privatas ob profeſſionem fidei & pietatis. Diabolus, qui Deus hujus ſeculi, ob inimicitiam implacabilem, quantum in ſe eſt eos privare ſatagit illis bonis, quæ ſuis ceu ſummum bonum commendat, & ſuis artibus parare docet; & huc ſpectant, qui ſemen ſerpentis, ut juſtos abigant in vaſtitatem, quo ſoli fruantur terrâ. Quod ſi portio quoque liberalior obtingat piis, id unum quærit, ut ipſis ſit in laqueum; ad obliviſcendum Dei & pietatis, quemadmodum accidit Iſraeli Deut. 32: 15. Itaque piorum ſors in mundo eſt afflictio, Joh. 16: 33. 2 Tim. 3: 12. & recenſentur ejus ſpecies variæ Rom. 8: 35. fames & nuditas in illis quoque eſt: adeo ut debeant eſſe edocti, ſatiari & famem pati, abundare & egere Phil. 4: 12. Hinc itaque ſit ut ſemper ſint futuri pauperes in terrâ. Liberaliſſimæ illæ promiſſiones Lev. 26. Deut. 28. eò quidem facere videntur, ut nemo egeat, ſed conditionatæ ſunt, ſiquidem obedientia ſit generalis, ut maxima populi pars pietatem juſtitiamque exerceat; verum id perpetuum non eſt, hiſtoria teſte, quæ rara illa tempora fuiſſe docet; præterea generalis illa felicitas non impedit particularem quorundam egeſtatem, quam Deus eſſe voluit, ut hujus liberalitatis exercendæ foret oportunitas.

Huc facit præceptum, *propterea ego præcipio tibi, dicendo, aperiendo aperies manum tuam fratri* &c. Sunt quædam officia, quæ certis temporibus & circumſtantiis ſunt attemperata, adeo ut exerceri alias non queant. Deut. 8: 2. &c. Obedientia in adverſis quoque præſtanda; eoque adverſa immiſit Deus, ut illius exercendæ foret occaſio. Sic quoque egeſtatem fecit experiri, ut fiducia in Deum probaretur, quando nihil videt oculus, ſed ſolum fides in Deum. Sic quoque liberalitatis in pauperes præbet opportunitatem, ut ea exerceatur. Solent ſubinde homines plurima de ſuâ virtute concipere, atque etiam gloriari, quando nulla eſt occaſio, aut neceſſitas. Petrus de ſua conſtantia pollicetur maxima, dum tentatio aberat. Adoleſcens ille obſervantiſſimus erat omnium mandatorum Dei, adeo ut optaret uberiorem materiam ad oſtendendam obedientiam: ſed ad hoc objectum pauperum quibus ſua erogare jubebatur, deficit & abit triſtis, unde non multum hic egiſſe colligitur Matt. 19: 22. Affine eſt mandatum præſens illi Chriſti. Semper erunt pauperes, Ergo mandat beneficentiam. Ipſum objectum habet in ſe mandatum Dei, qui cum diviti facit occurrere pauperem, ſimul mandat, largire huic pauperi. Luc. 10: 30. qui viderunt ſeminecem vulneratum à latronibus, Sacerdos, Levita, Samaritanus, tum iſtâc tranſeunt, iſtis præcepit Deus, & fuit neglexiſſe inobedientia mandati, *Diliges proximum* &c. eoque feciſſe miſericordiam obedientia ejuſdem præcepti. Enimvero reperiuntur, qui in contrarium vertunt argumentum. Non deficient egeni in terra; Deus vult eſſe differentiam, divites potentes, & hinc nobiles & æſtimatos; alios verò egenos, pauperes, viles eapropter & contemtos; neque ea differentia abolenda; relinquendi hi ſunt in ſuâ miſeriâ, ut quam nobis conceſſum ſit fiat evidens. Sed hi contradicunt Deo in os. Non ſunt pauperes in terra, ut eorum miſeria ſolum videatur, ſed ut ſublevetur: non ut dives agnoſcatur, ſed ut divitis liberalitas manifeſtetur. Lazarus jacuit ad fores divitis epulonis, non ut bonum hujus innoteſceret ex oppoſitione miſeriæ Lazari, ſed ut Lazari indigentiæ ſuccurreret de ſuâ abundantiâ. Quam quia ſibi ſolam ſervavit, neque quicquam contulit ad Lazari inopiam levandam, mutatâ tandem ſcenâ, nullam habuit partem in Lazari ſolamine, ne minimum quidem refrigerii à Lazaro conſecutus. Non ergo optandum bonum eſt non deficere pauperes in terrâ, ſed agnoſcendum eſſe calamitatem indeclinabilem, ut charitati nunquam deſit objectum. Imo quia nunquam deficient pauperes & egeni, qui eleemoſynâ & benignitate alienâ juvari neceſſe habeant, nemini cui mens eſt, vel cor malum ſit, vel malus oculus, ut velit manum claudere ne quid eroget. Quantum cunque enim opum poſſideat, divitiæ non ſunt hæreditas quæ amitti non poſſit, quin imo quis novit annon brevi iis carituras ſit. Pſ. 39: 6. non ſolum ut anima ei eripiatur, & avellatur à ſuis divitiis; quemadmodum colonus ille opulentus Luc. 12: 20. ſed ut eripiantur ipſi divitiæ. Pſal. 39: 7. fin. Prov. 23: 5. vocantur id quod non eſt, nempe perennans, & quæ ſibi facient alas inſtar aquilæ, cœlum verſus volantis. cap. 27: 1. *Ne glorieris de die craſtina; quia neſcis quid ſit paritura dies.* Jobus quem Sol oriens vidit ditiſſimum, occidens reliquit nudatiſſimum. Atque tunc vehementer placebit opus beneficentiæ alienæ erga ipſummet. Mundi rota volubilis eſt; qui ſumma tenet, brevi poſt in imo eſt. Deus enim judex eſt, qui unum extollit alterum humiliat Pſ. 75: 8. Pſ. 107: 40. &c. Etſi quis conſtanti proſperitate fruatur in diebus ſuis, forſitan liberi aut nepotes ejus cadent in egeſtatem; Nam non deficiet ege-

rus in terrâ, quisquis etiam ille fuerit, & quis scit, annon ipsemet vel liberi ejus huic conditioni serventur. Quid ni ergo faciat aliis, quod sibi fieri vellet eo casu. Propterea Deus præcepit, ut liberalis sis erga fratrem tuum, pauperem & egenum tuum in terra tua. Accidit paupertas iis qui in terra tua tecum; eoque illa te non præstat securum, quod nihil sis passurus; imo fratribus tuis, quos genus & religio tibi pares fecit: itaque nec hinc securitas. E. his liberales nos esse par est, quibus non sumus meliores, non stabiliores: & proinde quibus possumus assimilari egestate, ut fratrum beneficentia simus sustentandi. Mandatum Dei quod te jam obstringit dum quid possides, obstringet similiter alios, quando per te ipsorum obedientiam placuerit explorare. Quod tunc bonum prædicabis, noli nunc malum dicere, sed bonum; imo nunc melius, quandoquidem juxta verba Domini Jesu, *beatius est dare quam accipere*: & felicius etiam in hoc seculo posse dare, quam necessum habere ut accipias. Act. 20: 35. Quivis meditetur quæ hactenus à Mose dicta sunt, & sic agat, ut evadat avari supplicia, consequatur liberalium benedictiones. Esa. 58: 7. &c. Expertum id olim Belgium; hæc ejus fuit gloria, etiam coram aliis nationibus; & hanc misericordiam Deus misericordia remuneratus est. Ne deseramus istam charitatem, neque patiamur eam gloriam nobis perire, non deerit nova benedictio; erimus felices in terra, & tandem etiam beati in cœlo in omnem æternitatem. Amen.

Vers. 12. *Si vendatur tibi frater tuus Hebræus aut Hebræa, is serviet tibi sex annis: anno verò illo septimo dimittito eum liberum abs te.*

Tria genera Pauperum fuerunt inter Israelitas, quorum curam Moses ipsis commendat, ut misericordiam erga illos exerceant. *Obærati*, qui creditoribus obstricti non erant solvendo, vel ægre id præstare poterant. *Mendici*, qui nihil habentes, neque fidem inveniebant, ut quid ipsis crederetur. *Servi*, qui quod unum habebant privilegium naturæ, libertatem, cogebantur vendere. De primis mandavit, ut anno septimo, qui remissionis, immunes essent ab exactione, ac si nihil deberent: quomodo æquabantur suis creditoribus. De secundis; ut eleemosynâ liberali sustentarentur, citra avaritiam & invidiam. De tertiis nunc scribit. Duo priora genera pauperum etiam inter nos vivunt; sed secundi solum consequuntur, saltem consequi debent beneficium heic imperatum. Eleemosynæ etiam à Christianis præstandæ sunt, unde ab Apostolis commendata tum Judæis Heb. 13: 16. tum gentibus, 1 Cor. 16: 1, 2. quovis primo die septimanæ in eum usum aliquid seponendum, Eph. 4: 28. etiam qui manibus victum quærit egenis impertiri debet: & prolixe urget hanc liberalitatem. 2 Cor. 8: 9. cap. Est vero argumentum efficax Prov. 16: 6. quod & Judæis inculcatur à Christo Luc. 11: 39, 41. Pharisæis mundantibus externum poculi & patinæ, cum intus plena forent rapina & malitia, dicit & Gentilibus à Daniele Dan. 4: 27. *redime peccata tua eleemosyna, & iniquitates tuas gratiam faciendo miseris, forsan erit prolongatio pacis tuæ!* Quæ non sic intelligenda, quasi eleemosynis expietur peccatum, ut quis non sit reus coram Deo. Nulla hic redemtio, nisi per Christum, 1 Joh. 1: 7. ipsius mors redemtioni peccatorum servit Heb. 9: 15. neque aliud quicquam. Verum respectu hominum læsorum. Num. 5: 6. &c. Si quis vir aut mulier ullum damnum alteri attulisset, aliquid ejus alienando vi vel fraude, tenebatur ad ejus restitutionem, superaddita parte quintâ; (quod si furtum fecisset, duplum aut quadruplum aut quintuplum reddendum fuit Exod. 22: 1, 4. & Zachæus publicanus suam exactionem; si iniqua fuisset, furti majoris instar quadruplo pensabat, Luc. 19: 8.) Quod si læsus obiisset diem, neque reliquisset hæredes, quibus restitutio fieret, Domino ea fuit præstanda, cessura Sacerdotibus: quomodo exstinguebatur actio læsi hominis contra lædentem; sed quoad læsionem Dei, aries pro peccato offerendus fuit, quo Christo hostiâ expiandum significaretur. Verum Daniel Nebucadnezari, qui non singulos sed integras nationes spoliarat, & restitutionem cœsis, hæredibusve ipsorum Sacerdotibus Dei facere non poterat, suadet, ut læsorum loco pauperibus eam præstaret. Et Christus pariter eleemosynas commendat, non de rapto solum, (sic quis rapinam justificatam crederet, modo aliquid largiretur pauperibus:) sed raptum, ut nihil ejus apud ipsos remaneret; imo ex lege Mosis cum auctario partis quintæ ad minimum; quomodo de suo quodammodo mulctam daret, & hoc ratione nollet quicquam alienum ad se derivare. Primi generis beneficentia cessat hodie ex lege; nam annus Sabbathicus gentiles non attinet, & idem Judæos extra Cananæam non obligat. Tertii generis itidem Judæorum est, & quicquid hic imperatum intra terram valebat, sed cujus meditatio non erit inutilis, ob figuram quæ repræsentata fuit. Præscribitur autem de servis Hebræis, Libertatem reddendam vers. 12--18. repudianti non obtrudendam. vers. 16, 17.

Describitur Persona serva; Libertas reddenda, vers. 12. Modus restitutionis vers. 13, 14. & Impulsiva vers. 15.

N. *Persona serva* est, vers. 12. Si *frater*; *tuus Hebræus vel Hebræa*, *tibi venditus fuerit*, *sex annis serviet tibi* Ubi notanda habemus Genus, Religionem, Statum.

Genus, *Frater tuus*, qui Israelita; Nam peregrini nominis homines hoc privilegio excluduntur, Lev. 25: 44. &c. postquam de fratre depauperato dixisset, qui servus factus erat, addit, *sed non fratres*, filios Israelis. Scl. Servitutes alienigenarum, etsi religionis veræ, (quales solum tolerandi in familia, jusso Abrahamo omnes servos circumcidere, & ut Judæi docent, si quis servus circumcidi nollet, rursum vendendo.) Deus concessit, & à piis constanter fuerunt usurpatæ. ut eas exigerent ab emtis, vel bello captis, & natis ex servis, fuerunt pars possessionis, & quidem benedictæ à Deo, quando vernarum dabat incrementa. Gen. 12: 5, 16. cap. 17: 12. &c. cap. 20: 17. &c. cap. 24: 35. Neque hanc conditionem damnavit vel Christus, vel Apostoli. 1 Cor. 7: 25. &c. *quisque maneat in vocatione in quâ vocatus est*, (nam Christianismus ordinem politicum vel œconomicum non turbat,) *si servus vocatus es*, *ne te sollicitum habeat*: *quod si liber fieri queas*, *potius utere*, *nam qui vocatus est in Domino cum sit servus*, *est libertus Domini*. unde monita ad servos & heros, ne illi detrectent servitium, isti duriter dominentur; tametsi horum durities illis toleranda Eph. 6 Col. 3. 1 Tim. 6. 1 Pet. 2: 18. Et Onesimum fugitivum Paulus ad herum Philemonem remisit, æternum serviturum, siquidem huic placuisset, Philem. vers. 15. &c. Christiani tumen Imp. servitutes sustulerunt, consilio humano, & quod φιλοθρωπίαν sapit: quod vix alibi quam in Europa valet; nam qui in Asia & Africa sunt Christiani priscum morem retinent. Gentiles vero & aliarum religionum homines mercimonia hominum adhuc observant: ad quam conditionem si quis redigatur istic loci, non debet reluctari, sed lege Apostolica hero fideliter servire: dummodo quoad fidem se libertum Christi meminerit, neque heic se cogi sinat. Equidem prima servitutis mentio ex maledictione est Gen. 9: 25. &c. de Canaane, servo fratrum; sed plurima ubique sunt maledictionis vestigia Gen. 3: 17. &c. neque quisquam immunis vivere potest; neque tamen exinde quis minus in favore Dei est. Cum ex externis ejusmodi de amore vel odio Dei nequeat pronunciari Eccl. 9: 2. &c. & optimi etiam servire coacti fuerint, Joseph, Daniel & socii, &c. Privilegium præsens non liberabat fratres gente, ne servirent, sed eximebat, ne semper servirent.

Religio, unde dicitur *Hebræus vel Hebræa*. Nomen istud Gentile est ab Hebero, & primum tributum Abrahamo Gen. 14: 13. cap. 10: 12. cap. 9: 18. sed simul connotat religionem, sic in Ægypto æstimabantur Gen. 49: 14. cap. 43: 32. Exod. 5: v. 3. cap. Sic 2 Cor. 11: 22. *Hebræi sunt? & ego. Israelitæ sunt*, *& ego.* & Phil. 3: 5. *Hebræus ex Hebræis*: qui religioni isti ab avis addictus vixerat. Jer. 34: 9. dicitur *Judæus*, & *Judæa*, quod item nomen religiosum, postquam x tribus deportatæ fuerunt, & *Judæum fieri* est illi religioni accedere Est. 8: 17. Unde colligere est, si quis Israelitarum defecisset ad gentiles, hoc privilegium amisisse: utpote in quo fuit professio fidei & spei, à qua Gentiles alieni Eph. 2: 12. Et sane qui abnegat Christum, merito caret beneficiis, quæ ab ipso dimanant, & communionem cum ipso confirmant; Signa enim gratiæ non attinent illos qui ad gratiam jus non habent.

Sta-

Status ſervitutis eſt, de quo refert 1. quomodo in eum devenerit, 2. quamdiu in eo manendum ei ſit. *Modus puniendi* eſt, *ſi venditus fuerit tibi.* Venditio iſta fiebat ſponte, Lev. 25: 39. *ſi frater tuus apud te depauperatus fuerit, & ſe tibi vendiderit.* Imo pater liberos ſuos potuit vendere. Exod. 21: 7. *Si quis filiam ſuam vendiderit in ſervam.* Neh. 5: 5. *Subjicimus filios filiaſque noſtras in ſervos, ut non ſint in noſtra poteſtate.* Iſtud tamen Judæi illicitum dicunt, niſi in extremâ egeſtate, quando omnia ſunt vendita, immobilia & mobilia, & alimentum hoc pacto emendum eſt, vel etiam vectigalia publica ſolvenda; uti ex loco citato conſtat; vendiderant vel oppignorarant omnia, ipſos quoque liberos, ut in fame frumentum haberent, quod comederent & viverent; & ut regium tributum ſolverent. *Invito*, quando Deus vendebat in manus hoſtium reos ſibi, ut in bello caperentur, & ſervi fierent. Jud. 3: 8. ſic puella, ancilla Naamanis 2 Reg. 5: 2. ſic 2 Chron. 28: 5. Syri multos captivos abducunt & verſ. 8. &c. Iſraelitæ ſub Peka, capiunt 200000. mulieres filios & filias, quos mancipia ſibi facerent. Sed hoc judicium divinum eſt. Humanum, quod ſpectatur hic, eſt, quando quis à Magiſtratu vendebatur ad penſandum damnum quod furto ſuo dederat. Exod. 22: 3. ſi nihil furi ſit, vendetur pro furto ſuo. Sed etiam pro debitis venditio fiebat. Matth. 28: 25. &c. rex debitorum ſervum jubet venundari, ejuſque uxorem & liberos, & reddi debitum, & 2 Reg. 4: 1. vidua Prophetæ queritur, mortuo marito creditorem venire ſumturum ambos filios ſuos in ſervos. Hoc modo Deus voluit caveri juſtitiæ, ne quis aliena fraude aut vi privaretur ſuis bonis. Qui ſolvendo non erat, manuum labore debuit mereri, & fieri alterius mancipium. Interdum etiam conjiciebantur in carcerem, uſque ad ſolutionem Matt. 5: 25. &c. cap. 18: 30. ſervus conſervum. Honeſtior tamen ratio fuit ſervi venditi, quam captivi: utpote à quo miniſterium conſequebatur creditor, & quicquid præſtare poterat debitor, ut ſatisfaceret. Moribus hodiernis id non obtinet, & hac indemnitate multi utuntur ad fraudandos alios. Quod ſi ſervire neceſſum haberent, qui intemperantia, negligentia, culpâ manifeſtâ facti eſſent non ſolvendo, caverent ſibi vehementer, ne ſe ſuoſque in eam conditionem redigerent. Sed hodie homines ingenio eodem ſunt cum quæſtore iniquo, nolunt fodere, itaque omni fraude creditores ſtudent privare ſuis, ut ipſi vivant, & lautè ſæpenumero. Deus aliter cautum voluit juſtis dominis, aut alio modo proſpectum pauperibus; ut ſuos, ut ſeipſos potius venderent, quam aliis forent oneri. Honeſtiſſima autem ratio eſt, quam Deus inſtituit, neque eapropter quiſpiam vilipendendus. Nam ſervitus debuit eſſe moderata Lev. 25: 39. &c. *quando frater tuus apud te depauperatus fuerit, ſeque tibi vendiderit, non facies eum tibi ſervire ſervitute ſervi*, (ſlave) mercenarius, inquilinus apud te erit; non dominaberis ipſi *per ſævitiam*, ut ſis durus, immitis erga ipſum, *ſed timebis coram Deo tuo.* Servitus debet eſſe qualis mercenarii, ut opera ejus uſurparetur interdiu, non noctu, in artificio ſuo, non in alieno, non autem ut in contemtum adducatur. Hebræi dicunt: ſervum ancillamque Hebræos, tenetur herus ſibi æquare in cibo & potu in ſtrato & domicilio; debet enim cum ipſo more fratrum agere; quamobrem filia vendita, fiebat uxor heri, vel herilis filii, ubi nubilis facta erat; aut dimittebatur. Sive vero ſervus iſte eam moderationem experiretur ab hero, ſive non, tenebatur ad miniſteria, ut opus facerent ſibi imperatum; quod in ſuo ſervo laudat Centurio Matt. 8: 9. Quum enim fiat poteſtatis alterius, non ſuam ſed heri voluntatem debet facere. Obedientiæ ſervilis regula eſt, Eph. 6: 5. &c. *Continuatio* ſervitutis eſt *ſexennii*, in iis quos magiſtratus vendidit; nequeunt illi extendere ſervitutem per annos plures; vendebantque pro furto, non pro duplo &c. ſuperaddendo; ad quod obligabatur ceu ad debitum aliud, ubi ditior factus eſſet, vel rediiſſet ad libertatem ſuasque poſſeſſiones. Quiſquis vero ſemetipſum vendit, poteſt ille definire annorum numerum pro ſuo arbitrio, & libertas ei redibit, quando annos impleverit, uti Jacob ſe vendidit bis ſeptem annis pro filiabus Labanis, & ſex pro grege ejus Gen. 31: 41. quamquam id factum fuerit ante datam legem. Enimvero ſi quis potuiſſet vel conſanguineum habere redemtorem aut aliunde aliquid acquirere ad refundendum pretium ſuæ emtionis pro reſiduis annis, is poterat vendicari in libertatem, etiam intra ſpacium definitum, ut eſt Lev. 25: 48. &c. Quippe tunc ceſſabat cauſa ſervitutis, extrema paupertas; quæ una pretio libertatis redimenda eſt. Sunt tamen qui libertatem vendunt, ſeque ſervos conſtituunt, ut miſeri & pauperes ſint in æternum. Pauper & miſer eſt peccator Apoc. 3: 17. & qui ſe vendunt ut faciant quod malum eſt, pauperiem non vitant, ſed emunt, & pretium ſuæ libertatis ſtatuunt. Ut Achab 1 Reg. 21: 25. & Iſraelitæ 2 Reg. 17: 17. de quibus dicitur Rom. 6: 20. *cum ſervi eſſetis peccati, liberi eratis à juſtitia, quem fructum autem habebatis eorum, quorum pudet; nam finis & ſtipendium eſt mors.* Sic *venditi ſub peccato*; quos Diabolus vivos tenet illaqueatos ad ſuum lubitum. 2 Tim. 2: 26. Hæc ſervitus nulla terminatur annorum periodo. Sed potentiori manu eripiendi ſunt, & captivitas à Chriſto captivanda qui ſolus liberare poteſt ſuperato forti illo, & dare libertatem ad ſibi ſerviendum in juſtitia & ſanctitate omnibus diebus vitæ. Luc. 11: 21. cap. 1: 74.

2. *Libertas reddenda, ſed anno ſeptimo dimittes illum liberum à te.* Annis libertatis ſeptimus eſt, non Sabbathicus, ſeu remiſſionis terræ, ſed à venditione. Expreſſe enim dicitur *ſex annos ſerviet*; ſive in illis fuerit remiſſionis annus, ſive non. Quanquam quod Sabbathicus univerſis, idem ſeptimus hic annus ſervo ſignificabat, nempe vendicationem à maledictionis ſenſu evidentiore per Chriſtum, qui ſeptimo mundi die patefactus eſt Redemtor victoriosus ab autore omnis ſervitutis calamitoſæ, 2 Pet. 2: 19. victi diaboli ſunt ſervi ejus. Nam ſeptenarius numerus beneficium afferens, Sabbathum primum reſpicit, & Chriſtum in eo, autorem beneficii. Habuit itaque ſervus Hebræus Sabbathum libertatis, quo qui Hebræi non erant carebant, utpote alieni à politiâ Iſraelis eoque & ſine Chriſto, ſine ſpe, ſine Deo in mundo, Eph. 2: 12. Sic Iſraelitæ fuerunt circumcidendi die octavo, ut Sabbathum vitæ tranſiiſſet, quod reſpondebat ſeptimo diei mundi, quando Meſſiæ beneficium Adamo & Evæ publicatum fuit; quod die octavo, ceu proximo à Sabbatho liberis fœderatorum obſignabatur. Quamvis autem Sabbathicus annus ſervitutem non finiret, fecit id tamen jubilæus, ſive quinquageſimus, quando poſſeſſiones omnes alienatæ propter debita, redibant ad poſſeſſores ſuos hæreditarios; eaque propter ipſimet in ſervitute detineri non poterant; ſed quotcunque etiam reſtarent anni, egrediebantur ſervitute, & redibant ad conditionem primam) Exod. 21: 2. dicitur, *libere egredietur, gratis.* Jus ergo ipſi eſt egrediendi, etiam invito domino, quandoquidem non ultra ſexennium durat obligatio. Verum hic legitur, *dimittes eum*, ut hero mandetur, ne eum detineat. *Liberum* autem dimittet, ut non opus habeat inſtrumento ſeu tabulis libertatem teſtantibus. Hæ neceſſariæ, quando redemtio annorum fit; aut quando herus eum donat libertate ante tempus. Sed non heic ubi ſervitus ipſo jure finita eſt. Quod priore loco additur *gratis*, docet nullâ pecuniâ tunc indigere ut ſe vendicet in libertatem; imo ne quidem cum valetudinarius fuit ſervus, ut opus facere nequiverit, medico autem & medicina indiguerit, non licet hero petere ab ipſo mercedem ceſſationis, alimentorum, medicationis. Sed ſimpliciter eum tenetur dimittere.

Significatur ergo hoc pacto beneficium Meſſiæ anno gratiæ dimiſſionem publicantis, & unicuique ſuorum largientis poſtquam finita eſt cujuſque ſervitus. Publicatio iſta eſt. Eſa. 61: 1. *Spiritus Dei Domini ſuper me, quia Dominus unxit me, annunciatum Euangelium manſuetis: miſit me ad obligandum fractos corde, ad publicandum libertatem captivis & vinctis apertionem carceris.* Applicatio cuique fit anno ſuæ gratiæ, Eſa. 40: 1. &c. *Solamini, ſolamini populum meum, dicet Deus veſter, Loquimini ad cor Hieroſolymæ & clamate ad ipſam, finitam eſſe malitiam ejus expiata eſſe peccata ejus.* Quam petit David Pſ. 86: 16. Paulus item Rom. 7: 14. profeſſus ſe venditum ſub peccato, Gratias agit Deo per Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, qui miſerrimum vendicarat, & quod lex Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu ſe liberum feciſſet à lege peccati & mortis, cap. 8: 2. Quam moleſti ſunt anni ſervitutis, tam deſideratus annus libertatis, & gratiſſima ejus fruitio. Zacharias merito dicit, *Benedictus Dominus Deus Iſraelis, nam viſitavit, & redemtionem procuravit populo ſuo, & cornu ſalutis nobis erexit in domo Davidis ſervi ſui.* Autor redemtionis Deus Iſraelis; quibus data, ſunt populus ejus. Cor-

nu arietis inflabatur jubileo, qui inde nomen habet, à Jobel; & merito *cornu salutis* dicitur, quo publicatur salus & liberatio. Christus semen Davidis publicator ejus est: uti etiam robore suo conficit, unde cornu dicitur, & gloriam inde habet, quæ itidem cornu significatur. Sed quod præstitum Israeli, etiam nobis gentilibus convenit; nam Christus salus est coram oculis omnium populorum, tum Lux gentium, tum gloria Israelis Luc. 2: 32. Servitus gentilium etiam est sub forti illo, & proinde sub ejus captivitate continentur, quam captivam duxit Christus. Rom. 11: 32. *Conclusit Deus omnes, tum Judæos, tum Gentes, sub inobedientiam, ut omnium misereretur.* Deus non est autor inobedientiæ, sed conclusionis sub inobedientiam. Inobedientia carceris instar est, quo captivus undique obsidetur, ut exire nequeat; qui carcer naturalis ut Exod. 12: 29. filius incarcerati qui in carcere est: sic filii iræ natura. Deus autor conclusionis. Homines mortui in peccatis, circumdati vinculis, ut fasciis sepulchralibus cadavera; vincula illa sunt, mos mundi, efficacia Satanæ, & lubitus carnis & cupiditatum. Deus in illo carcere claudit, quando justo judicio tradit in potestatem Satanæ, mentem perversam, cupiditates varias. Sola autem Dei misericordia inde eximit, & dat libertatem, per Christum. Gal. 3: 22. Scriptura (quæ vox Dei est) omnia conclusit sub peccato, ut promissio ex fide Jesu daretur credentibus, Christus vindex est constitutus. Esa. 42: 6. &c. *è tenebris & caligine videbunt*, &c. Quibus tenebræ oculos claudunt ne videant: qui oculi cœcorum, Esa. 29: 18.

Atque hoc gaudium est signum liberationis primum: quis dubitat maximum fuisse gaudium servi, libertatem adepti. Ps. 126: 1. cum ex captivitate Babelis exiissent fuerunt ut somniantes, tunc os repletum risu, & lingua jubilo. Sic quando egressi ex Ægypto, domo servitutis, cecinerunt Hos. 2: 14. Ita quoque hic Esa. 9: 2. &c. Esa. 35: 10. Alterum est gratiarum actio liberatori Deo, qui finivit servitutem, & reddidit libertati, Ps. 116: 11. &c. *quid reddam Domino; omnia ejus beneficia sunt supra me; sumam poculum salutis, & Domini nomen publicabo: solvisti vincula mea, servi tui, offeram tibi oblationem eucharistiæ, & nomen Domini publicabo; solvam vota mea, nunc in præsentia omnis populi ejus.* Rom. 7: 24. Tertium est Spiritus Christi. Rom. 8: 2. *nam ubi Spiritus Domini ibi libertas.* 2 Cor. 3: 17. Non patitur ille tolerari servitutem, sed contra niti facit, ut eam quis penitus excutiat, & ut frui velit libertate, transformatus ad imaginem Christi de gloria in gloriam, tanquam à Divino spiritu; quo Christi liberatoris esse agnoscatur ex coloribus ejus. Denique quartum est vita obediens Deo. Ps. 116: 6, 9. *Liberatus à Domino* ambulabo *coram facie Domini in terra viventium.* Atqui coram facie Domini, quisquis ambulare se novit, illi studet placere. Equidem ὀφθαλμοδουλία inter homines damnatur Eph. 6: 6. quia tantum vident quod externum est; sed eadem apud Deum consumatam dicit obedientiam Gen. 17. vers. 1. non tantum externam, sed internam quoque, quia cor, & renes, & interiora Dei oculis non minus patent, quam externa, & quem Dei oculus probat, is vere probatus est. Quisquis de Libertate gloriatur, spectet ista; & si ista apud se invenit, finita sunt anni servitutis ejus, obtinuit libertatem, nunquam finiendam. Et quoniam duri & tyrannici Domini servitute excessit, qui per vim retrahere nititur, uti olim Judæi principes servos servasque Hebræos Jer. 34: 11. ne metu territus rursum se subjiciat, sed contra pugnet, & vindicem invocet, ut quod confecit, confirmet, & liberatum sibi servet. Ps. 123: 1. *Dominus gratiosus & justus & Deus noster miserans, custodiet simplices, ut tandem* dicere queant, *redi anima mea ad requiem tuam, nam Dominus bene tibi fecit.* Ps. 116: 5. &c.

Vers. 13. *Quum autem dimittes eum liberum abs te, ne dimittito eum vacuum.*

Vers. 14. *Liberaliter imponito collo ejus de grege tuo, & de area tua, & de torculari tuo; quo benedixerit Jehova Deus tuus, dato ei.*

2. *Modus* dimissionis est vers. 13, 14. generatim dicitur & speciatim.

a. *Generatim* vers. 13. *& quando eum dimittes à te*, ut exeat è domo & familia tua, ubi sex annis versatus est, *non dimittes eum vacuum.* In paupertatis remedium erat ista servitus venalis, extremæ plane: huic vero non foret consultum, si dimitterentur inanes plane: nam etsi sex annis servitutis de alimento & tegumento prospectum fuisset, cessabant illa subministrari anno septimo. Dimissi vacui rediissent ad eandem conditionem extremæ paupertatis, quæ coëgisset illico ad novam sui venditionem, vel movisset ad furtum Prov. 30: 9. quod nova venditione magistratus pensaretur; & utrovis modo periisset beneficium septimi anni. Sic Deus noluit ludere suis beneficiis, ut ea forent inutilia; quos liberos esse jubet, vult quoque habere, unde aliqua sit fruitio libertatis, ut ejus sensum aliquem habeant. Septimo anno remissionis terræ, quando proventus pauperum erat, dedit Deus benedictionem ut ex deciduis granis aut radicibus, atque ex arboribus non putatis excresceret; unde quid consequerentur. Exod. 23: 11. Lev. 25: 4, 5. Neque in spirituali liberatione Deus aliter agit, Esa. 61: 1. qui dimittuntur anno gratiæ ex vinculis & captivitate suæ servitutis, illis prospicitur; ne vacui abeant, sed ut eis detur *ornatus pro cineribus, oleum lætitiæ pro tristitia, indumentum laudis pro spiritu angusto*: ut sint *plantatio Domini* quo fiant *quercus justitiæ*; eo loco collocentur ut crescere deinceps ipsi valeant.

b. Huc etiam spectat modus dimissionis *speciatim.* v. 14. Ubi munera danda, de grege, area, torculari. Non imperat pecuniam, quæ omnibus respondere dicitur; Eccl. 10: 19. quia illâ male uti potuisset, & intemperanter absumere; sed quæ ad necessitates vitæ necessaria erant, alimenta & tegumenta. Alimenta quidem, *de areâ* frumentum ad comedendum; *de torculari* vinum ad bibendum, *de grege* carnes itidem in cibum; Provisionem mensæ. Tegumenta vero, præter vestes quas habebat, ab hero datas servo durante sexennio servitii, de grege, ut pelle seu lana calefieri posset. De omnibus istis quandoquidem omnium istorum indigus est, qui ne quidem diem unum sine pane quotidiano transigere potest, quod ei faciendum ut de futura vivendi ratione dispicere queat. Quidam id arbitrii faciunt hero, velitne de singulis horum dare, vel de omnibus, quod postremum textui magis congruere videtur.

Modus dandi, & doni qualitas. *Impones ei imponendo*, לו תעניק העניק *torque circumdato, ornabis ipsum* hisce donis. ענק *torques* est, qui collum cingit ornatus ergò. Sic Midianitæ habuerunt Jud. 8: 26. Confiebant ex pretiosissimis rebus, auris & gemmis, & gestabantur à dignissimis; regibus & principibus, Dan. 5: 7. Balsasar pollicetur isti, qui Scripturam ad parietam legeret & interpretaretur, vestem purpuream, & torquem aureum, & tertium dignitatis locum. Hinc impiis superbia pro torque esse dicitur Ps. 73: 6. quâ se ornatissimos esse putent. Jam heic jubetur herus servum dimittendum ceu torque ornare definitis muneribus; adeoque significatur qualitas doni, de potissimis. Non satisfacit ille si quod morbidum corruptumque in grege, quod frumenti vitiosum est, & vappam vini servo det, quemadmodum conficiendo torqui nihil vile destinatur, sed quod pretiosum est & optimum; sic quoque servo dandum de optimis. Dandum insuper liberaliter; geminatio verbi huc facit, ut donum dono addatur, quemadmodum in torque sunt annuli diversi, & gemmæ auro quandoque insertæ, unde de tribus illis generibus dandum colligitur, atque ut undique cinctus sit servus, uti torques undique ambit collum, & dependet ut omnibus spectabilis fiat; ita tantum imponendum, ut onustus undique esset, neque posset occultare accepta dona, verum exiens conspiceretur à quibusvis liberalissime ornatus heri liberalitate.

Denique unde summenda illa dona; *de eo, quo benedixit te Dominus Deus tuus, illi dabis.* Itaque non est onus inde possessionibus immobilibus, non de agro aut vinea partem; hæreditates non fuerunt alienandæ, sed de proventu duntaxat, de incremento gregum, deque horreo & torculari, quo messis & vindemia collectæ erant & paratæ servabantur ad usum quotidianum. Est verò hic doni proportio definita; non quidem dicitur quot mensuræ frumenti & vini dandæ, quot numero pecudes: unde apud Hebræos statutum, ad minimum æquare debuisse munera pretium triginta siclorum; quantum fuit pretium servi Exod. 21: 32. quo pensabatur damnum mancipii à bove cornupeta occisi; ut qui

He-

Hebræus ſervitute exibat, pretium quaſi ſui conſequeretur.

Ex torquis ſimilitudine colligere quis poſſet, non exceſſiſſe onus vires, geſtaturi, quantum ſimul portare valeret. Verum ſimpliciſſime dicitur, fuiſſe obſervandam proportionem benedictionis Dei. אשר pro כאשר quemadmodum. Quod ipſum habuit rationem aliquam mercedis, & ſimul argumentum fuit ſervo ut faceret officium ſuum in miniſterio. Fidelitas pii ſervi conſequitur benedictionem hero, cui ſervit. &c. Ita Jacob ad Labanem Gen. 30: 29. & Laban fatetur verſ. 27. deſiderans continuationem ſervitutis, Gen. 39: 2. &c. Joſeph emtus à Potiphare, Dominus fuit cum Joſepho, ut eſſet vir felix & herus ejus vidit, Dominum cum ipſo eſſe, & Dominum proſperare per manum ipſius quicquid ageret, & conſtituit ipſum ſuper omnem ſuam domum, & factum eſt ab eo tempore quo præfectus fuerat omnibus quæ habebat herus, ut Dominus benediceret domum Ægyptii propter Joſephum, imo benedictio Domini fuit ſuper omne illud quod habebat in domo & in agro. & verſ. 23. in carcere quoque omnia ei permiſit præfectus carceris, quia Dominus cum ipſo, proſperans omnia quæ faciebat. Pietas fidelitaſque ſervorum obtinuit benedictionem impiis Dominis. Propter quos vero hero benedictio obtingit, illis quoque merito de benedictione aliquid datur & liberaliter datur, pro benedictionis modo. Adeoque eſt hoc ſervis omnibus meditandum. Debent utique promovere heri ſui commodum, & cuncta agere quæ eo faciant. Huc facit omnis ipſorum labor; neque alio fine adſciſcuntur in domum & in eam veniunt, quam ut illud conſequantur. Id verò præſtant ſervi diligentia & fidelitate in ſuo opere. Jacob dicit Gen. 21: 6. ſe ſerviſſe *omnibus viribus ſuis*, & verſ. 38. &c. annis 20. ſe ſervum fuiſſe, & non comediſſe de grege, furtum etiam alienum ſive hominum ſive ferarum præcaviſſe vel penſaſſe, interdiu æſtum ſe conſumſiſſe, & noctu frigus, & ſomnum oculis excluſiſſe, ne quid damni pateretur Laban; quin etiam fœcunditatem gregis promoviſſe. Manus diligentis promovet commodum. Ignavus in ſuo opere frater eſt diſſipantis, prodigi Prov. 18: 9. ager quem colit operitur carduis, & tegitur urticis, cap. 24: 31. Servorum ignavia maximum damnum adfert rei familiari. Contra diligentia facit ad augmentum, Prov. 10: 4. & procurat pretioſum bonum cap. 12: 27. cap. 21: 5. Plurimum autem juvat diligentia, ſi ſociata fuerit pietati, & ex hoc fonte fluat, quæ in ſervis requiritur. Col. 3: 22. &c. *vos ſervi in omnibus auſcultate dominis ſecundum carnem, non* ὀφθαλμοδουλείᾳ, ut ἀνθρωπαρέσκοι *ſed cum ſimplicitate cordis timentes Deum, & quicquid feceritis ex animo præſtate tanquam Domino & non hominibus, nam Domino Chriſto ſervitis.* 1 Tim. 6: 1. honorandi domini, ne Dei nomen & doctrina blaſphemetur. Tit. 2: 10. nihil intervertentes ſed omnem bonam fidem oſtendentes, ut doctrinam Servatoris noſtri Dei ornent in omnibus. Qui in omni obſequio erga heros Deo ſervire ſtudent, conſequuntur à Deo benedictionem ſuper omnia quæ agunt, quæ cum heris ſuis agant, heri res augentur benedictione Dei. Joſeph ſic ſerviebat hero, ut nollet contra Deum peccare: quomodo Dei benedictionem à ſe ſuoque opere removiſſet, atque ſimul ab heri familia, quantum ea ſub ipſius erat manu & adminiſtratione. Imo pietas facit laborem ut fructuoſum, ſic quoque levem, Pſal. 128. &c. Pſal. 127: 2. Pſal. 1: 3. uti arbor plantata facilis eſt proventus arboris irriguo loco ſitæ, & ſic pietas conſtituit, ut ſit proſperitas, quæ quaſi ſuccreſcit ubertim. Neque tunc deerit fructus aliquis benedictionis procuratæ. Pſ. 128: 2. quamvis non ſibi ſed hero laborent ſervi, comedunt tamen cum hero de fructu ſui laboris, & habentur liberalius, quando per ipſos ſe opulentiores factos agnoſcunt. Utinam vero hoc ſcopo ſervirent hodie famuli famulæque, ut benedictione Dei cumularetur domus. Sed dolendum etiam nunc raros eſſe quales Jacob apud Labanem, & Joſeph apud Potipharem. Multi ſunt de quibus dicendum, propter illos benedictionem Dei arceri domo, & introduci maledictionem: qui non ſtudent augendæ rei ſuorum dominorum, ſed imminuendæ, vel ignavia & negligentia, vel prodigalitate & intemperantia, vel infidelitate & furto tum rerum dominorum ſuorum, tum temporis, quod illius operi faciendo debetur: quo prolabuntur dum ſervi ſunt ſuarum cupiditatum, ſuperbiæ, ventris, avaritiæ. Qui ſi cogitarent ſe dum ſerviunt, ſervire Deo, & Chriſto, utique omnem fidem & diligentiam præſtare vellent, ne contra Deum peccarent, à quo compenſatio exſpectanda, qualiſcunque etiam fuerit compenſatio hominum, Col. 3: 24. &c. pietatis exercitium vel neglectus in ſervitio, quomodocunque ſe habeat herus, remunerationem habebit benedictionis vel maledictionis: quarum hanc ut evadant, illam autem ut conſequantur, laborandum ipſis eſt.

Verſ. 15. *Et recordare te ſervum fuiſſe in terra Ægypti, ac redemiſſe te Jehovam Deum tuum: idcirco ego præcipio tibi rem hanc hodie.*

ר. *Rationes perſuadentes* ſunt,

a. *Exemplum Domini* Erga ipſoſmet. verſ. 15. ubi conditio ipſorum, *Recordaberis te fuiſſe ſervum in Ægypto.* Ipſimet fuerant in ſervitute annis non ſex duntaxat, ſed longe pluribus, inde à morte Joſephi propemodum; & ſervitus fuit duriſſima, in qua non ſibi, ſed duris dominis laborarunt, Exod. 1: 11. 13. de quibus anguſtiis auctis legitur cap. 5. & querela Iſraelitarum cap. 2: 23. cap. 5. cap. 6: 8. Poterant ergo ex propria experientia dicere, quam grave foret ſervire. Vocatur Ægyptus *domus ſervitutis*, ubicunque in ea regione degebant, in ſervitutis domo verſabantur, *& fornax ferrea*, & Deut. 4: 20. ob afflictionis acerbitatem, quaſi in ardente fornace. Meditandum jugi reco datione quam ærumnoſa conditione fuerint. Sic nunquam intueri poterant ſuorum ſervorum Hebræorum conditionem, quin tangerentur miſeratione & miſericordia, quod in eundem ſtatum recidiſſent ſua egeſtate, & non ſibi ſed aliis laborare cogerentur, comeſturi ſuum laborem. Neh. 9: 36. &c. *ſumus hodie ſervi, etiam in terra quam dediſti patribus noſtris, & multiplicat proventus ſuos regibus, quas ſuper eos conſtituiſti propter peccata noſtra, & illi dominantur ſuper corpora noſtra, & pecora noſtra pro ſuo placito; ſic ſumus in magna anguſtiâ.* Hæc enim differentia mancipii & mercenarii, laborant uterque domino, ſed mercenarii comedunt ſuum laborem, pretium compenſans Gen. 20: 30. illum, nihil vero mancipio datur, qui ipſemet alius eſt. Liberatio Domini, & Dominus Deus tuus te redemit, annum libertatis Deus eis procuravit, & quidem ut Deus fœderatus; hinc Exod. 3: 6. &c. ex rubo dicit ad Moſen, Ego ſum Deus Abraham, Iſaac, Jacob. Videndo vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & audivi clamorem ipſorum propter exactores eorum, etenim cognovi ipſorum dolores, propterea nunc deſcendi, ut liberem ipſos è manu Ægyptiorum. Dicitur Deus Hebræorum, verſ. 18. & Dominus Deus Iſraelis, jubens populum ſuum dimitti cap. 5: 1. Et hanc liberationem peregit, Exod. 20: 2. & ſæpius recitatur hoc beneficium. Pſ. 81: 7. Utitur hic verbo פדה *redimere* perſoluto lytro. Quod quidem diſcimus ex Eſa. 43: 3. &c. *Ægyptum redemtionis pretium dedi loco veſtro.* Sic dicitur Prov. 21: 8. de impio loco juſti, & cap. 11: 8. Judicia quæ in Iſraelitas venire debuiſſent, ob idololatriam eorum in Ægypto, ut quod dederant ſcandalum inter homines luereter, Ezek. 20: 8. illa Deus in Ægyptios ſtatuit & Deos ipſorum, quia Iſraelem elegerat in populum, & fœdus patribus juratum eis continuavit. Sed hæc liberatio non conſideratur ſola; fuit adjunctum aliquod, hic potiſſimum attendendum. Exod. 3. v. 20. &c. Exod. 11: 2. &c. cap. 12: 35. &c. Ergo Deus procurans Iſraeli dimiſſionem ab heris quibus ſervi erant, ſimul effecit, ut ceu torque onerarent eos ſuis divitiis. Exod. 12: 36. legitur, Deus dedit populo gratiam in oculis Ægyptiorum, וישאילום *& fecerunt eos petere*; non tantum aſſenſi ſunt petitionibus Iſraelis, ſed ipſimet Iſraelitas urſerunt ut peterent, & ſic ſpoliarunt Ægyptios non fraude quaſi mutuum petentes, nec vi, ſed volentes, & obtrudentes, quo liberarentur ipſorum præſentia, quam omnibus exitialem metuebant, ut primogenitis ipſorum fuerat. Pſ. 105: 37. &c. Hoc exemplum intueri ipſos vult, & imitari de quo dicit, propterea mando vobis hodie hanc rem. Quando populus dura ſervitute preſſus, cum dimitteretur, tanta opulentia fuit ornatus ab Ægyptiis, duplicatus eſt ejus de liberatione gaudium, adeo ut ſervitutis mala liberaliter penſata viderentur. Diviſiæ patuerunt in contributione ad tabernaculum, ubi maxima fuit copia auri, argenti, pretioſiſſimorum lapidum, veſtium, & materiæ ad omnem

va-

vaſorum apparatum. Sic itaque erga fratres dimittendos agendum erat, ut & ipſi ſervitutis ſuæ meminiſſe poſſent cum aliquo gaudio ob extremum ejus. Imitatores enim Dei eſſe debebant, qui liberi ejus erant, Eph. 5: 1. debebant aliis facere, quod ſibi factum lætabantur; & inſtruere miſeros illos, ut dimiſſi haberent quo tabernaculum Dei inſtruerent; non manu factum, ſed ſemetipſos, animam ſuam, ſtructuram Dei, in qua ſe commoraturum dixerat Lev. 26: 11, 12. 2 Cor. 6: 16.

Verſ. 18. *Ne durum videtor in oculis tuis quum ſic dimittes eum liberum abs te (nam duplum eſt mercedis mercenarii, quo ſervivit tibi ſex annis) ut benedicat tibi* Jehova *Deus tuus in omnibus quæ facies.*

b. *Æquitas* rei verſ. 18. cohæret enim verſus iſte cum verſ. 15. Duo intermedii inſeruntur per parentheſin, de caſu repudiatæ à ſervo libertatis: cui mandatum de dimiſſione non quadrat. Occurrit autem tacitæ objectioni, *Non erit durum* (difficile) *in oculis tuis, quando eum dimittes à te liberum* videlicet ſic ornatum & oneratum donis iſtis. Ita enim videtur de eo ſtatuendum, Durum iſtud eſſe mandatum. Emtum fuit ſervitium ſexenne, numerata pecunia in anteceſſum, antequam quicquam commodi inde perceptum eſt; quicquid egit ſervus tot annis hero, ſortis impenſæ fructus eſt. Dimittendus nihil meritus eſt, & nullum heri erga ipſum debitum: quare ergo aliquid daretur & adeo liberaliter daretur? Sed æquitas rei ſuppeditat reſponſionem. Nam duplum mercedis mercenarii tibi ſervivit, ſex annis. Lev. 25:40. talis ſervus non habendus ut mancipium, ſed propter gentis & religionis conſortium ut mercenarius. Jam mercenario debetur aliqua merces ſaltem, quam ſecum ferat, & de qua gaudeat extra ſervitium ſuum, liber, & ſui juris; nam etiam mercenarius ſervus eſt, dum in alieno opere eſt occupatus. Sic quoque aliquid huic ſervo dari æquum eſt, quod habeat & liber eo fruatur. Etenim fuit mercenarius admodum diuturno tempore. Mercenarius operam ſuam locabat ex arbitrio ſuo; fuerunt diurni. Job. 14:6. Matt. 20: 1. fuerunt annui, Eſa. 21: 16. fuerunt triennales Eſa. 16: 14. & hic fuit terminus longiſſimus. Servus Hebræus bis explorat illud ſpacium, geminum triennium. Eoque multo æquius, ut aliqua liberalitate ſublevetur. Diuturnitas ſervitutis ad liberalitatem movere debet, poſtquam fides ejus tot annis probata fuit. Æquitas poſcit compenſationem aliquam pro ratione laboris, qui plus cæteris egit, ne negligatur. Sed ſæpe contingit, ut qui diutiſſime duplum vel triplum onus ſuſtinent, negligantur; & qui parum vel nihil agunt proportione habitâ duplum obtineant; quoniam non æquitas in æſtimando labore attenditur, ſed favor, & quo favor paratus eſt pretium. Aliter agit Chriſtus, qui unicuique reddet ſecundum opus ſuum, Apoc. 22: 12. & Luc. 19: 15.

c. *Benedictio* Dei v. 18. *Sic Dominus Deus tuus te benedicet in omni quod facies.* Deut. 14. v. ult. Hæc promiſſio benedictionis identidem additur ad perſuadendam obedientiam. Nunquam Deus fruſtra colitur, quamquam id dicant impii Mal. 3: 14, 15. Eſa. 45: 19. adeoque Prov. 23: 17. Etſi in hoc ſeculo non detur benedictio ad evidentiam coram mundo, tamen dabitur certiſſime; Mal. 3: 16. liber memorialis ſcriptus eſt coram Deo, pro timentibus Deum, & cogitantibus de nomine ejus, & erunt mei, quo die facio peculium &c. Eſt dies deſtinatus, & manifeſtabitur differentia inter juſtum & impium, ſervientem Deo & ei non ſervientem. Serviamus ergo Deo in timore, & exſultemus coram ipſo cum tremore, & oſculum filio in homagium datum, obſequio conſtanti probemus, & conſequemur quam ſperamus & exſpectamus felicitatem, in æternum perennaturam. Amen.

Verſ. 16. *Sed erit ſi dicat ſibi, nolo exire à te, eo quod diligat te & familiam tuam, quia bene eſt ei apud te.*

Meditabimur initio mandatum Dei, per Moſen repetitum. Dixerat de ſervo Iſraelitâ Hebræo, qui venditus fuit in ſervitutem, ſive ſuâ, ſive Magiſtratus voluntate; quod poſt ſex annos ſervitutis reddendus eſſet priſcæ libertati; quem herus neutiquam retinere debuit, ſed inſuper liberaliter donatum dimittere. At nunc loquitur de tali ſervo, qui ſeptimo anno libertatem nollet, non ejiciendo. Deſcribit autem I. ſervum repudiantem libertatem. verſ. 16. II. herum eum retinentem verſ. 17.

a. *Servi* deſcriptio verſ. 16. dicit repudiationem libertatis, & cauſas repudiationis.

a. *Prius* in verbis, *Et erit quando dixerit ad te, Non egrediar à te*, ubi dicens, cui dicit, & quid dicit. I. *Dicens* eſt Servus frater gente & religione Hebræus, uti verſ. 12. Adeoque hero ſuo nobilitate humana, & divina, par. Ex eadem familia Ab. Iſ. & Jacobi natus, & æquo forte diſcrimine diſtans, ut quoad homines ſimilitudo hîc ſit: & qui ejuſdem fœderis vinculo ſociatus eſt Deo; huic æque propinquus, & charus, de populo, de filiis Dei. Sed ſtatus externi diſcrimen eſt, quia ipſe pauper, herus ditior; & hinc ipſe ſervus, ſub ejus imperio & poteſtate, herus vero dominus eſt qui imperandi jus habet & exercet. Sed porro qui dicit ſervus eſt, qui in ſextum annum ſervivit, & fere terminum ſervitutis attigit, adeo ut probe norit expertus, quid ſit ſervire, & quantum à libertate diſtet. Cui dicit Herus eſt; ad te, cui venditus fuit. Etenim nequit invito hero manere: uti enim nollet ipſe manere apud eum quem odiſſet, ita neque herus qui ipſum odiſſet, nollet domi ſuæ retinere. Equidem uti hero mandatur ut invitum non detineat, ſic quoque ne manere volentem ejiciat; at enim voluntatem heri in anteceſſum cognoſcere, uti ſuam illi patefacere debet. II. *Compellandus* ergo ipſi herus; non herus ipſum debet compellare deſuper, quod ſpem haberet prohibituri à libertate: & compellandus crebrius, Exod. 21: 5. *ſi ſervus ille dicendo dixerit*, ſæpius repetitis vicibus, ut voluntatis ſuæ ſinceritatem & conſtantiam ſic probarit. III. *Dictum* ipſum eſt. *Non egrediar à te*: perſeverabo in conditione meâ, ut porro ſerviam. Libertati, cujus repetendæ jus mihi eſt ineunte anno ſeptimo renuncio; malo ſervus eſſe quam liber, tuæ quam meæ poteſtatis, non meam facturus voluntatem, ſed tuam. Peregrina profecto oratio, dari liberæ gentis hominem qui tanto bono præferat contrarium malum, & maledictionem benedictioni. Gen. 9: 25. &c. Maledictus Canaan, Servus ſervorum ſit fratribus; benedictus Sem, & ſit ei Canaan ſervus. Non præcipitabimus tamen condemnationem ejus; niſi audiverimus ipſum, & non intellexerimus, quid cauſæ habeat.

b. *Poſterius* id eſt, *quia diligit te & domum tuam: quia bene ipſi eſt tecum.* Prima eſt cauſa Amor heri & familiæ ipſius. Affectus ſincerus erga herum, & quicquid ejus eſt, ut ab illo divelli nequeat, & propterea quærat omni modo occaſionem continuandi, quæ cum non ſit filius ſed ſervus: nequit alia eſſe quam ſervitutis continuatione. Magnum ſane & rarum exemplum, & quod in mercenariis hodie vix invenitur, ut ex amoris abundantia deferere herum nolint. Fugere ante tempus malunt odio heri, & odio domus ejus atque operis quod agendum habet per ſertos ut commodum habeat, quam amore ejus extendere miniſterium. Hic ſervus venditus, & qui mercenario durius haberi ſolet, quando liber eſſe poteſt mavult heri amore porro ſervire.

Altera cauſa eſt *quia bene ipſi tecum eſt*; generalis expreſſio hæc, ſed ſpecialior Exod. 21: 5. amo herum, uxorem meam liberoſque meos. Uxor & liberi ipſum retinent. Sed quæ uxor, & liberi? verſ. 3. ſi ſervus ille habuerit uxorem, Hebræam nempe & Iſraeliticam; uxor ipſius cum ipſo egredietur. Itaque amor uxoris & liberorum eum, non retinebit in ſervitute, ſed incitabit, ut quantocyus arripiant privilegium libertatis, & ſui juris eſſe velint. Verum verſ. 4. *Si herus ei dederit uxorem*, ſervam Cananæam (ſeu alienigenam, mancipium ſuum; hoc enim licuit hero, ut augeret numerum vernarium, quia in multitudine ſervorum divitiæ quoque conſiſtebant, Gen. 24: 31. cap. 12: 16. cap. 20: 14. cap. 13: 43.) *atque illa ipſi filios & filias pepererit; uxor & liberi erunt heri, ſed ipſe ſolus egredietur.* Serva enim quamvis Hebræo juncta fuiſſet, manebat ſerva, & liberi ejus omnes non niſi ad ſervitutem gignebantur, ut Gal. 4: 24, 25. Finitâ ergo ſexenni ſervitute, ſiquidem liber eſſe vellet, deferre debuit uxorem

rem qua cum tot annis vixerat, & liberos, quos ex illâ ſuſceperat. Hæc conſuetudo effecit, ut bene ipſi foret apud herum; hâc autem conſuetudine carendum erat libero; Herus qui dimittendum donare juſſus fuit de grege, areâ, torculari, non eſt juſſus id agere de famulitio. Quod ſi amor conjugis, & hujus pignorum non ferret diſcidium, quia ſecum abducere non licebat, debuit utique nolle ab illis abire, ſed apud eoſdem eadem conditione ſervili manere. Hæc cauſa priorem roborat; quia amat conjugem & liberos, ſervilis conditionis, tam impenſe, ut quod in alio conjugio valebat, individuam vellet vitæ ſocietatem, utique amat herum & familiam ejus, qui tam dilectæ uxori eum ſociavit, & ubi tot annis ejuſmodi uxoris ſocietate cum voluptate fruitus eſt. Utraque conditio honeſta, ex amore honeſtiſſimo profecta.

Verſ. 17. *Ut acceptam ſubulam indas auri ejus & ipſi januæ, ſic erit tibi ſervus in ſeculum: & etiam ancillæ tuæ facito ſimiliter.*

b. *Herus retinens* eum verſ. 17. deſcribitur, ab Actione, & actionis effectu.

Actio eſt, *Et accipies ſubulam dabiſque in aurem ejus & in januam.* Exod. 21: 6. plenius leguntur circumſtantiæ, *Et dominus ejus adducet eum ad Deos, & ſiſtet eum ad januam vel poſtem, & dominus ejus ſubula perforabit aurem ejus.* Ritus iſte docet, Herum petitioni ſervi aſſentiri, atque ſervitutem ipſius ſibi facere propriam & perpetuam. Ducendus autem fuit ab Hero Servus, ante finitum ſexennium (quo fieret ſervitus continua, non vero nova priori ſuccederet, quod fieret, ſi ſeptimo anno hæc ageret,) *ad Deos*, judices hi ſunt, qui iſto nomine vocantur, quia ad ipſos verbum Dei factum eſt, Joh. 10: 35. mandati nempe, de judicio exercendo. Fuerunt autem iſti Judices trium viri, quot hac voce deſignari teſtantur Judæi, & hoc judicium inferius reſpondere ſuperiori, Dei judicio in cœlis: quod proinde evincitur trium quoque eſſe. Patris, Filii, & Spiritus S. qui voce plurali Elohim deſignantur, qui crearunt mundum communi conſilio, & opera Gen. 1: 1, 26. eundemque regunt ac judicant Gen. 11: 7. qui tres tamen unum ſunt 1 Joh. 5: 7. Deut. 6: 4. Cæterum quod apud tres illos judices Elohim fiebat, coram Deo fiebat, cujus illi judicium exercebant, 2 Chron. 19: 6. & qui ipſis in judicii exercitio aderat. Pſ. 82: 1. Apud Elohim herus debuit ſiſtere ſervum illum, quia ab illis propter furtum debitumve venditus erat in ſexennium, ut coram illis ſervus profiteretur ſuam voluntatem; ne contra ſententiam Magiſtratus, vi fraudeve herili detentus crederetur, ſed propriâ electione ſerviturus deinceps. Tum ſiſtendus fuit ſervus ad januam vel poſtem ſive tribunalis, inſpectantibus judicibus, ſive privatæ domus; nam textus non explicat, iſtud forſitan circa eum qui à magiſtratu venditus eſt, hoc circa eum qui à ſeipſo, vel utrumque ad januam domus herilis, & ſubulâ (quam propria non aliena manus vel filii herilis, vel mandatarii, vel accenſi alicujus regeret,) perforare ejus aurem, ut ſubula per auriculam in ipſam januam penetraret. Auris inſtrumentum eſt percipiendæ voluntatis alterius, unde obedientia ſignificatur patula aure; hæc in ſervo ſubula affigebatur januæ domus ab hero, ut doceret aurem illam hujus mandatis ſolum patere debere. Hebræi delectæ ex omnibus membris auris hanc cauſam dant, Auris ejus audivit Deum dicentem ad montem Sinai, non furaberis, & furatur, perforabitur; ſic qui audivit, filii Iſraelis ſunt mihi ſervi, & ſeipſum vendit homini, perforabitur: Rurſum de poſte & janua delectis ad hunc uſum. Deus educturus Iſraelem ex domo ſervitutis alieno ſanguine notari fecit poſtes & ſuperliminare, qui ſponte ingreditur domum ſervitutis notabit januam illam ſanguine proprio. Saltem hoc pacto ſervus in corpore accepit notam publicam, ut ab omnibus inde agnoſci poſſet ſervus voluntarius, charactere indelebili, quo perforanti hero addictus erat.

Effectus actionis eſt, *Et erit tibi ſervus ſeculi.* Exod. 21: 6. & ſerviet ipſi in ſeculum. Exponunt iſtud uſque ad Jubileum, quando redibant ad poſſeſſiones ſuas. Sed mandatum eſt hoc inter conditiones fœderis, de Jubilæo autem demum poſt erectum tabernaculum. De mancipiis Canaæis, *in ſeculum eos habebitis ſervos* Lev. 25: 46. ubi de jubilæo agitur, cujus beneficio excluduntur. (De &c.) Seculum enim vocatur tempus vitæ hominis, quia terminus ejus obſcurus eſt. 1 Sam. 1. de Samuele dicit mater, verſ. 11. *dabo illum Domino omnibus diebus vitæ ejus*: ſic in voto: poſt in facto deſtinato verſ. 23. *manebit ibi uſque in ſeculum*; & exercito, *omnibus diebus quibus erit.* (Achis de Davide transfuga dicebat 1 Sam. 27: 12. *erit mihi ſervus ſeculi*; utique non ad Jubilæum; quid enim Philiſtæo cum Judæorum privilegiis? ſed ad vitam.) Heic quoque vita deſignatur, quæ unicuique ſuum eſt ſeculum: ſed quia quod dicitur *erit tibi ſervus ſeculi*, in Exodo eſt *ſerviet illi in ſeculum*, neque exprimitur ſitne ſervi vel heri ſeculum, Hebræi alterutrum ad fruendam ſervitutem ſufficere ſtatuunt. Si moreretur ſervus; nam tum liber eſt à domino ſuo Job. 3: 19. ſi quoque moreretur herus. Nam illi duntaxat non filio aut hæredi obnoxius fuit. Servorum Cananæorum fuit hæreditas Lev. 25: 45, 46. nequaquam Hebræi. Privilegium Jubilæi poſtea additum fuit Lev. 25: 40. quo redibant ad poſſeſſiones avitas. verſ. 13. Hæc ſunt ſtatuta de ſervo Hebræo nolente libertatem.

Additur in textu. *Etiam ancillæ tuæ facies ſic.* Sermo eſt de Hebræâ, non Cananæa ex verſ. 12. ſimilitudo autem juxta Hebræos reſtringitur ad rationem dimillionis, ne vacuæ diſcedendum eſſet, ſed bene oneratæ. Conjungenda hæc cum ſequentibus, unde verſ. 18. denuo de dimillione liberali agitur, non autem cum iis quæ hujus verſus ſunt. Perforationem enim auris in muliere locum habere negant: nam hanc obtinere in ſervo, quia amat herum & uxorem Cananæam, quæ exire nequit: ſed Hebræa ſerva nequit dicere, amo herum meum, & maritum meum Cananæum; quippe non licuit Hebræam ejuſmodi elocare ſervo Cananæo. Vendebatur minorennis, ut tandem nuberet vel hero ipſi, vel herili filio; quibus ſi diſpliceret, majorennis facta, annorum 12. & diei unius, privilegio ætatis libertatem recuperabat. De qua nihil ultra dicere neceſſum eſt.

Veniamus ad Chriſtum, & in ipſo contemplemur iſta quæ de ſervo dicta ſunt, quandoquidem unicum exemplum in Scriptura memoratum ipſe eſt, qui ſe talem à Deo factum dixit Pſ. 40: 7, *aures perforaſti mihi*, aut *fodiſti mihi.* Non reſpicit hic formationem auris, quod cava ſit, profunda cavitate: nam ſic aures omnium formatæ ſunt, Chriſtus autem aliquid proprium ſibi factum dicit. Neque excitationem ad audiendum: hæc dicetur excitatio, & apertio, Eſa. 50: 4, 5. non foſſio, ſed ſpectat appropriationem in ſervum. Heb. 10: 5. *corpus adaptaſti mihi*, idem dicit, ſervi corpus adaptatum erat ad ſervitutem perpetuam, quando auris ei perforata erat: neque alio modo aptari ad eam conditionem poterat: hoc enim ſi deeſſet finiti temporis ſervus erat: & Meſſias ſic declarat Eſa. 49: 5. *ſic dicit Dominus formator meus ab utero in ſervum ſibi: formatus in ſervum*, eſt perforatæ auris ſervus, cujus corpus charactere ſervi impreſſum habet. Ergo Chriſtus eſt Servus perforatæ auris, atque adeo in ipſo conditiones illæ obſervandæ, quæ quidem omnes ſingulari inſtitutioni & conſolationi ſerviunt.

(1.) *Perſona fuit ejuſdem cum hero originis & dignitatis* Hebræus Hebræo fratri ſerviebat. Chriſtus ſic ſe habet, ejuſdem eſt cum Deo Patre naturæ & dignitatis Joh. 5: 26. æqualis Patri Deo verſ. 18. effulgentia gloriæ & character perſonæ patris. Heb. 1: 3. vir proximus Deo, Zach. 12: 7. qui exacte ſimilis eſt uti homo homini. (*Qui cum eſſet in forma Dei, non duxit rapinam ſimilem eſſe Deo.* Phil. 2: 6.) Quanti autem iſte æſtimandus qui gloriam habet unigeniti à Patre Joh. 1: 14. adeo ut qui ipſum videt, Patrem videat, quia ipſe in patre, & pater in ipſo. Joh. 14: 9. Injuriam ei faciunt, qui natura patre minorem faciunt. Deus eum introducens in mundum, voluit ut angeli omnes eum adorarent, Heb. 1: 5. &c. & ut omnes honorent filium ſicut honorant patrem qui eum miſit; ſe ipſum non honoratum judicans, ſi ipſe miſſus non honoretur. Joh. 5: 22. Agnoſcendus nobis eſt quod ſit filius ille Dei viventis, qui in mundum venturus erat Joh. 11: 27. verus ille Deus & vita æterna 1 Joh. 5: 20. Quia vero Deus verus, unus cum Patre, utique poteſt ſervare ſuos Joh. 10: 28. &c. Beati omnes qui confidunt in ipſum, qui filius Dei unigenitus Pſ. 2: 7, 12.

(2) *Status ſervilis.* Et hic in Chriſto certiſſimus. Matt. 20: 28. non venit ut ſibi miniſtretur, ſed ut miniſtret. Servum ſuum dixit Pater. Eſa. 42: 1. cap. 53: 10. cap. 52: 10. *ſervus meus proſpere aget; altus erit* (præ Abrahamo) & extolletur, (præ Moſe,) *& excelſus erit valde,* (præ angelis miniſterii.) Zach. 3: 8. *adducam ſervum meum Germen.* cap. 12: 7. *Paſtor meus.* Profitetur de ſe ipſemet Eſa. 49: 3. *Dominus ad me dixit, Servus meus es.* & verſ. 5. & verſ. 6. dixit ad me, *Leve eſt, ut ſis ſervus meus ad erigendum tribus Iſraelis.* &c. Joh. 14: 28. *Pater major me eſt.* Videte manſuetudinem & humilitatem Chriſti, quam ex hoc capite Apoſtolus commendat Phil. 2: 5. &c. ille ſenſus ſit in vobis, &c. Sed ipſe etiam Chriſtus Matt. 11: 29. diſcite à me &c. Incomprehenſibilia iſta ſunt, Deus Dominus & hæres omnium, idemque ſervus. Nemo ſuperbiat; ſuo dominio, maximus poteſt fieri ſervus. Si id factum in filio Dei, licet ſponte; nihil mirum ſi fiat in filiis hominum, invitis licet. David unctus rex Iſraelis factus ſervus Achiſi, & homines primi terræ univerſæ domini facti ſervi diaboli, à quo victi ſunt. Nemo contemnat ſervum, in iſta conditione fuit filius Dei; nec pudeat ipſius ferre ignominiam, & ipſi hoc quoque pacto aſſimilari. Nemo in ſervili ſtatu impatiens ſit, cum hic patientiæ exemplum habeat Chriſtum nemo in eo deſperet, Chriſtus novit animum ſervi, & quia tentatus etiam hic, poteſt & vult quoque ſic tentatis ſuccurrere, ſiquidem ad ipſum quis confugiat.

(3) *Cauſa ſervitutis eſt vel ſententia judicis ob debitum vel furtum, vel voluntas propria:* in Chriſto utraque. Voluntas Patris. Joh. 6: 38. *Deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui me miſit.* cap. 10: 37. *facio opera patris mei,* cap. 12: 49. *à me ipſo non ſum locutus ſed Pater qui me miſit, dedit mihi mandatum, quid dicere & quid loqui debeam: quæ ergo loquor, loquor ita, uti pater mihi dixit.* cap. 17: 4. *conſummavi opus quod mihi dederas faciendum.* II. Factum autem iſtud ad compenſationem furti & debiti, non proprii, ſed alieni, pro quo ſpopondit. Debitor autem eſt creditoris ſervus. Prov. 22: 7. De furto ait Pſ. 69: 4. quod non rapui, tunc rependo, de debito dicitur Eſa. 53: 6, 7. *Deus omnes noſtras iniquitates in ipſum fecit incurrere; cum exigeretur fuit afflictus, & non aperuit os ſuum.* III. Voluntas propria. Eſa. 53: 4. *Certe infirmitates noſtras ipſe ſuſcepit, & dolores noſtros tulit.* Eſa. 53: 5. I. *Dominus aperuit mihi aurem, & non ſum rebellis, non retrorſum eo. Do tergum ferientibus, & malas depilantibus, non abſcondo faciem ab ignominia & ſputo.* Phil. 2; 7. &c. *Semetipſum exinanivit forma ſervi accepta,* &c. *ipſe ſe ſubmiſit, factus obediens Patri.* Admiremur voluntatem utriuſque & Patris ad exanitionem filii, & filii ad exanitionem ſui ipſius. Scilicet Conſilium pacis fuit inter ambos illos. Zach. 6: 12. Voluit Pater oneroſam provinciam ſervi imponere filio, & filius voluit illam ſuſcipere. Matt. 26: 39. *non mea voluntas fiat, ſed tua.* Joh. 12: 27. *anima mea turbata eſt, & quid dicam? Pater libera me ab hac horâ? ſed propterea veni in hanc horam, Pater glorifica nomen tuum.* Pſ. 40. in volumine. *Ecce adſum, ut faciam, ô Deus, voluntatem tuam, & lex tua in viſceribus meis eſt.* Et hoc nobis diſcendum, quando voluntas Dei nos vendit ob peccata noſtra, ut voluntas noſtra obedienter ſe Deo ſubjiciat, citra repugnantiam aut murmur. Neh. 9: 33. *juſtus es in omnibus quæ contigerunt nobis: tu enim fideliter egiſti, nos vero impie egimus.* verſ. 36. *Sumus hodie ſervi,* &c. *& nunc obligamus nos tibi fœdere.* 1 Pet. 4: 19. qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, commendent animas Deo ceu fido creatori benefaciendo. Mich. 7. verſ. 9. Pſal. 39. verſ. 10.

(A) *Conjugium cum ſerva peregrina, ex placito heri.* Hoc omnino obſervandum. Conjugium Chriſti eſt cum Eccleſia; ſed quæ peregrina eſt, Iſraelitica, Ezek. 16: 3. &c. *genituræ ſunt è terra Cananæorum; Pater Amoræus, mater Hitthæa.* & hanc ſibi deſponſavit. Gentilis multo magis, Eph. 2: 12, 13. Ex hominibus ambæ, & quidem peccatoribus, venditis ſub peccato 2 Reg. 17: 17. Rom. 7: 14. Eph. 2: 2, 3. Sed quos Deus elegit ex mundo & traduxit in ſuam domum, ut ſint ſervi. Eph. 2: 19. Iſraelitæ Lev. 25: 42, 55. *filii Iſrael ſunt mei ſervi, ſervi mei ſunt, quos eduxi ex Ægypto, Ego ſum Dominus Deus veſter.* Gentiles 1 Cor. 7: 22. qui liber vocatus, ſervus eſt Chriſti. Eſa. 56: 6. Hos conjugio ſibi copulat Chriſtus: Iſraelem Hoſ. 2: 19. Gentiles. Eph. 5: 32. Init iſtud conjugium ex voluntate Patris Matt. 22: 1. Job. 6: 37. *Quicquid dat mihi Pater ad me veniet, & eum qui venit ad me, nequaquam ejiciam foras, nam deſcendi de cœlo* &c. cap. 17: 6. *homines quos dediſti mihi è mundo, tui erant, & mihi eos dediſti.* Quanta hinc dignitas naſcitur miſeris peccatoribus. Cananæi omnes ſumus origine, maledictioni obnoxii: ſed quotquot in domum Dei adſciti ſumus, felicitatis multum conſecuti ſumus. Prodigus optabat in domo paterna eſſe titulo mercenarii. Luc. 15: 19. Melius eſt eſſe ſervum in domo Dei, quam regem in regno Diaboli. (Hoſtes in prælio occiduntur; qui capiuntur in domum ducuntur ſervituri: ſed hi vitam & ſuſtentationem ibi habent.) Felicior portitor liminis hic, quam qui iſtic ſedet in throno Pſ. 84: 11. (Hoſtes &c.) Sed hic inſuper datur matrimonium, non cum ſervo Cananæo, maledictionis hærede, ſed cum Hebræo, qui habet benedictiones. Cum Chriſto, in quo plenitudo omnis benedictionis; non claudeſtinæ nuptiæ, ſed ex voluntate uti Chriſti, cujus delectatio eſt cum filiis hominum Prov. 8: 31. ſic Patris Joh. 3: 18. Quid poteſt ad hanc felicitatem adjici.

(5) *Cauſa continuandæ ſervitutis in ſervo, amor heri, & uxoris ſervæ.* Hic Chriſti amor ferventiſſimus & evidentiſſimus. Patris quidem. Joh. 14: 31. *ut mundus norit quod Patrem diligam,* &c. Dilectio patuit ex obſequio in re duriſſima; & hinc amatus Joh. 10: 17, 18. Hinc Joh. 4: 34. *hic eſt cibus meus* &c. Conjugis ſervæ. Eph. 5: 25. &c. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro illâ, (ut eam ſanctificaret* &c. *ut eam ſibi glorioſam ſiſteret, Eccleſiam non habentem rugam aut maculam, aut quicquam ejuſmodi, ſed ut ſit ſancta & inculpata)* amat eam ut corpus proprium, quod alit & ſuſtentat. Joh. 17: 9. *Ego pro illis rogo, non pro mundo* &c. verſ. 19. *& pro illis me ſanctifico.* verſ. 24. *volo, ut ubi ego ſum etiam illi mecum ſint* &c. Exclamandum hic, ô quantam charitatem dedit nobis Chriſtus, ut uxorem ſuam nos dicat, ut propter nos tanquam propter uxorem deſeruerit domum & gloriam Patris, & habitarit nobiſcum, ut agglutinatus fuerit, atque nobiſcum una caro factus. Eph. 5: 31. myſterium iſtud magnum eſt, & quos dilexit ad finem dilexit. Joh. 13: 1. Adeoque *quis ſeparabit nos à dilectione Chriſti?*

(6) *Perfoſſio auris ab hero: quam patitur, ut ſemper conjugi adeſſe queat in domo herili.* Hæc animadvertenda in Chriſto Pſ. 40: 7. &c. quando hanc oppoſitam dixit hoſtiis aliis. *aures perfodiſti mihi, Ecce venio* &c. Repudiatis hoſtiis aliis, perfodit aurem; ergo in hoſtia Chriſti perfoſſio obſervanda. Tum fuit Chriſtus in judicio & anguſtia, Eſa. 53: 8, 10, 11. ubi afflictus contritus fuit; & ipſe ſponte venit, ut voluntatem Dei faceret; quia voluntate ſanctificati ſumus hoſtia Jeſu Chriſti ſemel factâ. Heb. 10: 10. quando animam ſuam dedit aſcham & ſic vidit ſemen &c. ut liberis ſuis frui queat. Zach. 12: 7. *& diſpergentur oves, & manum meam vertam ad parvulos.* Phil. 2: 8. *obediens factus eſt Patri uſque ad mortem crucis:* ad hunc poſtem ſe ſtitit perforandum, ut ille ſignaretur ſuo ſanguine. Sed exaltatus, Joh. 12: 32. in cruce, omnes ſuos ad ſe traxit, & ſibi illorum indiſſolubilem ſocietatem procuravit. Merito dicimus cum Paulo 1 Cor. 2: 2. non conſtitui quicquam ſcire præter Chriſtum, eumque crucifixum. Hic vulneratus eſt propter nos, & caſtigatio palis noſtræ ſuper ipſo fuit, & nobis ſanatio facta eſt Eſa. 53: 5. Vulnera ejus quæ videmus, ei inflicta ſunt in domo amicorum ſuorum; ab hero quem amat, ob conjugem quam amat, ut in domo eadem cum illis manere queat. Serva conjux quanto affectu procul dubio oſculata eſt perforatam aurem mariti, & exſuxit ſanguinem, merum amorem ſuxit. Sic nobis faciendum. Videmus vulneratum in cœna, edite, bibite hîc, & inebriamini amoribus. Cant. 5: 1.

(7) *Effectus ſervitus perennis, dum vivit tum ipſe, tum herus.* Sic Chriſtus, uti ante perforationem. Phil. 2: 8. Obediens uſque ad mortem. Sic poſt ſemper Joh. 10: 18. Rom. 6: 10. mortuus, deinceps vivit Deo, ad gloriam Patris. Apoc. 1: 20. *pono animam à me ipſo, nemo eam tollit, habeo poteſtatem* &c. *hoc præceptum accepi à Patre meo.* Vitam receptam juxta regulam mandati inſtituit, Joh. 6: 39. *hæc eſt voluntas patris, qui me miſit, ut quicquid mihi dedit, non perdam ex eo, ſed excitem ultimo die, & dem vitam æternam.* Pſ. 110: 1. ſedens ad dextram Dei, ſceptrum potentiæ ejus emittit Deus, & mandat ei dominium in medio

inimicorum declarat esse Sacerdotem æternum, qui perfecte servare potest accedentes per ipsum ad Deum, semper vivens ut pro iis interpellet Heb. 7: 25. *& postquam subjecta ei fuerint omnia, tunc & ipse filius subjicietur ei, qui subjecit ipsi omnia, ut Deus omnia sit in omnibus*, 1 Cor. 15: 28. serviturus Deo, ut filius & hæres omnium, dum durat seculum Patris, in omnem æternitatem. Servitus hæc Christi glorioſa eſt. Apoc. 5: 6. in medio throni consistit Agnus mactatus, & dignus habetur aperire sigilla libri, omnem potentiam exercere Matt. 28: 18. Act. 5: 31. Gratioſa uxori ejus cujus patronus est Heb. 7: 25. 1 Joh. 2: 1. & cui nuptiales vestes donat Eph. 5: 25, 26, 27 Apoc. 19: 7. Beati qui vocati sunt ad nuptias agni.

Verſ. 19. *Omne primogenitum quod nascetur in armento tuo, & in grege tuo, quod mas erit sanctificato Jehovæ Deo tuo ne utitor primogenito bovis tui, neque tondeto primogenitum gregis tui.*

II. Moſes inde à cap. 14: 1. quando affirmavit esse ipsos filios Domini Dei sui, mox commendavit ambulationem illa conditione dignam, tum in luctu super mortuos: tum in ciborum delectu; tum in decimis & illarum vario usu; tum circa pauperes, obæratos, extremæ egestatis, & servos Hebræos. Restat adhuc caput unum, de primogenitis, quod nunc meditandum. De quibus jubet legitimam sanctificationem verſ. 19. & fruitionem verſ. 20--23.

A. *Sanctificatio* definitur circa primogenita verſ. 19. ubi primum illa describenda, & origo hujus constitutionis.

Primogenitus est qui primus genitus est, sive à patre sive à matre: & sic tam in brutis quam in hominibus. Primogenitus patris quem primum genuit, dicitur *principium roboris* ejus Gen. 49: 3. Deut. 21: 17. Pſ. 78: 51. & Pſ. 105: 36. Primogenitus matris, quem primum peperit, dicitur *aperiens uterum*, Exod. 13: 1, 12. cap. 34: 19. Primogenitus patris habuit ab antiquo prærogativam inter fratres, excellentiam dignitatis & portionis hæreditariæ; unde Jacob illud jus tantopere affectavit ut ab Esavo in se derivaret, Gen. 25: 31. Ruben ob incestum amisit. Gen. 49: 3, 4. & Deus jus istud adseruit in Israele observandum. Deut. 21: 15. Primogenitus matris nullam in familiâ habuit prærogativam supra cæteros filios, imo juxta cum illis inferior fuit primogenito patris: sed habuit prærogativam respectu Dei, unde sanctitatis vocari debet, uti alter dominii & hæreditatis. Uterque aliquo modo adumbravit Christum, matris, personam ejus; patris, officium. Matris, personam, quia debuit esse semen mulieris, virginis, viro non cognitæ; qui aperiret uterum, Luc. 2: 23. à patre non genitus. Patris, officium, quia primogenitus seu summus debuit esse inter multos fratres, princeps omnium Rom. 8: 29. Quippe quia hæc fuit tributa excellentia, nomen primogeniti dicitur de excellente supra alios. Sic Christus Pſ. 89: 28. *Dabo illum primogenitum, excelsum supra Reges terræ.* Col. 1: 18. *primogenitus ex mortuis, ut in omnibus primus sit.* Et Judæi dicunt, *magna est excellentia dici primogenitum; nam refert quadantenus Deum, qui primogenitus est sui mundi.* Quomodo Apostolus dixit de Christo Col. 1: 15. *primogenitus omnis creaturæ.* Hoc loco de primogenito patris non agitur, sed de matris; quod solum in brutis quoque reperitur: de quibus textus loquitur. Cæterum Sanctitas primogenitorum matris sic cœpit. Deus cum Israelis redemtionem ex Ægypto susciperet, hoc denunciari jussit Pharaoni, Exod. 4: 22. &c. filius meus, primogenitus meus &c. quod si renuas eum dimittere, ecce filium tuum, primogenitum tuum necabo. Atque hoc ultimum fuit judicium, quo extorsit dimissionem, ut percusserit omnem primogenitum in Ægypto, maximum minimumque dignitate inter homines, & in omni pecore. Hoc facto illico legem tulit. *Sanctifica mihi omne primogenitum, aperiens uterum, in filiis Israel de hominibus & de brutis; meum est.* verſ. 12. restringitur ad solos masculos; adeo ut fœmellæ quamvis aperientes uterum, maneant conditione communi, & causa legis est, quia in cæde primogenitorum omnium in Ægypto, quicunque fuerunt Israelitarum, præteriti fuerunt, ut Angelus perditor eos: non attingeret.

Sanctificatio ista segregavit eos Domino, ut ejus ministerio addicerentur, adeo ut eopse titulo forent Sacerdotes; qui ad Dominum propinquandi jus haberent. Sic enim describuntur primogeniti Exod. 19: 22. qui vocantur adolescentes filiorum Israelis, holocausta offerentes, quibus id muneris quoque impositum in solennitate sanciendi fœderis. Exod. 24: 5. Equidem ab initio sanctificationis redimendi potestas facta parentibus Exod. 13: 15. Verum illâ usi non sunt, quia tantæ dignitatis æstimabatur, ad Dominum posse accedere Sacerdotis titulo; unde affectata illa fuit, & severissimis judiciis ambitio castigata in Kora, & Sociis, in rege Uzzia; & miraculo florentis baculi amygdalini submovit Deus Israelem universum, postquam ad Aaronem illud munus fuit devolutum.

Observandum, quantum distet judicium hominum hodie ab illo Israelitarum Summo honori ducebatur sanctificatum esse ad ministerium Dei: nunc dedecori esse creditur, & qui in mundo excellere student, declinant istud in liberis ceu ignominiosum. Sed non mirum: volunt excellere in mundo, & propterea honorem hominum majoris faciunt, quam honorem Dei. Sanctificantur proinde liberi non Deo, ut in domo ejus ministrent, sed Deo hujus seculi, ad ministerium ejus in omni vanitate & cupiditatibus, ut militent ejus militiam, à quo etiam mercedem tandem consequuntur, siquidem in hoc Sacerdotio vitam finiant. Israelitis magno fuit dolori, & pudori isto honore primogenitos excidisse; Quod factum postquam Sacerdotio suo abusi fuerunt ad cultum vituli, (neque enim victimæ tunc ab aliis oblatæ fuerunt) Exod. 23: 6. & Deus Israelem universum impurum declaravit in suis donis, cum transire fecit omnem primogenitum Ezek. 20: 26. ut nulli fas esset accedere ad functionem illam, exercendam; ceu impuro; Assumsit autem illorum loco tribum Levi, quæ ultionem contra idololatrs exsecuta est, & à Deo sanctificata. Num. 3: 40. &c. Ab illo tempore primogeniti aperientes uterum sanctitatem nativam debuere redimere quinis siclis sanctuarii; qui Aaroni, filiisque sacerdotibus cedebant, quibus à ministerio esse debuissent. Hinc liquet peccatum esse חסר fœdissimum scelus in natione. Prov. 14: 34. Non potuit Israelitica natio intueri, unquam primogenitum matris & pro illo Levitam ministrantem, quin simul convictionem observarent reatus aurei vituli, qui accessu ad Deum arcebat. Unus tamen Israelitarum est, cui jus illud primogenituræ sanctitatis salvum mansit, Jesus Christus qui aperuit uterum matris, nullo patre cooperante, natus ex virgine, sanctus ab utero, Sacerdos altissimi, non secundum ordinem Aaronis, qui alias familias excludit, sed secundum ordinem Melchizedek; quem Deus fecit appropinquare, & accessit, animam suam sponsionis pretium habens Jer. 30: 21. Hoc primogenito, quia semem mulieris ex primo Euangelio, nos quoque gaudere quimus, quibus cum Leviticis Sacerdotibus nihil est negotii, uti neque cum victimis brutis quas offerebant; quoniam meliorem habet, animam, ascham, corpus suum hostiam, cujus unica oblatione in æternum consummavit quotquot sanctificantur, & potest perfecte salvare eos qui per ipsum ad Deum accedunt, semper vivens ut pro iis intercedat vi sui sacrificii, semel oblati in cruce. *Hujus nos hostiæ memoria exerceat.*

Sed omittimus primogenitos hominum, de quibus in præcedentibus libris scripsit Moses, sed nihil hic repetiit, solum nunc agens de primogenitis brutorum. Servarunt illa suam sanctitatem inde à primâ institutione, in memoriam beneficii ipsis dati, cum Ægyptiorum primogenita in brutis occiderentur plaga percutientis angeli; quod factum vi fœderis gratiæ, quia fœderatorum Israelitarum erant, & conservatum fuit mnemosynon sequentibus seculis; quemadmodum cum Noacho fœderato bruta quoque conservata sunt in diluvio, & nunc quoque ab alio diluvio universali servantur. [Porro &c.] quæ Deus sanctificavit, suo beneficio segregavit, etiam Israel debuit sanctificare, segregare ad cultum Domino Deo suo, ut fœderati Dei beneficium agnoscatur. Quod Deus sanctificavit, etiam hominibus sanctificandum. Sanctificandum Sabbathum, quia Deus sanctificavit illud. Act. 10: 15. *quod Deus mundavit, tu ne pollue*, dicitur Petro: quod Deus sibi segregavit, nemini fas est commune facere. uti primogenito bovis nullum faciendum opus; ovis ejusmodi lana non quærendum commodum, sic Sabbatho Dei non utendum ad arationem,

meſſem, ullum opus privatum, multo minus ad miniſterium carnis & voluptatum, mundi & moris ejus. Sed & panem & vinum in S. Cœna Chriſtus ſanctificavit ſibi, atque in ſui memoriam ſanctificari à nobis voluit. Cavendum ne ceu communis eſca habeatur, ſed ut rite diſcernatur, ut à probatis & bene præparatis ſumatur, alioquin ad judicium ſumetur, uti qui ſancta profanarunt. Imo ſanctificavit nos ſibi Deus in conjugem, carnem unam. 1 Cor. 6: 15. &c. in templum, quod inhabitet; ſanctificandum idem nobis, 2 Cor. 6: 16, 17. (*Annon noſtis corpora veſtra eſſe membra Chriſti? ſumamne ergo membra Chriſti, & faciam ea membra ſcorti?* aliuſve cupiditatis? *Abſit*, 1 Cor. 6: 15.) *Si quis templum Dei polluit, Deus eum perdet: nam templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* 1 Cor. 3: 17. *eoque glorificate Deum* &c. cap. 6: 19, 20. De Iſraele dicitur Jer. 2: 3. *Iſrael fuit Deo ſanctitas, primitiæ proventus ejus; omnes comedentes eum rei habebantur, malum ſupervenit illis, dicit Dominus.* Ne quidem noſtibus, perſecutoribus, impune fuit ſanctum Dei populum læſiſſe, devoraſſe: multo minus impune erit ipſimet populo Dei, ſe polluiſſe. Jer. 11: 15. *quid dilectæ meæ in mea domo?* Hinc Eſa. 43: 27. &c. *Primus pater tuus contra me peccavit, & interpretes tui contra me transgreſſi ſunt; propterea principes Sanctuarii profanabo, & Jacobum tradam anathemati, & Iſraelem opprobriis.* Quod ſi Deus naturalibus ramis non pepercit, qui ſancti ſunt ſanctæ radicis, quid nobis exſpectandum, qui per inſitionem ſanctificati ſumus, ſiquidem ſanctitatem neglexerimus, quamobrem quia tanti beneficii conſortes ſumus, mundemus nos ipſos &c. 2 Cor. 7: 1. & ſancti ſimus, uti Deus ſanctus eſt. 1 Pet. 1: 14, 15.

[Porro animalia ſanctificanda hic enumerantur, *de bobus & ovibus*, ſub quibus caprinum genus comprehenditur, maribus; quæ pecudes altari admoveri poterant. Exod. 13: 2. generaliter dicitur, de hominibus & brutis primogenitis ſanctificandis, ut & verſ. 12. ſed verſ. 13. de primogenito aſino redimendo mandatur, agno, aut alias necando. Sic Exod. 34: 19. &c. Judæi itaque ex immundis animalibus ſolum aſinum cenſent redimendum. Verum Num. 18: 15. &c. omnia primogenita immunda dicuntur redimenda; ſed eo diſcrimine, quod pretium redemtionis in aſino definitum eſſet, agnus; in aliis æſtimatio fuit ſacerdotis. Scil. quia primogenita immundorum animalium etiam cæſa fuerunt in Ægypto, hæc quoque Deo fuerunt appropriata, & hacpropter redimenda: ut ubicunque memoria beneficii divini exſtaret, ibi quoque foret grata recognitio. Quo facit interdictum profani uſus; primogeniti labor non uſurpandus, nec lana tondenda: & ſic quoque de miniſterio aſini ejuſmodi, aliuſque animalis. Etenim quod Dei eſt, Dei manere debet. Matt. 22: 21. *Date Deo, quæ ſunt Dei.* Primogenita Deo vovere non licuit, quia Dei erant à nativitate Lev. 27: 26. Non licuit iis ad privatum commodum uti; quia Deo eripiebatur quod ſuum erat. Maledictio graviſſima denuncianda ſpoliantibus Deum Mal. 3: 9. Primogenita hodie eam ſanctitatem non habent, quia noſtris pecoribus beneficium Ægyptiacum non factum, ſed quæ alia Dei facta ſunt, anathemata, quæ idolis olim fuerant ſanctificata, ejuſdem etiam indolis: uti docuimus ex Deut. 7: 25, 26. Inde ſibi ſumere, aut etiam Deo vovere, ſacrilegium habet, & facit anathema illum qui id admittit, cum omnibus quæ habet. Generaliter autem heic notandum,] Petrus negabat unquam ſe quicquam polluti comediſſe Act. 10: 14. & ſolliciti erant Judæi, ne cum præputiato comederent Act. 11: 3. tanta fuit ſanctitatis ſuæ cura. Haud minor nobis ſit noſtræ ſanctitatis, ne quid ejus carni, mundo, diabolo in miniſterium detur, ne membra noſtra fiant arma injuſtitiæ & impuritatis, ſed tantummodo juſtitiæ ad ſanctimoniam; atque adeo vivamus Deo ad gloriam ipſius. Rom. 14: 8. ut tum in vita, tum in morte Domini eſſe deprehendamur.

Verſ. 20. *Coram Jehova Deo tuo comedito illud quotannis in loco quem elegerit Jehova: tu & familia tua.*

B. *Fruitio* deſcribitur primogenitorum de mundis animalibus, quæ nominarat verſu præcedente, Ubi, Quando à Quibus comedenda. v. 20,

℣ 1. *Ubi* eſt, *coram facie Domini in loco quem elegit* in ſedem tabernaculi ſui; quod etiam dixit Deut. 12: 17, 18. cap. 14: 23. cum enim Dei forent, æquum erat ut ad domum ejus deferrentur; quo proprietas Dei agnoſceretur, & ab ipſius quaſi manu acciperent, qui fruituri erant.

2. *Quando* id fiet, *quovis anno*, quia non opus fuit, ut illico primogenita eò deportarentur, ſed intra annum primum id faciendum fuit; Obſervata autem ſunt fere feſta anniverſaria, quando eo veniendum fuit maribus, ut commode tunc adducerentur.

2. *Comedentes* ſunt *tu & domus tua*: qui jus habes. Hoc autem ſolis Sacerdotibus datum. Num. 18: 15, 17. &c. *quicquid matricem aperit, de omni carne, quam adferunt Domino, de hominibus & brutis, tuum erit; ſed primogenitum bovis, aut ovis, aut capræ, non redimes, ſanctum eſt, ſanguinem ejus ſparges ſuper altare, & adipem ejus adolebis, ignito ſacrificio bonæ fragrantiæ Domino; ſed caro ejus tua* erit. Hinc claret cur ad ſanctuarium afferendum fuerit, propter oblationem ſanguinis & adipis, quæ non potuit alibi fieri. Sacerdotis facta non eſt mentio ſigillatim, quia id alibi factum, & nunc in mixto auditorio, quivis norat: quid ſibi diceretur ſpeciatim. Comedebantur autem à Sacerdotibus in loco ſanctuarii, puta Hieroſolymæ; non in ipſo ſanctuario, ejuſque atrio, quemadmodum ſanctiſſima, panes propoſitionis, hircus pro peccato, aliaque, ſed in privatis ipſorum ædibus, & omnes domeſtici, dummodo legaliter mundi, de iis fruebantur. Quia enim perſonæ ſacræ erant, de ſacris edebant, & miniſtri Dei, à Deo conſequebantur alimenta: adeo ut qui miniſtrabant ſanctuario & altari, inde quoque viverent. Non per miraculum eos ſuſtentavit, ut quondam Moſen & Eliam ad tempus, ſed aſſignatâ liberali portione, uti dictum aliquatenus, & uberius dicendum erit ad Deut. 18: 16. ſeq.

Verſ 21. *Sin autem erit in eo vitium, ſi erit claudum aut cæcum, ullum ſi erit ex vitiis malis, ne mactato illud Jehovæ Deo tuo:*

Sed hic additur exceptio. verſ. 21. &c. *Si quid vitii foret in pecude primogenitâ, non offeres Domino.* Atqui ne quidem munda offerenda dixit, verum comedenda à Sacerdotibus. Sed jam monuimus ſanguinem & adipem inferendum fuiſſe altari; neque licuit quicquam comedere ſacerdotibus, antequam id factum. Unde liquet peccatum filiorum Eli, 1 Sam. 2: 15. &c. antequam adolerant adipem, puer Sacerdotis auferebat carnem in uſum heri, nequicquam contra proteſtantibus, qui afferebant victimas. Iniquum erat famulos præripere cibum inferendum herili menſæ, ſed exſpectandum ut deinde ſuo ordine comederent. Quod ſi vitium foret in pecude, ut claudum, cœcum, corruptumve foret, nolebat Deus in ferri ſuo altari. Lev. 22: 20. &c. Deut. 17: 1. Perfectus ipſe perfecta poſcit; vitioſa abominatur: quandoquidem ad contemtum Dei facit. Mal. 1: 2. &c. & verſ. 13, 13. *Maledictus deceptor, qui maſculum habet in grege, & vovet affertque Domino quod corruptum eſt.* In votivis nihil vitioſum fuit vovendum, nec afferendum; ſed in primogenitis, qualiacunque erant fuerunt afferenda, neque permiſſa fuit permutatio; ſed ſacerdotibus non licuit eo caſu quicquam inferre altari. Scil. eo monentur omnes, tam miniſtri Dei quam alii, ne quid vitioſi Deo exhibeant. Ille cultus profanatio eſt. unde Pſ. 26: 3. &c. *Lavo manus in innocentia mea, & circumeo altare tuum.* Etenim Deus non delectatur impietate, malus apud ipſum non commorabitur, odit operantes iniquitatem, mendaces perdet, in viris ſanguinis & doli habet abominationem. Pſ. 5: 5. Nam qui non fert vitioſum pecus in ſacrificiis, multo minus vitioſum cor hominis. Rom. 12: 1, 2. hoſtia agnitionis debet eſſe ſancta Deo placens: cujuſmodi nobis afferenda eſt; & ut talis ſit, cavenda conformitas mundi, deponenda vetuſtas ratiociniorum, quæ quidvis ſufficiens putant, & cognoſcenda voluntas Dei, ut ad hanc normam omnia componantur. Speciatim huc connitendum eſt Eccleſiæ miniſtris, ne quid ipſi corruptum offerant, Rom. 15: 16. &c. ſum miniſter Jeſu Chriſti inter gentes adminiſtrans Euangelium Dei, ut oblatio gentium accepta ſit, ſanctificata per Spiritum Sanctum. Habeo itaque gloriationem in Chriſto Jeſu in rebus Deum

Deum concernentibus. Cariturus iſta gloriatione fuerat, ſi negligenter egiſſet, neque curaſſet ut omni modo emendatos Deo iſteret; idque tanto magis, quia laborabat impenſe, ut Deo exhiberet primogenita; verſ. 20. &c. ambitioſum ſe fuiſſe dicit, ut euangelizaret non ubi nominatus erat Chriſtus, ne fundamento alius inædificaret, ſed illis quibus non erat annunciatum, & qui non audiverant, de quibus ait ſe eos per Evangelium genuiſſe 1 Cor. 4: 15. quomodo primogenitorum habuerunt rationem, aliis poſt aliorum ope ibidem converſis, fratrum poſtgenitorum inſtar ſe habentibus. Sic Rom. 16: 5. Salutat Epenetum, primitias Achajæ in Chriſto, & 1 Cor. 16: 15. Stephanæ domum, itidem primitias Achajæ familiarum nempe, cum Epenetus fuerit perſonarum.

Verſ. 22. *Intra portas tuas comedito illud, immundus & mundus pariter, tanquam capream & tanquam cervum.*

Verſ. 23. *Tantummodo ſanguinem ejus ne comedito: ſuper terram effundito cum ſicut aquam.*

Sed quid faciendum de primogenitis vitioſis, ſi non liceat de illis offerre ſanguinem & adipem? verſ. 22. *In portis tuis comedes*; licet pollutum ſit quoad altare, non tamen pollutum eſt quoad cibum. Munda ad cibum non fuerunt quoque munda ad altare, hujus generis tantum boves, oves, capræ, & columbæ ac turtures, longe plura animalia ad cibum conceſſa Deut. 14: 4. ſeqq. Licet ergo comedere. verum citra neceſſitatem deferendi ad tabernaculum; quia nihil habet quod Deo exhibeatur: itaque in quibuſvis Cananææ locis licitus fuit eſus, Sacerdotibus, horumque familiis. Nam à nativitate Deo Sancta erant, & ſacerdotibus tributa, ut pecoris domino non eſſet quicquam juris in illa, vel ad eſum, vel ad uſum: ſed tantum obligatio, ut Sacerdotibus exhiberet intra annum primum. Sacerdotes ergo ubicunque habitarent in terra potuerunt comedere iſta primogenita, & omnes ipſorum domeſtici, non ſolum mundi, ſed etiam immundi, quia nihil ſanctitatis acceſſerat ab altari, portione iſtic oblatâ: quemadmodum alia munda animalia ab omnibus promiſcue comedebantur. Sanguis vero qui alias adſpergendus fuerat altari, jam cadebat ſub commune interdictum, ne cibus foret, ne quidem Sacerdotibus, qui quandoque quod expiationi dicatum erat, (cujuſmodi ſanguis erat Lev. 17: 11. &c.) comedebant Lev. 10: 17. ſed fuit effundendus in terram, & operiendus pulvere; quemadmodum aliquoties de ſanguine mandatum eſt; hic verò ad ſacerdotes ſpeciatim reſtringitur. Unum hic tantum obſervare libet.

Primogenita vitium habentia, licet ab altari Dei excluderentur, fiebant tamen portio Sacerdotis, miniſtri Dei, qui eis fruebatur cum familia. Facit hoc ad ſolatium piorum, Primogenita ipſorum & oblationes quas habent, non carent vitio. Obſervant ubique iniquitatem in ſuis ſanctiſſimis: multum cœcitatis in cognitione, & claudicationis in obſequio eſt; remiſſæ ſubinde ſunt manus, & vacillantia genua, & greſſus titubantes. Exclamandum ſæpe, in ipſis, hoc eſt, in carne ſua nihil boni habitare, & quamvis ſerviant mente legi Dei, tamen carne legi peccati; quia corpus illud peccati exuere penitus non poſſunt. Hinc verò non audent Deo ſua offerre, metuentes ne Deus ſe ſanctificet in ipſis ad deſtructionem. Aſt hi erigere ſe poſſunt hoc ſtatuto. Si non auſis talia dare ipſi Deo, veritus ejus ſanctitatem; da Sacerdoti, qui acceptum habet. Chriſtus Jeſus Sacerdos Dei eſt: ille etiam recipit quod vitium habet, dummodo ſtudio non fuerit additum. Ut ſi quis primogenito fregiſſet crus, effodiſſet oculum, quo altari ineptum fieret, ſed ſi nativum malum ſit, aut citra propoſitum illatum, quod corrigere nequit, & de quo dolet, utique acceptat. Mal. 1: 14. maledictus qui habet maſculum in grege & offert corruptum. Verum ſi illud deſit, dummodo adſit animi propenſio, acceptus quis eſt ſecundum id quod habet, non ſecundum id quod non habet, ut huc transferamus verba 2 Cor. 8: 12. quo faciunt preces Hizkiæ à Deo exauditæ 2 Chron. 30: 18. &c. Non deſunt varii nævi in cultu hodierni diei, ſed Sacerdos noſter etiam defectus noſtros æqui bonique conſulit. Si familiæ ipſius, fratribus & domeſticis egenis ſuppeditatum fuerit, ſe cibatum potatumque dicet, & quod vitioſum fuit teget, atque apud Deum patrem nobis patrocinabitur: imo emendabit, ut tum ſacrificia noſtra, tum nos ipſi accepti ſimus coram ipſo.

CAP. XVI.

IN amore & cultu Dei duo requiruntur, internus affectus animæ, & externus corporis motus. illius teſtis eſt ſolus Deus: hujus quoque teſtes ſunt homines, uterque neceſſarius eſt, ille quia Spiritus inviſibilis conſentando cultu Deum venerari debet, & iſte, quia corpus viſibile cultu ſibi congruo; ſunt enim creatura Dei, eopſe quia intelligentem faciunt naturam obſtricta ad Dei ſervitium 1 Cor. 6: 19, 20. *Corde creditur ad juſtitiam, ore fit profeſſio ad ſalutem.* Rom. 10: 10. Fides cordis eſt, & cor ſoli Deo patet, & qui cor Deo liſtit, fide verâ inſtructum, à Deo juſtificatur; verum ut quis ſalutem conſequatur, profeſſio oris requiritur, tum quia de corde teſtatur ex cujus plenitudine, loquitur. Matt. 12: 34. tum quia homines ejus teſtimonium audiunt, quod ſi inficietur fidem cordis, alterutro modo mendacium dictum eſt, cujus Deus vindicem aget, de cujus honore agitur. Hac de cauſa Deus non tantum de cordis obſequio leges tulit, ſed etiam de regimine corporis, ut utroque modo coleretur, cultu videl. tum interno, tum externo. Illæ leges eſſentialia cultus definiunt, ut Deut. 6: 5. iſtæ circumſtantias modi, loci, temporis. Illæ quovis loco & tempore valent, Spiritus ſemper Dei amore & reverentia imbutus eſſe debet, nunquam fiducia ſuâ à Deo recedere, neque obſequii & ſubjectionis dememiniſſe. Iſtæ vero circumſtantiarum poſcunt obſervationem: adeoque poteſt cultus internus peragi ſine externo; nunquam autem externus ſine interno: quia ſemper ad cultum Dei poſcitur ut in Spiritu & veritate fiat Joh. 4: 24. Externus ſine interno nihil eſt, imo abominatio apud Deum Eſa. 1: 11. &c. Mich. 6: 6. &c. Internus ſine externo, quando hujus eſt oportunitas, itidem vitium habet 2 Chron. 30: 17. &c. multi ad Paſcha venerunt non ſanctificati &c. Neceſſarium proinde de utroque cultus genere inſtrui homines, ne delinquant & rei fiant. Sic egit Moſes. De cultu interno monuit Deut. 6. & ſeqq. cap. tum de externo, & ejus circumſtantiis. De *Loco* quidem Deut. 12--15. quæ facienda in loco ſanctuarii, quæ alibi, facientia ad ſanctificationem. De *Tempore* autem hoc capite verſ. 1--17. Quodnam religioſum habendum, & quomodo tranſigendum ſit. Loquitur verò duntaxat de tribus feſtis majoribus, *Paſchatis* verſ. 1--8. *Pentecoſtes* verſ. 9--12. *Tabernaculorum* verſ. 13--15. deque iſtis communiter verſ. 16, 17. Nulla tamen fit mentio vel Sabbathi, vel feſtorum aliorum, quæ una enumerantur Lev. 23. Num. 28. 29. Quare vero ſic egerit Moſes, id noſſe intereſt. Etenim omiſſa pari loco videntur conſtituta, & Sabbathum noviluniis, tubarum, expiationis æquatum, ut pariter ponantur & tollantur, tria autem illa ſingularem mereantur obſervationem. Et ſane talis opinio apud quoſdam obtinet. Statuunt aliqui Sabbathum hebdomadarium penitus abolitum eſſe cum feſtis cæteris omnibus. Sunt alii qui Sabbathum quidem dicis gratia retinent, ſed ut quidvis in eo agere velint nulla religione, niſi lex politica, & mos ſeculi obſtaret. Verum tria feſta anniverſaria, religioſe æſtimant, & ſi in iſtis ſolummodo templum ſubeant, & ſacris interſint, abunde à ſe præſtitum rentur.

Priores nituntur Scripturis, Sabbathum ſoli Iſraeli datum, Gentilibus autem credentibus prohibitum dicentibus. Quæ examinaſſe operæ pretium eſt, ut rite expedire dubium queamus. Exod. 31: 13. &c. *Sabbathum dedit Deus ſignum inter ſe & Iſraelem, quod ſit Dominus Deus ipſorum, qui eos ſanctificet*; quod repetitur Ezek. 20: 12, 20. ubi quid Deus in deſerto præſtiterit beneficii Iſraeli refertur. Neh. 9: 14. Eccleſia prædicat, *Sabbatha tua ſancta nota feciſti illis*, quando de monte Sinai & juxta illum præcepta ſtatutaque varia dedit. Hinc ergo concludunt, ſoli Iſraeli fuiſſe nota & data Sabbatha. Verum non ita ſe res habet. Soli Iſraeli datum notumque factum concedendum omnino eſt, ſed cauſa quoque evidens eſt, Sabbathum hebdomadarium ſoli Eccleſiæ proprium eſt, mnemoſynon enim eſt

beneficii Ecclesiæ in Christo concessi, in quo habent redemtionem ab ira Dei ventura, & à maledictione ejus adeoque Deum placitum & pacatum. Quando ergo Israelitas ex omnibus populis terræ Deus delegit, qui sibi forent populus peculii, cæteros autem populos sivit ire in viis suis propriis, ut sine Christo, sine fœdere promissionis, sine spe, sine Deo in mundo viverent Act. 14: 16. Eph. 2: 12. haud mirum est Sabbatha quoque Israelitis appropriasse. Atque his notum fecisse, quantum in iis esset beneficium quibus significaretur fœdus gratiæ, quod sanctificationem à Deo conferendam pollicebatur: istud autem fœdus & sanctificatio non potest ratum esse nisi in Christo, in quo est reconciliatio ut Deus sit Deus pacis fœderatus, & quem Pater sanctificavit, ut sanctificaret Ecclesiam, eam à reatu & duco peccati segregando. Nihil horum sciverunt, nihil senserunt gentiles, qui jam dudum uti veri Dei oblíti erant ad idololatriam prolapsi multifariam, sic quoque cultus rationem & circumstantias vel neglexerant prorsus, vel vitiarant. Quin ipsi Israelitæ in Ægypto plurimum quoque defecerant à Patrum religione, ut novâ institutione multum egerent. Sic ergo ipsis appropriatur. Sed hinc conficitur tum antea, tum deinceps plurium fuisse & esse Sabbathum, quando Ecclesia intra limites istius populi non concluditur. Antequam Decalogus promulgaretur Sabbathum ab Israele fuit agnitum; nam populus sua sponte die septimo geminam mensuram mannæ collegit, ne postridie die septimo id esset agendum Exod. 16: 22. & principibus eapropter sollicitis, quod Deus nihil servari in crastinum vellet, Deus probat factum, & antiquitatem Sabbathi asserit. vers. 29. inquiens, *Dominus dedit vobis Sabbathum, propterea dat vobis panem biduí die sexto.* Quod prima vice tunc factum fuit. Olim & in arca Noachus septiduanam periodum observavit, utique juxta septiduum principii, & illis diebus exploravit, an maledictio divina cessaret, ut benedictione paratæ ad habitationem aridæ rursum frui posset. Gen. 8. In ipso quoque principio, die septimo mundi, sanctificationem ejus diei Deus instituit, quia in illo repetita consummatione creaturas perfecit, sic ut numerus septenarius ab inde plenæ purgationis à peccatis in Christo fuerit symbolum. Iste promissus semen mulieris, vindicaturus homines ex potestate serpentis Diaboli & hostia sui ipsius conciliaturus Deo, adeoque autor factus sanctificationis consummatæ ad salutem peccatorum æternam, illum diem fecit sanctum in memoriale, non omnibus & singulis hominibus, sed fidelibus solum, qui Ecclesiam faciunt, cujusmodi primi parentes fuerunt, & familia ipsorum, quamdiu impiorum multitudo non fecit segregationem instituere, quod nato Enoscho factum fuit. Post illa uti filii Dei separatim vixerunt, moribus saltem, etiam religionem exercuerunt, ut Noachi exemplum docet. Et septimanarum circulus ab idololatris, in urbe Labanis observatus, reliquias priscæ religionis ostendit. Gen. 29: 27. Porro quando Deus Israelem solum fecit Ecclesiam, Sabbathum sic ipsis dedit, ut ejus observationem inseruerit tabulis fœderis perpetui Decalogo nimirum. Nam licet in illa formula quædam sint, Israelitis peculiaria prorsus, eductio ex Ægypto, terræ Canaan promissio, &c. tamen quæ essentialia sunt, eadem perpetui sunt juris; Et hujus generis est, *Recordare diei Sabbathi, ut eum sanctifices, Sabbathi diem.* Dicit, hoc est quietis; non septimum, non primum, aliumve de septem, quem tamen circulum observandum sancit, quia non idem dies semper observari poterat, adeoque memoriâ repetendum docet fundamentum sanctificationis, ut pro ratione ejus septimum attenderent, vel alium quem Spiritus S. definiverat, Heb. 4: 7. Quandoquidem autem illi formulæ mandatum de Sabbatho insertum est, & à Mose Deut. 5. repetitum, noluit nunc ejus facere mentionem, ne hisce tribus æquari crederetur, cum aliûs sit, & sanctioris ordinis: tantoque magis cæteris festis præstet. Unde Lev. 23. cum festa recensentur, Sabbathi distincta fit mentio, & reliqua titulo festorum definitorum inde secernuntur. Sabbathum ergo hebdomadarium per Decalogum æque constantem religionem consequitur, ac mandata cætera: & idcirco ad Christianos quoque pertinet, quandoquidem Ecclesiæ privilegium est, beneficium Christi in memoriam revocans, non ut olim in sola promissione contemplandum, sed in rei veritate & complemento. Sequunturque Ecclesiæ Christianæ in observatione primi diei, Deum autorem cultus istius & mutatæ circumstantiæ temporis. Christiani quidem ex Judæis, ad quos sic scribit Apostolus Heb. 4. ut de abrogatione Sabbathi nullum faciat verbum; cum apud Zelotas Sabbathi de hoc argumento ageret, ubi consilium Dei sine dolo taceri non poterat; sed doceat Spiritum S. definivisse rursum diem certum, & alium à priore qui quietis moneret, atque adeo *reliquum* affirmat *populo Dei Sabbatismum*, diem singularem religiosæ quieti destinatum, unde mutatio diei, & religionis Sabbathicæ constantia concludi potest. Christiani vero ex Gentilibus de hoc capite erudiuntur Rom. 14: 5, 6. *qui diem curat* (waar neemt) *curat Domino*: & *qui diem non curat, non curat Domino*: *qui edit, edit Domino*, & *qui non edit, Domino, non edit* & uterque *Deo gratias agit*, & neutrum condemnari vult; quamquam alteruter infirmus sit fide. Scilicet post exaltationem Christi in cœlum nonnulli sunt arbitrati illico tempora restitutionis omnium inchoanda esse, & vivendum sibi legibus iis quæ in statu integritatis valuerant. Itaque in cibis nolebant nisi terræ nascentibus vesci, repudiatis carnibus, & vino, quia horum usus demum promissus, & inceptus post diluvium, Noachi ætate. In diebus nullum ponebant discrimen, sed omnes pariter occupatos habebant in exercitio suæ vocationis, Deum celebrantes. In bonis cæteris communionem instituerant, ne quid ulli foret proprium. Verum erronee, quod non recte discernerent tempora: proinde infirmos fide vocat, non damnandos, sed tolerandos, quia Dominum colerent, juxta id quod ex verbo ejus assecuti erant. Veruntamen magis probat firmos, qui libertate Noacho concessæ utebantur, diem præ die curabant ex præcepto Decalogi; quemadmodum illos qui proprietatem bonorum retinebant, nusquam improbat. Apostolo, inquam, non in vitio ponitur diem præ die curare, sed potius omnes dies pari loco habere: quia hoc à lege fœderis declinabat, dum ad statum feliciorem jam perveniisse se opinarentur. Etenim præmittit actiones firmorum fide uti vers. 2, 3. sic quoque vers. 5, 6. & subjungit infirmorum; eoque firmorum est uti edere omnia, sic diem præ die æstimare. Infirmorum contra, vesci solum oleribus, & omnem diem pari loco habere. Quæ scripta sunt ad Galatas & Colossenses, scripta sunt ad Gentiles: sed ut nequeant extendi ad abolitionem ejus quod in Decalogo mandatum, cujus observationem Gentilibus commendat Rom. 13: 9. Gal. 5: 14. nam licet loquatur de dilectione proximi, tamen si hæc vi decalogi à gentilibus exercenda, utique dilectio Dei vi ejusdem ipsis incumbet. Dicta ipsa, quæ huc citantur, aliud volunt. Gal. 4: 10. *observatis dies, & menses, & tempora & annos, metuo vobis, nefrustra circa vos laboraverim.* Galatæ à Pseudapostolis, pharisæis, qui crediderant, perturbabantur, cum ipsis persuaderent, nisi circumciderentur, & secundum legem viverent, non posse servari Act. 15: 1, 24. volebant Gentiles primum fieri Judæos, & sic Christianos. Contra Paulus docuit, & Hierosolymæ quoque visum est Apostolis, & Spiritui S. Quamobrem Galatas dehortatur tum à circumcisione suscipienda, tum à cæteris ritibus legis; improbatque quod juxta hujus præscriptum servarent distinctionem festorum dierum. Enumerat dies, Sabbathum septimi diei, & tot alios à Judæi per traditionem institutos, jejunia varia Zach. 7: 3, festa Purim, Encæniorum; *menses*, Novilunia; *Tempora*, solennia festa, tria, quamquam nonnulli ad Gentilium morem respici putent: *annos*, Sabbathicos & Jubilæos: in quibus omnibus nihil spectabant, quam quod Judæi; quomodo revera deficiebant à Christianismo, & Euangelium irritum reddebant: maxime cum in ejusmodi observationibus statuerent salutem consistere, aut saltem sine illis Christum non sufficere, ut Christo essent sociandæ. Sic Col. 2: 16. *ne quis vos judicet in cibo aut potu, aut in parte festi, vel novilunii, vel Sabbathorum; quæ sunt umbra futurorum bonorum; corpus autem est Christi.* Discrimen ciborum Judaicum prohibetur, non quia typum & umbram habet futuri boni, sed quia significabat divisionem tempore Christi cessaturam, cum tantisper una solum natio Israelis in Ecclesia agnosceretur. Festa solennia, *novilunia*, *Sabbatha* festorum, expiationis, & hebdomadaria septimi diei umbram habuere Christi venturi: at Sabbathum primi diei: exhibiti non exhibendi Christi mnemosynon est. Eoque ex hoc fundamento tam legitime observatur, quam legitime cætera omittuntur: & qui ob hæc observata recte judicarentur condemnando, ob illius

lius obſervationem judicari nequeunt. Unde colligimus, Sabbathum nunc quoque Eccleſiæ datum & obſervandum eſſe, à Chriſtianis tum Judæis, tum Gentilibus, quia primi diei cum ſit, umbram præteriiſſe, & corpus exhibitum eſſe docet, adeoque beneficii Eccleſiæ in Chriſto præſtiti memoriale eſt, & ſanctificationem ipſius, noſtramque in ipſo & per ipſum impetratam, nobis confirmat: ad quæ dicta Catechelis nos revocat quæſt. 103. *Poſteriores* habent Moſen, præterito Sabbatho, & feſtis cæteris ſolum modo tria anniverſaria inculcantem: quorum proinde potior videtur ratio, & imitanda multo magis, quam Sabbathum agitur à Chriſtianis: maxime cum Eccleſiæ autoritate tria ejuſmodi inſtituta ſint, Paſchatos, Pentecoſtes, & Nativitatis Chriſti, quod inſtat. Sed Moſen quod attinet, cur Sabbathi non fecerit hîc mentionem, modo dictum, quia in Decalogo imperatum eſt, quem repetito recitavit, unde perpetuus ejus uſus in Eccleſia concluditur. Cætera feſta neglexit, noviluniorum, tubarum, expiationis: quia hæc demum poſt erectum tabernaculum inſtituta fuerunt Lev. 23. aſt tria iſta articulum faciunt fœderis, ad Horeb ſancti, quem juxta cum aliis politicis Deus Moſi indicavit, recitandum populo. Exod. 23: 14. Et quia conditiones fœderis ſunt, majoris momenti ſunt, quam cætera, quæ appendices duntaxat ſunt. Præterea tria illa ſunt euchariſtica, primum liberationis ex Ægypto, quando etiam manipulus de ſtante ſegete allatus eſt; ſecundum primitiarum de meſſe collecta; tertium primitiarum de fructibus vitis, & oleæ aliarumve arborum, quorum annua fuit ratio. Reliqua, menſium annique initia votiva fuerunt, & expiationis ad impetrandam præteritorum delictorum veniam. Quemadmodum etiam circa duo illa poſteriora feſta ſeqq. conſtitutionibus varia de oblationibus ordinata ſunt, uti & de manipulo in paſchate. Sed quæcunque etiam circa hæc feſta concipiatur differentia, id tamen certum, etiam tria hæc feſta Iſraelis eſſe propria. Etenim ſunt inter articulos peculiares, per Moſen traditos, ejuſdem cum politicis legibus conditionis, Deus vero eorum in Decalogo nullam fecit mentionem, adeoque vi Decalogi obligationem non adferunt, proinde neque illis, qui legibus Decalogi tenentur. Atque hinc ſequitur feſta quæ inter Chriſtianos agitantur ad iſta revocari non poſſe, ut aliquam obtineant autoritatem. Imitari quidem placuit priſcis Chriſtianis poſt Apoſtolorum exceſſum, (neque enim illi quicquam hîc ordinarunt, imo feſtis Judaicis interdixerunt Chriſtianis Gentilibus,) ne minus devoti viderentur, quam Judæi fuiſſent. Hinc inſtituerunt feſtum reſurrectionis Chriſti, quod paſcha Judæorum biduo ſequitur, & durante illa feſtiva ſeptimana habitum eſt, ſub eodem nomine: quod tamen Græcorum nonnulli à Græco πάχω *patior* derivarunt, ut paſſionem Chriſti indicaret: donationis Spiritus S. primæ, quinquageſimo die poſt, coincidens cum pentecoſte, cujus nomen ſervat: nativitatis Chriſti, quando ſermo caro factus eſt, & habitavit inter nos, tabernaculum naturæ humanæ inhabitans. Quæ tria ſolennia ac primaria. Novi anni feſtum idem eſt cum tubarum feſto; & pro expiationis feſto conſtituiſſe videntur Adſcenſionis, per hircum Azazel in locum ab hominibus deſertum dimiſſum, deſignatum credentes, Chriſtum in cœlum abeuntem. Verum in omnibus illis inſtituentium λόγον σοφίας & ἐθελοθρησκείας obſervandam habemus; & quod ſecuti ſunt exemplar Judæorum non magis eos juſtificat, quam circumciſio Chriſtianorum in Æthiopia defenſam inde invenit. Equidem Eccleſia Rom. & ejus Epiſcopi impoſuerunt Chriſtianis neceſſitatem obſervandorum iſtorum feſtorum, & ſic dimanavit uſus. Sed tyrannis fuit quæ impoſuit, adeo iniqua, ut Victor Rom. excommunicaret Orientis Eccleſias, quod non idem ſecum obſervarent paſchatis tempus. Poſtea invaleſcente tum tyrannide, tum ſuperſtitione papali, plurima alia feſta ſunt ordinata in honorem & memoriam hominum, ut eis adoratio & fiducia deferretur, per ſummam idololatriam. Gemuerunt Eccleſiæ ſuſt iſto jugo traditionum humanarum, & tandem Deo lucem Euangelii rurſum proferente, & libertatem largiente, inter alia onera etiam hoc excuſſerunt, feſtorum religionem deteſtati idololatriam graviſſimam quæ committebatur per illorum obſervationem. Atenim manſerunt in uſu apud pleroſque feſta tria. Nativitatis & Reſurrectionis Chriſti, & effuſi Spiritus S. itemque adſcenſionis Chriſti & novi anni: Eccleſiæ, tamen Scoticæ & Gallicæ hæc quoque cum reliquis ſuſtulerunt. In Eccleſiis Belgicis ſervatæ ſunt, de quibus notandum, cum inſtet ejuſmodi feſtivitas. Nullatenus comparanda nedum æquanda eſſe feſtis *Iſraeliticis*. Etenim iſta habuerunt autorem Deum, & in eorum obſervatione fuit ſpecialis obedientia erga præcepta Dei, ſpecialis quoque promiſſionis fiducia; neglectus fuit actus rebellionis contra Deum. Et tamen nunquam æquata fuerunt feſta Sabbatho hebdomadario, neque tantam ultionem minatus eſt Deus feſtorum, quantam Sabbathi profanatoribus. Feſta Chriſtianorum, etiam quæ in Chriſti memoriam deſtinata ſunt, nullam habent inſtitutionem Dei, nullam Chriſti, nec Apoſtolorum; ſed meros homines, adeoque in eorum obſervatione non eſt obedientia mandati Domini, ad conſcientiæ tranquillitatem, teſtaturam de opere bono, ſed obedientia traditionis humanæ; nulla proinde fiducia inde fluit benedictionis divinæ, ſiquidem obſerventur. Attamen obſervantur ſine peccato ſub iſtis conditionibus. I. Inſtitutionis autoritatem fluere à Magiſtratu, qui legis ferendæ poteſtatem habet; nam perſonis Eccleſiaſticis id juris non eſt. Uti Magiſtratus indicunt dies jejunii aut Euchariſtiæ feriatos, pro re natâ, ſic quoque hos anniverſarios; & in Belgio fœderato obtinent, non quia in Papatu aut antiquioribus temporibus ita obſervatum fuit, ſed quia ipſis placuit continuari, cum fuiſſet poteſtas abrogandi non ſecus atque feſta alia. Sic Eſter & Mardocheus inſtituerunt Purim, & Judas Maccabæus Encænia templi quibus interfuit Chriſtus Joh. 10: 22. II. Magiſtratus autoritatem niti illa regula 1 Cor. 14: 4. Omnia decenter & ordine fiant. Idcirco ſolummodo ad externam cultus circumſtantiam pertinere, quæ nec ubique, nec ſemper neceſſaria eſt, ut qui habent iſtos dies non excellant pietate illos, qui non habent, dummodo quid ad ſuorum ſubditorum ſpirituale bonum pertineat, attendant. III. Nullam neceſſitatem obſervationis eſſe ad cultum Dei, ut citra peccatum omitti celebratio nequeat. Indifferentia plane eſt, ex libertate Chriſtiana, neque quiſquam judicari poteſt ſi abſtineat. Obedientia vero magiſtratui debita exigit obſervationem quamdiu Magiſtratus neceſſitatis opinione non gravat: quemadmodum in jejuniorum indictione parendum eſt: & occaſiones exercitiorum ſacrorum publicorum captandæ & redimendæ. IV. Si majori religione celebretur dies hi feſti, quam dies Dominicus peccatur; quandoquidem præceptum Dei ἀκυρεῖται per traditiones humanas, & major reverentia eſt diei quem homines, quam quem Deus ſacrum fecit, ſperaturque majus bonum ab iſto, quam ab hoc obſequio. Peccatur etiam ſi neglectus feſtorum gravius vindicetur, quam diei Dominici; quia tum zelatur magis pro hominibus, quam pro Deo. Speciatim die Paſchatis, qui Reſurrectionis memoriam habet, cavendum ne quid majus hîc ſperemus, quam die dominico quovis. Hunc Chriſtus ſacrum habet memoriæ ſuæ reſurrectionis, quando triumphator apparuit Eccleſiæ; illum homines, & fere in præjudicium Dominici, ut reſurrectionis Chriſti memoria in illis evaneſcat. Eſt quidem ille quoque dies Sabbathum, ſed ob conjunctum Paſcha, non majoris quam quo Dominico ex Catecheſi de Reſurrectione Chriſti agitur. Itaque agamus feſtum inſtans, ut quam concipimus devotionem nequaquam propter diem concipiamus, ſed propter res illo die proponendas; & ſi Chriſtus nobis pulcher apparet die humano, multo magis pulchrum videamus in die proprio, & qui feriamur Deo ex placito humano, longe religioſius feriemur Deo ex placito ipſius. Si gaudium ſit in die quem fecerunt homines, multo magis exultemus in die quem fecit Dominus. Si abſtinuerimus pedem, & exercitium placiti noſtri à Die ſanctitatis Domini, & hunc dixerimus oblectationem, propter ſanctum Domini glorificatum, tum oblectabimus nos in Domino, & faciet nos equitare ſuper excelſis terræ, & alet nos hæreditate Jacobi, I. Jam de ſingulis feſtis agendum eſt.

Verſ. 1. *Obſervato menſem Abib, ut celebres Paſcha Jehovæ Deo tuo: quia in menſe ipſo Abib eduxit te Jehova Deus tuus ex Ægypto noctu.*

Verſ. 2. *Tum mactabis Paſcha, pecudes & boves Iehovæ Deo tuo: in loco quem elegerit Iehova ad collocandum nomen ſuum ibi.*

A. Pri-

A. Primum est *Paschatis*, de quo generatim agit, vers. 1, 2. tum speciatim de Azymis commedendis, vers. 3, 4. de Paschali victimâ, vers. 4--7. de solennitate festi alia, vers. 8.

B. *Generatim* agit I. de Tempore, II. de Victimis, III. de Loco.

a. *Tempus* vers. 1. definitur. *Custodi mensem Abib, ut facias Pascha Domino Deo tuo.* Mensis ille incipit circa æquinoctium vernum, & respondet maximam partem nostro Martio; à novilunio. (Deus de eo mandavit, ut sit primus omnium. Exod. 12: 2. *hic mensis vobis erit principium mensium; primus mensium anni erit.*) Vocatur ab Hebræis *Nisan*, nomine Persico Neh. 2: 1. vel Babylonico, quemadmodum & alii menses inde nomina tulerunt Zach. 1: 7. cum plerunque ordinis denominationem obtinerent. Zach. 8: 19. Sed hic habet nomen peculiare *Abhibh*: significans Aristam, quia in illo mense frumentum omne erat in arista, & propinquans ad maturitatem; imo hordeum habuit suam maturitatem, ad messem Exod. 9: 31: 32. & deinceps triticum, quæ messis ante Pentecosten finita fuit. Hujus mensis die 14. qui plenilunii, celebrandum fuit Pascha.

Jubet autem *observare, custodire* mensem Abhib: quemadmodum de Sabbatho Moses dixit Deut. 5: 12. quia Sabbathum ejus conditionis fuit, ut de die in diem aliquando foret transferendum. Sic quoque hîc, licet ob causam naturalem duntaxat. (Unde &c. in illo.) (Unde Targ. Jonathanis, *Admoniti estote ut servetis tempora festorum, ad intercalcationes annorum, & ut observetis æquinoctium in mense Abhib ad faciendum Pascha in illo.*) Etsi *mensis Abib*, spicarum hordei maturarum: quod si ergo spicæ maturæ non essent, non potuit esse mensis Abib. Notandum enim menses Hebræorum non solares sed lunares fuisse, dierum 30. vel 29. & hinc annum 12. mensium, dierum 353. vel 354. vel 355. quamobrem cum annus solaris habeat dies 365¼. atque à sole pendeat maturitas fructuum, necessum fuit sæpius intercalcare mensem, ut tredecim in anno forent. Hacpropter observandum fuit, an mensis posset esse aristarum, alioqui addebatur ille mensis anno priori. Ast qui tales aristas præstabat fuit verè Abhib, idemque primus mensium anni, quem illo nomine dictum quoque volunt אביב, quasi אב יב *pater duodecim.* Isto igitur mense *facies Pascha*; accipitur hæc vox de festo, non de agno paschali, in festi initio mactando, de quo vers. 5. Festum autem paschatis plures habuit solennitates: quarum distinctam mentionem Moses hîc non facit, & tamen ipso nomine Abhib illas indigetat. Lev. 23: 10. &c. *quando veneris in terram, quam dabo tibi, & messem ejus feceris, manipulum primitiarum afferes ad Sacerdotem, & agitabit illum sacerdos coram Domino, ut sit in acceptationem pro vobis altero die post Sabbathum.* Non potuit hoc locum habere in Ægypto vel deserto, ubi nec agros habebant, nec messem, sed demum in Cananæa; ubi illicò post primum pascha id observatum Jos. 5: 10. &c. Non licuit de stante segete matureſcente quicquam ullo modo commedere antequam manipulus primitiarum fuisset oblatus. Fiebat autem istud hunc in modum. Die 14. exeunte mactabatur pascha, edebatur die 15. noctu, & ille dies fuit Sabbathum festi, dies religiosior quam cæteri præter ultimum Lev. 23: 7, 8. die 16. qui proximus à festi Sabbatho, noctu egrediebantur ministri à Synedrio maximo emissi, & de segete hordei, quæ primum matureſcebat, demetebant manipulum, & deferebant in sanctuarium, ubi triturabatur, & purgabatur & torrebatur aliquantulum igne, & expositum hordeum vento commolebatur in farinam, & decima Ephæ agitabatur coram Deo, mixta oleo & addito thure, & aliquid ejus comburebatur in altari.

Dicitur, *Pascha Domino Deo tuo*, ut ad Christum respectum habere significetur; qui sane hîc evidens, etenim sic Christus noctu à ministris Synedrii è medio suorum discipulorum apprehensus, & uti granum (cui se confert Joh. 12: 24.) trituratus plagis, & varie raptatus, contritusque, & elevatus in altum coram Deo, ut primitiæ, quo messis reliqua sanctificaretur. Menachem Ricanati fol. 152. col. 2. *Manipulus indicat Schechinam, qui est primitiæ proventus S. B. illius.* Sic viderunt veteres Messiam in cærimoniis & fuerunt illæ ipsis pædagogus ad Christum Gal. 3. vers. 24. & nos possumus observare umbram, cujus corpus possidemus; tanto feliciores illis, quanto corpus umbris præstat; cujus possessio nos ab umbrarum observatione absolvit.

Ratio observandi temporis est. *Nam in mense Abib Dominus Deus tuus eduxit te ex Ægypto noctu.* Ultimum illud vocabulum habet aliquam difficultatem. Num. 33: 3. legitur *profecti sunt de Rahmeses die 15. mensis primi, crastino die paschatis egressi sunt filii Israel manu excelsa coram oculis omnium Ægyptiorum.* Interdiu ergo id factum est. Sic Exod. 12: 17. *quia ipso illo die vestros exercitus educam ex Ægypto, propterea hunc diem observabitis in generationibus vestris, statuto perpetuo.* Hinc Onkelos, *Et fecit tibi signa noctu*, cædem primogenitorum designatam putans, & Jonathan, *& comedetis illud* (Pascha) *noctu.* Verum recte dicitur Deus ipsos eduxisse *noctu*, quia noctu extorsit Pharaoni dimissionem populi Exod. 12: 30. cæsis media nocte omnibus primogenitis, *noctu surrexit Pharao, & servi ejus, & omnes Ægyptii, & noctu evocatis Mose & Aarone dixit eis, surgite, egredimini omnes; & institerunt Ægyptii*, & urserunt egressum ipsorum; qui se illico accinxerunt, & onerarunt suos vasis Ægyptiorum, & suis omnibus quæ convasarunt, ut mane egrederentur; neque enim sex horæ nimiæ fuerunt, ut iter inirent. Nox itaque principium eductionis divinæ, unde vers. 42. *hæc nox custodiarum Domino, quia ipsos eduxit ex Ægypto, hæc nox custodiarum Domino omnibus filiis Israel per generationes suas.* Quanquam etiam dies dici potest naturalis, horarum 24. incipiens à vespera; & sic Exod. 12: 17. Quomodo confirmatur ratio præcepti hujus; tempus festi observandum Domino Deo ipsorum, quod Deus suo beneficio solenne fecit, utpote quod tunc habuit suam pulchritudinem, tempore ipso ad confirmationem memoriæ faciente. Exod. 23: 15. festum azymorum tempore definito, in mense Abib. De Jeroboamo legimus 1 Reg. 12: 32. &c. mutasse festum expiationis, & transtulisse ad octavum mensem à septimo, servatis solennitatibus cæteris; sed dicitur *fecisse festum mense, quem ex corde suo commentus erat*: quomodo damnatur ἰδιοθρησκεία, & Hos. 5: 7. *perfide egerunt contra Dominum; nunc consumet eos mensis, portiones ipsorum.* Mutatus mensis perditionis causa statuitur, ut alias neglectum Sabbathum. Adeoque hinc liquet Sabbathum observandum quo die Deus fœderatus instituit; proinde peccare graviter, qui ut apud Pontificios, solius Ecclesiæ autoritate mutationem factam credunt, & observant, hominibus utique, non Deo. Nobis mutationis fundamentum Christus est, cui cum Sabbathum sanctificandum, nunc postquam primo die septimanæ resurrexit à mortuis triumphator, nequit Sabbathum sui temporis pulchritudinem habere nisi die primo.

Verum insuper aliud notandum. *Mensis Abib primus est mensium anni, pronunciante Deo*, Exod. 12: 2. *quia respondet conditioni mundi.* Equidem disputatio desuper est, censentibus multis in æquinoctio autumnali factum, mense septimo, quo omnium fructuum dives terra & arbores, quod verno tempore deficiat, inde etiam annum Hebræorum civilem initium duxisse. Sed ratio alia fuit hujus initii, propter annos Sabbathicos & jubilæos, nam ante mensem septimum non tantum seges omnis in horrea congesta erat, sed etiam omnes fructus arborei collecti, Exod. 23: 16. quia tunc ager omnis & arbores carebant fructibus, qui pauperum erant anno septimo, & poterat proprietarius culturam rursus aggredi; item anno jubilæo in vacuam possessionem redibant hæredes veri, quibus nihil juris erat in ea quæ culturæ alienæ. Itaque verno tempore conditum credimus mundum, quando fructus erant maturi varii, (qui forsitan nunquam defuissent, nisi maledictio Dei virtutem terræ cohibuisset,) circa plenilunium, ut luna luminare minus, noctis dominium haberet. Inprimis quia Christum sponsorem illo tempore satisfeciſſe verisimile est, postquam tempus plenitudinis effluxerat, quo ab Adamo peccatum fuerat, ut die transgressionis per Christum morte expiaretur peccatum, & uno die removeretur iniquitas totius terræ. Zach. 3: 9. Atque sic etiam quoad circumstantiam temporis judicium Dei fuit secundum veritatem Rom. 2: 2. potestque in sponsore observari, quod cum unius hominis una inobedientia ad omnes homines pervenerit ad reatum condemnationis, per unius hominis unam obedientiam multos ab illo reatu absolutos esse, & justificationem vitæ consecutos. Rom. 5: 18, 19. Saltem Paschatis Judaici memoria facit eo, ut mortis Christi tunc in lytron toleratæ recordemur. Hac sane de causa

Vete-

Veteres Chriſtiani Paſcha ſibi celebrandum putarunt decima quarta luna quo die Chriſtus ſacrificium corporis ſui obtulit eodem tempore cum Judæis Paſcha agentibus. Voluerunt temporis proprii pulchritudinem addere, quantum pote, ut tanto feriarentur decentius. Sed hæc fuit Romani Epiſcopi tyrannis Anti-Chriſtiana, ut qui diem mortis Chriſti in plenilunio paſchali, hoc eſt, tempore ſuo obſervarent, hæreſeos damnaret & excommunicarit, (unde hæreſis Quartadecimanorum nata,) finxerit autem ex corde ſuo diem alium; qui uti veritatem temporis non habet, ita nequit decorem illum habere. Ab eadem autoritate Romani Epiſcopi definitus eſt 25 Decembris natali Chriſti, quia præciſe illo die Chriſtum natum dicit, quamquam Scripturæ teſtimonium nullum habeat, & veritatem hiſtoriæ ſtatuit obſervandam. Verum de Paſchate, ſeu die mortis & reſurrectionis Chriſti, cum Scriptura diſerte teſtetur, illum repudiat, exſecraturque obſervantes. Nonne teſtimonium hoc ipſo dicit contra ſemetipſum, hoſtem ſe eſſe Scripturæ, traditionum autem contrariarum architectum, & tyrannidem exercere in conſcientias, dum ſuas leges & jugum iis imponit? Nobis, quando feſta illa, ab Eccleſia Romana ad nos derivata & retenta, celebranda veniunt, ſemper meditandum eſt, quod nuper diximus, eſſe humanæ inſtitutionis duntaxat, neque ullam ſingularem habere pulchritudinem, quam quæ ab hominum placito dimanat, adeoque cogitationes omnes à diebus avertamus, & ſolum convertamus, in Chriſtum ejuſque beneficia; cujus memoriam non dies humanus ſignificare poteſt, ſed verbum Euangelii, in quo Chriſtus exhibetur, & unde exceptum fides apprehendit, & in corde collocat ad ſolidum animæ ſolatium.

b. *Victimæ* definiuntur verſ. 2. *Et mactabis Paſcha Domino Deo tuo, oves & boves.* Loquitur generatim de feſto, nam victima paſchalis propria fuit agnus anniculus de ovibus vel capris, Exod. 12:5. nunquam de bobus vitulus. Hinc Onkelos, *Et mactabis paſcha Domino Deo tuo, de agnis, & mactationem ſanctificationum tuarum de bobus.* ſed inter ſanctificationes illas etiam fuerunt agni. Jonathan plenius: *Et mactabitis paſcha coram Domino Deo veſtro inter duas veſperas, & oves ac boves die craſtino primitiarum, ad lætitiam feſti.* Scilicet Moſes iterum de Paſchate monens, quædam addidit, de quibus circa primam inſtitutionem nil dixerat. Hujus generis eſt quod dicit de pluribus victimis. In Ægypto non mactarunt niſi agnum Paſchalem, quia apparatum mactatæ carnis facere non potuerunt illico migraturi, & ſacrificia dilata fuerunt uſque dum veniſſent ad montem Domini in deſerto. Verum in Cananæa, adepti quietem in terra propria, majori apparatu feſtum agitarunt. Hebræi ſtatuunt Paſchalem agnum à ſaturis comeſtum fuiſſe, adeoque anteceſſiſſe epulas alias, de ovibus aut bobus, prout numerus convivarum major minorve fuit. Sed Scriptura docet poſtridie poſt primum ſabbathum feſti, juxta cum manipulo offerendum fuiſſe agnum integrum anniculum in holocauſtum Domino Lev. 23:12. Præterea tum primo die, tum cæteris ſex ſequentibus in holocauſtum Domino binos juvencos, arietem ſingulum, ſeptenos agnos; itemque hircum pro peccato, præter juge matutinum & veſpertinum Num. 28:19. Adeoque multæ fuerunt victimæ feſti neceſſariæ. Inſuper privatim quivis pater familias offerebat votiva & pacifica, unde convivabantur durante feſto, ut dictum Deut. 12:17. &c. cap. 14:26.

2. *Locus* porro, qui itidem nunc demum definitus eſt, *in loco quem Deus elegerit, ut ibi faciat nomen ſuum habitare.* Chaldæi, pro *Nomen ſuum*, ſcribunt, *Schechinam ſuam.* Etenim Nomen Domini eſt in Angelo illo faciei Exod. 23:21. & non datur acceſſus ad Deum niſi per ipſum. Illius varia fiebat repræſentatio in umbris cerimoniarum, quæ adfixæ fuerunt tabernaculo magnam partem, ut confœderatio cum Deo & modus ejus ſignificaretur, quemadmodum alias docuimus. De loco Paſchatis mactandi rurſum monebit infra verſ. 5. &c.

Verſ. 3. *Ne comedito cum illo fermentum, ſeptem diebus comedito cum illo azyma, panem paupertatis: cum feſtinatione enim exiviſti è terra Ægypti, ut recorderis diei exitus tui è terra Ægypti, omnibus diebus.*

2. *De azymis* mandat verſ. 3, 4. Quando, cur, atque Ubi comedenda ſint.

a. *Quando* dicit, *Non comedetis quicquam fermentati in eo*, feſto paſchatis; *ſeptem diebus azymis in eo veſcemini.* Sic imperatum Exod. 12:15. &c. & repetitum aliquoties inde ab initio diei 15. quo ineunte in prima cœna comedebatur agnus paſchalis cum azymis, per ſolidos dies ſeptem: unde *feſtum azymorum* appellari ſolet. Exod. 23:15. cap. 34:18. & Marc. 14:1. Luc. 22:1. Azymis porro tribuit peculiare nomen, *Panem afflictionis*: cujus cauſam dicunt Hebræi, quod pauperes eo utantur, tum quia non habent ut in futurum parent ſibi alimenta, ſed quod ſtatim abſumant, tum quia minus de eo comeditur, ob concoctionis difficultatem. Sed Moſes cauſam aliam dicit appellationis, *quia cum feſtinatione egreſſi eſtis ex Ægypto.* Hiſtoria teſtis eſt Exod. 12:33. &c. *Ægyptii urgebant populum, feſtinantes eos expellere.* Quomodo ſane fuit panis afflictionis, cum tot millia egrederentur in deſertum, & nullum haberent panem coctum, ſed ſolum maſſam aquâ depſatam, ut ferrent commodius. Juſſi fuerant à Deo infermentatis panibus veſci, inde à die 15. itaque in uſum ejus cœnæ pararant talem panem, poſtridie quo cibos parare licitum Exod. 12:16. proviſionem facturi in dies plures; ſed media nocte urgentur ad abitum, neque datur ſpatium ad fermentationem, nedum ad coctionem. Sic vere factus eſt panis afflictionis, cum non eſſet plus ad comedendum poſtridie, quam in itinere potuit parari. Quin imo non habuerunt niſi parum farinæ aquâ mixtum in viaticum 30 dierum, juxta Joſephum. Antiq. lib. cap.

b. *Cauſa* azymorum edendorum eſt, *ut recorderis diei egreſſus tui ex Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ.* Ergo ad recordationem id factum, ne obliviſcerentur magni hujus beneficii. Exod. 13:7. &c. *Diebus 7 comedentur azyma, & indicabis filio tuo illo die, dicendo, quia Dominus mihi iſta fecit cum egrederer ex Ægypto, & erit tibi in ſignum ſuper dextram tuam & in memoriale inter oculos tuos, ut lex Domini in ore tuo ſit, quia Dominus manu forti te ex Ægypto eduxit, propterea obſervabis hoc ſtatutum definito tempore, quotannis.* Etenim cum ſemper veſcerentur pane fermentato, ſolùm tunc ſollicite inde abſtinerent, non potuit non fieri, ut liberi interrogarent in cauſam mutati victus, quæ tunc fuit indicanda. Notandum verò *Memoria beneficiorum Dei, ſingularis liberationis, nunquam deponenda, attamen ut ſimul cogitetur quam miſero loco fuerimus.* Panis afflictionis comedendus, ut grata celebratio tanto foret major. Sic David in Pſalmis prædicans Deum, recitat quanta fuerit calamitas ſua, unde ereptus fuit. Sic Mordechai & Eſter firmarunt Purim, res jejunii ipſorum & clamoris, & dies lætitiæ ob converſum in hoſtes conſilium Hamanis & hoſtium Eſt. 9:20. &c. Sic Leidenſes ſuæ liberationis memoriam celebrant, & nos noſtræ. Sed inprimis ſpiritualis in S. Cœna, quando noſtri meriti debemus meminiſſe, ut tanto magis recordemur Chriſti & liberationis ejus.

Sed quod hic perennis memoria egreſſus ex Ægypto mandatur, id prohibitum videtur à Jeremiâ Jer. 16:14. &c. & cap. 23:7, 8. illic poſt ejectionem Judæorum ex Cananæâ, quando anathema erunt, ut Deus eis nolit facere gratiam; iſtic poſt reſtitutionem per Meſſiam. *Ecce dies venient, inquit Dominus, ut non amplius dicturi ſint, Vita Dominus, qui adſcendere fecit Iſraelis filios ex Ægypto; ſed Vita Dominus, qui ſemen domus Iſraelis adſcendere fecit & adduxit ex terra Aquilonis, & ex omnibus terris quo depuli eos, nam reverti faciam eos in terram quam dedi patribus ipſorum, & habitabunt in terra ſuâ.* Verum non vult, eos obliviſci debere liberationis ex Ægypto, quam Deus formulæ fœderis inſeruit; ſed negatio eſt reſtrictiva, non ſolum dicent, neque potiſſimum, dicent, uti *Miſericordiam volo & non ſacrificium* Hoſ. 6:6. non ſolùm neque potiſſimum victimas. Deut. 5:3. *non cum patribus noſtris fecit Dominus fœdus iſtud*, nempe ſolum & præcipue, *ſed nobiſcum, nos qui hodie omnes vivimus.* Scl. cum hactenus nullum fuerit beneficium Dei in Iſraelem majus, eductione ex Ægypto, quando omnes & ſingulos exemit ex poteſtate hoſtium, in uno loco viventes, fiet ut longe majus fiat poſt finitum anathema & Chriſti redemtionem ipſis applica-

catam, ut qui longe lateque dispersi sunt, congregentur & restituantur omnes familiæ Jacobi, Jer. 31: 1. nullo relicto Ezek. 39. penult. Quod beneficium proinde utpote majus, longe frequentius erit in ipsorum ore. Nequit istud applicari restitutioni ex Babel, nam x tribus restitutæ nequeunt dici, quia pauciſſimi redierunt, unus ex urbe, duo ex familia Jer. 3: 15. & de tribu Juda plurimi quoque manserunt in Babele, qui nunquam redierunt in patriam; qui verò redierunt varie per universum terrarum orbem rursum dispersi sunt.

Vers. 4. *Neque conspicitor apud te vetus fermentum in toto termino tuo septem dies; neque pernoctato quicquam de ea carne quam mactaveris vespere die primo, in matutinum usque.*

c. *Ubi* comedenda azyma. *Non videbitur apud te fermentum septem illis diebus in omnibus terminis tuis.* Sic Exod. 12: 15. *diebus 7. comedetis azyma, & primo die removebitis fermentum ex domibus vestris; quisquis fermentatum comederit illis diebus, anima illa eradicabitur è medio Israelis.* vers. 19. *non invenietur 7 diebus fermentum in domibus vestris.* Exod. 13: 7. *fermentatum non videbitur apud te; imo fermentum non videbitur apud te in omnibus terminis tuis.* Fuit hoc notandum, quia cum Pascha solùm in loco tabernaculi comedi posset, videbatur ibi quoque tantum azymis esse utendum; sed non istis limitibus concluditur usus azymorum. Agnus Paschalis fuit memorialis servatorum primogenitorum; azyma egressus ex Ægypto, hoc universale beneficium, nemine præterito, non illud: hinc est istud Israelitis observandum ubique. Etsi ad pascha non admittebantur, septiduum azymorum obligabat omnes; unde non minus extra Cananæam in exilio, quam in terrâ se teneri etiam nunc statuunt.

Hinc videmus qualem panem Christus in S. Cœna adhibuerit & cur. Infermentatus fuit, neque enim alio quam azymo tunc uti fas fuit, adeoque talis necessarius fuit, Christo adhibendus, sed non facit ad necessitatem ceremoniæ istius. Alias præcepisset, uti Deus sæpius circa paschatis panem, vel saltem vocasset azymum: at dicit panem uti & Apostoli, quia quotidianum illi usui adhibuit. Superstitionis autem est damnabilis, quo azymum panem habeant, ipsum quoque panem abolere, & meram ejus spumam substituere. Tali nunquam Judæi, nunquam Christus usus est; adeoque & traditione sua irritum faciunt mandatum Christi, & repræsentationem ejus abolent, vel saltem obscurant. Paulus azyma non imperavit, sed mysticam significationem indicavit 1 Cor. 5: 6. &c. *An ignoratis parum fermenti totam massam fermentare? expurgate ergo vetus fermentum, ut nova massa sitis, uti estis infermentati. Nam nostrum quoque pascha pro nobis mactatum est, Christus. Igitur festum celebremus, non in veteri fermento, nec in fermento pravitatis & malitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Impietas fermentum est, corrumpens omnes actiones, & contactu inficit, exemplo nocet. Gal. 5: 9. Impius dicitur *perverse agens* & חומץ *fermentans* Pſ. 77: 4. & cogitationes irreligiosæ, Pſ. 73: 21. &c. *cum cor meum fermentatum esset, tum fui brutus, & nihil sciens & grandis bestia; coram te.* Hos. 7: 4. *sunt omnes adulteri, uti cum pistor dormit postquam depserit farinam, donec plane fermentetur.* Ab hujusmodi impietate, ejus praxi, imitatione, tolerantia abstinendum iis, qui Christi redemtionem gloriantur. Tit. 2. v. 14. Quoties isti memorant beneficium istud, festum agitandum est in azymis veræ sanctitatis, ut deposita omni malitia & carnalibus cupiditatibus sobrie, juste, pie vivant in præsenti seculo. Festum autem istud est non paucorum quotannis dierum, sed perenne. *Azymos sinceritatis, & veritatis*, dicit Apostolus, hoc est constantiæ. Qui umbræ serviunt, umbratilia observent, & in azymis sanctitatem quærant, (etsi quando mandato destituuntur, ἰθελοθρησκίᾳ suâ reos se faciant; non autem alicujus beneficii significationem habent uti Judæi.) quomodo conscientia mundari nequit. *Cor stabiliendum est gratia, non cibis, quibus nihil utilitatis obtinuerunt, qui in iis ambularunt.* Heb. 13: 9. Hora jam est, ut quemadmodum in omni loco invocari potest Deus, sic quoque in Spiritu & veritate colendus ubique sit Joh. 4: 21. &c. Itaque non de fermento panis laborandum ut removeatur ex habitationibus nostris, sed de fermento spirituali Pharisæorum & Sadducæorum Matt. 16: 6. ab eorum doctrina & moribus, Luc. 12: 1. & Herodis Marc. 8: 15. Homines habent secum naturale fermentum Gen. 6: 5. & hinc omnia fermentantur. Matt. 15. 19. neque optimi cavere satis possunt, Pſ. 73: 21. & proinde opus est expurgatione fermenti istius. Lev. 2: 11. Sic quoque fermentum malitiæ amovendum est. Esa. 1: 10. &c. Festum instat: quod Paulus perpetuum vult, tunc utique non negligendum, siquidem festo nostro nolimus Apostolicum abolere. Expurgandum ergo fermentum, ne amplius, in domibus, in actionibus, in cordibus nostris reperiatur. Judæi magnam adhibent diligentiam ut fermentum domo sua exterminent. Accensa candela sollicite inquirunt etiam minimas rimas, ne quid negligant; quicquid invenerunt, converrunt & comburunt; & denique Deum precantur, ut quicquid non viderunt, neque eapropter exterminarunt, illud pro exterminato habeatur. Sic nobis agendum hic admota lucerna verbi Dei debemus perscrutari omnes vias nostras, (neque ullam injustitiam intueamur corde, ut ei parcamus) Pſ. 119: 104. &c. & 11. Lam. 3: 40. Zeph. 2: 1. tum sollicite omnia ejiciamus. Ezek. 18: 31. abjicite à vobis omnes transgressiones vestras, quibus transgressi estis. Esa. 30: 22. (neque &c.) Pſ. 66: 18. Denique adjiciamus preces, Pſ. 19: 13. &c. *Errores quis intelligit* &c. Uti dicebat ille *credo, succurre incredulitati meæ* Marc. 9: 24. sic, *lavo me in innocentia, sed tu multum lava me, ut mundus fiam.* Pſ. 26: 6. & 51: 4, 9. *Mundemus nos ipsos* &c. 2 Cor. 7: 1. sed ut simul precemur Deum ut ipse sanctificet nos totos, quo integer noster Spiritus & anima & corpus inculpate serventur in diem Jesu Christi 1 Thess. 5: 23. Is qui vocavit nos fidelis est, ille etiam faciet; & quando cor nostrum totum direxerimus ad quærendum Dominum Deum patrum nostrorum, Deus propitius erit, etiamsi sanctitati sanctuarii non respondeant omnia 2 Chron. 30: v. 18. Imò Deus pro nobis consummabit, ad suam gloriam, nostrumque solatium & salutem Amen.

2. De *Paschali victima.* De qua ex professo actum fuit Exod. 12. cap. sed heic quædam alia mandantur, tunc non observata, imo non observabilia, quæ varia priorum abrogarunt. Quocirca breviter institutio prima spectanda, ut quæ hîc imperantur rite explicata intelligantur. Quum primum præcepit hunc cultum Deus, sic omnia ordinavit. Decimo die mensis primi segregandus fuit agnus masculus, integer, unius anni, de ovibus aut capris, & asservandus solus, in usum familiæ unius aut plurium, quot personæ requirebantur ad eum una cœnâ absumendum. Die 14 mensis mactandus fuit à quovis patrefamilias, aut mandato ejus domi suæ, inter duas vesperas, declinante Sole ad occasum, inde à meridie, usque ad occasum solis, quando vespera diei 15 incipiebat. Sanguis mactati agni illinendus fuit superliminari, & postibus ostii illius domus in quâ comedendus erat, in quam omnes congregati fuerunt, neque licuit ulli pedem domo efferre illa nocte, usque ad matutinum tempus, quia domos sanguine notatas præteribat Angelus, necans omnes primogenitos per universam Ægyptum. Agnus porrò integer, nullo osse fracto debuit assari igne, non elixari aquâ, vel crudus servari, & adhibitis azymis & herbis amaris, comedi totus, & quicquid absumi non poterat, igne fuit comburendum mane proximo. Comedentes porro debuerunt esse cincti lumbis, calceati pedes, & scipionem manu tenentes, adeoque stantes, magna cum festinatione utpote mox egressuri ex Ægypto. Hæc fuit ratio primi Paschatis, in Ægypto celebrati, cujus ritus plurimi constantis usus fuerunt; aliqui autem nunquam deinceps usurpati sunt, quod primo proprii forent: unde quod dicitur Exod. 12: 24. &c. Neque istud solùm humanæ traditionis est, & ἰθελοθρησκίας, sed divina voluntate factum; nam alioqui Christus istas non observasset, qui factus sub legem nihil omisit observandum, adeo ut ne quidem ante 30 annum voluerit munus suum ordiri, quamvis inde à Davidis tempore per quinquennium anticiparetur. Omissæ illæ cerimoniæ fuerunt. I. *Segregatio agni per triduum antecedens.* Matt. 26: 17. *Primo die azymorum venere discipuli ad Jesum dicentes, ubi vis parari pascha ad comedendum?* quod eadem vespera comestum fuit.

Scil.

Scil. quia in loco ſanctuarii fuit comedendum, quo de longe veniebant, non potuere tot diebus ante adeſſe; neque de grege proprio ſeligere, itaque magno numero parabantur agni, explorati à Sacerdotibus, & potuit quævis θεατεία idoneum emere, qui illicò mactari poſſet. 2 Chron. 35: 7. &c. Joſia paſchales agnos dedit populo 30000. & principes populo & Sacerdotibus & Levitis 7600. II. *Mactatio privata à patribus familiar.* Fiebat illa in atrio templi à Levitis 2 Chron. 30: 17. Levitæ fuerunt ſuper mactatione Paſchatum, & exoriarunt cap. 35: 11. Eo ergo ibant, & mactatum agnum reportabant domum, iſtic aſſandum & comedendum. III. *Aſperſio ſanguinis ad poſtes & ſuperliminare.* Nam cum in loco ſanctuarii hæc peragenda, non potuit cuivis privatæ domui iſta fieri adſperſio; neque erat opus ad tranſitum angeli percutientis primogenitos; quod periculum nunquam amplius fuit. Heic verò indicandam habeo, Hebræorum ſententiam de ritibus ejuſmodi ſacris, & eorum efficacia. Aſperſio ſanguinis dicitur *ſignum* Exod. 12: 13. *Sanguis hic erit vobis in ſignum in domibus, in quibus eſtis; quando videbo ſanguinem tranſibo vos, & non erit plaga inter vos ad perditionem, quando percutiam Ægyptum.* Bechai fol. 75. col. 3. *Sanguis non prohibuit percuſſorem, neque defectus ſanguinis adduxit plagam, ſed docet te Scriptura: quod quicunque credidit Deo benedicto fide perfecta, & ſuſpendit de ipſo fiduciam ſuam, neque attendit terrorem Pharaonis ejuſque decretum, & mactavit publice abominationem Ægyptiorum & illevit de ſanguine paſchatis poſtes & ſuperliminare, hic fuit juſtus & confeſſus in D. Benedictum, fuit dignus (æquum) ut protegeret eum à plaga & à perdente.* Nullum ergo opus operatum hic agnoſcunt, & ſecuritatem ſtatuunt in fide, quæ omnem dignitatem attulit. Tanto ſinceriores multis Chriſtianorum, qui aquæ baptiſmi regenerantem virtutem tribuunt, & pani & vino in Cœna omnem efficaciam Chriſti ipſius: ſigna illa ſunt, res ſignata promiſſione Dei indicatur: quam conſequitur quiſquis fide ſincera eam apprehenderit. Addit idem & hoc, *Videbo ſanguinem; utique novit Deus, quæ in tenebris ſunt, ſed ego video ſanguinem ligationis Iſaaci patris veſtri; uti dictum, & vocavit nomen loci illius, Dominus videbit.* Sed non Iſaaci ſanguinem, qui nullum fudit, ſed antitypi ejus videt Deus, & perdentem amovet. Cæterum loco aſperſionis in poſtes domus privatæ uſurpata aſperſio in altare holocauſti, 2 Chron. 30: 16. & cap. 35: 11. Levitæ mactantes agnos, ſanguinis aliquid excipiebant vaſe, & illud ab ipſis accipiebant ſacerdotes & adſperſionem faciebant. IV. *Comedentium habitus*, accincti, calceati, ſtantes cum ſcipionibus, & feſtinater edentes. Chriſtus accubuit pro more ordinario in ſpondis diſcinctus & diſcalceatus, & Johannes in gremio ipſius, ut ſe in pectus Jeſu inclinaret interrogaturus, & ſic Judæi omnes accumbunt otioſi, utpote jam liberati, neque migraturi celeriter. V. *Nemini ea nocte licuit egredi domo.* Chriſtus finita cœna egreſſus eſt, una cum diſcipulis in hortum Gethſemane media nocte; & Paulo ante Juda, quem putarunt diſcipulorum nonnulli ire, ut quædam emeret neceſſaria ad feſtum, vel erogaret pauperibus Joh. 13: 29. Etenim tranſiens Angelus percuſſor non erat metuendus. Tanta erga facta eſt mutatio cerimoniarum paſchalium, à primo ejus uſu. Unde obſervare libet, quod ad cauſam mutationis facit.

Paſcha primum diverſum fuiſſe ab omnibus ſequentibus. Iſtud anteceſſit beneficium; ſecuta ſunt cætera omnia. Angelus perdens egreſſus eſt media nocte, quando jam abſumtus erat agnus: (nam poſt mediam noctem ſurgit Sol verſus mane, uti poſt meridiem declinat ad veſperam:) adeoque non potuit primum eſſe memoriale beneficii præſtiti, ſed fiducia futuri. Cætera omnia memorialia fuerunt præteriti. Præterea beneficium non niſi ſemel præſtitum fuit, illico poſt primum: nunquam deinceps ſimilis præſtita redemtio: quæ tamen ſemper memoranda, utpote cujus fructum adhuc percipiunt, libertatis à cæde primogenitorum. Idem obſervandum circa S. Cœnam: tantundem diſcriminis eſt in prima inſtitutione & uſu, & cæteris omnibus poſt ſecutis. Prima Chriſti anteceſſit beneficium, cæteræ ſequuntur. Celebrata cœna prima, qua nocte proditus Chriſtus, ſed antequam proderetur, antequam corpus ejus fractum ſanguis effuſus fuit, proinde non potuit prima eſſe memorialis mortis Chriſti, quæ demum poſtridie facta eſt, ſed fiducia futuræ, certiſſimè. Cæteræ omnes ſunt memoriales mortis toleratæ, quam annunciandam habemus. Beneficium mortis Chriſti non niſi ſemel præſtitum eſt, Rom. 6, verſ. 10. Heb. 10, verſ. 10, 12, 14. cap. 9: v. 26, 28. & præſtitum non in primâ cœnâ, ſed poſt illam; adeoque non potuere Apoſtoli ore corporis frui fracto corpore, effuſoque ſanguine Chriſti, ſed tantum fruiti ſunt pane fracto, & vino effuſo, quæ ipſis ſigna eſſe voluit frangendi & effundendi corporis, & ſanguinis ſui, fide verbum promiſſionis apprehendente. Multo minus beneficium id præſtatur in ſeqq. Cœnis, ſed ante illas omnes præſtitum eſt, neque repeti unquam poteſt Rom. 6: 9. adeoque nemo poteſt ore corporis frui corpore & ſanguine Chriſti, ſed ſic tantum fruitur pane fracto & poculo effuſo, quæ ſunt ſigna memorialia fracti corporis & effuſi ſanguinis Chriſti, fide verbum promiſſionis apprehendente, & cuique ſigillatim applicante beneficium, ſignis mnemonicis juxta promiſſionem Chriſti repræſentatum. Unde error illorum detegitur, qui corporalem præſentiam Chriſti volunt adeſſe in S. Cœna, ſive per tranſſubſtantiationem, ſive per conſubſtantiationem. Etenim alia illi cœnam comminiſcuntur à prima, In eâ non fuit mortuus Chriſtus, ſed moriturus, adeoque non potuit ſic includi ſymbolis, ſed ea ſignum fuere morituri. Si jam includeretur, plus præſtarent miniſtri Chriſti, quam ipſemet potuiſſet, & foret excellentior nunc. Sed mortuus includi Chriſtus ne nunc quidem poteſt; qui non amplius mortuus eſt, ſed vivit in ſeculum Apoc. 1: 20. Durante morte Chriſti corporali S. Cœna celebrata non eſt, & licet id factum fuiſſet, non magis adfuiſſet corporaliter Chriſtus, cum corpus obſignatum eſſet in ſepulchro. Noſtra Cœna non differt à Cœna Chriſti; utrobique abeſt corpus & ſanguis Chriſti fractum & effuſus; quale non fuit cum celebraretur vel prima, vel cæteræ; utrobique adeſt ſignum repræſentativum, verum in prima frangendi & effundendi, in cæteris fracti & effuſi corporis & ſanguinis Chriſti; & tale ſignum eſt ex inſtitutione Chriſti; verum unicuique communicanti tale eſt, qui verbum inſtituentis Chriſti novit, intelligit, credit & fiducia cordis illi innixus, fruitur ſigno, annunciando mortem Domini, etiam pro ſe ad ſui redemtionem & remiſſionem peccatorum, quæ beneficia non ſunt ſigni, neque per illud conferuntur, ſed ſunt mortis Chriſti, quæ per ſignum illud repræſentatur, & fidei beneficium obſignatur, mortem Chriſti annuncianti & amplectenti.

Aliud hic adhuc obſervandum.

Mutatis quibuſdam ritibus circumſtantiarum non illico abolentur tota cerimonia. Tot mutationes factæ ſunt in Paſchatis obſervatione, & tamen idem Paſcha obſervatum. Quis accuſabit Chriſtum, qui ſecutus eſt mutationes factas? quandoquidem eſſentialia manſerunt; Agnus maſculus integer, anniculus, aſſatus igne, comeſtus nocte definita, ut nihil redundaret, nec os ei frangeretur, adhibitis azymis & herbis amaris. Circa S. Cœnam variatio quoque obtinet, Chriſtus inſtituit nocte, poſt cœnam paſchalem, præmiſſa lotione pedum, & in azymo, accumbens ad menſam. Hæ omnes circumſtantiæ omittuntur. Matutinis horis nunc fit, nullo epulo antecedente, nulla præmittitur pedum lotio, quæ in oriente frequens, panis ordinarius eſt, & à ſtantibus ſeu euntibus ſigillatim accipitur alibi ab aſſidentibus menſæ. Sed hinc non aboletur, dum eſſentialia obſervantur. Verum quando pro Cœna ſacrificium inſtituitur, pro menſa altare, pro doctore ſacerdos; pro pane cibario, ſpuma ejus: quando fractio panis omittitur, poculum plebi penitus auferetur, ipſa S. Cœnæ eſſentialia abolentur: ut non amplius Cœna Dominica eſſe poſſit, nec dici debeat; quemadmodum etiam iſtud nomen omiſſum eſt, & noviter, licet ad imitationem, confictо ritui (qualis fuit feſtum Jeroboami 1 Reg. 12: 33.) aliud datum Miſſæ; in qua nihil Chriſtus habet, qui nec rem ejus inſtituit, neque nomen indidit. Enimvero in mutatione circumſtantiarum iſtiuſmodi cautione opus, & attendendum eſt Scripturæ, & ejus ſanctioni, ad quam quo propius acceſſerimus, eo poſſumus eſſe ſecuriores. Toleranda etiam quandoque quæ mutari non poſſunt, dummodo eſſentialia omnia vel præcipua ſalva ſint, aut ſaltem integritas fidei & profeſſionis. Sic in S. Cœna etiam à quibuſdam Eccleſiis Reformatis aliquandiu retentæ hoſtiæ, ſpuma magis panis quam panis, & hæ azymæ, omiſſa fractione, ſervantur altaria, quæ tamen de myſterio iſto o

recte ſenſerunt. Sub Joſaphato, & Manaſſe reſipiſcente ſacrificavit populus Domino in excelſis, & Salomonem in exceſſo ſacrificantem Deus alloquio ſuo dignatus eſt. Indulget ſubinde Deus levioribus declinationibus; dummodo cordis integritas adſit; quamvis ſubinde etiam leviſſimos neglectus circumſtantiarum vindicarit, non geſtatæ arcæ in humeris 2 Sam. 6: 7. 1 Chron. 15:12. non obſervatæ puritatis requiſitæ in paſchate 2 Chron. 30: 18. Quo ἀκρίβειαν ſacram nobis commendet, quam exercere ſapientiæ dicitur eſſe Eph. 13: 15. quæ verbo Dei adſtringitur. In mutationibus tamen Judæorum paſchalibus varias ex Moſis inſtitutione præſente diſcere poſſumus. Mandat hîc de paſchali agno.

(1) *Carnem agni non aſſervandam in craſtinum.* verſ. 4. Sic mandatum Exod. 12: 10. Cauſa repetitionis eſt, quia dixerat, Azyma non uno duntaxat, ſed 7. diebus comedenda, ne quis crederet, carnem agni paſchalis omnibus feſti diebus licite uſurpari, jubet nihil ſervare in craſtinum: ſi quid non potuiſſet abſumi, igni fuit tradendum. Differentia proinde ſignificata fuit. Quod vero nihil ſervandum fuerit de carne in craſtinum, eo pertinuiſſe videtur, quod Dei ira in primogenitos Ægypti ea nocte conſummata ſit, ut nullus in craſtinum ſupervixerit, unde ipſi Iſraelitæ feſtinarunt abſumere agnum, qui in quavis domo vice primogeniti fuit mactatus, ſanguine ejus domum indemnem ſignante. Obſervandum autem heic, quod dicitur, *veſperi primo die mactatum fuiſſe agnum.* Primus ille dies num decimum quartum denotat, vel decimum quintum menſis? Sane mactabatur paſcha, die 14. poſt meridiem ante occaſum ſolis, & initium ſecundæ veſperæ; unde nonnulli hunc primum diem vocatum rentur, uti Exod. 12: 15. *Septem diebus azyma comedetis, ſed die primo removebitis fermentum ex domibus veſtris: nam qui fermentatum comederit à primo die uſque ad ſeptimum, illa anima exſcindetur, è medio populi ſui.* Nam 14. die remotum fuit omne fermentum. Sed ſi primus dies ille foret, pertineret ad feſtum; quod tamen ſic ſe non habet. Primus dies eſt decimus quintus, qui uti moris eſt in Sabbatho & feſtis aliis, incipit à veſperâ, Lev. 23: 32. & hinc nox pars prima eſt diei ſequentis, quæ & veſpera dicitur. Quoniam vero paſcha mactandum fuit inter duas veſperas, utraque accenſetur diei decimo quinto, & quod in prima duarum, ſeu in fine diei decimi quarti fit, habetur ceu factum decimo quinto die, qui primus feſti. Atque hoc pacto & fermenti expurgatio, & paſchatis mactatio primo diei adſcribitur, quemadmodum etiam docetur. verſ. 6. *Pertinet ille* ad mandatum ſecundum.

Verſ. 5. *Non poteris mactare Paſcha, intra aliquam è portis tuis, quas Iehova Deus tuus dat tibi.*

Verſ. 6. *Sed ad locum illum quem Iehova Deus tuus elegerit ad collocandum nomen ſuum profectus ibi mactato Paſcha veſpere, quum occidit Sol, ſtato tempore exitus tui ex Ægypto.*

(2) *Paſchalem agnum mactandum in loco ſanctuarii.* verſ. 5, 6. Dixerat verſ. 2. feſtum paſchatis celebrandum iſtic loci: ſed mox de Azymis præceperat, ubique in omnibus habitationibus durante feſto iis veſcendum eſſe; ne quis putaret, ubique etiam licere paſcha comedere; & illud de loco ſingulari tantum licentiam facere iſtic veſcendi. Itaque negat primum in urbibus aut locis habitationis eſum eſſe licitum, etſi tota Canaanæa ſancta foret. verſ. 5. Quo pacto mutatio inſtituitur quoad delectum agni privatum triduo ante, quoad mactationem in domo propriâ, quoad poſtium picturam ſanguine agni, ad tutelam incolentium domum: quæ omnia impoſſibilia reddebantur. Nam deinde jubet proficiſci ad locum Sanctuario delectum verſ. 6. qui ad extremum fuit Hieroſolyma. Et quia hic locus delectus, ſimul indicatum aliquid agendum, quod illi foret proprium, ſcilicet ut ibi magno numero agni idonei parati forent omnibus, quandoquidem delectum facere ſingulis vix erat integrum, quia pecudes omnes probe fuerunt examinandæ à Sacerdotibus, utrum vitio carerent; (unde tantus numerus vendentium in templo pecudes, & columbas.) Inſuper, ſanguinis adſperſio facta à Sacerdotibus in altari (uti etiam de decimis pecudum obſervavimus Deut. 15: 19.) quamobrem mactatio quoque in atrio fieri debuit, per Levitas, quod juxta legem Moſis factum dicitur 2 Chron. 30: 16. & cap. 35: 5. quamquam non exſtet verbis diſertis; ſed per conſequentiam hinc deduci queat; imo debeat. Hæc ſanguinis adſperſio aliam prorſus habuit ſignificationem à priori. Prior ad poſtes ædium tuebatur incolas à perditore angelo; aſt hæc poſterior, reatum adſcribebat Chriſto, uti omnis ſanguis altari adſperſus, & ſuper illum indicabat venturam perditionem debitam peccatis. Solatium vero ſimile ſuppeditabat ſodalitio. Sanguis ſuper poſtibus docebat, victimam pro illis mactatam vicariam, ut parceretur eis à temporali judicio. Sanguis ſuper altari docebat non ſolum mactatam vicariam pecudem, ſed veram hoſtiam Meſſiam adhuc mactandum eſſe, ad æternæ perditionis amolitionem.

3. Definit *tempora mactationis & uſurpationis.* verſ. 6. nam triplex notatur differentia, *veſperi, Sole occidente, ſtatuto tempore egreſſus ex Ægypto.* Mactatio facienda veſperi ante occaſum ſolis, utpote inter duas veſperas: Eſus poſt ſolis occaſum; combuſtio reſidui quo tempore egreſſi ex Ægypto, hoc eſt, mane, ſive poſt noctis meridiem. Saltem במועד *ſtatuto tempore*, decimo quinto menſis, ſeu primo die feſti ineunte, hæc ſolennitas fuit peragenda. Verum ex inſtituto Judæorum, quoties decimus quintus menſis dies incidebat in ſextum diem ſeptimanæ tranſtulerunt in ſequentem decimum ſextum qui Sabbathum, ne duo Sabbatha concurrerent, ita feſtum die uno ſerius incipiebat. Sic factum tempore paſſionis Chriſti. Erat dies crucifixionis Chriſti paraſceve paſchatos Judæis Joh. 19: 14. quæ à ſexta hora incipiebat, & nondum comederant paſcha, ſed comeſturi erant cap. 18: 28. & paraſceve fuit Sabbathi magni, quia hebdomadarium & feſti concurrebant. cap. 19: 31. Chriſtus vero pridie comederat. Ipſe juxta præſcriptum Dei, illi ex traditione. Verum dubium eſt, quomodo Chriſtus potuerit anticipare, cum mactatio in templo facienda eſſet agni, & ſanguis adſpergendus altari, & comedendum in domo peregrina. An credibile Levitas & Sacerdotes heic Chriſto obſecuturos, ut ipſi ſingulare præſtarent miniſterium? Hæret hic multis aqua, & varia dicuntur ad difficultatis ſolutionem. Sed eam ſic commodiſſime removeri credimus. Notum eſt duas ſectas tunc fuiſſe Judæorum in N. T. ſæpius memoratas, Phariſæorum & Sadducæorum. Illa traditionibus regebatur, Zelo pro iſtis fervens. Hæc traditiones averſabatur, & literæ Scripturæ inhærebat. Utraque fuit magnæ autoritatis; illa ob ſpem ſanctimoniæ, hæc quod divites potiſſimum haberet aſſeclas; quibus phariſaicus rigor diſplicebat. Act. 23: 6. Synedrium ſummum ex his & illis conſtabat, & Act. 15: 17. *ſummus ſacerdos & qui cum ipſo fuerunt ſectæ Sadducææ.* Itaque utrorumque citra dubium habita fuit ratio, & Phariſæi quidem paſcha diſtulerunt religione ſuæ traditionis: aſt Sadducæi tenaces literæ, die definito paſcha comederunt; & tunc quoque Chriſtus citra ullius impedimentum aut ſcandalum illud celebravit: notus publice phariſaicarum traditionum adverſarius.

(4) *Modum comeſtionis* repetit verſ. 7. *& coques & comedes, in loco* &c. coctio hæc facta eſt ad ignem, non autem in ollis, ut 2 Chron. 35: 13. quæ aſſatio eſt, diſerte imperata Exod. 12: 8, 9. *non edes de eo crudum, neque elixum aqua, ſed aſſatum igne.* Id factum dicunt Hebræi, ut odorari poſſent Ægyptii abominationem ſuam patrari, qui tamen non auderent ſe opponere, ſi Chriſtum ſpectemus, ſignificari videtur ipſius ſatisfactio. Ignis iram denotat, Luc. 16: 21. aqua ſolatium: Ille adhibendus tantum, non iſta in præparatione, quia Chriſtus excoctus fuit igne iræ Dei, citra omnem ſolatii guttam, quando deſertum ſe à Deo teſtatus eſt, ut nobis foret cibus redemtionem partam obſignans. Elixatio ſignificaſſet temperatam iram fuiſſe ſolatio & adjutum: cruditas omnia condonata, quorum neutrum vel juſtitiæ judicis congruit, vel merito ſolventis Chriſti. (Quidam propter verbum בשל (quod tamen de aſſatione quoque intelligitur 1 Chron. 35: 13.) Elixationem ſeu coctionem quamcunque intelligunt, & non de agno paſchali, ſed de pacificis ſermonem eſſe rentur. Quæ fieret die decimo quinto, ſeu Sabbatho feſti, ut poſtridie die decimo ſexto diſcederent domum, obſervata iſtic azy-

azymorum lege, & festo ultimi diei. Sed coctio rectius de assatione agni accipitur, ut Bechai.)

Vers. 7. *Tum coques comedesque illud in loco quem elegerit Iehova Deus tuus: deinde revertens mane ibis ad tentoria tua.*

De *reliqua solennitate festi* explicanda videntur cætera vers. 7. *& vertes te mane*, &c. Targ. Jonathanis: *& vertes te mane, exeunte festo, & redibis ad urbes tuas.* Quis enim credat imperatum iter ad tabernaculum, festi septiduani ergo, & mox post alterum diem abiisse domum, ceu fatigatos. Potest proinde coctio antecedens intelligi de ea quæ fiebat de sanctificatis toto festi tempore: quia de mactatione ovium & boum dixit vers. 2. nam habuere tunc varias victimas, & sacras carnes, quas quovis modo parare licuit. Et toto festo finito redierunt domum. Sic Luc. 2: 43. parentes Jesu more festi Paschæ egerunt Hierosolymæ, & diebus finitis (utique septidui) rursum abierunt domum, & sic egit comitatus omnis: quos inter Jesum quæsiverunt. Non decet abrumpere cultus exercitia, ut illi quibus ille fatigatio Mal. 1: 13. qui festinant currere ad propria; sed ad extremum perseverandum. Finiebantur festi dies vesperi: sed nemo discedebat vesperi, verum noctem unam adjiciebant & mane digrediebantur. Nemo voluit abire ante auditam benedictionem sacerdotis; unde exspectarunt tardantem Zachariam Luc. 1: 21. quod hodie contra sæpissime fit; quorum abeuntium culpa sola erit, si caveatur ne detur justa abeundi occasio, quæ cultum divinum peragendum impediat.

Vers. 8. *Sex diebus comedito azyma: die autem septimo, qui dies est interdicti Iehovæ Deo tuo, ne facito ullum opus.*

De *solenni die observando* vers. 8. *Sex dies azyma* &c. Septem dixit vers. 3. & 4. neque hic numerum minuit, sed *septimum* nova solennitate insuper honorat, fit ille *festus Domino*, & ut Sabbatha vacationem ab opere poscit, quod intermediis diebus licitè fiebat. Causa est ut festum religiosius clauderetur. Sed & alia, septimo die azymorum fissum mare transierunt Israelitæ, & Ægyptii in eo submersi perierunt. Tunc consummata liberatio ex Ægypto, & Deus regem se populi declaravit, & agnitus est in Cantico Mosis Exod. 15. Novum beneficium novam peperit solennitatem, & consummatio prioris repetitum gaudium & gratiarum actionem. Nobis quibus Christus consummavit redemtionem apud Deum, juge festum celebrandum, donec eandem consummabit victis deletisque omnibus hostibus; quando festum erit solennius & ad mare vitreum consistent fideles, triumphata bestia, cum cytharis, & canent canticum Mosis & Agni. Apoc. 15 vers. 2. &c.

Vers. 9. *Septem septimanas numerato tibi, ex quo cæperit falx immitti in segetem, incipito numerare septem septimanas.*

B. Prov. 3: 9. Quum de omnibus bonis honoris testimonia debeantur Deo, tum inprimis de primitiis, quæ potissima omnium æstimantur. Primogeniti dicuntur *primitiæ virium & roboris, præcipui excellentia & præcipui virtute.* Gen. 49: 3. quod etiam cæteris primogenitis, brutorum & terræ nascentium; suo modo applicari potest. Harum primitiarum dationem non permisit libertati dantium, sed maximam partem imperavit. Hominum quidem & jumentorum ceu sibi debitam, quia dum primogenita omnia in Ægypto necarentur, Israelitarum servavit, & proinde sibi servavit, quæ sibi vel addicerentur, vel redimerentur, adeoque alterutro modo cederent suis ministris sacerdotibus. Sed primitias terræ nascentium sibi offerri mandavit solennius, quando tria festa anniversaria ab illis solennem cultum consequi voluit. Nam Pascha habuit oblationem manipuli primitiarum de hordeaceâ messe. Pentecoste fuit festum messis primorum fructuum laboris, quos in agro seminassent Exod. 23: 16. & Tabernaculorum festum collectionis, postquam omnis fructus terræ collecti fuissent, arborei quoque, quorum omnium primitiæ in corbibus deferebantur ad sanctuarium. (Præterquam quod adhuc darentur primitiæ de area & de mactra. Num. 15: 20. cap. 18: 11, 12. Deut. 18: 4.) Præ cæteris Pentecoste inde nomen ducit, dictum *festum primitiarum.* Exod. 23: 16. cap. 34: 22. De quo nunc dicendum est; declaratur I. Tempus vers. 9. II. festi solennitas. vers. 10. III. Festivum gaudium vers. 10, 11. IV. Ratio cultus vers. 12.

I. *Tempus* designatum est vers. 9. *Septem hebdomadas numerabis tibi: à quo falx mittitur in segetem, incipies numerare septem septimanas.* Plenius idem dicitur Lev. 23: 15, 16. *Numerabitis vobis à crastino Sabbathi, à die allati manipuli agitationis, septem perfecta Sabbatha erunt, usque in crastinum septimi Sabbathi numerabitis quinquaginta dies.* Dictum nuper est diem decimum quintum Nisan, cujus initio post occasum solis usque ad mediam noctem comedebatur pascha, fuisse Sabbathum festi, Sabbathica religione transigendum. Die proximo, qui decimus sextus, sive noctu, sive orto sole ex stante segete demetebant manipulum hordei maturi, qui in sanctuario agitabatur coram Deo à Sacerdote. Antequam hæc oblatio manipuli facta esset, non licuit falcem immittere in segetem; imo non licuit spicam viridem, nedum tostam igne, aut commolitam in farinam, comedere, donec illi religioni satisfactum fuisset. Luc. 23: 14. quamobrem cum Euangelistæ narrant, discipulos Christi transeuntes per segetes vulsisse spicas, annotatur tempus, ne ante justum tempus id factum quis suspicetur. Ab illo die decimo sexto, qui crastinus Sabbathi festi, numerabantur septem septimanæ, quarum primus dies fuit ille decimus sextus. Dicuntur etiam septem Sabbatha; non tantum quod totidem Sabbatha iis comprehenderentur, sed quia Sabbathum pro septimana accipitur. (unde Luc. 18: 12 *jejuno bis in Sabbatho*, hoc est hebdomade.) Tot septimanis fiebat messis, illico post manipulum agitatum, primum hordeacea, deinde triticea, quæ omnis demessa & in horrea convecta erat, ante illorum finem. Conficiunt autem septimanæ septem dies quadraginta novem, & crastinus post exactum septimum Sabbathum seu septimanam, erat quinquagesimus, & festum istud, quod à dierum numero Græcis dicitur *Pentecoste*, ast Mosi appellatur *festum Septimanarum* heic & Exod. 34: 22. Hic mandatur numeratio septimanarum definitarum, & dierum in quavis septimanâ, quandoquidem à primo die septimanæ non ducebatur computus, sed à paschatis Sabbatho primo, sive à decimo quinto Nisan finito. Religiosi sunt Judæi etiam nunc circa computum, censentque quemvis masculum majorennem obligari, & ne quis obliviscatur, singulis noctibus post solis occasum, inde à decimo sexto Nisan, numerant & septimanas illas, & dies cujusque septimanæ, & quotcunque jam præterierint ut festo sint viciniores; recitantque preces, quibus Deo gratias agunt, quod dignatus fuerit ipsos suis præceptis sanctificare, & segregare ab omnibus aliis populis, & mandare numerationem manipuli, sive temporis inde ab oblatione manipuli. Sic in numerato habuerunt tempus Apostoli, Luc. 6: 1. Sabbathum δευτεροπρώτῳ fuit, primum vid. septimanæ primæ, post secundum diem Paschatos, unde initium numerandi ducebatur. Cæterum hinc constat, *Deum esse arbitrum temporum*, qui adeo accurate definivit, menses, & septimanas, & dies. Ps. 74: 16. *Dies tuus, etiam nox tua est, parasti lucem & solem.* Dan. 2: 21. *mutat tempora & horas;* Act. 17: 26. *constituit ante definita tempora, non minus quam limites habitationis unicuique hominum.* Est hoc jus Dei agnoscendum, ne quis sibi illud usurpet, & definire velit tempora. Non faciunt illud Calendariographi, neque enim definiunt Lunæ solisque cursum, ac cæterarum stellarum, sed tantum indicant, quem ordinem Deus definiverit. Quod si arrogent sibi futurorum eventuum definitionem, Dei sibi arrogant jus, graviterque peccant; uti astrologi ejusmodi & alii divini damnantur, & ultioni divinæ & humanæ destinantur. Verum est & aliis familiare sic agere, Jac. 4: 12. *Deus unicus legislator, agite igitur qui dicitis hodie aut cras proficiscemur in illam urbem, & ibi annum agemus, ac negotiabimur & lucrum faciemus, cum nesciatis, quid cras sit futurum: cum dicendum fuisset, si Deus voluerit & vixerimus, hoc vel illud agemus, sed gloriamini in superbia vestra;*

ſtra; omnis iſta gloriatio mala eſt. Si quis ergo novit recte agere, & non agit, illi peccatum eſt. Sic numerantur anni privata autoritate. Luc. 12: 16. Dives cujus terra proventum uberem reddiderat, in corde ſuo deliberat diruere horrea & ampliora ſtruere, ut eo congerat, & dicit animæ ſuæ, *anima multa habes bona, congeſta pro annis pluribus, quietem age, ede, bibe, læta eſto. Cui Deus ait: Stulte, hac nocte repetent à te animam tuam, & cujus erit quod paraſti?* Quid diſponimus de temporibus, quæ noſtræ poteſtatis non ſunt? Job. 14: 5. *Hominis dies definiti ſunt, numerus menſium ejus apud te eſt, poſuiſti limites ejus quos non tranſibit*; unde Pſ. 39: 5. *Domine, notum fac mihi finem meum, & quæ ſit menſura dierum meorum, ut ſciam quam deſinens ſim; ecce palmares conſtituiſti dies meos, & tempus vitæ meæ ut nihil coram te eſt.* Noſtrum non eſt definire tempora, ſed definitis à Deo rite uti, quod eſt *Redimere tempus.* Eph. 5: 15. Itaque

Tempora à Deo definita ſtudioſe ſunt obſervanda. Quanta cura imponitur numerandi tempora harum ſeptimanarum, ut non aliis uſibus deſtinarentur, quam Deus juſſit. Definitiones Dei ſunt I. *Communes omnibus hominibus.* Dies ad laborandum & ambulandum, nox ad quieſcendum ordinata, Joh. 9: 4. cap. 11: 9. &c. *nonne 12. ſunt diei horæ ſi quis interdiu ambulat, non impingit, quia lucem mundi videt*: contra qui noctu. Non ſatis conveniens totas noctes laborare, dies vero ſomno tranſigere. Equidem ubi tanta eſt dierum inæqualitas uti hic, & magis adhuc verſus Arctum, in hyeme magna pars noctis adjicienda ad diem, uti in æſtate aliqua pars diei addenda nocti. Verum non ſunt omnia invertenda. Si quid ſumendum ſit potius de nocte adjiciendum diurni laboris exercitiis, quam ut ſomno indulgeatur præter tempus. Prov. 6: 9. &c. *Quamdiu ignave decumbes? quando ſurges à ſomno tuo? parum dormitionis, parum nictationis, parum compoſitionis manuum decumbendo, & ſuperveniet paupertas ut viator, & defectus tuus ut vir armatus.* Quod ſi ex avaritia & ſollicitudine vitæ fiat nocturnus labor, valet illud Pſ. 127: 2. Peccant vero graviſſime illi Eſa. 5: 11. *væ matutinantibus mane ad perſequendam ſiceram, & veſperantibus uſque ad crepuſculum donec incaleſcant vino, & citharæ ac fiſtulæ ſunt in ipſorum conviviis, & vinum: ſed non conſiderant opus Domini, neque intuentur opus manuum ejus.* & Eſa. 56: 12. *agite adferam vinum & bibemus ſiceram, & dies craſtinus erit ut hic, major & excellentior.* Si abundamus tempore, impendendum cultui divino. Pſ. 134: 1. Servi Dei noctu conſiſtunt in Dei atriis, ad laudes dicendas. David non ſolum veſperi & mane & meridie ad Deum precabatur Pſ. 55: 18. & Daniel Dan. 6: 11. verum etiam media nocte ſurrexit ad celebrandum Deum de judiciis juſtitiæ Pſ. 119: 6. anticipavit vigilias ad meditandum ſermones Dei. verſ. 148. ſepties de die repetiit laudes, ſæpiſſime verſ. 164. 2. *Speciales fœderatis*, Dies quietis unus & ſex operis. Sic definivit in formula fœderis, cujus obligatio Eccleſiam omnium ætatum devincit. Illa definitio Dei obſervanda, juxta rationem Sabbathi. Nec Sabbathum fiat dies operis, nec dies operis Sabbathum; Dei ſapientiſſimum conſilium ſic definivit. Immutare lege perpetua non eſt hominum; nam facit Deus ſubinde dies extraordinarios, & luctus & gaudii, qui ab obſervantibus opus Domini debent quoque convenienter agi. Eſa. 22: 12. Pſ. 118: 24. At 3. *ſpecialiſſimi dies feſti Judæorum*; ad quos Gentiles non obligantur, imo ab iis jubentur abſtinere, Gal. 4: 10. Col. 2: 16. De Anti-Chriſto dicitur Dan. 7: 25. *Cornu ſurgens cogitabit mutare tempora & legem.* Hoc admiſſum crediderunt multi ſuperiore ſeculo, quando Gregorius XIII. Pontifex Romanus Calendarium correxit, & decendium exemit, unde ſtylus novus natus. Sed in eo peccatum non fuit, non mutavit tempus & curſum ſolis, verum mutavit computum temporis; Peccat autem aliter quando feſta inſtituit, & ad imitationem tum Judæorum in feſtis majoribus tribus, tum Gentilium bene meritos homines, vel ſuos Deos conſecratis diebus honorantium, Sanctorum dies multiplicat, & religioſo otio tranſigendos docet. Profecto ſi Jeroboamo imputatus menſis quem commentus erat, imitatus Deum, ad colendos vitulos; utique imputabuntur Papis tot dies, quos creationis ſanctificarunt. Nobis obſervandum quod Deus conſtituit. Jer. 5: 23. *populus hic habet declinans & rebelle cor, declinarunt & abierunt, neque dicunt in ſuo corde, timeamus nunc Dominum Deum noſtrum* &c. Deus obſervans ſtatutorum à ſe temporum. Gen. 8: 22. *poſthac omnibus diebus terræ ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems dies & nox non ceſſabunt.* Obſervemus tempora nobis definita: faciunt ciconia, turtur, & grus & hirundo, ut veniant tempore ſtatuto adventui ſuo. Jer. 8: 7. multo magis nobis circa cultum Dei; quæ ſapientia ex ſolo verbo Dei petitur, ut dum lux eſt, in luce ambulemus, in lucem credamus, ut filii lucis ſimus Joh. 12: 35. &c. ut quia nox præteriit, dies propinquavit, deponamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis, ambulemus honeſte, ut in die, non in iis quæ noctis ſunt & tenebrarum, ut tandem digni habeamur qui partem accipiamus in hæreditate ſanctorum in luce. Eccl. 1: 12.

Verſ. 10. *Tum celebrabis feſtum ſeptem ſeptimanarum Jehovæ Deo tuo tributo, & voluntaria oblatione manus tuæ quam dabis prout benedixerit tibi Jehova Deus tuus.*

2. *Feſti ſolennitas.* verſ. 10. *Et faciesfeſtum ſeptimanarum Domino Deo tuo.* Quid illud ſit dicitur Lev. 23: 16. *craſtino die ſeptimæ ſeptimanæ*, poſt hanc perfectam, *numerabitis diem quinquageſimum, & afferetis Domino obligationem novam.* A qua etiam vocatur *feſtum primitiarum.* Porro ait: *Ex habitationibus veſtris afferetis duos panes agitationis; erunt de duabus decimis farinæ, coquentur fermentati; ſunt primitiæ Domino.* Meſſe jam factâ, omnium ſeminatorum in agro, & devecta in horrea, antequam quicquam triturareturaut comederetur, hæ primitiæ Deo fuerunt offerendæ. Itaque de tritico quod in Cananeâ creverat ſumebatur Epha ſeu tres Scæ & deferebatur in ſanctuarium, atque ibi commolebatur in farinam, indeque ſimilæ duæ decimæ fermentatæ depſebantur in panes duos ejuſdem ponderis & figuræ; qui panes agitabantur coram Deo, & poſtea comedebantur à Sacerdotibus. Accedebant ſacrificia complura, præter juge matutinum & veſpertinum, duo juvenci, aries unus, & agni ſeptem in holocauſta, de quibus Num. 28: 26. &c. itemque ad primitiarum iſtarum religionem ſeptem agni, juvencus unus & duo arietes in holocauſta, hircus pro peccato, duo quoque agni in pacifica: qui duo agni cum panibus illis primitiarum agitabantur, dies autem ille fuit Sanctâ convocatione, & quiete ab opere omni ſolennis. Lev. 23: 18. Non notabimus nunc, quod alias dictum, de primitiis Deo tribuendis; ſed quæ ad myſterium cultus pertinent. Manipulus primitiarum repræſentabat Chriſtum, qui de ſtante ſegete Iſraelis ſumtus, & contritus, igne iræ Dei uti in altari farina ex parte combuſtus fuit. Decebat enim eum propter quem omnia & per quem omnia, ut multos filios ad gloriam ducturus ſupremum ducem ſalutis ipſorum per paſſiones conſummaret Heb. 2: 10. Sic ipſe factus primitiæ, per quem omnes ejuſdem agri ſanctificantur, tota Eccleſia, is qui ſanctificat & qui ſanctificantur ex uno ſunt omnes. Hæc in paſchate. Aſt in Pentecoſte aliæ primitiæ. Triticea ſeges, unde primitiæ ſumendæ, ſunt homines, Joh. 4: 35. Chriſtus meſſi maturæ confert Samaritanos ad ſe venientes. Sed non quivis homines idonei ad hoc genus honoris, ut primitiæ fiant, ſed tantum qui creverunt in agro Eccleſiæ; uti tantum in Cananæa enatum triticum. Jer. 2: 3. *Iſrael fuit Deo ſanctitas, primitiæ proventus ejus*; hic fuit ager Dei, & exinde deſumtæ primitiæ pentecoſtales, poſt manipuli oblationem: Cum magna multitudo convenisſet ad feſtum, mares Iſraelitæ ex tota terra, uti tantum menſura trium ſatorum accipiebatur ad primitias, & ex his duæ decimæ duntaxat parabantur in panes, ita pars duntaxat quædam concurrit ad miraculum in Apoſtolis patratum, & ex concurrentibus non niſi 3000. fuerunt converſi. Triticum ipſum non fuit offerendum quale creverat, ſed contritum & commolitum in farinam, & à furfuribus mundatum in ſimilam. Neque auditores Petri fuerunt primitiæ oblationi apertæ, quales natura erant; quamvis haberent Abrahamum patrem, & in Eccleſia nati eſſent, debuere conteri & compungi corde, ut non magis cohærerent quam farinæ, facile difflanda; unde dixerunt, *Viri fratres quid faciemus?* ſed talis ſimila fuit fermentanda & ſubigenda oleo & depſenda in panes. Petrus reſpondit, *Reſipiſcite & baptizetur* &c. per reſipiſcentiam à furfure

fure corruptionis mundari jubet; baptiſmi receptio in remiſſionem peccatorum indicat fidem Euangelii & promiſſionis ejus. Et hoc eſt illud fermentum, de quo Chriſtus Matt. 13:33. *Regnum cœlorum eſt ut fermentum, quod acceptum mulier quædam abſcondit ſub tribus ſatis ſimilæ, donec tota fermentaretur.* Tria ſata farinæ dicit Chriſtus, & totidem accipiebantur menſuræ tritici ad has primitias fermentandas. De quo effectu loquitur hiſtoria, *qui libenter audiverunt ejus ſermonem baptizati ſunt, & additi Eccleſiæ circiter* 3000. *& quotidie additi ſunt Eccleſiæ qui ſalvi fierent*; in ſingulis illis & in omnibus apparuit efficacia fermenti totos imbuentis: accedente oleo Spiritus S. quem conſecuti ſunt credentes. Hoc fermentum die pentecoſtes fuit ſparſum per Petri ſermonem, & Spiritus S. illo die imbuit eos ut fierent una maſſa Eccleſiæ, excocti mutuo amore, ut perſeverarent in doctrina Apoſtolorum & communione. Act. 2. Verum quod duo panes offerendi eſſent, non ſignificabat duas domos Iſraelis, uti 12. panes propoſitionis 12. tribus; nam cum iſtud inſtitutum, non fuerunt diviſi Iſrael & Juda: ſed quid aliud; Iſraelitas ſeu Judæos, & Gentes, ut de utriſque aſſumendos ſignificaretur. Hiſtoria refert fuiſſe & Judæos & proſelytos: ſed hi omnes fuerunt Gentiles origine, & uti deſcribuntur, de omni populo qui ſunt ſub cœlo verſ. 5. ex oriente & occidente, meridie & ſeptentrione, quamquam omnes ad Judæam religionem acceſſiſſent. Adeoque patuit Deum non eſſe proſopolepſen, ſed in omni gente ipſi eſſe acceptos, qui ipſum timent, & juſtitiam faciunt. Act. 10: 39. imo etiam deinceps gentes, manentes in gentiliſmo præputiatas, neque per circumciſionem Judaizatas, & Euangelii prædicatione, & Spiritu S. fidem & ſanctificationem & acceſſum operante, donaſſe. Id duobus panibus ſignificatum, Eph. 2:17. Equidem vetitus eſt uſus fermenti ad ignitum ſacrificium Lev. 2:11. neque tale quid ſtatuebatur de his panibus; non offerendi ut hoſtia, pabulum ignis ad ſatisfaciendum iræ & juſtitiæ Dei: farina manipuli infermentata ſic comburebatur; ſed panes hi fermentati tantum agitabantur coram Deo in quamvis partem movebantur, ut quaquaverſum fermenti iſtius efficacia, ſignificaretur diffundenda. Rom. 15:16. *ſum ſervus Jeſu Chriſti inter gentes adminiſtrans Euangelium Dei, ut oblatio gentium accepta ſit, ſanctificata per Spiritum S.* Hæc fuere antitypa Pentecoſtalis cultus: quæ uti impleta videmus; ſic inde notandum habemus, quod Paulus docet, *Si primitiæ ſanctæ, etiam maſſa* Rom. 11:16. niſi enim de maſſa aliquid ſequatur, & quidem longe abundantius, non poteſt illud dici primitiæ quod aſſumtum eſt; ſed ſi plurima pars ſit, ultra dimidium, aut magna pars erit; ſin nihil ultra accedat, nequit relativum nomen tueri. Primitiæ ſunt uterque panis, tum qui Iſraelem, tum qui Gentes repræſentat. Iſrael dicitur *primitiæ gentium.* Amos. 6:1. ſed ut aliæ ſequantur. Act. 3:26. Sed hic primitiæ Iſraelis, non gentium reſpectu, ſed ipſius Iſraelis: adeoque tandem longe maxima multitudo illorum accedit; *plenitudinem* dicit Apoſtolus Rom. 11:12. quando acceptabuntur poſt diuturnam abjectionem verſ. 15. & totus Iſrael ſalvabitur. verſ. 26. Verum etiam primitiæ Gentium, quæ pollicebantur divitias, & plenitudinem, ut benedictio ad omnes gentes, ad omnes familias terræ perveniat. Videmus quanta poſt illas primitias meſſis facta fuerit, Apoſtolis egreſſis ad Gentes undique colligendas. Verum enimvero ſi velimus ſecuri eſſe iſtius beneficii, debemus aliquatenus aſſimilari. 1 Cor. 5:7. novam maſſam eſſe dicit Corinthios ſed azymam: quia fermentum intelligit pravitatis & malitiæ. Tale omnino abeſſe debet, ſed quando illo ſignificatur fermentum Euangelii, omnino neceſſarium eſt ad maſſam iſtam, quo ejus efficacia ſe exſerat 1 Theſſ. 2:13. & digne illo vivant Phil. 1:27. cap. 2:15,16. & alios lucrentur 1 Pet. 3:2. Et quamvis nequeamus eſſe primitiæ iſtæ primæ; tamen cum fuerint quoque primitiæ mactræ, ut unuſquiſque de paſta quid ſacraret Deo Num. 15:20. ſic nos ſiſtamus Deo Rom. 12:1. Si fides Euangelii, quæ fermentum miſcet maſſæ, adfuerit, & ſanctificatio Spiritus S. qui fidem & ejus actuoſitatem operatur, tum erimus oblatio ſancta, Deo placens in Chriſto Jeſu, non ad ſatisfactionem, ſed ad obſequium.

Verſ. 11. *Et lætaberis coram Jehova Deo tuo, tu, & filius tuus; & filia tua, ſervuſque tuus & ancilla tua, & Levita qui erit intra portas tuas, peregrinus quoque & pupillus & vidua qui erunt in medio tui: in loco quem elegerit Jehova Deus tuus ad collocandum nomen ſuum ibi.*

2. *Feſtivum gaudium* verſ. 11. Deſcribitur illud prolixe, *à forma; lætaberis coram facie Domini Dei tui*; non eſt gaudium carnale, ſed cujus materia Deus eſt gratioſus & fœdere conjunctus, adeoque religioſum gaudium, de quo Phil 3:1. *gaudete in Domino jugiter* &c. & Moſes, Deut. 10:21. *ipſe laus tua & Deus tuus.* Non tam de larga benedictione, cujus primitiæ erant illi panes, quam de Deo benedicente & amore ejus, *à conſortibus* domeſticis liberis & famulis utriuſque ſexus, nec non aliis, qui ſunt Levita concivis peregrinus, vidua & pupillus in medio tui, qui ſcil. apud te depauperati ſunt. à loco, ubi Sanctuarium. Iſta omnia etiam fuêre dicta Deut. 12:18. cap. 14:23. &c. & rurſus dicetur Deut. 16:24. Sed notandum de eo unde dandum, verſ. 10. Contributio ſpontaneitatis manus tuæ quemadmodum benedixerit tibi Dominus Deus tuus. Obſervant Hebræi, feſto Paſchatis allatas fuiſſe decimas ſecundas, & votiva complurium menſium inde ab ultimo feſto tabernaculorum, & durante ſeptiduo feſti abſumtas. Die quinquageſimo, cum redeundum eſſet, & unus ſolum dies agendus, nec tantum fuiſſe theſaurum, neque voluntatem multæ præparationis: itaque monuiſſe, non minus debere eſſe promtos, tum quoad ſuam, tum aliorum lætitiam procurandam, ut liberaliter facerent ſumtus, uti Deus non parcus fuiſſet benedicendo. Sed de hoc pluribus ad verſ. 17.

Verſ. 12. *Ita recordaberis te ſervum fuiſſe in Ægypto, quum obſervabis & facies ſtatuta iſta.*

7. *Ratio cultus* verſ. 12. *Et recordaberis te ſervum fuiſſe in Ægypto & obſervabis & facies iſta ſtatuta.* Qui hoc cohæreat non adeo apertum eſt. Eò faciebat Paſcha; agnus monebat de ſervatis primogenitis, azyma de feſtinato exceſſu ex Ægypto, & ultimus dies feſtivus memoriam habuit tranſitus per mare & ſuffocatorum Ægyptiorum. Jam tot dies præterierant, quibus extra territorium & dominationem Ægypti fuerant. Sed ratio commodiſſima eſt. Exod. 19:3. &c. quamdiu non deduxerat uſque ad montem Domini, & ibi in fœdus aſſciverat, ut ſibi forent populus peculii, nondum videbantur aljos habere legitimos dominos præter Ægyptios: & tunc dura fuit ſervitus, & triſtis, ut nulla darerur lætandi cauſa. Verum cum Deus ipſo die pentecoſtes publicaſſet ſuum fœdus, x illa verba, adeo ut jam nullum regem & Dominum haberent præter Deum, hoc beneficium uti gaudium magnum excitare debuit, ſic recordationem miſeriæ, ſervitutis priſcæ, unde jam erant liberati. Longe majus autem fuit beneficium Pentecoſtes Novi Teſtamenti. In Paſchate triumphatus erat Pharao ſpiritualis, Chriſtus morte ſua aboleverat, & exarmaverat Diabolum, ſpiculo ademto, cum expiaſſet peccatum, & in cruce de illo triumphaverat. Sed die Pentecoſtes publicavit fœdus novum, dato Spiritu Sancto tum qui efficax eſſet in præconio Apoſtolorum, tum qui fœdus illud ſcriberet in ſubditorum cordibus. Iſte vero Spiritus non eſt Spiritus ſervitutis ad metum, ſed adoptionis Rom. 8:15. & ubicunque Spiritus Domini, ibi libertas, 2 Cor. 3:17. libertas à lege peccati & mortis, Rom. 8:2. Hoc beneficium uti maximum eſt, ita longe magis æſtimatur, quando recordatio eſt prioris ſervitutis & miſeriæ. Rom. 7:24, 25. Col. 1:13. & Act. 26:18. Sic 1 Pet. 2:9. &c. vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, populus ſanctus, populus peculii, (hoc oblatum fuit Iſraeli in primâ pentecoſte, ſed vitio ipſorum non datum; quia ſua pactione fœderali propriam juſtitiam voluerunt conſtituere, juſtitiam Dei quæ fidei, hoc pacto repudiantes: ſed obtinuerunt credentes in Chriſtum ejuſque Euangelium.) ut annuncietis virtutes ejus qui vos vocavit ex tenebris in mirabilem ſuam lucem: qui quondam fuiſtis non populus, ſed nunc Dei populus eſtis; & non miſericordiam conſecuti olim, at nunc miſericordiam conſecuti. Recordari vult priorum malorum Judæos, non tantum in Ægypto, ſed longe graviorum, quando fuerant Lo-ammi, Lo Rychama: ut tanto magis gauderent de

de beneficio, Deumque prædicarent. Sane Gentiles non minorem habent causam recordandi priorum miseriarum, ad excitandam lætitiam de fœderis novi gratia. Nam non tantum semel ex tenebris Gentilismi educti sumus, sed iterum quoque ex tenebris Papismi, in quibus utrisque est potestas Diaboli principis tenebrarum seculi hujus, & cujus efficacia in regno Anti-Christi cernitur 2 Thess. 2: 9. De eo sæpe cogitandum, & gaudium nostrum erit majus de novo rege Christo, & quod in istius regnum adsciti simus, simul etiam excitabit studium, ut abhorrentes ab antiqua servitute, agamus pertinentia ad hanc subjectionem, & obsequio jugi in ea conditione perseveremus, ut in æternum gaudere queamus. Amen.

C. Gravis est querela Davidis Ps. 42: 5. cujus recordatione effundebat in se animam suam dum loquitur. Loquitur de festis, quæ magna frequentia, & maximo cum gaudio celebrabantur; & tantopere tristatur quod propter persecutiones Saulis sibi integrum non esset eo consortio & voluptate frui. Et sane summa tunc agebatur lætitia, adeo ut simul vel cessarent Hos. 2: 10. vel redderentur Zach. 8: 19. Fuit illud solenne in omnibus festis, sed in nullo magis quam in festo Tabernaculorum, cujus gaudium Judæi super cætera omnia extollunt. Favetque isti sententiæ textus noster, qui de illo agit. Pentecostes celebritatem Moses voluit agi hilariter vers. 11. ut domestici omnes & alii quibus sumtus ad hilaritatem deessent, una gaudere læti possent. Idem de Tabernaculorum festo mandat vers. 14. & quasi id non sufficeret, repetito festum agere jubet, & lætos esse vers. 15. Est hoc festum anniversarium tertium, de quo mandatum legitur Exod. 23: 16. & cap. 34: 22. Habet autem nomen aliud; istic, *Festum collectionis in exitu anni, quando collegeris opera tua ex agro* hic, *festum collectionis in revolutione anni.* Denominatio sumta est à tempore, quod notatur hoc loco vers. 23. *quum collegeris de area tua & de torculari tuo.* Priorum festorum tempus designarat, paschatis mensem Abib, definito tempore exitus ex Ægypto vers. 1, 3, 6. Pentecostes, post 7 hebdomadas à primo Sabbatho paschatis, quas numerare jussit. vers. 9. Ast hujus generalior designatio est; Ipso festi paschatis primo Sabbatho manipulus primitiarum hordei offerebatur, & ab illo die messis incipiebat, hordei primum, deinde tritici & aliorum seminum, quæ omnis ante pentecosten finita erat. Hoc verò festo offerebantur duo panes triticei de primitiis; atque post istam solennitatem triturabant omne frumentum, cujuscunque generis, ut inde separarent cum primitias privatas, (nam illæ duorum parum publicæ fuerunt & communes omnibus, quoniam ex communi ærario triticum eorum emebatur,) tum decimas utrasque, Levitarum & secundas in suos sed sacros usus, vel in usum pauperum: colligebant item omnes fructus arboreos, & speciatim uvas & olivas, quæ exprimebantur & ex torculari, demtis pariter decimis, vinum & oleum condebantur in vasis. Quæ opera rustica omnia perfecta erant ante anni civilis finem, exeunte mense sexto, & tunc demum festum Collectionis agebatur, quod omnes agri proventus jam collecti essent, post finem anni, sub initium novi. Verum præcisa magis determinatio est Lev. 23: 34. Die 15 mensis septimi, erit festum Tabernaculorum: quod tempus etiam notatum est ibid. vers. 39. & Num. 29: 12. Circa quod notantur Nomen, Solennitas cultus, Lætitia festa, Modus, Locus, Impulsiva ad lætitiam.

8. *Nomen* est *festum tabernaculorum*, à tabernaculis in quibus durante festo debuerunt habitare. De his legitur Lev. 23: 40. *primo die accipietis vobis fructum arboris decoris* (הדר quarum est aliqua excellentia & pretium,) *ramos palmarum & ramos arboris densarum frondium & salices torrentis.* Judæi primam speciem de malo citrea, tertiam de myrto intelligunt. Hujusmodi ramos decerpere atque tabernacula inde conficere oportuit, in quibus habitare possent, diurno nocturnoque tempore, adeoque ea capacitate, quæ admittere posset istic commoraturos, omnem familiam præsentem. Exemplum illustre occurrit Neh. 8: 15. &c. cum ex lege Mosis cognovissent de festo hoc mense septimo celebrando, edictum publicatum fuit, ut adscenderent in montem, & inde peterent ramos oleæ & oleasarum arborum, & myrtorum & palmarum, & densarum arborum, ad facienda tabernacula. Oleosas arbores adhibuerunt, ut virorem diutius servarent decerpti rami; & erexerunt tabernacula sub aperto cœlo, in libero aere. nullo sub tecto alio; uti illi vers. 17. quisque super tecto suo, (nam plana illa fuerunt,) & in atrio suo, & in atriis domus Dei, & in foro seu platea portæ aquarum & portæ Ephraimi. Struxerunt autem die 14. ut illico, festo vesperi ineunte, immigrare possent. Causa instituti festi hujus, unde nomen habet, dicitur Lev. 23: 43. *ut generationes vestræ sciant quod filios Israelis fecerim habitare in tabernaculis, quando eos ex Ægypto eduxi.* Ego sum Dominus Deus vester. Quum primùm deserèrent Ægyptum egressi ex Rahmeses, prima ipsorum statio fuit in Succoth, ab ejusmodi tabernaculis, quorum materia istic fuit copiosa; tuguria sunt levissimo opere structa, & æque facile destruenda, qualibus viatores olim utebantur. Ultima statio Jacobi ex Mesopotamia redeuntis ab eodem vocata fuit Succoth, ob ejusmodi tabernacula gregi & famulitio structa, & hinc in Cananæam ingressus est Gen. 33: 17, 18. Prima Israelitarum versus Cananæam euntium, eodem nomine insignita fuit Exod. 12: 37. Quæ collata monent, quam primum mundum deserimus divina voce Euangelii evocati, & efficacì brachio Dei, seu Spiritu ejus inde educti, non cogitandum de domo certa, uti quidem, qui in mundo manent, possident; sed habitandum in tabernaculis, ad subitam & jugem migrationem expeditis, neque istam conditionem mutare licet, priusquam cœlestem Cananæam fuerimus ingressi. Heb. 11: 8. &c. Abraham egressus ex Chaldæa per fidem, sic quoque habitavit in tabernaculis, una cum Isaaco & Jacobo, cohæredibus promissionis, etiam in Cananæa, tanquam in terrâ peregrinâ, (quæ posteris demum cessura erat,) quærebant patriam meliorem, hoc est, cœlestem. Hoc modo nos quoque affecti esse debemus. Egrediendum est ex mundo præsenti malo, 2 Cor. 6: 17. de eo statuendum quod est Mich. 2: 11. *Surgite & abite, hæc requies non erit; quia polluta est, perdet, & quidem perditione violentâ.* Verum egressis non obtinget requies. Nam licet in mundo manendum sit, & in terra inter homines versandum 1 Cor. 5: 10. tamen is nobis sit instar loci ubi tabernacula tantum figuntur, mundo utentes, ne abutamur; quia schema mundi præterit, 1 Cor. 7: 31. Itaque Heb. 13: 13, 14. *Egrediamur, nam non habemus* &c. *politeuma nostrum in cœlis est* Phil. 3: 20. Vivimus hic ut peregrini & advenæ, quod de se fassus est David Ps. 39: 13. deque toto Israele 1 Chron. 29: 15. neque alia conditione vivunt Christiani; sunt peregrini & advenæ 1 Pet. 2: 11. & vita ipsorum est tempus incolatus cap. 1: 17. Quid ipsum corpus nostrum, quam tabernaculum luteum Job. 4: 19. quam terrenum tabernaculum subitò dissolvendum, 2 Cor. 5: 1. Et an hic quis quærat magna? nonne jugiter cogitandum de migratione, & ad eam omnia comparanda, ut ad jussum illico removeatur, neglectis quibuscunque si quædam fuerunt commodis? quin imo, annon optandum ut finiatur nobis tempus hujusmodi incolatus, & traducamur in civitatem patriam? ibidem habituri ædificium, à Deo, non manu factum, æternum in cœlis 2 Cor. 5: 1. semper bono animo simus, & magis placeat ἐκδημῆσαι ex corpore, & apud Dominum ἐνδημῆσαι: atque hac propter ambitiosi simus sive ἐνδημηταὶ sive ἐκδημηταὶ, ut ipsi placeamus vers. 8, 9.

Cæterum tabernacula ista ex lignis oleosis & viridibus, Israelitæ non habuerunt in toto itinere 40 annorum, prima statio suppeditavit ramos tales; in Ægypto terra culta: secundâ statione venerunt ad desertum Exod. 13: 20. Atqui in deserto, loco ariditatis & ubi nulla aqua Deut. 8: 15. non repererunt arbores, sed ex pellibus aut telis quibusdam tentoria sibi erexerunt Israelitæ: quæ domicilia pariter peregrinantium sunt, & memoria conditionis istius per tabernacula conservata fuit, quomodo cœperat peregrinatio ex Ægypto. Quidam, ob modo dictum defectum materiæ in deserto, tabernacula, in quibus Deus Israelem fecit habitare, explicant de nubibus gloriæ, quibus Deus populum texerit, & quodammodo circumdederit, (quemadmodum columna nubis & ignis eum duxit:) adeoque visibile signum suæ præsentiæ & defensionis dederit. Quanquam hæc ratio mystica sit, non tamen aliena est. Ps. 90: 1. Moses ait, Domine habitatio fuisti nobis à generatione in generationem. & Deut. 33: 27. idem moriturus, Habitatio, inquit, est Deus æternitatis. Sane quod oleosi rami ad tabernacula sint adhibiti, significare potuit jugem & efficacem, sensibus quoque evidentem defensam Dei, uti ejus-

ejuſmodi rami virorem ſervant diutius. Saltem talem Deus pollicitus eſt, ad ſimilitudinem ejus quæ Iſraelitis obtigit. Eſa. 4: 5. &c. Hujuſmodi profecto tabernaculo egemus, dum per deſertum hujus mundi proficiſcimur, ubi omnia plena ignitorum ſerpentum, ſpiritualium malitiarum in aere Eph. 6: 12. & ſcorpionum, viperinæ progeniei; & ubi undique nudi ſumus, ab æſtu tentationum, ab imbribus, & turbine affligendi, niſi hoc contineamur tecti tabernaculo. Pſ. 91: 1. qui in latibulo Altiſſimi habitat, & pernoctat in umbra omnipotentis, ille tutus eſt à laqueo aucupis, à perdente peſte, à nocturno terrore, & diurna ſagitta, à perditione omni. Aſt Pſ. 31: 30. &c. quantum eſt bonum tuum quod paraſti timentibus te, confidentibus tibi, in præſentia filiorum hominum: abſcondis eos in abſcondito faciei tuæ à ſuperbiis viri; abdis eos in tabernaculo à lite linguarum: quam defenſam nulla tabernacula hominum præſtant. Sed hoc largitur Deus ſolis timentibus ſe, Pſ. 5: 5. non habitabit te malus, non poteſt talis ingredi, non obtinet admiſſionem. 2 Cor. 6: 17. & recipiam vos, & confidentibus ſibi; nam alii nolunt ingredi. Pſ. 61: 5. &c. Atque tunc vere dicere quis poterit, Beati qui ſe ad ipſum recipiunt Pſ. 2: 11. hoc tabernaculum præſtat munitiſſimis urbibus arcibuſque, quod nulla vis, ne quidem mors aut Diabolus evertet, neque felitatem, quæ in eo obtinetur auferet. Pſal. 91: v. 9, 10.

3. *Solennitas cultus*: de qua dicit, *Feſtum tabernaculorum ſeptem diebus obſervabis.* Definivit durationem; cætera generaliter ſolum indicat, quæ alibi præſcripſerat. Duratio eſt ſeptem dierum; totidem erant dies Paſchatis, feſti primi, & totidem hujus, quod ultimum eorum quæ à Deo inſtituta. Numerus ſeptenarius in Sabbathi inſtitutione conſecratus eſt, & deſignat perfectionem, non naturalem, quæ die ſexto introducta, quando Deus omnia quæ fecerat vidit, & valde bona invenit Gen. 1: 31. ſed ſupernaturalem, gratiæ in Chriſti redemtione. Septimus paſchatis, quo conſummata liberatio ex Ægypto, traductione per mare, & Pharaonis ſuffocatione. Septimus tabernaculorum, qui finiebat habitationem in illis, ut redirent in firmas domos; quia peregrinam conditionem finit Chriſtus, ſeptimo die in mundum introductus per promiſſionem. Ille enim ducit in domum paternam, & manſiones illas immotas, ubi æternum maneant ſui. Totus dies ſeptimus tamen fuit adhuc tranſigendus in tabernaculis; dum extra domum ſumus, audienda & credenda vox Euangelii, quod ſeptimo die demum patefactum, atque ſic terminus felix commorationis ſperandus, qui non ejiciat; ut nec hoc, nec alio fruamur tecto, nudi & expoſiti omnibus calamitatibus; ſed potius feliciores reddat, receptos in æterna tabernacula Habitarunt ergo Iſraelitæ 7. diebus in tabernaculis; habitatione minus commoda, quam quæ erat in domibus ſuis, è quibus egrediendum & tantiſper carendum iis fuit. In paſchate debuerunt comedere azyma, panem afflictionis Deut. 16: 1. in hoc feſto debuerunt habitare tabernacula ex ramis arborum, domos afflictionis. Voluit Deus ab ipſis ſervari memoriam priſcæ calamitatis, & quam benignus fuerit Deus, in ejuſmodi miſeriis & defectu ſuſtentans & defendens: adeo ut non minus tuti forent ſub his tuguriis pauperrimorum, quam ditiſſimi in ſuis palatiis, & ſuſtentati æque illo pane, ac dapes maximæ mundanos alunt. Verum inſuper voluit Deus Iſraelitas ſubinde egredi ſuis ædibus in hæc tuguria, ut diſcerent abnegare ſeipſos, adſueſcerent calamitoſæ conditioni, & acquieſcentiæ lætæ etiam tunc. Jer. 35: 6, 7. Jonadab filius Rechabi mandarat liberis, ne biberent vinum, ipſi & poſteri, in æternum, neque ædificarent domum, neque colerent agrum aut vineam, neque poſſiderent, ſed habitarent in tentoriis, omnibus diebus ſuis, ut viverent multos diebus in terra, in qua peregrinarentur. Quia non erat ex Iſraelitis, ſed Jethrone ortus, cui nulla poſſeſſio in terrâ, noluit etiam quicquam ſuos agere quod poſſeſſorum erat, ſed peregrini vitam degere, & tanto magis quod propter peccata Iſraelis exilium illi imminere noſſet, quo jam adſueſcerent rebus duris, neque illis ingruentibus turbarentur aut deficerent impatientia. Utile eſt ſibimet ipſi quandoque negare etiam licita proſpera, quo diſcamus patientiam; facere & pati quæ contemtui ſint, ut opprobria ferre & humiliter haberi, accidat tolerabilius. Joh. 13: 4. Chriſtus herus & magiſter lavit pedes diſcipulorum, quod ſervi erat; ut doceret eos ne quidem ſpontaneam humilitatem declinare. Imo uti Iſraelitæ ex domibus magnificis ibant in tuguria paupertina, ita pretium operæ eſt, quandoque ex ſuâ opulentia egredi, in caſas humiles, & conſiderare, etiam iſtic aliquem placere Deo, & circa iſtas curam Dei eſſe ſingularem, ut diſcamus imitatione Dei, neque pauperrimos dedignari, ſed ipſis adeſſe noſtra ope.

Jam cultus alius hujus feſti conſideratione dignus eſt hoſtiarum offerendarum: de quibus Num. 29: 13. Holocauſta fuerunt offerenda ſingulis horum ſeptem dierum, bini arietes, & 14. agni anniculi; ſed juvencorum, qui priores immolabantur, numerus fuit diverſus, die primo 13. ſecundo 12. tertio 11. quarto 10. quinto 9. ſexto 8. ſeptimo 7. Arietes & agni geminabantur, cum in aliis feſtis unus aries, ſeptemque agni darentur, & heic, id fiebat ſingulis diebus, quomodo feſtivitas hæc augebatur, in duplum, toties repetitum. Sed de eo dicemus commodius ad ſequentia. Maxime peregrinum fuit, quod cum alias in feſtis duo juvenci eſſent imperati, heic tantus fuerit numerus, & quotidie imminutus. Rationem quærunt interpretes, & in diverſa eunt. Quidam, ut Calvinus, imminutionem eſſe factam ut in numero ſeptennario, qui perfectionis, finiretur. Sed cur non ſingulis diebus ſepteni, ut agni bis ſeptenni? ut ſemper ille numerus obſervaretur. Abrabanel, bis ſeptenarium ubique invenit, juvencis annumerando numerum dierum feſti; primus dies & 13. ſecundus & 12. ſextus & 8. ſeptimus & 7. Aliis ut Ainſwortho, myſtica magis ratio placet, ut ſanctificationis incrementum quotidianum denotetur, imminutis reatibus & computatibus. Holocauſta, quæ tota abſumebantur igne, ſignificabant vel ſacrificium pro peccato, vel abolitionem peccati, & utroque modo huc faciunt. In multis impingimus omnes Jac. 3: 2. quovis die, quibus remiſſionem peccatorum petenda; ſic quotidiani reatus, qui expiandi complures. Scilicet qui feſtum agunt Domino, tantopere debent proficere in ſanctitate, ut ſingulis diebus paucioribus indigeant hoſtiis: cum ob reatuum quotidianorum multitudinem multæ requirerentur, adeo ut tredecim opus eſſet, (populi 13. tribus fuerunt, connumerato Levi, & omnes reæ) tanta ſit cura emendandæ vitæ, cavendarumque tranſgreſſionum, ut poſtridie pauciores ſint reatus, & paucioribus opus hoſtiis; neque hoc ſemel tantum, ſed quotidie, ut indies ſint meliores, donec ad longe minorem numerum reatuum perveniatur. Vel in Sanctificatione ſic procedendum, ut deſtruatur corpus peccati, adeoque necanda membra terrena, Col. 3: 5. & per Spiritum operationes corporis necandæ. Rom. 8: 13. Crucifixio vet. hominis impedit externa corruptionis exercitia, uti membra cruci affixa moveri nequeunt; ſed manet ejus vita: Verum necatio membrorum, eſt eorundem amputatio, ne quidem ſint amplius, caſſa vita. Hoc fit, quando cupuditates ipſæ abolentur. 1 Cor. 6, 10, 11. ut qui furatus eſt non amplius id faciat, ſed laboret & det egenis Eph. 4: 28. ut deponatur ſcortatio, impuritas, turpes motus, pravæ cupiditates, avaritia, iracundia, malitia, calumnioſus, turpis, mendax ſermo, Col. 3: 6, 8. Hoc proinde docebitur. Quotidie Spiritum ſeu novum hominem debere eſſe occupatum in deſtruendis cupiditatibus, ut ſingulis diebus pauciores reſtent abolendæ, & perveniatur tandem ad eam conditionem, ut Spiritus poſſit eſſe ſuperior, & plures numerare queat necatas, exutas depoſitas, quam quæ reſtent; uti ſeptem plures ſunt quam ſex. Cæterum cur non diminutione proceſſum ſit ad extremum uſque, ratio magna eſt. 1 Joh. 1: 7, 8. ſi ambulemus in luce, uti ipſe in luce eſt, habemus communionem invicem, & ſanguis Jeſu Chriſti filii Dei mundat &c. ſi dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt & cap. 2: 1, 2. Qui in luce ſanctitatis ambulant, & ſanguine Chriſti mundati ſunt, habent tamen ſemper reſiduas aliquas corruptiones; non poſſunt Veterem hominem, Carnem, penitus exuere, & necare. Manet jugiter neceſſitas tum ut applicationem quærant ſatisfactionis Chriſti pro novis peccatis, tum ut reſiduas pollutiones carnis & ſpiritus deponant, & magis magiſque ad conſummationem ſanctimoniæ procedant; In quo opere jugiter progrediendum eſt, Apoc. 22: 11. *qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*, ad applicationem ſatisfactionis Chriſti pro quotidianis reatibus, uti quotidie petimus, Remitte nobis debita &c. & *qui ſanctus eſt ſanctificetur adhuc*, ut fiat ſanctus & irreprehenſus co-

ram Deo in charitate. Quod vero ceſſetur in numero ſeptenario diei & juvencorum, id ad Chriſtum nos vocat, in quo perfectio eſt, ad plenam abolitionem reatuum, & ad plenam pravitatis deſtructionem. Quæ ſane meditatio utiliſſima, & cujus ſignificationem in praxi exercere debemus. Feſtum agimus perpetuum, & deberet utique noſter profectus quotidie fieri manifeſtior, unde non tantum Deus magis glorificaretur, ſed & nobis augeretur materia gaudii & lætitiæ.

Judæi aliam ſequuntur explicationem. Bechai, Manachem &c. Juvenci illi, qui totis 7. diebus feſti offerebatur, fuerunt in univerſum 70. His deſignatos rentur Gentiles, mundi nationes præter Iſraelem univerſas, quas 70. eſſe dicunt ex traditione antiquiſſima; quot ex filiis Noachi dicuntur deſcendiſſe Gen. 10. Neque Chriſtus id improbaſſe videtur, qui cum XII. Apoſtolos ordinaſſet, reſpondentes XII. tribubus Iſraelis, etiam delegit, LXX. diſcipulos, ut etiam gentibus mundi cæteris ſe proſpicere ſignificaret; qui omnibus benedicere & omnium obſequium habere debuit. Juvenci ergo 70. Gentiles univerſos deſignarant; ſed id diverſimode factum volunt: Nonnulli in malum; uti deſtruebantur juvenci, ut non ſupereſſent, ſic deſtruendas eſſe gentes, ne ſint amplius: verum quod de Cananæis dixerat Deus, ſe non ſimul, ſed pedetentim eos perditurum, id quoque hic ſignificatum eſſe numero jugiter imminuto, imminuendas eſſe, & paulatim deſtruendas, donec tandem nullus Cananæus ſuperſit. Sed hoc dictavit ipſis odium in gentes, & repugnat Scripturæ, quæ de ſalvandis gentibus toties vaticinata eſt. Rectius ergo alii in bonum: *Iſraelitæ*, inquit, *obtulerunt ſeptem diebus Tabernaculorum 70. victimas, ut expiationem facerent pro 70. nationibus mundi.* Docent hoc pacto, quamvis Iſrael eſſet Dei peculium, & Deus cæteras gentes negligeret, non dignatus eas notificatione ſuæ voluntatis, aut regimine ſpeciali ſui Spiritus, tamen deſtinatam illis fuiſſe gratiam reconciliationis, & hac propter pro gentibus factam eſſe annuam oblationem, non unam pro univerſis; ſed pro ſingulis peculiarem, eaſque omnes oblatas in altari ſuo, ut ab uno eodemque Chriſto, quem altare repræſentabat, tam gentium omnium, quam Iſraelis peccata ſuſciperentur, & igne iræ divinæ reatus utrorumque expiaretur. Quæ ſane commodiſſima eſt interpretatio, facitque ad noſtram inſtitutionem & ſolatium. Gentes olim fuerunt longinquæ, quibus non licuit accedere ad Deum, Eph. 2: 12. ſed ſignificatum fuit eas quoque adducendas, & pro illis paratum eſſe lytron, hoſtiam vicariam ad reconciliationem verſ. 13. Iſraelitæ non tantum de eo monebantur, qui ſuperbiebant ſuo ſtatu, & gentes contemnebant, ne id facerent, cum & iſtæ ſint tandem reconciliandæ; ſed etiam conſtituebantur inſtrumenta, qui promoverent. Debuerunt pro gentibus laborare, ut reconciliarentur, emtis & oblatis hoſtiis. De hac cura loquitur Eccleſia Iſraelis Cant. 8: 8. *habemus parvam ſororem, cui nondum ſunt ubera; quid faciemus ſorori noſtræ, quo die de illa ſermo erit?* Quantopere Gentes obſtrictæ ſunt Iſraeli, pro pia illa cura quâ foverunt ſpem ſuam, & deſiderium ſalutis illarum. Conqueruntur Judæi eo nomine, quod Gentes id non agnoſcant, & tam male rependant, dum nationem ſuam oderunt, & premere, imo opprimere annituntur: hinc dicunt, *loco amoris mei, oderunt me, & ego precatio.* Pſ. 109: 4. In feſto Tab. Iſraelitæ offerunt 70. juvencos pro 70. nationibus mundi; debuiſſent ergo nos amare propterea: ſed non tantum non amant, verum etiam oderunt; *Ego vero precatio*; ſcilicet qui pro gentibus vota facio. Et alius, *Filii matris meæ exarſerunt contra me; poſuerunt me cuſtodem vinearum* Cant. 1: 6. debuit Iſrael cuſtodire vineam, Eccleſiam ejuſque doctrinam; ſed gentibus eapropter fuit ira: porro gentes vocat *filios matris ſuæ*, matris nomine intelligens Spiritum Dei vivi: per quem ſcilicet omnes gignuntur Deo, habentque communionem fraternitatis. Alia querela eſt de Gentibus, quod ſibi ipſis iſto odio noceant: *Væ gentibus mundi, quæ deſtruxernnt, neque norunt quid illud ſit quod deſtruxerunt: Quo tempore ſanctuarium ſtabat, Altare pro ipſis expiabat: nunc vero quid expiationem faciet pro ipſis? nam 70. juvenci in feſto oblati ſignificabant omnes nationes, uti dicitur* Pſ. 117. *Laudate ipſum omnes nationes; nam prævalet ſuper nos benignitas ejus.* Sed perperam ab altari derivant expiationem, quæ ab ejus antitypo deducenda: Chriſtus erit qui etiam mundum cum Deo reconciliat, ut eis offenſæ non imputentur, ſed quia Chriſtus pro ipſis peccatum factus eſt, ipſi cenſeantur juſtitia Dei in ipſo. 2 Cor. 5: 19. 20. Facit huc numerus juvencorum indies diminutus. Juvencus pro quâvis natione præfiguravit applicationem hoſtiæ vicariæ pro quavis ſigillatim. Itaque applicatio non ſimul & ſemel pro omnibus facta eſt, ſed ſucceſſive: Initio, primo ſeculo, magno numero gentes acceſſerunt, multæ ſimul in Aſia & Europa: ſed paulatim parcius additæ ſunt; attamen jugiter aliquæ ſingulis ſeculis, donec tandem plenitudo gentium ingreſſa fuerit, & Euangelium Chriſti obiverit ad omnes populos, ut in Chriſto Jeſu benedictionem conſequantur omnes familiæ terræ. Act. 3: 25.

Adhuc unum hic occurrit; pro nationibus oblatio facta, non in Paſchate, nec Pentecoſte, ſed in Tab. feſto. Hoc ſequebatur feſtum expiationis quod quinque diebus ante celebratum, 10. die menſis ſeptimi. Iſtius diei oblatione præ cæteris ſignificabatur expiatio Chriſti unica, quæ à Deo acceptaretur; unde eam reſpicit Apoſtolus, Heb. 9: 10. Eâ redemtione procuratâ ſequitur in feſto Tab. oblatio pro Gentibus, ut his nihil applicandum ſignificaretur antequam Chriſtus fuiſſet oblatus, & rurſum feſtum Tab. aliquatenus adumbrabat Chriſtum, qui de cœlo, domo Patris, deſcendit & caro factus ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν Joh. 1: 14. & ab hoc tempore poſt incarnationem Chriſti, reconciliatio mundi nationum cœpit, & porro procedet uſque ad conſummationem ſeculorum. Huc facere videtur vaticinium Zach. 14: 16. *fiet ut reſidui gentium quæ venerunt contra Hieroſolymam, de anno in annum adſcendant, ut adorent Regem Dominum Zebaoth, & agant feſtum Tab.* In typo ſingulis annis hujus feſti oblatum fuit pro gentibus Eccleſiæ hoſtibus, ut reconciliarentur: In antitypo non Judæi pro gentibus aliquid agent, ſed gentes ipſæ venient, ut conſequantur quod in feſto Tab. ipſis quærebatur, habeant Deum conciliatum, & ipſum regem, Dominum Zebaoth, (exercituum gentium, & moderatorem temporum,) adorent, eique feſtum agant. Additur ibidem, gentes quæ hunc cultum Deo negabunt, plectendas eſſe privatione pluviæ. Super illas non cadet pluvia Euangelii, ut ſiti extinguantur. Qui reconciliationem non amplectuntur fide, quando prædicatur, illos Deus hoc beneficio privabit, Eccleſiæ Aſiæ exemplo ſunt. & transferet de gente ad gentem, ut ad omnes perveniat. Sane ad nos pervenit Euangelium reconciliationis Chriſti, qui natura gentes. Caveamus illud repudiare, ne judicium negandæ pluviæ accerſamus, ad æternam perniciem. Quin potius feſtum hoc agamus, & Chriſtum Jeſum in tabernaculo carnis ſuæ expiationem factum pro nobis fide amplectamur, quo reconciliationis per ipſum ſecuri, lætari queamus nunc & in æternum. Amen.

Apoſtolus Paulus de cerimoniis cultus Iſraelitici loquens, vocat eas *umbram*, Col. 2: 17. Heb. 10: 1. & de Sacerdotibus adminiſtris cultus, *quod ſervierint exemplo & umbræ*, Heb. 8: 5. Umbra ſignificat obſcuritatem ex defectu lucis, & ſimpliciter infelicitatis eſt, ut cum dicitur quis ſedere in tenebris & umbra mortis Pſ. 107: 10, 14. & hæc conditio gentilium, qui caruerunt notitia Dei & Chriſti, adeoque ſalutis. Eſa 60: 2. tenebræ tegent terram, & obſcuritas populos, quibuſcum Euangelium Chriſtum patefacit, revelatur Oriens ex alto illis qui ſedebant in tenebris & umbra mortis, ut dirigat pedes in viam pacis. Luc. 11: 79. Sed de cerimoniis dicitur eſſe umbram futurorum bonorum, & rerum cœleſtium; adeoque eſt relativa ad aliud quid, quod repræſentat, quomodo non infelicitatis eſt, ſed felicitatis, verum imperfectæ. Umbra enim aliquid exprimens, docet lucis præſentiam, quæ corpus oppoſitum deſcribit, ſic ut extremitates omnes pingat, in lucido ſpacio, adeo ut inde illud agnoſci aliquatenus queat, veruntamen ipſum illud corpus, ejuſque colores videri non poſſunt. Hæc fuit conditio Iſraelis. Fuit ipſis lux conceſſa, quâ caruerunt gentes; verbum enim Dei lux eſt, & lucerna. Sed quod in illa luce & beneficio ejus viderunt, fuit corporis umbra ſolum, non corpus ipſum. Erat hoc eminus conſtitutum, abſens, ſed adventurum, depingebat illud lux, & delineabat, ſed ut umbram duntaxat cernerent, adumbrationem obſcuram, circumſtantias quaſdam, ceu lineamenta extrema deſcribentem. Enimvero beneficium fuit eo-

uſque corpus abſens agnoſcere, quod tandem præſens intuituri

tuituri erunt: & qui umbræ ſervierunt hoc dederunt operam, ut illa lineamenta ſic oſtenderent aliis, quo notitiam aliquam corporis inde conciperent. Nos vivimus eo tempore, ubi corpus præſens in plena luce videre licet; eſt vero non modo utile ſed etiam volupe veteres quoque umbras contemplari, & non ſolum harmoniam cum corpore obſervare, ſed etiam quantum ex illis didicerint Iſraelitæ, quod ad corporis notitiam eos duceret. Huc faciunt quæ ab aliquo tempore meditanda fuerunt de feſtis, hoc capite recenſitis. Vidimus feſta Paſchatis & Pentecoſtes. Cœpimus nuper dicere de Tabernaculorum feſto, & indicavimus Nomen & rationem ejus; ſolennitatem quoque, tum durationis ſeptiduanæ, tum ſacrificationis peregrinæ 70. juvencorum, per illos ſeptem dies inæqualiter diſtributorum, & quid iis fuerit ſignificatum: intereſſe Gentilium videlicet, & quidem omnium, quod ipſorum reconciliatio per Chriſtum certo futura, & credita fuerit, & & optata, & quantum in Iſraelitarum poteſtate erat procurata. Nunc perſequemur cætera.

Verſ. 13. *Feſtum tabernaculorum celebrato ſeptem diebus, quum colligeris ex area tua, & ex torculari tuo.*

Solennitas feſti alia notanda venit ex verbis verſ. 13. *cum collegeris, de area tua & torculari tuo.* Diximus notari ſic tempus feſti celebrandi, unde feſtum collectionis dicitur. Sed etiam ad feſti ſolennia pertinet. Collectio non dicitur facta de agro, ut Exod. 23: 16. ſed de area & torculari: ut doceat de collectione aliqua quæ ad feſtum pertineat. Ea eſt, quando omne frumentum trituratum, & vinum oleumque omne expreſſum erat, inde fuerunt ablatæ primo omnium primitiæ quas quivis privatim ſegregabat. Modus illarum à Deo non legitur definitus. At Hebræi docent obſervatam eam proportionem, ut ad minimum conficerent partem ſexageſimam; quam religioſiores excedebant interdum, ut foret quinquageſima, vel etiam quadrageſima pars. Haſce primitias detulerunt in hoc feſto ad ſanctuarium, & dabant Sacerdotibus. Obtinuitque ritus ſingularis, ut de fructibus terræ ſeptem principalibus collocarent in corbe, atque ſingulari cum profeſſione benignitatis Dei erga ſe exhiberent ſacerdoti. De quâ actione mandata ſpecialia leguntur Deut. 26. cap. atque iſtic conſideranda erunt. Hic ſaltem monendum denuo, primitiarum feſtum etiam hoc fuiſſe, & nullum liberalius. Primitiæ Paſchales fuerunt manipuli, Pentecoſtales duorum panum: utræque communes toti Iſraeli, quæ ex communi ærario emebantur, ut unicuique pars in iis foret, & ſibi quoque poſſet polliceri benedictionem meſſis faciendæ ac factæ. Verum hæ fuerunt uniuſcujuſque privatæ, & quidem liberales, ut unicuique exercitium iſtud cultus commendaretur. Non ſufficiebat communis profeſſio, poſcebatur ſingularis cujuſque; non tantum verbalis, ſed quoque realis, eaque liberalis. Imo ne quidem ſufficiebat hæc annua; quotieſcunque depſebant paſtam ad panes coquendos, aliquid primitiarum vicem fuit ſeparandum, Num. 15: 20, 21. dandumque Sacerdoti: pars 24. ex conſtitutione magiſtrorum. Tam ſollicite Deus inculcatum voluit, omnia à ſua bonitate habere, & hujus profeſſionem edere teſtibus ſervis ſuis; qui Dei benedictionem viciſſim apprecabantur. Nobis ex lege talis obligatio quidem non incumbit: attamen id monet nos, debere etiam nos recognitionem Deo, quâ teſtemur ipſius beneficio omnia poſſidere. Abunde miniſtrorum nobis reliquit, quibus inde benefaciamus: ut viciſſim nobis benedicant. Spoliari ſe dicit Deus hiſce primitiis & decimis non oblatis, ut domeſticis ſuis deficiat cibus, & maledictionem denunciat negligentibus, & benedictionem promittit præſtantibus Mal. 3: 7. quæ nos quoque ad officium debent movere.

Verſ. 14. *Lætaberis autem celebrando feſtum, tu, & filius tuus, & filia tua, ſervuſque tuus, & ancilla tua, Levita quoque, & peregrinus, pupilluſque, & vidua, qui erunt intra portas tuas.*

2. *Lætitia feſtalis*, verſ. 14. Similia dixit de Pentecoſte quoad participes, verum hic inſuper ſingularia nonnulla occurrunt: heic enim ſolum dicit, *Lætaberis in feſto tuo.* Habuit enim hoc feſtum triplicem lætitiam propriam: Prima eſt, quam *Hoſanna* vocant. Quæ Lev. 23: 40. mandantur de ramis accipiendis, intelligunt Judæi non pertinere ad tabernacula conficienda, (quod tamen factum Neh. 8: 16.) ſed quatuor illas ſpecies geſtant, ramos palmarum, myrti, & ſalicis colligatos in faſciculum, manu dextrâ; ſiniſtrâ autem pomi citreæ; atque ſic circumiverunt altare ſemel ſingulis diebus, moventes ramos illos ſæpius quaquaverſum; dum recitabatur Pſalmus 118. exclamabant autem geſtantes ex eodem Pſalmo verſ. 25. *Hozanna, Hatzlichanna*; die ſeptimo autem eodem ritu circumibant altare ſepties, & ingeminabant eadem verba; unde *Hoſanna rabba* appellatur חוג affine *circulum* notat unde חוגג redditur *in circulum obivit*, huc forte ſpectat illud Pſ. 26: 6. *obeo altare tuum.* Matt. 21: 8. Jeſu ingrediente Hieroſolymam, pullo aſinæ vecto, turba quæ aderat tum veſtes ſuas ſtraverunt in via, tum cæſos ab arboribus ramos; & præcedentes ac ſequentes clamarunt, *Hoſanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini*; *Hoſanna in altiſſimis.* Joh. 12: 13. additur, *acceperunt ramos palmarum & prodierunt ei obviam clamantes, Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex ille Iſraelis.* Hoc eſt quod in feſto Tab. fuit præfiguratum, & hoc votum, & gaudium declaratum, licet non eodem tempore id factum ſit. Meſſiæ σκήνωσιν in aſſumto tabernaculo humanæ naturæ inter homines nuper deſignatam diximus ritu illo tabernaculorum; hanc Chriſti inhabitationem meditari non potuerunt non bene illi precari, & gratulari ſibi de ea. In Pſalmo ſequitur poſt *benedictus qui venit* &c. *Fortis eſt Jehova, & illuminabit*, vel *iluceſcet nobis. Ligate feſtum funibus denſis uſque ad cornua altaris.* Scilicet quando Meſſias in carne apparuiſſet, veram lucem Euangelii adducendam eſſe, & tunc eſſe tempus ut hoſtiæ adducantur pro gentibus mundi, ut ad illas quoque perveniat ſalus; Etenim ſignificat hoſtias eſſe multas, eaſque magnas, quales juvenci; nam ligandæ ſunt denſioribus funibus, cum arietes, & agni tenuioribus ligentur; & uſque ad cornua altaris, ut numerum majorem eſſe pateat. Hoſtias autem feſtum vocat, quod feſto eſſent propriæ. Cum ergo viderent & agnoſcerent filium Davidis Meſſiam in tabernaculo carnis habitantem, quod in typico tempore acclamare ſolibi fuerunt, ipſi antitypo præſtiterunt, & optarunt ut quod gaudium feſtum poterat dare perageret, & lucem ferret ſalutarem gentibus & populi, atque Expiationem hoſtia efficaci facerent, quam deinde ſuæ ſive nationibus mundi ad earum converſionem & ſalutem applicaret. Quamobrem nobis quoque Hoſanna iſtud uſurpandum, ut porro gentes adducat Meſſias, quorum multæ adhuc reſiduæ ſunt, quæ ipſius reconciliationis fiant unâ conſortes. Juvenci enim Gentes denotant Pſ. 68: 31. Vituli populorum: & ſunt feroces ſuo robore, tauri validi: verum ut feſtum fiant ſacrificium ligandi funibus etiam; Habet ejuſmodi Meſſias, Hoſ. 11: 3. traxi eos funibus hominum, rudentibus amoris. Hos ſi admoveat, alligabuntur facile cornibus altaris, ut nuſquam conſiſtere malint, quam ad altare, Chriſtum expiantem, atque illi ſeſe ſiſtere hoſtiam ſanctam, vivam, Deo placentem, in rationali cultu, Rom. 12. verſ. 1.

Cæterum in iſtâ acclamatione lætâ, Hoſanna, aliquid adhuc obſervandum: Non ſolum uſurpant formulam Pſalmi, ſed habent & aliam, quam ſingulis diebus ter intermiſcent precibus, אני והו חושיעה נא *Ego & ipſe, ſalutem præſta nunc.* Compellant Deum ſub tribus perſonis ſimul, *Ego, Tu, Ipſe*, & ab iſtis ſalutem poſcunt, quæ proxime fluat à ſecunda perſona. Nequit id dici niſi de illo, qui ſimul unus & trinus: & eo ordine ut ſit prima ſecunda & tertia perſona: à quibus ſimul ſalus danda ſit, quam ſecunda proxime conficiat. Eſt hæc manifeſtiſſima Confeſſio Trinitatis perſonarum in unâ Deitatis eſſentiâ, & œconomias iſtius conficiendæ ſalutis, quam ſibi eo modo conferri optant. Equidem dum hæc hodie dicunt, quid dicant neſciunt, velamine incumbente cordibus. Utinam vero Deus eis largiretur Spiritum gratiæ & ſupplicationum Zach. 12: 10. ut & liberarentur gratioſe illo velamine, 2 Cor. 3: 16, 17. & neſcientibus præcari ut oportet opitularetur Spi-

ritus & Deo placentia ſuſpiria excitaret in cordibus, Rom. 8: 26. quæ Deus exaudiret, & ipſos ſalvaret. Neque hoc prætereundum, iſtud אני והו &c. fatentur Judæi ſe mutuatos ex illo Exod. 13: 2. *Dominus eſt robur & canticum meum & fuit mihi in ſalutem, hic eſt Deus meus,* ואנוהו *& fabiam ei tabernaculum; eſt Deus patris mei, & exaltabo ipſum.* Dum tabernaculorum feſtum agunt, dicunt Deo id faciendum à ſe eſſe, ut ſecum habeant; quod fit tum laudibus Pſ. 22: 4. tum fide Eph. 3: 17. tum odſequio Matt. 18: 20. Mich. 4: 5. *ambulare in nomine Dei*, atque tunc obtinetur quod ſua petitione poſcunt, Joh. 14: 23. *qui amat me cuſtodiet ſermonem meum, & pater meus diliget ipſum, & ad eum veniemus & cum ipſo habitabimus, una cum Spiritu Sancto manente* verſ. 16. Hagg. 2: 5, 6. Hoc modo nobis quoque agendum ut Deum P. F. & Spiritum Sanctum habeamus inter nos habitantes, & ſalutem Chriſti magis magiſque nobis applicantes.

Secunda lætitia eſt *Hauſtæ aquæ.* Septem diebus feſti poſt juge veſpertinum hauriebant aquam ex fonte Siloæ, quæ leniter fluebat Eſa. 8: 6. & quando qui hauſerat perveniſſet ad portam aquarum, excipiebatur tubarum cantu & jubili voce, deducebaturque ad altare, ibi aquam hauſtam ex vaſe uno, & ex alio vinum effundebat in latus altaris: factum autem iſtud cum gaudio præſentium omnium maximo; adeo ut apud Hebræos dicatur, qui non vidit gaudium domus hauſtionis, non vidit unquam gaudium. Scl. quod illi conferri queat, & eo nomine appellari: Nomen autem accepit locus & ritus ex dicto quod acclamabant, Eſa. 12: 3. *& haurietis aquas cum gaudio ex fontibus ſalutis.* Siloah talis fons habebatur oppoſite ad Euphratem, unde plus habituri fuiſſent gaudii, qua Meſſiam deſignabat Immanuelem, quam ab Aſſyrio. Eſa. 8: 6. Hæc cerimonia obſervata tempore Chriſti. Joh. 7: 37. *Ultimo die, qui fuit magnus feſti.* (Tabern. ex verſ. 2. & Hoſanna magnum dicitur,) *ſtetit Ieſus*, & exclamavit, *ſi quis ſitit, veniat ad me & bibat: qui in me credit, uti dicit Scriptura, flumina aquæ vivæ fluent ex ventre ejus, & hoc dicit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in ipſum.* Namque lætantes ob cerimoniam hauſtæ ex Siloah aquæ revocavit ad ſe antitypum ejus, atque heic longe copioſiorem & pretioſiorem aquam docuit conſecuturos; quando Spiritum Sanctum credentes conſequerentur. Et quod poteſt eſſe majus gaudium, quam quod Spiritus Sanctus operatur. Rom. 14: 17. Lætitia Spiritus eſt beneficium maximum regni Dei, utpote præſupponens duo priora, juſtitiam & pacem. Quam lætitiam nos quoque affectare debemus & exercere. Eundum ad Chriſtum fontem ſalutis apertum Domui Davidis & habitatoribus Hieroſolymæ contra peccatum & impuritatem Zach. 13: 1. & inde hauriendæ aquæ cum gaudio. Targ. *Accipietis doctrinam novam cum gaudio ab electis juſtorum.* Diſcent enim tunc cognitionem Domini, quomodo nemo hominum didicit in illum uſque diem; ſicut aquæ mare operiunt. Divina ſapientia confertur aquis: & hanc haurire debemus cum gaudio, non ex ciſternis fractis hominum & horum traditione, ſed ex fontibus ſalutis; ex Scriptura in qua Chriſtus loquitur, quandoquidem Spiritus Chriſti per Prophetas & Apoſtolos locutus eſt: Quo plus inde hauriemus, eo majus erit noſtrum gaudium. Cumprimis hauriendus Spiritus Sanctus, quod dixerunt Hebræi, Raknat. *Benigni & viri operis* (qui non ſpeculationi ſolum indulgebant, ſed praxi pietatis imcumbebant,) *fuerunt hilares admodum in gaudio domus hauſtionis, quia hauriebant Spiritum Sanctum, aut per Spiritum Sanctum, & hoc eſt, lætaberis in feſto tuo; gaudium & lætitia ibi invenitur, confeſſio & vox cantici. Locus hauſtionis* dicitur, quia inde hauriunt Spiritum Sanctum. Utinam iſto gaudio & nos lætari queamus, ut Spiritum Sanctum hauriamus à Chriſto. Faciamus Hoſanna rabba, ut multiplicemus preces pro impetrandâ ſalute, *Deus dabit Spiritum Sanctum invocantibus ſe* Luc. 11: 13, & exerceamus fidem in Chriſtum; hâc haurientes de Spiritu ſuo dabit nobis, eritque gaudium noſtrum ineffabile & glorioſum.

Tertia lætitia eſt, *ſaltationis ſacræ*; nam verbum חגג ſignificat 1 Sam. 30: 16. Amalekitæ Ziklago vaſtatâ deprehenduntur à Davide, edentes, bibentes, ſaltantes ob prædam ingentem: Judæi id poſtulari putant illo, *lætaberis in feſto tuo*; teſtanturque, in omnibus quidem feſtis fuiſſe lætandum, ſed nunquam magis quam in Tabernaculorum Hinc ſingulis diebus feſti hujus (præterquam Sabbatho; cujus lætitiam aliâ obliterari noluerunt, cum ſummam, ob victoriam Eſa. 58: 13. Meſſiæ, deſignaret;) poſt veſpertinum ſacrificium conveniebant in loco hauſtionis, magno numero, & ordinate in circulum ſedebant, ut ſpectatores forent qui de plebe; tunc omnis generis inſtrumenta muſica & quibuſcunque canendi peritia concinebant læti, atque populi principes & ſeniores ſaltabant, & plaudebant manibus, & geſtus lætitiæ edebant coram omnibus in veſperam & ſeram uſque noctem: quemadmodum David, cum Arcam deferret Hieroſolymam, indutus veſte linea ſaltavit omni ſuo robore coram facie Domini 2 Sam. 6: 14. Atque hunc magnum eſſe dicunt cultum, ut quis lætetur in præſtando obſequio, & in amore Dei, qui illud mandarit. Norunt illi quidem hos geſtus ſtolidos judicari à mundanis hominibus, & contemtum afferre tanto majorem, quo major cenſetur qui id agit; ſed eſt iſtud judicium Michalis, verſ. 20. Verum reſponſum eſt à Davide: *Imo ludam coram facie Domini* &c. Hinc dicunt, qui ſuperbo Spiritu eſt, ſeque glorificat, & honorat in propriis oculis, in ſanctuario Dei, peccator eſt & ſtultus, ut qui *magnificat ſe coram facie regis* Prov. 25: 6. qui hîc rex regum. Sed qui ſemetipſum humiliat & vilem facit iſtic loci, magnus eſt & honoratus, & ex amore colens Deum, utpote qui gaudet de ipſius ſervitio. Quod obſervare libuit vel hac una de cauſa quia tantopere apud nos peccatur faſtuoſæ Michalis exemplo & judicio. Qui in mundo honoratiores ſunt, dignitate aliqua externa generis, muneris, opum eminentes, vilipendiam ſui, eſſe putant, ſi in Eccleſia coram Deo ſe ſiſtere, & baptiſinati ſuorum liberorum adeſſe debeant. Sane teſtatum faciunt quod ſervitutis quam Deo debent pudeat coram hominibus, & id in Dei ipſius domo, ubi minime omnium decet. Si quis princeps ſciret ſe gratum facturum regi, ut filium recens natum ipſi offerret in ſervum, nollet ſane aliena manu id agere, verum gloriæ duceret, quam plurimis inſpectantibus id agere, ut gaudii ſui haberet teſtes plurimos: Quanto magis cum coram Deo id agendum. Corbem primitiarum ſinguli patresfamilias, etiam principes, imo rex ipſe, ſuis humeris geſtare debuit inde ab adſcenſu montis templi uſque in atrium, & ibi publice profeſſionem illam edere Deut. 26. Lætari ſe dicebat David, quando audivit eundum eſſe ad domum Dei, Pſ. 122: 1. ſpectandum cultum myſteriorum plenillimum Pſ. 27: 4. & magis adhuc quando cum feſta multitudine obeundi cultum dabatur occaſio. Elkana & Hanna parentes ipſimet filium Samuelem ſtiterunt Domino in ſanctuario, & Joſeph cum Maria Jeſum infantem exhibuerunt, ad redemtionem Feudum ſi infanti filio queat, confirmare pater, non pudebit ipſummet id agere, ut eum Domino ſiſtat, & *quid ni jus* hæreditarii fœderis cum Deo & hæreditatem ſalutis velit ſibi obſignari. Mundanus pudor eſt, qui excœcat mentes, ut honorem qui apud Deum eſt inſuper habeant, Joh. 12: 43. & gaudium in ipſo & coram ipſo exſtinguit. Verum cogitent illi verba Dei 1 Sam. 2: 30. qui me honorat &c. & Matt. 8: 38. ſi quem pudet mei & ſermonum meorum in generatione hac adulterâ & peccatrice, ejus pudebit filium hominis cum venerit in gloria Patris ſui. Sed qui Chriſtum profeſſus fuerit coram hominibus, illum ipſe profitebitur coram Patre ſuo in cœlis. Matt. 10: 33.

Adhuc monendum aliquid de conſortibus gaudii, iidem memorati fuerunt verſ. 11. In Pentecoſte. Ad feſtiva gaudia pertinuit quoque conviviorum apparatus, uti ſæpius id dicitur. Neh. 8: 11. &c. in feſto ait Ezra populo; *Ite, edite quod pingue, & bibite quod dulce, & mittite portiones iis quibus nihil paratum; neque triſtamini. & abierunt, ut ederent, biberent, portiones mitterent, & magnam lætitiam exercerent.* Convivia fecerunt ad lætitiam, non quæ intemperantiæ ſervirent, ſed quæ ad lætitiam Domini promovendam pertinerent, cui dies illi ſancti; adeoque neutiquam carni & cupiditatibus ejus, aut mundo ejuſque moribus tribuenda. Lætitia autem promovenda fuit non tantum ſibi ſigillatim, ſed aliis quoque ut gauderent plures & Deus à pluribus celebraretur. Fuerunt autem illi tum domeſtici, tum extranei: illis debebatur ex obligatione, filius, filia, famulus, famula: neque hic deficiebant multum: Quicunque adducebantur ad feſtum ibidem fuerunt alendi, & liberalius, ut de feſto gaudere poſſent, quod famelicus facere nequit; iſtis ex voluntate Dei; Erant fere

qui-

quibus nihil aut parum erat quod pararent, Ergo quibus ſuppetebat debuerunt ſuppeditare, & liberaliter. Priores erant convivæ proprii, poſteriores convivæ Dei, ab illo invitati. Iſtis non minus proſpectum voluit Deus quam illis, & bene Hebræi; ſi convivas Dei æque comiter exceperitis, uti convivas veſtros, tum benedicet Deus hoſpiti, & convivis utriuſque generis, ut in Deo lætari queant.

Verſ. 15. *Septem diebus feſtum celebrato Jehovæ Deo tuo in loco quem elegerit Jehova, quum benedixerit tibi Jehova Deus tuus in toto proventu tuo in omni opere manuum tuarum, eriſque tantummodò lætus.*

ך. *Modus agendi* feſti verſ. 15. *Septem diebus feſtum ages Domino Deo tuo.* Videtur hac mera repetitio ejus quod dixit verſ. 13. ſed eſt differentia, & momentum aliquod in eâ repetitione. Iſtic dixit, *feſtum Tabernaculorum facies tibi 7 diebus*: hic, 7 *diebus feſtum ages Domino Deo tuo*. Antea, tibi, tuo bono: ſcil. ut recorderis te habitaſſe in tabernaculis poſtquam egreſſus eſles ex Ægypto: memoria conditionis tuæ, quæ fuerit antequam in Cananæam venires, peregrinantium miſera. Sed nunc, Lev. 23: 34. &c. Num. 29: 12. *Domino Deo tuo* reſpectu habito ad Deum. 2 Sam. 7: 6. *Non habitavi in domo aliqua, inde à die quo eduxi filios Iſrael ex Ægypto, uſque in hunc diem, ſed obambulavi jugiter in tentorio, & tabernaculo*, vel 1 Chron. 17: 5. *ſed ivi de tentorio in tentorium, & de tabernaculo in tabernaculum.* Quamdiu populus peregrinatus eſt in tuguriis, etiam Deus ſic habitare voluit in medio ipſorum: Tale ſibi parari juſſit, neque dixit cuiquam Judicum & regentum populi, ut ſibi domum adificaret. David quidem vocavit tabernaculum illud Dei, domum ejus, quia ibi habitabat; & *palatium* ejus, quia ibi divinæ gloriæ documenta dabat Pſ. 27: 4. verum mox deſignat nominibus *tugurii*, & *tentorii*. Noluit Deus meliori conditione eſſe quam ipſi, Eſa. 65: 10. *in omni afflictione ipſorum ipſe fuit afflictus.* quamdiu incertis ſedibus erravit Iſrael, Deus cum ipſis oberravit. Heb. 11: 16. patriarchæ habitarunt in tabernaculis, tanquam peregrini, quia ſpectabant cœleſtem patriam; propterea Deum non puduit ipſorum, appellari ipſorum Deum. Vagantis adhuc populi Deus pari modo vagari voluit, ne ipſos neglectim habere videretur, & ſimul ut eis ſemper proximus adeſſe agnoſceretur, ut non eminus quærere opem cogerentur, ſed haberent proximum. Gen. 45: 4. Deus ad Jacobum, *Ego tecum deſcendam in Ægyptum, & adſcendere te faciam, unà adſcendent.* Hæc Dei comitas meditanda fuit, quando Domino Deo ſuo feſtum agebant, quod non comitem tantum habuiſſent, ſed conſortem ſuæ conditionis. Quod cum primis accommodandum eſt Chriſto, qui venit habitatum inter nos in tugurio humanitatis, quemadmodum nos incolimus terrena tabernacula: habitu inventus eſt ut homo Phil. 2: 8 & qui in omnibus tentatus paſſus eſt, quibus nos tentamur Heb. 2: 18. adeoque non eſt talis, qui nequeat συμπαθεῖν noſtris infirmitatibus ſed qui in omnibus ſicut nos tentatus fuit; abſque peccato. cap. 4: 15. Servat Chriſtus etiam nunc iſtum affectum, Act. 9: 4. &c. *Saul, Saul, quid me perſequeris.* Matt. 25: 42. &c. quod fratrum ejus minimis vel negatur boni, vel infertur mali, ejus ipſe partem & ſenſum habet. Verum id docere debet nos, ut viciſſim nos attemperemus conditioni ipſius, inter homines, in mundo. Hagg. 1: 4. &c. domo Dei vaſtatâ non decebat habitare velle in fornicatis ædibus, quando Joſephus conteritur, Eccleſia in afflictione eſt, non convenit ſequi voluptates. Amoſ. 6: 6. Chriſto & Euangelio ejus non inveniente requiem à perſequentibus, non debemus nobis quærere pacem & quietem. Veritate Dei & verbo ejus odiis hominum vexato, nos quoque unà vexari in ejus profeſſione non debet pigere aut pudere. Quando conſortes fuerimus afflictionum Chriſti, etiam earum quæ in corpore ejus exercentur, etiam erimus gloriæ ipſius, cum in corpore ejus myſtico eadem revelabitur. Rurſum, quando nobis bene eſt, ut etiam rebus Dei bene eſſe velimus. 2 Sam. 7: 1. &c. David habitans domum cedrinam, voluit Deo habitationem firmam magnificamque ſtruere, adeoque gloriæ ſuæ autorem viciſſim glorificare.

Porro quod denuo monet de 7 *diebus*, momentum habet, ne feſtum ultrà prorogari exiſtimarent. Lev. 23: 36. *Diebus 7 Domino offeretis ignita ſacrificia, Die octavo habebitis convocationem ſanctam, & offeretis ignita ſacrificia Domino, eſt diès cohibitionis, non facietis opus ſervile.* Octavus iſte dies, quamvis religioſus foret & feſtus, tamen non pertinuit ad Tabernaculorum feſtum, verſ. 42. *diebus 7 habitabitis in tabernaculis*: non autem octavo die, quo ineunte jam deſerebant tabernacula, & domos proprias rurſum incolebant. Septimus dies Paſchatis fuit cohibitionis, & Sabbathum feſti ſecundum: ſeptimus Tabernaculorum fuit Hoſanna rabba, & dies ultimus ac magnus feſti. Sed octavus fuit peculiare feſtum, & non pars Tabernaculorum. Sic Neh. 8: 19. *Celebrarunt feſtum 7 diebus & octavo die Cohibitionem, juxta jus*, morem. Hunc ergo octavum diem non vult confundi cum feſto; attamen non vult negligi, aut aboleri. Fuit juxta Hebræos, uti ad Paſchatis feſtum, quo comedebatur agnus & offerebatur manipulus, poſt 7 ſeptimanas Pentecoſte ſe habuit: ſic ad primum Tabernaculorum, quando inceperunt incolere, poſt 7 dies hæc cohibitio. עצרת *cohibitionem* dictam volunt, ab imperio, quod eo verbo ſignificatur Jud. 18: 7. 1 Sam 9: 17. Quod Deus illo die vellet agnoſci Dominus, cui omnes ceu coloni canonem perſolverent; primitias enim quas attulerant ad feſtum adſcendentes, ab hoc diè fuiſſe oblatas ajunt Sanctuario, quæ ante hunc diem non fuerint receptæ.

Majoris momenti eſt ratio peculiaris circa ſacrificia; oblatus fuit unus juvencus, aries unus, & 7 agni anniculi integri, præter hircum peccati. Septenis diebus feſti, 14 agni 2 arietes, & juvenci complures, præter hircum peccati: aſt nunc unus juvencus. Res myſterio non caret. Judæi dicunt, *Septem diebus Deus 70 nationibus mundi inſtruxit convivium; ſed octavo amico ſuo Iſraeli exiguum convivium ut ab ipſo exciperetur juvenco uno. Uti pro 70 nationibus 7 diebus feſti hoſtiæ oblatæ ſunt, atque pro ſingulis una; ſic hoc die pro uno Iſraele hoſtia una.* Alius dicit, Abrabanel nempe „ ſignificatam fuiſſe collectionem exulum Iſraelis, & tunc „ innovatum iri regnum Davidis, qui ſuper ipſos princeps „ ſit futurus in ſeculum; & vocatum illum diem Cohibitio„ nem, quod regnum futurum ſignificet. Quæ ſane confirmant myſterium converſionis Gentium, & Iſraelis. Chriſto exhibito in carne, & facto hoſtia pro peccato, applicatio ejus facta eſt 70 nationibus mundi, omnibus gentibus ſucceſſive, oblati juvenci pro ſingulis; ſed non pro Iſraele extraordinaria; quia cum cœperunt vocari gentes, & Chriſtus regnum iſtud ſuſcipere cœpit, Judæi filii regni, cives, noluerunt Meſſiam ſuper ſe regnare, & ejecti fuerunt. Verum Gentibus cæteris ad Chriſtum adductis tandem etiam adducetur Iſrael. Peculiaris dies ipſi dicatus eſt, quo unus juvencus pro illo offerretur ut reconcilietur, & ille dies, vi nominis ſui, regnum Dei rurſum inter ipſos reſtituet. Hoc eſt quod dicitur Rom. 11: 25. &c. *Non abjecit Deus populum ſuum quem præcognovit.* Licet multis ſeculis neglexiſſe videatur, & beneplacitum habere in gentibus; tamen etiam Iſraelis ſervat memoriam, & tandem reſtituet. Chriſtus benedicturus omnes familias terræ, ſuæ, quæ ab Abrahamo & Jacobo deſcendit, non negabit ſoli benedictionem. Luc. 13: 28. &c. *vos ejiciemini ex regno Dei; venient autem ab oriente & occidente, aquilone & auſtro, & accumbent in regno Dei; Et ecce ſunt ultimi qui erunt primi, & ſunt primi qui erunt ultimi.* Gentiles, ultimi olim, facti ſunt primi; aſt primi Iſraelitæ erunt tandem ultimi; accedent & ipſi, & ſervient Regi ſuo Chriſto, atque hoc erit Iſraeli feſtum peculiare. Pſ. 14. verſ. ult. *quando reducet Deus captivitatem populi ſui, gaudebit Jacob, lætabitur Iſrael.* & erit Chriſtus rex unus, & nomen ejus unum, Jehova juſtitia noſtra, Gentibus & Judæis ad ipſius gloriam, & utrorumque ſalutem.

Hinc vero confirmatur quod nuper diximus de vaticinio Zach. 14: 16. de feſto tabern. à Gentilibus celebrando. Quia hoſtiæ juvencorum extraordinariorum durante ejus ſeptiduo pro ſolis mundi nationibus fuerunt oblatæ, non pro Iſraele, cui ad deſignandum ordinem acceſſus ad Euangelium Chriſti peculiaris dies & hoſtia deſtinata fuit; Feſtum iſtud Tab. ceu proprium gentibus conſideratur, atque harum conſtans profeſſio ſub iſta imagine ſignificatur &

imperatur, ut in se impletum ostendant, & id publice identidem profiteantur.

Addere & istud lubet, septem duntaxat diebus duravit festum tabernaculorum; Dies autem octavus festum peculiare, cessante commoratione in tabernaculis, quo in ædibus firmis fundatisque habitarunt. Post conditionem peregrinam, quæ manentem civitatem non habet, sequetur domicilium firmum, urbs futura, quæ fundamentum habet. Homo definitum tempus צבא *militiæ* habet in terrâ, Job. 7: 1. dies ejus sunt ut mercenarii, cujus duratio molesti laboris terminum habet. Nostra quoque peregrinatio finem habebit, Deus definivit tempora, quæ excedere non patitur. Esa. 40: 1, 2. Ps. 56: 9. fugas lachrymasque habet in numerato, neque augere sinit numerum ultra modum ante statutum: adeoque Job. 14: 14. omnibus diebus &c. Militia illa jugis terminum inveniet, ante sibi fixum, etsi per plures dies continuetur, tandem sequetur missio felicissima; & hujus exspectatione confirmandus animus, ne deficiat durante militia. Descendente Hierosolyma nova de cœlo, firmissimis fundamentis inædificata, proclamatur, Ecce tabernaculum Dei est apud homines & habitabit apud eos, & erunt ipsius populus, & Deus ipse apud illos erit Deus ipsorum: habitatione firma & immobili, eademque consummatæ felicitatis. Salomo quando loco tabernaculi Dei struxit templum firmi operis, festum dedicationis celebravit diebus septem, immediate ante festum Tab. & post istud cohibitionem, ut 23. die mensis Israelitæ dimitterentur 1 Reg. 8: 65. 2 Chron. 53. cap. 7: 8. Significatum ea fuit, etsi templum haberent Dei fundatum firmiter, tamen non finiri conditionem peregrinitatis, & in tabernaculis commorandum rursus esse, ad migrationem quotidianam paratis. Imo in templo fundato non consistere securitatem, uti persuadebant sibi Jer. 7: 4. sed ipsis migrationem suscipiendam, & in exilium eundum, siquidem avertissent se à Deo ad Deos alienos, & obedientiam Deo debitam non præstitissent; quemadmodum Deus minatur illico post templi dedicationem 2 Chron. 7: 19. Sed & aliud significatum. Templi dedicatio ante festum tabernaculorum privilegium indicavit Israelis quod apud ipsos solos esset Ecclesia, Deo istic figente suam domum, quæ nusquam reperiebatur, nisi in Israele Ps. 76: 2. & 179: 19, 20. Verum quod mox in festo Tab. habitarunt in ejusmodi tuguriis, quando pro Gentibus fiebat expiatio in templo, & non pro Israele, significatur quod Israelitæ templo egressuri essent, dum Gentes reconciliandæ Deo; ipsosque non habituros tunc firmum domicilium, sed erraturos vagos, donec impleta essent tempora gentium Luc. 21: 24. sine templo & altari (quemadmodum illo festo non amplius habuerunt Deum in tabernaculo secum habitantem.) die octavo autem quo celebrarant diem cohibitionis, quod destructis tabernaculis reddendi sint suis ædibus singuli, finiendamque dissipationem ipsorum, atque ipsos quoque Deo reconciliandos rursumque venturos sub imperium regis sui Davidis, ac fruituros cum tremore Domino & bonitate ejus Hos. 3: 5.

ה. *Locus* est is quem Deus elegisset, quod de Paschate, & Pentecoste sigillatim dictum fuit, & dicitur de tribus istis festis conjunctim vers. 16. Ubi hoc tantum observandum nunc, Lev. 23: 41. mandari, *festum illud agetis Domino 7. diebus, æternum est statutum* pro *generationibus vestris ut generationes vestræ sciant, quod filios Israel habitare fecerim in tabernaculis.* Hinc Judæi ubique in suo exilio tabernacula ejusmodi solent habitare, cum tamen longissime absint ab Hierosolyma. Sed observant fuisse festum memoriale præteriti beneficii, habitationis in turguriis; atque hanc memoriam ubique ab omnibus generationibus isto ritu tuguriorum esse conservandam. Fuisse etiam præsentis boni recognitionem, post collectum proventum terræ omnem, hanc non posse peragi nisi loco delecto à Deo, quia primitiæ istic offerendæ & quæcunque oblationes fuerunt aliæ: Hoc nunc cessare, cum nec terram Canaan incolant, nec fructu ejus fruantur. De ista cultus parte hîc fit mentio, & adstringitur loco; de habitatione in tuguriis nihil mandatur speciatim, uti quidem Lev. 23. solum nomen festi inde sumtum est.

ו *Ratio observationis* istius est vers. 15. *nam benedicet* &c. Promissio est abundantis benedictionis, tum quoad proventus agrorum, tum quoad vocationem quamcunque aliam, mercaturæ artiumque mechanicarum: & hæc benedictio poscit gaudium in festo solidum, citra solicitudinem. In aliis festis non fuit gaudium defæcatum: in Paschate gaudebant de segete ubere, sed spes ejus duntaxat fuit, licet propinqua; nam tempestatibus potuit perire, & à locustis insectisque aliis absumi, ut non fruerentur. in Pentecoste gaudium fuit majus, satis in horrea congestis, sed arborei fructus manebant adhuc expositi periculis similibus. Ast in Tabernaculorum omnia collecta possedebant, quantum illa anno habebant exspectandum. Quidam ultima verba non faciunt officii, quod debeant solummodo lætari acceptis istis benedictionibus; sed beneficii promissi: sic benedicturum Deum, ut merum gaudium sit futurum, ob abundantiam, quemadmodum pollicetur Deus, siquidem primitias & decimas rite persolverint Mal. 3: 10. *& omnes gentes vos pronunciabunt felices, nam eritis terra voluptatis* ארץ חפץ *inquit Dominus Zebaoth.* Scilicet Prov. 10: 22. benedictio Dei ditat, & non addit dolorem.

Vers. 16. *Tribus vicibus compareto quotannis omnis mas tuus ante conspectum Iehovæ Dei tui in loco quem elegerit, in festo azymorum, & in festo septimanarum, & in festo tabernaculorum: sed ne compareto ante conspectum Iehovæ vacuus.*

Vers. 17. *Quisque prout donatum esti manui suæ, pro benedictione Iehovæ Dei tui, quæ donavit te, afferto.*

II. Jam generatim de tribus illis festis quædam mandat, pariter in omnibus observanda.

Horum *primum* est Comparitio personalis omnium marium. vers. 16. *Ter quotannis* &c. Idem mandatum inter fœderis conditiones quod ineundum erat Exod. 23: 17. *ter quotannis omnes mares apparebunt coram facie Dei Domini*, & in ejus redintegratione Exod. 34: 23. *coram facie Dei Domini Dei Israelis.* Obligavit ut ad locum tabernaculi sui venirent mares omnes majorennes, qui 13. annum absolvissent; sed liberos duntaxat, qui Israelitis vendicati fuerant à servitute Ægyptiatica: servi ergo ære emti, bello capti, aut domi nati, non tenebantur ad hæc itinera; verum servus Hebræus, quia ejus conditio ut mercenarii æstimanda, tenebatur quoque. Mulieres ab hoc aliisque officiis immunes erant, quia sexus ipsarum quibusdam impedimentis singularibus obnoxius est. Exemti etiam fuerunt ægroti, claudi, cœci, quia pedibus itinera ista ab omnibus conficienda statuunt, ad quæ inepti isti sunt. Senes quoque, qui à militia vacationem habebant, & infirmi erant ob ætatem. Attamen qui ex istis una venerunt, non peccarunt; unde antea filiorum filiarumque, servorum & servarum facta est mentio. Voluit istos omnes ad locum sanctuarii venire; hæc causa cur de festis tribus istis tantum egerit, (in aliis enim non erat necesse,) quia cap. 15: 22. & in capp. præcedentibus de religione loci illius mandaverat. Causa hujus mandati est, quia Israelitæ populus peculii Dei, qui totam illam nationem, nullo excepto, adsciverat, cujus ipse rex foret, voluit eos id publice profiteri. Non fuit satis habere ipsos ubique synagogas ad publicum cultum, & eo convenire, singulis Sabbathis; sed indixit ipsis universalem conventum, ubi testimonium suæ præsentiæ dabat, ut sibi quasi homagium præstarent, & unum communem actum cultus simul exercerent. Indixit porro ter quotannis, quia tribus actibus sibi Israelem fecerat proprium, liberando ex Ægypto, fœdere solenni sibi eos jungendo, collocando in Cananæa. Illius Pascha istius Pentecoste, hujus Tab. festum memoriale fuit. Hinc soli Israelitæ fuerunt Ecclesia Nationalis, quod de nullâ aliâ natione dici potest; qui soli, omnes ad unum mares, ibidem loci coram Deo comparuerunt. Quicunque non venit (citra justam causam qualis impuritatis. Num. 9: 10.) se demonstrabat rebellem: & quando Jeroboam non sivit amplius Israelem x. tribuum ad festa proficisci, fecit apostasim publicam à Deo; unde Israel ab eo tempore Aversa dicitur. Jer. 3: 6. Hinc tanta multitudo fuit Hierosolymæ

mæ in festis. Act. 21: 20. multæ myriades Judæorum credentium in urbe simul; quia fuit Pentecoste cap. 20: 16. & tam immensus numerus in urbe cum obsederetur à Tito. quia fuit in Paschate. Hinc & notatur à Judæis tempore festorum Hierosolymam & domos ejus omnes fuisse juris publici, adeo ut venientibus ad festa jus esset ingrediendi in domos & ibi quæ cultus erant peragere: cumprimis in Paschate, agno in domibus comedendo. Ita Christus jussit discipulos eam domum ingredi, in quam processisset quidam ferens hydriam, & ibi statim monstratum fuit cœnaculum superius Matt. 27: 18. Marc. 19: 14. &c. Accendit Deus amorem mutuum, ut qui religione cultus accedebant aliunde, cum incommodo majore, invenirent commoditatem quodammodo eandem cum iis qui istic habitabant. Neh. 11: 2. benedixit populus omnes, qui sponte se obtulerunt ut Hierosolymæ habitarent; quia non tantum hæreditates suas videbantur negligere, sed etiam ad ejusmodi onus se obtulerunt: Alii præter principes, forte fuerunt incolæ illius urbis, decimus quisque vers. 1. Onus autem fuit solum pernoctationis; nam quisque tantum afferebat, ut sibi suisque ad festa convivia sufficeret. Peccarunt autem tum illi Hierosolymitani qui legatos Judæorum ex Babel noluerunt recipere Zach. 6: 10. unde hospes ipsorum legatis sociatur in benedictionibus. Magis adhuc Corinthii qui in agapis sui edebant & pauperioribus esuriendum fuit 1 Cor. 11: 21. Societas in publico cultu debet etiam privatum amorem ad beneficentiam mutuam augere. Imo debet etiam esse quædam societas publici cultus, qui privatim exerceri nequit; conventus sacri, & cum primis in communione S. Cœnæ, in qua omnes comparent coram facie Dei, ut fœderati convivæ. Porro festa ista in quibus comparendum, fuerunt in æstate, primum sub initium fere Aprilis, & sub finem Septembris ultimum. Non obstrinxit Deus ad hyberna itinera; tantæ est commiserationis: quia incommodum, & valetudini noxium. Sic docuit exercitationem corpoream ad pauca esse utilem, ut frigore affligatur corpus, ita inepti reddimur ad exercitia religionis; verum attemperavit ad fragilitatem humanam indeclinabilem. Quod si hæc clementia Dei, ne hyeme irent; quam grave judicium si hyeme inde fugiendum. Deprecandum id dicit Christus Matt. 24: 20.

Denique non obliviscenda promissio Exod. 34: 24. *quando populos ejiciam ante faciem vestram, & dilatabo terminum vestrum; nemo appetet terram vestram dum adscenditis appariturі coram facie Domini Dei vestri, ter in anno.* Habituri erant hostes multos, & qui olim fuerant terræ possessores; & iter quandoque longum faciendum, & dies plures agendi Hierosolymæ: omnes mares sic deserere domicilia videbatur mera esse perditio terræ & suarum rerum. Hæc solicitudo videbatur justæ excusationis. Sed Deus eam non concedit, verum alio modo prospicit: Promittit indemnitatem ab hostibus, non ut venientes occupatum terram, successu carerent, sed ut tantisper voluntas non foret aliquid suscipiendi. Hæc autem cura pietatis esse debuit ipsis, ut nullo metu humano absterrerentur à necessaria professione religionis. In aliis festis, imo Sabbathis, periculum vitæ excusationem habet, ut abstineatur ab externis exercitiis; sed in hac homagii professione non item: & vicissim Deus ubi necessitatem aliquam imponit, obligat se ad custodiam & defensam obsequentium. Ps. 41: 11. *mandabit angelis* &c. *Quia me amat eripiam eum*, &c. Adhærens Domino, habet Dominum adhærentem ad sui tutelam felicem. Ps. 56: 4. *quo die metuam, confidam Domino; in Deo, in Domino celebrabo verbum ejus. Confido Domino, quid faciet mihi caro*, homo?

Alterum est *modus comparitionis*, vers. 16. *& non videbitur coram facie Domini inaniter*, id legitur Exod. 23: 15. cap. 34: 20. לֹא יֵרָאוּ פָנַי רֵיקָם *non videbitur facies mea inaniter*: quod hunc sensum habere potest, frustra non futuram apparitionem, ut Deus inanes dimittat, sed largam daturum benedictionem iis qui se sisterent. Quemadmodum Esa. 45: 19. non dixi domui Israelis, quærite me frustra: *Ego sum Dominus, loquens justitiam annuncians rectitudines.* Deus enim est scaturigo aquarum viventium; Jer. 2: 31. nemo accessit, qui reperierit defectum. Est אל שרי Esa. 55: 1, 2. inprimis si *Faciem Dei* intelligamus de Messiâ: ibi plenitudo, quam accipiunt qui accedunt petituri Joh. 1: 14, 16. adeo ut cum gaudio haurire queant &c. Esa. 12: 3. Sed hoc loco, *non videbitur apud faciem meam inaniter*; vacuis manibus non veniendum: Quicunque accessit debuit aliquid offerre, tum debitum, primitiarum, decimarum, sive sacerdotibus cederent, sive proprietariis; tum indebitum spontaneum & votivarum oblationum. Voluit Deus professionem realem, quâ superiorem ipsum agnoscerent, & autorem omnium istorum bonorum. Cæterum dum vacuos venire prohibuit, non fecit libertatem emanendi, qui avarus dare quid nollet; primum jussit venire, & tunc venire cum munere: neque etiam permisit arbitrio ipsorum, quantum dare vellent. vers. 17. *quisque secundum donum manus suæ, juxta benedictionem* &c. Arbitrii est liberalitas, quando cor spontaneum est; ut multum detur. Sed tali liberalitate deficiente, æquitatis, imo necessitatis est, pro modo benedictionis. Definiverat Deus decimas, sed primitiarum modus quoque servandus ad proportionem benedictionis. Sic vers. 10. & cap. 14: 24. cui multum datum, multam debet recognitionem. Hæc proportio servanda est, vidua paupercula, quæ duo λεπτὰ dedit, longe plus dedit, quam divites multi, qui videbantur liberales: quia hi de redundante, illa ipsum victum suum. Luc. 21: 3, 4. Servanda etiam circa alia dona. Cui plus sapientiæ, eruditionis, roboris, item conditionis, sanctitatis, datum, tanto plus in servitio Dei debet exercere. Usus ille benedictionis divinæ obtinebit benedictionem uberiorem, ut ei addatur, quo Deus magis adhuc glorificetur. Juxta cum Davide & Israele reliquo; Damus de tuo tibi ex manu tua, plura daturi, ubi plus acceperimus: Imo dante Deo cor, totum illud Deo dandum, ut illud conservet nobis, Spiritu suo magis magisque exornet: quo ornatius reddamus, & ipse à nobis gratia primum, tandem gloria impletis nostri oblatione honoretur, ad felicitatem nostram æternam.

Sequuntur deinceps OFFICIA JUDICIALIA seu quæ ad *Amorem proximi externum* pertinent reliquo hoc capite & seqq.

Prov. 23: 26. *Fili mi, da mihi cor tuum: & oculi tui vias meas custodiant.* Declarat suum affectum erga fœderatos, quos arctissime sibi conjunctos tenerrime complectatur. *Filiorum* loco habentur. Proxima hæc est consanguinitas, inter parentes & liberos; & πρώτη erga liberos parentum est maxima, quæ quidem naturalia sunt hominibus inter se, verum hic sunt ex gratia fœderis, quia filiatio ex adoptione fluit, cujus origo ducitur à mero beneplacito adoptantis: Hinc de Israele dicitur Deut. 14: 1. *Vos estis filii Domini Dei vestri*, & 2 Cor. 6: 16, 18. Deum esse alicujus & patrem esse sunt æquipollentia, populum vel liberos Dei. Porro ab his poscit obsequium cordis & operis, quod filialis amoris effectus est & demonstratio. *Cordis*, ut Deo detur, ut anima omnisque ejus motus Deo resignetur; agnitâ ejus perfectione in eum cognoscendum, possidendum, fruendum tota feratur: agnita ejus superioritate, omne jus in se summa voluntate ei deferat, ipsius moderamine regi non velit solum, sed etiam optet, quo ab ipso uno dirigatur, ad ipsius unius placitum. *Operis*, ut oculi, quæ organa sunt regendarum actionum externarum, non aliam viam seu agendi normam nosse velint, neque sequi, quam ipse definivit externo verbo, ut à quovis observari queat, quibus legibus obnoxius vivat, & quem agnoscat legislatorem, quantumque autoritatem ejus revereatur. Hujusmodi exhortationem instituit quoque Moses, dum valedictoriam concionem habet ad Israelitas propediem functionem suam & vitam finiturus. Recitavit formulam fœderis Dei, quo se Deus ipsis devinxerat, & ipsos sibi. Tum processit ad obsequium cordis & operis, quod Deo debebant, specialius declarandum & primo quidem *cordis* obsequium declaravit, & variis argumentis ursit cap. 6--11. deinde etiam *operis* obsequium inculcandum sumsit, poscendo demonstrationem amoris Dei externam; tum *respectu Dei*, in cultu religioso, quoad locum, ne sit gentilis devotionis, sed divinæ electionis cap. 12: 1--28. quo ad modum, ne sit gentium more, sed qui congruat ipsorum conditioni cap. 12: 29--32. & cap. 13, 14, 15. quoad tempus, ut festa solennia observentur cap. 16: 1--17. tum *respectu proximi*: quod argumentum nunc orditur. Heic vero agit de *officiis communibus*, quæ universum populum communiter spectabant, tum quoque de singularibus quibusdam. In illis initio describit personas superiores quæ parentum nomine veniunt, tum politicas,

liticas, tum Eccleſiaſticas; deinde varia quæ per illas perſonas, & apud eas eſſent expedienda: intermixtis tamen ſubinde etiam aliis præceptis. Superiores politicæ perſonæ & ipſarum munus diſtribuitur in tres claſſes, in quibus ſunt Judices ordinarii, ſummi, & Rex.

Verſ. 18. *Judices & moderatores conſtituito tibi in ſingulis portis tuis quas Jehova Deus tuus dat tibi, per tribus tuas, qui judicent populum judicio juſto.*

I. *Judices ordinarios* quod attinet, I. mandatur conſtitutio eorum verſ. 18. II. munus eorum deſcribitur, verſ. 18.-20.

A. *Inſtitutio mandatur* verſ. 18. *Judices & præfectos* &c. ubi conſideranda ſunt ſeqq. capita. I. Superiores, ſeu magiſtratus & poteſtates, II. Autoritas muneris, III. locus exercitii.

א. *Magiſtratus* ſeu poteſtates dicuntur *Judices, & præfecti. Judices*, juxta Hebræos ſunt, qui cognoſcunt & ſententiam ferunt de omnibus populi controverſiis, & omnibus cauſis ad ſocietatem civilem pertinentibus, ſive agatur de rebus pecuniariis, ſive de capitalibus. *Præfecti* שטרים ſunt, qui Judicum ſententias quaſcunque exſecutioni dant, habentes poteſtatem coactivam, ſed juxta judicum definitionem; obſervant menſuras & pondera, an juſta ſint, & plectunt fallantes; quoſcunque etiam animadvertunt inique agentes deferunt ad judices, ut illi ſtatuant, quid eis inferendum ſupplicii. Sub his duobus nominibus intelliguntur Magiſtratus omnis generis, qui regiminis adminiſtrationem habent ſive definitivam, ſive exſecutivam, principalem & miniſterialem: quamquam hic ſpecialius ſpectentur, quibus judiciorum cura eſt; qui non habent poteſtatem legiſlatoriam, ſed juxta leges præſcriptas judicant. Sociantur autem hi ordines, quia unius opera ſine alterius injuſta vel inutilis. Injuſta exſecutorum ſine prævia judicum ſententia. Tales zelotæ, necantes quoſvis ut Act. 23: 12. Luc. 4: 29. Joh. 10. Inutilis judicum ſine ſubſequente exſecutione. Obſervant Judæi, annis 40. ante excidium Hieroſolymæ ceſſaſſe capitalia judicia; non quod jus eorum deeſſet, ſed quod deficeret exſecutio ob potentiam malorum, qui omni judicio ſuperiores erant. Conf. Joh. 18: 31. & Actor. 7: 58. cap. 24: 7. De horum numero quoque notandum, quod pluraliter loquatur, non ſingulariter, Judicem & præfectum: quandoquidem in Iſraele noluit ab ipſiſmet unum conſtitui, qui omnium eſſet judex. Hoc jus ſibi ſervavit Deus, identidem excitando ſingulos; quemadmodum infra dicetur cum de Rege agendum erit; verum Iſraelem hoc facere non juſſit. Plures ſociari oportuit, ut ſententiam ullam ferrent, neque licuit uni ſoli judicem agere: niſi arbiter delectus fuiſſet à partibus; uni deferentibus. Præfectorum numerus definitus non eſt, qui augeri minuique poteſt pro re nata, quia nullam pronunciant ſententiam, ſed latam tantum exſequuntur. Sed de Judicibus aliquid determinatum eſt.

Minimus numerus eſt ternarius: quot eſſe oportuit, ſiquidem de fortunis alicujus, deque delictis non capitalibus pronunciandum eſſet. Hi dicebantur *judices triumviri*, & in Scriptura habent nomen *Elohim*, Exod. 21: 6. cap. 22: 8, 9. quod commune ipſis eſt cum Deo, qui eo honoravit Joh. 10: 34, 35. ex Pſ. 82: 6. tum ob ſimilitudinem muneris, quemadmodum Deus rector & judex eſt univerſorum, ſic & ipſi regimen & judicium habent, eaque propter venerabiles ſunt. Hinc Deus quoque judex dicitur Pſ. 7: 12. & judicis actiones ei adſcribuntur Pſ. 7, 9, 10. tum ob ſimilitudinem numeri. Ternarius ille eſt, teſtibus Hebræis, qui probaturi Dei gratioſam præſentiam adeſſe tribus in nomine ejus congregatis, & de verbo ejus conferentibus, hoc dictum producunt Pſ. 82: 1. *in medio Elohim judicat*; Elohim itaque tres præciſe denotare debet, aut non probatum eſt, quod quæritur. Ille véro qui inter Elohim, tres numero judicat, ibidem dicitur Elohim, proinde etiam circa ipſum obſervanda trinitas. Imo R. Juda f. Pazi dixit, *ne quidem S. B. ille judicat ſolitarius.* Bechai f. 206. 3. & crebro dicunt Kabaliſtæ, יהוה אלהיה ſignificat הו וביהרינו Rakunt. fol. & Pſ. 58. v. ult. *Judicium trium virale inferius reſpondet ſuperiori, cæleſti.* Et ſane pluralitas perſonarum duarum in regimine hominis animadvertenda eſt. Creatio hominis à pluribus ſuſcepta Gen. 1: 26. &c. ſic diſtributio filiorum Noachi per univerſam terram cap. 11: 7. & circa Eccleſiam vocatio Abrahami Gen. 20: 13. *cum errare me fecerunt Elohim è domo patris mei.* & Jacobi benedictio in Bethel, ubi ipſi *revelati ſunt Elohim* Gen. 35: 7. & Iſraelis aſſumtio in populum 2 Sam. 7: 13. *quis eſt uti populus tuus uti Iſrael, populus unicus in terrâ, quem Elohim iverunt ad eum ſibi in populum aſſerendum.* Unde liquet Regiminis formam optimam, divinæ conformem non eſſe Monarchicam, ſed plurium Ariſtocraticam. Tres ſunt Rectores mundi & hominum, uti Johannes tres teſtes vocat 1 Joh. 5: 7. Sunt illæ tres perſonæ quidem unius eſſentiæ, & hinc unus Jehova: ſed hæc unitas eſſentiæ non tollit trinitatem perſonarum Deut. 6: 4. & actiones ſunt perſonarum. Deus, pater nempe, condidit omnia, viſibilia & inviſibilia per Filium Col. 1: 15. & ſine eo nihil Joh. 1: 3. & per Spiritum S. Pſ. 33: 6. Et ſic *Elohim creavit cœlum & terram*, qui etiam hominem fecerunt. Gen. 1: 1, 26. *Creatores* inde dicti Eccl. 12: 1. & *factores* Job. 35: 10. Quæcunque Pater facit, filius pariter facit Joh. 5: 19. Pater & filius, & Spiritus S. pariter inhabitant fideles Joh. 14: 17, 23. ad ſpecialiſſimum regimen: quemadmodum etiam in baptiſmo ad trium illorum regimen agnoſcendum, noſque illi ſubjiciendum obligamur Matt. 28: 19, 20. Triumvirale regimen Dei eſt, & tale fuit Iſraelitarum judicium primum, neque licuit ipſis infra illum numerum deſcendere. Imo quotquot fiebant proſelyti in baptiſmo ſuæ initiationis, triumviros judices debuerunt habere actionis ſuæ teſtes, ut regimini SS. Triados ſucceſſiſſe profiterentur: quemadmodum in noſtrâ initiatione religiosâ ipſius SS. Trinitatis nomen invocatur.

Major numerus fuit ſuperioris judicii, viginti trium; quem conficiunt ex Num. 35: 24. *Et judicabunt cœtus, & eripient cœtus;* עשרה denos notare cenſent, tot ſi abſolvant, & totidem ſi condemnent, habent 20, quibus ſuperaddunt tres, ut rurſum ternarium divinarum perſonarum repræſentet. Hi cauſas capitales tractabant, neque licuit paucioribus eſſe judicibus, ubi agebatur de vita hominis. Adeo pretioſam voluit haberi hominis vitam, ut plurium cognitionem vellet adhiberi, ne leviter deſtrueretur imago Dei, & præcideretur fruitio divitiarum longanimitatis, tolerantiæ, benignitatis Dei, quæ oportunitas adeo neceſſaria hominibus peccatoribus natura, ad reſipiſcentiam, & ad operandam ſalutem.

Maximus numerus fuit ſeptuaginta unius, & vocatur *Synedrium ſummum.* Sic mandavit Deus Num. 11: 15. cum Moſes deprecaretur onus regendi populi ſolus, *juſſit* 70. ſeniores legi, qui de ipſius ſpiritu acciperent, & cum eo regerent populum, ipſo præſidium obtinente. De quo judicio dicitur Deut. 17: 9. Patet hinc libertatem relictam circa numerum judicum, ut ternarium varie liceret excedere, prout conditioni cujuſque populi congrueret: quin imo ſi infra ternarium deſcendatur, in uno ſubſiſtatur, quemadmodum hominis ordinationibus factum eſt, judicio iſti acquieſcendum eſt. 1 Pet. 2: 13.

ב. *Autoritas muneris. Dabis tibi.* Gemina hinc probari poteſt, Divina & Humana.

a. *Divina*, Jubet Moſes, utique divina voluntate, ut Magiſtratus conſtituant, cui imperio fuit obſequendum, & id non feciſſe, inobedientia. Unde

Judicum ſeu Magiſtratuum munus Deum habet autorem, qui tales conſtitui juſſit. Pſal. 75: 7, 8. *Deus judex, hunc deprimit, illum extollit.* Rom. 13: 1. *nulla eſt poteſtas niſi à Deo*, & Joh. 19: 4. *non haberes poteſtatem ſuper me ullam, niſi datum tibi eſſet ſuperne.* Jer. 27: 4, 5. Dominus creator terræ & hominum in eâ, dominium omnium habet ſolus Act. 17: 25. &c. & illud cedit cui lubet, & quantum lubet; & quibus ille dedit juſtam habent poſſeſſionem muneris, & exercitium juſtum. Dan. 2. & 4. capp. Male ergo munus iſtud damnatur à quibuſdam, quod Deus inſtituit, & mandavit. Etenim Deus bonus eſt, & benefaciens Pſ. 119: 68. omnia quæ fecit bona ſunt; & quæ homines facere juſſit bona ſunt. Alioqui homines obligaret ad peccatum; nam cum jubeat conſtituere, adeoque & ſuſcipere magiſtratum, quod non feciſſe inobedientia eſt, & malum: ſi illud munus malum ſit, & ſine peccato non poſſit geri, utique

utique indeclinabilis neceſſitas peccandi imponitur. Quod à juſtitia & bonitate Dei alieniſſimum eſt. Diſtinguunt quidem tempora, & in Veteri Teſtamento legitimum fuiſſe concedunt, ſed non ſub Novo. Verum falluntur. Nam Euangelium Chriſti Politias non abolet, Unde obedientia imperatur erga magiſtratus etiam Ethnicos Rom. 13: 1. *omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto*, 1 Pet. 2: 13. &c. & pro iis precandum, ut ſub illorum imperio quieta ſit vita; 1 Tim. 2: 1, 3. *nam hoc bonum eſt, & acceptum in conſpectu Servatoris noſtri Dei.* Habet Chriſtus regnum, ſed quod terrenis regnis præjudicio nullo eſt; Male opinatus eſt Cajaphas, Chriſto manente, & ab omnibus recepto, mutatum iri ſtatum populi, & exſcindendam urbem & politiam. Joh. 11: 48. &c. atqui ob repudiatum Chriſtum vaſtitas introducta Matt. 23: 37. &c. regnum ejus eſt veritatis, Joh. 18: 36. & Veritas quam docuit etiam hoc dictat, *Date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ ſunt Dei.* Adeoque agnoſcit uti aliqua Dei ſunt, quæ illi propterea ſint danda, ita quoque aliqua eſſe Cæſaris, quæ pariter ei danda, & citra injuſtitiam negari nequeunt. Si dicant ſubjectionem eſſe neceſſariam quidem, verum à Chriſtianis non poſſe geri magiſtratum; Quia in Novo Teſtamento Chriſtiani tales non reperiantur: id nec verum eſt, nec valet conſequentia. Occurrunt Joſephus Arimathæenſis & Nicodemus Senatores in Synedrio ſummo, quos depoſuiſſe propter Chriſtianiſmum munus non legimus; neque id mandatum Sergio Paulo, præſidi Cypri cum converteretur Act. 13. vel Dionyſio Areopagitæ cap. 17. Et quamvis nulli fuiſſent Magiſtratus Chriſtiani temporibus Apoſtolorum, quoniam poteſtates mundi nondum erant converſæ, non probat iſtud tamen nullos unquam eſſe debere. Subjectio quam debebant legitimæ poteſtati, non patiebatur ut per vim eam eriperent poſſidentibus: exſpectandum fuit tempus, donec Deus juxta promiſſionem reges quoque & judices terræ Chriſto ſubjiceret Pſ. 2. 102. 68. 72. fierentque nutritii Eccleſiæ Eſa. 49: 23. Equidem improbat Paulus, quod Corinthii ſe ſiſterent judicio coram infidelibus 1 Cor. 6: 1. &c. ſed non abſolute, nedum ut judices ipſos damnet. Qui vult jus petere à ſanctis, utique ſanctis, Eccleſiæ membris, concedit ut id dicant Damnat Apoſtolus non judices & ipſorum munus, ſed damnat fratrum lites, verſ. 7. Damnat deinde fratrum lites infidelibus dejudicandas dari: verſ. 6. Si ab infidelibus vocarentur in jus, utique eundum fuit, & infidelis judicium ſubeundum; imo qui à fideli vocabatur eò, cogebatur ſequi. Sed turpe erat fideles iſtuc accuſatores ire, & confiteri defectum fraterni amoris in iis qui fratres nuncupabantur, & fraternitas. Cæterum cum lites caveri omnino non poſſent, ne ſe proſtituerent, jubet conſtituere judices privatos ex compacto qui arbitri vocantur. *Cum per ſanctos mundus & angeli judicandi ſint*, (futurum enim ſunt reges in terrâ Apoc. 5: 10.) *eſtiſne indigni minimarum cauſarum?* quæ hanc vitam attinent? verſ. 2, 3. Dignitatis eſt hæc judicare, & injuria fit Chriſtianis, ſiquidem inde arceantur ceu indigni, quos Deus longe majori dignabitur. Rurſum verſ. 5. *Dico ad pudorem vobis, nulluſne inter vos ſapiens, qui poſſit judicare inter fratres?* pudendum eſt Chriſtianos abſtinere, quaſi nemo tantum haberet ſapientiæ ad hæc judicia. Denique verſ. 4. *Si lites habeatis de rebus hujus vitæ, conſtituite qui in Eccleſia indigniſſimi*; nempe potius quam ut nullos habere velitis, & ad infideles ire. Jubet ergo ſtatui judices Chriſtianos, & hos judicio fungi. Sane quos in Eccleſiaſticis ordinibus numerat κυβερνήσεις 1 Cor. 12: 28. haud alii fuiſſe videntur, quam judices iſti, arbitri conſtituti Chriſtianarum litium, dum Magiſtratus erant infideles; unde hoc mutato illud munus ceſſat. Poteſt ergo fidelis bona conſcientia Magiſtratu fungi, cum Deus tales inſtituere juſſerit. Quæ ſunt poteſtates à Deo ſunt ordinatæ Rom. 13: 1. additur illi, omnis poteſtas à Deo eſt, quomodo limitatio indicatur, legitimam poteſtatem determinans, ut ſit ordinata à Deo, & ſub Deo. Sub Deo ordinata ſit oportet, ut agnoſcat ſe ſuperiorem habere Deum, qui celſior excelſis, & ſuper illos Eccl. 5: 7. cui rationes reddere tenentur, à quo omnem habent eminentiam Pſ. 82: 1. Prov. 8: 17. &c. per me reges principes, judices terræ regnant, & exercent poteſtatem. Sed etiam à Deo ordinata, ut leges regiminis à Deo acceperit, qui Deus ordinis, optime definivit quem ordinem in judiciis ſervare oporteat. Joſ. 1: 7. & ſi rex velit legitime præeſſe, debet volumen legis proprium pene ſe jugiter habere, ut exinde ordinem obſervandum diſcat. Iſta ſi negligantur, valet, non ex Deo eſſe reges, & principes ab ipſo non agnoſci Hoſ. 8: 7.

b. *Humana*, dum dicit, *conſtitues tibi*; Deus non conſtituit immediate, ſed cum munus ordinavit perſonas muneri adhibendas permiſit hominibus ipſis. Iſraeli univerſo id conceditur; Deut. 1: 13. Hinc 1 Pet. 2: 13. dicitur διὰ ἀνθρωπίνη κτίσις. & Creare Magiſtratus dicuntur homines, facere, & fieri. Quod quia ipſorum eſt, etiam ad eos pertinet quo ordine & quibus mediis ad exercitium poteſtatis, quæ à Deo eſt; debeant pervenire, Quæ cauſa tam magnæ varietatis, in ſingulis urbibus & vicis propemodum. Unde

Magiſtratus & Judices ab hominibus conſtituti ſint oportet. Sunt quidem qui hominibus ſuam conſtitutionem non debent, excitati à Deo immediate; attamen iſtorum quoque admotio per homines facta legitur; Saul in Comitiis populi poſt ſortitionem, 1 Sam. 10. David à Juda 2 Sam. 2. & cætero Iſraele cap. 5. Jehu à cæteris præfectis militiæ 2 Reg. 9. Nunc vero non alia legitima niſi ex conſtitutione hominum functio. *Conſtitues tibi* dicitur, non conſtituent ſemetipſos ſuper te. Nemo ſibi ipſi ſumit honorem, ſed vocatus ſit oportet; & vocatus ab ipſis qui vocandi jus habent. Inſolens arrogantia Ægyptii, marini Draconis, *Flumen meum eſt mihi, & ego me feci*, Ezek. 29: 3. & Aſſyrii, *robore manus meæ feci, & mea ſapientia, & removi terminos populorum & ceu Validus incolas feci deſcendere*; Eſa. 10: 13. & Chaldæi, qui poſſidere hæreditario voluit quæ ſua non erant, cujus jus & celſitudo ab ipſomet prodibat, qui robur ſuum fecit ſuum Deum, Hab. 1: 6, 7, 11. qui æſtimabat homines ut piſces maris, ut reptilia, dominum non habentia, verſ. 14. qualis Nimrod potens venator coram Domino, Gen. 10: 3. & tyranni venatores dicuntur Jer. 16: 16. Habent homines omnes dominium ſuper bruta Gen. 9: 2. quod jure divino obtinent ſuper feras, aves, piſces, dum nullius ſunt, ſed tale jus in homines non datum; naturale eſt parentibus in liberos; acquiſitum in juſto bello ſubactos, emtos, & inde deſcendentes. Verum ſi agatur de magiſtratu legitimo alio, conſtituendus eſt, aut erit uſurpator. Et qui conſtituetur non habet plus poteſtatis quam per conſtitutionem ei datum eſt. Debent conſtituentibus rationem adminiſtrationis ſuæ, quibus jus eſt ſupra conſtitutos, & judicium de illis: niſi ut gentes olim & Iſraelitæ ad illarum imitationem omnem poteſtatem regi detulerint univerſi, ut 1 Sam. 8. cap. Qui proinde bona conſcientia magiſtratu fungi optat, conſtitutus ſit oportet ab hominibus. Qui ſibi immediatam vocationem vendicant à Deo, fanatici ſunt, uti ſuperiore ſeculo factum ab Anabaptiſtis, & fit ab illis qui ſibi hac ratione poteſtatem parant. Conſtitutus juxta ordinem legitimum; qui adulatione & ſervitio, vel pretio & corruptione, vel crudelitate ac vi eodem perveniunt, non rite conſtituuntur. Conſtitutus à conſtituendi jus habentibus; Tabel, quem Rezin & Peka voluerunt regem dare ſuper Hieroſolyma, non potuiſſet eſſe rex legitimus. Sic cum Sichemi cives Abimelechum fecerunt Regem, non fuit legitimus, qualem ipſi toti Iſraeli dare non potuerunt Jud. 9. cap. Deus ordinis Deus eſt, non confuſionis & qui juxta ordinem legum conſtitutus eſt, is demum legitimam habet functionem. Abrabanel notat adhuc circa conſtitutionem judicum, ex voce לשבטיך, quæ interpretatio fuerit vocis לך. Dabis judices tibi, tuum id erit, hoc eſt tribuum tuarum. Nempe cum antea conſtituti fuiſſent à Moſe, ex conſilio Jethronis Exod. 18. & volente populo, Deut. 1: 14. nunc monentur, deinceps ſingulas tribus ſuos magiſtratus debere conſtituere, adeoque id non eſſe Prophetæ, ut is inſtinctu divino decernat munera quia non ſemper futuri erant, extraordinarii Prophetæ cum judicibus carere non poſſent. Quod ſane valet contra Papam Rom. qui ſibi jus ſumit de regnis mundi diſponendi, atque ea cui lubet addicendi. Sic Americam omnem regibus Caſtiliæ & Portugaliæ olim dedit, & auctoravit, ut injuſto bello reges populorum indigenas deponeret, internecione delerent. Sic legitimos Imperatores & & reges privavit regnis ſuis, & alios ſubſtituit, qui rebellarent ad deſtructionem eorum quos declararat hæreticos. Prophetis, Eccleſiæ Doctoribus, Chriſtus non permiſit dominatum terrenum, multo minus jus de dominatibus di-

ſponendi. Hinc Apoſtoli non abrogarunt ulli magiſtratui ſuum munus, & alium ſurrogarunt; neque ut id à miniſtris Eccleſiæ fieret, unquam mandarunt: ſed & ipſi reveriti ſunt quoſcunque, & obedientiam ipſis docuerunt exhibendam. Imò Paulus non ipſe ſtatuit, ſed Corinthios ſtatuere jubet arbitros litium. Precandum ipſis ad Deum, ut ipſe conſtituat viros ſuper cœtum populi omnem, qui antecedant exeuntes & ingredientes, educant & reducant, ſintque vice paſtoris Num. 27: 16. &c. atque adeo reget conſtituentes, ut tales conſtituant,

Rurſum, dum tribus ipſas jubet magiſtratus creare, Deut. 1: 12. docet Libertatem eis concedi, neque ſubjici unius voluntati. Reges & qui abſolutum jus affectant, hoc ſibi vendicant, ut ipſi conſtituant magiſtratus adeoque neminem niſi ſibi ſerviturum, etiam ad præjudicium urbium cui dantur magiſtratus. Imo ſæpe ſervi Regum abutuntur illorum poteſtate, & eo promovent ſibi obnoxios, etiam per vitia. Summa hæc ſervitus eſt. Sed Iſraeli Deus dedit & conſervandam dedit Libertatem. Magiſtratum iſtud bonum. Et iſto nos fruimur. Servandum eſt ne pereat. Servus fuit Edom quando devicto David ubique dedit præfectos 2 Sam. 8: 14.

2. *Locus exercitii* eſt, *in omnibus tuis portis, quas Dominus Deus tuus tibi dat, tribubus tuis.* In ſingulis urbibus; nam cum ordo ubique obſervandus ſit, ubique eſſe neceſſe eſt, qui eum obſervari curent. Sunt enim ſemper aliqui ἄτακτοι, qui in ordine continendi, aut in ordinem agendi ſunt. Cæterum pro loci amplitudine diverſitas uſurpata eſt; In pagis viciſque minoribus, ubi non erant 120 Iſraelitæ majorennes, non fuerunt niſi Judices triumviri, qui de rebus pecuniariis, & delictis non capitalibus cognoverunt. Quod ſi major eſſet incolarum numerus fuere XXIII-viri, qui de rebus capitalibus quoque judicarent, præter Triumviros. Nam Judices unius judicii non attingebant cauſas alius fori. Verum fuit inſuper in loco ſanctuarii Synedrium LXXI. quod habuit negotia ſingularia tractanda. Sic judiciorum fuit diverſitas quoad loca; & ea non fuerunt ſubordinata, ut ab inferiore fieret provocatio ad majus ſuperiuſque, ſed coordinata. Quod ſi controverſia eſſet de tribunali, quo cauſa pertineret, id à Synedrio ſummo decidebatur. Potuit ergo controverſia omnis brevi negotio decidi, neque trahebatur in longum. Suberantque omnes diverſis judiciis, pro cauſæ diverſitate: ſed quæ propinqua habebant.

Quod dicitur *in tribubus tuis*, id quoque notat judices cuique tribui proprios eſſe debuiſſe, non autem diverſas tribus uni tribunali fuiſſe ſubjectas. Quocirca Hieroſolymæ fuit geminum judicium XXIII virûm, quia urbs partim in Judæ, partim in Benjaminis portione ſita fuit. Alii vocabulum iſtud longius extendunt, & ſtatuunt deſignari judicium generale cujuſque tribus; quo provocatum ſit à particularium urbium judiciis, vel potius, ubi res tribum totam concernentes, fuerint actæ; quemadmodum ex Jud. 19. 20. conſtat, ubi Levita ad ſingulos tribus, miſit queſtum de vi Benjaminitarum, & ſingulæ, uti & Benjamin ſola, deliberarunt, & tum coïerunt undecim reliquæ in unum. Politicus ille fuit conventus, non autem juridicus, de quo potiſſimum hîc agitur, quemadmodum ad Politicos quoque pertinet judicium & regimen militare, per Chiliarchas, Centuriones. Deut. 1: 15.

Unum reſtat, *Conſtituendos fuiſſe in urbibus quas daret Deus fœderatus*: itaque ubi peregrinantur & exulant ad id non tenentur; non in portis alienis, ſed in his tantum. Adeoque in Babele olim, & ſic alibi, tantum ſubditi eſſe debuerunt, neque ſibi arrogare judicia, Hoſ. 3: 4. quod rebellium fuiſſet; quamvis delatum à regentibus & jus habentibus potuerint gerere magiſtratum, Exemplo Danielis & ſociorum ejus. Quantum & hoc beneficium habere proprias portas, & non ut reduces ex Babel, qui in terra propria erant ſervi regum gentilium. Deus nobis reliquit noſtras portas, atque hinc jus eligendi noſtros Magiſtratus. Maneant nobis noſtræ portæ, neque cedamus aliis, ne donum Dei contemſiſſe appareat, & juſte eo privemur. Gloriatur Chriſtus. Joh. 17: 12. *quos mihi dediſti, cuſtodivi, ne quiſquam periret.* Sic quoque circa hoc donum verſandum & rogandus Deus, ut ipſe quoque cuſtodiat datas portas imo ſuas eſſe velit, quo etiam ipſe det judices nobis in ſuis portis; & conſervet datos, idque ut unum ſint, quo juguiter de hoc beneficio gaudeamus, atque ad Dei gloriam utamur. Amen.

B. Nunc porro delineat *Munus* ipſorum I. generatim, II. Speciatim.

I. *Generatim* verſ. 18. *Et judicabunt populum judicio juſtitiæ.* Eſt hic finis inſtitutionis, Judices dicuntur à judicando, utpote qui hoc unum agendum habent. Judicare ſtricto ſenſu eſt inter litigantes ſententiam dicere, & quis ſons ſit quis inſons pronunciare: ſed latiori ſenſu denotat regimen politicum omne, quo populi jus non tantum domi inter concives, ſed etiam foris contra peregrinos & hoſtes aſſeritur. Sic Judices dicti fuere ſupremi Gubernatores populi, & potiſſimum qui bello jus populi tuiti ſunt, & à tyrannide hoſtium vi armata præſtiterunt liberos. Utriuſque generis judices habent judicandum populum. Sunt publicæ perſonæ quibus ea poteſtas delata eſt, & ip ſis eſt exeicenda. Non ergò agitur hîc de paterno vel herili imperio: privatum iſtud eſt, & manet cuique patrifamilias. neque per hoc publicum aboletur. De Epiſcopo dicitur 1 Tim. 3: 4. &c. *qui propriam domum bene regit, &c. nam ſi quis propriam domum regere neſcit, quomodo curabit Eccleſiam Dei?* Idem omnibus eſt faciendum; unde tot regulæ de officio parentum, herorum, ut rite obeant ſuum munus, ſed poteſtas hæc reſtricta eſt, & non valet ad capitales pœnas. Prov. 19: 18. *Caſtiga filium, dum ſpes eſt; ſed non efferto animam tuam ad eum occidendum.* Licuit olim parentibus vendere liberos, ad levandam famem & extremam paupertatem, Exod. 21: 7. ſed non licuit peccantes morte plectere; in delicto incorrigibilem filium debuerunt parentes deferre ad judices, ut ibi ſtatueretur de pœnâ capitis Deut. 21: 18. &c. Et ſervum ſuum occidiſſe, ut ſtatim ſub manu percutientis moreretur, capitale fuit Exod. 21: 20.

Judices hoc loco publicæ perſonæ ſunt, & non familiam propriam tantum ſed omnes judicant, totum populum, juxta gradum juriſdictionis aſſignatæ. Sed norma eſt judicium juſtitiæ. *Judicium* משפט ambiguum vocabulum eſt. Notat ſtrictum jus; in phraſi facere משפט וצדקה, prius *juſtitiam*, poſterius *miſericordiam.* Gen. 18: 19. de Deo Jer. 9: 24. de regibus Jer. 22: 15. 2 Sam. 8: 15. Miſericordiam, Jer. 10: 24. *Caſtiga me Domine, veruntamen in judicio, non in ira tua, ne me imminuas.* Conſuetudinem, 1 Sam. 2: 13. *judicium filiorum Eli.* Pſ. 119: 132. *reſpice me & fis mihi gratioſus, juxta judicium*, morem, *erga amantes nominis tui.* Generatim ſententiam judicialem, deciſionem cauſarum, æquitatem, Pſ. 112: 5. ordinat verba ſua in judicio; quemadmodum poſcit jus & æquum. Sic heic. Additur autem משפט צדק *judicium juſtitiæ*, ut ſtrictum jus obſervandum doceat. Atque hoc eſt quod heic mandatur. Magiſtratus & judices populum judicare debent, non ex arbitrio tuo, ut ſuam voluntatem, vel cupiditates ſupremam habeant judicii normam: neque juxta conſuetudinem, ut hanc ſibi pro lege & norma ſtatuant: Non dicitur כמשפטם, ſed משפט צדק judicio, quod juſtitiæ normam ſequatur, & ſtricte unicuique quod ſuum eſt tribuat; juſto juſtitiam, & impio impietatem. Deut. 25. verſ. 1.

Crebræ ſunt exhortationes in eam ſententiam. Deut. 1: 16. *præcepi judicibus veſtris, audite inter fratres veſtros lites, & judicate juſtitiam inter virum & fratrem ejus, & peregrinum ejus.* Deus hac propter præcepit ut judices, etiam ſummi, qualis Joſua, vel rex populi, librum legis jugiter penes ſe haberent & meditarentur, quo normam juſtitiæ haberent exploratam quam ſequi oportet. Joſ. 1: 6. &c. Deut. 17: 18. &c. Adeoque peccant, qui nullam legem agnoſcunt, ut Hab. 1: 7. ut Nebucadnezar, Dan. 5: 19. quem voluit, necavit, in vita conſervavit, humiliavit, exaltavit. Solent ſic agere tyranni, Pſ. 58: 2. &c. Nemo hic inſolentior Papa Rom. qui omne jus in ſcrinio pectoris ſui ſervare dicitur, ut propterea rectum debeat cenſeri, quia ipſe facit. Eſt hæc prærogativa Dei, ob ſummam perfectionem Deut. 32: 1. Hoſ. 14: 10. Sed ille eſt ἄνομος homo peccati 2 Theſſ. 2: 3, 8. De homine certum, *non eſt juſtus ne unus quidem* Pſ. 14: 2. Rom. 3: 10. imo Gen. 6: 3. cap. 8: verſ. 21. Opus legis ſcriptum in cordibus admodum vitiatum eſt, ut externa lege quoque regi debeat; in quo genere ſola lex Dei perfecta eſt. Sed eſt apud multos judicium conſuetudinis, ut quod fieri ſolet, aut ab aliquo tempore factum eſt, juſtum cenſeant habendum ab aliis,

aliis, aut etiam cenſeant ipſi. 2 Reg. 17: 34. uſque in hunc diem faciunt iſti juxta judicia priora: non timent Dominum, neque faciunt ſecundum ſtatuta, judicia, legem & præceptum Domini. Ubique valet hoc propemodum, ſed nuſquam fere magis ac periculoſius, quam in judiciis, & regimine politico, quæ perverſe fiunt vix aliam defenſionem habent, quam conſuetudinis. Nundinationes munerum, & mercedis debitæ, & manifeſtæ licitationes licitæ creduntur, & juſtum emolumentum ad ſupplementum mercedis, quia more invaluit; & ſi quis de iis abolendis aliquid moneat, is creditur impius, injuſtuſque regentum, officiariorum fraudator, qui ſcalas ſubmovere cogitet, quâ poſt alios eſſe ipſi adſcendere queant ad faſtigium opulentiæ & honorum; cum revera per iſtas facili gradu deſcendant in foveam perditionis, & ſibi gaudeant quod non præcipites eò ruant cum aliis manifeſte impiis: uti Phariſæus ille gratias agit Deo, quod non eſſet rapax & injuſtus uti alii Luc. 8: 11. cum tamen eſſet avarus cap. 16: 14. quod ſectæ vitium commune. Judicium juſtitiæ judicandum, non judicium moris. Qui ambulat ſecundum morem hujus ſeculi, ambulat ſecundum principem poteſtatis aeris, Spiritus efficaciter operantis in filiis inobedientiæ Eph. 2: 2. Poteſtne vero talis tueri titulum Elohim, & filii Altiſſimi? Sane non aliter, quam quia Satanas dicitur Deus hujus ſeculi 2 Cor. 4: 4. & princeps mundi Joh. 14: 30. atque adeo filiatio ex imitatione æſtimanda Joh. 8: 44. Chriſtianis univerſis, proinde & piis magiſtratibus, ambulandum ut prætendant ubique ſermonem vitæ Phil. 2: 16. hoc eſt, hanc regulam ſemper ante oculos habeant, Pſ. 119: 105. & quandoquidem nuſquam ſolenniora & frequentiora ſunt juramenta quam regentum, (& hic menſis ſub exordium functionum iis abundat) ſequantur magni regis iſtius exemplum, verſ. 106. *juravi* &c. imo ut de omnibus locum habeat gratiarum actio Rom. 6: 17. neque quiſquam amplius ſit malus, injuſtus, ſed omnes loti, ſanctificati, juſtificati &c. 1 Cor. 6: 11. reſiduum vitæ tempus agentes non ſecundum voluntatem hominum, vel gentilium, ſed ſecundum voluntatem Dei 1 Pet. 4: 3. ut qui Chriſtum didicerunt, & uti hunc decet ambulant, quo ipſius eſſe agnoſcantur.

Sed porrò *judicandum judicium juſtitiæ*, ſtrictum jus exercendum, ex regula juſtitiæ quam Deus fixit. Agitur de delegatis judicibus, non de ſummis poteſtatibus: reſpectu legum Dei omnes humani magiſtratus ſunt tantum delegati Rom 13: 1. Obſervant Judæi juſtitiam Dei complecti etiam miſericordiam; ſed juſtitiam hominum, quæ voce צדק indicatur, miſericordiam non admittere. Et bene dicunt iſtud: *Juſtitia Dei, quam in judicio ſuo exercet, etiam gratiam ſociatam habet.* Pſ. 50: 1. &c. אל אלהים ה׳ *Deus fortis, Elohim, Jehova loquitur & vocat terram ab ortu ſolis ad occaſum, ad judicandum populum ſuum. Congregate mihi benignos meos, pangentes fœdus meum ſuper ſacrificio, & cœli annunciant juſtitiam ejus* צדקו (etiam circa illos benignos, quia ſacrificium intercedit.) *nam Deus ipſe eſt judex.* Sic cum de Deo dicitur *Jehova Elohim*, judicium ejus trium-virale ut ſic dicam, terreno ejuſmodi reſpondens, indicari ſtatuunt, uti tres perſonæ, juſtitiam gratiamque temperantes. Eſtque obſervandum circa illa nomina, Elohim juſtitiam deſignare, *Jehova* gratiam, cujus utriuſque poteſtatem habet, quia unicus legiſlator, qui poteſt ſervare & perdere Jac. 4: 12. Leges pro ſua voluntate fixit ſubjectis ſibi creaturis, ſed ipſemet ſupra ſuas leges eſt, & poteſt de iis diſpenſare, citra omnem injuſtitiam. Verum non ita homines, quibus judicium commiſit. Non ſunt illi ſupra leges, ſed iis ſubjecti, & ad earum normam adſtricti: neque enim ſunt leges ipſorum, ſed Dei, & hinc nullum jus diſpenſandi, Deus propterea eis nunquam communicavit nomen Jehova, ſed tantum nomen Elohim. Illud ſibi proprium ſervat, neque dat eam gloriam alteri. Sunt ſummi magiſtratus ſupra leges proprias, quas ferunt, & mutare atque abolere poſſunt, ſed inferiores judices eam normam ſequi debent, quam ſummi fixerunt, ſummi autem magiſtratus inferiores ſunt Deo, & ejus legibus tenentur, neque jus eſt ipſis inde abeundi: quod exempla regum Iſraelis & Judæ docent. Neque hoc prætereundum, quod optant Hebræi, & impulſiva eſt ad obſequium hujus mandati, ut judices delegati judicent populum judicio juſtitiæ. Magna eſt vis judicii, quando enim judicium fit in terra, Deus cum ipſis judicium non inſtituit, ſed judicat eos per miſericordiam: ſed quando judicium in terrâ non eſt, tum judicat eos judicio rigoris. Quando jus ſtrictum non obtinet in terra, viget in cœlo: & Deus ſedet in judicio contra ipſos & ultionem ab iis ſumit; contra ceſſat ſi jus vigeat in terrâ. Nam ſtrictum jus eſt Dei opificium, nam Dominus eſt Deus judicii, Eſa. 30: 18. quod ſi homines Dei iſtud opificium exerceant in terrâ, Deus cum ipſis agit miſericorditer. Scilicet Deus judex ſummus & amat juſtitiam & facit, & præcepit judicium Pſ. 7: 7. &c. Magiſtratibus dedit hanc poteſtatem, ceu delegatis ſuis, & gladium, ut juxta ſuas leges poteſtatem exerceant, gladium uſurpent. Quod ſi iſtud faciant, judicantes juſte, ut impios inſanoſque coerceant verbis, aut incorrigibiles convictos facto ſuo exſcindant, judicium Dei externum ceſſat: unde tot benedictiones Deus pollicetur facto publice officio ab omnibus; quod magiſtratuum eſt curare, ut fiat. Lev. 26. Deut. 28. & Joſiæ exemplo patet Jer. 22: 15, 16. Quemadmodum ſi inferiores judices faciunt officium, ſuperior quod hic agat non reperit. Verum ſi inferiores normam legum negligant, & contra jus & fas agant, abſolvendo malos, condemnando bonos, tum læſi appellant ſupremum judicem, & ille judicium inſtituit primum contra judices injuſtos, & tum contra cæteros malos. Sic quoque ſi magiſtratus terreni, maximi æque ac minimi, pervertant judicium, ut impietas impunis ſit, patrocinium, defenſam, præmium obtineat, contra juſtitia procul conſiſtat, & judicium nequeat in plateis ambulare, & deficiat veritas, & qui à malo recedit ſpolium fiat; tum verò Dominus videt, & malum eſt in oculis ejus quod non ſit judicium, atque induit juſtitiam tanquam loricam, & vindictam ut veſtem, & Zelum ut pallium Eſa. 59: 14. &c. Certiſſimum hoc eſt, particulares plagæ immittuntur à Deo ad convictionem de particularibus peccatis; verum judicia communia, quæ toti terræ ſuperveniunt, veniunt propter Regentum culpam, judicium juſtitiæ non judicantium. Rom. 1: 18. Officium ubi faciunt magiſtratus, ut Pſ. 101: 8. non inveniet ira illa Dei locum. Aſt iſtis negligentibus, illa provocatur. Leguntur ſæpius in Scriptura, & memorantur clamantia peccata, ut Sodomitarum, ut homicidia: ſed nulla ejuſmodi ſunt, præter ea quæ inulta ſinit magiſtratus, cum deberet punire, & reatus illorum eſt quoque magiſtratus. Davidis domus & thronus non potuit habere pacem propter cædes Joabi, donec pœna fuit ſtatuta in ſontem 1 Reg. 2: 33. & magiſtratus ſunt primi contra quos ira exercetur, Eſa. 1: 21. &c. univerſalis corruptio, mera impietas, injuſtitia, oppreſſio, ut honeſtas æquitas viderentur proſcripta: quæ cauſa vero tanti mali, *principes veſtri apoſtatæ, orphanis non faciunt jus, & lis viduarum ad eos non pervenit*; eorum qui infirmi & ſub aliena poteſtate conſtituti, quemadmodum præ cæteris Reſp. & quæ illius ſunt. Quid porro ſequitur? *propterea dicit Dominus Deus Zebaoth, potens Iſraelis, væ, conſolabor me de adverſariis meis, & ulciſcar de hoſtibus meis.* & cap. 3: 13. &c. Quod ut fiat Pſaltes à Deo poſtulandum docet Pſ. 82: 8. habet ſummam tribunal appellationis, & qui ad ſe provocari vult. & provocatus vult jus dicere, & coercere judices inferiores. Quamobrem cavendum omnibus Regentibus, & meditandum illud 1 Cor. 11: 31. *Si nos ipſos judicaremus* &c. ſi quivis de ſe, ſuiſque actionibus judicaret, & malis ultor adeſſet, Deo id non eſſet faciendum; & ſi publice judicium & juſtitiam exerceant, & impietati reſiſtant, utique Deum non experientur judicem, qui ipſos & populum judiciis ſuis perdat, verum cumulabit ipſos & populum ſuis benedictionibus.

Verſ. 19. *Ne pervertito, judicium, ne accipito perſonam: neque ſuſcipito munus, quia munus excæcat oculos ſapientum, & pervertit verba juſtorum.*

2. Vidimus generalem inſtructionem verſ. 18. *judicabunt populum judicio juſtitiæ. Specialem* ducemus ex ſeqq. quæ quid cavendum, quid faciendum monent. Omnia pertinent ad moderamen actionum externarum, de internis animi dotibus nihil dicit, quæ alibi deſcriptæ, Jethro de iis diſſeruit, quando Moſi ſuaſit, ut conſtitueret judices;

Exod. 18: 21. Moſes ad populum Deut. 1: 13. Hæc nunc præſupponit debere adeſſe, & tantum moderatur externas actiones, quæ teſtimonia ſunt internæ conſtitutionis animi. Nam ex fructu cognoſcitur arbor; malos non fert bona, nec mala bonos; ex plenitudine cordis loquitur os, & agunt membra reliqua. Fruſtra proteſtantur de integritate ſui cordis, quorum actiones perverſitatem habent. Proinde quando de Actionibus nunc agit, hoc eſt requiſitum generale, ut primum corrigant judices & præfecti animam ſuam. Prov. 4: 25. Matt. 12: 34. ex cordis redundantia &c. Jam cor natura malum eſt Gen. 6: 5. cap. 8: 21. Sunt omnes homines, qui regunt vel recturi ſunt, & communi conditione naſcuntur. Valet de maximis regibus & principibus, quis dabit mundum ex immundo Job. 14: 4. non minus quam de contemtiſſimis; & filii iræ natura Eph. 2: 3. qui merentur à Deo impleri irâ, & juſto judicio tradi in poteſtatem corruptionis. Naſcuntur omnes ut pullus onagri Job. 11: 12. & quantum curæ & laboris requiratur ad domandum, nemo eſt qui ignoret. Adhibenda erga prima medicatio cordi proprio, antequam quis rei publicæ gerendæ manum admoveat; Jer. 4: 14. lava cor tuum à malitia, etiam hic obſervandum. Jacob. 4: 8. mundate manus, peccatores, & purgate corda, vos duplices corde. Inprimis rogandus Deus ut ille manu ſua formet; David fuit vir ſecundum cor Dei, 1 Sam. 13: 14. ſed quod Deus ipſe ſic pararat. Salomo, cum initio regni poſtulare deberet à Deo, quod ſibi putaret maxime neceſſarium, non petiit longævitatem, nec divitias, nec vitam hoſtium, ſed cor intelligens ad judicandum populum Dei, prudenter diſcernendo inter bonum & malum; placuitque Deo & petens & petitio, conceſſitque quod petiit, cæteraque etiam omnia. 1 Reg. 3: 7. &c. Tale autem cor habebit, qui timorem Dei obtinuerit; nam timor Domini initium eſt ſapientiæ Prov. 1: 7. imo omnis ſapientia Job. 28: 28. unde Pſ. 111: 10. *Timor Domini initium ſapientiæ, quicunque eum exercent habent bonum intellectum, laus ejus conſiſtit in ſeculum.* Eoque votum ſit Pſ. 86: v. 11. *Doce me viam tuam Domine, ambulabo in veritate tua, uni cor meum ad timendum nomen tuum.* Hoc dante Deo, recedetur à malo Prov. 16: 7. nunquam autem recedetur à Deo Jer. 32: 40. Nam dante Deo timorem, ut ipſe metuatur, & coram facie ipſius quis trepidet, tum erit lex veritatis in ore, & iniquitas aberit à labiis, ambulabitur cum Domino in pace, & in rectitudinibus Mal. 2: 6, 5. adeoque cavebuntur quæ hic cavenda, fient quæ facienda mandantur.

a. *Cavenda* tria ſunt Judicibus & præfectis; qui regunt, quique exſequuntur omnia. v. 19.

a. *Non inclinabis judicium.* Judicium debet eſſe rectiſſimum, ut normam ſequatur exactiſſime. Judicium non eſt norma, ut quia judices pronunciant, eopſe rectum ſit. Hoc ſolius Dei eſt Deut. 32: 4. Judicium humanum omne eſt ſecundum normam. Normæ nomen verò dari nequit, verè videlicet, niſi fuerit rectiſſima. Hujuſmodi debent eſſe omnes leges: & ſi rectitudo deſit, ne leges quidem ſunt, neque licet Chriſtiano eas ſequi. Pſ. 94: 20. Sic imaginantur ſibi quanquam homines, quia thronum habent, munus magiſtratus & judicis gerunt, ſuam autoritatem divinæ ſociandam, & ſuis legibus par obſequium deberi. Pſ. 82: 1. &c. Deus eſt in cœtu Dei, judicat in medio Deorum, non ut collega ſed ut judex ipſorum judicum. Ipſe unus legiſtator Jac. 4: 12. Magiſtratus non ſunt legiſlatores, ſed qui juxta leges ab ipſo latas debent judicare. Leges etiam ferunt ſummæ in terra poteſtates, ſed quæ ipſæ normam ſequi debent. Dei legiſlatoris norma nulla eſt præter voluntatem propriam, de ipſo veriſſimum; & hoc jus Dei rectiſſimum eſt, quia natura perfectiſſimus; bonus & ſolus bonus. Legiſlatores homines ſi normam habeant voluntatem propriam, jam mala eſt lex. Gentiles id agnoverunt; qui leges condiderunt laudatas, finxerunt divina mandata, inſtinctus, approbationes; finxerunt iſta, revera ſecuti ſunt opus legis ſcriptum in cordibus Rom. 2: 15. quæ veritas Dei quam indidit hominum mentibus; principia pietatis & juſtitiæ: quæ etiam nunc inſunt hominibus, licet inde à lapſu multum vitiata; unde in legibus Gentilium tot differentiæ, & contrarietates, prout magis minuſve declinatum eſt ab illâ normâ ingenitâ. Quæ cum nuſquam perfecta ſuperſit, Deus in Eccleſia patefecit normam certiſſimam ſuæ voluntatis, quam omnes judices & præfecti tenentur ſequi. Et cum ſolus Iſrael obtineret privilegium Eccleſiæ, ſolus quoque habuit leges à Deo dictatas, ad quarum normam fuit agendum. Et hoc eſt quod jubet heic; *non inclinabis judicium*, ut in alterutram partem recedat à lineâ rectitudinis, quam Deus fixit. Nam inclinatio hic non alterutrum litigantium reſpicit, hæc eſt proſopolepſia, de qua mox, ſed ipſam juſtitiæ regulam, unde diſceditur. Hanc obſervare debent judices ipſi, exemplo Joſuæ cap. 1: 7. &c. Opus eſt animo roborato, qui nullis frangatur oppoſitionibus, negandi boni, vel inferendi mali, ut quis ipſe adſtringat ſe illi normæ. Hanc etiam obſervare debent reſpectu aliorum, ut ipſorum actiones ad hanc normam æſtiment, & declarent quantum conſentiant, quantum diſſentiant. Quantum in hoc ſit momentum, ut primo loco collocetur, diſcemus ex ipſa rei natura. 2 Chron. 19: 6. Joſaphat ad judices ait, *Videte quid faciatis* nam *non hominibus ſed Deo ſervatis judicium.* Hominibus judicat, qui legem ſeu normam judicii ab hominibus accepit: Domino vero qui à Domino habet: undecunque autem acceperit, de eâ ipſi non judicandum, ſed ſecundum eam: imperium ejus ſimpliciter ſequendum; Jac. 4: 11. qui legem inſectatur, judicat, non eſt factor legis, ſed judex. Atqui quiſquis inclinat judicium, judicem ſe conſtituit legis, adeoque & legiſlatoris Dei. Nam quando rectum pronunciat, quod ab illâ normâ in alterutram partem declinat, condemnat normam irrectitudinis, & Deum pariter, qui hanc normam ſtatuit. Itaque in omni iſta declinatione non agitur tantum de hominibus, ſed de ipſo Deo; atque ipſe condemnatur. Gen. 9: 6. Deus fixit, *qui ſanguinem hominis effundit* &c. ſi quis ab hâc normâ declinet, & homicidam abſolvat, condemnat Deum ſeveritatis, & injuſtitiæ; arrogat ſibi jus ſupra Deum, & contra Deum: quod quam prudentur, quam tutò fiat, quivis judicet.

Quæſt. An nulla norma ſequenda, quam quæ in Scriptura expreſſa? adeo ut inde declinare crimen ſit? nam ſic judices ſæpiſſe obſtringuntur jurejurando, ut aliter agant? Reſp. Diſtinctione hic opus. Norma iſtic expreſſa vel communis eſt, vel Iſraeli propria. Propria eſt, quæ tum cultum, tum politiam ipſorum ſigillatim ſpectat. Illa nullatenus ſequenda aut imitanda: Iſtam licet imitari pro conditione cujuſque gentis; ita tamen ut inde diſceſſiſſe culpa careat. Leges de hæreditatibus, ut filii ſoli eam habeant & primogenitus duplam portionem non neceſſum eſt, ſequi Jobus filiabus dedit portionem inter fratres, Job. 42: 15. qui juſtitiæ encomium à Deo habuit. Sic ergo mutare quid licet. Communis eſt quæ amorem Dei & proximi mandat. Deum colendum ex ſua voluntate; unicuique tribuendum quod ſuum, neminem lædendum, quæ recta quoque ratio dictat. Ea enim habet cognitionem boni & mali, quam Magiſtratus ſequi debet, Rom. 13: 3. &c. 1 Pet. 2: 13. &c. humanæ ordinationes agnoſcendæ propter Dominum, & ſunt ad pœnam malefacientium, & laudem benè agentium. Summatim quoque declaratur in Decalogo, obſervando ab iis qui fœderati Dei eſſe volunt. Verum de pœnis nihil ſpecialiter definivit Deus, præterquam de ſolo homicidio, quando omnibus filiis Noachi crimen iſtud capitale eſſe ſancivit. Cæterarum pœnarum definitionem reliquit Magiſtratibus, qui augere vel minuere illas poſſunt; quamquam fiat veriſimile, optime ſequi nos Deum, quod in Iſraele obſervari voluit, in pœnis delictorum civilium. Sed & fas inde recedere; furti pœnam intendere, ad ſeptuplum, Prov. 6: 41. ob delicti enormitatem in quadruplum, 2 Sam. 12: 6. Imo leges novas ſibi figere, ut in conſtitutione regis, de quo Deut. 17: 19. &c. Leges politicæ de circumſtantiis variis, ſi in genere cum norma Dei conveniant, ab inde habent autoritatem, neque inde declinandum: aut in judicio inde diſcedendum; quia poteſtas à Deo eſt, cujus judicium non eſt penes judices, ſed de actionibus ad eas conformandis. Verum ſi diſcedant à normâ Dei, tum Obediendum Deo magis quam hominibus. Act. 5: 29. Etiam judicibus id faciendum, Seniores Jizreelis peccabant, quando ex mandato Jezebelis condemnarunt innocentem Nabothum. Eſa. 10: 1. &c. *Væ ſtatuentibus ſtatuta injuſta, & qui ſcribere faciunt moleſtiam, ad avertendum pauperes à judicio.* Cognoſcendum proinde judicibus jus, & tum cavenda declinatio, in alterutram partem, ne lenitate, vel ſeveritate peccetur.

b. *Non accipies perſonam*, ut cum de facto agatur, aut cau-

cauſa dijudicanda, faciens ſpectetur. De eo dixit Deut. 1: 17. *faciem in judicio non reſpicietis, æque parvum ac magnum audietis, non metuetis ullius faciem, nam judicium Dei eſt.* Et Deus non eſt proſopoleptes Rom. 2: 11. 2 Chron. 19: 8. Job. 34: 19. *qui faciem principis non reſpicit, & præ paupere divitem non agnoſcit; nam omnes ſunt opus manuum ejus.* Et metus Dei debet eſſe major quam hominum 2 Chron. 19: 7. & Lev. 19: 15. *non facies injuriam in judicio, faciem pauperis non reſpicies, neque faciem divitis præferes: in juſtitia judicabis proximum tuum.* Exod. 23: 3. *tenuem non præferes in lite ſua*, & verſ. 6. *jus pauperis tui non flectes in lite* & Prov. 24: 23. *faciem in judicio agnoſcere non eſt bonum.* quod etiam legitur cap. 18: 5. cap. 28: 21. Hoc omnino cavendum in judicio, ſiquidem illud debeat eſſe in juſtitia neque declinare à norma. Eſt notiſſimæ veritatis, quocirca olim pinxerunt Juſtitiam obligatis oculis, ne videret litigantes, ſed ſolum audiret: etſi nunc repreſentetur quandoque oculis apertis: Areopagitæ judicarunt in tenebris, noctu ne quem viderent; imo noluerunt audire niſi ſimplicem facti narrationem, citra verborum lenocinia, quibus affectus commoventur, præter rei meritum, ad perſonæ intuitum in alterutram partem. Nam profecto ſi ignorarentur perſonæ, neque amore vel odio, ſpe aut metu ab illis animi judicum diſtraherentur, non adeo difficile foret juſtum ab injuſto diſcriminare. Sed hodiernis moribus ferme prima quæſtio eſt, quis litiget, & tum demum quid cauſæ ſit; cum prior prorſus deberet abeſſe, ſive pauper ſit, ſive dives, magnus aut parvus, civis aut peregrinus, amicus vel hoſtis. Sed ob hanc differentiam affectus variatur. Pauperem ſi quis videat, eum contemnit, divitem eum honorat; potentem metuit, imbellem ſpernit: à quo quid ſperandum boni, hunc promereri ſtudet, à quo quid metuendum mali, ejus cavetur offenſa: negligitur qui nec prodeſſe, nec obeſſe poteſt; juvatur, cui bene vult; & cui male, illi nocetur. Non minus in judiciis talia fiunt, quam inter privatos: ſed iſtic periculoſius, & hac propter hic interdictum. Metuuntur magni, aut ambitur illorum favor; hâc propter trahuntur lites, quæ ipſos premerent, negle-ctis parvorum legitimis poſtulatis, qui vel nihil impetrant, vel diminutum, vel adeo lentum, ut etiam triumphantes damnum ferant. Si quid in favorem magnorum fieri queat, id ſuſcipitur, & ſi præſentia juvari non queant, ſaltem abſentia id præſtatur officii. Aliàs miſericordia eſt, quæ favorem conciliat, ut de jure alterius quid decedat, quo aliûs fortuna ſublevetur; quaſi diſpenſatores forent alienæ liberalitatis. Infinita ſunt quæ hoc modo peccantur. De quibus litigantes teſtari poſſunt, quantum hic vel peccetur, vel fiat officium. Judæi ut hoc malum caveretur, ſedulo dederunt operam, Æqualitatem obſervandam cenſent erga partem utramque in omnibus. Nolunt judicem audire aliquem, niſi præſente & audiente parte alterâ, facit enim iſtud ad præoccupandum animum judicis, juxta illud Prov. 18: 17. nunquam ſemetipſum accuſabit, ſed omnem culpam imputabit adverſario; ſed venit proximus ejus & perveſtigat ipſum: denudatque ejus culpam. Sic David peccavit contra Mephiboſethum, dum Zibam ſolum audivit accuſantem, 2 Sam. 16. Porro utroque ſimul præſente coram judice, nolunt unum ſedere, alterum ſtare, ſed utrumque pariter ſtare, aut pariter ſedere, & pari honore haberi. Nolunt ut uni vultus blandus, alteri auſterus oſtendatur; compellatio uni fiat comiter, alteri cum aſperitate; ut uni permittatur dicere quantum lubet, alteri imperetur brevitas. Et cum hæc levia ordinent, ad cohibendam proſopolepſiam, in cæteris longe rigidius eam volunt cavendam. Pſ. 82: 2. *quam diu judicabitis iniquitatem, & faciem impii recipietis?* faciem recipiens, judicat injuſte; quia non rem attendit, ſed perſonam. De Meſſia legimus Eſa. 11: 3. &c. *non judicabit ſecundum aſpectum oculorum, neque redarguet ſecundum auditum aurium, ſed in juſtitia & rectitudine.* Quem imitari ſapientia eſt, & honor eſt, & felicitas. De exſecutoribus judicii laudatiſſimum exemplum Levitarum Deut. 33: 9. *qui patri matrique dixit, non video eum; & qui fratres non agnovit, nec filios æſtimavit: nam cuſtodiverunt fœdus tuum, & ſervarunt verbum tuum.*

c. *Non accipies munera.* Hoc ultimum eſt, ſed profecto potiſſimum; nullus ſcopulus periculoſior, ubi juſtitia crebrius facit naufragium. Hebræi docent, *non accipies munus; non opus eſt dicere, ut pervertas judicium, ſed ne quidem ut abſolvas innocentem, & condemnes ſontem, injuſtitia enim eſt, & tranſgreſſio: nam ſcriptum, Maledictus qui accipit munus.* Judicium ergo judicis, qui munus accepit, fruſtraneum eſt, & nullum. Imo qui munus dedit, ut judex conſtitueretur, illum negant agnoſcendum, ſed vilipendendum. Sed clara ſatis ſunt verba Dei. *Non accipies munus*, non dicit cavebis, ne per munera abducaris à juſtitiæ ſemita, ut explicatum credunt Deut. 27: 25. ſic accipere, haberet indulgentiam; ſed ſimpliciter *non accipies.* Præciſæ ſunt omnes cautiones, & exceptiones. Et ratio addita eſt, nam munus excœcat oculos ſapientum, & pervertit verba juſtorum. Sic Exod. 23: 8. *non accipies munus; nam munus excœcat oculos videntium, & pervertit cauſam juſtorum.* Qui accepit jam privatus eſt oculis; Deus id dicit, & quicquid contra dicatur, nunquam Deum convincet mendacii; nihil recte videt corruptus, & res aliam faciem induit quæ fuerat juſtiſſima, ut quid in contrariâ videatur juſtitiæ. Prov. 19: 6. cap. 17: 8. *munus in oculis dominorum ſuorum lapis gratioſus; quoſe vertet, proſperabitur.* Non valet, non poſcuntur munera; non dicit non poſces, quod pariter vitioſum, ſed non accipies. Non valet, indifferentiam ſervari, ſi utrinque accipiatur: ſed cùm bis accipitur, bis peccatur. Neque etiam intereſt, ſive ante, ſive poſt accipiatur; utrunque munus eſt. Eſa. 1: 23. *Furtum eſt contrectatio rei alienæ invito domino:* hoc fit in muneribus acceptis; Dant quidem ſponte, ſed pari ſpontaneitate qua merces in mare conjiciunt, qui naufragium metuunt. Deficiunt à Deo tales, & fures ſunt, qui vel ante vel poſt aliquid accipiunt; & tamen Principes, qui ambitioſi, & tenaces honoris non abſtinebant. Creberrimæ apud Prophetas querelæ de judicibus ſuorum temporum. Eſa. 5: 23. qui impium juſtificabant pro munere, & juſtitiam juſti ab eo avertebant. Hoſ. 4: 18. *Clypei ipſorum, pudendum, amant, Date.* Mich. 3: 1. &c. videatur cap. 2. & 3. totum. & Mich. 7: 3. Ezek. 22: 27. Talia fiebant olim Atque utinam hæc noſtris temporibus eſſent peregrina. Δωροφαγία omnes ordines occupavit. Magiſtratus, & officiales pariter; uti omnia munia politica venduntur, ſic muneribus patefit porta latiſſima, & ſimul injuſtitiæ. Jer. 6: 13. à maximo ad minimum quivis ipſorum exercet avaritiam & hinc falſitatem. Pſ. 26: 10. Enimvero ſic p..ditur terra. In catalogo peccatorum Hieroſolymæ, quibus debet deſtructionem ſuam, etiam hoc eſt Ezek. 22: 12. Prov. 29: 4. opponitur judicio, ceu ejus contrarium, & hinc contrarii effectus. Job. 15: 34. imo Eccl. 7: 7. *munus perdit cor.* Prov. 15; 27. cap. 1: 19. Si quis ergo amat vitam & bonum, ab his ſibi caveat, Eſa. 33: 15. impiis & hypocritis metuentibus ignem conſumentem, & æternos ardores iræ Dei, dicitur, *qui ambulat in juſtitia, & loquitur recta, & repudiat lucrum, & excutit manus ne retineant munus, is habitabit in excelſo* &c. Mich. 6: 10. Pſ. 15: 5. *qui non accepit munus manebit in æternum, in tabernaculo & monte ſanctitatis Domini.*

Verſ. 20. *Juſtiſſimam juſtitiam ſectare, ut vivas, & hæreditatio jure poſſideas terram quam Jehova Deus tuus dat tibi.*

b. *Facienda* continetur verſ. 20. *Juſtitiam, juſtitiam perſequeris.* Jam verſ. 18. dixit, juſtitiam in judicio exercendam: ſed nunc commendat affectum & deſiderium. Quemadmodum perſequimur res pretioſas, paratu difficiles, & fugitivas. Sic juſtitiæ ſtudendum, ut ea ſiſtatur in judiciis. Eccl 3: 15. queritur Salomo, ſe obſervaſſe, in loco judicii & juſtitiæ, ibi reperiri impietatem. Tanto ergo magis perſequenda, ne inde abſit ubi locus ejus eſt. Geminatio addit emphaſin: quemadmodum in re deperdita, quando excitantur quæſituri, ſæpius eadem nominatur; ut pretium ejus inde innoteſcat. Aliis geminatio docet juſtitiam exercendam in ſermonibus & actionibus, quibus ſibi & aliis alias nocet; quo faciat illud Zeph. 3: 13. *reſiduum Iſraelis non facient iniquitatem, neque loquentur mendacium.* Sermonum & actionum integritas requiritur. Eſt & alia interpretatio, geminati vocabuli. *Duæ ſunt juſtitiæ; prima, quæ in ſe talis, & eſt gratia Dei in Schechina, de quâ* Eſa. 1: 21. *juſtitia pernoctabat in eâ, & ſecunda, quæ terrens juſtos.* Significant ſectandam juſtitiam quæ Meſſias, &

eam quæ est stricti juris; ut coram Deo justi esse laborarent & justitiam exercerent inter homines; quo tribunal humanum præstarent legitimum, & tribunal Dei non haberent extimescendum.

Additur promissio vitæ, & possessionis Cananææ; quæ frequenter jam fuit inculcata. Sed Bechai, paulo aliter explicat, *Ut vivas in futuro seculo, per justitiam supernam, quæ est lux illa magna abscondita justis: & possideas terram, per justitiam inferiorem, quæ in terra Israelis obtineat locum.* Commodissime profectò, ad geminæ justitiæ commendationem. Si eam in terra exerceas inter homines, obtinget felix possessio terræ, verum si quoque de supernâ justitia laboretur, quæ in Messia est, tum quoque finito incolatu terræ impetrabitur vita & felicitas æterna. Istam insistamus viam omnes, ad salutem. Imo persequenda justitia, justitia Dei; justitia quæ benignitate ejus temperata est; sic reperire est vitam futuri seculi, quæ est vita, justitia & gloria in omnem æternitatem.

Vers. 21. *Ne conserito tibi lucum ullis arboribus, secundùm altare Jehovæ Dei tui, quod feceris tibi.*

Vers. 22. *Neque erigito tibi statuam: quæ odit Jehova Deus tuus.*

Non occurrit in Scriptura exemplum rectè constituendæ politiæ, quod plenius descriptum est, quam Josaphati regis Judæ. Nam respectu sui regiminis, prima ipsi cura fuit religionis; quam & ipse exercuit, & exerceri fecit ab omnibus subditis. 2 Chron. 17: 3. &c. *ambulavit in primis viis patris sui Davidis, & quæsivit Deum patris sui, & ambulavit in præceptis ejus, non secundum morem Israelis.* Hæc privata sunt pietatis exercitia. Publica fuerunt, *Cor ipsius extulit se in viis Domini, & porro sustulit excelsa & lucos ex Juda.* Abolevit instrumenta idololatriæ externa; sed ut eandem tolleret ex corde populi, *tertio anno regni sui misit principes suos, cum quibusdam Levitis & Sacerdotibus, ut docerent in urbibus Juda, assumto libro legis Domini.* & cap. 19: 4. *rursum egressus est, per totum populum, à Berseba usque ad montem Ephraim, & fecit eos redire ad Dominum Deum patrum suorum.* Tanta ipsi fuit cura religionis. Verum deinde sollicitus fuit de judiciis, quibus populus gubernaretur, ut constitueret, & constituendis institutionem daret necessariam, vers. 5. *Constituit Judices in terrâ, in omnibus urbibus munitis Judæ, in quâvis urbe.* tum v. 6, 7. *Dixit ad Judices: Videte quid agatis; nam judicium exercetis non homini, sed Deo, & ipse vobiscum est in negotio judicii, nunc ergo terror Domini sit super vos, observate & facite, nam apud Dominum Deum nostrum non est injuria, nec prosopolepsia, nec munerum acceptio.* Laudatissimum profecto exemplum, utpote attemperatum ordini hic à Mose sancito. Imperavit Moses constitutionem Judicum & præfectorum, in omnibus suis urbibus, & quidem tribubus ipsis, libertatem suam possidentibus. Sed postquam se isto jure privarant, regi suo omne illud permittentes, more gentium aliarum, Josaphat rex legitimus illud usurpavit, & judicum constitutio ab ipso solo profecta fuit. Porro judicibus illa mandavit, quæ hic mandata sunt, & quæ interdicta, in exemplo Dei eis ostendit esse cavenda, inclinationem judicii, prosopolepsiam, dorophagiam, à quibus ipsummet constituentem abstinuisse multo magis, nullum est dubium: nam ipse *extulit cor suum in viis Domini*, cui contrarius proinde non ambulavit; & quâ fronte ausus fuisset prohibere talia judicibus, si ipsemet ea patrasset? poscere observationem normæ, quam ipse conculcaret; damnare respectum personarum, quem ipse exerceret: prohibere munera, quæ pretium habuissent dandarum dignitatum? Præterea quando Josaphat primam habuit religionis curam in suo regno, in eo quoque normam secutus est à Mose præscriptam, qui post Judicum constitutionem delineatam, mox imperavit cavenda esse, quæ religionem vitiarent, tribus proximis versibus. De quibus nunc agendum est. Enimvero apud Hebræos Targum Jonathanis hoc loco, occurrit alia eorum interpretatio, & quæ regulam absolvit ab iis observandam, qui constituendorum judicum jus & potestatem habent quales debeant constituere, licet per metaphoram sint dicta, ut fœditas vitandarum qualitatum sit evidentior, quod obiter indicasse non abs re erit. De Salomone refertur thronum sibi parasse eburneum, auro obductum, sublimem, ut sex gradibus adscendendum esset 1 Reg. 10: 18. &c. sed addunt ex traditione, quoties adscenderet, voluisse se per præconem commonefactum de officio suo in judicio exercendo tum per se, tum per alios quos constitueret, juxta ea quæ hic scribuntur; in primo gradu consistenti acclamatum fuisse, *Non inclinabis judicium*; in secundo, *non respicies personam*; in tertio, *non accipies munus*; in quarto, *non plantabis lucum juxta altare Domini*; in quinto, *non eriges statuam*; in sexto, *non offeres Domino Deo tuo vitiosum quid.* Etenim tria illa ultima habent ab ipsis insignem explicationem, quales non oporteat esse Magistratus & Judices qui constituuntur, & quam cautos deceat esse constituentes, ne tales adhibeant.

(1.) *Magistratus non debent esse idololatræ.* Nam *non plantabis lucum* &c. Altare Dei designat ipsius superioritatem, cum ad illud procumberent veneraturi, agnoscentes se ad ejus unius cultum & obsequium obstrictos esse. Illud unicum fuit, & in aperto positum, ut videri posset, neque rei alius umbra tegeretur. Luci erant arborum densarum, quæ umbram præberent magnam, & plantatæ erant ad falsorum Deorum honorem, & fiduciam defensionis ab ipsis exspectatæ. Hac appellatione eis venit idololatra, qui falso Deo sacratus cordis devotione, & qui umbram præstet aliis, quemadmodum reges & principes arboribus umbrosis conferuntur, ad defensam subditorum Ezek. 17: 23. cap. 31: 3. &c. Dan. 4: 10. Arbores equidem esse ejuscemodi necessarium est, & quò umbrosiores eò plus utilitatis præbent; atque ille plantandæ sunt; utique ubi jus constituendi magistratus est, cujuscunque illud sit. Deus ipse plantat, à quo omnis potestas, qui eum ordinat. Rom. 13. vers. 1. Ezek. 17. vers. 23. Et plantant homines, quia immediate ab his constituuntur, unde ἀνθρωπίνη κτίσις dicuntur 1 Pet. 2. vers. 13. sed non sit lucus, ubi idoli cultus in omni virore spectetur, ut ad ejus honorem crescat, & ramos umbramque suum diffundat. Non plantandi tales prope altare Dei, ut idolum societùr honore Deo, imo ut altare Dei inde consequatur umbram ad defensionem. Evidentissima est ratio hujus instituti. Decetne populo Domini, qui huic uni altari sacratus est, statuere Lucum, Magistratum idololatriæ addictum? ut caput Diabolo serviat, (nam diabolis præstatur, quod *idolis* 1 Cor. 10: 20.) & corpus reliquum Deo? Tutumne defensam petere à falsorum Deorum cultore, qui Deum verum sincere profitentur & colunt? Imo tum sapientiæ, & securitatis est committere tutelam altaris Dei & *religionis* illi, qui sacer idolo, illi soli umbram suam facturus est? Contingit quidem sæpissime, ut sic vivendum sit, quando Ecclesia peregrinatur vel exulat, quando obedienter ferenda est jurisdictio, & rogandum pro iis qui in superioritate constituti sunt, ut Deo eos regente liceat tranquillam & quietam vitam agere, in omni pietate & honestate 1 Tim. 2: 1, 2. tunc enim non in suis, sed in alienis portis degitur. Verum in propriis portis non sunt plantandi tales. Recte ergo statutum est in hac Provincia ne quis ad Comitia admittatur, vel muneri politico proficiatur, nisi qui alienum se à Pontificiâ idololatriâ, & Reformatæ religioni se addictum declaravit.

Illud porrò quoque observandum, Idololatris si concedatur potestas, conceditur idololatriæ & altare Domini sub luco conditur, plane tandem obscurandum, ne videatur. Recte ergo exercitium juris patronatus ademtum est Pontificiis, qui se gerebant ut luci, prope altare Domini, & præstabant iis umbram, qui altari Domini serviebant, tales adscisscentes qui vel non possent vel non vellent adversari idololatriæ suæ. Optandum foret ubique istud fieri, neque gladium jexsecutionis illis committi, qui idololatræ; militariaque imperia non credi iis, qui armis istis initio ad defendendam idololatriam utuntur, & tandem ad opprimendam religionem veram. Prohibeat Deus ne unquam videamus plantatum lucum prope altare Dei, ut ad ejus umbrâ fruendum, negligatur altare, & renuncietur religioni, quo consulatur externæ conditioni.

(2.) *Magistratus non debent esse imperiti, inepti.* Nam *non eriges statuam* &c. Statua lapis unus est, qui ad idolo-

la-

latriam erigebatur; ut ſuper illo ſacrificetur. Sed hic ſpectant magiſtratuum conſtitutionem, non eriges ſtatuam, lapidem. Lapis ſine ſenſu & motu eſt, ſine ratione & oratione. Huic ſimilis eſt homo imperitus & ſtupidus, cui nec natura, nec arte ingenium eſt ad gubernationem idoneum. Talis proinde non eſt conſtituendus, & ceu idolum erigendus. Judicem & magiſtratum oportet eſſe peritum jurium, qui notitiam habeat legum communium & ſingularium, ſapienti corde præditum, ad diſcernendum inter bonum & malum. Etenim hæc ſi ignoret, quâ ratione pronunciabit id quod jus eſt? nonne ſedebit lapis ſuper lapidem, non aptior quam ſcamnum cui inſidet? Odit Deus ejuſmodi regentes. Summæ ſtoliditatis & ſtupiditatis eſt in idololatris, dicere ligno & lapidi, *pater meus es*, & *me genuiſti*. Jer. 2: 27. Sed qui conſtituuntur magiſtratus, ſunt patres, quemadmodum Eliakim habitatoribus Hieroſolymæ & domui Judæ fuit in patrem Eſa. 22: 21. Itaque ſi tales ſint lapidum inſtar ſtupidi & imperiti, nonne coguntur cives & incolæ lapidi dicere, *pater meus es*? Magiſtratus ſunt Elohim, & hoc nominis tribuetur lapidi ut colatur? Non eſt leve magiſtratum gerere, judicem agere. Quantopere illud declinavit Moſes, & apud Deum Num. 11: 11. & apud populum Deut. 1: 9, 12. qui tamen eruditus fuit omni ſapientia Ægyptiorum. Act. 7: 22. & ſpiritu Dei adeo repletus, ut nemo hominum magis fuerit idoneus. Salomo agnovit ſuam ineptitudinem ob ætatis defectum, & propterea à Deo ſuppliciter petiit idoneitatem. 1 Reg. 3: 7. In deligendis magiſtratibus, non ſumendi ſunt, qui fieri queant idonei, ſed qui ſunt: non quos Deus ſua omnipotentia facere queat aptos, ſed quos ſua gratia & bonitate tales fecit. Non ſufficit facies hominis, ſed requiritur cor hominis, imo cor judicis. Sapientes, intelligentes, experti, ut audire poſſint, intelligere, id quod controvertitur, & recte judicare. Jer. 22: 28. Magiſtratus judex ineptus, dignus eſt qui abjiciatur, quod illi contigiſſe dicitur; quamvis id ei non vertatur vitio. Idola odit Deus; ſi regentes ſint ut idola; habentes oculos non videant, aures, non audiant; linguam, non loquantur; caput, non intelligant; non poteſt non Deo eſſe exoſum ipſorum regimen, & ipſimet, qui id ſuſceperunt.

(3) *Magiſtratus debent eſſe morum optimorum: virtutibus ornatiſſimi*, ſiquidem dicit, *Non offeres Domino hoſtiam habentem vitium aliquod*. Boves & oves, ad altare erant hoſtiæ licitæ; ſed ſi laborarent aliquo corporis vitio, non item, Lev. 22: 22. & offerens abominabile quid patrabat. Qui etiam Deo ſiſtitur ad miniſterium judicis, debet carere vitio animi. Tametſi nec idololatra ſit, nec ſtupidus, ſed profiteatur religionem veram, & ſapientia ac cognitione ſit inſtructiſſimus, tamen ſi pravis qualitatibus ſit præditus, avarus, injuſtus, rapax, ſuperbus, ambitioſus, ebrioſus, ſcortator, & quæ alia ſunt ejuſmodi, non eſt conſtituendus in munere, Abominabile quid ſiſtunt Domino, qui tam diſſimiles Deo vicarios faciunt: Integros eſſe oportet vitæ, & ſceleris puros, optimis præditos dotibus virtutibuſque, qui hic adhibentur, & qui emineant pietate erga Deum, juſtitia & temperantia inter homines, quemadmodum eminent dignitate: ut poſſint eſſe exempla vitæ non honeſtæ modo, ſed etiam Chriſtianæ. Profecto ſi hæc obſervetur in Magiſtratibus conſtituendis, non ſperare tantum, ſed confidere licet, fore omnia feliciſſima. Nam juſtus *eſt fundamentum æternum*. Prov. 10: 25.

Hæc allegorica interpretatio cohæret præcedentibus: ſimplex agit de cultu Dei, cujus cura apud magiſtratum prima eſſe debet, ne vel directe vel indirecte violetur. Directe quidem duobus ultimis verſibus capitis. Dixit Deut. 7: 5. cap. 12: 3. & olim Exod. 23: 24. cap. 34: 13. de iſtis deſtruendis; *Cananæorum altaria dejicietis, ſtatuas frangetis, lucos exſcindetis & comburetis, & ſculptilia concidetis & exterminabitis*. Interdictum iſtud vetabat uſum iſtorum, quia à gentilibus fuerant inſtituta, cum quibus Deus nihil Iſraeli voluit eſſe commune, non in œconomia, per conjugia & affinitates; non in politiâ, per fœdera; multo minus in religione & cultu, itaque nec loca eadem voluit eſſe religioſa, ut quæ delegiſſent gentes illæ, ipſis quoque placerent, nec ritus ut quod ipſæ ſecutæ fuiſſent, his imitationi foret. Aſt nunc vetat ſimile quid fieri.

a. Non plantabis lucum, arborem ullam, juxta altare Domini Dei tui, quod facies. verſ. 21. אשרה Lucus eſt multitudo arborum, ordinate plantatarum, ſive fructiferæ ſint, ſive tantum ad voluptatem, & umbram faciant. Nam אשר etiam *ducere, dirigere* notat. Iſtiuſmodi plantare licuit, ad uſum & voluptatem privatam. Dicitur אשל *lucus, arboretum*; ſub quo ſedit Saul Ramæ, cum Doeg accuſaret Ahimelechum 1 Sam. 22: 6. & Jabeſitæ oſſa Saulis & filiorum ejus ſepelierunt in tali loco cap. 31: 13. אשרה & אשל ſunt ſynonyma, permutati ר & ל ut in אלמנה & ארמלא: ſed prius in bonum, poſterius in malum ſumitur. Primus Abraham legitur plantaſſe in loco cultus Gen. 21: 33. *plantavit lucum in Berſeba, & invocavit ibi nomen Domini, Dei æterni, vel Dei mundi*. Neque in eo peccatum fuit, quia nondum interdictum; omni in loco licuit exercere cultum, & puras manus ad Deum attollere. Sed Cananæi, imitatione præpoſterâ, idolis ſuis lucos ejuſmodi plantarunt; Abraham plantavit lucum, & juxta eum coluit Deum; ipſi luco ipſo Deos ſuos colere voluerunt; Plantarunt in honorem ſuorum idolorum, & notis quoque religioſis arbores inſigniverunt, quæ cum una creſcerent, ſua ſponte natas fingebant, & plurimum ſibi felicitatis inde pollicebantur; unde ab אשר *beatificare* nomen obtinuerunt; Altaria ſua iſtic optime putarunt collocata, nova hinc accedente religione. Sic adornarunt Iſraelitæ altare Baalis, Jud. 6: 25. lucus additus erat; 1 Reg. 16: 32. Achab Baali templum, & altare, & lucum condidit; fueruntque 450. prophetæ Baalis, & 400. prophetæ luci cap. 18: 19. quorum illi Baalis, hi luci ejus cultum docebant. Idem fecit Manaſſe, 2 Reg. 21: 3. Heic vero interdicitur, ne lucus, imo ne arbor ulla plantetur prope altare Dei fœderati. Verum quid volunt verba, *quod tibi facies?* non licuit utique aliud habere altare præter illud in tabernaculo, & ibi non fuit locus plantando luco. Reſp. non licuit in atrio tabernaculi & templi plantare arborem ullam cujuſcunque generis; neque etiam proxime, ut vicinus eſſet lucus, ne quis ad religionem facere opinaretur. Sed ſi etiam alibi ſtrueretur altare Deo, abeſſe debuit lucus. Altare fuit erigendum ex lapidibus non cæſis ad radicem montis Ebal. Deut. 27: 5. & factum Joſ. 8: 31. etiam hic lucus debuit abeſſe. Imo licet loco alias illicito erexiſſent altare, tamen lucus non fuit adjiciendus, quod novum fuiſſet peccatum. Crimen fuit prope altare Domini lucum plantare etſi non exe..uiſſet in eo cultum. Habuit enim ſpeciem idololatriæ, & à ſpecie quoque mali eſt abſtinendum 1 Theſſ. 5: 22. & majus adhuc ibi peregiſſe cultum. Scilicet non fert Deus quicquam adhiberi in ſuo cultu quod ſaperet religionem idololatrarum. *Altare Domini Dei tui eſt*. Fœdere illic obſtrictus non poteſt fingere rationem cultus ab ipſo non definitam, citra fœdifragium. Eſa. 48: 11. cap. 42: 8. *Ego ſum Dominus, hoc eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus*: adeoque neque gloriam à ſculptilibus mutuari. Hinc vero convincuntur Pontificii, qui plurimos ritus religioſos à Gentilibus mutuati ſunt, ut Chriſtianiſmo decus conciliarent, & gentiles ad eum amplectendum allicerent. Verum ſic non ornarunt Chriſtianiſmum, ſed corruperunt, & in Ethniciſmum mutarunt, non ſecus quam cum Manaſſe lucum in ipſum templum intulit, quem ejecit Joſias, 2 Reg. 23: 6. Quicquid Gentes offerunt, dum idolis ſerviunt, *offerunt Dæmonibus, non Deo. Nolo autem vos cum Dæmonibus habere communionem: Non poteſtis poculum Domini & Dæmoniorum bibere; menſæ Domini & Dæmoniorum participes eſſe*. 1 Cor. 10: 20. Quando ergo cultus Ethnicorum adſciſcitur, Dæmoniorum exercetur, & tum ceſſat quis colere Deum. Quod tamen adeo abſonum apud Pontificios non eſt, qui numero ſanctorum æquant vel vincunt Ethnicos, ne ſibi quid deeſſe ſinant; quo ſane à Chriſtianiſmo diſcedunt, quicquid etiam ſit de nomine. Cavenda nobis conformitas cum mundo, & in eo potiſſimum, quod peſſimum agit, in cultu. Peregrinum ignem intuliſſe in ſanctuarium, attulit filiis Aaronis mortem. Lev. 10: 1. &c. & ſic ſi peregrinos idolorum cultus adhibeamus. Non fert Deus commune cum illis nomen Baal Hoſ. 2: 15. neque quod Diabolo placuit vult uſurpari; qui quod imitatione ſui Diabolus fecit, omitti voluit, ne quid inde accederet Satanæ.

b. Neque eriges tibi ſtatuam quam Dominus Deus tuus odit. *Stutua* מצבה nihil aliud eſt, quam lapis unus ingens, ſive rudis ſive cæſus, ad uſum aliquem ſingularem. Geminus autem ejus fuit uſus, Memorialis, vel Altaris. *Memoria-*

lis

lis fuit licitus, ſive in rebus profanis, ſive in ſacris. *In profanis*, ad communem vitam pertinentibus. Gen. 31: 45. Jacob ſumſit lapidem, & eum exaltavit in מצבה **opgeregt teelen**; tum juſſit fratres ſuos colligere lapides in cumulum, & cum pepigiſſet fœdus cum Labane, cumulus ille, & erectum ſignum conſtituuntur teſtimonium, ne alteruter ligna iſta tranſiret animo nocendi alteri cap. 35: 20. mortua Rachele, erexit tale ſignum (**gedenkteelen**) ſuper ejus ſepulchro, quod dicebatur *erectum ſignum ſepulchri Rachelis*. Talis fuit Abſalomi memorialis ſtatua, lapis non figuratus (hoc non licebat,) quem conſtituit, & *manum* ſeu *portionem Abſalomi* vocavit 2 Sam. 18: 18. *In ſacris*, ad memoriam ſingularis apparitionis, aut beneficii. Jacob lapidem qui dormienti fuerat pro cervicali, quando viſionem ſcalæ vidit, poſuit in ejuſmodi ſignum, oleoque inunctum ſacravit, addito voto, ibi à ſe reduce domum Dei ſtatuendam, locum conventus religioſi Gen. 28: 18, 22. de quo Deus eum monuit, cap. 31: 13. & ipſe redux ibidem loci denuo tale ſignum ſacravit. cap. 35: 14. Non alius conditionis fuit lapis à Joſua collocatus in memoriam fœderalis ſtipulationis Iſraelitarum Joſ. 24: 26. neque altare Rubenitarum &c. nullis hoſtiis deſtinatum cap. 22: 26, 27. adeoque ſub figura altaris patuit monumentum. Sic lapis ille Samuelis Ebenhaezer, memorialis victoriæ 1 Sam. 7: 14. Imo Deus pollicetur Eſa. 19: 19. Se *altare* habiturum *in media Ægypto, & erectum ſignum in terminis ejus Domino: in ſignum & teſtimonium Domino Zebaoth in Ægypto.* Signa hæc memorialia non fuerunt Altaria, ſed ab iis diſtincta, altare in mediâ Ægypto, ſignum in limitibus. Sic Jacob ſtruxit altare in Bethel Gen. 35: 7. non habuit ſignum olim erectum, pro altari; & novum ſignum addidit, v. 14. poſt novam revelationem. Altaris uſum præbuerant talia ligna gentilibus, qui in iis ſacrificarunt, atque eapropter erexerunt loco altiori, ut eâ ratione religioſior videretur locus. Talis erectio hic prohibetur, & Deus ſe odiſſe teſtatur. Deus noluit altare lapideum ſibi fieri ex uno, vel cæſo lapide. De pluribus Exod. 20: 25. מזבח אבנים, non אבן, dicitur, & Deut. 27: 5. 1 Reg. 18: 31. &c. & ferrum adhibitum profanabat altare. Aſt gentiles lapidem unum extollebant, affabre cæſum, & imaginibus cælatum, ſuper quo hoſtias offerebant. Damnata ergo & hic idololatria, & quod eo faciebat. Attamen iſtud præ cæteris placuit Pontificiis, non probant templum ullum in quo non ſit altare, & quod habent, fere eſt מצבה; ſummitas ſaltem lapis unus, affabre cæſus, celſior, & ſacrificio Miſſæ deſtinatus. Nihil in eo quam quod gentile, & Deo odioſum, & ſic placari Deum cenſent. Monumenta beneficiorum ſuorum ſtatui non improbat Deus; ſed damnat quæ idololatriam ſapiunt, & eo ducunt.

Verum obſervandum hinc, quod nobis ſpeciatim congruat. *Non plantabis lucum* &c. Sumus fœderati Dei; hodie id denuo profeſſi ſumus. Sumus templum Domini, & altare ejus in nobis erectum eſt æternus, qui per fidem in corde collocatus, ſuper quo Deo offerimus ſacrificium laudis, fructum labiorum, profitentium nomen ejus Heb. 13: 10, 15. Non plantandus lucus vel arbor prope iſtud altare. Lucus eſt, & arbor, quævis cupiditas quam quis plantat, ut ſub ejus umbra delectationem habeat, atque omnia agat, quæ ad ejus ampliationem pertinent. Tales habent homines mundi hujus, quorum pars eſt in hoc ſeculo; plantant hortos & paradiſos, & ſuis cupiditatibus parant locum ampliſſimum. Verum ſæpe fœderati Dei id agunt prope altare Dei ſui. Dum Deum colunt ſimul etiam & ſolicitius curant cupiditates, & ab iis plus voluptatis & commodi exſpectant, quam ab altari; imo ſunt qui prope altare plantant, quo tutius & majori fructu ſub illis maneant. Ezek. 33. 30. &c. dum ſedent coram Deo, & audiunt verbum ejus, cor ſequitur avaritiam. Jer. 7: 9. &c. *furari, trucidare, adulterare, pejerare, alios Deos ſequi, & conſiſtere in domo Dei, & dicere liberati ſumus ut omnes iſtas abominationes patremus.* cap. 23: 11. *hypocritæ ſunt, in ipsâ domo meâ invenio malitiam ipſorum inquit Dominus.* cap. 11: 15. *quid dilectæ meæ in meâ domo cum fœdam actionem patret cum multis?* &c. Equidem lucos proterea amant, quod obſcuritatem præſtent, & eo ſe recipiunt quam primum ab altari Dei receſſerunt. Sed aggravant crimen ſuum. Eſa. 29: 15. *væ abſcondentibus ſe profunde coram Domino, occultando conſilium ſuum, & quorum opera in tenebris fiunt, dicendo, quis videt nos? & quis novit nos?* Abſcondit ſe olim Adam & Eva in denſitate arborum, ſed conſpicui Deo; à quo ne quidem montes & colles, nullæ tenebræ tegunt. Exſcindendæ iſtæ plantæ, & comburendæ, quia Deus eas non plantavit, Matt. 15: 13. & abolenda obſcuritas quæ impedit ne faciem cœli, ne altare Dei rite conſpiciamus. Jer. 4: 3, 4. *novellate* &c. *circumcidite vos Domino.* &c. Hoſ. 14: 9. Ephraim ait, *quid mihi cum idolis?* Altare Domini adeſt, & id tribuit aſylum majus & certius, quam omnes luci noſtræ plantationes. Pſal. 84: v. 4, 5.

Præterea non erigenda ſtatua', altare noſtræ inventionis, ut idola noſtra colamus. Ezek. 34: 3. Eriguntur idola in cordibus, etiam cum veniunt interrogatum Dominum. Alius adolet reti & ſacrificat ſagenæ ſuæ, aut potentiam ſuam vel alius habet pro Deo Hab. 1: 16. 11. Mammon dignitas plurimorum idolum eſt Matt. 6: 24. Odit iſta Deus, qui ſolus coli vult, ſolus poſſidere cor. Samaritanorum religio vitioſa 2 Reg. 17: 26. &c. non claudicandum in utrumque latus, & Baal cum Deo ſociandus 1 Reg. 18: 21. Dejiciendi & confringendi lapides noſtræ erectionis, quantæcunque molis fuerint, & reſpiciendus lapis ille unus, quem Deus collocavit in Zion, in ſignum & teſtimonium ſalutis. Imo ſi quærimus מצבה memoriæ, habemus in S. Cœna: hic fœderis memoriale, non tranſibit iſtud Deus ad malum noſtrum, ſed cum benedictione Rom. 8: 32. & nos tranſibimus tandem ad Deum in bonum noſtrum, ad æternam ipſius fruitionem in beatitudine.

CAP. XVII.

Honorantes me honorabo, inquit Deus 1 Sam. 2: 30. *ſed contemnentes me vilipendentur.* Prov. 10: 7. *memoria juſti in benedictionem eſt, ſed nomen impiorum putreſcet.* Juſti Deum honorant, impii contemnunt & memoria illorum benedictionis formulam ſuppeditat, iſtorum maledictionis, Eſa. 65: 16. David honoratus ubique in Scriptura: Jeroboam & Achab maledicti verum viciſſim, quia imitatores Dei eſſe debemus. Honorantem Deum debent homines honorare, & quibus plus contulit dignitatis, plurimum cultus reddere. Cum Deus domui Eli paternæ tribuiſſet honorem Sacerdotii, ad ſacrificandum ſuper altari; impium erat calcitrare contra Dei ſacrificia. Aſt Pinehas honoravit, non typicum peccatum, ſed verum in Zelo ſuo pro Deo mactans Num. 15. Dignitas externa inter homines maxima eſt Magiſtratus. Conſequuntur nomen Dei, *Ego dixi Dii eſtis, & vos omnes eſtis filii Altiſſimi*, Pſ. 82: 6. ſic eos Deus nominavit Exod. 21: 6. cap. 22: 8, 9. qui ipſis dedit cum nomine autoritatem Joh. 10: 35. omnem poteſtatem à Deo habent, Rom. 13: 1. & nomine Dei exercent, 2 Chron. 19: 6. qui adeſt & præeſt, & per eos regit & judicat, quotieſcunque recte quid agunt. Adeoque prima eorum cura eſſe debet pro Deo, ut ejus honorem & cultum tueantur ac promoveant: tum in removendo malo à rebus, tum à perſonis. Quod quidem Moſes obſervatum vult, quantum quidem in ipſorum poteſtate eſt Non poſſunt vel ſcire interiora cordium in ſubditis, vel de iis judicare. Id quod curandum habent externum eſt, ut omnia rite fiant. Comprehenditur autem hoc officium Cura tum Altaris, tum Hominum, ut malum arceatur. Cura Altaris Dei, quod antiquiſſimum eſt cultus externi inſtrumentum. Primus qui ſtruxiſſe legitur Noach eſt, poſtquam ex arca fuit egreſſus, Gen. 8: 20. in quo obtulit holocauſta: ſed olim obtulerant, filii Adami primi cap. 4: 3. &c. qui proinde altari non caruerunt. Et poſtea excitatio altaris fuit teſtimonium publici cultus in hiſtoriâ Patriarcharum. Neque aliud ſignificat Deus, quando fœderis conditiones Iſraeli primùm propoſuit Exod. 20: 24. &c. Altaris ergo cura eſt religionis totius, de quo tamen diverſa mandavit, ad removendam profanationem, circa ea quæ juxta, quæ in, quæ ſupra forent. *Juxta* quidem, ne plantaretur lucus: ut qui Deum colerent, ab umbra idolorum vel ſibi, vel etiam altari Domini defenſam quærerent. *In* eo, ne quod altare futurum eſſet unus foret lapis, affabre cæſus, & ad ſimilitudinem idololatrici altaris; quemadmodum altare Achazi ad imaginem Damaſceni. *Supra* illud, ne quid in eo offerretur, quod

non

non oporteret. De duobus prioribus dictum. Nunc tertium ſpectandum eſt: ubi Mandatum & mandati Ratio.

Verſ. 1. *Ne mactato Jehovæ Deo tuo bovem aut pecudem in qua ſit vitium, res ulla mala: nam abominationi Jehovæ Deo tuo eſt.*

Mandatum eſt, *Non ſacrificabis Domino Deo tuo bovem & ovem, in quo ſit vitium, ulla res mala.* Negative conceptum eſt, prohibens non rem ipſam ſed modum rei. Eſt hic itaque conſideranda Actio, & Modus ejus.

Actio eſt, *Sacrificabis Domino Deo tuo bovem & ovem.* *Sacrificare* זבח generatim *mactare* eſt, quocumque fine, ad cibum etiam ordinarium, ſpeciatim ad cultum divinum, quæ quidem mactatio prima omnium in mundo fuit. In ſtatu integretatis nulla fuit, nec eſſe debuit, nam bruta non fuerunt aſſignata, homini in cibum; Gen. 1: 29. Dedit ei Deus omnem herbam ſeminantem ſemen, & omnes fructus arborum: neque licuit non conceſſis veſci. Carnes demum conceſſæ ſunt poſt diluvium; quando Deus bruta dedit in cibum, quemadmodum viridem herbam Gen. 9: 3. &c. ſed carnes tantum, citra ſanguinem, quem diſerte excepit; atque hinc neceſſaria mactatio, quâ ſanguis ab animalis carne removetur: alioqui licuiſſet laniare viva animalia, uti à feris fit. Illa ipſa tamen mactatio, quæ ad cibum hominis inſtituta non fuit ante diluvium licite, (nam ſi factum à luxuriantibus Luc. 21: 27. male factum & contra legem) facta eſt legitime ad cultum Dei in ſacrificiis. Abel obtulit de primogenitis ſui gregis & adipe illorum Gen. 4: 4. & obtulit fide, Deoque placuit Heb. 11: 4. adeoque & verbum mandati ac promiſſionis habuit, quod fides ſequuta eſt; neque enim εὐαρεστεῖν Deo placere poteſt, & Domino Deo ſuo obtulit; nam fides, quam in ipſo commendat Paulus reſpexit Deum ut ſuum, conciliatum in Chriſto: alias non poſſet nobis in exemplum proponi, cum tamen æque pretioſam fidem omnium demonſtrare ſuſceperit. Hæc Abelis mactatio prima eſt quæ in Scriptura claris verbis indicatur, quæ ſacrificatio, quia Domino Deo ſuo facta, ad honorem pertinet Domini Dei, non abſolute, ad demonſtrandum ejus dominium; talis demonſtratio non congruit Deo, quæ in deſtructione ſui operis conſiſtat, quod bonum vidit & probavit, ſic etiam necatio hominum legitima fuiſſet; ne minus homini quam brutis dominari crederetur: ſed ad honorem Domini Dei fœderati, quæ relatio cœpit poſt hominis defectionem, quando Deus ex mera miſericordia & gratia dignatus eſt, eum ſibi rurſum conciliare, & fœdere gratiæ ſe quoque ipſi obſtringere. Quod quidem fieri non potuit ob definitam transgreſſoro mortem, quam & juſtitia & veritas Dei poſcebant irrogari, niſi ea fuiſſet ſtatuta vel ſtatuenda in transgreſſorem, aut vicarium ejus, ſiquidem Deo ex gratiâ talem admittere atque etiam dare placuiſſet. Itaque ut homines primi ſecuritatem fœderis reconciliationis haberent cum Deo, & eum Dominum Deum ſuum credere ac profiteri poſſent, neceſſarium fuit verbum promiſſionis, atque & demonſtratio aliqua vicariæ ſolutionis. Verbum quod pronunciatum fuit contra Satanam promiſit ſemen mulieris, vindicem à poteſtate Satanæ. Demonſtrationem vicariæ ſolutionis Hebræi profitentur ex antiqua traditione, qui Adamum dicunt ſexto die mundi peccaſſe, & per Sabbathum diem ſeptimum patrocinium accepiſſe, oblato in hoſtiam juvenco: qua tamen victima gratior futura ſit laudatio illius, qui Pſ. 69. loquitur, & quod non rapuerat exſolviſſe ſe teſtatur. Scil. pelles quas Deus hominibus dedit in tunicas fuerunt victimæ, quam mactari ſibi in holocauſtum voluit Deus, ut quod pro ipſis mactatum fuerat, in conditione mortua, ſuæ mortis mnemoſyno eos veſtiret & tegeret, ut non in pudenda nuditate conſpicerentur coram Deo, neque in tegumento inutili propriæ inventionis, ſed in veſte beneplaciti Dei, in Meſſiæ coloribus, imo ipſomet quodammodo induti. Vere hæc mactatio fuit Domino Deo fœderato, quem in Chriſto conciliandum ſpectarunt. Iſta obtinuit inde ab initio, & continuata eſt à Patribus, uſque ad tempora Moſis, ſed nulla lege, quæ tempus aut locum ſacrificiorum definiret. Reliquit iſtud Deus ipſiſmet fidelibus, ut quotieſcunque vellent profeſſionem fidei publicam edere, altari ſtructo ſacrificia offerrent. Neque aliud mandavit Iſraeli, quando fœderis conditiones propoſuit. Exod. 20: 24. &c. non imperat altare, ſed altaris materiam & modum determinat ad ſacrificia; ut ſi cultum iſtum placeret exercere, non aliud altare haberent; quale Moſes ſtruxerat Exod. 17: 15. ubi Jethro obtulit cap. 18: 12. Hinc Jer. 7: 22. &c. *non locutus ſum patribus veſtris, quo die eos eduxi ex Ægypto, nec præcepi eis de rebus holocauſti & ſacrificii: ſed hoc eis mandavi, Audite vocem meam, & ero vobis in Deum, & eritis mihi in populum, & ambulate in omni viâ quam vobis præcipiam, ut bene ſit vobis.* Verum cum Iſraelitæ in pactione fœderis neglecta vel poſtpoſita fide, obedientiam mandatorum pollicerentur ex viribus propriis, & erectum irent juſtitiam propriam, contrariam juſtitiæ Dei, quæ eſt Chriſtus ad juſtitiam cuivis credenti Rom. 10: 3. Deus ex magnâ ſua miſericordia inſtituit cultum Leviticum, qui eſſet eis pœdagogus ad Chriſtum, & convincens de reatibus quotidianis, & in typo vicariam pro illis ſolutionem oſtendens. Hinc tabernaculum ordinatum, & inter inſtrumenta ejus altare, non terreum aut lapideum (quod in extraordinariis & ſpontaneis obtinuit Deut. 27: 5. Joſ. 8: 31. 1 Reg. 18: 31. &c.) ſed ligneum ære veſtitum; præſcripſit varii generis ſacrificia & offerendi modum, & tempora: à quo tempore cultus ille fuit præcepti, imperatus genti Judaicæ, & uni tandem loco fixo adſtrictus, quod ſæpius in præcedentibus Moſes inculcavit. *Mactationes* autem iſtæ Deo fœderato in Iſraele fuerunt *neceſſariæ*, quas Deus definiverat, ut juge matutinum & veſpertinum, & omnia in Sabbathis & feſtis ordinata ſacrificia, itemque quæ pro peccato & reatu conſtituta erant, pro puerperis item, & leproſis, & impuris aliis. Aut *liberæ*: quæ votivæ & ſpontaneæ hoſtiæ, & pacificæ. De quibus nunc nihil ſigillatim dicit, cum leges latæ abunde de iis loquerentur. Sed de animalibus offerendis. Nominat autem *bovem* & *ovem*, ſub *ove* שה complexus ovillum & caprinum genus: quomodo accipitur Deut. 14: 4. Ex omni genere quadrupedum nulla animalia licita erant ad oblationem Deo, ſeu mactationem ſacram præter duo illa, & ex avibus, columbæ & turtures. Hæc animalia ſola fuerunt munda ante diluvium, cætera immunda univerſa; quia duntaxat ſpectabatur admiſſio ad ſacrificia, Gen. 7: 2 cap. 8: 20. Reſpectu cibi humani, quando Noacho conceſſum eſt, citra diſtinctionem pariter fuerunt munda, uti hodieque nobis, verum Iſraeli imperatum poſtea fuit diſcrimen. de quo diximus ad Deut. 14: 4. &c. ſed mundorum ad eſum plurima fuerunt immunda ad ſacrificia. Heic munditiem habuerunt ſoli boves, oves, capræ. Iſta delegit Deus, uti etiam columbas & turtures, quia non ſunt carnivora, ſed ex lege creationis veſcuntur gramine & ſeminibus, ut obſequii in iis ſit imago erga Deum: quia item non ſunt perſecutores aliorum animalium uti feræ, ſed quæ præ cæteris perſecutionem patiuntur & ferunt. Avium non fit mentio, quia vitium iſtiuſmodi in avibus non obſervatum fuit; niſi quod carentia membri, alæ, pedis, oculi vitiaſſet, aut ſi à feris fuiſſet lacerata.

Modus actionis verſatur in qualitate animalis offerendi: non mactandum Deo ſi habuerit vitium, quod turpitudinem afferat; ſic Lev. 22: 20. *non offeretis quicquam in quo vitium eſt; de bobus aut ovibus integrum erit*; Adeoque vox *bovis* שור accipitur generaliter magno pecore, Rind; nam ſi intelligatur bos caſtratus, vitium habet. Recenſent Hebræi plurima, quæ tum naturalia eſſe poſſunt, tum arte aut caſu inducta; & utroque modo vitiantur ad hunc uſum. Quod verò additur, *aut ullum malum*, intelligitur de internis, quæ in mactatione apparent, & de morbis; Mal. 1: 8, 13. cœcum, claudum, ægrotum, corruptum nec non ſi fuiſſet merces ſcorti, aut pretium canis. Deut. 23: 18. De his omnibus in anteceſſum fuit curandum, ne quid tale afferretur. Dicitur quidem Lev. 22: 23. ſi haberent membrum, aliquod juſto brevius aut longius, poſſe adhiberi ad ſpontaneam oblationem ſed non ad votivam. Non licet talem vovere Deo, ut cum conſtet ſic eſſe vitioſum præter naturalem integritatem, velit Deo ſacrare, ſiquidem beneficium quod optat conſecutus eſſet, ut gratitudinem voveat imperfectam. Sed in ſpontaneis נדבה quæ ſubita, & ſubinde non ad manum aliud, ſi gravius vitium non ſit, toleratur: ſed ut Hebræi monent, non ad ſacrificia, verum ad ſarciendum templum, ut venditi pretium eo convertatur.

Mandati *ratio* eſt, *nam abominatio eſt Domini Dei tui.* Lev. 22: 20. &c. *nam non foret acceptum pro vobis, & perfectum erit, ut acceptum ſit.* non placet Deo, & non facit offe-

offerentem Deo placentem, ſed heic plus dicit, *eſt abominatio.* Declaratur Mal. 1: 13. &c. *acceptabone, illud de manu veſtra, inquit Dominus? Maledictus doloſus in cujus grege eſt maſculus, & quum voverit immolat corruptum* &c: Rationem addit verſ. 8. *offer illud duci tuo, nunquid placebit illi?* &c. Adeoque in majorem contemtum Dei vergeret, quando quod principi homini offerre quis non auderet, illud vellet obtrudere Deo, & ſi indignaretur princeps offerenti, non autem ei gratiam facturus eſſet, Deus multo magis offenditur, & ira ejus non debilitatur, ſed potius augetur. Quærendum tamen iſtud, verſ. 9. *Nunc itaque deprecamini quæſo faciem Dei, ut nobis ſit gratioſus.* חלו נא פני אל *debilitate iram Dei.* Hoc potiſſimum quæritur per hoſtias, debilitatio iræ Dei, ut Deus eam non faciat cadere ſuper reos Jer. 3: 12. quando videlicet ea derivatur à reo in ejus vicarium, quod fiebat typice in victimas. Atqui victimæ typicæ non erant, quando non repreſentabant Chriſtum. Non acquieſcit Deus in ulla victima, quæ fœdus reconciliationis conficiat, præterquam in Chriſto; neque beneplacitum habet in ullo homine ad fœderis ſocietatem, niſi in ſacrificio Chriſti. Et quæ fœderis typica fuit confirmatio, debuit Chriſti eſſe repræſentatio, ſiquidem acceptatio quæreretur & victimæ & offerenti. Jam ut foret repræſentatio, adhibenda fuit hoſtia de bobus aut gregibus: quæ legem Dei de cibis obſervant, & patiuntur, non faciunt injuriam; ſic enim ſunt imago Chriſti, qui malum non fecit, nec eſt repertus dolus in ore ejus; qui convitiis affectus non eſt convitiatus, & cum pateretur non minatus, Deo committens vindictam 1 Pet. 2: 22. &c. obedientia erga Deum, & patientia injuriarum ab aliis illatarum. Sed ut abſit omne vitium, ſive naturale, ſive adventitium; omnis morbus & corruptio. ſic enim Chriſtus debuit carere omni vitio, tum naturali, natus *ſanctus, impollutus;* tum adventitio. *ſegregatus à peccatoribus* Luc. 1: 35. Heb. 7: 26. Hacpropter vocatur ἀμνὸς ἄμωμος καὶ ἄσπιλος 1 Pet. 1: 19. in quo non fuit מום labes reprehenſionem merita: utpote quem nemo unquam arguere potuit de peccato Joh. 8: 45. Si quis ergo corruptum quid & vitioſum offerret, non foret typus Chriſti: & qui præſtaret quod typus Chriſti? ut acceptationem inveniret apud Deum, & eandem impetraret offerenti in vicario non repræſentato, ſed potius abnegato; Siquidem alium fingit quam eſt: Lev. 19: 5. &c. qui carnem pacifici comediſſet die tertio, comedebat rem abominandam, & quæ non erat accepta; ferebat iniquitatem novam, quia Sanctum Domini polluiſſet, & anima ejus fuit exſcindenda è medio populi: quia tertio die non amplius fuit caro typica Chriſti, qui die tertio reſurrexit, adeoque nec beneficia Chriſti potuit repræſentare aut obſignare. Subſtituere alium videbatur, adeoque abnegare Chriſtum; quomodo non potuit non reatum novum contrahere, & ſibi damnationem accerſere majorem. Simillimo modo qui vitiatum quid offerebat, figurabat ſibi vicarium laborantem vitio proprio, adeoque pro ſe non acceptum, nedum pro alio, quod eſt abnegare Chriſtum. Abominatio Domini eſt omne vitioſum ex ſe; nec quidem primogenitum pecus, quod Deo ſanctum ſpecialiter, potuit oblatio fieri Deut. 15: 21. nedum quod alius ſanctificaſſet; & abominationem patravit quiſquis offerret. Tam ſollicite Deus voluit agi circa typos, ne quid circa eos admitteretur, quod alienum foret à Chriſto antitypo. Neque enim potuiſſent eſſe pœdagogus ad Chriſtum ſi alii; verum inde abduxiſſent. Diſcimus autem nos inde qualis debuerit eſſe Chriſtus, ut foret idonea hoſtia: ut agnoſcamus talem fuiſſe Jeſum Nazarenum. Non datur reconciliatio cum Deo, niſi mediante ſacrificio. Pſ. 50: 6. *Congregate mihi benignos meos, pangentes fœdus ſuper ſacrificio.* Sed non poſtulat Deus eo fine tauros vel hircos verſ. 8. &c. Si hiſce cibis delectaretur aut egeret, abunde haberet, dominus omnium; quæ bruta olim adhibita umbratilia fuerunt. Pſ. 40: 7. &c. qua voluntate ſanctificati ſumus &c. Heb. 10: 10. Nam Chriſtus Jeſus talis: hoſtia & oblatio factus Deo, in odorem bonæ fragrantiæ Eph. 5: 1. qui proinde nihil proprii vitii habuit, ut eſſet reprobabilis; & aliorum reatus quotquot impoſitos habuit, pleniſſime expiavit. In ipſo habemus reconciliationem & fœdus æternum cum Deo. Non potuiſſet nobis id obſignare in S. Cœnâ, ſi non fuiſſet idoneus ad præſtandum. Adeo ut de ipſo ut verè agno immaculato & inculpato, debeamus eſſe perſuaſiſſimi, juxta typos veteres, ut de reconciliatione & fœdere Dei queamus eſſe ſecuri, qui non habeamus quærendas adumbrationes futuri boni, ſed poſſimus frui memoriali præteriti beneficii, per fidem apprehendendi & applicandi.

Verum ejuſmodi victimæ inculpatæ non tantum requirebantur ad ſignificationem conciliationis per ſacrificium faciendæ: ſed etiam ad ſignificandum officium fœderatorum. Fœderati Dei debebant votiva & ſpontanea quoque offerre, & quæcunque alia pacifica, ut hoſtiæ omnes carerent vitio. Eſt idem faciendum nobis: non quidem ut brutas ejuſmodi offeramus; nam nec altare externum habemus, nec ſanctuarium ejuſmodi: ſed quod nobis agendum, eſt ſpirituale, 1 Pet. 2: 5. ſpirituales hoſtiæ ſunt offerendæ, quæ Deo placeant in Chriſto Jeſu. Cujuſmodi ſunt tum confeſſio peccatorum Pſ. 50: verſ. ult. tum laudis Heb. 13: 15. tum eleemoſynarum verſ. 16. quæ omnes debent eſſe ſine vitio. Confeſſio citra fraudem Pſ. 32: 2. ne tegatur iniquitas Prov. 28: 13. nedum reſpiciatur Pſ. 66: 18. Laus & gratiarum actio ſine ſuperbia Luc. 18: 11. & ſine oblivione Pſ. 103: 2. & 106: 7. Eleemoſynæ ſine malo corde Belialis, ſine malo oculo, ſine manu clauſa Deut. 15: 7. &c. ſed inſuper alia, Noſmet ipſi Rom. 12: 1. Hoſtia viva: videtur contradictio: ſed eſt vere fœderatorum. Mal. 2: 5. Dei fœdus ſpeciale fuit cum Levi, fœdus ad vitam & pacem: ſed Levitæ fuerunt oblatio viva Deo, Agitationis. Num. 8: 6. &c. reconciliatione ſui peracta per juvencum pro peccato, ipſi toti fuere agitati coram Deo, & hoc modo nos quoque victimas Deo fieri oportet, ut vivi maneamus, ſed & hîc oportet amoveri maculas: uti poſcit Apoſtolus, ſanctam, Deo acceptam. Non poteſt caveri naturalis corruptela, uti neque defuit in Levitis, ſed removenda naturalis operationes, & adventitia & contracta culpa propria, aut nunquam placebimus, ſed augebimus contra nos iram, abominabiles nos ſiſtendo, Levitæ in anteceſſum debuerunt adſpergi aquis peccati, ſeu expiationis, radere novacula totum corpus; lavare veſtes, & mundare totum corpus. Sic quoque nobis opus antecedanea ſanctificatione, ut hoſtiæ ejuſmodi fieri queamus. Adſperſio æquæ peccati mundabat ab externâ immunditie per contactum cadaveris contracta; hujus vis erat à victima, cujus cinis aquæ mixtus vim illam dabat. Num. 19. Et nos mundandi ſumus aquis Spiritus Sancti, quæ vim à Chriſti ſatisfactione obtinent, Act. 2: 38. Raſio pilorum, qui naſcuntur ex humoribus excrementitiis, & deſignant proventum novorum peccatorum Pſ. 68: 22. tollebat luxuriem illam, ne excreſceret & ſylveſceret. Et nos immanenti peccato occurrere debemus, ne in actiones prædominaturas erumpat Rom. 8: 13. Lotio veſtimentorum & corporis, notat depoſitionem omnium ſordium, & converſationis prorſus novæ, ne quis maculis offendatur, aut ſordibus inficiatur. *Et nos debemus* prorſus novam vitam agere, qui nec ipſi velimus eſſe polluti, nec in ejuſmodi veſtibus conſpici: ut noſtra omnia munda ſint: citra conformitatem mundi hujus, ſed reſpondentia voluntati Dei bonæ, perfectæ, acceptæ. Quam parum autem hujus reperitur inter nos. Ubi ſanctitas illa, quæ nos Deo acceptos ſiſtere queat. Hoſtias nos præbemus ubi nihil purum aut integrum. Quam multis deeſt adſperſio de lavacro regnationis, renovationis Spiritus, qui neſciunt, quoad ſenſum ſuum, an ſit Spiritus Sanctus? quam multa dantur crinita capita, ambulantes in reatibus ſuis, & ſibi de eo non minus gaudentes, quam Abſalom de ſuo capillitio? multi qui nec veſtes, nec corpus lavarunt, quorum veſtes pollutæ ſunt peccato, in quorum fimbriis eſt ſanguis & ſudor & lachrymæ innocentium & egenorum: & hæc tegit meram violentiam, cum manus ſint plenæ ſanguine, & dextræ muneribus, & rapina; & membra cætera taminata intemperantia, impudicitia, blaſphemia, adeoque inſtrumenta dominantis peccati, carnis, mundi, Satanæ. Et audemus venire oblatum nos ipſos Deo? Baalpeori placebant ebrioſorum & ſcortantium corpora, ſed non Deo. Sanctus ille, & ſanctum oportet, quod ei placeat. Debemus nos lavare & mundare, & removere actionum malitiam, ut recipiamur Eſa. 1: 15. 2 Cor. 6: 17. odiſſe veſtem taminatam peccato Jud. verſ. 23. &, quod ab alio faciendum, petere à Deo adſperſionem Spiritus Sancti & raſionem illam quâ dominium peccati impediatur, ut ſimus quales vult, hoſtiæ ſine vitio. Atque huc facit alia adhuc oblationis ratio. Pſ. 51: 19. *ſacrificia Dei ſunt Spiritus fractus; cor fractum & contritum o Deus, non ſpernes.* Reſipien-

piſcentia vera deſignatur, qua Deus delectatur. Eſa. 57: 15. Hæc exercenda eſt. Dicet aliquis, vitioſæ erimus hoc pacto hoſtiæ; nam fractum, contritum inter vitia numeratur. Reſp. Fractio antecedens mactationem, quæ ante in hoſtia fuit, vitioſa eſt, non quæ per mactationem introducitur. Cor fractum peccato vitioſum eſt. Ezek. 16: 30. Sed cor fractum per reſipiſcentiam mactationem ſenſit. Eſt enim in nobis etiam quod debet fieri hoſtia per mactationem abolenda. Peccatum & reatus fuerunt deſtruendæ penitus victimæ: & ſic vetus noſter homo. Illæ quidem ſine vitio eſſe debuerunt, quia vicariæ, ſed vetus homo, caro, merum ſunt vitium, & propterea abolendæ; quæ dicitur crucifixio Rom. 6: 6. Gal. 5: 24. Col. 3: 5. ita frangi, & conteri debet cor & cupiditates, & ſpiritus impuritatis; ut homo novus, ſpiritus ex ſpiritu genitus, vivere & agere queat. Hoc ergo nobis ſtudioſe agendum. Phineas placentiſſimum ſacrificium obtulit Deo, cæde ipſorum peccatorum, & confirmatum eſt illi Sacerdotium, ad victimas alias offerendas. Mactemus carnem & cupiditates, ad abolitionem corporis peccati, & magis magiſque idonei erimus ad offerendum nos ipſos in hoſtias vivas ſanctas, placentes Deo. Deus benefaciat nobis fœderatis ſuis ſecundum beneplacitum ſuum; tunc delectabitur ſacrificiis juſtitiæ, holocauſto, & quod totum comburitur, tunc offerent juvencos ſuper altare ejus.

Verſ. 2. *Si inveniatur in medio tui, in aliqua è portis tuis quas Jehova Deus tuus dat tibi ullus ullave qui fecerit quod malum videtur in oculis Jehovæ Dei tui, tranſgrediendo fœdus ejus.*

Verſ. 3. *Et abiens coluerit Deos alienos ſe incurvans illis; aut Soli, aut Lunæ, aut ulli exercitus cœlorum, quod non præcepi.*

Verſ. 4. *Renunciatumque fuerit tibi atque audiveris: quum inquiſiveris bene, ſi ecce vera certáque res illa erit, ſi commiſſa fuerit abominatio iſta in Iſraele.*

Paulus de Magiſtratibus agens Rom. 13. non tantum autoritatem illorum adſtruit, à Deo conſtitutos docens, quibus proinde omnes oportent eſſe ſubjectos: verum etiam indicat quid à Magiſtratibus faciendum ſit, ut omnia pro Deo agant, utpote cum poteſtas ſit Dei miniſtra; Miniſter autem nihil habet agendum pro ſe, & ſuo arbitrio, ſed omnia ex voluntate heri, & ad ejus honorem. Hacpropter tum laudare debent bonos bene agentes, quoniam per illos honoratur Deus: tum opponere ſeſe iis omnibus quæ honori Dei adverſantur, ſive rebus, ſive perſonis. Rebus quidem, φόβος ſunt *timori malis operibus.* Perſonis autem, *poteſtas gladium gerit* &c. *vindex eſt ad pœnam male agenti.* Similia olim tradidit Moſes. Magiſtratum autoritatem divinam eſſe docuit, qui mandatum Dei de iis conſtituendis propoſuit, non ſub conditione, quomodo nonnunquam præcipiuntur quædam in re quæ non probatur, ut Deut. 24: 1. &c. & cap. 17: 14. &c. ſed abſolute, *Judices & præfectos conſtitues* &c. Porro Magiſtratuum curam jubet eſſe pro Deo, ut caveatur quod eum offenderet, & ad contemtum ejus vergeret. Cura illa eſt contra res malas, & contra malas perſonas. Contra res malas, quam nuper *curam Altaris* diximus, ne juxta altare Dei collocetur quicquam quod idololatricum ſit: ne illud ipſum ad leges idololatrarum ſit conſtructum; ne ſupra illud offeratur, quod Deo abominationi ſit. Contra perſonas malas eſt, *Cura Hominum*, ne quid patretur ab iſtis, quod Deum offendat, vel directe ipſum provocans, vel ordinem à Deo ſancitum evertens, vel negligens debiti officii. Primum eſt *de puniendo idololatra*; ſecundum *de vindicandâ autoritate magiſtratus*; tertium de *circumſcribendâ poteſtate magiſtratus ſummi.* Pertinent autem iſta ad diſtincta judicia, primum eſt XXIII. ſecundum LXXI. tertium ſingularis perſonæ, regis videlicet.

I. Primum agit de *Idololatriâ*, ubi, & quomodo judicandus ſit verſ. 2--7. De iſtiuſmodi homine jam olim præceperat Deus Exod. 22: 20. Specialius adhuc Moſes Deut. 13. ſi idololatra foret ſeductor, qui alios ad defectionem à cultu veri Dei ſollicitaret. Prophetam quidem Doctoremve trucidandum; privatum lapidandum, multitudinem autem integræ urbis exterminandam eſſe, urbe quoque everſâ; verum nunc agit de privato idololatrâ, non ſeductore, & ubi ac quomodo de eo ſtatuendum ſit definit. Redeunt autem omnia ad duo capita, I. de reo, II. de judicio.

A. Circa *Reum* conſideranda ſunt, Locus, Perſona, Factum.

1. *Locus* delicti verſ. 2. *Si reperiatur in medio tui, in una portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus tibi dat.* Deſcriptio eſt terræ Iſraeliticæ, ab ipſis Iſraelitis poſſeſſæ. Extra Cananæam non habent juriſdictionem, ut juxta ſuas leges omnia adminiſtrare, & in delinquentes ſtatuere pœnas queant. Et in Cananæa, quando ea ab aliis poſſidetur, pariter ipſis non eſt poteſtas. Verum quando ipſi implent terram, ut in medio ipſorum fiat, quicquid patratur; & urbes ipſorum ſunt: nam hæ portarum nomine deſignantur. Ipſis peregrinantibus idololatriam committere interdictum; ſed prohibere, & patrantes alios occidere, non mandatum. Daniel evectus ad dignitatem, & ſocii ejus non dejecerunt idola Babyloniorum, aut auream illam ſtatuam, neque cædibus graſſati ſunt contra colentes: ſed abſtinuerunt ab illo cultu, & maluerunt ad mortem damnari, quam obtemperare legi impiæ. (& Jer. 10: 11. docuit quid opponendum ſit ſollicitantibus, non autem vim imperavit faciendam.) Paulus ſuperſtitioni Athenienſium & aliorum non facto, ſed verbo duntaxat obſtitit. Neque Apoſtoli aliud docuerunt; fuiſſent alias autores ſeditionum, quæ nulla à Chriſtianis motæ fuerunt contra gentilium idola; ſed exſpectatum fuit legitimi Magiſtratus mandatum, Conſtantini Magni. Igitur Iſraelitis rerum potientibus in Cananæâ, ſi inter ipſos, in ullâ urbe id contingeret. Ratio eſt I. *in medio tui*, ſi fiat, metus eſt contagii. Morbida pecus ſola ſi ſit, à grege ſemota, parum periculi eſt, etſi negligatur, verum ſi miſceatur gregi, inficiet cæteras: fermentum in maſſa, exiguum licet, totam fermentabit. Eſt vero in medio tui poteſtas amovendi, quæ in medio hoſtium non adeſt, ſed curandum cuivis privatim, ne contrahat labem. Corrumpunt mores bonos colloquia prava. 1 Cor. 5: 10. non commiſceri debemus idololatris; non abſolute, idololatris hujus mundi, ſic egrediendum eſſet ex mundo: ſed ſi quis, nominatus frater, ſit talis, cum eo ne quidem commedendum; malus etiam removendus, II. *in portis à Deo datis.* Magni donantis magnum donum eſt: illud non eſt dehoneſtandum. Hoſ. 2: 7. Deus dederat frumentum, muſtum, oleum; & multiplicarat aurum & argentum, quod uſurparant in cultum Baalis: quod non agnoviſſe peccatum eſt novum. Si quam arcem Rex dediſſet, an eam liceret facere aſylum hoſtium ejus? maxime cum non dederit ſolum ut pro lubitu de portis diſponatur, ſed ſit נתן dans jugiter: ſingulis diebus horis, momentis de novo quaſi donat, qui donum continuat, cujus auferendi ſingulis momentis habet poteſtatem. Quam caute ergo cuſtodiendæ, ne cauſa detur repetendi doni. Quemadmodum caſtra ſunt ſervanda ſancta, ita quoque urbes Dei. Loci reverentia eſſe debet. Pſ. 93: 5. ſanctitas decet domum Dei, diebus multis, adeoque & urbes Dei.

2. *Perſona* eſt, ſive *vir*, *ſive mulier.* Complectitur adultos omnes, nullo ſexus, vel ſtatus diſcrimine. Minorennes, qui boni malique diſcrimen non norunt Deut. 1: 39. ad eaſdem pœnas trahendi non ſunt, etſi in iſtis quoque non ſit tolerandum peccatum. Sed qui ſunt annorum diſcretionis. Non viri ſolum, ſed etiam mulieres. Hæ alias indulgentius habentur, ſed Deus eas æquat in pœnis, quæ paria faciunt peccando. Sic Deut. 29: 17. *ne ſit vir aut mulier, aut familia, aut tribus* &c. Aſt cum mulier, quæ poſt lapſum vas infirmius dicitur 1 Pet. 3: 7. nihil gratiæ impetret, (Conjunguntur filius & filia, & uxor ſinus Deut. 13: 6.) multo minus ſtatus differentia, quid valet, ſive dives ſit, ſive pauper; ſive honoratus & potens, ſive vilis & contemtus, ſive magiſtratus, ſive ſubditus. Imo ſive indigena, ſive peregrinus. Hi fuerunt vel proſelyti, quorum eadem cum Iſraelitis ratio, vel incolæ duntaxat; ſed nec his permiſſa idololatria, ſiquidem inter Iſraelitas viverent. Utitur autem generali iſtâ appellatione, ut moneret judices in hoc crimine non intuendam perſonam, ſed con-

considerandos in communi conditione, quâ homines sunt, mas aut fœmina, quia non agitur de delicto publico, quomodo plus minusve nocere potest, prout major est vel minor qui fecit, exemplo suo; sed de privato, quod occultare studuit ab oculis & conscientia aliorum; quia etiam directe contra solum Deum est peccatum, apud quem omnes sunt pares. Job. 34: 19. creaturæ Dei, ad ejus imaginem conditæ, ex eadem massa factæ omnes. cap. 33: 6.

2. *Factum* est in genere & in specie considerandum.

a. *In genere*; quatenus dicit, *qui fecit quod malum est in oculis Domini Dei tui transgrediendo fadus ejus.* Edit geminum characterem mali, I. *quod malum in oculis Domini Dei tui.* Oculis adscribitur cognitio & judicium; quia instrumentum sunt cognoscendi, tum normam, tum actiones, & harum cum norma conformitatem vel declinationem ab eâ. Hinc claret de actionum vel bonitate vel malitia. Sed oculorum quandoque vitium est, & proinde quod ab his pronunciatum, iniquum. Oculi suffusi bile omnia vident flava, & sanguine rubra, quorum judicium de coloribus vitiosum. Quod si utantur conspiciliis coloratis, multo magis aberrabunt. Fit tamen istud frequentissime & malum bonumve judicatur, quod oculis hominum videtur, sive propriis, sive alienis. Prov. 12: 15. unius 30. 12. plurium 16. 2. communi. Verum perperam. Prov. 30: 12. *Est generatio quæ munda est in oculis suis, & à sorde sua non est abluta.* Est hoc vitium commune. Prov. 16: 2. cap. 21: 2. *Omnis via viri recta est in oculis ejus, ponderat autem corda Dominus.* cap. 12: 15. *Via stulti recta est in oculis ejus.* & cap. 16: 25. *Est via recta coram viro, & novissimum ejus via mortis.* Hoc tamen judicium plerique sequuntur, ut ambulent in via vel suis cordis, & in adspectu suorum oculorum Eccl. 15: 9. vel generationis, & viam multitudinis sequantur. Sed damnatum istud hic est; non dicit malum in oculis tuis aut hominum aliorum, sed *in oculis Domini.* Ille unus legislator Jac. 4: 12. qui solus normam boni & æqui fixit; & ob perfectionem suam nequit aliud quam bonum statuere Deut. 33: 4. Oculi ipsius vident quod rectum Jer. 5: 2. & judicant veritatem, Ps. 11: 47. quod ipse laudat, non quod homines, probatum est. 2 Cor. 10. v. ult. Hominum judicium ipsius judicio adhuc subest Eccl. 11: 9. quia celsior celsis cap. 5: 7. ipse celsus absolute; judex unicus universorum, adeo ut apud ipsum nequeat esse injustitia. Rom. 3: 5, 6. Utinam istud omnibus persuaderi posset, id solum malum esse, & id omne malum esse, quod in oculis Domini malum est, quantopere hominum judicia mutarentur, & actiones quoque. Facit quisque semetipsum judicem, & si quid hæsitet, insuper homines sui similes, & eorum multitudinem; unde Moris autoritas. Bene monet Salomo, Prov. 3: 5. &c. *Ne sit sapiens in oculis tuis.* Declaravit Deus quid bonum sit, hoc cognoscendum, meditandum sequendum. Ps. 119: 9, 104. Studeamus habere oculum Dei dirigentem Ps. 32: 8, 9. Equus qualis sit, & qui illi similes, dicitur Jer. 8: 6. sic ruitur in malum; verum Dei oculus ducit in ea quæ oculis ipsius placent. Ista commendatio, piorum regum, feciſſe quod bonum & rectum in oculis Domini Dei sui. Sit hæc quoque nostra, & bene nobis erit, Ps. 33: 18. *Ecce oculus Domini est super timentes ipsum, super confisos benignitati ipsius, ad liberandam eorum animam à morte.* & 34: 16. *super justos, & aures ejus ad ipsorum clamorem.* Qui observat oculos Domini, ad faciendum quod illi placet, is habet & oculos & aures Dei ad faciendum tum quod optat, tum quod utile est & salutare. II. *Transgrediendo fœdus ejus.* Sic etiam fit quod malum in oculis propriis. Etenim non solum agitur contra legem superioris, qui quod placet simpliciter præscribit, sive id gratum sit, sive ingratum; sed agitur contra fœdus ipsius, legem quam vi pacti valere voluit. Pactum autem exigit voluntatem contrahentis utriusque: licet conditiones ab uno concipiantur, non tamen vim habent, nisi alterius placitum accedat. Quivis tunc sibi ipsi legem figit, & voluntas propria vim normæ dat. Atqui hæc ratio valet hoc loco; Israelitæ spontaneo motu fœdus pepigerunt cum Deo; qui non promulgavit absolutam legem, uti cum Adamo dixit, de omni arbore comedes, præterquam de unâ Gen. 2: 16. &c. Sed invitavit ad pactionem fœderis; conditiones recitavit tum sua voce, tum per Mosen; recitari fecit denuo per Mosen; indulsit noctem aliam ad meditationem; tandem ad solennem declarationem, quid, quo ordine, facere placeret, demum solenniter obstrinxit. Atqui in fœderibus, quod primum libertatis fuerat, fit necessitatis, quamquam ex voluntate propriâ ea fluat: & qui contra agit, peccat dupliciter, & contra fœderatum, & contra semetipsum. Neque enim tantum suæ voluntati, sed etiam fœderati se subjicit, & utrique legis vim concedit; & utrique repugnat cum delinquit. Quemadmodum in conjugio, contractus voluntarius est, neuter super alterum habuit potestatem, ut quod juberet teneretur facere: sed quando libere contraxerunt, quod pariter voluerunt, ambobus lex est, & uterque non sua solum sed & comparis voluntate obstrictus est. Si contra agat, mutatâ voluntate, peccat etiam contra seipsum, non secus ac contra conjugem; quia per contractum spontaneum, quod voluntatis suæ fuerat fecit necessitatis, & uti voluntati nil juris foret ad rescindendum. Mal. 2: 19. perfide agit, qui contra uxorem fœderis sui agit. Utinam hoc meditaremur omnes; sumus fœderati Dei; hoc nomine gloriamur, & nuperrime professionem edidimus. Si declinemus, peccamus contra nos ipsos quoque. Dignatus est Deus sese demittere, & quod imperare poterat simpliciter, nobis proponere nostro consensu & stipulatione sanciendum. Non possumus simpliciter peccare; sed quicquid admittimus, fœdifragium est. Adulterium gravius scortatione, quia contra fœdus, ubi propriâ voluntate uni obstricta est fides, ut paria obtineret. Peccata fœderatorum sunt adulteria spiritualia, contra promissa nostra. Et scelus majus est, & turpitudo, & pœna etiam futura gravior. Cogitemus fœdus; ne illud solum sit in ore nostro, sed in opere. Ps. 108: 18. qui servant fœdus Dei, recordantur præceptorum ejus, ut ea faciant, & Deus servat fœdus & benignitatem iis qui ipsum diligunt, & custodiunt præcepta ejus Deut 7: 9.

b. Factum *speciatim* est idololatria vers. 3. *Et abeat & colat Deos alios* &c. Targ. Jonath. *Et abeat pone figmentum malum, & colat* &c. Egregie supplet; nam *abire* heic loci mutationem non dicit; sed primum mentis, quæ prima potissimaque in cultu religioso. Nemo colit idola, nisi prius abierit pone cordis sui ratiocinia mala. Aversionis initium est in viis cordis humani Esa. 57: 17. Rom. 1: 47. &c. De idololatris id dicitur Esa. 44: 18. Servitus corporis non est heic, nisi antecesserit servitus cordis. Anima facit principium peccandi, corpus instrumentum est, & agit quod illa jubet, imo ipsa per corpus agit. Quamobrem prima cura cordis esse debet, ut custodiatur Prov. 4: 23. tum ne decipiatur Deut. 13. persuasione aliorum, Heb. 3: 19. tum ne à seipso, Jer. 17: 9. Propriis consiliis pereunt homines Deut. 32: 28. quia sequuntur figmentum cordis sui, quod malum est omni tempore. Consilium petendum est à Deo & verbo ejus, ubi suum patefecit, qui verbum Dei facit consiliarium, parit sibi oblectationem, Ps. 119: 29. quia non potest non bene succedere, eoque voluptatem dare quod illud consuluit, siquidem sequamur. De idololatriâ sæpius actum in hoc libro. Dii Alii dicuntur respectu Domini Dei Israelis; & hic si instituatur comparatio, mera stultitia est illos colere hoc præterito. Ipse est Jehova, Essentiator rerum omnium, qui omnibus rebus extra se dedit esse & id conservat; Ordinator quoque omnium, qui definivit omnia, quid & quando futurum sit, adeo ut quod dixit certissime fiat, unde etiam solus futura potest prædicere Esa. 41: 22. cap. 46: 10. Est Elohim Judex & regens universorum, & speciatim Israelis. At hi non sunt Jehova, non fecerunt cœlum & terram; neque conservant; non possunt verbis suis dare veritatem: cum queant impedire in male faciendo & benefaciendo. Elohim sunt quidem, sed quantum regiminis datum est, aut datum fingitur, ut exinde metuantur. Deus sibi fecit quod regat. Actor. 17: 25. Alii super iis, quæ Deus fecit, regimen habent delegatum quantum eis concessum Joh. 10: 35. aut ex opinione colentium. Et cum sic se habeant nonne stultitia maxima neglecto Deo, imo Deo suo, cujus experta benignitas, Jer. 3: 13. ad Alios deflectere, & cultum præstare? (Originem idololatriæ refert Paulus Rom. 1: 21. *Deum cognoscentes*, (tum ex manifestatione internâ, tum ex contemplatione rerum conditarum,) *ut Deum non glorificarunt, neque gratias egerunt, sed evanuerunt in suis ratiociniis, & cor insipiens ipsorum obtenebratum fuit; jactantes se sapientes stolidi facti sunt, & mutarunt gloriam Dei incorruptibilis,*

bilis, in imaginem corruptibilis, & veritatem Dei mutarunt in mendacium, & creaturam honorarunt & coluerunt ſupra creatorem, laudandum in ſecula.) Fit tamen iſtud jugiter non ſolum inter gentes, quæ Deum non norunt, (amiſſa cognitione, quam non placuit retinere,) coluntque eos qui natura non ſunt Dii Gal. 4: 8. ſed etiam inter Chriſtianos nomine, qui ſe primos jactant, in Eccleſia Rom. Nullos ibi colunt, niſi viſibiles Deos; & verum quoque Deum non aliter quam in fictâ imagine. Quicquid tamen præter hunc eſt, Alius Deus eſt, Matt. 4: 10. imo ipſe Alius, quando aliter, ſub imagine colitur. Deut. 4: 10. &c. *cavete bene animabus veſtris; nam non vidiſtis ſimilitudinem aliquam, Deo loquente ad vos; ne corrumpatis vos & faciatis aliquam ſimilitudinem, ullius rei.* Atqui omnia templa & oratoria Pontificiorum ſunt repleta ſimilitudinibus; & ſi deſint, non agnoſcunt pro ſuis; eoque non niſi Alios volunt. Manifeſti ergo ſunt idololatriæ. Ipſa repræſentatio facit Alium, Eſa. 40: 18. & 25. cap. 46: 5. Actor. 4: 17, 29. Repræſentatur creatura, & fingitur ſic repræſentari Deum; quaſi creatura illa eſſet Deo ſimilis, quod falſiſſimum. Eſa. 42: 8. *Ego ſum Dominus; hoc eſt nomen meum, & gloriam Alii non dabo, nec laudem ſculptilibus;* quæ aliorum repræſentatio ſunt. Caveamus itaque ſeduci, ut loco Domini Dei noſtri Alium agnoſcamus, & colamus. Non ſufficit, ſi ſolum abſtineamus ab externa idololatria; ubi oculus & manus convincunt Alium coli; & de hujuſmodi idololatria judicibus cognoſcendum eſt; ſed etiam alia eſt, quæ ſub iſtud judicium non cadit; æque mens hominis, ac manus fingit Alium: non loquor de mammona, ventre, potentia, quæ multis Deus ſunt, Matt. 6: 24. Phil. 3: 19. Hab. 1: 11. Eſtque in confeſſo eſſe Alios: verum de conceptibus de Deo. Quam ſolenne ut talem cogitemus Deum, qualem vellemus; unde perſuaſi ſumus, acquieſcere in eo cultu, quem nos verum & ſufficientem credimus vel optamus. Jer. 23: 23. &c. *ſumne Deus à propinquo? inquit Dominus, & non à longinquo? poſſetne quis ſe abſcondere in occultis locis, ne eum videam? inquit Dominus: nonne implo cœlum & terram? inquit Dominus.* Si honoremus eum coram hominibus, ore & labiis? veniamus & ſedeamus, & audiamus, & blandiamur ut populus; etſi cor ſequatur cupiditates. Sic Jer. 7: 4. gloriatio & ſecuritas in templo & ejus cultu, & tum opinio licentiæ omnigenæ: cum tamen Pſ. 5: 5. Si juſtum credamus, qui latrocinia publica non fert: ſed qui fraudes & dolos qui ſecretas oppreſſiones, contractus injuſtitiæ, & mercedem ejus non curat, Zach. 11: 5. Hoſ. 12: 8. Pſ. 50: 18. *Si videas furem, placitum habes in ipſo, portio tua eſt cum adulteris, ore & lingua fraudem malam patras, & maledicis proximo; hæc agis, & ego ſileo; putas omnino, me ſimilem eſſe tibi.* Qui ſane Alius à vero Deo. Hic ergo magna opus eſt cautione. Deum non colit, qui colit Alium: & quantopere differt ille, quem animo concipimus, à vero Deo. Aſt quem colimus ab eo exſpectamus ſalutem: quam utique Alius dare non poteſt. Cognoſcendus ergo nobis Deus ex verbo ſuo, ut talem etiam colamus. Jer. 9: 24. *qui gloriatur, glorietur de eo quod intelligat, & cognoſcat me, me eſſe Dominum, facientem benignitatem, judicium & juſtitiam in terra, nam hiſce delector, dictum Domini.* Jer. 22: 15. Joſias *fecit jus & juſtitiam, judicavit litem, afflicti & egeni: nonne hoc eſt me agnoſcere inquit Dominus.* Verum habuit de Deo conceptum: novit & coluit Deum: non Alium. Sic nobis agendum: exprimendæ virtutes ejus qui nos vocavit ex tenebris in mirabilem ſuam lucem 1 Pet. 2: 9. ſancti ſimus, ut ipſe ſanctus eſt, cap. 1: 15. 1 Joh. 1. verſ. 6, 7. & colamus verum Deum imitando. Matt. 5. verſ. 48.

Enimvero recenſentur *cultus objecta ſpecialiora; Sol, luna, exercitus cæleſtis*: quibus non tam ſerviat quis, quam externo ſolum geſtu, *incurvatione, honorem aliquem exhibeat.* Luminaria iſta univerſale bonum præſtant, lucem, & influentiam in interiora. Solis vires notiſſimæ, & pariter lunæ, cujus motum indomitum mare agnoſcit. Habent etiam ſtellæ ſuam efficaciam Job. 38: 31, 32. Iſta beneficia Gentiles obſervarunt, & cultum præſtiterunt. Job. 31: 26. ſaltem geſtu aliquo teſtati honorem. Quemadmodum benefactoribus aliis grati futuri, memoriam conſervarunt, erectis imaginibus ipſorum, honoremque exhibuerunt. Sed unico argumento refutatur, *quod non præcepi.* Deus unus habet præcipiendi jus, & quod ille non præcepit, eopſe interdictum cenſeri debet. Quicquid de magna utilitate quam præſtent, dicatur, contra facit Dei, *non præcepi*: quicquid de levitate cultus, externi ſolum geſtus, contra facit Dei, *non præcepi.* Quomodo revincitur omnis Pontificiorum idololatria, circa creaturas omnes, etiam citra imagines. Sancti quos vocant, & præcipue Maria virgo, coluntur ob beneficia quæ præſtiterint, vel præſtent: quæ pleraque incerta, plurima mentita ſunt: ſed etſi vera forent, non poſſunt comparari cum iis quæ Sol, luna, ſtellæ præſtant: horum majora univerſalitate, efficacia ſenſibili, diuturnitate: & tamen non colenda, quia Deus non præcepit. Pariter de Sanctis id valet, Deus non præcepit. Si extenuetur cultus, non eſſe latriam, ſed duliam aut hyperduliam ad ſummum, quamvis Scriptura differentiam non agnoſcat: licet nihil conſequerentur de cordis affectu vel fiduciâ, ſed ſolum geſtum; flexum genu, nudatum caput, manum extenſam aut complicatam, curvatum corpus, foret iſtud tamen vitioſum, Deo de geſtu dicente, *non præcepi.* Idem dicendum de panaceo Deo, de ejus veneratione omnimoda valet illud Dei, *non præcepi.* Hebræi ſub exercitus cœlorum appellatione complectuntur etiam Angelos, & horum cultum interdictum arguunt; *Quid*, inquiunt, *illud ſibi vult, quod non præcepi; cum notum ſit, Deum non mandaſſe idololatriam? ſimplex reſponſio eſt, quia idololatræ, ſolem, lunam, & cæteras virtutes ſupernas colentes, putarunt ſe per ipſorum cultum conſecuturos gratiam apud Deum; quandoquidem ſunt miniſtri regis, & qui honorat miniſtros regis, regem ipſum honorat; propterea dicendum fuit, quod non præcepi; quia iſtum honorem non imperavit.* Agnoſcendum quidem eſſe miniſtros Dei, & luminaria; & angelos: & per illos magna præſtari beneficia tum mundo univerſo, Deut. 4: 19. tum piis Heb. 1: 14. ſed eapropter tamen non debetur iis honos iſte incurvationis vel cultus alius. Dominus non præcepit: & non fert citra voluntatem ſuam honorari. Gen. 41: 40. Hoc proinde *Non præcepi*, meditandum eſt omnibus Pontificiis, & videbunt ſe damnatos idololatriæ: quicquid hic agunt, introductum eſt, præceptis & ſtatutis hominum, non Dei; & quamvis habeant λόγον σοφίας in ἐθελοθρησκείᾳ, & humilitate, & ἀφειδίᾳ corporis; non ſunt in ullo pretio, ſed ad ſatietatem carnis Col. 2: 22. fruſtra me colunt præceptis hominum Matt. 15: 9. quibus præceptum Dei tranſgrediuntur, & irritum faciunt. Præceptum Dei non eſt de colendis miniſtris angelis, unde angelus prohibet Apoc. 19. & 22. ſed de miniſtro ſingulari, Meſſiâ filio ſuo. Joh. 5: 22. Pſ. 2: 6, 12.

Jobus ſolennem proteſtationem edens de ſuâ innocentiâ, inter alia idololatriam à ſe amolitur, Job. 31: 26. *Si vidi ſolem quando ſplendebat, & lunam magnificè prodeuntem, & ſeduxit ſe in abſcondito cor meum, & oſculatum eſt manum meam os meum: etiam hoc fuiſſet iniquitatis damnatum, quia abnegaſſem Deum deſuper.* Dicit autem ſimillima iis, quæ hic à Moſe mandantur. Agit de idololatris, qui Solem, (quam κατ' ἐξοχὴν *Luctm* vocat) quique Lunam, potiſſima Luminaria, aut exercitus cæleſtes, ſtellarum aut angelorum colunt, vel illis ſervientes, vel ſaltem geſtu externo incurvati corporis honorantes, commemorans intuitum manuſque oſculum, ex cordis deceptione profectum. Porro rem iſtam in occulto licet patratam Judicum cognitioni & judicio ſubjectam affirmat, quandoquidem abnegatio ſit Dei excelſi, cujus gloriam potiſſimum commendatam habere debent. Jobus non fuit Iſraelita adeoque ſine lege illâ, attamen etiam tunc idololatria fuit crimen capitale, & judicio publico puniendum, juxta præcepta Noachidarum, de quibus Hebræi teſtantur à Gentilibus omnibus fuiſſe obſervanda, (quamquam Gentiles à Dei cultu deficientes idololatriam ſic non ulti ſunt; verum è contra vindictam exercuerunt pro idolis Jud. 6: 30. Dan. 3. cap.) Sed quod olim factum fuit ab iis qui ſine lege erant; id Deus per Moſen præſcripſit iis qui erant in lege, Iſraelitis. Diximus de *Reo*, atque heic de loco delicti, in portis tuis: de perſonis delinquentibus, vir, mulier, de facto ipſo, in genere, id quod diſplicet Deo, eſtque fœderis tranſgreſſio in ſpecie idololatria, aliorum Deorum æſtimatio, ſervitus, geſtus, citra mandatum Dei.

B. Nunc dicendum de *judicio*, ubi I. cognitio v. 4. II. ſententia, ejuſque exſecutio, v. 5. III. convictio. v. 6, 7.

8. *Cognitio* est vers. 4. & hic rursum Indicium, & Inquisitio

a. *Indicium* est alienum, vel proprium.

Alienum & indicatum fuerit tibi, & audiveris. Quibus loquitur sunt Judices, qui constituti sunt ad exercenda judicia. Neque enim universis hoc dicit, quia ab ipsis distinguit vers. 7. testes, & populum universum, exsecuturos sententiam illorum, qui sic malum exstirpare debent. Affatur autem eos singulari numero; non quod singulares probet, quos olim ostendimus non fuisse admissos, Nam dictum *Judices*, non Judicem, *statues*; ne unus id juris ac autoritatis sibi sumat, neque etiam id ei deferatur, sed quia singulis hîc attendendum suo muneri, & tanta solicitudine tantaque fide, quasi unusquisque solus foret, & hujus mali præsentiam observare & amoliri teneretur. Hosce postulat ratio judicii. Debet illud fieri certis hominibus; Ad omnes referre nemo potest, & ab omnibus cognosci pariter nequit: itaque hac de causa constituuntur, ut ad ipsos deferantur indicia, quibus cognoscendi ac statuendi potestas demandata est.

Indicium porro sceleris patrati est, *& indicatum fuerit tibi.* Impossibile est Judices ipsos omnia videre & audire, maxime quæ in privatis ædibus, in occulto, fiunt, qualis hæc idololatria est; Ergo ab aliis exspectandum indicium: atque istud etiam faciendum est. Nam Deus non vult dissimulari malum, quamquam odiosum coram hominibus accusatorem agere; sed indicari, maxime si idololatria sit, quo per ipsum non contingat manere & confirmari malum in medio ipsorum Deut. 13:6. &c. *Si frater tuus, aut filius matris, aut filius, aut filia, aut uxor sinus, aut amicus, ad idololatriam sollicitarit, non solum non auscultabis ut facias, sed etiam non misereberis ejus, neque occultabis*, quo necetur talis. Si cui constet contra regis vitam, vel ejus regimen aliquid ab ullo agitari in secreto, id statim indicandum est, & silentium capitale censetur, ceu probantis molimina, vel saltem non curantis incolumitatem regis. Sic agitur inter homines. Ita in Italia & alibi ubi contagii magnus est metus, indicium non fecisse grave est crimen, cum per illud cautela fuerit neglecta. Pariter & Dei honor, & incolumitas aliorum poscit indicium, ad sistendam idololatriam, eamque abolendam Lev. 5:1. *Si quis peccaverit, ut audierit vocem exsecrationis, cujus testis est*, (Hebræi, & ipse, Deus, testis est, coram quo & factum evidens & conscii cogitationes & actiones:) *sive viderit, sive audiverit; si non indicaverit, & feret iniquitatem suam.* Peccatum est silentium, ubi agitur de profanatione nominis divini, sive blasphemarit alius, sive ejus autoritate adjurarit conscios ad veritatis indicium; & feret talis pœnam à summo judice infligendam. Heb. 3:12. &c. *Videte fratres, ne quando sit in ullo vestrum cor malum incredulitatis, ad desciscendum a Deo vero, sed exhortamini alii alios, quotidie, dum hodie vocatur, ne quis vestrum obduretur deceptione peccati.* Defectio a Deo non solum cuivis privatim cavenda, sed etiam in aliis, ne istic radicetur silentio alieno, dum non occurritur deceptionibus peccati; Privata ergo correptio adhibenda, sed hâc non proficiente, dum pertinacia est, faciendum indicium, ne consensus vel neglectus reatum contrahat, Ps. 139:20. &c. impios, *qui scelerata, de te loquuntur, & hostes tuos vane extollunt, annon odissem, qui oderunt te? Domine*, &c. Quanta verò heic hominum negligentia, ne incurrant hominum odia: quomodo instar Eli, proximos magis honorant quam Deum 1 Sam. 2:29. & hominum honorem præferunt gloriæ Dei Joh. 12:43. Sed dum parcere studentuni aut paucis reis, nocent pluribus quos periculo exponunt; & nocent sibi ipsis Lev. 19:17. *proximum tuum serio coargues, neque feres in eo peccatum*, vel *neque feres propter ipsum peccatum.* Satius perire unum, quam universos, consortio vel culpæ, vel pœnæ, si crimina non puniantur.

Sed non solum alienum indicium imperatur, verum etiam *proprium. Et audiveris*, dicitur judici ad quem referunt alii indices; si ab his audiverit, vel alias nullo singulari indice: non licet ipsi dissimulare; duplici titulo tenetur, communi cum cæteris civibus, & proprio quia judex, cui amoliendi mali demandata est provincia. Canes custodiendo gregi appositi, silentio suo plus peccant, & se inutiles ostendunt. Ipsorum oculi & aures, & manus, atque etiam lingua non sibi solum, sed publico debent laborare. Quam male ergo agunt Magistratus, quando silentium circa scelera & amant, & exercent, (nisi ubi spes est se comesturos de peccatis aliorum, quando attollunt animas ad iniquitatem aliorum, optantes ut patrentur, & ut inde ditescere & voluptuari queant Hos. 4:8.) & ad indicium aliorum contremiscunt, omni studio illud studentes supprimere. Scil. verentur offendere impios, quorum amor aut metus major; ne damnum sibi aut suis accersant, qui contra pauperes nec prodesse nec obesse validos, facile quævis indicia recipiunt, ut contra aliquid statuant, suamque sic adserant autoritatem.

Enimvero indicium non sufficit ad pronunciandam sententiam? quod vel delatum est, vel rumore saltem acceptum, Præcipitantia illa injustitia est; David ad indicium Zibæ condemnavit Mephibosethum, & injuste egit. Si homines essent veraces, qui mentiri nollent, imo non possent; atque etiam ea sapientia, ut nulla specie externa fallerentur, sed semper penetrarent ad rei intimam conditionem, non peccaretur facile; verum ista desunt. Recte dicitur, si accusasse sufficiat, nemo insons; atenim sæpe indicium proficiscitur ex suspicione præposterâ; accusantur nonnulli ex invidiâ & odio. Itaque non pronunciandum ad indicium vel accusationem; etsi justa foret sententia, injustus tamen judex qui pronunciaret. Joh. 7:51. Nicodemus ait, *Judicatne Lex nostra quenquam, nisi primum ab ipso audierit, & intellexerit, quid agat.* Hacpropter porro mandatur.

b. *Inquisitio* dum addit, *Et inquires bene.* Kabalistæ interpretantur ex numero simili in היטב & יהוה, inquisitionem faciendam tanquam coram Deo, ipso præsente & inspiciente, ne quid privati affectus dominetur. Sane inquisitionem postulat accuratam, quæ petatur à testibus & testimoniis: de quibus seqq. loquuntur, vel ex ipsius rei sermone & confessione, quando testibus non est opus; uti Matt. 26:65. Cæterum accuratio probatur ex eventu, & ecce, veritas, firma est res, facta est abominatio ista in Israele. Ecce, inquit, omnium intuentium oculis res potest fieri manifesta; veritas mera est, quæ indicio fuit pate facta; firmum, stabile negotium, testimoniis validis confirmatum; & quid illud? patratum est, quod index dixit, facinus non leve, sed abominandum, ut Deus alius fuerit cultus, gestuve honoratus; & patratum in Israele, populo Deo fœderato: quæ ad aggravationem delicti pertinent. Est verò necessaria ista accuratio ob rei gravitatem, Nam & peccatum turpe admodum est in Israele, ubi veri Dei notitia & professio viget, ut non facile quis gravandus sit suspicione: & pœna gravis, capitalis nempe. Et sane ante omne judicium seriò prius inquirendum. Qui enim pronunciari de persona, de actione poterit, si & illa & ista non fuerint cognitæ. Quam multi judices hîc negligentes sunt, qui non intelligentes, nec intelligere studentes sibi judicium sumunt, & suffragio suo absolvunt vel condemnant, non prout norunt, sed quo aliorum voluntate vel affectu proprio impelluntur. Dignitas muneris non dat aptitudinem, & pariter non dat istam diligentiam. Adferenda illa est, & hæc jugiter exercenda. Accurate omnia indaganda; veritas sæpe obscuratur: filii hujus seculi prudentes sunt, possunt fallaciam fucare, & subinde etiam prudentem decipere; quocirca solicite in omnia inquirendum. Rumori non fidendum. Vox populi, vox Dei, dicitur proverbio; sed eadem quandoque vox Diaboli. Veritas eruenda est ex abdito quandoque, & quærenda fulcimenta solida. Esa. 11:3. &c. *odorari ejus erit in timore Domini*, (ut quemadmodum canes sagaciter odoratu deprehendunt latibula ferarum, sic ipse indaget veritatem:) *non judicabit secundum adspectum oculorum suorum, neque arguet secundum auditum aurium suarum: sed in justitia judicabit, & in æquitate arguet.* Hoc exemplum sequendum est. Jer. 26:8. &c. Propheta præcipitanter à Sacerdotibus & Prophetis damnabatur ad mortem, ob suas conciones, & populus ipsorum autoritate persuadebatur: Verum principes Judæ intercedunt, & inquisitionem instituunt, deprehenduntque nihil eum docuisse, quam quod Prophetæ alii ante ipsum, & illum absolverunt. Jobus de se Job. 29:16. Qui sine inquisitione evasissent pœnam, & forsan justitiæ elogium reportassent. Zach. 7:9. cap. 8:16. &c. Nequit judicari veritas, nisi fuerit quæsita & inventa; & ut hoc fiat, neque indulgendum est suspicioni propriæ, neque acquiescen-

ſcendum jurejurando quovis: ſed ubique ſollicita inquiſitione utendum eſt, ne peccetur. Sic ſuæ conſcientiæ ſatisfaciet judex, qui per falſos teſtes decipi poteſt, ſiquidem ipſe non amet, non faveat ejuſmodi teſtimoniis.

Verſ. 5. *Omnino produces virum illum, aut mulierem illam, qui commiſerint rem peſſimam hanc, ad portas tuas, virum inquam illum, & mulierem illam, ut obruas eos lapidibus ac moriantur.*

2: *Sententia & exſecutio* verſ. 5. commemorantur *Rei*, nempe *Vir aut mulier qui malum iſtud fecerunt, vir aut mulier illa*; repetitio fit ut præcidatur omnis venia; neque ſexus imbecillitas aliquid gratiæ inveniat. Prima hominum in crimine fuit mulier, quam vir ſecutus eſt; & Deus eam nonnullis peculiaribus pœnis ad convictionem ſubjecit, quæ in ſexum virilem cadere non poſſunt; ne iſti ſexui impune magis cenſeretur male egiſſe. 2 Chron. 15: 13. Aſa & populus ſe fœdere obſtringunt ad quærendum Deum toto corde & animâ, & ut quiſquis Dominum Deum Iſraelis non quæreret, occideretur à minimo ad maximum, & à viro ad mulierem: atque ipſe illico matrem ſuam ob antecedaneam idololatriam amovit à dignitate, & deſtruxit ejus idola. Agitur de cauſa Dei; ubi hominibus non datur diſpenſandi jus: quemadmodum in crimine perduellionis, non inferiores judices, ſed ſolus rex poteſt condonare:

Locus judicii, exire facies ad portas tuas, nempe excitos & eductos ex ædibus ſuis, ut ſiſtantur in portis, ubi tribunalia ſedebant. Atque hinc colligunt Judæi, in quo judicio hæc cauſa judicanda; De falſo doctore ſtatuendum fuit in Synedrio ſummo; unde Chriſtus, *non contingit Prophetam extra Hieroſolymam occidi* Luc. 13: 33. ita quoque de urbe apoſtata: verum de privato idololatra judicabatur in quavis urbe, ubi reus habitabat, illæ ipſæ portæ in quibus repertus eſt, in iiſdem quoque judicatur, adeoque à conſeſſu XXIII. virum. Seniores urbis conſtituuntur idonei judices etiam de idololatra. Neque enim quod Pontificii volunt, de talibus judicium Magiſtratibus non competit, ut Eccleſiaſticis vendicent. Nihil tale ordinavit Moſes. Etiam Regibus & judicibus imperata lectio & meditatio verbi Dei, quod norma quoque in hiſce cauſis, & quidem unica, & æque expeditum ipſis inde judicare, quam Eccleſiaſticis. Nam ſi hi ſibi clavem cognitionis arrogent, Phariſæorum more agunt & væ ſibi merentur Luc. 11: 52. *In portis* ergo pronunciandum, juxta id quod per inquiſitionem deprehenſum eſt, & mox exſecutioni mandandum. Definita autem *pœna* eſt *lapidationis*, od necem damnati. Fuit hæc pœna ex graviſſimis, utpote graviſſimæ culpæ, & vita privandus, qui Deum gloria & laude ſua privare voluit. Magiſtratus gladium non gerit fruſtra; & habet eum à Deo, Dei miniſter, Itaque primum pro Deo eum debet uſurpare.

Verſ. 6. *Ex ſermone duorum teſtium, aut trium teſtium, morte afficitor is qui moritur; ne afficitor morte ex ſermone teſtis unius.*

Verſ. 7. *Manus teſtium primùm eſto contra eum ut morte afficiant eum, poſteà verò manus totius populi: ſic ſuſtuleris illud malum è medio tui.*

2. *Convictio* eſt verſ. 6, 7. facienda ea *per teſtes*: quorum numerus binarius ad minimum, vel ternarius; nunquam unicus. De hoc agitur ſpeciatim Deut. 19: 13. &c. ubi de teſtibus plura. Nunc tantum notanda ſingularia; unius teſtimonium non ſufficere ad necem rei; nili documenta adſint ab ipſomet, quæ vel confeſſionem eliciant, vel faciant convictionem. Debent ad minimum duo eſſe conſentientes: quod ſi plures ſint, & illi audiendi, ut tanto magis roboretur accuſatio. Verum ſi duo tantum reperiantur, duo duntaxat illi ſufficiunt. Hinc contra Jeſum prodierunt teſtes complures, & tandem duo qui rem confecturi videbantur; ſed quia defuit exactus conſenſus, non auſi fuerunt Synedritæ pronunciare ſententiam ad iſtorum depoſitionem. Enimvero circa teſtes & alia obſervanda, de quibus ſuo loco dicendum, quinam admitti queant; nam conſanguinitas aliaque ſunt, quæ à teſtimonii dictione prohibent. Quanquam in negotio idololatriæ proximi audiantur, ad gravandum, non ad ſublevandum; cum imperata ipſis ſit accuſatio, Deut. 13: 6. &c. Aliud adhuc memorandum, *Occidetur cui moriendum*, Hebr, *mortuus*. Sed obſervant, *Impii etiam dum vivunt cenſentur mortui*. Et ſic loquitur Scriptura Novi Teſtamenti Chriſtus Joh. 5: 25. *Amen, amen dico vobis, hora venit, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, vivent.* Luc. 9: 60. *Sepeliant mortui, ſuos mortuos.* Paulus Eph. 2: 1, 5. *mortuos in tranſgreſſionibus & peccatis, in quibus ambularunt, vivificavit una cum Chriſto.* Cap. 5: 14. *Evigilate qui dormitis, & ſurgite à mortuis, & illuceſcet vobis Chriſtus.* Hic tamen agitur non de mortuo tantum in peccatis, potuit talis reſipuiſſe, quemadmodum Achan, & alii malefici, ſiquidem Deus eis ſub extremum largiatur reſipiſcentiam; ut latroni in cruce; ſed qui judicio humano mori debet, cui mors irroganda, ut eſt Heb. 10: 21. *Si quis legem Moſis irritam reddiderit, moritur ille ſine miſericordia ſub duobus aut tribus teſtibus.*

Porrò & hoc ſingulare eſt, quod de *modo exſecutionibus* mandatur, verſ. 7. *Manus teſtium prima contra ipſum* erit, *ad necandum eum, deinde manus totius populi.* Deut. 13: 9. Apud Hebræos non fuit conſtitutus carnifex aliquis; ſed ordinarii miniſtri judicii fuſtigabant flagellandos in præſentia judicum; in pœnis autem capitalibus totus populus exſequebatur. Etenim eſt actus juſtitiæ, cujus inſtrumentum eſſe honorificum eſt. Hæc omnis dignitas magiſtratus Rom. 13: 4. Deus ſubinde ſua manu ſontes tollit Job. 34: 30. uti Sodoma Lam. 4: 6. alias manum hominum adhibet, vid. Magiſtratus, qui, quod ſibi proprium eſt, vindictam exerceant, utuntur illi ad hoc exercitium manibus unius, pluriumve; qui tum omnes gerunt gladium Dei: quod utique non poteſt non eſſe honorificum: ſiquidem non aliter utantur, quam uti Deus uſurpandum mandavit. Sed hodie invaluit opinio, minus honeſtos eſſe ſingulos exſecutores: perverſo judicio plane, & ex odio juſtitiæ profecto. Peccare non cenſetur inhoneſtum, ſed propter malum puniri. Et qui actum Dei exercet infamis magis eo, qui actum exercuit Diaboli. Quid enim talis idololatra, homicida, quam qui opus Diaboli fecit; carnifex agit opus Dei, & hic ſi illum tangeret, infamaſſe creditur. Atqui non iſte occidit hominem ſed magiſtratus, ſed Deus: nam ille nihil ex ſe agit. Scil. manu homicidæ, qui inſtigante Diabolo & cupiditatibus ſuis, perimit alium, cadere honeſtius; quam ubi Dei gladius vibratur. Imo ſua manu & voluntate occidi cenſent honoratius, quam à Dei miniſtro, ne ſe Deo reos confiteri videantur; ſic qui milites deligunt ſodales à quibus ſclopetis necentur: Abimelech à ſervo ſuo ſe occidi jubens, ſemetipſum necaſſe cenſendus eſt Jud. 9: 5. Milites omnes ſunt quod carnifices, quia unus multis millibus puniendis non ſufficit, ſed illi non ſolum Deum & magiſtratum, ſed etiam ſuos affectus ſequuntur, eoque non ſolius Dei miniſtros agunt. Digniſſimi olim fuerunt exſecutores, Levitæ contra idololatras Exod. 32: 36. &c. eapropter Deo chariores. Benaja juſſus à Salomone, contra Adoniam, Joabum, Simei 1 Reg. 2. cap. Imo hîc in lapidatione, univerſus populus. Ordo autem obſervatus. Primum manus teſtium; valuit illud ſemper. Qui actionem capitalem inſtituebat aut raborabat ſuo teſtimonio, debuit etiam primus exſecutor eſſe. In lapidatione quidem educebatur damnatus extra urbem, & in loco editiore nudatus veſtibus & ligatus manibus, ab uno teſtium feriebatur lapide in regione lumborum; ſi hinc non moriebatur, grandior lapis, quantum duo homines tollere poterant, à teſtibus projiciebatur ſuper regionem cordis; & nondum necato, ab univerſis conjiciebantur lapides, uſque dum exſtinctus eſſet. Sic actum cum Stephano, teſtibus ſuas veſtes deponentibus, ut ad exſecutionem eſſent expeditiores. Omnes ergò carnifices, & primi teſtes. In ordinatis judiciis ita fiebat; quod nunc abhorrent; cum in minus ordinatis probetur. Quando maleficus aliquis, qui extra poteſtatem magiſtratus eſt, declaratur **vogel vzp**/ ut cuivis fiat poteſtas ejus necandi, omnes conſtituuntur carnifices; qui ſententiam exſequuntur.

Eſt

Est vero quod animare queat, *finis actionis*, qui eam justificat, & *Amovebis malum è medio tui.* Hoc faciendum judicibus, hoc testibus, hoc exsecutoribus. Imitatio Dei in eo est Ps. 5: 5. Ps. 119: 119. Lev. 20: 7. cum de puniendis malis loquitur, ait, *propterea sanctificate vos, & estote sancti; nam ego sum Dominus Deus vester.* David Ps. 101: 8. In urbe in terra Domini non decet tolerare eos, qui Deo prorsus dissimiles, & jurati hostes sunt. 1 Cor. 5. vers. ult. ubi quoque infectionis metus. Accedit si non tollantur impii, sed quivis eos toleret, propter ipsos Deus tandem omnes tollet, Contulisse aliquid ad minuendum malorum numerum pietatis est.

Caeterum hic quaestio est. *An idem nunc statuendum contra idololatras, ut judicio magistratus necandi pronuncientur.* Resp. Alia est ratio Israelis, populi singularis, non miscendi cum aliis populis: quibus mandata omnium Cananaeorum exstirpatio, ut soli forent citra consortium idololatrarum; & propterea non ferendi qui ex ipsismet ita peccarent. Christiani ex omnibus nationibus vocantur in coetus sacros, sed ut ex mundo non exeant; verum ut etiam ex idololatris adsciscant, siquidem deserant idololatriam, non autem inter se tolerent fraterno titulo. Sic cum iis non comedendum; attamen conjugem infidelem habenti, dummodo cohibitationem ferat, non est discedendum, 1 Cor. 7: 12. tantum abest ut accusatio instituenda, quemadmodum Deut. 13: 6. Magistratuum est impedire exercitium idololatriae, ne ad seductionem faciat; sed contra idololatras sic procedere non potest, neque ejus in N. T. mandatum ullum est. Opera danda est ut convertantur ab idolis ad serviendum Deo. Denunciandum, idololatras non habere partem in regno coelorum; sed necandi ob illud crimen non sunt, nisi seditioti sint. Alioqui etiam alii omnes qui idololatrae sunt, quoad mammonam & ventrem essent necandi. Laborandum ut destruamus quivis idololatriam mundi & cupiditatum terrenarum, & vivamus honeste inter idololatras, ut convincantur de veritate nostri cultus, Dan. 3. & 6. & Deum celebrent in die visitationis 1 Pet. 2: 11, 12. Sic non destruemus corpora idololatrarum, sed servabimus eorum animas, ut nobiscum exspectare queant filium Dei Jesum, ad gloriam Dei, & salutem nostram sempiternam.

Rex Josaphat secundam reformationem instituens, postquam in bello contra Syros, quod in gratiam Achabi una susceperat, mirabiliter servatus esset, primum id dedit operam, ut populum faceret redire ad Dominum Deum patrum ipsorum; adeoque ut religionem veram restitueret, & ab omnibus exerceri faceret 2 Chron. 19: 4. deinde politiam quoque emendare aggressus est, ut jus & justitia ubique vigerent, quo fine judicia rite instituenda, ac Judices ad officium faciendum adstringendos duxit. Judicia memorantur trium generum, per quae omnia debuerunt administrari. Particularia, judices constituendo *in terra, in omnibus urbibus Judae munitis, cuivis urbi.* Fuerunt ista judicia tum triumvirûm de rebus pecuniariis, & quae non nisi mulctam irrogare possunt, aut poenam vitae non nocituram; tum XXIII. virûm, de rebus capitalibus, & ubi mortis poena sontibus infligitur; quibus nulla urbs, nullus pagus destituendus fuit, ut utriusque generis, vel saltem, si minor esset, paucarum familiarum, prioris haberent; ne ataxia obtineret, & peccare impune foret. Universale, Hierosolymis ex Levitis & Sacerdotibus, & Capitibus patrum Israelis, super judicio Domini, & super omnes lites; videlicet graviores. Hoc fuit judicium LXXI. virûm, quod Synedrium magnum dicitur, & ex Lege Dei omnia definiebat, adeoque divinum judicium, divinae institutionis. Denique Universale aliud, sed humanae autoritatis: Nam praeter judicium de rebus Deum attinentibus, quae legibus Dei definiebantur, & juxta illas erant judicandae, fuit aliud de rebus Regem attinentibus, quae statutis regum definiebantur, & juxta has dijudicandae erant. Omnia autem ista constituit juxta ea quae Moses desuper declaraverat, de religione quidem satis evidens; quando omnia à Mose heic praescripta eò redeunt, ut Deus ametur, timeatur, ei serviatur, & adhaereatur, Deut. 10: 12, 20 quod fieri nequit, nisi qui declinarant aut discesserant à Deo, ad eum rursum redeant. Politiam vero quod concernit & Judicia eorumque diversitatem, secutus est quae hoc capite continentur. Etenim heic loquitur de judiciis particularibus singularum urbium vers. 2--7. de universali, Synedrii maximi vers. 8--13. de Rege & ejus jurisdictione propriâ. vers. 14--20.

Vers. 8. *Si occulta erit res tibi in judicio ferendo inter caedem & caedem, inter litem & litem, aut inter plagam & plagam, è rebus controversis intra portas tuas: tunc surgens ascendens ad locum quem elegerit Jehova Deus tuus.*

II. Vidimus Judicii genus primum, & quam habeat potestatem in casu idololatrae privati, non seductores aliorum. Nunc spectandum genus alterum, *Synedrii summi*, de quo docet I. quaenam causae in hoc judicio tractandae. vers. 8. II. Judicii descriptionem, à loco, à personis judicantibus, à sententia quam pronuncient vers. 8, 9. III. quae autoritas judicii, ut obsequendum sit citra contradictionem, vers. 10, 11. aut poena subeunda severissima. vers. 12, 13.

A. Quaenam *causae* hîc *tractandae* vers. 8. indicatur: ubi quorum illae sint, & de quibus rebus.

B. *Quorum* sint colligimus ex verbis, *Si res aliqua tibi fuerit difficilior ad judicium.* Loquitur judicibus, cum quibus & egit vers. 2. &c. qui in judicio sedent, & de causa proposita judicare debent. Hi si haesitent, mandatum hic habent adeundi, synedrium summum. Unde observandum, nihil hic disponi de Appellationibus, ut partes quae se judicio gravatas putarent, aliud superius judicium adire, & de sententia latâ provocare possent. Non occurrit talis constitutio in lege Mosis. Judicarunt judices sine provocatione, quivis de causis foro suo propriis; neque fuit Judiciorum subordinatio. Extraordinarius quidem dabatur conventus omnium tribuum: cum alias una super alteram non haberent jurisdictionem; qui oppressam justitiam poscerent vindicari, si judices non animadverterent in profligate malos, & bello quoque vindicabant, si nil impetrarent verbis. Jud. 20. & Jos. 22. contra integrarum tribuum factum. Sed ordinarium non fuit. Non legitur quoque exemplum provocationis in Israele. Non provocavit Naboth à judicibus, innocentem per falsas testes condemnantibus ad mortem, 1 Reg. 21. Non Jeremias à sententia Synedrii Jer. 26. sed principes sua sponte accurrerunt, & novam cognitionem instituerunt. Noluit Deus lites in longum trahi; quemadmodum per provocationes fieri solet: sed brevi manu decidi. Scripserat Deus, leges satis claras, & processum sic ordinarat, ut per testes sufficientes probanda actio esset; qui ipsi testes judicio suberant gravi, ut si quid falsi testarentur destinato consilio, idem pati deberent, quod suo testimonio alteri allaturi fuissent vel procurassent damni. Qui testibus carebat, potuit adjuratione conscios omnes excitare ad testandum. Lev. 5: 1. Ubi res sine testibus peracta fuisset, à Judice deferendum fuit jusjurandum, quo se reus purgaret. Exod. 22: 11. Atque super his sententia pronuncianda fuit. Provocationes non ad finiendas lites faciunt, sed ad augendas; & per eas saepissime non juvantur qui se laesos putant, sed majori damno mactantur, dum & temporis, & pecuniae jacturam majorem faciunt, & discunt contendere. A quo Paulus Christianos alienissimos esse vult, 1 Cor. 6: 7. *An nescitis, injustos regnum Dei non esse haereditaturos?* Christus omni modo transigendum suadet, ne in judicium res deducatur, Matt. 5: 25. Luc. 6: 29. Matt. 5: 39. potius quam vindictam quaeratis, ne resistite malo; potius alteram injuriam ferte, colaphum in alterâ malâ; alterum damnum praeter togam & pallium cedentes: Tantum abest, ut voluerit multiplicari lites, & ex una plures gignere. Equidem sequendum in judicium, si quis vocetur; vocare etiam alium licet, si quis laesus sit, 1 Cor. 6. alioqui non opus foret ordinare qui dirimant controversias de rebus ad vitae sustentationem pertinentibus: veruntamen Christiana mansuetudo poscit ut potius privatim componantur vel condonentur dissidia, quam ut jus strictum persequamur, siquidem cum fratribus res sit: quorum est mutuum amare. Attamen ubi indicia dantur subordinata, 1 Pet. 2: 13. ut inferius superiori ad rationes reddendas teneatur, & ubi lege appellationes introductae sunt, iis uti licet, ad innocentiae defensam, quemadmodum factum à Paulo Act. 25: 11. qui alias jure curi-

civitatis Rom. ſe tuitus eſt. Actor. 16. verſ. 37. & 22. verſ. 25.

a. Verum ſi non detur appellatio, poteſt quis ab injuſto judice opprimi? Reſp. Poteſt hoc fieri ab omnibus qui ſuperiorem non agnoſcunt, neque ibi remedium; nam alias iretur in infinitum. Unica appellatio eſt ad Deum, qui omnibus ſuperior. Qui opprimitur in judicio peregrinus, pupillus, vidua, mercenarius, egenus, ſi ullo modo ad Deum clament aut ſuſpirent, Deus ſe vindicem fore dixit Exod. 22: 23. Sic factum à Chriſto 1 Pet. 2: 23. Atenim Deus aliter cavit, ne Judices tam facile heic delinquerent. Primum enim noluit in judiciis ordinariis unum eſſe judicem, cujus proclivior futura erat declinatio, ſive ingenii, ſive affectuum vitio. In minimis cauſis, βιωτικὰ dicuntur Paulo 1 Cor. 6: 4. judices fuerant tres; in capitalibus viginti tres; in maximi momenti & ad univerſitatem ſpectantibus ſeptuaginta & unus. Regium enim non inſtituit, ſed permiſit Deus, & cum ſemel Iſraeli placuiſſet confirmavit: uti & militare abſolutum ducis, humanæ ordinationis eſt Joſ. 1: 18. Atqui in eâ multitudine ſperandum erat ſemper aliquos fore juſtitiæ patronos, quemadmodum in Judicio contra Chriſtum, Joſephus Arimathæenſis & Nicodemus non ſunt adſenſi; & Gamaliel ſe oppoſuit multitudini Synedrii, & moderationem perſuaſit. Act. 5. Sed porro cautionem magnam imperavit Deus ipſis judicibus ne præcipitarent judicium, & quia provocatio non dabatur, pronunciarent quicquid placuiſſet, atque exſequerentur: verum ut ſolicite meditarentur, & ſi quid difficilius foret, definitionem differrent, imo ne quidem multitudini ſuffragiorum cederent. Exod. 23: 2. Relatio facienda fuit, non à partibus, ſed à judicibus ad Synedrium ſummum: uti ſequentia docent. At quanta hinc naſcebatur ſolicitudo Judicibus, quamcunque ſententiam dixiſſent, ſiquidem collegis aliud videretur, neque mutuum probare ſibi ſuam ſententiam poſſent, debuere ipſi rationes reddere & exſpectare deciſionem. Quam multa definiuntur, quorum ratio nulla eſt, præter placitum, aut mala eſt, quam puderet profiteri. Meditatæ debuerunt eſſe leges divinæ, ut iis conſentanea dixiſſe demonſtrari poſſet.

2. De *quibus* porro rebus referendum: in genere, *Si res mirabilis tibi fuerit ad judicium.* *Mirabile* eſt omne illud quod vel ſapientiam vel potentiam noſtram excedit. Cujus cauſas & rationes non perſpicimus, id admiramur. Mira faciunt validi, & ſapientes, eorum judicio quibus tantum ſapientiæ & roboris non eſt. Hinc mirantur fere omnia rariora ſibi pueri & ſimplices ac imperiti, quæ adultis, artificibus, nihil admirandum habent. Apud Deum nihil mirum. Jer. 32: 27. Zach. 8: 6. quamvis mira ſint hominibus quæ agit, qui nec ſapientiam ejus, nec potentiam ſatis aſſequuntur. Pſ. 118: 23. Nomen Meſſiæ eſt mirabilis, Eſa. 9: 5. Multa in rebus humanis accidunt mirabilia, quo non illico penetrat noſtra ſapientia, & in judiciis cauſæ adeo poſſunt eſſe intricatæ, ut veritatem illico aſſequi non ſit proclive. De rebus facilibus & manifeſtis non eſt referendum, ſed de obſcuris, & quæ excedunt captum: quod quidem profiteri non debet videri turpe: quandoquidem non omnibus eadem dona donorumque gradus ſunt. Arrogant nonnulli ſibi omnem ſapientiam neque ferunt ut ea vocetur in controverſiam, & hoc ſibi dignitate muneris præſtare putant, ne quid ſibi mirabile ducant, aut ab aliis de ſe judicare liceat. Davidis humilitas laudabilis Pſ. 131: 1. cor meum non eſt elatum, neque oculi mei alti, neque ambulavi in iis quæ mihi magna ac mirabilia nimium; maluit eſſe inſtar ablactati pueri, quam ut ſuperbiret ſua ſapientia.

In ſpecie, *inter ſanguinem & ſanguinem*, &c. Quidam ſanguinem purum vel impurum intelligunt, & plagam de lepra ejuſque varietate: Sed male: nam hæc ad ſolos Sacerdotes pertinebant, quorum erat pronunciare in alterutram partem. Quamvis Medici judicaſſent de plaga aut ſanguine, nihil inde impuritatis accedebat patienti, ſed hæc à Sacerdotis voce pendebat. Præterea de his non judicabatur in portis urbium; adeoque non veniebant ad cognitionem judicum, nedum ut inter eos potuerit deſuper naſci diſſidium ſententiarum aliò referendum. Sed inter ſanguinem noxium & innoxium, eſſetne homicida necandus vel relegendus in ſuum aſylum: vel etiam ut in fure nocturno dimittendus prorſus: inter litem & litem; de cauſis pecuniariis, aut etiam eſſetne pecuniaria vel capitalis, ut de fori competentia naſceretur inter judicia diverſa controverſia; inter plagam & plagam, de contuſionibus, vulneribus, mutilationibus, ſimilibuſque: res litigioſæ quæcunque quæ in portis ſeu particularibus judiciis fuerunt agitatæ, quicquid circa partes, aut teſtes poterat litigioſum fieri: ſiquidem qui aderant judices non poſſent ſeſe expedire.

Heic unum obſervandum, Relationem ad Synedrium faciendam à judicibus ſolummodo fuiſſe de cauſis civilibus, in portis diſceptatis, nunquam de religione, ut articulos fidei ab ipſis condi, & controverſias religionis decidi poſcerent. Hoc tandem volunt Hebræi, qui hinc totam legem oralem ejuſque autoritatem deducunt; nolunt rogandum fuiſſe Synedrium de lege ſcripta, utpote omnibus expoſitâ, ſed de lege non ſcriptâ, & quæ ſcriptæ derogaret, vel abrogaret, irrefragabili autoritate. Verum textus id non habet; & ſpecies enumeratæ id non ferunt: 2 Chron. 19: 10. *omnem litigium quod à verbis talibus, qui in urbibus ſuis habitant, ad vos veniet, inter ſanguinem & ſanguinem, inter legem, & præceptum, & ſtatuta & judicia.* Quando ambigerent quæ lex, quodve ſtatutum violatum, quod item regula decedendi eſſe deberet. Attamen Pontificii adſentiuntur Judæis, qui judicium de religione, etiam contra & præter Scripturam Synedrio ſuo, Conciliis, ſeu potius Papæ & Cardinalium collegio vendicant: qui tamen longe minus hic pro ſe habent, quum ſimilitudo cum Synedrio Judæorum, nulla ſit: quod deinceps patebit.

B. *Judicii deſcriptio* ducitur I. à loco, II. à judicibus, III. à reſponſo ſeu ſententia.

א. *Locus* eſt verſ. 8. *& ſurges & adſcendes ad locum quem Dominus Deus tuus eliget.* Judices illi qui ſe expedire ipſimet non poſſunt, ſurgent, adeoque non ſedebunt ad pronunciandam ſententiam, de quâ deinde alii judices cognoſcant, multo minus exſequentur quod pronunciaverint: ſed ſufflamminabunt deciſionem, detrectabunt judicare, ne male judicent. Hoc enim crimen habet, illud vitio caret, imo laudandum eſt. Surgent autem non ut rem indeciſam relinquant, ejus negligentes; quod foret officio contrarium: ſed ut aliunde petant definitionem. Adſcendent autem ad locum à Deo electum. Sæpius ille deſcriptus fuit antea, ubi tabernaculum foret erectum, quod primum fuit collocatum in Silo tribus Ephraim, quia Joſua judex à Deo conſtitutus de illa tribu fuit, qui ſibi proximum eſſe voluit. Saul Benjaminita tranſtulit in ſuam tribum, primum Nobam, & tum hac deſtructâ Gibeonem. Salomo vero collocavit Hieroſolymæ, ædificato iſtic templo non removendo. Hunc locum Deus quoque delegit ad conſeſſum hujus judicii. Erat enim locus ille communis omnibus tribubus, & qui omnibus debebat eſſe venerabilis. Nam licet Hieroſolyma in tribu Juda maximam partem ſita erat, tamen erat communis omnibus, eo convenientibus ad feſta anniverſaria, adeo ut publici foret juris, & cuivis ad pernoctationem paterent domus. Sed porro, fuit hoc judicium Domini, ratione ſingulari. 2 Chron. 19: 6. Judices quicunque in urbibus judicium exercebant non homini, ſed Deo, qui ipſis in judicio aderat cognitor. Sed verſ. 8. Synedrium Hieroſolymæ fuit ſuper judicio Domini, in omni re Domini verſ. 11. ut de ipſis legibus Dei, & eorum interpretatione quæſtio foret. Ergo ubi Dominus ſuum tabernaculum collocatum habebat, ibi quoque conſeſſum illum Judicum voluit haberi: ut ſub ſuis quaſi oculis id fieret, ad majorem tam Judicum quam quærentium reverentiam excitandam. Hinc proxime ad tabernaculum ſederunt Synedritæ, & ſtructo templo, in atrio ejus conclave fuit magnificum, huic judicio deſtinatum. Non habemus nunc talem ſingularem locum electionis divinæ, eoque nec tribunal iſtic poſſumus inſtituere. Enimvero id cogitandum Deum in quovis loco velle eſſe præſentem ſuâ gratia timentibus ſe Joh. 4: 23. Matt. 18: 20. ſimiliterque in tribunalibus, iis maxime, ubi ceu unicus legiſlator agnoſcitur, & ipſius verbum ſumma lex eſt. Hoc profitentur magiſtratus noſtri. Proinde cogitent & illi, & quotquot coram illis comparent, Deum delegiſſe locum, cui ipſe adſit, & audiat videatque omnia. Profecto iſtud omnibus incutiet reverentiam: Nam an auderent vel litigantes vel eorum patroni quicquam dicere quod falſum, quod faciat ad veritatem, ad innocentiam obſcurandam, turpandam, opprimendam; ad falſitatem & culpam tegendam, fucandam, defendendam? an auderent teſtes quicquam falſi, ignoti ſibi proponere? an aude-

auderet judex, aliud proloqui quam poſceret veritas juſtitia judicium? Timor præſentis Dei retineret omnes; & fieret judicium Dei; in quo ipſius agnoſceretur præſentia, etiam quoad ſententiam.

Obſervanda quoque phraſis *adſcendes*, non quaſi ſemper tabernaculum Dei fuerit loco celſiori, ſed dignitatis habetur ratio; quicunque ibat ad tabernaculum vel templum Dei, dicitur adſcendere, & qui inde recedit deſcendere. Jud. 20: 18. adſcenderunt filii Iſraelis Siluntem; & Elkana, qui habitabat in montanis Ephraim, adſcendebat Siluntem 1 Sam. 1: 3, 21. Hieroſolymam adſcenderunt parentes Jeſu ad paſcha, Luc. 2: 42. cum tamen Nazareth in celſo monte ſita erat cap. 4: 29. Contra deſcendit Hieroſolyma Jerichuntem vir ille Luc. 10: 30. quia inde diſceſſit. Quæ phraſis docet aliquid quod non expreſſum eſt, Act. 18: 22 Paulus cum veniſſet Cæſaream, adſcendit, & ſalutata Eccleſia deſcendit Antiochiam, ubi recte ſuppletum Hieroſolymam profectum fuiſſe, & illam Eccleſiam ſalutaſſe. Adſcenderunt porro inquiſituri vel ſtatim, vel in feſtis annuis, quando nihilominus erat comparendum, ut etiam ſuas difficultates ſibi eximi curarent.

Verſ. 9. *Et adibis Sacerdotes Leviticos, vel ad ſummum judicem qui erit diebus illis: ut conſulas eos, & indicent tibi ſtatum illius judicii.*

2. *Perſonæ* in judicio illo ſedentes, verſ. 9. *Et venies ad Sacerdotes Levitas* (ſive conjunctim, nam omnes ſacerdotes fuerunt Levitæ, utpote ab Aarone deſcendentes; ſive diviſim, ut & illos & iſtos poſſe adhiberi liqueat,) *& ad Judicem, qui erit in illis diebus.* Refert quænam perſonæ poſſint eſſe Judices. Nos rem à primo initio ordiemur. Cum Deus per Moſen eduxiſſet ex Ægypto Iſraelitas, Moſes ſolus jus dixit, Exod. 18. ſed ex conſilio Jethronis inſtituit judices inferiores, & quicquid grave fuit ad ſe referendum dixit. Poſtea cum à Deo inſtruendus eſſet in monte, de tabernaculo, ſuo loco conſtituit Aaronem & Hur Exod. 24: 14. Tandem redux, cum continuo populi murmure vexaretur, deprecatus eſt iſtud onus, & Deus ad ejus preces juſſit 70. viros de ſenioribus & præfectis populi congregare ad tentorium conventus, qui juxta Moſen conſiſterent, & de ſpiritu Moſis acciperent, atque adeo juxta cum illo populi onus ferrent Num. 11: 16. Hæc eſt inſtitutio magni illius Synedrii 70. præter Moſen, prope tabernaculum congregandi. Sed in genere de filiis Iſrael, unde creditur de quavis tribu ſex delectos, unde per ſortem 70. legerentur, duobus præteritis: qui de omnibus tribubus communem curam haberent. Verum hîc Sacerdotes Levitæ & judex memorantur; quandoquidem poſt ingreſſum in terram tribus Levi potiſſimum numerum in eo collegio factura erat. Non quod aliæ excluderentur; ſed quia declinaturæ aliæ erant ceu importunum ſibi munus, quod Levitis oportunum magis fuit. Cum Cananææ poſſeſſionem adiiſſent Iſraelitæ, & unicuique ceſſiſſent agri hæreditarii, horum cultura diſtinebantur, ut vacare nollent publicis judiciis cum neglectu & detrimento rei familiaris Jud. 9: 11, 13. declinatum regimen. Aſt tribui Levi univerſæ non erat portio terræ ulla; ut hac excuſatione non poſſent uti. Vacare ergo poterant publico, qui privatim otiabantur ab agricultura. Otium iſtud dabat quoque oportunitatem Levitis meditandi legem Dei, magis quam aliis, & Deus eis id propterea injunxerat, ut doctores forent populi Deut. 33: 10. unde pararunt ſibi intelligentiam promtam circa omnia judicia, quia non alias leges habuerunt obſervandas quam divinas. Porro ſacerdotibus magno numero fuit commorandum prope ſanctuarium, uti & Levitis, ad miniſterium ipſis impoſitum, adeo ut vi muneris ſui iſtic cogerentur habitare, ubi conſeſſus habendus; quod itidem aliis incommodum erat; unde Neh. 11: 1. pauci reperti qui ſponte vellent Hieroſolymæ habitare debuitque ſorte quibuſdam id imponi. Denique Levitica tribus & ſacerdotes imprimis amplos habebant reditus de univerſo proventu, decimas, quæ fuerunt ipſis ſolvendæ, & oblationes alias ut de alimentis cautum eis eſſet. Functioni ipſi autem ſtata ſtipendia nulla erant, neque ulla fiſci actio, ut mulctisfrui poſſent: poſtmodum ex regio jure illa originem duxerunt, Deus non imperavit confiſcationem bonorum, quæ cederent judicibus. In anathemate cedebant Deo pro Sacerdotibus, hominibus necatis; alias trucidatorum per judices hæreditas, devolvebatur ad liberos & conſanguineos. Mulctæ; quæ indicebantur, cedebant læſo, non judicibus. Hac de cauſa nemo ambiebat munus judicis, quod citra emolumentum id gereret, rei familiaris onere ac damno. Ergo Levitis relictum iſtud fuit, qui ſaltem maximum fecerunt numerum. Hinc factum fuit, ut tempore Chriſti & Apoſtolorum tot Sacerdotes reperirentur in Synedrio, & quotquot erant generis ἀρχιερατικοῦ Actor. 4: 5, 6. cap. 5: 21, 24. Matt. 26: 59. Luc. 22: 66. Joh. 11: 47. quamquam & alii interfuerint, Presbyteri, ſeu Seniores populi. Quemadmodum Joſaphat in eo collocavit Levitas, & Sacerdotes & Capita patrum Iſraelis 2 Chron. 19: 8. Imo David rebus feliciſſimis Levitas potiſſimum adhibuit judiciis eapſe de cauſa, 1 Chron. 23: 4. Levitarum 24000. fuerunt, cap. 26: 29. Equidem ex Juda quoque adſcivit judices, Pſ. 60: 9. Juda legiſlator meus; ſed id potius factum circa res regis, quæ non poterant ex lege Dei definiri; & ubi ad ſuam ſecuritatem, maluit tribules adhibere, uti Saul Benjaminitas 1 Sam. 22: 7. tametſi etiam hic indiguerit Levitarum ope, 1 Chron. 26: 30. Baſabja & fratres ejus fuerunt etiam ad miniſterium Regis. Saltem ex dictis appareat in Synedrio Levitarum fuiſſe aliquam copiam neceſſitate non legis, ſed hominum, quid id muneris detrectabant, unde pro magno labore præter honorem nullum erat lucrum. Et ſane fuit hæc ratio optima ad præcidendum ambitum, quo plurimos ſtimulat avaritia, cui uberem proventum promittunt; damnum autem aut lucrum ceſſans averſantur: & ut capeſſerent Remp. qui eam quæſtui non eſſent habituri. Quanquam ſeqq. temporibus, & moribus in deterius proficientibus, à magiſtratibus artes diteſcendi inventæ fuerint, per munera & compenſationes acceptas, imo poſtulatas, per injuſtas oppreſſiones, & populi vendicationes: quod prophetæ queruli teſtantur. Sed fuere tamen præter Levitas etiam alii in Synedrio. Memoratur heic judex; is qui ſimili cum Joſua poteſtate præfuit populo, atque is ſemper fuit præſes judicii, quem etiam principem vocarunt: Attamen iſte locus quandoque fuit Sacerdotis ſummi, ſiquidem judicem ageret, ut Eli, aut alius Judex deeſſet. Hinc mentio Sacerdotis aut Judicis verſ. 12. quia alteruter adfuit, & præfuit: Quocirca dicit verſ. 9. Judex qui erit in illis diebus. Nam ſi non foret judex ejuſmodi, vel non ſimilis prioribus, nihilominus judicium agnoſcendum & adeundum fuit.

Quæſtio heic oritur. Quum Sacerdotes & Levitæ olim non modo locum habuerint in judiciis, ſed fere plurimi fuerint in eo ordine, quorum munus ex Dei ordinatione fuit ſacrum; annon etiam nunc in N. T. poſſint & debeant magiſtratum gerere? Reſp. ſic quidem ſtatuunt Romanenſes, & qui maximi dignitate in Eccleſia, Epiſcopi, etiam ſunt principes ſeculares. Quod & Euangelicis nonnullis placet. Verum habemus contrarium mandatum Chriſti, tum quando prærogativa ejuſmodi petebatur filiis Zebedæi à matre, Matt. 20: 25. Noſtis, inquit Chriſtus, principes populorum dominari ipſis, & Magnos uſurpare poteſtatem in illos, ſic autem inter vos non erit, tum in ultima cœna, cum de primatu contenderent, Luc. 22: 25. Reges populorum dominantur ipſis, & qui poteſtatem in illos habent vocantur energetæ; vos autem non ſic. Exemplum Chriſti quoque Luc. 12: 13. poſcente aliquo, ut fratrem ad herciſcundam cum ipſo hæreditatem juſſu ſuo adigeret, reſpondit, *Homo, quis me conſtituit judicem* vel arbitrum ſuper vos? Sic ergo prohibentur, cum olim lege autorarentur. Olim leges Judæorum politicæ æque ac aliæ à Moſe deſcriptæ erant, quarum normam in judicio ſequentes rem Dei agebant. Verum nunc non ſolum Scriptura eſt corpus juris quod obſervandum, verum etiam innumeræ leges humanæ; quomodo res hominum agerent. Illarum ſtudium neceſſarium fuit Levitis, & eſt miniſtrorum; ſed harum illis impedimento eſt. Sed porro impediuntur muneris negotiis. Olim nemo plus otii habebat, ut vacare hic poſſet: nam ſacra munia intra unius populi cancellos claudebantur & erant exercitamenta fere corporalia, in uno loco tranſigenda, ubi per vices duntaxat poterant miniſtrare. Aſt nunc meſſis major, & operarii pauci, Matt. 9: 37. labor non in uno loco, ſed ubique: non cum una natione, ſed docendæ omnes gentes, omnis creatura humana. 2 Tim. 2: 3, 4.

Ut

Ut bonus miles Chriſti: nemo autem qui militat, immiſcet ſeſe negotiis hujus vitæ ſed ut placeat illi, qui in militiam adſcivit. Atque judicia iſta ad hujus Jer. 6: 4. vitæ negotia pertinent: faciuntque ut imperatori Chriſto diſpliceamus. Neque tamen eſt quod inde aliquid credamus decedere. Sunt quidem magiſtratibus ſubjecti, ſicut cæteri, cum omnis anima teneatur Rom. 13: 1. attamen habent aliud quo emineant. Sunt miniſtri Dei ambo, ſed Magiſtratus adminiſtri juſtitiæ & vindictæ, unde, Elohim dicuntur: ipſi licet citra communicationem nominis, adminiſtri gratiæ. Ambo gladio Dei inſtructi; Magiſtratus corporali ad cœrcitionem corporum, quæ necare poſſunt, non autem quicquam nocere animæ: aſt ipſi ſpirituali, & armatura quæ corda & cogitationes hominum ſubigere poteſt, In quo honore ipſis acquieſcendum. Pſ. 149: 9 hæc erit gloria omnium benignorum ejus.

Quando agger perfoditur, non eſt in poteſtate facientis ſiſtere aquam ne plus irrumpat, quam velit, ſed illa magno impetu viam adeo patentem facit, disjectis omnibus repagulis, ut longe lateque agros inundet, & obvia quæque ſubvertat. Eodem modo ſe habet lis, & contentio; qui eam incipit, non æque facile terminat, & ex tenui initio latiſſime diffunditur, adeo ut nec temporis nec damni modus ſit. Quemadmodum ergo ad minimam aggeris rupturam concurritur ad obſtruendum, ne aqua viam inveniat; ita quoque ad litis exortum ſtatim laborandum, ut ea terminetur. Omnis litis autor Diabolus eſt; Deus eſt Deus pacis, & omnia quæ condidit pacifica fuerunt. At Satanas adverſarius litem primus cœpit contra Deum, quem calumniatus eſt ceu invidum: contra hominem, quem dominio ſuo in terra ſpoliavit, ſibique ſervum fecit, ſimulque hoſtem Deo & ab eo tempore litium nullus finis. Quicunque ſunt de ſemine ſerpentino, ſerpentes, progenies viperarum, contentioſi ſunt, Rom. 2: 8. οἱ ἐξ ἐριθείας. Nomen רשעים inquietos notat, deſcriptos Eſa. 57: 19, 20. Huic furori fluctuum Deus ſolus obicem ponere poteſt: quemadmodum mari arenam ſtatuit terminum, quem non tranſeat Job. 38: 8. Jer. 5: 22. Sic Pſ. 65: 8. Patitur inimicitiam vigere in mundo, ſed egredi mundum non ſinit; pii quando mundo egrediuntur per mortem ingrediuntur in requiem Eſa. 57: 2. alias in mundo habent afflictionem Joh. 16: 33. uti qui in mari navigant, nec compoſitionem cum principe mundi & ejus exercitibus inire poſſunt aut debent. Verum non eſt hæc una inimicitia & contentio, quæ inter homines viget; Multiplices aliæ ſunt; quæ tamen omnes ex radice corruptionis pullulant, contrariæ illi regulæ fundamentali, Diliges proximum ſicut te ipſum. In iis quæ non concernunt directe inimicitiam à Deo poſitam cum ſerpente & ſemine ejus obviam eundum eſt, ne ad majorem redundet perniciem. Atque heic quidem cuivis laborandum, quantum pote, ſive propria cauſa agatur, ſive aliena, ſed inprimis iis, quibus id muneris Deus ſigillatim demandavit. Hi ſunt Magiſtratus & judices, inſtar eorum qui cataractis præfecti, aggeres tuentur, & refici ruptos quamprimum curant. Judicia enim hoc fine conſtituta, ut lites quantocyus finiantur, ne augeantur odia, & damna. Sic enim ex voluntate Dei ordinavit Moſes. Judicia triumvirûm de rebus pecuniariis, & quæ vitam non tangerent, & XXIII. virûm de capitalibus & quæ de vita quoque ſtatuerent. Sed coordinata ea fuerunt, non ſubordinata, quo clauderetur ſtatim ruptura, ne per provocationes magis etiam aperiretur. Quin imo Synedrium majus LXXI. virûm, non fuit ordinatum ad provocationes, cum non partes litigantes, ſed judices ipſi eo deferrent, quod ſibi difficile; & hic quoque brevis fuit deciſio, cui non licuit repugnare. Quemadmodum iſtud reliqua, quæ de hoc judicio loquuntur, definiunt, ad obſtruendum omnem contentionem.

2. *Quomodo exercendum* ſit, verſ. 9. *Et inquirent, & indicabunt tibi negotium judicii.* Claret exinde, quod nuper diximus, Sanhedrin iſtud non fuiſſe inſtitutum ad provocationem litigantium. Non diſputatur hic in utramque partem, quis rectum vel iniquum poſcat; ſed venitur tanquam in ſcholam, ut diſcatur quid verum falſumque, æquum aut iniquum ſit. Inquires, tu qui difficultate aliqua impediris, ne pronunciare velis, magna curâ & ſolicitudine, adeoque propoſitis omnibus iis quæ morantur. Et ipſi indicabunt, uti præceptores diſcipulis; non dicitur eos judicaturos, ſed ſolum indicium facturos de eo quod quærentibus judicandum eſt. Plenius id deſcriptum eſt 2 Chron. 19: 8. Joſaphat Conſeſſum illum inſtituens rurſum Hieroſolymæ, ſuper judicio Domini, & ſuper lite, mox declarat, quid agendum fuerit ipſis; deferentibus judicibus, quod decidere non poterant, de ſenſu legum & conſtitutionum divinarum, nude judicium ducendum erat; והזהרתם אותם Adhortationis ſeu inſtitutionis nomine venit eorum reſponſum, non judicii: qui illuſtrarent & convincerent mentem inquirentium. Quomodo ſi eos non informarent, cauſa erant reatus judicibus male judicantibus, & iram Dei excitabant, & contra ſeipſos, doctorum munus negligentes, & contra judices, qui non rite edocti pronunciarent. Fuit proinde Collegium Doctorum, qui interrogantibus & reſpondebant de jure, & interpretabantur ambiguas aut obſcuras leges, ut quod ſibi judicandum foret ſcirent. Hac de cauſa ſedebant quotidie, à jugi matutino ad juge veſpertinum, & reſponſa dabant conſulentibus, præſente, ut Hebræi teſtantur, magno numero diſcipulorum & auditorum. Neque alia fuit Judæorum ſumma Academia. Paulus refert ſe ad pedes Gamalielis fuiſſe inſtitutum, Act. 22: 3. quem præſidem Synedrii fuiſſe agnoſcunt, & Scholæ rectorem. Proinde ſapientiſſimos doctiſſimoſque eſſe oportuit, qui in hunc conſeſſum adſciſcerentur; & una cauſarum hæc, de adſciſcendis Leviticæ tribus hominibus, quia horum opus unum poterat & debebat eſſe ſtudium divinæ Legis. Nam quomodo interpretarentur Scripturam, qui non legiſſent, neque meditati eſſent? quomodo informarent alios de jure, qui juris imperiti forent? Quantum vero in eo beneficium, Deum inſtituiſſe tale Collegium, ad publicam ipſorum judicum inſtitutionem, & antequam judices facerent, & quando judices jam eſſent conſtituti.

Conſilium iſtud ſecuti ſunt Chriſtiani Magiſtratus ſummi, in ſuis ditionibus inſtituentes Academias, ubi Doctores & juventutem docerent, & ſubinde etiam judices ipſos conſulentes informarent. Sed quod Synedrium communiter egit, partito iſtic agitur, de litibus & legibus humanis reſpondent J. C de lege & præcepto, & ſtatutis quæ verbo Dei comprehenſa ſunt, reſpondent Theologi: quibus deinde alii ſociantur, quæ porro ad ſapientiam in ſocietate humana exercendam pertinent juventuti inculcaturi. Talem Belgii provinciæ pleræque etiam habent; ſed optandum foret, ut major ejus haberetur cura, & quod olim rite conſtitutum, non ſineretur collabi. Cujus cum aliæ cauſæ ſunt, tum impoſtorum nonnullorum impudentia, qui extra eam intraque biennium, eruditos doctores ſe facturos pollicentur, quum nec ipſimet intelligant leges & præcepta; nec aliis declarare ſatagant, ſimplici traditiva contenti. Sed non eſt hæc querela hujus loci. Enimverò licet hic non aliter proponantur nobis quam qui conſulti reſpondeant, tamen habuerunt quoque Judicium proprie dictum. Etenim de Pſeudoprophetâ cognoſcebat & judicabat hoc Synedrium. Joh. 1: 19. miſerunt Hieroſolymâ Sacerdotes & Levitas ut inquirerent in Baptiſtæ perſonam & doctrinam. cap. 7: 32. Phariſæi & Pontifices mittunt miniſtros ad apprehendendum Jeſum. cap. 9: 22. decreverent confitentes Jeſum eſſe ejiciendos Synagoga, & in cœco ſanato exſecuti ſunt. Luc. 13: 33. non contingit prophetam necari extra Hieroſolymam. Sic Jeſus & Apoſtoli in iſtud judicium pertracti fuerunt hiſtoria teſte. Rurſum judicabant de urbe apoſtata, de bello contra hanc, aut alios quoque ſuſcipiendo. Præterea examinabant Sacerdotes, an omnibus dotibus neceſſariis inſtructi, vel aliquo vitio inepti forent ad functionem; quorum iſti nigris induti veſtibus dimittebantur domum, ſeclusi ab honore; illi albis amicti illico ad altare accedebant, cum cæteris miniſtraturi. Adhæc ipſi adſciſcebent alios in defunctorum collegarum locum (Sed horum multa eis ademta, cum Reges dominarentur. Hi enim de bello & pace ſtatuerunt deinceps, & ipſos Synedritas inſtituerunt, quemadmodum Joſaphati exemplo conſtat.) hæc poteſtas ipſis fuit propria, neque unquam Academiis aliis data fuit: etſi & hæ majorem minoremve poteſtatem & juriſdictionem habent, ſed reſtrictam ad ſolos diſcipulos, & horum doctores. Longe autem minor Academiarum eſt Autoritas.

Verſ. 10. *Deinde facies ex præſtituto illius ſententiæ quam indicaverint tibi, profectus à loco illo quem elegerit Jehova: & obſervabis ut facias ſecundùm omnia quæ docuerint te.*

Verſ. 11. *Ex præſtituto legis quam docuerint te, & ſecundùm judicium illud quod dixerint tibi facito: ne recedito ab ea ſententia quam indicaverint tibi, dextrorſum aut ſiniſtrorſum.*

c. *Autoritas* quippe Synedrii oſtenditur bifariam, I. à neceſſitate obediendi verſ. 10, 11. II. à pœna non obtemperantis verſ. 12, 13.

a. Obediendi *neceſſitas* deſcribitur I. à regula obſequii, II. à modo obſequii.

α. *Regulam* quod attinet, Hebræi eam triplicem faciunt, Traditionis, Scripturæ, & Placiti. *Traditionis*, verſ. 10. *juxta verbum quod indicaverint tibi.* Belgæ **na 't bevel des Woorts datſe u ſullen aenſeggen.** Sed על פי הדבר non eſt *juxta mandatum verbi*; פי pleonaſticum eſt, fatentibus Hebræis, quamquam Raſchi hinc oralem legem deducat Exod 34: 27. quia indicando traditio propagatur. Deut. 31: 7. *interroga patrem tuum & indicabit tibi; ſeniores tuos & dicent tibi.* Nam inde à Moſe conſervatas dicunt Traditiones, & earum cuſtodiam penes Synedrium fuiſſe. Hoc irrefragabile teſtimonium illis perhibuiſſe. Atque ſic ſtatuminatum eunt Traditiones, quibus contradicere non liceret. Scripturæ, verſ. 11. *juxta legem quam docuerint te*, nam hujus notitiam & interpretationem ſibi arrogabant Jer. 8: 8. atque ad eam omnes adſtringebant. Provocabant ſemper ad Scripturam, ſed juxta ſenſum quam illi dabant. *Placiti*, verſ. 11. *juxta judicium quod dixerint tibi*, novas deciſiones intelligunt, neque Scripturæ, neque traditioni conſentaneas, ſed ab ipſorum judicio & voluntate pendentes. Pariter irrefragabili autoritate, adeo ut licet de dextro dicerent ſiniſtrum eſſe, & contra, id ſit recipiendum. Scil. ut novarum traditionum poteſtatem habeant & exerceant. Hæc erat autoritas cathedræ Moſis, quam ſibi propriam vendicabant Matt. 23: 2. heic clavis cognitionis Luc. 11: 52. Hinc ſtatuta Seniorum ab ipſis laudantur, & interpretationes Seniorum, & conſtitutiones novæ; ad firmandas veteres. Quæ ſibi tali autoritate deberentur, ut non aliud credere liceret, quam ipſis placuiſſet. Joh. 7: 48, 26. Tria iſta inveniunt Mal. 2: 7. traditionem, *Labia Sacerdotis cuſtodient Scientiam.* Scripturam, *& legem requirent ex ore ejus.* Placitum, *Nam eſt Legatus Domini Zebaoth*: qui & nova mandata fert. Et conſtantiam hujus dignitatis Jer. 18: 18. *Lex non peribit à Sacerdote nec conſilium à ſapiente, nec verbum à Propheta.* illud Scripturæ, iſtud traditionis, hoc placiti eſt: & hinc ſat juris & autoritatis contra Jeremiam. Accedit enim adhuc aliud quod regulam illam obſequii triplicem confirmet. Infallibilitas, quam Synedrio tribuunt, ex influentiâ perenni ſpiritus Sancti, quia dicitur, juxta verbum quod indicabunt tibi de loco illo quem elegerit Dominus. Fuiſſe autem conſeſſum iſtum in Sanctuario, ut Schechina iſtic habitans, ipſis adeſſet, unde etiam Elohim dicti ſint, quia ibi Deus conſiſteret in cœtu Dei, & judicaret in medio Deorum: adeo ut locus ipſe daret eam prærogativam, Deo influentiam iſtam iſto in loco jugiter largiente. Enimvero omnia iſta parermeneiam habent. Regula obſequii in ipſorum verbis eſt, quemadmodum heic deſcripta legitur, quoad objecta diverſa, lites, & legem ac præceptum; De Lege, ſeu interpretatione Scripturæ; *juxta legem quam docebunt.* Agitur de inſtitutione, ut quis rectam intelligentiam conſequatur; quando judices alii non ſatis aſſequuntur mentem legum & ſtatutorum Dei, tum docebunt iſti; ſed unde? an verba ipſorum pro lege erunt? minime; ſed juxta Legem illam, quæ κατ' ἐξοχὴν dicitur, & cujus doctrina ipſis commiſſa erat Deut. 33: 10. De Lite; *juxta judicium, quod dicent tibi*, ad determinationem caſuum propoſitorum. Hîc de factis pronunciant, illic de Lege reſpondent; de factis judicium ferunt, de lege nil dicunt, ſed ipſammet producunt & docento. Momentum autem magnum habet, quod primo loco dicitur, & generale eſt, *juxta verbum*, ſive judicii, ſive de lege, *quod indicarint tibi de loco, quem elegerit Dominus.* Ibi conſeſſum haberi, voluit Deus, & ab illo loco peti, quod reſponſi loco foret. Etenim iſtic loci ordinarie ſtabat Sacerdos cum Urim & Tummim, ut conſulendi oraculi divini eſſet oportunitas. Judex enim ſummus fuit Collegii præſes, verſ. 9, 12. Atqui de eo mandatum Num. 27: 20. &c. Joſuæ Moſes juſſus eſt imponere *de ſua gloria* (quemadmodum olim 70 ſenioribus factum erat Num. 11: 17, 25.) ad autoritatem præſidii; *& ipſe conſiſtet coram facie Eleazaris Sacerdotis, qui pro ipſo conſulet juxta judicium, morem, Urim, coram facie Domini.* Summus ergo judex conſulebat Oraculum Urim, quod non fallebat. Atque iſtud etiam conſultum fuit cum nullus eſſet judex ſummus, in negotio gerendi belli cum Cananæis Jud. 1: 14. & cum Benjaminitis cap. 20: 18, 23, 38. Pariter in dubiis caſibus, quemadmodum de genealogia Sacerdotum Ezr. 2: 63. Sed nemini ad Urim recurrere licuit, niſi ſummo judici, qui etiam belli dux ſummus erat, aut Synedrio nulli privato niſi qui cum ſumma poteſtate exercitui præerat, & judicem ſummum aut regem repræſentabat Num. 31: 6. 1 Sam. 22: 14, 15. 2 Sam. 11: 11. Nunquam etiam Urim rogata de rebus fidei, aut interpretatione Scripturæ, verum ſolummodo de factis; quæ ad lites pertinent. Præterea ibidem loci aſſervabatur autographum Legis. Deut. 31: 26. Librum legis per Levitas Moſes deponi voluit ad latus arcæ Domini, ut ibi eſſet in teſtem. Habebant quidem, ut Hebræi dicunt, quævis tribus exemplar Legis, & privatum in uſum plurimos deſcripſiſſe verilimile eſt. Verum in ejuſmodi apographis admittitur quandoque error, aut ejus poteſt oboriri ſuſpicio. Heic recurrendum erat ad Autographum, quod in Sacerdotum cuſtodia erat, prope arcam; & potuit inde ad uſum Synedrii peti. Iſtic Deus ſuam voluntatem declararat, & quidem perſpicue ſatis, ut aliunde interpretationes arceſſere non eſſet neceſſe. Neh. 8: 8. *legebant in lege Dei, & ſenſum proponentes dabant intelligentiam per Scripturam ipſam.* Ibidem Prophetarum quoque ſcripta fuerunt depoſita; ut inde Synedrium daret ſua reſponſa, ut Matt. 2: 4. &c. Jam vero ubi vel extraordinarium Dei verbum, vel ordinarium materiam reſponſi faciebat, utique regula obſequii in eo fuit agnoſcenda.

Quæcunque autem Judæos dixiſſe retuli, longiſſime hinc aberant. Arrogabant ſibi autoritatem citra Deum; in interpretatione Scripturæ Jer. 8: 8, 9. unde Zeph. 3: 4. Ezek. 22: 25. Mal. 2: 8. &c. *diſceſſiſtis à via, feciſtis multos impingere in lege, corrupiſtis fœdus Levi: non obſervatis vias meas, & accipitis faciem in lege*, in reſponſis aliis Jer. 23: 17, 18. à Prophetis Hieroſolymæ egreſſa eſt hypocriſis per univerſam terram: pollicentur impiis pacem & indemnitatem, (ſiquidem ori eſca ſuppeditaretur, alioqui ſanctificaturi contra illum qui non dat, bellum Mich. 3: 5.) *nam quis ſtetit in conſilio Domini, aut vidit vel audivit verbum ejus?* quis verbum ejus obſervavit & audivit? adeoque ſuis declarationibus ſimpliciter credi volebant, quia Prophetæ Hieroſolymæ erant; cum tamen Deus oſtendat certam rationem reſpondendi, verſ. 22. *Si in conſilio meo* &c. Hinc natæ traditiones, vel contrariæ præceptis divinis, ut illa de Korban Matt. 15: 3. vel quæ iſtis autoritatem derogarent, quando timor Dei, quo timebatur, erat præceptum hominum eruditum, verſ. 6. &c. Eſa. 29: 15. & in omnibus attendebatur placitum Seniorum, qui ſic interpretati erant, cujus obſequium fuit juſtitia Phariſæorum & Scribarum Matt. 5: 20. &c. atque omnis ſoliditas inſtitutionis nitebatur gloria hominum, qui conciliabant doctrinæ autoritatem; Dei gloriâ, quæ ex verbo ejus cernebatur, inſuper habitâ Joh. 5: 44. Et tamen ſibi attribuebant influentiam Spiritus divini, quaſi loco & perſonis alligatus eſſet; Mirantur hinc unde norit Jeſus Scripturas, quas non didiciſſet Joh. 7: 10. nempe à ſe, cum tamen Deus deſeruiſſet ſuam domum & judices iſtos. Ezek. 16: 11. cap. 7: 26. *quærent viſionem a Propheta, ſed lex peribit a Sacerdote, & conſilium a ſapiente.* Eſa. 29: 13, 14. *quia timor* &c. *propterea mirè agam* &c. adeo ut velamen incumbat cordibus, neque aliter quam per illud intueantur legem, unde tam parum vident in lege Dei ad ejus interpretationem ſalutarem, traditionibus faſcinati, in quibus proram & puppim conſtituunt ſuæ ſapientiæ.

At enimvero habent imitatores Pontificios, qui ſibi parem autoritatem arrogant, ad regulam obſequii pronunciandam, ex iiſdem principiis, traditionum Apoſtolica-

rum,

rum, pari certitudine, imo minori quam Judaieæ nitentium: (nam Judæis fuit unius populi jugis ſucceſſio, quæ apud Pontificios non eſt.) Scripturæ interpretationum propriæ ἐπιλύσεως, dum verſionem authenticam faciunt, authenticum textum corruptelæ inſimulant, eoque teſtimonii jure privant: Placitorum, non obſtante inſtitutione Chriſti & conſuetudine. Apoſtolorum calicem adimentes plebi; quemadmodum ipſimet loquuntur; ſimiliaque innumera, quæ contra Verbum Dei definiunt; adſerentes Papæ Rom. jus eſſe definire omnia, articulos fidei condere; ceu qui omnia jura divina & humana in ſcrinio pectoris habeat; Spiritu Dei alligato cathedræ iſti, ſive cum Concilio, ſive ſolus pronunciet, cum concilium ſine ipſo nihil loqui poſſit. Nituntur quidem hoc Synedrii inſtituto, ſed, ut oſtenſum, præter modum hic præſcriptum, prorſus uti Judæis placuit; præterquam quod nec inſtitutum ſimile habeamus in Novo Teſtamento, ut unum locum Deus legerit ceu ſedem Religionis & cultus; neque talem ordinarit conſeſſum, ab omnibus conſulendum & agnoſcendum. Et eſt in iſta conſtitutione aliquid quod Papa deteſtatur. Æquantur Judex & Sacerdos; imò juxta Judæos, Judex præſidis locum tenet. Atqui Papa non fert Magiſtratum Politicum ſummum quicquam agere, ſed ſibi ſoli omnia vendicat, ne quidem locum Laicis concedens, & Clericorum omnium ſuffragia inſuper habens, utpote qui ſedet in templo Dei ut Deus, ſeque pro Deo gerit, efferens ſe ſupra omne quod vocatur Deus, & ſic colitur: eopſe manifeſtus quod ſit homo peccati, filius perditionis, injuſtus ille, Anti-Chriſtus 2 Theſ. 2: 3. &c. Verum ſunt & inter Euangelicos, qui Judæorum opinione imbuti ſunt, nihil in Theologia verum opinantes, niſi quod traditivæ autoritatem habet: (Nam Traditivæ nomen non abhorrent, imo illo ſe efferunt:) quâ licet falſa quædam haberet ſtandum ſit, ne ſchiſmaticus quis ſit: nullam interpretationem Scripturæ admittentes, niſi unius alteriuſve hominis teſtimonium habeat; verſionem æquantes & præferentes ipſi verbo Dei, atque orig. textum in contemtum adducentes; quique eum amant hæreſeos infamiâ adſpergentes. Promtiſſimi ut novos condant articulos, pro ſuo placito: poſtulantes ſibi fidem quod ſint veterani Theologi. At hi longiſſime abeunt ab hoc inſtituto Dei, qui ne quidem imitandi mandatum habent. Equidem Theologis ex analogiâ aliquid attribui poteſt, ſed juxta leges heic dictas; non eſt locus à Deo electus unde oracula petantur extraordinaria; ſed neque ea neceſſaria ſunt; quia de fide agitur quam ſic noluit confirmare Deus. Alioqui angelos nobis dediſſet Doctores, vel reſuſcitatos mortuos. Eſt verò Lex Dei, juxta quam reſpondendum, 1 Pet. 4: 11. Eſa. 8: 20. neque aliter quam illa 2 Pet. 1: 20, 21. omnia tradentes juxta Scripturas 1 Cor. 15: 3, 4. quas qui ignorant errant. Matt. 22: 29. Porro reſpondendum iis, quod ad vocationem pertinet, qui conſiſtunt ut Domino Deo ſerviant, ne quivis ſibi magiſtrati nomen & munus aſſumat, & legis doctor eſſe velit, non intelligens quid dicat, vel quid confirmet 1 Tim. 1: 7. hominum traditiones inculcans & horum quærens gloriam; Verbum Dei ſine conſpiciliis humanis non videns, nec videri ferens. Leges iſtæ Dei ſi obſerventur Regula obſequii hic eſt, qualis 1 Theſſ. 2: 13. ut ſermo prædicationis noſtræ non ſit hominum, ſed Dei ſermo, & Deum audiat loquentem, qui ipſos audit Luc. 10: 16. 1 Cor. 11: 23. Jam

β. *Modus* obſequii varie exaggeratur, *Facies ſecundum verbum* &c. cuſtodies ut facias ſecundum omne quod docuerint te, facies, non recedes à verbo quod indicarint tibi dextrorſum vel ſiniſtrorſum. Obſequium abſolutum hinc adſtruunt Judæi, atque etiam Pontificii. Sed in textu reſtrictio adeſt, ſecundum verbum quod indicarint de loco illo; ſecundum illam legem quam docuerint. Adeoque cœca obedientia prohibita eſt. Eſa. 8: 20. unicuique dicitur conſulturo, uti etiam Joh. 5: 39. Cum Sacerdotes adeo mali eſſent interpretes legis, dicitur omnibus Mal. 4: 4. *recordamini legis Moſis* &c. Omnibus ea data, eoque omnibus tractanda, neque permittendum ut pauci habeant notitiam, quibus credere neceſſum ſit. Luc. 11: 53. Maxime nunc ſub Novo Teſtamento quo gloriamur Spiritum Dei effuſum eſſe ſuper omnes generis carnem, non ſenes modo, ſed etiam juvenes, ſed etiam filios filiaſque, ſervos ſervaſque Act. 2: 17. &c. adeo ut omnibus expoſitum ſit verbum Dei, non ad docendum, ſed ad diſcendum, & meditandum, Heb. 5: 12. & de doctoribus judicandum, Pſ. 119: 99. ex præcepto 1 Joh. 4: 1. & exemplo Beroënſium Act. 17: 11. Quando autem deprehendunt ex Verbo Dei petitum eſſe quod docetur, quod reſpondetur; tum obtemperandum eſt, & ex corde obediendum typo doctrinæ, ceu in eum traditis Rom. 6: 17. Ea enim Dei doctrina eſt, cui refragari non licet. Verum ſi loquerentur Synedritæ citra imo contra Verbum Dei, autoritas nulla erat ad obſequium exigendum. Hinc Petrus & Johannes, cum interdiceretur prædicare in nomine Jeſu, reſpondent Synedrio, *Judicate ipſimet, an rectum ſit coram Deo, vos magis audire quam Deum.* Act 4: 19. & cap. 5: 29. *Deo magis obtemperandum quam hominibus.* Et Gamaliel agnoſcit eos poſſe fieri θεομάχους verſ. 39. cap. 23: 9. Obedientia quæ poſcitur, non ipſis poſcitur, ſed Verbo Dei quod docent; ſi ergo hoc non doceant, ſed aliud, non licet obedientiam, Deo debitam ab ipſo ad iſtos transferre. Quod ab Apoſtolis, & piis aliis ſemper obſervatum eſt: neque inobedientia tunc culpam habet, neque pœnam meretur; de quâ ultima loquuntur.

Verſ. 12. *Vir autem ille qui commiſerit ſuperbè, ut non auſcultet Sacerdoti conſtanter miniſtranti ibi Jehovæ Deo tuo, aut ſummo judici, utique morietur vir ille, & tolles malum illud è Iſraele.*

Verſ. 13. *Ut omnis populus audiant, & timeant, neque ſuperbiant deinceps.*

b. Pœna inobedientiæ verſ. 12, 13. deſcribitur, ubi

α. Inobedientia, quæ non ſimplex, ſed cum gradu, conjuncta cum ſuperbia, ut in contemtum reſponſi ipſorum, quod vel ex oraculo, vel ex Lege protulerunt, deque eo convicerunt, contrarium agat, & gradus alius à qualitate eorum, qui reſponſum ediderunt, Sacerdos aut Judex, munere ſuo rite fungentes,

β. *Pœna*, mors illius; & finis *ut exterminetur malum è medio Iſraelis*; & exemplum, ut alii terreantur; unde dicunt, exſpectatum fuiſſe ad ejuſmodi exſecutionem feſtum, ut major foret ſpectatorum numerus; ut circa illud tempus, vel in intermediis diebus fieret. De talibus exemplis aliàs quoque dicendum Deut. 21: 21. Heic ſolum aſſeritur autoritas judicii, ne in contemtum veniat. Nam 1 Theſſ. 4: 8. *Qui hæc rejicit, non rejicit hominem ſed Deum, qui dedit vobis Spiritum ſuum Sanctum.* Redundat injuria in Deum, qui in ſervis ſuis contemnitur. Cæterum abutitur Papa Rom. hac lege, ut qui ſuis decretis non parent, neci adjudicet, eoſque laqueo, gladio, igne, & aliis ſupplициis ad terrorem aliorum interfici curet. Sed pari jure agit quo Synedrium Judæorum ſuſtigavit Apoſtolos, necavit Stephanum, proceſſit contra Jeremiam, neci daturum ipſum, niſi principes interveniſſent, & inſtituta cognitione eum eripuiſſent: quomodo Principes & Magiſtratus eripuerunt Papæ inquiſitoribus judicium, & vendicarunt innocentes. Sic Synedrium Pontificiorum, Occidunt non qui Verbum Dei non recipiunt ut obtemperent, ſed qui & quia recipiunt, neque ipſorum corruptelis volunt obſequi, quæ verbo Dei ſunt contrariæ. Hinc tot martyrum millia trucidata; cujuſmodi ſpectacula denuo excitata vellent. Sic omnes traditionarii affecti ſunt, ut dominatum ſuum tueantur. Quando patientium melior conditio, quam mortem inferentium, & qui ſuas leges crepant, juxta quas moriendum, patiendum ſit, habent ipſi peccatum, cujus pœnam ferent. Interim hic ſancitur autoritas Magiſtratus: hanc ſuperbe ad contemtum læſiſſe capitale eſt, etſi alias delictum non videatur adeo grave. Magiſtratus ſpeciatim imago Dei eſt, imaginem Dei in privato per cædem deſtruere capitale eſt Gen. 9: 6. & ſi quid in eorum contemtum deſtinato conſilio agatur, Deus vendicari vult. Nam ſi Magiſtratus careat autoritate, omnia fient ἀδίκως, omnia ſcelera cumulabuntur. 1 Sam. 11: 12. cum Saulem conſtitutum regem nonnulli filii Belial (quod ſuperbiæ indicium eſt,) contemſiſſent, populus eos poſtulat ad necem, quanquam ipſe Saul gratiam fecerit delicti erga ſe admiſſi. Pſ. 62: 3, 4. deliberantes alios depellere à ſuâ celſitudine, necabuntur, erunt *ut paries curvatus, murus impulſus.* In-

primis nobis cavendum ne contra magnum judicem eumque Sacerdotem Chriſtum ſuperbe agamus, qui imago Dei inviſibilis. Nam ſi verbum, nunciorum Dei miniſterio prolatum, firmum fuit, & omnis tranſgreſſio & inobedientia juſtam compenſationem obtinuit. Quomodo nos effugiemus, ſi tantæ ſaluti non attenderimus, quæ cœptâ annunciari per Dominum, nobis confirmata fuit ab illis qui eum audiverunt, Deo unà teſtante ſignis & prodigiis, & variis virtutibus, & diſpenſationibus Spiritus Sancti juxta voluntatem ſuam. Heb. 2: 2. &c. Eoque Pſ. 2: 11, 12.

Verſ. 14. *Quum ingreſſus fueris in terram quam Jehova Deus tuus dat tibi, ut hæreditario jure poſſideas illam, & habitabis in illa; ſi dixeris, ſtatuam ſuper me Regem, ſicut omnes gentes quæ ſunt circa me.*

Verſ. 15. *Tantùm ſtatuito ſuper te Regem, quem elegerit Jehova Deus tuus; è medio fratrum tuorum ſtatuito ſuper te Regem, non poteris tibi præficere virum extraneum qui non frater tuus ſit.*

III. Reſtat nunc Judicium poteſtatis adhuc ſuperioris, Regis, de quo cætera hujus capitis loquuntur. Indicant autem I. Jus hujus poteſtatis. verſ. 14. II. Modum conſtituendi verſ. 15. III. Conſtituti officium verſ. 16. ſeq.

A. *Jus* hujus poteſtatis diſcimus ex verſ. 14. *Quando veneris in terram &c.* Judæi vulgo docent tria præcepta à Moſe fuiſſe præſcripta, quæ demum in Cananæâ obſervari poſſent, Conſtitutionem regis, Exciſionem Amaleki, & ædificationem templi: 1 Sam 9: 10. Regem primùm fuiſſe adſciſcendum, huic mandatum datum contra Amalek 1 Sam. 15. & hoc hoſte exciſo templi ſtructuram ſuſceptam 2 Sam. 7. Sed iſtud aſſerunt, ne quid Iſrael peccaſſe cenſeatur. Verum non niſi unum horum mandatum eſt, de Amalek Exod. 17. De templo ſtruendo Deus diſerte negat, ſe quicquam antea mandaſſe 2 Sam. 7: 7. De Rege verò hoc loco nihil minus eſt quam mandatum; imò id feciſſe peccatum fuit. 1 Sam. 12: 17. Samuel eo nomine convincit populum; dicit ſe à Deo, tempore inſolito & importuno, in meſſe triticeâ poſtulaturum tonitrua & pluviam, & ſcitote, inquit, ac videte, *magnum eſſe malum veſtrum, quod feciſtis ante oculos Domini, quod regem vobis poſtulaſtis.* Quod cum factum eſſet, metuit populus univerſus Dominum & Samuelem, & petierunt Samuelis apud Deum interceſſionem, ne morerentur, additâ, hâc confeſſione, *nam præter omnia noſtra peccata etiam hoc fecimus malum quod regem nobis petiimus.* Solent quidam peccatum referre in modum petendi Regem, ſed & modus petendi, & petitio ipſa vitium habuit. Nihil autem affine mandato heic reperitur. Non dicit, quando veneris in terram ſtatues tibi regem, ſed quando veneris & dixeris, ſtatuam &c. non poteris peregrinum ſtatuere. Itaque hoc verſu 14. nihil eſt niſi narratio facti, ſi quid aliquando conſilii iſtiuſmodi iniverint. Non inſolitum eſt Moſi referre quæ perperam acturi eſſent Iſraelitæ quibus ſalutares leges opponit, ut injuriæ curſum ſiſtat. Nihil familiarius etiam in legibus quam commemorare delicta, quibus pœna ſtatuitur; manifeſta hîc conditionalis locutio, non præceptiva; & hæc quoque agnoſcenda in aliis. Deut. 24: 1. quando aliquis duxerit uxorem, quæ deinceps non placeat, ob aliquam turpitudinem, tum ſcribet ei libellum repudii, eamque domo ſuâ emittet. Non mandatum hîc repudium, (negat enim Servator Matt. 19: 8.) ſed Deus lege hâc conſultum ivit innocenti mulieri, ut ab injuſto marito libellum repudii obtineret, quo probare poſſet, ſe contra fidem matrimonialis pacti domo expulſam eſſe. Sic Deut. 21: 10. &c. quando egreſſus in bellum, mulierem captivam, formâ ejus illectus, quis vitiaſſet, (quod nemo imperatum dixerit, cum ſit indomitæ libidinis actus,) lege definitum eſt, quid propter violatam peregrinæ iſtius mulieris pudicitiam à ſtupratore præſtandum eſſet. Sic hoc quoque loco Moſes conditionaliter loquitur: *quando veneris in terram, & hoc dixeris*, de rege ſtatuendo, quod utique non bonum eſt, tum his legibus tamen coerceri malum debet, ne nimium noceat. Sed videamus verba Moſis, quæ habent I. occaſionem facti, II. factum ipſum, III. facti modum.

8. *Occaſio* facti eſt: *Quando veneris in terram, quam Dominus Deus tuus tibi dat, & hæreditario poſſederis eam, & in eâ habitaveris.* Non dicit, quando ingredi debebis, ad terram occupandam; nulla tunc cogitatio aut deliberatio de Rege. Etenim quia terra erat danda à Deo, qui ſe proprietarium declararat Lev. 25: 23. fruſtra adſciviſſent regem, qui poſſeſſionem Dei ſubjeciſſet, quaſi extortam: manere debuit Deo diſpoſitio de ſuo. Equidem pugnandum ſibi norant ut eam obtinerent, verum ut Deo ſe exhiberent inſtrumenta, prout illi fuiſſet libitum, imo ut dante Deo duntaxat manum extenderent, & apprehenderent. Pſal. 44: 3, 4. Danda erat à Deo fœderato, qui fœdere ſe ad id obſtrinxerat, adeoque ad ſatisfaciendum veritati ſuæ adhibiturus erat ſuam ſapientiam, & potentiam. Quamobrem ab illo datus non ſolum Angelus, in quo nomen Dei, qui introduceret in terram, expelleretque Cananæos Exod. 23: 20. Joſ. 5: 13. ſed etiam conſtitutus Joſua imperator & judex poſt Moſen, qui populum duceret eò, Deut. 1: 38. cap. 4: 21. Apparuit tamen ſemper non Joſuam eſſe qui daret terram, ſed Deum: unde poſt Joſuæ mortem non auſi ſunt quicquam agere ſed conſuluerunt Deum, an & quomodo procedendum eſſet in occupanda reliqua terra. Jud. 1: 1. Verum ubi poſſeſſionem obtinuerant, & ſucceſſione longâ in eâ habitarant, generatione eâ vivente quæ Deum non norat, neque opus quod fecerat in Iſraele cap. 2: 10. nec Deum agnoſcente terræ dominum, nec largitorem ſuæ poſſeſſionis; ſed quibus jus proprium eſſet, tum hæreditario titulo, tum longi temporis præſcriptione; tum demum illud erant ſuſcepturi, ceu de ſuo agentes: quod luberet. Itaque opinio proprietatis, & ſolicitudo de ſuo retinendo, perſuaſura erat remedia ſuæ ſapientiæ. Eſt hoc vitium hominum externa proſperitate inebriatorum. Hoſ. 13: 6. Hoc futurum prædicebatur Deut. 32: 15. & ipſi moniti fuerunt, ut iſtud caverent, Deut. 8: 11. &c. Eventus confirmat, exprobante Samuele 1 Sam. 12: 8. Deus patrum Iſraelem eductum ex Ægypto per Moſen & Aaronem deduxerat in Cananæam, & expetentes opem contra hoſtes, juſto judicio, immiſſos, in terræ poſſeſſione tuitus erat; miſitque Jephtam, Gideonem, Simſonem, Samuelem, & per eos vindicavit, adſecuram habitationem: addit autem, *nunc vero cum videretis Nahaſum Ammonitam contra vos venire, dixiſtis. Non, ſed Rex ſuper nos regnabit.* Nolunt Deum implorare, quæ fuiſſet agnitio Domini ipſius; ſed volunt ſibi ipſis modum mediumque ſuæ conſervationis debere. Quam perverſæ autem mentes hominum hinc eſſe cernuntur? Quo liberalior Deus & conſtantior in liberalitate, eò magis negligitur. Subitæ mutationes conditionis; Dei manum nobis produnt; jugis ejus fruitio non animadvertitur: & quod bonum ſine Deo quis ſe poſſidere credit, ſua induſtriâ, etiam ſuâ induſtriâ defendendum, conſervandum putat. Equidem datur potentia quam homo ſuæ virtuti & robori debet, qualis ſane multorum eſt: mammona injuſtitiæ, theſauri iniquitatis, qui falſo Deo adſcribuntur Zach. 11: 5. neque ab ipſo defenſionem habent ſperandam: Sed etiam illegitima bona, quæ Deus ſuâ maledictione eripiet, aut ſervabit ad majorem pœnam. Cogitandum nobis ſemper, unde habeamus proſpera omnia, & Dei recordandum ut ab eo conſervationem, & argumentum poſtulemus, non autem illo deſerto ad homines nos recipiamus, atque inter eos ad nos ipſos.

2. *Factum* ipſum, *& dices, Conſtituam ſuper me regem.* Animadvertenda hîc Origo Conſilii & Conſilium.

2. *Origo, & dices*; à te venient cogitationes iſtæ, neque alium habebunt autorem. Poſt mortem Joſuæ Iſraelitæ rogarunt Dominum, quis noſtrum primum adſcendet contra Cananæos. Jud. 1: 1. nolunt ex ſe quid ſtatuere de belli duce. 1 Sam. 13: 12. Saul ait hanc cauſam ſuſcepti ſacrificii; populo diſſipato & Samuele non veniente, & Philiſtæis propinquantibus, jam hi, dixi, me adorientur, *& ego faciem Domini non ſum deprecatus, ſic me urſi & obtuli holocauſta.* Metus major præcipitem fecit. Aſt nunc non loquuntur de Deo rogando, ſimili præcipitantia metus, ſed ut ne quidem cogitarent de ſciſcitando Deo. Notum

eſt

eſt ex hiſtoriâ, 1 Sam. 8: 4. Seniores populi omnes congregati ſunt ad Samuelem in Rama, & ſibi regem dari voluerunt: non eunt Siluntem, neque Dei mentionem faciunt, in cujus voluntatem inquirant. Hinc Hoſ. 8: 4. Reges fecerunt, ſed non ex me: ſtatuerunt principes, ſed non agnovi, hoc eſt, probavi. Sine Deo ſuſcipere res magni momenti, peccatum eſt. Eſa. 30: 1. Sane aliud poſcit res ipſa: conſilium de rebus magnis ab hominibus ipſis proficiſci non poteſt. Deut. 32: 28. conſilium perditionis, humanæ inventionis eſt: ſed ſalutis & conſervationis à Deo. Hoſ. 13: 9 qui largitur ſpiritum ſapientiæ & conſilii ad omnes actiones proſpere agendas. Ipſum agricolam erudit quomodo terram colere, & ſemina quæque tractare debeat. Eſa. 28: 26. proinde etiam ſolicitandus huic eſt, ut rite agere doceat. Sic in omni vocatione legitima. Deus glorificandus ſive edamus, ſive bibamus &c. 1 Cor. 10: 31. non tantum quoad finem actionum noſtrarum, ſed etiam quoad initium. Sic David qui teſtimonia Dei fecit oblectationes, viros conſilii ſui Pſ. 119: 24. qui hos adſcivit conſiliarios, potuit gaudere, qui fructus bonorum conſiliorum, Pſ. 16: 7. *Benedicam Domino, qui conſilium mihi dedit:* nam illud ducit ad felicitatem Pſ. 73: 27.

b. *Conſilium* ipſum eſt, *ſtatuam ſuper me regem.* Qui rex dicitur nobis, Hebræis, מלך à מלך *conſilium dedit.* Niph uſitatum eſt, conſilium inivit. Vi etymi, eſt Conſul: quia illi artifices regendi optimi, qui ſapienti conſilio cæteris præſtabant. Tales initio præfecti fuerunt, dum nil niſi bonum regendorum quærebatur: aſt auctâ hominum malitiâ, cum qui viribus anteirent cæteros, ſibi imperium vendicarent, nomen illud ſervarunt, ut hoc ſaltem modo palliarent injuſtam tyrannidem. Itaque ſic appellatus qui unus poteſtatem habebat ſummam, ſive conſilio polleret, ſive non. Hinc legimus Eccl. 4: 13. de ſene & ſtulto rege, *qui neſcit admoneri amplius*, & cap. 10: 16. *væ terræ cujus rex* puer eſt: ab ejuſmodi utique conſilium procul eſt. Heic intelligitur ſummæ poteſtatis vir, qui omnium regimen habet, qualicunque fuerit vel ſapientia vel ſtultitia, ut pace & bello præſit. Sic deſcribitur, rex ut nos judicet, & coram facie noſtra egrediatur, & bella noſtra gerat. 1 Sam. 8: 5, 20. Iſtiuſmodi ſibi præfectum volunt, ſtatuam ſuper me: adeoque, quod oppoſitum eſt, me illi ſubjiciam.

Hoc conſilium populi prorſus illaudabile eſt, nam tum ſtolidum fuit, tum impium. Stolidum quidem: Nam amentiæ eſt ſervitutem anteferre libertati. Hinc liberæ gentes ſemper inviſum habuerunt regium nomen, utpote ſuæ libertati infeſtum: liberi populi obediunt legibus: hoc eſt rationi: aſt qui regi, obediunt voluntati, unius nempe libidini. Sic olim judicarunt gentiles; ſic Belgæ ab ævo: qui etiam ſub unius regimine ſive illud temperarium foret, ſive hæreditarium, ſervarunt libertatem, neque voluerunt quam habebant Ordines poteſtatem, ſibi ademtam in principem conferre; & quando id ſibi principes ſumſerunt, populus ad ſui defenſam eum qui ſe ſpoliare nitebatur, ſpoliavit. Hæc eſt Libertas fœderati Belgii, ſuperiori ſeculo parata. Sed talem adepti Iſraelitæ, & per aliquot ſecula poſſeſſam, ſtolidiſſimo conſilio abjicere ſatagunt & cum liceret ambulare erectis, induere jugum præoptant; quaſi id ornamento foret, ſic veſtiri collum; & honori cederet colores alienos, auro intextos licet, geſtare, quæ ſervorum nota eſt, quam viliori habitu agnoſci juris proprii; aut felicitatis foret catenam geſtare, numellas, compedeſque, etſi aurea omnia. Sed hujus ſtultitiæ, faſtiditæ ſcilicet libertatis merita pœna eſt ſervitus. Verum in Iſraele fuit ea ſtultitia quoque impietas. Impium conſilium fuit, quia rebellio, & quidem in gradu ſummo. Deus ita judicavit, 1 Sam. 8: 7. non te rejecerunt, nempe ſolum, ſed me rejecerunt, ne rex ſim ſuper ipſos, & Samuel cap. 12: 11. Deus, etiam per Samuelem, ex hoſtium manu liberavit, ut ſecuri habitaretis: *ſed ingruente Nahaſo, dixiſtis ad me, Non, ſed rex regnabit ſuper nos, cum tamen Dominus Deus eſſet veſter Rex.* Non poteſt regem ſibi poſcere aut ſtatuere, qui regem legitimum habet. Nec ſe alienæ poteſtati ſubjicere, qui jam eſt alienæ, nec ſui juris. Rebellio iſta eſt. Sic cum Abſalom, cum Adonia ſe reges dicerent, vivente Davide, & inſcio atque invito, fuit perduellio: & ejus criminis rei, quicunque vel conſilium vel operam contulerunt. Iſtud admittebant Iſraelitæ regem ſibi ſtatuendo. Habebant regem Deum: Ille fecerat eos populum peculii ſui, cui ſingulariſſimo jure rex foret; non ſubigendo vi, uti bellatores magni ſibi ſubditos faciunt invitos, neceſſitate coactos, ſed vindicando à tyrannide Ægyptiorum, ex domo ſervitutis, titulo liberatoris. Porro non extulit ſe in terrâ ipſorum, quam poſſidebant; adeo ut quid ipſorum ſibi ſumſiſſe dici poſſet, ſed ejectos, ex Ægypto, & in deſerto ſedibus certis carentes collocavit in ſua terrâ, cujus ipſe *Dominus* erat, & unicuique aſſignavit fundos utendos, manente ſibi proprietate. Leges omnes, normam vitæ & regiminis præſcripſit, & etiam ſub fœderis formulâ ad obſervationem obſtrinxit. Collocavit in medio ipſorum tabernaculum ſuum, ceu regiam, præſentiæ teſtem, quo accederent, juris notitiam ampliorem petituri, vel aliàs homagium præſtituri, aut delictorum veniam quæſituri Exod. 15: 19. Cæterum Deus rex, rebus ſic exigentibus, mero ſuo placito, conſtituit Judices, qui ex ſuo præſcripto (unde conſulendorum Urim poteſtas ipſis facta,) vindicias agerent populi, tam ab inteſtinis corruptelis, quam ab externis hoſtibus: & hinc etſi nihil haberent externarum virium, per judices ſuos opus ſuum egit, miraculoſe cooperatus: quamobrem Samuelis ſenium non debuiſſet ipſos ad cogitationes rebellionis moviſſe. De hoc regno Dei loquuntur Pſ. 44: 5. faſſi à Deo ſe collocatos in Cananæâ, merâ ejus gratia & potentia, dicunt. Pſ. 74: 12. in ſummâ afflictione exilii, itaque habuere & regem & miſſum ab ipſo judicem; quando poſcere regem & ſtatuere magnificentiſſima fuit perduellio, non contra hominem, ſed contra Deum ipſum. Quocirca Gideon delato ſibi imperio hæreditario, quod filio, nepotique cederet ob vindicias Midianitis, illud reſpuit; ne quid fieret adverſum imperio Dei, qui rex erat Jud. 22: 23. Fuit autem hoc peccatum Iſraeli proprium, quod ab aliis populis committi non poteſt, nec potuit. Etenim una toto orbe natio Iſraelitica fuit, quam integram, nemine ullius ætatis ſexuſve excepto, ſibi Deus ſic acquiſivit, devinxit, rexit Deut. 4: 34. cap 32: 6. 2 Sam. 7: 22, 23. ut etiam Dei regnum terrenum quodammodo eſſet, cujus majeſtatem ſibi ſoli ſervavit. Negatum iſtud aliis nationibus, de quibus dicitur Eſa. 63. vers. ult. Deum ſuper illos non regnaſſe, neque de nomine ipſius eſſe nominatos. Unde quo major gloria θεοκρατίας, eo majorem videmus & vecordem amentiam, & ſtupendam impietatem in ἀνθρωποκρατία ſubſtituendâ.

Equidem regem Deum & Chriſtum agnoſcimus, & hoc regno gloriamur, & nobiſcum quotquot hujus nomine ſe inſigniunt: ſed ſpirituale illud regnum eſt. Externum quale in Iſraelem nec apud nos, nec apud alios populos habet. Sed cum Spirituale Dei regnum fateamur, cavendum ne Iſraelem imitemur. Quod fit à Pontificiis qui viſibilem volunt regem Papam; ſumentem ſibi titulum maledicti Canaanis, ſervus ſervorum; ſed ſe efferentem ſuper omnem, majeſtatem hominum, triplici corona inſignis, imo ſuper omne quod Deus nominatur coliturve, ſe Deum facientem 2 Theſ. 2: 3, 4. qui leges figit conſcientiis, credendi & vivendi. Hic eſt autor magnæ iſtius apoſtaſias, & quotquot eum ſequuntur, ſunt rebelles contra Deum. Verum huic crimini affines quoque ſunt, qui quod regis Chriſti eſt ſibi ſumunt, Leges credendi condunt, & Scripturæ, quæ Dei lex eſt vel addunt vel obducunt. Imo qui ſemet ipſos reges faciunt, normam vitæ ſibi ſtatuentes, præter & contra legem Chriſti. De Judæis dicit Chriſtus Luc. 6: 46. & ipſimet cap. 19: 14. quorum rebellem vocem damnamus; ſed factum imitamur ſæpiſſime. 1 Cor. 6: 19. &c. non eſtis veſtrum ipſorum; nam emti eſtis pretio, & corpus & ſpiritus veſtri ſunt Dei, ſed vers. 15. an ſumam membra Chriſti & faciam membra ſcorti? an quæ Domini ſunt ſubjiciam regno mundi & cupiditatum? Sequendum monitum Apoſtoli Rom. 6: 12. &c. & vers. 16, 17.

2. *Modus* facti eſt, *ſicut omnes populi qui circum me ſunt.* Aggravatio hæc eſt & veſanæ vecordiæ, & impiæ rebellionis. Non tantum regem alium volunt, ſed etiam in eo genere peſſimum, qualem gentes aliæ circumjacentes, quorum neminem legibus Dei regi, non poterat eſſe obſcurum. Experiundo didicerent olim quid reges gentium agerent, & in Ægypto, & toties in Cananæâ ſubacti. Sed quoniam hi invitis dominabantur, & victis, quod iſtud imperium durius ſibi imaginarentur, volunt ipſi talem regem crea-

creare. Sed rex ſecundum gentium morem non poterat eſſe commodus. Deus per Samuelem poſtulantibus regem, ejuſmodi, curavit eum depingi, ut agnoſcerent quam optandus foret 1 Sam. 8: 11. &c. dominaturum dicit corporibus omnium pro lubitu, ut vel militent, vel inſtrumenta militiæ parent, aut etiam alia miniſteria obeant, non mares ſolùm ſed etiam fœminæ; facultatibus quoque ad ſumtus ut neceſſarios, ſic quoque voluptuarios, & ut ſibi emat proditores aliorum, rapiendo agros, vineas, oliveta, ac aulicorum incrementa ac miniſtrorum. Decimas item ſumet fructuum terræ, & animalium; quarum illæ tertiæ, ut ſe Levitis & pauperibus quodammodo æquet; iſtæ ſoli Deo dabantur, cui proinde ſecundas ſumere ſe parem facit. Quin etiam famulitium & jumenta ab heri opere abducet, ut ſibi ſerviant, adeoque omni modo oſtendat ſibi omnes ſervos eſſe: qui nihil proprii habeant, ut ipſe de omnibus ſtatuat quod lubet, ad ſuum duntaxat emolumentum: non ſecus ac hodie Turcæ dominantur. Sane omnes circumſtantiæ docent non niſi tyrannicum iſtud regnum fuiſſe. Vocatur quidem משפט המלך à Deo, qui ad deterrendos à propoſito Iſraelitas illud recitare juſſit Samuelem. Sed vel Mos regis indicatur, ut vox illa ſignificat, vel Jus quod ſubditi agnoſcere cogebantur, quod illud ſponte elegiſſent, talem regem optantes; ut ferre neceſſum eſſet, licet id exercere multum haberet injuſtitiæ. Liquet ex commination clamaturos ad Dominum propter regem, ſed Deum non auditurum: quippe juſte patientibus, licet injuſtus foret qui faceret. Gentilem illum morem ſecutus eſt Saul regum Iſraelis primus, dum nonnullos ad conſtantem militiam adegit, quæ tempore neceſſitatis omnibus viritim adeunda fuit, alioqui ceſſantibus univerſis: tribulibus agros vineaſque dedit, utique de alieno, ex fiſci actione quæ in perduelles contra regem ſtatuebat familiæ excidium & bonorum amiſſionem. Similiaque exempla in conſequentibus regibus occurrunt. David tamen iſtiuſmodi regnum hæreditarium accepit, Deo quod Iſraelitæ voluerant, citra ipſorum injuriam dante Davidi, qui illud proinde licitè geſſit, quemadmodum proxime oſtendemus.

Nobis gratiæ agendæ ſunt Deo, quod ab ejuſmodi gentili regno liberos eſſe voluerit, imo ſub ſuo regno vivere, quod ſic regium, ut ſimul ſit patrium, quemadmodum Deut. 32: 6. Eſa. 1: 2. caveamus iſto regno faſtidito, quærere regnum humanum, quale gentium reges habuerunt; qui etiam in cultu divino ſibi jus ſumſerunt abſolutum. Sic edicta Antiochi, Nebucadnezaris; ſic Jeroboami, Achabi: & hodieque non deſunt exempla, in Bohemia, Hungariâ, & alibi, ubi religio mandatur regiis diplomatibus. Et olim in Belgio. Libertas à regio imperio peperit nobis etiam religionis libertatem. Studeamus utroque privilegio frui, & tanto ſolicitius Deum regem colamus, ne tradat in manus duri domini & crudelis regis, & patiamur etiam fidei jacturam: ſed ut ab ipſo cuſtodiamur, & luce ac veritate ejus ducamur, quo ſemper maneamus in regno ejus, ex gratiæ in gloriæ regnum transferendi, ad noſtram ſalutem & nominis ipſius gloriam.

Hæ proinde fuerunt Leges patientiæ Iſraelitis. Moderamen tamen aliquod potuit ſperari ſiquidem obſervaretur Modus conſtituendi, & Conſtituti officium.

B. *Modus conſtituendi* verſ. 51. geminam legem habet,

א. Neminem adſciſcendum niſi deligente Deo. *Conſtituendo conſtitues ſuper te regem, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Corrigebatur hoc pacto, quod peccatum erat. Quum eſſent populus proprietatis divinæ, quorum Deus imperium habebat ex pacto quoque, non ſecus ac acquiſitione, Dei erat ſubſtituere judices ſummos, & vindices; quemadmodum ſemper fecerat inde à Moſe ad Samuelem uſque: ſi jam Rex conſtituendus à Deo poſceretur atque illi ſoli deferretur electio, agnoſcebatur ſumma Dei poteſtas, & jus ſubordinatos judices dandi; qui ſicut dandi, ita quoque adimendi jus haberet. Proxima hæc fuit conditio libertati priſcæ. Nam tunc accipiebant, quos Deo excitare placuerat; ſed Rex majori poteſtate erat, cui etiam jure regio agere fas fuit, in imperanda militia, & tributis, in pœnis ſtatuendis aliiſque, quæ lege Dei ſtatuta non erant. Veruntamen qui à Deo delectus erat, utique magis obſtringebatur ad ejus obſequium: & quia fiduciarius Dei erat, ſic ipſi erat colendus, ne ejiceret, regno de ſed illud confirmaret, augeret, & perennaret. Nihil potuit conſtitui magis ſalutare Iſraeli. Quem ipſimet delegiſſent, auctus potentia poterat prævalere, & quo vellet cogere, ſeque contra populum tueri. Verùm quem Deus delegiſſet, nunquam eligenti par aut ſuperior eſſe potuit ut ad nutum ejus cedere vel etiam cadere neceſſum haberet; quem proinde humili reverentia colere debuit. Sic actum in Regibus primis. Saulem delegit Deus, qui coactivam illam poteſtatem obtineret, 1 Sam. 9: 17. monſtravit eum Samueli, per ſortem indicavit populo, & ungi ac in regnum immitti fecit. Unde cap. 12: 13. *Ecce Dominus regem ſuper vos conſtituit, quandoquidem regem petiiſtis: etſi Deus rex veſter foret.* Et hinc Rex non minus quam populus debuerunt eſſe pone Dominum Deum ſuum; utpote à Deo conſecuti locum quem tenebant. Dei ſuperioritas ſic ſtabilita, cap. 15: 17. &c. cap. 13: 13. &c. Ita Deus conſtituit Davidem, atque beneficii dati commemoratione excitavit ad obſequium, revocavit à peccato, tenuit ſub jugi reverentia. 2 Sam. 7: 8. *Sumſi te de caula, à paſcendo oves, & conſtitui te ducem populi mei.* cap. 12: 7. &c. *unxi te in regem, & erui te è manu Saulis, & dedi tibi domum heri tui, imo domum Iſraelis & Judæ; & ſi id parum eſt, plura additurus ſum*; atque hinc ſtatuit quid ei propter peccatum ſit Immiſſurus calamitatum. Quantum hoc commodum ſi Rector populi à Deo ſe delectum ſciat; quod poteſtatem à Deo habeat, cui proinde ad rationes reddendas teneatur, qui privare eâ queat abutentem, & quem evexit deturbare de throno. Quanta etiam populi reverentia, ſiquidem à Deo ſe accepiſſe norit, adeoque in ipſo Deum ſe reſpicere: imo quantum præſidium populo, qui de rege abutente poteſtate queri poterat, ut licet munus ſerendum eſſet, tamen perſonæ poſceretur correctio, à conſtituente, qualis ipſi placuiſſet, cujus electioni non reſpondebat obſequio. Quanta ſecuritas etiam regenti, ſiquidem à Deo conſtitutus; hujus ſolum erat eum quoque removere: quare David Saulem, injuſtâ tyrannide ſe perſequentem, nec ipſe voluit lædere nec ſuos id facere permiſit. nam, inquit, quis unquam manus intulit uncto Domini & innocens fuit. 1 Sam. 26: 9. Quod dederunt homines, homines poſſunt eripere; quod Deus dedit, ſolus Deus rite aufert. Laborandum omnibus Regibus, & aliis magiſtratibus, ut à Deo accepiſſe munus pateat; ſic idem conſervabit: viris ſecundum cor ſuum, etiam conſervat beneficium, uti Davidi, cui regnum quod dederat, fecit hæreditarium.

ב. Conſtituendum indigenam, non extraneum. *E medio fratrum* &c. *non poteris* ſcil. legitime, *ſtatuere extraneum, qui non eſt frater tibi.* Prius humilem reddebat erga Deum; poſterius hoc humanum & æquum erga ſubditos. Frater naturali affectu commovetur, ut duris fratrum condoleat, gaudeat proſperis, & ut his abundent, illis careant tanto magis curare velit; Et ſubditi teneriori affectu ſunt erga ipſum viciſſim. Cognationis argumento à Sichemitis regnum impetravit Abimelech Jud. 9: 1. &c. & David ſic repetit à Juda, Eſtis fratres mei, os meum & caro mea quare eſſetis ultimi in reducendo rege? & eodem uſi ſunt Iſraelitæ; ſe quoque fratres, & plures numero teſtati 2 Sam. 19: 12, 41. &c. Peregrinorum regnum fere tyrannicum eſt, nec amant vere ſubditos, nec amantur; & hinc terrore illi ſe tuentur, nullam ſibi ſecuritatem polliciti, niſi quando impotentes habent ſubjectos. Quid non paſſi ſunt Iſraelitæ à peregrinis regibus, quando Moabitæ, Midianitæ, Philiſtæi, Ægyptii, Aſſyrii dominabantur.

Nobis etiam iſtud obſervandum. Non loquor de politico regimine mutando, ſed quid quiſque de ſe ſtatuere debeat. Rom. 6: 16. *an neſcitis quod cui vos ſtatuatis ſervos ad obſequium, ejus ſervi ſitis cui obeditis.* Ergo ne conſtituamus ſuper nos peregrinum, ſed fratrem. Conſtituamus, ſuper nos regem fratrem Chriſtum Jeſum, primogenitum inter multos fratres, & qui ſubditos fratres agnoſcit Heb. 2: 12. Judæi, cives Chriſti, noluerunt ipſum ſuper ſe regnare Luc. 19: 14. repudiato illo Cæſarem ſolum regem ſibi profeſſi ſunt Joh. 19: 15. ſed quam bene ſibi conſuluerunt? qui à Cæſaribus vaſtati ſunt. Ne in idem exemplum infidelitatis incidamus? ſed licet redigamur ob peccata ſub poteſtatem peregrinorum, retineamus obſequium erga ipſum, Eſa. 26: 13. *Domine Deus noſter, Domini præter te dominati ſunt nobis*: per te ſolum recordamur nominis tui. Neh. 9: 36. &c. Regnum peregrinorum eſt domus ſervitutis,

tis, & furnus ferreus, ut Pharaonis Iſraeli; ita Satanæ nobis, qui utique genus Dei ſumus, & per adoptionem ac regenerationem filii Dei; ne in illud tranſeamus, aut in eo maneamus, ſed ſuſpiremus eripi & transferri in regnum filii amoris Dei, & in illo digne vivamus, ad noſtram ſalutem & regis noſtri gloriam.

Verſ. 16. *Veruntamen ne multiplicato ſibi equos, neque facito ut hic populus revertatur in Ægyptum ad multiplicandum equos: cum Jehova edixerit vobis, ne deinceps redeatis per viam hanc amplius:*

Verſ. 17. *Neque multiplicato ſibi uxores, ut non recedat animus ejus à me: argentum quoque & aurum ne multiplicato ſibi admodum.*

C. *Conſtituti Regis officium*, tribus interdictis, & uno præcepto circumſcribit,

8. *Interdicta* ſunt de non multiplicandis Equis, Uxoribus, Divitiis verſ. 16, 17.

a. I. *De equis* rationem dicit, ne eapropter Ægyptus frequentetur, equis abundans, à cujus populi commercio Iſraelem voluit abhorrere, extremæ pœnæ loco minatus reditum in Ægyptum Deut. 28. 68. Hoſ. 9: 3, 6. Accedit quod equorum in bellis uſus eſſet magnus, quibus multiplicatis populus ad militiam cogendus erat; & fiducia quoque collocabatur in talem apparatum Eſa. 31: 1. &c. Pſal. 20: 8, 9. Atqui noluit Deus Iſraelem confidere in carnali brachio; ſed in Deo, qui validiſſimos hiſce exercitibus proſtravit ſuâ manu & nutu. II. *De uxoribus*, ne voluptatibus effœminaretur, *& corde ſuo recederet*, nempe à Deo, dum illis indulget, blanditiis victus. Sic verò etiam conſulebatur pudicitiæ muliebri, ne quid adverſum admitteret ſua poteſtate abuſus. III. *De opibus*, *ne multiplicaret argentum & aurum*, theſauros; fiduciam collocaturus in mammona; & ejus ſtudio deprædaretur ſubditos, vi vel fraude derivaturus ad ſe horum bona, ad ſatisfaciendum avaritiæ, luxui, voluptatibus. Ita ſubditorum bonis cautum erat.

Peccatum hic eſt à regibus pleriſque, in uno aut pluribus multiplicatione equorum & fiducia, Aſa conduxit Benhadadum, Achaz Aſſyrium, Zedekias Ægyptium. Sic Eſa. 30. & 31. Uxorum Rehabeam aliique; & licentia in rapiendis David circa Batſebam & Abiſag. ita Aſuerus; Herodes M. & Herodes Antipas fratris uxorem. Opum Hizkia, Jojakim &c. David maximos congeſſit theſauros, quamquam ab exteris & devictis populis potiſſimum, quos ſacravit Deo, & ſic cavit quod ſpectabatur in interdicto, oppreſſionem Iſraelis. Sed uxores multiplicavit, & non contentus ſuis, etiam Uriæ concupivit, & accepit, marito ejus occiſo. Achab Jezebeli ſic fuit addictus, ut eam mali omnis conſiliariam & incentricem habuerit. Verum qui omnibus ſapientia Salomo, & ſuper omnes majeſtate & gloria excellens, in omnibus iſtis ſupra modum negligens imo tranſgreſſor fuit. Equorum maximam aluit multitudinem, & commercia ea propter inſtituit, cum Ægyptiis, quemadmodum etiam lini, adeo ut monopolium exerceret, & omnes vicini reges ab ipſo eas merces conſequerentur; ducta etiam filia regis Ægypti. Opes ſic auxit, ut regibus aliis omnibus ſuperior eſſet; non ſolum ut totum regnum abundaret divitiis, argento inſtar lapidum exiſtente copioſiſſime Hieroſolymis, ſed in theſauris propriis & inſtrumentis, meris aureis vaſis utens. Uxores nemo plures habuit, 700 conjuges, 300 pellices. à quibus ſic fuit pellectus ut toleraret, juvaret, exerceret idololatriam. Scil. magna potentia magnæque divitiæ indomitos faciunt animos; Maximi reges ſic demum ſe decus ſuum tueri rentur, quando opes, & militarem potentiam auxerunt, & ſuis voluptatibus omnia permittunt. Exempla nota ſunt inde ab antiquiſſimis temporibus. Imo hi ſcopuli ſunt ad quos rectores ſæpiſſime impingunt, magis minuſve pro amplitudine poteſtatis. In Rebuſpub. potiſſimum poſtremus eſt noxius; Cupiditas opum, ut abundent, quo ſplendorem ſibi ſuiſque acquirant. Multiplicaturi equos ad rhedam, augendis opibus ſtudent, ad congruam magnificentiam, & tunc voluptates quoque creſcunt. Notata inferiorum magiſtratuum avaritia & injuſtitia Eſa. 1. 5. Mich. 2, 3, 7. Student enim nidum ſuum collocare in alto, ut immunes ſint à manu mali. Hab. 2: 9. Avaritia eſt radix omnium malorum 1 Tim. 6: 9. quæ non ſolum injurios facit in alios, verum etiam erga ſemetipſos & pretioſam animam. Avertitur animus omnibus iſtis modis à Deo; fidunt opibus, fidunt potentiæ, & quia nihil metuunt, libidini ſuæ omnia indulgent. Adeoque interdicta iſta omnibus regentibus obſervanda ſunt, & tanto magis, quanto ſunt majores. Nihil ſecuritatis in equis & curribus Eſa. 31: 3. non eripitur rex magnis exercitibus, & equus deficit ad victoriam Pſ 33: 16. &c. Aurum & argentum nequeunt eripere in die mali, & ſæpe ſunt offendiculo. Ezek. 7: 19. Amor mulierum peſſundat pretioſam animam: Sic Simſon periit. Hinc Prov. 31: 3. mater Salomonis, monuit filium. Non plus licet, ſi quis plura inter homines poſſit; ſed tanto magis ſibi temperare debet, ne peccet licentia. Siquidem Eminendum eſt regi ſuper alios, ſtudeat eminere non externis ſolum, ſed inprimis internis donis, ſapientia ad gubernandum, & diſcernendum inter bonum & malum, quemadmodum recte petivit Salomo; eopſe laudatiſſimus? qui confectione cæterarum rerum omnem ſuam gloriam detrivit: & ipſemet publicam ſuæ vanitatis confeſſionem edidit in Eccleſiaſte.

Verſ. 18. *Sed erit quum inſidebit ſolio regni ſui, ut deſcribat ſibi exemplum hujus Legis in libro, ex eo qui erit in conſpectu Sacerdotum Leviticorum:*

Verſ. 19. *Erítque penes eum, & leget in eo omnibus diebus vitæ ſuæ; ut diſcat timere Jehovam Deum ſuum, obſervare omnia verba hujus Legis, & ſtatuta iſta faciendo ea:*

Verſ. 20. *Ne efferatur animus ejus præ fratribus ſuis, & ne recedat ab hoc præcepto dextrorſum aut ſiniſtrorſum, ut prolonget dies in regno ſuo, ipſe & filii ejus in medio Iſraelis.*

2. *Mandatum* huc facit, verſ. 18. &c. Studium pietatis illud eſt, de quo monet Quando, Quomodo, quo fine curandum ſit.

a. *Quando. Erit cum ſederit ſuper throno regni ſui.* Ubi adeptus erit regnum, non liberatur à ſtudio pietatis, ſed illud tunc magis quam unquam ante ſeriò ſuſcipere & urgere debet. Regiminis ſolicitudo aliis eſt excuſationis argumentum; non vacat tum adeo multis & aſſiduis eſſe in religionis cognitione; hanc Theologorum curam faciunt; ſibi politica unice tractanda putant. Aliter ſtatuit Deus; quando ad eum locum quis evectus eſt, tum vero ſe vocatum agnoſcat, ut illud ſtudium aggrediatur, & tractet. Etenim qui antea tantum privati officia inde diſcenda habuit, debet nunc etiam diſcere officia regentis; quæ ſe extendunt latiſſime. In labiis regis eſt divinatio, os ejus non tranſgredietur in judicio. Prov. 16: 10. ſiquidem oraculorum divinorum habuerit notitiam; ut non opus habeat conſulere tantum alios, ſed ipſemet quoque videre queat. Sunt multi qui ignorantes & notitiæ negligentes optant reges, quo ipſi illis abuti queant, & ſibi ceu ſcientibus dominatum parare in rebus religionis & regionis, quæ fidem, quæque politiam concernunt. Sed tum demum rite fient omnia, quando reges & regentes ipſimet ſe cognitioni acquirendæ addicent.

b. *Quomodo*, *deſcribit ſibi* &c. Docent Hebræi unum quemque majorennem obligatum eſſe ad deſcriptionem legis, ut qui populus Dei forent, ſigillatim voluntatem Dei cognoſcere ſtuderent. Cum enim typographia tunc ignoraretur, quivis ſibi legem tenebatur deſcribere ut eam privatim poſſideret. Et magnum in eo momentum. Quod quis ſuâ manu deſcribit, fortius memoriæ imprimitur, quod ſæpius legatur: fuitque generali iſti legi obnoxius rex, quâ Iſraelitâ: ſed quâ rex, alteram deſcriptionem ſuſcipiendam habuit, quam primum regnum adiiſſet. Supervacaneum

id credunt alii; ſed non deeſt ratio, una ut moneretur qui olim privati munia iſtic conſignata ſibi paraſſet, nunc etiam regentis inde petere debere, quandoquidem non ſolum ipſe obſervare tenebatur, ſed etiam curare ut ſubditi obſervarent. Exemplo Joſiæ 2 Chron. 34: 33. Quævis vocatio ſpecialem requirit informationem, & maxime illa, quæ omnium præſidem conſtituit, altera, deſcribet ex codice qui in cuſtodia Levitarum eſt: ex autographo Moſis. Oſtendimus nuper conſulendum fuiſſe de lege & præcepto Synedrium magnum, prope ſacrarium conſeſſum agens, ut autographi illius conſulendi foret oportunitas. Rex itaque ſuperior omnibus, ejus autographi poteſtatem quoque habere debuit; non quidem ut ſolus poſſideret; ſed ut apographum ſuâ manu confectum haberet, ne aliena fide ſemper nitendum foret. Aliorum exemplaria fuerunt ex apographis, quomodo etiam errores tranſcribuntur: ſed ut hi caverentur ex autographo deſcribere juſſus eſt. Solent advocati aliique deſcribere ſua manu jus municipale Groninganum, quia non extat impreſſum, & ut ſibi ſit familiarius: quanto magis circa Scripturam ſic verſandum eſſet, niſi haberemus tantam copiam editorum. Liberati ſumus à ſcribendi moleſtia, ſed non à collatione cum authentico textu; quandoquidem & apographa alienæ linguæ, & expreſſio ſæpe multum erroris habet. Inprimis tanto plus otii conceditur ad lectionem, & meditationem; ob quam ſcriptio ſuſcepta. De hac lectione eſt verſ. 19. Et erit apud ipſum, & leget in eo omnibus diebus vitæ ſuæ. Prior moleſtia ſuſcipienda non ad meram poſſeſſionem parandam, ſed ad uſum, eumque quotidianum. Semper ad manum habebit, ut jugiter legat, & conſulat. Sic mandatum omnibus Pſ. 1: 2. & ſpeciatim regentibus politicis in bellicis. Joſ. 1: 8. tanti populi regens, tantuſque bellator, diurna nocturnaque manu verſare legem juſſus eſt. Et quid egerit Regum pientiſſimus David Pſ. 119. teſtis eſt, quo continuum ipſi hoc exercitium fuiſſe docetur. Aſt quam multi regentes hodie nihil minus agunt, imò fere præter officium ſuum eſſe cenſent, in hoc ſtudiorum genere occupari. Neque hi ſolum; verum plerorumque eſt qui laici dicuntur; & ſunt ex ordine Eccleſiaſticorum, qui negligentiſſimi ſunt Hoſ. 8: 12. ſcribo ipſis multiplicia & præſtantiſſima Legis meæ; reputantur ceu quid peregrinum & Jer. 8: 8, 9. qui traditivam Scribarum ſequuntur; quomodo furto ſubducitur verbum Dei ab auditoribus, atque hi ad oblivium ducuntur Jer. 23: 27, 30. Laudatiſſimum eſt exemplum Alphonſi Regis Aragonum, qui vicibus XIV. Biblia perlegerat, tanto amore & ſtudio in ea ferebatur: quod utinam imitari plurimis placeret; ſane magis familiares vulgo forent S. Literæ, & rectius ſenſum ipſarum intelligerent, deque doctorum quoque ſermonibus judicare poſſent, ut Act. 17: 11. Beroenſes, quotidiani ſcrutatores.

c. *Quo ſine* denique ſuſcipiendus lectionis labor; Triplex ille eſt reſpectu Dei, proximi, *Tui* ipſius.

a. Dei quidem verſ. 19. ut diſcat Dominum Deum ſuum timere, ad cuſtodiendum omnia verba hujus legis & hæc ſtatuta, ad faciendum illa. Cognoſcendus ex Scriptura Deus, ejuſque quam præſcripſit faciendam, voluntas; Eph. 5: 15, 17. ut ſe majorem eſſe agnoſcat Deum, à quo leges accipere debeat, non minus quam cæteri omnes, & juxta illas obedienter vivere. Etenim non ſolum æque homo eſt rex ac cæteri, Deo inferior; ſed etiam ſingulariter à Deo evectus, non ut minus revereatur Deum, ceu proximior; verum magis etiam, quo ei ſimilior ſit, & imaginem Dei etiam in regimine exprimat. Deus celſior eſt celſis; eadem diſtantiâ cœli à terrâ; quam pauci gradus throni, ut Salamonis, non imminuunt. David rex ſe ſervum Dei vocat, cum hoſtibus omnibus ſuperior eſſet, Pſ. 18: 1. & quia ſervus, utique ad obſequium jugiter paratiſſimus eſſe debet. Honoratiſſimi in aula regii ſervi, & quibus cæteri, omnes aſſurgunt, ſervi ſunt, & ſollicitius ſervire debent, ne in præjudicium heri (dominatum dicantur quærere. Sic reges & principes ſe reſpectu Dei gerere debent.

b. Proximi autem verſ. 20. ne cor ejus ſe efferat ſuper fratres ſuos, neque recedat à præcepto dextorſum aut ſiniſtrorſum. Hoc quoque diſcitur ex lectione Scripturæ; non eſſe ſe digniorem natura ſubditis, & eos omnes ſibi eſſe fratres. Cognatio hic propior, cum ex Iſraele omnes; ſed etiam aliorum eſt: ut Job. 31: 15. de mancipiis ſuis; *annon qui me in ventre fecit, etiam fecit ipſum? & unus nos paravit in utero? nonne omnes habent unum patrem Deum,* ratione creationis; & hic quoque ratione fœderis? adeoque par ſubditis apud Deum; *qui faciem principum non recipit, & divitem præ paupere non agnoſcit; nam omnes ſunt opus manuum ejus.* Job. 54: 19. Quamobrem cavebit alio cum ipſis jure agere quam Dei, & quod hic mandavit obſervabit, potius quam ut agat ex conceſſione populi, aut moribus regum genrilium. Tyranni alios homines, ſubditos, æſtimant, ut nidum avium Eſa. 10: 19. ut piſces maris, ut reptilia terræ Hab. 1: 14. ut feras venationis voluptati expoſitas, & hinc nullam pereuntium habent rationem. 2 Sam. 2: 14. Quod ſi homines cogitarent æque ac ſe, & æque pretioſa anima inſtructos, quibus æque proclivis gratia apud Deum, & jus filiorum Dei, & ſpes hæreditatis æternæ, utique non minus ac ſeipſos æſtimarent; & in ſua majeſtate fratrum etiam viliſſimorum curam gererent.

c. Sui ipſius tandem, verſ. 20. *ut prolonget dies in regno ſuo, ipſe & filii ejus, in medio Iſraelis.* Obedientiæ ſæpius longævitatem promiſſam novimus. Sed obedientiæ regiæ longævitas in regno, imo ejus hæreditas ad poſteros. ſic dicitur Sauli 1 Sam. 13. ſuæ inobedientiæ debuit regni ablationem & 1 Reg. 11: 38. dicitur Jeroboamo, *ſi audiveris quæ præcipiam tibi, & ambularis in viis meis, & feceris quod rectum eſt in oculis meis, obſervando ſtatuta & mandata mea ut ſervus meus David fecit; & ero tecum & ædificabo tibi domum conſtantem, ut Davidi, & dabo tibi Iſraelem.* Davidis pietatem Deus remuneratus eſt regno hæreditario, etſi reges multi ex filiis ejus mali forent. 1 Reg. 15: 4, 5. Soliciti ſunt reges, ut quam habent potentiam ſibi conſtantem faciant, & hæreditariam; ſed quibus utuntur artibus nec laudatæ ſemper ſunt, nec ſucceſſum habent. Sola pietas id præſtat, ad normam verbi divini inſtituta. Ridebat Davidem Michal Saulis filia, quod regiam majeſtatem non ſatis eſſet tuitus inter ſubditos; ſed ipſe Dei reverentiam oſtendit, quæ ipſum Sauli prælatum dederat; & vult cum populo humiliter coram Deo vivere, ut magis adhuc extollatur. Studeant Magnates, ſtudeamus omnes pietati, ut obtineamus quod eſt Pſ. 34: 13. *Quis eſt vir deſiderans vitam? amans dies ut videat bonum? recede à malo & fac bonum.* Deut. 30: 19. *Eligito vitam ut vivas, tu & ſemen tuum, diligendo Dominum Deum tuum, obediendo voci ejus & ipſi adhærendo; nam ipſe eſt vita tua & longitudo dierum tuorum. Pietas ad omnia utilis & habet promiſſionem vitæ præſentis & futuræ* 1 Tim. 4: 8. etſi præſens ſeculum, nihil tibi ferat felicitatis, futurum dabit illud tanto copioſius, ſortem & uſuras ſimul; viam vitæ qui inſiſtit, quæ pietatis eſt, impetrat tandem ſatietatem gaudii & jucunditates coram facie Dei jugiter. Amen.

CAP. XVIII.

Prov. 29: 19. *Deficiente prophetia nudatur populus.* Quid denudatione ſignificetur, patet ex Exod. 32: 25. Moſes vidit quod populus eſſet nudatus; nam Aaron nudarat illum, Idololatria, quam Aaron erexerat, nudarat populum præſidio Dei, ut à quibuſvis adorientibus potuiſſent ſuperari, adeoque ſua libertate privari, facti ſervi aliorum; carentes omni politia propria. Hujuſmodi conditionem metuendam dicit Salomo, ſi deſit prophetia, hoc eſt, inſtitutio de religione. Etſi adeſſent Reges, & Judices, & adminiſtratio civilis, ut inter homines felix cenſeri poſſet, nihilominus vera felicitas non eſt; Gen. 20. 11. ſi prophetia deſit; corpus & corporalia prioribus curantur, & ſufficiunt gentilibus; ſed ſpiritus & ſpiritualia non item, quorum ratio in iis qui Eccleſia ſunt potiſſima eſt. Iſtic neceſſaria eſt prophetia, & ſine quo inutilis hæc eſt, prophetiæ obſequium, legis obſervatio & tunc felix erit Reſpublica. Moſes itaque Politiam Iſraelis inſtituens ex mandato Dei, hæc non neglexit, ſed cum toto regiminis ſui tempore, tum in extremo ejus operam dedit, ut Iſraeli etiam poſt mortem ſuam rite proſpectum eſſet. Obſervationem Legis toto libro inculcavit, & inculcabit. Verum inſuper curavit ne prophetia deeſſet, quæ ad obſervationem neceſſaria eſt, utpote legem obſervandam declarans & urgens. Accuratè ſatis inſtituit de iis quæ ad Politiæ ordinationem pertinent, quando monuit de judicibus & Regentibus inſtituendis, deque eorum munere circa altare

Dei

Dei & curam religionis, & circa judicia ut mali plecterentur, & judicio ſua conſtaret autoritas, neque etiam excederent ſuam poteſtatem. Sed nunc quoque monet de Prophetia, & religionis doctrina, per quas perſonas eſſet curanda. Et quemadmodum in judiciis diſtincte egit de minoribus per ſingulas urbes, de ſummo Synedrii prope Sanctuarium Domini, deque rege, ſi quando illum conſtituiſſent: ita quoque nunc circa perſonas ſacras agit de inferioribus Levitis; de ſuperioribus, Sacerdotibus; de ſummo Meſſiâ Levitæ fuerunt doctores populi Deut. 33: 10. Sacerdotes qui etiam Levitæ inſuper offerebant hoſtias, & proximius accedebant ad Deum. Sed Meſſias major iſtis omnibus & proximus Deo. Moſes 1. Levitas & Sacerdotes conjungens, de ipſorum Alimentis agit verſ. 1--8. deque cura contra falſam prophetiam, verſ. 9--14. tum II. de Meſſiâ verſ. 15--19. deque prophetarum probatione verſ. 20--22. Connexionem hujus capitis cum prioribus quidam ſic concipiunt. Dixit cap. 17: 9. de Leviticis Sacerdotibus conſulendis, ceu qui magnam partem Synedrii facerent: nunc itaque de illis agere; ut cur præ cæteris adhibendi ſint pateat: nempe quod aptiores cæteris, qui otioſe poterant meditari legem Dei, & in ejus intelligentia proficere ad inſtitutionem aliorum, non occupati agriculturæ moleſtiis, quæ aliorſum vocarent & diſtinarent: & quod inſtructi alimentis citra ſuum laborem, rectius vacare & integrius poſſent. Quod quidem non incommodum eſt, & à nobis etiam eſt inculcatum; quamquam nunc ſpectentur potiſſimum, quatenus prophetia per ipſos in populo curanda. Docet autem primo de alimentis eorum, deinde de doctrinâ quam habebant obſervandam,

Verſ. 1. *Ne eſto Sacerdotibus Leviticis, toti tribui Leviticæ pars & poſſeſſio cum reliquo Iſraele: ex igne abſumendis Jehovæ & de poſſeſſione ejus comedunto.*

Verſ. 2. *Quamobrem ne eſto poſſeſſio ipſi inter fratres ſuos: Jehova eſt poſſeſſio ejus, quemadmodum dixit ei.*

Verſ. 3. *Hoc autem eſto jus Sacerdotum à populo, à ſacrificantibus aliquod ſacrificium, ſive bovem, ſive pecudem; ut det populus Sacerdoti armum, & ambas maxillas, & ventriculum.*

Verſ. 4. *Primitias frumenti tui, muſti tui, & olei tui, & primitias velleris ovium tuarum dato ei.*

I. De *alimentis* ſic loquitur ut I. generatim indicet verſ. 1, 2. II. ſpeciatim quædam enumeret verſ. 3--5. III. fruendi modum præſcribat. verſ. 6--8.

A. *Generatim* proponitur κατ' ἄρσιν & κατὰ θέσιν verſ. 1. tum utrunque repetendo confirmatur verſ. 2.

B. *Propoſitio* κατ' ἄρσιν eſt verſ. 1. *Non erit Sacerdotibus Levitis, toti tribui Levi pars aut hæreditas cum Iſraele.* Quæ verſ. 3. ſeqq. dicuntur ſolos Sacerdotes attinent, qui non niſi una fuerunt de tribu Levi familia, Aaronis nempe: verum tota tribus in generali propoſitione includitur verbis expreſſis. Levi fuit tertius XII. filiorum Jacobi, & ob Joſephi filios à Jacobo adoptatos, & Rubeni ac Simeoni æquatos Gen. 48; 5. tribus decima tertia; cui proinde, ſi par ratio fuiſſet habenda, portio decima tertia debebatur. Et quidem ob Sacerdotii dignitatem, huic tribui datam (familiæ Aaronis; quæ una erat,) præ cæteris quoque videbatur augenda poſſeſſionibus. Sed aliud heic definitum. Nec familia Sacerdotalis, nec tribus univerſa Levi, habebit cum Iſraele reliquo partem aut hæreditatem: Quando aliæ tribus partientur inter ſe, hæc excluſa manebit. Pollicitus erat, Deus Abrahamo poſſeſſionem Cananææ dandam liberis, & hanc hæreditatem erant adituri Iſraelitæ: ad hanc ſpem vocabantur omnes in Ægypto: verum Sacerdotes & Levitæ eâ privantur. Num. 18: 20. ad Aaronem dixit Deus, *In terrâ ipſorum* (filiorum Iſraelis) *non hæreditabis, & non habebis portionem in medio ipſorum* & verſ. 23. *Levitæ in medio filiorum Iſraelis non habebunt hæreditatem.* Diſtinguunt Hebræi hîc portionem & hæreditatem: hanc dicunt terram, illam prædam; hanc immobilium poſſeſſionem, illam mobilium; quæ ſane magna fuit; Joſ. 22: 8. Rubenitæ & cæteri trans Jordanem cum dimitterentur domum, revertebantur cum magnis opibus, & multis gregibus, & cum auro, argento, ære, ferro, & veſtibus plurimis: Atque his etiam caruiſſe volunt Leviticam tribum. Sed dubitare quis merito poſſet. Nam jubentur; partimini prædam hoſtium veſtrorum cum fratribus veſtris. Diviſionis iſta ratio lege definita fuit. Num. 31: 25. ut præda ab hoſtibus capta, qualiſcunque foret, divideretur in duas partes æquales, quarum una cederet militibus, altera congregationi quæ domi manſerat, & idem obſervavit David, ac porro obſervandum ſanxit 1 Sam. 30: 25. Verum eadem lege Dei ſtatutum fuit, ut de portione exercitus Sacerdotes quingenteſimam partem caperent; de portione cœtus reliqui Levitæ quinquageſimam Num. 31: 28. &c. quomodo hi decimas quodammodo, illi decimarum decimas obtinebant, quæ alias ſervata proportio. Num. 18: 26. Unde colligitur etiam Levitis portionem aliquam ceſſiſſe: Niſi hæc valeat exceptio, ſi hoſtes fuerint non Cananæi, uti Midianitæ; verum ſi Cananæi, uti de terra, ita neque de cæteris eorum ſpoliis nihil illis cedi debuiſſe. Sic ergo Levitæ nec cenſi ſunt inter milites occupaturos terram Num. 1: 47. &c. cap. 26: 62. nec de illis explorator miſſus in terram Num. 13. utpote ad quos hæreditas non pertineret, ut nec pro illâ pugnare, nec ejus conditionem noſſe, ipſorum multum intereſſet. Obj. Conditio ergo Levitarum deterior fuit quam cæterorum Iſraelitarum omnium. Nam præc. 5. promiſſio ad eos non ſpectabat: adeoque nec illa figura cœleſtis habitationis, quia terrenâ carebant. Reſp. Quamvis non haberent hæreditariam poſſeſſionem ut cæteri, habuere tamen in terra commorationem: aliquas urbes Deus ipſis conceſſerat, quæ ipſis manebant propriæ. Et cum tabernaculo Dei terreno miniſtrarent, ſimul cœleſtis figuram habebant, quæ ad illius deſiderium excitaret, & in exſpectatione confirmaret. Veruntamen triſtis videtur ea conditio Levitarum omnium. In deſerto quidem nihil inde incommodi; nam de eadem eſcâ pari portione participabant, de manna, uti etiam de aqua petræ; & tunc invidenda videbatur illa dignitas, quod Koræ, Dathanis & Abirami ſeditio oſtendit Num. 16. Aſt quando in Cananæam ventum fuit, ceſſante alimento de cœlo, terrâ tunc carere & proventibus ejus id fuit calamitoſum.

Itaque ne iſtâ ſecluſione terrerentur ſubjungit κατὰ θέσιν quid ipſis aſſignatum ſit, Ignita ſacrificia Domini, & hæreditatem ejus comedent. De ſuſtentatione ipſorum loquitur, unde victuri ſint; & quemadmodum ante diſtinxit Sacerdotes Leviticos, & totum tribum Levi, cujus illi tamen pars fuerunt; ſic quoque nunc diſtinguit, docetque quid illi peculiariter, & quid cum cæteris debeant conſequi. Comedent omnes (nam *operarius dignus mercede ſua*, Matth. 10: 10. *& ſi qui non vult laborare non comedat*, ex regula 2 Theſſ. 3: 10. qui laborant, & in excellentiori opere laborant quæ regni Dei ſunt & juſtitiæ ejus, comedere utique & liberaliter comedere debent. Sacerdotes quidem, qui altari aſſtant, de altari vivent 1 Cor. 9: 13. & cum altari participabunt: Hoſtiæ, aliaque ipſis quoque cedent ex parte. Nihil quidem de Holocauſtis, vel peccatis quorum ſanguis in Sanctum aut S. Sanctum inferretur; ſed de peccatis aliis, deque Reatibus, nec non de pacificis; itemque de oblationibus cibariis quibuſcunque, panes item propoſitionis, & panes primitiarum. Iſtæ dapes ſolis Sacerdotibus aſſignatæ fuerunt Lev. 6. & 7. Num. 18. & veniunt nomine ignitorum ſacrificiorum. Levitæ autem quos inter Sacerdotes primarii, qui ſacra adminiſtrant, de ſacris comedent. Hæreditas Domini ipſis aſſignata eſt. Quænam vero illa eſt? Reſp. Lev. 25: 23. *Terra mea eſt, & vos eſtis peregrini & inquilini apud me*, & *propterea non venditur terra in perpetuum.* Deus ſibi Cananæam propriam ſervavit, cum ſit ipſius terra omnis & plenitudo ejus Pſ. 24: 1. quam donavit Abrahami poſteris, ſed ut ſolum iſtic colonorum inſtar habitarent; hæreditas, quæ ipſis conceſſa, fuit emphyteuſeos, citra jus alienationis, & ut agnoſcendum haberent Dominum, qui in poſſeſſione ſuâ manu & potentiâ collocarat. Itaque primum 48. urbes ſegregari voluit, quæ cum ſuburbiis ſuis cederent tribui Levi Num. 35: 2. quarum tredecim ceſſerunt ſacerdotibus

Joſ. 21: 9. de tribu Judæ, Simeonis & Benjaminis, & 35. cæteræ Levitis aliis, de tribubus reliquis: qui hoc modo diſperſit eos per totum Iſraelem, & maledictionem Jacobi Gen. 49. 7. convertit in bonum totius populi. Deinde imperavit omnium proventuum ex agris decimas: quæ Levitis cedebant, & hinc decimæ dabantur Sacerdotibus à Levitis. Num. 18: 26. Iſtas porro urbes & decimas vocat hæreditatem Domini: quandoquidem certa & ſtata fuit ejus poſſeſſio; cum nec urbes illæ alienari poſſent, & decimæ annuus forent proventus, quando colebantur agri: verum ignita illa ſacrificia fuerunt incerta, an & quanta futura eſſent. Etenim non imperarat Deus ſacrificia, ſed obſequium mandatorum. Jer. 7: 22. & tunc nullis hoſtiis opus fuiſſet: illæ plures paucioreſve fuerunt, prout vel plures tranſgreſſiones, vel voluntariæ oblationes afferrentes. Hac propter præter ſedes ad commorandum, certum proventum aſſignavit, decimas, liberalem proviſionem. Erant tribus decima tertia, & cæteris omnibus minor, & tamen non decimam tertiam ſed decimam portionem attribuit. Aliis laborandum fuit in colendo agro, multum moleſtiæ & ſudoris tolerandum, & quando collegerant, & triturarant, antequam in horrea conderentur vel cellas, Levitæ veniebant, & decimas inde auferebant. Diximus de hâc portione ad Deut. 14: 27. ubi cum de decimis ſecundis mandaſſet Moſes, quomodo à proprietariis uſurpandæ eſſent, tum pro ſe ad ſacros ſumtus, tum pro pauperibus; etiam monet, veruntamen Levitam qui in portis tuis eſt, non deſeres: nam non habet partem, nec hæreditatem tecum. Quod de decimis primis potiſſimum intelligendum. Hæ recte dicuntur hæreditas Domini, pro miniſtris ſuis, non ſolum quia Deo dante incrementum, quo ſine inutilis eſt plantatio & rigatio, 1 Cor. 3: 6, 7. portio proventus merito Deo cedere debet, & quidem longe maxima, quamquam ipſe decimas tantum ſibi poſtulet, ſed inprimis quia jam ab antiquo decimas acceperit pro ſervis ſuis. Gen. 14: 20. Abraham dedit Melchizedeko, Sacerdoti Altiſſimi, decimas de omnibus & Heb. 7: 1, 6. hinc demonſtratur Sacerdotium Melchizedeki, quod decimas acceperit, imo exegerit ab Abrahamo; Ergo jam tunc eæ ſolvebantur Sacerdotibus, & Abraham hinc non minus quam ex benedictione agnovit ipſum Sacerdotem Levitæ qui umbræ ſerviunt eas ex lege exegerunt. Heb. 7: 5. Melchizedek antiquior eaſdem exegit, ad cujus ordinem Chriſtus Sacerdos eſt, cum jure benedicendi, tum etiam jure decimarum, pro alimonia ſervorum ſuorum; hæreditas proinde dicitur titulo juſtiſſimo, quæ jam tempore Abrahami agnita & conceſſa fuit. Poſtmodum inter Judæos ſancita; neque abrogatio indicata Hebræis, ſed potius continuatio in jure Chriſti; & inter gentes licet non definita proportio, tamen ſatis aperte confirmata, quando qui Euangelium annunciant ex Euangelio vivere debere dixit, ordinante Chriſto; & id exemplo Levitarum & Sacerdotum, qui ſacra adminiſtrarunt, & altari ſervierunt 1 Cor. 9: 13, 14. & quando juſſit Gal. 6: 6. qui inſtituitur in verbo, communicet omnibus bonis illi qui inſtituit; ne errate; Deus non irridetur: quod ſeminaverit homo, idem & metet; ſive bonum, ſive malum; ſive parce, ſive liberaliter. Eſt hic neceſſario notanda hominum perverſitas; qui quod Deus conjunxit, amant ſeparare. Laudant ſaltem in corde negatam præconibus Euangelii portionem & hæreditatem cum cæteris; vellent eos vel nihil vel parciſſime conſequi, & ſibi ſolis omnia cedere. Sed nec poſſunt ſolo aëre vivere cum homines ſint æque ac cæteri; nec iſtud voluit Deus, qui herus benigniſſimus; (nam &c. debent) ſed quando negavit iſtud, dedit quod comedant aliud & liberaliſſimum: ignita Dei ſacrificia & hæreditatem ſuam. Non ſunt iſta populi, ſed Dei; nec dantur à populo, ſed Deo debita perſolvuntur, & rite exiguntur. Alimoniam non debent liberalitati hominum, ſed Dei; ſi diſpenſatio aliquatenus hominum eſt, quando dant miniſtris non tam dant, quam non furantur, & depoſitum non intervertunt. Olim fuerunt decimæ ſolutæ; quæ ſi non præſtarentur, Deum ſpoliare dicti ſunt Mal. 3: 8. Hæ ubique fere inter Euangelicos abolitæ ſunt. Sed ſunt bona, quæ dicuntur Eccleſiaſtica, voto ab idololatris deſtinata Eccleſiæ, & eorum miniſtris. Potuit talis alienatio fieri Lev. 27: 21. ſi quis agrum voviſſet Domino, neque redemiſſet anno Jubilæo, manebat ſanctus Domino, ut ager anathematis: Sacerdotique cedebat: citra redemtionis privilegium, & quicquid idololatriæ dicatum fuerat, fiebat anathema, pariterque cedebat ſacerdoti verſ. 28. Deut. 7: 26. Hujus conditionis ſunt omnia iſta bona quæ Deo propria ſunt; & qui ſibi privatim inde ſumit, imitatur Achanem ſeque ditat anathemate: quod ipſum & omnia quæ habet, liberos & facultates in anathematis conditionem redigit. Utinam iſtud medirarentur quicunque aliquid hic curandum habent: tum ne ſuam crepent liberalitatem, quando quod Dei eſt largiuntur, & concedunt quod ſupereſt hæreditatis divinæ, à multis ſeculis deſtinatum ab aliis, & anathematis titulo Deo appropriatum: partim ne eam portionem ſibi rapiant, neve detineant juſto diutius. Decimæ fuerunt ſeparandæ antequam liceret quicquam in privatos uſus convertere: nam alioqui imminutæ eæ fuiſſent juxta cum acervo. Levitis tantum fuerunt petendæ vel exigendæ. His primum proſpectum voluit Deus: Nam ſi poſt annum, aut ſeſquiannum demum fuiſſent exhibitæ, unde tantiſper vixiſſent Levitæ? Sane cum portiones ſuæ illis non darentur à reducibus ex Babel, diffugerunt illi, & deſerta fuit domus Dei, & opus ejus in illâ: quamobrem Nehemias cum principibus deſuper rixatus eſt, quod non curaſſent perſolvi decimas. Neh. 13: 10. Juſtiſſimaque fuit rixa, ut hæreditas Domini non interverteretur ab extraneis, neque detineretur. Quam maledictionem minetur Deus ſi non præſtetur, legere eſt Mal. 3: 9. & non minus eximia eſt benedictio quam pollicetur, verſ. 10. abundantia præſens, & futura, cum manifeſta felicitate.

2. *Repetitio confirmatoria* eſt verſ. 2. tum quoad ἄρα, *Propterea non habebit hæreditatem in medio fratrum ſuorum.* In Hebræo copula eſt, *Et non habebit;* ſed ratio indicatur: quia hæreditatem Domini comedunt, propterea non habebunt &c. Num. 18: 24. *Decimas filiorum Iſraelis dedi Levitis in hæreditatem*, (quas Domino offerunt in oblationem B. Hef-offer; unde dicuntur Domini hæreditas qui furtum ducit non perſolvi Mal. 3: 8.) *propterea dixi ad ipſos, non habebunt hæreditatem in medio filiorum Iſraelis.* Non excluſiſſet, niſi alio modo proſpectum ipſis voluiſſet. Sic autem proſpexerat, ut facile carere poſſent quibus portio uberior obtigiſſet. Et valet hæc ratio etiamnum. Comedentes hæreditatem Domini, non debent habere portionem cum cæteris; ſed ſi illa eis negetur, nonne jure poſtulant portionem? Portiones ſunt etiamnum nonnullæ, quæ aliis conceſſæ, Euangelii præconibus negantur, & recte negantur: Magiſtratus civiles & dominatus, & quæ inde fluunt commoda. Non debent ipſi hos inter locum affectare; qui ſpiritualia miniſtrant, non debent implicari iſtis corporalibus: Veruntamen ſi eis eripiatur ſuſtentatio Dominicæ hæreditatis, nonne merito poſcunt portionem cum aliis? Hâc ſi carere debeant, hæreditas Domini *eis relinquenda* eſt, ſaltem ea quæ ab idololatris venit, & accrevit Deo, quando nemo de ſuo quicquam ſe debere retur, ut eam comedant. Pharaonis exemplum commendatur, quod tempore publicæ famis, quando omnes ſuas poſſeſſiones vendiderunt Regi Ægyptii, nec eo fine Sacerdotum agros vendi ſibi paſſus ſit, nec paſſus ſit ipſis deeſſe alimenta, quæ eis ſuppeditavit Gen. 47: 22. tantum abeſt ut eis imminuerit ſuos reditus, aut diſtulerit in longum. Momenti alicujus eſt monitum Deut. 12: 19. *Cave, Levitam ut deſeras.* Si dicatur, habere aliunde, unde vivant, ut mercede juſtâ non indigeant, aut ea imminui queat; iis reſponſum eſt verſ. 8. ut ſuo loco monebitur.

Aſt Levitis & Sacerdotibus, qui hæreditatem Domini comedent, ut non habeant partem cum cætero Iſraele, faciendum quoque eſt, quod additur confirmationi quoad ἄρα. *Dominus eſt hæreditas ipſius, quemadmodum ipſi locutus eſt.* Obſervanda heic quædam differentia à priore: ante dixit; *Edent victimas & hæreditatem Domini*; aſt nunc: *Dominus eſt hæreditas ejus.* Illic *hæreditas* notat proventus certos ad alimoniam miniſtrorum deſtinatos, & jure juſtiſſimo, quale hæreditarium eſt debitos, & percipiendos; Hic verò *hæreditas* eſt ipſe Dominus, & quaſi fundus ille, unde proventus iſte ſperandus eſt. Adeoque heic plus dicitur quam antea; non ſolum quod ad commodum, ſed etiam quod ad officium Levitarum pertinet. Dominus dicitur hæreditas alicujus ratione poſſeſſionis tum juſtæ, tum ſucceſſivæ. Hæreditas enim talis poſſeſſio eſt, quando quis portionem aliquam propriam habet, juſtiſſimo titulo acquiſitam, & quidem à longo tempore, quia jus illud à parentibus

bus devolutum eſt. Dominus hoc modo ſit hæreditas, quando ſe ſuaſque perfectiones alicui propriis facit ad uſum vi fœderis hæreditarii. Sic fuit Levitis Mal 2: 4. 5. *fœdus meum fuit cum Levi, inquit Dominus Zebaoth, fœdus meum cum ipſo fuit vita & pax.* Qui id factum ſit legitur Deut. 10: 8. &c. *illo tempore ſeparavit Dominus tribum Levi, ad ferendum arcam fœderis Dei, ad ſtandum coram facie Domini: ad ſerviendum ei, & ad benedicendum in nomine ejus, uſque in hunc diem: propterea Levi non habet partem cum fratribus ſuis, Dominus eſt ipſi hæreditas.* Quia hoc, non tantum portione alia caret, ſed etiam in miniſterio Dei occupatus eſt. Etenim Hæreditarius fundus uti proventus proprietatem dat; ſic quoque culturæ poſcit exercitium. Si quis agrum habeat hæreditarium, neque eum colat, non alet eum, ipſe poſſeſſor peribit fame. Deus eſt, hæreditas Levi, ut inde habeat ſuſtentationem. Neque enim eſt deſertum, vel locus denſæ caliginis Jer. 2: 30. verum Dominus etiam eſt hæreditas, ut in ipſius cultu debeat eſſe occupatus, & in iis quæ Dei ſunt. Cognoſcitur Deus ex verbo, & quantum boni ac felicitatis in ipſo ſit abſconditum; Pſ. 97: 8. *Lux ſeminata eſt juſtis & rectis corde gaudium;* & hæc cum Chriſto ſunt abſcondita apud Deum Col. 3: 3. De hoc agro Levitæ plura cæteris noſſe debuerunt ut & alios docerent. Mal. 2: 6, 7. *Lex veritatis fuit in ore ejus, neque inventa eſt iniquitas in labiis ejus, ambulavit mecum in pace & rectitudine, & convertit multos ab iniquitate Nam labia Sacerdotis* &c. Hoc ni faciant non veſcentur hæreditate Domini, verſ. 1. &c. *Vos Sacerdotes, ſi non audiveritis, & revocaveritis ad cor ad dandum gloriam nomini meo, inquit Dominus Zebaoth, & mittam in vos maledictionem, & benedictionibus veſtris maledicam & perdam ſemen veſtrum*, verſ. 8. &c. *Vos declinaſtis de via, & feciſtis multos impingere in lege, corrupiſtis fœdus Levi, propterea etiam vos contemtos reddidi & deſpectos coram toto populo, quia vias meas non obſervatis.* Fœdus ipſos obligat ad curam de Deo, uti quis agrum ſuum curat; & Deum ut ipſis benedicat, uti quis ex agro bene culto uberem conſequitur meſſem. Debet Deus eſſe hæreditas, quoad unicum ſtudium colendi, & tum erit hæreditas ad comedendum, ut nunquam deſint quæ neceſſaria ad ſuſtentationem: Job. 22: 21. &c. Nam addit, quemadmodum ipſi locutus eſt; ut etiam legitur Deut. 18: 9. Interpoſuit Deus verbum ſuum, qui Deus veritatis, quem verborum ſuorum non pœnitet. Moſis votum fuit Deut. 33: 9. &c. *Docebunt Jacobum judicia tua, & Iſraelem legem tuam* &c. Verum id jam promiſerat Deus. Pſ. 32: verſ. 16. Sacerdotes ipſorum veſtiam ſalute, & benigni ipſorum, (Levitæ Deut. 33: verſ. 8.) jubilando jubilabunt. Eſt autem hæc promiſſio Levitis non propria. Maimon. de Jubilæo cap. 13. fin. *Non tantum tribus Levi, ſed quivis homo veniens in mundum, cujus Spiritus eum facit ſpontaneum, ut ſegreget ſe ad ſtandum coram Domino, ad miniſtrandum ei, ad cognoſcendum eum & recte ambulandum, adeo ut rumpat jugum inventionum variarum de collo ſuo, huic Dominus erit portio & hæreditas in ſeculum & in ſeculum ſeculorum, & in hoc ſeculo ei ſubminiſtrabit, quod ſufficiat, uti Sacerdotibus & Levitis.* Sane fideles ſæpius profeſſi ſunt Deum ſibi eſſe portionem & hæreditatem. Eccleſiæ Lam. 3: 24. & Aſaph Pſal. 73: 26. imo Jer. 10: 16. Deus vocatur *Jacobi portio.* David egregie id docet, quoad officium ſuum, Pſ. 119: 57. & verſ. 111. &c. & Pſ. 16: 5. &c. *Dominus eſt pars portionis* &c. *funiculi ceciderunt mihi* &c. *Laudabo Dominum, qui conſilium dedit* &c. *notari facies mihi viam vitæ* &c. Hoc conſilium ſequamur & nos, & faciamus Deum hæreditatem noſtram, & obſervemus præcepta ejus; ſic erit nobis hæreditas ad æternam ſalutem.

Peregrini eventus hiſtoria eſt, malè penſatæ beneficentiæ, quæ fuerat exhibita. Quum Chriſtus quinque panibus hordeaceis & duobus piſciculis cibaſſet 5000 viros, redundantibus adhuc 12 cophinis fragmentorum, dixerunt hi, *Certe hic eſt Propheta ille venturus in mundum.* Joh. 6: 14. Sed Chriſtus ipſis poſtea dixit, verſ. 26. *Amen dico vobis, vos me quæritis propterea de panibus quia comediſtis & ſatiati eſtis; laborate non pro cibo qui perit, ſed qui manet in vitam æternam, quem filius hominis vobis dat.* Atque hinc orditur eis commendare panem de cœlo, ſuam carnem, cibum verum, fide fruendum; quandoquidem id quod vivificum eſſet, quoad vitam Dei producendam, ſpiritualem haberet naturam, & ſpiritualiter per fidem eſſet manducandum; Quo audito multi ab ipſo abiiſſe dicuntur neque amplius eum ſecuti. Propheta Chriſtus deſideratiſſimus, quiſamelicos ventres miraculoſe, citra laborem proprium cibabat: ſed qui animas non perituro cibo repleturus erat, hunc faſtidiunt, & tam feſtinato deſerunt, quam antea cupide ſectati fuerant. Sic ſolent homines. Qui corpori alimenta copioſè ſubminiſtrat optatiſſimus Propheta eſt; ſed qui animæ pabulum commendat, facile contemnitur. Sed eſt ad huc alia averſationis ratio. Cibus cæteraque corporalia danda alliciunt plurimos, quo accipiant; ſed ſi petantur, ut ipſis ſint eroganda, abſterrent. Cibantem Chriſtum multitudo maxima ſequebatur; ſed cibandum Chriſtum pauci, quemadmodum mulieres illæ laudatæ Luc. 8: 2. &c. quæ Chriſto miniſtrarunt de ſuis bonis. Si bona terrena ſubminiſtrarent auditoribus Doctores, frequentiſſimos haberent; quod ſi Doctoribus deberent ſubminiſtrare, plurimi pauciſſimis non eſſent ſuffecturi quæ neceſſaria. At enim Deus Iſraelitas ad hoc obſtrinxit. Agitur hoc loco de ſacerdotum ſuſtentatione. Dixerat his, imo omnibus Levitis, non fore hæreditatem terræ, aut portionem prædæ Cananææ: verum oblationes Deo factas Sacerdotibus, & hæreditatem Domini: decimas, Levitis Sacerdotibuſque ceſſuras; imo Deum fore hæreditatem; qui ipſis ſuppeditaturus ſit alimenta; uti quis de agro hæreditario quem colit, conſequitur ſua alimenta. v. 1, 2.

B. Jam *ſpeciatim* nonnulla enumerat, quæ proventus rationem habent. verſ. 3--5. & modum fruendi definit verſ. 6--8.

א. *Enumeratio* ſpecialis ſpectat ſolos Sacerdotes, quemadmodum titulus docet, verſ. 3. *Et hoc erit jus Sacerdotum à populo.* Sacerdotibus ſolis hæc aſſignantur, non Levitis; & aſſignantur ceu jure debita, משפט conſuetudinem hanc lege ſancitam à Deo: quemadmodum morem regium, quem voluerant Iſraelitæ, Dei juſſu in tabulas retulit Samuel, contra quem populo agere non liceret 1 Sam. 8: 11. cap. 10: 25. Et à quibus debebatur ſunt, populus. Quod non ſine cauſa ſcriptum, ut diſtinguatur ab ignitis Domini. De ignitis dixit verſ. 1. & quænam illa ſint, legere eſt Lev. 7: 6. &c. Num. 18: 9 &c. Quicquid deferebatur ad altare Domini totum cedebat Domino, attamen ex parte, Deo cedente, de pacificis etiam offerentes aliquid conſequebantur. Verum quod Deus ſibi ſervabat vel totum comburebatur, ut holocauſta, vel pars aliqua miniſtris ejus ſacerdotibus cedebat; quod Deus ipſis ceu domeſticis ſuis de ſuo largiebatur; neque eo nomine quicquam debebant populo. Nam victimæ erant in poteſtate Dei & Sacerdotis, ceu domeſtici Dei: neque poterat hic Sacerdoti fraus fieri, quamobrem populo nihil de eo mandatur, qui obediens ad victimas obligabatur, neque ejus eſſe dicitur, ſed quæ recenſentur heic, ſunt alia.

Primò quidem de mactatis carnibus; à ſacrificantibus &c. זבח proprie *mactavit*, & זבח *mactatio*: Gen. 31: 54. *Jacob mactavit mactationem magnam.* tum ſpecialius, *mactavit victimam*; & *ſacrificium, hoſtia*: Heic generali, non ſpeciali ſenſu accipiendum eſt. Nam hoc modo ſi ſumatur, ſupervacaneum eſt; Etenim ut jam dictum, ſic erit ignitum Domino, & hoc habet Sacerdos à Domino, non à populo; neque in illo poterat fraudari, ſed in hoc poterat. Unde משפט vocatur, jus, ubi alius quoque agebatur cauſa, & jure debebatur & contra jus detinebatur. Debebatur autem de bobus aut ovibus, ſub quibus capræ continentur; non de feris, aliiſve animalibus ad eſum licitis, partes porro debitæ ſunt, dandæ ſacerdoti, humerus, maxillæ, quibuſcum linguam comprehendunt Hebræi, & ventriculus, ſeu omaſus.

De ignitis Domini, pacificis, habuit חזה *pectus agitationis*, שוק הימין *crus dextrum* Num. 18: 18. Lev. 7: 31, 32. Redditur Belgis **ſchouder** / *humerus*; verum membrum reſpondens in homine eſt *crus*, Pſ. 147: 10. Deut. 28: 35. adeoque in bruto notat poſteriorem pedem: Aſt heic imperatur זרוע *brachium*, quomodo anterior deſignaretur pes: adeoque nomine & ſitu diſtinguuntur. Scl. quemadmodum Num. 15: 20. &c. mandatum fuit ut primitias mactræ darent ſacerdoti, ut quotieſcunque de tritico, ſiligine, hordeo, avena, aut fagopyro, **boeckweite** / depſerent maſſam ad panem coquendum, inde ſepararent portionem, placentam, quam primitiarum vice darent Sacerdoti. Quan-

titas à Moſe non legitur definita, ſed Judæi dicunt datam partem viceſimam quartam, & à piſtore, qui venales panes parat, quadrageſimam octavam. Sic quoque quotieſcunque ad uſum privatum, ad cibum domeſticum mactabatur bos aut pecus, definivit Deus ut iſtæ portiones darentur à populo Sacerdoti. Quotieſcunque autem vel placenta de paſta vel partes iſtæ pecudum ſeparabantur, concipiebant preces, Deo gratias agentes quod ſe ſanctificaſſet ſuis præceptis, & ad hæc ſegreganda obligaſſet, quomodo ſe debitores Deo profitebantur, & obſequium neglectum inobedientiam eſſe agnoſcebant. Cauſæ ſunt reſpectu I. offerentium II. ſacerdotum. III. portionum ipſarum. Cauſam delectarum harum partium non unam dicunt; potiſſimæ ſunt; quia uti cætera habent rationem primitiarum in corpore; maxillæ de capite, armus de trunco & artubus, ventriculus de viſceribus: & hæc quoque de illis partibus potiſſimæ, I. quia item peccatur actionibus, ſermone, & cogitatione, datum brachium eſt, inſtrumentum actionum; maxillæ cum lingua, inſtrumentum ſermonis; & ventriculum interiorum officina: II. quia etiam Sacerdos miniſtrabat populo brachio, in variis actibus; maxilla & lingua in precibus; cogitatione jugi & coquente curâ, has partes in mercedem aſſignatas eſſe. Ita Sacerdotum ubicunque degerent menſam à populo inſtrui juſſit non ſolum pane, ſed etiam carnibus, ut lautius viverent; Sacerdotibus autem alienare licuit vel pretio, vel dono, aut veſci iis, quia nulla in his ſanctitas; quæ aderat pectori & cruri pacificorum. Cæterum cum Sacerdoti hæ carnes adſignarentur, utique nulla in iis impuritas, ut abſtinendum foret eſu: quod faciunt nonnulli monachorum Ordines, qui ſolis piſcibus fruuntur. Deo aliter viſum, qui carnes dedit, de piſcibus non imperavit quicquam Sacerdotibus dandum à piſcatoribus, vel de privatorum piſcinis. Quod Chriſtus in N. T. piſcibus victitaſſe ſæpius legitur, non factum ob illorum ſanctitatem majorem, ſed quia diſcipuli Jeſu piſcatores hunc cibum habebant parabiliorem. Deinde primitias frumenti, muſti, & olei, de quibus etiam Num. 18: 12. mandavit, ut de optimis daretur. Hæ antecedebat decimas, & ad minimum faciebant partem ſexageſimam; quamquam etiam ad quadrageſimam nonnulli procederent. Tertio *primitias tonſuræ ovium*; de quâ nihil hactenus fuit præceptum; & modus obſervatus idem, cum precibus quando ſeparabatur læna; De candidiſſima autem & pretioſiſſima dabant, poſtquam mundata erat, quemadmodum alias de triturato purgatoque frumento, deque defœcato vino ac oleo.

Verſ. 5. *Quia eum ſelegit Jehova Deus tuus ex omnibus tribubus tuis, ut conſtanter miniſtret in nomine Jehovæ, ipſe & filii ejus, omnibus diebus.*

Ratio mandati eſt verſ. 5. quia delecti Sacerdotes ad miniſterium Dei, pro populo, quibus proinde debebatur merces. Noluit autem Deus iſtud permittere populo, ut pro arbitrio liberales forent, ſed ipſemet æſtimavit laborem. Imo noluit de ſe cogitare populum ſuaque alimonia, quin etiam Sacerdotis haberent rationem, & quidem de optimis, ut illis de victu & amictu quoque proſpectum foret.

Neque hæc ratio ceſſat in N. T. Docuimus ſupra, quæ foret proportio decimarum, pro omnibus miniſtris Dei, totâ tribu Levi; quæ antiquitas iſtius portionis, & quod fundamentum juris, antiquius Aarone & Sacerdotio ejus, jus Melchizedekiani quod intranſitorium eſt, eoque & ſtipendium ejus, ſed nunc agitur de eo quod minus ſolenne, & ubi pauperrimus quoque obligabatur ad mercedis ſolutionem. Carebant multi agris, eoque & decimas non habebant, attamen non poterant carere pane, lautiores etiam carne; ſed quicunque coquebat panem, mactabat pecudem, tenebatur: & ſi piſtor aut lanio foret, pariter, ſed qui id imputabat emtoribus, ut illi ſolviſſe cenſeri poſſent. Hoc modo ſatisfiebat illi Prov. 3: 9. primitiæ Deo debentur omnium. Nam quæ miniſtris Dei dabantur, Deo data erant, Num. 5: 8. quod Domino redditur, Sacerdotis erit. Et danda erant de optimis. Num. 18: 12. *Omnem adipem olei & omnem adipem muſti & frumenti, primitias illorum, quas dederint Domino, tibi eas dedi.* & verſ. 29. *adeps ejus eſt Sanctum de illo.* Quivis id agnoſcit Deo Opt. Max. non danda niſi optima; qui uti maledicit offerenti corruptum ad altare, ſic quoque ad alimenta ſacerdoti. Et quamquam hæc dona eandem nunc legem non habeant: in quâ ſpecie & proportione tamen nihil ceremoniale reperitur; tamen καὶ ἀναλογίαν ſimilia debentur. 1 Cor. 9: 11. *Si vobis ſpiritualia ſeminavimus, an multum, ſi veſtrum quod corporale metamus?* Qui ſeminat æquum eſt ut metat: & ſolet Meſſis æque pretioſa eſſe: aſt Paſtores ſeminant ſpiritualia: & quatenus ſeminant Deo à Deo mercedem conſequuntur æque pretioſam, imò longe excellentiorem, æternam felicitatem & gaudium: ſed quatenus ſeminant auditoribus ut in animis ipſorum plantent bonum verbum Domini, utique mercedis de corporalibus debetur jure ſummo; & quidem de optimis, cum præſtantiſſima adhuc ſubſidant infra pretium ſpiritualium infinitè. Non edebant Iſraelitæ panem, non carnem bubulam, ovillam, aut caprinam, quin ſemper agniti datoris, & datæ miniſtris ejus recognitionis haberent memoriam, & de hoc mandato ceu de beneficio gratias agerent. Et erat tantus Sacerdotum numerus, qui poſt defectionem X. tribuum à duabus fuerunt ſuſtentati, & liberaliter quoque: aſt nunc ubi pauciſſimi ſunt Doctores parciſſime datur, & à privatis nihil: & à nonnullis creditur id quod eſculentorum & lanæ peſſimum, ipſis ſufficere. Quomodo effectum eſt, ut ſæpius Sacerdotes fiant, uti Jeroboami de viliſſimis populi 1 Reg. 12: 31. cap. 13: 33. cum tamen Deus hanc dignitatem fecerit ſummam in Iſraele neque aliter à populo fuit æſtimata, apud quem familiæ alicujus nobilitas hoc uno indicabatur, dignam eſſe quæ cum Sacerdotibus affinitate jungeretur. Hebræi obſervant, non licuiſſe Sacerdoti vel violenter rapere iſtas de macello primitias, uti nec de mactra, vel eas ipſimet poſtulare; ſed eas oblatas accepiſſe cum omni reverentia. Enimvero populus non retinebat illas niſi cum injuriâ. Et ſic quoque ubi ex compacto debentur. Num vero iſtud jus prorſus abolitum ſit, quivis cogitet. Deus olim æque dives ac nunc; & miniſtri Dei nunc æque indigi victus & amictus ac olim: & quod populo præſtatur hodie, longe excellentius quam quod olim: tunc ſpes mera, nunc res: tunc futura bona, nunc etiam præterita & præſentia; tunc umbræ, nunc corpus & veritas. Jam concludamus, Ergò pro præſenti & uberiori bono minus debemus? Nemo ſic audebit concludere ſermone. Verum praxis non aliam habet concluſionem, Quod tamen turpiſſimum: ut panis & amictus fere deſit in ædibus miniſtrorum Dei, cum qui theſauros domus Dei curant diteſcant & delicientur.

Eſt hic adhuc obſervandum de miniſterio, quod Sacerdotes delecti ſint ad miniſtrandum Deo *ex omnibus tribubus*: adeoque debet tota ipſorum vita eſſe miniſterium Dei, ut *in opere* Domini occupati ſint. Neh. 13: 10. defectus ob non ſolutas decimas fecit Levitas diffugere ad agriculturam: & ſic coguntur multi deſerere functionem, & quæ eo faciunt, ut ſibi victum quærant. Act. 6: 2. Apoſtoli dicebant, non eſt conveniens ut deſeramus verbum Domini & ſerviamus menſis: ita neque ut propriæ menſæ ſervire debeant, ſuorum neceſſitatibus, & propterea meditationem verbi Dei jugem deſerant. Satius tamen ut ſuis manibus ſibi ſuiſque parent unde vivant, ut Paulus quandoque Act. 20: 34. quam ut reperiantur miniſtrantes ventri, in gulâ & ebrietate, noctu & interdiu.

De miniſterio iſto notandum ex Hebræis; *ut ſtent ad miniſtrandum.* Omne miniſterium Sacerdotum fuit ſtantium. Non licuit cuique ſedere, dum eo fungebatur. Significatum ea ratione, non eſſe otiandum. Luc. 17: 7. qui ſervum habet toto die arantem, ubi domum rediit jubet non ſedere, ſed accinctum miniſtrare (Pſ. 134: 1. Ecce laudate Dominum, omnes ſervi Domini, qui ſingulis noctibus in domo Domini ſtatis. Vigilibus in templo, ſive Sacerdotibus ſive Levitis ſtandum fuit, & ſi quis dormiens inventus erat ſpoliabatur veſtibus, & hæ comburebantur, ipſe autem flagellabatur.) Tanta debet eſſe diligentia in opere vocationis unicuique. Rom. 12: 11. Nam etiam ſervi dum heris, ſedulo ſerviunt, ſerviunt Domino Eph. 6: 6. Col. 3: 24. unde Luc. 12: 35. Lumbi veſtri ſint cincti & candelæ ardentes; cum primis qui opus Dei ſingulariſſime agunt, quibus etiam ſi negligentes fuerint, maledictio definita Jer. 48: 10. Paulus ex ſtatione aliud notavit Heb. 10: 11, 12. quivis ſacerdos ſtabat quidem ſingulis diebus miniſtrans & eaſdem

hoſtias

hostias sæpius offerens, quæ peccata nunquam possunt amovere. Sed Christus unâ victimâ pro peccatis oblatâ consedit in æternum ad dextram Dei. Infirmitas illius cultus sic judicata fuit; quia nunquam quiescere, sed ad idem opus repetito redire debuerunt: ast Christus consummatum opus exegit, ut una hostiâ defunctus, sedere & semper sedere potuerit: adeoque non habemus alium Sacerdotem spectandum qui pro peccatis expiandis laboret. Verum Ministri Christi jugiter habent operi suo insistendum, quia vigiles Esa. 62: 6. preces assiduitatem postulant; similiterque publicæ exhortationes 2 Tim. 4: 2, 5. & privatim 1 Tim. 4: 13. Peculiaris observationis est quod dicantur ministrare *stantes in nomine Domini*. Nam Kabbalistæ Schechinam designari credunt, uti & Onkelos, *per nomen Domini*; scilicet quia nomen Domini in ipso. Verus Deus, idem mediator gratiæ, per quem solum accessus est ad Deum, & huic proinde ministrant cæteri ministri.

Vers. 6. *Item si adveniat Levita quispiam ab aliqua è portis tuis ex universo Israele, ubi habitabat; adveniat inquam omnino prout desiderabit animus ejus ad locum quem elegerit Jehova.*

Vers. 7. *Is ministrabit in nomine Jehovæ Dei sui, sicut omnes ejus fratres Levitæ qui stant ibi coram Jehova.*

Vers. 8. *Patrem ex æquo comedent, præter pretium rerum quas quisque eorum vendiderit, secundum paternas familias.*

2. *Modus* ministrandi est, vers. 6--8. Loquitur de Levitis, sed ut solos Sacerdotes denotet, quorum est stare & ministrare in nomine Domini, uti dictum modo. Nam primitiæ istæ solis debebantur Sacerdotibus; neque aliis æque proxime ad Deum accedere licuit. Fuerunt autem & hi Levitæ, sed familiæ peculiaris & potissimæ. Accedit quod participatio concessa, non alia videtur quam quæ Sacerdotum propria. At enim potest quoque generaliter intelligi de totâ tribu Levi, quæ universa delecta à Domino Deo ad ministerium, etsi distincta fuerint officia. Sacrificare, suffire, benedicere, Sacerdotum proprium fuit; ast custodire tabernaculum & musicam sacram exercere Levitarum: docere autem populum utrorumque. Hoc potuerunt agere ubique per totam terram, atque eo fine Deus eos dispersit per universum Israelem, ut in quavis tribu haberent suas urbes, eoque nulla tribus careret necessaria institutione. Verum tabernaculum uno duntaxat loco fuit erectum, ac ibidem Sacerdotes ministrarunt, non omnes, sed aliqui; quia omnes locus unus non capiebat: quibus 13 urbes erant assignatæ. Eadem fuit ratio Levitarum, quorum aliqui semper fuerunt custodes sacri. Quis vero ordo obtinuerit olim, ut sibi invicem succederent, incertum est. David primus distributionem fecit in 24. classes tum Sacerdotum, tum Levitarum, tum janitorum, tum cantorum, qui sibi invicem succedebant de septimana, adeo ut suâ hebdomade finitâ, totis 23. sequentibus abessent in urbibus suæ habitationis. Verum & olim vicibus quibusdam sibi successisse, verisimile est, ne quidam semper, alii nunquam sacro ministerio defungerentur. Jam vero monet de iis, qui non ex ordine certo accederent ad sanctuarium, sed pro arbitrio, ministrandi cupidine; quod cum aliquo rei familiaris neglectu conjunctum fuit; siquidem in suis urbibus habuerunt varias victitandi rationes, cum privatas, tum publicas, judiciorum quæ honoratæ. neque enim eo se recepissent deficientibus in sanctuario alimentis. Neh. 13: 10. Vel aliâs in festis, quando maribus omnibus, eoque & Levitis, comparendum. Hi ergo quando accedebant, poterant illico in partem quoque muneris venire, ne meri spectatores forent, & nihil differentes à cæteris Israelitis: Sacerdotes sacerdotibus jungebantur, & Levitæ Levitis: neque isti potuerunt excludi. Iniquissimum enim fuisset zelum istum fuisse cohibitum, si quis solius sanctuarii amore eò venisset: quemadmodum Samuel istic educatus fuit inde à teneris, cum Levita esset, neque inde recessit dum vixit Eli. Præterea, ubi ad muneris administrationem, sic quoque ad alimentorum sacrorum fruitionem fuerunt admittendi; ex regulâ communi, dignus est operarius suâ mercede; & qui sanctuario ministrant vel altari, de sancto comedunt, vel de altari participant. Sacerdotes quidem extraordinarii de extraordinariis festorum oblationibus, ut de carnibus peccati, & pacificis, oblationibusque cibariis comederent, & de pellibus victimarum partem haberent; præterquam quod cum proprias afferrent de suo hostias, ipsimet eas offerrent, & iis fruerentur, ut Elkana 1 Sam. 1: 3. quod item in festis à tribubus, quas inter vivebant, poterant adhiberi ad festales operas, & emolumenta. Levitæ autem videntur consecuti sua alimenta ex decimis decimarum, quæ ad sanctuarium deferebantur pro sacerdotibus, Num. 18: 26. 2 Chron. 31: 4. Neh. 13: 11. quibus cum ministrarent Levitæ, æquum fuit, ut illis præberent cibum necessarium: Nam distributio cæterarum decimarum facta per urbes commorationis, sustentationi familiarum inserviebat, neque potuerunt inde secum ferre escam, ad sanctuarium: quod abunde habebat ex Dei instituto, unde sui ministri viverent, quotcunque ministerii partes obirent: quemadmodum de abundantia illa legimus 2 Chron. 31. & Neh. 13. Sic vero cavit Deus ne quis gratis Deum coluisse diceretur, neque gratis vel claussse fores, vel accendisse ignem in altari, Levitæ aut Sacerdotis munere functum &c. Mal. 1: 10. Legimus quidem Levitam de Bethlehem Juda terram obiisse ut quæreret sustentationem; qui se sacerdotem sculptilis constitui voluit à Micha Jud. 17. verum id fuit cum rex non esset in Israele, & legum observatio multifariam negligeretur. Ast 1 Sam. 2: 36. *fiet ut quisquis de semine tuo supererit, veniat seque incurvet coram Sacerdote pro nummulo, & pane &c.* Specialis fuit contra familiam Eli maledictio. Alias, quando persoluta fuere debita à populo, in domo Dei fuit cibus ad satietatem & redundantiam quoque, quotcunque etiam forent ministrantes. 2 Chron. 31: 10. *Ex quo cœperunt oblationes* (decimarum) *inferre in domum Jehovæ, comedimus & saturati sumus* (scilicet sacerdotes & Levitæ vers. 24.) *& reliquimus in magna copia* &c. *præter venditiones ejus ad patres.*

Est vero observanda constitutio peculiaris vers. 8. Non nulli hoc intelligunt exceptivè, præterquam venditiones patrum tempore factas; siquidem Salomonis permutassent suas vices sabbathicas, non licuisset resumere priscas, in præjudicium aliorum. Sed convenientius intelligitur de privilegio; potuit Levita vendere domum suæ possessionis, quæ in jubilæo ad ipsum redibat libera Lev. 25: 33. Igitur si quis hoc modo vendidisset suam domum, iretque ministratum in sanctuario, is de proventu sanctuarii quoque fuit sustentandus: neque licuit ei negare portionem sacram hoc prætextu, dives es; habes pecuniam venditæ domus: vive de proprio: & hoc absumto demum admitteris, sed non ita faciendum. Portionem æqualem consequetur, quicunque cum aliis ministravit, præter venditionis suæ pretium, quod ei proprium manebit, propter patres; quia Levita est, & isto titulo ad opus & mensam Levitarum accedit. Privatæ opes non excludunt mercede debitâ operi. Contra quam nonnulli censent: si quis aliquid de suâ hæreditate habeat, quantumcunque etiam laboris sustineat, arctari ejus mercedem posse. Qui idem de se statui non ferrent. Verum Deus æstimari laborem voluit eorum, qui jus laborandi haberent, & mercedem dari æqualem, æqualiter laboranti, imò duplam majori cum molestia & animi contentione laboranti 1 Tim. 5: 17. Sollicitus inprimis fuit pro iis qui in domo suâ ministrant, ne ministri proprioris admissionis esurirent; quibus liberalius prospectum voluit, quamvis mutato inter homines ordine hi fere tenuius habeantur. Sed quicquid fiat in mundo, serviunt bono Domino: & qui huic fideliter servit mercedem amplam repositam habet. Fideles omnes sunt ministri & Sacerdotes coram ipso, Esa. 61: 6. etsi in mundo egeant afflingantur, habebunt illi tandem uberrimam compensationem, quando immissi in gaudium heri sui, consequentur mercedem in cœlis repositam.

Inter primas leges, quas Deus homini à se condito statuit, est lex laboris, Gen. 2: 15. Collocavit Deus hominem quem crearat, in paradisum, ut eum coleret & custodiret. Hic labor imperatus culturæ & custodiæ horti; qui quidem nihil habuit molestiæ aut fatigationis, aut quicquam quod

feli-

felicitati illius ſtatus adverſaretur, eumve minueret, attamen otium ignavum prohibuit, ut ſemper actuoſus eſſet, ſemper in cognoſcendis creaturis Dei, & per illas creaturæ proficeret, quæ cultura: ſemper caveret, quæ à Dei amore & obſequio abducerent, quæ cuſtodia fuit. Hunc laborem ſi negligeret, ſi detrectaret, ut etiam fruendi horti jus amitteret, pœna fuit definita, quando hoc fine, adeoque conditione in horti poſſeſſionem immiſſus fuit: quemadmodum poſt inobedientiam, in neglectâ cuſtodiâ; horto ejectus & excluſus eſt, numquam reſtituendus. Paulus ſane regulam generalem hinc ducit 2 Theſſ. 3:10. *qui non vult laborare, ne comedat.* Verum è contrà paris æquitatis regula eſt, quam Chriſtus, & Apoſtolus commendant, *Dignus eſt operarius mercede ſuâ* Matt. 10:10. 1 Tim. 5:18. Quod & circa bruta obſervandum ſanxit Deus, Deut. 25:4. *Bovi trituranti non obligabis os*: unde multo magis cum hominibus ſic agendum docet Apoſtolus 1 Cor. 9:9. 1 Tim. 5:18. maxime circa eos, quorum labor in excellentiſſimis occupatur, in docenda veritate quæ eſt ſecundum pietatem: qui ſeminant auditoribus ſpiritualia, & animos eorum uti agricola humum, ad recipiendum illud ſemen præparant, & ad cuſtodiendum ſermone juvant, adeoque exiguum quid referunt, ſi proportio inſtituatur, quando aliquid de corporalibus auditorum metunt. De quibus ordinatio Domini eſt, ut qui Euangelium annunciant, de Euangelio vivant, idque ex priſcâ ordinatione Dei, ut qui ſancta adminiſtrant, de ſanctis edant, & qui altari jugiter aſſunt, de altari participent 1 Cor. 9:11, 13, 14. De ejuſmodi mercede ad ſuſtentationem Sacerdotum & Levitarum cum alibi mandata divina recitavit Moſes, tum primis hujus capitis verſibus. Sed cujus haberent jus, ſiquidem ſuſciperent ac ſuſtinerent laborem: de quo dixit verſ. 5. delectam eſſe tribum Levi, & familiam Aaronis, ut ſtaret ad miniſtrandum in nomine Domini, coram facie Domini omnibus diebus ſuis. Neque alia conditione Moſes à Deo petiit pro Levi ſuſtentationem Deut. 33:11. חילו *facultates, opes ejus, Benedic D. & opus manuum ejus placeat tibi.* Ergo ſub conditione operis manuum, neque id cujuſcunque operis, ſed quod Deo placeat, hujus præſcripto conſentaneum; attamen ut tale ſit, ab ipſo Deo effici gratioſe poſtulat. Addita imprecatione contra eos, qui opus Dei facientibus infeſti ſunt ſive aperta vi aut fraude, ſive occulto odio. Cæterum quinam ille labor, quod opus ſit tribus Levi, Deo placiturum indicat verſ. 10. docebunt Jacobum tua jura, & Iſraelem tuam legem: ponent ſuffitum coram naſo tuo, & quod totum conſumatur ſuper altare tuum. Omnis labor eò comparatus eſt, ut auditoribus in futurum bene ſit, quæ ſollicitudo cunctorum mentes occupat, & ſpemque metumque inter anxios tenet ac ſuſpenſos: Nam ſpem boni & felicitatis omnigenæ fovent ac ſuſtentant, docentes jura ac legem Dei, ut iis præſtetur fides & obſequium: metum mali ſecuturi amoliuntur tum precibus, quas ſuffitus: tum ſubſtitutione ſponſoris vicarii, quem Sacrificia ſignificant. Hic labor à Sacerdotibus & Levitis præſtandus, quorum ſuſtentationi hactenus proſpectum eſt, quemadmodum ex his quæ jam ſequuntur, eorumque cum antecedentibus atque conſequentibus nexu conſtare poteſt. Agit ille de rationibus cognoſcendi futura, obtinendique bona, vitandi mala, interdictis. Subjungitque promiſſionem de propheta mittendo, qui totum conſilium Dei de felicitate hominum ſit propoſiturus, eoque audiendus ſit. Antecedit autem commendatio ſuſtentandæ tribus Levi, quia ſcilicet & illi de futuris veram ſanctam eoque licitam inſtitutionem haberent faciendam. Imo cum de iſtis egerit, & hæc interdicta ſtatim annectat, ſimul docet, ipſis incumbere, ut falſa de futuris doctrina prohibeatur, quod non tantum oppugnando, ſed etiam veram tradendo præſtatur. Lev. 19:30. *Sabbatha mea cuſtodies & ſanctuarium meum revereberis. Non convertes te ad Pythoniſſam, aut hariolum, Ego ſum Dominus Deus tuus.* Ubi Hebræi: reverere ſanctuarium meum, propterea non convertes te &c. Nam quid tibi cum his negotii? Ecce habes ſanctuarium, & in illo unus, ſimiliterque doctores Levitas.

II. Itaque ſequitur de *Cura circa falſos Prophetas*, quæ interdicto continetur, cujus duo ſunt membra. I. Quæ prohibentur verſ. 9–11. II. rationes perſuadendi. verſ. 12–14.

Verſ. 9. *Quum ingreſſus fueris in terram quam Iehova Deus tuus dat tibi, ne diſcito facere ſecundum abominationem geneium iſtarum.*

A. *Prohibitio* eſt

R. *Generalis* verſ. 9. ubi occaſio, & factum ea occaſione patrandum, quod prohibetur.

a. *Occaſio* eſt: *Quando veneris in terram quam Dominus Deus tuus tibi dat.* Eſt deſcriptio vulgatiſſima terræ Canaan, quam adituri erant propediem, ſolo Jordane eos diſterminante, quem mox à morte Moſis erant tranſgreſſuri. Deut. 17:14. Factum, quod tum cavendum, Non diſces facere ſecundum abominationem iſtorum populorum. Gentes Cananææ in fames erant ob idololatriam, & omnis generis abominanda ſcelera. Maledictio à Noacho pronunciata contra Canaanem hunc etiam effectum habuit, ut Deus ejus poſteritatem tradiderit in mentem reprobam, ut patrarint ea quæ non convenirent, non tantum contra Deum per idola, ſed etiam contra proximum & ſemetipſos, polluentes ſua corpora: ut eſt Rom. 1:24.

b. Ab horum proinde moribus abſtinere Deus Iſraelitas jubet: ne vel imitarentur, vel etiam cognoſcere vellent, Hebræi prius tantum volunt vetitum, diſcere ut faciant: non autem, diſcere ut ſciant: Quam ſcientiam neceſſariam dicunt Synedrii Senatoribus ut de omnibus rite perſpectis judicare poſſent, neque ignoratis differentiis pœnas non reſpondentes, eoque iniquas ſtatuerent. Verum & ſcire periculoſum eſt, quandoquidem curioſitas iſta tandem in amorem degenerat, & hinc praxis ſequitur: Salomonis exemplo. Hujuſmodi monita ſunt Deut. 7:5. & cap. 12:2, ubi deſtruere jubet omnia inſtrumenta & memorialia idololatriæ ipſorum, & cap. 12:29. cave tibi ne irretiaris pone ipſos & interroges de Diis ipſorum, quomodo culti fuerint, ut pariter agas. Sic de aliis moribus cap. 14:1, 2. Ita Jer. 10:2. *O Domus Iſrael, ſic ait Dominus. Ne diſcitote viam gentium: neque expaveſcite ad ſigna cœlorum, quia gentes ſuper illis expaveſcunt: & gentium ſtatuta ſunt vanitas.*

Monitum hoc valet etiamnum: non quidem quoad Cananæos, quorum terram non habitamus, neque priſcos illi, ſiquidem ſuper ſunt, obſervant mores; verum pro ratione conditionis noſtræ, Regula hæc neceſſaria eſt omnibus peregrinantibus in alias terras: idolis & mundanis operibus & incantationibus repletas. Quando eo veneritis, quo vel vocatio particularis, mercatores, nautæ, alioſque, vel voluntas parentum aut propria, in iis qui tantum luſtrandi animo eo abeunt, vos mittit, cavendum ne diſcantur abominationes. Nam quid eſt quod frequentius fit? quam multi iſtic diſcunt falſam religionem, atheiſmum, & abominationes nationum quarundam proprias, quæ Italiam, Galliam, aliaſque infames reddunt? ad minimum vanitatem & faſtum in moribus, in veſtibus: quæ non iſtic ſolum exercent, ſed etiam ubi redierunt domum: ut magiſtri eſſe queant illorum, quibus iſtuc ire non contigit. Eſtque hoc vitium adeo proclivius, quod illa ætate emittantur, quando in prima juventute ſunt, cupiditatibus magis vehementibus, ut ambulent in viis cordis & in adſpectu oculorum ſuorum Eccl. 11:9. Cum tamen propter iſta omnia Deus in judicium addicturus ſit. Sed generalius valet de nobis omnibus, ratione Chriſtianiſmi. Vivimus in mundo, qui totus in malo jacet 1 Joh. 5:19. &, ſi Chriſtiani ſumus, vivimus in eo ut peregrini & advenæ: cavenda eſt conformitas cum mundo: ne diſcamus ipſorum opera, neque communionem cum ipſis habeamus. Rom. 12:2. 1 Pet. 4:3. *etenim ſufficit nobis priora tempora vitæ* &c. adeoque non amplius ſecundum cupiditates hominum, ſed ſecundum voluntatem Dei tempus reſiduum in carne tranſigendum. 1 Pet. 1:14. cavenda conformitas cupiditatum quæ in ignorantia dominantur: qui lux ſunt in Domino, ſua profeſſione, non debent communionem habere cum infructuoſis operibus tenebrarum Eph. 5. verſ. 8. quando redarguenda potius, ſaltem vita Phil. 2:15, 16. Matt. 5:16. 1 Pet. 2:11. &c. ſimus exempla imitationis ſalutaris, non autem imitemur alios ad noſtram perditionem æternam. Lands wiſe / Lands eere / dicitur proverbio; ſed cogitemus, nos non eſſe de hoc mundo: quicquid mundani judicent, nos mundana non decent; ſic dehoneſtabimus noſtram patriam. Armenii ubicunque degant,

degant, veſtitum non mutant, quia patriæ eſt, quam nolunt vel facto apud exteros condemnare, etſi nemo ſuorum teſtis eſt. Noſtrum politeuma eſt in cœlis Phil. 3: 10. & habemus dum peregrinamur in terrâ cœleſtium oculos, Dei & angelorum, nos obſervantes; nunquam ponenda veſtis Chriſtianiſmi, Novus homo, qui à mundanis moribus alieniſſimus Eph. 4: 17. &c. 2 Cor. 5: 17.

Verſ. 10. *Ne invenitor in te qui traducat filium ſuum, aut filiam ſuam per ignem; utens divinationibus, planetarius, aut conjector, aut præſtigiator.*

Verſ. 11. *Item utens incantatione; aut requirens pythonem, aut ariolus, aut necromantis.*

יב *Specialis* verſ. 10, 11. Novem enumerat criminoſos, eoſque intolerabiles dicit.

a. *Criminoſi* iſti omnes occupantur in præcognitione futurorum, præter primos; quamquam & hi eandem ob cauſam conjungi videantur. Eſt hoc privilegium Dei noſſe futura, eaque infalliblliter prædicere poſſe. Eſt. 41. 22. &c. Falſitas Deorum aliorum hinc convincitur. Contra Eſa. 46: 9. &c. Solus omnia præſcit & præſcire ſolus poteſt, qui ſolus omnia definit & ordinat ſapientiſſime, citra pœnitentiam; & potentiſſimè definita exſequitur citra impedimentum. Atque conſiliorum ipſius notitiam creatura nulla habet neque eò penetrare poteſt: nam quis novit mentem Domini? nemo novit ea quæ ſunt Dei, quam Deus ipſe 1 Cor. 2: 12. ult abyſſus ſunt divitiæ ſapientiæ & cognitionis ejus; imperſcrutabilia judicia, & imperveſtigabiles viæ ejus. Rom. 11: 33. Nemo quicquam novit certo, niſi cui ipſe revelavit; Prophetis per Spiritum ſuum, ſed his aliqua, non omnia; multa ſervat in ſuâ poteſtate, quæ noſſe velle malum eſt, & aſſequi prorſus impoſſibile. Act. 1: 6. Quando ergo illud affectant homines, aut ſe aſſecutos venditant, quomodocunque etiam agant, illud vitioſum eſt, & manifeſta rebellio contra Deum, atque ſui cum Deo æquatio, imo prælatio, quod quæ abſcondita voluit, ipſo invito poſſint, ſcire & aliis quoque patefacere. Modo diximus eſſe hoc κεφάλαιον Dei. Quod ſi tantundem valeat creatura, vel falſam Dei notam dixit Deus, vel creatura quoque erit Deus. Quod utrumque pariter impoſſibile, & exſecrandum. Deut. 29: 29. revelatis acquieſcendum, quæ ſufficiunt ad noſtram ſalutem, & abunde eſt in iis ad exercendam noſtram curioſitatem. Futura neceſſaria novimus Dei beneficio, quod bene erit illis qui Deum timent; ſed quod impio non bene erit, quia Deum non timet Eccl. 8: 12. &c. Joh. 3: 36. Marc. 16: 16. & hæc notitia tantum pariet ſolicitudinis ut futurum illud malum evadamus, bonum impetremus, ut otium non ſit ad prænoſcenda alia; quemadmodum Servator inde evocat Luc. 13: 23. &c. quærenti an pauci ſalvandi dicit ad omnes contendite ingredi &c. Curioſi illi futurorum alienorum plerunque negligentes ſunt in eo, quod ſibi ipſis maxime neceſſarium & temporalia ſcire ſtudentes rerum vaniſſimarum, æterna negligunt, & quæ felicia iſtic ſunt iis carent, infelicioribus potiuntur neſcii, immutabiliter.

Criminoſi, ſunt

a. Qui filium filiamve per ignem tranſire facit. Fuit hic cultus Molechi (qui etiam Baal, & Sol,) maximus, ut illi liberos ſacrarent; quod eſt de ſemine ſuo dare Molecho Lev. 18: 21. quidam ſic, ut per medios duos ignes traducerentur; quæ erat expiatio ſolennior, profutura parentibus & eorum familiæ: quidam; ut eos ignito ſinui æreæ imaginis vivos imponerent ibi comburendos; interea perſtrepentibus tympanis, ne liberorum ejulatum audirent parentes, & ducerentur commiſeratione. De combuſtione iſtâ evidentia ſunt teſtimonia Jer. 7: 31. cap. 19: 5. Pſal. 106: 37: 38. & de Achazo legitur ſpeciatim 2 Chron. 28: 3. fuitque familiare admodum in Iſraele quoque rebus extremis ad expiationem procurandam Mich. 6: 7. Locus Topheth in valle Hinnom huic cultui fuit deſtinatus, quem Joſias deſtruxit, 2 Reg. 23: 10. Gentes iſtud fecerunt imitatione Abrahami, quem Deus juſſerat filium Iſacum immolare; quamquam impedierit executionem, teſtatus ſe demonſtrationem illam amoris in non cohibendo à ſe filio, gratam habere; atque eidem futuram poſteritatis felicitatem pollicitus eſt. Gen. 22. Quanquam enim homines non fuerint ſpectatores hujus facti, Diabolum tamen quod geſtum eſt non latuit, qui pro ſuâ ambitione, ut ſe Deo æquet, talem cultum imperavit ſuis ad demonſtrationem amoris, eumque perfici voluit. Hoſ. 13: 2. זובח יאדם *ſacrificatores hominis oſculabuntur vitulos*: Hæc demonſtratio mutui amoris. In pluribus nationibus id obſervatum fuit. Atque qui illud fecerant pollicitus iis eſt felicitatem maximam. imo poſt ejuſmodi ſacrificia liberorum ſomnia divina captata fuiſſe nonnulli affirmant: quæ cauſa ſit, ut hic recitaretur hoc criminis genus, quod futura in ſomno ſibi revelatum iri crederent; de quâ ſpecie aliàs non dicit, quum tamen ſit diabolicæ revelationis captatio: non ut alia ſomnia, quæ non captantibus offeruntur; quibus tamen nulla certitudo ineſt Eccl. 5: 6.

b. Divinare divinationes, B. **die met Waarſeggerijen om gaat.** קוסם קסמים. Interdum in bonum ſumitur, & eſt Conjectatio. Prov. 16: 10. *Divinatio eſt in labiis regis, os ejus non tranſgredietur in judicio*: ut Salomonis, de matre dubiâ 1 Reg. 3. Davidis de Joabi conſilio 2 Sam. 14. Sic Eſa. 3: 2. *Propheta & divinus* conjunguntur, quos Deus cum cæteris viris eximiis judicio ſuo abrepturus erat. Ordinarie eſt qui de futuris divinat inſtinctu diaboli. Bileam קוסם dicitur Joſ. 13: 22. qui abibat in ſolitudinem, ut conſequeretur indicium ex inſtinctu. Adhibita autem & inſtrumenta, Ezek. 21: 21. *rex Babel ſtabit in bivio, ad divinationem adhibendam*; Huc referunt Hoſ. 4: 12. *populus meus conſulunt baculum ſuum, & ſcipio ipſorum reſpondet ipſis.*

c. Præſtigiator, מעונן B. **Een Guichelaar** definiunt עונה, quodnam tempus rebus agendis commodum vel incommodum futurum ſit; Dies fauſtos vel infauſtos prædicunt; vel qui ענן nubes inſpiciunt, & de illarum motu aliquid prædicunt. Heic ſunt Aſtrologi, qui ex aſtris prædicunt, quicquid ſingulis, vel regnis & ſtatibus eventurum ſit. De quibus Eſa. 47: 17. obſervantes cœlum, intuentes ſtellas, prædicentes, ad neomenias. Qui ex planetarum vario motu, immutabiles eventuum notas ducunt, non niſi miraculo mutandas; ſic ex eclipſibus cometis, ſimilibuſque vel qui עין *oculum* præſtigiis quibuſdam decipiunt, ut ſe videre putent, quod non eſt. Hujuſmodi fuere apud Gentes Eſa. 2: 6. & in Iſraele 2 Reg. 21: 6.

d. Augur, מנחש, **die op Vogel-geſchrey acht geeft**/ מנחש augur: qui ſigna proſperi vel adverſi ſucceſſus ex ſignis experientia obſervatis ducit; generatim eſt aliquid conjicere, Gen. 44: 5. & 1 Reg. 20: 33. verum ſpeciatim notat vitioſam conjectationem: quis domo prodeunti poſt longum morbum, aut ingredienti in peregrinum locum primum occurrat; volatus aut vox volucris auſpicatus eſt aut ſecus, ululatus canis. Quæ frequentia apud gentiles Num. 24: 1. & Iſraelem 2 Reg. 17: 17. 2 Chron. 33: 6. Neque hodie deſunt inter Chriſtianos ejuſmodi ſuperſtitionis obſervationes.

e. מכשף *Magus*, **een Toovenaar**/ quales Ægyptii, incantationibus utentes, Jannes & Jambres inter illos: qui oculos faſcinant, ut mirabilia facere videantur; cum nihil agant; atque interdum damnum dant: fuerunt etiam tales in Iſraele 2 Chron. 33: 5. Mal. 3: 5. Quidam hoc generale faciunt omnium ejuſmodi ſceleratorum: quamquam hic ſpeciale ſit.

f. חובר חבר *Incantator carminis*, **een Beſweerder**/ qui pronunciat aut ſcribit voces barbaras, nil ſignificantes, aut figuras & characteres peregrinos iiſque vim ineſſe dicit ad cohibendos ſerpentes, dæmoneſque. Pſ. 58: 5. qui amuleta ejuſmodi appendent; & in iis dicta Scripturæ quoque adhibent, ad morbos arcendos, vel depellendos, qui abnegant verbum Dei, facientes verba ejus medicinam corporis, cum ſint medicina animæ. Prov. 3: 22. Proprie notat conſociantem; unde redditur qui noxia animalia conſociat, ut pacem colant, citra damnum. Verum quidam etiam reddunt, qui certis temporibus ſocietatem habent cum dæmonibus, & ipſis amici ſociique vivunt.

g. שואל אוב *Interrogans Pythonem*, **die eenen Waarſeggenden Geeſt vraaght.** Oph vocatur Spiritus familia-

ris, qui rogatus reſponſa dat; voce ſubmiſſâ tanquam ex utre, vel tanquam ex pulvere Eſa. 29: 4. interdum ex imo ventre ducebant vocem, ipſimet obſeſſi: ut Act. 16: 16. Vocatur alias בעל אוב qui tali Spiritu præditus eſt: aſt hic qui eum interrogat; quod proinde intelligi poteſt non tantum de eo qui habet Spiritum talem, ſed etiam qui ejuſmodi hominem conſulit; ut Saul. 1 Sam. 28: 7. &c.

b. Hariolus, ידעוני, een Duivels konſtenaar; conjungi ſolet cum præcedente. Prognoſtes ex objectis ſibi rebus divinans, Somniorum interpretes, chiromantæ, ex manuum lineamentis bonam malamve fortunam legentes. Tales Eſa. 19: 3. & 2 Chron. 33: 6. Quidam dicunt ipſos olliculo avis alicujus ori ſuo inſerto, vaticinatos eſſe.

i. Necromantes, דורש חמתום, Een die de Dooden vraagt/ qui mortuos ſe excitare, & ab ipſis reſponſa extorquere poſſe jactabant. Non quod in ipſorum poteſtate ſit excitare mortuos; quod Deo proprium Rom. 4: 17. Joh. 5: 21. Sed quod vel ſubornarent aliquem, quod pro mortuo reſpondebat; vel haberent Diabolum operam pro mortuo præſtantem. Sic Epulo à mortuis petebat ſuis fratribus inſtitutionem.

Hæ porro ſpecies non ita ſunt diſtinctæ, ut non ſæpius concurrant plures in uno homine. 1 Sam. 28. mulier in Endor habuit Obh, Spiritum familiarem, ab ea petiit Saul divinationem קסם. & ut mortuum Samuelem ſibi ſiſteret, quem ipſa ſe videre dixit, Saul loquentem audivit; fuitque ſubornatus Samuel. Et Bileam fuit קוסם & ſecutus eſt נחשים Num. 24: 1. Et aſtrologis ac planetariis tribuuntur חברים & כשפים. 2 Chron. 33: 6. Manaſſe. varia hujus generis etiam nunc in uſu ſunt, qui manifeſtum pactum habent cum Diabolo, vel alias diabolicis artibus utuntur, aut quæ meram ſuperſtitionem habent, ubi nullus eſt actionis & effectus nexus, quem ſequi facit Diabolus, ut ſibi fidem faciat; & Deus fieri ſinit, tum ut juſto judicio credant mendacio, & mendaciorum parenti, qui veritati noluerunt credere: tum ut alii tententur, an velint Deum toto corde diligere.

b. De hiſce criminoſis declaratur. *Non invenietur in te ullus horum*: Quod quidem bifariam inrelligendum. I. voluntarie, ne quis velit talis eſſe; Lev. 18: 21. *de ſemine tuo non dabis, ut tranſeat coram Molecho.* cap. 19: 26. & verſ. 31. Ubi non tantum facere ſed etiam facientes conſulere & per eos edoceri velle prohibetur. II. Violenter, exterminando tales Exod. 22: 18. Lev. 20: 2. &c. *Quiſquis in Iſrael ſive indigena, ſive extraneus, de ſemine ſuo dederit Molecho, certiſſime necabitur. Et ſi populus terræ parcens illi eum non occidat, tum ego iram meam ponam contra illum & familiam ejus, & omnes qui pone ipſum & cum Molecho ſcortantur. Si etiam anima aliqua ſe converterit, ad hariolos & magos, ut pone illos ſcortetur: iram meam contra illum ponam, & exſcindam eum è medio populi ſui.* Quivis cavere debet ne ſit patrator, & non reperietur; quod ſi non caveat quis. magiſtratus eſt operam dare ne reperiatur, vel legum terrore, vel pœnis levioribus, aut etiam capitalibus, Capitalis quidem neceſſaria in cultu Molech, ubi parricidium quoque patratum in proprios liberos: tum ubi manifeſtum eſt cum Diabolo pactum; qualia etiam Papæ nonnulli inierunt. Etenim maximi ſunt idololatræ, qui Diabolum adorant, ſeque illi in mancipium addicunt, ejurato Deo, adeoque ex voluntate Diaboli hominum aliorum animas necare, interdum & corpora perdere ſtudent. Simon Magus ſe magnum quid eſſe dicebat, ut magna virtus Dei crederetur, & homines à Deo ad ſe converteret. Elymas operam dedit ut Sergium Paulum à fide averteret. Magi Ægyptii, ne Pharao Deo cederet & alii, ne reges obſequerentur Dei mandato Jer. 27: 9.

Jam vero quid faciendum ſit, ſub Chriſtianiſmo, & quæritur. Opera ſane danda & nunc, ne tales artes malæ reperiantur inter Chriſtianos. Act. 19: 19. &c. Verbi divini in ipſis ea fuit potentia, poſtquam crediderant. Libros iſtos noluerunt ſervare, ut inde diſcerent; imo nec pati ut ullus deinceps eas diſceret inde, quamobrem damnum facere maluerunt & comburere, quam cum lucro vendere, & aliis diſcendi materiam dare. Verum de Artificibus quæritur, an ulla? & quæ pœna ſtatuenda? Sane non tolerandum exercitium, & pœna digni illi quoque qui conſulunt, tantoque magis, qui interpretes Diaboli ſunt. Eſt tamen modus obſervandus: Superſtitio & vana credulitas plus veniæ meretur; qui Diabolum exoſi, putant naturali aliqua ratione citra Diaboli interventum aliquid indicari. Sed qui ſcientes volentes pactum ineunt cum Diabolo, & de eo gloriantur, uti manifeſte abjurant Deum, ita meritò in terrâ Dei non tolerantur; Capitalis pœna debetur ob enorme ſcelus, cujus notitiam ad terrorem omnium poſcit à magiſtratu vindictam extremam: quemadmodum in aliis criminibus capitalibus pœna ad terrorem infligenda eſt. Et tamen imaginarii à veris magis diſtinguendi; ii quibus Diabolus in ſomno perſuadet ipſos feciſſe, quod ipſe fecit ab aliis, qui vigilantes exercent commercium cum Diabolo. Deus mandavit quorundam horum necem Exod. 22: 18. quorundam exciſionem ſibi ſervavit Lev. 20: 6. De quibus pluira dicere non eſt loci hujus. Rationes potius conſiderandæ cur abſtinendum, ſed quas differimus in proximum. Unum concluſionis loco. 1 Sam. 15: 23. Inobedientia erga Deum idololatria eſt; nam idolum placiti proprii præfertur Deo, ut illi quam huic obſequi æquius putetur: & rebellio eſt incantatio, debent ſenſus eſſe faſcinati, ut creaturam Deo potiorem ducamus Gal. 3: 1. 2 Tim. 3: 13. Hæc faſcinariorum claſſis multo major eſt, & periculoſior; vix quiſquam eſt qui non habeat in ſe. Vetus homo corrumpitur per cupiditates ſeductrices; Eph. 4: 22. Eſt vis faſcinatrix in ſcortatione & adulterio, eſt in gula & ebrietate, eſt in avaritia & opum cupidine, & ſic in aliis peccatis; umuſquiſque tentatur quando à propria cupiditate abducitur ineſcatus Jac. 1: 15. Hic contra unicuique dictum. Non reperiatur in te: & unius cujuſque eſt operam dare ut exigatur, ſtatuta pœna capitali; Caro & cupiditates crucifigendæ, membra terrena necanda, & quæ offenſioni ſunt amputanda, effodienda, donec tandem vetus homo deſtruatur, atque nos Deo obſequium præſtemus voluntarium, cumque animi propoſito ipſi adhæreamus.

Verſ. 12. *Nam abominationi eſt Jehovæ quiſquis facit iſta: & propter abominationes iſtas Jehovæ Deus tuus expellit iſtas gentes à facie tua.*

B. Interdixit verſ. 9--11. curioſa inquiſitione rerum futurarum, & uſu omnium illorum quibus inter homines eò contenditur; novem iſtius ordinis modos enumeravit, quibus vel mereri ſe credunt iſtiuſmodi revelationem, ſiquidem liberos Molecho aut Baali immolarent; vel impetrare, ſive variis ſignis vanitatis, ſive conſulendo Diabolum in propriâ, vel ementitâ mortuorum ſpecie. Ut autem jure interdictum ſciant, nunc *Rationes* recitat complures, quibus & ſibi & aliis perſuadeant abſtinentiam ab ejuſmodi vetitis exercitiis. Rationes iſtæ ſunt quinque. *I.* à turpi. II. à noxâ, verſ. 12. III. ab æquo verſ. 13. *IV.* ab honeſto. verſ. 14. V. à medio utili.

א. *A turpi.* verſ. 12. *Abominatio Domini eſt quiſquis iſta facit. Abominatio* perſonæ reive alicujus quam quis ingratam habet ob inſitum aliquod vitium ſibi adverſum, odium & averſatio eſt: ut ejus præſentiam ægerrime ferat. Res ipſa perſonave dicitur abominabilis, ob ejuſcemodi qualitatis aut vitii præſentiam ſeu inhærentiam. Verum hoc loco, dicitur in abſtracto de perſona abominatio; ob gradum ſummum, ut potius inde denominanda ſit. Jer. 50: 31. &c. *Ecce me adverſus te*, זדון *ſuperbia*, trotsheid. de rege Babel, & cap. 46: 17. de Pharaone שאון *tumultus*, gedruis. Sic pronunciatur de omni faciente iſta, eſſe *abominationem*; non abominabilem modo, ſed meram abominationem. Eſt tamen iſtud non æſtimandum, niſi rectum ſit ita judicantis judicium. 1 Cor. 4: 13. Mundi tamen erroneum eſt judicium. Sunt iſti pretioſiſſimi coram Deo. Pſ. 16: 3. *Sancti qui in terrâ, & magnifici, in quibus omnis voluptas mea eſt*; dicit Chriſtus. Sed hic abominans eſt Jehova, ſolus ſapiens Deus 1 Tim. 1: 17. ut in judicio errare non queat; & ſolus bonus, Marc. 10: 18 qui nihil niſi quod bonum amare poteſt, omne autem quod malum odit Pſ. 5: 5. Dominus unumquemque hæc, & unumquodque iſtorum facientem abominatur, & propterea habet pro abominatione. Magnum hoc argumentum eſt, ad deterrendum. Ambulandum ut placeamus non nobis, aut hominibus, ſed Deo: qui ſolus recte judicat, 2 Cor. 10: 18. Rom. 2: 29. Unde hortationes 1 Theſſ. 4: 1. Col. 4: 1. Sed in iſtis ambulare, nequit Deo placere: Eſt abominatio. Homines qui-

quidem ſic non judicant; iſtud concedant de cæde liberorum, de pacto cum diabolo; ſed conſulere Sagam, een Wiſſter / attendere ſignis cœlorum, quæ ſibi finxerunt, aut aliis in rebus terreſtribus; appendere collo characteres aut ſententias Scripturæ; id nihil referre credunt. Aſt hic dicitur faciens abominatio Domini. Et quid aliud eſſe poteſt, quum ſit affectatio divinitatis, ut quod ipſius proprium, futura noſſe, circa eventus hominum ſingularium, urbium, provinciarum, regnorum, velimus ſcire, & ſcire invito Deo, & ſcire ab hoſte Dei. Diabolo? Deus non vult gloriam ſuam alteri dare, nec laudem ſuam ſculptilibus, Eſa. 42:8. &c. Quod frequentiſſimum in Papatu, ubi à ſculptilibus ſuis, & qui eis repræſentari dicuntur, futura captant; imo nonnulli Papæ cum ipſo Diabolo deſuper pepigerunt. Hanc enim artem ab antiquo Satanas profeſſus eſt, ut homines poſſent eſſe ſicut Deus, ſe doctore, Gen. 3:5. & habere oculos apertos, ad cognoſcenda abdita. Poteſtne hoc al ud eſſe quam abominatio Dei? Rom. 8:8. qui in carne ſunt, ut faciant voluntatem carnis & cogitationum, Deo placere non poſſunt. Multo minus qui juxta voluntatem Diaboli agunt. Non poteſt non fieri, quin ſic exacerbentur oculi gloriæ Dei: ut tales videre, & circa ſe ferre nolit. Si quis parum in eo ſitum putat, Deo diſplicuiſſe, abominationi fuiſſe, is pergat modo; ſed ſi quis novit quid ſit abominationem ipſi eſſe, is abominabitur iſta, ne æternum propterea à Deo ſejungatur, quo facit altera ratio.

ב. *A noxa*, v. 12. & *propter abominationes iſtas Dominus Deus tuus ejicit poſſeſſione iſtos coram facie tuâ.* Abominatio Dei non eſt tantum verbalis, ut declaret ſuam averſionem, ſed realis, & efficax: ut eos removeat à fruitione ſuæ terræ & benedictionum in eâ, non ad tempus ſolùm, ſed in perpetuum, jure quoque ejus ademto, quod aliis concedit: ſic enim egit cum Cananæis, in quorum locum Iſraelitæ ſucceſſerunt. Similiaque paſſi ſunt Iſraelitæ 2 Reg. 17:17. &c. 2 Chron. 33:6. Manaſſe 1 Chron. 10:13. &c. Saul ſic ne quidem ſuis perpercit, ſi hic rei forent. Lev. 20:6. *Si quæ anima ſe averterit ad divinos & hariolos, ut pone eos ſcortetur*, (ſcortatio eſt ſpiritualis,) *tum faciem meam contra illam animam ponam, & exſcindam e medio populi ſui* Pſ. 73: verſ. 27. & 5: v. 7. Exterminationem iſtorum imperavit Deus hominibus, adeoque ipſe illis non indulgebit, & ſi in hoc ſeculo evadant, non evadent in futuro. Apoc. 22:13. Apoc. 21:8. *Timidis, & incredulis, & abominandis, & homicidis, & ſcortatoribus, & incantatoribus, & idololatris, & mendacibus, portio ipſorum eſt in lacu ardente igne & ſulphure: quæ eſt mors ſecunda.* Excluſi ſunt felicitate æterna, & mancipati æternæ miſeriæ; ejecti ab irâ Dei & gloriâ virium ejus. Jam an quis tantæ confidentiæ, ut hac conditione velit cum Diabolo & ipſius miniſtris commercium habere? 1 Cor. 10:22. poſſumuſne nobis tueri locum in terrâ, parare in cœlis, ſi ille jure & poſſeſſione pariter ejiciat? Domini eſt terra & plenitudo ejus, Pſ. 24:1. poteſtne quis illo invito iſtic manere, qui verbo migrationem imperare poteſt, Pſ. 90:3 & Domini eſt cœlum, quod nemo conſequitur niſi ipſius gratioſo dono. Carendum utroque, aut abſtinendum ab iſtis. Accedit ratio tertia.

Verſ. 13. *Integer eſto cum Jehova Deo tuo.*

ג. *Ab æquo* verſ. 13. *Integer eris cum Domino Deo tuo.* Intercedit tibi cum Deo fœdus, adeo ut ipſe tibi proprius ſit, qui ſe tibi addixit, ut tui omnem curam habeat, Pſ. 84:12. ſit Sol & clypeus, ad amolienda mala, ne noceant, ad conferenda bona gratiæ & copia præſtantiſſima, lucem qualis ſolis. Imo cujus eſt de futuris curare, quæ ſolus præſcit, eaque ſic gubernare, ut qualiacunque fuerint, omnia ſimul operentur ad bonum. Largiatur gratiam & gloriam, (quicquid ad vitam & pietatem facit 2 Pet. 1:3.) neque quicquam cohibeat boni. Æquum ergo eſt ut cum illo integer ſis. Integritas iſta complectitur omne fœderatorum officium erga Deum Gen. 17:1. & cap. 6:9. Noach, vir juſtus, integer fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit Noach. Hoc omne eſt quod Noach fœderatus Dei egit; & quod Deus vi fœderis ab Abrahamo poſtulavit: neque aliud hic exigitur, quia in eo cætera omnia continentur: unde identitas fœderis Abrahamici & Iſraelitici apparet, quantum attinet conditiones à Deo dictas. Integritas iſta talis eſſe debet. ut eam coram Deo, ipſo inſpectante, exercere debeant; Aſt ſi ulla alia peccata, hæc ſunt opera tenebrarum, & ubi vel maxime ſe profunde abdere volunt à Domino, occultantes ſuum conſilium, & opera iſta in tenebris fiunt, dicuntque, quis nos videt; & quis nos novit? Eſa. 20:15. Plurimæ divinationes captantur noctu, quia a principe tenebrarum. Saltem illi qui ſe Chriſtianos dicunt, interdiu & publice iſta agere non ſuſtinent. Integritas poſcit non tantum externam ſed etiam internam reverentiam & obedientiam, ut toto corde, anima & viribus Deo adhæreatur, diligendo, timendo, ſerviendo, per nomen ejus jurando. Deut. 6:4. &c. cap. 10:12, 20. proinde nihil agendum corde & corde; duplici, ſeu in duo diviſo Matt. 6:24. Jer. 17:5. Deus ſolus ſpectandus, non modo quia Deus ſolus dignus, ſolus idoneus præſtare, quæcunque futura ſunt: ſed etiam quia Deus noſter, cui nos obſtrinximus, ut non niſi à perfidis & perjuris iſta ſuſcipiantur. Eſa. 8:19. &c. *Annon populus Deum ſuum rogabit? an loco vivi mortuos?* Ahazia ſic egit, mittens ad Baal Zebub, Deum Ekronis, ſciſcitatum de ſua valetudine: cui Elias Dei juſſu: *Sic ait Dominus An quia non eſt Deus in Iſrael mittis ad Baal Zebub? propterea non ſurges de lecto, ſed morieris certiſſime*; 2 Reg. 1:6, 16. Gravius peccat qui Deum Iſraelis habet, & hæc facit: Etenim derogat Deo, quod tribuit idolo vel Diabolo: ſpoliat eapropter Deum ſuo honore & cultu. Conſulendus autem Deus in verbo, Eſa. 8:20. & Luc. 16:29. Integritas enim ab ipſo ſolo doceri ducique vult, non ab aliis præter ipſum. Pſ. 143:10. ult. Integritas imo eſt optimum prognoſticon. Dum alii ſollicite quærunt quid futurum; hæc futuri ſecurum reddit. Mich. 6:6, 7, 8. quanta ſollicitudo de futuris malis avertendis; præſtat pietas. Utilis iſta ad omnia &c. 1 Tim. 4:8. Pſ. 34:13, &c. bonos & longos dies illa largitur. Pſ. 37:27. verſ. 34. verſ. 37. Huc facit Amoſ. 5:7. &c. (adeoque curſum naturæ poteſt mutare pro libitu; quod nequeunt docere ſidera, vel homines, vel etiam Diabolus.) *Quærite bonum & non malum, ut vivatis & ſic Dominus Deus exercituum, vobiſcum erit.* Hæc eſt integritas requiſita, uti deſcribitur Pſ. 119:1. ſeq. *Beati integri viâ, qui ambulant in lege Domini: qui cuſtodiunt teſtimonia ejus; quærunt eum toto corde; & non operantur iniquitatem, ſed ambulant in ejus viis.* Hujuſmodi homines non habent quod metuant. Pſ. 112:7. &c. *Non timebit à malo rumore; cor ejus firmum eſt, confidens Domino: Cor ejus bene firmatum non timebit, imo integris oritur lux in tenebris*, adeo ut ab ea ſibi polliceri queant felicitatem. Pſ. 25:26. Porro ratio quarta eſt.

Verſ. 14. *Nam gentes iſtæ quarum tu hæres futurus es, planetariis & divinis auſcultant: de te autem non ita ſunt, quos dat tibi Iehova Deus tuus.*

ד. *Ab honeſto* verſ. 14. *Nam populi iſti quos hæreditabis, attendunt divinis & hariolis: te vero quod attinet, non ſic permiſit conſtituit tibi Dominus Deus tuus.* נתן etiam notat *permittere* Gen 20:6. Conformitas cum Gentibus Cananæis dedecet Iſraelem. Fecerunt iſtud populi illi; nihil magis familiare ipſis: ſed an iſto exemplo ſe tueri rite poſſunt Iſraelitæ? Deut. 7:6. cum Cananæis nullum debet eſſe vobis vitæ aut morum commercium. *Nam eſtis populus ſanctus Domino Deo tuo, te Dominus Deus tuus elegit*, ut ei ſis populus peculii ex omnibus qui in terra ſunt. Populus ſecretus ab aliis omnibus, & factus peculium Dei, legibus moribuſque aliorum vivere non debet. Deut. 14:1. *Vos eſtis liberi Domino Deo veſtro; non incidetis vos, neque inducetis calvitiem propter mortuum; nam eſtis populus ſanctus Domino* &c. Agnoſcuntur populi ex moribus differentibus; & condemnant proprios qui alienos aſſumunt. Quoad laudabile, ſi mali mutentur bonis. Verum ſi boni malis mutentur, non poteſt non eſſe indecens & inhoneſtum. Atqui Cananæorum ſunt peſſimi; nulla ibi Dei veri notitia aut timor; nulla juſtitia aut temperantia inter homines. Iſraelitæ ſi idem cum illis agunt nonne debent Dei notitiam & cultum ejerare? Cananæi erant præputiati, Iſraelitæ circumciſi, hæc hiſce nota ſegregationis: ſi ergo hi adduxiſſent ſibi præputium, utique abnegaſſent profeſſionem. Adduci autem

poſſunt præputia cordis adſcitis moribus gentilibus Jer. 9: 26. *Omnes gentes habent præputium, ſed tota domus Iſrael habet præputium cordis.* Eſa. 63: 19. facti ſumus ut illi ſuper quibus ab antiquo non regnaſti, &c. Uiget hoc Eccleſia, ceu indecens Deo, quod non aliter ac gentes ipſos haberet, quo ad calamitates externas exilii & miſeriarum ejus. Veruntamen magis multo indecens, & quod actionem Dei decentem facit, quod ſe geſſerint ut gentes. Prophetarum teſtimonia innumera ſunt in eam ſententiam; adeo ut Deus neget ſibi illos eſſe filios Deut. 32: 5. ſed Amos. 9: 7. *nonne mihi eſtis ut filii Æthiopum? o filii Iſraelis inquit Dominus.* Ezek. 16: 2. Hieroſolymæ dicuntur, *actiones & generationes tuæ ſunt ex terra Cananæorum, pater tuus Amaræus, & mater Hittæa*; quoad imitationem. Deut. 32: 32. *vitis ipſorum de vite Sodomæ, & ex campis Gomoræ.* Quâ ſe excuſabant ſpecie, ſic ſi vivant? Dicent forſan? Nihil mali eſt in moribus Cananæorum, alioqui Deus ipſis tam felicem terram non dediſſet, & quietam per tot ſecula habitationem. Ergo nec Iſraeli indecens erit, ſi in eadem terra eodem modo vivant. Sed huic reſpondetur, *vobis iſtud non conceditur: non ſic ſivit te Dominus Deus tuus.* De Gentibus valet, quod Deus præteritis ætatibus ſiverit omnes gentes ſuis ipſarum viis ingredi Act. 14: 16. Pſ. 147: 19, 20. Gentes legibus externis ejuſmodi non circumſcripſit: qui proinde ἄνομοι vocantur Rom. 2: 12. 1 Cor. 9: 21. Speciatim Cananæos ſivit vivere ut implerent menſuram ſuam; quia maledicta natio ſervabatur excidio. Non eſt idemque exſpectandum Iſraeli, imo nec optandum: ſic quoque ſervarentur excidio, Jer. 10: 2, 3. Hoſ. 4: 4. *nemo increpet* &c. in immenſum augerentur peccata: & verſ. 14. non viſitabo ſuper filias veſtras ſcortantes, nec ſuper nurus veſtras, aut ſponſas, adulterantes. Tales poſiti ſunt ad iram à Deo, & ſervantur damnationi. Maxima ira eſt, quando Deus peccanti indulget, & non iraſcitur; theſaurizatur tunc ira in diem iræ, ad æternam perditionem Rom. 2: 3. Felicitatis eſt cohiberi à Deo legibus, ne aſſimilentur iis qui non ſunt populus; immo cohiberi plagis, ut Abimelech Gen. 20: 4. ne peccaret. Quicquid alii faciant circa mundanos mores, Chriſtianum non decet; nam non licet: peccatum patratur aſſimilatione; peccatum autem eſt dedecus populo Dei. Prov. 10: 34. Ne queraris de ἀκρίβεια Chriſtianiſmi, quod non liceat accommodare ſe moribus aliorum: utique mundus æque prohibet mores Chriſtianiſmi: & cum alterutra prohibitio ſit obſervanda utique Dei potior eſt: Dei, cujus ſunt populus: non ſinit ille ſuos factis negare quod ore profitentur. Proinde hìc reſponſio dictata eſt, quando invitamur ad conformitatem conſuetudinis in his aliiſve gentilium, aut Pſeudo-Chriſtianorum moribus ritibuſque. Faciunt illi, & Deus ſinit eos, quia pro ſuis non agnoſcit, quia majori pœnæ ſervat, & propterea tradit in ſenſum reprobum, ut faciant quæ non conveniunt. Aſt nobis id non permiſit, quia populus peculii ſumus ipſi: Alium habemus magiſtratum ab ipſis, illi Deum hujus mundi, nos Deum cœlorum: illi leges carnis & cupiditatum, nos leges Dei; Ambulent ipſi in nomine quiſque Dei ſui, nobis ambulandum in nomine Domini Dei noſtri, in æternum: quando non faciamus quod illi faciunt malum, non patiemur quam illi tandem ferent pœnam: ſed facientes bonum, quod illi non faciunt, impetrabimus, quam illi nunquam obtinebunt, beatitatem æternam. Reſtat quinta ratio.

Verſ. 15. *Prophetam è medio tui è fratribus tuis ſicut ego ſum ſuſcitabit tibi Iehova Deus tuus: ei auſcultato.*

ה. *A medio utili* alio verſ. 15. Siquidem omnino velitis futura reſcire, aut nova revelatione perfruiſci, non eſt quod adeatis omnis generis magicas aut ſuperſtitioſas artes, de alia vobis ratione proſpexit, quantum quidem erit neceſſe, *Prophetam excitabit tibi Deus* &c. Intelligunt Hebræi generaliter, uti & Chriſtiani quidam, de Prophetis, quos Deus ex medio Iſraelis excitaturus ſit, & per eos etiam de futuris eruditurus, uti Moſes fuit, & cum alios divinos nec conſulere liceat, nec dicentibus aliquid credere, his eſſe fidem habendam. Non eſt ille ſenſus proprius & proximus, Petrus & Stephanus de Chriſto Propheta explicarunt Act. 3: 22 cap. 7: 37. & quem Judæi exſpectarunt prophetam Meſſiam, non aliunde potuerunt mutuari, cum alibi eo nomine non inſigniatur. Attamen poteſt aliquatenus etiam generaliter intelligi, de prophetis extraordinariis, quibus ceu inſtrumentis ad indicium futurorum in Iſraele uſus eſt. Nam poſt Meſſiæ promiſſi deſcriptionem, de verorum falſorumque prophetarum κρίσιν agit, ut de veris, qui Chriſtum in ſe loquentem exhibere debent, etiam applicando dici queat. Hinc in complemento videmus, ex Iſraele illos datos, Hoſ. 12: 11. *Loquar ad Prophetas & multiplicabo viſionem, & miniſterio prophetarum ſimilitudines proponam.* Amos. 2: 11. *Ex filiis veſtris excitavi Prophetas.* Imo Jer. 7: 25, 44. teſtatur, ſe inde ab exceſſu ex Ægypto miſiſſe diligentiſſime & frequentiſſime prophetas ad eis perſuadendam obedientiam erga Deum, diſſuadendam inobedientiam, indicato, quid illam boni, hanc mali eſſet conſecuturum. Sed ſpeciatim Amos. 3: 7. *Certe Deus Dominus nihil faciet, niſi ante ſecretum ſuum, ſervis ſuis prophetis revelarit. & Deus Dominus locutus eſt, quis non prophetaret?* Nullum extraordinarium judicium fuit, quod prophetæ non antea delinearint, imo per illos quoque delineata eſt hiſtoria Iſraelis univerſa; ubi viam præivit Deus in cantico quod dictavit Moſi Deut. 32. His credendum fuit, cum eadem dixerint quæ Moſes, & confirmarint ejus verba Jer. 11: 1. Iſtiuſmodi etiam Chriſtus per Apoſtolos alioſque patefecit, Joh. 16: 13. *Spiritus S. ubi venerit, ducet vos in omnem veritatem, & futura vobis revelabit:* quod cum cæteri fecerunt, tum inprimis Johannes in Apocalypſi: uti prophetæ V. T. deduxerunt hiſtoriam Iſraelis ad extremum uſque, ita hic deducta eſt hiſtoria totius Eccleſiæ, uſque ad finem mundi. Non eſt opus aut utile alias quærere revelationes futurorum, quamdiu verbum habemus; nam ſi quæ particulares dentur, eæ ad προφήτων volumen examinandæ ſunt. Valet illud Petri 2 Pet. 1: 19. *Habemus firmiorem ſermonem propheticum*, quam ſunt revelationes extraordinariæ *cui bene facitis* &c. Omnes Prophetæ & Apoſtoli huc pertinent; ſunt *lux in obſcuro loco lucens*, & futura de animæ conditione æternâ patefaciunt, nihil in illis paleæ, ut in ſomniis, aliiſque ementitis plerunque viſionibus, 2 Pet. 1: 16. ſed merum frumentum, paſcens animas ſalutari notitia; Act. 20: 27. cap. 26: 22. attentos hic eſſe oportet, quia Deus loquitur, Spiritus S. qui illos viros Dei loqui & ſcribere fecit; nam his rejectis, Deus rejicitur: & attendendum obedienter tamdiu, donec dies illuceſcat, & oriatur in cordibus noſtris lucifer; ut propinquemus ad diem complementi omnium prædictorum, ad Dei gloriam, & omnium electorum ſalutem ſempiternam.

Servator noſter commendans S. Scripturæ meditationem. ſuo ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς *ſcrutamini Scripturas*, ſive ut venator veſtigat quam perſequatur & capiat feram, ſive ut metallarius ſubterraneas venas metallicas ſcrutatur fodiendo, & expurgando terram; unde divitias & voluptates non perituras, vitam æternam ſint conſecuturi: ſimul monet quod nam illud ſit quod quærere debeant, unde commodum iſtud ad ipſos ſit redundaturum; nempe cognitionem ſui Meſſiæ, Joh. 5: 39. Juxta illud Joh. 17: 3. cap. 20: 31. Sed mox deducit, ad primam fodinam, quæ in mundo aperta fuit, Scripturam primam, Joh. 5: 46. *Si Moſi crederetis* &c. *nam Moſes de me ſcripſit.* Adeo ut Paulus teſtetur, Rom 10: 8. quod Apoſtoli prædicent verbum fidei, docens juſtitiam fidei, quod Moſes quoque tradidit, videlicet ſiquidem quis corde crediderit Dominum Jeſum, & ore profeſſus fuerit quod Deus eum excitarit ex mortuis, ſalvatum iri. Enimvero cum Moſes varia de Chriſto docuerit, hinc inde ſparſa in libris ipſius, eſt aliquid eximium quod laudarunt Stephanus Act. 7: 37. apologiam edens ſuæ fidei & doctrinæ, cum ad Moſen deduxiſſet hiſtoriam Iſraelis, & quod hic populum ex Ægypto eduxiſſet & 40 annis in deſerto rexiſſet, duo potiſſimum de ipſo commemorat, *Hic eſt ille Moſes, qui ad filios Iſrael dixit, Dominus Deus veſter excitabit vobis prophetam ex fratribus veſtris, ſicut me, hunc audietis*: hoc primum eſt, & iſtud alterum, *Hic eſt qui in congregatione fuit in deſerto cum Angelo, qui ipſi locutus eſt in monte Sinai, & cum patribus noſtris; qui accepit verba viva, ad dandum illa nobis.* Promiſſionem Meſſiæ præponit toti illi inſtructioni quam in Horeb accepit ad Iſraelis inſtitutionem ſalutarem & gubernationem. Petrus quoque Act. 3: 22. Jeſum à Prophetis prædicatum fuiſſe demonſtraturus, à Moſe orditur, *Nam Moſes ad Patres dixit, Dominus Deus veſter prophetam excitabit vobis ex fratribus*

tribus veſtris, ſicut me, hunc audietis in omnibus quæ loquetur vobis, & fiet, ut omnis anima, quæ hunc prophetam non audiverit, exſcindatur ex populo. Atqui etiam omnes prophetæ inde à Samuele & deinceps, quotquot locuti ſunt, boſce quoque dies annunciarunt. Hoc eſt dictum quod nunc ex ordine explicandum nobis eſt: Maximi profecto momenti, & quod gemmæ inſtar prætioſiſſimæ fulget in aureis ipſius monumentis. Imo quod non ſine ratione dicimus argumentum totius Epiſtolæ ad Hebræos, ut prophetam illum futurum, & quem non audiviſſe Dei ſeveriſſimam vindictam ſit acceſſiturum, Jeſum Chriſtum eſſe doceat Paulus ſuos gentiles, quorum Patribus Deus olim locutus eſt multis variiſque modis per prophetas, & ipſiſmet ultimis temporibus per filium, hunc Apoſtolum & Pontificem confeſſionis ipſorum. Itaque apparet, ſi unquam nunc attendendum eſſe, ut in agnitione & obſequio iſtius Prophetæ proficiamus. Quippe qui Iſraeli hic promittitur, idem eſt cui obedientia populorum promiſſa eſt. Gen. 49. 10.

III. Quanti momenti hoc vaticinium ſit vel exinde liquet, quod Moſes propoſuerit illud bis, ſemel ut prædictionem ſuam, iterum ut promiſſionem Dei, quâ prædictionem iſtam confirmat, ceu non à ſe profectam, verum à Deo acceptam.

A. *Prædictio Moſis* eſt verſ. 15. quam ſubnectit dehortationi à ſpectandis artibus curioſis ad futura aliaque arcana cognoſcenda. Levitæ & Sacerdotes definito ſtipendio ſuſtentandos dixit, nempe ut provinciam inſtitutionis rite obeant, in quâ acquieſcendum ſit populo, licet non niſi ordinaria ſit ordinariorum miniſtrorum: neque ſectandos qui extraordinariam jactant futurorum prænotionem, & curioſitatem hominum ea ratione inescant: tandemque pollicetur certiorem indicinam ab eo qui venturus tandem eſſet, à Deo auctoratus; cui tam religioſe auſcultandum ſit, quam religioſe ab aliis omnibus cavendum. Ubi initio aliquid ex connexione diſcendum nobis eſt. *Non ſectandæ ſunt artes divinatoriæ, ſed exſpectandus Propheta iſte, qui opponitur omnibus divinis & incantatoribus.* Verum quam perverſum fuit judicium Judæorum, quando venit. Quippe ipſum exceperunt tanquam Magorum maximum, & hac propter præ aliis omnibus fugiendum. Matt. 3: 22. Scribæ & Phariſæi de ipſo dicunt, *Habet Beelſebub & per principem Dæmoniorum ejicit dæmonia.* Matt. 9: 34. cap. 12: 24. Imo ex Ægypto ipſum magicas artes petiiſſe docent, & propterea ſuſpenſum in velpera Paſchatos, quod incantationibus uſus ſeduxiſſet & avertiſſet populum. Fuit hoc artificium Diaboli maximum, ut qui opera Diaboli deſtructurus erat, & famoſas iſtas inprimis, adeo ut ad mandatum ejus Dæmonibus emigrandum eſſet ex corporibus, Marc. 1: 27. & reſponſis abſtinendum, ut illum magiæ nomine infamaret. Matt. 12: 22. curaverat Dæmoniacum, cœcum & mutum; ut viſus & loquela ei redderetur. Turba ergo ſtupente ad miraculum & dicente, *Annon hic eſt filius Davidis*: Meſſias nempe, & propheta ille: tum vero Phariſæi hoc audito dixerunt, *per principem Dæmoniorum, Beelzebub, ejicere dæmonia.* Quos Chriſtus refutat, quia quæ agat tendant ad deſtructionem regni Satanæ; quia filios ſuos exorciſtas, adeoque incantatores, abſolvant; quia per Spiritum Dei ejiciat Dæmonia, ut agnoſcere debeant adventum regni Dei, eoque graviſſimum admittant peccatum, ſe condemnando, ceu habentem Spiritum immundum, cum Spiritus S. in ſe loquens agnoſcendus & omni obſequio ſit venerandus. Hoc artificio Diabolus, adhuc utitur, ut quod ſibi maxime adverſum eſſe novit, id ceu veritati adverſum criminetur. Marc. 1: 27. *Quæ eſt hæc nova doctrina?* Quum nihil doceret quam quod Moſes docuerat. Ita cum Euangelium initio miraculis ſociatum eſſet, Magiæ accuſati ſunt Chriſtiani; cum miracula ceſſarunt, magica adhibuit ad doctrinæ confirmationem, & qui ab illis ad Scripturas revocant, impoſturæ inſimulavit. Semperque aliqua habet quæ ſpecie ſanctitatis, & cœlo veritatis, ipſi veritati opponat, ne ea ſibi prævaleat. Nobis vero attendendum eſt ad Scripturas, & quam illa definivit & temporum ſeriem, & cognoſcendi methodum, ſtudioſe cognoſcenda & obſervanda, ne decipiamus, ſed in veritate magis magiſque proficiamus & roboremur ad ſalutem noſtram ſempiternam.

Prædictio Moſis deſcribit Meſſiam, & Officium Iſraelis erga ipſum.

α. *Deſcriptio Meſſiæ* ducitur à Nomine, ab Ortu ſeu genere, à Gradu muneris, ab Efficiente primario.

a. *Nomen* eſt *Propheta*, vox Græca, quam verſiones pleræque retinuerunt. Hæc ſignificat prædicentem futura; quomodo oportune opponitur omnibus magis & veneficis: qui de futuris conjecturam faciunt aut mentiuntur, ſed nihil certi ſciunt quod non fallat. Hebraice נביא, notatque eum qui de Deo rebuſque divinis alios erudit, atque etiam apud Deum pro aliis preces fundit. Primo Abrahamo id nominis tributum Gen. 20: 7. ut preces ipſius poſcerentur ab Abimelecho, pro ejus ſanatione, quia propheta eſſet, quemadmodum ſimilia à Propheta Eliſæo exſpectabat Naaman leproſus, ut ſanaretur 2 Reg. 5: 8, 11. ſed Pſ. 105: 15. Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo tribuitur, quia ubicunque habitarunt, cultum Dei exercuerunt, & alios docuerunt; de uno tantum Jacobo legimus aliquid vaticinatum eſſe, non de Abrahamo & Iſaco; qui tamen communi prophetarum nomine inſigniuntur. Ita interpres oraculorum divinorum eſt נביא *Propheta*; Exod. 7: 1. Aaron propheta Moſis, quia ab ipſo dicenda accipiebat & 1 Sam. 9: 9. idem nomen poſt datum *videntibus*; hoc eſt, qui de occultis rebus reſponſa divina dabant interrogantibus: unde liquet olim tam late non fuiſſe ſumtum vocabulum; verum quia libuit Deo interpretibus ſuæ voluntatis, de eo quod populo Dei credendum & faciendum, etiam quandoque onus imponere, ut eſſent ſuæ voluntatis interpretes de eo quod ipſemet facturus eſſet Amos. 3: 7. in ſenſu ampliori id acceptum eſt; ita tamen ut revelationes futurorum extraordinarii forent muneris, quod non omnibus conveniret. Hoc nomine inſignitur Meſſias, utpote futurus interpres voluntatis divinæ, & doctor ejus. Fuere plurimi prophetæ in Iſraele, ordinarii, qui in ſcholis prophetarum erudiebantur; & extraordinarii, qui quandoque excitabantur à Deo: omnes interpretes voluntatis Dei; Jer. 7: 25. cap. 25: 4. quoſdam etiam futurorum prænuncios Eſa. 44: 25. Verum Meſſia futurus erat eximius præ cæteris, adeoque ſingularis prorſus. Rabbini quidem heic totum ordinem prophetarum deſignatum putant; ſed ſequentia id refellunt; & aliud creditum fuit olim. Joh. 1: 25. Phariſæi, Sacerdotes & Levitæ, miſſi ad Johannem, ut inquirerent quis eſſet qui novo baptiſmo initiaret auditores, quod nemini præterquam Meſſiæ & præcurſori ejus quadrabat, rogant an ſit Meſſias, vel Elias, vel propheta ille? quomodo ſignificant ſe ſingularem prophetam exſpectare & quamquam hunc videantur diſtinguere à Meſſia, uti quoque Joh. 7: 40. quidam dicunt de Jeſu: *hic eſt Propheta ille, alii hic eſt Chriſtus ille*: attamen eundem fuiſſe docent Joh. 6: 14. de Jeſu dicunt. *Hic eſt vere propheta ille, qui in mundum venturus erat: & venturi erant, ut abreptum facerent regem*: quod proprium munus Meſſiæ agnoſcebant. Et Samaritana profitetur Joh. 4: 25. *Novi Meſſiam venturum: & is ubi venerit, omnia nobis annunciabit*, & mox verſ. 29. *Videte hominem, qui mihi dixit omnia quæ feci, annon hic ſit Chriſtus?* quem nunc prophetam κατ' ἐξοχὴν eſſe agnoſcit.

b. *Ortus* ſeu genus eſt, *è medio tui, ex fratribus tuis.* Significat hoc pacto fore Iſraelitam, fratrum aliquem. Non alienigenam, ut Bileam, ſed qui ex Jacobo duceret originem, cujus poſteritas omnis, in duodecim tribus diviſa, fratres erant ex fratribus orti. Ex his debuit hic propheta oriri: Datum id aliis quoque Amos. 2: 11. ſed huic ſigillatim dandum erat. Non deſignatur tribus, ſed ſatis eſt Iſraelitam fore; uti Rom. 9: 5. Specialius Judam notarat Jacob Gen. 49: 10. non perituram notitiam diſtinctam genealogiarum in tribu Juda, neque doctorem inde ablatum iri, uſque dum veniſſet Silo, ut ejus origo ex Juda, & quid ab ipſo exſpectandum eſſet conſtaret ſemper & ſic Heb. 7: 14. Poſtea ad familiam Davidis reſtrictum fuit Meſſiæ genus. Sed etiam ſic fuit Iſraelita, & ex fratribus ipſorum. Adeoque ſi alius generis producatur, uti Mahomet, qui ſe ſumnum prophetam jactat; eopſe revincitur impoſturæ, utpote non Judæus fuit: ex Iſmaele, non ex Iſraele genus ducens: homo onager, qui nullis frenis flectitur, ſed ſuo impetu fertur, & vi perrumpit, quæ illius prophetæ ratio eſt, ferro magis quam verbo utens, & hujus veritatem illius robore fulciens. Quin imo quotquot alii prophetæ ſurgunt, qui aliam doctrinam efferunt, hoc ipſo refutantur, quod non ſint Iſraelitæ. Ab ejuſmodi proficiſci debuit, quod

fide amplectimur, & per quod ſalvari quærimus. Zach. 8: 23. Sed inſuper ait *è medio tui*: quod geminâ de cauſa additum videri poteſt. I. Quia tempore exhibendi Meſſiæ natio Iſraelitica diſperſa victura erat, non ſolum in Cananæa, ſed etiam in Ægypto, Aſia minore, Græcia, & inprimis Babylonia, Aſſyria, Mediâ, ne quis ſe venditaret pro Meſſia, & imponeret deſiderantibus ejus adventum, monuit ibi patefactum iri, ubi Iſraelis ſedes propria, quoad religionem & remp. quo ejus perſona ex circumſtantiis generis, patriæ nativitatis, educationis & miniſterii cuivis poſſet innoteſcere quemadmodum ad iſta attendunt Judæi Joh. 1: 42. *nonne Scriptura dicit, ex ſemine Davidis, & ex Bethlehem ubi erat David, venturum illum Chriſtum.* Nam quod ibid verſ. 27. legitur, *quando venerit ille Chriſtus, nemo ſciet, unde ſit.* Id non de humana, ſed de divina origine intelligendum eſt, de quâ Mich. 5: 1. II. Quia ortus Meſſiæ humilis futurus erat; *è medio tui*, tanquam ex mediâ turba, citra pompam, quæ publicam habeat obſervationem; communi cum aliis conditione, nihil eximii præ ſe ferens. Quomodo deſcribitur Eſa. 11: 1. cap. 53: 2. & iſtiuſmodi, phraſi dicitur Luc. 22: 27. *Ego in medio veſtri fui* ut qui miniſtrat: & Joh. 1: 26. *in medio veſtri conſiſtit, quem vos non noſtis*: nempe tantæ dignitatis eſſe, prophetam magnum, Meſſiam: notus alioqui ex contemtu & vilitate, Matt. 13: 55. *Unde huic iſta ſapientia & virtutes? nonne hic filius fabri?* Marc. 6: 3. *nonne hic eſt faber?* Joh. 6: 42. *nonne hic eſt Jeſus, filius Joſephi, cujus patrem matremque novimus?* Sic de Meſſia loquitur Jer. 3: 21. *Erit magnificus ipſius ex ipſo, & dominator ejus è medio ejus prodibit; qui tantæ excellentiæ erit Iſraelita*, & humilis quoad ortum ſuum; unde nihil ſibi eximii pollicentur alii. Quemadmodum cum David de pone grege evectus fuit ad regnum, & Amos ex bubulco factus propheta. Pſ. 78: 70. Amos. 7: 14. Cæterum uti hoc *è medio fratrum* pertinet ad prophetiam Meſſiæ, ita quoque ad ejus regnum, Deut. 17: 15. *è medio fratrum conſtitues ſuper te regem*: & ad ſacerdotium Heb. 5: 1. *ex hominibus*; & quidem ejuſdem populi, *uti Aaron.*

c. *Gradus muneris.* Sicut me. Moſes ſemet proponit in exemplum. De ipſo dicitur Deut. 34: 10. *non ſurrexit amplius propheta in Iſrael ſimilis Moſi, quem Deus novit facie ad faciem, in omnibus ſignis & oſtentis, quæ ut faceret Deus eum miſit.* & Num. 12: 6. *Si fuerit quis propheta veſter, ego Dominus per viſionem me ipſum notum faciam ipſi, aut per ſomnium alloquar eum. Non ſic ſervus meus Moſes; qui in tota domo mea fidelis eſt: ore ad os alloquar eum, per viſionem & non per ænigmata, & ſimilitudinem Domini intuetur.* Major ergo ipſe illis omnibus; ſed hic ipſi par. Ut nequeat intelligi aliquis cæterorum prophetarum, ſive Joſua, ſive Jeremias, aut alius: qui ſinguli minores ſunt; ſiquidem par ipſi Moſi eſſe debet. Paritas illa ſpectari debet, ſic ut Meſſias non ſit minor Moſe, & ut eadem illi quæ Moſi conveniant: ſed non impedit, quo minus Moſe in omnibus major ſit, quam celſitudinem Meſſiæ tribuunt Judæi ex Eſa. 52: 13. Ecce ſervus meus proſperabitur, vel intelligenter aget, exaltabitur præ Abrahamo, elevabitur præ Moſe, admodum excelſus erit præ angelis miniſterii. Jonathan ſcribit, qui ſimilis mihi ſit Spiritu S. hæc interna ſimilitudo dotium; Moſes habuit Spiritum S. eâ menſurâ, ut aliis de ſpiritu ejus communicatum ſit, & ipſi manſerit abunde. Num. 11: 17. Meſſiæ datus eſt Spiritus S. abundantiſſime Eſa. 42: 1. cap. 61: 1. ſupra conſortes Pſ. 45: 8. citra menſuram Joh. 3: 34. unde cæteri doctores accipiunt Spiritum S. Moſes fuit ſuper univerſam domum Dei conſtitutus, œconomus, & in munere fidelis: qui totam rexit; & Meſſias ſuper domum eandem totam; Moſes tamen ut ſervus ſuper alienam; Meſſias ut filius ſuper propriam. Heb. 3: 5, 6. Moſes fuit Mediator internuncius, qui proximæ admiſſionis ad Deum de omnibus quandocunque libuit potuit conſulere, & reſponſa conſequi. Soli Moſi fas fuit ingredi in S. Sanctorum quovis tempore; ſoli Deus locutus eſt è medio Cherubinorum ſuper arcam. Exod. 20: 22. cap. 33: 9. Num. 7: 8, 9. Meſſias eſt Mediator Dei & hominum, in ſinu patris; qui omnia à Deo habet revelata, quæ revelet ſuis Joh. 1: 18. cap. 3: 20. Moſes propheta magnus verbis & miraculis. Meſſias propheta potens operibus & ſermonibus, coram Deo & omni populo. Luc. 24: 19. Moſes Sacerdos fuit, qui toto ſeptiduo inaugurationis Aaronis, munia illa exſecutus eſt, & præmia accepit. Lev. 8. Meſſias Sacerdos ſummus, Heb. 9: 5. ſeqq. capp. demonſtratur. Imo Moſes obtulit ſe vicarium pro Iſraele, licet non admiſſus à Deo Exod. 32: 32. Meſſias talis Sacerdos, qui animam in ſponſionem dat Jer. 30: 21. victimam Eſa. 53: 10. Denique Moſes fuit in Jeſchurum rex Deut. 33: 5. qui ſummum ſuper Iſraelem habuit regimen; Princeps & judex & liberator populi, Act. 7: 35. Meſſias quoque fuit rex, Zach. 9: 9. rex & Sacerdos Zach. 6: 13. Sed differentia regni maxima, non unius Iſraelis rex, ſed etiam gentium, & ad fines terræ: & in omnibus aliis ſimilis exceſſus, tanto major, quanto Moſes cæteris prophetis, Sacerdotibus, regibus; Imo longe adhuc excellentior, cum ille ſervorum maximus, Meſſias non ſervus, ſed filius, & omnium ſervorum Dominus, licet etiam ſervus Patris factus ſit, ut opus ejus faceret.

d. *Efficiens primus* eſt *Deus, excitabit tibi Dominus Deus tuus*, Dominus Jehova, Deus gratiæ & veritatis, idemque Deus tuus, vi fœderus gratiæ. Quod ſeqq. docebunt. Non ſurget ille propheta ſua ſponte, neque ſibi ſumet ullam honoris partem, ſed quicquid erit id habebit ex Dei ſingulari conſtitutione; quod *excitandi* vocabulo ſignificatur. Excitabit è medio Iſraelis, ex fratribus ejus, Jer. 23: 5. Pſ. 132: 17. Dedit ſignum, quale majus in ſupernis & infernis nullum, ut virgo conciperet & pareret filium, qui eſſet Immanuel: Eſa. 7: 13. ut prodiret ex terrâ aridâ, & plantaretur à Deo in monte alto & aggeſto, & in monte celſitudinis Iſraelis. Ezek. 17: 22. Excitavit Prophetam, dando linguam eruditorum ut oportune loqui, & euangelizare poſſet Eſa. 50: 9. cap. 61: 1. vocavit Sacerdotem Heb. 5: 4. Pſ. 110: 4. unxit regem Pſ. 2: 6. Dedit ei poteſtatem omnis carnis ad dandum vitam æternam datis ſibi ovibus Joh. 17: 2. Mandatum dedit quid dicere, & quid loqui debeat Joh. 12: 49. quid item facere Joh. 10: 18. cap. 14: 31.

Docent iſta omnia Meſſiam verum hominem futurum, non Angelum. Heb. 2: 16. & quidem Iſraelitam, quia ſalus ex Judæis eſt Joh. 4: 22. è medio ipſorum tenatum miſeriis & calamitatibus iiſdem, citra tamen peccatum Heb. 2: 17. cap. 4) 15. Adeoque nihil in eo quod deterreat, multa quæ alliciant: & etiam vilibus in oculis mundi animum veniendi addant. Similitudo etiam Moſis huc facit Num. 12: 3. *vir Moſes fuit manſuetus valde, magis quam omnes homines ſuper terram*: neque aliter Meſſias, Zach. 9: 9. *pauper*, & Matt. 21: 5. *manſuetus.* Eſa. 42: 2. *non clamabit, nec vociferabitur* &c. *arundinem quaſſatam* &c. Qualis Jeſus Matt. 11: 28. Excitatur à Deo, adeoque non obſcurabitur, neque confringetur, uſque dum jus conſtituerit in terrâ, & inſulæ exſpectabunt doctrinam ejus. Ridet, & ſubſannat conſilia & conatus oppugnantium, & indignatur ad vindictam, qui unctum à ſe regem non agnoſcunt, Pſ. 2: 1. Dabit porro Meſſiam prophetam; qui doceat, ne quis vel ex ſe ſuâque natura, neque ſolorum hominum inſtitutione tantum ſapientiæ & cognitionis ſibi imaginetur habere, ut non indigeat ab hoc propheta doceri. Omnes hujus diſcipulos eſſe oportet, ut vere docti evadant ad ſalutem, Matt. 28: 19. De quibus in confirmatione plura dicenda erunt.

2. *Officium* duntaxat *Iſraelis* attingemus pauciſſimis. *Hunc audietis:* hoc eſt, ei obtemperabitis credendo quæ dixerit, faciendo quæ mandarit. Audiendi quivis prophetæ; audiendus Moſes; de quibus Luc. 16: 29. Sed præ omnibus Meſſias, qui major omnibus aliis. Heb. 3: 7. Apoſtolus huc refert illud Pſ. 95: 7. *Hodie cum vocem ejus audiveritis* &c.

Dicitur hoc iis qui audire poſſunt; quibus excitatur; in quorum medio eſt & loquitur; Heic audire nolle, uti contemtum de loquente oſtendit, ita quoque conſtituentis vindictam provocat; quemadmodum proxime patebit plenius. Nos in Jeſu Nazareno habemus iſtum prophetam, qui per Euangelium nos jugiter docet. Magnum fuit gaudium Andreæ; quando ad fratrem Simonem dixit, *Invenimus Meſſiam, hoc eſt Chriſtum* Joh. 1: 42. ut & Philippi dicentis ad Nathanaelem, *invenimus, de quo Moſes in Lege ſcripſit & prophetæ, Jeſum filium Joſephi de Nazareth.* v. 46. Quando ad ipſummet in carne manifeſtatum veniſſent. Verum eunuchus Candaces, reginæ Æthiopum, non minori cum gaudio iter ſuum proſecutus eſt, quando Philippus Euangeliſta eundem Meſſiam ipſi oſtendit ex Eſaia, cujus librum legens ignorabat de quo loqueretur. Act. 8: 30. Nunquam ille vidit Chriſtum in carne, ſed vidit inventum in Scripturis

V. T.

V. T. cujus prædictiones in Jesu Nazareno impletas audiens, credidit & lætatus est gaudio inenarrabili & glorioso 1 Pet. 1: 8. glorioso, inquam, quia non vident & tamen credunt Joh. 20: 29. signis à prophetis descriptis convicti, ut Jesum credant esse promissum illum Messiam. Nobis Jesum ipsum videre non contingit, sed habemus eum quærendum in verbo, non solum N. T. quod ejus historiam nobis exhibet, sed etiam in V. T. Etenim nunquam sciemus ipsum esse Messiam filium Dei qui in mundum venturus erat Joh. 11: 27. Prophetam illum qui in mundum venturus erat cap. 6: 14. & simpliciter venturum illum, ut alius non sit exspectandus Matt. 11: 3. nisi ex V. T. didicerimus & venturum fuisse aliquem, & Jesum Nazarenum omnibus istis qualitatibus instructum fuisse, quas in libris illis prophetæ descripserunt. Unde Paulus Rom. 16: 26. ait, *Euangelium & prædicationem Jesu Christo per propheticas Scripturas, juxta mandatum æterni Dei ad obedientiam fidei inter omnes Gentes notum factum esse.* Nos quoque sumus ex Gentibus natura, & ad obedientiam fidei in nobis efficiendam Euangelium & prædicatio Christi etiam nobis per prophetica scripta debet innotescere; estque hoc mandatum æterni Dei, qui solus sapiens; atque hic quoque sapientiæ suæ edidit documentum; quod quidem sapientibus mundi stultitia est, attamen credentibus sapientia & potentia Dei. Gratulari ergo nobis debemus quod tam oportuna nobis offeratur occasio, Euangelium Christi ex propheticis scriptis audiendi, & juxta voluntatem Dei æterni ac solum sapientis, afferre attentionem, & fidem, & obedientiam, ad agnitionem Christi, nostramque salutem.

Vers. 16. *Secundum omnia quæ petiisti à Jehova Deo tuo in Chorebo, die congregationis, dicendo; ne pergam audire vocem Jehovæ Dei, & ignem maximum istum ne videam amplius, ut non moriar.*

B. Vidimus prædictionem Mosis ipsiusmet, describentem in genere Messiam à nomine muneris, à gente, à muneris excellentia, ab instituente primario. Nunc procedit ad confirmationem, *promissionem* Dei ipsius: indicans I. occasionem datæ vers. 16, 17. II. ipsiusmet declarationem vers. 18, 19.

K. *Occasio datæ promissionis*, habet tempus, petitionem Israelis propositam & approbatam.

a. *Tempus* est vers. 16. *Dies congregationis ad montem Horeb.* sic Deut. 9: 10. cap. 10: 4. *Verba quæ Dominus die cœtus in monte è medio ignis ad vos locutus est.* Descriptio Deut. 4: 10. legitur quo die *coram facie Domini Dei vestri stabatis ad Horeb cum Dominus ad me diceret, congrega mihi populum hunc, & faciam eos audire verba mea.* Et in historia Exod. 19. jussit Deus populum sanctificari loto corpore & vestibus, quia coram oculis totius populi descensurus erat in montem Sinai; & Moses Deo descendente totum populum eduxit ex castris, & constituit circumcirca montem, & Deus ibi de monte è medio ignis locutus est ad totam congregationem. Nunquam tam notabilis fuit cœtus, ut nemo negligeretur, quandoquidem nunquam tam notabilis actus, ut iste Dei in magna majestate descendentis, & magna voce ad omnium aures loquentis. Hujus diei memoriam Moses commendavit populo Deut. 4. utpote cui simile nihil unquam acciderat. Non tantum tunc audiverunt Deum loquentem, sed etiam polliciti sunt audientiam, Deo per internuncium loquente. Memorabilia ergo illius Diei plurima, tum quoad beneficia Dei singularia, tum quoad suas quoque actiones & promissiones. Sic nobis memorabiles debent esse dies & tempora in quibus Deus speciatim nobiscum agit, & fœdus nobiscum repetit.

b. *Petitio Israelis proposita* est, *Secundum omne quod petiisti à Domino Deo tuo, dicendo, Ne addam* &c. Historia legitur Exod. 20: 19. & inprimis Deut. 5: 23. &c. Quum Deus de monte Sinai pronunciasset x verba fœderis, antequam adderet alia, itidem ad fœdus Israeliticum factura, Israelitæ territi testimoniis istis majestatis Dei trepidantes accesserunt per capita tribuum & seniores suos ad Mosen, apud populum consistentem, professique sunt se agnoscere magnum istum honorem sibi concessum, ut forent spectatores gloriæ & magnitudinis divinæ; auditores item divinæ vocis ad se factæ, ad se factæ, ita ut vivi & incolumes manserint. Editum in se esse exemplum, Dei voce homines non examinari; Enimvero scientes se homines esse pulverem qui cito dilipetur, non posse sibi polliceri diuturnam vitam, siquidem porrò eadem videre & audire debeant. Ignem illum magnum sibi exitiosum fore, & oculos intuendo, animos considerando defecturos. Quare deprecantur, sic enim reddendum est. Non dicunt, quid non sit amplius futurum, sed petunt, ut non amplius fiat: *Ne pergam audire vocem Domini Dei mei, neque amplius videam ignem illum magnum, ne moriar.* Est in hisce verbis observandum, quod populus de Deo loquens semper eum vocet *Dominum Deum suum.* Petiisti à *Domino Deo tuo*: Ecce *Dominus Deus noster* videre fecit nos gloriam suam: ne addam audire vocem *Domini Dei mei.* Vocabantur ad fœderis pactionem, audierant partem conditionum, restabant plures, nondum postulatus fuerat ipsorum consensus, nedum ut solennis sanctio facta esset, adeoque nondum habebant istud fœdus: & tamen de Deo non aliter loquuntur quam ut fœderato. Scil. jam erant fœderati Dei, habebant istud hæreditarium bonum, quia filii Abrahami, Isaaci & Jacobi, quod privilegium eis non fuit ademtum cum ad fœdus invitarentur, sed conservatum. Etenim si isto fœdere, quod gratiæ, fuissent tunc privati, ut ad fœdus vocarentur quod Gentilibus ipsis adscribi solet à nonnullis, utique satius fuisset nunquam ipsos ex Ægypto excessisse: Istic enim Deus se professus erat Deum ipsorum, & Deum patrum ipsorum Abrahami, Isaaci, Jacobi Exod. 3, 4. seq. imo Israelem filium primogenitum. Atqui educendo eos Deus fœderis istius observantem se probaturus erat; quod etiam in formula fœderis repetit. Proinde merum fœdus gratiæ est, quod Deus Israeli in fœdere gratiæ constituto, proposuit ad confirmationem; quemadmodum idem fœdus, cum Abrahamo initum, confirmavit sigillatim Isaaco & Jacobo Lev. 26: 42. Quod deterior facta sit conditio Israelis per istud fœdus, non Deo imputandum est, qui in conditionibus nihil mutavit, sed ipsi Israeli, qui non servato ordine Dei fidem postposuit, obedientiam pollicitus quæ propriarum virium erat. Quomodo fecerunt illud fœdus operum, adeoque impotens ad justitiam & salutem, cum ipsi per carnem & corruptionem impotentes forent: quemadmodum alias fuse demonstratum est.

Cæterum sub istis petitionis verbis, plura intelliguntur. Fuisset manifestæ & impudentis rebellionis, hoc solum dixisse, *non amplius audiam* &c. Deo partem solum elocuto interpellare, & negare audientiam. Jer. 6: 17. Esa. 30: 9. &c. Sed humilis reverentia fuit in istâ petitione, cujus reliqua Exod. 20. & Deut. 5. leguntur; *propinqua tu*, dicunt ad Mosen, *& audi omnia quæ Dominus Deus noster dicet; & loquere ad nos omne quod Dominus Deus noster tibi dixerit, & audiemus ac faciemus.* Non deprecantur ne porro Deus quid loquatur, sed modum, ne sic loquatur sibi, *ex igne.* Eapropter rogant Mosen, qui hactenus Dei mandata sibi aperuisset, ut velit istud munus à se suscipere ut Deum pro se adeat, & quæ sibi mandata vellet, ad se referat; se pari modo excepturum, ac si Deum ipsum ea enunciantem suis audivissent auribus. Quocirca Deus hâc petitione non fuit offensus, sed eam probavit. Istud solum notandum, quanta sit majestas Dei, quando se homini peccatori ostendit, etsi ille in fœdere gratiæ versetur. Terror Israelitarum id docet; Deus non ostendit se Deum iratum & vindicem in monte Sinai; quomodo peccatores trepidare necesse est. Esa. 33: 14. potentia ultrix in hostes exercita, ipsis terribilis est, conscientia reatum repræsentante: sed solum majestatem suam; hinc Exod. 20: 20. ad trepidantes Moses ait, *Ne timete, nam Deus venit ut vos tentaret, & ut timor ipsius esset ante facies vestras, ne peccetis.* Profecto si Deus se ostendisset judicem ultione armatum, male dehortatus esset ipsos Moses, non esse timendum. Pœnæ metum ponere jubet, sed reverentiæ metum induere, ob Dei majestatem. Non solus Israel hunc metum sensit, sed ipse quoque Moses Heb. 13: 21. *Expavefactus sum & tremebundus*, sic pavebant etiam alii pii, Deo se gratiose manifestante, ob gloriam Domini. Gen. 13: 12. Super Abramum profunde sopitum cecidit terror vehemens, & tenebræ densæ. Deo loquente gratiosissima. Gen. 28:

17. Jacob territus fuit visione scalæ, de qua Deus ipsi locutus fuerat. Exod. 3: 6. Moses, angelo ex ardente rubo ipsum compellante, abscondit faciem, metuens intueri Deum. Sic Gideon Jud. 6. & Manoah cap. 17. quibus tamen mera bona promittebantur. Sic Esa. 6: 5. Propheta exclamat, *Væ mihi, nam pereo, quia vir sum labiorum impurorum, & habito in ejusmodi populo; nam oculi mei viderunt Regem Dominum Zebaoth.* quin imo ipsi Seraphim duabus alis faciem, & duabus pedes tegunt, coram Deo. v. 2. Cum Adam integer foret, familiariter cum Deo versabatur; sæpius cum ipso locutum constat, sed nullum testimonium legitur ullius trepidationis. Erat enim ornatus eâ perfectione quam Deus in creatione dederat, & probarat; adeo ut displicere Deo non posset. Verum inde à lapsu adest defectus, & corruptio Deo odiosa; & talis non potest non non metuere indignationem, quantumcunque amicissimus videatur accedere Deus. Matt. 22. Nuptiale convivium est, & invitati veniunt omnes; quid aliud exspectandum, quam ut Convivator amicum se ostendat omnibus. Verum qui non venit nuptialis, uti est invitatus, amice adventantem non potest non formidare. Etsi fœderatos Dei inter quis vivat, quibus Deus amicus est, si tamen cogitat quantum corruptionis adhuc in sinu foveat, ob conscientiam indignitatis & ab amico metuit, majestatem suam ostentante. Fuit proinde prudentiæ in Israele deprecari vocem Dei ipsius: & nos felices, quod parcatur nobis, dum adhuc sumus induti carne peccati. Enimvero sperandum est, aliquando nos visuros Deum in omni sua gloria citra terrorem; videl. quando corpus peccati destructum erit; Spiritus justorum consummatorum, conjungitur Deo Heb. 12: 23. &c. & tandem restituto per resurrectionem corpore, ex illo ipso videbunt Deum, & exsatiabuntur imagine Dei Job. 19: 26. Ps. 17: 15. Itaque jam nunc laborandum, ut magis magisque à corruptione mundemur, ab ejus reatu dominioque in Christum: ut liberati Deo serviamus sine metu in justitia & sanctitate coram ipso omnibus diebus vitæ Luc. 1: 74 &c. sic & in hac vita præsentiam Dei & occursum non habebimus metuendum; sed ut obtineamus, optandum Ps. 101: 2. & cum obtinemus, gaudendum Esa. 64: 5.

Vers. 17. *Quamobrem dixit Jehova mihi, bene loquuti sunt quod loquuti sunt.*

Approbata petitio Israelis est, vers. 17. *Et dixit Dominus ad me, Benefecerunt, quod locuti sunt.* Sic quoque id refert Deut. 3: 28. addita voculâ, cum præloquio; *Audivi vocem hujus populi, quam ad te locuti sunt, Benefecerunt omne quod locuti sunt.* Differentiæ istius causa est. Sermo Israelis fuit trimembris, deprecatorius ne audirent amplius Dei vocem ipsimet; petitorius, ut Moses foret interpres; promissorius quod etiam interpreti essent parituri. Hoc loco tantum duo priores habentur, primus explicite, alter implicite, quia interpres conceditur; & horum approbatio hic legitur. Verum cap. 5: 27 etiam tertius legitur, de cujus approbatione dubitari posset, ex eo quod vers. 29. dictum est. Hac propter scribit, Deum dixisse *Omnia*, eoque & ultima, quæ promissoria erant, bene dicta esse. Non poterant non polliceri obedientiam ad recitata internuncii, quem ipsimet constituerant. Verum addidit instructionem suo voto. *Utinam tale ipsis foret cor, ad timendum me, & ad observandum omnia præcepta mea omni die, ut ipsis & liberis ipsorum bene sit in seculum.* Bona & laudabilis est pollicitatio, sed eadem socianda est cum prudenti sollicitudine ad comparanda omnia, quæ ad præstandam pollicitationem sunt necessaria. Nunquam Israelitæ isti satisfacient, nisi habuerint cor reverentia mei impletum, ut meam autoritatem in omnibus mandatis meis eandem agnoscant Jac. 2: 11. Hujusmodi naturale cor non est Gen. 6: 5. cap. 8: 21. proinde corde alio est opus, quod utinam haberent; sic nihil eis deforet ad obsequium præstandum, & ad impetrandam felicitatem: & hoc meum votum, quod eos de indigentia, & necessitate convincit, debet eos excitare ad quærendam ejus possessionem. Quæ ratio hic fuerit meunda, Judæi ipli dicunt, Moses ipsis exprobrasse, O ingrati, non agnoscentes boni, Deo dicente, Utinam esset ipsis tale cor, debuissetis dixisse, Domine da nobis tale cor. Sed ipsi petere neglexerunt, & obedientiam propriarum virium, justitiam propriam promiserunt; quæ impossibilis sine corde novo & Spiritu novo: quæ debuerunt sibi ipsis facere Ezek. 18: 31. quod pariter impossibile: & sic sibi fœdus suum fecerunt mortiferum: uti alias declaratum. Moses hic de isto membro sermonis eorum non agit, sed de prioribus; quæ Deo probata fuisse ex admissa & confirmata in ipso Internuncii dignitate constat. Imo hoc loco indultum istud de se tantum implicite indicat, & aliud majus beneficium à Deo promissum refert. De quo proxima loquuntur.

Vers. 18. *Prophetam suscitabo eis è medio fratrum ipsorum, sicut tu es; & indam verba mea ori ejus, ut eloquatur eis quicquid præcepero ipsi.*

2. *Promissio* est vers. 18, 19. describens I. Prophetam, II. Doctrinam ejus. III. ultionem contemtus.

a. *Prophetæ* descriptio est vers. 18. non differens à vers. 15. nisi quod istic Moses, hic Deus ipse loquatur. Sed ea nunc consideranda est ut responsionem habet ad Israelis petitionem. Parci sibi volunt ne cogantur audire vocem ipsius Dei, admitti autem Mosen, cui Deus, sueto cum Deo agere, dicat suam voluntatem, quam ipsi Mose mediante demum cognoscant. Deus adsentitur isti petitioni, *sicut te*, alium similem promittit, adeoque primum ipsum, cui alter sit futurus similis. Moses ergo delectus à populo, delectus etiam est à Deo. Verum hic apparent divitiæ misericordiæ & benignitatis Dei: non tantum concedit quod petitur, sed etiam plura. Poscunt unum Mosen: dat Mosen, & alium insuper Mose majorem promittit. Sic Deus petentibus aliquid secundum suam voluntatem, & quod petunt dat, & quod non petierunt, ipsis necessarium. Potest enim abundanter dare supra id quod petimus aut cogitamus Eph. 3: 20. & vult quoque; Rom. 8: 26. ad vota non nostra sed spiritus sui. Matt. 6: 33. Psaltes petiit vitam: dedit Deus plura, vitam & gloriam Ps. 21: 2. Salomo petiit sapientiam ad regimen Israelis, Deus dedit insuper pacem divitias gloriam magnificentissimam 1 Reg. 3: 22. Hanna petiit filium; Deus ei dedit Samuelem, & insuper 3. filios, 2. filias 1 Sam. 1: 10. cap. 2: 21. Quam bonum proinde habemus Dominum! Dicitur audiens precum Ps. 65: 2. quia amat dare rogatus, & tum Jac. 1: 6. largitur dat. Deut. 4: 7. Ps. 145: 18. *propinquus Deus invocantibus ipsum, facit beneplacitum timentium se, audit preces ipsorum, & liberat eos.* Esa. 63: 24. *fiet, antequam clament respondebo; dum adhuc loquuntur, audiam.* Ad hunc eundum precibus. Ps. 10: 4. Ps. 37: 4. non tantum petitiones oris, sed etiam vota cordis, quæ solent longe esse ampliora. Sed illa oblectatio in Domino, ut petere & impetrare omnia queamus, poscit familiaritatem cum Deo, obsequium voluntatis ejus, & veram resipiscentiam, & desertionem mali; sic non tantum nobis, sed etiam aliis preces nostræ possunt esse salutares, Job. 22: 21. seq. Verum videamus quid diserte promittat.

a. Prophetam, vi hujus textus est talis, qui interpres sit & internuncius voluntatis Dei. Hujusmodi aliquis petitus, atque etiam datus fuit. Moses audivit immediate à Deo, & per ipsum audiverunt Deum Israelitæ. Non solum in monte Moses Deum audivit, sed & in tabernaculo, ingrediens quandocunque lubebat, & illico responsa consecutus. Hujusmodi omnes extraordinarios prophetas esse oportuit. Hunc Num. 12: 6. Unde Pseudoprophetæ mentiebantur divinas revelationes, Jer. 23: 25. *prophetæ, in nomine meo prophetantes mendacium, dicendo, somniavi, somniavi.* & v. 31. qui jugiter crepabant ἐγνμαλογοῦν. Hujusmodi quoque necesse est esse alterum illum, qui & ipse sit internuncius verborum Dei. Quem quidem habemus in Christo Jesu, Joh. 1: 18. Similitudo ab accubitu Judæorum, Joh. 13: 23. qui in sinu cubabat, proximus fuit, & potuit proxime accipere, & secreta, quæ alius nemo audit: ita Christus. Heb. 1: 1. Quod cæteri prophetæ fuerunt, & filius fuit; per omnes locutus est hominibus fœderatis Deus. Et hic filius ultimus, adeoque promissus ille. De ipso vere dictum, esse magnum prophetam (& Deum visitasse populum suum Luc. 7: 16. visitatio est in promissionis complemento.) Prophetam potentem sermone & opere, coram Deo & hominibus: Luc. 28: 19. qui internuncii munus habet inter Deum & homines

1 Tim. 2: 5. mediationem ſuam per ſponſionem confirmavit. Agnoſcendus eſt nobis, ceu Propheta. Licet enim hæc promiſſio dicta ſit Judæis, quorum frater futurus, qui priorem habuerunt: tamen ille quoque promiſſus eſt Gentibus. Eſa. 42: 1. jus gentibus afferet: & verſ. 4. inſulæ exſpectabunt doctrinam ejus. Ab ipſo tam prompte accipient, quam ipſe afferet. Eſa. 49: 6. *dedi te lucem gentibus, ut ſalus mea ſis ad fines terræ.* Lux eſt verbum Pſ. 119: 105. Prov. 6: 23. & hæc Dei, uti ſalus; adeo ut Dei verbum ſit quod affert. Illud ipſum in Jeſu Nazareno impletum, Act. 13: 47. ſed quemadmodum tunc Gentes audientes lætatæ ſunt, & celebrarunt verbum Dei: ſic nobis quoque faciendum. Propheta ejuſque prophetia audienda eſt, ceu internuncii Dei, docentis viam Dei in veritate. Celebrandum deinde verbum prophetiæ ejus, non ore duntaxat, ſed etiam & inprimis vita, ne factis negemus, quod profitemur ore; juxta Phil. 2: 15, 16. Rom. 6: 17.

b. Excitaturum ſe. Moſen conſtituerant Iſraelitæ primùm & Deus eum admiſit internuncium. Deus vero ſecundum hunc ſua ſponte excitabit. Non ipſi eum producturi erant, ſed Deus. Hoc agnoverunt Judæorum primores Joh. 1: 19. quando Johannis baptiſmum non improbaturi erant, ſiquidem fuiſſet vel Chriſtus, vel Elias, vel Propheta. Nam Johannes ab ipſis non habebat autoritatem, quam à Deo datam voluiſſent acceptaſſe. Poſtea Joh. 9: 29. ſic Moſi uni attendere volunt, ut nolint alium admittere, de quo ipſimet non noſſent locutum ei eſſe Deum. Atqui excitandus erat propheta à Deo. Joh. 7: 15. dicunt de Jeſu, *Unde hic novit Scripturas, cum non didicerit?* & Jeſus hinc reſponſum ſumit, doctrina *mea non eſt mea; ſed mittentis me Dei.* Adeoque propheta ille, non ab hominibus excitatus, ſed à Deo. Joh. 7: 27. *Chriſtus quando veniet nemo ſciet unde ſit*; forſan de hac excitatione intelligendum. Talem promiſit Eſa. 42: 1. *Ecce ſervus meus* &c. verſ. 6. *Ego Dominus te vocavi in juſtitia, & apprehendam manum tuam, & cuſtodiam te & dabo te, in fœdus populi, in lucem gentium, ad aperiendum oculos cæcos.* Mal. 3: 1. Et hic eſt Jeſus Nazarenus Matt. 12: 17. Nicodemus ait Joh. 3: 1. *Rabbi, novimus te eſſe doctorem qui à Deo venit; nemo enim hæc ſigna poteſt edere quæ tu facis niſi Deus cum ipſo ſit.* Prophetam promiſſum concludit Jeſum eſſe, & ſimilitudine cum Moſe, qui magnus quoque ſignis propheta Deut. 34: 10. & ſic Luc. 24: 19. Profecto nemo unquam fuit circa quem excitatio Dei adeo fuit inſignis. Excitatus Moſes in Judicem populi, ſed hîc omnia inſigniora. Moſes defenſus in pueritia ne periret per Pharaonem & poſt ei ereptus. Chriſtus miraculoſe natus ex virgine, conſervatus à cæde Herodis, & aliorum hoſtium. Moſes confirmationem doctrinæ multiplicem conſecutus eſt per ſigna & prodigia: & Chriſtus per multo majora, ſanationem cæcorum ex nativitate, excitatione mortuorum, & dæmoniorum ejectione. Sic (Luc. 7: 16.

c. Ipſis excitaturum, bono ipſorum: quia ad ipſorum inſtitutionem pertinebat. Adeoque quia Judæis excitatus, debet facere quo fine excitatus, ut Judæis ſit propheta. Cœpit illud facere Act. 3: 26. ſed etiam conſummandum ipſi eſt. Rom. 11: 26. Eſa. 59: 20, 21. Vel etiam jure ipſorum: vi fœderis, A Domino Deo ſuo petierunt internuncium, & Dominus Deus ipſorum aſſenſus erat, ſimulque alium poſt Moſen promiſit, & hoc factum dum ageretur de fœdere ejuſque conditionibus; annon ergo hanc promiſſionem fœderalem dicere poſſumus? Vi ergo fœderis tenebatur Deus ad præſtandum, qui fœdus & benignitatem ſervat Deut. 7: 9. Quum Petrus iſtam promiſſionem recitaſſet, ait Judæis, vos eſtis filii prophetarum & fœderis. Act. 3: 25. Chriſtus eſt beneficium fœderis Abrahami, ceu autor benedictionis omnibus familiis terræ: ſed etiam beneficium fœderis Iſraelitici ceu propheta. Deus excitando Jeſum miſericordiam fecit patribus noſtris, & recordatus eſt ſancti fœderis ſui. Luc. 1: 72. Veritas & benignitas Dei hic eſt agnoſcenda.

d. E medio fratrum: adeoque Iſraelitam, cujuſmodi Jeſum fuiſſe, ex tribu Juda, de ſemine & domo Davidis, alias dictum eſt. Qui ei obducatur, alius non datur; ut Judæi fruſtra eum exſpectent. Etſi enim Judæorum multitudo maxima ſit, nemo tamen hodie indubitatis argumentis genealogicis docere poteſt, quod ex Iſraele ſit, multo minus quam qui ex Babele reduces nequiverunt genus ſuum probare Ezr. 2: 59. Jeſu genus ex Iſraele probatum eſt, & publice agnitus ex Juda Heb. 7: 14. filius Davidis; nullo unquam dum ſtetit templum contradicente: quorum tamen malitiam cæſaris Auguſti cenſus refellere potuiſſet.

e. Sicut Moſen, non tantum qui ei ſimilis ſit, quod ſupra diximus, & excelluiſſe Jeſum probavimus; ſed qui ei in munere ſuccedat. Moſes fuit ſummus propheta, atque etiam ſolus archipropheta. Indicatio verborum Dei ab ipſo ſolo fuit petenda. Ipſius fuit Cathedra. Prophetæ alii fuerunt magis internuncii Moſis quam Dei; nam quæ à Deo habebant, ad Moſis verba erant examinanda Mal. 4: 4. Hic Propheta debuit eſſe Moſi ſimilis. Eoque & ipſe ſummus & ſolus archipropheta, & qui cathedram poſſideret, adeo ut omnes alii ſequentes ab ipſo recipiant, non immediate à Deo. Ergo Moſis internuncii miniſterio non in omnibus uſus eſt, ſed aliqua verba reſervavit per alium proponenda: Joh. 4: 25. verba illa ſervata haudquaquam ſunt minimi momenti, ſervantur præſtantiſſima in locum ultimum. Moſen debuiſſe cedere huic alteri; & autoritatem Moſis ac verborum ejus ceſſare, quo poſteriori locus fieret. Alterum iſtum perennaturum, quandoquidem ille nullum ſucceſſorem conſtitutum habet. Hæ ſunt excellentiæ ſecundi Prophetæ præ Moſe. De quibus ſeqq. nos edocebunt. Hoc tantum concluſionis ergo, Jeſum hunc eſſe. Joh. 5: 36. Jeſus miſſionem ſuam probaturus, provocat ad opera ſua, quæ id teſtarentur, ſed provocat etiam ad Scripturas, & ſpeciatim Moſen, verſ. 46. *ſi Moſi crederetis* &c. Docebat alia quam Moſes, ſed docebat uti Moſes dixerat: unde colligit ſi Moſi crederent, ſibi credendum eſſe; Moſi autem derogantes fidem, ſibi non credere; & hoc nomine non ſe, ſed Moſen habituros accuſatorem. Habemus nos Moſen & prophetas, & hi loquuntur de Jeſu Chriſto, huic omnes prophetæ perhibent teſtimonium. Ne repudiemus tot teſtes; Jeſum amplectamur. Scripſerunt iſto fine ut in eum credamus. Credamus, & non fruſtra nobis ſcripſiſſe oſtendemus, atque inſuper conſequemur vitam & ſalutem per nomen ejus.

Commendat ſervator noſter *Moſis Cathedram*, Matt. 23: 2, 3. in quâ docentes Phariſæi & ſcribæ eſſent audiendi; aſt mox verſ. 7. damnat Phariſæos & ſcribas, qui Rabbi Rabbi volebant ſalutari; utpote qui ſibi arrogabant magiſterium, non Moſi ſubordinatum, (quomodo omnes prophetæ fuerunt magiſtri, docentes quæ Moſes docuerat, & docenda tradiderat, & hinc loquuti non doctrinam, ut Moſes, quæ ab ipſo denominata *Lex Moſis*, nunquam Lex Eſaiæ aliuſve prophetæ; *ſed teſtimonium*, Eſa. 8: 20. illius doctrinæ conſentaneum.) ſed coordinatum, interpretatione ſua Moſis doctrinam falſantes Matt. 5: 21. & præceptis ſuis vel tranſgredientes, vel autoritate privantes. Matt. 15: 3, 6. Veruntamen mox titulum, quem in aliis damnat, ſibi vendicat proprium verſ. 8, 10. *ne vocemini Rabbi, vel magiſter; nam unus eſt Magiſter veſter Chriſtus.* Scilicet poſt unum magiſtrum Moſen nullus alius hoc munus ac titulum pari jure habiturus erat præter Meſſiam, ut Samaritana ait Joh. 4: 23. *Novi venturum eſſe Meſſiam, & hic ubi venerit, omnia nobis annunciabit*: etiam ea quæ Moſes non annunciavit, alioqui hoc magiſtro & indice non fuiſſet opus. Vulgatum eſt apud Hebræos dictum, *Omnes prophetæ non prophetarunt niſi uſque ad dies Meſſiæ*; & idem Chriſtus dixit Matt. 11: 13. *omnes prophetæ & lex ad Johannem uſque prophetarunt.* Hucuſque extenditur autoritas Moſis doctoris Mal. 4: 4, 5. *Recordamini Legis Moſis* &c. *Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam.* & Chriſtus de Johanne, *Si vultis recipere, hic eſt Elias qui venturus eſt.* Non tamen Elias eſt Magiſter ille, verum ejus duntaxat præcurſor; cujus rationem ad Meſſiam Judæi eſſe volunt, qualis Aharonis ad Moſen, qui hujus propheta; ſic Elias iſte nuncius Meſſiæ Mal. 3: 1. *Ecce mitto angelum meum, qui antefaciem meam*, Meſſiam, *parabit viam, & ſubito veniet ad templum ſuum Dominus quem quæritis, angelus fœderis, quem deſideratis: ecce venit, dicit Dominus Zebaoth.* Huic Meſſiæ convenit, ut ſit Dominus, & Magiſter, quemadmodum de ſe dicit Jeſus Joh. 13: 13. de hoc magiſterio Meſſiæ loquitur Deus in textu. Moſes refert Domini verba, quæ poſt conceſſum deſiderium populi Iſraelitici, ſua ſponte adjecit, promiſſionem inſignem continentia. Iſraelitæ territi voce magnificæ gloriæ & majeſtatis Dei, Decalogum pronunciantis, petierunt ut quæ porro ſibi dicenda eſſent à Deo, Moſis ore indicarentur.

polliciti audientiam. Deus juxta ipſorum voluntatem conſtituit Moſen internuncium ſuorum verborum, atque mediatorem fœderis ſanciendi.

Sed inſuper pollicetur prophetam alium à ſe ex Iſraelitis excitandum, qui foret ſicut ipſe, adeoque internuncius verborum Dei, quæ ad fœdus pertinerent. Hoc munus internuncii deſcribit. verſ. 18. & autoritatem muneris, v. 19.

b. *Munus* internuncii eſt, verſ. 18. Internuncius eſt perſona media, quæ inter duas partes conſiſtens, oris vicem præſtat, Jer. 15: 19. nihil ipſe ex ſe loquens, ſed quæ alius dictavit, ejus nomine ad partem aliam referens. Jer. 1: 7. Sic deſcribitur Meſſias propheta iſte; Accipiet à Deo, & accepta Iſraeli referet.

b. Accipiet à Deo, nam inquit, *Dabo verba mea in os ipſius.* Ita ſimilis fit Moſi, qui itidem à Deo accepit dicenda; Accipiunt autem ambo verba à Deo ipſo non dicta, ſed dicenda: Et dicenda non eadem, ſed diverſa. Non à Deo dicta: nam heic internuncio non fuit opus; ſed dicenda, & proinde non audita: ubi internuncius neceſſarius. Dicenda tamen diverſa, nam aliàs unus ſuffeciſſet. Deus ipſe loquendi initium fecit, Decalogum ſuo ore pronuncians; Moſes non fuit internuncius hic; cum conſtiterit apud populum, & una audierit, ceu pars ejus Exod. 19. unde ad eum mox iverunt ejus operam flagitantes, finito Decalogo. Habuerunt illa x. verba immediatam autoritatem ab ipſo Deo, non opus fuit teſte Moſe, nec teſte Meſſiâ. Heic ergo immutabilem doctrinam continet, conditiones fœderis conſtantes; quas uti Deus ipſe elocutus eſt, ita ipſe quoque in tabulis iterato ſcripſit, nullius adhibens miniſterium. Eoque eadem illorum nunc quoque autoritas eſt quæ olim. Nihil illis deceſſit, ut nunc non æque ad obedientiam obſtringamur ac Iſraelitæ, unde Matt. 5: 17. non veni, inquit Chriſtus, *ſolutum Legem; ſed impletum: nam amen dico vobis cœlum & terra præteribunt, ſed nec jota, nec apex Legis præteribit: & ſi quis ſolverit*, &c. Verum quæ porro pertinebant ad conditiones fœderis tum judicialia, tum cerimonialia ea Moſe internuncio Iſraeli indicavit, quæ porro Exod. 20, 23. leguntur. De quibus Deut. 5: 30. *Dic ipſis revertimini ad tentoria veſtra, tu autem conſiſte heic apud me, ut ad te loquar omnia præcepta ſtatuta & judicia, quæ docebis ipſos.* Sed iſta non ſunt omnia; quamquam Iſraeli magis propria, adeo ut ad gentes non pertineant, qui ad ejuſmodi politiam non obſtringuntur: ſed inſuper omnia illa quæ poſt ſanctionem fœderis Moſi mandata ſunt, Cerimonialia illa quæ Exod. 25. ſeq. capp. & in Levitico continentur. De tabernaculo, ejus inſtrumentis, miniſtris, & univerſo cultu; quæ inſtituta ſunt, uti Dominus præcepit Moſi. Gal. 3: 29. Moſes fuit mediator, internuncius illius doctrinæ, & verſ. 24. & Lex fuit pædagogus ad Chriſtum. Dicitur hoc de Cerimoniali lege, illâ docebantur & ducebantur Iſraelitæ tanquam pueri, quibuſcum conferuntur. Gal. 4: 3. Pueri delectantur picturis, & omnia in picturis ipſis fuerunt propoſita: ſed illæ picturæ ducebant ad Chriſtum, tum convincendo de ejus neceſſitate; quæcunque offerebant pro peccatis, omnes lotiones & adſperſiones, arguebant reatus & impuritatis: tum oſtendendo ſalutem in illo, per tranſlationem reatus in alium, per quem expiarentur, adeo ut jam quoque ad externum ſanctuarium haberent aditum. Atenim hæc doctrina non ſufficiebat. Ezek. 20: 25. *Dedi eis ſtatuta non bona, & judicia per quæ non viverent.* Hoc dicit de ejuſmodi cerimoniis, à quibus non fuit exſpectanda expiatio & ſalus: alioqui Chriſto non fuiſſet locus. Fuerunt ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, Gal. 4: 9. ſi quidem in illis quis acquieſceret, neque aliam doctrinam quæreret, imo illud miniſterium mortis & condemnationis 2 Cor. 3: 7, 9. quia mortis reatum oſtendebat, & expiationem non ſufficientem, quandoquidem impoſſibile ſanguinem taurorum & hircorum expiare peccatum Heb. 10: 3. umbra tantum fuit futurorum bonorum, non corpus ipſum, non potuit proinde tranquillare conſcientias, & repetitio frequens rememoratio fuit peccatorum.

Hæc doctrina Moſis, qui totum Sacerdotium Aaronicum inſtituit, debuit ceſſare, & alteri doctrinæ locum facere, quæ Meſſiæ. Joh. 1: 16, 17. *Ex ipſius* Jeſu Chriſti filii unigeniti à Patre, *pleni gratia & veritate*, verſ. 14. *ex ipſius*, inquam, *plenitudine omnes accepimus, etiam* χάριν ἀντὶ χάριτος *gratiam pro gratia*; non ut gratia gratiæ accedat & ſuperaddatur, ſed ut ſuccedat, in locum alterius: quod ratio probat, *Nam lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Doctrina Moſis habuit quoque gratiam: Judæi quibus per privilegium ea data eſt, habuerunt, quæ defuerunt gentilibus hâc notitiâ deſtitutis, Chriſtum, fœdera promiſſionis, ſpem & Deum in mundo. Eph. 2: 12. ſed omnia in umbra, Chriſtus in umbra, & una promiſſiones quæ in Chriſto, & ſpes quæ ex promiſſionibus, & Dei poſſeſſio in umbra tabernaculi. Aſt per Jeſum Chriſtum facta eſt gratia & veritas, hoc eſt vera & conſtans gratia: vera conciliatio cum Deo, & conſtans fruitio promiſſionum hactenus exſpectatarum: unde felices oculi & aures Apoſtolorum, præ patribus & prophetis priſcis Luc. 10: 23. Hæc eſt doctrina nova quam Chriſtus à Deo accepturus erat. Eſa. 2: 2. Gentes confluent Hieroſolymam, ut doceantur vias ejus, & ambulent in ſemitis ejus, nam legem proditurum ajunt Zione, & verbum Domini Hieroſolymâ: non verbum priſcum: ſic non fuiſſet dilatus gentium iſte confluxus in ultimos dies, qui Meſſiæ ſunt: ſed eſt nova doctrina: fatentibus Judæis, S. Benedictum illum novam doctrinam per Meſſiæ manum daturum eſſe, & pacem illam quæ ibidem promittitur, efficiendam per doctrinam & prophetiam Meſſiæ, quæ tunc ſit innovanda in mundo. De eadem doctrina Meſſiæ intelligunt Eſa. 12: 3. *hauritis aquam cum gaudio ex fontibus ſalutis*: accipietis doctrinam novam ab electis inter juſtos, & Eſa. 42: 4. *Legem ejus*, Meſſiæ, *inſulæ exſpectabunt.* & Eſa. 61: 1. *Euangelium gratiæ.* Atque hanc doctrinam accepit Jeſus Nazarenus à Deo, ut Propheta ſit agnoſcendus ſingularis iſte. Joh. 3: 11. teſtabatur ad Nicodemum, ſe loqui cœleſtia, quæ audiviſſet & vidiſſet, & verſ. 31. Johannes de ipſo, *qui de ſupernis venit eſt ſuper omnes, & quæ vidit & audivit teſtatur, & nemo recipit teſtimonium ejus. Quem Deus miſit, is loquitur verba Dei.* Joh. 7: 15. mirantibus Judæis, quomodo noſſet literas, Scripturas, cum non didiciſſet ex inſtitutione humana, reſpondit, *Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus qui me miſit: qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam mittentis ſe, hic verax eſt, & injuſtitia in ipſo non eſt*; quæ Prophetæ iſtius ratio. Matt. 11: 2. &c. Johanne ſatisfacturo ſuos diſcipulis, quod non ipſe, ſed Jeſus eſſet Meſſias, eos ad Jeſum miſit, cum hac quæſtione, *Tune es venturus ille? an exſpectabimus alium?* at Jeſus cum opera ſua & miracula intueri jubet, tum doctrinam: *pauperes euangelizantur, & beatus, qui in me non offenditur.* Venturus in nomine patris, non potuit venire niſi cum doctrina patris. Joh. 5: 43.

b. Accepta referet Iſraeli: *Loquetur ad ipſos, quicquid illi præcepi.* Eſa. 50: 4. *Deus Dominus dedit mihi linguam eruditorum ut ſciam loqui feſſis tempore oportuno: excitat quovis mane, excitat mihi aurem, ut audiam uti qui docetur. Deus Dominus aperuit mihi aurem & non ſum refractarius.* Moſes quando primum vocabatur ad munus ſuum, declinavit Exod. 4. ſed quando internuncius fuit conſtitutus, omnia fideliſſime renunciavit. Deut. 6: 1. *Hæc ſunt præcepta, ſtatuta, judicia, quæ Dominus Deus veſter mandavit, ad docendum vos.* & ſic ſæpiſſime toto hoc libro & Num. 16: 28. Deum ſe miſiſſe dicit, neque quicquam ex proprio corde fuiſſe, Meſſias profitetur, Pſ. 40: 9. *Lex tua eſt in medio viſcerum meorum: Annuncio juſtitiam in cœtu magno, ecce labia mea non cohibeo, Domine tu noſti, juſtitiam tuam non tego in medio cordis mei, veritatem & ſalutem tuam eloquor, beneficentiam & fidem tuam, non celo in cœtu magno.* Quæ veriſſima habemus in Jeſu. Joh. 8: 26, 28. *Qui miſit me verax eſt, & quæ ab ipſo audivi, ea loquor in mundo. Quando exaltaveritis filium hominis, tunc intelligetis, quod ego ille ſim, & quod à me ipſo nihil agam, ſed hæc loquor, uti pater meus me docuit.* Joh. 12: 49. *Ego à meipſo non ſum locutus, ſed pater, qui me miſit, dedit mihi præceptum quid loqui, & quid dicere debeam: & novi præceptum ejus eſſe vitam æternam: Quæ ergo loquor, ſic loquor, ſicut pater mihi dixit.* Joh. 14: 10. *Verba quæ ad vos loquor, à me ipſo non loquor, ſed Pater qui in me manet facit opera iſta*, & verſ. 24. *Verbum quod auditis non eſt meum, ſed Patris qui me miſit.* Imo quæcunque per Spiritum S. docet, accepta refert. Ille quæ docuit Chriſtus docet Joh. 14: 26. *Paracletus Spiritus S. quem Pater mittet vobis in nomine meo*, ut meam Prophetiam porro exerceat, *docebit vos omnia, & recordari vos faciet omnium, quæ præcepi vobis*, & Joh. 16: 12. &c. *Multa adhuc habeo vobis dicenda, ſed nunc non poteſtis ea ferre.*

ferre. Sed cum venerit ille Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem; nam non à se ipso loquetur, sed quæ audiverit loquetur. Is me glorificabit: nam de meo sumet, & vobis annunciabit. Quicquid Pater habet, meum est; propterea dixi, de meo sumet & vobis annunciabit. Hinc discimus fidelitatem Jesu Prophetæ hujus. Moses fuit fidelis servus in tota domo Dei Num. 12: 7. nihil reticuit, dicendorum, nihil addidit, nihil mutavit. Multo magis fidelis Jesus, qui Doctor à Deo, viam Dei in veritate docuit, & neminem curavit Matt. 22: 16. quia à nemine convinci potuit Joh. 8: 48. ad hoc natus, & ad hoc venit in mundum, ut perhiberet testimonium veritati Joh. 18: 37. imo qui est ipsa veritas Joh. 14: 6. Hanc fidelitatem imitari debent, quicunque hypodidascali sunt sub Jesu: tum primi, Apostoli; Matt. 28: 19, 20. 1 Cor. 11: 23. cap. 15: 2. &c. 2 Cor. 5: 18. &c. tum cæteri inferiores 2 Tim. 2: 2. 1 Pet. 4: 10. & 2 Tim. 3: 15. &c. Hinc agnoscendi veri Prophetæ; hi tribuunt Deo gloriam, alii ab hominibus quærunt Joh. 5: 44. Etiam nunc valet Esa. 8: 20.

Quid autem aliud hinc concludendum quam quod Moses vers. 15. dixerat, *hunc audietis.* Quem vos voluistis internuncium, me nempe, non potestis declinare: sed etiam admittendus est, quem in eodem munere Deus constituet, post me, & loco mei. De se dicit Deut. 4: 12. *Nunc ergo Israel audi statuta & judicia, quæ vos doceo ad faciendum. Ad verbum quod vobis præcipio non addetis, neque inde demetis, ut custodiatis præcepta Domini Dei vestri, quæ vobis præcipio.* Dei præcepta vocat, quæ dicit: quia inde accepta. De Messiâ Judæi, *credendum verbis ejus, ut Decalogo:* quia scil. Dei verba utraque, quæ ipsemet, quæque Propheta loquitur. Non minor debetur audientia internuncio filio, quam internuncio domus magistro, servo tamen. Moses ut sibi Legati fidem pararet apud Israelem, voluit erudiri de nomine Dei, & instrui signis quibusdam: & audivit nomen *Ehje*, Deus patrum Abraham, Isaac & Jacob item signa quædam Exod. 3. & 4. Ast insuper Deus ut conciliaret audientiam Mosi, cum ipso locutus est, populo inspectante, Exod. 19: 9. Dominus ad Mosen dixit. *Ecce veniam ad te in nube densa, ut audiat populus quando tecum loquar ut in æternum in te credant.* Post etiam eum viderunt ingredientem in densam nubem. Exod. 24. & inde redeuntem glorificatâ facie, ut intueri fulgorem illum non possent, sed velo deberet faciem tegere. Jesus Nazarenus non minoribus testimoniis demonstratum dedit suum munus. Non unum duntaxat nomen Dei, sed quicquid ejus scire necesse est. Joh. 1: 18. Matt. 11: 27. Joh. 17: 3. &c. *Ego glorificavi te in terrâ, manifestavi nomen tuum hominibus, quos mihi dedisti de mundo.* Signa & prodigia fecit maxima. Joh. 10: 37. &c. *Si non facio opera Patris mei, ne credite mihi. Sed si facio & mihi non creditis, credite operibus, ut agnoscatis & credatis Patrem in me esse, & me in ipso.* Joh. 15: 24. *Si inter ipsos non fecissem opera quæ nemo fecit, postquam ad ipsos locutus sui, non haberent peccatum.* Imo Deus ipse locutus est de ipso cœlitus, ut crederent. Cum baptizaretur à Johanne Matt. 3: 17. addito signo immanentis Spiritus Joh. 1: 32. &c. & rursum Matt. 17: 5. cum glorificaretur in monte, inspectantibus Mose & Elia, nec non Petro, Jacobo & Johanne, addito mandato, *hunc audite.* Unde Joh 5: 36, 37. Joh: 5: 36. *Habeo testimonium majus Johanne; nam opera quæ mihi Pater dedit ut consummem, illa opera quæ facio testantur de me, quod me Pater miserit.* Et Pater qui me misit, ipsemet de me testatus est; addit tamen, non audivistis unquam ejus vocem, neque vidistis ipsius speciem. Scil. quia id olim deprecati erant, adeo ut gratiæ foret non audire; ne rursum percellerentur terrore, ut olim; & quemadmodum discipuli spectatores fuerunt, Matt. 17: 6. Discipuli istud audientes ceciderunt in faciem, & vehementer perterriti fuerunt, adeo ut Jesus accedens eos tangeret, diceretque, *surgite ne timete*: quomodo Moses territos Israelitas animavit Exod. 20: 20. Et hi fuere testes 2 Pet. 1: 16. &c. *Non arte compositas fabulas secuti sumus, quando vobis indicavimus virtutem & adventum D. N. Jesu Christi, sed spectatores fuimus majestatis ipsius, Nam a Deo Patre accepit honorem & gloriam, cum vox ejusmodi à magnificâ gloria ad ipsum deferretur. Hic est filius &c. & hanc vocem audivimus cum de cœlo deferretur, quando cum ipso fuimus in monte sancto. Et habemus firmiorem sermonem propheticum* &c. In illo monte consecutus est fulgorem faciei majorem quam Moses, ut Sol, & vestes ut lux. Matt. 17: 3. & quamvis sic non manserit, alia ei fuit gloria, quam velo carnis texit, cujus quandoque radios emisit Joh. 1: 14. Mirandum ergo Judæos, ad quos venit, & ad quos solos missus fuit, heic refragratos esse. Joh. 9: 28. &c. Pharisæi dicunt cœco nato. *Nos sumus Mosis discipuli, Novimus Deum Mosi locutum esse, sed de hoc non novimus unde sit.* Quem tamen cœcus ille ex miraculo inaudito, in se præstito, ex Deo esse demonstrat; *qui si à Deo non esset, nihil facere posset.* Ne signo quidem crediderunt, cui etiam sine signo fuisset credendum, & hinc magis sunt obdurati, Joh. 12: 37. &c. quamvis *tot signa fecisset ante ipsorum oculos, non crediderunt in ipsum ut impleretur verbum Esaiæ* cap. 53: 1. *propterea non potuerunt credere, quia rursum dixit* Esa. 6: 9. Haud imitemur Judæos, sed habentes testimonium Mosis, & Dei ipsius, & Apostolorum qui Deum loquentem audiverunt, credamus & audiamus. Ipsa illa doctrina quam affert, digna est recipi, habet verba vitæ æternæ: & *ab omnibus a quibus Judæi non potuerunt justificari per legem Mosis, per hunc credens quivis justificatur.* Act. 13: 39. Paulus ibidem ad Judæos subjungit. *Videte ergo ne vobis supervenirat, quod dictum est in prophetis. Videte contemtores; & miramini, & evanescite, nam opus operor in diebus vestris opus, quod non credetis, si quis recitavit,* Et hoc est quod sequitur in textu.

Vers. 19. *Erit autem, ut quisquis non auscultaverit verbis meis quæ loquuturus est in nomine meo, ego reposcam ab illo.*

c. *Autoritas muneris* vers. 19. ex ultione contemtus. *Et fiet, vir ille, qui non audierit ad verba mea, quæ in nomine meo loquetur, Ego requiram ab ipso.* Peccatum est non audire ad credendum & obediendum, verba non ipsiusmet propria, sic non ageret internuncium, sed mea, quæ loquetur, non suam, sed meam autoritatem præfatus, in nomine meo. Peccans est איש *vir*, tum *quivis*, generaliter, tum specialiter, *magnus*, qui aliquid est coram hominibus, sapientia & munere, quod non minuit, sed aggravat delictum. Ultor, non ipse, vindex sui, sed *Ego*, qui eum constitui, *requiram* מעמו *ab ipso*, ut quicquid ejus est, sub ultionem veniat. Non potest quid dici gravius. Requirere illud Dei, innuit gravissimam pœnam. Gen. 9: 5. *Sanguinem hominis requiram à manu feræ, à manu hominis* 2 Chron. 24: 22. *Dominus videbit & quæret*; requiret; ulciscetur. Ps. 10: 13. impius de Deo ait, *Non requires.* Ergo *Ultio Dei manet Christum prophetam non audientes Israelitas.* Esa. 50: 1, 2. Haud opus aliò ire quam ad complementum, Jesus ubique testatus est, non sua esse, sed mittentis sui verba, non se quærere gloriam propriam sed mittentis se Patris, & tamen non auditus est non solum à vulgo, sed inprimis à viris; Joh. 7: 48. &c. *an quis principum in ipsum credidit, aut Pharisæorum? sed turba* &c. Hi decerunt decretum, ut si quis ipsum profiteretur ἀποσυνάγωγος foret Joh. 9: 22. Et tamen Christus ipse ultus non est Luc. 10: 16. Joh. 5: 45. &c. ne putate quod vos accusaturus sim apud Patrem, qui vos accusat Moses est, in quem speraſtis: nam si Mosi crederetis, crederetis mihi, quia de me scripsit. Joh. 12: 47. &c. *Si quis audierit verba mea & non crediderit, ego non judico ipsum; habet qui eum judicat; Verbum quod locutus sum eum judicabit.* Joh. 8: 24. Nemo id gravius exsecutus est quam Paulus ad Hebræos, ex hoc capite eis persuasurus fidem Prophetæ Christi, & audientiam ejus. Heb. 1: 1. Filius ergo est ultimus ille Propheta. Heb. 2: 1. &c. Heb. 3: 1. &c. & vers. 7. &c. *Propterea ut dicit Spiritus Sanctus. Hodie cum vocem ejus audiveritis* &c. qui vocem Dei per Mosen non audiverunt credendo, excluti requie sunt Cananææ, Dei jurejurando, quid non fiet Christum aversantibus? Heb. 10: 28. &c. *Irritam faciens legem Mosis moritur citra misericordiam sub duobus aut tribus testibus, qui filium Dei conculcarit. Nam novimus eum qui dixit, mea est ultio* &c. *terribile est incidere* &c. Heb. 12: 25. Nam Deus noster est ignis consumens. Sed hæc omnia sunt minæ duntaxat. Ultio ipsa secuta est, & tanta ut audientis ambæ aures tinniant. Noluerunt Christum audire, imo persecuti sunt, & abnegarunt, & Pilati

manu crucifixerunt; & doctrinam ejus per Apoſtolos prædicatam pariter perſecuti ſunt, 1 Theſſ. 2: 13. &c. *Judæi necarunt Chriſtum, & perſequuntur nos, & impediunt nos ne loquamur ad gentes ut ſalvæ fiant, ut ſemper implerent peccata ſua, & ira venit ſuper eos ad extremum*; nunc effundenda menſura maxima. Ira illa quæ inſtabat, fuit deletio Hieroſolymæ, templi, cultus, politiæ, & poſt internecionem multarum myriadum, diſperſio per univerſam terram, adeo ut Dominus percuſſerit terram anathemate Mal. 4. verſ. ult. ut habitatio ipſorum ſit relicta deſerta quia noluerunt voce Chriſti glocitantis congregari Matt. 23:36. &c. *Tempeſtas Domini, indignatio; egreſſa eſt, tempeſtas dolorifica & permanens, quæ manet ſuper capite impiorum* (non credentium Chriſto Joh. 3:36. *cujus indignationis æſtus non avertit ſe, nec averſurus eſt, donec Deus cogitationes ſuas* (de plenitudine Gentium introducenda Rom. 11: 23.) *fecerit* Jer. 30: 23, 24. ſpeciatim immiſſa eſt propter Prophetas Hieroſolymæ Jer. 23: 19. & propter hos interpretes Deus Jacobum tradidit in anathema & Iſraelem in opprobria Eſa. 43. verſ. ult. quemadmodum eſt in hunc uſque diem. Neglectus Moſis interpretis Dei primi exilium 70 annorum Judæis attulit; aſt neglectus Chriſti, qui ſecundus ille, exilium 1600 annorum, neque adhuc finis eſt. Quantopere id nos debet terrere ne incidamus in idem exemplum infidelitatis, & ultionis. Neque enim gentibus, impune erit hic peccaſſe. Eccleſiis Aſiæ neglecturis cuſtodiam verbi Chriſti uti acceperant, denunciata remotio candelabri, pugna gladio oris, & improviſa calamitas. Apoc. 2. & 3. & quid factum ſit, conſtat. Ubi ſunt illæ Eccleſiæ Gentilium, quibus ipſi Apoſtoli prædicarunt ſuo ore? Neque nos meliores illis. Zach. 1: 5, *Patres veſtri ubi ſunt? & Prophetæ num vivent in æternum? attamen verba mea & ſtatuta, quæ præceperam meis Prophetis, annon patres veſtros attigerunt?* Luc. 13: 6. *Si non reſipueritis, omnes pariter peribitis.* Imo non tantum temporales calamitates metuentuendæ, quales Judæi ſentiunt, ut deſtruatur terra, ejiciamur patria, diſpergendi inter peregrinos & hoſtes, Verbum Dei, Euangelium ſalutis à nobis auferatur, & detur genti fructus daturæ meliores: imo, immittatur efficacia erroris ad credendum mendacio, pro eo quod amorem veritatis non acceperimus, ad ſalutem, & condemnemur qui veritati non credidimus, ſed placitum habuimus in injuſtitia 2 Theſſ. 2: 10. &c. ſed æternæ in manifeſtatione Domini Jeſu de cœlo, cum angelis roboris ſui, cum igne flammante ultionem exercituri ſuper omnes qui Deum non norunt, & Euangelio DN Jeſu Chriſti non ſunt obedientes, qui pœnam &c. cap. 1: 7. &c. Caveamus ergo & audiamus, atque obtemperemus. Tantum boni quantum alias mali, exſpectandum erit. Exod. 23: 22. *Si vocem ejus Angeli* Meſſiæ, *audiendo audieritis & feceritis quæ ego loquar*, quia ille Dei verba loquitur, *ero hoſtium tuorum hoſtis*, &c. Quotquot hoſtes habemus ſive corporales, ſive ſpirituales, Deus iiſdem hoſtis erit; qui ſemper vincit, quandocunque vult, licet ſubinde diu indulgeat, ſanctificans eos ad diem majoris mactationis. Et ſi Deus pro nobis, quis contra nos? nihil nos ſeparabit à Deo. Erit etiam cum cædimur, cum occidimur, plus quam victores per eum qui dilexit nos Chriſtum Rom. 8: 31. Denique quando manifeſtabitur de cœlo cum Angelis ſui roboris, veniet ut glorificetur in Sanctis ſuis, & mirabilis ſit in iis omnibus qui crediderunt, recepto teſtimonio ipſius per Apoſtolos nobis prædicato 2 Theſſ. 1: 10. &c. Precamur itaque Deum, qui dignatus eſt nos ſua vocatione per Euangelium, ut impleat in nobis omne beneplacitum ſuæ bonitatis, & opus fidei cum efficaciâ, ut nomen D. N. Jeſu Chriſti glorificetur in nobis, & nos in ipſo, ſecundum gratiam Dei noſtri & Domini Jeſu Chriſti.

Verſ. 20. *Verumtamen Propheta ille, qui ſibi arrogarit eloqui aliquid in nomine meo quod non præcepero ei eloqui, aut qui eloquetur in nomine Deorum alienorum, omnino morietur propheta ille.*

IV. Conqueritur Apoſtolus Paulus 2 Cor. 11: 13. &c. de Pſeudoapoſtolis, qui cum ſint doloſi operarii, ſe tamen transfigurant in Apoſtolos Chriſti. Sunt hoſtes Chriſti, & cum ille veritatis magiſter ſit, ipſi vero mendacium doceant, tamen & nomen Apoſtolorum Chriſti mentiuntur, & munus ipſorum. Addit autem, Neque id mirum; ipſe etiam Satanas ſe transfigurat in Angelum lucis Quod Pſeudoapoſtoli agunt prior ipſis egit Satanas; ſumit faciem ſuæ prorſus contrariam: cum ſit princeps tenebrarum hujus ſeculi, ſe lucis angelum ſimulat, & cum à Deo abducere propoſitum habeat, æſtimium erga Deum crepat. Sic egit cum Chriſto Matt. 4. Luc. 4. Si filius Dei, qui eſuris, jube lapides mutari in panes. Deus non vult filium ſuum fame torqueri. Rurſum: Præcipitem te da de pinnaculo templi. Angelis tui cuſtodiam demandabit, quod piis pollicitus eſt. Mihi data ſunt regna terræ; poſſum de meo dare; dabo autem ſi me adoraveris. Sic quoque Pſeudoapoſtoli qui revera Diaboli Apoſtoli ſunt, mentiuntur ſe Chriſti eſſe Apoſtolos, nihil ergo magnum ſi etiam miniſtri ejus ſe mutent in miniſtros juſtitiæ; cum tamen ſint ſervi corruptionis. adeoque magna cautione opus, ne decipiamur; Apoſtoli de eo monuerunt in Novo Teſtamento & Prophetæ in Veteri Teſtamento quin etiam tunc Pſeudoprophetæ fuerunt. 2 Pet. 2: 1. *Quemadmodum etiam inter vos erunt*, Primus qui de iis monuit fuit Moſes. Totum hoc caput de hoc argumento agit. Quum initio de legitimis doctoribus egiſſet, mox cautionem addit, ne divinos & futurorum ſcientiam venditantes conſulant. Tum præter ſe, cujus doctrinam cæteri Prophetæ tenebantur profiteri, alium excitandum dixit, ſibi ſimilem, pari obſequio excipiendum, neque ullum poſtea exſpectandum alium, mox ſubjungit, ne alii aures præbeant; & contra omnes aſſeverationes contrarias inſtruit: quandoquidem ſurrecturi erant ſub prætextu quoque venturi Prophetæ, qui decipere ſtuderent. Duo itaque agit, I. deſcribit Pſeudoprophetam ejuſque pœnam, II. Inſtruit auditores de eo agnoſcendo.

A. *Pſeudopropheta deſcribitur* verſ. 20. Ultimus ille magnus Propheta verus eſt; eoque attente & obedienter audiendus, ultione divina refractarium perditurâ, at falſus Propheta divinam ultionem experietur ipſe, neque cuiquam audiendus, ſed cavendus eſt.

Circa Pſeudoprophetam obſervandum I. peccatum ejus, II. aggravatio ejus, III. pœna.

B. *Peccatum* geminum eſt.

a. *Loqui verbum in nomine Dei, quod ipſe non mandavit.* Propheta eſt internuncius, legatus alterius, qui verba aliùs excipit, atque hujus juſſu aliis renunciat, Jam evidens eſt debere iſtum ea ſolum proloqui, quæ dicenda accepit: quod ſi legantis nomen prætexat, & non hujus, ſed alia verba indicet; ſive propriæ inventionis, ſive aliena, mendax eſt & impoſtor. Hujuſmodi deſcribuntur potiſſimum à Jeremia & Ezekiele. Jer. 6: 13. cap. 8: 10. *A Sacerdote uſque ad Prophetam quiſque falſitatem committit, & ſanant fracturam populi leviter, dicentes pax* &c. Jer. 14: 14. Dominus de iſtis: *Prophetæ prophetant falſum in nomine meo; non miſi ipſos, neque mandavi ipſis, neque locutus ſum ipſis prophetant vobis viſionem falſam & divinationem, & nullitatem & deceptionem cordis ſui.* Jer. 23: 25. &c. *audivi quid dicant Prophetæ, qui in nomine meo mendacia Prophetant dicendo, ſomniavi, ſomniavi; cum ſint Prophetæ deceptionis cordis ſui: qui linguam ſuam adhibent dicendo χρησμοὺς qui falſa ſomnia prophetant, cum non miſerim, nec mandarim, neque profint populo.* Ezek. 13: 2. *Prophetæ Iſraelis, qui ex corde ſuo prophetant, & ambulant pone Spiritum ſuum; & quod non viderunt. Vident vanitatem & mendacem prædictionem, dicentes Dominus locutus eſt, cum Dominus eos non miſerit*, cujuſmodi etiam inter mulieres reperiebantur. Hebræi huc quoque referunt, qui Dei miſſionem prætendunt, licet nihil addunt vel demant de ejus verbis, qui mentiuntur viſionem extraordinariam, vel quod alii revelatum eſt, ſibi id dicunt patefactum. Quicquid Deo adſcribitur, cum ab ipſo non fuerit acceptum. Ut Samaritanus ille 1 Reg. 13. qui Prophetæ ex Judæ mentiebatur mandatum reducendi ipſum & cibandi, ut illi qui vel conducti pretio prophetabant Neh. 6: 12. &c. vel alias pro pecunia divinabant, Mich. 3: 5, 11. cap. 2: 11. pro vino & ſicera. Sic Rom. 15: 18. *qui non ſerviunt D. N. Jeſu Chriſto ſed ventri, & ſeducunt blandiloquentia & laude cordæ ſimplicium.* Sic Hananja Jer. 28. Achaz & Zedekia, qui *loquebantur verbum falſo in nomine meo, cum non mandaſſem, & ego ſum*

qui

qui novi, & ſum teſtis, inquit Dominus. Jer. 29. verſ. 21. *b. Qui loquuntur in nomine Deorum aliorum.* Aliûs præterquam Dei autoritatem prætexentes. Jer. 2: 1. *Prophetæ prophetant per Baalem, & ambulant in iis quæ non proſunt.* cap. 23: 13. Sunt autem dii iſti alii, quicunque autoritatem conſequuntur Deo parem vel majorem, ut ipſorum verbis poſcatur obſequium. Deut. 32: 21. per non Deos ſe ad æmulationem provocatum dicit, & propterea per non populum ſe Iſraelem ad æmulationem provocaturum. Hoc fecit quando gentes vocatæ ſunt per Euangelium ad Chriſtum Rom. 10: 19. atqui tunc alieniſſimi fuerunt ab externa idolatria. Verum erant mancipati traditionibus hominum, & cultus Dei ab horum autoritate pendebat. Eſa. 29: 13. Matt. 15. verſ. 3, 6. Huc pertinet Joh. 5. verſ. 43. &c. *veni in nomine patris, mei & me non recipietis: ſi quis venerit in nomine proprio illum recipietis: quomodo poteſtis credere* &c. Quam grave hoc ſit peccatum, docet verbum זיד *propheta qui ſuperbe egerit.* Sic deſignantur maxima peccata Pſal. 19: 14. *à ſuperbiis cohibe* &c. Hæc ſuperbia evidens, mentiri ſe legatum Dei, ſive veri, ſive falſi, & hoc modo ſibi autoritatem conciliare. Magnus eſt honor legatorum ab hominibus principibus, & olim legatorum Dei (olim dico, nam hodie exiguus eſt, quia tales vix eſſe, creduntur,) adeo ut reges eis aſſurgerent; ut Eglon Ehudi Jud. 3: 20. Iſtum honorem affectabant nonnulli, & mentiebantur Dei miſſionem, ut Zedekia Knaanæ filius, qui Michæ alapam dedit dicens, *quâ viâ ſpiritus Domini à me tranſiit, ut tibi loqueretur.* Accedebat ſuperbia contra Deum; nam qui miſſionem Dei mentiebantur, alia proponebant, vel contraria mandatis Dei, vel quæ hinc abducerent. Jer. 23: 27. *Prophetæ mendaciorum, qui cogitant facere uti populus meus obliviſcatur nominis mei per ſomnia, quæ quiſque proximo ſuo recitant; uti patres ipſorum nominis mei obliti ſunt per Baalem: qui furantur verba mea quiſque à proximo ſuo.* Deſcriptos habemus ejuſmodi Jer. 8: 8, 9 *quid dicitis, ſapientes ſumus* &c. Intoleranda ſuperbia eſt, verba hominum non æquare ſolum, ſed præferre verbis Dei, & promittere pacem, quando ex placito hominum fides & vita inſtituitur. Jer. 23: 14. deſcribitur iſta ratio: *A prophetis Hieroſolymæ egreſſa eſt hypocriſis per univerſam terram; vanos faciunt vos, loquuntur viſionem cordis ſui, non ex ore Domini; dicunt jugiter Dominus dixit, habebitis pacem; nam quis ſtetit in conſilio Domini, & vidit vel audivit verbum ejus? quis verbum ejus obſervavit, vel audivit?* adeoque in autoritatem prophetarum Hieroſolymæ reſolvebatur veritas; quia extraordinariæ revelationes deerant, hanc ſibi, ſuperbe arrogabant autoritatem. Uti Phariſæi imponebant onera hominibus graviſſima, auferebant clavem cognitionis, & excludebant homines regno cœlorum. Luc. 11. verſ. 25. Matt. 23.

2. *Pœna* eſt, *Morietur propheta ille.* Judæi dicunt per manum Synedrii, cujus fuit judicium de falſo propheta, ut convictum ſtrangularent, qui ſi idololatriam ſuaſiſſet lapidandus erat. Deut. 13. cap. Hinc Luc. 13: 33. non contingit prophetam mori extra Hieroſolymam, ubi judicium illud exercebatur; ſed ſæpiſſime contra veros. Textus ait ſimpliciter *morietur*; tametſi hominum ultio ceſſet, non evadet tamen. Jer. 23: 30. vice tertiâ. Jer. 14: 15. prophetæ *qui prophetant in nomine meo, cum eos non miſerim, gladio & fame conſumentur.* Ezek. 14: 9. *manum meam contra ipſum extendam, & perdam è medio populi mei Iſraelis.* Ezek. 13: 8, 9. *Sic ait Deus Dominus, quia loquimini vanitatem, & videtis mendacium; propterea, ecce, contra vos, inquit Deus Dominus & manus mea erit contra Prophetas, qui vident vanitatem, & prædicunt mendacium; non erunt in congregatione populi mei, & in Scriptura domus Iſraelis non ſcribentur, & in terram Iſraelis non venient & ſcietis quod ego ſum Deus Dominus.*

Obſervandum hic Matt. 24: 23. ſi quis tunc &c. *Surgent Pſeudo-Chriſti, & Pſeudo-Prophetæ, patratis ſignis & miraculis, ad ſeducendum etiam, ſi fieri poſſet electos; Ecce prædixi vobis.*

Prædixit jam poſt Meſſiæ adventum tales Prophetas ſurrecturos, qui ſe venditent pro Chriſto, ejuſque prophetis. Et ſane, quemadmodum poſt cautionem de divinis & magis, monuit de Chriſto venturo & audiendo, ne ceu divinum ejuſmodi aſpernarentur: ſic poſt deſcriptionem Meſſiæ, & ejus commendatam obedientiam, monuit de propheta ſuperbo, ne illi fides haberetur. Loquitur ſingulariter, ut merito credamus deſignaſſe unum illum prophetam, poſt Chriſtum ſurrecturum, & ſe illi ſuperbe oppoſiturum. Anti-Chriſtum dico, cujus deſcriptionem fecit accuratiſſimam. Conferatur 2 Theſſ. 2. Poſt deſcriptum Prophetæ Meſſiæ adventum & poſtulatam ejus receptionem, ſollicite admodum de cavendo propheta ſuperbo monet; nam ſic innumeri erant ſeducendi. Sic venturam dicit Apoſtolus *apoſtaſiam, quando revelaretur homo peccati, filius perditionis: opponens ſe & exaltans ſuper omne id quod vocatur Deus, & honoratur, adeo ut ſedeat in templo Dei ut Deus, ſeque exhibeat ceu Deum.* Poteſtne major eſſe ſuperbia? Babel vocatur ſuperbia in abſtracto Jer. 50: 31. & uti Babelis nomen, ſic etiam hoc epitheton ei convenit. Papa Rom. eſt, cujus iſta ſuperbia, ut nequeat negari. Non dicam de oſculis pedum & adorationibus populi ſolùm, deque adulatoriis vocibus, (qualis illa ad Herodem Act. 12: 22. quam audiviſſe, neque repudiaſſe: criminoſum fecit,) quæ Deum, & vicedeum proclamant: ſed de ſolemniſſimo actu, tum electionis per adorationem, tum electi, quem primum in ſacello conclavis, deinde in æde Petri collocant ſuper altare, in quo alias panaceus Deus offertur, atque ibi ſedens non ab imperita plebe tantum, ſed ab ipſis Cardinalibus & Prælatis adoratur. Nonne ſe vere profitetur Anti-Chriſtum, qui quem locum ſuo Chriſto tribuit Eccleſia Rom. vice ejus occupat, & quæ illi debetur adoratio eam conſequitur. Sed inſuper ſuperbiæ, documenta dat, quæ textus habet, I. loquitur in nomine Domini, quæ ille non mandavit vicarium ſe dicit Dei & Chriſti, atque horum juſſu omnia jubere & proloqui. Et tamen vi hujus poteſtatis ſibi ſumit poteſtatem definiendi contra Euangelium, condendi articulos fidei, Sacramentorum numerum augendi: novos Deus faciendi, qui adorentur, quemadmodum nuperrime adhuc numerum illum auxit; claudit & aperit cœlum & infernum, & quod fingit purgatorium; facit peccata quæ non ſunt, carnium eſum certis temporibus, matrimonium ſacerdotum & votivorum, &c. & quæ ſunt reatu ſolvit; ſolvit obedientia liberos in votis, matrimoniis ſubditos erga magiſtratus hæreticos, &c. Indulgentias fingit, & vendit, & eas nomine Dei valere pronunciat, & infinitas condit leges, æquatas Scripturæ; imo has autoritatem à ſuo decreto ſumumque conſequi pronunciat: quorum nihil Deus dixit, aut mandavit, adeo ut legationis nullum ſit documentum. II. Loquitur nomine Deorum aliorum, quæcunque angelorum, ſanctorum demortuorum, viſionum, ſomniorum revelatione venditantur, quæcunque Patrum, Conciliorum, Decretorum papalium autoritate imperantur: quæcunque inſtituta ſuperſtitioſorum hominum ſalutis meritoria & ſanctitudinis ſuperrogatoria declarantur. Infinita iſta ſunt, de quibus Apoſtolus, quod ejus adventus ſit ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & miraculis mendacii, & in omni deceptione injuſtitiæ, ut faſtidita veritate credatur mendacio, & placeat injuſtitia: faciens ut beſtia, & imago ejus adoretur, ut characterem ejus accipiant, & qui illum nolunt recipere diriſſimas perſecutiones debeant ſubire. Incipiebat jam tum myſterium iſtud iniquitatis parari, ſed ſuo tempore injuſtus ille fuit revelandus, qui totam terram Eccleſiæ propemodum ſeduxit, & poculo ſuæ impuritatis & abominationum inebriavit populos & nationes. De cujus pœna Apoſtolus, *Dominum eum perditurum ſpiritu oris ſui, & aboliturum illuſtri adventu ſuo*: & Eſa. 11: 4. *necaturum impium illum halitu labiorum ſuorum.* Etenim occiſio ejus ab hominibus non ſperata videtur, cum incolæ terræ inebriati ſint vino ſcortationum ejus, & reges terræ vires ſuas & robur illi tradiderint, & pro illo militent. A Deo exſpectanda eſt deſtructio ejus, & à Chriſto. Equidem Muhamet quoque magnus Propheta eſt, ſuperbiſſimus, qui nomine Dei ſe locutum dixit, ſed non loco Chriſti, verum poſt illum, & illo majorem; cum tamen nullus poſt eum detur: aſt Papa Rom. loco Chriſti ſe conſtituit; & ubique Chriſtum jactat, hic & ecce hîc; cum nihil ejus præter nomen retineat. Utinam id omnes animadverterent, utique ab hoc non paterentur ſe ſeduci. Et ſuperbia ejus, & ſuperbiæ effecta ſufficiunt ad convictionem, niſi efficacia erroris dementaſſet, ut mendacium veritati anteferrent: quibus pars erit in judicio prophetæ hujus, Apoc. 14: 9. ſi quis adorat beſtiam & imaginem ejus, & characterem ejus accipit in fronte aut manu,

ille quoque bibet de vino iræ Dei, quod merum infunditur in poculum iræ ejus, & torquebitur igne & ſulphure, coram S. Angelis & agno; & fumus tormenti ipſorum adſcendit in omnem æternitatem. Hic eſt patientia ſanctorum: hic ſunt qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Jeſu.

Verum generaliter. *Cavendum ne propheta vel in nomine Dei loquatur non mandata, vel loquatur in nomine aliorum Deorum.* Superbia huc movere ſolet, ut ſibi credi velint quia veterani ſunt, quia gloriam conſequuntur ab hominibus, quam vita chariorem habent, hanc potius ſibi ereptam volentes quam ut gloria ſibi pereat. Prophetæ gloriæ, & ſuperbiæ. Sed grave eſt ſibi ſumere autoritatem Dei, aut mentiri legationem Dei, quam non accepit: vel alium Deum velle ut legatio ſua æſtimetur; quando hominibus pluribus aut paucioribus defertur jus definiendi quid credendum ſit, quamvis forſan perſuadeatur hominibus ad tempus, Deus non patitur ſe irrideri. Mentitus Legationem regis terreni, aut mandata ejus pro lubitu mutans, vel ab ejus hoſte ea accipiens, ſiquidem rex ille poſſit, non fert impune. Quanto minus feret quis impune à Rege regum Deo. Faciendum quod Apoſtoli egerunt 2 Cor. 5: 18. & quod dicitur Jer. 23: 22. *ſi prophetæ ſteriſſent* &c. nequaquam autem velint vel furto ſubducere verbum Dei, vel iſtius oblivium inducere; adeoque ex verſ. 28. *Propheta apud quem ſomnium eſt, recitet ſomnium, & penes quem verbum meum eſt loquatur verbum meum vere, quid paleæ cum tritico,* inquit Dominus: In palea forte granum reperitur, ſed incertum eſt, & rarum. Et ſub ſpe iſtâ, adhibetur quæſita eruditio exotica, quæ ſervit ad lateres Ægyptiacæ ſtructuræ parandos: Amos. 8: 6. *qui paleam pro tritico vendunt.* Deus jurat ſe non obliturum operum iſtorum. Verum verbum Dei eſt puriſſimum triticum; nihil iſtic quod non nutrimentum bonum ferat. Eoque qui loquitur loquatur ut eloquia Dei; quantum hujus, tantum Dei loquentis: cætera ſunt hominum, de quibus nihil ſecuritatis eſſe poteſt. 1 Cor. 2: 5. Joh. 5: 44. Verbum Dei eſt potentia Dei ad ſalutem, & operatur in credentibus: quod de humano non valet. Hinc Paulus 2 Cor. 2: 17. *Non cauperamur verbum Dei,* &c. cap. 4. verſ. 1, 2.

Verſ. 21. *Quod ſi dicas cum animo tuo, quomodo cognoſcemus verbum illud quod non eloquutus fuerit Jehova?*

Verſ. 22. *Quod fuerit loquutus ille Propheta in nomine Jehovæ, ſi non erit illud verbum, neque evenerit, hoc illud eſt verbum quod non eloquutus eſt Jehova: ſuperbè eloquutus illud eſt propheta ille, ne timeto ab eo.*

B. Subjungitur *Inſtitutio* de prophetiis dignoſcendis ubi,

א. *Sollicitudo* verſ. 21. *Si dixeris in corde tuo; unde agnoſcemus verbum quod Dominus non locutus eſt.* Sollicitudo iſta laudabilis eſt, ne quis decipiatur. Non recipitur Legatus, quin fidem fecerit ſuæ miſſionis, exhibet literas fidei, antequam audiatur. Eſt itaque etiam hîc, & quidem multò magis exploratione opus. 1 Joh. 4: 1. *nam multi falſi prophetæ egreſſi ſunt in mundum.* Exploratio autem nequit inſtitui, qualis legatorum aliorum, qui credentiales exhibent legantis. Nunc ſane certior nulla, quam examen ad inſtructionem. Eam Deus publicavit, ut in omnium ſit manibus. Verbum Dei ſcriptum; quod quivis ſibi familiare reddere debet; non ſolum legatus, ne aliud loquatur, ſed etiam ii ad quos veniunt, ut num bonæ fidei legati ſint, poſſint judicare: Non ſufficit judicium aliorum. Haud opus ut quivis de plebe norit Legati miſſionem: quia non ad plebem mittuntur, alioqui requireretur. Eſa. 36: 12. Sed hîc ad ſingulos mittuntur, & ſingulis conſtare debet. Pontificii interdicunt plebi lectione Scripturæ; ignorantes enim ſunt creduli, quia eos volunt decipere: & ſic quicunque populum à Scriptura abducunt, ut ſuis verbis credant, Recte Paulus Col. 3: 16. *Verbum Chriſti habitet in vobis* copioſe in omni ſapientia Act. 17: 11. 1 Theſſ. 5: 19. Sed ſigillatim 1 Joh. 4: 2. *Hinc agnoſcitis ſpiritum Dei; Omnis ſpiritus qui profitetur Jeſum Chriſtum veniſſe in carnem, is ex Deo eſt. Et omnis ſpiritus qui id non profitetur, non eſt ex Deo, ſed eſt Spiritus Anti-Chriſti, quem audiviſtis venturum & jam eſt in mundo.* Conſentit cum Moſe. Meſſias, qui eſt Jeſus Chriſtus, ultimus eſt maximuſque Propheta; qui eum ſic agnoſcit & profitetur, ex Deo eſt. Debuit enim venire in carnem, ex Iſraelitis, ut Moſes, verus homo à Deo miſſus ad hoc munus. Qui vero hoc non profitetur, ex Deo non eſt, ſed vere ſpiritus Anti-Chriſti: Nam hic ſibi ſumit jus doctrinæ ampliandæ præter & contra Chriſtum; eopſe quicquid etiam ore dicat, teſtatur, quod non ſit magnus ille & ultimus Propheta. Quomodo Papatus, & quicquid humanarum doctrinarum eſt, convincitur Anti-Chriſtianiſmi. Non habet ille Chriſtum pro Propheta iſto, qui adhuc præter verbum Chriſti in Scriptura verbum ſecundarium habet, prophetiam libitu hominum allatam. Qui nunc ſunt Prophetæ audiendi, à Chriſto accepiſſe debent, qui uti de cœlo deſcendit, ſic verba Dei loquitur, & hæc nomine ejus loqui, eſt ipſum profiteri prophetam illum in mundum venturum.

2. Sollicitudini ſatisfit indicando ſignum falſi Prophetæ. verſ. 22. Non loquitur de Propheta loquente in nomine falſorum Deorum; nam hujus falſitas manifeſta: ſed de eo qui nomen Dei jactat. Si non fiat, quod dixit, Deus ejus verbi autor non eſt. Eſt enim Deus veritatis, & veritas, & verbum ejus eſt veritatis & veritas: nequit mentiri. Num. 23: 14. Concluſio certiſſima eſt reſpectu Prophetæ, ſi dicat nomine Domini, quod Dominus non dixit, *utique ex ſuperbia locutus eſt:* auſus mentiri miſſionem juſſionemque Dei, & ſic ſe efferre ſuper hominum fidem & conſcientiam, & reſpectu auditorum, *non timebis ab ipſo.* Mendacium terrere non debet; quia utique nullus erit eventus. Verum antecedens dubium. Locuti ſunt Prophetæ veri, nomine Dei, & tamen non venit. Exemplo Jonæ, qui hinc declinavit munus. Reſtringunt ergo nonnulli ad prædictiones felicitatis: quia minæ per reſipiſcentiam tollantur, cujus conditio ſubintelligatur. Jer. 28: 8. *Prophetæ qui ante me & te fuerunt* &c. Sed etiam promiſſiones pacis conditionales ſunt. Jer. 18: 7. Conf. 1 Sam. 2: 30. Quidam putant hoc valere, quando duo Prophetæ contraria prædicunt, proſpera unus, alter adverſa, ex eventu id perſpectum iri, Exemplo Michæ & Zedekiæ 1 Reg. 22. Jeremiæ & Hananjæ Jer. 28. Alii Judæorum promiſſiones & comminationes excipiunt, quæ præmii & pœnæ rationem habent, & ab aliis pendent, intelligunt autem verba de ſignis vel prædictionibus rerum futurarum: quibus fides fiat prophetiæ; Moſen, Eliam, & alios ſigna edidiſſe; nonnullos tantum futura prædixiſſe, in quibus Deitatis eſt demonſtratio, quæ ſi non fiant, deprehendi mendacem.

Hoc modo ſufficienter contra Judæos demonſtratur veritas prophetiæ ſeu doctrinæ Chriſti. Habuit ille teſtimonium Moſis & prophetarum priorum; habuit ſigna & opera cujuſmodi nemo unquam, habuit prædictiones quæ impletæ ſunt, & quarum veritatem adhuc ſentiunt: adeo ut ipſi ſuperbiam nequeant objicere, & juſte ipſis exprobretur, quod ab eo non timuerint. Attamen videtur aliud ſignificari, quod illi ſuperbo conveniat. Agitur de verbo quod futurum dicitur, quoque metum ſibi conciliat, ſed quod non venit. Nuſquam illud verbum familiarius quam apud hominem peccati, ſuperbum illum antitheum. Quæcunque dicit dominatui ſerviens, ad terorem comparata ſunt: pœnas infernales, aut ſaltem in purgatorio, quas jugiter inculcant, ad terrendas conſcientias, & hinc auricularis confeſſionis neceſſitas exactiſſimæ particularitatis, ne quid maneat luendum, item hinc omnis illa officina abſolutionum, miſſarum, indulgentiarum, peregrinationum quæ magno labore, & argento potiſſimum acquiruntur. Ficta illa animarum tormenta, & ſolatia, quorum falſitas ſæpiſſime patuit; præterquam quod verbum Dei contrarium dicat. Hoc ait 1 Joh. 1: 7. *Sanguis* &c. aſt ille alia poſcit, ſane ex mera ſuperbia, qua ſe Deo præfert, & veriorem ſe illo credi vult, cum ſit mendaciſſimus. De qua falſitate cum conſtet, non debemus terreri ejus minis, excommunicationibus, damnationibus. Bruta ſunt illa fulmina. Quæ quo plura ille vibrat, eo magis probat ſuam ſuperbiam, & provocat Deum. Sæpius adhuc tales pronunciat contra nos, ne quid de faſtu remiſiſſe videatur, quo ſe magis cognoſcendum præbet, ne dubitemus eſſe Anti-Chriſtum. Verum nobis non timendum. Pſ. 56: 4. *In die quo timebo, tibi*

tibi confidam. In Deo verbum ejus laudabo; confido Domino non timebo, quid faciet mihi caro? verſ. 10. *hoc novi Deum mecum* &c. *In Deo celebrabo verbum. In Domino celebrabo verbum; confido in Deo, non timebo, quid faciet mihi homo.* Dicendum quod Pſ. 109: 28. *maledicant ipſi, ſed benedices tu; exſurgant ſed ut pudefiant: verum ut gaudeat ſervus tuus; imo laudemus Dominum ore noſtro, & in medio multorum celebremus ipſum, quia redemit nos à condemnantibus animam noſtram.* Adhæreamus Chriſto, & doctrinæ ejus, atque ut eo magis de veritate ejus confirmemur, ſtudeamus veræ pietati. Joh. 7: 17. *Si quis voluerit* &c. Emittet ille lucem & veritatem ſuam, ducetque nos ad montem ſanctitatis ſuæ & ſuam habitationem, atque adeo ad æternam felicitatem.

CAP. XIX.

HActenus Moſes, poſtquam quæ ad religionem faciebant, & amorem ac cultum Dei concernebant, exſecutus eſſet, egit de perſonis ſuperioribus in Politiâ & Eccleſia: & quid officii ipſis incumberet: Politicæ quidem ſunt Judices inferiores, Synedrium maximum, & Rex quoque, ſi eum habere contingeret: Eccleſiaſticæ autem Sacerdotes & Levitæ, & inprimis Meſſias, magnus ſeu univerſalis Propheta ac internuncius Dei alter, idemque ultimus: quem pro mago habendum non eſſe monuit, ut repudietur doctrina ejus monuit, quoque ne poſt ipſum alii iſtum honorem audientiæ deferendum ſtatuerent, quantumque territaret. de quo nuperrime diximus. Nunc progreditur ad alia mandata, & quidem quæ pertinent ad proximum Decalogi præceptum; ſextum videlicet, *Non occides*: de quo varia inculcat, de homicidio certo tum privato, tum publico: deque incerto: nec non de conſequentibus, vel antecedentibus occaſionibus. Etenim homicidium certum privatum cap. 19. ſpectatur, publicum in bello cap. 20. incertum cap. 21. conſequentia belli cap. 21. occaſiones antecedentes homicidii c p. 22: 1-8.

Verſ. 1. *Quum exſciderit Iehova Deus tuus gentes iſtas quarum terram Iehova Deus tuus dat tibi, ita ut hæres ſis earum, habiteſque in civitatibus earum, & in domibus earum.*

Verſ. 2. *Treis civitates ſeparato tibi, in medio terræ tuæ quam Iehova Deus tuus dat tibi ad poſſidendum eam jure hæreditario.*

Verſ. 3. *Parato tibi viam ad eas, quum tripertitus fueris terminum terræ tuæ quam poſſidendam tradiderit tibi Iehova Deus tuus: critque ut fugiat illuc omnis occiſor.*

I. De *homicidio privato* ſic loquitur, ut Innocentem & Nocentem deſcribat, & tum moneat de quibuſdam quæ affinia ſunt, & ad judicium faciunt.

A. *Primum* loquitur de *homicida innocente*, deſcribens loca ſecuritatis verſ. 1, 2, 3. homicidam innocentem verſ. 4, 5. Rationem ſecuritatis verſ. 6, 7. Locorum multiplicationem, verſ. 8, 9, 10.

א. *Loca ſecuritatis* quod attinet, indicat quando, & quomodo paranda.

a. *Quando*, verſ. 1. poſtquam occuparunt terram Canaan. Deſcriptio iſta frequens eſt, ſic inſtituta, ut non ſua virtute, ſed merâ bonitate Dei agnoſcerent, ſe terræ poſſeſſionem adeptos: Deus eſt qui ejecit hoſtes, qui Iſraelem eo collocavit, & quemadmodum liberi parta parataque à parentibus hæreditario titulo conſequuntur, ſic quoque ipſos in paratas urbes & domos collocatum iri, hæredes totius terræ. Hoc inculcatur Pſ. 44: 2. *O Deus, audivimus auribus noſtris, patres noſtri nobis narrarunt, opus operatus es, in diebus ipſorum, diebus antiquis. Gentes manu tua ejeciſti ex poſſeſſione, & ipſos plantaſti: populos malo affeciſti, & ipſos feciſti radices agere: neque enim terram hæreditarunt ſuo brachio* &c. ſic Pſ. 80: 9. Equidem legimus Iſraelitas bellum geſſiſſe; prælio victus eſt Sihon, victus Og; victi reges Canaan: quandoquidem bello ſe ſuaque tutari voluerunt: verum non armis propriis debuerunt victoriam, eam Deus confecit, ipſi ſolum victos à Deo necarunt, & exterminarunt. Etenim contra Sihon & Og Deus miſit crabrones Joſ. 24: 12. Jericho clangore ſubverſa eſt, alii grandine proſtrati ſunt Joſ. 10: 11. Et ſi quid ultra factum ab Iſraele. Deus dedit robur ad conſequendum facultates Deut. 8: 18. Quod nobis ſemper meditandum eſt, ne quando ſuperbiamus, quaſi manus noſtra exaltata fuerit, neque Deo omnia debeamus. Non quidem deſunt qui Dei benedictioni poſſeſſiones acquiſitas & auctas non debent: ſed Diabolo, injuſtitiæ, oppreſſioni: quamvis magna hypocriſi Deo adſcribant Zach. 11: 5. necantes, vendenteſque proximos, & dicentes, benedictus Deus &c. Etenim *benedictio Dei, ditat, ſed non addit moleſtiam.* Prov. 10: 22. aſt iſtis addit moleſtiam. 1 Tim. 6: 8, 9. veniunt eis divitiæ à Dei maledictione: qui impios facit radices agere, & fructum ferre, ſed ut ſaginentur ad diem mactationis, ad quem ſanctificantur Jer. 12: 2, 3. Agnoſcamus nobis omnia à Deo venire. Pſ. 127: 2. adeoque ſic utamur, ne qui dedit auferat. Pſ. 62: 11. *ne confidite oppreſſioni vel rapinæ: ne vaneſcite: facultates ſi accreſcant, ne apponite cor.* Sed verſ. 9. *confidite Domino ſemper, ô populo, effundite coram facie ejus cor veſtrum; Deus nobis refugium.*

Cæterum hæc circumſtantia temporis vel ſtrictius accipienda eſt, vel latius. *Strictius*, reſpectu trium urbium in Cananæâ: quas ſane ſegregare non potuerunt antequam terrâ potiti eſſent: latius, quæ Judæorum ſententia reſpectu ſex urbium. Harum tres Moſes delegerat Deut. 4: 41. &c. trans Jordanem, in terra Amoræorum, de tribu Ruben, Gad, & Manaſſe. Sed eas negant aſyli privilegium habuiſſe ante ſubactam Cananæam, & tres iſtic quoque conſtitutas. Atque id quidem certum eſt, plurimas conſtitutiones fuiſſe dilatas, donec terra Canaan fuiſſet occupata & diſtributa: quod & obtinuit de tribus urbibus iſtis: veruntamen nihil impedit, quo minus tres illæ à Moſe delectæ uſum ſuum habuerint: cum tribus duæ & media ſuas haberent poſſeſſiones, & hæc politica eſſet lex juxta cum aliis obſervanda. Homicida voluntarius debuit utique iſtic occidi; ergo & involuntaria frui licuit aſylis ordinatis.

b. *Quomodo*, continet numerum, Aditum, ſitum, & uſum.

a. *Numerus* eſt verſ. 2. tres erunt urbes, præter tres Moſis, adeoque in univerſum ſex, totidem ab utraque parte Jordanis Num. 35: 6, 13. Cum Deus fœderis conditiones proponeret, dixit Exod. 21: 12. *percutiens alium ut moriatur, necando necabitur: ſed qui non inſidiatus eſt, verum Deus fecit occurrere ipſi, conſtituam locum, quo fugiat: quod ſi ſuperbe egit cum proximo, ut ipſum necaret, à coram altari meo accipies eum ut moriatur.* Apparet altare fuiſſe aſyli loco: quemadmodum etiam Joab eo ſe recepit. 1 Reg. 2: 29. & iſtud imitati ſunt gentiles, qui altaria & templa hoc privilegio donarunt. Fuiſſet autem tunc abunde prælidii: Etenim altarium erigendorum facultas fuit omnibus, quemadmodum tempore patriarcharum Exod. 20: 24. adeo ut quo confugerent hoc caſu, ubique daretur locus. Sed quando ipſi fœdus inierunt propriis viribus præſtandum, quia convincendi erant impotentiæ & ducendi ad Chriſtum, Deus abrogatis privatis altaribus, unum duntaxat erigi voluit, nec terrenum, nec lapideum, ſed æneum, coram ſuo tabernaculo, ubi omnes hoſtiæ mactarentur. Sic vero non niſi unicum fuiſſet aſylum, & difficile ex totâ terrâ eo ſe recipere: potuiſſet fugiens facile intercipi, & perire. Itaque ordinantur urbes ſex. Fuerunt iſtæ de numero 48. urbium Leviticarum ut eſt Num. 35: 6. unde nonnulli arbitrati ſunt, illas omnes pari privilegio gaviſas eſſe; ſed iſtud textui non eſt conſentaneum: uti & quæ de ſitu dicuntur repugnant. Voluit Deus proſpectum homicidis: ſed tamen cum moleſtiâ proſpectum, ut torquerentur metu, ne inciderent in manus perſequentium, dum nondum attigerant locum, refugium ſuum. Pſ. 38: 29. *Iniquitatem meam indico, ſollicitus ſum de peccato meo.* Hæc fuit ratio fugientis eo. Et talis debet eſſe cujuſvis rei, qui aſylum quærit. Rom. 6: 23. Stipendium peccati mors: non ea quam homines inferre queunt, occidendo corpus, qui ultra non poſſunt; quam Chriſtus metuendam negat: ſed quam infert Deus, conjiciens animam & corpus in gehennam quæ metuenda Matt. 10: 28.

Hic metus meritò terret peccatores, ut tanto celerius & solicitius fugiant ad altare Domini, Christum Jesum, ad inveniendam securitatem; quam nemo consequitur, nisi qui in ipso repertus fuerit habens ejus justitiam per fidem Phil. 3: 8. &c.

b. Aditus, vers. 2. *Parabis tibi vias*, Quia Asyla fuerunt privilegium, ne illud inutile redderetur, siquidem difficilis foret aditus, id curandum fuit, ut viæ eò ferentes essent expeditæ; itaque singulis annis à summo magistratu mittebantur, qui itinera complanarent, remotis omnibus offendiculis, pontes reficerent, justam latitudinem darent ad minimum 32 cubitorum, quique in biviis constituerent palos cum inscriptione, *Evasio*, *Evasio*, ne fugiens usque aberraret. Tanta sollicitudo fuit pro incolumitate corporis. Sed non minorem Deus habet pro salute hominum, quoad animam & corpus simul Luc. 3: 4. &c. ex Esaiâ. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, facite rectas ejus semitas; omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur; & curva fient recta, & inæqualia fient æquales viæ; & omnis caro videbit salutem Dei.* Sumus natura filii iræ, rei mortis; asyli via per Euangelium publicatur, ut remotis omnibus impedimentis eam ingredientes evadamus perniciem æternam. Debemus ipsi considerare Jer. 6: 16. non secus ac fugiens manum vindicis persequentis, ne quâ aberret, videt ipse, rogat alios, & sequitur quæ salutares; ut requiem inveniamus animabus nostris. Hic auditur vox pone acclamans, *hæc est via* &c. Esa. 30: 21. Et quia in monte Zionis & Hierosolymæ erit evasio, uti Dominus dixit, & ea pro residuis quos Dominus vocaverit, non tantùm ex Judæis sed etiam ex gentibus Act. 2: 39. quod de filiis Israelis & Juda dicitur, gentibus quoque faciendum, *eundo & flendo, ibunt, & Dominum Deum suum requirent fœdere æterno, non obliviscendo* Jer. 50: 45.

c. Situs, & terminium terræ in tria æqua spacia divides. Et hoc pertinuit ad commoditatem fugientium; non debuerunt civitates istæ vel vicinæ nimis esse, vel nimis dissitæ, neque in extremis terminis sitæ, sed ita per terram distributæ, ut longissimum ad eas iter singulis æquale foret, adeo ut divisa terra in tres æquas partes à septentrione in meridiem, in cujusvis portionis meditullio una foret. Sic ordinarat trans Jordanem Moses; sic Josua cis Jordanem, Jos. 20. & undique promtum fuit aliquò se recipere. Non minus fidelibus, prospectum est; æque vicinum omnibus est cœlum, ubi Christus est unicum refugium. Ps. 61: 3. &c. Etenim asyla fuere munita, quæ etiam vim persequentis vindicis possent arcere.

d. Usus, & erit ad fugiendum eò omnem homicidam. Itane vero Deus omnibus homicidis asylum paravit? hoc modo multiplicabuntur homicidia ob impunitatem? Sed nihil hîc injusti; cuivis homicidæ licuit eò fugere, sed non cuivis ibidem vivere. Cavit Deus effusionem sanguinis innocentis; vindex subita ira percitus cædem, non modum cædis considerabat, & talione agebat, sic æque innocens ac nocens potuit perdi. Itaque omnibus voluit Deus patere civitates refugii, quò servarentur ad causæ legitimam cognitionem. Scilicet quicunque cædem patrasset, quocunque modo, is fuga sibi consulebat, & ad proximum asylum se recipiebat; eò cum venisset, ut est Jos. 20: 4, 5. consistebat ad urbis aditum, ne victorem aliquem aut peregrinum crederent, & profitebatur se homicidam coram Senioribus urbis, asylum quærentem; atque hi ipsum recipere & & locum assignare debuerunt, ubi moraretur, quo omnibus constaret homicidam esse; sed tum indicium ejus faciendum fuit Senioribus ejus urbis, ubi patratum fuit homicidium, qui eum inde accerserent, sisterentque judicio, cogniturí de ratione cædis. Neque enim magistratus asyli habuit cognitionem, quæ minus commode instituebatur extra locum delicti; quia circumstantiæ & testes, aliaque minus erant obvia. Illo ergo judicio statuebatur, qualis homicida foret, nocens vel innocens, & hic remittebatur in asylum, quod primum adierat, ut ibi exularet. Unde liquet Asyla non subduxisse cognitioni. Imo huc confugiebant, non ut declinarent judicium, sed ut illi rite sisti possent. At nunc contra. Hic abusus est asylorum, moribus modernis. Quemadmodum olim gentiles templa, statuas, aras Deorum fecerunt tutamen sceleribus quibuscunque; post etiam statuæ imperatorum magnam dederunt impunitatem, ut inde abstraxisse ad pœnam maleficum majestatis crimen conferetur. Sic quoque nunc reperiuntur ejusmodi scelerum asyla. Inprimis in Ecclesia Rom. ubi in templum, in monasterium fugientem inviolabilem fere constituunt. Scil. quemadmodum Roma à primo initio fuit facinorosorum asylum, ita nunc quoque constituitur; & quidem multo magis; nam olim habebant ibi solum impunitatem; ast nunc ut venditant habent quoque immunitatem à reatu: nullum scelus adeo grande, quod non queat pecuniis redimi, cædes, parricidia, adulteria, incestus. Ea quotidie expiantur, sed inprimis per indulgentias generales, & in jubilæis: ut non male dicatur, cum templa debeant esse domus orationis, & illa, & tota Ecclesia Rom. fiunt spelunca latronum. Asyla quæ Deus ordinavit, non fuerunt facinorosorum; profecto infamiæ cessisset urbi, talibus habitari incolis: Esa. 1: 21. cum hodie istiusmodi solis paranda censeantur; aliis non indigentibus. Nullus ibi locus furi aut fraudatori; talis tenebatur ad restitutionem, quam si aliter non posset, servitute, præstaret, quæ etiam uxorem & liberos involveret, per sexennium. Plagium capitale fuit. Nullus locus homicidæ voluntario, ut vers 11. dicitur. Sed solùm specietenus tali. voluit enim Deus, Israelitas & habitationes ipsorum sanctas esse, neque vel consortio sceleratorum fœdari, aut taminari.

Vers. 4. *Hoc autem esto jus occisoris qui fugerit illuc, ut vivat: qui percusserit proximum suum imprudenter, quum ipse non oderit eum antea.*

Vers. 5. *Ut qui iverit cum proximo suo in silva ad cædendum ligna, si vibrante se manu ejus cum securi ad cædendum lignum, dejecerit ferrum è manubrio ejus, quod offendat proximum eius ita ut moriatur: is ad unam harum civitatum fugito, ut vivat.*

Vers. 6. *Ne persequens vindex illius sanguinis occisorem, quum incaluit animus ipsius, assequatur eum si major erit via ad eas, & percutiat eum lethaliter: cum non sit in eum judicium mortis, quia non oderat illum antea.*

ב, *Homicida innocens* describitur, v. 4, 5. ubi I. exceptio. II. descriptio, III. illustratio ab exemplo.

a. *Exceptio*, Dixerat quemvis homicidam eò confugere posse; ne verò quivis confugiens eò admitteretur ad commorationem securam, facit exceptionem; *hæc est ratio homicidæ, qui eo fugiet, ut vivat*; omnibus fugiendi istic licentia est, sed non omnibus fuga est ad vitam. Quidam inveniunt ibi tantum custodiam, unde deducantur ad supplicium: unde colligitur. *Homicidis eò venientibus & receptis, non licuisse ire quò vellent, sed certam mansionem fuisse assignatam, ut sub custodiâ forent, usque dum exhibiti essent judicio, cujus sententia demum in ejusmodi urbem relegabantur; ut mansio foret necessaria, vi sententiæ judicialis.* Jam quos sententia ejusmodi in asylum mitteret, dicit.

b. *Descriptio, qui percussit proximum suum, ut scl. moriatur*; nam de homicida quæstio est, dicitur percutiens animam Num. 35: 15. qui animam violenter corpore exturbat; vel percutiens corpus, uti immundus animæ, seu cadaveris ratione. Duo vero requiruntur ad innocentiam I. *ignorantia*, ut notitiam non habeat alterum esse præsentem, nedum tactum iri. Num. 35: 15. בבלי דעת legitur per בשגגה errorem, & vers. 22. sine בלא צדיה consilio ut venatoris instar ictum in eum dirigat, & vers. 23. sine בלא ראות visu; quod etiam בפתע subitò, est, ut projectum aliquid sit, antequam prospexerit quo projiciatur: hoc modo si necetur aliquis. II. *Sine odio* aut inimicitia antecedente בלא איבה ושנאה לא מבקש רעתו Nam licet ignorantia illa adsit, inimico non est impune; quandoquidem præsumitur voluptatem aliquam habere in nece hostis, quomodo ex post facto voluntaria fit cædes. Posterius removet causam homicidii internam, & prius externam: ne animus

mus homicidæ adſit, neque quæ animum illum teſtantur viſus, intentio, ſed ſubitus error, ubi nihil ſcientiæ & deliberationis. Hujuſmodi homicidium eſt, ſi quis ædificans lapidem tignumve tractet, & illud ei excidat, ac tranſeuntem occidat; aut projiciat neſcius aliquem in proximo conſiſtere; ſi quis in venatione feram petens hominem non viſum occidat.

c. *Exemplum* quod adducitur tale eſt verſ. 5. excidente ex manubrio ferro ſecuris, & cum impetu delato in alterum ut moriatur; hic nullum odium, non intendit tangere hominem, ſed lignum, non intuetur illum ut eò dirigat ictum, ſed merus error eſt, & ſubitum malum quod non potuit cavere. Eſt hic tertium ad innocentiam; ut quis ſit in exercitio ſuæ vocationis, ut lignator. Huic conceſſa eſt fuga in aſylum ut vivat; cum alioqui regula ſit Gen. 9: 6. fundens ſanguinem &c. Hinc vero liquet quam arctis cancellis circumſcribatur homicidium non capitale. Hodie plurima producuntur quæ ad excuſationem faciant; ſed lex Dei non patrocinatur. Inimicitia & odium capitale delictum faciunt: ubicunque rixa & contentio eſt antequam aliquid fit, quod ad necem ſpectet, jam homicida animus eſt. Præterea ubi non eſt error, ut perſona quæ occiditur non videatur; aut viſa non ſpectetur ad ictum. Denique ubi quis extra vocationem ſuam verſatur: agens quæ non agenda forent. In viis non ſuis ambulans, qui arma belli geſtant cum non ſint bellici, quandoque effundant ſanguinem belli in pace. Sic vero convincuntur ex Moſe homicidii quicunque ex compotationibus plerunque, rixari & vel pugnis, vel armis concurrunt, & deſtinato conſilio ictum inferunt, qui oculis ſuis eò collimant, & quærunt malum alterius, vulnus, cicatricem. Si quis dicat animum occidendi non adfuiſſe, convincuntur ſuis oculis & manibus, qui non aliorſum dirigebantur. Errorem ipſi putant ſi non tangant; eoque tetigiſſe, error dici nequit. Nequeunt proinde inter innocentes cenſeri. Itaque aſylum ipſos non recepiſſet. Solent prætexere moderamen inculpatæ tutelæ, ſed illi locus non eſt ſæpiſſime. Locus illi eſt in agro, ubi auxilii nulla oportunitas: Deut. 22: 26. defenſam tum quis neceſſario ſuſcipit, etiam cum cæde adverſarii. Locus illi eſt in urbe noctu, quando itidem oportunitas auxilii præciſa eſt, quemadmodum contra furem nocturnum Exod. 22: 2. Locus illi eſt juxta Hebræos, in deſcenſu, non in adſcenſu; nam deſcendens, ſubducere ſe conatus eſt ſed non potuit; adſcendens vero prodit animum ſectantem rixam & pugnam, unde homicidium hujus voluntarium cenſent, iſtius involuntarium. Enimvero hodie aliter judicatur, & homicidis, uti hic deſcribuntur, nullum creditur neceſſarium aſylum, ſed ſolum aliis, quos Deus aſylo excluſit. Eſt vero judicium Dei ſapientiſſimum juſtiſſimumque. Etenim quod ejuſmodi homicidam caſualem & involuntarium, noluit occidi, eopſe docuit, Ad obſequium & ejus contrarium inobedientiam potiſſimum requiri cor ſeu animam hominis. Hæc regit totum hominem. Corpus ſine anima mortuum eſt; illud nec cognoſcit legem, nec obſervat nec violat, ſed eſt inſtrumentum cognoſcentis, obſervantis vel violantis animæ: & æſtimandæ ſunt actiones, non ex corporis motu, ſed ex animæ. Illius obedientia ſine hujus nulla eſt, Jer. 12: 2. Ezek. 33: 30. &c. venire ad Prophetam, eum audire, ſermones ejus blanditiis proſequi, ſi cor abſit, peccatum eſt, hypocriſis deteſtanda. Illius inobedientia ſine hujus itidem nulla eſt, cædes hoc loco inſons, quia à ſolo corporis motu profecta ſine concurrente ſpiritus actione. Hinc abſolvitur à pœna capitali ipſum quoque corpus. Quandoquidem non fuit inſtrumentum agentis animæ. Hæc ſi intentionem conferat & regat motum corporis, tum corpus occidendum, & anima ad Deum judicem ad pœnam ſiſtenda eſt. Atenim cum citra intentionem animæ corpus inſons ſit, quare punitur? nam exilium decernitur. Reſp. 1 Theſſ. 5: 22. ab omni ſpecie mali abſtinendum: & hinc in quo ſpecies homicidii eſt, removetur à conſortio eorum, quos inter cædes patrata. Eſt quoque culpa negligentiæ ſaltem, quod non magis proſpexerit; an quis lædi queat ſive ob proximitatem, in projectis, ſive ob vitium inſtrumenti, in ſecuri elabente. Denique ad terrorem, ne ad voluntarium homicidium quis procedat, quando involuntarium, licet capitale non ſit, tamen corporalem fert pœnam in exemplum aliorum. Nobis diſcendum illud. Matt. 15: 19. Prov. 4: 23. *Cordis prima cura ſit; inde ut vita, ita & mors egreditur.* Verum proxima cura ſit corporis Prov. 23: 26. corde reſignato ad obſequium Dei, membra corporis eidem dicanda ſunt. Eoque cavenda omnis immundities carnis & Spiritus 2 Cor. 7: 1. & glorificandus Deus corpore & Spiritu 1 Cor. 6: 20. Deus autem pacis ſanctificet nos totos, & integer noſter Spiritus & animæ & corpus irreprehenſa ſerventur in adventum D. N. Jeſu Chriſti.

De innocente homicidâ ſollicitudo magna eſt; Poſcuntur aſyla, civitates refugii, præter tres à Moſe delectas, in Cananæâ tres aliæ, aditu faciles, commode pro terræ ratione diſtributæ; quo quivis homicida ſe poſſet recipere. Sed quæ non omnibus homicidis ſecuram commorationem præberent, verum ſolis innocentibus, qui cædem patraſſent ignorantes hominis non viſi, non obſervati, nedum inſidiis petiti: citra inimicitiam aut odium, antecedaneam rixam & contentionem; atque etiam dum in vocatione ſuâ verſantur, quemadmodum exemplum cædentis ligna oſtendit. Porrò *ratio ſecuritatis* quæſitæ innocentibus homicidis, & unde ſollicitudo nata eſt indicatur verſ. 6, 7. & *multiplicatio aſylorum* ex eadem ſollicitudine verſ. 8--10. De quibus nunc Deo volente, dicendum.

1. *Ratio ſecuritatis* exhibet I. periculum quod imminet, II. innocentiam homicidæ, verſ. 6. III. aſylorum conſtitutionem verſ. 7.

a. *Periculum* recitatur, *Ne vindex ſanguinis homicidam perſequatur, dum æſtuat cor ejus & aſſequatur eum, quia via longinqua eſt, eumque percutiat quoad animam*; quam exturbet corpore, quæ ſanguinis effuſio eſt. *Vindex ſanguinis* eſt cognatorum aliquis interfecti, qui cædem cognati cæde homicidæ, penſaturus erat. 2 Sam. 14: 6. &c. Tekoitis pro Abſalomo fratricidâ tectè interceſſura, dicit ficto caſu, ſibi viduæ duos filios fuiſſe, quibus in agro rixantibus, unus ab altero necatus fuiſſet; totam autem cognationem poſcere ſuperſtitem homicidam, ut pro anima fratris, quem interfecerat, eum necent; atque hos dicit eſſe vindices; & ab his petit defendi filium; qui aſylum non inveniebat in terrâ, quoniam in rixâ patrarat. Erat his juxta ira ad vindictam ceu cognatione proximis, ſive forent plures, ſive unus, utpote qui in familiâ ſuâ damnum, patiebantur. Sed quid periculi, tametſi cognati cædis ultionem poſcant, hac propter fuga non eſt opus; Judicii cognitio & ſententia pœnam decernendam habet? Sic quidem hodie fit, ubi vindicibus ejuſmodi ne quidem apprehendi jus eſt, ſed aliter apud Iſraelitas. Num. 35: 19. &c. voluntarium homicidam qui conſulto occidit aliquem, vindex ſanguinis necabit, quando ei occurret, necabit eum. Ergo vindex ille habuit jus vindictæ, & potuit homicidam necare quandocunque, occurriſſet; fervidior autem fuit ad perſequendum cæde recente, & affectu ex amore caſi & deſiderio ejus æſtuante ad compenſationem, talionis lege. Exiſtimant quidem hic ſub intelligi vindictam interveniente magiſtratu. Sed magiſtratus non intervenit, niſi quando homicida evaſit in aſylum, tum cognoſcit inter vindicem & homicidam. Ubi homicida innocens, eripit eum è manu vindicis & reſtituit aſylo ſuo: adeoque quando nocens eſt, eum non eripit, ſed potius tradit. Tekoitis illa ſic deſcribit vindices, quod non à magiſtratu, neque per magiſtratum depoſcunt homicidam, ſed à matre & domo propriâ, ad necem à ſe inferendam. imo Num. 35: 27. vindex iſte, ſi inſontem homicidam invenerit extra terminos aſyli ſui, & occiderit eum, non erit ipſi reatus ſanguinis. Quando vindex exulem extra aſylum reperit & occidit, non eſt reus: quod ne quidem cogitari poſſet, ſi per magiſtratum occidi curâſſet actor ſolum contra ipſum.

Sed annon iſtud injuſtum, & privatæ ultionis, quam Deus interdixit? Reſp. minime: nec fuit injuſtitia, nec privata ultio, ſed executio duntaxat privata ultionis divinæ. Gen. 9: 6. Declaravit Deus ſe vindicem homicidii, & mox homines executores conſtituit: *qui ſanguinem hominis effundit, per hominem ſanguis ejus effundetur: nam Deus hominem ad imaginem ſuam condidit.* Hanc imaginem Dei non homines, ſed Deus in homine conſtituit; eſt ea ſita in Spiritu hominis, quem Deus format in medio hominis Zach. 12: 1. & ipſe hinc dicitur *pater Spirituum* Heb. 12: 9. & *Deus Spirituum omnis carnis* Num. 27: 19. Homicida Spiritum illum violenter ejicit corpore, adeoque illud imagine Dei privat. Heic Deus ultionem imperavit, & quidem

dem omnibus; qui ſtatuam Imperatoris vel regis, non vivam, ſed ſenſu carentem ex ligno, lapide, metallo quocunque, non propriâ ſed alienâ manu factam dejiciat, frangat, declaratur Reus mortis, & cuivis ſit poteſtas fugitivum occidendi. Sic quoque Deus de homicidâ pronunciat Etenim crimen eſt manifeſtum, an quis occiſus ſit, nequit obſcurum eſſe, uti dejecta regis ſtatua; non opus eſt probatione, ubi cadaver eſt, & ſi, quis fecerit, conſtet, utique liquet de quo ſit ſumenda Dei ultio, quam hominibus demandavit. Eam vero ſuſcipiunt primi conſanguinei, amore cæſi, & exſequuntur Dei ſententiam. Hos metuit Kain fratricida, quippe omnes homines, ſui & Abelis liberi, fuerunt cæſi cognati, Gen. 4. verſ. 14. & hacpropter fugitivam vitam ſibi agendam dicit. Suſcipiendam quoque habent, etſi non ſint cognati cæſi, Magiſtratus, Dei judicium exercentes, & amore Dei. Utrique faciebant officium, dum exſequebantur ſententiam Dei. Accedit quod non eſſent exſecutores pœnarum ſeu carnifices peculiares; ſed totus populus; & teſtes ſæpe primi: eoque non mirum cognatos heic primas obtinuiſſe. Iſti vero ſtatim ubi cædem peractam reſciverant perſequebantur homicidam, & ſi via ad aſylum nimium foret longa, facilius eum aſſequebantur, & aſſecutum neci dabant.

Tantum eſt apud Deum odium homicidæ, ut eum quaſi declararit victimam odii publici, & cuivis vindictam commiſerit, & ſpeciatim iis conceſſerit, quibus privatus erat ad eam exercendam ſtimulus: ne maneret impunitus. Imo ſi innocens homicida, antequam attigiſſet aſylum, vel ſi inde egreſſus eſſet, à vindice ſuperveniente cæſus fuiſſet, juſte cæſus videbatur, neque culpa ulla necantis: utpote qui non modo ad pœnam mortis trahi non poſſet, verum etiam nullo aſylo aut fuga indigebat ad ſui tutelam. Sic potuerunt magis caveri homicidia, dum tot armati eſſent vindices: Imo prohibiti defenſores Prov. 28:27. publicam curam mandavit Deus, ut via ad aſyla foret expedita: privatam interdixit. Tekoitis ait, in ſua ſupplicatione, *ne multiplicentur vindices ſanguinis ad perditionem, ut exſtirpent filium meum*, 2 Sam. 14:11. Sed Deus contra, ne multiplicentur homicidæ ad perditionem, & vindices ceſſent. Aſt hodie quivis putat ſibi ſuſtentandum homicidam, & ſi fuga longinquior, eum protegendum ſub aſylo privatæ domus: & hoc fit potiſſimum de homicida nocente: de quo verſ. 11, 12. dicendum: heic autem de innocente ſic enim deſcribitur.

b. *Innocentia, cum tamen judicium mortis contra ipſum non ſit, quia ipſum ab heri & nudius tertius non oderit.* Odium negatur de hoc homicida, quod tamen animum homicidam facit, ſive indignatio antecedens majoris, ſive minoris fuerit moræ. Et cum anima innocens ſit, corpus quoque, quod homicidium patravit, abſolvitur à pœna, ut non ſit domicilium animæ, quam innocentem habet. Sed cum iſte homo innocens ſit, qui fit, ſiquidem in viâ, extra aſylum, à vindice necatus fuerit, nullus quoque ſit reatus homicidæ vindici? Reſp. Cædens ligna in ſylvâ in vocatione ſua eſt, & ſi quem occidit caſu, excidente ſecuri, innocens, quia Deus illum fecit occurrere ſuæ ſecuri. Exod. 21:13. Dei moderamine fit, ut ſic ille pereat; cujus judicia licet occulta, ſemper tamen ſunt juſta, & piis ſalutaria; quibus ſi tali modo occumbere contingat, dicendum quod 1 Pet. 4:6. mortuos eſſe ut judicarentur quidem ſecundum hominem in carne, viverent ſecundum Deum in ſpiritu. ſic 1 Cor. 11:31. Lictores emiſſi ad apprehendendum reum, ſi eum repugnantem occidant, culpâ carent, quia in vocatione ſua verſantur, Milites hoſtem necantes inſontes ſunt, quia vi vocationis ſuæ agunt, citra odium ſuum, miniſtri vindictæ publicæ. Sic quoque vindex ſanguinis in vocatione ſua verſabatur, quam Deus impoſuerat, & quod ſic agebat, non faciebat nocentem: Si aſſequutus homicidam fugientem, de eo quoque dici debuit, Deum feciſſe eum occurrere: quamvis non mage nocens foret, quam quem ipſe occiderat. Neque enim odium cauſam cædi præbuit, ex privata rixa, ſed indignatio ad ultionem Dei, cujus imago aliqua in familia deſtructa fuit. Obj. Repugnat verſ. 10. ubi eadem ratio ſecuritatis repetitur, *Ut ſanguis innocentis non effundatur in medio terræ quam Dominus Deus tuus tibi in hæreditatem dat, & ſanguinis reatus ſit ſuper te.* Nam ſi propter effuſum innocentis homicidæ ſanguinem reatus incumbit terræ: utique vindex qui illum effudit, non poteſt non eſſe nocens. Reſp. minime. Reatus ſanguinis innocentis non eſt in vindice, qui in exercitio vocationis fuit, ſed eſt in populo univerſo, & judicibus ejus, ſiquidem aſyla à Deo mandata non conſtituerint: ut nimis longinqua ſit fuga, in quâ deficere neceſſum ſit. Nam hoc dicit de multiplicandis aſylis auctâ terrâ: quod ſi negligatur, ſiquidem fugientem ejuſmodi homicidam innocentem perire contingat manu vindicis, non hic, ſed magiſtratus in culpa eſt, qui evadendi media ſubduxit: & cum ille perierit in ſua iniquitate, ſanguinem tamen repetiturus erat à manu iſtorum, quorum culpâ non potuiſſet evadere. Hac de cauſa imperata populo & primatibus ejus.

Verſ. 7. *Idcirco ego præcepi tibi dicendo, tres civitates ſeparato tibi.*

c. *Aſylorum conſtitutio* verſ. 7. *propterea præcipio vobis, dicendo, urbes refugii tres vobis ſeparabitis.* Tanti eſt apud Deum ſanguis humanus, ut nolit effundi citra reatum. Vocatur *cuſtos hominum* Job. 7:20. qui tam ſollicite illis cavit, qui in ipsâ cæde innocentes ſunt: atque hanc curam etiam magiſtratibus impoſuit, ſunt enim miniſtri Dei, qui Dei opus agere debent, uti ad ultionem malefacientium, ſic quoque ad defenſionem benefacientium, & innocentium, quod ſi negligant, & ſibi & terræ reatum conciliant. 1 Reg. 20:42. ad Achabum, dimiſſo Benhadado, quia *virum anathematis mei è manu dimiſiſti, erit anima tua loco animæ ipſius, & populus tuus loco populi ipſius.* Sic contra ſi quem aſylo defenſum Deus voluit, illi oportunitas iſta per negligentiam ſubducatur, pariter culpa eſt magiſtratus, quam ſibi & terræ accerſunt. Par proinde cura eſſe debet ad defenſam innocentum, & nocentum pœnam. Miſerandum autem eſt, ſi multiplex defenſa præbeatur nocenti; innocens vero præſidio omni careat.

Violatio præcepti divini fuit, ſi non fuiſſent conſtituta aſyla, quod principum populi fuit. Hinc Joſ. 20:1. occupata & diſtributâ Cananæâ, *Dominus dixit ad Joſuam, loquere ad filios Iſraelis, dicendo, date vobis aſyla, de quibus vobis ſum locutus per manum Moſis.* Monuit eos officii ſui: data terrâ à Deo, debebant illi quoque Deo dare de terrâ pro innocentibus homicidis: ne totam terram facerent nocentem.

Eſt vero circa aſyla quoque obſervandum, quod Deus ea in terrâ conſtitui voluit. Homicidæ nocentes hodie fugiunt extra territorium loci, ubi deliquerunt; & Abſalom fugit extra Iſraelitidem in terram Geſur. Eo quoque potuiſſent fugere homicidæ innocentes. Sed præterquam quod via ſæpe longinquior fuiſſet; quia homicidium non tantum in civitate, millenario, aut tribu reum faciebat, ſed per totam Iſraelitidem; & evaſio fugienti impoſſibilis: fuit etiam ratio religioſa. Extra Iſraelitidem ubique vigebat idololatria: neque tolerabant gentes proximæ, æmulæ Iſraelitis, ut ſuo more viverent inter ipſas; ſaltem periculum erat ſeductionis ad falſam, aut oblivionis veræ religionis. 1 Sam. 26:29. quia in terra tutus non erat, perſequente Saule, dicit, quod expelleretur, ne cohæreret hæreditati Domini dicendo, cole Deos alienos. Hoc ne fieret circa hos innocentes, voluit Deus in terrâ ipsâ locum eis commorationis dari. Quo porro facit, quod urbes refugii fuerint Leviticæ, ex 48. ipſis attributis. Jam Levitarum fuit docere Legem Deut. 33:10. huic ſtudio potiſſimum dediti erant, qui hacpropter hæreditate carebant. Apud hos ergo poterant non ſolum cultu vero frui, ſed etiam magis erudiri; & cum per exilium arcerentur fruitione ſuæ hæreditatis, curam ſuam impendere ſacris ſtudiis: imo cum indigerent uberiore ſolamine, illud conſequi ad conſcientiæ tranquillitatem. Sic itaque potiſſima cura fuit pro animâ, ne & illa detrimentum pateretur. Fugientes homicidæ hodie, (qui nocentes, nam innocentes extra periculum ſunt,) animæ exiguam curam habent: abeunt ad idololatras, & idololatriam, ſi non externam, ſaltem illam, quæ ventrem Deum habet, & indulgent poculis, non quærentes conſcientiæ tranquillitatem, ſed ejus cauterizationem, ad ἀναλγησίαν; adeo ut quorum animæ ſalvatæ fuiſſent, ſi deprehenſos juſtitiæ gladius peremiſſet, dum ad reſipiſcentiam & fidem per Scripturam adducti fuiſſent; illi præcipitentur in majora pericula, & certam animæ corporiſque damnationem.

Ne-

Neque hoc prætereundum de aſylis, quamdiu in illis fuerit exulandum. Num. 35: 25. Homicida innocens, poſt ſententiam magiſtratus ſui remiſſus in aſylum ſuum; iſtic manebit uſque ad mortem Sacerdotis ſummi, qui ſancto oleo unctus fuit: ſed poſt mortem Pontificis redibit homicida ille in terram ſuæ poſſeſſionis. Sic Joſ. 20:6. Solus ſummus Pontifex, cum munus ſuum adiret, ungebatur oleo, Exod. 29: 19. Lev. 21:10. non ſacerdotes alii, quibus hæreditarium jus ſufficiebat. Ille unicus erat, neque movebatur loco niſi per mortem; hæc una prohibebat manere. Heb. 7: 23. Nam quod tempore Chriſti & Apoſtolorum plures, & annui fere erant, contra legem Dei factum fuit:) Quamdiu autem vivebat, homicida ſub ipſo factus caſu & nolenter, manebat exul: hujus exilium non niſi morte Pontificis finiebatur. Cauſam moræ in iſtud uſque tempus variam afferunt. Exilio iſto & mora vindicis dolorem de cognato levari, & graviori dolore de Pontifice amiſſo exſtingui. Alii in aſylo, urbe Leviticâ, factumquaſi ſervum pontificis, ſed hujus morte liberatum ſervitio. Alii homicidam ceu impurum debuiſſe latere in aſylo, dum vivebat ſummus ſacerdos, qui ſpecialem gerebat imaginem Dei, & interpres erat voluntatis ejus: indignus ſcilicet qui admitteretur in ejus præſentiam. Etenim debuit tantiſper abſtinere à comparendo in feſtis ſolennibus, tametſi mares omnes obligabantur; non ſecus ac alii immundi. Menachem Ricanatenſis fol. 191. 2. *Manebit ibi uſque dum moriatur Pontifex maximus; nam per mortem hujus expiatur illius peccatum: nam mors juſtorum expiat.* Hic vero cauſa indicatur quamvis obſcure. Pontifex maximus fuit ſingularis typus Chriſti, & quod ad ipſum ſingulariter refertur, in hoc quærendum eſt. Sacerdotis ſummi erat offerre pro populi ignorantiis, Heb. 9: 7. pro ignorantibus & errantibus Heb. 5: 12. Pro voluntariis, elatæque manus peccatis non fuit conſtituta hoſtia, ſed ſolum pro ignorantiis. Num. 15: 22, 27, 30. Nulla fuit pro adulterio, homicidio, furto aperto, unde Pſ. 51: 18. David adulter & homicida ait; *non delectatus es ſacrificio, aliàs dediſſem; in holocauſtis non habes oblectationem. Sacrificia Dei ſunt ſpiritus fractus, cor fractum & contritum, ô Deus, non repudiabis.* Enimvero licet ignorantiæ & errori victimâ conſuli alias poſſet, in homicidio iſtiuſmodi non valuit. Pretioſior ſanguis hominis, quam ut victimæ brutæ ſanguine expiari eum vellet Deus. Debuit intervenire mors ipſius Pontificis: ut ſignificaretur non poſſe impetrari veniam hujus erroris niſi per mortem Chriſti. Ille debuit fieri aſcham & peccatum, pro erroribus & ignorantiis victima: & ſic procurare exulibus reſtitutionem. Chriſtus unus eſt juſtus cujus mors expiat, quam ubi vicariam obtulit, juſtus eſt & ipſe ſponſor, & illi pro quibus ipſe ſponſor exſolvit. Hanc fide intueri, & in typo pontificis exſpectare debuit homicida exul, & tantiſper vera reſipiſcentia deplorare ſuum errorem. Mors pontificis afferebat reſtitutionem ſive vivo, ſive mortuo, cujus oſſa ex aſylo in avitum ſepulchrum inferebantur. Verum Chriſtus mortuus eſt, & ſemel mortuus non amplius moritur, adeoque peperit exilii finem, eumque perpetuum. Qui transfixus eſt peccatis electorum, ignorantium quid gerent, ut crucifigentes ipſum Luc. 23: 34. Actor. 3: 17. ſua morte ipſis paravit reditum ad Deum & terram viventium, dummodo fide ipſum apprehenderint, & mortem ejus ceu Pontificis ſuo bono aditam crediderint.

Verſ. 8. *Quum vero dilataverit Iehova Deus tuus terminum tuum, quemadmodum juramento promiſit majoribus tuis, & dederit tibi totam illam terram quam promiſit ſe daturum majoribus tuis.*

Verſ. 9. *Siquidem obſerves totum præceptum hoc faciendo illud quod ego præcipio tibi hodie, diligendo Iehovam Deum tuum, & ambulando per vias ejus omnibus diebus: tam adjicies tibi amplius tres civitates ad tres iſtas.*

Verſ. 10. *Ut non effundatur ſanguis innoxii, in medio terræ tuæ quam Iehova Deus tuus dat tibi in poſſeſſionem, neve ſit in te culpa cædis.*

ד. *Multiplicatio aſylorum* verſ. 8--10. quando, quomodo, cur facienda ſit.

a. *Quando*: id eſt, *quum Dominus Deus tuus ampliarit limitem tuum*, præter terram Canaan inter Jordanem & mare mediterraneum. Quomodo: adhuc tres civitates refugii addes ad tres haſce, quas in Cananæa ſtatuendas dixerat, & poſt illas, nam quas Moſes delegerat, ante has in Cananitide jam fuerunt ſegregatæ: adeo ut ſic non ſenarius, ſed novenarius fiat numerus. Cur, ad homicidæ ſecuritatem, quam ante quoque deſcripſit. Scilicet quo amplior terra, eo quoque pluribus aſylis indigebant, ob viæ alias longinquitatem, & hæc cura debuit eſſe magiſtratus, alioqui in ſe derivaturi reatum ſanguinis innoxii, cujus effuſionem quantum in ſe erat non caviſſent: quemadmodum ante diximus. Singularia heic obſervanda ſunt de tempore. *Et ſi Dominus Deus tuus dilataverit*, &c. Non loquitur conditionaliter, ſi id forſan contigit, ſed כִּי *ſi*, hic eſt aſſeverantis, & certo futurum ſignificat, nam additur *ſicut juravit patribus tuis*: & repetitur declarationis ergo; & *dederit tibi omnem illam terram, quam dixit patribus tuis daturum ſe.* Eſt ille terminus amplior quam poſſederunt Iſraelitæ per Moſen & Joſuam: imo quam unquam reges ſequentes obtinuerunt. Etenim ampliorem promiſit Deus Abrahamo, Gen. 15: 8. &c. *Semini tuo dedi hanc terram*, (non tantum dabo, ſed dedi, jam jus eis quæſitum mea donatione,) *à flumine Ægypti, uſque ad flumen magnum, flumen Euphraten.* Et mox recenſet decem populos; quorum ſeptem tantum obtinuerunt: imo Rephaim ex parte tantum; quia Ammonitæ & Moabitæ eam tenuerunt. Deut. 2: 11, 20. Kenitas, Kenizitas, & Kadmonitas nunquam. Terra Ammonitarum fuit Iſraeli terminus orientalis, & Moabitidis pars; quam nunquam poſſederunt, nedum qui longius ad orientem vivebant, uſque ad Euphraten. Poſſeſſio enim non conſtitit in tributaria ſubjectione, ſed in inhabitatione expulſis incolis prioribus. Exod. 23. verſ. 23. &c. *Angelus meus vos introducet in terram Amoræorum, Hittæorum* &c. & *ego exſcindam eos. Mittam crabrones coram facie veſtra, & expellent eos coram facie veſtra: non in uno anno id faciam, ne feræ in terra deſerta numero prævaleant; ſed paulatim, donec creveritis & poſſideatis terram, & limitem veſtrum ponam à mari Suph ad mare Philiſtæorum, & à deſerto uſque ad flumen: nam dabo incolas terræ in manum veſtram, ut eos coram facie veſtra expellatis.* Atqui id nunquam hactenus factum. Si enim obtinuiſſent tria hæc aſyla debuiſſent conſtituiſſe: non gentibus aliis, ſed Iſraelitis, adeoque iſtic habitantibus adeoque futurum. Nam Deus dixit, Deus juravit. Nemo id negare poteſt, niſi qui mentientem & pejerantem Deum concipit, & ſpem Judæorum ſaltem per blaſphemiam refutare ſatagit. Nos credimus Deum eſſe ἀψευδῆ Tit. 1. verſ. 2. & promiſſiones Abrahamo dictas, & jusjurandum, eſſe duas res immutabiles, in quibus impoſſibile eſt Deum mentiri. Heb. 6. verſ. 17. &c. quocirca Deum id præſtiturum Iſraeli; quemadmodum plurima teſtimonia iſtud confirmant: quamquam in uno dicto, & jurejurando irrefragabilis veritas ſit.

Quæſt. Quando illud fiet? Periit exſpectatio ob diuturnitatem exilii Ezek. 37. verſ. 11. Reſp. verſ. 9. quando obſervabitis omne illud præceptum, &c. Amando Dominum Deum tuum, & ambulando in viis ejus omnibus diebus. *Obj.* Ergo nunquam fiet: conditio iſta impoſſibilis. Reſp. Imo & poſſibile eſt, & fiet, quia Deus dixit. Nam quia Deus juravit ſe daturum hanc terræ amplitudinem, & daturum quando ſic vivent; utique hoc non minus, antecedens, vel connexum, quam conſequens illud fiet. Fiet autem non ab ipſiſmet: ſic ſane deſperanda omnia, quia ipſis impoſſibile: ſed à Deo Deut. 30: 5, 6. *introducet te Dominus Deus tuus* (congregatum de finibus cœli & inde acceptum,) *in terram quam poſſederunt patres tui, & poſſidebis eam, & benefaciet tibi, & multiplicabit te præ patribus tuis*, (unde amplior terminus neceſſarius,) & *circumcidet Dominus Deus tuus* &c. *ut vivas.* Cor amaturum & obtemperaturum Deo dabit Deus ipſe: & ſi det, an iſta deerunt? Similia promiſſa Jer. 32: 39. &c.

dabo cor unum &c. *& faciam cum eis fœdus æternum* &c. *& gaudebo de ipſis, ut ipſis benefaciam; & fideliter plantabo eos in hâc terrâ, toto corde & toto animo meo.* Ezek. 36. verſ. 24. *Congregabo vos ex gentibus & terris, & deducam vos in terram veſtram, & ſpargam aquam mundam*, &c. *& habitabitis in terra quam dedi patribus veſtris* (*ut in diebus primis, imo benefaciam præ initiis veſtris* verſ. 11.) *& eritis mihi populus & ero vobis in Deum.* Rogandus Deus ut ipſe qui dixit & facturus eſt, faciat id cito, in diebus noſtris, quo videamus bonum Domini erga populum ſuum, & gaudeamus in ejus gaudio, & Dei Nomen cum Iſraele reſtituto celebremus propter benignitatem & veritatem ejus, quando ſuper Nomen omne ſuum verbum ſuum magnificaverit. Idem quia hæreditatem æternæ felicitatis promiſit mundis vobis, & puris corde, Pſ. 24. verſ. 3. &c. ſollicitemus eum, ut & det tale cor, tales manus, & tandem conſummatis in ſanctitate largiatur cœleſtis patriæ poſſeſſionem æternam. *Amen.*

Quæ ſequi debuiſſent, mors Authoris impedivit.

JAC. ALT.

JACOBI ALTING

in XXIV. priores

PSALMOS

ANALYSIS EXEGETICA.

JACOBI ALTING

in XXIV. priores

PSALMOS

ANALYSIS

EXEGETICA

ANALYSIS EXEGETICA PSALMORUM.

PROLEGOMENA.

TITULUS, libri est Hebræis ספר תהלים *liber laudum*, tum ab objecto, quia præcipuè laudes Dei continet, per synecdochen, tum ab usu & fine, quia inde petebantur formulæ laudum divinarum, in templo decantandæ. 1 Chron. 16: 7. 2 Chron. 29: 25, 26, 27, 30.

Græcis βίβλος ψαλμῶν, *liber Psalmorum* Luc. 20: 42. Act. 1: 20. ψαλμοὶ *Psalmi* Luc. 24: 44. ψαλτήριον *Psalterium*: à ψάλλειν *fidibus canere*, quia à Davide insigni poëta & musico compositi sunt plerique, qui ad instrumenta musica, etiam à se inventa decantarentur, 1 Chron. 15, 16. 2 Chron. 29. capp.

AUTOR est Spiritus S. tum generalibus testimoniis. 2 Tim. 3: 16. 1 Pet. 1: 11. itemque 2 Epist. 1: 21. tum specialibus, Davidis 2 Sam. 23: 1, 2. & Christi Matth. 22: 43.

Hinc verò autoritas Psalmorum I. Divina, quia Deus in iis loquitur. Psſ. 95: 7, 8. Heb. 3: 7. II. Canonica, quia in N. T. ad dogmatum fidei & vitæ confirmationem sæpissime adducitur.

Hebræi docent per Spiritum S. Psalmos esse inspiratos & dictatos, unde ad cethuschim referunt. Distinguunt Spiritum S. à Prophetia, quod hæc fiat turbatis sensibus & viribus dejectis, quasi quis in visione diurna, aut nocturno somnio alium sibi loquentem audiret. Ille modus autem integros sensus & vires relinquat, & tamen res divinas & futura etiam faciat enunciare. Sed sic Daniel prophetis annumerandus erat. Dan. 7: 28. cap. 10: 8.

SCRIPTORES sunt varii.

Præcipuus est David, à quo plurimi compositi 2 Sam. 23: 1. diversis temporibus, potissimum tamen ex quo publice notus esse cœpit, fruens conditione jam tristi, jam læta. Hinc ab ipso denominationem fere sortiuntur, ut *Psalmi Davidis* appellentur.

Alii fuere vel *ante Davidem*; Moses, à quo est Psal. 90. & ut nonnulli veterum volunt, etiam decem sequentes. Judæorum aliqui insuper Adamo. Psſ. 92. Melchizedeko Psſ. 110. & Abrahamo Psſ. 89. adscribunt: sed incerta conjectura; imo falsum illud de Psſ. 110. qui à Davidis manu est. Matt. 22: 43. Luc. 20: 42.

Vel *Davidi coætanei*, Heman & Asaph, & Ethan 1 Chron. 15: 17, 19. Levitæ: nisi Heman & Ethan alii sint, qui Psſ. 88, & 89. scripserunt, cum Ezrachitæ dicantur, Zeracho filio Judæ oriundi 1 Chron. 2: 6. aut adhuc alii, qui itidem Ezrachitæ filii Macholis. 1 Reg. 4: 31. Quanquam etiam de his dubitare liceat, & posterorum aliquis intelligendus sit, saltem quoad Psſ. 89. qui jam imminuto regno Davidis, imo abolito scriptus est. Asaph Levita multorum autor est, & commendatur ipsius æque ac Davidis opera 2 Chron. 29: 30. multi tamen, qui ejus nomen præferunt, longe post ejus ætatem sunt scripti, tempore vastatæ per Babylonios Hierosolymæ. Psſ. 74. Hamanis & Esteræ. Psſ. 83.

Vel *post Davidem*, filii Korah; quorum ætas ad Maccabæorum usque tempora se extendit, ut Psſ. 44. aliique.

Omnes autem autoritatem habent divinam, indiscriminatim in testimonium vocati.

COLLECTORES Psalmorum qui fuerint, prorsus incertum est, Forsitan non uno tempore conjuncti, sed variis ætatibus, prout ab ἐφημερίαις Cantorum, quibus traditi fuerant, asservati, & tandem comportati sunt. Quibus succedentibus seculis identidem alii accesserunt; quemadmodum Proverbia Salomonis collecta dicuntur Prov. 1: 1. cap. 10: 1. cap. 25: 1. additis & aliorum sententiis cap. 24: 23. cap. 30: 1. cap. 31: 1. supremam tamen manum impositam esse verisimile est, non ab Ezra, quo recentiores Psalmi dantur, sed à Malachiâ, aut circa ejus ætatem, qui scriptorum V. T. ultimus.

MATERIA est doctrina religionis, quod ad omnes articulos, sive theoriam quis spectet, sive praxin; adhæc multa habens historica, multa prophetica: inprimis etiam exhibens anatomiam quasi hominis pii spiritualem, cujus affectis & desideria intima graphice repræsentantur; unde de vera vita religionis pronunciari queat.

FORMA est metrica, sermone ligato, ad leges carminum variorum: quorum tamen ratio hodie nescitur. Indicium facit versuum modus, & qui eum moderatur Accentuum singularis ordo; quomodo multi aliorum, in prosâ oratione, hic locum non inveniat. Constat etiam phrasi, quæ, uti in poëmatis solet, longe est strictior, ceu cancellis arctioribus illigata. Similis phrasis est in libris Jobi & Proverbiorum.

DIVIDUNTUR.

Ratione *Quantitatis*.

I. In Psalmos 150. quamvis aliquâ varietate codicis Græci, quem Vulgata Latina sequitur; (nam Psſ. 9. & 10. compingunt in unum, item 114. & 115. dividunt autem in duos 116. & 147.) Græcus codex superaddit 151. sed quem Hebræus textus ignorat.

II. In quinque libros, quorum I. habet 41. Psalmos à 1.--41. II. habet 31. à 42--72. III. habet 17. à 73.--89. IV. habet 17. à 90--106. V. habet 43. à 107--150. Divisionis ratio est, quod prioris quatuor finiantur voce Amen. Sed Hieronymus improbat, & non nisi unicum librum agnoscit, ne augeatur numerus librorum V. T.

Ratione *Qualitatis*, à materia quam tractant suntque I. prophetici, II. didascalici, III. consolatorii, IV. petitorii, V. eucharistici. Sed horum aliqui miscentur, ut mixti generis sint.

ADJUNCTI rationem habent instrumenta musica, quæ adhibenda fuerunt, sed quæ pariter ignota sunt; unde tituli obscuri; an ad melodiam faciant, vel argumentum spectent.

USUS Psalmorum amplissimus, tum Theoricus, habens epitomen totius Scripturæ: tum Practicus etiam, totam religionem ad praxin revocans. Hinc libri hujus commendationes prolixæ apud Veteres & Recentiores.

PSALMUS I.

QUibusdam hic Psalmus procemium est libri, teste Hieronymo, & cum cæteris non computatur: quia epitomen habet eorum omnium quæ docentur in Psalmis de piorum & impiorum differenti vita & exitu; & quia Act. 13: 33. citatur illud, *Filius meus es, scriptum* ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ πρώτῳ, in codd. quibusdam. Sed meliores habent τῷ δευτέρῳ, quod hunc primum esse evincit.

Caret inscriptione, neque scriptoris nomen expressum est. Creditur tamen esse Davidis; quemadmodum secundus, ex Act. 4: 25. qui pariter est ἀνεπίγραφος.

Partes sunt duæ. Piorum Impiorumque

I. DISPAR VITA. vers. 1--4. Hic autem

I. *Descriptio piorum* vers. 1, 2, 3. cujus

A. *Propositio* vers. 1. Talis vir est beatus.

א. *Subjectum* est האיש vocat non אדם (quod *vilem* notat Pſ. 49:3. item Pſ. 9:3. & 22:7. collatis.) ſed איש, *hominem excellentem*, Prov. 12:26. & cum artic. האיש, cum enim variæ dentur excellentiæ prout judicia hominum variant, & ſingulæ præſtent denominationem, hoc loco, certa aliqua attenditur excellentia, quam in ſeqq. delineabit. Determinatur certus aliquis vir.

ב. *Prædicatum* est אשרי, ſemper numero multitudinis uſurpatur: neque enim quis beatus dicitur ob bonum unum quod poſſidet, aut proſperitatem unam quam conſequetur, ſed ob plura bona; inquit D. Kimhi. Eſt autem duale, quod docet conjunctio cum affixis Deut. 33:29. Pſ. 128:2. Eccl. 10:7. Prov. 16:20. Eſt enim felicitas gemina, hujus & futuri ſeculi, cujus utriuſque promiſſionem habet pietas. 1 Tim. 4:8. Marc. 10:30. Luc. 18:29, 30.

B. *Declaratio* conſiſtit in deſcriptione, quæ inſtituitur.

א. Καθ' ἕξιν. verſ. 1. qualis non ſit, abſtinens videlicet à malo, cujus gradatio de ipſo negatur, adſcendens à leviori ad gravius malum: quia nemo momento fit peſſimus. Negat enim

a. *Ambulationem*, exercitium tranſitorium, ut cum quis tranſit per viam, in qua conſpicitur licet duntaxat tranſeat, הלך eſt, non התהלך frequentativum. *In Conſilio*, ut ſuggeſtioni alienæ aures præbeat, ſeque duci patiatur, de ſua ſapientia deſperans, & alius æſtimans ceu ſibi ſalutarem Pſ. 73:24. & 32:8. ſuggeſtio 2 Chron. 22:3, 4, 5. exemplum Mich. 6:16. *Impiorum*, רשעים homines inquieti, turbulenti ingenii, Job. 34:29. 1 Sam. 14:47. qui nec ipſi quietem habent mentis, & aliis eam adimunt Eſa. 57:20, 21. Jud. verſ. 13. quorum cupiditates in jugi motu, ut exſatientur malo.

b. *Stationem*, immanentiam aliquam, ut jam non pudeat iſtic conſpici, cum ambulans ſe ſubducat, attamen qui adhuc in motu ſit, ut abire queat. *In Viâ*, ut conſuetudo agendi ſit; hæc enim trita eſt commeantium frequentiâ. *Peccatorum*, חטאים (non חוטאים) *peccantes*, ſed qui habitum contraxerunt, quorum iſtud eſt opificium; quique inde merentur denominari, tametſi jam non exerceant actum peccandi.

c. *Seſſionem*, habitationem conſtantem ac diuturnam Deut. 1. v. ult. ut qui ad viæ finem pervenit, quando nihil operis faciendum ſupereſt, conſidet & quieſcit. *In conſeſſu*, tum ſedilis 1 Sam. 20:25. aut cathedræ Job. 29:7. unde cathedra peſtilentiæ, in Vulg. verſ. ubi in ſummo honore conſpicitur: tum conſeſſus ſeu multitudinis Pſ. 107:32. ubi conventus iſtiuſmodi hominum: ut in ſocietatem veniſſe, & ordini illi adſcriptum pateſcat. *Irriſorum*; לצים *ſuperbi* Prov. 3:34. coll. cum Jac. 4:6. 1 Pet. 5:5. eloquentes ad irriſionem. Job. 16:20. Qui ſuperbi contemtores Dei & hominum, omniſque pietatis & juſtitiæ, quia colorem illinere norunt impietati ſuæ eloquentia Rom. 1:18, 21. &c. Prov. 9:7, 8. cap. 10:23. cap. 14:9. cap. 19:29. Pſ. 36:3. & 10:3.

ב. Καὶ ἐν νόμῳ verſ. 2. qualis ſit, nempe faciens bonum; quod eſt Doctrinæ divinæ

a. *Amor*: de quo dicit, *Sed in lege Domini oblectatio ejus* תורה rectius dicitur *Doctrina*, quam *Lex*, cum non legis divinæ ſtricte dictæ, ſed doctrinæ Dei voluptas hic commendetur, quatenus potiſſimum de Meſſiâ ejuſque ſalute docet, de qua Pſ. 2. loquitur, quamvis etiam legis voluptas aliqua ſit, ob ſui perfectionem Rom. 7:22. Circa doctrinam verſatur voluptas & delectatio. Eſt vero hoc teſtimonium regenerationis. Rom 8:7. & cap. 7:22. coll.

b. *Meditatio*, ut & cognoſcat, quæ tradit, & ea diſcat, faciatque, eſtque fructus amoris & effectum, nam ubi theſaurus, ibi cor, Matt. 6:21. Pſ. 119:97.

Amplificatur, ab adjuncto temporis, *interdiu & noctu*; ut diurnâ nocturnaque manu verſet, nec quietem nocturnam adeo gratam habeat, ut evigilans non illico ad ejus meditationem ſe accingat.

ג. Καὶ ὁμοίως, verſ. 3. per ſimilitudinem arboris, ut Pſ. 52:92. Jer. 17. quoad

a. *Efficientem*, שתול *plantata*, non ſuâ ſponte enata, vel ſativa; ſed quæ cum alibi ſata germinaſſet, inde ſublata eſt & alibi plantata: quomodo efficiens Deus deſignatur Matt. 15:13. Rom. 11. Et שתול non נשתל, quam plantatam Deus non deſerit aut negligit, ſed conſervat 1 Pet. 1:5. Pſ. 92.

b. *Locum*, qui eſt *ad*, vel *juxta rivos aquarum*, ut rigetur ejus fluentis ad ſupplementum vegetantis ſucci, quæ ſunt gratiæ divinæ aquæ copioſæ Eſa. 44:3, 4. cap. 58:11. Jer. 31:12. Joh. 7:37. &c.

c. *Effectum*, quatenus *fert fructum*, ſanctitatis & juſtitiæ Phil. 1:11. Col. 1:16. Joh. 15. & quidem *tempore ſuo*, opportune Eccl. 3:11. prout & ipſorum ætas poſtulat & extrinſeca conditio temporum, proſperitatis & adverſitatis.

d. *Adjunctum* geminum. I. Viror *foliorum* perennis, ut nunquam marceſcant, nec æſtu, nec frigore adusta defluant: ut nullis adverſitatibus aut perſecutionibus eouſque tangantur, ut ipſam profeſſionem quæ foliorum inſtar in oculos & ſenſus incurrat, deſerant Jer. 17:8. II. Fructuum felicitas uberrima, *quicquid faciet*; fructuum nimirum, Gen. 1:11. *proſperabitur* ad maturitatem plenam perveniet Ezek. 17:9, 10. ut nihil immaturi, nihil quod degeneret reddat Eſa. 5:2. Jer. 2:21.

II. *Deſcriptio Impiorum*, verſ. 4. cujus

Propoſitio, ut, *Non ſic Impii*, plane diſpar horum conditio

Declaratio per ſimilitudinem, quoad I. *Rem*, ſed ſicut gluma, folliculi frumenti, nihil ſolidi aut utilis alimenti habens; omni ſucco ſalutari deſtituta; imo damnoſa, ſi in oculum incidat, dolorem & noxam ciens; ſolum ſterquilinio debita; dicitur alias נבל Pſ. 14:1. II. *Modum* rei, levitatem, quovis vento vanitatis impietatiſve jactantur, diſpelluntur, inſtabiles, Jac. 1:6, 8. Eph. 4:14. Eſa. 57:2.

II. Diſpar Exitus verſ. 5, 6. & quidem

I. *Impiorum* verſ. 5. infelix, merito ipſorum, oppoſite ad pios, quod ad

A. *Judicium*: non ſtabunt in judicio, ſed cauſa cadent, condemnandi. Victoris eſt ſtare Job. 19:25. & ſic abſoluti, & vincentis in judicio. רשעים ſunt rei, nocentes Num. 35, 31. Pſ. 37:33. & 109:7. juſtum enim judicium eſt, ubi nocentes non ſubſiſtunt, ſed ejiciuntur.

Veteres יקומו de reſurrectione intellexerunt, quam impii hinc vel negarunt ipſi, vel à Judæis negatam crediderunt, ſed perperam.

B. *Conſortium*, Nimirum *Peccatores*, חטאים non יקומו, *non conſiſtent in cœtu juſtorum*; qui peccarunt juſtificari poſſunt Rom. 4:5. cap. 5:6, 8. Sed qui manent in habitu & praxi peccandi, licet hic forſan innocentiſſimos ſe jactarent, & potiſſimi forent in cœtu, tum cum judicium ἀφορισμὸν ἀπόλαυσις erit, ab innocentum conſortio ſegregabuntur. Pſ. 104. v. ult. Matt. 25:30. &c. Rom. 2:6. ſeq.

II. *Piorum* qui

Deſcribitur ratione *Felicitatis ipſorum*: verſ. 6. cujus cauſa, Amor Dei, *Novit Deus*, approbat, delectatur viâ, converſatione, vitæ inſtituto, juſtorum, qui juſtitiam Dei habent, imputatam ſanguinis, & inhærentem Spiritus Chriſti. Non tantum juſtos, ſed viam juſtorum, quia ex fructibus judicatur de arbore. Joh. 5:29. Rom. 2:7, 10.

Illuſtratur antitheſi *Infelicitatis Impiorum*, meritum vitæ & converſationis. *Via* ipſorum *peribit* Pſ. 37:28. Matt. 7:13. Rom. 2:8, 9. cap. 6:23. cap. 8:6, 8, 13.

Sic etiam diſtribui poteſt Pſalmus. Piorum & Impiorum diſpar vita & exitus.

Diſpar vita piorum, καθ' ἕξιν verſ. 1. ἐν νόμῳ verſ. 2. καθ' ὁμοίωσιν verſ. 3. τὸ ישר & יצליח etiam de arbore fertili. Impiorum καθ' ὁμοίωσιν verſ. 4.

Diſpar Exitus. Impiorum verſ. 5. Piorum verſ. 6. cum antitheſi impiorum verſ. 6.

PSALMUS II.

Ἀνωνύμως & hic Pſalmus eſt, Davidis tamen Act. 4:25. Propheticus totus de Chriſto & ejus regno mediatorio: quibuſdam mixti generis dicitur, qui de Davide & Chriſto ſimul agat; Verum nihil eſt quod Davidi queat applicari. Nam I. agitur de re futurâ. II. De unâ perſonâ, quæ in N. T. dicitur eſſe Meſſias. Act. 4:13. Heb. 1. & 5. capp. III. Verba verſ. 7. nulli Angelorum convenire queunt. Ergo nec Davidi Heb. 7:4, 5. IV. Infinitum imperium & robur. verſ. 8, 9. V. Cultus religioſus illi deferendus ſub pœna exitii verſ. 12.

Partes ſunt I. prophetia de fruſtranea oppugnatione Meſſiæ

ſiæ verſ. 1--6. II. Confirmatio oppugnati Meſſiæ verſ. 6--9. 6--9. III. Exhortatio, ut oppugnare deſinant verſ. 10, 11, 12.

I. PROPHETIA de fruſtraneâ oppugnatione Regni Meſſiæ verſ. 1--6. quâ deſcribitur.

I. *Oppugnatio* ſuſcepta, verſ. 1, 2, 3. cujus interpretatio eſt Act. 4: 25, 29. Incipit autem ex abrupto, propter πάθος admirationis: & interrogando, ceu obſtupeſcens ad veſaniam harum molitionum: utitur præterito; ut prophetæ ſolent ob eventus certitudinem, & mox futuro, ob continuationem horum moliminum. Heic notantur non ejuſdem ordinis. Quibus ſuæ ſingulis actiones tribuuntur; ſunt autem

A. *Efficientes*,

א. *Plebeji*, iique tum

a. *Gentiles*, גוים ἔθνη oppoſitè ad Iſraelem: & hi *tumultuantur*, cum tumultu inſano, tantum ſuperbâ rabie ſtimulante, ut milites Pilati, Matt. 27: 27. ſeqq. Joh. 19: 2. &c. ἐφρύαξαν inſtar equorum hinnientium.

b. *Nationes* לאומים Iſraeliticæ, *populi Iſrael*; ob plures tribus, quæ ſingulæ faciebant populum Deut. 33: 3. ex quatuor matribus nati. Et congruit tempori feſti Paſchatis, quando ex omnibus tribubus Hieroſolymam congregati fuerunt, qui pariter Jeſum perſequerentur, tum ex Juda, tum ex Iſraele Jer. 3: 14. &c. Hæ porro *meditantur inania*, variis vaniſque cupiditatibus aguntur; aut loquuntur, nam הגה etiam loqui ſignificat.

ב. *Primates*, qui ſunt

a. *Reges terræ*: ſummæ poteſtatis, ut proprio conſilio ducantur, attamen in terra, extra quam nihil poſſunt. Joh. 19: 11. Herodes, & Pontius Pilatus, & in hoc Tiberius. Iſti ſe ſiſtunt, deliberato agunt, & mutuum ſe exemplo ſaltem excitant, in propria perſona agentes.

b. *Principes*, Conſiliarii, qui decreta cudunt, Sacerdotes & Phariſæi, & totum Synedrium. Qui conſilium ineunt: deliberantes quibus modis & inſtrumentis ei prævalerent; quorum conſiliorum conſultationumque exempla plurima ſunt in hiſtoria Euangelica.

B. *Objectum* contra quem, verſ. 2.

א. *Jehova*, Deus & ſigillatim Pater Dominus vineæ. Matt. 21: 33. &c.

ב. *Unctus ipſius*, Meſſias; non David, ſed ejus filius ſingularis, uti intellectum à Veteribus Judæis.

C. *Finis* ſeu ſcopus, verſ. 3. ut excutiant omnem obedientiam tempore tum I. præſenti, *Dirumpamus vincula ipſorum*, Domini, & Meſſiæ: qui enim uni etiam alteri adverſatur, & qui unum etiam alterum hoſtem habet. Joh. 10: 29. Vincula legum, quibus obſtringuntur ad obſequium, quibuſque continentur ſub jugo ſubjectionis, rumpere decernunt, ne iis teneantur, ſuaque libertas circumſcribatur. Jer. 5: 5. II. *Futuro*, *abjiciamus à nobis denſos funes eorum*, ne unquam iis rurſum innectamur, ut ſi non valeamus frangere illorum robur, ob denſitatem; tamen à nobis removeamus, noſque ſubducamus illorum nexu. Iſtic vis prævalet, hic fraus, dum vires deficiunt.

II. *Irrita reddita oppugnatio*. verſ. 4, 5.

A. *Autor*, verſ. 4. א. *Habitator cœli*, ut Pſ. 123: 1. unus contra multos. Eſa. 40: 22. cœleſtis contra terrenos, Pſ. 115: 3. ſedens contra tumultuantes, concurrentes, meditantes colloquentes conſultantes Pſ. 33: 10. ſeqq. ב. *Dominus*, omnium imperium habens Gen. 14: 19.

B. *Oppugnatio* oppugnantium διήγησις propoſita,

א. *Geſtu*, verſ. 4. *ridet eos*; ſtultitiam & veſaniam, omnia conſilia & molimina; *Subſannat eos*, contemtim & cum exprobratione contumeliosâ. Eſa. 8: 9, 10.

ב. *Voce* verſ. 5. *Alloquetur eos*, increpando nempe, contra vim ipſorum uſurpabit verba; quæ amplificantur. a. tempore, *tunc*, quando furor eorum erit maximus. b. Ab adjuncto, *in irâ ſuâ*, juſtæ vindictæ exercitio.

ג. *Facto*; ita *perterrebit eos*, *conturbabit*, idque *in exoandeſcentia ſuâ*; ut magnitudine iræ Dei animadverſa ad deſperationem agantur. Pſ. 78: 5. &c. Pſ. 78: 14, 15.

II. CONFIRMATIO oppugnati Meſſiæ verſ. 6. ſeqq. cujus teſtis.

I. *Deus Pater* verſ. 6. ubi

A. *Confirmans*, ואני *Ego verò*: per proſopœiam Deus ipſe introducitur, ſuâ autoritate cohibiturus omnem autoritatem humanam contrariam; ut quicquid prætexiſſent, deſerendum ſibi noſſent. 1 Reg. 12: 24.

B. *Confirmatio* eſt, *Unxi*, non oleo externo; ſed deſtinatione, ordinatione, collatione muneris Pſ. 105: 15. Eſa. 45: 1. & dotium neceſſariarum. Eſa. 61: 1. Pſ. 45. 8.

C. *Confirmatus* א. quoad munus, *Regem meum*, ſummæ poteſtatis, & qui à me ſolo accepit regnum. ב. Quoad ſubjectum loci, *Super Zionem*, *montem ſanctitatis meæ*. Eſt autem a. *Zion*, Eccleſia Judæa, quia ſedes religionis ejus in monte Zionis erat; unde petenda erat reconciliatio cum Deo, quia nuſpiam alibi valebant ſacrificia, & inſtitutio, quia ibi ſolum aſſervabantur tabulæ fœderis & interpretationes Moſis ac Prophetarum. b. *Mons ſanctitatis Dei*, ſegregatus ad demonſtrationem præſentiæ Dei gratioſæ Pſ. 132. Non quod intra limites montis clauderetur regnum; ſed quod ibi thronus regni fundatus eſſet, ubi civitas David, & thronus Dei 1 Chron. 29: 23. quod etiam Meſſiæ regnum Luc. 1: 32, 33.

II. *Deus filius*, verſ. 7. ſeqq. qui regnum ſuum aſſerit,

A. *Producendo* inſtrumentum ordinationis, *Recitabo decretum*, quod confirmat illud factum Dei, חק *ſtatutum*, *placitum*, quod legis vim habet. ל חק vel idem quod את Jer. 10: 2. vel pro על quod frequentiſſimum. Vocat abſolute חק citra relationem ad certum aliquem, quia non unius eſt ſtatutum, ſed plurium, ſtatutum fœderis mutui, non ſolius Patris, nec ſolius filii, ſed horum duorum, qui illud erexerunt inter ſe. Quod eſt pactum æternum. Heb. 13: 20. Nam ſtatuta Dei æterna ſunt, πρὸ καταβολῆς κόσμου, Eph. 1: 4. 1 Pet. 1: 19, 20.

B. Illud *publicando*, indicatis.

א. *Autoribus*: nempe *Jehova dixit ad me*, Patrem Jehova dicit, quia hic gratiæ theſaurum aperit, & veritatis. Hic dixit, propoſuit Filio conditiones, quomodo fuit ἀφήγησις diſpoſitio Patris: ſed Filio conſentiente, adeoque ratihabente, facta eſt συνθήκη, & חק *ſtatutum* amborum Zach. 6: 12, 13. fœdus juratum dicitur חק Pſ. 105: 8, 9, 10. hic verò etiam jusjurandum eſt Pſ. 110: 4. Heb. 7: 21, 22.

ב. *Statuto* ipſo, ſeu formula ejus, quo deſcribitur.

a. *Perſona* ad regnum adhibenda, quæ nam ſit: *Filius meus es*; non metaphoricus aut adoptivus, ſed naturalis, *Ego genûi te*, ut ſim proprius tibi pater, tu mihi proprius filius. Et genui te *hodie*; cum decretum iſtud proponeretur ipſi, jam erat, quippe ipſi dicebatur, & erat genitus, nam non cum gignendo, ſed cum genito loqui poterat, adeoque ante mundum conditum. Attamen hodie, quæ æternitatis deſcribendæ ratio ubi nec præteritum nec futurum, ſed conſtans hodie, ſeu præſens tempus.

Referunt iſtud nonnulli ad temporariam manifeſtationem generationis, in baptiſmo Matt. 3: 17. in glorificatione Matt. 17: 5. in reſurrectione Actor. 13: 34. Rom. 1: 4. in exaltatione. Heb. 5: 5. Sed ea non eſt Generatio, & *hodie* reſpicit decreti non externam publicationem, ſed primam, eamque æternam conſtitutionem. Chriſtus non demum in tempore factus eſt rex, ſed gloriam illam habet ab æterno, ex quo fœdus illud iniit, Fuit Rex Zionis, ante adventum in carnem. Eſa. 18: 8. &c. Huc pertinet Joh. 17: 5. hæc non eſt gloria Deitatis, quæ nullius mutationis capax, ut deponi reſumique queat. (Cohibitio manifeſtationis hujus gloriæ, etiam quandoque Patri tribuitur Pſ. 50: 21. Filio tribuitur Phil. 2: 6. &c. ratione œconomiæ mediatoriæ, qua ſervus Patris Eſa. 42: 1, 2. patre eopſe minor Joh. 14: 28.) ſed gloria regiæ adminiſtrationis, qua ſeſe quadamtenus exuerat cum fieret ſervus dominantium Eſa. 49: 7. imo qua exuendus erat, dum contritus ira Dei, lytron animæ perſolveret, ſed poſcit, ut cum glorificaſſet Patrem, præſtita juſtitiæ ejus ſatisfactione ſponſoriâ, viciſſim glorificaretur tum juſtificatione, tum regni ſui mediatorii adminiſtratione reſtituta, ut quod ante fecerat etiam poſt faceret, ſalutem daret ſibi datis ovibus; quæ gloria: ipſi data fuit antequam mundus eſſet. Dictum Act. 13 verſ. 34. non producit Pſ. 2: 7. ad probandam reſurrectionem Chriſti, ſed deſcribendam perſonam ejus: aſt reſurrectio probatur dicto alio, ex Eſa. 55: 4. Pſ. 16: 11. Rurſum Heb. 5: 5. non dicit exaltationem ei collatam hoc effato, ſed collatam ab eo qui hoc dixit, quod ipſum eſt hujus dicti ſcopus.

b. *Regnum*, verſ. 8. cujus

a. Modus conſequendi, de quo dicit, *Tu pete à me, & Ego tibi dabo*: quæ utique ſtatuto ſeu pacto nituntur; *Petere* autem debuit filius, uti pactum habet, vi lytri à ſe exſoluti; Heb. 13: 20. *Dare* quoque Pater, vi ejuſdem accepti: ibid. Paſtor ovium, quas dedit Pater ſalvandos. Joh. 17: 2. ubi pro ipſis mortuus eſſet: ut ipſe morte toleratâ ex pacto petat, & Deus ex pacto petenti donet.

b. Jus impetrandum, quod dicit *hæreditas, poſſeſſio tua*; abſolutum jus, qnod quiſque habet in ſuam poſſeſſionem; & optimum jus, quale hæreditas dat, fraudis ac violentiæ expers. Heb. 1: 2.

c. Territorium notant *Gentes*, contradiſtinctæ Iſraeli, idque ad *fines terræ*. Hoſtes regno Zionis ſpoliatum volebant; ſed non modo hic nil proficiunt, verum etiam riſuri ſunt longè ampliori regno auctum. Luc. 19: 12. Num. 24: 17. &c. Pſ. 72. Zach. 9.

d. Adminiſtratio verſ. 9. victorioſa de hoſtibus, uti Luc. 19: 14, 27. deſtruendo α. efficaciſſime, *Conteres eos ſcipione ferreo.* Dan. 2: 40. β. facillime *ut figuli vas*, teſtam, irreparabiliter *diſſipabis eos.* Jer. 19: 10, 11. Eſa. 30: 14. Græci habent ποιμανεῖ Apoc. 19: 15. cap. 2: 27. nam תרעם ducunt non à רעע *frangere, conterere*; ſed à רעה conjug. Pihel formæ Poked, *accuratè paſces eos.* Cum illud ſit Kal.

III. Exhortatio, ut ceſſent oppugnare Meſſiam, ſed ei ſe obedienter ſubjiciant. verſ. 10, 11, 12. Heic

I. *Qui* monentur verſ. 10. ſunt *Reges & judices terræ.* 1. Quia potiſſimi in oppugnatione, magis deliberato adverſati, cum populus impetu cœco rueret, quâ impelleretur. 2. Quia etiam autoritate & exemplo cæteros ducere ſolent, & in quamcunque partem flectere, Regis ad exemplum &c. Adeoque ſub his intelliguntur, ſubjecti omnes.

II. *Ad quid* monentur, tum

A. *In genere*, quidem, א. *intelligite* ipſimet advertite mentem, & cogitate an tutum ſit contra ſtimulum. ב. *Erudimini*, admittite inſtructionem, convictionem ab aliis, qui melius edocti, vobis ductores eſſe queunt, ſive verbis ſive factis 2. & hoc ob temporis oportunitatem, caſtigationibus inſtruamini. *Nunc.* ſine morâ & dilatione, quandoquidem autoratus eſt & armatus eſt ad tantam vindictam.

B. *In ſpecie*, officia præſcribuntur, reſpectu objectorum quæ oppugnarant verſ. 2. Jer. 30: 9.

א. *Dei Patris*, Jehova verſ. 11. a. Obedientia, *Servite*, ut vos totos ſiſtatis ipſi, excepturi & præſtituri ejus mandatum Rom. 6. & quidem *cum timore*, ſancta reverentia, qua abſtineatur à malo Job. 28: 28. Prov. 8: 13. cap. 14: 2. cap. 16: 6. b. Exultatio, *Exultate*, ſervitus enim eſt filialis Mal. 3: 18. cum delectatione Rom. 7: 22. Pſ. 119: 14. & quidem *cum tremore*, ſancta trepidatione, ex metu filiali profectâ, ne quid admittatur indignum Deo & vocatione ejus. Mal. 2: 5, 6. Phil. 2: 12.

ב. *Meſſiæ*, verſ. 12. ceu Regis à Deo conſtituti, tum officium, Homagium ſubjectionis, *Oſculamini filium.* Quem *regem* dixerat, nunc vocat *filium*; quia in decreto is qui conſtituebatur dominator, declaratus fuit, quod ſit filius Dei æternus: ut hoc nomine ad majorem reverentiam excitentur Matt. 21: 37. (בר Chald. etiam exſtat Prov. 31: 2. Qui reddunt *doctrinam*, בר intelligunt de frumento Jer. 23: 28. Amos. 8: 4. & metaph. doctrinam Prov. 10: 26.) Oſculari eſt homagii teſtimonium; religioſi quidem 1 Reg. 19: 18. Hoſ. 13: 2. politici Gen. 41: 40. 1 Sam. 10: 1.

Argumenta perſuadentia verſ. 12. *A damno* Infidelium cujus א. cauſa, Ira vindex inobedientiæ, ne iraſcatur. ב. Effectus, *& pereatis*; quæ deſtructio illuſtratur *tum* à celeritate, דרך *in vid*, dum in medio eſtis itinere, antequam ad finem conſiliorum perveniatis Pſ. 55. v. ult. *tum* à gravitate. כי *quando*, vel quia *ſi parumper exarſerit ira*; quid ergo ſi omnem vim & potentiam Pſ. 78: 30. exſeruerit. Deus eſt ignis conſumens, Eſa. 33: 14. Heb. 12: 29. *A commodo* fidelium, *Beati omnes qui ſe ad ipſum recipiunt.* Fiducia ergo in filium Meſſiam regem ſalutaris Joh. 3: 16, 36. 1 Joh. 5: 11. &c. & quidem omnibus; non tantum regibus & judicibus terræ, ſed etiam nationibus Iſraelis & gentilibus. Rom. 10: 9. ſeqq.

PSALMUS III.

Inscriptio docet eſſe Carmen inſtrumentis adhibitis canendum, cujus *Autor* David, (ל genitiv. poſſeſſoris notat,) *occaſio* fuga propter Abſolomum, qui regnum occupare nitebatur. Liquet in colligendis Pſalmis temporis ſeriem non obſervatam, nam multi ſunt qui de perſecutione Sauliticâ agunt, hoc utique priores longè. Habet periculum verſ. 2, 3. Fiduciam verſ. 4--7. Preces Davidis verſ. 8, 9.

I. Periculum verſ. 2, 3. declarat querelâ ad Deum ex abrupto cœptâ, quâ proponit Hoſtium multitudinem, verſ. 2. animoſitatem verſ. 2. dum inſurgunt, aucta indies rebellione 2 Sam. 15: 11, 12. fallaciam verſ. 3. ſatagentes perſuadere omnibus, mihi rem rediiſſe ad deſperationem: *Dicunt de animâ meâ*, hoc eſt, de me, לנפשי; nam ipſimet non loquebantur, qui fuga quam longiſſime ſe ſubducebat. *Non eſt ulla ſalus ei*, ne quidem in Deo. Ab hominibus deſtitutum eſſe, toto Iſraele cum Abſalomo faciente; unde qui cum Davide erant non Iſrael, ſed ſervi vel viri Davidis appellantur. Nec minus à Deo, forte quod factum cum Bathſeba & Uria innotuiſſet. Quo facit, quod Sacerdotes cum arca ſe comitaturos remiſerit Hieroſolymam. 2 Sam. 15. quod defertionis argumentum faciebant. Vox *Sela* incertæ ſignificationis, an ad muſicam pertineat & modulamen vocis vel ad materiam & argumentum.

II. Fiducia verſ. 4--7. Quam opponit ſparſo ſæ deſertionis rumori, & quantum in Deo ſecuritatis habeat ediſſerit, *Tu autem Jehova.*

1. *Clypeus circum me*; defenſio à periculis, quæ clypeus arcet; & quidem circumcirca, ne uſpiam nudo latere pateam hoſtibus. verſ. 4. Sic Gen. 15: 1.

II. *Gloria mea*, de cujus præſentia gloriari poſſum; etſi arcæ (quæ כבוד 1 Sam. 4: 21, 22. præſentia deſtituar. Conf. Ezek. 11: 16. &c. Pſ. 56: 5, 11, 12.

III. *Elevans caput meum*; largiens victoriam & honorem illam Pſ. 27: 6. & 110: 7. iſtum 2 Reg 25: 27. qui ſuetus & honorem mihi largiri; evecto ad regnum à minimis initiis, & victorias ab hoſtibus undique.

IV. *Exaudiens preces.* verſ. 5. qui preces meas non ſinit eſſe fruſtraneas, me cum Zelo orante, ipſe, *reſpondet ex Zione, monte ſancto ſuo*, ubi arca erat; tametſi locum illum deſerere cogar, inde tamen habitans inter Cherubim non minus me audit exulem & profugum quam ſi loquerer præſenti; ut 2 Sam. 7: 18. וישב Belgæ **ende bleef**/ proprie ſedit.

V. *Securum præſtans.* verſ. 6. *Ego decumbo, dormio, evigilo*, quaſi in ſumma pace & proſperitate, ſtata ſomni vigiliarumque tempora obſervo, me compono in lectum, capio ſomnum, & rurſum nemine turbante evigilo; longe aliter quam qui metu aliquo torquentur, cujus fiduciæ I. *cauſa*, Dei ſuſtentatio, *qui ſuffulcit me*: II. *effectus operatio*, verſ. 7. etiam in maximis periculis, quando myriades hoſtium, ſe unum firmis caſtris obſidebant; סביב שתו עלי, Sic Pſ. 27.

III. *Preces*, verſ. 8, 9. tum

I. *Pro ſeipſo.* verſ. 8. *Surge Domine, Salvum me fac.* ἀνάστασις, uti ſedens quieſcit, ſic qui ſurgit ſe ad opus accingit: quod eſt Salus afferenda ſibi, quam proinde à ſemetipſo non exſpectat, ceu propriâ ſapientiâ aut robore parabilem. Argumenta autem ſunt.

A. *A fœdere*, quia *Deus meus es*: cujus ſapientia potentia, bonitas &c. meo bono operabitur ex pacto.

B. *Ab experientia*; quia olim hoſtes ſuos domaſſet, affectos pudore, *percuſſiſti eos in maxillâ*, Matt. 26: 68. exarmatos, *dentes impiorum fregiſti*; inſtrumenta quibus valent ad nocendum, eripuiſti, aut reddidiſti inutilia; ut cum cani mordaci, aut feræ dentes comminuuntur.

C. *A certitudine*, quia verſ. 9. *Domini eſt ſalus.* Ille ſolus eſt fons & ſcaturigo ejus, ubi nunquam deeſt, cum nuſpiam alibi ſit certa. Pſ. 60: 13, 14. & 68: 20, 21.

II. *Pro populo.* verſ. 9. *Super populum tuum ſit benedictio tua.* Petit ergo pro rebellibus ſuis, Iſraelitis, non contra eos, quia licet nollent eſſe populus ſuus, erant tamen populus Dei, fœderatus Deo æque ac ipſe, cui ſe Deus dederat paſtorem: eoque & vi fœderis eis poſtulat, efficaci argumento; & poſtulat benedictionem Dei, quic-

quicquid felicitatis à Deo proficiſci poterat, ad beatitudinem populi præſentem & futuram.

Non oſtendit vindictæ cupiditatem, ſed potius benè precatur; quia non deſtructos optabat, ſed reductos ad officium, ut ſibi & ipſis benè eſſet.

PSALMUS IV.

TITULUS habet, I. uſum Pſalmi ſacrum, qui uni præfectorum Muſicorum, alicujus ephemeriæ Cantorum Leviticorum, fuit traditus, quem coram arca, aut in tabernaculo ac templo cani curaret. II. Muſicæ rationem, five בנגינות de inſtrumento accipiatur, ſive de melodiâ, ſive principio alicujus cantici imitandi. III. Autorem, *Pſalmus Davidis*. Scriptus eſt tempore Saulis, cum ob deſignationem ad regnum, à delatoribus aulicis accuſaretur apud Saulem, ceu qui inſidias vitæ & regno ejus ſtrueret.

Conſtat petitione exauditionis verſ. 2. inſtitutione hoſtium, verſ. 3--6. Profeſſione fiduciæ ſuæ verſ. 7--9.

I. *Petitio exauditionis* verſ. 2. quæ

I. *Proponitur*, in clamando me, reſponde mihi, ut non fruſtraneas fundam preces: inprimis quandoquidem hæ ſunt ardentes, clamore neceſſitatem meam oſtendente.

II. *Probatur*, I. *Deus juſtitiæ meæ es:* qui innocentiam juſtitiamque meam, etiam quando ἀντεγκλητικῶς ſpectatur, צדקי (ut in cauſa cum Saulo, qui me ſibi inſidiari credit, & à calumniatoribus in eâ opinione confirmatur,) noſti, & tueris, & vindicas, Judicis אלהים titulo, qui nihil gratiæ, nil odio dat, ſtricto jure agens inter homines mutuum. II. Expertæ defenſionis, *in anguſto*, rebus afflictiſſimis, cum in anguſtias redactus eſſem, vel externas, ut 1 Sam. 19, 23, 24. capp. vel internas animi conſternati, & effugium non invenientis, *dilataſti mihi*, locum dediſti ampliorem ſpacium ad reſpirationem liberiorem; animum præſentem, & erectum. Conf. Pſ. 25: 17. & Pſ. 119: 32.

III. Repetitur, poſtulando I. gratiam meram, II. precationis auditum. תפלה *ſupplicatio* ad judicem; ſic hic. Quamvis autem juſtitia ſua niteretur quod ad Saulem, &c. tamen quod ad Deum indiget gratia, etiam ad auditum precum ſuarum. Joh. 9: 31.

II. INSTITUTIO HOSTIUM, quos per proſopopœiam affatur verſ. 3--6.

I. *Reprehendendo*, verſ. 3, 4. ubi

A. *Quos* increpet, verſ. 3. בני איש *Filii Excellentium hominum*, proceres, primates, aulici Saulis & officiarii. Pſ. 49: 3. Prov. 8: 4. Et hoc titulo eis exprobrat, quod non impleant conditionem nominis, admittentes indigna, ordine & loco ſuo.

B. *Quid* reprehendat, Obſtinationem, & pertinaciam pravarum actionum contra ſe, *Quouſque*? Semel labi, humanum eſt, ſed perſeverare peſſimæ indolis indicium. Erant autem iſtæ I. *Conculcatio gloriæ ſuæ*, ut gloriam boni dominis in ſummum contemtum adducerent, atque etiam gloriam dignitatis & muneris quod habebat in aula Saulis ereptum irent, & ignominiam contra in caput ejus derivarent: vel gloriam regiam, ſibi promiſſam, rebellionis & conſpirationis crimine dehoneſtarent. II. *Cura ſollicita*, eorum quæ huc facerent; nempe (1.) *amor vanitatis*, ut captarent, & avide amplecterentur ac foverent Vanos rumores contra ſe (2.) *mendaciorum ſtudium*, ut nemine quid deferente ipſimet meditarentur, calumnias ad ſuam contumeliam promovendam.

C. *Quibus argumentis* roboret reprehenſionem. verſ. 4. quorum meditationem ipſiſmet commendat, Scitote autem, hoc vel noſtis, vel ſaltem noſſe debetis.

A. *Dei ordinatione*, quod *Jehova ſegregarit ſibi benignum*; me ſcilicet quem benignitate proſecutus eſt, nullo meo merito, ſed mero beneplacito ſuo, ſegregavit ad regnum; contra cujus ordinationem nihil ſuſcipiendum eſt, & tanto minus vobis, quanto aliis debetis eſſe generoſiores.

2. *Ab actione* reſpondente. *Jehova audiet*, quando ad ipſum clamabo; ut quem ſegregavit non patiatur opprimi, ſed quærenti adſit, ne ordinatio ſua irrita reddatur.

II. *Cohortando* ad reſipiſcentiam verſ. 5, 6. nempe ſuadet

A. *Temperamentum iræ*. verſ. 5. *Iraſcimini & non peccate* Eph. 4: 26. ut caveant præcipites motus animi: quando, iram concipiunt haud indulgeant illi, & ex ejus dictamine agant, ſic peccaturos, reatum contracturos. Impedit ira animum &c. Non jubet iraſci, ſed iraſcentes, prædominante affectu invidiæ &c. monet ſapienter ſibi caveant à reatu.

I. *Ira furor brevis eſt, animum rege, qui niſi paret. Imperat, hunc vinclis, hunc tu compeſce catenis.*

B. *Meditationem ſeriam* rei quam gerunt, verſ. 5. *Loquimini &c.* nocturno tempore quando externæ perturbationes ceſſant, & ſolus quiſque ab omni labore quieſcens & ſtrepitu ac arbitris remotis, decumbit, ſecum omnia expendere, & argumenta in utramque partem examinare debent, ſeque ad ſilentium omni murmuri adverſum & in Dei ordinatione acquieſcens componere.

C. *Studium juſtitiæ* verſ. 6. quo dicit, *ſacrificate, ſacrificia juſtitiæ*. Præſtate Deo cultum non tam externum hoſtiarum brutarum, quam vitæ inculpatæ, juſtitiam erga ſe, alioſque exercentes. Pſ. 51: 21. quæ omnibus ſacrificiis præſtantior. Jer. 7: 22. &c. Eſa. 1: 11. &c.

D. *Fiduciam in Deum* verſ. 6. ſiquidem voluntatem Dei faciant *exercendo judicium & juſtitiam*; quamvis ſic videantur deſerere vias emergendi in mundo, ad honores, opes, potentiam; longe ſecuriores fore promotionis, ſola fiducia in Deum, qui obſequentes ſuo mandato, & à ſe pendentes non deſerat, neque deſtituat.

III. PROFESSIO FIDUCIÆ ſuæ, verſ. 7, 8, 9. ad quam accedit per prolepſin, fluentem ex hortatione ultima.

I. *Objectio: multi dicunt, quis nobis videndum, fruendum, dabit bonum.* verſ. 7. Tu nos confidere Deo jubes, ſed quando tum ad boni fruitionem perveniemus?

II. *Reſponſio* triplex

A. *Voto*, verſ. 7. *Attolle ſuper nos lucem faciei tuæ, Jehova*. Da tantum ſentire teſtimonium tui favoris. *Lux* gaudium notat, ſeu cauſam ejus, quia volupe ea frui Eccl. 11: 7. *Lux faciei*, eſt ſerenus vultus, qui amorem favoremque promittit, Pſ. 44: 4. Num. 6: 25, 26. & elevatio ejus, ut videri queat; quemadmodum oriente Sole. Significans Deo favorem teſtante, non eſſe de felicitate dubitandum; ut hoc unum ad impetrationem boni ſit optandum; petendum.

B. *Exemplo*, verſ. 8. *Gaudium mihi creaſti internum*, cordis, omni externo potius, quod mundani homines concipiunt, quando terrenis bonis augentur, & horum incremento ditantur abundantiſſime.

C. *Spe*. verſ. 9. Securitate porrò fruar, ut tranquillum ſomnum queam capere, qui faciat breves tenebras: nulla ſollicitudine me torquente, ut mundanos divites Eccl. 5: 12. Pſ. 127: 2. cujus

Cauſa procreans, Dei ſolius beneficium; qui quod nemo poteſt, ſolus præſtabit, ut cum fiducia & ſecuritate, procul omnibus periculis, habitare queam.

PSALMUS V.

TITULUS ſimilis fere priori, I. Sacri uſus, Symphoniæ magiſtro traditus. II. Speciali inſtrumento attemperatus, quod נחילות dictum, quidam cum חלילי affine putant, tibia, fiſtula, aut ſibilando more apum, ut aliquis Hebræorum, quia נחיל ſonitum earum notat, III. autor David. Ut veriſimile eodem tempore, dum exul erat, perſequente Saule, & calumniantibus aulicis adulatoribus.

Cæterum I. petit audientiam verſ. 2, 3. II. profitetur fiduciam verſ. 4--8. III. precatur pro ſui regimine. verſ. 9--13.

I. PETITIO AUDIENTIÆ verſ. 2, 3.

I. *Proponitur* verſ. 2, 3. triplici phraſi, gradibus diſtincta. *Domine* I. *Verba mea*, ſermones meos, auribus percipe. II. *Meditationem meam*, ſecretas cordis cogitationes, & deſideria, quæ ἀνεκλάλητα ſunt, intellige Pſ. 139: 2. Rom. 8: 26. III. *Vocem clamoris mei*, quando urgente majore neceſſitate vociferor, indigus repentini auxilii, attende, promte percipe, ut *Exauditio* attemperata ſit cuivis conditioni precantis. Eſt autem ἀνθρωποπαθὲς.

II. *Confirmatur* verſ. 3. triplici argumento, reſpondente tribus illis petitionibus. I. *Rex mi*, qui ſermones ſubditorum audire debet Pſ. 20. v. ult. Pſ. 72: 12. &c. II. *Deus mi*, qui καρδιογνώστης ipſa animæ ſuſpiria cognoſcis. Eſa. 65: 24. III. *Ego ad te precabor* אתפלל, ſupplicando judici, & ad te clamando. *Clamare* dicitur, qui jus ſuum poſcit à judice, 2 Reg. 6: 26. cap. 8: 3. Accedit hîc quod nullum alium etiam in futurum compellare velit ad jus conſequendum.

FIDUCIÆ PROFESSIO verſ. 4--8. Deum ſe exauditurum, hanc I. *Teſtatur* verſ. 4. duplici argumento.

A. *Facto Dei*, ad quem ille, *Domine manè audies vocem meam*, audies & tempeſtive audies, oportuniſſimo tempore, Pſ. 46: 6. quando operandi tempus eſt.

B. *Facto ſuo*; de quo ſic; *mane*, *ego ordinabo* אערך inſtruam exercitum *petitionum ad te*, & *ſpeculabor*, quo ſucceſſu ad te veniant.

Hic ordo facti Dei & Davidis, vel dicit exauditionem Dei anteverſuram preces Davidis Pſ. 139: 2, 3. Eſa. 65: 24. vel invitatum iri Davidem exauditione prævià, ut novas preces plures numero fundat, & ſingularem exauditionem auſit præſtolari. Pſ. 65: 3.

II. *Confirmat*, hoc uno argumento, *Deum peccatores non audire* Joh. 9: 31. quod quidem proponit per antitheſin.

A. *Impiorum*, quos Deus non audit, verſ. 5, 6, 7. quod probat

א. *A Dei natura* verſ. 5. nam *non es Deus delectatus impietate*. Non delectari autem hîc odiſſe eſt, averſari, adverſari, ceu naturæ ſuæ contrario. Deut. 32: 9. Hab. 1: 13. eoque ubi impietas, jam cauſa adeſt negandæ exauditionis. Prov. 28: 9. cap. 15: 8.

ב. *A Dei factis* reſpondentibus, per gradationem; diviſi

a. *A præſentia* verſ. 5. *Malus* ſimpliciter, cui deeſt bonitas ſeu rectitudo, לא יגורך *non commorabitur tecum*, ut toleretur in terra tua, in loco Eccleſiæ tuæ, Lev. 25: 23. ubi domum & habitationem tibi ſumſiſti: vel non habitabit te. Deus מעון piis Pſ. 90: 1. Pſ. 91: 9. Deut. 33: 26.

b. *A conſpectu*, verſ. 6. *Inſani*, הוללים non ſolum ſtulti, ſed in ſtultitia ſua furioſi, (Omnes impii *ſtolidi* dicuntur, פתאים Prov. 1: 32. facile perſuaſi, ſimplices, אוילים verſ. 7. item חסר לב *mente captus*, cap. 9: 4, 16. Jer. 5: 21. נבל Pſ. 14: 1. omni ſucco bonitatis deſtitutus, emarcidus, הולל *inſanus*, furibundi more ruens Jer. 8: 6. Col. 1: 21.) non conſiſtent jugiter è regione oculorum tuorum. Licet quandoque propinquent, & miſceantur piorum cœtui, non erit illud perpetuum; Amovebuntur.

c. *Ab effectu*, verſ. 6. פועלי און *operarios iniquitatis*, qui hanc artem factitant, habitum habentes crebris actionibus comparatum: *odiſti*, alieno ab eis animo es, ut male eis velis.

d. *A conſervatione* verſ. 7. *Loquentes mendacium*, filii Diaboli Joh. 8: 44. hoſtes veritatis Rom. 1: 8. 2 Theſſ. 2: 10. &c. *perdes*, deſtrues, ut non ſint ſuperſtites.

e. *A reſtitutione* verſ. 7. *Virum ſanguinum*, איש דמים homicidam, reum effuſi ſanguinis; vel reum criminum, propter quæ ſanguis ipſiuſmet meretur effundi, Lev. 20: 11, 12, 13, 16. & *Virum doli*, fraudulentum, deceptorem: qui vi vel fraude graſſatur contra alios, lupus & vulpes, *abominabitur Jehova*; nunquam favore prono excipiendi, ſed faſtiditi erunt ut & ipſi & memoria ipſorum moleſta ſit, quam horreat ob fœditatem.

Hi vero omnes longiſſimi ſunt ab exauditione Dei.

B. *Sui*, verſ. 8. referens factum geminum,

א. *Acceſſum ad Deum*, dicendo, *ingrediar domum tuam*, ut proximus ſim, & familiaris.

Cauſa impulſiva oſtenditur, *propter multitudinem benignitatis tuæ*, non merito dignitateve propria nixus, ſed ob benignitatem tuam, quæ acceſſus gratiam facit; & quidem multitudinem ejus; quæ dicitur πλοῦτος χάριτος Eph. 2: 4. Pſ. 65: 5. Pſ. 148. v. ult.

ב. *Invocationem Dei*; ait enim, *adorabo*, Supplici geſtu, & in timore tuo, reverenter & obedienter, *verſus templum ſanctitatis tuæ*; ſacrarium quod ſegregaſti, ut tuam præſentiam teſteris, & unde effecta tui favoris procedunt. היכל vocat tabernaculum; neque enim adhuc templum erat exſtructum.

III. PRÆCATIO pro ſui regimine verſ. 9--13. cujus

I. *Propoſitio* verſ. 9. *Domine*, *duc me*, ceu qui mihi ipſi non ſapio, neque ſufficio, indigus alieni conſilii & opis; & quidem tuis. Pſ. 73: 23, 24. Deut. 32: 28.

II. *Confirmatio* à cauſa impulſiva

Interna, בצדקתך *propter juſtitiam*, bonitatem *tuam* gratuitam; alii, *in juſtitia tua*, ut notetur via per quam duci optat, quæ rectitudinis norma à Deo definita.

Externa propter hoſtes meos, שוררי *inſidiatores*, qui oculo maligno me intuentur & obſervant.

III. *Illuſtratio*

A. *Petitionis* eſt, *Rectifica coram me viam tuam*, non quod Dei viæ ſint curvæ & contortæ, Deut. 32: 4. Hoſ. 14: 10. Ezek. 18: 25. quæ corrigi debeant; ſed ut rectas agnoſcat ipſe, neque aliorum fraude ſibi diſtorqueantur, Act. 13: 10. Adhæc ut quicquid difficile in exercitio vocationis religioſæ, id omne planum & facile ſibi reddatur.

B. *Confirmationis*, ab Impulſivâ *externâ*, ſive hoſtibus, quorum

א. *Indolem deſcribit*, ex effectis verſ. 10. juxta Matt. 12: 33. &c. (a) *Oris perverſitate*, nihil ſinceri aut recti loquuntur ſingularis diſtributive ſumendus. (b) *Cordis corruptione* damnosâ. חמרת *calamitates* notat, quarum interiora ſunt ſcaturigines, aliis affligendis. Pſ. 64: 7. & 49: 1. (c) *Sermonis impuritate*; quemadmodum ex aperto ſepulchro fœtor cadaveris exhalat. Eph. 4: 29. (d) Hypocriſi linguæ; quâ blanditias faciunt, ad deceptionem.

Paulus Rom. 3: 13. duo poſteriora membra citat, deſcribens impiorum indolem, non quod ſoli Judæi tales forent, ſed ex verſ. 19. quod iſtis ſolis lex loquebatur: cum vero hi adeo corrupti ſane nihil melius de cæteris hominibus potuit cogitari.

ב. *Petit judicium* & *pœnam* verſ. 11.

a. *Judicium* quidem: *Reos perage eos*, *Elohim*, hoc judicis nomen, qui ſi reos conſtituat, utique ſententia ſua condemnat,

Ratio à conſequente, *Cadant de conſiliis ſuis*, ut nihil eorum ſuccedat, quæ decreverant facere, ſiquidem ſupernores judicio triumpharent.

b. *Pœnam* autem, *Impelle eos*, vehementi impetu, *ut* loco ſuo non maneant

Ratio, ab impulſiva externa, I. *propter multitudinem prævaricationum ſuarum*, (contra de ſe verſ. 8. *gratia Dei*:) II. *quia rebelles ſunt contra te*, eoque & in Deum & in homines injurii.

C. *Confirmationis* ab impulſiva *interna*. verſ. 12, 13. gaudium euchariſticum piorum; ubi

א. *Subjectum*, 1. *qui ſe recipiunt ad te*, tibi confiſi. 2. *Amantes nominis tui*. Fiducia cauſa, amor effectus; poſtquam prælidio fuit, amant Deum, imo nomen ejus, memoriale quodvis, quo cietur ejus recordatio.

ב. *Prædicatum*, I. *lætabuntur*, *corde*, II. *vociferabuntur*, ore. (amplificatum à tempore in ſeculum; fiduciâ nunquam fruſtraneâ. III. *exſultabunt*, geſtu.

ג. *Cauſa impulſiva*, ותסך על ימי *poſtquam obtexeris ipſos* cap. 1. ſæpe pro poſtquam ſumitur. Pſ. 65: 10. & 68: 10.

Hæc illuſtratur verſ. 13. à *Dei facto*, propoſito I. ſimpliciter. *Nam tu benedices juſto*, *Jehova* quem juſtum declararis, ei etiam benedices facto ipſo, cumulans eum bonis: benedicere Dei benefacere eſt. II. Metaphorice, *cinges eum* tanquam coronâ *militari*, 1 Sam. 23: 26. ſed ad defenſionem, *clypeo* quaſi: hujus autem vicem præſtabit רצון *benevolentia*, favor gratuitus, εὐδοκία. Pſ. 3: 4. Gen. 15: 1. quomodo ab omni hoſtili vi atque impetu, ſic præſtatur immunis ut ſaltem ad ipſum non pertingat.

PSALMUS VI.

TITULUS verſ. 1. indicat I. *Uſum* ſacrum, χρῆσιν traditus, II. *Inſtrumentum* muſicum; fidibus, & quidem ſuper Scheminith quam Octavam dicunt, tono altiori. III. *Autorem* Davidem.

Occaſio, morbus gravis, quem nonnulli peſtem fuiſſe cenſent. Sollicitat autem Dei opem, deinde exauditionis ſecurus exſultat.

I. SOLLICITAT DEUM verſ. 2--8.

I. *Propoſitio* eſt varie exornata verſ. 2--5. eſt quippe

A. Du

A. *Deprecatio* verſ. 2. qua deprecatur
Convictionem, } ſed neutram abſolutè, cum beneficii ſit
Caſtigationem } utraque, Pſ. 94: 12. Prov. 3: 11, 12. Job. 5: 17. verum quod ad modum; *ne in irâ tuâ, ne in excandeſcentia tua.* Jer. 10: 14. nam tum deficit homo. Pſ. 39: 12. Ezech. 5: 15. Pii autem liberati ſunt ab irâ 1 Theſſ. 1: 10. Rom. 5: 8, 9. nempe ab irâ compenſante Rom. 2: 5, 6. quamvis iram convincentem etiam experiantur, Pſ. 38: 3, 4.

B. *Petitio*, verſ. 3, 4, 5. qua poſcit

א. *Gratiam* verſ. 3. *Gratiam fac mihi, Domine*; nullo merito nixus, aut dignitate; meræ gratiam opem poſtulat. Ratio, nam languidus ſum, animo nempe, intuente tuam indignationem: quæ gratia erat recreanda. Matt. 9: 2. &c.

ב. *Sanationem* verſ. 3. *Sana me Domine*, יחוה gratiæ nomen eſt, quod repetit, ut magis moveat viſcera miſerationum; Eſt vero ſanatio.

a. *Corporis*, pro qua laborat, *Nam perturbata ſunt oſſa mea*; quod validiſſimum in corpore, ſuſtentando illi faciens, luxatum quaſi locoque motum eſt. Dan. 5: 6.

b. *Animæ*, verſ. 4. quæ affligo corpore affligitur, utpote ſola judicans de dolore eumque rite æſtimans; unde huic tribuit perturbationem majorem, מאד, cum etiam de cauſa mali cognoſcat, & judicet. Amplificatur à diuturnitate, *Tu vero Domine, quouſque?* dilatâ in longum tempus tuâ ope. Prov. 13: 12, 19.

ג. *Subitam & plenam reſtitutionem* verſ. 5. *Revertere Domine*, moras ulteriores abrumpens, accede unde digreſſus videris. II. *Eripe animam meam*, à ſua perturbatione: ut extrahatur ex omni anguſtiâ. III. *Salva me*, conſummate me reſtituendo, ut malis liberatus, ſalutis poſſeſſione fruar. Cauſa impulſiva, *propter benignitatem tuam*, indebitam nempe.

II. *Confirmatio* petitionis, niſi impetret, cariturum Deum laude, quam liberatus Deo ſit redditurus; quod proponit

A. *In theſi.* verſ. 6. *non enim eſt recordatio tui in morte; in ſepulchro quis confitebitur tibi?* Non negat immortalitatem animæ; ſed loquitur de hominibus, hi uti non ſunt, corpore mortuo & ſepulto, ita quoque nihil agunt, nihil ſciunt, Eccl. 9: 5. neque per ipſos vel nomen Domini commemorari, vel ejus beneficia celebrari poſſunt, quod à viventibus fit Eſa. 38: 18, 19. Aſt ſpiritus vivunt, ſed non in ſepulchro, & prædicant Deum: & de his ſeparatis nihil hic dicit. Quo pertinet quod ob promiſſum ſibi regnum, vivus inter vivos illud debebat accipere & Deum eapropter prædicare quod mortuo impoſſibile.

B. *In hypotheſi.* verſ. 7, 8. ſe confici paulatim, ut in ſtatum mortuorum propediem ſit redigendus. nam

א. *Confici ſe gemitu* & lachrymis ob morbi magnitudinem verſ. 7. non tantum gemo, ſed *gemitu fatigor*: non tantum lachrymor, ſed *lachrymis tota nocte* continuatis, & *lectum facio natare, & madefacio ſpondam meam.* Quæ dicuntur per hyperbolen, de uberrimo fletu, qui nocte ſilente, cum alii dormiunt, nec ſolatium præſtant, apud ægros ſolet eſſe copioſior.

ב. *Confici ſe ægritudine* ob hoſtium ἐπιχαιρεκακίαν verſ. 8. *contabuit oculus meus præ ægritudine*, (כעס non iram ſolum, ſed etiam ægritudinem dolorem notat. Pſ. 31: 10.) *conſenuit, propter omnes adverſarios meos.* Sic dolor oculis adſcribi ſolet. Pſ. 112. v. ult.

II. Exsultat ſecurus exauditionis, oppoſite ad hoſtium ſuorum ἐπιχαιρεκακίαν, quibus ſimul inſultat. verſ. 9, 10, 11.

I. *Increpat* hoſtes verſ. 9. *Recedite à me omnes operarii iniquitatis.* Qui accedebant irriſuri, inſultaturi, triumphaturi de ejus nece, jubet ſe recipere & abire, utpote fruſtratos,

II. *Profitetur* exauditionem precum verſ. 9, 10. *audivit Deus* I. *vocem fletus*, II. *petitionem* meræ gratiæ, III. *poſtulationem* judicii juſti contra hoſtes acceptavit, gratam habuit.

III. *Prædicit* hoſtibus confuſionem verſ. 11. *Pudeſient, perturbabuntur, vehementer omnes hoſtes mei; pudefacti reverſentur* ad ſuos, & quidem celerrime, *momento.* Illa paſſi, quæ de me ſperabant.

PSALMUS VII.

Titulo continetur I. *Genus* carminis, ignotum nobis, II. *Autor* David, III. *Occaſio*, directus ad Deum, non ſecus ac alii Pſalmi, ſed hic eo tempore, quo calumniis premebatur, à quodam Cuſchi Benjaminita. Quiſnam ille fuerit, non conſtat; quidam Saulem ipſum notari putant, quem Æthiopem dicat, ab innatâ indole prava, & odio in Davidem æque conſtante ac color Æthiopis. Jer. 13: 23. Amos. 9: 7. Aliis placet fuiſſe tribulem Saulis, nomine Cuſchi, quod proprium quorundam fuit 2 Sam. 18: 21. &c. Jer. 36: 14. regi familiarem, qui detulerit Davidem, velut affectantem regnum, & inſidiantem regis vitæ.

Partes ſunt I. Petit liberationem verſ. 1--10. Teſtificatur fiduciam ſuam verſ. 11--17. III. Votum facit euchariſtias. verſ. 18.

II. Petitio liberationis verſ. 2--10. cujus

I. *Propoſitio.* verſ. 2, 3. ubi

A. *Præſtruit fundamentum*, verſ. 2. fiduciam ſuam, nixam veritate Dei, *Jehova* Exod. 6: 2. & juſtitia, *Deus mi*, אלהי qui judex es & meus quoque; *in te confido, ad te me recipio*; quia talem te fide intueor.

B. Inædificat petitionem, 1. defenſionis, *ſalvum præſta me ab omnibus perſequentibus me*, ne quid valeant damni inferre, 2. liberationis, *& eripe me*, exemtum illorum manibus & poteſtati.

C. Neceſſitatem declarat verſ. 3. à periculo ab illis perſecutoribus imminente; quod ſimili *leonis* illuſtrat; *ne inſtar leonis*, ob robur, & celeritatem, *rapiat* dilaceraturus, נפשי *corpus meum animatum*; neque enim homines plus nocere queunt Matt. 10: 28. dilacerans in fruſta, citra reſiſtentiam etiam alienam, liberatoris alicujus. Leone autem ovem rapturo, feſtinato auxilio opus eſt.

II. *Confirmatio* ducitur

A. *A ſua innocentia* verſ. 4--6. ubi

א. Provocat ad judicium verſ. 4. *Jehova Deus meus*, להים *judex*,

ב. Declarat innocentiam ſub imprecatione ſi falleret;

a. *Recitans* crimina; quæ ſibi adeſſe negat, tui.

a. Speciatim, *ſi feci hoc*, illud cujus ſigillatim inſimulor.

b. Generatim alia, I. injuriæ illationem, *ſi eſt perverſitas in volis meis.* II. perfidiam. verſ. 5. *ſi pacem habenti mecum rependi malum*; quod illuſtrat à contrario; *immo vero qui nullis* aut frivolis *de cauſis mihi infeſtus erat* & anguſtiator, *eum eripui.* 2 Sam. 24. & 26.

b. *Imprecans* ſibi ſub conditione negatorum criminum verſ. 6. (quod ſub ſimilitudine dixerat verſ. 3.) Hoſtilem prævalentiam: *hoſtis* unus qui cæterorum caput & dux, Saul nempe, I. *perſequatur* וירדף tum ipſe, tum alii ipſius mandato, ut ejus inſtrumenta, *animam*, corpus animatum, me vivum, II. *aſſequatur, & conculcet in terram vitam meam*, triumphans de vita mea, eamque adimens, ut cadaver factus in terram redeam Eccl. 12: 7. III. *gloriam meam*, bonum nomen partum vindiciis populi à Goliatho, & Philiſtæis, nec non ſpem regni à Deo promiſſi, *faciat habitare in pulvere*, ut pereat memoria Jer. 17: 13. mecum, citra reſtitutionem; non cadere faciat, ſed habitare, manere iſtic, vel ut infamia notetur nomen, ceu perduellis; quomodo pulvere reſpergi, maledictionis teſtimonium Matt. 10: 14. forte à pœna Serpentis damnati ad pulverem. Gen. 3: 14.

B. *A Dei juſtitia* verſ. 7--10. tanquam judicis; nam

א. Poſcit ut judicem ſe oſtendat verſ. 7. I. *Surge Domine in irâ tuâ*, cum enim per judicium jus dicendum, utique injuria aliqua facta eſt, & ira exercenda contra injuriantem: ſic verſ. 12. II. *Elevare*; ut te ſuperiorem oſtendas, *propter excandeſcentias adverſariorum meorum*: ſive quas tu juſte concepiſti contra illos, quia mihi adverſi uncto tuo: ſive quas ipſe injuſte conceperunt contra me. III. & *excitare*, nulla amplius mora interpoſita, עלי *propter me*, ut עלי; me ſollicitante, ut Luc. 18: 2. &c.

ב. Rationes, poſtulati adducit,

a. *Ab effecto*, verſ. 7. *judicium præcepiſti*: videlicet ut exerceatur ab hominibus, adeoque ipſemet non debes negligere.

b. *Ab adjuncto* verſ. 8. exſpectatione aliorum; *Cœtus natio-*

nationum, Iſraelitarum, qui populi & nationes dicuntur Deut. 33:4. quod ſingulæ tribus populum facerent; Eſau & Jacob ante nativitatem ſinguli appellantur לאום Gen. 25. *circumdabit te*, exſpectans ut tribunal conſcendas tanquam judex & controverſiam iſtam de jure regni decidas adeoque propter illum cœtum *revertere in altum*, Qui hactenus viſus fuiſti deſeruiſſe ſolium judicis. Pſal. 50: 1. &c. verſ. 21.

c. *Ab adjuncto* alio, verſ. 9. conſuetudine Dei, *Dominus judicabit populos*, ידין dirimet controverſias lata ſententia: ceu ſummus judex ſtatuet de omnibus populis, uti judex eſt univerſæ terræ Gen. 18: 25. Rom. 3: 6.

III. *Repetitio* poſtulati judicii,

A. *Quod ad ſe*, verſ. 9. *Judica me Domine ſecundum juſtitiam meam*, & *integritatem meam*, *quæ mihi* adeſt: In cauſa cum Saule & cæteris hoſtibus, ſtricto jure agi optat; ut Deus δικαιοκρισίαν exerceat, reddens unicuique ſecundum opera ſua.

B. *Cæteros* homines, inter ſe mutuò verſ. 10. nempe

א. *Puniendo* ſontes, *abſolvatur finiatur quæſo malum impiorum*, ut nocere amplius nequeant; ut extremus finis imponatur, quod fit exterminatione ipſorum; vel potius quia Hebræis גמר הדין dicitur, quando pronunciata ſententia finis impoſitus eſt judicio, quod tum exſecutioni mandandum] per pœnam malefici condemnati Sanhed. cap. 6. *Conſummetur quæſo malum nocentium*, ut definita per ſententiam pœna in iſtos ſtatuatur: nam judicii deſcriptio eſt.

ב. *Defendendo* inſontes, & *confirmabis juſtos*, qui pronunciati innocentes, non rei; ſententia judiciali confirmabuntur, publico teſtimonio abſoluti.

Argumenta ducuntur I. à Dei omniſcentia, *nam* (etiam rationalis quandoque eſt, Pſ. 1: 3. והיה Pſ. 60: 13. ושוא) *probas*, *exploras* metallorum inſtar, *corda* cogitationes, & *renes*, affectus, ſecretiſſima quæque noſti, & dijudicas, ut de pretio eorum non ſecus ſtatuas, quam de metallis, quæ explorantur. II. à Dei juſtitia, צדיק להים *judex juſte*, Nam vox Elohim, judicium connotat.

II. Testificatio fiduciæ ſuæ, quoad eventum judicii iſtius, verſ. 11. &c.

I. *Ratione ſui*, verſ. 11. *Clypeus meus apud Deum* (על *apud*, *juxta* Pſ. 1: 3. פלגי על Gen. 24: 30.) Defenſio mea apud judicem Deum, ac ſi clypei vicem mihi foret. Kimhi מגני עלי להים *clypeus meus eſt* (fiducia mea) *ſuper Deum*; ut fiducia dicatur clypeus. Argumentum fiduciæ, mos Dei, *ut ſalvatorem rectorum corde*; patronum ſinceritatis & integritatis ſe oſtendat.

II. *Ratione impiorum* verſ. 12. &c. præmittens argumentum fiduciæ morem Dei, verſ. 12. *Deus eſt judex juſtus*; cujus demonſtratio, *nam eſt Deus qui indignatur quotidie*; adeoque non probat, nedum laudat prave facta, ſed teſtatur ſuam eapropter indignationem; Rom. 3: 5. μὴ ἄδικος ὁ θεὸς ὁ ἐπιφέρων ὀργὴν, ex LXX. qui hic ὁ θεὸς κρίνης δίκαιος, καὶ μὴ ἐπάγων ὀργὴν καθ' ἡμέραν: legerunt אל pro אר: ſed Apoſtolus errorem correxit.

Tum recitat proceſſum cum illis, ad illorum.

A. *Everſionem* & interitum; ubi

א. *Conditio impii* verſ. 12. *Si non reverſus fuerit*; eoque non niſi impœnitentes manet tale exitium, reſipiſcentes inveniunt gratiam.

ב. *Factum Dei*, per metaph. armati ad interitum hoſtis ſui, verſ. 13, 14. (1) *gladium ſuum exacuit*, vide Ezek. 21: 9. &c. (2) *tetendit arcum ſuum* (3) *diſpoſuit*, *direxit eum*, ut ejaculetur verſus præfinitum ſibi ſcopum, (4) & *ipſi* לו id eſt עליו *contra ipſum*, *paravit*, *diſpoſuit arma mortifera*, quæ certam necem ferant, (5) *ſagittas ſuas fecit*, *paravit*, *contra perſecutores fervidos*; qui nihil fruſtra facit aut ſuſcipit. Utitur autem promiſcue præteritis & futuris, ut in prophetiis, ob certitudinem eventus.

B. *Confuſionem*, irritis conſiliis & contra ipſoſmet cadentibus verſ. 15. &c. ſub ſimilitudine

א. *Abortientis*, verſ. 15. *Ecce patietur ὠδίνας*, *parturiens jugiter*, *iniquitatem moleſtam*; *Nam concepit laborem* gravem, moleſtum, & qui prævaricationis habet characterem, & *pariet mendacium*, effectu nullatenus reſpondente, omni illi conatui; ut cum abortus editur in lucem. Conf. Jac. 1: 14, 15.

ב. *Fodientis* foveam; verſ. 16, *foveam fodit* & *effodit eam*, profundiſſimam faciens, ne illapſo exitus foret unquam; ſed *cadet in* שחת *foveam* & corruptionem (quia ipſi exitio eſt,) *quam paravit*, *effecit*.

Explicatur autem verſ. 17. *revertetur moleſtus labor ejus in caput ejus*, quod aliis parat in proprium caput recidet, & *violentia ejus*, (חמס injuria, quæ vaſtationem mundo infert, ut opprimantur alii & abſumantur) *deſcendet in ejus verticem*, ut pœnam ferat.

III. Votum gratitudinis, verſ. 18. prædicatio juſtitiæ Dei, ceu judicis integerrimi, *Profitebor Dominum*] *ſecundum juſtitiam ſuam* כצדקו, qui ἀπερισπαστῶς unicuique quod ſuum eſt tribuit. Læta celebratio Dei, *cantabo nomen Domini altiſſimi*. Nomen ſunt, quæ notitiam dant, & dotes, virtutes Dei, ejus benefacta & judicia Deum notum faciunt, ut nomen inde conſequatur, & quidem excelſum, cui nil par aut ſecundum in rebus creatis reperiri poteſt. Sed etiam celſitudo referri poteſt ad actum judicii, quemadmodum petierat verſ. 7, 8. ut Deus thronum conſcendens; ſe oſtenderet judicem juxta exſpectationem omnium, eo nomine proinde nunc celebrandus.

PSALMUS VIII.

Titulus docet I. Uſum ſacrum, Chorago commendatum, II. על הגתית vel inſtrumentum muſicum eſt, aut modulamen, uſurpatum, forte in Gath-rimmon, unde Obed Edom filius Jeduthum, muſicus, in cujus ædibus, aliquamdiu arca fuit depoſita, Gitthæus appellatus eſt 2 Sam. 6: 10. vel quod huic ejuſve poſteris ſit traditus. Sunt qui ad tranſlationem arcæ referunt, cum inde Zionem tranſportaretur. Pſ. 68: 19. ſeqq. Qui ad torcular & vindemiæ tempus referunt, vim & ſcopum Pſalmi non attendunt. III. *Autorem* Davidem.

Propheticus eſt totus de Chriſto, ut liquet ex Matt. 21: 26. Heb. 2: 6. &c. 1 Cor. 15: 21. cujus exinanitio & exaltatio deſcribitur.

Prædicat Euangelium ejuſque doctrinam ſalutarem; cujus

Propositio eſt verſ. 1. commendans

I. *Autorem*, *Jehova*, gratiæ & veritatis titulus Exod. 6: 2. *Domine noſter*, fœderis titulus, Mal. 1: 6. Pſ. 113: 1. &c. Deſignatur autem Meſſias, qui ſpeciali jure acquiſitionis Dominus eſt Eccleſiæ, Act. 2: 36. cap. 5: 31. Conf. Act. 10: 28. Tit. 2: 14. Luc. 6: 46. nec non Jehova κύριος appellari ſolet.

II. Ejus *patefactionem* per Euangelium, *quam magnificum* &c. ubi res patefacienda, *Nomen tuum*, per quod aliquis innoteſcit. Euangelium nihil aliud quam patefactio Nominis Chriſti. Act. 9: 15, 27. cap. 8: 12. cap. 4: 17, 18. cap. 5: 28, 41. Luc. 24: 47. II. *Patefactio* ipſa, *quam magnificum eſt*, ut dignitas ejus patefiat & agnoſcatur, אדיר denotat majeſtatem divinam hoc loco, quia Jehova eſt, & interrogatio facit ad amplificationem, velut deficientibus verbis ad expreſſionem pleniorem; Joh. 1: 14, 50. cap. 12. Matt. 9: 2. &c. Luc. 7: 16. III. *Subjectum* publicationis, *in univerſa terrâ*: ubi prædicandum fuit Euangelium, ſeu nomen Chriſti. Phil. 2: 9, 10. Act. 4: 12. Luc. 24: 47. Act. 9: 15.

III. *Salutem* conſummatam, propter dare, (quia dediſti, poſuiſti) *majeſtatem tuam glorioſam ſuper cœlos*. ם ſuam communicavit Moſes Joſuæ Num. 27: 20. Hæc eſt Joh. 17: 22, 24. Quæ in cœlis ſervatur 1 Pet. 1: 4. 2 Cor. 5: 1. Col. 3: 1. &c.

Confirmatio ducitur

I. *A præconum conditione* verſ. 2. *Ex ore infantium* &c. Horum indicat I. Perſonas *Infantes ſeu pueruli* potius ætatis teneræ, qui aliquid agunt tamen, imo vere infantes quoque, qui in ipſo partu moriuntur Job. 3: 15. & *Lactentes*, ab uberibus maternis pendentes, alius alimoniæ faſtidientes, II. Inſtrumentum ipſorum, *Os*, non manus nedum arma talia, manibus addenda. III. Efficaciam, *Robur*, validæ actio, quæ ſucceſſum habeat, IV. Autorem efficaciæ, *Tu Jehova Domine noſter*, Meſſias ipſe, *fundaſti robur*; non dediſti tantum, inde à primis initiis, qualia ſunt fundamenta, ſed etiam firmitatem conſtantem addis, ut ſit robur fundatum, inconcuſſum, quod everti nequeat, V. Impulſivam externam, *propter adverſarios tuos*, VI. finem, *ad ceſſare faciendum hoſtem*, & *ſui ipſius vin-*

vindicem, aut meram ultionem ſpirantem frequentativo ſenſu.

Secundum literam id factum Matt. 21: 15. &c. puerulis in templo Chriſto acclamantibus Hoſanna filio Davidis; indignantibus frementibuſque Sacerdotibus & Scribis, Jeſus hoc impletum dixit; ubi tamen pro יסרת עז legitur καταρτισω αινον. Robur enim Domini eſt materia laudis, & in illa laude animadvertitur robur Dei in infirmis glorioſum 2 Cor. 12: 8, 9. Quod vero conſummatum eſt, & apte conſtitutum, bene fundatum ſit oportet.

Sed fit etiam in prædicatione Euangelii ordinariâ; ubi Pueruli, quod ad ſapientiam mundi 1 Cor. 1: 24. &c. idiotæ indocti Act 4: 13. & Lactentes, non niſi ſincero lacte verbi Dei paſti 1 Pet. 2: 2. 2 Tim. 3: 15. &c. 1 Cor. 15: 1. &c. Act. 26: 22. Inſtrumento oris, verbo prædicationis efficaciſſime, magno & irreſiſtibili robore, agunt Pſ. 149. 2 Cor. 10: 4. &c. Heb. 4: 12. efficacia Dei tamen 1 Cor. 1: 24. cap. 2: 5. cap. 15: 9. Rom. 15. aptos idoneoſque reddente 2 Cor. 3: 5. &c. 2 Tim. 3: 16, 17. ad confuſionem adverſariorum omnium, qui ſe oppoſuerunt Euangelio 2 Cor. 10: 4, 5. Luc. 21: 15. Act. 4: 6, 7. &c. hinc 2 Cor. 2: 14. &c.

II. *A ſumma Euangelii*, verſ. 4. &c. cujus

A. *Occaſio* meditandi. verſ. 4. *Quando intueor* &c. Noctu hunc Pſalmum compoſitum putant, quia ſolis nulla mentio; qui potiſſimum memorandus fuiſſet inter luminaria, ut Pſ. 19: 5. ſed cum non creationem meditetur, verum Euangelium, alia cauſa eſt, quam ex Gen. 15: 1, 5, 6. petendam reor. Deus promiſerat Abramo, ſe eſſe ipſi clypeum, & mercedem magnam valde, verſ. 1. tum juſſit intueri cœlum, & numerare ſtellas, addens כה יהיה זרעך *ſemen tuum erit ſic*, ut ſtellæ quod ad numerum, & hic in cœlo, quod ad locum, Heb. 11: 10, 14. &c. proinde cœlum & ſtellæ Abrahamo ſeminique ejus ſunt ſignum divinitus inſtitutum promiſſionem illam utramque confirmans (non aliter quam iris, promiſſionis de non reducendo diluvio Gen. 9.) & Pſaltes hic eo fine intuetur, I. cœlum, opus digitorum Dei Heb. 11: 10, 16. II. lunam & ſtellas: ſed ut occaſionem præbentes meditationis de potiore promiſſione, & quæ harum fundamentum, conciliatione cum Deo per Chriſtum, qui foret & Clypeus contra ultiones iræ quoque divinæ, & merces maxima, felicitatis collatione; quæ in Chriſto contemplatur; quo admirabundus accedit, dum conſiderat, quæ fuerit ratio iſta parandi.

B. *Res ipſa* eſt, in deſcriptione Meſſiæ

א. *Exinaniti*. verſ. 5, 6. De Chriſto agi docet Apoſtolus Heb. 2: 6. &c. nam ab hoc verſu orditur, & valet regula Eph. 4: 9, 10. Declarat autem

a. *Exinanitam perſonam*; nominibus אנוש *homo calamitoſus*, connotat ſemper miſeriam, ex peccato ortam, Talis Chriſtus magis quam ullus alius, ob reatum non proprium merito, ſed proprium imputatione, quomodo nemo unquam ipſi miſeria par Pſ. 22. Eſa. 43. בן אדם *filius hominis*, naturæ origine; hic titulus Chriſto familiaris in N. T. Joh. 3: 14. ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου non denotat Adamum, ſed hominem, quomodo etiam mulier homo eſt; nam eſt ſemen mulieris, citra viri cooperationem; non autem Adami.

b. *Exinanitionis gravitatem*; *quid eſt &c. ut ejus recorderis?* Reatus enim videbatur oblivionem æternam allatura, & ut nunquam viſitaretur? qnemadmodum qui pro ſe ſolvere debent, in æternum deſeruntur: ſed ſimul habet fidei profeſſionem, quid eſt &c. ut licet ſummis calamitatibus obrutus viſitetur. Matt. 27: 46.

Exinanitionis cauſam. verſ. 6. *nam deficere feciſti eum paruum præ* אלהים. Deus ipſe intulit omnem illam calamitatem; Nequit id dici de homine primo; Deus illi non intulit defectum, niſi ad dominium ſolum reſtringatur, ſed ipſemet homo abjecit ſuam excellentiam Eccl. 7: 29. Verum imminutionem illam ſubiit Meſſias ab ipſo Deo, Heb. 2: 9, 10. Imminutio autem iſta conſtituitur abſolute in paſſione mortis, & quidem vicariæ, ut pro aliis eam guſtaret, & hac paſſione conſummaretur, relatè ad Elohim, qui Angeli Heb. 2: 7, 9. neque enim angeli beati eam mortem ſubeunt unquam, confirmati à Deo. Vel etiam cæteræ perſonæ Deitatis Phil. 2: 6. &c. quomodo Deitas perſonæ imminutæ ſimul patet; factus enim minor Patre Joh. 14: 28. ejus ſervus Pſ. 40: 7. gloriaque ad tempus privatus Mediatoria Joh. 17: 5.

ב. *Exaltati*, verſ. 6. &c. quoad

a. *Perſonam*, verſ. 6. *gloria & honore coronaſti eum*: quæ eſt gloria exaltationis ejus, tum dignitatis reſpectu, Heb. 2: 9. Joh. 17: 5. tum efficaciæ ſalutaris Act. 2: 36. cap. 5: 31. quæ duo conjunguntur. Phil. 2: 9.

b. *Dominium*, *in genere* verſ. 7. quatenus ſpectat rectorem, *dominari feciſti ſuper opera manuum tuarum*; & regendos, *omnia ſubjeciſti pedibus ejus*. Phil. 2: 10. Dominium iſtud non eſt pars gloriæ donatæ, ſed conſequens ejus; quod docet Apoſtolus Heb. 2: 8, 9. Indies procedit in ſubjiciendo ſibi omnia, ſed nondum habet ſubjecta, ſaltem de facto; quamvis jure donatus ſit. Etenim intelligitur ſubjectio non qua creaturæ Deo; quam nunquam amittere poteſt, aut creatura declinare; ſed ſubjectio voluntaria, Phil. 2: 10. Eſa. 45: 23.

In ſpecie verſ. 8, 9. inductione, animalium (α) terreſtrium; *greges & armenta univerſa*, *& beſtiæ agri*; (non dicit feræ) (β) volucrium & Aquatilium; quorum hæc non niſi per undas ambulant, in ſicco non morantes. Spectat autem hoc dominium tempora reſtitutionis omnium, quando creatura vindicabitur à ſervitute corruptionis & vanitatis in libertatem gloriæ filiorum Dei Actor. 3: 21. Rom. 8: 20. &c.

Conclusio habet repetitionem propoſitionis, quod ad partem primam verſ. 10. ut quo cœpit in eodem deſinat.

Quidam hunc Pſalmum dictum putant proprie de hominibus, per accommodationem autem de Chriſto: ſed præter Apoſtoli interpretationem Heb. 2. nequit dici de homine integro 1. vox אנוש 2. recordationem & viſitationem ejus à Deo eſſe admirandam, Gen. 1: 31. 3. τὸ ὑστέρησας αὐτὸν quod rei quam habebat imminutionem denotat. 4. exaltatio poſt imminutionem. 5. verſ. 2. cum nec infantes eſſent, nec hoſtes. Neque etiam de homine corrupto, I. imminutio infra angelos, qui nunquam iis par, II. exaltatio, III. nec de uno, nec de omnibus illorum, adeoque ſoli Chriſto convenit.

PSALMUS IX.

Titulus ſimilis prioribus, I. *Uſu* ſacer, traditus *præfecto chori*, & quidem in ſpecie לבן *Ben*, 1 Chron. 15: 18. quem ob homonymiam vocis בן, cum articulo deſignat, & על מות יחד diviſim pro עלמות muſico inſtrumento; quo vocis acumen notetur qualis virginum, ſive juvenum; aut initium melodiæ Kimh. II. *Occaſio* על מות לבן *propter mortem*, non Nabalis per metathefin, neque enim tantæ potentiæ hoſtis fuit, ſed potius Goliathi, quem putant לבן dici, quia fuit איש הבנים *medius*, & qui pro Philiſtæis ſponſionem fecit, utrobique jod deficiente. Complectitur autem ſimul Philiſtæos cæteroſque hoſtes Iſraelis. III. *Autor* David.

Partes duæ I. Gratiarum actio pro victoriâ verſ. 2--13. II. Petitio auxilii in futurum verſ. 14--21.

I. Gratiarum actio verſ. 2--13. habet

I. *Celebrationem* Davidis ipſius verſ. 2--11. cujus

A. *Propoſitio* verſ. 2, 3, 4. qua teſtatur

A. *Factum ſuum*,

א. *Prædicationem* verſ. 2. I. Internam, *celebrabo*, *confitebor Dominum toto corde*, ſinceritate integrâ, non partitus animum aut affectum. II. externam, *recitabo*, *enarrabo omnia mirabilia ejus*, Victoriam miraculoſam, quod ad omnes circumſtantias 1 Sam. 17.

א. *Lætitiam* verſ. 3. internam, *gaudebo & exſultabo in te*, *propter te*, ut mihi ſis materia gaudii, effector victoriæ, quam conſecutus exſulto. II. externam. *Cantabo nomen tuum*, modulamine vocis & inſtrumentorum. *O Excelſe*, qui ſuperior omnibus, cadentibus ſub te hoſtibus.

B. *Beneficium* Dei verſ. 4. in hoſtium I. fugâ; poſtquam *averſi fuerint* hoſtes mei *retro*, ב *poſtquam*, Pſ. 51: 2. II. clade, *impingent & peribunt*; vel per præteritum, *averſi ſunt*, *impegerunt*, *perierunt*; quod ſæpe fit, Pſ. 104: 7. nam præteritum beneficium prædicat. Illuſtratur ab autore Deo, *à facie*, *vel irâ tuâ*, quæ terrori eſt, inque fugam conjicit hoſtes Pſ. 18: 68, 76.

B. *Confirmatio*, à juſto Dei judicio, declarato

א. *In hypotheſi*, quoad ſe, ſuoſque hoſtes, verſ. 5, 6, 7.

a. *Quoad ſe* verſ. 5. *Feciſti judicium meum & cauſam meam*;

meam; facere eſt cauſam in judicium deductam cognoſcere, deque cognita pronunciare, & pronunciatum exſequi. Cum enim contra Goliathum ageret cauſam Iſraelis, an tenerentur Philiſtæis ad ſervitutem, & monomachia horum duorum res eſſet terminanda, ſummi judicis Dei erat (conf. 1 Sam. 14: 41.) dirimere controverſiam; atque huc facit amplificatio à Dei actione, *Conſedisti* לכסא id eſt על כסא *ſuper throno*, in tribunali, *judex juſtitiæ*, צדק, qui ἀκριβοδίκαιον obſervat in ſuo judicio, nihil gratiæ dans, nihil odio.

b. *Quoad hoſtes* verſ. 6. per partes, (1) *increpaſti Gentes*, non externo verbo, ſed facto externs eos, 1 Sam. 14. cap. 17: 51: 52. גער cum ב verbalem ſine eo realem increpationem habet. (2) *Perdidiſti impium*, *nocentem*, Goliathum, qui provocarat, & Deo atque Iſraeli maledixerat. (3) *deleviſti memoriam illorum in ſeculum & ſempiternum*, quæ glorioſa foret, & terribilis Iſraeli; nam ab eo tempore defecit Philiſtæorum potentia.

Amplificatur ſarcaſmo verſ. 7. *O hoſtis* (Goliath,) *finitæ ſunt vaſtationes in perpetuum, & urbes quas diruiſti, ut earum memoria cum illis perierit.* Sive de vera & præterita clade loquatur 1 Sam. 13. ſive de futura, quam Goliath minabatur cap. 17. Utraque enim ceſſabat, ipſo cæſo.

ב. *In theſi* verſ. 8--11. deſcribens

a. *Judicem* verſ. 8. *Dominus autem in æternum manebit*, (hoſtibus & violentia eorum deſinente Eſa. 51.) *parans, ſtabiliens, ad judicium ſolium ſuum*, Manet ſemper & manet Judex. כוננ ישב ſignificat עמידה וקיום conſtantiam Pſ. 102: 13, 27.

b. *Judicium* verſ. 9. quod

a. Univerſale, *judicabit ipſe*, תבל ἐπικρίνω; *mundum habitatum* ab hominibus, Pſ. 24: 1. & לאומים *nationes*, omnes populos; nullus locus, nulla gens privilegio aliquo eximetur ejus juriſdictioni, ut non poſſit, aut non velit de iis ſententiam ferre.

b. Juſtiſſimum, *judicabit* בצדק ἀκριβῶς, *ſtricto jure*, & במישרים *in rectitudine* & æquitate, ut nihil diſtortum aut iniquum in ejus judicio notari queat, Deut. 32: 4.

Illuſtratur juſtitia & æquitas

α. *Ab objecto & actione* circa illud verſ. 10. *Objectum* eſt דך *tenuis, attritus*, oppreſſus potentioris violentia. *Actio* Dei; *Erit locus editus* illi tenui, altior periculis, ut ab iis queat eſſe immunis: amplificatur à temporis circumſtantia, Editus locus in anguſtia, temporibus oportunis; quando calamitas ad ἄκμὴν pervenit, & omnia habentur deſperata, aut quandocunque oportunum eſt, tenui præſtare defenſam. Debet enim judex afflicto & oppreſſo defenſionem, eamque tanto magis evidentem, magiſque feſtinatam, quanto periculum eſt gravius.

β. *A conſequente* verſ. 11. fiduciâ bonorum de judice iſto, ubi (1) factum, *confident in Domino*; *facientes, qui norunt nomen tuum*; qui notitiam habent & experientiam tuarum perfectionum, unde denominaris; itemque qui te eapropter amant, diliguntque (2) Ratio facti, *quia non deſeruiſti requirentes* te Domine. Hoc norunt, experti ſunt, amant, quod quærentes Deum eum inveniant promptum. Eſa. 45: 19. cap. 55: 6. 2 Chron. 15: 2. 1 Chron. 28: 9. Lam. 3: 25, 26.

II. *Cohortationem aliorum*, ad laudes Dei verſ. 12, 13, cujus

A. *Propoſitio* verſ. 12. qua jubet hoc opere defungi

א. Coram Deo, *Cantate Domino*, *Pſalmodiâ*, & *voce cantus*. Deſcribit autem Dominum, *Habitator Zionis*, qui iſtic domicilium fixit. Etenim David potitus Hieroſolyma in monte Zionis collocavit Arcam fœderis, cujus operculo incubabat teſtimonium præſentiæ Dei, aut *Habitator Zionis quivis cantate Domino*; quotquot Eccleſiæ eſtis membra, cujus Zion mater eſt, utpote ſedes ſacrorum, cum omnium interſit populum Iſrael vindicatum eſſe ab hoſte terribili. Unde porro colligitur, licet reſpiciat Goliathum hoſtem, tamen non niſi à Rege Davide Pſalmum ſcriptum, aut ſaltem traditum muſicis ſacris, quando forte nonnulla interpolata.

ב. Coram aliis, *Indicate inter populos*, tribuum Iſraelis. Deut. 33: 3. Act. 4: 27. *actiones ipſius*: quæ patrarit in exercendo judicio,

B. *Confirmatio* verſ. 13. ab actibus judicialibus,

א. Circa malos, *Requirit ſanguines*, crimina animæ reatum habentia, inveſtigat ad ultionem ſumendam Gen. 9: 6. ubi omnia occulta ſunt hominibus, recordatur eorum, quando manifeſta, ut non tradat oblivioni, ſinatque abire inulta Pſ. 50: 21.

ב. Circa bonos: *non obliviſcitur clamoris manſuetorum pauperum*; quos afflictio humiliavit, ut non poſcant niſi ſupplices gratiam; aut qui innocentes ſunt, manſueti, neminem offendentes, ſed cedentes, iſtic clamantibus ob injuriam, quam inferunt mali, audit, & licet differat non negligit, ſed exaudit.

II. Petitio, verſ. 14--21. inſtituitur

I. *Pro ſe* verſ. 14--19. cujus

A. *Propoſitio*, verſ. 14. qua petit I. gratiam, *Gratiam mihi fac*, nullo merito, aut dignitate nitor, ſed à mera gratia iſta mihi præſtari opto, *Jehova*, quod nomen gratiæ & veritatis, promiſſionum gratiæ complementum addicens. II. Opem, *Vide affictionem meam*, *ab Oſoribus meis*, quam nempe patior, cognitio autem Dei ſufficit, quia juſtus illico adminiſtrat judicium Gen. 18. Pſ. 25: 18. &c. *Elevans me ex portis mortis*. Qui jam ante ex graviſſimis periculis me liberaſti, & me iis omnibus ſuperiorem conſtituiſti. *Ad Portas mortis venire* eſt in extremo periculo conſtitutum eſſe Pſ. 107: 18. ut qui pervenit ad portas carceris, imo ad locum ſupplicii, ad ſcalas, ad laqueum. *Portæ* etiam notant robur, ſapientiam, juriſdictionem, quia judicia habebantur in *portis*: & *portæ mortis*, ejus ſapientia & potentia: Matt. 16: 18. Hiſce ſuperior eſt, qui juſtificatus.

B. *Confirmatio* ducitur *à fine*, gemino verſ. 15. α. Laude Dei, *ut recitem omnem laudem tuam in portis filiæ Zionis*. Intelligit tabernaculum Arcæ conſtructum, quo conveniſſe veriſimile eſt. Et has portas opponit portis mortis; in iſtis nulla fuiſſet recordatio Dei Pſ. 6: 6. ceu ſalvatoris, ſiquidem excifus fuiſſet de terra viventium: aſt nunc inde exaltatus in portis Zionis celebrat laudes liberatoris Pſ. 116: 7, 8. &c. Filia Zionis eſt Zion, ſic filia Hieroſolymorum. β. Lætitia ſua, *exſultabo in ſalute tuâ*, vel *propter eam*: quam multipliciter expertus erat.

Amplificatur finis iſte *ab objecto* laudis & lætitiæ.

a. *Præterito*, verſ. 16, 17. quod ad hoſtes, triplici metaphora, α. à venatione, *Gentes demerſæ ſunt in foveam quam fecerunt*; ut venatores foveam fodiunt ad capiendas in ea feras; β. ab aucupio, *in reti quod abſconderant captus eſt pes eorum*; ab eodem, illaqueatus eſt impius in opere manuum ſuarum. Dum omnem artem adhibent, inſidiando, propriis inſidiis irretiti ſunt & capti; quod ad Deum, *Innotuit Deus dum judicium exercuit*: unde factum ut ſuis conſiliis perierint gentes. Pſ. 50: 21. &c. Additur הגיון ſive ad muſicam faciat, ſive epiphonema ſit, materiæ commendandæ ergò.

b. *Futuro*, verſ. 18, 19.

α. *Quod ad impios* verſ. 18. quos vocat *impios*, *nocentes*, & *gentes oblitas Dei*. Conjunguntur iſta Pſ. 50: 16, 22. Gentibus tribuitur oblivium Dei, cum Deum non cognoverint, quia naturalem notitiam amiſerunt, & revelatam non ſunt conſecuti Rom. 1: 21. Gal. 4: 8. His tribuit, *Avertentur* לשאולה *verſus ſepulchrum verſus*. Pleonaſmus motus ad locum Kimhio eſt in infimas partes ſepulchri, vel ſtatus mortuorum; Conf. Deut. 32: 22.

β. *Quod ad pios* verſ. 19. (ſub forma argumenti confirmantis judicium in impios. Illos vocat אביון *Egenum*, deſiderantem boni: qui caret & inopiæ remotionem ex gratia optat, item ענוי *manſuetos*, qui humiles ſunt ex afflictione quam ſenſerunt. Tribuit, (1) *non in æternum oblivioni eſſe dandos*: quod quidem videtur florentibus impiis oppreſſoribus. Mal. 3: 16. &c. (2) *non* (quod תקות אבד repetendum) *peribit in perpetuum ipſorum ſpes*. Habet enim etiam ſpei ipſorum Deus rationem. Pſal. 33. verſ. ult. Rom. 5: 5. Negationis repetendæ exempla ſunt, Job. 30: 20, 25. cap. 31: 20. Pſ. 13: 5.

II. *Contra hoſtes* verſ. 20, 21. poſcit

A. Dei promtam opem verſ. 20. *Surge Domine*, rumpe moras, nec quieti ultra indulge. Ratio: *ne roboretur homo calamitoſus*. Homo miſerabilis alioqui ſibi vendicabit robur, inſoleſcet, & eo robore utetur ad opprimendos bonos, ſed te modo ſurgente, mox concidet omne illud robur Pſ. 68: verſ. 2. אנוש & עז oppoſita, ille ſe confirmat adſcititio robore.

B. Dei judicium in gentes verſ. 20. *Judicentur Gentes*, *coram*

coram facie tua, עד pro ל. vel על פנין *juxta iram tuam*, aut *propter iram tuam*, qua ferves contra omnem impietatem Pſ. 7: 12.

C. Dei terrorem verſ. 21. *Pone eis terrorem*, מורה pro מוראה, ut exterreantur tum judicis majeſtate tum judicii ſeveritate Apoc. 6: 15. &c. Ratio, *ut ſciant convictæ gentes ſe non niſi* miſeros calamitoſoſque *homines* eſſe, adeoque qui fruſtra ſe opponant Deo, & iis qui Deo chari ſunt. Quia מורה legitur Græci habent νουθέτλω. ſic

D. Dei inſtitutionem, *Pone eis doctorem doctrinamve*, ut erudiantur verbo, & convincantur ſuæ fragilitatis, quomodo ſe ſubjicient Deo, & abſtinebunt ab inſolentia fiduciaque ſuarum virium, Deo autem ſe ſubjicient.

PSALMUS X.

Ἀνεπίγραφον eſt; Græci eum cum priori conjungunt, unde turbatus numerus, qui hinc diſpar eſt in Hebræis Græciſque codd. & qui hos ſequuntur.

Pertinet ad tempora perſecutionis Sauliticæ, quando mota diuturniore felicis κωλοτροφίᾳ, angebatur David & qui cum eo erant.

Conſtat I. querela ob dilatam opem verſ. 1--11. II. petitione auxilii verſ. 12--15. III. profeſſione fiduciæ. verſ. 16. &c.

I. Querela verſ. 1--11. de dilata ope

I. *Proponitur* verſ. 1. per interrogationem, qua animi contriſtati & cum deſertionis divinæ metu luctantis πάθος exprimitur. Queritur autem de Dei

A. Longinquitate, *quare Domine conſiſtis è longinquo?* qui autem eminus diſtat, nec videt, nec audit accurate quæ fiunt: unde nec iis afficitur.

B. Occultatione, *occultas te*; illud caſu, hoc conſilio fit, ſtudio te avertis, quod nolis turbari tuam tranquillitatem, ne quidem alienæ calamitatis intuitu: & quidem 1. temporibus maxime oportunis, ad ferendum auxilium, 2. dum calamitas noſtra maxima eſt. Omnia ἀνθρωποπαθῶς. Longinquitas eſt Hoſ. 5: 15. & cap. 9: 12. Occultatio oculorum Iſa. 1: 15. aurium Lam. 3: 56.

II. *Confirmatur* à deſcriptione hoſtium, & indolis ac actionum ipſorum, & quidem

A. *In genere* verſ. 2. *Impius perſequitur fervide* (Pſ. 7: 14.) *pauperem in ſuperbiâ*, ſuperbe, magna animi elatione: vel *in ſuperbiâ impii perſecutionem eam patitur pauper*. Ubi ſimul cauſa impulſiva perſecutionis, mera ſuperbia & faſtus; nam commodi à paupere devicto nihil ſperandum ipſi; neque pauper ipſi metuendus, utpote impotens: ſed faſtus inſolens dictat hoſce actus.

Addit votum, *Capiantur*, *apprehendantur in ſuis molitionibus*; ut conſilia conſultoribus peſſime cedant, ut Pſ. 9: 16, 17. Pluraliter autem loquitur, ut cum impio Saule complectatur conſiliarios & miniſtros. מזמות cogitationes meditatæ, ſive bonæ Prov. 1: 4. ſive malæ ut hoc loco.

B. *In ſpecie*, quoad actiones

א. *Intrinſecas* verſ. 3--6. quales ſunt

a. Gloriatio in propria malitia, verſ. 3. *Nam impius gloriatur ſuper deſiderio animæ ſuæ*. Placet ſibi in ſuis cupiditatibus.

b. *Voluptas* in malitia alienâ: benedicit avaro; apud quem radix eſt omnis mali 1 Tim. 6: 9. quique eam habet germinantem & fructificantem, imo gratulatur illi, nam hoc etiam ברך denotat 2 Sam. 8: 10.*

c. *Contemtus* Dei, *irritat Deum*, provocat illum, ceu qui impotens ſit ad defendendos eos quos avarus opprimit, cui de victoria quaſi gratulatur.

d. *Faſtus* verſ. 4. *Impius in elatione iræ ſuæ*; vel *naſi ſui*; geſtus ſuperbiæ jactando caput naſum extollere, quando concipit iram, & indignationem, vel *cum ſuperbia* urget, dominatur, adeo inſolens eſt, ut omnia inſuper habeat, nulla Dei hominumve cura aut metu tangatur, *nullatenus inquirit*, ut quid jus, & æquum ſit cognoſcat, aut quid ſecuturum ſit meditetur juxta illud, *ſic volo ſic jubeo* &c. Kimhius non inquirit, ideſt, non invocat Deum. *Imo Deus Elohim*, judex, *non eſt in ullis cogitationibus ſuis*. Ellipſis ב, quaſi non eſſet, ſic de eo non cogitat.

e. Aut, *non eſſe Deum ſunt omnes cogitationes ejus*, quomodo foret *Atheiſmus*: abnegatio Dei, non abſolute ſed quod ad providentiam ejus & gubernationem mundi, ut verſ. 11: 13. docent, ut unicuique quod vult facere liceat. vid. Pſ. 58. v. ult.

f. *Inſolentia* tyrannica. verſ. 5. *Viæ ejus*, inſtitutum vitæ, non ſolum externo opere, ſed etiam interno animi propoſito, cum etiam cordis viæ ſint Eccl. 11: 9. Eſa. 57: 17. *ſemper ſunt dolorificæ*, quæ damnum aliis meditantur. Vel *proſperitas*; *omnes viæ ejus* יחילו enituntur partu omni tempore quam conceperunt ſucceſſum, ut licet forſan aliquid moleſtiæ ſit dum moliuntur, tamen edito quaſi partu gaudeant.

g. *Impunitas*, *judicia tua altitudo ſunt ab ipſo*, vel quod longiſſime ab eo ſint remota; ut quamvis alios, ipſum tamen non attingant; vel quod ea ſuâ cogitatione à ſe removeat, Amos. 6: 3. Mal. 3: 15.

h. Hoſtium contemtus, *omnes hoſtes ſuos exſufflat ipſis*, ceu quos halitu difflare queat, Kimhi *ponit illis laqueos ad capiendum eos*: ſed פחיו eſt à פחח, non à פוח.

i. *Securitas* verſ. 6. *dicit in corde ſuo*, cogitat, perſuaſum habet, *nunquam ſe dimotum iri* à ſua dignitate & excellentia, *in generationem & generationem non ero in malo*, adverſitate, κακία Matt. 6. v. ult. אשר pro על אשר quia non in malo, ſcilicet ero.

ב. *Extrinſecas*, verſ. 7.

a. *Linguæ* verſ. 7. *maledictione*, ſeu *juramentis*, (אלה juramentum cum exſecratione, quia conjunguntur Num. 5: 21. Conf. Deut. 29; 12, 21. Neh. 10: 29. unde אלה & שבועה ſynonyma Gen. 24: 8, 41.) *plenum eſt* (vel implet) *os ejus*, *nec non dolis & fraude*. Sonat mera juramenta & exſecrationes contra ſemetipſum quando fraudes & dolos loquitur, hiſce fidem facturus ad decipiendos credulos; quod eſt ὑφαίρειν πιίζειν. Accedit ſcopus ſub lingua ejus (quemadmodum ſub aſpidis lingua venenum eſt) moleſtus labor eſt & iniquitas: moleſtiſſima iniquitas, quæ plurimum damni aliis parit.

b. *Actionum* verſ. 18--11. quæ ſunt

a. Molitiones, verſ. 8, 9. ſub ſimilitudine

α. Latronis verſ. 8. uti latro *inſidiatur in ſecreto viatori*, & obſervat adventantem, quem feſſum invadat & necet, ſic ſedebit in inſidiis villarum (non in urbibus, ſed in agris, ubi pone villam in ſolitudine latere queat, & ex improviſo è latebris exſilire) *in latibulis occidet innocentem*, qui nunquam læſit, nullatenus reus ipſi; *oculos ſuos abſcondunt*, (ex loco abſcondito ſpeculantur,) plures numero, conſenſus impiorum ad malum. לחלך *propter* vel *contra turbam tuam*, ut ſimul cauſa odii ſignificetur, qui Deo conjuncti, 1 Joh. 3: 10. &c.

β. Leonis verſ. 9. *Inſidiabitur in latibulo*, ut leo in ſuo luſtro qui celeriter rapit, & comprehendit tranſeuntes.

γ. Venatoris verſ. 9. *celeriter rapit pauperem*, *quando eum reti ſuo innectit*, unde ſe nequeat expedire.

b. Facta & ſucceſſus verſ. 10. *inclinat ſe*, *incurvat ſe* (inſidiantium more, ne videantur à feris, aut viatoribus, nam ad omnes ſimilitudines reſpicit) *& cadit turba afflictorum attritorum per fortes ejus*, nempe artus, aut membra valida, leonis pedes & ungues. Ellipſis ſubjecti, ut Pſ. 73: 10. plenum, ſcilicet poculum, 2 Sam. 21: 16. novus, ſcilicet gladius, Matt. 10: 42. frigida, ſcilicet aqua.

ג. *Intrinſecas* verſ. 11. atheiſmus, negatione providentiæ divinæ: *dicit in corde ſuo*, ſecum cogitat & ſtatuit, vel *oblitus eſt Deus*, ſi forſan animadvertit; vel prorſus ignorat; *abſcondit faciem ſuam*, alienus ab iſta cura rerum humanarum, ceu quæ nihil ſe attineant, quibuſve ſuam quietem nolit turbatam, *nequaquam videt in æternum*, plane alienum eſt ab ejus natura, quicquam obſervare. Ut gradatio ſit hujus atheiſmi, 1. oblitus eſt. 2. non vult cognoſcere, 3. non poteſt ſcire vel intueri unquam.

II. Imploratio auxilii divini, verſ. 12--15. cujus

I. *Propoſitio* verſ. 12. *Surge*, *Jehova*, qui verax, citra ulteriorem Moram, *El*, *Deus fortis*, qui potens; *eleva manum tuam*, ad ferendam opem, repellendam vim, inferendas plagas graviores, triumphandum. Pſ. 118: 16.

II. *Confirmatio* ducitur, à gloria Dei, in demonſtratione providentiæ quam impii in dubium vocant, verſ. 11. quorum blaſphemiæ contraria Deum facere optat, contra negatam.

A. *Memoriam*, *ne obliviſcaris pauperum*, *manſuetorum*. verſ. 12. Ratio; ab impiorum blaſphemiâ, quam repetit

verſ. 13. *quamobrem impius irritat*, provocantibus verbis *Deum* judicem, *Elohim*; & improbis cogitationibus de tuo neglectu rerum humanarum, ut non inquiras, nullas exigas rationes: quos ipſo facto refutari par eſt.

B. *Voluntatem* cognoſcendi, verſ. 14. à certâ confeſſaque cura Dei. *Vidiſti utique*; Ratio ab effectu, tum (1) cognitionis, *nam intueris moleſtiam*, ærumnoſum laborem, quem impius imponit miſeris, ex verſ. 7. & כעס *ægritudinem*, ſive iræ, ſi ad impios facientes referatur, ſin ad pios patientes, ægritudinem ex afflictione, Pſ. 6: 8. & 31: 11. (2) tum judicii, לתת בידך quod dicitur vel de judicandis hominibus, *ut permittant manui tuæ*, poteſtati arbitrioque tuo. Vel de judicante Deo, *ad tradendum manui tuæ*, id eſt, ſumendum in manus judicium, agendum cauſam illam: aut ad dandam manu tuâ compenſationem. Chald. *Manifeſtum eſt coram te, te immiſſurum contra impios moleſtiam & iram, intueris ad perſolvendam bonam mercedem juſto manu tua*, tum exſpectationis pauperum, *ſuper te, tibi, cœtus tuus relinquit*, cauſam ſuam, ſeque ipſum, עזב eſt fidelitati & curæ alicujus committere aliquid Gen. 39: 6. Eſa. 10: 3. Job. 39: 14. conf. 2 Tim. 1: 12. חלכת quibuſdam una vox, huic Pſalmo propria verſ. 8, 10, 14. quæ notat *pauperem, miſerum*, cujus robur potentia imminuta, acciſæ res & vires, ſed Grammatica poſcit potius compoſitionem ex חיל quod etiam חל ſcribitur cum affixo, modo hic ſcribatur ſegol ſub ל in pauſa, *turba tua*, *cœtus*: impii enim in eo gloriam conſtituunt non unum duntaxat, ſed integram multitudinem & ſi pote totam Eccleſiam perdere, ut Haman Eſt. 3. cap. Argumentum ab experientia, *Auxiliator fuiſti pupilli*; qui caret proprio & alieno conſilio auxilioque. Hoſ. 14: 4.

C. *Potentiam* verſ. 15. *Frange impii*, & *mali*, *brachium*, inſtrumentum potentiæ & violentiæ; quomodo potentior demonſtraberis, Pſ. 30: 17. Ezek. 30: 21. &c. Jer. 35: 9. & quidem ad conſummationem, *inquires impietatem* ejus, (quicquid inquietavit, turbavit) *nequaquam invenies*, ſublatâ ea per judicium Ezek. 23: 48. quatenus adverſabatur ſocietati humanæ per pœnam temporariam aboletur. Contra de piis Jer. 50: 20.

Commodius duo membra ſunt verſ. 5. *frange brachium* רשע, qui in judicio nocens declaratus ſentiat exſecutionem in fractione brachii; *& quod* רע *impium attinet*, attamen *nondum* רשע declaratum nocentem, Pſ. 109: 7. *ejus impietatem* inquires, & tamdiu inſtabis inquiſitioni, donec omnis detecta, & juſte punita fuerit.

III. Fiducia in Dei providentia & regimine. verſ. 16--18. cujus

1. *Propoſitio* verſ. 16. *Jehova eſt Rex in ſeculum & ſempiternum.*

II. *Confirmatio* ab effectis

A. Contra impios, *perierunt*, (certiſſime peribunt) *Gentes*, (Deo adverſæ, quarum primitiæ Amalek dicitur Num. 24.) *de terra ſua*, cujus cum habeat poteſtatem non tolerabit ſibi adverſos in eâ, Pſ. 104. v. ult. Eſa. 8. verſ. 7. &c.

B. Pro piis verſ. 17. *Deſiderium manſuetorum audiviſti, Jehova*, audies ipſorum preces, & deſideria cordis etiam non prodita ſermone. Confirmatur à Dei erga preces piorum affectu; *præparabis cor ipſorum per ſpiritum precum.* Zach. 12: 10. Rom. 8: 26, 27. *& attendere facies aurem tuam.* Aut *confirmabis cor eorum*, ne deficiant fide aut deſiſtant precari & importuni eſſe, *& audies.* Kimhi: *removebis ex corde ipſorum occupationes mundanas, quibus diſtrahitur, & quicquid impedimento foret, & juvabis eos ut cor diſponatur intentione debita ad preces; & ſic aures præbebis attentas.*

C. Quod ad omnes juſtiſſimo judicio: verſ. 18. *pios* quidem; *ad judicandum pupillum & contritum*, ut pro eo pronuncies. *Impios* autem, *ne addat amplius violentiam exercere*, terrorem incutere, (unde impius ערץ Pſ. 37: 35.) *homo miſer de terrâ.* Sic elevat impiorum ſuperbam potentiam, אנוש miſerandus eſt, & de terrâ, contra Deum conſummatiſſimum perfectione & beatitudine, qui cœleſtis.

PSALMUS XI.

SAcri uſus eſt, ab *Autore* Davide profectus. *Occaſio* eſt fuga ob perſecutionem Sauliticam, quam cum variam ſuſcipere coactus ſit, non conſtat, cui ſigillatim accommodetur.

Habet autem meram profeſſionem fiduciæ.

Propositio verſ. 1. *In Jehova confido*, ſeu *in Jehovam me recipio*, ceu in locum tuti refugii; cujus certa veritas in præſtandis promiſſionibus Exod. 6: 1, 2.

Amplificat verò

A. Ab inſultatione hoſtium, quam exornat apoſtrophe ad ipſoſmet, eos compellans.

a. Interrogatione exprobrante, *quomodo dicitis animæ meæ*, mihi ipſi. Amos. 6: 8.

b. Recitatione verborum illorum, *Fuge tu, & fugite vos*, qui cum Davide verſamini, הרכם *ad montem veſtrum*, ſolebant enim ſe recipere in montes tempore periculi Matt. 24: 16. & David in montibus eorumque munitionibus ſæpius moratus eſt, 1 Sam. 23: 14, 19. ubi quæſitus à Saule cap. 24: 3. & Siphitæ eum detulerunt cap. 23: 19. cap. 26: 1, qui forte iidem à quibus hæc dicta ſunt, per ſarcaſmum, ceu qui iſtic non ſit futurus tutus.

Illuſtratur à ſimili, cujus tamen nota deeſt, *ſicut avis*: neque enim צפור paſſerem notat, ſed quamvis avem, Gen. 15: 9, 10. *turtures* aut *columbæ*; Eſt autem hæc conditio exulis Prov. 27: 8. & David ſic loquitur 1 Sam. 26: 20. Huic autem conſilio adverſabatur fiducia ipſius. Pſ. 121: 1. Jer. 3: 23.

B. Ab eorundem hoſtium conatibus verſ. 2, 3. repræſentatis ſub ſimilitudine ſagittariorum. verſ. 2. *nam ecce impii* (1) *tendunt arcum*, (2) *diſponunt ſagittas ſuas ſuper nervum*; proximi ſunt ad inferendum damnum, neque enim ſagittæ imponuntur, niſi cum conſpicitur fera intra jactum, (3) *ad jaculandum in caligine*, non obſervati; ut aucupes ſolent: *contra rectos corde*; aggravatio eſt in oppoſitione facientium & patientium.

Illuſtrat ab innocentia patientium verſ. 3. removendo cujus accuſabatur. *Quamvis fundamenta*, bene diſpoſita & ordinata *deſtruantur*, ut regnum Iſraelis, & Sauli ſtatus evertatur, & omnia peſſum eant, quod ſane fiebat Pſ. 75: 4. &c. & cujus cauſam, imputabant Davidi, ceu regnum affectanti; *Juſtus quid fecit?* Innocens iſte, declaratus talis non ſemel à Saule 1 Sam. 24: 26. capp.

Confirmatio verſ. 4--7. ducitur à Dei actionibus, judicialibus,

I. *Cognitione*, verſ. 4. *Dominus in templo, ſanctitatis ſuæ, Dominus in cœlo habet thronum ſuum.* Hæc ſynonyma ſtatuuntur Eſa. 57: 15. cap. 63: 15. *quamvis in templo ſanctitatis ſuæ, quamvis in cœlo habeat thronum*, tamen obſervat quæ in terrâ fiunt, contra quam impii opinantur. Job. 22: 12. &c. ſed forſan rectius diſtinguimus, *Jehova eſt in templo ſanctitatis ſuæ*, in tabernaculo, nec non ſupra arcam, ſed non iſtic concluſus, & tectus cortinis ne videat. Imo *in cœlo eſt thronus ejus*, unde omnia oculis ejus patent Pſ. 33: 13. &c. eoque *oculi ejus vident, & palpebræ ejus explorant accurate filios hominum.* 2 Chron. 16: 9. Zach. 4: 10.

II. *Dijudicatione*, verſ. 5. *Dominus*

A. *Juſtum explorat*; non illico eum expedit difficultatibus, ac beneficiis externis cumulat, ut omnibus pateſiat, ſed explorat variis tentationibus, afflictionibuſque tanquam aurum igne; Pſ. 17: 3. & 26: 2. & 66: 10. Eſa. 48: 10. ut Jobum, Jac. 1: 23. ut virtus ejus magis magiſque innoteſcat.

B. *Impium autem*, irrequietum in malitia, Eſa. 57: 20. *& qui violentiam* deſolantem mundum *amat*, ſive exerceat, ſive deficiente occaſione abſtineat actu externo, *anima Domini*, Jehova ipſe *odit*, Pſ. 5: 5. &c. non opus probatione, manifeſtæ impietatis ſunt Gen. 13: 13.

III. *Exſecutione* verſ. 6, 7. quod ad

A. *Impios*, verſ. 6. *ſupra eos pluet* cœlitus, adeoque indeclinabili judicio, *laqueos*: (פחים pl. Kimhius ait quoſdam ſynonymum facere פחם *carbo*, ut ſing. ſit aliis formæ, ם radicali, ob nexum cum ſeqq.) *ignem, & ſulphur, & ventus turbinis vehementiſſimus, portio calicis eorum*, menſura eis definita, quam bibant. Quale judicium Sodomæ Gen. 19: 24. Amos. 9: 11. ut minatur

Gogo

Gogo Ezek. 38: 22. tempestas autem accedens incendium facit violentius, portio illa Ps. 75: 9.

B. *Pios*, vers. 7. praemissa ratione à Dei natura, *Jehova autem justus*, (כי idem quod כי אם *sed, verum,*) *amat justitias*, hoc est, virum justitiarum, misericordiæ, (contra quam vers. 6. odit amantem violentiæ) *Justum* ergo *videbunt* פניו id est, פני *facies ejus*. Dei facies amica intuebitur justum hominem Esa. 57: 15. vel justorum quivis videbunt faciem ejus, ut fruantur ejus intuitu, in quo felicitas Ps. 17: 15. Matt. 5: 8. cap. 18: 10. Heb. 12: 14.

PSALMUS XII.

TITULUS fere respondet Ps. 6: 1. ubi tamen בנגינות additur.

Queritur David de calumniatoribus,

I. PETIT OPEM Dei contra hostes, lingua se lacerantes vers. 2, 3.

I. *Postulatum* est, vers. 2. *Salva Jehova*; generali petitione qua liberationem & salutem omnimodam poscit; idque ex abrupto; post longa graviaque suspiria.

II. Ratio,

A. A defectu bonorum, *Defecit enim benignus*, qui eam exerceat, comis, beneficus, qui opem praestare velit alteri. Nam *defecerunt esse*, per partes quasi abrepti, *veraces*, qui vera loquantur, & fidelitatem exerceant. Esa. 57: 1. Cum ergo tales nulli amplius supersint, à te solo salus praestanda.

B. A Malorum praedominante fraude vers. 3. *loquuntur* (nempe omnes,) *vanitatem*, ut nihil eorum destinatum animo habeant, quæ dicunt, (שוא idem quod שקר quandoque Exod. 20: 16. & Deut. 5: 20. coll.) & quidem quisque *cum amico suo*; ut ne quidem leges amicitiæ servent, & conjunctissimos ita tractent. *Labium blanditiarum*, sermones sunt suavissimi, nihil in iis asperum, quod offendat, imo quod non alliciat, & inescet, *loquuntur* autem *corde & corde*; duplici corde, quasi duos haberent animos, sic diversa plane dicunt: lapis & lapis, epha & epha Deut. 23: 13, 14. gemina notat. Contra 1 Chron. 12: 33. vide Jer. 9: 2. &c. Mich. 7.

II. FIDUCIAM TESTATUR.

I. *De hostium interritu* vers. 4, 5. quorum indicat (α) *Poenam*, vers. 4. *Jehova excindet omnia labia blandæ fraudis*, dolosa: omnem *linguam superbe se jactantem; Grandia loqui* est gloriari cum fastu, & contemtu aliorum. Dan. 7: 8, 20. (β) *Meritum* vers. 5. exemplum istius grandi loquentiæ, *qui dicunt, prævalebimus linguis nostris, labia nostra nobiscum sunt*, nunquam elingues obmutescemus, semper aderunt argumenta, semper audacia ut loquamur. Eoque *quis Dominus nobis*, quem vereri debeamus. Conf. Jer. 2: 31. contra Ps. 38: 14, 15.

II. *De piorum vindicia*. vers. 6. ubi Deum ipsum introducit loquentem.

A. Praemissa causa impulsiva externa (α) afflictione quam patiuntur *propter vastitiem pauperum*, (β) suspiriis quæ fundunt, *propter gemitum egenorum*. אנקה *gemitum* lethaliter vulneratorum notat, ubi desperata omnia. Psal. 79: 11. illa oculos movet, hæc aures; utraque animum ad commiserationem.

Factum Dei, *nunc*, sine mora *surgam*, ut manum admoveam servandis ipsis.

C. *Salus* ipsa, *ponam in salute*, non tantum dabo salutem & liberationem, sed in ea constituam, ut undique cingantur eâ, Esa. 26: 1. Quod sequitur לו יפיח ex Ps. 10: 5. redditur, quasi esset משאר יפיח לו *ab eo qui exsufflat illi*, sive in contemtum, sive in damnum, halitu diffians; ut hostium describatur superbia, & vis prævalens: & לו pro להם, destributive. Alii citra ellipsin, ad pios referunt, *exsufflabit sibi*, habebit respirandi spatium; vel loquendi libertatem, ceu effectum salutis donatæ.

CONFIRMATIO fiduciæ ducitur ab indole verbi Dei vers. 7. quod purum sit: id dicitur simpliciter *sermones Domini sunt puri*: in quibus nil corrupti, nil impuri; Ps. 18: 31. & 119: 140. Prov. 30: 5. per similitudinem, *ut argentum conflatum in catino terreo, sublimatorio* עליל, quod facit adscendere, & separat, pro ארץ שבעתים *defecatum septies*, ad perfectionem; numerus enim ille perfectionem denotat, à Sabbatho: & Christi consummata purgatione, Kimhio בעליל לארץ idem quod בעל הארץ domino terræ; ut ב sit radicata, & ל tertia geminata. Certissimum ergo est verbum Domini, ut nihil falsi admixtum sit.

Probatur *effectu* certo circa pios, vers. 8. *Tu Domine custodies eos*, pauperes, egenos: *conservabis eum*, unumquemque ipsorum, *ab hac generatione*, impiorum Act. 2: 40 Phil. 2: 15. *in æternum*.

Horum impiorum, seu perversæ generationis indolem describit vers. 9.

A. *Quid* faciant, *impii ambulant indesinenter circumcirca*: ut observent pios, ad nocendum ipsis; uti Diabolus 1 Pet. 5: 8. A. B. *Quando* faciant potissimum, *quando exaltantur*, ut supra alios emineant dignitate, opibus, potentia. Vocat autem eos *Vilitatem filiorum hominis*, vilissimos; conf. Jer. 15: 19. & phrasin ἐξουθενημένοι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. 1 Cor. 6: 4. Caterum ea altitudo & sublimitas ipsis peribit, cum exscindentur.

PSALMUS XIII.

TITULUS vers. 1. *Symphoniam sacri* in genere memi-nit, & autoris *Davidis*. Qui in calamitatibus suis maximis, quæ ad desperationem sollicitabant, hunc conscripsit. Kimchii refert ad Exulum Judæorum miseriam præsentem, ut sit prophetia.

QUERELA vehemens de tribulationibus suis vers. 2, 3. quarum diuturnitas animum affligebat; & quidem

I. De Dei neglectu vers. 2. *Quousque Domine*, (Jehova veritatem promissionibus tribuere solitus, quales ipsi factæ erant amplissimæ,) *oblivisceris mei in perpetuum*, vincente oblivione. Hic neglectus est, quia cogitationibus tuis & solicitudini quodammodo exemtus sum, & maneo tam longo tempore, ceu nunquam revocandus in recordationem. II. *quousque abscondes faciem tuam à me*; haec aversio: ut caveas notitiam meæ conditionis; avertens vultum, & eum abscondens ne intuitu moveris ad sympathiam. aut quod indignum putes ad quem respicias. Alias dicuntur oblivio & desertio Esa. 49: 14.

II. De propriâ ἀπορία vers. 3. *quousque ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo*. Consilia ex consiliis mihi capienda, nullo placente, nullo juvante, ea autem capiuntur in anima, in mente, quæ cogitat, ratiocinatur; simul autem pono dolorem in corde; novi semper mihi inde nascuntur dolores, quando me frustratum sentio. Conf. Deut. 32: 28. Prov. 1: 31, 32. Ps. 94: 19.

Illustratur à tempore יומם vel *quotidie*; vel quæ frequentior significatio, *interdiu*; Noctu meditantur homines, quæ interdiu exsequuntur Mich. 2: 1. sed quamquam totâ nocte fuerim meditatus, tamen interdiu nihil inveni quod exsequi queam, ut porro quærendum aliquid sit. Aut cum cohæreat posteriori membro. Delibero multum, & interdiu, quando exsequendum foret nil nisi dolorem invenio, quem ponam in corde meo, ubi affectuum sedes.

III. De hostium insolentia, vers. 3. *quousque elevabit se hostis meus super* vel *contra me*; dum succedunt ei suæ moliones, quibus me persequitur.

PETITIO liberationis vers. 4, 5. cujus

I. *Propositio* vers. 4. triplici gradatione, *Intuere*, qui absconderas faciem, *Responde*, qui oblitus videbaris. *Illustra oculos meos*, demta mentis sollicitudine & tristitia, dum consilii exsors vivo. Vel *Intuere*, ut oculis usurpes meam tribulationem. *Responde* mihi, Jehova, ut me exauditum sciam. *Illumina oculos meos*, nempe obvertendo faciem tuam quam absconderas, ut luce ejus fruar Ps. 4: 7. vel

II. *Confirmatio* ducitur ab eventu noxio gemino,

A. Quod ad Davidem vers. 4. *ne dormiam mortem*, peream confectus mœrore & miseriis, moriar פן non est dubitantis, sed absolute negat: à פן non derivatur, quia deest quiescentis indicium.

B. Quod ad hostes vers. 5. ne habeant causam I. gloriandi de victoriâ suâ, *ne dicat hostis meus, prævalui ipsi*, potentia mea victoriosa est. II. gaudendi de mea ruinâ; ne (quod repetendum) *adversarii mei exsultent, quando dimotus fuero*; ut spem meam deseram, & movear loco, quod etiam morte fit. Intererat autem Dei & veritatis ejus, ne tale quid fieret.

III. PROFESSIO fiduciæ verſ. 6 quam

I. Declarat, *Ego vero*, me quod attinet in iſtâ conditione, *confido in benignitate tuâ*, beneficentia gratuitâ quam indignis etiam & immerentibus præſtas; quomodo fundamentum fiduciæ non in ſe invenit, aut quærit, ſed extra ſe in Deo, ejuſque mera bonitate.

II. Illuſtrat à ſpe ſuâ, de actione ſuâ futurâ,

A. Internâ, *Exſultabit cor meum* (dum hoſtes fruſtrabuntur ſuâ exſultatione,) *in ſalute tuâ* quando mihi præſteris ſalutem: denominatur ab efficiente.

B. Externâ, *Cantabo Domino*, voce Pſalmodiæ; *quia beneſecit mihi*; גמל non ſolum compenſationem ſignificat, ſed etiam initium actionis, ſive bonæ ſive malæ; & ſic hoc loco גמילות חסדים quam nos operum miſericordiæ exercitium dicimus, non retributionis eſt, ſed beneficentiæ primæ.

PSALMUS XIV.

CHorago ſacro à *Davide* traditus fuit. Pertinet vel ad tempora perſecutionis Sauliticæ, in univerſali corruptione Iſraelitici populi, quam deſcribit, & à Deo liberationem tum exſpectat, tum expetit. Vel prophetice agit de futura conditione populi. Kimhi refert ad captivitatem Babelis, & hujus regem נבל dici retur; & Babyloniorum pravitatem hîc notatam. Sed Apoſtolus Rom. 3: 20. &c. refert ad ſua tempora, Judæiſque applicat, ad eorum convictionem tum hinc, tum ex aliis Scripturæ texibus verſ. 19. Ultimus etiam Pſalmi verſus ad futuram reſtitutionem pertinere videtur: ut potius huc ſit reſpiciendum.

I. DESCRIBIT impiorum extremam corruptelam, verſ. 1--6. cujus

I. *Propoſitio* verſ. 1. trimembris, accuſans propter

A. *Atheiſmum*, ubi

א. *Peccans*, dicitur נבל *Stultus*, non qui mente captus, fatuus, ſed omni bonitatis ſucco deſtitutus, homo profligatæ impietatis, & qui in Eccleſia eſt uti folium emarcidum, ac defluens; uti cadaver putreſcens, cui vita deeſt, non corporalis, ſed ſpiritualis, vita Dei; Abrab. Epicureus deſignatur. Nam נבלה ipſi eſt אפיקורוסות. In Scriptura נבלה uſurpatur de ſtupro violento, Gen. 34. Jud. 19. 2 Sam. 13. Et נבל de contemtore Dei & hominum, 1 Sam. 25: 25. Job. 2: 10. Jer. 17: 11. Conf. Deut. 32: 21. & Rom. 10: 19. item Eſa. 32: 5. Ergo ſpiritualiter ſtultus notatur, qui φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. Rom. 1: 22.

ב. Peccati *circumſtantia*, *dixit in corde ſuo. Dixit*, ſtatuit apud ſe, poſtquam varia ſecum meditatus eſt, hanc fecit concluſionem, ſed dixit *in corde*, non auſus publice profiteri tantam impietatem, premit intra cordis penetralia ſecretos de religione ſenſus ſuos.

a. *Peccatum* ipſum, *Non eſt Elohim.* Non negat ſimpliciter eſſe Deum; non ſcribitur אין יהוה; eſſentiam ipſam inficiatus, ſed אין אלהים judicem negans, qui providentiam habeat rerum humanarum, ſtatuens de ſingulis pro merito. Nam metus numinis in conſcientia eos tandem refutat verſ. 5.

B. *Patrationem mali; Corruperunt*, ſemet ipſos, vel vias ſuas; deſignat corruptionem religionis & morum Exod. 32: 7. Deut. 31: 29. Jud. verſ. 10. 2 Pet. 2: 12. *Abominandam fecerunt* actionem; ut fœditate ſua omnibus ſit abominabilis, & deteſtanda Tit. 1: 16. pro עלילה ſcribitur Pſ. 53: 2. עול mala enim actio intelligitur.

C. *Neglectum* ſeu omiſſionem boni, *Non eſt faciens bonum.* Unum primò notat, ſed deinde omnes, ut univerſalem oſtendat eſſe corruptionem, & primum illud etiam per diſtributionem omnibus eſſe applicandum.

II. *Confirmatio* verſ. 2--6. ducitur à teſtimonio infallibilis ipſius Dei verſ. 2--6. cujus deſcribitur

A. *Inquiſitio* verſ. 2. ubi

א. Deus inquirens, *Jehova è cœlis proſpectavit.* Quamvis in alto habitat, unde impii eum cœlo incluſum rentur & adminiſtratione rerum terrenarum excluſum, tamen inde proſpectat omnia videns & obſervans Pſ. 33: 13. & 113: 4. verſ. 4. ſeq.

ב. *Perſonæ* in quos inquirit, *ſuper filios hominum* cujuſcunque ſexus ætatis aut dignitatis, citra diſcrimen, quotquot etiam quia hominum filii.

ג. *Res* de quâ inquirit, *ut videat*, (a) Interna, *an ſit intelligens?* Ergo ipſum cor perſcrutatur, & interiora animæ, mentem. (b) Externa, *inquirens Deum?* qui vel ore precante invocet, & ab eo ceu autore & moderatore omnium aliquid poſcat. Vel vitæ inſtituto, & cultu exercitiis ipſum propitium ſibi velle oſtendat.

Pertinet autem iſtud ad primam querelam de Atheiſmo, quem conſtituit in defectu notitiæ Dei, & affectus erga eum: & hunc defectum ſequitur omnis generis impietas. Hoſ. 4: 1. &c. Gen. 20: 11.

B. *Teſtimonii dictio* verſ. 3--6. quo

א. *Declarat* quales invenerit verſ. 3.

a. Quod ad *patrationem mali*, השחיתו, *Omnes declinavit*, Quivis à recto vitæ tramite receſſit, declinans ad avia, ut nemo inveniatur in via Dei. Exod. 32: 7, 8. *pariter fœtidi facti ſunt*, התעיבו עלילה ſordidi & abominabiles. Job. 15: 16.

b. Quod ad *omiſſionem boni.* אין עשה טוב repetendo confirmans accuſationem, *non eſt qui faciat bonum*, huic curæ incumbat & ſtudio; quod amplificat ab univerſalitate, *non eſt ne quidem unus*: res jam rediit non ad paucos, non ad unum, ſed ad nullum.

Apoſtolus Rom. 3. utitur hoc dicto ad convincendos Judæos, neminem ex ipſis habere quod glorietur ſupra Gentes, vel apud Deum, quia manifeſti teneantur ex Scripturæ ipſis ſolis loquentis teſtimonio verſ. 19. & his convictis, qui in lege erant, habebat jam convictum totum mundum, utpote qui eos qui ſine lege jam convicerat, antequam ordiretur Judæorum convictionem.

ב. *Convincit* de eorum reatu argumento,

a. *Verbali*, verſ. 4. quod interrogative proponit, admirabundus.

a. De perſonis, *Annon noverunt*, *agnoſcunt*, *operarii iniquitatis?* quibus ſuperbia eſt in malo Col. 1: 21. & ſuam prudentiam in patratione ſcelerum, vel ſaltem in mundanis rebus gerendis oſtendunt. Deberent utique omnia meditati eſſe antequam ordirentur, quæ ſunt eventura.

b. De actionibus, reſpectu (α) hominum, *comedentes populum meum, cœnedunt panem.* Non homines tantum, aut populum, magno numero, ſed meum populum, comedunt, ut ſuæ voluptati ſatisfaciant, & illos meos conſumant, ut non amplius ſuperſint, & faciunt quaſi comedant panem æque facile, nec majori ſollicitudine reatos ac ſi panem cibum ordinarium comedant. Ita כ ſimul ſuppletur. *Jer.* 2: 3. cap. 50: 17. cap. 51: 34. Sic panis dicuntur hoſtes facile ſuperandi Num. 14: 9. (β) *Dei*, *Dominum non invocant*, nullâ ejus curâ tanguntur; ſummæ impietatis argumentum Job. 35: 10. Pſ. 79: 6. Poteſt etiam citra ellipſin, & deſignari ſecuritas, fovens Dei ignorantiam; Comeſtores populi mei comedunt panem, nihil patiuntur mali, ſed tranquille more ſuo edunt & bibunt, hinc perſuadent ſibi nullum judicem aut judicium metuendum eſſe, & hinc Dominum non invocant, non quærunt ejus gratiam, aut facti ſui veniam, ſed pertinaces in malo perſeverant.

b. *Reali* verſ. 5. *Ibi*, dum devorant populum meum, *pavent* (hoc eſt, pavebunt, ob rei certitudinem) *pavorem*, (graviſſime expaveſcent, ut gaudere gaudium, &c.) Pſ. 53: 6 additur, ubi non erat metus. Eſt enim internus conſcientiæ territæ pavor;

Hujus cauſa, *nam Elohim eſt in generatione juſta.* In mediis ſuis actionibus dum cum voluptate pios deſtruunt, oritur ipſis ſecretus pavor in conſcientia, quia Deum judicem experiuntur, ſe medium oſtendentem inter pios, ad horum defenſam. Dan. 3: 25. cap. 5: 5.

Amplificat cauſam illam à ſarcaſmo verſ. 6. *Conſilium pauperis pudefacietis*, ſic quidem opinamini, dum comeditis, ſed quam facile ſuccedet, Deo ſe oſtendente medium, *Nam Dominus refugium ejus*, quo ſe tuto recipit, non pudefaciendus, & hoc ejus conſilium, ut in Domino, verace, tutus ſit.

II. VOTUM facit pro finali liberatione populi. verſ. 7. ubi,

I. *Quid* optet, *Quis dabit*, (utinam) *ſalutem Iſraelis ex Zione?* Eſt illi Redemtor Eſa. 59: 20. Rom. 11. quem Zioni promiſit Deus, quique ut venit ad Zionem, ita ex Zione Joh. 4: 22.

II. *Quo fine* optet, *quando Jehova*, ex promiſſo, *reſtituerit populum ſuum* ab exilio, maximum *erit gaudium & exſul-*

exſultatio, Jacobo & Iſraeli: poſteris ejus, qui contemtu Jacob, tenens calcem fratris majoris, aſt gloria Iſrael Dei ipſius victor per fidem.

PSALMUS XV.

SImpliciter dicitur *Pſalmus*, non factâ mentione Choragi ſacri; David tamen ejus eſt ſcriptor.

Occaſio adſcripta eſt, opponitur autem communi deceptioni eorum qui externis cultus exercitiis religionem & pietatem conſtare rentur, quibus obſervatis de cætero vivere liceat pro cujuſvis arbitrio & lubitu. Docet autem in praxi vitæ conſiſtere pietatem, eamque demonſtrari charitate erga proximum potiſſimum, quemadmodum frequentiſſime, Eſa. 1: 16. &c. Jer. 7: 5. &c. Amos. 5: 15. Zach. 7: 9, 10. cap. 8: 16, 17. Jac. 1: 20, 21. & ratio indicatur. 1 Joh. 4: 20, 21.

Conſtat Dialogo, inter pſalten & Deum, ceu inter diſcipulum & magiſtrum. Interrogatio eſt verſ. 1. Reſponſio reliquis verſibus.

INTERROGATIO verſ. 1. inſtituitur ad Deum, *Jehova*: cum enim agatur de incolatu cœli ſummi, ſedes conſummatiſſimæ beatitudinis, quem locum Deus ſibi proprium ſervavit Pſ. 115: 16. utique Deus ſolus novit, cui de propriis aliquid largiri velit Matt. 20: 15. qui ſui ſint 2 Tim. 2: 19. quos illi loco & civitati adſcripſerit Heb. 12: 23. Luc. 10: 20. poteſtque ſolus de eorum qualitatibus erudire. Interrogat autem

I. De loco, (α) *In tentorio* tuo, id eſt in cœlo, quia illud inſtar tentorii extenſum eſt, Job. 9: 8. Pſ. 104: 2. Eſa. 40: 22. cap. 42: 5. cap. 44: 24. cap. 51: 13. Jer. 10: 12. atque illud Deus ſuæ habitationi. Eſa. 66: 1. Pſ. 33: 14, 15. (β) *in monte ſanctitatis tuæ*, idem ſignificatur, Montem vocat cœlum ob altitudinem, & ſanctitatis Dei, quia locus ſegregatus habitationi gloriæ ſuæ. Eſa. 57: 15. Quidam utrunque referunt ad tabernaculum conventus, & templum, quia illud משכן vel אהל appellari ſolet; iſtud autem fuit ædificatum in Zion monte ſanctitatis Dei; & denotant Eccleſiam, ut de veris ejus membris agatur. Sed tentorium illud quod ad uſum abolitum fuit exſtructo templo, & neutro in loco aditus nedum habitatio concedebatur hominibus promiſcue. niſi ſolis Sacerdotibus acceſſus aliquouſque. Attamen id facile conceſſerim nomina typi dari antitypo, uti Deus in tentorio & templo habitabat in nube, ſic gloria ejus habitat in cœlo, unde oppoſitio Heb. 9.

II. De incolatu, *quis* יגור *commorabitur?* ceu peregrinus, nemo nativus civis cœli ex genere humano: Adam non ad cœleſtes ſed terreſtres exercitus pertinuit, Gen. 2: 1. 1 Cor. 15: 47. *Quis habitabit*, firmiori commoratione. Attemperatur autem verba nominibus, in tentorio eſt commoratio peregrini; in monte habitatio. Scilicet qui ut peregrini eò veniunt, ibidem inveniunt habitationem conſtantem, immutabilem, uti monti ſtabilitas adeſt. 2 Cor. 5: 1, 2, 6, 8. Poſſet etiam prius membrum de præguſtatione accipi. Matt. 17: 4. quando Deus piis eſt habitatio Pſ. 90: 1. Deut. 33: 27. in quâ commorantur Pſ. 5: 5. poſterius de poſſeſſione plena, quæ deſignatur habitatione civitatis. Apoc. 21.

RESPONSIO enumerat qualitates & opera eorum quibus ea felicitas parata ſit; conſtituuntur autem omnia iſta loco ſubjecti, cui deinde verſ. ult. prædicatum ſubjungitur.

I. *Subjectum* itaque eſt vir pius & probus, cujus dotes enarrantur.

A. הולך תמים *Ambulans integer* verſ. 2. generaliſſima deſcriptione quæ complectitur ſummam omnium officiorum; ex fœdere requiſitorum Gen. 17: 1. Deut. 18: 13. integritas coram Deo, juxta legem ejus Pſ. 119: 1. tum corde verſ. 80. tum converſatione Pſ. 84: 12. Integritas autem iſta omnis doli fraudiſque expers eſt, erga Deum & homines.

B. פועל צדק *faciens juſtitiam*, oppoſite ad פועלי און Pſ. 119: 3. qui artem juſtitiæ factitat, cujus hoc unum opus & ſtudium, & quidem ἀκριβοδίκαιον; utpote qui ambulat ἀκριβῶς Eph. 5: 15. Act. 10: 35. Loquitur autem de opere & actionibus.

C. ודבר אמת בלבבו *Loquitur veritatem*; nihil mendacii aut falſitatis ſermone ſuo prodit, ſed omne eo modo enunciat uti eſt in corde ſuo: ut mentis linguæque concordia ſit, conſpirentque exactiſſime; non autem בלב ולב Pſ. 12: 3.

D. לא רגל על לשונו *Non detrectat*, calumniatur, *ſua lingua* verſ. 3. ut obeat & ſpeculetur aliorum actiones, dicta facta, quæ deinde ad alios deferat, iiſque detrahat; quod etiam ſi verum ſit, tamen in vitio eſt; Exemplum detractoris Ziba 2 Sam. 19: 27.

E. לא עשה לרעהו רעה *Non offendit proximum*; nullo damno injuriave afficit. ut in commerciis & conſuetudine vitæ, ſemper ex juſto & æquo cum illo agat. רעה autem dicitur non de amico tantum, ſed de quovis homine, quo cum ei commercium aut conſuetudo intercedit.

F. חרפה לא נשא על קרובו *Opprobrium ſuper proximum ſuum non tollit*, ut primus ſit in diffamando; excitans quod diſſeminet probrum; vel etiam non recipit, ab alio excitatum; vel denique non tolerat, ut illud diſſeminetur, proximuſque differatur; ſed ad defenſam famæ ejus promtus eſt. Lev. 19: 16, 17. Pſ. 69: 8. Exod. 23: 1.

G. Æſtimium aliorum juſtum.

Ad *impios*, נבזה בעיניו נמאס *Reprobus contemptibilis*, quales impii Jer. 6: v. ult. Tit. 1: 16. *in oculis ejus ſpretus eſt*; quantumcunque etiam in mundo emineat dignitate & opibus, nihili tamen eſt apud ipſum, in oculis, judicio, neque enim ſignificat, quod eis ſi in magiſtratu ſint, deneget honorem & obedientiam. Rom. 13: 1. &c. 1 Pet. 2. verſ.

Quod ad *pios*, ואת יראי ה' יכבד *Timentes Dominum*, quocunque etiam loco ſint, pauperes, ignobiles, contemtos oppreſſos, *honorabit*, utpote verum decus & dignitatem æſtimans, quod in ſola pietate ſitum.

H. נשבע להרע *Jurat ad affligendum*, *ſemetipſum*, voto coram Deo, vel ad jejunia, & abſtinentiam corporis, vel ad eleemoſynas; quæ frequentia in V. T. aut juramento erga proximum *in damnum ſuum* & jacturam, ולא ימיר *& non mutat*, pœnitentia ductus, Conf. Eccl. 5: 3, 4, 5. Malum damni afflictionis Eſa. 45: 7. Matt. 6: 34.

I. כספו לא נתן בנשך *Pecuniam ſuam non dat in uſuram*, ut mordeat proximum, & conſumat, verſ. 5. non tantum invito vi vel fraude ſua eripit; ſed ne quidem volenti uſuras mordentes pro uſu pecuniæ offerenti. Reſtringunt Hebræi ex Deut. 23: 10, 20. ad Iſraelitas; licitas faciunt erga extraneum. Atenim ſi peregrinus erga Iſraelitas bonus ſit, etiam hîc paria experiri debet. Immo hoc beneficium mutuum ſine uſurâ majus dicunt dono, Kimhi.

K. שחד על נקי לא לקח *Munus non accipit contra innocentem*, ut jus ejus intervertat, aut aliquid in præjudicium ejus agat, adeoque contra, ut nocentem abſolvat, ſive patrocinetur.

II. *Prædicatum* eſt, *qui hæc facit non dimovebitur in æternum*. Ut damnum patiatur ex commotione Pſ. 38: 17. & 94: 18. unde privilegium piorum non commoveri Pſ. 55: 23. & 62: 3, 7. & 123: 1. &c. Prov. 10: 30. cap. 12: 3.

Cæterum recenſentur duntaxat opera externa, nulla fidei mentione factâ, non quod ea excludatur, ſine qua nemo placet Deo Hebr. 11: 6. neque ulla bona opera exerceri queunt Gal. 5: 6. 1 Tim. 1: 5. ſed quia in ultimo judicio non ex occultis, qualis fides Rom. 10: 10. ſed ex apertis & manifeſtis feretur ſententia, unde in illius deſcriptione, nunquam fidei, ſemper operum fit mentio Matt. 12: 36, 37. cap. 25: 34. &c. Rom. 2: 6. ſeqq.

PSALMUS XVI.

TITULUS prodit ſcriptorem Davidem, ſed מכתם quod præmittitur juxta quoſdam muſici inſtrumenti, aut melodiæ notæ nomen initiumve eſt. Alii materiam ſpectare rentur, excellentiſſimam & auro contra æſtimandam, κειμήλιον præſtantiſſimi auri, Græci φιλοσοφία, tituli inſcriptio, quæ in columna ſit, ut proſtet ante oculos. Idem vocabulum legitur Pſ. 56, 57, 58, 59, 60. Magiſtri ſymphoniæ ſacræ mentio nulla etiam hîc; non quod uſui ſacro publico non fuerit deſtinatus Pſalmus, ſed quod argumentum generale illud poſceret per ſe; quemadmodum Pſ. 15. de piorum ἀκροτελίοις, ſic hîc de Meſſiâ; de quibus erudiri

omnium

omnium interërat. In aliis magis privatum argumentum, & hac propter adſcribendum fuit publico uſui inſervire; heic argumentum publicum & commune.

Agitur de Meſſiâ, ſic explicantibus Petro Act. 2. & Paulo Act. 13: 36. &c. qui negant de Davide explicari poſſe, ſed hunc prævidiſſe & prædixiſſe quæ Chriſtum attinerent. Unde non niſi hunc unum habemus attendendum, & prædicata etiam ejuſmodi ſunt, quæ uni ſubjecto quadrant.

Introducitur Meſſias ipſe, qui uti Pſ. 22: 40, 69. loquitur ita quoque hic I. precatur verſ. 1--6. II. gratias agit verſ. 7--11.

PRECATIO eſt Chriſti morientis ad Deum, v. 1--6. cujus

I. *Propoſitio* verſ. 1. ubi

A. *Implicite*, (1) *quis petat*, Meſſias, cui Apoſtoli tribuunt; & quæ ſequuntur idem probant. (2) quando petat, eum graviſſimis malis periculiſque circumſeptus, de propriis humanæ naturæ viribus ceu ſufficientibus ad ſui ſuſtentationem deſperaret, dubitaret quodammodo; toto vitæ tempore eum magna pauperie, hominumque odio & perſecutionibus colluctatus fuit, ſed ſibi ſemper ad defenſionem ſuffecit, quia nondum venërat hora ſua, Joh. 7:8. cap. 8:20. ſed tum venerat hora propter quam venit in mundum, Joh. 12: 27. cap. 13:1. cap. 17: 1. quando nec debuit obniti, nec voluit; aditurus mortem & bibiturus poculum ſibi deſtinatum.

B. *Explicite* (1) *quid* petat, *Cuſtodi me*: non poſcit immunis præſtari à paſſionibus, aut ut eæ illico terminarentur, (illud quidem in horto popoſcit, ſed ut ſuam voluntatem divinæ ſubjiceret Matt. 26: 37. &c.) ſed cuſtodiam, ut nec moram, nec modum deprecaretur, verum poſceret dum voluntarius omnia ſubiret, ſui ſuſtentationem, ut ad finem uſque conſtans non deficeret. Et poſcit cuſtodiam non libertatis, honoris, aut rei alicujus externæ, ſed ſui; ut ſanguis non effunderetur in terram ibi cooperiendus, verum ſervaretur inferendus in ſacrarium; ut anima fieret ἀνάλυσις Luc. 23: 46. Matt. 20: 28. (2) *à quo*, à Deo forti אל qui ſolus invocandus, qui ſolus potens ad præſtandum quod petebatur, quemadmodum ubique ad Deum Chriſti preces directæ, etiam tum quando offenſus & iram exercens dum compenſationem pro ſuſceptibus reatibus exigebat: neque enim ad alium etiam tum ivit ſuis precibus, Pſ. 69: 2. &c.

II. *Confirmatio* habet rationes tres, I. fiduciam petentis verſ. 1. II. ſcopum patientis verſ. 2, 3, 4. III. decretum invocati. verſ. 5, 6.

A. *Fiducia* precantis verſ. 1. *Nam recepi me ad te*; חסה eſt ſe recipere in locum tutum ab injuriis aeris Eſa. 4. v. ult. tum in alicujus gratia & potentia ſuam ſecuritatem conſtituere & defenſam, eoque illi ſua fiducia inniti. Sic ſe non modo facere, ſed feciſſe teſtatur; qui nunquam alii tantum detulerit, ſemper hinc ſperaret, ſibique pollicitus ſit opem. Quomodo teſtatur ſe non deſeruiſſe Deum, quamvis pateretur acerbiſſima, ſed fiduciâ firmiter inhærere, ut Pſ. 22: 2. ſimul etiam preces ſuas exauditum iri, ob ſuam fiduciam, ſive argumento iſto uteretur apud Deum, ad impetrandam exauditionem; ſive apud animam propriam, ad perſuadendam huic exauditionis impetrationem, Pſ. 33. v. ult. & 37: 39, 40. item Pſ. 22: 5. &c. & 25: 2, 3.

B. *Scopus* patientis verſ. 2, 3, 4. pati ſe bono, non Dei, verſ. 2. ſed hominum, eorumque piorum verſ. 3. non impiorum. verſ. 4. Scopum ſuæ afflictionis profitetur eſſe. Bonum

א. *Non Dei* verſ. 2. ubi

a. Præmittitur *Ratio*, à teſtimonio cordis & conſcientiæ propriæ; ad quam provocat, אמרת ליהוה *dixiſti* genere fœm. ſubintelligitur autem quis dixerit, neque eſt aliud quod ſuppleatur quam נפשי *anima mea*. Hæc edidit profeſſionem, non eoram hominibus, ſed coram Domino.

Profeſſio ipſa eſt אדני *Dominus tu es*. Non dicit יהוה ut eſſentiæ autorem dicat, quamquam non alium compellans, talem agnoſcat, ſed אדני qui poteſtatem in omnia herileni habet, omnibus quibus eſſentiam & ſuſtentationem largitur ſuperior, eaque ſuo libitu regens; quod nomen Dominii fundamentum eſt humilitatis & obedientiæ, patientiæ & acquieſcentiæ, ſolatii & fiduciæ.

NB. Græci legunt εἶπα τῷ κυρίῳ, κύριός μου εἶ σύ: ſed non eſt 1 perſ. verbum verum 2 fœm. tum non legitur אדני ſed אדני alioqui pertineret ad primum argumentum fiduciæ. Confido in te ad mei cuſtodiam, quia tu Dominus meus & ego ſervus tuus; de qua relatione ego, aut anima mea apud temet ipſum gloriatur, tibique profitetur, ut quam exſpectat ſervus, quamque Dominus debet conſequatur defenſionem, Chriſtus enim ſervus Dei Eſa. 42: 1. &c. cap. 49. verſ. 3. &c. cap. 52: 13. Verum alienum eſt à textu.

b. *Res* ipſa conſequitur ex illo fundamento Dominii, qui omnia poſſidet, idque quia יהוה eſſentiæ omnium autor, ille nulla re eget, omnium origo & poſſeſſor, hinc dicitur, טובתי בל עליך *Bonum meum non eſt ad te* pro אליך, *non pertingit ad te*, ut inde commodum vel utilitas tibi accedat, atque exinde auctior feliciorque evadas, ἀγαθῶν μου οὐ χρείαν ἴσχεις Græci. Act. 17: 24, 25. Joh. 35: 6. &c. Vel *Bonum meum non eſt propter te*: tua cauſa non fit, ut tibi aliquid afferatur, quo carebas. Profitetur enim Chriſtus bonum ſuum, meritum & ſatisfactionem ſuam Deo nihil addere; qui non magis aliena quam propria ſolutione juvatur: Kimhi. *Bonum meum quod à te conſecutus ſum, non eſt ſuper te, ut ad ejus præſtationem obligeris, eoque dignus illo ſim.* Sed hoc alienum eſt, ut ſeqq. docent, placet quidem Deo ſolutio Eph. 5: 2. ſponſoria, qui peccatoribus benefactum voluit, ſed per eam nihil acceſſit Deo, verum hominibus qui debuiſſent ſatisfacere. Satisfactum juſtitiæ Dei, non precii pecuniarii ſolutione ut augeretur theſaurus, ſed obedientiæ præſtatione.

ב. *Sed hominum*, verum cum diſtinctione, ut ſint

a. *Adm iſſi*, verſ. 3. indicat autem

a. Quibus cedat, atque ii dicuntur *a. Sancti*, ſegregati à conditione communi, ut ſeruentur per Chriſtum, quæ ſegregatio facta tum æterna electione, tum in tempore efficaci vocatione Jud. 1. Rom. 1: 7. 1 Cor. 1: 2. 2 Theſſ. 1: 10. Sed cum Sancti dentur quibus Bonum Meſſiæ non deſtinatur, Angeli nimirum Job. 15: 14. de quibus negatur eos aſſumſiſſe Heb. 2: 16. hac propter Sanctos hoſce ſpecialiori nota circumſcribit, *qui in terrâ*, inde originem ducentes, terreſtres ex terreno 1 Cor. 15: 47. qui de terrâ Joh. 3: 31. adeoque etiam obnoxii maledictioni terræ, & ſub dominio principis mundi. Joh. 17: 6, 11. cap. 15: 19.

β. Magnifici אדירי dignitate & robore excellentiſſimi, ut ſunt reges & magiſtratus Nah. 3: 18. Jer. 25: 34. &c. Pſ. 136: 18. Nah. 2: 5. Sed ne quis mundanam dignitatem ſpectandam exiſtimet contra 1 Cor. 1: 26. additur phraſis, loco nominis determinans, in quibus omnis voluptas mea, delectatio; θέλησις: quos liberrimo, gratuitoque amore amplexus ſum. Joh. 10: 14. &c. verſ. 27. &c. cap. 15: 12. &c. Eph. 5: 2, 25. 1 Joh. 3: 16. Eſa. 62: 4, 5.

b. Quid cedat, Bonum nempe ſuum, bonitas Dei, hominis, mediatoris, Eſa. 9: 5, 6. Joh. 1: 14. &c. Heb. 1: 2. &c. 1 Tim. 2: 5, 6. Col. 1: 15. &c.

b. *Excluſi* verſ. 4. ſignificans,

a. Non omnes fruituros ſua bonitate, *multiplicabuntur dolores* ipſorum; contra quam aliis fit, quorum dolores removentur, ſuſcepti à Chriſto & in ipſum tranſlati Eſa. 53: 4, 5. horum indies augentur, aucto reatu, theſaurizant iram, Rom. 2: 5, 8, 9.

b. Quam ſint carituri, אחר מהרו *qui alium dotant*; qui connubiali fœdere conjuncti ſunt (quod habebat intervenientem dotem,) non Chriſto: (qui ſponſus & maritus ſuorum Eph. 5: 25. &c. 2 Cor. 11: 2. Joh. 3: 29.) ſed alii, idolis, Jer. 3: 23. &c. mundo Matt. 16: 26. Pſ. 49: 7. &c. 1 Tim. 6: 9, 10. juſtitiæ propriæ Eſa. 50: 11.

c. Quomodo & cur careant; *non libabo* &c. non eſt deteſtatio idololatriæ, quod nolit ejus cultus conſors eſſe; neque enim loquitur de alio illo qui dotatur, ſed de pluribus dotantibus. Dotatio autem illorum vocatur libatio, quæ in ſacrificiis adhibetur illi, cui anima deſponſata eſt amore intimo. Negat autem ſe illorum libamina libaturum: non fore ipſis ſacerdotem, (qui offerentium libamina libabat, quod ipſiſmet non licebat facere,) מדם *propter ſanguinem*, ſive quod ſanguinem libare vellent, non vinum, quod ex lege fundebatur. Num. 15: 5, 7, 10. cap. 28: 7. vel quod ſanguinei eſſent offerentes, rei capitalium criminum, Eſa. 1: 15. ſive quod ſanguinem alius victimæ cujus appendix libamen, ipſe non agnoſceret, qui non niſi ſuæ ipſius hoſtiæ ſacerdos eſt. Negat etiam ſe unquam *nomina ipſorum ſuis labiis* uſurpaturum, quod alterum munus Sacerdotis: non geſtabit nomina ut Exod. 28: 12, 29. neque in precibus ſuis commemorabit. Adeoque nec ſatisfactione, nec interceſſione ejus Sacerdotali fruentur, quomodo utique excluſiſſimi ſunt Joh. 17: 9, 19. Joh. 10: 27 &c.

C. Di-

G. *Decretum* invocati verſ. 5, 6. quod Meſſias attendit & in quo acquieſcit; quo ipſo Deum ad cuſtodiam ſollicitat qui etiam promiſſit ea propter. Eſa. 42: 1. Indicat autem

א. *Dei voluntatem.* verſ. 5. *Dominus, portio partis meæ & calicis mei: & mutata perſona tu ſuſtentas ſortem meam:* vel, *Domine, portio* &c. *tu ſuſtentas* &c. non mutata perſonâ: vel, *Domine, portionem partis* &c. *tu ſuſtentas* &c. Profitetur ſe aliquid habere, (1) *Portionem* ſibi ſigillatim tributam, uti paterfamilias cuivis domeſtico de fracto pane fruſtum exhibet, deque calice cuivis bibendum dat. (2) *Hæreditatem*, quomodo dicitur verſ. 6. aſt hîc *ſors*, quia ſorte hæreditates diſtribuebantur. Ultimo modo, pars portionis, calix, ſors Chriſti, eſt Eccleſia; quam Dominus ei dedit propriam, Joh. 17: 1. &c. & verſ. 6. &c. cap. 10: 28, 29. & verſ. 17, 18. Matt. 1: 21. Joh. 6: 39. &c. Act. 20: 28. Nam uti omnis ſortis ratio à Deo eſt Prov. 16: 35. etiam hæc ſine Deo non obtigit Chriſto, & hanc ſortem Deus ipſi ſuſtentat Joh. 10: 29. cap. 6: 37, 44. &c. 1 Pet. 1: 5. Prioribus autem membrum prius eſt, Dominus ipſe dimenſum Chriſti, ut ejus voluntatem facere ſit cibi loco Joh. 4: 24. cap. 6: 38. cap. 5: 30. cap. 17: 4. (Conf. Joh. 14: verſ. 23. Apoc. 3: 20. obedientia poſſidetur Deus & Chriſtus.)

ב. *Acquieſcentium Chriſti* verſ. 6. *funes* (quibus dimetiebantur hæreditates & dividebant.) *ceciderunt mihi in amœnis*, ut eâ delectetur: quemadmodum Chriſtus Eccleſiâ Eph. 5: 23. &c. Joh. 13: 1. cap. 17: 6. &c. Etiam *hæreditas pulchra eſt* עלי *propter me.* Amat Chriſtus Eccleſiam ſibi datam, tametſi turpem ream; ſed pulchra ea eſt per & propter ipſum, qui ſanctificat & mundat, Eph. 5: 25. &c. 1 Cor. 6: 11. Tit. 2: 14. Col. 1: 21, 22. Illuſtrari poteſt exemplo ſervi Hebræi ex voluntate heri ducentis ancillam Cananæam, Exod. 21: 3. &c. Pſ. 40: 7.

Cæterum petit cuſtodiam ſui in paſſione & morte, quia hanc poſſeſſionem Deus ſibi dedit & ſuſtentat, ut quæ neceſſaria ſunt pro illa præſtare, atque ſuperſtes eâ frui queat.

EUCHARISTIA eſt Chriſti, præcipientis fide cuſtodiam non modo, ſed liberationem, per reſurrectionem demonſtrandam verſ. 7--11. atque heic

I. *Propoſitio* verſ. 7. אברך את ה *Benedicam Domino*: ad Deum relatum eſt gratias agere. Ergo teſtatur ſe gratias acturum Deo, adeoque ſuperaturum ſumma mala, quorum ἄκμὴν fecerat anxie precari: ſuperaturum virtute meritoque ſuo: juſtitia Dei juſtificaturâ ipſum, Eſa. 50: 8. cap. 53: 8, 11. & ipſomet reſumturo animam Joh. 10: 17, 18. cap. 2: 19. &c.

II. Celebrationis inſtituendæ *Ratio* eſt

A. *Informatio* de totâ ratione muneris mediatorii. verſ. 7. qui *conſilium dedit mihi*, erudiendo & docendo Chriſtum hominem per verbum & Spiritum Eſa. 50: 4, &c. cap. 61: 1. &c. unde toties ad Scripturas provocavit Matt. 26: 24, 53, 54. Luc. 18: 31. &c. cap. 24: 25. &c. & 44. &c. per Moſen & Eliam Luc. 9: 30. &c. per paſſiones Heb. 5: 8. atque etiam per Angelum Luc. 22: 43.

Hujus porro informationis conſequens eſt

א. *Meditatio* de qua dicit, *etiam noctu erudiunt me renes* mei. verſ. 7. *Renes* notant deſideria, affectus, cogitationes, ſecretiſſimas actiones cordis; meditando *autem erudiunt* Pſ. 73: 21. idque *noctu*, cum omnia velata ſunt tenebris objecta externa oculos & mentem non diſtrahunt. Huc facit Pſ. 40: 9. Eſa. 50: 4, 5. Joh. 12: 23, 24. & verſ. 27. &c. Sæpe autem noctu fuit in meditatione Luc. 6: 12. Matt. 14: 23. Luc. 21: 37.

ב. *Æſtimatio* Conſiliarii verſ. 8. *diſpoſui Dominum coram me jugiter*: nempe eum jugiter intuens Act. 2: 25. ut ſemper præſentem teſtemque meditetur ſuarum cogitationum, ſermonum, actionum, totiuſque adeò obedientiæ ſuæ. Cogitavit ſemper de Patre, & ejus voluntate, Matt. 26: 39. &c. Joh. 18: 11.

ג. *Fiducia* verſ. 8. *nam à dextra mea eſt, non dimovebor unquam.* Intuitus Dei uti obedientem, ita ſecurum reddebat. Joh. 8: 29. cap. 16: 32.

B. *Liberatio* conſtans

א. *Remotione* mali verſ. 9, 10.

a. Præmittit profeſſionem gaudii ex fiduciâ manantis; *propterea gaudet cor meum, & exultat gloria mea*, hoc eſt lingua. Act. 2: 26. dicitur enim lingua כבוד Pſ. 30: 13. & 108: 2. Sic Eſa. 50: 7, 8, 9.

b. Tum liberationem deſcribit, *Etiam caro mea* (corpus, oppoſitè ad cor, ſeu animam Pſ. 73: 26. & 84: 2.) *habitabit* (ceu in tentorio tabernaculo, ſepulchro Job. 17: 13. cap. 30: 23. Pſ. 7: 6. & 94: 17.) *ſecure*, ſub ſpe certa; reſuſcitationis, ut non maneat, ſed liberetur exinde.

c. Denique declarat verſ. 10. bifariam;

a. Non enim deſeres נפשי *in* שאול. Heic נפש denotat *corpus exanime*, ſed quod animatum fuit, ut in materia de mortuis ſolenne eſt Num. 19: 11. cap. 9: 6. &c. quam ſignificationem poſcit additum שאול, & ἄδης, *locus infimus*, Pſ. 139: 8. *ſtatum mortuorum* Gen. 37: 35. Jon. 2: 2. Eccl. 9: 12. *Sepulchrum* Pſ. 6: 6. & 49: 15. Eſa. 38: 18. Heic ſepulchrum denotatur Eſa. 53: 9. in quod Chriſtus conditus fuit. Haudquaquam autem indicatur locus damnatorum aut limbus Patrum, quæ loca Chriſtum adiiſſe Scriptura ignorat; imo de limbo illo nihil uſpiam dicit ut figmentum ſit Pontificium.

b. Neque dabis (α) *fines, permittes*, חסידך *ſanctum tuum*, quem proſequeris benignitate, *videre*, experiri, (uti ſenſuum verba promiſcue accipiuntur Pſ. 34: 9. Joh. 8: 51. 52.) *corruptionem*; quam patiuntur omnes Pſ. 89: 49. ſolo Chriſto excepto, Pſ. 49: 15, 16. quod docet Petrus Act. 2. cap. Et Chriſtus ipſemet ſæpius reſurrectionis fiducia ſe ſolatus eſt, quando prædicebat ſibi eventura Hieroſolymis; Matt. 16: 21. cap. 17: 22. cap. 20: 18. &c. Cæterum το חסידך redundante Jod, non caret myſterio, vel ut ſit ex προγεγραμμένῳ, denotans eſſe eundem verum Deum, quod Kabbaliſticum: vel ut complectatur fideles, ceu membra Chriſti, qui in ipſius reſurrectione habent ſecuritatem ſuæ reſurrectionis, non in perpetuum ſe in corruptione manſuros, quamvis eam videant. Job. 19: 25.

ב. *Collatione* boni, verſ. 11. atque hîc

a. *Quomodo* id conſecuturus ſit, *Notificabis mihi ſemitam vitæ*, loquitur enim id moriturus; Experientiam dabis mihi ſemitæ vitæ; norat enim qua viâ ad vitam eſſet eundum, quod per paſſiones eſſet conſummandus, & guſtaturus eſſet pro omnibus mortem Heb. 2: 9, 10. ſed vitæ illius & ſemitæ ad eam dedit ei Deus experientiam. Joh. 10: 18. Luc. 24: 44, 45.

b, *In quo* conſiſtat,

a. Generatim dicitur *vita*, non quæ conſiſtat in conjunctione animæ & corporis, ſed in conjunctione hominis cum Deo beatâ; quam vitam Deus depoſuit in Chriſto 1 Joh. 5: 11. ut eam poneret pro nobis, & reſumeret nunquam deinceps deponendam Rom. 6: 9, 10.

b. Speciatim deſcribitur

α. A jucunditate, *ſatietas gaudiorum*, non gaudium, ſed gaudia, eorumque abundantia ad ſatietatem uſque, item *jucunditates, ſuavitates*, quod animo gratum & acceptum eſſe queat abundantiſſime.

β. A dignitate, *coram facie tua* 2 Sam. 7: 29. ut præſentia Dei frui detur; imo ad dextram tuam, qui locus honoris ſummi: quod ſigillatim Chriſto datum Pſ. 110: 1. Heb. 3. cap. 10: 12. cap. 12: 1.

γ. A ſecuritate jucunditates *ſunt in dexterâ tuâ*, cujus potentia cuſtoditur vita, & felicitas 1 Pet. 1: 4. 2 Tim. 1: 12. & cuſtodiuntur ad vitam quibus ea parata eſt 1 Pet. 1: 5. Joh. 10: 29.

δ. A duratione, *in æternum.* nunquam deficiente vel vitâ, vel voluptate, vel dignitate; ſed victorioſe perennante inſuperabiliter. Quæ eſt gloria Chriſti conſummatiſſimi. Apoc. 1: 18. cap. 11: 15.

PSALMUS XVII.

Davidis Pſalmus, cujus dicitur eſſe תפלה propriiſſime, quia *ſupplicatio* eſt ad judicem, ut ſuæ innocentiæ contra hoſtium injurias & perſecutiones jus adminiſtretur. Titulo alio caret. Pertinet autem ad tempora perſecutionis Sauliticæ, cujus gravitas ſæpiſſime preces fervidas expreſſit, ut judicis ſummi ſententia tandem rem definiri optaret.

Habet I. Petitionem verſ. 1, 2. II. Confirmationem verſ. 3--14. III. Conſolationem verſ. 15.

I. PETITIO verſ. 1, 2. eſt tum

I. *Exauditionis* verſ. 1. eaque trimembris; Poſcit à Jehova, Deo gratioſo,

Audi,	objecta singulis respondentia	צדק *justitiam*, strictum jus, per ellipsin, verba justitiæ; petitionem non gratiæ sed stricti juris; quod utique negari nequit: ubi justitia causæ urgetur.
Adverte, nempe aures,		רנתי *clamorem meum*, intensionem vociferationem. רנה juxta Kimhi, de vociferatione varia, 1. לשירה 2. להכרוה. 3. לתפלה. 4. לבכות.
Auribus percipe,		תפלתי *precationem*, sollicitantem judicem ad cognitionem suscipiendam.

Adjunctum commune, suæ precationis, *sine labiis doli*; nihil fictum, fraudulentum, hypocriticum illi inest, ut labia quid finxerint, dissonum à cordis sensu.

II. *Judicii* vers. 2. *A facie tuâ egrediatur judicium meum*; Sententia judicialis in causa mea illico pronuncietur à te, ut à tribunali tuo exeat. Ratio, *oculi tui vident rectitudines:* non opus longâ morâ aut inquisitione, ut cognoscas: Oculi tui, nullo impediente, vident id quod rectum est. Kimhi Pater: *Egrediatur judicium meum à facie tua; ut me non judices in negotio, Bathshebæ; vident oculi tui rectitudines, quæ extra hanc causam in me sunt.* Sed alienum, imo impium id fere, sapiens gloriationem in justitia propria, etiam cum compensatione culpæ suæ, evidens est.

II. CONFIRMATIO vers. 3--14. variis argumentis constat.

I. *Ab innocentia* sua, quod ad causam cum hostibus, vers. 3, 4, 5. quam ostendit.

A. *Cordis* & cogitationum vers. 3. cujus testis Deus ipse, post accuratissimum scrutinium;

Objectum est, *Cor meum*, interiora, cogitationes, motus voluntatis & affectuum, conscientia (quæ cordis nomine veniunt, etiam hæc 1 Sam. 24: 6. 2 Sam. 24: 10.)

Actiones scrutandi, (1) *Probasti*, experimentum sumsisti, sive bonitatis, ut in metallis, ad lydium lapidem exploratis, sive roboris; nam etiam munitiones inde appellantur. בחון & בחן & בחן arx. (2) *visitasti nocte*, cum tenebræ & solitudo hominum reverentiam tollunt, & liberius agitur, illo tempore visitasti, præsens inspexisti, & perscrutatus es. III. Conflasti me, auri fabrorum instar, qui igne dissolvunt & lique faciunt aurum, ut quicquid heterogeneum est immixtum, id omne detegatur, & semoveatur. Eventus, nequaquam invenies; nihil vitii deprehendisti, nec deprehendes impostorum, in causa cum Saule; utpote ubi integer sum, & sceleris purus etiam in corde.

B. *Sermonum* vers. 3. quod Cogitavi, in corde agitavi aut statui mecum, illud os meum non transgredietur, audiens dicto lingua, mentem non præcurrit, sive adversatur.

C. *Actionum* vers. 4. quarum *Regula* est, *Quod ad actiones hominum, juxta verbum labiorum tuorum instituendas*, ל idem cum *Quod attinet:* sic Esa. 7: 15. cap. 32: 1. Jer. 30: 12, 23.

Actiones conformes. *Ego custodivi*, cavi, *semitas effractoris*, qui limitibus circumscribi nequit, sed ruptis sepimentis evagatur: qui repagulis nullis coërcetur.

Modus actionum, vers. 5. *retinendo firmiter gressus meos in orbitis tuis, nequaquam dimovebuntur vestigia mea*: contra quam effractores solent: ut non novam semitam ingrediar, sed quam tu descripsisti exacte sequar: ut rota in orbita: & ut qui eadem vestigia observat, citra ullam declinationem.

Vers. 5. Etiam precandi forma enunciari potest, תמך Imper. ut in præc. quarto. *Retine gressus meos* &c. quomodo petit, ut in eâ innocentia à Deo efficaciter conservetur, ut Ps. 119: 133. & cum in bono confirmetur, tum à declinatione præservetur. Sic vero simul testatum facit innocentiam illam propria virtute, sua non continuare, sed Dei robore & custodia jugiter egere ad ejus constantiam: adeoque nec sibi ejus autorem esse, verum Dei beneficio consecutum esse.

II. *A Dei natura*, & more, vers. 6--9. videlicet

A. *Audientia* precum vers. 6. cui præmittit, subjicitque repetitam petitionem, *Ego clamavi*, seu *clamo*, *nam respondebis mihi*, אל *O Deus fortis. Respondere* Dei fit, non verbis sed factis; quando largitur & facit quæ postulantur precibus, eas exaudivisse dicitur, hinc אל usurpat, quia roboris divini est hoc pacto respondere. *Inclina ergo aurem tuam mihi, audi sermonem meum*: prout audire soles precantem me & alios.

B. *Beneficentiâ* vers. 7. itidem cum petitione prævià, *fac singulares*, ut discernantur ab omnibus aliis, quas ex communi providentia exerces, *benignitates tuas*, sunt enim communes Ps. 145: 17. & sunt speciales erga pios Esa. 55: 3. *Servator confidentium, a. qui se recipiunt*, ad Te nempe, *ab illis qui insurgunt contra dextram tuam*; qui tibi adversantur, ceu robore prævaluturi, quod dextræ adscribitur maximum: vel per ellipsin regentis, ab insurgentibus contra איש ימין: ut Ps. 60: 7. & 80: 18. collat. Aut ut dextra sit instrumentum salutis, *Servator confidentium ab insurgentibus, dextra tuâ*. Ps. 37: 39, 40. Alii, *Separa, divide, remove benignitates tuas, O Servator confidentium, ab insurgentibus contra dextram tuam*; ut qui Deo adversantur ejus bonitate excludantur. Alii reddunt quasi foret הפלא *mirabiles fac*, permutatis formis. Gr. Θαυμάσιον. vide 2 Thess. 1: 10.

Subjungitur *votum* consentaneum vers. 8, 9. ut juxta bonitatem illam defendatur; & quidem

a. Ut segregatis benignitatibus, singularibus, eoque mirabilibus afficiatur, vers. 8. sub gemina similitudine, (*a*) pupillæ oculi. *Custodi me, ut nigrum pupillæ oculi.* (אשון *nigredo*, בת pro בבת absolute בבה *pupilla*,) quod quidem natura sollicite tuetur palpebris, & est tenerrima ea cura; sic Zach. 2: 8. (*b*) alarum umbræ: *sub umbra alarum tuarum abscondas me*, sicut aquila aut Gallina pullos suos sub alas recipit, & umbra illarum defendit ab æstu radiorum solarium. Matt. 23: 37. utraque similitudo occurrit. Deut. 32: 10, 11.

b. Ut defendatur ab hostibus, vers. 9. *à facie impiorum, qui me vastant*; *hostibus meis* בנפש, qui libera voluntate mihi inimici sunt, qui alias sine causa & gratis dicuntur hostes esse. (נפש *voluntatem, placitum* notat, Ps. 105: 22.) *qui me cingunt*; deest מ, pro מאויבי, & אשר ante יקיפו. Aliis אויבי בנפש *hostes mei contra animam*, qui animæ vitæ meæ adversantur, insidiantur.

III. *Ab indole impiorum* vers. 10--14. ubi

A. Insolens *jactantia* vers. 10. *Adipe suo se claudunt*; prosperitate abundantissima saginati, & hinc *ore suo nil nisi superba loquuntur.* Job. 15: 27. Psal. 73: 6, 7. prosperitas solet pingues, & superbos facere. Deut. 31: 15. &c. Hos. 13: 6.

B. *Insidiarum* doli vers. 11. *Gressus nostros*, quandocunque nos movemus, *nunc*, illicò, *circumdant nos*, quod aliquoties factum Davidi: *oculos suos ponunt*, super vias nostras, ut extendant *in terrâ*, retia sua. Uti solent insidiatores, & venatores, qui ferarum vestigia observant, & mox indagine cingunt, & attendunt ut deprehendant, & capiant. לנטות בארץ *ut declinent in terram*, vel ipsimet latendi animo; vel nos, quos prosternere nituntur.

C. *Crudelitas* vers. 12. Similitudo ejus, qui cæterorum dux, Saulis nempe, *est sicut leonis*, & quidem *appetentis discerpere*; famelici & gestientis ad prædam; *& sicut leunculi, qui in latibulo manet*, ut exinde in improvidos ruat ad laniandum.

Subjungitur & hîc *votum* vers. 13.

a. *Domine* I. *surge*, dum ipsi superbe gloriantur & jactant vires suas: II. *præverte faciem ejus*, ut cum nunc mea circumdare parat vestigia, tu jam præveneris ad mei tutelam, ut 2 Reg. 6: 14. &c. III. *incurva eum*, procumbere fac ceu leonem domitum. Hæc contra hostes.

b. Pro se autem, *Eripe animam meam ab impio*, חרבך pro בחרבך *gladio tuo*, & sic mox ידך pro בידך *manu tua*; ut instrumentum judicii exserendi indicetur. Sed alii citra ellipsin, per appositionem conjungunt; *ab impio, qui gladius tuus est, & ab hominibus qui manus tua sunt.* Quia ipsimet non nisi instrumenta Dei sunt, quibus utitur ad castigandos suos, Esa. 10: 4. &c. unde tanto facilior est liberatio, ut si quis proprium gladium recondat, propriam manum removeat.

D. *Mundani affectus* & studia vers. 14.

א. In genere est; *Ab hominibus de mundo*; qui desituri mundi (חדל à חלד) cives sunt, illi uni addicti.

3. In ſpecie (1) *portio ipſorum*, quam ſibi optant, & in quâ acquieſcunt, & in vitâ videlicet præſente vel inter viventes in hoc ſeculo nil niſi terrena quærentes. (2) *Occultis tuis bonis*, puta theſauris terræ, qui effodiuntur, aut benedictione ſecreta in augmento bonorum terrenorum,) *imples ventrem ipſorum*, (3) *ſatiantur liberis*, ut πολύπαιδες ſint: vel *ſatiantur liberi*, non tantum ipſorum venter repletur, verum etiam liberi ad ſatietatem opibus abundant, (4) *& hi relinquunt reſiduum ſuum liberis ſuis*: ad tertium etiam hæredem tranſmittunt bona ſua, contra quam Exod. 20. de viſitanda iniquitate parentum in liberis. Quibuſdam ſecundum per parentheſin inſerendum eſt, & agit de pœna, *ſed occulto tuo implebis ventrem eorum*, irâ & ultione tuâ, quæ dum florent proſperitate occulta eſt, ſed tandem pienâ menſura ipſis incumbet totoſque implebit Deut. 32:34,35. Job. 20:11. Jer. 13:12. &c.

III. Consolatio verſ. 15. qua ſuam ſpem de futuro ſuo ſtatu opponit impiorum conditioni; horum pars & ſatietas eſt in hac vitâ, mea in futurâ Luc. 16:25. Deſcribit autem felicitatem iſtam ab ejus.

I. Cauſa. *Ego videbo faciem tuam.* In Dei intuitu conſiſtit beatitudo, quando ejus favorem præſentem, ipſo cultu teſtatum, dabitur intueri. Job. 19:25, 26. Pſ. 11. verſ. ult. & 16. verſ. ult. Matt. 5:8. 1 Joh. 3.2. Heb. 12:14.

Addit autem conditionem בצדק *in juſtitia.* Cum enim Deus juſtus, non ferens præſentiam impii & injuſti Pſ. 5:5. &c. utique viſuros eum juſtos eſſe oportet. Pſ. 11. verſ. ult. Matt. 5:8. Heb. 12:14. 1 Joh. 3:2, 3. Enimvero non dicit in juſtitia mea, quaſi ſibi ipſi eam tribueret ceu ex ſe natam; ſed abſolute in juſtitia; quia cum non niſi juſti, qui juſtitiam habent, ingrediantur in vitam æternam; non tamen requiritur ut habeant propriam, ex ſe natam; ſufficit ſi habeant alienam, modo veram, quæ eſt tum Chriſti ceu lytrum ſponſoris Jer. 23:6. tum Spiritus, ceu regenerando producentis juſtitiam, Eſa. 61:3.

II. Abundantia, *Exſatiabor* ad expletionem deſideriorum meorum, quæ infinita & immenſa animæ non deſituræ, תמונתך *ſimilitudine tua*, ſive intuendo, ſive inſuper participando: quæ conjunguntur 1 Joh. 3:2. Joh. 17:22,24. Phil. 3:21. 1 Co. 15:51. Col. 3:4.

Addit circumſtantiam temporis, בהקיץ *cum evigilavero*, nempe ex ſomno mortis, Dan. 12:2. poſt reſurrectionem, quam ſequitur vita æterna Pſ. 16:10,11. Ante illud tempus nemo videre poteſt Dei gloriam & vivere Exod. 33:20. Job. 19:25. &c. Attamen de Moſe legimus vidiſſe תמונת ה׳. Num. 12:7. unde etiam gloriæ particeps factus aliquatenus ſplendore vultus Exod. 24:29. R. Menachem in Lev. 10. f. 135. col. 2. *non datur ingreſſus coram Rege Altiſſimo & benedicto, ſine Sohechina; quo facit illud. Ego in juſtitia videbo faciem tuam.* Ergo צדק eſt illa שכינה, adeoque Meſſias, qui צדקנו per quem datur acceſſus Rom. 5:1,2.

PSALMUS XVIII.

Titulus verſ. 1. indicat I. uſum ſacrum, *Symphoniaco* in templo illum decantaturo. II. Scriptorem *Davidem*, qui ſe *Servum Domini* dicit, cum ratione fœderis communis, quomodo omnes Iſraelitæ ſervi Dei ſunt. Lev. 25:42. Pſ. 86:16. & 116:16. & 119:125. tum ratione vocationis ſingularis ad regnum. Pſ. 78:70. & 89:4, 5, 20. ſeq. Quod non niſi Deo jubente ſuſceperat. Eſt autem in relatione illa momentum; David ut ſervus ſemper reſpexerat Dominum & opitulantem ejus manum & Deus ceu herus eum ſemper tuitus fuerat; ut huic fundamento innitatur Pſalmus; David ſervi partes explevit fiducia & obedientia; Deus heri, jugi defenſione, & benedictione. III. objectum: ad quem directum voluerit, *qui cecinit Domino verba hujus cantici:* ut hujus unius gloriam hic ſpectarit. IV. Occaſio, *quo die Deus eum eripuit ex volâ omnium hoſtium ſuorum, & ex manu Saulis.* Ergo habet ὑπόθεσιν & ἔπιγραφον de omnibus hoſtibus & eorum maximo, ac præ aliis diuturno, Saule: ſive ſcriptus ſit ſub initium regni ſuper univerſum Iſraelem; quando ipſum regnum Sauliticæ domus cum Iſboſetho defecerat; ſive ſub extremum vitæ, quamobrem aliqui cum ultimis Davidis verbis conjungi putant 2 Sam. 22. & 23.

Partes ſunt I. Propoſitio verſ. 2, 3, 4. II. Narratio beneficiorum Dei verſ. 5--46. III. Concluſio verſ. 47--51.

I. *Propoſitio* verſ. 2--4. habet

I. *Propoſitum Davidis* de affectu cordis verſ. 2. ארחמך *Intime diligam te*, ex imis viſceribus; ut ex mero amore tibi adhæream, affectu ſinceriſſimo, & tenerrimo.

II. *Deſcriptionem Dei* amabilem, ut ejus intuitu inflammetur ad amorem verſ. 2, 3. ubi ſynonymiæ congeruntur complures.

In genere *Jehova*; Ens abſolutum, & omnis eſſentiæ extra ſe autor: & ſigillatim qui promiſſionibus ſuis, de regno Davidis largitus erat complementum.

In ſpecie, cum applicatione fiduciali ad ſe, qualem expertus eſſet, ut ea propter poſſet prædicare, & amantem redamare teneretur, (1) *Robur meum*, cujus robur & potentia meo bono militat, & quo tanquam meo, quandocunque indigeo, uti poſſum, quæ pro nominum ubique vis eſt. (2) *Jehova petra mea*, altitudinem & firmitatem præſtans. (3) *Arx mea*, non tantum naturalem, ſed etiam ſapientia & arte paratam defenſam & ſecuritatem largiens. (4) *Ereptor meus*, evaſionem concedens ex mediis periculis. (5) *Deus fortis meus*, robore inſtructus. (6) *Rupes mea*, immutabili in victoque fundamento nixa, ut everti nequeat: in quam me recipio, ſuperior hoſtibus, & inſuperabilis ipſis. (7) *Clypeus meus*, undique protegens, ut nullæ ſagittæ ad me penetrare queant, iſtic exceptæ, & ultra innoxiæ. (8) *Cornu ſalutis meæ*, robur quo alii oppugnentur, & quidem ut mihi ſalus, & victoria inde obtingat, Pſ. 44:6. Cornu potentiam & honorem notat Pſ. 75. & 92:11. Amos. 6:11. reges cornu appellantur Pſ. 132. Luc. 1:69. ſic Dan. 8. Apoc. 17. (9) Locus editus uti turris, aut caſtellum, quo non pertingit inundatio, & quæ planitiem devaſtant.

III. *Propoſitum Davidis* de externo opere verſ. 4. *Invocabo Dominum laudatiſſimum*; qui omnibus illis appellationibus laudatus eſt, cui eas laudes in precibus tribuam: loquitur de futuro, cum fiducia ſucceſſus, & ab hoſtibus meis ſervabor; quia ſit unicuique ſecundum fidem ſuam.

II. Narratio beneficiorum eſt I. liberationis ab hoſtibus verſ. 5--29. II. victoriæ de ipſis verſ. 30--46.

I. *Liberatio* ab hoſtibus, verſ. 5--29. ubi refert

A. *Pericula* ſua, verſ. 5, 6. per ſimilitudines declarat,

א. *Dolores mortis*, ὠδῖνες quales patiuntur parturientes; qui dolores maximi; ſic quoque quales moribundorum maximi; *cinxerunt me*, ut undique obſeptus conſtringerer.

ב. *Torrentes*, ceu inundantis fluminis violentiſſimi, Pſ. 124. & quidem *Belial*, *perterruerunt me*; ceu præſagientem, impetu imminente me proſtratum ſuffocatumque iri. Belial, qui vel *inutilis* בלי יועיל. vel *indomitus*, בלי עול dicitur de Diabolo 2 Cor. 6:15. de hominibus & rebus aliis, per regimen, *Belial* notat peſſimos & damnoſiſſimos, ſive per attributionem, filii Bel. Deut. 13:13, 1 Sam. 25:25. teſtis Prov. 19:28. conſiliarius Nah. 1:15. ſive ſimpliciter Nah. 1:25. 2 Sam. 23:6. Job. 34:18. & ὁ ἐξοχὴν διαβολος 2 Cor. 6:15. *Filius Belial*, Jud. 19:22. cap. 20:13. 1 Sam. 1:16. 2 Sam. 10:7. cap. 20:1. de rebus Deut. 15,9. Pſ. 101:3. Pſ. 41:9. quales dicuntur filii Diaboli, & opera Diaboli 1 Joh. 3:8, 10. in quibus ſimilitudo & efficacia Diaboli evidens Joh. 8:44. Eph. 2:2. *Torrentes Belial* ſignificant vel impios multitudine & impetu torrenti aquarum ſimiles. Apoc. 17:15. Eſa. 8:7. vel internas tentationes, ad peccata & deſperationem, quæ animam tanquam torrente moliebantur abripere. Diabolo adſcribuntur ex Apoc. 12:15. נחלי Kimhi etiam putat à חלה derivari poſſe, ut morbos & ægritudines denotet, à נחלה.

ג. *Dolores ſepulchri circumdederunt me*, verſ. 6. quibuſdam חבלי idem cum חבלי *funes*; atque iſtic funes mortis ſunt vincula, quibus qui ad mortem damnatus conſtringitur, & abducetur Ioh. 21:18. Act. 21:11. hîc faſcias ſepulchrales Ioh. 11:44. utriuſque generis vincula, extremas calamitates deſignant.

ד. *Tendiculæ mortis*, ceu aucupis laqueus, *me prævenerunt*, ut jam eis conſtrictus tenear; antequam venirem in locum ubi me tutum fore rebar, ibi jam collocatum inveni laqueum & retia.

B. *Modum* liberationis. verſ. 7--19. cujus

א. *Antecedens*, verſ. 7. preces ſuæ

A ſe fuſa, (1) quando, *in anguſtia mea*, (2) quomodo, *clamavi*, *vociferatus ſum*, quod vehementiam conſtan-

tiamque connotat, (3) ad quem, *Jehova*, *Deum meum*, mihi fœdere junctum.

A Deo exauditæ (1) ubi: *ex templo ſuo*, ſive intelligatur tabernaculum & arca ſuper quam Deus: ut 1 Reg. 8: 44, 48. Dan. 6: 11. ut licet longe ſemotus fuerit â tabernaculo, tamen Deus iſtic tanquam præſentem audiverit, ſive cœlum, unde preces Deus audit 1 Reg. 8. (2) quid: *vocem meam*; *vociferationem meam*, non hanc tantum ſed illam quoque, omnes preces qualeſcunque, & quocunque affectu funderentur. (3) quomodo *audivit*; *venit ante faciem ejus*, *in aures ejus*; penetravit coram ipſo, imo, in ipſas aures.

C. *Liberatio* ipſa deſcribitur verſ. 8--14.

א. *Præparatione* ad eam, Tempeſtate ſæviſſima, quam Deus iratus excitavit, ea autem delineatur ad ſimilitudinem illius quam olim contra Eccleſiæ hoſtes Ægyptios, Cananæos &c. uſurparat Deus: atque exornatur per partes.

a. *Terræ motu* verſ. 8. *Et commota & concuſſa fuit terra*; amplificatur tum à majori, *& fundamenta montium contremuerunt*, *commoverunt ſe*, quæ firmiſſima ſunt, in Sam. dicitur *fundamenta cœlorum*, quia montes excelſi quodammodo videntur ſuſtentare cœlum, ipſis innixum, unde fabula de Atlante cœlum geſtante, & Job. 26: 11. dicuntur columnæ cœlorum. Tum à cauſa procreante, *quia ipſe* Deus, *exarſit irâ*; conf. Deut. 32: 21. Hoc ſignum terreſtre; alia cœleſtia ſunt, ſeu aerea.

b. *Fulminibus* gravibus verſ. 9. præmittens cauſam procreantem, iram Dei; *adſcendit fumus ex naſo ejus*, ἀνηβαπεσῶς, quod ſignum iræ magnæ, Pſ. 74: 1. & 80: 5. Deut. 29: 30. vide Eſa. 65: 5. *& ignis ex ore ejus abſumit* Deut. 32: 21. Pſ. 50: 3. & 79: 3. *prunæ inde accendebantur*, fulgura & fulmina.

ב. *A liberatoris Dei apparitione* gloriosâ, plenâ majeſtate, verſ. 10. &c. idque gradatim, (1) *inclinato cœlo deſcendit*, verſ. 10. deſerta quaſi habitatione ſuâ, ut cum rex proficiſcitur ex aula in bellum; *caliginem obſcuram ſub pedibus habens*. Pſ. 97: 2. Conf. deſcenſum Dei in montem Sinai Exod. 19. Deut. 4. & Pſ. 144: 5, 6. (2) *equitavit ſuper Cherub*, verſ. 11. qui quaſi currus ejus ſunt, Pſ. 68: 18. 1 Chron. 28: 18 & throni ejus portatores. Ezek. 10: 18, 19. cap. 11: 23. &c. *& volavit*, & volitavit *ſuper alis venti*, id eſt Angelis Pſ. 104: 3, 4. Celer autem motus ad actum iſtum liberationis indicatur.

ג. *Ab adjunctis* verſ. 12, 13, 14. uti in magna tempeſtate (1) *magna obſcuritas*; qua ſe circumcirca ſepſit, Pſ. 97: 2. (2) *denſæ aquis nubes*, quæ obſcuriores 1 Reg. 18: 45. Deus etiam ſuper diluvio ſedere dicitur Pſ. 29: 3, 10. (3) *Fulgura*, verſ. 13. *à ſplendore*, *qui coram ipſo*, *tranſierunt*, *nubes denſæ*, locum facientes erumpenti flammæ. (4) *grando*, *& fulmina*, (5) tonitrua, verſ. 14. in cœlis, quæ *vocem* Dei vocat, Pſ. 29. Exod. 9: 28, 29. cum *grandine & fulguribus*, uti quondam in Ægypto, Pſ. 78: 48. vide Pſ. 77: 18, 19.

ד. *Ab effectis in hoſtibus*, verſ. 15, 16. qui ſunt ipſorum diſſipatio, & conturbatio, ſeu contritio: cujus inſtrumentum fulmina, quæ dicuntur metaph. *ſagittæ emiſſæ*, & *fulmina* ejaculata, uti contra Cananæos Joſ. 10. & Siſeram Jud. 5. conſequens autem, verſ. 16. *denudatio alveorum aquæ*, *& fundamentorum terræ*, uti in terræ motibus fieri ſolet, nec non cauſa procreans, *increpatio Dei*, *& flatus ſpiritus naſi ejus*. Pſ. 104: 7.

ה. *Ab effectis circa Davidem*. verſ. 17, 18, 19.

a. Per ſimilitudinem verſ. 17. *miſit ex alto*, (manum ſuam) *accepit me*, *extraxit me ex aquis multis*; uti quis ſervatur qui in gurgite aquæ, jam jam videbatur ſubmergendus, qui manu extenſa apprehenditur ne ſuffocetur, imò extrahitur inde, ut à periculo immunis ſit: משה hic, unde Moſes nomen accepit, quod proinde non Ægyptium eſt, ſed Hebræum Jud. v. 18.

b. *Liberavit me ab hoſte meo robuſto*, *& ab oſoribus*, *qui validiores erant me*: verſ. 18. unde beneficii magnitudo, ſine quo perieturus fuiſſet, infirmior adverſariis.

c. Oportunitas verſ. 19. *anteverterunt me die calamitatis meæ*, captarunt occaſionem oportuniſſimam ut prævalerent; vel *calamitas mea*, dies ejus, *prævenerunt*, antequam mihi proſpicere poſſem; *ſed Dominus fuit mihi fulcrum*, ſcipio cui inniterer, ut ſuſtentarer, præſervatus à lapſu.

D. *Cauſa liberationis* impulſivæ, verſ. 20. &c.

א. *Interna* verſ. 20. magnitudo beneficii, *eduxit me in latitudinem*, ſpacium dedit reſpirandi liberum, cum antea in auguſtiis eſſem. verſ. 7. Pſ. 116: 3. & 118: 5. *eripuit me*, itidem ex auguſtiis, ut cum pes ex calceo eximitur, aut etiam gladius ex vaginâ. Ratio autem erat, *quia beneplacitum habuit in me*. Eſt mera ejus εὐδοκία. Pſ. 44: 4. atque hanc cauſam præmittit, ceu fontem ſuæ liberationis, ne quid ſuæ dignitati aut meritis, vel innocentiæ tribuiſſe credatur.

ב. *Externa*, verſ. 21. &c. innocentia ſua, quod ad hoſtes. hanc

a. Proponit, verſ. 21. *& dedit mihi ſecundum juſtitiam meam*, צדקי ἀνταποδώσει, ſi iis decidatur, quæ mihi cum Saule & cæteris hoſtibus intercedit, *& reddidit mihi ſecundum puritatem manuum mearum*, reſpectu eorundem, ut Pſ. 7: 26. & hiſtoria docet 1 Sam. 24, 26. cap.

b. Confirmat

a. Suam innocentiam, ab integritate vitæ, teſtata

α. Obedientia verſ. 22. *cuſtodivi vias Domini*, legem quam præſcripſit obſervavi, ut qui ambulat exacte in viâ, citra declinationem: additâ tamen correctione, *& non impiè egi à Deo meo diſcedendo*. Saltem non impius fui, ut deſtinato conſilio declinarem, quia ab erroribus ſe non duxit immunem Pſ. 19: 15.

β. Meditatione regulæ verſ. 23. *omnia judicia ejus è regione mei*, ut jugiter intuear. (משפטי morem agendi, quem à ſuis obſervari vult,) eſt hæc cauſa obedientiæ; *& non removi à me ſtatuta ejus*; ut averterim inde mentem & cogitationes; quo oblivione inductâ tranquilliore conſcientia tranſgrederer. Pſ. 37: 31. & 119: 11.

γ. Integritate totius vitæ verſ. 24. *fui integer cum ipſo*, quod poſtulatur fœdere Gen. 17: 1. Deut. 18, 13. & quia cum Deo, utique ambulationem ante ipſum connotat Gen. 6: 8, 9. *& cavi mihi ab iniquitate meâ*; cui peccato maxime deditus fui, quod charius, cujus illecebræ vehementiores, illi potiſſimum obſtiti: meque armavi contraria cogitatione, Rom. 6. 1 Pet. 4: 1.

b. Dei liberationem ſibi conceſſam, verſ. 25. &c. quam repetit verſ. 25. ſignificans Deum attendiſſe, probe, & examinaſſe ſuam innocentiam. Probat porro à Dei natura. verſ. 26. &c.

α. *Cum benigno*, *benefico*, qui aliis eſt benignus, etiam non merentibus, *tu benignum te oſtendis*, magis adhuc benefaciens, quod optat ipſe Saul. 1 Sam. 24: 20. cap. 26. verſ. 23. &c.

β. *Cum viro integro integrè agis*, qui neminem lædit, ſuum cuique tribuit, ille Deum experitur integrum, qui æquitatem erga ipſum exercet.

γ. *Cum puro purus es*: ut puritatem tuam magis magiſque ipſi patefacias, puritatem ejus remunerando. Pſ. 73: 1. Matt. 5: 8.

δ. *Cum perverſo luctatorem te probas*. Perverſum & contortum, impium pœnitere neſcium Deut: 32: 5. Act. 2: 40. Phil. 2: 15. pervertis, ut via ejus ſit magis adhuc contorta, Pſ. 146: 9. quando dat in poteſtatem cupiditatum & mentem reprobam Rom. 11: 23. &c. 2 Theſſ. 2. *colluctando* vincis Rom. 3: 4. apud Sam. legitur תתפל quod aliqui mera tranſpoſitione factum dicunt pro תתפתל quod hic legitur: alii à תפל inſulſum eſſe, deducunt: Inſulſum te exhibes: ſic agis ac ſi iis fores ſimilis, dum connives Pſ. 50: 21. Mal. 2. v. ult. cap. 3: 14, 15. proſperaque ipſis largiris Jer. 12: 1, 2. Pſ. 92: 8. & 37: 73. Commodiſſime forma Chaldæa agnoſcitur, quæ etiam in præcedente תתבר exſtat, pro תתפלל *judicem te exhibes*. Perverſus tandem te judicem experitur, quemadmodum τὸ נשפטו aliquoties occurrit, Eſa. 66: 16. Jer. 2: 35. cap. 25, 31. Ezek. 17: 20. cap. 20: 35. cap. 38: 22.

ε. Generatim proceſſus Dei cum hominibus quibuſcunque verſ. 28. *tum* piis: *Nam tu populum afflictum ſervabis*. Salutem præſtas pauperi & afflicto, non uni tantum, ſed multis, magnæ etiam horum multitudini, quæ populum faciat. *Tum* cum malis, *ſed oculos elatos humiliabis*. Impios à ſuperbia deſcribit, quia faſtu tument plerunque Pſ. 10: 3. & 36: 10. Eſt autem Deus contra omnes ſuperbos Eſa. 2. Jac. 4: 6. 1 Pet. 5: 5. Luc. 1. & 1 Sam. 2. in cantico Mariæ & Hannæ Pſ. 146: 7, 8, 9.

ζ. Speciatim applicatio ad ſe verſ. 29. *nam tu lucere faci*

lucer-

lucernam meam, parum illud lucis, quod mihi ſupereſt, quodq ue exſtinctum iri rebantur omnes, tu facis lucere magno fulgore; & mutata perſona iſtud prædicat. Jehova, fidelis in promiſſis *Deus meus*, mihi fœderatus, *tenebras meas.* omnia deſperata, *fulgere facit*, ut media quodammodo nocte ſol clariſſimus mihi ortus ſit. Futurum pro præterito. Contra, cum ſol ipſo meridie occidit. Amos. 8, 9.

II. *Victoriæ* de hoſtibus verſ. 30. quas deſcribit

A. *Ab efficiente* principali verſ. 30. *Per te enim*, Tuâ virtute, aut *Tecum*, qui mihi ades præſens, *turmam hoſtilem contero*, confringo, ut ſit à רצץ ut perrumpam, & aciem ſolvam, frangam, citra ellipſin: vel à רוץ per ellipſin, *curram cum impetu contra turmam*, adoriar alacriter; & cum Deo meo tranſilio murum, aut inſilio murum, celerrime tranſcendo hoſtilia mœnia. Phraſis vulgo uſurpata, beſpringen/ faite un aſſault.

Amplificat autem ab impulſivâ, Dei

a. *Veritate* verſ. 31. quam arceſſit ab ejus natura ut Deut. 32: 4. *Deus ipſe eſt*, *cujus via*, ratio agendi, & adminiſtrandi omnia, *integra eſt*, nihil iniqui, diſtorti in ea poteſt animadverti Pſ. 92. v. ult. Hoſ. 14. 10. *Sermo Domini conflatus*, auri inſtar purgatus eſt igne ut Pſ. 12: 7. nihil eis ſermonibus ineſt falſi, quo decipiat, ut quis ſcorias figmentorum mendaciorum inibi deprehendat; adeoque reapſe *Clypeus eſt omnibus ſe ad ipſum recipientibus.* qualem ſe fore promiſit Abrahamo Gen. 15: 1 Pſ. 84: 12. talem inveniunt quotquot fide illi ſe committunt defendendos.

b. *Potentia* verſ. 32. qua incomparabilis, *Quis Deus* (quia ſunt qui ſic appellantur 1 Cor. 8: 5.) *præter Jehovam; & quis rupes*, (cui invictum ſit robur, qui commoveri evertive nequeat) *præter Deum noſtrum*; meum & omnium fidelium Deum. Hæc Dei ἀπερίληπτος ratio ſæpius inculcatur Eſa. 40. & ſeqq. capp.

B. *A modo*, quo victoriam largitus eſt, verſ. 33--47. quod varie exornatur, Dedit

א. *Robur* animi, vel exercitum, verſ. 33. *Deus fortis accinxit me robore*: ut eo ceu gladio accinctus fuerim: quod ſi חיל de copiis & exercitu intelligatur, Deus me inſtruxit manu militari, ut undique concurrentium multitudine cinctus eſſem, ad mei defenſam, atque ad rem cum eis ſtrenue gerendam. 1 Sam. 22: 2. 1 Chron. 12: 1. &c.

ב. *Succeſſum* in expeditionibus, verſ. 33. *Viam meam dedit integram*, ut nihil paterer damni, proſpere vel elaberer è manu perſequentis Saulis, vel hoſtes alios aſſequerer, cum Kehilam defenderet, & vaſtatores Ziklagi percuſſos ſpoliaret.

ג. *Celeritatem* verſ. 34. *diſpoſuit pedes meos ut cervarum*, non ad fugam, ut Kimhi h. l. ſed ad aſſequendos hoſtes; & *ſuper excelſa mea*, quæ nunc victor poſſideo, *fecit me conſiſtere*, ut victoria celerrime fuerim potitus.

ד. *Scientiam militarem* verſ. 35. *Eruditas fecit manus meas ad bellum*, ut ad arma tractanda eſſent doctæ, *adeo ut æreus arcus brachiis meis fractus fuerit*; validiſſima arma nil valuerunt, quibus non prævaluerim.

ה. *Defenſam* in periculis verſ. 36. *Dediſti mihi clypeum ſalutis tuæ.* Clypeus, qui ad defenſionem pertinet, à te mihi præbitus eſt, clypeus ſalutis, qui ſalvum & incolumem præſtaret, & ſalutis tuæ, prorſus divinæ. (ſic Homerus Achilli, & Virgilius Æneæ clypeum à Diis datum refert.) *Et dextra tua ſuſtentavit me*, ne labaſcerem, præſens & potens opitulatio, quæ dextræ tribuitur. Hujus autem defenſionis ratio, *manſuetudo tua auxit me*, viris, & viribus, & felicitate. Gr. ἡ παιδεία σου ἀνώρθωσέ με εἰς τέλος, καὶ ἡ παιδεία σου αὐξάνει με διὰ παντός. bis idem dicitur, quod duæ lectiones conjunctæ ſint Manſuetudo Dei eſt ejus benignitas, quâ gratioſe ſe demittit ad benefaciendum.

ו. *Firmitudinem* pedum verſ. 37. *Dilatas greſſum meum ſub me, & non vacillarunt malleoli mei.* Largiris viam planam, ſpacioſam, commodam ad iter, & illud robur addis, ut pedes non vacillent labore aut itinere feſſi.

ז. *Victoriam* de hoſtibus, quam enarrat per partes, ut ſunt,

a. *Occurſus*, verſ. 38. *Perſequar hoſtes meos*, ut congrediar; *aſſequar eos*, ut habeam præſto: *non revertar donec eos conſumſero*: congrediar, & inſtabo, non fugiturus, neque receptui cantaturus antequam victor eos ſtravero.

b. *Pugna* verſ. 39. *Percutiam*, vulnerabo eos, *ut nequeant ſurgere, cadent ſub pedes meos*, victi; quia vulnerati & proſtrati.

Interſerit heic prædicationem Dei, cui uni victoriam debebat, verſ. 40, 41, 42. Nam (1 etiam cauſalis quandoque) *cinxiſti me robore*, aut exercitu ad bellum; ut mihi adeſſent vires neceſſariæ; *incurvaſti qui contra me ſurgunt*, *ſub me*: quomodo utique robur ipſorum fregiſti, Pſ. 20: 9. *Hoſtes meos dediſti mihi cervicem obvertentes*, ut quando fugam capeſſunt, & terga vertunt; *& oſores meos excîdi eos*: facile mihi fuit eos delere, dum mihi fuiſti adjutor; ipſis autem adverſarius, verſ. 42. *Clamarunt*, opem implorantes, *ſed non fuit Servator ipſis*: *imo ad ipſum Deum*, *ſed is non reſpondit ipſis.* Neglecti pariter à Deo & hominibus. על pro אל uti ſæpiſſime.

c. *Victoria*, verſ. 43. *Et comminui ipſos ut pulverem coram vento*: leviſſimo negotio in fugam conjeci, quemadmodum pulvis à vento disjicitur: *ſicut lutum platearum evacuavi eos*, aut attenuavi eos; in contemtum deduxi; quod de victis valet, Pſ. 83: 11, 14. Eſa. 10: 6.

d. *Victoriæ gloria*, quæ habet

ם a. *Quietem* verſ. 44. *Eripies me à contentionibus populi*; ſeu à populis, qui mihi controverſiam movent: iſtis devictis, alii ſe commovere non audent, neque me novo bello adoriri.

b. *Dominium* amplius, regno extenſo, & finibus ejus prolatis, verſ. 44. &c. cujus

Autor Deus, *tu me conſtituis caput Gentium*, cujus eſt regnorum diſtributio Pſal. 75: 7, 8. Jer. 27: 3, 4. Dan. 2. & 4.

Subjectum eſt *populus*, *quem non novi ſerviet mihi* verſ. 44. peregrini, qui non ſunt de populo Iſraelitico. 2 Sam. 8. cap.

Impulſiva externa, fama nominis Davidici, verſ. 45. *Ad auditum auris mihi audientes dicto reddentur*: ſolo rumore nominis & victoriarum moti; *Filii peregrini*, id eſt peregrini, ut filii hominum ſunt homines, vide Ezr. 2: 21, 25, 26. *mentientur mihi*, ficte ſeſe ſubjicient. Pſ. 59: 13. & 66: 3. quod promiſſum Deut. 33: 29. *Interna*, metus verſ. 46. *Filii peregrini deficient flaccidi*, ut folium defluens, ſucco & ſanguine fugiente, *& trepidarunt ea ſuis clauſtris*, ne quidem auſi munitionibus ſuis ſe tueri, ceu deſperantes; adeoque ſe dedentes & ſubjicientes, Quod factum 2 Sam. 8. cap.

III. Conclusio verſ. 47--51. conſtat repetitione gemina,

I. *Prior* eſt verſ. 47, 48, 49. eſtque tum &c.

A. *Propoſitionis*, de laude Dei, verſ. 47. *Vivit Deus*, oſtendit ſe vivere, actuoſus ejuſmodi operibus, & regimine; vel vivat Dominus, jugiter ſe talem oſtendat, *& benedictus ſit qui rupes mea*, laudetur; *& exaltetur*, prædicetur meis aliorumque ſermonibus, *Deus ſalutis meæ*, qui mihi eam confecit.

B. *Narrationis*, verſ. 48, 49. tum quoad victorias, *qui dat ultiones mihi*: ut non inultum fuerit me laceſſiviſſe oppreſſiſſe. Tum quoad regni amplitudinem, *& ducit populos ſub me*, rationibus perſuaſos, ut victi in conſcientia ſe mihi dedant, meo imperio ſuccedant ſubditi, verſ. 48. Tum quoad defenſionem, *qui me eripuit ab hoſtibus meis*; ne mihi prævalerent, meve opprimerent aut perderent; *etiam præ inſurgentibus contra me*, *exaltavit me*, victorem illorum me conſtituendo: & ſigillatim, *à viro violentiæ* (Saule) *me eripuit*, liberavit verſ. 49.

II. *Poſterior* eſt verſ. 50, 51.

A. *Propoſitionis* verſ. 50. *Propterea profitebor te inter gentes*, *Jehova*, recitabo & confitebor, tuo beneficio me omnia iſta conſecutum; ut tuum robur & potentia ab omnibus agnoſcantur; *& nomini tuo canam*: carmine cantuque te celebrabo, ut nomen tuum inde innoteſcat.

B. *Narrationis* verſ. 51. *Magnificans ſalutes regis ſui*; regem quem conſtituit, non ſibi relinquens, ut ſe ſuumque regnum tueatur; ſed eidem largiens (1) ſalutem, (2) non unam, ſed multas, (3) nec parvas ſed magnas, magnificans, (4) non ex ſuo debito, illiuſve merito, ſed ex mera gratia, *faciens benignitatem uncto ſuo* qui idem Rex ejus.

Amplificat autem tum à ſubjecto, *Davidi & ſemini ejus*, ut etiam poſteri haberent fiduciam horum bonorum, tum ab adjuncto temporis, *uſque in ſeculum*: quamdiu ulla poſteritas ſupereſt Davidi Pſ. 89. Jer. 33.

PSALMUS XIX.

TITULUS frequentissimi usus est. Occasio Psalmi scribendi meditatio divinæ patefactionis quæ se manifestat hominibus, & Ecclesiæ potissimum. Constat I. Celebratione Dei vers. 2--12. II. Precatione pro sui regimine vers. 13--15.

I. CELEBRATIO Dei est ob patefactionem sui qua se manifestavit hominibus, & quidem bifariam

I. Per *opera naturæ* seu creationis vers. 2--7. Producit autem

A. *Cœlum* seu *Expansum*. vers. 2. bimembri versu, sed synonymos prorsus, ubi

א. *Patefacientes*, (1) *cœli*: (2) *Expansum*; intelligit enim non cœlum summum, ubi thronus Dei, & habitatio angelorum; est enim extra conspectum hominum, eoque ineptum ad eos docendos; sed cœlum secundum; Expansum, cœli nomine à Deo ipso insignitum, Gen. 1: 8. in quo luminaria sunt constituta vers. 14. per quæ in oculos incurrit nostros, visibile hominibus.

ב. *Patefactio*, (1) *enarrant*, (2) *indicat*, non quod proprie loquantur, sed quod enarrandi & indicandam materiam & occasionem præbeant, provocant ad recitationem spectatores homines.

ג. *Id quod patefit*, (1) *gloria Dei*, (2) *opus manuum ejus*; gloria sapientiæ, potentiæ, bonitatis ipsius, quæ ex intuitu operis istius, quod manus ejus (digiti Ps. 8: 4.) artificiose fabricarunt, ἀνθρωποπαθῶς.

B. *Ordinationes diei & noctis* vers. 3. Jer. 31: 35, 36. cap. 33: 20, 25. quas Deus initio instituit Gen. 1: 14. &c. & deinde confirmavit ceu fœderis beneficium. cap. 8: 21, 22. ubi

א. *Patefacientes* (1) dies, (2) *nox*.

ב. *Quibus* patefit, (1) *diei*, (2) *nocti*.

ג. *Patefactio* (1) *eructat sermonem*, magna copia & impetu, uti aqua ex scaturigine pererenni erumpens (2) *indicat scientiam*, illud unde scientia parari queat.

Dies diei eructat sermonem; quivis magna abundantia prodit ea, quæ sequens semper dies eadem rursus prodat, jugi successione; pariter quævis nox indicat scientiam nocti sequenti, ut eandem doctrinam de Deo ejusque cognitione prædicet. Neque enim dies à die, nox à nocte differt argumento doctrinæ.

Forsitan tamen propter vers. 4, 5. qui ad cœlos referuntur, ut affixa docent, minus commode ista tribuuntur diei & nocti agentibus, ut ab his redeat ad priora; nam soli in die non collocavit tentorium, multo minus in nocte, quæ tantum sunt mensura durationis; sed in firmamento, sive cœlo. Ergo vers. 2. amplificatio erit quod ad membrum.

א. *Posteritas* vers. 3. ubi

Patefaciens, proxime memoratus, Expansum, sed patefactio describitur à circumstantis temporis (1) diurni, יום ליום *de die in diem*, quotidie, *eructat sermonem*, scaturit institutionem, semper sufficiens materiam, uberrimam, (2) nocturni לילה ולילה & *de nocte in noctem*, quavis nocte *indicat scientiam*; novum suppeditans argumentum, quod scientia sua homines comprehendant, dum aliam atque aliam faciem ostentat, magna stellarum varietate.

ב. *Prius* vers. 4, 5. ubi

a. *Patefaciens* primo memoratus, *Cœli*, quibus affixa pluralia respondent

Patefactio autem describitur à circumstantia tum modi, tum loci

a. Modi quidem vers. 4. *Non est sermo, nec sunt verba, sine, audita est vox eorum*; Quidam negative omnia, *non est sermo nec verba* nulla vox eorum audita est; carent cœli omni externa voce: *attamen in omnem terram* &c. Alii ellipticam orationem faciunt, *nullus sermo, nulla sunt verba*, nempe hominum, nuspiam ubicunque homines linguis distincti degunt, ubi locorum *non audiatur vox eorum*. Sed simplicissime: *non est sermo, nec verba sunt* (cœlis, de quibus agit, uti quidem homines articulato sermone utuntur in institutione,) בלי *sine illis* tamen, Rebhia comp. distinguit à seqq. נשמע קולם *audita est vox eorum*. Tametsi sonum externum non edant, aut articulatam orationem non instituant, sine istiusmodi medio, vocalissime loquuntur; silentium ipsorum vociferationis instar est, quod ab intuentibus omnibus mente exauditur. Sic Plato de harmonia cœlorum, non quod vere musicam vocalem agnosceret, sed suavissimam & efficacissimam institutionem.

b. Loci autem vers. 5. bifariam enunciat,

α *Subjectum* duplici phrasi, (1) *in omnem terram* (2) *ad extremitates orbis habitabilis*: ubicunque homines vivunt, qui soli inter terrestres exercitus ad hæc audienda valent cum νοῦ χῶρος χωρῶσαν Rom. 1: 20.

β. *Patefactionis instrumentum*, (1) קום (2) מליהם, Ergo tribuit Cœlis אמר vers. 3. & מלים, cum tamen vers. 4. iisdem negarit utrumque; sed negat, qualia inter homines valent, sic non nisi uni aut alteri nationi loqui possent; ast tribuit propria verba, citra labiorum, aut oris, aut linguæ, aut gutturis instrumenta, imo ne quidem sonitu aliquo aures perstrepente; quia non corporibus sed mentibus loquuntur, quæ etiam sine sono externo, sine auribus audiunt, intelliguntque.

Porro duo illa קו & מלים synonyma sunt, & prius idem quod קול, uti Gr. reddunt φθόγγος, non per corruptelam textus, quod Judæi pro קולם scripserint קום, ut vitiarent scripturam, à quo crimine longissime absunt: sed propria significatione. Etenim קו uti lineam notat, & normam ad quod institituitur structura; ita quoque vocem aut sonum. Etenim synonyma ejus cum מלים liquet ex vers. 2, 3. ubi similis repetitio, narrant, indicat: eructat, indicat scientiam; præterea Esa. 28: 9. צו לצו קו לקו agitur de puerili institutione, cum prima initia pusionibus traduntur; sed ibi nullus locus est filo, aut normæ architecti in ædificando adhibendæ, sed tantum de sono syllabarum & vocabulorum agitur. Denique radix קוה exspectavit, poscit significationem non normæ, sed vocis ceu primariam: nam exspectatio præsupponit notitiam rei exspectandæ ceu futuræ, eoque includit vocem vel verbum quod exspectationi causam det, & quo desideria exspectantis respiciant, ut optime per φθόγγος & sonus τὸ קו explicetur.

C. *Solem* vers. 5, 6, 7. quem describit

א. *A loco* vers. 5. *Soli*, שמש à ministerio, quia universalis mundi inferioris minister, facem eis præferens, quod utique gentilibus argumento esse debuisset; ne eum ceu Dominum aut Deum adorarent, *posuit tentorium in illis* cœlis. Cum enim cœlum expansum sit instar cortinæ aut tentorii, utique Sol, cujus istic sedes tentorium suum *ibi* dicitur habere.

ב. *Ab adjunctis* & *effectis*, nempe

a. *Pulchritudine* splendoris sui, vers. 6. *Et ipse sicut sponsus egrediens è thalamo suo*; qui ornatissimus prodit, in omni suo decore; ita sol oriens pulcherrima luce & fulgore præditus omnes in sui rapit admirationem.

b. *Celeritate* vers. 6. quod nempe *gaudet instar fortis, heroïs, ad currendum semitam*; sicut validus cursor in stadio magnopere gaudet quando cursu contendendum, sic quoque velocitate sui cursus delectatur.

Amplificatur à viæ longitudine vers. 7. *Ab extremo cœlorum exitus ejus*, cum oritur, & *circum volutio ejus ad fines eorundem*, ut ad idem punctum redeat. Sive de diurna, sive de annua circumvolutione intelligatur, quam תקופה Hebræi vocant, quartam anni partem: sive quemcunque describat circulum.

c. *Calore* vers. 7. quatenus *nec est absconditus à calore ejus*. Licet enim quis se occultet à luce, nequit ab æstu ejus, qui omnia penetrat, ipsa terræ profunda.

ג. *Correctione* vers. 12. quatenus *etiam servus tuus per ea monetur* ut caveat sibi; נזהר illustratur, ut circumspecte ambulet, Eccl. 12: 12.

ד. *Utilitate*, quoniam *in custodiâ* observatione *illorum, merces* eaque *magna*, præmium ingens. Deo beneficiente piis, & remunerante obsequium ipsorum, עקב calcaneus, extremum; eoque quod Deus extremo piorum destinat, non ex merito ipsorum, sed ex sua gratia.

II. PRECATIO pro sui regimine, vers. 13. &c. quâ flagitat

I. *Peccatorum condonationem*. vers. 1, . cum in observatione præceptorum Divinorum tantum sit commodum; quandoquidem in observatione deficio tantopere, ut etiam præmio cariturus videar, condona defectus meos. I. Profitetur autem multitudinem peccatorum, *Errores quis intelligit?* licet caveam mihi à peccatis manifestis, nec publice, contra

contra ſcientiam & conſcientiam reus ſim, tamen innumeræ ſunt declinationes, à norma verbo Dei definita, quibus obnoxius eſt quivis, adeoque & ego, quaſque nulla diligentiâ omnes noſſe ac deprehendere queat ut de iis reſipiſcat ſigillatim: quæ tamen ſingulæ reatum afferunt. II. Petit condonationem, *mundum* & innocentem *me conſtitue* etiam *ab occultis*, delictis, numero plurimis pro quibus non poſſum ſigillatim interpellare, deque iis reſipiſcere; eoque multo magis manifeſtorum mihi, quorum confeſſionem edo, veniam peto, vitæ emendationem exerceo mihi, gratiam fac.

II. *Gubernationem Spiritus S.* verſ. 16. & quidem

A. Ne gravius peccare ſinat: Etiam, majus adhuc peto, cum ob carnis & corruptionis naturalis vim etiamnum magnam, nequeam ſperare me temperaturum mihi ab omnibus manifeſtis delictis, Tu mihi gratiam præſta eam, per Spiritus regenerantis efficaciam, ut me *cohibeas*, neque ſinas labi, ſuperarique, *à ſuperbiâ*, peccatis gravioribus elatæ manus, quæ ſciens & volens patrem: ratio eſt in nomine, *ſervum tuum*; cum eâ relatione me eſſe volueris, effice ut me habeas obſequentiſſimum.

B. Ne patiatur lapſum gravius in peccatis perſeverare; *ne dominentur mihi* ſuperbiæ iſtiuſmodi, ut tyrannide potitæ, me teneant mancipii inſtar obnoxium Pſ. 119: 133. Rom. 6: 12. &c.

Argumenta ſunt (1) *tunc integer ero*, איתם inſerto ' anomalôs, quod numero denario integritatem revocare volunt ad normam decalogi: qualem agnoſcit Pſ. 119: 6. & ſic demum fœderatus, qualis ſervus Dei, integer eſt Gen. 17: 1. Deut. 18: 13. Gen. 26: 5. ' NB. iſtud an ex יהוה? ut tum ſe perfectum fore credat, quando Deum habuerit intra ſe agentem. Gal. 2: 20. Rom. 8: 2. Joh. 15: 5. &c. (2) *& inſons ero à prævaricatione*, ſaltem magna, aut multa, ממש Kimhi graviorem facit quam זדון. Hanc admitti vi prævalentis cupiditatis: illam ex rebellione & deſtinata malitia: verum qui iſti indulget paulatim ad illam quoque prolabi, ut à זדונות præſervatus, non facile ad פשעים ſit progreſſurus. Cohibente Deo hominem à dominio peccati, manebit profecto innocens à gravioribus ſceleribus.

III. *Acceptationem* ſui ſuarumque actionum. verſ. 15.

Res petita eſt, *ſint in beneplacitum*, ſed ut grata & accepta habeas, non repudies aut averſeris, & coram facie tua des admiſſionem.

Objecta, ſunt *ſermones oris mei*, *& cogitationes mei cordis*; quæ in precibus ſive verbis eloquor, ſive mente tantum concipio & ſuſpiriis tacitis propono: aut generalius omnia verba & cogitata mea, quibus omnia comprehenduntur, etiam facta Matt. 12: 33. ſeqq. ſub verbis Eccl. 11: 9.

Rationes à Dei relatione, *Jehova*, verax I. *Tu rupes mea*, fortitudo, robur, qui potes me ſuſtentare, II. tu redemtor meus, jure cognitionis, & amore ejus vindex, qui vis me redimere; uterque meus, in quo fiducia recumbo.

PSALMUS XX.

TITULUS idem cum proxime præcedentis. Kimhi tamen ל in לדוד negat eſſe notam genitivi, ſed præpoſitionem, idem cum על *propter Davidem*, quod Davidem in bellum profectum hoc Pſalmo proſecutus ſit præcentor chori alicujus. Sed Davidem ſcriptorem credimus, qui tamen præſcripſit & tradidit formulam precum pro ſe inſtituendarum, dum abeſſet in expeditione. (Perinde eſt Pſ. 72: 1. לשלמה *propter Salomonem*; David tamen ejus ſcriptor, verſ. 20. Quam quidem nonnulli cenſent fuiſſe illam 2 Sam. 10. contra Ammonitas *Syrû* auxiliaribus roboratos: quod bellum difficile fuit; quemadmodum etiam quod contra Moabitas Hadadrezer, & Edumæos geſſit cap. 8. ſatis grave fuit. Aptari poteſt utrique.

Conſtat I. Precatione pro rege verſ. 22--6. II. profeſſione ſpei de victoria verſ. 7--9. III. repetitione precum. verſ. 10.

I. PETITIO pro Rege votiva eſt; ipſummet enim compellant, & abiturum in bellum proſequuntur voto ſuo. Optant autem ipſi

I. *Exauditas preces.* verſ. 2. *Reſpondeat tibi Jehova*, ut precibus auditis reſpondere dignetur, & petitis annuere; & quidem, *in die angustiæ*; quando aliquid adverſum obtingit, & preces ſunt frequentiores, fervidiores, & magis neceſſaria eſt exauditio.

II. *Opem præſtitam*;

A. Ut ſuperior ſit periculis, verſ. 2. *Exaltet* alto loco te collocet, tanquam in arce, aut monte ſublimi, quo hoſtes pertingere nequeant, *Nomen Dei Jacobi*; *Nomen* Deus ipſe eſt, ſed agnitus, uti ex nomine quis agnoſcitur & ab aliis diſtinguitur, ſic qui ſolus agnitus à nobis eſt ceu Deus noſter, qui verus, omnipotens, idemque benigniſſimus. *Deus Jacobi* autem dicitur ob fœdus, quod à Jacobo hæreditarium habebant, in quo plus præſidii, quam in ſuo, Sinaitico. Et quia Jacobus plus Iſaaco & Abrahamo adverſitatum ſuſtinuit Gen. 48: 16. & in precibus ſuis exauditus fuit, cap. 32.

B. Ut in periculis defenſionem obtineat verſ. 3. *Mittat* (Deus ille) *auxilium tuum*, tibi paratum & deſtinatum, *ex ſanctuario*; ut divinum eſſe appareat, & Dei Iſraelis, qui in ſanctuario ſe præſentem faventemque, demonſtrabat: imo defenſionem efficacem, *& ex Zione*, in quo monte collocata jam erat arca, *Suſſulciat* ſuſtentet *te*, ne labaris, aut deficias. מ in מקדש & מציון reddi etiam poteſt *propter ſanctuarium, & Zionem*, ut ſit impulſiva externa, quia dignatus fuit locum illum à Davide ſegregatum, ſibi in domicilium ſumere, & Davidi eapropter regnum in poſteris perenne promiſerat Pſ. 132. & 2 Sam. 7.

Amplificatur ab impulſivâ externâ, Davidis religione, verſ. 4. *Recordetur omnium oblationum tuarum*, מנחה ſumitur de omni oblatione, etiam cruenta Gen. 4: 3. & c. ut memoria ſacrificiorum ſit apud Deum, quæ olim obtulerat ſeu potius.

III. *Acceptata vota*, verſ. 4. Solebant fieri votiva ſacrificia, non tantum quæ adepto voto offerrentur, ſed etiam quæ ſociarentur ſolennibus votis. Preces Salomonis initiantis templum, fuere votivæ pro benedictione templi ad precum acceptationem, & ſacrificia tum oblata pertinuerunt ad voti confirmationem, & Deus de cœlo mittens ignem, & abſumens oblatas hoſtias, teſtatus eſt acquieſcentiam in voto ſeu precibus voventis Salomonis 1 Reg. 8. Ita hic optant, *Oblationum tuarum*, ex ſimila cum oleo & thure, *recordetur*, hoc eſt, odoretur, vocabantur אזכרתה quia in iſtis thus, לריח הניחוח, ut acquieſcentia ſignificaretur, æque gratas habeat oblationes tuas ac odorem bonæ fragrantiæ ſacri thymiamatis quod אזכרתה dicitur, *& holocauſta mota tua in cineres redigat*, ipſemet nempe, quod additum ה ad emphaſin innuit, cœleſti flamma abſumens: quod factum quandoque in beneplaciti divini teſtimonium.

IV. *Victoriam*, omnimodamque felicitatem verſ. 5.

A. *Det tibi ſecundum cor tuum*, quicquid deſideras, in corde ſunt deſideria; quicquid animo concipis, 1 Reg. 10: 2. Pſ. 62: 9.

B. *Et omne conſilium tuum*, quicquid deliberaſti agere, maxime conſilia bellica, *impleat*, ut ita fiat; ſuccedat tibi unumquodque illorum.

Per parentheſin

Amplificatur argumento I. A ſuâ gratitudine, verſ. 6. *Vociferabimur*, læti & hilares, *in ſalute tuâ*, eam prædicantes. II. A ſuâ fiduciâ, *& in nomine Dei noſtri vexillum extollemus.* Quotieſcunque nova bella ingruent & arma erunt capeſſenda in nomine Dei noſtri vexillum erigemus; ſub eo ejuſque auſpiciis militaturi. Aſa 2 Chron. 14: 11.

C. *Impleat Jehova omnes petitiones tuas:* ut preces tuas ratas eſſe jubeat, teque damnet voto. Gradatio eſt, deſideria, conſilia, poſtulata.

II. PROFESSIO SPEI de victoria, verſ. 7. &c. juxta ſuam petitionem; eſt autem iſta uniuſcujuſque pii, qui ex ſenſu cordis fidelis de futurâ felicitate loquitur ceu præſenti, & certo cognitâ. Heic I. Profeſſio; *nunc novi*: jam nunc, in mediis precibus, ea mihi oritur certitudo; II. Objectum, eſt votorum priorum ſucceſſus, tum de defenſione, *quod Dominus ſervarit* Unctum ſuum, ut in periculis non ſuccumberet, ſed prævaleret. Tum de precum exauditione, *exaudiet eum*, ſeu reſpondebit illi, nempe reali reſponſo, conceſſa victoria.

Exauditionem illuſtrat à loco, *de cœlis ſanctitatis ſuæ*, Eſa. 63: 15. ſummo ſegregato in ſedem quaſi majeſtatis & gloriæ Dei: petierat id fieri ex ſanctuario Zionis, jam exſpectat de cœlo ſummo, adeoque multo abundantius & glorioſius, quanto cœleſte ſacrarium terreſtri omni modo præſtat.

Salu-

Salutem illustrat à medio seu instrumento, *dextra Dei* quæ valida ad prævalendum Ps. 118: 16. immo *robore dextræ*, immo *roboribus*, quicquid virium conjungi potest, imo *roboribus salutis*, quæ meram salutem ferant, conficiant, conservent, augeant in immensum.

Amplificat autem fiduciam per antithesin hostilis & regii exercitus.

A. Ex objectis, vers. 8. I. Hostes recordantur, jactant & gloriantur tum *in equis*, tum *in curribus*, in quibus magnum robur bellicum consistebat, Jos. 11: 4. &c. Jud. 4: 13. &c. 2 Sam. 8:4. cap. 10:18. II. *Nos memorabimus*, ceu in quo robur nostrum situm gloriamur & jactamus, *in nomine Domini Dei nostri*. Solet enim tempore belli quæque pars commemorare suas copias, quibus putant confici victoriam posse.

B Ex Eventis vers. 9. I. *Ipsi incurvati sunt*, inclinati deorsum, quomodo pugnare nequeunt, immo *ceciderunt* prorsus in terram, prostrati. II. *Nos* vero *consistimus erecti*, ad pugnandum idonei, & *perpetuati sumus*, ut perennaret ista conditio erecta. Quod utique victorum est si stent & perseverent in loco ubi pugnatum est, dum hostes ibidem incurvati fuerunt, & ceciderunt, ut jaceant humi ceu conculcandi à victoribus.

III. Repetitio petitionis vers. 10. tum pro ope, *Jehova serva*, salutem postulatam præsta, tum pro exauditione. Rex, mutata persona Deum intelligit, *exaudiat nos in die quo invocamus*: quotiescunque imploramus eum precibus nostris. Quidam per *Jehovam*, Deum Patrem; per *Regem*, Messiam designatum putant ex Ps. 2: 2, 6. ut quia Messias, voluntatem Patris facit, ab hoc petatur, ut preces exaudiat. Quidam priori membro Deum ut juvet invocari statuunt; posteriori autem ut Regem, pro quo nunc precarentur, sic regeret & inflecteret, ut ad ipsum clamantes, tanquam magistrum suum, patulas aures invenirent, ad vindicandum unumquemque subditorum, qui opprimeretur. Prior expositio maxime placet, cum etiam alias ea mutatio personæ occurrat, Ps. 18: 33-36.

PSALMUS XXI.

Titulus communis cum priore. Autor *David*; vel ratione argumenti, de Davide; sive is sit filius Isai, qui precibus Ecclesiæ commendetur Deo, proque impetratâ victoriâ gratiæ agantur: sive Messias, qui David appellatur. Jer. 30: 9. Ezek. 34: 23. cap. 37: 24. Hebræi de Messia intellexerunt, & quidem glorioso, quem filium Davidis vocant, & qui metuens ejusdem calamitatis, quâ filius Josephi perierat, vitæ prorogationem petierit, & impetrarit, & quidem à Deo compellatus verbis Ps. 2: 7. quemadmodum legitur in Succa Bab. cap. 5. fol. 52. 1. Est quidem illud de gemino Messiâ figmentum; natum est παξεμπιπία status duplicis; attamen si referatur ad unam personam, multum veritatis habet: ut sit hic Ecclesiæ eucharisticum ob victoriam Christi, cum voto pro felici ejus regimine, uti Psal. 118: 24. seq. Adeoque propheticis accenseri debet hic Psalmus.

Partes duæ sunt, I. Gratiarum actio pro beneficiis Messiæ victori concessis vers. 2--8. II. Professio fiduciæ de felici ejus regno vers. 9--14.

Gratiarum actio vers. 2--8. constat

I. *Propositione* vers. 2. Concipitur ab Ecclesia, quia de Messia in tertiâ personâ loquitur; de quo victore læta gaudet, Deumque celebrat: *Jehova, Rex* (κατ' ἐξοχὴν, Messias nempe,) *lætatur* (futurum pro præterito, quia connotatur etiam constantia gaudii,) *in robore* non suo, sed *tuo*, & *in salute*, non sua, sed *tuâ*, *quantopere exsultat?* Interrogatio admirantium magnitudinem rei indicat, ad quam obstupescant, non assequentes vel mente, vel sermone, quod prædicant. Spectant hæc victoriam Christi resuscitati, quæ materia summi gaudii fuit ipsi, Ps. 16: 9. &c. Robur autem Dei circa ipsum exercitum describitur Eph. 1: 20. Salus item Zach. 9: 9. Heb. 5: 7.

II. *Narratione* beneficiorum Messiæ concessorum, vers. 3--7. quæ sunt,

A. *Exauditio* precum. vers. 3. *Desiderium cordis ejus dedisti ipsi*; quicquid animo concipit, quod optat votis silentibus, à te consequitur: & *pronunciatum labiorum ejus*, quod ore profatur, *non cohibuisti*, ut non impetraret optata. Joh. 11: 41, 42. prius respicit, posterius autem cap. 12: 27. &c.

Simul etiam hinc liquet in precibus cor sociandum esse ori; & desideria animi sermonibus linguæ; imo illa priora & potiora esse, & sine his verba inania, & inutilem βαττολογίαν.

B. *Benedictio*. vers. 4.

In genere quidem; *benedictiones boni*; sunt eæ omnes bonæ, ast hic emphaseôs ergo, *boni* dicuntur, quibus omnis generis bona conferrentur: hujusmodi plures notat, & quod item ad amplificationem facit, *quibus antevertit*; antequam peteret, immo desideraret, jam paravit quas daret benedictiones: quod etiam argumentum exauditarum precum: dum ad præscitas eo modo respondit, Esa. 65: 24.

In specie autem: *posuisti super caput ejus coronam auri solidissimi* & compactilimi: auxisti eum summa dignitate, regio axiomate, cujus symbolum corona aurea. uti 2 Sam. 12: 30. 1 Chron. 20: 2.

C. *Longævitas* vers. 5. *Vitam petiit à te, dedisti illi, longitudinem dierum in seculum & sempiternum.* Vitæ æternitas concessa? & quidem in regno & possessione coronæ. Quod sane Davidi non quadrat, qui mortuus vidit corruptionem, notumque fuit ejus sepulchrum seculis sequentibus: tum etiam regnum ejus non nisi 40 annorum fuit, & tum ipse satur dierum exspiravit. Messias autem ad preces suas consecutus est vitam interminam, æque rex ac Sacerdos æternus. Hebr. 7. Esa. 9: 5, 6. Cæterum *vita quam petiit* est ea, quam ubi semel peccato mortuus est consecutus fuit æternam Rom. 6: 3. &c. semper jam vivens Apoc. 1: 18. Accepit ille *vitam* æternam 1 Joh. 5: 10. &c. sed quam primum debuit ponere Joh. 10: 17, 18. postquam eam posuit ad redemtionem, vitam recepit. Esa. 53: 10. *Petiit* autem vitam illam, quando sui glorificationem petiit & impetravit Joh. 12: 27. &c. cap. 17: 1, 5. Hinc fluit æternitas regni ejus Esa. 9: 5, 6. Luc. 1: 31. &c.

D. *Majestas* vers. 6. *Magna est Gloria ejus, majestatem & decorem dispositisti super eum.* Est ea majestas summa, quam consecutus est per resuscitationem & post eam. Eph. 1:20. &c. Phil. 2: 9, 10. Heb. 2: 9, 10. Act. 5: 30. &c.

Amplificatur à causa provocante, *per salutem tuam*, quia Deus eam illi concessit. Zach. 9: 9. Phil. 2: 9. &c.

E. *Consumma, scaturigo* benedictionum vers. 7. *Nam constituisti eum benedictiones in seculum.* Comparandum est cum Gen. 12: 2, 3. Abrahamo non tantum benedicturum se dicit Deus, sed jubet esse benedictionem; benedictissimum, abstractum pro concreto, seu potius benedictionis cisternam, depositarium; unde ea ad alios dimanaret; nam in ipso benedicendæ omnes familiæ terræ. Heic major Abrahamo, non cisterna, sed scaturigo benedictionum omnium. Deus *posuit eum benedictiones*. Joh. 1: 14, 16. Col. 1: 19. Eph. 1: 3. Nulla nisi in ipso Act. 4: 11. &c. & ex ipso Joh. 15: 5. 2 Pet. 1: 3. idque *in seculum*. Esa. 45: 17: 22. &c. Dan. 9: 24.

F. *Gaudium*. vers. 7. *Exhilarasti eum gaudio apud faciem tuam.* Sic Ps. 16: 11. & pertinet ad gaudium glorificati Messiæ & constituti ad dextram Dei.

III. *Confirmatione* vers. 8. ab impulsiva I. Externa, *Nam rex confidit in Domino*: qui fiducia sua semper ei adhæsit, etiam tum quando à Deo desertus fuit Ps. 22: 2. &c. Esa. 50: 6. &c. & quia confidit, obediens fuit Joh. 10: 18. cap 14: 31. II. Interna, & *per* seu *propter benignitatem Dei non dimovebitur*. Qui eum constituit regem etiam tuetur Ps. 2: 1. &c. Joh. 10: 28, 29. Joh. 12, 28. cap. 16: 32. hinc profecta gloria Phil. 2: 9.

II. Professio fiduciæ de felici Messiæ regno vers. 9.-14. quod constituit in victoria de hostibus, & horum exitio: gradatim autem procedit, prædicando futuram.

Victoriam vers. 9. *Sufficiet manus tua omnibus hostibus tuis.* נמצא cum ל *sufficere, abunde esse* Num. 1: 22. prom *sufficiet tibi* tua manus, ut alienâ ope non indigeas. Esa. 63: 1: 5. cap. 59: 16. Matt. 16: 18. Joh. 10: 28, 29. *Dextera tua sufficiet*, vel quia hîc ל non sequitur, *inveniet omnes osores tuos.* Non solum superandis repugnantibus sufficiet, sed etiam assequendis fugientibus, ut ex latebris sub extrahantur. Amos. 9: 2. &c. Apoc. 6: 15. &c.

II. *Pœnam* vers. 10, eamque

Ulti-

Ultimam, verſ. 10. *Pones eos ſicut fornacem ignis*; ubi ignis magna copia congeritur, & vehementiſſime ardet, tanquam in loco proprio; ſic in ipſis quaſi habitabit ignis, Conf. Pſ. 11: 6. ignis, ſulphur, prunæ poculum ſunt, ut ad interiora penetret, & domicilium quodammodo ibi inveniat. Amplificatur à circumſtantia temporis, *in tempore oportuno faciei tuæ*, id eſt iræ, פנים pro ira Pſ. 34: 17. quando dies iræ deſtinatus venerit. Rom. 2: 5. &c. 2 Theſſ. 1: 9. mutata perſona petitur. *Dominus in irâ ſuâ deglutiet eos & comedet eos ignis*, ubi autor, impulſiva, effectum, & inſtrumentum, Matt. 25: 41, 46. 2 Theſſ. 1: 8, 9. *Deglutiet*, quia ſtagnum eſt, & *comedet*, non abſumet, quia uſtulabuntur ſine fine. Marc. 9: 44. Apoc. 20: 10, 14, 15. cap. 21: 8. cap. 14: 10.

A. *Temporalem*, eamque

א. *In poſteris* verſ. 11. *Fructum eorum*, liberos & poſteros, fructum ventris & viſcerum Pſ. 127: 3. *de terrâ perdes, & ſemen eorum à filiis hominum*: ut locum inter viventes in terra non obtineant, ſed morte exturbentur.

Interſeritur ratio ab impulſiva externa verſ. 12. ipſorum impietate, א. facti, *Nam declinarunt contra te* רעה hoc eſt לרעה *ad malum*, ut tibi repugnarent, teque læderent. Tum conſilii, cogitarunt doloſam fraudem. meditatum malum (מזמה hîc, uti frequentiſſime in malum) quæ duo etiam Pſ. 2: 1. &c. notantur, & ſolent mali tum facto damnum moliri, tum meditari ut faciant, & plus cogitatione adverſantur, quam factis; tum quia promtior meus, quam manus; plura concipimus animo quam opere poſſimus expedire. Tum quia non omnia cogitata ſuccedunt, quod hîc notatur, nequaquam prævalent; quod tamen ad utrumque membrum referri poteſt. Nec factis nec cogitatis proficiunt, ut noceant, quod quidem optant & machinantur.

ב. *In ipſiſmet* verſ. 13. *Nam pones eos inſtar ſcopi aut metæ, & in nervis tuis parabis ſagittas, contra facies eorum directas.* Omnis generis plagas immittes, ut ſint metæ inſtar quo colliment omnia tua judicia Pſ. 7: 13. &c. Lam. 3: 12, 13. Vel ut Kimhi, *pones eos partem, à te diviſam, nemo ipſorum tecum manebit, ſed ſegregabitur, & tum contra eos ſagittas conficientes jaculaberis.*

Clauſulæ loco profeſſioni fiduciæ additur conſentaneum.

VOTUM verſ. 14. *Elevare Domine in robore tuo*, ut quod credimus & ſperamus, præſtes, victis punitiſque hoſtibus. *Sic Cantabimus & canemus potentiam tuam prævalentem.* Quomodo regem ſuum Jehovam eſſe profitentur, cui robur ſit, & potentia: quod quidem verſ. 2. Dei eſſe dixit, ſed jam Meſſiæ quoque tribuit, tum quod una ipſis ſit potentia eſſentialis. Joh. 10: 29, 30. tum quod utrique uti honos ſic potentia adſcribatur, Apoc. 4: 11. cap. 5: 12, 13.

PSALMUS XXII.

TITULUS docet eſſe ſacri uſus, ſcriptoremque *Davidem*: quod interponitur, על אילת השחר obſcurum eſt; & vexatum ab interpretibus, Kimhius varia producit 1. eſſe inſtrumentum muſicum. 2. אילת idem eſſe cum אילות verſ. 20. dictumque Pſalmum *in robore adſcendentis auroræ*? 3. אילת eſſe *ſtellam matutinam*. 4. Deſignari Davidem fugientem coram Saule. 5. Optime ſic deſcribi Eccleſiam Iſraeliticam, in Babylone exulantem; appellari אילת *veram*, ut in Cant. 3: 5. & השחר tantundem eſſe ac *pulchritudinem*, ejuſque ſplendorem Cant. 6: 10. Aliis vel melodiæ, muſicive inſtrumenti nomen eſt; vel ſi materiæ indicium faciat, erit *de Cervâ matutinâ*: deſignando Meſſiam, qui cerva, catuluſve earum dicitur Cant. 2: 9, 17. cap. 8: 14. à canibus, verſ. 17. Judæis gentibuſque agitatus, matutino tempore, quando eum ceperunt, & de loco in locum perſecuti ſunt; qui etiam ſummo mane ſurrexit ex mortuis, quando Deus fecit ejus pedes ut cervarum, eumque conſtituit, ſuper excelſis ſuis, Pſ. 18: 34. vel de tempore uſurpationis, *in robore auroræ*; ut ſingulis mane decantandus eſſet, Chald. *ad laudem, de virtute ſacrificii jugis matutini, Laudatio Davidis.* Quod oportunum admodum, ut cum typus proponeretur, de antitypo edocerentur.

Propheticus eſt de Chriſto, cui accommodatur aliquoties in N. T. nequit autem de Davide intelligi; quamvis forſan adverſa quæ paſſus eſt, occaſionem dederint meditandi de Chriſto, atque hujus Spiritus in ipſo teſtatus ſit de paſſionibus ſuperventuris ipſi, & ſecuturâ gloriâ. 1 Pet. 1: 11.

Partes ſunt I. Preces Chriſti in paſſione verſ. 2--22. II. Gratiarum actio pro liberatione verſ. 23--32.

I. PRECES Chriſti habent I. querelam verſ. 2--11. II. petitionem verſ. 12--22.

I. *Querela* verſ. 2--11. reſpicit

A. *Deum*, à quo ſe deſertum queritur, verſ. 2--6. hæc

א. Proponitur verſ. 2. ubi

a. *Modus* proponendi, docet, de ſummo doloris gradu: quia ex abrupto inſtituitur magna vehementia: quia duplicat compellationem: quia interrogando agit.

b. *Res* propoſita indicat

a, *Affectum* Chriſti, *Deus mi, Deus mi*, אל roboris habet ſignificatum, quo indigebat ipſe ad ſui liberationem, quodque ſentiebat ſibi adverſum, ſe affligens & debilitans. Attamen אלי *Deus mi*, quem fide retineo, fiduciam non depoſiturus; cujus conſtantiam repetitio confirmat. Es Deus meus, & manebis Deus meus, quem retinebo, nec deſeram; quemadmodum in aquis ſuffocandi jam, firmius apprehendunt tabulam, atque ei immorientes etiam defuncti vix inde avelli queunt; ſic ipſe in abyſſo illâ mergendus.

b. Factum Dei, *quare me deſeruiſti?* Deſertio iſta habet I. Negationem amoris, non quâ filius amoris Dei Col. 1: 13. Matt. 3: 17. ſed quâ homo, vicarius peccatorum, & propter ipſos reus, peccatum; neque enim hoc reſpectu potuit non odiſſe. II. Negationem auxilii aut ſolatii, III. Illationem iræ, & tormentorum, quæ omnipotentia Dei juſtitiæ vindicantis miniſtra infligere poteſt. Eſa. 53: 4, 6, 8, 10, 11, 12. Interrogatio. *Quare*, vel ad Chriſtum referenda, ex magnitudine & diuturnitate deſertionis ita exclamantem, cum poſt ſilentium toto tempore tenebrarum ad extremum in hæc verba erupit: vel ad Deum, ut ſit memoriale, *quare deſeruiſti?* quo fine hæc omnia ſubiiſſe me noſti, ut ubi ſatisfactum fuerit tuæ juſtitiæ, finem facias meæ afflictioni.

De hac deſertione Chriſti quæritur.

1. An potuerit ſtatui à Patre? Reſp. Pater non deſeruit filium æternum, qui non obnoxius mutationi; ſed quam aſſumſit humanam naturam; contra quam egit ceu judex & creditor contra ſponſorem.

2. An potuit ſtatui in Chriſtum ἀνθρωπος. Reſp. Non infert ſeparationem humanæ naturæ à divina, ſed manente unione, λόγῳ inhibuit quaſi ſuum robur, ut humana natura pati morique poſſet.

3. Quæ neceſſitas deſertionis. Reſp. Ex jure talionis. Homines deſeruerant Deum, debuere ergo deſeri à Deo 2 Chron. 15: 2. 1 Chron. 28: 9, 10. atque hoc in ſponſorem ſtatui, quia Deus ἀπροσωπολήπτως.

4. Nonne debuit eſſe æterna? Reſp. Minimè, ſic enim inſuperabilis fuiſſet, & nulla ſponſori, nec debitoribus reſtitutio. Sed continuanda fuit uſque ad ſatisfactionem juſtitiæ Dei: quod ubi factum debuit finiri. Aſt ſi hominibus toleranda ſit, qui impotentes, æterna erit. 1 Chron. 28: 9, 10.

5. An deſperavit vel murmuravit Chriſtus? Reſp. Neutrum: non illud, nam fidem retinuit, etiam in ejus ἀκμῇ: non iſtud, querela eſt admirantis, ſperantis, confidentis; quid, quo fine ſibi immitteret.

ב. Amplificatur à cauſis corrumpentibus, quæ deſertionem debuiſſent finiviſſe, nil autem juvabant, ſuntque

a. *Preces* ſuæ verſ. 2, 3. quarum commemorat

a. Vehementiam inefficacem verſ. 2. *Longe eſt à ſalute mea*, quæ alias precibus impetratur, *quod vis verborum rugitus mei.* Preces qualis rugitus leonis vehementiſſimus, non conſecuti ſalutem mihi, ut ea foret propinquior. Eſa. 26: 18. רחוק refero ad דברי ſine ellipſi, ſed per enallagen numeri, ut Pſ. 119: 132. per diſtributionem. Alii ad Deum referunt, *longinquus* (es) *à ſalute meâ*, (quod erit declaratio deſertionis,) itemque repetito רחוק & מ *longinquus à verbis rugitus mei.* Sed illud ſimplicius.

b. Conſtantiam pariter inefficacem verſ. 3. ubi (quem invocarit. *Deus mi*; quomodo fidei profeſſio editur. II. Quando *interdiu clamabo*, hoc eſt, *clamavi*, per enallagen temporis; & noctu; *& jugiter, non eſt ſilentium mihi*, aut intermiſſio. III. Quo ſucceſſu, *& non reſpondes*, non audis;

ſurdum quaſi inclamo, & mutum; qui nec audit nec reſponſum dat. Heb. 5: 7.

b. *Fœdus* Dei verſ. 4. *Tu vero*, (qui me precantem non exaudis) *es ſanctus, habitans* &c. heic

a. Quis ſit Deus ſeu qualis, *ſanctus*, ſegregatus, non ſolum natura, quomodo ab omnibus creaturis ſegregatus eſt quod ad perfectiones; ſed gratioſa appropriatione, per fœdus: uti enim illud Iſraelem faciebat populum ſanctum, ſegregatum Deo, Exod. 19: 4, 5. Deut. 7, 6. ſanctitatem ejus Jer. 2: 3. ſic quoque Deum ſanctum Iſraelis, ſegregatum quaſi in proprietatem, Eſa. 43: 3, 15. & crebro Sanctus Iſraelis. Nam Iſraeli fœderatum docet.

b. Ubi ſit talis, *habitans laudes Iſraelis*, qui talem te Iſraeli oſtendis, ut eo nomine habeant celebrandum; imo adeo abundanter & conſtanter exhibes, ut nunquam laudum finis eſſe queat, ſed tanta conſtantia & frequentia tibi canantur, ut inter eos habitare, nec aliud domicilium habere videaris. Exod. 15: 2. amat enim preces Pſ. 65: 2, 3. & precantibus adeſt Pſ. 145: 18. Matt 18: 19, 20. domus ejus domus precationis Eſa. 56: 7. & ſi cor in precibus aſſiduum ſit, ibi habitat Deus Eſa. 57: 15. cap. 66: 1, 2. Inprimis preces & laudes Iſraelis amat, fœderatorum. Eſa. 56: 6, 7.

c. Exemplum Patrum verſ. 5, 6. ubi

a. Qui, *Patres noſtri*, Abraham, Iſaac, Jacob, aliique, quorum exemplum intuendum, & ab illis diſcendum erat, qualem Deum eſſent experti Deut. 32: 7. Pſ. 78: 5, 7.

b. Quid egerint tribuit eis (*α*) fiduciam felicem; *in te confiſi ſunt, confiſi ſunt*; ſæpe & conſtanter, iterum iterumque, & *evadere feciſti eos*, ex periculis, calamitatibus, anguſtiis. (*β*) preces felices; & *te clamarunt*, & *erepti ſunt*. (*γ*) fiduciam felicem; *in te confiſi ſunt, neque pudefacti ſunt*, ſemper obtinuerunt, quod à te ſperarunt & petierunt. Fides & preces ſociatæ nunquam non felices. Jac. 1: 5. &c. Pſ. 33: 22. Rom. 10: 14. item verſ. 11. Pſ. 37: 4. Sed quicquid etiam patribus hic obtigerat, Chriſtus nihil ſimile ſe teſtatur impetraſſe. Pſ. 69: 2. &c.

B. *Homines*, ſuos hoſtes, verſ. 7--11. atque

א. *Generatim* verſ. 7. indicans qualis in ea deſertione Dei ſit

a. Abſolute, *Ego vero ſum vermis, non autem vir inſignis.* Poſitive, *ſum vermis*, viliſſimum reptilium, cum reptilia ſint viliſſima creaturarum; neque ſic reputor ab aliis tantum, ſed vere talis ſum; ut contemtibilis vermis, quem pes hominum & beſtiarum conculcat. Negative, *non autem* איש *excellens aliquis* Pſ. 4: 3. & 49: 3. qualis habebatur à multis cum obiret benefaciens, & miracula patrans ad ſanationem, quando luculentas commendationes retulit à plebe: quæ omnes evanuerunt, cum pateretur.

b. Relatè ad homines, חרפת אדם *opprobrium viliſſimorum hominum*, oppoſite ad איש; fex plebis, probris me afficiunt, & contemtus populi, non peregrinorum quos non attineo; nec hoſtium, quos injuria affecerim & provocarim contra me; ſed populo, tum mei, unde etiam ego ortus; tum Dei, qui illi fœderati, ab his contemnor. Pſal. 69: 11, 12, 13, 20, 21. Eſa. 52: 14. cap. 53: 2, 3. cap. 49: 7.

ב. *Speciatim*, conqueritur de contemtu duplici

a. *Geſtuum*, verſ. 8. ubi (*α*) quinam inferant; *Omnes qui me vident*: quot ſpectatores, tot injurioſi contemtores; Judæi & gentiles, Herodes & Pontius Pilatus, Sacerdotes, Phariſæi, plebs, milites; quotquot fuere præſentes. (*b*) Quid egerint, (*α*) ילעיגו לי *ſubſannant me*, contumelioſe irrident, ἐμπαίξοντες Matth. 27: 41. (*β*) יפטירו בישפה *diſtendunt in immenſum labia*, qui irriſorum geſtus, parturientes quaſi contumelias, calumnias maledicta. Eſa. 57: 4. Pſ. 35: 21. (*γ*) יניעו ראש *motitant caput*, quod vilipendentis eſt & indignantis. 2 Reg. 19: 21. Matt. 27: 39.

b. *Sermonum* verſ. 9. quibus exprobrant fiduciam; (*α*) quid fecerit, גל *devolvit* אל pro על *ſuper Dominum*, ei committens ſui curam Pſ. 55: 23. & 57: 5. ut ille ſolum ferat omne onus (*b*) quid conſequi debeat, *evadere faciat eum*, eripiat eum, ut eximatur malis omnibus. (*c*) cur illud conſequi debeat, *nam delectatur ipſo*; poteſt dici de confidente Chriſto, quia omnem in Deo habet voluptatem: Pſal. 40: 7. &c. vel de Deo, quia Deus eum amat. Eph. 42: 1. Sed hæc univerſa ironicè; habentes pro hypocrita. Job. 8. verſ. 13. Matth. 27: verſ. 43.

Opponit autem contra deſperationis opinionem vel tentationem, fiduciæ ſuæ teſtimonium verſ. 10, 11. quam arceſſit ab experientia propria; beneficia Dei enarrans quæ obtinuerat, non adultus per preces, quomodo ſibi, ſuæve pietati quid tribuere credi poſſet; ſed infans, quæque humanam operam antecedebant; quæ rerum omnium ignarus, nec petens, nec æſtimans Dei beneficia acceperat. Enumerat autem.

a. *Nativitatem*, dicendo, *Tu eductor meus ex utero.* verſ. 10. qui matri vires dediſti ad pariendum, meque quaſi manu tua ex utero ejus eduxiſti. Eſa. 66: 7, 8, 9. cap. 37: 3.

b. *Alimentum* primum, *confidere faciens me ſuper uberibus matris meæ.* verſ. 10. paraſti nutrimenta mihi in maternis uberibus, & hac fiducia me feciſti naſci, quod jam eſca mihi eſſet præparata.

c. *Suſtentationem* reliquam, verſ. 11. (*α*) à parentibus Deo delatam: *ſuper te proſpectus ſum ab utero*; parentes mei poſtquam editus ſui in lucem curam de me illis tibi commiſerunt, Pſ. 55: 23. quaſi me projeciſſent in tuum ſinum, ut de neceſſariis mihi proſpiceres (*β*) & à Deo ſuſceptam: *à ventre matris meæ, Deus meus tu*; qui tuum robur & potentiam circa me exercuiſti.

Eſt enim conceptus & nativitas hominis & prima educatio talis, ut potentia & bonitas Dei miraculoſe ibi cernatur, & argumenta ſuppeditet fiduciæ in Deum per omnem vitam retinendæ. Pſ. 139: 13. &c. Job. 10: 8. &c. Pſ. 71: 5, 6.

II. *Petitio*, proponitur verſ. 12. confirmatur, verſ. 12--22.

A. *Proponitur* generatim, verſ. 12. *Ne longè abſis à me.* Arcem cauſæ invadit, & deſertionem Dei removeri poſcit, ut propinquum habeat, nempe affectu, favore, ope. Quo accedit occaſione profeſſionis iſtius de Dei præſente cura in prima infantiâ: ut qui proximum ſe oſtenderat tunc, ne nunc quidem deſtitueret. Sic Pſ. 10: 1.

B. *Confirmatur* argumentis verſ. 12--19. & quidem

א. *Generalibus* verſ. 12. quæ ſunt

a. *Præſentia* afflictionis, *nam anguſtia proxima eſt.* Anguſtiæ nomine complexus tum quæ ab hominibus patiebatur, Diaboli inſtrumentis, quorum erat hora, & poteſtas tenebrarum Luc. 22: 53. tum quæ à Deo, Eſa. 53: 8. dicitur עצר; reſpondetque τῇ θλίψει καὶ στενοχωρίᾳ damnatorum Rom. 2: 9.

b. *Defectus* auxilii, *nam non eſt auxiliator*: quod etiam hoſtes exprobrarunt Chriſto. verſ. 9. Sic Pſ. 71: 10, 11.

Specialibus quibus amplificat.

a. *Anguſtiam*, & quidem

α. Ab efficiente verſ. 13, 14. ſed ut metaph. deſcribat, & convenientes actiones adſcribat. Solorum autem hominum facit mentionem; non Dei, quamvis ab hoc plura & graviora pateretur: quia à Deo patiebatur juſtè, ipſe nocens, ob reatus alienos origine, ſed jam proprios ſponſione, quamobrem hìc ſpontaneus, & volens, ſine murmure omnia ſuſtinuit Pſ. 40: 7. &c. Joh. 10: 17, 18. cap. 14: 31. cap. 12: 27. &c. verum ab hominibus patiebatur injuſte, nullo modo nocens; unde querelam defert ad Deum, & ab eo ceu juſto judice vindictam poſtulat, Pſal. 69: 109. 1 Pet. 2: 22. & 23. coll. Homines autem iſtos dicit.

α. Juvencos, verſ. 13. *Juvenci multi me circumdederunt.* Sunt tauri, quorum magnum robur ad nocendum, cornibus, & ungulis armati, iique in flore roboris ſui, & hi non pauci, ſed multi, qui me undique cingunt, ut quacunque me vertam, videam paratos ad occurſandum, irruendum.

β. Fortiſſimos tauros Baſanis: qui ob prata lætiſſima, cæteris pinguiores, & inſolentiores: ii *me tanquam coronam cinxerunt*, ut omnis evadendi via præcluſa ſit. Deſignat autem eos qui opibus, potentia, dignitate, voluptatibus inſoleſcunt, truculentiores aliis.

γ. Leones verſ. 14. Non ſunt animalia domeſtica, quæ circurari queant, ſed feræ immaniſſimæ, indomitæ prorſus: אריה deficiente כ ſimilitud. *uti Leo*, cujus adſpectus terribilis; & quidem famelicus, *diſtenderunt contra me os ſuum*, ceu rictu ſuo me abſorpturi; imo *laniaturi*, qui præ-

prædæ, ungues & dentes infigit, eamque diſcerpit: imo *rugiens*, gaudens præda, & quam inde conſequetur ſatietate.

c. Ab effectu. verſ. 15. &c. ubi recenſet.

α. Corporis languorem; verſ. 15. *Effuſus ſum ut aqua*; ut diffluat & evaneſcat quaſi caro mea, quemadmodum aqua quæ effunditur; vel de vita intelligitur paulatim deficiente 2Sam. 14: 14. *Et omnia oſſa mea ab invicem ſeparata ſunt*, luxata, & nervi ac vincula diſſoluta; non autem fracta, neque enim os ei debuit frangi.

β. Animæ dolorem: *Cor meum eſt inſtar ceræ, liqueſcit in medio viſcerum meorum*; nempe admoto igne iræ tuæ; quomodo homines ut cera liqueſcunt. Pſal. 68. verſ. 2. &c.

γ. Sitim ingentem verſ. 16. *Exaruit omnis vis mea inſtar aridæ teſtæ*, ſic humidum radicale abſorptum eſt, itidem teſtimonium iræ Dei præſentiſſime ardentis Pſ. 32: 3. atque hinc *lingua mea adhærere cogitur palato*; deficiente quaſi ſaliva, qua humectetur os. Unde clamor de ſiti. Joh. 19: 28.

δ. Mortem ab ipſo Deo imminentem: *& diſponis me in pulvere mortis*; collocas in ſepulchro, in conditione mortuorum, quando pulvis redit ad terram ſicuti erat. Eccl. 12: 7.

ε. Cruciatum corporis in ſupplicio crucis; ubi notat

a. *Perforationem*, verſ. 17. heic

1. Efficientes, *circumdederunt me canes*, vel majores venatici, ad capiendum, & ſiſtendum heris venatoribus, ut miniſtri & milites Judæorum & Pilati: vel ſaltem latrantes, ut plebs concitata, ſpoſcens Chriſti mortem, eumque voce ſolum inimica lædens.

2. Deinde, *cœtus conditus* (עדת quo ſynedrium deſignari docent Hebræi,) *maleficorum*, Totum ſynedrium majus Judæorum Joh. 11, 12, 18, 19. Factum eſt, הקיפוני *perforari fecerunt me*: decreverunt crucifixionem, & hanc poſtularunt, tradentes eum Pilato & Gentibus, cum tale ſupplicium inter Judæos non haberet locum. à נקף Job. 19: 26.

Amplificatur autem כארי *fodientes*, (part. præſ. à כור, idem cum כרה) *manus meas & pedes meos*. Circumſtantia quæ inter Iſraelitas non potuit exerceri, antequam Romanorum imperium inter eos habuit locum.

β. Diſtenſionem membrorum, verſ. 18. *Enumerabo omnia oſſa mea*; ita extenſus ſum, ut corpus quodammodo pellucidum ſit, omniaque oſſa ſpectari, atque tamquam in ſceleto, cui cutis duntaxat obducta, queant recenſeri: quod itidem pertinet ad crucifixionem, eapropter clavis affixo corpore, ut quanta poterat vi diſtenſis membris, non daretur facultas retrahendi membra, & ea contrahendi.

Amplificatur autem ab ἐπιχαιρεκακία hoſtium, *ipſi intuentur* & me contemplantur, cum voluptate: Pſal. 35: 21. ראה cum ב conſtructum ſæpe intuentium voluptatem in eo ſpectaculo denotat. Pſal. 54: 9. & 59: 11. & 118: 7.

ζ. Diviſionem veſtium verſ. 19. *Partiuntur veſtimenta ſua inter ſe*; *& ſuper veſtimentum meum ſuperius*, quod partiri noluerunt, *jecerunt ſortem*, cui illud indiviſum cederet: quod ab Euangeliſtis notatum, inprimis. Joh. 19: 23, 24.

b. *Defectum* auxiliatoris, dum repetit implorationem opitulationis divinæ verſ. 20--22. atque heic eſt

a. Petitio verſ. 20. *Tu vero Domine, ne ſis longinquus*: dum nemo auxiliator. Pſ. 88: 9, 19. dum omnes me deſerunt, vel metu, ut diſcipuli & amici, vel ſponte, hoſtes, omneſque alii, quos horum aut amor aut timor tenet conſtrictos.

b. Rationes ductæ

α. A Deo. *Robur meum*, qui & potentiſſimus, non ſolum robuſtus, ſed *robur* ipſum; qui alias dicitur הגבורה Rabbinis & δύναμις Matth. 26: 64. & promtiſſimus, *meum* robur; qui ſe mihi dedit poſſeſſionem, & quo mea fides, uti poteſt; eoque feſtina ad auxilium meum, ut me juves.

β. A ſeipſo verſ. 21. *Eripe à gladio animam meam, è poteſtate canis unicam meam.* Agitur de mea anima, de vitâ; perierat honor, cum eſſet contemtiſſimus, perierant bona externa, ipſis etiam veſtibus diſtributis; ſed qui vitam retinet, forſan iſta rurſum recuperat, ſaltem ſpem potiundi poteſt habere; aſt vita, & anima amiſſa, omnia ſunt deſperata. Huic autem imminet gladius, inſtrumentum mortiferum; imminet canis, inſtrumentum malevolum; ejuſque manus ſeu poteſtas. adeoque prævaliturum: heic ergo eripe.

γ. Ab hoſtibus, verſ. 22. *Serva me ab ore leonis*, qui jam devoraturus eſt 2 Tim. 4: 17. *à cornibus menocerotum exaudi me.* Quale animal ſit ראם ignoratur fere. Cornutum deſcribitur, & quidem cornu validiſſimo Num. 23: 22. cap. 24: 8. & victorioſo Pſ. 92: 11. Horum multitudinem ſibi dicit imminere, jam jam ſe transfodiendum. Liberationem autem *exauditionem* vocat: nam Dei audire eſt præſtare. Heb. 5: 7. Cæterum hoc poſterius enunciatur per præteritum, vel per enallagen, præteriti pro futuro; vel ut argumentum fiduciæ ab experientia præteritæ liberationis: quemadmodum ante recitavit beneficia, in infantiâ ſibi collata.

II. GRATIARUM ACTIO habet I. Euchariſtiam pro glorioſa reſurrectione verſ. 23--26. II. Recenſionem beneficiorum ad pios redundantium verſ. 27.

I. *Euchariſtia* dicit quid verſ. 23. & quomodo verſ. 24, 25, 26. facturus ſit.

A. *Quid* facturus ſit verſ. 23. ſic declaratur ut indicet mox ab impetrata liberatione, quamprimum ſalvatus & realiter exauditus fuerit, quod conſequentia verſuum docet, acturum Meſſiam.

א. Quid, *Recitabo*, tanquam ineundo numerum, Pſ. 40: 6, 8, 10. &c. ut nihil negligat, quod non recenſendo impertiat aliis, ut & ipſi ſciant. Imo *celebrabo*, ut eo nomine laudes autoris commemorem, quo glorificetur meo ſermone.

2. De quo. *Nomen tuum*, Liberatoris mei. Nomen Dei, eſt memoriale perfectionum ejus, & per quod innoteſcit, Pſ. 138: 2. Hic ergo notat omnes eas perfectiones, quæ in toto hoc negotio paſſionum Chriſti patefactæ ſunt, ſapientia, potentia, juſtitia, gratia, veritas. Joh. 17: 6, 26. Te ipſum, qui omnem illam perfectionem eſſentialiter poſſides, & magnifice patefeciſti.

Cæterum hæc patefactio nominis Dei per Meſſiam peragenda, præſupponit ejus reſuſcitationem. Etenim poſitus in pulvere mortis, verſ. 16. quando abſciſſus ex terrâ viventium Eſa. 53: 8. quo tempore & loco non eſt memoria Dei, quæ lingua exerceatur Pſ. 6: 6. & 30: 10. & 88: 11. &c. neque fratribus prodeſſe poteſt qui ipſemet vita & ſalute caret. Sed laus Dei à viventibus procedit Eſa. 38: 18, 19. eoque heic ab eo qui vitæ reſtitutus. Quo facit Heb. 2: 13. poſtquam Chriſtus minor angelis factus parumper ob paſſionem mortis, ut pro omnibus mortem guſtaret, gratia Dei, & conſummatus per paſſiones multos liberos ad gloriam adduceret, quibuſcum uti carnis originem communem habet, ita largitur communionem ſanctitatis, ſed poſtquam ipſe per reſurrectionem ex mortuis juxta Spiritum Sanctificationis declaratus eſt potenter filius Dei Rom. 1: 4. quando fratribus ſuis annunciat beneficia. Etenim cum deſertus à Deo, quia ſponſor, & reus pro aliis faciendi ἀπολύτρωσιν tranſgreſſionum per mortem Heb. 9: 15. profitetur hanc commemorationem ſe facturum, utique ſimul indicat, plenam à ſe præſtandam ſolutionem, in qua Deus acquieſcat, juſtitiamque exerceat quemadmodum in ſe condemnando propter reatum ſuſceptum, ſic abſolvendo & juſtificando propter eundem exſolutum morte. Actor. 2: 24. Eſa. 50: 8. cap. 53: 8. Rom. 4. verſ. 25.

3. Ad quos: hi gemini ordinis I. *Fratres.* 2. *Cœtus.* Illi ſunt Iſraelitæ, qui fratres Chriſti ſecundum carnem Heb. 2: 13, 16. Joh. 3: 17. & inter eos ſigillatim fideles, qui filii Dei & promiſſionis, Rom. 9: 6. His ait recitabo nomen tuum; Notus inter eos erat Deus, Pſal. 76. verſ. 2. &c. Moſes & prophetæ ſcripſerant omnia de Chriſto; Joh. 5: 39. iis ergo ſolum recitandum erat complementum, ut quid factum eſſet conſtaret ipſis, Luc. 24. verſ. 25. &c. verſ. 44. &c. quo crederent. Iſti ſunt Gentiles congregandi per Euangelii prædicationem, in quorum medio Dei beneficia ſimpliciter erat celebraturus, Rom. 15: 9. &c. utpote quibus nihil horum ante fuiſſet cognitum. Eſa. 65: 1.

B. *Quomodo* facturus ſit verſ. 24, 25, 26. obſervata diſtinctione eorum ad quos erat locuturus, qui ſunt

R. *Iſraelitæ* verſ. 24, 25. ubi eſt

a. *Hortatio* verſ. 24. quæ trimembris, in quorum ſingulis deſcribuntur à quibus quæ poſtulentur.

a. A quibus; ſunt I. *Timentes Domini*, quæ deſcriptio piorum vulgatiſſima in ſacris. Pſal. 103. verſ. 11, 13, 17. Mal. 3. verſ. 16. cap. 4. verſ. 2. Pertinet autem ad reſtrictionem; quos fratres dixit, ſunt quidem Iſraelitæ, ut mox appellantur, ſed non omnes & ſinguli, Rom. 9. verſ. 6. &c. verum qualificatione hâc timoris Dei inſtructi. Actor. 13. verſ. 26. Iſrael Dei dicuntur. Gal. 6. verſ. 16. Timor autem intelligitur non ſervilis, ſed filialis & ex fide profectus. Pſal. 119. verſ. 38. II. *Omne ſemen Jacobi*, hujus poſteritas; qui ſic denominatus à parentibus, ob factum externum, quod fratris calcaneum in partu apprehendiſſet, illo hac ratione minor & indignior. III. *Omne ſemen Iſraelis*; idem ſic denominatus à Deo, ob factum internum fidei luctantis cum Angelo & prævalentis, ut deſignentur poſteri non ſolum carnales, ſucceſſores naturæ & contemtus inter alias gentes, ſed etiam ſpirituales, ſucceſſores gratiæ, & dignitatis quæ ex fide eſt. De Iſraelitis autem Chriſti reſuſcitati prima cura fuit, (1) Timentium Deum, Apoſtolorum & diſcipulorum, quibus ſe primum manifeſtavit, Joh. 20. verſ. 21. Actor. 1. (2) Seminis Jacobi, Iſraelitarum promiſcue, populi in genere Actor. 2. verſ. 32, 36. cap. 3. verſ. 25, 26. cap. 13. verſ. 46. (3) Seminis Iſraelis, piorum ex iis qui ſegregati ab aliis Rom. 11. verſ. 5, 7. & quod fiet in reſtitutione verſ. 25. &c. Ezek. 20. verſ. 32. &c. Jer. 32. verſ. 39. &c.

b. Quæ poſtulet, ſunt, Dei cultus exercendus I. ore, *laudate eum, celebrate* ſermone, & lingua. II. geſtu & opere, *honorate eum*; ut omnes actiones teſtentur reverentiam, & gloriæ ipſius ac majeſtatis agnitionem venerationemque. III. corde, *timete ab ipſo*, reveremini ipſum affectu interiore animi. Quomodo amor & cultus Dei rite ſe habet, quando ex toto corde, totis viribus, & profeſſione oris peragitur. Pſ. 103: 1. &c.

b. *Ratio* verſ. 25. eſt beneficium à Deo ſibi præſtitum, vocat ſe *afflictum*, πτωχὸν, quia nemo unquam magis ipſo, utpote qui in judicio & anguſtia ſumma, ubi Deus immediate ſuam iram & potentiam exercuit Eſa. 53. & tribuit *afflictionem afflicti*; quæ maxima cauſam dabat ut inde ſolum denominari mereretur, Eſa. 52. verſ. 14. cap. 53. verſ. 4. &c.

Prædicationis autem materia eſt Dei erga ſe afflictum.

a. Sympathia, *non contemſit, neque* (hoc eſt multò minus) *abominatus eſt, afflictionem afflicti*: curam ejus habuit non ut gauderet ejus malis, & ipſum faſtidiret ceu indignum omni commiſeratione.

b. Favor, *neque abſcondit faciem ſuam ab eo*; quod indignantis eſt Pſ. 30. verſ. 8. & negantis opem omnem Pſ. 104. verſ. 29. adeoque favoris & affectus conſervatio indicatur.

c. Exauditio; *& clamante ipſo ad ſe audivit*: ut ad preces aures animumque adverteret, eaſque audiret, concedendo quod expediebat, vel precibus ipſis vel ſcopo earum reſpondendo.

Quæſt. Hoc ne verum? utique deſertum ſe queſtus eſt à Deo verſ. 2. &c. & Deus delectatus eſt ejus contritione Eſa. 53. verſ. 10. Reſp. Compaſſionem Deum Patrem habuiſſe negari nequit: qui enim affligitur in afflictione Eccleſiæ Eſa. 63. verſ. 10. quam in filio elegit, multò magis in afflictione filii: Lam. 3. verſ. 33. Ezek. 33. verſ. 11. cap. 18. verſ. 23, 32. neque depoſuit amorem filii, in quo ſemper acquieſcit Eſa. 42. verſ. 1. &c. Matth. 3. verſ. 17. & multo magis cum obediens factus eſt ad mortem crucis. Joh. 14. verſ. 31. Phil. 2. verſ. 7, 8. Sed neutrum, nec ſympathiam, nec amorem probavit externo ſigno, aut probare patuit per juſtitiam ἀντιπαθείας. Chriſtus etiam qui norat patrem perpetuò ſe amare, eo ipſo ſe ſuſtentavit, fidem ad extremum roboravit. Preces etiam Chriſti non ſunt auditæ nec exauditæ ut liberaretur ab anguſtia & afflictione ne eam adiret, aut ei eximeretur ubi partem ejus ſuſtinuiſſet; ſed qui in his omnibus deſertus fuit & neglectus quaſi in pugnâ, omnia expertus eſt ad victoriam. Deus compaſſionem, amorem, exauditionem probavit, quod ad omnia momenta quodammodo attendit, & quamprimum juſtitiæ ſuæ ſatisfactum fuit & πληρεξουσίως & ἀγχίστευσεν extremum quadrans exſolutus, non permiſit ut per momentum detineretur ulterius in afflictione, ſed eum expedivit; ut conſummata expiatione rurſum ſentiret patrem amantiſſimum, cui ſuum ſpiritum commendavit: atque ita exauditus fuit ex metu Heb. 5: 7.

Hoc vero argumentum piis celebrandi Deum; non ſolum quia afflicti liberatio aliis exemplum eſt ſpei bonæ Pſal. 34. verſ. 3--7, ſed inprimis, quia omnis iſta Chriſti afflictio vicaria fuit, ſponſoris, in cujus juſtificatione juſtitia ipſorum ſita eſt Eſa. 53: 11. Rom. 4: 25.

2. *Gentiles* verſ. 26. ubi

a. Quis acturus, *mea laus*, *ego ſolvam*; Chriſtus ipſe hîc loqui vult;

b. *Quid, de te laus mea erit*; tu, ô Deus, eris argumentum laudis meæ; quia uti venit ut faceret voluntatem patris etiam gloriam ejus unice quæſivit, & prædicat Pſ. 40: 6. &c. & 69: 31, Joh. 17: 4. Item, *vota mea perſolvam*; quæ pollicitus ſum me facturum præſtabo. Joh. 17: 1. ult.

c. Apud quos, *in cætu magno*, qui à ſemine Iſraelis diſtinguitur, eoque gentilium, in Eccleſia ex omnibus nationibus mundi collecta: qui ſunt non omnes & ſinguli, ſed fideles, unde eadem reſtrictio, quæ ante coram timentibus ipſum: qui eum agnoſcunt, in eum credunt, & ei obedientes ſunt.

Sed cur his non æque ac Iſraeli mandat celebrationem Dei? Reſp. Iſraelitæ norant ex ſcriptura hæc de Chriſto prædicta, Joh. 5: 39. &c. 1 Pet. 1: 11. exſpectabant ut fierent, Luc. 10: 24. eoque eo facto debebant Deo laudem & cultum. Gentiles caruerunt revelatione Pſ. 147: 19, 20. promiſſione & ſpe Eph. 2: 12. eoque nihil ab ipſis potuit hic fieri Rom. 10: 13. &c. Debuit ergo ad eos fieri publicatio, ut cognoſcerent, & re cognita ad verum Dei timorem excitarentur. Act. 3: 25, 26. cap. 13: 46. &c.

II. *Recenſio* beneficiorum, quæ ad pios erant redundatura, & quidem

A. *In Iſraelitis* verſ. 27. etenim diſtinguuntur à finibus terræ, & aliis familiis gentium; ut Pſ. 2: 6, 8. atque hîc indicantur.

a. *Bona conferenda.*

a. Affluentia. *comedent & ſatiabuntur*, alimentum conſequuntur & quidem abundantiſſimum, ad plenam ſatietatem. Eoque præbet victum affluentiſſime, Eſa. 55: 1. Joh. 6: 32, &c. Et quidem ſemetipſum; qui hoſtia pro peccato, idem expiatione conſummatâ eſt quoque pacificum, ut cedat in cibum offerentibus, pro quibus vicaria eſt hoſtia. Facit ut comedant, dat famem & ſitim, deſiderium ſe fruendi, Matth. 5: 6. Eſa. 55: 2, 3. Joh. 6: 35. & comedentibus ſatietatem felicem & perpetuam largitur Joh. 4: 13, 14. cap. 7: 37, 38. Pſ. 36: 9, 10. & 65: 5.

b. Lætitia, *Laudabunt Dominum*; eſt hîc fructus ſatietatis, eoque & gaudii inde orti, ut autorem celebrent. Pſ. 51: 14, 16. Eſa. 56: 6, 7. Pſ. 103: 1--5. Job. 16: 22.

c. Vita æterna, *vivet cor veſtrum in ſeculum*, cor pro anima ſumitur Pſ. 73: 26. & 84: 3. & huic promittitur vita perennis; non phyſica illa, quâ annihilationis expers, quam homines immortalitatem dicunt, ſed ea quæ animam felicem & beatam reddit. Pſ. 69: 33. 1 Joh. 5: 11, 12. Joh. 6: 48. &c. verſ. 54: 57. cap. 11: 25, 26.

b. *Qualificatio* eorum quibus ea bona obtingunt. Sunt illi

a. Manſueti, qui ob ſenſum ſuæ miſeriæ, ex reatu & corruptione, humiliati ſunt, & parati ſuſcipere inſtitutionem, & ſubire jugum Chriſti Matt. 11: 28. &c.

b. Quærentes Dominum, quorum unum deſiderium, una voluptas frui Deo, eoque id ſolum meditantur & agunt, ut illi conjungantur habeantque ejus communionem Pſ. 105: 3, 4. 1 Joh. 1: 3. &c.

Mutatio perſonæ in membro tertio, facit ad emphaſin, promittens quod accepturi ſunt, ut etiam in ſuis verbis, qui veritas, novam habeant ſecuritatem.

B. *In Gentibus*, verſ. 28, 29. nam etiam Gentes in beneficiis Chriſti habent partem, Eſa. 49: 6. Luc. 2: 30. &c. Rom. 1: 16. &c. cap. 15: 9. &c. Joh. 10: 16. atque hoc

a. *Quam* obtineant. verſ. 28. *Omnes fines*, ſeu extrema *terræ*, gentes ubique habitantes, Pſ. 2: 8. Act. 1: 8. *& omnes familiæ gentium*, juxta promiſſionem Gen. 12: 3. Act. 3: 25. Luc. 2: 30. Non omnes & ſinguli eorum, ſed ex omnibus gentibus & linguis Apoc. 5: 9. cap. 7: 9.

b. *Quid*

b. *Quid* obtineant,

a. Agnitionem peccatorum *Recordabuntur*; non dicitur iſtud de renovata fidei luce apud gentes, cujus oblitæ fuerint; nam caruerunt notitia Pſ. 147: 19, 20. Eph. 2: 12. Gal. 4: 8. ſed de viis ſuis malis, & quod Deum ne quidem, quantum lux naturæ dictabat, coluerint, Rom. 1: 21. &c. omnes ſuas perverſitates, prave acta revocabunt in memoriam. Act. 19: 18. &c.

b. Reſipiſcentiam, *revertentur ad Dominum*, ut deſerant priora acta, Act. 17: 30. cap. 11: 18. Luc. 24: 47.

c. *Obſequium & coram te ſe incurvabunt adorantes*; Teſtimonium cultus quod cum adorando, tum omni honoris demonſtratione peragitur: ut obedientia omnigena ſic deſignetur. Quæ etiam invocatione indicari ſolet. Rom. 10. 13.

c. *Cur* obtineant verſ. 29. *Domini enim eſt regnum, & dominator eſt inter gentes.* Debet ergo & regnum ſuum extendere, atque in omnes exercere, ut cum jure etiam poſſeſſionem habeat. Jus eſt Pſ. 2: 7, 8. Pſ. 47: 8. & 72: 8. Zach. 9: 10. &c. Exercitium Jer. 23: 5. Luc. 19: 11. &c.

Amplificatur porro regnum iſtud Meſſiæ

a. *Ab amplitudine* verſ. 30. ubi diſtributione utitur, ſubditos in claſſes diſtribuens.

a. *Sunt pingues terræ omnes*: qui potentia, dignitate, opibus excellunt. Pſ. 78: 31. Eſa. 10: 16. Licet enim non multi, nobiles, divites, fortes ſecundum carnem vocati ſint 1 Cor. 1: 26. &c. tamen etiam quidam horum adducuntur, Pſ. 68: 30, 32. & 72: 10, 11. maxime quando Eccleſia judaica reſtituetur, Eſa. 49: 23. cap. 60: 3, 10. &c. nam & hi indigent Chriſto ejuſque beneficiis 1 Tim. 2: 1--6.

His ergo tribuit *Comedent*, & ישתחוו *incurvabunt ſe*: השתחוות *Procumbere* & inclinari ad pedes alterius; honoris ergo Eſa. 60: 14. fruitionem deſiderabunt & impetrabunt, atque cultum præſtabunt, Chriſtum agnoſcentes principem & Dominum, & Servatorem.

β. *Qui deſcendunt in pulverem, & quiſquis animam ſuam in vita non poteſt conſervare.* Mutatio numeri ad diſtributionem facit. Sunt hi pauperes & calamitoſi in mundo, qui ſedent aut habitant in pulvere 1 Sam. 2: 8. Pſ. 113: 7. Pſ. 44: 20. Eſa. 47: 1. loco infimo in mundo, quibus gratia Chriſti quoque affertur & donatur Mart. 11: 5. 1 Cor. 1: 26, 27. Jac. 2: 5.

Hiſce tribuit, יכרעו *incurvabunt ſe coram facie ejus*; eſt incurvatio procumbentis, humilior geſtus priore. Pſ. 95: 6. Eſa. 45: 23. Demiſſio corporis ad honorem exhibendum. Eſa. 3: 2, 5.

Quod animam non vivificare dicuntur, pertinet ad impulſivam internam cultus, deſperatio de vita & ſalute; Act. 2: 37. cap. 16: 30. quando ſe ægros agnoſcunt Matt. 9: 12. &c. & impotentes Rom. 5: 6. & Pſ. 49: 8. &c. & huc quoque prior deſcriptio poteſt pertinere; qui deſcenſuri in pulverem, morti proximi: Pſ. 28: 1. & 30: 4. & 143: 7. & 88: 4. &c. Kimhi ex patris ſententia, poſterius membrum pœnale facit, de impiis hypocritis; quamvis ſe incurvent coram ipſo qui deſcendunt in Gehennam, Deus tamen nullius ipſorum animam ſervabit in vita. Sed ſatius beneficii eſt, uti dictum.

b. *A diuturnitate* verſ. 31, 32. hæc

a. Propouitur verſ. 31. *Semen ſerviet ei*, poſteritas, ſucceſſio ſubditorum. Ille perennat, ſubditi moriuntur, ſed ut in parentum locum ſuccedant liberi. Neque enim dicit Semini ipſius ſerviet ſemen: quæ æternitas Regis in ſuo regno Pſ. 102: 28, 29. Eſa. 53: 8, 10.

β. Declaratur à modo procurandæ diuturnitatis: ubi factum.

1. *Dei* enim quod *recenſebitur Domino in generationem. Dominus* אדני Meſſias eſt, à Deo conſtitutus Act. 2: 36. cap. 5: 31. Phil. 2: 9, 10. Eph. 1: 22. huic *recitabitur*, uti in cenſu fieri ſolet, vel ex libro, vel in librum referendi, in generationem לדור, non temporis nota eſt, ſed conditionis, ut vocetur & recenſeatur à nomine ejus, populus Dei, ejus peculium. Quod fiet de ſemine illo, ipſum culturo. Eſa. 44: 3. &c. diciturque generatio, quia ab ipſo deſcendit. Eph. 3: 15. Eſa. 53: 10. Hæc recenſio Dei eſt, neque enim populo, tribuitur de cujus actionibus verſ. ſeq. agant, cujus eſt Chriſto dare, & recenſere ſervandas oves. Joh. 10. Pſ. 17: 4. &c.

2. *Populi* verſ. 32. qui ipſi quoque erunt inſtrumenta propagandi & continuandi regni, ubi (1) *Qui* faciant, *Venient*, idem illud ſemen quod generatio Domini eſt, ab eo denominata; (2) *Quid* faciant, *venient & indicabunt* צדקתו *juſtitiam* miſericordiam, & veritatem ejus; quicquid gratiæ ex promiſſo præſtitit. (3) *Quibus* faciant *populo naſcituro*; poſteritati ſucceſſuræ jugiter, ut illis eadem innoteſcat Pſ. 78: 5. (4) *Cur* faciant, *quia fecit*; ipſe ſolus autor, qui cœpit & conſummavit Phil. 1: 6. imum & ſummum lapidem collocavit, Act. 4: 12. Adeoque per homines aliiſque quoque innoteſcet ſalus Meſſiæ, ut eam agnoſcant, qui non viderunt procuratam, ſed ſolum audiverunt, & per eam ſalventur.

PSALMUS XXIII.

AUtor *David*, qui tamen non ſcribit quo tempore aut occaſione eum conceperit. Eſt autem læta profeſſio fidei, in Meſſiâ acquieſcentis, atque de ejus beneficiis tam præſentibus quam futuris ſibi gaudentis & gratulantis. Conſtat propoſitione & confirmatione.

I. PROPOSITIO verſ. 2. quâ

I. *Profitetur* fiduciam, *Dominus eſt paſtor meus.* Is qui omnis eſſentiæ autor & conſervator, eſt Paſtor, qui titulus Dei, Pſ. 80: 1. & ſpeciatim Meſſiæ Eſa. 40: 11. Ezek. 34. & 37. Joh. 10. Heb. 13: 20. quia paſtorale munus habet, à Deo oves commiſſas, quas paſcat; & paſtoralem amorem fidemque ac curam, & Paſtor meus; ut ceu ovis ab ipſo æſtimer.

II. *Concludit* inde ſuam felicitatem, *Non deficiam*, nulla re neceſſariâ carebo, utpote in eo reperiens plenitudinem opis & auxilii Joh. 1: 16. neque enim corporalia duntaxat, ſed etiam ſpiritualia intelligit, ex verſ. 6. imo hæc potiſſimum, ut corporalia tantum ſint ſymbola, aut metaphorica adumbratio ſpiritualium.

II. CONFIRMATIO concluſionis illius ſeu conſequentis, nullo defectu ſe laboraturum, eſt verſ. 2. &c. qua enumerat conceſſa bona,

I. *Suſtentationem* verſ. 20. eamque

A. *Ordinariam*: ſub imagine cibi & potus ovibus præbendi,

א. *Cibi* quidem, *In habitationibus herbæ facit me recubare*: loco paſcuo, gramine abundante, non nno ſed pluribus, quæ ſunt caulæ, *habitationes*, commorationis loca, non tranſitus, facit me non venire tantum & quandoque frui, ſed *recubare*, ut nunquam pabuli aut quietis defectus ſit, & abundantiæ liceat quaſi indormire, non autem opus ſit quærere pabulum.

ב. *Potus* autem, *ad aquas*, & quidem *quietas*, ſummæ tranquillitatis, (nam ex rapido flumine oves bibere commode nequeunt, ne torrente abripiantur.) *ducit me leniter*; ne fatigatus nimio æſtu, damnum patiar; quæ de pabulo animarum quoque intelligenda.

B. *Extraordinariam*: verſ. 3. *Reſtituit animam*; reficit deficientem; æſtu aut fatigatione, morbove languidam, recreat. Hoc enim eſt reſtituere animam Pſ. 19: 8. reficere cibo Lam. 1: 11, 19. & requie Ruth. 4: 15. Prov. 25: 13.

II. *Ductum* verſ. 3. *Deduxit me per orbitas juſtitiæ*, via non anguſta & moleſta, ſed ſpatioſa, quâ currus eat, attamen juſta integra; unde me non patitur declinare, quod ſe facere dixit Pſ. 17: 4, 5. heic autem Deo ductum tribuit.

Illuſtratur ab impulſivâ. *propter nomen ſuum*, quia Jehova, quia paſtor meus. Implere enim vult vim ejus appellationis Exod. 6: 23.

III. *Defenſionem* verſ. 4. cujus conſequens fructus, ἀφοβία: quam oſtendit, indicato periculo, *Tametſi ivero in valle umbræ mortiferæ*, צלמות eſt maximi periculi Jer. 2: 6. calamitatis Pſ. 44: 20. & 107: 10, 14. tenebrarum Job. 24: 17. & ſuo affectu, non timebo malum: nihil damni extimeſcam. Eſt autem argumentum à majori, *Etiam cum ambulavero* &c. Multo minus, quando verſabor extra periculum, fruar proſperitate.

Defenſio ipſa, argumentum eſt ἀφοβίας. *Nam tu mecum es*: defendis me, Gen. 31: 3. coll. cum cap. 32: 9. Eſa. 43: 1. &c. *Baculus tuus & ſcipio tuus me ſolabuntur*: quibus inſtrumentis reguntur & defenduntur oves Mich. 7: 19. Zach. 11: 7. &c. Si quid metuendum occurrat, pedum tuum præſto erit & ad me regendum. ne in tenebris aberrem aut impingam; & ad me protegendum, adverſarium impetum ferarum repellendo.

IV. *Victoriosam abundantiam*, mutata metaphorâ vers. 5. & quidem

A. *Dispones coram me mensam instructissimam*, ubi fercula ordinate copioseque administrantur, & istud *ex adverso hostium meorum*, ut doleant eis oculi Ps. 112: 10. Epulum victoris instrues.

B. *Oleo pinguefeci ti caput meum*: quomodo excipiebantur convivæ Luc. 7: 46. Joh. 12: 3. Oleo autem designatur gaudium Ps. 104: 15. Eccl. 9: 8. Esa. 61: 3.

C. *Poculum meum irriguum est*, abundans potu, ut ad lætitiam bibere queam.

V. *Constantiam felicitatis* vers. 6. *Certe*, (אכן pro אך Ps. 73: 1.) *bonum & benignitas persequentur me, omnibus diebus vitæ meæ*. רדף de personis, in malum; de rebus in bonum sumitur. Dum hanc vitam vivo, ut jugiter mihi adsint, neque habeam querendum de absentia, & defectu: *Bonum* est fruitionis objectum, *Benignitas* ejus fons. Nunquam deerit res aut spes: præsens fruitio, & supplementum certissimum ex fonte illo.

Et habitabo, (ישבתי pro שבתי) *in domo Domini in longitudinem dierum*; videtur intelligere æternitatem, Ps. 21: 5. & 93: 5. Rabb. dicitur זמן שכולו ארוך. Quando præsens finita fuerit vita, & tempus fine carens venerit, habebo certam commorationem, in domo Dei: in cœlo Joh. 14: 2, 3. Quod si de hac vita intelligatur, denotat constantiam in Ecclesia Dei, ne per exilium inde arceatur Ps. 27: 9. Ps. 84: 1. seqq.

PSALMUS XXIV.

ETiam hîc Psalmus propheticus est, de Christo, ejusque glorioso ingressu in Ecclesiam, qui adumbratus fuit introductione arcæ in montem Zionis, atque in ipsum templum. Nam eâ occasione à Davide conscriptus videtur.

Græci addunt τῆς μιᾶς τῶν σαββάτων. Quod spectat morem Hebræorum memoratum Maimonidi in Temidin cap. 6: 7, 8, 9. quem tempore scriptæ versionis Græcæ obtinuisse liquet. Canticum non dicebatur nisi super holocausta totius cœtus, & ipsorum pacifica. Psalmus quem Levitæ cantabant die primo fuit 24. secundo 48. tertio 82. quarto 94. quinto 81. sexto 93. Sabbatho 92.

Partes duæ I. Prædicatio Dei ob beneficia in Ecclesiam. vers. 1–6. II. Hortatio ad recipiendum Christum vers. 7. &c

I. PRÆDICATIO Dei, celebrat

1. *Dominium* ejus universale, vers. 1, 2. quod

A. *Profitetur* dicendo, *Domini est terra, & plenitudo ejus*; Tota est ejus possessio, & quicquid ea continetur; ut nihil eximi queat, cujus non habeat potestatem, & absolutum dominium: *orbis habitabilis, & qui in eo habitant*; non tantum ubi metalla, herbæ aut feræ; plantæ & bruta degunt, sed etiam ubi homines commorantur, & ipsi homines eidem imperio subsunt, neque quisquam declinare, aut excutere illud potest. Dan. 4: 35. Jer. 27: 3 &c.

B. *Probat*, vers. 2. nam est creator universi mundi inferioris, de quo agebatur; & conservator, *nam ipse fundavit* יסדה *super maria, & stabilivit super flumina*. Vasta illa terræ moles non alio fundamento nititur quam marium & fluminum, quæ ubique permeantia, cum viderentur tractatura in ruinam, serviunt stabiliendo. Hinc dicitur de aquis sub terrâ Exod. 20: 4. Deut. 4: 18. Quo facit illorum observatio qui terram vasto hiatu pertusam rentur, & aquam rapidissime absorptam sub polo arctico, non minore violentia regurgitare sub antarctico. Heic vero subintelligitur quod sigillatim Israelem curet Deut. 10: 14, 15. cap. 7: 6, 7. cap. 32: 8. &c. Exod. 19: 4, 5.

II. *Beneficium* particulare erga Ecclesiam & quidem

A. *In thesi*, vers. 3, 4, 5. propositum per

א. *Interrogationem*, qualis fuit Ps. 15: 1. *Quis adscendet in montem Domini, quis consistet in loco sanctitatis ejus? Mons Domini* est Zion, sacratus Deo ex quo tabernaculum Arcæ ibi erectum: idem est *locus sanctitatis ejus*, quia segregatus ad ipsius cultum, atque ubi præsentiam suam testari, & inde benedicere volebat. Uti vero tabernaculum terrestre adumbrabat cœleste Heb. 9. ita adscensus eò, & mansio istic significabat adscensum in cœlum, locum sanctitatis ejus Esa. 57: 15. cap. 63: 15. ubi communio cum Deo & arctissima tandem conjunctio erit, & hinc perfectissima beatitudo.

ב. *Responsionem* vers. 4, 5. quâ describuntur.

a *Ex suis qualitatibus*, quibus Deus summum illud suæ beatæ communionis beneficium destinavit, sunt autem illæ

a. Mundicies operis, *mundus manibus*; qui innocentem vitam agit, ut neminem externo opere lædat, aut offendat. Esa. 33: 15, 16. sunt enim manus potissimum instrumentum operis externi.

b. Mundicies cordis: *purus corde*; qui ipsum quoque cor repurgarunt, Ps. 73. 1. Matt. 5: 8. Heb. 12: 14. quod postulatur, cum ex plenitudine cordis os loquatur, Matt. 12: 34 & ex corde omnes actiones procedant Matt. 15: 19.

b. *Ab effectis*: quæ sunt integritas desideriorum; *qui non extollit animam suam ad vanum*, ut vana concupiscat. *Elevare animam* est desiderare, vehementer appetere, Deut. 24: 15. Jer. 22: 27. Ps. 25: 1. quomodo interdicit amori mundi rerumque mundanarum 1 Joh. 2: 15, 16. Jac. 4: 4. &c. Sed licet scribatur נפשו, legitur tamen נפשי ut sint verba Dei, qui sibi tribuit animam Amos. 6: 8. Jer. 51: 14. & in juramentis tantundem est ac ipsemet, ejusve nomen. Sic interdicentur juramenta omnia vana, juxta 3. præceptum Exod. 20: 7.

b. *Ex oppositis*. falsiloquii *& qui non jurat ad dolum & fraudem*, ut decipiat alios: fallens juramentis, ut pueri astragalis.

ג. *Conclusionem*, vers. 5. qui enarrat beneficia istis donanda.

a. *Feret, à Domino benedictionem*, juxta promissa: ut ei benefaciat cumulate.

b. Et צדקה, *misericordiam*, ἐλεημοσύνην, *à Deo salutis* suæ, qui salutem ipsi promisit, promeritus est & paravit, eandem ipsi gratiose conferet.

II. *In hypothesi* vers. 6. quod sint Israelitæ; quos

A. Describit, *Hæc est generatio quærentium ipsum*, Jehovam Deum gratiosum & veracem; *inquirentium faciem tuam*, mutatâ personâ, nempe ô Deus salutis suæ, qui Messias: per quem accessus ad Deum, & spes obtinendi precibus Dan. 9: 17.

B. Nominat, Jacob: *hic est Jacob*, vel, *hæc est* generatio *Jacobi*, posteritas ejus, sed quæ etiam fidem ejus & pietatem imitatur. Joh. 1: 47. Rom. 9: 6.

II. HORTATIO ad recipiendum Christum. vers. 7. &c. forma dialogisticâ; nam

I. Jubet se eò comparare; ubi

A. *Officium* postulatum; *Attollite portæ capita vestra*. Portæ sunt vel templi, si arcæ futurus introitus describatur; vel tabernaculi, si deportatio ejus prima intelligatur? Metaphorice sunt tum introitus urbium, regnorum, tum ingressus cordium, ut pateant omnia, quo non tantum ingredi, sed cum pompâ augustâ, & quasi curru triumphali ingredi queat, & *Elevamini portæ seculi*, æternæ, firmissimæ: quo constans mansio & secura concedatur, tum in regnis & urbibus tum inprimis in cordibus, quæ æterna immortalia.

Finis postulati, *ut ingrediatur rex Gloriæ*. Is Messias est, Dominus gloriæ, 1 Cor. 2: 8. quem modo dixerat salutis, unde tanta ipsi gloria Phil. 2: 9. &c. Act. 4: 12. cap. 2: 36. cap. 5: 31.

II. Quæritur in conditionem hujus Regis ab *iis quos monet officii*, vers. 8. *Quis est ille Rex gloriæ?* cui videlicet recipiendo adeo promtos nos esse vis.

III. Respondet eum describendo, à suo robore & virtute bellica, qua sibi omnia queat subjicere, ut contemtores rebellesque terreantur. *Jehova, robustus & validus*; *Jehova fortis belli*, bellator, uti איש מלחמה dicitur Exod. 15: 3.

Repetuntur eadem

I. *Hortatio* vers. 9. prorsus iisdem verbis, nisi quod in membro posteriore, pro הנשאו dicatur, שאו, hoc active, illud reciproce, sensu eodem: sed ad שאו repetendum ראשיכם.

II. *Inquisitio* vers. 10.

III. *Responsio*, eum describens à nomine, *Jehova Zebaoth*: omnium moderator & Dominus, cui creaturæ universæ militant. 1 Reg. 22: 19. Amos. 4: 13. & qui omnia tempora regit, Act. 1: 7. cap. 17: 26. ut quando definivit, ingressui Regis istius omnia patere debeant. Qui eapropter merito gloriæ Rex sit appellandus.

Reliqua Author non continuavit.

JACO-

JACOBI ALTING
IN
JEREMIAM
PROPHETAM
COMMENTARIUS.

IN JE

IN

JEREMIAM PROPHETAM

PROLEGOMENA,

Sedecim Lectionibus publicis abſoluta, quibus, qua ratione Meſſiæ præluſerit, diſcuſſione cap. 23. verſ. 5. & 6. pleniſſimè oſtenditur.

Jerem. 23. verſ. 5. ſeq. *Ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ, quibus excitabo Davidi Germen juſtum; qui regnabit Rex, ſecundabiturque, ac exercebit jus & juſtitiam in terra. Diebus ejus ſervabitur Jehuda & Jiſraël habitabit ſecure: atque hoc nomen ejus eſt, quò vocabit eum Jiſrael, ô Jehova juſtitia noſtra.*

AB hoc dicto Theologicarum prælectionum initium ut ducerem, non tam perſuaſit prophetæ, quam prophetiæ hujus dignitas & ſupereminens excellentia. Equidem & perſona prophetæ ſuppeditare poterat argumenta, cur præ cæteris deligeretur. Licet enim muneris ratione par aliis cenſendus ſit, facundia autem & ſermonis puritate & elegantia quibuſdam longe inferior: habet tamen nonnulla quæ aliquam ei prærogativam conciliare queant. Abrabanel præfat. in Jerem. dicit rerum חקויים *impreſſionem* ſeu *conceptum* tripliciter fieri, בנפש *per Mentem*, ut plene comprehendat quales in ſe ſunt, quod eſt ſapientum: בלשון *per Sermonem*, ut apte ac eleganter eas poſſit eloqui, quod eſt Oratorum: בכתיבה *per Scripturam*, ut ſtylo exprimat puro, atque etiam diſerto, quod eſt ſcriptorum præcellentium. Duo poſteriora Jeremiæ quidem defuiſſe affirmat, utpote qui adoleſcens admodum ad munus propheticum acceſſerit. Genus enim dictionis ejus ſimplex eſſe & humi quaſi repens, longe ſubſidens infra majeſtatem orationis qua Eſaias uſus fuit: Scripturam verò ne quidem ſatis grammaticam ob non obſervatam generum numerumque convenientiam. Sed ratione prioris nulli cedere potiſſimorum prophetarum, eouſque ut unus ex omnibus judicatus fuerit proxime acceſſiſſe ad Moſen omnium principem & magiſtrum. Enumerat hoc fine 14 capita, in quibus hunc ille retulerit, ut ſimillimo ingenio, ſimillimaque conditione vixiſſe probet. 1. uterque fuit de tribu Levi. 2. uterque detrectavit legationem adire. 3. uterque 40 annis docuit populum. 4. utrique reſtitere tribules Levitæ: Moſi Korah, Jeremiæ Anathotæi. 5. uterque à ſuis conjectus eſt Moſes in fluvium, Jeremias in foveam. 6. uterque à peregrinis ereptus, Moſe ab ancilla filiæ Pharaonis, Jeremias ab Ebedmelecho Æthiope. 7. uterque arguit populum ſuum de peccatis frequentiſſime. 8. uterque prædixit exilium & reſtitutionem ex illo. 9. uterque convicit Iſraëlem violati Sabbathi. 10. uterque edoceri voluit à Deo, cur malis bene eſſet, & bonis malè. Moſes, *oſtende mihi viam tuam*, Exod. 33. verſ. 13. Jeremias cap. 12. verſ. 1. ſeq. 11. uterque de hortatus eſt populum ne redirent in Ægyptum. 12. uterque adverſariis quibuſdam extraordinariam mortem prædixit, Moſes Koræ, Jeremias Hananiæ cap. 28. 13. uterque extra Cananæam mortuus ſepultuſque fuit. 14. uterque aliquid egit ſingulare circa tabulas legis, Moſes eas fregit: Jeremias ex traditione (ut 2 Maccab. 2. verſ. 4, 5.) eas cum aliis inſtrumentis ſanctuarii abſcondit. (Satius hîc dixiſſet, Jeremiam arcæ abolitionem perpetuam prænunciaſſe cap. 3. verſ.) Hac propter Veteres Judæi vaticinium Deut. 18. verſ. 15. &c. de Jeremia interpretati ſunt. Quod ſane jam tempore Chriſti creditum fuiſſe liquet ex Matt. 16. verſ. 14. ubi ad quæſtionem, quid de Jeſu vulgo judicaretur, reſpondent diſcipuli, quoſdam credere eum eſſe Johannem Baptiſtam, alios Eliam, alios Jeremiam, vel unum prophetarum: ut unus præ cæteris Jeremias in ſuſpicionem venerit, fore eum promiſſum prophetam alterum: quod tamen non vivente ipſo, ſed aliquot ſeculis poſt mortem ejus demum cœpit credi.

Sed & aliud argumentum dignitatis ejus cenſeri poteſt, quod olim in digerendis prophetis Jeremias, primum obtinuerit locum inter eos qui poſteriores dicuntur. Abrab. præfat. in Eſa. princ. In talmude Baba bathra teſtimonium legitur. סדרן של נביאים יהושע שופטים שמואל מלכים ירמיהו יחזקאל ישעיהו תרי עשר ונתנו טעם למה יקדימי ירמיהו ליחזקאל וישעיהו אחריהם באמרם שהיה ספר מלכים סופו חורבנא וירמיהו כוליה חורבנא ויחזקאל רישיה חורבנא וסופיה נחמתא וישעיהו כוליה נחמתא וסמכינן חורבנא אחורבנא ונחמתא אנחמתא Ut materiarum non temporis rationem habitam olim liqueat; quod ipſum Lightfootus pertinere putat ad expediendam difficultatem reperti nominis Jeremiæ Matt. 27. verſ. 9. ubi Zachariæ dictum citatur, quia totum volumen prophetarum poſteriorum ab eo qui primus locabatur appellationem acceperit. Quemadmodum Luc. 24. verſ. 44. Pſalmi deſignant Hagiographa, cujus primam partem faciunt.

Verum longe majoris momenti eſt argumentum quod hoc Jeremiæ dictum ſuppeditat. Nam præterquam quod continet vaticinium de Chriſto, ipſis Judæis fatentibus; ſimul complectitur ſummam compendioſiſſimam omnium controverſiarum Judaicarum, quæ ipſis nobiſcum Chriſtianis intercedunt; quibus omnibus renunciaſſe oportuit, quiſ-

quis Judæorum verè de Messia profitebitur, quod sit יהוה צדקנו. Ut hæc formula sit instar Schiboleth illius Jud. 12. vers. 6. quod quicunque pronunciare nequibat agnoscebatur Ephraimita rebellis, cui non concedebatur transire Jordanem ut Israelitidem possideret postliminio, sed trucidabatur: sic Judæi moderni, illam formulam pronunciare de Messia detrectantes, rebelles deprehenduntur, quique in suo ab Ecclesia exilio morituri sunt, non concesso ad eam per Jordanis transitum, sive baptismum Novi Fœderis reditu.

Non lubet autem multa præfari de Scriptore, ejus genere, ætate, fortuna, scriptis. Fuit ille Jeremias, filius Chilkiæ sacerdotis, sive summi, qui sub Josia vixit & volumen legis reperit, dum templum instauratur & repurgatur, quod quibusdam Judæorum placuit: sive alterius alicujus, quia nuspiam summi elogium patri tribuit, qui Anathothi morabatur, ubi etiam Abjathar olim habuit agrum. Erat autem Anathoth civitas sacerdotalis in tribu Benjamin ad septentrionem Hierosolymæ, tertio lapide inde distans. Vixit tempore Josiæ & filiorum ejus, & vidit fata Urbis & Templi Hierosolymitani, deductus à reliquiis in terrâ post deportationem aliorum, in Ægyptum, ubi quidam lapidatum volunt. Hierosolymæ 40 annis docuit, iisque ante excidium ultimis: σύγχρονος Zephaniæ, quem in Synagogis, & Huldæ, quam inter mulieres docuisse ferunt Judæi: ipse in plateis & publico concionatus est. Vocatio ejus cap. 1. refertur, temporibus difficillimis, & corruptissimo statu, quinquennio ante inventum librum legis: sub reformatione hypocritica, & post Josiæ mortem in majorem impietatem erumpente: unde tot hostes, tot pericula sustinuit, occultis insidiis, & aperta vi ad mortem quæsitus, aliquoties verbera passus, diu captivus, attamen divina custodiâ defensus, ne extrema subiret. Scripsit libros duos: Propheticum, multas etiam historias ad se pertinentes complexum, unde דברי ירמיהו inscribitur, & Lamentationes, elegantia sermonis commendatissimos. Sunt qui utrumque Regum ab eodem putant exaratum. Conciones ejus multæ sunt, sed non semper juxta temporis seriem digestæ; quod & in aliis libris usu venit.

Cap. 21. refertur responsum ejus, quod dedit legatis Zedekiæ regis ad se missis, cum Nebucadnezar cœpisset Hierosolymæ obsidium. Qua occasione recitat summam omnium concionum à se in Aula habitarum, tum generalem cap. 22. vers. 1—9. tum speciales de filiis Josiæ, Sallumo sive Joachazo vers. 10—12. Jojakimo, vers. 13—19. Jechonia vers. 20—30. hujusque successore Zedekia. (quem sociat aliis magistratibus, quod in potestate principum foret, omnia agens ex ipsorum arbitrio Jer. 38.) cap. 23. vers. 12. Quia vero videbatur hoc pacto eversionem prædixisse non tantum regum & regni, sed etiam omnis de illis in futurum spei; promissis divinis piorum animos erigit ac sustentat.

Spes omnis ademta fuit de Jechonia, ejusque semine, cap. 22. vers. 24, 25. juramento Dei, cujus nulla pœnitentia declaratione expressa vers. 29, 30. ubi triplicatio compellatæ terræ, tempus ante, sub, & post exilium Bab. significat, & omnibus illis intervallis, postquam semel remotus esset, nec ipsi, nec semini, summam minimamve dominationem superfuturam prædicit. Unde liquet Matt. 1. genealogiam texi Josephi, qui tantum à dominio abfuit, ut vile opificium fabri exerceret, vitæ familiæque sustentandæ ergo: non autem Christi; qui si recta linea (qualis ibi intelligitur vi vocis יליחנ, quæ ubique repetitur,) à Jechonia descendisset, ad regni successionem venire divino juramento fuisset prohibitus. De quo argumento dictum à nobis est in Schilo lib. 2. cap. 6. Post Jechoniam sceptro potitus est Zedekias, sed cui parem exautorationem denunciavit Ezekiel, regno non nisi in Messia restituendo Ezek. 17. vers. 22. &c. cap. 21. vers. 25. &c. Jeremias autem sub hujus cap. initium væ illi denunciat una cum regiminis sociis, qui omnes veniunt nomine רועים. Intelliguntur autem Politici Magistratus (nam de Prophetis personisque Ecclesiasticis specialis concio sequitur inf. vers. 9. seqq.) quorum est pascere populum, tondere non deglubere. Sic etiam apud Homerum ποιμένες λαῶν reges appellantur. Quin ea propter à pascendis gregibus Davidem vocavit ad regnum, ut parem fidem & curam adhiberet Psal. 78. vers. 71. &c. 2 Sam. 7. vers. 7. Similiter Ezek. 34. Magistratus sub ea appellatione accusantur, quibus remotis substituendus dicitur Pastor idemque Princeps Messias vers. 23, 24. qui Pastor dicitur Esa. 40. vers. 11. Joh. 10. Hoc loco uti communi Pastorum nomine designantur Zedekias & Principes reliqui; sic quoque eodem nomine indicantur Messias ejusque Apostoli vers. 4. cap. 3. vers. 15. qui etiam Pastores & principes dicuntur Mich. 5. vers. 4. & 68. vers. 28. porro promissio quam solatii ergo proponit, gemino malo opponitur, Remotioni Magistratuum, & Dispersioni populi, cui illi causam dederant. Estque promissio 1. generalis vers. 3, 4. habens congregationem dispersi populi, vers. 3. & restitutionem bonorum magistratuum vers. 4. 2. Specialis, ordine mutato, restituendi magistratus summi vers. 5, 6. & congregandi populi vers. 7, 8. De quâ speciali nobis agere propositum est.

Restitutio summi Magistratus promittitur vers. 5, 6. ut describatur Rex, & Regnum ejus.

De *Rege* indicat I. testem promittentem, II. circumstantiam temporis. III. originem, ejusque modum, IV. qualitatem.

Testis promittens designatur per נאם יהוה de voce יהוה loqui differimus in finem vers. 6. ubi pluribus de eo erit dicendum. Sufficit hîc loqui Deum Patrem, qui dedit Filium Messiam Pastorem Ecclesiæ, qui oves curaret, morte sua redimeret, & potentia defenderet Joh. 10. cap. Hoc tamen necessario monendum mihi est, me in metaphrasi *loco ejus dicere Jehova:* non quod retineam nomen proprium, cujus pronunciationem ignoro, dum de vocalibus genuinis nil certi constat: sed quemadmodum alia nomina propria depravata à Græcis aliisve usurpare solemus: *Jesus* filius *Nave* dicitur veteribus, qui patrem *Nun* habuit, non *Nave*, & *Abdias* qui *Obadja*, & complures ejusmodi detorsiones nominum propriorum occurrunt, *Giles Ægidius, James Jakob*, quæ in linguis extraneis, ubi sic in usu sunt, recte usurpantur, sed nefas est eosdem sonos in linguam primigeniam inferre.

נאם vocula est, quæ frequentissime usurpatur cum nomine divino, nec commodius reddi potest quam χρηματισμὸς *declaratio divinitus facta*: Imo nuspiam occurrit quin hanc emphasin habeat. Nam cum Bileam id usurpat χρηματισμὸν edisserit, Num. 24. vers. 3, 4. & 15, 16. sic quoque David moriturus 2 Sam. 23. vers. 1. & Agur Prov. 30. vers. 1.

verſ. 1. Neque aliter accipiendum Pſ. 36. verſ. 2. נאם כשע לרשע בקרב לבי אין פחד שחים לנגד עיניו: χεηματισμὸς *prævaricationis eſt impio*, (vel χεηματίζει *prævaricatio impio,*) *in medio cordis mei* (uti quidem mecum cogito) *non eſt timor Dei coram oculis ejus*, utpote qui divinam auctoritatem prævaricationi tribuit (uti robori ſuo Chaldæus Hab. 1. verſ. 11.) & quæ illa dictat pro oraculis habet, ita religioſe ex ejus inſtinctu agit. Eodem ſenſu uſurpatur Jer. 23. verſ. 31. de Pſeudoprophetis oracula mentientibus, ubi ex hac voce formatur verbum, nuſpiam alias uſurpatum; *Ecce me contra prophetas*, χεηματίζοι *Jehova, qui ſumunt linguam ſuam*, & χεηματίζουσι χεηματισμὸν. Cum enim χεηματισμὸς extrinſecus adveniat, in ipſis non altiorem habet originem quam linguam propriam, quamvis nil aliud crepent quam χεηματισμὸς. Videntur autem iſti factitaſſe quod de Pythagora refert Suidas. *Pythagoras ut orationi ſuæ & vitæ auctoritatem conciliaret, in congreſſibus ajebat*, αὐτὸς ἔφα, hoc eſt, ut Schindlerus addit, *non meus, ſed Dei ſermo eſt.* Hoc vero diſcipuli ejus poſtea de ipſomet uſurpare fuerant ſoliti. LXX. καὶ ὑποτάξονται ὑποταγμὸν αὐτῶν, legerunt וְיִנּוּמוּ נָוֹם: rectius alii, καὶ πλάσονται ψεύδη χεηματισμὸν. Kimhi ab hac radice derivat. Job. 12. verſ. 20. מֵסִיר שִׂפָּה לַנֶּאֱמָנִים & exponit, הם הלחים בלשונם ויודעים בחכמת הדבר Sed ſi non deſcendat ab אמן, notans veraces, quod interpretibus pleriſque placet, neque hîc incommode reddetur, *removens labium* (facultatem loquendi) à χεηματισμοῖς, quibus oracula divina fiunt; hoc eſt, prophetis, Eccleſiæ doctoribus extraordinariis maxime, ut ea nequeant eloqui, quod factum in Ezekiele Ezek. 3. verſ. 26. cap. 33. verſ. 22. & in Zachariâ Luc. 1. verſ. 20. 22. Refert enim Job potentiam judiciumque Dei, dum qua unuſquiſque excellit, internam externamque excellentiam, aufert.

Circumſtantia temporis eſt הנה ימים באים, *Ecce dies venient.* Τὸ ἭΝΑ demonſtrandi particula de re præſenti, vel certo futura; in prophetiis adhibetur frequentiſſime, quando de rebus eximiis, & certiſſimis ſermo inſtituitur, ut attentio excitetur.

יָמִים *Dies*, ſunt temporis menſura prima, etiam durante principio rerum omnium uſurpata, quod diebus fuit diſtinctum. Poſt ימים pl. majorem menſuram deſignare videtur, quanta quidem totius principii eſt, ſeptidui ſive ſeptimanæ. Sic Gen. 24. verſ. 55. cap. 40. verſ. 4. cap. 4. verſ. 3. Tandem de anno uſurpatum Lev. 25. verſ. 29. 1 Sam. 1. verſ. 3. Alias indefinite, etiam de tota hominis vitâ. Hinc בא בימים dicitur de provectæ ætatis homine; ſic Luc. 1. verſ. 7. cap. 2. verſ. 36. cum participio באים uſurpatur de futuro tempore, indefinite, quod etiam ſingulari effertur. Vide Eſa. 7. verſ. 17. coll. cum verſ. 18, 20, 21, 23. Sic eventa durante regno Meſſiæ unius diei dicuntur Eſa. 11. verſ. 10, 11. quæ hîc pluribus tribuuntur. Cæteroquin dies Meſſiæ אחרית הימים appellari ſolent: idque ut ait Ramban, לדכרי הכל אחרית הימים הם יכות חמשיח אשר קוינו (imo Deut. 31. verſ. 29. eouſque etiam extenditur.) quia ultima ſpes Iſraëlis ad illa tempora pertinet: unde nata diſtributio temporis decantatiſſima cujuſdam Eliæ, 6000 *annis durabit mundus* &c. Igitur quamdiu durat ſucceſſio dierum iſtiuſmodi promiſſa complementum conſequi debent, neque illi finiri aut aboleri, priuſquam iſta omnia fiant. Judæi opinantur adhucdum omnia iſta futuri temporis eſſe, contra alii omnia jam præterita, qui converſionem Judæorum jam putant præteriiſſe; ſed media via tenenda: pars dierum illorum tranſiit, pars demum ſequetur, de quo ad verſ. 6. plura.

Origo, והקימתי לדור צמח. Eſtque prima Deus, proximior David, *modus* autem indicatur appellatione *Germinis* והקימתי *faciam ut ſurgat, ſtet.* vel *faciam* quod jam ſtat, ſurrexit, *ut* eo modo *maneat*, ut *certum, ratum, firmum ſit.* Dicitur de complemento promiſſionum, confirmatione fœderis; unde quod eſt 2 Sam. 7. verſ. 25. *verbum quod locutus es* &c. הקם *præſta*, id 1 Par. 17. verſ. 23. legitur יקום *ſtatum ſit*, ſpeciatim de promiſſo filio dando, 2 Sam. 7. verſ. 12. ſunt autem hæc verba ejus, à quo χεηματισμὸς prodiit, *Jehovæ:* quia ſicut ab ipſius promiſſione primum proceſſit, ut Meſſias futurus filii relationem haberet ad Davidem, ſic quoque vi divina effectum eſt ut reapſe fieret.

Bullingerus in h. l. *Sed & modus conceptionis & nativitatis Chriſti oſtenditur. Dicit enim Deus, ſuſcitabo vel excitabo Davidi Germen. Alludit autem ad legem de excitando ſemine fratri mortuo. Etenim ſi frater deceſſiſſet abſque hærede, cogebatur alter frater uxorem fratris mortui ducere & ex ea ſemen excitare fratri mortuo. Cum ergo ſubſiſtentia corporis Chriſti non referatur ad Joſephum,* (non enim ex Joſepho concepit Maria, quæ virgo permanet.) *Dominus ipſe dicit, ego ſuſcitabo Davidi ſemen. Quando autem excitat Deus? Per Spiritum S. fœcundam reddit virginem, ſicut ab Angelo exponitur Luc. 1. Concepit ergo virgo, & peperit virgo, non ex ullo viro, ſed ex Spiritu S. per omnipotentiam Dei producentis ex nihilo omnia; ergo & efficientis, ut virgo ex proprio ſanguine ſuo ſubſiſtentiam daret corpori Chriſti, atque eo modo ipſa virgo veram carnem, hoc eſt, verum hominem, matris inquam genitricis filium pareret.* Sed minus commode. Eſt quidem verbum חקים de Leviro uſurpatum Deut. 25. verſ. 6, 7. Gen. 28. verſ. 8. Sed nullâ ratione metaphora huc transferri poteſt, ut Deo tribuatur. Nam nuſpiam Deus Pater ſe hominis *fratrem* dixit. *Amici* titulum dedit Abrahamo Eſa. 41. verſ. 8. 2 Par. 20. verſ. 7. Jac. 2. verſ. 23. *filiorum* Iſraëli Deut. 14. verſ. 1. & quidem *primogeniti filii* Exod. 4. verſ. 22. Jer. 31. verſ. 9. Davidem dixit *ſervum ſuum*, & *filium primogenitum*, ſe ejus *patrem & Deum* Pſ. 89. verſ. 21, 27, 28. ſed non *fratrem.* Hoc titulo dignatur fideles Meſſias Heb. 2. verſ. 11. &c. quibus jus filiorum donat Joh. 1. verſ. 12. ſecum commune Rom. 8. verſ. 16. Non magis Spiritui S. id nomen convenit, qui nullibi conſanguinitatis appellationes ſortitur.

Præterea, ſic Pater vel Spiritus S. foret Pater Chriſti ſecundum humanam naturam, quemadmodum filius ille Leviri erat naturalis & proprius, & non niſi putativus defuncti fratris, cujus familiam ac hæreditatem ſortiebatur. Sociniani quidem, ut Jeſum Chriſtum negent æternum Dei eſſe filium, inter cauſas filiationis alias quas comminiſcuntur hanc primam faciunt, ſingularem ejus conceptionem & nativitatem humanam. Generalius Socinus in Inſtitutione Chriſtianæ relig. ſeu Catechiſmo, p. 18. *Divina Chriſti filiatio, eatenus tantum ad ejus naturam aliquo modo referri poteſt, quatenus id reſpicit quod Chriſtus Divini Spiritus vi, ſine viri ope in virginis utero conceptus & formatus fuit: nam hujuſce rei cauſa eum Dei filium vocatum vi ipſius Dei angelus ipſimet virgini, ex quâ natus eſt prædixit: & quidem conſequenter Dei filium proprium & unigenitum, cum nemo aliùs hâc ratione & ab ipſo primo ortu Dei filius unquam exſtiteris.*

ſtiterit. Idem in *quod regni Polon. homines* &c. p. 36. *Expreſſum in ipſis Sacris Literis habemus, cur J. Chriſtus Dei filius appellatur, nempe unicus & ſingularis ille Dei filius. Ea vero eſt duplex. Altera videlicet quæ ad ejus ortum & nativitatem pertinet, altera ejuſdem dignitatem reſpicit. Priorem cauſam expreſſit ipſe Dei Angelus Gabriel, inquiens ipſi virgini, mox Jeſu Chriſti futuræ matri, Spiritus S. ſuperveniet* &c. Luc. 1. verſ. 25. *Vides modum conceptionis & primæ exiſtentiæ illius hominis J. Nazareni, nempe quod Spiritus S. & virtus altiſſimi illum ſit operata, & ſic Patris generantis loco Deus fuerit, cauſam eſſe, ut ipſe homo J. Nazarenus, qui Chriſtus eſt, Dei filius appelletur, & quidem conſequenter ſingularis ſive unicus & unigenitus Dei filius: quandoquidem nemo alius unquam talem à Deo ſui ipſius originem & generationem habuit.* Specialius: Smiglecius lib. de filio Dei cap. 3. citat. ex Socino contra Wiekum: *Nos Chriſtum filium Dei ſecundum carnem, vel ob conceptionem & nativitatem eſſe dicimus, propterea quod Deus in nativitate Chriſti viri vices ſuppleverit.* Et rurſum: *Interim verum manet, generationem & hanc dici poſſe, quatenus in Deum ea cadere poteſt, ſi ad ſanguinem Mariæ addita ſit ex parte Dei materia, ex quâ cum ſanguine Mariæ junctâ, natus ſit Chriſtus. Nam ſi generatio Dei id dici poteſt, cum nihil prorſus materiæ accedit, quanto magis ea generatio dici poteſt, cum aliquid à Deo creatur, & ad generandum adjicitur.* Smalcius in reſp. ad 2. part. Refut. Smiglecii, affirmat, *Dei virtutem in virginis uterum aliquam ſubſtantiam creatam vel immiſiſſe, aut ibi creaſſe, & quâ juncto eo quod ex ipſius virginis ſubſtantia acceſſit verus homo generatus fuit.* Rurſum: *Quæritur annon ille etiam jure genuiſſe dici poſſit, qui viri vices ſupplet, hoc eſt, id præſtat, quod vir præſtare ſolet, etiam ſi alio modo quam vir. Satis eſt ad conſtituendum, Chriſtum ex Deo genitum eſſe, vel Deum vices Patris ſuppleſſe, quod Deus ipſe hoc præſtitit, quod vir præſtare ſolet, etiam ſi modus abeo diverſus quodammodo ſit, quo vir præſtat & Deus. Vir præſtat hoc ex ſubſtantia, Deus, quia ex ſubſtantia ſua præſtare id non poteſt, creare illud potuit, & porro creavit ex quo Chriſtus naſceretur.* Schlichtingius contra Meiſnerum, citato dicto Luc. 1. verſ. 38. *Quibus in verbis luculentiſſime teſtatur Angelus, cauſam cur ipſe homo Jeſus Nazarenus filius Dei appellatur, hanc eſſe, quod Spiritus S. & virtus Altiſſimi ejus conceptionem & primam exiſtentiam ſit operata, & ſic Patris generantis loco fuerit.*

Hæc vero dicta Sociniana oſtendunt, quam periculoſa ſit iſta locutio, de ſimilitudine leviratus, cum quicquid etiam Sociniani contendant, falſiſſimum ſit Deum, aut Spiritum S. patris rationem habuiſſe quoad humanam naturam Chriſti. Etenim Chriſtus ſecundum humanam naturam dicitur ἀπάτωρ, quemadmodum ἀμήτωρ ſecundum divinam Hebr. 7. verſ. 3. atqui id non foret, ſiquidem vel homo vel Deus id ipſum contuliſſet ad humanam naturam quod pater conferre ſolet.

I. Obj. Smalcius ait: *Chriſtum licet pater & mater ejus memorentur utroque caruiſſe poſſe dici, quoad ſacrificium. Quando Melchizedek, cujus Sacerdotium in ejus familia non ante fuit, nec poſt, ſed cum eo cœpit & deſiit.* Reſp. De Melchizedeko negantur pater & mater, typicè, ſed non officii ſed naturæ ratione, cum hæc nomina non inferant relationem ad munus, ſed ad naturam quâ homines. Sic quoque idem conveniret Aaroni à parte ante, & ſi τὸ ἀγενεαλόγητος ad poſteros referatur, Moſi etiam à parte poſt. Itemque Eliæ: cum tamen nec Moſes, nec Elias his elogiis ornentur, & ipſorum ſacerdotium ad Aaronis cum referendum ſit, illius ceu exemplare, hujus velut ad exemplum factum.

II. Object. Smalcius vult, *in obumbratione virtutis altiſſimi tacite & pudice iſtam materiæ effectionem & in Mariam illationem contineri.* Reſp. Impudica eſt blaſphemia, & petitio principii. Obumbratio propriè umbræ adſperſionem notat. Matt. 17. verſ. 5. Improprie de Deo, ejus ſingularem protectionem, ſæpiſſime: nunquam materiæ ejuſmodi effectionem. Angelus reſpondet ad quæſtionem Mariæ, quomodo ſine cognitione viri concipere poſſet; non quod Deus aut Spiritus S. patris vices ſit expleturus, (uti in θεογονία Gentilium fabulati ſunt) ſed quod effecturus ſit Spiritus S. ut ex ipſa naſceretur, ſolâ nimirum, quod Sanctum foret, tum reatus originalis expers, quia non à viro; tum corruptionis, ſecernente eam Spiritu S. quia non magis ex voluntate carnis ſive mulieris, quam ex voluntate viri, ſed ex Deo genitus fuit.

III. Object. Matt. 1. verſ. 16, 20. Chriſtus dicitur uti *ex Maria* genitus, ſic *in ea* genitus *ex Spiritu S.* Reſp. Certum eſt, ἐκ non tantum materialiter, ſed etiam efficienter uſurpari. Et de Maria quidem materialiter, unde fructus ventris ejus dicitur Luc. 1. verſ. 42. at de Deo efficienter 1 Cor. 8. verſ. 6. Rom. 11. verſ. 38. & ſi materialiter hîc velint, ſequetur Spiritum S. Patrem aut vice Patrem dicendum eſſe, quod Smalcius abſolute negat, ne perſonam agnoſcere cogatur. Stegm. Photin. p. 178. & 180. Ἐκ igitur hîc de Spiritu S. ſumitur non σημαικῶς, ſed δημιεργικῶς per operationem, ut Damaſcenus; ἐκ τοῦ συνοῦσαι ἀπὸ τοῦ δύνασθαι, ut Juſtinus Martyr: *non de ſubſtantia Spiritus S. ſed de potentia, non generatione, ſed juſſione & benedictione,* ut Auguſtinus. Materia illa nova ſanguini Mariæ addita, commentum eſt, Socin. cerebri: *nihil ejus novit Scriptura.* Heb. 2. verſ. 14. *caro & ſanguis,* ſi & corporeum quid notant, utique à generante communicata eſſe oportet, ut filiatio locum habeat, eoque eſſe in generante, quod utique de Spiritu dici nequit, qui carnem & oſſa non habet. Luc. 24. verſ. 39. Nam creaſſe ea, non facit Patrem, ſed creatorem. Et licet alicubi creator dicitur Pater, quia Angelii Filii Dei Job. 38. verſ. 7, non tamen proprie verſ. 28. Negatur autem de Chriſto qua homo pater proprius Luc. 3. verſ. 23. Matt. 1. Luc. 1.

Sed non immorabimur ultra his refutandis. Satis eſt oſtendiſſe, minus cautè τὸ הקימותי ad rationem leviratus referri: quamvis enim autor ille recte ſentiat, tamen verba habent quid incommodi, & quod errori anſam præbeat. Nos illud vocabulum non aliter accipimus quam verſ. 4. & Jer. 30. verſ. 9. de præſenti exhibitione ejus qui promiſſus, ut in eo & potentia & veritas Dei ſit animadvertanda. Adeoque hæc Origo eſt efficientiæ.

Origo altera eſt materialis, לדוד *Davidi.* Quis hic fuerit dicere ſupervacaneum. Petrus Act. 2. verſ. 30. ait Deum ipſi juraſſe *ex fructu lumborum ejus* τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν (להקים) τὸν Χριστόν. Exſtat promiſſio 2 Sam. 7. verſ. 12. &c. Pſ. 89. verſ. 36. &c. Pſ. 132. verſ. 19. Zacharias Luc. 1. verſ. 6. *ἤγειρε cornu ſalutis in domo Davidis ſervi ſui.* Hinc notiſſima apud Judæos Meſſiæ appellatio בן דוד quomodo Jeſus in N.T. frequenter appellatus fuit Matt. 20. verſ. 30. cap. 21. verſ. 9. cap. 1. verſ. 1. Luc. 1. verſ. 32. Dicitur etiam *David.* Jer. 30. verſ. 9. ubi Abrab.

Abrab. הוא מלך המשיח שימלוך מבית דוד ויוחס
Targ. וישתמעון למשיחא בר דוד מלכהון דאתקם להון אלין
Aſt Kimhi ambigit: אעטר שאמר זה על דוד המלך שיקימנו מעסרו בעת תחיית המתים ואפשר שיאמר על המשיח בנו ויקרא שמו דוד Sic Hoſ. 3. verſ. ult. altipulante Aben-Ezra, qui etiam citat Ezek. 37. verſ. 24. Nam idem fit Ezek. 34. verſ. 23, 24. cap. 37. verſ. 24, 25. Hoc poſteriori loco Abrab. in prophet. poſt. fol. 205. col. 2. f. rectè quædam; *Ecce Rex Meſſias vocatur David, quia erit de ſemine ejus, & incedens in viis ejus, & indolem ejus ac mores exprimens. Nam ſicut reges Ægypti omnes dicti fuere diu Pharaones, deinde Ptolomæi, ſic etiam rex Meſſias & omne ſemen ejus vocabitur David, in teſtimonium quod erit de ſemine ejus, inſidens ejus ſolio, timens Deum & recedens à malo ut David.* Aſt in cap. 34. fol. 201. col. 3. non tantum de ſemine Davidis Meſſiam fore dicit, ſed Davidem ipſum, quia *anima Davidis devolvetur in Meſſiam*, ut jam ipſe David poſtliminio ſit regnaturus, per Cabbaliſtarum גלגול הנפשות ſive μετεμψύχωσιν. quam ſententiam alibi ipſe tuetur in Leg. fol. 386. col. 2. fin. & ſeq. Eſt vero abſurdiſſima, cum nec præmia nec pœnæ juſtè à Deo tandem diſtribui poſſent, neque uno tempore, ſiquidem in variis corporibus varie egiſſent, & diverſimode forent judicandæ. Equidem Abrabanel non niſi cum primo corpore judicandos retur, quo refert τὸ *multos* Dan. 12. verſ. 2. ſed Eccl. 11. verſ. 9. & cap. 12. verſ. ult. quodvis opus in judicium dicitur adducendum, adeoque & corporis habebitur ratio. 2 Cor. 5. verſ. 10. quando una anima in & cum pluribus corporibus eodem tempore idem ſubire deberet judicium: quod abſurdum. Sed videntur hoc commenti, ut ſimul ſtabilirent aliud figmentum, animam Eſavi in Jeſum Nazarenum eo modo ingreſſam eſſe, quod in Talmude aſſerit.

Verum quæſtiones duæ aliæ hîc occurrunt. I. quomodo ad Davidem referri potuerit Meſſias? II. an eò referri Jeſus noſter queat?

Priorem quod attinet, cauſa dubitandi eſt, Gen. 3. verſ. 15. Πρωτευαγγέλιον Meſſiam facit *ſemen mulieris*, viro quidem deſponſæ, ſed non cognitæ; qualis fuit mulier prima cum hoc promitteretur. Unde Meſſias primis ſæculis non aliter notus fuit, quam qua *ſemen mulieris*. Adam fuit pater morientium, naturaliter, unde reatum inobedientiæ omnes per generationem conſequuntur 1 Cor. 15. verſ. 22. ſed mulier *mater omnium viventium*, ſupernaturaliter, inde hæc ab Adam vocata eſt *Eva*, quia *mater omnis viventis* verè, vita vid. fidei Gen. 3. verſ. 20. uti hoc etiam intelligit Pet. Martyr, Junius, in orat. 1. de fœdere, Pareus, alii. Hinc illa appellatio hominis fidelis, ילוד אשה Job. 14. verſ. 1. nam impiorum felicitatem in mundo Jobus multis aſſerit, contra amicos ſuos toto libro, vid. cap. 21. verſ. 7. &c. qui aliam promiſſionem Meſſiæ præter primam illam haud novit, unde tamen cognationem concludere potuit cap. 19. verſ. 25. Sed nec aliter acceperunt amici *Eliphaz* cap. 15. verſ. 14. & Bildad. cap. 25. verſ. 4. arguentes etiam pios reos peccati eſſe, & propterea obnoxios calamitatibus, quæ ipſius Jobi ſit conditio, qui juſtus fuerit habitus, ſed nunc ex graviſſimis afflictionibus deprehendatur impius, cap. 4. verſ. 3. &c. cap. 7. 11. &c. Non aliter illa phraſis accipitur Matt. 11. verſ. 11. ὐκ ἐγήγερται γυναικῶν de Johanne & fidelibus. Nam quod plurium mulierum ſit mentio, non tam ſit per numeri enallagen, quam quia poſt reſtrictum ad certam familiam genus Meſſiæ, qui aliarum tribuum familiarumve erant, conſanguinitatem primam cum Meſſia, non niſi per mulieres poterant derivare: quo facit illud 2 Tim. 1. verſ. 5. de fide Timothei, à matre & avia deſcendente. Licet Johannes ex ſemine Abrahami erat, ut proximior promiſſio de ipſo poterit uſurpari; tamen hîc antiquiſſima fuit ſpectanda, quia Johannes non tantum cum fidelibus poſt Abrahamum, ſed etiam cum ipſomet Abrahamo & omnibus qui ab initio mundi fuerant comparandus, omnibuſque præferendus erat. Et quemadmodum in omni viro ſpectari debet Adamus, quoad excellentiam ex fine & ordine creationis 1 Cor. 11. verſ. 8, 9. ſic in quavis muliere viciſſim ſpectanda excellentia propter ordinem redemtionis, verſ. 11, 12. ut in Domino ſint, gratiæ & redemtionis per Chriſtum partæ participes, mutuum ſibi aliquid debent, neque alter ſine altero unquam conſecutus fuit aut conſequi potuiſſet. Quemadmodum enim mulier ex τοῦ ἀνδρὸς, ex cujus coſta formata, quæ in Domino eſſe nequiviſſet ſine viro, abſque quo ne quidem fuiſſet: ſic vir διὰ τῆς γυναικὸς; quia mulier primò conſtituta fuit Serpenti inimica, & ejus ſemen dictus Meſſias cum adhuc virgo eſſet. Vir autem per mulierem eodem fælicitatis pervenit, quatenus Meſſiam, ab ipſa ſola vi promiſſionis, non à ſe deſcendentem, fide apprehendit. Mulier *ex viro* eſt materialiter & naturaliter, non ita vir *ex muliere*, (quod dici tamen poſſet, ſi tantum intelligeretur nativitas ordinaria, quomodo filii Matt. 1. verſ. 3, 5, 6. & Chriſtus eſt *ex muliere* Gal. 4. verſ. 4.) ſed *per mulierem*, quia non materialiter, ſed ſpiritualiter & ſupernaturaliter per gratiam & fidem, & ſic vir mulieri origo τοῦ eſſe, mulier viro τοῦ bene eſſe: attamen ne mutuum exinde ſuperbiant, ubique arrogent, additur πὰ ἐκ τοῦ θεοῦ: cujus ſapientiæ ac liberrima voluntate factum, ut mulier ex viro naturalem originem conſecuta ſit, vir ex muliere ſupernaturalem: ſintque ſibi mutuum debitores: gloria autem omnis utriuſque beneficii ſummæ cauſæ Deo uni maneat.

Sed quia Meſſias poſtea promiſſus fuit ſemen Davidis, & ante ſemen Abrahami, adeoque ſemen Viri; quæritur, an mutata ſit promiſſio, & à muliere ad virum tranſlata? Non patitur hoc Dei immutabilitas, tam in verbis, quam ratione eſſentiæ Mal. 3. verſ. 6. Neque enim eſt homo ut vel mentiatur, vel eum pœniteat Num. 23. verſ. 19. הִגְבִּילֹתָ עַל־כָּל־שִׁמְךָ אִמְרָתֶךָ Pſ. 138. verſ. 2. Indicandum ergo qua ratione id factum, citra violationem veritatis. Uſque ad Abrahamum Meſſias qua homo non fuit notus, niſi ſub nomine *ſeminis mulieris*. Sed tunc Deus Abrahamum conſtituit patrem credentium, ſimulque patrem Meſſiæ ex ſemine ejus naſcituri, uti mulier prima, ejus mater conſtituta, omnium viventium, per fidem videlicet hoc eſt, credentium mater dicta fuit. Hæc enim Evæ maternitas eſt Gen. 3. verſ. 20. & Abrahami paternitas Gen. 17. verſ. 9. Rom. 4. verſ. 11, 12, 17, 18. Veruntamen cum hoc tribuit viro Abrahamo, non ademit quod dederat mulieri Evæ; ſed tamen commune fecit & inter utrunque, ut ſic dicam, partitus eſt. Gen. 17. verſ. 5. ut novæ paternitatis originem noſſet (non naturalis, quam habebat, genito jam Iſmaële cap. 16. ſed ſupernaturalis:) nomen ejus augetur inſertâ literâ ה. Hanc decerptam volunt ex המון, & hæc multitudo quoque hinc fluit, ſed mihi diviniorem videtur habere originem. Quo tempore nomen אברם, à Deo mutatum in אברהם eodem uxoris ejus שרי mutatum

in שרה. De posteriore hoc nomine parum dicitur, cur variatum, quod ad rem faciat. *Operæ* pretium vero inquirere, cum Deus utrobique autor mutationis, eamque observari jubeat. *Abraham* אברהם esse dictum solùm ob rationem additam כי אב המון גו׳ difficultatem habere viderunt Hebræi, ob relictum ר: unde in causam inquirunt. Aben Ezra, id radicale facit ex אבר, ut significet אביר. Sed sic periret patris indicium. R. Salomo, relictum fuisse ex ארם cujus princeps quasi fuerit, inde ortus, additum ה ex המון ut reliquas nationes pariter subjici significetur. R. Nachman ex הפריתי petitum putat. Abrab. ante dictus fuit אב רם: sed isto relicto cum de circumcisione mandatum daret Deus, simul ait addidisse ה, vel quod futurus esset אב המון רם multitudinem seminis & dignitatem indicans, (sed sic metathesin admittit ה & ר) vel quasi dicat אבר הם quod post circumcisionem membri genitalis, & hujus dignitate seu merito, ex ipso promitteret multitudinem illam prodituram: & hacpropter relictum esse ר. Imo aliqui fabulantur, jod de nomine Sarai demtum, contendisse cum Deo, quod ר relictum videret in Abrahamo, neque potuisse placari nisi cum adderetur nomini Hoseæ filii Nun, qui à Mose vocatus יהושע. Bechai: *He istud additum* (in אברהם) *est postremum* τὸ ἰῶτα γραμμάτου, *& cum eo accepit facultatem generandi, & continuam successionem descendentium ab ipso.* Pareus hoc figmentum Judæorum vocat; vult autem dictum אב רם המון per syncopen & apocopen? Mercerus reddit אב רב המון, itidem per syncopen & apocopen, sed רב adhibet loco גוים. *Sarai* שרי dictam שרה. R. Sal. *Quæ ante fuit* שרי *princeps mihi, non aliis, jam erit absolute* שרה *princeps.* Quod etiam Mercerus statuit: quamvis affixum plurali junctum sit, quod per enallagen factum ait, & quasi שרתי. Abrab. *Quia uxor tua est, particeps est tecum honorum, & quicquid tibi accedit, accedit & illi; & cum domi paternæ dicta fuerit* שרי *Sarai*, id est, *principes mei, non principissa mea: quia suæ familiæ Domina futura erat; jam quia tu Pater multitudinis gentium, ipsa dicitur* שרה, *Domina communis multitudinis illius.* Addit aliam rationem, nomina in ה esse masculina: & Sarai ante fuisse sterilem, quasi non fœmina foret, imo quosdam ait statuisse, ipsam caruisse utero: Vocari vero שרה terminatione fœmin. ut fœminam ad partum aptam redditam significaretur. Sed hoc putidum. Pareus: *nunc dicitur Sara* שרה *adjecta litera* ה, *una etiam ex nomine tetragrammato Dei* (quod in Abrahami nomine figmentum dixerat.) Sed mutationis nullam affert causam. R. Nachman, referente Abrab. scribit. *Defuit aliquid Abrahamo in corpore suo, neque dignus fuit vocari Abraham donec accepisset fœdus. At Saræ nihil defuit, habuit enim ante perfectionem suam; neque Deus mutavit nomen ejus, usque dum mutasset nomen Abrahami mariti ejus. Non enim indigebat additione perfectionis sicut ipse. hinc dicit, Nam Sara est nomen ejus: quam primum namque Abraham accepit fœdus, fuit ipsa Sara.* וגם נכון הוא inquit Abrab. Dicit hic aliquid & plus reliquis, sed non omnia, neque id potuit, cum sint mysteria. Sane nihil defuit Sarai, uti quidem Abrahamo, ratione originis Messiæ. Sarai שרי mulier & talis unde semen illud mulieris quoque descensurum erat: sed placuit Deo tunc etiam virum adhibere, qui pariter ad originem illius seminis pertineret, sic ut quod ante ab una muliere exspectandum fuerat, nunc ab his duobus conjugibus exspectaretur. שרי quasi שרוי qui inde oriturus erat. אברם quasi אב רם *excelsus*, etiam ob Ismaelem ejusque posteros, sed inserto ה excelsus vi promissionis, sibi communicatæ, ut pater fieret excelsi ה qui Saræ ratione manebat שרה. Ergo שרי, quæ Jod ex tetragrammato in nomine habebat, qui maximus in illo numerus, denarius nempe, secuit quoad potestatem, & bipartitus est in duo ה (quæ literæ ambæ in eodem exstant tetragrammato, & generosam promissionem, & certissimum complementum indicant,) atque alteram אברהם addidit, alteram שרה ex denario reliquam fecit: quo juncti conservarent successionem promissionis primæ de Messiâ. Ut verò Abraham in partes propagandæ, ut sic dicam, promissionis venire posset, adhibita circumcisio, in membro generationis, ut significaretur vim naturæ quodammodo deponendam, ut vis promissionis, quæ Messiam productura erat, foret evidentior. Atque sic demum ex Sara, vi benedictionis divinæ, nasciturus ipsi erat filius, Isaacus, ipsa futura in gentes, & ex eâ futuri reges populorum Gen. 17. vers. 15, 16, nec non fœdus Dei cum Isaaco filio ejus, ac hujus semine stabiliendum perenne vers. 19. Affine quid huic sententiæ videtur dixisse Tremellius Gen. 17. vers. 15. שרה *addita eadem literâ, quæ nomini Abrahami accessit, ut idem esset utrobique earundem promissionum symbolum, quod confirmatur* 1 Pet. 3. *vers.* 16. Et Piscator, *extrita igitur litera Jod substituta est litera He, ad id ipsum significandum quod antea significatum fuit per eandem literam insertam nomini Abram.* Bechai ad Gen. 15. vers. 1. scribit, *extribus promissionibus, Abramo istic factis, mediam fuisse evangelium de filio, de quo intelligenda sint verba* שכרך הרבה *merces tua multa:* addit autem, *sufficisset dixisse* שכרך רב *sed addidit duo He, nam è medio seu virtute duorum istorum He natus est Isaac, quorum unum in Sara, alterum in Abrahamo.* Martyr in Genes. 17. vers. 15. &c. *Cum susceptí essent ambo in familiam Dei & cooptati in filios, novis nominibus illos appellari voluit: nomini Saræ demitur* י *& additur* ה, *& sic tam Abrahamo quam Saræ idem adjicitur elementum, quod ut Hebræi dicunt, à sancto nomine tetragrammato est desumtum. Neque id mirum, cum enim regeneratione reddantur homines divinæ naturæ consortes, cur non & divini nominis quid participare debent? Imo si penitus rem dispicias, videbis adjectam literam esse Hebræorum aspirationem, quo id sane denotatur, hujusmodi regenerationem non posse fieri aliter quam Spiritus sancti accedente opera. At illud videtur tenuius quam adnotetur, sc.* י *literam Saræ nomini subductam referre denarium, quem eundem reddit numerum* ה *literæ bis acceptæ, ut factum in utriusque conjugis nomine invertendo.* Potissima tamen probatio, ne quis Cabbalæ solum me inniti opinetur, occurrit Esa. 51. vers. 1, 2. &c. Compellantur fideles, *sectatores justitiæ quærentes Dominum*, & jubentur *intueri* & *Abrahamum* & *Saram*, ceu communem originem unde omnis benedictio ad ipsos dimanasset, & dimanatura esset, imo ad ipsas quoque gentes derivanda. Et Rom. 4. vers. 11, 12. Abraham *pater omnium fidelium constituitur*, quemadmodum Sara *mater* 1 Pet. 3. vers. 6. Videmus itaque promissionem Messiæ, ceu semen mulieris est, non mutatam, sed ampliatam solùm fuisse, ut pariter semen viri foret: sic tamen ut non esset semen viri aliûs, nisi qui in partem venerat benedictionis mulieris, & quatenus commune cum ista muliere semen habebat, Isaacum videlicet

delicet (aliis filiis, Iſmaele & Keturæ liberis, quorum ille ab Abramo, hi ab Abrahamo geniti fuerant, excluſis.) in quo ſemen ejus vocandum dicitur, imo in iſto ſemine omnes familiæ terræ benedicendæ. Gen. 21. verſ. 12. cap. 22. verſ. 18.

Subſequentibus temporibus confirmata fuit eadem promiſſio *Iſaaco* cap. 26. verſ. 4. qui eandem contulit *Jacobo* cap. 28. verſ. 4. adſtipulante Deo verſ. 14. Jacob in *Judam* teſtamento derivavit cap. 49. verſ. 10. ad extremum *Davidi* privilegii titulo conceſſa eſt, ut ante dictum. In quibus omnibus conſiderabatur Meſſias ceu ſemen virorum, verum qui omnes æque ex Sara, quam ex Abrahamo genus ducerent. Attamen ne hac ratione paulatim obliteraretur memoria promiſſionis omnium primæ, de Meſſia ſemine mulieris, atque Iſraëlitæ de patribus Abramo Iſaaco & Jacobo cogitantes matris Saræ recordationem negligerent; non tantum huc revocati ſunt Eſa. 51. verſ. 1,2. ſed etiam moniti ſic intuendam domum Davidis, ut non inter filios ejus quærerent Meſſiam, ſed inter filias ejus matrem Meſſiæ: utpote qui juxta tenorem promiſſionis primæ, ſolius mulieris ſemen, adeoque virginis filius futurus eſſet. Eſa. 7. verſ. 14. ubi domui Davidis ſic per ſignum promittit conſilium Rezinis & Pekæ, de exſcindenda Davidis familia non ſucceſſurum, ut tamen impietatem hujus non impunem fore ſignificet; naſcituro inde Meſſia, & quidem ex matre virgine, ſed poſt complura ſecula & viciſſitudines, quæ ad pauperiem & plebeiam conditionem eam eſſent redacturæ. Quod Joſepho Matt. 1. verſ. 20. &c. Mariæ Luc. 1. verſ. 30. &c. ab Angelo indicatum: quomodo tandem ad primam deſcriptionem Meſſiæ reditum eſt, in Maria; cujus nomen מרים non ſine numine ei impoſitum, æque ac initio שרי: nam (ſi & hîc quid Kabbalæ licet indulgere) jod quod שרי media parte ademtum & Abrahamo additum fuit, huic rurſus integrum fuit conceſſum; idque quod reliquæ literæ teſtantur מרם, de cujus Altiſſimi virtute proceſſiſſe Gabriel ait Luc. 1. verſ. 35. Et quidem locatur jod medium inter ר & ם, quia ſignificatur, ex intimis viſceribus miſericordiæ Dei profectum eſſe complementum capitalis hujus promiſſionis, quæ in Abrahamo variationem acceperat; ad quem reſpiciunt Maria Luc. 1. verſ. 54,55. & Zacharias Verſ. 68—73. vel אברם vere exaltatus, quando ה de Saræ nomine decerptum excellentiam promiſſionis ibidem depoſuit אברהם: Alt מרים vere de illo deſcendens מרם; ſed ut excellentiam promiſſione additam duplam haberet, alteram partem ם jod, Saræ relictam, priori junctam, & rurſus in jod coaleſcentes: ut ab hac Abrahami filia, quicquid Sara quicquid Abraham promiſſum habebant deſcenderet. Et ſic patet quomodo Meſſias potuerit ad Davidem referri.

Poſteriorem quæſtionem quod ſpectat, an Jeſus noſter ad Davidem referri queat? ea non ad vaticinium, ſed ad complementum ſpectat; eſtque neceſſaria, ad ſtabiliendam fidem noſtram, & convictionem Judæorum.

Generalis quidem reſponſio eſt, Jeſum Nazarenum, dum viveret, publicè agnitum fuiſſe Davidis filium, Matt. 15. verſ. 22. cap. 20. verſ. 30,31. cap. 21. verſ. 9,15. à peregrinis, Cananeâ; à vulgo Judæorum, à puerulis. Sed nec auſi id controverſum facere Phariſæi & Sacerdotes: neque id ei vitio verſum fuit.

Specialior autem neceſſaria, non tam ob modernorum Judæorum contradictiones, quam Chriſtianorum quorundam. Non huc revocabo quod docent Anabaptiſtæ, Chriſtum nihil ſui à Mariâ accepiſſe, ſed carnem & ſanguinem cœlitus intuliſſe in hujus corpus, & per iſtud tanquam per canalem tranſiiſſe: quomodo conſequitur, per Mariam, etſi fuerit de familia Davidis, non potuiſſe hinc dici deſcendiſſe; & cum marem non habeat patrem, cum nullo hominum communionem carnis habere & ex ea cognationem. Sed eſt directè oppoſita alia eorundem ſententia, quæ negat Mariam Davidici generis fuiſſe: quia non hujus, ſed Joſephi genealogia ab Euangeliſtis texitur, unde Jeſus non eſt genitus. Doreſl. cont. Anabapt. p. 291. &c. Quando etiam Smalcius negat Mariam ex familia Davidis fuiſſe, Jeſum autem filium Davidis dici, quia natus ex muliere deſponſata Viro generis Davidici. Stegm. Phot. p. 186. Reſp. Texitur geneal. Joſephi à Matthæo, qui à Jechoniâ ortus eſt, unde Meſſias naſci non potuit, aut non potuiſſet fieri rex aut dominator in Iſraële. Verum à Luca geneal. Mariæ: in quâ unus rex numeratur, ſed in gente illa primus & potiſſimus, & cui uni promiſſio de Meſſia facta fuerat, Davidi, ex cujus filio Nathane deſcendit; cujus domus à reliquis Davidicis ſecernitur ceu potiſſima Zach. 12. verſ. 11. & qui hinc natus Zorobabel filius (non nepos per Pedajam, velut ille apud Matthæum, coll. 1 Par. 3. verſ. 17. &c.) Sealthielis, ſurrogatus in aliquam dignitatis partem, quæ Jechoniæ ademta juramento Jer. 22. verſ. 24. & Hag. 2. verſ. 23. coll. Quod vero Lucas non Mariæ ſed Joſephi facit mentionem, fit quia non numerantur mulieres in ſerie: & negando Joſephum verum patrem, non negat uxorem ejus, cujus reſpectu ipſe filius, hoc eſt gener Heli, veram matrem; ſed potius confirmat, hoc tantum ſignificans, cum Heli non crederetur nepotem ex filia habere niſi per generum, eam opinionem fuiſſe erroneam, genero nihil ad Jeſu generationem conferente.

Sed etiam Matthæus probat genealogiâ Joſephi, Jeſum fuiſſe *filium Davidis & Abrahami*; quem ſcopum ſibi eſſe profitetur verſ. 1. quod ſcilicet illa tempeſtate conſtaret, duxiſſe Joſephum conſanguineam. Etenim quemadmodum ad vitandas hæreditatum imminutiones in eadem tribu nubere debebant filiæ, ſic etiam petebantur à conſanguineis proximioribus; ut Zelophchadi filiæ juſſæ nubere in tribu ſua, proximis patruelibus nupſerunt. Unde qui religioſiores, cognatas quærebant; & veroſimile Davididas pios, promiſſionis de Meſſiâ memores, non egreſſos eſſe familia, ne quid de ejus excellentia imminutum irent.

Memorare hîc lubet quod Judæi commentantur. Jud. 11. verſ. 1. de matre Jephthæ, quæ זונה dicitur. Jebhamoth cap. 6. verſ. 5. *R. Juda ait* אילונית היא זונה האמורה בתורה *quam videlicet ducere Sacerdoti interdictum. Sapientes autem ajunt,* אין זונה אלא גיורת ומשוחררת ושנבעלה בעילת זנות Vide Bechai in Legem fol. 189. col. 4. זונה à Kimhio etiam deducitur à זון, *alere*, ut cauponam notet quod Rachabæ tribuit. Idem Jephtam Concubinæ filium fuiſſe ſtatuit, quæ nupſerit patri ejus ſine tabulis & ſponſalibus. Affert vero ex Joſiphta: *Hæc fuit ab antiquo lex in Iſraële, ne poſſeſſio transferretur de tribu in tribum: & propterea non potuit quiſquam ducere uxorem, quæ ſuæ tribus non eſſet. Quod ſi quæ mulier adamaret virum non tribulem, egrediebatur è medio hominum ſine hæreditate: vocabaturque* פונדקיתא

quæ

quæ amavit virum tribus non ſuæ: & talis fuit mater Jephtæ: & hunc ea propter excluſum hæreditate à fratribus, quod foret filius fœminæ de tribu aliâ. Sic Ralbag; *Jephta fuit filius mulieris de aliâ tribu, & quia non nupſerat uni tribulium ſuorum, vocatur* זונח, *quia declinavit ab eo quod par erat, ut nuberet tribuli, ne hæreditas devolveretur ad tribum aliam. Cum vero Gilead poſtea duxiſſet tribulem, hujus filii per Seniores Gileadi obtinuerunt ut Jephta ejiceretur domo, licet inique.* Kimhi citat Targum quodpiam ubi verſ. 2. legitur. ארי בר איתתא משבטא אחורי אחת Reges & Sacerdotes duxere quidem etiam uxores aliarum tribuum, ſed pariter citra ſpem hæreditatis, & nec hi, nec iſti qua reges habuere hæreditatem alienabilem: atque ſic Eliſabet fuit Mariæ cognata, forte quod Mater Elizabethæ de genere Davidis foret, quemadmodum Eliſabeth Jojadæ uxor, regis Jorami ſoror, & amita Joaſi.

De Mariæ genere quidem nihil colligi poteſt ex Luc. 1. verſ. 27. ſed colligitur ex verſ. 31, 32. patrem habiturus Davidem, licet ex Maria virgine naſciturus. & ex cap. 2. verſ. 3. &c. nam ipſam Bethlehemi deſcribi non erat opus, ni Davidicæ gentis fuiſſet. Ex Matt. 1. verſ. 22, 23. ubi in ea impleta dicitur prophetia Eſa. 7. verſ. 14. quæ virginem Davidicam deſignavit. Fuit ergo Jeſus filius Davidis, quia Mater virgo inde orta, ut materno genere, qui paternum inter homines non habebat, à Davide deſcenderit. Quemadmodum Laban ſuas filias, & filios dicit quotquot Jacob habebat liberos, quia ex filiabus ſuis nati erant Gen. 31. verſ. 43.

Jam Modus originis indicatur voce צֶמַח *Germen.* LXX. ἀναβλώ, non quod orientem lucem deſignent, ſed herbam ſive germen: quomodo Ezek. 16. verſ. 7. πληθὺς ἡ ἀναβλὴ δ' ἀχρὶ δίδωκά σε uti frequenter ἀνατέλλω uſurpant pro צמח. Gen. 3. verſ. 18. cap. 19. verſ. 25. & alibi ἀκάνθας καὶ τριβόλους ἀνατελεῖ σοι, πάντα τὰ ἀναβλαστάνοντα ἐκ τῆς γῆς. Sic quoque Zach. 3. verſ. 8. τὸν δοῦλόν μου ἀναβολήν. cap. 6. verſ. 12. ἰδοὺ ἀνὴρ ἀναβολὴ ὄνομα αὐτῷ. Aſt Jer. 33. verſ. 15. βλαστὸν reddit, & Symmachus hîc βλάστημα. Hoc ſenſu accipiendum videtur. Luc. 1. verſ. 78. *Germen ex alto*, quia illud Germen, quod non humana virtute, ſed divina germinavit. Qui vero ad Lucem referunt, ſpectant metaphoram verſ. 79. Dicitur autem Meſſias צמח primum Eſa. 4. verſ. 2. ubi Targum בְּעַנָּנָא דַּיהוָה יְהֵי מְשִׁיחָא דַּיי לְחַדְוָה וְלִיקָר Kimhi, *Diem* ait notare יום התשיעה בבוא חגוש & per צמח Meſſiam filium Davidis, quod ex Jer. 23. verſ. 5. confirmat. Hîc vero Targ. מְשִׁיחַ uti etiam cap. 23. verſ. 15. Sic Zach. 3. verſ. 8. עבדי משיחא & cap. 6. verſ. 12. הָא גַבְרָא מְשִׁיחָא שְׁמֵיהּ.

Ratio appellationis ab oriendi modo derivata. Kimhi: *Hic eſt Meſſias, quem vocat Zemach, quia egreſſus ejus in mundum erit ut egreſſus germinis agri creſcentis.* Abrab. *Erit ejus egreſſus in regnum ſicut egreſſus germinis agri, à ſub terrâ*: quod ipſum confirmat dicto Eſa. 11. verſ. 1. Dicitur autem Meſſias צמח I. ratione promiſſionis, unde originem primam duxit: Sic complementum prædictionum dicitur germinatio Eſa. 42. verſ. 9. cap. 43. verſ. 19. cap. 61. verſ. ult. Etenim 2 Cor. 1. verſ. 20. & huc facit Luc. 1. verſ. 78. & Eſa. 4. verſ. 2. II. ratione nativitatis humanæ. Uti ex terra enaſcitur germen, ſic ex utero materno, ubi conceptus fuit, naſcitur homo. Inprimis hîc attendenda terra virgo Gen. 2. verſ. 5, 6, 9. ſic natus eſt J. Chriſtus. Sane conceptus hominis confertur primo germini ſub terrâ. Pſ. 139. verſ. 15. *infima terræ*, eſt uterus, locus humilis & caligino ſus, quemadmodum infima terræ, ait Kimhi. ſic Eph. 4. 9. Significatur etiam ſubitum incrementum Eſa. 44. 4. Imo felix ex contemto principio, quale germen agri; ſic Meſſias Eſa. 11. verſ. 1. cap. 53. verſ. 2. unde David 2 Sam. 23. verſ. 5. ubi ſimul attendit vim benedictionis divinæ quæ terram facit germinare Pſ. 104. verſ. 14. Jer. 33. verſ. 15. Uti vero germen vocatur fructus terræ, ſic liberi fructus ventris. Pſ. 127. verſ. 3. & pariter Chriſtus Luc. 1. verſ. 42. Quod obſervandum contra Anabaptiſtas, qui Chriſtum nihil ex Maria matre accepiſſe ajunt, ſed ex cœlo carnem ſuam detuliſſe, & per Mariam ceu canalem tranſiiſſe. Atqui eſt Semen mulieris Gen. 3. verſ. 15. factus particeps carnis & ſanguinis ut alii pueri Heb. 2. verſ. 15. III. ratione reſurrectionis. Sicuti uterus, ſic ſepulcrum dicitur תחתיות ארץ Pſ. 63. verſ. 10. & 86. verſ. 13. & 88. verſ. 7. Ezek. 31. verſ. 14. & 32. verſ. 18, 24. Reſurrectio mortuorum confertur germinationi Eſa. 26. verſ. 19. & ſic de ſe Chriſtus Joh. 12. verſ. 24.

Reſtat QUALITAS, in voce צֶדֶק pro quâ abſtractum צדקה Jer. 33. verſ. 15. Targ. h. l. מְשִׁיחַ דִּצְדָקָא juxta Kimhi: *uti germen agri copioſum eſt, ſic quia erit juſtus erunt cum eo juſti plurimi in mundo, uti dicit* Pſ. 72. verſ. 7. juxta illud, *Regis ad exemplum* &c. ſic conf. Joh. 12. verſ. 24. Significatur autem juſtitia ſeu innocentia, quod ἀναμάρτητον. Nulli mortalium hoc nomen convenit. Eccleſ. 7. verſ. 20. quod Meſſiæ eſt abſolute Eſa. 53. verſ. 11. quo pertinet Eſa. 7. verſ. 15. Hinc vocatur *Sanctum illud* Luc. 1. verſ. 35. vide Joh. 8. verſ. 46. 2 Cor. 5. verſ. 21. 1 Joh. 3. verſ. 5. Heb. 7. verſ. 26.

REGNUM MESSIÆ deſcribitur ab adminiſtratione ejuſque modo, & ſubditis, tum indefinitè, tum definitè Iſraelitis.

ADMINISTRATIO indicatur in genere, & in ſpecie quoad ſucceſſum & media ſeu modum ejus.

I. In genere ſic. יִמְלֹךְ מֶלֶךְ Conſtructio iſta ad emphaſin facit, & docet nec ſolum titulum *ſine re*, nec ſolam rem ſine jure & titulo, ſed utrumque ſimul habiturum. Titulus ei vulgo tribuitur à Rabb. מלכא משיחא ex Targum, & regnum variis in locis deſcribitur. Pſ. 2. v. 72. & apud prophetas ſæpiſſime. Antiquiſſima regni ejus deſignatio. Num. 24. verſ. 17, 19. Inſignia regni tribuuntur *ſolium* & *ſceptrum* Pſ. 45: 7. *corona* Pſ. 21: 4. Ezek. 21: 31. &c. Eſt vero מֶלֶךְ propriè qui ad regnum legitime vocatus eſt, & certis legibus populum moderatur, non tyrannide opprimit. Et cum מָלַךְ Chald. & in Niph. *conſulere* denotet, ſignificat ſapientem regiminis adminiſtrationem, quæ vendicatur Meſſiæ Eſa. 11. verſ. 2. &c. Hanc dignitatem in Iſraelis parte uſurpavit Abimelech Jud. 9. conſecutus eſt petente populo & deſignante Deo Saul, 1 Sam. 8. ſeq. obtinuit à Deo David, ejuſque poſteri; Salomo pari amplitudine, reliqui reſtrictè in duas tantum tribus hæreditarias, & Levi. Attamen datur titulus etiam Moſi Deut. 33. verſ. 5. uti & prophetæ Deut. 34. verſ. 10. cap. 18. verſ. 15, 18. Sacerdos autem fuit ante Aaronem quem inauguravit, Lev. 8. inprimis verſ. 29. ut typus fuerit Meſſiæ quoad omnes officii partes.

II. In ſpecie *Succeſſus* memoratur, וְהִשְׂכִּיל *& proſperabitur, intelligens erit, prudenter aget.* Kimhi in Lex. quæ ſunt ſub hac radice notant intellectum, prudentiam, prudentem adminiſtrationem & curam. Quoniam autem viri felicis omnia prudentiæ tribuuntur, quaſi ejus ſapienti conſilio effecta eſſent, etiam quæ ipſi præter ejus intelligentiam uſu-

ve-

veniunt: hinc proſperandi ſignificatus eidem tribuitur. Targ. יצלח. Sic R. Salomon, & Kimhi, qui citat 1 Sam. 18. verſ. 14. Græc. καὶ συνῆκε. Proſperitatis ſignificationem habet quoque Eſa. 52. verſ. 13. ubi Targ. הא יצלח עבדי משיחא & proſperitas diſerte Meſſiæ promittitur Eſa. 53. verſ. 10. Ioſ. 1. verſ. 8. diſtinguitur ab ea. Meſſiæ recte tribuitur ſignificatus prudentiæ ex Eſa. 11. verſ. 2. cap. 9. verſ. 6. יועץ. Sed & felicitas, Pſ. 45. verſ. 5. quemadmodum ſæpius ea deſcribitur Pſ. 72. Num. 24. Eſa. 8. verſ. 9. fluitque tum ex ſapientia ejus, qua novit omnia, & omnia conſiderat quæ conſiderari poſſunt; tum ex potentia, qua omnia impedimenta ſuperare, & ut omnia ſibi cedant, aut ſerviant efficere poteſt, unde tribuitur ei Sceptrum potentiæ Pſ. 110. verſ. 2. quod eſt Spiritus Zach. 4. verſ. 6. & verbum Heb. 4. verſ. 12. hoſtibus ſubjugandis ſufficiens 2 Cor. 10. verſ. 4, 5. ſed & Sceptrum ferreum ad hoſtes refractarios perdendos Pſ. 2. verſ. 9. unde intelligentia ad proſperitatem ſubditis & ſubdendis commendatur verſ. 10.

Media ſeu *modus* agendi. ועשה משפט וצדקה. Græc. καὶ ποιήσει κρίμα καὶ δικαιοσύνην. His adminiſtrationis ratio indicatur. משפט *judicium*, *ſententia* judicialis, judicii *norma*, *diſceptatio* quæ judicialiter fit (quomodo verbum in Niphal ſemper uſurpari teſtatur Elias Levita in Lexico Kimhi,) item *conſuetudo*, *modus* certus & *menſura*. צדקה *juſtitia*, *veritas* Eſa. 45. verſ. 23. beneficentia, miſericordiæ opus, *eleemoſyna*: quomodo Rabb. familiare, quibus גבאי צדקה *collectores eleemoſynæ* & diſtributores. Sic Matt. 6. verſ. 1. quidam codd. pro ἐλεημοσύνην habent δικαιοσύνην. Hebr. Merceri & Munſteri צדקתכם, & Syrus בצדקתכון & Vulgata, *juſtitiam veſtram*. Arabs מראחמכם miſericordias veſtras. Græci ſic reddidere Deut. 6. verſ. ult. καὶ ἐλεημοσύνη ἔσται ἡμῖν. cap. 24. verſ. 13. καὶ σοὶ ἔσται ἐλεημοσύνη ἐνώπιον κυρίου. Sic Pſ. 24. verſ. 5. & 33. verſ. 5. & 103. verſ. 6. & alibi. Phraſis משפט וצדקה ſæpe conjungitur. Muſculus Gen. 18. verſ. 19. משפט *quod fere vertunt judicium*, *ſignificat id quod quemque pro ſtatu vel conditione*, *vel officio ſuo decet*, *rectumque eſt & æquum*. infra legitur cap. 40. כמשפט הראשון *ſecundum conditionem vel officium priſtinum*. Item Exod. 21. כמשפט בנות *ſecundum morem filiarum faciet ei*. צדקה *juſtitia*, eſt probitas animi, qua nemini male, omnibus bene volumus, nec ulla in re noſtris commodis magis quam proximi ſtudemus, imo jure noſtro neglecto plura damus quam quiſquam jure petere poſſit. Sic *facere judicium & juſtitiam* eſt facere quod æquum eſt, & probitati ac bonitati ſtudere in omnibus, **recht und freundlich handelen**/ Prov. 21:3. cum primis erga Deum, tum etiam erga homines, non amicos tantum & notos, ſed & inimicos & ignotos. Et hoc ſtudium faciendi judicium & juſtitiam vocat *viam Domini*. Viæ Domini ſunt Pſ. 25. verſ. 10. חסד ואמת. Kimhi in Jer. 9. verſ. 24. *Cognitio Dei eſt ire in viis ejus faciendo* חסד משפט וצדקה *hæc enim agit ipſe*. Mercerus in Lex: *Hæc duo nomina paſſim in Scriptura videas ſimul jungi. Judicii nomine ea juris pars intelligitur, quâ nocentes & facinoroſi puniuntur. Juſtitiæ vero quâ boni defenduntur ab injuriâ malorum: utrumque eſt ex officio judicis. Ita & nos civiliter jubemur judicium & juſtitiam facere: ideſt, juſta juſtificare & injuſta damnare. Theologicè & ſpiritaliter judicium ad legis promulgationem referri poteſt, quæ jubet malum vitare, & Dei ſervare mandata; juſtitia vero ad Euangelium, quod nos docet Dei miſericordiæ in Chriſto promiſſæ fidere.* Saltem ſi oppoſita eſſe debeant, *judicium* ad juris & juſtitiæ adminiſtrationem pertinebit: *juſtitia* ad exercitium gratiæ, miſericordiæ, eleemoſynæ. Gr. Gen. 18. verſ. 19. δικαιοσύνη καὶ κρίσις. apud Ezek. καὶ κρίμα; at cap. 18. verſ. 19, 21. δικαιοσύνη καὶ ἔλεος. Targ. דין דקשוט וזכו Buxtorf. notat זכה conſtructum cum ב vel עם ſignificare, *dare eleemoſynam*, & זכי בי ἐλεήσον με. Jer. 9. verſ. 24. tribuitur Deo, Maimon. More lib. 3. cap. 53. declarat, חסד *ſignificat exceſſum & ſupremum gradum rei alicujus, quæcunque ſit, in genere. In ſpecie ſummam beneficentiam, ſive erga eum cui nil debetur, ſive cui non tantum debetur. Illo modo de Deo dicitur, reſpectu mundi* Pſ. 89. verſ. 3. *& ipſe* רב חסד Exod. 34. verſ. 6. צדקה *deſcendit* à צדק *quod idem cum* ישר *ut cuique tribuatur quod ei debetur vel convenit. At* צדקה *apud Prophetas non accipitur de attributione debiti, ut cum mercenario merces, creditori perſolvitur debitum: ſed de eo quod virtutis & honeſtatis gratia ſolùm fit, ut cum pauper ſanatur à vulnere, reſtituitur piginus, ante perſolutionem debiti. Nam quando in via honeſtorum morum & qualitatum incedis, juſtitiam exerces erga animam tuam intelligentem, quia perſolvis ei debitum ejus. Et hinc omnes virtutes vocantur* צדקה (Conf. Pſ. 33. verſ. 5. & 103. verſ. 6.) משפט *ſumitur de æquitate in judicio per diſtributionem pœnarum & præmiorum. Jam Deus, quatenus dedit omnibus rebus exiſtentiam dicitur* חסיד: *reſpectu miſericordiæ ſuæ,* צדיק: *reſpectu judicii,* שופט. Hinc vero liquet צדקה & צדק differre: illud anguſtius eſſe & juſtitiam ſignificare reſpectu non externi objecti, cui ſuum debetur, ſed ſui ipſius, quid ſibi conveniat: Et ſic Deus juſtus dicitur 1 Joh. 1. verſ. 9. & creberrimè צדקה de præſtatione promiſſionum gratiæ Pſ. 103. verſ. 17. Abrab. in Jer. 9. verſ. 24. *Ego Dominus*, vid. Deus patrum ipſorum qui *feci cum ipſis* חסד *dando eis terram Canaan*: & משפט *adducens ſuper ipſos exercitum Chaldæorum propter peccata ipſorum*, & צדקה *ſi convertantur per reſipiſcentiam, in terrâ, antequam adhuc eant in exilium: nam in his delector, ut exerceam* חסד *erga bonos*, משפט *erga malos*, & צדקה *erga vere reſipiſcentes.*

Quum vero h. l. tribuitur Meſſiæ, ſignificatur per משפט adminiſtratio juſtitiæ, qua debitum ſupplicium impiis irrogat: per צדקה adminiſtratio gratiæ & miſericordiæ, qua miſeris peccatoribus, & eleemoſynam gratuitam petentibus exſpectantibuſque, imo ejus indigis ſponte quoque benefacit, propter ſeipſum. Sic Eſa. 11. verſ. 4. quem cum Jeremiæ textu conſentire ait Abrabanel. Sic Pſ. 72. verſ. 1. quod ſeqq. declarant.

Eſt proinde hæc compendioſa, & tamen uberrima deſcriptio regiæ adminiſtrationis Meſſiæ, judicium contra hoſtes impioſque juſtum; & juſtitia gratuitæ miſericordiæ erga miſeros & oneratos, pauperes ſpiritu.

SUBDITI porro indicantur I. indefinite II. definite.

I. *Indefinite* dicitur בארץ, *quod in Terra*; non eſt hæc Judæa ſeu Cananæa; nam ejus proprietarii, ſeu emphyteutæ Iſraelitæ excipiuntur, ut verſ. ſeq. oſtendit. Sumitur vero generaliter & indefinite, de univerſo mundo, & ſic regnum & adminiſtratio ejus æque late patet ac Dei, ex coll. cum Jer. 9. verſ. 23. ubi Kimhi, בארץ כלו עם בני העולם & mox אלה חם דרכי ומדותי שאני מתנהג בהם בעולמי

בעולמי. Ut hinc quoque Deitas Messiæ probetur. Cæterum sumitur *terra* hic oppositè ad Judam & Israelem pro mundo gentilium, ut aliquoties in N. T. *mundus*: 1 Joh. 2. vers. 2. Simul etiam indicatur ordo regiæ administrationis, quoad subditos; primum in terra, inter gentes, tum inter Judæos. Sic Luc. 19. vers. 12. &c. imprimis Esa. 11. vers. 10. &c. & Simeon Luc. 2. vers. 31, 32.

II. *Definitè* Israelitæ, vers. 6. de quibus refert I. tempus adductionis. II. adductionem, III. demonstrationem ejus.

1. *Tempus* בימיו durantibus diebus Messiæ tempore regni ejus. In traditione domus Eliæ 2000. annorum sunt: sed traditio est, & quamvis quoad priora duo intervalla non admodum discedat à veritate, nequit tamen definiri pariter de tertio. Cœpêre quidem dies Messiæ cum ipsius exhibitione in carne: sed terminus eorum, & quæ durantibus illis fieri debent, præcisè suis momentis assignari nequeunt. Certum est Israëlis universi subjectionem sub regnum ejus ad initia referri non posse. Primò quidem Israeli oblatum est Act. 3. vers. 26. ex mandato Christi cap. 1. vers. 8. Luc. 24. vers. 47. sed non omni Israeli, qui non omnis in Judæa & Cananæâ, imò qui dispersi inter Græcos, maxime post reditum ex Babele, fuere ex Juda & Benjamin, & Levi, paucissimi ex x. tribubus; quæ longius in mediam abductæ, & forte postea magis adhuc versus septentrionem in Tartariam profectæ. Et cum qui in Judæa & vicinia repudiarent Christum, ad Gentes itum Actor. 13. vers. 46. cap. 18. vers. 6. Rom. 11. vers. 11, 15. Sic intervenit Judæorum abjectio ad tempus Jer. 31. vers. 20. seq. Extremitas dierum sæpe notat tempora Messiæ, sed cum habeant latitudinem, etiam extremitas illis propria est, quæ populi Israelitici allectioni destinata. Conf. Jer. 23. vers. 19, 20. ubi doctorum seductioni hæc pœna definitur: quemadmodum revera à Doctoribus suis Judæi adversus Christum ejusque Euangelium fuere excitati. Luc. 19: 14. coll. cum Ioh. 19: 15.

2. *Adductio* indicat adducendos, & modum adductionis.

Adducendi sunt, *Juda & Israel.* Illi quoque hujus nomine continebantur initio, à communi omnium parente Israële; sed post divisionem regni sub Rehabeamo, nominibus fuêre distincti. Et sic semper in oppositione duorum horum vocabulorum, illud Judam cum Benjamin & Levi complectitur; istud X. reliquas tribus. Imo *Israel* pro gente Judæa universa accipi solet, & forte nullus est in Scriptura locus, ubi pro Ecclesia ex Gentibus accipiatur: ne quidem Gal. 6. vers. 16. Horum utrorumque collectio promittitur: quod non factum sub secundo templo; ubi X. tribus non restitutæ, nisi oppido pauci, & tamen restituendæ etiam hæ. Ex 1 Reg. 11. vers. 39. Luc. 1. vers. 32. &c. unde promittitur Esa. 11: 11. Jer. 30: 2. &c. Jer. 31: 1. seqq. cap. 50. vers. 4, 5, 33, 34. cap. 51. vers. 5. Ezek. 37. Hos. 1. vers. 10, 11. Atque hoc forte significatur Rom. 11. vers. 26. per πᾶς Ἰσραὴλ: unde mox probatur vers. 26. nomine Jacobi, quod de universis tribubus accipitur. Jer. 33. vers. 16. pro *Israel* scribitur *Hierosolyma.* Scilicet quia Propheta sigillatim agebat de restitutione Judæ & metropolis ejus, huic sigillatim promissionem illam applicat.

Object. quod aliqui contrariari putant 1 Thess. 2. vers. 17. R. εἰς τέλος, non est idem quod σωτηλεια & ἀπὸ Matt. 13. vers. 39. cap. 28. vers. 20. Sed idem dicit quod Ioh. 3. vers. 36. & Ier. 31. vers. 23, 24. Act Rom. 11. cap. adeo clare asseritur conversio Israelis, & tam frequenter in Prophetis inculcatur, ut lux meridiana non luceat clarius.

Modus est Liberatio, & Pax: quæ quidem disjunguntur, sed ut sub priori ceu causa, secundum sive effectus; & vicissim sub secundo ceu effectu, prior sive causa contineatur.

Beneficium primum, quod causa alterius est, תושע *Salus*, quomodo comprehenditur ereptio ex omni malo. Liberatio à peccatis atque calamitatibus. Sic Ier. 30. vers. 7. quæ à Messia qui Iesus Matt. 1. vers. 24. quam salutem habebunt conversi, de qua Esa. 12. vers. 2, 3. & pro ipsis petenda est à fidelium Gentilium Doctoribus Ier. 31. vers. 7. & populo promulganda vers. 10, 11.

Alterum, liberationis effectum, est *tranquilla pax*, ישכון לבטח ut metu quoque liberati fruantur quiete. Ier. 50. vers. 19, 20. & de Israele cap. 31. vers. 4, 5, 12, 13, 14. & de Iuda vers. 23. &c. & de utrisque vers. 27, 28. Huc pertinet Esa. 11. vers. 13. &c. sine mutua æmulatione Eph. 2. vers. 13. &c. & subjugatis hostibus. Et loca innumera quæ de tranquillitate conversi Israelis loquuntur. Hujus tranquillitatis meminit Zacharias Luc. 1. vers. 74, 75. quemadmodum liberationis antecedaneæ vers. 71.

Cæterum hæc duo beneficia complectuntur generatim omnia, vindicationem à malis & quietis largitionem: quæ duo conjunguntur quoque Zach. 3: 9, 10.

3. *Demonstratio* adductionis ducitur ex professione fidei adductorum, quæ in genere indicatur, tum symbolum ipsum recitatur. Habent verò hæc verba ultima obscuritatis aliquid, & multum contradictionis: cui utrique occurrendum.

Obscuritatem facit potissimum collatio cum repetitione Ier. 33. vers. 16. Heic: וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו *Et hoc est nomen ejus (Messiæ) quo vocabit eum* (mutato ו nomali.) *sed quis?* Quidam legunt יקראו & tunc necessariò ad Iudam & Israelem refertur, qui vocarint Messiam. Sed cum in codd. melioribus sit affixum, respiciens Messiam, utique dubius est vocans. Eum Targ. facit Israelem: ורין שמיה דיהון קרין ליה. Kimhi, *Israel vocabit Messiam isto nomine.* Abrab. ait, Interpretes velle, Israelem hoc nomine Messiam vocaturos: „ Alios autem affirmare, Nomen Messiæ tantum esse „ צדקנו, non autem etiam יהוה, qui sic reddant, „ *& hoc est nomen quo vocabit eum Dominus:* hunc „ enim tunc fore vocantem eum nomine צדקנו. Si „ bi verò convenientissimum videri, Prophetam „ dixisse nomen ejus fore nec יהוה צדקנו, nec צדקנו „ tantum; sed nomen ejus fore צמח צדיק, quem „ admodum dixit; & de hoc nomine dixisse, *hoc „ est nomen ejus*, videlicet צמח צדיק *quo vocabit eum* „ Dominus Zebaoth, qui est justitia nostra: nam „ hic eum vocabit isto nomine, videlicet צמח צדיק. Hieron. *Nomenque ejus, si juxta 70 vocaverit eum Dominus, appellabitur Josedech, id est, Dominus justus: Si secundum Hebraicum, qui dixerunt nomen ejus vocabunt, dicetur Dominus justitia nostra.* Hoc enim significat יהוה צדקנו: pro quo Symmachus vertit, *Domine justificabis nos.* LXX. καὶ τοῦτο τὸ ὄνομα αὐτῆς ὃ καλέσει αὐτὴν Κύριος, Ἰώσεδεκ. Vocantem Deum esse, primi dixere Græci; sed ut nomen Κύριος insererent; nam his nihilominus יהוה צדקנו Messiæ nomen est, quod contracto ex duobus uno nomine scripserunt Ἰωσεδέκ. Quamquam sic quoque vim

vim omnem nominis exſtulerint, cum non aliud ſit quam quod Patri Joſuæ Sacerdotis tribuunt, qui יהוצדק dicitur Hagg. 1. verſ. ult. Aſt Hebræi ἀπαξ λεγόμενον avulſerunt à nomine, ſed contra rationem accentuum; qui יהוהצדקנו conjungunt, neque prius ad membrum antecedens referri ſinunt. Urſit apud me olim R. David Cohen di Lara interpoſitum Peſik; Sed hunc id non conſicere oſtendi exemplis aliis, vid. Jer. 24. verſ. 8. cap. 25. verſ. 25, 26. cap. 21. verſ. 7. Et iidem accentus leguntur in יהוה נסי quæ conjungenda agnoſcunt omnes Exod. 17. verſ. 15. Abrab. divulſionem eam incommodam animadvertens, utrumque nomen Deo vocanti tribuit; nomen impoſitum autem repetit ex verſ. 5. Sed nulla veri ſpecie; cum iſtic deſcribatur perſona Chriſti, non autem indicetur nomen: & violentum eſt tam longe illa arceſſere. Equidem ſi verſ. 5. locutus eſſet ut Zach. 6. verſ. 12. vel etiam ut Zach. 3. verſ. 8. ſpeciem aliquam haberet. Verum hîc conſtructio prorſus alia, ſimillima illi Pſ. 132. verſ. 17. unde nemo unquam nomen Meſſiæ fecit קרן. Sed Deum non eſſe vocantem etiam hinc liquet, quia tunc dicendum fuiſſet, אקראנו אני יהוה צדקם vel ſi mutata perſona צדקם: cum populus non introducatur loquens. Quare convenientiſſimum, cujuſque ex populo vocem ſeu profeſſionem recitari, qua deſcriptionem Meſſiæ edat, cujus nomen ediſſerit.

Sed Jer. 33. verſ. 16. repetitio vaticinii ad alium plane ſenſum nos vocare videtur, unde Crellius inde, ceu ex evidentiori explicat cap. 23. verſ. 6. Iſtic enim legitur וזה אשר יקרא לה ה' צדקנו. Conſentire exacte duo hæc loca volunt ex Socinianis Crellius de Deo cap. 11. ex Euangelicis Jac. Martinius, de trib. Eloh. lib. 1. cap. 19. ex Judæis Abrabanel. Sed diverſimode.

Crellius, ex לה *eam*, colligit intelligi Hieroſolymam, cui nomen illud imponatur: quemadmodum cap. 23. verſ. 6. ו aff. *eum*, ad Iſraelem referatur, cui idem detur nomen. Ellipſin autem eſſe ש שמו poſt וזה ſupplendam ex cap. 23. Reſp. Generis differentia aperta eſt, ſed hinc non ſequitur diverſis ſubjectis, loco & populo, id nominis tribui. Imo cap. 33. abſentia vocis שמו alium prorſus ſenſum eſſe ſignificat.

Jac. Martinius gemina omnia facit, ex demonſtr. וזה concludit abſentiam ש שמו, cujus ellipſin non putat eſſe peregrinam, maxime quia cap. 23. plene recitatum fuerat. Quod vero potiſſimum ei adverſatur, לה fœm. dupliciter expedit. I. reddit, *& hoc* (nomen ejus Meſſiæ ſcilicet) *quo* (cum אשר ſit omnis generis, numeri, & caſus, ut in ablativo ſumi queat.) *vocabitur* (quia verba præteriti & futuri temporis 3 *perſ.* abſolute poſita ſine nomine caſus recti impersonaliter & paſſive reddi poſſunt) *illi* (vid. Hieroſolymæ.) II. *& hoc* (nomen) *quo vocabit eum*, &c. non tantum urgens quod קרא promiſcue dativum vel accuſativum regat, (quod certiſſimum eſt,) ſed quod per enallagen generis, fœmininum pro maſc. ponatur, congeritque quædam exempla, adeoque concludit utrobique eodem modo Meſſiæ nomen proponi. Reſp. Si priori modo ſumatur לה *illi* vocabitur, interpretatio admitti poteſt. Sed poſteriori, quam potiſſimum probat, minime, cum nuſpiam Scriptura de Meſſia loquatur genere fœminino. Exempla quæ affert aliena ſunt: agunt de populo, de quo Kimhi teſtatur Scripturam utrumque genus & numerum uſurpare, quod attendat ad קהל m. vel עדה f. horumque vel numerum grammaticum, vel ſignificationem collectivam. aliorum alia ratio eſt.

Abrabanel cenſet vel indicari nomen ipſius Hieroſolymæ, eodem modo uti Ezek. 46. verſ. ult. quia juſtitia in ea pernoctabit, eo nomine vocandam: vel quod magis placet, quia dixit, *germinare faciam* Davidi צמח צדקה, ubi צדקה fœmininum eſt, Hieroſolymam reſpiciens, *quaſi dicat germen Hieroſolymæ, quæ juſtitia; propterea ait propheta, & hoc ſcilicet nomen ejus, vult dicere* צדקה *eſt quo eam vocabit Jehova juſtitia noſtra; Nam benedictus vocabit Hieroſolymam iſto nomine* צדקה, *quia in ea perennabit jugiter judicium & juſtitia.* Reſp. Si prius dicat, utique ultima verba ſunt nomen quod imponitur, pariterque ſic ſe habebunt cap. 23. eruntque Meſſiæ nomen. Sin poſterius, equidem utrobique vocans dicitur *Jehova juſtitia noſtra*, ſed nomen diverſis imponendum nimis torquetur, Cap. 23. erat צמח צדיק Meſſiæ inditum. at cap. 33. ſolum צדקה, & hoc exponitur de Hieroſolyma, cujus verſ. 15. nulla mentio; & ſi ad alium quam Meſſiam pertineat, æque Judam cap. 23. quam Hieroſolymam cap. 33. notabit. Sed manifeſtum, abſtractum & concretum pro Synonymis ſumi, & ſi cap. 23. צמח צדיק conjungenda, idem cap. 33. valebit de צמח צדקה, neque inveniet heic rationem fœminini generis, niſi hac ſententia deſerta priorem rurſum adſciſcat; quomodo nomen in fine expreſſum erit, quod volumus.

Hoc placet aliis utrobique: Targ. cap. 23. *Hoc eſt nomen ejus, quo eum vocabunt, ſient nobis juſtitiæ, à coram Domino in diebus ejus.* At cap. 33. *Hoc eſt nomen ejus, quo eam vocabunt, ſient nobis juſtitiæ à coram Domino in medio ejus.* Hic Hieroſolymæ, illic Meſſiæ. Reb. Sal. cap. 23. *Dominus juſtificabit nos in hujus diebus.* Kimhi, cap. 23. *Iſrael vocabit Meſſiam hoc nomine*, ה' צדקנו *quia in diebus ejus erit nobis juſtitia Domini ſtabilitate perpetua, non recedet.* & cap. 33. *S. B. ille vocat Hieroſ.* ה' צדקנו, *quaſi dicat habitatores ejus dicturos* ה' צדקנו; *ſupra autem de rege Meſſia dixit, hoc ei nomen fore: & utriuſque eadem eſt ſententia.* Sed manet difficultas, annon cap. 33. idem nomen Hieroſolymæ tribuatur? Calvinus affirmat; *Hoc nomen Chriſto datum fuit, & proprie quoque competit in ipſum ſolum, nunc autem transfertur ad Eccleſiam; nempe quicquid proprium eſt capiti, commune fit omnibus membris.* Et tandem confirmat dicto 1 Cor. 12. verſ. 12. ubi *Eccleſia* à Paulo vocetur *Chriſtus.* Verum ſi ita accipiatur, (cum etiam proprie ſumi queat, ita quoque Chriſtus unum corpus habet, cujus ipſe eſt caput, atque illius corporis plura ſunt membra) aliud exemplum communicati Eccleſiæ nominis Meſſiæ nullum occurrit, quam *& Chriſti*: quia unctio Spiritus S. communis fit omnibus membris ejus. & ipſe unctus ſupra conſortes. Sed nuſpiam communicatur nomen Jeſus; quod contra Ieſuitas, inde ſe denominantes, urgetur à noſtris. Multo minus nomen Iehova.

Malim ergo preſſe ſequi verba cap. 33. uti à Pagnino, Araamontano, aliiſque factum. *Et iſte, qui vocabit eam, Jeh. juſtitia noſtra.* Etenim ſtudio mutavit Propheta phraſin, & קרא cum *advocare* notat, dat. & accuſat. promiſcue adſciſcit: manetque titulus Meſſiæ proprius *Jeh. juſtitia.*

Quamvis autem Meſſiæ vendicetur, nondum tamen confectum quod volumus. Concedunt id I. Sociniani, ſed tetragrammaton etiam aliis rebus com-

municari ſtatuunt. II. Judæi, & hoc recte, negant communicabile ulli creaturæ, quod Maimonides aliique ex iis confirmant, unde dicitur שם המיוחד. & שם המפורש. ſed negant Meſſiæ tribui aliter quam altaribus Exod. 17. verſ. 15. Gen. 33. verſ. Jud. 6. verſ. 24. & Hieroſolymæ Ezek. 48. verſ. ult. quod Kimhius utroque loco repetit. & Abrab. cap. 23. qui tamen diverſitatem hîc agnovit, unde novam explicationem commentus eſt. Equidem non male expoſuit Gen. 33. *Non vocavit Altare* אל, *ſed ſuper altare invocavit Deum ſuum, qui ipſum eripuerat, ac declaravit, quod ſuper omnes foret Deus Deus Iſraelis; cum idololatrarum Dii multi eſſent, Iſraelem non niſi unum illum verum habere.* Et Exod. 17. *Propter illud Euangelium* (quod Deus Amaleki memoriam prorſus eſſet deleturus) *ædificavit Moſes altare Domino, & vocavit nomen ejus* ה' נסי *vult dicere vocavit nomen S. B. illius* ה נסי *quaſi dicat faciens miracula & ſigna, eſtque nomen adjectivum, ut* עבד מצרי. *Et ſenſus, quod erit ſibi in ſignum in bello, quod contra Amalek geſturus eſſet; Nam erit ibi vir belli & victorioſus & ipſe efferet ſignum Iſraelis & exaltabit vexillum ejus.* Attamen rectius dicitur altare utrobique hoc nomen accepiſſe, cum קרא eo referatur, non proprie ſed metonymice, quia ſignum demonſtratæ iſtic gratiæ, quæ illa appellatione ſignificatur. Sed non eadem eſt ratio phraſeos de qua agimus, ſeu nominis Meſſiæ. Iſtic dicitur de rebus inaminatis; ſed hîc de creatura intelligente, quod citra exemplum. Nuſpiam ulli harum περιφράσεων communicatur; ut quia hîc Meſſiæ deferatur, creatura major eſſe ſignificetur.

Ergo ut hunc titulum ſpectemus propius, ſic dicitur per appoſitionem, *Jehova juſtitia noſtra.* Quod ſi quis verbum ſubſtantivum ſubintellectum velit, ut Gen. 33. verſ. 20. Exod. 17. verſ. 15. non tamen eſt ſimilis declaratio. Altaria ſic dicebantur quia ſigna; ſed Meſſias non eſt ſignum hujus beneficii. Kimhi, atque Targum, faciunt eum inſtrumentum, quod longe aliud à reliquis. Sed eſt autor principalis, unde ei hoc nominis datur. Adeoque eſt juxta profeſſionem Iſraelis converſi *Jehova juſtitia noſtra.*

Nomen I. *Jehova*, quo nomine ſignificatur eſſentia divina, habens omnes temporum differentias, Hebræis conſentientibus, qui in precatiuncula ajunt מיוחד באהיה אשר אהיה הוא היה והוא הווה והוא יהיה: quæ eædem in tetragrammato agnoſcuntur à Bechai in Leg. fol. 65. col. 4. & reſpondet explicatio Apoc. 16. verſ. 5. ὁ ἰούμενος cap. 1. verſ. 4. cap. 4. verſ. 8. cap. 11. verſ. 17. Hebræo more, qui futurum per venturum exponunt, ut עולם הבא. Hoc nominis יהוה Meſſiæ tribuitur etiam aliis locis. Eſa. 4. verſ. 2. Targ. *Illo tempore erit Meſſias Domini in gaudium & decus.* Kimhi. צמח ה' *eſt Meſſias filius Davidis,* & פרי הארץ *etiam dicitur de Meſſiâ; ab initio erit ſicut germen ſpecioſum, cujus intuitu quis delectatur: deinde ubi fructus evaſerit, fruentur illo, & magis lætabuntur.* Sed Eſa. 28. verſ. 5. pro צמח ה' ſcribitur יי צבאות & Targ. in illo tempore erit Meſſias Domini Zebaoth in diadema gaudii & coronam laudis reſiduo populi ſui. Hoſ. 1. verſ. 7. ubi Targ. *Et ſuper domum Juda miſerebor, & liberabo eos* במימרא דיי אלההון ubi verbum Domini Deus eorum dicitur. Deitas Meſſiæ quoque ſignificatur Eſa. 9. verſ. 5. ubi Targ. *Dixit Propheta domui Davidis. Nam puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & recepit legem in ſe ut cuſtodiat* (ſic Gal. 4. verſ. 4.) *& vocatur nomen ejus ab antiquo mirabilis conſilio, Deus fortis ſtabilis ſæculorum, Meſſias cujus pax ſuper nos multiplicabitur in diebus ejus.* Quæ nomina omnia Meſſiæ propria eſſe profitetur R. Iuda Sanctus Miſnæ autor, (vide Schilo p. 274.) *Octo ſunt Meſſiæ nomina, Jinnon* Pſ. 72. verſ. 17. *Germen,* Ier. 23. verſ. 5. *Meſſias, & quinque illa apud Eſaiam* cap. 9. & Maimon. in Epiſtola de Spe Iſraelis: *Deus appellavit Moſiam ſex nominibus, cum dixit, nam puer natus &c.* אל & גבור pro duobus numerat, *quod autem eum vocavit Deum, fit per hyperbolen, ut ſignificet magnitudinem ejus ſuperiorem eſſe excellentia omnium hominum.* Abrab. ei tribuit κεφαλογνωσίαν, ut cogniturus ſit ſecreta cordium in Eſa. 11. conditione Meſſiæ ſecundâ. Equidem vocatur aliquoties *Angelus,* ut Kimhi Mal. 3. verſ. 1. Meſſiam *Dominum & Angelum fœderis* nuncupari dicit. Et ſic frequentet in V. T. apparuit; ſed ut Hebræi non communem angelum eſſe agnoſcant. Bechai fol. 30. col. 4. *Scire oportet, quod in hac ſectione dicitur, Deum eſſe tentantem, & Angelum Dei Bened. prohibentem,* (oblationem Iſaaci,) *adhibita traditione aperientur oculi cordis: Nam hic Angelus non eſt ex* נפרדים, *ſed ex* נטיעות, *quas ſeparare, aut præcidere non licet* (unde abnegans Deum dicitur כופן בנטיעות.) *Si non fuiſſet ex ſeparatis, non auſcultaſſet Abraham voci ejus ut omitteret quod Deus juſſerat; neque licuiſſet Angelo dicere, neque prohibuiſti à me, ſed ab ipſo: verum hîc angelus fuit ex* נטיעות, *hoc eſt, angelus ille magnus de quo dicitur* Exod. 14. verſ. 19. & *profectus eſt* מלאך האלהים *neque eſt regimen, ſed appoſitio; quod vero hîc dicitur angelus, vult dicere, angelus in cujus medio Nomen: de quo* Exod. 23. verſ. 21. *hujus quoque mentio fit* Gen. 48. verſ. *angelus redemtor. Eſtque* האדון *Dominus in quo ſunt miſerationes: quia vero Dominus, ait, (non cohibuiſti) à me; & quia in eo miſerationes, dicit poſt oblationem, per me juravi, & promittit benedictiones; tandemque ait, quia auſcultaſti voci meæ: Vox autem mea eſt Deus præcipiens.* Idem Exod. 23. verſ. 20. &c. *Angelus hic non eſt ex* נפרדים *qui potuerunt peccare, de quibus Job. 4. verſ. 18. & in angelis ſuis poſuit ſtultitiam, (ſiquidem ſibi ſuæque potentiæ aliquid tribuant,) ſed eſt ex* נטיעות. *Hinc explicatur in Tanchuma, nam non feret prævaricationes veſtras, quia eſt ex ordine* τῶν ἀναμεσίτων, *eſtque Mutatron, princeps faciorum; dux viæ. Dicitur porro Angelus meus, quaſi dicat Angelus meus, dilectiſſimus apud me, & per quem ego innoteſco in mundo:* (Matt. 3. verſ. 17. Joh. 1. verſ. 18.) *& de eo dicitur* Exod. 33. verſ. 14. *facies mea ibit, quando Moſes petiit, notam fac mihi viam tuam. Petiit enim talem modum, per quem ſibi notus fieret, reſponditque ipſi, facies mea ibit, & hoc eſt* Eſa. 63. verſ. 9. *Angelus faciei ejus ſervavit eos: angelus qui facies ejus. Cur autem vocatur Angelus, cum non ſit ex ſeparatis? quia per eum moderatur mundum; quia eſt proprietas judicii. Et hoc quod ait, Cave à facie ejus; nam à proprietate judicii ſibi cavere debet homo, ne ob peccata ſua puniatur. Dicit inſuper, & audi vocem ejus, nimirum eſt, ne præcidant plantationem,* (ne abnegent divinitatem,) *hinc addit, ne exacerbes eum; quod quidam exponunt, ne permutes me ipſo; ut intelligatur plane unum eſſe, & prorſus unicum ſine diviſione. Habet etiam hic angelus poteſtatem remittendi peccata, & condonatio tradita eſt in manum ejus: attamen non remittet peccata veſtra, ſi exacerbes eum: qui enim ipſum, idem exacerbat nomen meum proprium, quod in medio ejus. Quod vero David dicit,* Pſ. 130. verſ. 7. *tecum enim eſt condonatio; de quo ajunt, non tradidiſti eam ulli angelo, intelligitur de Angelo ex ſeparatorum ordine. Nomen meum proprium eſt in medio ejus, nam* בית ה' (Eſa. 26. verſ. 4.) *unde*

Onkelos,

Onkelos, nam in nomine meo eſt verbum ejus; cujus ſenſus, quicquid dicit, non dicit aliter quam in nomine meo. Declarat præterea, quod vox ejus ſit vox Dei excelſi, & hoc eſt, quod dicitur, ſi audiendo audiveris vocem ejus, & feceris quæcunque dixero, non ait, dixerit: ut indicet, vocem ejus eſſe verbum Dei & voluntatem ejus, quia per eum loquitur. Ille mittens eſt המשפיע, *& angelus eſt* המושפע, *qui ab eo prodiit* הנאצל ממנו *per communicationem. Poſt* μεταβασιν *hic angelus ab Iſraele abiit, quaſi dicat, non adſcendam in medio tui* Exod. 33. verſ. 3. *quamdiu enim hic angelus, in cujus medio nomen illud proprium, ambulavit in medio Iſraelis, non dicit Deus B. non ambulabo in medio tui: quia enim nomen ejus in illius medio, ipſemet fuit in medio Iſraelis. Sed poſtquam propter peccatum ipſorum abiit, voluit Deus aliquem ex ſeparatis coram ipſis mittere, quod ibidem dicitur, unde tantopere luxerunt Iſraelitæ, quod iſte Angelus receſſiſſet, qui princeps faciei, & in cujus medio ſingulariſſimum Dei nomen, atque ſibi metuerunt, ne perderentur. quod tamen Moſes avertit. Unde rectè Veteres; omnibus diebus vitæ Moſis non fuit cum ipſis angelus, videlicet de ſeparatis illis; ſed ſemper adfuit ille* מן הנטיעות (*immanens, implantatus.*) Sed omnia divinitatis teſtimonia quæ in V. T. Meſſiæ tribuuntur enumerare nimis longum foret. R. Joſ. Albo in libro Ikkarim, orat. 2. cap. 28. *Vocat Scriptura nomen Meſſiæ* אמצעי ה' צדקנו *quia eſt per cujus manum conſequemur juſtitiam à Deo ipſo, & idcirco vocat eum nomine* יהוה. Quæ etiam Meſſiæ agenda ejuſmodi ſunt, ut non niſi à Deo queant expediri. Eſa. 40. verſ. 10. Jer. 31. verſ. 7, 11. Pſ. 130. verſ. 7, 8. Eſt etiam Jehova nomen gratiæ & veritatis, & ſic Meſſiæ debetur, in quo omnis gratia Joh. 1. verſ. 17. & veritas 2 Cor. 1. verſ. 20. Frequens phraſis in N. T. ἀπὸ θεοῦ πατρὸς καὶ κυρίου Ι. Χριστοῦ. אלהים judicium, יהוה gratiam notat. Illud Pater ſemper exercet etiam cum gratiam facit, Joh. 3. verſ. 16. Rom. 3. verſ. 24. &c. Iſtam filius ſolam erga pios.

Nomen I I. eſt *Juſtitia noſtra.* Non dicitur צדיק, quod ei tributum verſ. 5. ſignificatque innocentiam, immunitatem à reatu, tum naturalem, quia non particeps hæreditarii reatus ab Adamo Luc. 1. verſ. 35. tum actualem, quod nihil admiſſurus unquam per quod reus fieret, utpote ſemper facturus voluntatem Dei Joh. 8. verſ. 46. & verſ. 29. cap. 4. verſ. 34. cap. 5. verſ. 30. cap. 6. verſ. 38. &c. Sed צדקנו *juſtitia noſtra.* צדק juxta Maimon. notat יושר ut cuique tribuatur quod ei debetur, quod eſt ἀνεξοδίκαιον: at צדקה ἐπιείκειαν denotat, nec non miſericordiam, gratiam, quam quis non niſi ſui gratia exercet, haudquaquam ex debito erga illum cui quid præſtat. Juſtitia *noſtra* dicitur *Iſraeli*, quod τὸ ἀνεξοδίκαιον debebant. Eſt illud vel perfecta obedientia, quam qui præſtat juſtus & innocens eſt, non reus; vel ſatisfactio pro reatu, quemadmodum juſtitia debitoris eſt exſolvere debitum, utpote quo facto juſtus eſt, non-reus creditori, neque condemnabilis in judicio. Prior juſtitia deerat Iſraeli univerſo, quod confeſſiones ejus evincunt frequentiſſimæ, quibus reatum ſuum profitentur. Sed notabilis convictio Eſa. 43. verſ. 26, 27. Quum gratuitam eſſe dixiſſet remiſſionem peccatorum, ut de eo convincat, provocat ad judicium, & objicit, אביך &c. quod Kimhi (& Abrab. etiam) ad Adamum refert, *quando dices te non peccaſſe, & ecce pater tuus primus peccavit; eſtque ille Adam homo primus,* כי האדם מוטבע בחטא כי יצר לב האדם רע מנעוריו מטבע *moneta cuſa:* טבע *natura.* Porro מליציך ſunt omnes illi quorum fuerat agere partes populi docendo, offerendo, intercedendo, gubernando, qui omnes rei: & quanto magis alii. Hinc Eſa. 64. verſ. 5. ubi Kimhi. *ſicut veſtis remotionum, quæ reproba eſt, ſunt omnes juſtitiæ noſtræ: Etiam* הצדקות *quas facimus; non acceptæ ſunt, ſed reprobantur, quia eas non facimus niſi ut iis nos ipſos glorificemus, & magnificemus, & ut quivis ſe proximo per jactantiam præferat.* (quod idem cum Luc. 16. verſ. 15. cap. 18. verſ. 9. &c. Rom. 10. verſ. 3. Eſa. 65. verſ. 5.) Jam poſt omnem illum reatum nulla poteſt eſſe juſtitia, niſi altera per ſatisfactionem, tolerando pœnam compenſantem plene: ut judicio Dei abſolvi, adeoque juſtus ſive innocens pronunciari queat. Ad hanc nemo ſufficiebat, unde deprecati ſunt judicium Pſ. 130. verſ. 3. Pſ. 143. verſ. 2. Eſa. 33. verſ. 14. Ut neceſſario aliena requireretur, quæ imputatione ipſorum fieret. Quod hîc dicitur. Adeoque juſtitia hæc Meſſiæ non eſt Eſſentialis, quâ Deus: hæc non deerat, cum ad eam Iſraelitæ non obligarentur: neque naturalis, quâ homo: nam neque hac poterant juſtificari, qui rei erant pœnæ. Sed eſt juſtitia quam juſtificatus habuit, hoc eſt, poſt tolerationem pœnæ ab Iſraele ferendæ, titulo ſponſorio. Hinc commendatur juſtificatio Meſſiæ Eſa. 50. verſ. 4. ſeq. uti etiam 1 Tim. 3. verſ. 16. quippe ab ejus juſtificatione pendet omnis noſtra. Juſtificari debitor qui ſolvendo non eſt nequit, niſi juſtificatione ſponſoris, quæ ſua eſt, uti ſponſor ſuas vices obit. Eſa. 53. verſ. 3. &c. maxime verſ. 11. ipſe juſtus juſtificans alios, poſtquam (nam hæc vis ד ן h. l. ut Eſa. 64. verſ. 4.) aliorum iniquitates tulit, & juſtificantur alii per ipſum cognitione ejus, fideli ſcilicet notitia & apprehenſione ſatisfactionis ejus. Quo invitat & Iſraelem & gentes Eſa. 45. verſ. 20. ſeqq. ubi vero penult. עדיו יבוא ויבשו כל הנחרים בו non de pœna impiorum, ſed de pudore reſipiſcentium dicitur quia ante adverſati ſunt. Nam עדיו acceſſum reſipiſcentiæ notat Hoſ. 14. verſ. 3. quod de Chriſto explicatur Rom. 14. verſ. 10. &c. Phil. 2. verſ. 10, 11. Atque hoc modo Chriſtus dicitur juſtitia noſtra ab Iſraele: ut factum à Paulo Phil. 3. verſ. 9. & fiet ob omnibus converſis, quemadmodum idem profitentur gentes, 1 Cor. 1. verſ. 30. 2 Cor. 5. verſ. 21. Rom. 4. verſ. 25.

Proinde hæc profeſſio eſt potiſſimorum errorum Judaicorum abnegatio, & Chriſtianiſmi confeſſio, videlicet *Meſſiam filium Davidis regem Gentilium & Iſraelitarum eſſe Jehovam verum Deum, cum tamen ſit homo filius Davidis, eoque* θεάνθρωπον: *& eſſe juſtitiam ſuam, qui, loco ſuo, per paſſionem mortis juſtificationem impetravit,* cujus ipſi per fidelem apprehenſionem & applicationem fiant participes, quaſi ipſimet ſatisfeciſſent, atque juſti & innocentes pronunciati eſſent. 1 Joh. 2. verſ. 2. Rom. 3. verſ. 24, 25. &c.

PRÆFATIO IN JEREMIAM.

QUum primum Theologicas prælectiones ordirer, de Veteri Testamento disserui contra illos, qui ejus usum sub N. Test. nullum vel exiguum esse ausi fuerunt affirmare, quo evincerem, me non inutilem operam suscipere, qui illius interpretatione apud vos essem defuncturus. Sed nunc aliud de eodem V. T. præfari lubet, quo ejus usum non solum commendatissimum, sed etiam, atque inprimis, utilissimum reddam. Etenim utilia quoque male tractando inutilia quandoque, imo noxia evadunt. Habent namque omnia, uti optimè Epictetus, duas ansas, alteram quâ apprehendi possunt, alteram quâ non possunt. Cui igitur aliquid tractandum est, hoc artificii sciat oportet, ut quâ prehendi queat, arripiat ansam. Sunt pariter Scripturæ, sunt V. T. suæ ansæ. Est quæ non sine damno prehenditur: quod ab illis fit, qui φιλόσοφοι τὸν γραφὸν ἀπὸ τὸν ἰδίων ἀυξῶν ἀπώλειαν. Ab hâc penitus omnino abstinendum est. Opposita tractatur ad salutem. Sed & hanc non eodem omnes modo, adeoque nec commodo apprehendunt. Quemadmodum qui arripiunt ansam quæ arripienda est, eorum aliqui haud aliter eam attingunt ac candens ferrum, quod illico rursum dimittitur retractâ manu; quibusdam oppletam rebus aliis manum habentibus, & his retinendis occupatam, vix digitus restat, quem adhibeant; sunt qui aversam manum admovent, eoque minus aptam ad quid valide prehendendum; alii denique vacuam manum eamque totam heic usurpant, qui soli firmiter apprehendunt, & quacunque volunt, rite ac commode circumferunt. Inter eos qui Scripturæ intelligendæ aut interpretandæ operam impendunt similes istis reperiuntur. Primos enim referunt, qui parcè & carptim sententiolas hinc inde arripiunt, sed immorari detrectant, ceu in re minus securâ. Secundos qui humanæ doctrinæ præceptis oppleti onerative turgent, ut hujus non nisi parum prehendere vel integrum sit, vel etiam lubeat. Tertios, quotquot præjudiciis occupati, non quid dicat attendunt, sed quod eam dicere vel optant, vel somniant. Quartis similes soli vacuam mentem, eamque totam applicant, & quod apprehendendum, ac quantum pote prehendunt, firmiterque retinent. Postremos hosce nos imitari par est, atque ut possimus discendum. Discemus autem, si & quæ, & quâ prehendenda sint, ritè cognoverimus. Huc quæ pertinent tribus oportunè capitibus comprehenduntur, quorum primum verba Prophetarum spectat, (quia Prophetica scripta tractare est animus,) alterum Res, tertium Methodum.

Verba Prophetarum, quæ prima & apertissima ansa est, quâ apprehendi volunt, sunt vernacula ipsis Hebræa. Hac enim locuti sunt, hac scripserunt; eaque hac mentem suam expresserunt. Quæcunque aliarum linguarum vocabula in versionibus adhibentur, non ipsorum sunt, sed interpretum, & involucri instar, quo ansa tegitur atque involvitur; si quis eam asperiorem crediderit quam ut sua aut etiam alienâ manu tractari possit: Qui tamen involutam arripit, nunquam æque fortiter retinebit, ac alius nudam apprehendens. Quin verba Hebræa, quod majus & augustius est, non ipsorum sunt, sed Dei, qui ipsorum ore & linguâ usus est, ut sua sensa explicaret. A Deo enim non tantum res dicendæ profectæ sunt, sed etiam verba quibus dictæ fuerunt. *Acti à Spiritu S. locuti sunt Sancti Dei homines.* 2 Pet. 1. vers. 21. Pariter omnes profiteri potuerunt quod de se ait David 2 Sam. 23. vers. 2. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus super linguam meam fuit.* Neque alia scribentium ratio: velut amanuenses Dei consignarunt, quæ huic placuit dictare: nam quæ legimus in Prophetarum scriptis vocabula, ipsis credimus inspirata, nequaquam vero ipsorum arbitrio relictum, quibus mandata sibi vestirent sermonibus. At enim cum hominum reperiatur nemo, (qui quidem candidus est, ut velit, itemque sapiens possit conceptus suos eloqui,) cui non curæ sunt voces quibus in illis explicandis utitur; an verosimile est optimum & sapientissimum Deum, Patrem illum luminum omnisque bonæ donationis largitorem Jac. 1. vers. 17. ad voces non attendisse? Nota est Oratorum quædam quasi superstitio, qui etiam numerum modumque cordi habent, ne quis sonus asperior radat aures, atque ut ipsa structura verborum repræsentet quadantenus id de quo disserunt. Nota Causidicorum sollicitudo, ne dum patrocinium obeunt verbulum excidat, quod causæ officiat, quod deficiat pondere, quod momentum illius destituat. Sunt in aulis byssina *verba* usurpanda, ob delicatas Principum aures; in acie martia & horrida, ad inflammandos in fortitudinem animos: alibi alia, personis, temporibus, & maximè rebus attemperata. Quæ cum diligant studiosè homines, an Spiritum sapientiæ neglexisse autumamus? an passum esse ut effutirent sui oratores quicquid in buccam veniret? Blasphemum est istud cogitare. Qui moderatur *responsa linguæ* humanæ Prov. 16. vers. 1. multo magis sua responsa, humanâ linguâ enuncianda, dirigit. Qui *linguam eruditam dat* suis oratoribus *ut sciant loqui tempestiva* Esa. 50. vers. 4. imo *creat ipsis fructum labiorum* cap. 57. vers. 18. non negligit amanuensibus suis dictare verba, & sententias, quas scriptas voluit. Sunt proinde nobis ponderanda merito singula vocabula, Hebræa videlicet quæ à Spiritu S. per Prophetas dicta scriptaque fuerunt, ceu quæ idem singulari consilio præ omnibus aliis delegit, utpote suo singula loco aptissima ad ea exprimenda, de quibus nos erudire destinavit. Nec male in eam sententiam à Veteribus Hebræis dictum, *nullam esse in Scriptura literam, unde non magni montes dependeant.* Huc facit quod magno fervore contra Romanenses agitur, nullam Versionem Script. S. authenticam esse; sed quotiescunque de loquentis Dei sententia dicendum est, ad linguas originarias esse recurrendum. Memorabile est judicium de hac quæstione in Concilio Tridentino propositum à S. Aloisio Cataneo, non tamen ipsius sed Card. Cajetani, qui censuerit ad convincendos hæreticos, & reducendos errantes unicum esse remedium, contextus S. Scripturæ in

in eâ lingua, qua primum fuit conſcripta, intelligentiam ad literam: ſæpiuſque dixerit, intelligere textum Latinum non eſſe intelligere verbum Dei, ſed vocem interpretis errori obnoxiam. Ab Hieronymo veriſſimè dictum, donum prophetandi & libros ſacroſanctos conſcribendi proficiſci à Spiritu S. ſed eoſdem libros in aliam linguam transferre eſſe humanæ peritiæ opus. Idem Cajetanus ea propter totos XI. annos uni ſacræ Scripturæ ſtudio impendit, non Latina verſione, ſed ipſis fontibus in V.T. textu Hebræo, in N.T. Græco diligentia ſua expoſitis & illuſtratis. Commendavit idem Cataneus Canonem qui *ut Veterum* dictus. *Ut veterum librorum fides de Hebraïs voluminibus examinanda eſt, ita novorum veritas Græci ſermonis normam deſiderat: qui repudiandus ſit, tranſlatione probata:* & cum Hieronymo ac Cajetano illud pro comperto tenendum dixit, *nullum eſſe interpretem, qui non poſſit errare, quantamcunque adhibeat induſtriam, ne ab originali deflectat.* Adeoque concluſit Verſiones ad originalium contextuum veritatem probandas tanquam ad lydium lapidem. Equidem Concilium Trid. huic ſententiæ neutiquam aſſenſit, reclamantibus Theologis, Scholaſticis maxime, quod metuerent ne judicium de religione, quod ſuis vendicabant Cathedris, ad Grammaticos linguarum peritos devolveretur; attamen hanc ipſam etiam ob cauſam Euangelici iſtud Concilium repudiarunt, ceu verirati inimicum. Eſt vero hodieque Scripturæ Propheticæ interpreti prima Hebræorum verborum cura ſuſcipienda. Poſcit hanc Legationis obeundæ fides, & propriæ circa illam conſcientiæ ſecuritas. Quis unquam Legatus mandata ſui principis peregrinâ linguâ, ſibi non intellectâ, excipere ſuſtinet, aut fidit interpreti ea explicanti? annon ſuis ea uſurpare vult oculis & auribus: ne quid præter legantis dicat faciatque voluntatem, cum fraus aliena non ſufficiat ad ſui defenſionem? Æquum vero legatos Dei etiam intelligere Dei ſermonem: quomodo ab illo traditus Prophetarum miniſterio. Alios ad legatum provocare par eſt, cui ſua exſequenda credidit legans. Legato idem juris non eſt, ni ſe legatum principis neget, atque non à Principe ipſo, ſed ab aliquo legatorum ejus miſſum eſſe fateatur. Vos omnes itaque quotquot ad S. Miniſterium adſpiratis, ac Legatorum Dei dignitatem & munus affectatis, verborum Dei intelligentiam vobis parandam videtis. Quocirca cum nemo non malit ſapientum præcepta iiſdem, quibus ea elocuti ſunt verbis legere quam alienis; ita quoque ſapientiſſimi Dei oracula, unde æterna ſalus dependet, cognoſcere vobis placeat potius uti ipſemet ea enunciavit, quam prout alii reddiderunt. Hebræa, inquam, verba meditamini, cum Prophetarum Hebræorum conciones explicandæ, certi quam accurrata etiam fuerit verſio, non tamen aſſequi primigeniæ linguæ vim: atque adeo ſemper aliquid adhuc relictum ab interpretibus, quod faciat ad exprimendam hujus efficaciam; quam tum feliciſſime percipietis, cum plurimum in hâc linguâ profeceritis.

Res ſuccedunt verbis, quæ illarum patefaciendarum ſunt inſtrumenta. *Rerum* autem appellatione veniunt ſignata, quorum vocabula ſunt ſigna, ſive quæ loquentium ſcribentiumque fuerit ſententia. Nolim hîc repetere quod ſatis evidens ex iis quæ modo de verbis à me dicta ſunt, ſententiam illam non à commentatoribus tantum diſcendam eſſe. Neque enim major fides commentarii quam verſionis. Profectò male ageretur cum lectoribus, ſi hinc petendus foret Scripturæ ſenſus. Quo plures enim quis conſulit commentarios, cum ſæpenumero quot capita totidem ſint ſententiæ, eo incertiorem dimittunt, qui ab ipſis conſilium expetivit. Quæ cauſa movit Jacobum Magnæ Britanniæ Regem, cum Novam Bibliorum verſionem ſuis Anglis parari curaret, (quæ magnam meretur laudem,) ut notas marginales adjici vetaret, ne harum autores ſuas hoc pacto opiniones Scripturæ aſſuerent. Nulla prophetia Scripturæ eſt ἰδίας ἐπιλύσεως. Verum ea ſui ipſius interpres, omnium humanarum interpretationum arbitrium ſibi ſervat. Deque omnibus illis valent illa 1 Theſſ. 5. verſ. 19--22. *Spiritum* &c. *prophetias* &c. Sed alia ſpecialiora monere operæ eſt pretium; Tertullianus de præſcript. adverſus hæreticos, loquens de verbis Chriſti, tradit regulam, quam ſi attendetimus, in lectione prophetarum V. T. longè facilius per verba ipſorum ad mentem ac genuinum ſenſum penetrabimus. *Omnia quidem*, inquit, *dicta Dominî omnibus poſita ſunt, quæ per aures Judæorum ad nos tranſierunt; ſed plexaque in perſonas directa, non proprietatem admonitionis nobis conſtituerunt, ſed exemplum.* Scilicet *quicquid ante ſcriptum eſt ad noſtram utilitatem ante ſcriptum eſt.* Rom. 15. verſ. 4. Attamen quæ dicta ſcriptaque ſunt à Prophetis, pleraque ad Eccleſiam Iſraeliticam ſunt directa, atque iſtic habent proprietatem admonitionis: ad nos vero maximam partem duntaxat exempli rationem ſuſtinent; quod ſatis aperte dictum 1 Cor. 10. verſ. 6, 11. Hic unus Canon clavis inſtar eſſe poteſt ad intelligenda Prophetarum oracula. Fuerunt illi omnes Doctores Iſraelis, & hinc ex officio de ipſis & debuerunt eſſe & fuerunt quoque potiſſimum ſollicîti. Quemadmodum Apoſtolis, Chriſto nondum glorificato, non licuit abire in viam gentium Matt. 10. verſ. 5. ita neque ipſis. Nondum venerat ille dies, in quo per non-gentem ad æmulationem provocandus erat Iſrael, Deut. 32. verſ. 21. quod factum euntibus ad gentes Apoſtolis cum Euangelio ſalutis Rom. 10. ve . 19. Satis vero fuit Prophetis aliquando dixiſſe hoc futurum, & de vocatione gentium quædam eſſe vaticinatos. Jer. 3. verſ. 17, 18. attamen pleraque ipſorum de Iſraele loquuntur, cujus hiſtoriam fatidico ſpiritu prænunciant. Hinc eſt quoties de Meſſiâ agunt, rege Iſraelis promiſſo, ejuſque deſcribunt regnum, quod ea præ cæteris attingant, quæ Iſraelem ſpectant, & commoda ad univerſas ejus tribus inde redundatura obiter duntaxat aſpergentes, quod ejus ad gentes extenditur. Hinc etiam eſt quod ferè prætereant omnia illa ſæcula, quibus Iſrael Apoſtata factus à Meſſia, deſiit eſſe Eccleſia, quaſi illo tempore non magis pertineret ad ſuam curam quam aliæ gentes extraneæ. Sollicitè tamen depingunt populi ſui, Iſraelis, & deſtructionem ultimam per Romanum imperium ob non receptum Meſſiam; & reſtitutionem ultimam, ſecuturamque felicitatem, poſt deſtructum deſtructorem, Romanum ſcilicet imperium Anti-Chriſti. Non raro vero conjungunt, ceu individuo nexu copulata, quæ plurium ſeculorum intervallo ab invicem diſtant, quod hiatus ille rejecti ad tempus Iſraelis, non veniat in cenſum. Unde humilem Meſſiæ adventum, & glorioſum ejus in ipſo Iſraele regnum connexuiſſe deprehenduntur, quamvis magna inter hæc duo temporum ſit diſtantia. Quam Judæi non obſervantes, in negotio Meſſiæ miſere errarunt, errantque etiam nunc. Felicem porro ſtatum Iſraelis, poſtquam totus populus Chriſto ſubditus erit, cum voluptate quaſi depingunt Prophetæ, unde ei ſæpius immorantur. Hæc aliaque ejuſdem generis faciunt ut ſenſum prophetarum de rebus futuris rectiùs queamus aſſequi, & anſam quâ & quomodo oportet apprehendere. Sed etiam circa præteritorum temporum memoriam, præſentiumve conditionem, quam ſuis ſcriptis intexunt, ſimilia veniunt

niunt obſervanda. Fuere Doctores Iſraelis, eoque cum de fœdere Dei loquuntur, illud unum inculcare ſolent, quod cum Iſraele ad montem Sinai fuit initum, & quatenus ab illo fuit admiſſum & ratihabitum. Hoc urgent quoties exigunt officia, promittuntque beneficia, quoties reprehendunt delicta denunciantque pœnas. Sed quando ſolari efficaciter volunt, altiùs adſcendunt, & gratiam ſalutarem à fœdere Abrahamico arceſſunt; in quo non minus quam in proprio jus hæreditarium habuerunt Iſraelitæ. Vel promittunt fœdus populare ipſis novum, ſive ſecundum, cujus beneficio ipſam aptitudinem obſequendi fœderatis neceſſariam eſſent conſecuturi: Qua obſervatione inſtructos ad res prophetarum tractandas accedere nos oportet, & cum fructu in iis verſabimur.

Reſtat *Methodus*. Ea eſt ut non deſultorio modo jam unum, jam aliud eorum dictum legamus & meditemur. Oracula Prophetica non ſunt Delphicorum inſtar, quæ nullo nexu cohærebant, & unicâ fere conſtabant ſententiâ. Solent illa plerumque concionibus immiſceri, quæ non ſine Numinis inſtinctu conceptæ deſcriptæque fuerunt. Proinde & cum antecedentibus & cum conſequentibus habent affinitatem, certaque argumentorum ſerie ab illis dependent. Unde ſi eximantur, non modò vim ſuam maximam partem amittunt, ſed etiam ſæpenumero præter ſcopum ſuum quædam dixiſſe creduntur. Præterea familiare habent Prophetæ etiam iſtud: quando de rebus futuris vaticinari incipiunt, ut ſeriem temporum obſervent, & intervalla ſe invicem ſubſecutura: adeo ut hiſtorico quaſi ordine procedant. Cujus ejuſdem ordinis amantes ſunt quando de præteritis loquuntur inde ab egreſſu ex Ægypto, & fœdere populari Iſraelis orationem texentes. Quod attendiſſe magnam quoque lucem adfert intelligentiæ juxta tritum illud, *diſtingue tempora & conciliabis Scripturas.*

Quum ergo deinceps in interpretatione V. T. & Prophetarum verſatúrus ſim, ut ea Vobis utiliſſima accidat, hæc tria quæ recitavi ſub conſiderationem vocanda ſunt, Verba, res & methodus. *Verba* primum Hebræa, quotquot ſingularem habent emphaſin & quid amplius in receſſu ſervant, quam verſiones quibus utimur, indicarunt. Deinde *res*, quibus quove conſilio dictum fuerit, ut temporis illius ſtatum, & de futuro ſpem rite cognoſcamus, Denique *methodum*, quâ ſerie propoſita ſint & quam vim ex ipſa connexione accipiant, ſibique mutuo impertiantur. Delegi autem ex omnium Prophetarum numero Jeremiam, cujus guſtum aliquem ex cap. 23. verſ. 5,6. nuper dedi, qui quoad *verba* facilis eſt, & tamen emphaticus ſatis; quoad *res* copioſus præſentium futurorumque teſtis; quoad *methodum* ordinatus. Cui ſi animum adverterimus, diſcemus non nulla, quæ & nobis, & univerſæ Eccleſiæ, quatenus etiam Judæi ad eam tandem pertinebunt erunt ſalutaria.

IN

IN
JEREMIAM PROPHETAM
COMMENTARIUS

Prælectionibus 489. absolutus.

CAP. I.

Uæ Procemii vicem præfari mos est iis, qui libri alicujus interpretationem ordiuntur, de Autore ejus nomine, genere, patria, munere, ætate qua vixit; deque Libro, ejusque materia, ordine, stylo, ea omnia omittere heic licet, & præloquio prorsus abstinere, ne actum agamus, ac mox repetenda inutiliter recitemus. Etenim in ipso libri Exordio universa illa ab ipso autore sunt indicata, aut saltem occasio data de iis loco opportuno differendi. Quod vero Deus bene vortat, rem ipsam aggredior.

Caput hoc Procemiale licet appellare, & quidem duplici nomine: continet enim *Procemium* I. Libri, vers. 1, 2, 3. II. Muneris v. t. ad fin.

LIBRI PROOEMIUM indicat I. Argumentum, II. Autorem, III. Munus, & IV. Tempus.

Versus 1. *Verba Jirmejæ filii Chilkijæ, ex sacerdotibus qui* erant *Hanathotis in terra Binjaminis.*

I. Argumentum continetur voce דברי, quomodo præter Jeremiam etiam Ecclesiastes, & Amos ordiuntur. Chald. *Verba Prophetiæ.* LXX. *Verbum Dei, quod factum est ad* &c. Sed hæc respondent initio vers. 2. Simpliciter autem *Verba Jeremiæ* exile nimis est; qui hoc urgent, correctionis loco additum putant vers. 2. ut qui ceu homo quivis cum suis sermonibus repudiari posset, autoritatem sibi conciliet, quia sua verba à Deo accepta sint, qui se fuerit allocutus. דברים plura dicit, vid. *res gestas*, & *historiam*; quemadmodum דברי הימים *Chronica*, historiam temporum. Nam ut rectè observatum ex Veteribus à Kimhio & Abrabanele, hanc vocem præscripsit, quia non tantum vaticinia sua inibi recensuit, verum etiam magnam partem historiæ suæ vitæ, quæque in obeundo munere suo fecerit ac passus fuerit. Qualia cum etiam Salomo Ecclesiastæ suo, & Amos libro suo inseruerint, scripta sua דברים appellarunt, quorum exemplum Jeremias secutus est. Recte vero reddetur *Historia Jeremiæ*, seu res gestæ. Nam recitat præter Prophetias suas earum quoque complementum, se adhuc superstite, quidque propter eas perpessus sit: adeoque exhibet historiam tum concionum suarum, tum etiam vitæ ac ministerii.

Neque caret momento, cur Spiritus S. hanc vocem præfigi voluerit. Necessum erat quotquot lectores futuri erant, ut persuasum haberent verissima esse quæ recitantur. Ergo *Historiam* indigitavit in frontispicio, cujus prima lex est, juxta Ciceronem, *ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis.* Licet enim hujus observantissimum fuisse oporteat, qui non nisi jubente ac dictante Spiritu S. qui veritatis Spiritus est, locutus est & scripsit: tamen qui de hac inspiratione nondum convicti sunt, auspicali voce monentur historiam præ manu esse, quæ sic vere gesta fuerunt describentem. Alioqui forte quis suspicaretur fabulam esse & figmenta, in odium Judaicæ gentis consarcinata, quod à populo, Deo fœderato, & ejus cultu, ac institutione jure privilegii gaudente, non videatur proficisci potuisse, præter scelera omnis generis alia quam plurima, tantum verbi divini contemtum, Ministrorumque ejus aversationem, ac persecutionem: quæ quidem omnia Jeremias & miserrima vidit, & eorum pars magna fuit. Quod ipsum exemplo nobis esse debet quam nihil faciat externum Ecclesiæ nomen, religionisque professio, ut immunitas ab errore, vitæque sanctitas inde concludatur, quum isti utrobique ad pessima prolapsi deprehendantur. Proinde nihil mirum hodieque simillima fieri, in ea potissimum Ecclesia quæ pari cum Hierosolymitana dignitate supra omnes alias sibi locum & imperium vendicat.

II. Autor describitur à Nomine, Genere, Patriâ.

Nomen est *Jeremiæ*, quod commune ipsi fuit cum aliis. Fuit quis ex principibus tribus Manasse 1 Chron. 3:24. duo item Gaditæ, duces militares cap. 12: 10, 13. nec non avus maternus Zedekiæ regis, qui Libna oriundus 2 Reg. 23: 31. Sed quamvis primus Politica dignitate, duo proximi militari potestate, ultimus regia affinitate fuerint eminentes, omnibus istis tamen potior fuit noster Jeremias, familiaritate Dei, & autoritate in Ecclesia, non quidem suæ ætatis, à qua indigne habitum audiemus, sed subsecutæ in hodiernum usque diem. *Jeremias* autem dictus fuit, hoc est, *Exaltans Dominum*, sive imitatione majorum. Luc. 1: 59, 61. sive parentum voto, quod frequens: certum est directione Dei, qui suam providentiam circa nomina sæpiùs patefecit.

Genus, sic fuit *filius Hilkiæ* Sacerdotis: Kimhi, Abrabanel & alii Hebræorum tradunt, patrem fuisse summum Sacerdotem Schaphanis filium, qui 18 anno Josiæ, dum templi structura instituitur, librum legis, protographum Mosis reperit. Verùm hoc si foret, proculdubio addidisset epithethon הכהן; adjunxisset etiam avi nomen, quod in aliis observasse constat cap. 36. Jam vero tantum *de Sacerdotibus* fuisse refert, communi censu eorum comprehensum. Chald. tamen alicujus dignitatis facit, *filius Chilkiæ, ex capitibus custodiarum sacerdotalium, ex camerariis* (seu *cubiculorum sacrorum præfectis*) *qui Hierosolymæ erant, vir qui acceperat hæreditatem in Anathoth, in terra tribus Benjamin.* Sed hinc forte concludi potest, non fuisse summum Sacerdotem; hi, post depositum Abjatharem 1 Reg. 2:27. omnes à Zadoko descenderunt. Abjathar habuit in Anathoth prædium vers. 26. simile possedit vel Hilkia hic, vel ejus frater Sallum, cujus filius Hanameel sui agri redemtionem Jeremiæ obtulit Jer. 32. ut Abjatharis posteris videatur accensendus. Nam fuit *Anathoth* cum suburbio sacerdotalis urbs: Ager circumjacens Benjaminitarum: ast potuere etiam hæreditates inde accrescere sacerdotibus Lev. 27: 21. & sic potuit Abjathari & aliis obtigisse: fuit] vero Levitici & quidem Sacerdotalis generis, cui hæreditarium jus docendi in Ecclesia. Scilicet Deus non omnes hos præteriit vocatione extraordinaria, quamquam plerique ordinaria abuterentur. ut multum conqueritur. Sic Ezekiel Sacerdos fuit genere. Aliàs tamen alios adhibuit, Esaiam ex Aula, Amosum à caula; ut se ostenderet non alligatum ordini, atque ut per extraneos ad æmulationem excitaret eos quorum id proprium erat officium.

De materno genere Scriptura tacet. In Talmude vero aliquid legitur. Megilla Bab. cap. 1. fol. 14. 2. *Octo Pro-*

phetæ, itidemque ſacerdotes, prodierunt de Rachab ſcorto, videlicet Nerija, (pater) *Baruch, & Seraja,* (filii) *Machaſeja* (pater Nerijæ) *Jeremias, Chilkia* (pater Jeremiæ) *Chanameel & Schallum* (pater ejus.) *Imo etiam Prophetiſſa Hulda fuit ex neptibus ejus.* Proſelytam enim factam duxit Joſua, cujus filii quidem nulli fuerunt, at fuerunt filiæ. Et ead. pag. *Hulda fuit cognata Jeremiæ.* R. Salomo hinc notat. *Eſt filius vilis mulieris, cujus opera tamen recta ſunt; Jeremias deſcendit à Rachab ſcorto; & redarguit filium legitimæ mulieris, cujus opera fuere turpia, Iſraelem quorum opera fuere turpia, cum tamen deſcendiſſent à ſemine legitimo.* Saltem hinc liquet Judæos agnoſcere Rachabam nupſiſſe alicui Iſraelitarum; ſed quæ argumenta afferunt de Joſua ibidem in Talmude, inepta ſunt. Matthæus ex genealogiis tunc exſtantibus eam Salmoni nupſiſſe refert, & Boozum peperiſſe.

Patria fuit *Anathoth.* Urbs Sacerdotalis, in tribu Benjamin, 3 lapide diſtans Hieroſolymâ: exigua & pauper, nam עירה dicitur Eſa. 10: 30. niſi id fiat per paranomaſiam, ut Mich. 1: 10. ſeq. LXX. *qui habitavit in Anathoth.* Iſtic patruus poſſeſſionem habuit, ut ibidem ſedes fuerit familiæ. Abjathar Hieroſolyma pulſus ibi quaſi exulavit, Jeremias hinc Hieroſolymam vocatus fuit. Obſcura loca non impediunt ut inde heroes prodire nequeant. Sic Nathanael judicat Joh. 1: 47. & Phariſæi cap. 7: 52. Sed Deus quandoque eligit ignobilia 1 Cor. 1: 28. ſic Davidem ex Bethlehem, & familia Iſai adſcivit ad regnum.

Verſ. 2. *Ad quem fuit verbum Jehovæ temporibus Joſchijæ filii Amonis regis Jehudæ, decimo tertio anno quo regnabat.*

Verſ. 3. Fuit (Hic ellipſis notanda, ויהי nempe אליו דבר ה׳) *etiam temporibus Jehojakimi filii Joſchijæ regis Jehudæ, donec abſolveretur undecimus annus Tzidkijæ filii Joſchijæ regis Jehudæ, donec deportarentur Jeruſchalaimani, menſe quinto.*

III. MUNUS, hâc phraſi indicatur, אשר היה דבר ה׳ אליו Abrab. exordia propheticorum ſcriptorum curioſè nec minus accuratè diſtinguit, atque ad tria genera revocat, in præfat. ad XII. Prophetas. I. *Ratione dantis*; quoties mentio fit דבר ה׳. quia Dei ſermones ſunt, quos recitarunt, & conſignarunt. Sic Hoſea, Joel, Micha, Zephania, Haggai, Zacharia; nec non Jeremia. II. Ratione *recipientis*; quando inſcribitur חזון, quia in viſione eis patefacta Dei voluntas, quò etiam pertinet מראה & חלום. Sic Eſaia, & Obadia & Nachum. III. Ratione *objecti*, ſeu eorum ad quos dirigitur, vel de quibus agit, quo facit vox משא: unde nunquam dicatur משא ה׳, ſed ſemper ejus mentio fiat, de quo loquitur. Sic Nachum, Habakuk, & Malachias. Nonnunquam aliqua horum conjunguntur, & particularibus quoque vaticiniis præfiguntur; ubique autem prophetia ſignificatur, variata tantum conſideratione. Primus modus tamen etiam latius uſurpatur, de mandato certi muneris Joh. 10: 35. de Magiſtratu. Latiſſimè denique quibus Dei voluntas patefacta eſt.

Megilla Bab. cap. 1. fol. 15. 1. regula legitur cujuſdam R. Ula: *Propheta cujus nomini etiam nomen patris additur, etiam Prophetæ filius fuit. Nomen urbis additum patriam ejus indicat; non additum, oſtendit fuiſſe Hieroſolymitanum.* Sed caret fundamento. Utilior obſervatio exſtat fol. 14. 1. *Plurimi Prophetæ fuerunt Iſraelitis, ſed eorum duntaxat Prophetia ſcripta fuit, quæ ſequentibus etiam generationibus futura erat neceſſaria: quæ vero neceſſaria non fuit, neque ſcripta fuit.* Hos inter eſt quoque Jeremias, qui poſt Moſen plurima ſcripſit. Liber ejus vaticiniorum ſuperat Eſaiam 70 verſibus: nam Eſaias 1295 abſolvitur, Jeremias 1365. Hic præterea ſcripſit Threnos, qui 154 verſus continent; ut nihil dicam de libris Samuelis & Regum, quos ab ipſo ſcriptos autumant Hebræi.

IV. TEMPUS denique miniſterii ejus gemino intervallo diſtinguitur, juxta tempora regum ſub quibus eo functus eſt, *Primum* regnante *Joſia*, principe optimo, piiſſimo; cujus anno 13 cœpit, & continuavit uſque ad ejus tuor-tem, annis adhuc 18 nam regnum ejus 31 annorum fuit. *Secundum* ſub Joſiæ filiis tribus & nepote uno, quorum tamen primus Joachaz, & nepos Jojachin non memorantur, quia ternis duntaxat menſibus regnarunt: Secundus *Jojakim* 11 annis præfuit, & totidem tertius *Zedekias*, cum quo deportatis regni incolis, deſiit docere Hieroſolymis, deficientibus quos doceret: unde terminum illum vaſtatæ urbis, & civium deportatorum etiam quoad menſem definit. Cœpit vero anno mundi 3325. & continuavit in annum 3365, totis annis 40.

Diſtinctio articulorum fit ob diverſitatem ſuæ acceptationis. Sub Joſia fuere initia difficilia; cœpit quinquennio ante inventum librum legis; quando omnia ſuſpecta eſſe poterant apud bonos, ob ignorantiam legis; & contemtui atque odio apud malos, ceu novitates à præſentibus moribus alienæ. Sed ob pietatem Joſiæ reformantis omnia, & Zelotæ pro pietate & cultu externo, omnia indies ipſi fuere faciliora. Favente Magiſtratu miniſterio & miniſtris, facile eſt hoc munere defungi; ſed illo alieniore vel hoſte, magnæ ſubeundæ difficultates. Defuncto Joſia ſub ejus filiis degeneribus, adverſa propemodum fuere omnia, & indies in pejus euntia, ut ab eo tempore ad finem uſque miniſterii Hieroſolymitani contemtum, inſidias, accuſationes, perſecutiones, plagas, carcerem varium ſuſtinuerit, & vix mortem effugerit.

Igitur 40 annis ante exilium Hieroſolymæ ultimum prophetavit. & hi fuere ſignificati 40 diebus iniquitatis Judæ, Ezek. 4: 6. Ter 40 anni dati fuere primo mundo ante diluvium; decies 40 Amoræis ad implendam iniquitatem ſuam. 40 dies Ninevitis, inchoante Jona concionem ſuam. 40 annis in deſerto Deus ἐτροποφόρησεν Iſraelem Act. 13: 18. Pſ. 95: 10, 11. Jeremias docuit 40 annis ante excidium Urbis primum, & ante excidium ſecundum totidem annis Chriſtus & Apoſtoli.

Sub Joſia habuit conſortes, Zephaniam & Huldam; qui fuerunt pariter in honore. Sub Jojakimo Uriam, qui à Rege ob vaticinia ſua necatus fuit, Jer. 26: 23. quod ejus periculum auxit. Deſtructa Hieroſolyma, perſeveravit in munere, ſed extra illam urbem, apud Gedaljam, & hoc necato aliquamdiu in Ægypto, iſtuc contra voluntatem & denunciationem ſuam deductus. Ubi aliquamdiu vixit; ſed quamdiu, non conſtat. Fertur, iſtic tandem lapidatum eſſe, à Judæis; quod aliis Prophetarum quoque contigit: juxta illud Stephani Act. 7: 52.

Verſ. 4. *Fuit igitur verbum Jehovæ ad me, dicendo:*

Poſt titulum libri, ſequitur ipſe, verſ. 4. qui 3 partibus abſolvitur. I. Vocatione Prophetæ cap. 1. II. Ejuſdem functione cap. 2--51. III. Hiſtoria excidii & deportationis Hieroſolymitanæ. cap. 52.

Primam partem *Proœmium Muneris* dicere poſſumus, habens VOCATIONEM JEREMIÆ cujus refertur I. delatio verſ. 4--10. II. confirmatio verſ. 11--19.

DELATIO conſtat I. declaratione Dei verſ. 4, 5. II. Recuſatione Jeremiæ verſ. 6. III. recuſationis rejectione & refutatione verſ. 7--10.

In DECLARATIONE DEI notanda veniunt Autor. verſ. 4. & Declaratio ipſa verſ. 5.

Autor ordinaria formula indicatur. *Verbum Domini* eſt voluntas ejus revelata, quæ patefit, quando dicitur fieri ad aliquem. Non autem eſt verbum quale hominum, inſtrumentis linguæ & oris prolatum, Deus enim Spiritus eſt Joh. 4: 24. Attamen metaph. ei tribuitur; & quando cum Prophetis agit, varie ſe habet. Num. 12: 6. &c. Deus interdum externa voce locutus eſt ad aures, ut Samueli 1 Sam. 3. vel ad intellectum, per viſiones & ſomnia ut aliis. Hic externa vox adhibita videtur, uti in vocatione Moſis, cum quâ, non ſecus ac Moſes, in colloquium deſcendit. Sic autor vocationis ſtatuitur Deus, quam ſigillatim dirigit ad unum Eſa. 6: 8. Conf. Heb. 1: 1. Eph. 4: 11. tam in ordinario, quam in extraordinario munere. Dei unius eſt dare honorem iſtum Heb. 6: 4. & dotes 2 Cor. 3: 5, 6. Ipſe Legans, alii legati 2 Chron. 36: 15, 16. 2 Cor. 5: 20. Non ſunt legitimi Prophetæ ad quos verbum Dei factum non eſt: I. quia id ignorant, illud non legunt, nec quicquam ejus ſciunt, quam quod ex inſtitutione humana, ſive viva ſive ſcripta dicierunt.

runt. II. Qui audiunt verbum hominum, ſive ſuum, quando ſuam rationem faciunt ſummum dogmatum interprètem; ſive alienum, doctrinam majorum, præceptorum, Eccleſiæ, ſimpliciter ſequentes. Verbum Domini hodieque fit ad eos, qui ex ſola Scriptura diſcunt Dei voluntatem. Conf. Jer. 23: 22. Exemplo Pauli Act. 20: 27. & cap. 26: 22. Hoc eſt tradere quæ accepta ex Scripturis 1 Cor. 15: 1. &c. 1 Theſſ. 2: 13. loqui ut eloquia Dei 1 Pet. 4: 11.

Verſ. 5. *Quum nondum formaviſſem te in utero, agnovi te, & quum nondum, prodiiſſes ex vulva ſanctificavi te: Prophetam ipſis gentibus conſtitui te.*

Declaratio ipſa habet 1. rationes inſtitutæ & admittendæ vocationis, & 2. vocationem ipſam.

Illæ ſunt, Notitia & Segregatio, cum deſignatione temporis diverſimoda. Hæc nativitate, illa etiam conceptu prior ſtatuitur.

De *notitia* & ejus prioritate ait; *Antequam formarem te in ventre novi te.*

Formatio hominis primi deſcribitur Gen. 2: 7. Sed eadem circa quemvis hominem obtinet in utero materno Job. 10: 9. &c. Pſ. 139: 13. &c. etiam de Spiritu dicitur Zach. 12: 1. Equidem naturæ eam vim impreſſit, ut ſibi ſimile producat per generationem, lege illa Gen. 1: 28. quam etiam poſt lapſum continuavit per ſuam benignitatem: attamen in productione hominis ſpecialis providentia Dei occupatur: (cui proinde ipſa quaſi obſtetricatio tribuitur Pſ. 22: 10.) Nemini ergo exprobrandum ſi vitio corporis nativo laboret. Exod. 4: 11. Opificem culpat, qui opus culpat Eſa. 45: 9. Cœcus ille natus ſic fuit ad Dei gloriam Joh. 9: 1. &c. Deus ſemper omnia benè facit, quia optimo fine; & quem ſine vitio formavit, ejus bonitatem ſingularem experitur: cum figuli inſtar lubitu ſuo uti potuiſſet, ut alium formaret. Porrò quod formavit Deus, ſibi formavit. Eſa. 43: 7. adeoque uſurpandum, ad ejus lubitum, unde David, Pſ. 119: 73. *Manus tuæ fecerunt me & aptaverunt me; reddè me intelligentem, ut diſcam præcepta tua.* Indignum vaſa quæ finxit contra figulum projicere, ipſumque vulnerare ac violare.

Notitia non tantum ſcientiam, ſed etiam amorem denotat. Scientiæ eſt Eſa. 48: 8. *Novi te perfide acturum, & tranſgreſſorem* &c. Jer. 29: 23. amoris inſuper Pſ. 1: 6. ſic Gen. 18: 19. non male; *nam amo eum*, (hæc cauſa patefactionis Joh. 15: 15.) *propterea quod præcepturus* &c. Rom. 9: 11--13. amor antecedit nativitatem, hic etiam conceptum. Quia amor æternus, Jer. 31: 3. qui non magis principium habet quam finem; uti Deus eſt à ſæculo in ſæculum. Pſ. 90: 1. & Pſ. 103: 17. Quod ſi Deus novit hominum quemque ante conceptum, utique etiam poſt illum, poſtquam formandi negotium circa eum peregit: neque deſerit opus manuum ſuarum. Pſal. 138. verſ. ult.

De *Segregatione* & ejus ordine ait, *antequam exires* &c.

Nativitas eſt egreſſus ex utero; quem licet ſibi non tribuat, non tamen exinde ſibi negandum docet; cum diſerte aliud ſuadeat obſtetricatio Dei Pſ. 22: 10. ipſe aperit uterum ad conceptum & partum Gen. 16: 2. cap. 17: 20, 18. cap. 29: 30. Eſa. 65: 9.

Sanctificatio, eſt ſegregatio ab uſu naturali ad præternaturalem aut ſupernaturalem; Sic ſanctificat Deus, & homines; quemadmodum Sabbathum; Deus ſegregavit, homines pariter ex Dei voluntate ſegregare debent. Sanctificati Levitæ ad miniſterium ſacrum, ut ante primogeniti: in quorum locum illi ſurrogati. Sed Dei ſanctificare quandoque conjunctum eſt cum largitione aptitudinis, Eſa. 13: 3. Medi & Perſæ ad Chaldæos ſubigendos. Et inprimis in ſpeciali ſegregatione Ezek. 37. verſ. ult. & cap. 20: 12. Hic de priori intelligitur, etiam ante nativitatem deſtinatum ad munus: forte etiam de poſteriori, quod jam tum ſemina idoneitatis largitus ſit. Sed an regeneratio, quæ ſpiritualis ſegregatio, jam tum effecta fuerit, dubium eſt. Equidem ea locum habuit in Johanne Luc. 1: 15. ſed ex voce ſanctificandi h. l. concludi nequit, conf. Gal. 1: 15. Deus ergo cujuſque vocationem particularem definivit, Act. 17: 26. tempora & loca ſingulorum, adeoque etiam quæ in iis cuique agenda. Inprimis in munere ſacro. Poëta, & multo minus Propheta, non fit: ſed naſcitur Idoneitas omnis à Deo eſt 2 Cor. 3: 5, 6. 1 Cor. 4: 7. Segregatio ejus nativitatem antecedit, ut ab ipſomet proficiſci non potuerit. Sed à Deo, & quidem non quia videt bonitatem naturæ & aptitudinem; ſed ut eam addat iis quos amat antequam formare occiperet. Ab ipſo eſt ſanctificatio & ad munus, & ad aptitudinem ad id obeundum. Illi debet quiſque ſi ingenio ſagaciori, memoria firmiori, judicio accuratiori, ſermone expeditiori, manu artifice magis præditus ſit. Sed qui ſanctificat ad munus, etiam attendit quomodo ſegregationi quis reſpondeat: non ad otium, ſed ad negotium, ad miniſterium; & talenta præbet ad negotiationem; 1 Cor. 9: 16. &c. quorum etiam rationem exiget. Matt. 25: 28. Sanctificatio Dei & hominum non eadem eſt. Hi ſanctificant, & muneri adhibent, ſed nequeunt dare aptitudinem. Deus, quoad ſuos miniſtros hanc ſemper addit. Et hinc multi deprehenduntur non ſanctificati à Deo: quales Sacerdotes Jeroboami. 1 Reg. 12: 31. 2 Chron. 13: 9. Equidem in ſegregatis Dei non illico patet aptitudo; ut in Paulo, in Apoſtolis: ſed quem ſegregavit, ei ſuo tempore illam largitur, & adhibet. Segregat porrò Deus ad munus temporarium, multo magis ad ſtatum æternum.

Abrab. cum ad Propheticum munus obeundum requirantur cognitio diffuſa, & vita exacta, quæ juveni deeſſe videbantur, Deum hoc edocere; *Antequam formarem tuum corpus, feci te ſcire, indidi animæ tuæ ſcientiam, quæ ſexto die mundi cum reliquis animabus fuit creata: & priuſquam exires ex utero, ſanctificavi te, eam indolem indidi, quæ aliena eſſet à vitiis, inclinaret ad vitam caſtigatiorem.* Alii pariter de temperamento ad Prophetiam apto id intelligunt. Quod Maimon. neceſſarium facit. Nec non loquuntur de ſanctitate parentum ejus, antequam conciperetur, quaſi inde ſanctitas promanaſſet. Sed quædam hic animadvertenda; I. falſum, animas omnium ſimul creatas in principio. Zach. 12: 1. II. non legitur הודיעתין in Hiph. ſed ידעתך in Kal. & quamvis Kal uſurpari videatur pro notificatione Gen. 22: 12. tamen de notitia etiam exponi poteſt; *nunc novi ex facto.* III. quod de temperamento dicitur, falſum; non invenit Deus, ſed facit ſæpe quales eſſe vult. Saul factus vir alius 1 Sam. 10: 9 V. de parentum præparatione nihil legitur: quamvis ſimilem laudent Hebræi in Adamo & Eva, ante conceptum Seth.

Vocatio ipſa tandem, *Prophetam Gentium conſtitui te.* נביא primum uſurpatur de Abrahamo Gen. 20: 7. Deo eum titulum ei tribuente. Pſ. 105: 15. etiam Iſaaco & Jacobo communis fit. Sed iſtic notat non tam Vatem de futuris, quam Doctorem revelatæ veritatis ad pietatem. Fuit enim Abraham Doctor viæ Domini; id eſt, doctrinæ de Deo & cultu ejus Gen. 18: 19. de quo Maimon, de Idolol. cap. 1. Et ſic ordinarii quoque Doctores religionis tam falſæ, 1 Reg. 18: 19. Baalis 450. & 400. luci: quam veræ נביאים appellantur, & horum diſcipuli בני הנביאים. nam ſi omnes Prophetæ vates, non potuiſſent habere diſcipulos; cum hoc non diſcatur inſtitutione humana, aut docilitate ac induſtria, nam ſolus Deus revelat futura, Eſa. 41: 22, 23. *Propheta* quoque eſt merus interpres, qui alterius verba enunciat, à Deo tamen profecta, Exod. 7: 1. ne quis quoſvis Legatos ſic appellari credat. Prophetia in N. T. etiam de interpretatione divinorum oraculorum dicitur 1 Cor. 14. Singulari ratione hoc nomen Vatibus datur, qui futura prædicunt. Et ſic h. l. qui denunciaturus eſſet eventa futura. Hebræi mire Prophetam deſcribunt, ut videre eſt apud Maimon. in de fundamentis legis cap. 7. & in More Part. II. cap. 36. & ſeq. quæ recenſere non attinet.

Quibus Jeremias datur ſunt *Gentes.* Rab. Sal. Judæos deſignatos putat, adeo degeneres tum temporis, ut à Gentilibus haud diſcreparent. Quod quidem verum: ſed tamen præter Judæos etiam aliæ Gentes connotantur: nam licet Hieroſolymis potiſſimum verſatus fuerit, tamen etiam de Gentibus aliis vaticinatus eſt, cap. 46. & ſeqq. & pariter omnibus poculum iræ bibendum denunciavit cap. 25. quod Chald. ſpectat in ſua paraphraſi. Et quod potiſſimum fere, legatis Gentium juga ad legantes ſuos dedit deferenda, ſymbola ſubeundæ ſub Nebucadnezare ſervitutis, cap. 27.

Ordinatio eſt, *Dedi*, hoc eſt conſtitui; hoc muneris tibi impoſui. Sic Deus habet poteſtatem ſtatuendi de hominibus, & cuique ſuum munus aſſignandi: cum enim omnes formarit, agit liberè de ſuo quod lubet; neque quiſquam

poteſt impedire. Nemini fas reluctari Deo, neque invidere aliis, aut quærere altiora. Sed tantum allaborandum, ut in quo munere conſtituit, illi ſatisfaciat. Sed *dare Dei*, connotat quoque collationem neceſſariarum dotium. *Dedit*, hoc eſt, *poſuit* luminaria in firmamento Gen. 1: 17. Eoque quas quis habet eas uſurpare debet, confiſus modo id faciat, Deum largiturum ut ſufficiant, aut auƈturum eouſque. Eſt vero hoc quoque bonitatis divinæ, *dare Prophetas*. Inter privilegia Iſraelis hoc numeratur. Hoſ. 12: 11. Amos. 2: 11. Sed quod etiam Gentibus id beneficii contulerit fuit quid magnum Jer. 27. nam ſi paruiſſent, externæ tranquillitati conſuluiſſent. Sub N. T. Prophetæ etiam Gentibus dati, cum hæ fundamento illorum quoque inædificentur Eph. 2: 30. & etiam ex Gentibus Eph. 4: 11.

Verſ. 6. *Me autem dicente, ahah Domine Jehovi, ecce neſcio loqui; nam puer ſum:*

Recusatio Jeremiæ verſ. 6. *Et dixi*, Vocationem proponente Deo non tacet, ut de aſſenſu aut diſſenſu dubii ſimus, ſed reſpondet, & quidem illico, neque enim Deus differendus eſt; ſed expeditum debet eſſe reſponſum noſtrum, ut Samuelis 1 Sam. 3. verſ. Luc. 12: 35. Sint lumbi veſtri ſuccincti, & lucernæ veſtræ ardentes; ut vocante Deo etiam in denſiſſimis tenebris promti paratique ſimus in obſequium. Reſpondens vero

I. Deprecatur. *Ahah Domine Jehova.* Agnoſcit Dominum eſſe qui mandat, eumque Jehovam qui eſſe dederat, quemadmodum teſtatus fuerat de ſui formatione in utero: & jure creationis dominium in ſe habebat, cui deſtinatio ſui ad munus innitebatur. Convictum vero ſe profitetur de Dei jure, ſuaque obligatione ad obſequium. Adeoque non negat ut filius ille Matt. 21: 29. Quia tamen alieno animo erat à munere, deprecatur. אהה dolentis, ejulantis, deprecantis particula eſt. Triſtitiam ergo & animi anxietatem teſtatur, & querula voce Deum movere conatur, ut ſibi parcat, & ab ea provincia adeunda excuſet.

II. Rationes deprecationis affert, quibus præmittit *Ecce*, ad emphaſin, non ſunt cauſæ fictæ quæ me terrent, ſed Ecce tibi eas judicandas propono, annon juſtæ ſint, & ſolidæ. Nam I. ineptus ſum: *Non poſſum loqui, non novi* (propriè) *loqui.* Prophetam qui Dei nomine perorare debet ad populum, ſcientia & eloquio valere oportet. Qui de rebus divinis non modo ſufficienter & copioſè, ſed etiam efficaciter & penetranti oratione loqui queat: hoc vero mihi deeſt, etiam à quo tempore mecum egiſti (ut ait Moſes Exod. 4: 10.) nihilo me ſentio facundiorem. II. Ineptitudo mea vacat culpa; non cauſam habet ignaviam, aut animum inſtitutioni refragantem: ſed ætatis defectui imputanda eſt. *Sum* נער. Hoc vocab. uſurpatur 1. metaphoricè de ingenio & moribus, puerili imprudentia & ſtoliditate, uti Rehabeam quadragenarius appellatur 2 Chron. 13: 7. quod rerum imperitus eſſet; ſic ut quidam hìc volunt intellectum: ut ſe per modeſtiam ſic vocarit: qui cæteroquin ſat grandis ætate foret. 2. de ætate minore comparate reſpectu fratrum reliquorum uti, Benjamin cap. 44: 22, 30. ſeq. ſexies נער dicitur, qui tum 10 filiorum pater erat cap. 45. 21. 3. de miniſterio, ut Joſeph puer dicitur qui 28 annorum erat Gen. 41: 12, 46. & Joſua Ex 33: 11. item Propheta adminiſter; quem Eliſeus miſit ad ungendum Jehu. 2 Reg. 9: 4. Sed ſatis eſt de ætate intelligi; nam Abrab. colligit munere functum fuiſſe annos fere 50. ſiquidem ei poſt excidium Hieroſolymæ adhuc decennium in Ægypto aſſignat. Et cum jam diu ſatis munus ſuum obiviſſet, mandatum accepiſſe de non ducenda uxore, cap. 16: 2. quod tum demum juſtam matrimonii ætatem attigiſſe exiſtimet. Interim neque nimis adoleſcentem fuiſſe veriſimile eſt: ſed qualem Samuelem colligere eſt 1 Sam. 3. qui jam miniſteriis primis, claudendarum valvarum adhibebatur; imo quinquennio forte minorem, quia cum tempore Moſis 25 anno initiarentur, & 30 plenum miniſterium obirent Levitæ, Num. 4: 3. &c. cap. 8: 23. &c. à Davide per quinquennium anticipatum fuit 1 Chron. 23: 24 &c. adeoque vicenarium, aut paulò majorem; non [illegible] 12. aut 15. annorum, ut eum facit Abrab. Nam ſic quoque non erat ea autoritas, & animi confidentia, ut auderet contra inveteratos mores dicere. Ut appareat Jeremiam æſtimaſſe ritè & muneris difficultatem & propriam imbecillicatem, ab ineptitudine ſua petitis argumentis ſe voluiſſe excuſare.

Eſt enim hoc prudentiæ ne quod munus ſuſcipiatur, priuſquam expenderit quis, quid valeat. Non cujuſvis humeri ſufficiunt ad quodvis onus. Quod vir ſine fatigatione feret, ſub illo puer concidet. Bene Horatius, *Sumite materiam veſtris qui ſcribitis æquam Viribus, & verſate diu quid ferre recuſent, quid valeant humeri.* Nam quod inconſideratè ſuſceptum, turpiter tandem deſeritur, vel ſaltem cum probro ſuſtinetur. Stultæ arrogantiæ eſt, inflatum φιλαυτία & fiducia virium non conſideratarum aliquid laboris ſuſcipere; ſed ſapientis modeſtiæ, ſuo ſe pede metiri, ſuas æſtimare facultates, & ex ſua menſura conſilium capere. Huc faciunt parabolæ Luc. 14: 26. &c. quibus Chriſtianiſmum ſuſcepturos erudivit Chriſtus. Inprimis hoc obſervandum circa munus Propheticum aut munus Eccleſiaſticum. Maxima hujus difficultas, ut declinare laborarit; tantum abeſt ut temere in illud ſe ingeſſerit. Jer. 17: 16. quod quidem à Pſeudo-prophetis factum, qui cucurriſſe dicuntur ante miſſionem. cap. 23: 21. Equidem 1 Tim. 3: 1. epiſcopatum qui deſiderat καλὸν ἔργον ἐπιθυμεῖ; quo excitentur aliqui ad illud ſuſcipiendum, cum meſſis magna ſit, & operarii pauci. Matt. 9: 37. Sed multi ſic pulchritudinem intuentur, ut oblitos appareat illius, δύσκολα τὰ καλὰ. Difficultas enim patet, I. quia debent noſſe loqui; Scientia opus, qui ignorat, alium docere nequit; cœcus cœcum tantum præcipitare poteſt. Luc. 6: 39 Eloquio etiam, ſi quis ad intelligentiam aliorum loqui poſſit in Eccleſia, ſatius eſt eum tacere. 1 Cor. 14. Imo Scientia loquendi, neque enim omnia omnibus hominibus & temporibus conveniunt: hinc *lingua eruditorum* requiritur Eſa. 50: 4. Quam juſta ergo cautela Jacobi. Jac: 3: 1. &c. Sunt fere ut Baptiſta vox clamantis Joh. 1: 23. & quam facile eſt voce peccare? maxime cum non omnia ex conceptis formulis agi vel queant vel debeant: quando & quibus, & quomodo dicenda diſpiciendum eſt, & verbum Scripturæ ad cujuſque utilitatem attemperandum & applicandum. II. Quia non debent eſſe adoleſcentes. Deus in V. T. definivit ætatem, & ſub N. T. canonibus veteris Eccleſiæ ſimiliter excluduntur minores 25 annis. Nam qui per ætatem inepti habentur, ut rebus ſuis præſint, aut exſecutores ſint humani teſtamenti, quomodo apti qui aliorum animabus præficiantur, & exſequantur teſtamentum Chriſti? Et in Vet. & in N. dicuntur זקנים & πρεσβύτεροι, quod ea ætate potiſſimum adhiberentur. Jeremias adhibitus, & Timotheus, *cujus juventam* contemni vetat Apoſtolus: 1 Tim. 4: 12. ſed ii extraordinariis dotibus inſtructi fuerunt. Atque etiam tunc obnoxii fuere contemtui. Et debuit tunc, ut contemtum amoliretur, exemplar fidelium eſſe in ſermone, converſatione, charitate, ſpiritu, fide, caſtitate: quales qui ſe probaverint, utique exceptioni locus eſſe poteſt; alioqui tutiſſimum, ætatem juſtam exſpectare: exemplo maximo, Jeſu Chriſti, qui ne quidem privilegio (ſi ſic vocare lubet) Davidis uti voluit, ſed tricenarius demum docere cœpit. Luc. 3: 23.

Quæſt. An Jeremias rectè egit ſe excuſando? Reſp. Duo alii quoque detrectarunt, Moſes & Jonas, & ambo graviter peccarunt. Jonas de facto ſe ſubducere voluit, & fugam iniit; ſed à Deo revocatus fuit modo prorſus tremendo. Jon. 1, 2, 3. Moſes varias prætexuit excuſationes, ratione populi, qui non eſſet crediturus, & ſui, ſuæ balbutiei, quæ ineptum redderet; ſed tandem abſolute excuſari voluit, nulla cauſa ſibi relicta excuſationis Exod 4: 13. &c. & tum indignatus eſt Dominus. Modeſtas excuſationes etiam hic tulit Deus, & eas ſubmovit reſponſionibus ſuis, & ſiquidem infirmitatis iſtud quoque eſt, cum citra deliberationem ſequendum ſit Dei mandatum, condonat: ſed inobedientiam, detrectantem labores & pericula & odia, ſectantem contra otium, & vitæ externæ tranquillitatem, non fert. Hæc non adfuit Jeremiæ, qui modeſtè replicavit, ex conſcientia ſuæ ineptitudinis; ſed cum rationes quibus nitebantur, refutatæ eſſent, mox ceſſit, & humeros oneri imponendo ſuppoſuit. Accedit quod Moſes 80 annorum fuit, cui hæc excuſatio ætatis non poterat adhiberi.

Cæterum cum ſe נער dicit ætate, ſimul etiam cauſam indicat, cur non æque excellat ſtylo. Abrab. hoc notat; adeoque cum rerum divinitate & majeſtate nulli Prophetarum cedat, tamen eloquentia & cultu ſermonis tum vivi, tum

tum ſcripti multo eſſe inferiorem; unde tot enallages occurrere generum, numerorum, perſonarum; nec non tot varias lectiones, קרי וכתיב. Cujus & alia ratio eſſe poteſt, converſatio non cum politis ſermone ut in aula, ſed cum promiſcuâ plebe, apud quam docuit, dum Zephanias in Synagogis, Hulda mulieres inſtituit. Quo pertinet quod itidem Abrab. obſervavit, fuiſſe non Hieroſolymitanum, ſed Anathotæum. Attamen de ipſo valet illud Hieronymi in procemio ad ſextum Commentariorum: *Quam in verbis ſimplex videtur & facilis, tantum in majeſtate ſenſuum profundiſſimus eſt.*

Verſ. 7. *Edixit Jehova mihi, ne dicito, puer ſum: ſed ad quæcunque miſero te ito, & quæcunque præcepero tibi, loquitor.*

Recuſationis rejectio à Deo fit, tum verbis verſ. 7, 8. tum factis verſ. 9, 10.

Reſpondet Deus: ea comitate agit, ut cum mandare poſſit abſolute, velit in colloquium deſcendere, & perſuadere argumentis convincentibus, atque omnibus difficultatibus reſpondere. Sic egit cum Abrahamo Gen. 15: 1. &c. cap. 18: 17. &c. cum Moſe, ad cujus dubia omnia reſpondit humaniſſimè, uſque dum ſimpliciter recuſavit legationem Exod. 3, 4. cum Iſraele quando fœdus cum ipſis iniit. Exod. 19: 20, 24.

Rejicit *primò* quod potiſſimum, excuſationem ætatis; *Ne dicito, ſum adoleſcens.* Nulla enim juſta excuſatio mandante Deo. Novit optimè tam quibus, quam quid mandet. Nunquam ipſum poteſt pœnitere Num 23: 23. non tantum quando ab ipſo proficiſci debet conſilii exſecutio, ſed etiam quando per homines aliaſve creaturas: quia eſt נצח. 1 Sam. 15: 29. Juventus quoque confirmari poteſt, ut quæ virorum ſunt agat. David contra Goliathum; ſic Samuel, Timotheus in ſacro munere. Sed Deo adhibente; quemadmodum idem fœminis Debora, Hulda, filiabus Philippi uſus eſt: unde mulieres non poſſunt facere regulam, contra 1 Tim. 2: 12. Nam placet Deo ſubinde per id quod ſtultum eſt coram mundo, hujus ſapientiam pudefacere.

Rejectionis *deinde* rationem dicit, quâ ſimul ineptitudinem removet: *Nam quocunque miſero.* Jure prætenderes ætatem, ſi à te conſilium petendum foret, quò & quando eundum, quid loquendum. Non ſatis obſervant juvenes fandi tempora & agendi; ſed hæc mea cura erit; tuum obſequi; *quocunque miſero*, & hoc erit oportuniſſimum tempus, commodiſſimus locus; *eò ibis*: & *quicquid mandavero*, quod erit ſapientiſſimum, *illud loqueris.* Raſchi prius ad Gentes refert, poſterius ad Iſraelem: ſed diſtinctio iſta inutilis eſt.

Adeo nihil relictum eſt arbitrio Prophetarum. Legatorum inſtar, quibus & definitur quo eundum, & quid loquendum: neque licet ipſis vel alia, vel ad alios, vel alibi dicere. 2 Cor. 5: 19. &c. Neque opus ad ſingulos ſermones novo mandato. Sed ut legati habent inſtructionem, ut quicquid ad legantis dignitatem facit obſervent, & contrariis mox obviam eant; ſic quoque hîc. Si mutentur animi & ſermones & actiones eorum ad quos miſſi ſunt, aliam meditantur orationem, ſuæ inſtructioni conformem. Conferuntur vigilibus, qui animadverſo incendio, aut hoſte adventante non primum petunt aut exſpectant mandatum tubam inflandi; ſed vi ſuæ vocationis ad id autorati ſunt, ſive gratum ſit dormientibus ſive ingratum. Ezek. 3. & 33.

Verſ. 8. *Ne timeto ab iſtis: nam adſum tibi ad eripiendum te, dictum Jehovæ.*

Reſpondet *tandem* ad ſecretam implicitamque excuſationem, itidem ab ætate immaturâ deductam, & impedientem ſermonem, Metum hominum, qui vel dignitate muneris, vel reverentia ætatis, vel terrore poteſtatis percellere poterant: quemadmodum etiam ſic Moſi ſatisfecit, licet hanc cauſam, metum à Pharaone, non auſo profiteri. Exod. 4: 19. In gentibus omnis generis homines erant, Politici Eccleſiaſtique Ductores, nec non multitudo maxima: & hi vel ignari voluntatis divinæ, vel illi rebelles, haud laturi contradicentem virum, nedum juvenem: ſed vi ſua ac poteſtate repreſſuri; Ergo monet, *ne timeto à facie ipſorum.* מפניהם commode redditur, non tantum *facies*, ut autoritas, ſeu majeſtas magnatum deſignetur; Gen. 33: 10. unde perturbatio inſuetis oritur; ſed etiam *ira*, quæ hoc nomine venit Pſ. 21: 10. & 34: 17. ſic quoque 2 Theſſ. 1: 9. Huc enim ſpectat ratio. *Nam tecum ſum* &c. Præſentiam ſuam opponit omnium faciei, ſive glorioſæ ſive furioſæ: & tum licet eſſe metus expertem Rom. 8: 31. exemplo Chriſti. Joh. 16: 32.

Cæterum beneficium præſentiæ ſuæ declarat, *ut te eripiam*; non ut non venias in periculum, nihil adverſi perpetiaris, ut Jacob præſervatus fuit ab Eſavo mutato ejus corde: Gen. 33. ſed ne in eo pereas, verum tandem educaris. Matt. 10: 17. &c. Quod expertus eſt; in multis periculis verſatus, & dura paſſus, ſed ſemper ereptus à Domino.

Addit, *Dictum Jehovæ.* Oraculum hoc eſt ejus, qui cum veritas ſit, quicquid dicit, præſtat; utpote eſſentian. dans ſuis promiſſis.

Sed quam difficile eſt Prophetam agere, ubi non niſi cum timore rem aggredi, & exercere licet. Pauciſſimi tum admittent eam provinciam, nulli ambibunt. Sumus omnes φιλαυτοι natura, nemo odit ſuam carnem. Multi tum ut Demas. 2 Tim. 4: 10. Animandi propterea diviniori ſpiritu, ut non cedamus malis, ſed contra eamus audentiores. Præſentia Dei confirmandis facit; non ut ſine adverſitate ſimus, ſed ne habeamus prævalentem ad exitium, quod quidem hoſtes inferre moliuntur, quomodo uſurpare licebit illud. Rom. 8: 37.

Factum eſt verſ. 9, 10. quod Deus 1. adhibuit ſignum, 2. illud explicavit, 3. applicavit ad confirmationem Jeremiæ.

Verſ. 9. *Et extendens Jehova manum ſuam tetigit os meum; dixitque Jehova mihi, Ecce indo verba mea ori tuo.*

Signum adhibetur, *Emiſit Deus manum ſuam*, וישלח & *attingere fecit* (על pro אל) *ſuper os meum.* Factum iſtud in viſione, cum Deus manum non habeat, ut Ezek. 2: 9. Scilicet Deus tetigit os Prophetæ tanquam tactu manus: ejus voluntate factum eſt, ut talis manus in viſione os ejus tangeret.

Explicatur à Deo ipſo, *Ecce*, inquit, *poſui verba mea in ore tuo.* Sic mandatum ſignificatur ſpecialiſſimum, ut ipſa verba dictentur, quæ enuncianda ſunt, 2 Sam. 14: 19. Tekoitis illa.

Bonitatem Dei hoc oſtendit, quod non verbo ſolum, ſed etiam ſignis uti dignetur ad voluntatem ſuam patefaciendam, & confirmandam. Signa paſſim adhibita vocationi Miniſtrorum. Impoſitio manus Num. 27. & huc facit cap. 11: 25. communicatio Spiritus. Labiorum contactus Eſa. 6. & hîc oris ſed diverſo ſenſu: illic remotum impedimentum; hîc collata aptitudo; ſic Ezek 2: 9. &c. cap. 3: 1. &c. Apoc. 10. χειροτονια in N. T. ſancita exemplo Chriſti Luc. 24: 53. Apoſtolorum 1 Tim. 4: 14. cap. 5: 22. 2 Tim. 1: 6. etiam cum mutanda erat provincia. Act. 13: 3. Sic ſigna adhibuit confirmandæ vocationi Moſis, Exod. 4. Gideonis, Jud. 6. Saulis 1 Sam. 10. Eſaiæ cap. 6. Ezekielis cap. 2, 3. & adhiberi voluit à Moſe in vocatione Joſuæ, impoſitionem manus Num. 27: 18. à Samuele in vocatione Davidis, unctionem 1 Sam. 16. Vult enim geminâ ratione bonitatem ſuam teſtari ad ſecuritatem vocatorum, ſed porrò, ſigna Dei non deſtituuntur promiſſione Dei, qui etiam analogiam ſigni & ſignati oſtendit. Tangit os Prophetæ; & ſimul addit promiſſionem gratiæ per illud ſignum repræſentatæ. Sic Eſa. 6: 6, 7. Hæc ratio ſignorum ſacramentalium, quæ licet uſu ſuo non ad particulares dunta xat perſonas directa ſint, ſed ad fideles omnes de gratia Dei confirmandos, tamen cum his ſignis prorſus conveniunt, Autore, Deo; Impulſiva, Dei benignitate; fine, confirmatione fidei; materia, ſigno, & verbo promiſſionis; forma denique, analogia ſigni & ſignati. Quibuſcunque hæc deſunt, non ſunt ſigna divina, nec ſacramentalia: adeoque nec admittenda: Contra quæ ſic ſe habent, religioſe uſurpanda. Non potuiſſet jure Jeremias ſubducere os ſuum à contactu manus iſtius; neque licet Sacramentorum uſum detrectare; ni duplicis contemtus reatum velimus contrahere; ut Achaz,

non credens promiſſioni, infidelis fuit, & ſibi nocuit, quod non confirmabatur animo: ſed repudians ſignum Dei, fatigavit Deum & Prophetam, & accerſivit judicium graviſſimum. Eſa. 7.

Speciatim hinc apparet I. unde omnis Prophetarum Dei aptitudo. Non ſciunt loqui ex ſe: nec quoad rem, verba Dei non habent, niſi patefiant: nec quoad modum, ea eloqui nequeunt uti oportet, niſi doceantur Eſa. 50: 4. 2 Cor. 2: 16. & cap. 3: 5, 6. Deus ergo tangit os, ut aptitudinem loquendi largiri ſe oſtendat; & indit verba ſua, ut quæ loquenda ſint, norint. Luc. 21: 15. *Dabo vobis os & ſapientiam*, & Act. 2. Linguæ ſeu flammæ ignis diviſæ cuique Apoſtolorum incubuerunt, & ſic impleti Spiritu S. potuerunt loqui magnalia Dei, ſicut eis inſpiratum fuit. Eſaias totus contremiſcebat ob labiorum impuritatem; ſed tactus prunâ Dei, & mundatus, promtiſſimus fuit. II. unde conſtare queat de vocatione iſta Dei: Deus indit verba ſua ori ejus. Sibi vendicat ceu propria os & linguam Prophetæ, & verba iis enuncianda indit; ut Thecoitis illa 2 Sam. 14: 19. Ezekieli dedit comedendum volumen, intus & extra ſcriptum threnis, & ſuſpiriis, & væ. Ezek. 2, 3. Conf. 1 Cor. 2: 16. & Jer. 23. 22. Scilicet ex verbis ſuis ſuos Deus vult agnoſci. 1 Pet. 4: 11. Non tantum rerum ſed verborum quoque habet curam. Huc facit 2 Cor. 2: 10, 12, 13. Quicquid enim ab hominum ingenio prodit; poteſt contemni. Fides ſolis Dei verbis debetur, quibus nequidem ſuſpicio falſitatis ſubeſſe poteſt. Rom. 3: 4. Et his ſolis poteſt impune prætendi Dei nomen. Sic Chriſtus Joh. 12: 49. & Paulus 1 Cor. 11: 23. Alioqui falſa applicatio illius, *qui vos audit, me audit*. Luc. 10: 16. Ni ſic locutum Deum in Scriptura docere queamus. Sane nemo mentem aliûs rectiùs exprimit, quam primus autor, maxime ſi & rerum & verborum peritus ſit. Atqui nemo ſapientior Deo: unde ſequitur efficaciſſima eſſe verba Dei ad exprimendam ejus voluntatem, & his qui utitur proximius Deum loquentem referre.

Verſ. 10. *Vide præficio te hodierno die gentibus ipſis & regnis, ad exſtirpandum & ad demoliendum, & ad perdendum, & ad deſtruendum, ad ædificandum, & ad plantandum.*

Applicatur verſ. 10. quando Prophetam ſufficientibus dotibus inſtructum commonefacit ſuæ dignitatis, & poteſtatis.

Dignitatis, *dicendo Ecce*, *conſtitui te*, הפקדתיך *feci te* פקיד *præfectum*, apud te depoſui hanc dignitatem, hoc munus, cujus ritè cuſtoditi ceu depoſiti, ratio tibi reddenda eſt) *hoc ipſo die*; (nam verba Dei non ſunt abſcondenda, ne vim ſuam exſerant, ſed quo die apud aliquem Deus ea ſepoſuit, eopſe ex Dei voluntate uſurpanda & pronuncianda.) *ſuper populos & regna*. Articulus in הגוים &c. determinat populos & regna; quæ Deus ſigillatim definiturus erat. Neque enim dum Eloquia Dei fuere privilegium Iſraelis Pſ. 147: 19, 20. licuit Prophetis quibuſvis hominibus ea annunciare. Hinc interdictum Matt. 10: 5. Contra poſt reſurrectionem Chriſti Matt. 28: 19. &c. Marc. 16: 15.

Quæſt. Innocentius III. capitulo 6. de majoritate & obedientiâ, ſic ſcribit ad Conſtantinum Imp. *Potuiſſes prærogativam Sacerdotii ex eo potius intelligere, quod dictum eſt non à quolibet, ſed à Deo, non regi, ſed ſacerdoti, non de regia ſtirpe ſed de ſacerdotali proſapia deſcendenti, de Sacerdotibus videlicet, qui erant in Anathoth, Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna ut evellas & diſſipes, ædifices & plantes.* Et Boniſacius VIII. Extra. de maj. & obed. cap. *Unam Sanctam: Veritate teſtante ſpiritalis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habet, & judicare ſi bona non fuerit, ſic de Eccleſia & Eccleſiaſtica poteſtate vivificatur vaticinium Jeremiæ. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna, & cætera quæ ſequuntur.* Reſp. Quàm appoſitè hinc argumententur Papæ, quivis videt. I. Poteſtas iſta non fuit ordinaria ſacerdotum; ſic enim nova hâc collatione non indiguiſſet, ſed extraordinaria; adeoque non ſubjacet ſucceſſioni, uti quidem ſacerdotalis muneris alia. II. Si Jeremiæ ſoli ſumma poteſtas tributa, ergo & ſummus Sacerdos ei ſubjectus; cujus in locum, non in gregarii Jeremiæ, ſucceſſit Papa Rom. III. Jeremiæ poteſtas omnis manavit ex verbis Dei, ori ejus inditis. Sed non ita Papæ. Clauſula iſtius capit. *Unam Sanctam*, eſt. *Subeſſe Rom. Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.* Quam vocem Deus ipſius ori non indidit; ſed longe aliam Petro, cujus ſe jactat ſucceſſorem 1 Pet. 2: 13, 14. & Paulo Rom. 13: 1. IV. Jeremias nunquam eâ poteſtate uſus eſt, qui tum ab Eccleſiaſticis judicibus Jer. 20. & 26. & à Politicis cap. 26. & à Regibus ac Principibus cap. 36, 37, 38, 32, 33. judicatus, plagis, carcere, aliiſque pœnis affectus fuit; nunquam autem ad hanc prærogativam provocavit. V. Omnis ergo dignitas non alia quam legati, qui in iis quæ muneris ſui ſunt, nulli eorum ſubeſt ad quos miſſus eſt, ſed repræſentat perſonam legantis. At enim munus legati eſt, non pugnare, necare, vim externam facere, rebellionem ciere ſubditorum contra magiſtratum, ſuo Leganti adverſantem, ſed verbis duntaxat declarare voluntatem legantis, hujus iram, & vindictam quoque contra pervicaces, minari: quod vocatur gladius oris Eſa. 11: 4. Sunt Prophetæ & qui ordinarium docendi munus in Eccleſia obeunt, velut œconomi, qui unicuique domeſticorum, etiam liberis, demenſum tribuere, & operas injungere debent; ſed verberare conſervos eis non licet. 1 Cor. 4: 1. Matt. 24: 45. &c. Luc. 12: 42. &c. Tit. 1: 7. Epiſcopum vult eſſe μὴ ὀργίλον, μὴ πλήκτην. Quod magis patebit ex conſideratione poteſtatis. Sed quantum ad confirmandos animos contra omnem vim & potentiam adverſariam fidis Miniſtris argumentum, *Ecce ego conſtitui te?* Eſt enim hæc commiſſio Dei, ſecuta inſtructionem; adeoque plenam infert autoritatem: ut imperterriti eſſe poſſint.

Poteſtatis: לנתוש *ad exſtirpandum*, ולנתוץ & *ad demoliendum*. Illud ferè de plantis, hoc de ædificiis dicitur: interdum ſynonyma ſunt, & *ad perdere faciendum & ad deſtruendum*: *ad ædificandum*, & *ad plantandum*. Targ. mala gentes ſpectare ait, bona Iſraëlem; Abrab. rectiùs, utrumque ad utroſque pertinere aſſerit. Non quod ſuâ manu id agere debeat; quemadmodum neque manum evertendæ Hieroſolymæ admovit; Exempla Pinchaſi Num. 25. (Conf. Comment. in Rom. 4. conc. 125) & Samuelis contra Agagum 1 Sam. 15. & Eliæ contra Baalis Sacerdotes 1 Reg. 18. ſingularia ſunt; quamquam de Elia credibile, per populum, miraculo cœleſtis ignis excitatum, id egiſſe; & forté Samuel quoque aliena operâ uſus eſt; nam ושסף *& fidit eum*, etiam per alium, cum Pihel ſit. Zwinglii exemplum alienum; arma induit, & in prælio manum conſeruit; ſed qua civis Tigurinus, non qua Eccleſiaſtes. Sed ſermone Dei, denunciando; confer Ezek. 13: 19. 2 Cor. 10: 9. &c. Nam Deus ipſe hæc præſtat Jer. 31: 28. conf. Hoſ. 6: 5. 1 Cor. 4. verſ. ult. ἐν ῥάβδῳ ἔλθω, non externam virgam intelligit, ſed diſciplinam ſeveriorem, quæ magis pædagogica quam paterna.

Cæterum quatuor vocabula judicii ſunt, duo beneficii. Scilicet ubi exundantior corruptio, abundantior quoque eſt reprehenſio & pœnæ denunciatio. Imo Miniſter quivis plus ſemper deſtruendum habet, quam ædificandum, tum quia plures ſemper mali, tam occulti, hypocritæ, quam aperti, profani: tum quia in optimis quoque multum adhuc mali eſt; nequeunt ædificare domum Dei in cordibus, priuſquam deſtruxerint delubra Satanæ, & mundi, & carnis: nec plantare illius hortum, ni eradicarint & perdiderint ſpinas & tribulos peccati. Eſt in plantando & ædificando labor & ipſis & aliis gratior, ſed ut id agere queant duplicanda induſtria circa emotionem mali. 2 Cor. 10: 8. cap. 13: 10. Attamen quamcunque triſtis ſit ipſorum opera, ob eorum quos circa occupantur perverſitatem, tamen aliqua etiam læta eſt ob ſucceſſum qualem optant; eſtque ſermo ipſorum, plurimis licet odor ad mortem, aliquibus tamen odor ad vitam 2 Cor. 2: 14.

Verſ. 11. *Deinde fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo: quid vides, Jirmeja? cui dixi, baculum amygdali video.*

Sequitur *CONFIRMATIO* Prophetæ, verſ. 11—19. qua I. oſtendit certitudinem vaticiniorum proponendorum, viſionibus duabus, verſ. 11—16. II. repetit inſtructionem, verſ. 17, 18, 19.

VISIO *Prima* generaliter ſpectat omnes Prophetias, verſ.

verſ. 11, 12. Deus ipſe inchoat ſermonem: tanta eſt Dei benignitas, ut confirmet miniſtrum ſuum, quemadmodum Moſi geminum ſignum dedit, virgæ in ſerpentem verſæ, & manus quæ leproſa facta, cum utriuſque reſtitutione Exod. 4. ſic quoque hic. Oſtendit autem ei aliquid in viſione quemadmodum Amoſ. 7: 1. &c. rogatque, *Quid vides, Jeremia?* Deo viſa offerente, oculi in ea convertenda, eaque recipienda. Ne quidem pueri æquo animo ferunt, cantui ac næniis ſuis non reſponderi Matt. 11: 16, 17. Hinc Eſa. 53: 1. & creberrimè aliàs.

Jeremias ad hæc, מקל שקד אני רואה. Τὸ מקל ſemper notat *virgam denſiorem*, baculum viatoris, paſtoralem, ſimilemve, etiam Gen. 30: 37. &c. Nam teneriores virgæ ſi ex parte decorticentur, lignum habent viridius, eoque variegatus color inde non oritur, quod fit ſi denſiores nudentur, quibus lignum candidiſſimum. Sed שקד dubiæ ſignificationis eſt. I. Adjectivum, *Vigilans*, *feſtinans*; nam שקד Kimhio eſt עין המהירות וההשתדלות על הדבר. Aq. & Sym. ῥάβδον χρηγόρσαν, & mox ὅτι ἐγρηγόρκα. Hier. *vigilantem.* Baculum feſtinantem video; denſiorem elevatum quaſi ad ictum & jam inclinatum ac cum impetu in rem percutiendam ruentem. Sic commodiſſime reſpondet ſignificatum viſioni. Ita ſe habent אבל *lugens*, מהר *feſtinus*, &c. II. Subſtantivum, ut זקן *ſenex*, חצר atrium, *Vigil*, nam de vigilibus τὸ שקד uſurpatur. Pſ. 127: 1. Vigiles ſolent armati baculis obire urbes, ut Cant. 5: 8. talis baculus hodie eſt, dimidiata haſta. Talem baculum vigilibus proprium vidit forte, qui malis compeſcendis paratus eſt ſine mora; quemadmodum noctu fit, ubi ab exſecutione ferè initium ſumitur, cum judicii ordinem tempus non ferat. Conf. Exod. 22: 23. Sic quoque apertiſſimum eſt reſponſum. Mich. 6: 9. III. Alius ſenſus; ſubſtantivum, *Amygdalus*: nomen habet à feſtinatione, quod citò floreat in ipſa hyeme, menſe Januario, & in Martio jam habeat maturos fructus, teſte Plinio lib. 16. cap. 25. Theod. ἀμυγδαλίνῳ. Alii καρυΐνῳ nuceum. Judæi ferunt à die florum uſque ad maturitatem fructuum dies 21 intercedere, totidemque fluxiſſe à 17. Junii die occupatæ Hieroſolymæ ad diem 9. Julii combuſti templi. Arbitrantur autem baculum aridum vel ſaltem flore ac foliis carentem ut Gen. 30: 37. oſtenſum prophetæ, qui mox agnoverit ex ligno, eſſe amygdalinum. Reſpondiſſe autem Deum, rectè vidiſti: nam ſicut amygdalus foliis & flore carens, ſubitò emittit, & maturos fert fructus; ſic verbum meum, quod inefficax videtur, ſubito germinabit, & effectu ſe probabit celerrimo. Quomodo reſpicietur ad virgam Aaronis Num. 17: 8. Scilicet quemadmodum hyeme cum omnia arida & emortua, floret amygdalus, & brevi fructus habet maturos: ſic dum hyems eſt in populo ut nihil fructus, imo viroris pietatis appareat, florebit amygdali inſtar judicium & brevi maturitatem habebit in exſecutione. Sic judicia conferuntur germini. Hoſ. 10: 9. æſtivis fructibus Amoſ. 8: 1. &c. & ficui molleſcentibus ramis. Luc. 21: 29. Poteſt etiam virga amygdali flore inſtructa intelligi, ex Eccl. 12: 5. *& efflorueſcat amygdalus*, quomodo ſignificatur canities, quæ refert candore florem amygdali, eſtque unum de ſignis dierum malorum & annorum in quibus nulla eſt delectatio, ſenii videlicet deſperati & ad extrema, mortem, tendentis. Deſignabitur autem hac ratione ſenectus extrema Regni Judaici, jamque imminentes mali dies, jugi morborum incremento viriumque decremento feſtinantes ad extremum interitum: quemadmodum Eſa. 7. per quatuor intervalla deducitur declinatio domus Davidicæ. Si *vigilem* aut *vigilantem* reddamus, reſponſio evidens, non variata ſignificatione: ſi verò *amygdalum*, paronomaſia in verſione exprimi nequit, peritque gratia ſermonis, quæ ex appellatione Hebræa amygdali fluit. Paranomaſia ſimilis eſt in hiſtoria Suſannæ Græca, πρῖνος *ilex coccifera*, cui πρίζει *ſerrabit* reſpondet, & σχίζει *findet* alteri σχῖνος *lentiſcimus*. Hieron. שקד *vigil*, & *nux*. exponit autem *vigilat virga cuncta populi peccati conſiderans, ut percutiat & corripiat delinquentes*; & mox: *Quomodo nux ſive amygdalum amariſſimum habet corticem, & teſtâ duriſſima cingitur, ut detractis auſterioribus & duris fructus dulciſſimus reperiatur: ſic omnis correptio & labor continentiæ amara quidem videtur ad præſens, ſed fructus parit dulciſſimos, unde & vetus illa ſententia eſt, literarum radices amaræ, fructus dulces.* Ait idem, quoſdam per hanc virgam Dominum intellexiſſe ex Eſa. 11: 1. additque; *unde & virga Aaron, quæ putabatur emortua, in reſurrectione Domini floruiſſe narratur.* Sed hoc fabuloſum: cum in templo ſecundo non fuerit arca, & multo minùs additamenta, virga Aaronis, & manna.

Verſ. 12. *Tum dixit Jehova mihi, bene vides: ut citò amygdalus floret, incubiturus ſum in verbum meum ut efficiam ipſum.*

Interpretatio viſionis verſ. 12. ubi approbatio Dei. *Rectè vidiſti.* Laudat Deus, quandocunque reſpondetur ritè ad ea, quæ proponit. Deut. 5: 34. Tum explicatio, *Vigilabo & feſtinabo* ut fiat quod dicunt verba mea, quæ nempe ori tuo indidi. Dan. 9: 14. Nunquam hortus & ager Dei ſine flore & fructu eſt: ſi non germinet fragrantibus herbis, & fructibus pietatis & juſtitiæ, floret, & fructificat judicia. Hinc quoque ex rebus naturalibus & plantis datur ſpiritualiter proficere. Ficus protuberans piis ſignum propinquantis redemtionis Luc. 21: 28. &c. & florens amygdalus propinquantis judicii, h. l. Deus porro etiam vigil & feſtinus eſt ad exſequenda denunciata judicia. Multi præſumunt de longanimitate Dei. 2 Pet. 3: 3, 4. & Eſa. 5: 19. יחישה ſed Deus vigil & feſtinus ſuperveniet 1 Theſſ. 5: 3. confertur ὠδῖνας parturientium, & igni Pſ. 21: 12. & glumæ tranſvolanti Zeph. 2: 2. & laqueo Luc. 21: 35. Hinc perditio impiorum non dormitat. 2 Pet. 2: 3. Amygdali inſtar florebat judicium Nineves Jon. 3. Vigilandum contra reſipiſcentia, & ſobrietate & precibus; ut quæ florent judicia impediantur à maturitate: ut Ninevitæ; Sic Joel. 2: 11. &c. Pſ. 2: 12. Luc. 21: 34, 36. Opera danda ut habeamus Deum vigilantem ad implendas promiſſiones. Jer. 31: 28.

Verſ. 13. *Poſtea fuit verbum Iehovæ ad me ſecundo, dicendo, quid vides? cui dixi, ollam ferventem video, cujus facies verſus Aquilonem eſt.*

VISIO *altera* ſpecialior eſt, & regnum Judæ ſpectat verſ. 13—16. ubi notanda I. exhibitio verſ. 13. II. explicatio verſ. 14. III. applicatio verſ. 15, 16.

Exhibitio verſ. 13. procœmii loco, autorem & tempus notat, quod ab eodem à quo prior, ſed ordine poſt illam ſibi exhibita ſit. Repetitio facit ad majorem confirmationem. Gen. 41: 32. ubi etiam feſtinatio indicari dicitur. & Exod. 4. verſ. 8.

Viſum porro rogatus refert, סיר נפוח. Antea Deus eum deduxerat quaſi in hortum, nunc in culinam. Sic viliſſima, & cuivis obvia Deus elegit ad inſtitutionem, qui comtos illos ſermones rhetorum & ſapientum conceptus ingenioſos negligit, 1 Cor. 1. & 2. capp. Sic à vilibus rebus & in communi uſu poſitis ſervator ſimilitudines mutuatus eſt; nunquam vel à fabulis, quamcumque ſapientiæ ſpeciem haberent, vel à placitis Philoſophicis; 2 Pet. 1: 16. οὐ γὰρ σεσοφισμένοις μύθοις ἐξακολουθήσαντες *extra viam ſequentes*, ἐγνωρίσαμεν ὑμῖν τὴν τοῦ κ. ἡ. ι. χ. δύναμιν: ut quæ frequenter obvia toties nos monerent, quemadmodum Jeremias quovis intuitu amygdali & ollæ fuit excitatus ad conſiderationem ejus, quod hoc modo ſignificatum.

Videre ergo ſe dicit I. *Rem*, סיר *Ollam*. Hâc ſignificabatur Hieroſolyma obſeſſa: nam uti olla undique ſuos parietes habet ſeu latera, quibus ſic clauditur, ut nullus pateat exitus: ſic clauſum iri urbem ab hoſtibus obſidentibus: quemadmodum in ollam conjiciuntur carnes & oſſa coquenda igne, ſic incolas urbis igne obſidionis coquendos eſſe. Propheta hanc viſionem videtur commemoraſſe, unde proverbio occaſionem dedit. Ezek. 11: 3. Attamen ſimili metaphora adumbrare urbem & incolas jubetur Ezekiel cap. 24: 3. ſeq.

II. *Rei modum*, סיר נפוח *Flare*, *ſufflare* eſt נפח & מפוח *follis*. Reddunt quidam *ferventem*, *bullientem*, per meton. effecti: quia ex ſufflato igne efficitur ebullitio, propriè *exſufflatam*, ſub qua ignis jugi flatu excitatur ut vehementius ardeat. Quidam, *ollam exſufflantem*, quæ dum ferve & bullis intumeſcit, denſumque vaporem emittit: quæ fere coincidunt, ſaltem conjuncta ſunt; & Part. dual continuum actum indicat: unde ſufflantes non recedunt, ſed ventoſis follibus auras accipiunt redduntque jugiter. Hæc vero exſufflatio pertinuit ad abſumendam aquam, ut carnes tandem

aduſtæ

aduſtæ corrumpentur: quia per obſidionis diuturnitatem & vehementiam, quicquid humiditatis aderat, omnis annona erat abſumenda, ut fame, peſte, ac gladio incolæ perderentur.

III. *Situm*, ופניו מפני צפונה. *Faciem* vocat latus anterius, quod obverſum intuenti, à quâ parte accendebatur ignis, & exſufflabatur; unde etiam ceu ignis fervori proxima fervere olla incipit, & bullæ jugiter ſurgentes in oppoſitam uſque partem tranſeunt. Hæc facies ſpectabat ſeptentrionem, quod dicendum fuerat אל פני; ſed utitur מִפְּנֵי, ut ſimul indicet, unde venturi eſſent exſufflantes; anterior pars ejus erit, cum quævis alia eſſe poſſet, unde venient qui ignem oppoſitum flando excitaturi ſunt, Septentrionales, Chaldæi & Babylonii. Abrab. aliter adhuc exponit. פנים vid. de tempore, quemadmodum לפנים eſt *olim*, *prius*; Pſ. 102: 26. (Sed eo ſenſu non adduntur affixa.) ut ſenſus ſit, *primæ ipſius vices erunt*, ſcilicet exſufflationis à parte ſeptentrionali; quod jam tum innueretur ſucceſſuram exſufflationem, quæ ab alia parte foret auſpicanda. Hieron. *Quibuſdam gradibus peccantibus tormenta tribuuntur, ut paulatim veniant ad ſalutem, Qui noluerint percutiente virgâ emendari, mittentur in ollam æneam, atque ſuccenſam: quæ à facie aquilonis accenditur, Babyloniorem regem ſignificans & urbem Hieruſalem.*

Verſ. 14. *Tum dixit Jehova mihi, ab Aquilone erumpet iſtud malum ſuper omnes habitatores hujus terræ.*

II. *Explicatio* verſ. 14. à Deo rurſus additur, quia ſigna & ſimilitudines non rectè ſemper intelliguntur; maxime ſi agant de rebus quæ vel captum ſuperant, vel opinioni ſpeive repugnant, niſi addatur explicatio: Hinc illa Judæorum vox Ezek. 20: 49. & Matt. 13: 11. ſeq. Eſt vero hîc declaratio, unde & ad quos calamitas eſſet perventura: Loquitur enim de Malo ſeu miſeria, quam adumbrarat fervens accenſo per flatum igne olla. Inter ſupplicia graviſſima eſt bullitio in ollâ, quæ pœna ſtatuitur in adulterantes monetam, & quam Johannes Apoſtolus ſub Domitiano ſuſtinuiſſe dicitur illæſus, eaque propter in Pathmum relegatus.

Terminus à quo, *ab Aquilone* תפתח *malum*. Non dicit תבוא *veniet*, ſed תפתח *aperietur*. D. Kimhi ſenſu ſolvendi, ut Gen. 24: 32. ויפתח הגמלים: Cum malum hactenus clauſum quaſi ligatumque teneretur, jam aperientur clauſtra & repagula, ut erumpere queat, quemadmodum olim in ſpectaculis, Leones, tigrides, pantheræ, feræque aliæ in caveis clauſæ aſſervabantur, uſque dum apertis illis emitterentur in beſtiarios, qui damnati cum feris committebantur. Habet Deus theſaurum judiciorum clauſum & obſignatum Deut. 32: 34. quem quando aperit, magna vi erumpunt, non aliter quam cum in diluvio cataractas cœli aperuit, ut aquæ impetu maximo ruerent in terram, quomodo etiam abyſſi fontes reclauſit. Apoc. 9: 14. &c. Solvi jubentur 4 Angeli ad Euphraten, qui tertiam partem hominum erant necaturi. Sic Zach. 4. pœna impietatis habitat in Epha, & maſſa plumbea tegitur; quæ ſi removeatur, erumpit maximo cum damno hominum. Sic Rom. 2: 5, 6. Abrab. quod innuerat voce פנים, hîc confirmari credit, ex propria ſignificatione verbi פתח *aperire*, *incipere*. *Ab Aquilone aperietur, initium ſumet malum*, Babylonii primi incipient Hieroſolymæ deſolationem; ſed erit hoc initium; adeoque ſequetur ab alio latere conſummatio deſolationis, vid. ab Occidente per Romanos, qui longe graviora mala Judæis intulerunt.

Terminus ad quem, על כל יושבי הארץ. Sunt hi Hieroſolymitani & Judæi univerſi: qui ollâ contineri ſignificabantur: adeoque articulus determinativus eſt, terram Judæorum denotans. Abrab. putat ſimul notari omnes regiones & nationes, qua pariter à Nebucadnezare ſubjugatæ: ſed prius convenientius eſt. Nam Judæi qua carnem etiam per omnem deſignantur. Jer. 12: 12. Ezek. 2: 48. cap. 21: 4, 5. & ſeqq. id confirmant. Hieronymus ἀκριβεῖζει, quando per habitatores terræ impios intelligit, qui ſint terræ incolæ, cum pii tantum ſint peregrini & advenæ. Sed non tantum impii; verum etiam pii nonnulli eadem mala tulerunt; quia in judiciis communibus contra populum aut ſtatum aliquem, communiter omnes involvuntur. Non ſemper Deus facit diſcrimen, ut Iſraëlis & Ægyptiorum. Multum eſt ſi tum piis ſola vita detur in prædam, quod promittitur Ebedmelecho. Jer. 39. & Barucho cap. 45.

Verſ. 15. *Nam ecce ego evocaturus ſum omnes familias regna Aquilonis, dictum Jehovæ, ut venientes ponant quiſque ſolium ſuum* ad *oſtium portarum Jeruſchalaimorum, & contra omnes civitates Jehudæ.*

III. *Applicatio* verſ. 15, 16. Longè evidentius omnia edifferit, indicans 1. Efficientem, principalem & inſtrumentalem, 2. Subjectum, 3. Effectum, & 4. Impulſivam externam.

1. *Efficiens principalis* Deus eſt. *Nam ecce me vocantem.* Ab Aquilone incipiet, orietur malum, non caſu, aut ſola illarum gentium ambitione, venatorio animo, ut Nimrod monarcharum primus. Hæc quidem mens ipſis non deeſt. Eſa. 10: 7. Exaltatio non venit ab ortu, vel occaſu, vel à deſerto ſeu meridie, ſed Deus judex; hunc deprimit & illum extollit, Pſ. 75: 7, 8. Iccirco in ſe vult converti oculos, *Ecce me.* Amos 3: 6. Lam. 3: 38. *ex ore Excelſi* &c. Bruta, quæ terram prona ſpectant, tantum quæ ante oculos ſunt vident. Canis mordet lapidem in ſe conjectum: ἀνθρώπους δεῖ ἄνω πέπτωκεν ἄπτα, & Cœlum ejuſque rectorem intueri; & filios Patrem, domus ſuæ moderatorem ſummum. Sicut Deus hîc inculcat הנני, ita nobis ſemper cogitandum הננו. quam religiosè, juſtè, ſobriè ſemper viveremus? *Vocantem* ſe dicit. Non magno molimine opus, nec vel vi, vel prece comparandi miniſtri; ſolâ voce omnes concire poteſt: ad nutum ejus cœlum & terra omneſque eorum exercitus præſto ſunt. Vocat quæ non ſunt ut ſint Rom. 4: 17. & multo magis quæ ſunt, ut hîc illic ſint, hoc illud agant. Promtius omnia obſequuntur ipſi, quam milites illi ſuo Centurioni. Matt. 8: 9. Dan. 4: 35. Pompejus dicebat, modo pede pulſaret terram, integros exercitus ſe excaturum. Dei vox potentior, totum orbem habet obedientem. Mare & venti parent. Matt. 8. Non tantum vox illa terribilis Pſ. 29. quæ vi majori quaſi cogit ad obſequium: ſed etiam vox ſilentii tenuis 1 Reg. 19: 12. ſecreta efficacia, quæ ad montes penetrat. Kimhi. שאולו אני קורא להם שיבואו כלומר אשים בלבם שיבאו. Eximunt naturæ humanæ patroni Pelagiani, & quotquot hos ſequuntur, *voluntates* humanas efficaci illi voci Dei, & non niſi ſuadendi vim habere dictitant, manente hominibus arbitrio ſequendi vel recuſandi, admittendi vel repudiandi. Sed annon in efficaci prædicatione Euangelii vox Dei eſt? num ea minùs hîc valet, quam alibi? aut raucam communis providentiæ imperio factam credimus, ut heic ſonare nequeat? *Ecce me vocantem*, ſatis erat ut perſuaderetur totam mundi univerſitatem convocatum iri, ſiquidem vellet: & pariter convocatum iri ut convertantur & credant, & obſequantur, quotcunque placuerit vocare ex Judæis & Gentibus. Joh. 6: 44, 45. tractio Dei nihil aliud eſt, quam auditus vocis ejus. Quod non omnes ſequantur inde fit, quia ad omnes vox illa non dirigitur, ex intentione Dei. Eſa. 13: 3. ſoli קדשים vocantur. conf. Act. 13: 48. crediderant, quotquot ἦσαν τεταγμένοι (militari vocabulo) erant ad vitam æternam; (alii voce Pauli non fuere commoti ſic, ſed in odium exarſerunt) & circa eos adeo efficax eſt miniſterium hominum, ut leviſſimo nutu alliciantur, verſ. 2. ſicut nemo illorum in hoſtratione deficiat verſ. 4. Sane קרא קריא de convocatione hoſtium Eſa. 22: 5. & Eccleſiæ uſurpatur. Num. 24: 17.

Inſtrumentalis: quinam & quo ſucceſſu. 1. *Omnes familias regnorum Aquilonis.* Plura regna ſuberant Nebucadnezari, quorum reges ejus erant ſubditi & clientes. Eſa. 10: 8. uti Benhadad 32 habebat 1 Reg. 20: 1. Orientales Monarchæ ſoliti fuerunt omnes ſuos reges ſubjectos ſecum educere in bellum, tum ut auxilio eſſent, tum ne ipſis abſentibus aliquid turbarent domi. Et cum regibus, familias regnorum: quia non mercenario milite utebantur, ſed quivis ſubditorum juſtæ ætatis, ſequi tenebatur militiam; nec erat familia, unde non aliqui unà cogerentur ire. 1 Sam. 11: 7. 1 Sam. 17: 12, 13. Quivis etiam regum clientum gloriæ ſibi ducebat, quam plurimos adduxiſſe. Exemplo eſt Pythius Phrygius, qui cum à Xerxe petiiſſet pro jure hoſpi-

hoſpitii, ut ex quinque filiis minimus ſibi domi relinqueretur Xerxes medium illum filium ſecari juſſit, & traduxit exercitum, indignè ferens hanc declinationem belli. Ut ſignificetur exercitus numeroſiſſimus, & ordinatiſſimus ſub ſuis ducibus. II. *Venient, & locabunt quiſque ſolium ſuum*, dignitatis & poteſtatis regiæ ſymbolum; *ad oſtia portarum Hieroſolymæ*: eo animo ut proxime ſint acceſſuri, nullo terriri periculo; & ea ſecuritate ut nihil eos impediturum ſit, nulla vi aut armis contra valentibus. Maxima proinde vocis divinæ efficacia, quæ obſequentes habet, & proſperantes. Eſa. 7: 18. dicitur ſibilus, cap. 5: 26. præter ſibilum, elevatio vexilli: aliàs mandatum cap. 10: 6. & legimus vim iſtam agnitam; Sanherib Eſa. 36: 10. Pharao Necho 2 Chron. 35: 21. Efficacia autem pulcherrime indicatur Apoc. 17: 16, 17. Sed quis jam dubitabit eandem eſſe vim vocis divinæ in congregatione Eccleſiæ? Eſt enim pariter elevatio vexilli Eſa. 11: 10, 12. Eſt motio cordis efficax Act. 16: 14. ut inimicitiam cum veteri amico ineant Gen. 3: 15. Col. 1: 13.

2. Subjectum, *Hieroſolyma, ejus portæ & mœnia, & omnes urbes Judæ*. Univerſalis occupatio regni Judæ, minorum urbium & metropoleos, cujus potituri eſſent poſt obſidionem. In muris & portis erat robur; ſed deficiunt potentiore adverſario. *Contra muros*, qui plures cingebant Hieroſolymam Jer. 39: 4. & contra urbes alias, dum durabant obſidiones, ſed *in portis* poſt occupationem ſolia locant, Jer. 39: 3. Nihil excludit, quod Deo vocante & adducente; omnia referari, & patere debent. Act. 16: 14. collocat Chriſtus ſolium ſuum ibidem, ceu victor. Pſ. 110: 2.

Verſ. 16. *Quamobrem eloquuturus ſum jura mea contra iſtos, propter totam malitiam eorum, quia dereliquerunt me, & adoleverunt diis alienis, & incurvaverunt ſe* honorem exhibentes *operi manuum ſuarum.*

3. *Effectum*, verſ. 16. *Et eloquar judicia mea cum ipſis*, אותם pro אתם: non cum Babyloniis, ut inſtruantur de voluntate meâ quam exſequendam habent, quo pertinet Jer. 40: 2, 3. ſed cum Judæis, quod ſeqq. poſtulant. Ergo citaturus, imo tracturus eos erat ad ſuum tribunal, & litem conteſtaturus, imò contra convictos ſententiam pronunciaturus. Porro quia loqui Dei judicis cum efficacia fit, ſimul indicatur ſententiæ exſecutio; ſive condemnatoria ſententia realis, uti increpatio Pſ. 9: 4. Pſ. 68: 31. Sic actum cum Zedekia 39: 6. à Nebucadnezare 2 Reg. 25: 5. Jer. 52: 9. Sed inde diſtinguitur judicium Dei. Ezek. 17: 20. Væ autem illi quo cum in judicium venit Deus. Eſa. 66: 16. Meritò id deprecatus eſt David Pſ. 143: 2. Non datur exceptio contra judicem ejuſque forum: eſt judex univerſæ terræ. Gen. 18: 25. nec provocatio ad judicem ſuperiorem, cum ſit altiſſimus Pſ. 82: 1. &c. neque ratio ulla flectendi aut corrumpendi judicium. 2 Chron. 19: 7. Si hominum judicium metuimus, Dei longè majus, qui omnia novit Pſ. 44: 22. etiam quæ nos ipſos latent 1 Joh. 3: 20. & qui ſeverius judicat. Luc. 12: 4. &c.

4. *Impulſiva* denique ſunt I. in genere, *malitia eorum*, eaque *omnis*: quicquid perperam actum, contra Deum & proximum. Nullum peccatum eſt, cujus notitiam non habeat, memoriam non ſervet Deus; & de omnibus pronunciat; non quod juſtum non foret de ſingulis judicium, ut coacervanda fuerint: nam Rom. 6: 23. Sed quia Deus longanimis diu tolerat, & ſic invitat ad reſipiſcentiam. Rom. 2: 4, 5. qui tandem cujuſvis rationem habet Pſ. 50: 21. אוכיחך ואערכה. Scilicet quod differtur, non aufertur. Debiti ſolutio quando non exigitur, non tamen condonatum ſignificatur. Pœna dilata fit gravior, quia multiplicatis peccatis redditur. Eſa. 65: 6, 7. II. In ſpecie graviſſima, & contra Deum admiſſa, 1. negativè. Defertio Dei, apoſtaſia, fœdifragium; contra rubricam Decalogi; *Ego ſum Dominus Deus tuus*. 2. Poſitivè, perduellio, homagiumque hoſtibus præſtitum, idque bifariam colendo Deos alios religioſe, ſuffiendo, contra 1. præcept. & faciendo Deos, atque hos quoque religioſe colendo, contra 2. præcept. 613. præcepta numerant Hebræi, & ſignum eſt תורה quæ vox 611. conficit; addunt duo, quæ Deus ſuo ore pronunciavit, Ego ſum &c. uſque ad finem ſecundi præcepti. Hinc forte lucem accipit Act. 7: 38. de Angelo dante legem vid. quoad reliqua præcepta. Sed hæc in ſeqq. pleniùs exſequetur.

Idololatria hinc diſtinguitur, eſt aliqua ſtupidior, alia minus ſtupida. Hanc dicimus, quâ falſi quidem Dii coluntur, ſed citra ſimulachra χαρακτῆρας. Iſtam, qua talia fiunt & coluntur. Plutarch. in Numa. *Hic vetuit Romanis hominis vel beſtiæ formam tribuere Deo; neque fuit ulla apud eos ante vel picta γραπτὸν vel ficta πλαστὸν imago εἰδῶν Dei, ſed primos 170 annos templa exſtruxerunt & cellas diis, ſimulachrum ἄγαλμα ἴμμορφον per illud tempus nullum habuerunt; nefas putantes auguſtiora exprimere humilioribus, neque aſpirari aliter ad Deum poſſe quam mente.* Ad hæc hoſtiæ ejus reſpondent plane victimis Pythagoricis, incruentæ enim erant, ac fere farinâ, libaminibus ex vino & rebus ſimpliciſſimis parabantur. Unde liquet Romanos modernos degeneraſſe ab antiquiſſimis, & turpiſſimam idololatriam adſciviſſe & tueri mordicus, qui proinde longiſſime abſunt à fœdere Dei, quod ſibi tamen, ceu ſponſæ Chriſti incorruptiſſimæ vendicant.

Verſ. 17. *Tu itaque accinge lumbos tuos, ut ſurgens eloquaris apud eos quicquid ego præcepero tibi:*

Repetitio Instructionis ſupereſt, qua Prophetam Deus I. monet officii, II. animat.

I. Monet officii verſ. 17. ut expeditus promptè mandata ſuſciperet & exſequeretur: ואתה *Et tu*, hoc eſt, itaque tu, quemadmodum והגליתי אתכם. *Itaque tranſportabo vos.* Amos. 5: 27. ופרח *Itaque florebit* Hoſ. 10: 4. *Cinge* &c. Orientales togati incedebant, veſte longiori, quocirca iter facturi, aut celeriter quid expediturі cingebant lumbos. Exod. 12: 11. 1 Reg. 18. verſ. ult. Luc. 17: 8. Certitudo & celeritas rerum denunciandarum gemino ſigno fuerat ſignificata, eoque haud æquum erat denunciaturum tardum eſſe aut ignavum. Sanè quoties Deus vigil feſtinuſque vult agere, legati ejus vigiles & feſtini eſſe debent in faciendo indicio. Tardum famulum nemo fert patienter, nec Deus alios quam expeditos vult miniſtros. Sacerdotes ea propter ſemper cingulum geſtare voluit, quo ſemper parati forent ad opus, quotieſcunque vel de populo aliquis ipſorum operæ indigeret in iis, quæ apud Deum agenda Heb. 5: 1. offerendo ſacrificia; multò magis ſi Deus ipſis aut populum uti vellet. Exod. 28. Et Elias coriaceum cingulum ſemper geſtavit, ut inde agnoſci potuerit 2 Reg. 1: 8. quia opus reſipiſcentiæ quod urgebat, accinctum poſcebat. Sic qui venit in Spiritu Eliæ, Johannes Baptiſta geſtavit cingulum, quo foret expeditus præcurſor Chriſti, & qui pararet ei viam. Marc. 1: 6. Hinc Luc. 12: 35. *Sint lumbi veſtri accincti* &c. Et omnibus piis dicitur 1 Pet. 1: 13. quod explicatur Jac. 1: 19. &c. Sed actiones omnes ſuam qualitatem accipiunt à fine, unde malæ vel bonæ dicuntur; quamobrem hîc quoque finis conjungitur, *& loquere ad eos omnia, quæ præcepi tibi.* Non omnis promtitudo doctorum Eccleſiæ commendanda. Jer. 23: 21. Currebant quidam, & prophetabant, ſed non miſſi, nec juſſi 1 Reg. 22. Achab prophetæ & Matt. 23: 15. obibant terras & maria. Falſi Doctores hîc palmam diligentiæ dubiam faciunt, imo præripiunt, veris. Luc. 16. 2 Tim. 3: verſ. 6, 13. Matt. 23: 14. exemplo ſeductoris primi 1 Pet. 5: 8. Diligentia tum demum commendanda, quando inhæret mandatis à Deo. 2 Tim. 3: 15. &c. cap. 4. verſ. 2. &c.

Ne conſternator attritus conſpectu iſtorum, ut non conteram te in conſpectu ipſorum.

II. Animat, mandato, comminatione, promiſſione.

1. *Mandato*: אל תחת מפניהם. Plus dicit, quam verſ. 8. Illic metus ſimplex אל תירא: hîc conſternatio; metus talis qui cadat in virum conſtantem. חתת *fractus, confractus, conſternatus fuit* terrores & conſternationes animi notat, quibus quaſi frangitur. Talis terroris cauſa non erat defutura, quia adverſarii fore dicuntur Reges Judæ, Principes ejus, Sacerdotes & populus terræ: omnis generis & conditionis homines, ſummi & imi, Politici & Eccleſiaſtici; qui autoritate, conſilio, poteſtate, vi atque impetu valebant quique oppugnaturi erant, quicquid arte aut marte, fraude vel vi poterant ad ejus perniciem collaturi. Attamen interdicitur conſternatione. Eſt hoc ſi non ſupra vires humanas ſaltem faſtigium; quo heroica virtus pertingit,

Etsi quis Stoicam ἀναισθησίαν induerit, & jam didicerit vitam contemnere, & morti arridere posse, quantiscunque tormentis comitatæ. Uti hac animi constantia oportet, qui ceu oves mittuntur in medium luporum ut Matt. 10: 16. ubi quod subjungitur vers. 17. φυλάσσεσθε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, non eò pertinet, ut fugere liceat; nedum ut id suadeatur, sed ut prudentiæ moneat & fortitudinis, quo in omnem sortem parati, & omnia incommoda meditata habentes, imperterriti periculis etiam obviam eant.

2 *Comminatione*, מִן אֵחַתֵּן לִפְנֵיהֶם conterendi significatum habet. Chald. *frangam te*; *cadere faciam te*, Kimhi & Abrab. Hieron. prorsus alienè, ut omnis emphasis & comminatio pereat. *Ne timeas faciem eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum. Et est sensus juxta translationem nostram: Noli timere à facie eorum, me enim adjutore eos timere non poteris. Et est sensus: Eruam te, non in eo ut tibi nullus insidietur: sed in eo ut patiens insidias non delinquas.* Atqui in posteriori membro est לִפְנֵיהֶם, non מִפְּנֵיהֶם. Rectius LXX. uti Hieron. citat, *ne forte timere te faciam.* Verum meus Codex Græcus sic non legit, sed habet repetitionem: μὴ φοβηθῇς ἀπὸ προσώπου αὐτῶν, μηδὲ πλησθῇς ἐναντίον αὐτῶν. Sunt hæc verba comminatoria, quibus desidiam & meticulositatem excutere vult: juxta illud Jer. 48: 10. Quemadmodum legatus, qui legantis dignitatem prostituit suâ timiditate, graviùs domi punitur, quam istic potuisset tractari. Et timidus miles qui incertam necem fugit, apud suos certam invenit. Etenim huc facit illud Matt. 10: 28. Luc. 12: 4. &c. Hostes terrent, Deus sternit; illi animum frangunt, hic animam & corpus. Gravius offendere hujus, quam illorum majestatem, & ultio proinde pariter gradu variat. Satius ergo hominibus displicere quam Deo: maximè cum hoc infidelitatis sit, istud fidelitatis; quorum prius æternum væ procurat, tortoremque in conscientia locat; posterius eam tranquillam conservat & mercedem æternam præstat.

Vers. 18. *Ego enim ecce pono te hodie velut civitatem munitam, & velut columnam ferream, murosque aheneos toti huic terræ, regibus Jehudæ, principibus ejus, sacerdotibus ejus & populo hujus terræ.*

3. *Promissione*, quod insuperabilem velit reddere, idque ab hoc die; quam primum munus auspicabitur, etiam experietur hanc benedictionem.

Robur istud indicatur similibus 1. עִיר מִבְצָר *urbs munita*, quæ potest insultus hostiles sustinere: 2. עַמּוּד בַּרְזֶל *columna ferrea*, quæ firma consistit, neque ut lapidea aut latericia ferro vel igne violari potest: 3. חוֹמוֹת נְחשֶׁת *muri ahenei*; qui nulla violantur rubigine, nec cæsi imbribus depereunt; iique non unus, sed plures, quo spes prævalendi præcidatur. Quemadmodum Hierosolymæ tribuit muros, sed omnes superabiles; sic hîc plures insuperabiles. Impii quando à Dei ministris oppugnantur, simile quid habent, Esa. 48: 4. נִיד בַּרְזֶל עָרְפֶּךָ וּמִצְחְךָ נְחוּשָׁה & 2 Cor. 10: 5. sunt munitiones. Sed fortiores illi, vid. Ezek. 3: 8. &c. ut non vincantur, vel ut impios etiam vincant 2 Cor. 10: 4. &c. nam facit Deus eos semper θριαμβεύειν. 2 Cor. 2: 14.

Adversarii enumerantur, *in genere*, tota terra: non unius urbis incolæ, sed urbium omnium totius regionis: quemadmodum ne quidem in Anathoth patria sua tutus fuit, Jer. 11. *In specie*, Reges quorum quatuor malos vidit, & pessimum Jojakimum: Principes, Sacerdotes, totum populum. Conf. Act. 4: 27. Dum *Reges* dicit, diuturnitatem ministerii sui prophetæ significat, vel difficultatem & corruptionem. Prov. 28: 2. Principes autem quod illi mali sæpe etiam cum Reges boni, Mich. 3: 9. &c. Jer. 26: 18. coll. Regum seductores blanditiis 2 Chron. 24: 17. voluptatibus Hos. 7: 3. &c. terrore Jer. 29. Hieron. *qui terrena sapiunt, & cœlestia non noverunt: qui habent imaginem χοϊκοῦ & non cœlestis; hi bellabunt adversùm te & non prævalebunt.* Lubet hîc attendere distinctionem ex accentibus; magis cohærent reges & principes: quia utrique pietatem habent externam & corporalem; quia principes regum quasi manus, & oculi, & mens quoque sunt: quia item ambitiosiores, captant regum gratiam per quos potentia & opibus & dignitate augeri possunt; Rursum magis cohærent Sacerdotes & populus terræ: quia illi demagogi ferè plebis cujus animos fere impellunt quo volunt, superstitione eosdem implentes, ut quadantenus affectus plebis habeant in potestate: Jer. 5. vers. ult. cap. 26. Matt. 27: 20.

Vers. 19. *Qui oppugnabunt te, sed non prævalebunt tibi, dictum Jehovæ, ad eripiendum te.*

Actio eorundem, oppugnatio, sed irrita: quod pollicitus etiam Christus Matt. 10. Luc. 21: 12. &c. Hieron. *Si quando reges Judæ, quæ interpretatur confessio, & principes ejus, & sacerdotes, & populi, episcopi vid. & presbyteri, & diaconi, & vulgus vile atque ignobile contra sanctum virum consurgere voluerint, habeat fidei firmitatem; & timere desistat; qui domino auxiliante superabit.* Etiam in Ecclesia, ubi confessio veræ religionis est, aut esse debet reperitur quandoque universalis conspiratio contra fidos ministros; cujus exempla non una ætas mundi suppeditat. Causa vero cur non prævaleant, est Dei defendentis præscientia, uti jam vers. 8. pollicitus fuit.

CAP. II.

HISTORIA MUNERIS JEREMIÆ ad quod cap. 1. vocatus fuit, secundam libri partem faciens, hinc incipit, & cap. 50. absolvitur. Continet autem prophetias & conciones spectantes I. Judæos cap. 2--45. II. Gentes alias cap. 46--51. Priores non sunt collectæ juxta seriem temporis; nam aliquæ sub Zedekia habitæ antecedunt alias sub Jojakimo, Conf. cap. 21. cum 25, 26, 27. rursùm cap. 32, 33, 34. cum 35, 36. Imo quandoque Concio, & ejusdem historia sejuncta occurrunt Conf. cap. 7. & 26. Distribui tamen possunt in Conciones Prophetæ I. Liberi, capp. 2--31. item 35, 36. II. Captivi capp. 32--39. III. Liberati capp. 40--45.

LIBER varia egit & dixit variis temporibus: quæ persequemur quo ordine sunt consignata.

CONCIO PRIMA.

INcipit cap. 2. cap. 3: 5. estque ea quæ innuitur cap. 1: 2. habita nempe 13 anno Josiæ, quinquennio ante inventum librum Legis, quod factum anno 18 Josiæ: nam vers. 8. innuit magnam ignorantiam legis in omnibus *ordinibus*. Sed proxima Concio, cap. 3: 6. post repertum legis librum, imo post reformationem subsecutam habita fuit. Non quod una tantum concione defunctus fuerit Jeremias, ante illam alteram; sed quod omnium concionum priorum argumentum hac una compendio comprehensum contineatur.

In hac porro occurrunt I. Mandatum Dei de eâ habendâ vers. 1, 2. II. Exordium vers. 2. III. Propositio habens recitationem beneficiorum Dei vers. 2, 3. IV. Tractatio constans exprobratione & convictione vers. 4--37. V. Conclusio, gratiæ oblationem faciens quanquam neglectæ cap. 3. vers. 1--5.

Vers. 1. *Et fuit verbum Jehovæ ad me, edicendo:*

I. MANDATUM recitatur I. in genere. vers. 1. II. in specie vers. 2.

In genere vers. 1. formula, quæ occurrit cap. 1: 4, 11, 13. cujus frequentissimus usus, in frontispicio singularum concionum. Legantem ejusque mandatum sic inculcat; neque enim nimius in eo esse potest minister Dei. Interest & ipsorum, & auditorum, ut hic autor innotescat; Non satis efficaciter movet corda, nisi quod à Deo cordium formatore, eorumque potestatem habente fuerit profectum, & qui hisce instructus venit potest concipere fiduciam de successu. Neque certius alii persuaderi possunt de veritate verborum, nisi cum patuerit à Deo, qui solus verax, esse profecta. Quod ad se sigillatim factum dicit, significat, licet vocationem semel haberet, si cum auctoritate loquendum esset, semper novis non tam mandatis, quam viribus & animo instruendum fuisse: adeoque se jugiter paratum fuisse ad excipienda nova jussa, subsidiaque. Non sunt hodiè novæ semper exspectandæ revelationes, habemus sermonem propheticum & Apostolicum: sed meditatione, & cum statu Eccle-

Eccleſiæ collatione opus eſt. Scilicet quemadmodum in dubiis caſibus David ad Abjatharem, *Admove Ephod*, 1 Sam. 30: 7. ſic illi, admoveant Biblia Eſa. 8: 20. nam 2 Tim. 3: 17. ἄρτιος, omnibus numeris perfectus, confer. verſ. 16. cap. 4: 2.

Verſ. 2. *Abi ut proclames audientibus Jeruſchalaimanis, dicendo, ſic ait Jehova, recordor tibi benignitatis adoleſcentiæ tuæ, amoris ſponſalium tuorum: te proſecutum eſſe me per deſertum, per terram non ſatam.*

In ſpecie verſ. 2. dicitur quid, & ad quos faciendum.

Quid, *Ito & clama.* Quamprimum vocatus & in munere collocatus eſt, ad opus & laborem adhibetur; neque enim Propheta, doctor Eccleſiæ, eſt titulus duntaxat dignitatis, otii, aut etiam commodi, ſed laboris: tum vero otio renunciandum, & opus ſuſcipiendum non ſuum, ſed alius, qui vocavit. 2 Tim. 4: 5. ἔργον ποίησον εὐαγγελιστοῦ, τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον. Nec huic tantum id mandatur: ſed Eph. 4: 11, 12. Chriſtus dedit varii ordinis miniſtros, εἰς ἔργον διακονίας. Miniſterium autem qui dicit, non otium ſed laborem dicit, ſimulque tempus ex aliena voluntate ad alienum opus diſpenſandum. Quos Chriſtus Apoſtolos XII. conſtituit, & mox LXX. diſcipulos, illico dimiſſi abierunt & demandato operi vacarunt Luc. 9: 1. &c. cap. 10: 1. Cæterum labor ipſorum occupat potiſſimum pedes & os: juxta mandatum. Jer. 1: 7. Sic Matt. 28: 19. Marc. 16: 15. Cum Deus jubet ire, non ſedendum; imo ne quidem retroſpiciendum. Luc. 9. verſ. ult. Ne quidem ſalutatio amica peragenda, officia humanitatis, ſi id conjunctum cum neglectu muneris. Luc. 10: 4. Cum idem jubet loqui, non ſilendum: cum clamare, non parcendum lateribus. Eſa. 58: 1. Baptiſta *vox clamantis* fuit. Per meton. effecti opus ipſorum dicitur *auditus.* Eſa. 53: 1. מי האמין לשמעתנו. Qui hæc negligunt deſcribuntur. Eſa. 56: 10. *Canes muti qui nequeunt latrare, & ſtertentes, recubantes, amantes dormitare.* Canum nomen non infamat eos; ubi Chriſtus ipſe Paſtor unicus, ipſi tantum canes cuſtodes gregis; ſed infamat quod ſint ſomnolenti & muti canes, quales prorſus inutiles.

Ad quos: *in auribus Hieroſolymæ*, incolarum ejus, & quotquot eo veniebant. Erat hæc metropolis regni & religionis, communis mater omnium Judæorum, ut ſub ejus nomine liberi ejus omnes intelligerentur. Gal. 4: 25. & Matt. 23: 27. τέκνα ejus ſunt Judæi univerſi. Hinc in nova Hieroſ. 12. portæ pro omnibus tribubus, ut commune omnium jus ſignificetur. Ezek. 48. Apoc. 22. Fuit urbium Cananææ maxima, ob frequentiam habitantium & eò convenientium Pſ. 122. eoque merito hoc prophetæ dictum, *Ito & clama.* In magnis urbibus miniſtrorum pedes & ora fatigantur. Eſt iſtic plerumque major I. Frequentia hominum, & hinc plures curandi; uti circa magnum gregem, major paſtoris labor. Ezek. 34: 4. exemplo Pauli Act. 20: 31. Sed maxime quoad vocem, ea debet eſſe major. In exiguo auditorio ſubmiſſius licet loqui, in frequentiori opus eſt Boanerge ut ad omnium aures vox pertingat. II. Strepitus: iſtic τυρβάζονται πολλὰ, & magna ſollicitudo circa βιωτικὰ; qualis ſtrepitus Tyri Ezek. 27. Magis ergo currendum, ut vacivi reperiantur; clamandum ut in ſtrepitu exaudiantur: imo ut ſua voce vincant ſtrepitum qui aures occupatas detinet. III. Securitas: ſomnus civium minus ſollicitus, quam in agro, & locis ſolitariis, ubi nulla vicinia. Eſt quoque ſecuritas ſpiritualis fere major, eoque magis inclamandi homines, ut excitentur ex ſopore ſuo. IV. Benedictio, privilegia, abundantia, promotiones & ſpes aliæ, amicitiæ; & quibus plus datum ab iis plus exigitur: majori clamore opus, ut memoria beneficiorum conſervetur, uſus doceatur, & captatio oportunitatis. V. Peccatorum abundantia. Nemo qui non peccet, & quo plures peccantes, eo magis cumulantur peccata, & impletur menſura. Uti contagium magis ſerpit in multitudine, ſic etiam exemplis promovetur peccatum, & roboratur. Magis ergo contra clamandum, curandum. Plures ibi Medici, & Judices neceſſarii; & plurium prophetarum vox concitata. VI. Proventus judiciorum. Crebriora incendia & quæ latius ſerpunt ac nocent: & convocatio ad reſtinguendum ſit tuba, & campana maxima. Majori voce denuncianda judicia, & excitandi ad reſtinguendum; etiam cum profundiſſime dormiunt. Act. 2: 40.

II. Exordium. verſ. 2. *Sic ait Dominus.* Majeſtatem & dignitatem legantis præmittit; Hanc facit exordium; more prophetarum ſolenni. Neceſſarium iſtud ad homines, maxime in magnis urbibus. Hic reperiuntur multi potentes tum dignitate & munere, tum opibus; qui ſibi licentiam ſumunt majorem, nec ferunt facile contradicentes. Imo Eccleſiæ miniſtri his contemtui ſunt, quia deſunt eis externa autoritatis argumenta. Tales ipſis ſunt ἀτιμοτέροι. Act. 17. verſ. audiunt quod 2 Chron. 25: 16. Amazia dixit Prophetæ. Eſa. 49: 7. de Meſſia, בזה־נפש & מתעב גוי & עבד מושלים. Ergo neceſſum eſt ut verbis ſuis pariant autoritatem ab eo qui omnibus major, & potentior, & cujus autoritatem nemo declinare poteſt: qui excelſior excelſis Eccl. 5: 7. legantis verba ſi ſe loqui profiteantur, ſimul ſibi neceſſitatem obedientiæ impoſitam profitentur; qualiacunque etiam proponenda ſint, grata ingrata, ſuavia odioſa; & auditoribus, neceſſitatem audientiæ, Luc. 10: 16.

III. Propositio. verſ. 2, 3. recitat beneficia Iſraeli exhibita, 1. ſegregationis, verſ. 2. defenſionis. verſ. 3. Præmittit autem argumentum certitudinis, & ſimile ſubjicit.

Quod præmittit eſt, *Recordor tibi, vel de te.* זכרתי לך. Memoriam ſibi Deus tribuit ſuorum beneficiorum. Accuratiſſime rationes notat, neque ullius quod erogavit obliviſcitur. Imo nulla oblivio apud Deum, nam ea conjuncta foret cum injuſtitia: Heb. 6: 10. recordatur dictorum, Malach. 3: 17. paſſionum, Pſ. 56. verſ. peccatorum. Jer. 14: 10. Equidem promiſſio eſt Jer. 31: 34. ſed intelligitur, non recordaturum ut vindicet, & compenſet. Debita disjuncta manent in libro, ſed per cancellationem aboletur memoria, quæ poſcat ſolutionem. Nam quod homines debent recordari condonatum Pſ. 103: 23. id Deus ſic non obliviſcitur. Cæterum לך ſignificat vel *bono tuo:* ut quamvis indignus ſis, tamen me tibi olim benefeciſſe recorder; quo juxta conditionem donorum gratiæ ἀμεταμελήτων, porro tuum bonum cordi habeam reprehendendo, convincendo, gratiam offerendo, atque etiam conferendo & conſervando. Rurſus Hoſ. 4: 6. obliviſcitur liberorum quando nullam habet defenſionis curam non ſecus ac ſi ſupereſſe oblitus eſſet. Hæc enim ſimiliaque Deo tribuuntur ἀνθρωποπαθῶς, & ſignificantur ejuſmodi effectus, qui apud homines ad tales affectus ſequi ſolent. Vel, *de te:* uti enim Eccleſiæ curâ Deo magis cordi 1 Tim. 4: 10. ſic quoque magis ejus recordatur, ne quid curæ neceſſariæ ei deſit. Pſ. 115: 12. Sed quum Deus memoriam ſervet noſtri, annon ejus jugiter meminiſſe debemus? ipſius de nobis eſt ut nobis benefaciat, noſtra de ipſo, ut benefiat nobis, & quia benefactum eſt. Verum nulla frequentior oblivio, quam benefactorum perceptorum. De quo aliàs pluribus.

I. Segregationis beneficium gemino membro definitur. Primum eſt, חסד נעוריך *benignitas pueritiæ tuæ.* Alterum אהבת כלוליתיך *amor deſponſationum tuarum.* כלה *ſponſa*, כלולות *deſponſationes*, à כלל *perfecit, conſummavit.* Diſtinguit intervallis ætatis tempora & gradus ſegregationis, interpretatio petenda ex Ezek. 16. Pueritia verſ. 4. &c. ubi benignitas mera, non quæ ab ipſis profecta; quod refutat ætas, & quæ conjuncta, tum impotentia, tum indigentia, tum conditio averſionem & nauſeam aliis movens; ſed quæ erga ipſos exercita; quæ pluribus deſcribitur. Sic Eſa. 55: 4. חסדי דוד itidem paſſivè; beneficia Davidi ex merâ benignitate præſtita; quæ iſtic Meſſiæ datio etiam ex mortuis, quemadmodum docet Paulus Act. 13: 34. Juventus iſta populi, juxta Hebræos, cœpit cum Abrahamo, continuata & aucta in Patriarchis ſeqq. quando fundamenta jacta populi, Deo fœdus cum Abrahamo ineunte familiare, quod Deus ipſius, & ſeminis ejus futurus eſſet. Et hic חסד locum habuit, non ab Abrahamo ſed à Deo profecta, Gen. 12. & ſeqq. capp. laudata Jeſ. 24: 2, 3. Neh. 9: 7, 8. Indebita enim fuit benignitas, quod idololatram elegerit, & ſegregarit; eademque maxima, quod eundem eductum ex patria paternaque domo deduxerit in Cananæam, ibidemque & tutum præſtiterit, & opibus auxerit tota terra donata; & fœdere ſibi ſociarit, addito ſegregationis ſigillo circumciſione. Deſponſatio eſt Ezek. 16: 8. &c. ubi merus amor: non populi erga Deum, nam aliud docetur. Ezek. 20: 7, 8.

cap. 23: 3. ſed Dei ceu proci & ſponſi; ex cujus præcedenti benignitate habebat, quicquid amabile aderat. Deſponſatio iſta facta per oblationem Dei, Ezek. 20: 4. &c. Exod. 3. ſeq. quæ oblatio repetita cap. 15. verſ. cap. 19: 2. &c. Conditiones propoſitæ de monte Sinai cap. 20. ſolenniter autem ratihabitæ ab Iſraele. cap. 24. Tum vero valuit merus amor Dei Deut. 7: 6, 7, 8. cap. 9: 5, 6. cap. 10: 15.

Additur deſcriptio temporis, *Ambulare te* &c. Non quadrat hoc ætati Patriarcharum, qui ſemper in cultâ terrâ Deum ſecuti ſunt, ſed Iſraelis, ex quo egreſſi ex Ægypto uſque dum attigêre Jordanem, annis 40. Pertinet autem hoc non tam ad commendationem Iſraelis, ceu obſequentis Deo, & reſpondentis fœderali ejus amori; nam quam rebellis fuerit, & repetito murmure & inobedientia, Deum offenderit, hiſtoria teſtatur, & exprobratum fuit à Moſe. Deut. 4: 9. cap. à 6 Deus Ezek. 20. & ante Exod. 16: 17, 32, 33. Num. 11: 14, 16, 21. ſic Pſ. 78: 95, 106. Jer. 7: 25. &c. Quam ad commendationem benignitatum & amoris Dei jugiter & evidenter exerciti Deut. 8: 2. &c. & verſ. 14. &c. Inprimis autem ad confirmationem ſegregationis. Neque enim ſatis ei fuit Patres ſelegiſſe, & populum inde natum fœdere ſingulari ſibi ſociaſſe; verum ut privilegium ſegregationis fieret manifeſtius, ita ſecrevit ab omnibus aliis nationibus, ut ejus ſegregationis cum ipſimet, tum alii populi convincerentur mirabili iſto ductu. Exod. 19: 2. &c. Deut. 4: 32. &c. cap. 32: 9. &c. hinc Bileam Num. 23: 9, 13.

Cæterum magnum eſt hoc ſegregationis beneficium, & magis adhuc miranda cauſa ejus impulſiva, benignitas indebita & merus amor Dei: ſine quibus fuiſſet nulla unquam facta fuiſſet ſegregatio. Ut mirandum ſit ſegregationis bonum quoſdam ad ipſos homines referre, qui ſibi ipſis eo nomine debitores ſint. Valet adhuc illud 1 Cor. 4: 7. Qui ſemetipſos ſegregant in vitio ſunt Eſa. 65: 5. & cap. 66: 17. Ni Deus ſegreget, nemo ſegregabitur. Col. 1: 13. Joh. 15: 16, 19. Sed majus beneficium Deum recordari ſuæ benignitatis & amoris, quibus motus ſegregavit. Nam quemadmodum tum non meritum & dignitatem ſegregandorum ſpectavit, ſed ſolum ſuum beneplacitum ſecutus eſt; ſic quoque indignitas & demeritum non facient, ut amorem & benignitatem ſuam aboleat. Jer. 31: 3, 4. æterno amore &c. quod fundamentum reſtitutionis Iſraelis. Deut. 4: 30, 31. cap. 30: 1. &c. Lev. 26. Rom. 11: 29.

Verſ. 3. *Sanctitatem fuiſſe Jiſraëlem Jehovæ primitias proventus ejus; quotquot comedebant eum reos fuiſſe; malum eveniſſe eis, dictum Jehovæ.*

II. *Deſcriptionis* beneficium verſ. 3. I. Iſraelis æſtimatio, II. Hoſtium ejus pœna.

1. *Æſtimatio Iſraelis*, ſed quæ omnis ex beneficio Dei promanat.

(1.) *Sanctitas Iſrael Domino.* Segregatus ejus peculium factus, appropriatus. Sponſalia dicuntur קדושין, & deſponſata מקודשת. Segregatur enim & ſanctificatur ſponſo, cujus ſegregationis ſymbolum eſt arrha ſponſalitia: fitque ſponſa ſic propria, ut jam tum adultera fiat, & pœnam criminis ejus ferre debeat, ſiquidem alii miſceatur. Deut. 22: 23. &c. Conf. Hoſ. 3: 1. &c. Sic Iſrael per illam ſegregationem factus eſt ſanctitas, aliquid ſegregatum; & quidem *Domino*; qui ſibi deſponſavit Ezek. 16. fecitque ſibi peculium Exod. 19: 56. Deut. 7: 6. &c. cap. 14: 3. Unde toties *Meum* appellat. Tale conjugium deſcribitur Hoſ. 2. verſ. & in N. T. Eph. 5: 23. &c. 2 Cor. 11: 2.

(2.) *Primitiæ proventus ejus*, quia poſt multiplicationem populorum à diluvio factam, primus Iſrael aſſumtus eſt, fuitque proventus populorum principium. Conf. Hoſ. 9: 10. Indicatur ſic privilegium Iſraelis, ut ſimul ſignificetur beneficii ejuſdem ad reliquos populos extenſio. Proventus copioſior eſt quam primitiæ; & proventus omnis Domini eſſe dicitur; ſed primitiæ primæ in uſum veniunt, & quidem Dei ipſius. Lev. 23: 15. &c. Primitiæ ſumebantur ex omni proventu tritici; nil habebant ex ſe præcellentiæ, ſed ex placito ſumentis Sacerdotis, & hæ molendino fractæ, & depſatæ, fermentatæ, ac coctæ in panes offerebantur Deo. Sic Iſrael ejuſdem conditionis cum aliis populis naturâ, ſola dignatione Dei ſegregatus, & in fornace Ægypti quaſi coctus fuit, & oblatus Deo ad montem Sinai. Sed Rom. 11: 16. *Si primitiæ ſanctæ etiam maſſa*; ratione Iſraelis: & pariter ratione aliorum populorum. Sic firmius eſt argumentum quam Abrabanelis ex תחה cap. 1: 14. de repetenda deſolatione. At enim licet tota reliqua maſſa ſanctificaretur in primitiis indefinitè; tamen Deo illa tota non cedebat, ſed ſolum decima. Sic licet omnes populi ſanctificentur, ut ad eos Euangelii prædicatio debeat venire, tamen Dei fiunt non omnes omnium populorum homines, ſed eorum quaſi decimæ. Multi vocati, pauci electi.

2. Jam *Hoſtium ejus pœna* indicatur continuatione metaphoræ. Qui primitias, aliave Deo ſacra comediſſet, aut intervertiſſet, reus erat Deo & ſub maledictione; quæ per ſacrificium ſignificabatur expianda ſanguine. Lev. 5: 15, 16. Sic qui Iſraelem *devorabant*, hoc eſt, affligebant, opprimebant, perdebant. Pſ. 14: 5, 6. Pſ. 79: 7. Pſ. 124: 3. Jer. 50: 17. & cap. 51: 34, 35. facti ſunt rei, & puniti à Deo Ægyptii, Gen. 15: 14. *Populum cui ſervient judicabo* (quod factum conſtat) & quotquot adorti ſunt Iſraelem ejus rei pœnam tulerunt, Amalekitæ, Sihon & Og Amorrhæi &c. Etenim in oppreſſione Eccleſiæ, non tantum eſt in juſtitia uti in omni aliâ; verum etiam ſacrilegium. Ut prudentiæ ſit ſe probare ſanctitatem Domino, & primitias, quia tum injuriam intuliſſe dupliciter reum facit.

Apparet hinc dignitas Iſraelis. Sunt *ſanctitas Domino*, & quidem *primitiæ proventus ejus*: Aliarum nationum fideles tantum proventus. Omnes ſunt filii, ſed Iſrael primogenitus, Exod. 4: 22. Excellentia Chriſti deſignatur voce primitiarum 1 Cor. 15: 23. & primogeniti inter multos fratres Rom. 8: 29. Ergo & hinc excellentia Iſraelis concluditur. Et ſunt adhuc eodem loco poſt converſionem. Jer. 31: 9, 20. & Jac. 1: 18. Imo quemadmodum primitiæ, ſi aliorſum & ad profanum uſum adhiberentur, rectè vindicabantur Deo; bene faciunt, qui operam dant, ut primitias iſtas Dei recolligant, & ad ſanctuarium ejus adducant. Contra qui eos comedunt, qui vel doctrinâ vel vitæ exemplo magis removent à Domino & ſanctuario ejus; etiam nunc reatum contrahunt, & in pœnam incurrunt. Sic concludere jubet oraculum Domini. Nam ſicut ſuo merito non facti fuere primitiæ, ita à demerito non pendet beneficii amiſſio. Deus qui indignos pari cum reliquis populis indignitate, ſegregavit in primitias, ex meræ gratiâ, idem ex eadem gratia indignos, attamen à ſe ſegregatos eo loco conſervat. Conf. Rom. 11: 16. cum verſ. 28, 29.

IV. TRACTATIO habet exprobrationem *ingratitudinis*, deque eâ convictionem. Conſtat geminâ conteſtatione, quâ utrâque oſtendit, ſe nullam illi cauſam præbuiſſe. Nam I. nihil mali eis feciſſe verſ. 4--28. II. omni benignitate eos perſecutum eſſe verſ. 29--fin. cap.

PRIOR CONTESTATIO ſic inſtituitur ut 1. petatur ei audientia verſ. 4. 2. proponatur verſ. 5. cum oppoſitione maleficiorum Iſraelis verſ. 5, 6, 7, 8. 3. maleficia illa ad convictionem probentur. verſ. 9--28.

Verſ. 4. *Audite verbum Jehovæ, domus Jahkobi, & omnes familiæ domus Jiſraëlis.*

I. *Audientiæ poſtulatio* eſt verſ. 4. ubi cui petatur, & à quibus.

Cui, ſunt verba Dei, adeoque Deus ipſe. Sunt Prophetæ echo Dei, & operæ pretium, tales ſe oſtendere, & tales agnoſci. Echo non eſt vox ex ſe nata, ſed alienæ vocis repræſentatio. Silens prorſus eſt, quamdiu vox alia ſilet, ſed alia loquente loquitur. Loquitur autem non prior, ſed poſterior, neque quicquam loquitur quam quod prior locuta eſt. Num. 23: 12. Et refert vocem qualis eſt, eodem plane modulamine, ſive flebilis, ſive jubilans, triſtis vel læta, minabunda tonans, vel blanda conſolans. Viciſſim quia echo vocis divinæ, non indignandum ſi non ad auditorum libitum ſermonem temperet. Nequit echo ridere, voce priore illachrymante & ſingultiente; hac objurgante, minante & terrente, nequit illa blandiri. Neque faſtidiendi quod externa ſpecie careant; locus horridiſſimus plerumque melius refert vocem quam pulcherrimus ab arte: & hic ſi echo reperiatur caſu ſit potiùs, non humano artificio. Et contemtiſſimi ſæpe meliùs & efficaciùs vocem Dei exprimunt; ſaltem ubi artis humanæ plurimum, ab ea tamen hæc vis Echûs non procedit, ſed ab eo qui ſolus idoneos facit, & delectum ſapientum non multorum ſapientum; quo excellentia roboris

ex Deo esse agnoscatur & non ex hominibus. 2 Cor. 4. vers. 7.

A quibus sunt *Domus Jacobi, & omnes familiæ domus Israelis.* Intelligit omnes Jacobi posteros, ad ejus domum & familiam pertinentes: sive ad Judæ regnum, sive ad X. tribus. Hos audire vult tum Judæos, tum, qui ex X. tribubus sub Josia vivebant, annumerati Judæis post Samariæ excidium & deportationem Israelis: quia etiam de iis omnibus agit, cum recitârit commune beneficium, & convincat de communibus delictis. Compellat autem singulas familias, quæ uti singulæ fruitæ erant bonis segregationis; singulæque contulerant aliquid ad reatum, ita singulæ debebant laborare ad prævertenda & avertenda judicia. Estque non sine emphasi familiarum mentio, oppositè ad cap. 1. 15.

Vers. 5. *Sic ait Jehova, quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quòd longè abscesserunt à me, & secuti vanitatem evanuerunt?*

II. *Propositio contestationis prioris* vers. 5. præmissâ autoritate loquentis Dei, ad attentionem quam postularat conservandam, cum citra immutationem verba Dei ipsius enunciaturus esset; habent I. innocentiam Dei, II. Israelitarum ingratissimum factum.

1. *Innocentiam suam* Deus profitetur, provocando ad testimonium judiciumque conscientiæ ipsorum. Patrum mentionem facit, tum ut constantiam suæ innocentiæ ostendat, licet ab ultimorum temporum memoria repetantur omnia; tum ut eos principes ostendat in ingratitudine. Alloquitur autem præsentis ævi Judæos ceu judices Patrum, qui admiratores beneficiorum Dei priscorum Jud. 6: 13. simul illos damnabant, qui iis tanta ingratitudine abusi fuerant, juxta illud Matt. 23: 29. &c. Similis provocatio est Mich. 6: 3. &c. Esa. 5: 3, 4. Equidem sæpè duriùs habiti fuerunt Israelitæ, sed nunquam iniquitas fuit inventa in Deo. I. Recitantur gravissima damna ipsis illata in deserto, jam igne Domini depascente extrema castrorum, Num. 11: 1. &c. jam carnium avidis magno numero prostratis, vers. 33. &c. jam ob rebellionem Korachi 14700. plaga necatis, cap. 16: 49. jam ignitis serpentibus multos morsu interimentibus, cap. 21: 6. &c. jam ob scortationem Baal-Peoris 24000. perditis, cap. 25: 9. imò omnibus ex Ægypto egressis adultis maribus in deserto cadentibus intra 40 annos, Num. 14: 29. Sed hìc nulla iniquitas Dei, verum justitia, quâ punivit peccatores; quemadmodum dixerat, se fontibus non parsurum. Exod. 34: 6. Valet hìc Ps. 119: 147. & confessio Ecclesiæ Neh. 9: 33. & Dan. 9. II. Deut. 8: 3. *Deus humiliavit te & fecit te esurire*, & vers. 15. *duxit per desertum istud magnum & terribile, ubi serpentes igniti, & scorpii, & ariditas, & aqua nulla.* Sed ibidem additur id factum ut tentaret, & sciret quid in ipsorum esset corde, an futuri essent obsequentes. Præterea præbuisse cibum, mannam; conservasse vestes, produxisse aquam ex petra; adeoque docuisse non creaturæ inniti, sed suo verbo, unde certior sustentatio. Est proinde verissimum illud Deut. 32: 4. Ps. 92: 16. Hos. 14: 10.

2. *In gratissimum factum Israelitarum* est descriptum ab utroque termino.

(1.) *A quo*: כי רחקו מעלי. Discessio illa non est ab essentia Dei, & præsentiarum providentiæ; hinc fugere non licet: Act. 17: 27, 28. Ps. 139: 7. &c. sed ab obedientia & cultu: imo quid amplius dicitur quam cap. 1: 16. per שבתי: nam non tantum gradus major est in רחקו *longè recesserunt*, sed etiam emphasis in מעלי; quod plus dicit quam ממני. Τὸ עלי fiduciæ declaratio est, qua alicui quis innititur, inde sustentari volens, quicquid etiam contra adhibeatur consilii aut roboris Ps. 22: 11. ast nunc רחקו מעלי denotat non tantum fiduciam illam deponere, sed longissimè removere, ceu nuspiam minùs tutò locatam; eoque tum maxime securo loco collocandam, quò longius inde fuerit divisa. Heb. 4: 1, 2. Est vero hoc indignum factum. Si, quem amicum rebare, malefaciat non offendenti, justa est discessio: sed si benefaciat jugiter, turpissimum est renunciasse amicitiæ.

(2.) *Ad quem.* Habebant firmissimum fundamentum, cui incumberent, sed hinc longissimè abierunt; & quo ergo se contulerunt? *Iverunt post vanitatem.* ההבל *Vanitas, res vana*; Rabb. est *vapor, halitus* ex ore procedens. הבל juxta Kimhi est דבר המתבטל במהרה והבלה התינוקות. Quicquid in mundo est vanitas dicitur: Eccl. 1: 2. etiam homines, qui terrestrium creaturarum dignissimi Ps. 39: 6, 7. & 62: 9. κατ' ἐξοχὴν sic dicuntur Idola: Jer. 10: 15. Deut. 32: 21. neque enim plus realitatis habent quam vapor halitusque oris; Jer. 16: 19, 20. quia à verbo & voluntate hominum suam divinitatem habent. Hic articulus adest, qui postremo modo suadet accipiendum: quamquam quicquid excellentis vanitatis est intelligi quoque possit. Huic vanitati non incumbere datur, sed illud jugiter persequuntur; ceu canis Æsopicus dimissa carne sequebatur umbram. Non dicuntur apprehendisse, sed pone sequi.

Successus autem est ויהבלו & *vani facti sunt.* Vanitas sectata fecit evanescere: idque dupliciter, quoad culpam Rom. 1: 21. &c. & pœnam Ps. 135: 18. est enim votum Psaltis. Sic utrumque conjungitur. Job. 15: 31. Est vero hìc speculum ejus quod communiter fit. Nulla unquam iniquitas Dei, & jugis fere hominum ingratitudo. Rursum quando fiducia à Deo removetur, nihil habet cui innitatur; vanitatem sequitur sed non assequitur, eoque vanum facit & in vanitate destituit. Quod si spectemus vanitatem. Rom. 1: 21. quomodo Rabb. הבל פיו attendi potest, commodissime observamus, quando, quóque longiùs receditur à Domini verbo, ceu fundamento cui fides innitatur, tum & tantò magis itur pone vanitatem verborum; donec tandem planè quis evanescat; quod in Scholasticis factum fuit; qui deserta Scriptura, ceu solùm inartificialia argumenta subministrante, quæque cuivis possent esse obvia, sectati sunt quæ artificialia erant, rationes ex philosophorum placitis derivatas; nec non quæ his affinia à Patribus fuerant dicta: unde tam bella Theologia nata, quam cordatiores matæologiam appellarunt.

Vers. 6. *Adeo ut ne dicerent* quidem, *ubi est Jehova qui eduxit nos è terra Ægypti, qui fecit ut incederemus per desertum, per terram campestrem & sepulcralem, per terram siccam & umbræ lethalis, per terram per quam non pertransibat quisquam, & ubi nullus habitabat homo?*

Vers. 7. *Quod postquam introduxi vos in terram arvorum ad fruendum fructu ejus & bono ejus ingressi polluistis terram meam, & possessionem meam posuistis abominationi?*

Amplificat porrò indignum hoc factum tum à causa defectionis, tum ab effectu.

(1.) *A causa*, oblivione Dei & beneficiorum ejus.

Oblivio Dei est; *Et non dixerunt*, non tantum ore, sed etiam corde & cogitationibus, *ubi est Dominus?* Quæstio hæc non designat locum; neque enim Deus de loco in locum migrat, cum cœlum & terram impleat; sed quid aliud significatur. Abrab. *Vani facti sunt, regnum & Dominium ipsorum fuit in vanitatem: Cogitare ergo debuissent, quod Deus ab ipsis recessisset sua protectione, eoque quærere & investigare ubi Dominus? Quasi dicat, Dominus non est in medio nostri. Dominus deseruit terram; ut Gideon Jud.* 6: 13. R. Sal. & Kimhi: *Non cogitarunt quomodo ibimus pone Deos alienos, & ubi Deus qui eduxit nos: quasi dicat, quò projecimus eum post terga nostra, neque respeximus ad ipsum.* Chald. *Timeamus Dominum.* Sed sic nondum omnia dicuntur. Indicatur hâc quæstione, Defectionem à Deo ortam esse non ex discessu Dei, sed ab ipsorum neglectu, qui Deum beneficiis testatum, ceu præsentissimum, non quæsivissent, imò oculos clausissent ne viderent. Apertio enim oculorum & eorum directio in locum, est inquisitio ejus quod ibi repositum est: adeoque non inquisitio est quasi obstructio oculorum mentis, ne percipiant: & proximus gradus ad defectionem à Deo ad vanitatem. Scilicet consideratio beneficiorum Dei præsentissimum ostendit. Vestigia ejus stillant pinguedine Ps. 65: 12. Act. 14: 17. cap. 17: 23. &c. Sed qui hâc viâ eum non consectatur, ut beneficia, quibus fruitur, eum manu ducant ad autorem Deum: hunc ex oculis & corde amittit; quod de ingratè obliviosis dicitur Ps. 106: 7, 19. Deut. 8: 32. Hos. 13.

Oblivio beneficii triplicis exprobratur A. Eductio ex Ægypto, B. Deductio per desertum; quod exaggeratur ab hujus horrore & periculo, C. Introductio in Cananæam: quæ tria conjunguntur Deut 8: 14. primum, vers. 2. seq. & vers. 15, 16. secundum, vers. 7. &c. tertium. Rursum cap. 11. duo posteriora cap. 32: 10--14. ארץ כרמל est deliciis referta ut mons Carmel, & subjecta vallis, quæ cum Basane de pinguedine contendere posset: culta agris, vineis, arboribus frugiferis; quæ commendatio Cananææ: cui fœcunditate olim nihil par aut secundum: licet nunc ut Sodoma. Deut. 29.

(2.) *Ab effectu* qui proponitur *in genere & indefinite*, vers. 7. ubi notatur.

A. Tempus: *Et ingressi estis & polluistis.* Fruitio beneficii potissimi, & ejus abusus, ejusdem fere ætatis sunt. Sic ad mare rubrum Ps. 106: 7. ad montem Sinai, vers. 19. Sic ad quævis beneficia Ezek. 20. Estque hoc quotidianum; Quando liberalius subministrantur alimenta & tegumenta, luxus & intemperantia major: cum dignitate & potentia, nascitur augeturque superbia.

B. Factum; *polluistis: impuram reddidistis;* imo *posuistis in abominationem.* Contactu cadaveris, lepra, &c. immundus quis reddebatur; & laborans fluxu menstrui aut seminis impurabat, quicquid contingeret: sed non reddebat abominabile. Ast incestus, & quæ contra naturam, aut sexum admissa erant à Cananæis, liberorum idololatrica mactatio &c. reddidit abominabilem terram. Lev. 18. Israelitæ vero non tantum priori modo impurarant, sed etiam & potissimum posteriori reddiderant abominandam. Ezek. 36: 17. Ps. 106: 37. seq. vid. 2 Reg. 17: 8. &c. Resp. qui longissimè hîc procesit fuit Manasse, 2 Reg. 21. & 2 Chron. 33. qui ipsas gentes Cananæas superavit improbitate. Legatur etiam Ezek. 16. & 23. & Prophetæ passim. Sic impiis in more est benedictiones Dei polluere, Tit. 1: 13. quò liberaliùs habentur, eò magis iis abutuntur. Exemplo etiam est Ecclesia Christiana, data pace aucta fuere peccata: & additâ Romani Episcopi potentia ad tantum fastigium impietas impuritasque processit; ut omnia facta sint abominatio. Esa. 1. vers. 13. &c.

C. Facti aggravatio ab objecto; *meam terram, hæreditatem.* Deus sibi servarat proprietatem. Lev. 25: 23. Israelitæ fuerunt coloni; qui ea propter primitias & decimas canonis instar persolvere debuerunt, & septimo anno terræ vacationem dare. Sic sibi tribuit proventum omnem. Hos. 2: 7. &c. Suo quis utitur pro lubitu; sed alieno uti non licet, nisi ex proprietarii voluntate. Et quis aliquid sui habet? Domini est terra & plenitudo ejus Ps. 24: 1. creaturæ omnes ejus sunt propriæ. Cavendum ne polluamus, & reddamus abominationem. Adami exemplum moneat, qui dominus terræ fuit constitutus; sed mox defecit, & ut est Rom. 8: 20. vanitati creaturam subjecit peccato suo. Qui domum Dei, & sic alia Dei, impurant, & in abominationem in speluncam latronum convertunt; efficiunt ut vel Deus Ezek. 8. deserat loca illa sûâ gratia, eaque destruat Jer. 7. vel auferat à possessoribus Hos. 2. vel hos ejiciat, ut Cananæos, Lev. 18: 23. &c. & efficiat ut sua terra ab abusu vindicetur. Luc. 26: 33, 34, 35.

Vers. 8. Quod *Sacerdotes non dixerunt, ubi est Jehova? & qui tractant legem non agnoverunt me, ac pastores defecerunt à me, denique prophetæ ipsi prophetarunt per Bahalem, & inutilia secuti sunt.*

(3.) *Ab effectu in specie & definitè*, vers. 8. exemplo potissimorum in populo, quorum 4 ordines recenset, & singulis peculiare crimen objicit. Scilicet quibus plus collatum beneficii, fuerunt ingratissimi. Nemini magis benefactum quam Levi Deut. 10: 9. cap. 33: 10. & Magistratibus Ps. 82: 6. Atque hi notantur, Eli 1 Sam. 2: 27. de Levitis Mal. 2: 7, 8. & Saul. 1 Sam. 15: 17. &c. Jeroboam. 1 Reg. 14: 7. &c. Imo quibus benefactum opibus, honoribus, dotibus corporis vel animi, sæpissime principes sunt in defectione. Hæreses ab ingeniosissimis & doctissimis, ferè, tyrannides à potentissimis, oppressiones à ditissimis originem ducunt. Sed qui sunt ordines isti?

A. *Sacerdotes non dixerunt, Ubi est Dominus?* Hi fuêre ordinarii Pastores, seu doctores Ecclesiæ, posteri Aaronis quorum erat instituere populum, ostendere eis Deum & modum perveniendi ad ipsum: quomodo alienati per peccatum rursum conciliari possent, tum per expiationes typicas, tum inprimis per eam quæ antitypi Messiæ, suo tempore peragenda. Sed hi de eo nihil monebant. Abrab. *Non attenderunt ad signa, quæ facta olim fuerant in sanctuario, nunc autem desierant, ut reprehenderent ea propter populum, dicerentque ubi est Deus? nam signa mirabiliaque ejus nobiscum non sunt, quæ olim fuere.* Sic refert Judæorum indolem, qui signa quærebant Matt. 12: 18. cap. 16: 4. 1 Cor. 1: 22. & nisi ea videant, non credunt Joh. 4: 48. Kimhi. *Sacerdotes qui offerebant Deo, debuissent dicere populo colenti Baalem, ubi est Dominus? quod colitis alium præter ipsum:* ut Elias 1 Reg. 18: 21. Chald. *Timeamus Dominum.* Est eadem criminatio, quæ vers. 6. toti populo facta: sed hic duplo gravior, cum Sacerdotes cavere debuissent, ne illud fieret in populo. Quam turpe, qui aliis Deum ostendere debent, si æque ignorantes sint! qui aliis præsentiam Dei inculcare, & hinc abstterrere à peccato, si æque ac alii eam neglectui habeant! qui quid sit absentem Deum habere, aliis exaggerare; si absentiæ ejus à se nullum habeant sensum! De talibus dicendum, esse cœcos cœcorum duces. Matt. 15: 14.

B. תופשי התורה *Apprehendentes legem non noverunt me.* Hi Chaldæo sunt, Doctores legis. R. Sal. Sanhedrin: majus vid. cujus erat de heterodidascalia & Prophetis judicare: Kimhi. *Sapientes discentes legem non noverunt me, quia non didicerunt legem propter ipsammet, ut stabilirent* (præstarent) *quod in eâ scriptum est, sed discunt ore, non corde;* (professione externa, non interno affectu:) *hoc est, non norunt me: nam bona cogitatio & bona opera sunt veralegis scientia, non autem sola ejus cognitio.* Quæ sane commodissima est descriptio notitiæ Dei, conformis illi Jer. 22: 15, 16. qualis Doctor fuit Esra, Esr. 7: 6, 10. Abrab. *Sapientes, qui non didicerunt legem propter ipsammet; sed præceptum, hominum doctrina traditum; aut qui ex eâ lucrum & commodum captant.* Intelliguntur ergo alii præter Sacerdotes, Legis Doctores, qui in ea solâ occupabantur, ut nihil aliud tractarent: quemadmodum Gen. 4: 20. כל חופש כנור ועוגב artificem notat. Sunt illi qui vocantur סופרים Jer. 8: 8. qui habebant clavem cognitionis. Luc. 11: 52. Hi vero ignorabant Deum, tum non verè docentes de Deo Esa. 29: 13. Matt. 15: 6, 9. tum praxin veram non jungentes, Matt. 23: 2, 3. & talis Doctor delineatur. Rom. 2: 17. &c.

C. *Pastores prævaricati sunt contra me.* רעים *Ductores* notat tam Ecclesiasticos, quam Politicos, hoc loco posteriores: nam Ecclesiastici tribus aliis nominibus designantur. Hinc Targ. *Reges rebellarunt contra voluntatem meam.* R. Sal. *Reges;* sic etiam Kimhi. Abrab. *Reges & principes.* Summus & subalterni magistratus, qui lege & exemplo præiverunt aliis in rebellione contra Deum. Impietas enim Regum & principum notissima; in Israele post divisum regnum, omnes fuere idololatræ, quamvis unus alio pejor. In Juda pauci boni. Pessimi autem Achaz, Manasse, & Amon, licet medius resipuerit.

D. *Prophetæ prophetarunt per Baalem*, hi fuere extraordinarii Doctores Ecclesiæ; sed falsi; qui fictis somniis & revelationibus idololatriam & superstitionem introducebant, ac fovebant. Jer. 23: 25. &c. Sic distinguuntur Prophetæ & Sacerdotes Baalis 2 Reg. 10: 19. & 1 Reg. 18: 19. memorantur Prophetæ Baalis quidem 450. & luci 400. Jer. 23: 13. Samariæ. De talibus querela est Eliæ 1 Reg. 18. & de similibus Jer. 23. Hinc vero ex corruptis omnibus ordinibus ductorum, secuta universalis corruptio, *Et iverunt post ea quæ non prosunt*: cum Doctores ducesque adeò desciviissent à Deo, apparet ipsos vanitatem secutos esse, & evanuisse, & pariter omnem populum eadem ratione ad inutilia abductum fuisse. Quod haud mirum cum illo tempore liber legis è manibus, & notitia plurimorum periisset, saltem autoritate sua careret, authentico codice nondum è latebris quasi educto, quod quinquennio post factum fuit.

Non possum non hic conferre statum Ecclesiæ superioribus seculis sub Papatu, quia vix ovum ovo similius esse potest. I. Sacerdotes quidem erant magno numero, qui ex claustris suis ceu apes ex alveario prodeuntes totum fere mundum implerunt; Hi tamen licet se jactarent Sacerdotes Christi non dixerunt, Ubi est Dominus? non duxerunt homines

mines ad cognitionem Dei & Chriſti veramque in eum fidem, ſed ad B. Virginem, Apoſtolos, Sanctoſque defunctos alios; ad Angelos; item ad miſſas, altaria, templa & loca religioſa; ad ſatisfactiones, ordines & regulas monaſticas, & ἐθελοθρησκείας. Peragebant ſacra omnia linguâ peregrinâ, & interdicebant plebi lectione Scripturarum; ut ubi eſſet Dominus, nequaquam doceretur. II. Doctores Legis ignorabant Deum; Scriptura utriuſque fœderis, erat pleriſque liber ignotus, qui vix quicquam ejus habebant aut norant, quam quod in laciniis Euangeliorum & Epiſtolarum continetur. Imo loco Scripturæ primum Patres & excerpta eorum, poſt Lombardus & hujus interpretes Scholaſtici Doctores, denique ipſe Ariſtoteles aliique Philoſophi adoptati; eorumque autoritas majoris fuit quam verbi Divini. Melanchthon alicubi teſtatur, in Eccleſia publicè fuiſſe explicata Ariſtotelis Ethica. Caroloſtadius diu fuerat Doct. & Prof. Theologiæ, neque tamen adhuc legerat Biblia. Erant qui ignorarent, quid libri eſſet. Pariſiis Theologus indignatus eſt, quod ſtudioſi illum legerent & N. T. inprimis, ſibique multum faceſſerent negotii, quod ejus notitiam nullam haberet. Angelus Politianus ſemel ſe legiſſe ſed nunquam pejus tempus collocaſſe queſtus eſt. Leo X. fabulam de Chriſto appellavit: Linguæ Originariæ non ignotæ ſolùm, ſed etiam exoſæ fuerunt: earum peritum eſſe, hæreticum cenſebatur, & Hebrææ Judaicum. III. Paſtores populorum, Reges & Principes, fuêre hoſtes veræ doctrinæ, & Eccleſiæ, mancipia libidinis Pontificiæ, ſeu Anti-Chriſtianæ, ad exſequenda ſanguinaria ejus decreta. Phocas Bonifacium Papam declaravit Epiſcopum univerſalem; Irene ex voluntate Concilii Niceni ſecundi, ſtabilivit cultum imaginum; Sigiſmundus Imp. ex decreto Conſtantienſis Concilii violavit fidem, & interemit Huſſum & Hieronymum. Et quid non tyrannidis & perſecutionis exercuere & exercent Principes illi qui Inquiſitionis exſecutores agunt? IV. Prophetæ per Baal prophetantes fuere, quotquot ficta miracula promulgarunt ad ſuperſtitionem promovendam; apparitiones Chriſti & Sanctorum, animarum in purgatorio tortarum, ſtatuarum lachrymas aut ſudores, hoſtiarum ſanguinem. Canoniſtæ item qui pro infallibilitate & ſumma atque abſoluta poteſtate Papæ pugnarunt; Jeſuitæ qui cum eandem tuentur, tum omnia decreta Romana, Tridenti conſarcinata, ceu ſanctiſſimam fidei regulam, defendunt. Ex quibus conſecutum eſt, ut ambularint pone inutilia, unde nulla conſolatio redundaret, cujus etiam ſe hoſtes infenſiſſimos probarunt, certitudinem omnem ſalutis impugnantes, unde moriens Bellarminus dixiſſe fertur: benè ſecum actum iri, ſi mortuo diu ſatis in purgatorio igne hærendum foret.

Verſ. 9. *Idcirco adhuc contendo vobiſcum, dictum Jehovæ; etiam cum nepotibus veſtris contendam.*

III. *Maleficiorum iſtorum probatio* inſtituitur ad convictionem verſ. 9—28. ubi I. Præfatio verſ. 9. II. ἔλεγχος. verſ. 10. ſeqq.

1. *Præfatio* verſ. 9. dicit Cur, Quid, cum Quibus acturus ſit.

Propterea; quia non tantum univerſalis in populo eſt corruptio, ſed etiam quia principes, & duces cæterorum præ omnibus aliis depravati ſunt.

Litigabo adhuc. Significatur conteſtatio litis, & convictio quæ per argumenta fit. Convincit autem Deus vel verbis, vel reapſe, illo modo Mich. 6: 2. &c. Hoſ. 4: 1. &c. iſto Amoſ. 7: 4. Chald. illud ſequitur: *Ultionem ſumam de vobis.* R. Sal. iſtud: *Priuſquam malum adducam ſuper vos, adhuc redarguam ſive convincam vos, per Prophetas meos, etſi contenderim vobiſcum antea, diebus multis.* Sed rectiùs utrumque conjungitur, realis & verbalis convictio; nam de illâ reali etiam teſtantur verſ. 17, 29. cap. 3: 3. Kimhi attendit τὸ עוֹד: *Adhuc loquar vobiſcum verba convictionis & redargutionis; adhuc inquam, quia ſic cœpit; uti contra principes veſtros egi, ſic etiam contra vos agendum erit, imitatores patrum, & pariter contra poſteros veſtros, qui ſimiliter ut vos male acturi ſunt.* Eſt in voce עוֹד beneficium, prorogatio longanimitatis, contra quam Gen. 6: 4.

Vobiſcum & cum nepotibus veſtris. Conjungit nepotes majoribus, nam ſi majores fuere convincendi, ob ſua crimina, eadem convictio ritè adhibetur poſteris; ſive imitentur mores majorum, quomodo veniunt in conſortium reatus: ſive non; ut exemplo illorum & ſubſecuta infamiâ abſterreantur ab imitatione. Sic habet verbalis convictio: Exprobratur quandoque liberis honeſtis adulteræ matris ſcelus, ut tanto caſtigatius vivant: quemadmodum prioris vitæ crimina ſibi exprobrant pii, quo tantò magis & illa & alia caveant.

Sed de reali convictione quæritur, an propter majorum peccata juſtè queat lis inſtitui, vel ſtatui pœna contra poſteros? Negant iſtud nonnulli abſolutè, ut fundamentum habeant inficiandi peccatum hæreditarium, quod originale dicitur, quoad unam ejus partem Imputationem. Lubet ergo per digreſſiunculam in hoc inquirere, & examinare quantum valeat quod potiſſimùm hic urgeri ſolet. Ezek. 18: 9, 20. Ut autem ritè expediamus, certis axiomatibus rem complectemur.

(1.) Deus legem iſtiuſmodi poſuit Iſraelitis, à Magiſtratu obſervandam in judiciis. Deut. 24: 16. *Ne morte afficiuntor patres pro filiis, nec filii pro patribus: quiſque propter peccatum ſuum afficiuntor morte.* Quod laudabili exemplo obſervavit Amazias rex, parcens liberis percuſſorum patris ſui 2 Reg. 14: 5, 6. Sed, I. quod verba legis docent, tantum agitur de pœnis capitalibus. Aliæ pœnæ autem jure poterant derivari quoque in liberos; Fur, qui non erat penſando damno, vendebatur pro ſuo furto Exod. 22: 3. Similiter pro debito tam à judicibus, quam à ſe ipſo Lev. 25: 34. & ſic quoque unà vendi poterant filii verſ. 41. Hinc 2 Reg. 4: 1. creditor filii prophetarum, eo mortuo, filios ejus ſervos habere volebat in ſolutionem. Et Matt. 28: 25. Rex ſervum debitorem talentorum, vendi jubet cum uxore & liberis. verſ. 3. Exod. 21. Attamen etiam capitalem pœnam irrogatam habemus liberis pro parente ſeu vice ejus: 2 Sam. 21: 1. &c. ubi 7 ex poſteris Saulis ob ipſius crimen contra Gibeonitas ſuſpenſi fuerunt. Kimhi hoc obſervavit: *Ecce, inquit, ſcriptum eſt, non necabuntur patres: quare ergo necarunt liberos propter peccatum Saulis? R. Jochanan dixit ſatius eſt eradicari* (loco moveri) *ſectionem aliquam legis, & non pollui nomen Domini publice* בפרהסיא: *quia dictum, juraſſe ipſis* (Gibeonitis) *principes cœtus in diebus Joſuæ uſque dum funderetur aqua ſuper eos,* (manſere ſuſpenſi,) *Ecce vero ſcriptum eſt, Non pernoctabit cadaver ſuſpenſi in ligno. R. Jochanan dixit: Satius eſt eradicari* (loco moveri עקר *eradicare, loco movere, facere ut ceſſet*; De Propheta dicitur quod poſſit præceptum aliquod loco movere, ſed tantum ad tempus Maimon. de fundamentis leg. cap. 9. §. v. ſeqq.) *ſectionem aliquam legis, & ſanctificari nomen Domini publicè. Tranſeuntes enim dixerunt, quæ eſt conditio horum filiorum regiorum, quid fecerunt? Extenderunt manus ſuas contra peregrinos. Quid ad hoc dixere turmæ prætereuntium? Nulla natio eſt hâc dignior cui adhæreatur; & mox ſe ſociarunt Iſraeli 150000, quot Salomo in cenſu peregrinorum reperiſſe legitur. Dixerunt etiam, Major eſt ſanctificatio nominis Domini, quam ejus profanatio: De hâc ſtatuitur, non pernoctabit cadaver ejus &c. de illâ vero, & fuêre ſuſpenſi ab initio meſſis &c. à 16 Niſan* Martii *ad 17 Marcheſvan,* Octobris. Et mox: *Cur punitum eſt ſemen Saulis pro eo quod ipſe peccavit? Dici poteſt, filios illos fuiſſe ex occidentibus Gibeonitas. Dici etiam poteſt non fuiſſe ex illis, quia tum oppidò parvi fuerunt. Sed hæc ultio non fuit à manu humana; nam cum Scriptura ait, non necabuntur patres &c. non legitur niſi de morte quæ per homines infertur. Neque enim fas eſt Magiſtratui necare patrem pro filio, aut filium pro patre; ſed de morte à Deo inflicta dicitur, viſitans iniquitatem patrum in filios, &c. Quod fit, quando filii non ſunt juſti; ſicut dixerunt, quando opera parentum & ipſi exercent. Hæc vero mors licet manu hominum illata fuerit; id tamen factum ex mandato Dei, & eodem loco habetur ac ſi à Deo ipſo illata fuiſſet.* Quæ veriſſimæ reſponſio: Nefas hominem loco patris aut filii necare judicio humano, de quo lex Deut. 24: 16. loquitur. Sed II. ea homines tantum attinet: lege Deus non tenetur: quod textus docet 2 Sam. 21: 6. *Suſpendemus eos Jehovæ*: nam violatum erat juramentum à toto Iſraele, invocato Dei nomine Gibeonitis factum. verſ. 2. Abrab. ad Deut. 4: 16. fol. 385. *Ne exiſtimet judex quia Deus viſitat peccata patrum &c. & in urbe apoſtaticâ liberi propter parentes necantur, mihi ergo pariter agendum eſt: hoc loco monetur ne ſic agat, ſed in juſtitia judicet.*

(2.) Deus aliter ſe acturum teſtatus eſt Exod. 20: 5. reſpectu

ſpectu temporalium calamitatum, quæ pœnæ convincentes ſunt; Neque enim hic loquitur de æternis & compenſantibus. Nam finiuntur cum 3. vel 4. generatione, quod æternitati non quadrat, quæ ne quidem 1000. generationibus terminatur. Quod nonnulli cum Kimchio intelligunt liberos imitantes patrum ſcelera, & לשנא reſtrictivum putant ad nepotes; non congruit textui. Nam oppoſitum, *amantes me & obſervantes præcepta mea*, de patribus dicitur; etiam in oppoſitione, de patribus intelligendum, *odio habentes me.* Conf. Exod. 34: 7. ubi abſolutè ponitur utrumque. Rurſum, uti imitantes pietatem parentum non tantum ad 1000. generationes ſed in perpetuum benignitate Dei fruentur; ſic quoque imitatores ſcelerum non tantum in 3. vel 4. generationes, ſed quamdiu durat prava imitatio, in infinitum prorogatam habebunt pœnam. Denique Redundantia bonitatis divinæ commendatur, benefacientis propter pietatem parentum etiam milleſimæ generationi, & reſtringentis ultionem impiorum in 3. & 4. tantum generationem. Quod utrunque beneficium ſolis fœderatis promiſſum, neque generaliter ad extraneos quoque extendendum. Hoc ipſum repetit Deus; Exod. 34: 7. & Moſes hinc pro fœderatis intercedit, Num. 14: 18. atque Iſraeli inculcat. Deut. 7: 9, 10. Non ſignificatur continuatio benignitatis vel viſitationis iratæ citra intermiſſionem. Sic enim nunquam benignitas exercita fuit; ſed quod vel milleſimæ generationi à pio patre, propter hunc velit benefacere Deus: (quæ promiſſio facit pro reſtitutione Iſraelis) & quod etiam quartæ generationi velit reddere ultionem, licet intermediæ nonnullæ nihil ſequius paſſæ ſint; quod patet ex pœna peccatorum Manaſſis, in Jechonia, Zedekiâ; cum tamen Joſia in pace vixerit; in Jehu; cum tamen Jeroboam II. pronepos ejus felix foret; Jehu, Joachaz, Joas, Jeroboam, Zacharia. Egit etiam hoc pacto Deus, tum cum alienis à fœdere, termino illo 4. generationum non obſervato; in diluvio; in Sodoma & vicinis urbibus, (ubi exceptio à Gen. 15: 13, 16.) contra Cananæos, Amalekitas, item Babelem Eſa. 14: 21. &c. Pſ. 137: 9. Tum contra fœderatos, Kora, Achan, Jeroboam, Baeſa, Achab; imo infans Davidis propter ipſius adulterium mortuus eſt 2 Sam. 12: 14. & dicitur communiter illud Eſa. 65: 5. &c. Manaſſi ob impietatem in 3. & 4. generatione præſtitit ultionem 2 Reg. 23: 26. Jer. 15: 4. in filiis & nepote Joſiæ.

(3.) Deus cum ſic egit, ſeque ita acturum dixit, non eſt injuſtus, aut quicquam injuſti agit. Deut. 32: 4. Hoſ. 14: 10. Juſtum enim eſt reum puniri in omnibus quæ ſua ſunt, & ulla ratione ad ejus voluptatem ac felicitatem pertinebant. Sic propter Adamum maledicta terra, & creatura ſubjecta vanitati Gen. 3: 17. &c. Rom. 8: 20. & Kaino denunciatur aucta ſterilitas terræ quam colebat. Gen. 4: 11. Sic civitas apoſtatica cum omnibus hominibus, & animantibus, boniſque reliquis fuit comburenda: Deut. 13: 12. &c. ubi Abrab. notat, quoſdam excepiſſe infantes, ex lege Deut. 24: 16. alios vero ſubjeciſſe infantes eidem pœnæ. Ipſe autem ſic ſtatuit; *propter gravitatem delicti, quando integra urbs conſentit in ejuſmodi peccatum periculoſum, æquum fuit ut crudeliùs ageretur contra boſtes Domini, & ſtatueretur exemplum, ad quod audientium aures tinnirent; vid. vaſtando totam urbem, parvos & magnos ætate: nam parvuli infantes, qui ex ſe nec juſtitiam, nec reatum habent, ſunt poſſeſſio hominis, ipſius facultates & opes: Quemadmodum etiam præcepit Deus, ut etiam jumenta trucidarentur: de quibus tamen non dicimus, ſi homo peccavit, jumentum quid peccavit; quia ſunt poſſeſſio hominum qui contra animam ſuam peccarunt. Sic quoque horum liberi morientur, qui ſunt filii prævaricatorum, & ex ventre maledicto non egreditur benedictus: & judicantur cum reliquis poſſeſſionibus parentum, quia ex ſeipſis nullam habent juſtitiam.* Sane inter omnia bona liberi ſunt excellentiſſimum omnium Pſ. 127: 9. atque in iſtis pœna gravior; unde morbus & mors liberorum parentibus ſæpe gravior accidit quam propria: ut Hagar Gen. 16. Sunamitis 2 Reg. 4. Jeroboam & uxor 1 Reg. 14. David 2 Sam. 12. Sic Jer. 22. v. ult. Jechonias ἄτεκνος fore dicitur, quia habiturus liberos non hæredes dignitatis: ſed ſuæ degradationis. Deut. 20: 15. jubentur omnem animam Cananæorum populorum exſcindere; cum aliorum hoſtium ſubactorum mulieres & parvulos in vita conſervare deberent. Cujus mandati rationem reddit Bechai, fol. 210. col. 1. *Non fit injuria infantibus, qui contra nos non peccarunt; quia eſt judicium Dei, & decretum Scripturæ. Deinde Deus cœlitus id facit, deſtinavit eos occiſioni, quod nos exſequimur. Sunt etiam rami radicis rebellionis, qui imitabuntur abominationes parentum, & docebunt quoque Iſraelem eas patrare. Minus malum eſt eos occidere, quam relictis iis in periculum incidere ſeductionis.*

(4.) Deus tamen apud Ezekielem cap. 18: 20. negat ſe ita acturum: non quod revocet quod toties dixerat aut fecerat, ſed ad convictionem Judæorum illius temporis duntaxat. Utebantur illi diverbio, *Patres comederunt omphaces* &c. verſ. 2. ſignificantes, ſe prorſus inſontes eſſe; ſed quicquid paterentur calamitatum, id ſibi ob culpam majorum immitti: Deus ergo ad eos convincendos ait, ſe ex illa regula non acturum, neque ob parentum peccata ipſos afflicturum; ſiquidem ſe à reatu proprio immunes præſtarent, uti quidem in fœderali pactione promiſiſſent; quo eos revocat, & immunitatem à calamitatibus ſic conſecuturos affirmat verſ. 30. &c. ſed ſi id non præſtitiſſent, quod jugiter negligebant, & neglecturi erant, ſuiſmet peccatis ſua mala habere imputanda; agnoſcendam autem Dei ea immittentis juſtitiam; quamvis, quod aliàs ſe facturum dixerat, etiam parentum peccata, quæ imitabantur, eſſet animadverſurus. Conf. Eſa. 65: 6, 7. Jer. 44: 21, 22. Adeoque iſtud omne conditionale promiſſum eſt, quo convincebantur ſui reatus, qui ſe rebantur innocentiſſimos.

(5.) Deus licet id diceret illo tempore, non tamen ſemper ſic erat acturus. Iſraeli ultimi temporis poſt finalem converſionem promittitur: Jer. 31: 29. &c. *Illis diebus non amplius dicent, Patres* &c. Ergo ante illa tempora peccata parentum in liberis erat vindicaturus. Quo ſpectare videtur Lam. 5; 7. quod ipſimet fieri poſtularunt, quando ſub ea conditione efflagitarunt à Pilato crucifixionem Chriſti, ut reatus ejus ſibi ſuæque poſteritati incumberet; Matt. 27: 25. quomodo non tantum in 3. & 4. generationem, ſed indefinitè in omnes poſteros ultionem illam optarunt; quæ etiam juſto Dei judicio incumbit: Jer. 30: 23. Joh. 3: 36. quod jam per 16. ſecula experti ſunt, extorres & vagi; & quaſi ſignum maledictionis divinæ geſtantes inſtar Kaini. Neque tamen nunc Deus poteſt dici egiſſe aut agere contra declarationem, de 3. aut 4. generatione duntaxat: Etenim hoc promiſſum fœderatis; ſed Judæi repudiato Chriſto Luc. 19: 17. irritum prorſus fecerunt ſibi fœdus, adeoque & fœderis hoc beneficium, de termino hujuſmodi convictionis. Attamen Abrahamo fœderato manet adhuc jus illud fœderis; nec non piis ejus poſteris, de benignitate in milleſimam generationem, & vi hujus promiſſa reſtitutio. Lev. 26: 42, 45. Pſ. 105: 6. ſeqq.

(6.) Quicquid tamen liberi patiantur ob peccata parentum, non aliud id eſt quam pœna convincens. Rivetus in Exod. 20. p. 103. a. *vocat mala naturæ, qualia ſunt (inquit) adverſitates & miſeriæ, inter quas ipſa mors temporalis*: Ab iis diſtinguit *mortem æternam, quam nemo propter alterum ſuſtinet. Sed ſæpe illa naturæ mala: quæ tamen piis poſteris non ſunt pœnæ.* Compenſantem autem pœnam nemo pro alio ſuſtinet; valetque hic ſtrictiſſimè, (ſola Chriſti morte vicariâ exceptâ) *anima quæ peccaverit ipſa morietur.* Exod. 32: 32, 33. Rom. 9: 3. Nam quod ſæpiſſime in Scriptura repetitur, & inprimis urgetur Rom. 2: 6. *unicuique redditur ſecundum opera ſua.* & Rom. 14: 12. 2 Cor. 5: 10.

(7.) Quoad peccatum orig. non loquitur de eo Ezekiel. Nam Judæi non de uno patre peccante agunt, ſed de pluribus; qui proinde proximi parentes erant. Aliàs de primi hominis peccato teſtatur Deus. Eſa. 43: 27. &c. Deinde propter illud nemo punitur poſterorum, ceu ſibi non proprium ſed alienum: neque enim hac propter immunis fuit ipſe, quod poſteri reatum ferrent. Reatus primæ tranſgreſſionis naturæ imputatus eſt, quemadmodum eadem ab eo tempore caruit rectitudine. Uti vero nemo dicitur alienam, ſed ſuam omnes habere naturam; ita quoque ſuum cum ſua natura habent naturæ reatum & depravationem: quæ inde à lapſu naturæ propria ſunt, & non niſi divinæ gratiæ virtute ſeparabilia. Ut qui ob hunc reatum moritur ob ſuum, ſuæ naturæ proprium, moriatur: quamvis & hanc naturam, & quæ jam ei congenita adſunt aliunde, à parentibus habeat communicata.

Verſ. 10,

Verſ. 10. *Nam peragrate regiones Citthæorum, & videte; aut* ad *Kedarem mittite & animadvertite valde: videte, inquam, an fuerit quid hujuſmodi.*

Ἔλεγχος *Convictionis* conſtat 4. argumentis, ductis I. ab exemplo & comparatione gentium aliarum verſ. 10--13. II. à calamitatibus juſto Dei judicio incumbentibus verſ. 14--17. III. à præſenti exercitio apoſtaſiæ, quod fiduciam collocarent in homines & idola. verſ. 18--23. IV. ab idolorum inanitate & inutilitate. verſ. 26--28.

(1.) *Ab Exemplo* aliarum gentium, quæ fideles magis fuerint erga falſos Deos, quam Iſrael erga verum. Hic vero I. jubet ipſoſmet inquirere verſ. 10--11. II. pathetice exaggerat Iſraelitarum crimen. verſ. 12, 13.

A. *Inquiſitionem* imperat, indicans, 1. quo eundum, 2. quid agendum, 3. cur inquirendum, tum in genere, tum in ſpecie, 4. quæ applicatio inde facienda vel quid diſſimilitudinis deprehenſuri ſint.

א. *Quo eundum? Inſulæ Chittæorum.* Chittim fuit filius Javan, nepos Japheti Gen. 10: 2, 4. cujus poſteris omnibus, vel ut Abrab. vult, ſolis filiis Gomer & Javan, tribuuntur Inſulæ, hoc eſt, quicquid trans mare mediterraneum erat terrarum. Hîc Inſulæ Chittim generalius ſumuntur, de habitatione Græcorum, ſive in inſulis, ſive in continente, item Macedonum, Italorum qui in magna Græcia, imo in tota Italia; quin in univerſa Europa, & regionibus omnibus ad occidentem Cananææ ſitis. *Kedar* Iſmaelis filius fuit, qui conſedit in Arabia Petræa; inde omnes Arabes Kedareni dicuntur, Targ. h. l. Arabes ſubſtituit. Imo intelliguntur hîc omnes populi orientales Cananææ, uti pro Chittim occidentales: ut totum orbem in duas quaſi nationes diſtribuat; Abrab. hodie Occidentem Nazarenos occupare dicit, & Orientem Iſmaelitas.

ב. *Quid faciendum?* Inquirendum dicit, & omnium in utroque latere gentium leges, ritus, mores inſpiciendos, & accuratiſſime cognoſcendos. De Chittæis autem inquit, *Tranſite, & videte*: aſt de Kedar, *mittite & valde intelligite.* Non per functorie agendum, ſed ſerio, proinde faciendum quicquid ad cognitionem penitiſſimam facere poteſt. Nec ratione caret mutatio phraſeos. Orientalium linguæ viciniores erant Hebrææ, magiſque affines: aſt Occidentalium prorſus diſcrepant: Ergo ubi ſermonis commercium nullum erat, ipſimet tranſire, & præſentes jubentur inſpicere: ut quid fiat conſtet. aſt ubi aliqua linguæ cognatio, iſtuc duntaxat mittere ſufficit ut inde ſcilicet petantur ſcripta documenta, quæ deinde otioſe domi conſiderare, & quicquid habeant liceat excutere. Ut non alienis ſed ſuis oculis, auribus, meditato examini credendum diſcant, ne quid ulli affingatur alienum à ſua ſententia. Quæ diligentia ſi ubique adhibita foret, certiora forte haberemns de priſcorum ſententiis in & extra Eccleſiam, eum pleraque ex hoſtium teſtimoniis nunc cognoſcamus. Sic Ariſtoteles Philoſophorum, Patres hæreticorum nobis recitarunt dogmata; uti maxime ſibi proderat, ut juſtius adverſati videantur.

ג. *Cur faciendum?* in genere dicitur & in ſpecie?

a. In genere *& videte an tale quid fuerit?* factumque ſit? deturne ſimile exemplum? componentibus ſcilicet peregrina domeſticaque inſtituta. Spectant autem religionem potiſſimùm. Hæc juſta cauſa peregrinationum: ſed rariſſimè hoc fine ſuſcipiuntur. Peregrina regna, nationes adeuntur vel meræ voluptatis, vanitatis, curioſitatis ergò, vel lucri & divitiarum gratiâ, vel à quibuſdam ut tantò melius artes fraudeſque politicas ſcire atque etiam exercere queant. Ut Religionum differentias cognoſcant, aliqui itidem, ſed maximè ad curioſitatem; utinam non ad corruptionem quoque! Pauciſſimi, ut de veritate convincantur & in ea confirmentur. Laudandi fratres Bohemi, qui tales ſuſceperunt. Vide præfationem Comenii ad Ordinem Fratrum.

Verſ. 11. *An mutavit gens Deos, quamvis illi non* ſunt *dii: at populus meus mutavit gloriam ſuam in idolum inutile.*

b. In ſpecie verſ. 11. *An mutavit gens Deos ſuos?* ſive in oriente, ſive in occidente. Chald. & R. Sal. *Chittæi & Kedareni habitantes tentoria & paſtores gregum* (Scenitæ & Nomades) *proficiſcuntur & transferunt domicilium de loco in locum; & ſecum deferunt Deos ſuos, atque ubi caſtrametantur, eos quoque collocant & colunt.* Sed hæc Kedarenis, non Chittæis quadrant: niſi intelligat migrationes populorum qui patria idola ſecum portarunt; uti populi Samariam deducti 2 Reg. 17. Kimhi ob Jod redundans in תימר geminum ſignificatum cenſet adſciſcendum, *mutationis* ex מור; & *exaltationis* ex ימר, quod ſemel occurrit pro אמר Eſa. 61: 6. תתימרו ſumme prædicabitis, efferetis vos: *an mutavit gens Deos ſuos, & prædicavit exaltavitque Deos gentis alius?* Affirmativa interrogatio fortiùs negat, adeoque hoc non factum ſignificatur. Fuere enim gentes tenaciſſimæ patriorum numinum; quamvis quandoque novos admitterent, tamen non ejecere priſcos Deos; ſed his illos ſociarunt. Philiſtæi ſervarunt ſuum Dagon & Beelzebub, Zidonii Aſtharoth, Moabitæ Chamos, Ammonitæ Molech: (qui duo forte idem mutato nomine.) & ſic aliæ gentes. Athenienſes Socratem damnarunt, quod contemneret Deos publicè receptos, & novos introduceret. Apollo Pythius commendavit eos qui hîc uterentur civitatum conſuetudinibus. Romani ſæpius nova numina adſciverunt; ſed priſcis non abolitis: fuitque, ut nunc Papæ & Cardinalium, ſic olim Senatus Rom. decernere, qui prioribus dæmoniis eſſent ſociandi: Quem quia non conſuluerat Tiberius, ſed quod decreverat de Jeſu Chriſto tantum propoſuerat approbandum, non obtinuit iſte divinitatem per ſuffragia Senatus. Aſt Abrab. hoc negat verum eſſe; & experientiam teſtari mutatos ſæpius Deos à gentibus. Nam Romanos coluiſſe primum Saturnum, tum Jovem, tandem Martem. Sic Iſmaelitas & omnes Orientales primum veneratos eſſe ſolem; deinde tempore Conſtantini legem Jeſu Nazareni recepiſſe; tandem Muhammedem ipſis novam legem dediſſe, videlicet Alcoranum. Eaque propter reſtringit aſſertionem. An mutavit gens Deos ſuos? והמה לא שהים *niſi poſtquam deprehenderunt, non eſſe Deos*, nam hoc animadverſo mutationem inſtituiſſe, neglectis illis prioribus & ſurrogatis novis. Sed dura eſt, illa interpretatio, & ו pro *niſi*, & ellipſis *poſtquam cognoviſſent.* Igitur meliùs retinetur prior explicatio. Quod autem exempla attinet, Romani quidem Saturnum, Jovem & Martem ſimul coluerunt. Quod ad Orientales, & ſubſtitutam Gentili Chriſtianam, inde Muhametanam religionem; non facta eſt mutatio voluntate populorum ipſorum; (ſolent omnes eſſe tenaciores hæreditariæ ſuperſtitionis: & mores patrii in Religione maximum adhuc habent momentum.) ſed autoritate Magiſtratuum ſummorum, lege vel vi mutationem introducentium. Accedit quod Jeremias loquatur de ſuo tempore; neque enim tunc urgebantur ſubjugati à victoribus, ut religionem novam ſuſciperent; ſed relicta fuit unicuique genti ſua ſuperſtitio: 2 Reg. 17. Et quando Nebucadnezar lege & pœna cultum ſtatuæ introduxit, novum numen inſtituit; ſed nemini imperavit, ut ſuum quod habuerat deſereret.

Porro additio והמה וגו ſic reddenda, *Quamvis non forent Dii*; ו enim rectè per quamvis exponitur, vid. Deut. 13: 2. ſic etiam accipi poteſt Pſ. 37: 25. Scilicet Gentes cultum Deorum patriorum conſtanter ſervarunt, quamvis non forent Dii, & ſæpius deprehenſi eſſent, non poſſe præſtare opem divinam; quamobrem coacti frequenter ad alios Deos recurrere, & hos prioribus ſociare, ut in partem auxilii venirent.

ד. Quæ applicatio facienda, & diſſimilitudinis evidentia: *Populus autem meus mutavit gloriam ſuam, in id quod non prodeſt.* Deus vocatur gloria populi: quandoquidem ex eo gloriam habent; adeo ut inde denominentur. Sic populus Camos ſunt Moabitæ, Jer. 48: 46. & Romani Martis populus dicebantur. Athenienſes à Minerva & literarum ſtudiis denominati. Sed populi Iſraelitici, qui fœderatus Deo, gloria fuit verus Deus. Conf. Jer. 10: 15, 16. cap. 51: 17, 18, 19. Sed porro vocat Deum verum gloriam, quod gloria Deitatis ipſi ſoli conveniat. אלהים à cultu nomen habet, quo gloria ejus agnoſcitur, & ei quoque defertur. Sed falſi Dii, quia id non ſunt, quicquid nominis communicatione tributum videtur ſic negatur; dum כבוד, ſoli vero Deo vendicatur. (ita falſi Dii κατ' ἐξοχὴν vocantur בשרת Jer. 3: 29. Qui ſemper ſic agit, ut gloria ejus prædicanda ſit, utpote nunquam deſtitutus ſapientia vel robore, ad aſſerendos ſuos cultores, adeoque nunquam fruſtrare ſpes ipſorum neceſſum

haben s. Attamen hæc gloria deserta fuerat,& in ejus locum recepta, quæ non proderant idola. Ubi ellipsis בלא pro באשר לא. Ergo Gentes perseverarunt in cultu prisorum Deorum, de quibus non poterant semper gloriari, utpote sæpe destituti ab illis, quia impotentes erant, eoque non colendi, quum colentes non defenderent, non augerent. Ast Israelitæ, qui gloriam habebant Deum; de quo semper gloriandum erat, ob præsentem & efficacem opem, in ejus locum substituerant colenda, quæ non juvabant, non proderant, de quibus nunquam quicquam licuit gloriari.

Fuit proinde factum Israelis ἀπροσκόπτως, sine exemplo Gentium: turpissimum, quo honorem suum abjecerunt: Phil. 3: 19. ὧν ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν. Stolidissimum, quia adsciverunt, ejus loco qui utilissimus, inutilia. Quod utinam omnes idololatræ attenderent! Neque hic valet, uti gentes, sic Israelem sociasse Deo vero idola nova. Nam hæc sociatio potuit obtinere falsorum Deorum: sed non veri: qui cum gloria sit,in ejus societatem neminem admittit; solus habendus, vel totus deserendus est.

Vers. 12. *Obstupescite cœli de hac re, & horrescite, desolemini valde, dictum Jehovæ.*

B. *Exaggeratio* criminis Israelitarum vers. 12, 13. habet patheticam præparationem vers. 12. tum exaggerationem ipsam. vers. 13.

a. *Pathetica præparatio* vers. 12. non tantum compellat cœlum, ceu testem convictionis, ut Deut. 32: 1. &c. Esa. 1: 2, &c. sed insuper hortatur ad stuporem, & summam consternationem. Tribus utitur vocabulis, שמו *obstupescite*, (sic שמם ad animum relatum, aliàs *desolari*, *vastari*,) שערו *coborrescite*, & חרבו מאד *desolamini*, *exsiccamini valde*. Hieron. & *portæ ejus desolamini vehementer*; legit ושעריו cum defectu jod plur. Maimonides hæc de cœlis dici posse negat, quod mutationi non sint obnoxii; sed dici de vastatione nationum,& harum humiliatione. Unde Targ. *Dolete cœli super hoc, super terram Israel quæ vastabitur, & super domum sanctuarii quæ desolabitur.* &c. Sane mutationes cœli & luminarium ejus notant quandoque vicissitudines imperiorum: attamen h. l. per metaph. tantum exaggeratur crimen Judæorum, adeo enorme, ut ipsum cœlum, ejus testis, eapropter debeat cohorrescere:quemadmodum qui audiebant blasphemiam, cohorrescentes vastationem aliquam sibi afferebant, scissis vestibus.

Vers. 13. *Nam duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt scaturiginem aquarum perennium, ut effoderent sibi cisternas, cisternas fractas quæ non capiunt aquas.*

b. *Exaggeratio ipsa* vers. 13. Geminum ostendit crimen.

α. *Negativum*, desertionem Dei; cujus indignitas, est מקור מים חיים. I. *Aquæ* summa necessitas, ἄφατον μὲν ὕδωρ Pind. cui aqua & igne interdicebatur, damnatus erat ad mortem; cum sine illis vivere nemo queat. II. *Fons, scaturigo aquarum*, ubi nunquam defectus; quod fit quandoque in rivis ex pluvia aut nive ortis Job. 6: 15. &c. עין & מעין fons, at מקור scaturigo vid. Jer. 6: 7. III. *Aquarum vivarum.* Jerichuntis fons malas habebat aquas, quæ terræ sterilitatem afferebant: 2 Reg. 2: 19. mare mortuum lethales; & oceanus salsas ad potum ineptas. Hæc in Deo Pf. 36: 10. hinc שרי & non à שרר *vastavit*, *omnipotens*; sed tum à שרי *Scheddai omnisufficiens*, dives in se, nullius rei indigus, part. à שרה *effudit*, qui divitias communicat, Rom. 2: 4. Rom. 10: 12. Eph. 2: 4. Jam quantum beneficium castelli, si talem fontem habeat? Quoties defectus aquæ coegit ad deditionem, qui alioqui, nequiviffent expugnari? Quanta miseria in ejus defectu? Legatur Jer. 14. & historia Eliæ, 1 Reg. 17: 18. Et sic si Dei gratiosa copia destituatur. Pf. 63; 2. & 143. vers. 6.

β. *Positivum*, applicatio sui ad creaturas; ubi jam momentum habet לחם לחצב. Non dicit, וחצבו, sed לחצב, *propterea deseruerunt* Deum; hoc fine consilium desertionis cœperunt, ut hoc agerent, ut non ampliùs Deo obnoxii viverent, ceu ejus indigi; sed qui eo carere possent, sibi sufficientes, I. לחצב בארות. Non habent cisternas, receptacula aquæ, sed primum paranda sunt, & quidem magno labore: ut qui in rupe ea excavare deberet. Sic multus & fatigans labor in parandis quæ cupiditati serviant alendæ. Attendant ambitiosi, avari, voluptuarii. II. בארות *cisternæ* sunt, quæ ex se nihil aquæ habent, aut dare possunt; sed tantum continere, aliunde illatas; æque magnus labor in congerendis aquis, quam in excidenda eisterna iis recipiendis. Iidem jugiter augmento studeant potentiæ, opum, voluptatum, ut tibi posterisque copia sit: Imo quia tantum servant, facile putrescunt aquæ, & sic opes,honores &c. congesti. III. נשברות plures sunt; quia humana omnia finitæ perfectionis: aliunde honores, aliunde opes, aliunde voluptates quærendæ: non est unum omni sufficiens: non datur panacea sed erratur per varia remedia. IV. נשברים *quæ non continent aquas.* Licet laboriosissimè congestæ, istic servari nequeunt; rimas habent per quas effluant; ut quando maxime usus est, mera inanitas sit. Divitiæ Prov. 23: 4, 5. injustitia Pf. 62: 11. favor hominum Pf. 146: 3, 4. voluptas Phil. 3: 19. mundana omnia 1 Joh. 2: 15. 16. Nihil solidi & constantis in mundanis: Panis & aqua in se scipionem habent, qui si confringatur à Deo Esa. 3: 1. nil virium eis supereft. Et sic quicquid in creaturis aliquid commodi affert, à Deo ei inditum est, & removeri potest. Uti solus Deus potest pluviam dare Jer. 14. vers. ult. ad implendum cisternas; sic quoque mundana illa, & facit pluere super bonos & malos Matt. 5: 44. Homines aquas non faciunt, sed cisternas; & suffurantur quandoque aliis aquas; sed continere suis cisternis nequeunt; aut servare citra corruptionem. Eccl. 5: 11, 12, 13. cap. 6: 2.

Vers. 14. *An servus Jisrael, an verna est? quamobrem est prædæ?*

(2.) *A Calamitatibus* justo Dei judicio immissis, quas proponit vers. 14, 15, 16. tum causam dicit vers. 17.

א. *Calamitates in genere* vers. 14. sic ut conditionem ponit, iis obnoxiam, quam interrogando tamen, ipsis convenire negat. Hieron. hinc natam putat gloriationem, Joh. 8: 33. *Semen Abrahami* &c. *Servus & verna* injuriis obnoxii erant: heri vitæ & necis potestatem habebant. Etiam inter Israelitas, si quis servum suum percussisset, ære suo emtum, modo non moreretur sub suâ manu, non fiebat reus mortis. Exod. 21: 20, 21. Ægyptiorum multi relinquebant servos & jumenta in agro tempore grandinis. Exod. 9: 21. &c. Amalekita ille suum servum ægrum deseruit. 1 Sam. 30: 13. Quicquid servi acquirebant, erat heri, qui eis eripiebant. Bove necante servum, luebatur damnum 30 siclis. Jam talia patiebantur Judæi, ac si fuissent vernæ; erant direptioni omnibus; neque æstimabatur illud, ut ultio sumeretur. contra quam Jer. 2: 3.

Vers. 15. *Contra eum rugiunt juvenes leones, edunt vocem suam: & exponunt terram ejus desolationi, civitates ejus succenduntur, ut nullus inhabitet.*

In specie hæc patiebantur.

a. *Ab hostibus* vers. 15. de quibus loquitur metaphoricè conferens leonibus rugientibus: & quidem כפירים qui sunt juniores, sed pleni vigoris & virium; atque ea propter insolentes rugiunt, quasi provocantes, aut jubilantes de invento adversario in quo vires & insolentiam suam experiantur. Tum simpliciter, vastatio ab iis illata; non tantum in agro, ubi nullæ munitiones ad tutelam, & unde mox fuga fit, hoste adventante; sed etiam in urbibus, quæ huic cedant, & igni tradantur: ut nec locus sit habitatoribus; iis vel occisis, vel more illorum temporum deportatis. Intelligitur autem damnum, non illatum X. tribubus duntaxat, quæ post varias clades, per partes deportatæ fuerant, à Phul, Tiglath Pilassare, & Salmanassare 2 Reg. 15: 17. sed etiam Judæ regno, sub Achazo à Tiglath Pileser, 2 Chron. 28: 20. sub Hizkia à Sanheribo, 2 Reg. 18: 13. sub Manasse, qui etiam in Babelem deductus in vinculis, 2 Chron. 33: 11. &c, ut nihil dicamus de vicinis gentibus, Syris sub Achazo, item Idumæis, Ammon. Moab. Philist. Tyriis & Zidoniis.

Verſ. 16. *Etiam Nophæi & Daphnæi depaſcunt te vertice.*

b. *Ab amicis* verſ. 16. Ægyptiis videlicet: nam *Noph*, alias *Moph*, Memphis eſt, & *Tachpanes*, eſt Daphne ſeu Tanis; & primariæ urbes pro tota Ægypto ejuſque incolis, & inprimis regibus ipſorum accipiuntur. Notum quantam fiduciam Judæi ſemper poſuerint in Ægypto, ejuſque auxiliis; ſed peſſimè plerunque ceſſit. Eſa. 30: 31. Sanherib exprobrat. 2 Reg. 18: 21. & Deus Ezek. 29: 6, 7. Porrò damnum ab Ægyptiis dicitur *depaſtio verticis*. Vertex potiſſimum quid & maxime conſpicuum eſt, in ſummitate capitis; ſed etiam periculoſum hic lædi. Pſ. 68: 22. קדקד שער Eſa. 7: 20. abraſio pili capitis & pedum, nec non barbæ indicat ablationem omnis decoris, & barbam Judæi de Rege exponunt: & abraſio pili capitis eſt verticis depaſtio. Ezek. 5. verſ. 1. &c. per pilos Judæi intelliguntur. Depaſtionem primam fecit Ægyptus per Siſakum; 2 Chron. 12. cap. poſtremam per Pharaonem Necho, deportato Joachazo, conſtituto fiduciario Jojakimo, & imperato maximo tributo. 2 Reg. 23: 33. &c. Chald. *Etiam filii Memphis & Tachpanes occident fortes tuos, & ſpoliabunt opes tuas.*

Verſ. 17. *An non hoc facis tibi dum derelinquis Jehovam Deum tuum, quo tempore ducit te viâ ſuâ?*

b. *Cauſa* denique dicitur verſ. 17. interrogando & ad propriam conſcientiam provocando.

Annon hoc facis tibi? Quiſque ſibi faber fortunæ, dicitur proverbio; ſed id potiſſimum de malis verum; damna ſua & adverſa ſibi imputare debent. Prov. 6: 32. Sed addit, quod fecerant; deſertionem Dei, & quidem cum aggravatione triplici, I. יהוה *Eſſentiatorem*, à quo omne habebant, & exſpectandum erat; promiſſionibus, quas habebant plurimas, eſſentiam largiturus tandem. II. אלהיך *Deum fœderatum*, cui non tantum quâ creatura, ſed qua populus peculii obſtrictus es, ad adhæſionem, & cultum. Deut. 10: 20. cap. 13: 4. III. *Eò tempore quo te ducit per viam*: dum in eo eſt, miſſis Prophetis, ut te rectâ viâ ducat, בדרך cum articulo, quia via nota erat; quam revelarat in fœdere, & cui inculcandæ, & explicandæ ſerviebant omnes conciones propheticæ. Quomodo utique aggravabatur crimen, ut excuſatione careret. Joh. 15: 22. ſeq.

Verſ. 18. *Nunc enim quid tibi eſt in via Ægypti, bibendo aquas Schichoris? aut quid tibi in via Aſſyriæ, bibendo aquas fluminis?*

(3.) *A præſenti exercitio* apoſtaſiæ, ut ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenderentur declinantes ad creaturam verſ. 18, 19. & ad idola verſ. 20--25.

α. *Declinatio ad creaturam proponitur* ad convictionem. verſ. 18. Quia verſ. 13. dixerat faſtidito fonte aquarum viventium ciſternas ſibi paraſſe, ceu copiam aquæ majorem habituri: nunc continuata metaphorâ ait eos quæſiviſſe auxilia Ægyptiorum & Aſſyriorum: ceu iſtic reſtincturos ſitim ſalutis & proſperitatis. Facit ergò appetentes ejus aquæ, quæ illis regionibus propria; & magna moleſtiâ iter eò ſuſcipientes: quemadmodum in defectu aquæ Achab & Obadja per totam terram profecti ſunt, quæſituri aquam. 1 Reg. 18: 5. Ægyptum indicat per *aquas Schichor*, hoc eſt, Nili, à nigredine dicti, ob limum, quem ejicit ad fœcundandam terram. Alii intelligunt Rhinocoruram, dividentem Ægyptum à Palæſtina, dicitur etiam נחל מצרים. Aſſyriam vero per *aquas fluvii* κατ' ἐξοχὴν ſic dicti, Euphratis. Nam ab his regionibus, ceu potentioribus, ſoliti fuere auxilia poſcere: quod exempla docent; maximè extremis temporibus, ſub ſucceſſoribus Joſiæ. Sed & olim: de Ægypto liquet ex Eſa. 30: 31. de Aſſyria, ex facto Achazi. 2 Chron. 28.

Verſ. 19. *Erudiat te malitia tua, & averſiones tuæ corripiant te, agnoſce, inquam, & vide malum &* quidem *amarum eſſe quod derelinquis Jehovam Deum tuum: non enim pavor meî inceſſit te, dictum Domini Jehovæ exercituum.*

b. *Declinatio ad creaturam applicatur* ad pœnæ juſtitiam demonſtrandam verſ. 19. ubi.

a. Convictio; *Caſtigabit, erudiet te*, רעתך *malitia tua* vel *afflictio tua*. Hoc ſi dicatur, plagæ ſunt magiſtræ ſtultorum; & quem verba monitaque non erudiunt & ad frugem revocant, hunc calamitates & pœnæ corrigere debent. Sin prius, quod convenientius, ob alterum, *& averſio tua redarguet te*: Tuæ actiones te convincunt: Deſeruiſti Deum, fontem aquæ vivæ, ut effoderes tibi ciſternas, quæ inutiles tibi: Si enim abundarent aquæ ad neceſſitatem, nil opus foret ſubſidium à Nilo & Eufrate petere. Ergo itinera tua huc ſuſcepta condemnant conſilia & labores ciſternarum effoſſarum; quarum inopia ad Deum divitem revocare debuiſſet. Sic peccata ſæpe convincunt peccatores, neque alio teſte opus. Adamum nuditas turpis. Eſa. 3: 9. Ebrioſum rubicundi oculi, rixæ, vulnera, morbi Prov. 23. Imo Apoſtaſia à Deo ſibi maxima pœna: ab illo ubi diſceſſum, ubique egeſtas, & mutato loco non magè reperitur quod ſatisfaciat deſideriis animi, quam ſanitas à febricitante mutato ſæpius lecto. Sane, aquæ Nili & Eufratis parum erant valituræ, quod illæ à Crocodilis infeſtæ eſſent, & iſtæ rapidæ nimis. Inf. verſ. 36, 37.

b. Conſectarium, *Scito ergo & videto* &c. Experientia ſtultorum magiſtra. Hoſ. 2: 6. Quando malum & amarum junguntur. Quamdiu malum & ſuave ſociantur, illud non improbatur aut deſeritur: Job. 20: 12. ut peccaſſe cupiditati aliquatenus ſatisfaciat, utile aut volupe ſit. Sed quando amarum accedit, diſplicere incipit. 2 Sam. 2: 14, 26. Bellum primo luſus, tandem amaritudo. Sic peccatum luſus eſt, ſed qui in fel degenerat. Volupe ſine magiſtro vivere, ſine duce ire; ſed ubi in deſerto aberratum eſt, & conſilii defectus, deprehenditur ſtultitia. Deut. 32: 28. Pſ. 73: 24. Pſ. 32: 9.

c. Cauſa autem deſertionis defectus reverentiæ: non timoris ſervilis, ille quærit liberalitatem, jugi tædio; ut Hagar fugit: Gen. 16. Sed quæ ex amore fluit, & æſtimatione ductus & regiminis. ולא פחדתי אליך, *Timor Dei* dicitur יראת שהים vulgò: Aſt etiam פחד uſurpatur Gen. 31: 42, 53. & verbum Hoſ. 3: 5. Jer. 33: 9. ubi etiam רגז, & Mal. 2: 5. נחת autem חתת (Chald. more, compenſatâ mediâ per Dages in primâ, quod Dages hîc in vocali antecedaneâ implicitè continetur.) Affixum heic non ſubjective ſumendum, ſed objective, quemadmodum Eſa. 56: 7. בבירת תפלתי; adhæc אליך eſt pro עליך quæ enallage particularum crebra. Autoritas dicentis per tot epitheta facit ad majorem emphaſin.

Verſ. 20. *Etenim jam olim fregeram jugum tuum, diſruperam vincula tua: ideoque dicis, non ſervitura ſum; quum ſuper omnem collem altum & ſuper omnem arborem virentem tu peragras ſcortans.*

b. *Declinatio ad idola* proponitur verſ. 20, 21. amplificatur verſ. 22--23.

a. *Propoſitio* habet geminam oppoſitionem, promiſſi ipſorum & contrarii facti, verſ. 20. beneficii Dei & maleficii ipſorum verſ. 21.

α. *Oppoſitio prior* verſ. 20. habet.

α. *Promiſſum*, cujus *Tempus*, cum à Deo aſſerti eſſent in libertatem, educti ex Ægypto. Metaph. à jugo, quod loris alligatur collo taurorum; eſt frequens in Scriptura, & de ſubjectione quavis uſurpatur, non tantum violenta, ſed etiam ſuavi, Jer. 5: 5. Pſ. 2: 3. Matt. 11: 30, 31. Abrab. jugi confractionem interpretatur liberationem ex Ægypto, & diruptionem vinculorum eam quam per Judices à variis gentibus opprimentibus conſecuti ſunt. Et ſane quaſvis intelligi liquet ex Jud. 10: 11, 12. attamen potiſſimum primam; quam excepit ſolennis promiſſio: Ea eſt לא אעבד cujus Keri לא אעבור. Sunt qui Scripturam ſequuntur ſimpliciter; *Non ſerviam*, plenâ libertate fruar, nulli obnoxius: quomodo impia vox foret, libertatem ſumentis pro argumento licentiæ; quod quidem ſit ſæpiſſime. Jer. 7: 9, 10. ſic Jud. verſ. 4. Rom. 6: 1. Contra quam fieri debet. Eſr. 9. verſ. 1 Pet. 2: 16.

Rom. 6. Pſ. 116:16. Alii eandem probant, ſed ſupplendo ellipſin, *Idolis*; quæ in Ægypto fuêre culta, Ezek. 20:7, 8. cap. 23:3. Quomodo coincidit cum Keri, *Non tranſgrediar*, vid. mandata Dei; reſpicitque ſolennem fœderis ratihabitionem, quâ Iſraelitæ ſe obligarunt ad obedientiam. Exod. 19:8. cap. 20:19. Deut. 5:27. Exod. 24:3, 7. Sic ſolent ſequi magna promiſſa poſt percepta beneficia. Omnia volumus facere; ſed ſunt, ut ita loquar, *des Compliments François*. Hoſ. 6:1. &c. Neque culpanda talia promiſſa, verum ſimul optanda præſtatio. Deut. 5:28. &c. Poſt promiſſa gemino vinculo tenemur; & inobedientia tum dupliciter criminoſa. Eccl. 5:3. &c. Exemplum ſequendum Jacobi Gen. 28:20. &c. coll. cum cap. 35:7. Pſ. 119:106. Abrab. utrunque conjungit; & ore vult dixiſſe, *non tranſgrediar*; at corde, *non ſerviam*; quo facit Pſ. 78:36, 37.

β. *Factum* contrarium idololatriæ; exercebatur ea in collibus & ſub arboribus. Iſtic quidem, qui ſe Deo tunc viciniores crederent; hîc vero quod Deum in obſcuritate putarent habitare. 1 Reg. 8:12. Difficultatem habent אתּ צועה זונה: poſterius vel nomen eſt, vocandi caſu, vel particip. fœm. priùs verò particip. fœm. à צעה *inceſſit, ambulavit, vagatus* eſt, (Tremell. *tu peragras ſcortans.*) & ſcorti vagas diſcurſationes notabit; ut Prov. 7:11, 12. quod jam in hoc colle, jam in alio; nunc ſub hâc, nunc ſub aliâ arbore cultum exerceret: quemadmodum Gentiles ad varia loca religionis ergò, nec aliter Pontificii. Abrab. etiam reddit per צועקת *proclamans* ſcilicet jugiter ſuam innocentiam. Hieron. *proſternebaris meretrix*: mutuato ſignificatu à יצע *ſtravit*, & יציע *ſtratum*; quod effuſa foret ad idololatriam. Ita diſſentiunt facta à verbis, & leviſſimè à promiſſis diſceditur: Hæc idololatria vitæ, ubique familiaris; quotieſcunque etiam repetantur promiſſa. Hieron. refert ad idololatriam ingeniorum. *Poteſt hoc*, inquit, *& ad eum dici, qui ab initio Chriſtianus, & ex parte ſacris literis eruditus, poſtea deſiderio ſecularis literaturæ, quæ ſignificatur in collibus, & amœnæ eloquentiæ, quæ in frondoſis monſtratur arboribus, proſternat ſe dæmonibus, qui ſub occaſione eruditionis & ſublimis ſcientiæ, polluunt credentium animas, & divaricare faciunt pedes ſuos omni tranſeunti.*

Verſ. 21. *Atqui ego te plantaveram, vitem generoſam, totum ſemen fidele: quomodo ergo mutata es mihi* in *degeneres palmites vitis alienæ?*

b. Oppoſitio poſterior verſ. 21. quâ ſimul occupat objectionem, quod Deus non egiſſet ſecum, uti quidem exſpectaſſent: habet

a. Benefacta Dei, Ego plantavi te שורק *vitem generoſiſſimam.* Sic etiam ſumitur Eſa. 5:2. Gen. 49:11. Eſa. 16:8. שרוקיה At Æthiop. contrarium, שרק *labruſca. Semen veritatis*, eſt genuinum, referens indolem originis, ut verè inde ortum agnoſcatur. Quò hæc referenda ſint quæritur. Quidam ad Abrahamum referunt autorem gentis Iſraeliticæ, quem ubi Deus evocatum ab idololatris plantavit, totus שורק fuit; unde commedationes Gen. 18:19. cap. 22:16. cap. 26:5. Alii ad populum Iſrael, & ejus introductionem in Cananæam, nam illi tempori tribuitur plantatio (cum ea ſtabilem ſedem notet, quæ Abrahamo non contigit. Act. 7:5.) Exod. 15:17. Pſ. 44:3. & 80:9. Vocat autem שורק tum dignatione ſua, ob gratuitam dilectionem, Deut. 7:6. &c. & maxima beneficia, quibus nobilitabatur; Deut. 4:7, 34. tum à fine, & officio, quia tales ut eſſent imperarat. Luc. 11:44. cap. 19:2. cap. 20:7. Deut. 4:6, 8. כלרה idem poſcit, quia non tam vitem intelligit, quam vineam generoſis vitibus conſitam. Item זרע אמרת quemadmodum poſtea Hieroſolyma Eſa. 1:21. קריה נאמנה: tum ratione ſtipulationis ad Sinai, quæ bona Deut. 5:28. Eſa. 63:8. tum ratione ſinceritatis alicujus, non conſummatæ, ſed majoris, (nam ſinceritatem veritatis nomine venire liquet ex Eſa. 38:3.) quæ tribuitur tempore Joſuæ & ſeniorum coætaneorum Joſ. 22, 23:8. cap. 24. Jud. 2:7. ſic quandoque ſub piis regibus, Davide, Salomone, Aſa, Joſaphato, Hizkia, quando cultus ſincerus viguit. 2 Chron. 31:21. & 32. 1.

β. *Malefacta ipſorum*, degeneratio. סורי ſunt *ſarmenta* mala, quæ removentur à vite, quia non neceſſaria, ſin relinquantur faciunt vitem ſterilem, ſucco ad ſe rapto. Hic ergo סורי *recedentes*, degeneres, à majoribus videlicet, *palmites*, qui exeunt, recedunt à vitis indole, quia vitis peregrinæ & in eos ipſi converſi dicuntur; per ellipſin copulæ, ונכריה & vitis *aliena*, quam non agnoſcebat vitem ſuæ plantationis eſſe, utpote indole non illam, ſed prorſus extraneæ referentem. Sic Eſa. 5: verſ. 4. שורק ferens labruſcas. Deut. 32:32, 33. בנים לא ישקרו Eſa. 63:8. Quod factum poſt Joſuæ & coætaneorum mortem Jud. 2:8. &c. בנים נחשים Eſa. 30:9. &c. Ezek. 16:3, 45. Amos. 9:7. Solet vitis generoſa, ſi non putetur, degenerare; verum Deus adhibuerat quidem putatores prophetas. Jer. 7:25. cap. 25:9. Hoſ. 6:5. ipſi autem putationem non admiſerant. Hoſ. 4:4. Jer. 2:30. Ager pinguis, ſi non ferat aratrum, luxuriat ſpinis & tribulis ac Zizaniis, magis quam deſertum aut ericetum; pluviæ fœcundantes magis adhuc faciunt ad Zizaniorum abundantiam. Hebr. 6:7, 8.

Interrogatio autem hîc admirationem indicat; non ratione Dei, cui nihil mirum, quia nihil novum, inopinatum, ſapientia potentiâve ſuâ majus: utpote qui omnia ab æterno novit, & conſilio ſuo moderatur. Sed ratione hominum; quo pertinet Deut. 32:6. &c. Eſa. 1:2. &c. hujuſmodi enim ingratitudo, & prorſus aliena beneficiis acceptis vita, admirationi eſt hominibus.

Verſ. 22. *Nam ut abluas te nitro, & plurimum adhibeas tibi ſmegmatis, obducat ſe auro inſigni iniquitas tua coram me, dictum Domini Jehovi.*

b. *Amplificatio* idololatriæ fit per ſimilitudines, quibus exornatur I. manifeſtatio, verſ. 22. II. impudentia, verſ. 23. III. incorrigibilitas verſ. 24. IV. pertinacia. verſ. 25.

a. Manifeſtatio verſ. 22. non obſtantibus hypocriticis purgationibus. Hæ ſunt lotiones externæ: כבס enim hîc de veſtibus uſurpatur, רחץ de corpore ejuſque membris, ut Eſa. 1:16. exigitur. Veſtibus purgandis adhibebatur נתר *nitrum*, & בורית *ſapo, ſmegma*: alii herbam fuiſſe autumant, quâ fullones utebantur. Mal. 3:2. Quo maculæ veſtium hærent profundiùs, eò plus lixivii & ſmegmatis affricandum ut eluantur. Fruſtraneæ autem ſunt, נכתם *iniquitas tua.* כתם *aurum præſtantiſſimum*, fulgidiſſimum notat; apud Hebræos, maculam evidentiſſimam. Verbum inde formatum ſignificabit vel, *eſt maculoſa*, evidentiſſimè; quemadmodum maculæ, quæ nequicquam inunctæ & elutæ ſmegmate, nihilominùs apparent, ut atramentariæ in linteo *candido: vel, æque evidens eſt ac aurum*, quod effulget, ſuoque ſplendore ſe prodit, & quo magis eluitur eò fit evidentius. Scilicet hypocriſis non imminuit, ſed auget peccata, non tegit ſed manifeſtat. Non juvat veſtes, aut corpus externè laviſſe; ſic non tolluntur ſordes animæ; Job. 9:30. &c. indigent illæ lotione interna. Heb. 9:14. Equidem de lotione verâ etiam uſurpatur τὸ κλυνειν: Jer. 4:14. attamen non ſmegmate & nitro peragi poteſt, ſed quid aliud requiritur: Sanguis nempe Chriſti, Apoc. 7:14. & manus Dei, Pſ. 51:4, 9. & ignis Spiritus Mal. 3:2, 3. Sic demum delentur peccata, ut nulla remaneat macula.

Verſ. 23. *Quomodo dictura eſſes, non pollui me, Bahalimos ſecuta non ſum? vide viam tuam in ſtu valle, agnoſce quid feceris: ô dromas velox! ô qua corrigiâ notat vias ſuas!*

b. Impudentia verſ. 23. Deo teſtante evidentiam peccati ipſorum coram ſe, (ut etiam Jer. 17:1.) utique debuiſſent confiteri & deprecari. Sed hîc hypocriſi ſubſidiaria eſt impudentia, (quod eſt addere peccatum peccato) quæ

a. Recitatur, in genere, *quomodo dices? non polluta ſum.* Num. 19:11. &c. Immundus ex cadavere debebat ſe lavare tertio & ſeptimo die aqua imbuta cineribus vaccæ rufæ, & tum purus erat. Sic lotiones ſuas commendat populus, ut omnem impuritatem, ceſſiſſe affirmet. In ſpecie, *non ambulavi ponc Baalim.* Negat patratam à ſe idololatriam: plane uti adultera Prov. 30:20.

β. Convincitur, dum ducit ipſos in rem præſentem, & teſtes contra ſeipſos conſtituit: Jubet ergo intueri *tum* Locum: *Vide viam tuam in valle.* Dixerat verſ. 20. idololatriam patratam in montibus: hîc vocat ad vallem. Kimhi ergo viam per vallem monſtrari putat, quâ ibatur in montes:

ut

ut qui viam illam calcarent manifesti forent eò proficisci, vel inde redire. Sed vers. 20. dixit quoque exercitam in lucis, qui potissimum in convallibus crescunt, ubi locus mage irriguus. Quin etiam valles nonnullæ infames fuere: ut inprimis Hinnomi, ubi Molecho sacra fiebant. De valle Hinnom exponit. Hieron. qui LXX. ait scripsisse πολυάνδριον cœmiterium; ob multitudinem eorum qui ibi Molecho immolati perierant. Quidam referunt ad vallem Sittim, ubi Israelitæ Baal Pehori fuere sociati Num. 25. cap. vel quod similia nunc quoque fiant, vel, quod Abrab. placet, quod adhuc dum idem peccatum, Baal Pehoris cultus, obtineat; quemadmodum vulgò dicunt Judæi, in omnibus judiciis contra se etiam attendi vitulum aureum in Horeb. Et dicitur Jos. 22: 19. illud Pehoris peccatum nondum expiatum esse. Loca ergo idololatriæ destinata, & viæ tritæ ibidem satis arguebant illam exerceri. *Tum* Actiones: scilicet ne loca solum objici posse putet, cum etiam innocens per illam viam transire queat, addit, *Et scito quid feceris.* Facta locis respondentia considerare jubet: contra quæ nulla exceptio esse poterat. Talia erant præ cæteris Achazi 2 Chron. 28: 2. &c. & Manassis cap. 33: 3. &c. ut alios non producamus. Vide Jer. 19. cap.

γ. Illustratur similitudine, *Camelam* vocat quia fœminam facit Ecclesiam Israelis, & quidem *dromada*, velocissimam præ cætero genere, ut etiam 1500. passuum millia uno die emetiri posse dicatur; alii de 100. milliaribus affirmant. Addit insuper בכרה קלה ut augeatur velocitas. Sed ambiguum est משרטת דרכיה quia ἁπαξ λεγόμενον. Derivatum est שרוך *corrigia.* Quidam, *corrigiis notans suas vias*; ut scortum sive adultera dum ἐπ' ἀνθρώπου deprehendi non vult male induta se proripit; & hinc excidunt nonnulla vestimenta aut corrigia fimbriæve, quâ incedit; unde convinci queat istic fuisse; ut Syris fugientibus via vestibus respersa fuit. 2 Reg. 7: 15. Alii, *ut corrigia varie implicatur* & contorquetur, sic viæ ejus sunt intricatæ, huc illuc feruntur. Abrab. *Designatur quod arctissime alligatur, quemadmodum calceus corrigiis pedi; sic vias suas, vivendi modum arctissime sibi habet adstrictum, neque magis eas deserit, quam calceum adstrictum; Sic camela feritatem suam, & Israel idololatriam.* Postremum maximè placet, & quadrat illi Jer. 13: 23. ubi naturæ accedit consuetudo, ceu natura altera. Prov. 22: 15. אולת קשורה Estque aggravatio impudentiæ; cum se innocentem clamitet, tamen id operam dat, ne quicquam de consuetudine suâ immutet, sed illi non minùs adhærescat, quam si arctissimis vinculis adstrictam haberet, ne amittat. Simillima Ecclesia Papalis.

Vers. 24. *Onager fœmina est, assueta deserto, quæ pro desiderio animæ suæ haurit ventum; cujus occasionem quis revocet? omnes quærentes istam non fatigantur, mensibus ejus invenient eam.*

c. *Incorrigibilitas* indomita vers. 24. sub similitudine Onagri fœminæ, quæ quando in furias ignemque ruit, nullâ ratione contineri potest: hujus libidinem æquare ait effusum impetum Judæorum in idololatriam. *Prima* verba versus satis sunt perspicua, & describunt indomitam pravitatem. I. *Onager*, פרא nomen ὀνάγριον, utrumque sexum denotans, unde utroque genere usurpat: potissimum tamen fœminam intelligit, quod ultima volunt. Onager ferus est, & talis nascitur quivis hominum Job. 11: 12. II. למוד מדבר *assueta deserto*, consuetudo enim magistra est: ut Jer. 13: 23. quæ semper in deserto vixit, nunquam cicurata: seu *docta* deserti, quæ desertum edocta est, sciens omnes secessus, & loca abditissima, maxime secura à venatoribus, ad sui tutelam, vel frequentari solita à maribus onagris; adeoque indomabilis quoque, & insuper sapiens in sua malitia ad ejus exercitium. Huc facit quod de Ismaele dicitur Gen. 16: 12. III. באות נפשה שאפה רוח *in desiderio animæ suæ haurit spiritum*; tempore furoris venerei anhelat aërem, ut odorem maris excipiens eum insequi & deprehendere queat: quo spectat quod de equabus refert Plinius, eas in Hispania ex vento concipere; quia libidine *æstuantes* anhelæ aërem hauriunt, marem quærentes, quem sic deprehendunt: & quod idem de æquabus dixit, *Olfactu in rabiem id genus agitur.* Lib. 8. Nat. hist. cap. 12. Sic vero indicatur æstus ille idololatriæ, ut quærat exercendi occasiones, furioso quasi impetu qualis Achazi, & Manassis; & quæ Ezek. 16. & 23. describitur. IV. האנתה מי ישיבנה *occursum ejus* (ab אנה) *quis avertet?* Venatores norunt nunquam majori cum periculo occurri feris, quam cum libidine æstuant; sunt tunc efferatissimæ, quæ non fugam capessunt, sed vim inferunt, eamque non solum ferociorem, sed etiam fortiorem. Quomodo idololatræ in æstu suo, non ferunt contradicentes, aut opponentes sese. Dan. 3. & Jer. 19. & 20: 1. coll. & exempla martyrum hæc confirmant plura; qui idololatriæ instrumenta verbo factove læsisse crediti, in eos sine modo sævitum.

Reliqua versus *vel* ad continuationem pertinent peccati: *Omnes quærentes eam non fatigabuntur*; mares non multo labore & sudore eam sequi & quærere necessum habent, quæ ipsamet tanto ardore concitata iis se offert; odore semel hausto. *In mense ejus invenient eam*; quia onagris stata sunt furoris istius tempora, in mense ejus assecuti ea potientur. Non multum laborandum ad persuadendam idololatriam, quando æstuare cœperunt, promtissimè recipient; uti Athenienses, & Romani, & Judæi; & hodieque Pontificii; quosvis sanctos, quasvis reliquias admittentes. *Vel* ad pœnæ denunciationem: *Quicunque* tamen *eam quærunt*, venatores hostes ipsi damnaturi, *non fatigabuntur*, quamquam alias in ea capienda operam ludant, dummodo oportunitatem præstolentur, *in mense suo*, quando imminet partitudo, & uteri pondere, nec non partus dolore retinetur, ut fugere nequeat, *invenient eam*, & in venatorum manus citra horum molestiam delabetur. Sic quodammodo respondebit Ps. 7: 15. Nam indulget Deus impiis suam longanimitatem, donec impleverint suam mensuram Gen. 15: 16. Et quemadmodum peccatorum indomita licentia projecti pudoris adulteræ libidini confertur, sic quoque pœna partui & doloribus ejus; 1 Thess. 5: 3. ut cujus initium summæ voluptati fuit, ejus extremum summo sit dolori. Abrab. planè aliam dat interpretationem, ut sit oppositio beneficiorum, & judiciorum, adeoque materia lamenti quod post tantam exaltationem tantopere dejiciantur. Israelem assimilat onagro, de quo Job. 39: 5. *quis dimisit onagrum liberum? quia Deus eum liberum emisit ex Ægy[pto] domo servitutis. Et quoniam per 40. annos desertum pererraverunt, legemque ibi acceperunt, edoctum deserti, vocat: porro in desiderio animæ suæ spiritum haurire ait, quasi dicat, quando anima ejus desideravit & appetivit verba divina, hausit spiritum altissimi, spiritum propheticum, audivit verba Dei, & visiones omnipotentis vidit; hæc enim ad dignitatem ejus pertinent. Verumtamen* תאנתה תאניתה item אנו ואבלו) *tristitiam ejus* (ex תאניתה *& luctum vastationemque ejus quis avertet? hæc enim subitò ipsi superventura est, & omnes hostes ejus qui animam ejus quærunt, non fatigabuntur; exiguo enim labore ipsum assequentur. Tempus quippe destinatum afflictionibus ejus est mensis fixus ad ejus calamitatem, Julius videlicet de quo ait, in mense ejus invenient eum. Nonne enim videmus illo mense decretum esse generationem deserti istic morituram; fuitque nonus Abb. Eodem die vastatum fuit templum primum, & secundum, & cœtus Judæorum maximus Alexandriæ; eodem die decretum fuit exilium Judæorum ex Anglia, itemque ex Gallia: Imò cum Hispaniarum rex omnes Judæos ex Hispania ejecit, & migrationi ipsorum trimestre definivit, ultimus dies illius temporis fuit nonus Abb; Deo ita dirigente, ut impleretur hoc Jeremiæ dictum de mense ejus.* Idem tamen A-
„ barb. de hausto spiritu dicit exponi posse, de æstu idolo-
„ latriæ, cum idola non sint nisi ventus, & vanitas seu ha-
„ litus, & hac propter tristitiam ejus averti non potuisse: quod quidem convenientius, quam de spiritu prophetico hæc accipere. Attamen probamus primam explicationem.

Vers. 25. Dicenti *enim, cohibe pedem tuum ne discalceetur, & guttur tuum à siti: dicis, animus abjiceretur? nequaquam: nam amo* Deos *exteros, & eos secutura sum.*

d. *Pertinacia* vers. 25. ubi.

a. *Hortatio* Dei. *Cohibe &c.* Quibusdam est dehortatio à peccato idololatriæ; ne adulteræ instar pone calceos & vestes, ut ad libidinem te componas, & sitim contrahas; ut Targ. *Cohibe pedem tuum ne consocies te gentibus.* Aliis ab incommodo peccati: noli abire in Ægyptum & Assyriam,

ubi deterantur calcei, & sitim patiaris tam longinquo itinere. Aliis à malo pœnæ. Cave ne in exilium ducaris discalceatus & sitiens, ut Esa. 20. Quocunque modo accipiatur, monetur suo commodo; & sive turpitudo, sive damnum peccati repræsentatur. Adeo bonus est Deus erga fœderatos etiam rebelles, ut hortamentis eos revocet. Jesus verbis addidit lachrymas. Luc. 19: 42. &c.

β. *Responsum* populi: נואש *desperatum est: Non: nam amo &c.* Frustra suscipiuntur tales hortationes, non est quod iis quicquam effectum iri speres. Non audiam aut obsequar; placet nimium idololatria, quam deserere nolo, sed constanter persequar. Quid addi potest ad professam pertinaciam? Similiter loquuntur. Jer. 18: 12. Huc facit Jer. 44: 16. &c. cap. 6: 16, 17. & Amaziæ exemplum 2 Chron. 25: 15. &c. Est vero frequens ista si non oratio, saltem cogitatio malorum. Quando monentur de noxa ac ignominia peccati, desperatum id esse, quia mores non mutare decretum est. Dicant Prophetæ, instent, ingeminent clamores, surdo canunt; sunt instar aspidis surdæ ex aure obturatâ, ne audiant incantationem, mali exercitium inhibituram Ps. 58: 5, 6. Esa. 57: 10. negatur dixisse נואש: sed eodem prorsus sensu, quo hic dicitur dixisse. Istic sectando peccata & fatigata, negat tamen desperatum esse, seque animat ad constantiam persequendarum cupiditatum. Sed qui ad frugem reducere satagit, horum laborem desperatum dicit. Tantus amor mali, ut non deterreantur homines difficultate & fatigatione: tantum boni odium, ut etiam spem omnem præcisam velint iis, qui huc revocant.

Vers. 26. *Tamquam pudore furis quum deprehenditur, ita pudefacient domum Jisraelis, ipsos, reges ipsorum, principes ipsorum, sacerdotesque ipsorum, & prophetas ipsorum.*

Vers. 27. *Qui dicunt ligno, Pater meus es, & lapidi, tu peperisti me; quia obverterunt mihi cervicem; non autem faciem: tempore verò mali sui dicunt, surge & serva nos.*

(4.) *Ab idolorum inanitate & inutilitate*, vers. 26. &c. quod proponitur vers. 26, 27. sarcasticè exaggeratur. vers. 28.

א. *Pudefactio*, quæ apertissima *convictio*, hinc ducitur. Similitudine utitur furis, non qui ab eo crimine notus, & sæpe punitus fuit; talis prorsus impudens est; sed, ut Chald. qui cum haberetur honestus, deprehenditur in furto vice primâ: huic enim quia honestatis larva detrahitur, quâ se omnibus probabat, & perit omnis existimatio, summo pudore afficitur. Huic confert Israelitas universos, quotquot ad familiam ejus pertinebant, deque eo nominabantur; & mox distribuit, in plebem promiscuam, & in primores Politicos & Ecclesiasticos. Etenim habebantur ab aliis populis, seque venditabant pro populo Dei, Ezek. 36: 20. qui soli verum Dei cultum nossent & exercerent. Sed pariter pudefiebant deprehensi; etiam ii qui præ cæteris honestiores, & religiosiores censebantur. Comparationem ostendit I. in facto pessimo: II. in pudefactione deprehensorum.

Factum pessimum est, *Furis, furtum*: Israelis idololatria. Fur cum furatur, tergum obvertit suæ domui, & suis rebus, & convertit ad alienas, quas suas facere vult; cum tamen nulla possit sequi vera proprietas: Israelitæ alienos Deos arripiunt, & proprietatem sibi tribuunt, *quando ligno dicunt, Pater meus es; & lapidi, genuisti me.* Chald. *creasti me*; nam etiam de creatione dicitur generatio Ps. 90: 2. & creator hinc patris nomen potest accipere. Debebantur hi tituli Deo, quamquam potissimum ob fœdus gratiæ Deut. 32: 6, 18. Hinc mutua proprietas in Deo, ut non minus Deus ipsorum foret portio, quam ipsi Dei, Jer. 10: 16. Deut. 32: 9. Atqui hanc proprietatem jam in idolis lapideis & ligneis statuebant: atque hac ratione negabant in Deo esse; qui sui desertionem describit obversione cervicis & non faciei, qui gestus habet non solum indicium neglectus, sed etiam contemtus. Conf. Ezek. 8: 16, 17. maximè si à filiis erga parentes & genitores exerceatur. Cæterum non ea est mens Prophetæ, quod sic locuti sint, sed quod Deum sic crederent repræsentatum, ut Exod. 32: 4. 1 Reg. 12: 28.

Pudefactio. Fur deprehensus, fateri cogitur res illas alienas esse, sibique nihil in eas juris & commercii: Israelitæ in calamitate, non ad adscititia idola; sed ad Deum, antiquiori titulo fœderatum, abeunt operam flagitaturi; eoque profitentur nil se in idolis habere proprietatis, sed iis desertis ceu non suis, à suo Deo auxilium debere postulare; quomodo furtivas actiones pudefacti deserunt. Est hæc pudefactio solennis. Lactantius arguit Gentiles, quod cum Deorum multitudinem profiteantur & colant; in adversis unum Deum invocent, sibique opitulari velint. Similiter Tertullianus in testimonio animæ: *Quicunque mundum & mundana veneratur & colit, in adversis, quando ab iis se juvari non posse animadvertit, Deum implorat; quomodo pudere se ostendit illius quod coluerat, quando Divinitatis expers esse deprehendit.*

Vers. 28. *At ubi sunt dii tui quos fecisti tibi? Surgant, si sunt servaturi te tempore mali tui: nam pro numero civitatum tuarum sunt dii tui, Jehuda.*

ב. *Sarcastica exaggeratio* vers. 28. Ante dixerat se amare peregrinos neque deserturam illos: vers. 25. jam ergo redeuntes pudefactos eò remittit; *Ubi ergo sunt Dii tui, quos tibi fecisti?* Chald. *ubi sunt timores vestri*, דחלתכון *dii quos timetis*: quemadmodum פחד יצחק. Voluisti hos solos, quibus adhæreres; quò abierunt? aut cur ab illis abis? *surgant &c.* Qui consecuti sunt cultum in prosperis tuis; iidem præstent opem in adversis tuis: experiundum tibi nunc quid possint. Et ne forte de unius aut alterius impotentia se excusarent; exprobrat multitudinem, quæ superabat numerum urbium & platearum: sed omnes erant paris impotentiæ. sic Jer. 11: 13. Et sic Deus se dixit acturum Deut. 32: 37, 38. & egit Jud. 10: 9. &c. Scilicet meritò ridentur & remittuntur ad sua idola; non tantum externa, sed etiam interna cordis; ad Mammonam, voluptates &c. in adversis, quibus cultum præstitere rebus prosperis: ut Deus afflictos non agnoscat, à quibus felicibus non fuit agnitus; Prov. 1: 24 & quæ ipsi agnoverunt idola, ab his se nunquam agnitos deprehendant; utpote meris lapidibus & lignis, omnis vitæ, scientiæ & potentiæ expertibus; quemadmodum in adversis, sic quoque in secundis.

Vers. 29. *Quare contenditis mecum? vos omnes deficientes rebellastis in me, dictum Jehova.*

POSTERIOR CONTESTATIO, quâ *ostendit se mera bona contulisse.* vers. 29. ad fin. ipsis planè non respondentibus. Præmittitur autem initio oppositio Judæorum vers. 24. deinde contestatio opponitur. vers. 30. seq.

I. Oppositio Judæorum est vers. 29. *Quare litigatis mecum?* Litigium ipsum non recitatur: Abarb. negat etiam ullum fuisse institutum ab ipsis contra Deum, sed à Deo contra ipsos vers. 9. sed intelligit per litem ipsorum murmurationem contra Deum. Verum murmur istud quid aliud quam lis cordis & oris? neque enim tribunal ullum est ad quod Deus vocari queat, ut judicio congrediatur; coram ipso judice summo comparendum. Job. 9. Lis porro ipsorum quæ fuit? Colligi potest ex vers. 27, 28. *tempore adflictionis* flagitabant Deum opem. Sed sarcastice remittuntur ad sua idola, quorum maxima turba, ut ab illa omni adeo religiose cultâ poscerent, non à se quem solum noluerant. Hoc indigne ferunt, & injuriam interpretantur sibi petentibus non illico præsto esse ad suum libitum. Sic comparati sunt hypocritæ, ut levissima signa externæ resipiscentiæ, per adversa sibi extortæ, auxilium à Deo mereri putent, sibique hoc non nisi cum injuria negari. Esa. 58: 2, 3. Quia dignati erant, coacti licet extrema necessitate, redire ad Deum, atque eum opis ergo compellare, se dignissimos æstimant. Atque hæc ipsa est nova provocatio, cum in mera hypocrisi consistat. Ibid. vers. 4. &c. cap. 29: 13. neque enim ulla prioris vitæ detestatio, aut deprecatio adest; imo non est animus ejus immutandæ, sed tantum juvari volunt, & hoc sat gloriosum Deo putant, quod ab ipso juvari velint. Ast quid contra Deus? *Omnes contra me prævaricati estis.* Omnes omnium ordinum rei estis & manetis desertionis erga me admissæ, & multiplicis idololatriæ: atqui Prov. 28: 9. avertens aurem ab audienda lege, etiam preces ejus sunt abominatio. An quid gratiæ & auxilii Deus debet suis hostibus? atque tales isti Esa. 1: 11. &c. 24. utique res poscebat ut prius desererent hostes Dei, & suæ hostilitatis veniam peterent, redirentque ad ob-

ſequium, ut Jud. 10: 15, 16. Sed hi perſeverabant in priſca conſtitione ſuæ apoſtaſias. Ergo.

Verſ. 30. *In vanum percuſſi filios veſtros, eruditionem non acceperunt: conſumſit gladius veſter prophetas veſtros, tanquam leo interfector.*

II. *Conteſtatio* opponitur, qua I. probat ſe omnia bona contuliſſe, quæ tamen ipſi ſpreverint, verſ. 30--32. II. convincit criminis & minatur pœnas debitas verſ. 33--37.

1. *Beneficia* collata recenſet tria 1. correctionem & inſtitutionem verſ. 30. 2. externum favorem verſ. 31. 3. ſpiritualem benedictionem. verſ. 32. quibus ſingulis abuſus ipſorum opponitur.

(1.) *Correctio* & *Inſtitutio* verſ. 30. Illa, *fruſtra percuſſi filios veſtros.* Filii Abarb. ſunt ſtricte & proprie dicti, quod ob peccata parentum extraordinario judicio fuerint perditi necatique, quo poſſet revocari Amos. 4: 10. ſive intelligatur nex primogenitorum, ſive quod in itinere, quando famis tempore ex Ægypto annonam petebant, perierint juvenes. Sed etiam intelligi poteſt populus promiſcue, quia enim Iſrael conſideratur ut mater, omnes Iſraelitæ filiorum rationem habent. Hoſ. 2: 1, 3. Hos percuſſit Deus, ſive propriè immiſſis judiciis, quæ percuſſiones & plagæ dicuntur, variaſque immiſſas conſtat: huc pertinent omnes pœnæ convincentes, quibus id tantum agitur, ut convincantur, & convertantur peccatores Amos. 4: 6. ſeq. non autem ut quicquam ſatisfiat juſtitiæ Dei. Sive metaph. de convictione orali, quæ percuſſio per verba. Pſ. 141: 5. Prov. 27: 6. Hoſ. 6: 5. Sed de plagis propriis rectius: quas שבט אנשים ונגעי בני אדם vocat 2 Sam. 7: 14. & cum graviores מוסר אכזרי Jer. 30: 14. quæ pluribus gradibus augeri poſſum Lev. 26. ſed gradus maximus contra fœderatos, ut fiant non populus Hoſ. 1: 9. cap. 2: 2. qui adeo gravis ut per apoſiopheſin reticeatur Amos. 4: 12. contra non fœderatos, ut fiant ceu Sodoma. Zeph. 2: 9. quod etiam fœderatis contingit Amos. 4: 11. Eſa. 1: 9. Deut. 29: 21. quia Sodomæ urbes Jud. verſ. 7. poſitæ ſunt in exemplum ferentes pœnam æterni exitii, hoc eſt, ſimilem illi; quia erit in ſtagno ignis & ſulphuris Apoc. 20: 15. & 21: 8. Neque enim hinc concludi debet, qui pun itus ut Sodom, ut externa talis pœna in eum ſit ſtatuta, æternum damnatus eſt, non mage quam qui in diluvio mortui ſunt (quod judicium Sodomitico gravius, unde Deus juravit ſe illud non repetiturum Gen. 8. v. Eſa. 54. v.) 1 Pet. 3: 19, 20. cap. 4, 6. Etenim reſtitutio promiſſa tum iis qui ſimilia paſſi Moab & Ammon Zeph. 2: 9. coll. cum Jer. 48: 47. & cap. 49: 6. tum ipſi Sodomæ Ezek. 16: 53: 55. quæ reſtitutio non eſt incolarum eorundem qui perierunt judicio, ſed terræ, ut habitatores rurſum conſequatur, & antiquam felicitatem fœcunditatis. Τὸ לשוא cauſam impulſivam volunt quidam, quaſi על שוא propter vanitatem idololatriæ ipſorum; ſed rectius ſumitur de ſucceſſu, in vanum, fruſtra, ſine fructu: quod toties repetitur Amos. 4. Quo facit Uſus Iſraelitarum, *non accepiſtis caſtigationem*, non quod non ſenſerint, non paſſi ſint, ſed cum paterentur & ſentirent, tamen non fuerint emendati. Sic enim recipitur, quando quis per eam corrigitur, ut ſuam culpam, illiuſque juſtitiam agnoſcens, in meliora vertatur, atque vitam caſtigate magis tranſigat. Quomodo ab ipſis non factum eſſe, etiam alibi dicitur Eſa. 1: 5. cap. 9: 12. Jer. 5: 3. יסר erudivit affinitatem habet cum אסר vincivit, quia loris, & vinculis fit, caſtigatio realis; admotis verberibus, pœniſve aliis convincendi ergo; neque non compenſans unquam voce מוסר ſignificatur. Iſta, *Devoravit* &c. *Prophetas veſtros*, non veſtræ inſtitutionis & placiti, qui falſi; quod Kimhio placet, quod audiendo & obſequendo horum voci cauſam dederint æterno illorum exitio, uti leo corpus deſtruit. Merito id repudiat Abarb. quia tum perditio prophetarum non gladio ipſorum fuiſſet adſcribenda, (quo non cecidere ψευδοprophetæ) ſed auri; maxime cum gladius animam non necet. Atque inſuper non minus animæ perniciem incurriſſent illi, licet nemo credidiſſet ipſis aut obtemperaſſet. Ergo intelligendi veri, qui veſtri dicuntur, quia ad vos veſtro bono miſſi, & inter vos miniſterio ſuo defuncti. Amos. 2: 8. Hi peregêre inſtitutionem populi, Verba Dei inculcantes, & ad obſequium exhortantes, cujus officia & normam indicarunt. Jer. 7: 25. &c. Zach. 1: 4. &c. cap. 7: 7. &c. Eſt vero hic gradus beneficii amplior, quod ſociarit Deus verba & diſciplinam, inſtitutionem & correctionem. Prov. 1: 7. Pſ. 94: 12, 13. Verba ſola ſæpe non ſufficiunt, ob noſtram perverſitatem Prov. 22: 15. ſocianda verbera: quæ negari, major pœna eſt. Hoſ. 4: 14. Eſa. 1: 5. Felix ſervus cujus emendationi Deus inſtat, cui dignatur iraſci. Schola crucis, ſchola lucis eſt, & παιδιμεῖα μεγάμεῖα. Eſa. 30: 21, 21. & cap. 12: 1. Caſtigatio ſine inſtitutione eſt impiorum deſperatorum. Jam Uſus Iſraelis eſt, *gladius veſter eos devoravit*, & quidem *ut Leo perdens*; Hæc eſt perſecutio prophetarum piorum, magna crudelitate, uti Leo qui etiam oſſa comminuit. Abarb. ait argui ob trucidatum Zachariam Jojadæ filium & Eſaiam quem impius Manaſſe necarit; & juſtitiam indicari trucidatorum liberorum, quia ipſi ſic egerant cum Dei Prophetis. Sed hîc aggravatur peccatum, quod iuſtitutioni prophetarum tantum adverſati ſint, ut odium non niſi morte horum potuerit expiari, quo pertinet Eſa. 29: 21. Amos. 5: 10. Hoſ. 4: 4. & exempla, Aſæ 2 Chron. 16. Jeroboami 1 Reg. 13. Achabi & Jezebelis. cap. 18, 19, 22. Amaziæ cap. 25. Jojakimi Jer. 26. ut Jeremiæ paſſiones non producamus.

Verſ. 31. *O generatio, vos animadvertite verbum Jehovæ, an ut deſertum fui Jiſraeli? an terra fructum perdens? quamobrem dicunt populus meus, dominamur, non jumus venturi ampliùs ad te?*

(2.) *Externus favor* & *beneficientia* verſ. 31. cujus 1. conſideratio commendatur 2. beneficium proponitur, 3. ſubjicitur populi Uſus. Conſiderationem poſcit alloquium. *O generatio, vos videte verbum Domini.* Hic eſt הא הקריאה in הדור quam compellat citra epitheton, quod alias ſociari ſolet, ne prædamnaſſe videretur, quos ſibimet ipſis judicandos & condemnandos ſiſtebat; adeoque ſuſpendens quaſi judicium; aut admirabundus quodammodo. Compellat autem una voce univerſos, quotquot illa ætate vivebant, quia omnibus teſtandi facit facultatem, ſi quid producere poſſent contra Deum. Jubet videre verbum Dei, hoc eſt, conſiderare, quia verba ſenſuum promiſcue ſumuntur de cognitione, quæ per ſenſus ceu inſtrumenta obtinetur, Joh. 8: 51, 52. vel experimenta ſumere an verba promiſſionum complementum acceperint. Joſ. 21: 45. cadere verbum Dei dicitur in terram quando caret eventu promiſſio: metaphorice, quæ inutilia ſunt, in terram projiciuntur, aut cadere ſinuntur, non cuſtodienda; quod vero caſus habet negationem, illud non cecidiſſe videri poteſt. Abarb. Videte præcepta Dei, quod in iis non ſit labor, aut fatigatio, aut onus: conſiderate illa bene. Ait tamen aliquos veterum ob vocem *videte*, cenſuiſſe ablegatos à Propheta ad urnam Mannæ in ſanctuario cuſtoditam, Exod. 16: 22. ut oculis uſurparent cibum quo per 40. annos olim ſuſtentati fuiſſent. Sed hoc alienum eſt. Beneficentia faventiſſima per interrogationem proponitur, & fortius negat. *An deſertum fui* &c? ſimilis deſerto, ubi mera ſterilitas, nihil cibo, minus potui futurum. Sic ſe habebat illud per quod eos duxit, ſed tum maxime patuit Deum deſerto ſimilem non fuiſſe, qui cibum potumque tunc liberaliſſime ſuppeditavit tantæ multitudini; & poſtea abundantiam omnium largitus eſt Deut. 8: 11, 32. *An terra* מאפליה? Componitur cum nomine Divino, ad auxeſin, uti crebro, כהררי אל Cant. 8. פלג אלהים Pſ. 65: 10. עיר גדולה לאלהים Gen. 30: 8. נפתולי אלהים Pſ. 104: 16. עצי ה׳ Jon. 3: 3. נבור ציד לפני ה׳ Gen. 10: 9. quia enim Deus infinitæ perfectionis potentiæque eſt, quicquid maximam vim & perfectionem habet in ſuo genere, ut ordinariam conditionem quodammodo excedat, id à Deo denomiationem accipit. Caligo porro triſtitiæ, miſeriæ, calamitatis ſymbolum eſt, ut lux gaudii ac felicitatis. Sed cum ea caligine conferri, non poterat; qui non ſolum lux eſt ſine tenebris 1 Joh. 1: 5 cum quo lux habitat Dan. 2: 22. & ipſe habitat lucem inacceſſam 1 Tim. 6: 16. ſed qui lucem & felicitatem eis largitus erat, cum eâ carebant, Deut. 8: 32. Neh. 9: 12. &c. & verſ. 19. &c. adeoque ut Pſ. 84: 12. Si unquam denſa caligo iis fuit, id bono ipſorum factum; ut cum conceſſit inter caſtra Iſraelis & Ægyptiorum, his tenebræ, at illis lux Exod. 14. cum in Sinai fuit in caligine, aſt tum cum ipſis locutus eſt. cap. 19: 20. cum interdiu in nube anteceſſit, aſt tunc dux viæ fuit, & noctu in igne, ut nocturnas tenebras diſpelleret. Fuit ergo revera contrarium caliginis: utpote omni-ſufficiens,

ciens, & ad eos effluens ad omnem abundantiam, maximè poſt collocatos in poſſeſſione Cananææ. Uſus Iſraelis tantæ beneficientiæ plane ſtupendus. *Quare ergo dicunt populus meus?* nihil enim indignius dici poterat, & quid illud רדנו *non veniemus* &c. Chald. explicat per ירדנו (uti aphæreſ. illa occurrit Jud. 19:11. והיום רד מאר) depoſiti ſumus, באנו בירידה ושפלות nous ſommes venus en decadence, deſcendimus à noſtra felicitate, ut Lam. 1:9. ותרד פלאים quia vero tantopere declinavimus à faſtigio priſcæ gloriæ, *non amplius veniemus ad te* ut opem petamus; utpote cujus fuerat nos conſervaſſe felices, quo facit 2 Reg. 6. v. ult. Jer. 44:15. ſeq. Sed analogus deſcendit à רור dominatus fuit. unde רד Hoſ. 12:1. & תריד Gen. 27:40. & Pſ. 55:3. אריד quod nonnulli reddunt plangam: Dicunt, *Dominamur*: ſumus Domini; Kimhi, habemus Reges & Principes qui dominium habent, propterea ad te non veniemus, non ſollicitabimus tuam curam & defenſionem, quam nobis reges noſtri præſtabunt; conf. 1 Sam. 8. Vel *nos ſumus Domini*, abſolutæ poteſtatis, qui neminem agnoſcimus, adeoque nec ab ullo pendemus unde petere velimus defenſam; *non amplius veniemus ad te*, ne tuum videamur agnoſcere imperium; ſatis nobis ipſis proſpeximus & proſpicere poſſumus; non indigi alius. Conf. Pſ. 12:5. Job. 7:14. Quomodocunque ſumatur intolerabile eſt reſponſum. Juſtane cauſa renunciandi Deo, ſi adverſa incumbant? atqui tum maxime adeundus humili ſubjectione & ſupplicatione. Hoſ. 6:1:2. Quod ſi augeamur dignitate, potentia, felicitate; an juſta tunc? Deut. 8:11, 14. Amos. 6:13. Imo vero tanto magis agnoſcendus Deus ejuſque dominium, cujus beneficio omnia felicia ſunt nobis.

Verſ. 32. *An obliviſcitur virgo ornatus ſui? ſponſa eorum quæ alligat ſibi? at populus meus obliti ſunt mei diebus innumeris.*

(3.) *Spiritualis benedictio* verſ. 32. non qua ſpiritus immutatur aut regeneratur, ſed quod non eſt naturæ beneficium, neque à cauſis naturalibus fluit; ſed vi fœderis gratuiti obtinetur. Hoc indicatur, & Uſus Iſraelis, ſed illuſtratum ſimilitudine. Beneficium eſt, עדי monile jocale virginis, & ישורים vincula, faſciæ ſponſæ; quæ illis chariſſima, ut horum amorem nunquam deponant, ſed jugiter iis ſe ornent; quemadmodum ſolent virgines impenſe amare monilia, & indulgere immo inſanire in ejuſmodi, Eſa. 3. Sponſæ inprimis, quæ ſibi plus tunc licere putant; quibus Vincula videtur tribuere, ceu monentia de amore quo colligantur deſponſati, & arcto illo conjugii vinculo. His monilibus confertur Deus: longe pretioſior illis in ſe, & plus ornatus addens. Deut. 4:7. Pſ. 144:15. Abundet quis omnibus mundi pretioſis, qui Deum habet longe pretioſius adornatus eſt. Job. 22:25. Eſa. 28:5. Uſus Iſraelis. Illæ non obliviſcuntur, licet ſint ex corruptibilibus 1 Pet 1:18. ex vanis cap. 3:3. &c. 1 Tim. 2:9, 10. Deus vero incorruptibilis 1 Tim. 1:17. attamen hujus obliti erant. Non credidere in ipſo ſuum ornatum conſiſtere, non curarunt eo ornari; ſed quaſi nihil ineptum magis foret prorſus eum depoſuerunt ex uſu ſuo, imo ex memoria; quaſi perdituri tempus hujus uſui impendendum, dum alium quærunt. Eſtque aggravatio, *diebus ſine numero*. Non tantum ad tempus, uti virgines & ſponſæ quandoque, quæ dum maxime ſibi aliiſque placere volunt, illam ſibi applicant: ſed tempore longiſſimo. Quod arguit datoris donique contemtum, vel quia de vero ornatu animæ non cogitarunt, vel quia eum ab idolis melius peti putarunt: ut Achaz altare Damaſcenum prætulit Hieroſolymitano; & iſtius ſimulachrum huic ſubſtituit. Conf. Hoſ. 3:3. &c.

Verſ. 33. *Quid bonam prædicas viam tuam; quærendo quod amas? idcirco etiam malas ipſas docuiſti vias tuas.*

Convictio ulterior inſtituitur verſ. 33. ſeqq. occupans quodammodo, quod ad ſui defenſam dicere poterant; hæc I. proponitur verſ. 33. II. amplificatur, additis minis verſ. 34--37.

Propoſitio convictionis eſt verſ. 33. Quia oblitos dixerat veri ornatus, contra morem virginis & ſponſæ; producit falſum; quo ſe commendatum ibant, & hinc convincit graviſſimè. מה תשיבי דרכך לבקש אהבה Mulier quæ amari deſiderat, non obliviſcitur cimeliorum ſuorum, aut eorum monilium aut faſciarum quæ aliquid facere queant ad ſui commendationem. Hic ſcopus indicatur per ל. Et Ezek. 16. docetur omnia illa ornamenta Deum contuliſſe, ut amabilis fieret populus in oculis omnium nationum: quando videlicet Deum habebant præſentem & propitium. Verum hæc ornamenta repudiarat, & tamen meretricio animo, amores quærebat, gratiam & fœdera aliarum gentium. Non poterat placere ſine ornatu, & verum poſuerat. Igitur ad fictum ſe contulit; uti meretrices propudioſæ, quæ cum gemmis careant, vitra ſubſtituunt, & pictum aurum; cumque deſit vera pulchritudo, ut tamen alliciant amaſios, fuco pinguit faciem; quemadmodum de Jezabele id verbum uſurpatur: 2 Reg. 9:31. Hinc convictio, *propterea etiam peſſimas* &c. In commentitio iſto ornatu fingendo eouſque ſapuiſti, ut ſcortorum putidiſſimorum magiſtra eſſe queas. Ut idololatris gentibus placeret, harum adſciverat idololatriam: docueratque non uti oportebat pietate & vitæ ſanctitate alios excitandos ad ſui amorem: Deut. 4:6. &c. ſed quod turpiſſimum, obſequio & imitatione aliorum, quamcunque omnia haberent corruptiſſima. Ezek. 23. Honeſta mulier caſtitate & modeſtia ſe commendat, ut aliis ſit in honore & pretio; aſt impudica, ut placeat ſcortatoribus & adulteris, laſcivos horum mores exprimit. Abarb. in poſtremo membro ſequitur למדתי את כתיב non ſit 2.f. ſed prima: propterea etiam mala docui vias tuas, hoc eſt, etiam ego docui vias tuas malas quas feciſti, calamitates anguſtiantes, & colligatas in viis tuis, ut inde non ſeparentur. Afflictionibus quodammodo edoctis de tuis viis, ut judicium meum exſequantur, & ultionem ſumant. Sed prius mage commodum.

Verſ. 34. *Etiam in alis veſtium tuarum inveniuntur ſanguis animarum egentium, ſanguis innocentium; non effoſſione invenio hæc; ſed ſuper omnia iſta ſunt.*

Amplificatio quæſiti fuci, quo ſibi placebat, ducitur à gemina fiducià I. de ſe verſ. 44, 35. II. de fœderatis verſ. 36, 37. additis utrobique minis. Fiducia de ſe ſic proponitur, ut oſtendatur I. quid egerint verſ. 34. II. quid ſibi hinc tribuerint verſ. 35. III. quid Deus judicet verſ. 35. Quid egerint verſ. 34. Cædes innocentum manifeſta: *Etiam in tuis alis* (veſtium) *inventi ſunt ſanguis animarum egentium innocentum.* Singulare דם pro plur. דמים *quod* frequentius de cæde, cui verbum & poſt affixum reſpondet. Cædium patratarum teſtimonia in ipſis veſtibus apparent, quæ cruore fœdatæ ſunt, ut Eſa. 63:3. victor hoſtium. Sed hic ſimul gloriatio de cæde, 1 Reg. 2:5. Quinam vero occiſi? in genere, cujuſvis conditionis, nam cædes multæ patratæ fuerunt, maxime à Manaſſe 2 Reg. 21:16. Ezek. 22:27. & alibi, in ſpecie poſſunt intelligi Prophetæ Dei: cum enim quærerent amores verſ. 33. fœdera cum idololatris, quod improbabant Prophetæ ceu à Deo interdictum, adducti ſunt in odium plebis, tanquam perturbatores pacis publicæ, & hac propter male habiti, quod accidit Prophetæ ad Aſam loquenti 2 Chron. 16. & imminebat alii ab Amaſiâ cap. 25. Urias necatus Jer. 26. Jeremias in vitæ periculum adductus. ibid. Seu potius liberi innocentes, immolati Molecho. Jer. 7:31. cap. 19:4, 5. Pſ. 106:37. &c. unde vallis Hinnom dicitur vocanda vallis occiſionis Jer. 7:32. Hoc enim ſacrificio ſupra alia omnia volebant commendare ſuas vias, utpote religioſiſſimos ſe oſtendentes, qui idololatriæ ergo מעשׂים naturales deponerent. Sequentia aliquid habent obſcuritatis, לא במחתרת מצאתים כי על כל אלה vel 2. perſ. f. *non inveniſti eos* (innocentes illos) *in proſſione*, quomodo deprenſum furem ante ſolis ortum impune licebat necare Exod. 22:1. *ſed ſuper omnia iſta*, nempe quærentes, & arguentes; ut cædes prophetarum notetur ex verſ. 30. vel, I. perſ. *non inveni eos per effoſſionem*, quod cœſos tumulaſſent ut Moſes Ægyptium in arena Exod. 2. aut ut ſanguis bruti mactati in cibum erat tegendus pulvere, *ſed in omnibus illis* fimbriis veſtium, ceu non tegentes cædes, ſed eas jactantes, Ezek. 24:7. ut Joab 1 Reg. 2:5. utroque modo commodus eſt ſenſus; magis tamen poſterior.

Verſ. 35.

Verſ. 35. *Attamen dicit; quia innocens ſum, utique averſa eſt ira ejus à me.*

Quid ſibi hinc tribuerint verſ. 35. Innocentiam; de qua edunt gloriationem, & probationem. Illam, *& dicis*, dum iſtas patras cædes, *nam innocens ſum.* Licet non obtegam ſanguines, imo iis me ornatam credam, ſunt tamen innocens. Sive enim cœdes prophetarum intelligatur, juſtitiæ & judicii documenta ſunt, contra turbones pacis publicæ, qui concitarunt populum, quomodo criminabantur Chriſtum & Apoſtolos: ſive liberorum Molecho oblatorum, pietatis argumenta, quod etiam pretioſiſſimis & chariſſimis expiarint peccata Mich. 6: 4, 5, 6, 7. Iſtam, אך *utique, certè, averſa eſt ira ejus à me.* Non egeo teſte majore & certiore, Deus ipſe probavit meam innocentiam, remotis à me judiciis. Immunitas à calamitatibus majoribus, maxime ſi hæ incubuerint, ab hypocritis creditur argumentum innocentiæ. Eſt hæc opinio antiqua; Jobi amici ſic argumentantur, qui adverſis premitur, malus eſt, qui proſperis fruitur, bonus. Atqui Eſa. 1: 5. Gen. 15: 13, 16. Amoræis dantur anni 400. Jer. 12: 1, 2, 3.

Ecce ego diſceptaturus ſum tecum, eò quod dicas, non peccavi.

Quid Deus judicarit: *Ecce ego* &c. שפט in Niph. eſt judicio cum aliquo contendere. Judex multa fert impunita in fure quæ non tolerat in filio; neque tamen illum minus nocentem putat. Sed tandem impleta menſura omnia facinora ſimul plectit. Sic Deus magis irritatur ad vindictam quando ſuâ tolerantiâ rapitur in argumentum innocentiæ Pſ. 50: 21. &c. Rom. 2: 3. &c. quando quis ſe reatu carere putat, quia Deus extraordinariam convictionem non inſtituit. Sunt utique convictiones communes, quibus niſi quis exercitatus impetrarit R. P. utique tenetur reatu. Deus autem illis communibus ſatis teſtatus eſt odium peccatis, & quod ira futura exſpectanda, quæ compenſationem reddat; quæ dilatio potius ad reſipiſcentiam debet invitare.

Verſ. 36. *Quid curſitas adeo, mutando viam tuam? etiam ab Ægyptio erubeſces, quemadmodum erubuiſti ab Aſſyrio.*

Verſ. 37. *Etiam ab illo prodibis manibus impoſitis capiti tuo: nam ſpernit Jehova fiducias tuas, ut non ſecunderis in eis.*

Fiducia de aliis hominibus, verſ. 36, 37, I. refertur, verſ. 36. מה תזלי מאד *quid abis valde*, omni poſſe & ſtudio, *ut mutes vias tuas*, & jam hinc jam iſtinc auxilia quæras? Socii ſemel parti, non ſunt deſerendi, ſed tu ſæpiſſime mutas, & id unum agis; ut varietate delectari videaris. ſic verſ. 18. Achaz, Aſſyrium adſciverat: alii Ægyptium; & jam his, jam illis adulabantur. II. Inutilitas indicatur: *pudefacta etiam ab Ægypto redibis* &c. poſt omnem tuam fiduciam te deſertam deprehendes; cum multis precibus & muneribus eos videberis demerita, te deſtitutam videbis, quod accidit Achazo, item Jojakimo & Zedekiæ. Exaggeratur inutilitas, verſ. 37. geſtu deſperantis, impoſitarum capiti manuum, ut Thamar 2 Sam. 13: 19. Kimhi, מה תצאי מזה intelligit de Hieroſolyma; augmenti ergo; pudefacta redibis ab Ægypto; Imo etiam hinc exibis &c. à ſociis deſerta, cum tibi ipſi debeas eſſe præſidio, pariter deficies, & ejecta munitionibus tuis, ibis in captivitatem. Alii de Ægypto & geſtu, fruſtra opem implorantis. III. Cauſa inutilitatis. Deus fiduciam repudiavit, & hinc non proſperaberis. Nihil juvat ſine Deo. Quicquid homines ſibi præſidii pararint, ſiquidem ſine Deo ſe ſibi ſufficere opinantur, repudiat Deus & caret omni robore, & proſperitate. Hagg. 1: 6. Amos. 6: 13, 14. ſcipiones humanos frangit, ut non tantum non ſuſtentent, ſed etiam lædant innitentes. Ezek. 29: 6, 7.

CAP. III.

V. 38. Verſ. 1. *Dicendo, an dimiſerit quis uxorem ſuam, & illa profecta ab illo nupſerit viro alteri, an reverteretur ad eam rurſus? nonne omnino contaminaretur terra illa? tu verò quamvis ſcortata ſis cum amicis multis, tamen reverteris ad me, dictum Jehovæ,*

Conclusio concionis, habens oblationem gratiæ, ſed neglectæ verſ. 1--5. Oblatio eſt verſ. 1. ejuſque amplificatio verſ. 2, 3. Repudium gratiæ verſ. 4, 5.

I. *Oblatio* gratiæ verſ. 1. inſtituitur, ut quid juris Deo ſit indicet, & quid contra faciat gratiæ. Sunt qui confirmari putant denunciationem præcedenter.. *Repudiavit* &c. *dicendo*, (affert enim argumentum ex lege Deut. 24: 1.) dimiſſa à marito, ſi alii nupſerit, hoc mortuo, vel ab eo repudiata, nequit conjungi marito priori, quamvis ipſa innocens ſit in omni priori diſcidio; quia hic maritus adegit quaſi ad adulterium; הטמאה coacta fuit ut ſeipſam pollueret ex Pyh. & Hithp. Sic enim profanaretur terra, quaſi probarentur adulteria, ut à marito, ad alium, & mox ad maritum declinaret. Sed tu non dimiſſa, ut tibi innocentia ſit, verum diſcedens, neque uni, ſed pluribus adulteris proſtituta fuiſti; & reverterere ad me? Quomodo impoſſibilitas reditus oſtenditur à parte Iſraelis. Alii poſtrema verba invitationem faciunt Dei, *attamen redi ad me.* Hic componendæ Lex Deut. 24: 1. & Matt. 19: 7, 8, 9. Moſes non mandavit divortia, ſed uſurpata certis legibus circumſcripſit; ut regis conſtitutionem Deut. 17: 14. &c. coll. cum 1 Sam. 8. cap. Adulterium committitur ducendo repudiatam, quia הטמאה. Argumentum priorum ſic procedit; ſi quæ innocens ejecta, ad primum redire nequit, multò minus audebit reverti adultera multorum manifeſta. Verum quod hypocriſeos impudentiſſimæ eſt, tu revertereris, & velles adhuc mea videri, uſurpato meo cultu, qui ea ratione ſocietur idololatriæ? quomodo reſpondet actionibus eorum. Peccatorum; laudando benignitatem Dei, qui tantopere læſus, adhuc gratiam exercere vult, & offert, invitans ad eam, ut Hoſ. 2. verſ. 1.

Quæſt. An poſſit Deus repudiatum Iſraelem revocare ad matrimonium? Reſp. Repudiaſſe liquet ex Eſa. 50: 1. ſed non innoxiam, verum adulteram. Non facta eſt viri alterius, vid. Hoſ. 3: 1. ſeq. Adulteræ ignoſci poteſt, ſed qui fecit ut in alterius fidem tranſiret, non poterat revocare; ut qui eam fecerat adulteram; juſto quaſi titulo.

Cæterum hinc Deus non eſt auctor rupti fœderis, ſed homines, nunquam dimittet inſontes; ſed deficientes ſpernit Jer. 31: 31, 32. Reſtitutio fœderis non ab hominibus, ſed à Deo procedit. ibid. verſ. 33. Hoſ. 2: 14, 18. Sic Jer. 32: 39. &c. Ezek. 36.

V. 39. Verſ. 2. *Attolle oculos tuos ad eminentia loca, & vide ubi non fuiſti vitiata; juxta vias ſediſti illis, tamquam Arabs in deſerto: & contaminaſti terram ſcortatione tua & malitiâ tua.*

V. 40. Verſ. 3. *Et quamvis cohiberentur imbres, ſerotinaque pluvia non eſſet:*

II. *Amplificatio* eſt à neceſſitate gratiæ, dum noxam exaggerat, deſcriptione I. *peccati.* verſ. 2. ſub ſimilitudine ſcortationis, idololatriæ in excelſis, ut Jer. 2: 20, 23. provocat autem ad ipſiuſmet conſcientiam. Neque tantum exercebat adulteria, ſed etiam captabat; ut Arabs in via. Arabes latrocinii infames inſidiantur prætereuntibus, ut prædam agant. Scorta & adulteræ captant amaſios; Thamar Gen. 38: 14, 21. & Prov. 7: 10. &c. Sic idololatria Iſraelis Ezek. 16: 25. &c. Poteſt etiam hoc dici de captatis fœderibus & auxiliis gentium. II. *Effectus* gemini, qui ſunt *Reatus*, pollutio terræ: quemadmodum de Cananæis dicitur Lev 18. & Pſ. 106: 38. *Pœnæ* verſ. 3. negatio pluviæ. Obnoxia erat Cananæa ſiccitatibus; ſed Deus promiſerat pluviam Deut. 11: 13. &c. idemque minatus cœlum aheneum, hoc eſt, ſic-

ſiccisſimum inobedientibus. Deut. 28: 17. &c. Duæ pluviæ erant neceſſariæ, prima, quæ יורה & hîc רביבים à denſitate ac multitudine guttularum, quæ cadebat poſt factam ſementem, in Octobri; qui dictus menſis יורה à ſignificatione מבול *diluvium*, Abrab. aliis à יבול *proventus*, quia hinc prima ſpes ubertatis. *Serotina* dicta fuit מלקוש, quæ menſis Martii, paulo ante meſſem, cujus initium fiebat mox à paſchate, neceſſaria ut turgidæ fiant ſpicæ, ad granorum pinguedinem, ut dicitur Deut. 32: 14. חלב כליות חטה à לקש *feros fructus collegit.* Simile judicium. Jer. 5. verſ. 24, 25.

V. 41. Verſ. 4. *Frons mulieris ſcortantis fuit tibi, renuiſti pudore ſuffundi. Annon ſaltem ab hoc tempore te docuero, ut me voces, Pater mi; tu dux adoleſcentiæ meæ?*

V. 42. Verſ. 5. *An aſſervaturus eſt* Deus iram *in ſeculum? an obſervaturus in æternum? ecce loqueris & perficis iſta mala quantum potes.*

II. *Repudium* gratiæ, quod defuerit I. agnitio peccati. verſ. 3. II. petitio veniæ verſ. 4, 5. III. averſio à malo. verſ. 5.

1. Defuit *agnitio peccati* verſ. 3. impudentia ſcorti publici, quæ depuduit: qualis impudentia adulteræ Prov. 30: 20. & Eſa. 3: 9. contra quam Jer. 31: 19. Similia objiciuntur Jer. 6: 15. & cap. 8: 12.

2. Defuit *petitio veniæ.* verſ. 4, 5. Debuiſſent, (quod non agebant) adverſis convicti petiiſſe veniam, cujus formulam elegantiſſimam proponit. Fundamenta ſunt I. Fœdus, *Pater mi:* ob arctiſſimam relationem, quando Iſraelem filium, eumque primogenitum dicere dignatus eſt. Exod. 4: 22. quo honore poſtmodum ſæpius affecit, inprimis Jer. 31: 9, 20. Cæterum dum Deus ſic eos loqui voluiſſet, patet non dedignatum iſtam compellationem. II. Experientia favoris: אליף נעורי vel *ductorem* notat Pſ. 48: verſ. ult. vel *doctorem* Pſ. 71: 17. utrumque aptiſſime, idque à juventute. Conf. Ezek. 16: 20. Seriem beneficentiæ divinæ. Petitio ipſa, *an ſervabit* &c. נטר & שמר ſynonyma ſunt, uti משמר & מטרת *cuſtodia*; utrobique ſubintelligitur ira, ultionem poſcens. Diſtinguunt Hebræi inter נקם & נטר. Illud compenſationem injuriæ, iſtud duntaxat memoriam notat. Utrumque interdictum quoad homines: Lev. 19: 18. Deus ſic agit cum hoſtibus Nah. 1: 2. ſed quod ſic ſecum non acturum ſperet, & poſcat, faciunt argumenta recitata: quod infra verſ. 12. &c. confirmatur. Hac petitione tamen uſos non eſſe ex interrogatione liquet; quæ fortiùs negat.

3. Defuit *averſio à malo*, ad quod ſtupenda improbitate converſa fuit, *Ecce* mirantis, & convincentis vox eſt: deliberatum conſilium. *dicis*; conſentiens factum, *& facis mala*, pertinacia, & prævales, contra verba reprehenſorum, & verbera Dei caſtigantis. Variatum genus, quatenus vel ערה vel עם reſpicitur; nam de populo quovis genere & numero loquuntur Prophetæ.

CONCIO JEREMIÆ SECUNDA.

PArtes quinque I. Actio Dei cum Propheta ut oſtenderet ei reatum Judæorum cap. 3. verſ. 6--11. II. Hortatio ad reſipiſcentiam verſ. 12. ad fin. cap. 4. III. confirmatio accuſationis de peccato & denunciationis pœnarum cap. 5: 1. ad cap. 6: 10. IV. Confutatio vanæ fiduciæ populi verſ. 11--27. V. Confirmatio Prophetæ in ſuo munere. ad fin. cap. 6.

V. 1. Verſ. 6. *Dixit autem Jehova mihi temporibus Joſchijæ regis:*

I. Actio Dei cum Jeremiâ, ubi I. Tempus & occaſio. II. quid egerit Deus.

I. *Tempus* & *occaſio.* verſ. 6. *Et dixit Dominus ad me in diebus Joſiæ regis.* Etiam prior ſub Joſia habita; ſed ex verſ. 10. liquet hanc 5. aut 6. annis fuiſſe poſteriorem. Cœpit Prophetare 13. anno Joſiæ, corruptiſſimo ſtatu caſ. 2. 8. attamen non licuit ipſi tacere. Quinquennio affulgebat ipſi lætior ſpes. Joſias anno 18. dum templum repurgat & idololatriam publicam removet, invento libro legis, & admonitus ab Huldâ de ira Dei ſuperventurâ, reformationem ſolennem inſtituerat, & fœdere ſe omnemque populum ad colendum Deum obſtrinxerat. Effecit etiam, ut, dum viveret, ad apertam idololatriam & ſcelera alia ne prolaberentur. Celebravit Paſcha extraordinaria feſtivitate. 2 Reg. 23. 2 Chron. 34, 35. Quis non credidiſſet omnia jam facilia fore Prophetæ? non opus fore multis reprehenſionibus, convictionibus, comminationibus? Sed Deus eum hîc inſtruit, ne blandiori ſermone utatur, aut quicquam remittat de acriori genere dicendi: quandoquidem nihilo melior erat populus per illam reformationem: quamvis Joſias bona fide egiſſet, & ſerio ſe convertiſſet: in populo omnia eſſe ficta, ſpecie externâ emendata; vi & metu regiæ autoritatis, qui adegerat ad fœdus cum Deo, & obſervationem urgebat.

Vidiſtine quid fecerit averſa Jiſrael? profecta eſt illa ſuper omnem montem altum, & ſub omnem arborem virentem, ubi ſcortaris.

V. 2. Verſ. 7. *Quumque dicerem, poſtquam fecit omnia hæc, ad me revertatur, non eſt reverſa, vidente hoc perfida ſorore ejus Jehuda.*

V. 3. Verſ. 8. *Itaque viſum eſt mihi omnibus de cauſis, quibus adulterata eſt averſa Jiſrael, dimittere eam, & dare ei libellum repudii: nec tamen timuit perfida Jehuda ſoror ejus, ſed abiens ipſa ſcortata eſt quoque.*

V. 4. Verſ. 9. *Fuitque præ famoſa ſcortatione ſua, ut contaminaret terram: nam adulterabatur cum lapide & cum ligno.*

V. 5. Verſ. 10. *Nec tamen toto hoc reverſa eſt ad me, perfida ſoror illius Jehuda ex toto animo ſuo; ſed falsò, dictum Jehovæ.*

II. Quod egit Deus eſt *oſtenſio reatus populi*, ne ille externæ reformationis ſpecie faſcinatus, vel meliùs de ipſo judicaret quam par erat; vel ſegniùs mitiùſque contra ipſum ageret: Ergo 1. repræſentat exemplum X. tribuum, verſ. 6--8. II. confert factum Judæ verſ. 8--10. III. de hoc cum illis collato pronunciat. verſ. 11.

1. *Exemplum* Iſraelis conſtat deſcriptione peccati ipſorum verſ. 6. 2. oblatæ & repudiatæ gratiæ verſ. 7. 3. illatæ pœnæ. verſ. 8. *Iſraelis* nomine X. tribus notat, quæ regnum Iſraelis faciebant: *Judæ* autem duas quæ adhæſerant domui Davidis, ut frequentiſſime.

(1.) De *peccato* Iſraelis rogat Prophetam, an illud viderit? non quod oculis potuerit uſurpare; nam 93. lapſi erant anni à deportatione Iſraelis ultima & vaſtatione Samariæ, cum Jerem. ordiretur munus ſuum: ut fere ſeculum jam diſtaret: ipſe autem non erat centenario major, qui juvenis fuit adſcitus. Sed *videre* hîc eſt conſiderare; an ex memoria parentum ac majorum, nec non ex prophetarum ſcriptis & concionibus didiciſſet, quid & cur Iſraelitæ paſſi eſſent?

Iſraeli dat nomen משובה ישראל *Averſæ*: nam ex quo ſemel receſſit à Deo, ſeque applicuit vitulis Jerob. in Dan & Bethel, nunquam rediit ad verum cultum; fuitque inſtar mulieris, quæ ubi à marito digreſſa ſe adultero applicuit, nunquam redit ad illius domum, & obſequium. Omnes reges Iſraelis notantur, non receſſiſſe à peccato Jeroboami.

Factum eſt Idololatria; quæ ut cap. 2. ſub ſimilitudine ſcortationis & adulteriorum proponitur; & quidem ut cap. 2: 20. Neque enim ſtetit idololatria in cultu vitulorum, ſed etiam aliâ ſociata fuit, infamis præ cæteris Achab, cultu Baalis Zidonii. Quem cum domo Achabi excidit Jehu, ſed Jeroboam inſtitutum non deſeruit. ותגי שם non eſt ſecundæ fœm. ſed tertiæ cum Jod parag. Sic Eccleſia Romana poteſt dici משובה.

(2.) Obli-

(2.) *Oblatio gratiæ & repudiatio.* verſ. 7. *Dixi cum omnia iſta feciſſet*, non, mea non es, puniam te ut adulteram: ſed *redi ad me.* 2 Reg. 17: 13. quemadmodum etiam Jer. 3: 1. cum Juda egerat. Tam benignus Deus ut indigniſſimis gratiam offerat. Sic erit enallage generis אלי תשוב pro תשובי. Vel citra eam in 3. perſ. f. *Ad me revertetur*, tandem pœnitebit defectionis, redibit in viam & officium Hoſ. 2: 7. Sed: *ipſa non converſa eſt.* 2 Reg. 17: 14. &c. Quo benignior Deus, eò pertinaciores peccatores: quia ſe rogari audiunt, rogari dignos autumant; & rogantem ſpernunt, quaſi Deus rogans ſuum, & non hominum bonum ſpectet. 2 Cor. 5: 19. &c.

(3.) *Illatio pœnæ* verſ. 8. *propter omnem idololatriam averſæ Iſraelis, dedi ei repudium.* Nolenti redire, redeundi licentiam ademit. Eſa. 50: 2. Sunt qui X. tribus putant, per divortium dimiſſas, eoque præciſam ſpem reditus. Judam non dimiſſum, & propterea revocatum: quia repudiatam revocare non licuit. Sed etiam X. tribus revocantur verſ. 12. &c. Repudium utriuſque fuit, ſed I. non innocentum, verum nocentum. II. Non nupſêre alteri, ſed manſêre vel ſcortantes, vel viduarum conditione, & ſic potuêre revocari. Abrab. ait, fuiſſe libellum repudii non abſolutum, ſed conditionatum; quamdiu perſeveraret in peccatis. Commodiſſime ſic: Deus non dedit libellum repudii, ut Deut. 24: 1. &c. innocenti, pro ſuo arbitratu; ſed nocenti, adulteræ. Ergò hæc injuſta, Deus juſtus, non contra. Adultera tradenda erat judici ad pœnam capitis. Deus non necavit Iſraelem, ſed ejecit tantum domo, & ſui ſocietate excluſit. 2 Reg. 17: 18, 23. Hoſ. 3. Adeoque juſtitiam ſuam Deus temperavit miſericordia. Non omnia indulſit; eoque ejecit; ſed nec omnia merita intulit, eoque habuit ſeu dimiſſam, fivit vivere. Unde conſervatio Iſraelitarum, ut non interierint.

2. *Collatio* Judæ cum Iſraele verſ. 7. &c. Illuſtrationis gratiâ conſiderandum Ezek. 23. Deus ſe confert marito duas ſorores habenti in conjugio, quandoquidem fœderatus erat toti Iſraeli, ſed ille poſt Solomonem in duo regna diviſus, originem quidem unam, regimen autem diverſum habebant conſtantiſſime. Unam dicit אהלה quia ſibi fecerat cultum proprium vitulorum Jeroboam. Alterrm אהלי בה quia ſuum templum & cultus in Juda perſeveravit ad excidium uſque Hieroſolymæ. Prior erat Samaria, ſeu X. tribuum, Iſrael: poſterior Jeruſalem, Judæ. De his quoque hîc agitur. Et quidem prioris peccatum & pœnam indicarat, jam confert illi alteram.

Oſtendit autem I. *Cognationem* ex origine: dicens *Sororem*, ceu ab eodem Jacobo, & præcedentibus Patriarchis Iſaaco, Abrahamo & Sara Eſa. 51: 1. &c. oriundam. Cognatio etiam naſcitur ex ſimilitudine morum. Sodoma æque ac Samaria ſoror Hieroſolymæ Ezek. 16. & Amoræi ac Chittæi parentes. Contra Abraham pater credentium, & converſi ſorores Judæ Ezek. 16. fin. Pſ. 87. II. *Peccatum*: in genere, quando vocat בוגדה vel בגודה. Iſrael *averſa*, quia ſemel declinans, nunquam rediit ad Deum: Juda *prævaricatrix*; quæ ſæpe declinavit, ſed ſæpe rediit, & denuo repetiit ſemper declinationes: quod hiſtoria utriuſque regni probat. Scil. major conſcientia in malo quam in bono. Luc. 16: 8. filii hujus ſæculi.

In ſpecie (1) quod viderit peccata & incorrigibilitatem Iſraelis Intuitus peccati & impœnitentiæ, non excitavit ad majorem pietatem, ſed invitavit ad imitationem. Abia exprobrat Jeroboamo idololatriam vitulorum 2 Chron. 13. cap. ipſe tamen ambulavit in peccatis patris Rehabeam, 1 Reg. 15: 3. de quibus cap. 14: 22. &c. qui Rehabeam poſt afflictionem per Siſakum aliquam inſtituerat emendationem. Joſaphat filio ſuo adſcivit Achabi filiam, quomodo Baalis cultus poſtea invectus fuit. Et uti Eliæ adhortationes ad pœnitentiam in Iſraele fruſtraneæ fuerunt, ſic non plus profecere Prophetæ in Juda. (2) Quod non territa fuerit pœnis Iſraelis. Exemplum ſeveritatis magnum Deus edidit ejiciendo Iſraelem. Juda tamen iiſdem peccatis indulſit. Filiæ Loti habebant exemplum Sodomæ Gen. 19. Iſraelitæ Sodomæ Ezek. 16. Cananæorum Zeph. 3: 6, 7. ſic Baltaſar patris Dan. 5. 2 Pet. 2: 9. &c. 1 Cor. 10: 4. &c. Luc. 13: 1. &c. Verum dum nihil intuendo movetur Juda, Deus vidit hanc ejus perditam malitiam; videlicet ut eo nomine caſtigaret. Conf. Pſ. 50: 16, 21. Cum videre nolumus, quæ, & quomodo intuenda, Deus videt hunc ipſum viſus neglectum. (3.) Quod magis auxerit peccatum verſ. 9. quod fuit *publicum*, exiit fama ſcortationis: *maximum*, totam terram pervagata eſt eamque polluit, *pudendum*, cum ligno & lapide. Jer. 2: 27. Perſæ & Orientales ſolem venerabantur, Ægyptii crocodilos & bovem Apim, imo allia & plantas alias: quæ erant creaturæ Dei. At Judæi lignea & lapidea idola, creaturas ſuas pejores aliis idololatris. Ezek. 16: 47. cap. 23: 11. (4.) Quod illuſerit Deo, ficta reſipiſcentia verſ. 10. Iſraeli impœnitentia fuit objecta; Judæ pœnitentia; quâ æque peccavit, quia hypocritica. *Iſrael* peccavit nunquam redeundo, quamcunque invitaretur: *Juda* redeundo, quia malè hic egit: ceu adultera deprenſa, quæ fictis lachrymis maritum ad miſerationem movet, ne pœnam ſtatuat, & venia impetrata, animo tamen amaſio adultero adhæret. Reſpicit reformationem Joſiæ. Ea fuit ſincera reſpectu Joſiæ, ſed falſa reſpectu populi. Differentia quæ horologii: aliud movetur vi contortæ laminæ internæ; adeoque principium motus internum eſt: aliud vi ponderis appenſi; adeoque principium motus externum eſt. Illo modo Joſias, ex corde: 2 Reg. 23: 25. iſto populus autoritate regis & metu ejus. 2 Chron. 34: 31, 32, 33. quamdiu proinde ille vixit, perſeveravit emendatio externa; ſed hoc mortuo illico reciderunt ad priora. Sic in deſerto Pſ. 78: 34. &c. Deus intuetur cor, & poſcit cor, omniaque vult fieri ex corde: hoc ſi non afferatur, omnia ficta falſaque æſtimat. Quemadmodum hoſtia ſine corde inter gentiles ominoſa erat, non placatura numen, ſed præſagiens malum: ſic quoque reſipiſcentia ſine corde.

V. 6. Verſ. 11. *Qua propter dixit Jehova mihi, juſtificat ſeipſam averſa Iſrael; magis quàm perfida Jehuda.*

3. *Judicium* Dei de Juda collato cum Iſraele verſ. 11. *Iſrael juſtificavit animam ſuam magis quam* &c. Juſtificare eſt h. l. ſe factis declarare minus injuſtum, aut magis juſtum, hoc eſt, propius accedentem ad juſtitiam, quam Juda. Ezek. 16: 47. &c. Magis reus qui poſt crimina ſæpius revertitur per reſipiſcentiam, ſiquidem hæc non niſi hypocritica ſit, & deſeratur rurſum, quam qui perſeverat in primâ defectione & declinatione. Eſt enim Deo ape... illudere. Conf. Ezek. 16: 51, 52.

V. 7. Verſ. 12. *Abi ut proclames verba hæc verſus Aquilonem, dicens, revertere averſa Iſrael, dictum Jehovæ; non faciam ut irruat facies mea irata in vos. Nam benignus ſum, dictum Jehovæ, non aſſervo* iram *in ſeculum.*

V. 8. Verſ. 13. *Tantummodò agnoſce iniquitatem tuam, te à Jehova Deo tuo defeciſſe; nam ſparſim iniviſti vias tuas ad exteros ſub omni arbore virente, & voci meæ non auſcultaſtis, dictum Jehovæ.*

I. Hortatio ad reſipiſcentiam: cum res poſceret ſeveriſſimam ſententiam, ejuſque citam exſecutionem, promittitur reſipiſcentibus graria, qui ad reſipiſcentiam invitantur. Attamen quo gradu rei erant, eo ordine excitat ad ſolatium. I. Iſraelem verſ. 12. cap. 4: 2. II. Judam verſ. 3. ad fin. cap. 4.

I. *Invitatio Iſraelis* primò mandatur, tum deſcribitur.

1. Mandatur verſ. 12. *Abi & proclama hæc verba Aquilonem verſus.* Iſrael X. tribuum deportatus erat in Aſſyriam & Mediam ad ſeptentrionem Cananææ. Eò verſus non jubetur ire deſertâ Hieroſolymâ, ſed progredientem clamare, iſtuc converſâ facie. Eoque non tam fuit invitatio Iſraelis, quam Prophetia de Iſraele, ejuſque converſione; quomodo ſimul monebantur Judæi ſui officii, & animabantur ſpe gratiæ, quæ etiam apoſtatico Iſraeli promitteretur.

2. Deſcribitur, dum formulæ plures proponuntur, & ſingulæ cum peculiari emphaſi, nec non ſucceſſione temporis. Suadetur enim reſipiſcentia I. à natura Dei benignâ verſ. 12, 13. II. à fœdere Dei, & beneficiis ejus verſ. 14--25. cap. 4: 1, 2.

Prima Invitatio verſ. 12, 13. habet (1.) Mandantem Deum, Joel. 2: 12. Act. 17: 30. (2.) Mandatum, *Reſipiſce*, revertere; eſt enim reditus ab errore in viam. (3.) Cui mandatur, *averſa Iſrael*. Illa ipſa generatio, quæ tum vivebat. Huic aperitur via ad reditum, ut Judæ Jer. 3: 1. Repudiatæ ſpes fit gratiæ, dum offenſus maritus revocat (4.) Argumenta ſuadentia, à promiſſione gratiæ; *non faciam ſuper vos cadere faciem*, hoc eſt, iram *meam*, ut Pſ. 21: 10. Pſ. 34: 17. פני pro *ira* Pſ. 21: 10. Pſ. 34: 17. pro *gratia* Exod. 33: 14, 15. quod tamen per ellipſin reddi poteſt pro מלאך פני ex Eſa. 63: 9. Equidem id feciſſe jam patet ex 2 Reg. 17: 18. & exilium ipſorum id docebat; ſed ſignificat vel omnem iram ut Pſ. 78: 38. vel in æternum: ut ultima verſus. Non promittit hic reſtitutionem in patriam illicò; ſed inhibitionem iræ, ne per eam in exilio perirent. Lev. 26: 44. Jer. 30: 11. Moderatiora futura erant reſipiſcentibus exilii mala: quæ non reſipiſcentibus fuêre aggravata magnopere; ut longius adhuc depulſi fuerint, neque ubi jam degant certò conſtet. Confirmatur argumentum illud à natura Dei, quod *benignus* ſit חסיד indebitam beneficentiam exerceat: unde toties רב חסד ſe nominat, quodque non in æternum memoriam criminum ſervare velit, ad augenda mala & calamitates. (5.) Deſcriptionem reſipiſcentiæ, conſtare eam *agnitione peccati*, tum in genere; tum in ſpecie, quod conſtet peccatum commiſſione mali, cujus particularis enumeratio: Deus unus centrum eſt, inde ſi diſcedatur, infinitis radiis ad peripheriam itur, & ſemper in diverſas ejus partes: & omiſſione boni; *non audire vocem* eſt non obedire. Agnitione peccati definitur reſipiſcentia per ſynecd. Nam alioqui hæc ſola non ſufficit. Eſt tamen primum initium reſipiſcentiæ. Ubi enim cognita eſt turpitudo peccati & noxa ejus, philautia ipſa ſuadet mutationem vitæ & converſationis. Interim agnitio iſta ſeria & cordialis agnoſcitur ex eo quod particulatim inquirat in peccata in ejus circumſtantias & aggravationes.

Verſ. 9. Verſ. 14. *Revertimini filii averſantes, dictum Jehovæ, nam ego conjugio junctus ſum vobis:*

Secunda invitatio verſ. 14--25. quæ I. proponitur verſ. 14. II. beneficiorum variorum promiſſione confirmatur, verſ. 14--18. III. ſpecialius deſcribitur. verſ. 19--25. cap. 9. verſ. 1, 2.

(1.) *Proponitur* verſ. 14. ſub eodem verbo שובו *revertimini*, ſed perſonæ invitatæ aliter deſcribuntur, בנים שובבים. Ante locutus erat משובת ישראל; illius ætatis Iſraelem reverti juſſerat; ſed fruſtra, illi non fuere converſi; adeoque non mitigata ipſorum conditio, in exilio; ſed major obduratio acceſſit, juxta Deut. 28: 36. & hiſtoriam 2 Reg. 17: 34. &c. Igitur invitationem dirigit ad poſteros ipſorum, בנים filios; ſed haud degeneres, ejuſdem averſionis hæredes & imitatores, כמעשיהם שובבים אתם Jama fol. 86. col. 1. fin. Jer. 31: 22. ſimiliter legitur הנערה השובבה. Τὸ משובה ex Kal deſcendit, ſimplicem averſionem denotans: aſt שובב ex Pihel. quod tranſitivum, ut indicetur averſio per educationem & exemplum effecta & confirmata. Scilicet iſti ab averſis geniti erant, inque averſione educati, ut nihil noſſent, quam quod averſorum erat. His tamen conſervat Deus jus fœderis, eoſque ad illud revocat. Sequentia ambigua ſunt: quibuſdam ratio; כי בעלתי בכם *nam conjugio junctus ſum vobis*. בעל enim *conjugem eſſe* notat; & Eſa. 54: 5. de novo fœdere, כי בעליך עשיך. Fœdus Dei ſub matrimonii ſimilitudine frequentiſſime proponitur, ut ſignificetur arctiſſima unio, una caro: perfecta communio, ut mutuo ſui ſint; perfectus amor, & acquieſcentia. Atque hoc eſt fundamentum invitationis, quemadmodum Lev. 26. Deus teſtatur ſe ea propter velle eis gratiam tandem facere. Eſtque hæc invitatio qualis Davidis ad nuptias cum filia Saulis: non ut dotem afferret, ſed ut hoſtes regis necaret, 100. præputia Philiſtæorum 1 Sam. 18. ſic ut per reſipiſcentiam necentur peccata & cupiditates. Sic plerique reddunt etiam Judæorum. Kimhi autem ex ſententia patris docet בעל cum ב conſtructum *Averſandi* ſenſum habere. Quomodo Jer. 31: 32. coll. cum Heb. 8: 9. Quæ ſignificatio convenientior; & ut כי reddatur *quamvis*; quomodo ſæpe accipitur Gen. 4: 25. cap. 8: 21. Jer. 51: 5, 14. Pſ. 49. 19. Dan. 9: 9. Eſtque occupatio; *quamvis faſtidiverim vos*. Fallidium iſtud indicatum verſ. 8. coll. cum Heb. 8: 9. & Jer. 31: 32. licet ejecerim vos, è terra mea, & fœderis fruitione, non propterea deſperata omnia debetis opinari, ut de reditu non ſit cogitandum: ſed licet ita egerim, invitati revertimini. Sic roborat Deus gratioſus, contra ſpem, ad ſpem, imo fiduciam vocans.

Et ego recipiam vos, unum ex civitate & binos ex familia, ut adducam vos Tzijonem.

(2.) *Confirmat* variorum beneficiorum promiſſione; quæ enumerantur. I. Reſtitutio paucorum in fœderis fruitionem. verſ. 14--17. II. Reſtitutio univerſorum, unà cum Juda. verſ. 18.

A. *Reſtitutio paucorum* I. ad Eccleſiam verſ. 14. II. ad bona Eccleſiæ, ſolidam inſtitutionem, cujus 1. inſtrumenta, doctores, verſ. 15. 2. modus עד ציון. verſ. 15. עד אשר. verſ. 16. 3. conſortes verſ. 17.

a. Paucorum de X. tribubus *reſtitutio ad Eccleſiam* verſ. 19. deſcribitur à numero reſtituendorum, & reſtitutionis modo.

Numerus eſt, *unum ex urbe, & duos ex familiâ*. Familia latius patet urbe: Intelligit enim familias, quibus primum Cananæa diſtributa fuit; ubi familiæ uni plures cefſerunt urbes; & alias quoque familiæ nomen latè patet Gen. 10. Zach. 12: 12, 13. cap. 14: 10. Denotantur ergo pauci numero, quibus hæc gratia futura, qui ratione præteritorum forent ceu unus ex urbe & duo ex familia. Kimhi. *Si in urbe hoſtili unus, & in familia ſeu gente inimica duo fuerint, eos inde ſumam, & reducam Zionem.* Eſa. 27: 12. vel, *modo unus in urbe aut duo in familia pii fuerint, omnes reliquos propter hos reducam.*

Modus ab utroque termino declaratur, A quo, *ſumam vos*, ſcilicet ex loco veſtri exilii; accipiam vos inde. Ad quem, *& adducam vos Zionem*: faciam vos venire ad Eccleſiam, quæ in monte Zionis quaſi domicilium habebat. נקח etiam uſurpatur de matrimonio, quomodo fœdus conjugale ſignificaretur. Sed ſimpliciùs ſumitur de tranſlatione locali: quemadmodum Eſa. 36: 17. Jer. 25: 9. Ezek. 36: 24. Adductio autem hîc non dicitur *ad terram veſtram*, ſed *Zionem*; ut non tantum reſtitutio ſit in patriam, ſed etiam ad veram religionem.

Agitur porrò hîc manifeſtè de poſteris X. *tribuum*; ut docet nexus cum præcedentibus. Non autem de tribubus Judæ, Benjamin, & Levi; nam hæ integræ redierunt, ſaltem plures, quam hîc dicitur. Iſraelitæ à Salmanaſſare & prioribus regibus Aſſyriis fuerunt deportati in Aſſyriam & Mediam, everſumque regnum Samariæ. Horum aliquibus, non omnibus, promittitur reſtitutio: quam obtinuerunt unà cum Judæis ſoluto horum exilio Babylonico. Paulò ante excidium Samariæ Hizkias invitarat etiam Iſraelitas ad Paſcha Hieroſolymis celebrandum 2 Chron. 30. cujus nuncii licet à pluribus riderentur, quidam tamen ex Aſer & Manaſſe & Zebulon ſe humiliarunt, ac venerunt; qui etiam finita feſtivitate cum Judæis egreſſi idololatriæ inſtrumenta ex Ephraim & Manaſſe ſuſtulerunt cap. 31: 1. ſed hi mox redière ad ſua domicilia, & una cum reliquis deportati fuerunt. Tempore Joſiæ qui remanſerant in terrâ reducti ſunt ad cultum Dei 2 Chron. 34: 33. cap. 35: 17, 18. qui Judæ regno ſociati, eodem cum hoc fato, in Babyloniam abducti tandem ſunt. Annis LXX. finitis præter tribus Judæ, Benjamin & Levi rediere etiam aliqui Iſraelitæ X. tribuum: non ſolum qui cum illis iverant in exilium, ſed & alii ex Aſſyria & Media. Nam Cyrus omnibus per regnum ſuum Iſraelitis licentiam redeundi conceſſit: Et hâc uſos eſſe quosdam docent 1 Chron. 9: 3. primi poſt reditum incolæ Hieroſolymæ. In Catalogo reducum cum Zorobabele etiam recenſentur, poſt numeratos Judæ, Benjamin, Levi, & Sacros ſervos, quidam qui ſe Iſraelitas profitebantur Ezr. 2: 59: 60. ſed indice genealogico deſtituti, de quibus etiam Joſephus ſic loquitur Antiq. 11. cap. 4. Cujus ignorantiæ ratio peti poteſt ex 1 Chron. 9: 1. qui liber cum regni Iſraelitici archivo periit; manſitque generis certa ſeries privilegium Judæ & ſociis. Rurſum Ezr. 8: 17. Ezra rediturus Hieroſolymam ex indultu regio, miſit quoque ad Caſiphja locum; qui cenſetur ad mare Caſpium ſitus, & ad Aſſyriam Mediamque pertinuiſſe: quæ ſedes exilii X. tribuum. Joſephus autem

tem lib. eod. cap. 5. sic idem recitat. *Exemplar* (epistolæ regis ad se) *in Mediam ad omnes gentis suæ homines transmisit: qui cognita re omnes vehementer sunt lætati; multi vero ex eis assumtis suis facultatibus Babylonem venerunt, cupientes reverti Hierosolymam: reliqua Israelitarum multitudo assuetum jam domicilium noluit relinquere; qua propter duæ tantum tribus per Asiam & Europam sub Rom. degunt imperio: decem autem tribus nunc quoque ultra Euphratem sunt, infinita hominum millia, quæ vix est numero comprehendere.* Ergò aliqui licet pauci Israelitarum redierunt in Cananæam, respectu multitudinis immensæ, quæ in exilio remansit (nam sic Josephus intelligendus, quomodo etiam de Judæis multi in Babylonia hærere maluerunt, unde Sorana, Nahardena & Pumbedithana Academiæ natæ.) Quos Deus deduxit, non ad pristinum solum statum, ut idololatræ forent vitulorum, uti inde ab ætate Jeroboami; sed Zionem, ut inter Ecclesiæ veræ membra deinceps censiti fuerint.

Vers. 10. Vers. 15. *Ubi daturus sum vobis pastores ex sententia animi mei, qui pascent vos scientiâ & intelligentiâ.*

b. Horum porrò *restitutio ad bona Ecclesiæ*, habet solidam institutionem, Hæc enim est excellentia Zionis, quod ibi detur vera institutio, Ps. 76: 1. & 147: 19, 20. Et frustra quis adductus eò foret si istic non consequeretur institutionem. Esa. 2: 2. &c. Jam hujus recitat.

a. *Instrumenta*; Doctores vers. 15. *Daboque vobis* & &c. Vocantur *Pastores*, quo nomine appellati Magistratus Jer. 2: 8. oppositè ad interpretes legis, Sacerdotes & Prophetas, qui ministerium verbi & sacrorum habebant. Hic intelliguntur Ecclesiastici, qui eo nomine veniunt. Ezek. 34. Etenim ex eventu liquet, post reditum ex Babel regimen Israelis fuisse Ecclesiasticum. Numerantur quidem aliqui Principes domus Davidicæ, sed nihil valuerunt quoad regimen populi summum, quod penes Pontifices ferè fuit; Joseph. Antiq. 11. cap. 4. *incoluerunt*, inquit, *Hierosolymâ, institutâ eâ Reip. formâ, quæ per optimates administratur; penes Pontifices enim fuit summa autoritas, donec Asamonæorum gens mutato rerum statu regnum obtinuit.* Asmonæi autem & ipsi fuêre Sacerdotes, qui tandem ab Herode Idumæo privati fuerunt regno. Adhæc Pastores, qui hic promittuntur, non debuerunt politico regimine insignes esse. Omnium ἀρχιποιμὴν est Messias 1 Pet. 5: 4. Pastor optimus, ut etiam animam daret pro ovibus Joh. 10: Heb. 13: 20. qui negavit regnum suum esse de hoc mundo. Joh. 18: 36. Et cum hoc exspectaretur Luc. 19: 11. &c. per parabolam seriem regni sui delineavit. Et qui sub eo Pastores, his interdixit Dominio politico. Matt. 20: 25. &c. Pascendas dedit oves suas ipsis Joh. 21: 15. &c. Act. 20: 28. 1 Pet. 5: 2. &c. Kimhi. *Pastores isti sunt* פרנסי ישראל *qui erunt cum Rege Messia, ex Mich. 5: 4. quos ipsis dabo tempore salutis.* Hos describit, I. ab autoritate, *Dabo*; non sibi sument id honoris aut potestatis, sed me vocante & mittente munus adibunt. De Christo Heb. 5: 4. &c. unde frequenter se dicit, eum quem Pater misit: neque à se venisse, aut à se locutum esse, sed à Patre, de præcursore Christi Johanne Bapt. Joh. 1: 6, 7, 33. & de hujus baptismo, ipse Christus ait, de cœlo fuisse Matt. 21: 25. Jam Apostoli, & quotquot secuti sunt, à Christo missi. Matt. 10: 5. &c. Joh. 20: 21. Eph. 4: 11. II. à dignitate, *secundum cor meum*, ut de Davide 1 Sam. 13: 14. in quibus non tantum beneplacitum habet, sed qui etiam quæ mandata placitaque sunt faciunt: quod inprimis de Messiâ valet Esa. 42: 1. &c. cap. 53: 11. Matt. 3: 17. Joh. 8: 29. cap. 17: 4. Huc faciunt loca de obsequio Christi, Ps. 40: 7. &c. Phil. 2: 9. Heb. 3: 2. Et tales quoque Apostoli ejus 1 Cor. 4: 1. &c. Luc. 22: 28. &c. Act. 20: 24. Matt. 25: 16. &c. de fidelibus servis. III. à grege cui præfecti. *Vobis.* Loquitur de X. tribubus. Nam cum iis agit: attamen non solis, sed unà cum duabus reliquis. Etenim uti assumti ex X. illis pauci Zionem (quæ Hierosolymæ) adducti fuerunt, sic unà cum Judæis eôdem privilegio eorundem doctorum donati sunt, Messias minister circumcisionis Rom. 15: 8. missus tantum ad perditas oves domus Israelis Matt. 15: 28. neque se vivo Apostolos suos aliò ire sivit Matt. 10: 5, 6. & post ejus adscensionem, primùm Israelitas invitari voluit. Luc. 24: 47. Act. 1: 8. Act. 3; 26. cap. 13: 26: 46. Sed sigillatim ad X. tribus quantum eæ redierunt in patriam, facta est pastorum missio. Quemadmodum hic Israelitis primùm fit promissio, deinde Judæis; sic quoque in exsecutione accidit. Nam Matt. 4: 13. &c. Jesus ministerium suum cœpit exercere in Galilæâ, (regione X. tribuum) idque juxta vaticinium Esa. 9: 1. Ubi licet etiam habitarint aliqui ex tribu Judæ vel Benjamin, tamen isti pauperiores duntaxat fuerunt, qui possessione carebant. Ast qui Israelitæ, istic vixerunt in propriis Neh. 11: 1, 3. Et quod majus, in Galilæa dati primùm fuerunt pastores Apostoli; ad mare Galilææ Petrus & Andreas, Jacobus & Johannes Matth. 4. & Matthæus Capernaumi cap. 9. & forte reliqui omnes. Imo ex X. tribubus aliquot adsciti in istud munus, juxta promissionem Ps. 68: 28. ubi principes hosce pastores notat, ex Mich. 5: 4. plures ex Juda; Jacobus minor, frater Domini, & Judas frater ipsius; filii Alphæi & Mariæ; quæ soror matris Domini. Jacobus major & Johannes filii Zebedæi & Salomes, quæ soror Josephi. Simon Kananites filius Cleophæ & Mariæ sororis matris Domini. Judas proditor ex Kerioth, Judæ urbe. Sed & aliqui ex Zebulon, Andreas, Petrus, Philippus, Nathanael filius Talmai omnes ex Bethsaida, Zebulonis urbe: item ex Naphtali, Matthæus Capernaita, & forte Thomas. Adeoque X. tribubus, & ex ipsis dedit doctores (ut Amos. 2: 8.) cum quidam inde nati, alii ibidem commorati aut educati fuerint; unde Jesus ipse Nazarenus, & ejus Apostoli Galilæi appellati sunt.

B. *Modus* bifariam exhibetur. κ. ἦσαν καὶ ἄφεσιν.

Καὶ ἦσαν & affirmativè, *Et pascent vos* ורעו והשכל. Facient illi officium: *Pascent*, hoc pastorum est eam curam gerere, quam pastor debet gregi; ut ducat ad bona pascua, ut defendat à malis externis, luporum ferarum, furum, & internis morbi & infirmitatum. Talis futurus erat Messias Esa. 40: 10, 11. Ezek. 34: 11. seq. & Apostoli horumque successores 1 Pet. 3: 1. &c. Joh. 21: 17. &c. Actor. 20: 28. Facient apud eos, quibus dati, Israelitas, una cum Judæis; ut jam dictum; & patet ex Act. 8: 1. cap. 9: 31. & ubique primum semper Judæis prædicatum fuit Euangelium. Act. 11: 14. cap. 13, 14, 17, 18. Gal. 2: 9. Facient ut oportet, sive intelligatur de materia docenda, quæ est *scientia & intelligentia*, vel etiam *prosperari* (quomodo השכיל accipitur Esa. 52: 13. Jer. 23: 5. 1 Sam. 18: 5.) Sapientia pavit Christus Joh. 1: 18. cap. 3: 10. &c. & vers. 31. &c. Matt. 11: 25. &c. cap. 22: 16. & prosperari, seu quomodo salvari possent. Joh. 3: 15, 16. Matt. 5, 6, 7. Pariter Apostoli docuerunt sapientiam, 1 Cor. 2. & prosperari, quomodo salvari possent Act. 2, 3. & ubique. Sive de modo docendi *sapienter*, & *prosperando*, per ellipsin ב, Matt. 7. vers. ult. cap. 13: 35. Matt. 22. Luc. 4: 22. cap. 20. Joh. 5: 6, 7, 8. seq. Juxta vaticinium Esa. 11: 2. &c. Pariter Apostoli sapienter & prosperando. Luc. 21: 15. Act. 2, 3, 4, 5, 7. &c. Prosperitas enim est non tantum in convertendo per convictionem, sed etiam in confundendo. Esa. 55: 8, 9. &c. 2 Cor. 2: 14. &c.

Vers. 11. Vers. 16. *Eritque quum augescetis & fœtificabitis in hac terra temporibus illis, dictum Jehovæ, ut non dicant amplius, Arca fœderis Jehovæ, neque veniat in animum: neque recordabuntur ejus, neque recensebunt, nedum ut magnificetur amplius.*

Καὶ ἄφεσιν & negativè vers. 16. Hic locus torquet Judæos: Abrab. in dubiis ait. *Ecce hæc prædictio mala est, & eversio Legis, quomodo ergo Scriptura hoc recitat in bonum?* Targum extrema reddit, *neque amplius in eâ gerent bellum.* Sic quoque D. Kimhi: sensum ejus esse, non amplius habituros bellum, ut indigeant arca fœderis eò efferendâ. Verum hic nulla belli mentio, licet quatuor diversæ phrases usurpentur. Quod idem Patrem suum statuisse refert, non ituros ad Sacerdotem docentem, infirmum quoque est. „ Ipse vero scribit: esse peregrinam sententiam, nam si de „ Arca nil dicendum, prædictionem malam fore, non bo„ nam; adeoque etiam Nazarenos hinc concludere, Ar„ cam nunquam esse restituendam: adhæc multiplicationem „ illam phrasium, vice quinta miram esse. Alios quidem sta„ tuere; *quum multiplicati fueritis in terrâ, non move-*

„ *bunt*

„ *bunt vobis nationes bellum, ut arca efferenda ſit in auxi-*
„ *lium. Etenim tunc omnia erunt tranquilla: vocabunt enim*
„ *Hieroſolymam thronum Dei, eique gentes adhæreſcent, de-*
„ *ſerentes pravitatem cordis ſui*: quæ quivis videat eſſe
„ aliena. Sic vero explicat ipſe. *Templo primo ſtante Iſrae-*
„ *lita pravitatem cordis ſui ſequebantur, atque omnis eo-*
„ *rum ſanctitas fuit in Sanctuario & Arca fœderis: quæ*
„ *obedientes protexit, & inobedientibus perditionem ac va-*
„ *ſtationem attulit.* Etenim Arca attraxit providentiam Dei
„ ſpecialem in illam gentem, unde Fœderis Dei appellata
„ eſt, quia liber legis, in quo fœdus, benedictiones & ma-
„ ledictiones in eâ aſſervabantur, ex Deut. 31: 26. Quin
„ imo Arca fuit ad ſingulorum admonitionem; qui cum
„ ſcirent ibi eſſe Arcam Domini, habitationem השכינה,
„ debuerunt expaveſcere coram eâ, ut metuerent peccare,
„ iſtic peterent R. P. ibi præſtarent juramenta 1 Reg. 8:
„ 31. &c. ibidem tempore ſiccitatis, judiciorumve ſuppli-
„ carent. Sed tempore futuræ redemtionis ſanctitatem ſic
„ fore in medio Iſraelis, ut non tantum omnes ſancti futuri
„ ſint qui reſtituentur unus ex urbe, & duo de familiâ; ſed
„ etiam poſtquam multiplicati fuerint, (licet alias in mul-
„ titudine deficiat ſanctitas) ea non recedet ab eis. Eoque
„ illo tempore non dicent homines, Arca fœderis Domini,
„ tanquam recordantes fœderis quod Deus ſecum pepigit &
„ in arca ſervatur, ut inde timeant; quia in ſua ſanctitate
„ non indigebunt fœdere, neque de eo loquentur. Etiam
„ hominum ſingulis non adſcendet in cor quaſi omnis ſancti-
„ tas in loco arcæ tantum foret, quia in quocunque erunt
„ ipſi loco, ſanctificati erunt. Sic quoque non ibunt ad Ar-
„ cam juraturi; nam in quovis loco ſuffitus offeretur no-
„ mini Domini, non ſolum coram Arca; quod dicit per Nec
„ recordabuntur ejus, de juramento. Non facient etiam
„ preces ſuas iſtic, inde exſpectaturi viſitationem pluviæ,
„ ſanitatis, victoriæ, oculi enim Domini jugiter erunt ſu-
„ per ipſos in bonum: quo pertinet, neque viſitabunt. De-
„ nique non fiet amplius recordatio fœderis olim initi, in
„ benedictione & maledictione quia toti erunt ſancti, neque
„ fiet fœdus aliud ampliùs. Sanctitas enim eadem erit in Hie-
„ roſolyma, quæ fuit olim in Arca; unde illa ſolium Do-
mini vocabitur. R. Sal. *Omnis congregatio ipſorum erit ſancta, & habitabo in ea quaſi eſſet Arca:* qui tamen ex-
trema de eductione arcæ in prælium exponit.

Interpretes Chriſtiani hæc exponunt de abrogatione cultus cæremonialis: & Bullingerus, ולא יעשה עוד de ſacrificiis intelligit, quæ in Levit. ſæpe per עשה ſignificentur. Vide 2 Reg. 17: 32. Lev. 2: 8. cap. 16: 9. cap. 17: 9. Calvinus, *hoc quidem*, inquit, *non videtur carere aliquo colore; ſed exiſtimo aliud prorſus eſſe prophetæ conſilium.* Opinatur enim tantum indicari concordiam X. tribuum cum duabus, ut hæ non amplius gloriaturæ ſint de Arcâ, qua illæ carebant, quia unam facturæ ſint Eccleſiam. Cujus prioribus verbis quidem accedimus; ſed interpretationem reliquam probare non poſſumus, cum de X. illis dicatur, non uſuros in ſermone Arcâ Domini: inſuper unio Iſraelis & Judæ ſerior ſtatuatur. ולא יעשה עוד nequit referri ad ברית, nam id fœm. eſt, poſceretque תעשה, ſed ad ארון: adhæc fœdus aliud promiſſum Jer. 31: 31. &c. Ergo alia quærenda explicatio. Ea ſummatim huc redit, Paſtores illos à Deo dandos X. tribubus ſic ſapientiam & proſperitatem, ſapienter & proſpere prædicaturos, ut non ad fœdus vetus eos revocent, utpote præcones novi futuri. Arca Fœderis Domini non ſemper fuit in Eccleſia; quamvis fœdus ei non defuerit. Semper fuit beneficium quod Iſraeli primum conceſſum eſt. Quando Deus huic educto ex Ægypto & deducto ad montem Sinai ſignificaſſet ſe ſolenne fœdus erecturum, & hoc probante, conditiones ejus X. verbis comprehenſas ſuo ore promulgaſſet; deinde per Moſen primùm memoriter, inde ex ſcripto recitari curaſſet, & populo ratihabente, per pollicitationem obedientiæ, ſanctionem addidiſſet, per adſperſionem ſanguinis Exod. 24. non ſolum primores populi ad ſui præſentiam admiſit, ceu fœderatos jam, & familiaris acceſſus jus habentes; verum etiam Moſi indicavit, ut ad ſe adſcendens acciperet tabulas fœderis, quibus conditiones ejus ſuo digito inſcripturus eſſet. Id quod fecit, idque iteratò, cum priores tabulæ fractæ fuiſſent à Moſe: atque tabulis iſtis aſſervandis confecta juſſu Dei Arca, in qua iſtæ collocatæ, & propitiatorio contectæ, habitante teſtimonio præſentiæ Dei gratioſæ in medio Cherubinorum; utpote ubi erat ſuæ conjunctionis cum illo populo per fœdus gratiæ teſtimonium. Quotieſcunque ergo Iſraelitæ de fœdere Dei profiteri quicquam voluerunt, quoties vi fœderis à Deo quid petere, ad arcam provocandum, & eò verſa facie orandum fuit. Quin in bello contra Philiſtæos arcam in caſtra detulerunt, ut fœderati Dei auxilium foret expeditius: & Zadok ac Abjathar eandem cum Davide in exilium iturò delaturi erant, ut fœderis ſolatio eum erigerent. Sed hæc Arca cum tabulis periit in deſtructione primi templi. Secundum eâ in perpetuum caruit, ut S. Sanctorum vel plane vacuum fuerit, vel ſi Arcæ ſimulacrum ibidem fuit aſſervatum, illa caruerit tabulis fœderalibus; adeoque non effet ארון ברית יי׳. Hinc minorem gloriam fuiſſe agnoſcunt ſecundi templi, ob hunc ſimiliumque defectum. Hag. 1: 8. אאבר cum defectu ה quod 5 rebus caruerit, Arca fœderis, Igne cœleſti, præſentia majeſtatis Dei, Spiritu S. Urim & thummim. Magnum autem fuit reducibus ex Babel deſiderium, ut hæc omnia reſtituerentur: multi etiam ſibi imaginabantur per Meſſiam redditum iri; ut omnia priſco more, quo per Moſen ordinatum fuerat, fierent; quo fœderis cum Deo externum exſtaret ſibi documentum: eoque multus ſermo de Arca fœderis Domini. Nunc ergo de hoc erudit, non fore ipſis inculcandam à paſtoribus iſtis novis, (qui Moſis ſucceſſores non eſſent futuri, ſed recens excitandi, Deut. 18: 15, 18. &c.) arcam fœderis priſcam, quaſi in illo fœdere ſalus ipſorum ſita eſſet; ſed quia debebant paſcere eos ſcientia & proſperitate, illius inculcationem omiſſuros, utpote qui ad longè præſtantius fœdus eos eſſent adducturi; cujus conditiones non tabulis lapideis inſculpendæ forent, ſed cujuſvis fœderati cordi ipſius Dei digito inſcribendæ Jer. 31: 33. unde petendam haberet quiſque quandocunque liberet, ipſe ejus cuſtos & poſſeſſor, ut externæ arcæ nullus uſus, nulla neceſſitas ampliùs ſit futura.

Jam quomodo hæc dicantur à Jeremiâ, videamus. Indicatur I. tempus, II. teſtes, III. teſtimonium, IV. eventus confirmans.

I *Tempus* eſt. *Et erit, poſtquam multiplicati fueritis, & fructificaveritis in terrâ.* Continuat ſermonem ad poſteros X. tribuum, quibus modò paſtores illos promiſerat, & docet quando facturus iſtud ſit: non illico poſt reditum in terram & Zionem, ſed longò tempore poſt, quando excreviſſent, pauci iſti in magnam multitudinem; quod factum fere 400. annis elapſis, (nam 420. ſtetiſſe dicunt Judæi templum ſecundum.) Tempore Chriſti & Apoſtolorum innumera fuit multitudo. Hiſtoria belli Judaici apud Joſephum rem ponit extra dubium. Confirmat idem Eſa. 9: 2. *Multiplicaſti gentem, non multiplicaſti gaudium.* Licet tantopere aucti eſſent qui ex X. tribubus redierant, tamen exhibitis paſtoribus iſtis non gaviſi ſunt; utpote exſpectantes regnum terrenum, & reſtitutionem omnium eorum quæ viguerant ſub Davide & Solomone in cultu Dei, & omni ejus magnificentia. Neque aliud hîc dicitur; nam qui hîc teſtes conſtituuntur ſeu præcones, non ſunt Iſraelitæ ipſi, non ait, *non dicetis amplius*; ſed *non dicent*, eoque II. *Teſtes* ſunt paſtores illi, hi inter multiplicatos, & ad eos hæc dicere ceſſabunt. III. *Teſtimonium*, ſeu præconium negativum eſt, *non dicent ampliùs, Arca fœderis Domini:* non revocabunt ad fœdus illud, quod in tabulis lapideis conſignatum ſervabatur; ut pote quod docebunt antiquandum eſſe, & melius ſucceſſurum. Heb. 7, 8. Imo *non aſcendet ſuper cor*, ſive ut de eo cogitent, ceu materia ſuæ prædicationis, ſive ut illius deſiderio teneantur, qui melius fœdus norunt & annunciabunt: *neque recordabuntur ejus*, ceu rei tandem reſtituendæ, ut deſiderium ejus foveant, Pſ. 137. *neque viſitabunt*, vel potiùs, *neque recenſebunt*: cum enim non fuerit Arca ſub ſecundo templo, nequivit viſitari, ut quidem olim: ſed פקר etiam eſt recenſere, ſummam inire, ſic de luſtratione militari accipitur, & aliarum rerum numeratione, eoque cum recenſebunt ea quæ ad cultum pertinent, non facient arcæ mentionem, quæ inter præcipua inſtrumenta cenſebatur, quo facit Joh. 4: 21. ſeq. IV. *Eventus* denique *& non fiet amplius*, nunquam reſtituetur, ut merito ejus ſilentium valuerit apud paſtores illos. Quemadmodum etiam in deſcriptione templi apud Ezekielem, nulla arcæ mentio fit, nedum reſtitutionis promiſſum.

Hæc vero omnia ſic facta eſſe, quivis videt. Paſtorum illorum præconium, quia non loquebatur de Arca fœderis ſcandalo fuit Iſraelitis & Judæis. Criminati ſunt quod & Chri-

Chriſtus molitus eſſet templi deſtructionem Matt. 26. & quòd idem à diſcipulis ejus doceretur Act. 6: 13. cap. 21: 28. cap. 24: 5. &c. Et ſic maximam partem nec præcones, nec præconium admiſerunt. Act. 13: 27, &c. cap. 28: 25. &c. Attamen quidam credidêre & gaviſi ſunt, ut dicitur Eſa. 9: 2. Hujuſmodi internam gratiam, oppoſitè ad typicam deſignari ſtatuerunt R. Sal. & Abarbanel.

V. 12. Verſ. 17. *Tempore illo vocabunt urbem Jeruſchalaimorum* urbem *ſolii Jehovæ, & rectà confluent eò omnes gentes ad nomen Jehovæ, Jeruſchalaima: neque ſequentur ampliùs ſententiam animi ſui mali.*

c. Conſortes verſ. 17. Promittitur vocatio Gentium, cujus deſcribitur occaſio, & perſonæ aggregandæ, & modus ac motivæ aggregationis, ejuſque efficacia.

Nam *Occaſio* eſt, *illis diebus vocabunt Hieroſolymam thronum Domini.* Illo ipſo tempore quo multiplicatis Iſraelitis reſtitutis Paſtores novi, à Deo dati, ceſſabunt inculcare fœdus illud, cujus tabulæ in arca aſſervabantur: quod non ſecus abolendum imo abolitum dicent, quam arca in illa cum tabulis perierat; nec mage reſtituendum quam arca reficienda eſſet. (Qua prædicatione offenſi Iſraelitæ, tenaces ſui fœderis, & Moſaicæ doctrinæ, Paſtores iſtos ipſorumque doctrinam repudiabunt.) *Illo* ipſo, inquam, *tempore. Vocabunt* iidem Paſtores, qui de arca deſierant loqui, (nam non magis hîc quam verſ. 16. utitur ſecunda perſona, ut affetur Iſraelitas, uti verſ. 14, 15.) & *vocabunt*, non ex præcipiti impetu, neque ſtudio novitatis, (quemadmodum Jeroboam vitulos ſuos vocavit Deum Iſraelis) ſed ex rei veritate, per ſuam prædicationem ad quam miſſi ſunt; qui erunt ſecundum cor Dei, & ſcienter ac proſperè paſcent. Vocabunt ergo non Arcam & propitiatorium, non templum Hieroſolymitanum, ſed *Hieroſolymam* ipſam, *Thronum Domini.* Hoc elogium olim fuerat arcæ Pſ. 80: 2. quia uti rex in throno, ſic Deus ſuper arcam glorioſam præſentiam ſuam, imò & gratioſam manifeſtabat. Lev. 16: 3. &c. Templum fuit domus & palatium Dei, in quo illum thronum collocarat: quicunque coram Deo volebant comparere huc debuere congregari; Iſraelitæ omnes in atrio, Levitæ in atrio interiori, Sacerdotes in Sancto, Pontifex ſemel quotannis in S. Sanctorum. Sed hi totam Hieroſolymam ſic erant nominaturi. Intelligitur metropolis Judææ, unde prodiit Euangelium, juxta Eſa. 2: 2. &c. non à Sacerdotibus qui in templo habuere ſuam cathedram, ſed (ut Chriſtus inequitat verbo Pſ. 45: 5.) extra templum quoque, ubi congregati fuere Apoſtoli Chriſti, Act. 2. unde petita deciſio controverſiarum Act. 15 & quo omnia relata Gal. 2. Act. 21. Conf. Zach. 14: 20, 21. itemque cap. 8: 20. &c. Generis enim origo, quâ quis ſit membrum Eccleſiæ Hieroſolymis arceſſenda eſt Pſ. 87. Pſ. 47: 10. Si quis per Hieroſolymam intelligat Eccleſiam, quæ ſuperna dicitur Gal. 4: 26. poteſt ea quoque thronus Dei dici, quia in ea habitat Deus Ezek. 37: 26. &c. 2 Cor. 6: 16. & ad hanc adduntur omnes qui ſalvi fiunt Act. 2: 47. cap. 5: 14. Potiſſimum autem throni Dei nomen meretur Chriſtus, Heb. 4: 16. qui Hieroſolymis erectus Joh. 3: 15. Luc. 13: 33. ut omnes attrahat Joh. 12: 32. Chriſtus eſt lapis fundamenti collocatus in Zion cui omnes inædificari debent. Eſa. 28: 16.

Perſonæ aggregandæ, *omnes gentes.* Quando Iſraelitæ adverſantur iſti præconio; ſaltem per illud non alliciuntur, veterum tenaces; non tamen labor paſtorum inanis: illis repudiantibus *Gentes* avidè accedunt & admittunt, citra populorum diſcrimen. Eſa. 49: 4. &c. cap. 42: 6. fœdus populi (Iſraelitici) lucem gentium. Luc. 2: 32. *Omnes*, hoc eſt, cujuſcunque nationis, πληρωμα dicitur Rom. 11: 25. Hos enim promiſcuè invitarunt Apoſtoli Act. 13: 45. &c. cap. 18: 5, 6. ex mandato Chriſti. Matt. 28: 19. Marc. 16: 15. Luc. 24: 47. &c. Act. 1. cap. Qui tamen alieni naturâ. Eph. 2: 11. &c.

Modus aggregationis: נקו *colligentur.* Significatur copioſa & promta conjunctio; eodem modo quo aquæ colliguntur undique in locum depreſſiorem; neque quieſcunt à ſuo motu, niſi eò pervenerint. Conf. Gen. 1: 9. eademque virtus divina eos quoque ad Eccleſiam confluere facit; ſic Eſa. 2: 2. &c. Quid ſi ex hoc verbo quoque colligamus modum aggregationis externum, quod Gentes in aquâ & per eam, ceu Sacramentum, aggregentur. Baptiſmum intelligo, qui olim per immerſionem fiebat; quo fine deſcenderunt in aquam, baptizati à Johanne in Jordane Matt. 3. etiam Chriſtus, & ſic alii Joh. 3: 4. Eunuchus Act. 8. ſic enim adduntur Eccleſiæ Matt. 28: 19. Act. 2: 41. Act. 16. Lydia & Commentarienſis.

Motivæ ſunt לשם ה' לירושלים Ubi ל vel motum ad locum denotat, terminum vid. aggregationis, non quieturos uſque dum pervenerint *ad nomen Domini*, ut ejus profeſſionem ediderint, fide agnito nomine Domini, שובה עד ה' Hoſ. 14: 2. quo facit baptiſmus in nomen Patris filii & Spiritus S. Matt. 28: 19. & in nomen Jeſu Act. 2: 39. in nomen Domini Act. 10: 48. & *ad Hieroſolymam*, ut addantur Eccleſiæ Act. 2: 41, 47. cap. 5; 14. Vel cauſam impulſivam, *propter nomen Domini*, hujus admiratione & amore, cum ſit nomen gratiæ & ſalutis, Eſa. 53: 5. cap. 56: 6. Zach. 8: 21. Act. 4: 12. & *propter Hieroſolymam*, quia inde primùm prodiit Euangelium. Eſa. 2: 3. Joel. 2. verſ. ult. Vel prius cauſale eſt, poſterius locale, *propter nomen Domini Hieroſolymam*, nam nomen Domini eſt, quod eos Hieroſolymam allicit. Matt. 2: 1. &c. Zach. 8: 22.

Efficacia denique, ולא ילכו עוד בשרירות לבם הרע Vocabulum שרירות firmitatem notat, conſtantiam, & שרירות הלב commodiſſime redditur ὁδραιότης τῆς καρδίας. 1 Cor. 7: 37. In V. T. ſemper ſumitur in malum, ſive addatur tale epithetum cordi, ſive non. Dicitur de Iſraele Pſ. 81: 13. & ſimiliter de Gentibus Act. 14: 16. ante converſionem. Eſt proinde hîc argumentum, unde probari queat Gentium aggregatio, quod non ampliùs placeant viæ priores, viæ cordis mali, nedum pertinacia in illis: quo facit Eph. 4: 17. &c. 1 Theſſ. 4, 5. cap. 1 Cor. 6: 11. 2 Cor. 6: 17, 18. Rom. 12: 2. Eph. 5: 8. &c. Quicunque gentilium adhuc ſic ambulant, utique apparet nondum vere eſt aggregatos. Atque hoc modo impletum quando naturales rami oleæ exciſi, & rami oleaſtri inſiti ſunt, factique participes radicis Chriſti & pinguedinis Spiritus ipſius Rom. 11: 11. &c. eoque non ſteriles ut ante, ſed fertiles.

Verum quæri poteſt, quomodo vocatio Gentium recenſeatur inter beneficia Iſraeli hîc promiſſa: cum ea potiùs pœnæ rationem habeat? Reſp. Equidem Euangelium oblatum Gentibus, & ab his receptum, in pœnam Iſraelis & contemtus ejus: quia præconium novorum paſtorum faſtidiverunt, Matt. 8: 11, 12. cap. 21: 41. &c. Rom. 11: 11, 25. Attamen ſimul pertinuit ad beneficium, ut per Gentes converſas Iſraelitæ provocarentur ad æmulationem. Deut. 32: 21. Rom. 10: 19. Rom. 11: 11. Scilicet ut in exemplo Gentilium videntes quod per illud Euangelium, quod ipſi repudiarant, iſtis obtingeret ſalus, ipſimet excitarentur ad illud pari modo amplectendum. Hinc Paulus Rom. 11: 13, 14. quemadmodum medicus antidotum quo ingenui, & cives uti detrectant, in canibus, in maleficis, in mancipiis exercet; ut virtute ejus explorata etiam illi uſum ejus non modo non averſentur, ſed etiam ſtudioſè affectent. Nam ſi Chriſtus thronus gratiæ etiam Gentibus longinquis, alienis à fœdere; utique erit quoque propinquis fœderatis. Sic Deut. 32: 43. Eſa. 2: 33. &c. cap. 11: 10. &c. Jer. 31: 10, 11. Adeoque quoties etiamnum videmus Judæum, cogitandum nobis ad ejus convictionem ſalutem nobis obtigiſſe; imo propter iſtius nationis ſalutem gratiam ad nos perveniſſe, ut eam ad æmulationem, & gratiæ ejuſdem participationem invitemus: quod non tam profeſſione doctrinæ, quam pietate vitæ præſtandum. Nam tum demum perſuadebimus nos ſalutarem doctrinam tenere, ſiquidem ea nos faciat ſanctos: non ambulantes amplius in obſtinatione cordis mali, more gentilium. Quod num fiat, quivis judicet. & an poſſit ex converſatione noſtra liquere nos eſſe Euangelicos, digne Euangelio viventes, & quidem Reformatos, ut alios quoque Euangelium nobiſcum profeſſos vincamus ſanctimoniâ.

V. 13. Verſ. 18. *Temporibus illis euntes domus Jehudæ cum domo Jiſraelis, venient pariter è terra Aquilonis, in terram quam poſſidendam tradidi majoribus veſtris.*

B. *Reſtitutio univerſorum* verſ. 18. proponitur indicio temporis, perſonarum convertendarum & modo converſionis.

Tem-

Tempus eſt, *in illis diebus*: poſtquam Gentes omnes confluxerint Zionem, ob nomen Dei & Hieroſolymam, neque ampliùs antiquo more vixerint. Diebus omnia menſurantur, ſed habent illi ſuum ordinem, & quæ in iſtis diebus fieri dicuntur, non omnia ſimul, ſed ſucceſſivè fiunt. Eſa. 7: 17. dierum fit mentio ſuperventurorum domui Davidis, qui deinde unus dies vocantur cui varii eventus adſcribuntur, qui tamen quo ordine narrantur, eadem ſerie eventuri erant verſ. 18, 20, 21, 23. Sic dies Meſſiæ appellantur omnia tempora ab ejus prima exhibitione, uſque ad conſummationem ſeculorum: cujus tamen varia intervalla indicantur. Eſa. 11: 10, 11. Jer. 23: 5, 6. Utrobique, uti hic, præmittitur vocatio Gentium, & tum ſecutura dicitur converſio totius Iſraelis. Sic Rom. 11: 25. &c.

Perſonæ reducendæ, *domus Juda*, עִם *ſupra* (una cum) *domum Iſrael*. Non intelliguntur Gentes vocatæ ad Eccleſiam, de his dixit verſ. 17. ſed poſteri Jacobi, poſt mortem Salomonis in duo regna ſeu domos diviſi: quemædmodum neque Rom. 11: 26. Iſrael notat electos ex omnibus Gentibus; nam hos ſalvari non myſterium eſt, aut talis doctrina quæ faceret ad deprimendam ſuperbiam converſorum gentilium, contemnentium Judæos ob apoſtaſiam incredulitatis. Vaticinium directum eſt ad Iſraelem X. tribuum: horum pauci reſtituendi erant cum Judæis poſt exilium iſtorum Babylonicum, & multiplicati, vocatique per Chriſtum & Apoſtolos, non ſecus ac Judæi cæteri vocationem neglecturi, adeoque pariter prætereundi tranſlato Euangelio ad gentes: quomodo venêre in calamitatem diſperſionis, & terra ipſorum in vaſtationem. Jam ergo toti domui Iſraelis, non tantum uni ex urbe, duobus ex familia, promittitur gratia reſtitutionis: atque una domui Judæ; quia poſt excidium templi ſecundi omnium eadem conditio, quod exules ſint diſperſi per totam terram, qui cladem poſtremam paſſi ſunt, vel depulſi in loca remotiora, qui in primi exilii ſede manſerant. Etenim longe maxima pars Iſraelitarum manſit in ſede exilii, in Aſſyria & urbibus Mediæ, ubi jam per 200. annos vixerant, (deportati 6. anno Hizkiæ poſtremi captâ Samariâ, hinc adhuc Hizkiæ 23. anni, Manaſſis 55. Ammonis 2. Joſiæ 31. Joachaſi trimeſtre, Jojakimi 11. Jojachini trimeſtre, Zedekiæ 11. Captivitatis Babylonicæ 70. in univerſum 203½ anni.) ut non mirum ſit adſpernatos eſſe patriam. Multi etiam Judæorum manſere in Babel, habitatione illa delectati, quod etiam Joſephus in Antiq. confirmat. Ubi etiam humani quid paſſi ſunt, qui quod negatum eſt vehementer affectant, quod licet averſantur: nitentes in vetita. Jam illi qui tum manſerunt non ſemper iſtic manſiſſe veriſimile eſt; ſed propter bella inteſtina Babyloniorum & Aſſyriorum cum Medis & Perſis; poſt Schytarum & Græcorum cum Perſis, præterea Romanorum, aliorumque ulteriùs depulſos fuiſſe; unde dicuntur נדחי *depulſi*, oppoſitè ad diſperſos, Eſa. 11: 12. & נצורי *cuſtoditi* Eſa. 49: 6. atque in Tartaria Aſiatica Septentrionali, forte & Septentrionali America conſediſſe. Sunt qui Tartaros credunt Iſraelitas origine e ſſe. Sic Alvarius Semedo teſtatur in Sina eſſe Judæos quibus neque de Chriſto, neque de Judæorum nomine quicquam innotuit, cum tamen ſe profiteantur Iſraelitas: unde ex X. tribubus ortos colligere eſt. Nam ante horum deportationem Judæorum nomen non legitur uſurpatum. Quin in mediterraneo Africæ quoque dicuntur vivere Iſraelitæ, & de media America non abſimilia tradunt Judæi. Cæterum quod certius argumentum eſt, Dei promiſſio etiam alibi Judam & Iſraelem ſimul reſtitutum iri dixit. Eſa. 11: 11, 12. Hoſ. 1: 11. Jer. 23: 5, 6. cap. 33: 15, 16. cap. 31: 27. &c. cap. 51: verſ. 5.

Porrò *Modus* converſionis continet unionem, terminum à quo, & ad quem. I. Unio; *Domus Juda cum domo Iſraelis, & venient ſimul*. Uniendi prius ſunt, & abolenda illa diviſio quæ inde à Rehabeami temporibus obtinuit. Eſa. 11: 13. Jerſ. 50: 4, 5. Ezek. 37: 16. ſeq. Hoſ. 1: 11. cap. 3. v. ult. Huc faciunt loca plurima quæ mentionem habent domus Jacobi, aut Iſraelis communiter; quemadmodum Luc. 1: 32, 33. Rom. 11: 25. ſeqq. II. Terminus à quo, *è terra Aquilonis*, ſic Eſa. 43: 5, 6. cap. 49: 12. Jer. 16: 15. cap. 23: 8. cap. 31: 8. Hic memoratur, quia eò X. tribus depulſæ fuerant, unde eò ſe convertit Jeremias juſſu Dei Jer. 3: 12. Quando conjungitur Juda (ut cap. 16: & 23.) fit mentio etiam aliarum terrarum, & ſic quando communiter agitur de totâ poſteritate Jacobi. Exek. 36: 24. cap. 37: 21. Mich. 2: 12. III. Terminus ad quem, *in terram quam hæreditario jure dedi patribus veſtris*. Judæi intelligunt Cananæam. Et ſic loquuntur omnes Prophetæ; Vid. Deut. 30: 1. ſeqq. cap. 32: 43. Eſa. 14: 1. Jer. 30: 3. cap. 31: 4, 5. cap. 32: 41. cap. 50: 19, 20. Ezek. 11: 17. &c. cap. 36. cap. 37: 12, 21, 22, 25. cap. 47: 13. &c. Amos. 9: 15. Explicant hæc alii ſpiritualiter de Eccleſia. Cui expoſitioni Scriptura faveat, lectoris eſt arbitrari.

V. 14. Verſ. 19. *Nam ego indicens, quomodo repoſiturus eſſem te inter filios, & daturus tibi terram deſideratam, poſſeſſionem decoram exercituum gentium, dico, pater mi invocato me & à me ſequendo ne avertas te.*

(3.) Quia vero hæc univerſi Iſraelis reſtitutio incredibilis videtur, ejus deſcriptionem pleniorem inſtituit, indicando I. Cauſam principalem, ſeu fontem verſ. 19. II. Medium. verſ. 20--25. cap. 4: 1, 2.

A. *Cauſa* eſt una; Dei gratuitum beneplacitum verſ. 19. & factum efficax. Principalis & prima cauſa reſtituendi Iſraelis univerſi, eſt in corde Dei v. 19. Hic enim per ἀνθρωποπάθειαν ſic introducitur ut proponat 1. difficultatem rei abſolutam. verſ. 19. 2. facilitatem & certitudinem ejus reſpectu ſui. v. 19.

Difficultas rei verſ. 19. ubi quis de ea loquatur, & quid. Quis? *Et ego dixi*. Deus eſt qui loquitur, quod tota oratio docet, & confirmat clauſula verſ. 20. Iſraelitæ & Judæi non ordiuntur deliberationem de ſuâ converſione & reditu ad Deum; non dicitur, & dixiſtis vel dicetis; ſed ego dixi. Τὸ אנכי emphaſin habet, reſpicitque Deut. 31: 16--19. &c. Primum conſilium de Iſraelis reſtitutione à Deo inſtituitur. Non exſpectat ipſos, ſed ipſe ſuſcipit operis illius effectionem, ſic de reſtitutione ex Babel Jer. 29: 10, 11. & de ultima iſta Eſa. 11: 11. Jer. 31: 10. Ovis quidem erroris ſui principium eſt, ſed non inventionis & reditus; hujus conſilium & effectio à Deo debet proficiſci. Hinc Deut. 31: 18. eoque omnia ab ejus parte deſperata. Luc. 15. Prodigi filii frater major, hujus introductione in domum cognitâ, non deliberat de ingreſſu maturando, ſed ſe obfirmat ne ingrediatur; Pater eſt qui de eo revocando primus cogitat, qui egreditur ad ipſum, eum invitat, & refutando ejus argumenta convincit, ut domo paternâ frui velit. *Sic in Gentium* converſione conſilium primum Dei eſt Eph. 1: 9. &c. Et quemadmodum Deus conſilium ſuum de creando homine patefecit ante ejus creationem. Gen. 1: 26. &c. Sic quoque ſuum de Iſraele reſtituendo ante reſtitutionem: eſt enim hæc quaſi nova creatio, reſtitutio ex mortuis, Rom. 11: 15. ut Ezek. 37.

Quid? *Quomodo ponam te* &c. Quæſtio indicat difficultatem rei; non à parte Dei, cui nihil difficile Jer. 32: 18, 27. Zach. 8: 6. ne quidem mortuorum vivificatio Ezek. 37: 3. ſed à parte Iſraelis: Omnipotentiæ divinæ opus eſt convertere peccatorem Eph. 1: 19, 20. ut leproſus ſanetur, mortuus reſuſcitetur, captivus ſub fortiſſimo aſſeratur in libertatem: quomodo de hominis converſione Scriptura loquitur. Quoties dicitur de eductione Iſraelis ex Ægypto extollitur patientia Dei; ſed ea hic quoque evidens Mich. 7: 15. imo longe debet eſſe illuſtrior; quandoquidem non ex uno populo educendi, ſed ex omnibus per totum mundum colligendi ſunt; Jer. 16: 15, 16. nec tantum cum captivantibus ipſorum luctandum erit, ſed potiſſimum cum ipſorum voluntatibus colluctantibus. Difficultatem enim hinc quoque oriri liquet; recitat quippe ad quid ſint reſtituendi: quod triplex; I. *Quomodo ponam te inter filios?* Peregrina quæſtio, annon erant filii Dei? utique Hoſ. 11: 1. Exod. 4: 22. Deut. 14: 1. Eſa. 63: 8. Rom. 9: 4. Reſp. fuerant, ſed amplius non erant. Hoſ. 2: 1, 3. Iſrael erat בנים שובבים, & poſteri Jer. 3: 6, 12, 14. Juda autem verſ. 7. & poſteri horum illorumque communiter בנים שובבים verſ. 22. Indigni erant, qui filii Dei dicerentur. Sed inſuper eſſe nolebant. Prodigi frater ob benignitatem huic à patre præſtitam, oderat hujus domum, & recuſabat ingredi, &, cum ſervus à filio differat, quod iſte non maneat ſemper in ædibus, hic maneat, Joh. 8: 35. ſervum ſe faciebat, detrectans ibi manere. Patri magis inſtandum fuit ut invito perſuaderet beneficii fruitionem, quam

quam ut indigno conferret. Rom. 11: 28. ſunt hoſtes, quod ad Evangelium propter vos. Non recuſabant eſſe filii, ſed inter filios; uti ille noluit eſſe filius unà cum prodigo fratre: non patiuntur ſibi perſuaderi, alios juxta cum ipſis eodem gaudere privilegio & titulo. Conf. Act. 13: 45. cap. 22: 21. &c. & credentes cap. 11: 2. &c. hæſitarunt. Maluerunt nulli eſſe, quam non ſoli. II. *Et dabo tibi terram deſiderii*: Sic deſignatur Cananæa, & Hieroſolyma deſideratam faciunt privilegia ejus Deut. 11: 9. &c. hinc elogia. ארץ צבי Dan. 11: 16, 41. הר צבי קדש verſ. 45. & abſolute צבי cap. 8: 9. Sic Ezek. 20: 6. & 15. Sic Pſ. 48: 3. Erat hæc inſtar paternæ domus; quæ indignos non ferebat Ezek. 36: 13. &c. Lev. 18: 24. &c. Atque etiamnum tales erant Ezek. 36: 20. &c. Eſt vero Iſraeli terra deſiderii, quo vota ejus adſpirant. Præterea eſt Eccleſia, quæ decorem omnem habet à Chriſto Eſa. 4: 2. cap. 28: 5. imo qui eſt deſiderium omnium populorum Hagg. 2: 8. in quâ Iſrael locum non habet, nec habere vult. Faſtidiendo enim locum inter filios, ſimul etiam faſtidiverunt omnia filiorum commoda & privilegia. Et ſane ob repudiatum Meſſiam excidere ſuâ patriâ Matt. 23: 37, 38. Luc. 21: 20, 22, 24. tempora gentium implenda, antequam Iſrael reſtitui queat; uti tempora Amorræorum priuſquam Abrahamo donata Cananæa poterat dari. Gen. 15: 13--16. Eſſe hoc magnæ difficultatis quivis videt. III. Sed majus. *Hæreditatem decoris, exercitus gentium?* Hi dicuntur quoque hæreditas decoris; conf. Eſa. 49: 18. de liberis propriis. Conf. Pſ. 127: 3. hic vero de gentilibus, qui ſint futuri hæreditas Iſraelis. Poſſidebunt illi gentes Num. 24: 18, 19. Amoſ. 9: 11. &c. Obad. verſ. 17--20. ſed hæc poſſeſſio qualis hoſtium devictorum; hæreditas liberorum indicatur. Ezek. 16: 61. &c. coll. cum verſ. 46. &c. Sic Rom. 4: 13. ubi mundus denotat gentes, ut cap. 11: 12. Semen Abrahami non eſt Chriſtus; nam licet ſit hæres omnium Heb. 1: 2. hic tamen non ſpectatur, quia per juſtitiam fidei hæreditatem non eſt conſecutus. Non ſunt gentes, nam hæ veniunt nomine mundi, non fideles indiſtinctè qui filii & hæredes Rom. 8: 16, 17. Gal. 4: 7. Apoc. 21: 7. quia huic ſemini ſpecialis iſta promiſſio data. Sed Iſraelitæ, naturale ſemen Abrahami, cui idem quod Abrahamo promiſſum: huic benedictio omnium populorum in ipſo, & ſemine ejus, Gen. 12: 3. cap. 17: 4. cap. 18: 18. cap. 22: 18. non tantum in Chriſto; ſic cum Abrahamo, Gal. 3: 8, 9. ſed beneficio poſterorum Abrahami, per quos inſtitutio & notitia ad gentes pervenit. Pſ. 47: 2. &c. hæreditas, quæ gloria populi, ſunt gentes ſubjectæ per inſtitutionem & aggregatæ verſ. 3, 10. non ad duram ſervitutem, ut Judæi ſomniant, (ſtatuitur enim hæc ſubjectio materia gaudii gentium, verſ. 2. nemo autem gaudet de ſervitute) ſed ad participationem benedictionis verſ. 10. Promiſſio dedit Abrah. & ſemini ejus ut hæres eſſet gentium. Equidem Gen. 15: 7, 18. &c. promiſſa Cananæa in hæreditatem, ſed cum deſtructione incolarum Cananæorum, ut nullam animam ſuperſtitem relinquerent, uti Gen. 24: 60. verum hic non terra gentium, ſed gentes ipſæ in hæreditatem dandæ, quæ proinde non exſtirpandæ, ne pereat hæreditas, ſed conſervandæ. quemadmodum in bellis ampliandorum finium ergo ſuſceptis parcendum fuit arboribus frugiferis: Deut. 20: verſ. 19. &c.

Obj. Sed annon eâ ratione Gentibus fidelibus aliquid decedet? Si ad hæc beneficia Iſraelitæ reſtituantur? Reſp. Neutiquam. Nam I. Ponentur inter filios; non ut ſoli ſint, ſed ut cum aliis. Damnantur impiæ voces Eſa. 45: 9. 10. non licet filiis legem generandi ponere parentibus, ne multiplicatis liberis minuantur hæreditariæ portiones: maxime hic ubi Pater אל שדי fons boni perennis; qui largiendo non depauperatur, & multitudine liberorum non obruitur; ſed omnibus tantundem Col. 1: 12. imo omnia concedit. Apoc. 21: 7. Hinc Gentes integræ Deo naſci dicuntur. Pſ. 87: 9 &c. Poteſt olea Eccleſiæ non ſolos naturales, vel ſolos inſititios ramos ferre & alere ad fertilitatem, verum etiam utroſque Rom. 11: 18. &c. Attamen Iſrael inter filios habet prærogativam primogeniti Exod. 9: 22. quæ ei reddetur Jer. 31: 9. & hoc jus dat dominium in fratres reliquos & duplicem portionem. 1 Chron. 5: 1, 2. Gen. 49: 9. Conf. Luc. 15: 31. fili, tu ſemper mecum es, & omnia tua mea ſunt. Eſt vero dominium non herile, ſed paternum, & ſic Ezek. 16. 61. uti major ſoror minorennis curam gerit, Cant. 8: 8. &c. II. Accipient terram decoris, Cananæam. Sed hæc propria ipſis poſſeſſio, neque ullis gentibus ibi jus. Et ſi eò redeant, Gentes ſuam terram ſolæ habebunt, quæ jam etiam Judæos alere debet. Conf. Jud. 12. & Jer. 12: 14. Unde nova diſtributione eis aſſignatur Ezek. 47, 48. ſic tamen ut proſelytis ipſorum inter tribus portio ſit. Quod ſi alienæ gentes ibidem hæreant, merito in alieno fundo non erunt alia conditione quam colonorum Eſa. 61: 5. III. Habebunt hæreditatem decoris, exercitus gentium; ſed, uti dictum, ad onus inſtitutionis quemadmodum jam quoque magiſtri ſunt gentium; ſed tunc ipſorum exemplo longe plures accedent gentium, Zach. 8: 23. Rom. 11: 12, 15.

b. *Facilitas & certitudo* rei reſpectu Dei verſ. 19. Omni difficultati recitatæ opponit ſuum dicere, *ſed dixi*, nam ו adverſativè hic reddi convenit. Verbum ejus & juſſus omnipotentiam habet. Pſ. 33: 9. Sic in prima creatione Pſ. 33: 6. & 148: 5. & pariter creaturas novas facere poteſt Jac. 1: 18. Eſt verbum veritatis, eoque non caret effectu. Num. 23: 19. Si exſpectaret, dum ſuâ ſponte dicerent, nunquam fieret; ſed ipſe dicit, ut dicant. Imo indignitas ipſa cohibet ne quid dicere auſint, niſi quod humile ſit Luc. 15. ni ab alterâ parte animentur, ut Benhadadi ſervi 1 Reg. 20: 32, 33. Porrò ſucceſſus dicentis Dei confirmatur ab Affectu Iſraelis, *Patermi, vocabis* (aut *invocabis*) *me*. Ergo largietur ſpiritum adoptionis, per quem ſolum ſic clamare quis poteſt. 1 Cor. 12: 3. Rom. 8: 15. Gal. 4: 6. Et ab Effectu, & מאחרי *à pone* me non averteris. Rurſus ergo erunt pone Deum, quod eſt ei obſequi, vid. 1 Sam. 12: 14. & hunc ſtatum non deſerent; nam non tantum eſt recitatio futuri, ſed promiſſio, quia Deus dicit: quo faciunt illa Jer. 32: 39, 40. Deut. 30: 6. Ezek. 36: 26. &c. Conf. *Ambulare cum Deo* Gen. 5: 22, 24. & cap. 6: 9. Mal. 2: 6. *coram Deo* Gen. 17: 1. *pone Deum* 1 Sam. 12: 24. Jer. 2: 2. Num. 14: 24. Illud ambulantium concordiam notat Amos. 3: 3. Mal. 2: 6. Iſtud ſinceritatem. Hoc obſequium & obedientiam, Joh. 10: 4, 5, 27. Luc. 14: 27.

V. 15. Verſ. 20. *Utique perfidè deſcivit uxor ab amico ſuo; utique perfidè egiſtis in me, domus Jiſrael, dictum Jehovæ.*

B. *Medium* eſt Reſipiſcentia Iſraelis, quæ tribus actibus abſolvitur I. Convictione verſ. 20: 21. II. Convictorum converſione verſ. 22--25. III. Converſorum confirmatione cap. 4: 1, 2.

a. *Convictio* proponitur I. activè verſ. 20. II. paſſivè. verſ. 21.

a. Activa convictio eſt, qua evidentibus argumentis oſtenditur reatus, per miniſterium verbi & præconum ejus. Hi quidem non nominantur, intelliguntur tamen: quia hoc muneris ipſorum eſt Eſa. 58: 1. Ezek. 16: 1. Joh. 16: 8. &c. Nam Dei quidem ipſius verba ſunt, uti proximè antecedentia: Non tamen externa voce ſignificatur acturus; neque enim ſecundo eos alloquetur ut in Sina, qui deprecati ſunt; ſed mediato alloquio, cui internum ſociat, ut Ezek. 14: 4. Hic vero proponit rei certitudinem, אכן quemadmodum Chriſtus Amen ingeminabat. Atrocitatem ſimilitudine indicat: *Mulieris perfidè agentis cum ſocio, amico ſuo*, ſive intelligatur maritus, ut ante adulteram dixit Jer. 3: 1. ubi fœdus violatur Mal. 2: 14. ſive amaſius Hoſ. 3: 1. nam etiam hanc amore non reſpondere, ſed promiſcuos concubitus quærere, infame. Applicationem facit ſic ſecum egiſſe; *domum*, Eccleſiam *Iſraelis*; & epiphonema eſt נאם ה׳.

V. 16. Verſ. 21. *Vox in locis eminentibus audiatur, fletus, deprecationes Jiſraelitarum; quia perverterunt viam ſuam, obliti ſunt Jehovæ Dei ſui.*

b. Paſſiva eſt verſ. 21. quæ oſtenditur.

Ex effectu; ſumma triſtitia. In genere quidem, *vox audita eſt*, triſtitiæ vid. maximæ, quam tegere nequeunt quo minus erumpat in apertas voces: & patet ex loco, ſuper colles. Vocem lætitiæ omnes audire volumus, Luc. 15. ſed doloris præmimus. Gen. 43: 30. Jud. 12: 37. ſolitudo quæri ſolet. In ſpecie, *fletus deprecationum filiorum Iſraelis*. Quos convincebat erant *domus Iſraelis*, & qui convincuntur ſunt

filii Iſraelis; neque enim materialis domus intelligebatur, ſed familia, & hanc faciunt filii. Jer. 31: 1. familiæ nominantur Jacobi omnes, quia etiam Juda & Benjamin comprehendebantur. Hi porrò habent Fletum, lachrymæ ſunt teſtes doloris, Jer. 31: 15. tribuitur בכי תמרורים quia reſpuit conſolationem. Aſt hîc eſt בכי תחנונים quia dolor conjunctus cum petitione meræ gratiæ: adeoque non eſt deſperabundorum, ſed qui concipiunt gratiæ locum apud Deum fore. Conf. Zach. 12: 10. ſeq. item 1 Sam. 7: 2. & Pſ. 6. verſ. 9, 10.

Deinde oſtenditur 1. *ex cauſa*: quæ eſt conſideratio I. Neglectus viarum propriarum: non quas ingreſſi erant, ſed quas ingredi debuerant: vias ſuas, ſibi à Deo præſcriptas, & à ſe in ratihabitione fœderis probatas, cum obſervationem illarum in ſe receperant. Has perverterant, dum iis quæ rectæ Hoſ. 14: 10. deſertis, alias quæ עונות & עקלקלות inierant. Sic Act. 13: 10. de Elymâ, ὁ στρεβλῶν τὰς ὁδὸς κυρίου τὰς εὐθείας. II Pertinaciæ in averſione, oblivio Domini Dei ſui. Quæ culpa X. tribuum; perverterant vias ſuas, alia tempora, & loca, & perſonas ad cultum adhibentes, dum vitulos colendos ſuſceperunt; & obliti Dei ſui, qui nunquam ab iſta idololatria diſceſſerunt; uti adultera declinans ad adulterum, ut nunquam redeat ad mariti domum & contubernium.

V. 17. Verſ. 22. *Revertimini filii averſantes; curabo averſiones veſtras*: vox, inquam, audiatur; *Ecce nos accedimus te, quia tu es Jehova Deus noſter.*

b. *Convictorum converſio* verſ. 22—25. eaque divina verſ. 22. humana verſ. 22—25.

Divina verſ. 22. conſtat mandato & promiſſo. Nulla mentio diſerta loquentis; ſed ex promiſſione liquet, eſſe Deum ipſum. Qui tamen mandatum non niſi miniſtrorum ore erat propoſiturus; Hos non nominat, tum ne homines reſpiciant ceu autores ſalutis ſuæ, 1 Cor. 3: 5. 2 Cor. 4: 7. tum ne in illis offendantur, quia gentiles id muneris apud eos obituri erant Eſa. 2: 5. cap. 11: 12. Jer. 31: 6, 10. tum quia per ordinarios Eccleſiæ doctores cum ipſis erat acturus.

a. *Mandatum* idem eſt de redeundo, & ad eoſdem, *poſteros averſos averſi Iſraelis*. Declinationis à Deo viæ innumeræ, revertendi una: à centro infinitæ lineæ exeunt ad peripheriam; hinc vero quotquot ducuntur, omnes in unum centrum incidunt. Adhæc Reſipiſcentia una eſt & olim, & nunc; ſicuti una fides. Luc. 24: 47. Act. 5: 31. cap. 11: 18. cap. 17: 30. cap. 26: 18. Eſt vero conſideranda quoque temporis circumſtantia; quando cum ſucceſſu mandatur ſuadeturve converſio? cum cor triſtitia fractum eſt. 1 Sam. 7: 2. &c. Act. 2: 37. &c. Cudendum ferrum dum calet; fingenda argilla à figulo dum aquis macerata mollis eſt; oſtendenda via, dum quis errorem deſperabundus deplorat. Itemque mandati ſcopus, non tantum autoritas mandantis ejuſque jus ſpectatur, quam bonum eorum quibus mandatur. Sanationem ab averſionibus effecturo ipſo, hi debebant averſionum finem facere. Dum aguntur quæ augent morbum, non abrumpitur intemperantia vitæ, fruſtra ſuſcipitur medela. Conf. Hoſ. 14: 3, 4, 5.

β. *Promiſſum*, ſub metaph. medici; eſtque opus ſolius Dei. Morbus eſt magnus & multiplex, averſio ſummum peccatum, apoſtaſia à Deo ad idola, adulterium, crimen maximum in conjugio; & hæc plurali numero; in quovis actu adulterii, idololatriæ, & quovis momento commorationis in domo & ſocietate hoſtis Dei, obducti amaſii. Morbidi à morbo denominati, ab averſione averſi, ut à lepra leproſi. Medicus Deus, & medicatio *Sanabo*. Exod. 15: 25. Sanatio autem peragitur tum interne, per remiſſionem peccatorum & renovationem naturæ, per conſolationem Eſa. 57: 18, 19. Pſ. 103: 3. tum externe remotione judiciorum 2 Chron. 7: 14. Jer. 30: 17. Cauſa hujus promiſſionis eſt amor liberalis. Hoſ. 14: 5.

Humana, eſt ſucceſſus doctrinæ in Iſraele, hujus convertentis ſe reſponſum ad Dei 1. mandatum, 2. promiſſum.

a. *Ad mandatum* verſ. 22. ubi notanda venit I. *Profeſſio oris*, dicendo, *Ecce nos*. Jubes aliquid, Ecce nos, paratos audire quæ jufferis, ut Abraham Gen. 22: 2. Eſt hæc promtitudo animi ad obſequium. Act. 10: 22, 33. ut Samuel 1 Sam. 3: 10. Eſt autem hoc dicere difficile, ſiquidem vere dicendum, Nam Gallica complementa quæ dicuntur, ſunt ut Ezek. 33: 31. עבים בפיהם המה עושים corde aliò ſpectante. Luc. 6: 46. Vere qui loquitur, ex plenitudine cordis loquitur. Matt. 12: 34. Eſt hæc vox ſervi, amantis herum, & eapropter faſtidientis libertatem Exod. 21: 5. & multo magis omne ſervitium alius, Matt. 6: 24. II. *Praxis operis*, quod addunt, *Venimus* לך hoc eſt, vel *ad te*, ex אל, vel *propter te*, ex על. Contra quam ille filius patri dicens, Ego domine, ſed non abiit Matt. 21: 30. facta verbis debent reſpondere Matt. 7: 21. Exemplum Chriſti Pſ. 40: 7. &c. Jubes reverti, redimus ergo; & quidem ad te, quem in oblivium veniſſe apud nos dolemus, ad te ergo revertimur, ut tui ſimus, domeſtici, conjugii fœdere appropriati. III. B. *Ratio* utriuſque, *Nam tu es Dominus Deus noſter*. Jehova es, quod nomen bonitatis & gratiæ. Exod. 33: 19. cap. 34: 6, 7. Mich. 7: 18. &c. Deus noſter es, fœderatus nobis, qui proinde non mutaris Mal. 3: 6. ſed ſervas fœdus & benignitatem Deut. 7: 9. Dan. 9: 4. & vi ejus miſereris Lev. 26: 44, 45. ubi vis utriuſque tituli exprimitur. Non dicunt ſumus populus tuus, (quamquam & hoc potuiſſent, ut Eſa. 64: 9. quia fœdus relativum eſt,) quia ſuæ perfidiæ memores nil juris ſibi deberi agnoſcunt, ut Luc. 15: 18, 19. ex Jer. 31: 32. Sed provocant ad immutabilem conſtantiam Dei. Rom. 3: 3, 4. Pſ. 102: 28, 29.

V. 18. Verſ. 23. *Utique falsò à collibus, multitudine montium* exſpectatur: *utique in Jehova Deo noſtro eſt ſalus Iſraelis.*

β. *Ad promiſſum Dei*, tum agnoſcendo beneficium promiſſum verſ. 23. tum deteſtando factum ſuum contrarium, verſ. 24, 25.

(a.) *Agnitio* beneficii promiſſi, eſt negativa primum, dein affirmativa. Beneficium ipſum vocat *Salutem Iſraelis*, quod Deus dixerat ſanationem averſionum ejus. Scilicet averſionibus vigentibus, ſive quoad praxin, ſive quoad ſolum reatum, nulla poteſt eſſe ſalus: non magè quam ſanitas, dum morbus in ἀκμῇ eſt, vel ſaltem cauſa ejus adeſt. Prov. 1: 31. Conf. Pſ. 103: 3, 4. Sed porrò morbo ablato, adeſt cum ſanitate vigor, & robur. Hoc beneficium ſalutis fluere I. Negant, ab idolis, quæ deſcribunt à loco cultus, *collibus* Jer. 2: 20. cap. 3: 2. *montibus* verſ. 6. ubi colebantur. לשקר *ad mendacium*; non reſpondentibus fiduciæ cultorum ſuorum idolis, neque præſtantibus ullam ſalutem, ſic Pſ. 121: 1. ubi ellipſis ה interrog. ex h. l. manifeſta eſt. Additur aſſeveratio אכן *certè, verè*; non ficto ſermone, ſed experti confitentur. II. Affirmant, à Deo; vocant יהוה Veracem promiſſorum præſtitorem, & *Deum noſtrum* quo cum fœderis jus ſibi intercedebat, ut ab eo uno ſperanda & exſpectanda foret ſalus. Pſ. 3. verſ. ult. Pſ. 106: 4. Eſa. 46: 13. Gen. 49: 10. Nec caret cauſa mutatio præfixi, in vanum מ à collibus, hîc vero ב in Domino. Licet à Domino non veniat, hoc juſto judicio, ſapientive ac bono conſilio negante nonnunquam ſalutem; attamen in ipſo eſt. Eſt enim fons vitæ & ſalutis. Jer. 2: 13. אשר Gen. 17: 1. Ergo non in vanum inde petitur, aut ſperatur; uti quidem ab idolis, in quibus nihil eſt. Jer. 2: 13. Pſ. 115: 3. &c. Aſſeverationis eadem nota apponitur, quia hujus ac illius æque certi ſunt.

(b.) *Deteſtatio* facti contrarii verſ. 24, 25. habet profeſſionem verſ. 24. & confeſſionem verſ. 25.

Profeſſio recitat damnum quod experti erant, cujus I. Cauſa idololatria; vocant *Pudorem*. Dum colebant, dicebatur בעל *Dominus*: ſed poſt agnitam vanitatem ejus non dicunt, *Pudorem*; cujus pudere debebat. Gideon vocatus fuit Jerubaal Jud. 6: 32. quod diruto Baalis altari, & luco ejus ſucciſo, hunc ſibi adverſarium feciſſet; ſed quia oppugnare, ſeque vindicare non poſſet, idem dictus Jerubcheth. 2 Sam. 11: 21. Deus hoc nomen dat Baal Peori Hoſ. 9: 10. quemadmodum & aliàs turpibus nominibus inſignitur, שקוצים *abominabiles*, גלולים *ſtercorei*; (At Beelzebul non tam à זבל *ſtercus*, quam à זבול *habitatio* deſcendit.) Jam ipſimet dicunt בשת, cui reſpondet factum. Eſa. 30: 22. Hoſ. 14: 9. II. Damnum ipſum, *comedit, abſumſit*, I. genere, *laborem patrum noſtrorum*, inde à juventute noſtra, non confitentium tantum ſed totius populi quo

quo pertinebant primi patres. Quicquid moleſto & fatigante labore paratum fuerat. In ſpecie *greges & armenta, filios & filias.* Nihil tam charum aut pretioſum, quod ſuperſtitio non extorſerit, ut nos ejus poſſeſſione privantes in idola converteremus. Deut. 32: 38. Liberorum vivicomburia nota. Neque aliter ſuperſtitio hodieque dominatur, quæ à reſipiſcentibus Pudendis idolis omnia impendiſſe agnoſcit. Mich. 6: 6, 7. ſic volunt agere cum Deo, uti ſolebant cum ſuo Baale.

V. 19. Verſ. 24. *Nam pudendum iſtud conſumſit laborem patrum noſtrorum à pueritia noſtra; greges eorum & armenta eorum, filios eorum & filias eorum.*

V. 20. Verſ. 25. *Jacemus in pudore noſtro, & operit nos ignominia noſtra: quia Jehovæ Deo noſtro peccavimus nos & patres noſtri à pueritia noſtra uſque in hodiernum diem: neque auſcultavimus voci Jehovæ Dei noſtri.*

Confeſſio, verſ. 25. habet *Condemnationem* ſui ipſorum, (opportunam admodum ex 1 Cor. 11: 31.) *Jacemus in pudore noſtro, & ignominia noſtra obtegit nos.* Pudor eſt effectum agnitionis, & deteſtationis peccati, Ezr. 9: 6. pudorem faciei ſibi tribuit Daniel Dan. 9: 7. &c. Sic Jer. 31: 19. Ezek. 36: 31, 32. Hic aggravatio, Num. 12: 14. conſpui pudorem incutit, aſt hi ſe in pudore jacere dicunt, ut qui in cloaca: imo opertos eſſe, ut qui immerſus luto totus, & totus conſpurcatus eſt. Deinde etiam *Accuſationem*, ne injuſta videatur aut ſimulata condemnatio, ubi occurrit judicium I. Peccatorum ſeu criminum, commiſſionis; *peccavimus, rei facti ſumus, Domino Deo noſtro*; quæ nomina ad aggravationem pertinent, & omiſſionis, *non audivimus*; hoc eſt, obedivimus, obtemperavimus *voci Domini Dei noſtri.* II. Peccantium *nos & patres noſtri*; nam mater שוכבה & filii שוכבים. Patres ſuis criminibus accerſiverant hoc ſuum exilium, & poſteri non degenerabant à prioribus, imitatores earundem rebellionum. Eſa. 65: 7. minæ Dei contra utroſque, & confeſſio de utriſque Pſ. 106: 6. Dan. 9: 5. &c. III. Temporis, ſeu durationis, *à juventute noſtra, uſque in hunc diem*: inde à quo Iſrael puer erat Hoſ. 11: 1. & conſtanti declinatione, uſque dum Deus ad extremum eos reſtituet. 2 Reg. 21: 15. Ezek. 20. Jer. 7: 24. &c. cap. 32: 30, 31. &c. Adeoque univerſalitas adeſt quoad actiones, perſonas & tempora, neque quicquam excipitur; ut ingenuitas confitentium ſatis ſit evidens.

CAP. IV.

Verſ. 1. *Si reverſurus es, Iſrael, dictum Jehovæ, ad me revertere: & ſi amovebis abominationes tuas à facie mea, ne ergo vagetis.*

C. *Converſorum, confirmatio* verſ. 1, 2. ubi Deus proponit I. Officium vitæ, aut promiſſionem conſtantis felicitatis, verſ. 1. II. Profeſſionem oris, veræ converſionis teſtimonium. verſ. 2.

a. Officium vitæ præſcribitur ex indicatâ occaſione. *Si convertaris Iſrael, dictum Domini.* Siquidem errore agnito, cogitas de mutatione vitæ, recitarat fletus & quiritationes Iſraelis, X. tribuum; cui loquitur (nam Judam compellabit verſ. 3. &c.) & quod puderet & pœniteret errorum; verum hoc nondum ſufficit; Qui errorem ſuum agnoſcit, & deſerit, ſæpe in alium declinat, nihilo meliorem. Sunt enim infinitæ declinationes, & qui unum diverticulum deſerit, non tamen illico in via eſt: quia cum hæc una ſit, devia infinita, non ſequitur ab uno horum illicò ad illam unam rediri. Ergo jubet reverſionem ſuam ſic inſtituere, ut conſtantiam habeat: ad me revertere. Hoſ. 14: 4. dicitur שובה עד ה׳ emphaticè; non ceſſandum uſque dum ad eum fuerit perventum. Abarb. אלי תשוב *ne conſtituas inter me & te aliquem medium, ſive angelum, ſive ſtellam:* Intelligit autem mediatorem Chriſtianorum. Atqui ſic demum ad Deum pervenitur. Joh. 14: 6. Rom. 5: 2. Et ſane ſi ad Deum redeundum, hoc ipſum intelligitur; poſciturque non tantum initium, ſed conſtantia, perſeverans ad finem uſque, neque deficiens vel ob externa impedimenta, vel ob internam deſidiam. *Repetitio* additur, quæ utrumque deſcribat, & averſionem à malo, quæ occœperat, & ſi removeris abominationes tuas ac facie mea: Idola, quæ averſabilia ſunt, tum Deo, tum etiam tibi in converſione tua, ut nolis ea apud te manere, non ſolum in ædibus & ſacrariis tuis, ſed etiam in corde tuo; quia hoc æque coram facie mea; conf. præcept. 1. & 2. juxta illud Hoſ. 14: 9. & Eſa 30: 22. quemadmodum Jacob egit Gen. 35. & Aſa idolum aviæ ſuæ 2 Chron. 15. & Hizkia æneum ſerpentem 2 Reg. 18. & quæ erant idola in regno 2 Chron. 29, 31. capp. & Joſia pariter cap. 34. & conſtantiam reſipiſcentiæ, ולא תנוד & non vagaberis, ut citra idololatriam externam nihilominus à Deo aberret. Apprime hoc quadrat genti Iſraeliticæ. Judæi inſanientes ad idololatriam, priſcis temporibus, poſtquam ex Bab. capt. redierant, in contrarium verſi, tanto impenſius ea oderunt, ut Amnon Thamarem. nulla hic ipſorum culpa externa, neque etiam interna: tanta fuit populi totius ſinceritas & animoſitas, ut mille mortes adire paratiores eſſent; quam ut paterentur ſimulachro aliquo profanari templum. Joſepho teſte lib. 2. de bel. Jud. cap. 8. & 9. ſub Pilato & Petronio præſidibus. At enim nihilominus vagati ſunt, pone traditiones majorum, pone doctores, & Meſſias varios; Rom. 10: 3, 4. Gal. 1: 14. harumque vagationum necdum hodie finis eſt. Itaque huic quoque malo occurrit, & tum idololatriam deſertam probat, tum monet abſtinendum ab aliis quibuſcunque vagationibus. Quidam hæc promiſſiones eſſe rentur, ad confirmandos converſos fiducia conſtantis felicitatis: quibus accentus favent; ſi *reverteris Kadma Iſrael, Darga Peſikatum, dictum Domini, Thebir ad me; Tiphcha Reverteris: Atnach*, hoc eſt, redibis in terram tuam, reſtitueris illi: & ſi *removeris darga abominationes tuas, Thebir, à facie meâ*; Tiphcha *& non vagaberis ſillun*, hoc eſt, ultra jactaberis in exilio. (Τὸ נוד de vagatione exilii intelligitur. Gen. 4. & 2 Reg. 21: 8.) Quæ quidem commoda quoque; atque interſerentur promiſſiones, ut converſionis profeſſio tanto magis inculcetur. Facit enim ad confirmationem, ſiquidem vere converſis conſtantia felicitatis promittatur. Sic tamen ut æque conſtans ſit pietas. Attamen nec prior incommoda, utpote removens, quicquid hactenus impediit Iſraelis reſtitutionem: ut alterutram eligere liceat ſine vitio.

Verſ. 2. *Quin jures, vivit Jehova, verè, ritè & juſtè; ut benedicant ſibi in ipſo gentes, & in ipſo laudent ſe.*

b. Profeſſio oris verſ. 2. deſcribitur, tum in theſi, tum in hypotheſi ſeu exemplo gentium converſarum.

a. In theſi qualis eſſe debeat, ubi

Profeſſionis *denominatio*, dum dicit *& jurabis.* Kimhi: *Juramentum in nomine Domini eſt gloria & honor illi qui Deum timet, atque illi ſervit corde integro. Juramentum in negotio ad quod requiritur, eſt præceptum, atque qui ſic jurat laudat & magnificat Deum, dum in nomine ejus jurat, quemadmodum mos eſt jurare per id quod dilectiſſimum, puta per animam aut caput. Sic juraverunt Prophetæ; neque enim omnes digni jurare, etiam verè; ſed ſolùm timentes & amantes Dei.* Scilicet intelligit juramentum quale in judiciis exercetur; quemadmodum etiam alii Hebræorum interpretes. Neque aliter Chriſtianorum plerique, qui hinc petunt legitimi juramenti delineationem, videlicet ut fiat invocato *ſolius Dei* nomine, qui vivus ſemper, nunquam deficiet ad ultionem perjurii: ut fiat *in veritate*, ex vero & ſincero cordis affectu; *in judicio*, ſiquidem judicii autoritate imperatum fuerit; *in juſtitia*, ne quid iniqui affirmetur, ſed vitam profundere malit, quam mendacium dicere: quomodo etiam Kimhi hæc explicat. *In veritate*, ſincero corde verum dicendo, citra mendacium apertum, vel opertum, & ſine æquivocationibus, & mentalibus reſervationibus: *in judicio*, non leviter ſed in re gravi; neque extra judicium: aut cum alia probandi ratio: *in juſtitia*, non promittendo mala quæve mala poſſunt fieri, aut non ſunt noſtræ poteſtatis: etiam inprimis, ut beneficium præſtetur afflictis. NB. Contra Anabapt. Matt. 5: 34. Jac. 5: 12.

damnantur, per creaturas, & leviter dicta, more Judæorum, ad quos ùtrobique sermo, hæc peccata contra 3. præcept. fiunt instigante Diabolo ad profanandum Dei nomen accensentque judicium definitum ibidem. Aliàs servati præmium vita æterna Ps. 15: 4, 5. ejus usus olim Exod. 22: 10. Heb. 6: 16. Gen. 21: 23. &c. cap. 26: 28. &c. cap. 31: 53. Deus juravit, qui tentari malis nequit, cujus imitatores esse debemus. Eph. 5: 1. Quæ quidem in se vera sunt, & ab aliis ad religionem accommodantur; atenim potiùs per accommodationem ad juramenta civilia transferuntur, quum propriè pertineant ad religionem. Solet universus ejus cultus sub juramenti præstatione designari, ut quemadmodum qui in civitatem regnumve admittitur Magistratui aut Regi obedientiam juramento addicit, quæ obedientiæ solennis promissio est ac professio: sic quoque τὸ *jurare Domino* usurpatur (quod distinctum est à Juramento Domini quod inter litigantes quandoque ex voluntate judicum interceditExod. 22: 11. Heb. 6: 16.) Mandati ex Deut. 6: 13. & cap. 10: 20. Apud Prophetas hoc neglecto significatur neglectus cultus verus, Jer. 5: 7. cap. 12: 16. Amos. 8: 14. malè usurpato, vitiatus, Esa. 48: 1. Jer. 5: 2. Hos. 4: 15. Zeph. 1: 5. rite usurpando observatus, Ps. 63: 12. aut observandus. Esa. 19: 18. cap. 45: 23. (coll. cum Rom. 14: 11.) cap. 65: 16. Jer. 12: 16. Proinde h. l. docetur, Professio religiosa, quâ simul ille testis constituitur, cui juratur, non solum eorum quæ lingua profatur, sed etiam quæ cor meditatur, & clausa tenet, quæque sermoni exactè consentire par est.

Formula porrò est חי ה׳. Vulgò verbum statuitur à חיי, quomodo frequenter satis occurrit. Gen. 3: 22. cap. 5: 5. cap. 11: 12, 14. Sed etiam nomen est viventem notans Gen. 3: 20. cap. 6: 19. quomodo satis convenienter redditur, *Vivens Deus*, nec multum discrepat ab altero, *Vivit Deus*. Verùm adhuc majori cum emphasi reddi potest, videlicet si agnoscatur nomen abstractum, *Vita*. Id liquet ex constructione; nam nomina in ־ַי finita, quando construuntur cum alio substantivo desinunt in ־ֵי גֵי־חִנֹּם à גי *vallis*. Zach. 14: 5. חֵי יְיָ à יי שֶׁה Lev. 5: 7. Sic חֵי פַּרְעֹה à חי Gen. 42: 15. חֵי יְיָ וְחֵי נַפְשֶׁךָ 2 Reg. 2: 2. si verbum vel adjectivum foret, dicendum esset חיה vel חיה נפשך: licet cum adjectivo transpositio necessaria. Est vero notanda differentia: quoties conjungitur cum nomine divino manet forma absoluta, חֵי הָאֱלֹהִים 2 Sam. 2: 27. ast cum sermo est de homine aut idolo, constructa. Scilicet hîc vita attributum est accidentale, sive verum (ut vita corporis humani,) sive fictum (ut in idolis,) eoque sic enunciatur vita animæ tuæ, seu tua qua corpus tuum vivit. Ast de Deo usurpatur per appositionem, *Vita Dominus*, quia vita ipsiusmet essentia est, non aliter quam potentia Matt. 26: 64. veritas Deut. 32: 4. Proinde cum dicitur *Vita Deus*, fides agnoscit & profitetur quem Jehova se nuncupasse ex verbo didicit, esse vitam ipsissimam, quam in se ipso habeat Joh. 5: 26. nec initii nec finis capacem, imò ne quidem mente ab ipso separabilem quodque ἀπαύγασμα quoddam, & radius ipsius sit, quicquid uspiam vitæ est in universo mundo; quia ipse fons vitæ Ps. 36: 10. qui omnibus vitam dat & halitum & omnia Act. 17: 25. imò in quo vivunt vers. 28. quique omnibus uti vivendi initium dedit, sic quoque vivendi limites posuit, quos lubitum est; solus supervicturus, utcunque omnia vivere atque esse desinant; adeoque omnium victor, & dominus. Ps. 102: 25. seqq. sufficiens sibi ipsi & exinde beatissimus. Dan. 12: 7. Jurat angelus בחי העולם formâ regiminis; neque enim mundus est nomen divinum, sed sive de universitate quam mundum dicimus accipiatur, sive de temporum mensura aut seculo, hâc formulâ Deus invocatur testis, qui vita seculi, unde omnis duratio, aut vita mundi, unde hic essentiam & conservationem habet. Unde peti potest interpretatio formulæ חי נפשך, ut vitio careat. Nam non peccavit Josephus cum dixit חי פרעה, qui Deum se timere profitetur Gen. 42: 15, 18. sed Deum testem citat, per vitam Pharaonis, non corporalem, aut etiam animæ ipsius, sed utriusque autorem in quo vivebat Act. 17: 28. Deut. 30: 20. Eodem modo phrasis illa pia est, חי נפשך *per vitam animæ tuæ*: hoc est, Deum, ejus largitorem; 1 Sam. 1: 26. cap. 17: 55. 2 Sam. 14: 19. cap. 15: 21. non secus atque illa formula חי ה׳ וחי נפשך & *per vitam Deum & per vitam animæ tuæ*; hoc est, per Deum qui vita est, & qui idem tibi vitæ omnis autor est. חיך וחי נפשך 2 Sam. 11: 11. Confer. Jer. 38: 16. & Deut. 30: 20. Quando verò de idolis usurpatur, nonnisi falsa attributio indicatur; vel saltem confessio est, vitam ex se non habere; quomodo abunde Deitas ab iis removetur. Amos. 8: 14.

Conditiones professionis tres enumerantur, *veritas*, *judicium*, *justitia*. defectus primæ & tertiæ notatur Esa. 48: 1. primæ autem Jer. 5: 2. unde liquet per synecd. synonyma usurpari. Est tamen notanda distinctio; quâ sunt conditiones ipsius professionis, à jurante observandæ. *Veritas* est dictorum factorumque constantia: quod quem semel professus est, nunquam sit abnegaturus, sed sincero corde ei adhæsurus. *Judicium* est juris & æqui exercitium, ut unicuique tam Deo quam homini quod suum tribuatur: ut quod agnovit præstet, neminem lædat, nulli quod suum eripiat, utpote sistendus & ipse judicio viventis illius Dei. *Justitia* צדקה, quæ differt à צדק, & beneficentiam indebitam, misericordiamve notat, ut bonus & clemens sit, miseris succurrere, indigis opitulari, & cum neglectu sui juris juvare promtus sit: quæ omnia comprehenduntur Gen. 18: 19. custodiâ viæ Domini, & exercitio justitiæ & judicii. & sunt tria illa Mich. 6: 8. coll. cum Deut. 10: 12, 20. Cum enim universus cultus Dei significetur, utique quicquid eo pertinet comprehenditur, Amor Dei & proximi; quæcunque ad pietatem & justitiam faciunt, Veritatis nomine venientia. Rom. 8: 18. Verum tria hæc possunt etiam ad Deum referri, qui talis prædicetur. Esa. 65: 16. cap. 5: 16. Jer. 9: 24. Gloriari enim de agnitione Dei, quid aliud quam hoc jurare; atqui huc pertinet ut prædicetur exercitium benignitatis (quæ hic veritas) judicii & justitiæ, ceu propriorum sibi operum. Abarb. tria hæc ad Deum refert, existimans sic indicari triplicem Dei actionem cum Israele. Quarum duas præteritas facit, unam futuram. *Rectiùs*, inquit, *refertur ad 3. redemtiones, Primam Ægyptiacam, quæ fuit in veritate, secundum illud* Mich. 7. vers. ult. *præstitit enim quod promiserat Abrahamo inter segmenta.* Gen. 15. *Secundam Babylonicam, quæ fuit in judicio postquam terra beneplacitum habuit in Sabbathis suis, omnibus diebus vastationis suæ.* Lev. 26: 34, 35. *Tertiam futuram, quæ in justitia seu misericordia successura sit, ex illo* Esa. 1: 27. & cap. 59: 17. *quasi dicat, se confessurum Deo Ben. propter redemtionis suæ populo suo concessas*, (quæ sane ad professionem ejusmodi argumentum & stimulum præbent Jer. 16: 14. &c. cap. 23: 7, 8,) *De extremâ autem quæ in justitia dicit, & in eo benedicent se gentes, & in eo gloriabuntur: quia tunc multæ gentes Israelitas sequentur, dicentes, vobiscum ibimus*, &c. Zach. 8. vers. ult.

β. *In hypothesi* laudat Gentes, conversas nempe, & Israeli in exemplum proponit. Hithpah. hîc reciprocum est; Passivum occurrit Gen. 12: 3. cap. 18: 18. Reciprocum cap. 22: 18. cap. 26: 4. quæ dicta hîc respiciuntur. Hebræi referunt בו ad Israelem, & alii quoque interpretes, quod in Israele Gentes sint benedicendæ; atque tunc excusant mutationem personæ. Sed simpliciùs affixum respicit Deum, Gentes in eo se benedicent, benedictas se prædicabunt, ut Ps. 72: 17. de eo gloriabuntur, Jer. 9: 24. Esa. 41: 16. Ps. 63: 12. & 105: 3. Fit autem istud Jurando Esa. 19: 18. unde conjungitur benedictioni Esa. 65: 16. Scilicet ad æmulationem provocat Israelem per fideles ex gentibus. Rom. 11: 11. & potissimum vers. 31. Uti Gentes nequeunt se benedictas dicere, neque aliter gloriari nisi in Deo, (quomodo utique nihil quod suum in censum venit,) ita quoque tu Israel nihil habebis in quo benedictionem tuam statuas, & de quo glorieris præter solum Deum, in quo uno omnis salus Israelis repositа est. Esa. 65: 16. Sic vero ostendit unam communem fore professionem salutarem, quam Gentes sint edicturæ, & harum quoque imitatione tandem etiam Israelitæ: quando Deus erit tum Judæorum, tum Gentium Deus, unus ille, qui dives in omnes qui eum profitentur, eum invocant, & de ipso gloriantur.

II. Hactenus Jeremias Israelem X. tribuum invitavit ad respiscentiam; & vaticinatus est quid Deus ipsis facturus esset, non tantum post reditum quorundam in Cananæam, sed etiam post apostasiam novam, occasione introductorum in Ecclesiam gentilium, quomodo ipsos restituturus esset, per sinceram respiscentiam reductos, & quomodo conservaturus, eodem modo quo conversi gentiles in Ecclesia manerent. Nunc Judæos, ordine peccandi posteriores, atque etiam potiores gravitate, affatur, pariterque ad respiscentiam

tiam invitat, cap. 4: 3. usque ad finem. Cæterum collocat I. propositionem invitationis. vers. 3, 4. II. confirmationem vers. 4. ad fin.

Vers. 3. *Nam sic ait Jehova viris Jehudæ & Jeruschalaimanis, novellate vobis novale, & ne seratis in spinis.*

1. *Propositio* indicat quibus & quid loquatur.

(1.) *Quibus: Nam sic* &c. Deus continuat sermonem, cujus est non tantum externis actionibus leges dare, & ponere limites, uti magistratus terreni; quorum potestas non nisi corporibus dominatur Luc. 12: 4. sed etiam ipsi cordi & cogitationibus; cujus moderamen ex sua voluntate institui vult tum hic vers. 3, 4. tum vers. 14. utpote etiam animæ non minus quam corporis judex. Loquitur autem *viro Judæ & Hierosolymorum* & vers. 4. *viro Judæ & habitatoribus Hierosolymorum*. Sunt hi alii ab iis, cum quibus & de quibus hactenus egerat, Israele aversо, & ejus posteris; quos à prævaricatore Juda discreverat. Israelitæ exacti domo fuerant, ejectique in exilium, Judæi adhuc dum in terra vivebant, & templo cultuque externo fruebantur. Hos etiam invitat ad resipiscentiam, & quidem singulos, איש unumquemque, quod nemo insons, omnes declinationum rei, & reverti necessum haberent. Judæis singulis addit singulos Hierosolymitanos, vel quod hæc urbs magnam partem Benjaminis foret, in cujus ditione templum structum erat, vel quod Hierosolymitani plus sibi tribuerent dignitatis & sanctitatis ob templi & religionis sedem; conf. Zach. 12: 7. quorum fastus hâc invitatione reprimitur, ceu qui cæteris pares imo majores crimine forent; quod argumentum persequitur cap. 7. Sed quis nexus cum præcedentibus per rationalem *Nam?* Utique magnum inest pondus. Israelitis exulibus post resipiscentiam promissa est restitutio. Judicia incumbentia removebit resipiscentia. Hoc beneficium Judæis fuit concione Jeremiæ annunciatum. Nam quid efficacius ad his persuadendum resipiscentiam; quo imminentia judicia averterent, antequam ad eundem statum calamitatis redigerentur. Utique si quod majus, inde sperandum est, restitutio ab exilio: quanto magis sic impetrabitur quod minus; conservatio in patriâ.

(2.) *Quod loquitur* est invitatio ad resipiscentiam, sub gemina similitudine.

A. *Ab agricultura*; non infrequens ea in Scriptura V. & N. T. *Novellate* &c. Semen quod seminandum fuit non inter ipsos, quod est verbum Dei Matt. 13. sed ab ipsismet, sunt preces, poscentes benedictionem; quæ cum conceditur, messis est. Hoc non spargendum docet ante novellationem, alioqui inter spinas periturum. Respicit Reformationem Josiæ, quæ huic concioni ansam dedit Jer. 3: 6, 10. Sementem tunc fecerant precum, ut averteretur ira Dei, quam vehementer accensam ex invento legis libro didicerant. Jam semen terræ non mandatur nisi præcedente aratione: ita quoque aliqua humiliatio, & contritio præcessit, in jejunio; uti etiam Esa. 58. & in Achabo, 1 Reg. 21. Sed non sufficiebat. Satis istud quando terra munda est, non referta Zizaniis, Qui sanctè ambulat generali resipiscentia & humiliatione ante preces ipsum defungi sat est. Ps. 26: 2, 6. *proba me Domine, odi consortium & praxin malorum, lavo in innocentia manus* &c. Nam Joh. 13: 10. & 1 Tim. 2: 8. Sed quando ager totus scatet tribulis & spinis, ut infelix lolium & tristes dominentur avenæ, una levis aratio non mundat humum; si mox seratur semen, Zizania simul & longe uberius surgent, & bono semini non officient solum, sed prorsus suffocabunt; & preces peribunt inutiles. Prov. 15: 8. cap. 21: 27. cap. 28: 9. Joh. 9: 31. Sed ut prosperetur semen, multiplici aratione, sive novellatione opus, ut quam primum surgunt Zizania denuo proscindatur, & sic demum exstinctis noxiis radicibus, bonum semen terræ commendandum. Ita quoque ubi invaluerunt peccata; non sperandus successus precum. sed potius certa earum profusio inutilis, nisi prius seria & repetita reformatione, quicquid corruptionis apparet, & identidem resurgit, fuerit vomere resipiscentiæ & humiliationis proscissum & exstinctum, alioqui omnis sementis fiet super spinas, quomodo non benedictionem à Deo impetrabunt preces, sed maledictionem potius Esa. 5: 6, 7, Heb. 6: 7, 8. Conf. Hos. 10: 12, 13. Hujusmodi novellationi in resipiscentia Davidis respondet lotio multiplex Ps. 51: 4, 8, 9. & fractum cor vers. 19. Esa. 57: 15. & cap. 66: 2. una aratio scindit terram, novellatio comminuit, neque finit glebas durescere; multo minus spinarum radices firmari, ut in iis semen pereat.

Vers. 4. *Circumcidite vos Jehovæ, & amovete præputia animi vestri, viri Jehudæ & habitatores Jeruschalaimorum:*

B. *A. Sacramento Circumcisionis* vers. 4. Hujus institutio est Gen. 17. peragebatur in carne præputii: de cujus ratione alias commodius dicetur ad Jer. 9. vers. ult. duobus. Inter alios usus segregatio fuit ab aliis gentibus, ut sancti censerentur, atque aliæ pollutæ. Translatum fuit ad arbores plantatas, quæ triennio primo præputiatæ censebantur Lev. 19. inde ad cor, & aures, per metaph. quomodo h. l. loquebatur circumcisis, Jer. 9. vers. ult. & tamen imperat. Non intelligit *Periah* פריעה, quam Judæi per Josuam introductam volunt, contra textum expressum: cum cœpta videatur postquam apostatis nonnullis τὸ ἐπιτρέπειν placuit 1 Maccab. 1: 16. 1 Cor. 7: 18. sed mandat resipiscentiam. Kimhi, *Hæc est circumcisio cordis quæ Domino fit, hoc est*, coram *ipso, remotione præputiorum cordis*. Abrab. *Circumcidimini Domino, & removete fides seu religiones perplexas & confusas, & cupiditates pravas ex vobis, quæ sunt sicut præputium.*

Est *mandatum*, המולו ליהוה Imperat. Niph. Passio imperari nequit, unde passiva carent, (excipe Jer. 49: 8. Ezek. 32: 19.) unde in Niph. reciprocè redditur, *circumcidite vos ipsos*. Adulti id præstare possunt, quemadmodum Abraham circa se id egit; sed additur cautio, *Domino*. Debebat Circumcisio fieri לשם שמים vel לשמו של הקבה: attamen susceptа à quibusdam fuit בשביל דבר מהבלי העולם, unde R. Nehemia aliquos negat veros esse proselytos גרי אריות. Samaritanos 1 Reg. 17: 25. &c. גרי חלונות ut Sichem qui conspecta Dina eam suscepit, item גרי מרדכי ואסתר honoris felicitatisque externæ cupidine. Quibus accenseri potest qui id facit להיות מתפרנס בעני eleemosynæ ergo. Sed ne putarent mandatum inutile jam circumcisis ex fœdere, declarationem addit, והסירו ערלת לבבכם. Habent etiam corda præputium, & quidem multiplex, quorum unumquodque à fœderatis removendum. Qui ullum retinet, aut retrahit, fœdus Dei multò magis irritum facit, quam si corporis servasset Jer. 9. Hæc omnia removenda. Non agitur de carnis membro, sed de corde, cujus vulnera longe sensibiliora; inde tamen inchoandum, quia primum officium, abnegatio sui. Retegenda præputia, per ingenuam confessionem; secanda per condemnationem sui, necationem terrenorum membrorum, ut sanguis cordis fundatur, abjicienda ne unquam rursum coalescant exuendo veterem hominem; denique in unâ circumcisione non acquiescendum; multa sunt præputia, cupiditates plures, quibus singulis vis facienda, & succrescentia identidem amputanda. Rom. 8. vers. 13.

Quibus porrò imperat, sunt viri Judæ & Hierosolymitani. Si passivè exponatur difficultatis minus est in membro priori; sed activè reddi poscit posterius; quod non tantum difficile, verum prorsus impossibile. Quis enim se Domino circumcidere, & cordis præputia removere potest. Idem tamen mandatum à Mose Deut. 10: 16. Ex his & similibus dictis Ezek. 18: 31. &c. concludunt patroni naturæ, posse id hominem, quod facere jubetur, quia alioqui mandatum frustraneum, vel illusorium sit. Resp. autem solet: Mandata Dei indicare, quæ sint officii partes, non verò quæ sint ad officium præstandum vires. Quæ quidem responsio commoda, siquidem illæ vires aliquando fuerint. Cui credita summa, ab eo potest solutio exigi, licet eam dilapidarit; quia cum accepisset habebat quod solveret. An vero homo unquam habuerit vires ad faciendum sibi cor novum, & spiritum novum, quæri potest; quandoquidem illa gratiæ quæ in Christo datur, beneficia sint. Simplicissima ergo responsio alia suppetit, petita ex conditione eorum cum quibus Prophetæ agunt. Sunt hi Israelitæ, qui fuêre sub fœdere Sinaitico; in quo conditiones à Deo propositas ratihabitione sua sic suas fecerunt, ut obedientiam pollicerentur omnium; Exod. 24: 3. non habentes vires, Deut. 5: 29. nec suppeditante Deo Deut. 29: 4. non petiisse quoque Talmud.

fatetur. Tenebantur ergo ex promiſſo omnem obedientiam præſtare, atque etiam omnia ea ſibi parare quæ ad præſtationem neceſſaria erant. Hoc jubentur agere Deut. 10: 16. Jer. 3: 4. Ezek. 18: 31. Atque ſic commodiſſimè explicatur. Eſa. 5: 3, 4. *quid ampliùs agendum* &c. Sanè Deus norat quid ampliùs agendum eſſet, qui ipſemet promiſit Deut. 30: 6. Ezek. 36: 25, 26. cap. 11: 19. ſine quo nihil effici poterat. Sed judicibus ipſiſmet ſe evicturum docet, nihil ampliùs ſibi fuiſſe agendum, vid. ex fœdere ipſorummet. Satis enim erat & abundè, ſiquidem tantum commoneret officii, miſſitando Prophetas jugiter, excitaret promiſſis, terreret minis; imo etiam edoceret quantâ indigeant immutatione, ut poſſint promiſſis ſuis ſatisfacere. Et hujus generis ſunt dicta omnia, quæ imperant ſui immutationem. Aſt quotieſcunque Scriptura agit de iis qui in novo fœdere, nunquam talia mandata inculcat, ſed ilta promittit: quemadmodum Deut. 30:6. Jer. 31: 33, 34. cap. 32: 39. &c. Ezek. 11. cap. 36: 25. &c. liquet. Etenim cum idoneitas ab ipſiſmet fœderatis debuerit proficiſci in fœd. Iſraëlitico, illa in fœd. novo donatur; unde iſtic ſemper, hic nunquam defectus eſt.

Ne prodiens tanquam ignis excandeſcentia mea ita ardeat, ut nullus exſtinguat, propter malitiam actionum veſtrarum.

Confirmatio proponitur *in genere*, ceu calcar ad reſipiſcentiam verſ. 4. ab imminente periculo, Ira Dei graviſſima, ceu ignis, Deut. 32: 22. Nah. 1: 6. inſuperabilis, & juſtiſſima.

Verſ. 5. *Indicate in Jehuda & Jeruſchalaïmis pronunciate ac dicite, clangite tuba in terra: convocate*, inquam, *cogite* multitudinem, *& dicite, congregamini, & ingrediamur in civitates munitas.*

Verſ. 6. *Attollite vexillum Tsijonem verſus, confirmate, ne conſiſtite.*

In ſpecie, I. denunciat mala decreta verſ. 5--13. II. repetit invitationem ad reſipiſcentiam verſ. 14--18. III. mala illa patheticè exaggerat. verſ. 19. ad fin.

A. *Denunciatio* habet I. trepidationem omnium ob hoſtium adventum, verſ. 5--7. cum hortatione ad humilitatem, verſ. 8. II. ſtuporem omnium verſ. 9, 10. III. hoſtis violentiam. verſ. 11--13.

a. *Trepidatio* diffunditur per publicationem tum privatam, tum publicam, ubi קראו מלאו Belgæ, **roepet met boller ſtemme** quaſi eſſet מלאו.) Poſterius eſt ſumma publicationis, *Implerunt*, hoſtes ſcilicet omnia, de invaſione terræ; vel pleni ſunt, ut totum exercitum ſuum coëgerint in unum; omnes auxiliares copias, & quicquid ad rationem belli pertinet. Cui ſubjungitur altera publicatio; ut quiſque ſe recipiat in tuta: התעו collectionem notat qualis gregis, ſine ordine; ut **in fuga** trepidâ. Trepidandum ab hoſte & **metu** ejus, **qui coram** Deo, & verbo ejus non trepidant.

Nam malum ego adducturus ſum ab Aquilone, & contritionem magnam.

Verſ. 7. *Adſcendit leo ex perplexo* vepreto *ſuo, & interfector gentium proficiſcitur, prodit è loco ſuo, ut exponat terram tuam deſolationi & civitates tuæ deſtruantur, & nemo in habitet.*

Ratio autem fugæ tum prima verſ. 6. Dei judicis regimen, tum proxima hoſtes quorum atrox natura, confirmata exercitiô & truculentum propoſitum, verſ. 7.

Verſ. 8. *Propterea accingite cilicia, plangite & ejulate: quia non eſt averſus æſtus iræ Jehovæ à nobis.*

Humiliatio ad quam provocat trepidantes teſtimonium habet amictum, geſtum corporis, vocis ejulationem; & cauſa triſtitiæ; verſ. 8. non violentia hoſtium, ſed Eſa. 10: 4. &c.) conſtantia iræ Dei, ſine qua illa ceſſaret. Conf. Eſa. 9. aliquoties, non averſa eſt ira Dei. &c.

Verſ. 9. *Erit enim die illo, dictum Jehovæ, ut pereat animus Regis, & animus Principum obſtupeſcantque Sacerdotes, & Prophetæ mirentur.*

b. *Stupor* omnium.

a. Impiorum. verſ. 9. Plebem trepidare in irruptione hoſtili, nil mirum, nam vel minus tuto loco ſunt; in agro habitantes, vel ignari, qui malo occurri queant; qui proinde jubentur, ſecuritatis ergo, ſe ſuaque in munitiones transferre: ſed qui rebus præſunt, tum debent eſſe animoſiores: & Sacerdotes tenebantur confirmare timidos. Deut. 20: 2, 3. Sed hic iſti omnes ſunt timidiſſimi, conſilii inopes: Rex, Zedekias potiſſimum, atque etiam præcedentes: inde à morte Joſiæ, & Principes; excordes; caſſi Sapientia, & vigore animi. Hi politica capita; & Eccleſiaſtica, Prophetæ ונשמו *obſtupeſcunt*, ſic enim שמם ad animum relatum ſignificat; vaſtitiem talem, ut nullum inveniatur verbum, quod pronuncietur, & apprime quadrat Pſeudophetis, divitibus promiſſis, nunc vero obmuteſcentibus; & ſacerdotes mirantur, non proſpicientes vel finem malorum, vel remedia.

Verſ. 10. *Et dicam, aha Domine Jehovi, utique planè diceris ſeduxiſſe populum hunc, & Jeruſchalaima, dicendo, pax erit vobis: quum pertigerit gladius uſque ad animam.*

b. Piorum. verſ. 10. Verſus difficilis: Etenim an Deus decepit populum, promittendo pacem, qui tamen jugiter per Prophetas monuit officii ſub comminatione interitus, vide Jer. 44. Zach. 1. & quomodo is decepiſſe dicetur, qui contra deceptiones monitis inſtruxit. Calvinus ironiam eſſe putat, & Prophetam inſultare Pſeudoprophetis & populo, quod hic poſcens blanditias, & ut parceretur ſuis ſceleribus, tales Prophetas nactus eſſet, adeoque vere deceptus, Deo autem loqui, agnoſcendo ejus juſtitiam, & ironice tribuendo Deo, quod in illos impoſtores quadrabat. Verum אכן נא juxta Kimhi eſt dolentis, non ridentis. Conqueritur Propheta apud Deum, de deceptione, (quemadmodum Eva ſe à ſerpente deceptam dixit, eodem verbo.) *Reſpicit autem* Pſeudoprophetarum conciones, qui populo, & Hieroſolymæ inprimis (quæ poſtrema in hoſtium poteſtatem venit) promittebant proſperitatem, ſeu pacem Jer. 6: 14. cap. & cap. 14: 13. Ezek. 13: 10. &c. ut Hanania Jer. 28. Achab & Zedekia, & Semaja cap. 29. aliique cap. 27. quod Deus tamen non mandarat Jer. 14: 14. cap. 23. Nihilominùs Deum decepiſſe ait, & quomodo? Sane non inſpirando mendacium, nec illud mandando, ſed 1. indulgendo Prophetis ut hæc mentirentur, etiam ſuo nomine prætenſo, quos tamen non punivit illicò, Ezek. 14: 9. &c. *perſuaſi*, hoc eſt, permiſi ut perſuaderetur: ut in Prophetis Achabi 1 Reg. 22: 23. ſpiritus mendacii à Deo judice emiſſus. Mendacium non Deus operatur aut ſpiritus ejus, ſed Diabolus, mendax à Principio & pater mendacii Joh. 8: 44. Deus vero judex, hoc ceu inſtrumento utitur, ut juſto judicio decipiat, qui non attendebant vel voluntatem vel gloriam Dei, ſed gratiam hominum, ſuumque lucrum, & horum amore fingebant ſibi reſponſa Dei, & hujus verba detorquebant; ſic Bileam, ſic Sacerdotes Malach. 2: 8, 9. imo ob munus externum ſibi tribuebant infalibilitatem quemadmodum 1 Reg. 22: 11, 24. Zedekia, cornua ferrea faciens & Spiritum Dei ſibi jure privilegii vendicans. Jer. 8: 8. Conf. Jer. 18: 18. & Ezek. 7: 26. II. negando gratiam populo, quâ agnoſcerent mendacia iſta: imo cum amarent ea, quæ carni placerent Eſa. 30: 9, 10. &c. juſto judicio excœcando, ut vera crederent, quæ vera vellent. 2 Theſſ. 2: 10, 11. ut Achab, qui cum odiſſet veros Prophetas, tanto pronior fuit ut falſis, grata promittentibus, fidem haberet. Jeremias ergo non expoſtulat cum Deo, ſed apud ipſum dolet, quod imminente præſentiſſimo periculo, ea obſtinatio eſſet in populo, ut ſe vero Prophetæ contemto, & exoſo, falſis aures præberent, & vana ſpe, ceu à Deo profecta ſe paſcerent. Conf. Deut. 13: 1. ſeq. exemplum Amaziæ 2 Chron. 25: 15, 16. & inprimis Eſa. 63: 17. Sic Jer. 5. verſ. ult. Eſa. 30: 9. &c. Non ergo Deus ſtatu-

ſtatuitur autor peccati, neque ejus approbator, ſed juſtus judex & vindex; deploratur autem hominum conditio, qui eo modo in perniciem eant 2 Tim. 3: 13. γόητες impoſtores, incantatores, qui præſtigiis, incantationibus & veteratoriis artibus utantur ad decipiendos alios. Summa huc redit: Jeremias non imputat Deo deceptionem, admiſſam per promiſſionem pacis, quæ Deum non juſſiſſe optimè norat: ſed Deo eam tribuit ratione providentiæ & regiminis. Deceptio populi peccatum erat in pſeudoprophetis, qui mentiebantur mandatum Dei cum nullum accepiſſent: & in populo, fidem negante veris Prophetis, quod ingrata carni loquerentur, addicente falſis, quia dicebant placentia; non autem in Deo, ſed juſtum judicium contra pſeudoprophetas, ut à mendacii ſpiritu acciperent ſua vaticinia, qui gratiam hominum, & lucrum ſuum ſpectabant, non gloriam Dei; & contra populum, ut falſa pro veris admitterent, qui vera ceu falſa repudiarant. Quæ adminiſtratio juſtiſſima tandem apparuit, quando iniquitas hominum magis manifeſtata. verſ. 18.

Verſ. 11. *Tempore illo dicetur populo huic & Jeruſchalaimis, ventus nitidus locorum eminentium in deſerto, via ad filiam populi mei, non ad ventilandum neque ad purgandum.*

Verſ. 12. *Plenus ventus, fortior iſtis adveniet mihi: nunc etiam ego eloquor jura eis.*

c. *Violentia hoſtium* proponitur ſub ſimilitudine venti fortiſſimi verſ. 11. deinde nudè repetitur illuſtrata ſimilitudinibus verſ. 12, 13. & effectum inter Judæos declaratur, verſ. 13. *Illo tempore*, irrumpentis hoſtis, *dicetur* &c. Scilicet parabolæ materia fiunt ob calamitates, qui noluerunt hortationes ad reſipiſcentiam audire, iiſque emendari. Sic Sodoma & Gomorra; Achab & Zedekia pſeudoprophetæ Jer. 29. verſ. Bileam; impii Eſa. 65: 15. Contra pietas ad celebritatem nominis facit, Mal. 3: 12. Eſa. 62: 7. Similitudo à vento, רוח צח שפיים, *ventus aridus collium in deſerto.* Ira Dei confertur vento & turbini. Eſa. 27: 8. Pſ 1116. *Ventus aridus*, vel *purus*, (quemadmodum lævis petra) qualis in collibus deſerti ubi nihil obſtat, & flatum impedit, cum in urbibus quandoque vix ſentiatur excluſus parietibus ædium. Jer. 13: 24. *Via filiæ populi mei*, ut terminus ad quem ſignificetur, quia ad Judæos itur, eâ viâ ruiturus eſt: non tranſiturus obliquo itinere, & extremitates tantum raſurus, ſed recto impetu illapſurus. Effectum indicat οὐκ ἄρον, *non ad ventilandum aut purgandum*: Optant ventum aridum agricolæ cum ventilandum eſt frumentum; quod ille paleas ſeparet & avehat. Et vento aeriſque ventilatione carere non poſſumus, ſine quo facile putridus evaderet non diſcuſſis vaporibus noxiis, & ἀγχόνιον, רוח מלא מאלה Belgæ, *ventus plenior, robuſtior, quam ipſi.* Judæi; propriè, *ventus plenus præ illis*, ſcilicet ventis, qui ad ventilandum & purgandum faciunt. Plenus ex plenitudine roboris ſui; qui non tantum paleas, & quod leve eſt diſpellit, quò ſolum impii tollantur, Pſ. 1: 4. & 35: 5. manentibus in vanno granis gravioribus, & in illum recidentibus. Amos. 9: 8, 9. Sed qui gravia æque ac levia, uno impetu removet, & παραλάβων affert, rumpens montes & findens petras 1 Reg. 19: 11. qualis evertit domum filiorum Jobi, & frangit naves Tarſis Pſ. 48: 8. Sic autem intelligitur Babylonius, de quo Eſa. 10: 5, 6. & ejus actiones Eſa. 27: 8. Efficiens Deus, יבוא לי *veniet mihi*, meo mandato, imperio; quod confirmat ſimplex declaratio *nunc eloquar judicia* &c. agam meum opus per illum ventum; ut meum moderamen agnoſcendum veniat Eſa. 10: 10. Elihu ait ventum ex interioribus conclavibus venire Job. 37: 9. quia clauſus tenetur: egrediendi poteſtatem non habens, niſi quando Deus eam concedit; ſic ex theſauris educi dicitur. Jer. 10: 13. Abra-
„ banel duos hos verſus conjungit. 10. & 11. Illo Prophe-
„ tam vel indignantem, vel ſaltem interrogantem introdu-
„ ci, O Domine, ex admiratione & ſtupore Prophetarum
„ liquere, deceptos eſſe Prophetas, & quod à Deo juſſi
„ pacem promiſerint, nunc autem mirari, cum gladii per-
„ nicies immineat. Sed Deum iſto verſu reſpondere, tem-
„ pore calamitatis agnituros, non à ſe profecta illa verba,
„ nam ſpiritum propheticum, per quem locutus ipſe fuit,
„ fuiſſe ſpiritum צח purum, clarum, perſpicuum, nihil
„ perplexi, obſcuri, ambigui habentem, ut omnibus eſſet
„ intelligibilis; & שפיים contritionis & contuſionis,
„ quemadmodum שפי Job. 33. (unde etiam שוף ſynony-
„ mum dicit Kimhi.) in deſerto via filii populi mei, quod
„ per diſertum in exilium ituri eſſent: non fuiſſe inſtar venti
„ purgantis, & ventilantis; & mox ſubjungere Prophe-
„ tam, ſpiritum Propheticum, ſibi ſuperventurum, longè
„ aliud dicere, non ea quæ ad pacem & bonum pertineant,
„ ſed qui plenior ſit contritione, nam mera judicia pronun-
„ ciaturum. Verum non dubitavit Jeremias de Prophetis aliis, quod falsò prætenderent nomen Dei; & quæ Deus dicit potiùs de vento, quam de ſpiritu Prophetico exponenda. Contorta quoque ſunt illa במדבר דרך בת עמי ut magis prior interpretatio placeat.

Verſ. 13. *Ecce tanquam nubes adſcendit, & tamquam turbo currus ejus, leviores ſunt aquilis equi ejus: væ nobis, quia vaſtati ſumus.*

Jam verſ. 13. nudè depingit violentiam hoſtis, ſed multis ſimilitudinibus illuſtratam, quæ docerent indeclinabilem eſſe. Nam quis avertat *nubes* ne oriantur & obducant cœlum? quis reſiſtat *turbini* & procellæ, quamvis eminus jam ſuum adventum prodant ſono? & quid velocius *aquilis*; quas nemo fuga præcipiti queat, evitare, ut ipſum non aſſequantur? Illis hoſtilem exercitum, iſto currus bellicos, his equos confert. Adeoque meritò hæc excipit vox deſperantium, *Væ nobis, nam vaſtati ſumus.*

Verſ. 14. *Ablue à malo cor tuum, Jeruſchalaima, ut ſerveris: quouſque pernoctabit* illud *in animo tuo, cogitationes vanitatis tuæ?*

B. *Repetitio invitationis* ad reſipiſcentiam, quam ſaluti ſore oſtendit finceram verſ. 14. neglectam graviori perditioni cauſam daturam. verſ. 15--18.

a. *Invitatio* verſ. 14. inſtituitur ad *Hieroſolymam.* Magnæ urbes, magna noſocomia, quivis ſuum morbum infert, ſuum peccatum, ſuas ſordes: ſed hic ſpectantur ſordes peccati éluendæ non tantum ab actionibus externis, ſed ipſo corde. Deus enim cor reſpicit 1 Sam. 16. rurſum mandatum, quale verſ. 4. & Eſa. 1: 16. rectè ad illos inſtitutum, qui ſemet ipſos præſtare debebant, quales poſcebantur in fœdere ſuo. Lotio qualis veſtium כבס: iſtæ non cenſentur lotæ, niſi omnes ſordes & maculæ fuerint expurgatæ, ut nivis intactæ candorem referant. Pſ. 51: 5, 9. Hæc requiritur, aliena Dei per ſanguinem Chriſti Apoc. 1: 5. 1 Joh. 1: 7. Heb. 9: 14. & per Spiritum S. Eſa. 4: 4. Ezek. 36: 25. &c. Propria, non quod aliquid conferamus ex nobis, ſed ut aquas illas fluentes in verbo Eph. 5: 26. Joh. 15: 3. cap. 17: 17. hauriamus ſitula fidei Act. 15: 9. Apoc. 7: 14. & precum Ezek. 36: 39. & applicemus in fervida reſipiſcentia, Eſa. 1: 16. uti fervida aqua plus valet ad tollendas ſordes veſtium, quam frigida. Additur enim tum promiſſio ſalutis ſeu proſperitatis continuandæ, ſiquidem facerent; tum convictio, nondum ſuſceptæ iſtius reformationis. *Quamdiu quæſo cogitationum vanitatis* ſeu *iniquitatis in medio tui pernoctabit?* תלין מחשבות Impedire nequimus, quò minus ſubinde tranſeant cor noſtrum, ejuſmodi cogitationes. Etiam invitis quandoque ſe offerunt, uti quandoque invitis nobis ſordidus aliquis ingreditur domum: ſed facere cor diverſorium, ubi excipiantur, pernoctent, & foveantur, id vero intolerabile eſt. Fur ſi irruat te invito, excuſationem habes, ſed ſi eum excipias hoſpitio, excuſatione cares.

Verſ. 15. *Nam vox indicat majorem quam Danis, & pronunciat vanitatem majorem quam montis Ephraimi.*

b. *Neglectæ damnum* indicat I. malum ipſum. verſ. 15--17. II. cauſam ejus. verſ. 18.

a. *Malum ipſum* denunciatur, & variè proponitur. verſ. 15. ob ambiguitatem vocis אן habet diverſitatem interpretationis. Notat *iniquitatem*, *vanitatem*, vel *moleſtiam*, *calamitatem.* Illo ſenſu verſ. 14. & hunc alii continuatum volunt.

lunt. Jonath. *Nam vox prophetarum prophetantium de ipsis qui deportabuntur, quia coluerunt vitulum qui in Dan; & denunciantium nuncia mala, venturos contra ipsos occisores, quia coluerunt idolum Michæ in monte Ephraim.* Ita מ *per* sed Juda & Hierosolyma non coluerunt vel vitulos Jeroboami, vel idolum Michæ. Tremellius. *Nam vox indicat* (iniquitatem) *præ Danis*, (ubi vitulus Jeroboami unus:) *& pronunciat vanitatem præ montis Ephraimi*, videlicet Bethelis ubi alter vitulus: (sic מ *præ*) ut significetur, iniquitatem seu vanitatem superasse eam quæ Israelitarum fuit, juxta id quod Jer. 3:6. &c. Potest etiam reddi מ *per a*, *ab*. quia Dan terminus aquilonaris totius Cananææ, mons Ephraim autem regni Judæ, de hostibus, ubi attigerint illi priorem, & multò magis ubi posteriorem terminum, vocem, testem publicum, indicaturam iniquitatem Judæ & Hierosolymæ: cujus cogitationes ibidem jugiter pernoctent. Peccatis quodammodo clamorem tollentibus, & prodentibus Gen. 18: 20, 21. Isto sensu Belgæ, & commodiùs **Elende**/ quod ingredientibus hostibus remotum, & magis proximum limitem, meræ calamitates audiantur. Scilicet quando iniquitates possessionem ceperunt in corde mox viam faciunt calamitatibus, ut totam terram invadant, & occupent.

Vers. 16. *Commemorate istis gentibus, ecce pronunciate contra Jeruschalaima, custodes advenire è terra longinqua, qui edunt contra civitates Jehudæ vocem suam.*

Vers. 17. *Ut qui observant agros, sunt contra eum circumquaque, quia mihi rebellis fuit, dictum Jehovæ.*

Repetitur denunciatio vers. 16, 17. *Memorate Gentibus*, sive Judæis, sive quod convenientiùs, vicinis circumquaque Idumæis, Moabitis, Ammonitis &c. ut se conjungant hostibus, vel excitentur ad occasionem exercendi odii; publicate adversus Hierosolymam ea quæ indicium faciant ingruentis calamitatis. Vel *Memorate de Gentibus*, hostium exercitu, ex variis gentibus collecto, *ecce audire facite de Hierosolyma*: Est illa נוצרים גאים מארץ מרחק. Quidam ut D. Kimhi נוצרים denominativum faciunt à Nebucadnezare, ut sint Babylonii & Chaldæi; sed Abarb. improbat, quod à toto nomine, aut à primâ parte æque fuerint denominandi. Alii appellativum, *vastatores* quia נצר quandoque vastandi sensum habet, עיר נצורה Kimhio urbs vastata; & quivis hostes rectè sic dicentur. Alii *custodes*, quia נצר sic ordinariè sumitur; quomodo conveniet cum sequenti versu, כשומרי שדי, & hostes conferentur pastoribus, qui lupum feramve noxiam undique cingunt indagine, ne elabatur, sed veniat in potestatem. Sic cap. 6: 3. conferuntur pastoribus cum gregibus suis omnia depascentibus, uti Midianitæ Jud. 6. Abrab. sic non acquiescit. Negat intelligi Babylonios, quod idem nomen occurrat Jer. 31:6. ubi de ipsis accipi nequeat, cum agatur de vastatione secundâ; & quod eis non conveniat terra longinqua respectu Hierosolymæ. (atqui id dicitur Esa. 39: 3. & Jer. 5:15. ipsemet de Chaldæis exponit.) sed Romanos, qui meritò dicantur נוצרים *vastantes*, quia fuerint כובשי ממלכות מחריבי ארצות. Addit rationem aliam. צלפרה חנביאה ברוח הקרש צהרומיים עתידים להאמין ביצוע הנלרי ויקראו מעני זרה נולרים. Denominationem illam admittimus, quam etiam repetit Jer. 31:6. ubi locum habet: & testem habemus ipsum, Spiritum S. per Prophetam Jeremiam significasse Jesum vocandum *Nazarenum*, & ab ejus nomine credentes *Nazarenos*: quod dixit Matt. 2. vers. ult. factum à Prophetis, & eventus respondit, ipse Nazarenus appellatus Marc. 10: 47. Joh. 19:19. Luc. 24: 19. Apoc. 4: 10. & discipuli Nazareni Act. 24: 5. Veruntamen licet quadret dicto Jer. 31:6. ubi de invitatione ad resipiscentiam, quæ instituitur per Nazarenos, eundem Deum verum agnoscentibus: non tamen h. l. valet; nam destructio non facta per Nazarenos, aut Romanos, Christo addictos: cum illi ejus tunc vel ignari, vel hostes forent. Adeoque huc pertinet interpretatio sive propria *vastatorum*, sive metaphorica *custodum*. Quod vero Abrab. observat, sæpe conjungi vastationem primam Nebucadnezaris, & secundam Romanorum: id optarim uberiùs probatum. Hoc quidem verum, primam & secundam vastationem iisdem verbis significari, Jer. 44. & 50. quæ Idumæi & Babylonii egerunt eadem sunt quæ Anti-Christus Rom. acturus erat. Verum item, adventum Christi humilem & glorioſum quandoque sociari: Esa. 11: 1. &c. Zach. 9: 9. &c. Sed causa est, quia intermedio tempore Judæi, extra fœdus quasi constituti, non pertinent ad historiam Ecclesiæ. Atenim inter utramque vastitatem fuere soli Ecclesiæ, eaque propter ipsorum fata commemoranda. Quanquam Deut. 32. postquam cœpit narrare judicia immittenda, non tantum prima, deportationem regis in Jechonia & Zedekia, sed etiam postrema rejectionem populi vocatis gentibus, & quidem primo loco commemoret.

Cæterum memorabile, unde hostibus animositas, *quia rebellavit contra me, inquit Dominus.* Rebellio contra Deum reddit hostes animosos; quia Deus eos excitat, ut vindicias agant contra rebelles, ut Esa. 10: 4. &c. Cum Israel per Achanem reus, Cananæi animosi fuerunt Jos. 7. Vide Esa. 30: 17.

Vers. 18. *Via tua & actiones tuæ faciunt ista tibi: hoc malitui est, quod amarus sit, quod pertingat in cor tuum.*

b. Causa calamitatis vers. 18. statuuntur peccata: non unum aliquod singulare, sed totius vitæ iniquitas, ut nihil innocentiæ adforet, viæ & actiones fecerunt; dederunt causam. Idem denuo dicitur si רעתך de malitia actionum accipiatur; quæ tum causa, cujus effectus amaritudo, & cordi proxima. Sin sumatur de adversitate, reliqua ejus acerbitatem declarant, quæ corpori gravis, ut amaritudo ori, & animæ quam tangere dicitur, peccata enim corpori & animæ perniciosa sunt.

Vers. 19. *Viscera mea, viscera mea, dolco, præcordia mea, fremit mihi cor meum, non possum silere: nam sonum buccinæ audis, anima mea, clangorem belli;*

Vers. 20. *Contritionem super contritionem proclamari, quia vastanda est tota hæc terra: repentè vastabuntur tentoria mea, momento aulea mea.*

Vers. 21. *Quousque visurus sum vexillum? auditurus sonum buccinæ?*

C. Restat *pathetica mali exaggeratio.* vers. 19. ad fin. cap. dum I. repræsentatur dolor Prophetæ. II. depinguntur miseriæ.

a. *Dolor Prophetæ* indicatur vers. 19. & causæ tum proximæ vers. 20, 21. tum remotæ vers. 22.

Dolor Prophetæ acerbissimus; vers. 19. qualis parturientis, quà similitudine Scriptura frequenter utitur, etiam vers. 31. cap. 6: 24. cap. 30: 6. Geminatio vocabuli, ut 2 Reg. 4: 19. & descriptio dolorum, qui rumpant silentium. *Causæ* sunt, proxima calamitas bellica, tubarum clangore significata, vers. 19. magnitudo ejus, dum una aliam excipit vers. 20. נקרא vel præconis publicatione, vel Dei judicis imperio, ceu prioribus non sufficientibus, Conf. Amos. 4: 7. &c. Lev. 26: 12. &c. damnum & celeritas ejus vers. 20. uti tentorium subito convellitur, sic perierant urbes & arces: Diuturnitas denique vers. 21. videre signum triumfantium hostium, & audire clangores lætitiæ: vel ulterius victoriosa arma circumferentes cernere hostes.

Vers. 22. *Quoad stultus erit populus meus,* quoad *me non agnoscent,* quoad *filii stoliditerunt, neque intelligentes erunt;* quoad *sapientes erunt ad malefaciendum, & benefaciendi ignorantes.*

Remota doloris, quæ prima vastitatis, indicatur vers. 22. Stoliditas populi, quæ exprobratur, אויל *stultus populus meus*, Deum enim loquentem introducit, & stultitiæ causam dicentem ignorationem sui: sic Deut. 32. 6. Potest etiam sermo Prophetæ dici, ut populum *suum* dicat, cui præfectum

ctus erat docendo, non minus, quam cujus membrum erat; quemadmodum modò de ſuis tentoriis queſtus eſt: & ſtoliditas exprobrata, quod dementati à fallis Prophetis, & Sacerdotibus, muneris prærogativa tumentibus, ſe non agnoſcant Prophetam, qui jam tamdiu eo munere functus erat; ut tandem cedere debuiſſent tam ſeriis exhortationibus, tam validis convictionibus, tam gravibus comminationibus: quam rationem ſi ſequamur, nulla mutatio eſt perſonæ. Conf. 2 Chron. 36: 12. Exaggeratur à conditione populi: Liberi ſunt, qui accuratiorem inſtitutionem conſequuntur, quam ſervi, de voluntate patris ſui, ſed ſunt סכלים quoad cognitionem; & ולא נבונים quoad vitam & converſationem; ut Deut. 32: 28. Quoniam autem hanc cenſuram averſabantur, qui ſibi admodum placebant, & blandiebantur ob ſapientiam, etiam ſacram Jer. 8: 7, 8, 9. tribuit eis ſapientiam, ſed ex veritate, tantum ad malefaciendum, cauti artifices in inveniendis & exercendis peccatis quibuſcunque, ſed qui in praxi boni prorſus rudes erant & imperiti, ceu qui nil unquam audiviſſent, qui heic verſandum eſſet. Conf. cap. 5: 4. Eſtque hæc juſtiſſima etiam maximi doloris cauſa, peccata graſſantia in Eccleſia: nam dum hæc vigent, ne quidem ſperare licet finem malorum, ſed jugiter nova incrementa exſpectanda. Eſt vero familiaris deſcriptio, quod peccatores *ſtolidos* appellet; ſic fit Pſ. 107: 17. אוילים Prov. 1: 31. פתאים & Pſ. 14: 1. נבל, & peccatum ſtultitia Pſ. 38: 6. Pſ. 75: 5. conjunguntur רשעים & הוללים Carent judicio, ut ritè diſcernant, 1 Cor. 2: 14. & quid tamen ſapientius? Sunt oblivioſi præteritorum Deut. 32: 6. malè judicant de præſentibus; Pſ. 73: 22. negligentes futurorum; Prov. 22: 2. *prudens videt malum, & abſcondit ſe; ſed ſimplices tranſeuntes mulctantur;* indociles Prov. 1: 7. *fatuus contemnit ſapientiam & diſciplinam.* Hæc fatuitas omnibus naturalis Prov. 22: 15. & quo major ſapientiæ opinio, eo ſtultitia gravior Rom. 1: 21, 22. 1 Cor. 3: 18, 19. Una ratio ad ſapientiam eſt abnegatio propriæ, & tum cognitio Dei Jer. 9: 24. & timor ejus Prov. 1: 7. Job. 28: 28. Qui pius eſt, idem ſapiens eſt. Pſ. 111. verſ. ult.

Verſ. 23. *Quum reſpicio in terram, ecce res inanis* eſt *& vacua: ſin autem cœlos, nulla eſt lux eorum.*

Verſ. 24. *Si reſpicio iſtos montes, ecce commoventur: & omnes iſti colles leviſſimè movent ſe.*

Verſ. 25. *Si adſpicio, ecce nullus* eſt *homo: etiam omnes aves cœlorum evagantur.*

Verſ. 26. *Si aſpicio, ecce arva ipſa* ſunt *deſertum: & omnes civitates iſtius dejectæ ſunt propter Jehovam, propter æſtum iræ ejus.*

b. *Pictura pathetica calamitatis* habetur in teſtimonio I. Prophetæ in ſpiritu videntis verſ. 23. &c. II. Dei denunciantis verſ. 27, 28. III. populi ſentientis verſ. 29, 30, 31.

a. Prophetæ videntis, qui talem terræ faciem deſcribit, qualis cum primum conderetur, Gen. 1: 2. mera inanitas & vaſtitas, ſine incolis & ornamentis; itemque defectus lucis, quam cœlo deeſſe ait, ſtellifero nempe, cui lux primâ die producta fuit affixa. Hoc verſ. 23. in genere: in ſpecie commotionem firmiſſimorum, montium & collium, verſ. 24. incolarum defectum, hominum, & avium verſ. 25. habitationum deſtructionem, quæ incolas alioqui ſervarent, verſ. 26. agri fertiles & urbes. Et cauſa rurſum; non ex ſiderum influxu, ſed eſt Ira Dei ferventiſſima. Si פנים reddamus iram, ut Pſ. 21: 18. 2 Theſſ. 1: 9. inſignis erit aggravatio, tribus ſynonymis junctis.

Verſ. 27. *Nam ſic ait Jehova: deſolata futura eſt tota hæc terra: ſed conſummationem nondum fecero.*

b. Dei denunciantis & quidem *in genere* verſ. 27. ſed addito temperamento, 1 idem quod attamen, vel quamvis, ſed & non faciam conſummationem in puniendo, ut nemo evadat: ſic quoque cap. 5: 10: 18. cap. 30: 11. cap. 46: 28. Utitur enim moderatione Eſa. 27: 8. cujus cauſa Eſa. 57: 15, 16. imo etiam Pſ. 59: 12. uti Kain, ſic contra impios. Commendatur hæc Dei benignitas Pſ. 103: 9. &c. & hoc petitur à Jeremia cap. 10: 24. & Hab. 3: 2. & factum Pſ. 78: 38. futurumque Lev. 26: 44.

Verſ. 28. *Adhæc lugebit terra, & atrati erunt cœli ſuperne; eò quod locutus ſum; cogitavi, neque pœnitet me, neque avertam me ab eo.*

In ſpecie verſ. 28. qualem deſcripſerat vaſtitatem Propheta; ſic ut non velit diſcedere à propoſito: non quod mutabilis alias ſit; ſed quod mutationis cauſa, reſipiſcentia populi non foret ſecutura, (quæ cæteroquin non fuiſſet caritura ſucceſſu cap. 6: 8. cap. 7: 3. &c. cap. 18. cap. 26.) Conf. Ezek. 24: 13, 14. coll. cum cap. 22: 30, 31. Etenim peccantes ſine pœnitentia, Deus quoque ſine pœnitentia puniet.

Verſ. 29. *A ſono equitum & jaculantium arcu fugient omnes oppidani. venient in ipſas nubes, & in petras adſcendent omnis civitas derelinquetur; & nemo habitator in eis erit.*

c. Ipſorummet experientium, quorum *ſenſus* verſ. 29. fuga ex ſummo metu propinquantis hoſtis; in nubes, hoc eſt, arces in nubes eductas, & petras, quo ſoliti fuere ſe recipere, deſertis urbibus. Matt. 24: 17. legatur Joſephus in libb. Antiq. & de Bello Jud.

Verſ. 30. *Tu autem* regio populi *vaſtandi, quid facis, quod induis te dibapho, quod ornas te ornatu aureo, quod laceras fuco oculos tuos? in vanum reddis te pulchram: reſpuunt te amaſii, animam tuam quærunt.*

Impotentia verſ. 30. quæ olim erant rationes conciliandorum populorum fruſtra erant; quemadmodum ſi artes meretriciæ non valeant, ad amaſios alliciendos: quia quærent deſtructionem. Ubi enallage generis, quemadmodum & alias. Fruſtra autem quæritur amor hominum, quando Deus non pœnitendam iram concepit.

Verſ. 31. *Nam vocem quaſi parturientis audio, anguſtiam ſimilem primiparæ, vocem filiæ Tzionis ſubinde anhelantis, pandentis manus ſuas,* dicendo, *væ jam mihi, quod feſſa fuerit anima mea ab interfectoribus.*

Confeſſio calamitatis verſ. 31. geſtu, clamore parientis, & quidem *primiparæ*, captantis auram ſuſpirantis, & manus expandentis; tum voce, *Væ mihi, quia laſſata ſum interfectoribus.* Similis geſtus Lam. Parturientis dolores terminantur in vitam infantis Joh. 16: 21. unde mutantur in lætitiam: ſed hi in mortem liberorum. Sic qui lamentante Propheta non movebantur ad lamenta; jam ſero lamentantur, quando omnia deſperata, & indies plures ingruunt miſeriæ.

CAP. V.

Verſ. 1. *Percurrite plateas* urbis *Jeruſchalaimorum, & videte jam atquè cognoſcite & diſquirite in plateis ejus, an inveniatis verum, an ſit qui exerceat jus, requirat fidem, & condonabo illi.*

Tertia pars Prophetiæ ſeu concionis hujus, habet CONFIRMATIONEM, tum peccatorum, tum pœnarum, uſque ad cap. 5: 9. quam alternis proponit; convictioni de peccatis mox ſubjungens denunciationem pœnæ: I. verſ. 1—6. II. verſ. 7—10. III. verſ. 11—19. IV. verſ. 20—25. V. verſ. 26—29. VI. verſ. 30, 31. cap. 6: 1—9.

I. *Oppoſitio prima* eſt peccatorum verſ. 1—5. & pœnæ. verſ. 6.

1. *Peccatum* eſt univerſalis corruptio omnium, quod nullus bonus ſuperſit verſ. 1. probaturque quia ſumma populi impietas in genere verſ. 2, 3. & in ſpecie quoad ſingulos ordines hominum. verſ. 4, 5.

(1.) Nullum ſupereſſe bonum dicitur verſ. 1. Argumentum cohæret antecedentibus, hoc modo ſi quis bonus ſuperforet parcerem, ſed non parcam. Ergo. Sequentibus, iſto, ſi quis bonus ſuperforet parcerem, ſed nullus ſupereſt. Ergo Propoſitio utrobique eadem. Aſſumtio prioris ſyllogiſmi eſt in fine cap. 4. poſterioris, hic verſ. 2. ſeq. Deus ipſe hic loquitur, cujus ſolius eſt gratiam facere tum remittendo peccata, tum removendo pœnas. Proponit autem quid Hieroſolyma præſtare debeat, & quid ipſe tunc ſit facturus.

Illa debet ſiſtere virum bonum: adeoque commendatur inquiſitio, deſcribitur inquirendus.

Inquiſitionem non ſuſcipit Deus ipſe qui ſecretiſſima novit, & coram quo nemo mundus; quomodo ludere videretur promittendo remiſſionem, qui ſemper reperturus eſſet, quod eam impediret. Sed ipſiſmet defert: verùm diligentiſſimam; 1. *Motus totius corporis*: שוטטו *diſcurrite hinc inde*. Diaboli diligentia ſic agit משוט בארץ ומהתהלך בה Job. 1: 7. 1 Pet. 5: 8. dicitur, περιπατεῖ ζητῶν, duo iſtic verba, heic unico Pihel comprehenduntur: quemadmodum Saul quærens aſinas patris, & Eccleſia quærens Sponſum ſuum in Cant. & locus, *in plateis*: ubi homines ambulant, attamen non Samariæ, vel Bethelis quæ urbes idololatricæ, neque etiam parvarum urbium aut pagorum ubi pauci homines, ſed *Hieroſolymæ*, quæ metropolis regni, & ſedes ſacrorum. חוצות *plateæ*, foris extra domum: In domo ſecretò peccatur, citra cenſuram hominum: ſed in publico teſtes etiam ſunt alii: ut de publica honeſtate & pietate hic tantum fiat inquiſitio. 2. *Motus oculorum* וראו נא ו *videte quæſo*, vel *nunc*, non perfunctoriè agite, ſed quemvis obvium intuemini & in eum oculos veſtros defigite cum attentione. 3. *Conſideratio mentis*: ודעו, non adſpicite ut bruta, ſed mox *adhibete mentem*, & conſiderate non externum duntaxat corporis habitum, quam cultus veſtibus & ornamentis, ſtipatus clientibus & famulitio, ſed quæ vitæ ejus ratio, qui mores, quæ actiones. 4. *Motus linguæ*, ובקשו inquiſitionem notat, ſed quæ fit interrogando, ut ſi quis non ſufficiat inveſtigando, aliorum juvetur teſtimoniis, idque ברחוביותיה *in foris ejus*, locis ſpacioſiſſimis, ubi maxima populi frequentia, & plures occurrunt, qui poſſunt teſtari. & ſcopus omnis iſtius diligentiæ, *num inveniatis?* an inter omnem multitudinem incolarum ex latebris forte quis educi poſſit? imo, *num ſit?* an quis tamen poſſit deprehendi qui ſit, quamvis lateat, ut in ſecreto lamentetur ut Jer. 13: 17. Ezek. 9. *Inquirendus* porro dicitur איש *Vir* qui generoſiori animo præditus, pro Deo & pietate loqui, & ad hujus patrocinium aliquid laboris ſuſcipere auſit; nam huc generoſam ejus indolem ſpectare docent actiones, 1. עושה משפט. *Judicium* eſt ſuum cuique tribuere, quæ Dei Deo, hominis homini: pietati & bonis laudem ac defenſionem, impietati & malis vituperium & pœnam. Pſ. 15: 2, 4. Hoc dicitur *facere*, exercere, vitæ praxi. 2. מבקש אמונה. *Veritas* eſt ſinceritas cordis, Pſ. 15. qui corde loquitur veritatem; ut Deo non minus ſtudeat approbare cor & actiones ſuas, quam hominibus & ſibi ipſi. Hanc dicitur *quærere*, quia cordis eſt, quod fraudulentum Jer. 17: 9. & in optimis quoque aliqua taminatum labe, ut perfectio heic ſperari nequeat, ſed id Deus in laude ponit, modo ſit ſincerum ſtudium, & conatus conſtans veritatis probandæ. Talis porrò unus duntaxat poſcitur: non maxima multitudo, non ſaltem decima pars, non uti Abraham ad decem uſque rem deduxit in Sodoma; ſed unicus duntaxat.

Quid autem tunc *Deus* facturus? ואסלח לה. Τὸ סלח proprie eſt *parcere*; ut judicium vel pœna non inferatur. Num 14: 19. &c. Deus dicitur סלח parcens: & ארך אפים longus ira, hoc μακροθυμία longanimitatem ejus denotat, quâ iram exercere differt, illud ἀνοχὴ tolerantiam, qua reos ſine pœna eſſe finit, atque illis parcit. Non aliud hic ſignificatur. Uno reperto vult parcere, ne puniantur judiciis: non autem remittere, ceu qui non peccaſſent. (Sic merita Sanctorum viventium ſtabilirentur.) Neque alia hujus vocis vis, quam parcendi, quamquam in fidelibus conſequatur ablatio reatus, quod dicitur העביר חטאת & נשא עון Job. 7: 20. &c. Mich. 7: 18. Propter unum pium Deus vult parcere ipſi; Hieroſolymæ. Pius ipſe habet promiſſum benignitatis Dei Eſa. 3: 10. Eccl. 8: 12. Ezek. 14: 14. 1 Tim. 4: 8. huic non tantum parcitur, ſed remittuntur peccata. Verum urbs illa impietate redundans propter unum pium conſequetur dilationem pœnæ ut toleretur non obſtante maximo ejus reatu. Sic fecit Deus quandoque, propter unum Lotum pepercit Sodomæ, dum iſtic fuit, & Zohari quo ſe recipere voluit Gen. 19: 21, 22. propter Moſen Iſraeli Exod. 22. Num. 14. Pſ. 106: 23. facturus etiam erat Ezek. 22: 30, 31. Tanti enim facit pietatem, ut eapropter etiam impiis beneficiat: ob Joſephum Potipharis familia proſperitate fruitur Gen. 39. & Labanis ob Jacobi præſentiam cap. 29. Joaſch rex agrotantem Eliſam vocat currus Iſraelis & equites ejus 2 Reg. 13: 14. ceu qui ſolus plus præſidii præſtaret quam univerſæ copiæ militares.

Atenim huic promiſſo videtur adverſari hiſtoria. Cum habita hæc concio, fuit Joſia pius rex: & tamen Deus proceſſit ad vaſtationem. Reſp. Loquitur Propheta de ultimo tempore excidii ut cap. 4. extrema docent. Joſiæ id præſtitum; quia pius, ipſo vivente Deus pepercit dilato malo, ne videret & experiretur. II. Ultimo tempore fuit Jeremia, Baruch, Ebedmelech. Reſp. Jubebantur Judæi ipſimet inquirere, & ſiſtere. Sed in extremis temporibus Hieroſolymæ, non modo nullos ſtiterunt, ſed perſecuti ſunt ne eſſent, ut cum necatus Propheta Urias Jer. 26. vel ne apparerent, carcere & vinculis coërcentes, ut Jeremiam cap. 20, 26, 29, 32, 36, 37, 38. quemadmodum Eſa. 29: 21. Sanè plures tribus iſtis pii fuerunt in populo: erant qui lugerent propter abominationes Ezek. 9: 4. ſed quemadmodum ſub Achabo 7000 reſervata à Deo latebant, ut Elias ſe ſolum relictum opinaretur, ſic quoque heic. Metu potentiæ & odii impiorum in obſcuris latebris hærebant; quamvis eſſent facientes Judicium & quærentes veritatem, non erant viri, qui auderent contra torrentem niti, & publicè pro Deo & pietate ſtare. Huc facit quod Abrabanel ait, intelligi virum quod publicè redarguat & obſiſtat malis: quamquam hoc non ſufficiat, cum id egerit Jeremias, ſed inſuper ut admittatur & agnoſcatur.

Hinc vero videmus tum quantæ ſint divitiæ longanimitatis, tolerantiæ, benignitatis Dei, qui propter unum pium publicè agnitum velit gratioſus eſſe urbi & regno. Quod utique & pietatis ſtudium cuivis commendare debet, ut ipſe is ſit qui defenſam præſtet patriæ; & pietatis æſtimationem etiam apud illos, qui cæteroquin mali ſunt; quemadmodum æſtimatus ab Chittæis Abraham Gen. 23: 6. ut per quos ipſis proſperitas externa conſervatur, tum quanta in Eccleſiam corruptio cadere queat, ut dum profeſſio publica religionis viget, tamen deſint publice noti, qui veram pietatem colant, quamvis Deo nunquam deſint ſui, quos ipſe cuſtodit.

Verſ. 2. *Sed quum, vivit Jehova, dicunt, hoc pacto falsò iurant.*

(2.) *Probatio* univerſalis corruptionis inſtituitur.

A. *In genere* verſ. 23. ubi rejicit ipſorum objectionem verſ. 2. & exaggerat impietatem verſ. 3.

Objectio eſt, à profeſſione, verſ. 2. quomodo tantæ improbitatis rei forent, qui veram religionem profitentur. Dicunt חי יי *vita Deus*. Oſtenſum ad cap. 3: 2. eſſe formulam profeſſionis, quæ iſtic imperatur converſo Iſraeli exemplo Gentilium converſorum. Jam hæc formula in ore erat, & ex illa volebant æſtimari. Sed quid profeſſio oris, ſine praxi operis? jactabant ſuum cultum: ſed vita omnis refutabat profeſſionem. לכן לשקר ישבעו, *eopſe falſum jurant*. Impietas ipſorum maxima, & quando profeſſionem pietatis edunt, addunt ad impietatem. Quæ enim major, quam quæ velatur obtentu pietatis & religionis. Religioſæ promiſſiones quoque ſi fiant, tanto gravius eſt peccatum, quod mendacio contra Deum roboratur.

Verſ. 3. *O Jehova, oculi tui an non ſpectarent ad fidem? percutis eos, ſed non dolent; conſumis eos, renuunt accipere eruditionem, reddunt faciem ſuam obfirmatiorem petra, renuunt converti.*

Exaggeratio impietatis verſ. 3. fit per obteſtationem Dei de ipſorum incorrigibilitate. Compellat autem Deum, ut cum

cum fruſtra à Judæis poſtulaſſet, ſiſti virum bonum, immo teneret manifeſtos impietatis non obſtante larvâ hypocriſeos, ipſe teſtis veraciſſimus foret incorrigibilitatis ipſorum. Tribuit ei notitiam & amorem veritatis. Oculi Dei ad veritatem, ut nihil videant quam quod verum eſt, καρδιογνώστης nunquam decipitur: vel delectantur veritate & ſinceritate Pſ. 51: 8. illo modo qualitas teſtis indicatur; iſto qualitas eorum de quibus teſtandum. Horum autem improbitas fuit ſumma. Percuſſi judiciis, non quidem fuerant ἀναίσθητοι, utpote qui omni ſtudio ſe malis voluerunt expedire per fœdera cum aliis nationibus: ſed reſpectu Dei, non concipientes dolorem ſecundum Deum. Conſumti, perierunt, non emendati; ut non erudirentur convicti, qui ſcopus judiciorum ejuſcemodi, quo pertinuerunt conciones Propheticæ, judiciis ſociatæ. Obſtinatio, æque immobiles ut petra; ſed hæc dura naturaliter; ipſi voluntariè; deſtinato conſilio.

Verſ. 4. *Quamobrem ego dicebam, utique tenues* ſunt *iſti, ſtultè agunt; quia ignorant viam Jehovæ, jus Dei ſui.*

Verſ. 5. *Ibo ad magnates ipſos, ut alloquar eos, nam ipſi norunt viam Jehovæ, jus Dei ſui: at ipſi pariter fregerunt jugum, diruperunt vincula.*

B. *In ſpecie*, univerſalitas corruptionis eſt in ordinibus hominum diverſis; I. *pauperiorum*, plebis verſ. 4. de ſua experientia ait, quod ſint conditione *externâ*, tenues, quibus potiſſimum laborandum de vita conſervanda duro labore, & opere manuum: *interna*, ſtulti, hoc eſt peccatores, uti hæc ſumma ſtultitia eſt, נואלו per metathefin pro נאולו ab אויל: apud Syros quandoque ſecunda radic. א præponitur primæ; hic contra prima א ſecundæ poſtpoſita eſt. *Cauſam* denique hujuſmodi ſtultitiæ, ignorantiam, viæ Domini, normæ ab eo præſcriptæ omnium vitæ & ambulationi, & judicii Dei ſui: משפט. vel erit agendi modus, ratio providentiæ ejus, vel pertinebit ad modum cultus, 1 Chron. 15: 13. Sic & moralis & cerimonialis legis ignorantia exprobraretur: nam huc facit, quod ait *Dei ſui*, quem utique ignoraſſe turpiſſimum erat. Scilicet peccata pauperiorum plerunque ex ignorantia committuntur: dum de victu corporis laborant, cognitionis acquirendæ exiguum eſt ſtudium. Non ſunt hi inſontes, attamen non æque rei ac alii Luc. 12: 47. II. *Dignio-rum*, verſ. 5. qui magni genere, munere, opibus; ſive in Eccleſia ſive in Repub. אלכה לי *ibo bono meo*, ibi proſperiori ſucceſſu concionaturus. Dicunt Hebræi ex ſynchronis Zephaniam in Synagogis, Jeremiam in plateis docuiſſe, Huldam inter mulieres. Ad Magnates ergo ſeſe convertit Propheta, ceu de quorum cognitione meliùs erat perſuaſus: neque eis derogat notitiam, ceu qui falſus fuiſſet opinione: ſed tribuit deſperatam impietatem; factum illud, de quo conſultabant illi Pſ. 2: 3. Ut appareret, majores, in mundanis excellentiis, plerunque eſſe majores peccatis. Hoſ. 7. Ita Joas mortuo Jojada à principibus ſeducitur. Sic accidit Eſa. 1. Mich. 2, 3. & tempore Chriſti: Proceres erant peſſimi, qui tamen cognitione reliquos antecellebant.

Verſ. 6. *Idcirco percutiet eos leo è ſilva, lupus veſperinus vaſtabit eos, pardus obſervabit ad civitates eorum, quiſquis egredietur ex eis diſcerpetur: quia plurimæ ſunt defectiones eorum, numeroſæ averſiones eorum.*

2. *Pœna* tandem ſubjicitur verſ. 6. & cauſa impulſiva. Pœna eſt hoſtilis violentia, I. *Leo ex ſylva percuſſit eos.* Nebucadnezar intelligitur: II. *lupus vaſtitatum*, qui fame premitur, *vaſtabit eos*, Idem, iſtic cædem, hic rapinam exercens. Quemadmodum III. obſidionem, *pardus vigilans contra urbes*. Eſa. 10: 5. Idque ob peccatorum magnitudinem & multitudinen. ſic auctis peccatis augentur judicia. Abrab. Leonem putat Sanheribum quia in præterito loquatur; Lupum Nebucadnezarem quia in futuro; Pardum de Romanis, vaſtitatem illaturis.

Verſ. 7. *Ubi eſt huic* urbi unde *condonem tibi? filii tui derelinquunt me, & jurant per eos qui non ſunt dii, ſimulac ſatiavi eos adulterantur, & in domum meretricis turmatim conveniunt.*

Verſ. 8. *Ut equi paſti ſunt quum manè ſurgunt; quiſque ad uxorem proximi ſui adhinniunt.*

II. *Secunda oppoſitio* eſt peccatorum verſ. 7, 8. & pœnæ verſ. 9, 10. Provocat autem ad ipſorummet conſcientiam; non poſſe ſe parcere, utpote qui talia patrent, quæ ne quidem apud homines veniam invenire debeant; ſunt autem I. *Deſertio Dei*, hanc tribuit *filiis* Hieroſolymæ, id eſt incolis; populus matris nomen habet, ſinguli filiorum. Hoſ. 9: 13. II. *Perjuria*, ſive propriè dicta, ſive de profeſſione cultus ut verſ. 2. quod non Dei, ſed idoli ea foret Amoſ. 8: 14. III. *Abuſus* beneficiorum externorum ad laſciviam & impudicitiam ſcortationum & adulteriorum. יתגודדו vel de *pugnis* accipiendum dicit Abarb. inter rivales ſcortorum; vel de conſortio; quod non erubeſcant à mutuo intuitu. גדירות *inciſuræ* & מתגודדים *incidentes ſe*. Alias גד & גדוד *turma*. Illuſtrat verſ. 8. ſimilitudine equorum bene paſtorum, qui laſciviunt, & hinnitum edunt. מזנים ſecundum literas & part. Hoph. à זין *aluit*, unde מזון *alimentum*, & זונה *diverſatrix*, quomodo quidam de Rachaba intelligunt, quam tamen Jacobus πόρνη nominat. Puncta poſcunt מְזַיָּנִים part. Pyh. à יזן quod ſynonymum ſit זיין *armavit*; ut libido deſignetur, quæ inſtar equorum ſit; qua cum libido in idololatriam confertur Ezek. 23. hic vero propriè dicta. Uti cum equiſo Darii admiſiſſet equum ejus ad comparem, manè eodem in loco memor admiſſionis hinnitum edidit, quo hero regnum peperit.

Verſ. 9. *An propter iſta non viſitarem? dictum Jehovæ: & an de gente iſtiuſmodi non ſumeret ultionem anima mea?*

Verſ. 10. Dicens, *adſcendite in muros ejus, ac perdite, & conſummationem ne facitote: amovete pinnas ejus, quia iſti non* ſunt *Jehovæ.*

In *pœnarum comminatione* pariter provocat ad ipſorum conſcientiam, verſ. 9. ipſoſmet judices conſtituens quod parcere nequeat. *Viſitatio* medium vocabulum, neic in malum: nam ad vindictam tendit. Eſa. 1: 24. גו vocat Iſraelem, quod nomen Judæi averſantur; ſed non ſemel ipſis tribuitur. *Denunciatio* pœnæ eſt mandatum ad hoſtes verſ. 10. ceu miniſtros judicii ſui, ut Eſa. 10: 5. eſt vero mandatum ultimæ invaſionis: *adſcendite muros ejus: perdite*, rupturam facite ad penetrandum. שור *inimicus*, item *murus*, in pl. שורות, hic ſolum שרות: *removete extenſiones ejus*, prominentias, pinnas; quæ ad decus atque etiam robur pertinebant. Pſ. 48. commendatur Hieroſolyma à multitudine turrium & palatiorum: heic omnia iſta deſtructoribus diruendæ traduntur. Et *cauſa* eſt, *quia non ſunt Domini*. Dum Deo conjuncti fiducia & obſequio, urbs & omnia Dei erant, eoque ab ipſo cuſtodiebantur. Pſ. 45. & 48. Sed quam primum diſceſſerant, Deum abigebant. Ezek. 8. & ille eos deſeruit Hoſ. 9. cap. 1: 9. Tantum intereſt an quis agnoſcatur à Deo pro ejus peculio Mal. 3: 17. Eſa. 43: 1. &c. unde laborandum ut relationis privilegium ſervemus. Pſ. 119. *Tuus ſum; ſerva me*. At enim magnum documentum miſericordiæ, quod juxta illud Hab. 3: 2. in mediis mandatis deſtruendi, cavet adhuc ipſis ne nimium patiantur: quemadmodum cum David emitteret copias contra Abſolomum 2 Sam. 18: 5. Simile cum Satanas contra Jobum iturus eſſet Job. 1. & 2. Circumſcribit Deus hoſtes ſuorum, ut Labanem Gen. 31. De ira Dei dicitur, quod non totam excitet; Pſ. 78: 38. & de ira hominum quod eam quaſi vinciat, Pſ. 76: 11. extendit enim manum ſuam contra iram hoſtium. Pſ. 138. verſ. penult.

Verſ. 11. *Nam omnino perfide egerunt contra me, domus Iſraelis, & domus Jehudæ, dictum Jehovæ.*

III. *Tertia oppoſitio* eſt peccati in genere verſ. 11. & ſpecie verſ. 12, 13. tum pœnæ ſpecialis verſ. 14. & gene-

ralis verſ. 15–17. cujus tamen promittitur moderamen verſ. 18. & æquitas oſtenditur verſ. 19.

1. *Peccatum in genere* verſ. 11. Prævaricatio qualis adulteræ uxoris, quam tribuit Iſraeli cap. 3: 20. & Judæ verſ. 7. utrumque conjungit, ἀναδιπλώσει exaggerat: & Dei oraculo. Non diviſionis à Deo initium aliunde profectum erat quam à culpa improbiſſima populi, & hinc non Dei erant ut eſt verſ. 10. Hoſ. 1:9. cap. 2:1. &c. Leviora crimina Deus condonat; uti in conjugio multa incidunt quibus in conjugem peccatur ex infirmitate & affectuum vehementia, quibus tamen fides conjugalis non læditur, quæque condonantur; ſed adulterium ipſum vinculum ſcindit, & hîc Deus ad vindictam procedit.

Verſ. 12. *Ementiuntur Jehovam & dicunt, non ita eſt; neque eventurum eſt nobis malum, & gladium & famem non experturi ſumus:*

Verſ. 13. *Et iſti Prophetæ abibunt in ventum, & verbum nullum* eſt *in eis: ita fiet ipſis.*

In ſpecie verſ. 12, 13. Abnegatio Dei, non mentiuntur Deo ut verſ. 2. ſed *abnegant Deum*: quemadmodum ſi adultera maritum abnegaret, neque ejus uxor ampliùs cenſeri vellet, ut Meſſalina Claudii vivo marito publicè Silio nubens. Probatur autem peccato contra Dei *Gubernationem*. I. Negatione providentiæ divinæ: *dicunt, non eſt ipſe*; ſcilicet qui rerum humanarum curam gerat, ut apud Zephaniam legitur: cap. 1: 12. Mal. 2: 17. cap. 3: 14, 15. ſic ſæpius impii Job. 22: 13. &c. Pſ. 10: 4, 11, 13. Sed Deus abnegatur, ſi negatur providentia. II. *Juſtitiam*. Opinione impunitatis: *non eveniet nobis malum*. Deut. 29: 19. Eſa. 28: 15. quæ ex priori fluit: ſi enim Deus res humanas non curat, impii qui potentia valent, pollicentur ſibi ſecuritatem. Pſ. 10: 4, 6. III. *Veritatem*. Contemtu miniſterii verbi verſ. 13. *Prophetæ illi* (Jeremias & ſimiles) *erunt in ventum*, hoc eſt, vani. Mich. 2: 11. הולך רוח ושקר כזב. *Verbum Dei*, ſcilicet quod καθ' ἐξοχὴν dicitur, *cum ipſis non eſt*; adeoque non vani modo & mendaces; ſed falſi ſunt, qui legationem Dei uſurpant, cum vocationem & mandatum non habeant: additâ imprecatione exitii. Sic Jeremias ſæpe accuſatus, ceu vanus & inſanus cap. 29. & ceu falſus cap. 28.

Verſ. 14. *Idcirco ſic ait Jehova Deus exercituum, eò quod loquimini verbum iſtud; ecce ego redditurus ſum verba mea in ore velut ignem; populum autem hunc* velut *ligna quæ ille conſumat.*

2. *Pœna* contrario ordine, I. *ſpecialis* ob negatam *Veritatem*, per contemtum Prophetæ. verſ. 14. Præfatio generalior, *Propterea ſic dicit Dominus Deus Zebaoth.* Oſtendit Deum curam rerum humanarum gerere, omniumque habere notitiam, & de iis juſtè judicare: Dominus qui veritatem largiri poteſt comminationibus æque ac promiſſis, & Deus Zebaoth, qui omnes creaturas habet exercitus, ſui judicii exſecutores de quibus verſ. 15. &c. Jam ob contemtos Prophetas veros, *quia locuti eſtis hoc verbum*. Verborum etiam rationem habet Deus, de iis malis pœna exſpectanda Pſ. 50: 19. &c. Matt. 12: 36: 37. de bonis præmium Mal. 3: 14. ſeqq. eoque verborum cura demandata Eph. 4: 28. &c. Col. 4: 6. Jam mutato ſermone alloquitur Prophetam; ut in ipſa ſententia ſolatium inveniret. Sic in ſententia contra ſerpentem Gen. 3: 15. Idem verbum eſt odor vitæ & mortis 2 Cor. 2. verſ. operatur pro conditione ſubjecti. *Verba mea*, (quæ indiderat ori ejus Jer. 1: 9.) *fore ignem*, &c. non tantum ratione effectus, quod ignitum judicium, ſeu ignis judicii erat conſecuturus Jer. 4: 4. ſed etiam quod igneam vim erant in conſcientiis contemtorum exſertura Joh. 12: 48. 2 Cor. 10: 6. Pſ. 149: 6. &c.

Verſ. 15. *Ecce ego adducturus ſum contra vos gentem è longinquo, ô domus Iſraelis, dictum Jehovæ*; quæ *gens robuſta eſt, gens antiquiſſima eſt, gens cujus ignorabis linguam, neque intelliges quid loquetur:*

Verſ. 16. *Cujus pharetra velut ſepulcrum aperta; omnes erunt potentes.*

Verſ. 17. *Et comedet meſſem tuam, & cibum tuum, quem comediſſent filii tui & filiæ tuæ, comedet greges tuos & armenta tua, comedet vites tuas & ficus tuas: depauperabit civitates munitas tuas gladio, quibus tu confidis.*

Generalis verſ. 15--17. *ob* negatam II. *Juſtitiam*, per immiſſionem hoſtium, *Ego adducam &c.* ubi deſcriptio 1. hoſtium. verſ. 15. Chaldæi à ſitu, longinqui; à robore, ab antiquitate, à ſermonis peregrinitate. De Babyloniis dicitur longinquos eſſe, Eſa. 39. De ſermone colligitur ex Jer. 10: 11. Abrab. intellexit cap. 4. Romanos: hîc Chaldæos. Sermonem peregrinum Abrab. refert ad augmentum mali, quod deprecari nequeant. Deut. 28: 49, 50. 2. Virium bellicarum. verſ. 16. Quoad arma & vires ea tractandi. Sepulcrum ſatiari nequit. Prov. 30: 16. ſic nec ipſi cæde. 3. Damni inferendi. verſ. 17. Cædes & paupertas: cum munitionum imbecillitate verſ. 17.

Verſ. 18. *Sed ne temporibus quidem illis, dictum Jehovæ, fecere vobiſcum conſummationem.*

Verſ. 19. *Nam erit quum dicetis, propter quid facit Jehova Deus noſter nobis omnia iſta? ut dicas eis, quemadmodum dereliquiſtis me & ſerviviſtis diis alienigenarum in terra veſtra, ita ſervituri eſtis exteris in terra non veſtra.*

Additur *promiſſio* moderationis verſ. 18. de qua aliàs dictum. Etiam cum augentur judicia. Denique verſ. 19. *Æquitas*, ob negatam III. *Gubernationem*. Cum agnoſcent manum humana majorem, ſed criminantes juſtitiam Dei, innocentiam ſibi tribuentes; Deus convincit eos ex lege talionis. Deut. 32: 21. cap. 28: 48. Sic Prov. 22: 23. cap. 28: 9. 2 Theſſ. 1: 6. ſeqq.

Verſ. 20. *Indicate hoc in domo Jahakobi, & pronunciate ipſum in Jehuda, dicendo;*

Verſ. 21. *Audite jam hoc, populo ſtolide & excors, quibus oculi* ſunt; *& non vident, quibus aures & non audiunt.*

Verſ. 22. *An me non reverebimini? dictum Jehovæ, an à facie mea non contremiſcetis? qui diſpoſui arenam terminum mari, ſtatuto perpetuo, quod non tranſgredietur: quamvis incutiant ſe, non tamen prævalent; quamvis fremant fluctus eius, non tamen tranſgredientur illud.*

Verſ. 23. *At populo iſti* eſt *animus contumax & rebellis: ut receſſerunt, pergunt.*

Verſ. 24. *Neque dicunt cum animo ſuo, reverearnur jam Jehovam Deum noſtrum qui dat pluviam, tempeſtivam & ſerotinam tempore ſuo; ſeptimanas, ſtatuta meſſis ſervat nobis.*

IV. *Quarta oppoſitio* eſt peccati verſ. 20--24. pœnæ verſ. 25. *Peccatum* eſt neglectus providentiæ divinæ in gubernatione mundi. *Accuſatio* habet I. *Accuſatores* verſ. 20. quo quoſvis quaſi teſtes contra Judæos conſtituit: ſic quandoque alieni à religione Jer. 2: 11. quandoque irrationales creaturæ conſtituuntur contra Eccleſiam teſtes. Deut. 32: 1. Eſa. 1: 2. &c. II. *Accuſatos*, verſ. 21. ſtultitiam exprobrat, unde deſcribendi erant, *Carentes mente*, Hoſ. 7: 11. & eruditis ſenſibus auribus & oculis. Eſa. 6: 9, 10. Sunt enim ter fatui, qui providentiam Dei non agnoſcunt. Pſ. 73: 22. Aſaph de ſe fatetur. Jer. 4: 22. III. *Accuſationem* ipſam verſ. 22. &c. quod non agnoſcerent providentiam Dei: non ſingularem, circa Iſraelem exercitam, dum ex Ægypto per deſertum in Cananæam duxit, quæ creberrime in-

inculcantur: ſed generalem & communem, gemino opere demonſtratam, 1. *Maris coercitione* verſ. 22. Hic vero arguit impiæ irreverentiæ, quod non timeant, neque doleant ejus offenſâ qui adeo potens foret in mari coërcendo. Initio aqua tegebat terram, Deus eam verbo ablegavit in receptacula; tum legem fixit ne denuo contegat terram, ponendo obicem, non montes & ſcopulos immobiles; ſed ut ſemper præſens & efficax providentia pateſceret, arenam quam ventus facile diſpellit, aqua erodit; quæ aquam non excludit, ſed ſtatim ab ea humectatur, ut firma veſtigia figere non liceat: & tamen omnis impetus maris & fluctuum violentia alliſa hic frangitur. Eadem Pſ. 104:6. &c. Sic Job. 38:10, 11. Pſ. 65:8. metus cauſa dicitur; ſic Matt. 4:41. Quandocunque mare concitatum tumultuatur, metus eſt nautis Jon. 1:5. Act. 27. multo magis quando obſervamus robur Dei dominantis mari & pacantis illud. Job. 9:8. *calcans excelſa maris.* Hoc nunquam dicitur de hominibus: ſed *calcare excelſa terræ* iis tribuitur. 2. *Pluviæ largitione:* cui præmittit aliam deſcriptionem accuſatorum, verſ. 23. ante impotentiam taxarat, ſtultitiam, quamvis eam quæ pravæ diſpoſitionis, ut diſcendi inſtrumentis non rite uterentur: ſed jam meram rebellionem: eamque tum internam, *cor declinans & rebelle*, deſerens bonam viam, & præfractè malè agens, tum externam; *defectionem* actualem, cum conſtantia. Confer Heb. 3:12. quæ probatur exemplo, quod deſit timor Dei, ejuſque ſtudium omne, ad quod ſe mutuò cohortari debuiſſent, ex conſideratione benignæ Dei providentiæ; ejus fructus ſeu beneficium eſt conceſſio Pluviæ. Ubi autor, *Dominus Deus noſter*; nam licet ex communi providentia cadat pluvia Matt. 5:44. Act. 14:17. tamen Iſraeli vi fœderis ea obtingebat Deut. 28:12. cap. 11:11, 12. commendatio Cananææ quam ex fœdere ipſis dedit. Pſ. 65. Jer. 14. verſ. ult. *Beneficium* eſt in genere *pluvia*, in ſpecie *prima*, poſt ſementem factam, *ſerotina* ante meſſem, ad augenda grana; illa in Octobri, hæc in Martii initio. *Septimanæ* explicantur per *ſtatuta meſſis*; ſuntque 7 ſeptimanæ, poſtridie paſchatos oblato manipulo, uſque ad meſſem; quando egebant ſiccitate ad collectionem fructuum. *Cuſtodia* horum omnium, quod ſuo tempore omnia concederentur; unde fertilitas dependet. Scilicet, etiam communis providentiæ beneficia in Eccleſia ſunt agnoſcenda, tum quia ut creaturæ & homines communi conſervatione indigent; non vult Deus miraculo pios alere, ut Eliam, ſed naturali modo: unde ad fertilitatem petenda pluvia: Zach. 10:1. tum quia etiam ſpecialem amorem in ea exſerit Deut. 11:13. &c.

Verſ. 25. *Iniquitates veſtræ avertunt iſta, & peccata veſtra cohibent bonum hoc à vobis.*

Pœna eſt verſ. 25. negatio pluviæ & fertilitatis: ſic Jer. 3:3. Hagg. 1:10. &c. Amos. 4:7. &c. nam ob peccata facit Deus cœlum æneum, Deut. 28:23. Contra pluvia tempore ſiccitatis convictio eſt de peccato 1 Sam. 12:17.

Verſ. 26. *Nam præſto ſunt in populo meo improbi*, quiſque *contemplatur ut tendentes aucupes; ſtatuunt perditionis inſtrumenta, homines capiunt.*

Verſ. 27. *Ut cavea plena avibus, ita domus eorum plenæ* ſunt *dolo; propterea magni & divites ſunt.*

Verſ. 28. *Pingues nitidi ſunt, etiam tranſcendunt res malas, cauſam non judicant, cauſam pupilli; tamen proſperantur; & jus egentium non judicant.*

V. *Quinta oppoſitio* peccati verſ. 26--28. pœnæ verſ. 29. *Peccatum* I. *populi*: *in genere*, Impii. *In populo meo*, qui Deo ſanctus Deut. 7:7. *inveniuntur impii*, homines aperte mali, non quærendi ſunt ut verſ. 1. pius aliquis; ſed ubique inventi habentur: tanta eorum multitudo. *Inſpecie* artes 1. opprimendi alios, pertinet proinde ad injuſtitiam contra perſonas, & harum perſecutionem. Confert *aucupibus*: qui omnem mentis ſagacitatem, corporis induſtriam adhibent, meditantur & exercent dolos ut capiant aves, hi vero homines. ישור *accuratè intueri*, כשך *ſicut quieſcere* aucupum, qui magnam quietem agunt, ne ſtrepitu ullo terreantur aves. משחית eſt *perdens*, rete ſcilicet. vide Prov. 6:1. &c. Matt. 22:15. παγιδεύσωσιν λόγῳ. 2. Diteſcendi, ſed per fraudes. verſ. 27. quemadmodum aucupes in caveam condunt captas aves, ſic domus fraude partis opibus refertæ ſunt: & ſic cohæret præcedenti. Aliis, *uti cavea plena avibus* quæ ibi ſaginantur, *ſic domus plenæ ſunt opibus.* Conf. Hoſ. 12:8, 9. Sunt proinde injuſtæ opes & magnitudo; dolo parta omnia. Infinita loca, ubi hæc diteſcendi ratio exprobratur. Vid. Mich. 2,3. II. *Magiſtratuum* ſeu judicum. verſ. 28. *pinguedo* & *nitor*, uti Deut. 32:15. & Pſ. 73:4,7. עברו דברי רע *tranſcendunt res malas.* Tremell. *tranſeunt opera malorum* Belg. Abrab. *tranſgrediuntur in omni re malâ.* De verbo ad verbum: *tranſgrediuntur verba impii*: plura agunt quam impii audent jactare. uti Pſ. 73:7. Exemplo eſt injuſtitia in opprimendis pauperibus, quod tamen ipſis ſuccedit; quemadmodum Propheta conqueritur Jer. 12:1. &c. & impii dicunt Malach. 3:14. &c. Sic Achab 1 Reg. 21.

Verſ. 29. *An propter iſta non viſitarem? dictum Jehovæ: an de gente iſtiuſmodi non ſumeret ultionem anima mea?*

Pœna verſ. 29. eadem quæ verſ. 9 convincens per provocationem ad ipſorummet conſcientiam.

Verſ. 30. *Res ſtupenda & horrenda fit in terra hac.*

Verſ. 31. *Prophetæ ipſi prophetant falſo, & ſacerdotes dominatum exercent horum operâ, & populus meus ita amant: quid autem facturi eſſetis tandem?*

VI. *Sexta oppoſitio* peccati verſ. 30, 31. & pœnæ cap. 6:1--9. *Peccatum* eſt Ordinis Eccleſiaſtici, cujus gravitatem exaggerat, verſ. 30. שמה *vaſtatio*, ſed ad animum relata eſt *res ſtupenda*, ut ſatis mirari & dolere quis nequeat, & שערוריה ut quis toto corpore cohorreat; pilis ſurgentibus, quod abominationi eſſe deberet. Talia ſunt peccata Eccleſiaſticorum. Conf. Jer. 23:9. &c. Vitia privatorum ſunt corporis & membrorum ejus, magiſtratus capitis, Eccleſiaſticorum cordis. Peccatum eſt, conſpiratio Prophetarum & Sacerdotum, ad fovendam avaritiam. *Illi* vaticinabantur falſa, ſuadebant ad conciliandum Deum & avertenda judicia ſacrificiorum multitudinem, & votivas oblationes: aut terrebant aliquo metu levi; & tum *Sacerdotes* implebant ſuperſtitione animos, & in ſacrificiis, ſibi proficuis, oſtendebant tranquillitatem; quomodo eis dominabantur. *Populus* autem qui externis ſatisfactionibus acquieſcebat, ſic duci amabat. Hoſ. 4:8, 9. Legatur de Prophetis Jer. 23:14. Ezek. 13. Mich. 2:11. de Sacerdotibus Mal. 2:9. Matt. 15:5. Nihil magis ſimile, quam Papatus: ubi Clerus conſpirat ut falſis viſionibus & miraculis homines terreantur, & ad emenda ſuffragia & ſatisfactiones adigantur; quomodo dominantur conſcientiis, & ſe ditant immenſe: & tamen populus ſic duci amat; externis rebus tranquillitatem conſcientiæ compendio emere ſtudentes. Gravis eſt ille dominatus fidei & conſcientiæ, ut in Clerum refundatur omnis ratio notitiæ & obedientiæ; & in illius declaratione ſimpliciter acquieſcatur. Nunquam id poſtulavit Paulus 1 Cor. 10:14. laudat Beroenſes Act. 17:11. & Chriſtus Joh. 5. verſ. 39. &c.

Subjicit ad convictionem, *& quid facietis in extremo ejus?* Scilicet quando mendacia omnia deprehendentur, quæ Eccleſiaſtici illi ſunt polliciti. Poſſunt in ſe mutuo acquieſcere quandoque homines ſervientes ſuis ſinguli cupiditatibus, ſed tandem deceptio evidens fiet. Jer. 14:5. &c. cap. 23:11. ſeq. 2 Theſſ. 2:10. &c. Hinc conſilium Deut. 32:28. Eſa. 50:11. nam extremum ſubitum eſt 1 Theſſ. 5: verſ. 3.

CAP. VI.

Verſ. 1. *Congregate vos Benjaminitæ è medio Jeruſchalaimorum, & Tekohi clangite buccinâ; & Bethceremum verſus extollite incendium, quia malum proſpectatur ab Aquilone, & contritio magna.*

2. POena in genere verſ. 1. in ſpecie verſ. 2--9.

(1.) Citam perditionem denunciat, ab effectu, accelerandæ fugæ conſilio. Compellat *filios Benjamin*, ceu conterraneos, nam Anathoth patria Prophetæ, in Benjamine ſita erat: pro quibus & eorum incolumitate plus habebat ſolicitudinis. Alii in contemtum Judæos ſic vocatos rentur ob flagitium in Gibea admiſſum Jud. 19. quemadmodum Eſa. 1: 10. populum Gomorræ & Sodomæ principes. Aut ſimpliciter Hieroſolymitani, qui maxima pars urbis, & ipſum templum in portione Benjaminis ſitum erat. Hos jubet gregum inſtar confusè & nullo ordine *congregari* non ut ſe recipiant Hieroſolymam, ſicut cap. 9: 5, 6. ſed ut inde ſe citâ fuga ſubducant. Sic Matt. 24. Fugiendum autem verſus meridiem, ibi enim *Tekoa* fuit, & *Beth Cerem*, quæ medio loco fuit inter Hieroſolymam & Tekoam: Ingruente enim hoſte à Septentrione contrariâ viâ fugiendum, ne in illius manus incidat. Cæterum ut fuga magis acceleretur, jubet ſignum erigi, imò ignibus excitatis (quod in maximis periculis fit,) omnes moneri. משאת hic *incendium* ut Jud. 20: 4. alias *onus*, vel *oblationem*. Cauſa autem eſt, quia malum, & fractura magna ab Aquilone proſpectat, uti quis per feneſtram, qui proximus eſt & imminet capitibus. Scilicet quando Deus immittit judicia univerſalia, conſultum eſt ſe ſubducere. Vide Jer. 21: 8. &c. Sic immittenda grandine. Exod. 9. David monente Deo deſeruit Kehilam, 1 Sam. 23. & adventante Abſolomo deſeruit Hieroſolymam. 2 Sam. 15. Eliſa Sunamitidem ob ingruituram famem ſecedere juſſit. 2 Reg. 8: 1.

Quæſt. An liceat fugere tempore belli & perſecutionum? item tempore peſtis & morborum contagioſorum? Reſp. Fugam in perſecutione damnarunt Manichæi, Montaniſtæ, & Tertullianus: in peſte improbarunt Alexandrini, Euſeb. lib. 7. cap. 21. & Turcæ eam exprobrant Chriſtianis. Rationes dicuntur, quia ſunt judicia Dei, item virgæ & caſtigationes paternæ quibus nemo ſe debet ſubducere. Heb. 12: 7. &c. Arguit fuga diffidentiam de providentia Dei, quaſi non poſſit tueri in mediis periculis; Eſa. 43: 1. Pſ. 91: 1. &c. ſtoliditatem, cum Dei manum, ubique præſentem effugere nequeamus Pſ. 139: 1. ſeq. Amos. 9: 9. &c. impietatem, quaſi noſtro conſilio Deum queamus fallere: defectum amoris proximi, qui deſeritur. Poſſumus in textu reperire limitationes fugæ, quæ cæteroquin ſuadetur. Sunt illæ I. Ratione perſonarum. Fugite confeſtim filii Benjamin. Hi incolæ urbis, ſed privati. Non magiſtratus; ſic erant de tribu Juda. Pſ. 60. Juda מחוקקי & Pſ. 122: 5. Non Eccleſiæ miniſtri, hi erant de tribu Levi & familia Aaronis. Fuga ergo hîc non ſuadetur iis qui peculiari nexu politico vel Eccleſiaſtico tenentur. Quod ſi per bellum Politia & Eccleſia funditus diſſipetur, jam more privatorum, ad quorum conditionem rediguntur, fuga ipſis licita eſt. Uti vero publicæ ſunt obligationes, ſic quoque privatæ, quæ in peſte obligant, ne deſerantur conjuges, parentes, liberi, &c. העוו *congregamini inſtar gregis*: Atqui tum agni adhærent matribus, & hæ balatu illos advocant, & ſecum eſſe volunt. Ergo σχῆσις habenda ratio, neque negligenda. II. Ratione occaſionis. Jubet fugere verſus Auſtrum, malo ab Aquilone ingruente, non undique cingebantur ut fuga intercluderetur. Adeoque tum licita fuga, quando occaſiones ſuppeditat Deus. Matt. 24: 16. Matt. 10: 23. Jeremias ſolutâ obſidione ſecedere voluit cap. 37. clausâ urbe nunquam tentavit. Paulus ſubduxit ſe perſecutioni Act. 17: 10, 14. aſt monitus ab Agabo de vinculis imminentibus, forti animo eò contendit. Act. 21: 10. &c. neque ex carcere voluit egredi cap. 16. Aſt cum malum univerſale eſt, fuga inutilis: non fugit David & Seniores peſtem, quæ graſſabatur per totum regnum 2 Sam. 24. & 1 Chron. 21. Sic qui nullo nexu ſingulari tenetur, vel muneris, vel relationis, & tutiora loca poteſt petere, non peccat utendo eâ occaſione: quemadmodum licitè in peſte adhibentur remedia. Eſa. 38: 21. Aſt cum univerſale eſt contagium, fruſtra quis mutet locum: nemo Iſraelitarum unquam fugit ex caſtris, quando Deus peſtem immiſit.

Jam rationes contrariæ facile ſolvuntur. Argumentum à Lepra non ſtringit: Ea non fugienda fuit ob contagium, ſed ob legalem impuritatem: nam qui totus leproſus, mundus erat Lev. 13: 12, 13. Exemplo Gehazi 2 Reg. 5. v. ult. & cap. 8: 4. Mirjam non tota leproſa Num. 12: 10, 12. nec Uzzia 2 Chron. 26: 19, 20. Porro judicia Dei ejuſque virgæ deprecandæ, & cum licet declinandæ, non vero attrahendæ. Rectè autem declinantur, quando Deus opportunitates largitur: quas uſurpare non eſt diffidere Providentiæ Dei, ſed ei ſanctè parere; cum eas negligere potiùs ſit tentare Deum. Caſtigationes Dei ſunt ferendæ, quando Deus nos eas vult ſubire, ſed cum evaſionis media offert, haſtenus ſe parcere velle oſtendit. Stultitia & impietas foret, ſi quis fugam ſuſciperet certus voluntatis Dei de ſua manſione; ſed qui incertus eſt, & in vocatione ſua ambulat, etiam cum fugit, poteſt ſibi polliceri defenſam Dei, ſiquidem Deo glorioſum, ſibique ſalutare ſit futurum. Prudentiæ eſt fugere ab ira venturâ Matt. 3: 7. & pariter exire à teſtimonio iræ temporalis. Eſa. 26: 20. Apoc. 18: 4. Semper tamen cavendum, ne quid fiat titubante conſcientia Rom. 14. verſ. ult. & rogandus Deus ut nos Spiritu ducat per viam planam. Pſ. 143: 10.

Verſ. 2. *Decoræ & delicatæ aſſimilaveram filiam Tsiyonis.*

(2.) *In ſpecie* oſtendit calamitatem ſuperventuram, I. perditionem ipſam ubi qualem inveniat Hieroſolymam verſ. 2. & qualem reddat verſ. 3. II. Perditionis celeritatem à conſilio tum hoſtium verſ. 4, 5. tum ſuo verſ. 6. cujus rationem reddit. verſ. 6, 7. jubetque removeri cauſam verſ. 8. alioqui non removendo exitio. verſ. 9.

A. Perditionis א *terminus à quo*: Qualis ſit verſ. 2. *Aſſimilavi* &c. נוה quidam *pulchra*, quaſi נאה aliàs *quieta habitatio*, à נוח. Solent quandoque literæ א & ה permutari, ut Pſ. 23: 2. בנאות דשא pro נוות voluptates & delicias habens, oblectationem tam licitam quam illicitam τὸ ענג denotat. Verbum התענג *oblectare ſe*: in re bonâ, Deo. Pſ. 37: 4. Eſa. 58: 14. pace Pſ. 37: 11. ſpeciali gratia Eſa. 55: 2. bono Eccleſiæ Eſa. 66: 11. & in re mala, Deut. 28: 54, 56. Verbum דמיתי quibuſdam *ſimilitudinis* ſignificationem habet, & hæc convenientiam aliis *exſcindendi* quæ in Niph. frequens. Hoc modo foret, *Delicatam excidi*, & ſeq. verſu, *inſtrumenta exciſionis*. Sed ſimilitudo convenientior, juxta Hoſ. 9: 13. & felicitas illa eſt Pſ. 48: 3.

Verſ. 3. *Ad eam venturi ſunt paſtores cum gregibus tuis, fixuri adverſus eam tentoria circumquaque, depaſturi quique ſpatium ſuum.*

ב. Jam *terminus ad quem*, qualem reddat verſ. 3. *Paſtores* aliàs ſumuntur in bonum: ſed hîc in malum: quia non paſtores Iſraelis: aliàs in bonum ſuorum, qui greges vocantur. Sunt principes Babylonii, & cujuſque copiæ, quaſi totidem greges, quemadmodum de quartieren in obſidione, & ſolent greges in ſuo ſinguli campo omnia *depaſcere*. Explicationis loco poteſt eſſe hiſtoria Midianitarum Jud. 6: 3. &c. τὸ יד notat *portionem, locum*. 2 Sam. 14: 30.

Verſ. 4. *Comparate contra eam bellum, ſurgite, & adſcendamus ipſo meridie: væ nobis, quia abiit dies, quia inclinarunt umbræ veſpertinæ.*

Verſ. 5. *Surgite, & adſcendamus ipſa nocte, & perdamus palatia ejus.*

B. Perditionis *celeritas* patet א ex conſilio *hoſtium*, verſ. 4, 5. dum ſe mutuo cohortantur ad invaſionem: *Sanctificate contra eam bellum*; ſegregate eam ab aliis omnibus urbibus, quam invadatis: quemadmodum Medi ſunt ſanctificati Dei contra Babel, ſegregati ad perdendam eam Eſa. 13: 3. Sed inſuper determinatur tempus invaſionis, *meridies*: plenâ luce. Quæ ſequuntur, ſunt exprobratio ſuæ tarditatis, quod ulla hora perierit, quâ non exſecuti ſint conſilium perditionis: & quod jam *declinet dies* ad veſperam. Eo-

Eoque novum consilium, adoriendi *noctu*, & vi occupandi & perdendi palatia, id quod magnificentissimum. Tantus ardor hostium in occupandis urbibus. Jer. 16. Conferuntur piscatoribus & venatoribus qui in persequenda præda nulli labori parcunt, & omne tempus perditum rentur, quo nihil capiunt. Esa. 30: 16. *persecutores tui erunt celeres.* Utinam piis tantundem zeli & celeritatis foret ad assequendum bonum. Ps. 119: 60. Sed hic plerunque erigendæ manus lentæ & genua infirma Heb. 12: 12.

Vers. 6. *Nam sic ait Jehova exercituum, cædite ligna, & diffundite contra Jeruschalajma missilia catapultaria: hæc ipsa civitas visitanda est, quanta quanta est, oppressio est in medio ejus.*

Vers. 7. *Sicut manat puteus aquas suas, ita manat illa malitiam suam; violentia & vastatio auditur in ea; ante faciem meam jugiter ægritudo & percussio est.*

ב. Consilium *Dei* prorsus conforme vers. 6. cujus autor *Deus Zebaoth*, imperator exercitus hostilis. Sic Sanherib dicit Deum se jussisse ut perderet Judæam Esa. 36. & Deus affirmat Esa. 10: 4, 5. quale consilium, videlicet de modo oppugnandi cap. 5: 10. mandarat. Hic modum docet, *excindite arbores ejus*, undiquaque, sive ne adimant visum: sive ut invasioni serviant; nam etiam ligna faciunt ad aggeres firmandos qui fiebant ut molibus aggestis possent æquare muros, vel fossas implere. Et practicabile consilium, successu non carituram, nam *est urbs visitanda, tota ipsa.* Quemadmodum ante dixit, non esse Domini cap. 5: 10. ejus defensione carens; sic hic esse visitandam, dum Deum habet adversum, & tum facile potest superari. Sic contra Benjaminitas vice tertia Jud. 20. quod Nicephoro Phocæ dictum legitur munienti urbem; ἴνδον τὸ κακὸν Δύλωτον ἡ πόλις.

Etenim *causa* est, peccatorum abundantia, quæ ostenduntur in cursu suo vers. 6. & in fonte ac fluxu. vers. 7. *Cursus* est vers. 6. oppressio publica, Kimhi distinguit à גזל quando vi alteri quod habet eripitur. At עשק quando aliena quæ quis habet, sive deposita, sive crediti titulo, per vim retinet: adeoque illud gravius adhuc est. Hæc oppressio cum in medio ipsorum esse dicitur, quo pertinet quam ut publica sit injustitia. *Fons* porro vers. 7. confertur *puteo* scaturiginem habenti, ut semper novum sit incrementum aquæ, in locum ejus quæ hauritur. קור *fodere*, in Hiph. *scaturire.* Aqua autem quam Hierosolyma scaturit, est malitia ipsius; ei sic propria, quemadmodum cuique puteo suus aquæ sapor. Et fluxus fontis, seu effecta illius malitiæ, ratione opprimentium, *violentia & vastatio:* ea vis injustitiæ quæ non cesset nisi procurată adversarii vastatione: ratione autem oppressorum, *morbus, & plaga*; dum debilitantur & percutiuntur. Emphasis autem in phrasibus, facta opprimentium jugiter audiuntur, quia sine pudore & metu publicè agunt: sed quæ patiuntur oppressi, sunt coram facie Dei, scilicet his mussanda est injuria. queri se læsum crimen est, & quod justam ultionem poscere existimant violenti. Itaque audiuntur gloriationes eorum à quibus passi sunt alii, sed non horum querelæ: attamen quod hi patiuntur est coram facie Dei, qui notitiam habet, & memoriam servat, suo tempore ulturus Ps. 12: 6. Cæterum talem urbis faciem descriptam habemus Ps. 55. Esa. 59. & alibi.

Vers. 8. *Erudire ô urbs Jeruschalaimorum, ut non luxetur anima mea à te; ut non reddam te desolatam, terram non inhabitatam.*

Subjicitur *adhortatio* ad removendam calamitatem vers. 8. ubi quid faciendum, *Eruditionem percipe*, ut cedas monitis & convincenti instructioni prophetarum ipsa vitæ emendatione. Sic Ps. 2: 10. Additur geminum argumentum à noxio: I. discessus Dei, תקע *luxetur* à יקע, usurpatur Gen. 32: 25. de luxato femore Jacobi. Significatur arctissimæ unionis, qualis membrorum est conjunctorum per commissuras & vincula nervorum, aut ligamentorum: sic indicatur unio cum Deo: convenit illi quæ est Ecclesiæ cum Christo Eph. 5: 29. & Ecclesiæ membris inter se Gal. 6: 1. II. Vastitatis, ejusmodi quæ speciem habet quasi nunquam fuisset felix terra, vel nunquam futura esset; *terra non habitata.* Est vero prius argumentum magni roboris. Luxatum membrum restitui quidem potest, sed id semper fit cum dolore; & festinatione opus; ubi dilatum est, postea restitui nequit, obducitur callus, & semper distorsio & deformitas adest, neque pristina agilitas; interdum prorsus membrum inutile redditur. Sic quoque si luxatio sit à Deo. David etsi restitueretur in integrum, post tamen semper debilior fuit. Luxanda membra veteris hominis: sed non luxanda criminatio cum Deo, satius corpus luxari cum Jacobo, & nos Deo fide & obsequio adhærere.

Vers. 9. *Sic ait Jehova exercituum; prorsus racemabunt tanquam vitis, reliquias Jisraelis*: dicentes, *refer manum tuam, ut vindemiator cum qualis.*

Additur *Denunciatio* pœnarum vers. 9. ut qui pacem offert sub armis; Utitur similitudine. *Racemando racemabunt ut vitem residuum Israelis.* Vindemiæ tempore colliguntur uvæ; sed post has decerptas fit racematio residuarum hinc inde uvarum; Vindemia facta fuit deportatis decem tribubus: sed racemationis instar fuerunt Judæi, quia tantum duæ tribus vel tres, nondum tertia pars Israelis. Hanc racemationem certissimam facit; & mox mandatum adjicit ad *vinitorem*, Nebucadnezarem, quem jubet *referre manum ad corbes*, non tantum decerpere residuum ut comedat, voluptatis ergo, sed imponere corbibus, ut domum & ad torcular deferat: hoc est, ut abducat à vite ubi creverant, in Babyloniam. Scilicet ubi maturitas peccatorum est, colligitur vindemia & racematio fit; nemini parcitur, Deus accuratissime colligit ad torcular vindictæ, neque quisquam evadit impunis. Apoc. 14: 17. Joel. 3: 13. &c. Opera danda ut habeamus maturitatem bonorum fructuum. Esa. 65: 8. Messis tempus etiam bonis exspectandum ad ipsorum salutem & gloriam. Matt. 13: 39. &c.

Vers. 10. *Quos alloquar & contestabor ut audiant? ecce præputiata est auris eorum, ac ô ut non possint attendere: ecce, verbum Jehovæ est eis probrosum, non delectantur eo.*

IV. *Quarta pars* prophetiæ est CONFUTATIO vanæ fiduciæ populi vers. 10--27. ubi I. querelam instituit de contemtu suæ denunciationis vers. 10. II. indicat quid facturus sit vers. 11, 12. III. exaggerat eorum peccata, quæ pœnas erant accersitura, vers. 13--27.

1. *Querela* de suo contemtu vers. 10. quod auditoribus destituatur, saltem qui ritè attenderent. על מי pro אל מי, Testatur se non solum *loqui*, sed *testari*, convincere velle. Mirum in urbe Dei quæ cultui ejus præ cæteris dicata erat, & abundabat supra reliquas incolis, non invenire auditores? sed non solùm loqui, verùm etiam testari voluit: hoc est, certis argumentis probare, ἀνθυψία auditu proprio: sic convictionem indigetat, quæ rem certissimam faciat: Ita agebat tum quoad peccata, tum quoad pœnas. Et hæc agere instituebat, ut *audirent*, hoc est, obtemperarent: quomodo τὸ שמע usurpari solet: Hoc non consequebatur, geminam ob causam: quæ utraque certissima, unde *Ecce* præfigit, cujusvis obvia observationi. I. Impotentia: *auris incircumcisa.* metaph. Circumcisio docebat aliquid naturale, quod vitiosum, removendum esse: Ergo aures erant plane naturales, quæ spiritualem impedimenti remotionem (nam circumcisionem poscebat non natura, sed gratia) non erant consecutæ; adeoque non poterat penetrare contestatio. Equidem audire poterant sonum verborum ejus, sed non quibant להקשיב. Est hoc *magnâ attentione audire*, ut non modo cognoscatur id quod dicitur, sed etiam probetur, & ei satisfiat: sic de Judæis Zach. 1: 4. & à Deo talis petitur attentio Ps. 5: 3. & 10. vers. penult. & 130: 2. Non poterant attendere ob aurem naturalem & incircumcisam, nam 1 Cor. 2: 14. Soni spiritualis efficacia non penetrat, neque afficit. II. Aversio hic novum *Ecce.* Quia mage mirandum; cum vitium in ipsis esset, illud quæ-runt in re auditâ, *Verbum Domini est ipsis opprobrium*, vel quia

quia ipſorum pudenda facta manifeſtat & exprobrat; vel quod ceu materiam probri habeant, ut male de eo ſentiant, eoque faſtidiunt & averſantur, nihil inveniunt oblectamenti. Eſt hoc gravius crimen. Hoc expertus Jeremias, cap. 15: 10. & cap. 20. 7, 8. & huc facit Eſa. 30: 9. &c. 1 Cor. 1: 18, 23. Matt. 23: 37. noluerunt congregari. Impotentiæ naturali, ſociatur malitia (illa plebis, hæc magnorum Jer. 5: 4. &c.) hæc conceptis præjudiciis nixa, contemnit ſimplicitatem verbi, quod careat ſapientia & eloquentia humana & iis floſculis quibus vanitas humani ingenii capitur, ſtoliditas prædicationis dicitur. 1 Cor. 1: 21. Sic contemtui fuit Paulus etiam in Eccleſia illis Doctoribus Græcis, qui quo excelluerant in mundo transferebant ad doctrinam fidei, quomodo inanis reddebatur crux Chriſti. Quid jam mirandum caruiſſe fructu conciones Prophetæ, ubi tales auditores? Præputium aurium obſtruit aures ad ſpiritualia quæque, & quamdiu adeſt, nihil penetrat. Removendum illud eſt. Equidem Judæi omnes naſcebantur præputiati: ſed quia fœderati erant, non poterant tales tolerari, ſed fuere circumcidendi. Si extra Eccleſiam ſint præputiati, excuſationem aliquam habent: aſt non in Eccleſia, qui iſtic vivit utique poſuiſſe debuit præputium. Adeoque talibus feſtinandum ut tollatur, & quidem per eam manum, quæ ſpirituale præputium poteſt removere; quo humana non ſufficit. Conjungitur præputium auris & cordis Act. 7: 51. hoc ſolus Deus tollere poteſt Deut. 30: 6. pariterque illud. Quandiu hoc non fit impotentia eſt; ſed quæ in plurimis ſociata averſioni. Non inveniunt voluptatem in verbo. Narrentur fabulæ, & vanitates, & quid novi, magna attentio eſt, Act. 17: 21. ſed hic mox prolixitas offenſæ eſt. verum ſi inſuper verbum convincat de peccato, pungat conſcientias, reas has agat coram Deo, denuncietque maledictionem; injuria creditur illata Eſa. 29: 21. Amos. 5: 10. & hac propter perſecutio contra verbum & præcones ejus: quod Prophetæ & Apoſtoli omni tempore experti ſunt.

Verſ. 11. *Quamobrem excandeſcentiâ Jehovæ plenus ſum, defeſſus ſum continendo; effuſurus ſum ſuper parvulum foris, & ſuper cœtum juvenum pariter: quin etiam vir cum fœmina capientur, ſenex cum decrepito.*

Verſ. 12. *Et devolventur domus eorum ad alienos, agri & uxores pariter: quum extendam manum meam ſuper habitatores iſtius terræ, dictum Jehovæ.*

2. *Indicium ejus* quod facturus erat. verſ. 11, 12. Licet non inveniret qui attenderent, non tamen deſinit loqui aut mutat ſermonem, eumque attemperat ad placitum, ſed magis etiam acuit, & vim vindicativam verbi oſtendit I. in ſe, & II. in populo, & III. in Deo. I. *In ſe quidem* verſ. 11. *Plenus ſum indignatione Dei*, hoc eſt, verbum indignationis Dei, minitans vindictam, ſe totum impleſſe Ex plenitudine cordis loquitur os Matt. 12: 34. Eſt in doctoribus Eccleſiæ plenitudo ſolatii, Rom. 15: 29. plena benedictio Euangelii, Spiritus, veritatis, doctrinæ, ſolatii. Sed hic plenitudo iræ, 1 Cor. 4: 21. 2 Cor. 10: 6. Hanc plenitudinem ægrè oſtendunt, *fatigatus ſum continendo.* Quivis mavult Euangelia annunciare, tales accepti ſunt Eſa. 30: 10. eoque continent ſe, ne ſint, ut Ahia, duri verbi nuncii 1 Reg. 19: 3. ſed non poſſunt continere, Jer. 20: 9. Conf. Pſ. 39: 1. &c. vide etiam 2 Cor. 2: 4. Quia verbum Dei annunciandum, utique non ſemper eodem modo loqui poſſunt; ſed juxta ejus indolem: eſt odor mortis & vitæ; non tantum oleum lætitiæ, ſed etiam malleus comminuens, & enſis confodiens & bipennis ſecans æque ad lamenta, ac ad cantica parati eſſe debent. Si quis malit ſuavia ex ipſis audire, mutet vitam, ut conſolationes ſint ipſi pronunciandæ: pauperibus annuntiatur Euangelium Matt. 11: 5. non ſolum externè, ſed etiam ſpiritu. Eſa. 60: 2. II. *In populo* שפך inf. pro ושפך vel imperativus, ut mandatum Dei recitet, quo jubeatur *effundere* iram Dei, hoc eſt, denunciare. Ligant & ſolvunt Eccleſiæ Doctores ſuos auditores Matt. 16: 19. cap. 18: 18. quia declarant, quemadmodum effundunt indignationem Dei. Objecta, contra quos ira exercenda: *infantes, conſortia juvenum, mares & fœminæ, ſenex mediæ & decrepitæ ætatis.* Denique quæ poſſident, domos, agros, uxores. *Saturi dierum*, & *plenus dierum* differunt: hic extremam ſenectam attigit, ille expletus finem eorum non averſatur: medium dierum tantum aſſequi eſt intempeſtivæ mortis. Pſ. 55. verſ. ult. & 102: 25. Eſa. 38: 10. In univerſali retu, univerſalis eſt pœna. & III. *In Deo* verſ. 12. qui dicit, *nam extendam manum meam.* &c. & tum continuatur calamitas. Eſa. 9: 12, 17, 21. Cæterum ut hæc extenſio manus Dei, non tantum ad malum, & judicia, ſed etiam ad bonum & converſionem Act. 11: 21. ſequatur, effuſionem iræ vel ſolatii, hâc cautione opus eſt, ut pleni ſint miniſtri indignatione vel ſolatio, non ſuis, ſed Domini; non ex proprio affectu loquantur, ſed ex Dei mandato & voluntate. Conf. Ezek. 13: 19. ſeq. Eſa. 57: 19. Hoſ. 6: 5.

Verſ. 13. *Nam à minimo eorum uſque ad maximum eorum, quiſquis eſt deditus* eſt *quæſtui; etiam tum Propheta tum Sacerdos, quiſquis eſt, agit falsò.*

Verſ. 14. *Nam curant contritionem filiæ populi mei ſecundum curationem mali leviculi, dicendo, pax, pax, etſi nulla* eſt *pax.*

Verſ. 15. *Fecerunt* ne *ut erubeſcerent quum abominationem fecerunt? neque* illi *prorſus erubeſcunt, neque ignominiâ afficere ſciunt* iſti; *idcirco cadent cum illis cadentibus, tempore quo viſitabo illos corruent, ait Jehova.*

3. *Exaggeratio* peccatorum, quæ pœnas erant accerſitura conſtat accuſatione: verſ. 13--15. oſtenſione deſperatæ improbitatis verſ. 16--19. rejectione hypocriſeos verſ. 20. &c.

(1.) *Accuſatio* eſt I. *Generalis*, avaritiæ verſ. 13. *A magno ad parvum*, quivis captat avarum lucrum. Univerſalitas hic notatur Gen. 19. & Jer. 31: 34. Non tam deſignatur ætas, ſenes ſeu adulti & pueri; quam conditio & ſtatus; proceres magni dignitate & plebs viliſſima: neque enim puerulis conveniebat oppugnatio domus Loti, & poſtulatum hoſpitum ſtuprum. Conferatur etiam Jer. 30: 34. cum cap. 5: 4, 5. בצע *Quæſtum exercuit, concîdit, convenit cum* נצע *vulneravit*, & in ſequiorem partem accipitur: ceu vulnerans alium, & præcidens aliquid, quod ſibi lucrò fiet. II. *Specialis*, Eccleſiaſticorum, Prophetarum & Sacerdotum verſ. 13. quos fraudis reos peragit, & probat verſ. 14. conferens medicis, qui morbos ægrorum leviter æſtimantes, & illos bona ſpe implentes, interim malum inveterascere ſinunt, ut tandem ſanari nequeat. Solent Eccleſiaſtici conferri medicis, magiſtratus chirurgis Eſa. 3: 7. illi non niſi conſilium dant, & mediorum præſcriptorum uſum commendant; aſt manum non admovent: iſti vero inſtrumentis manuque rem agunt, & ſecant, amputant, ligant &c. Verum hi medici agnoſcebant morbum aliquem Reip. & Eccleſiæ, nec non ſanationis neceſſitatem: admovebant curam aliquam & ſollicitudinem; ſed leviſſimam; ירפאו על נקלה ſatagunt ſanare & tamen leviter rem agunt. Metuebant offenſam eorum contra quos agendum, eoque medicorum inſtar qui parcunt ægris, purgantibus quæ tormina cient, & nauſeam, abſtinent, præſcribunt cardiaca, & quæ ſumere ſuave eſt & volupe: ſic reprehenſionibus defungebantur leviſſimis, & queis conſcientiæ non turbarentur, miniſtrabant mera ſolamina, pacem & proſperitatem; cum nihil minus conveniret: ut qui laboranti ardentiſſima febri, vinum fortiſſimum exhiberet, aut grata miniſtraret atque ἀνώδυνα, quibus malum introrſum pelleretur, & augeretur putredo: Atqui conditio populi poſcebat cauſtica, & ſectionem, atque amputationem, & quæcunque in deſperatiſſimis remedia vehementiſſima requiruntur. Alibi dicuntur hi Eccleſiaſtici roboraſſe manus impiorum cap. 23. quia non obniti malis, ſed eis indulgere, fovere eſt. III. *Generalis*, impudentiæ verſ. 15. quod nec illos, nec iſtos puderet; quod proponit interrogative, quomodo fortius negat; & cauſam addit graviſſimam, abominationem patrari; hoc enim loco habendam eſſe avaritiam & falſitatem omnes judicant: Communi omnium calculo damnantur avari; ſed tan-

tantum quivis ſe talem eſſe fateri declinat: ſic quoque mendacia medicorum doctorum; ſed tales eſſe ſe ſuoſque inficiabantur: quamquam hîc convictos dediſſet. Reſpondet autem negando: & quidem nec pudere, ut ex ſe, & conſcientia honeſti, commoverentur: reduplicatio minimam honeſtatis ſcintillam ſupereſſe negat: ut extrinſecâ exprobratione accedente ad pudorem & erubeſcentiam adducerentur: ut nulli teſtes externi, nec internus ille conſcientiæ quicquam valerent ad convictionem: quæ conditio eorum qui dicuntur Apoſtolo ἀπηλγηκότες Eph. 4: 19. & πεπωρωμένοι τῇ ἰδίᾳ συνειδήσει. 1 Tim. 4: 2. qui verſus hiſce Doctoribus apprime quadrat; ὧν ἴσως εἰσὶ ψευδόλογοι. Neque ſciunt pudefacere, ut valeant ad alios convincendos, ſive quod non inveniant quod culpent, ipſi innutriti malo; ſive quod non velint invenire, ne pariter ſemetipſos accuſent. Jud. 18: 7. Hinc comminatio communis pœnæ ac judicii, *propterea cadent inter cadentes.* Cadere in bello dicuntur qui pereunt confoſſi, & oppetunt mortem violentam: talem eis denunciat: ſic filii Eli 1 Sam. 4. & Sacerdotes Nobi cecidiſſe dicuntur, & ſæpius in Threnis: Et quia hoc ſibi non putabant metuendum, qui pacem ſomniabant conſtantem, confirmationis ergo addit, *tempore viſitavi*, id eſt, viſitabo eos, *impingent*: quamvis ſe firmiſſimo talo ſtare opinentur, quando viſitatio mea ſuperveniet, ea videlicet quæ judicii eſt, tum offendent pedem & corruent, Abrab. Pſeudoprophetas & Sacerdotes excelſorum intelligit: ſed Jeremias loquitur de iis, qui ſibi ſolis ceu genuinis arrogabant in Eccleſia docendi provinciam cap. 23: 9. ſeq.

Verſ. 16. *Sic dicente Jehova, ſtate ſecundum vias & adſpicite, & interrogate de ſemitis antiquis, quænam ſit via boni, & ambulate per eam; ita invenietis requiem animæ veſtræ: dixerunt, non ambulabimus.*

(2.) *Oſtenſio* deſperatæ improbitatis verſ. 16--19. quæ indicatur verſ. 16, 17. & pœna denunciatur. verſ. 18, 19.

A. *Improbitas* deſperata oſtenditur quatenus ſe geſſerint, quoad I. hortationes. verſ. 16. II. comminationes, verſ. 17.

a. *Prius*, habet hortationem ipſam, & reſponſum populi. verſ. 16.

a. Exhortatio eſt de vita recte inſtituendâ, cujus autor Deus, *ſic dicit Dominus.* Ille ſolus eſt optimus Doctor, qui vitæ humanæ leges præſcribere ſolus poteſt Pſ. 25: 8, 9, 12. Eſa. 48: 17. Deut. 10: 12. Mich. 6: 8. Hortatio, monet I. quid faciendum ad cognoſcendam vitæ rationem optimam. II. quid ea cognitâ faciendum, III. quis fructus futurus. Metaph. eſt à *viâ*: cui vitæ ratio omnis conferri ſolet in Scriptura. Ea habet rationem normæ qua eundum, ut ad locum deſtinatum perveniatur; eoque Dei via eſt, qui eam definivit; hominum vero dicitur, qui per eam incedunt, eamque ſequuntur. Sed qui aliam vitæ normam habet, ei via propria tribuitur, quæ cordis & oculorum dicitur, & linguæ quoque, & actionum, quia cogitationes & ſermones non minus quam actiones ad normam aliquam exigendæ ſunt.

κ. Cognoſcenda via optima: eoque I. *Agnitio* erroneæ viæ, aut ſaltem dubitatio de viâ. *Conſiſtite ad vias.* עמדו *juxta* ut ſæpius. Non progrediendum, ſed ſiſtendus gradus; natura omnes in viâ pravâ, Pſ. 58: 9. Eſa. 59: 8. qui progreditur, longius aberrat. Eoque principium emendationis ſubſiſtere. Pſ. 119: 59. Sed qui in via bona, debet ſaltem dubitare, ut de bonitate ejus certius quid cognoſcat. Inter Judæos ſolos vigebat Religio vera, & in ea à teneris educabantur: attamen cum auditores Baptiſtæ inquirerent quid ſibi faciendum, ſubſiſtebant utique Luc. 3. Eſt hæc dubitatio laudabilis, non quod ſemper dubitandum, ſed ne cauſa dubitandi ſemper maneat. Hæc adeſt quando ex hominum traditione accipitur etiam vera Doctrina: quia enim homines errori obnoxii, ſemper dubitandi ratio, annon quid erroneum doctrinæ ipſorum immixtum ſit. Hinc mandatum 1 Joh. 4: 1. 1 Theſ. 5: 18, 19. quo nomine commendantur Beroënſes. Act. 17: 11. II. *Examen* & diſquiſitio de viâ: *ad vias & videte.* Plures ſunt viæ hominum, quæ calcandæ proponuntur. Via Dei Matt. 22: 16. Gen. 18. verſ. 19. & via Diaboli Eph. 2. verſ. 2. illa auguſta, hæc lata utpote innumeris ſemitis diviſa. Matt. 7: 13. &c. illa veritatis, hæc perditionis 2 Pet. 2: 2. juſtitiæ illa, hæc cupiditatum carnis verſ. 18, 21. juſtorum & impiorum Pſ. 1: 6. vitæ & mortis Deut. 30: 15, 19. Jam non debet quis cœco impetu in alterutram ruere, aut ſequi turbam hâc illacve euntium, ſed deliberato conſilio ingredi: & hac propter diſpicere & dijudicare jubet, quam eligendam habeat Deut. 30: 15, 19. Joſ. 24: 14, 15. 1 Reg. 18: 21. Sane ipſa naturalis ratio quamvis μυοπτάξιον in iis quæ moralia ſunt, poteſt diſcernere, & videre præſtare viam juſtorum, quæ juſtitiæ, temperantiæ, ἀνδρείας, obedientiæ, veritatis; quam contrariam. Aſt in ſpiritualibus prorſus cœca nihil cernere vel judicare poteſt, Eoque III. *Diffidentia* de ſe ipſo, & *interrogate.* De ignotis ſciſcitamur; qui viæ gnarus diſpendium temporis putat ſciſcitari de ea. Hoc ergo quando jubetur convictio eſt ignorantiæ & ineptitudinis ad judicandum? 1 Cor. 2: 14. Jer. 17: 9. cap. 5: 23. Heb. 5: 12. In delectu nos ipſos audire minime convenit Jer. 14: 10. Gal. 1: 6. IV. *Inquiſitio* à peritis viæ optimæ, interrogate *quæ via optima.* Docilitas probatur interrogando peritiores. Viæ ignarus & à ruſtico & puero peritiore diſcere optat. Gubernator navis cum oſtium fluminis ingrediendum, adhibet vadorum omnium peritos. Hic quoque conſulendi ſcientes viæ. Mal. 2: 7. Eſa. 30: 20. Sic Nicodemus Joh. 3: 1. Matt. 22: 16. Etiam dignitate minores. Apollo diſcit ab Aquila & Priſcilla Act. 18: 29. &c.

Attamen ne ſic quidem acquieſcere licet; aliena fide non nitendum. Qui duci credit, felix erit ſi fidum & peritum nactus fuerit: alias infelix. Quivis ſibi id arrogant, peritiam & fidelitatem, & ſic multa millia ſeducuntur: cum ductores ſæpe ſint ſeductores Eſa. 3: 17. Mal. 2: 8. Hoc nomine conqueruntur ſæpiſſime Prophetæ, & Chriſtus Scribas & Legis peritos vocat cœcos duces cœcorum, qui pariter in perniciem ruant. Qua propter operæ pretium eſt noſſe ſigna viæ bonæ, ut ad ea examinemus vias omnes, etiam eas quæ à Ducibus hominibus commendantur. Ea indicantur quod ſit (α) anguſta נתיבות: proprie *ſemitæ.* quæ Varroni quaſi ſemi iter; quà tantum pedibus iri poteſt, non actus, quà itur curru. De anguſtiſſima ſtatim laborandum; Ea bonæ conditio Pſ. 16: 11. Matt. 7: 13, 14. Luc. 13: 24. luctandum propter anguſtiam ingreſſus: nam paucis nota, Rom. 3: 17. cum notitia à ſolo Deo obtingat Pſ. 25: 12. paucioribus trita Matt. 7: 14. cap. 20: 16. quia incommoda, plena moleſtiarum, ut nec oculis, nec pedibus ſiccis quandoque pertranſiri queat Act. 14: 22. quam proinde multi fugiunt, aut deſerunt. Falſa hîc regula, via optima, quæ tritiſſima. Multitudinem qui ſequitur ſuſpecta omnia merito habet, eſt enim conſiliarius peſſimus. Exod. 23: 2. procedendum eſt qua eundum non qua itur. Satius ſolum incedere Joſ. 24: 15. (β) *antiqua* ſive æterna. נתיבות עולם. Conf. Pſ. 139. verſ. ult. Eſa. 64: 5. Antiquiſſima eſt, antiquior peccato, quod declinatio à viâ. Jer. 18: 15. & æterna, ratione durationis, ducit ad æternitatem. 1 Joh. 2: 17. Hæc deſcribitur in verbo, quod antiquiſſimum, & quicquid inde diſcrepat novum eſt: & tantum æternitatis ineſt omni viæ, quæ de vitæ humanæ inſtituto agit, quantum conſenſus cum Scriptura. Jactant Pontificii antiquitatem: ſed aliquot annorum centuriæ eam non conficiunt, cum antiquior ſit veritas in Scriptura patefacta. Durabilitas autem non niſi in eadem oſtenditur. Pſ. 16: 11. (γ) *Unica*, quæ via bona; ſunt viæ, ſemitæ etiam antiquæ plures. Semitæ ſunt ſingulares regulæ in Ordinibus Monachorum; & antiquitas quoque erroris eſt, cujus autor antiquus ſerpens; ſed una duntaxat vera. Pſ. 1: 16. Jer. 32: 39. Pſ. 86: 11. Chriſtus eſt via Joh. 14. 6. & hic unus 1 Tim. 2: 5. Act. 1: 12, Et Scriptura indicium facit unius illius viæ, Act. 20: 27. cap. 26: 22. Equidem quandoque viæ Dei in plurali memorantur, non quod plures ſint, ſed quod plures ſint paſſus, qui per eam fiunt Pſ. 84: 6. Hæc ſigna viæ ſi reperiantur in ea quam Doctores commendant, licet eis aſſentiri, exemplo Beroënſium. Act. 17. verſ. 12.

ב. *Quid faciendum* eâ cognitâ. *Et ambulate in eâ.* Non ſufficit noſſe viam veritatis; ea non ad ſpeculationem, ſed ad inceſſum parata eſt: Cognita praxi ſunt exercenda; citra dilationem, Eph. 5: 8, 15. &c. neque ſufficit ingredi duntaxat, & tum ſubſiſtere, aut regredi, ſed jugiter procedendum eſt. Hoc enim eſt התהלך mandatum Abrahamo Gen. 17: 1. & factum ab Enocho Gen. 5. & Noacho

cap. 6:8. & hoc eſt ſervare viam Domini cap. 18: 19. Pſ. 119: 59, 60.

2. *Fructus* ambulationis eſt, & *invenietis requiem animabus veſtris.* Hæc mutuatus eſt Chriſtus ceu calcar ad obedientiam Matt. 11: 29. quæ nil niſi requiſita hîc ambulatio. Ambulatur non ut ambuletur, ſed ut tandem quies ſit. Curritur in ſtadio, ut in meta quieſcatur. Sed uti via hæc non externa eſt; per quam pedibus itur, ſed ſpiritualis, per quam incedit ipſum cor, quies etiam quæ ſperanda, animæ eſt: Pſ. 25: 12, 13. & 23: 1. &c. & invenitur; quia non meritis obtinetur, ſed gratiæ divinæ dono, qui ſolus animæ tranquillitatem poteſt largiri. Job. 34: 29. Joh. 14: 27. Etenim recreantur in via Eſa. 64: 5. A qua quiete longiſſimè remoti ſunt impii Eſa. 57: 20, 21. progrediuntur ad perniciem Prov. 7. v. ult.

b. Reſponſum hîc populi eſt. *Dicunt, non ambulabimus.* Eſt hæc deſperata impietas, blandiſſimis etiam perſuaſionibus adverſari, ſic Jer. 44: 16. cap. 22: 21. cap. 18. 18. Profecto non poteſt rebellionis exemplum dari mage pudendum: qui non modo faciunt malum, ſed etiam de eo, gloriantur. Eſa. 3: 9. Nam & Sodomitæ dehortanti Loto in os contradixerunt, & tanto magis ſe libidini ſuæ ſatisfacturos profeſſi ſunt. Nec alio ingenio illi, qui interdicunt hortationibus, niſi quæ placeant. Eſa. 30: 9.

Verſ. 17. *Me conſtituente etiam ſuper vos ſpeculatores*, dicendo, *attendite ad ſonum tubæ; dixerunt, non attendemus.*

b. *Poſterius* habet comminationem, & reſponſum populi verſ. 17.

a. In *illâ* attendendum I. quid Deus egerit. *Conſtitui* vel *confirmavi ſuper vos ſpeculatores.* Vigiles ejuſmodi, qui in turribus conſtituti eminùs ſpeculantur ingruentia mala, quibus ſuum corpus non opponunt, ſed ſolùm tuba ſignum dant & cives monent, ut quiſque ſibi caveat, & damnum à ſe avertat. 2 Sam. 18: 24. &c. 2 Reg. 9: 17. ſeq. Sunt quidam cuſtodes murorum, nec non obeuntes per plateas, qui vim armatam inferunt ſive hoſtibus extrinſecus irruentibus, ſive turbonibus intus perperam agentibus; ſed his potiùs reſpondent Magiſtratus. Speculatoribus autem Paſtores, qui imminentia mala, judicia per peccata accerſita prævident, deque iis tuba concionum monent, ut quivis ſibi caveat. Sic explicatur Ezek. 33: 2. &c. & verſ. 7. ac cap. 3: 17. Hoc beneficium eſt præmonitores dare malorum: quemadmodum ſi civitas habeat qui de incendio inteſtino, vel de hoſtili invaſione præmoneat. II. Quid à populo fieri voluerit, *Attendite voci tubæ.* Speculator non ad cujuſvis ædes aut lectum accedit, ſed de turri tuba vocem tollit perſonantem totam urbem, huic omnes attendere par eſt, Ezek. 33: 4, 5. Sic quoque Paſtores. Tuba eſt concionum Eſa. 58: 1. quam juſſu conſtituentis inflant. Amos. 3: 6, 7, 8. Hoc munus objecere ſemper Prophetæ Jer. 25. cap. 7. 2 Chron. 36: 15. Neque ceſſat hodieque iſtud beneficium: Licet enim non revelet Deus immediate judicia ſua particularia, tamen tubæ miniſterium hodieque habent Paſtores, & peragere poſſunt ac debent (1.) generalibus minis legis. Quæcunque minæ dictæ ſunt ulli legis tranſgreſſioni in Scriptura, eædem, ſaltem quoad genus pœnæ nobis quoque dictæ ſunt, ſi illius rei ſimus. Deus enim immutabilis æque in minis ac in promiſſis; quarum illas non minus quam has nonnunquam juramento confirmavit. Amos. 6: 8. cap. 8: 7. Pſ. 95. verſ. ult. Jer. 22. Priſtinæ minæ Dei etiam nunc vim obtinent Rom. 15: 4. (2.) Speciali applicatione priſcarum comminationum & ſubſecuti judicii. Sic primi mundi & Sodomæ judicium applicat Chriſtus Luc. 17: 26. Iſraelitarum Paulus 1 Cor. 10: 5. &c. Heb. 3: 4. Siluntis Jer. 7: 12. &c. Galilæorum Luc. 13: 1. &c. unde generaliter 1 Cor. 10: 11. (3.) minorum judiciorum obſervatione. Deus non ſtatim progreditur ad extrema, non magis quam pater contra inobedientiam filii non illico uſurpat exhæredationem Pſ. 78: 38. ſed paulatim ſi non proficiat, intendit pœnas, Lev. 26. quater repetit ſeptuplas additurum ſe plagas & Amos. 4: 6. &c. Neque aliter nunc agit: quæ obſervaſſe & applicaſſe, tubam inflaſſe eſt 1 Cor. 11: 29. &c. Requiritur ergo à Paſtoribus ut ſint videntes, non cœci, quia צופים, nequit enim monere alios, qui quod moneat neſcit: vigilantes non ſomnolenti; ſpeculatione tunc abſtinet; vocales, non muti; nulla alias dabit monita: denique ſapientes in voce 1 Cor. 14: 8. Tuba inflatur in triumfo, & ad pugnam Campani impellitur in gaudio, & in incendio: ſed diſcrimen eſt. Hæc ergo attendenda. Eſa. 56: 10. Conf. Eſa. 21: 8, 10. cap. 22: 14. Act. 2: 40. Qui ſic agit, liberavit propriam animam, ſive audiatur, ſive non.

b. Reſponſum heic eſt, *Non attendemus.* Eadem malitia, ſibi pernicioſiſſima, ſi quis in incendii denunciatione, nollet ſomnum ſuum abrumpere, turbarive quietem. Jer. 2: 25. 2 Chron. 36: 16. 2 Pet. 3. uti Achab contra Micham 1 Reg. 22. & Amaſia contra Prophetam 2 Chron. 25. Huc faciunt Eſa. 30: 9. &c. Abrab. dicit moneri ut (1.) ipſimet rationem ſequantur, & meditentur, quid melius, quid ſalutarius ſit, vel (2.) traditiones audiant, & doctiorum monita; vel (3.) prophetarum teſtimonia; ſed hæc omnia fuiſſe repudiata. Verum ſecundum & tertium male diſtinguit ſubjectis; cum objectis duntaxat differant. Saltem ſecundum æque ad prophetarum teſtimonia reſpicere debet, imo & primum, ſiquidem ulla debeat eſſe ſecuritas.

Verſ. 18. *Idcirco audite, ô gentes, & agnoſce ô cœtus, quæ inſint iſtis.*

Verſ. 19. *Audi ô terra, ecce ego adducturus ſum malum in populum iſtum; fructum cogitationum ipſorum; quia ad verba mea non attendunt, & ipſam quoque legem meam ſpreverunt.*

B. *Pœna* quam denunciat verſ. 18, 19. habet I. *Teſtes* quos advocat, *tum* impietatis ipſorum. *Audite gentes, & ſcito congregatio* videlicet gentium, *quid in eis* vel *inter eos*, Iſraelitas, ſit. Uti alias ita & hîc, alienos à religione vocat, ut teſtes judiceſque ſint impietatis Judæorum. Vel quæ inter illos; nempe gentes eſt: ut ethnicos, & potiſſimum delectos eorum עדה ſapientes, judicii peritos convocet. Abrab. *Audite, vos Judæi, gentes adventantes, & tu congregatio Iſraelis cognoſce, quid inter gentes illas fiat vel mali vel boni.* Sed hæc prorſus aliena ſunt, cum de gentibus nihil dixerit; & eadem fere ratio ſit, quæ terræ, quam mox in teſtimonium vocat. verſ. 19. *Tum* pœnæ verſ. 19. *Terram* hîc adjungit, ut Eſa. 1: 2. Deut. 32: 1. cap. 30: 19. cap. 4: 26. Joſua lapidem ſtatuit Joſ. 24. abundè ſemper teſtium, quamvis ad eos non attendatur. II. *Pœnam* dicit, *Adduco malum*, calamitatem, uti ſæpius: ſed quod appellat eam *fructum cogitationum* ipſorum, non vult quod ſic cogitarint, eas plagas ſecuturas, & quod hunc habuerint ſcopum; ſed hunc fuiſſe eventum, non tantum actionum ſed ipſarum etiam cogitationum: nam illæ malæ ſunt Gen. 6: 5. cap. 8: 21. cauſa diluvii: vanæ polluunt Jer. 9: 14. & magis malæ. Matt. 15: 19, 20. Ipſas etiam cogitationes ulciſcitur Deus. Nah. 1: 9. & judicat Heb. 4: 12. III. Rationem pœnæ, *non attendunt ad verba mea, & ad legem meam, & repudiant eam.* Illa videntur deſignare denunciationes prophetarum; hæc ſcriptam legem, vitæ regulam Utrique fuiſſet attendendum; aut ſi de prioribus dubitatum eſſet, ſaltem poſteriori, ad quam illa examinanda, juxtaque eam pronunciandum fuerat, nam hæc perhibuiſſet teſtimonium illis, ut Act 17: 11. ſed illi neutri præbuerunt aurem, & neglectum excepit contemtus profanus. Sic ſolet peccatum ſumere incrementa, ubi Scriptura negligi incipit, paulatim abit in contemtum & odium; quemadmodum res evidens in Papatu: nemo enim repente fit peſſimus: ſed per gradus proceditur ad faſtigium,

Verſ. 20. *Quorſum mihi thus è Scheba advenit, & calamus odoratus præſtantiſſimus è terra longinqua? Holocauſta veſtra non* ſunt *accepta & ſacrificia veſtra non ſunt ſuavia mihi.*

(3.) Sequitur exprobratio hypocriſeos, cui pœna ſpecialis & generalis opponitur verſ. 20--26.

A. *Exprobratio* v. 20. habet enumerationem eorum quæ ad cultum pertinebant, & Dei acceptationem.

Illa dicit *ſuffimenta* & *ſacrificia*; quæ duobus altaribus diſtinguebantur. Altare holocauſti erat in atrio, *Suffitus* in ſan-

ſancto. In illo offerebantur victimæ cæſæ; hîc memorantur עולות *holocauſta* & זבחים *ſacrificia*, illa tota abſumebantur; hæc, oppoſitè ad illa, ex parte tantum: erantque hoſtiæ tum expiatoriæ, tum euchariſticæ: In omnibus tamen connotabatur aliqua expiatio, quæ per ſanguinis effuſionem adumbrabatur. In iſto thymiama, ex præſtantiſſimis aromatibus confectum: hoc deſignantur preces. Apoc. 8. Pſ. 141: 2. In precibus eſt alloquium Dei, acceſſus familiarior ad ipſum: unde in ſancto ſuffiebatur: ſed huc peccatori accedere non licet Eſa. 59: 2. Joh. 9: 31. Debet primum reconciliari Deo per vicariam hoſtiam: eaque propter expiatio fiebat in atrio; eâ autem factâ introitus dabatur in ſanctum, ut ibi thymiama offerretur; quia expiatio antecedebat, preces ſequuntur. Judæi externis ſolum cerimoniis cultus dediti, religioſiſſimos ſe rebantur, ſi hîc fuiſſent ſumptuoſi. De profuſione circa ſacrificia videre eſt. Mich. 6: 6, 7. hoc loco occurrit ea quæ eſt circa ſuffitus; afferebant Thus ex Scheba, præſtantiſſimum ex Arabia Felici: Calamum optimum ex terrâ longinquâ. Etiam in Cananæa reperiebatur, creſcens in monte Libano; nam ejus accolæ Danitæ has merces Tyrum deportabant Ezek. 27: 19. ſed vile ipſis videbatur, quod parabile & in promtu; & mage demeriturum Deum, quod majoribus impenſis, ex longinquis Aſiæ regionibus petitum erat.

Acceptatio autem Dei conſtat ex rejectione iſtius cultus, ceu inutilis: *quid mihi veniet?* quid pro me? ad quemcunque alium uſum adhibeatur, ſaltem fruſtra advehitur ad me demerendum: & ingrati: *non placent ſacrificia* &c. nihil in iis eſt quod placeat; imo quod non potius offendat. Abrab. ordinem attendit: Aromata ſeu ſuffitus additus fuit ad rectificanda ſacrificia: quia vero hæc mihi diſplicent, quid fatigatis vos ad afferendum quod rectificet. Eſt ſane in ordine aliquid momentum: quem modo delineavimus ex ſitu duorum altarium: quid mihi omnia ſuffimenta? hoſtiæ non placent. Quid vobis fumitis extollere preces ad me, nondum expiatis peccatis. Eſa. 1: 15. &c. Dum manet reatus, non patent meæ aures veſtris precibus. Pſ. 26: 26. Patet vero hinc hypocritarum indoles, qui externis duntaxat ſe commendant, & ſi hic fuerint ſumtuoſiores, eo ſe religioſiores, Deumque magis ſibi obnoxium rentur. Pleni ſunt Prophetarum libri contra horum inſtitutum, qui ſimul teſtantur, quam nihil ſic proficiatur apud Deum. Et tamen eadem opinio hodieque multorum corda poſſidet. Totus Papiſtarum cultus in eo vertitur, & exinde hypocriſeos convincitur. Nam Deus non externa quærit, ſed cor. Prov. 23: 26. Pſ. 51: 8. & 1 Sam. 15: 22. &c. Mich. 6: 8. Unde ſi peccata conjungantur pro non oblatis habet Eſa. 43: 23, 24. cap. 66: 3. Amos. 5: 21. ſeq.

Verſ. 21. *Idcirco ſic ait Jehova, ecce ego diſpoſiturus ſum populo huic offendicula; in quæ offendant patres & filii pariter, vicinus & amicus ejus, pereantque.*

B. *Pœna* oppoſita *ſpecialis* eſt verſ. 21. Denunciator Deus qui ſolus de hypocriſi cordis judicare poteſt, cum illi ſoli pateat; dum homines ſæpe externa ſpecie decipiantur. Attentionem poſcit *Ecce*, utpote cum res ſit magni momenti. Pœnam indicat, & effectum ejus perniciosum populo omni, citra diſcrimen ullum.

Pœna eſt poſitio offendiculorum. *Offendiculum* proprie eſt quicquid in via projectum, commoditatem ejus tollit, facitque ut ad illud allidantur pedes, impingatur, & offendens corruat: ut cum lapis major, aut lignum tranſverſum in viam projicitur, ut cœcus offendat, huic offendiculum poſitum dicitur: Quia vero caſus ejuſmodi, uti improviſus, ſic gravior & damnoſior eſſe ſolet, hinc conſequens ſtatuitur perditio. Offendicula hic ſumuntur improprie, per quæ impeditur ambulatio vitæ proſpera: ſunt enim Ruinæ I. cauſa per ſe: & quidem vel citra ponentis intentionem Ezek. 14: 3. Idola ſunt offendiculum, quæ ſibi ſtatuunt idololatræ, licet non intendant offenſionem ſui & ruinam. Vel juxta intentionem, Ezek. 21: 15. viis obſeſſis ab hoſtibus, ubique ſunt offendicula: ſed hæc pœnæ: illa vero ſunt peccata. II. Occaſio, ſeu cauſa per accidens, per pravitatem offendentis, ſpiritualia bona ſcandalum ſunt 1 Cor. 1: 23. aut per ejus imprudentiam, bona externa Ezek. 7: 19. divitiæ ſunt ſcandalum, quando illis confiditur, apponitur animus. Cæterum Deus dicitur *ponere offendiculum*, proprie, & abſolute ratione pœnæ, ceu juſtus judex. Ezek. 21: 15. Sic Hebræi hic acceptum volunt. Ratione peccatorum vero ſecundum quid & impropriè. I. Permittendo Pſ. 81: 13. coll. cum Deut. 32: 28. qui ſibi offendiculum poſuerunt, ſinit in illud offendere non cohibendo, neque efficiendo ut removeatur. II. Efficaciter dirigendo in pœnam peccatorum; Falſi doctores ponunt offendicula Jer. 18: 15. quibus cum Deus punit, ipſe dicitur poſuiſſe offendicula Ezek. 14: 9. III. Occaſiones ſubminiſtrando, quibus abutuntur peccatores: Ezek. 3: 20. ut proſperitas externa, qua abutuntur ad inſolentiam Jer. 12: 1. &c. Pſ. 73. obfirmationem in malo Mal. 3: 15. &c. contemtum doctorum verorum Jer. 5. 2 Chron. 36: 16. itemque ſpiritualia bona, quibus ob carnis corruptionem adverſantur, quæ tanto magis efferveſcit, quanto illa ſunt illuſtriora Eſa. 8: 14. Rom. 9: 32, 33. Deus ponit ſcandalum, quod homines propria culpa tale faciunt. Hoc Deus minatur omnis generis ſcandala, & horum conſequens ruinam univerſalem: quæ ſane non ab uno ſcandalo Judæis accidit, potiſſimum tamen eſt illud Euangelii Chriſti, unde ſecuta ruina abjectionis populi per tot ſecula. Et ſane Deo ponente ſcandalum quis evadet? Conſultiſſimum eſt ſequi viam Dei; Pſ. 119: 165. & ſequi prudenter, ut lex Dei lucerna ſit; nam qui inde non illuſtrantur impingunt ad perniciem. Hoſ. 14: 10.

Verſ. 22. *Sic ait Jehova, ecce populus venturus eſt è terra Aquilonis, & gens magna excitabitur è lateribus terræ.*

Verſ. 23. *Arcum & haſtam vexillarem tenebunt, crudelis erit* quiſque, *neque miſerebuntur; vox eorum quaſi mare fremet, & equis vehentur;* gens *inſtructa ut vir ad bellum, contra te, ô filia Tsijonis.*

Verſ. 24. *Audientibus nobis rumorem ejus, remittentur manus noſtræ, anguſtia prehendet nos, dolor tanquam parturientis.*

Verſ. 25. *Ne exitote in agrum, & viâ ipſa ne pergitote; quia gladius inimico* eſt, *formido circumquaque.*

Verſ. 26. *O filia populi mei, accinge cilicium, voluta te in cinere, luctum unigeniti age, planctum amariſſimum, nam repente venturus eſt vaſtator contra nos.*

Pœna *generalis* eſt Hoſtium invaſio victorioſa; ubi deſcribit I. Hoſtes, tum quoad ortum, verſ. 22. ratione patriæ, à terrâ Aquilonis, quomodo Babylonii deſcribuntur ſæpiſſimè; & ratione affectus, excitatur, atque extrinſecus excitantur, Deo videlicet eos concitante; Ita ſæpius in hiſtoria Judicum Deus hoſtes excitaſſe dicitur. Tum quoad apparatum, verſ. 23. ubi arma; animus militaris; vox militaris; aciei inſtructio; & ſcopus contra quem. איש notat heroëm, virtute bellica valentem. II. Affectum Judæorum, nempe Conſternationem verſ. 24. cujus cauſa, rumor, non indicantium prophetarum, hic fuit ſurdâ aure neglectus; ſed adventantium hoſtium: quem excludere æque non poterant; ipſa eſt, tum externa, quæ effectus & ſignum internæ: remiſſæ manus, Pſ. 76: 6, 7. tum interna propriè, apprehendit, ita validè ut quis ſe nequeat expedire. החזיק: & metaph. ut dolores parturientis; quemadmodum cap. 4: 19. de ſe ſolo dixerat; nunc communiter de omnibus ſemet comprehendens. Metum, verſ. 25. in cautione, ne quis in agro, aut etiam viis publicis verſetur, quia hoſtilis vis ubique metuenda; cincta undique urbe. Dolorem & triſtitiam verſ. 26. ad quam hortatur compellans eam, *filia populi mei*: pars aliqua Eccleſiæ; nam quamvis particularis filiæ rationem habet: teſtimonia edere jubet externa; cingere ſe ſacco; & volutare in cinere: luctum exercere vehementiſſimum, qualis ob amiſſum filium unigenitum; & ſine metaph. a-

cerbiſſimum: denique cauſa; hoſtis deſtructoris adventus, iſque citiſſimus,

Verſ. 27. In *exploratoria ſpecula conſtitui te, apud populum meum*, in *munitione, ut cognoſcas & explores viam eorum.*

V. *Quinta* & ultima *pars* concionis eſt verſ. 27. &c. CONFIRMATIO Jeremiæ in ſuo munere: nam I. promittitur ei *ſecuritas* à Deo, ſed quâ legato, & legatione ritè fungenti. Fecialis non illicò denunciat bellum, ſed primum queritur de injuria, & cognoſcit, quid pro defenſione vel excuſatione afferatur, ut Phineas egit Joſ. 22. & ſi nil æqui impetretur bellum denunciat, ut Gibeonitis Jud. 20. Propheta conſtituitur *in ſpecula*: loco idoneo ut omnia videre queat. Ex turri ſpeculatoria videri poteſt, quod qui in media turba verſatur non animadvertit: Eſtque ea ſpecula munitio; ad ſecuritatem, quæ non ab officio Prophetæ fluit, quod obnoxium reddit injuriis impiorum: ſed ex autoritate & potentia legantis. Verum debet officio fungi, obſervanda & probanda via: non tantum cognoſcenda, ſed etiam de ea pronunciandum. Illud ferunt homines: non iſtud: & hac propter defenſa opus: ut ſtatuatur in munitione. Seu citra ellipſin; *conſtitui te ſpeculam, ut cognoſcere poſſis viam eorum*: & munitionem, ut auſis probare viam, vitam & mores populi. Patefeci tibi corruptionem, & polliceor defenſam, arguenti.

Verſ. 28. *Omnes ſunt contumacium contumaciſſimi, ambulantes* cum *detractione, chalybei & ferrei: omnes corruptores ſunt.*

II. *Ratio* quam reddit Propheta, de obito munere. Sunt enim ipſius verba, quod clauſula verſ. 30. docet. Declarat autem Viæ ipſorum I. cognitionem qualis tum in ſe verſ. 28. tum ſub ſua inſtitutione verſ. 29. II. probationem ſeu judicium ſuum, confirmatum judicio conſono Dei verſ. 30.

1. Via ipſorum in ſe verſ. 28. indicatur proprie, כלם סוררים quidam legunt שרי *principes declinantium*; qui magis à defectione quam à dignitate nomen ſortiuntur: quorum ſubditi meri defectores, quique principum exempla ſequantur. Ita magiſtratus notantur Eſa. 1: 23. & ſunt tum duces quoque in impietate, aliis imitantibus. Vel, ſunt omnes principes defectorum; non dignitate, ſed defectione; ubi quivis principatum affectat. Simpliciter ſynonymorum conjunctio ad auxeſin facit; prorſus, omni modo declinantes. Pſ. 14: 3. De corde id dicitur Jer. 5: 23. Heb. 3: 12. Accedit pravitas ſermonum, ambulant] in detractione; רכיל qui hanc negociationem exercent, ut famam aliorum nundinentur, & mendaciis calumniiſque de pretio detrahant; Eſt vero hoc vitium grave, quod in catalogo maximorum ſcribitur Ezek. 22: 9. ſic Pſ. 50. Et pravitas actionum; omnes corruptores: ſic ut nemo faciat quod rectum & bonum. Pſ. 14: 1, 3. Quod verò vocat eos *ferrum* & *æs* ſeu *chalybem*, ſi ad actiones pertineat, notat indomitam obſtinationem malorum, qui flecti nequeunt, cedere neſcii: aut quemadmodum ferrum & chalybs juncta faciunt acutiſſimos & nocentiſſimos enſes, ſic quoque prorſus damnoſi ſunt. Sin ad ſermones, quod accentus ſuadent; denotatur impudentia, qui non magis pudore ducuntur, quando mentiuntur & calumniantur, quam ferrum & chalybs, quorum color non mutatur.

Verſ. 29. *Exareſcit follis, igne conſumitur plumbum; in vanum pergit conflare* conflator, *nam mala avelli non poſſunt.*

Jam qualis via eorum ſub ſua inſtitutione verſ. 29. docet, quid, & quo ſucceſſu egerit. Atque hîc confert populum argento impuro, Deum conflatori, ſe folli ſufflanti ignem, igni Verbum Dei, plumbo ſuas comminationes. תם *abſumtum eſt* plumbum, vel integrum eſt, bono metallo igne abſumto. Eſa. 1: 22. & Ezek. 22: 18, 19. Nam ſicuti cum argentum purgandum eſt, inditur in catinum, & ut à ſcoriis rectiùs purgetur additur plumbum, & tum folle inflatur ignis, ut purgatio procedat: Sic Deus in catino Hieroſolyma purgare inſtituebat, & per Spiritum ſuum Prophetæ inditum excitabat ignem & terrebat judiciis ceu plumbos. Verum Propheta queritur ſe denunciantem judicia aduſto gutture quodammodo eſſe, quemadmodum aduſto folle afflari non poteſt, ut loqui fere nequeat: conciones ſuas periiſſe, quaſi non fuiſſent; verbum Dei inculcatum nil profeciſſe, Deum quodammodo operam perdidiſſe: nam non fuiſſe purgatos, ut abſumerentur qui ſcoriarum inſtar Pſ. 119: 119. impii. Ezek. 24.

Verſ. 30. *Argentum reprobum vocantur illi, quia reprobat Jehova illos.*

2. Judicium verſ. 30. Prophetæ: eſſe *argentum reprobum*, nomine non re tale; adeoque repudiandum: & Dei, confirmans illud, Deum eos reprobaſſe, ceu inutiles, & circa quorum purgationem fruſtra laboretur.

CONCIO III.

CAP. VII.

CONciones Prophetarum non eo ordine collocatæ ſunt, quo habitæ; Etiam intermedio tempore varia vaticinatus eſt Jeremias contra gentes Jer. 25. quæ tamen omnia conjunxit in fine libri cap. 46. & ſeqq. & inter eas, quæ inter Judæos habitæ, priores nonnullæ poſteriori loco leguntur. Conferantur modo cap. 34. & 36. quorum illud Zedekiæ, iſtud Jojakimi temporibus adſcribitur. Hæc concio ſequitur etiam tempore præcedentem; ſed an immediatè, incertum. Saltem prior Joſia regnante, & poſt ejus reformationem habita; & forte materiam exhibet, omnium ab eo tempore propoſitarum, uſque ad mortem pii regis. Quæ hinc incipit ſub initium regni Jojakimi dicta, ut conſtat ex cap. 26. ubi hiſtoria refertur, quomodo recitata, & ab auditoribus excepta fuerit. Occiſo Joſia in prælio à Pharaone Necone, & filio ejus Joachaſo ab eodem deportato in Ægyptum, qui ſubſtituit Regem fiduciarium Eljakimum, cujus nomen mutavit in Jojakim; (ut à conſideratione roboris Dei eum revocaret ad eam quæ veritatis eſt, & hinc doceret ſtabilitatem regni ducendam, robore Dei nunquam affuturo contra fidem juratam agenti:) & gravi tributo afflixit totum regnum omneſque incolas; cum eâ *ratione* pacem redemtam poſſiderent, magnam ſibi ſecuritatem pollicebantur, etiam eapropter debitam quod cultus externi loca & ritus obſervarentur: quæ omnia erant fundamenta pudendæ hypocriſeos. Heic ergo reprehendendi & convincendi fuere omnes, quod agit cap. 7, 8, 9. Videtur habita concio in ſolenni congregatione Judæorum ex omnibus urbibus, ſive quod feſtum anniverſarium haberetur, ſive jejunium extraordinarium ut cap. 36. ſive inauguratio, Jojakimi, cap. 26. 1, 2. quia non ſolos cives Hieroſolymæ, ſed totum Juda, ſeu omnes ejus urbes una oratione jubetur compellare.

Verſ. 1. *Verbum quod fuit ad Jirmejam à Jehova, dicendo.*

Verſ. 1. Indicatur authentia concionis. Extraordinaria inſpiratio & ſuggeſtio: verè quod dicitur Ezek. 33: 7. promiſſiones & comminationes de temporalibus ſpecificis nequeunt niſi ex ſpirituali revelatione fieri; quemadmodum hîc de continuatione in terrâ, vel exilio extra illam; templi ſtabilitate vel ruinâ &c. Generaliter quidem valet illud 1 Tim. 4: 8. & contra; verum hæc commoda vel incommoda præciſe ſecutura, non ſine revelatione dici poteſt infallibiliter. Quin imò in denunciationibus quicquid ſigillatim afficit conſcientiam, illud verbum à Deo factum eſt ad verbi præcones Eſa. 57: 18, 19. Eædem conſolationes in eodem cœtu quoſdam movent, alios non; in illis agnoſcendum verbum Domini, quod penetrantis virtutis eſt Heb. 4: 12. factum ei fuiſſe, reſpectu videlicet horum. Interim ut id verum ſit de præconibus, I. omnia petenda ex Scriptura; quo ſincerius illa proponitur, citra mixturam, eo plus verbi Divini adeſt. Conſolationes & comminationes inde ſumtæ habent aliquid divinioris efficaciæ Pſ. 94: 19. Joh. 5: 45. cap. 12. 48.

12: 48. 2 Cor. 4: 2. 1 Cor. 2: 4, 5. unde efficacia 1 Cor. 14: 24. ſeq. II. non miſcendi privati affectus, amoris aut odii, invidiæ aut avaritiæ; Mich. 2: 11. cap. 3: 5. ἀνθρωποκάρσιοι Gal. 1: 10. hoſtes aliorum 1 Reg. 22: 24. ſed publici, pro gloria Dei ut Elia 1 Reg. 19: 10. Pſ. 69: 10. & ſalute proximi Jud. 23. nec non dolor ob hominum perverſitatem. Phil. 3: 18. Jer. 13: 17.

Verſ. 2. *Sta in porta domus Jehovæ, ut proclames ibi verbum hoc: dices igitur, Audite verbum Jehovæ, omnes Jehudæi, qui intratis per portas has incurvando vos* adoraturi *Jehovam.*

Concio ipſa habet Exordium, Propoſitionem, confirmationem.

EXORDIUM verſ. 2. poſtulationem audientiæ, additis argumentis I. à dignitate materiæ, *Audite verbum Domini*, non meus ſermo eſt, meive ſimilis, aut ullius hominis quantæcunque dignitatis, fidei, aut æſtimii, ſed Domini; qui ſummus omnium, autor eſſentiæ cujuſque & conſervator Act. 17: 25: 28. quique verbis ſuis quibuſcunque eſſentiam largiturus eſt: ut non ſint inania terriculamenta, vel vanæ promiſſiones, quæ ab ipſo proponuntur: II. à conditione auditorum triplici, α. à nomine, *Omnis Juda*, quibus Deus ſigillatim notus Pſ. 76: 2. viciniores Deo præ cæteris tribubus. Cap. 26: 2. dicuntur omnes urbes Juda, quibus idem privilegium. Adeoque promtiores quoque eſſe debebant ad audiendum Deum. β. à profeſſione, *venientes per portas iſtas*: qui cultus publici gratia hic ſe iſtunt. Profani eò non veniebant, iis potiora erant tentoria iniquitatis Pſ. 89: 11. non omnibus mens Davidica Pſ. 27: 4. &c. ſed quotquot eò confluebant religionem numinis profitebantur. Hic vero oportune imperabatur audientia verbi Divini: quid enim, an in propria domo ſua loquentem averſarentur? ſi in privatis ædibus illum audire recuſarent, ejuſque verbo excluderent, utique id juris ſibi ſumere non poterant in domo Dei: vel inde emanendum erat, vel ibi audiendus. γ. ab intentione, *ad incurvandum ſe Domino*. Erat enim domus precationis Eſa. 56: 7. & eum in uſum ſanctificata tum à Salomone 1 Reg. 8. tum à Deo 2 Chron. 7: 12. &c. & hîc preces publicæ & ſolenniores privatorum fiebant. 1 Sam. 1. Hannæ, 2 Sam. 7. Davidis &c. Jam qui veniebant invocatum Deum, debebant parati eſſe ad audiendum Deum. Nam quâ fronte poſtulet aurem Dei ad ſuas preces, qui ſuam negat loquenti Deo. Prov. 28: 9. cap. 1: 24. &c. Eſa. 65: 12. & cap. 66: 4. Hinc Jac. 4: 8. Pſ. 145: 18. &c.

Verſ. 3. *Sic ait Jehova exercituum, Deus Iſraelis, bonas efficite vias veſtras; & actiones veſtras; tum faciam ut habitetis in loco hoc.*

PROPOSITIO, verſ. 3. habet mandantem, mandatum, promiſſum.

Mandans deſcribitur ab eſſentia potentia & veritate, nec non à fœdere gratiæ; ut jubendi ſummum idemque æquiſſimum jus ſit.

Mandatum, eſt, de emendatione vitæ, quod metaph. & proprie dicitur: quod opus miniſtrorum Luc. 3: 4. & quorumcunque. Heb. 12: 13.

Promiſſio, conſtans habitatio in illo loco: ne exilium metuendum foret, aut hoſtis tyrannis. Et ſane Dominus Zebaoth Deus Iſraelis mandandi jus habet, & potentiam præſtandi promiſſa: & veritas ejus confirmat utrumque.

CONFIRMATIO ducitur à rejectione conſiliorum aliorum omnium, à quibus ſui conſervationem ſibi pollicebantur, atque iis ſe decipiebant Deut. 32: 28. cum eſſent inutilia prorſus. Quandoquidem in conventu ſolenniori totius Judæ, ſeu urbium Judæ habita fuit concio, & in atrio templi, ſatis prodebant in cultu qui iſtic peragebatur fiduciam collocaſſe pleroſque; videlicet in concurſu ad templum, in ſacrificiis, in inſtitutione Doctorum: Hæc proinde repudiantur. Nam eripit eis Propheta fiduciam I. de loco, II. de cultu in loco, III. de profectu ex illo cultu. IV. de benedictionibus aliis. Nam media falſa ſuæ ſalutis & proſperitatis, quibus nitebantur, & quæ rejiciuntur ſunt I. templum, verſ. 4--20. II. Sacrificia verſ. 21--verſ. 3. cap. 8. III. opinio ſapientiæ in rebus divinis verſ. 4--verſ. 22. cap. 9. IV. qualitates aliæ naturales & externæ cap. 9. verſ. 23--26.

Verſ. 4. *Ne habetote fiduciam veſtram in rebus falſis, dicendo; templi Jehovæ, templi Jehovæ, templi Jehovæ iſta* ſunt.

I. *Prima deceptio* populi fuit Templum; quæ ceu deceptoria proponitur verſ. 4. talis deinde probatur I. oppoſitione medii ſalutaris veri verſ. 5, 6, 7. II. oſtenſione inutilitatis ſuæ, verſ. 8. quia non expiet peccata, verſ. 9--11. neque avertat pœnas. verſ. 12--20.

1. *Deceptionem proponit*, repudiatque ſimul in genere verſ. 4. Dehortatur à fiduciâ, ne ſecuritatem ſuam inædificarent, quaſi nihil eſſet metuendum: & dehortatur ſaltem illos qui venerant adoratum Dominum, & ratio dehortandi eſt, verborum falſitas; quæ mendacia erant in ſe, & à mendacibus proficiſcebantur. Neque hactenus quiſquam poterat contradicere. Sed in ſpecie indicat quænam ſint mendacia verba, *Templum Domini* &c. Repetitio tripla explicatur vel de terna apparitione annua populi. Jonathne placeatis vobis de verbis Pſeudoprophetarum qui dicunt coram templo Domini præſtatis cultum, c. t. D. ſacrificatis, c.t.D. adoratis; tribus vicibus quotannis coram illo apparetis. Vel de tribus templi partibus, atrio, Sancto, & S. Sanctorum: quas Jeremias circa portam orientalem conſiſtens videre potuit, quaſque digito monſtraſſe putant, cum dixit המה iſta, ut triplici quaſi muro Deum ejuſque gratioſam præſentiam circumſeptum exiſtimarent, ſibique ceu triplici muro circumvallatis ſecuritatem pollicerentur. Sed לכם המה potiùs refertur ad verba mendacia, quæ ſic ſe recitaſſe docet, uti cap. 10: 11. vox אלה uſurpatur: eoque geminatio iterata ad auxeſint pertinet potius & mimeticòs, qui ſemper in ore habebant verba iſta, *Templum Domini:* quæ ceu clypeum omnibus minis & terroribus opponebant, ea ipſa recitat. Scilicet taxat opinionem, quaſi locus ullus præſtaret ſecuritatem in terrâ, ſiquidem externa aliqua prærogativa cæteris prælatus fuiſſet. Quia Deus delegerat hunc locum, & ſibi templum ſtrui juſſerat, Pſ. 132: 13. &c. Pſ. 68: 17. 2 Chron. 7: 12, 15. Hinc rebantur qui templum habebant, fore ut omnes Ezek. 11: 15. nobis in hæreditatem &c. Sed Deus Spiritus, quem domus nulla includit 1 Reg. 8: 27. in manufactis templis non habitat Act. 7: 48. cap. 17: 24. nnde locorum differentiam ante cultum Moſaicum nullam fecit Exod. 20: 24. & poſt ſuſtulit Joh. 4: 21. &c. 1 Tim. 2: 8. Mal. 1: 11. Spiritualis domus convenit Spiritui; & iſtiuſmodi eſt cor reſipiſcens. Eſa. 57: 15. & regenitum 1 Cor. 3: 16. cap. 6. 2 Cor. 6: 16.

Verſ. 5. *Sed omnino bonas efficitote vias veſtras: ſed omnino exercetote jus inter virum unum & alterum.*

Verſ. 6. *Peregrinum, pupillum, & viduam ne opprimitote; & ſanguinem in noxium ne effunditote in loco hoc: denique Deos alienos ne proſequimini malo veſtro.*

Verſ. 7. *Et faciam ut habitetis in loco hoc, in terra quam tradidi majoribus veſtris, inde à ſeculo uſque in ſeculum.*

2. *Probatio* porro habet (1.) *Oppoſitionem* medii ſalutaris verſ. 5, 6, 7. atque hîc I. repetit quæ verſ. 3. dixerat, verſ. 5. ſed ſub conditionis formâ, cui promiſſio debebat reſpondere. Benefaciendo benefacietis, hoc eſt, vere & ſincere, nec non conſtanter & univerſaliter, vias & actiones; rationem vitæ communem, & actiones ſingulares quaſcunque. II. Enumerat nonnulla officia tum ſecundæ tabulæ, quæ potiſſimum magiſtratum ſpectant, & deinde quemcunque, æquum omnibus jus: ut juſtitia adminiſtretur ἀπεγ-σωπολήπτως, & pro illo pronuncietur cui lex & æquitas adjudicant, nihil neceſſitudini, amori, aut odio detur: ut qui maxime patrocinio egent, adeoque injuriis aliorum

maxime sunt obnoxii, maximum inveniant apud judices patrocinium: *peregrinus* qui ignotus foribus & auribus potentiorum arcetur, *pupillus* cui ætas, *vidua* cui pudor non permittit, ut pulsent penates dominantium, quique carent pondere argumentorum prævalentium: ut abstineatur homicidio, quo reatus toti urbi ac regioni attrahitur, siquidem inultum maneat Num. 35. Deut. 21: 7, 8. cap. 19: 11, 12. Exod. 21: 12, 14. Sanguinis enim nocentis effusio mandata est Gen. 9: 6. Tum *primæ tabulæ*; abstinendum ab idololatria, ut eam non sequantur tam corde quam opere; ex 1. & 2. præcepto decalogi. Ratio quæ additur, *in malum vobis*, cohæret ultimo; sed recte extenditur ad cætera omnia; ceu generale argumentum persuadendi à damno inobedientiæ: Ezek. 18: 3. Ubi obiter notetur. In demonstratione conversionis veræ ex operibus, primum locum ea quæ secundæ tabulæ sunt, obtinent. Esa. 1: 16, 17. Amos. 8: 15. Ps. 34: 14, 15. Jac. 1: 27. Etenim primæ tabulæ officia potissimum sunt spiritualia, & in oculos non incurrentia; ad manifestationem autem externæ requiruntur: unde etiam idololatriam memorat, præterea 1 Joh. 4: 20. III promittit possessionem patriæ terræ constantem vers. 7. שכנתי habitare faciam, cum solicitudine quadam, in hoc loco. Additur ratio à donatione patribus à se factæ, non pro ipsis solùm, sed etiam pro posteris, & sic מן עולם ועד עולם τὸ intelligendum, prius de præterito, quando patres fuere segregati per vocationem & fœdus, cujus hæc sunt additamenta: alterum de futuro, & constantia: *à seculo in seculum*: non denotatur utrobique æternitas; sed mora diuturna tantum, à seculo priori, & ad secula secutura, longis temporibus, quæ termino quasi, qui quidem hominibus pateat, carent.

Vers. 8. *Ecce vos habetis fiduciam vestram in verbis falsis, minimè profuturis.*

(2.) *Ostensionem* inutilitatis fiduciæ suæ de Templo, quam indicat *in genere* vers. 8. Ante vers. 4. ab hoc dehortatus fuerat; nunc per convictionem reos peragit, *Ecce*, ducendo eos quasi in rem præsentem, imo testes quodammodo citat contra se ipsos: quod tali fiduciâ peccarent, argumento gemino I. à turpi, *confiditis verbis mendacibus*, II. à noxio, *quæ non prosunt*. לבלתי pro על, sunt mendacia, quæ vana duntaxat, unde nihil damni quis patiatur, quæ solum turpitudinem habent; quia contraria veritati; imo unde commodum sibi aliisve, ut de officiosis judicatur. Sed hic insuper merum damnum rediturum erat.

Vers. 9. *An furando, occidendo, & adulterando, jurandoque falsò & adolendo Baali, denique sequendo Deos alienos quos non novistis,*

Vers. 10. *Etiam venietis & stabitis coram me in domo hac, quæ vocatur de nomine meo, & dicetis, eripimur? ut perficiatis omnes abominationes istas.*

Vers. 11. *An spelunca effractorum fuerit domus hæc in oculis vestris, quæ vocatur de nomine meo: etiam ego, ecce prospexi, dictum Jehovæ.*

In specie, quia non expiet peccata, & quia nequeat avertere judicia.

A. *Non expiare peccata* probat א *Negatione* opinionis ipsorum. vers. 9, 10. quod facit per interrogationem, repræsentando ipsorum facta, & dicta, cogitata. *Facta* alia manifestè impia, violationes octavi, sexti, septimi, tertii, secundi, & primi præcepti; quarum quasi publicè reos peragit, ceu qui contradicere non possent, vers. 9. alia hypocritica, quod tamen frequentarent templum, vers. 10. ceu religiosi cultus studiosi, exaggeratur autem crimen à dignitate templi, ob nominis Dei relationem. *Dicta* seu cogitata, si adeo aperte non credamus profanos, vers. 10. *Liberati sumus, ut faciamus omnes istas abominationes.* Siquidem respicitur ad gloriationem de templo, sensus est: quando solum hîc comparerent, & sacrificia præscripta præstarent, jam omnia crimina impune patrari posse. Locum illum asylum esse quibusvis sceleratis, quibus licentia fiat, dummodo sollicite ea quæ templi religionem attingerent observarent. Alioqui etiam accipi potest de abusu longanimitatis Dei in sua impunitate, quam interpretantur licentiam suarum actionum, quemadmodum Mal. 2: 17. cap. 3: 15. Jud. vers. 4. Rom. 6: 1, 2. Sed hic additur hypocrisis. ב. *Affirmatione* contrarii vers. 11. quod reatum augeant, profanando templum, dum prorsus contrariam conditionem ei afferrent; Dignitas ejus erat, quod foret, *Domus*, locus commorationis honestorum, & ab hero. *Dei*, *de* cujus *nomine vocabatur*, qui sanctissimus: Indignitas contraria, *Spelunca*, locus obscurus, turpis, ubi latebræ quæruntur: & *Latronum*, hominum infamium, & honestatis omnis hostium. Qui istic cudunt sua scelera, & de patratis ibidem gloriantur. פריץ *effractor*, *latro*. Quærit vero an talem judicent? non quod id pronunciassent unquam, qui extollebant templum; sed quod ea agerent, unde nihil aliud dici posset. Christus hoc dicto utitur Matt. 21: 13. contra venditores & nummularios in templo: quia uti latrones spolia sua in speluncis acervant, sic Sacerdotes congerebant ibidem opes per nundinationes quas exercebant. Porro addit testimonium non hominum, sed Dei ipsius; qui etiam cordium notitiam habet, & cui non minus explorata sint dicta cordis, quam oris. Et sane ipsius templi consideratio convincere debuisset. Annon enim hero nota solent esse, quæ domi suæ fiant? Si scelera sua Deum latere posse opinarentur, non utique subeundam esse ejus domum, ubi præsentem eum crederent, non potuisse dubitare, ad omnia attendere. Hinc vero liquet quòd non tantum profanarint locum, sed etiam Deum provocarint in faciem.

Vers. 12. *Nam ite jam in locum meum qui erat Schilunte, ubi feceram ut habitaret nomen meum primum; & videte id quod feci ei propter malitiam populi mei Jisraelis.*

B. *Non avertere judicia* vers. 12--20. probat, ex judiciis superventuris. Vastatione templi, illustrata simili, quod eis proponitur vers. 12. & paria exspectanda significatur vers. 13, 14, 15. ac tandem removetur quod impedire posset vers. 16, 20.

a. *Simile* petitum est ab historia urbis *Schilo*, vers. 12. Eò post occupatam & distributam Cananæam à Josua & tribubus translata fuit arca & tabernaculum. Jos. 18: 1. Eodem convenere tribus quoties consulendus fuit *Dominus* cap. 22: 12. Jud. 18. vers. ult. cap. 20: 18. cap. 21: 12. unde Eli istic habitavit 1 Sam. 1: 3. cap. 4: 12, 13. Sed tandem in bello contra Philistæos arca, quæ inde in castra Israelitarum delata fuerat, capta, & post semestre inter Philistæos exactum remissa, nunquam rediit Siluntem, sed mansit in Kirjath jearim, & inde à Davide, post moram quandam in domo Obed Edomi, Hierosolymam delata fuit. Hæc non recitat Deus, sed ipsosmet in rem præsentem ire jubet; quò non solum auditu, sed visu quoque erudirentur. Observanda in Silunte I. Felicitas, ex dignitate 1. nominis, *mei loci*, 2. rei, *ubi habitare feci* &c. 3. ordinis *in initio*, post Cananæam occupatam. II. Calamitas. *quid fecerim*: quæ est amissio istius dignitatis: arcæ amissio, & Sacerdotum mors ut gloria periret, Icabod. III. Causa calamitatis, *peccata* tum Sacerdotum, filiorum Eli 1 Sam. 2. tum populi universi. Ps. 78: 57. Quæ omnia latiùs sic explicantur. Describit Siluntis dignitatem, quod fuerit suus *locus* præ omnibus aliis in terra, & ratio quia ibi collocaverat nomen suum, hoc est, testimonium præsentiæ suæ. *Nomen* pro numine sumitur; ubi arca super quam habitabat nubes, & ubi respondebat interrogantibus; ubi conventus solenniores agebantur, imo quo concurrebant quotquot *spirituali* religione ducerentur. Deus porro se eò collocasse dicit tabernaculum, quia non sine ejus mandato id factum fuisse credibile est, quandoquidem in deserto quoque per nubem designabat locum, ubi figi vellet tentorium. Opponit, quam observare jubet, contrariam vastitatem & solitudinem, ejusque causam dicit malitiam incolarum. Eoque discere non affixam Dei præsentiam & benedictionem loco alicui, siquidem aliàs adhuc in Silunte foret tabernaculum, ubi primam in Cananæa sedem obtinuerat. Commendatur hoc pacto memoria temporum præcedentium; & quæ alibi facta sint, quæ tamen exempla forent inspicienda, ut inde discatur quod

quod ex usu fiet. Porro dignitas loci alicujus maxima est, si memoriam nominis sui istic Deus collocet, & à se denominationem largiatur. Ezek. 15: 2. pollicetur Deo Israel זאת hoc fit non tantum externæ domus structura, sed inprimis oblato & sanctificato corde, resipiscentia Esa. 57: 15. fide Eph. 3: 17. nova obedientia Joh. 14: 23. 2 Cor. 6: 16, 17. precibus & gratiarum actione. Ps. 22: 4. Denique omnis ista dignitas quæ loco alicui fit, propter peccata perit, hæc annihilant privilegia nominis, dignitatis, ordinis, quod exemplum Israelis, & Ecclesiarum Asiæ confirmat.

Vers. 13. *Itaque nunc eò quòd facitis omnia opera ista, dictum Jehovæ; & dum alloquor vos inde à diluculo indesinenter, non auditis, & inclamanti vos non respondetis.*

Vers. 14. *Ideò faciam huic domui quæ vocatur de nomine meo, in qua vos confiditis, & huic loco quem dedi vobis & majoribus vestris, quemadmodum feci Schilunti.*

Vers. 15. *Et abjiciam vos à facie mea, quemadmodum abjeci omnes fratres vestros, totum semen Ephrajimi.*

b. *Applicatio* hujus similis. quod paria sint metuenda; per convictionem similis I. causæ, II. pœnæ. *Causa* quidem vers. 13. Et nunc, instantem mutationem indicat, quia hæc omnia facitis, quæ enumerata vers. 9. &c. sed aggravat ab obstinatione contra omnia media, à se oppositа, externa tamen: ubi factum 1. suum, se locutum, quia per Prophetas suus sermo propositus fuerat; & quidem constanter & diligenter, mane surgendo & loquendo; clamando: 11. ipsorum, non audiendo, non respondendo. *Pœna* autem quod par felicitas, pari calamitate sit mutanda: ubi *subjectum* pœnæ, locus, tum templum, dignitate nomen ferens Domini, fiducia Judæorum, inde securitatem exspectantium, tum urbs Hierosolyma, totaque terra, data ipsis hæreditate continuatâ, & patribus primâ donatione, pœna loci, qualis Siluntis, ut Deus deserat testimonio suæ præsentiæ, non tantum urbem unam, sed jam totam terram. vers. 14. *Personæ*, vers. 15. incolas ipsos ejiciam à facie mea, non simpliciter quasi omnem favorem deinceps eis negaret, contra est Ezek. 11. sed à terra Canaan, cui præ cæteris favebat Deut. 11: 12. Confirmatque simili, quod eadem X. tribubus intulisset, tum quia nunquam in illarum portionem arca rediit, sed in Judæ remissa à Philistæis Ps. 78: 67, 68. tum quia illas deportari fecerat in Assyriam & Mediam per reges Assyrios. *Semen Ephraim* autem vocat, quia in ejus ditione fuit Silo; quia primus judex in Cananæa fuit Josua Ephraimita; quia ea tribus potentissima omnium, præter Judam; quia primus rex divisi populi Jeroboam Ephraimita, & in ejus territorio Samaria sedes regni. Hinc apud Hoseam frequenter Ephraim de X. tribubus dicitur. Quemadmodum Judæ nomine quoque Benjamin comprehenditur 1 Reg. 11: 36. cap. 12: 20, 21. Sane rejectio Siluntis causam aliquam dedit Exilio ultimo Ephraimi & X. tribuum. Nam deficiente Jeroboamo à Domo Davidis, quia non habebat tabernaculum Dei in suo regno, maluit per idololatriam proprium erigere, quam Hierosolymam proficisci: unde apostasia Israelis cœpit, & inde Exilium, quod nunquam adhuc penitus finitum fuit. Cæterum hinc evidens imitationem peccati adducere similitudinem judiciorum, quod urget Christus Luc. 13: 1. &c. Rom. 11: 21, 22. 2 Pet. 2: 3. seq.

Vers. 16. *Tu ergo ne orato pro populo isto, neque efferto pro istis clamorem & orationem, neque intercedito apud me: nam minimè essem exauditurus te.*

c. *Removetur* de hinc quod impedire posset, Templum Deus sibi sacrarat Deus in domum sacrificii seu orationis. 2 Chron. 7: 16. Judæi mutarant in speluncam latronum, & eapropter merito cum templo repudiabantur vers. 19. &c. sed si quis rectè uteretur templo, ceu domo orationis annon se & templum conservasse oportuit? Esa. 56: 7. Hujusmodi objectionem Deus occupat vers. 16. & rationem reddit suæ denunciationis. vers. 17—20.

a. Propheta videbatur oppositurus *preces divino judicio*; Deus ergo iis interdicit vers. 16. quomodo eas frustraneas fore significat; Prohibet I. preces pro populo, quas ipse conciperet, II. earundem Zelum, in clamore & iteratione, III. importunam instantiam, quæ extorqueat exauditionem. Prohibitionis causam dicit, quia non sit audiendus in hisce. Hic oritur.

Quæst. I. An Propheta, Ecclesiæ doctor, unquam possit bona conscientia abstinere à precibus pro suis auditoribus, & populo in quo vivit fungiturque munere? Resp. I. Ministri tenentur ex officio precari pro Ecclesia Heb. 13: 17. vigilandum ipsis etiam apud Deum, ut ejus gratia conservetur. Esa. 62: 6, 7. ut retineant Deum discessurum Esa. 64: 5. avertant judicia adducentem Ezek. 13: 5 cap. 22. vers. ult. ut Moses Ps. 106: 23. Hinc Samuel 1 Sam. 12: 23. II. Attamen preces debent esse conformes voluntati Dei. Spiritualia beneficia, conversio, fides, sanctitas, augmenta gratiæ semper postulanda, nec non externa tranquillitas & judiciorum aversio: verum ut attendatur ad circumstantias, quando abstinendum à precibus, Deo videlicet interdicente. Id facere colligitur 1. si talia sint populi peccata, ut Deus remittere prorsus nolit 1 Joh. 5: 16. Interest enim gratiæ Dei ne illa petatur pro iis, qui gratiam conculcant; sic Christus Joh. 17: 9. non pro mundo rogo, & Apostoli excussere pulverem pedum in eos qui Euangelii prædicationi adversabantur Matt. 10: 14. Act. 13: 51. cap. 18: 6. nam pro his noluissent precari. 2. si talia ut nolit sine exercitio judiciorum. Jer. 4: 8. cap. 13: 14. Ezek. 24: 14. Interest enim veritatis Dei ut comminationes mandentur exsecutioni. Exemplum in Mose Deut. 3: 26. 3. Si maneant impœnitentes pro quibus petitur Ezek. 14: 14. Jer. 15: 1. Interest enim justitiæ Dei, ut perseverantes in peccatis juste puniantur. Sic 1 Sam. 16: 1.

Quæst. 2. An Deus negligat preces piorum prophetarum, quas fundunt ex conscientia muneris? Resp. I. Deus audit preces juxta voluntatem suam conceptas Ps. 65: 2. 1 Joh. 5: 14, 15. Eoque & prophetarum piorum, Apostolis & successoribus eorum dictum est Joh. 16: 23. II. si quid petituri essent quod adversaretur voluntati Dei, etiam occultæ, mavult eos abstinere à precibus, ne negare debeat ut hic & Jer. 11: 14. cap. 14: 11. aut subducit spiritum precum, Esa. 64: 7. coll. cum cap. 63: 17. Interdum tamen interdicit precibus, non quod nolit fieri, sed ut ad eas excitet & in iis reddat fervidiores Exod. 32: 10. &c. Jud. 10: 10. &c. Apparet autem quanti pias preces Deus faciat, ut malit omitti, quam eas sine successu quodammodo videri negligere. Habent enim aliquam vim majorem Jac. 5, Esa. 27: 5. Exemplo Jacobi Gen. 32. Hos. 12. Mosis Num. 14. Eliæ. 1 Reg. 18.

Vers. 17. *An minimè vides quid isti faciant in civitatibus Jehudæ, etiam in plateis Jeruschalaimorum?*

Vers. 18. *Ipsi filii colligunt ligna, eorumque patres accendunt ignem, ac fœminæ depsunt massam: ad faciendum popana rebus cœlestibus, & libandum libamina diis alienis, ut irritent me.*

b. Ratio porrò, cur Deus velit abstinere Prophetam à precibus redditur vers. 17, 18. & quid Deus facturus indicatur vers. 19, 20.

Cur abstinendum, sunt peccata, quæ patrabantur I. publicè vers. 17. *Annon vides* &c. Non opus subire domos & investigare, publice fit, in omnibus urbibus Judæ, & in plateis, ac foris Hierosolymæ, II. ab omni ætate & sexu, collatis operis vers. 18. viri, & fœminæ, & pueri, III. deliberato consilio vers. 18. nam ea suscipiunt, unde liquet hoc unum spectare. Quemadmodum Jer. 44: 16. seq. Ezek. 8. De Idololatria hoc incertum est, מלכה quidam reddunt Reginam, &, uti Molech Solem, sic hanc Lunam designare putant, quæ fuere potissima numina Gentilium; uti observavit Vossius de idololatriâ Gentilium. Et quemadmodum viri

ſolem, ſic mulieres Lunam coluiſſe autumant. Alii מלאכת ſignificari putant, & omnia ſidera deſignari, quemadmodum alibi dicitur Jer. 8: 2. 2 Reg. 21: 5. cap. 23: 5. Heic cultus exhibitus ſignatis libis, ſive imago lunæ ſideriſve, aliave nota imprimeretur. Heic vero pueri congerebant ligna, viri accendebant focum, mulieres depſebant maſſam unde liba formabant & coquebant. Sic olim ſeculo quarto Collyridiani in Arabia, teſte Epiphanio, in honorem Mariæ Virginis, Collyridia ſeu placentas parabant & proponebant; quod mulierum fuit idololatriam ſic exercentium. Et in Miſſa ſolet libis hoſtiæ crux imprimi: Eſt vero univerſalis apoſtaſia, ubi ubique omnes conſpirant ad ea quæ declinationis ſunt.

Verſ. 19. *An contra me* eſt, quòd *iſti irritan? dictum Jehovæ, an non contra ipſos, propter pudorem faciei ipſorum?*

Verſ. 20. *Idcirco ſic ait Dominus Jehovi, ecce ira mea & excandeſcentia mea effundetur in locum hunc, ſuper homines & ſuper jumenta, & ſuper arbores agri, ac ſuper fructum terræ, ardebitque ita ut non extinguatur.*

Quid Deus vero eapropter *facturus* verſ. 19, 20. indicatur, ſignificando certitudinem pœnæ verſ. 19. ægritudinem ea ratione afferunt non Deo, quamvis idololatriâ provocetur; ſed ſibimet ipſis; cum pudefaciendi ſint, quando nempe, nullum ex idololatriâ emolumentum ad ipſos ſit rediturum, nulla defenſio quamquam id opinati ſint Jer. 44: 16. &c. כעס *ægritudinem* notat, & hoc ſenſu uſurpatur verbum ipſum: aliàs eſt *ad iram provocare*; ſed ſic minus commode reciprocus ſenſus obtinet. Gravitatem etiam verſ. 20. pœna per meton. effic. dicitur *ira & excandeſcentia*; ſubjectum, homines, bruta, plantæ majores & minores; modus inſtar ignis inexſtinguendi: Quomodo ſæpiſſime deſcribi ſolet.

Verſ. 21. *Sic ait Jehova exercituum Deus Iſraelis: holocauſta veſtra adjicite ad ſacrificia veſtra, & comedite carnem* eorum.

II. *Altera deceptio* populi fuere ſacrificia, cultus illius loci externus præcipuus: quæ I. repudiat verſ. 21. II. cauſam dicit geminam, 1. quia plane alio ordine præſtarentur quam præceperat verſ. 22--28. 2. quia conjungerentur cum abominandâ idololatriâ, verſ. 29--31. quæ pœnam graviſſimam attractura erat. verſ. 32. cap. 8: 3.

1. *Repudiatio* Sacrificiorum verſ. 21. habet præfationem conſuetam, *ſic dicit Dominus Zebaoth, Deus Iſraelis:* ubi ab Eſſentia, Dominio & moderamine, ac fœdere gratiæ deſcribitur. Repudiationem ipſam, *Holocauſta* &c. Varia fuere apud Judæos uſitata ſacrificia. Abrab. duo extrema commemorari ait, digniſſimum & viliſſimum. Illud fuiſſe Holocauſtum, quod totum cedebat Deo, per flammam & fumum quaſi ad Deum adſcendens, unde nulli Sacerdotum, nedum alicui de vulgo quicquam licebat guſtare. Hinc dicitur Num. 28: 2. לחם *panis* ſeu *cibus* Domini. Iſtud paſicum ſeu euchariſticum, de quo & Sacerdotes, & offerentes comedebant. Nam adeps inteſtinorum omnis, cum renibus & adipe eorum, omento item tegente jecur, comburebatur Deo in altari, pectus & humerus dexter cedebat Sacerdoti, reliquum offerenti. In aliis Sacrificiis, pro peccato & reatu, ſoli Sacerdotes partem conſequebantur. Hinc ergo Agnus Paſcalis vocatur זבח Exod. 22. 27. quia de eo domeſtici omnes comedebant. Jam Deus ait, *Addite* &c. ut omnium par ſit ratio, & *veſcimini eis* velut carne communi, ad veſtrum uſum & nutrimentum nullo divini cultus intuitu mactatâ. Τὸ σφαγιάζετε non mandantis eſt, ſed permittentis, *facite hoc*, perinde erit; ſeu repudiatio; componite omnia & abſumite, nullam eorum partem volo. Scilicet Sacrificia in mactatione & combuſtione hoſtiarum conſiſtentia. Si ſola ſint nullo loco ſunt apud Deum, & ſatiùs ad uſum profanum converturtur. Non opus eſſe illa perditione, poſſe eos illa carne veſci, & familiam alere, æque ac ulla aliâ, qua neutiquam præſtaret caro hoſtiarum potiſſimarum. Rationes autem præfatione continentur, hoc dicit I. *Jehovæ*, qui omnibus eſſentiam largitur & conſervat: non ergo indiget ut alatur holocauſtis. Nam quod ſacrificia cibus Dei vocentur Lev. 3: 11. cap. 21: 6, 8. non probat Deum iis veſci; ſed quemadmodum quod quis edit abſumit, ſic quod Deo offerebatur, igne abſumebatur, aut cedebat Sacerdotibus, miniſtris Dei; non autem uſibus offerentis. Act. 17: 24, 25. II. *Zebaoth*, nomine proprio: qui omnium Dominus, omnia ſub ſua poteſtate habet. Qui proinde ſi indigeret cibo & potu, non exſpectandam haberet oblationem hominum. Pſ. 50: 9. &c. Item moderator temporum, qui omnibus rebus ſuam durationem aſſignavit, adeoque qui ab iſtiuſmodi ſuæ durationis continuationem non conſequitur, uti quidem veſcentes alii. Act. 17: 26. Pſ. 102. III. *Deus Iſraelis*, fœdere conjunctus, quod aliis conditionibus conſtabat, Gen. 17: 17. non autem pactione ſacrificiorum. Pſ. 50: 7, 8, 14. Cæterum ſimilis locus exſtat Hoſ. 8: 13. Sacrificiis ceu communi carne frui dicit, quia diſpliceant omnia Deo, & cauſa verſ. 12. neglectus obedientiæ & normæ ejus. Quemadmodum etiam hic fit.

Verſ. 22. *Nam non ſum loquutus cum majoribus veſtris, neque præcepi eis quo die eduxi eos è terra Ægypti, de rebus holocauſti & ſacrificii.*

Verſ. 23. *Sed rem hanc præcepi eis, edicendo, auſcultate voci meæ, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in tota via illa quam præcepi vobis, ut bene ſit vobis.*

2. *Cauſam* enim in ſequentibus dicit geminam. verſ. 22--28.

(1.) *Ratio prima* repudiationis eſt, quod aliter quam præcepiſſet offerrentur, ubi I. quomodo præcepiſſet verſ. 22, 23. II. quomodo obtemperaſſent. verſ. 24--28.

A. *Quomodo præcepiſſet*, dicit לא דברתי verſ. 22. ubi I. quibus, patribus ipſorum, II. quando, cum ex Ægypto eduxit, III. quid non egiſſet, non locutus ſum, nec præcepi, IV. de quo, de materia holocauſti & ſacrificii.

Sacrificia à ſe mandata negat Iſraeli egreſſo ex Ægypto, ſed non patriarchis antiquioribus. Illos ſacrificaſſe docent toties ab ipſis excitata altaria, quæ à ſacrificiis nomen habent apud Hebræos; in hiſtoria Abrahami *Iſaaci* & Jacobi: huic ejus excitationem mandavit Deus Gen. 35: 2. & Abr. oblationem filii ſuſcipere juſſit Gen. 22: 2. Sed an prius juſſerit ſacrificia? diſerte apud Moſem non legitur. Attamen veriſimile eſt juſſiſſe. Etenim diſplicet Deo omnis ἰθελοθρησκεία, ut hîc verſ. 23: 24. quemadmodum quivis herus leges ſerviendi famulitio præſcribit, non autem ipſis permittit, ut eas definiant, quibus ipſe teneatur acquieſcere: ſic quoque Deus in domo ſuæ Eccleſiæ. Placuiſſe autem ſacrificia Deo, ex eo, quod Abel obtulit, liquet Gen. 4: 4. & Heb. 11: 4. coll. Fidem placentem Deo verbo niti oportet; verbum ergo anteceſſiſſe neceſſum eſt. Non illud demum quærendum in Abelis ſacrificio; ſic ante nullum fuiſſet; cum tamen recitetur ceu cultus ordinarius, ſtata tempora habens, finem dierum. Igitur alii aſcendunt ad tunicas, primis parentibus à Deo confectas Gen. 3: 21. quas animalis fuiſſe cenſent in victimam oblati. Cloppenb. Schola Sacrific. p. 12. עור nuſpiam aliud quam externam animalium pellem ſignificat. Eam Deus non condidit novam, ſed animali excoriato detraxit: cadaver autem illud non abjeciſſe eſt veriſimile, ut vel putreſceret, vel ab aliis brutis devoraretur, ſed adhibuiſſe in holocauſtum. Typo excellentiſſimo Meſſiam repræſentans, qui poſtquam oblatione ſui ipſius expiavit peccata, habuit quod ſuppeditaret tegumentum nuditatis ob peccata abominandæ. Judæi quidem primum Sabbathum oblatione primi ſacrificii ad expiationem peccati inſigne fuiſſe opinantur. Accedit diſtinctio animalium in munda & immunda, non quoad eſum hominum; cum carnium eſus ante diluvium non fuerit conceſſus, ſed quoad uſum ſacrificiorum, & hîc quoque delectus ſolius Dei fuit; fuitque tempore Noachi notiſſimus. Gen. 6. Non ergo ἰθελοθρήσκως ſacrificarunt Patriarchæ; attamen ἐκδοσις, occaſiones captantes teſtandi ſuam fidem & religionem.

Sed

Sed an nihil mandavit Deus Iſraeli ex Ægypto egreſſo de hoc genere cultus? utique repugnare videntur Exod. 3: 12, 18. ſervire Deo eſt ſacrificare. cap. 5: 1, 3. cap. 8: 25. &c. cap. 10: 25, 26. præterea Leviticus repugnat, qui de iſtiuſmodi cultu fuſe loquitur. Reſp. Judæi ſe hic torquent. Maimon. in More lib. 3. cap. 32. bifariam conciliat, I. Primam intentionem Dei fuiſſe, ut ipſum apprehenderent & colerent; ſecundario addita ſacrificia, ut exinde id diſcerent, & tranſlato in ſe cultu externo ab idololatria abducerentur. Ipſos autem Judæos ſecundarium egiſſe cum neglectu primæ intentionis. (Sed juxta Abrab. nec primæ, nec ſecundæ intentionis mentio occurrit.) II. Prima præcepta poſt exceſſum ex Ægypto nihil dicere de ſacrificiis; Paſcha quod זבח dicitur, in Ægypto mandatum, poſt demum illud Exod. 15: 26. ubi *ſtatuto* Sabbatha; *judicio* judicia deſignari putant. (Abrab. dicit ſive priore ſive poſteriore loco Sacrificia mandata ſint, mandata fore, contra quam Jeremias aſſerat.) Aben Ezra docet, hominem integrum obedientia cum Deo conjunctum fuiſſe, ſed lapſo Sacrificia imperata ceu medicinam, ut per ea reſtitueretur conjunctioni cum Deo. Verum hæc ad rem non faciunt, cum de egreſſis ex Ægypto loquatur. Abrabanel. *Cum Iſraelitæ conſiſterent ad montem Sinai, audiverunt legem & præcepta, de rebus credendis & faciendis, ſed nihil de ſacrificiis. Aſt poſt μοσχοποιΐαν, patefacta pravitate cordis ipſorum, neceſſum fuit morbo ipſorum medicinam parari, quod factum in ſacrificiis pro omnis generis peccatis: niſi autem peccaſſent, his non indiguiſſent.* Kimhi vult Deum non tam præcepiſſe quam permiſiſſe ſacrificia. Etenim obedientiam poſtulaſſe, & hoc conditione dediſſe Decalogum: in quo licet univerſæ Legis compendium habeant, nihil de ſacrificiis memoretur. Neque mandaſſe ut hæc offerrent, ſed ſi offerrent, certas leges obſervandas: nulli autem ſigillatim imperaſſe oblationem, uti quidem obedientiam. Hieron. *Quorum reprobavit templum, conſequenter reprobat & ſacrificia; & oblique arguit eos, quod non veneratione ſui, ſed epularum deſiderio immolent victimas. Quod autem ait, Non ſum locutus &c. Manifeſte intelligitur quod primum decalogum dederit in tabulis lapideis, ſcriptum digito Dei, & poſt offenſam idololatriæ caputque vituli, poſtea juſſerit ſibi magis fieri quam dæmonibus.* Alii ſic expediunt, ut nolint abſolute intelligi, ſed ſecundum quid; non ſolum, neque primariò mandari ſacrificia. Quemadmodum Hoſ. 6: 26. *miſericordiam volo, & non ſacrificium*; illam abſolutè, hoc ſecundariò. Sic patebit externi cultus circumſtantias, ſine interni ſubſtantia nullo loco eſſe apud Deum, neque magis illas agnoſcere, ac ſi nunquam mandaſſet, ſed per meram ἐθελοθρησκίαν quam abominatur præſtarentur. Cujus teſtimonia complura in ſacris occurrunt, Pſ. 51: 18, 19. & 50: 8. &c. verſ. 14. & ult. Eſa. 1: 11. &c. Verum etiam Hieronymi expoſitio opportuna eſt. Cum eductis ex Ægypto Iſraelitis Deus voluntatem ſuam aperiret, nulla mentio facta ſacrificiorum. Antequam egrederentur dictum fuit, ſacrificaturos in deſerto; ſed egreſſis Deus propoſuit conditiones fœderis ſui, X. ſententiis comprehenſas, in quarum nulla vel verbulum de ſacrificiis. Harum recitatione finitâ, aliquid ad Moſen dixit de altaribus Exod. 20: 24. Varie hæc exponuntur, Aben Ezra, *impoliti lapides, ne particulæ cœlo ſeparatæ in terram decidrent.* Malè, nam nulla ſanctitas altari ante conſecrationem, non autem vi materiæ. Alii Rabb. *quia ferrum trucidandis* hominibus adhibeatur. Sed ſic neque cultro in ſacrificiis fuiſſet utendum. Maimon. Ne imitarentur Gentiles, qui cœſo pictoque lapide ſtruerent altaria: At qui tempore Numæ fuerunt temeraria de ceſpite altaria; uti ait Tertull. in Apol. c. 25. Chriſtiani ut ſubito erigi poſſet altare & ubique; utpote minime operoſum: vel ut ſubito concideret: tumultuaria altaria, nec retinerent ſpeciem ne locis illis quid ſanctitatis majoris tribueretur. Addunt non fuiſſe præceptum perpetuum, nam in tabernaculo æneum fuiſſe, ſed dum peregrinarentur Iſraelitæ. Atqui mox poſtea tabernaculum conditum, & lex data de ſacrificiis non alibi quam in eo altari offerendis. Sed non tam tanquam mandatum accipiendum eſt, quam ſpontanei religionis exercitii moderamen. Nam terreum ex gleba fieri vult, aut ſaxeum ex non cœſo lapide; ut cuivis, etiam pauperrimo, facillimum foret, nulloque ſumtu hoc ritu patriarchali Deum colere; quemadmodum etiam videtur cuivis illam libertatem indulſiſſe. (Et hinc forte Naamam Syrus, extra Cananæam & commercium Iſraelis victurus, qui non tenebatur inquilinorum legibus, humi tantum avehere ſecum deſideravit, unde altare terreum ſtrueret 2 Reg. 5.) Sed poſtquam ſtipulatione ſua conceſſiſſent in fœdus, præſtituros ſe omnia polliciti, quamquam viribus nullis eſſent, Deus mandavit ſtructuram tabernaculi, & unius altaris, non terrei, nec lapidei, ſed lignei ære obducti Exod. 27: 1. ubi ſolum deinceps ſacrificia offerrentur. Aſt poſt vituli conflationem cum Deus poſt interceſſionem Moſis rurſum fœdus idem ſcriptis aliis tabulis confirmaſſet, mandavit ſacrificia varii generis, variis legibus definita, in Levit. & ab eo tempore cœpit operoſus ille cultus. Ante non aliæ fuere hoſtiæ, quam holocauſta, & pacifica, pro pace ac incolumitate obtinenda vel obtenta, hoc eſt, votiva vel euchariſtica: ſed tum demum inſtituta ἱλαστικὰ, & eorum variæ ſpecies. Horum enim nulla in patriarcharum hiſtoria mentio. Verum quidem Jobum, filiorum una epulantium delictum aliquod metuentem pro ſingulis obtuliſſe Job. 1: 5. ſed vocantur עולות, quæ quidem reſpiciebant vicariam hoſtiam, conjiciendam in ignem iræ divinæ pro reo; aſt non habebant illam impoſitionem manuum offerentis, & χειρόγραφον illud, de qno Col. 2: 14. Recte ergo apud Jerem. negatur tale quid mandatum; ſed tantum ſponte quid ſuſcipienti, lex poſita, quemadmodum circa electionem regis Deut. 17. & divortium cap. 24. quamquam hæc duo in ſe vitium haberent, illud indifferens, vel etiam bonum foret. Quod vero additur, ferro admoto poliendis lapidibus pollui, quid aliud ſignificat, quam quæ hominum judicio & arte decorem addunt, Dei judicio pollutionem afferre; quemadmodum Apoſtolus docet humanam ſapientiam in prædicatione Euangelii, crucem Chriſti inanem inutilemque reddere 1 Cor. 1: 17. cap. 2: 4, 5. Altare iſtiuſmodi excitatum in ſanctione fœderis Exod. 24. & poſt extraordinariis occaſionibus Dei juſſu & inſtinctu ſingulari, à Gideone, lapideum, rupes, & terreum Jud. 6. ſic à Samuele, Davide, Elia.

Affinis huic aſſertioni eſt altera, *non ſacrificaſſe Iſraelitas in deſerto* Amos. 5: 25. *Negat eos obtuliſſe, 40 annis commorationis indeſerto.* Atqui obtulerunt Exod. 19: 22. cap. 24: 5. rurſum in conſecratione Aaronis Lev. 8: 9. præterea ſecundo anno ab egreſſu comederunt Paſcha. Num. 9. tum primo, tum ſecundo menſe. Sed 40 anni intelligendi ſunt ut Num. 14: 33, 34. Exploratores tertio anno miſſi ſunt in Cananæam, & abfuere 40 diebus; tot anni mo... in deſerto tribuuntur ſed connumeratis duobus præteritis; alioqui tantum 38 ſecuti ſunt hoc decretum. Et hiſce 38 annis ceſſarunt omnia ſacrificia, non tantum ob defectum pecorum offerendorum (penuriam enim in deſerto fuiſſe veriſimile eſt; quamvis non totalem, cum alia jumenta ſuperfuerint Num. 20: 4, 8, 11. anno 40. paulo ante mortem Aaronis, & ante victos Midianitas, Sihonemque & Ogum Amoræos.) quam quod offerentes inepti. Non licebat Paſcha comedere incircumciſo, Exod. 12. tales fuere omnes nati in deſerto Joſ. 5. & tales erant extra fœdus Dei quodammodo, cujus ſigillum neglexerant parentes in ipſis, neque ipſi adultiores eam admiſerant. Nullum ergo eis jus ad tabernaculum ejuſque officia, habebantur tanquam Ægyptii, quorum ignominia ablata dicitur, poſtquam fuere circumciſi à Joſua. Præterea quod Amos addit, induſerunt idololatriæ; uti etiam legitur Lev. 17: 7. nam uti vituli conflatio & cultus Ægyptiorum religionem redolebat, ſic huic deinceps quoque adhæſiſſe ex Ezek. 23: 38. Atqui non poterant ſimul participes eſſe menſæ Domini & Diabolorum 1 Cor. 10: 20, 21. Jam II. Καὶ ἰδοὺ verſ. 28. mandaſſe ſe ait I. admiſſionem fœderis, II. ejus obſervationem, cum promiſſo proſperitatis. Admiſſio fœderis, audiendo & acceptando conditiones fœderales, quas Deus ipſis, & ipſi viciſſim Deo præſtare deberent. Formula ſolennis, ubi nunquam occurrit ſolum יהוה ſed ſemper אלהים ſive ſolum ſive una cum יהוה. Non illud: nam יהוה qua eſſentiatorem denotat, debet ſe oſtendiſſe Deus, qui niſi eſſentiam creaturis largiatur, cum quibus contrahat fœdus non habebit. Sin deſignet veracitatem debet fundamentum in fœdere ejuſque promiſſionibus anteceſſiſſe. Aſt את שהים notat venerabilem, nec non judicem, & magiſtratum, judicii poteſtatem habentem cui defenſio ſuorum incumbit: & ſic reſpondet את עם utrobique cum appropriatione, quæ ex fœdere fluit. De hoc nihil evidentius quam quod legimus Exod. 15: 26. & inprimis in fœderis præparatione cap. 19: 2. &c. promul-

gatione cap. 20. & confirmatione cap. 24. Obſervatio, Ambulatione deſcribitur, quod vero omnem viam memorat, intelligit non niſi diverſa officia, ab objectis & circumſtantiis diverſitatem accipientia: vel etiam integritatem Deut. 18: 15. 1 Reg. 15: 5. & quo etiam pertinet illud Gal. 3: 10. Jac. 2. ſic Deut. 5: 32. &c. cap. 6: 1. & alibi ſæpius additis promiſſionibus felicitatis cap. 5: 29, 33. cap. 6: 18, 24. Creberrime hæc repetita à Moſe ad egreſſos ex Ægypto.

Verſ. 24. *Non tamen auſcultarunt; neque inclinarunt aurem ſuam, ſed ambularunt in conſiliis, in ſententia animi ſui peſſimi, denique hæc* fuerunt *ipſis à tergo, non autem à fronte.*

Verſ. 25. *Inde à tempore quo exiverunt majores veſtri è terra Ægypti uſque ad diem hunc, cùm miſerim ad vos omnes ſervos meos Prophetas quotidie diluculo & indeſinenter.*

Verſ. 26. *Non tamen auſcultaverunt mihi, neque inclinaverunt aurem ſuam, ſed obdurarunt cervicem ſuam, pejus fecerunt quam majores ipſorum.*

B. *Quomodo obtemperaſſent*, indicatâ conſtanti eorum praxi verſ. 24--27. & judicio de illâ verſ. 28.

a. Praxis diſtinguitur temporibus. I. prioribus, ſeu præcedentibus. verſ. 24, 25, 26. II. præſenti verſ. 27.

De prioribus indicat in genere inobedientiam verſ. 24. *Audire* obedire eſt, cujus initium inde ducitur: nam quod non cognitum eſt, præſtari nequit. Defectus hic remota. *inobedientiæ cauſa*; ubi enim non eſt cognitio vocis divinæ, nequit adeſſe obedientia, ſed inobedientia. Gentibus fuere tempora ignorantiæ Act. 17: 30. Pſ. 147: 20. & eadem inobedientiæ Act. 14: 16. Sic Tit. 3: 3. Hoc modo argumentatus eſt Jer. 5: 4. Hoſ. 4: 1. &c. Sed præter notitiam requiritur Aſſenſus, ut accedat quis ſua approbatione. Defuit & hoc, non inclinarunt aurem, ceu aſſentientes voci auditæ tanquam veræ & bonæ: & hic defectus quicquid ſcientiæ aderat reddebat inutile. Audita, nec probata, effluunt: aſt aſſenſu probata, fixa hærent. Sed proxima cauſa inobedientiæ ac principalis, *conſilium* & *placitum* proprium, quod non potuit non malum eſſe, cum mali foret cordis. Conſilium Dei bonum eſt, & voce ejus commendatur Pſ. 32: 8. & 73: 24. Prov. 1: 25, 30. Conſilium hominis oppoſitum malum eſt Matt. 15: 19. & noxium Prov. 1: 31. Deut. 32: 28. שרורי *cogitationem*, intuitum mentis notat, mutuato ſenſu à שור *intueri*: vel obſirmationem, à שריר *firmus*. Chaldæa voce: ſemper uſurpatur in malum. Hoc tribuitur peſſimis & deſperatæ improbitatis Deut. 29: 19. Sic Pſ. 81: 13. Tales ſunt quibus adſcribitur, λόγῳ σοφίας, ſed ad ἐθελοθρησκείαν Col. 2: 23. & obſervare eſt in Gentilibus Rom. 1: 21. &c. in Simone Magō Act. 8: 21. &c. *Inobedientia ipſa*, quæ ſecuta eſt, *Iverunt retrorſum, non antrorſum.* Nam Deum non audientes, nec audire volentes non poterant non à Deo recedere. Heb. 3: 12, 13. Propinqui Deo ſunt, qui ejus audiunt conſilium: longinqui qui ab eo ſcortantur, audientes adulteras cupiditates & cogitationes Pſ. 73: 23, 27, 28. In ſpecie diſtinguitur temporibus, priſco & præſenti. Prius facit ad aggravationem, (α.) *à contraria ſollicitudine Dei*, quæ deſcribitur verſ. 25. à duratione, *inde à tempore egreſſus ex Ægypto, uſque ad illum diem*, per annos 890. à miniſtris, *omnes ſervos meos prophetas* Deut. 9: 7. quorum primus Moſes, & qui hunc ſecuti reliqui omnes, qui omnes eandem doctrinam tradiderunt, & iiſdem monitis uſi ſunt ad obedientiam vitæ Zach. 1: 4. cap. 7: 7. ab aſſiduitate per ſingulos, quotidiè mane ſurgendo & mittendo, ut nulla his quies aut otium concederetur; ſed inſtandum haberent jugiter ἐπιμόνως, ἐπιμόνως 2 Tim. 4: 2. (β.) & *inutilitate ejus ſollicitudinis*, verſ. 26. cum ſecuta fuerit inobedientia ſimilis, imò major; juxta illud, ætas parentum, pejor avis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiohorem. Zach. 7: 11, 12. Exempla majorum confirmant errores & inobedientiam; nolunt credere parentes adeo vel deſipuiſſe, vel declinaſſe. Et dum iſtis multum tribuunt, ingenioſi eſſe ſtudent eodem modo, quomodo in malo proficiunt. Sic olim declinatum eſt in Chriſtianiſmo, & pertinaces poſteri in tuendis angendiſque majorum placitis. *Cervicem indurare* eſt metaphora à bobus arantibus, quando molli cervice ſunt, facile flectuntur, quo lubet; ſed ubi induruit cervix, non moventur.

Verſ. 27. *Quum eloqueris apud iſtos omnia verba iſta, ſimiliter non auſcultant tibi, & quum inclamas eos, non reſpondent tibi.*

De præſenti tempore verſ. 27. Prophetam nunc quoque non majori felicitate concionaturum: non audituros loquentem, non reſponſuros vocanti; eoque fruſtra fore occupatum circa eos. Similis exprobratio legitur Jer. 25: 3. &c. cap. 44: 4. &c.

Verſ. 28. *Quamobrem dices eis, hæc* eſt *gens qui non auſcultant voci Jehovæ Dei ſui, neque accipiunt eruditionem: periit fides, & exciſa eſt ex ore ipſorum.*

b. *Judicium* ergo ſubjungitur verſ. 28. *Dices ergo ipſis*, ו illativum hic eſt. Vocat ſimpliciter גוי *gentem*, omiſſâ relativâ particula, *non populum meum.* Deus non amplius pro ſuis vult agnoſcere: quod eis adſcribit, eſt, non audire vocem, aut ſaltem non audire ad emendationem. Prius notitiæ, poſterius obedientiæ contemtum defectumve notat. Et probatio, periit veritas: & exciſa eſt ex ore ipſorum: quia ſua conſilia, quæ mendacium ſequebantur, non Dei, qui ſolus verax: vel quia veram inſtitutionem, & exhortationem non ferebant: vel quia omnia ficta & hyporitica, jactando ſacrificia, cum nulla adeſſet obedientia. *Exciſo* videtur reſpicere Pſeudoprophetas, falſoſque doctores, qui cum deberent plantare veritatem in auribus & cordibus auditorum Jac. 1: 21. eam eradicarent, ne unquam regerminaret: non Dei, ſed hominum verba inculcando, & hæc illis ſubſtituendo. Jer. 23: 26, 27. & verſ. 30, 31. Abrab. *veritas periit ex corde, & exciſa ex ore; fides cordis, & confeſſio oris pariter defecerunt.* Hieron. refert ad tempora Chriſti: quando periit fides, & ablata eſt de ore populi Dominum blaſphemantis. Sic dum non proficit Prophetа ſermonem exaſperat, & majorem animum ſumit ſeſe opponendi: triumfaturus ſi non tanquam odor vitæ, ad converſionem, ſaltem tanquam odor mortis ad confuſionem & ἀναπολόγητον. 2 Cor. 2: 14. &c.

Verſ. 29. *Tonde comam tuam, & abjice, & extolle in locis eminentibus lamentationem, quia ſpernit Jehova & deſerit generationem in quam excandeſcit.*

(2.) *Ratio ſecunda* repudiatorum ſacrificiorum, quod cum idololatria conjungerentur, ubi I. denunciat repudiationem verſ. 29. II. cauſam recitat, verſ. 30, 31. ipſam deſcribit verſ. 32. ſeqq.

A. *Denunciatio eſt*, verſ. 27. cujus gravitas exaggeratur præparatione, *Tonde* נזר *comam ſeparationis.* Sic appellatur coma Naziræi, qui eapſe agnoſcebatur ſegregatus peculiari votò Deo, & obligatus ad obedientiam ſpecialem. Num. 6. qui ſi pollutus ex improviſo fuiſſet à cadavere detonſo crine debebat profanationem teſtari, & oblato expiatorio ſacrificio, de novo Nazireatum auſpicari. Detonſus crinis ſic abjiciebatur, ſed finito legitime Nazireatu crinis in altari comburebatur. Licuit olim alicui vovere mediam oblationem Nazaræi defuncti ſuo voto, & tum per quemcunque vellet Nazaræum offerebat, qui levabatur parte ſumtuum in hoſtiam. Hinc intelligitur Act. 21: 23. &c. licet Paulus non vovebat Nazireatum integrum, qui erat jo dierum, (ni ultra definiviſſet) potuit tamen conferre aliquid ad ſumtus aliorum Nazaræorum. Hìc jubetur Hieroſolyma, ſeu omnis congregatio Judæ tondere crinem Nazireatus & abjicere, hoc eſt, teſtari ſe conjunctionem cum Deo violaſſe eoque ceu pollutam, conjunctionis ſymbolo pri-

privandam, quod abjiciendum ſit, non altari inferendum. Alioqui detonſio capilli triſtitiæ ſignum fuit Job. 1: 20. & alias evelluntur crines. Accedit geſtui *vox lamenti*, & quidem *ſuper colles*, locis ſolitariis. Cap. 3: 21. lamentum tale deſcriplit, ſed reſipiſcentiæ; ſed hic eſt deſolationis extremæ, & tantum non deſperationis. Ipſa denunciatio eſt, *Nam Deus repudiavit* (reprobavit) *& deſeruit* (conjunguntur decretum & exſecutio; quod deſtinavit & egit.) *generationem ſuæ excandeſcentiæ.* דור עברתו: Eſa. 10: 6. vocatur גוי חנף & mox עם עברתי deſtinatus iræ: cujus deſcriptio luculentiſſima Jer. 23: 19. & cap. 30: 23, 24. quo reſpicitur 1 Theſſ. 2: 16. Generatio talis fuit ea quæ in deſerto Pſ. 95: 10. quæ ſub excidium Hieroſolymæ primum, de qua multa apud Ezekielem. Nunquam autem magis quam poſt abnegatum Chriſtum, quando venit Judæorum exciſio, quæ jam per 1600 annos continuata fuit. Eſt hoc grave judicium, ſed gravius adhuc quod contra Achabum 1 Reg. 20: 42. Benhadad איש חרמי & ejus loco venturus erat Achab, quod illi pepercifſet. Maxime contra Edomum Eſa. 34: 5. quo loco Belgæ Interppretes Romam intelligi putant. Huic nunquam ſperanda reſtitutio, ubi ſemel fuerit anathemati datus: aſt ab excandeſcentiâ illa ſperanda eſt, ut Jer. 23: 20. & cap. 30: 24. videre eſt, item Rom. 11. Cæterum juſtiſſima cauſa lamentorum, quando populus, aut homo eſt deſtinatus excandeſcentiæ divinæ. Hinc querelæ Jeremiæ cap. 4: 19. cap. 9: 1. &c. cap. 14: 19. cap. 13: 17. Eſa. 21: 3. &c. cap. 22: 4. cap. 24: 16. & Chriſti ipſius. Luc. 19: 41.

Verſ. 30. *Quia fecerunt Jehudæi quod malum* videtur *in oculis meis, dictum Jehovæ.*

B. Cauſa repudiationis eſt idololatria verſ. 30, 31. Sacrificia non ſunt cultus Dei, quæ fiunt idolis, talia autem ſunt Judæorum, quæ fiunt tum intra templum, tum extra illud. Accuſatio hæc *Generalis* eſt verſ. 30. *nam fecerunt filii Juda,* (quotquot pertinebant ad regnum Juda, etiam Benjaminitæ, & qui ex aliis tribubus reſidui à deportatione ultima inter Judæos morabantur, nec non Levitæ.) *quod malum eſt in oculis meis, inquit Dominus.* Accuſat eos Deus: qui ſe dixerat obſervatorem verſ. 11. & cap. 29: 23. & accuſat malefactorum: Id non agnoſcebant, qui ſe jactabant à pietate, & Doctores laudabant ea quæ fierent, utpote qui timorem Dei aliter definiebant Eſa. 29: 13. quique aliter interpretabantur legem Mal. 2: 8, 9. cum tamen ſibi arrogarent clavem cognitionis. Sed egregie indicatur norma deprehendendi malum, quod tale in oculis non hominum, ſed Dei. Equidem quædam quæ in hominum oculis mala ſunt, vere ſunt talia. Inſunt cordibus natura principia quædam honeſtatis; Rom. 2: 14, 15. ſed non omnia: condemnantur nonnunquam bona, commendantur mala. Non ſine cauſa opponitur oculus Dei & hominum 1 Sam. 16: 9. & utriuſque cogitationes & viæ. Eſa. 55: 8. Heic ergo norma vera conſtituitur, oculi Domini: Id demum malum eſt quod in oculis Domini malum: Etenim ejus oculi puri ſunt Hab. 1: 13. & recte judicant Pſ. 11: 9. &c. Videntque non tantum externa, ſed etiam cogitationes cordis: ut non bonus ſit coram ipſo, qui talis externa ſpecie, ſed cujus etiam interiora conformia ſunt ejus voluntati. Exod. 20: 3. Gen. 17: 1. Pſ. 32: 3. & 51: 8.

Poſuerunt abominationes ſuas in hac domo quæ vocatur de nomine meo, ad polluendum eam.

Specialis, de iis quæ *intra templum*, quod ibi idola ſua collocarint, cum de nomine Dei appellaretur. Crimen erat Deo eripere ſuam domum, & ipſo invito ibi locum facere hoſtibus ipſius. Sic tamen egerant Achaz & Manaſſe. vide Ezek. 8. cap. Sane quæcunque in templo fiebant ſacrificia, dum ibidem hærebant idola, non poterant Deo facta dici, ſaltem non magis quam idolis: imo ſolis idolis, quia Deus non agnoſcebat ſuam domum, eamque deſerebat. Polluta ergo erat Dei domus. Et ſic fit, quoties in eam quid infertur ex humano arbitrio, non ornandæ ſed dehoneſtandæ domui Dei faciunt, quæ hujus generis ſunt.

Verſ. 31. *Et ædificaverunt exceſſa Thophet hi, quod* eſt *in valle filii Hinnomi, ad comburendum filios ſuos & filias ſuas igne, quod non præceperam, neque ſubierat in animum meum.*

Extra templum verſ. 31. deſcribit ſacrificia ipſorum potiſſima, & quam longe abſint à ſuo cultu. Eſt cultus Molechi, qui fuit Deus Ammonitarum, interdictus lege Dei Lev. 18: 21. cap. 20: 2. Deut. 18: 10. Molech idem qui Baal, Conf. Jer. 19: 5. cap. 32: 35. 2 Chron. 28: 3. cap. 33: 6. 2 Reg. 23: 10. Domino & Regi cœlorum, quemadmodum Jer. 8: 2. & Tyrii Saturno immolabant homines, ut Curtius refert, in hiſtoria Alexandri Magni. Locus fuit extra Hieroſolymam *in valle filii Hinnom*, quo nomine jam temporibus Joſuæ appellabatur Joſ. 15: 8. quæ amœna fuit & irrigua profluente rivo Kidron. Hieron. *Illum locum ſignificat qui Siloe fontibus irrigatur & eſt amœnus atque nemoroſus hodieque hortorum præbet delitias.* In hac valle excitatum videtur fuiſſe excelſum, (nam in iis ſacrificabant.) cui *Tophet* nomen. Cultus diverſimode peragebatur, citra cædem liberorum, de quo Maimon. de Idolol. cap. 6. §. 3. Magnus accendebatur ignis, & pater quendam de liberis ſuis dabat Sacerdoti ſervienti igni: Sacerdos filium ſibi oblatum tradebat Patri, qui venia à Sacerdote facta traducebat filium ſuum per ignem medium, ſed eum non comburebat. Hoc dicitur traducere ſemen Molecho Lev. 18: 21. & per ignem Deut. 18: 10. 2 Reg. 21: 6. 2 Chron. 33: 6. Sed alias comburebantur liberi, quod diſerte dicitur Jer. 7: 31. cap. 19: 5. factumque ab Achazo 2 Chron. 28: 3. quod traducere eſt 2 Reg. 16: 3. quo reſpicitur Pſ. 106: 36, 37. Cujus ritus ſic deſcribitur ab Hebræis. Templum Moloch fuit extra urbem: Ipſe Moloch habebat faciem vituli, & manus expanſas, patulaſque & cavas, ſeptem autem Sacellis eò ibatur; qui columbam offerebat ingrediebatur primum ſacellum; qui agnum ſecundum, qui arietem ſubibat tertium: quartum qui vitulum; quintum qui juvencum; ſextum qui bovem; ſeptimum qui filium; & hic oſculabatur Molochum. Hoſ. 13: 2. Filius offerendus collocabatur ante Moloch. Hic vero ſuppoſito igne accendebatur donec totus canderet. Tum Sacerdos filium imponebat manibus ignitis Molechi, donec conſumeretur. Ne vero pater ejulatum filii audiret, תוף tympana pulſabantur: unde loco תופת nomen datum. Quidam vallem תנום dictam putant, quia vox pueri fuerit נהם *rugiens*; vel quod acclamarent Sacerdotes illi, יהנה לך *proderit tibi.* Nam quod Bechai teſtatur, perſuadebant parentibus hoc ſacrificio reliquam prolem ſalvam fore, & omnia proſpera ſuæ familiæ. Poſt reditum ex Babel, quando idololatriæ odium viguit, hæc vallis fuit contemtiſſima, & eo projectæ ſordes, fuitque ibi ignis jugis ad comburenda cadavera, & quæ alia de ſacrificiis extra urbem exportanda erant, quemadmodum Heb. 13: 11. Exod. 29: 24. Lev. 4: 12, 21. cap. 16: 27. Num. 19: 5. Ab eo tempore hoc nomine deſignata pœna impiorum ultima, uti etiam in N. T. Matt. 5: 22. (eodem modo ut paradiſus de æterna felicitate. Luc. 23: 46.) Aſt apud Eſa. 30: 33. æterni ſupplicii locus Tophet dictus fuit. Cæterum Deus per Prophetam commemorat *Excelſa Tophet*, plura numero, forte reſpiciens ſacella complura differentis ſanctitatis. Quæ in valle Hinnom excitata erant, & finis ad comburendos utriuſque ſexus liberos igne.

Mox ſubjungit deteſtationem hujus cultus, *quod non præcepi, neque aſcendit ſuper cor meum*, id eſt, non cogitavi. Cor ergo intelligitur non quod in pectore ſed quod in capite; alioqui non tam adſcendere quam deſcendere dicendæ forent cogitationes. Non eſt cultus Dei, quem Deus non agnoſcit à ſe mandatum, aut cogitatum: Damnat iſtud omnem ἐθελοθρησκείαν, & figmentum bonæ intentionis. Non hominis cogitatio & mandatum, ſed unius Dei juſtificat cultum. Sed quæritur an non tale quid præceptum à Deo? Rectè quidem negat Abrab. nihil de cultu idololatrico Deum mandaſſe, ſed prohibuiſſe: Exempla quoque huc non pertinere vel Jephtæ, qui filiam non obtulit holocauſtum ſuper altare Dei, neque ejus juſſum habuit, verum ex voto anathematis eam necavit, ut multis placet: vel Meſchachi regis Moabi, qui non ſuum, ſed Idumæi regis filium captum, inſpectante patre, mactavit, non tamen ſa-

ficavit. Attamen produxit exemplum Abrahami Gen. 22 cap. cujus imitatione ſacrificia humana inter gentes cœpiſſe veroſimile eſt, inſtinctu Diaboli. Sed non male reſpondet, non mandaſſe Deum Abrahamo ut filium comburet, ſed ut eum loco holocauſti imponeret altari: neque cum diceret והעלהו לעולה hanc fuiſſe cogitationem, ut combureretur, ſed id tantum quod factum fuit: videlicet ut Abraham pararet omnia ad holocauſtum, & in eo opere procederet, quamdiu non impediretur, quod ſe facturum decreverat. Interim natæ ἀνθρωποθυσίαι, ad quas ſe offerunt Mich. 6: 7. Iſraelitæ, & alibi gentiles 2 Reg. 17: 31. Sepharvajitæ. Eſt enim ſuperſtitio crudelis: & ſi per externa tranquillitatem conſcientiæ parare queat, omnium πρῶτα facile obliviſcitur. Poteſt etiam ſic reddi; Non præcepi, in excelſis, ſed in templo uno loco; non de hominibus, ſed de brutis quibuſdam; non Molecho & idolis, ſed mihi; non cum gaudio & tympanis, ſed cum confeſſione peccatorum. Neque unquam in mentem venit; nam quod Abrahamo mandatum, fuit particulare: ut exploraretur ejus obedientia: ut typus exhiberetur hoſtiæ Chriſti, ubi non vera, ſed mors in ſimilitudine ſufficiebat, pariterque reſurrectio.

Verſ. 32. *Idcircò ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ, quum non dicetur ampliùs Thopheth & vallis filii Hinnomi, ſed vallis interfectionis: nam ita ſepeliverunt in Thophetho, ut nullus* ſuperſit *locus.*

B. Calamitas quam minatur eſt tum contra locum cultus, tum contra cultores. *De loco* verſ. 32. addita circumſtantia temporis; minatur mutationem nominis, & uſus. *Nominis*, abolito utroque priori, *Tophet* à tympanis & gaudio & *vallis Hinnom*; & ſubſtituto alio, *vallis occiſionis*: vel quod iſtic mactandi eſſent idololatræ; aut cadavera mactatorum iſtuc deportanda & comburenda: aut infami recordatione mactatorum iſtic liberorum. Damnat Deus nomina idololatriæ Hoſ. 2: 17. Peccata etiam infamiam locis conciliant, vallis Achor, Maſſa & Meriba. *Uſus*, cœmiterium erit ſeu ſepulcretum. Nihil magis alienum à cultu Dei quam cadaver mortuum; unde qui illud attigiſſet arcebatur templo; atque jam in tophet cadavera erant tumulanda. Joſias 2 Reg. 23. oſſa mortuorum comburens ſuper altaribus ea polluit. Hæc vero profanatio loci dicitur inſtituenda, non religione aliquâ reſipiſcentium, ut Joſias egit; neque hoſtili vaſtatione; ſed ab ipſiſmet idololatris, neceſſitate coactis, quod locus deficeret.

Verſ. 33. *Itaque erunt cadavera populi iſtius eſcæ volatilibus cæli & beſtiis terræ, nemine deterrente.*

Verſ. 34. *Ita faciam ut ceſſet ex civitatibus Jehudæ, & ex plateis Jeruſchalaimorum vox gaudii & vox lætitiæ, vox ſponſi & vox ſponſæ: nam vaſtationi erit hæc terra.*

CAP. VIII.

Verſ. 1. *Tempore illo, dictum Jehovæ depromentes oſſa regum Jehudæ, & oſſa principum ejus, oſſaque Sacerdotum, & oſſa Prophetarum, denique oſſa habitantium Jeruſchalaimis, è ſepulchris ipſorum.*

Verſ. 2. *Expandent ea ſoli, & lunæ, totique exercitui cœlorum, quæ diligunt, & quæ colunt, & quæ ſequuntur, & quæ conſulunt, denique quibus incurvant ſe* honorem exhibentes: *non colligentur; neque ſepelientur, pro fimo in ſuperficie terræ erunt.*

Verſ. 3. *Et optatior erit mors quàm vita totiresiduo, iis qui reſidui erunt ex familia peſſima hac, reſiduis in omnibus locis quò depulero illos, dictum Jehovæ exercituum.*

De Cultoribus prædicit I. *ſtragem plurimorum* verſ. 32. hinc nomen vallis occiſionis; ut ob numerum cæſorum, quæ ordinariis locis tumulari non poſſent, in Tophet ſepelirentur, imo ut ob multitudinem tumulari non poſſent, abjectis & relictis cadaveribus devorandis ab avibus & feris. verſ. 33. II. *Vaſtationem* verſ. 34. abolitis omnibus teſtimoniis gaudii, & occaſionibus ejus, in nuptiis, ex omni terra, minoribus majoribuſque oppidis. Contrarii promiſſio eſt cap. 33: 11. III. *Sepultorum calamitatem.* verſ. 1, 2. ne quidem in tumulo quietem fore, ſed ſine diſcrimine dignitatis, maximos æquè ac minimos refodiendos, & ſub dio relinquendos, donec longo tempore computreſcant, & redigantur in fimum, ſtercorandis agris idoneum; nam אדמה *agros cultos* notare ſolet. Vel avaritiæ ergo, ſpoliatione ſepulchrorum, ut Semiramidis, à Dario, Davidis, unde Hyrcanus Pontifex obſidionis ſolvendæ ergo 3000 talenta exemit: Herodes poſtam cellam ſpoliavit Joſeph. Ant. 7. c. ult. Connotatur autem hic pœna quædam talionis: Idololatria iſtorum habuit objectum Solem, Lunam, Stellas: & actum circa objectum, Amorem cordis, ſervitium corporis, obedientiam conſtantem, fiduciam ſupplicem, humilem reverentiam. Zelus idololatrarum poteſt confirmare illud Luc. 16: 8. *filii hujus ſæculi* &c. tantundem præſtandum foret in cultu vero, quod ni fiat, illi nos pudefaciunt. Pœna eſt ut horum, qui vivi ſe illis expoſuere corde & corpore, mortuorum cadavera & oſſa expoſita jacerent, ibique computreſcerent, non tutantibus iſtis numinibus, ſed potius putredinem promoventibus. IV. *Vivorum miſerrimam conditionem*, verſ. 3. cum enim vita amabilis ſit Job. 2: 5. his potior erit mors, quam optabunt, ſed ejus gratiam non conſequentur; idque in omnibus locis exilii; conf. Deut. 28: 66, 67. Vocat Reſiduum reliquorum pravæ hujus familiæ: Idololatrarum reliquos conf. Jer. 44.

Verſ. 4. *Præterea dices eis, ſic ait Jehova, an* ita *cadunt ut non poſſint reſurgere? ſi converteretur an non reverteretur* Deus?

III. *Tertia deceptio*, poſt templum & cultum in eo, eſt profectus ex illo cultu, ſapientia videlicet & cognitio vitæ rectè inſtituendæ ex inſtitutione quæ in templo & ab ordinariis Doctoribus fiebat. Sed hæc adimitur, & jactantia illa reprimitur, variis argumentis intertexta, quibus omnes ſoliditatis convincuntur, I. a communi hominum praxi verſ. 4, 5, 6. II. ab avium nonnullarum prudentia naturali verſ. 7. III. ab abuſu vel neglectu mediorum veræ ſapientiæ verſ. 8, 9. cui ſubjungitur denunciatio judicii verſ. 10--17. & flebilis lamentatio verſ. 18. cap. 9: 2. IV. ab effectis, verſ. 2--8. cui rurſum attexitur denunciatio pœnæ verſ. 9, 10, 11. vero ab oppoſitione veræ ſapientiæ verſ. 12, 13, 14 cui rurſum ſimilis denunciatio addita verſ. 15, 16. & lamentatio verſ. 17--22.

1. Jactabant Judæi ſuam ſapientiam ceu divinam, verſ. 8. *Sapientes ſumus, & Lex Dei nobiſcum eſt.* Tempore Manaſſis & Amnonis interciderat propemodum memoria Legis, publicaque ejus inſtitutio ceſſabat, uſque dum ſub Joſia, protographo reperto, publice rurſum cœpit inculcari. Ab eo tempore procul dubio magnum legis ſtudium viguit apud omnes. Plane quemadmodum poſteaquam ſub initium Reformationis Biblia fere ignota proferrentur in lucem, omnes illa habere & legere voluerunt, nataque opinio magna, de exactâ cognitione Legis Dei. Hanc gloriationem Deus per Prophetam Judæis ademtam voluit, unde novum mandatum, verſ. 9. *Et dices ad ipſos.* Poſt tam graves denunciationes non ſinit Prophetam concioni finem imponere, ſed reſumto quaſi ſpiritu de novo agere ad reſidua præpoſteræ fiduciæ fulcra ſubvertenda. Scilicet Nondum abſolverunt Miniſtri, quamdiu non omnia præſidia peccatoribus ademerunt. Sic Baptiſta Matt. 3: 9. Servator Joh. 8. Apoc. 2, 3, Paulus 2 Cor. 10: 3, 4. Neque enim victores eſſe poſſunt, quamdiu relictum hoſti ullum munimentum, partiliganti

eiganti ſubterfugium, latibulum cuniculo. Ferè captus, non eſt captus; ferè perſuaſus, perſuaſus non eſt. Act. 26: 28, 29. 1 Cor. 14: 24. &c. ut quis idiota vel infidelis in congregationem veniens procidat in faciem, adoret, & præſentem efficaciam Dei profiteatur, anteceſſiſſe debet ἔλεγχος, ἀνάκρισις, φανέρωσις τῶν κρυπτῶν τῆς καρδίας, per prophetantes. Jubet autem novæ convictioni Dei nomen præmittere, *Sic ait Dominus*, ut conciliet autoritatem ſuo ſermoni, ſibique incolumitatem; nec non audientiam & convictionem paret apud auditores. Argumentum I. ab hominum praxi communi. Neque enim directè accuſat jactantiam illorum, ſed præmittit argumenta ea unde jactantiæ contradictoria per ſe ſequatur, non facitis quæ homines vulgo, quæ aves, quid ergo ſapientiam veſtram jactatis? Sic arte quadam utitur, quemadmodum Nathan contra Davidem, 2 Sam. 12. Propheta contra Achabum 1 Reg. 20: 35. &c. Eſaias Eſa. 5: 1. &c, Sic qui gloriæ ducunt convincenti miniſtro non ceſſiſſe, ſubinde tali ſtratagemate eò deducuntur ut contra ſeipſos ſententiam dicant. Cæterum praxin hominum quotidianam I. proponit verſ. 4. II. applicat verſ. 5. III. applicationem confirmat. verſ. 6.

(1.) *Propoſitio* eſt verſ. 4. *An cadent* &c. Variè hæc redduntur. R. Sal. *Anne bonum eſt ut ſemetipſos præcipitent in ruinam, unde nulla detur reſtitutio? & quando voluerint reverti à malitia ſua, non revertetur Deus à decreto ſuo?* vel: *quamvis revertantur per reſipiſcentiam, non erit conſtantia, feſtinabunt enim redire ad ſuam impietatem.* Sic quoque Abrabanel. Targ. *An cadent & non ſurgent? an ad reſipiſcendum? manifeſtum eſt coram me, non reverſuros.* Kimhi. *Cohæret cum verſu ſeq. Cur tantopere inhærent actionibus ſuis malis & renuunt reverti? quoties cecidere per ultionem ſuarum actionum, & poſtea cum reſipuiſſent, ſurrexerunt; quod ſi opinentur, reſipiſcentibus ipſis non averſum iri Deum ab ira ſua; ejus nullum hactenus exemplum.* Hieron. *Illud ſignificat, qui à Deo averſatus eſt, ſi voluerit ad meliora converti, poſſit & Dei furorem in meliora convertere, & venienti obſiſtere, & plagas evitare.* Alii de Judæis intelligunt, *An Judæi non reſurgent poſtquam ceciderunt?* & alterum membrum: *An ſi Iſrael revertatur, non revertetur Deus ab irâ?* aut, *ſi avertatur Iſrael, non etiam avertetur Deus?* aut, *ſi avertatur Iſrael, non rurſum revertetur ad Deum?* Nam τὸ שוב tam *averti*, quam *converti* notat: משובה *averſionem*, ſolum in malum; at תשובה Rabb. *reſipiſcentia.* Commodiſſima, applicatione verſ. ſeq. ſuadente, indicatur praxis communis: Nemo tam ſtolidus, quin ſurgat, ubi ciderit, & ſi declinarit à via in errorem, nolit redire in viam: ipſi pueri, ſiquidem ob imbecillitatem ſibi non ſufficiant, alienam opem fletu & clamore implorant. Pluraliter autem enunciat primum membrum, quia lapſus in præſentia plurium poteſt contingere; alterum ſingulariter, quia aberratio à viâ maxime contingit à ſolitariis. Aut prius in genere, poſterius ſpecialius dicitur.

Verſ. 5. *Cur averſus eſt populus hic*, urbs *Jeruſchalaimorum, averſione pervicaciſſima: retinent dolum, renuunt converti.*

(1.) *Applicatio* verſ. 5. quod interrogando fieri negarat in communi vitâ, ab ipſis admitti docet; & quidem interrogando, ad convictionem majorem: ubi Perſonæ, *hic populus* (populus) *Hieroſolymæ*: vel enim ellipſis eſt antecedentis repetendi ad abſolvendam conſtructionem: vel ellipſis copulæ, *populus & Hieroſolyma*, vel appoſitio, *populus Hieroſolyma*: Enallage generis de populo frequens. Loquitur Hieroſolymitanis, & aliarum Judæ urbium incolis. Factum, *quare averſus eſt*; שובבה Pihel intenſio; ita in bonum Pſ. 23: 3. hic in malum. Sic averſum Iſraelem vocarat X. tribus harumque poſteros cap. 3. Judam autem prævaricatricem: hic vero Judæ idem tribuit elogium: & aggravatio eſt, in modo averſionis, quæ dicitur נצחת *vincens* vel *æterna*; quæ ſynonymiam habent in pertinaciâ, defendendo mala, repugnando bonis conſiliis. תרמית *dolum, fraudem* notat, rationes deceptrices vel extrinſecus propoſitas, vel intrinſecus conceptas, cupiditatum Jac. 1: 14. Eph. 4: 22. atque iſtam deceptionem non tantum audiunt, admittuntque, ſed inſuper cupide apprehendunt, firmiterque omnibus viribus retinent: Repudiant autem detrectantque reverti; unde & hortatores, ac hortationes ſpernere intelligitur. Labi, errare humanum eſt Jac. 3: 2. Pſ. 19: 13. *errores quis intelligat?* ſed lapſus, errores facere vincentes, id vero diabolicum. Tales uti hic deſcribuntur, contrarii omnibus mediis ad frugem bonam reducturis; ſic quoque Pſ. 36: 1. &c. & 58: 4. &c. Achâb hujus ordinis, qui ſe vendidiſſe dicitur ad faciendum malum, 1 Reg. 21: 25. & ſic Iſraelitæ 2 Reg. 17: 17. & de Achazo 2 Chron. 28: 22. nec non Judæis cap. 36: 15, 16. Contra pii lapſi optant erigi, & errantes corrigi Pſ. 119: 176, 59, 60. & moneri Pſ. 141: 5. quam odere ſtoldi, amant eruditionem. Prov. 1. 9. capp.

Verſ. 6. *Attendi & audivi, prava loquuntur, nullum virum pœnitet malitiæ ſuæ, ut dicat, quid feci? quiſque eorum converſus eſt in curſu ſuo, ut equus præceps ruens in prælium.*

(3.) Applicationis *confirmatio* verſ. 6. procedit à teſte, & teſtimonio. I. *Teſtis* eſt vel Propheta, qui quid ſibi inter homines verſanti obſervatum ſit, referat; vel potius Deus ipſe, qui verſ. 4. loqui ſe docet. & hic ſuam refert ad teſtandum aptitudinem, *Auſcultavi, & audivi*; illud diligentiam cognituri, iſtud modum cognitionis indicat. Teſtium qualitas ſic notatur, quos probe attendiſſe & cognoviſſe oportuit, ne quid leviter, nedum falſo teſtentur, Deut. 13: 14. ad notitiam comparandam imperatur דרש τὸ ſtudioſe inquirere, חקר *inveſtigare, perſcrutari.* שאל היטב *ſollicitè rogare* quoſvis, & Apoſtoli fidem ſuam ſic probant 1 Joh. 1: 1. &c. uti Chriſtus Joh. 3: 11. Sed heic Deus parem ſe teſtatur adhibuiſſe curam, quemadmodum Gen. 18: 20. & cap. 6: 12, 13. Pſ. 14: 3. & 33: 13. &c. Jer. 3: 8. &c. cap. 7. 11. cap. 29. Nemo ſibi perſuadeat ſe unquam latere poſſe 2 Chron. 16: 9. in Bechinath Olam dicitur דע כי יש למעשיך זכרין וכי יש למעלה מכך עין רואה ואזן שומעת ות כל שאנגך ואת כל התרגון *Teſtimonium* eſt de impietate oris, cordis & operis. Oris: *Non rectum loquuntur.* כן *rectum* notat, ut Num. 27: 7. cap. 36: 5. Abrab. tamen mavult per ſic exponi: ut Propheta referat, ſe attendiſſe ut audiret quid reſponderent, aut quid mutuo fabularentur, an conſentirent in reſipiſcentiam? audiſſe autem τὸ *Non*, ab aliquibus, recuſantibus: ab aliis, ſic probantibus Prophetæ ſermonem: ſed conſentiente tandem facto, teſtatos averſionem à reſipiſcentia. Sed repugnat accentuatio, quæ τὸ לא per mackaph ſequentibus conjungit. Cordis: *nemo eſt quem pœniteat mali ſui.* Pœnitentia autem illa cordis eſt, ex conſideratione ante factorum. Nec caret momento quod dicitur, mali ſui; pœnitudine dicuntur mali alieni, dolent illud admiſſum & factum improbant, ſed proprii nulla diſplicentia eſt; heic ſibi blandiuntur. Quia vero cordis proditor os eſt, ex illius plenitudine loquens, & pro conditione theſauri iſtius bona malave proferens, heic quoque ſermonis teſtimonio cordis inſtitutum probatur, dicendo, quid egi? Hæc reſipiſcentium vox eſt, poſt examinationem ante actorum, quorum uti notitiam ſic deteſtationem connotat. Examen iſtud ſi inſtitueretur longè frequentior foret hominum reſipiſcentia; ſed illius neglectus facit ut homines ſui ignari fiant & optime de ſe opinentur, cum nihil minus adſit. Conf. Jer. 31: 19. Operis: כלה *totus ipſe populus & quivis eorum, averſus eſt* במרוצתם *in curſu ipſorum*: concordia eſt omnium, una via cuncti pergunt celerrime, citato curſu, ceu metuentes ſegnes, aut inter poſtremos deprehendi; eſtque uniuſcujuſque conſilium proprium, & ſtudium; illuſtrat autem ſimilitudine, ſicut equus ruens in militiam; quando impetu ille feratur, apud Jobum legitur Job. 29: 19. &c. heic autem nova metaph. docetur, dum dicitur שוסף quæ vox inundantis aquæ impetum denotat, quæ nullis repagulis continetur, ſed diruptis aggeribus & objectis molibus, ſumma vi ſe infundit. Brutalis pertinacium peccatorum impetus eſt, cohiberi neſcius; quemadmodum etiam Jer. 2: 24. & Pſ. 32: 9. & hæc naturalis conditio. Job. 11: 12.

Verſ. 7. *Etiam ciconia in cœlo novit ſtata tempora ſua, & turtur, grúſque, & hirundo, obſervant*

vant tempus adventus ſui: at populus meus non noverunt jus Jehovæ.

2. *Argumentum* II. ab avium nonnullarum prudentia naturali, verſ. 7. quæ deſcribitur inductione, I. חסידה *ciconia* à benignitate quam èxercet erga parentes. Aliis milvus. (In Jobo *ſtruthiocamelus* à crudelitate.) in cœlo, hoc eſt, in ſublimi, ut urbes munitæ in cœlum. Quia in editioribus locis, turribus, caminis, abietibus nidulatur. Pſ. 104. LXX. ἡ ἐλάτη δόμος πτηνῶν, χελιδὼν, ἀγρὸς (pro ἀγρεύς) φροντὶς novit מועדיה *condicta ſibi tempora*, non ſua electione, ſed Dei creatoris, qui inſtinctum illum naturæ impreſſit, ut æſtivo tempore uno in loco ſit, hyberno alibi; impar ferendo frigori. II. *turtur*, III. עגור *grus*, IV. עגור *hirundo*, aliis *ardea*, Hieron. *ciconia*, cui primum *milvus*, uti quibuſdam Hebræis ריה; Aliis pica humanæ vocis per doctrinam æmula. *cuſtodiunt*, hoc eſt exſpectant, ceu potius, obſervant, *tempus adventus ſui*. Scilicet aves iſtæ verno tempore adventant ad climata calidiora, & ingruente iſtic hyeme, rurſum ſecedunt; neque id ſemel duntaxat, ſed quotannis circa eandem veris ætatem; non deferentes vel mutantes temporum & oportunitatum vices. Opponitur Judæorum praxis: *ſed populus meus non norunt judicium*, conſuetudinem Domini: quod ipſe obſervandum indicavit. Scilicet peccatores ipſis brutis ſtupidiores ſunt, iſta probe norunt & obſervant, quid ſibi noxium vel utile, & utriuſque tempora, ut hoc amplectantur, illud declinent. Sed Iſraelitæ horum ignari ſunt & ſecuri. Jer. 31:18. Hoſ. 7:11. Ita pigri ſocordia excitatur exemplo formicæ. Prov. 6:8. Quod ad majorem convictionem pertinet, & bruta quaſi ſtatuit hominum magiſtros. Sic Eſa. 1:3. Matt. 23:37. quam ſimilitudinem cavendam habemus.

Verſ. 8. *Quomodo dicitis, ſapientes ſumus, & lex Jehovæ penes nos eſt? utique ecce ad falſitatem operatur ſtilus, falſitatem legiſperitorum* operatur.

3. *Argumentum* III. ab abuſu vel neglectu mediorum veræ ſapientiæ verſ. 8, 9. cui ſubjungitur denunciatio judicii verſ. 10--17. & flebilis lamentatio. verſ. 18. verſ. 2. cap. 9.

(1.) Primùm autem recitat vanitatem gloriationis ipſorum verſ. 8. Quod ſtolidiores brutis dixiſſet, occupat eorum objectionem, quam refutat vehementius. *Quomodo dicetis*, gloriabimini, jactabitis; *Sapientes ſumus?* additaque ratione, ne vanitatis & mendacii argui poſſent, *& doctrina, lex Domini apud nos.* Profectò aliunde vera & ſalutaris ſapientia nequit hauriri. Is verè ſapiens, qui legem Domini habet. Deut. 4:6. Jer. 1:8. Nam exinde ea diſcitur. Pſ. 19:8. & 119:130. experientia Davidis id confirmante verſ. 97. &c. Habere autem intelligitur, non tantum in libro ſcriptam poſſidere, quemadmodum cum apud Judæos aſſervaretur autographum Legis, juxta arcam in S. Sanctorum, & tamen vulgò ignoraretur. Sic Judæi ſunt capſarii Chriſtianorum phraſi Auguſtini, habent Scripturam V. T. ſed non intelligunt: quia velamen incumbit cordibus ipſorum- 2 Cor. 3:3. Ob copulam intercedentem, etiam ſic reddi poteſt, *Sumus ſapientes*, natura & eruditione humana; *& Lex Dei nobiſcum eſt.* Hæc quoque ſacra nobis adeſt. Habere quis debet, ut ſapiens audire queat, non in chartis aut manu, ſed in mente per veram cognitionem, atque etiam in corde per amorem & obedientiam; ut agnoſcatur & obſervetur ceu regula fidei & vitæ, quemadmodum habebat Timotheus 2 Tim. 3:15. At ſic non habebant ipſi; uti convictio vanitatis evincit, quâ oſtenditur I. *abuſus* verſ. 8. אכן *certè*, aſſeveratio præmittitur; quidam à כן derivant, ſic fortè erit pro אך כן *utique rectum, firmum, ſtabile eſt.* Non ſine emphaſi; & hic pertinet ad accuſationem firmandam. Neque id ſolum dicitur à Deo per Prophetam; ſed etiam הנה *ecce*, cuicunque lubet oculos advertere, & rem ipſam intueri, facile videbit, & cogetur fateri. Quid verò id eſt? *ad mendacium operatur ſtylus mendacii Scribarum.* LXX. εἰς μάταιον ἐμοίησε γραφεὺς ψευδὴς γραμματεῖς αὐτῶν: *fruſtra factus eſt juncus mendax ſcribis.* Targ. *ad mendacium facit Scriba calamum mendacii, ad adulterandum*, vid. legem. R. Sal. *Ecce ſapientia veſtra mendaciter in vobis, ut ſanctis leviter, feciſtis ſtylum falſum Scribæ propheterarum veſtrorum.* Kimhi. *Si legem Domini habetis, quid prodeſt ſi non obſervetis: Qui calamum aptavit ad eam ſcribendam, fruſtra aptavit, & Scribæ fruſtrà eam ſcripſerunt; nam quia eam non ſtabilitis tantundem eſt ac ſi ſcripta non foret.* לשקר idem cum לתנם *fruſtra.* Chald. *accuſat ſcribas legis, quaſi data opera eam corrupiſſent.* R. Sal. *Doctores accuſat, qui ſcribas illos ad falſandum moverint.* Sic actum fuiſſet in ſacris, quod in judiciis admiſſum taxatur. Eſa. 10:1. Sed Kimhi populo in genere culpam tranſcribit, publicos illos legis deſcriptores excuſans, horum opera inutili reddita, dum illi non obſequerentur. Abrab. *Reos peragit eos Propheta, quod ſe in omni genere ſapientiæ exercitatos dicerent, & habere legem Domini.* (humana & divina ſapientia inſtructos.) *Quia vero Lex Dei tum ſcripta eſt, tum oretenus tradita, quæ eſt interpretatio præceptorum traditione accepta per manus ſapientum Iſraelis, qui Scribæ dicuntur, quod ipſi dicant verè fruſtrà factus eſt ſtylus Legis ſcriptæ; & fruſtranea quoque eſt expoſitio præceptorum traditionalis Scribarum.* Hæc enim vult eſſe verba impiorum, ſpernentium legem Dei, eligentium autem meditationem aliarum ſapientiarum; quas extraneas vocare ſolent, ſeu ſcientias Græcanicas. Sic Doctores ordinarii culpa vacaſſent, contra quam ſeqq. volunt; atque etiam oralis non minùs, quam ſcripta lex, ſuam haberet commendationem. *Sopherim* vocabulum expendendum eſt: propriè *Scribam* non notat. ספר *numerare, narrare* eſt, non *ſcribere.* Ergo κατ' ἐξοχὴν ſunt illi, qui recitandis, enumerandis & enarrandis præceptis legis vacabant: Interpretes & Doctores legis: ab objecto quia circa γράμμα occupabantur, potius quam ab actu ſcribendi. Quo ſenſu γραμματεῖς vox in N. T. uſurpatur: eò tradu&ta ex verſione Græcâ, quæ ו סופר ſic expreſſit. Hujuſmodi interpretes fuere Sacerdotes & Levitæ, autorati à Deo per Moſen Mal. 2:4. &c. Deut. 33:8. &c. Atenim hos ipſos veriſimile eſt etiam ſcriptionis operam præſtitiſſe. Cum enim Moſes abſolviſſet librum legis, ſeu Pentateuchum, illum Sacerdotibus & Levitis tradidit, non tantum ſingulis ſeptenniis prælegendum in feſto tabernaculorum, ſed etiam cuſtodiendum, aſſervato prope arcam autographo, unde apographa peti debebant, ab ipſis ſolis adornanda, & emendanda. Hinc eis tribuitur fortaſſis עמם סופר Jud. 5:14. & heic עם. Unde gemini ordinis Scribæ, γραμματεῖς, maxime poſt reditum ex Babel, quando longe religioſiores fuerunt circa libros ſacros, ut ſinguli patres familias & majorennes illud poſſiderent, vid. Maccab. 1:61. tum amanuenſes ſacri, tum Interpretes. Poſteriores potiſſimum deſignantur N. T. libris, ubi γραμματεῖς vox quandoque in bonum ſumitur Matt. 13:52. cap. 23:34. & diſtinguuntur à νομικοῖς & νομοδιδασκάλοις, qui traditionum & oralis legis magiſtri fere fuerunt, unde de iis ſemper ſequiori ſenſu ſermo eſt. Heic iſtiuſmodi intelliguntur, qui legem ex magiſtrorum ſententia & traditione interpretabantur: iis tribuit diligentiam etiam ſcribendo demonſtratam; ſed *in mendacium*, hoc eſt, fruſtra, in vanum non reſpondente opere fini, qui intendebatur Eſa. 29:10. Matt. 15:6, 9. adhibitis mediis præpoſteris, falſis interpretationibus; Equidem Oralis illa lex publico ſcripto non erat conſignata, quod etiam nefas fuiſſe teſtantur Hebræi, ut ulla formula fidei aut vitæ publica haberetur, præter δεκάλογον Moſis & Prophetarum. Sed tamen privata ſcripta exſtabant, doctorum ſingularium; (uti de Hillele refert Seldenus, habuiſſe illum compendium aliquod traditionum, ſex ordinibus diſtinctum, in ſubſidium propriæ memoriæ) adhæc plurium conſenſus, & Præceptorum autoritas magnum apud diſcipulos haberet momentum. Atque hæc quoque pertinebant ad defenſionem doctrinamve mendacii. Adeoque gemina hîc Pſeudodoctorum nota, I. quando mendax eſt calamus; ut verbum Dei eſſe dicatur, quod non eſt; quo pertinent omnes traditiones, à verbo Dei alienæ; quæ pro verbo Dei venditantur, Judaicæ & Pontificiæ: libri non ſacri, & revelationes fictæ. II. quando eſt ad mendacium: ut ſalus promittatur ex iis, unde fluere nequit, meritis creaturarum; propriis vel alienis; & quæ alia hujus generis.

Verſ. 9. *Feceruntne ſapientes ut erubeſcerent, conſternatine ſunt & capti? ecce verbum Jehovæ*

hovæ ſpernunt, & cujus rei ſapientia ineſſet *eis?*

(1.) Secundò *neglectus* oſtenditur verſ. 9. tum ex effectis, *Sapientes*, non veri, ſed jactatione propriâ, ex verſ. 8. *pudefacti ſunt*: at ſapientis non eſt dicere; non putaram: *conſternati*, territi; aſt ſapientes contra terrorem muniti eſſe debent: *capti* tanquam laqueo; aſt ſapientes norunt ſe expedire ſuâ ſapientia non minus quam alios Eccl. 9: 15. &c. Exempla hujuſmodi ſapientum Eſa. 29: 10. &c. tum verbis propriis. *Ecce repudiarunt legem Domini*: quam ſe habere gloriati erant, quia non juxta ſenſum Dei, ſed ſuum interpretabantur, Eſa. 29: 13. timor meus eſt præceptum hominum. Hinc vero ex ipſorum argumento, negatur ipſis ſapientia. *Quæ ergo ſapientia ipſis eſt?* vel *cujus rei ſapientia?* Etenim vana eſt omnis ſapientia quæ poſſeſſorem pudefactum, territum, illaqueatum deſtituit: quod non tantum de Judæorum ſapientia ex traditionibus, ſed etiam de Gentilium valet Rom. 1: 21. &c. 1 Cor. 3: 19.

Verſ. 10. *Idcircò tradam uxores eorum aliis, agros eorum poſſeſſuris hæreditario jure, nam æquè minimus ac maximus, quiſquis eſt, deditus eſt quæſtui: etiam Propheta tum Sacerdos, quiſquis eſt, agit falsò.*

(2.) *Denunciatio pœnæ* generalis eſt, verſ. 10. Quia adeo impia & fœda eſt illa impietas; cum Sapientes, qui ſolidiſſimis ſolatiis inſtructi eſſe debebant, contra tentationes, terrores, retia quæ conſcientiis tenduntur, nihil horum habent, ob repudiatum & corruptum omnium ſolaminum fontem verbum Dei, propterea denunciat calamitatum, ſpoliationem bonorum potiſſimorum, *Uxorum*, & *agrorum*; quæ etiam conjunxerat cap. 6: 22. Abrab obſervat talionis pœnam ob vocem לכן, unde æquitas judicii divini conſtet. Repudiarant ſuam hæreditatem, Dei verbum Deut. 33: 4. Pſ. 119: 111. Ergo ſuâ quoque privantur. יורשים non ſunt *hæredes* legitimi, ſed alii, occupantes. Verbum ירש in Hiph. ſignificat, *poſſeſſione donavit*, vel *expulit*: ſic quoque ליורשים forte contrariam ſignificationem induere poteſt, ut ſit *expellentibus vos*: niſi forma conjugationis obſtet. Frequens autem eſt in Scriptura ejuſmodi talionis denunciatio. Deut. 32: 21. Hoſ. 4: 6. Prov. 1. Eſa. 33: 1. ut in Adonibeſek factum Jud. 1: 7. &c.

Confirmatio denunciationis ſumitur à deſcriptione impietatis. *In genere* quidem avaritiæ accuſat omnes, verſ. 10. hæc teſtimonium repudiati verbi Dei, Pſ. 119: 36. teſtimoniorum Dei & avaritiæ amor non conſiſtunt; non magis quam Dei & Mammonnæ Matt. 6: 24. Avaritia idololatria eſt, Col. 3: 5. & avarus idololatra Eph. 5: 5. & his nulla communio cum Deo 2 Cor. 6: 16. neque poteſt collocare fiduciam in verbo Dei Heb. 13: 5, 6. 1 Tim. 6: 10. & accerſit pœnas extremas, ſi univerſalis, ei væ denunciatur Hab. 2: 6. &c. indignatio Dei Eſa. 57: 57. æterna damnatione 1 Cor. 6: 10. radix omnis mali 1 Tim. 6: 9, 10. Quam familiare autem crimen ſit, crebris prophetarum concionibus probari poteſt.

In ſpecie contra Eccleſiaſticos verſ. 10. Taxarat ſapientiæ elogium ſibi ſumentes Scribas; eos nunc vocat Sacerdotes & Prophetas, ordinarios miniſtros & doctores, (non tantum de omnibus & ſingulis, cum Zephanias tum vixerit, una cum ipſo, & Baruch, & forſitan ſimiles alii.) qui ipſi finitâ hâc concione litem moverunt; quos etiam reprehenderat cap. 5: 31.

Verſ. 11. *Nam curant contritionem filiæ populi mei ſecundum curationem* mali *leviculi, dicendo, pax; pax: etſi nulla* eſt *pax.*

Verſ. 12. *Feceruntne ut erubeſcerent, quum abominationem fecerunt? neque* illi *prorſus erubeſcunt, neque ignominia ſciunt affici, idcircò cadent cum illis cadentibus, quo tempore viſitabo illos corruent, ait Jehova.*

Inſimulat porrò iſtos falſitatis quod inſtitutionem non peragerent ſincere, ſed fraudulenter, ad gratiam hominum, quod dicitur Apoſtolo 2 Cor. 4: 2. δολοῦν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, qui ſunt κεντηλεῖα τῆς ἀληθείας. Contrarium autem eſt τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας, & τῇ εἰλικρινείᾳ. Eſt etiam καπηλεύειν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. Ratione *tum judiciorum* Dei verſ. 11. agnoſcentes quidem *fracturam*, calamitatem, juſto Dei judicio immiſſam, non autem caſui duntaxat imputantes publica reip. mala: attamen ex officio adhibentes medicam manum, (ſunt enim Eccleſiaſtici, Medici; Politici magiſtratus chirurgi. Eſa. 3: 7. חובש) leviſſimè id agebant, profeſſi nihil ſubeſſe periculi: quo nomine ſecuros reddebant ingeminata pacis promiſſione; cum tamen longiſſimè à pace & proſperitate omni abeſſent. Scilicet ſuadebant ſacrificia, & vota, atque iſtiuſmodi externa exercitia, unde Sacerdotes reddebantur unctiores. *Tum peccatorum* verſ. 12. quæ ipſimet committebant. Medici quando male, ceſſit, & cum ſanitatem in vado eſſe dicerent, ſubita mors ingruit, aut exacerbatio morbi, pudefiunt; ſed hi medici, licet omnia contraria promiſſis fiant, nullo pudore afficiuntur. Neque tamen ſic contrarium dicit aſſerto. verſ. 9. Nam nunc dicit quales in ſe erant, in mendaciis impudentiſſimi, ut Zedekias 1 Reg. 22: 11. &c. & Hananias Jer. 28: 10, 11. at verſ. 9. loquitur de eventu, qualis impudentibus illis prædictus 2 Reg. 22: 24, 25. Jer. 28: 15. Sic Jer. 3: 3. & cap. 4: 9. coll.

Denunciatio pœnæ ſpecialis contra hos Prophetas v. 12. additur, *propterea cadent* &c. par erit medicorum & morbidorum clades, communi exitio involventur, tempore quo viſitabitur peccatum ipſorum juſto Dei judicio. Jer. 14: verſ. 16. &c. Eſa. 24: 1, 2. Hoſ. 4: 5. Eadem prorſus accuſatio Eccleſiaſticorum, eademque denunciatio fuit cap. 6. 13. &c.

Verſ. 13. *Omnino exſtirpabo eos, dictum Jehovæ; nullæ* ſunt *uvæ in iſta vite, nullique fici in iſta ficu, etiam ipſa folia deciderunt, & quæcumque adhibeo eis prætercunt.*

Denunciatio ſpecialior de qualitate pœnarum quæ imittendæ eſſent univerſis, ſuntque annonæ penuria, & belli calamitas. De defectu annonæ loquitur verſ. , , 14, 15. præmittit autorem & ſcopum judicii. verſ. 13. אסוף אסיפם *colligendo colligam eos* Chald. *Perdendo perdam eos, dicit Dominus, & conſumentur, ſicut conſumtio uvarum de vite, & ſicut ficus de ficu, & ſicut folium de arbore, propterea quia dedi ipſis legem meam de Sinai, & eam tranſgreſſi ſunt.* Quidam poſterius ad סוף referunt, abſumtus, conſumtus fuit, deſiit, defecit, ex Hiphil. Sed reduplicationem eſſe ex infinitivo cognoſcitur; Rad. אסף *collegit, congregavit* ne diſpergatur, item *ſuſtulit*, ne appareat, ſuperſit ampliùs; notat collectionem ad cuſtodiam, aut remotionem: quia removetur à loco ubi erat, ut iſtic non ſit amplius. Dicitur de morte, quia ex numero viventium quis eximitur Eſa. 57: 2. Pſ. 26: 9. colligi ad patres, aut populum ſuum. Fuit Hiph. omiſſo א, ſic Zeph. 1: 2. &c. quemadmodum alias fieri ſolet. Job. 32: 12. אזין 1 Sam. 15: 5. אריצם ſic וירב Jer. 50: 44. cap. 49: 19. הריץ Pſ. 68: 32. ſignificatur collectio generalis in malum, ut eſſe deſinant, quemadmodum inductione explicatur à συγκρίνω Propheta Zeph. 1: 2. &c. *Autor* Deus eſt, ex cujus oraculo, iſta prædicuntur. *Defectus* annonæ indicatur, quia nec *vitis*, nec *ficus* habent fructum. Hi fructus potiſſimi fuerunt, Pſ. 78: 43. & 105: 33. Deut. 28. felicitas ſumma pacis deſignatur ſeſſione ſub vite & ficu. 1 Reg. 18: 31. Mich. 4: 4. Zach. 3: 10. Hab. 3: 17. ubi tamen olea, & agri fructus conjunguntur. *Etiam folium cecidit*, emarcuit; hyberna facies arborum, foliis nudatarum, unde nihil fructuum colligere licet; vel exareſcentibus arboribus. Reliqua obſcuritatem habent, ואתן להם עברום ob defectum accuſativi: quem ſupplent quidam. *Præcepta dedi eis quæ tranſgrediuntur*: ut culpæ recenſio admiſceatur: ſic quoque R. Sal. imò etiam priora per metaph. de ſterilitate Iſraelis uſurpant. Quemadmodum Eſa. 5. Mich. 7: 1. &c. Luc. 13: 6. &c. ut ipſa ſpecies boni deſit, contra quam pius ſe habet Pſ. 1: 3. Jer. 17. Verùm convenientiùs cohærent omnia; *& quæ dedi eis*, fructus quos mea benignitate conſecuti ſunt, *tranſibunt ab ipſis*, עברום

pro

pro יעברו מהם: ut non tantum ſperato proventu careant, ſed etiam collecto priventur, qui inutilis redditus ipſis pereat conf. Hoſ. 8:7. cap. 9: 11, 12. Deut. 28: 33, 38. &c. Hoc modo Kimhi quemadmodum, חזקתני נתוכל pro חוקרת ממני, & בני יצאוני, itemque תמלאמו ופשי Hieron. *Cum tempora prætereant, & æſtati ſuccedat autumnus, & hyeme arborum cadant folia, videbitis cuncta de longe, & ex his non capietis cibos. Non eſt enim uva in vitibus vobis, qui fructus vitium non ſumitis, & non ſunt ficus in ficulneæ, obſeſſo populo, qui ſuarum arborum poma cernit in ab hoſtibus devorari. Folia defluent æſtate autumnoque tranſactis. Dedi enim eis quæ prætorire cernerent, & majori dolore amitterent rerum omnium abundantiam, quam eis tangere non licebat.*

Verſ. 14. Dicentes, *quorſum nos deſidemus? congregamini, & ingrediamur civitates munitas, ut conſileamus ibi: nam* Jehova Deus noſter *ſilentium indixit nobis; quum dedit bibendum nobis ſuccum cicutæ, quia peccavimus* Jehovæ.

Cæterum adhoc judicium (quod circa utrumque excidium Hieroſolymæ ſatis grave incubuit) recitatur *conſilium* populi, & Prophetæ de eo *judicium*.

Illud eſt verſ. 14. *Ad quid, quare, ſumus ſedentes*, manemus videlicet in agris, exſpectaturi maturitatem fructuum, ne intercipiantur; cum non modo nulli ſint, ſed ipſa quoque ſpes ſubducta ſit, neque quicquam metuenda ſit direptio eorum hoſtilis, cum ſterilitas ipſa prævenerit horum violentiam & rapinam. *Congregamini & ingrediamur urbes munitas*; uti quoque hortantur ſe mutuò cap. 4: 5. ונרמה שם Abrab. reddit, *ut ibi conſumamur*: non eo conſilio eò nos recipiemus, quaſi iſtic ſecuri, ſuperiores ſimus futuri malis; novimus enim iſtic nos perituros: Nam Dominus perdidit nos, &c. רמם *exſcindendi, perdendi* ſignificatu uſurpat; facitque hæc verba deſperantium; qui inevitabile excidium ſponte ſubituri eſſent, Joh. 11: 16. quo ſubitò perirent, peccatorum ſuorum veniam deſperantes. Aſt R. Sal. & Kimhi לשון שתיקה, quod vel ſilentium patientiæ, Pſ. 39: 10. Lam. 3: 28. &c. Lev. 10: 3. vel obſtinatæ malitiæ, Amos. 6: 10. vel deſperationis, ut nec queri, nec precari velint. Aut indicatur ſecuritas, quod ubi ſe in munitiones recepiſſent, non amplius ſollicitudine opus foret, ſed liceret ſilentibus in utramque aurem dormire.

Patientiæ erit, ſi ſequentia continuatio ſint ejuſdem ſermonis: ſed reſipiſcentiam eam excepiſſet, oratio Dei mitior. Verum acerbiora comminatur; proinde ſecundi generis potius ſilentium eſt, ut ſenſum malorum quaſi deponant, & fiant uti lapis, quemadmodum Nabal. Et tum ſeqq. ſunt *judicium* Prophetæ; *Certe Dominus Deus noſter fecit nos ſilere* &c. כי præter alia nonnunquam aſſeverationis particula eſt *certe*, *utique* quod pluribus exemplis docet Piſcator in indic. Heb. Confirmant Tarnovius Hoſ. 7: 6. cap. 8: 6. cap. 13: 13. Mich. 6: 4. Eſa. 7: 9. Jer. 2: 35. cap. 22: 22, 24. cap. 29: 10. Sic כי אם *certè ſi* 1 Sam. 14: 39. Jer. 37: 10. Quod ſi accentuum ratio habeatur, videtur alicubi explicandum per כה vel כן, in כי לא 2 Reg. 20: 10. & 1 Reg. 3: 22, 23. *Silere fecit nos, convictos dedit*: Ezek. 16: 63. ita Kimhi, *ipſe ſilere fecit nos, ut obmurmurandi non ſit licentia.* & Targ. quod tamen aliam ſignificationem conjungit, *Adduxit ſuper nos confractionem, & pudore affecit nos.* Silentium pudefacti, convictionis eſt. Non tamen omne ſilentium de convictione teſtatur, Pſ. 38: 14, 15, 16. & Pſ. 39: 2, 3. quemadmodum nec omnis reſpondens, ſe non convictum eſſe docet. Sapientis eſt canibus non oblatrare. Silentiumque ſubinde gravior convictio eſt, & teſtimonium nihil ejus agnoſci, quod imputabatur, eſſeque etiam aliter notum. Efficaciſſima reſponſio, non reſpondere calumnianti. *Silere fecit nos* Hieronymo eſt populi deſperantis vox, *non enim habemus inquit fiduciam deprecandi.* Si convictionis ſilentium intelligatur, ſequens ו commode per *poſtquam* redditur, uti Kimhi exponit Eſa 64: 4. הנה קצפת ונחטא, *Ecce Deus ſilere fecit nos, poſtquam nos potavit aquis fellis.* Nam tum demum ſecuta eſt convictio, poſtquam afflictionibus fuere domiti, quæ convincentes pœnæ, de quibus Hoſ. 5: 14, 15. Lev. 26: 40, 41. *Potare aquis fellis*, eſt graviſſime affligere. Pſ. 80: 6. & 42: 4. lacrymarum afflictionis 1 Reg. 22: 27. ſed acerbiſſimum felle & abſynthio cibari. Pſ. 69: 22. Conf Jer. 9: 14. Targ. poculum maledictionis malæ, tanquam venena ſerpentum. Kimhi venenum expreſſum ex herbis. Cauſa denique, quia peccavimus Domino. Chald. rei ſumus, ſive debitores חייבין hinc in N. T. peccata vocantur debita.

Verſ. 15. *Exſpecta pacem, ſed nihil* erit *boni, tempus curationis, ſed ecce* aderit *terror.*

Verſ. 16. *Inde à Dane auditur ronchus equorum illius, à ſono hinnituum robuſtorum ejus contremiſcit tota terra; qui veniunt ut conſumant terram & quæ implent eam, civitatem & qui habitant in ea.*

Verſ. 17. *Nam ecce ego immiſſurus ſum in vos ſerpentes hæmorrhoidas, contra quas nulla prodeſt muſſitatio; ut mordeant vos, dictum* Jehovæ.

Illuſtrat porrò Propheta judicium ſuum de ipſorum conſilio, verſ. 15. *Exſpectare* קוה terminatione Chaldæâ pro קוה *pacem* &c. Vobis placet ſilentium ſecuritatis, in munitionibus; ſed Deus aliud ſilentium paravit, pudefactionis, ut exſpectando pacem, nihil ejus conſequamini, & loco ſanationis majorem conturbationem, omnibus in pejus ruentibus. Atque ſic progreditur ad denunciationem alterius judicii, bellicæ calamitatis, verſ. 16, 17. cujus proponit I. terrorem verſ. 16. *A Dane*, extremo termino Cananææ ſeptentrionem verſus, *auditur ronchus equorum ejus*; non quod inde exaudiri potuerit Hieroſolymis, ſed à via Danis venientibus, & propinquantibus hoſtibus. Targ. *Propter vitulum Danis*, ut idololatria notetur: ſed minus commode, quia contra Judæos hic agit, qui iſtius idololatriæ non fuere rei. Sic Jer. 4: 15, 16. *A voce hinnitus robuſtorum ejus*, vociferatione feroci militum, *terra commovetur*: quod de voce magna dicitur, non tantum divina Pſ. 18: 8. &c. & 29. ſed etiam humana 1 Reg. 1: 40. poteſt autem intelligi de inhabitantibus: qui commoventur terrore Eſa. 7, verſ. 1. &c. II. noxam; quam afferunt agris & urbibus, abſumentes inde fructus, hinc homines; adeoque univerſalem vaſtationem inferentes. III. Irreſiſtibilitatem. verſ. 17. *Nam ecce mitto contra vos ſerpentes, baſiliſcos* (נחשים, deeſt ו. vel per appoſitionem ad auxeſin.) venenatiſſimi ſerpentis genus: Baſiliſci adeo præſens eſſe dicitur venenum, ut animalia arbores, herbas contactu necet, imo ſibilo & intuitu homines occidat, neque cadaver ejus impune ab avibus beſtiiſve tangatur. *Contra quos non eſt incantatio.* Sic quoque loquitur de aſpide Pſ. 58: 5, 6. Non quod ea valeat circa ſerpentes; ſed quod nil magis contra hoſtes valiturum ſit, quam incantatio contra ſerpentes, quicquid etiam magi perſuaderent vulgo. Ita fore hoſtes inſuperabiles verbis & factis; ut qui nullis blanditiis, nullâ prece moverentur: & hi mordebunt vos, in Pihel, ut intenſio ſignificationis indicetur; mortifera proinde calamitas politiæ.

Verſ. 18. Anima *mea recreatura ſe*, eſt *in maerore: in me animus meus languidus eſt.*

Verſ. 19. *Ecce ſonus vociferationis filiæ populi mei propter* advenas *terræ longinquiſſimæ*, dicentis, *an* Jehova *minimè* eſt *Tzijone? an rex ejus minimè* eſt *in ea? cur irritaverunt me*, ait ille, *ſculptilibus ſuis, vanitatibus alienigenarum? Præteriit meſſis, finita eſt æſtas, & nos non ſervamur.*

Lamentatio denunciationi ſubjungitur triplex, I. ob dolorem populi verſ. 18: 19. II. ob hujus conditionem deſperatam verſ. 20. &c. III. ob trucidatos, & calamitatibus abſumtos v. ult. vel cap. 9: 1.

Lamentatio prima ob dolorem populi, I. proponitur, verſ. 18. מבליגיתי. Kimhi & Elias Levita compoſitum faciunt ex מבליגיתי & מבליני *recreans me*, utroque genere, (מבליגה Job. 9: 27. cap. 10: 20. Pſ. 39: 14.) aliis, quod convenientius eſt nomen מבליגירת *recreatio.* à בלג in Hiphil. *recreavit confortavit, roboravit ſe.* Senſus eſt R. Sal. *ſi dicere, recrea-*

recreatio ista super dolore meo erit. super me cor meum languidum est, propter vocem prophetiarum mihi revelatarum de ultionibus superventuris. Kimhi: *si voluero confortare me super dolorem meum, non possum; nam propter me cor meum languidum est, propter afflictionem meam quæ additur afflictioni Israelis, quod ego eos reprehendam, ipsi vero mihi non obediunt: & hoc est, propter me.* Sic Targ. *quia fuerunt* מלעיגין *irridentes coram & in faciem Prophetas, vaticinantes ipsis, languorem & gemitum adducam super eos, propter reatus ipsorum ipsis incumbentes, inquit Propheta, cor meum languet.* Abrab. *consortatio mea super dolorem meum est, ut eum pone tergum meum rejiciam: sed non possum, nam magnitudo mali perforat claustrum cordis mei, & cor meum super me languidum est.* Significat, recreationem in dolore fruſtra à ſe quæri; quod animus languore tabeſcat: aucta indies triſtitia. II. Confirmatur verſ. 19. indicata populi querelâ; cujus notitia, *Ecce*, perſonæ, *filiæ populi mei*, ſic deſignatur populus, cujus & ipſe membrum erat, congregatio Judæ & Hieroſolymorum; gradus & modus querelæ *vox clamoris*, validus clamor dolentis, locus, *ex terra longinqua admodum*, non ampliùs in patria hærentium, ſed deportatorum, & exulantium in Babele, quæ terra longinqua dicitur Judæis Eſa. 39: 3. Agit de futuris tanquam præſentia forent: neque enim adhuc iverant in exilium ſed tales ſibi jam obverſari dicit, ſeque audire quaſi voces ejulantium in terra captivitates. Kimhi, *vox clamantium ob metum hostium venientium de terrâ longinquâ.* Sequentia, *an Dominus non est in Zion? an rex ejus in eâ non est?* quibuſdam Prophetæ verba ſunt. An Dominus qui idem Rex Zionis, in ea non eſt? quare ergo non deprecantur ejus faciem, & non invocant eum? neque ad eum convertuntur? Sic Abrab. & Chaldæus, & R. Sal. *Annon* &c. *& si revertantur ad ipsum, invenietur ipsis.* Verum Kimhio eſt vox populi ipſius; dicentis, *An Dominus* &c. *hoc si sit, quomodo superveniet nobis hostis? Deus Jehova præsentiam suam habet in Zione, atque ibi rex est, quomodo ergo dominaretur ei prævalens hostis?* Hæc expoſitio convenientior, ſed ut populi ſit non in patria ſecuri, ob imaginatam Dei præſentiam, verum jam exulantis, & Deum blaſphemantis. *An Dominus non est in Zion?* utique Deum inde abiiſſe oportet, terramque deſeruiſſe; cæteroquin inde extorres non vagaremur; quemadmodum Gideon Jud. 6: 13. *An rex ejus non est in eâ?* ſive rex de familia Davidis; utpote qui depoſitus, deportatus, necatus, nullo ſucceſſore legitimo ſuperſtite: ſeu potius, Deus rex, Pſ. 44: 9. & 74: 11, 12. quemadmodum etiam dicitur thronus Dei 1 Chron. 29: 23. quia Davidis & poſterorum regnum à Deo erat. Erit proinde querula accuſatio Dei, ceu fallentis ſuis promiſſionibus; & cum populo adduxiſſet ſuam præſentiam, & defenſionem regiam, nunc cum maxime indigerent, nihil ejus præſtantis. Atque huic opponitur reſponſum Dei, quo non negat ſe deſeruiſſe Zionem, atque curam ejus depoſuiſſe, ſed cauſam facti ſui dicit, *quare irritarunt me*, ægritudinem & indignationem mihi attulerunt, *suis sculptilibus, & vanitatibus peregrini Dei*, Deut. 29: 26. cap. 32: 16, 17. quæſtione autem vehementius exprobrat, ceu cui contradicere non poſſent, ſed ſilendo convictos ſe deberent profiteri. Unde liquet Prophetæ dolorem non tantum fuiſſe ob calamitatem Eccleſiæ ſuperventuram, ſed etiam, & quidem potiſſimum, ob vocatam in dubium Dei veritatem & gloriam ejus, ab iis qui deportati erant; quaſi nihil in ſe vitii foret, ſed in Deo, non præſtante quam dederat promiſſionem. Eſtque hic piorum graviſſimus dolor, non de iis quæ patiuntur ipſi, ſed quid patitur nomen & gloria Dei; quando ejus veritas deficere dicitur; quam præ cæteris attributis Deus ipſe charam habet Pſ. 138: 2. Huc pertinent omnes illæ querelæ, quando metuunt pii, ſibi exprobratum iri, Ubi eſt Deus veſter Pſ. 42, 43, 115. videantur Pſ. 74: 77, & alii.

Verſ. 20. *Præteriit messis, finita est æstas, & nos non servamur.*

Verſ. 21. *Propter contritionem filiæ populi mei contereor: atratus incedo, stupor corripit me.*

Verſ. 22. *An opobalsami nihil est in Gilhade? an medicus nullus est ibi? nam cur non convaluit filia populi mei?*

Lamentatio ſecunda ob conditionem populi deſperatam verſ. 20--22. ſubductis opportunitate & mediis conſervationis; Præmittit, ceu cauſam querelæ primam, defectum opportunitatis verſ. 20. *Transiit messis, defecit æstas, & nos non sumus servati.* Suppetiæ exſpectabantur Judæis ex Ægypto contra Babylonios; ſed his veniendum erat æſtate, tempore meſſis, quando bellum oportunè geritur 2 Sam. 11: 1. & ſuppetit commeatus; maxime iſthic ubi mox à Paſchate meſſis incipiebat. Sed præterierant meſſis, quæ cum Pentecoſte finem habebat, & æſtas tota, neque quiſquam venerat in auxilium, & inſtans hyems omnem in futurum ſpem præcidebat: ut de liberatione iſta conclamatum foret. R. Sal. *Speculati sumus in auxilium Ægypti; sed non venit; diximus, transibit messis, & erunt otiosi, vacivi, ut veniant; sed transiit messis in Aprili, & æstas in Junio, neque venerunt.* Kimhi: *messem & æstatem* accipit *de temporibus fructuum, de quibus lætentur, quod auxilium in iis sit, ad sustentationem scilicet quæ ubi transierint, anni spes periit.* Abrab. præſenti exilio accommodat, & diuturnitati ejus, habetque pro ſynonymis *messem & æstatem; transire annum unum post alterum, neque salutem ullam subsequi.*

Jam recitat lamentum ſuum, verſ. 21. ubi I. *societas miseriæ: propter fracturam filiæ populi mei, fractus sum.* Targ. lamentum hoc Hieroſolymæ eſſe dicit; uti præcedentem verſum verba populi, & ſequentem verba Jeremiæ. Hieron. *Respondit Deus quod in afflictione Hierusalem ipse videatur afflictus, & in humanam similitudinem stupore conteratur.* Calamitas publica erat fractura, quæ comminuebat quicquid integritatis erat in populo: qui ſocietatis vinculis variis conjunctus Prophetæ, ipſum afficiebat, Emphaticè autem dicit non נשברתי ſed ea Hoph. השברתי vi adhibitâ quodammodo *fractus sum.* quemcunque me continerem, ne plus aliis affici viderer, erupit dolor meus, meque fractum oſtendit; Conf. Eliſam 2 Reg. 8: 11, 12. Sunt enim pii tenero corde, ut Joſias, facile commoventur; aſt impiorum miſericordiæ ſunt crudeles. II. *Externa prefixio, atratus ambulavi*, ut in luctu Pſ. 35: 13, 14. & qui triſtes erant, etiam in publicis calamitatibus Mal. 3: 14. uti aliàs, indumentum ſacci. III. *Apprehensio mali, vastitas apprehendit me*; vaſtitas occupavit animum meum eumque poſſidet, ut nihil ibi ſit aut germinet ſolatii, dum præconcipio quicquid miſeriæ ſuperventurum ſit. Abrab. tribus verbis indicari putat, Exilia 1. tribuum decem, 2. Judæ in Babel. 3. Judæorum vaſtato templo ſecundo: ſed fundamento caret ſolido.

Subjungit cauſam lamenti alteram, defectum ſucceſſus remediorum verſ. 22. *An balsamum* &c. Gilead abundabat Balſamo, Gen. 37: 25. cujus magna vis erat ad ſanandos morbos difficiles Jer. 46: 11. ſed requirebantur quoque medici, qui modum uſurpandi docerent. Interrogat ergo an medicamenta & medici deſint? & interrogando deeſſe negat; atque hinc admirabundus deplorat, quod ſalus & ſanitas non fuerint procurata Reip. Metaph. autem ſignificat, Nonne in Iſraele fuerunt Lex & præcepta, quæ verum balſamum morbo populi curando? nonne fuit ibi Medicus, Propheta redarguens & caſtigans populum? & quare non fuit correctum malum ejus? ut emendatio optata ſequeretur. Targ. *Dixit Propheta Jeremia, forte in me non sunt opera bona, ut precer pro domo Israelis; nonne desideravi doctrinam Eliæ Prophetæ, qui Gileadites fuit, & verba ipsius sunt sanatio: sed quia non sunt conversi, non successit sanatio plagæ congregationis Israel.* Hieron. *resinam galaad* in Scriptura *ait pro pœnitentia poni, atque medicamine, mirarique nunc Deum, quare vulnera Jerusalem nequaquam curata sint, & necdum cicatrices obduxerint cutem, eo quod non sint Prophetæ nec Sacerdotes, quorum debeant curari medicamine.* Si conſectari lubeat omnia, Gilead cumulus teſtimonii Gen. 21. verſ. Chriſtus eſt Joh. 1: 46. Act. 10: 43. & in eo balſamum, Act. 4: 12. 1 Joh. 1: 7. & inde ſanatio petenda Eſa. 53: 5, Joh. 1: 14, 16. Aſſervatur balſamum Gileadis in Scriptura: & hinc medici debent arceſſere. 1 Cor. 1: 24. cap. 15: 2, 3. 2 Tim. 3. verſ. 15. &c. 1 Tim. 4. fin.

CAP. IX.

Verſ. 1. *O ſi quis daret caput meum eſſe aquas, & oculum meum ſcaturiginem lacrymarum, ut deflerem interdiu & noctu confoſſos filiæ populi mei.*

Lamentatio tertia ob eos qui in calamitatibus perierant verſ. 1. Dolor ipſe deſcribitur maximus tum gradu, tum duratione. Illo; voto ut abundaret *ſcaturigine* aquarum ad *lacrymas*; ut totum *caput* in *aquas* abiret, aut ibi ſcaturigo jugis oriretur. Iſta, *plorarem interdiu & noctu*, ſine remiſſione. Objectum ſunt *occiſi de populo*. Sed annon hi felices, non deplorandi, quia ſubducti malis? Imo miſeriores, quia mortui in impœnitentia ſuâ. Nulla gravior cauſa luctus, quam de eo qui periit in peccatis, citra converſionem. Sic David de Abſalomo 2 Sam. 18. verſ. ult. Huc facit luctus Pauli Rom. 9: 1. &c. Chriſti Luc. 19: 41. &c. & Jeremiæ cap. 13: 17.

Verſ. 2. *O ſi quis poneret me in deſerto, in diverſorio viatorum, ut derelinquerem populum meum, & abirem ab eis: nam omnes ſunt adulteri, interdicti* die *perfidè agunt.*

A. *Argumentum* IV. Ab effectis ſapientiæ ipſorum verſ. 2--8. cum denunciatione judicii verſ. 9--11.

(1.) Præmittit *votum ſolitudinis*, propter effectus ſeu fructus ſapientiæ ipſorum, ut inde remotus, nihil ejus videret vel pateretur. Votum eſt verſ. 2. *Quis dabit mihi* (יתנני pro לי יתן) *in deſerto, tugurium viatorum.* Optat ſibi conditionem aliam; non lautam, ſed miſeram; habitationem in deſerto, non fixam, ſed ad pernoctationem duntaxat, in tugurio, viatoribus ſtructo, ut à tenebris oppreſſi, iſtic latitent, ne à feris lædantur. Scopus hujus voti eſt, *deſeram populum meum & ab ipſis diſcedam.* Conſortium frequentiſſimum lubentiſſime cum illa ſolitudine permutabo, qui populum meum deſerere in votis habeo, ob corruptionem ejus. Simile eſt votum Davidis Pſ. 55: 7, 8, 10. &c. & querela de conſortio malorum Pſ. 120: 5, 6.

At enim nequaquam hinc probatur votum Monachorum, aut praxis Eremitarum priſcorum quorum hi in deſerta conceſſerunt, illi clauſtris continentur, ut quod præ ſe ferunt, è mundo, & multitudine corrupta egrediantur. Sed cum Deus noluerit hominem eſſe ſolitarium, ſed illico ſocio & conſorte inſtruxerit; item, orbem condiderit non ad inanitatem, ſed ad habitationem Eſa. 45: 18. ſitque beneficium quod ſolitarium faciat habitare in familia Pſ. 107: 2. &c. & 113. verſ. ult. utique male facit, qui citra vocationem divinam, ſeſe aliis ſubducit, quibus auxilio eſſe poterat. Exempla quæ producuntur, non probant, I. Eliæ ſeceſſio in deſertum vel juſſu Dei facta, ut tempore cohibitæ pluviæ, 1 Reg. 17. vel privato conſilio, cum fugeret ob minas Jezebelis cap. 19. ſed non licuit ipſi in ſolitudine morari, juſſus utrobique rurſum redire ad conſortium hominum, muneriſque publici functionem. II. Joh. Baptiſta nunquam in eremo vixit ſolitarius: nam deſertum Judæ non fuit vaſtum quale per quod tranſierant egreſſi ex Ægypto; ſed minus frequentatum urbibus; interim lætum paſcuis, eoque & mapalibus, ſatis tamen frequentatum commeantium eò multitudine. Neque Baptiſta ſemper in illo deſerto manſit, cum etiam loca populoſiora, & ipſam aulam Herodis adierit nonnunquam Marc. 6: 20. Jeremias quoque licet profiteretur ſuum votum, non tamen deſeruit Hieroſolymam, ſuumque in ea miniſterium, ſed porrò etiam Prophetam egit, licet nimium experiretur corruptos omnium mores, paſſus varias perſecutiones. Sed Eremitæ olim fugitarunt perſecutiones, & Monachi, non niſi moleſtias mundi deſerunt, ſed quod ad ejus voluptates iis frui ſolent cupidiſſime, quamvis fingant ſe inde alienos.

(2.) *Cauſa voti* eſt Jeremiæ ſumma populi improbitas, duobus criminibus teſtata, quæ generatim proponuntur, verſ. 2. *Adulterium*, de quo ſpirituali cap. 2. & 3. & corporali cap. 5. pluribus dixit, & *Perfidia*: de qua potiſſimum agit ceu effectu ſapientiæ ipſorum. עצרת notat *cœtum* lege vel imperio congregatum, qui diſſolvi à nemine privatim poteſt. עצר enim habet ſignificationem cohibitionis, unde etiam feſtum dicitur עצרת ob cohibitionem operis, quod tunc interdictum: & imperii. Hîc cœtus ille eſt בוגדים perfidorum, qui fidem nullam ſervant: qualis perfidia eſt adulterorum. Eam vero perfidiam omnium deſcribit I. in ſe verſ. 3. II reſpectu α. aliorum hominum verſ. 4, 5. β. ſui ipſius verſ. 5. γ. Prophetæ verſ. 6. δ. Dei verſ. 6. confirmat verſ. 7, 8. pœnamque denunciat verſ. 9, 10, 11.

Verſ. 3. *Et intendunt lingua ſua arcum ſuum falſum, neque in fide invaleſcunt in terra; ſed de malo in malum procedunt, neque agnoſcunt me, dictum Jehovæ.*

A. Perfidia ipſorum *in ſe*, quoad praxin verſ. 3. *Tendunt linguam ſuam, quæ arcus loco eſt, ad mendacium.* Non eſt imprudens mendacium quod dicunt, ſed præmeditatum, uti ſagittarius ad deliberatam jaculationem arcum tendit. *Scopus* eſt, dominatus & potentia, ſed ad mendacium, ut fraudes ſuas tanto magis liberè & proſpere queant exercere. Nam progrediuntur de malo in pejus, quemadmodum 2 Tim. 3: 13. quando enim ſucceſſus fraudis eſt, tanto magis ei indulgetur; & commodum commendationi cedit. *Cauſa* autem hujus perfidiæ eſt ignoratio Dei, cujus hic ipſe teſtis: quemadmodum hinc omnia alia ſcelera oriuntur Hoſ. 4: 1. &c. & inprimis perfidia; Si enim agnoſceretur Deum eſſe veritatem Deut. 32: 4. & delectari veritate Pſ. 51: 8. & quærere veritatem, oculis eò ſpectantibus Jer. 5: 3. utique veritatis, quæ perfidiæ contraria, haberetur ratio.

Verſ. 4. *Quiſque ab amico ſuo cavete, & ulli fratri ne confiditote: nam omnis frater omnino ſupplantant, & omnis amicus* cum *detractione ambulat.*

Verſ. 5. *Et quiſque amico ſuo illudunt, ac veritatem non loquuntur: docent linguam ſuam loqui falſum, perverſe agendo defetiſcuntur.*

Verſ. 6. *Tua habitatio* eſt *in medio dolo; pro dolo renuunt cognoſcere me, dictum Jehovæ.*

Hinc ergo nihil ſinceri *reſpectu* I. *hominum aliorum*, etiam conjunctiſſimorum: cavere enim hos *jubet* verſ. 4. *amicum & fratrem*, ſocietate, aut ſanguine junctum; ab illo *cavendum*, aſt iſti *non fidendum*, neque ſe credendum putet. Id quidem videtur alienum dictum ab honeſtate, ut diſſociet amicitias, & ſerat diffidentiam diſcordiamque, imo φιλίαν naturalem velit tollere: ſed optimo animo id fit hoc loco uti etiam Mic. 7: 5, 6. *Etenim quivis frater deceptorem agit*; alludit ad hiſtoriam Jacobi nati, & verba Eſavi de eo Gen. 25: 26. cap. 27: 38. & *quivis amicus ambulat detractor*; qui famam proximi venalem circumfert, & quæ audivit, alteri rurſum commicat, etiam vitiata, ſui commodi gratia: id quod ſæpius interdictum. Scilicet hac ratione quæri ſolet potentia & dignitas, & per ruinam aliorum gradus ſtrui ut ad faſtigium quis enitatur. Amplificat autem verſ. 5. *Illudunt quiſque proximo ſuo.* Ludus jocuſque eſt fallere alios; ut Lyſander, pueros aſtragalis, viros juramentis fallendos dicens. & *veritatem non loquuntur*, ceu quæ prorſus inimica ſuis conſiliis & ſcopo quem habent propoſitum. *Docent linguam ſuam loqui mendacium.* Quaſi ex ſe minus valerent, artificium ejus diſcunt; quale eſt Jeſuiticarum æquivocationum & reſervationum mentalium, Mennonitarum verba doloſa, complimenta Gallica, & illud diſſimulationis ac ſimulationis artificium: quod Ludovicus XI. Galliæ rex arcanum regnandi habuit, fraudium & dolorum magiſtri II. *Sui ipſorum* verſ. 5. quibus *fatigantur perverſe agendo.* Tam fervide perſequuntur ſuas fraudes, ut fatigentur, quemadmodum venator dum retia doloſa tendit feris, quamvis fatigationem illam non ferant moleſtè Conf. Pſ. 52: 4. & 64: 4. &c. & 140: 3, 4. III. *Prophetæ*, verſ. 6. cui dicit *habitatio tua eſt in medio doli*, id eſt, hominum doloſorum; abſtractum pro concreto, ſcelus pro ſceleſto. Sic Pſ. 109: 4. & 120. verſ. ult. Quia etiam contra Prophetam doloſe agebant, & cum ſimularent maxime pietatem, nihil minus agerent, ut

Ezek.

Ezek. 14: 2. &c. cap. 33: 30. &c. ut non sine ratione justâ migrationem optarit. De hoc vero testatur Deus, qui cordium fraudes norat; quemadmodum eas detexit Jeremiæ cap. 11. & IV. *Dei* vers. 6. dicentis *renuunt cognoscere me, per fraudem dictum Domini.* Non tantum homines, sed etiam me decipere satagunt; fingunt sibi Deum alium, quam est, & alia ratione ei posse satisfieri, quam in verbo & per Prophetas docetur. Estque hæc deceptio cordis fraudulenti adeò efficax, ut quicquid etiam contra afferatur, nolint agnoscere, quemadmodum de idololatra dicitur. Esa. 44: 20.

Vers. 7. *Idcirco sic ait Jehova exercituum, ecce ego conflans eos probavi eos: nam quomodo facturus essem propter filiam populi mei?*

Vers. 8. *Culter jugulans lingua eorum* est, *dolum loquitur: ore suo cum amico suo pacem eloquitur, at in animo suo disponit insidias.*

B. Confirmatur vers. 7, 8. quando Deus indicat I. *quomodo cognoverit* perfidiam ipsorum vers. 7. *Quare sic ait Dominus Zebaoth, Ecce me Conflatorem ipsorum,* vel conflantem ipsos, *& probavi ipsos*: uti aurifaber, metallum conflat, & probat igne, itemque explorat ad lapidem lydium; (non loquitur autem de purgatione per exilium, sed de probatione quam instituerat per verbum & Sacramenta, per beneficia & judicia.) Sic solet Deus agere Ps. 11: 4, 5. & 17: 3. & 26: 2. Mal. 3: 1. &c. Verum quod hîc agat, justissimum est, *Nam quomodo agam* aliter, *propter filiam populi mei?* utique nullibi majorem curam habeo & exercendam, quam circa filiam populi mei: huic purgandæ supra cæteros mihi incumbendum. Amos. 3: 1. Abrab. ad exilii calamitatem refert, uti Ezek. 22: 18. &c. cap. 24: 9. *An feram omnes ipsorum iniquitates? sunt utique filia populi mei, & quomodo eos relinquam in malitia sua? An vero faciam cum ipsis consumtionem, juxta judicium de iniquitatibus ipsorum? ecce sunt filia populi mei, & æquum Ergo, ut parcam eis. Cum vero sic se res habeat, quomodo agam, propter filiam populi mei, nisi ut conflem & explorem eos in captivitate.* Sed hæc conflatio secunda est, cui alia præmissa fuit, Ezek. 24: 13. de quâ hîc agit. II. *Quales invenerit*, vers. 8. *Sagitta ducta, tracta* per artem (uti dicitur חצ שחוט quod malleo in tenuissimas laminas ductum est.) vel *mactans, jugulans, lingua ipsorum; dolum loquitur.* &c. שחוט & שוחט synonyma dicit Abrab. quemadmodum עשק & עשק sic synonyma sunt שכן & בטוח אין תוכו כמרה & שכן בוטח mel in ore, fel in corde pax in verbis; insidiæ in mente; uti osculum Jeabi cum sica mortifera, & Judæ cum proditione. Conf. Ps. 55: 22. & 57: 5. & 120: 4.

Vers. 9. *An propter ista non visitarem eos? dictum Jehovæ; an de gente hujusmodi non sumeret ultionem anima mea?*

Vers. 10. *Propter hos montes extollam fletum & lamentum, & propter caulas deserti lamentationem, nam accendentur adeò ut nullus transeat, neque audiatur vox pecoris: tam avec cæli quam jumenta. evagabuntur, abibunt.*

Vers. 11. *Et disponam Jeruschalaima in acervos, lustrum draconum, & civitates Jehudæ disponam in desolationem; adeò ut nullus inhabitet.*

Denunciatio judicii habet I. *certitudinem* vers. 9. provocando ad ipsorummet judicium: qua formula etiam supra fuit usus ad convictos adulterii & aliorum criminum cap. 5: 9, 29. 2. *Gravitatem* tum quoad agros: illustratam lamentatione, vers. 10. ob vastitatem agrorum, unde homines, volucres, & pecora perierint. Scilicet in agris auditur cantus pastorum, agricolarum, vindemiatorum; cui lætitiæ lamenta opponit. Tum quoad urbes, vers. 11. Deo ipso effecturo vastitatem Hierosolymæ & in aliis urbibus Judæ qualis vastities quoque denunciata cap. 4: 23. & seqq.

Vers. 12. *Quis est vir ille sapiens qui doceat istud, & id quod edixerit os Jehovæ sibi indicet? propter quid pereat hæc terra, incendatur tamquam desertum, adeò ut nullus pertranseat?*

Argumentum V. Ab effectis veræ sapientiæ vers. 12--16. subjungendo denuo lamentationem vers. 17--21.

(1.) Indicat I. *defectum* veræ sapientiæ; vers. 12. Negat enim sapientum præsentiam, *Quis sapiens, qui hæc intelligat?* Sapientis est intelligere, & prudenter de omnibus judicare. Interrogando negat adesse: & quamvis sibi magnam sapientiam & prudentiam arrogabant, quam fraude & dolo multiplci testabantur, tamen veræ prorsus carebant, ut jam ante dixerat cap. 4: 22. cap. 5: 4, 5. & vers. 21, 23. sic Deut. 32: 6, 28. & Hos. 14: 10. & negat causam sapientiæ, *& ad quem os Domini locutum est, ut illud annunciet?* Ellipsis interrogationi מי & quis ad quem? vel sine ellipsi, ut sapientis illius descriptio sit, *ad quem* videlicet &c. vera enim sapientia à Deo est, & revelatione oris ejus, quæ fit in verbo, ubi patefit, quicquid salutare est Joh. 5: 39. & in eo Deus loquitur. Heb. 1: 1. & 3: 7. &c. quam qui repudiat, sapientia caret Jer. 8: 9. Domini verbum ad illum non factum est, non solum qui illud prorsus non cognovit; sed etiam qui illud vel legit, vel audit ab Ecclesiæ doctoribus, sed ceu hominum verbum; uti enim illi non tribuit infallibilem veritatem Rom. 3: 4. ita neque indeclinabilem autoritatem. Adeoque fit ei secundum fidem suam, nec experitur efficaciam omnipotentem ad ingenerandam fidem, Rom. 1: 16. Eph. 2: 19. 1 Thess. 2: 13. Porrò demonstratio facti ad aliquem sermonis Dei, est ejus annunciatio, quæ fit non solum ore, sed etiam mente meditando, & inprimis opere exercendo. 1 Pet. 2: 9. Matt. 5: 16. Abrabanel diversi ordinis sapientes indicari credit, qui naturæ dono, & usu rerum sapiens est, & qui sacram habet ex verbo Dei, quem תורנו dicit, *doctrinalem*: intelligit autem Prophetas, & in munere sacro constitutos; uti per sapientes, qui extra istum ordinem sapientiæ aliquam laudem habent. II. *Testimonium* veræ sapientiæ, vers. 12. cognitio causarum omnis adversitatis & afflictionis, quâ terra universa pessum iret, & ad extremam vastitiem redigeretur: qualem vastitatem jam aliquoties indicavit superventuram esse.

Vers. 13. *Dicit enim Jehova, quia derelinquunt legem meam quam exposueram eis, neque auscultant voci meæ, neque ambulant in illa.*

Vers. 14. *Sed sequuntur sententiam animi sui; & Bahalimos, quod docuerunt ipsos majores ipsorum.*

Hanc ipsam vero causam, cum sapiens nullus, ejus gnarus, vel præsto esset, vel enunciare auderet recitat Deus ipse vers. 13. 14. peccata nempe, tum *omissionis*, 1. *defectio legis*, sibi revelatæ, ut oculis & cordis affectu in eam intuerentur, eique adhærerent. 2. aversio auris & attentionis, 3. obedientiæ neglectus. Proinde negatio mentis & cordis legem cognituræ & amaturæ; auris attenturæ, & pedum ambulantium conformiter. Tum commissionis, oppositæ; I. ambulationem juxta propositum cordis. II. idololatricos cultus, III. patriam traditionem. Frequens hæc accusatio. Hoc loco aliquid aggravationis accedit, quod paterna autoritas tantum valuerit, ut neglecto mandato divino, ex horum arbitrio & Deos & cultum eorum eligerent. Ad eam provocant Jer. 44: 16. &c. sed interdixit Deus Ezek. 20: 19. Cæterum similis institutio de causis calamitatum extremarum legitur quoque Deut. 29: 24. &c. 1 Reg. 9: 8. &c. Jer. 22: 8, 9.

Vers. 15. *Idcircò sic ait Jehova exercituum Deus Jisraelis, ecce ego cibaturus sum istos, populum hunc absinthio; & bibendum daturus eis succum cicutæ.*

Vers. 16. *Nam dispergam eos in gentes quas non noverunt ipsi, aut patres ipsorum; mittámque post eos gladium donec consumsero eos.*

Porro post recitationem peccatorum ceu causarum, recitat pœnas ceu effecta vers. 15, 16. quarum se uti denunciatorem,

torem, ſic autorem profitetur Deus. Qui *Jehova*, facit verbum ſuum venire, Eſa. 31: 1, 2. etiam quod malum minabatur non tantum promiſſionum Exod. 6: 2. & *Zebaoth* tum inſtructus exercitibus ad exſecutionem judiciorum, tum qui temporum moderamen habens, definit longanimitatis ſuæ ſpacia; & *Deus Iſraelis*, huic fœderatus, & cui jus ſe de perfidis ulciſcendi. Mala illa ſunt I. *miſeria in terra*, Nam dicit; *Cibabo hunc populum abſynthio, & potabo aquis cicutæ*, vel fellis aut veneni; ſumme affligam, ut quod alimento & refectioni deſtinatum eſt cibus & potus, cedat in damnum & perniciem. Sic Jer. 8: 14. cap. 23: 15. aſt Job. 20: 14. de peccatis ſic loquitur, triſtes effectus parientibus. II. *Exilium inter gentes*, nunquam ante notas: adeoque remotas à finibus ipſorum, quæ graviorem facerent conditionem, cum quibus ne quidem ſermonis commercium eſſe poſſet, ut alibi loquitur. III. *Cædes exulum fugientium.* Gladius perſecuturus, uſque dum conſumantur; Eſt ille gladius, fœderis violati ultor, Lev. 26: 25. Abrab. obſervat dici אותם non כולם. Neque enim totale excidium Judaicæ gentis minatur, qui toties pollicitus eſt, reliquias fore.

Verſ. 12. *Quis eſt vir ille ſapiens qui doceat iſtud, & id quod edixerit os Jehovæ ſibi indicet? propter quid pereat hæc terra, incendatur tanquam deſertum, adeò ut nullus pertranſeat?*

Verſ. 13. *Dicit enim Jehova, quia derelinquunt legem meam quam expoſueram eis, neque auſcultant voci meæ, neque ambulant in illa.*

Verſ. 14. *Sed ſequuntur ſententiam animi ſui; & Bahalimos, quod docuerunt ipſos majores ipſorum.*

Verſ. 15. *Idcircò ſic ait Jehova exercituum Deus Iſraelis, ecce ego cibaturus ſum iſtos, populum hunc abſinthio; & bibendum daturus eis ſuccum cicutæ.*

Verſ. 16. *Nam diſpergam eos in gentes quas non noverunt ipſi, aut patres ipſorum; mittámque poſt eos gladium donec conſumſero eos.*

Verſ. 17. *Sic ait Jehova exercituum, animadvertite, & vocate lamentatrices ut adveniant, & ad præficas mittite ut adveniant.*

Verſ. 18. *Et feſtinanter extollant de nobis lamentum, deſcendentibus lacrymis ex oculis noſtris, & ex palpebris noſtris fluentibus aquis.*

Verſ. 19. *Nam ſonorum lamentum auditur de Tzyone, quomodo vaſtamur? erubeſcimus valde, quia derelinquimus terram, quia dejiciunt* nos *tabernacula noſtra.*

Verſ. 20. *Nam audite fœminæ verbum Jehovæ, & percipiat auris veſtra verbum oris ejus, ut doceatis filias veſtras lamentum, & altera alteram* doceat *lamentationem.*

Verſ. 21. *Nam aſcendit mors ad feneſtras noſtras, ingreſſa eſt in palatia noſtra, ad exſcindendum parvulos è vicis, juvenes è plateis.*

Verſ. 22. (*Eloquere, ſic* habet *dictum Jehovæ*) *& ceciderunt cadavera humana, ut fimus in ſuperficie agri, & ut manipulus à tergo meſſoris, quæ nullus colliget.*

(2.) Subjungit denuo *Lamentationem*, ad exaggerationem pœnæ. verſ. 17--22. In oriente & alibi apud veteres moris fuit, ut in graviori luctu ob mortem proximorum in domum lugubrem vocarentur præficæ, quæ næniàs canerent, & flebili voce aliorum lachrymas & fletum provocarent, Matt. 9. 2 Chron. 35: 25. & in aliis quoque calamitatibus Matt. 11: 17. Amos. 5: 16. Heic Deus ipſe I. *jubet* tales advocari, & quidem artis ſuæ callentiſſimas verſ. 17. *Intelligit*, conſiderata ingruentia mala, & *vocate* &c. Nemo enim eas mulieres conducet aut vocabit, ſi nihil triſtis vel ſentiat, vel metuat. Adhæc citra moram, feſtinanter, & quæ quam efficaciſſime artem ſuam exerceant. verſ. 18. ut lamentantibus ipſis, auditores omnes ſic afficiantur ut & ipſi imbrem lachrymarum fundant. *Cauſámque* dicit, querelam exulum verſ. 19. Hieroſolymitani, ubi mons Zion, ejulantes de ſui vaſtatione queruntur; hujus autem *teſtimonium*, Pudefactio, ob deſertam à ſe terram, non voluntarié; nam tum conſultò agitur, ſed invitè, cogentibus hoſtibus, deportantibus; de quibus dicitur, *nam projecerunt* (hoſtes nempe) *habitationes noſtras*, ut iſtic morari amplius non potuerimus, ſed in exilium ire debuerimus. Vel, *nam projecerunt* (nos) *habitationes noſtræ.* Neceſſum fuit nos migrare, & deſerere terram, hâc non ferente impios iſtiuſmodi incolas. Quomodo reſpicitur Lev. 18: 25, 27, &c. II. *Inſtruit* eaſdem verſ. 20, 21. ſic ut verſ. 20. velit diſcere ipſas, & docere alias artem lamenti. Diſcere à Deo, audientes hujus ſermonem, docere tum filias, tum amicas, ut mulieres omnes, ætate minores & provectiores, calleant, tum *formulam* lamenti dictat verſ. 21. *Mortem aſcendiſſe* dicit, intelligens hoſtes, mortem inferentes, qui vi occupatâ urbe, per ipſas feneſtras & inſolitos aditus irrumpunt in domos & palatia, & ſtragem edunt promiſcuam, nulli ætati parcentes, vel peſtilitatem, graſſantem, ut nec pueri ſuperſint, qui luſitent in plateis Zach. 8. nec juvenes qui ambulent in foro. verſ. 22. Abrab. vult eſſe inſtructionem de lamentatione pro illis mulieribus, quæ ſe negarent artem illam ſcire, juſſum ergo Prophetam, ut eis dictaret quid dicendum: Verum & materiam aliis dictarat verſ. 21. Eſt דבר vel infinitivus, & continuatur inſtitutio; non tantum quærendum de morte plurimorum, ſed etiam tanquam ex oraculo divino indicandum, longius proceſſurum malum, *ut* mortui carerent honore ſepulturæ, relinquendi ut putreſcerent, quemadmodum minatus fuit cap. 7: 33. & cap. 8: 2. vel imperativus, & jubetur Propheta hæc adjicere ad aggravationem, de futuro eventu. Uti canente Moſe & Iſraelitis, ſuccinuit Mirjam & mulieres Exod. 15. ſic hic quiritantibus mulieribus, ſuccinit Propheta. Scilicet quando Deus lamentationis materiam ſuppeditat, omnibus lamentandum. Quod ſi negligatur, gravis eopſe denunciatio inſtituitur Eſa. 22: 5, 12. Matt. 11: 17.

Verſ. 23. *Sic ait Jehova, ne gloriator ſapiens in ſapientia ſua, neque gloriator potens in potentia ſua, neque gloriator dives in divitiis ſuis:*

Verſ. 24. *Sed in hoc glorietur qui gloriatur, ſe intelligere & cognoſcere me, me eſſe Jehovam exercentem benignitatem, jus, & juſtitiam in terra: quia iſtis delector, dictum Jehovæ.*

IV. *Quarta* & ultima *deceptio* populi habet privata bona, quibus nitebantur verſ. 23-26. cum publica non prodeſſent, templum, ſacrificia, ſapientia religioſa, convertuntur ad privata; & quia illa aſylum non præſtabant, à ſemetipſis præſidium quærunt: ſed de quo dici queat illud Amos. 5: 19. fugiens à leone, occurrit urſo; & hinc abiens domum mordetur à ſerpente.

1. Privata illa bona ſunt *magis evidentia* etiam aliis hominibus, eaque tria verſ. 23, 24. *Sapientia, fortitudo, divitiæ* quæ rejiciuntur ceu inutilia. verſ. 23. Convictionem inſtituit Deus ipſe, καρδιογνώστης, ut licet nihil horum externâ voce prodidiſſet quiſquam, tamen rei forent ob Dei teſtimonium qui nec falli, nec fallere poteſt. Kimhi intelligit hæc relate ad præcedentia, de mortis graſſaturæ evaſione: Eſſe nonnullos ſapientes, qui ſapientia aut verſutia aliqua vim hoſtilem declinare poſſint; alios fortes, qui viribus ſuis ſe eripiant ab hoſtium violentia; alios divites, qui lytro multo vitam ſibi ſuiſque emere queant; & hos ante periculum de his gloriari, ceu quibus nil metuendum, in poteſtate ſua haben-

bentes, unde sibi indemnitatem parent. Sed omnes istas gloriationes damnari tanquam vanas & inutiles. Abrab. „ putat cives Hierosolymæ distribui in classes tres, *Sapien-* „ *tes*, hoc est, eruditos, qui in libris versantur, sive specu- „ lationi solum se dedant, philosophos, doctores, sive in- „ super remp. gerant, Judices & magistratus. 2. *Robustos*, po- „ litica aut militari potentia; hoc est, milites omnes cum suis „ ductoribus; nec non Reges, principes, Satrapas, & gladii „ potestatem ac ministerium habentes. 3. *Agricolas*, *opifi-* „ *ces*, *mercatores*, & quicunque negotiatione sua rem fa- „ ciunt; & *Scribas*: quomodo tres classes statuantur *Orato-* „ *res*, *Defensores*, Laboratores apud Italos. Significare au- „ tem Prophetam, cum tres isti ordines in societate politica „ pertineant ad ejus stabilitatem, ingruente malo nihil inde „ commodi exspectandum; nam, nullum horum evasurum, „ pudefactis sapientibus, succumbentibus bellicosis, & spo- „ liandis opulentis, ut nihil inde relinquendum ulli, de quo „ gloriari, seque solari queat. Est tamen sententia Kimhiana convenientior. Frustranea gloriatio de sapientia, Achitophelis exemplo; de robore Goliathi, de divitiis Doegi Ps. 52: 7. Hierosolymitanorum Ezek. 7: 19. Opponit autem Deus argumentum veræ gloriationis vers. 24. unde liquet non damnari omnem gloriationem, (debet enim esse gloriatio aliqua, aut nulla spes, nec bonum, quod possideatur, aut possidendum sit.) sed ne vitiosa sit corrigi, quoad objectum. Sane gloriationem illam jubet 2 Cor. 10: 17. & ex Scriptura V.T. commendat Apostolus 1 Cor. 1: 31. & sic tum hoc loco, tum Esa. 65: 16. At enim Rom. 5. tres gloriationes commemorat, in spe gloriæ filiorum Dei vers. 2. in afflictionibus vers. 3. in Deo vers. 11. quæ tamen omnes redeunt ad gloriationem in Deo. 1 Cor. 1: 30, 31. in Christo gloriari, est in Deo gloriari, qui Christum fecit fontem omnis felicitatis & salutis. Atqui eò redeunt gloriatio in spe gloriæ filiorum Dei, fluens ex justificatione per Christum, & afflictiones quæ nos conformes faciunt Christo, & nobis amoris Dei securitatem dant. Heic Deus gloriari jubet in salutari sui cognitione, השכל וידוע Verbum השכיל non tantum intelligere, sed etiam *prospere agere* significat. 1 Sam. 18: 5, 14, 15, 30. Esa. 52: 13. Sic Jer. 3: 15. dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos דעה והשכיל scientia & felicitate, hoc est, scientia seu cognitione salutari. Hic cognitio conjungitur, eoque prosperitatis significatio convenientissima; neque enim quævis notitia Dei est gloriandi materia, Jac. 2: 17. Etiam natura notus Deus, sed in notitia nondum gloriandum, quandoquidem cum ea quis perire queat. De felici notitia gloriandum, qualis Joh. 17: 3. quæ Esa. 45: 25. cap. 41: 16. cap. 65: 16. & Ps. 72: 17. in Christo est, & gentilium conversorum esse dicitur Jer. 4: 2. Ad salutarem autem cognitionem Dei requiritur, agnitio quod sit Jehova, verus Deus, æternus & immutabilis, semper idem: Ens à seipso, & omnis essentiæ extra se autor. Qui se manifestat non nudo nomine; sed operationibus quod *faciat* חסד משפט, & צדקה *in terrâ*. Non negat etiam in cœlis quoque se ista exercere, sed quia loquitur cum hominibus in terris, de suo inter eos regimine testatur, exercere se I. חסד *benignitatem*, indebitam beneficentiam erga homines quoscunque nam Rom. 2: 5. divitiæ illius, Ps. 119: 64. & 145: 17. Matt. 5: 44. II. משפט *judicium*, in defensione bonorum, pœna impiorum; administratione juris & justitiæ, ut suum cuique tribuatur, & compensatio tandem fiat secundum cujusque opera, utpote judex universæ terræ Gen. 18: 25. Ps. 7: 12. & 9: 8, 9. III. צדקה *justitiam*, quæ distinguitur à צדק, quod est ἀκριβοδίκαιον, illa non solum *innocuam*, sed etiam beneficentia, seu eleemosyna, (quæ Hebræis hoc nomine venit, unde גבאי צדקה diaconi nostri, ut cum pignus debitori ante solem occasum restituitur. Deut. 24: 13. Adhæc promissionum præstatio. Ps. 103: 17. & 24: 5. & 36: 7, 11. Hæc Dei cognitio est salutaris, quod exerceat benignitatem, indebitam, erga indignos, contrarium meritos, quomodo tolerantia & longanimitas comprehenduntur Ps. 103: 9. &c. Judicium in Christum sponsorem, qui inde ereptus est Esa. 53: 8. cum alias in judicio illo condemnandi fuissent, unde id deprecantur Ps. 143: 2. Justitiam, præstans omnes promissiones in Christo 2 Cor. 1: 20. & omnem gratiam & benedictionem 2 Pet. 1: 3, 4. Sic judicium & justitia conjunguntur Esa. 1: 27. cap. 5: 16. Abrab. *quod exerceam* חסד, *dando vobis terram Canaan*: & משפט, *adducendo contra vos copias Chaldæorum propter vestras iniquitates*: & צדקה *in terrâ*, *siquidem resipuerint in terrâ, antequam abeant in exilium*. Accedit *finis* cognitionis, nam istis delector. Ὕβρις Dei in horum exercitio, benignitatis erga bonos, judicii erga impios, justitiæ erga resipiscentes, inquit Abrab. Certè sic delectari Deum agere, liquet ex Mich. 7: 18. &c. Vel etiam, quia istis delectatur, prosperando & sciendo, ea, in salutari cognitione sui: Amat Deus qui se cognoscunt ritè. Vel denique istis delector, ut imitatione exprimantur, & benignitas, judicium & justitia exerceatur erga alios. Gen. 18: 19.

Vers. 25. *Ecce dies venturi sunt, dictum Jehovæ, quibus animadvertam, in omnem circumcisum cum præputiato.*

Vers. 26. *In Ægyptios, & in Jehudæos, & in Edomæos, & in Hammonitas, & in Moabitas, denique in omnes amputatos latere, qui habitant in deserto: nam omnes istæ gentes præputiatæ* sunt, *etiam tota domus Israelis præputiati* sunt *corde.*

2. *Magis privatum* bonum gloriationis est *Circumcisio* vers. 25, 26. qua Judæi, uti distinguebantur ab aliis gentibus, ita quoque supra eas se efferebant: summum convitium, quod Philistæis dicebatur fuit, præputiati 1 Sam. 14: 6. cap. 17: 36. adeoque se per circumcisionem placere Deo rebantur. Ergo Deus hoc eis præsidium adimit. *Ecce dies venient*, (definiti judicio contra reos Deo) & *visitabo* (per adversa, & calamitates,) *super omnem circumcisum*, (qui videlicet *adversatur illi salutari cognitioni*, inquit Abrab. quomodo consentit illi Rom. 2: 25, 27.) בערלה *cum præputio*, hoc est, præputiato. Kimhi, & *super omnem qui est in præputio*. Targ. *Super omnes populos præputiatos, & super domum Israel cujus opera similia sunt operibus præputiatorum*. R. Sal. *Super omnem circumcisum, cui est præputium, etiam cordis, & multò magis super præputiatos*. Adeoque par erit conditio circumcisorum & præputiatorum: quod inductione exemplorum confirmat vers. 26. *super Ægyptum, Judam, Edomum, Ammonitas, Moabum, & omnes præcisos angulis, qui habitant in deserto*. Horum populorum nullus circumcidebatur præter Judam. *Præc[illegible] illi angulo* Abrab. sunt qui longe remoti in extremitatibus habitant, versus Arabiam, in Kedar, & in Chazor, quos à Nebucadnezare victore sic denominatos putat; vel potius qui religionis ergò detondebant angulos capitis, quod interdictum Israeli Lev. 19: 27. Horum etiam mentio fit. Jer. 23: 23. Coccejus in contemtum circumcisionis sic appellatos retur, amputatos angulo, extremitate illa carnis: sed tum temporis ignoratæ gentes circumcisæ præter Israelitas. Denique rationem attexit, à paritate conditionis: Nam omnes gentes sunt præputiatæ, & tota domus Israel præputiati corde. Scilicet *gentes* absolutè sunt *præputiatæ*, nihil ibi circumcisum nec caro, nec cor; quæ duo junguntur. Act. 7: 51. Ezek. 44: 7, 9. *Israelitæ* autem & ipsi *præputiati*, parte præcipuâ, *corde*, adeo ut quod circumcisum habent, carnem, frustra faciant materiam gloriationis: Deo intuente non quod ante oculos est, sed cor 1 Sam. 16: 9. Rom. 2: 28: 29. eoque hac carentes non alio habente loco ac eos qui pariter cordis carerent, licet etiam ea quæ carnis destituerentur. Conf. Amos. 9; 7. &c. Unde liquet neque ritus externos commendare Deo. Sed interna, quæ proinde exiguntur Jer. 4: 4. Ezek. 18. vers. fin. aut à solo Deo præstantur, qui promisit Deut. 30: 6. à quo solo petenda.

CONCIO IV.

CAP. X.

Vers. 1. *Audite hoc verbum quod eloquitur Jehova vobis, ô domus Israelis.*

COntinet hoc caput concionem singularem, quod ex vers. 1. videtur colligendum: procœminm habente. Attamen Kimhi, Abrabanel, Oecolampadius, putant cohærere præcedenti. Quia Israelitas circumcisos ex Dei man-

dato æquarat præputiatis Gentibus in comminatione pœnarum, ne criminandi cauſam haberent Judæi contra Deum, ceu injuſte agentem; Prophetam hos hortari, ut diſcederent à moribus & inſtitutis Gentilium, ſeque diſpares oſtenderent; quo etiam in judicio diſtinguerentur, quod pares peccando in pœnis erat æquaturum. Præter exordium verſ. 1. habet dehortationem à peccatis verſ. 2–16. & denunciationem calamitatis verſ. 17. ad fin.

EXORDIUM habet, petitionem audientiæ, cum indicio rei proponendæ, & perſonarum quibus proponeretur. Hæ ſunt *Domus Iſrael*. Bullingerus intelligit X. tribus, captivas in Aſſyria & Media, quas utpote inter Gentiles jam viventes moneat officii, ne ſeducerentur conſuetudine illorum: ſimulque Judæos nondum deportatos, ut confirmarentur ne deportati deficerent. Equidem X. tribus jam dudum in exilio vixerant; atenim non alienum eas moneri, (ſi forte ſcripta Prophetæ ad Iſraelitas pervenirent,) ob neceſſitatem Iſraelis, quæ inter idololatras verſabantur in periculo ſeductionis, ex prædictione Moſis Deut. 4: 28. & mandatum Jeremias habuit Jer. 3: 12. &c. ut non improbabile aliquoties iſtiuſmodi conciones repetiiſſe. Sic tamen ut non excludantur Judæi, contra quos ſpeciatim eſt denunciatio pœnæ in ſeqq. Qui connectunt prioribus hanc concionem, & Iſraelem & Judam debent intelligere, quia ibi de tota domo Iſraelis ſermo eſt, utrumque regnum complectente. Scilicet Deus utrorumque rationem habet, & officii moneri vult, quia fœderis jus univerſæ nationi conſervat, & media converſionis ordinaria, verbi inſtitutionem, utrique populo commendatam vult. *Petitio audientiæ* non ſibi ſuiſque verbis, ſed Deo auſcultari poſcit. Autoritas loquentis argumentum validum. Deo loquente quis non audiat? qui aures dedit ad audiendum, eas ſuo ſermoni excipiendo juſtiſſime efflagitat. Sed & alterum argumentum à materia ſermonis: עליכם *ad vos* pro אליכם: Avidi homines audiendi ea quæ aliis dicuntur, quæ ſæpenumero ipſos non attinent; ſed quod ad ipſos dicitur, neminem magis quam ipſos concernit. Nec tantum ad vos, verum etiam עליכם de vobis. Vobis de vobis loquitur Deus. Indecens ſi tibi loquenti aurem neges; imprudens factum, de te loquenti non attendere. Sed nec malè, *contra vos*: quod complectitur de vobis, verum cum accuſatione reatus, & denunciatione meriti judicii: tanto magis audiendum, quo periculoſius, quod ſibi adverſum non voluiſſe percipere.

Verſ. 2. *Sic ait Jehova*, incedere *in viam gentium iſtarum ne diſcitote; & à ſignis cœlorum ne conſternemini, quia conſternantur Gentes ab illis.*

DEHORTATIO à peccatis, proponitur verſ. 2. tum confirmatur. verſ. 3. ſeqq.

I. *Propoſitio* inſtituitur nomine Dei verſ. 2. non ſufficiebat id dixiſſe verſ. 1. repetendum cenſuit Propheta, ut ſe organum duntaxat eſſe agnoſcerent, autorem Deum, tantoque minus adverſarentur. Peccata duo ſunt, Idololatria & ſuperſtitio: ſed connexa, & illa ex hâc orta.

I. *Idololatriæ* interdictum eſt, אל דרך הגוים *Via gentium* opponitur Viæ Dei quam docuit Abraham Gen. 18: 19. *Via* notat conſuetudinem, (quemadmodum via eſt communis ambulandi regula,) doctrinam, inſtitutum vitæ. *Via gentium* eſt doctrina religionis, qualis inter gentes vigebat: fuitque de idololatria & cultu numinum variorum; cui ſe Abraham oppoſuiſſe dicitur, qui ubique unum ſolum verum Deum prædicavit agnoſcendum & colendum. Sic Act. 18: 25, 26. Habuere autem Gentes ſuos myſtas, qui docerent rationem colendi Dei: quemadmodum Samaritanis miſſus doctor ex Sacerdotibus Iſraelis 2 Reg. 17: 28. (unde liquet non omnem notitiam & doctrinam de Deo vero ſtatim inter X. tribus in exilio periiſſe,) Et ſolent illi myſtæ admodum ſeduli eſſe in docenda religione & ritibus ejus; præterquam quod ipſo intuitu & exemplo ac conſuetudine diſcuntur aliorum mores: Quocunque modo autem id fieret, interdictum vult doctrina illa, ne diſcendo cognoſceretur. Ignorantia hîc longe melior eruditione maximâ. Olim ne doctores idololatriæ haberent Iſraelitæ, omnes Cananæos exſcindi voluit Deus. Nunc cum inter idololatras ipſi exules viverent, vetat operam dare ἐξηγήσεως. Rabbini poſtea interdixerunt libris & ſapientia Græcorum, quod cum illis idololatria diſceretur, quamvis in doctoribus notitiam poſcerent hujus, judiciorum exercendorum ergò. Eſt vero notandum אל hic pro את uſurpatum, quod Kimhi confert cum Pſ. 2: 7. לחק & Jud. 7: 25. LXX. τῷ τὰς ὁδὸς τῶν ἐθνῶν μὴ μαθήσεσθε, *ſecundùm viam gentium ne diſcitote*, ut non de re, ſed de modo, loquatur interdictum. ne diſcatis ita ut gentes diſcunt. Qui cœlum & cœleſtia intuentur, & naturam ac vim eorum, ſed non ut inde Deum agnoſcere & glorificare diſcant. Sed magis placet materiam doctrinæ deſignari, quæ verſ. 3. חוקות העמים dicitur, placita de cultu, εἰδωλοτρησκεία: nam idololatria legibus populorum ſingulorum definita; unde Socrates improbans cultum illum, morte affectus eſt, quod ille legibus patriis foret confirmatus.

2. *Superſtitionis* interdictum autem, *& à ſignis cœlorum ne conſternamini*. Superſtitionis voce utor ex ea interpretatione, quam Servius Lucretio acceptam refert, ſuperſtitio eſt ſuperſtantium rerum, hoc eſt, cœleſtium & divinarum, quæ ſupra nos ſtant, inanis & ſuperfluus timor. Lucret. lib. 1. de Religione ait. Quæ caput è cœli regionibus oſtendebat. Horribili ſuper adſpectu mortalibus inſtans. *Signa cœli* ſunt naturalia, *conjunctiones & oppoſitiones ſtellarum fixarum & errantium, nec non eclipſes luminarium*, Abrab. R. Sal. *eclipſes ſolis & luminarium*, Kimchio *Soleſque obſcuratio*. Non intelligit ſupernaturalia & præternaturalia, quæ metuenda erant, ut tenebræ Ægyptiæ, Solis & Lunæ conſiſtentia, ſolis regreſſus: ſed quæ ex ordinario ſiderum curſu accidebant; maxime Eclipſes. Non autem vetat diſcere. Vigebat enim & probabatur in populo Dei cognitio motuum cœleſtium; jam ab antiquo. Setho & poſteris ante diluvium adſcribi ſolet; Joſeph. lib. 1. Antiq. cap. 3. *Sethidæ ſideralem ſcientiam ab cœleſtium rerum cognitionem excogitaverunt, & columnis duabus inventa ſua inſcripſerunt*. Abraham à majoribus acceptam in Cananæam & Ægyptum primus intuliſſe creditur, qui *ſideralis ſcientiæ peritus* dicitur à Beroſo. Joſ. 1. Antiq. cap. 8. Oraculum Apollinis dixit, μόνοι χαλδαῖοι σοφίαι λάχον ἠδ' ἀστρόλογοι: quando Aſtronomia & aſtrologia potiſſimum ſapientiæ pars judicabatur. Sequentibus ætatibus conſervata notitia; unde cum ob regreſſum ſolis turbatæ eſſent rationes Babyloniorum circa motum luminarium cœleſtium Hieroſolymis per legatos quæſierint & impetrarint informationem. Sed vetat exterreri: ut propter ejuſmodi ſigna, *velut* calamitatum ſive prænuncia ſive præambula, terrore percellerentur. Veriſimile aliquod ſignum, aut Eclipſin inſigniorem tum acciditſſe. Sethus Calviſius refert Lunam mediam, ferè obſcuratam anno Joſiæ 22. Jeremiæ miniſt. 10. & rurſum ſolem duabus tertiis Jojakimi 6. Jeremiæ 25. Eclipſin Solis hanc eſſe retur, quod pugnaturo Cyaxare cum Lydis accidit, ut dies in noctem converteretur, de qua Herodot. lib. 1. & Plin. lib. 2. cap. 12. Utrum vero harum una cauſam præbuerit, quamquam probabile ſit hanc Solis fuiſſe incertum eſt: certum autem plures eclipſes acciditſſe, quemadmodum & nunc quotannis accidunt, ſed apud Iſraelitas nullæ inveniuntur annotatæ, quod Prophetæ non deſcriberent ſigna naturalia, quæ retro computando ſemper poſſunt deprehendi: apud Gentiles paucæ, tum quod non valerent computandi arte, tum quod nondum repertis literis non poſſent poſteris communicare, tum quod perierint monumenta priſcorum pleraque, tum quod quas obſervarent ignari veræ cauſæ, ceu magna miracula trepidi ſtuperent. Eſt vero notandum aliquod diſcrimen phraſeos, pertinens ad declarationem rei. Sunt אותות השמים *Signa cœlorum*: talia quæ Deus die quarto inſtituit, luminaria, eorumque motus, quo etiam pertinent eclipſes; ſigna naturalia omnia. Sunt בשמים *ſigna in cœlo*, Joel 2: 30, 31. Act. 2: 19, 20. & Luc. 21: 25, 26. ſigna præternaturalia. Hæc, non illa conſternationem aliquam afferre fas eſt. Interdicto quod additur כי יחתו הגוים מהמה à voce כי variam capit emphaſin; Vulgò cauſaliter redditur, & rationem habet interdicti; *nam gentes inde exterrentur*: Aſt Kimhi & Abrab. per גם על כי *quamvis*: ἐμφαλοκλίτως, Licet gentes, quas inter exulatis, aut quæ vobis vicina ſunt, ſignis illis moveantur, Vos moveri eo modo indecens eſt. Quomodo etiam non inconcinne τὸ γὰρ redditur in ſimili ſententia. Matt. 6: 32. πάντα γὰρ ταῦτα τὰ ἔθνη ἐπιζητεῖ *quamvis omnia iſta Gentes quærant ſollicite*: ut non tantum Gentilium factum damnetur,

tur, ſed ſimul etiam eorum ceu exemplorum reſpectus. Ita partionale ☽ quoque uſurpata eſt Joh. 4: 44. & Rom. 5: 7. Et ſane exemplum Gentilium, territorum per eclipſes Solis aut Lunæ, in hiſtoriis veteribus ſæpiùs memoratur: quod eas crederent ſigna certiſſima averſi numinis (nam aſtra pro numinibus maximis habita,) ſibique mala maxima eſſe metuenda. Quamobrem ſubinde pugnam detrectarunt, arma abjecerunt, fugam capeſſentes, bella compoſuerunt. Plinius lib. 2. cap. 12. refert primum apud Romanos Sulpitium Gallum, apud Græcos Thaletum Mileſium prædixiſſe eclipſin antequam fieret. Hipparchum poſt eos utriuſque ſideris curſum in 600. annos præcinuiſſe, haud alio modo quam conſiliorum naturæ participem. Additque, *Viri ingentes, ſupraque mortalium naturam, tantorum numinum lege deprehenſa, & miſerâ hominum mente abſolutâ, in defectibus ſtellarum ſcelera aut mortem aliquam ſiderum pavente.* Sed elegans C. Sulpicii Galli tribuni militum oratio, apud Livium lib. 44. cap. 37. nam *permiſſu conſulis ad concionem vocatis militibus, pronunciavit, nocte proximâ, ne quis id pro portento acciperet, ab horâ ſecunda uſque ad quartam horam noctis lunam defecturam eſſe. Id quia naturali ordine ſtatis temporibus fiat, & ſciri ante & prædici poſſe. Itaque quemadmodum, quia certi Solis lunæque & ortus & occaſus ſint, nunc pleno orbe, nunc ſeneſcente exiguo cornu fulgere lunam non mirarentur; ita ne obſcurari quidem, cum condatur umbra terræ, trahere in prodigium debere. Cumque edita hora luna defeciſſet, Romanis militibus Galli ſapientia prope divina videri, Macedonas ut triſte prodigium occaſum regni perniciemque gentis portendens movit.* Heic ergo eleganter notavit Oecolamp. *Quid ſolent Gentes diſcere? obſervant cœlum & aſtra ejus, & inde futura prædicunt, quæ vanitas carnis, & prorſus ethnica eſt, dedecorans populum Dei. Unde hic locus inſignis eſt contra aſtrologos, impoſtores omnium maximos, Scire curſum cœli ortum & occaſum ſtellarum, è quibus temporum diſtinctio habetur, culpa caret: futura autem inde prædicere, & vim ſtellis quam non habent, tribuere, impium eſt. Ex primo enim Geneſ. diſcimus, quod earum eſt lucere & diſtinguere tempora. Operationem autem in elementis, Scriptura non ſideribus, ſed Deo tribuit. Et propterea non eſt terribile Saturni, nec mite veneris aſtrum: Sic enim de aſtris loqui, à Gentibus & dæmonibus, qui illas docuerunt, profectum eſt: & hæc illorum ſapientia, ut ſibi timeant ab aſtris, & non metuunt eum qui ſtellas fecit.* Kimhi. *Si dixeris, colamus ſtellas, more gentium, quia dominantur in terra, ut multiplicentur proventus noſtri, & timeamus ab eclipſibus earum, quæ ſignum malum mundo; ne conſternamini ab illis: ſunt enim ſervi mei, facientes verba mea, quod ſi coluerilis herum, non indigebitis ſervo: quod ſi coluerilis ſervum, indignabitur herus, & immittet maledictionem in proventus veſtros.* Judæi habent etiam aliam rationem, Dicunt, omnes populos ſiderum regimini ſubeſſe, ſolo Iſraele excepto, juxta illud, אין מזל לישראל: imo quemvis hominem & locum eam vim experiri. Unde ajunt, quod Abram & Sarai gignere liberos nequiverint in Chaldæa ob conſtellationem, fatali efficacia incumbentem: & hac propter fuiſſe educendos in Cananæam, & immutanda nomina ut mutatis ipſis & ſedibus ipſorum cœleſtis illa vis declinaretur. Cujus aſſerti vanitatem & impietatem quivis animadvertit Abrab. in Danielem aſſerit Iſraelitas proprium ſidus habere Piſces, & cum in ſigno iſto Saturnus & Jupiter conjungerentur factam eſſe liberationem eorum ex Ægypto, & pollicetur in ſimili conjunctione planetarum iſtorum finalem reſtitutionem. Oppoſitam Piſcibus Virginem, maxime adverſum Iſraeli ſidus, & cum ♄ & ♃ in eo ♍ conjungerentur apparuiſſe Jeſum Nazarenum, cujus legis fundamentum, matrem ejus fuiſſe virginem quando edidit Nazarenum, & vaſtatam per Idumæos, Romanos Hieroſolymam, ac gentem Judæam diſperſam. Sed falſum vatem oſtendit eventus abinde ſeſqui ſeculo lapſo, citra eorum vindicias: nec potuit verus fieri, qui falſiſſimo fundamento nitebatur, more ethnico. Quantopere ergo deplorandum inter Chriſtianos eundem vigere errorem & terrorem. Ex conjunctionibus ſtellarum, & eclipſibus prædicuntur eventa; atque diſtributis climatibus terræ, provinciis & urbibus, unicuique ſingularia denunciantur. Memorabilis fuit Solis eclipſis anno 1654. Auguſt. 2. tota Europa undique terrebatur, extrema mala, & ipſa ſeculi conſummatio prædicebatur à quibuſdam. Erant ex Theologis qui Deum de cœlo locuturum dicerent, voce efficaciori quam quæ verbi eſt. Sed omnes pudefacti ſunt, non recte inito calculo; & cum totalem prædixiſſent, ne quidem tertiæ partis fuit: nec quicquam eorum ſecutum, quibus terruerant homines. Neque enim Deus in eclipſibus loquitur magis de cœlo, quam quotidie per ſolem, per expanſum Pſ. 19. 1. &c. & quæ ſic loquitur, generaliter faciunt inculcando timori Dei Jer. 5: 24. non autem pertinent ad concionem reſipiſcentiæ ſalutaris, quam per verbum ſcriptum peragit, Eſa. 8: 19, 20. incantatoribus autem ſociari debent aſtrologi genethliaci, ſimileſque Eſa. 47: 12, 13. Et ſi homo non peccaſſet, futuræ fuiſſent eædem conſtellationes planetarum, & luminarium eclipſes, utpote ex Ordinationum cœleſtium lege procedentes, ſed quæ tum mala, quæ bella, quas clades, quas mortes portendiſſent? Neque poſt lapſum hominis nova luminaribus lex poſita fuit. Maledicta quidem propter hominem terra, ſed non cœlum aut luminaria; imo horum curſus & ſtata inde anni tempora poſt diluvium confirmata. Gen. 1: 14. &c. cap. 8: 22. Jer. 31: 35. cap. 33: 25.

Sed hic quæritur. An etiam Cometæ inter illa ſigna cœlorum numeranda ſint, quæ more Gentilium non debent eſſe conſternationi filiis Eccleſiæ? Ita quidam ſentiunt, qui cum naturales cauſas habeant Cometæ, nil metuendum ſignificare exiſtimant. Sed longe major numerus hominum, doctorum & indoctorum, peculiarem eis tribuunt vim prænunciam malorum, juxta illum verſum, *οὐδεὶς κομήτης ὅτις ἐ κακὸν φέρει.* Et alter, *Nunquam futilibus excanduit ignibus æther.* Sed hic in exceſſu plurimi delinquunt. Quotieſcunque Cometa cernitur, de ejus malignitate prognoſtica cuduntur: eaque magnam partem vaniſſima; nam, unde veritas prædictionum iſtarum potiſſimum dependet, Stellarum in certa ſigna diſtributionem, diſtributorum diverſam & contrariam inter ſe virtutem, eamque ex fictis ab hominibus figuris & nominibus arceſſitam, ut aquea ſigna ſint Cancer, Scorpius, Piſces, quod animalia iſta aquatilibus accenſeri debeant; præterea telluris juxta 12 Zodiaci ſigna diviſionem, ut quodvis propriam habeat provinciam, propriaſque per provincias & regiones urbes, utique agnoſcendum eſt veri ac ſolidi nihil continere, ſed meram eſſe doctrinam Ethnicorum, à quibus inventa, exculta, & ad Chriſtianos, Gentili literaturæ deditos, propagata eſt. Quæ ergo de Cometarum peculiaribus influentiis in hanc vel illam gentem dicuntur, vana ſunt; cum totam terram ambientes, nihil magis uni quam alteri genti aut regioni minari queant, & ſi caudam attendamus hemiſphærio integro (ſiquidem ſeptentrioni vel auſtro obverſa fuerit) aut ſaltem circulo quem deſcribunt, eâ in orientem aut occidentem porrectâ, eadem mala, ſive belli, ſive peſtis, ſive inundationum minitabuntur. Neque tamen omnino de nihilo ſunt Cometæ, utpote ignes cœleſtes extraordinarii: neque continentur inter ſigna cœlorum non metuenda. Etenim huic fini ſerviet diſtinctio ſignorum cœli, & in cœlo, de quo pag. 734. Sunt ſigna in cœlo cometæ, ſtellæque novæ, quæ nonnunquam obſervatæ, (ut quæ 1572. in Caſſiopeæ ſigno per biennium fulſit lucidiſſima.) & cum ſint novæ, ſigna ſunt novarum rerum, & mutationum. Iis accommodari quoque poteſt illud Rom. 1: 18. ut ſint communes monitores omnibus terræ incolis, Deum noſſe res humanas & malefactis indignari, judicemque ac vindicem fore, quem proinde propiatum habere non modo utile ſit, ſed etiam neceſſarium illi, qui ſibi felicitatem optat: ſed quomodo propitiandus nuſpiam cognoſci poteſt quam ex ſolo verbo revelato. Cæterum quæſtio alia eſt, an ſemper malum denuncient Cometæ? Sic videtur pleriſque: Cic. lib. 2. de nat. Deor. *Ab ultimâ antiquitatis memoriâ notatum eſt, Cometas ſemper malorum prænuncios eſſe. Et nunquam cœlo ſpectatum impune Cometen*, ait Claudianus. Ac congeruntur hiſtoriæ ab iis, qui receptum dogma probare ſatagunt. Sane iſtiuſmodi fuit Cometes, de quo Joſephus lib. 7. bell. Jud. cap. 12. *Supra civitatem ſidus, ſtetit ſimile gladio, & per annum perſeveravit Cometes*: qui quidem humilis admodum fuiſſe videtur, & eodem ſemper loco conſtitiſſe, certiſſimum mutationis præſagium, illi loco & genti, cujus metropolis erat, imminens. In S. Scriptura nulla ullius Cometæ mentio expreſſa: hiſtoria tamen deſcripta, ſed feliciſſimi, adeoque prorſus ab aliorum indole recedentis. Stellam intelligo, Magis in Oriente viſam, & poſtquam Hieroſolymam veniſſent, inde

inde viæ ducem Bethlehemum, atque indicem unius illius domus, in quâ Jesus cum matre & Josepho morabatur. Matt. 2. Vocatur ἀστὴρ, sed quod præcelluisse magos, & supra domum constitisse dicitur, non nisi proximo à terrâ motu, & radio, ad singulare tectum directo, fieri potuit: quamvis cum in Oriente conspiceretur, altior longe fuerit, sic tamen ut etiam tunc caudâ seu radio Judæam monstrarit. Sunt nonnulli, & forsan haud male, opinantes, Vaticinium Bileami de eadem stella loqui, quando de Messiâ Prophetam egit Num. 24: 17. Aben Ezra saltem istic loci de Messia sermonem esse, & cometam indicari statuit. דרך כוכב יש רמות כוכבים דורכים בקשת שלא היו בתולדת ולא נודעו: וקם שבט מלכות והנכון בעיני כי חלרת דרך שיראה בדרכו כשנים והכוכבים מחסלותם *Processit, jaculatur stella: Similitudo est stellarum jaculantium in expanso, quæ non fuerunt in primâ conditione naturæ, neque noscuntur. Et surgit Schebhet, Regnum: Mihi verisimile est* דרך *significare, quod videatur in gradiendo, vel faculando, juxta sensum illius* Jud. 5: 20. *stellæ ex semitis suis præliatæ sunt contra Siseram.* Fuit ergo stella jaculans, telo sive radio extenso insignis, & peculiare iter habens, unde constitit ortus regni, seu regis novi ex Jacobo prodituri. Respondebunt autem Magorum verba, *Ubi natus ille Rex Judæorum?* (וקם שבט מישרל) *vidimus enim stellam ejus in oriente.* (quia ante ortum sceptri דרך כוכב מיעקב,) Viderant in oriente stellam ejus, ortam ex Jacob. Sal. Saltem hoc modo bonum, felicem, salutarem Cometam videmus, per Bileamum prædictum, per Euangelistam descriptum. Unde colligere est Cometas non omnes malum quid & infaustum, sed omnes novum, quid indicare, & ad extraordinariam meditationem extraordinario modo excitare. Quicquid sit, inter signa cœlorum non numeramus cometas. Et interdicta de illis consternatio; ad hos non extenditur, quanquam etiam his fulgentibus eum modum adhibere par est Ecclesiæ homines, ne in Gentilium terrorem degeneret, spem nullam habentium.

Vers. 3. *Nam statuta populorum sunt vanitas: quum lignum ipsum ex silva cæcidit, opus manuum artificis ad normam.*

Vers. 4. *Argento & auro vulcrum reddit ipsum, clavis & malleis confirmant ista, ut non amittat.*

Vers. 5. *Tamquam palma opere continente sunt, ne loquuntur quidem, omnino portandi sunt, quia non possunt incedere: ne timetote ab istis, quia non affectura sunt malo, etiamque benefacere non* est *penes ipsa.*

II. *Confirmatio* vers. 3. seqq. tantum respicit idololatriam. Nam superstitiosus ille astrorum metus ipso idolorum cultu probatus fuit. Quippe primi falsi dii, quos homines adsciverunt, sunt Luminaria, & summus omnium Baal, Sol, inferiores luna & stellæ: quia his Deum Dominium diei & noctis dedisse acceperant. His colendis simulachra confecerunt, observata singulari configuratione cœli, & stellarum situ. Quomodo harum vim in ipsas imagines derivare & iis communicata dare connixi sunt. *Dixere Sacerdotes magi, Hæc imago facta est in loco & virtute solis, & in honorem ejus, & qui servit ei, servit soli; ut Nebucadnezaris statua.* Kimhi. Cujusmodi imagines sunt Tilsemæ apud Orientales notissimæ; magica arte fabricatæ, quæ vocem subinde edebant, eaque monebant de futuris. Hujus generis fuere etiam Teraphim in sacris memorati, de quibus Rabbini dicunt fuisse imagines certa hora anni ab Astronomis factas, ut loquerentur deque futuris monerent. Saltem omnem idololatriam ab Astrorum cultu cœpisse docet Vossius de Theologia gentili. Igitur satis fuit monuisse Ordinariis siderum motibus nihil inesse terriculamenti, quamquam gentes sibi terrores magnos fingerent. Verum de Idolis, quæ ante oculos versabantur propius fuere convincendi. Quod sic agit ut argumenta ducat.

1. *A magistris* vers. 3. *Nam* חקורת *populorum* sunt vanitas. Sunt placita hominum, quæ de cultu idolorum dicuntur; atqui verus cultus non ab hominibus discendus sed à Deo; omnis ἐθελοθρησκεία vitiosa, Col. 2. vers. ult. Neque pejores magistri gentibus, quantamcunque sapientiam sibi arrogarent Rom. 1: 21. Gal. 4: 8. Licet astris competeret vis illa, unde constabat illa simulachrorum cum astris affinitas, ut connexio naturalis aut artificialis, non magica doceretur? Deus Ecclesiæ suæ de magistris prospexit in verbo: foris non quærendi. Pontificii idololatriam in sacris imperatam docere non possunt; solum probare satagunt non interdictam; doctrinam ipsam petere debent extra Scholam Dei, eoque ex Schola Gentilium, & qui his magister, Diaboli.

2. *A natura idolorum*, vers. 3. in genere *Vanitas*: quæ ostenditur I. ab eo quod sunt, Vilis materia, humana arte omne suum decus consecuta. Materia est lignum ex sylva: efficiens, faber qui manu suâ, securi Kimhi: dolabrâ, instructâ, excidit; vers. 3. ornatum superinducto auro & argento addidit, denique clavis & malleis firmat, ut immobile consistat. vers. 4. quod etiam dicitur Esa. 44: 10. &c. II. ab eo quod possunt. vers. 5. in genere nihil, כתמר מקשה sicut palma erecta continentis operis ex uno duro immobili trunco. Planè ut apud Horat. l. 1. serm. Sat. 8.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum.
Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum.
Maluit esse Deum. Deus inde ego.

Nam מקשרת continuum opus, ex uno frusto aut massâ: quale corpus omni flexurâ & motu carere apertum est. in specie adest impotentia loquendi; gradiendi, aliena ope de loco in locum transferendi; nocendi, quamobrem nihil metuendi; benefaciendi, quocirca nec colendi aut demerendi. ינשוא pro ינשאו transpositis literis; vel eliso א rad. ad imitationem quiesc. rad & adscito א ex Arabismo. Jam cum tales sint imagines ad cultum propositæ, utique negligendæ sunt; Vanum enim & stolidum est, numinis loco colere, quod colente vilius est; neque plus habet cœlestis dignitatis, quam homini libet affingere; revera autem nihil pro se, neque pro alio in alterutram partem facere potest. Numa vetuit Romanis hominis vel bestiæ formam tribuere Deo, neque fuit ulla apud eos picta vel ficta imago Dei per primos 170 annos in ullis templis, quod nefas putarent angustiora humilioribus exprimere, neque aliter quam mente, ad Deum adspirari posse. Pleniùs declarata idolorum vanitas Ps. 115: & 135. & sæpiùs apud Esaiam, nec non Hab. 2. Et quæcunque de Gentilium idolis dicuntur, etiam valent de simulachris & imaginibus Pontificiorum.

Vers. 6. *Ex eo quòd nullus* est *par tibi, ô Jehova* quòd *maximus es & maximum nomen tuum potentia.*

3. *A natura Dei* vers. 6. מאין כמוך *quia nullus tibi similis est Jehova*, (ut מ causale sit ut Ps. 12: 6. משד &c.) *magnus es, & magnum nomen tuum propter robur.* Non est verè magnus, quo non dico major datur, sed etiam cui similis & par. Is demum magnus qui solus magnus; uti Christus eum duntaxat bonum dicendum docet, qui solus bonus Matt. 19: 17. Abrab. *Non est inter omnes principes superos vel infernos tibi similis. Deus magnitudini, magnus enim dicitur comparatè ad majorem; omnes vero cœlestes principes parvi sunt respectu tui, à quo accipiunt influxum, qui primus es omnium causa. Nomen autem tuum magnum est, non tantum in populo tuo, qui mirabilia tua vidit, sed etiam inter omnes gentes* Mal. 1: 11. *quia etiam super has rex es.* Hebræis הואה שמו ושמו הואה. Nomina sunt signa rei, quæ si accurata sunt, tantundem comprehendunt, quantum in re est. Ita eadem nominis & essentiæ Dei amplitudo est. Sed *illud* Nomen Dei pro infirmitate nostra, multis nominibus nobis innotescit; Sic Deus ipse Exod. 34: 5. &c. & Deut. 30: vers. 3, 4. omnis nominis Dei mentio fit. Ps. 138: 2. Hinc promissio Zach. 14: 9. quando plenior cognitio & apprehensio Dei erit Jer. 31: 34. nomen & bonitas & gloria Dei synonyma sunt Exod. 33: 18, 19. Hic magnitudo nominis probatur potentia; quemadmodum etiam alibi δύναμις pro Deo usurpatur. Matt. 26: 64. & μεγαλοσύνη Heb. 1: 3. Etiam alibi Deus nihil sibi simile ait, Esa. 40. vers. 18. & cap. 46. vers. 5.

Vers. 7.

Verſ. 7. *Quis non revereatur te, Rex Gentium? cùm in te conquieſcat* illa, *cùm* maximus ſis *in omnibus ſapientibus Gentium & omni regno ipſarum, ex eo quòd nullus* eſt *par tibi.*

Verſ. 8. *At unà obbruteſcunt & ſtolidi fiunt: eruditio vanitatum* eruditio *ligni eſt.*

Verſ. 9. *Argentum ductum ex Oceano advehitur, & aurum ex Uphazo, opus artificis & manuum conflatoris: hyacinthinum & purpureum veſtimentum eorum, opus peritorum ſunt omnia.*

4. *A confeſſione idololatrarum.* Quamvis praxi repugnante verſ. 7, 8, 9. Confeſſio eſt, quod ob iſtam incomparabilitatem illi ſoli debeatur timor, verſ. 7. Timor notat omnimodum cultum & reverentiam, qui facit, ut metuat quis offendere, eoque complectitur amorem, & ſtudium propinquitatis: ſed metus, qui fugam cauſatur, & pœnam formidat; odium connotat. Priorem omnes debere ſignificat interrogando, provocans ad conſcientiam ſingulorum, quemadmodum Deus ipſe Jer. 5: 22. &c. ob potentiam evidentiſſime demonſtratam. Si quis hominum ſemetipſum intueatur, ſiquidem ſe creaturam cogitet, jam habet argumenta timoris Dei complura. Verum quia oculi hominis foras proſpectant, & magis animadvertunt quæ extra ſe, quam quæ intra ſe, hac propter extrinſecis argumentis perſuadetur timor Dei, à Dei majeſtate. Eſt Rex gentium, non unius ſolum, cui ſui duntaxat honorem exhibent, aliæ gentes negligunt, vel etiam hoſtes ſunt: ſed omnium quotquot toto orbe reperiuntur, quas omnes ſub ſua poteſtate habet Pſ. 103: 19. Pſ. 135: 5, 6. & cuicunque vult tradit quas & quot vult Jer. 27: 5. habens poteſtatem ſuper regna mundi. Dan. 2: 4. Hac propter incomparabilis Eſa. 40: 15, 17, 18, 22, 25. & verendus omnibus gentibus Pſ. 86: 8, 9, 10. atque hinc æquitatis argumentum fluit, ſibi convenit timor. à יאה *decet, decorum eſt*: potiùs quam a. יאשׁ acquievit, conſenſit: neque enim timor vel regnum Deo debetur, ex conſenſu, & acquieſcentia hominum: (hæc ex fœdere mutuo ſequitur, ſed ex ipſa Dei majeſtate: Convenit Deo timor creaturæ, etſi harum nulla præſtaret, aut voluntatem & acquieſcentiam in eo exercendo haberet. τὸ יאתה Chald. & Kimhi referunt ad מלכות. Sed non anteceſſit, niſi in conjugato מלך: referendum potius ad יראה, quamquam & hoc vocabulum in verbo ſit quærendum. *Nam inter omnes ſapientes gentium, & in omni regno ipſorum non eſt ſicut tu.* Sic vero omittitur מ in מאין, quod tamen omnino videtur explicandum uti verſ. 6. *quia nemo eſt ſicut tu.* Proinde priora ſic potius reddenda; *nam inter omnes ſapientes gentium* &c. hoc confeſſum eſt. Abrab. non male; *Quis, non timeat te, Rex gentium, Nam tibi* יאתה רך לך תאות היראה, (conſenſu & acquieſcentia omnium gentium) *congruit tibi timor, quia virtus tua infinita eſt, atque in tua manu bonum & malum, non autem in cœlo: nam ecce inter omnes ſapientes gentium & in omni regno ipſorum notum eſt & omnes confitentur neminem eſſe ſicut tu: & quando colunt aſtra id fit inde, quod autument mediatores eſſe inter te & ſe; ſed hoc omnes profitentur, quod nemo tibi ſimilis ſit, ſed quod ſis cauſa prima, & reliqua omnia cauſata ſeu effecta.* Sic vero verbum יאשׁ obtinebit. Rex gentium es, (regibus autem debetur timor,) quia tibi regnum & timor omnium gentium conſenſu tribuitur; nam inter omnes ſapientes & in regnis huic veritati acquieſcunt, quia nullus tibi par aut ſimilis. Argumentum itaque huc redit: Divinitatis honos, & metus hominum debetur illi qui omnibus major eſt. Cui quid ſimile illi quid poteſt opponi, quod colatur, & à quo ſperet præſidium. Sed quod ſimile nil habet quoad excellentiam, illud quoque metum exigit & reverentiam, qualis nulli tribuatur Eſa. 8: 12. Matt. 4: 10. Exod. 15: 11.

b Oppoſita praxis eſt verſ. 8, 9. ubi 1. ſtultitiæ eoſdem arguit verſ. 8. 2. praxin ſtultam exponit verſ. 9. *ſtultitiam* his verbis notat, ובאחת *Attamen in uno* (ו enim ſæpiùs adverſativa eſt particula) *obbrutuerunt & ſtolidi facti ſunt.* Illi ſapientes gentium, qui communi conſenſu magnitudinem Dei, regnumque ejus, & debitum timorem agnoſcunt & profitentur, in hoc uno tamen bruti prorſus & ſtolidi ſunt, conſer phraſin (Pſ. 73: 22. & 92: 7. Prov. 30: 2.) quod idola colant. Hæc gemina ſunt cum verbis Apoſtoli Rom. 1: 20—23. ut iſta expreſſiſſe, vel ſaltem in oculis habuiſſe videatur; nam pariter oſtendit potentiam & divinitatem Dei (propter quam venerabilis eſt) agnoſci à ſapientibus, ſed hos, dum declinarunt ad idololatriam, obbrutuiſſe. Quod ſequitur, מוסר הבלים עץ הוא alii ad idola referunt, *Lignum, Idolum, eſt inſtitutio vanitatum*; nam omnis inſtitutio quantumvis operoſa, nil niſi vanitas & ad vanitatem. quemadmodum Hab. 2: 18, 19. conflatile dicitor מורה שקר quicquid docet, mendacium eſt. Alii ad ſapientes, inſtitutio ſapientum illorum (qui de Deo, ſic uti dictum, ſentiunt) quæ tamen merè vanitatum eſt, eſt lignum, docet colendum eſſe idolum ligneum. Poteſt etiam eſſe argumentum convincendæ brutalitatis, eruditio vanitatum, convincens de vanitate eſt lignum: eopſe quod lignum eſt, id quod colunt, erudiuntur de vanitate. Et huc facit Eſa. 44: 9. ſeq. inprimis verſ. 18, 19, 20. *Praxis* eſt verſ. 9. idolorum precioſa & artificioſa 1. *fabrica*: Pretium argentum & aurum longe petitum, מתרשיש trans mare, Targ. ex Africâ, ex Uphaz, idem cum Ophir, juxta Chald. artificium, fabri & conflatoris. Heberi filius minor Joktan legitur habuiſſe filium undecimum Ophir, & duodecimum Havila, qui regiones ab utraque ripa Gangis occupaſſe creduntur, Gen. 40: 29. 2. *ornatus* ex veſtibus, quarum pretium, Hyacinthus & amorgina, colores precioſi. Artificium, opus ſapientum: nam textoribus iſtiuſmodi ſapientia tribuitur. Exod. 28. ubi de veſtibus ſacerdotalibus, nec non de telis aliis agitur. Verum ſtultitia major, ſapientiam in re ſtulta & vanâ occupare: ut quantum ſapientiæ hîc exercetur, id omne pertineat ad exaggerandam brutam illam ſtoliditatem.

Verſ. 10. *Jehova verò Deus verus* eſt, *Deus vivens, & Rex ſempiternus: à cujus fervore commovetur terra, neque ſuſtinere poſſunt Gentes indignationem ejus.*

5. *Ab oppoſitione Dei & idolorum.* verſ. 10—15. proponens efficacem potentiam Dei, & impotentiam idolorum, tum reſpectu ſui, verſ. 10, 11. tum reſpectu aliorum extra ſe. verſ. 12—15.

(1.) *Reſpectu ſui*, quid poſſit I. Deus. verſ. 10. II. Idola verſ. 11.

De Deo verſ. 10. teſtatur, *Dominus autem eſt Deus veritatis*, ſeu potius per appoſitionem, *Deus veritas: ipſe eſt* אלהים חיים ſi adjective ſumatur, *Elohim viventes*; quemadmodum אלהים שופטים Pſ. 58. verſ. ult. אלהים קדושים Joſ. 24: 19. ſin ſubſtantivè, *Deus vita, & Rex* עולם *æternus*, vel *mundi*. Elohim divinitatem notat, venerabilitatem; hanc Jehova habet vere, à ſeipſo, non debet eam alteri: qui alii dicuntur Elohim, ipſius beneficio ſunt, λεγόμενοι θεοὶ 1 Cor. 8: 4. *nominati Dei*, ſive angeli ſive Judices, ad quos Dei ſermo & mandatum factum eſt. Joh. 10: 34, 35. Sed qui nominati à Deo, Dii, nonne ſunt Dii vere? neque enim Deus nominat res aliter quam ſunt? Reſp. Quos Deus nominat id ſunt, quod nominat; ſed nunquam nominat creaturam Deum veritatem. ut Deitas ſit veritas eſſentiæ, ſed tantum denominatio officii. Jehova ſolus eſt Deus veritas, Deitas & veritas ejus ſunt eſſentia. Et pariter eſt vita. Joh. 5: 26. Vitam habet in ſeipſo; à nemine dependentem, uti quidem omnia alia viventia præter ipſum; & ſicuti à nemine dependet, à quo acceperit, ſic quoque à nemine ei adimi poteſt. Uti Deitas & veritas, ſic quoque Deitas & vita convertuntur. Hinc vero colligimus Jeſum Chriſtum eſſe verum Deum Joh. 14: 6. Quod ſe viam inſuper nominat, pertinet ad munus Mediatorium. Pater eſt veritas & vita: non tamen via, ſed terminus in quo ambulantes alii conquieſcunt: Meſſias filius Dei via, per quem ambulantes ad illum terminum progrediuntur. Æternitas addit immutabilitatem, quæ nec variationem, nec defectum & deſinentiam, imo neque initium admittit. Pſ. 90: 2. 1 Tim. 6: 15, 16. Sic vero in ſeipſo tutus eſt. Et hæc omnia eſt, quia יהוה: nam hujus nominis interpretatio, reliquis peragitur. Et tale ὄν neceſſario habet veritatem, & vitam, & æternitatem; imo eſt ea omnia à ſeipſo; & tale ὄν niſi foret, nihil foret, quoniam ab hoc uno ſuum eſſe habent omnia alia, ſuamque conſervationem. Quia autem

ſibi hoc modo ſufficit, is ſufficit omnibus aliis deſtruendis. Ab ejus indignatione commovetur terra, neque gentes valent ſuſtinendæ ejus vehementi iræ. Pſ. 16 : 8. &c. Heic חרון *iram vehementiorem* notat, ore quodammodo ſpumante, at זעם *iram* indicat, cum quâdam deteſtatione conjunctam.

Verſ. 11. (*Sic dicitote illis, dii iſti qui cœlos & terram non fecerunt, perituri ſunt è terra, & è regionibus ſub cœlo ipſi.*)

Jam ex oppoſito, quid poſſint *Idola*, docet verſ. 11. quia eis denunciat excidium; argumento à jure & arbitrio, quod habent in *cœlum & terram*. *Dii, qui hæc non condiderunt*, nihil in ea juris habent, neque ſibi in iis locum certum & ſtabilem vendicare & tueri poſſunt. Domino eorum jubente migrandum eſt, & cum extra hæc locus non ſit, prorſus pereundum. Scilicet omnipotentiæ opus eſt Creatio cœli & terræ; qui hoc non effecit, nequit ſe tueri; ſed eſt ſub providentia & regimine ejus qui creavit; qui perdet de terra, & de ſub cœlo, quicquid in ſui contumeliam opinione deitatis ornatum fuit ab hominibus. *De ſub cœlo, non invenientur aliquando ſub toto cœlo, quia regnum Dei erit ſub toto cœlo. Conf. Dan.* 2: 44. & *cap.* 7: 27. Coccei. Proinde pernicies denuncicata quibuſcunque idolis, ſive gentilium, ſive Chriſtianorum, ſic appellatorum. Sed quantum hoc valet contra idola, tantum valet pro aſſerenda Deitate Filii & Spiritus S. quibus creatio cœli & terræ tribuitur. Pſ. 33: 6. Job. 33: 4. Joh. 1: 1. &c. Heb. 1: 2.

Cæterum hic verſus Chaldaice inſertus eſt; Abrab. cenſet familiarem fuiſſe Prophetæ hanc ſententiam, quoties cum idololatris ageret, atque hinc ſuæ concioni inſeruiſſe. Sed nec omnes adiit Jeremias, qui tunc nondum inter eos fuerat, neque omnes ſic poterant refutari, quia Ægyptii linguâ à Chaldæis diſtincta utebantur. Verius quod aliis placet pleriſque, quia hæc pertinuerunt ad erudiendos tum Iſraelitas deportatos, tum Judæos deportandos, inter Aſſyrios & Chaldæos idololatras viventes aut victuros, & ab iis ſollicitandos tum voce, tum exemplo, ad ſocietatem cultus; dictavit eis formulam efficaciſſimam, ad eos confutandos & confundendos, etſi nihil aliud Chaldaicè loqui noſſent. Targ. ſic habet. *Hoc eſt exemplar Epiſtolæ, quam miſit Jeremias Propheta ad reliquos ſeniores, qui exulabant Babylone. Quod ſi dixerint vobis gentes, inter quas habitatis, Colite idola, ô Iſraelitæ: Tunc reſpondebitis, & ſic dicetis eis. Idola quæ vos colitis, idola ſunt, in quibus nihil eſt utilitatis: Ipſi de cœlo nequeunt deducere pluviam, & è terra non poſſunt facere, ut germinent fructus, illa & eorum cultores peribunt de terra, & delebuntur de ſub cœlis iſtis.* Literas Jeremiam Babylonem ſcripſiſſe poſt deportationem Jechoniæ conſtat ex cap. 29. imò conciones ſuas eò miſiſſe, indidem colligitur verſ. 17. coll. cum. cap. 24. ut etiam hanc eò deſtinaſſe, vel ad Iſraelitas in Aſſyriâ, non plane præter omnem ſit ſpeciem. Quod vero de pluvia danda habet, convenit illi quod dixit Jer. 14. verſ. ult. Ultima vox אלה Hebræa eſt, Kimhi etiam Chaldaicè uſurpatam dicit Ezr. 5: 15. אלה מניא ſed ה non legitur. Hinc malim, non conjungi prioribus, ſed fini adſcriptam, clauſulæ inſtar, huc uſquam dicendam illam formulam extendi: quemadmodum ſimiliter המרה לי uſurpatum eſt Jer. 7: 4.

Verſ. 12. *Qui fecit terram virtute ſua, ſtabiliit orbem habitabilem ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cœlos.*

Verſ. 13. *Quo vocem ſuam edente fremitus aquarum* eſt *in cœlis, qui effert vapores ab extremitate terræ, fulgura cum ipſa pluvia facit, & producit ventum è theſauris ſuis.*

(2.) *Reſpectu* porrò *aliorum* extra ſe quid poſſit I. Deus verſ. 12, 13. II. Idola. verſ. 14, 15.

Deus quidem poteſt extra ſe omnia, docente id (1.) *Creatione* verſ. 12. ubi *ſubjecta, terra, orbis habitabilis, cœli.* Actiones attemperatæ ſubjectis; *Terram*, quâ intelligitur pars inferior univerſi, complexa quoque aquam, globus terreſtris, *fecit ſuâ virtute* omnipotente, quâ eam creavit ex nihilo, primo die, quando produxit תהו ובהו, cujus ſuperficiei aquoſæ incubuit fotor ſpiritus Dei, qui non incommode virtutis nomen claturâ venit, ut Luc. 1: 35. *Spiritus Dei* eſt virtus Altiſſimi. Ὀικουμένη, quantum ab hominibus & feris quoque habitatur, *diſpoſuit, aptavit ſuâ ſapientia*; tertio die, poſtquam ſecundo partes quaſdam aqueas ſubduxiſſet in altum, aridam fecit exſtare, collectis aquis in alveos majores marium & lacuum, minoreſque fluviorum & fontium, quibus arida humectatur & ſœcundatur; & illam aridam herbis, plantis arboribuſque omnis generis ornavit & ad alimoniam animalium inſtruxit, magna ſapientiæ demonſtratione in apertiſſima diſtinctione & diſtributione. Poteſtque deſignari filius Dei, qui Sapientia, & cui tribuitur converſatio cum hominibus in illa οἰκουμένῃ terræ ejus Prov. 8: 31. *Cœlum* cum primi diei opus, quod beatorum Angelorum, cœleſtium exercituum; tum ſecundi, quod firmamentum inter aquas ſuperiores & inferiores collocatum, in quo locata luminaria, Sol, Luna, ſtellæ, quæ itidem dicuntur exercitus cœlorum, *extendit, expandit*, inſtar cortinæ Pſ. 104: 2, 3. Conf. Eſa. 40: 22. cap. 42: 5. cap. 44: 24. cap. 51: 13. Job. 9: 8. cap. 37: 28. quæ partim ad ſtellifer. rum, partim ad ſupremum cœlum referenda; partim ad utrunque, *ſuâ intelligentiâ*, conſilio, quod Dei Patris eſt, cujus primum quaſi ſuffragium eſt in omni conſilio, argumento Gen. 1: 26. cap. 3: 22. cap. 11: 6. &c. Quandoquidem autem omnia loca produxit, in quibus univerſæ creaturæ degunt, utique harum quoque omnium effector & dominus eſt agnoſcendus, cum de locis quæ fecit, illos quos fecit pro ſuo lubitu poſſit ejicere, ac jubere ut decedant, redeantque in nihilum. Pſ. 104: 29. & 90: 3. II. *Conſervatione & gubernatione* verſ. 13. quoad meteora in aëre, tonitrua, nubes, fulmina, pluvias, ventos. Tonitru dicit *vocem Dei*, ut Pſ. 29. quam cum edit, copiam *aquarum* eſſe collectam *in cœlo*, cujus colliſio, quemadmodum in fluctibus marinis, tantum edat *ſonitum*; ſignificatur ſtrepitus ille in aëre, qualis currus agitati, quamobrem Salmoneus ærato curru vectus ſategit tonitrua imitari; *Nubes, vapores* copioſiores & denſiores *adſcendere facit de extremo terræ*; נתקים למטר *fulgura facit pluviæ*, vel על *juxta cum pluvia*; ignem miſcens aquæ, & ex imbre copioſe flammam faciens erumpere: *Ventos educit ex theſauris*, copioſos in poteſtate habens, quos pro lubitu emittit. Sic legitur de theſauris nivis, & grandinis Job. 38: 22. & hæc aëris mutatio varia deſcribitur ſeu teſtimonium Divinæ potentiæ & gubernationis Job. 37, 38. Pſ. 135: 7. & 147: 15. ſeq. & 148: 8. Jeremias pluviam & connexa commemorat, quia in Cananæa & vicinis regionibus pluviæ erant raræ, & ſæpe deſideratiſſimæ, ſed quas nulla idolorum virtus, ſed ſola unius Dei poterat largiri, Jer. 14: 22. 1 Reg. 18. Abrab. omnia refert ad cohibitionem pluviæ, quando nubes & tonitrua & fulmina eam videantur promittere, Deum emiſſo vento diſſipare, & vota omnium fruſtrari. Sic enim exponit: *quando multitudo hominum vocem & preces ſuas dat, effert, in cœlum ob pluviam, & concurrentes cauſæ naturales eam polliceri videntur, multis vaporibus de terra adſcendentibus ad generationem pluviæ, accedentibus quoque fulgetris, Deum tamen vento emiſſo impedire ne cadat pluvia; atque tum obbruteſcere naturæ conſultos, quando cauſas pluviarum præſentes obſervant, nec tamen pluvias ſuccedentes.* Verum repugnat interpretationi contextus, qui habet non נתן המון קולו למים בשמים, ſed לקול תתו ad vocem, dare eum, hoc eſt, quam dat, המון מים multitudo aquarum eſt in cœlo, & נתן non intranſitivum, ſed tranſitivum eſt.

Verſ. 14. *Magis obbruteſcit, omnis homo quam ut animadvertat, pudefacit omnis conflator ſculptili: nam falſum* eſt *fuſile ejus, nec ſpiritus* eſt *in ullo eorum.*

Verſ. 15. *Vanitas ſunt, opus aberrationis maximæ, quo tempore viſitabuntur illi, peribunt* iſta.

Contra vero *Idola* extra ſe nihil poſſunt, verſ. 14, 15. quia deſtituunt cultores ob impotentiam, verſ. 14. *Obbruteſcit quivis hominum* (vid. colentium ea) נבער negativè, *ut non ſcit ſcientia*, non poſſit concipere rationem, vel *propter*

propter ſcientiam, nempe ſuam, נבער de bruta ſtoliditate depæhensâ ad pudorem, uti in Sacerdotibus Baalis 1 Reg. 18. Eſtque gravior quam *conflatoris pudefactio propter ſculptile*. בוש habet ſignificationem ב בוש: *Nam mendacium, res mendax eſt fuſile ejus*: non reſpondens exſpectationi facientium aut colentium, neque eſt in eis ſpiritus, vitæ expertia, carent omni ſenſu & motu, & magis adhuc mente. Non quod proprium ſpiritum ineſſe crediderint, ſed ſpiritum ſeu virtutem alicujus ſideris, quam in Tilſemæ fabricatione ei alligatam opinabantur; cujus tamen defectum manifeſte deprehendunt. ſic Hab. 2: 18, 19. Impotentia illa amplificatur verſ. 15. *ſunt vanitas*, res vaniſſima, abſtractum pro concreto: *opus deceptionum*, geminatio literarum priorum auxeſin affert; totum eò comparatum eſt ut decipiat. Nihil habens eorum quæ affinguntur, & ut in errores ducat Eſa. 44: 20. nam dum ea reſpiciunt, à Deo ſe avertunt, contra 1 Theſſ. 1: 9. Gal. 4: 8. *tempore oportuno viſitationis ſuæ*, ut viſitentur deſtinato tempore, peribunt non valentia amoliti adverſarium: juxta illud verſ. 11. Igitur viſitatio non eſt idolorum agentium; ſed patientium, proinde nulla ipſis adminiſtratio univerſi, ut quemadmodum pater familias domum & domeſticos viſitat, cuique debitam compenſationem definito à ſe tempore redditurus, ita quoque in mundo aut inter cultores verſentur, ſed æque ut res aliæ omnes viſitationi ſuperioris ſunt obnoxia, quandocunque illi placuerit, & ſubjicienda pœnis & perditioni ab illo definiendis & ſtatuendis.

Verſ. 16. *Non ſicut iſtarum* eſt, *ſed formator omnium* eſt *Jahakobi portio, viciſſim Jiſrael tribus poſſeſſionis ipſius: Jehova exercituum nomen* eſt *ei.*

5. *A fœdere Dei cum Iſraelitis* verſ. 16. *Non inſtar illorum Portio Jacobi.* Vocat Deum portionem Jacobi, & ex oppoſito Iſraelem tribum virgam hæreditatis ſuæ: quomodo indicatur mutua relatio & proprietas fœderatorum. Jacob habet Deum portionem ſuam, eoque proprietatem in eo, ut omni ejus perfectione uti queat, & ſolum illo uti, non idolis, quæ non ſunt portio ipſorum, Pſ. 81: 10. &c. Pſ. 73: 25, 26. Et in hac portione poſſidet omnia, quia ipſe formator omnium; omnia habens in ſua poteſtate, ut ipſum qui habet, omnia cum eo habeat: unde felicitas hujus poſſidentis Pſ. 16: 5. &c. etiam reſpectu idololatrarum Pſ. 115: 3. ſeqq. Pudefiunt qui idolis ſerviunt ceu ſuæ portioni, neque enim pluviam dare queunt de cœlo, quod non formarunt: ſed non quibus Deus portio, cum ſit fons & ſcaturigo boni ל שרי Deus effundens abundantiſſime 1 Tim. 6: 17. eoque in ſe ſufficientiſſimus & extra ſe aliis omnibus. Jer. 2: 13. idololatrarum brutalitas & malitia conjunguntur. Proinde Deum negant ſibi portionem, qui idola colunt, qui Mammona: neque enim foris in alieno quærunt, qui domi abunde habent. Iſrael viciſſim eſt hæreditas Dei, quam ſibi delegit titulo ſingulari, ut Deut. 32: 9. &c. cujus proinde ſpecialem curam habeat, ut ei proſpiciat de neceſſariis & utilibus quibuſcunque Pſ. 68: 10. quemadmodum quivis ſuam hæreditatem velit eſſe cultiſſimam & feliciſſimam. Sigillatim Eccleſia eſt hæreditas filii Dei Pſ. 2: 7. &c. quem Pater conſtituit hæredem omnium Heb. 1: 3. Quod additur, יי צבאות שמו reddi poteſt, vel *Dominus* (Deus) *exercituum nomen ejus*; ut cum omnes exercitus populorum in ſua poteſtate ſubque imperio habeat, ſolum Iſraelem Exod. 7: 4. צבאותי delegerit, quemadmodum Deut. 32: 8, 9. cap. 7: 6. &c. Exod. 19: 3, 4. quique omnibus exercitibus uti poteſt ad defenſionem ſuæ hæreditatis. Vel *Zabaoth*, temporum moderator, ut pluviam & ſiccitatem, & quaſcunque variationes pro ſuo regat arbitrio: quomodo reſpondebit priori deſcriptioni. Cæterum quia Deus portio Jacobi, huic ille agnoſcendus, quemadmodum quivis cupit eſſe ſcientiſſimus ſuæ portionis & hæreditatis; nec non ſtudioſiſſime colendus; uti ea cura impenditur portioni propriæ: nihilque cum idolis habere commune; imitatus Deum impendentem ſibi ſummam curam, & omnia tempora moderantem ex uſu ſuo, Jer. 5: 24.

Verſ. 17. *Recipe è terra mercem tuam, quæ habitas in munitione hac.*

Verſ. 18. *Nam ita ait Jehova, ecce ego funda ejaculaturus ſum habitatores hujus terræ hac ipſa vice, & auguſtia affecturus ſum eos, ut deprehendant* iſta & dicant.

Altera cap. pars habet DENUNCIATIONEM JUDICII, verſ. 17. ad fin. quod deſcribit verſ. 17, 18, effectum verſ. 19--22. remedium oſtendit verſ. 23--25.

I. *Deſcriptio* habet I. *ſarcaſticam rejectionem* præſidiorum v. 17. *Collige de terra merces tuas.* &c. Quidam de Babel, quæ habitet in munitione, loco tuto, juberi ut colligat merces ſuas, idololatriam multiplicem ejuſque inſtrumenta; ſeque paret exilio, non defenſandæ ſuis arcibus. Vel *oppreſſionem tuam*, & dominatum tyrannicum, eo jam privanda, מכניע *humiliavit*, כנען *mercator*. Sed convenientiùs de Hieroſolyma, *Habitans in obſidione*, undique anguſtata à Chaldæis (מצור enim utrumque notat.) *collige merces tuas*, merces idololatricas, quæ copioſe explicata fuerunt, etiam in ipſo templo Ezek. 8. cap. & 16. cap. & unde pollicebantur ſibi magnum commodum & ſecuritatem, uti agyrtæ ſuis pharmacis talia adſcribunt, qui finitis nundinis colligere jubentur vaſa, & migrare. Sic & hic migratio inſtans denunciatur: מצור etiam hic poteſt de munitione ſumi, quia ſibi ſecuritatem promittebant intra mœnia Hieroſolymæ. II. *Deportationis prædictionem* verſ 18. Deus id dicit, idemque facturus eſt, ſe autorem profeſſus, quid autem? *Fundæ projiciam*, quæ facilis violenta, velox, ſonginqua abjectio, à loco ubi erat, in alienum. Notetur oppoſitio 1 Sam. 25: 29. quæ pretioſa, ſervantur & ſeponuntur colligata, ne pereant: ſed quæ vilia, contemta, exoſa, quantum pote longe cum voluptate abjiciuntur, ne occurrant. *Sic habitatores terræ* erat ejecturus ex fundâ, potenter exacturus; & tempus, hâc vice. Non uti tempore Sanheribi, & Tiglat Pileſeris, quorum hic ære Achazi accepto diſceſſit, ille à Deo contrucidatus eſt: neque etiam uti cum pars populi deportata cum Jechoniâ: ſed jam imminebat totalis captivitas, quæ ſub Zedekia facta quemadmodum de Iſraele olim Amos. 7: 8. cap. 8: 2. & de Juda Ezek. 7: 2. ſeq. *Et anguſtiabo eos*, non tantum nunc durante obſidione, ſed etiam in exilio, ut ne quidem iſtic requiem aut tranquillitatem ſint habituri, plane ut eſt Deut. 28: 64. &c. Scilicet ut non uno in loco duntaxat experiantur Deum ultorem, ſed quocunque venerint inſequentem. Quo facit illud Amos. 5: 19. & Eſa. 24: 18. Jer. 48: 44. Jam extrema finem indicant, *ut inveniant*, vid. quid ſit Deo jugiter adverſatos eſſe Jer. 5: 19. Hoſ. 2: 5. 2 Chron. 12: 7. vid. Job. 34: 11. Dicuntur etiam peccata invenire patrantes, quando judicia eos inveniunt Deut. 4: 30. & 31: 21. aſſequuntur Num. 32: 23. quæ etiam dicuntur aſſequi Deut. 28: 15: 45. Pſ. 40: 13.

Verſ. 19. *Hei mihi propter contritionem meam, ægerrima eſt plaga mea: ego autem dicebam, utique hic morbus* eſt *quem perferam.*

II. *Effectus* eſt Lamentatio ob miſerias: verſ. 19. &c. quæ proponitur *in genere* verſ. 19 quam Propheta peragit nomine totius populi, cujus affectum in calamitatibus repræſentat: *Va mihi*, dolentis vox: materia, *propter fracturam meam*; quomodo appellantur omnia adverſa, quibus Reip. vigor frangitur. cap. 4: 20. cap. 6: 14. cap. 8: 11, 21. *plaga mea dolorifica*; cum dolore & morbo ſeu ægritudine conjuncta: animus autem in hoc ſtatu; judicabant eſſe *morbum*, non mortem; afflictionem non perditionem: adeoque *tolerabilem*, & conſtantia ſuperandam: quemadmodum cum poſt necem Joſiæ à Pharaone Nechone tributum imponeretur manente rege ex Joſiæ filiis: ſic cum Zedekiam tributarium conſtitueret Nebucadnezar. Hanania vaticinabatur intra biennium deportatos & vaſa templi eſſe reſtituenda Jer. 28. Si foret piorum vox, laudanda eſſet Pſ. 29: 10. Lam. 3. Mich. 7: 9. poſſidenda anima in patientia Luc 21. Heb. 10.

Verſ. 20. *Tentorium meum vaſtatum eſt, & omnes funes mei dirupti, filii mei exeunt à me, adeo*

ut non exſtent ulli, nullus extendat amplius tentorium meum & erigat aulæa mea.

In ſpecie verſ. 20. deſcribitur calamitatis magnitudo, ſub ſimilitudine *tentorii everſi*; diſſolutio politiæ, & omnium firmamentorum ejus: amiſſio hominum, ademta ſpes reſtitutionis, vaſtatur tentorium ſi *funes* quibus extenditur *dirumpantur* Pſ. 2: 2. ננתקו. ſpes perit, ſi *nemo* ſit qui *extendat*, *cortinaſque* funibus *erigat*. יצאו ממני hoc eſt יצאוני. Contra Eſa. 33: 20. Exod. 15: 9. תמלא מהם pro תמלאמו נפשי Pſ. 5: 5. ינוך ואינם pro occiſis vel ſubductis ex oculis Gen. 5: 24. Jer. 31: 25.

Verſ. 21. *Nam obbrutuerunt ipſi paſtores, & Jehovam non conſuluerunt: idcirco non ſecundabuntur, & totus grex paſcalis eorum diſpergetur.*

Porrò *cauſa mali* proxima & *meritoria* verſ. 21. *Paſtores* tum politici, tum Eccleſiaſtici, quomodo ſæpe appellantur: & horum culpa, interna, *bruti facti ſunt*, ut nihil rite intelligerent; externa, *Dominum non inquiſiverunt*: uti bruta carentia intellectu, non quærunt Dominum. Conf. Eſa. 29: 13, 14. Eventus, *propterea non egerunt intelligenter*, quomodo enim id fieret à brutis? ſeu potius, *feliciter*, ut 1 Sam. 18: 5, 14, 15. nullus ſucceſſus bonus iis, qui Dominum non quærebant: nihil quod agebant bene ceſſit, *ſed grex omnis*, cujus curam habebant gerendam *fuit diſperſus* & diſſipatus. Sane ſub ultimis temporibus, regni Judæ, omnis fere culpa Paſtorum, Sacerdotum & prophetarum; nec non Regum & Principum. Illi imprudentes qui non verbum Dei ſed ſapientiam humanam habebant, eaque gloriabantur cap. 8: 8, 9. non quærebant Dominum, ſed templum Jer. 7. cap. 5: 30, 31. ſacrificia, idola etiam. Infelices fuere, curantes fracturam leviter, nulla pace ſecutâ, unde vaſtitas Jer. 14: 24. &c. attemperantes ad placitum plebis & magnatum conciones. Reges & principes negligebant Deum; Prophetas ejus non audiebant; oderant, perſequebantur, perfidi in Babylonium, Ægyptiorum fiducia. Hinc calamitas regni, ut in vaſtitatem redigeretur.

Verſ. 22. *Sonorus rumor ecce advenit, & commotio magna è terra Aquilonis: ad diſponendum civitates Jehudæ in deſolationem, luſtrum draconum.*

Cauſa mali inflictoria, verſ. 22. Babylonii *Septentrione* venientes, quorum deſcriptio præter regionem, unde acceſſuri eſſent, peragitur terrore; *Vox rumoris*, *Ecce venit*, propinquitatem indicans; *& terræ motus magnus*, nam uti hic damnoſiſſimus. & irreſiſtibilis, ſic futuri erant Judæis Aquilonares: quorum ſcopus *vaſtitas*, ut non amplius homines incolæ forent urbium, ſed *dracones*; qui in deſerto & ſolitudine nidos & ſpecus habent. תנים ſing. Ezek. 29: 3. plurale hîc, ut & תנות Mal. 1: 3. forte à תן & תנה, à תנן unde תנין eſt animal terreſtre & aquaticum, mari & deſertis adſcribitur: hoc loco, terreſtre, *draco*, *ſerpens*.

Verſ. 23. *Novi Jehova, non eſſe penes hominem viam ipſius, non eſſe penes virum ambulantem vel dirigere greſſum ſuum.*

Remedium ergo meditatur & oſtendit verſ. 23, 24, 25. ſic ut I. profiteatur inutilitatem propriorum auxiliorum verſ. 23. II. petat moderationem malorum verſ. 24. III. poſtulet vindictam contra hoſtes verſ. 25.

Profeſſio verſ. 23. *Novi Domine, quod non ſit hominis via ſua, non viri ambulantis & dirigere*, (ut dirigat) *greſſum ſuum.* Indignabantur Paſtores, Eccleſiaſtici & Politici, ſe brutos dici, & populus imaginabatur ſibi, ſatis provide à ſe curari, quæ ad regni conſervationem pertinebant, quomodo non quærebant Dominum, ſibi ſufficientes. Igitur Propheta primùm vanitatem humanæ opis profitetur, Deum alloquitur, & coram ipſo profitetur ſincerè, quæ tum diutina experientia edoctus, tum ex verbo Dei inſtructus cognoverit, viam ſuam, proprie è vitæ rationem & inſtitutum quod ex ejus uſu ſit, ad felicitatem deducturum. Vita hominum dicitur *via*, quia non habet ſummum bonum, ſed ejus omnis ratio eo tendit ut aſſequantur homines. Dicit autem non eſſe לאדם *Hominis vilis*, plebeii, rudis, ut ſibi conſulat, & ſuo arbitrio eam moderetur, imò neque איש *Viri excellentis* dotibus animi, ſapientia, prudentia, eruditione, inſtructi, quamvis הולך *ambulantis*, experimenta viæ habentis, & aliquouſque progreſſi, jugiterque procedentis; אדם & איש opponuntur hoc modo Pſ. 49: 3. Eſa. 2: 9, 11, 17. Pſ. 4: 3. & 22: 7. Sic opponuntur pauperes & magni Jer. 5: 4. &c. Non autem vel hujus quoque eſt *ut* הכין *aptè diſponat, ordinet*, atque etiam *confirmet, ſtabiliat* greſſum ſuum, ullum eorum, vel unicum; adeoque quicquam valeat ad ſibi conſulendum, ſuamque felicitatem procurandam, promovendam, ſtatuminandam. Atqui ſi talis conditio omnium, quid publico proderunt, ſibi qui nihil ſapiunt? Eſt hîc inſignis convictio ineptitudinis humanæ, quæ ne quidem dotibus naturæ eximioribus corrigi queat, circa moderamen vitæ uniuſcujuſque. Huc facit Deut. 32: 23. Pſ. 39: 6, 7. Egregius eſt hîc locus contra patronos lib. arbitrii Hieron. *Erubeſcant novi prædicatores, qui ajunt unumquemque ſuo arbitrio regi; cum & hic Propheta dicat, non eſt hominis via ejus; & David in Lyrico canat carmine: à domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet nimis* Pſ. 37: 23. Abrab. locum corrumpit: facit hæc verba murmurantis populi: *Novi Domine, non habere ullum hominem de filiis Judæ viam congruentem,* εἰς τὸ εὐθὲς πορεύεσθαι, neque eſt *vir ullus, inter nos, qui rectâ viâ incedat, ſuoſque greſſus dirigat in bonum, ſed omnis caro corrupit viam ſuam. nihilominùs caſtiga me modicè; nam cur non effundas iram tuam ſuper gentes tui nominis ignaros; cur id faciat ſuper Iſraelem populum tuum: maxime cum illæ gentes populum tuum & templum abſumſerint.* Non male tamen putat Kimhium ad Nebucadnezarem referre priora, quia verſ. 22. dixit de malo ab Aquilone venturo. *Novi Domine huic homini non eſſe viam ſuam; nam egreſſus eſt Babele dubius quo iret, Ammonitas adorturus, conſtitit in bivio hæſitans & anceps conſilii* Ezek. 21: 13, 18. &c. *Deus autem mutavit ejus auſpicia, ut contra Hieroſolymam iret: neque eſt ullius viri in arbitrio qui in mundo ambulat, ut dirigat greſſum ſuum, niſi quomodo eum duxerint è cœlo.* לא לאיש אחר ההולך בעולם אין ברשותו להכין צעדיו אם לא כמו שיוליכוהו מן השמים Benè & malè R. Sal. יודו הרשעים. Melius Kimhi quâ generaliter ſumit לא לאדם בו מטהו מן הדרך דרכו אינו נרשותו כי אתה תשנה רצונו ואין ההכנה בידו *Cœli*, hoc eſt, Dei Dan. 4: 26. moderamine reguntur hominum greſſus, tam maximorum quam minimorum Prov. 16: 1, 9. cap. 20: 24. cap. 21: 1, 2. Quandoquidem vero nihil ſibi ſapit homo, utique illi, qui de hoc convictus, ad Deum ſapientiſſimum, moderatorem omnium eſt eundum, & ab ipſo petenda via, & directio ſive confirmatio in ea. Pſ. 25: 4, 5, 8, 9. & 86: 11. & 119: 33. &c. & 133. Pſ. 143: 10. & 73: 23, 24. Non autem hæc quis intelligat de exterioribus duntaxat, ut ibi moderamen aliquod Deo tribuat, interiora autem mentiſque motus ſuæ faciat poteſtatis; etiam ſpiritum ponderator Deus eſt, ipſe enim in poteſtate habet & impellit omnia pro ſuo arbitrio, quemadmodum de cœlo ſcriptum eſt. Pſ. 33: 10. ſeq. Quod ſi ad ſuas vias non valet, quid valebit homo ad Dei? *Ea, obſecro, volumus & facimus, quæ Domino placent? quia ipſi vias noſtras non cognoſcimus. Mira vis hominis, ſcilicet, quæ cum domeſtica ignorat, altiora illa cœleſtia penetrat.*

Verſ. 24. *Caſtiga me Jehova, verumtamen modicè, ne* caſtiges *in ira tua, ut non comminuas me.*

Petitio moderationis verſ. 24. *Caſtiga me Domine, dummodo in judicio*: Caſtigationem non exſecratur, impatienter murmurando; non vult excutere; non poſcit à ſe removeri; imò petit in ſe exerceri. Eſt enim magnum caſtigationis bonum Job. 5: 17. Prov. 3: 11, 12. Heb. 12: 6. Pſ. 119: 67. ſiquidem habeat adjunctam inſtitutionem Pſ. 94: 12. Verum poſcit moderamen aliquod caſtigationis: אך במשפט *Judicium* intelligit non ἀκριβοδικίαν, ſed ἐπιείκειαν. Illud deprecatur David Pſ. 143: 2. hoc optat Jeremias. Scilicet משפט etiam notat moderationem, judicii eſt æſtimare quid con-

conveniat, & adjudicare; Heic, non quid meritus ſim attendes, ſed quid valeam ferre. Alias etiam eſt mos, conſuetudo. 1 Sam. 27: 11. Joſ. 7: 15. Jer. 30: 18.

Patet ex oppoſitione, *Non in irâ tuâ, ne me imminuas.* Ira Dei conſumit peccatores, quia ardet ut ignis Eſa. 30: 27. Nah. 1: 6. Pſ. 2: 12. Hanc ſi immittat in Eccleſiam, ea quoque periret. Hac propter illam deprecantur pii Pſ. 79: 5. & 85: 4, 5, 6. Moderationem iſtiuſmodi promittit Deus Jer. 30: 11. cap. 46: 28. & eo nomine prædicatur Deus Pſ. 103: 10. &c. ſic Pſ. 78: 38, 39. Eſa. 27: 8. Hoſ. 11: 8, 9. Deus etiam iraſcitur Eccleſiæ, Pſ. 7: 12. quia juſtus judex, quotidie iraſcitur impiis: & cum etiam Eccleſia ſæpe peccet, non poteſt non ei iraſci; Pſ. 78: 21, 59. Eſa. 64: 5. Mich. 7: 9. ſed eſt modus quem ſervat circa ipſam Jer. 30: 11. cap. 46: 28. ſic tamen ut non prorſus inſontem habeat. Hoc foret, ſi prorſus ſine omni caſtigatione relinqueret; opinarentur tunc & ipſa & alii, nullam ſibi eſſe culpam, juſtam coram Deo, Deum approbare & ſe & opera ſua, imo ſibi ſimillimum eſſe, qui iiſdem delectetur: hac propter Deus caſtigat ſuos Pſ. 50: 21, 22. ſed eſt caſtigatio ad convictionem, quæ ſi non emendet, procedit ad conſumtionem. De hujuſmodi convictione legitur 2 Sam. 7: 17. והוכחתיו בשבט אנשים Job. 33: 19. והוכח במכאוב על משכבו Pſ. 39: 12. בתוכחות על עון Prov. 3: 12. coll. cum Heb. 12: 6. Pſ. 94: 10. etiam quando calamitates ſunt graviores Hoſ. 5: 9. ſeqq. Neque id fit ſine omni ira, hoc eſt, deteſtatione mali, & teſtimonio odii, ſed non eſt niſi ira convincens, qui terminus in Scriptura conceptis verbis exſtat Ezek. 5: 15. תוכחות חמה ſic cap. 25: 16. Ultio dicitur *ira convincens*, reſpectu injuriæ homini allatæ; quemadmodum cum homicida morte plectitur, eſt pœna compenſans reſpectu hominis læſi: ſed tantum convincens reſpectu Dei; cujus juſtitiæ læſæ morte homicidæ non ſatisfit. Ab eâ diſtinguitur *ira compenſans*, quæ reddit compenſationem impio, Rom. 2: 4, 5, 6. quæ nequit conſiſtere cum Dei benignitate, tolerantia, longanimitate, harumque divitiis, (ארך אפים μακροθυμία, dilatio iræ, nec non ἀνοχὴ tolerantia, rei, ſine compenſatione,) iſtæ autem durant toto tempore hujus vitæ, complectuntur etiam iram convincentem, utpote efficaciter ducentem ad reſipiſcentiam. Rom. 1: 18. cap. 2: 5. Verum pii, quoties ira convincens durioribus utitur argumentis, metuunt ne ea in compenſantem deſinat, adimendo nempe vitam temporalem, qua præcisâ ſimul tempora longanimitatis Dei, ſuæque reſipiſcentiæ præciduntur, aut alioqui gravius præmat, ut populi facies plurium exterminiò, pereat. Et hac propter deprecantur תוכיחני ut demonſtres quam peccator ſim. Pſ. 6: 2. & 38: 2. ſeque ad reſipiſcentiam convertunt Matt. 3: 7, 8. Sed ab ira futura liberati ſunt per Chriſtum 1 Theſſ. 1: 10. qui illius iræ onus ſuſtinuit, & ad ſatisfactionem juſtitiæ divinæ toleravit, quæ cum pleniſſimam compenſationem accepiſſet læſæ ſuæ autoritatis per tranſgreſſiones electorum, ceſſavit, ut nec ipſi, nec ulli eorum pro quibus intervenerat, ultra poſſit incumbere: quamvis ira convincens adhuc exerceatur contra pios offendentes Deum peccatis Pſ. 30: 6. Eſa. 57: 16. vocatur ira Eſa. 54: 8. quæ illa ipſa Lev. 26: 42. &c. Zach. 1: 15. coll. cum Jer. 21: 5. quæ conſiſtere poteſt cum remiſſione peccatorum Pſ. 99: 8. neque poteſt ſpem Chriſtianorum, non confundentem in afflictionibus, evertere Rom. 5: 9. argumento à majori. Sic 1 Cor. 11: 30. Atque hinc intelligitur Prophetæ petitio hoc loco. Iram deprecatur in caſtigatione illam quæ populi imminutionem, adeoque plurium per judicia necem deprecatur: alioqui de ira convincente, ubi fructuoſa fuit ad converſionem, gratiæ aguntur Eſa. 12: 1.

Verſ. 25. *Effunde excandeſcentiam tuam in eas Gentes quæ non agnoſcunt te, & ſuper familias quæ nomen tuum non invocant: nam comedunt Jahakobum, ac ita comedunt eum ut abſumant eum & caulam ejus deſolant.*

Poſtulatio vindictæ, contra hoſtes verſ. 25. habet vindictæ deſcriptionem. *Effunde excandeſcentiam tuam*; iram graviorem, hoc eſt, judicia majora, tum in hac vita, tum in futuro ſeculo. Nam Deus reſpondens, vocat כלה Jer. 30: 11. cap. 46: 28. & quid illud ſit, dicitur Pſ. 37: 20. Quæ Eccleſiæ non immittitur Jer. 4: 27. & cap. 5: 10, 18. Eſt tamen etiam quædam conſumtio, quæ Eccleſiæ immittitur, hujus judicio Lam. 4: 11. non Dei, qui longè aliter loquitur. Eſa. 54: 8.

Quibus vindictam imprecatur ſunt *Gentes, quæ Deum ignorant & familiæ, quæ nomen Dei non invocant.* Sunt hi alieni à fœdere Dei, Eph. 2: 12. ἄθεοι quibus Deus non revelatus, eoque etiam invocari nequit, quique à ſalute remoti, dum tales, Rom. 10: 13. &c. Gal. 4: 8. colere Deum autem alias invocatione ſignificatur, contra Deut. 4: 7. Pſ. 145: 18. & 147: 19, 20. Conf. Eſa. 63. verſ. ult. Ipſa hæc hoſtium deſcriptio habet rationem juſtam perditionis. Non norunt Deum, non agnoſcunt, non amant; Atqui ſe eis dedit agnoſcendum Act. 17: 27, 28. Rom. 1: 18. &c. ira Dei contra eos, qui cum manifeſtatum poſſent, noluerunt cognoſcere; neque etiam colere & invocare Job. 21: 14, 15. qualis Pharao. Exod. 5: 2.

Cur id optet, eſt vis illata Eccleſiæ, ejus oppreſſio; ut *ederent & conſumerent, & habitatronem ipſam vaſtarent.* Habitatio intelligitur non privata, ſed publica, quam in honorem Dei, & in memoriale nominis ejus ſtruxerant. Exod. 15: 2. 1 Reg. 8. Jer. 50: 17. cap. 51: 34. nam licet Dei inſtrumenta forent, tamen etiam in eo ipſo opere oſtenderunt, ſe Deum non noſſe, qui non Deo ſerviendi ſcopum habuerunt, ſed ſuæ cupidini Eſa. 10: 5. ſeq. Sanherib dicit quidem ſe Domini juſſu veniſſe, ſed ſimul Dominum ſe inferiorem eſſe, quem æque ac aliorum populorum Deos, poſſit privare ſuo populo, non ſuffecturo ad defenſam Eſa. 36, 37. Hinc Jer. 2: 3. Sunt hæc verba mutuata ex Pſ. 79: 6. &c. niſi iſta hinc ſint petita: quod veroſimilius; utpote quæ poſt occupatam Hieroſolymam ſcripta, hæc vero Prophetia tempore prior fuit. Alioqui non infrequens Prophetam unum, ab altero quid mutuari, Jeremias ab Eſaia, quæ de Moabo habet cap. 48. & viciſſim quæ Jeremias de Edomo, cap. 49. ea Obadias uſurpavit.

CONCIO V.

CAP. XI.

COncio hæc, ordine libri obſervato, quinta eſt, quæ tamen certam deſignationem temporis additam non habet, uti plures aliæ; materia ſeu argumentum generale eſt, cuivis tempori Eccleſiæ conveniens, ut fœderis cum Deo iniri commonefiat, inprimis ſeneſcenti, & in pejora ruenti. Abſolvitur capp. duobus, in quibus occurrunt. 1. Præliminaria, verſ. 1--5. 2. Concio ipſa verſ. 6--17. 3. Conſequentia verſ. 18. ad fin. cap. 12.

I. PRÆLIMINARIA ſeu præpatatoria habent I. Generale exordium, verſ. 1. Mandatum concionandi verſ. 2. Summam ſeu periocham concionis verſ. 3, 4, 5.

Verſ. 1. *Verbum quod fuit ad Jirmejam à Jehova, edicendo.*

I. *Generale exordium* verſ. 1. quo etiam cap. 7: 1. & alibi uſus eſt, quo ſignificatur verbum iſtud non Jeremiam habere autorem qui proprio motu, & vi ſuæ vocationis propoſuerit, quæ juges exhortationes ei imperavit; ſed extraordinario inſtinctu & mandato ejus pronunciatum, qui omnibus ſuperior nullam tergiverſandi veniam indulgeret, ſed cui omnes in omnibus deberent obſequium. Abrab. Hac phraſi ſignificatum vult, non immediatè Deum alloquutum eſſe Jeremiam, uti quidem cum Moſe egerat, ſed mediatè, interveniente aliquo nuncio. Verbum enim ad ipſum factum eſſe מאת ה׳: neque aliter intelligendum eſſe, quoties dicit, *Dixit Dominus ad me.* Equidem utraque phraſi alloquium Dei indicari certum eſt, ſed an illud emphaſeos concludi queat per דבר מאת ה׳ non ſatis claret. Hoc verum; quod Deus Moſen immediatè affatus ſit, Exod. 33: 11. Num. 12: 8. facie ad faciem, ut quis amicum affatur. Enim verò ille ipſe qui cum Moſe egit, dicitur quoque מלאך ה׳ Exod. 3: 2. utpote qui fuit יהוה & אלהים verſ. 4. idemque מלאך אלהים per appoſitionem ut Bechai legi vult. Exod. 14: 9. Atque hæc fuit Moſis prærogativa ſupra cæteros Prophetas V. T. ipſum ſecutos, Deut. 34: 10. quos Deus in viſione

allocutus eſt, ſive per Angelos voluntas Dei ipſis fuerit patefacta, ut Danieli & Zachariæ, ſive alia ratione. Petrus dicit 1 Pet. 1: 11. Spiritum Chriſti locutum eſſe in ipſis & teſtatum: quemadmodum idem per Noachum concionatus eſt cap. 3: 19. Sed Deut. 34: 10. non extendendum ultra tempora doctrinæ Moſis: juxta Deut. 18: 15.

Verſ. 2. *Audite verba fœderis hujus: quæ eloquamini viris Jehudæ & habitatoribus Jeruſchalaimorum.*

II. *Mandatum* concionandi verſ. 2. Alloquitur Jeremiam cæteroſque illius ætatis Prophetas: eſt enim communis omnibus materia, loqui de fœdere Dei, quo continetur, quicquid Eccleſia ſingulare habet, quo ab aliis diſtinguitur, quicquid privilegii, quo ſupra alios excellit. Ad Prophetas loqui inde apparet, quia hic audita concionando promulganda erant; quod non privatorum, ſed doctorum eſt. Vixêre eodem tempore plures Prophetæ, tum boni, Zephania, Uria, Baruch; tum inprimis mali: ſed quia & hi ſe jactabant, id quod nequibant declinare, mandatur, ut audirent & promulgarent *verba fœderis*. Cum enim Doctores forent populi fœderati, utique fœdus erat quod jugiter erat inculcandum, ſive de officiis agendum eſſet, ſive de beneficiis. Jubet autem priùs *audire*, ſive ſola notitia commendetur: quomodo enim prædicabunt, quod non cognoverunt: Rom. 10: 14, 15. ſive inſuper præſtare, ut de veritate & efficacia verborum illorum teſtari poſſent Mich. 2: 7. Joh. 7: 16. Deinde cognita *eloqui* & publicare; in hoc ab aliis fœderatis differunt, quia ipſis incumbit onus prædicandi. Deut. 33: 10. Mal. 2: 7. &c. 2 Cor. 5: 19, 20. 1 Cor. 9: 16. Eloqui autem ad fœderatos; qui monendi erant, *Viros Judæ & incolas Hieroſolymæ*. איש & ער ſynonymôs, ſive illius vis attendatur, ad; ſive hujus, contra. Utrunque oportunum: Contra, vel Ad: hoc convenientius ex verſ. 3.

Verſ. 3. *Dices ergo illis, ſic ait Jehova Deus Jiſraelis: maledictus vir ille qui non auſcultaverit verbis fœderis hujus.*

Verſ. 4. *Quod præcepi majoribus veſtris, quo tempore eduxi eos è terra Ægypti ex catino ferri, edicendo, auſcultate voci meæ, ut faciatis iſta omnino prout præcipio vobis: eritiſque mihi in populum, & ego ero vobis Deus.*

Verſ. 5. *Ut præſtem juramentum quod juravi majoribus veſtris me daturum eis terram affluentem lacte & melle, prout* eſt *hodie: cui reſpondens dixi, Amen, Jehova.*

III. *Summa* ſeu periocha, verſ. 3, 4, 5. Repetito mandato. *Dices ad ipſos.* Tu, & cæteri tecum, quorum decet eſſe ſermonem unum, quaſi uno ore loquerentur: vel Tu ſaltem, tametſi cæteri omnes vel tergiverſarentur, metuentes odii; vel negligerent, non convicti veritatis aut neceſſitatis hujus argumenti. Quod habet I. *Autorem*, *ſic dicit Dominus, Deus Iſraelis*: qui huic fœderatus, ſummo jure mutui fœderis obſervationem urget. II. *Fœdus* ipſum deſcriptum (1.) *à pœnâ* non obſervantium. *Maledictus* &c. maledictio eſt compendium omnium malorum, ut benedictio bonorum Gen. 12: 2. *Audire* autem non tantum auribus percipere, (id præſtabant Jer. 8: 8. cap. 12: 1. Eſa. 29: 13. Pſ. 50: 16, 17.) ſed præſtare opere, obedire. Deut. 27: 26. (2.) *A tempore* quo initum verſ. 4. cum *majoribus*, adeoque ipſis hæreditarium, cum ex ſumma miſeriâ, unde nulla patebat liberatio, miraculosè à Deo fuiſſent vendicati, ut quamvis nihil ultra fuiſſet exſpectandum, tenerentur obſtricti. כור הברזל *catinus ferreus*. כור *catinus* eſt, in quo conflantur metalla, hic ferrum, eoque fornax ferro, fundendo deſtinata, quæ & major eſt, & magis accenditur: quomodo ſumma calamitas deſignatur ſervitutis Deut. 4: 20. Ægyptiæ: conf. Dan. 3. (3.) *A formulâ fœderis*, conditionibus mutuo præſtandis: ab Iſraelitis fides, audire & credere verba loquentis; item obedientia, facere ea; quæ duo abſolvunt officia populi Dei: à Deo: eſſe ipſis in Deum. (4.) *A præmio* fidis præſtando, verſ. 5. *in genere*, juramenti præſtatio, beneficiorum juramento promiſſorum. *In ſpecie*, poſſeſſio Cananææ, promiſſæ Abrahamo, Iſaaco, Jacobo.

Subjungitur Prophetæ reſponſum ratihabitorium. *Amen.* Sic eſto. ſint ea omni ex parte vera ac rata.

Eſt hæc merito periocha omnium concionum, quia hic quicquid neceſſarium, quicquid etiam ad perſuadendum efficax.

1. *Verba fœderis.* Legis vox gravis eſt; connotat dominium imperantis, & ſubjectionem ejus cui mandatur; illius arbitrium, hujus neceſſarium obſequium, aut pœnam. Aſt ברית à ברה *eligere*; fœdus eſt conventio partium *mutua*, & conſenſus in conditiones utrinque placitas, quæ *liberâ* utriuſque voluntate recipiuntur. Hoc ipſum nomen allicit, cum vi fœderis nihil requiri poſſit, quam quod placuit ante ſubire, ac præſtare; nihil negari, quod viſum polliceri, cum contractus iniretur. Decalogus vocatur *verba fœderis, decem illa verba* Exod. 34: 28. Deut. 4: 13. In V. T. non niſi ſemel vocatur תורה *lex* Deut. 33: 2. (non loquor de Chaldæa Scriptura in Daniel & Ezra.) ſed ſemper תורה *doctrina*, voce blanda, & alliciente.

2. *Autor, Dominus Deus Iſraelis*: Qui Dominus, *Jehovâ*, à ſeipſo, & autor omnis eſſentiæ extra ſe, eoque in ſe ſufficientiſſimus, non indigus hominis vel ullius creaturæ; quique (quod Joh. Baptiſta dicit ex lapidibus filios Abrahamo poteſt excitare Matt. 3: 8.) aliis hominibus creando eſſentiam dare, & cum iis paciſci poſſet. Qui Deus, venerabilis creaturæ intelligenti, habet abſolutam poteſtatem exigendi obedientiam, & ſummam potentiam ad vindicandam inobedientiam: is tamen non vult ſummo jure uti, ſed poſita quaſi prærogativa ſuæ majeſtatis, condeſcendere ad mutuum contractum. Et hîc qui Deus Iſraelis: non loquitur niſi quâ fœderatus, & fœdus urgens: quomodo innuit non minus ſe Iſraeli, quam Iſraelem ſibi obſtrictum teneri, ut viciſſim ſecum agendi æquam faciat ex fœdere conditionem, (quemadmodum Jer. 2: 5. Mich. 6: 3, 4.) Sane cum terribile ſit peccatoribus Dei nomen, quando fœderatus proponitur, tam amabile illud redditur. Ut non ſolum metum accedendi adimat, ſed etiam deſiderium & fiduciam afferat.

3. *Conditiones* fœderis, quæ hîc æquiſſimæ.

(1.) *A parte hominis* præſtandæ, Hæc duo officia habent, I. *Fidem*: *Audite vocem meam*: Vox Dei, eloquentis verba ſeu conditiones fœderis, teſtatur ipſi eſſe voluntatem pacis amicitiæ & communionis cum homine, qui cum peccator ſit natura, utique pariter comprehendit voluntatem dandi juſtitiam, ſine qua nemo poteſt cum Deo pacem habere. Audientia autem iſtius vocis quando poſtulatur, utique ſimul poſtulatur fides hujuſmodi propenſionis in Deo: quod verè fœdus & conjunctionem iſtam velit, & quæ eo pertinent edocere atque efficere. II. *Obedientiam*; *& facite eam ſecundum omnia quæ præcepi vobis*: quicquid officiorum præſcribit, præſtandorum à fœderatis. Obedientia iſta dicitur etiam reſipiſcentia; nam hæc duo officia ſunt Marc. 1: 15. Sed illo nomine venit abſolutè, hoc relate ad priorem vitam. Voce autem Dei nulla dignior, quia ſummi monarchæ, cui nihil comparari poteſt ratione majeſtatis, ſapientiæ, potentiæ; nulla melior in ſe, ipſe bonus, & quæ dicit facitque bona ſunt Rom. 7: 12. Deut. 32: 9. Pſ. 25: 10. nulla melior homini. Deut. 4. cap. 10: 12. &c. Mich. 6: 8. Eſa. 48: 17. Job. 36: 22. nulla facilior 1 Joh. 5: 3. Matt. 11: 30. facilius uni parere, quam multis Matt. 6: 24. Eſa. 26: 13. mille dominos habet, quibus omnibus ſatisfacere impoſſibile, qui unius Dei vocem non vult audire: cupiditates carnis, mundum, Satanam, quorum voluntas: mutabilis, incerta, pugnans inter ſe; cum Dei conſentiens, & conſtans, & patefacta ut ambigi non poſſit. Quæ ubi præſtantur ſunt *populus Dei*; neque enim aliud quid ab illis poſcitur; quam Dei ſolius verba audire & facere, hoc eſt, renunciare omnibus aliorum verbis, eiſque negare obedientiam & fiduciam. Primum obedientiæ opus eſt recipere verba Dei, & ea non permutare cum ullo alio verbo; nullum ei addere, nihil detrahere, eidem obtemperare, ideoque ad verbum iſtud attendere, atque id jugiter meditari. hi tunc partes ſuas implent, & ſunt viciſſim pro populo Dei agnoſcendi.

(2.) A parte Dei, *Ero vobis in Deum.* Quicquid mihi eſt

eſt perfectionis, veſtro bono habebo & uſurpabo. Omniſufficientia mea & omnes divitiæ meæ vobis expoſitæ erunt & quæ promiſit, veritas. Fœdus gratiæ, quoties in Scriptura memoratur, non aliis conditionibus comprehenditur, quod notiſſimum, Jer. 31: 1. & 33. cap. 32: 38. &c. cap. 30: 22. cap. 24: 7. Ezek. 11: 20. cap. 14: 11. cap. 36: 28. cap. 37: 27. Sic 2 Cor. 6: 16.

4. *Contrahentes* cum Deo. *Patres Iſraelitarum.* Deus eſt qui conditiones concepit & propoſuit, qui proinde ſe dicit præcepiſſe, hoc eſt, ſuâ voluntate ſciviſſe, & immutabilis fœderis conditiones promulgaſſe, in quibus nec ipſe quicquam velit mutare, nec ab aliis mutationem fieri permittere. Indicat ergo τὸ עדות quod ſint leges fœderis, quodque conditiones legum vim habeant inter fœderatos. Sed eopſe non ademta contrahentibus electio & liberrimus aſſenſus: quo præſtito legis vim apud illos acceperunt, ſi autem negatus fuiſſet, manſiſſent extra fœdus, æque ac illi quibus conditiones non oblatæ: quamquam illis culpa adfuiſſet, ob repudiatum beneficium fœderis. Ergo Contrahentes ſunt Iſraelitæ patres, illi qui ad montem Sinai ſteterunt in die congregationis, (uti appellatur Deut. 9: 10. cap. 10: 4. cap. 18: 16.) quibus propoſitas conditiones eligendi data eſt facultas, ut liberrimum foret fœderis pactum. Nam Exod. 19: 3. &c. Deus per Moſen Iſraelitis, in multitudinem populi auctis, indicavit voluntatem ſuam cum ipſis ſolis, ex omnibus aliis populis, pangendi fœdus: qui mox ſibi quoque placere reſponderunt. Hinc condictus dies poſt illum tertius, in quo ſolenni ritu, magna majeſtate, quæque Deum deceret, ipſemet Deus promulgaret conditiones, fœderatos utrinque obligaturas. Quod ubi factum cap. 20. mox populus conſenſum teſtatus eſt, pollicendo obſequium cum relatione ad fœdus, verſ. 19. Deut. 5: 27. &c. Enim vero ne querelæ locus maneret, quaſi territi majeſtate divina præceps dediſſent reſponſum, non ſatis perpenſo rei momento, nec etiam meditati ſatis exemplum Abrahami cum Deo paciſcentis Gen. 15. dedit eis deliberandi ſpatium, antequam ſolenne reſponſum darent, juxta quod obſtringerentur. Nam poſtquam Moſes ad Deum retuliſſet tum populi adſtipulationem, propoſitis conditionibus, tum petitionem ut ſe inter nuncio in poſterum uteretur, Deus utraque probata, Moſen dimittere populum in tentoria ſua, ipſummet autem ad ſe redire, & apud ſe manere juſſit, ut jura ſtatutaque nonnulla populo deinceps proponenda, à ſe acciperet Deut. 5: 27. ſeq. cap. 6: 1. &c. cum Exod. 29: 19. ſeq. cap. 21, 22. 23. Quibus expeditis ut eſt Exod. 24. cap. Moſes digreſſus à Deo & ex ejus mandato regreſſus ad Iſraelem, omnia ſibi à Deo mandata, atque inprimis X. illa verba, fœderis formulam complexa, populo recitavit: quo denuo conſenſum teſtante, Moſes omnia quæ ad ſolennitatem pactionis pertinerent in ſequentem diem paravit, protenſo rurſum termino: ut de nocte conſilium capere integrum foret, neque quicquam minus meditatum ſuſcipere. Interea libro conditiones fœderis inſcripſit, *Verba Domini* (quæ ipſi Iſraelitæ ex ore ejus audiviſſent, & Domini eſſe noſſent,) qui inde fœderis liber appellatur, ac ſummo mane ædificavit altare, Deum, & XII. columnas erexit, Iſraelem repræſentaturas. Tum præſente univerſo populo, mactatis hoſtiis & ſanguine aſſervato, ex illo libro fœderis conditiones, ceu mediator fœderis, Deut. 5: 5. ſolenniter prælegit, teſtatus Dei voluntatem eſſe ſuper illis paciſci: quibus cum uno ore omnes aſſentirentur, & hæc, & quæcunque alia Deus mandaſſet, ſe facturos polliciti, (quæ ratihabitio fœderalis fuit,) mediam ſanguinis partem altari Dei infudit, alteram ſparſit in populum, hoc eſt, in columnas, populum deſignantes, (imo etiam in librum ut eſt Heb. 9: 19.) addito ſolenni carmine, *Ecce ſanguis illius fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum, ſuper omnia verba iſta.* Hoc eſt, non tantum verba Dei, conditionibus expreſſa, ſed etiam verba veſtra, ratihabitione teſtata. Quomodo non minus ſolenne fœdus fuit, quam poſtquam per ſegmenta victimarum Deus tranſierat Gen. 15. atque ab eo momento cœpit utrinque obligatio fœderalis, juxta promiſſionem ratihabentis Iſraelis. Unde ſeniores populi, nomine reliquorum, ad Deum fœderatum propius admiſſi mox fuerunt, convivioque fœderali excepti. Deus autem conditiones fœderis tabulis inſcripſit, quæ inde fœderis, & arca in qua aſſervatæ fuerunt, arca fœderis nuncupata legitur. Hoc fœdus eſt initum cum Patribus, de quo Deut. 4: & 5. capp. & repetitum à Moſe poſt annos 40. ſub extremum ſui miniſterii in planicie Moab Deut. 26: 16. ſeq. cap. 29: 1, 9. & ſeq. ſic ut poſteri eadem ratihabitione comprehenderentur. verſ. 14, 15. Jam quia tenaciſſime ſolent adamari quæ à Majoribus facta ſunt, etiam quæ perperam, utique hoc unum, quod ad gloriam populi pertinebat, ut fœderati Dei facti eſſent, neutiquam erat declinandum, aut repudiandum.

Eſt vero hic aliud adhuc obſervandum, quod ad pactionem Iſraelitarum pertinet. In conditionibus proponendis Deus initio declararat, quid ipſe facturus eſſet ex fœdere: *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Exod. 20: 2. Pſ. 81: 11. tum quid viciſſim poſceret ab ipſis, in X. verbis. Iſraelitæ non ſecuti erant ordinem Dei, ut primum crederent facturum promiſſa Deum (quod fecerat Abraham Gen. 15: 6. quomodo ſimul à Deo arceſſiviſſent vires obediendi) deinde pollicerentur obedientiam, quæ fidem illam non poterat non ſequi. (Conf. Gen. 15: 6. & 26: 5.) Sed contrario ordine, primum obedientiam promiſerunt, & ſic exſpectarunt, ut Deus etiam ſua promiſſa præſtaret. Hac propter Moſes in repetitione fœderis, præmittit τὸ *eſſe ipſorum in populum*, τὸ *eſſe Dei ipſis in Deum.* Deut. 29: 11, 23. quomodo etiam hic loquitur Jeremias. Et ſic Eſa. 63: 8. Quanquam iſto ordine agentes ſe obſtrinxerint ad obedientiam propriarum virium, fide excluſâ, quæ eas aliunde petit; cum tamen nec haberent vires, Deut. 5: 29. neque etiam Deus eas daret Deut. 29: 4. Unde jam factum ut opera Legis, hoc eſt, quæ vi hujus fœderis Iſraelitici, quod operum propriorum, propriæque juſtitiæ fuit, nemo potuerit ſalvari, & hoc fœdus inutile factum fuerit Jer. 31: 31. &c. Heb. 8: 7. &c.

5. *Tempus* contractus. *In die eductionis ex Ægypto*: quando inſigni beneficio, quod vi fœderis Abrahamo debebat Gen. 15: 14. probaſſet ſe eſſe Deum qui obſervet fœdus & benignitatem Deut. 7: 8, 9. & eopſe ad obſervationem fœderis exſtimularet ſuo exemplo verſ. 11, 12. &c. Iſraelitæ Gideoni, vindici ſuo à Midianitis, offerunt ſuum obſequium, Jud. 8: 22. & multo magis Deo vindici illud fuit addicendum, ſe mutuo fœdere ipſis viciſſim obligante. Cæterum quod dicitur ביום הוציא dubio cauſam præbet, an id Deus egerit? nam 50. diebus poſt cœptum exitum demum promulgatæ fœderis conditiones. Hinc quidam τὸ יום intelligunt latè, de tempore etiam diuturniore. Et ſane *Dies* interdum ſumitur de tempore longiſſimo, Eſa. 7: 17. &c. denunciantur mali dies domui Davidis, de quibus in ſeqq. ceu de uno die ſermo eſt, cum tamen plurium ſeculorum intervalla complectatur. Et pariter Eſa. 11: 10, 11. de vocatione primâ gentium, & ſecundâ Judæorum. Heic tamen nihil opus eſt eâ extenſione? Dies eductionis ex Ægypto non finiebatur egreſſu ex ejus limitibus, trans mare rubrum, ſed tum demum Deus eos plene eduxit, quando ab omni aliena ſervitute & metu ejus liberatos Iſraelitas, Dominumque hominem nullum habentes, conſtituerat in eo ſtatu, ut per fœdus ſe alii Domino poſſent ſubjicere. Atqui hoc demum effectum fuit, quando etiam ab Amalekitis ſervati, deducti fuerunt ad montem Dei, quem eductionis terminum ſtatuerat Deus Exod. 3: 12. Eopſe porro die, quo eò pertigerunt, Deus illicò fœdus ſe initurum propoſuit, atque ipſi ad ejuſmodi pactionem ſe paratos ſunt profeſſi Exod. 19: 1. & ſeqq. Atque hoc eſt, quod iſta phraſi ſignificatur.

6. *Comminatio* terribilis. *Maledictus qui non audit*, hoc eſt, præſtat verba fœderis. Maledictio ſignificat ſummum malum quod cadere poteſt in aliquem, privationem omnis benedictionis, boni & felicitatis, & illationem omnis mali & infelicitatis: Jer. 34. pangentes fœdus tranſierant per ſegmenta vituli, & violatoribus denunciatur concidendos judiciis verſ. 17—20. Deus ſic tranſiens ſegmenta ſignificavit ſe concidendum, ſi fidem juratam falleret Gen. 15. quorum utrumque impoſſibile, cum non magis queat mentiri, quam mori aut corrumpi, pariter ἀψευδὴς, & ἄφθαρτος atque ἀθάνατος. Et homines fœdifragi ſunt concidendi. Matt. 24: 51. διχοτομῆσαι: non dividendo membra corporis, aut corpus ab anima, ſed quod maledictio Dei infert, hominem totum à Deo & omni felicitate, atque infinitis & incomprehenſibilibus tormentis eum jugiter lancinando. De hac dicitur Deut. 27: 26. cap. 28: 15. ſeq. Cum vero natura horreat quod moleſtum, utique hac propter ad obedientiam & fœderis obſervantiam omnes vires intendendæ, omne ſtudium adferendum eſt. An maledictio tantum ſequitur violationem fœderis Dei? Reſp. Minime. Etiam Legis De-

viola

violationem ſequitur: ſed ea geminatur ſi inſuper violetur fœdus, quemadmodum dupliciter debitor & reus, qui agit contra officium, & inſuper contra chirographum?

7. *Promiſſio* liberaliſſima: quicquid Deus, etiam ſub juramento patribus promiſit. Si intelligantur Abraham, Iſaac, Jacob, utique continetur Meſſias ejuſque redemtio, & æterna bona Gen. 12: 2. &c. cap. 15: 1, 5. non minus quam terra Canaan, cujus mentio fit, quia hujus poſſeſſionem aliquam habebant, ut Deum fidelem ſcirent, etiam teſtibus ſenſibus, qui jam poſſent perſuadere non ſecus etiam in cæteris veracem fore Deum. Sin patres ad Horeb, eadem continentur bona, cum fuerit repetitio fœderis cum Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, ſaltem mutatis perſonis, & ſolennitatibus Deut. 29: 13. Quivis vero appetens eſt ſui boni, eoque tantorum bonorum promiſſis meritò excitari debet ad obſequium.

Τὸ *Amen*, olim ad confirmationem eorum, quæ dicta quis audierat, reſpondebatur; qua voce ſignificabat, ſe etiam vera illa credere, iiſque ſuum aſſenſum publicè adjicere. Jer. 28: 6. ſic ad preces Pſ. 41. verſ. ult. & 72. verſ. ult. & 89. verſ. ult. 1 Cor. 14: 16. Bechai אמן קבלה אמן שבועה אמן קיום. Major qui dicit Amen ad benedictionem quam benedicens. Benedicens teſtatur de benedictione Dei, qui ſcaturigo benedictionis, & qui reſpondet Amen confirmat obligationem; quia ſecundus teſtis eſt, ſtabilimentum addens. Si ad promulgationem repetitam conditionum fœderis, eſt repetitio ratihabitionis, qua conditiones tum præſtandi, tum violandi fœderis laudantur, atque ut ita ſibi fiat, alterutrum ſi agat, optatur. Deut. 27: 12. &c. *Amen* non ſolum ad maledictiones, ſed etiam ad benedictiones fuit pronunciatum. Joſ. 8: 33. &c. Et quoties hodieque Amen dicimus ad preces Miniſtrorum, quomodo eas noſtras facimus, aſſentiendo, ita quoque illud dicendum ad ea quæ proponunt Dei præcepta, interdicta, promiſſiones & minas, ut verè ſit tam imprecationis contra nos ipſos, cum fidem fallimus, conf. factum Simei 1 Reg. 2: 36. &c. 42. &c. quam apprecationis, ſiquidem vixerimus obſervantes fœderis. Quod ad maledictiones adjectum ſit, Amen, non ad benedictiones, iccirco factum, quod his nemo contradicat, aut adverſetur: ſed ab illis abhorret animus. Hæc ſunt argumenta perſuadendæ obedientiæ.

Verſ. 6. *Deinde edixit Jehova mihi, proclama omnia verba iſta in civitatibus Jehudæ & in plateis Jeruſchalaimorum, dicendo, auſcultate verba fœderis hujus ut faciatis ea.*

Concio ipſa conſtat Propoſitione verſ. 6. Confirmatione verſ. 7, 8. Applicatione, quæ habet convictionem peccati verſ. 9, 10. denunciationem pœnæ verſ. 11–17.

I. *Propoſitio* præmiſſis circumſtantiis de modo & loco publicationis, ſummariè juxta illam periocham agit. verſ. 6. Deus loquitur Jeremiæ ſoli; initio omnibus doctoribus hæc imperabat, ſed cum ad rem ventum eſt, ſolus ſupereſt qui imperata exſequatur. Scilicet quando in Eccleſia corrupta cauſa Dei ob fœdus violatum agenda eſt, pauci ejus præcones reperiuntur. Exemplo Eliæ, & Michæ, & Baptiſtæ, & Chriſti ipſius. Quibus temporibus tamen magnus erat doctorum numerus, 450 Sacerdotes Baalis & 400 luci. Hic Phariſæi, Scribæ, Sacerdotes, qui cathedram Moſis tenebant. Scilicet non omnes Eccleſiæ Doctores ſunt miniſtri Dei, ſed quidam ſolum miniſtri Eccleſiæ; Prophetæ populi vocantur Mich. 2: 11. Eſa. 30: 9. Hos dico qui id unum agunt, ut Eccleſiæ à qua conſtituti ſunt ſatisfaciant & placeant, quam illa amat doctrinam fidei & vitæ proponant. Sic tempore Jeremiæ, Prophetæ populi docebant ex verbo cap. 8: 8. commendabant amorem templi & cultus externi, & quæ notabant vitia, exinde emendari poſſe oſtendebant. Jer. 5: 31. Sic tempore Joh. Baptiſtæ & Chriſti, Moſis doctrinam proponebant, & qua ratione ſatisfieri illi poſſet, externa obſervatione, & exercitatione corporis. Evidens hæc miniſterii ratio Act. 23: 9. Scribæ partis Phariſæorum oppoſite ad Sadducæorum Scribas. Illi vero ſunt, qui ut Chriſtus Matt. 22: 16. & Paulus Gal. 1: 10. 2 Cor. 4: 1. cap. 2. verſ. ult. Sic ergo Jeremias, aliis declinantibus, aut tacentibus agere jubetur, & illis non exſpectatis ordiri. *Modus agendi* eſt, קרא *clama, vociferare, præconium fac*, ut in publicatione & promulgatione fœderis fieri ſolet. Etenim contentione vocis opus eſt, ſiquidem talia ſunt denuncianda, quæ plurimos attingent, quæ non attentos, aut etiam prorſus alienos habitura ſunt, auditores. Conf. Eſa. 40: 6. & 58: 1. Hinc Johannes *Vox clamantis*, קול קורא φωνὴ βοῶντος. *Locus*, indicatur, *in urbibus Judæ, & plateis Hieroſolymæ* Conſtituitur Doctor Provincialis, non uni cœtui adſtrictus, ſed qui ubique in regno Judæ præconio iſto defungeretur. Hoc fuit Prophetarum extraordinariorum, qui generalem habent vocationem, non autem ordinariorum; qui certam ſedem habuerunt; ſic memorantur Prophetæ Samariæ, & Hieroſolymæ Jer. 23. 13, 14, 15. Attamen licet ordinariis etiam extra ſua loca concionari, ſed ab iis, quorum provincia eſt, requiſitis Act. 13: 14. &c.

Propoſitio ipſa eſt, *Audite verba fœderis* &c. Poſtulat fœderis officia fidem & obedientiam: de quibus diximus in periochâ.

Verſ. 7. *Nam omnino conteſtatus ſum majores veſtros, quo tempore evexi eos è terra Ægypti, uſque in diem hunc, inde à diluculo indeſinenter dicendo, auſcultate voci meæ.*

Verſ. 8. *Non tamen auſcultarunt, neque inclinarunt aurem ſuam, ſed ambulaverunt quiſque ex ſententia animi ſui peſſimi: ideo adduxi ſuper eos omnia verba fœderis hujus quod præceperam facere, ac non fecerunt.*

II. *Confirmatio* petitur I. *à conſtantia promulgationis*. verſ. 7. inde ab eo die, quo fœdus initum ſancitumque fuit, uſque ad hodiernum inſtiti, & teſtatus ſum, nulli parcens labori, nullam negligens oportunitatem: neque quicquam novi dicens. Magnum in eo beneficium; ſi tale credimus, dari quotidie panem, ad alimentum corporis: quantò magis erudiri quotidie de fœdere: facit ad ſecuritatem, obliviosi cum ſimus auditores, ſæpius eadem repeti, Jac. 1: 23. &c. Phil. 3: 1. *A veritate comminationum*. verſ. 8. ubi inobedientia fœdifragorum, indicata 1. neglectu, *non audiverunt*, 2. averſione, *non inclinarunt* aurem, 3. obfirmatione in contrarium, *ſed ambularunt* &c. quomodo ſæpius deſcripta fuit ejus vindicatio, immiſſio verborum fœderis, non qua conditiones notant, ſed quâ additas comminationes contra violatores: quemadmodum hic quoque violatio ſignificatur. Sic Zach. 1: 4, 5, 6. Conf. Dan. 9: 11. &c, Joſ. 23: 15, 16. nam 2 Tim. 2: 13.

Verſ. 9, *Dixit itaque Jehova mihi, præſto eſt conjuratio, in viris Jehudæ & habitatoribus Jeruſchalaimorum.*

Verſ. 10. *Averſi ſunt ſupra iniquitates majorum ſuorum priſcorum, qui renuerant auſcultare verbis meis, & ipſi ſequuntur Deos alienos colendo eos; irritum fecerunt domus Iſraelis & domus Jehudæ fœdus meum quod pepigeram cum majoribus ipſorum.*

III. *Applicatio* habet convictionem de peccato verſ. 10. & pœnæ denunciationem. verſ. 11–17.

1. *Convictionem* de peccato, ſibi à Deo dictatam refert, ut ratione ſui tutiùs eâ defungeretur, & ratione populi majori cum fructu. Inſtituit autem initio *accuſationem* graviſſimam verſ. 9. de rebellione, qua non una lex violatur, ſed omne obſequium quaſi ejuratur. קשר eſt *convinctio*, & conſenſus rebellium, contra legitimum magiſtratum: qui ſe mutuum obligant ut contra legitimam obligationem agant. 1 Reg. 16: 16, 20. 2 Reg. 9: 14. & 10: 9. & 11: 14. 2 Sam. 15: 12, 31. Hujuſmodi objicit omnibus, viris Judæ, & Hieroſolymitanis, inventam, deprehenſam. Sub Joſia repetitum fuit ſolenniter fœdus 2 Reg. 23: 1. (quemadmodum etiam ſub Aſa 2 Chron. 15.) ſed communi conſenſu quaſi inde deſciverant; (plane uti factum Jer. 34. cap.) cap. 3: 10. accuſavit hypocriſin in pangendo fœdere; heic deliberatam quaſi viola-

violationem: quanquam simularent se bonos, ut fieri solet in conspirationibus, usque re matura erumpat in apertum: uti cap. 6: 16, 17. cap. 44: 15. &c. Hæc proinde tempori filiorum Josiæ quadrant. Accusatio *probatur*, vers. 10. redierunt ad mores patrum malos, renuentium parere Deo, & sectantium idololatriam apostaticam. Repetitio fœderis habuit damnationem & desertionem priscæ inobedientiæ 2 Chron. 34. fin. jam redire ad illam, erat violatio fœderis publica; adscitis falsis Diis quos colerent, deserto Deo: quemadmodum in rebellione rex legitimus privatur obsequio, quod novo defertur.

Vers. 11. *Idcircò sic ait Jehova, ecce ego adducturus sum contra eos malum ex quo non poterunt exire: etiamsi inclamarent me, non exaudirem eos.*

2. *Denunciationem* pœnæ vers. 11–17. facit nomine Dei: hic enim est vindex fœderis sui; & tantò magis metuendus, quando denunciat, quia jubendo facit. Pœna autem delineatur.

(1.) *Inevitabilis* vers. 11–15. *In genere* quidem vers. 11. *Ecce adduco* אליהם pro עליהם *super eos malum*, calamitatem, quicquid bono & felicitati opponitur: Non est hoc novum, quævis dies habet κακίαν suam, afflictionem Matt. 6. vers. ult. neque quisquam ab ea immunis vivit. Job. 5: 7. homo ad molestiam nascitur, & Deus autor, qui immittit Amos. 3: 6. Esa. 45: 7. sed idem dat malo finem Job. 5: 19. Verum heic, unde non poterunt exire, ut quasi fera indagine cincta, aut reti constricta, aut avis laqueo capta, aut piscis sagena conclusus, aut homo muris carceris, & compedibus undique clausus, ut Lam. 3: 5, 6, 7, 9. *In specie*, media & remedia liberationis omnia inutilia. Non recitat auxilia humana, ad quæ primum confugitur, quamdiu manus Dei non animadvertitur: uti ipsi ad Ægyptios ire soliti, & tunc quoque per hos Chaldæorum obsidionem solutum iri arbitrati sunt. Jer. 37. Sed quando humana omnia deficiunt, & à Deo malum venisse evidens est: remedia quæruntur humanis efficaciora, uti nautæ Ps. 107: 27. Jon. 1. Istiusmodi vero inutilia fore significantur.

β. *Preces ad Deum*, vers. 11. *Clamabunt ad me, & non audiam eos.* Illud fieri solet, quando mala graviora, quam ut ea excutere queant Jer. 2: 27. Hos. 5: 15. Sic Israelitæ in afflictionibus, in lib. Jud. Sed Deus negat, se auditurum. Lam. 3: 8, 44. Equidem dicitur שומע תפלות Ps. 65: 2. & potissimum Israelis Deut. 4: 7. Sed non quorumvis Joh. 9: 31. Prov. 15: 29. Pietas Deo preces quasi commendat. Ps. 145, 18, 19. Audit etiam preces ex angustiæ extremitate factas, sed quæ peccato careant, ut brutorum Ps. 147: 9. & 104: 27. & 145: 15. quæ à nonnullis vocantur preces naturæ. Aut saltem sejunctæ sint ab amore peccati; sed quæ retinendo peccatum funduntur, non exaudiuntur. Ps. 66: 18. Prov. 28: 9. Abrab. S. B. ille non acceptat precationem ipsorum, qua clamant ad ipsum propter mala sua; neque enim æquum est ut respondeatur, nisi quando adest pœnitentia de iniquitatibus, non autem solùm ut liberentur ab angustiis. Hac propter repudiantur preces Esa. 1: 15.

Vers. 12. *Tunc abeuntes civitates Jehudæ & habitatores Jeruschalaimorum inclamabunt Deos illos quibus ipsi suffitum faciunt: sed omnino non servabunt ipsos tempore mali ipsorum.*

2. *Preces ad idola.* vers. 12. consensus omnium publicus, urbes Judææ, & habitatores Hieros. Ad Deum verum omnes clamant privatim: ad idola publicè. Sive quia Deo non statim juvante, eum nolunt præstolari, sed alium sollicitare, ne tempus perdant exspectando: sive quod pudeat, quem neglexerunt colere in prosperis, eum adire in adversis, majoras perantes ab iis, quorum cultorum recens erat memoria, & debitum reciprocæ curæ. Quorum tamen inutilitas ad opitulandum indicatur. Eo sarcastice ablegantur Deut. 32: 37, 38. Jer. 2: 28. Jud. 10: 14.

Vers. 13. *Nam* pro *numero civitatum tuarum sunt dii tui, ô Jehuda, &* pro *numero platearum Jeruschalaimorum dispositis altaria pudendo, altaria ad suffitum faciendum Bahali.*

Amplificatur inutilitas, à multitudine vers. 13. כי *quamvis secundum numerum urbium, & platearum* &c. Non juvabunt, quamvis innumeri ferè sint, ut quævis urbs proprium numen, quivis vicus proprium patronum habeat, & ad omnes & singulos discurrant, ut vel sigillatim vel conjunctim opem præstent, omnia fore frustranea, quum omnium potissimus Baal non sit nisi *Pudor*, cujus pudere debeat. בעל אי δυσφημίαν vocatur בשת Jer. 3: 24. (Sic Jerubaal & Jeruboset Jud. 6: 32. cap. 7: 1. 2 Sam. 11: 21. Mephibosetb 2 Sam. 9: 6. qui est Meribaal 1 Chron. 8: 34.) Nam quo plures sunt Dii opitulatores ipsorum opinione, eo plures reatus. Hos. 8: 11. Quod valet contra Romanenses, qui cum cuivis Regno & urbi & domui quandoque patronos assignent, (imitatione Gentilium in sua πολυθεότητα) tamen nulpiam inveniunt opem; cum idolorum vanitas abunde fuerit demonstrata Jer. 10. cap. Ps. 115. Esa. 44, 45, 46. & alibi.

Vers. 14. *Tu ergo ne orato pro populo isto, neque pro istis clamorem & orationem: nam minimè esse in exauditurus quo tempore inclamarent ipsi, propter malum ipsorum.*

2. *Preces Prophetæ intercedentis* vers. 14. His interdicit Prophetæ, non precare ipsemet, nempe sponte tuâ, neque tolle pro iis clamorem & preces: nam non audiam, quando ipsi in afflictione clamant. Intercessio pro impœnitentibus inutilis: ut Deus castigandi finem faciat circa eos, qui non faciunt finem peccandi & provocandi. Tales preces non instituuntur juxta voluntatem Dei 1 Joh. 5. eoque carent fiducia obtinendi, Deus ideo mavult suos cessare à precibus, quam ut eis precantibus debeat negare 1 Sam. 16: 1. Jer. 7: 16. cap. 14: 11. Attendendum intercedentibus & pro quibus interceditur ad illud 1 Sam. 12: 23. &c. intercessioni jungenda institutio, cui si non paretur, illa successu caret.

Vers. 15. *Quid est dilecto meo domi meæ: faciente ista suum gravissimum scelus?* quibusque *amplissimis? nam carnes sanctæ perierunt abs te: quum* adest *malum tuum, tum demum exsultas.*

ד. *Sanctissima quæque.* vers. 15. Versus obscurus. Kimhio sunt verba Prophetæ de Deo. *Quid Dilecto meo* (Deo) *in domo meâ* (templo) ut suam præsentiam ibi faciat habitare, cum Ecclesia Israelis faciat illud, scelus maximum, cum multis idolis, deserto Deo uno. Tu vero Ecclesia Israelis, putastine Deum indigere templo propter sacrificia; imo verò caro sancta, sacrificia, jamdudum à te remota sunt, ne ea offeras; nam malitia tua ea est, ut in ejus praxi exultes. Sed Abrab. improbat, quod homo dicat Deum dilectum suum, & templum domum suam; nec non incommodam putat mutationem personarum, quas alloquatur. Aliis sunt verba Dei; sed quibusdam ad Prophetam, (Olevianus & Tremellius) quid Prophetæ dilecto meo amplius agendum in domo mea: potest eam deserere, cum populus scortetur cum idolis plurimis; & carnem sanctam non habeant, sacrificia non Deo sed idolis offerentes, aut quæ illius cum horum miscentes, & adhuc de scelere suo lætantes & tripudiantes. In Medras ad Abrahamum; quem Deus, vastaturus templum invenerit istic consistentem, & in hunc modum collocutus sit. *D. Quid dilecto meo in domo meâ negotii est? Ab, Filiorum meorum gratia veni. D. Filii tui peccarunt, & in exilium iverunt. Ab. forte per errorem peccarunt. D. fecit scelus maximum, scilicet Ecclesia Israelis. Ab. forsitan pauci eorum sic deliquerunt. D. Multi. Ab. Recordari debuisses fœderis circumcisionis. D. imò vero carnem sanctam transire fecerunt à te. Ab. Quid si exspectasses ipsis, dilata pœna nempe, forte rediissent per resipiscentiam. D. quando malum tuum, scilicet exerces, tunc exultas. Ab. Forsan ergo quod absit, nulla*

tis reſtitutio. D. Olea virens eſt, quæ tam hyeme quam æſtate virorem ſervat. Abrab. non incommodè facit verba Dei ad Iſraelem. Hunc vocari dilectum Dei, ut cap. 12:7. (ratione fœderis ſcilicet ex amore initi Deut. 7: 6. &c. Rom. 11: 28.) dici huic, quid domi ſuæ illi ſit negotii? (quo tamen commeabant, & de eâ gloriabantur. Jer. 7. cap. ſic Eſa. 1. verſ. 12.)

Ratio gemina I. *profanatio domus, facere*, hoc eſt, quod faciant illam, *ſceleratam actionem, multi*; (mutato numero, quia de multis loquatur. מזמתה autem notat *ſcelus graviſſimum*, quod tamen potiſſimum cogitando patratur; in bonum eſt, *cogitatio*, ſapiens rerum apud ſe ordinatio. Ergo conſpiratio multorum in eodem ſcelere; profanat domum Dei, quemadmodum quæ Chriſtus objicit Phariſæis & Scribis, quod mutaſſent domum ſuam in ſpeluncam latronum, Conf. Jer. 7. cap. 4: 14.) Alii הרבים ſumunt per ellipſin את *cum multis*, idolis, quibus implerant templum, Jer. 7: 19. Ezek. 8. Sic foret adulterium admiſſum in domo Dei: ſi cogitationes ſcortentur iſtic cum cupiditatibus, ſectentur vanitates: id Deo intolerandum. Religio domus Dei aliud debet perſuadere. Quid? iſtic paſcere oculos libidinoſo adſpectu; iſtic meditari quomodo ſatisfacias avaritiæ, injuſtitiæ, odio, invidiæ; quomodo placeas hominibus, mundo, carni? Hæc qui curat, quærat alias domos, quas Diabolus & mundus illis pararunt. Saltem domo Dei abſtinendum, neque augendum peccatum iſtius profanatione. II. *Profanatio fœderis, & carnem ſanctam à te tranſire fecerunt.* Carne ſacrificiorum idolis cedente, quæ dum locata erant in templo, quicquid hoſtiarum offerretur, ipſis oblatum videbatur Jer. 7: 29. &c. quæ non ſancta, ſed polluta caro fiebat, qualia idolothyta 1 Cor. 10. Alii de piis hominibus, qui non tantum morte ſubducti Eſa. 57: 1, 2. ſed ab ipſiſmet necati, ut non poſſent avertere judicia, ſed propter illorum cædem accelerebantur. Matt. 23. Rectiùs R. Sal. de circumciſione, propter quam erant caro ſancta, ſegregati Deo, quam removiſſe dicuntur, non abſolutè, attracto præputio, vel circumciſione intermiſſâ, ſed ratione interioris qua carebant Jer. 9: 26. neque de ea laborabant Jer. 4: 4. quod confirmatur, quando malum tuum (peccatum) adeſt, exſultas gaudio; Ubi caro ſancta, omnis pollutio averſioni eſt, & cavetur, & ſi quæ attingat atque afficret aliquid, dolor oritur: & ne removeatur omnis ſanctitas, magno ſtudio removetur pollutio. Ubi omnia contraria, caro [illegible] receſſit.

Sed eſt alia adhuc expoſitio, ut ſit Dei oratio I. ad Chriſtum, qui dicatur *dilectus meus*, quemadmodum Eſa. 5: 1. & Matt. 3: 17. *quid illi in domo meâ?* quid habet agendum in Eccleſia apoſtaticâ? cum multi tantum ſcelus patrent. Sic Deut. 33: 12. ubi Deus eſt, inhabitans templum in portione Benjaminis. Deſerenda domus mea ipſi, ut Ezek. 8, 9, 10. Hoſ. 5: 15. qui aliàs ad præſtandam gratiam eò venit Mal. 3: 1. &c. II. Iſraelem, & *carnem* Hagg. 2: 12. *ſanctam tranſibunt removebunt à te*, ut ſacrificia non amplius offerantur, abolito illo cultu. Ultima ſarcaſtica ſunt, *quando malum tuum*, (calamitatis) *aderit, tunc exſultabis*, ſcilicet. Neque hæc ſententia incommodum habet: quæ cavet mutationem perſonæ, admittendæ, quando ubique ad Iſraelem dirigitur oratio, quamvis ejuſmodi enallage non ſit infrequens.

Verſ. 16. *Olivam virentem, pulchram fructus ſpecie vocaverat te Jehova nomine tuo: ad ſonum conflictus procellarum maximi incendet ignem præterea, & frangent propagines ejus.*

Verſ. 17. *Nam Jehova exercituum qui plantaverat te, eloquutus eſt contra te malum, propter malitiam domus Iſraelis & domus Jehudæ quam exercuerunt inter ſe, ad provocandum me adolendo Bahali.*

(2.) *Graviſſima* verſ. 16, 17. per ſimilitudinem, delineantem I. *Summam felicitatem*, Confert *Oleæ*, laudatiſſimæ pinguedinis, foliis ſemper *virenti*, abundanti *fructibus* decentiſſimis, delicatiſſimiſque: quomodo *nominaſſet* Deus, qui vera nomina rebus indit. Conf. Hoſ. 9: 10, 13. Infelicitatem reſpondentem, verſ. 16. ad vocem המולה *ſtrepitus, crepitionis*, (à מולל *locutus eſt*) Græci ἀφεδρῶσι quaſi à מורה cum art. dum circumciduntur & amputantur rami, & ſtrepitus eſt ruentium; *ſuccendit ignis folia ejus, & depaſcuntur, pabulo ſunt rami ejus.* Pinguia vehementiùs ardent, arbores oleoſæ. עליה *ſuper eam*, vel *folia ejus*. ורעו cum ו conv. ducunt R. Sal. & Kimhi à רעע *frangere*. II. *Cauſam calamitatis* verſ. 17. Deus is eſt, qui plantavit, Jer. 2: 21. Eſa. 5: 1. &c. Pſ. 80. quique rurſum decernit ejus remotionem Luc. 13: 6. &c. & impulſiva: peccatum domus Iſraelis & Judæ, quia hæc illius exemplum ſecuta, & pariter adulteræ factæ Jer. 3. degeneres plantæ Jer. 2: 21. quo læſerunt ſe, dum irritarunt Deum idololatria. Jer. 7: 18, 19. quemadmodum cum benefaciunt, ſibi id agunt Deut. 5: 29. Jer. 32: 39. Job. 35: 6, 7, 8. Plantatio Dei quidem manet conſtans Matt. 15: 13. ſiquidem à Deo ipſo plantata ſit, non tantum à miniſtris ejus 1 Cor. 3: 6. &c. hæ eradicari poſſunt, quia omnem firmitatem habent à ſermone hominum. Non illæ, quia Deus firmitatem addit. Jac. 1: 18, 21. 1 Theſſ. 2: 13. Poſſunt tamen Plantæ Dei privari ramis, nudari foliis, poteſt amputari omnis decor, ſed manente, ut in arbore Nebucadnezaris radice & trunco: quo ſuo tempore rurſum ſuccreſcat, & ſuum decus recuperet. Eccleſia Iſraelitica ſuccifa & ſuccenſa, Euro vehemente dejecta, ſed manet radix, & hinc rurſus redibit novus ſuccus & vigor. Hoſ. 13. verſ. ult. cap. 14: 6. &c. Eſa. 61: 3. Rom. 11: 16.

Verſ. 18. *Ac Jehova quidem oſtendit mihi ita ut agnoſcerem: tum demonſtraviſti mihi actiones eorum.*

III. Consequentia ſeu Eventa concionis verſ. 18. ad fin. cap. 12. ubi refertur. I. Periculum Prophetæ, & oppoſita defenſio. verſ. 18--23. II. Querela ejuſdem ad Deum, & Dei reſponſum cap. 12.

I. *Periculum* deſcribitur I. à certitudine verſ. 18: 2. à qualitate verſ. 19. *Autores* non nominantur, ſed ex verſ. 21. cognoſcuntur fuiſſe *Anathotæi*. Anathoth fuit urbs ſacerdotum in tribu Benjamin, in quâ natus fuit Propheta Jeremias Jer. 1: 1. & poſſeſſiones habebat cap. 32. ut omnes haberet iſtic non tantum ſympatriotas, ſed etiam conſanguineos. Cum juſſus eſſet in urbibus Judæ æque ac Hieroſolymæ concionari. Videtur à patriâ ſua feciſſe initium, quemadmodum Chriſtus primam ſuam concionem Nazarethæ in patriâ habuit Luc. 4: 16. &c. non meliori ſucceſſu, cum eum propter illam præcipitem dare vellent, uti Anathotæi occidere Jeremiam. Nam quos ſingularis relatio Prophetis debebat conciliare, ſunt plerunque alieniſſimi. Propheta in patria, honorem non habet. Luc. 4: 24. Joh. 4: 44. Sacerdotes & Prophetæ Jeremiam Sacerdotem & Prophetam maximè ſunt perſecuti etiam Hieroſolymæ Jer. 26: & 20: 1. &c. cap. 29. Eſt hoc fatum veritatis religioſæ, hoſtes hominis domeſtici ejus Matt. 10: 36. 1 Theſſ. 2: 14. Et qui locum & famam doctorum obtinent, non ferunt quenquam à ſe diverſa dicentem, ſed longe majori odio perſequuntur: ſic Phariſæi, Scribæ, Sacerdotes, hoſtes Chriſti & Apoſtolorum fuere maximi. Joh. 7: 9, 11, 12. cap. 16: 2. Act. 4: 5, 6, 7. &c.

Certitudo periculi verſ. 18. Sunt qui ad præcedentia referunt, quod adeò particulariter accuſare queam, & convincere, id divinæ revelationi acceptum refero. Sed rectiùs, ob nexum cum ſeq. docetur indicium periculi ſibi à Deo factum: de modo quidem nihil dicitur, ſed certitudo tamen manifeſta: quod cum neſciret Deus aperuerit ipſorum actiones, non tam externas quam internas ſive cogitationes. Domino notificante ſequitur notitia, & quidem adeo certa ac ſi oculis omnia quis eſſet contemplatus. Mutatio perſonæ frequens in Scriptura. Ità periculum indicatum Paulo Act. 9. quod Damaſci, & inprimis cap. 23. quod Hieroſolymæ ipſi parabatur: & Davidi Kehilenſium conſilia.

Verſ. 19. *Quum eſſem velut agnus* aut *bos* qui *ducitur ad mactandum: nam ignorabam eos contra me inire cogitationes*, dicendo, *perdamus culmum cum grano ejus, & exſcindamus eum è ter-*

ræ

ra viventium, ut nomen ejus non commemoretur amplius.

Periculum ipſum verſ. 19. conſtat declaratione ſuæ innocentiæ & ignorantiæ, & hoſtilis malitiæ. Illa eſt, *fui ego inſtar ovis, aut bovis qui ad mactationem ducuntur*: שה אלוף ὡσεὶ ἀμνὸς. Aliis poſterius adjectivum eſt; *ovis præcipua, ſelecta*, ut Targum: ubi mera innocentia; neque enim ferarum inſtar noxam dant, imo nihil niſi quod utile præſtant. Iſta, & non noram contra me meditari malum, quemadmodum ovis & bos non mage diſtinguunt, utrum aquatum vel in paſcua ducantur, aut ad lanienam. Hæc verò, malitia nempe hoſtilis, ſub alia metaphorâ. *Perdamus arborem cum fructu ſuo veſco*, qui לחם dicitur Gen. 49: 20. *& exſcindamus eum de terra viventium*, ex hoc mundo, & præſenti ſeculo, è medio eorum qui vivunt vitam temporalem: hoc eſt occidamus ipſum, *ut nominis ejus memoria pereat.* Mortui enim ſunt in ſtatu oblivionis. Pſ. 88: 6, 13. & 31: 13. Propheta ergo confertur arbori, plantatæ in terra culta, ſeu horto, conciones ejus convincentes ſunt fructus, quas cum odiſſent, ipſum exciſum optabant, ut deſineret concionari. Vel *perdamus arborem propter fructum ſuum*, ב etiam propter notat Pſ. 7: 7. Poterant ipſum ferre, ſed non fructus, quemadmodum ob fructus malos exſcindiuntur arbores. Sic Impii malunt perdere Prophetas, iis prorſus carere, quam ferre convincentes. Si ferant ſimiles fructus aliis, nihil odii, ſed amor merus: ſi etiam nullos, facile tolerantur. Sed ſi convincentes ſermones loquantur, id putant intolerandum. Eſa. 30: 9. &c. Amazia Rex 2 Chron. 25: 16. Propheta Amos. 7: 10. &c. ſic actum contra Apoſtolos. Act. 4: 5. Scilicet fructus convictionis videntur intolerabiles; hinc voces: Eſſe eas miniſterium non N. ſed V. T. Legis non Euangelii: quaſi vero lex non eſſet quoque doctrina N. T. quæ fidei & reſipiſcentiæ doctrina eſt: imò proprium opus Spiritus S. qui datur à glorificato Chriſto ad ἐλεγχειν τὸν κόσμον Joh. 16: 8. &c. Eſſe intemperiem animi cenſorii: quaſi non eſſet muneris pars prima, oſtendere malum, & inde abducere; Act. 28: 18. aperire oculos & convertere à tenebris ad lucem, à poteſtate Satanæ ad Deum: non poteſt perveniri ad terminum ad quem, niſi prius diſcedatur ab eo qui à quo dicitur. Alienare homines à religione, & Eccleſia, quaſi vero Eccleſia in numero ſita eſſet, non in pietate membrorum ejus: & religio ex placito hominum fingenda; non autem homines ad illius normam formandi & reformandi forent. Si indulgere velint cenſuris gravioribus, ſaltem in portâ in loco judicii & coram Magiſtratu moderationi ſtudendum eſſe; quaſi morbi capitis ſoli eſſent negligendi, neque vel obſervandi, vel curandi, cum tamen omnium ſint periculoſiſſimi. Eſt ergo miniſtrorum, cum ſint arbores plantatæ à Deo, ut ferant fructus, non tantum doctrinæ inſtillandæ, ſed etiam vitæ corrigendæ, nam tales poſcuntur Matt. 7: 15. ſeq. neque enim tantum de doctrina iſtic ſermo eſt, ſed etiam de vita, ut ex verſ. 20. &c. evidentiſſimum. Græc. ἐμβάλωμεν ξύλον εἰς τὸν ἄρτον αὐτοῦ. Targ. נרמי סמאא דמותא במיכליה Lignum intelligunt venenatum, & hinc venenum, quod invitantes Prophetam ad convivia ſua, & nihil mali ſuſpicantem, veneno tollere voluerint, Sic R. Sal. Kimhi: non Abrab. Olevianus quoque: *Veneno tollere cogitabant Jeremiam, ponendo lignum taxi in ſorbitiunculam, vel alio aliquo cibo.* Veteres hinc myſteria commenti ſunt, Hieron. *Omnium Eccleſiarum iſte eſt conſenſus, ut ſub perſona Jeremiæ de Chriſto hæc dici intelligantur: quod Deus ei oſtenderit ſtudia Judæorum, qui dixerint, mittamus lignum in panem ipſius, crucem vid. in corpus ſalvatoris, ipſe eſt enim qui ait, Ego ſum panis vitæ &c. Voluit panem eſſe Sacramentum corporis ſui.* Ita etiam Tertull. & Origines. Olevianus de Chriſto quoque, ſed hoc modo; *Occidamus: lignum* (hoc eſt crux) *pro pane ejus, potius crucifigamus eum, quam vivere ſinamus & paſcamus*; ב *enim pro* תחרת *quoque accipitur.* Sed omnia iſta nimis longè petita; & עץ nuſpiam de Veneno accipitur: nam illud ויורהו עץ Exod. 15. figmentum eſt miraculi duplicandi gratia; cur enim magis venatum, quam ſalutare lignum docuiſſet Moſen, ut amaræ aquæ fierent potabiles. Prior ſententia maxime quadrat. Cæterum quia ignarum Prophetam Deus erudiit de hoſtium occultis molitionibus, hinc liquet, quantam pro legatis ſuis gerat curam: ſic abſcondit Jeremiam & Baruch Jer. 36: 26. Paulum monuit de conſpiratione Act. 23. Et quamvis non ſemper indicet ut ſibi caveant: ipſe tamen cautelam eam præſtat, quanta ſufficit ut curſum ſuum conſummet, & miniſterium quod eis credidit.

Verſ. 20. *At ô Jehova exercituum judex juſtiſſime, probator renum & cordis: viſurus ſum ultionem tuam de eis, nam tibi revelavi cauſam meam.*

Oppoſita *defenſio* habet. I. Preces Prophetæ verſ. 20. II. Dei auxilium. verſ. 21, 22, 23.

Preces Deum deſcribunt à Judicis officio: vocat *Dominum Zebaoth* (qui cuique vitæ militiæque terminum fixit,) vel per ellipſin, *Deum exercituum*, qui iis omnibus inſtructus eſt, ut quod judiciali ſententia definivit, poſſit exſequi per illos. Tum Judicem Pſ. 50: 6. Heb. 12: 23. qui in omnem terram habet Juriſdictionem Pſ. 58. verſ. ult. Pſ. 94: 2. Gen. 18: 25. & *juſtum*, in judicando, qui nullis affectibus aut muneribus flectitur à juſtitiæ regula Pſ. 7: 12. & 9: 5. 2 Chron. 19: 7. Rom. 3: 5, 6. cap. 9: 14. Job. 34: 10. &c. Adhæc omniſciùm, cui etiam maxime latentia, *cor* & *renes*, patent; qui hæc *explorat*; Pſ. 7: 10. Jer. 17: 10. Heb. 4: 13. adeoque non eſt quod dubitetur, aperta ipſi patere, & nota eſſe: Pſ. 10: 14. ut nullus judex ſit, cui innocens ſuam cauſam tutius permittat. Pſ. 17: 2, 3. Et ſic heic Jeremias, qui ab eo petit *vindictam* de hoſtibus ſumendam, ut eam videat ejuſque ſit ſpectator, non ex ἐπιχαιρεκακία; neque enim ſuam ſed *Dei ultionem* videre optat: Suam ſi poſceret, ea haberet pœnam ob injuriam ſibi factam: ſed quando Dei, tantum ob injuriam Deo factam. Quemadmodum ſi legatus lædatur, & ipſe læditur quâ homo, & legans, cujus perſonam repræſentat, & hæc injuria gravior: illam legatus condonare poteſt, non hanc, illud ſi facit, pietatis eſt; ſin hoc, impietatis. Hæc enim injuria graviſſimam ultionem conſequitur. Matt. 22: 7.

Cauſa autem fiduciæ hujus, *quia tibi revelavi litem meam*: ad nullum alium quam ad te ivi, nullius alius opem imploravi; immo non me ipſum ultus ſum, aut ulciſci volui, ſed cauſam integram tibi ſervavi, & commiſi. Eſt hîc fiducia tum innocentiæ propriæ, tum juſtitiæ judicis, quando ad eum ſolum itur, & illi omnia committuntur.

Verſ. 21. *Idcircò ſic ait Jehova de Anathothanis, quærentibus animam tuam, dicendo, ne vaticinator in nomine Jehovæ, & non morieris manibus noſtris.*

Auxilium Dei continetur Prophetica denunciatione judicii. ubi *Rei*, *viri Anathoth*, *quærentes animam*, ad necem nempe, & *cauſa*, quod nomine Dei vaticinantem audire nolint, verſ. 21. Simile interdictum Prophetandi Amos. 2: 12. cap. 7: 12, 13. Mich. 2: 6. Sic Jer. 18: 16. &c. ubi quoque imprecatio. & Eſa. 30: 9. pœna indicata.

Verſ. 22. *Idcircò*, inquam, *ſic ait Jehova exercituum, ecce ego animadverſurus ſum in iſtos: ipſi juvenes morientur gladio, filii eorum, & filiæ eorum morientur fame.*

Verſ. 23. *Et reſiduum non erit ipſis, quum adducam malum in Hanathothanos anno viſitationis eorum.*

Vindex, Deus, & pœna univerſalis. *Peribunt juvenes in bello*, imbelles *fame*, *neque erit reſiduus*; quando ultionis tempus venerit verſ. 22, 23. Qui memoriam Prophetæ exſtinctam voluerunt, non habituri ſunt ſuperſtitem. Atenim Ezr. 2: 23. recenſentur inter reduces ex Babel 128. Anathothæi, quod aliquos reſipuiſſe putent, vel exſortes fuiſſe hujus culpæ. Conf. Jer. 44: 26. ſeqq. quomodo generalitas illa intelligatur. Quia autem hi potiſſimi fuere in peccato contra Prophetam, etiam potiſſimi in pœnâ.

CAP. XII.

Verſ. 1. *Juſtus es Jehova, ſi contendere velim tecum: verumtamen judicia eloquar tua, cur via improborum ſuccedit? cur tranquilli ſunt quicumque agunt perfide?*

Verſ. 2. Cur *plantas eos, etiam radicantur? pergunt, etiam edunt fructum ii, quorum in ore propinquus es, ſed longinquus à renibus ipſorum?*

II. Querela Jeremiæ, cum reſponſo Dei.

1, *Querela*, proponitur præmiſſa correctione verſ. 1. ſubjuncta amplificatione, verſ. 2. & oppoſitione ſui verſ. 3. tum profitetur votum ſuum verſ. 3. & rationem ejus. verſ. 4.

Queri conſtituebat de proſperitate impiorum, quæ frequens eſt hominibus etiam Ethnicis. Seneca habet libellum, *Cur bonis male ſit, cum ſit providentia.* Et alii quoque pii ſic fuere turbati, Pſ. 73: 37. & hinc nata Jobo diſputatio cum amicis, qui infelices omnes putabant malos: cujus ille contrarium adſtruit. Priuſquam tamen orditur querelam, corrigit ſe, ne quid in Deum injurium dicat. *Juſtus es Domine quamvis litigem tecum.* Etſi videar tecum contendere, ceu de injuſta adminiſtratione, tamen agnoſco, & in anteceſſum profiteor, te eſſe juſtum Pſ. 119: 137. Deut. 32: 4. Non ergo murmurantis aut blaſphemantis ea vox eſt ut Mal. 2. verſ. ult. ſed rationem non intelligentis & erudiri deſiderantis: eoque משפטים judicia, rationes validas, qualibus utimur in judiciis, ad cauſam probandam, eloquar tecum, nullatenus tamen dubitans de juſtitia adminiſtrationis tuæ. Exemplum hoc modo præbet, quomodo agendum ſit, ſiquidem non capimus rationes juſtitiæ divinæ circa homines, quomodo nos præmunire debeamus, ne quid incommodum tribuamus Deo. Sic Aſaph Pſ. 73: 1. Pſ. 92: 16. ſic tranquillatur conſcientia Job. 1: 21, 22. roboratur patientia Neh. 9: 33. &c. ſecuritas liberationis confirmatur, 2 Sam. 16: 10. &c. poſſunt præcidi diſputationes multæ. Pſ. 92: 6. &c. Sic utitur Apoſtolus Rom. 3: 5. &c, cap. 9. verſ. 14. &c. Quomodocunque enim hæſitemus in difficultatibus expediendis, juſtus eſt Deus Hoſ. 14: 10. Pſ. 25: 10.

Eſt vero hic inſtitutio quærenda à Deo: Homines ex ſe ſunt ſtupidi Pſ. 92: 7. & hic ſtupor etiam piis adeſt [illegible] 73: 21: 22. Nam omnia ad noſtrum conceptum judicam[illegible], Ezek. 18: 25. &c. φίλαυθοι inſuper, & προσωπεῖς. Atqui Eſa. 55: 8, 9. Et quis doceat de viis Dei præter Deum? Exod. 33: 13. is vero docet in verbo, ut rationem adminſtrationis Dei quis capiat Pſ. 73: 16, 17. Sanctuaria Dei, in quibus vidit extremum impiorum, ſunt Scripturæ: & Edomi excidium, diu proſpere agentis, in libro ſignatum voluit Deus. Eſa. 34: 16, 17.

Querela ipſa eſt, verſ. 1, 2. ubi rogat Deum, quomodo ignorantiam ſuam fatetur, I. *de impiis*, quos vocat רשעים *homines inquietos*, qui non quieſcunt ipſi, variis agitati cupiditatibus, neque aliis quietem concedunt: ut mare turbidum in ſe, & turbans alia Eſa. 57: 19. & tribuit viam, conſtantem ambulationem, velut hanc vocationem ſuam arbitrantes. Tum בוגדי בגד *prævaricantes prævaricationem*, quibus perfidia artificium eſt, ut fraudem faciant; quod potiſſimum reſpicit fœdifragium, ſæpius repetitum, quo nomine accuſavit cap. 11. & unde Juda dicitur בוגדה & בגודה: alias dicuntur פועלי און, ſed hoc longè gravius, quia conjungit voluntariam violationem obligationis juratæ: illud, cum innupta, hoc, cum nupta ſe in lupanari proſtituit. II. *De horum felicitate.* Heic dicit *viam* eſſe צלחה *proſperam*, omnibus ſuccedentibus, Pſ. 1: 3. quæ promiſſa piis Joſ. 1: 8. De ipſiſmet שלו *tranquilli ſunt*; non tantum externa conditione, ſed etiam interna, nullis conſcientiæ flagellis turbati Pſ. 73: 3. &c. & hanc ſæpius Jobus commemorat, vid. Job. 21: 7. &c. Abrab. de Nebucadnezare intelligit, ut genti ſuæ pareat. Sed ut recte, Kimhi, de Judæis ſui temporis, & potiſſimum Anathotæis, loquitur.

Amplificat porro verſ. 3. *felicitatem*, oſtendens quod propius pertinebat ad querelam; Deum datorem eſſe ejus proſperitatis. *Plantatio* Dei ipſius, ſtabilitas *radicis*, incrementum *virium & fructus*. ירק etiam de radicibus & ramis uſurpatur Hoſ. 14: 7. ſic עץ Gen. 49: 22. Omnis proſperitas, & ejus firmamentum & incrementum à Deo eſt Pſ. 17: 14. ſic Nebucadnezar arbori confertur Dan. 4. & impii Pſ. 37: 35. II. *Impietatem*, quæ hypocriſis: Deus in ore proximus, procul à cogitationibus. *Renibus* enim tribuuntur cogitationes Pſ. 16: 7. & Pſ. 73: 21. & cum Deus renes probare dicitur, ſignificatur cogitationum notitiam habere. Jer. 11: 18, 20. coll. Proximus ori Deus, quando profeſſio crepatur, & externus cultus. etiam cum Zelo aliquo: Hic enim impii ſolent luxuriari, ut & ſe & alios decipiant Pſ. 50: 16. &c. Luc. 13: 26. *coram facie tua edimus* &c. *longinquus à renibus*, quando interiora & cogitationes aliis occupantur cupiditatibus. Ezek. 33: 30. &c. cap. 14: 2. &c. Judæi per Jeremiam rogabant Deum, promittentes obſequium, ſed cum non diceret placentia, deſtinatum erat ſua placita ſequi. Jer. 42. Sed Deus delectatur veritate in interioribus Pſ. 51: 8. qui exteriora, fecit etiam interiora Luc. 11: 40. cum iſti in externa mundatione omnem religionem conſtituerent Jer. 4: 14.

Verſ. 3. *Nempe tu Jehova agnoſcis me, pervides me, ideò probas animum meum, ut adhæreat tibi: avellendo iſtos ut oves* trahendas *ad mactationem, & præparando eos ad diem interfectionis.*

Amplificat deinde *oppoſitione ſui*, verſ. 3. non quoad infelicitatem externam, de quâ cap. 11. dixerat, & quæ huic querelæ cauſam dabat; ſed tantum quoad ſuam integritatem & ſinceritatem innocentiæ, oppoſite ad illorum hypocriſin: *Tu vero Domine noſti me*, & quidem accuratiſſime, *vides me*, oculo perſpicaciſſimo, qui non obſcuratur, neque ei quicquam obduci poteſt, vel videbis me, nunquam avertes oculum, ut ſecurus obſervatoris tanti meis deſideriis auſim indulgere; & *probas*, aut *probabis cor meum* עם quale *erga te* ſit: an in hac relatione ad Deum ſit ſincerum. Jehu de Jonadab 2 Reg. 10: 15. De Dei inquiſitione iſta 2 Chron. 16: 9. 1 Chron. 28: 9. exemplo Davidis Pſ. 139. fin. Act. 8: 21. Exploratio autem iſta fit proſperitate 1 Chron. 32: 31. ſed potiſſimum & frequentius adverſitate: Deut. 8: 2. Aurum exploratur non ad ſplendorem ſolis, ſed ad fervorem ignis, 1 Pet. 1: 6. &c. Luteus later ad ſolem ſiccatus decentior apparet, ſed ad ſtructuram ineptus plane eſt, qui onus nullum ferre poteſt, ſub eo conterendus, neque pluviam, ab ea ſolvendus; ſed ubi ſemel atque iterum igne excoctus eſt, firmitatem habet, maximo oneri ſuſtinendo parem, nullaque liqueſcit pluvia.

Verſ. 4. *Quouſque ais, lugeret terra? & herba totius agri exareſceret? præ malitia habitantium in illa, deficiunt ſingula jumenta & volatilia, quia dicunt, non videt finem noſtri.*

Votum Prophetæ eſt verſ. 3. converſio ſtatus impiorum, alia ſimilitudine; Confert eos pinguibus, *ovibus* & armentis, quæ liberaliùs aliis habitâ, in paſcuis lætioribus, ad ſaginam promovendam, *quia mactanda* ſunt. Bos arator non relinquitur in pratis ut delicietur, ſed jugum imponitur, & labore quaſi frangitur, ut macilentus ſit & hiſpida cute; ſed cum mactare animus eſt, non ampliùs fatigatur ullo labore, verum abundantiori pabulo ingeſto quaſi ſaginatur ut pingueſcat. Sic evelli vult ex loco ſaginæ ut mactentur, aut magis ſegregari, auctâ felicitate externâ, ad diem mactationi deſtinatum. *Sanctificare* nil niſi ſegregare, ad uſum aliquem ſingularem. Sic Medi dicuntur ſanctificati Dei, Eſa. 13: 3. ad exſequenda judicia Dei contra Babel. & ſanctificatur bellum vel prælium, quando ſegregantur milites ad illud gerendum contra definitum & ſegregatum hoſtem. Sic agitur cum impiis Pſ. 49: 15. Pſ. 73: 18, 19. Pſ. 92: 8. Quibus felicitas tantum eſt ad ſaginam Phil. 3: 19. Luc. 12: 19. &c. Jac. 5: 5. vel ad indomitam luxuriam, Deut. 32: 15. Luc. 16: 19. &c. vel ad majorem contemtum Dei & judiciorum ejus, Eſa. 22: 13. &c. cap. 56. verſ. ult. &c. Amos 6: 1. &c. Et hominibus illis etiam voto deſtinare licet hanc ſanctificationem. Nam hoc votum Prophetæ non habet æternam eorum perditionem, ſed temporalem duntaxat; ad perditionem carnis, ut ſpiritus ſervetur in die Chriſti 1 Cor. 5: 5.

Qui

Qui in prosperitate obliviscuntur Dei, adversis ad recordationem ducuntur. Hos. 2: 6, 7. Ante diluvium luxuriabantur homines Luc. 27: 27. & periere omnes quoad corpus, sed in angustiis diluvii quidam resipuisse & salvati creduntur. 1 Pet. 4: 6. Imo istiusmodi votum temporalis excidii eò pertinet, ut impii desinant peccare posse, & augere proprium reatum & condemnationem, siquidem adversis non convertantur: Spinarum parvarum ignis nequit esse tantus, quam magnarum, quemadmodum illæ minus læserunt, infirmioribus aculeis. Aut saltem desinant posse lædere alios, ac nocere. Ps. 10: 18. & hic scopus Jeremiæ, ut apparet ex ratione vers. 4. quia vastitiem toti terræ adferebant suis peccatis; Vastities est, *Quousque lugebit terra* &c. ob pravitatem incolarum consumuntur pecudes & aves. Sæpiùs hanc descripsit, & huic causæ adscripsit, sed hic quæritur, quod tamdiu id fiat; quod continuentur calamitates, continuatis peccatis, quorum incrementum maximum, Vox ipsorum, testimonium securitatis, nam dicunt, *Non videbit extremum nostrum*. Si ad Deum respiciant, est abnegatio providentiæ ejus. Ps. 10: 4, 11, 13. Ps. 59: 8. Ps. 94: 7. Esa. 29: 15. Jer. 5: 12. Sed convenientius ad Prophetam spectant, de quo dicant, ipse non videbit extremum nostrum; quicquid etiam mali vaticinetur, & ceu proximis judiciis terrere instituat, non videbit ipse immutationem status nostri, non supervivet nostræ felicitati, cujus securi sumus. Hoc modo autem confirmabant se in peccatis, & majori reatu onerabant terram, ejusque luctum & perniciem accersebant. Felicitas externa impios securos reddit, & contemtores Prophetarum: quo ipso majori sunt noxæ regioni, & communi bono facit, si temporali judicio subducantur.

Vers. 5. *Quando cum peditibus curris, defatigant te; quomodo ergo miscebis te cum equis? etiam in terra prospera* cui *confidis*, defatigant te, *ecqui faceres in elatione Jardenis?*

Vers. 6. *Quandoquidem etiam fratres tui & domestici patris tui, etiam ipsi perfidè agunt in te, ipsi quoque convocant post te multitudinem; ne credito istis, quamvis alloquantur te bonis* verbis.

2. *Responsum Dei* ad Prophetæ querelam habet I. institutionem Prophetæ vers. 5, 6. II. denunciationem justæ pœnæ contra impios Judæos vers. 7—13. III. consolationem à judicio hostium, qui instrumenta judiciorum futuri erant. vers. 14—17.

(1.) *Institutio* spectat ad impatientiam à Jeremia removendam, eique constantiam animi addendam. Utitur similitudine à cursu certaminis gratia instituto, uti Græci in stadio: כי pro אם *Si*, vel אבן *certe cucurristi cum peditibus & fatigarunt te, quomodo miscebis te cum equitibus?* Si cum peditibus cursu contendens impar es celeritate, multo minus in eodem certamine equitibus superior eris. Quidam sic putant responderi querelæ de administratione Dei circa prosperitatem impiorum. Si cum peditibus, tui similibus hominibus Anathotensibus agens, impar es, nec potes consilia ipsorum assequi, cap. 11: 18, 19. quomodo cum equitibus, Deo longè superiori contendere, & in rationem consiliorum ejus penetrare poteris? Hominum cor profundum est Ps. 64: 7. Jer. 17: 9. profundius Dei Ps. 92: 6. & 36: 7. Esa. 40: 28. cap. 55: 9. Sed non quadrat membro proximo. Sensus hic potiùs: Jeremias de inimicis concivium monitus, non solum ab iis defendi petit, sed insuper queribundus erudiri optat, cur Deus eam impietatem in perfidis suis concivibus ferret, exercitam contra se, Dei Prophetam, imò illis largiretur continuatam prosperitatem. Deus respondet, hæc tantum initia esse persecutionum ipsi tolerandarum, eoque ad patientiam majorum suum animum debere roborare: quasi dicat. Itane impatientes hujus improbitatis, quæ ab Anathotæis admissa est, ut putes non ultra esse ipsis indulgendum? quid ergo dices, si graviora peccata, & sæviorem persecutionem experiaris Hierosolymæ? Anathotæos confert peditibus, pares conditione & loco, Sacerdotes & præcones fœderis Dei, quibuscum contenderat cursu, concionando inter eos de fœdere, sed hi eum fatigarunt, vincendo improbitate Prophetæ obtestationes. Hierosolymitanos comparat equitibus, quod impietate longe superarent cæteros Judæos, confirmante eos hinc potentia Politica, & licentia usurpata aulæ, nec non exemplo Regis & Principum: istinc opinione religionis, cathedra doctorum, autoritate antistitum & consensu publico Sacerdotum & Prophetarum, quibuscum si acturus esset, & prælium linguæ convincentis susceperturus, longe majorem contradictionem & persecutionem haberet exspectandam. De qua persecutione potissimum agit similitudo altera; & (si te fatigant) in terra pacis, in qua confidis, (in patria, inter consanguineos, ubi nihil periculi metuebas, meram tibi pacem pollicitus,) quid facies in elatione Jordanis? Jordan fluvius nonnunquam exundabat, quæ elatio fluctuum ejus, quando leones & pardi, aliæque feræ, quæ circa Jordanem lustra sua habebant, iis ejiciebantur, & furentes vagabantur in obvios homines; vel gregibus subita exundatione suffocatis, quando aquæ recedebant, feræ ad prædam prodibant, omnemque ripam reddebant infestam: Hierosolymitani sic torrentis instar pergebant in peccatis suis, & efferatos malitia animos habebant, contra adversantes. Vel citra ellipsin: si in terra pacis tantum confidis, teque nusquam putas ministerio fungi posse, nisi ubi omnia ubi tranquilla, quod in patria te reperturum credidisti, & non inveniens quereris: quid ergo facies in elatione Jordanis? ubi nunquam deerit strepitus contradicentium, impetusque contradicentium, vid. Hierosolymæ; ubi in singula momenta exundantis fluminis inundatio metuenda, & quam illa dabit obviorum & obnitentium stragem? Nam vers. 6. *Etiam fratres tui* &c. Anathotenses, *perfidi sunt contra te*, tum apertè, pleno gutture contra te clamantes; tum occultè, blandientes ore, quorum sermoni eapropter fidem non habendam monet: vel utrumque hypocriticè, *pone te clamant*, te digresso & nescio, clamant pleno ore, vel plena voluntate, quamvis præsenti blandiantur; quibus non credendum habes. Scilicet pii fatigantur quando cum impiis ipsis res est, & pertinaci ipsorum impietati præcurrere, eamque vincere nituntur: Exemplo Lotus Gen. 19. 2 Pet. 2: 7, 8. Huc facit querela Esa. 7: 13. cap. 49: 4, 5. cap. 65: 2. Attamen eapropter non licet ipsis cessare; sed contra audentius eundum Ezek. 2: 3. &c. 2 Tim. 2: 22. militi non tantum in præsidio militandum, quando omnia tranquilla, ut ne quidem stringendus gladius; sed etiam quando periculosissima, in flagranti bello; fides non solum levibus, sed etiam & potissimum difficillimis probatur; & ejus commendatio, quemadmodum cujuscunque ministri, non petenda, neque sita est in successu & victoria, sed in fidelitate.

Vers. 7. *Derelicturus sum domum meam, deserturus possessionem meam: traditurus eam quam diligebat anima mea in manum inimicorum ipsius.*

(2.) *Denunciatio justæ pœnæ.* Quomodo significat Prophetæ, felicitatem impiorum habituram finem, quò usque animose in munere suo progredi debeat. vers. 7—13.

A. *Pœnam* describit *à suâ desertione* vers. 7—11. quam commemorat vers. 7. gradatione privilegiorum adimendorum. I. Erant *domus Dei*; quod non tantum de templo seu tabernaculo externo intelligitur, sede arcæ, cujus desertio refertur Ezek. 9: 10. sed de toto populo Ps. 90: 1. Exod. 29: 45. Lev. 26: 12. 1 Cor. 6: 16. hinc ait se migraturum, (præterita pro futuris veniunt, ob rei certitudinem.) II. *Hæreditas Domini*: Domum quidem quis mutat, quando incommoda est, at hæreditatem retinet, quod eam mutare non sit in ejus potestate, nisi semetipsum privare, & quasi exhæredare velit: sed & hanc relinquere vult, nec ampliùs ut suam curare. III. *Dilectio animæ suæ*, id est charissimi, quos summo, tenerrimo amore complexus esset, & fovisset, ut pater liberos Esa. 1: 2. ut aquila pullos Deut. 32. Hanc autem hostium tradit in manus, hostili agens modo, ut Esa. 63: 8, 9, 10. Jer. 30: 14.

Vers. 8. *Est mihi possessio mea similis leoni in silva; edit contra me vocem suam; idcircò odi eam.*

Vers. 9. *Avis digitata est mea possessio mihi, ô aves, circumquaque in eam: agite, congregate omnes bestias agri, facite ut veniant ad comedendum.*

Vers. 10. *Pastores multi corrupturi sunt vineam meam, conculcaturi portionem meam, redacturi portionem mihi desideratissimam in desertum desolatissimum.*

Vers. 11. *Dispositurus est eam* quisque *in desolationem, lugebit per me desolata, desolabitur tota hæc terra, quia nemo* est *qui reponat in animo.*

Justitia porrò harum actionum probatur ex causis: quæ recensentur quatuor. I. *Indomita rebellio.* vers. 8. Leonis silvestris instar feri sunt contra me, qui nullis constringuntur vinculis, sed pro libidine suâ omnia agunt; atque ferociam animi voce profitentur contra Deum. Esa. 3: 9. Jer. 44: 15. &c. sic onagro confertur cap. 2: 24. Ea propter odio sunt Deo: quis enim amet indomitum leonem? quis ei blandiatur? & non potius maximo odio eum prosequatur, seque longissime velit abesse? II. *Alienatio*, vers. 9. *Avis variegata fuit mihi*: quæ non meum solum colorem gereret, sed varios alios, multifariâ idololatriâ ceu variis plumis exornata, seque ostentans. Interrogativè quidam: *An avis variegata est coram me?* instar ullulæ quam omnes aves aliæ circum volitant: imo vero congregamini feræ omnes ad devorandum. Quidam de violentia & rapacitate, accipiunt, ut sanguine respersa sit; quemadmodum Jer. 2: 34. Et hinc Aves circum circa eam invadunt; sua sponte appetentes ea satiari; sed insuper evocantur & invitantur feræ omnes ad eam devorandam: Vel *aves circa sunt pro ea*, (de auxiliaribus copiis, Ægyptiorum aliorumque.) Contra ipsam & istas convocatis feris; ut pereant pariter, quemadmodum Esa. 31: 1. &c. III. *Primatus* in Rep. & Ecclesia impietas. vers. 10. Pastores vocari solent utrique: hos quidem non defuisse, nec pauciores justo fuisse indicat, sed qui loco defensorum perditores fuerint; corrupta vinea, conculcato agro, (חלקה etiam de agro Akeldema culto dicitur 2 Sam. 14: 30. cap. 23: 11.) ut istic eruerentur bonæ vites, hîc impediretur in herba, quicquid surgeret bonæ frugis, quomodo cultissima, fœcundissimaque in vastitatem abirent. IV. *Universalis stupor.* vers. 11. *Posuit eam vastitatem, Luget propter me, quod* ego *deseruerim*; vel *apud me*, quod opem petens, *vasta*: *vastata tota terra*; ubi amplificatio vastitatis, ab autore, sensibilitate, universalitate, & hujus causa, gravitas stuporis; Nam non est qui apponat ad animum; Vastitatem, bonorum hominum amissione Esa. 57: 2, 2. & terræ ipsius Jer. 9: 12. Vastitatem minatur non alios dominos, quod restituendi essent.

Vers. 12. *In omnes clivos per desertum venturi sunt vastatores, nam gladius Jehovæ consumturus est ab extremitate terræ una ad alteram; nulla pax* erit *ulli carni.*

Vers. 13. *Quum seminaverint triticum, spinas metent; quum indoluerint* laboribus, *non proficient: nam erubescetis ex proventibus vestris præ æstu iræ Jehovæ.*

B. *Ab instrumentis exsequendi*, vers. 12, 13. *tum* Bello vers. 12. *Vastatores*, armati (ut Gideon olim, sed alio fine,) gladio Dei, omnes depascente, tam ratione loci ab extremo ad extremum, quam hominum in loco; *non est pax*, incolumitas, *ulli carni.* 1. *Caro* hîc solos Judææ incolas denotat, non universaliter omnes homines, ut hujusmodi phrases non faveant universali omnium comprehensioni. *Tum* Fame vers. 13. omni operâ rusticâ fructu carente, seminato tritico non succrescente, sed solis spinis tempore messis agros aperientibus. Hos. 8: 7, Esa. 5: 8. & quamvis ad morbum usque laborent, nil proficientes, ut pudefiant à proventu suo, nullatenus respondente culturæ, Hagg. 1: 3. &c. non tamen aliunde quam ab ira Dei: Quidam inutilitatem concionum Propheticarum volunt designatam, ut pudefiant, & ægritudine conficiantur. Alii de conductis magno ære Ægyptiis auxiliis intelligunt; sed qui spinæ fuerint metentibus, pungentes manus & lacerantes latera; itidem ob iram Domini: quemadmodum sæpius videsis Esa. 30. & 31.

Vers. 14. *Sic ait Jehova de omnibus vicinis meis malis, qui attingunt possessionem quam possidendam tradidi populo meo Jisraeli: ecce ego convulsurus sum eos è terra sua, quum domum Jehudæ convellero è medio earum.*

(3.) *Pœna hostium, cum promissione restitutionis.* vers. 14, 15.

A. Pœna proponitur nomine Dei, vers. 14. *sic ait Dominus*: nam qui attendit ad pœnas populi rebellis, etiam ad instrumenta ipsarum attendit: describuntur autem à loco habitationis, & culpa quam admiserunt; quibus continentur argumenta hujus judicii, quodque hostes Ecclesiæ non impunè ferant eam læsisse. I. quia *vicini*: horum est, ut se mutuò defendant: sed hi mali vicini; qui noxam non amolirentur à vicinis sed eam inferrent. Amos. 1: 3. &c. hæc accusatio Gazæ & Tyri, & Edomi, Damasci Ammonis, Moabi. Nam hæ nationes cingebant terminos Israelis: etiam Ægyptii, item & Syri. II. Quia contra Deum agunt istud omne, *vicini mei mali*; quia terram, quam incolebant Israelitæ, Deus suam dicit, istos solum incolas & peregrinos Lev. 25: 27. vetita his ea propter omni alienatione terræ. Sic Ps. 83: 3. &c. III. Quia ereptum eunt, quod Deus aliis, Israeli, concessit. Vocat hoc *attingere*, quia injuria est rem alienam attingere; & sic denotatur injuria Ps. 105: 14. Zach. 2: 10. Interdixit hoc Deus Israelitis, quoad Edomitas, Moabitas, Ammonitas Deut. 2. & vicissim non licebat istud contra Israelem Jud. 11: 23, 24. Jer. 49: 1, 2. Sed cum Deus iis ceu instrumentis usus esset, qui jam ea propter punire instituit? Resp. quia non fecerunt ea intentione ut Deo obsequerentur Esa. 10: 5. &c. quia non servarunt modum Zach. 1: 15. ut si carnifex ex proprio odio & vindictæ studio fustigarent aliquem damnatum à Magistratu plagis geminatis, qui & in animo & modo peccaret, & reus foret.

Pœna ipsa, *Ecce ego evellam eos de terrâ suâ*, radicitus eruam, quomodo & germinatio & spes ejus perit. (potest referri ad plantationem vers. 2. quamquam ea istic specialiter de Judæorum plantatione intelligenda sit.) sed cum distinctione, licet Judæi idem cum illis patiantur, tamen his beneficium est, quod illis calamitas: nam *Judæi exules inviti* inter eas gentes hærebant. Quod ergo indigenis pœna, exulibus beneficium est: nam illi patria, isti carcere & servitute excutiuntur, aut ejiciuntur: quomodo Noah & primus mundus; Lot & Sodomitæ. Sic pestis, gladius &c. promiscue bonos & malos rapiunt. sed in ista excisione ex terra viucentium discrimen magnum vertitur, quoad locum ultimum, quo evulsi collocantur. Luc. 16: 22, 23.

Vers. 15. *Eritque postquam convulsero illos, ut rursus misereat me istorum, & reducam ipsorum quemque in possessionem suam, & quemque in terram suam.*

Vers. 16. *Erit etiam si omnino didicerint vias populi mei jurando per nomen meum, vivit Jehova, quemadmodum docuerunt populum meum jurare per Bahalem; ut ædificentur in medio populi mei.*

Vers. 17. *Quòd si non auscultaverint, tum convellam gentem illam indesinenter, & perdam, dictum Jehovæ.*

B. *Promissio restitutionis*, geminæ I. *externæ*, vers. 15. ubi hoc judicium evulsionis finiendum dicitur per misericordiam Dei, restitutione in suas sedes. Sic reductionem captivitatis promisit Moabo Jer. 48. vers. ult. Ammonitis cap. 49: 6, 39. Elamitis II. *internæ*, vers. 16. cujus descriptio (1.) à *tempore*, vers. 16. postquam externum judicium fuerit exercitum, & communis cum Israele restitutio; ut denuo sint vicini. (2.) A *mediis*, conversione; ut discant vias Domini; veram religionem & cultum Dei; ut Esa. 2: 3. Zach.

Zach. 8:20. &c. & profeſſione, quæ formula juramenti indicatur; quemadmodum qui vis ſubditi homagium ſuis ſinguli principibus præſtare ſolent. Jer. 4: 1, 2. Eſa. 19: 18. Zeph. 3: 9. Amplificatio ab oppoſito: quam fuere ſerii in docendo Iſraelem vias & juramenta falſæ profeſſionis. (3.) A *modo*, ædificatione, in medio populi ſui: ut paria cum Eccleſia conſequantur beneficia, & beneficiorum conſtantiam: nullo diſcrimine, Pſ. 87: 4. &c. Eſa. 56: 6. &c. Opponitur non converſorum calamitas verſ. 17. *Si non audierint*, hoc eſt, crediderint, ut didicerint & profiteantur. Joh. 6: 45, 35, 37. 2 Cor. 4: 13. eruentur, aut diruentur, non ædificabuntur, ſed perdentur: Deo id affirmante. Zach. 14: 17.

CONCIO VI.

CAP. XIII.

NOn adſcribitur tempus hujus concionis, non tamen obſcurum eſt quando habita, ex applicatione verſ. 18. ubi videtur compellare Regem & matrem ejus, Jechoniam vid. poſt Jojakimi obitum. Scopus eſt docere quam indigni ſint beneficiis Dei, quamque graviter ea propter eſſent puniendi. Partes duæ, I. Repræſentatio ſtatus Judæorum. verſ. 1--14. II. Hortatio ad reſipiſcentiam verſ. 15--27.

Repræsentatio Status Judæorum gemina, Prior præteritorum faciem exhibet, verſ. 1--11. Poſterior futurorum verſ. 12--14.

I. *Prior* quadrimembris eſt. Tria priora conſtant mandato & reſpondente obedientia Prophetæ, quartum habet applicationem Dei.

Quæritur autem initio, ſintne hæc ſic geſta, an ſolùm in viſione facta? Reſp. Viſionem fuiſſe volunt quidam, & hanc, & alias prophetarum actiones, Hoſeæ nuptias; nudipedalem inceſſum Eſaiæ, &c. quod præter decorum prophetarum iſta fore exiſtimant. Alii verè facta, quod cæteroquin efficacia careant. Olevianus ait, ſi quis hæc ſic geſta dicat, haud facilè quis eum refutarit; quamquam putet in viſione factum. Maimon. Aben Ezra & alii viſiones & ſomnia ſacra fuiſſe dictitant. Abrab. verè geſta, ubi היה מ memoratur, quod exiſtentiam denotet; in aliis viſionem duntaxat. Sed ubicunque reperitur ראה מ ut Jer. 24. Amos. 7, 8, 9. vel alia viſionis ſomniive mentio Gen. 12: 7. cap. 15: 1. Ezek. 8. utique iſta in viſione, vel ſomnio facta eſſe conſtat. De aliis autem conſiderandæ reliquæ circumſtantiæ. Generalis quidem illa ratio, de decoro, humanæ ſapientiæ eſt, quæque non prorſus immunis ab illo 1 Cor. 2: 14. Summum decus eſt Prophetæ obſequi Deo: neque poteſt ulteriùs emergere: & quæ Deus imperat, eopſe decora ſunt illi cui imperat; etiam quando quid indecens in ſe videntur habere, quia non tantum quid faciat Propheta attendendum, ſed etiam cur faciat: neque unquam in factis illis à Deo mandatis invenitur peccatum & iniquitas, ſed tantum externa indecentia; & hic applicare licet illud, Stultum Dei ſapientius eſt quam homines. 1 Cor. 1: 25. Si ad viſionem & ſomnia referantur iſtiuſmodi, quam quæſo fidem reperiſſent apud obſtinatos Judæos: & cum abundarent ſomniatoribus, & viſionariis, qui decipiebant, contra quos agunt Jer. 23. quomodo aliquid perſuaſiſſent de ſuis viſionibus, qui ab aliis ceu pſeudoprophetæ traducebantur? Sunt nonnulla, quæ viſioni adſcribi nullo modo queunt; quamvis aliquid indecens habere judicent homines. Jeremiæ jugum quod geſtavit in collo, quod Hananias ereptum ipſi fregit, & cujus loco poſtea geſtavit ferreum Jer. 27, 28. non ſunt hæc viſionis, ſed facti. Rurſum urnæ fictilis emtio & contritio Jer. 19. Ezekielis facta & geſtus migrantium in exilium, unde populi מופת dicitur Ezek. 12. nec non omiſſio luctus omnis ob mortem uxoris cap. 24: 15. &c. Eſaiæ ingreſſus ad uxorem prophetiſſam coram teſtibus Eſa. 8: 1. nec non quando nudis pedibus inceſſit per triennium cap. 20. verſ. 2. &c. in ſignum deportationis Ægyptiorum & Æthiopum. Sic Ezekielis decubitus in unum & poſt alterum latus Ezek. 4, 5. Pariter Hoſeæ nuptiæ cum ſcorto publico, non ut ipſe ſcortaretur, cui nuptiæ imperantur, quique fidem Dei repræſentabat, neque etiam illa ex ſcortatione filios futuros concepiſſe dicitur, ſed habuiſſe illegitimos antea, quos una induxit in domum, ut juge teſtimonium forent antecedentis vitæ infamis. Ita & hic. Verè iſta omnia egit Jeremias: nam quid effeciſſet, ſi tale quid in viſione ſibi oſtenſum dixiſſet? nonne cum ſuis ſomniis fuiſſet deridiculo? Sed cum teſtes fuiſſent, qualis integritas & decor cingulo fuiſſet olim, & quantopere mutatum eſſet à priori conditione, potuit applicatio locum habere majore cum efficaciâ. Igitur ſpectandus primum typus hiſtoricus, uti מופת Ezek. 12: 11. cap. 24: 27. Pſ. 71: 7. tum Applicatio.

1. Ille conſtat tribus mandatis, & factis conſentaneis.

Verſ. 1. *Sic ait Jehova mihi, abi, ut compares tibi cingulum lineum, & imponas illud lumbis tuis; in aquas autem ne inferto ipſum.*

Mandatum primum eſt verſ. 1. Mandans Dominus; is jubet 1. *emtionem cinguli linei*: quidam ſignificatum putant ventrale, quale opifices geſtant dum opus faciunt; ſed uſus ejus oſtendit de cingulo potius intelligendum. Emtio autem mandatur, ut acquiſitio oneroſa fuiſſe pateat; & ex lino, terrenæ originis, eoque vile in ſe, ſed æſtimio ementis dignitatem impetraturum. 2. *Uſum*, imponendo lumbis ſuis, loco decenti, ubi arctiſſime cohæreat corpori, & decus addat geſtanti. 3. *Cuſtodiam*, ne madefaciat, quomodo facilius corrumperetur, proinde caveret ipſe aliquid agere, quod corruptionem vel afferret vel augeret.

Verſ. 2. *Itaque comparans cingulum ex verbo Jehovæ, impoſui lumbis meis.*

Obedientia reſpondens verſ. 2. emtio & geſtatio; utraque procul dubio publica, ut ab eo cingulo notus eſſet populo, & ipſum quoque cingulum. Dubitari poteſt annon fuerit ordinarium cingulum Sacerdotum inferiorum, quod quidem אבנט dicitur, ſed ab hoc אזור non multùm differt, & illud etiam aliis tribuitur: niſi dicamus אזור *commune cingulum*, aſt אבנט *baltheum longiorem*, aliquoties corpus obeuntem, qualem Sacerdotes geſtabant. Satius dicitur cingulum non Sacerdotale, (qualia pro Sacerdotibus conficiebantur in templo ubi curatores veſtium Sacrarum fuiſſe refert Maimonides de Inſtrum. templi.) ſed vulgare, in publico emtum.

Verſ. 3. *Deinde fuit verbum Jehovæ ad me iterum, edicendo.*

Verſ. 4. *Accipe iſtud cingulum quod comparaſti, quod impoſitum eſt lumbis tuis: & ſurge, abi ad Euphratem, & abſconde illud ibi in projectura petræ.*

Mandatum ſecundum. verſ. 3, 4. ut idem illud cingulum, charum ob pretium & geſtationem, *in fiſſura rupis prope Euphratis ripam abſconderet.*

Verſ. 5. *Tum abiens abſcondi ipſum ad Euphratem, quemadmodum præceperat Jehova mihi.*

Obedientia verſ. 5. procul dubio adhibitis comitibus, & teſtibus. Fuere enim tum ſatis frequentia itinera verſus Euphratem & trans illum in Babyloniam, cujus regi Judæa cum rege ſuo ſuberat; itemque ubi aliqua pars populi exulabat, quæ victo Jojakimo eodem venerat, inter quos Daniel & Socii. Neque malè collocavit tempus ſuum iter illud faciendo Jeremias, qui eopſe ſpeciali Dei mandato obſecutus eſt.

Verſ. 6. *Fuit autem exactis diebus multis; ut ediceret Jehova mihi, ſurge, abi ad Euphratem, & recipe inde illud cingulum quod præceperam tibi ut abſconderes illic.*

Mandatum tertium, verſ. 6. ubi Tempus, *poſt dies multos*, tum juſſus eſt rurſum *ad Euphraten* proficiſci, & abſconditum cingulum inde repetere.

Verſ.

Verſ. 7. *Quamobrem abiens ad Euphratem, quum effodiſſem recipi cingulum illud è loco ipſo ubi abſconderam ipſum: ſed ecce corruptum erat cingulum, non erat aptum ad rem ullam.*

Obedientia verſ. 7. aſſumtis, uti veriſimile iiſdem comitibus teſtibus, ne fraudem feciſſe dici poſſet & ex latebris eruit; diciturque quod *effoderit*, terræ vid. infoſſum à ſe, ut corruptelæ cauſa in ipſum redundaſſet, atque ut à nemine ſubduceretur: niſi quis credat vaſi teſtaceo impoſuiſſe, quemadmodum poſt tabulas ſuæ emtionis agri Jer. 32: 14. eo fine ut diu ſervari poſſet ſine vitio.

Additur autem Eventus, *Corruptio cinguli*, ut non modò ad cinćturam ſed etiam ad quemvis alium uſum ineptum foret.

Verſ. 8. *Tum fuit verbum Jehovæ ad me dicendo.*

Mandatum quartum habet *Applicationem*, verſ. 8. ſed quæ typum contrario ordine proponit.

Verſ. 9. *Sic ait Jehova; ita corrumpam faſtum Jehudæ, & faſtum Jeruſchalaimorum maximum.*

(1.) *Primum eſt deprehenſa corruptione.* verſ. 9. *Ita perdam faſtum magnum Judæ & Hieroſolymæ.* Cingulum infoſſum terræ, in terrâ putredine corruptum fuit; ita moderante divina providentia, juxta naturæ curſum. Sic Deus fecit ut quo ſuperbiebant, ceu pulchritudine ſua cingulum, illud prorſus fuerit corruptum, & inutile redditum, opes, robur, dignita, ſapientia, denique quicquid eximium; Hoſ. 8: 9. ſeq.

Verſ. 10. *Populi iſtius peſſimi, qui renuunt auſcultare verbis meis, qui ambulant ex ſententia animi ſui, & ſequuntur deos alienos colendo eos, & incurvando ſe eis: eritque ſimilis cingolo iſti quod non eſt aptum ad rem ullam.*

(2.) *Abſconſio ad corruptelam* verſ. 10. Propheta in hac actione non repræſentarat actionem Dei: uti quidam putant detruſionem in Babylonem denotari, & anguſtias exilii; ſed repugnat eventus abſconſionis totalis inutilitas; cum tamen exactis 70 annis aliter ſe habuerint Judæi Jer. 29: 10. &c. ſed inſervit ſolummodo eventui cinguli, quod ſine alienâ ope eò deportari nequiviſſet, cum Judæi ſua ſponte eò conceſſerint, quemadmodum verſ. 10. oſtenditur, malitia & improbitate populi indicata, unde actiones iſtæ fluxerunt, 1. diſceſſio à Deo; *populus iſte malus, qui renuunt audire verba mea*, iis credere & obſequi. Hæc fuit remotio cinguli à lumbis Prophetæ, ut ei non amplius adhæreret; 2. Defoſſioni in terram reſpondet, applicatio ſui ad idola, ex proprio, ſed pravo delectu, quibus omnem obſervantiam & cultum præſtiterint, tanta cum indignitate, quantum indignior eſt pulvis & humus, cui quid infoditur, lumbis hominis ad decorem eum veſtem geſtantis. Sed quod *ad Euſraten* abſconderit, in fiſſuris petræ, notat fiduciam quam conceperunt de Aſſyriis & Babyloniis, eorumque potentia ac robore, quorum opem implorarunt, & in illa amicitia ſecuritatem ſibi pollicebantur. Achaz inde quæſivit auxilium contra Peka & Rezin. 2 Chron. 28: 16. ſeq. & Hizkias optime ſibi proſpectum credidit amicitia Merodochi Baladanis Eſa. 39: 2. &c. 3. corruptioni deprehenſæ tandem, quod poſt multos dies, tandem patuit hinc omnem venire perditionem. 2 Chron. 28: 20, 21. Eſa. 39: 6. &c. Jer. 2: 18, 19, 36. Ezek. 23: 14. &c. Nam trans Euphratenſis Aſſyrius omnia perdidit, Eſa. 7: 20.

Verſ. 11. *Nam quemadmodum adhæret cingulum lumbis viri, ita feceram ut adhæreret mihi, tota domus Jiſraelis & tota domus Jehudæ, dictum Jehovæ, ut eſſet mihi populus, & ad nomen, & ad laudem, & ad ornatum: ſed non auſcultarunt.*

(3.) *Acquiſitio & uſus primus*, verſ. 11. Deus acquiſiverat ſibi populum; licet Deo nihil deſſet ad perfectam beatitudinem, quemadmodum homo eſt perfectus homo, etiamſi cingulum non habeat, tamen cingulum lineum, aliquid ſe longè vilius, quantum cœlum terra excellentius, immo infinite magis excellens, labore quaſi & pretio acquiſivit, ſibi proprium fecit Exod. 15: 16. Deut. 4: 34. Præterea ſibi arctiſſime conjunxit ſpeciali fœdere, uti cingulum corpori; Exod. 19: 4, 5. Deut. 32: 8, 9, 10. Deut. 7: 6, 7. unde ſecuta dignitas populi, quemadmodum cinguli, ſi geſtetur à rege, in ſe vile eſt, vilius geſtante, & tamen hic eo ſe ornat, atque ornatum in eo conſtituit; ſic Deus Iſraelem ſibi jungendo ornavit, & ſe quaſi illo exornavit, fecit in populum, in nomen, à cingulo quis denominatur cinctus, & Deus Deus Iſraelis, & in laudem atque ornatum, Deut. 26: 19. Eſa. 62: 2. quemadmodum viciſſim dignitas geſtantis honori eſt cingulo, ſic Deus Iſraeli Eſa. 61: 10. cap. 28: 5. cap. 4: 2. Cuſtodivit denique à corruptela, non immittendo in aquam, (neque enim ficcitas ad corruptionem faciliorem pertinuit, ut quidam Rabbinorum habet, ſed ad præſervationem à putredine) Abrab. indicatum credit tranſitum per mare & Jordanem in ficco. Sed potiùs denotatur cuſtodia illa à malo, dum circumſcripſit ſalutaribus legibus & ſtatutis: ejectos voluit omnes Cananæos, ne conſuetudine illorum ſeducerentur; jugiter miſit Doctores, qui eos monerent officii & à malo abducerent aut cohiberent. *Sed ipſi non audierunt*, ut ſejuncti manerent; ſed quod dictum verſ. 10. applicarunt ſe omnis generis corruptelis. Sic patet typi applicationem ſatis quadrare rei propoſitæ, & præteritam conditionem Judæorum indicare.

Verſ. 12. *Quapropter dices eis verbum hoc, ſic ait Jehova Deus Jiſraelis, omnis uter implendus eſt vino; dicentibus autem eis tibi, an verò ignoramus utrem implendum eſſe vino?*

II. *Poſterior*, futuram exhibens, proponitur formula proverbiali verſ. 12. & explicatur verſ. 13, 14.

Mandatum proponendi, *Dices ad ipſos, ſic Dominus Deus Iſraelis dicit, omnis uter implebitur vino.* Abrab. occaſionem hanc concipit. Cum Jeremias cingulum ſuum corruptum, adeo longe petitum iis oſtendiſſet, habuiſſe eum pro ebrio, cui mens non ſatis conſtaret, (quemadmodum ebrietas imputatur Apoſtolis Act. 2: 13.) Tum vero inſtinctu extraordinario juſſum Prophetam, in ipſos retorquere calumniam ebrietatis. Aliis placet recitare proverbium, ex Pſeudoprophetarum promiſſis ſumtum, qui magnam ubertatem pollicerentur, ut omnia vaſa impleri muſto queant. (ſicut proverbia quædam reprehenſa legimus Ezek. 18: 2. Jer. 31.) & talis eſt promiſſio Mal. 3: 10, 11. Sed Jeremiam juſſum ſua verba ipſis ſubſannando inculcare, alio prorſus ſenſu: quem cum non aſſequerentur, Regerere omnes, ſibi perſuaſum eſſe ex Prophetarum ſermone, tam lætam vindemiam ſibi fore: quamvis ipſe jugiter malè ominaretur, & bonorum euangeliſtas irrideret: quod magis conſentaneum vero.

Verſ. 13. *Dices eis, ſic ait Jehova, ecce ego repleturus ſum omnes habitatores terræ hujus, etiam ipſos reges, qui inſident pro Davide in ſolio illius, & Sacerdotes, & Prophetas, denique omnes habitatores Jeruſchalaimorum ebrietate.*

Verſ. 14. *Et diſſipabo eos unum cum altero, cum patres, tum filios pariter, dictum Jehovæ.*

Explicatio docet, ex alio mandato Dei verſ. 13, 14. Jagenas eſſe incolas terræ omnes; cujuſvis ordinis & dignitatis, ſummos æque in Rep. & Eccleſia, ac imos, promiſcuum vulgus. Implentem Deum, & quo impleantur, ebrietatem. Sed non vini & voluptatum, verum calamitatis & judiciorum. Eſa. 19: 14. & Eſa. 51: 17, 21. Jer. 25: 15, 16. Ezek. 23: 31. &c. Pſ. 75: 9. cujus effectus mutua colliſio & contritio, quemadmodum amphoræ plenæ quando colliduntur, franguntur: mutuis injuriis eſſe perdendos, uti ebrii in ſe mutuum ſævire ſolent. Zach. 11: 6. quod factum in ultima obſidione Hieroſolymæ per Romanos.

Non utar clementia, neque parcam, neque miserebor, quin perdam eos.

Certitudo indicatur quod Deus nolit misereri aut gratiam facere: aut parcere. Sic etiam Jer. 4: 28. Esa. 30:14. Ezek. 24:14. cap. 8: 18. cap. 7: 4. cap. 5: 11. quandoquidem in ejusmodi judiciis se solatur Esa. 1: 24. & in iis voluptatem habet. Jer. 71: 28. Deut. 28: 63. quia odit peccatum, quod ubi per resipiscentiam removetur, contra ædificandi & sanandi habet voluntatem gratiosam. Deut. 30: 9.

Vers. 15. *Audite & auribus percipite, ne exaltetis vos, nam Jehova loquitur.*

HORTATIO AD RESIPISCENTIAM ea propter instituitur I. in genere vers. 15--17. II. in specie vers. 18--27.

I. *Generalis* promiscue dirigitur ad omnes vers. 15. nominatos, quibus ebrietatem à poculo furoris Divini, & collisionem ac contritionem minatus fuit. Hortatur autem ad audientiam, & obedientiam suorum verborum.

Ad audientiam vers. 15. *Audite;* etsi mali forent, quod dictum vers. 10. tamen nunc debebant audire, postquam convicti suæ corruptionis audivissent contritionem inferendam, citra spem subitæ remotionis, postquam semel cœpta esset: *Aures advertite*, attendendum, quamvis ingratus ille sermo foret, qui voluptatum intermissionem juberet voluntariam, aut amissionem prædiceret necessariam. *Ne efferte vos*, ut humiles se ostendant, ne fastidientes institutionem correctionemque quod se sapientiores existimarent ad discernendum malum à bono, noxium ab utili, quam ut ab alio erudiri vellent, vel majores dignitate, quam ut ad normam legum revocari possint aut debeant; vel qui muniti præsidiis sufficientibus ad se defendendos contra istiusmodi censuras. Hujusmodi superbia maximum impedimentum conversionis. ut Pharao Exod. 9: 17 cap. 10: 3. Hos. 5: 4, 5. cap. 7: 10: *Ratio* autem persuadendi, *Nam Dominus locutus est.* Verba invitatoria ad resipiscentiam, Domini sunt, 2 Cor. 5: 19. &c. Act. 26: 17, 18. Et huic, qui creavit aurem, jure debetur ea, ad excipiendos ipsius sermones. Sunt qui nolunt audire, populus לא נכסף Zeph. 2: 1. nullum desiderium sciendi habens, quibus non vacat audire. Alii audiunt, sed non attendunt, oblivioni auditores Jac. 1: 25. qui perfluunt Heb. 2: 1. Sed pejores utrisque sunt superbi, qui se efferunt contra verbum, ceu censuris absolute, aut saltem prophetarum superiores, ut Esa 28: 14. Luc. 11: 45. Attamen unum argumentum contra omnes valet, *Dominus locutus est.* Hoc & voluntatem audiendi, & attentionem, & humilitatem persuadere debet. Esa. 1: 2. Jac. 1: 21. Nam vincit Deus, Esa. 28: 22. & cap. 2: 12. &c.

Vers. 16. *Cedite Jehovæ Deo vestro gloriam quum nondum tenebras effecerit, & quum nondum offenduntur pedes vestri in montibus caecioribus intempesta nocte: quum exspectantibus vobis lucem dispositerit eam in umbram lethalem, redegerit in caliginem.*

Vers. 17. *Quòd si non auscultabitis hoc; in latebris flebit anima mea propter superbiam: & valde lacrymabitur, descendent inquam ex oculo meo lacrymæ, quia captivus abducendus est grex Jehovæ.*

Ad obedientiam vers. 16, 17. ubi mandatum, *Date gloriam Deo*; ea phrasi significatur I. agnitio majestatis Dei Ps. 96: 6, 7. &c. II. agnoscere beneficia ejus, & de iis gratias agere, Luc. 17: 18. III. confessionem ingenuam coram Deo edere, sive peccatorum Jos. 7: 19. sive fidei, Joh. 9: 24. IV. comminationibus aut judiciis humiliter se subjicere, prædicata Dei justitia Apoc. 11: 13. V. resipiscentiam agere Deo judicia exercente Apoc. 16: 9. VII. firma fiducia inniti promissionibus Dei. Rom. 4: 20. Hæc omnia comprehenduntur: potissimum tamen Confessio peccati, agnitio justitiæ Dei, & resipiscentia.

Argumenta adjungit I. *respectu Dei*; *Domino Deo tuo.* Dominus est Jehova, qui probat corda & renes Jer. 11: 20. cap. 12: 3. uti ipse præstat promissa Exod. 6: 2. sic promissa præstari poscit, Jer. 11: 3. veritatemque vult in interioribus. Ps. 51: 8. Si culpa latere queat, confessio non extorquetur; quod si tegi nequeat, frustranea est negatio. Achan forte deprensus, non distulit fateri. Deum latere nemo potest. Ps. 139: 1. &c. Testis est omnium criminum, non verbis tantum & factis, sed etiam cogitatione admissorum. Confessio non facit ad informationem judicis, sed ad convictionem peccatoris; quæ si spontanea est, ingenuitatem probat animi. Crimine comperto proximum est ut condemnatio pronuncietur; quam si peccator à se ipso audiat, à Deo audiet non condemnationem, sed absolutionem Ps. 50: 16. &c. ad impium &c. Sacrificans תודה confessionem &c. Prov. 28: 13. Alias Deus pronunciabit 1 Cor. 11: 31. Danda Deo omnium conscio gloria, aut ipse dabit ignominiam coram omnibus. Nam qui videt in occulto, reddet in propatulo Matt. 6: 4. Deus tuus est. Fœdus gratiæ obstringit ad glorificandum Deum; simulque fiduciam facit remissionis Exod. 20: 6. Jer. 31: 33, 34. Maleficus coram judice negat factum, nam confesso moriendum: ast gratiæ fœdus confesso facit gloriam mortis, quæ non confesso subeunda. 1 Joh. 1: 9. Ps. 32: 1--6. Jer. 31: 18--20. 2 Sam. 12: 13.

2. *Respectu ipsorummet*, est periculum descriptum (1.) *à tempore, dum nondum fit*; non datur longum deliberandi spacium, instant imminentque mala, nunc aut nunquam avertenda. Sic loquitur Zeph. 2: 1, 2. & David monet de tempore inveniendi Ps. 32: 6. & Christus de anticipando ingressu antequam claudatur ostium Luc. 13: 24. &c. (2.) *Ab autore*, ipse qui gloriam sibi dari vult, aut sibimet eam sumit ac parat, atque ex densissimis judiciorum tenebris facit exsplendescere Exod. 14: 17. & 9: 17. &c. Ps. 115: 1. Deus autor est omnium judiciorum Esa. 45: 7. Amos. 3: 6. cap. 8: 9. Lam. 3: 38. (3.) *A natura* mali. *Tenebræ*, sic denotantur mala; Jer. 15: 9. uti prospera luce. Esa. 50: 10. Ps. 97: 11. & tenebræ exteriores Matt. 22: 13. *Tenebræ* notant Bellum Esa. 45: 7. & quæ mala bellum comitantur Mich. 7: 9. loquitur de exilio suo. etiam pestis Ps. 91: 5, 6. nec non spirituales tenebræ, exstincta luce verbi. Apoc. 2: 5. Esa. 60: 1, 2. cap. 9: 1. (4.) *Ab effectu mali, antequam allidant sè pedes vestri, ad montes* crepusculi נשף vel tenebrarum, sive ut tenebrarum magnitudo indicetur, quæ montium instar sint, (Ps. 36: 7.) uti Ægyptiæ palpabiles Exod. 10. insuperabiles ob altitudinem, impenetrabiles ob densitatem; uti dixit de malo, unde non possent exire Jer. 11: 11. sive ad montes crepusculi. *Montes* præsidio solebant esse, ibi arces, castella, munitiones sitæ erant; in montibus diuturnior lux est, quia oriens sol citius, & occidens serius conspicitur. Sed hîc ibi primùm oppriment tenebræ; unde auxilium speratis, inde offendiculum orietur, ab Ægypto similibusque auxiliis, Esa. 30: 5. Dici potest, *ad montes*, cum adhuc in plano se ambulare credent, offendent ad montes: aut super montibus, ut in iis procedentes impingant & præcipites ruant in perniciem. Esa. 59: 10. (5.) *A mali diuturnitate*, nocte continuatâ, ut dies non subsequatur, quamvis admodum desideratus, Deo cohibente ejus lucem, & densiores nocturnis tenebras illi substituente. Esa. 59: 9, 11. ושמה nempe מקומכם, Abrab. aut neutrum absolutè, ut referatur ad lucem.

3. *Respectu prophetæ* vers. 17. si non credetis meis concionibus & denunciationibus, amittetis beneficium ministerii, & illud ipsum vobis cedet judicio, nam I. *silebit*, recipiam me in secreta loca, non amplius versabor in publico & munere meo fungar inter vos. Sed an hoc damnum? nil magis optant impii, Amos. 7: 12, 13. Jer. 11: 21. ut Amazia jubet 2 Chron. 25: 16. quando compinguntur eapropter Prophetæ in carceres, Micha 1 Reg. 22. & ille 2 Chron. 16: 10. Jeremias Jer. 20: 32, 37, 38. Est profectò maximum judicium Hos. 4: 4. Ezek. 3: 24. &c. Afflictio est benedicta, si ad sint doctores Esa. 30: 20, 21. Amos. 8: 11. &c. (2.) *Dolebit vehementissime*, testatur affectum internum, & actum externum. *Internus* animæ gravior est, Prov. 15: 13. ob mala lachrymis majora. Sed an pro populo? ut Joel. 2: 17. & Samuel pro Saule 1 Sam 16: 1. Imo contra populum, est *propter superbiam*; quod superbè offirmarent se ne cederent monitis aut minis 2 Chron. 36: 14. &c. Incorrigibilitas populi malorum maximum, quando etiam medicos aspernatur, atque tum ipsorum lachrymæ & querelæ sunt, quales legatorum Davidis quos Hanun noluit audire, sed superbe inju-

injuriam intulit 2 Sam. 10. Matt. 22:6 &c. Sic Moſes. Num. 16:15. cavendum hoc Heb. 13:17. *Externus* oculorum lachrymantium; hic pro populo: Nam eſt & altera cauſa deſperata conditio, & pernicies indeclinabilis; Captivitas, quæ afficit, quia adhuc eſt grex Domini; fœderatus Deo, multi inter eos ſimplices ut oves, & ſeducti per paſtores, qui curare & cuſtodire debuiſſent. Jer. 14:17. cap. 9:12. tales gemitus Chriſti Matt. 23:36. &c. Luc. 19:41. Gregis conditio iſta depingitur. Jer. 23: verſ. 1. &c. cap. 50: 6. &c. Ezek. 34.

Verſ. 18. *Dic regi & Auguſtæ, abjectiſſimè conſidite: nam deſcenſurus eſt principatus utriuſque veſtrûm, corona ornatus veſtri.*

Verſ. 19. *Civitates Auſtrales occludentur, ita ut nullus aperire poſſit: deportabitur Jehuda tota, deportabitur* civitas *pacatorum.*

II. *Specialis* dirigitur ad regem, habetque hortationem verſ. 18–22. & profeſſionem deſperationis ſuæ de ſucceſſu, verſ. 23–27.

1. *Hortationi* præmittitur *mandatum*, indicans cum quibus agendum in ſpecie: verſ. 18. *Dic Regi* & לגבירה *auguſtæ*. Intelligunt nonnulli Zedekiam ejuſque uxorem, quia hujus imperium ultima vaſtatio ſecuta eſt. Sed nuſpiam ejus uxor memoratur ceu quæ partem in adminiſtratione regni habuerit. Alii Jechoniam, ejuſque non uxorem ſed matrem: uſurpatur vox גבירה de matre regia, ſed regnante pariter, de Aſæ matre 1 Reg. 15:13. 2 Chron. 15:16. De Jezebel 2 Reg. 10:13. Hic de matre Jechoniæ, Nechuſitan; Erat is 18. annorum cum ſolus regnare cœpit, jam decennio ante rex quoque appellatus vivo patre, & per trimeſtre regnavit, ſed ut videtur ſub autoritate matris, cujus proinde mentio fit, una deportatæ 2 Reg. 24: 8–16. & ſub nomine גבירה Jer. 29: 2. ut etiam hîc non alia intelligatur; quemadmodum conjunctim cap. 22: 21. ipſi, & verſ. 24. &c. filio ejus Jechoniæ denunciatur ob impœnitentiam excidium. (unicum exemplum eſt, ubi conjugem regiam denotat 1 Reg. 11:19.) Ad hos ergo jubetur ire Jeremias, & loqui. Scilicet non interfuerant cœtibus ordinariis ubi Jeremias concionabatur, vel quod faſtus obſtaret, ne plebi miſcerentur, ex judicio Michalis 2 Sam. 6: 20. vel quod neglectui haberent, nam pauperibus Euangelizari ſolet Matt. 11: 5, quemadmodum Jojakim quoque egerat Jer. 36:6. &c. tempore jejunii nec rex, nec conſiliarii interfuerant ſacris. Ne ergo prætexerent ignorantiam, Propheta ad ipſos mittitur; ita quoque Jer. 22: 1. & cap. 21: 11. &c. Et quia Reges vix audiunt alios quam ſupplicantes, nequaquam minantes, niſi commiſſione ſuperioris alicujus autoratos, quemadmodum legatos regum aliorum, itaque Propheta mandatum quoque eundi accepit, & proculdubio indicavit, quemadmodum cap. 22: 2, 6.

Ipſa *hortatio*, eſt verſ. 18. השפילו שבו quidam faciunt ἀναπαύεσθε, ſed potiùs eſt phraſis Hebræa, quâ ſimilis temporis verba conjunguntur, quorum unum interpretatio eſt alterius, *Humiliate, ſedete, humillimo loco ſedete.* הרף כבסני Pſ. 51. הואילי הלך Hoſ. 5:11. העמיקו שחתו cap. 9:9. תשוב תחיה Pſ. 81:7. אל תרבו תדברו גבוהה גבוהה 1 Sam. 2. נלכרה נרדפה Hoſ. 6:2. Eſa. 7:11. העמק שאלה. Alibi dicitur ſedere in cinere Job. 2: 6. & in terra recubare 2 Sam. 12:16. Sic rex Nineves Jon. 3: 6. Hujuſmodi humiliatio omnibus neceſſaria, imminente judicio potiſſimum: etiam maximis, uti pii reges eo nomine commendantur, Hizkias, Joſias: & ſic impetratur dilatio vel ablatio judicii, exemplo Achazi, quæ hypocritica fuit, Manaſſis, Joſiæ. Nam Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam. 1 Pet. 5:5. Eſa. 2:11, 12. & cap. 57:15.

Rationes hortationis ſunt. (1.) Imminens calamitas, cujus teſtimonia א. *in ipſiſmet* ex amiſſione inſignium regni, verſ. 18. nam deſcendit מראשותיכם *magnitudô veſtra*, Kimhi; alii, *ornamentum capitis*, quia conjungitur, *corona decoris veſtri.* Similis denunciatio fit contra Zedekiam Ezek. 21:26. Eſt enim remotio non voluntaria, ſed quæ & invitis ipſis futura erat. Voluntaria potuiſſet avertere remotionem neceſſariam. Quemdadmodum in Rege Nineves Jon. 3: 6. Iſraelitæ juſſi ſunt deponere ornamenta, ne Dei præſentiam & omnia ornamenta ſimul amitterent. Exod. 33: 5. &c. ב. *In regno ſuo* verſ. 19. *urbes meridiei clauſæ ſunt, neque eſt qui aperiat.* Pars territorii Judæ vocabatur נגב, *quicquid* verſus meridionalem terminum Cananææ ſitum erat. Harum urbium vaſtationem indicat, quod clauſæ ſint, nec aperiens, uti quando domus deſerta eſt, & unde omnes mortui. Jam his urbibus deſertis quæ in ultima extremitate ſitæ erant, quid de Septentrionalibus, unde hoſtis venit, cogitandum ſit, ſatis evidens eſt. Sed cum vaſtatæ urbes non tam claudantur, quæ apertæ deſerantur, cujuſvis expoſitæ libidine, forſan non alienum fuerit dicere, connotari aliquod ſolatium: uti qui peregre abit cum ſpe revertendi, deſerit quidem domum, ut in ea nemo relinquatur, ſed etiam claudit, ne ab alio occupata habitetur, ipſemet ubi redierit clavi extrinſecus eam aperturus. Sic Jechoniæ ſocios exilii tandem reſtituendos & ad ſuas poſſeſſiones poſt multos annos eſſe redituros. Hoc enim hiſce promiſſum legimus Jer. 24: 5. &c. cap. 29: 4. &c. Ezek. 11: 14. &c. 2. *In ſubditis*, verſ. 19. *omnis Juda, deportatus, ut nihil relictum*, non tantum ex urbibus ſed pagis quoque. Solebant enim victores illorum temporum colonias deducere devictarum gentium in peregrinas terras, ut ſervituti adſueſcerent, & minus apti eſſent ad rebellionem. Sic Joſeph egit cum Ægyptiis: & Sanherib offerebat Judæis Eſa. 36. loquitur autem in præterito ob rei certitudinem. Enimvero תלה שלומים etiam in bonum fuerit, ſi reddatur deportatus ad multas paces, ut ſic loquar; ob rationem modo dictam, quia qui cum Jechonia deportati Judæi, à Deo promiſſionem pacis ſunt conſecuti, quam in exilio eſſent habituri. Jer. 24: 5. cap. 29: 5. &c. Ezek. 11: 15. ד, *In hoſtibus* verſ. 20. jubet intueri *venientes ab Aquilone*, hoc eſt Chaldæos, uti deſcribuntur Jer. 1: 13. &c. cap. 4: 6. qui omnes eſſent deportaturi, ut nemo relinqueretur ipſis; quam abductionem illuſtrat interrogatione, *ubi eſt grex datus tibi? grex decoris tui?* Populum vocat gregem, quia reges paſtores Pſ. 78. fin. & eo nomine veniunt Jer. 23: 1, 2. cap. 10: 21. & gregem decoris ipſorum, ex illo Prov. 14: 28. *in multitudine populi eſt regis gloria*, &c. & *gregem datum tibi*; ut non proprio ſed alieno titulo eum poſſidere ſignificetur; non cujus oves propriæ, ſed proprietarii miniſter, quomodo viam ſibi ſtruit ad rationem ſecundam. Cæterum legitur שאי & ראי literis Reginam ſpectantibus, punctis unâ filium regem complectentibus. Sed לך in pauſâ, alterutrum deſignabit. תאורך tantum *Auguſtam*: Magis ergo veroſimile Auguſtam notari, *cujus conſiliis* omnia agebantur, ſub regis nomine: *quod* ſeqq. confirmant. Hæc omnia autem ſatis valida erant ad perſuadendam reſipiſcentiam: quamquam ea non fuerit perſuaſa, & Rex & Auguſta hæc viderint & experti ſint, quando ipſimet & ſios omnis populi in exilium deportati ſunt. 2 Reg. 24,

Verſ. 20. *Suſtollite oculos veſtros, & reſpicite iſtos venientes ab Aquilone: ubi* eſt *grex ille qui traditus fuerat tibi? pecudes ornatus tui?*

Verſ. 21. *Quid dictura es, quum animadvertet in te? nam tu docuiſti iſtos ſupra te, duces, in capite* eſſe: *an non dolores corripient te, quales mulieris parturientis?*

Ratio reddenda verſ. 20. *Ubi eſt grex datus tibi, grex decoris tui?* Hæc verba ſunt exigentis rationem, ut ſi paſtorem, cui grex cuſtodiendus datus eſt, ſolum videat quis, maxime gregis dominus, hoc modo reget, ubi eſt grex &c. & argumentum cuſtodiæ non tantum quod fidei ejus creditus ſit, ſed etiam quod inde ſummum decus ad ipſum redundarit. Conf. Eſa. 49:18. Exod. 22: 11–13. cui quid pro mercede cuſtodiendum fuit creditum, tenebatur ad rationem, & reſtitutionem quoque, niſi diſcerptum à feris probaſſet, & quidem ut docuiſſet fuiſſe vim majorem, quæ non creditur fuiſſe ſi unus venerit lupus, cui unus canis oppoſitus, ſed ſi lupi plures. Hujuſmodi ratio exigenda ab omnibus Luc. 16: 1, 2. Matt. 25. & quivis pro ſeipſo Rom. 14: 11. & cui multum creditum, ab eo multum repoſcetur, Luc. 12: 48. Qui ad hanc quæſtionem, *Ubi eſt grex* &c. vel nihil habet quod reſpondeat, omnibus ſua negligentia perdi-

ditis: vel nihil quod ſatisfaciat, ut male uſus ſit, à Domino ſe conſtituente & ſua credente habet exſpectandam ſententiam, qualem metuebat quæſtor injuſtus. Manetque hoc judicium non tantum privatos, ſed etiam paſtores populorum, tum Politicos, de quibus hic, tum Eccleſiaſticos, qui ſi gregem ſuum non curarint, ſed ſe duntaxat, ut Ezek. 34: 1. &c. Zach. 11: 5. adeoque amiſerint quod decori erat, tandem pudefient, uti Paſtor ſine grege, rex ſine populo. Contra qui fidem præſtitit, poterit commiſſos ſibi ſiſtere, ut Chriſtus Heb. 2: 13. Joh. 17: 16. cap. 6: 39. ad ſuum quoque decus; ut ait Apoſtolus Phil. 4: 1. 1 Theſſ. 2: 19, 20. 2 Cor. 1: 14. & ſi multum lucratus ſit, laudem & mercedem reportabit uberrimam, Matt. 25: 14. &c. Luc. 19: 15,

3. *Juſtitia calamitatis*: I. primò *reſpectu hominum*, verſ. 22. *Quid autem dices, O Auguſta, quando viſitabit contra te? & tu* (hoc eſt nam tu) *docuiſti eos ſuper te eſſe duces primarios.* &c. Ipſimet Judæi Reges docuerant Aſſyrios & Babylonios, quomodo ſibi dominarentur, Achaz poſtulans auxilium Tiglath Pileſeris ait, ſervus tuus ſum & filius tuus, veni & libera me è manu regis Syriæ & Iſraelis 2 Reg. 16: 7. miſſis theſauris ſacris & regiis. Hizkias eis oſtenderat theſauros omnes, quod Deus interpretatur ceu qui Domino ſuo, tandem eos avecturo oſtenderat cap. 20: 13. Manaſſes Babelem captivus ductus, inde non fuit dimiſſus niſi ſub aliqua obligatione ſubjectionis. Jojakim fuerat ſervus tributarius Nebucadnezari 2 Reg. 29: 1. & cum perfidus rebellaret, ab eo ſuperatus fuit & vinctus catenis deducendus Babelem. 2 Chron. 36: 6. neque Jojachin regnum habebat, niſi ex voluntate victoris, ut refert Joſephus, qui ipſum patri ſubſtituerat, & ut videtur ſub tutela matris, quemadmodum poſt Jojachine depoſito, ſurrogavit patruum Zedekiam. Cum ergo ſua ſponte ſe & verbis & factis oſtendiſſent ſervos, Babylonios Aſſyrioſque dominos, non debuerunt peregrinum ducere, ſi hi jure ſuo uterentur, atque etiam durius dominarentur. 2 Chron. 28: 20. Conf. 1 Reg. 20: 3. &c. vide Ezek. 23: 14. &c. Quando autem hæc durities habita, id ægre tulerunt, & graviſſime doluerunt ut parturiens; quod hic tribuitur commodiſſime Matri regiæ; nam novo quaſi partu filium non utero, ſed regno ejectum viſura erat. Porro quod dicitur, *docuiſti eos ſuper te eſſe* לראש אלופים ſignificat Ducatum ſeu Dominium Aſſyriis in regnum Judæ ceſſiſſe non immediatum ſed mediatum; ſervato nempe ſibi imperio, ſed ut illi forent duces primarii.

Verſ. 22. *Quòd ſi dicas cum animo tuo, cur obventura ſunt mihi iſta? propter amplitudinem iniquitatis tuæ retegentur fimbriæ tuæ, violenter auferentur ſoleæ tuæ.*

(2.) *Reſpectu Dei* verſ. 22. ubi convincitur, nam dubitanti de cauſa tanti mali, utpote ſe putanti inſontem vixiſſe; oſtenditur culpa, *propter multitudinem iniquitatis tuæ*, & pœna, *retectæ ſunt fimbriæ* tuæ, & violenter abreptæ (חמס violentiam connotat,) veſtes nempe *à tuis calcaneis*, hoc eſt pedibus: quemadmodum ſi ſcortum violenter omnibus veſtibus nudetur & exponatur oculis omnium. Sic enim explicatur Ezek. 16: 37, 39. cap. 23: 26. Jure ergo quæ pudenda retexerat voluntarie in peccato, id patitur involuntarie in judicio: Qui opes miſerant ad Aſſyrios & Babylonios conciliatum amicitiam, cui fidebant, jure iis privantur ab Aſſyriis & Babyloniis. Quomodo juſtitia calamitatis abunde evicta eſt.

Verſ. 23. *An mutare poteſt Æthiops cutem ſuam, aut pardus liventes maculas ſuas? etiam vos poſſetis benefacere, edocti malefacere.*

2. *Profeſſio* deſperationis non tam Prophetæ quam Dei de ſucceſſu ſuæ hortationis, pœnæ denunciatio exſtat reliquo capite, confirmaturque cap. 22: 21. ſi ad regem & auguſtam referatur: ſed non male etiam pertinet ad univerſum populum, quemadmodum ultimo verſu affatur Hieroſolymam.

Profeſſio eſt verſ. 23. *An mutabit Æthiops* &c. Per ſimilitudinem proponit impoſſibilia hominibus, lavare Æthiopem, & tollere maculas pardi, & æque ipſis impoſſibilem dicit emendationem ad bonum, qui edocti ſint malefacere. Dictum hoc ab iis produci ſolet, qui corruptionem hominum non niſi adſuetudine contrahi docent, quæ confirmata in alteram quaſi degeneret naturam. Et ſunt etiam alii, qui hoc largiuntur, dictum iſtud non longius ſpectare, quemadmodum id fuſe urget Calvinus, & hic quoque Bullingerus & Oecolampadius: quamvis fateantur hanc quoque pravitatem conſuetudine contractam ab ipſo homine mutari non poſſe. Hieronymus ſimiliter. *Hoc teſtimonio utuntur adverſus Eccleſiam qui diverſas capiunt aſſerere naturas, & tantam dicunt eſſe vel nigredinem, vel varietatem peccatorum, ut in candorem & unius coloris pulchritudinem tranſire non poſſint, non attendentes hoc quod ſequitur, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Quicquid enim diſcitur non naturæ eſt, ſed ſtudii & propriæ voluntatis; quæ nimiâ conſuetudine & amore peccandi quodammodo in naturam convertitur. Sed hoc quod hominibus impoſſibile eſt, Deo poſſibile eſt, ut nequaquam æthiops & pardus ſuam videantur mutare naturam ſed ille qui in æthiope operatur & pardo, dicente Apoſtolo: Omnia poſſum in eo, quì me confortat Chriſto.* Enimvero ſic magnopere enervatur vis hujus dicti, in quo non ſimplex eſt comparatio, ſed una argumentum à minori. Si æthiops nequit, multo minus vos, qui naturali pravitati addidiſtis voluntariam, à conſuetudine. Vocat ipſos למורי הדרך eoque doctores malos habuiſſe. Vi ſunt parentum traditio Jer. 9: 14. Ezek. 20: 18. 1 Pet. 1: 18. Conformitas mundi Eph. 2: 3. Rom. 12: 2. conſortia malorum 1 Cor. 13: 33. Prov. 1: 10. &c. Cor ipſum ejuſque conſilia Deut. 32: 28. Horum incorrigibiltas oſtenditur collatione ſimilium. Igitur confert Æthiopem, non fuſcum, ſed nigrum, Africanum, non Aſiathicum: nam utriuſque generis dantur; illi qui extra mare rubrum habitant Arabes, hi qui intra illud pone Ægyptum: item. Pardum ſeu pantheram Aſiæ animal maculoſum, & variegatam pellem habens, & quidem naturaliter; utrique impoſſibile mutare congenitum colorem. Pelle detractâ excoriabuntur potius, quam ut alium induant colorem. Eadem eſt ratio ejus quæ hominibus naturæ pravitas, congenita omnino eſt malitia, & variæ ejus inſtar macularum ſpecies. Et ſimilitudo aptiſſima eſt, non unam ob cauſam, licet non eandem: Æthiops nullus eſt ex creatione Dei. Primi homines non fuere conditi nigri, ſed albi: nec mage mali ac pravi, ſed boni, recti, juſti. Verum poſtquam Chami, maledicti progenies aliqua nigredinem contraxit, jam abiit in naturam, ut omnes inde nati nigri ſint naturaliter; ita quoque poſtquam primi parentes vitium contraxerunt peccati & irrectitudinis, illud abiit in naturam quoque, ut omnes poſteri eodem laborent Job. 14: 4. Joh 3: 6. eoque omnes tranſgreſſores ab utero Eſa. 48: 8. ſerpentes, viperina progenies Matt. 23: 31. *Pardus* autem eſt maculoſum animal, variis & evidentibus maculis reſperſum natura, & hominum corruptio eſt, quod quæſiverint varias ratiocinationes Ecl. 7. verſ. ult. quæ apparent Gen. 6: 5. & cap. 8: 21. huc facit quod cor ſit עקוב Jer. 17: 9. Eſt præterea ferum & indomitum, ingenioſuiu ad nocendum; ſic homo natura Job. 11: 12. Odit maxime hominem, qui imago Dei, ut etiam in pictum magnâ rabie feratur; & homo odit maxime Deum, hoſtes Dei Col. 1: 21. Huic naturali pravitati accedit adventitia, & uſu contracta, quæ hìc memoratur ad aggravandam corruptionem. Æthiops in ſuo climate manens nigredinem naturalem ad æſtum ſolis confirmat: ita naturalis malitia praxi mali roboratur. Catulum lupi inter canes educatum & communi cibo adſuetum, ſi quis ſinat laniare agnum, illico ad ſueſcet carnibus agninis, & laniare perget. Curvam arborem ſi quis quo inclinat inflectat, magis adhuc corrumpetur rectitudo. Si balbutientem balbutientibus in diſciplinam tradas, vitium linguæ non emendabitur, ſed augebitur. Et peccator inter peccatores ex eorum conſuetudine nihil boni addiſcet. Edocti malefacere minus adhuc corrigi poſſunt, quam quæ ſolum naturali pravitate laborant: quemadmodum ſi quis pueros illico bonis miſceat erudiendos, facilius emendabuntur, quam qui à primis annis omnis generis ſceleribus ſunt innutriti, poterunt ad frugem bonam adduci.

Obj. Quid ergo indignatur Deus? aut id exprobrat? Saltem ejus cenſura non videtur extendenda ultra voluntariam malitiam, & contractum adſuetudine peccandi habitum. Reſp. Cauſa querendi Deo eſt gemina. Generalis: Nigredinem animæ Deus non indidit, ſed vitium illud homo ipſe con-

contraxit. Satanæ astu: quemadmodum Jacob astu quodam fecit, ut candidæ oves objectis variegatis virgis conciperent variegatas, ex quibus porro variegatæ sunt genitæ: sic Diabolus objecto fallaci effecit, ut conciperent varias inventiones malas, quomodò vitiata imago Dei, Eccl. 7. vers. ult. Parentes increpandi causam habent, si liberi lacte candidiores contra suum interdictum Soli se jugiter exponant, & fusci reddantur; aut comedant plumbum aliave cruda, ut pallorem contrahant. Et Deus interdixerat esu fructus arboris scientiæ, cujus gustu maculas pudoris, imò nigredinem peccati contraxerunt protoplasti, & ad posteros quoque transmiserunt. Specialis: Deus Israelitas receperat in fœdus, & quæ facienda docuerat, sed hi se applicuerunt idolis, & pertinaciter adhæserunt: Hos. 4: 12. cap. 5: 4. Esa. 44: 20. Atenim licet gemina impossibilitas emendationis adesset Judæis, à natura & à doctrina, ea tamen tantum est quoad homines, non quoad Deum, cui omnia possibilia, cum etiam naturas rerum immutare queat. Mara in dulcedinem vertere, & lethales aquas salubres reddere. Exod. 15, 2 Reg. 2. Omnes natura Æthiopes Amos. 9: 7. sed hi possunt à Deo fieri filii in Zione nati Ps. 87: 4. cordi lapideo substituit carneum Ezek. 36. Oleastri ramos insertos oleæ facit bonos, & oleæ ramos excisos & aridos eidem rursus inserit, ut fertiles sint: Rom. 11: 21. Efficaciâ nempe Spiritus regenerantis, ut sint nova creatura, veteribus abolitis 2 Cor. 5: 17. lux candida, tenebris atris discussis. Eph. 5: 8. Verum hoc loco Deus non dicit, quid possit ipse, aut quid velit ex gratia facere: sed quid possint ipsi, nihil omninò: & tamen procedit ad denunciationem pœnæ. Quod ne quis injustum existimet consideranda ratio fœderis Israelitici, in quo polliciti erant ratihabentes obedientiam propriam, ex se oriturām; unde jubentur tales sibi parare Ezek. 18: 30, 31. non quod possint, sed ut impotentiæ suæ convicti, ad Deum eant, & ab ipso sibi eas subministrari petant, exemplo Davidis Ps. 51: 12. &c. & cap. 143: 10. Quomodo nisi sibi consultum irent, manebant sub reatu, & maledictione fœderali Jer. 11: 3. &c. & justa erat contra eos quæ sequitur.

Vers. 24. *Idcò dispergam eos velut stipulam prætereuntem, ad ventum deserti.*

Pœnæ denunciatio dum dicit, *dispergam eos uti stipulam transeuntem, propter ventum deserti*, vehementissimum, nullo obice impeditum. Quemadmodum Ps. 1: 4. & 35: 5. Hos. 13: 3. Esa. 29: 5. Etiam Jer. 4: 12. judicium suum vento comparaverat, cui resisti non posset.

Vers. 25. *Hæc sors tua, portio dimensa tibi à me, dictum Jehovæ; quæ oblita es mei & fiduciam habes in falso.*

Hoc porrò justitiam tanti judicii declarat, contra universam Hierosolymam, quod ultima verba capitis docent, *in genere, hæc sors tua, & portio mensuræ tuæ* vers. 25. Est enim cuique data mensura peccati, antequam ad ultionem procedatur, aut castigationem: ut Amorræorum Gen. 15. *In specie*, recitat peccata: desertionem seu oblivium Dei, & fiduciam in mendacio, sive idola intelligantur, sive hominum auxilia. Estque talio observanda; Jer. 3: 13. *dispersio* habet neglectum, & oblivionem, quia Deum neglexerant, Hos. 4: 4. desertores enim sui deserit Deus, 2 Chron. 15: 2. 1 Chron. 28: 9. & qui confisi erant mendacio, fiunt ludibrium ventis. Nam, ut in Ecclesiaste sæpius, vanitas humanæ fiduciæ tantum est רעות רוח *pastio venti.*

Vers. 26. *Nam etiam ego denudaturus sum te, fimbriis tuis obductis faciei tuæ, ut videatur ignominia tua.*

Vers. 27. *Adulteria tua, & hinnitus tui, scelesta scortatio tua supra colles* fuerunt *in agro, vidi abominationes tuas: væ tibi urbs Jeruschalaimorum; num mundabis te? post quantum adhuc temporis?*

Exaggerat autem tam pœnam, quam peccata sub ordinaria metaphora adulterii propudioli. *Pœnam* quidem nudandorum verendorum retectis ignominiosè vestibus, vers. 26. quod ne quidem maximè prostitutum scortum in publico sibi fieri vellet. *Peccata* autem, vers. 27. adulteria, & desideria illorum; quæ de idololatria interpretatur, quemadmodum cap. 2. & 3. factum. Cui tandem epiphonemata loco attexit deplorationem incorrigibilitatis. vers. 27. *Væ tibi Ô Jerusalem, non mundaberis?* Vel quia promittebat identidem sui mundationem, tempore futuro, quando rogabatur, quando tandem: nunc ait, post toties quando tandem fiet? per ellipsin ה interrogativi, uti & alias. 2 Sam. 18: 29, 32. Ps. 121: 1. *post quando adhuc?* siquidem differa adhuc mundationem tui, quousque tandem id fiet? Speras-ne tandem tibi fore oportunitatem? immo vero judicia te prævenient, ut nimis sera sit futura tua mundatio, postquam jam decretum pepererit Zeph. 2: 1, 2. Ezek. 14: 13. Scilicet dilata emendatio præoccupatur judicio, ut in primo mundo & Sodoma factum Luc. 17. quod ad rediendum tempus argumentum nobis esse debet. Ambulandum & operandum dum dies est, ne nocte subita ingruente infecta aut affecta tantum sint, quæ nisi perfecta fuerint, æterno damno cedent.

CONCIO VII.

CAP. XIV.

EST hæc non tam concio ad populum, quam actio Prophetæ cum Deo, eoque historia, sed quæ postmodum propolita populo, potuit eis esse loco concionis, utpote eadem agens, quæ in concione tractabantur, & crimina populi indicans, & minas judiciorum Dei, & piam Prophetæ solicitudinem, nec non gratiam quam apud homines ea propter obtinuit. Abrah. extendit per 4. capita. Sed duobus potius finienda est.

Vers. 1. *Verbum Jehovæ quod fuit ad Jermejam, super verbis cohibitionum.*

Præmittitur autem OCCASIO totius actionis Prophetiæ vers. 1–6. quæ in genere indicatur vers. 1. *Verbum Domini quod fuit ad Jeremiam, propter verba, occasione, cohibitionis pluviæ.* Nullum hìc occurrit mandatum de siccitate istâ denunciandâ, neque id per verbum Dominì indicatum vult; sed illud respicit responsa Dei ad Jeremiæ preces, quas occasione cohibitæ pluviæ ad Deum fudit.

Occasio est הבצורת seu הבצורת quam vocem quidam de *afflictione* quavis intelligunt, at affinis sit ו, ורד: sed rectius est *cohibitio, præcisio*, speciatim pluviæ, quando ea præciditur, ne cadat in terram. Kimhi, cohibitionem intelligit felicitatis & fertilitatis: sed potissimum siccitas notatur. Quando ea fuerit tempore Jeremiæ, non est annotatum ubi, forte respicit id quod dixit Jer. 3: 3. quòmodo primis annis sui ministerii, ante reformationem Josiæ Regis acciderit. Neque tamen eapropter fides historiæ in dubium vocanda, quamvis alibi nihil hujus legatur: similia etiam apud alios Prophetas leguntur Amos. 4. varia judicia, de quorum tempore nil constat, & historia Amos. 1: 3, 13. Hos. 10: 14. Notum hoc Cananæam sæpius affligam siccitate nimia. Quamvis enim habuerit contrariam benedictionem Deut. 11: 11. tamen ob peccata populi ea in maledictionem abiit. Deut. 28: 23, 24. Scilicet inobedientia cohibet cursum naturæ, & præcidit benedictiones, alias obtinendas. Jer. 5: 24, 25. Prima cohibitio benedictionum hinc cœpit Gen. 3: 17, 18. coll. cum cap. 1: 11. Ps. 107: 33. &c.

Vers. 2. *Lugebit Jehuda & portæ ejus elanguescent, atrati erunt* jacentes *humi & querela Jeruschalaimorum ascendet.*

Sed ipsa descriptio siccitatis ducitur ab effectis I. *Communibus* vers. 2. *Luget Juda*, totum regnum, portionem Judææ & Benjaminis complexum: *& portæ ejus* urbes, quæ portas habent, muro clausæ, & magistratu proprio gubernatæ, *languent*, incolæ urbium, ut nemo ingrediatur aut egre-

gredjatur, fame debilitati, vel enecti. & magiſtratus, horum enim eſt ceu patrum curare, quantum pote, incolumitatem ſubditorum; *atrati ſunt in terram*; indicatur luctus publicus, ut omnes & veſtibus & geſtibus eum teſtentur; atris induti, & ſedentes in pulvere. Vel ob nimiam famem, contracti nigrore vultus, uti famelici ſolent, Lam. 4: 7, 8. Vel ſi ad portas referamus, Magiſtratus, qui in portis judicia exercent, iſtuc conveniunt ad publicum luctum, *& clamor Hieroſolymæ adſcendit*: alibi languent, ſed Hieroſolymæ clamant. Ubi major confluxus hominum, extrinſecus alendorum, citiùs defectus oritur & plebis egenæ impatientia & clamor. Sic ergo malum hoc eſt grave in tota regione, gravius in urbibus ob turbam majorem, graviſſimum in metropoli, ubi maximus numerus incolarum, & qui ex quotidiano opificio vivunt.

Verſ. 3. *Etiam magnifici eorum emittent minimos ſuos ad aquas: venientes ad foſſas non invenient aquas, revertentur ſuis vaſis vacuis, erubeſcent & pudore ſuffuſi operient caput ſuum.*

II. *Singularia* Elteſta indicat, I. quoad *oppidanos* verſ. 3. & hos digniſſimos, unde de plebe, & vulgo judicium ſumi poteſt. Horum defectum graphicè depingit. *Magnifici ipſorum*, genere vel munere, aliave excellentiâ æſtimati, *Principes Judæ & magnates Hieroſolymæ*. Abrab. mittunt *parvulos ſuos* צעיריהם ætate, ſic forent liberi: vel dignitate, & intelligendi domeſtici famuli, petitum aquas; quia etiam domi & in palatiis ſuis ea defecit, aliunde inferenda. Miſſorum ſucceſſus, *veniunt ad foveas*, quo aqua in convallibus confluere ſolet, גב idem quod Chald. גוב *foſſa*, *fovea*, *caverna*, & גבא *lacuna*, *foſſa*, *palus*; ubi ſtagnans aqua copioſior. Sed nihil inveniunt; unde vaſa inania referunt, & ipſi pudefacti redeunt, fruſtrati ſuo labore, & pudorem ſuum obvolutis capitibus teſtantur. *Obvolutio capitis* eſt ſignum pudoris, tamen voluntarii, ut hîc, & 2 Sam. 16: 30. & Marc. 14: 61. de Petro ἐπεβαλὼν ἔκλαιε. tum inviti Eſr. 7: 8. Forſitan tamen major emphaſis adhuc accedit ab alia interpretatione vocis צעירים. Eam Cl. Pococke in Miſcell. ad Portam Moſis pag. 17. &c. refert ex autoritate Hebræorum quorumdam inter ὁμωνύμους, quæ contrarios habent ſignificatus, (qualia ſunt ברך, חסד, נפש, קדש.) deſignarique docet, non ſolum *parvum* Gen. 25, רב יעבד צעיר, ſed etiam *magnum*, *principem*, *magiſtratum*; Jer. 48: 4. השמיעו צעקה צעירה ubi Targ. בשרו צוחתא שלמנהא *annuciant clamorem dominatores ejus*. & Zach. 13: 7. והשיבותי ידי על הצעירים ubi Græci, καὶ ἐπάξω τὴν χεῖρά μου ἐπὶ τοὺς ποιμένας uti & Arabs. אראעאה עך *ſuper paſtores*. Syrus item ואהבך אידי על עלילאא *& reducam manum meam contra vel ad ſuperiores*. (Quod ſane magis quadrat complemento, Deo manum convertente gratiolam ad paſtores, Apoſtolos primùm, vel vindicem contra paſtores Judæorum, horum primates) Atque hinc ducit interpretationem dicti Michææ 5: 1. ut concilietur cum Matthæo, צעיר, ubi LXX. ὀλιγοστὸς. Evangelii ὀλιγῶς ἐλαχίστη. Hîc *magnum* reddidit, illi *parvum*: Sed eadem ſignificatio ſiquidem hîc admittatur, emphaſin habet majorem. Magnifici miſerè Magiſtratus inferiores, quæſituros aquam; & hi cum fruſtra iviſſent, tantopere erubuerunt; nam ſervi alias non ſolent magnopere affligi ſi aliquò fruſtra iverint. Viros autem in eminentiâ conſtitutos aquarum mitti, non prorſus alienum videri debet, qui mentimit Achabum cum Obadiâ aulæ magiſtro eam curam figillatim obiiſſe. 1 Reg. 18: 3. &c.

Verſ. 4. *Propter terram attritam, eo quod non fuerit pluvia in terra, erubeſcentes agricolæ operient caput ſuum.*

2. *Agrarios.* verſ. 4. *Terram contritam* fractamque dicit ob defectum pluviæ; quando ſcinditur hiatque inhibunda, imò comminuitur in pulverem; & hac propter *pudefactos agricolas, & obvolutos capita*: quia non tantum defectum aquæ vident, ſed etiam exuſtam torridamque humum, ut omnis ſpes ſementis meſſiſque pereat. Abrab, אכרים reddit pro כרים *arietes*, & *greges*, ſed ſine exemplo & repugnante geſtu pudefactorum, qui dura admodum metaphora ad bruta referretur.

Verſ. 5. *Quinetiam cerva in agro, quod peperit derelinquet, quia non erit tenera herba.*

Verſ. 6. *Et onagri ſtantes in clivis, haurient ventum ut dracones; deficient oculi eorum, quia nulla* erit *herba.*

3. Quoad *Bruta* in deſertis. verſ. 5, 6. *Cervam* deſerere catulos, quod deſit pabulum; & *onagros* vagari in collibus, & paſci velle vento, quod deſit herba. Ut vere ſit calamitas univerſalis, pariter culta & inculta loca pervadens: quemadmodum hoc anno 1669. de tali ſiccitate multæ fuerunt querelæ, & narratum cervos aliaſque feras in ſylvis ſiti periiſſe, cohibitis per plures ſeptimanas pluviis. Quid ergo factum credimus ubi per menſes & annos quandoque continuata ſiccitas? Conf. Amos. 4: 7, 8. cap. 8: 11. &c. Haud dubium magnam ea propter fuiſſe famem in terra, & multos ea periiſſe: (quemadmodum ſe Zareptana parabat ad mortem. 1 Reg. 17.) Nam heic ſi magnates, qui opulentiores, non invenerunt aquas reſtinguendæ ſiti, quid credimus factum pauperioribus?

Verſ. 7. *Quandoquidem iniquitates noſtræ teſtantur contra nos, ô Jehova, fac propter nomen tuum: nam multæ ſunt averſiones noſtræ, tibi peccavimus.*

Jam hac occaſione interceſſit iſta Prophetæ actio cum Deo, à quo de quibuſdam monitus eſt. Poteſt autem commodè diſpeſci ſuis intervallis. I. preces Jeremiæ intercelſionales verſ. 7--9. & Dei ad eas negativum reſponſum verſ. 10--12. II. inſtantia Prophetæ verſ. 13. Deique rejectio inſtantiæ verſ. 14--18. III. repetita intercelſio Prophetæ verſ. 19--22. & nova negatio Dei cap. 15: 1--9. IV. Querela Prophetæ de ſua calamitate privata, & ſolamina à Deo oppoſita, quæ itidem alternatione quadam proponuntur. verſ. 10--21.

PRIMA ACTIO, habens Preces Jeremiæ patheticas admodum, & validiſſimis argumentis munitas. verſ. 7, 8, 9.

I. *A nomine Dei* verſ. 7. præmiſſa confeſſione peccati. *Si*, hoc eſt, *quamvis iniquitates noſtræ contra nos teſtantur.* Conjungit ſe cum populo, cujus pars erat, licet non conſors reatuum, ſed convincens eos: eodem modo uti Moſes. Exod. 34: 9. *Teſtari in aliquem* eſt eum accuſare, & convincere, ſic Eſa. 3: 9, Hoſ. 5: 5. cap. 7: 10. fac, nempe gratiam, & miſerere, remotâ calamitate; propter nomen tuum. Sive illud intelligatur quod Deus ipſe publicavit Exod. 34: 6, 7. quod fere meram gratiam promulgat, & revelatum fuit Iſraeli, ut eo uterentur, quemadmodum Moſes Num. 14: 18. &c. & David Pſ. 145: 8. & 103: 7. &c. & 86: 5, 15, & 25: 11. ſive fœderale, quod ſit Deus Iſraelis, eoque huic defendendo obſtrictus, utpote amiſſurus id nominis, ſiquidem Iſrael totus periret: Joſ. 7: 9. merentur nos quidem deletionem nominis noſtri; ſed quid fiet de nomine tuo? quod noſtri liberatione magnificatum eſt. Sic quoque Pſ. 79: 9. & 115: 1. illud tamen malim, quia alterum verſ. 9. urgetur. Eſt vero magni roboris, ſi id nomen Deo inculcetur, qui omnia facit propter nomen ſuum, hoc eſt, propter ſeipſum, uti explicatur Dan. 9: 19. Nam uti quiſque agnoſcitur de nomine ſuo, ſic Deus ſe præbet agnoſcendum, & quodvis attributum Dei pertinet ad nomen Exod. 34: 6, 7. maximi autem facit veritatem Pſ. 13: 2. & huc refer illa Ezek. 36: 21, 22. & cap. 39: 25. Reliqua כי רבו &c. vel rationem dicunt, convincentium peccatorum; *quia averſiones noſtræ ſunt multiplicatæ, tibi peccavimus.* Pauca aut exigua peccata quodammodo tacent: at magna & gravia clamant. Gen. 18. Vel amovent impedimentum: *quamvis multiplicatæ ſunt averſiones noſtræ, & tibi rei facti ſimus.* Sic Pſ. 25: 11. & 41: 5, 9. Exod. 34. El. Lev. iſtis wiewol daß groß iſt er. hîc, wiewol daß ich hab geſundt zu dir. Multa peccata non ſunt ratio perſuadendæ condonationis, ſed potius materia deprecandi, nec ea impediatur.

Verſ. 8. *O ſpes Iſraelis, ſervator ejus tempore anguſtiæ: quare eſſes ut peregrinus in hac terra, & tamquam viator* qui *divertit ad pernoctandum?*

Verſ. 9. *Quare eſſes ut vir fatiſcens, tamquam robuſtus non valens ſervare? atqui tu in medio noſtri es Jehova, & de nomine tuo vocamur; ne relinquas nos.*

II. *A fiduciâ*, experimentis confirmatâ. verſ. 8. *Expectatio Iſraelis*, fiducia ſua Iſrael in te recumbit, ex tuo nempe mandato. Nam non quid facerent ſignificat, qui fidebant vanitati & mendacio Jer. 13: 25. neque quid faciendum fuiſſet duntaxat: ſed qualem ſe Deus ſpectari voluiſſet; in quem terminaretur omnis ipſorum fiducia. Confluentibus in Deum omnibus animæ deſideriis, & cogitationibus, quemadmodum cum aquæ colligerentur in unum locum. Pſ. 27: 8. & Eſa. 45: 19. quomodo urgetur Deus proprio ſuo inſtitutio; Eſa. 45: 22. Pſ. 34: 6. ut intuitus ænei ſerpentis Pſ. 37: 35, 39, 40. Pſ. 17: 7. neque vult tales pudefieri Pſ. 25: 23. unde preces Pſ. 33: 22. exempla ſanctorum id confirmant. Pſ. 22: 5. unde & hîc ad experimenta provocatur. *Liberator ejus in tempore anguſtiæ.* Quotieſcunque in adverſis fuêre, obtinuerunt liberationem, ſolùm à te; nullo ſuo merito, ex mera tua gratia. Sic Eſa. 63: 16. vide Pſ. 46. Unde Eccleſia ſæpius priſca beneficia Deo recenſet Pſ. 44: 74. Eſa. 63: 12. &c. & hæc faciunt ad excitandam fiduciam Pſ. 78: 3. &c. Pſ. 71: 5, 17.

III. *A gloria Dei*, apud alios verſ. 8, 9. quatuor ſimilibus: uti quidem ab Abrab. non incommode diſtinguuntur. I. *Quare eris ut peregrinus in terrâ*, qui nullum jus aut proprietatem habet in terrâ. Gentes dicent potuiſſe te quidem Iſraeli auxilio eſſe in deſerto, quod ſis Deus deſerti, ut Syri, Iſraelitarum Dii ſunt Dii montium 1 Reg. 20. ibi domi quaſi es, & in patria; ſed in Cananæa peregrinus: ſic circumſcriptum te dicent loco: extra quem non valeas. II. & (id ut *aut*) *ſicut viator declinans ad pernoctandum*: qui multò minùs curat rectene aut prave omnia gerantur, cum poſtridie inde abiturus ſit, ut nec hoc, nec illud ad ſe redundaturum ſit. Gentes te dicent circumſcriptum tempore: qui exiguo tempore potueris præſto eſſe, ſed finita periodo tuâ, migrare, & deſerere omnia debeas. III. *Quare eris ut vir* נרדם Græci ὑπνῶν, qui legiſſe videntur quibuſdam נרדם: quam tamen interpretationem probat Abrab. ישן *dormiens.* Kimhi. *Obſtupefactus, perterritus, turbatus animo*; cui periit animi robur & præſentia, quæ ad opem ferendam neceſſaria, alioqui non audente quicquam ſuſcipere. Gentes imputabunt iſtud defectui ſcientiæ ac providentiæ tuæ, quaſi vel notitia vel conſilium deſit, ut nihil invenias, quod ad liberationem noſtri valeat. IV. *Et ſicut robuſtus, qui nequeat ſervare*: ut vires illæ heroicæ quibus olim inclaruiſſet, jam deficerent ac deſtituerent. Gentes dicent abſolute potentiam tibi deeſſe, atque numina aliorum populorum tibi prævaluiſſe, quibus victus ſuccubueris, ut tuum populum nequiveris eripere, quo pertinet Sanheribi exprobratio. Chald. quod duriùs iſta de Deo dici arbitraretur, mutato ſermone attribuit ea Judæis. *Quare incumbet ira tua nobis, ut ſimus ſicut inquilini in terra, & viatores declinantes ad commorandum? quare ira tua ſuper nos erit, ut agitemur & deſeramur.* Sed κατ' ἀνθρωποπάθειαν Deo iſta tribuuntur, & in prioribus membris Eccleſia agnoſcit non ſe, ſed Deum habere Dominium & poſſeſſionem terræ, quam utique tueri ac defendere par ſit, cum nec animi nec corporis robur, hoc eſt, nec facultas nec potentia deſit, ad præſtandam terram ſuam, & quos ibi collocaſſet habitatores, felicillimos. Proinde hic totus nititur gloria Dei, quæ quantum vertitur in Eccleſiæ calamitate, tantum ea habet ſecuritatis de ſui defenſione. Pſ. 102: 17. &c. Saltem Gentium opprobria ſæpius memorantur ceu motivæ, impetrandæ liberationis, Exod. 32: 12. Num. 14: 13. &c. Pſ. 74: 10. & 79: 9, 10. & 115: 1, 2.

V. *A fœdere Dei.* verſ. 9. Tu in medio noſtri es. Quamquam videaris nos non curare, aut à nobis abeſſe, tamen in medio noſtri es. Hoc dici non potuit, niſi fiducia fœderis, quo ſe Deus præſentem ipſis fore promiſerat. Lev. 26: 11. 2 Cor. 6: 16. Quandoquidem Deus eſt fidelis in fœdere obſervando Deut. 7: 9. Dan. 9: 4. Hoc vero erat contra ſpem ſub ſpe credere; Deum non irritum reddere fœdus, etiamſi Iſrael illud violaſſet. Sic Pſ. 74: 11, 12. Huc facit 2 Tim. 2. Si nos infideles ſumus &c. Et quod confirmationis inſtar eſt. Nomen tuum ſuper nos nominatur, hoc eſt, de nomine tuo nominamur. Non tantum nobis præſentiam tuam addixiſti, ſed ut omnibus Gentibus conſtaret, quantopere nos cæteris prætuliſſes, de nomine tuo nos appellaſti, ut tuus populus diceremur, quomodo tibi nos cordi & curæ eſſe ſignificaſti. Non à nobis, ſed à te profecta eſt ea denominatio, cujus veritas à Te præſtanda eſt. Sic urgetur Deus Eſa. 63: 18, 19. cap. 64: 9. &c. & Deus id ſe facere teſtatur. Ezek. 36: 20. &c. Atque huic argumento inædificat petitionem. Ne ſinas, relinquas, deſeras nos; ceu extra tuam ſolicitudinem poſitis. Conf. Pſ. 10: 1. & 13: 2. &c.

Verſ. 10. *Sic ait Jehova de populo hoc, ita diligunt evagari, pedes ſuos non cohibent: ideò Jehova non accipit eos benevolè; nunc recordatur iniquitates eorum, & viſitat peccata eorum.*

Reſponſum Dei ad iſtas preces, habet I. deſcriptionem populi verſ. 10. II. repudiationem interceſſionis Prophetiæ verſ. 11. III. repuditionem humiliationis populi propriæ. verſ. 12.

I. *Deſcriptio populi* cum ſubjuncto Dei de ipſis judicio & ſententia verſ. 10. *Sic dixit Dominus* לעם זה hoc eſt, על העם *de populo hoc:* qualis ſit erga Deum, & qualem habiturus ſit Deum. Illud quidem: *Sic amarunt vagari, pedes ſuos non cohibuerunt.* Teſtatur de populi affectu interno, tanquam κακοδιογνώσεις, errores & vagationes eſſe dilectos & concupitos: deque externo facto, non cohibitos externo reſpectu aut pudore, ut quod concupiverant, non perſequerentur. ſunt autem eædem vagationes de quibus Jer. 3: 13. & cap. 2. aliquoties, dum vel ad varia idola, vel ad diverſa auxilia profecti, ſuam fiduciam ab illis pendere probarunt; fuitque dictum factum: animo concepta, opere exercita; quomodo impudentia connotatur, cum nonnunquam exſecutionem cohibeat pudor hominum; ſed ubi depuditum eſt, nullis repagulis continetur indomita cupido. Eſa. 57: 17. Et Jer. 2: 23. &c. ſimilitudine onagri illuſtratur: & cap. 3: 2, 3. impudentiſſimæ adulteræ. Obſervanda autem hic talio: *Vagati ſunt in ſua fiducia, nunc vagentur quærentes aquam*, pari utrobique ſucceſſu: ut diſcant ſi fiduciam recte collocarint, non defore aquam? Iſtud dicit fundamentum Nomen Domini, quo nitebatur Prophetâ, *Dominus*: qui non tantum eſſentiam largitur ſuis promiſſionibus, ſed etiam comminationibus: unde nomen Jehova æque claudit minas ac promiſſa Lev. 18. & 19. Quomodo argumentum à nomine ſuo retorquet, non dicit Ego; ſed Dominus; quia Dominus ſum, *vis me aliam* eſſe erga populum; immo quia Dominus ſum, alius eſſe non debeo. Etiam in fœdere ſe vindicem fore dixit Exod. 20. & in proclamatione nominis ſui idem repetiit, Exod. 34: 5, 6. ut non peregrinum ſit, ſi quid durius ſtatuat. Eoque violantibus fœdus, & in violatione illa delectantibus & perſeverantibus, nomen Dei non præſidio ſed terrori eſt. Eſa. 30: 27, 28. tum rem ipſam quoad ἄφεσιν, *Dominus non delectatus ipſis*, ut in eis beneplacitum habeat; ut in viis & inſtituto ipſorum acquieſcat: nam Pſ. 5: 5. &c. amat enim Deus juſtitias Pſ. 11. verſ. ult. & tum benefacit Prov. 16: 7. Sic Pſ. 147: 11. Pſ. 44: 4. Eſa. 42: 1. עתה יזכור, *nunc recordabitur iniquitatis ipſorum, viſitabit peccata ipſorum.* Quando Deus non recordatur peccatorum, nulla pœna eſt. Eſa. 43: 25. Jer. 31: 34. hinc phraſes abjicere peccata pone tergum Eſa. 38: 17. projicere in profundum maris Mich. 7: 19. Sed quando recordatur, tum ad vindictam procedit, Jer. 44: 21, 22. In V. T. fiebat ſemper recordatio peccatorum Heb. 10: 2. &c. ſed in N. fœdere aboletur verſ. 14. Ita de Babylone myſtica Apoc. 16: 19. & cap. 18: 5. atque hoc poſcit Eccleſia contra Edomum Pſ. 137: 7. deprecatur pro ſe Eſa. 64: 9. Pſ. 79: 8. Et David Pſ. 25: 6, 7. Habemus contra recordationem, quæ viſitationem ad bonum producat Act. 10: 4. &c. 31. &c. Conf. Luc. 1: 54. &c. & verſ. 72.

Verſ. 11. *Deinde edixit Jehova mihi, ne ores pro populo iſto in bonum.*

Repudiatio interceſſionis Prophetæ verſ. 11. Hujuſmodi interdictum fuit cap. 7: 16. & cap. 11: 14. heic tamen additum לטובה, intelligitur autem bonum temporale, reſpectu multitudinis, quia decretum erat Deo progredi ad judicium deportationis, neque volebat inde recedere, eoque nec inutiliter perdi preces: quamvis ex charitate poſſet petere male-

malorum mitigationem, aut etiam ut licet perirent quod ad vitam temporalem, ſpiritus tamen ſalvus fieret; quemadmodum ſic etiam nonnulli in diluvio ſervati ſunt 1 Pet. 4: 6. Imò etiam bonum ſpirituale, reſpectu ſeductorum, & eorum qui peccabant peccato ad mortem, pro iis enim precari non licet ut iis remittantur peccata, 1 Joh. 5: 16. quia enim Deus decrevit talibus non remittere, & preces ex fide promiſſionis fieri debeant, utique hic promiſſio ceſſat, proinde & fides. Intercedere pro impœnitentibus idololatris, qui pertinaciter peccatis ſuis inhærent, repugnat. I. Juſtitiæ divinæ, ut parcat peccatoribus peccata non deſerentibus. II. Veritati divinæ quæ obſtinatis negat gratiam Deut. 29: 20. III. Fundamento precum, qui eſt amor filialis, gloriam Dei chariorem habens, quam vitam impiorum.

Verſ. 12. *Quum jejunabunt, non exaudiam clamorem, & quum offerent holocauſtum & munus, non ſum benevolè accepturus ea; ſed gladio, & fame ac peſte ſum conſumturus eos.*

Repudiatio humiliationis propriæ verſ. 12. externa teſtimonia ejus improbantur: jejunium, & ſacrificia. Deus enim talia ſæpius rejecit, vid. Eſa. 58: 3. &c. & cap. 1: 11. ſeqq. Etenim ſolent ea conjuncta eſſe cum hypocriſi, qua Deus maxime offenditur Eſa. 29; 13, 14. Jejunium non audit Deus quia potiſſimum religioſi jejunii ſunt preces Jon. 3: 8. tam naturæ, brutorum Pſ. 147: 9. tum fidei. In oblationibus non habet beneplacitum quibuſcunque, de quibus ſæpe, fore לראון. Atque hac de cauſa denunciatio adjicitur de non imminuendis, ſed augendis judiciis, *Nam gladio, & fame, & peſte ego ipſos conſumam.* Propheta petit remotionem ſiccitatis inſolitæ, unde metuenda annonæ caritas & fames; aſt Deus non modo hanc gratiam negat, ſed inſuper tria maxima judicia ſe immiſſurum ait, non ad caſtigandum affligendumque ſed ad perdendum & conſumendum. Videlicet ut ſæpius dixerat, non abſolute, ſed ut deficeret regnum, & interrumperetur poſſeſſio terræ felix.

Verſ. 13. *Quamobrem dicente me, Aha, Domine Jehovi, ecce iſti Prophetæ dicunt eis, non eſtis experturi gladium, & fames non erit vobis: ſed pacem firmam daturus ſum vobis in loco hoc.*

Secunda actio Prophetæ eſt inſtantia apud Deum verſ. 13 qua culpam populi imminutam ivit, eam transferendo in prophetas. Initio eſt deprecantis ſeu dolentis exclamatio, אהה *Ah Domine Domine*; hanc expreſſit mali denunciati magnitudo & inprimis denunciantis Dei ſeveritas ac veritas. Tum non excuſat populum â crimine, ſed cauſam in Prophetas refert, perſuadentes proſperitatem fore conſtantem. Scilicet debent utique audire ſuos Prophetas. *Ecce autem hi dicunt ipſis*, aſſeverant, indemnitatem fore à bello & fame: ab externa hoſtium injuria, & interna ſterilitate terræ. Confirmationemque addunt, Dei ipſius promiſſum, quod quidem ſibi revelatum dicunt; nam licet Dei mentio non fiat, verba ſic concipiuntur, ut ipſius Dei recitaſſe (uti quidem venditabant.) appareat. *Nam pacem veritatis*, firmam ſtabilem, quæ non mentiatur & ſpem fallat, *dabo*, ego nempe Deus omnipotens, cui ejus ſumma poteſtas Eſa. 45: 7. Vobis populo meo fœderato; & quidem in hoc loco, cujus præſidio tuti forent Jer. 7: 4. Deut. 11. Hujuſmodi prophetarum promiſſa fuere ſæpius notata Jer. 4: 10. cap. 6: 14. cap. 8: 11. & inprimis cap. 23. Solent ſuæ doctrinæ talia ſubjungere, quam uti divinam dictitant, ſic divinis promiſſis muniunt. Et ſane hæc rectè ſubjunguntur, ſi illo modo ſe habeat doctrina: verum examinandum hoc, priuſquam promiſſis tribuatur fides: quibus ſi quis aurem præbeat, facile quidvis perſuadebitur: Conf. Matt. 4. Satanæ promiſſa, & 2 Pet. 2: 19.

Verſ. 14. *Dixit Jehova mihi, falſum Prophetæ iſti prophetant in nomine meo; non miſi eos, neque præcepi eis, neque alloquutus ſum eos; viſione falſa, & divinatione, ac re nihili, doloque animi ſui iſti prophetas agunt bono ſuo.*

℣ *Reſponſum* Dei ad hanc inſtantiam; habet I. Prophetarum accuſationem verſ. 14. II. denunciationem pœnæ tum Prophetis verſ. 15. tum populo decepto verſ. 16. III. præſcriptionem lamenti loco precum verſ. 17, 18.

1. *Accuſatio prophetarum* verſ. 14. gravis eſt, in genere quidem, *Mendacium prophetant in nomine meo.* Falſa, loquuntur, quod contra officium boni viri, & communem honeſtatem: & loquuntur in nomine Dei, quod contra officium legati; prætexere fallum nomen, ad injuriam tum legantis, tum eorum ad quos legatus eſt: impoſturâ maximâ. Amplificatur membrum poſterius; non miſi eos, ψευδῆ legati; non præcepi ipſis, falſa commiſſio; non locutus. Sum ipſis, falſa inſtructio: nihil ſui in iis agnoſcit. Prius: de mendacio, juxta Abrab. quadrifariam factum. I. חזון שקר *Viſionem mendacii*: qui ſibi imaginantur viſiones, diurnas nocturnaſve, ceu à Deo conceſſas; cum revera non ſint à Deo, ſed phantaſiæ propriæ conceptus, & ſomnia. II. קסם *divinationem*, Abrab. ex intuitu ſtellarum. Kimhi, quæcunque ratio eſt futura indicandi: III. ואליל & *nihilum*, Abrab. idola (quæ אלילים dicuntur) & תרפים quæ conſulere mos fuit, & ab iis quærere reſponſa, & futurorum præſagia. IV. תרמית לבם *dolum cordis ſui*; qui ſimpliciter fingebant, quod maxime placiturum norant plebi, quo ejus gratiam aucuparentur, ſuamque inter eos ſtabilirent autoritatem.

Hujuſmodi in Papatu reperire eſt, viſiones mendaces, divinationes, idolorum reſponſa, & pias fraudes quas vocant. Nulla ſpecies falſorum doctorum eſt, quæ huc ad ſuam claſſem revocari nequeat. Falſis doctoribus ſic convenit I. falſum promittere Ezek. 13: 16, 22. Jer. 23: 17. II. divinatio, quando jactantur revelationes extraordinariæ; quando item ſimpliciter ſibi credi volunt, quemadmodum domini illi fiduciam exigunt. III. Vanitas quando ad vana & externa auditores ducuntur, ut in iis acquieſcant. IV. Deceptio cordis, quando ex ſe petunt argumenta, extra verbum Dei, & humana placita inculcantur, ut inde petatur convictio. Cum vero tales forent Prophetæ Judæorum, vera erat Jeremiæ confeſſio.

Verſ. 15. *Idcircò ſic ait Jehova contra Prophetas iſtos qui prophetant in nomine meo, cum ego non miſerim eos; iſti dicunt, gladius aut fames non erit in terra hac: gladio & fame deficient ipſi Prophetæ iſti.*

Verſ. 16. *Populus autem iſte, quibus ipſi prophetant, erunt projecti in plateis Jeruſchalaim orum præ fame & gladio, nec ullus* erit *ſepeliens eis ipſos, uxores ipſorum, filioſque ipſorum, ac filias ipſorum, adeò effundam ſuper ipſos malitiam ipſorum.*

2. *Denunciatio pœnæ* proinde juſtiſſima. 1. *Contra Prophetas illos* verſ. 15. ubi deſcribuntur ab impoſturâ, recitantur promiſſa, de immunitate à bello & fame; & tum pœna, illis ipſis judiciis abſumendos eſſe: eoque primos luituros ſuum mendacium: ſic Zedekiæ denunciat Micha 1 Reg. 22: 24, 25. 2. *Contra deceptum populum.* verſ. 16. Eodem judicio abſumendos, ſic ut ne quidem ſepulturæ honorem conſequantur, & quidem univerſaliter citra ſexus aut ætatis diſcrimen. verſ. 12. Bello & fami junxerat peſtem, uti etiam Davidi hæc tria proponit; ſed quia peſtis levius judicium erat, inquit Abrab. in qua plus miſerationis reperire erat, quia à Deo ſolo pendebat, hoc loco omittitur ceu qui gravius luituri eſſent. Sed annon ſic populo decepto fit injuria, quod æquetur deceptoribus in pœna? Reſp. ex textu erui poteſt, additur & effundam ſuper eos malitiam ipſorum, id eſt, pœnam malitiæ, & compenſationem. Malitia ergo & peccatum eſt ipſius populi; & quod nam? Primum quidem, quod crediderint Prophetis illis. Etiam tunc, in V. T. fuere examinanda verba doctorum ad Moſen: Mal. 4-4. Deut. 13: 1. &c. quod examen ſi neglexiſſent, & abſolute credidiſſent doctoribus, culpa ipſorummet erat. Neque enim longe erat verbum Dei ab ipſis Deut. 30: 11. ſingulis fuit lex legenda & meditanda; Pſ. 1: 2. & toti populo ſingulis ſeptenniis publice prælegenda Deut. 31: 10. &c. Nam quamvis Levitæ autorati erant ad docendum Deut. 33: 10. tamen errare

fare potuerant Mal. 2: 8. Quod si tum examen necessarium, multo magis nunc, ubi talis cathedra non est. Et si tum neglectus examinis malum fuit inexcusabile, etiam nunc erit: neque quisquam tuto fide ullius ordinarii doctoris nitetur. Quicquid hominibus docentibus peccatur in fide aut vitâ, error est & peccatum, quod Deus plectere constituit. Non tantum Diabolus deceptor, sed etiam Eva seducta poenam sensit. Ratio est de seductis Jer. 5: 31. amant sic audire. 2 Thess. 2: 9. &c. amor iniquitatis inducit ad credendum mendacio, eam non evertenti; adeoque deceptio palliva non est excusabilis, sed habet aggravationem. Si impio non denuncietur mors, moritur in impietate suâ, & reus simul est ille, cui denunciatio fuit demandata Ezek. 33: 6. &c. si confirmetur in impietate impius, moritur in illâ, simulque reus est qui eum confirmavit. Ezek. 13: 16, 22. Jer. 23: 17.

Vers. 17. *Dices itaque ipsis verbum hoc, descendant ex oculis meis lacrymæ noctu & interdiu, & ne desistant; nam contritione magna frangetur virgo filia populi mei, percussione ægra valde.*

Vers. 18. *Si exeam in agrum, ibi ecce confossi gladio, sin autem ingrediar civitatem, ibi ecce ægrotantes fame: nam tum Propheta, tum Sacerdos nundinantur contra terram, & non agnoscunt.*

3. *Lamenti præscriptio* vers. 17, 18. Preces pertinent ad avertenda imminentia mala, lamenta ad deploranda inhærentia, indeclinabilia. Quia decretum Deo punire, neque judicia denunciata avertere, Ezek. 5: 11. cap. 7: 4. cap. 8: 18. cap. 24: 13, 14. non frustra vult inutili rei vacare, precibus de avertendo malo, non profuturis; sed tempori servire, lugere miserandos: Atque insuper id profiteri coram populo, ne ipsi exprobrarent ἐπιχαιρεκακίαν, ceu voluptatem caperet ex publicâ calamitate. Testatur autem formula illa, I. *dolorem Prophetæ* maximum, tum signo externo, lachrymis fluentibus, quod in viro gravi magnum momentum habet. Tum continuatione, interdiu & noctu, sine remissione; & non silebunt; noctu quando lachrymas nemo videt, prodentur voce querulâ. vers. 13. II. *Causam, in genere* & metaph. *fractura maxima, plaga dolorifica*, quæ populo obtigisset, quem virginem populi sui vocat, more satis communi: an quia ut virgo desponsata erat uni viro, ut 2 Cor. 11: 1. vel cum ejus scortatio multiplex ubique inculcetur, quod æque imbellis foret, æque expositus injuriis hostilibus? vel quia populi mulierum virginumque nomine veniunt in Scriptura? vers. 13. *In specie*, calamitates ipsæ, quarum ubique testimonia evidentissima: in agro, ubi hostes accessum liberum habent, ubique strages, & cæsorum cadavera: in urbibus unde hostes arcentur mœnibus, ubique famelici, & deficientes, ægri inedià: causa calamitatis hujus, quia etiam Sacerdotes & Prophetæ, quorum erat erigere miseros, & salutaria consilia dare, illi מחרו *circumeunt* אל pro על *super terrâ*, neque norunt, expertes consilii; soliciti quæritant, unde quid inveniant, quod levet malum: vel vagantur mercatorum circumforaneorum instar, & nundinantur suas prophetias, & promissa splendida, & quæcunque comminiscuntur solamina, sed nil sciunt, quod solidum sit & salutare, ut ipsorum deceptio, & solicitudo in extrudendis fucatis mercibus significetur. Quidam referunt ad horum palationem in exilio, in terra quam non norunt, uti alias terra exilii describitur. Jer. 15: 14. cap. 22: 28. Sed prius mage accommodatum est. vers. 14.

Vers. 19. *An omnino spernis Jehudam? an Tzijonem fastidit anima tua? quare percutis nos ita ut nulla* supersit *nobis curatio?* quare *exspectando pacem nullum* adest *bonum*; *&* exspectanda *tempus curationis, tantum ecce terror?*

Vers. 20. *Agnoscimus Jehova improbitatem nostram, iniquitatem patrum nostrum; nos peccasse tibi.*

Tertia actio Prophetæ est repetita intercessio vers. 19—21. cui Dei responsum opponitur cap. 15: 1—9. Non tantum nihil impetrarat precibus, verùm etiam jussus est abstinere iis: Repetit ille nihilominus petitionem. Quæritur an recte? Nonne Propheta qui adversatur suæ Prophetiæ reus mortis est? uti Propheta ille, qui contra altare Jeroboami vaticinatus fuit 1 Reg. 13. Sed Resp. Abrab. I. Interdictum Dei, sic roborabatur, quod nolit audiri preces ipsorum hoc est populi: proinde ipsi non fuisse negatam exauditionem. 2. Jeremiam heic non intercedere pro populo, sed argumentis uti à gloria Dei petitis, quibus Deum commoveret ad misericordiam. Sane Deus non vult audire preces pro aliis, si petatur gratia non resipiscentibus: adhoc non impetratur pro se vel pro aliis gratia, quando non est *tempus inveniendi* Ps. 32: 6. & 69: 14. Nempe quando Deus inveniri non potest, cum non deseruntur peccata Joh. 9: 31. Ps. 66: 18. Esa. 55: 6. &c. & sic hoc loco vers. 10, 12. vel inveniri non vult, impleta peccatorum mensura, quando peperit decretum, ut procedatur ad vindictam. Amos. 7: 7. &c. & tum cessat Propheta intercedere. Et hæc ratio valuit hic, conf. 2 Reg. 23: 26, 27. & Jer. 15: 4. &c. Attamen Jeremias instat precibus, importunitate quasi aliquid extorsurus, ut Luc. 18: 1. &c. ut vero efficaciores forent preces, urget I. cor & affectum Dei vers. 19, 20. II. nomen, gloriam, fœdus Dei vers. 21. III. constantiam suæ fiduciæ. vers. 22.

α. *Cor & affectum Dei* urget vers. 19, 20. ubi I. impossibile statuit, ut Deus mutet amorem & affectum: *An spernendo sprevisti Judam? an contra Zionem fastidium cepit anima tua?* Interrogando fortius negat. Amor Dei fuit erga totum Israelem Deut. 7: 6. &c. specialius tamen deserta Silo, & Ephraimo delegit dilexitque Judam & montem Zion Ps. 78: 67. &c. maxime cum X. tribus deportatæ forent. Contrarium amori & inhabitationi erat fastidium, & repudiatio Lev. 26: 11, 12. quæ removentur omninò vers. 44. Deut. 4: 31. Abrab. Judæ mentionem fieri putat ob regnum illi tribui concessum, 1 Chron. 28: 4. 2 Chron. 13: 5. & hinc similis querela Ps. 89: 4. &c. Zionis autem quod in eo monte templum conditum fuerit, & testimonium præsentiæ Dei in eo editum, Ps. 132; 13 seq. II. *Recitat* ea quæ Deus statuerit, unde mutatio amoris concludi posset: quorum scilicet remotionem optat. vers. 19. *quare percussisti nos, ut nobis nulla sit sanatio?* Amantis est pro magno delicto parum supplicii reddere, si non prorsus condonare. & Deus eam clementiam promiserat cum Davidi 2 Sam. 7: 14. Ps. 89: 31. &c. tum Israëli Jer. 10: 24. cap. 30: 11. &c. cap. 46: 28. Ps. 103: 8, 13. Amplificat malum, à frustrata spe. Exspectari *pacem*, (redintegrationem amoris & favoris, postquam castigatione defunctus est) sed non esse *bonum* (id est pacem, uti bellum dicitur malum Esa. 45: 7.) sanationem, tempus oportunum ad eam, & esse terrorem mali majoris. Sic Jer. 8: 15, 20. &c. Sanatio post percussionem à Deo est Deut. 32: 39. 1 Sam. 2: 6. Hos. 6: 1. III. Confitetur peccatum, quod unum requirebatur, ut rursum mitigaretur amantis exacerbatus animus. vers. 20. *Novimus* &c. impietatem præsentem, iniquitatem patrum, exacerbationem Dei. Confessioni isti promissa redintegratio amoris 2 Chron. 7: 14. Jer. 3: 12, 13. Lev. 26: 40. &c. Patrum mentio in confessionibus fieri solet Ps. 106: 5. &c. Dan. 9. quia etiam in sacrificiis solennibus fiebat commemoratio peccatorum priorum. Heb. 10: 1. &c.

Vers. 21. *Ne contemnito propter nomen tuum, ne vilipendito solium gloriæ tuæ: recordare, ne irritum facito fœdus tuum nobiscum.*

β. *Nomen, gloriam, & fœdus Dei* urget vers. 21. Nomen, *ne spernas*, in contemtum adducas (in Pih. irritavit) *propter nomen tuum.* Cum enim de nomine Israelis nominaretur, propria electione, Israele perdito simul etiam redundabat in nomen Dei opprobrium, ceu quem pœniteret nominis assumti vel illi satisfacere non posset. Gloriam, *ne flaccescere facias* (decidere) *solium gloriæ tuæ.* Solium illud est templum, nam quemadmodum in solio rex, sic Deus in templo majestatem suæ præsentiæ testabatur: quando per arcam in nube apparebat; ut arca haberet rationem soli Dei. Confer Jer. 3: 16, 17. ubi arcæ non restituendæ aliud solium

ſolium opponitur.) Quemadmodum autem ſuccus arborum iis vitam & vigorem dabat, ita arca & præſentia Dei templo; unde arcâ amiſsâ perierat gloria 1 Sam. 4. Pſ. 78: 61. & ſic hic quoque metuebat Jeremias arcæ, ſimiliumque amiſſionem, Jer. 27, 28. quod deprecabatur, ne quaſi exſucci & exſangues forent, vitæque quodammodo expertes. Fœdus Dei, cujus ſic meminiſſe vult, ne irritum reddat: quia eo pollicitus fuerat patribus, ſe etiam ſemini eorum fore fœderatum, cui conſtantiam addi optat, neque enim licet ipſi infidi, æquum erat ut etiam Dei fidelitas redderetur irrita Rom. 3: 3. de fœdere etiam ante egit verſ. 9. uti nomen Dei hoc fine commemoravit verſ. 7.

Verſ. 22. *An ſunt inter vanitates gentium qui pluviam edunt, & an cœleſtes* dii *edunt imbres? nonne tu is es* Jehova *Deus noſter? ideò exſpectamus te, quia tu facis omnia iſta.*

γ. *Conſtantia fiduciæ* proponitur verſ. 22. reſpectu mali, quod ſuæ petitioni cauſam dederat, ſiccitatis immodicæ. In neceſſitate noſtra, quæ noſtri ratione deſperata eſt, aliunde auxilium petendum: Tu vero O Deus repellis, & negas opem, an ergo eundum ad idola & gentilium vana numina? an propitiandum cœlum ejuſque exercitus? Imo vero agnoſcimus horum omnium vanitatem, & tuam econtra plenitudinem & quod à Te ſolo pluvia detur Jer. 5: 24. itaque decretum nobis, non diſcedere à te, ſed præſtolari tuam opem, Jer. 3: 23. uti Job. 13: 15. Rom. 4: 18. &c. Abrah. contra ſpem. Removet à pluviæ cauſatione tum artificialia, tum naturalia, idola opus manuum humanarum, & cœlos: refert autem ad ſolum Deum, ceu cauſam ſummam Pſ. 65: 10: 11. Hoſ. 2: 20. &c. Illa: nam tu feciſti iſta omnia, quidam referunt ad cœlos; ſed ſic etiam ad idola videtur pertinere; quod abſurdum: alii ad pluviam, ſed hujus non niſi implicite facta mentio: alii ad ſiccitatem ejuſque calamitatem; ut quemadmodum judicium iſtud à Deo eſt, ſic ab ipſo ſolo petatur remotio: Cum non alia manu plagæ Dei ſanari queant, quam ipſiuſmet, qui fecit.

CAP. XV.

Verſ. 1. *Sed dixit Jehova mihi, ſi inſtaret Moſche & Schemuel coram me, minimè eſſet animus erga populum iſtum:*

RESponſum Dei ad has Prophetæ inſtantias, habet I. negationem exauditionis verſ. 1. II. denunciationem calamitatis verſ. 1. ſeq.

1. *Negatio exauditionis* ſic proponitur, ut ſimul non Prophetam ſe faſtidire ſignificet, neque ejus preces; ſed eas gratas habere, tametſi non aſſentiatur petenti, & gratificetur petita. Facit iſtud proponendo exempla deprecatorum potiſſimorum, & quibus pro populo intercedentibus nihil negarat, quibus tamen idem cum Jeremia petituris pariter negaturus erat; quomodo Jeremiam illis æquat. Exempla ſunt *Moſes & Samuel*, uterque Propheta, uterque Sacerdos, uterque ſummus populi rector: heic vero conſiderantur ceu magno amore populi flagrantes, & ejus cauſam apud Deum jugiter agentes. Nam hoc eſt ſtare coram Deo; quod Sacerdotum Deut. 17: 12. & deprecantium Ezek. 22: 30. ut Abraham Gen. 18: 22. Moſes Propheta maximus Deut. 34. Samuel proximus cujus nullum verbum cecidit 1 Sam. 3: 19. uterque intercellit pro ingratiſſimis. Moſes cum eum lapidare vellent Num. 14. & Samuel cum eum depoſuiſſent, ſuffecto rege 1 Sam. 12. De utroque illo conjunctim legitur Pſ. 99: 6. &c. de Moſe exſtant teſtimonia Exod. 32, 33. Num. 11: 14, 16. Deut. 9. Pſ. 106: 23. de Samuele 1 Sam. 7: 8. &c. cap. 12: 19. &c. Sed quamcunque olim proſpere precati fuerint pro populo, tamen ſi nunc idem tentarent, fruſtra fore ait: nam, non eſt anima mea ad hunc populum; נפש affectus benevolus, amor, ut deſtinatum judicium inde velit avertere.

Videtur hoc adverſari promiſſis Pſ. 147: 18, 19. Job. 22: 26. &c. Joh. 16: 23. Sed differentiæ ratio petenda I. *à materia precum*, ſeu beneficiis quæ petuntur. Ea ſunt vel ſpiritualia & æterna, vel temporalia: Illa abſolute neceſſaria ſunt ad ſalutem, nulla beatitudo ſine remiſſione peccatorum Pſ. 32: 1. &c. nulla ſpes videndi Deum ſine puritate, 1 Joh. 3: 3. Heb. 12: 14. quæ proinde abſolute promiſſa Jer. 31: 34. Ezek. 36: 26. &c. & abſolutè petenda Pſ. 32: 6. Ezek. 36: 37. Iſta cum conditione promiſſa, ſi faciat ad gloriam Dei & piorum ſalutem: ſic promiſſa longævitas piis liberis: & reſtitutio valetudinis ad ſeniorum preces Jac. 5: 14. &c. & ſic petimus panem quotidianum. II. *A perſonis* pro quibus petitur. Sunt autem vel petentes ipſi pro ſe, vel alii, iique aut pii & fideles, aut contra. III. *A tempore*, quod opportunum eſt aut importunum, & ſpem ſucceſſus præcidens. Quæ omnia attendenda veniunt, adeoque Preces hominis pii fidelis, peccata deteſtantis, quales fuerunt Moſes, Samuel, Jeremia. 1. Si pro *ſeipſo* petat, ad impetranda Spiritualia beneficia, exaudiuntur à Deo, quia habent promiſſionem Dei, & ſpectant abſolute ad hujus gloriam. Sic David Pſ. 51. & Eccleſia Jer. 31: 18. ſin temporalia poſcant, non ſemper impetrant, quia nec ſemper expedit ipſi, nec gloria Dei illuſtrandæ conducit. Negatus Moſi ingreſſus in Cananæam. Negata uxori Zebedæi gloria quam filiis petebat, ceu non conveniens, & paſſionum communio conceſſa Matt. 20: 20. &c. Sic ſpiritualia, ad hanc vitam pertinentia, immunitas à colaphi Zatione Satanæ negata Paulo 2 Cor. 12. 2. *Pro aliis* iiſque piis, audiuntur in ſpiritualibus abſolutè, in temporalibus, ſi conducat. Pſ. 85: 9. Eſa. 45: 11. 3. *Pro impiis* non ſemper exaudiuntur, ratione temporalium: Samuel pro Saule 1 Sam. 16: 1. vel ſpiritualium, maxime ſi peccatum ad mortem admiſerint. 1 Joh. 5: 16. 4. Judicia temporalia precibus non removentur quandoque, nonnunquam removentur, tum à piis, tum ab impiis. Removentur à piis reſipiſcentibus, quando tempus tolerantiæ particularis nondum plane effluxit Joel. 2: 12. Zeph. 2: 12. aut quando tempus judicii finitum eſt. Pſ. 102: 15. &c. Non removentur ab iiſdem, quando intereſt & ipſorum, ut caſtigentur 2 Sam. 24. & Dei 2 Sam. 12. pro filio Bathſebæ. Ab impiis removentur, quando tempus tolerantiæ particularis nondum effluxit; contra, quando impleta eſt peccatorum menſura. Amorræis dati fuerunt 400 anni Gen. 15. intermedio tempore potuit judicium particulare averti, Abraham pro Sodoma precatus eſt, & Deus non prior finem fecit concedendi quod petebatur, ſed Abraham petendi. Gen. 18. Contra lapſis 120 annis primi mundi, nulla valuit deprecatio Gen. 6: 13. 2 Chron. 36: 16. & hinc apud Ezek. 7: 2. &c. de fine ſæpius dicitur. Atenim licet piorum preces quandoque non impetrent quod petunt, non tamen fruſtraneæ ſunt; profunt enim petentibus Ezek. 14: 13. redeunt in illorum ſinum, ut acquieſcentiam habeant in voluntate Dei Pſ. 35: 13.

Enimvero hoc dicto utitur Bellarminus, ut defunctorum preces pro viventibus adſtruat, in fundamentum in vocationis ipſorum. Si ſtarent, inquit, Moſes & Samuel, qui proinde ordinariè ſic ſtare ſint ſoliti, ſed tunc certi decretæ viſitationis abſtinuerint. Verum nihil dicitur, quod inſtitutum probet. Si ſtarent, conditionata locutio eſt, quæ quidem aliquando ſtetiſſe præſupponit, ſed præciſe ex quo mortui fuerunt, non item. ſed quando vixerunt, quod Sacræ literæ de iis teſtatum reliquerunt. De mortuis non dicitur quod ſtent coram Deo; Imo cum vixerunt, ſic ſteterunt deprecantes pro populo, obtinuerunt quæ petierunt, ut non alii interpellatores magis viderentur optandi, qui tamen nunc ſi forent, oratores, exoratores non forent. Mortui autem quid magis agerent quam Abraham aut Iſrael Eſa. 63: 16. imo, quomodo conſiſterent coram Deo, qui ex Pontificiorum ſententia, limbo Patrum claudebantur, carentes acceſſu ad Deum & fruitione læta faciei ejus? Quin contra ipſos valet, ſi ſtarent, nil impetrarent, quando maxime neceſſarium foret; ut in iis nihil ſit præſidii, Deo non ipſos aut preces eorum pro aliis attendente, ſed ſuam gloriam, quæ in judicio contra rebelles aſſerenda. Ezek. 14: 14. &c. conjunguntur Noah, Daniel, & Jobus, vivus cum duobus mortuis, quos inter medius conſtituitur, ut de vivorum conditione intelligendum ſignificetur, quemadmodum à vivis illis factum fuerat, quod Daniel ſuperſtes adhuc dum agebat. Proinde de mortuorum ſuffragiis nihil hic docetur.

Emitte à facie mea, & exeant.

Verſ. 2. *Eritque, ſi dicant tibi; quò exibimus? ut dicas eis, ſic ait Jehova, qui ad mortem* exiturus eſt, *ad mortem* exito, *& qui ad gladium, ad gladium: & qui ad famem, ad famem; & qui ad captivitatem, ad captivitatem.*

2. *Denunciatio calamitatis* verſ. 1--9. habet *ſententiam generalem.* verſ. 1. dicendo, *Emitte eos à facie mea, & abeant.* Mandatur ejectio à gratioſa præſentia Dei, ſive à templo, ſive à tota terrâ. Nam oculi & facies Dei ſigillatim ſuper templum 2 Chron. 7: 12, 15, 16. ſuper terram Deut. 11: 12. ubicunque ergo Deus præſentiam gratioſam teſtabatur, inde eos ſemotos & ejectos vult. Quemadmodum mulier quæ per libellum repudii emittebatur & ejiciebatur domo mariti, ubi etiam שלח τὸ uſurpatur. Et ſicuti libellus repudii per internuncium quoque tradebatur uxori, ſic per Prophetam Deus hîc defungitur illâ dimiſſione, quem jubet eam exſequi: nam ut eſt verſ. 19. erat ſic os Dei, ad diſtinctionem pretioſi & vilis. Quæ poteſtas eſt memorata 2 Cor. 10: 6. Sic tamen ſemper, ut appareat ſe Dei mandata exſequi, non ſuæ cupiditatis & affectuum placita. Atque tum mandata Prophetarum effectum ſortiuntur, dimitte, & egredientur. Nam Joh. 20: 23. & ſic verba eorum confirmat Deus Eſa. 44: 26. ſiquidem illi verba Dei loquantur; alias valet quod ibid. verſ. 25. dicitur, juxta Ezek. 13: 22, 23. Tum *declarationem ſpecialem* verſ. 2. &c. cujus occaſio eſt, populi interrogatio verſ. 2. *Quodſi dixerint tibi, quo egrediemur?* Sermo ille vel ridentium eſt, quaſi nulla ejectio metuenda eſſet, ſaltem non à Jeremia, qui potius ab ipſis ejectionem non ſaltem à terra Iſraelis, ſed etiam à terrâ viventium haberet exſpectandam: illam, ut Amos Amos. 7: 12. iſtam, ut Jer. 11: 21. cap. 18: 18. cap. 26: 36. Vel deſperantium, quod quidem ejectio à facie Dei gratioſa merito efficit in peccatore, exemplo Caini Gen. 4: 14. nam æterna pœna ſic quoque indicatur Matt. 7: 23. cap. 25: 41, 46. Heic tamen de temporalibus judiciis intelligitur, quod declaratio oſtendit, quæ nomine Dei proponitur, & non tantum diverſa enumerat, ſed etiam unicuique Judæorum ſuum docet definitum, quo debeat plecti. *Judicia* ſunt quatuor (quemadmodum Ezek. 14: 14. &c. enumerantur *quatuor magna.*) I. *Mors*, id peſtis ſic Apoc. 8. quod judicium leviſſimum, à Davide mitius judicatum quam bellum & fames, 2 Sam. 24. II. *Gladius* ſeu Bellum, III. *Fames*, bello acerbior Lam. 4: 9. IV. *Captivitas*, ut mancipia fiant, & longa ſervitute, ceu longâ morte ſimul his omnibus perirent. Necem notat quidam ſic: I. mors infantum, II. gladius, bellatorum in acie, III. fames obſeſſorum: IV. reſiduorum tum eſt captivitas. Patet autem hinc definitum cuique vitæ terminum, cum nequidem circumſtantia mortis aliter ſe habeat, quam à Deo definitum eſt. In hujuſmodi calamitatibus bellicis quibus cæteræ ſociantur, multa videntur caſu fieri, ut quem tangat ſagitta, jaculantis intentione nulla eam dirigente 1 Reg. 22: 34. veruntamen Dei ſpeciale regimen animadvertendum, ut nec evadat, qui deſtinatus exitio, nec alio modo pereat quam definitum eſt, nulla valente permutatione. Conf. 1 Reg. 20: 36.

Quæſt. An qui ad peſtem gladium, famem, ſervitutem ejiciuntur, etiam à facie Dei ejiciuntur, ceu à quibus anima Dei alienata eſt? Reſp. Minime. Id tantum valet de iis qui amant vagari, & pedes ſuos non cohibent, ne quidem quando illa judicia ſupervenerunt Jer. 44: 25. ſeq. Sed pii qui involvuntur iiſdem calamitatibus Eccl. 9: 1. &c. aut qui ſub judiciis reſipiſcunt, iis gratia Dei manet certa. Ezek. 9: 4. &c. cap. 11: 16. Præterea pii per judicia quandoque exiguntur præſentia Dei, quæ in externo ſanctuario, David in bello Abſalomi 2 Sam. 15: 24. &c. & in peſte Hizkias Eſa. 30: 11. attamen etiam tum habuere & fidem paterni favoris Dei, & ſenſum ejus. Pſ. 41: 4. nam illis omnia iſta debent cooperari ad ſalutem, Rom. 8: 28. neque quicquam horum valet ſeparare à Dei amore verſ. 35. ſeqq. unde 2 Cor. 4: 16. & cap. 5: 1. &c.

Verſ. 3. *Præficiam enim iſtis quatuor genera: dictum Jehovæ, gladium ad interficiendum, & cane, ad trahendum, & volatilia cœlorum, ac beſtias terræ ad comedendum & ad perdendum.*

Verſ. 4. *Et tradam eos in commotionem omnibus regnis terræ; propter Menaſchem filium Jechizkiæ Regis Jehudæ, ob ea quæ fecit Jeruſchalaimis.*

Porrò præter illa 4. adhuc minatur 4. alia, (quemadmodum Lev. 26. aliquoties ſeptuplici judicio aliud ſeptuplex ſuccedit.) Quæ vocat *familias*, hoc eſt, ſpecies diverſas, quemadmodum familiæ ab invicem diſcriminatæ ſunt: & ait ſe eas præficere ipſis, id eſt, poteſtate inſtruere, ut ſuo juſſu autoratæ agant neque quiſquam poſſit detrectare ſubjectionem. Conf. Eſa. 10: 5. &c. Sicut qui faciant appendices belli; gladium occidentem, & tum in cadavera ſævientes canes, aves, feras, dum negatur honor ſepulturæ ex Jer. 7: 33. & cap. 14: 16. Sed forte commodius, intelligi novos quaſi exercitus, qui contra illos animentur: I. *Homines*, qui cum natura inermes ſint, deſcribuntur ab armis artificialibus, enſibus quibus inimicitiam exerceant, & in alios ſæviant. II. *Canes*, animalia domeſtica, qui fidiſſimi eſſe ſolent heris, ſed nunc fame efferati, cadaveribus non eſſent parciturі, ſed tracturi eos uti ſolent prædam quam conſecuti ſunt III. *Volucres* cœli, quæ in campo jacentia cadavera devorent; nam ubi cadaver inſepultum in patenti, ibi congregantur aquilæ & vultures. IV. *Feræ*, ut leones Samariæ novis incolis 2 Reg. 17. & duo urſi pueris illis. 2 Reg. 2. Abrab. poſtremum exponit de pecudibus domeſticis, bobus, ovibus capris; quia legitur בהמות non חית terræ: & tribuit illis non לאכול τὸ, quia non ſunt carnivora animalia, ſed להשחית τὸ quod conculcaturi ſint cadavera pedibus. Verum בהמה τὸ etiam de feris uſurpatur. Pſ. 8: 8. עוף שדי Sic Deo non deſunt exercitus, quibus ad exſecutionem judiciorum ſuorum utatur; nec ullum fœdus, aut ulla fides creaturas homini obſtringit, quando ſummo Domino homagium præſtandum eſt.

Cæterum his additur *conſequens* harum plagarum verſ. 4. maxime exilii, *Et dabo eos in commotionem omnibus regnis terræ*: ut nuſpiam tranquillam ſedem invenirent, juxta minas Deut. 28: 25. ſed per omnia regna diſpergerentur, varieque jactarentur. Nec non *antecedens*, ſive cauſa impulſiva externa; *propter Manaſſen filium Hiskiæ, propter id omne quod fecit Hieroſolymæ.* Sic quoque cauſa exilii Judæorum eſſe dicitur 2 Reg. 23: 26.

Eſt verò hîc expediendum dubium, Qui propter Manaſſis peccata puniti fuerint Judæi, maximè cum ipſe reſipuiſſet, 2 Chron. 33: 13. &c. Nam anima quæ peccarit morietur Ezek. 18: 4. & ſi peccanti non nocet peccatum, ſiquidem reſipiſcat, quomodo nocebit aliis? Reſp. Manaſſes primus fuit qui imperavit idololatriam, & omnis generis peccata 2 Chron. 33: 1. &c. uti Jeroboam in Iſraele: unde quemadmodum huic adſcribitur peccatum illud Iſraelis omnibus ſeqq. ætatibus, cujus ipſe autor fuit; ſic quoque Manaſſi recte adſcribitur peccatum in quo ipſe exemplo & lege præivit, maxime cum populus deinceps in *iiſdem* peccatis perſeveraſſet. Nam licet Manaſſes reſipuerit, & gratiam impetravit, atque etiam contrariis legibus & exemplo populum ad pietatem revocarit, caruit tamen ſucceſſu, nec tantum valuit ad bonum, quam ante ad malum & ſeductionem: quod de Joſiæ reformatione notatum Jer. 3: 10. Denominantur ergo peccata populi à Manaſſe autore, cujus præcepto & exemplo cœperant, etſi ipſius amplius dici non poſſent. Sed porro quamvis Manaſſi remiſſa eſſent peccata, *ut* immunis foret à pœna compenſante, tamen *potuit juſtè* ſtatui in ejus poſteros & populum pœna convincens. Exemplo Davidis 2 Sam. 22: 13. &c. condonatur peccatum & plectitur filius, natus ex adulterio, morte. Sic Manaſſis peccatum vindicatum in poſteris in generatione tertia & quarta. Illa fuerunt omnes filii Joſiæ, ejus prone potes Joachas, Jojakim, Zedekias: iſta Jojachin, filii Jojakimi, abnepos.

Verſ. 5. *Nam quis uteretur clementia erga te, urbs Jeruſchalaimorum? aut quis condoleret tibi?*

aut

aut quis accederet ad interrogandum de prosperitate tua?

Vers. 6. *Tu deseruisti me, dictum Jehovæ, retrorsum abiisti: ideò extendo manum meam contra te ut perdam te; defessus sum pœnitendo.*

Porro amplificatur calamitas, dum in eâ dicit I. negligendos, II. magis affligendos.

a. *Negligendos* vers. 5. Interrogative proponit, ut fortius neget, & utitur gradatione, 1. Nam quis *parcet tibi, O Hierosolyma*; ut clementia aliqua uteretur. Confer. Ezek. 16: 5. Est parcere ne vel mala inferantur, vel illata augeantur, sed potius minuantur. 2. *Aut quis condolebit tibi*, ut sympathia afficiatur propter te, vel quis solabitur te; (נוד moveri, condolere, consolari, aliquem dimovere de tristitia nimiâ. Kimhi, moveri loco ad alium solandum, quod longe nimis petitum videtur Pf. 69: 21. ואקודה לנוד exponitur pro ולמנחמים.) 3. *aut quis decedet de via, ut tibi bene precetur*, hoc enim est לשאול לשלום Exod. 18: 7. ut inquirat in conditionem prosperam, de qua solicitus, quam optat; Igitur neglecta est ab aliis hominibus, quoad actiones, quoad animum & cogitationes, quoad sermones. Et *causa*, desertio Dei, quæ non tantum hominum desertione plectitur, sed etiam ipsius Dei. vers. 6. Desertio Dei est, *Tu* (cum emphasi, quam minime omnium decebat; quia nullus populus Deo vicinior Israele, nulla urbs Hierosolymâ) *deseruisti me*, & gradus culpæ, *retrò cessisti*, quasi damnans priora, non progressa es in via, sed pedem retulisti. Esa. 1: 4. Opponuntur קרבה & רחקין Pf. 73: 27, 28. Contra deserens Deus, qui ultor, *Et extendi manum meam contra te, & perdidi te.* Propinquus plagis inferendis, ad perditionem; cum ante extenderet manum ad servandum, & bonis augendum: Cujus immutatæ actionis ratio, *fatigatus sum pœnitendo.* Non quod unquam pœnitentia ductus fuerit, quæ negatur de Deo Num. 23: 19. 1 Sam. 15: 29. sed ἀνθρωποπαθῶς dicitur pœnitere; quando pœnas denunciatas differt, Amos. 7: 1. &c. Jer. 18: 10. aut promissa bona non largitur, ob mutatam aliquam conditionem hominis; quæ denunciatione illa explicite vel implicite continebatur. Sic Amos. 7: 1. &c. Semel atque iterum differt pœnam intercedente Propheta, sed tertio negat se dilaturum. Ninivitis interitum minatus erat, sed malis & pertinacibus, cum ergo desererent mores pravos, mutati ipsi mutationem illam judicii attulerunt, quod impœnitentibus inferendum, contra pœnitentes exerceri non potuit. Sic sæpius Deus mutarat quasi pœniteret, quia in ipsis fuerat mutatio. 2 Chron. 12. cap. 19: 1. &c. cap. 34. cap. 36: 15, 16. Si pœniteat homines mali culpæ, pœnitet Deum mali pœnæ: sed si Dei dilatio iræ contemtui sit, neque deserantur peccata, sed jugiter in iis perseverent, Deus tanto graviorem iram exercebit, & dilationis pœnitentiam gravitate judicii pensabit, uti heic.

Vers. 7. *Itaque ventilabo eos ventilabro in portis hujus terræ; orbabo, perdam populum meum; cùm à viis suis non revertantur.*

b. Nam magis etiam *Affligendos* docet vers. 7. quam suam actionem Deus justificat, vers. 7. & amplificat. vers. 8, 9.

(a.) *Afflictio* est, vers. 7. *Et ventilabo eos ventilabro in portis terræ.* Similitudo ista exilium denotat, quod eadem voce indicatur Lev. 26: 33. Pf. 74: 12. quemadmodum enim grana in vanno non quiescunt, sed hinc inde jactantur, sic ipsis agitationem prædicit, ut Kaino Gen. 4. נוד. Τὸ *in portis terræ* tum modum ventilationis spectat, quæ instituitur in vel ante portas horreorum, ut perflare ventus queat. Attamen portæ terræ intelliguntur vel de omnibus urbibus, non una tantum Hierosolymâ, vel de claustris, ceu angustiis quibusdam terræ, quæ portæ vocantur, ut portæ Caspiæ in Asia, vel etiam de urbibus in exilio, ex quarum portis sæpius sint ejiciendi. Gravissimum profecto judicium istud est, jactatio vehemens, citra quietem, mutua granorum collisio, eorundemque projectio ad ventum valide perflaturum. Exilium ex 4. judiciis gravissimum. vers. 4, 9. Deut. 28: 64, 65. Est tamen in ea beneficii alicujus promissio. (gravius malum Jer. 4: 11, 12.) Ventilatio non perdit, sed purgat grana, ut quicquid palearum adhæret decidat, & à vento auferatur, adeoque grana munda in horreum inferantur. Amos. 9: 9, 10. impiorum perditio tantum intenditur Pf. 1: 4. & 35: 5. Proinde heic apparet severitatis & benignitatis Dei exercitium simul. Severitas in impios, qui paleæ instar; quando judiciis agitantur communibus, ventus eos aufert & dispergit, ut non modo congeri nequeant, sed ut etiam lutum fiant platearum: aut si colligantur ubi in cumulo cohærent, comburuntur igne, vel conjiciuntur in fimetum. Benignitas in pios, jactantur pariter iisdem quandoque judiciis, sed non ad perditionem; grana jactata semper recidunt in vannum, neque enim illa excutere vult ventilator, sed quæ adhærent, paleas, sed illa purgata satis sollicite recondit in horreum.

Observanda Christi & Diaboli actio differens, illius Matt. 3: 12. hujus Luc. 22: 31. Utriusque idem propositum, separare bonum à malo, & tamen contrario prorsus fine. Satan separat bonum à malo, ut illud ejiciat, illud servet, quemadmodum cribrum ejicit similam, servat furfures. Tollit 1. ἀκεράσειαν pietatis, 2. robur & virtutem ejus, 3. ipsam speciem, ut plane impium reddat. Christus separat bonum à malo, ut illud servet, hoc ejiciat, sicut vannus paleam inutilem ejicit, servat purgata grana, sejungit hominem 1. à societate professorum impiorum, & Pf. 1: 10. 2. à conformitate mundi, 3. à semetipso; per abnegationem sui, ut ad robur pietatis & ἀκεράσειαν ambulationis deducatur, 2 Cor. 6: 17. cap. 7: 1. Cribratio Satanæ non peragitur magnâ violentia, paulatim decidit quod pondus aliquod habet & bonitatem. Ventilatio Christi vehementiori agitatione exercetur, hinc illam magis amant, minusque ingratam habent homines quam istam: Illa sensim & vix animadversa quod præstantissimum est removet, Zelum pietatis. Ista quandoque admodum violenta videtur, ut Act. 2: 9, 16. Enimvero Cribratio semper infelix est, & quo diutius exercetur, eo pejores facit, unde Christus hanc deprecatur, ne suis adhibeatur. Ast ventilatio infelix quidem iis, qui paleæ levitatem habent, quos ventus aufert: sed qui habent pondus grani solidi, quantumcunque jactentur, qui eos agitat Christus, sollicite eos vanno suo excipit rursum; & cum nemo in agro suo crescat sine palea, quicquid hujus post triturationem adhæresci, jactatione ista (quæ verbo, & spiritu, & gravioribus quoque castigationibus peragitur) separat, ut mundos prorsus possit inferre in granarium paternum.

(*b.*) *Justificatio hujus actionis* vers. 7. ab ipsorum incorrigibilitate. *Orbavi, perdidi populum meum* (illud liberorum, hoc ipsorum quoque parentum necem indicat, ut nulli ætati parsum fuerit,) non reversi sunt à viis suis. Quas videlicet à Manasse introductas lege & exemplo, nec ipsius nec Josiæ contrariis factis persuasi, unquam corde deseruerunt, sed quandocunque licuit impune, sub Amone & Josiæ filiis repetiverunt. De hac ἀμεταστροφίᾳ querelæ fuerunt Jer. 2: 30. cap. 5: 2. Sic Esa. 1: 5. cap. 9: 12. Amos. 4: 4. Atque hinc *amplificatio* malorum, vult enim Deus vincere quando judicat Rom. 3: 4. & glorificari in superbis istiusmodi Exod. 18: 11. Leviora judicia, si fructu emendationis careant, gravioribus viam faciunt; Lev. 26. Amos. 9: 12. Si virgæ hominum nil proficiant, habet Deus etiam scipionem ferreum, qui omnia comminuit.

Vers. 8. *Numerosiores mihi erunt viduæ ejus quàm arena marina: adducam eis contra metropolin juvenem vastatorem ipso meridie; faciam ut irruat in eam repentè, terroribus civitas abundabit.*

Vers. 9. *Elanguescet quæ pariebat septenos, efflabit animam suam, occidet sol ejus, dum adhuc futurus esset dies ipsorum, erubescet & pudebit eam: denique residuum istorum gladio exponam coram inimicis ipsorum, dictum Jehovæ.*

(*c.*) Quod amplificando inculcat est *a. Orbitas* vers. 8, 9. שכל de liberorum morte immatura intelligitur; Eam significat hoc loco sed ut etiam maritorum obitum complectatur, unde orbitas uxorum initium ducat, spe liberorum suc-

ſuccisà. *De maritis* ait, *Multiplicatæ mihi ſunt viduæ ipſius* (populi mei) *præ arena maris*: quo ſimili innumera copia ſignificatur. Quidam miſerationi Dei hoc adſcribunt, Tanto oneri mihi ſunt multiplicatæ viduæ ipſius, ut non minus moleſtum mihi ſit, quam hominibus arenam maris humeris impoſitam ferre. Eſt tamen alienior expoſitio, quæ nexum comminationum turbat, & arena maris in Scriptura potius de multitudine, quam de pondere uſurpatur. *De liberis* loquitur tum *ſingulis* dum dicit, *Adduxi* (hoc eſt, ob rei certitudinem, adducam) ipſis, ſuper matrem juvenis, (mulierem, quæ defuncto marito unicum filium adultum, ſpem generis, fulcrum viduitatis, habet, ut vidua illa in Naim Luc. 7.) *Vaſtatorem ipſo meridie*, plenâ luce, dum omnia videntur proſperima, felicitatis Sole in ſummo fulgore ſplendente. *Cadere faciam ſuper eam*, ſubito, ex improviſo, dum nihil minus metuit, hoſtem & terrores, (עיר urbs, itemque inimicus; ſic pl. עירים Pſ. 139:20. & 1 Sam. 28: 16. ubi pl. עיך de Deo, pluralitatem indicat.) Hoſtis unus, ſed qui comitatus venit terroribus, ut multis etiam fugandis ſufficiat. Eſa. 30: 17. Hæc ſimpliciſſima expoſitio. שודד de peſte intelligi poteſt ex Pſ. 91:6. & עיר de hoſtibus: cum peſtis & gladius ſæpius conjungantur. Qui אם de Hieroſolyma intelligunt, & בחור de Nebucadnezare vaſtatore, non attendunt accentus, quibus אם בחור nectuntur arctius, quam בחור שודד. Aliis אם בחור eſt *congregatio juvenum*, qui perituri dicuntur, ſed & hoc durius. Nihil convenientius, quam ut Maritis ſubductis, ſuccedat orbitas liberorum; ad quam pertinet etiam verſ. 9. ut per vaſtatorem hoſtem unici etiam occidantur, quorum mors matribus acerbiſſima. Tum *pluribus*. verſ. 9. *Mater 7. filiorum* (id eſt plurium, numero perfectionis,) *elanguit*, omnibus, nullo excepto, ea ratione ipſi ereptis, ut quæ ſepta erat felicitate, quo pertinebat πολυτεκνία, cunctis ſpoliata deſolaretur, atque mœrore contabeſceret, *ut animam efflaret*; cujus miſeriæ exaggeratio, *occubuit* (accentus ſpoſtulant ſubintelligi, quia occubuit,) *Sol ejus* dum adhuc dies eſſet. Lux & Sol felicitatem notant; habet quiſque tamen præfinitum tempus ejus, & quantacunque fuerit ad extremum occaſum ſuum experitur in morte; Sed quando interciditur vel ad tempus, obſcuratur ut Sol ſub nube atrâ, vel in perpetuum, ut occidens Sol prorſus ſubducitur. Quod ſi præter tempus fiat, meridiei occaſus adſcribitur Amos. 8:9. & hinc Matri orbatæ erubeſcentia & pudefactio. Cum enim gloriarentur liberorum copia mulieres Pſ. 123:9. exemplo Leæ Gen. 29:30. & Peninæ 1 Sam. 1:2. quando iis ſubito ſimul orbantur gloriatio abit in pudorem. Hujuſmodi orbitatem minatur Deus Hoſ. 9:11. &c. Jer. 9:21. Quidam Hebræorum iſtud intelligunt de Matre Maccabæa cujus 7. filii ab Antiocho necati; ſed illa non pudefacta fuit, verum gloriata potius filios pro patria lege occubuiſſe martyres. Alii de regno X. tribuum, Iſraele nempe, cujus 7. familias regias numerant, omnes exſtinctas, & ſic ipſummet deſtructum fuiſſe, Jeroboami, Baeſæ, Omri, Jehu, Menachemi, Pekahi, & Hoſeæ; aut de regno Judæ, & 7. malis regibus Joram, Joas, Achaz, Manaſſe, Amon, Jojachin, Zedekia; Verum heic omittuntur & alii mali Rehabeam, Abia, Uzzia, Amazia, Joachas, Jojakim. Proinde literalis ſenſus concinnior.

β. *Perditio*, de qua verſ. 9. *Reſiduum ipſorum dabo gladio, coram hoſtibus.* Cæteri, qui nequunt cenſeri inter liberos, orbi parentibus, & ipſi patres familias, peribunt bello, ut quos unum judicium non tollit, eos abſumat aliud. Quomodo vaſtitas univerſalis virorum adducitur, ut revera mulieres imbelles, quæ peſtem effugiunt, præda fiant hoſtium, & obnoxiæ omnibus injuriis, defenſoribus maribus penitus deſtitutæ.

Verſ. 10. *Heu mihi mater mea, quòd peperiſti me in quem intendatur lis, & in quem intendatur contentio à tota hac terra: non dedi mutuum, neque mutuo dederunt mihi; unuſquiſque maledicit mihi.*

Querela eſt verſ. 10. de afflicta ſuâ conditione. *Væ mihi, mater mea, quod me genuiſti.* Matris facit mentionem, non quod ab ea opem petat, ſive ea vixerit, ſive non: quorum illud incertum, hoc vero jam verſ. 1. refutatum. Sed quia eam habuerat proximam vitæ ſuæ originem, & quia matres tenerius filios amant, vel etiam quia patrem ſuperſtitem non habebat, non tamen vel matri maledicit, vel ſibi ipſi, aut vitæ ſuæ, uti quidem cap. 20:14. &c. & Jobus cap. 3. ſed deplorat calamitoſiſſimam vitæ ſuæ conditionem, quæ acerbitas tædium vitæ affert, ut vellet nunquam conſecutus eam fuiſſe. *Cauſam* dicit; *Virum litium & contentionum ſe vivere omni terræ.* Non qui ubique lites ſereret, aut concitaret; quomodo illi, quos ἐξ ἰεριθείας vocat Apoſtolus Rom. 2:8. ſed quod omnes ſecum litigarent & contenderent non in una urbe, ſed per univerſam terram, quocunque munere ſuo functurus acceſſiſſet. Removet autem à ſe culpam; *Non ei egi debitum*; (nam quam amicus ille qui mutuum dat, tam inimicus qui quod ſuppeditarat mutuum, repetit: iſtud beneficium creditur amoris, ſed hoc rapitur in argumentum odii.) non ergo hac parte offendi quenquam. *Neque illi à me exegerunt mutuum*; quod ſi non exſolvatur promtè, aliénationis & inimicitiarum, & litium ac jurgiorum cauſæ ſunt præſto. Verum hac parte neminem habeo infeſtum: fraus nulli à me facta, nulla injuria, imo ne quidem aliquid inofficioſi. *Atenim totus ipſe*, nempe populus terræ, (quem terræ nomine indicarat.) *maledicunt mihi*, meque exſecrantur: מקללוני vox anomala prorſus, compoſita ex participio plurali cum affixo primæ perſonæ in pauſa, מקללי itemque ex fut. pl. cum aff. יקללוני. Tres ultimæ literæ hinc ſumtæ, reliqua inde. Kametz autem adhibitum ut affixi indicium faceret cum pl. participii, & propterea הי non potuit alio puncto gaudere quam ' aff. Emphaſis autem eſt; maledicentes mei, maledicunt mihi; ut & habitum & actum, voluntatem ac factum conjungat.

Cæterum ſua hac querela & exemplo docet, quam miſera ſit conditio Prophetarum Dei, quoties ſincere munere ſuo funguntur, licet caveant ſolicitè omnes occaſiones offendendi, quæ in communi vitâ occurrunt, non miſcentes ſe negotiis litigioſis, abſtineant ab omni ſpecie avaritiæ, non tamen effugere poſſunt contentiones. Elias ab Achabo dicitur turbator Iſraelis 1 Reg. 18:17. & hoſtis ejus cap. 21:20. Micha ab eodem odia & perſecutiones fert. cap. 22. longum foret omnium hiſtorias enumerare. Zacharias *filius Jojadæ* in ipſo templo necatus eſt, & quanta Jeremias paſſus ſit ſeqq. dabunt. Eadem conditio Chriſti, quamvis non litigaret, nec vociferaretur, nec audiretur vox ejus importuna in plateis, quas non tulit contradictiones peccatorum, & perſecutiones? & ſic qui eum anteceſſerunt ſecutique ſunt. Ratio in promtu eſt, Amor peccati, & in quo iſtud evidentiſſimum amor ſui. Quamdiu pax & miſericordia, & vita annunciatur, non multum periculi eſt; ſed quando dilectis peccatis adverſa dicuntur, odium concipitur contra contradicentem, Doctrina Chriſti & Apoſtolorum, derogabat autoritati Scribæ & Phariſæorum inter Judæos, & Philoſophorum Aſt inter etiam Chriſtianorum 1 Cor. 1, 2. &c. inter gentiles, hinc odium implacabile. Eadem adverſabatur inceſtui Herodis, & lucro illorum qui famulam habebant pythoniſſam, Fert enim quiſque ſi alius reprehendatur, calculumque etiam adjicit, verum ſi ſe tactum ſentiat, monitoribus aſper eſſe ſolet. Atque iſta ab omnibus ordinibus exſpectanda. Totius terræ, ſive habitatorum ejus nomine veniunt, reges; Sacerdotes, Prophetæ, incolæ Hieroſolymæ. Jer. 13:13. Quid vero aliud hinc ſequitur, quam ut acerba reddatur vita ipſis, quod de Moſe dicitur Pſ. 106: 33. amaritudine affecerunt ſpiritum ejus & de Loto, 2 Pet. 2:7, 8. Elias 1 Reg. 19:4. Qui tamen huic muneri adhibetur, iſtiuſmodi odiis & perſecutionibns ſe parare debet: quemadmodum Apoſtolus 1 Cor. 4. 2 Cor. 4. & 6. & 11. monetque 2 Tim. 2:2.

Verſ. 11. *Ait Jehova, an non reſiduo tuo eſſet bene? an non intervenirem pro te tempore mali & tempore anguſtiæ apud inimicum?*

Quarta actio Prophetæ cum Deo; quæ conſtat I. Querela Jeremiæ de ſua conditione verſ. 10. II. Reſponſo Dei verſ. 11--14. III. inſtantia Jeremiæ verſ. 15--18. IV. Deique reſponſo. verſ. 19--21.

II. *Reſponſum Dei* verſ. 11--14. conſtat promiſſione, & comminatione.

(1.) Pro-

(1.) *Promissio* vers. 11. *Dixit Dominus*, sine copula; quod quam primum hæc elocutus esset, illico Dominus præsto fuerit, ut suum Prophetam solatio erigeret: quo cum indigeret valido, sub forma juramenti proponi monet Abrab. Est enim hæc jurantium formula. Si non, per apostrophen, id quod dico fecere, mentiar, Deus non ero. Promissioni addit jusjurandum, ut per duas res immutabiles, in quibus impossibile Deum mentiri &c. Heb. 6: 17. Tanti Deo est solatium Prophetæ, ut juramento ipsi velit cavere: *Si non residuum tuum in bonum fuerit* (שריתך quibusdam verbum est, Chald. familiare שרה *habitavit*, ex Pihel: *si non habitare te faciam*, vel *solvam*, faciamve exsolvi te ad bonum: aliis nomen שרית pro שארית & in pausa pro ( ) scribitur chirek breve, cum accentu pausante.) Illo modo prædiceret liberationem ex vinculis, & quietam habitationem, antequam in carcerem & vincula veniisset. Sed quieta illa habitatio, non admodum diuturna ipsi fuit. Malim ergo residuum dici, quomodo significat & imminentes calamitates, quæ non nisi residuum ipsi essent relicturæ, & tamen residuum fore, etiam quando hostes ejus nullum essent habituri. Nec tantum residuum, quod utique manebat quoque exulibus deportandis, sed residuum ad bonum: ut veri boni nunquam faceret jacturam: quomodo Ebedmelecho Jer. 39. & Barucho cap. 45. promissum legimus. Non promittit Deus immunitatem à malis, quod quidem æque facile fuisset præstare, sed in malis defensionem, & ex iis evasionem. Multum autem est si in communi incendio vitam, si animæ salutem quis efferat, residuum habeat in omnem æternitatem sibi mansurum. Lotus ex Sodomæ 2 Pet. 2: 9. Ps. 34: 20. Joh. 16: 33. Act. 14: 22. 2 Tim. 3: 12. Explicatur custodia illa, *Si non in tempore mali & angustiæ*, quando Hierosolyma in manus hostium ventura erat, non deditione voluntaria, sed illorum victoriosa occupatione, quomodo magna solet fieri incolarum strages; ut docent exempla urbium vi superatarum: *Si non*, inquit, *tunc occurrere faciam tibi hostem*, vel, pro te intercedam apud hostem, efficiam ut hostis quasi precibus meis flexus, tibi gratiam faciat, & tui curam suscipiat, Jer. 39, 40. Nebucadnezar & Nebusaradan occupata urbe illico Jeremiæ curam gesserunt, & exsolverunt carcere, quo claudebatur Judæorum voluntate: deinde cum inter deportandos ligatus duceretur, vinculis eum exemerunt, libertatem plenam dederunt, & optionem, velletne migrare in Babylonem, & laute haberi; vel manere in Judæa, ad quod viatico instructus, & principi Gedaljæ sollicite commendatus fuit. Quidam hostem explicant de Zedekia & Judæis: si non faciam illos deprecari apud te in die mali: nam etiam captivo Jeremiæ supplicarunt Jer. 37, 38. Illud tamen magis videtur quadrare. Deus autem intercedere dicitur, quia sic movit hostiles animos & ea suggessit argumenta, ut intercessisse videri posset. Similis intercessio est Ps. 105: 13, 14, 15. & Gen. 31: 24, 29, 42. Sed longè majoris est momenti intercessio Christi, ne ira hostilis Dei unquam illos perdat, qui ipsius sunt, sed ut habeant residuum ad salutem æternam Rom. 5: 8. &c.

Vers. 12. *An ferrum fracturum esset ferrum Aquilonare, & chalybem?*

Vers. 13. *Opes tuas & thesauros tuos direptioni exponam absque pretio, idque propter omnia peccata tua, & in omnibus terminis tuis.*

Vers. 14. *Faciamque ut transeat penes inimicos tuos, in terram quam ignoras: quum ignis accensus ira mea in vos inflammatus fuerit.*

2. *Comminatio* mali contra impios vers. 12—14. ubi indicat I. *Impossibilitatem evadendi* vers. 12. dicendo. *An confringet ferrum ferrum aquilonare & æs?* Ferrum valet robore ad comminuenda alia, Ps. 2: 9. & jugum ferreum opponitur ligneo, ceu fragili firmum Jer. 28. verum heic ipsi ferro opponitur ferrum aquilonare: quod ex omni genere robustissimum. Chalybes populi in Ponto ad Aquilonem, unde petebatur ferrum & æs generis optimi, quemadmodum hodieque commendatur Suecicum ferrum & æs. Quidam ad consolationem Prophetæ referunt; quem Deus dixerat Jer. 1: 18. se statuere velut murum æneum & columnam ferream; & nunc confirmari, *an confringetur ferrum, ferrum aquilonare & æs?* impossibile istud; neque ergo tu poteris conteri. sic ירוץ erit intransitivum: aliis est activum & pertinebit ad Judæos qui licet sibi firmitatem ferri tribuerent, atque etiam Ægyptiis auxiliis, contra Babylonios, tamen irrito conatu militaturi essent, quod duriori ferro hi forent conferendi. Quod seqq. magis quadrare videtur. II. *Species mali* immittendi plures: ut sunt (1.) *spoliatio bonorum.* vers. 13. dicit enim *opes tuas* (חילך etiam *divitias* notat Deut. 8.) *& thesauros tuos dabo in prædam*; sine precio, nullum inde captans lucrum, sed solum justitiæ meæ habens rationem. Ps. 44: 13. & Esa. 52: 3. ubi inde argumentum ducitur liberationis. Abrab. significatum ait, non accepturum Nebucadnezarem opes & thesauros ut redimatur pax, quod sæpius factum à prioribus regibus, & novissime à Jojakimo, & Zedekia: sed in prædam victoriæ jure: causam autem dicit peccata populi; לכל גבוליך *to* vel ad peccata referendum, ubicunque patrata: nullo termino immuni à corruptione rerum & reatuum: ut Manasse 2 Reg. 21: 16. vel ad thesauros, ubicunque reconditos, qui spolium hostibus erunt. (2.) *Exilium* vers. 14. *Hostes* vocat ipsius, qui adeò hostiliter affecti erant contra ipsum, ut litigarent cum ipso jugiter. Abrab. Hostes dicit esse Chaldæos, quos Deus sit adducturus in terram quam Jeremias non norat, ut etiam secretissima loca peragrarent, & thesauros pervestigarent. Sed per terram ignotam, exilii sedes designari solet. De hostibus autem dicit, *transire faciam in terram ignotam etiam tibi*, hoc est, longe in exilium ejiciam, Sic Jer. 22: 26, 28. *Ratio* est, *ignis iræ accensus, qui ardebit contra* vos, comprehenso Propheta, tanquam membro populi, licet alias ei promisisset privilegium evasionis. Sic alibi ira descripta Jer. 4: 4. & alibi. Sæpius similia minatus est, heic autem significat, nullum robur, nullas opes posse immunitatem dare à judiciis, aut ex iis redemtionem. Iram Dei peccatis accensam violentius ardere, quam ut exstingui illis possit, ut ejus placandæ medium adhibendum sit, quod est Psal. 2: 11, 12.

Vers. 15. *Tu nosti Jehova, recordare mei, & visita me, ac ultionem sume pro me de persequentibus me; pro longanimitate tua ne intercipito me: agnosce me ferre propter te opprobrium.*

Vers. 16. *Quum adfuerunt verba tua, admisi illa, fuitque verbum tuum mihi gaudio & lætitiæ animi mei: quandoquidem vocor de nomine tuo, ô Jehova Deus exercituum.*

Vers. 17. *Non sedi in consilio irrisorum, aut exsultavi: propter manum tuam solitarius sedi: quia indignatione repleveristi me.*

Vers. 18. *Quare esset dolor meus æternus? & plaga mea mortifera, si renueret curari, omnino esses mihi similis fallaci, aquis instabilibus:*

III. *Instantia* Prophetæ habet I. petitionem defensionis vers: 15. II. professionem integritatis in obeundo munere, quoad Deum & homines vers. 16, 17. III. querelam de suâ miseriâ. vers. 18.

I. *Petitio defensionis* vers. 15. constat II. *recitatione suæ calamitatis* implicita, *Tu Domine, nosti.* nempe quæ patiar, quod mihi omnes maledicant, & mecum litigent, quemadmodum ad notitiam Dei provocavit Jer. 11: 20. II. *voto defensionis*, (1.) *de sui cura*, dicendo *recordare mei*, quod initium liberationis & gratiæ Jer. 31: 20. Ps. 115: 12. *& visita me*, visitatione gratiæ Ps. 106: 4. quam constituit in sui vindicatione ab hostibus. (2.) *ultione hostium*, dum dicit, *sume ultionem mei à meis persecutoribus*, ut pœnam ferant omnis injuriæ mihi illatæ, Habet enim ultio locum etiam in hâc vitâ, ratione injuriæ hominibus illatæ, sive facto, sive exemplo; quæ demandata magistratui, & si ab hoc negligatur, à Deo quandoque exercetur temporalibus judiciis, manente ultione qua justitiæ Dei ipsius satisfiat, quatenus ipsius autoritas læsa, dilatâ in diem iræ & διαιοκρισιας. Rom. 2: 5, 6. (3.) *modo ultionis*; dicit enim ne

propter longanimitatem tuam auferas me; dum ipsis differs iram, ne interea ego abripiar morte corporali. Sic mors piorum describitur Ps. 49: 16. Ps. 73:24. poscit proinde ut se superstite sumat ultionem, quo videre & gaudere queat. Ps. 58: 11, 12. III. *Ratione voti* quæ sic exprimitur; *scito me propter te ferre opprobrium.* Interdicta lege ultio privata Lev. 19: 18. cui se adversari nequaquam profitetur: utpote qui nemini causam odii præbuisset; quomodo ultionem meritus esset contra se exercendam, neque peteret ob odium in se privatum, quomodo vindictæ cupiditas in vitio foret: sed quia contra se, ob munus sibi à Deo impositum exerceretur; cariturus omni opprobrio, nisi Dei legationem obiret: quomodo vindicta debebatur non tam sibi, quam muneri suo. Sic petiit contra Anathotenses Jer. 11:20. Quando, propter Deum fertur injuria & contemtus, licet integra conscientia à Deo sui visitationem & ultionem petere. Sic Ps. 44: 23. &c. Ps. 69: 8. & in hanc sententiam multa dicuntur in primâ Petri: & Nehemias quia Dei causam agebat, sæpe petiit, ut sui meminisset. Sed qui peccatis provocant Deum, nec memoriam sui, nec ultionem rite petere possunt, cum ea damno suo cessura sit.

2. *Professio integritatis*, confirmandæ petitioni; ea autem est respectu Dei & hominum.

A. *Respectu Dei* vers. 16. quanta cum voluptate in munere Prophetico versatus fuerit, (1.) *Objectum* & *occasio* est, *Quandocunque verba tua inventa fuerunt*: ut mihi constaret de tuâ voluntate; Non tantum intelligit novas revelationes, singulari inspiratione sibi patefacta Dei mandata & jussa; sed etiam, & quidem potissimum, quæ per Mosen aliosque Prophetas ante se revelata & consignata erant; Nam loquitur de iis, quæ inveniebantur, quæ præstò fuerunt, expositæ usibus cum omnium, Ps. 1: 2. etiam politicorum Deut. 17. Jos. 1: 8. tum inprimis Sacerdotum Deut. 33: 9, 10. quorum de familia & ipse fuit Jer. 1: 1. quibus incumbebat Legem populo quandoque publice prælegere. Hoc ergo objectum & oportunitas ejus, (2.) *Actus circa objectum*, & oportunitatem ejus, *Et comedi ea.* Metaph. non solum prægustavi, fastidioso ore, sed plane deglutivi, in succum & sanguinem converti, non tantum ad voluptatem gustus, sed ad alimentum totius corporis. Sic jussus facere Ezekiel Ezek. 2: 8. cap. 3: 13. Apoc. 10: 9. Significatur plenior & accuratior notitia divinæ voluntatis ex verbo. Quæ admittuntur tantum in os, saporem quidem eorum percipimus, sed latentem efficaciam non sentiemus. quæ comesta transmittuntur in stomachum, vi hujus concoctrice & fermentatrice sic agitantur, ut quicquid latentis energiæ ibi est, inde eductum communicetur corpori. Hinc Ps. 40: 10. & 37: 31. (3.) *Successus* hujus actus neutiquam pœnitendus; *fuit mihi verbum tuum in gaudium & lætitiam cordis mei*: quemadmodum qui cibo gustato recreatur, ut Jonathan gustato melle 1 Sam. 14. & servus Amalekitæ, qui tridui inediam tolerarat 1 Sam. 30. non ut Apoc. 10: 9. &c. ubi secuta tormina, & dolores. Sic dulcedo verbi commendatur Ps. 19: 11. & 119: 103. Neque sine ratione dicit de lætitia cordis; sunt quædam dulcia ori, quæ stomacho amara & noxia quoque, de melle dicitur Prov. 25: 16. Si mel reperisti comede quantum sufficit, ne satiatus nimium, evomas. Conf. Apoc. 10: 9. Inprimis opponitur illis, quorum ora duntaxat percipiunt suavitatem, eâ ad cor non penetrante Luc. 8: 13. Heb. 6: 4, 5. Hinc etiam voluptas non fuit transitoria & evanida, sed constans: quemadmodum quæ non in ore solum sunt, levi negotio exspuenda, sed deglutita, quæ mansura sunt. (4.) *Ratio* denique *gaudii*, quod *de nomine Domini fuerit appellatus*, cujus Deum facit testem. Scilicet quod didicerat ex verbo Dei, sic converterat in succum & sanguinem, ut in omnis sermo & vita ipsius de eo testaretur; nam ex plenitudine cordis, loquitur os Matt. 12: 34, 35. ubi cor vanitatibus mundanis impletum, eas eloquitur. Quemadmodum proverbio dicitur, Navita de ventis &c. sic ubi cor impletum verbis Dei, illa multum sunt in ore. Ps. 39: 2. Job. 32. Elihu Ps. 45: 2. bono bulliente in corde, os & lingua festinant illud eloqui. Sed etiam vita respondens est, Elias vi cibi ab Angelo præbiti ambulavit diutissime ad montem usque Dei 1 Reg. 19. & qui comederunt verbum Dei vi ejus ambulant per universam vitam, usque ad montem sanctitatis Dei: inprimis qui plus comederunt aut comedisse debent vel jactant, præ cæteris sic vivere par est, ut appareat se à Dei nomine denominandos, non à nominibus hominum, vel cupiditatum, vel consuetudinis. Quoniam testis Dominus, Deus Zebaoth, quæ nomina cum terrori sunt negligentibus, tum solatio facientibus.

Cæterum hinc observandum omnibus tam doctoribus, quam fidelibus, quibus omnibus verbum Dei commendatissimum esse debet Col. 3: 16. Eph. 5: 15, 17. I. ut quodvis verbum Dei pari reverentia excipiant, quando inventa sunt verba tua: quia Dei sunt, pretium habent 1 Sam. 3: 1. solicite quærendum Amos. 8. autoritatem, habent Jud. 3: 20. Jer. 37: 17. 1 Thess. 2: 13. sive bona fuerint, Act. 13: 48. sive mala quæ denunciant Esa. 39: 8. 2. ut illud non modo aure excipiant, sed etiam corde, instar cibi deglutiti, Job. 23: 12. Jac. 1: 21. &c. implantatum verbum, non solum auditores, iique oblivioni. 3. ut cognovisse voluptati sit. Ps. 119: 14, 72. ut primi auditores Euangelii inter Judæos & Gentes. 4. ut inde denominationem accipiant, non usurpatione propria, sed rei veritate Deoque teste. Abraham amicus Dei Jac. 2. Joh. 15: 7. Act. 11: 26. χρηματισμὸς Christianorum.

B. *Respectu hominum.* vers. 17. *Non sedi in arcano irrisorum, & consultavi gaudio.* Conf. Ps. 1: 1. sed quod istic נעץ, hic est סוד, itidem consilium, sed mage clandestinum, ut operta quoque caviisse se dicat, qualia Esa. 29: 15. Ps. 26: 4. præterea quod istic לצים est, hic משחקים sensu eodem; quamvis alias לץ semper in malum sumatur, sed ex prava mediæ significationis sit. Sed quid si emphasin etiam hoc attendamus, coll. Eph. 5: 4. ubi non tantum damnatur εὐτραπελία, ἀισχρότης, ἀκαθαρσία, (omnis λόγος πασὴ cap. 4: 29.) sed etiam εὐτραπελία: quod etiam jocorum ratio habenda, & quantum pote ab iis abstinendum. Profitetur autem se hujusmodi hominum consortio & societate abstinuisse; non solum nihil simile patrans, sed neque consentiens vel applaudens facientibus Jer. 11: 15. Rom. 1: 32. Declinavit ergo malorum consuetudinem, ceu sibi displicentem 1 Pet. 4: 2. &c. Contra vero in solitudine vixit: *propter manum tuam, extensam in plagis*: vel deserens consortium peccatorum, tum ne iisdem pœnis involverer Apoc. 18: 4. tum quia incorrigibiles observavi, ut operam in iis ludam Jer. 13: 17. vel desertus ab aliis, qui ingrata loquentem audire nolunt, ut Achab Micham 1 Reg. 21. quod videtur poscere addita ratio, *Nam implesti me indignatione*, uti dixit Jer. 6: 10, 11. Nam non possunt pii non indignari, & indignationem Dei minari iis, qui protervè progrediuntur in omni impietate.

3. *Querela* vers. 18. de suâ miseriâ, *cujus* describit magnitudinem; à perenitate, interrogando, *quare est dolor meus perennis*; vincens, æternus, finem non inveniens: à gravitate, *& plaga mea languida*, debilis; à noxa; *immedicabile malum*; Interrogatio ad vehementiam pertinet. Amplificat à metu desertionis divinæ, deest ה interrog. *an omnino eris mihi mendax?* Abrab. supplet, *fons mendax?* aquæ quæ non sunt fidæ & stabiles? ut torrentes hyberni, qui in æstate exarescunt & deficiunt: quomodo de amicis suis male fidis loquitur Jobus, Job. 6: 15. &c. contra Esa. 58: 11. Deus se dixit fontem aquarum vivarum Jer. 2: 13. Jam si Dei auxilium sibi laboranti non foret præstò, ut aquis illis recrearetur, haberet rationem dubitandi de veritate. Sunt verba non desperantis, sed luctantis. Nam Deus nunquam deserit pios; contingit quidem ut id metuant pii, ut quia sibi sensus conjunctionis periit, opinentur se desertos, atque de eo conquerantur, sed tandem agnoscunt se falsos fuisse Ps. 31: 23. Etenim quem deserit Deus, ei nulla restitutio 1 Chron. 28: 9. deserit autem quos nunquam sibi unierat vere, sed solum externis beneficiis. Sunt enim alioqui dona Dei ejusque vocatio ἀμεταμέλητα. Rom. 11: 29. *Unus* vere destitus fuit Christus, Ps. 22: 2. Matt. 27: 46. hæc enim vox non fuit querentis, aut exaggerantis; sed vere indicantis suum statum; atque etiam Deo quasi in memoriam revocantis: qua de causa eam desertionem patefecerat, videlicet sponsorio titulo; ut quia ipse non deserebat deserentem Deum, quod verba fiduciæ, Eli, Eli, testantur, cessaret obedientiæ constantia superata desertio. Unde etiam liquet nullam mutationem in Deo fuisse, finiente desertionem, sed satisfactorium meritum in Christi constantia.

Vers.

Vers. 19. *Idcirco sic ait Jehova, quandoquidem converteris prout converto te, coram me stas; quandoquidem inquam educis rem pretiosam à vili, tanquam os meum es: reverti debuerant isti ad te, non autem tu reverti ad eos.*

Vers. 20. *Ideò oppono te populo isti pro muro æneo munitissimo, ut oppugnantes te non prævaleant tibi: quia tecum sum ad servandum te & ad eripiendum te, dictum Jehova.*

Vers. 21. *Eripiam enim te è manu malorum; & redimam te è manu violentorum.*

IV. *Responsum Dei* I. monet Prophetam officii vers. 19. II. repetitionem facit promissionis suæ vers. 20, 21.

1. *Officium Prophetæ* ei inculcatur vers. 19. I. *reprehensione*, his verbis. *Propterea sic ait Dominus. Si reversus fueris, & reverti faciam te, coram me stabis.* Si ab ista impatienti dubitatione de fide meæ promissionis redieris per veram conversionem, ego quoque te redire faciam ad functionem muneris tui, ut coram facie mea stes, quod Prophetarum & Sacerdotum est, Deoque ministrantium Deut. 10:8. Jer. 15:1. Etiam Ministri Dei sæpius opus habent reversione ad Deum. Cum vivant inter impuri labii homines, aliquid impuritatis contrahunt Esa. 6. Petrus, Judæi quidam & Barnabas simulatione communi fuere abducti Gal. 2: 12. &c. Hinc Pontifex festo expiationis primum pro suis peccatis debuit offerre: quam hostiam cum Deus imperasset, se reditus primum autorem esse significavit. Sane ineptus est qui stet coram Deo, & doceat alios de veritate Dei, Deumque ea nixus deprecetur, qui ipse de veracitate ejus dubitat. Stare non conversi, non est coram Deo, sed coram mundo, Diabolo. Vel: si redieris ad functionem muneris tui, quod ærumnis fractus meditaris deserere, teque ei subducere, ego te in illo confirmabo. Quidam generalius: *Si revertaris, egoque te redire faciam, coram me stabis*; ut natura conversionis indicetur. Conversio hominis, ut deserat, quod ante sectabatur malum, atque in contrariam partem vertatur; sed ea non procedit, nisi accedat efficax conversio Dei Joh. 6:44, 65. Qui convertitur solus, nunquam stabit coram Deo. Subinde vel metus pœnæ, vel spes commodi, vel aliud quid persuadet desertionem peccati, sed quia omnis ista conversio ab homine est, cessantibus istis considerationibus redibit ad priora; nihil enim stabile in homine, qui natura mendax; sed si conversio Dei sociata fuerit, causamque dederit conversioni hominis, habebit ista stabilimentum, neque homo ad Deum adductus inde abibit, sed stabit, manebit & perennabit. Potest hæc explicatio priori conjungi; quæ tamen scopo & connexioni convenientior esse videtur. II. *Hortatione ista; & si pretiosum è vili eduxeris sicut os meum eris.* Pretiosum è vili educere, est illud ab hoc distinguere, illud inde separare, hoc repudiato relicto, rejecto: Hoc faciendum ratione doctrinæ, ut vera discriminetur à falsa, verbum Dei à palea Jer. 23. Dei Scriptura ab humana traditione: ut Esa. 29:13 Matt. 15:3, 6. faciendum etiam ratione personarum, ut & hic pretiosos à vilibus distinguat Ps. 15:4. aurum & argentum secernat à plumbo & ferro. Sicut os meum eris. Deus enim rite judicat, neque fraus illi unquam fieri potest, unde conflare dicitur, uti metalla solent fundi, & examinari secernique; & qui conforme Deo fert judicium, est quasi os Dei, ut Esa. 3: 10, 11. contra Ezek. 13:19, 22. Qui pretium hominum æstimant ex veste, non sunt os Dei in suo judicio Jac. 2:1. &c. Quidam ad Prophetam referunt, si te pretiosum eduxeris è vili, & secesseris à malorum consortio: oris mei instar eris: quod ad praxin ipsius pertinebit, atque ad seqq. potius. III. *Dehortatione*, cum ait; *Revertantur illi ad te, sed tu non revertaris ad illos.* Si quæ debeat esse unio tui cum illis, fiat ea conversione ipsorum ad te, ut monitis tuis cedant, non autem tui conversione ad ipsos, ut ipsorum moribus & cupiditatibus accedas. Hoc fit quando ad hominum arbitrium doctrina instituitur: quod est hominibus placere Gal. 1; 10. atque id consistebat in defendendo traditiones: quo declinarat metu Judæorum Petrus & Barnabas, cap. 2:12. &c. Unum opponit multitudini universæ, & illum non plurium, sed plures unius arbitrium atque exemplum sequi jubet. Modo pretiosum à vili secernatur, juxta voluntatem Dei, ut verba Dei inculcentur jugiter, nam unde verba Dei prodeunt, eatenus os Dei est, nulla multitudinis contrariæ autoritas est. Et huc facit Exod. 23:2. Micha contra 400. Prophetas Baalis 1 Reg. 22. Apostoli & Stephanus contra Synedrium Act. 4, 5, 7. Commendandus eo nomine Nicodemus Joh. 7:48. &c. Accedere ad placita hominum, excusare peccata, & cuivis speciei resipiscentiæ promittere pacem; non est ejus qui ut os Dei erit. Neque enim hoc leges accipit, sed dat, adeoque ad illud, & qui ejus instar verba Dei loquitur Joh. 3:34. accedendum est.

2. *Repetitio promissionis* vers. 20, 21. Fore invincibilem populo, instar *muri ahenei*; non quod non oppugnandus, sed quod oppugnatus non queat expugnari; cujus tamen firmitatis causa non ab ipso, sed à solo Deo, qui talem facit, quique præsto est ad servandum & eripiendum; vel avertendo pericula, vel ex iis liberando. Quod denuo dicit amplificando ab hostium descriptione, quoad voluntatem mali, quoad facultatem violenti, tyranni, unde sit ereptus, & quasi lytro redemtum indemnem præstiturus. Similis promissio facta in primâ vocatione Jer. 1:18, 19.

CONCIO VIII.

CAP. XVI.

HÆc continuatur usque ad cap. 17:19. & quatuor constat partibus I. Typis & applicationibus eorum, ad designandam imminentem calamitatem, vers. 1--9. II Convictionibus populi de peccatis & justitia pœnarum, inspersis promissionibus Euangelicis vers. 10. cap. 17:4. III. Confirmatione denunciationis vers. 5--13. IV. Precatione vers. 14--18. De tempore nil constat. Verisimile tamen ex primis fuisse, antequam consilium cepisset ineunde matrimonii, quod apud Judæos satis tempestivam esse consuevit.

Vers. 1. *Et fuit verbum Jehovæ ad me, edicendo.*

1. Typos & applicationes vers. 1--9. Antecedit *Generale mandatum*, vers. 1. uti autoratur à Deo ad exhibendum typum. Neque enim ulli typi habent efficaciam ad convictionem conscientiæ, nisi quos Deus instituit. Vulgo dicitur Theologia allegorica non est argumentiva: siquidem ab hominum voluntate & ingenio profecta sit; sed quam Deus ipse dictavit, parem cum demonstrationibus vim habet. Actio Prophetæ futura erat typica, quia Deo imperante suscepta: sic cum cingulum induit, quod post corruptum fuit Jer. 23. amphoram fregit cap. 19. jugum ligneum, inde ferreum gestavit cap. 27, 28. Contra quæ Pseudoprophetæ fingebant; cornua ferrea Zedekiæ 1 Reg. 22. fractio jugi lignei Hananiæ Jer. 28. mendacii convincuntur. Typus talis fuit jussu Dei Esaias discalceatus, Esa. 20. Hoseas uxorem scortum ducens Hos. 1:3. Ezekiel migrationem instituens Ezek. 12:6, 11. uxorem defunctam nec voce, nec gestu lugens cap. 24:21, 27. Ubi reperitur verbum מופת, quo notatur *demonstratio* rei futuræ, sive vires naturæ excedat, ut in prodigio, miraculove, sive non. מופתים Hebræis, *demonstration & ἀπόδειξις*. De Personis usurpatum notat signum ejusmodi, cujus exhibitione, id quod significatur adeo manifestum fit, ut spectatores ejus ad credendum invitentur. Sic David Ps. 71:7. fidei felicis. Usurpatur Zach. 3:8. uti quidam volunt esse I. qui prodigia edere queant, Jonathan sed non habemus memorata miracula à Josua aliisve post Capt. Bab. patrata. II. qui miraculose ex Babel rediissent. Sed nil miraculosi factum, uti quidem cum ex Ægypto excesserunt, & hoc commune omni populo reduci. III. qui ob fidem promissionis, inter tot impedimenta restitutionis, aliis exemplo forent. Verum non soli Sacerdotes fidei exemplaria fuerunt, quorum crimina notata in libb. Ezræ & Nehemiæ & successores defectionis arguuntur à Malachia cap. 1. & 2. IV. qui impio populo intolerabiles & probrosi viderentur, Calvinus. Sed impietas reducum non probatur, contrarium docente historia Neh. 8,

9, 10. & populus æque ac Zorobabel & Josua in reædificando templo laborarunt. Hag. 12. Convenientissimum, quod fuerint typici homines, exemplaria, typi Sacerdotis futuri in ipsorum locum succelluri, & Sacerdotium ipsorum non verum, sed ostentum, signum adumbrans veri ac futuri. Nam hac propter subjungitur, nam ecce adducam servum meum Germen, quem isti typici adumbrant, & tunc non amplius signum sed signatum erit intuendum: quamobrem etiam ibidem Deus se Zebaoth dicit, temporum moderatorem, qui Sacerdotibus Aaronis definiverat militiæ tempus, quamdiu essent servituri singuli Num. 3, 4. atque etiam toti Sacerdotio Levitico: atque tunc illam militiam, umbræ servientem abolituros. Sic igitur typi cessant, quemadmodum umbra cedit corpori, & signa præsenti rei significatæ.

Vers. 2. *Ne ducito tibi uxorem; neque sunto tibi filii aut filiæ in loco isto.*

Vers. 3. *Nam sic ait Jehova de filiis & de filiabus natis in loco isto; & de matribus ipsorum quæ peperint ipsos, & de patribus ipsorum qui genuerint ipsos in terra ista.*

Vers. 4. *Mortibus ægerrimis morituri sunt, non plangentur, neque sepelientur, pro fimo in superficie terræ erunt: & gladio ac fame deficient; eritque cadaver eorum cibo volatilibus cæli & bestiis terræ.*

Typi per Jeremiam repræsentandi sunt tres, abstinentia I. à conjugio vers. 2--4. II à cœnis lugubribus vers. 5.--7. III. à conviviis lætis vers. 8, 9. & singulis rationem significationis addit.

Primi typi mandatum est vers. 2. *ne ducat uxorem*, neque *quærat liberos, istic loci.* Non quod alibi, aut aliunde quærere debeat, sed quod, dum istic viveret, ubi ministerii ratione vivendum erat, abstinere vellet eum à conjugio. Quidam hæc tantum ad visionem referunt: quasi minus conveniens foret tale quid Deum imperare. Sed satius res sic gesta creditur. Nam quod Deus imperat bonum est: quemadmodum cum Ezekieli luctu ob amissam charissimam conjugem interdixit. Ezek. 24. quamvis id à moribus honestatis communis videretur alienum: quia id significatum volebat quod pariter se habiturum erat: uti in Hoseæ nuptiis cum scorto: quandoquidem solis Sacerdotibus tali matrimonio erat interdictum, qualis Hoseas non erat, ut nulla lex violaretur. Et licet de liberis ex adulterio conceptis diceretur (quod tamen ex textu non liquet) nullum erat peccatum mariti si adulteram conjugem servaret domi, sed magistratus, si adulteros non plecteret.

Verum Pontificii plus inde concludunt, quam res patitur. Interdictum volunt Ecclesiasticis (aut saltem consultum,) conjugio & legitimis liberis. Sed nihil tale mandatum Sacerdotibus, de quorum connubiis, sive inferiores forent, sive summus cautum erat legibus Lev. 21: 7, 13, 14. quorum cum unus esset Jeremias, ne jure communi uteretur, speciali mandato, personali prorsus, fuit cohibitus. Ezekiel habuit uxorem Ezek. 24. habuit etiam Esaias uxorem Esa. 8. & liberos cap. 7, 8. de quibus dicit quod secum sint signa & typi Israelitis à Domino cap. 8: 18. cum nomina mystica gererent, & Schearjaschubh, & Maherschalalchaschbaz. In N. T. quoque Apostoli conjugati fuerunt; quod licet Paulus & Barnabas non forent, ille tamen utrique eandem libertatem vendicat, æque ac cæteri Apostoli, & fratres Domini & Cephas 1 Cor. 9: 5. 6. & generaliter asserit Heb. 13: 4. quod non tam opinioni cœlibatus, quam solicitæ Judæorum curæ in deligendis uxoribus opponitur.

Est vero argumentum contrarium in textu, I. non interdicitur absolutè, sed restrictè ad eum locum: Alibi suo exemplo neminem erat impediturus; utpote hortans jussu Dei deportatos, ut liberis darent operam. Jer. 29: 4. &c. II. neque interdicitur ratione ordinis & muneris, ut sanctior foret, aut aptior ad illud obeundum: sed solum ob calamitates imminentes, quomodo omnibus illud dissuadet Paulus 1 Cor. 7: 26, 29, 32. & infeliciores dicit conjugatos Christus Matt. 24: 19, 21. Nam *ratio interdicti* est: vers. 3, 4. *calamitas*; cujus *subjectum*, personæ passuræ eam, liberi geniti, cujuscunque sexus & ætatis, & parentes gignentes. Non deerant conjugia, neque fructus conjugiorum, liberi; sed quod benedictioni alias erat, jam majori cedet calamitati, ut felices sint futuri, qui sterile conjugium, vel etiam nullum habebunt; quemadmodum dicitur Hos. 9: 11. &c. Luc. 23: 28. &c. *Ipsum malum* est, parentibus & liberis commune futurum, *Mortibus dolorificis morientur*, nemo lugebit mortuos, nemo tumulabit, ut in publico computrescant. *Causa* autem *mali*, bellum & fames, ut vel vulneribus contrucidentur, vel inedia tabescant, quod utrumque dolorificum. Et non sepultorum conditio, ut pabulum fiant feris avibus rapacibus. Potest forte τὸ מכות תמותים referri ad pestem, cujus tabes & contagium tale, *ut ne* quidem feræ velint attingere; unde in fimum redigantur: sed qui consumti gladio & fame, illa esca feris. Sic tria illa judicia quæ cognata alias, etiam hîc sociarentur.

Vers. 5. *Quin sic ait Jehova, ne ingrediaris in domum desponsatoris, neque ito ad plangendum, neque condoleto eis: nam recepi pacem meam à populo isto, dictum Jehovæ, benignitatem & miserationes.*

Vers. 6. *Quum mortui fuerint magni & parvi in terra ista, non sepelientur, neque plangent eos, neque cæsuram sibi, neque calvitium inducet sibi pro illis* quisquam.

Vers. 7. *Neque impartientur* cibum *illis in luctu ad consolandum ullum de mortuo; neque bibendum dabunt* eis *expoculo consolationum de patre ullius & de matre ullius eorum.*

Secundi typi mandatum vetat communionem in luctu ipsorum, quia illachrymati sint morituri magno numero, & uti tumuli, sic luctus honore carituri. vers. 5, 6, 7. Recitat autem *Ritus* in funeribus usurpatos, quorum aliqui à gentilibus mutuati erant, atque à Deo vetiti, sed quos usurpabant, unde promiscue recensentur, ceu pariter omittendi. Sunt autem illi, II. *Convivium funebre*, vers. 5. בית מרזח *domus luctus*, non simpliciter, sed ubi convivium agitatur, unde מרזח ejusmodi *convivium* & luxus, Amos 6: 7 Epulum vel coctio qualis in exsequiis mortuorum fiebat. Romanis familiare epulum funebre, uti & Græcis, aliisque populis: Sed etiam Judæis in usu fuit. Hieron. hoc loco. Moris est lugentibus ferre cibos, & præparare convivium, quæ Græci περιδειπνα vocant: & à nostris vulgò appellantur parentalia. Huc pertinet epulum post funeratum Abnerem habitum, 2 Sam. 3: 35. quando convenerunt τοῦ συνδειπνῆσαι ἔτι τῷ, ut funebre convivium inirent cum David, qui tamen illud distulit usque post occasum Solis. itemque Ezek. 24: 17. לחם אנשים creditur esse cibus afflictorum ob mortem alicujus, sive funestum. Sic Josephus auctor est, Archelaum defuncto patre Herode exhibuisse populo lautum epulum ferale, ἐπιτάφιον ἑστίασιν: additque hoc luxus genere circa mortuos, ad pauperiem plures redactos fuisse. Et solent vulgo Judæi lugentibus ob mortuum primo die mittere cibum & convivatum ad ipsum venire, ut aliis quoque se curæ esse videat, quando ob luctum obliviscitur pane suo vesci. Huc referenda quæ dicuntur vers. 7. de dividendo cibo, & pronuncianda desuper benedictione, quomodo τὸ מוניאו פרים על usurpat Chaldæus pro ויגיד הובח quia idem frangit panem & distribuit; quod de submissis cibis fit in illa quam vocant הבראה ubi quoque poculum consolationis præbebatur, quo illud Prov. 31: 6, 7. referunt.

II. *Consolatio verbalis*, quâ & deplorant defuncti amissionem, & superstites solantur: sic amici Jobi cap. 2: 11. & David Bathsebam filiolo mortuo 2 Sam. 12. Planctus formulæ sunt Jer. 22: 18. cap. 34: 5. III. Incidebant sanciabantque corpus, & evellebant capillos; quod ethnico more factum cum lex interdixisset. Lev. 19: 28. Deus Prophetæ interdicit duo priora, quæ legitime alias fieri poterant, non tertium; quia cum illicitum foret, norat ille sibi inde abstinendum,

nendum, maxime cum Sacerdos foret, lege peculiari prohibetur Lev. 10: 6. & cap. 21: 4, 5.

Ratio est: quia Deus abstulisset omnem materiam solaminis, quæ nulla solida nisi in miseratione Dei, & nulla spe meliorum eos erigi vellet. Ablatam autem dicit I. pacem suam, prosperitatem tranquillitatemque quam ipse largitur cordi & conscientiis, ut in ejus voluntate quis possit acquiescere, quia Deum habet conciliatum & amicum. 2. benignitatem & miserationes, qua indebito beneficio, & movente lugentis calamitate & miseriâ quis ad συμπάθειαν excitatur. Heic affixum non additur, uti quidem in priori, quomodo non restringitur ad Deum, sed æque potest referri ad creaturas, ut hominum negetur benignitas & miseratio, quæ crudelis est Prov. 12: 10. eoque major erit crudelitas ipsa. Sæpius enim minatur, eos se hostes immissurum, qui nesciant misereri. Si ad Deum: Pax compendium boni omnis: hanc sublatam restituere potest benignitas; vel saltem totalem destructionem avertere misericordia: sed hæc simul removenda dicuntur, ut inevitabile sit malum.

Obj. Quomodo hoc conciliandum cum Hos. 1: 6, 7. ubi Judæ promissa miseratio? Resp. I. Apud Hoseam misericordiare mota non est perpetuititis vers. ult. II. concessa Judæ, quod ad restitutionem ex Bab. post continetur eodem Lo Ammi. III. pariter Israel & Juda restituendi, elapsa periodo desolationis. Apud Jeremiam possunt distingui tempora ablatæ I. pacis, in captiv. Babyl. Jer. 29: 15. II. misericordiæ in exilio præsenti: quia utramque restitutionem respicit v. 15. Aut de ablatione intelligendum illi generationi, & ad tempus duntaxat.

Effectus porro negationis hujus, vers. 6. mors promiscua, densa senum & juvenum funera, quibus nec sepultura obtingat, nec cujusquam luctus, quomodocunque testatus vel licitis, vel illicitis modis, qui tum obtinebant in degenere populo. non planetus (סְפֵד enim de gestu externo lugentium dicitur,) non fœdatio corporis, unguibus lacerando genas, aut incidendo ferramentis, non evulsio crinium; non missitatio ferculocum ad solandum lugentes, vel propinatio vini eundem infinem; ne quidem ob conjunctissimos, & quibus maximus debetur honos vi præcepti divini, ob parentes. Res eodem redit cum præcedentibus istic vetat conjugium, ne lugendos habeat ipse, cum calamitate communi sint involvendi: heic ne lugentibus conjungatur, quod ipsa lugendi voluptas peritura sit, propter magnitudinem. Quo etiam typus Ezekielis pertinet Ezek. 24.

Vers. 8. *Denique in domum convivii ne ingrediter, ut assideas eis; ad comedendum & ad bibendum.*

Vers. 9. *Nam sic ait Jehova exercituum Deus Jisraelis; ecce ego facturus sum ut cesset à loco isto ante oculos vestros & diebus vestris; vox gaudii & vox lætitiæ, vox sponsi & vox sponsæ.*

Tertii typi mandatum vers. 8. prohibet consortium gaudii: ne accedant ad convivium, ut epulis ipsorum participet, sive fuerint nuptialia, sive alia; quod omnem materiam gaudii Deus sit amoturus. vers. 9. quoque & cap. 7: 34. fuit minatus. Commemorat gaudii testimonia in genere, deinde quod præ cæteris tale, & unde totius vitæ reliquæ manabat lætitia, nuptialia. *Vox sponsi.* Joh 3: 29. Sic Jer. 25: 10. Apoc. 18: 23. Autor autem hujus defectus Deus ipse, Circumstantia loci, personarum, temporis, faciunt ad amplificationem.

Cæterum duo hæc mandata non eo faciunt, ut stoica ἀπάθεια commendetur, quasi non liceret vel lugere defunctos, vel lugentibus condolere, vel denique conviviis interesse. Contrarium mandatur Rom. 12: 15. 1 Cor. 12: 25, 26. Quod 1 Thess. 4. prohibetur luctus ob defunctos, immodicus ille est, gentilium more, non moderatus; & Christus ad lugentes solandos accessit, Jairum, Naimiticam viduam, Mariam & Martham, neque abstinuit conviviis, etiam nuptialibus, Luc. 7: 14. Joh. 2. Neque etiam Jeremiæ vetitum affectu humano deflere calamites populi, & quidem tanto magis quanto ea fuit mage immedicabilis; nam imperatum ipsi Jer. 14: 16, 17. & per ipsum aliis cap. 9. vers. 17. seqq. Sed prohibetur tum quod ob extremitatem malorum, nec lugendi animum aut facultatem sint habituri, nec materiam & occasionem lætitiæ. tum quia minister Dei, & præco justitiæ ipsius, non debeat dolere, ceu improbans Dei actiones. Unde Samueli mandatum ne lugeat Saulem 1 Sam. 16: 1. Debet enim minister Dei posito privato affectu Dominum induere, & gloriam Dei charioremhabere quam indemnitatem impiorum. Sicuti propinquorum amor ponendus est, quando Christo jungimur, sic quoque quando illi justo Dei judicio à Christo sejunguntur. Salvo semper privato affectu qua homines sunt: sic luxit Absalomum David, & Paulus Judæos Rom. 9: 10. Sigilli loco est, inquit Dominus Zebaoth, Deus Israel ad certitudinem judicii. Potentia & veritas infallibilis, invincibilis, & zelus fœderis, cujus vindicias sit acturus.

Vers. 10. *Erit autem quum indicaveris populo isti omnia verba hæc; si dixerint tibi, propter quid eloquutus est Jehova contra nos totum malum maximum istud? & quæ est iniquitas nostra, aut quod peccatum nostrum, quo peccavimus Jehovæ Deo nostro?*

Vers. 11. *Ut dicas eis, eo quòd dereliquerunt majores vestri me, dictum Jehovæ, & sequuti deos alienos coluerunt eos & incurvaverunt se eis* honorem exhibentes: *me autem dereliquerunt, & legem meam non observarunt.*

Vers. 12. *Vos porrò pejus feciſtis quàm majores vestri; nam ecce sequimini quisque sententiam animi sui pessimi, non auscultando mihi.*

II. *Convictio* de peccatis & justitia judiciorum proponitur I. in genere, vers. 10--15. II. in specie enarratio tam pœnis quam peccatis, vers. 16—vers. 4. cap. 17. Proponitur autem.

Convictio I. *de peccato*, per prolepsin 10. ad quam respondetur vers. 11, 12. II. de pœna vers. 13—15.

1. *Prolepsis* vers. 10. Est quæstio populi, cujus occasio, indicium à Propheta factum. *Et fiet, quando indicaveris ipsis omnia ista verba.* Non sequintur hinc in visione duntaxat ista omnia facta esse, quod indicarit ipsis Propheta: sed indicium consistit, in exponenda causa suæ abstinentiæ. Quum cœlibem vitam ageret, nec lugubres nec lætos ritus, juxta cum reliquis observaret, singularitatis istius quæsitæ ratio; atque sic Jeremias divini mandati, & typicæ significationis fecit indicium.

Hâc auditâ quærunt, quæ causa tantorum malorum interminatorum? Similis quæstio Jer. 5: 19. sed hic plura dicunt; & pejora. Agnoscunt gravissima mala esse quæ prædicerentur, sed non, quoad se saltem, justissima, & hac propter inquiat. *Quare hæc minatur Deus?* quæ causa? ea non sapientissimo justissimoque Deo deesse nequit. In se quidem illam repertum iri non credunt; nam addunt *& quæ iniquitas nostra, aut quod peccatum nostrum?* quasi nec levius nec gravius quicquam admisissent; saltem quo reifacti simus Domino Deo nostro. Conf. Hos. 12: 9. Sunt iniquitates quæ non sunt peccatum in judicio humano, hoc est propter quas civilium pœnarum quis reus sit, fraus aliqua aut mendacium in commerciis, rigor in exigendis debitis, justi pignoris detentio &c. Sic quoque coram Deo rem se habere rentur, (non secus ac Pontificii, qui nonnulla peccata venialia faciunt ex suâ natura etiam coram Deo.) ut fœderi suo non adversum quid admisisse crederentur. Sic ergo malunt justitiam Dei criminari, qui se insontes autumant, suum reatum non agnoscentes. quæ φιλαυτία hominibus familiarissima est: Agnoscitur quidem justitia Dei quoad alios qui puniuntur: sed nequaquam quoad quemvis ipsum. Blandiuntur sibi homines & indulgent, cum tamen a sui condemnatione quivis deberet erudiri, utpote sibi magis conscius, quam novit alios. 1 Cor. 2: v. 11. eoque Lam. 3: vers. 38. justa loquitur Deus, sive prospera fuerint, sive adversa; justitiam horum deprehendet, quisquis semetipsum fuerit intuitus. Ps. 51: 5. 1 Cor. 11: 30. &c.

2. *Responsum Prophetæ* Dei nomine pronunciandum coarguit peccatorum vers. 11: 12. Declarat pœnas vers. 13.

(1) *Peccata* ſunt I. *Paterna* verſ. 11. deſertio Dei, quæ probatur (1) *Converſione* ad idola & eorum cultum, tam internum, ſervili animo, quam externum, geſtu corporis: (2) *Averſione* à Deo, probatâ inobedientia voluntatis ipſius. II. *Propria*, verſ. 12. comparatè, pejores patribus facti: abſolute, publicè ſuæ duntaxat cupiditati pravæ ſervientes, obſirmato contra Deum animo; quod explicatum Jer. 44: 15. &c.

Verùm hoc loco occurrit dubium. An juſtè potuerint puniri Judæi propter peccata parentum? quod Deus hîc minatur, & Eſa. 65: 7. Sunt enim qui id prorſus injuſtum putant ex Ezek. 18: 4--20. hoc ſine potiſſimum ut Originale peccatum negent, quoad reatum primæ inobedientiæ. Huc ergo refer quæ dicta ad Jer. 2: 9.

Verſ. 13. *Propterea ejiciam vos è terra iſta in terram quam ignoraſtis vos & majores veſtri: & coletis ibi deos alienos interdiu & noctu, quamdiu non dedero vobis gratiam.*

(2) *Pœnæ* ſunt, *Exilium*, ejuſque mala verſ. 13. indicato I. *Autore*, ipſe enim dicit & *transferam vos*. Sed cum violentia, uti cum quid projicitur: ſic poſcit הטיל; uti cum projicitur ſors Prov. 16: verſ. ult. ita Eſa. 22: 7. ubi מלטלה גבר viri nou patientis, ſed agentis validè, & robur ſuum exſerentis: Aſt Jer. 22: 28. diſtinguitur à projectione. II. *Termino* utroque; terra patria & peregrina; quæ ab ignorantia propriâ patrumque deſcribitur uti Jer. 22: 28. III. *Actionibus* ibi patrandis; quæ ſunt alienatio à Deo, & apoſtaſia ad idola, voluntaria, עבדתם *ſervietis*, (opponitur תעבדם Exod. 20: 5. quod violentiam indigetat) & conſtans, interdiu & noctu.

Object. ſed qui hoc congruit dicto Ezek. 20: 32? Reſp. Comminatus eſt Moſes generatim Iſraeli tale judicium, Deut. 4: 27. &c. Atque hoc factum eſt in X tribubus, quæ in exilio ſuo manſerunt, & tandem penitus defecerunt, gentilium moribus & idololatria adſcitis: quæ potiſſimum cauſa quare iſtius Iſraelis notitia fere interciderit. Veriſimile enim magis magiſque verſus Septentrionem ex Aſyria & Media receſſiſſe, & inde in Tartariam, Chinam, Americam quoque ſeſe diffudiſſe. Idem minatus Deus eſt per Jeremiam Judæis, quod etiam impletum in iis plerisque qui abierunt in Ægyptum Jer. 44: 25. &c. qui cum eligerent idololatriam, Deus juravit, plane amiſſuros cognitionem & profeſſionem Dei, quemadmodum Rom. 1: 21. ſeqq. Verum de Judæis, qui in Babylonem deportati erant, exceptio loquitur Ezek. 20: 32. neque tamen ſimpliciter, nam verſ. 39. permittit ipſis abire in conſiliis idololatricis; ſed non vult miſceri nomen & profeſſionem ſui: interim pollicetur, nunquam ſe permiſſurum ut in perpetuum à ſe deficiant, ſed velle tandem ad ſe revocare omnes, ſic tamen ut quemadmodum cum Iſraele ex Ægypto educto egit, quorum impios proſtravit in deſerto, alios in Cananæam introduxit, ſic quoque velit perdere impios, & reſiduum gratia ſua complecti. Quod etiam textus habet, declaratâ IV. *Diuturnitate*, אשר לא אתן לכם חנינה quidam rationem faciunt. Quia vel *nam non faciam vobis gratiam*. Quomodo ſignificabitur quod Jer. 30: 23. Joh. 3: verſ. 36. 1 Theſ. 2: verſ. 16. Anathema Eſa. 43: verſ. ult. Mal. 4: ℣. ult. Græci, οἱ δώσουσιν ὑμῖν ἔλεος, legerunt יתנו Hier. *qui non dabunt vobis requiem. De falſis diu; quicquid peccamus quicquid die & nocte facimus & malorum operum perpetramus; imperium eſſe dæmonum, qui nunquam nobis dant regem, ſed ſemper impellunt, delictis augere delicta & cumulum facere peccatorum.* Sed non eſt abſolutè intelligendum, cum ubique debeat excipi reſiduum, reliquiæ quod ad electionem Gratiæ Rom. 11: 5–7. Alii: quibus non faciam vobis gratiam, hoc eſt, quibus veſtrum, ut ſit reſtrictio ad eos qui gratia excluduntur. Sed convenientiſſime duratio notatur, *ſervietis die & nocte quibus non dabo vobis gratiam. Quamdiu gratiam non dabo, miſericordiæ meæ & converſionis veſtræ, idololatriæ inhærebitis.* Sic Abrab. Unde inſigne argumentum neceſſitatis gratiæ, & impoſſibilitatis propriæ converſionis: Continuatur idolatria & error quivis & quicquid impietatis eſt, Deo non dante gratiam. Conf. Rom. 1: 21. (Act. 14: 16. item Eſa. 44: 19, 20. In Talmude Sanhed. cap. 11. fol. 98.) eſt nomen Meſſiæ quum enim quæſtio eſſet de ipſius nomine, quidam dixerunt, ויגא שמו כנא אשך לא אתן לכם חנינה Ergo terminus eſt Meſſias datus ipſis; non oblatus tantum in Evangelio, ſed datus ut eum recipiant, eoque fruantur. Atque hoc ſuadet nexus verſ. 14, 15. promittens Meſſiæ gratiam, licet diutiſſime dilatam, uti Jer. 30: 24.

Verſ. 14. *Idcircò ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ; quibus non dicetur amplius; vivit Jehova, qui evexit Iſraelitas è terra Ægypti.*

Verſ. 15. *Sed, vivit Jehova, qui evexit Iſraëlitas è terra Aquilonis & ex omnibus regionibus quo depulerat eos: poſtquam reduxero eos in terram ſuam quam dederam majoribus ipſorum.*

Nam ne crederent ſe prorſum abjectum iri, deſcribit exundantiam gratiæ tandem exhibendæ: *Quamobrem*, ob ejus gratiæ mentionem quam feci, &c. Indicat autem I. *Certitudinem*, *Ecce dies venient, dictum Domini.* Domini oraculum eſt נאם יהוה, qui utique vera certaque loquitur, & ipſius ſunt *dies* verſ. 74. qui cuique mortalium ſuos præfinivit, & ubi locorum eos tranſigere debeat Act. 17: 26. qui cum dicat *venturos*, nequeunt emanere, ſed ſuo tempore aderunt, alias definite אחרית הימים, ubi tamen latitudo magna, cum omnes dies Meſſiæ ſic appellentur, & extrema pars illorum, quæ converſionem Judæorum habebit Jer. 30. verſ. ult. Hoſ. 3. verſ. ult. II. *Magnitudinem*, à comparatis inæqualibus, ſeu minori. Ea eſt in formulis quibuſdam, ſummorum beneficiorum memoriam facientibus; quorum majus ſuccedet minori: *Non dicetur amplius*; Hoc ergo dictum fuit, familiaris prædicatio ejus beneficii. Vita Dominus. Eſt hæc jurandi formula, per appoſitionem; ſed per regimen quando creaturæ mentio fit; quia vita à Deo non differt; ſed differt à creatura, ubi Dei eſt actio, & providentiæ ejus influxus Act. 17: 28. Heic formula profitendi religionem, ut Jer. 4: 2. cap. 12: 16. Eſa. 19: 18. Cæterum Minus beneficium eſt: qui adſcendere &c. Ægypti. Beneficii hujus magnitudo eſt quoad ſalvatos. *Filii Iſrael* univerſi, ut nullus eorum relinqueretur, ne ungula quidem relicta, Exod. 10: 9–26. ut nullus eſſet æger Pſal. 105: 37. quoad ſalutem, *ex Ægypto*, ubi in detinebantur, & cum dimiſſi eſſent, claudebantur mari. Multæ ſunt commendationes mirandæ potentiæ Dei dum hanc liberationem confecit: & maximum fuiſſe bonum teſtatur initium Decalogi, quoad ſalvatorem, prophetam ἀπροφήτευτον, Moſen. Hoſ. 12: 14. Deut. 34. extremis. qui non bello & armis, ſed verbo promiſſionis & mandati divini eos duxit, unde verbum ipſo internuncio propoſitum, perpetuæ legis vim obtinuit. Mal. 4: 4. &c. Matt. 23: 2, 3.

Majus beneficium ſic indicat, *Sed vita Deus* &c. quoad ſalvatos, *filii Iſrael*; cap. 23: 8. Semen filiorum Iſrael, quoad ſalutem, *ex terra Aquilonis & ex omnibus terris quo diſperſi eos*; addito termino ad quem; qui idem quo ſpectabat eductio ex Ægypto, ſed hîc reſtituitur. Heic verò inquirendum, quæ ſit iſta liberatio major. Certum eſt non eſſe eam quæ ex Babylone. Nam I. non habuit conditionem expreſſam; *ex terra Aquilonis & omnibus terris &c. in terram &c.* Fuit ea quidem ex terra Aquilonis. Babel ad ſeptentrionem ſita, ut & Aſſyriâ. Sed ſolum inde? nulla adhuc facta diſperſio per alias terras: & II. non fuit major Ægyptiaca: 1. quod ad ſalvatos, hîc omnes & ſinguli, nemine relicto; iſtic duæ tantum tribus, nec hæ integræ, multis manentibus in Babele: & ex aliis tribubus, unus de urbe, duo de familia Jer. 3: 14. pauciſſimi: ut X. tribus non rediiſſe, dici queat. 2. quoad ſalutem, non exemit poteſtate hoſtili, cui ſuberant. Fatentur ſe in terra ſibi à Deo data eſſe ſervos regum terræ Neh. 9: 36. &c. in quo juſtitiam Dei agnoſcunt contra ſe, non autem ut in liberatione Ægyptiâ, contra hoſtes. 3. quod ad modum ſalutis. Ægyptia illuſtris miraculis; Bab. nullis omnino inſignis, Ezr. 2: 8. capp. præter unum illud, quod Deus cor Cyri flexit in favorem Judæorum. Hieron. *Manifeſtè in hoc populi Iſrael reſtitutio prædicitur, & poſt captivitatem miſericordia: quæ juxta literam ſub Zorobabel, & Jeſu Pontifice, & Ezra ex parte completa eſt, juxta intelligentiam*

tiam ſpiritualem verius atque perfectius in Chriſto complenda deſcribitur, veniet, inquit, tempus, quando nequaquam dicetur quod populus reductus ſit de Ægypto per Moſen & Aaron, ſed reductus de terra Aquilonis, Cyro rege Perſarum laxante captivos: & de univerſis, inquit, terris qui nequaquam Cyri, ſed ultimo fine complebitur dicente Apoſtolo, poſtquam ſubintraverit plenitudo gentium tunc omnis Iſrael ſalvus fiet. Sanè per reſtitutionem ex Babel huic vaticinio non fuiſſe ſatisfactum, liquet à tempore, quando eis dabit תנינה quæ in Chriſto Jeſu facta Joh. 1: verſ. 17. atqui eam non conſecuti ſunt ſolutâ captivitate, Chriſto circiter 420 annis poſt demum nato: & cum exhibitus in carne demum cepit ipſorum anathema, & ſecluſio à gratia. Unde Jer. 23: 5-8. ad ultima tempora regni Meſſiæ refertur, & Judæorum extremam reſtitutionem. Hinc factum ut etiam reſtituti ex Babel, liberationem Ægyptiacam prædicarint ceu maximam, & cui ſimilem nullam habuerint. Eſt ergo longe major, quæ adhuc reſidua *eſt populi Dei*, Major Ægyptia: *tum* ob antegreſſam calamitem: quæ hîc major, quam in *Ægypto*: iſtic dura ſervitus, ſed omnium in uno loco; magna benedictio Dei, ut quo magis premebantur, eo magis augerentur & roborarentur, affligens corpora potiſſimum dura ſervitute. aſt nunc ea quæ non tantum diſpergeret populum per varias terras, ut nulla ſocietate conjuncti manent, ſed etiam excluderet gratia Dei, fruitione fœderalium beneficiorum: & quæ alia mala habet anathema iſtud. *Tum* ob liberationem ipſam, quæ Ægyptiam eouſque excedet, ut illius memoria propemodum aboleatur, ceu quæ ad hanc ne quidem ſit comparanda: quod ad ſalvatorem, qui itidem Propheta, quem exſpectarunt Joh. 6: 14, 15. Luc. 24: 19--21. Hoſ. 1: 7. Luc. 1: 68. ſeqq. quod ad modum ſalutis: Ægyptiacæ æquatur. Hoſ. 2: 14. Mich. 7: 15. & huc reſpicitur Eſa. 11: 15. cap. 27: 12. quod ad ſalvandos, in genere Domus Juda & Iſraelis ſimul, Jer. 3: 18. cap. 23: 6. cap. 50: 20. cap. 31. Eſa. 11: 11. &c. Hoſ. 1: 11. Ezek. 37: 16--22. in ſpecie, ne quiſquam negligatur. Amoſ. 9: 9. Eſa. 27: 12 Ezek. 39: 25. ad fin. quemadmodum nemo neglectus fuit in Ægypto. Extrema loquuntur de reſtitutione in terram ſuam, Cananæam; neque enim alia eſt, quam patribus dedit, habetque oppoſitionem ad terras diſperſionis quæ proinde nequeunt eſſe idem cum iſta Conf. Ezek. 47: 14.

Sed Judæis olim heic natum dubium, an poſſit perire memoria Ægyptiacæ liberationis quia dicitur. Deut. 16: 3. Reſp. ipſi, Comprehendi diebus vitæ tuæ (nempe gentis Iſraeliticæ) etiam Meſſiam, hæc autem recordationis ceſſatio, non abſoluta eſt, ſed ſecundum quid, ut Hoſ. 6: verſ. 6. Jer. 7: v. 22. primariam fore memoriam ultimæ liberationis, aſt Ægyptiacæ ſecundariam. Enimvero maxima erit poſterior, ut prioris non magna habeatur ratio. Paſcha fuit memoriale primæ, à nemine uſurpandum niſi qui fœderatus; & ſolùm in Cananæa loco certo, licet azyma ubique terrarum obtinere debeant. Sed celebrari deſitum eſt vaſtato templo per Romanos. Verùm novæ liberationis memoriale eſt S. Cœna, quæ Paſchati ſucceſſit, & ſuccedet etiam apud Judæos, quando liberati fuerint. Abrab. tantum in profeſſione ſeu juramentis memoriam poſterioris ſubſtitutum iri docet, utpote jugitur animo hærentis. Pſal. 16. verſ. ult.

Verſ. 16. *Ecce ego miſſurus ſum ad piſcatores multos, dictum Jehovæ, ut piſcentur eos; & poſtmodùm miſſurus ſum ad multos venatores, ut venentur eos ex omni monte, & ex omni colle, etiam ex projecturis petrarum.*

Verſ. 17. *Quia oculi mei* advertunt *ad omnes vias eorum, non ſunt abſconditæ à facie mea, neque eſt abdita iniquitas eorum ex adverſo oculorum meorum.*

Verſ. 18. *Et rependam primùs duplum iniquitatis eorum & peccati eorum, eo quòd prophanaverint terram meam; cadaveribus rerum deteſtabilium ſuarum, & abominationibus ſuis impleverint poſſeſſionem meam.*

II. *Convictio* Specialis *de pœnis & peccatis.*

Deſcribit pœnas, verſ. 16, 17, 18. atque hîc

(1.) *Inſtrumenta* pœnæ verſ. 16. Equidem hæc Hieronymo & aliis videntur Evangelica, & *piſcatores* atque *venatores* deſignare Apoſtolos, qui tempore gratiæ Iſraelem eſſent collecturi, quemadmodum piſces & feras congregari mos eſt: ut cohæreant proxime antecedentibus. Sed non quadrant ſeqq. quibus ratio redditur immittendi judicii. Præterea licet Piſcatoribus conferantur Apoſtoli, & præcones Evangelii Matt. 4: 19. cap. 13: 47, 48. & Ezek. 47: 10. non tamen Venatoribus: quæ ſimilitudo quadrat Satanæ Pſal. 91: 3. auceps, & pſeudoProphetis Ezek. 13: 18. & Nimrod tyrannus נבור ציד Gen. 10: 10. Et hoc loco de hoſtibus uſurpatur, juxta Hebræos quidem Piſcatores ſunt Chaldæi & Babylonii, de quibus Hab. 1: 14. &c. qui magnam multitudinem piſcium ſimul reti concludunt, & ex aquis ſuis extrahunt, tum necandos illicò, tum in alias piſcinas deponendos: ſic totam Cananæam ſubigentes, tum necarunt incolas, tum per colonias in Aſſyriam, Mediam, Babyloniam deportarunt. Venatores vel iidem Chaldæi, vel quod illi malunt, Romani, Jer. 4: 16, 17. qui feras deliteſcentes ex ſuis luſtris exigunt, perſequuntur, capiunt, aut ſaltem in fugam agunt, ut ſubſiſtere nuſpiam tuto queant. Sic Romani Judæos ex ſuis munitionibus ejectos, ceperunt & perdiderunt, nuſpiam tutum locum invenientes, & qui non occiſi, aut capti; venditive ſunt, miſerè toto orbe fuerunt diſperſi. *Succeſſus* enim promittitur hiſce, in genere piſcatoribus: in ſpecie venatoribus; qui omnia loca perreptant, ſumma ima, aperta operta, ut feram inveniant, & capiant fugentve. Minatus ſic fuit, non evaſuros Amos. 9: 2: 3.

(2.) *Impulſiva*, verſ. 17. notitia viarum criminoſarum: quæ ſibi notiſſimæ ſint. Hanc notitiam etiam occultiſſimorum tribuit Deo Jer. 32: 19. & Deus ſibi vendicat Jer. 7: 11. cap. 29: 23. Multa eſt Scriptura in aſſerenda omniſcientiæ Dei, vel hoc fine ut judicii juſtitia aſſeratur. Jerm. 17: 9, 10. 1 Chron. 28: 9. Heb. 4: 13. Sic Pſ. 94: 9. &c. Nemo ergo ſecreti ſpe peccet; nihil tectum à Deo, ut nihil ipſi clauſum, ubique præſens, omnium proinde conſcius, & certiſſimus teſtis Jer. 23: 23, 24.

Gravitas pœnæ verſ. 18. *Retributionem* vocat, quaſi redditionem debiti, quæ temporales pœnæ habebat; cum proprie ultimæ ſit Rom. 2: 5, 6. reſpectu Dei vid. ſed ſic quoque appellatur, quibus compenſatur injuria illata homini, (ſic pœnæ ab humano judicio ſtatutæ compenſationem habent, ſive pecuniariæ, ſive corporales: & capitales; ubi ſumma mors corporis: quas qui toleravit juſtificatus eſt Rom. 6: 7. unde de maleficorum capitali ſupplicio dicitur, **gejuſtificeert:**) vel etiam terræ, quæ heic ratio, nam Lev. 18: 25, 27, 28. & cap. 26: 34--35. *Culpa* enim hîc eſt, profanatio *terræ*, quæ Dei, atque ipſi ſolum incolæ & emphyteutæ; peccatur autem ſi quis emphyteuta fundo perperam utatur, & profanatio eſt, impletio ejus (quam hereditatem ſuam dicit, quia eam diſtribuit, ceu teſtator inter hæredes filios.) cadaveribus deteſtationum & abominationum ſuarum; Intelligit idola, quæ his nominibus veniebant, & totam terram implebant, omnes urbes & vicos, omnes colles & arbuſta Jer. 2: 20--28. cap. 3: 6--9. cap. 11: 13. *Cadavera* autem ſunt vel idola, quæ plus cadaveribus non poterant, Deo æque exoſa erant, ac cadavera in Sacrificiis, & tantam quoque pollutionem afferebant, vel Sacrificia, idolis oblata, quæ non alio loco ſibi erant quam morticina, polluentia quotquot ea tangerent, iiſve operarentur. Quod verò dicitur Reddam ראשונה משנה quidam divellunt, & prius ad tempus referunt, poſterius ad actionem in tempore exercendam. *Quia novi vias ipſorum malas*, priuſquam promiſſa illa bona largiar, reddam duplum peccatorum. Duplum autem iſtud relationem habet vel ad peccata, parentum & liberorum verſ. 11, 12. facientium & conſentientium Rom. 1: 32, Iſraelis & Judæ Jer. 3: 6. &c. vel ad modum pœnæ: quæ ſit in ſummo gradu, ut duplum, Eſa. 40: 2. & ſeptuplum Lev. 26. quod alias dicitur cum fœnore reddere, ut ſors & uſura ſimul ſolvatur: aut non ſolum externa, ſed etiam ſpiritualis; non ſolum humana ſed etiam divina manu infligenda: Poteſt etiam duplum dici reſpectu infligentium pœnas, vel Dei, qui cum patris rationem haberet reſpectu primogeniti Iſraelis, uti parum ſupplicii ſatis eſſe videtur, tamen ſeve-

rissime velit agere; unde inimicus dicitur factus Esa. 63: 10. Jer. 30: 14. Lam. 2: 4, 5. vel hostium, qui quatenus læsi erant duplo malorum rependerent Zach. 1: 15. Apoc. 18: 6. Quidam utrunque referunt ad peccata; Reddam primum, quicquid antecedentibus temporibus peccatum est, Matt. 23: 31. &c. inde à sanguine Abelis, secundum, seu reliqua eaque propria peccata: ut prima postremis socientur; Verum æque commode utrunque pertinet ad pœnam, ejusque tempora; ut sit sensus reddam semel & iterum, (ut Gen. 43: 12--15--21, 22.) adeoque geminum exilium notetur. Bab. & Rom. quandoquidem de restitutione ex utroque vaticinatus est. Sic Abrab. qui primo terræ ultionem sumtam dicit, Lev. 26: 34. &c. 2 Chron. 36: 21. posteriore vice cætera peccata esse vindicta. Certum autem est ultionem nunc sumi omnis sanguinis innocentis, quod inde ab Abele effusum est, & in Christi nece consummatum quodammodo.

Vers. 19. *Jehova robur meum & munitio mea, perfugiumque meum in die angustiæ: ad te gentes venient è finibus terræ ac dicent, utique falsum possidebant majores nostri, vanitatem & inutilia.*

Vers. 20. *An facturus esset sibi homo deos? atqui isti non* sunt *dii.*

Vers. 21. *Idcircò ecce ego faciens ut experiantur illi vice hac, demonstrabo his manum meam & potentiam meam; ut cognoscant nomen meum esse Jehovam.*

Hic vero per parenthesin immiscetur *Solatium Prophetæ* vers. 19, 20, 21. Qui severissimi judicii denunciatione facta, se in Deo solatur, qui juste puniens impios populi sui, tamen gratiæ suæ non sit futurus negligens, sed eam exerciturus tum erga se, vers. 19. tum erga Gentes vers. 19, 20, 21.

Erga se quidem vers. 19. Deus *robur, fortitudo, refugium meum in die angustiæ.* Quamvis judicium illud gravissimum sit exercendum, piscatoribus & venatoribus omnia perdentibus, maxime cum multiplicati fuerint, ut nemo ipsos videatur evasurus; multoque minus, quando Deus ipse ultionem Instituet: tamen in illo die angustiæ, *Deus robur meum* &c. quo oppugnare hostes, me tueri, me saltem recipere queam; illud aperto marte congredienti hostibns, illud intra munitionem me tuenti, hoc saltem in latebris me occultanti. quomodo suo exemplo docet reliquias, quas Deus tuturus sit, ut eodem judicio non absumantur, quod quidem aliis exitio erat futurum. Hæ reliquiæ Judæorum.

Erga Ecclesiam gentium, vers. 19. &c. quorum recitat I. *accessum*; *Ad te gentes venient ab extremis terræ.* Dum talia patientur Israelitæ, semel, iterum; & Deus populum suum abjecisse videbitur, non deerit ipsi amplissima Ecclesia; nam ad ipsum venient gentes &c. Sic Jer. 3: 17. cap. 4: 2. Esa. 2: 1. &c. cap. 11: 10. cap. 49: 5. 6. II. *Professionem*, condemnantem priscam idolatriam; eam dicunt hæreditariam, successione confirmatam, à parentibus autoritatem nactam, & ceu bonum potissimum ad posteros propagatam; sed condemnant *Mendacii*, meræ deceptionis; *Vanitatis*, meræ stultitiæ; & *Inutilitatis*, meræ noxæ. De idolorum vanitate & damno, jam sæpius dixit: similis confessio resipiscentis Israelis Jer. 3: 23, 24. sic 1 Thes. 1: 9. detestantur v. 20. *An faciet sibi homo Deos? utique isti non sunt Dii*, vid. χειροποίητοι. Act. 17: 29. Impossibile ut effectum toto genere præstantius sit sua causa. Fiunt Dii ab hominibus, qui ipsimet Dii non sunt. Si factitius quis Deus detur, is à Deo factus esse debet; Dii vero hominum, quibus divinas virtutes honoresque tribuunt, ab hominibus, nihil divinitatis habentibus constituuntur, eoque non habent & ipsi divinitatem. Membrum posterius vel ad hominem efficientem, vel ad factitium Deum referri potest; sensu eodem, nisi quod priori modo argumentum confirmetur ab indignitate efficientis. Cæterum sic patet veram conversionem habere non solam confessionem, sed etiam detestationem prioris vitæ; quemadmodum Esa. 30: 22. Act. 19: 18. &c. III. *Efficacem conversionem* vers. 21. Quidam hæc referunt ad seqq. ut ad pœnam Judæorum pertineat; sed non dicit מוריע בם quod de pœna dicitur Exod. 10: 2. cap. 14: 18--30. verum מוריעם, quod gratiæ potiùs. Rectiùs ad Gentes spectatur, quibus conversionis gratiam Deus faciat, ubi tempus, propterea notum facio ipsis hac vice, postquam agnoverint & detestati fuerint vanam idolatriam: ipsis ostendam veritatem. Vel hac vice, nunc primum (ut Gen. 2: 23.) quando iterum plectam Israelem, cui soli antea notum feci me, meaque verba Exod. 6: 2. Ps. 103: 7. Ps. 147: 19, 20. notitiam illam dabo Gentibus. *Autor & beneficium, connotantur, notam ipsis faciam manum & potentiam meam.* Nempe Evangelium gratiæ & salutis. Ps. 98: 1. &c. & 67: 2. &c. & 97: 6. &c. hæc potentia exseritur in conversione ad fidem. Rom. 1: 16. Eph. 1: 18. &c. quæ etiam in docendo observanda, Act. 11: 21. Hoc non factum in captivitate in aut liberatione ex Babel, non patefactum nomen Dei gentibus, ut converterentur; sed hac vice durante exilio & liberatione futurum erat. Exilio & anathemate Act. 13: 46--51. cap. 18: 6. &c. Rom. 9: 31. &c. cap. 10. atque etiam liberatione cap. 11: 11. &c. potentia autem Dei ostenditur per Evangelium Rom. 1: 16. & in iis qui credunt Eph. 1: 18. &c. & convictione omni 2 Cor. 10: 4, 5. *Successus* denique, *& cognoscent nomen meum.* Hoc est, me ipsum, nam Deus est nomen suum, & filium Dei, nam nomen Dei in ipso est. Exod. 23. quomodo salutaris notitia indicatur Joh. 17: 3. Filius notificat Patrem Joh. 1: 18. Matt. 11: 27. Joh. 17: 24. & qui ipsum etiam filium novit Joh. 14: 7. Notitia nominis Dei salutaris est: qui ignorant, sine Deo & spe sunt in mundo, Eph. 2: 11. Gal. 4: 8. Ps. 79. contra qui norunt Psal. 91: 14. &c. & pariter qui Filium Messiam Actor. 4: 12. Nomen autem illud dicit יהוה quod veracitatis in promissionibus significationem habet Exod. 6: 2.

CAP. XVII.

COnvictionem specialem instituit de pœnis, ab instrumentis, piscatorum & venatorum instar acturis, à causa impulsiva, Dei notitia criminum ipsorum, à gravitate pœnæ, repetita calamitate & exilio. Et ne de populo & Ecclesia prorsus actum esse quis putaret, inserviit Propheta fiduciam suam tum de sui conjunctione cum Deo constante, tum de adductione Gentilium ad Ecclæsiam agnitis & condemnatis prioribus viis: quam etiam Dei *ipsius promissione* confirmat, qui eo demum tempore, *quando* secundum exilium Israelitæ paterentur, esset Gentibus se revelaturus. Hinc verò redit ad convictionem de peccatis Judæorum vers. 1, 2. quibus denuo pœnas denunciat vers. 3, 4.

Vers. 1. *Peccatum Jehudæ scriptum est stylo ferri, & scalpro lapidis perdiuturni; exaratum in tabula cordis eorum, ad cornua altarium vestrorum:*

Vers. 2. *Cum recordentur filii illorum altarium suorum; & lucorum suorum ad arbores virentes, ad colles altissimos.*

Peccatorum convictio peragitur testimonio triplici, I. interno conscientiæ, vers. 1. II. Externo actionum religiosissimarum, vers. 1. III. Externo, liberorum professentium, vers. 2.

(1.) *Testimonium Conscientiæ est* vers. 1. *Peccatum*, seu reatus, *Judæ scriptum est stylo ferreo, & cælo smyritis sculptum est super tabula cordis ipsorum.* Cor confert tabulæ; & cum illud lapideum dicatur Ezek. 36: 26. cui calamo nihil inscribi queat, quod non facile eluatur & aboleatur, proinde scripturam stylo ferreo factam ait; quo saxis marmoribusque inscribuntur literæ: aut si durius sit, adamantis instar, aut alius materiæ durissimæ, cælo, scalprove Smyritis, insculptam, incisamque profundius, ut characteres sint indelebiles. שמיר *adamantem* quidam reddunt, sed convenientiùs est σμύρις, Dioscoridi lapis, quo utuntur annularii ad exterendas geminas; uti & vitriarii ad vitrum scindendum, quod duritie ea est, ut ferro non cedat, neque ejus admittat incisionem, sed dissiliat illicò. Hebræi fabulantur שמיר esse vermiculum findentem & secantem maximos durissimosque lapides, & hoc Mose usum in sculpen-

sculpendis gemmis pectoralis, & Salomonem in parandis lapidibus templi citra ferramenta. Sed affinitas nominis σμύρις esse ostendit, quo in sculpendis figillis utuntur, unde Job. 91:6. שמיר redditur à Græcis ὡς σμυρίτης λίθος. Est autem שמיר durior rupe Ezek. 3: 9. utpote scindens durissima: Atque huic confertur durities cordis Zach. 7:12. Cæterum quod notitiæ Dei fortè suam ignorantiam opponere possent, hic arguitur, licet oblivio obrepsisse potuerit negligentibus, vel inducta esse studiosè, aliis rebus mentem distrahentibus, tamen non deesse ipsis testem domesticum, cor & conscientiam, (nam etiam cor conscientiam denotat: percussio cordis conscientiæ accusatio est 1 Sam. 24:6. 2 Sam. 24: 10.) ubi ceu in libro signata reperiantur omnia dicta, facta, cogitata; ut qui cor intueatur, etiam notas illas altissime insculptas observet. Scribuntur omnia hominum in libris Dei; habet memoriales Mal. 3: 17. pro piis, & in genere pro omnibus Apoc. 20: 12.-15. Dan. 7:10. Et unusquisque habet domesticum librum, cui itidem sua omnia inscribuntur à conscientia, qui authenticus codex est, in judicio proferendus: ut creditoris debitorisque rationes conferantur, Jer. 2: 22. Rom. 2: 15. Fiet istud in ultimo judicio, quando exactissime omnia producentur, neque aliud homini imputabitur, quam quod in hominis conscientia scriptum reperietur. Quæ fidus Dei amanuensis nihil notare negligit, licet homines non animadvertant, neque vel socordia, vel tædio oculos eo reflectant. Estque hic observandum Ezek. 36: 26. promitti cor loco lapidei carneum, conversis. Sculptura lapidis durabilis est. Hinc Sethus ejusve posteri saxis lateribusque insculpsisse dicuntur scientias & artes, ne periret memoria; Joseph. lib. 1. cap. 5. Malorum cor lapideum sculpturam peccati nunquam amittit, eoque in ultimo judicio integra erit, prodetque omnia: Sed piis datur cor carneum; si caro prematur, cedit quidem, sed redit ad priorem statum: sigillum si quis imprimat cuti, vestigium videtur, sed brevi rursum evanescit: aut si ferro fiat incisio, & vulnera scindantur, ea quoque sanantur, & obducta cicatrice abolentur: sic peccata ipsorum, licet notam faciant, tamen mollitie cordis resipiscentis redeunt ad pristinum statum; & graviora vulnera, ceu quæ in carne facta, pariter sanantur, ut legere Scripturam istius modi non liceat. Hebræorum aliqui stylum ferreum Jeremiam dicunt, qui columnæ ferreæ confertur Jer. 1. & Ezekielem cœlum smyridis, quia talis facies ejus fore dicitur Ezek. 3: 7. qui asperis convictionibus penetrarint ad cor Judæorum, & nomine Dei eis peccata objecerint. Sed istud longius petitum est, & plenior conscientiæ actio, quæ conscia omnium hoc munere satis exactissime defungitur. Videmus autem hinc actionem conscientiæ. Cor notas habet profundas ob quemvis reatum; Adami quidem reddidit homines Æthiopum instar nigros plane. Jer. 13: 23. Amos. 9: 7. quæ nigredo penetrat cutem, indelebilis. quemadmodum quæ saxo, quæ vitro inscripta ferro vel Smyrite, nullâ aqua eluuntur. Quod dicitur de impiis κεκαυτηριασμένοι τὴν ἰδίαν συνείδησιν 1 Tim. 4: 2. idem confirmat; qui cauterium accepit non sentit postmodum, sed nota tamen exstat evidentissima, quam videt quisquis intuetur hominem nudum; sic quoque quæ in corde notata licet sensus experte. Sed cauterium furis est testimonium expiati, conscientiæ expiandi peccati. Et hinc nunquam desunt testes contra homines; licet conscium nullum habeant suorum scelerum, habent conscientiam, & hæc plus fidei meretur quam testes mille, 1 Cor. 2:11. ut cuivis conscientiæ ratio habenda, eaque reverenda sit.

(2.) *Testimonium actionum religiosissarum* sic exprimit, vers. 1. *& super cornua altarium virorum.* Mutatio est personæ, non infrequens Prophetis, ut jam in secunda, jam in tertia persona loquantur. Jam quod sensum attinet, Lev. 4: 7, 18, 30. Sacrificiorum expiatoriorum pro peccato sanguis illinebatur cornibus altaris, ut extaret testimonium effusæ ad expiationem animæ vicariæ, & in altari sanctificatæ; Hoc ritu utebantur Judæi; sed cum testimonium expiationis esse debuisset; jam adducebatur ceu accusationis. Scil. quia hostiæ immolabantur, non tam Deo, quam idolis, Jer. 7: 9—18. aut quæ Deo, sub opinione satisfactionis. vers. 21, 22. cum tamen non nisi typicam haberent significationem. Igitur illitus Sanguis fuit chirographum sui reatus, cujus præsentiam testabatur, expiatione non secuta, neque vi hostiarum brutarum, neque fide in Christum respiciente quæ ipsis aderat.

(3.) *Testimonium liberorum* sequitur vers. 2. *Sicut recordantur filii ipsorum, altaria eorum, & lucos ipsorum juxta* (עַל ut Ps. 1:3.) *omnem arborem viridem & super omnes colles excelsos.* Adeo familiaris est idololatria, ut liberi inde à teneris, nihil familiarius in ore habent, quam altaria, & lucos: quotiescunque vident arborem viridem aut collem excelsum: quasi ibi quoque inventuri altare, cultusve monimentum, ceu ubi frequentiæ erant Jer. 2:20. cap. 3:6. Conf. Jer. 7: 17. &c. cap. 9: 14. Alii: affectum idololatrarum putant, indicari, quam charos habent liberos, quorum semper meminerunt; tam chara sibi altaria ostendunt, jugi commemoratione. Jer. 44: 16. &c. Sic foret testimonium cordis, actionum, & oris.

Vers. 3. *Montem meum cum ipso agro, copias tuas, omnes thesauros tuos direptioni exponam; excelsa tua propter peccatum in omnibus terminis tuis.*

Vers. 4. *Ita intermissionem facies tu, &* qui sunt *apud te à possessione tua quam dederam tibi, faciamque ut servias inimicis tuis in terra quam ignoras: nam ignem accendistis in ira mea,* qui *usque in seculum inflammabitur.*

Pœnæ descriptio, quæ *universalis* vers. 3. *Montem meum cum agro.* vers. 3. Hierosolymam vocat *montem*, quod montibus inædificata & circumsessa esset, Ps. 125: 2. & *montem meum*, quia Deus sibi eum vendicarat, ubi collocatum Sanctuarium, Ps. 2: 6. & sæpius mons sanctitatis Domini. Sic indicatur sedes cultus Sacri, & genuinum ejus exercitium, quando alibi nefas erat illi vacare; ritibus magnam partem illi loco alligatis. *Cum agro* autem, quippe circumjacentia erant plana: denotantque privatas possessiones, perituras cum publicis, templo & metropoli: adeoque terram reliquam complectitur. Præterea *copias tuas*, multitudinem incolarum, tam in urbe quam in agro; & *thesauros tuos*, opes congestas, non solum auri & argenti, sed etiam annonæ Jer. 41: 8. *dabo in prædam*; Imo etiam loca idololatrica, *excelsa tua*, *cum peccatis*; designari videntur altaria ad falsorum Deorum cultum excitata Hos. 8: 11. *in omnibus terminis tuis*, ut nullum evadat instrumentum falsi cultus, quamcunque multiplicata fuerint Hos. 10: 1. Jer. 11: 13. Quæ sane πανοπλία, ut nihil evadat, vel sacrum vel profanum, publicum aut privatum. II. *Gravissima*, vers. 4. Exilium, *Deserts* (nempe terram, quæ quoties quiescebat Sabbaticis annis, fruebatur sua שמיטה: jam autem plane deserenda, & ejus cultura omittenda erat; quemadmodum Lev. 26.) imo *desertus eris ab hæreditate tua*; uti tu illâ, sic hæc te carebit: quamquam justo titulo habeas possessionem, donatione divina, quæ ipsis facta dicitur, quia Abrahamo & semini ejus data, quod erant ipsi, expressi proinde in tabulis donationis. וּבְךָ per parenthesin insertum & *quidem propter temet ipsum.* Scilicet ne Deum pœnitere diceret, & donationem retractare, culpam ipsis adscribit ut Jer. 2: 19. Hos. 13: 9. Exilii autem gravitas, servitus sub inimicis, *in terra ignota.* Est ea gravis in propria terra 2 Chron. 12: 7, 8. Neh. 9: 36, 37. gravior autem in terra alienâ ignota, Jer. 16: 13. c. 22: 28. III. *Diuturna*, nam, inquit, *ignem accendistis in ira mea*, *in seculum.* tempore longo, ut finem perspicere nequeat quisquam, *ardebit.* Rem dixerat Jer. 15: 14. & minatus fuerat cap. 4: 4. Verum hic quoque autores dicit esse Judæos ipsos: qui causam dederant. Sic de Zedekia loquitur Jer. 38: 23. Etenim Esa. 27: 4. Crebrius ista fuere jam proposita, quæ ostendunt, nihil damnosius esse peccato, utpote quod omnibus beneficiis privat, & omnibus calamitatibus subjicit, ut nec homines, nec Deum, quis amicum habeat, uti contra piis utrique sunt propitii Prov. 16: 7.

Vers. 5. *Sic ait Jehova, maledictus vir ille qui fiduciam habet in homine; & statuit carnem brachium suum, à Jehova autem recedit animus ejus.*

Vers. 6. *Erit enim similis nudatissimæ* arbori *in*

loco campestri, quæ non sentit quum advenit bonum, quæ sita est in *siccissimis* locis *in deserto, teara salsuginosa & in habitabili.*

III. CONFIRMINATIO DENUNCIATIONIS, vers. 5--13. quâ rejicitur præsidium quo nitebantur Judæi, vers. 5--10. tum occurritur objectioni ea occasione surgenti vers. 11--13.

I. Exilium & servitutem, sæpius denunciata mala, Judæi arbitrabantur se declinare posse, præsidiis sibi paratis humanis, (nam de devino non sperare quicquam, poterant cum inde omnis calamitas esset ventura.) Auxilia Ægyptiaca erigebant ipsos in spem securitatis: quod objectum & repudiatum etiam alias Jer. 2: 18--36. Esa. 30: 31. cap. Sed præsidium istud rejicitur I. ab autoritate Dei, vers. 5. II. ab inutilitate vers. 5, 6. III. ab oppositio veræ ac salutaris fiduciæ; vers. 7, 8. & tandem subjungitur certitudo fiduciæ bene vel male collocatæ vers. 9, 10.

II. *Autoritas Dei* inculcatur, *sic ait Dominus.* formula quidem solita, sed quæ relationem habeat ad fiduciam in homines vel Deum: Etenim hinc patet Deum solum optime de fiducia judicare. Homines mendaces sunt, nemo sibi ipsi satis fidus, ob proprii cordis fraudulentiam: omnes sibi ipsis nimis blandi, non tam utilia, quam placentia loquentes: ut quicquid homo vel sibi vel alii suadet aut commendat, jure suspectum sit. Immo inepti homines ad consilium hîc dandum, ob sapientiæ necessariæ defectum, & defectum quoque possibilitatis, Job. 8: 9. Sed Deus omnium gnarus; de omnibus optime judicat & pronunciat: sapientissimus Esa. 40: 28. 1 Tim. 1: 17. Heb. 4: 13. & is consulit homini Job. 35: 11. Psal. 94: 10. & 16: 7.

2. *Inutilitas fiduciæ humanæ*, vers. 5, 6. cujus tendit.

(1.) *Stoliditatem* καρδίας Fiducia collocata (1. מגבר *à viro*, à virtute seu robore denominato: non quod absolute robur ejus commendetur, ut se ipsum respiciat, & in se acquiescat. Hab. 1: v. 10. אתיאשות ista sui ipsius æque vitiosa & continetur sub communi conditione, & ipse homo est. Sed relate ad objectum fiduciæ, præbet argumentum convincendo, quod validior innitatur debiliori; vir arundini & quidem fractæ, non sustentaturæ; ac ruptæ, scissuræ innitentis manum ut de Ægypto Ezek. 29: vers. 6, 7. (2.) באדם *in homine* est ea nobilissima creaturarum terrestrium, attamen creatura, & inde à lapsu corrupta, debilis, desinens. In statu felicissimo, de terrâ terrestris Gen. 2: 7. 1 Cor. 15: 47. & quid nunc aliud quam habitantes domos luteas Job. 4: 19. &c. Nemo qui sapit, quærit præsidium in eo, quod se plus roboris non habet; mendicus mendico nequit esse auxiliator. Neque homo homini, respectu ejus quod omnium hominum vim æqualiter superat, felicitatis & beatitudinis consummatæ. Nam divitiæ, honores, potentia, robur, non mutant conditionem hominum. Psl. 39: 6: 12. & 49: 7. &c. & 62: 10. & 146: 3, 4. Est 2: 22.

3. *Ponit carnem brachium suum.* Brachium est instrumentum roboris, quod homo brachio exercet; unde de robore dicitur Psal. 83: 9. Esa. 33: 2. Est autem robur, quia validis ossibus instructum. Jam si mera caro foret, nullo esset robore, cum caro mollis sit, cedens, non cedere faciens. Atqui homo totus quantus est, caro est, non plus roboris habens, quam caro; unde denominationem sortitur Psal. 78: 39. Esa. 40: 6. & hinc non metuendus homo adversarius. Psal. 56; 5--12. Esa. 31: 3. & tribuitur potentissimis brachium carneum, id est debile 2 Chron. 32: vers. 7, 8. καρδία, *corde suo recedit à Domino*: vel *cor ipsius recedit à à Domino.* Est declaratio prioris, quod tum demum appareat stolidum esse in homine confidere, quando corde deseritur Deus. Nam dum adhæret quis Deo fiducia cordis, non aliter confidit creaturis, quam instrumentis à Deo subministratis, per quæ Deo placet beneficia sua largiri. Sic Deut. 8: 4. non solo pane vivit &c. Sic dedit Deus Judices populo, & Gideoni addidit 300. Verum solent homines carnalem fiduciam, (hoc est quæ non nisi carne, & hominibus nititur) palliare hoc prætextu, corde suo se adhærere Deo. Hac propter istud adjungitur, immo ad convictionem vitii in thesi. Vera fiducia, (quæ cordis proprie est, & habet conscientiam propriæ indigentiæ & imbecillitatis, nec non persuasionem sufficientiæ alienæ, & sibi usurpandæ,) non nisi una est, uti unum cor; si hæc creaturam respiciat, jam à Deo se avertit: uti nequit aliquis simul Cœlum & Terram intueri, unum oculum fixum, alterum deorsum flectere. Fiducia autum intuitu significatur Psal. 121: 1. Ps. 103: & 145: 15. Conf. Matt. 6: 29. & oppositionem Psal. 146: 3, 4. & 118: 8, 9. Est verò magna stoliditas, deserto Datore omnium, ab egenis creaturis expectare; & impietas simul, bonitatis & potentiæ, & sufficientiæ gloriam, Deo ereptam, creaturæ tribuere Jer. 2: 13. Esa. 31: 3. Imo cum cor hominis animam notet Psal. 73: 27. & 84: 3. nova stultitia est immortalem spiritum facere dependentem à carne neglecto Deo & patre spirituum omnis carnis.

Quæst. An ergò omnis fiducia in homine est aversio cordis à Deo? Resp. Si in homine vel creaturis aliis Deus respicitur, neque aliter ad illa quam ad instrumenta; utique licitum est. Hos. 2: 22. &c. Jer. 14: vers. ult.

(2.) *Damnum*: *Simpliciter*, maledictio. vers. 5. *Maledictus*, sic autem comprehenditur omne quod miserum & calamitosum, maxime cum à Deo pronuncietur. Talis habet Deum iratum sibi, destinantem sibi & parantem, tandemque inflicturum, quicquid molesti sapientia ejus invenire, justitia decernere, potentia infligere potest, ut malum sit infinitum numero, intensione, duratione. *Figurate* vers. 6. instar myricæ, habentis quidem radicem, sed in loco arido, qui non fœcundatur à superveniente pluviâ, cum non penetret, sed absorbeatur ab arena sitiente; neque hac de causa adscendit in altitudinem conspicuam, sed manet humilis, non faciens umbram refocillantem; nisi forte bufonibus, lacertis, serpentibus, unde terra illa deserta est ab hominibus, qui non incolunt eam, & fructibus Deut. 29: 23. quia salsuginosa est. Sic qui homini confidit; habet quidem radicem defixam, cor adhærens homini, unde vitam & vigorem trahit; sed est terra arida, quia pluviam benedictionis superuenientem absorbet, ut parum redundet ad communicandum confidenti, ut Josepho à pincernâ. Umbra damno potius est Esa. 30: 2. seq. quod Achaz expertus 2 Chron. 28: 20. ut tandem solus exsuccus maneat. Psl. 73: 27.

Vers. 7. *Benedictus vir ille qui fiduciam habet in Jehova, & cujus confidentia est Jehova.*

Vers. 8. *Nam erit similis arbori plantatæ secundùm aquas & secundùm processum* aquarum *mittenti radices suas, quæ non sentit quum advenit æstus, sed sunt folia ejus virentia: & anno cohibitionis non est sollicita, neque desinit quin faciat fructum.*

3. *Fiduciæ divinæ utilitas.* vers. 7, 8. Cujus ostenditur.

(1.) *Prudentia, à collocante.* גבר *vir*, qui roboris connotationem habet, prudentiæ edit documentum, si non perfidat sibi, sed imperfectionis suæ conscius, fortiorem robustioremque extra se quærat, cui se suaque omnia credat, & à quo defensam constantem consequatur. Virtutis profecto est semet ipsum vincere, & abnegata virtute viribusque propriis non acquiescere, nisi reperto validiore. II. *Ab eo in quo collocatur.* ביהוה *in Jehova confidens*, qui אדוני, omnis extra se essentiæ autor, merâ sua voluntate, quicquam promissis essentiam largiri potest, præstando illa Et hoc quoque prudentiæ est, cum extrinseco opus est fulcro: deligere solidissimum: ubi nunquam defectus sapientiæ potentiæque, ut & invenire & efficere queat, quæ auxilio præsidioque sint: etiam in desperatione omnium aliorum creare salutem, & media eò facientia: nec defectus voluntatis, ut ex abundantia suâ velit communicare, quæ necessaria, quæ utilia; & qui solatiis animat erigitque quibus tandem largitur successum. Unde שרי omnisufficiens in se & emanans omnimoda benedictione. III. *A modo collocandi, dicendo, & est Jehova* מבטחו. Plus hoc dicit; quam prius. Etiam impii quandoque confidunt in Deo, aut saltem confidere videntur: sed deest constantia: verùm hic sinceritas fiduciæ indicatur, ubi Deus & fiducia convertuntur, ut ubicunque Deus est ibi fit fiducia, & ubi fiducia istic Deus, ut fiducia unum Deum comprehendat, & Deus totum cor impleat, ut Ps. 73: 25, 26. Quod pariter prudentiæ, ut ubi fundamentum fiduciæ firmum repertum est, inde nolit recedere, sed se totum illi permittat, & inædificet,

ficet, atque ſic incumbat, ut nihil ſui extra illud reperiatur.

Jam (2.) *Felicitas* in genere, *Benedictus*, quod tantundem boni dicit, ac mali contrarium maledictus. Summa omnium bonorum. Gen. 12: 3. ſis benedictio: poſſeſſio quaſi benedictionis, ubi ea domicilium habeat, & ſe exerceat. In ſpecie, per metaph. verſ. 18. *Erit ſicut* (1.) *arbor*, juſtam habens proceritatem, (non ut humilis myrica.) viridis olea Pſ. 52: 10. palma & cedrus Libani. Pſ. 92: 13. (2.) *Plantata*, non ſponte enata. ut myrica, cardui, ſpinæ &c. Sed deſtinato conſilio & manu ſollicita plantata, ut per artem meliori in loco collocata qui naturali pinguior ſalubriorque, felicius deinceps creſceret. Eſa. 61: verſ. 3. quereus juſtitiæ plantatio Domini. Pſ. 80. vitem ex Ægypto ablatam plantaſti alibi. Et שרש, quæ adhuc locum conſtanter tuetur & viret, nondum eradicata, non נשרש uti Matt. 15: 13. (3.) *ad aquam*, loco irriguo, in terrâ non aridâ: Ubi non tantum pluvia quandoque humectat, quod perpetuum non eſt; ſed profluens aqua ſitim terræ arcet. Eſa. 41: 18 &c. diſponam deſertum in ſtagnum aquarum, ponam ibi cedrum, lectiſſimam cedrum, myrtumque & arborem oleoſam. cap. 58: 11. ducet te Dominus jugiter, & exſatiabit animam tuam in ſumma ariditate, eriſque ut hortus irriguus. (4.) *Emittens radicem ad rivum* ceu ſcaturiginem, ut humiditatis fiat particeps ex ipſo quaſi fonte, ubi ſinceriſſima aqua, nullo alveorum ſapore variata. Eſa. 58: 11. velut ſcatebra aquarum, cujus non fallunt aquæ. cap. 44: 3, 4. Rom. 11: 17. pinguedinis radicis oleæ participem fieri: quæ radix Chriſtus, ſine quo nihil poſſumus Joh. 15: 5. (5.) *Non ſentit venientem æſtum*, non quod inopino quid accidat, non prævisum, Prov. 22: 3. Aſtutus videt malum & abſcondit ſe, neque quod inſenſibilis ſit, tentationum, fidem infeſtantium; ſed quod non ſentiat eouſque ut deſerat ſuum ſuccum, aut profeſſionem amittat, ut folia marceſcant. Spes nunquam pudefacit. Lam. 3. Deus portio mea, inquit anima mea, propterea ipſum exſpectabo Job, 13: 15, 16. Pſ. 27: 13. (6.) *Non ſollicita eſt anno ſiccitatis*, quia Chriſti ſpiritu vegetatur, etiam cum externa media ſubducta videntur, habet intrinſecum principium vitæ & vegetationis, anno cohibitionis, fervente afflictione, maxime viget fides 1 Pet. 1: 6, 7. (7.) *Non deſinit ferre fructum* Pſ. 92: 14, 15. Joh. 15: 5-16. Col. 1: 4. Hæc omnia fere dicuntur quoque Pſ. 1: 3. quibus opponuntur impii, collati paleæ, à vento diſperſæ, cum omni fundamento careat. Equidem dum omnia proſpere fluunt tranquillus eſt aer, videtur palea bene poſita, & planiciem occupare gratiſſimam; ſed quam primum turbo judiciorum oritur, miſere agitatur, & hâc illâc impellitur, & iisqui fidebant non prodeſt, imo obeſt, opplendo oculos, ut deceptionem fleant, vel viſum perdendo, ut deſperent. Quo turbine ſi pii tangantur, moventur, quidem rami, hinc inde fructus immaturi decidunt, ut per infirmitatem abſtineant à Zelo quandoque, imo nonnunquam folia amittunt, tegentes profeſſionem, ut Petrus; ſed non eradicantur. verum attracto novo ſucco regerminant uberius, & fructus majores melioreſque ferunt, ad gloriam plantantis Dei. Eſa. 27: 10. Hoſ. 14. 5. &c. Quis jam non malit Deo confidere? ubi ſemper bene eſt, Eſa. 26: 3, 4.

Verſ. 9. *Fraudulentum cor ipſum ſupra omnia, & mortiferum; eſt, quis cognoſcat ipſum?*

Verſ. 10. *Ego Jehova ſcrutator cordis, probator renum, idque ut dem cuique ſecundùm vias ſuas, ſecundùm fructum actionum ſuarum.*

Hoc modo ubi diſſeruiſſet de fiducia falſâ & verâ, ſubjungit judicium de exercitio ejus, per occupationem. verſ. 9; 10. Omnes quidem profiteri fiduciam veram & genuinam; immo pleroſque perſuaſiſſimum habere, nihil à ſe peccari, unde omnis redargutionis impatientes ſunt. Quocirca Deus judicium heic derogat hominibus, vendicat ſibi.

1. *Derogat hominibus*, verſ. 9. indicatâ cordis humani indole, & quidem quodammodo pugnante; 1. *Fraudulentum* עקב eſſe *cor*, *ſuper omnia*: fraudium officinam, ubi doli ſtruuntur; quibus non ſolum alii decipiuntur, ſed ipſemet ſibi peſſimam fraudem facit. Gal. 6: 3. ἑαυτὸν φρεναπατᾷ & Jac. 1: 22. παραλογιζόμενοι ἑαυτούς. Pſ. 36: 3. יחליק אליו בעיניו Nihil huic comparandum, cum omnis deceptio ex hoc fonte ſcaturiat, quâ quis ſe alioſve à veritate cognoſcenda abducit. 2. *Languidum* etiam אנוש debile, infirmum, ægrum eſſe. Illud audacem confidentiam parit, iſtud deſperationem; דע אנש ad miſeriam, non ad culpam pertinet. De homine integro vox אנוש non uſurpatur; & de Meſſia Pſ. 8. ceu de miſerrimo & calamitoſiſſimo. Lutherus reddidit, trotz und verzagt: Callidus, fraudulentus, ſolet eſſe audax, ut nihil adeo difficile credat, quod nequeat ſuperare. Contra languidus animus, nihil adeo leve videt, ſub quo ſibi non putet ſuccumbendum: poſterior plumam metuit ceu molarem lapidem, prior molarem plumæ inſtar ſpernit. Impiorum cor ea conditione eſt, ut ſibi polliceatur optima; fiduciam ſuam omni vitio & culpa vacare retur; cum nihil veræ fiduciæ adſit, עקב fraudulentum eſt, & ſuperbum. Contra cor piorum adeo dejectum quandoque, ut ob infirmitates ſuas nihil fiduciæ ſibi putet adeſſe. Sic uterque in errore eſt. Prov. 13: 7. & de illo cap. 14: 12. cap. 16: 25. Eſt tamen id familiariſſimum. Impiorum ſecuritas, nititur corde fraudulento & decipiente; & piorum ſollicitudo, ac metus cordis languore. Quia hîc ob conſcientiam peccatorum & ſenſum infirmitatum cor languet, proximi ſunt deſperationi; indignitatem ſuam ſic exaggerantes in tentationibus, ut ſibi abjudicent & fidem, & fidei commoda. At quia iſtic perſuaſio eſt de magna virtute ac conjunctione cum Deo, quamquam toti mundo & voluptatibus mancipati ſunt, ſecuritas eſt & gloriatio. Cum verò qui ſemet ipſos magis norunt, quam ab aliis queunt cognoſci 1 Cor. 2: 11. tamen tantopere in utramque partem hallucinentur, utique merito quæritur *Quis noverit* cor hominis? Eſt enim profundum Pſ. 64: 7. & cujus intima non mage perſcrutari quis poteſt, quam fundum maris. De corde regis dicitur Prov. 25. 3. ſed etiam aliorum corda, Prov. 26: 25. Sic Prov. 20: 5. uti ſitula hauritur aqua ex profundo, ſic quandoque ea corde quædam veſtigando eliciuntur, attamen nunquam omnes fraudes cordis ab homine deprehendi poſſunt. Proinde homo ipſe nequit eſſe judex aut teſtis idoneus ſuæ fiduciæ.

2. *Vendicat* proinde *ſibi* Deus verſ. 10. Ipſe καρδιογνώστης, ut dictum Jer. 11: 20. cap. 12: 3. cap. 20: 12. Pſ. 7: 10. 1 Chron. 28: 9. cujus finis & ratio, judicium exercendum univerſale de omnibus: quod juſtum eſſe non poſſet, niſi omnium notitiam haberet; unde Eccl. 12. verſ. ult. & cap. 11: 10. Quod uti terrori eſſe debet impiis, quorum larva tandem detrahenda, & quantumcunque ſe atque alios deceperint, quales ſunt, non quales videbantur ſibi & aliis, ſiſtentur, & judicabuntur Luc. 13: 25. Matt. 7: 21. *Itidem vias ſuas & fructum actionum.* Abrab. diſtinguit, illud cum malum factum penſatur pœna, iſtud cum facti indifferentis malum conſequens punitur. Sic ſolamini eſt piis, ut quamvis languidi ſint, & nihil ſibi tribuant, ipſe pretium eorum producet in lucem. Eſa. 42: 3. Matth. 12: 20. Quippe 1 Joh. 3: 20, non ſolum ſi juſte, ſed etiam ſi injuſte nos condemnaverit cor noſtrum. Huc facit proceſſus Matt. 25: 34. &c.

Verſ. 11. Ut *perdix colligit ova, ſed non excludit, ita comparans divitias, ſed non excludit, ita comparans divitias, ſed injuria, mediis diebus ſuis derelinquet eas, & tandem erit ſtultus.*

Verſ. 12. *Solium gloriæ*, ſolium *excelſi inde à principio*, eſt *locus ſanctuarii noſtri.*

Verum heic fraudulentia cordis invenit quod objiciat, Deoque ea ratione neget ſcientiam rerum omnium, quia compenſatio illa, quam ſuæ ſcientiæ conſequens facit, non ſequatur, impiis proſperitate fruentibus, dum pii adverſis conflictantur: quæ conditio adeo diſpar, ancipites animi reddit ipſos quoque pios Pſ. 37: 73. Jer. 12. & impios Mal. 2. verſ. ult. cap. 3: 14, 15. unde apud Senecam tractatus, cur bonis male ſit cum ſit providentia. Ecl. 8: 14. vocatur vanitas. Huic ergo reſpondetur per occupationem: quoad 1. proſperitatem malorum verſ. 11. 2. calamitatem bonorum v. 12. 3. futuram conditionem utrorumque verſ. 13.

I. *De impiorum proſperitate* verſ. 11. docet non eſſe conſtantem,

ſtantem, ſed fluxam. Confert avi, aliena ova congerenti, & illis incubanti, & foventi, ſed quæ à pullis ubi paululum ſuccreverint, non obſtante omni ſua cura & ſollicitudine, deſeratur, vocatur קורא R. Sal. *Cuculum* reddit, ſed is non aliena ova excludit, verum ſua *currucæ* excludenda ſupponit: ut hanc potius deſignari veriſimile ſit, niſi quod non congreget aliena ova, ſed ſibi ſuppoſita non agnoſcens pro ſuis foveat, & pullos excluſos, ceu propriis majores & pulcriores, majori cura proſequatur, & propriis ejectis; cum tamen tandem deſeratur ab aliena ave, imo quandoque ab ea ingratiſſima devoretur, ſtultitiæ ſuæ mercedem ferens perniciosiſſimam. Sed alii *perdicem* exponunt: de qua ferunt nonnulli, quod fractis ſuis ovis, vel à mare, vel alio caſu, rapiat aliena, eaque excludat, quorum pulli poſtmodum matrem non agnoſcant. Sunt tamen qui id perdici convenire negant. Bochartus *Scolopacem* putat notari. Quæcunque autem fuerit avis, confertur ei impius, cui in mundo bene eſt, *tum* quoad poſſeſſionem, *Avis* illa colligit, ova aliena, & non parit: ſic parat divitias ſed non in judicio, juſtè. Qui honeſto labore parat ſibi opes, eſt quaſi eas peperiſſet, Pſ. 118:2. Sed qui multas divitias congerit, quas non ipſe ſed alii acquiſiverunt, quas tamen ereptas illis vel dolo, vel vi, quacunque demum arte, fovet & iis incubat, & magna inde incrementa facit, quanta pulli ſunt reſpectu ovorum. Hujuſmodi deſcribuntur Mich. 2:1. &c. cap. 3:1. &c. Eſa. 5:8. Hab. 2:5. &c. Hoſ. 12:8, 9. Amoſ. 3:10. cap. 8:4. &c. ut Ziba, & Achab. Violenta oppreſſione & rapina, aut fraudulentis artibus. Pſal. 62:11. *Tum* quoad conſtantiam poſſeſſionis: divitiæ eum deſerent in medio dierum, vel his pereuntibus Prov. 23:4, 5. vel ipſo per mortem ſubducto Pſ. 49. quandoque repentinam Pſ. 55:24. Sic Eſa. 5:9. Hab. 2:v. 6. &c. & ubique fere ubi avaritia iſta à Prophetis deſcribitur, etiam judicium Dei adſcribitur. Conſequens autem inconſtantiæ ejus, ut ſit נבל ſtultus, Luc. 12:19. &c. Pſ. 39:7. & Pſ. 49:14.

2. *De piorum calamitate.* verſ. 12. *Solium gloriæ, Altiſſimi* (ut Pſ. 56:3. & 92:9.) *inde ab initio eſt locus Sanctuarii noſtri.* Admodum hærent interpretes circa nexum hujus loci. Quidam conjungunt præcedenti, erit נבל deciduus à folio gloriæ &c. Abrab. piorum ſpes non eſt in hoc ſeculo, ſed in mundo ſuperiori, qui animarum ſub throno gloriæ. Idem confert cum Pſ. 73:12. &c. Sic, in ſimili argumento, Aſapho Scriptura eſt Sanctuarium, ubi de extremo impiorum erudimur: atque ibidem Deus habet Solium gloriæ, manifeſtans ſuum dominium in corda, & conſcientias; & altitudo judicia ejus denotat Pſ. 10:5. idque à principio, quia ab initio Eccleſiæ verbum erudit de impiorum conditione. Sed מראשית eſt à principio, non מראשׁן. Potius ergo felicitati & divitiis malorum, opponit, quo uno acquieſcunt pii, Meſſiam, qui lucrum ipſis unicum Phil. 1:21. & Pſal. 73:25, 26. vocat autem locum Sanctuarii noſtri, quia eſt Sanctuarium Eccleſiæ Eſa. 8:14. Ezek. 11:26. & ipſe corpus ſuum vocat templum Joh. 2:21. & hinc ſolium gloriæ, Jer. 3:17. Heb. 4:16. excelſius priore, templo manufacto Joh. 2:19. &c. Aut intelligit per Sanctuarium ipſum cœlum Heb. 9:8-11-24. cap. 10:19. quæ ultima piorum ſpes: quod ipſum eſt thronus gloriæ Eſa. 66:1. altior terreſtri throno & tabernaculo priori, quemadmodum appoſitio Heb. 9:10. capp. oſtendit. Et quamvis in terra omnia piis adverſa cadant, iſtic tamen ſolida & perennis quies & proſperitas parata & repoſita eſt.

Verſ. 13. *O exſpectatio Iſraëlis Jehova, omnes derelinquentes te erubeſcant: caſtigationes meæ in hac terra conſcribantur, quia dereliquerunt ſcaturiginem aquarum perennium; Jehovam.*

3. De futurâ conditione utrorumque verſ. 13. *Piorum* quidem, *Exſpectatio Iſraelis* מקוה quo omnia deſideria, omnis fiducia colligitur, Pſ. 16:5, 6, 8. Pſ. 73:25, 26. vel *Receptaculum Iſraelis*; quo quemadmodum in receptacula colliguntur aquæ, ubi cuſtodiantur, ſic colligentur pii. Pſ. 34:6. ונהרו uti flumina colliguntur in Oceanum non ut augeant, ſed ut in eo abſorbeantur, & ſuæ aquæ illius permixtæ, ſaporem ejuſdem inducant, ſic quoque pii redeunt ad Deum (unde ſecretis ductibus Spiritum ejus conſecuti ſunt,) ut in ipſius plenitudine quaſi abſorbeantur, quando Deus erit omnia in omnibus. Ad Deum colliguntur ſpiritus piorum Pſ. 31:8. Heb. 12:23. ubi eſt ſatietas gaudiorum Pſ. 16:11. neque unquam quies, niſi cum eo collecti, in æternum erunt cum Domino 1 Theſ. 4:17. *Impiorum autem: Omnes deſerentes te, erubeſcent.* (Pſ. 73:27. רחקים & זונים) סורי *recedentes à me*, ut סורי ſit pl. conſtr. Syrorum pro abſoluto *recedentes*, Propheta Dei: qui enim odit Prophetas Dei, Deum odit. Luc. 10:v. 16. qui legatum aſpernatur qua Legatum, Legantem quoque adſpernatur. 1 Sam. 8. vel ut ad Deum referatur, mutata perſona, *recedentes à me.* Quæ ſi ſit oratio Chriſti, qui per ſpiritum ſuum locutus eſt in Prophetis. 1 Pet. 1:11. & Apoſtolis 2 Cor. 13:3. tum compellatio erit gravior: quandoquidem hunc internuncium, petentibus Iſraelitis ad montem Sinai, promiſit Deus, & illi poſtulavit obedientiam Deut. 18:18. &c. quem tentaſſe dicuntur 1 Cor. 10:9. Hi autem *Scribentur in terra.* Scribi in cœlo; eſt æternitati ſcriptum eſſe, quia cœli conſtantem durationem habent Pſ. 89:3, 30, 37, 38. & adſcriptum eſſe civitati & politiæ cæleſti. Luc. 10:20. Phil. 4:3. Apoc. 21:27. quorum politeuma eſt in cœlis Phil. 3:20. Contra ergò *ſcribi in terra*, eſt oblivioni tradi; quemadmodum Scriptura in pulvere, negotio levi aboletur, non tantum pedibus tranſeuntium hominum & brutorum, ſed etiam flatu venti, qui lineas omnes turbat. Hoſ. 4:6. Oblivio autem Dei ſignificat negationem perpetuam omnis gratiæ, argumento Pſ. 77:8. &c. Eſa. 49:15. præterea adſcriptum eſſe civitati & politiæ quæ cœleſti oppoſita eſt, civem inferni & condemnationis. Ezek. 13:9. Pſ. 69:29. Jud. 4. Abrab. *Scripti impii ſunt in terra, ut mercedem conſequantur bonarum quarundam actionum in hac vita, quibus in futuri ſeculi beatitudine nulla ſors eſt aut portio: quemadmodum Jehu ob exciſam familiam Achabi, regnum in quartam generationem conſecutus eſt,* 2 Reg. 10. Sic contra ſcriberentur pii coram Deo in cœlo, ob repoſitam eis mercedem Mal. 3:16. &c. Præſtat tamen priorem interpretationem ſequi.

Ratio additur à ſtoliditate deſerentium Deum, ſeu potiùs à perfectione Dei, quâ careant. *Nam Dominum fontem aquarum viventium deſerunt.* Quod idem dictum cum exaggeratione Jer. 2:13. Atqui hinc nequeunt vitæ fieri participes, non ſcripti in libro vitæ Apoc. 13:8. cap. 20:11-15. conjiciuntur in ſtagnum ignis, quæ ſecunda mors. Non ergò intelligitur vita corporalis: hujus pii & impii, nunc & poſt reſurrectionem mortuorum, pariter erunt participes, eoque non eſt illa vita, à qua Deus hic, & Pſ. 36:9. ſcaturigo aquarum viventium dicitur, (licet alias etiam vitæ corporalis Deus autor ſit Act. 17:26.) ſed quæ piis privilegii titulo propria, utpote quæ idem quod lux, qua fruentur, & quæ juſtis ſeminata Pſ. 97:v. penult. quæ abſcondita eſt cum Chriſto in Deo Col. 3:3. &c. quæ Deus eſt Deut. 30:19. utpote quam fruimur fruendo Deo, & quam Deus largitur ceu benedictionum omnium compendium Pſ. 133. verſ. ult. Hac excidunt impii, quia ea extra Deum & Chriſtum non reperitur 1 Joh. 5:11. &c. & verſ. 20. Joh. 17:3. Sed pii aſſequuntur, quibus Deus eſt Deus vitæ ipſorum Pſal. 42:9 & appropinquare Deo, vitæ & ſaluti Pſ. 73:28.

Verſ. 14. *Sana me Jehova & ſanabor, ſerva me & ſervabor; quia laus mea es.*

IV. PRECATIO PROPHETÆ verſ. 14-18. qua

I. *Petit* ſui defenſionem, verſ. 14. cap. 15:v. 18. queſtus fuerat de ſua afflictione, ſub metaph. morbi, & Deus pollicitus erat defenſam; nunc eâ promiſſione nixus, petit *ſanari*, ſervarique: teſtatus efficaciam medicinæ, quod nihil opis ſibi adhibiturus eſſet, ſucceſſu carens, quemadmodum leproſus ille Matt. 8:2. *Domine ſi vis, me potes mundare.* Sic etiam Jer. 31:18. Lam. 5:21. & Pſ. 107:20. Additur autem argumentum fiduciæ, *nam tu laus mea es:* non dicit, ſpero vel confido; ſed quaſi jam poſſideret, ſe merum laudium argumentum in ipſo poſſidere, ob certitudinem ſalutis Pſ. 115:3. & 33:9. eoque Pſal. 42:8, 9. & Pſ. 57:8. &c.

Verſ. 15. *Ecce iſti dicunt mihi; ubi eſt verbum Jehovæ?*

II. *Rationem reddit* petitionis, ſui contemtum, verſ. 15. cujus cauſas à ſe removet. verſ. 16. *Ecce ipſi dicunt mihi, ubi eſt verbum Domini veniat nunc*, vel *quæſo*. Opprobria & contemtus ſui miniſterii ſunt ipſi inſtar morbi & vulnerum Pſ. 42: 4-11. quod mentiretur verbum Dei, Jer. 5: 12. &c. & prætexens nomen ejus minitaretur mala; quæ vanitatis convincerentur ab eventu, quod nihil eorum fieret. Nam non eſt votiva oratio, quod optarent impleri denunciata, ſed irriſoria, quod ex dilatione falſitatem concluderent. Sic Eſa. 5: 19. ubi emphaſis ה paragogici. Amoſ. 5: 18. &c. item 2 Pet. 3: 4. Solenne enim impiis cavillari verba Prophetarum Dei: Hoc meditantur Jer. 18: 18. & exercuerunt Matt. 27: 40, 42, 43. Captant nempe ipſorum voces, & contorquent, ut aliud ſonent, quam cogitarunt, ut eos exuant exiſtimatione, inducant in odium, & exitium Amoſ. 7: 10. &c. Quibus nil rectius opponitur quam conſcientia rite obiti muneris 1 Cor. 4: 1. &c. cui non metuenda hominum judicia.

Verſ. 16. *Atqui ego non urſi ne* eſſem *paſtor obſequens tibi: & diem mortiferum non concupivi, tu noſti: quod prodiit ex labiis meis, coram facie tua eſt.*

Ita Jeremias ſe defendit, v. 16. amolitus cauſas contemtus iſtius, I. quia non ambiverit Prophetæ munus. *Me* quod attinet, *non feſtinavi, ut qui in* turba perrumpere nititur ad primos. *præ paſcente pone te*; Omnes fideles ſunt oves, ſequuntur Chriſtum paſtorem, Joh. 10: 4-27. non debent autem paſcendo feſtinare ut antecedant ipſummet paſtorem. Verum רעה de ovibus vix uſurpatum reor, ſed de paſtoribus, Chriſto ἀρχιποίμενι ſubordinatos Eph. 4: 11. his non eſt feſtinandum præter vocationem & locum aſſignatum. Cum omnes ſint poſt ipſum, tamen ordo obſervandus; neque vel citius hic vel feſtinantius agendum quam oportet. Reſpicit pſeudoprophetas currentes non vocati, non miſſi Jer. 23: 21. Damnat autem præpoſterum iſtud ſtudium ſeſe ingerentium in munus Propheticum: quod nimis familiare, multiſque artibus exercetur, quas notare facile eſt emendare non item. Contra Heb. 5: 4. Hujuſmodi fuerant Sacerdotes vitulorum 1 Reg. 13: 33. 2 Chron. 13: 9. Sane Jeremias non feſtinavit, ſed tergiverſatus eſt, Jer. 1. ut Moſes Exod. 3: 4. Amoſ. 7: 14, 15. & ſane qui iſtud unum conſiderat Jac. 3: 1. &c. non feſtinabit. & quia qui recte æſtimant, quidvis potius ſuſcepturi videbantur. Apoſtolus 1 Tim. 3: 1. animandos cenſuit excellentiâ, nequaquam autem ambitus argumentum ſeppeditare. II. Quia non delectetur minacibus concionibus: *& diem calamitoſum non appetiui*: exilii videl. & vaſtationis: Jer. 30: 12. Odioſi non ſunt μεγάλως κακῶν, quamobrem emolliunt omnia, qui placere ſtudent Jer. 6: 13, 14. & id ſuadet aulicus Michæ 1 Reg. 22. ſed quia ſunt vigiles loquendum quod vident, Ezek. 23: 1. &c. Amoſ. 3: 8. Deus locutus eſt, quis non Prophetaret? ſic noſter Jer. 15: 17. cap. 6: 11. Confirmat autem teſte Deo invocato, prius Deum noſſe; quam non feſtinarit, poſterius, *verba ſua coram ipſo* fuiſſe, quibus vid. exitium non imprecatus ſed deprecatus fuerat, ut ex cap. 14. patet. Indicat autem ſimul argumenta quæ religioſum in munere iſto efficiant, notitia Dei; nemo quicquam ſuſcipit ad paſtoris munus adipiſcendum, cujus Deus non ſit conſcius; quibus artibus, & conſiliis, & fraudibus agatur. Obſervatio omnium Sermonum; non uſurpat ulla verba, ſive propria, ſive aliena, quæ non coram Deo ſint, ut Mal. 3: 16. nihil ſui latet Deum, & quidem ut ratio reddenda ſit, uti cuivis Matt. 12: 36. ſic ipſis ſigillatim Heb. 13: 17. Ezek. 3. & 33. & 34. Grave eſt quod jam olim Enoch vaticinatus eſt Jud. verſ. 14, 15. & quod minimis Chriſti diſcipulis factum eſt, ſibi ille factum putat, in utramque partem, bonum vel malum, Matt. 25: 34. &c.

Verſ. 17. *Ne ſis mihi terrori, receptus meus es in die mali.*

Verſ. 18. *Erubeſcant qui perſequuntur me, ne autem erubeſcam ego, terreantur ipſi, ne autem terrear ego: adhuc contra eos diem mali, & dupla contritione frange eos.*

III. *Repetit* petitionem I. *ad ſui defenſam* verſ. 17. *Ne ſis mihi conſternationi* aut *contritioni, qui receptaculum meum es in die mali.* Quandoquidem ab omnibus deſertus & oppugnatus, non niſi unum Deum habebat, ad quem ſe reciperet, in tempeſtate Eſa 4. verſ. ult. poſcit ne is ſibi ſit terrori & contritioni, ut unde opem ſperaret, inde ferret damnum, ut Amoſ 5: 18, 19. Etenim Deo conſternante, nihil ſolatii reliquum eſt, Pſ. 104: 29. & 30: 78. Job. 34: 29. Contra favente odia, cavillationes, perſecutiones hominum facile ſuperantur, Pſ. 23: 1-4. & 27: 1. &c. & 56. verſ. 2. &c. apud ipſum defenſa eſt Pſ. 31: 20. ſeqq. II. *Ad hoſtium pœnam* verſ. 18. ut non ipſe ſed *illi pudefiant*, conſternentur, atque ut obveniat, quem rident, *dies mali*; imo ut *duplicentur fractura* ipſorum una alteri addatur, ad majorem contritionem, Lev. 26. ſepties addam ad plagas &c. & quidem à Deo, cujus manui nil poteſt reſiſtere. Alii: *duplici fractura frange eos*, Babylonico & Romano exilio. Ultionem iſtiuſmodi etiam alibi, & cap. 18: 21. &c. imprecatur. Juſtum enim ut non ſervi Dei, ſed horum hoſtes confundantur: 2 Theſ. 1: 6, 7. & qui illorum operam rident, duplum mali patiantur; quemadmodum qui vulneratus chirurgum adſpernatur, dolores habet duplicatos, quia remedia noluit adhiberi 2 Chron. 36: 16. Odor mortis ſunt iis, qui juvari nolunt. 2 Cor. 2: 15. cum jam ante forent tales filii iræ & mortis, additur morti gradus, Matt. 11: 20. &c. & 10; 14. &c.

CONCIO IX.

Verſ. 19. *Sic edixit Jehova mihi, abi ut conſiſtas in porta popularium iſtorum, per quam ingrediuntur Reges Jehudæ, & per quam egrediuntur: atque in omnibus portis Jeruſchalaimorum:*

RElqua cap. 17. à verſ. 19. &c. faciunt concionem peculiarem, cum nullo nexu cohæreant præcedentibus: Habet autem.

I. INSTRUCTIONEM PROPHETÆ verſ. 19. Juſſum Dei, locus concionandi; 1. *porta filiorum hujus populi, quâ reges ingrediuntur & egrediuntur.* 2. *Portæ Hieroſolymæ*: hæ ſunt notæ; circum circa urbem, illa quibuſdam eſt templi; ſed per illam non inferebatur onus, quæ verò ad cultus exercitia pertinebant, non polluebant Sabbathum cum in Sanctuario opera miniſterii etiam Sabbatho licita forent: Interdictum de ceſſatione Sabbathica in Sanctuario, non obtinet, & Matt. 12: 5. Intelligenda porta Regiæ, unde ad regum ingreſſum & egreſſum reſtringitur. Judicia habebantur in portis & in magna urbe, ut Hieroſolyma, utique plura fuere judicia, porro numero portarum; porta domus regiæ autem ſummo judicio poteſtatis regiæ deſtinata. 2 Sam. 15: 2. & judicum erat attendere, ne quid legibus contrarium admitteretur. Quod ſi onus inferretur per has portas, eoque tolerantibus & probantibus judicibus, jam iniquitas quaſi lege ſtabiliebatur, quod erat elatæ manus peccatum. Vel ſi non reſpiciamus judicia, Onera inferebantur in domum Regiam, ad totius aulæ neceſſitatem, (porta autem illa filiorum populi dicitur, qua reges ingrediebantur & egrediebantur, quia licet domus regum foret, tamen cum omnes eo commearent ad judicium, fuit quaſi porta publica, univerſi populi,) & per urbis portas in uſum omnium incolarum. Ubi ergo peccabatur, ibi debuit accuſare, ut ἐπ' αὐτοφώρῳ, quaſi eos convinceret.

Verſ. 20. *Et dices eis, audite verbum Jehovæ Reges Jehudæ omnes que Jehudæi, & omnes habitatores Ieruſchalaimorum, qui ingredimini per portas iſtas.*

II. *Concio ipſa* habet

I. EXORDIUM verſ. 20. audientiam poſcens *verbi Jehovæ*, cujus nomen ſat ponderis debebat habere, exmeplo

Eglonis Jud. 3:20. Et quidem à *regibus Juda*, sive Jechonia & matre ejus, qui conjunguntur Jer. 13:18. cap. 22:26. sive filios Josiæ, qui regni hæredes erant; sive ea dicens quæ ad seqq. quoque ætates pertinerent, ut quotquot succederent reges in Juda, pariter hic se compellatos scirent. ab omni Juda omnibus regni subditis, etiam Benjamine comprehenso, & incolis Hierosolymæ: qui proximiores erant, & frequentius aliis utebantur portis.

Vers. 21. *Sic ait Jehova, cavete vobis ipsis & ne portetis onera die sabbathi, aut inferatis ea in portas Jeruschalaimorum:*

Vers. 22. *Neque educatis onera è domibus vestris die sabbathi, neque ullum opus faciatis: sed sanctificetis diem sabbathi, quemadmodum præceperam majoribus vestris:*

Vers. 23. *Qui non auscultarunt, neque inclinarunt aurem suam, sed obdurarunt cervicem suam, ut non auscultarent neque acciperent eruditionem.*

II *Propositio*, interdicens profanatione Sabbathi: ubi (*a*) autoritas legislatoris *sic dicit Dominus*, ב in בנפשותיכם est propter, ut Ps. 6:8. & 7:7. (*b*) Mandati momentum, *Cavete propter animas vestras* vel *animabus vestris*, quam caræ vobis sunt animæ, vel vosmet ipsi. In 4 præcepto custodi diem Sabbathi, heic, custodite vos ipsos, cavete vobis, propter animas vestras. Omnis custodia Sabbathi non propter Sabbathum, sed propter hominem, ejusque animam Mar. 2:1:27. (*c*) Interdictum, profanationis species enumerans, 1. *non ferre onus* die Sabbathi, 2. *illud non inferre per portas urbis*, 3. *non efferre quicquam ex domibus* privatis. v. 22. 4. *non facere ullum* opus. (*d*) Præceptum, sanctificationis diei Sabbathi, cujus norma, *quemadmodum præcepi patribus vestris*, ut nihil novi pateat exigi: sed quod majoribus imperatum erat, & quidem fœderalibus conditionibus, quas consensu suo ratas habuerant: quamvis isti non observassent, v. 23. (quæ causa repetendæ hortationis,) quorum inobedientia exaggeratur synonymiis variis, per ἀνήκουσαν, *non audiverunt, non inclinarunt aurem*; per κατίσχυσαν *obfirmarunt cervicem*, ut neutrum facerent, *nec audirent, nec acciperent institutionem*, quomodo explicatur τὸ *inclinare aurem*. Hæc duo occurrunt Joh. 6:45. audire & discere.

Ex interdictis tria priora de onere satis evidentia: Neh. 13:15. seqq. Sed unum heic obstat Joh. 5:8. seq. tollere & portare grabbatum Sabbatho fuit onus ferre; hoc imperavit Jesus sanato paralytico. Judæi hoc habent violationem præcepti divini. Quæritur, an recte? Repetenda res altiùs: Jesus sanatum illum hominem loco publico, in piscina Bethesda, die Sabbathi, jussit grabbatum suum absportare, vid. domum suam. Id facit ille: Judæi ipsi hoc illicitum esse dicunt, non statim necant, rapiuntue in carcerem, judicio condemnandum; Etenim præceptum de violante Sabbathum occidendo, non obtinuit nisi contra peccantem manu elatâ Num. 15:30. &c. quemadmodum lapidatio in elatæ manus reos commune supplicium fuit, ut Abrab. notat, & ex Deut. 21:18. &c. liquet, alias qui opus fecerat Sabbatho, monendus fuit officii, & convincendus: unde etiam ex hoc capite non egerunt contra Jesum, sed cum violasse crederent reprehenderunt, & ipse sic semper respondit, ut convinceret ipsos accusantes iniquæ accusationis, se verò innocentem doceret: unde in judicio coram Synedrio hujus criminis nulla mentio fuit, quamvis mortis pœna maxime speciosa fuisset. Sanatus, ad sui excusationem, à suo medico se ipsum dixit. Judæi ergò inquirunt in Medicum illum: non quâ medicum (nam medicinam facere ægro aliquo casu licitum, סכנת הנפש רוחה את השבת nam alias, quæ dilationem ferunt, illicita rentur. Luc. 13:14. & procul dubio licitum Angelo Sabbatho movente aquam, eam ingredi, adeoque & sanationem extraordinariam consequi, Luc. 13:15.) sed qua hominem, nec qua sanationem peregerit, sed quâ ausus jubere, quod à Deo interdictum rebantur: quomodo utique seductor foret: & cum Jesum esse cognovissent, ob profanationem factis dictisque patratam, quæsiverunt eum ad necem, nempe nisi monitus satisfeciisset. Is verò respondet de se suoque facto, Patrem suum operari usque adhuc, & se operari. Se non hominem solum, sed verum Deum esse, ejusdem essentiæ cum Deo Patre suo, eoque operando non violare Sabbathum, quia Deus lege superior, ad ejus observationem non teneretur, qui tamen alios judicaturus esset, adeoque secundum legem judicaturus. Et sic in toto capite asserit suam Deitatem. Verum de facto paralytici sanati, quod suo jussu susceperat, nihil respondet. Ut quæstio maneat, an mandatum Jesu, & factum hominis ferentis grabbatum vacent culpâ? Etenim Matt. 5:17. negat vel se Legi quicquam derogaturum, nec id cuiquam alii licere vers. 18, 19. Legem etiam Cerimonialem, ceu vigorem suum habentem observari jubet Matt. 8:4. Luc. 17:14. ut licet quis ad typicas cerimonias Sabbathum referat, non tamen valeat abrogatio ante Christi glorificationem. Nodum secant non solvunt, qui Christum ceu filium Dei, legi superiorem, contrarium legi mandasse censent. Sed nusquam hoc modo similem objectionem Christus solvit, qui nihil à se suisse discipulis factum ostendit, quam quod legi consentaneum foret Matt. 12:1. &c. Luc. 13:10. & cap. 14:1. &c. Dicendum quod Jeremias tertium facit, nihil oneris efferendum domo privatâ; enimvero qui redibat ex publico loco in domum privatam, potuit in eam inferre onus: nam primum quod vetat ferre onus aliquod, distinguendum à tertio, quod de onere quocunque agit, etiam cui in domo non est locus. Grabbatum autem cum lecto est, quo quis carere nequit; unde etiam pignoratitia fuere restituenda ante solis occasum, siquidem beneficentia exercenda Deut. 24:13. Exod. 22:26. & proinde ne quidem negandum huic sanato. Equidem Scribarum decretum in hanc sententiam non occurrit, immo forsan contrarium: sed valet hic illud in Erubhin. mish. 3. אין לך דבר משום שבות שעמד בסני כתבי הקדש *nihil omnino, quod ex constitutione Rabbinica* (maxime de Sabbatismo) *sanctum est, consistet coram Scripturis sanctis.* Est verò & alia ratio: Beneficium restitutionis Sabbatho promissum, facit id licitum quicquid ad restitutionem hominis pertinet, tum quod ad animam, tum quod ad corpus. Hinc licitam indicatio ægrorum, obstetricatio parturientium, ipsorum jumentorum ex puteo eductio, cum lapsus istuc ad vanitatem pertineat. Licita proinde fuit non tantum sanatio paralytici, sed etiam restitutoris patefactio, quæ gestatione grabbati, in testimonium redditæ sanitatis, fiebat; cum aliis inquirendi, sanato respondendi occasio daretur, per quem sanatus esset.

Porro interdictum quartum, *de opere non faciendo*, an etiam extenditur ad præparationem ciborum? Sic vulgo statuitur. & producitur lex gemina Exod. 16:23. & cap. 35:2, 3. Verum neutra lex impedit; aliæ autem persuadent licitam fuisse. Prior Exod. 16:23. agitur de usu portionis duplæ de Manna die sexto collectâ: Moses jubet quantumcunque libuerit, coquere aut elixare, & residuum servare in crastinum, Sabbathi diem. Residuum autem istud non dicit decoctâ; nihil tale reperitur in textu, quasi non nisi coctam voluerit asservari, quomodo coctionis beneficio incorruptam mansisse credi potuisset; sed de crudâ, quæ citra vitium jam poterat seponi, & Sabbatho usurpari, quomodocunque liberet; de quo usu nihil definitum est, sed ille relictus arbitrio cujusvis, crudane an cocta magis placeret. Posterior Exod. 35:2, 3. non mage facit ad propositum. Accensio ignis vetita, non simpliciter, sed ad fabricam tabernaculi, quo pertinent interdicta Exod. 31:& ff. ne sub prætextu cultus divini, in parando tabernaculo violaretur Sabbathi religio: Deo nihil magis detestante quam hypocrisin, ut impietas, contemtrix Dei legislatoris, veletur mantelo obedientiæ majoris; ut Saulis 1 Sam. 15:22. seqq. Sic intelligunt quoque Hebræi. Aliàs ignem Sabbatho accendere non fuit illicitum, cum jugiter fuerit ardens in altari; cum Paschate in Sabbathum incidente agnus fuerit assandus ad ignem. Unde Sabbathum à Paschate pelli dicunt Rabbini. Sed jam præparationem ciborum permissam probant, præter illa quæ dicta; I. Sabbathi eadem ratio quæ primi & ultimi diei in septiduaris festis, in quibus ciborum præparatio permissa Exod. 12:16. Ratio similis inde constat, quod cum hisce diebus tantum interdictum sit omne opus servile Lev. 23:7, 8. De Sabbatho autem simpliciter כל מלאכת עבודה *omne opus* v. 3. nequis coctionem ciborum opus diceret interdictum Sabbatho, & hoc æquaret festo Expiationis, ubi etiam dicitur, non esse faciendum

faciendum כל מלאכת vers. 30, 31. de illis Sabbathis festorum formula quoque absoluta כל מלאכה usurpata est, ut huic coctionem illam nihil derogare constaret. Nam quod in festo Expiationis coctio damnata sit, non tam ex interdicto operis, quam ex mandato jejunii arcessendum est: quod Sabbatho non imperatum, imo ex statutis Hebræorum illo die vetitum est; non secus ac vetteribus Canonibus Ecclesiæ prohibitum jejunare diebus Dominicis. II. Quod comedendum erit unicuique animæ licitè paratur festorum Sabbathis: Animæ autem illæ etiam brutorum sunt, & horum alimonia curatur licitè. Atqui Christus hinc etiam Sabbatho brutis potum præberi docet Luc. 13: 15. quid ni ergò hominum alimoniæ prospiciatur licitè præparato cibo? III. Magnus ille apparatus mensæ Salomonis & Nehemiæ in dies singulos, Sabbathis quoque convenit 1 Reg. 4: 22, 23. Neh. 5: 18. Et Servator opiparis conviviis (ubi hospites plures περιχαλισιας ambitum exercebant) ipsa Sabbatho interfuit, neque hic quicquam taxavit, vel ciborum apparatum, vel servorum circa eos ministeria. IV. In frigidis regionibus calidi cibi necessarii valetudinis ergo; cui utique vim fieri Deus noluisset, ne homo Sabbathi non Sabbathum hominis gratia institutum crederetur, contra Marc. 2: 27. Hebræi opus servile, omnibus festis interdictum, exponunt de eo quod non fac. ad alimentum: hoc eis opus, non servile, attamen Sabbathi & Expiationis die illicitum, (quæ duo perperam componunt) cujusmodi, depsere & pinsere panes, mactare boves & oves &c. coquere cibos, sed solùm in usum festi; non postridianum, nisi quid redundarit. Verum distinguenda præparatio remotior, quæ in mactatione, & proximior in coctione solâ: illa servili operi annumeranda, hæc ne quidem Sabbatho vitiosa est.

Præceptum Sanctificationis, habet segregationem ab usu ordinario. Hanc segregationem fecit Deus initio, cum instituret Sabbathum, quomodo attribuit ei usum singularem præ cæteris diebus: non mutata diei natura; sed usu, quem edisserit Evod. 31: 13-17. Ezek. 20: 12-20. Imperavit autem etiam Israelitis Sanctificationem, ut eo modo quo Deus instituisset, uterentur, ceu signo Deum esse Deum suum se sanctificantem; adeoque non ex sua voluntate, sive ad labores ordinarios, sive ad delectationes proprias, sed ex præscripto Dei, in otio ab iis operibus, quæ vocationis ordinariæ; in quibus cum sudor & molestia sit, characterem cernere est maledictionis divinæ; sed à cujus sensu immunes sunt, qui ex voluntate Dei, sui Sanctificatoris, à labore abstinent. Hanc sanctificationem neglectam à patribus, & contra, quæ vetita erant, patrata ab ipsis, affirmat; ut etiam Ezek. 20: vers. 13--16--21--24. cap. 22. vers. 8--26.

Vers. 24. *Erit enim si omnino auscultaveritis mihi, dictum Jehovæ, non inferendo onera in portas civitatis hujus die sabbathi, & sanctificando diem sabbathi, ne faciatis in eo ullum opus.*

Vers. 25. *Ut ingrediantur per portas civitatis hujus Reges ac Principes sedentes super solium Davidis, vecti curribus & equis, ipsi & principes eorum viri Jehudæ, & habitatores Jeruschalaimorum: consistatque civitas hæc in seculum:*

Vers. 26. *Et veniant ex civitatibus Jehudæ, & ex locis circum Jeruschalaima, tum è terra Binjaminis, tum ex loco humili, & ex ipso monte, atque ex Australi plaga afferentes holocaustum & sacrificium, mnnusque cum thure: & adducentes eucharistica* in *domum Jehovæ.*

Vers. 27. *Quod si non auscultaveritis mihi ut sanctificetis diem sabbathi, & non portetis onus ingrediendo in portas Ieruschalaimornm die sabbathi; utique accendam ignem in portis ipsius, qui consumet palatia Iernschalaimornm, & non exstinguetur.*

III. Jam sequitur *Confirmatio* 1. *A promissione felicitatis* observantibus, ubi descriptio obsequii, vers. 24. audientia voluntatis Dei; abstinentia ab onere ferendo, sanctificatio diei, & cessatio ab opere: *tum* benedictionis, partim *politicæ*, vers. 25. quoad Magistratus, reges & principes imperio potientes, & pacis bellique præsidiis ad gloriam & defensam instructos; nam huc facit, ingressus, sessio in throno, currus & equi, Jer. 22: 4. quoad constantiam, nullâ vastitate superventurâ, partim *Ecclesiastica* vers. 26. cujus subjecta, incolæ totius regni, & omnium ejus regionum in urbibus & agris; exercitia cultus; quoad locum, Hierosolymam & templum, sedem Sacrorum, quo venturi dicuntur: & quoad actus religiosos, offerentes hostias & suffitum; atque inprimis eucharistica, testimonia felicitatis concessæ. Nulla mentio fit hostiarum pro peccato; quasi observatio Sabbathi quasi totius legis vice est: Esa. 16: vers. 58.

2. *A comminatione pœnæ*: vers. 27. contra inobedientes, qui non obtemperant Deo, nec Sanctificant Sabbathum, ut abstineant ab onere ferendo, & inferendo in urbem: incendium inexstinguibile, absumturum urbem & palatia. *Palatia* autem sunt tum templum Jer. 30: 18. tum domus regis per cujus portam reges ingrediuntur; ut Reipublicæ & Ecclesiæ vastitas significetur, utriusque palatii everstone. quâ metaph. gravissima calamitas significari solet, quemadmodum ignis est exterribilioribus, & maxime dolorificis, sic Deut. 32: 22. Nah. 1: 6. Esa. 30: 27, 28, 33. cap. 65: 5. cap. 66: vers. ult. Jer. 4: 4. & cap. 15: 14.

Est verò hic considerandum, qui fiat ut Sabbathi cultus legitimus poscatur, quo præstito omnia beneficia promittantur, neglecto omne malum denuncietur? Resp. Ratio alia dari solida nequit, quam quia Sabbatho Evangelium continetur, Beneficia & officia eò pertinentia. Beneficia quidem; nam cum Deus illud fecerit signum, se esse Deum Israelis ipsum sanctificantem Exod. 31: 13-17. Ezek. 20: 12-20. quid aliud significat, quam hominum sanctitate destitutorum, neque suis viribus ad eam regredi valentium, se, ex beneficio fœderis gratiæ (qua Deus ipsorum est,) sanctificationem ipsorum peragere, tum satisfaciendo pro reatu, dum sanctificavit Messiam & misit in mundum, qui se pro ipsis sanctificet, ut ipsi vere sanctificati sint Joh. 10: 36. cap. 17: 19. tum eos innovando, ut sanctificationem consequantur per Spiritum regenerationis sanctum Eph. 5: 26. &c. Tit. 3: 5. &c. Officia autem quæ nulla alia quam fides & resipiscentia; fides, credens Deum esse, quem se fore promisit, Deum suum se sanctificantem; Resipiscentia abstinens ab exercitio suæ voluntatis, ut ex Dei voluntate vivat, & iis occupetur quæ ad sanctitatem augendam pertinent. Hæc duo גופי התורה Beatitudo & felicitas vera pendet à fide doctrinarum & præceptis divinis. Omnia enim credenda comprehenduntur Sabbatho, hoc enim testatur de novitate mundi, & quod habeat qui eum fecit novum, quique unus est, uti mundus unus, quique non sit corpus, & sit primus omnium autor, quod item colendus eapropter, quodque dederit Legem; docet etiam cognitionem Dei & providentiæ ipsius, quod se revelarit per Prophetas, & speciat Mosen, quod Lex sit æterna uti Deus æternus: nec non de adventu Messiæ & resurrectione mortuorum quod tempus Sabbathi perpetuum. Adeoque Sabbathum complectitur omnia fundamenta doctrinæ, & articulos fidei, Abrab. Esa. 56: 2. Et hoc est quod Abrab. vocat Sabbathum spirituale & occultum, distinctum à corporali & aperto, quemadmodum Judæum distinguit Apostolus Rom. 2: 28, 29. Sic Esa. 56: 2. & ubi Abrab. ait, Sabbathum testari quoque de adventu Messiæ & resurrectione mortuorum, quod est tempus perennis Sabbathi: & hic quoque observatione manuum facienda, & observatione Sabbathi credenda designari docet, quæ poscantur, utique non alia quam fidem & resipiscentiam. Rursum Esa. 56: 4. &c. atque inprimis Esa. 58: 13. ubi Sabbatho tribuuntur Evangelica 1. Nomina, Sabbathum, dies Sanctitatis Domini, Oblectatio Sancto Domini glorificato seu Messiæ. 2. Officia, quies ab operibus vocationis propriæ, exercitium resipiscentiæ, & exercitium fidei. Unde Hebræi dicunt, Sabbathum æquivalet omnibus præceptis: item qui observat Sabbathum uti oportet, etsi fuerit idololatra, remittetur ei: item modo Israelitæ duo Sabbatha rite observarent, illico redimerentur. Targ. in Cant. Creatus est Adam vespere Sabbathi, ingreditur Sabbathum cum ille

jam peccaſſet, atque advocatum ejus egit apud Deum, ut remitteretur ei peccatum; ac tum ipſe cecinit primum Canticum, quod eſt diei Sabbathi. Hæc verò omnia docent Sabbathum, ex mente Hebræorum quoque, Evangelicam habuiſſe rationem, de remiſſione peccatorum, quæ per ſolum Meſſiam obtinetur, à quo fluit gratia & vita & ſalus æterna: ut qui faciendo non poterant ſalvari, credendo aſſequerentur beatitudinem.

CONCIO X.

CAP. XVIII.

HOc uno capite abſolvitur, & pertinet ad perſuadendam populo reſipiſcentiam. Conſtat autem I. Præparatione verſ. 1-4. II. Concione verſ. 5-17. III. Eventu hujus verſ. 18-3.

Verſ. 1. *Verbum quod fuit ad Jirmejam à Jehova, dicendo:*

Verſ. 2. *Surge, ut deſcendas* in *domum figuli, & ibi faciam ut audias verba mea.*

PRÆPARATIO habe,

I. *Mandatum* Dei, verſ. 1, 2. *in genere quidem* verſ. 1. quæ formula etiam cap. 7:1. & cap. 11:1. occurrit. Eſt titulus quaſi commiſſionis, cum expreſſione legati & legantis. Quamvis autem conceptus ſit quaſi de tertio loquens, non tamen inde concludi poteſt, non à Jeremia, ſed ab alio aliquo ſcriptum eſſe; nam id ſolenne eſt, quæ circa ſe geſta ſunt, hiſtoricè narrare quaſi de alio. Autoritatem Dei in frontiſpicio locat, tum ad ſui defenſam: nemo ægre ferre poteſt, ſi quis à Deo juſſus aliquid ingrati denuciet. Amoſ. 3:8. tum ad auditorum attentionem, nec quiſquam negare audientiam Deo loquente.

In ſpecie autem verſ. 2. Jubet ire in Domum figuli, iſtic inſtruendum de ſuâ voluntate. Deſcendendum eo fuit: cum enim Jeremias Propheta & ſacerdos in templo verſaretur ordinariè, quod in monte Moria, figuli officina ſita fuit in valle, loco operi magis oportuno. Eſt verò peregrinum eò mitti, neque enim iſtic erant quibus concionandum erat, uti alias ad eiuſmodi loca fuit ablegatus, cap. 17:19. cap. 19:1. Voluntatem etiam Dei proponendam ſuo Sermone ex lectione Moſis & Prophetarum potuit cognoviſſe; aut in templo & Synagogis ex concionibus & cultu publico. Et ſi aliunde materiam mutuari debuit, an non ex operibus naturæ, quæ Dei erant, diſcendum potius fuit, quam ex opificio humanæ inventionis & induſtriæ? Sic ergo figulina fuit muſeum, manus, & rota, & lutum, & quæ cica illud inſtituta, libri & codices quos inſpiceret. Sed hinc liquet, nil adeò vile eſſe, quin efficaciam docendi habeat, ſi Deus Magiſter accedat. Sterile deſertum & myrica ejus æque ac fertilis arbor inſtructioni ſervit, Deo per illud monente Jer. 17:6. &c. Ita Chriſtus ſalutares doctrinas propoſuit ex rebus naturalibus & artificialibus. Sic Rom. 1:19, 20.

Verſ. 3. *Deſcendit itaque in domum figuli; ubi ecce is faciebat opus in ſuis ſellis.*

Verſ. 4. *Quumque corrumperetur vas illud quod ipſe faciebat ex argilla, in manu figuli, iterum fecit ex ea vas alterum, quemadmodum rectum viſum eſt in oculis ipſius figuli facere.*

II. *Obedientia Jeremiæ*, verſ. 3, 4. in eundo, & in attendendo ad ea quæ ibi fierent. Quia enim ibi Deus eum alloqui voluit, facile animadvertit ex iis quæ iſtic fierent, argumentum deſumtum iri Obſervavit autem. I. *Figulum* in opere ſuo verſantem. אבנים *figuli rotam* notat, atque etiam *ſellam parturientium*, juxta quoſdam, Kimhi *matricem* reddi mavult, à בנים *filiis*; illud autem à בנה *ædificavit*: Dualitatis ratio hìc à rotâ, que in aquâ rotatur, & ab axe extante, ſuper quam lutum fertur & in orbem volvitur. II. *Vas corruptum*, quod faciebat, fiet lutum in manu figuli, nempe corrumpi ſolet; vel ut ſurſum fieret lutum, informe, non formatum & effigiatum, quod figulus arripit, ut inde quid formet. III. *Formatum* vas aliud, illi eidem maſſæ, ex corruptione illâ, quando latera concidunt, informi, novam figuram dedit, aliam ab ea quam prius efformabat. IV. *Utentem* in hac effigiatione mero ſuo arbitrio; ubi repetitio eſt antecedentis pro relativo, non ſine emphaſi; nam eopſe quia figulus, arbitrium ejus liberrimum ſignificatum eſt. Sic ego figulina ei fuit muſeum; rota, lutum, & omnis actio figuli, librorum inſtar in quibus legeret, & voluntatem Dei cognoſceret.

Verſ. 5. *Tum fuit verbum Jehova ad me, dicendo.*

Verſ. 6. *An ſicut figulus iſte non poſſem facere vobis, ô domus Iſraëlis? dictum Jehova: ecce ut argilla in manu figuli, ita vos eſtis in manu mea, ô domus Iſraëlis:*

CONCIO habet,

I. *Autorem* verſ. 5. Deus qui mandarat operis figulini inſpectionem, etiam dictat uſum & applicationem eorum, quæ viderat Propheta.

II. *Applicationem* ipſam verſ. 6. quâ oſtendit 1 arbitrii ſui æquitatem in ſtatu populi mutando; inſtar figuli, 2. Probat, à ſimilitudine ipſorum cum luto, in figuli manu. Loquitur de Iſraele, qualis tunc erat, quoad conditionem populi fœderati externam, quam mutare in ſuo erat arbitrio. Non agit de formatione prima hominis, de quo dicitur יצר Gen. 2:7. nam cum formaret, non fuit corruptus homo, ſed poſtquam formatus eſſet, & Deus manum à formatione amoviſſet: neque de formatione Iſraelis in populum, Eſa. 63:8. Pſ. 100:3. Pſ. 95:6. quia nec tunc corrupti ſub manu Dei, dum pepigit fœdus Exod. 04. Admiſit fœdere ſancito ad ſuam præſentiam. Sed agit de formatione jugi quam adhibebat populo, per miniſterium Prophetarum, qui populum ceu lutum ſuper rotam continuo tractabant, & formabant, Jer. 7:23. &c. cap. 25:3, 4. quod Deus ſemetipſum egiſſe dicit Jer. 7:13. cap. 11:7. Hoſ. 6:7. Sed dum lutum formatur à figulo, corruptum fuit vas illud, ut concideret in luti maſſam informem. Et dum Deus per Prophetas iis figurandis inſtat, corrupti fuere Iſraelitæ in informem maſſam, ut quod ad mores pul. eos non differrent à gentibus, quibus formandis Deus manum non adhibuerat; Conf. 2 Reg. 17. ſic 2 Chron. 28:3. Achaz, & cap. 33. Manaſſe. Jam ergo uti figulus vas aliud ignobilius formare poterat, ſic quoque Deus ipſos, ut fierent Lo-ammi. Hoſ. 1:2. Amoſ. 4:12. Deut. 29:21. &c. Jer. 19:8. Vis argumenti conſiſtit in interrogatione, quâ provocat ad ipſosmet & conſcientiam ipſorum, (nam verſimile eſt adfuiſſe nonnullos, qui comites iverant Jeremiæ, ut cap. 19.) Qui figuli jus & arbitrium in lutum agnoſcebant, non poterant negare idem Deo in ſe, Eſa. 45: verſ. 9 Dan. 4:35.

Verſ. 7. Quo *momento eloquar contra gentem & contra regnum, me convulſurum & demoliturum & perditurum eſſe.*

Verſ. 8. *Si convertatur gens illa à malo ſuo, contra quam loquutus fuero, pœnitebit quoque me ejus mali quod cogitaveram facere ei.*

Verſ. 9. Quo *autem momento loquar de gente & regno, me ædificaturum & plantaturum eſſe:*

Verſ. 10. *Si fecerit quod malum* videtur *in oculis meis non aſcultando voci meæ, viciſſim pœnitebit me illius boni quod dixero me benefacturum ei.*

III. *Amplificationem* abſolutæ poteſtatis Dei in mutanda externa conditione populi, ut non tantum Iſraelem, ſed etiam alias nationes comprehendat, à minatâ, calamitate ad ne-

ad negationem ejus à promissâ felicitate ad ejus negationem vers. 7--10. & vicissim.

I. *De minis* ait, quomodo proponantur vers. 7. *momento loquar de gente & regno, ad destruendum, diruendum, perdendum:* (נתש & נתץ Synonyma sunt, illud tamen hîc ædificationi, istud autem plantationi opponitur.) quomodo mutentur vers. 8. *& conversa fuerit gens illa à malo suo, contra quam locutus fui, & pœnitebit me mali; quod cogitavi facere illi.*

2. *De promissis* similiter quomodo 1. proponantur v. 9. *momento* &c. *ad ædificandum & plantandum*, 2. mutentur vers. 10. *& fecerit malum in oculis meis, non obtemperando voci meæ, & pœnitebit boni, quod locutus fueram facere ipsi. Cogitare & loqui* Dei hic non differunt, cum enim Deus sit mens ex pers corporis, nequit loqui, organis externi Sermonis adhibitis: sed cogitatio Dei est quoque sermo ejus quemadmodum etiam nutu loquimur,) velle ejus imperare est. Spirituum loquela fere cogitatione peragitur, sed extrinsecus manifestata: cum quædam cogitationes non manifestentur, de quibus nequit dici esse sermones.

Heic verò non una difficultas oritur. Et primo quidem. An mutatio sit apud Deum, ut Sermones suos mutet? Contra est Num. 23: 19. 1 Sam. 15: 29. Resp. Non loquitur de æterno Dei decreto, quod nulli mutationi abnoxium est: quod non suspensum est à conditione aliqua incerta in homine, quæ à libero ejus arbitrio fluat. Neque loquitur de promissis gratiæ absolutis, quæ procedunt à mera Dei voluntate & gratiâ. Sed de communis providentiæ administratione externâ, de felicitate & calamitate externa, pace & bello, dignitate & ubertate, ac contemtu & inopiâ: Loquitur autem non immediatè ipse, sed mediate per Prophetas suos. Amos. 3: 7,8. Esa. 44: 26. qui externæ probitatis & improbitatis testes esse possunt. Probitas quoque & improbitas spectatur non occulta soli Deo nota, sed aperta, atque oculis aliorum exposita, maxime quæ externæ disciplinæ est, quam Hebræi סחר dicunt, vastationem mundo illaturam improbitatem quem cum Deus habitatum velit, vindicet vastatores tyrannos, homicidas, oppressores, injustos, adulteros &c. Loquitur denique conditione expressa aut implicita malitiæ aut probitatis: nam ait si conversa fuerit à malitia sua gens illa contra quam locutus sum & contra, si fecerit malum, quod antea scilicet non fecerat. Igitur mutatio nulla cadit in Sermones Dei, sed in homines, de quibus illi agunt. Deus minatur aut promittit, genti non simpliciter, sed qualificatæ, peccatrici, aut integræ vitæ & sceleris puræ; & denunciationes non tam gentem quam qualitatem ejus spectant; proinde qualitate variata, non sunt amplius illi, quibus denunciatio alterutra facta fuit: foretque constantia Sermonis potius inconstantia & injustitia. Omnes minæ & promissiones Dei sunt conditionales, de beneficiis judiciisve agentes. Promissa pietatem præsupponunt Deut. 5: 29. cap. 6: 12. & 18. & 24. &c. cap. 10: 13. Dantur tamen promissa, quibus Deus ipsarum prærequisitarum conditionum largitionem promisit. Deut. 30: 6. Jer. 32: 39. &c. Minæ semper respiciunt peccata Lam. 3: 38, 39. Sagittæ iræ Dei non diriguntur nisi contra peccata, uti sagittarius metam petit, quamvis dum eam configit, penetret sagitta in palum aut cuicunque axum est metæ signum: sic etiam peccator una tangitur. Refixo signo metæ & alibi affixo non amplius petitur palus cui adhæserat. Sed quo translatum est Psal. 7. vers. 13. si ergo resipuerit aliter fit. Hæc ratio fidelium: translatio peccati sit in vadem, & sic non ipsi sed sponsor feritur. & si aliter fieret injustum foret. Rom. 3: 25, 26. Contra in promissis, exemplo invitatorum ad nuptias, Matt. 22: 11. seq. Habent enim tum Minæ tum Promissa commissionem restrictam illæ Zach. 5: 2. hæ Matt. 10: 12, 13. Luc. 10: 5, 6. Unde tangunt vel non tangunt Exod. 9: 19. Sic Lev. 26. & Deut. 28. Obedientibus promittuntur prospera, inobedientibus adversa. Inprimis in negotio Nineves, Jona jussus contra eam prædicare everionem post dies 40. cap. 3: 2, 4. Sed cap. 1: 2. dicitur ratio, nam adscendit malitia ejus coram facie meâ. Quid hoc significat? Deus vicarios constituit Magistratus, qui quod homines committunt contra Societatem humanam plectant, Gen. 9: 6. Rom. 13: 1. &c. qui si pœnas statuant, nulla est malitia terræ; quia satisfit per pœnam, quantum ad homines in eadem Societate constitutos. Neque pœna ultra mortem corporalem potest procedere Luc. 12: 4. &c. Matt. 10: 28. hanc qui sustinuit, justificatus est quod ad homines Rom. 6: 7. Sic legitur l. 11. D. ad leg. Jul. Majest. Is qui in reatu decedit, integri status decedit; Exstinguitur enim crimen mortalitate, nisi forte qui Majestatis reus sit (hoc est perduellionis, hostili animo adversus rempublicam vel principem animatus,) Cæterum, si quis ex aliâ causa legis Juliæ Majestatis reus sit, morte crimine liberatur. Intelligit mortem naturalem in vinculis & carcere; sed alias mors violenta per magistratum inflicta, satisfactoria est: unde suspensus debuit tumulari in testimonium expiati criminis Deut. 21: 22. &c. Si negligat Magistratus pœnam statuere, tum reatus incumbit terræ Num. 35: 30. &c. non expiatum crimen clamat ad Deum Gen. 4; 10. Clamor peccatorum ad Deum nullus intelligitur in Scriptura, nisi quæ à Magistratu non vendicantur. Conf. Deut. 21: 1. seq. Gen. 18: 21. &c. Non clamat de terra, quod vindicatur in terra, manente tamen reatu respectu Dei legislatoris, qui ipsemet pro se vendicat; cum magistratus tamen animadvertat, quæ hominibus sive damno dato, sive exemplo sunt injuria. Jam Ninevitæ audita denunciatione resipuerunt, ut violentiam manuum suarum desererent, qui cum iidem non amplius essent, denunciationis exsecutio, quæ prædicta erat violentis, non potuit in ipsos statui. Jon. 3: vers. 8: &c. Atque hinc istud valet non solum in fœderatis Dei, sed etiam in gentibus cæteris à fœdere alienis. Neque enim remotio mali includit æterni supplicii remotionem, nec collatio benedictionis infert æternam vitam.

Deinde quæritur, an de integris gentibus solùm, vel etiam de singulis istud valet? Resp. de utrisque, sed ut mutatio eorundem sit, quibus aliquid denunciatum est. Siquidem uni facta sit denunciatio, illius unius sive personæ, sive familiæ mutatione, etiam ista patitur variationem Ps. 7: 13. Exemplum familiæ est Eli 1 Sam. 2: 29, 39. &c. Personæ verò Achab 1 Reg. 21: 20. &c. Denunciationes autem agunt de temporalibus beneficiis. Sic David 2 Sam. 12: 10. seq. Quod si denunciatio facta sit populo, requiritur populi variatio, saltem quoad maximam partem. Neque enim paucorum mutatio quicquam valet. Licet unus vel alter resipiscat, non amoventur eapropter universalia judicia, vel universim, vel sigillatim ab illis ipsis. Jeremias Baruch, & omnes illi qui lugebant ob peccata populi, tamen una ejecti in exilium, cum cæteris; quamvis subinde piis in communi calamitate aliquid detur discriminis, vel externi, Ebedmelecho & Barucho Jer. 39. & 45. Ezek. 9. vel saltem internæ consolationis. Ezek. 11: v. 16. &c. Extraordinarii beneficii fuisset, si propter 10 justos parsum fuisset Sodomæ. Gen. 18. Universalis mutatio fuit in Ninevitis. De populo si quid dictum, facies populi sit oportet in mutatis, quæ in exiguo numero non reperitur. Hoc attendendum in illis prædictionibus Lev. 26. Deut. 28. agunt fere de temporalibus bonis vel malis: quia sermo est de multitudiue populi, quæ si fœderis tenax fuerit, paucorum improbitas non evertet statum Reip. ut Davidis, Salomonis, Asæ temporibus: sin perfida Deo, paucorum integritas non seruabit. Ezek. 14: 14. &c. Spiritualia autem bona singulis promissa sunt & præstantur, quæcunque fuerit facies multitudinis: & mala minata pariter Ezek. 18: 5. &c. Esa. 3: 11, 12. Maledictio resipiscentem non ferit, neque condemnatio eum attinet amplius 1 Cor. 6: 9, 10, 11. Angelus destructor non ingreditur fores signatas sanguine Christi Rom. 8: 1.

Quæritur *tertio*, an satis convenienter Apostolus utitur hac similitudine, de æterna discriminatione hominum, Rom. 9: 21. & quomodo? Resp. Usurpat Apostolus illam, ut asserat jus Dei liberrimum in primâ discriminatione hominum. Jus & potestas est figulo in lutum, ut exinde vasa faciat diversæ figuræ & usus, in quo quidem generatim spectat decus & vtilitatem domus quæ variis indiget ad diversos fines & usus: sed quod luti ejusdem partem unam huic potius quam illi usui destinet & formet, meri arbitrii est. Sic quoque Deo jus est liberrimum: quo facit I. Similitudo discriminandorum quæ indicatur, massâ eâdem. Figulus non nunquam diversam argillam habet, candidiorem, quæ dignioribus, & nigriorum quæ vilioribus vasis adhibetur: sic verò in massa residet discriminationis ratio. Sed hic massa eadem est, ἐκ τ̃ αὐτ̃ φυράματος. Quænam verò illa sit, controvertitur. Debet enim discrimandorum

hominum exacta esse similitudo, ante discrminationem, ut non magis differant, quam partes ejusdem luti. Methodius apud Oecumenium. Habet potestatem Deus mortuos excitans, hos quidem ad gloriam excitare, illos autem ad ignominiam juxta proportionem anteactæ vitæ. Huic massa est pulvis in quem corpora mortuorum resoluta sunt, unde in resurrectione Deus formaturus est corpus ad decus vel dedecus. Sed nihil hîc concinni. Non respondet scopo Apostoli: Hic agit de prima discriminatione, ast ille de ultima declarationis exsecutione. Apostolus probat liberrimum jus Dei, ast ille exercitium statuit justitiæ pro ratione vitæ anteactæ. Apostolus discriminationis causam quærit in Deo; ast istic est in homine. Non est etiam eadem massa: neque enim idem pulvis omnium, cum quidam vivi reperiendi sint: & qui actionibus discriminantur, jam ante discriminanti sunt. Alii ergo intelligunt massam primæ creationis, quia homo primus factus ex pulvere terræ. Gen. 2: 7. & in autore primo homines cæteri: ubi similitudo sit omnium innocentiæ, & integritatis. Verum I. si homines discriminandi considerentur in æqualitate integritatis, pariter boni, ornati, imagine & similitudine Dei; ratio quidem aperta est amoris Dei, & quidem communis erga omnes, Gen. 1: 31. opus enim suum valde bonum non potest non amare; sed nulla odii, aut iræ. Equidem justum fuisset apud Deum, quosdam hominum annihilare, aut donis aliquibus privare, contra alios conservare; donisque novis augere, egisset enim de suo quod libuisset Matt. 20: 15. sed odisse eos iisque irasci non potuisset, ni semetipsum factorem odisset, sibique succensuisset, quod non alii forent, quam esse voluisset, ac ipsos feciisset. II. Discriminatione à Deo factâ, discriminati diversimode tractantur, neque idem est effectus amoris & odii. Electionem amoris sequitur vocatio, justificatio &c. Reprobationem odii omnia contraria. Atqui si homo integer sit massa illa, amor & odium Dei debent habuisse communem actum, promissionem lapsus, ut homo talis esset, in quo amor misericordiam, & odium iram exerceret: fuitque necessarium Deo procurare novam similitudinem, ut discriminationi suæ exercendæ locus foret. Proinde illi potiores videntur. qui massam intelligunt de homine corrupto. Sic enim ultimam habent similitudinem, quam illico sequitur Dei discriminatio, Amor & Odium, & utriusque exercitium. Similitudo enim gemina est omnium hominum, prior ex creatione, qua omnes boni coram Deo, nemo indignus amore, aut dignus odio: posterior ex corruptione, quâ omnes mali coram Deo; omnes odio digni, indigni amore, sed hujus pariter indigi. Atque heic demum discriminatio Dei facit distinctionem, neque datur quicquam novæ similitudinis, quæ universalis sit omnium hominum, ut discriminationem debuerit antecessisse: ut illa nec citius, nec serius potuerit institui: quemadmodum Apostolus ostendit in exemplis Esavi & Jacobi. Singularium enim hominum discriminatio nequit institui, nisi considerentur ut singulares, iidemque similes homines: atque hoc modo duo illi fuere considerati, concepti in utero materno ex uno Patre, qua homines filii hominum, & qua corrupti, filii corruptorum; secreta autem consideratione propriarum actionum, præsentium aut futurarum, quæ non discriminandos, sed jam discretos repræsentassent. Hujusmodi consideratione poscit ipsa vox φυράματος massæ. Non notat illa siccum pulverem sive terræ sive farinæ, sed permixtum subactumque aquâ aliove humore, 1 Cor. 5: 6, 7. & Rom. 9: 21. Jam Deus in prima creatione hominem fecit non ex luto. sed pulverem de terrâ Gen. 7: 7. & quemadmodum pulvis ficus est, nec immundus in se, nec immundans, âficca manu flando amovetur: sic homo conditus primum est à Deo, nec pollutus: nec polluens. Sed quod homo factus fuerit lutum, pulvis aqua mixtus, qui pollutus esset & polluens, corruptus & corrumpens contactu omnia, id non à Deo profectum est, sed tum à Diabolo, qui pulveri homini infudit aquam corruptionem penetrantem omnia; ut hæc pulverem siccum penetrat & imbuit, tum ab ipso homine, qui aquam corruptionis extrinsecus allatam, imbibit, & lutum effectus est, Eccl. 7: v. 29. Job. 15: 16. Hæc est massa, φύραμα, unde Deus format homines vasa ad decus aut dedecus, ceu figulus. 2. Discriminatio similium ad diversos usus & fines, quæ Deo tanquam figulo tribuitur, non constituitur in formatione. corporis & animæ, quæ præsupponitur, sed in formatorum ordinatione. Deus format singulorum corpora Job. 10: vers. 9. seqq. nonne ut lac fudisti me? & ut caseum coagulasti me? cute & carne induisti me? ossibus & nervis contexuisti me? Psal. 139: 13. &c. format singulorum animas Jer. 38: v. 16. Zach. 12: vers. 1. Sed non format homines, uti Adamum ex mundo pulvere: sed ex immundo luto: fecit omnes homines ex uno sanguine Act. 17: 26. erat autem Adamus jam corruptus cum cœpit gignere: concurrit enim providentia sua ad generationem similis cum generante, unde quod ex carne, caro est Joh. 3: 6. Job. 14: 4. nulla Dei culpâ: qui legem in statu creationis politam conservat. Hinc homines omnes ex eodem luto facti dicuntur Job. 10: 9. Memento quod me ut lutum pararis, & Job. 33: 6. cap. 4: 19. Esa. 64: 8. qui omnes uti humanatu naturam, sic corruptam confitentur. Et circa hoc lutum, massam humano generis corruptam versatur actio discriminantis Dei, figuli respondens, qui sicut ex eodem luto fingit vasa honorata, quibus cibi inferantur; pretiosa condantur, parietes, & abaci ornentur; fingit etiam inhonora, excipiendis solum sordibus, nullo unquam honesto usui; idque mero suo arbitrio, quo hanc potius quam illam luti partem huic vel illi vasi destinat.* Sic Deus jus suum in homines pariter corruptos liberrime exercet: & similium qua homines & qua corrupti, aliquos discriminat ut sint vasa ad decus, quibus ipse nihil immundi indat, sed pretiosissima, filium amoris sui Christum, gratiam & gloriam: alios contra relinquit solis usibus ignominiosis, ut sordibus serviant, & tandem in sterquilinium abjiciantur. Cujus discriminationis non magis ipse quam figulus rationem reddere tenetur; aut ipsius arbitrium jure in controversiam vocari potest.

Vers. 11. *Nunc itaque alloquere jam viros Jehudæ & habitatores Jeruschalaimorum, dicendo, sic ait Jehova, ecce ego fingo contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem: revertimini jam quisque a via sua pessima, & bonas efficite vias vestras, actionesque vestras.*

Vers. 12. *Dicunt autem, animum abjicimus* revertendi; *sed cogitationes nostras sequamur, & quisque ex sententia animi sui pessimi faciamus.*

Huic amplificationi additur IV. *Invitatio ad respicentium*, ad declinandum malum, vers. 11. Deo indicante tum quid ipsemet denunciaret; tum quid Judæos eapropter suscipere par foret. Jubet autem Prophetam loqui illicò (נא *nunc*) ne morâ periret oportunitas temporis gratiæ, vel sollicitus de ipsis, (נא *quæso*) ne negligeret monendo excitare 2 Chron. 36: v. 15. Judæos promiscue, & sigillatim. Hierosolymitanos. *Sic dicit Dominus, ecce ego fingo contra vos malum*; figuli similitudinem servans, qui vas indignius formatum, vas in quo nulla delectatio, Hos. 8: 8. uti de Jechoniâ Jer. 22: 28. mutato in deterius statu. *Et cogito* חשב *contra vos cogitationem, vel de vobis*, ut respondeat extremo vers. 8. nempe calamitatis immittendæ, sed cujus pœnitentiam habeat, mutata per respiscentiam populi conditione. Quamobrem huc vocat, *Convertimini nunc*, aut *quæso, quisquam à via sua malâ*; ut in universalitate populi nemo alteri deferret eam mutationem, ipsemet deamata inhærens cupiditatibus, sed ut quivis à se ordiretur, & semet ipsum alium probaret, deserto malo: atque hoc pacto conspirarent in emendationem prioris vitæ. Scl. sub fid cia removendæ adversitatis, respiscendum erat; ea enim prævenire potest judicia infligenda, non semper removet inflicta. Quando Deus format, meditatur judicium. Luc. 14: 30, 31. Amos. 7: 1. &c. qui tandem ostendit perpendiculum, non amplius dilaturus. Cui respondet contemtus invitationis istius in populo vers. 12. Simillimus illi cap. 2: 25. Dixerunt autem נואש *desperatum est*; sive respectu Dei, ut non speranda sit mutuatio in melius. Esa. 22: 13. *Edamus &c.* sive respectu sui, qui invitarentur, frustra sic secum agi, quibus permovendis omnia argumenta invalida forent. Esa. 57: 8-10. & ratio hujus, quia contrarium agere decretum esset cum universis, tum singulis. Cogitationes dicuntur de cupi-

de cupiditatibus pravis etiam Esa. 65: 2. Eph. 2: 3. Desperatio etiam referri potest ad Prophetas & fructum verborum quæ concionarentur, quando eos ad desperationem quasi adigunt Esa. 7: 13. Vel verbis interdicendo Esa. 30: 10. &c. vel se obtemperaturos negando Jer. 22: 21. cap. 6: 16, 17. vel denique factis, ut sequantur cupiditates proprias; quæ משובה נצחת cap. 8: 5. Esa. 49: 4, 5. Jer. 13: 17.

Vers. 13. *Idcirco sic ait Jehova, interrogate jam inter gentes quis audierit talia: rem fœdam valde fecit virgo Israelis.*

V. *Pœnæ denunciatio*; ubi indicatur, causa & pœna ipsa.

I. *Causa* proponitur per Convictionem, Illustrationem & declarationem.

(1.) *Convictio* peccati vers. 13. per exaggerationem nomine Dei propositam, *propterea sic dicit Dominus, interrogate inter gentes, quis audivit talia?* Sic Jer. 2: 10, 11. ad gentes ire jubet, ceu allieniſſimas ab ejusmodi pertinaciâ: ut minis judiciorum non flecterentur ad bonam frugem. Saltem Ninevitæ alios se ostenderunt, & per asseverationem; Horrendum quid fecit valde, virgo Israelis. *Virginem* vocat, non quod integra foret, quam sæpius scortationis & adulterii accusavit, sed more Scripturæ, quæ populos & gentes, matris, filiarum, virginum appellatione indigetat. Tribuit ei crimen horrendum, ut merito ad solum auditum pili toto corpore, assurgant, Jer. 5: 30. Ps. 119: 120.

Vers. 14. *An dereliĉturus esset* viator *præ rupe agros meos?* præ *nivoso Libano? an deerentur aquæ* præ *insolenter frigidis fluentes?*

Vers. 15. *Nam obliti sunt mei populus meus, vanitati adolent: & faciunt ut impingant inter se in viis suis, à semitis perpetuis, eundo itineribus* multis, *via non aggesta:*

Vers. 16. *Ut exponam terram eorum desolationi, sibilis perpetuis: quisquis transiturus est per eam obstupescat, & agitet caput suum.*

(2.) *Illustratio* à similibus vers. 14, 15.

Protasis est vers. 14. Gemina similitudo, quod ה interrogativum & respondens אם confirmat. Sed non consentiunt interpretes. Targ. *Ecce quemadmodum impossibile est ut desinant aquæ nivis descendentis super agros Libanon, sic non desinent de pluvia descendentes, & aquæ scaturiginis scaturientes.* R. Sal. *An homo indigus deseret bibere aquas fluentes de rupe quæ in agris, quæ veniunt de nive Libani, quæ mundæ est? an deserentur aquæ vivæ scaturientes, quæ adhuc peregrinæ sunt, ab omni homine,* (ut nix intacta) *& sunt frigidæ?* Peregrinæ sunt scaturientes, ut 2 Reg. 19. vers. 24. זרו à זרים Esa. 1: 5. derivat R. Monahem, *compressa ad sunt sanationem,* ut sanantes designet; alienè; uti etiam qui à זרם derivant. Abrab. *An deseret homo de rupe altissima* (שדי nomen Dei ad auxesin,) *nivem Libani, scl. fluentem?* vel; *an deseret à rupe Omnipotente* (Dei descriptio ex Deut. 32: 4,) *scl. datam, nivem Libani? divinam, unde cum voluptate in æstu refrigerium petatur: an deserentur aquæ peregrinæ: longe deductæ ex loco dissito, frigidæ, scaturientes?* Prior in se habet oppositionem, quam negligunt hæ expositiones. *An deseret quis propter rupem agri Nivem Libani?* quam postulat apodosis v. 15. Respondet illi argumento Jer. 2: 12, 13. ubi pariter Deus & idola opponuntur. *Rupes agri* per se arida est, & quisquis in illam adscendit exponit se æstui solis majori, cum tamen inde ne gutta quidem refrigerii queat peti. Deus Libani instar est, altissimus quidem, sed ubi nix nunquam deficit, ut maximum refrigerium ibi reperiatur, majus quam in planitie.

Apodosis vers. 15. *Nam populus meus mei obliti sunt, adoleverunt vanitati.* Idola vocat שוא ut alias הבל Jer. 10. vers. 15. Arguitur stolida impietas, sectantium idola, imo quamcunque creaturam, præterito Deo. Omnes creaturæ, quando excellentissimæ, sunt tantum rupes agri; eminentiam habent, quæ allicit intuentes, ut in ea se cæteris majores fore opinentur: quantum agro & planitiei circumjectæ supereminet, si verò ad altitudinem Libani comparentur illæ rupes, vix aliæ sunt quam ager & planities reliqua. Ad altitudinem cœli, quantacunque fuerint palatia, instar egestæ humi à talpis censenda sunt. Rupes istæ prosus siccæ sunt, nihil veri solatii habent; ut cisternæ ruptæ: imo quò altiores terrâ, eo minus adest humoris: quemadmodum divitiæ & honores mundi hujus, quo majores sunt eo minus satisfaciunt desiderio humano, quo plus voluptatum ad manum est, eo magis sitiuntur. Deus est Libanus altitudine; quicquid altum est cum ipso collatum nihil est Esa. 40: 15. & quo altior eo plus solatii; servat in vertice nivem, aquam frigidissimam contrariam æstui vehementissimo æterni ignis. Verbum Dei confertur pluviæ & nivi Esa. 55: 10. & hinc vera refocilatio Ps. 94: 19. Jam quivis videt stolidum esse deserto Deo illa persequi, & in iis acquiescere. Sed porro cum peregrinæ aquæ, quæ in defectu propriæ eminus longe ducuntur, eæque frigidæ, & ex aquæductibus scaturientes, magno in pretio esse soleant, heic quoque Deus supereminet omnes. Est enim aqua maxime peregrina: quantum cœlum distat à terra, tantum ipse ab homine: uti peregrina per canales ducitur, sic per Christum, in quo omnis plenitudo, atque ille fit scaturiens in corde, eo per fidem deductus Eph. 3: 17. Joh. 4: 10. &c. cap. 7: 37. estque frigida, servans refocillandi recreandique vim. Eph. 1: 3. 2 Pet. 1: 3, 4. Nefarium hac neglecta ad cisternas propriæ excisionis ire: sive idola, sive justitiam propriam. Attamen uti Naaman præferebat flumina Damasci peregrinis aquis Jordanis, sic sua potiora homines putant; sed istæ Jordanis solum fuerunt salutares. Domesticæ sunt uti Jerichuntis, lethales bibentibus: quemadmodum autem sal ab Eliseo injectum eas sanavit 2 Reg. 19. sic nulla sanatio nisi à nive Libani.

(3.) *Declaratio* vers. 15, 16. *Et impingere fecerunt eos in viis suis* עולם שבילי. Abrab. Semitæ mundi, sunt se-„ductrices, quibus significari putat, vel cursum naturæ &„ mundi, sic ut inferiora sublunaria ab astris & influentia„ eorum regantur, quorum lege cum omnia fieri opina-„rentur impegerint in viis suis, ut Deum & providentiam„ ejus omnium moderatricem non agnoscerent aut revere-„rentur. Vel consuetudines mundi & gentium, ut earum moribus & institutis viverent; quam Apostolus vocat conformitatem mundi Rom. 12: 2. Eph. 2: 3. cap. 14: 17, 18. 1 Pet. 4: 2. &c. Huc facit Jer. 10: 2. & quæ dehortantur ab imitatione gentilium Leu. 18:. Verum Kimhi ellipses constituit, *Impingere fecerunt eos* המכשילים, *Pseudoprophetæ nempe, in suis viis, ut deserverent semitas* æternas. Has enim juxta cum Targum intelligit de viis bonis. Sic enim accipiuntur Jer. 6: 16. נתיבות עולם, synonyma namque sunt נתיב & שביל *Semita, via angusta* Matt. 7: 14. Luc. 13: 24. & τὸ עולם *æternitatem* denotat, cujus terminus latet: ducit enim ad æternitatem, unde דרך עולם Ps. 139. vers. ult. Esa. 64: 4. quæ animabus quietem afferat, Jer. 6: 16. Matt. 11: 30. Potest etiam admissa priori ellipsi, de pseudoprophetis, posterior removeri, ut שבילי עולם per appositionem dicatur, *offendere fecerunt eos falsi doctores in viis suis, semitis æternis.* Hæ recte dicuntur Israelitarum *viæ*, quia ipsis solis patefactæ Ps. 103: 7. & 147: 19, 20. Deut. 4: 4. &c. Conf. Jer. 12: 16. Sic vero factum esse docet Malach. 2: 8. Zeph. 3: 3. de Prophetis חמסו תורה quod Abrab. exponit de templi secundi temporibus, ubi nulla fuerit idololatria, sed sectæ Zaducæorum hæreticorum, & Epicuræorum, & discipulorum (ubi hiatus תלמידי qui supplendus voce ישו) Jesu: quod quidem calumniose attexit, cum Pharisæos & scribas notasse oportuisset, qui ἀνθρώπων mandata Dei suis traditionibus. Matt. 15: 6. &c. non tantum transgredientes contraria doctrina vers. 3. sed autoritatem omnem ab הלכות ἀφέντες arcessentes: quomodo eis vendicabant axioma τῶν שבילי עולם Matt. 5: 21. &c. crepando τὰς ἀφέσεις, cum à veritate antiquare declinassent Jer. 8: 8, 9. Ad primam proinde revocat Christus ἀπ' ἀρχῆς, non fuit sic Matt. 19: 8. Et Prophetæ ac Apostoli ad Mosen & antiquiora tempora adscendunt afferturi veritatem Jos. 24. Ezech. 20. Act. 7: vers. 13.]Nam verè offendere faciebant populum in semitis æternis qui eas adeo obscuras dictitabant, ut fine clave cognitionis, quæ in Scribarum manu erat, à nemine

mine intelligi posset Joh. 7: 49. Luc. 11: 52. Contra inde absterritos ductitabant quo placebat sibi, ut irent per semitas, *viam non aggestam*. Non rectà ducebant ad impietatem; in viam latam, sed, quæ hypocritarum fraus est, in angustas alias, propriæ inventionis; Pharisæi habebant sectam αἱρεσιν Act. 26: 5. cap. 22: 3. Phil. 3: 5. religione Pharisæus: quorum justitia fuit exundantior, Matt. 5: vers. 20. & superogatoria multa ab iis observata Matt. 23. vers. 23. Marc. 7: 5. Luc. 18: 11, 12. Cujusmodi & illa Col. 2: 20. &c. Et in Papatu omnes regulæ monasticæ, sunt totidem נתיבות, quarum quævis præcisitatem habet singularem: sunt tamen omnes & singulæ דרך לא סלולה *via non aggesta*, complanata: adeoque non nisi per lutosa, uliginosa paludosa, quæ licet speciem habeant, tamen non licet ibi firma figere vestigia, sed tandem quis mergitur & absorbetur ad exitium. *Viæ æternæ sunt aggestæ*, complanatæ, non ab hominibus, sed à Deo, qui qua eundum definivit, unde viæ Dei vocantur, non qua ipse incedit, sed qua homines incedere voluit. Gen. 18: 19. quæ viæ custodiendæ, ne dextrorsum aut sinistrorsum declinetur, quemadmodum si per angustum aggerem eundum, per medias paludes ductum, declinatio omnis periculosa est, & præcipitem agit in perditionem. Utitur quidem Deus hominum opera in complananda via, sed non ut primum paretur, sed ut à corruptelis hominum purgetur, atque eousque elevetur, ut excelsior appareat, quam omnes viæ aliæ, recens factæ. Ps. 68: 5. Esa. 40: 3. Luc. 3: 4. Hæ verò aggestæ viæ Domini debent esse in cordibus Ps. 84: 6. hoc est lex Dei Psal. 37: 31. Esa. 50: 7. Si viæ hominum non illa Dei in corde sint, vacillant gressus, & tum consequens est vastatio vers. 16. ut ponant terram suam vastationem, vel stuporem, æternam exsibilationem; quivis transiens juxta eam, stupebit, & movebit caput. Non est hic scopus declinatium ad novas semitas, sed tamen indeclinabile consequens, vastitas & solitudo Ægypti non fuit scopus Pharaonis, sed tamen indeclinabile consequens facti sui, Exod, 10: 7. cap. 12: 30. &c. cap. 14: 27, 28. Peccatores sibi ipsis malum accersunt, Jer. 2: 19. cap. 38: 23. Deut. 26: 22. seqq. Malum autem est vastatio, irrisio; nam irridentium est exsibilare, & caput movere. Psal. 22: 8. Matth. 27: 39. Stupor autem transeuntium sæpius prædictus 1 Reg. 9: 8. 2 Chron. 7. Jer. 9: 12. cap. 22: 8. &c.

Vers. 17. Velut *Euro dispergam illos coram inimico; cervice, non autem facie* obversa *respiciam eos tempore calamitatis ipsorum.*

2. *Pœna* ipsa describitur vers. 17. immissio mali, tanquam vento curi dispergam eos ante faciem hostis, sic Jer. 4: 11, 12. Esa. 27: 8. vis irresistibilis venti, qui maximas moles disjicere potest: negatio auxilii vel solatii, cervice non facie אראם in die calamitatis suæ. Ira Dei vento confertur sæpissime: sed hoc loco hostes vento assimilantur; quia instrumentum Dei non secus ac ventus. Quidam sic redditum volunt, Cervicem non faciem (meam) אראם videre faciam eos in die calamitatis suæ, quemadmodum ipsi faciunt Deo in die prosperitatis suæ Jer. 2: 26. &c. Facies Dei, oppositæ cervici, favorem & gratiam notat, cervix odium & aversionem. Facies hominum obedientiam, cultum, fiduciam: cervix neglectum. Ps. 123: 1. & 141: 8. Ezek. 8. vers. 16. Sed non Hiph. verum Kal. occurrit; Abrab. propterea ad priora refert ערף ולא פנים לו coram hoste, cervicem non faciem huic obvertentes; ut qui fugiunt non contra pugnantes, sed pavidi ne quidem intuitum ferentes hostis. Videbo eos in die calamitatis suæ. Verum atnach in אויב disterminat. Ergo convenientissime, cervice non facie intuebor eos in die &c. quomodo dicimus tergo aliquem intueri, hoc est negare intuitum; sensu primo. Quomodo aversus Deus simul adversus est, quando in die calamitatis talem se ostendit.

Vers. 18. *Prætereà dicunt, agite cogitemus contra Jirmejam cogitationes: nam non est peritura lex à Sacerdote, consilium à sapiente, & verbum à Propheta: agite, percutiamus eum proprer istam linguam, & ne attendamus ad ulla verba ejus.*

Eventus concionis est vers. 18. &c. respectu non auditorum, de quo agit vers. 12. sed Prophetæ; quæ gratiæ retulerit ab auditoribus vers. 18. quid item ipse contra egerit vers. 19-23.

1. *Auditorum gratia* est, vers. 18. *Dicunt autem illi*, Judæi & Hierosolymitani, *venite & cogitemus contra eum cogitationes.* Excitant se mutuum, ut Pharisæi sæpius contra Jesum Matt. 22: 15-34. Joh. 11: 47. Videntur autem illudere verbis ejus, quæ Dei nomine proposuerat, vers. 11. quasi dicerent, ille cogitationes Dei contra nos fingit, iisque nos territat; cogitemus nos cogitationes contra ipsum, & videamus, quænam sint futuræ efficaciores. Cogitationes autem ipsorum erant ad ejus necem, quemadmodum olim Anathothæi cap. 11: 19: 21. Rationem dicunt; *Nam Lex non peribit à Sacerdote, nec consilium à Sapiente, nec verbum à Propheta.* Scilicet etiamsi hunc sustulerimus, non tamen ministris sacris carebimus, muneri suo idoneis. Sacerdotum fuit custodia & interpretatio Legis Deut. 31. vers. 9, 10. & 25. cap. 33: 10. Mal. 2: 7. Sapientum consilio adesse, Prophetarum verbum Dei extraordinarium annunciare, in somno; visione, aliove modo revelatum. Sacerdotes fuere hæreditarii, Aaronis posteri, Matt. 23: 34. Prophetæ, Sapientes, Scribæ. Sapientes illi de quibus Jer. 8: 8, 9. qui חופשי התורה Jer. 2: 8. Esa. 29: 10-14. Prophetæ visiones & somnia jactabant Jer. 23: 16-25. &c. vers. 30, 31. His omnibus tribuebant, vi sui muneris, autoritatem & fidem; ut licet Jeremias Sacerdos foret, & sapiens, & Propheta, tamen nihil se peccare crederent, ejus cæde, cum multitudo ejusdem ordinis esset, aliud prorsus statuens. Proinde dicunt, *agite percutiamus eum linguâ*; nempe accusando, criminando, calumniando: hinc flagellum linguæ Job. 5: 21. & lis linguarum Ps. 31: 21. *neque attendamus ad ulla verba ejus*; ut quicquam ejus monitu omittamus vel faciamus. Percussionis ejusmodi exemplum est Jer. 29: 24. &c. Amos. 7: 10. &c. & obstinatæ inobedientiæ Jer. 44: 15. &c. Hinc autem apparet, quomodo ordo doctorum externus multis ratio sit negligendi, imo persequendi veros Prophetas; sic 1 Reg. 18: 22. & hoc modo actum contra Christum & Apostolos, & postea contra veros doctores à Papa & Clero ejus. Scl. cathedræ quam occupant eam esse reverentiam censent, & multitudinis consensum inter eos qui Doctores sunt, sufficientem normam fidei & vitæ. Sed cathedra Mosis authoritatem conciliat, inibi verba Mosis eloquenti; non alia Matt. 23: 23. multitudo fallax admodum argumentum, in judicando Propheta; in Synedrio Nicodemus & Joseph Arimathæensis soli dissentiunt, cæteri damnant Jesum. Exod. 23: 2. Regula sequenda 1 Joh. 4: 1. consentiens illi Esa. 8: 20. Abrab. plane aliter. *Cogitemus cogitationes contra Jeremiam, ut non amplius concionibus ejus inquietemur, nam non cohibebit os suum* aut *linguam sua sponte, neque deficiet eum redargutio sive ex verbis Legis, cum sit Sacerdos; neque consilium cum sit sapiens, ut politicis rationibus coarguat; neque verbum Propheticum quo nos terreat cum sit Propheta; eoque cogitemus cogitationes occidendi ipsum*, quod pessimorum propositum; alios autem paulo mitiores, vitæ quidem parcendum ratos, dixisse, *agite percutiamus eum in linguâ*, hanc exsecantes, ut fari, & arguere nequeat: mitissimos autem voluisse, solo contentu ultionem sumendam, ne Sacerdotis corpus vitio aliquo corrumperent. Sed aliena ista sunt, quæ commentus est, ne Sacerdotes, Sapientes & Prophetæ reliqui accusentur. At enim cæteros notari liquet, quibus dum multum tribuunt, tandem inutilitatem deprehensuri erant, Ezek. 7: 26. quando impleretur illud Esa. 29: 10. &c. Jer. 8: 8, 9. unde fames verbi & inde defectio animi Amos. 8: 11. &c. Psal. 94. vers. 9.

Vers. 19. *Attende Jehova ad me, & audi vocem contendentium mecum.*

2. *Responsio* Jeremiæ constat Precibus ad Deum, quibus
I. *Petit audientiam* vers. 19. *Attende, Domine, ad me, & audi vocem litigantium mecum.* Audientiam non solum sibi, sed etiam adversariis: quia enim ad Deum ceu judicem confugit, æquum est ut utrique parti paret vacivas aures. Non gravanda est pars adversa unius autoritate, aut gratia apud judicem, sed utrique servanda integra auris, utæquo jure

jure disceptetur causa. Qui altera parte inaudita judicari vult, iniquum petit, & qui sic judicat iniquum facit, æquum licet statuerit. Nec sine causa dicit הקשיבה, cum enim audientiam apud populum non impetraret, eam à Deo sibi concedi poscit, atque simul etiam adversariis, quomodo non poterant ad exsecutionem progredi, apud superiorem judicem prius reddituri rationem: uti cum per appellationem sistitur actio, & judex ipse constituitur pars, dum de ejus sententiæ æquitate disceptatur. Sed an recte provocat ad judicium Dei? Resp. Omnino. Sæpius ita agit Jer. 11:20. cap. 20: 12. Sic quoque Christus 1 Pet. 2: vers. 33. & Paulus 1 Cor. 4: 3-5. Si quis putet privatas ejusmodi lites vel viliores esse, quam ut in ultimo judicio agantur, vel operosiores, quam ut judicii dies eapropter extendatur, illi non intelligunt judicii extremi rationem, vel Scripturam de eo loquentem Eccl. 11: vers. 9, 10. cap. 12. vers. ult. Matt. 12: vers. 36, 37. 1 Cor. 4: 5. 2 Cor. 5: 10.

Vers. 20. *An rependendum est pro bono malum, quòd fodiunt fossam mihi? recordare me stetisse coram te ut loquerer pro eis bonum, ad avertendam excandescentiam tuam ab eis.*

II. *Instituit accusationem.* vers. 20. cujus thesis, axioma juris communis; *an rependetur malum pro bono?* id fieri iniquissimum esse quivis judicat. Luc. 6: 31--35. Matt. 7: 12. quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Mera æquitas est par pari referre. Hypothesis autem est, ipsos malefacere sibi, benefacienti ipsis. I. *Malefactum* ipsorum; *nam ipsi foderunt foveam animæ meæ*; mortem mihi machinati sunt, non tam apertâ vi, quam fraude; ut cum feris fodiuntur foveæ in quas incidant, unde eniti nequeant, cum vi aperta prævalere non possunt, aut nolunt. II. *Benefactum* suum, cujus testem dicit Deum ipsum; quia non solum ipsismet audientibus, sed etiam in secreto causam ipsorum egerat apud Deum. *Memento stare me coram facie tua*, quod intercedentium est & deprecantium, nec non sacerdotum ministrantium Deo pro populo Jer. 15: vers. 1. Heb. 10: 11. Jeremias autem ut sacerdos & Propheta steterat, causam populi agens Heb. 5: vers. 1. &c. Actiones stantis fuere, *Loqui bonum pro ipsis*; est hoc causam agere, patrocinari, 1 Sam. 19: 3. seq. *Avertere iram Dei ab ipsis*, deprecari, quod egit Jer. 14. illud est procurare bonum, ut illud perennet, atque augeatur; istud amoliri malum, ne illud ingruat, imo avertatur. Quod utrunque studiose actum à Jeremia, Jer. 17: v. 16. Abrabanel ait, quia adultera dicitur שוחה עמוקה Prov. 22: v. 14. cap. 23: 27. suspectum habuisse Judæos Prophetam adulterii. Verum nihil hujus dicitur uspiam; & de machinationibus frequentissima est phrasis effodiendæ foveæ, Ps. 7: 16. & 35: 7. & alibi.

Vers. 21. *Idcircò expone filios eorum fami, & fac ut diffluant per gladium, sintque uxores eorum orbæ ac viduæ, & viri eorum interfectione moriantur: juvenes eorum percutiantur gladio in prælio.*

Vers. 22. *Audiatur clamor è domibus eorum, quum adduxeris contra eos turmam repente: quia foderunt fossam ad capiendum me; & laqueos occultarunt pedibus meis.*

Vers. 23. *Nam tu Jehova, nosti totum consilium eorum contra me ad mortem, ne expiato iniquitatem eorum, & peccatum eorum à conspectu tuo ne deleto: sed propellantur in offendiculum coram te, tempore iræ tuæ age contra eos.*

III. *Petit ultionem* contra ipsos; imprecando I. *Calamitatem* Immittendam ipsis 1. famem, 2. bellum, quod exaggerat; à subjectis: (1) liberis, *fluere fac eos* (hoc est sanguinem ipsorum) *per manus gladii*, ut à victoribus imbellis ætas trucidetur. (2) matribus, ut *fiant viduæ*, (3) maritis ut *occidantur*, (4) juvenibus innuptis, ut *cadant in prælio*, vers. 21. (5) domibus ipsis, unde *audiatur clamor*, dum ab improviso hostibus irruentibus, vim patiuntur, fortunis, corpori ac pudicitiæ, & vitæ illatam vers. 22. Repetit autem culpam ipsorum, *effossionem foveæ & absconsionem laquei*, omnis generis dolos, & insidias; familiari Scripturæ phrasi. Ps. 7: 16. & 9, 16. & 33: 7, 8. & 140: 6. & 142: 4. II. *Judicem* Deum vers. 23. cui *tribuit* notitiam omnium consiliorum contra se, quod secretissima, sibi ignota, ipsi essent explorata. Adeoque vult ut non tantum ex actis & probatis, ut sic loquar, sed ex conscientia pronunciet: quod quidem an in humano judicio valeat, disputari solet, sed in judicio Dei certissimum est. 1 Cor. 4: 5. non ut maneant soli judici secreta, sed ut ipse ea patefaciat, ad æquitatem sententiæ probandam, quomodo etiam in humano judicio obtinere potest; neque enim judici licet condemnare vel absolvere ex iis quæ sibi soli nota, ut sibi soli maneant nota; sed patefieri debent. 2. *Poscit* (1) *excludi* à remissione peccatorum, ut retineantur eis peccata; ne expies iniquitatem ipsorum, & peccatum non deleas. Contra quam promittitur Jer. 33: 34 & petitur à Davide Psal. 51. Prius habet obtectionem ne videantur, alterum deletionem ne amplius sint, quæ oblivione significatur. Job. 13: 26. *scribis contra me amara.* Simile à Creditore, scribente & delente nomina aliena. (2) *tradi* in mentem reprobam, ut offendant coram Deo, in viis ipsius Hos. 14. vers. ult. 2 Thes. 2: 10. &c. (3) æternum *puniri*, in tempore iræ contra eos agere, hoc est potentiam & iram exercere in die iræ Rom. 2: 5. 8, 9. cap. 9: 22. 2 Thes. 1: 9. Psal. 21: vers. 9, 10. &c.

Imprecatione istiusmodi usus quoque est cap. 11: 20. cap. 15: 15. & in Psalmis leguntur complures: quæ legitimæ, non qua privatas injurias ulciscitur aliquis, sed functionem divinam Dei enim gloriæque ejus interest, ne ministri & legati ejus, ob hujus exercitium male habeantur impunè. Est hoc maximum peccatum Hierosolymæ 2 Chron. 36: 16. &c. Matt. 23: 37, 38. Accedit quod Jeremias sæpius jussus fuit istiusmodi calamitatem denunciare, interdicta ipsi intercessione pro populo. cap. 14. ut nihil aliud petat quam denunciationum divinarum complementum. Deut. cap. 29: vers. 20. &c.

CONCIO XI.

CAP. XIX.

CONcio hæc præcedenti similis est, tam quod ad modum proponendi, repræsentato typo & applicato, quam quod ad materiam typi, quæ utrobique ex officina figuli desumta est. Est tamen aliqua differentia; cap. 18 agitur de luto informi, seu dum formatur deformi, & aliter formando: hic de vase luteo excocto. Illud corruptum refingi potest, hoc novam reconcinnationem non admittit. Atque hâc de causa istic additur adhortatio ad resipiscentiam, qua reformatio ad meliorem formam impetretur; hic ea omittitur ob incorrigibilitatem populi, & immutabile puniendi propositum. Concio autem ista proponitur vers. 1-13. Repetitur vers. 14, 15. Eventus recitatur cap. 20.

Vers. 1. *Sic ait Jehova, abi ut compares lagenam figuli testaceam, adhibens de Senioribus populi, & de Seniorihus sacerdotum.*

Vers. 2. *Deinde progressus in vallem filii Hinnomi, quæ est ad ostium portæ orientalis, proclamabis illic verba illa quæ edixero tibi;*

I. CONCIONIS ipsius notanda veniunt

I. *Præparatoria.* vers. 1, 2. ubi Mandatum designans typum exhibendum, testes adhibendos, & locum deligendum.

Typus vers. 1. *sic ait Dominus: Abi, eme amphoram figuli testaceam.* Propheta heic refert Deum, ut Jer. 13: 1. &c in cingulo emendo: qui molestiam quærendi, & quasi cum sumtu emendi Israelem adiit, Exod. 15: 16. Deut. 4: 24. Israel seu Hierosolymitana urbs, confertur amphoræ anguſti oris & colli. בקבוק, nec non vacuæ & inani:

& quidem operis figulini, ne quis ex metallo, aut marmore cæsove lapide factam putet : adhæc testaceæ, non argillæ mollis, sed duratæ & excoctæ igni, quæ fragilis, sed ut reconcinnari nequeat : Scilicet ratione figuræ I. Angusti oris est, quia benignitates Dei non expetivit aut excepit, quâ copia oportebat, & offerebantur. Ps. 81: 11. &c. Deo offerente se Deum initio & tum poscente obsequium ; ipsi prius polliciti sunt obsequium, ac tunc demum Dei bonitatem exspectaturi erant. Conf. 2 Cor. 6: 11, 12. II. Inanis est, quales amphoræ à figulo emuntur, nihil in eo commendabile, Deut. 7: 6, 7. cap. 9: 5, 6. imo uti nova amphora malum saporem affert infuso liquori, ni prius, aquis fuerit mersa, eamque imbiberit. Sic quoque mera corruptela, omnia corrumpens. Tit. 1: 16. Rom. 7: 18. nisi aquis regenerationis fuerit mersus homo & imbutus, Tit. 3: 3. &c. Inanis tamen amphora majorem Sonum edit, uti Israelitæ boni exsortes plurimum jactabant religionem Jer. 7: 4. &c. & hypocritæ inanes plurimum habent gloriationis. Ratione materiæ autem, testa fragilis. Nullum pretium originis, sed vilis argilla, & quamvis stabilitatem aliquam & firmitatem assecuta videatur coctione, tamen fragilis est, Psal. 30. vers. 7, 8. & 39: 6-12. Si cadat, si illidatur ferro, aut æri aut lapidi, imo alii testæ, dissilit in frusta prorsus inutilia : & hæc conditio Ecclesiæ ex hominibus constantis, quorum singuli testæ sunt.

Testes porro adhibendi, vers. 2. *Seniores populi, & Sacerdotum :* primores utriusque ordinis, Politici & Ecclesiastici ; quia utrosque attinebat, cum ageretur de Regni & Religionis facie externâ destruendâ, & horum erat utrobique invigilare, ne quid detrimenti caperet egregium publicum. Cum etiam peccatorum impunitas ipsis foret imputanda.

Denique *Locus* vers. 2. *Egredieris ad vallem filiorum Hinnom, quod est ad ostium portæ Solis,* (חרסה & חרס *Solem* notat) חרס quidam Synonymum faciunt חרש *testæ*, ut *porta testæ*, seu *figulina* dicatur, ubi figuli haberent suas officinas. Sed altera expositio videtur uberior, & convenientior. Erat enim vallis Hinnom ad orientem urbis & templi, & porta qua egrediebantur eò, Solaris dicta, quia Baal sive Moloch, hoc est Sol, ibi colebatur, ut idolatriæ ratio habita fuerit in ipsâ denominatione, Ezek. 8: v. 16. Pertinuit hoc ad majorem convictionem ; ut ubi triumfabat peccatum, ibi audirent clarigationem oppugnaturi Dei, & victoriam reportaturi quando judicat. Si quis putet absonum id esse, & profanationem verbi Dei, ut istic loci concionaretur, is jussum Dei meditetur, & summam sapientiam esse fatebitur, quicquid ab ipso instituitur. In profano Balthasaris convivio Deus manu, Daniel ore concionantur. Elias Achabum affatur in Nabothi cæsi vinea, & Propheta ex Juda Jeroboamum juxta altare, ubi vitulis suis sacra faciebat. Et sic quandoque martyres secreto instinctu idolea ingressos, & idololatris in os contradixisse constat, qui quidem excepti seu hostes, quo titulo Achabus Eliam ornavit, 1 Reg. 21. sed quibus licuisset cum Elia respondere, *inveni vos quia vos vendidistis ad faciendum quod malum in oculis Domini* : quomodo magis pudefiunt, ut cum adultera ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenditur : magis contra testem furibunda, ut exprobrandi facultatem adimat, siquidem possit, etiam ejus nece. Istic verò quæ inspiraturus erat verba, habuit publicanda.

Vers. 3. *Et dices, audite verbum Jehovæ reges Jehudæ, & habitatores Jeruschalaimorum : sic ait Jehova exercituum Deus Israelis, ecce ego adducturus sum malum contra locum hunc, quod quisquis audiverit, tinnient aures ejus.*

Vers. 4. *Eò quòd dereliquerunt me, & alienum reddiderunt locum hunc adolentes in eo diis alienis quos non noverunt ipsi, majoresque eorum, & Reges Jehudæ, ac impleverunt locum hunc sanguine innocentum.*

Vers. 5. *Et ædificaverunt excelsa Bahalis ad comburendum filios suos igne, holocausta Bahali : quod non præceperam, neque loquutus fueram, neque venerat in animum mihi :*

II. *Substantia* ipsa vers. 3—9. compellatis regibus & populo Hierosolymitano, vel quod Seniores eos repræsentarent, vel ut per illos Seniores cæteris deberet innotescere, quod solus Jeremias omnibus monendis non sufficeret, aut apud omnes non inveniret admissionem. Inculcat autem יהוה majestatem צבאות potentiam & imperium Dei, nec non fœderis rationem : quod frequens ; & hujus nomine prædicit judicium, quod adeo grave futurum sit, ut audientium aures sint dolituræ. Sic 1 Sam. 3: 11. 2 Reg. 21: 12. Tum recitat causam vers. 4. Omissa : *deseruerunt me* ; commissa, *alienarunt terram.* Cum enim Dei esset Lev. 25: 23. alienis Diis eam fecerant propriam, Dominus terræ est opinione hominum, quem ibi colunt 2 Reg. 17. vers. 25. &c. Atqui alienatur, quod justo Domino ereptum alieno datur ac addicitur. Constat autem ex cultu, *Suffierunt Diis alienis ;* Alieni agnoscuntur ; *quos non noverunt, ipsi, patres ipsorum ac reges.* Sed annon satis notus ipsis cultus Baalis ? cum toties institutus & restitutus fuerit ab apostatis, mox inde ab excessu Josuæ ? Resp. Alieni sunt Dii isti ipsis omnibus, quia nullo beneficio ipsis innotuerunt, uti quidem Dominus Deus Israelis, Exod. 14. fin. 1 Reg. 18. & Naamani innotuit 2 Reg. 5. Psal. 106: 37. שרים vocantur quæ vers. 38. עצבי כנען Similiter Apostolus 1 Cor. 10: 19. &c. εἴδωλον reddit per δαιμόνια & εἰδωλόθυτα edere participem fieri poculi & mensæ dæmoniorum : Adhæc idololatria Sociata fuit cædi : *implerunt hunc locum sanguine innocente :* quod explicatur vers. 5. *ædificarunt excelsa Baali, & combusserunt liberos suos illi in holocausta ;* qui Molechi cultus, (Solis qui בעל *dominus* ; & מלך *rex*) Sunt qui liberos tantum per ignem traductos volunt, lustratione quadam ; sed hic fuit inferior gradus, summus vivicomburium liberorum, quod hic & cap. 7: 31. expresse dicitur, Psal. 106: 37. &c. Nam ut ferunt æreæ imagini ignitæ imponebant in sinum liberos, qui sic comburebantur. Addit autem ad majorem detestationem, *quod non præcepi, neque de eo locutus sum aut cogitavi.* Equidem Abrahami exemplum, jussi offerre Isaacum, causam dedit huic cultui ; sed Deus tantum voluit, exploratam dare obedientiam Abrahami ; quæ cum patuit, inhibuit ne fieret ; neque postmodum unquam imitationem mandavit, cum de sacrificiis sigillatim leges daret. Voluit etiam istic typum exhibere Messiæ, & satisfacere desiderio Abrahami, ut videret diem ejus Joh. 8: 56. Abrabanel ait : *non dixi Abrahamo ut comburet filium suum, neque enim volui ut eum occideret, sed solum ut adscendere eum faceret super altare uti holocaustum futura victima, ligatum & prorsus ita compositum.*

Vers. 6. *Idcircò, ecce dies venturi sunt, dictum Jehovæ, quum non vocabitur locus hic amplius Thopheth ; aut vallis filii Hinnomi, sed vallis interfectionis.*

Vers. 7. *Nam exhauriam consilium Jehudæ & Jeruschalaimorum in loco hoc, faciens ut corruant gladio coram inimicis suis, & manu quærentium animam ipsorum tradamque cadaver eorum cibo volatilibus cœli & bestiis terræ :*

Vers. 8. *Et exponam civitatem hanc desolationi & sibilo, quisquis transibit prope eam, stupebit, & sibilabit propter omnes plagas ejus.*

Vers. 9. *Faciamque ut comedant carnem filiorum suorum, & carnem filiarum suarum, & quisque carnem amici sui comedant ; præ oppressione & & præ angustia qua angent, eos inimici eorum, & quærentes animam eorum.*

Porrò prædicit pœnam I. quoad *Locum* ejusque nomen vers. 6. pro *Tophet* à sono tympanorum, quæ tempore oblationum humanarum pulsabantur, ne ejulatus liberorum qui comburebantur, exaudiri posset, & *vallis filiorum Hinnom* (qui ante Israelitarum tempora vixit, ut ex Jos. 15: 8. patet) *vallis occisionis vocabitur*, infami nomine in omen

omnem posteritatem, quod à peccatoribus infamatus esset. *Occisionis vallis* autem facta est ista eousque ut æternæ mortis & damnationis locus non alio nomine seqq. ætatibus frequentius indigetaretur. Sic enim vocatur γέεννα πυρὸς in Nov. Test. sæpiùs, ex Hebræorum more, & Tophte Esa. 30. vers. ult. II. Quoad *Homines*, & quidem (א) *vivos* vers. 7. atque hìc respicit typum, בקבוק *amphoram*, ab inanitate dictam, quam pœnalem facit geminam, (*a*) *Consilii*, ut non reperirent, quid suscipiendum agendumve esset. Gloriabantur de sua sapientia & consilio, sed defectus prædicitur Esa. 29: 14. Esa. 30: 1. &c. Deut. 37: 28. cap. 28: 65. &c. (*b*) Hominum, ut gladio hostili cadant. Esa. 31: 1. &c. (ב) *Mortuos*, ut ab avibus & bestiis absumantur; vers. 7. Quoad *Terram* vers. 8. urbem, & regionem universam, vastationi X irrisioni fore ob plagas suas cuivis intuenti, uti etiam Jer. 18: 16. Deut. 29. Amplificatur ab *instrumentis* vastationis, vers. 9. quòd ipsimet liberos suos & quisque alium devoraturi sint famelici in obsidione: & quos antea idolis, jam proprio ventri sint oblaturi, & ἄσπεργοι in pœnis futuri, qui id fuerant in peccato. Cujusmodi alias quoque prædicta Deut. 28: 35. &c.

Vers. 10. *Deinde frangis lagenam ipsam ante oculos illorum hominum qui ituri sunt tecum:*

Vers. 11. *Et dices eis, sic ait Jehova exercituum, ita frangam populum hunc & civitatem hanc, ut qui frangit vas figuli, quod non potest curari amplius: & Thophethi sepelientur, eò quòd nullus supererit locus ad sepeliendum.*

Vers. 12. *Ita facturus sum loco isti, dictum Jehovæ, & habitatoribus ejus: & redditurus civitatem istam similem Thophetho.*

Vers. 13. *Et erunt domus Jeruschalaimorum domusque regum Jehudæ ut locus Thophethi, immundissimæ: omnes domus illæ super quarum tecta adoleverint toti exercitui cœlorum, & libaverint libamina diis alienis.*

III. *Confirmatio* vers. 10-13. tum facto vers. 10. fracta amphora inspectantibus quos adduxerat comitibus, tum *verbo*. vers. 11. Dei nomine repetito, qui typum applicat fractionis, postquam inaniti fuerint, à consiliis & hominibus, confringam populum & urbem, & quidem insanabiliter, uti testaceum vas confractum refici nequit, sed fragmenta ceu prorsus inutilia sunt abjicienda, ne quidem sterquilinio, idoneâ, ut lætamen præstent agris. Esa. 30: 14. Illustrat conditionem sanari nesciam à collatione Tophet & Hierosolymæ; *in Tophet sepelient mortuos, deficiente alio loco.* vers. 11. Cadaveris autem impuritas ipsis maxima fuit, & locum religiosum polluebat, qui mortuorum ossa inferret 2 Reg. 23: 14, 16. quod si fieret sepulchretum, irreparabiliter profanatus erat locus quoad religionem; & sic futurum erat illi Tophet, eoque non amplius tympanis lætitiæ, sed funebribus næniis personaturus. *Hierosolyma & cives ejus erunt ut Tophet*, vers. 12. quemadmodum Tophet non urbs, sed locus apertus, & ob sepulchra immundus; sic urbs vasta, dirutis mœnibus, & redacta in tumulum urbis, nec non impura, repletis domibus & palatiis regum, cæsorum mortuorumque cadaveribus; pro eo quod antea fuissent loca religiosa, cum in tectis sidera colerentur, & diis alienis fierent libamina vers. 13. Sic à summo honore, cum templorum & altarium religionem haberent, in summum dedecus justo judicio præcipitantur, in sepulchrorum pollutionem, loca ab invictæ Jer. 8: 5. impietatis hominibus infesta, nam Deus vincit, quando judicat. Jer. 44: vers. 15. seq.

Vers. 14. *Deinde reversus Jirmeja Thophetho, quò miserat ipsum Jehova ad prophetandum; substitit in atrio domus Jehovæ, dixitque toti populo:*

Vers. 15. *Sic ait Jehova exercituum Deus Israëlis, ecce ego adducturus sum contra civitatem hanc, & contra omnes civitates ejus totum illud malum quod eloquutus sum contra eam: quia obdurarunt cervicm suam, ut non auscultarent verbis meis.*

II. Repetitio Concionis vers. 14, 15. Functus in Tophet suâ legatione redit Jeremias in Templum & in hujus atrio, coram universo populo & immixtis sacerdotibus ac Levitis, eandem repetiit, vers. 14. Non sufficiebat Senioribus indicasse imminentia mala; hi enim quandoque quia potentia & opibus instructi sunt, contemnunt minas ejusmodi, ceu sua sapientia & dignitate satis contra muniti, aut tegunt, ne populus animis concidat, aut contra se concitetur. Ipsi populo indicium fieri debuit, quo sibimet ipsis prospicerent, siquidem commoti essent metu ingruentium tribulationum: sic cap. 22. Summa autem est vers. 15. Mala denunciata Deum certissime exsecuturum; ob pervicaciam inobedientiæ contra se exercitam: quales repetitiones frequentes sunt.

CAP. XX.

Eventus concionem secutus, quid Jeremias I. passus fuerit vers. 1, 2, 3. II. egerit, contra lædentem vers. 3, 4, 5, 6. apud Deum vers. 7-13. apud semetipsum v. 14-18.

Vers. 1. *Audiens autem Paschchur filius Immeris Sacerdos, qui erat præfectus autcessor in domo Jehovæ, Jirmejam prophetantem verba ista:*

Vers. 2. *Percussit Paschchur Prophetam Jirmejam: posuitque eum in cippo qui* erat *in porta Binjaminis summa, quæ* erat *ad domum Jehovæ.*

I. *Passio* Prophetæ describitur I. ab *Autore*, vers. 1. Fuit ille *Paschur Immeris filius*, qui inter 24 ἐφημερίας Sacerdotum decimam sextam familiam ducebat, atque idem *præfectus domus* Dei præcipuus, Targ. facit secundum Sacerdotem, summo proximum & vicarium ejus. Saltem principem ordinis sui fuisse verisimile est, & hebdomade sui muneris cæteris omnibus præfectum, fortè insuper ordinarium præfectum templo, qualis ille στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ Act. 4: 1. cap. 5. vers. 24-26. qui curabat ne quid fieret vel diceretur quod profanationem templo afferret. Hic dum munus suum in templo obit, audivit ipsemet Prophetam concionantem repetitò, & quod eâ vastatio templi & cultus externi cessatio prædiceretur. Atque cum id seditiosum arbitraretur, aut injurium in religionem templi (quemadmodum sic actum contra Apostolos Act. 4: 5. Stephanum Act. 6. Paulum Act. 21.) sibi putavit ex munere interveniendum, & hominis nefarii, qui Israeli, & Hierosolymæ, & templo excidium minaretur, intemperiem esse coercendam. videatur Jer. 29: 26, 27. II. *A pœna* vers. 2. quæ gemina (1.) *Plagæ, quod percussit Jeremiam* vel ipse manu, aut scipione, aliove instrumento quod ad manum erat, vel per alios, ut ministris imperarit fustigationem ejus, quemadmodum Act. 5: 40. δείραντες dicitur de Synedrio: qualem pœnam Paulus quinquies à Judæis se passum refert 2 Cor. 11: vers. 24. vocatur autem מלקות מרדות. (2.) *Cippus.* Posuit eum in מהפכת Sunt qui *carcerem* designatum volunt, qui fuerit in porta Benjaminis superiori, in templo. (Cum enim templum maxima parte in Benjaminis portione foret, plures portæ templi ibidem fuerunt, quæ situ distinctæ.) sic idem fecisset, cum alio præfecto templi, qui ἔθετο εἰς πρῶσιν vel εἰς περκὸς idque δημοσίᾳ Actor. 4: 3. & 5: 18. Carcer quibusdam, quia Jer. 29: 26. distinguitur à צינוק genere aliquo supplicii, Symmachus βαραθρῶδες aut φρεατῶδες, quod tormentum notat utrunque. Hieron. nervum, Targum כיפטא à fornice & concavitate. Aliis ex vi nominis videtur esse *cippus eculeus*: instrumentum duobus lignis constans quibus inserebatur collum, & arctabatur magna captivi molestia, atque illud fuisse in ipsa porta templi publice, ad majo-

rem ignominiam. Quicquid sit, fuit carcer, aut supplicium Ecclesiasticum, cujus judicium in porta templi exercebatur. (3.) *Duratio* custodiæ seu pœnæ vers. 3. per noctem unam, quando Paschur eum dimisit; unde non tam ad custodiam istic fuit, postridie judicandus ut Apostoli Act. 4: 3. &c. Quam ad pœnam, utpote inde dimissus.

Commendabile hic quidem fuisse, qui debitam reverentiam templo præstarent, & hoc etiam fecisse, nam omnia decenter fieri decet in Ecclesia. 1 Cor. 14: 40. Et cum dentur censores civiles, etiam Ecclesiastici oportuni, ut loca religiosa, dum ea exercetur, immunes sint à strepitu, & profanatione. Atenim dolendum eam autoritatem & curam quandoque exerceri contra eos, quos minime omnium oportebat. Istud passos sæpius Prophetas & Apostolos & pios doctores in confesso est, Præfectis ejusmodi damnantibus & punientibus citra inquisitionem, quæ receptæ doctrinæ minus putabant consentire, quamvis forent verissima. Inter Judæos tamen fuerunt principes, qui inquisitionem primum instituerunt Jer. 26. &c. Nicodemus voluit instrui privatim Joh. 3. & publice inquiri in doctrinam Jesu Joh. 7. Gamaliel suspendi judicium. Actor. 5. ne quid præcipitanter atque adeo perperam fieret.

Vers. 3. *Fuit autem postridie, quum eduxisset Paschchur Jirmejam è cippo; ut diceret ei Iirmeja, non Paschchurem vocat Jehova nomen tuum, sed Magor-missabibum.*

Vers. 4. *Nam sic ait Jehova, ecce ego inditurus sum tibi formidinem, tibi & omnibus amicis tuis, qui corruent gladio inimicorum suorum oculis tuis videntibus quum totum Jehudam tradam in manum Regis Babyloniæ, qui deportabit eos in Babyloniam, & percutiet eos gladio:*

Vers. 5. *Quum tradam totum robur civitatis hujus, totumque laborem ejus: & quicquid ejus est pretiosum; denique omnes thesauros Regum Jehudæ tradam in manum inimicorum ipsorum, ut diripiant eos & capiant eos & deducant eos in Babyloniam:*

Vers. 6. *Tu quoque Paschchur & omnes domestici tui abibitis in captivitatem, & Babylonem pervenies, ibique morieris, & ibi sepelieris, tu & omnes amantes tui, quibus prophetasti falso.*

II. *Actio* Prophetæ secuta est

I. *Contra lædentem*, denunciatione divini judicii, ut impune legatos Dei non violari disceret: & quidem I. *in genere*, vers. 3. mutato nomine, non à Jeremia, quomodo maledicendi ulciscendique sui animo dixisse commentumve esse videretur: sed à Deo, qui quod dicit, facit, neque quemquam vane unquam nomine aliquo insignivit. *Dominus non vocat nomen tuum Paschur*, (ex פש *abundantia*, & חור vel חור *nobilis, ingenuus, liber*, quomodo boni ominis gratia ab hominibus appellatus,) sed מגור מסביב *terror undique*, à conditione ad quam redigendus esset: non quod talis futurus esset aliis; agendo, quod affectabat, autoritate sui muneris, ne quisquam in templo aliter loqui auderet, quam ipsi placuisset, sensurus aliàs manus suas, & vincula: sed qui id ab aliis passurus, & sibi atque aliis futurus quoque non agendo sed patiendo. Nam II. *in specie* vers. 4. *Sic ait Dominus, Ecce pono te in terrorem tibi & omnibus amicis tuis.* Tum ratione periculorum, quæ superventura erant, ut sunt, (1.) *cædes amicorum*, ipso inspectante, vers. 4. (2.) *Captivitas & subjugatio* omnium sub rege Babel quorum quidam Babelem deportandi, alii trucidandi sint. (3.) *Depræda tio* omnium facultatum vers. 5. quæ generatim חסן *possessio, opes* dicuntur, vires & potentiam tribuentes: speciatim autem laborem urbis, quæ magno labore incolarum parata partaque sunt, ut opera artificiosa opificum; & pretiosum ejus, κειμήλια, & monilia ex argento, auro, gemmis, nec non merces mercatorum, denique thesauros regios venturis hisce omnibus in potestatem & possessionem hostium, in ipsa Babele. (4.) *Paschuris, ipsius familiæque calamitas*: nempe captivitas, exilium in Babele, negata restitutio, cum ibi moriturus & sepeliendus sit, in terra immunda, ut Amos. 7: v. 17. tum ratione deceptionis, quod ipse & omnes alii cohorrituri essent, deprehensa falsitate prædictionum ac pollicitationum ejus, vers. 6. juxta illud Jer. 8: 9. 1 Reg. 22: 25. hîc pudore falsitatis, non metu Syrorum, qui cæso Achabo Samariam illico adorti non sunt, nedum occuparunt. Conf. Amos. 7: 10-17. Sic Deus vindicias agere voluit læsi servi sui.

Vers. 7. *Pellexisti me Jehova, quando pellectus sum, fortior fuisti me, & prævaluisti: sum derisioni toto die, totus iste* populus *subsannat me.*

Vers. 8. *Nam ex quo proloquor, exclamo, violentiam & vastationem clamo; quia est verbum Jehovæ mihi probro & ludificationi totum diem.*

Vers. 9. *Si dicam, non commemorabo eum, neque loquar amplius nomine ejus, atqui est in animo meo quasi ignis ardens inclusus ossibus meis, & defetiscor sustinendo, nec possum amplius.*

Vers. 10. *Quia audivi infamem sermonem multorum, Magor-missabibi,* dicentium *indicate quod indicemus, omnis mortalis qui pacem colere debebat mecum, observantium claudicationem meam: fortassis pellicietur; & prævalebimus, aut sumemus ultionem nostram de eo.*

Vers. 11. *Atqui Iehova* adest *mihi, similis potenti formidabili, idcircò qui persequuntur me impingent, neque prævalebunt, erubescent valdè quum non secundabuntur, ignominia perpetua non poterit tradi oblivioni.*

2. *Apud Deum*; vers. 7-13. ad quem se convertit querulus primum, inde lætus & acquiescens. vers. 7-13.

(1.) *Querulus.*

א *Recensetur* suam vocationem. vers. 7. מדותני *Decepisti me Domine, & deceptus sum*: vel *Seduxisti me Domine, & seductus sum*; Hieron. *quia cum gentibus Propheta daretur non putavit contra Israelitas aliquid dicendum.* Oecolamp. *Iterum more solito causam suam μεμψιμοιρῶς coram Deo agit. Sententia*: *si est aliquid seductionis in verbis meis, (ut isti clamant contra me,) quod non puto, profectò tu me decepisti: non enim sponte mea cucurri, sed tu vocasti me, omnia me jussisti loqui.* De Marlorato testatur liber martyrum, cum capto diceretur, esse seductorem, respondit, *si quemquam seduxi, Deus me seduxit, cujus verbum secutus sum.* Rectius, *Persuasisti mihi & persuasus fui*, &c. quasi dicat, Domine, non humano impetu vel consilio tam arduum munus adii, imo cum primum me vocares, non illico id amplexus sum, ut qui gestirem eo defungi, sed persuasionibus mecum egisti, quibus excusationibus meis iisti obviam, usus es promissis, ut voluntatem pronam redderes, & minis ut noluntatem vinceres, & sic quia me fortior, prævaluisti, ut cesserim tibi; non solum jubendo sed etiam efficiendo ob edientiam, & flectendo me in obsequium. Quæ constant ex c. 1. & Mosis exemplo confirmantur, Exod. 3. & 4.

Est verò hæc persuasio Dei observanda in vocatione religiosa, quam efficacem dicimus cujusvis. Persuadente Deo, persuadetur ipsis. Hos. 2: 13. Gen. 9: 27. si persuadendi sensus adhibeatur. Act. 16: 14. Joh. 6: 44, 45. Psal. 47: 4. Joh. 16: 8. &c. Hac persuasione Dei deficiente, nemini persuadetur. Suadent quidem doctores, sed auditoribus non persuadetur, nisi suadendi partes obeat Deus ipse: Huic verò suadenti semper respondet successu. Eph. 1: 19. seq. uti secuta excitatio Christi. Col. 1. vers. 13. Sed spaciatim cum Deus persuasit ministris suis veritatem, possunt eam premere, ut Apostoli Act. 4: 19, 20. autoritas

ritas perſuadentis addit robur perſuaſioni. Quod homines perſuaſerunt, & quod Deus, multum diſcrepat, ab iſto nunquam diſceditur corde, ab illo ſæpiſſime & corde & ore.

ב *Refert* ſucceſſum vocationis ſuæ verſ. 7, 8. videlicet *Irriſionem*, verſ. 7. ſe fuiſſe deridiculo, neque id paucis, ſed omnibus; quemvis ſubſannare ſe, & irridere. Probat autem, indicando quid faciat, & patiatur. *Nam ex quo loquor*, (ut רי ſit encliticum,) vel *ob abundantem ſufficientiam eloquor*, (ut ſit nomen conſtructum cum phraſi) *vociferor, clamo*; addo vocem majorem, ut ejus ſono prodam ſerio mihi cordi eſſe, & materia ſermonis & clamoris eſt, *violentiam & vaſtationem prædico, proclamo.* חמס ſumma peccatorum maximorum, deſtructionem afferentium Politiæ, violentia, tyrannica oppreſſio, & quando maxima ſcelera ſunt impunita, שר ſumma omnium judiciorum, quæ eo tendebant, ut vaſtities in duceretur terræ. Hebræi fere: *Nam ex quo loquor, vociferor, injuriis auditorum fatigatus, violentiam & vaſtitatem proclamo, quâ afficior, quam patior*: quomodo eſt querela de iis quæ patiatur. Malo prius: & reliqua hujus verſus, cauſam dicunt, quare queratur, juxta Hebræos; vel cur ſic concionetur, contemtu ſuarum concionum aggravante peccata, & judicia: nam verbum Domini eſt mihi opprobrium & ignominia tota die. Similis querela eſt Jer. 6: 10: cap. 15: 10-15. cap. 17: 15. Eſa. 57: 3, 4. Eſt vero hæc irriſio ſpecies perſecutionis Gal. 4: 29. Sed quo magis ridentur Prophetæ, eo peccata pœnæque magis augentur. Jer. 13: 17. Eſa. 28: 14. &c. & verſ. 22.

ג *Indicat* quid conſilii eapropter ceperit verſ. 9, 10. Voluit abſtinere à muneris exercitio, *Dixi, non recordabor illius*, Dei nempe, aut verbi ejus; *neque amplius loquar in nomine ejus.* Cum enim ob conciones Dei juſſu & nomine habitas odio eſſet & irriſioni, putavit ſic optime tranquillitati ſuæ conſulturum ſe, ſi prorſus ſileret, quod ſuggeſtum Prophetæ ob Amaſia 2 Chron. 25: 16. Sed ſucceſſus quod conſilii, quod non potuerit exſequi, *fuit autem verbum Domini, in corde meo ut ignis ardens, concluſus in oſſibus meis; & fatigatus fui continendo, ſed non potui.* Verbum Dei ignis eſt Jer. 23: 29. & hanc vim primi experiuntur ipſi Prophetæ, Jer. 5: 14. & quis tum non loqueretur merum ignem & flammas? Quibus ingratum audire, fatentur eopſe ſe lignum & ſtipulas eſſe, metuente conflagrationem conſcientia: Qui enim aurum eſt non metuit igne duntaxat ſcorias abſumturo. Sed ignea vis verbi indicatur etiam Jer. 6: 11. Pſ. 39: 3, 4. Job. 32: 10. &c. Amos hinc Amos. 3: 6. *Dominus locutus eſt quis non Prophetaret?* ignis clauſus vehementius ardet, & quo magis exitus obſtruuntur, eo magis violentus erumpit. Hinc vero ratio dari poteſt, quî factum ut Martyres contradixerint idololatris, & verbis factiſque ſe oppoſuerint, etiam in manifeſto periculo? Id quidem nonnullis judicatur temerarium, & ab omni prudentia remotum, ſed non eſt temere judicandum quibus non conſtat, quis ignis à Deo in cordibus eorum fuerit excitatus, ut non potuerint declinare, ſed inſuper habito omnium judicio, & propria incolumitate, locuti ſint. Pſ. 69. verſ. 10. Joh. 2: 25. &c. Act. 17: 16. &c.

Dicit vero cauſam meditati ſolatii, & nihilominus prævalentis verbo ſuo Dei, verſ. 10. *Quamvis audirem infamiam, calumniam, multorum, Magor miſſabhibh*; nomine novæ impoſitionis Paſchurem deſignando, qui præfectus templi, non ſolum ipſe obſervabat Jeremiam, ſed quibus præerat, cuſtodibus templi, nec non miniſtris ſacorum cæteris, & quotquot eò confluebant cultus gratia, mandata dabat contra Jeremiam, quo in caſſes ſuos veniret. Alii appellative ſumunt, de multitudine obſidentium & terrentium, deque periculis circum circa aretantibus, ut incederet medium per ignem ſuppoſitum cineri doloſo, fuit enim hæc quaſi proverbialis formula Pſ. 31: 14. unde Jeremias verba mutuatus eſt. Illa הגידו ונגידנו ceu mandati verba ſunt, *Indicabo & indicabimus illud*: ut jubeat, ſquicquid de eo audierint deferre ad ſe, velle tum ad Regem & proceres regni una cum illis referre; conſtituit alios delatores, quales quia contra Prophetam agebant, delatores ſpirituales ſeſe potuerunt jactitare, ſed illius ſpiritus impulſu, qui vocatur τὸ πνευμα τὸ πονηρὸν Eph. 6: 12. Sed tum autoritatis gratia, ut delationes calumnioſæ fidem invenirent, ſe accuſatoribus juncturum promittit, & caput futurum. Quomodo exacte egerunt contra Ieſum Sacerdotes & Scribæ Luc. 29: 19, 20. Poteſt forſitan etiam reddi ex vi נגר *contra*, (unde Rabb. מתנגד contrarius, oppugnans,) per paranomaſian, *Indicate, & oppugnabimus eum, ei adverſabimur*; jubens conſilia in medium affere, ut quibus majori cum ſpecie & ſucceſſu poſſit oppugnari eique reſiſti, diſpiciatur. *Quivis homo pacis meæ* אנוש *viliſſimus* quiſque, quo cum nihil mihi negotii, quem nullo modo offendi, qualis ille civis Athenienſis, qui cum Ariſtidem condemnaturus eſſet profitebatur nihil mali ſe de eo ſcire, ſed hoc tantum ægre ferre quod Juſtus diceretur. Ut integra nobis ſit pax, *obſervant claudicationem meam.* Sic appellatur quævis declinatio de viâ, quando non recto talo quis conſiſtit aut incedit, Heb. 12: 12, 13. genua ſoluta, claudicantia; Pſal. 35: 15. & 38: 18. & 56: 7. Ita obſervati ſermones & actiones Chriſti, ut quid notarent. Luc. 14: 1. &c. Neque tantum obſervant, ſi forte infirmitate humana labatur, ſed etiam occaſionem dant, quâ ineſcari, aut irretiri queat; *forte decipietur*, aut *perſuadebitur* ipſi, ut aliquid dicat, faciatque, unde juſta ſit nobis cauſa contra ipſum, vel ſi nobis ſimilis fiat, ut noſtris vivat moribus; damnabit enim propriam doctrinam, contraria faciens; vel ut capitalis criminis reus peragi queat, quomodo prævalebimus ipſi, & nos probè de ipſo ulciſcemur. Exemplo rurſum Legiſperitorum Luc. 11: 53, 54.

Verſ. 12. *Itaque ô Jehova exercituum probans juſtum, inſpiciens renes & cor, videam ultionem tuam de iſtis, quia tibi revelavi cauſam meam.*

Verſ. 13. *Canite Iehovæ, laudate Iehovam, quia eripuit animam egentis è manu maleficorum*, dicentis.

(2) *Lætus & acquieſcens*: nam profitetur I. ſe *acquieſcere in Deo*, verſ. 11. Dum hoſtes inſidiantur & falſi amici machinantur dolos, Deus mecum eſt, & quidem fortis, prævalens viribus, nec non terribilis hoſtibus (quod petiit cap. 17: 17, 18.) hinc perſecutores mei inferiores robore, coram heroe corruent, non prævalentes, & coram terribili pudefient, neque proſperabuntur; unde æterna ignominia ſequetur. II. *Confidere in Deo*, verſ. 12. nam Deo juſto exploratori, & hinc κριτὴ δίκαιος exactiſſimo, commiſiſſe cauſam ſuam, eoque viſurum ultionem non ſuam, uti quidem hoſtes optarant נקמתו ſed נקמתך; quod juſtificat ejus preces, qui dum hoſtibus imprecatur, non ſuam ſed Dei gloriam ſpectat. ſic Jer. 11: 20. III. *Lætari* quoque *in Deo.* verſ. 13. quia excitat alios quoque ad celebrandum Deum pro vindiciis afflicto præſtitis contra malignos hoſtes, quemadmodum Pſal. 22: 34. &c. & 34: 7. & 31: 20. &c. & 103: 6. Nemo enim poteſt domare impios præter Deum, Pſ. 9: 10-12.

Verſ. 14. *Maledictus dies quo genitus fui, dies quo genitus fui, dies quo peperit me mater mea, ne ſit benedictus.*

Verſ. 15. *Maledictus ille vir qui nunciavit patri meo, dicendo, natus eſt tibi filius mas, valde lætificavit eum:*

Verſ. 16. *Sitque vir ille ſimilis civitatibus, quas evertit Iehova, neque pœnituit eum; quum audiviſſet clamorem mane, & vociferationem tempore meridiano:*

Verſ. 17. *Quod non affecerit me morte*, egreſſum *ex vulva, aut fuerit mihi mater mea ſepulcrum meum, & vulva ejus* ut *gravidæ perpetuò.*

Verſ. 18. *Quare è vulva egreſſus ſum, ut viderem moleſtiam ac mœrorem; & conſumerentur pudore dies mei?*

3. *Apud ſemet ipſum*, verſ. 14. &c. teſtatus de ſuo affectu; qualis nempe fuerit, antequam fides victrix in Deo

aquiescere, confidere & gloriari poterat: dum adhuc in gravi illa lucta secum deliberaret de silentio agendo. Tunc ergo deploravit miseriam suam, uti Jer. 15: 10. juxta illud Ecl. 4: 2, 3. Heic vero longius procedit. Maledicit (1) *diei conceptus sui*, (יום) etiam de patre usurpatur Gen. 4. maxime in Pihel.) nec non (2) *diei nativitatis*, vers. 14. non aliter ac Job. 3: v. 1. &c. & (3) *nuncio nativitatis* suæ apud patrem vers. 15. imprecatur autem huic Sodomiticum excidium, ac quicquid ad jugem terrorem posset facere, ut nec interdiu, nec noctu tranquillitate frueretur. vers. 16. *Causam* porro dicit maledictionis *primæ*, quod non occisus fuisset in conceptu, & durante eo, ut uterus fuisset tumulus, vers. 17. *secundæ*, quod editus esset in lucem, vers. 18. *tertiæ*, quia nihil læti sibi eveniret, sed omnia tristia & ærumnosa, evangelio illius contraria, vers. 18. Ita quoque Jobus, cap. 3.

Est autem hic exundantia doloris & impatientiæ, testis imperfectionis & infirmitatis, etiam in sanctissimis, quas Deus non solum in iis esse sivit, verum quoque annotari voluit, ut omnes agnoscerent se peccatores, æstimarent & quærerent gratiam Dei, qua sola à lapsu præservari, atque ex eo erigi possent; viverent cautiores & humiliores coram Deo, æquiores erga lapsos, & studiosiores ad eos erigendos, denique ne alii desperarent de gratia Dei, cum tales per resipiscentiam viderent restitutos. Attamen Job & Jeremias non maledicunt Deo, ut impii Esa. 8: 21. & Job. 2: 9. Sed diei nativitatis; quod argumento est, retinentis eos adhuc Sp. Sanctum in tanto æstu & intemperie affectuum. Nam hi affectus sunt qui loquuntur, non ratio, non gratia. Mala enim pronunciant quæ Dei donum sunt; dies Psal. 74. vers. 16. vitam Actor. 17: 25. Ut hinc discendum sit, moderari affectibus, & crucifigere carnem.

CONCIO XII.

CAP. XXI.

Est hæc ex postremis Jeremiæ Hierosolymæ habitis, sub ultimo Rege Zedekia, & ultimis ejus annis, cum urbs obsideretur à Babyloniis; cumque obsessio per sequiennium continuata fuerit, à 10. mense anni noni regis ad 4. undecimi, sub extremum ejus. Nam initio obsidionis fuit liber, usque dum soluta obsidione ad tempus Nebucadnezar contra Ægyptios profectus est, quo tempore Jeremias urbe excedere voluit, sed à præfecto custodiarum detentus atque in carcerem à principibus missus est tetrum, ubi satis diu hæsit; donec à rege consultus ab eo mitiorem carcerem impetravit Jer. 37. Heic verò degens conciones habuit cap. 32. 33. & consultus denuo fuit per Legatos, Jer. 38. quando hoc responsum ipsis dedit, quod cap. 21. refertur, eo eventu quem cap. 38. refert. Partes sunt I. Quæstio Jeremiæ propositæ, vers. 1, 2. II. Responsum vers. 3--7. III. Consilium suppeditatum vers. 8--14.

Vers. 1. *Verbum quod fuit ad Jirmejam à Jehova; quum misisset ad ipsum Rex Tzidkija Paschchurem filium Malcijæ, & Tzephanjam filium Mahasejæ Sacerdoteum, ut dicerent.*

Vers. 2. *Consule quæso pro nobis Jehovam, quia Nebucadretzar Rex Babyloniæ bellum gerit contra nos: forte facturus est Jehova nobiscum pro omnibus mirabilibus suis, ut ascendat ille à nobis.*

I. Quæstio habet generalem titulum, qui sæpius occurrit in principio concionum cap. 7. 11. 18. heic autem significat, Jeremiam locutum esse ut Prophetam, non minus cum rogatus responderet, quam cum non rogatus concionaretur, tum indicat.

I. *Quis* instituerit, vers. 1. *Rex Zedekias*; qui recensetur inter malos, qui fecerunt quod malum esset in oculis Domini, exemplo Jojakimi 2 Reg. 24: 19. attenim hoc melior; Jojakimus habens bonos consiliarios Prophetis fuit inimicus cap. 26: 36. Zedekias malos, quibus obsecutus est, sic tamen ut semper aliquod æstimium Jeremiæ apud ipsum fuerit. Quater legitur ipsum consuluisse, bis per legatos Jer. 37. 38: 21. bis ipsemet solus Jer. 37: 38. sed suadenti non est obsecutus. II. *Apud quem*, Jeremiam nempe, Prophetam Dei, sed quem carcere clausum continebant, tanquam molientem proditionem cap. 37. Sic damnabant factum suum, cum ad damnatum irent judices, & ab eo peterent consilium & solatium, quem summa affecerant injuriâ. Conf. Exod. 11: 8. cap. 12: 30, 31.

III. *Per quem*, Duo nominantur Legati regii, *Paschur* non præfectus templi, qui Immeris filius, sed alius, *filius Malchiæ*, unus ex principibus politicis, quem præter priores nominantur alii cap. 38: 1. Schepatia filius Matthanis, Gedalja filius Paschuris alius; aut primi illius, & Juchal filius Schelemjæ. Qui conjunguntur ceu qui omnes indignati ob responsum, ex Legatis accusatores facti sunt, & ad necem postularunt Jeremiam. Heic Paschuris solius mentio fit, vel quod omnium nomine locutus esset, vel quod princeps foret nefandæ actionis contra Prophetam pium. Additur in textu comes unus *Zephanja Maasejæ filius*, Sacerdos Pontifici proximus Jer. 52: 24. qui etiam alio tempore cum Jochale ad Jeremiam legatus venit cap. 37: 3. ut sociarentur Politicis Ecclesiastici, ubi de communi salute petenda agebatur. Hujus tamen neglectum nomen cap. 38: 1. hac forsan de causa, quod nefariæ accusationis pars esse noluerit, neque Jeremiæ cæde fœdare manus: qui aliorum contra eundem molitiones detexit, destituitque cap. 29: 25-29.

Uti vero hic ita & alibi consulti per legatos Prophetæ, ut desperatis consiliis viribusque humanis, Dei Prophetæ sollicitarentur ab anxiis; Legationes memorantur regum Balaki Moabitæ ad Bileamum Num. 22. Benhadadi ad Elisæum 2 Reg. 8. Hizkiæ ad Esaiam, Esa. 37. Josiæ ad Huldam 2 Reg. 22. Jer. 42. principes reliquiarum populi consulunt Jeremiam. Ipsi reges Juda, & Israel, & Edom adiere rebus angustis Elisæum 2 Reg. 3. Et hunc contemtum derisumque olim, & nunc captivum Jeremiam Zedekias per dignissimos ex utroque ordine. Tantus est trepidæ mentis ac conscientiæ terror, ut à contemtis & spretis, ab ipsis quos fecit scelere injusto hostibus auxilium petat. spretus Samuel universum Israelem supplicem habet, ut precibus propitiet Deum 2 Sam. 12: 19. & derisi piscatores rogantur Act. 2: 32. & qui clauserat in nervo procidit ad Apostolorum pedes Act. 16: 28, 30.

III. *Ipsa petitio*, vers. 2. postulant preces, שאל enim non tantum *quæstionem* notat, sed etiam *petitionem*, quæ solicitam habet curam potiundi re aliqua, & heic talis inquisitio rogatur instituenda à Propheta, non ut sciret solum quid Deus agere statuisset, sed etiam ut exoraret hoc potius quem optabant quam alio ageret modo. Causa petitionis hujus Zedekiæ & legatorum ejus, quia Nebucadnezar oppugnaret urbem, quam obsidione clausam tenebat, atque ipsi de humana ope desperabant, Ægyptiis auxilio jam domum regressis, & Chaldæis altera Vice castra sua circumquaque insidentibus. Finis petitionis Propheticæ, forte faciet Deus nobiscum secundum omnia sua mirabilia, ut à nobis abeat. Scl. profitentur impotentiam suam ad depellendum ab urbe hostem; non *suæ id artis esse*, sed virtutis suâ longè majoris, imo ne *quidem* ordinariis providentiæ divinæ mediis posse effici, miraculosam operationem requiri, qualem Deus olim exseruisset circa Israelem quando eum in populum assumsit, & ceu populum suum in possessionem Cananææ deduxit ac ibidem tuitus est. At enim dubitanter loquuntur, an quid tale sperari à Deo ac impetrari posset, non suis modo, sed etiam Prophetæ precibus. Scl. Conscientia rea fiduciam adimit aliquid obtinendi per se aut alios Joh. 9: 31. & Jer. 14: 10, 11. cap. 11: 14. Quando necessitas extrema ad opem Dei confugere cogit, non nisi cum hæsitatione audent postulare. Jonæ. 3: v. 9. Joel. cap. 2. vers. 14.

Est & hoc argumentum impietatis & infidelitatis, postulare miracula, mutationem cursus naturæ, cum suæ improbitatis cursum abrumpere nollent. Volunt ut Deum se ostendat omnipotente ope, qui Deum non agnoscebant, jugi rebellione. Sic Pharao, Jeroboam 1 Reg. 13: 6. Israelitæ Jer. 2: 27. Signa petere infidelitatis est Matt. 12. 38, 39. præterquam si ea in nostri conversione exerceri expetamus, quod est fidei Jer. 31. v. 18, 19. Psal. 51. 12. &c.

Vers.

Verſ. 3. *Dixit autem Jirmeja eis; ſic dicitote* צדקיה *Zedkijæ:*

Verſ. 4. *Sic ait Jehova Deus Iſraëlis, ecce ego averſurus ſum inſtrumenta bellica quæ* ſunt *in manu veſtra; quibus pugnatis adverſus Regem Babyloniæ, & adverſus Chaldæos qui obſident vos extra murum; & recepturus illos intra civitatem hanc.*

Verſ. 5. *Nam præliaturus ſum ego vobiſcum manu extenta & brachio forti; idque ira & excandeſcentia ac fervore magno.*

Verſ. 6. *Et percuſſurus habitatores civitatis hujus, tum homines, tum jumenta: peſte magna morientur.*

Verſ. 7. *Poſtea autem, dictum Jehovæ, tradam Zzidkijam Regem Jehudæ, ſervoſque ejus, & populum ipſum, id eſt, qui reſidui fuerint in civitate hac à peſte, à gladio, & à fame, in manum Nebucadretzaris Regis Babyloniæ, & in manum inimicorum ipſorum, ac in manum quærentium animam ipſorum: qui percutiet eos acie gladii, non parcet eis, neque clementia utetur, neque miſerebitur.*

II. Responsio Jeremiæ verſ. 3. &c. directa ad legatos, ſed per eos ad legantem referenda: quem ſimpliciter vocat *Zedekiam*, non addito Regis titulo, vel brevitatis cauſa, vel ad deprimendam ejus ſuperbiam, tum quia apud Deum reges terræ non magni æſtimantur ſupra cæteros homines Pſ. 76: verſ. ult. Eſa. 40: 23. Pſ. 2: 2, 4, 10. tum quia ipſe a Deo repudiatus erat Ezech. 21. eoque indignus regio titulo, exuendus propediem regno in perpetuum: tantum abeſt ut in gratiam axiomatis vellet adulari. Tum verſ. 4. reſponſum enunciat Domini nomine eſſentiam dictis ſuis largientem, per complementum, etiam fœdere id exigente: Significat autem I. Inutilia fore omnia inſtrumenta propriæ defenſionis. *Ecce me convertentem arma militiæ quæ in manu veſtra ſunt, quibus pugnatis contra Chaldæos vos extrinſecus oppugnantes.* Armorum converſionem intelligit Kimhi, ac ſi forent cum Babyloniis; ſic את reddi videtur per אל. R. Sal. Arma explicat de Tilſemis, ſeu imaginibus aſtri alicujus influxum habentibus, & defenſam præſtantibus, Deo ipſa aſtra moderaturum ut pro Chaldæis pugnent. Abrab. arma omnia Judæorum occupata urbe, ventura in poteſtatem hoſtium. Sed hi omnes מסב לו conjungunt cum את מלך, & hoc tantum ſibi curandum putant, ne arma tranſvolatura quis credat. Verum את מלך cohæret proximo אתכם נלחמים Converſio ergo intelligitur, non ſolum cum hoſtes potiuntur armis, ut cum Palladium Trojanis ablatum eſt, quo cum fata Trojæ ceciderunt: ſed vel cum inutilia redduntur Pſ. 89: 44. vel cum in ſemet ipſos convertuntur, quomodo utique pro hoſtibus pugnant Jud. 7; 22. 2 Chron. 20: 22, 23. & cap. 15: 5, 6. Eſa. 9: 18. &c. quod factum obſidentibus Romanis, quando Hieroſolymitani ſuis armis uſi ſunt magis pro illis quam contra illos, utpote ſe mutuis præliis conficientes. II. Hoſtes potituros urbe, quos ipſemet eò congregaturus ſit. III. Deum ipſum fore hoſtem maximum, tum *viribus* oppugnandi. verſ. 5. quia conjuncturus ſit vires & iram, quæ utraque gradibus auget: ut inſuperabilitatem oſtendat, nec vi, nec precibus ceſſuram. Conjunguntur illa Rom. 9; 22. 2 Theſſ. 1: 9. Sed longe majora adhuc ſunt, quam hîc, cum iſtic gloria virium exſeratur, hîc adhuc multa ſit longanimitas, pertineatque ad convictionem Ezech. 5: 15. Tum *ſucceſſu*, tum *contra Hieroſolymitanos* in communi, armis indeclinabilibus, peſte gravi homines & bruta proſtraturâ. verſ. 6. tum *contra Regem*, aulicos, & reſiduos ex judiciis peſtis belli & famis, qui in poteſtatem hoſtis Babylonii ſint tradendi, ex ipſius inclementi arbitrio necandi aut aliter tractandi, per exilia & ſervitutem, ut calamitoſiſſimi ſint futuri. verſ. 7. Deſperatiſſima ergo docet eſſe omnia, quando non cum hominibus, ſed cum his a Deo adjutis, imo cum Deo ipſo res ſit. Nihil hîc fuiſſet oportunius, quam mox Deo cedere, & iſtis quos ille victores voluiſſet; humili ſubjectione plus valitura quam contumaci reſiſtentia & huc tendit.

Verſ. 8. *Populo verò huic dicito, ſic ait Jehova; ecce ego propono vobis viam vitæ, & viam mortis.*

Verſ. 9. *Qui deſidebit in civitate hac, morietur gladio, aut fame, aut peſte: qui autem egreſſus defecerit ad Chaldæos qui obſident vos, utique vivet, eritque ipſi anima ſua loco ſpolii.*

Verſ. 10. *Nam oppoſui iratam faciem meam civitati huic in malum, ac non in bonum, dictum Jehovæ: in manum Regis Babyloniæ tradetur, ut exurat eam igne.*

III. Consilium ſuppeditatum I. populo. vers. 8. 9. 10. II. regi vers. 11--14.

I. *Ad populum* loquitur nomine Dei ipſius, verſ. 8. & *ad populum hunc dices.* Non decuiſſet, nec licuiſſet conſulto à Legatis regiis ad populum loqui, & ei conſilia dare, quæ a Magiſtratibus erant exſpectanda de ſumma rei, (unde Rabſaken monent miniſtri Hiskiæ Eſa. 36: 11. &c.) niſi Deus juſſiſſet. Hic ſummus Iſraelis rex, poterat populo ſuo nonnulla indicare, vicario ſuo non interveniente. Sed quomodo populo loqui potuit Jeremias, clauſus carcere? Reſp. hic carcer non fuit adeo arctus, ut ab omni conſortio populi arceretur. Talis erat ille in domo Jonathanis, quo primum juſſu Principum conjectus fuit Jer. 37: 15. Sed inde à Zedekiâ liberatus, qui mitiorem conceſſit petenti, in atrio regiæ, quò patebat acceſſus; unde eò venit ejus patruelis venditum agrum ſuum, & adhibiti teſtes emtionis Jer. 32: 12. Et Cap. 38: 1. Dicitur Legatos hoſce audiviſſe Jeremiam iſta populo ſuadentem. Proponit autem conſilium Dei, quod ſemper bonum eſt, Pſ. 73: 24. cum proprium pernicioſum Deut. 32: 28. eoque illud cum gratiarum actione merito excipiendum. Pſ. 16: 7. Conſilium iſtud facit optionem; non imperat facienda, ſed propoſitis contrariis, rationes affert, à conditione utriuſque & fructu. *Ecce propono vobis viam vitæ & mortis.* verſ. 8. Deut. 30: 15, 19. optio alia eſt *vitæ* & mortis æternæ, hîc temporalium, & quidem tantum viæ ad alterutrum terminum deducturæ. intelligit enim corporalem, & quæ eò ducant media, quæ generatim via dicuntur, ſpeciatim vero referuntur verſ. 9. manere in urbe erit lethale, variis generibus mortis in obſeſſos graſſaturis, (attamen non abſolute omnes morituri erant, nam dixerat verſ. 6. 7. quoſdam reſiduos fore & deportatum iri.) egredi, ſeque dedere Chaldæis, ſaltem vitæ conſervationem habebit, ut licet omnibus deſertis aut amiſſis, tamen animæ ſeu vitæ haberet poſſeſſionem, & quidem inſtar *prædæ* quæ quidem ditat, ſed dubia eſt & periculoſa acquiſitio; ita & heic vitæ conſervatio, dum ſe in hoſtiles manus dedunt. Rationem addit; à ſuo decreto, quod Hieroſolymæ excidium deſtinarit, & per Babylonium regem ſit exſecuturus verſ. 10. Scilicet humilis ſubjectio ſub manum Dei impetrat mitigationem mali denunciati: Eſt enim ſpecies quædam reſipiſcentiæ. Jer. 31: 18. 1 Reg. 21. Mich. 7: 9. 1 Pet. 5: 6. Lam. 3. Contra qui ſuperbiunt, franguntur Dei ira Eſa. 9: 8. &c. Pharao; & Zedekia 2 Chron. 36. contra Jechonia 2 Reg. 24: 25. Præterea, Cedentibus Deo, cedunt hoſtes. Parcere debent hoſtes iis qui ex voluntate Dei ſe dedunt poteſtati ipſorum. Prov. 16: 7. Vid, Hoſ. 14: 4. &c.

Verſ. 11. *Quod autem ad domum Regis Iehudæ, audite verbum Iehovæ.*

Verſ. 12. *O domus Davidis, ſit ait Jehova, exercete quolibet manè jus, & eripite eum qui rapinam patitur è manu opprimentis: ne prodiens velut ignis excandeſcentia mea ita ardeat ut nullus exſtinguat, propter malitiam actionum veſtrarum.*

Verſ. 13.

Vers. 13. *Ecce me contra te, ô quæ insides isti convalli, rupes istius planitiei; dictum Iehovæ: qui dicitis, quis descendet ad nos? aut quis intrabit in habitacula nostra?*

Vers. 14. *Nam animadvertam in vos secundùm fructum actionum vestrarum, dictum Iehovæ; & succendam ignem in silva illius; qui consumet omnia quæ circumstant illum.*

II. *Ad Regem* loquitur vers. 11. seq. ut conjungat regiam familiam & consanguineos. Jubetur enim loqui *ad domum regis*, hoc est domesticos, consiliarios. vers. 11. & nominat *Domum Davidis*; quod illa familia, quia regia, fere omnia munera & dignitates possidebat. Davidis nomen dignationis est, quod hanc familiam evexisset Deus ad hæreditarium regnum, etiam juramento promissum; nec non censuræ, quod inani fiduciæ securi essent, quasi nihil sequius sibi accidere posset.

Consilium dat, officio recte fungendum esse. vers. 12. quod est I. *Administratio justitiæ*, dicit enim, *judicate mane judicium.* Circumstantia temporis pertinet ad exemplum, quia sic egit David, cujus domum affatur Ps. 101. vers. ult. nec non ad diligentiam & assiduitatem, ut hæc prima cura foret Studio & affectu. Abrab. oppositum putat pravo mori ebriosorum Esa. 5: 11. Hinc statutum apud Hebræos, ut judicia a jejunis exerceantur & horis matutinis. II. *Vindicatio oppressorum*: Distinguunt עשק a גזל, illud est *injusta detentio* rei alienæ, ut negatio depositi, mercedis debitæ, pretii emtionis. istud *violenta ereptio*, ut furtum, rapina, exactio munerum. Hæc duo junctim sæpius exiguntur Esa. 1: 17. Ps. 82: 2. &c. Consilium porro non loquitur nisi de officio justitiæ erga homines, quemadmodum etiam cap. 7: 5, 6. non quod justitia illa sufficiat, sed quod nequeat sperari verus amor & cultus Dei, siquidem desit amor proximi. 1 Joh. 4: vers. ult. Addit rationem à periculo neglectus, justam suam & implacabilem iram: quæ magis est comminatio contra reos, unde mutat orationem, & loquitur in 3 personâ. Similis exhortatio repetitur cap. 22.

Accedit *Comminatio*, ob fiduciam munitionum. vers. 13. 14. ubi, cui dicatur, *Ecce ego contra te*, (scilicet pugnaturus sum,) *habitatrix vallis, petra planitiei.* Intelligit regem ejusque familiam, & regionem quam adhuc possidebat, Hierosolymam obsessam. Hæc urbs sita erat in valle, & undique cingebatur montibus Ps. 125: 2. in ista vero planitie fuit rupes, mons Zionis & Moriæ, quorum illi civitas & regia Davidis huic templum inædificatum fuit, & communi nomine mons Zionis appellabatur. Huic ergo se profitetur adversarium.

Cur? illud sic explicat *qui dicitis, quis descendet contra nos?* de montibus circumiacentibus, ubi erant castra Chaldæorum; *& quis ingredietur in palatia nostra?* jactant insuperabilem suam vallem, & rupem planitiei invictam, non secus ac olim Jebusæi 2 Sam. 6: 6.

Quid? dicit vers. 14. *Visitabo super vos, juxta fructum actionum vestrarum.* (quæ declaratio justitiæ judicii divini,) *& accendam ignem in ejus sylva qui omnia circumquaque absumat*: & hæc severitas est judicii ejusdem. Scilicet humana præsidia, & fiducia in illis, nihil juvant Deo adversante, imo magis provocant iram Dei & aggravant judicia. Sic Esa. 22. cap. Nicephoro Phocæ murum extollenti dictum fuit κἂν ἕως πίσχῃ εἰς ἀέρων ὑψώσῃς, ἔνδον ὁ κρατῶν, ἐνάλωτος πόλις.

CONCIO XIII.

CAP. XXII.

IN hoc caput congestæ conciones plures, sed affins, quæ reges spectabant, ut argumenti foret similitudo. Constat generali parte, quam sæpius repetitam verisimile est vers. 1--9. & speciali, congruentem filiis Josiæ, qui sibi invicem successerunt, Sallumo vers. 10--12. Jojakimo, vers. 13--19. Jechoniæ vers. 20--30. Zedekiæ cap. 23. vers. 1--8.

Vers. 1. *Sic ait Iehova, descende in domum Regis Iehudæ? ut eloquaris ibi verbum hoc:*

Vers. 2. *Et dicas, audi verbum Iehovæ, Rex Iehudæ, qui sedes in solio Davidis; tu, servique tui, & populus tuus, qui intratis per portas istas.*

GENERALIS CONCIO quadrat temporibus omnium successorum Josiæ.

I. Hujus habendum MANDATUM est vers. 1. Ejus 1. autor *Dominus*, 2. definitio loci, *descende in domum regis Judæ*, 3. actio imperata, *Loquere istic*; 4. norma, *verbum hoc*, *Et dices.* Non solum jubet Jeremiam concionari in atrio templi, inque hujus ac urbis portis, ubi reges ipsi comparerent, ut inter reliquos auditores cognoscerent verba hortationum; id actum fuerat cap. 17: 19, 20. sed jam quia Reges declinabant præsentiam prophetæ, & negligebant cultum publicum conventuum sacrorum ut Jojakim cap. 36: 22. imperatur ipsi, ut recta in aulam contendat, descendendo de templo, & affetur.

Scl. Prophetæ etiam Reges & summos Magistratus ad officii monere debent confidenter, ut Samuel Saulem, Nathan & Gad Davidem, Elias & Michas Achabum. Etenim Legati sunt Dei, autoritate legantis muniti; ut Amos. 7: 12. &c. cap. 3: 8. Magistratus quidem sunt Dii Ps. 82: 1. Dei vicarii & administri Rom. 13: 1. &c. ast prophetæ Deorum Dii Exod. 7: 1. Deum Pharaoni, qui mea jussa ipsi proponas, obedientiam exigas, rebellionem vindices; non solum miraculis ut Moses, sed simpliciter denunciatione. 2 Cor. 10: 6. Cum omnibus imperatum sit studium legis divinæ Ps. 1: 2. tum sigillatim regibus Deut. 17. & magistratibus Jos. 1: 8. ceu quibus duplici titulo attendendum ad eam; quamobrem prophetis circa illos plus curæ exercendum, & non tantum cum aliis conjunctim, sed sigillatim quoque erudiendi: maximè cum ab ipsorum exemplo plebs quoquæ bene vel male agere discat: Veruntamen ista admonitio ad summas potestates instituenda est cum summâ prudentiâ, cujus testimonium, si nullo alio utatur verbo quam quod Deus concepit; quemadmodum hic istam normam Jeremias jussus est sequi. Sic egit cum Davide Nathan. Achabo Micha, Asâ Azarias & Hanani 2 Chron. 15: 16. Josaphato Jehu & Dodava cap. 19: 20. Herode Baptista Marc. 6: 8. Sic possunt se probare Deos Magistratum. *quia os* Dei habebunt; quandoquidem Magistratus *Dii* dicuntur quia manum Dei habent. Os verò etiam *manui* imperat, Jer. 13: 19. vile autem non solum in *ruguriis* pauperum reperitur (ubi quandoque habitat pretiosissima fides Jac. 2: 5.) verum etiam in aulis magnatum & sub purpura regum. Os autem Dei nominat omnia sicut sunt, & sic quoque iis faciendum, qui os Dei agunt. Esa. 32: 5. &c. Acerbitas si quæ tunc offendat homines, ea in sale improbari nequit, cum sine acrimonia sit sal fatuum Matt. 5: 14. Jer. 23: 22.

II. Porro Concionis EXORDIUM vers. 2. recenset eos, qui compellandi nomine Dei, *Audite verbum Domini*, ita sibi parat audientiam, *tu Rex Juda, qui sedes in throno Davidis*, hujus successor, *tu & servi tui*, aulici, consiliarii, ministri omnes cujuscunque ordinis & dignitatis. *& populus tuus qui ingrediuntur per has portas regiæ*, ut jus sibi administrari petant, & poscant, quæ hinc eis debetur, curam & profectionem. Jubetur adire regiam, cum reges officii essent monendi, & tamen non solum reges, sed quoque ministros eorum totumque populum compellare. Ut hinc liqueat Muneris prophetici esse etiam publice summas potestates monere officii, arguere pecati, denunciare eis iram Dei. Sic egere prophetæ cum Saule, Davide, Jeroboamo, Asa, Josaphato, Amazia, Achazo. Id vero ab omni prudentia alienum esse judicatur, imo injurium & seditiosum, quod adducantur magistratus in contemtum apud subditos, & odium, hi verò moveantur ad seditionem. Atenim divina prudentia publicè reprehensionem peragit. Equidem peccata occulta privatim corripienda; ut adulterium Davidis, & homicidium, sic de privatis injuriis loquitur Matt. 18: 25. ast publica crimina publice corripienda 1 Tim. 5: 20, 21. Publice patrata, si publice non notentur, fiunt publicè approbata. funtque tum magis noxia, quia rapiuntur in exemplum. Neque hinc prostituuntur Magistratus quando vitia eorum publica in suggestu reprimuntur

tur, quæ ipſimet in tribunalibus, in confeſſibus publicarunt? neque concitatur populus, cum excitentur ad pretandum ardentius pro magiſtratibus, quo hi Spiritu Dei reddantur aptiores ad imperandum; & pro ſeipſis, quo cohibeantur ab imitatione, ne peccata magiſtratuum ſibi ſint ut Jeroboami peccare facientia: neque prophetæ ſunt contemtores magiſtratus, ſed cum Samuele, ut prophetæ, poſſunt taxare hypocriſin & inobedientiam mandatorum Dei, & ut ſubditi debitum honorem deferre 1 Sam. 15. ſunt enim & ipſi ſubditi Rom. 13:1. Aſt qua prophetæ poſſunt pronunciare illud contra Eli ſummum Pontificem & Judicem populi, 1 Sam. 2: 30. nunc dicit Dominus, *Honorantes me, honorabo*, &c.

Verſ. 3. *Sic ait Jehova, exercete jus & juſtitiam, & eripite eum qui rapinam patitur è manu oppreſſoris; & peregrino, pupillo, ac viduæ ne vim faciatis, ne violentia utamini, & ſanguinem innocentem ne effundatis in loco iſto.*

III. PROPOSITIO verſ. 3. deſcribit Dei nomine munia Magiſtratuum quorumcunque.

I. *In genere, facite* משפט וצדקה *Judicium* eſt δικαιοδοσία, cum jus ſuum unicuique tribuitur, condemnando nocentes & innocentes abſolvendo. *Juſtitia*, non צדק, ſed צדקה, eſt ἐπιείκεια, quando exercetur indebita beneficentia & miſericordia, Deut. 24: 13. dicitur etiam חסד Prov. 20: 28. Judicium in tribunali, quando inter ſubditos jus dicendum; neque enim de alienio poteſt eſſe liberalis, & injuſta oppreſſio eſt imperare per ſententiam, ut quis parte juris ſui cedat. Juſtitiam ſeu miſericordiam extra tribunal, aut in eo, quando agitur de jure proprio, ſeu fiſci. Hæc ſæpiſſime conjunguntur verſ. 15. cap. 23: 5. Et hoc modo משפט וצדקה diſtinguendum docet Maimonides.

In ſpecie, I. *vindicatio* oppreſſorum quorumcunque ab opprimentibus. II. *defenſio* miſerorum, peregrini, viduæ, orphani, III. *abſtinentia* ab omni violentia. IV. *cautio* cædis innocentum, ne vel faciant vel fieri impune ſinant. Emphaſin autem habet, in hoc loco: Domus regia locus eſt judicii, eoque hîc præ cæteris omnis injuſtitia exulare debet, contra quam ſæpe fit Eccleſ. 3: 16. Hujuſmodi exhortationes & juſſa frequentia, Jer. 21: 12. (cap. 7: 5, 6. extenditur ad totam urbem & terram, cujus caput quaſi templum erat, ubi tum loquebatur, & quidem de officiis totius populi, quemadmodum etiam, Zach. 7: 7. &c. cap. 8: 16. quæ obſervanda ſumſit David Pſ. 101. Joſias Jer. 22: 15, 16. mandavit judicibus Joſaphat 2 Chron. 19. De officio ſubditorum hîc nihil dicitur, quia in Regia regibus, in foro & templo etiam plebi concionabatur.

Verſ. 4. *Nam ſi omnino feceritis rem hanc; utique ingredientur per portas domus hujus. Reges ſedentes pro Davide in ſolio ejus vecti curribus aut equis, ipſe* Rex *cum ſervis ſuis & populo ſuo:*

Verſ. 5. *Sed ſi non auſcultaveritis verbis iſtis; per me juro, dictum Jehovæ, in vaſtitatem abituram eſſe domum hanc.*

IV. CONFIRMATIO bimembris.

1. *A bono obedientiæ* verſ. 4. Regum continuanda poteſtas in throno, dignitaſque in apparatu, equitatu, etiam miniſtrorum & populi. Similia promiſſa obſervationem Sabbathi procurantibus cap. 17: 25. Juſtus magiſtratus ſibi & populo felicitatem procurat, ſibi Prov. 16: 12. cap. 14: 34. cap. 29: 14. habent bonam conſcientiam coram Deo, ſubditorumque amorem & preces. Populo, qui felices & tranquilli fruuntur bonis ſuis ſine metu 1 Reg. 4. Jer. 22: 15, 16.

2. *A damno inobedientiæ.* verſ. 5. Injuſti magiſtratus ſibi damnum inferunt maximum, certiſſimumque. *Maximum*, vaſtitas domui regiæ incumbet, exemplo Jeroboami, Baeſæ, Achabi; item Jojakimi, Jojachini: *certiſſimum*, juramento Dei confirmatum, quod ſine pœnitentia aut mutabilitate, Jer. 22: 24, 30. Amos. 6: 8. cap. 8: 7.

Verſ. 6. *Nam ſic ait Jehova de domo Regis Judæ*, velut *Gilhad tu mihi* fueras, ut *caput Libani*: mentiar, *niſi diſpoſuero te* ut *deſertum, ut civitates non habitabiles.*

Verſ. 7. *Et præparavero contra te perditores, quemque cum inſtrumentis ſuis, qui cædent lectiſſimas cedros tuas, ac dejicient in ignem.*

Verſ. 8. *Itaque tranſeuntibus gentibus multis prope civitatem hanc; ſi dixerint alter alteri, propter quid fecit Jehova ita civitati maximæ iſti?*

Verſ. 9. *Tum dicent, eò quod dereliquerunt fœdus Jehovæ Dei ſui; & incurvantes ſe diis alienis coluerunt eos.*

Amplificatur damnum (1.) *a contrariæ felicitatis ablatione* omnimodà. Hæc proponitur ſub ſimilitudine, Domum regiam confert non ex opinione hominum, ſed ſuâ æſtimatione (ut Hoſ. 9: 13. quæ utique veriſſima eſt, *α Gileadi*: quæ regio trans Jordanem, Sihonis & Ogi regna complexa, læta paſcuis Num. 32: 1, 4. abundans opobalſamo & medicis Jer. 8: 22. cap. 46: 11. bellicoſos habens incolas, argumento loci 2 Reg. 15: 25. ex potiſſimis regionibus Iſraelitarum Pſ. 60: 9. unde ejus mentio fit in promiſsâ reſtitutione Jer. 50: 19. Mich. 7: 14. &c.) β *Libani montis potiſſimi*; quæ regio montoſa cis Jordanem & fontes ejus, ad Septentrionem Cananææ: a thure denominata, quod magna copia iſtic naſcebatur & colligebatur; abundabat ſylvis, & feris in iſtis: Cumprimis præſtantiſſimæ cedri iſtic germinabant copioſiſſime, in ornatum montis, quæ gloria Libani, Eſa. 35: 2. & in ſtructuræ uſum, quæ hinc & firmitatem & decorem, & pretium obtinebat, uti templum utrumque, & regiæ Davidis & Salomonis docent, vide Jer. 22: 15. Cant. 8: 9. Cedri firmiter radicatæ, odorem fragrantiſſimum emittebant. Hoſ. 14: 6, 7. Vinum ibidem optimum verſ. 8. neque carebat aquis, Cant. 4: 13. & nive frigidiſſima in ſummo, ad refrigerium & fœcunditatem Jer. 18: 14. Eſa. 55: 10. Hinc quicquid ſublime & decorum ſic deſignatur Pſ. 92: 13. Eſa. 10: 34. ut itidem præſtantiſſimis regionibus accenſeretur Deut. 3: 25. & conjungitur cum Gilead Zach. 10: 10. Contraria autem infelicitas, vaſtatum deſertum, omnibus incolis ob ſterilitatem deſtitutum, qui defectus tanto gravior, quanto majorem abundantiam anteceſſit. Certiſſima autem fit vaſtitas; tum quia Deum autorem habet, *Ego ponam, ut fundata quodammodo ſit*, & quidem juramento, quod formula loquendi indicat. Joſiæ liberi conferuntur cedris Ezech. 17. ſed vaſtitas Schallumo, Jojakimo, Jehoniæ hoc cap. Zedekiæ Ezek. 21. denunciatur, quæ etiam ipſis obtigit,

(2) *Ab inſtrumentis* inferendæ calamitatis verſ. 7. Deus ſibi ipſi adſcribit ſegregationem hominum & armorum, deſtruentium; hoc eſt ſanctificare, Jer. 51: 27, 28. Eſa. 13: 3. Sic qui deſtinantur exitio ſunt ſanctificati Jer. 6: 4. cap. 12: 3. Quemcunque autem Deus ſegregat, ſanctificat, ad aliquod opus, reddit ad illud idoneum. Eſa. 54: 16. etiam ad perditionem. Eſa. 10: 4, 5. Ezech. 9: 1. &c. Succeſſus enim hic ſequitur, exciſio cedrorum, ſelectiſſimarum, & earundem combuſtio, quæ erat vaſtatio Libani, ablata gloria ejus. Exilium Joachazi, Cædes Jojakimi, Jechoniæ & matris, uxoris, ac liberorum captivitas, Zedekiæ excœcatio & deportatio, cum cæde liberorum. Sanctificatio Dei ſemper connotat idoneitatem ad opus, cui deſtinat, agendum, aut certitudinem tolerandæ afflictionis.

(3) *A conſequente* calamitatis, verſ. 8, 9. ſtupore gentium: cujus *occaſio & tranſibunt gentes multæ juxta hanc urbem*, quæ una cum regia, devaſtanda erat; *teſtimonium* ſtuporis, inquiſitio in cauſam illatæ à Deo tantæ vaſtationis, cui reſpondetur, vel ab ipſiſmet, vel ab aliis quos interrogabunt, reſiduos populi Iſrael, aut peregrinos alios ibi morantes, cauſam eſſe deſertionem fœderis Dei, & idololatriam falſorum Deorum. Sic quoque Jer. 5: 19. cap. 16: 10. ſeq. ſed ipſis Judæis quærentibus: hoc loco hoſtibus ut Deut. 29.

Agnoſcitur autem magnitudo urbis vaſtitatio ſumma,

autor Deus, *causa impulsiva* fœdifragium, & cultus Deorum aliorum: qualis Dei mutatio negatur inter populos obtinuisse Jer. 2: 10, 11. Est vastatio quasi inscriptio divina justæ vindictæ: ut Sodoma Jud. vers. 7, & de Sanacharibo Herod. lib. 2. statuam ejus exstare, post fugatum ejus exercitum. In me quis intuens pius esto. Sic quævis vastationis testimonia, unde Naomi voluit dici Mara.

Vers. 10, *Ne fleatis pro mortuo, neque condoleatis ei: omnino flete pro abeunte, quia non revertetur amplius ut videat solum natale suum.*

Vers. 11. *Nam sic ait Jehova de Schallumo filio Joschijæ Regis Jehudæ, qui regnabat loco Joschijæ patris sui, qui egressus est è loco hoc: non est reversurus eodem amplius.*

Vers. 12. *Sed in loco quo deportaverunt eum, illic moriturus est, ita terram hanc non videbit amplius.*

SPECIALES CONCIONES agunt de filiis Josiæ in regno secutis.

I. De Sallumo vers. 10–12. cujus controversum est regnum ob nominis dubiam rationem, sunt qui Jojakimum indigitari putant, vel Iechoniam, vel Zedekiam; sed incommode, & turbata serie historicâ, quam Ieremias hic observavit circa filios successores Josiæ: ut ad intelligentiam hujus capitis res altius sit repetenda. Josiæ regis filii recensentur isti 1 Chron 3: 15. primogenitus Jochanan, secundus Jojakim, tertius Zedekia, quartus Sallum: quæ nomina non sunt a patre iis indita, sed cum regno admoti, qui eo quoque ordine recensentur, quo eò evecti, saltem tres priores. Quartus Sallum ad regnum nunquam pervenit, adeoque cum Sallumo Jeremiæ idem non est. Nam præterquam quod credibile non sit, præteritis grandioribus filiis Josiæ minimum omnium & forsitan non nili sexennem, a populo prælatum fuisse tempore difficillimo, Pharaone Nechone cum exercitu victore Hierosolymam tendente, ipsa ætas Joachazi, qui suffectus Patri dicitur 2 Reg. 23. adversatur. Etenim Joachaz & Zedekias germani fuerunt, eadem quoque matre nati Hamutale, filia Jeremiæ alicujus Libnensis; prior 23 annorum fuit cum regno inauguraretur, duodecim annis post Zedekias regnare cœpit, agens tunc annum 21. qui proinde fratre altero minor fuit annis 14. & illo regnum orso septennis puer. Sallum autem Zedekia minor adhuc, regnoque ineptus magis. Neque uspiam Sallum ille minimus filiorum Josiæ huic successisse legitur: quod Jeremias affirmat, & quidem loco patris, id est immediate; ut de Jehoachazo loqui appareat. Ubi tamen obstat adhuc nomen primogeniti, tributum Jochanani, qui non alius quam Joachaz: cum tamen Jojakim biennio ipsum superarit, 25 annos habens cum sceptro potitus est. Verum primogenitus in Scriptura dicitur (α) propriè, & sic ratione vel patris, primus ab ipso genitus ex matre virgine vel vidua, quæ pepererat antea vel non pepererat, & hic fuit primogenitus hæreditatis, Deut. 21: 15. duplici portione. Vel matris, primo ejus partu editus, uterum aperiens, Atque hic fuit primogenitus sanctitatis Exod. 13: 2. Deo sacer ad ministerium, & post μοχθοποίιαν ad redemtionem. Poteratque quis esse primogenitus I. patris, non matris, quæ videl, jam ante pepererat vel filiam, vel filium ante illud conjugium. II. matris, non patris; primus matris partus, cum patri ex alia muliere jam essent nati liberi. III. patris & matris, si prima utriusque proles foret. IV. nec patris nec matris, licet horum simul primus, siquidem uterque conjugum jam ante fuscepisset ex alio compare liberos. Kain fuit primogenitus patris & matris. Sic quoque Ismael, & Ruben. Isaac primogenitus matris non patris; sic quoque Dan, Gad, & Joseph. Et hac ratione Joachaz fuit primogenitus non patris, qui filium jam habebat antea, sed matris Hamutal; quemadmodum Abia filius Rehabeami ex Maacha 2 Chron. 11: 18. seq. quæ uxores cum prioribus chariores essent maritis, prætulerunt quoque filios inde natos, cæterarum filiis licet ætate majoribus: quod etiam David fecit circa filios Bathsebæ, & in Salomone, qui nec patris nec matris primogenitus fuit. (β) Primogenitus improprie, ob excellentiam potentiæ & dignitatis in suo genere, Job. 18: 13. mortem secundam denotat, ut circumstantia docent ob amorem, Israelitæ Exod. 4: 22, & Hos. 11: 1. Ephraim 31: 9, 20. ob utrumque Salomo Ps. 89: 28. qui Jedidja 2 Sam. 12. Christus Col. 1: 13, 14, 15. de amore solum Ephraim Jer. 31: 9, 20. coll. Bechai in Leg. fol. 115: 3. משנוכה שהולו בכור מלה גדולה הוא והוא רמז להקבה שהולו בכורו של עולם Col. 1: 15. Jam ut ad rem veniamus, Josia primogenitum hujus generis habuit Joachazum, quem, licet sibi secundum ob amorem matris, cujus primus erat, prætulit & destinavit imperio: cujus consilium, Josia cæso in prælio, populus secutus est, & Joachazo regnum demandavit. Conciliatio 2 Reg. 23: 30. & 2 Chron. 35: 24. hic שׁ in מ reddatur per postquam. ut Esa. 64: 5. Ps. 65: 10. Lev. 26: 43. Cæterum nomen ejus mutasse videtur in Jochanan, boni ominis gratia, quod difficillimis temporibus ei apprecarentur gratiam Dei, vel quod sibi gratiosus & acceptus esset; vel quod suæ gratiæ deberet regnum, non autem esset qui dicebatur Joachaz; qui proprio titulo illud apprehenderet, cum primogenitus patris non esset; Ita Eljakimus dicebatur, qui admotus regno Jojakim est appellatus, & Mattanja, qui post Zedekia.

Porrò historia Joachazi 2 Reg. 23: 30–34. & 2 Chron. 36: 1. &c. hæc est. Cum Josias in prælio cecidisset, populus Judæus, ne sine rege forent, illicò filium Josiæ, quem primogeniti instar charissimum habebat, Joachazum, substituerunt in locum patris: sed victor Pharao non ferens se invito regem constitutum, cum unicum trimestre regnasset, regiove titulo gauisus esset (quando degenerem se a patriis moribus, adeoque malum & impium probavit:) evocavit Riblam, deposuit, surrogato fratre Eljakimo, biennio majore, quomodo justitiæ & bonitatis exemplum edidit, dum non peregrinum sed indigenam constituit, & quidem hæredem legitimum, cui præreptum fuerat regnum præter fas, solo populi favore. Sed & dominii, tum immutato regis nomine, quem dixit Jojakimum, (an, quia à nomine constantiæ & veritatis divinæ, ut & ipse meminisset fidei? Priore, a nomine potentiæ, fiduciam virium faciente, ad persuadendam rebellionem) imposuit item grande tributum, quod exsolvit Jojakim. Verum Joachazum ne quid turbaret privatus, captivum abduxit in Ægyptum, ubi etiam mortuus est. Post hanc deportationem habita est à Jeremia concio ista, forte quod nonnulli sperarent redituram Joachazum, & regno rursum potiturum, *quemadmodum* olim Manasses ab exilio reversus erat ad *dignitatem* 2 Chron. 33: 11. &c. ne amplius regem *haberent* fiduciarium Ægyptio, & contra suam *voluntatem* promotum, qui proinde non tam lugebant ipsum quam Josiam. Vel ut domum regiam attendat, in luctu ea erat ob necem Josiæ, non ob Joachazi deportationem; jubet ergo Jeremias mutare illud institutum, justiorem docens fore luctum de vivente exule, quam de defuncto, cum illius major calamitas sit.

Est autem propositio vers. 10. confirmatio, vers. 11. 12.

Propositio vers. 10. *Ne flete propter mortuum, neque lugete ipsum.* Mortuus iste singularis est, unus homo multum deploratus, Josias nempe; rex optimus, ante trimestre cæsus in prælio, quo cum pax & prosperitas simul occiderant, quod privilegium haberet belli ante suum obitum non pressuri & perdituri regnum. 2 Chron. 34: 28. unde tam multis calidisque lachrymis erat deploratus cap. 35: 24. &c. Interdictum tamen non obsolute, sed secundum quid intelligendum ut Luc. 22: 28. & Hos. 6: 6. Nam obitus bonorum Magistratuum nec non heroum, & magnorum virorum, merito deplorandus. 30 dies fuere luctus Aaronis & Mosis communis item de Samuele. Davidis de Saule & Jonathane, item Abnero. Etenim conjunctus est cum magnis mutationibus Reipublicæ istorum obitus. Elias & Elisæus habentur ceu currus Israelis & ejus equi. 2 Reg. 2: 12. cap. 13: 14. Qui id negligunt reprehenduntur Esa. 57: 1, 2. Verum hic gravior luctus indicitur, ob euntem in exilium, unde nunquam esset rediturus, ut rursum fumum de patriis focis videret surgentem. Mors ultima linea rerum; unde calamitosi eam optant Job. 3: 13, &c. Felices prædicantur mortui præ vivis quotquot sunt, Job. 3: 13, &c. Felices prædicantur mortui præ vivis quotcunque, quia minus vident calamitatum. Eccl. 4: 2. quandoquidem vita hæc malorum est concatenata series: quanto infelicior cui vita continuatur, ut tanto diutius experiatur miserias quemadmodum mancipiis Turcarum, his tamen mali levamen aliquod præstat spes, vindicatum se iri in libertatem

bertatem. Hæc vero ſpes præciſa omnino eſt huic deportato Regi, qui nunquam reſtituendus erat.

Confirmatio verſ. 11, 12. fit nomine Domini, qui iſtud prædixerit, ubi Perſona, *Schallum filius Joſiæ, qui loco ejus regnavit, & egreſſus erat*, nempe Riblam ad Pharaonem evocantem; & inde porro deportatus, in Ægyptum, quæ circumſtantiæ uni Joachazo quadrant. Jeremias autem hoc tertium nomen ei dare videtur myſtico ſenſu, quia conſummatum erat & finitum ejus regnum, nunquam reſtituendum; utpote qui non reverſurus erat, ſed in exilio ſuo moriturus, ita hunc non juvit pio rege natum eſſe eique ſucceſſiſſe, cum foret impius, ſed ex ſummo faſtigio in ſummam miſeriam deturbatus fuit. Deo etiam ſummos humiliante ob peccata ſua Pſ. 107: 40. Job. 12: 24.

Verſ. 13. *Væ ædificanti domum ſuam injuſtitia, & cœnacula ſua injuria; amici ſui ſervitutem exigenti gratis; & mercedem operis ejus non danti ei.*

Verſ. 14. *Qui dicit, ædificabo mihi domum ampliſſimam, & cœnacula ſpatioſiſſima; & lacerat ſibi feneſtras meas & tectum cedrinum, deinde pingit Indico.*

Verſ. 15. *An regnaturus es, quia tu miſces te cum iſta cedro? pater tuus an non comedit ac bibit? quum exercuit jus & juſtitiam, tum bene fuit ei.*

Verſ. 16. Quum *judicavit cauſam pauperis & egentis, tum bene fuit: an non illud* eſt? *hujus rei ſcientia* eſt *apud me, dictum Jehovæ.*

Verſ. 17. *Minimè* ſpectare *oculos tuos & animum tuum, niſi ad quæſtum tuum; & ad ſanguinem innocentem quem effundas, & ad fraudem, & ad concuſſionem quam perficias.*

II. De Jojakimo, cujus taxat peccata verſ. 13: 17. pœnamque prædicit verſ. 18, 19. ubi editur nomen ejus.

I. *Peccata* ſunt I. vanitas, in ſtructuris magnificis, cum oppreſſione conjunctis verſ. 13-16. II. Avaritia, & tyrannis verſ. 17. Præmittenda hiſtoria ex 2 Reg. 23: v. 33. &c. Eliakim, major natu filius Joſiæ, exautorato fratre à Pharone Nechone, hujus voluntate regnum obtinuit, ſed fiduciarium, ut mutatum nomen Jojakimi ferret, & tributarium, ut grandem ſummam perſolveret, 100 talenta argenti, & unum auri, ad redimendam vaſtationem terræ, & impoſitionem tributi. Præſtitit iſtud ſtatim ex theſauris regiis, quos Joſias reliquerat: & ſane cum Joſias iſtud bellum ſuſcepiſſet ſine cauſa juſta, Pharaone ipſi ſecuritatem a ſe fore pollicente, æquum erat ut lueret de ſuo. Sed Jojakim mox tributum impoſuit omnibus ſubditis, atque illud rigidiſſime exegit: atque ſub hoc prætextu ſuæ avaritiæ ſatisfecit, atque exactionibus iſtis ſuos theſauros auxit, ut ad omnis generis vanitates ſufficerent: namque veriſimile eſt quod ſemel inſtituit vectigal feciſſe annuum, uti fieri ſolet, ut raro aboleantur. Hîc ergo opponitur concio præſens, incipiens ab הוי vel vocantis Eſa. 55: 1. Scoptice, vel minantis, idem cum אוי *væ*. Quæ vocula, compendium miſeriæ, ſæpius à Deo præfigitur gravioribus convictionibus Eſa. 1: 24. cap. 3: 11. & hinc Job. 10: 15.

I. *Arguit vanitatis* & iniquitatis in ædificiis. Hieroſolyma abundabat palatiis. Pſ. 48. præter templum, regiæ domus complures, quod metropolis foret, Davidis cedrina, Salomonis magnificentiſſima 13 annorum opus, & quam filiæ Pharaonis ſtruxit; & proculdubio ſeqq. reges addidere alias, cum ſibi, tum liberis, & conſanguineis. Sed Jojakim his non contentus novum opus molitus eſt, in quo ſuam oſtenderet magnificentiam. Excuſari iſtud poterat, quod reges talia non dedeceant; niſi culpabile evaſiſſet opus ejus ob tria.

(1.) *Importunitas temporis.* Regnum acceperat ab hoſte domino, & tanto cum onere tributi. Qui dederat Pharao habebat jus & poteſtatem adimendi: ut nec ipſi, nec populo foret ſecuritas, non itaque tempus erat ſtruendi palatia: pacis illa ſunt opera: quemadmodum David egit potius Hieroſolyma & monte Zionis, 2 Sam. 5: 7. & Salomo magnificentior ob majorem pacem & abundantiam. Sc!. Importunitas temporis facit opus indifferens illicitum. Amoſ. 6: 8-11. Eſa. 22: 12. &c. *Deus omnia pulchra facit in tempore ſuo*, Ecl. 3: 10. eoque attendenda cujuſque rei oportunitas, & hæc redimenda. Commendantur filii Iſachar quod *ſapientes eſſent in intelligentia temporum, ut ſcirent quid Iſraeli faciendum* Chron. 12: 32. Ea ſapientia affectanda 1 Cor. 7: 29 &c. 2 Cor. 6: 1. Eph. 5: 15. ſeq. 1 Pet. 4: 7. finis iſte eſt Reip. Judæicæ.

(2.) *Actionis injuſtitia.* verſ. 13. Domum & cœnacula ejus ædificabat *ſine juſtitia & judicio.* Non dicit בלא צדקה, id enim ſummo jure utens potuit declinare, ne benignitatem indebitam exerceret, ſed בלא צדק ut adverſaretur juſtitiæ, quæ ſuum cuique tribui vult, & בלא משפט ſive ut in tribunalibus contra alios pro ſe pronunciari faceret, ut Jezebel pro rege & fiſco ejus contra Nabothum, ſive quod nullam legitimam conſuetudinem obſervaret: Simpliciter utroque denotatur injuſtitia, illo extra judicialis, iſto quæ in judicio & per illud exercebatur Eſa. 32: 1. Abrab. *væ ædificanti domum, & cœnacula ſua, & huic uni rei incumbenti*, adeoque *inſanienti circa ſtructuras, cum nec juſtitiam, nec jus adminiſtraret, negligens eorum quæ regum ſunt & magiſtratuum.*

Declaratur autem ab effectu, *qui ſocii ſui miniſterio utitur gratis, neque ei dat mercedem operis ſui*, illud extra judicium, iſtud in judicio, compellatus jure, contra Levit. 19: 13. Jac. 5: 4. Mal. 3: 5. Tyrannis ea erat ſimilis Pharaonicæ, qui cogebat Iſraelitas ad opus privatum, ſtruendarum Pyramidum, urbiumque ſuæ penus & theſauri, ſine mercede, ut ne quidem materiam ſufficientem ſuppeditaret, ſtraminis colligendi labore ipſis impoſito ſub pœna verberum. Sic Joiakim circa domum ſuam, privatam. Poſſunt ſubditi quandoque cogi ad opus publicum, ut ad propulſandos hoſtes, quomodo viritim citabantur ſub pœna graviſſima amillionis pecudum 1 Sam. 11. & vitæ Jud. 20. Aſſt à privato opere magiſtratuum eximit ſubditos nomen *Socii tui.* Sunt omnes ſubditi ejuſdem Domini & regis Dei, tam qui præſunt, quam qui ſubſunt. Job. 31: 13. &c. Eph. 6: 9. Col. 4: 1. adeoque pares. Pharao quidem per Joſephum emerat Ægyptios in ſervos Gen. 47: 18. &c. Sed rex Iudæ cum ſubditis ejuſdem erat originis & tribus, pari privilegio fœderis Dei, & libertatis ab illo conceſſæ, nec non proprietatis in poſſeſſione Cananeæ gaudens: nihilo major: electus ex fratribus, ſupra quos ſe non debebat efferre animo Deut. 17: 15. &c. Accedit quod non poſſet dici domus ipſius, in quâ operarii merces continebatur. Nemo ſuam veſtem domum jure vocat, ubi materia & merces opificum ſunt non ſolutæ nec ſolvendæ: non mage quam furis dici poteſt, quod ipſe, aliis ereptum vi vel fraude, poſſidet. Vivendum cuique de labore manuum ſuarum & in ſudore vultus ſui Gen. 3: 18, 19. Pſal. 128: 2. injuſtum ergo laborem manuum & ſudorem vultus alieni, non redemtum ſuo ære & mercede debita, ſibi vendicare, ut ipſimet quorum eſt inde nec edant, nec vivant.

(3.) *Scopi & facti vanitas* verſ. 14. 15. *Qui dicit*, hoc propoſitum habet, Luc. 12: 18, 19. *faciam mihi domum menſurarum*, altitudine inſignem, ut אנשי מדות ſunt *proceri, gigantes*, vel omni menſura eximiam longitudine latitudine, altitudine: vel exacte ad menſuram factam, ut architectonica ubique animadverti poſſet. Talmudis tractatus מדות de menſuris templi agit, quoad omnia ſpatia, & ſtructuras. Et conclavia ſuperioris contignationis ſpatioſa, aut aëri pervia ad refrigerium, ſic fuiſſet domus æſtiva, diſtincta ab hybernâ Jer. 36: 22. conf. Amoſ. 3: 15. Factum reſpondet *& ſcindit ſibi feneſtras.* חלוני vel pluralis abſolutus eſt formæ Syrorum conſtructæ, ut ושרי & principes, Jud. 5: 15. גובי locuſtæ Amoſ. 7: 1. Nah. 3: 17. ut habeat conclavia lucida, per feneſtras copioſe ingrediente lumine & aëre quoque, vel cum affixo primæ perſonæ, & *ſcindit, lacerat ſibi feneſtras meas*, nempe templi; quod totum intus obductos habebat parietes cedrinis tabulis ſeu aſſeribus à pavimento uſque ad laqueare 1 Reg. 6: 15. & conclavia circa templum cedro jungebantur verſ. 10. ut ubique cedrina ligna viderentur. Hæc Jojakim creditur quibuſdam revulſiſſe à feneſtris templi aut conclavium ejus, ut iis in ſuæ domus fructura uteretur ad ornatum: quomodo præter faſtum in materia ædificii concuriſſet rapina & Sacrilegium: ut nuda-

tis feneſtrarum ſacrarum parietibus, privatis illud tegumentum accederet. Nam ſequitur, *& tecta eſt* (domus) *obductis parietibus ejus, cedro*, quod ad ornatum pertinebat Cant. 8: 9. ſic domus Libani Salomonis 1 Reg. 7: v. 2. &c. & Davidica 2 Sam. 5: 11. cap. 7: 2.) *& uncta, delibuta, picta minio*; varia & pretioſa pictura. R. Sal. *ipſum tectum eſt Cedrinum & extrinſecus pictum omnis generis artificioſis picturis ac imaginibus.* Et propter hoc domus ſuæ pretium & elegantiam ſe regno digniorem rebatur, quaſi exinde majeſtas ſurgeret. *An tu regnabis, quia tu miſces cedro?* ut ubique parietes conclavium ubi degis cedro veſtitæ ſint? Erat verò vaniſſimæ vanitatis, Majeſtatem in externis iſtiuſmodi conſtituere cum domus ſuperbiſſimæ tandem concidant. Pſ. 49: 14-17. &c. & deſperatiſſima reipublicæ conditio quando ſola veſtis, aut cenſus axioma eſt imperii Eſa. 3: 1. &c. *habes veſtem* &c. Habuit iſta Salomo longe majora, qui vanitatis condemnat. Achab domum eburneam habuit 1 Reg. 22: 39. ſed quæ debuit everti Amoſ. 3: 15. cap. 6: 11.

Convincit porro vanitatis ex oppoſito exemplo Joſiæ patris verſ. 15, 16. cujus vitam felicitatemque recitat indicata ejus cauſâ:

Joſiæ *vita* eſt, *Annon pater tuus (1.) edit & bibit, & (2.) fecit jus & juſtitiam?* Prius privatæ vitæ eſt, denotatque acquieſcentiam in ſorte ſuâ, ut nihil magnopere apeteret, fruens lætus præſentibus, nullâ ſollicitudine anxiâ macerante. Gen. 39: 6. Eccl. 2: 24. cap. 8: 15. cap. 9: 7. cap. 3: 12-22. quod æſtimatur ceu beneficium Dei cap. 5: 18. cap 6: 2. Conf. Gen. 25: 34. 1 Reg. 4: 20. Poſterius publicæ, cura judicii & miſericordiæ, δικαιοδοσίας & ἐπιεικείας: cuſtos juſti & æqui, ſeveritatis & clementiæ: atque inprimis miſerorum & calamitoſorum cauſam agens, ut qui ob egeſtatem negliguntur, patronis deſtituti, & pudore cohibiti, Regis ipſius comitate & ſtudio juvarentur, ut cauſa ipſorum cognoſceretur & judicaretur, 2 Chron. 34. verſ. 23. 2 Sam. 8: 15.

Felicitas cum privata, verſ. 15. tum publica verſ. 16. *ipſi tunc benè erat*, & abſolute *benè*. Hic enim fructus ἀυτάρκειας: qui non contenti ſua ſorte, opes, honores, potentiam, voluptates quærunt, non poſſunt edere tranquille, exemplo libidinoſi Amnonis, avari Achabi, ſuperbi Hamanis. Nec non fructus juſti regiminis, quia omnes habent amicos, bene præcantes, non inſidiantes, non hoſtes: & publico bene eſt, non vexatis per avaras exactiones ſubditis, & per juſtitiæ adminiſtrationem in mutua pace conſervatis. Prov. 14: 34. cap. 29: 4. 1 Reg. 4: 15. 2 Chron. 31: 20, 21.

Cauſa autem iſtius vitæ, & felicitatis conſequæ verſ. 16. *nonne hoc eſt cognoſcere me, dictum Domini?* A cognitione Dei hoc proceſſit 2 Chron. 34: 2, 3. hæc perſuadet ἀυτάρκειαν 1 Tim. 6: 17. Heb. 13: 5. perſuadet etiam juſtitiam 2 Chron. 19: 6. &c. & verſ. 11. hanc ſequitur proſperitas. Hoſ. 4: 1. 6. unde eam ſuadet David filio 1 Chron. 28: 9. & commendatur. Jer. 9: 23. &c.

(2.) Arguit *avaritiæ* & exinde fluentis *tyrannidis*, v. 17. Sed (כי adverſativo pro כי אם) *oculi tui & cor tuum, non eſt niſi ad avaritiam tuam*, & quia avaritia radix malorum eſt 1 Tim. 6: v. 10. hinc innocentum cædes, & oppreſſiones contritioneſque, quia ſpoliantur bonis concupitis, etſi pariter vita exuendi ſint, exemplo Nabothi. Jojakim etiam ſæviit contra cenſores Prophetas Jer. 26. & 36. Hac avaritia magiſtratuum repræſentatur Eſa. 1: 23. cap. 3: 14, 15. cap. 5: 8. Mich. 2. & 3. Hab. 2. avaritia inſatiabilis Eccl. 5: 9. & injuſta Exod. 23: 8. & inſipiens 1 Tim. 6: 9, 10. Unde hortatio Pſal. 62: verſ. 11. ἀυτάρκεια contra lucrum 1 Tim. 6: verſ. 6. [τὸ אמן teſtem Deum eſſe oſtendit quemadmodem interrogatio teſtem facit cujuſque conſcientiam.]

Verſ. 18. *Idcircò ſic ait Jehova de Jehojakimo filio Joſchijæ Regis Iehudæ, non plangent eum, heu frater mi, aut heu ſoror: non plangent eum, heu domine, aut heu decus ejus:*

Verſ. 19. *Sepultura aſini ſepelietur; tractus & projectus ultra portas Ieruſchalaimorum.*

II. Jam *Denunciatio judicii* graviſſimi eſt verſ. 18, 19. Fit ea ab ipſo Deo, expreſſo ejus nomine, & nomine patrio ad exprobrandam degenerem vitam, ac dignitatis, quod vel ad patrem vel ad ipſum poteſt referri, ר pro ד ſcribitur, neque enim ad ipſum loquitur Iojakimum, ſed de ipſo, quod ſeqq. docent. Prædicit autem ipſi mortem non deflendam, neque à conſanguineis, neque à ſubditis aut famulis. Illi quiritantur ob amiſſum propinquum & deſertos ea ratione viventes: *Heu frater mi! & heu ſoror!* Hi deplorant amiſſum Dominum aut Majeſtatem regiam in ea perſona exſtinctam. (affine הוֹד cum modernis phraſibus, **u Majeſtept/ Hooghept** &c. Solent autem iſtiuſmodi leſſi inſtitui, quando funebris pompa ducitur, & quæ eò pertinent aguntur. Atqui talis pompa huic negata erat. Nam carebit ſepulturâ, quam cum aſino communem habebit, ut cadaver trahatur à canibus Ier. 15: 3. poſtquam longe à portis Hieroſolymæ fuerit projectum. Sic cap. 36. verſ. 30. quemadmodum autem aſini cadaver indefletum abjicitur, & turpe foret eapropter luctum publicum indici, ita quoque nemini fore voluntatem lugendi ipſum tum ob pudorem infamiæ ejus, tum ob metum regis Babel, qui rebellem ad eam mortem & infamiam condemnaſſet. Hiſtoria dicit 2 Reg. 24: 6. obdormiviſſe cum patribus ſuis. aſt 2 Chron. 36: 6. regem Babel adſcendiſſe contra ipſum, & vinctum duabus catenis æneis, Babelem voluiſſe ducere. Ioſeph. Antiq. lib. 10. cap. 7, 8. à Babylonio interfectum, & extra mœnia Hieroſol. illius juſſu abjectum fuiſſe refert. Res ſic geſta eſt, Iojakimus Ægyptii fiduciarius rex & cliens, hoc devicto tranſiit in fidem & clientelam Babylonii: verum triennio poſt veteris Patroni amore & fiducia rebellavit, quomodo cum alii hoſtes, tum Chaldæi in ipſum miſſi, à quibus captus vel vi, vel deditione, catenis vinctus fuit deductuſque Babylonem verſus, in quo itinere vel vitæ tædio mortuus; vel juſſu Nebucadnezaris necatus, atque projectus eſt à canibus lacerandus. Sic infamis vitæ infamis fuit finis. Sic Ieroboam, Baeſa, Achab & inprimis Iezebel. Equidem mali reges & tyranni nonnunquam magnifice ſepeliuntur, & forſan etiam deplorantur à cognatis & miniſtris, ſed non à populo oppreſſo. Ioſias deploratus ſepultuſque fuit regie, quia vixit ut homo inter homines, & regnavit ut pater inter liberos. Contra Iojakim qui vixit ut ſanguiſuga, & regnavit ut lupus, ſepultus eſt ut aſinus: infamem linquens memoriam; quæ impiorum conditio Eſa. 65. v. 14. cap. 66: v. ult. idque in æternum Dan. 12: 2.

Verſ. 20. *Aſcende Libanum & clama, ac in Baſchane ede vocem tuam: clama etiam trans vada, quum fracti fuerint omnes amatores tui.*

Verſ. 21. *Alloquutus ſum te in ſumma tranquillitate tua, dixiſti, non auſcultabo: hac via tua eſt à pueritia tua; nam non auſcultaſti voci mea.*

III. De Jechonia ſeu Jojachine, (prout compoſitionis pars vel proponitur יויכין aut יהויכין, vel poſtponitur יכניה aut יכניהו, pro quo etiam demto Jod primo dicitur כניהו,) agit reliquum caput, verſ. 20. ad finem. Quidam diſtribuunt in partem generalem, contra populum Judæ, quia genere fœm. loquitur. verſ. 20--23. & in ſpecialem contra Jechoniam verſ. 24--30. Sed eſt concio aulica plane, ut priores: quod conſtabit, ubi hiſtoriam Jechoniæ conſideraverimus. Ea exſtat 2 Reg. 24: 8--16. & 2 Chron. 36: 9. &c. ubi octennis fuiſſe dicitur (iſtic octodecennis) cum regnum adiret, & 3 menſes ac 10 dies regnaſſe, & ſequente anno à Nebucadnezare Babylonem accerſitus. Res ſic habet ut omnia conſentiant; Jojakimus regno potitus per Pharaonem Nechum, altero anno, illius firmandi gratia filium Jechoniam octennem regem deſignavit, ut ſucceſſionem certam faceret ipſi. Adminiſtrationem tamen omnem, cui puer impar erat & ineptus per ætatem, ſibi ſoli ſervavit, uſque dum ſubjugatus a Nebucadnezare & vinctus raptuſque verſus Babelem, aſini ſepulturam nactus eſt, anno regni undecimo. Jojachin filius, qui 10 annis titulum regis habuerat, jam 18 annorum indulgente Nebucadnezare ſucceſſit in regno patrio, quod ille populum obſequentiorem ipſi fore crederet, ipſummet autem magis obnoxium ſuorum ſibi. Sed is adoleſcens admodum & regnandi imperitus,

ritus, ſub tutela quaſi Matris ſuæ vixit, quæ ad exemplar Patris mores formavit, quem imitatus dicitur; atque ipſa omnibus conſiliis ſua autoritate præfuit. Nomen matri fuit Nechuſta filia Elnathanis Hieroſolymitani, (forte ejus qui Achboris filius apud Jojakimum aliqua dignitate fuit Jer. 26: 22. cap. 36: 12, 25.) cujus poteſtas colligitur ex nomine ejus, juxta cum filii commemorato, quod una cum ipſo exierit ad regem Babel, & in captivitatem abducta ſit: 2 Reg. 24: 12, 15. quæ pœna junctim dicta ipſis Jer. 22: 26, 27. nec alia eſt connexio verſ. 23. & 24. ubi à matre ad filium orationem transfert. Sic cap. 13: 18--22. conjungit non regem & reginam, quod de uxore regia fuiſſet intelligendum, (cum tamen Jechoniæ fuerit uxor non una 2 Reg. 24: 15.) ſed regem & גבירת *auguſtam*, qui titulus matris regiæ, adminiſtrationem regni habentis, Maachæ 2 Chron. 15: 16. 1 Reg. 15: 13. Jezebeli vivente filio Joramo 2 Reg. 10: 13, & diſerte matri Jechoniæ Jer. 29: 2. Regnavit autem trimeſtre & dies decem, poſt patris obitum, Nam, Joſepho teſte Antiq. 10. cap. 9. ne ob infamiam Patri illatam deficeret, miſit copias oppugnatum urbem, & mox ipſe ſuperveniens obſidionem acrius urſit. Jechonias ergo ut urbi & patriæ pararet indemnitatem ſuo quoque damno, (uti nonnulli rentur ex Jeremiæ conſilio,) ſponte ſe tradidit in poteſtatem Nebucadnezaris una cum matre & aulicis ac conſiliariis principibus, qui ſurrogato patruo Mattanja, quem Zedekiam vocavit, ſequenti anno ipſum Jechoniam, qui cum matre cæterisque obſidum inſtar detinebatur a ducibus Nebucadnezaris una cum iiſdem & uxoribus quoque liberisque in Babyloniam fuit deductus, & in cuſtodia detentus, unde tandem exacto 37 anno, captivitatis ab Evilmerodacko rege Babel carceri exemtus, & honeſtius habitus, annuos reditus conſecutus eſt, ut regiæ dignitatis aliquam haberet ſpeciem vel ſaltem memoriam 2 Reg. 25: 27. &c.

Hæc autem cum foret regni ejus conditio, concio directa eſt tum ad matrem regentem, tum ad ipſummet, & habita vel inſtante obſidione, vel cum jam obſides eſſent, & in poteſtate hoſtis, brevi deportandi.

I. *Matrem Auguſtam* reprehendit ob peccata verſ. 20, 21. eique minatur pœnam verſ. 22: 23.

I. *Peccata* objecta ſunt.

(1) *Fiducia inutilis*, ſarcaſticè enunciata: omnia fœminino genere, quia ad fœminam. *Aſcende Libanum & clama*; *& in Baſane extolle vocem tuam & clama, a vadis*, trajectibus fluminum; *nam confracti ſunt omnes amici tui.* Libanus ad Septentrionem, Baſan ad Orientem Cananææ in Gileade montes erant excelſi & fama notiſſimi; hos aliqui deſignari opinantur, unde olim Aſſyrii ſuppetias laturi venerant; ut ibi conſiſtere jubeat, a ſummo vertice, unde longius audire poterat vox advocatura auxilia. Sed nec loca illa in Judæorum erant poteſtate, & Aſſyrii jamdudum a Babyloniis devicti, hiſce militabant, ut nihil inde ſpei eſſe poſſet, Targum ergo metaph. accipit; Libanus templum ipſi eſt, quia cedris Libani intus erant tecti parietes, (uti verſ. 13. domus Jojakimi.) Montem templi ſeu atrium ejus in monte ſitum vocat Baſan, quia uti Baſan abundabat pecoribus, ita iſtic magna gregum & armentorum copia, quæ ſacrificiis deſtinabatur placando numini hecatombis. Trajectus porro fluminum, per quos ex Ægypto iter erat in Judæam. Nimirum cum Jojakim maritus ſperaret Ægyptios novam expeditionem moturos contra Nebucadnezarem, eâ fiducia ab hoc defecerat, priſcum patronum denuo coliturus: quo animo viduam adhuc fuiſſe exiſtimat. Exprobraretur proinde fiducia gemina, I. in cultu externo quod poſſideret pretioſum templum, cedro Libani inſtar abundans: quodque tot iſtic eſſent offerendæ victimæ, ut qui ingrederetur atrium, paſcuoſum Baſanem quodammodo videret. Quocirca ſi iſtuc veniſſet & clamaſſet paulo vehementius poſcens opem, Deum negare non poſſe, ne pretioſam iſtam domum amitteret: & h voci adderet ſacrificia non poſſe non propitiari. II. in Ægyptiis, quos evocaret ad vada, unde proximus ingreſſus ad ſe in Judæam. Ratio autem ſarcaſmi, quod fracti eſſent amici omnes, tum Sacerdotes & prophetæ, qui ob præſentiam templi & hoſtiarum cultum omnia ſecura pollicebantur Jer. 7: 4. &c. & verſ. 21. &c. tum Ægyptii, qui victi prælio & in ſuam quaſi terram concluſi, nihil amplius moliri ſunt auſi 2 Reg. 24: 7. Cujuſmodi fiducia ſæpius jam fuit taxata & irriſa. Prioris exemplum etiam Matt. 24. poſterioris Jer. 2: 18, 36, 37. Eſa. 30: 31.

Si metaphora iſta diſpliceat. ſic quoque exponi poteſt. *Aſcende Libanum & clama & vocem tuam da in Baſanis regione*, quæ Libanum attingebat, ceu loca per quæ in captivitatem Babelem itura es, ſive loca alta & ſolitaria quæras, ubi ob luctus magnitudinem fleas & lamenteris Jer. 3: 21. *Et clama propter vada*, quâ exſpectabantur auxilia Ægyptia, *quia amatores tui omnes fracti ſunt*, ut illa via non ſint venturi. Ita & magnitudo doloris ſignificaretur, ob fruſtratam fiduciam de hominum amore & ope. Aut, *Aſcende Libanum & clama*, ſummum tectum palatii, unde vel longe proſpicias eminus exſpectatos, vel in ſolitudine lamenteris, conf. verſ. 23. & *propter Baſan attolle vocem*, ut hoſtes validi denotentur Pſ. 22: 13. & ſuperbi ſuis opibus & potentia Amoſ. 4: 1. & *clama propter vada*, quæ hoſtes jam poſſident, amicis, tutaturis illa, jam profligatis.

(2.) *Impœnitentia pervicax.* verſ. 21. cujus manifeſtandæ occaſio, Dei conſtans monela de officio, *Allocutus ſum te*, per prophetas nimirum, qui uti populum omnem hortati erant Jer. 7: 25. &c. cap. 26: 1. ſic domum regiam, cap. 22: 1. &c. cap. 17: 19. &c. & Oportunitas monelæ, in tranquillitatibus tuis: dum adhuc omnia proſpera, in gradu excellenti, ſeu in vario genere proſperitatis, cujus conſervandæ amor debuiſſet moviſſe ad audientiam & obſequium. Improbitas, Dixiſti non audiam, obtemperabo. & pervicacia, *hæc via tua à juventute ut meæ voci non auſcultares.* Jam inde ab initio ſui conjugii aſſenſa fuerat impietati mariti, ſi non Jezebelis inſtar eum incitavit ad malum; ut faſtidirentur prophetæ, & monentibus vis fieret, quod paſſus eſt Urias primo anno Jojakimi Jer. 26. & Jeremias & tunc & poſtea quoque Jer. 26. & 36. & in eo improbitatis inſtituto perſeverabat mortuo marito, regis minorennis tutelam gerens cap. 13: 18--23. Sic ſolent proſperitates oblivium Dei inducere Deut. 32: 15. cap. 8: 11. &c. Hoſ. 13: 6. Jer. 2: 20, 31. cap. 7: 10. & impietatem contemtricem monitorum Jer. 18: 11, 12. Pſ. 58: 5, 6.

Verſ. 22. *Omnes paſtores tuos depaſcet ventus, & amatores tui in captivitatem abibunt: tunc enim erubeſces, & rubore ſuffenderis propter omnem malitiam tuam.*

Verſ. 23. *O quæ deſides in Libano, quæ nidificas in ipſis cedris: quàm gratulaberis tibi, quum invadent te tormina, dolor tamquam paturientis:*

2. Pœna eſt propoſita verſ. 22. (a) *in conſiliariis*, nempe *Omnes paſtores tuos*, ſubordinatos magiſtratus & rectores populi qui conſiliis; qui opere præſunt, nam & hi paſtores Jer. 1: 8. & cap. 23: 1. &c. & huc pertinet Jer. 13: 20. gregem non ſola paſcebat, ſed ſubſidiaria ope paſtorum inferiorum: eos paſcet ventus, ut ſit ipſis cibus, id eſt vana ſpe ſe alent, quæ deſtitutos dabit; ut qui vento & aere veſcivult, ſic רעיון רוח in Eccleſiaſte vertitur a. nonnullis. Vel depaſcet eos ventus, abſumet, ut fumum vel paleam quam diſpellit, abſumſiſſe videtur. (2.) *In amicis aliis*; illi *ibunt in captivitatem*; aulici, quique commodis ejus ſtudebant prophetæ, ſacerdotes, belli duces, qui manu, precibus, ſacrificiis juvabant. In ipſamet, tum pudefies & ignominâ afficieris, conſors cum iis & evanidæ ac fallentis ſpei, & exilii, namque id ſit propter omnem malitiam tuam, κακίαν, afflictionem, adverſitatem calamitatem.

Aggravatur autem pœna ſarcaſmo verſ. 23. quo faſtus objicitur; *Habitatrix Libani, quæ nidulata es in cedris*; videlicet in domo mariti Jojakimi, verſ. 13. &c. hæc erat nidus majeſtatis & ſecuritatis: *quam gratiam habebis* aut conſequeris ſuperveniente maximo & improviſo malo. Hoc enim confert *partus doloribus*, quæ non ſolum in tuguriis & mappalibus pauperum, ſed etiam in palatiis regum tolerandi. Et hæc metaph. frequens. Jer. 4: 30, 31. cap. 6: 24. cap. 30: 6. Sed de eadem regina dictum idem. cap. 13: 21.

Verſ. 24. Ut *vivo ego, dictum Iehovæ, etiam eſſet Conja filius Iehojakimi Regis Iehudæ ſigillum in manu dextera mea: tamen inde evellam te:*

11. *Filium Regem* Jechoniam, ſed ut matrem comprehendat, quæ ſub nomine filii regnabat; imo hinc deducat filii pœnam. Illa habitabat cedrinam mariti domum, ſed jam æque ſubitus, gravis & inevitabilis futurus erat dolor ob filii exilium, ac fuerat cum eum primum eniteretur. Indicat autem Calamitatis certitudinem verſ. 24. & Gradum verſ. 25, 26, 27. eamque exaggerat verſ. 28. &c.

I. *Certitudo* indicatur juramento Dei, quod irrevocabile Heb. 6: 17. Eſa. 45: 23. *Vita ego dictum Domini, ſit licet Chonja filius Joſiæ regis, vel rex Judæ, ſigillum ſuper manum dexteram meam, quod inde te avellam.* Juramentis etiam alias confirmatæ minæ, Amoſ. 6: v. 8. cap. 8: verſ. 7. Mutat porro ejus nomen, demta litera Jod. Eam nomini Joſuæ Moſes addidit, qui antea dictus Hoſea Num. 13. & quantum iſti ejus additione tributum, tantum huic negatum ademtione. Multum profecto acceſſit Abrahamo per ה nomini inſertum. Deus ſi nomen alicui mutet in gratia, una litera multum felicitatis deſignat, ſic Jehoſeph Pſal. 81: 6. Sin in irâ, una litera infelicitatis plurimum denotat. Sic h. l. & quidem ſub ſymbolo ſigilli remoti. Sigillum geſtari ſolebat, ſeu annulus ſignatorius, in dextri brachii ſeu manus digitis, eratque ex pretioſiſſimis rebus ac chariſſimis Ca[illegible]: 6. erat Symbolum ſive inſigne dignitatis & autoritatis, unde anulo dato ea conferebatur, Joſepho Gen. 41: 42. Hamani Eſt. 3: 10. Mardochæo cap. 8: v. 2. ademto rurſum auferebatur. Igitur Jechonia ſucceſſor in regno Davidico, quod erat Dei, ab ipſo inſtitutum, & juramento Dei confirmatum Pſ. 89. ſigilli locum apud Deum habebat: Sed jam omni illa dignitate privandus erat, quemadmodum Sebna aulæ magiſter apud Hizkiam ſuo quoque loco ejiciendus, & clavis domus Davidis, inſigne muneris, ipſi ademta Eljakimo committenda Eſa. 22: 15. &c. Sic Pſal. 52: 2. &c. de Doego. Quod vero mutata perſona ipſummet alloquitur, majoris terroris ergò factum. Sed annon ſic mutatur promiſſum Dei, quod Davidi juraverat? Reſp. minimè. licet enim Jechonia repudiaretur cum ſuo ſemine, imo etiam Zedekia Ezek. 21. & omnis poſteritas Salomonis, tamen non omnis poſteritas Davidis repudiata fuit: Quod Jechonias amiſit, datum fuit Zorobabeli Sealtielis filio Hagg. 2: 24. qui fuit de domo Nathanis, quæ potiſſima fuit poſt reditum ex Babel, inter omnes Davideas Zach. 12: 12.

Verſ. 25. *Et tradam te in manum quærentium animam tuam, & in manum eorum à quibus tu formidas: nempe in manum Nebucadnetzaris Regis Babyloniæ, & in manum Chaldæorum.*

Verſ. 26. *Et ejiciam te, ac matrem tuam quæ peperit te, in terram alienam, ubi non fuiſtis nati: & ibi moriemini.*

Verſ. 27. *De terra verò, ad quam iſti elaturi ſunt deſiderium ſuum ut revertantur illuc: illuc non ſunt reverſuri.*

2. *Gradus* ejus, (*a*) *Captivitatem* verſ. 25. ut veniat in poteſtatem hoſtium, peſſime affectorum, & hinc terribilium, Nebucadnezaris & Chaldæorum. (*b*) *Deportationem* verſ. 26. ut ipſe, comite matre, transferatur in terram peregrinam, non ſolum natale alterutri, ubi etiam morituri ſint. (*c*) Deſperationem reſtitutionis. verſ. 27. quam ad populum eloquitur, non ad ipſos, tanquam qui jam eò deducti eſſent; quantumcunque foret deſiderium recuperandæ patriæ, (quod phraſi מנשאים את נפשם indicatur. Pſal. 25: 2.) nunquam ea potituros. Quæ fuit etiam Sallumi conditio verſ. 11, 12. Sic Conſiliaria mali mater, una cum ipſo punita eſt, quemadmodum Jezebel 1 Reg. cap. 21: verſ. 22, 23.

Verſ. 28. *An ſimulacrum contemtum, quod diſpergitur, eſſet vir iſte Conja? an inſtrumentum in quo nulla* eſt *delectatio? cur ejecti eſſent ipſe & ſemen ipſius, & projecti in terram quam non norunt?*

Verſ. 29. *O terra, terra, terra: audi verbum Jehovæ.*

Verſ. 30. *Sic ait Jehova, ſcribite virum iſtum liberis carentem* fore, *virum non proſperaturum unquam: nam non proſperabitur de ſemine eius quisquam ſeſſurus in ſolio Davidis, & dominaturus amplius in Iehudam.*

3. *Exaggeratio* per quæſtionem & reſponſionem.

Illa eſt verſ. 28. cur tam grave judicium in Jechoniam ſtatutum ſit? Confert rebus viliſſimis & abominandis maxime, non quod talem cenſeret, ſed quod non aliis tanta mala viderentur irroganda. *An eſt idolum contemtum, diſſipatum, vir hic Chonja?* Imminuto nomine non regem, ſed virum vocat, redactum in ordinem priuatorum, verum etiam tunc digniorem, quam qui ſic haberetur, ceu qui regiæ Davidicæ gentis eſſet. Idolum cujus vanitas & damnum, pudorque agnitus eſt à poſſeſſore: contemtiſſime habetur Eſa. 30: verſ. 22. ut Joſias egit cum idolis 2 Reg. 23. utpote quod dolorificum, quo dolor longe amoveretur. *An eſt vas, quod diſplicet?* ut Hoſ. 8: 8. & Jer. 19: 11. Sic enim ejectos & abjectos eſſe, in terram peregrinam, quæ contemta erat Judæis reſpectu ſuæ; ipſe & ſemen ejus; quos habebat liberos aut habiturus erat, quia negatus jam fuerat reditus. Magna hæc metamorphoſis, quid dignius, quid charius annulo? quid indignius, abominabilius idolo? aut vaſe inutili? Contra dignitas promittitur Eccleſiæ reſipiſcenti Eſa. 62: 2. &c.

Iſta eſt verſ. 29, 30. ubi audientiam ſibi facit compellando terram. Scl. Aula, ſeu domo regia non audiente, teſtes citat plebem, ſeu terram ipſam. Sic Jer. 6: 16–19. Sic Eſa. 1: 2. &c. Inanima, & bruta audire debent, & teſtari, ſi homines negent Deo audientiam. Eſt vero emphaſis in terna repetitione. Cujus occaſione notandum. Terna repetitio *Sanctus* &c. Eſa. 6: v. 3. non probat trinitatem perſonarum divinarum. Ea afferi hinc poteſt contra Arianos ex collatione cum Joh. 12: 40. Act. 28: v. 26. contra Judæos autem pluralitas hic ex verſ. 8. מי אשלח ומי ילך לנו ubi mittens unus & plures ſignificantur, neque Seraphim miniſtrantes Deo jungi poſſunt. Sed ſignificatur vel ſanctitas Dei perfectiſſima, cum alia geminato adjectivo fiant ſuperlativa, hic gradus illo major intelligatur: vel quod ſanctus ſit Deus ante tempus ab æterno; durante tempore, & ſeculorum fluxu; & poſt tempus, in omnem æternitatem; ſemper idem & immutabilis. Quod ad præſentem locum, Abrabanel cenſet id dici, quia Cananæa primum poſſeſſa à Cananæis, ipſos impios evomuiſſet, & bis quoque Iſraelitas impios eſſet evomitura. Commodius ad Jechoniam reſpicit, quod nec ante captivitatem totius populi, nec durante eâ, neque poſt eam Iechonia rediturus eſſet ad regiam dignitatem: mutata ter conditione terræ. Nam nomine Dei jubet ſcribere, ut memoria conſtans maneret hujus denunciationis, non revocando judicia, de hoc, non rege, ſed jam viro, nullo munere excellente, עירי non orbum notat ſimpliciter, ἄπαιδα, hîc enim ſemen ei tribuitur, ſed nudatiſſimum, (uti myrica ערער dicitur Jer. 17: 6. quia boni ſucci & fructus expers eſt, & nudatiſſimus ab omni fertilitate & ope Pſal. 102: 18.) nam exponitur, *qui non proſperabitur in diebus ſuis, omni vita ſua*; neque etiam in ſemine ſuo, ut ullus poſterorum vel regnum recuperet, vel minimum dominantium in Juda. Sic punit quandoque Deus in poſteris parentum peccata Exod. 20. uti Jeroboamo, Baeſæ, Achabo &c. accidit.

Cæterum quæritur de complemento. Jechonias ipſe annon proſperatus tandem? 2 Reg. 25: 31. &c. Jer. 52: 31. &c. Reſp. minime; proſperitas in Juda non obtigit. In Chaldæa inter captivos reges mitius haberi, parum eſt, ut rex proſper quis dici queat: imo adhibitus menſæ regiæ Evilmerodachi polentum edit, quod deprecabantur Daniel & ſocii ejus, ſeminis regii adoleſcentes Dan. 1. ut optabilius foret Judæo in carcere manere & non pollui, quam regio apparatu fruentem taminari. Obſtitit, ejus ad felicitatem ullam reſtitutioni non ſimplex comminatio, quam reſipiſcentia ſuſpendit quod ad exſecutionem, aut mitigat in exſecutione; ſed juratum decretum, quod habet quaſi immutabilitatis ſigillum, verſ. 24. præterea mandatum notandi hujus decreti verſ. 30. *Scribite* &c. Chronicis nempe Regum Judæ Jechoniam inſcribendum עירי *nudatiſſimum* ab omni ſemine, jure ſucceſſionis, & felicitate deſtitutum, quia

quia licet liberos haberet, eorum tamen nunquam ulla fieri deberet mentio in serie regum Davidicorum; quasi jam omnis ejus posteritas emortua esset. Quod Zorobabelem attinet principem reducum ex Babel, Judæi eum referunt ad Zechoniam, sed sic interpretantur, ipsum quidem reduxisse exules, sed finita templi structura in Babyloniam rediisse, ad pristinam servitutem & exilium, atque ibi fuisse defunctum. Verum sic ea saltem parte falleret denunciatio, nullo dominio gavisurum in Iuda quemque posterorum Iechoniæ, quod tamen de Zorobabele scriptum legimus. Verum sic se res non habet, 1 Chron. 3: 17. &c. filii Iechoniæ fuerunt Assir, hujus filius Sealthiel, & hujus inter alios Pedaja, ex quo natus Zorobabel: qui proinde non filius, sed nepos Sealthielis fuit. Ast Zorobabel reducum dux semper Sealthielis dicitur filius, apud Haggæum, Zachariam, Ezram; caret autem exemplo aliquem constanter avi, nunquam patris filium dici, ut istius exprimatur nomen. Matheus quidem Iechoniæ posteris annumerat Zorobabelem filium Sealthielis; sed frequens eidem quasdam generationes præterire, ut præfixum sibi generationum numerum non excederet. Omisit enim post Ioramum, Ahaziam, Ioasum, Amasiam; post Iechoniam Assir, post Sealthielem Pedajam, & verisimile post Zorobabelem complures, qui numero generationum post reditum ex Babel tanto inferior est Luca, novendecim aut viginti recensenti. Zorobabel Sealthielis ex Nathane descendit, unde nec majores, nec posteri iidem cum iis quos recensuit Matthæus. Genealogia Nathanis in Chronicis non expressa, quam Lucas ex tabulis descriptionis Augusti mutuatus videtur, quemadmodum ejus ipse solus mentionem facit. Atque hoc pacto certa constat veritas juramentis Dei, tum comminatorio contra Iechoniam, tum promissorio ad Davidem, hujus ex Nathane filio posteris, Zorobabele ducatum à familia Salomonis remotum, & Iesu Christo regnum consecutis.

CAP. XXIII.

IV. ZEDEKIAS ultimus est filiorum Iosiæ qui regno admotus est. de quo agit vers. 1-8. Hunc Nebucadnezar exautorato Iechonia Regem fecit, & exemplo Pharaonis circa Iojakimum, mutato nomine sic appellavit cum antea Mattanja diceretur. Forte ut eum moneret justitiæ, tum quoad subditos, ne illos opprimeret avaris exactionibus, tum quoad se, ne fidem juratam sibi falleret, quod utrumque à fratre Iojakimo patratum fuerat. De hujus regimine agit ista concio, quamvis nomen ejus hic non reperiatur scriptum, sed in genere pastorum seu magistratuum. Cujus circumstantiæ causa est, quod Zedekias nihil solus, sed omnia ex principum arbitrio egerit. Iojakim necquicquam intercedentibus principibus combussit scripta Jeremiæ cap. 36. Zedekias poscentibus principibus illico permisit ipsum Ieremiam; testatus se in eorum esse potestate cap. 38: 4, 5. & metuens ne quid principes resciret se privatim cum Ieremia egisse vers. 24 &c. qui etiam eos ob fœdifragium non ausus est plectere cap. 34. Est vero hic denunciatio generalior vers. 1. & specialior vers. 2, & utraque tum peccata tum judicia complectitur. Postea subjungit Consolationem Evangelicam amplissimam, vers. 3-8.

Vers. 1. *Væ pastoribus qui perdunt & dispergunt gregem pascui mei, dictum Jehovæ.*

I. In *denunciatione* indicatur.

1. *Contra* quos agatur. Dicuntur vers. 1. *Pastores* & vers. 2. *Pastores pascentes populum meum.* Designantur autem hic Politici, (nam de Ecclesiasticis vers. 9. seqq. fuse differit.) qui hâc metaphora adumbrari solent, Græcis ποιμένες λαῶν, & Imp. Boni pastoris esse tondere pecus non deglubere. Sic Deus loquitur 2 Sam. 7: 7. Ps. 78: 71. & de ipsomet sic Scriptura Ps. 80: 2. & 95. 7. & 100: 3. nec non de regimine Dei Ps. 28: 9. Est enim hoc munus magistratuum, uti pastoris in grege. I. autoritatis Rom. 13: 1. habent isti pedum, illi gladium ad coërcendum: II. dignitatis. quod nemo nisi vocatus à Deo jure possidet. Rom. 13: 1. 1 Chron. 17: 6. Ps. 78; 71. III. utilitatis 1 Cor. 9: 7. & Rom. 13: 7. Et hæc omnes sibi poscunt, atque iccirco tanto cupiditate ambiunt. sed J V. sollicitudinis, qua voce plurima comprehenduntur. Amor sincerus & vehemens, ut afficiantur ovium incommodis; *Pastor bonus novit*, id est amat *suas oves* sigillatim Joh. 10: 3, seq. 14: 27. Visitatio earundem quo loco sint, an omnes præsentes in eadem caulâ, prato; sollicita cura, ne quid desit, ne quæ aberret aut pereat Ezek. 34: 3. ut gramine & aqua salubribus abundent Psal. 23. v. 1. &c. ne qua ætate, aut morbo debilitata deficiat, Esa. 40: 10. Ezek. 34: 3. laboriosa custodia interdiu & noctu, ut nec æstu diurno, nec frigore nocturno, nec vigiliis frangantur ut Iacob Gen. 31. Luc. 2: 8. fida defensio, ut vitam pro grege ponant potius quam permittant feris furibusque Joh. 10: 15. 1 Sam. 17. & 2 Sam. 24: 17. & hoc unum laudabile egit Iechonias, qui se tradidit sponte Nebucadnezari hosti, ut populo parceretur. Huc persuadere debet, I. Quia oves sunt homines Ezek. 34: v. ult. æque ratione præditi ac magistratus, æquè ad imaginem Dei conditi; qui de cura pastorum judicare possunt, & prout se habuerit testari apud superiorem ipsis pastoribus, nam 2. Sunt *oves Dei*, populum meum, & gregem meum vocat hoc loco Deus. Si propriæ forent pascentium, liceret impune vestiri earum non lana solum sed etiam pelle, & vesci carne. Dei sunt, qui summus pastor, Psal. 80: 2. alii subordinati ab ipso Ps. 77: 21. Jer. 13: 20. à quibus rationem exacturus est; visitat enim non solum oves, sed etiam pastores Ezek. 34: 10, 11. 3. Sunt *oves pascui Dei*, vers. 1. qui eis prospexit de pascuo, ubi omnium copia est, pastores tantum debent eas continere in pascuo, & curare ne illud corrumpant, conculcando gramen inutiliter, & aquas collutulando pedibus, & debiliores humerô & latere premendo, & cornibus lædendo, quemadmodum dicitur Ezek. 34. hoc est operam dare, ne quis gratiam Dei vertat in licentiam, abutatur Dei bonitate & luxurietur, imbelles premat & opprimat; eoque agere ut David se facturum dicit Psal. 75. & 101. & præstitit Iosia 2 Chron. 34: 33.

2. *Cujus accusentur*: v. 1. quod *perdant*, destruant, occidant per tyrannicam oppressionem, Mich. 2: 1, 2. cap. 3: 1. &c. & quod *dispergant* gregem pascui Dei, causam darent ut desererent illud, vel seducti exemplo, vel persuasi autoritate mandati, vel coacti vi. Secundo Ieroboam fecit Israelem peccare, deserto Deo ad vitulos eundo, & Achab ad Baalem; & Achaz, Manasse aliique ad omnis generis idola; conf. Jer. 3: 13. quod repetitur vers. 2. dispersistis, & depulistis; istud propiorem vim adhibitam significat, quam illud: & tamen usurpatur de falsis Prophetis Deut. 13: 5-10. Hæc committendo. Omittendo autem quod non visitarint eas: neglexerint quod potissimum sui erat officii.

3. *Quid denuncietur?* In genere *Væ* vers. 1. quod compendium mali omnis. Tres ultimæ tubæ vocantur Væ, ob graviora prioribus judicia Apoc. 8: 13. cap. 9: 12.

Vers. 2. *Idcirco sic ait Jehova Deus Israelis contra istos pastores qui pascunt populum meum: vos dispergitis oves meas & dispellitis eas, non autem visitatis eas: ecce ego animadversurus sum in vos malignitatem actionum vestrarum, dictum Jehovæ.*

In specie vers. 2. præmisso certitudinis ergo nomine Dei, *Sic ait propterea Dominus Deus Israelis*: ut & justam suam actionem indicet, qui causam habeat sic agendi, summus rerum omnium arbiter, & Israelis curam gerens ex fœdere, cujus regimini hos pastores præfecerat. Minatur autem *visitationem* ipsorum, non qua ipsis benefacturus esset, qualem debebant ovibus; sed quâ vindicaturus ipsorum scelera, quemadmodum ait, *improbitatem actionum vestrarum* addito sigilli loco, *Dictum Domini*. Sæpius talia minatur Esa. 1: 23. &c. cap. 3: 14. conf. Joh. 10: 20. & exemplum Jojakimi, regumque cæterorum idem docet Jer. 21: 22. פקד præficere notat, & etiam præfectos præscrutari, & rationem exigere actionum.

II. *Consolatio* directa, non ad pastores perdentes, sed ad oves perditas, his pollicetur I. restitutionem vers. 3, 4. II. Instrumentum restitutionis potillimum & efficacissimum vers. 5, 6, 8. III. gaudium inde redundaturum. v. 7, 8.

Vers. 3. *Deinde ego congregabo residuum ovium mearum ex omnibus regionibus quò dispuleram eas: & re-*

& reducam eas ad cauſam ſuam, ubi fœtificabunt & augeſcent.

Verſ. 4. *Conſtituamque ſuper eas paſtores, qui paſcent eas: ita ut non timeant amplius, neque conſternentur, neque deſiderentur, dictum Jehovæ.*

2. *Reſtitutio* promiſſa complectitur.

(1) *Collectionem* diſperſorum verſ. 3. *Ego autem colligam reſiduum gregis mei ex omnibus terris quo eos diſperſi, & reverti faciam eos ad habitacula ſua. Autor* collectionis Deus eſt; pronomen & verbum primæ perſonæ emphatice conjunguntur. Nemo enim novit, niſi ipſe qui ſunt ſui 2 Tim. 2: 19. nemo poteſt ab errore reducere ipſe largitur reſipiſcentiam ad ſalutem Act. 11: 18. Ipſe trahit ut veniant ad Chriſtum Joh. 6: 44. tanquam paſtorem 1 Pet. 2: 25. qui colligit Joh. 11: 5. cap. 10: 16. Colligitque quos diſperſerant, perdiderant, paſtores; quamvis hos errando ſecuti fuerant, tamen calamitas movet ad miſericordiam, Pſ. 12: 6. Deut. 32: 36. Pſ. 102: 15. &c. Imo quos ipſemet diſperſerat juſte, eoſdem gratioſe colligit. Jer. 31: 10, 11. cap. 3: 12. Hoſ. 6: 1, 2. Neque collectum eſſe dat licentiam peccandi & impunitatem; collectos diſpergit, ne diſperſum eſſe deſperationem reſtitutionis affert, d. perſos colligit: ut collectis metuendum ſit, diſperſis non deſperandum. *Collectio* illa non eſt omnium, ne quidem eorum qui diſperſi fuerunt ex collectis, ſed *reſiduum* duntaxat. Eſa. 4: 3. cap. 6: 13. cap. 10: 22. cap. 17: 5, 6. Sic Jer. 3: 14. Ioel. 2: 32. Rom. 11: 5, 7. tantum abeſt ut univerſalis gratia aſſerenda ſit. Enimvero reſiduo univerſo promittitur collectio, per deſignationem utriuſque termini, a quo, *ex omnibus terris, quo depuli eos*; ad quem, *ad caulas ſuas*: quomodo ſignificatur reſtitutio univerſi Iſraelis, tum decem tribuum, quam Judæ Ier. 3: 18. Ezech. 37. Hoſ. 1: 10. &c. quod cum nondum factum ſit, apparet complecti omnem reſtitutionem Iſraeli promiſſam, cujus exiguum initium poſt Bab. captivitatem, utpote paucarum tribuum, nec totarum, multis in Babylone manentibus, ſed plenum complementum ſequetur juxta verſ. 6. &c.

2. *Multiplicationem* collectorum verſ. 3. *& creſcent & multiplicabuntur.* Hoc beneficii conceſſum reſtitutis ex Babel Jer. 3: 16. cap. 30: 19. & fiet adhuc plenius poſt ultimam reſtitutionem Jer. 31: verſ. 27. &c. cap. 32: 37. cap. 33: 7. &c.

3. *Curam* paſtoralem, verſ. 4. *Et excitabo ipſis paſtores & paſcent eos.* Hoc promiſſum Ier. 3: 15. intelliguntur autem Chriſtus & Apoſtoli ejus, qui primum paſtorum inſtar verſati ſunt inter Iſraelitas, congregaturi oves perditas Matt. 10: 6. cap. 15: 24. Chriſtus ſe paſtorem dicit Ioh. 10. ubi omnia manſueta & humilia, ſed poſt tanquam regem repræſentat, qui ſceptro inſtructus, ad domandos potenter hoſtes, & ſuum gregem defendendum. De paſtorali illa cura Meſſiæ plura leguntur Ezech. 34. & Mich 5: 3, 4. ubi paſtores alii, Apoſtoli nempe conjunguntur, qui ſunt paſtores ſub ſummo paſtore 1 Pet. 5: 1. &c.

4. *Felicitatem*, verſ. 4. *neque timebunt ultra, neque conſternabuntur, neque deſiderabuntur, dictum Domini* Abrab. hinc docet, non quadrare tempori ſecundi templi, quod ibi fuerit 1. timor, ob dominatum Perſarum, Græcorum, Romanorum. 2. conſternatio, ob defectum arcæ; Cherubinorum, prophetiæ, Urim & ignis cœleſtis, (ubi ſecundum & tertium alia ſunt ab iis quæ ad Hagg. 1: 8. obſervantur ab Hebræis, qui recenſent eorum loco שכינה ורוח הקדש) 3. defectus X tribuum quæ non redierunt: quæ omnia tandem reſtituenda promitti docet. Verum minus commode, nam Ier. 3: 16. Arcam nunquam reſtituendam dicitur. Quid ergo ſi timor reſpiciat externos hoſtes & tyrannos, unde liberandi ſint, quando ex eorum terris educentur, vel potius, internum ob Moſis accuſationem de fœdifragio. Ioh. 5. Manente obligatione prima, Ier. 31: 31, 32. & ira Dei Jer. 30: 23. &c. conſternatio, inutilitatem ſacrificiorum pro peccato, nunquam tranquillantium conſcientiam Heb. 10: 1. defectus autem tribus reliquas Iſraelis, quæ tandem pariter reſtituendæ. Jer. 31: 1. &c.

Verſ. 5. *Ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ, quibus excitabo Davidi germen juſtum: qui regnabit rex, ſecundabiturque, ac exercebit jus & juſtitiam in terra.*

Verſ. 6. *Diebus ejus ſervabitur Jehuda, & Iiſrael habitabit ſecurè: atque hoc nomen ejus eſt quo vocabit eum* Iiſrael, *o Iehova juſtitia noſtra.*

2. *Inſtrumentum* porro potiſſimum & efficaciſſimum eſt Meſſias, de quo recitat. (1) *Tempus* verſ. 5. *Ecce dies venient, dictum Domini.* Proinde futurum adhuc erat; & dicitur alibi אחרית הימים Gen. 49: 1. Eſa. 2: 1. Hoſ. 3: 4. Dicitur hoc ad ſolatium Eccleſiæ, nullos paſtores ſolidam felicitatem afferre præter Chriſtum. Habuerant bonos Moſen & Aaronem Pſ. 77. verſ. ult. ſic Davidem, Salomonem: Sed excitantur ſpe Meſſiæ, in quo ſolo tranquillitas eſt: ipſe ſummus Paſtor, reliqui ſubordinati, ipſe ſponſus, alii amici ſponſi; Præterea Dei ſolatia efficacia etiam de futuris bonis. Humana ſolatia poſcunt præſentiam ejus quo ſolari debent. Sed divina æque futuris, ob veritatem dicentis, quam potentia fulcit Rom. 4: 20. &c. Et ὑπόστασις & ἔλεγχος. Heb. 11: 3. Mundus præſentibus quæ dat decipit; præbet lutum, ſpinas pro auro Hab. 2: 6. 1 Tim. 6: 9. nuditatem pro divinitate Gen. 3. Deus abſentibus futuriſque beat, dans ſpem, fidem, guſtum ſalutis. Rom. 8: 24. 2 Cor. 4: 18.

(2) *Modum*, quomodo Meſſias venturus ſit, de quo hic agi fatentur nobiſcum Judæi, videl. *excitatus a Deo.* Eſſi foret filius & ſemen Davidis, tamen ejus excitatio Deo adſcribitur. Pſ. 132: 17. Luc. 1: 69. Eſt enim filius promiſſionis, quæ uti ex mero Dei beneplacito facta eſt, ita complementum ejus non naturæ viribus, ſed gratiæ efficaciæ adſcribendum eſt. Rom. 4: 21. maxime cum adverſaretur naturæ viribus mulierem ſolam concipere & parere Gen. 3: 13. Eſa. 7: 14. Præterea quando excitatus ea fuit conditio domus Davidicæ, ut omnia viderentur deſperata Eſa. 11: 1. cap. 53: 2. &c. Neque uſpiam Chriſtus eſt per fidem, niſi excitatus à Deo, qui per verbum & Spiritum eum eſſe & habitare facit in cordibus. Jac. 1: 18. Joh. 14: 23. Gal. 2: 20. Eph. 3: 15. cap. 2: 8. 2 Cor. 4: 21.

(3) *Qualitatem*; ubi deſcribitur I. origo. *David*, ex cujus ſemine ortus eſt ſecundum carnem Rom. 1: 3. Act. 2: 30. & Sam. 7. Adeoque verus homo, filius hominis, quod quidem non inficiantur Judæi, & in Jeſu Nazareno agnoſcunt, qui homo 1 Tim. 2: 5. filius hominis *Joh. 3: 13.* Nec non de genere & domo Davidis, quod eidem ſæpiſſime tributum, ut diceretur filius Davidis, neque unquam hac propter lis ipſi mota, ne quidem cum contra ipſum conquirerentur accuſationum argumenta; non omiſſuris Phariſæis, ſiquidem ulla ſpecie genus ipſi controverſum facere potuiſſent; ſed tabulæ genealogicæ non amplius in ſolorum Judæorum ſed in Romanorum quoque erant poteſtate, ut falſariam manum admovere non poſſent, quin ſtatim convincerentur. II. modus originis, *Germen*; quia *ortus ejus fuit, qualis germinis ex terrâ*, ait Kimhi, *quando ſucciſo trunco ſurculus enaſcitur*: hoc eſt, cum Davidis domus foret contemta admodum, in pauperum conditionem redacta; poſquam domus Salomonis in Jechonia & Zedekia axiomate regio privata fuiſſet Jer 22: 24, 30. Ezech. 21: 27. & Nathane oriundus Zorobabel dominio quidem aliquo potitus, ſed poſt per Aſmonæa Sacerdotes, & Herodem prorſus ab omni parte & ſpecie regiminis excluſum ejus genus poſterum. Eſa. 7: 14, 15. educatio paupertina. Eſa. 11: 1. ex Iſai, quia ille non habuit ullam dignitatem, & quoties David dictus filius Iſai, ad contemtum pertinuit. Eſa. 53: 2. Hinc vocatur Germen Eſa. 4: 2. Zach. 3: 8. cap. 6: 12. Neque aliud forſan ſignificat vox ἀνατολὴ Luc. 1: 78. nam & hoc loco, & in utroque Zachariæ dicto ſcribitur à Græcis. quod verò Zacharias apud Lucam addiderit ἐξ ὕψους, id factum ut originem divinam indicaret.

III. *Qualitas, germen juſtum*, & Jer. 33: 14. germen juſtitiæ ſive quia genuinum germen Davidis regis, vere natus eo genere, & verè potiturus ejus regnot: ſive potius, quia integer vitæ ſceleriſque purus; non uti alii de iſta ſtirpe reges impii, injuſti, peccatores, qualis nuperrime Jojakim: ſed qui innocens, ſanctus, juſtuſque: quem perfectiſſimum prædixit Eſaias Eſa. 7: 15. qualem Jeſum Nazarenum fuiſſe

ſe probatum fuit, Joh. 8: 29, 46. & alii agnoverunt, etiam cum capitis reus perageretur, Pilatus, Herodes, alii; verè qualis deſcribitur Heb. 7: 26. & Eſa. 11: 3. &c.

(4) *Finem & fructum adventus*, ſeu munus regium, cujus I. Titulus, *rex* qui familiaris in Scriptura, & Targum מלכא משיחא ex Pſ. 2: 2, 6. Pſ. 72: 1. II. Reſtituli, *regnabit*, ut jus regni habeat, (quod ſibi deberi teſtatur Joh. 18: 37.) III. Succeſſus, והשכיל, vel reſpectu originis, prudentia regendi, ad quam ſpiritu inſtructus Eſa. 11: 2. cap. 52: 13. vel reſpectu eventus, felicitas. 1 Sam. 18: 5, 14, 15, 30. (quomodo oportune accipitur Jer. 3: 15. & cap. 9: 24.) IV. Adminiſtratio, *facit* משפט *judicium*, ἀναβοήσεται, in defenſione piorum, pœna impiorum, juris juſtitiæque exercitio, ut unicuique quod ſuum eſt tribuatur, & compenſatio tandem fiat ſecundum cujuſque opera. Pſ. 2: 9. &c. Pſal. 72. Eſa. 11: 3. &c. *& faciet* צדקה ἐλεημοσύνας, beneficentiam erga miſeros (cum חסד erga quoſvis indebitum dicat beneficium, ſive miſeri fuerint, ſive non.) eleemoſynam, Deut. 24: 13. Matt. 6: 1. præſtationem promiſſionum Pſ. 103: 17. & 24: 5. & 36: 7, 11. V. Subjectum, *in terrâ*, quæ hîc non ſigillatim Cananæa, cum Iſraelitæ nondum ſint ſubditi, de quibus adſciſcendis demum verſ. 6. agitur: ſed univerſaliter tota terra, quæ ejus imperio ſubjecta Pſ. 2: 8. & 47: 8. &c. & 72. Num. 24: 17. &c.

Hæc omnia quadrant Jeſu Nazareno. Rex eſt Joh. 18: 37. & regnum habet ampliſſimum, conſtitutus Dominus & princeps Act. 2. cap. 5: 30. Illud regnum habet & adminiſtrat prudenter feliciterque, inter gentes mundi, Luc. 19: 12. quo emiſit miniſtros ſuos Apoſtolos cum ſceptro potentiæ, Evangelio, addita ſpiritus ſui & potentiæ efficacià. ad convertendos homines eoſque in regnum ſuum transferendos Pſ. 110; 2. Matt. 28: 19, 20. Rom. 1: 16. Col. 1: 13. Act. 26: 17, 18. Adminiſtrat autem cum judicio 2 Theſ. 2. tum benignitate miſericorde. 2 Cor. 1: 20. 2 Pet. 1: 3, 4 Etenim duobus iſtis cum omnia regna conſiſtant, tum inprimis regnum Chriſti: regnum gratiæ quoad electos, & judicii quoad impios & infideles. Eſa. 11. verſ. 3. &c. & verſ. 10.

(5.) *Specialis adminiſtratio* circa Iſraelem. verſ. 6. cujus.

2. *Tempus*, erit *In ipſius diebus.* Siquidem ſtatim, ſub initium regni ejus, etiam Iſraelitæ fuiſſent acceſſuri, non opus fuiſſet hac circumſtantia; ſed quia hi repudiaturi erant ſignificatur plures dies regni Meſſiæ abituros, ut Iſraelitæ nihil ex eo commodi ſentiant; attamen antequam omnes finiantur, ad ipſos quoque perventurum illud regnum, ejuſque beneficia. Hoc dicitur Eſa. 11: 10, 11. ſeqq. & explicatur Luc. 19: 12. nec non parabola filiorum Luc. 15: 11. Matt. 21: 28. &v. Rom. 11. cap.

b. *Beneficium*, (α) quod ad ſubjecta, *Juda & Iſrael*, quomodo comprehenditur tota poſteritas Jacobi, quæ a morte Salamonis in duo regna & familias, fuerat diviſa, ſed rurſum conjungenda ſub unius Meſſiæ regimine, Eſa. 11: 11. &c. Jer. 3: 18. Hoſ. 1: 11. Ezek. 37. quod dicitur de omnibus familiis Iſraelis Jer. 31: verſ. 1, 31. &c. cap. 32: 33. cap. 50: 4, 5, 17—20. cap. 51. 5. Et hoc promiſſum Jeſu Luc. 1: 33. &c. (β) & quod ad bonum, *ſalus & ſecuritas*, non diviſim, ut illa Judæ, hæc Iſraeli promittatur, ſed ſub priori beneficio, quod cauſam habet, continetur poſterius, quod effectus prioris; & viciſſim ſub poſteriori prius. Jer. 33: 16. pro Iſraele legitur Jeruſalem, quia iſtic ſigillatim agebat de Judæ reſtitutione & metropolis ejus. Vindiciæ ab hoſtibus, & ab ira Dei Jer. 31: 11. & tranquilla liberationis acquiſitæ poſſeſſio. ibid. verſ. 12. &c. cujuſmodi felicitas ſub regno Meſſiæ promiſſa Pſ. 72. Eſa. 11. cap. 42. cap. 40: 10. &c. cap. 45: 17. Zach. 3: 8. &c. cap. 9: 9. &c. Et præſtitit ac præſtiturus eſt Jeſus Nazarenus Judaicæ genti Matt. 1: 21. Luc. 1: 71. &c. cap. 2: 31, 32. Joh. 11: 51, 53. Rom. 11: 26, 27.

c. *Teſtimonium* admiſſi beneficii, *& hoc eſt nomen quo vocabit eum Jehova juſtitia noſtra.* Heic verò adverſantur Judæi circa expoſitionem. יקראו *vocabit eum*, anomale, mutato puncto terminali in Scheva, ſic ellipſis eſt vocantis, alii legunt יקראו atque Juda & Iſrael ſunt vocantes; Verum codd. emendati habent affixum, adeoque ellipſin. Chald. & *hoc nomen ejus, quo ipſum vocabunt*, ודיהון קרן ליה. Kimhi, *Iſrael vocabit Meſſiam iſto nomine.* Abrab. fatetur ſic expo-

ni à plu ibus, attamen improbat, producitque alios qui reddant, *Hoc eſt nomen ejus, quo vocabit eum Jehova, juſtitia noſtra.* Sed neque his accedit, arbitratus nomen Meſſiæ indicari verſ. 5. צמח צדיק (quemadmodum Zach. 6: 12.) de quo dicat propheta, & *hoc eſt nomen* (vid. צמח צדיק, non autem vel צדקנו ה vel צדקנו ſolum) *quo eum vocabit Jehova qui eſt juſtitia noſtra*: ut ultima illa verba ſint denotatio non vocati Meſſiæ ſed vocantis Dei. Ita quoque Eſa. 9: 5. nomina Meſſiæ tranſcribit Deo, & ultimum ſolum relinquit ipſimet, nempe שר שלום. Græci, *Et hoc eſt nomen ejus, ὁ κυριος ἀνὴρ κύριος Ἰωσεδὲκ*, ubi duo illa contraxerunt in unum, ſublata tamen nominis emphaſi, quæ non alia quam in יהוצדק patre Joſuæ Sacerdotis Hagg. 1. verſ. ult. & interſerunt vocantem Deum. Hebræus textus conjungit per accentus duo ultima vocabula, יהוה צדקנו: neque enim Peſik ſtabilit divulſionem, ut liquet ex Jer. 24: 8. cap. 25: 25, 26. cap. 21: 7. ſic Exod. 17: 15. in יהוה נסי & Deut. 6: 4. in יהוה אחד, & hac propter divulſio diſpecuit Abrabaneli, qui tamen nimis aliene nomen Meſſiæ facit *Germen juſtium*, quod non ſolum inepte adeo longe arceſſitur, verum etiam deſcriptionem habet perſonæ, non indicium nominis; neque enim ſic loquitur hoc loco uti quidem Zach. 6: 12. vel cap. 3: 8. ubi ſpeciem inveniret illa explicatio, ſed quemadmodum Pſ. 132: 17. unde tamen nemo Meſſiam קרן appellandum dixit unquam. Accedit ſi Deus foret vocans nomen, tum fuiſſet ſcribendum הוה שמו si ultima nomen Meſſiæ habeant, vel אשר אקראנו ה׳ צדקם si ipſius vocantis Dei detur nomen; neutiquam autem congrueret affixum נו primæ perſonæ. Ut iſtud nominis debeatur Meſſiæ.

Verum aliud ſurgit incommodum ex collatione Jer. 33: 16. ubi legitur, הוה אשר יקר אלהי ה׳ צדקנו quæ loca exactè convenire volunt nonnulli, & poſteriorem priori interpretando ſervire. Abrab. ait *vel indicari nomen ipſius Hieroſolymæ, ut Ezek. 48. ult. quia juſtitia in ea pronoſtabit, eo nomine vocandam.* (Sed ſic æque cap. 23. nomen Meſſiæ erunt ultima verba, uti hic Hieroſolymæ, quod tamen negavit) *vel*, quod præfert; *quia dixit germinare faciam Davidi* צמח צדקה, *genere fœm. Hieroſolymam deſignatam, germen* צדקה id eſt *Hieroſolymæ, quæ juſtitia, atque hinc dicit, hoc eſt* (ſcl. nomen ejus, צדקה) *quo eam vocabit Jehova juſtitia noſtra*; Hic enim juſtitiæ appellationem ſeu cognomen Hieroſolymæ tribuet. Sed hic omnia contorta, cap. 23. צמח צדיק erat nomen Meſſiæ, aſt cap. 33. צמח non nomen, ſed deſcriptio Meſſiæ eſt, ſolum צדקה nomen non Meſſiæ ſed Hieroſolymæ, de quæ nulla hactenus facta fuerat mentio: & ſi ad Meſſiam non referatur, æque ad Judam, quam ad Hieroſolymam referri poterit. Verum abſtractum & concretum ſynonymos uſurpantur, & utrobique cum צמח conjunguntur. Aliter Crellius de Deo cap. 11. iſte ex הוה colligit Hieroſolymam deſignari, & cap. 23. Iſraelem ex ו aff. utriſque idem nomen dari, ſed cap. 33. & שמו deeſſe, exaltero loco ſupplendum. Sed generis differentia quidem manifeſta, verum inde non ſequitur ad diverſa ſubjecta idem nomen referri; defectu vocis שמו cap. 33. non elliptico, ſed neceſſario, ob mutatam plane orationem. Targ. id nomen tribui putat Meſſiæ cap. 23. Hieroſolymæ cap. 33. *fient nobis juſtitiæ, à coram Domino in diebus ejus, iſtic; in medio ejus, hîc.* R. Sal. cap. 23. *Dominus juſtificabit nos in diebus ejus.* Kimhi cap. 23. *Iſrael vocabit Meſſiam hoc nomine quia in diebus ejus erit nobis juſtitia Domini ſtabilitate perpetuâ.* & cap. 33. *S. B. ille vocat Hieroſolymam.* ה׳ צדקנו *quaſi dicat habitatores ejus dicturos, Jehova eſt juſtitia noſtra ſupra autem de rege Meſſiâ dixit, hoc ei nomen fore, & utriuſque loci eadem eſt ſententia.* Calvinus idem nomen Chriſto & Hieroſolymæ, capiti & corpori Eccleſiæ tribui affirmat, uti quidem τὸ Chriſtus accipitur 1 Cor. 12: 12. Sed (præterquam quod hîc quoque locus proprie accipi queat, ita quoque Chriſtus, nempe unum corpus habet, cujus ipſe caput eſt, fideles reliqui nembra; nuſpiam alia nomina Meſſiæ communicantur; Eccleſiæ, (nam Chriſtus unctionem notat, quæ ad fideles derivatur, Pſ. 45: 7.) non nomen Jeſus, nedum Jehova, quod prorſus in communicabile aliis. Proinde cap. 33. reddendum citra ellipſin ullam, & *iſte qui vocabit tam* (Hieroſolymam, de quâ modo dixerat, habitaturam ſecurè) eſt Jehova juſtitia noſtra.

Sunt proinde ultima ista verba cap. 23:6. confessionis formula, quâ converti Israelitæ utentur. *Hoc est nomen quo vocabit eum, Israel & Iuda, Iehova justitia nostra*; Quomodo duo de ipso testabuntur, quæ olim maximo fuere scandalo ipsis, quorum unum personam ejus attinet, alterum munus.

a. Personam; illa est *Iehova*. Est istud nomen Dei incommunicabile; Judæis fatentibus, unde Abrab. negat Altaribus tributum aut Hierosolymæ Exod. 17:v. 15. Jud. 6. vers. 24. Ezek. 48: vers. ult. Sed tantum Deo, cujus cultui altaria sacrata, & urbs dicata sit, quamquam metonymice signo demonstratæ istic loci gratiæ signati nomen memoriæ ergò tribui, poscat verbum קרא. Verum in illis locis sermo est de rebus inanimis, hic de intelligente; nuspiam autem intelligenti creaturæ communicatum legitur istud nomen; quod tamen Messiæ datum, creatura majorem eum facit. Sic de Messia sumitur in Targ. Esa. 4. v. 2. *Illo die erit Messias Domini in gaudium & decus*, Kimhi, צמח ד׳ *est Messias filius Davidis*, Ela. 28: 5. pro צמח ד׳ prioris loci, dicitur צבאות ה׳ & Targ. *in illo tempore erit Messias Domini Zebaoth in diadema gaudii & coronam laudis residuo populi sui.* Hos. 1: 7. Targ. *liberabo eos per verbum Domini Dei (Deum) ipsorum* במימרא דיי אלההון. Esa. 9: vers. 5. Targ. *Dixit Propheta domui Davidis, Nam puer natus est nobis, filius datus est nobis, & recepit legem in se ut custodiat, & vocatur nomen ejus ab antiquo Mirabilis consilio, Deus fortis, stabilis seculorum, Messias cujus pax super nos multiplicabitur in diebus ejus.* R. Jos. Albo in lib. Ikkarim. *Vocat Scriptura nomen Messiæ* ה׳ צדקנו, *quia est* אמצעי אל *per cujus manum consequimur justitiam à Deo ipso, & idcirco vocat eum nomine* יהוה׳ & Judæi Jes. Nazarenum Deum agnoscere noluerunt, & hoc nomine sæpe blasphemiæ accusarunt Ioh. 5: 10-19. & abnegarunt; sed ubi salvati fuerint ipsum eo nomine confitebuntur.

b. Munus est, *Justitia nostra*: non *justum* dicunt, ut v. 5. innocentiam, immunitatem à reatu proprio illi adscribentes: sed *justitiam* eamque *nostram*, צדקנו. Vox צדק notat ἀκριβοδίκαιον, summi juris exercitium. צדקה ἐπιείκειαν, gratiam indebitam misero factam. Posset Messias dici צדקנו quia in ipso omnibus benedictionibus benedictum nobis est Eph. 1: 3. *omnes promissiones in ipso sunt Etiam & Amen*, 2 Cor. 1: 10-20. & in ipso nobis donatæ 2 Pet. 1: 3, 4. Sed dicitur צדקנו qui ἀκριβοδίκαιον pro nobis sustinuit, & quæ pro reatu inobedientiæ Deo debebatur satisfactio pœnalis, præstitit. Judæi quidem hanc vicariam justitiam noluerunt agnoscere, & sic ab ipsis repudiatus Iesus Nazarenus Rom. 10. 3. quæ tamen ipsi adscribitur Esa. 53: 3. &c. maxime vers. 10, 11, 12. 2 Cor. 5: 21. 1 Cor. 1: 30. Et ad eam invitantur Esa. 45: 22. &c. ubi in se esse ait צדקות qui illam ipsam צדק quam habet, nobis eam facit צדקות utpote eam gratiose donans, ut & ipsi justi fiant & habeant quod glorientur. Enimvero & istud tandem confitebuntur Israelitæ; quomodo vere se Christianos esse probabunt, redemtionis ejus participes & securitatis, juxta illud Jer. 31: 11. λύτρωσις ad salutem, & גאולה ad vindicationem à potestate Satanæ, quomodo securitas nascitur Joh. 16: 33.

Vers. 7. *Idcircò ecce dies venturi sunt dictum Iehovæ, quibus non dicetur amplius, vivit Iehova, qui evexit Iisraelitas è terra Ægypti:*

Vers. 8. *Sed vivit Iehova, qui evexit & qui deduxit semen domus Iisraelis è terra Aquilonis & ex omnibus regionibus quo depuleram eos, quum residebunt in terra sua.*

3. *Gaudium* inde redundaturum vers. 7, 8. testatum jugi professione beneficii accepti, ceu maximi, & quod longe exsuperaret illud quod hactenus maximum habuerat & celebrarat populus Israel. Eadem promissio legitur cap. 16: v. 14, 15. & istic explicata fuit. Nunc tantum quatenus à priori formula alicubi discrepat. Nexus quidem hic est *Propterea*, quia talis salus per Messiam dabitur Israeli, eum agnituro quoad personam & munus, Jehova justitiam suam, debet utique tempus certum ejus beneficii complemento assignari; Deus enim omnia facit pulchra in tempore suo, Eccl. 3: 10. *Ecce dies venient, dictum Domini.* Beneficium prius & minus est, *non dicent amplius* (qui videlicet Messiam sic professi sunt. cap. 16. *non dicetur amplius* indefinite) *vivit Dominus qui eduxit*, &c. Non quod oblivio illius liberationis sit introducenda; sed quia non tam hoc dicent, quam illud; minus frequens erit mentio prioris, ob jugem recitationem majoris & posterioris. Hoc est, *sed vivit Dominus qui adscendere fecit*, (hîc addit *& qui venire fecit, adduxit*) *semen* (hoc in altero loco omittitur) *filiorum Israelis, ex terra Aquilonis, & ex omnibus terris, quò depuli eos, & habitabunt super terram suam.* Cap. 16. *quo depulit eos & reverti faciam eos super terram suam quam dedi patribus ipsorum. Seminis* vox docet seræ posteritati istud beneficium servari, & tunc certissime à Deo præstitum iri; ut fruitionem terræ suæ denuo habeant, habitando eam.

CONCIO XIV.

QUemadmodum cap. 22. & 23. initio Magistratuum summorum censuram peregit, ita nunc Ecclesiasticos aggreditur, quibuscum non minus difficilem sustinuit provinciam, dum reos peragit, & judicium denunciat. Concionis partes sunt I. generalis vers. 9-12. II. Specialis contra doctores ordinarios. vers. 13-22. & extraordinarios vers. 23. seq.

Vers. 9. Quod *ad Prophetas ipsos, frangitur cor meum in me, eliduntur omnia ossa mea, sum ut vir, ebrius, & similis viro quem superat vinum: propter Jehovam, & propter verba sanctitatis ejus.*

GENERALIS habet,

I. EXORDIUM vers. 9. ductum à consternatione Jeremiæ ob argumenti gravitatem ubi.

I. *Objectum* לנביאים. Posset hic esse titulus totius concionis, *Contra Prophetas, vel de Prophetis*: ל pro על sumto. Sed etiam commodè cohæret seqq. *Propter* על *Prophetas confractum est*, &c. vel indicando materiam, *Quod Prophetas attinet.* Sic sumitur ל Psal. 17: 4. quo sensu etiam venit in medio versus Esa. 32: 1. iteinque cap. 7: 15. לרעתו. Prophetæ porro ex prima significatione נביא, non alius est quam qui doctrinam de Deo ejusque cultu hominibus tradit, & quomodo ad Deum sit accedendum; quod si vere dicat, verus est; alias falsus. Primus sic vocatur Abraham Gen. 20: 7. cujus munus etiam precari pro aliis, & cum eo Isaac & Jacob. Ps. 105: 15. ubi etiam uncti appellantur, hoc est divinitus autorati, ad docendum, non externa unctione, sed alia quacunque significatione, sive jubente extraordinarie Deo, ut Gen. 18: 19. & Moses ita constitutus, Exod. 3: 4. & Jeremias cap. 1. aut aliquo externo signo, quemadmodum Elisæus 1 Reg. 19: v. 17-19. unctionem ejus sibi imperatam peregit Elias injectione pallii; quæ significabat simul collationem donorum, unde phrasis *Spiritus Domini* לבשה *amicivit, induit* 2 Chron. 24: 20. quæ etiam de aliorum donorum collatione usurpatur 1 Chron. 12: v. 18. Iud. 6: 34. Hinc cum Elisæus duplicem mensuram Spiritus petiisset, eamque promisisset Elias, si se vidisset discedentem; hoc facienti dejecit pallium, 2 Reg. 2: 12. &c. Non tamen Abraham primus Propheta fuit, sed alii antecesserunt: Noach fuit κήρυξ δικαιοσύνης 2 Pet. 2: 5. quod idem cum mandatum dare de custodia viæ Domini &c. & Enoch ἀποφήτευσε Jud. v. 14. Qui ad hoc munus ordinariis mediis formabantur, dicuntur בני נביאים quales instituit Samuel 1 Sam. 19: 20. & in urbibus nonnullis quæ Gymnasia habuisse videntur, plures vixerunt 2 Reg. 2. Inter Israelitas ex omnibus tribubus erant Prophetæ, qui doctrinam sacram traderent, quamvis Sacerdotum & Levitarum munus idem foret Deut. 33: 9, 10. utpote cum inutiles essent omnes ceremoniæ & ritus, maxime typici, nisi accederet interpretatio, & institutio. Hinc Mal. 2: 6, 7. Sed quod Sacerdotes & Levitæ id negligerent, vel ob sua in templo stata ministeria per ἐφημερίαν, non constanter illi muneri vacare possent, alii eam provinciam occuparunt, præcones in Ecclesia seu Synagogis, qui appli-

applicarent verbum ad uſum & conditionem auditorum, obſervarent fracturas, ſanarent, denunciarent mortem aut vitam, pacem aut dolorem, Jer. 6. cap. 8. Ezek. 13. Aſt quiiſolum explicabant legem, dicti תופשי התורה Jer. 2:8. item סופרים cap. 8:8. ſacri videntur, qui γραμματεῖς in N. T. non ἀπὸ τῆς γραφῆς, ſed quia περὶ γραφῆς ἁγίας & τὰ ἱερὰ γράμματα tractabant, המספרים את ספרי הקדש vel ex iis narrationes inſtituentes. Cæterum quidam horum immediate à Deo excitabantur; vel ad ſolius doctrinæ & morum reformationem, vel inſuper ad futurorum prædictionem, & his proprie competit nomen προφητῶν, prædictorum, prænunciorum: incommode autem omnibus doctoribus commune fit: cujus tamen abuſus origo debetur Græcis, qui τὸ נביא eâ voce expreſſerunt. De hominibus ergo hujus ordinis loqitur hic Jeremias.

II. Indicat ſuam perturbationem & conſternationem; ſimilibus (α) *fracti cordis*; qui ſummus dolor, omni conſolatione propemodum ſuperior. Prov. 15:13. cap. 17:22. cap. 18:14. (β) *commotorum oſſium*, רחמו quemadmodum pavida avis incubat ovis aut pullis, aut ſe commovet, ut foveat Gen. 1:3. Deut. 32:11. Conf. Dan. 5:6. & Pſ. 51:10. (γ) *ebrii*, à vino victi, qui ſui compos non eſt, ut nec caput, nec pedes officium faciant. Perturbatus adeo, ut nec quid dicat, nec quid faciat, norit. Conf. Eſa. 28:7. & ſimilem metaph. Eſa. 15:21. Pſ. 107. 27. & 78.

III. Recitat *cauſam*, erat enim *propter Dominum*, quia non attendebant Dominum, cujus legatos ſe profitebantur ignorantes ejus Jer. 2:8. & *propter verba ſanctitatis ejus. Verbum* in Scriptura revelatum, quod מקדש יה appellatur Pſ. 73. docens ſegregationem à Deo revelatam, quâ definitur via Domini, & per quod homines ſegregantur ut Deo fiant ſanctitas: quæ verba negligebant, & pervertebant, ut non amplius Dei poſſent cenſeri Jer. 8:8, 9. Mal. 2:8. Vel ut ad Jeremiam referatur *propter Dominum iratum*, & *propter verbum ſanctitatis ejus*, quod ſe ſanctificare velit puniendo, tantopere conſternatus ſum. Exemplo autem ſuo docet, vix ullam eſſe piis graviorem cauſam perturbationis, quam ſi Eccleſiæ Doctores officium non faciant. Ita Moſes quando Aaron vitulum conflavit populo Exod. 32:21. &c. & Elias 1 Reg. 18. Chriſtus Pſ. 69:10. Joh. 2. & Luc. 19:45. Paulus Act. 17:16. cap. 20:v. 29. &c. Ita Reformatores olim. Ebrietas illa quam ſibi tribuit, non eſt propria, qualis Eſa. 28:7. &c. ſed ab indignatione, & ira Dei, Jer. 6:9, 10, 11.

Verſ. 10. *Nam adulteris plena eſt hæc terra, nam propter exſecrationem luget hæc terra, areſcunt caulæ deſerti: eſtque concuſſio iſtorum peſſima, & potentia iſtorum iniquiſſima:*

Verſ. 11. *Quia tam Propheta quàm Sacerdos contaminant* eam: *etiam domi meæ invenio malitiam eorum, dictum Jehovæ.*

II. PROPOSITIONEM, ſeu *Accuſationem* v. 10:11. quâ refert.

I. *Crimen populi*: verſ. 10. ratione, I. *Peccatorum*, Adulteria, & perjuria, ſeu maledicta, calumniæ, imprecationes Jer. 7:9. cap 9:2. *illis* omnis generis voluptates malæ, impuritas: libido, ſcortationes, & eò provocantia, luxus gulæ, ſuperbia veſtium, &c. Jer. 5:7, 8. *iſtis*, omnis fraus & dolus; quicquid injuriarum eſt in proximum, verbis exercitarum Jer. 9:3. &c. Pſal. 10:7. & 50:19. &c. Hoſ. 4:2. Quæ illuſtrantur *à peccantium numero*, implente terram, & *evidentia judiciorum*, luctu terræ, & habitationum deſerti; urbes & agri, loca culta & frequentata, item ſolitaria & inculta, lugent, eam induerunt faciem, ob vaſtitatem variam, ut intuentes commoveant ad luctum & dolorem. 2. *Pertinacia*, Jer. 8:5. &c. quod ipſorum curſus, magnum animi corporiſque ſtudium, ut non ire ſed currere ſint dicendi, neutiquam tardi, τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροί Rom. 12:11. verum id omne ad malum: & pariter robur ipſorum, prævalentia, in quo alter alterum ſuperare contendit, non ſit recta, firma, ſtabilis, vera & conſtans. Quidam hæc ad Prophetas referunt, qui in ſeqq. horum quoque criminum accuſantur. Sed rectius intelliguntur de populo, ſed cujus ſcelera ſiunt Prophetarum, qui non impediunt contradicendo, ſed potius juvant & promovent indulgendo & excuſando, quod eſt,

II. *Crimen Prophetarum* verſ. 11. ubi (1) *peccantes*, ſunt *Propheta & ſacerdos*, quia & hic Propheticum munus gerebat, Deut. 33:10. Mal. 2:7. ſed uterque ordo conſpirabat, concordes in his actionibus Jer. 5:30, 31. cap. 6:13, 14. cap. 8:10, 11. (2) *peccatum*, Hypocriſis. Abrab. exponit, quod fuerint ψευδοπροφῆται, qui mendacia docerent, & legem hypocritice, doloſe, non vere interpretarentur, quod ipſum illud Jer. 8:8, 9. Mal. 2:8. & Zeph. 3:4. Scil. quod in tanta peccatorum exundantia & violentia, & conſtantia, nihil dicerent acerbius, quaſi publica praxis vitio turpitudinem ademiſſet, quamvis Deus de cœlo iram contra teſtetur; ubi agendum ut Eſa. 58:1. cap. 59. Ezek. 16:20:23. Hinc querela Eſa. 56:10, 11. Exek. 13. & alibi, cœcitas vera, ignorantiæ, vel affectata indulgentiæ, ſit & mutitas.

III. *Aggravatio criminis*, à loco & teſte; *etiam in Domo meâ, inveni malitiam ipſorum dictum Domini.* Quis locus ſanctior templo, ubi Deus ſuam præſentiam ſigillatim evidenti ſigno teſtabatur? Iſtic exerceri malitiam, & exerceri à miniſtris Dei & domeſticis, & exerceri ſub ipſius Dei oculis, quid poterat magis facere ad aggravandum peccata? Perſonæ ſic accuſantur Jer. 29:23. & Jer. 7:10, 11. arguit plebem & alios profanati templi, ſed hic ipſosmet Sacerdotes: qui ubi maxime ſanctificandus Deus, & religioſiſſime verbum ejus tractandum fuerat, ibi contraria omnia agebant, ut filii Eli 1 Sam. 2. & illi Jer. 26. item Paſchur cap. 20. Et notanda vox *Inveni*; ut ſe bonum patrem familias oſtendat, qui inquirit in domeſticorum actiones, neque patitur quicquam ſe latere, quod non examinet. Confer Luc. 16:1. &c. Matt. 18:23. &c. cap. 24:45. &c. cap. 25:14. &c. 1 Cor. 3:4. Hinc domus Dei religione muneri vocandum manet 1 Tim. 3. verſ. 15. 1 Cor. 9. & muneris, 2 Tim. 4:1. &c.

Verſ. 12. *Idcirco erit via ſua ipſis quaſi lubriciſſima cum caligine, in qua impellantur & cadant, quum adduxero contra eos malum, annum viſitationis ipſorum, dictum Jehovæ.*

III. DENUNCIATIO *Pœnæ* eſt verſ. 12. tum metaphoricè, *Via eorum erit lubrica*, ubi firma pedum veſtigia figere non licet, ſed omnia in lapſum proclivia; & quidem in caligine, ubi nec videre viam illam, nec quæ ſuſtentent, tueri & apprehendere licet: atque hîc impellentur, & quod evitari tunc nequit, labentur in ſuâ viâ, tum proprie indicato impellente, ejuſque juſta ultione: *adducam enim contra (ſupra) illos malum; annum viſitationis*, rationis reddendæ ipſis. Similis lubricitas ad lapſum Pſal. 73. v. 18. & contra Pſeudoprophetas annus ultionis, 1 Reg. 13:22. Jer. 28:29. inprimis Matt. 24:47. &c. Eſt annus gratiæ, & viſitationis iratæ; tempus mercedis Apoc. 11:18. & huc pertinet 1 Cor. 4:3, 4.

Verſ. 13. *In Prophetis biuidem Schomronis videram inſulſitatem, prophetabant per Bahalem. & ſeducebant populum meum Iſraelem.*

Verſ. 14. *At in Prophetis Ieruſchalaimorum video rem horrendam, adulterando & ambulando in falſitate, quòd confirmant etiam manus maleficiorum, ut non reuertantur ullus à malitia ſua, ſunt mihi omnes iſti ut Sodoma; & habitatores iſtius* urbis *ut* habitatores *Gomorræ.*

SPECIALIS contra Ordinarios Doctores, nam neque Sacerdotes aliter hic conſiderantur quam Doctores. Heic I. *Convincit* peccati. verſ. 13-15. II. Dehortatur ab iis audiendis verſ. 16-22.

I. CONVICTIO ipſorumet inſtituitur comparative, à minori, quemadmodum Jer. 3:6. &c. Ezek. 16:23. Sic hîc cum Samaritanis doctoribus; atque hic præmittendum, de Ordinariis agi, quos vocat Prophetas Urbium, Samaria,

riæ, Hieroſolymæ. Illi vel gentium Chuttæarum, quas Salmanaſſar eò per Colonias deduxerat, deportato Iſraele X tribuum qui cultum patriorum Deorum, nec non Dei terræ docebant, vel potius, doctores ipſius Iſraelis, dum in patriâ degebant: qualis inde à tempore Achabi, quando Baalis cultus inſtitutus, præter vitulorum cultum. Hi ſunt Hieroſolymæ metropoleos, & totius regni Judæ. Urbium Prophetæ, & regnorum, in iſtis locis fungentes munere, & ab iſtis vocationem, & ſeparationem ſeu ſanctificationem habentes; ab hominibus nempe ordinariam, quemadmodum 1 Reg. 12: 31. cap. 13. 33. 2 Reg. 17: 32. 2 Chron. 11: 15. cap. 13: 9. atque hi non ſemper ſunt Prophetæ Dei. Amoſ. 7. Apoc. 2: 3. Epheſinus, Sardenſis, Laodicenus Angelus. Pontificii contra, qui Romæ Epiſcopus, eundem Dei eſſe docent, & hinc infallibilem. Prophetæ Hieroſ. poſſunt mutare domum Dei in ſpeluncam latronum Jer. 7. Matt. 21. Sed locus ipſos non mutat, ut qui ab hominibus in domum Dei immittitur, fiat etiam Dei Propheta. Qui de terrâ, nec aliam vocationis originem habent, ſunt locorum Prophetæ, qui vero de cœlo, ſunt Dei; & de cœlo, qui inde habent ſuam doctrinam, Bapt. Joh. Matt. 21: 25. Qui in plateis docent in nomine Chriſti, poſſunt illi eſſe ignoti Matt. 7: 22. &c. 2 Chron. 15: 3. ubi non eſt verus Deus, nec lex; ibi neque ſacerdos docens. Anatoth urbs Sacerdotalis, ſed ſolus Jeremias ibi Sacerdos Dei. Jer. 11. & 18. Verum ſpectanda comparationis convincentis membra.

I. *Minus mali* ſunt Prophetæ Samariæ, verſ. 13. τὸ ו initio verſus, collatum cum reſpondente ו initio ſeq. verſus, reddendum per μὲν quidem, & hoc per δὲ ſed. Deſcriptio eſt (1) *à Loco* functionis, *Prophetæ Samariæ*; quatenus hæc regni metropolis, quam dignitatem ab Omri rege accepit; & huic & religionis judicium ſuberat: ut comprehenderentur tum antiquioris cultus Prophetæ; vitulorum in Bethel & Dan; tum recentioris, Baalis Zidoniorum, in gratiam Jezebelis Zidoniæ 1 Reg. 12: 28. &c. Amoſ. 7. & 1 Reg. 16: 31. &c. cap. 18: 19. 450 Baalis, & 400 luci. (2) *à culpâ, dum dicit, in iis obſervavi* תִּפְלָה, *inepium, ſtultum, inconditum, inſulſum*; conf. Job. 6: 6. μωρὸς, Marc. 9: 50. Luc. 14: 34. Matt. 5: 13. & ſi non adhibatur à Doctoribus, quæ docent ſunt incondita, ſtolida. Lam. 2: verſ. 14. item Ezek. 13: 10, 11, 14, 15, 25, 28. Contra de Jobo, nihil tale D[illegible] tribuiſſe Job. 1: 22. quemadmodum etiam nihil tale facit cap. 24: 12. eoque τὸ תִּתְּפֵל 2 Sam. 22: 27. non hinc derivandum, ſed per Aramæiſmum à פָּלַל. Hujuſmodi inſulſitatem admittebant teſte & judice Deo, qui declarat *ex effectu*, quod *Prophetant in* (per) *Baal, nomine ejus, & errare, faciunt populum meum Iſrael.* Erant doctores idolorum, & aliis idololatriam perſuadebant. Stolidum erat Prophetare in Baal: idolo χρηματισμὸς. Jer. 10: 8-14. Hab. 2: 18. &c. Pſ. 115: 4. &c. quæ ſenſu & motu, & ſermone carent, quî poſſunt illa dictare aliis dicenda docendaque? Rom. 1: 21. &c. Exemplo 1 Reg. 18: 26. &c. Stolidum item ſeducere populum Dei Iſraelem. Qui habebant notitiam & experientiam veri Dei, illi fœdere obſtricti, inde abducere ad idola Jer. 2: 12. &c. Alios ſeduxiſſe parum erat, 1 Cor. 12: 1. &c. Gal. 4: 8. ſed populum Dei, id vero abſurdum, Pſ. 115: 3, 4. Jer. 10. Atenim ea efficacia erroris, ut homines inſaniant, quemadmodum Jezebel, convicta licet 1 Reg. 19. cap. Idem dicere licet de Prophetis Eccleſiæ Romanæ admittunt תִּפְלָה, docentes idololatriam, tum imaginum, tum hominum vivorum, illius Vici-Dei, Antichriſti; & mortuorum, à quibus bona & mala dari dictitant, tam futuri quam præſentis ſeculi: & ſeducentes, non gentiles, (qui conſtantiores in retinendis falſis diis patriis Jer. 2. verſ. 10. &c.) ſed Chriſtianos, qui veri Dei profeſſionem habent, & ei per Baptiſmum obſtrictos ſe norunt.

II. *Magis* tamen *mali* ſunt Prophetæ Hieroſolymitani, verſ. 14.

1. *Locus* unde denominantur, eſt *Hieroſolyma*, & univerſum regnum Judæ; ut comprehendantur, univerſi Sacerdotes & Levitæ, ordinarii doctores, quos Jeroboam exegit, quique eò ſe receperunt 2 Chron. 11: v. 12. &c. nec non alii qui ſolùm Prophetæ fuerunt in eo regno.

2. *Crimen* eſt, eodem teſte & judice verificatum, *Obſervavi ego* שַׁעֲרוּרָה *rem horrendam*, ut pili carnis præ ſtupore & abominatione ſurgant, conf. Jer. 18: 13. & inprimis cap. 5: 30, 31. & Pſ. 119: 120. Iſtic ſtoliditas, ridenda adhuc; hîc turpitudo deflenda. Declaratur (a) *ab actionibus* ipſorum, (a) *adulterando*, ſive proprie, ut Achab & Zedekia Jer. 7: 9. & 29: 23. ſive myſtice, falſis dîis ſe ſuamque fidem addicendo, Jer. 7. (b) mendacia exercendo; non dicit mentiendo, ſed *in falſitate ambulando*, ut hanc praxin habeant, hanc artem factitent, cap. 5: 31. cap. 6: 13. Mich. 2: verſ. 11. (c) *confirmando impios*, quos non taxarent, vel adeo leviter, ut omnis ſeria reſipiſcentia impediretur. Jer. 6: 13, 14. cap. 8: 10, 11. Ezek. 13. de quo crimine plura verſ. 17. Quidam duo priora aliorum faciunt peccata, tertium Prophetarum, non reprehendentium; ſed etiam illa his attribui, liquet ex dictis. (d) *A judicio Dei*: qui dicit, *Omnes ipſi mihi ſunt ut Sodom, & habitatores Hieroſolymæ, ut Gomorra.* Vix gravius quid dici poteſt, cum Sodoma & Gomorra in exemplum propoſitæ ſint uti graviſſimæ pœnæ Jud. verſ. 7. ſic ἀπαραμυθία impietatis. Ubi ſumma fuit in patrandis ſceleribus, in repudiandis cenſuris, in contemnendis Dei minis & judiciis conſpiratio & conſenſus. Sic Eſa. 1: 9, 10. ibi magiſtratibus & ſubditis, hic doctoribus & auditoribus tribuitur ſimilitudo, aſt Ezek. 23: 49. &c. æquiparantur peccata Hieroſolymæ.

Hinc confutatur Stoicorum error, qui peccata docuerunt eſſe æqualia, & tantundem peccare, qui pomum furatus eſſet, quam qui peculatum commiſiſſet, aut parentes necaſſet. Atqui Deus graduum conſtituit differentiam, apud Prophetas Samariæ תִּפְלָה, Hieroſolymæ שַׁעֲרוּרָה animadvertit. Sic minus rei Iſraelitæ quam Judæi Jer. 3: v. 11. Sodom & Samaria quam Jeruſalem Ezek. 16: 47. &c. Tyrus & Zidon quam Bethſaida, Sodom quam Capernaum, Matt. 11: 21. &c. Dicitur quidem Jac. 2: 10, 11. Sed in genere æqualitas eſt, contemtus legiſlatoris in quovis peccato: aſt in ſpecie differentia multiplex, prout eſt congeries plurium, & contemtus ille magis multiplex, & manifeſtior, & magis meditatus, itemque contra plura media gratiæ, & impedimenta delictorum admittitur: denique licet eadem pœna maneat omnes peccatores, tamen in illa pœna, gradus obtinebunt Luc. 12: 47. &c. Matt. 10: v. 15. minus miſeri erunt, qui minus mali fuerint.

Verum & hoc liquet, *Gravior & deteſtabilior eſt apud Deum impietas vitæ, quam error mentis*; & Doctores orthodoxi doctrina & pravi vitâ magis Deo exoſi, quam qui eroneis dogmatibus imbuti ad idololatriam tantum abducunt auditores. Prophetæ Samariæ, uti deſciverant dudum à vero Deo, & ejus cultu, ita Baalem docebant, & eò ſeducebant populum; Improbat id Deus, & ſeductores dicit, attamen ſub nomine duntaxat תִּפְלָה, abſurditatis, *inſulſæ* fatuitatis. Aſt Prophetæ Hieroſolymæ non arguuntur vel idololatriæ, vel ignorantiæ veri Dei, vel ſeductionis, ſed improbæ & ſcandaloſæ vitæ, quam & exercerent ipſi, & docerent alios quos in ſceleribus confirmarent: Et horum crimina Deo et ſunt שַׁעֲרוּרָה horrendum quid, & abominandum, atque ipſosmet Sodomæ ſimiles dicit, & qui eos audiunt inſtar Gomorræ, de quorum erronea doctrina nulla mentio, ſed multa de vita ſceleratâ. Majus horum crimen Rom. 2: 17. ſeq. Minus enim delinquit qui peccat ignorantia & errore mentis, quam qui malitia operis & vitæ: qui ex errore docet quid falſum, quam qui ſciens & docens bonum, contrarium malum perpetrat, Summa religionis conſiſtit in praxi vitæ, Tit. 1: 1. Jac. 1: 26, 27. Eccl. 12: 13. pietas vitæ via eſt ad profectum in cognitione Joh. 7: 17. & impietas ad profectum in errore 2 Theſſ. 2: 11, 12. Dantur autem etiamnum Prophetæ utriuſque ordinis, Samariæ, qui תִּפְלָה admittunt, Pontificii idololatriam; Sociniani, Anabaptiſtæ graves errores; Turcæ meram ſtultitiam docentes; quorum ſi vitam intueamur pudefaciunt Prophetas Hieroſolymæ, Evangelicorum Reformatorum, qui dum abhorrent ab illorum erroribus, vitam agunt probroſam, ebrietati, impudicitiæ, avaritiæ, ambitioni, contentioni addicti, & in cenſendis vitiis molliſſimi, excuſare potius, quam accuſare docti, apparentiam mali neutiquam interdictum dicentes, & eam facientes libertatem Chriſtianam, ut quam anguſtam dixerat Chriſtus ea jam ſit via latiſſima, quibus congruit cenſura Pſal. 50: verſ. 16. &c. & judicium Chriſti, Matt. 7. verſ. 21. Mala eſt & vitanda תִּפְלָה errorum quorumcunque, ſed pejor & magis vitanda שַׁעֲרוּרָה impietatis. Imo major ſpes de converſione prioris, quam poſterioris ordinis Prophetæ. Paulus olim fuit ex illo ordine, reus inſulſitatis, Zelotes patriarum traditionum, quæ mandatis Dei præferebantur Actor. 22: 2. &c. cap. 26: 9. Gal.

Gal. 1:13. &c. Phil. 3:6. Sed nequaquam ex iſto, reus horroris, patrator ſcelerum, Actor. 23: 1. cap. 24: verſ. 16. Phil. 3: 5, 6. & hinc ſe gratiam conſecutum refert. 1 Tim. 1:13. &c. Blaſphemant Apoſtolum, qui ex Saulo Paulum quandoque fieri jactant, intemperiei juventutis in omni genere licentiæ patrocinium ab ejus exemplo quærentes.

Verſ. 15. *Idcirco ſic ait Iehova exercituum de iſtis Prophetis, ecce ego facturus ſum ut comedant iſti abſinthium, & facturus ut bibant iſti ſuccum cicutæ: quia à Prophetis Ieruſchalaimorum prodiit contaminatio in totam hanc terram.*

II. Sed convictionem aliam Deus addit, præter collationem imparium, *gravitatem pœnæ* exercendæ. verſ. 15. cujus.

1. *Autor* Deus *Propterea ſic ait Dominus Zebaoth, de prophetis iſtis*, vel *contra* eos. quia in Eccleſia ſuperiorem non agnoſcunt, & inter homines, quibus blandiuntur, favorem & defenſam obtinent, ceuſuræ & pœnæ exſortes ſe fore rentur. Sed qui ſe opponit eſt Jehova, cujus judicium ſecundum veritatem, ut mercedem det tam malis quam bonis ſervis, quos operi domeſtico adhibuit Matt. 24. & 25. Luc. 12: 47. &c. Zebaoth, non ſolum qui ad manus habet abunde inſtrumentorum, ut exſequatur quod definivit, ſed qui temporum modum ſtatuit, & quantum longanimitatis & tolerantiæ indulgere, & quando rationes inire cum ſingulis velit.

2. *Pœna* metaphorice deſcripta, *Ecce cibabo eos abſinthio, & potabo eos aquis fellis.* ut בשמים ראש Exod. 30: 23. de olei ſacri præparatione. ראש *venenum, fel, verba venenata*, quia venenum in capite ſerpentum, vel κεφαλὴ ἰὸς χιόνων, quod princeps eſt in genere noxiorum, cicuta Græcorum, venenum aſpidum, fel amariſſimum. Significantur graviſſimæ afflictiones, & quæ lethales tandem evadant: ſiquidem ipſa alimenta ſic mutentur. Jer. 8. 14. cap. 9. 15. Pſ. 69.

Sed etiam graviſſima peccata ſic notantur per fel & abſinthium. Deut. 29: 18. cap. 32: 32. &c. Heb. 12: 15. & huc reſpicitur Act. 8: 23. χολὴ πικρίας. quia fructus vitæ feruntur Deo Eſa. 5: 1. &c. Et merito qui Deo protulerunt fel & abſinthium, à Deo pariter habentur, ut his eos cibet, quæ longe gravius quam cibatio afflictione & lachrymis Pſ. 80: 6. & 42: 4. Eſa. 30: 20. nam hic poteſt junctus eſſe ſenſus favoris Dei, qui tum exulat. III. cauſa, nam à prophetis Hieroſolymæ egreſſa eſt hypocriſis ad univerſam terram. Ipſi hypocritæ verſ. 11. autoreſque hypocriſeos omnibus. Quicquid hic delinquit populus imputatur prophetis: ſi docentes quod verum, non dedocent quod malum eſt: nec ipſi taxantes vitia, niſi levi brachio, nec ferentes taxari ab aliis; maxime cum ſuam lenitatem conferant Evangelicæ benedictioni de monte Gerizim, aliorum ſeveritatem maledictioni Moſaicæ de monte Ebal. Tales erant illi Mal. 2: 8, 9. contemtibiles ea propter, & Phariſæi ac Scribæ Matt. 23. maximi hypocritæ & doctores ejus: modo magiſtrorum inſtitutis obtemperaretur negligentes maxima legis, imo tranſgredientes mandata Dei, eaque ἀνυφαιρέτως per traditiones, ut cum feciſſent proſelytum, filium gehennæ feciſſent: quia non Deo adjungebant, ſed ſibi; æque longe imo longius inde abductum quam olim fuerat. Sic fit quando profeſſio oris exigitur & formula pietatis, qualem homines definiverunt. cum ea ex ſolo verbo Dei petenda eſſet. Eſa. 29: 15. Matt. 15: 6. &c. Hinc monet Deus Ezek. 20: 18. &c. Nam non quos homines, ſed quos Deus approbat laudati ſunt 2 Cor. 10. verſ. ult. Cavenda eſt hypocriſis prophetæ in vita, & doctrina 1 Tim. 4: 16. inprimis hic. Nam quicquid ipſo docente hic peccatur ab univerſis; ipſius crimen eſt, Ezek. 2: 4, 5. cap. 3. & 33. Matt. 5: 19. ſolvens, & ſic docens, minimus, hoc eſt nullo ibi loco erit. Ezek. 13: 9. Sunt ſal terræ; Matt. 5: 13. ſi inſulſi ipſi neque ſalſedinem ullam communicant aliis, inutiles ſunt, ejiciendi in ſterquilinium.

Verſ. 16. *Sic ait Jehova exercituum, ne auſcultetis verbis iſtorum Prophetarum qui prophetant vobis, vanos efficiunt iſti vos, viſionem animi ſui eloquuntur, non ex ore Jehovæ.*

Verſ. 17. *Dicunt indeſinenter iis qui ſpernunt me, loquutus eſt Iehova, pax erit vobis; & cuique ambulanti ex ſententia animi ſui, dicunt, non ſuperveniet vobis malum.*

Verſ. 18. *Nam quis ſtetit in conſilio Iehovæ, & vidit vel audivit verbum ejus? quis attendit ad verbum ejus & audivit.*

II. Convictionem ſequitur DEHORTATIO ab audiendis iſtiuſmodi prophetis.

I. *Autor.* Inſtituitur à Deo ipſo, verſ. 16. *Sic ait Dominus Zebaoth:* qui ſuperior omnibus doctoribus, etiam iis, qui legatos ejus ſe dicunt, vel ſunt quoque; quibus poteſt fidem derogare; & quum periculoſum ſit judicare alienum ſervum, hero & patrifamilias fas eſt de ſuo diſponere, & prohibere ne quis illum ceu ſuo nomine loquentem audiat attendatve. Conf. 1 Sam. 2: 30.

II. *Propoſitio* eſt, *Ne attendite ad verba prophetarum vobis prophetantium.* Scl. cavendos monet, ut obſequium non obtineant. Sic Matt. 7: 16. cap. 16: 6. cap. 23: 2, 3. cap. 24: 4. 1 Joh. 4: 1. Quando falſi doctores pulpita & cathedras tenent, ſi quid veri adhuc retinent, cautè audiendi: & in iis, quæ Dei ſunt, ſolum obtemperandum, ſin nihil veri, deſerendi ſunt, & migrandum potius Apoc. 18: 4. Vim vero ipſis inferre; privatis non mandatum eſt. Chriſtus non imperavit diſcipulis ut Phariſæos & Scribas ejicerent ex cathedrâ, neque Paulus ut idoleia deſtruerent. ſed uterque docuit, ut ab hominum præceptis ad divina ſe converterent, & à vanitatibus idolorum ad Deum vivum. Matt. 5: 15. Act. 14: 17. capp. In Veteri Teſtamento Reformationes ſemper à Magiſtratibus cœptæ, Aſa, Hiskia, Joſia; qui autorarunt ſubditos cujuſcunque ordinis, ut inſtrumenta idololatriæ perditum irent. Eliæ factum contra Baalitas ſingulare; quod non facile in imitationem rapiendum. Eccleſiaſticorum eſt cordibus emovere idololatriam. Magiſtratuum ex oculis quoque. Nuſpiam felicius proceſſit reformatio, quam ubi autoritate ſummarum poteſtatum omnia facta.

III. Sed cum religio ſit cultus rationalis, nihil hic jubet, quam quod ſummâ ratione nititur. *Cæſas* enim dicit cur prophetis non obtemperandum.

I. *Ob multa & gravia ipſorum peccata* in docendo admiſſa, (1.) *Vanos faciunt vos.* ut vanitatem ſectantes vani fiatis Jer. 2: 5. quod faciunt qui vanas & inutiles quæſtiones proponunt, quæ ad titillationem aurium, curioſitatem aut oſtentationem pertinent: de Judæis Tit. 1: 10, 11, 14. 1 Tim. 1: 4. cap. 4: 7. & de Gentilibus, 1 Tim. 6: 20. 2 Tim. 2: 14, 16. cap. 4: 3, 4. Rom. 1: 21. &c. 1 Cor. 1: 2, 3. Col. 2: 8. (2.) *ſui cordis viſionem loquuntur, non ex ore Domini*, humana placita divinis præferentes, quibus neglectis illa inculcant. Eſa. 29: 13. ſic Matt. 15: 3, 6, 9. Col. 2: 18, 21. &c. 1 Tim. 4: 1. &c. Hic olim Zelotes Paulus Act. 22: 3. Contra quam monuit Dominus Ezek. 20: 18, 19. &c. 1 Pet. 1: 18, 19. redemti inde dicimur. (3.) *Impiis promittunt* vel *felicitatem*, *vel* ſaltem *impunitatem.* Irritantibus Deum, pacem, ut Zedekia & cæteri prophetæ Achabo 1 Reg. 22. *& perſeverantibus in malo indemnitatem.* Mich. 2: 11. Ezek. 13: 18. &c. Adulatores hominum, ad quorum appetitum omnia attemperant. Eſa. 30: 10. ne eos offendant, evangeliis ſolatiiſque abblandientes: quomodo in peccatis confirmantur, & a reſipiſcentia, tanquam non neceſſaria abſterrentur. Porro quod, *dicendo dicunt*: oſtendit jugiter id agere, cum enim rea conſcientia, jugitur accuſet, per ejuſmodi prophetas jugiter ſuſtentanda eſt mendacibus promiſſis. (4.) *Veros prophetas contemnunt & perſequuntur*, verſ. 18. Eſt enim continuatio ſermonis ipſorum, cur tanta cum fiducia promittant impiis proſpera; *Nam quis ſtetit in conſilio Dei? videat ille & audiat verbum ejus: imo quis auſcultavit verba ejus & audivit?* Irriſio eſt Prophetarum verorum, ceu qui ſibi arrogent majora quam par eſt. Siquidem adeo familiarem Deum habent, ut ergò petant revelationem novam: aut quia ſe legatos dicunt, jubent ut proferant nova mandata & juſſa Dei. Quæ ironice dicuntur, quodque nihil eximium habeant indicatur. Huc facit factum Zedekiæ contra Micham 1 Reg. 22: 24. & aliorum contra Jeremiam Jer. 26: 29.

Sic contra Jesum Matt. 21: ℣. 23. & Apostolos Act 47. Huc pertinet illud Mich. 2: 6. Omnia huc redeunt. Non dantur revelationes singulares, ut aliis plus fidei deferendum; eoque quicquid ordinariorum collegio aut pluribus eorum placet, id simpliciter agnoscendum est: cæteri verò tanquam fanatici, enthusiastæ, similisque vesaniæ homines contemnendi. Quomodo ab antiquo actum à Doctoribus Pontificiis, & contradictum veris, quemadmodum Apostolis à Pharisæis sacerdotibus & Synedrio, Joh. 7. Act. 4: 5, &c.

Vers. 19. *Ecce turbo Iehovæ excandescentiæ proditurus est, ac turbo permanens: super caput improborum permanebit.*

Vers. 20. *Non avertetur ira Iehovæ donec perfecerit, & donec præstiterit cogitationes animi sui: tandem animadvertetis hoc animadversione.*

2. *Ob longe gravissimam pœnam* propter illos imminentem, vers. 19, 20. Cujus indicatur.

(1) *Magnitudo*, ex nominibus, (*a*) סערת ה *turbo Domini*; sive ut connotetur efficiens, sive ut gradus superlativus addatur, ut sopor Domini & flamma Domini, & caligo Domini. Turbo validus est ad prosternenda ædificia, & arbores, & confringendas naves, &c. (*b*) חמה *excandescentia*, ira æstuans. (*c*) סער מתחולל *turbo dolorificus*, magna damna, & hinc magnos dolores daturus, quemadmodum cujus facultates perduntur, & ipsum corpus varie debilitatur. Jam contra turbinem, quid valeat homo? Hominum persecutio & oppressio sic exprimitur Ps. 55: 9. qui tamen morituri sunt & ut fœnum futuri Esa. 51: 12. & tum cessat tempestas. Ast hîc ab immortali Deo, omnia ista accidunt. אף ה ira Domini, leniori quidem vocabulo, sed quod priora illa complectatur.

(2) *Certitudo*; indicatur, *Ecce*, tanquam præsens foret, & oculis ac sensibus usurpari posset; & Egressa est, verbum irrevocabile mandavit: Zeph. 2: 2. partus decreti, valet quoque ut de promissis, Num. 23: 19. sic de minis 1 Sam. 15: 29. & crebro apud Ezekielem. vid. cap. 7: 2. &c.

(3) *Duratio*, huc quidam referunt מתחולל *continuans*; sed potius huc facit (*a*) על ראש רשעים יחול *super capite impiorum manebit*, ut firmiter constanterque hæreat, & vers. 20. (*b*) *non avertetur ira Domini, donec fecerit, & donec constituerit istic cogitationes cordis sui*; decretum exsecutus fuerit. Ezek. 24: 13, 14.

Additur tamen temperamentum mitigationis, *in extremo dierum illud intelligetis cum intelligentia*, ut & causam tantæ iræ agnoscant, & Deum justum, se reos profiteantur.

Hæc generaliter omnibus falsis malisque doctoribus applicari queunt, ex Matt. 7: 19. 2 Thes. 2. Apoc. 19: 20. Sed speciatim referenda ad Judæos Doctores, qui genti illi omnis calamitatis origo fuerunt. Sacerdotes, Pharisæi, Scribæ qui Christi tempore vixerunt, hîc notantur. Insanientes circa traditiones patrias, Matt. 5: 15. quæ circa vanitates sæpe occupabantur cap. 23: 5. &c. vers. 16. &c. vers. 23. &c. promittentes tum pacem, & persequentes Christum & Apostolos, Joh. 7: 9, 11. Matt. 23: 34. &c. Unde pœna eos respicit quæ in hunc diem illi genti continuatur, gravissima, certissimaque Matt. 23: 37. &c. cap. 24. Esa. 29: 10-14. Deut. 29: 27. &c. Hinc illa Zach. 7: 14. Hos. 13: 3. & Israel עגיה סערה Esa. 54: 11. De Prophetis Ezek. 13: 13. duratura etiam, Joh. 3: 36. quod exacte respondet. Sed quæ sunt cogitationes cordis Dei, quas statui implerique oportet, antequam finiatur ista ira immanens? Paulus docet, Rom. 11. cap. Ira est vers. 8, &c. Cogitationis v. 11. & hinc concludit finem iræ v. 12. inprimis v. 25. Antequam hoc factum fuerit, continuatur ira, 1 Thes. 2: 15, 16. Sed tandem intelligent. Lev. 26: 40. Deut. 30: 1. &c. Jer. 30. & 31. item cap. 51: 5. Terribile hoc judicium. Elias turbine Dei sublatus est in cœlum; sed hi prosternuntur turbine ejusmodi in infernum.

Vers. 21. *Me non mittente Prophetas istos, ipsos cucurrisse; me non alloquente ipsos, prophetasse ipsos.*

3. *Ob mentitam missionem Dei*, quam

(1.) Negat affuisse ipsis vers. 21. *non, nisi eos & cucurrerunt*, quasi mandato urgente impellerentur; non locutus sum ipsis, & ipsi quasi mea jussa recitarunt. Ordinarii erant doctores Hierosolymæ; & tamen Deus, qui eis cursus & Sermonis testimonium perhibet, negat se inittente vel jubente quicquam factum. Sic Jer. 14: 14. Cursus ergo & Prophetia non faciunt Prophetam Dei: urbium faciunt, & locorum. Talibus Dei missio, & mandatum deesse potest. Frustra proinde est, quod quis externâ istâ superbiat. Valet ea inter homines earum urbium, à quibus opera ipsorum conducta est, & ipsi autorati; sed ut eapropter sibi arrogent eundem locum coram Deo, caret fundamento. Joh. 3: 8. *Spiritus flat ubi vult*: quod si alligatus esset externæ missioni, deberet utique flare ubi homines mittentes vellent, non ubi ipsemet. Bene hîc Calvinus: *Duplex est vocatio, una interior, altera verò quæ ad ordinem pertinet & ideo potest vocari externa vel politica. Externa autem vocatio nunquam legitima erit, nisi præcedat illa interior; neque enim nostrum est creare vel Prophetas, vel Apostolos, vel pastores. Hoc enim est Spirituale Spiritus Sancti donum. Proinde ut centies quis vocatus fuerit & electus hominum suffragiis, non tamen potuerit censeri legitimus minister, nisi vocatus fuerit ipse à Deo, quia requiruntur prælatæ dotes ad munus Apostolicum, Prophetieum, & pastorale, quæ non sunt in hominum manu aut arbitrio. Videmus itaque semper necessariò requiri arcanam Dei vocationem, ut quis sit vel propheta, vel pastor. Vocatio autem secundi ordini adjuncta est, vult enim Deus omnia inter nos geri ritè & non confuse: hinc ergo mos eligendi. Sed sæpè contingit, ut sufficiat, præsertim ad tempus, Dei vocatio.* Hæc Calvinus. Unde constat sic eum statuere. Ad munus tam Pastorale, quam prophetieum & apostolicum, siquidem legitimum quæratur, scilicet quod ad leges Dei, simpliciter necessariam esse vocationem Dei, quam internam & arcanam dicit, (in textu nostro missio & commissio Dei dicitur,) imo hanc unam sæpe sufficere, præsertim ad tempus: quod de Amos valet Am. 7: 14, 15. Vocationem externam, quam & politicam vocat, pertinere ad ordinem externum, vitandæ confusionis gratia, & eatenus fieri Dei voluntate, attamen non esse legitimam, (vid. coram Deo, nam coram hominibus legitima est,) nisi accedat, imo præcedat interior. Quapropter non absolute verum, qui legitimè ab Ecclesia, eundem à Deo ad sanctum hoc munus esse vocatum: nisi quatenus qui legibus hominum vocatus est, tam ad politicum, quam ad Ecclesiasticum munus, a Deo vocatus dicatur, qui uti ordinis autor est; quicquid ordine sit peccatum dicendus est, quomodo nulla est potestas nisi à Deo Rom. 13: 1. &c. Sed differunt alias sæpenumero, quod coram Deo, & quod coram hominibus legitimum. Ex solis usuris pauperum & egenorum vivere coram his, non coram illo legitimum. Homicidam, adulterum vivere, per multam vel sine eâ expiatum, non coram Deo, sed coram hominibus legitimum; neque talem licet aliter habeas in foro politico, quam absolutum. Ita videmus legitimos pastores, inter homines. qui ex hominum lege & more adhibiti sunt ministerio, quales habent ἀφορισμὸν hominum: quem sæpe numero ambitu, favore hominum, conjugio, misericordia egestatis, spe servitutis impetrarunt. ut tamen κλῆσις Θεῦ frequenter desit. Quemadmodum de ordinariis Hierosolymæ id affirmat Deus, qui.

(2) Probat non affuisse vers. 22. ἀφορισμὸν dictans, unde de suâ missione & commissione constare queat. Trimembre istud est, quorum primum muneris istius conditionem indicat, duo reliqua demonstrationem istius conditionis. a. *Si steterunt in arcano, consilio, meo.* Debent nosse consilium Dei; quomodo enim docebunt alios, quæ ignorant ipsi. Ineptus erit legatus, qui legantis consilium nescit in legatione quam obit. Sic Joh. Baptista Luc. 7: 30. & Paulus Act. 20: 27. & omnium 2 Cor. 5: 19. non imputandum eis officium ipsorum. Sed ignorant, quibus Scriptura, ubi consilium Dei patefactum, peregrina est: qui eam nec legunt, nec meditantur, nec intelligunt: quibus omnis notitia petitur ex scriptis humanis, ut hominum consilium norint, seu quod homines judicant esse consilium Dei, vel esse debere. Quemadmodum olim Theologiæ notitia omnis petebatur ex Lombardo, & ejus interpretibus, vel Patribus, ut etiam ignorarentur Biblia Sacra. Sic apud Pontificios consistunt in consilio, non Dei, sed Papæ Rom. sed consilii Tridentini, sed

ſed ordinem monachalium. b. *Audire facient verba mea* Si legatus non legantis, ſed ſua, aliorumve verba loquatur, non amplius legantis iſtius legatus eſt. Chriſtus magnus ille propheta nec aliud loqui debuit Deut. 18: 16, 17. nec aliud locutus eſt Joh. 12: 49, 50. cap. 7: 16. quam Pater mittens ei indidit, ſic quoque alii legati Dei. 1 Pet. 4: 11. Act. 26: 22. & 2 Tim. 3: 16, 17. hinc 2 Cor. 5: 18. &c. dedit nobis miniſterium reconciliationis, poſuit in nobis ſermonem reconciliationis rogamus Chriſti nomine. Eſa. 8: 19, 20. Veniunt illorum nomine, quorum verba ferunt legati Joh. 5: verſ. 43, 44. Legati Eccleſiarum ſunt, qui Eccleſiæ verba audire faciunt, & privatorum hominum, qui privatorum verba proponunt. Legati Chriſti nequeunt alia prædicare, quam quæ Chriſtus, quæ Spiritus Chriſti in prophetis & apoſtolis locutus eſt. Quicquid præter illius verba dicunt, ad declarationem ſuæ commiſſionis, non aliter fidem merentur, quam cum ipſiſſimis Scripturæ verbis conſentiunt, de quo conſenſu judicium eſt non penes legatos, ſed penes eos, ad quos legantur, quibus commiſſionis formula communicata eſt, Joh. 10: 4, 5. oves Chriſti vocem ejus norunt, & ſequuntur, alienum non audiunt. Hinc ſollicitudo Pauli, qui non ſolum res ſed etiam verba mutuari voluit a Spiritu Sancto. 1 Cor. 2: v. 12, 13. c. *Abdurent* ab omni impietate: *a vita malâ*, ſcandaloſâ, & *ab omni vitio* & defectu *actionum*; prius דרך חרע apertam improbitatem indicat; homicidia, adulteria, ſcortationes, furta, calumnias, mendacia, poſterius רוע מעלים actionum in ſe bonarum vitium; quicquid nimium in cibo, potu, veſtitu, omnem mali ſpeciem & apparentiam 1 Theſſ. 5: 22. quomodo etiam Verſiones Belg. Germ. Angl. Gall. Ital. Hiſp. reddiderunt. Hæc miſſio Chriſti Act. 3: 26. & eorum qui ab ipſo miſſi Luc. 24: 47. Act. 17: 30. Sic 2 Cor. 5: 20. *reconciliamini Deo.* Prophetæ veri ſic egerunt ſemper, Eſa. 1. Jer. 7: 26. Joel. 2. &c. & Apoſtoli Act. 14: 26. Col. 1. 1 Theſſ. 1. &c. Negligitur autem ab iis qui non accuſandis ſed excuſandis peccatis operam impendunt, de quibus ſæpius jam dictum: leges novas fingentes, & quantum ſufficiat pietatis; quomodo ſæpe contingit, ut dum libertatem Chriſtianam urgent, ea fiat velamen malitiæ, & non Dei amplius, ſed hominum ſint ſervi, a quibus vivendi regulam æque ac credendi accipiunt.

Heic ergo data nobis eſt a Deo ipſo inſignis norma, ad quam omnes prophetas poſſumus examinare, utrum a Deo habeant miſſionem & commiſſionem. Quotquot videmus & audimus hodie ſunt miſſi hominum: & hinc inter homines reſpectu miſſionis iſtius ſunt æſtimandi: ſed non omnes etiam ſunt miſſi Dei. Ut hujus legatos agnoſcere, & æſtimare queamus, unicuique examen inſtituendum eſt ad hanc normam: unicuique, inquam; quia ad unumquemque auditorum legati nomine veniunt. Si iſta deſint, non ſunt quos ſe dicunt, non eſt ipſis credendum, neque obtemperandum, niſi quantum iſti regulæ congrua faciunt; non metuenda ipſorum fulmina, ceu animæ damnoſa, quamvis corpori, & vitæ, famæ & fortunarum diſpendium afferre queant, Jer. 26. Sin iſta adſint, recipiendi ſunt ut Angeli Dei, ut Chriſtus, & ipſis obtemperandum, utpote per quos audimus Deum nobis loquentem, & a malo & morte ad bonum & vitam, imo ad ipſum Deum adducimur.

Verſ. 23. *An Deus è propinquo ſum ego? dictum Iehovæ; an non Deus è longinquo?*

Verſ. 24. *An deliteſcere poteſt quiſquam in latebris ut ego non videam ipſum? dictum Iehovæ: an non cœlos & terram ego impleo? dictum Jehovæ.*

SPECIALIS contra Extraordinarios Doctores. Ordinarii adſtricti erant legi Eſa. 8: 20. Mal. 4: 4. unde erant examinandi. Sed Extraordinarii novas conſequebantur revelationes Num. 12: 6. Et hoc modo quidam ſe venditabant, tanto digniores cæteris cenſendi, quanto familiarius ipſis foret cum Deo commercium. Iſtos quoque convincendos habuit Jeremias, qui I. præſtruit fundamentum convictioni verſ. 23, 25. II. ſomniatorum crimen deſcribit verſ. 25--27. III. oſtendit rationem explorandi eos verſ. 28, 29. IV. denunciat falſis pœnam verſ. 30--32. V. inſtruit auditores verſ. 33--40.

I. FUNDAMENTUM convictionis ducitur à natura Dei, verſ. 23, 24. cujus deſcriptionem inſtituit per interrogationem, ut ſimul occurrat contrariæ perſuaſioni. Extraordinarii illi erant Somniatores, quæ una ratio revelationis immediatæ, citra Sacræ Scripturæ inſtrumentum, Num. 12: 6. Somnia autem divina quæ jactabant non in templo, ſed in privatis ædibus ſibi obtigiſſe dictitabant. Hi, cum ordinarios arguiſſet doctores, in ipsâ Dei domo, & quaſi ἀυτοφώρῳ deprehenſos verſ. 11. imaginabantur ſibi deprehendi ſuas fraudes non poſſe, quia non in templo ſed privatis in domibus, non interdiu ſed noctu in denſiſſimis tenebris ſomnia iſta conciperent. Cui fallæ opinioni opponit Deus qualis ſit, ad ipſorummet conſcientiam provocando. *An Deus a propinquo ego, dictum Domini, & non Deus à longinquo?* Abrabanel refert ad tempus, & hoc æternitatem, aut ſaltem imperveſtigabilem antiquitatem denotare putat, illud ortum recetem, ad quem retro eundo perveniri queat, ut Deut. 32: 17. Sic argumentum foret. An ſum Dens novitius, qui ἀνοσιώτατος ad eam dignitatem evectus ſui, ut quod habeam & quantam habeam deitatem, beneficio alieno poſſideam: autoribuſque fas fuerit definire quouſque mea poteſtas ſe debeat extendere? & non Deus antiquus? ſic מרחוק de tempore uſurpatum Jer. 31: 3. ut Hab. 1. verſ. 12. הלוא מקדם אתה ה *antiquus dierum* Dan. 7: 9, 13. antiquior omnibus diebus: ut omnium rerum originibus prior ſim, harumque initio deprehenſo, ego tamen adhuc longinqui ortus inveniar. Quæ veriſſime de Deo dicuntur, & valent contra eos qui filio & Spiritui Sancto æternitatem derogant, faciunt eos אלהי מקרוב: Sed dicit Jehova, unius illius & indiviſæ eſſentiæ Numen, non hoc de ſe verum eſſe ſed contrarium, ut ſit אלהי מרחוק plurium perſonarum a longinquo tempore; contra quam docent Socinus ejuſque aſſeclæ; atque in hac longinquitate nullum conſtituit diſcrimen, ut una alterâ longinquior ſtatuatur, quod Arius voluit. Atenim ex ſcopo & nexu cum verſ. 24. convenientius de loco accipitur, ut Syri dicebant 1 Reg. 20: 28. *An Deus à propinquo &c. longinquo?* An certis locorum ſpaciis me concluſum arbitramini, & limitibus iſtis meam potentiam & divinitatem circum ſcribi, ut propinqua ſolum ſcire, curare, ac moderari queam, longe autem diſſita ad me non attineant, quo notitia vireſque meæ non pertingant? Quaſi vel parietibus templi, vel cœlorum metis comprehenderetur, ut Job. 22: 12, 13, 14. Negat autem ſe minus poſſe longinquum quam propinquum; non quod longinquior propinquiorve alicubi ſit, ſed quod ſe propinquiorem quibuſdam in locis manifeſtet; quemadmodum in tabernaculo Lev. 16: 2. &c. & in templo Pſal. 132: verſ. 7. nec non in cœlo 1 Reg. 8: 39. Eſa. 57: 15. cap. 63: 15.

Præterea quod noctis obſcuritati confiderent, addit verſ. 24. *Num quis in locis occultis, latebriſque ſe poterit abſcondere, ut ego eum non videam? dictum Domini.* Ut oculorum aciem caligo impediat? & quæcunque obſcuriora ſunt viſum non admittant? quod priori affine eſt Job. 22: verſ. 13, 14. contra quam docetur Pſ. 139; 8, &c. Amoſ. 9. verſ. 2, 3.

Utrique interrogationi probandæ ſervit tertia, *Annon cœlum & terram ego impleo? dictum Domini.* Adeoque tam longinqua quam propinqua, tam operta & occulta quam aperta & manifeſta. Quomodo nobis ſtabilit axioma de Dei omnipræſentiâ, quoad eſſentiam, ſcientiam, potentiam. Eſſentiæ hoc verſu; ſcientiæ verſ. 25. &c. potentiæ verſ. 30, 31, 32. quæ duo probant Eſſentiæ præſentiam; cum enim ſcientia & potentia non differant ab Eſſentia Dei, ubicunque ſcientia & potentia, ibidem quoque eſt eſſentia; & hujus præſentiam ex illorum præſenti efficacia cognoſcimus. Equidem Deus in cœlo eſſe dicitur, & omnia tamen noſſe Pſal. 14: 3. & 33: 13. &c. etiam ſecretiſſima, cor hominis, (quod profundum dicitur Pſ. 64) Jer. 17: 9, &c. Heb. 4: 13. ſed quia in cœlo, non tamen incluſus cœlo, ſed ubicunque agit & operatur extra cœlum: ibi quoque eſt, quia virtus Dei ab eſſentia ejus non differt. 1 Reg. 8: 12-27. Eſa. 66: 1, 2. Act. 17: 27, 28. neque aliter cognoſcitur præſentia eſſentiæ, niſi ex præſentia ſcientiæ & potentiæ, quæ tamen ab eſſentia nequeunt ſeparari, utpote unum & idem, ſolum nomine diſtinctæ. Cæterum cum Deus cœlum & terram implere dicitur, nulla hic concipienda extenſio, ut coëxtendatur continentibus illis, & contentis eorum, ſic foret corpus aliquod ſubtile

tile; sed omnipræsens virtus Dei, quæ cum essentia ejus re idem est, nomine distinguitur: & quemadmodum homo nequit agere & operari ipse immediate, nisi ubi est; ita quoque κατ' ἀνθρωποπάθειαν, ubi agit & operatur Deus ibi esse agnoscitur Ps. 135:6. Hinc videre & habitare alicubi Synonyma sunt Esa. 57:15. coll. cap. 66:1, 2. Adesse Esa. 43:1, 2. Ps. 23:4. & 91:15. Gen. 46:4. & audire acrespondere Ps. 145:18. Esa. 65:24. videre & potenter se ostendere 2 Chron. 16:9. manu prehendere Ps. 139:10. & 21:9. Neque caret emphasi quod ter repetitur הוה נאם; Multum situm est in veritate ista de omnipræsentia Dei, ut triplici χειμαπτικῷ confirmetur. Nihil potest dici efficacius ad terrendos impios, & solandos pios. Quis ausit consilia coquere mala contra proximum, ut eum evertat, aut quicquam ei inferat damni aut injuriæ, qui cogitat testem & conscium se habere Deum intime præsentem, quem eundem habiturus sit judicem? Hoc removent impii ex corde. Ps. 10:11. & 94:7. Esa. 29:15. Quis etiam piorum desperet, qui Deum præsentem novit, conscium omnium quæ fiunt, adeoque effecturum, ne quid patiatur durius, quam ipsi placuerit eis exercendis permittere, unde tamen eripiendi, & in mediis malis sustentandi sint Esa. 43:1, &c. cap. 46:3. &c.

Vers. 25. *Audio quid dicant isti Prophetæ qui prophetant nomine meo falsum dicendo somniavi, somniavi.*

Vers. 26. *Quousque tandem? an est* somnium *in animo istorum prophetarum qui prophetant falsum? imò* sunt *Prophetæ doli animi sui.*

Vers. 27. *Qui putant se facturos ut obliviscatur populus meus nominis mei per somnia sua, quæ enarrant quisque amico suo, quemadmodum obliti fuerant patres eorum nominis mei per Bahalem.*

II. DESCRIPTIO Extraordinariorum.

I. *Quid Deus deprehenderit eos* profitentes. vers. 25. *Audivi quid dicant* &c.

Vocat *Prophetas*, quia non minus quam cæteri, ordinarii, docebant dictabantque quæ ad cultum Dei pertinebant, sed addit, *qui in nomine meo prophetant mendaciter*, jactantes commissionem extraordinariam, cum nullam haberent, quod hic discretionis causa additur, probatum in seqq.

2. Recitat gloriationem ipsorum, *Somniavi, somniavi:* non de naturalibus loquuntur sed προφητικοῖς, quibus voluntatis singularis patefactionem edit, ut fuere somnia Abimelechi Gen. 20. Jacobi cap. 28-31. Josephi cap. 37. servorum Pharaonis, & regis ipsius cap. 40, 41. aliaque: quæ non solum piis & fidelibus, sed etiam aliis obtigerunt quandoque.

3. Notitiam suam, præsentiæ testimonium, refert, *Audivi* quemadmodum enim paterfamilias omnia domi suæ observat, & inprimis quomodo opus suum faciant ministri sui, sic quoque Deus, Apoc. 2:3. *novi opera tua* &c. unde superioribus præsentia Dei magis meditanda, tum politicis Ps. 101:2. tum Ecclesiasticis, ne quid faciant, dicant, cogitent, quod Deum testem non ferat; 1 Cor. 3:10. cap. 4:1-4.

II. *Quid de iis judicet*, vers. 26, 27. ubi

1. Expostulatio, vers. 26. *quousque?* ut non pudeat hujus gloriationis; quia complures erant, artem quasi factitantes somniandi; quemadmodum inter gentiles captabant somnia, in antro Trophonii, aut alibi in delubris Deorum, eo fine istic dormientes: cum veri Prophetæ nunquam ex sua voluntate somniare potuerint, Spiritu & hoc modo flante ubi vellet Joh. 3:8. quemadmodum 2 Pet. 1:21.

2. Negatio. *Est ne* (somnium, quod jactant) in *corde prophetarum mendaciter vaticinantium?* Interrogatio, fortius negans. Potestne somnium divinum, fatidicum, quod Dei voluntatem speciatim indicet, credi dicive, quod est in corde Prophetarum mendacium? qui jam ante meditati sunt, quid somniaturi sint: profectò vigilantes ante viderunt, quod somniarent.

Confirmat (*a*) quia figmenta loquuntur, *Prophetæ doli cordis sui*, quas ante meditati sunt fraudes & deceptiones: poterant proinde somniare quicquid vellent, non minus, quam quotiescunque vellent, adeo familiares numini, sci-licet. conf. Jer. cap. 29: vers. 8. faciebant eos somniare. (*b*) quia somnia ista non adducunt ad Deum ejusque agnitionem, sed inde abducunt, vers. 27. quod docet ex scopo ipsorum, *qui cogitant oblivium nominis Dei efficere apud populum ejus, per somnia sua, quæ aliis narrant.* Nam cum nominis Dei notitia, & voluntas ejus ex revelato verbo petenda esset, hi somnia ψιθυρίζοντες jactantes efficiebant, ut his solis attenderetur, & quod hæc juberent crederetur, & ageretur; quomodo verbum scriptum neglectum in oblivionem veniebat, ceu revelatione magis certa & circumstantiis præsentibus attemperata præsto existente, & illustrat à simili, quemadmodum patres eorum obliti sunt nominis mei per Baalem: hujus idololatria proposita, fecit, ut meus cultus obliteraretur.

Romanæ Ecclesiæ fraus hinc deprehendi potest. Jactant revelationes, & Ecclesiæ suæ gloriam ac veritatem constituunt, cum tamen ne gloriaretur de iis Paulus Satanæ pugnos expertus sit 2 Cor. 12:7. verum (1) figmenta propemodum mera sunt ipsorum somnia & revelationes, testantibus Legendis. (2) Pertinent ad abolendam memoriam nominis Dei & Christi; dum Sanctorum merita, Mariæ Virginis misericordiam & potestatem inculcant, ut ab ipsa certius ac promtius auxilium sit exspectandum. (3) Idololatria accedit eodem fine, ut minus cogitetur de Christo, quam de pictura ejus, aut ligno signove crucis, de Deo, quam de Angelis, mortuisque hominibus. Hinc etiam liquet quantopere improbet Deus, quicquid facit ad oblivium Dei inducendum. Nomen Dei non nisi ex verbo Dei cognoscitur; & qui hujus memoriam conservatam vult, non nisi ut verba Dei loqui debet 1 Pet. 4:11. ex Scriptura, verba humanæ sapientiæ, & stultæ quæstiones apud Scholasticos frequentes, unde illuminatissimi, Seraphici, &c. appellati fuerunt, sunt cordis proprii figmenta, & abducunt à memoria Dei; experentia teste, quod vigente illa Theologia, Scriptura notitia propemodum exstincta fuerit, & quo magis ea æstimatur, eo minus curatur Scriptura, Patet ex opere consilium; ut dum audiunt alii meditata hominum, ea ceu mysterium recentioris revelationis admirentur, iis acquiescant, & non studeant cognoscere Scripturas.

Vers. 28. *Propheta ille penes quem somnium* est, *enarret somnium; & penes quem* est *verbum meum, eloquatur verbum meum verè: quid isti paleæ cum tritico? dictum Jehovæ.*

Vers. 29. *An non ita verbum meum* est *ut ignis? dictum Jehovæ, & sicut malleus efficiens ut dissiliat petra?*

III. Ostendit porrò RATIONEM HOS EXPLORANDI vers. 28, 29. Jubet Extraordinarios istos suas revelationes sejungere à verbo suo, atque sic demum verbi sui vim apparituram.

I. Sejunctionem istam mandat v. 28. *Qui somnium habet, recitet somnium, & quocum verbum meum est, loquatur verbum meum verè.* Misceri ista non vult, sed unumquodque sigillatim agi. Apparet somnia fuisse prolata ad interpretationem verbi Dei, atque ejus veritatem sive adstruendam, sive circumscribendam, ad voluntatem cathedrariorum; quam obrem Somniatores crebram mentionem faciebant verbi Dei, Legis Mosaicæ, lucem quasi allaturi suis visionibus nocturnis. Atqui hoc minime tolerandum: Somnia enim divina nunquam leguntur data, ut ex illis doctrinæ veritas cognosceretur, non magè quam unquam oraculum מורים Urim institutum consultumve legimus ad dogmata Religionis definienda, aut decidendas Controversias, sed & hoc & illa duntaxat valuerunt ad usum historicum, rerum futurarum notitiam afferentes, aut præteritarum veritatem; illius generis fuere Jacobi Gen. 28. Josephi, cap. 37. & Ægyptiorum cap. 40, 41. Nebucadnezaris &c. hujus Abimelechi Gen. 20. Jacobi cap. 31. uxoris Pilati Matt. 27. Quare quisquis Somnia jactat, sola somnia recitet, non autem misceat religionis articulos, qui vero verbum Dei interpretatur, istud agat fincerè, sine fuco, aut miscella omni aliena.

Hujus mandati ratio est, *Quid paleæ cum tritico? dictum Domini.*

Domini. Frumentum utile homini eſt ad vitam, robur, hilaritatem; palea non eſt utilis, neque comeditur. Si hæc illi admiſceatur, leve redditur & tantum nutrimento decedit; imo nocet, cum gravet ſtomachum, nihil alimentoſi continens; quod deceptorum eſt Amoſ. 8: 6. Cæterum tritico confert verbum ſuum, quod non minus fulciens animam, quam triticum corpus Pſ. 104. unde quemadmodum ſcipio ineſt pani, Eſa. 3: 1. ſic quoque verbo Dei Pſ. 23: 4. Sunt λόγοι ὑγιαίνοντες 2 Tim. 1: 13. & ὑγιαινούσα διδασκαλία cap. 4: v. 3. veram ſalutaremque ſatietatem affert Eſa. 55: 1, 2, 3. Verba vitæ æternæ Joh. 6: 6. 8. cap. 5: 39. Pſ. 119: verſ. 50. Paleæ autem confert quicquid humanæ ſapientiæ eſt, quanticunque etiam æſtimetur; inde non alitur vera vita, neque roboratur, non tranquillant conſcientiam, neque ſpiritualem lætitiam pariunt. De iis valent; quæ Job dicit de amicorum ſermonibus, inſipidis, & inutilibus, unde Pſ. 94: v. 19. Hujus moniti memor fuit Petrus, aliiſque commendat 2 Pet. 1: 16: 19. & Paulus 1 Cor. 1: 17. cap. 2. 1-5. 2 Cor. 2: 17. καπηλεύοντες, ut Eſa. 1: 22. item 2 Cor. 4: 2.

Memorabile profecto eſt hoc Proverbium, cui Deus oraculo addidit prælium. Ea verbi divini dignitas eſt, ut nullis externis ornamentis decorari queat, ſed potius aliquid deteratur de ejus decore: quo plus ſimplicitatis adhibetur in eo proponendo, eo plus habet venerationis. Græci doctores apud Corinthios, addebant Philoſophiam & eloquentiam humanam, ſed dehoneſtamento iſta fuere doctrinæ Chriſtianæ, non alio loco habendæ quam ligni, fœni, ſtipulæ, cum verbum Dei aurum argentum uniones præſtaret in ſtructura ſacra: Nec Deus, nec verbum ejus indigent humana commendatione, uti forma egregia velamentis, & appendicibus quibuſcunque non ornatur, ſed oneratur, pulcherrimaque eſt, quando nuda eſt. Sic etiam verbum Dei. Eſt purum putum frumentum; quod palea neutiquam corrumpendum, ſed ſi quæ aliorum fraude admixta eſt, inde ventilando, aut cribrando removenda. Reformatores id egerunt, ut ab omni palea ſecerneretur, ſub qua propemodum evanuerat, dum Philoſophorum argumenta Scripturæ teſtimoniis non æquarentur modo, ſed etiam proponerentur. Hinc pendet fere diſputatio cum Pontificiis. Dogmata illi adſtruere laborant dictis veterum Patrum, decretis Conciliorum, placitis Pontificum, Scholaſticorum Theologorum definitionibus: omnia iſta paleæ nomine hic veniunt, & qui hiſce argumentis, etiam primi generis utitur, tantum paleæ admiſcet tritico Dei. Si omnis probatio concludatur verbis Scripturæ, dictis θεοπνεύστοις, merum eſt frumentum; terrorique futura adverſariis; qui dum ſenſum Scripturæ ab hominibus errori obnoxiis peti volunt, paleam admiſceri poſtulant, metuentes ſcilicet, ne nimium pingueſcat Grex Domini: quos refutat Deus Ezek. 20: 28. &c. Matt. 15: 36. cum tamen ſuas traditiones ſepem legis eſſe dictitent Judæi. Eſt proinde Dei monitum probe notandum, ut vere verbum ejus loquamur, non admiſcentes paleam frumento. Equidem qui hoc faciunt non omnes ſunt pſeudoprophetæ, generalius loquitur Deus, quod etiam veri non ſatis caverent; hi quoque interdum ſtipulam & fœnum ſuperædificant. qui non ipſi pereunt, ſed operis jacturam faciunt, 1 Cor. 3. verſ. 15. ut utilitate careat omnis ipſorum labor. Contra qui facit efficax habet miniſterium.

Abarb. verſ. 27, 28. ad ſomnia pertinere exiſtimat, quæritque quæ ſomnia divina ab humanis diſtinguantur. Dicit „ autem quibuſdam videri divina habere frumentum, aliquid „ utile, humana eſſe ariſtas fatuas: ipſe cenſet ex Maimonide „ divina ſingularem metum animi habere conjunctum, qui „ & vigilantes comitetur: Forte ex priori ſententia divina nihil habent, niſi quod ſignificativum, humana, vanitatem citra ſignificationem, & ex poſteriori, divina peculiarem impreſſionem animæ addere, ut ſervi Pharaonis & Pharao ipſe, Nebucadnezar, uxor Pilati.

II. Nam verbi efficacia, ſincere prædicati eſt verſ. 29. gemina ſimilitudine adumbratur. I. Ignis. *Nonne verbum meum eſt ut ignis?* Ignea vis eſt, quando inflammatur amore cor, & Zelo, ut flammam quaſi concipiat, & ex ſe fundat, Luc. 24: 32. &c. quando purgatur verbo, à corruptionibus. II. *Mallei, & ſicut malleus diſſipans petram?* Mallei vis comminuens eſt, quando conſcientiæ tanguntur, corda comminuuntur, oſſa franguntur verbi prædicatione, Act. 2: 37. Pſ. 51: 10. Etenim cor lapideum eſt natura, & petræ inſtar, quod indiget contritione in pulverem, ut ſe-

menti recipiendæ fiat idoneum. Eſtque hæc efficacia etiam obſervanda in impiis Jer. 5: 14. Pſ. 149: 6. &c. Irreſiſtibilis prorſus vis, prævalens ad converſionem vel confuſionem. Hinc autem cernitur differentia falſarum revelationum, & verbi Dei verè citra miſturam prædicati. Nulla iſtic vis ignis: accenditur quidem æſtus ſuperſtitionis, ſed is febrilis eſt, vehementes motus habens, ſed præter naturam; aſt nullus ſalutaris calor, quo anima reficiatur, & ab anxietate liberetur. Zach. 10: 2. Habet vim mallei, verum frangendis aliorum corporibus in perſecutione, aut proprio per ἰδιοθρησκείαν, cujus eſt ἀφειδία σώματος Col. 2: 23. ſed neutiquam ad comminuenda corda, aut ſpiritus. Similiter ſapientia & eloquentia humana, commovebit affectus, exprimet lachrymas, ſed mox redeunt corda ad primam conditionem. Verbum frangit mallei inſtar duriſſima, 1 Cor. 14: 24. &c. 2 Cor. 10: 45. conf. Jer. 51: 20. &c. & ignis inſtar calefacit, Rom. 12: 11. Tit. 2: 14. 2 Cor. 5: 14. Immo ignea vis illa in miniſtris ad loquendum Jer. 20: 6. in aliis ad confitendum Pſ. 39: 4.

Verſ. 30. *Idcircò ecce me contra iſtos Prophetas dictum Jehovæ, qui ſuffurantur verba mea quiſque ab amico ſuo.*

Verſ. 31. *Ecce me contra Prophetas iſtos, dictum Jehovæ, qui adhibent linguam ſuam ut dicant dictum.*

Verſ. 32. *Ecce me contra prophetantes ſomnia falſa, dictum Jehovæ, qui enarrantes ea ſeducunt populum meum falſitatibus ſuis, & rapiditate ſua: cum ego non miſerim eos, neque præceperim eis, & omnino non proſint populo huic, dictum Iehovæ.*

IV. Denunciat quoque POENAM extraordinariis illis, verſ. 30-32. quam ter repetit, ut de certitudine nullum relinquat dubium; *Ecce me contra Prophetas illos, dictum Domini.* Qui oracula captant & jactant, habent oraculum, ſed quale nollent. Præſentem Deum ſentient, non ad familiaria colloquia, & futurorum indicium, ut ſe ſuamque voluntatem ipſis patefaciat; ſed contra ipſos, quando non poteſt non terrori eſſe, Jer. 17: 17, &c. nam Rom. 8: 31. Huic reſiſtere impoſſibile 1 Cor. 10: 22. & æque impoſſibile eum effugere Amoſ. 9: 2. &c. Pſal. 139. Sed pœna ipſa non declaratur, non ob levitatem, ſed potius ob gravitatem. Amoſ. 4: 12, 13. Nah. 1: 1. &c. Cæterum conſtituit tres gradus ſive ordines pſeudoprophetarum.

I. *Qui furantur verba mea quiſque à proximo ſuo.* verſ. 20. quemadmodum Legisperiti Luc. 11: v. 52. cum enim Deus verbum ſuum omni populo ſuo dediſſet legendum & uſurpandum, ut unicuique domeſticus foret theſaurus; unde mandatum de lectione & meditatione jugi, ipſis regibus, & ſummis magiſtratibus factum Deut. 17. Joſ. 1: 8. quorum functio occupatiſſima; ut privatis illa magis incumbat, (quamobrem à Patribus ſtatutum ut quivis majorennis ſibi volumen legis deſcribat) hi doctores ejiciebant ex manibus, calumniati proculdubio ejus obſcuritatem ac difficultatem, quæ non pateret plebi illiteratæ, Joh. 7: 15. 49. aut etiam prolixitati, vel confuſo ordini, per varios libros diffuſæ doctrinæ; cui utrique incommodo ſcripta Doctorum occurrerent, clare magis magiſque ordinate agentia. Sic autem furto quaſi ſubtrahebant verbum Domini, ſibique illud faciebant proprium, aliis dantes interpretamenta hominum, & commentationes privatas. Huic facto affine quid habent libelli practici æque ac alii, autorum quandoque, ut plurimum lectorum vitio, qui malunt illos legere quam Scripturam, ut quaſi hujus furtum ſibi factum eſſet, uſu ejus ferè careant.

II. *Qui ſumunt linguam ſuam* לקחו לשונם atque illa exordia prophetarum enunciant. verſ. 31. לשון optime explicatur per χρησμῳδοῦσι, *oraculum Divinum*; etiam cum Bileam uſurpat Num. 24: verſ. 34. & v. 15, 16. & David moriturus 2 Sam. 23: verſ. 1. & Agur Prov. 30: 1. imo etiam Pſ. 36: 2. χρηματισμὸς *prævaricationis eſt impio*, vel χρηματίζει *prævaricatio impio, in medio cordis mei*, hoc eſt ſic mecum cogito in corde meo, prævaricatio oracula divina dictat impio; quicquid ea ſuggerit ceu à Deo monitus ſibi agendum putat: ut eam velut numen veneretur, quem-

admodum Hab. 1: 11. Sic heic pseudoprophetæ crepabant semper τὸ נאם, quasi mera oracula Dei funderent, cum nihil eis esset revelatum. Vox vero ista religiosum metum incutiebat auditoribus. Imitatus illud Pythagoras, de quo Suidas, ut orationi suæ & vitæ conciliaret autoritatem, in congressibus ajebat ἀυτὸς ἔφα. non semetipsum, sed Deum autorem dicens, quod discipuli ejus perperam deinde de ipsomet usurparunt. LXX hic τὸ ὀνειροκρίτας ὑποτάγμοι ἀυτῶν legerunt וינומו נום, quasi de Somniantibus diceretur: alii rectius τὸ πλάσσοντας ψευδῆ χρηματισμὸν. Simplicissimè χρηματίζουσι χρηματισμὸν. Fit autem istud ab omnibus oracula & revelationes jactantibus; nec non sua verba tanquam Dei oracula excipienda dictantibus, ex illo Luc. 10: 16. quod tamen non nisi Apostolis dictum, quibus Spiritum Sanctum in ipsis testaturum pollicitus est Joh. 15: 26, 26. cap. 16: 7. &c. Fuit hoc peccatum gravius: priores auferebant verbum Dei, ut illud non possiderent, aut forent quasi non possiderent, ejus intellectu destituti, unde verba hominum, quæ humana norant, lectitabant: hi verò substituebant verbum Dei ementitum, & cum verum & vetus damnassent, novum & falsum commendabant.

Amplificatur ipsorum peccatum per הלוקחים את לשונם *Lingua ipsorum* Deo mancipata est, cujus se legatos dicunt. Jer. 1. cap. 15. Mal. 2: 7. non erat in ipsorum arbitrio ea uti, sed Dei: ast ipsi ereptam Deo, usurpabant ex lubitu privato, Erat fugitiva quasi à Domino suo, eique rebellis, & dum in ardore rebellionis erat, mentiebatur fidem suam ac heri mandatum. Mal. 2: 8.

III. Qui somnia fingerent divina vers. 32. & ista religione animos turbarent; quibus in visione sibi repræsentata dicebant quæ forent enuncianda, cum essent ementita vel mendacia; quæ cum narrarent decipiebant alios suis mendaciis & levitate, qui tam facile, tam leviter quævis nocturna visa, phantasiæ lusus, raperent in argumentum revelationis, seque ac alios deciperent. פחזות levitas, futulitas; ut Zeph. 3: 4. נביאיה פוחזים R. Sal. de festinatione intelligit ex תפז non admodum dissimili sensu. Si conferatur cum פחד, *terriculamentum* notabit, quod superstitionem injiciant mentibus somniorum recitatione.

Generatim addit convictionem de omnibus istis I. nomine originis à se non habere mandatum autoritatemque loquendi. II. ratione finis, nullam allaturos utilitatem populo: quod μείωσιν habet; contra autem summo damno futuros. Ubique autem immiscet τὸ נאם ה' ut verâ religione imbuantur audientium animi: non homine territante, sed Deo verace prædicente, quæ ipsemet facturus esset.

Vers. 33. *Quum itaque rogabit te populus hic, aut aliquis Propheta, aut sacerdos, dicendo, quæ* est *onerosa prophetia Jehovæ? tum dices eis, id quod* est *onerosæ prophetiæ, nempe deserturus sum vos, dictum Jehovæ.*

Vers. 34. *Nam* in *Prophetam illum, ac* in *Sacerdotem illum, & in ipsum populum qui dixerit, oneros am prophetiam Jehovæ; utique animadvertam in virum illum & in domum illius.*

V. INSTRUIT denique Auditores, sic ut I. proponat eorum peccatum admista comminatione v. 33, 34. II. moneat officii vers. 35-27. III. inobedientibus pœnam denunciet vers. 38-40.

I. *Propositio* peccati vers. 33, 34. habet descriptionem, 1. *Committentium*, qui sunt *populus iste, Propheta, aut sacerdos, rogantes* Jeremiam. Hic erat Propheta Dei, à Deo constitutus ut voluntatem suam aperiret aliis. Hunc omnes audire & consulere tenebantur, (neque enim in consulendo crimen erat, sed officium:) populus quidem, Mal. 2: 7. 2 Reg. 4: 23. Seniores populi Ezek. 14: 1. &c. cap. 20: 1. & cap. 23: 30. Sunt enim doctores populi Matt. 28: 19, &c. Sed etiam Sacerdotes & Prophetæ; ipsimet Doctores alios audire, & ab eis discere debent, 1 Thes. 5: 20. Prophetias ne contemnite, generale præceptum est. Et si Prophetæ eas contemnant, suum quoque ministerium in contemtum adducunt. 1 Cor. 14: 4. sunt autem & ipsi homines, qui ædificari possunt: inprimis vers. 29. &c. non solum quoad judicium, sed etiam ad institutionem. Nicodemus doctor in Israele accedit ad Jesum Joh. 3: 1. &c. Archi Synagogi à Paulo petunt institutionem Act. 13. Apollos ab Aquila & Priscilla se patitur erudiri Act. 18: 29. Pertinet hoc ad humilitatem ipsorum Doctorum. tametsi sedeant in cathedrâ, tantum opus habent adhuc doceri: cum ex parte cognoscamus &c. 1 Cor. 13: 9. Summus magister hanc servat ὑπεροχὴν ut solum sit Doctor, reliquos omnes sinit esse discipolos quoque, & interdum simplicissimis & contemtis utitur, quibus sapientum fastum retundat, 1 Cor. 1. Eph. 4: 10. &c. In Synodo Nicena confusus convictusque fuit Philosophus à sene Presbytero, nulla doctrinæ fama excellente, cum doctissimi Episcopi circa illum operam lusissent. Magna est superbia & vanitas, quando docendi munus quis impetravit, opinari, nihil sibi discendum restare, neque esse à quo discere queat. Zedekias se probavit Pseudoprophetam, quando sibi soli Spiritum Dei concessum dixit, 1 Reg. 22: 24. Hiskias etiam primores sacerdotum ablegavit ad Esaiam, & Josias Pontificem quoque maximum ad Huldam. Egregie in hanc sententiam Cyprianus Epist. 71. ad quintum. Non est de consuetudine præscribendum &c. quibus priores illos merito cedere & concedere jubet. Sic ista interpretatur Theophylactus. in 1 Cor. 14: 32. *Quod dicit, Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt, est hujusmodi. Ne contendas, neque seditionem citas. Ipse namque Spiritus est donum quod in te est, & operatio Spiritus, qui in te est, subjicitur dono alterius, qui ad Prophetandum concitatus est. Quod si Spiritus subjicitur, tu multò magis, qui Spiritum possides, non debes esse contentiosus.* Et hoc antiquior longè Cyprianus, Epist. 71. ad Quintum qui tamen prius exemplo rem confirmat: *Non est de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Nam nec Petrus, quem primum Dominus legit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione, postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumsit, ut diceret se primatum tenere, & obtemperari à novellis & posteris sibi potius oportere. Nec despexit Paulum, quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset; sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facile consensit: documentum scilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando à fratribus & Collegis nostris utiliter & salubriter, suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potius nostra ducamus. Cui rei Paulus quoque prospiciens, & concordiæ & paci fideliter consulens, in Epistola sua posuit, dicens: Prophetæ autem duo, aut tres loquantur, & cæteri examinent. Si autem alii revelatum fuerit sedenti, ille prior taceat. Quâ in parte docuit & ostendit multa singulis in melius revelari; & debere unumquemque, non pro eo quod semel imbiberat & tenebat, pertinaciter congredi, sid si quid melius & utilius exstiterit, libenter amplecti. Non enim vincimur quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur.* Idem alibi: ad Pompejum Epist. 74. *Fit studio præsumtionis & contumaciæ, ut quis magis sua prava & falsa defendat, quam ad alterius recta & vera consentiat. Cui rei prospiciens beatus Paulus Apostolus ad Timotheum scribit & monet, Episcopum non litigiosum, sed item & docibilem esse debere. Docibilis autem ille est, qui est ad discendi patientiam lenis & mitis; oporet enim Episcopum non tantum docere, sed & discere, quia & ille melius docet, qui quotidie crescit, & proficit discendo meliora. Quod ipsum quoque idem Apostolus Paulus docet, prænonens, ut si alii sedenti melius revelatum fuerit prior taceat.* Hac ipsa de causa, quod alibi Apostolus idem inculcavit, idem epist. 74. ad Pompejum. Fit studio præsumtionis &c. Et Theophylactus ad 1 Cor. 14: 32.

2. *Peccati*, quod est in modo & formula quærendi, מה־משא ה' *quodnam onus Domini.* Eo nomine insigniuntur conciones propheticæ, onerosæ potissimum; notat enim *onus* 2 Reg. 5: 17. Job. 7: 20. tum *sermonem onerosum*, qui de incumbente onere seu officio agat Prov. 31: 1. Hos. 8: 10. Lam. 2: 14. aut de incubitura pœna & ultione. Esa. 13: 1. cap. 15: 1. cap. 17: 1. cap. 22: 1. Nah. 1: 1. Hab. 1: 1. Zach. 9: 12. Mal. 1: 1. ex 2 Reg. 9: 25. Abrab. censet ita dici ratione Jeremiæ, qui superveniente prophetico spiritu ecstasi correptus sensibusque ad tempus privatus fuerit, magna cum debilitate, ut ipsimet molesta acciderit; hoc autem sannorum causam dedisse, an denuò paroxysmum passus fuerit. Sed commodius ad materiam & argumentum pertinet, & quidem respectu auditorum, oppositè ad do-

ad doctores, quorum eſt מתן (quemadmodum dare & accipere de inſtitutione, ita משא ומתן, quando dicunt לישא וליתן עם חכמים) Omnia præcepta Dei, quæ de novo Prophetarum ore indicabantur, erant משא, doctrina accipienda ab audientibus; ſed quia averſo inde animo vivebant, pro moleſto onere habebant. Jer. 6: 10. Mal. 1: 13. Eſa. 30: 9, 10. maxime quod ſemper minas & judicia ingeminari audirent. Adeoque hæc vox vel murmuris fuit, vel ludibrii; quomodo factum Eſa. 5: 18, 19. Jer. 17: 15. cap. 5: 13. 2 Chron. 36: 14. &c. Solent enim crebro duriores conciones haberi aut traduci pro onere; quod illis non tantum in plebe, ſed etiam in ordine Eccleſiaſtico familiare, qui ſecuri ipſi, ſecuritatem foveri amant; imitantes eos qui cenſent Medicum ſemper debere polliceri ægro vitam, & ſpem fovere ſanitatis, etiam cum omnia deſperata ſunt, quomodo in ſecuritate ſua pereunt quandoque qui candide moniti reſiduum vitæ potuiſſent dare reſipiſcentiæ. Deceptio pernicioſa fuit, quando Gaali videnti Abimelechum cum copiis accedentem Zebul dixit, vides umbras montium pro hominibus, Jud. 9: 36. & injuſta indignatio Achabi contra Eliam & Micham.

3. Gravitatis peccati patet (*a*) ex repetitione. *Et dices eis* את מה משא ה׳. ellipſin indicat דבריהם regeres eis ſua verba. *Quid Onus?* nt onus eſſe dicatis indignando vel irridendo. (*b*) Ex declaratione, *& ego deſeram vos*, retracta manu humerove ſuſtentante, ut prolabamini ad ruinam; tanquam qui mihi oneri eſtis moleſto omittam vos. Conf. Eſa. 46: 3, 4. item cap. 30: v. 12. &c. (*c*) Ex applicatione verſ. 34. unicuique hæc verba uſurpanti, viſitationem imminere ad pœnam, quâ non ſolum ipſe interit ea, ſed etiam domus ejus & familia. Deut. 29: 18. &c. quemadmodum viſitati nonnunquam extraordinarie irriſores & contemtores, 1 Reg. 22. Zedekia, & Jer. 28. Hanania. Eſa. 28: 14. &c.

Verſ. 35. *Sic dicturi eſtis quiſque amico ſuo & quiſque fratri ſuo; quid reſpondit Jehova? aut quid loquutus eſt Jehova?*

Verſ. 36. *Onus autem Iehovæ ne commemorate amplius: nam ipſum onus futurum eſt cuique verbum ſuum, ſi perverteritis verba Dei viventis, Iehovæ exercituum Dei noſtri.*

Verſ. 37. *Sic dicturus es Prophetæ ipſi; quid reſpondit tibi Iehova? aut, quid loquitur Iehova?*

II. *Monet officii* verſ. 35-37. ubi

1. *Hortatio* verſ. 35. Docet qua reverentia loquendum de Sermone Dei unicuique, non tantum cum Prophetas alloquuntur, ſed etiam cum mutuo agunt inter ſe. *Quid reſpondit Dominus?* ſiquidem rogatus fuerit Deus: & *quid locutus eſt Dominus?* ſi nova facta ſit revelatio: Nihil judicando de eo, gratumne ſit vel ingratum; ſed ut oſtendatur qualecunque fuerit verbum Domini, quia Domini eſt, illud accipi obedienti & patienti animo; inque eo acquieſcere ſeque illi ſubjicere omni modo: ut Eli 1 Sam. 3. & Hizkias, Eſa. 39. Tale quid præſtitiſſe quis credat illos Ezek. 33: verſ. 30. &c. ſed fuit mera hypocriſis, uti etiam cap. 14: 1. &c. Sincerus erat Cornelius Act. 10: 32. &c.

Dehortatio verſ. 36. *Ne memoretis amplius* משא ה׳ *onus Domini*; ratio autem eſt, *unicuique onus erit proprium verbum, poſtquam* (1 cob. ſic ſæpius ſumitur) *pervertiſtis verba Dei vivi, Domini Zebaoth Dei noſtri.* Verba pervertentia verbum Dei ut illud rideant ſub ejuſmodi titulo Oneris, erunt dicenti unicuique oneri, ut novum contrahat reatum, graviſſimo oneri futurum, de quali agitur Pſal. 38: 5. Job. 7. verſ. 20. Matt. 11: 28. Joh. 3: 36. Malachiæ liber titulum habet oneris; nuſpiam autem frequentior contradictio & contemtus verbi Dei. Sic 2 Pet. 3: v. 16. Etenim eſt in hoc crimine profanatio nominis Dei, quam non dimittit impunitam. Si enim homines verba contemſiſſe & riſiſſe culpa non vacat; Pſ. 56: 6. &c. multo minus Dei; unde tot epitheta congeſta: Pervertiſtis verba, 1. להים Dei judicis venerandi, cujus juſtitia poſcit vindictam. 2. viventis, qui non ſupervivet contemtui ſuo ſuorumque verborum, ſed juſtiſſimæ ultioni Deut. 32: 35. 40. 3. Jehova, eſſentiam æque largiturus ſuis minis quam promiſſis. Ezek. 24: 14. 4. Zebaoth, ſive exercituum ratio habeatur, quos habet omnes creaturas, ejus mandatum exſpectantes, illico facturæ quod imperarit. Sive temporum, quorum moderamen habet. Dan. 2: 20, 21. 5. Deus noſter fœderatus, & hinc quoque ultionis jus habens Lev. 26. etiam ſic fidelis eſt, quando ultionem ſumit à fœdifragis. Ezek. 16: 59. III. repetita hortatio verſ. 36. eadem cum verſ. 34. ut ſeriò hoc inculcari liqueat.

Verſ. 38. *Sed quandoquidem oneroſam prophetiam Iehovæ dicitis: idcircò ſic ait Iehova, eo quod dicitis verbum iſtud, oneroſa prophetia Iehovæ: quamvis miſerim ad vos qui dicant, ne dicatis, oneroſa prophetia Jehovæ;*

Verſ. 39. *Idcirco ecce me, qui obliturus ſum veſtri indeſinenter: nam deſeram vos, & civitatem quam dederam vobis & majoribus veſtris*, abjectos *à conſpectu meo:*

Verſ. 40. *Et imponam vobis opprobrium perpetuum; ignominiamque perpetuam, quæ non poterit tradi oblivioni.*

III. *Inobedientibus minatur* verſ. 38, 39, 40. quorum crimen eſt, quod non obſtante interdicto divino, damnatâ formulâ uterentur, magna pertinacia & obſtinatione, adeoque vere manu elata verſ. 38. plane uti Jer. 44. verſ. 15. &c. Quam vero minatur pœnam verſ. 39. eſt generatim *Propterea ecce me.* Deus ſolus uti ſufficit ad omnem felicitatem, ſic quoque ad omnem miſeriam inferendam, 2 Theſ. 1: verſ. 9. & ſuper verſ. 30. &c. Speciatim autem *oblivio*, per paronomaſiam, משא & נשה. Queruntur de onere verborum meorum, ferent ergo oblivium à me. Non quod cadat in Deum oblivio, Act. 15: 18. Sed κατ' ἀνθρωποπάθειαν, ut non attendat ad hominem, fœderatum licet, nihil ei præſtet beneficii aut defenſionis, non ſecus ac ſi eum ſupereſſe non meminiſſet, aut ſibi ullo modo eſſe conjunctum: ſed tum meminit peccatorum. Lam. 5: 20. Hoſ. 4: 6. Jer. 14. verſ. 10. Poteſt etiam reddi, *tollend tollam vos*, (nam alterutrum peregrinam formam habet, ex permutatione quieſcientium tertiâ,) quod convenit cum II. *Deſertione*, de qua dicis, *Ego tollam & deſeram vos, & urbem* &c. *à facie meâ.* Sublata in altum & deſerta ruinam & lapſum habent certiſſimum graviſſimumque, juxta illud, tolluntur in altum ut lapſi graviore ruant. Job. 16: 12. Lam. 2: 1. &c. Lapſus autem à facie Domini, nempe gratioſa, eſt in abiiſſum, extremam perniciem. Pſal. 88: 15. III. *Ignominia* verſ. 40. Probrum & ignominia duratura diutiſſime, & futura in jugi recordatione. Grave illud perennem pati ignominiam: gravius ſic latere non poſſe. Quod experiuntur Judæi tot ſeculis, fine nondum apparente: experientur autem impii tandem in æternum Dan: 12: 2. Eſa. 66. verſ. ult. & cap. 65: 13. &c. Hujuſmodi minæ & alibi occurrunt. vid. Jer. 20: 11.

CONCIO XV.

CAP. XXIV.

UNico capite hæc Concio abſolvitur, agens de gemino corpore Eccleſiæ Judaicæ, quorum unum cum Jechoniâ exulabat in Babel, alterum cum Zedekia manebat Hieroſolymæ, & quid inter eos diſcriminis intercederet quoad proximitatem apud Deum ejuſque gratiam. Conſtat autem typo & antitypo.

Verſ. 1. Viſionem *oſtendit mihi Iehova; nempe ecce duo calathi ficuum compoſiti ante templum Jehovæ: poſtquam deportaſſet Nebucadretzar Rex Babylonis*

bylonię Jechonjam filium Jehojakimi Regis Iehudæ, Principesque Iehudæ, & fabros ipsos lignarios, ac fabros ferrarios Jeruschalaimis, & abduxissęt eos in *Babyloniam.*

Vers. 2. *Calathus unus* erat *ficuum bonarum valde quales* sunt *præcoces ficuum: & calathus alter ficuum malarum valde, quæ non possent comedi præ pravitate.*

Vers. 3. *Dicenti autem Jehovæ mihi, quid tu vides Iirmeja? dixi, ficus: has bonas ficus, bonas valde; illas verò malas valde, quæ non possunt comedi præ pravitate.*

Typus vers. 1--3. proponitur in genere & specie.

I. *In genere* vers. 1. quo variæ circumstantiæ declarantur.

1. *Autor* indicatur. *Videre fecit me Dominus.* Jehova rerum verarum autor, veram quoque visionem, verorum eventuum indicinam, fecit me videre. Pseudoprophetæ videbant visiones sui cordis Jer. 23: 16, 25, 26. Ast hic ex promisso Num. 12: 6. Ita Amos. 7: 1. &c. Fuit autem hoc beneficium, quod Deus non solum per verbum, sed etiam per visiones ageret cum prophetis, signa & parabolas proponeret, Hos. 12: 11. quemadmodum plerorunque historiæ ostendunt, & Ezekiel, Daniel plurimas visiones habuerunt, & parabolas, ac typos. Est vero hoc loco.

2. *Visio* ipsa. *Ecce duo corbes ficubus repleti.* quemadmodum Jer. 1. ipsi ostendit virgam amygdali (aut baculum vigilis nocturni) & bullientem ollam. Species duntaxat harum rerum oculis ejus representabantur, quia solum ista vidisse sufficiebat: Sed cap. 18. & 19. it. 13. res externæ materia sunt typorum, quia populum, ejusque seniores testes actionum debuit constituere. Sic cum Ezekiel מופת factus est Judæis fugam moliens, & uxorem non lugens.

3. *Locus*, ex condicto *collocati ante templum Domini.* Abrab. primitias significari retur, quæ ex mandato huc deferendæ erant: sed tum inferri oportuisset: quamquam alias corrupt: nonnunquam sic allata constet ab avaris ex Mal. 1: 8, 13. Siti erant hi corbes non in templo, sed extra illud, neque tamen loco longe dissito, & siti junctim, atque ex condicto, citati, ad tempus & locum definitum. Templum erat quasi thronus Dei, ubi præsentiam suam testabatur in terra, tribunal ubi judex sedebat, & hîc corbes isti collocati ante thronum ut de iis judicaret, hoc fine citatis, & quantum alter altero præstaret.

4. *Tempus*: postquam Jechonias în exilium fuerat deportatus. Is, consulente ut videtur Jeremia, cum Nebucadnetzar obsideret urbem, ne causam daret vastandi regni & urbis, semetipsum dedidit cum matre Angusta & Consiliariis, ut est 2 Reg. 24: 12. seq. Quod vero una artifices seu fabri abducti, factum exemplo Philistæorum 1 Sam. 13: 14. ne arma fabricarentur, cujusmodi artifices aluit Uzzias 2 Chron. 26: 14, 15. & hos voce מסגר sigillatim notari credit Kimchius. ex Ps. 35. Alii autem hos faciunt fabros ferarios, vel gemmarios, vel janitores, aut sapientes: prout quisque claudendi sensum commodissime aptari; putat. Certum est non fuisse vilissimos de plebe, sed quorum opera necessaria, ut defectus magno damno cederet. Coccejus Tribus, collegia mechanicorum Gilden / corporationes ut vocant: quod notandum fuit, cum hoc corpus deportatorum unum corbem faceret.

II. *In specie* declaratur descriptione ficuum geminâ. vers. 2. *unius corbis valde bonæ, ut præcoces*, desideratæ admodum; Sic Israel describitur Hos. 29: 10. *alterius valde malæ, ut esui non forent*, sive quoad saporem, sive quoad putredinem, & confirmatur, vers. 3. testimonio Jeremiæ, quem Deus judex desuper interrogat, ut de qualitate utriusque ordinis dicat sententiam. Neque enim Deus frustra signa edit, sed ea observari vult, ut de iis rite respondere queamus & rationem reddere.

Vers. 4. *Tum fuit verbum Jehovæ ad me dicendo,*

Antitypus vers. 4--10. habet declarationem typi. Etenim verbum solum adhibet Deus, signa non sola, sed juncta verbo. Typi Veteris Testamenti omnes verbum habuere additum. Sacrificia non cœperunt nisi post promissionem Messiæ: & typus Isaaci statim habuit additum verbum, *in semine tuo benedicentur &c.* Sic Iris, & circumcisio, & Zizith sive φυλακτήρια, Judæis olim signa facta sunt inutilia, imo damnosa, quod sejungerent a verbo, & umbris solis pascerentur, non tanquam umbris, cum relatione ad corpus, sed tanquam corporibus. Quod quotiescunque etiamnum fit, pariter damno cedit, cum signis opus operatum, quod vocant tribuitur. Porro Deus signi interpretationem dat, neque enim divinam analogiam constituere potest alius præter Deum. Abest omnis vis ad convincendas conscientias, nisi Deus verbo suo docuerit, se velle ut hæc nobis significentur. Cæterum in declaratione pro duplici conditione ficuum diversimode loquitur, de bonis, Jechoniam referentibus vers. 5, 6, 7. de malis, Zedekiam vers. 8, 9, 10. Jechonias & una deportati conferuntur bonis ficubus non absolutè, nam mali fuerunt Jer. 22: 20. &c. & cap. 13. sed secundum quid; quia justissimæ castigationi Dei se humiliter subjecerant, seque Nebucadnetzari tradiderant sponte. Jeremias docuerat, Deum dedisse regna vicina omnia Nebucadnezari, & ei obsequium debere omnes spontaneum, alioqui luituros rebellionem excidio; contra obtemperantes fore feliciores de cætero, cap. 25. octennio ante exilium Jechoniæ, & sub initio regni Jojakimi cap. 28. Cum ergo hic obsequens fuisset Jechonias, bonitatis elogium nactus est. Zedekias contra, cui deditio sæpius suasa à Jeremia, noluit sequi monentem Jer. 38. & 2 Chron. 36: 12. & hac propter ipse malis ficubus refertur. Sic differt, judicium Dei ab hominum, qui prorsus contrarium statuebant. Ezek. 11, 15, 16. Verum ex judicio temporali illato vel dilato non pendet judicium de bonitate vel malitia hominum. Luc. 13: 1. &c. Deus incipit castigationem a domo suâ Jer. 23: 29. 1 Pet. 4: 17. festinat contra eos virgis hominum Ps. 89: 33, 34. ne condemnentur cum mundo 1 Cor. 11: 32. adeoque est suis ultor & condonator Ps. 99: 8. Non ergo præcipitandum iudicium, ut ex afflictionibus æstimetur culpa. Hic error amicorum Jobi. & Ps. 73: 13. Hierosolymitani habebant sanctuarium sine Deo: Deportati Deum sine sanctuario, imo Deum sanctuarium. Tale enim est judicium Dei de ipsis.

Vers. 5. *Sic ait Iehova Deus Iisraëlis, ut ficus bonas istas: ita agnoscam deportatos Jehudæos, quos emisi ex loco hoc* in *terram Chaldæorum, in bonum.*

Vers. 6. *Et adjiciens oculos meos ad illos in bonum, reducam illos in terram hanc; ubi adificabo illos, ac non demoliar, & plantabo illos, ac non evellam.*

Vers. 7. *Nam inditurus sum illis cor ad cognoscendum me, me esse Jehovam, eruntque mihi populus, & ego ero illis Deus: quum reversi fuerint ad me ex toto corde suo.*

1. *Dc bonis* vers. 7, 6, 7. Præscribit nomen suum fœderale, ut promissionum major foret securitas. Bonis ficubus quæ reconduntur ad usum, aut ad delectationem confert *deportatos Judæ*, quos ipsemet ex patria in Chaldæam emisisset, quibus benefacturus erat. hoc enim est, *Agnoscam ad bonum?* Observabo illos præ cæteris erga quos exercebam benignitatem. Bonitas eorum erat non activa sanctitatis, & præstationis officiorum, hic rei ut qui maximè: sed passiva patientiæ, quod Deo castiganti se humiliter subjecissent: unde dicuntur non electi, quales inviti exturbantur, sed emissi, qui mandato Domini egrediuntur quo jusserit, etiam tunc ejus superioritatem agnoscentes, & reverentes. Hæc bonitas est Lam. 3: 27. &c. & bonitas fructuosa Heb. 12: 7, 9, 10, 11. Ps. 119: 67, 71. Deus eâ humilitate delectatur Ps. 51. & benefacit 1 Pet. 5: 6. exemplum veræ est Manasse 2 Chron. 33. Israel Jud. 10: 15, 16. & fictæ Achab 1 Reg. 21. unde Mich. 7: 9. Declarat porro bonum, quod istis esset præstiturus, idque multiplex.

I. *Fa-*

1. *Favor* ſuus verſ. 6. *Ponam oculum meum ſuper eos in bonum.* Cura hæc eſt ſollicita, ne quid mali noceat, ne quid boni deſit, ſaltem ut nunquam ſint indefenſi. *Oculus* Dei in bonum eſt conſilii Pſ. 32:8. protectionis Pſ. 33:18, 19. & 34:16. benedictionis Deut. 11:12. auxilii 2 Chron. 16:9. Cuſtodia certiſſima Pſ. 121:3. &c. Lux faciei. quæ melior omni impiorum abundantia Pſ. 4:7. &c. Pſ. 67:1. &c. Ex hoc fonte manant beneficia cætera.

2. *Corporalia.* verſ. 7. Nam inquit *rediri faciam ſuper hanc terram, & ædificabo ac plantabo*, cum prohibitione contrarii. Proinde nec perpetuum exilium erit, in quo ſunt, nec reſtitutis aliud exilium metuendum.

Quæritur an hæc promiſſio præſtita ſit? Non videtur. Redierunt ex Capt. Bab. Judæi, ſed non omnes; multi maluerunt manere in ſedibus exilii, metuentes ſervitutem æque gravem aut etiam graviorem in patria: & qui maximo numero in Aſiæ partibus Septentrionalibus & Orientalibus adhuc morantur, illorum reliquiæ ſunt & poſteritas. Reduces aliam & majorem deſtructionem & eradicationem paſſi ſunt, vaſtata domo ſecunda per Romanos, & diſſipato populo Judæorum per orbem Romanum, provinciaſque Europæas. Atque Jer. 18:9. &c, conditionalis eſt promiſſio plantationis & ædificationis: defectus conditionis fecit ut nova vaſtatio incubuerit. Reſp. Eſt iſtic conditionalis. Verum hoc loco immutabilitas proſperitatis ſignificatur: Ego ædificabo & non diruam; plantabo & non evellam: quomodo ædificatio plantatioque Dei perennat: nam Deo non evellente, diruente, quis diruet vel evellet? Præterea conditio quæ neceſſaria dicitur hic adeſt; hanc enim oſtendunt beneficia.

3. *Spiritualia.* verſ. 7. cognitio Dei: *Dabo ipſis cor ut me cognoſcant, quod ſim Dominus.* Talis cognitio juſta eſt gloriationis materia Ier. 9:24. quæ non eſt propriæ virtutis & perfectionis, ſed gratuiti muneris Dei. Joh. 17:32. Contra Deut. 29:4. Fœdus renovatum. Erunt mihi in populum, & ego ipſis in Deum. Reſipiſcentia ſincera: convertentur ad me toto corde. Hæc ſunt promiſſa N. Fœderis Deut. 30:2. &c. Jer. 31:33, 34. cap. 32: verſ. 39. &c. Ezek. 11:19. &c. cap. 36:26. &c. quæ ſtatuunt non defectionem à Deo, ſed conſtantem conjunctionem, idque Dei ipſius beneficio, dum novum cor largitur, (quale homo ſibi facere nequit,) Phil. 1:6. cap. 2:12, 13. Heb. 13:20. adeoque nulla hic conditio dubia, unde promiſſiones iſtæ fiant incertæ; ſed & res promiſſa, & conditio requiſita pariter à voluntate Dei, verbo veritatis ipſius patefacta manant, qui quicquid voluit facit, cum ſit veritas & non iniquitas Deut. 32:4. Quamobrem de complemento nequit eſſe dubium; quod hactenus præſtitum non eſſe æque indubium eſt. Nam accuſatio Stephani Act. 7:51. &c. ad ſua uſque tempora prorſus aliter affectos docet Iſraelitas, neque exinde meliores factos novimus, incumbente velamine Moſis cordibus ipſorum in hodiernum diem, ut non credant Evangelio 2 Cor. 3:14. &c. Cæterum in clauſula τὸ כִּי vel per *Nam* reddi poteſt, vel per *quando.* Converſio enim ſemper antecedit fruitionem fœderis Dei, Ezek. 36: v. 25-28. Qui adhuc hoſtis Dei contra militat, non eſt populus ejus, neque eſt in regno Chriſti & lucis, qui ſub poteſtate tenebrarum. Converſi à mortuis operibus ſerviunt Deo vivo, & quidem converſi toto corde Matt. 6:24. Eſt tamen hoc Dei fœderati futuri primum beneficium convertere, Hoſ. 14:5. *Sanabo averſiones veſtras* &c. Jer. 3: verſ. 22. Actor. 11. verſ. 18.

Verſ. 8. *Quemadmodum vero ficus iſtas malas quæ non poſſunt comedi præ pravitate (nam ſic ait Jehova) ita exponam Tzidkijam Regem Iehudæ, & Principes ejus, ac reſiduum Ieruſchalaimorum qui reſidui ſunt in terra hac, etiam qui habitaverint in terra Ægypti:*

Verſ. 9. *Exponam, inquam, eos commotioni in malum apud omnia regna terræ, opprobrio, & parabolæ, dicterio, & maledictioni in omnibus locis quo depulero eos:*

Verſ. 10. *Et mittam in eos gladium, famem, at peſtem: donec conſumti fuerint è terra quam dederam ipſis & majoribus ipſorum.*

II. *De malis* verſ. 8, 9, 10. Confert ficubus pravis verſ. 8 (ubi inſerta כִּי כֹה אָמַר יְהוָה reddenda, *Sic autem inquit Dominus.*) Zedekiam, principes populumque reſiduum, quotquot manſerunt in Cananæa, nec non habitantes in Ægypto Nulli tum temporis in Ægypto vivebant, cum Zedekia regnaret, quod quidem conſtet; Sed Deus conſcius futurorum, hos Judæos qui non deportati erant cum Jechonia, in duas partes diſtribuit, quoſdam qui manſerunt in Iſraelitide uſquedum & ipſi deportarentur in Babylonem; quoſdam qui non fuere una cum iſtis deportati ſed relicti à Chaldæis poſt trucidatum Gedaljam ſponte ſua in Ægyptum migrarunt, de quibus legere eſt Jer. 42, 43, 44. &c.

Pœnam indicat verſ. 9. *realem*, commotionem & malum *in omnibus regnis terræ*, ut Kaini inſtar vagi eſſent, maloafficerentur jugiter, nullo regno aut natione hoſpitium. præbente; *verbalem*, opprobria perpetua, ubique locorum. Eſtque notanda differentia: de prioribus dicit, *quos emiſi e loco hoc*: ſed de his, *quò eos expuli*, propulſavi: ut hoſtilis impetus ſignificetur.

Inſtrumenta pœnæ verſ. 10. bellum, fames, peſtis, uſque ad conſumtionem de terra Patria. Similia alibi leguntur, & Jer. 42:44. Dilata ego pœna tandem fit gravior. Primo mundo dati 120. anni, Amoræis 400. ſed tum pereunt. Satius ſæpius rationes inire Deum, & caſtigare, quam in longum differre, ut exterminatione ea abſolvatur.

CONCIO XVI.

CAP. XXV.

Verſ. 1. *Verbum quod fuit ad Jirmejam contra totum populum Jehudæ anno quarto Jehojakimi filii Joſchijæ Regis Iehudæ (qui annus eſt primus Nebucadretzaris Regis Babyloniæ.)*

Verſ. 2. *Quod eloquutus eſt Iirmeia Propheta, apud totum populum Jehudæ & apud omnes habitatores Ieruſchalaimorum, dicendo.*

HAbet INSCRIPTIONEM ſingularem verſ. 1, 2. quæ notatur.

I. *Objectum*, de *toto populo Judæ*; quotquot pertinerent ad regnum Juda, & Benjamine comprehenſo.

II. Tempus, *anno quarto Jojakimi*, & *primo Nebucadnezaris*: aſt Dan. 1:1, 2. dicitur tertio anno Jojakimi Nebucadnezarem obſedifſe Hieroſolymam & ea occupata, redacto in poteſtatem Jojakimo, partem vaſorum Sacrorum in Babylonem tranſtuliſſe. Hæc ne pugnare videantur notandum. Jojakimum annis XI. in univerſum regnaſſe, admotum regno à Pharaone Necho, cui fuit tributarius. Hujus anno tertio Dan. 1. conſummato, & quarto Jer. 25. currente, Nebucadnezar adiit regnum ſuum, & mox contra Jojakimum, fiduciarium & clientem Ægypti bellum ſuſcepit, ſubegitque ipſum, & ceu victor partem prætioſiſſimorum vaſorum templi abſtulit, & in idoleum ſuum tranſtulit, tanquam victo etiam Judæorum Deo, atque à Diis Babelis triumfato, & trophæa illis præſtante. Jojakim, qui nunc Nebucadnezari ſubditus factus fuit, per triennium fidem præſtitit ſervitutis, anno autem regniſui ſeptimo aut octavo rebellavit, atque immiſſis copiis Chaldæorum varie afflictus fuit; tandem vero anno undecimo altera vice à Nebucadnezare obſeſſus & victus, catenis conſtrictus, & in via Babelem verſus occiſus atque aſininâ ſepultura honeſtatus fuit. Trimeſtri autem poſt, filius Jechonias, patri ſurrogatus, abductus eſt in Babel, anno Nebucadnezaris ſeptimo, quemadmodum Zedekias (qui XI. annis regnavit,) ejuſdem decimo octavo anno. Sic Jer. 52:28. &c. figitur prima deportatio Judæ in ſeptimum Nebucadnezaris quæ Jechoniæ (nam prior illa anni primi, paucorum hominum ſelectorum fuit Dan. 1:2. ut deportationis nomen non mereretur)

ſecunda quæ Zedekiæ tempore in decimum octavum. Anno ſeq. decimo nono combuſtum templum & regia Jer. 52: 12. &c. & 29. Aſt vigeſimo tertio alia adhuc ſucceſſit, forte eorum, qui poſt cæterorum fugam in Ægyptum remanſerant, & de quibus ſuſpicio fuit, ſimiliter ſe ſubducturos obedientiæ Chaldæorum. Hæc ego Concio habita eſt ante primam obſidionem Hieroſolymæ per Nebucadnezarem, mox poſt hujus regni initium, cujus monarchiam prædixit continuaturam ad nepotem uſque, ut tempeſtive ſatis moniti fuerint Judæi, ab ſubeundam ſervitutem, quæ fuiſſet mitior, quo humiliores ipſi ad ſubmiſſionem, quod cap. 27. docetur.

Verſ. 2. habet obedientiam Prophetæ, tum inter Judæos, tum in metropoli exercitam, quod tamen non potuit non difficile eſſe, quoniam trienio ante ob concionem ſerveriorem vitæ periculum adierat, cap. 26.

Verſ. 3. *A decimo tertio anno Ioſchijæ filii Amonis Regis Iehudæ uſque in diem hunc* (*hic viceſimus tertius annus* eſt) *fuit verbum Iehovæ ad me: quod eloquutus ſum vobis inde à diluculo indeſinenter, nec tamen auſcultaſtis.*

Verſ. 4. *Miſit etiam Iehova ad vos omnes ſervos ſuos Prophetas inde à diluculo indeſinenter, quibus non auſcultaſtis* (*ac ne inclinaſtis* quidem *aurem veſtram ut audiretis.*)

Verſ. 5. *Qui dicerent, revertimini jam quisque à via ſua mala, & à pravitate actionum veſtrarum, ita manete in ea terra quam tradidit Iehova vobis & majoribus veſtris, à ſeculo uſque in ſeculum:*

Verſ. 6. *Et ne proſequamini deos alienos colendo eos & incurvando vos eis, neque provocetis me opere manuum veſtrarum, ut non malefaciam vobis.*

Heic vero occurrit I. Concio 3-14. II. Confirmatio typica verſ. 15-29. III. Declaratio gravitatis pœnæ verſ. 30-38.

I. Concio contra Judæos conſtat.

1. *Convictione* de Contumacia incorrigibili, adeoque invincibili: quo nomine conqueritur & expoſtulat,

2. *Ex propria experientia*, verſ. 3. quod longo tempore, totis 23 annis Siſiphi ſaxum quod dicitur volveret: orſus miniſterium 13 Joſiæ anno; quo vivente per 19 annos eo functus eſſet, & trimeſtri Salluni ſeu Joachazi, itemque tribus primis Jojakimi, cujus quartus jam fluebat; neque pepercifſet ulli labori, omni ſecordia omiſſâ; attamen fruſtra.

Sed an id verum de tempore Joſiæ? utique hic inſtituit reformationem fœderalem, & ut illa obſervaretur dedit operam 2 Reg. 23. 2 Chron. 34. Reſp. omnino licet enim tum magna fuerit mutatio morum, & aperta idololatria ubique profligata, tamen in populo cuncta hypocritica fuerunt Jer. 3: 6. &c. quamvis ſincerè pius foret Joſias ipſe: & quemadmodum Manaſſe mortuo Amon filius reformationem ejus deformatione abolevit, ſic quoque mortuo Joſia factum eſt, ut liquet ex Jer. 7. & 26. Inobedientes autem ſunt non tantum aperte impii, ſed etiam hypocritæ, Deo hos æque averſante.

2. *Ex aliorum experientia.* verſ. 4. Alios Prophetas pari induſtria verſatos, parem contumaciam oſtendiſſe: intelligens non coætaneos ſolum Zephaniam, Uriam, Huldam, alios, ſed etiam priores, qui tempore Amonis, Manaſſis, & retro vixerant: notatque hîc deliberatum conſilium, quod ne quidem aurem inclinare voluerint.

3. *Ex modo agendi omnium*, verſ. 5, 6, 7. atque hîc, quid urſerint in ſuis concionibus.

Generatim, verſ. 5. Reſipiſcentiam univerſalem quod ad perſonas, Conf. Ezek. 18: 30. & 14: 6. שובו והשיבו Luc. 2: 32. Pſ. 51: 15. *Revertimini quæſo*, vel *nunc*, citra dilationem. *unusquiſque*, & quod ad actiones, tum malas, ſimpliciter, *à viâ ſuâ mala*: tum bonas ſeu indifferentes, *ſecundum* quid, *& à malitia actionum veſtrarum*: cum cuivis aliquid vitii adhæreat, maxime iis quæ à conſuetudine publica accipiuut patrocinium, mos enim peſſimus conſiliarius. Iſtud poſtulat mutatio perſonæ & numeri, & quo argumento uſi ſint, *& habitate ſuper terram quam dedi vobis & patribus veſtris à ſeculo & uſque in ſeculum.* Jubent frui beneficio promiſſo, tanquam in ipſorummet foret poteſtate, quandoquidem donationis titulo poſſidebant, & rectè agentibus nullum erat amittendi periculum. Illud autem לסן עולם ועד עולם non eſt abſolutè intelligendum, ut Pſ. 90: 2. ſed uti loquimur a tempore immemorabili, quia octo vel novem ſecula fuerant in poſſeſſione terræ, & manſuri erant quoque ſiquidem officium facerent. Gen. 17: 8. Sic quoque Jer. 7: 5, 6, 7. ubi eadem phraſis. Ita מעולם eſt *ab olim*, longo & propemodum immemorabili tempore Joſ. 24: 2.

Verſ. 7. *Sed non auſcultaſtis mihi, dictum Iehovæ: ut provocaretis me opere manuum veſtrarum, malo veſtro.*

Speciatim, abſtinentiam ab idololatria verſ. 6. ne ſe addicerent illi vel corde, ſequendo illam, vel geſtu, incurvando: & quo argumento, ne ipſi provocarent Deum, Zeloten ſui honoris Deut. 32: 17, 18. & promiſſo, ſic nullo affectum iri à Deo damno, præcepto ſecundo.

Quo ſucceſſu porro egerint. verſ. 7. factum, inobedientia, cujus teſtis Deus: eventus reſpectu ipſorum, provocatio Dei, & damnum. Sic quoque Jer. 7: 23-27. & alibi frequenter. Hoc tantum obſervandum, Deum accurate attendere & meminiſſe, populoque imputare, quot conceſſerit prophetas verſ. 4. quot annis ſingulos verſ. 3. quo inſtinctu ſinguli docuerint verſ. 3, 4. qua induſtria, verſ. 3, 4. quæ doctrina in genere & ſpecie propoſita verſ. 5, 6. quibus argumentis comminationum & promiſſionum actum verſ. 5, 6. quoque tandem ſucceſſu verſ. 3, 4, 7. Ita de prophetis Matt. 23: 34. Jer. 7. 23. &c. de Annis Eſa. 1: 1. plus quam 60. ambo Hoſ. 1: 1. Mich. 1: 1. minimum 20. Jer. 1: 1. minimum 43. Inſtinctus, Jer. 17: 16. cap. 6: 11. cap. 20. Amoſ. 3: 8. & 7. Materia concionum, & argumenta eadem omnium; Jer. 11: 34. ut fœdus inculcarent. Succeſſus autem 2 Reg. 17: v. 14. &c. 2 Chron. 36: v. 12. &c. Dan. 9: 5. &c. Huc facit parabola de ficu Luc. 13: 6. &c.

Verſ. 8. *Idcircò ſic ait Iehova exercituum; eò quod non auſcultaſtis verbis meis:*

Verſ. 9. *Ecce ego miſſurus ſum ut aſſumam omnes nationes Aquilonis, dictum Jehovæ,* miſſurus *inquam ad Nebucad-retzarem Regem Babyloniæ ſervum meum; & adducturus illas contra terram hanc & contra habitatores ejus, atque contra omnes gentes iſtas circumquaque: quas internecioni devovens exponam eas deſolationi, & ſibilo, ac vaſtitatibus perpetuis.*

Verſ. 10. *Et faciam ut pereat ex eis vox gaudii, & vox lætitiæ, vox ſponſi & vox ſponſæ, ſonus molarum, & lux lucernæ:*

Verſ. 11. *Eritque tota terra iſta vaſtationi, & deſolationi: ac ſervient gentes iſtæ Regi Babyloniæ ſeptuaginta annis.*

II. *Denunciatione pœnæ.* verſ. 8--11.

1. Cujus *Autor* & cauſa verſ. 8. Deus ſuum nomen & potentiam opponit illi inobedientiæ. Deus enim ipſe non miniſtri, ultor eſt, ſiquidem fidele miniſterium ſucceſſu careat. Miniſtri dolent de vano labore Eſa. 49: 4, 5. Jer. 15: 10. &c. cap. 17: 15. &c. cap. 18: 18. &c. cap. 20: 7. &c. & lachrymantur Luc. 19: 41. Jer. 13: 17. Ultionem ſumit Deus Matt. 23: verſ. 35. &c. cui ea commendanda ut Jer. 36.

2. *Inſtrumenta* pœnæ verſ. 9. generatim quidem, *omnes familiæ Aquilonis*, & in ſpecie *Nebucadnezar* rex Babel cunctorum imperator. Quomodo ſe vere ſummum Belli ducem oſtendit. Legit militem definitis in locis, ex omnibus

bus familiis aquilonis, Chaldæos, Babylonios, Assyrios &c. mittit eò, & accipit eos, ut sub signa sua veniant: præficit Ducem, quem suis mandatis obnoxium habet; definit quo eundum, & quid faciendum. Sic est Deus exercituum Esa. 7: 18. &c. Jer. 5: 10, 15. &c. cap. 6: 4. &c. Joel. 2: 11. Sic Esa. 13: 1. &c. Neque tantum hominibus sed etiam aliis creaturis utitur pro lubitu ut sua bella gerant, Angelis Gen. 19. Exod. 12. Esa. 37. 2 Reg. 5. Ps. 34. Gen. 33: 1 Stellis Jud. 5: 20. grandine Jos. 10. igne, sulphure, tempestatibus, Gens. 19. Ps. 11. crabronibus Exod. 23. locustis Joel. 1. & quæ contra Ægyptios adhibuit insecta, animaliaque. Estque hic memorandus titulus Nebucadnezari datus, *Servus meus*: non quod singularis amoris indicium sit, ut Ps. 18: 1. & 116: 16. & 119: 124. &c. Ps. 134: 1. sed duntaxat necessarii ministerii; ut cœlum & terra Ps. 119: 91. qui faciant voluntatem mandantis; tametsi ejus voluntatem non habeant, quemadmodum conducti milites, qui parum attendunt quo ducantur, stipendii & prædæ duntaxat habentes rationem; sic Esa. 10: 4. &c. cap. 13: 1. &c. Ezek. 29. vers. 18. &c. Hinc Cyrus dicitur pastor & unctus Dei. Esa. 44: 28. cap. 45: 1. quem distinguit ab Israele servo suo distinguit vers. 4.

3. *Magnitudo* pœnæ est vers. 9, 10, 11. descripta.

(1.) *Ab objecto*, nempe *contra hanc terram ejusque incolas*, Judæ regnum intelligit, *& contra omnes finitimos populos*, quemadmodum in seqq. sigillatim enumerantur: quando Judæis omnem spem præcidit, quam ab ope finitimorum potuissent concipere, ut per Syncretismum communi hosti obviam irent; quemadmodum olim Cananæi Jos. 10: 10.

(2.) *Ab Effectu*, *anathema constituam eos* (quibus parcere non licet, Jos. 6. 1 Sam. 15.) & declaratur καθ' ὑπόστασιν *per desolationem, exsibilationem, & vastationes perpetuas*, termino obscuro hominibus, qui quidem quod ad Judæos 70. annis finitur, sed non item quod ad alias gentes vicinas, de quibus nihil certi indicatur. II. κατ' ἔφεσιν, vers. 10. periturum omne gaudium, tum indifferens, tum licitum *sponsi & sponsæ*, ad propagationem generis humani: tum necessarium, *molendinæ*, cui *lucem lampadis* conjungit, annonæ defectum illud, hoc laborandi oportunitatem perituram, Joh. 9: 4. sive defectu, sive metu hominum, sive ob paupertatem extremam, *Lampas* pro posteritate dicitur, 1 Reg. 11: v. 36. cap. 15. vers. 4. Ita quoque loquitur Jer. 7. v. 34. cap. 16: 9. Apoc. 18: 22, 23. κατ' ὑπόστασιν repetito, vers. 11.

(3.) *A Diuturnitate*, vers. 11. Servitutem fore *annorum* 70. omnibus gentilibus illis sub Nebucadnezare quamvis omnium vastitas non finiatur. Vulgo שׁלם de 50 annis intelligunt ex Exod. 21: 3. & Lev. 25. de jubilæo. Sed ita pari jure de 70 intelligendum, ex vers. 9. & 11. Verum neutrum congruit, & generalis significatus occulti termini servandus est, non Deo sed hominibus.

Vers. 12. *Deinde erit completis septuaginta annis*, ut *animadvertam in Regem Babyloniæ & in gentem illam, dictum Iehovæ, iniquitatem ipsorum, denique in terram Chaldæorum: exponamque* gentem *illam desolationibus perpetuis.*

Vers. 13. *Et adducam contra terram illam omnia verba mea quæ loquutus sum contra illam; quicquid scriptum est in libro isto, quod prophetavit Iirmeja contra omnes gentes istas.*

Vers. 14. *Quum servitutem exegerint ab his ipsis quoque gentibus amplis, & Regibus magnis, tum rependam eis secundum opus eorum, & secundum factum manuum eorum.*

III. *Consolatione Judæorum*, non quidem restitutionem pollicitus quod fit cap. 29: 10. sed tamen oppressoris pœnam; judicium Regi populo Babylonio immittendum. vers. 12-14. cujus judicii tempus, finitis 70 annis, (ut olim de Amoræis Gen. 15.) I. *Autor* Deus, *visitans* super regem & subditos, ministros potissimos in oppressione Israelis, *iniquitatem ipsorum*; ut justa sit pœna, sic Jer. 51: 34. &c. II. Pœna ipsa, *vastationes æternæ*, producendæ in longum. III. *Norma* exercendi judicii tum hujus, tum aliorum, Dei veritas, verbum per Prophetas, & sigillatim Jeremiam propositum vers. 13. cujus conciones leguntur cap. 46-51. juxta illud Amos. 3: 7. Rom. 2: 2. nec non ex lege talionis, vers. 14. IV. *Servitus* iis inferenda, qui alios debiliores servire coëgerant, à potentioribus quod factum à Medis & Persis, duce Dario Meda & Cyro, qui Babylonicam monarchiam sustulerunt, Persica substituta: quomodo par pari repensum erit. Sic Esa. 33: 1. exemplo Adonibezek, Jud. 1. Conf. Esa. 10: 12. Gen. 15: 13, 14. item Jer. 27: v. 7. Potissimum autem id fiet in fine mundi, 2 Thes. 1: 6. &c.

Vers. 15. *Nam sic edixit Jehova Deus Israëlis mihi, sume poculum istud vini, istud* poculum *excandescentiæ è manu mea: & bibendum dabis istud omnibus illis gentibus ad quas ego mitto te.*

Vers. 16. *Ut bibant & concutiantur atque insaniant, propter gladium quem ego missurus sum inter eas.*

II. *Confirmatio* typica vers. 15-29. sumta à potu inebriante sed solis malis, hic ante cap. 8: 14. cap. 9: 15. cap. 23. vers. 15. & imprimis cap. 13: 13. &c. Hic vero longius extendit & fusius declarat. Occurrit autem hîc,

I. *Mandatum Domini.* Is enim autor, *Nam sic* &c. Idem enim est qui denunciationem, hujusque confirmationem edit, penes quem arbitrium est pœnarum.

Quod jubet, typum habet, *Accipe de manu mea poculum vini, excandescientiam istam.* Sic enim verbotenus citra ellipsin, & quidem efficacius, Sacramentalem phrasin exhibendo. *Poculum*, aut vinum in poculo dicitur *excandescentia*, non quod esset, aut eam contineret, Sed quod eam significaret, uti in S. Cœna panis dicitur corpus, non quod sit, sed quod significet: & poculum, seu vinum in eo, dicitur N. T. in sanguine Christi, quod ejus sit signum. Alii ellipsin supplent, יין החמה, quemadmodum de poculo iræ legitur Esa. 51: 17-22. Ps. 75: 9. De hoc poculo jubetur *bibendum dare gentibus* variis, non ex proprio sed Dei mittentis arbitrio, quemadmodum in prima vocatione Jer. 1: 7.

Descriptus autem est vers. 16. *effectus* vini, quem biberent, commotio & titubatio membrorum corporis, & perturbatio mentis: Vino conferuntur quoad effectus bonos, dona gratiæ divinæ fragrantiæ Hos. 14: vers. 8. lætitiæ Cant. 1: v. 2-4. promti eloquii Zach. 9. vers. ult. Heic mali effectus attenduntur, ut judicia Dei repræsentet: vis penetrans, fumositas, quæ mentem turbet, nauseam stomacho moveat, tremula membra reddat, titubantes gressus, & lapsum præcipitem.

Tandem *signatum* indicat ab instrumento, cui effectus isti conveniant proprie. *Gladium*, seu bellum, à Nebucadnezare inferendum; quem Deus immittebat omnibus istis nationibus, ut omni calamitate subigerentur. Matt. 24: 6. memorantur bella & rumores bellorum, illis commotio membrorum, istis mentis perturbatio congruit. Sæpe poculi metaphora mala quæcunque & speciatim bellica denotantur, Psal. 75: vers. 9. & 60: 5. & 80: 6. Lam. 4. 21.

Vers. 17. *Itaque sumsi illud poculum è manu Jehovæ; ut bibendum darem omnibus istis gentibus ad quas mittebat me Jehova.*

II. *Obedientia* Prophetæ vers. 17: 29. Cuncta hæc in visione facta, quâ Deus voluntatem suam patefecit, & Propheta se probavit obsequentem, neque enim Deus manu sua poculum ipsi tradidit, aut ipse cum illo profectus est ad omnes istos reges, eosque non solum jussit sed etiam coëgit bibere. Consistit hæc obedientia.

In factis, vers. 17-26. & quidem.

(1.) *Generatim.* vers. 17. *Accepi calicem de manu Domini, & potavi omnes gentes ad quas me misit Dominus.* Armatus ipse fuit judiciis Dei, ferebat calicem, qui ira, gladius, ut penetraret in bibentium interiora Psal. 109: 18. Conf. Ps. 149: 6. &c. 2 Cor. 10: 6. attamen potestate restricta non

cta non ad alios quam missi sunt: nihil ex autoritate, arbitriove proprio. Ezek. 13: 22. & 19. cap. 3: 17. seq. Sunt ministri Oeconomi 1 Cor. 4: v. 1. qui unicuique liberorum demensum præbere debent. Matt. 24: 45. cibum & potum convenientem. Hi fastidientes Salutaris alimenti si juxta appetitum noxia, modo suavia palato, vorent, iidem œconomi medicamenta præbere debent, tormina in stomacho cientia, quo expurgentur mala. 1 Cor. 4: 21. cap. 5: 3. &c. & 13. 2 Cor. 12: 20.

Vers. 18. *Ieruschalaimis, & civitatibus Judææ, regibusque ejus, & principibus ejus, tradendo eos vastitati, desolationi, sibilo, & maledictioni ipso hodierno die:*

Vers. 19. *Parhoni Regi Ægypti & servis ejus, principibusque ejus & toti populo ejus:*

Vers. 20. *Et toti isti miscellaneæ turbæ, id est, omnibus Regibus terræ Hutzi, & omnibus regibus terræ Pelischthæorum, & Aschkeloni, & Hazzæ, Hekronique, & residuo Aschdodi:*

Vers. 21. *Edomæis, & Moabitis, & Hammonitis.*

Vers. 22. *Et omnibus Regibus Tyri, omnibusque Regibus Tzidonis, & omnibus Regibus regionis illius quæ est secundum mare.*

Vers. 23. *Item Dedani, & Themæ, Buzoque & omnibus amputatis latere.*

Vers. 24. *Id est, omnibus Regibus Arabiæ, & omnibus Regibus miscellaneæ turbæ habitantibus in deserto.*

Vers. 25. *Item omnibus Regibus Zimræi, omnibusque Regibus Helami & omnibus Regibus Mediæ.*

Vers. 26. *Et omnibus Regibus Aquilonis, propinquis & remotis uni cum altero, ac omnibus regnis cujusque regionis quæ est ex adverso hujus terræ, denique Rex Schescha ci bibet post istos.*

(2.) *Speciatim*, ubi enumerat nationes ad quas missus, illud eis obtulerat poculum vers. 18-26. Sunt autem,

א *Hierosolyma* metropolis, urbes Judæ cæteræ, & Magistratus summi ac subalterni; addito effectu, *vastatione* & desolatione (שמה etiam stuporem notat) uti ebriorum corpus vastatur, & mens desolatur, item *exsibilatione* & *maledictione*, quemadmodum ebrii titubantes corpore dericulo sunt, & mente etiam maledictioni: cujus jam habebant experientiam, saltem quod ad metum, bellum parante Nebucadnezare. Quod vero *Reges Iudæ* commemorat, respicit tres eodem tempore illo titulo gaudentes: Sallum Johanan, Joachaz, deductus in Ægyptum. Jojakim à Pharaone illi substitutus, & hujus filius Jojachin, quem pater sibi collegam constituit anno regni secundo, octenem. vers. 18.

ב *Ægyptus* cum rege & populo vers. 19. quibus plurimum Judæi fidebant, primi subigendi erunt post ipsos, ad meridiem Judææ.

ג Omnis ערב *mixta multitudo*, populi varii, rege carentes, qui non memoratur; quidam finitimos credunt Ægypto, vel intus, Lybios, vel extus inter Ægyptum & Palæstinam.

ד *Omnes reges terræ* Uz. in qua Job habitavit Job. 1: 1. quam circa Syriam Chamath aliqui collocant.

ה *Omnes reges terræ Philistæorum*, qui olim Satrapæ dicti, sed post regis titulum sumserunt, unde Achis rex Gath notus est: hanc urbem tamen David subegerat. 1 Chron. 18: 1. (attamen Achis aliquis tempore Salomonis ejus rex dicitur, filius Maacha: an frater uterinus Absalomi & germanus Thamaris? nam Maacham Ptolomæi Gesehuritæ regis viduam nupsisse volunt Hebræi Davidi, & Thamarem ex priori matrimonio natam, cui forte ille Achis addi potest, à Davide constitutus præfectus & rex victæ urbis. 1 Reg. 2. vers. 39. &c.) unde heic omittitur; recensentur autem reliquæ *Askalon*, *Gaza*, *Ekron*, & *residuum Asdodi*, nam Psammetichus pater P. Necho hanc per 29. annos obsederat, & maxima parte everterat, Herod. l. 2. hi ad occidentem Judææ. vers. 20.

ו *Edomæos.*

ז *Moabitas.*

ח *Ammonitas*, gentes notas, & per Lotum & Esavum consanguineas: ad Orientem. vers. 21.

ט *Tyrios.*

י *Zidonios*, quibus utrisque *reges* plures adscribit, forsan quod mercimoniis potentes variis in locis colonias civium haberent, quibus præfecti erant regio titulo.

יא *Reges Insulæ trans mare*, Europæi reges, ultra mare mediterraneum, tum insularum Cypri, Cretæ Siciliæ; tum continentis, Græciæ, Italiæ, cæterarumque ad Occidentem & Septentrionem terrarum, Joseph. l. 1. contra App. citat Megasthenem, qui Nebucadnezarem in Hispaniam penetrasse scripserit, & ex Libya & Iberia colonias in dextram regionem Ponti deduxisse vers. 22.

יב *Dedano* nepos Abrahami ex Ketura ex Jokshan, Gen. 25: 2, 3.

יג *Tema*, ab Ismaele descendit Ged. 25: 15.

יד *Buz* ex Nachore Gen. 22: 21.

טו *Præcisi angulo universi.* Arabiæ populi creduntur fuisse, qui à tonsura gentili nomen tulerint, Herod. de iis in Thalia l. 3. *dicunt Arabes tonderi sui capillamenti comam, tondentur autem in subrotundam formam, circumradentes tempora*, De his etiam Jer. 9: 26. cap. 49: 32. sermo est. Sunt vero ad Orientem Cananææ. v. 23.

טז *Omnes reges Arabiæ*, qui urbes incolebant,

יז *Reges mixtæ multitudinis, incolentis desertum*, quos Arabiæ desertæ adscribunt, Scenitas, Nomades, vers. 24.

יח *Reges Zimri*, in Arabia felici, ubi Zamarenos collocat Plinius.

יט *Reges Elam*, qui Persæ postea dicti videntur.

כ *Reges Mediæ*, vers. 25.

כא *Omnes reges Aquilonis, propinquos & longinquos*, qui Schytæ, & inde nati Tartari, aliique populi, *unus post alium*, quemadmodum bos depascit vicina, & sic progreditur pascendo, Num. 22: 1. &c.

כב *Omnia regna terræ, quæ super terra* culta sive οἰκουμένη: quippe omnia subjecta Nebucadnetzari cui par rex non fuit. Monarchia Nebucadnezaris longissime se extendit Jer. 27: 5, 6. & Dan. 2: 37. &c. Potest tamen hic universa terra dici, uti οἰκουμένη imperium Romanum Luc. 2: 1. Quidam לפני הארמה reddunt *juxta faciem hujus regionis*; ut solum finitimæ Cananææ intelligantur; sed hæc nominetenus enumerata; & dicta citata plus poscunt. Quousque autem pertingat, difficile est definire, atque hic subegit cunctos populos & regna hic commemorata; unde Babel dicitur poculum Dei inebrians terram Jer. 51: 7. juxta illud Esa. 10: 4, 5. sed quia duntaxat poculum, non ipsum vinum iræ, etiam ipsemet inebriari potest, ut Jer. 13: 12. &c. utres dicuntur qui vino iræ inebriantur, quemadmodum etiam ebriosus amphora appellatur: Amphora pendet de Bonoso, qui a Probo Imp. victus suspenso.

כג *Rex Scheschetb bibet post ipsos.* vers. 26. Non quidem eodem bello patietur, qui de cæteris triumphaturus erat, sed simili judicio puniendus postea; ut de eodem vino iræ bibendum ipsi esset. Quis ille rex sit, qui etiam Jer. 51: 41. nominatur, non multum laborandum. Hebræi consentiunt esse Babel, per μετάθεσιν, quem אתבש dicunt, ut ששך est בבל. Junius reddit, Babylonica voce, *convivia celebrans*, quæ Sache vocantur. Connotori autem tempus judicii exercendi, dum in conviviis agendis versarentur Dan. 5. quod etiam Herod. lib. 1. notavit, quando Cyrus potitus est urbe Babylonia.

Vers. 27. *Et dices eis, sic ait Jehova exercituum, Deus Iisraelis, bibite & inebriamini, etiam vomite, ac cadite ita ut non surgatis: propter gladium quem ego immissurus sum inter vos.*

Vers.

Verſ. 28. *Erit autem ſi renuant accipere poculum è manu tua bibendum, ut dicas eis, ſic ait Jehova exercituum, omnino bibituri eſtis.*

2. In dictis. verſ. 27--29. quibus.

(1) *Mandatum Dei inculcat*, quod omnibus illis gentibus inſinuandum, cum oblatione poculi verſ. 27. præfixo nomine & autoritate Dei, quem *Dominum Zebaoth Deum Iſraelis* dicit, notæ efficaciæ titulis. *Bibite*, (ut qui venenum bibit, malum ſuum haurit, quemadmodum qui cicutam bibebant apud veteres Pſ. 109: 18.) & *inebriamini*, (privati mente,) *vomite*, privati viribus, & ipſa interiora ejicientes: *cadite*, victi, ut pedes non amplius valeant ſuſtinendo corpori, & *non ſurgite*, defecti viribus ad erigendum denuo, ut ſubjugati maneatis: quæ graviter potis accidere ſolent. Heic vero explicatur vinum, *gladius*, inſuperabilis, non per ſe, ſed ob *mittentis* virtutem, ut verſ. 16. cui nemo reſiſtere poteſt Deut. 32: 41.

(2) *Nolentes urget*, verſ. 28. *Si qui abnuerint calicem illum recipere, dices, ſic dicit Dominus Zebaoth bibendo bibetis*, hoc eſt certiſſime. Fruſtranea eſt omnis tergiverſatio. Eſa. 28: 14. &c. quam primum ipſe jufſerit, parendum eſt, qui ſponte non vult coactus bibet Pſ. 75: 9. unde Chriſtus, cui longe amarius poculum, ſubmiſit ſe voluntati paternæ. Matt. 26: 42.

Verſ. 29. *Nam ecce in ea civitate quæ de nomine meo vocatur, ego initium feci afficiendi malis, & vos omnino impunes eſſetis? non eritis impunes, nam gladium ego proclamo contra omnes habitatores iſtius terræ, dictum Jehovæ exercituum.*

(3) *Convictionem addit* verſ. 29. ab exemplo, idem poculum Eccleſiæ præ, & præbetur primo, & judicium eſt univerſale in omnes. proinde impoſſible eſt ut evadat quiſquam. Jer. 49: 12. 1 Pet. 4: 17. Eccleſiæ non indulgetur, Jer. 10: 24. cap. 30: 11. cap. 46: 28. Hinc Exod. 34: 6, 7. Cur verò incipiat ab Eccleſia, non deſunt rationes. I. Deus in ea habitat tanquam in domo ſuâ. Judex domi ſuæ in liberis & famulitio propius obſervat, & verbis factiſque caſtigat perperam facta, quam facinora extraneorum. Amoſ. 3: 2. cap. 8: 12. citius matureſcunt peccata ad judicium. II. minus excuſabilis eſt quando edocta de voluntate Dei male agit, Pſ. 147: 19. &c. hinc Luc. 12: 47. III. Deus odium ſuum contra peccata etiam extraneis conſtare vult, ne indulgentiâ ſua foveat peccata. Lev. 22: 7. &c. Deut. 29. Attamen ſequuntur extranei, & horum pœna gravior. Babylon ultima, peſſimo loco eſt, Jer. 50: 51. Amoræi exſcinduntur. fæces manent, impiis Pſal. 75. 9. Hoc ſolamini Eccleſiæ, Eſa. 51: 22, 23. Lam. 4: 21, 22. 1 Pet. 4: 17, 18.

Verſ. 30. *Tu itaque prophetato ad illos omnia verba iſta: & dicas illis, Jehova ex alto rugiet, & ex habitatione ſanctitatis ſuæ edet vocem ſuam, omnino rugiet in habitaculo ſuo, celeuſma quale* eſt *calcantium efferet contra omnes habitatores iſtius terræ.*

Declaratio gravitatis pœnæ, verſ. 30--38. Heic. I. *In genere* verſ. 30. novo mandato prophetam inſtruit, poſt priora illa, aliquid porro adjiciendum eſſe, quod non minus terribile. Deus enim ſe repreſentari vult ceu leonem rugientem, quod non poteſt non terrori eſſe Amoſ. 3: verſ. 8.

Deſcribit autem ſe *a loco*, quod *ex alto*, loco *habitationis ſuæ ſanctitatis*, cœlo nempe Eſa. 57: 15. ubi majeſtatis ſummæ thronum habet, Eſa. 66: 1. indignationem ſuam teſtetur *rugiendo*, & *vocem edendo*. Ex altiori loco magis auditur vox, & ſonat terribilior, ut tonitru quod Dei vox dicitur Pſ. 29. Similitudo Leonis, Deo irato exprimenda, ſæpe adhibetur. Hoſ. 5: 14. cap. 13: 78. & rugitus minas ejus, jam jam ad prædam ſe accingentis, imo ea potiti Amoſ. 3: 4. Terror ergo ingens Joel 3: verſ. 16. Amoſ. 1. verſ. 2.

Indicat etiam *objectum* contra quos, (1) *contra Eccleſiam ſuam*, quam habitationem vocat. נוהו tugurium paſtorale, quia ipſe Paſtor in medio Eccleſiæ Pſ. 80: 1. quæ caulas ſuas habet juxta ipſum, ut defenſionem præſtet a lupis ab urſis & leonibus. Sed quam triſte Paſtorem mutari in leonem, & rugiendo rugire, ſuper caulam propriam tanquam inventa præda, quam olim ſolabatur voce, omnibus feris inſidiantibus impetumve facientibus ſolum terribili. Vid. Pſ. 78. Jer. 7. (2) *Contra gentes* cæteras, lætum celeuſma ſuper eas tollet, *ſicut vindemiatores*; vel excitando alios ad opus ſuum peragendum, vel ſemet ipſum ad vindictam, lætior clamor quo plus vini calcando exprimitur. Eſa. 36: 3. Apoc. 14: 19. &c. cap. 19: 15. Tale gaudium eſt Eſa. 1: 24. Jer. 5: 9, 29. cap. 9: 9.

Verſ. 31. *Pervadet ſtrepitus uſque ad extremitatem terræ, quia contentio* eſt *Jehovæ cum gentibus iſtis, diſceptat ipſe contra omnem carnem: improbos iſtos expoſiturus eſt gladio, dictum Jehovæ.*

II. *In ſpecie*, & *quidem*.

1. *Contra omnes gentes* promiſcue cujus proponitur.

(1) *Juſtitia* verſ. 31. *Venit tumultus ſtreperus*, (qualis ſonitus fluctuum maris Pſ. 65: 6. & irruentium populorum Pſ. 93: 3, 4.) *uſque ad extremum terræ*; Eſt hæc quaſi citatio, præconis voce peracta, ut cum fecialis, jus poſtulatum miſſus vocem extollit, non aliter ac Rabſake; quem a plebe audiri nolebant ſervi Hizkiæ, ne conſternarentur, & cauſa citationis, *quia Deo lis eſt*, & *in judicio contendet* non ut judex, ſed ut pars læſa, actor Belgæ Eſa. 66: 16. ſed hoc potius dicitur Mich. 6: 2. & Jer. 2: 9. Eſa. 5: 1. &c. per יהוה, eoque judicium exercebit, judicem ſe oſtendet; exſecutionem inſtituens, nam gladio tradit impios. uti Eſa. 66: 16. fit autem judicium contra omnem carnem, nullo hominum inde excepto, pœna tamen ſolos impios tangit & tollit. *Omnis caro* etiam ſumitur, de incolis Judææ Jer. 12: 12.

Verſ. 32. *Sic ait Jehova exercituum, ecce afflictio proceſſura* eſt *de gente in gentem, & turbo magnus excitabitur è lateribus terræ.*

Verſ. 33. *Eruntque confoſſi Jehovæ tempore illo ab extremitate una terræ ad alteram: non plangentur, neque recipientur, neque ſepelientur, pro fimo in ſuperficie terræ futuri ſunt.*

(2) *Gravitas* verſ. 32, 33. *Sic ait Dominus Zebaoth* qui autor; proprie quidem, *ecce malum egreditur*, tanquam a tribunali poſt ſententiam exſecutores judicii, de gente ad gentem, ut latiſſime malum ſe diffundat; metaph. autem, & *turbo maximus excitabitur a lateribus terræ*. Sic graviſſima judicia deſcribuntur Jer. 23: 19. cap. 4: 13. Eſa. 27: 8. quemadmodum autem venti ſurgunt ex mari, lateribus terræ, ſic hic Nebucadnetzarem & Babylonios intelligit, a latere horum populorum ſitos, qui futuri erant inſtrumenta Dei, quemadmodum iſtorum vicini contra ipſos tandem adhibendi.

Effectus verſ. 33. multitudo *cæſorum*, *ab extremo terræ ad extremum*, ut nulla gens quo tranſit malum, careat interfectis, & quidem Domini, ex hujus judicio. Hujuſque numeri argumentum, ut ſepeliri nequeant cadauera, ſed putreſcant in publico, quod poſt prælia majora nonnunquam factum; & minitatus Deus ſimilia Iſraeli Jer. 7: verſ. 9, 14.

Verſ. 34. *Ejulate paſtores, & clamate, & volutate vos magnifici pecuarii, quia completi ſunt dies veſtri ut mactemini:* dies *inquam diſperſionum veſtrarum, quibus cadetis, ut ut* ſitis *vaſa deſiderabilia:*

Verſ. 35. *Peribitque perfugium à paſtoribus, & ratio evadendi à magnificis pecuariis.*

2. *Contra Judæos* verſ. 34. &c.

(1) *Vocat* ad lamenta verſ. 34. (ut cap. 4: 8. cap. 6: 26. cap. 9: 17.) Compellat *Paſtores*, primores in Eccleſia & Republica Jer. 2: 8. cap. 23: 1. & *Excellentiores gregis*, qui divitiis, honoribus, potentia excellebant; vel ipſos paſtores, quatenus ejuſdem gregis membra, ſed potiſſima, ſub eodem paſtore ſummo Deo: Jubet *ejulare*, *clamare*, *ſe volutare* (nempe in pulvere cap. 6: 26.) lugentium more, qui pulverem inſpergebant capiti, in eo ſedebant, ſeque volutabant inſtar vermium. *Cauſam* dicit, quia tempus mactationis, & diſperſionis veniſſet, nonnullis gladio peritis, aliis in exilium pellendis. Hactenus fuerant tempora ſaginæ Deut. 32: 15. Hoſ. 13: 6. hiſce finitis quid aliud quam mactatio ſaginatorum reſtabat. Jer. 12; 3. *Effectum*, nempe *cadetis ut vas deſiderabile*. Sic vocat ob privilegium electionis in populum peculii Deut. 7: 6, 7. quod tamen æque fragile, quam vaſa alia, cum ex fragili argilla, vel vitro formatum, ſic amphora confracta Jer. 19. atque tunc redditur vas contemtibile, Hoſ. 8: 8.

Confirmat porrò inevitabilitatem judicii, adeoque completos tolerantiæ dies, verſ. 35. *peribit refugium à paſtoribus, & evaſio* &c. ne quidem potiſſimi invenient elabendi viam, ut ad mactationem non æque rapiantur, ac cæteri, ſed communis omnium erit conditio; aut quicquid etiam fiat de vilioribus & contemtis, ſaltem ditiores & potentiores, cæterorum duces & capita, neutiquam evadent. Nam ſi Deus nolit amplius tranſire tolerando Amoſ. 7: verſ. 8. cap. 8: 2. nemo tranſibit effugiendo. Amoſ. 9: 1, 2, 3, 4.

Verſ. 36. *Vox clamoſa paſtorum, ejulatuſque magnificorum pecuariorum* audietur, *quia vaſtaturus* eſt *Jehova paſcuum eorum.*

Verſ. 37. *Et ſuccidentur caulæ utentes pace, propter æſtum iræ Jehovæ.*

(2) *Deſcribit* conſummationem mali: Lamenta eorum quibus imperata fuerant, verſ. 36. *vox clamoris & ejulatus.* cujus cauſa, *vaſtatio paſcui ipſorum* quam Dominus ipſe peragat, operi illi inſtans, de qua ſæpius dixit. *Confirmatio* vaſtationis, verſ. 37. *ſilebunt caulæ pacis*; ubi antea tranquille degebant, nemine exterrente, & delitiabantur læti greges, ibi ſilentium erit, nullus ſtrepitus, exciſis habitatoribus: idque ob æſtum iræ Domini. Vel *deſolatæ ſunt caulæ pacis*, ob æſtum iræ Domini.

Verſ. 38. Æſtuantis, *ut juvenis leo derelinquens tugurium ſuum; nam erit terra iſtorum deſolationi propter æſtum* gladii *opprimentis, & propter æſtum iræ ipſius.*

Confirmandæ iræ facit verſ. 38. *Deſeruit ut leo ſuum tugurium*, hoc eſt Deus deſeruit ſuum templum quod dum incolebat ſicut leo, nemo poterat quicquam contra moliri, defendebat ſuam ſedem, ſed nunc deſeruit, & negligit, unde cuivis patet, ut deſolare queat. Vel. Deſeruit ſuum tugurium ut leo, qui dum iſtic latet, nihil damni patitur terra; ſed quando prodit nulla via tuta, cum rapiat, & laniet & devoret greges & homines. Sic quoque prodiit Deus; Eſa. 26. verſ. ult. nam teſtimonio eſt vaſtities terræ ipſorum, ob æſtum oppreſſoris, ob æſtum iræ ejus. Deum dicit oppreſſorem ex illa Leonis comparatione, qui nulla ratione habita quoſvis obvios proſternit, bonos maloſque quemadmodum in judiciis communibus nullo discrimine gladius & fames & peſtis graſſantur.

CAP. XXVI.

NOn concio hæc eſt, ſed hiſtoria, quæ occaſione concionis habitæ cap. 7. acciderint prophetæ. Nam liber Jeremiæ inſcribitur דברי, quia non ſolum conciones viſioneſque ejus complectitur, ſed etiam hiſtoriam vitæ & miniſterii. Repetitur ergo prolixa illa concio cap. 7, 8, 9. ſummatim, & addita temporis & eventus deſcriptione illuſtratur.

CONCIO habet I. deſignationem temporis, verſ. 1. II. commiſſionem & inſtructionem prophetæ. verſ. 2, 3. III. ſummam concionis. verſ. 4, 5, 6. IV. obedientiam prophetæ. verſ. 7.

Verſ. 1. *Principio regni Jehoiakimi filii Joſchijæ, Regis Jehudæ, fuit verbum hoc à Jehova, edicendo.*

Verſ. 2. *Sic ait Jehova, ſta in atrio domus Jehovæ, ut eloquaris apud omnes civitates Jehudæ venientes ad incurvandum ſe* in *domo Jehovæ, omnia verba quæ præcipio te eloqui eis, ne ſubtrahito verbum.*

Verſ. 3. Si *fortè auſcultantes revertantur quiſque à via ſua mala, ut pœniteat me mali quod ego cogito facere illis propter pravitatem actionum illorum.*

I. *Tempus* verſ. 1. quod cap. 7. notatum non fuerat, *Initio regni Jojakimi*; cum poſt mortem Joſiæ, hujus filius Joachaz, trimeſtris rex a Pharaone de poſitus, & in Ægyptum abductus, Jojakimus autem magno cum onere tributi ſurrogatus eſſet. Placatus ſic erat victor, tum vectigali lytro, tum cliente rege; ut non modo nihil ab Ægypto metuendum, ſed etiam auxilium ejus certum videretur, contra omnem aliam vim externam. Intus autem quæ poterat oriri inter Joſiæ filios æmulatio, exſtincta erat. Dum ergo ſub novo Rege omnes ſibi proſperitatem pollicentur, hanc legationem Deus demandavit Jeremiæ: ut doceret, fruſtra à mutatione regentum & regiminis exſpectari Reip. felicitatem. Sic a regno & Saule rege, reſutante id Samuele 1 Sam. 8. & cap. 12: 13 &c. & ult. Sic ab Abſalomo, a Rehabeamo, & Jeroboamo. Prov. 24: 21. cap. 28: 3. Sic quoque alias à mutatione ſperatur majus bonum; à mutato cœlo & ſolo, a mutata conditione & ſtatu. Sed contingit quod ægris & febricitantibus, lectos ſæpe mutantibus, nullo levamine, quia non in loco malum, qui deſeri poteſt, ſed in homine ipſo, una ſecum illud transferente; quod non ſanatum indies creſcit, & poſteriorem locum ſemper facit moleſtiorem. Sic contigit Evam & Lamechum decipi Gen. 4: 1. &c. cap. 5. Eſa. 59: 9, 11. Tum demum a novo regimine nova felicitas manabit, quando illud novum Zelum affert pro pietate, ut Pſ. 75. & 101. David, Aſa 2 Chron. 14: 15. Joſaphat cap. 17. Hizkiæ cap. 29. Verum alia jam dederat documenta Jojakim, ut dicitur Jer. 26: v. 20. &c. ut ſpes bonas merito ponere debuiſſent.

II. *Commiſſio* Dei ad prophetam, definit.

1. *Locum*, verſ. 2. *conſiſtere* jubet *in atrio domus Dei*, cap. 7: 2 *in porta domus Dei*. Atria fuere plura, Gentium, mulierum, Iſraelitarum marium, Sacerdotum. Hoc fuit locus Jeremiæ licitus, non populo. Ergo conſiſtere debuit in porta atrii Sacerdotum exteriori, quæ in atrio populi, ubi ille congregatus; ut ad ipſos loqui commodius poſſet. Quemadmodum audire nequeunt ſine prædicante Rom. 10: 14. &c. ſic prædicatio nulla ubi nulli audientes. Captanda illa loca, ubi conventus aguntur, ſic Chriſtus & Apoſtoli templum, idemque atrium populi frequentarunt, & Synagogas, & quandocunque concurſus fuit Matt. 5: 1. Luc. 5: 1. Act. 2: 3, 16, 17. Alieniſſimum autem inſtitutum tum monachorum, primum deſerta, deinde clauſtra incolentium, ut ab omni turba hominum ſemoti vivant, tum Sacerdotum in Papatu qui miſſas peragunt in choro, populo longe diſtante, vel etiam prorſus abſente. Equidem Joh. Baptiſta in deſerto verſatus eſt, ſed ut multitudini concurrenti concionaretur.

2. *Auditores* indicantur *omnes urbes Judæ*, hoc eſt incolæ illarum, unde veriſimile ſolenni feſto id factum cum omnes mares ſe ſiſtere tenebantur coram Domino; Jer. 7: 2. vocantur totus Juda, omnes ejus regni cives: *qui veniunt adoratum in domo Domini.* quod argumentum oportunæ dictionis prophetæ. Nuſpiam majori libertate inculcari debent mandata Dei, quam in domo ejus; & nullis majori jure inculcantur, quam iis qui ſua deſideria propoſituri veniunt.

siunt. nequit ulla fronte negare audientiam mandanti monentique Deo, qui eam a Deo suis postulatis concedi petit. Prov. 28: 9. cap. 1: 24. Esa. 65: 12. & 66: 4.

3. *Modus* est, *Loquere omnia verba, quæ tibi loquenda mandavi, non demes ullum verbum.* Non tantum adstringitur ad verba Dei, ut alia eorum loco usurpare, iisve admiscere prohibeatur: sed etiam ad omnia illa, ne quicquam. ausit omittere, adeoque minuere quod fieret, vel molliendo, quæ asperiora videri possent, vel subticendo, quæ offenderent, vel oblique & frigide proponendo, quæ sine vehementia non prosunt. Non solum Lex Mosis fuit proponenda & explicanda, sed applicatio quoque facienda, convincendi inobedientiæ apertæ, aut opertæ hypocriseos, quæ dum confluebant ad templum & exercitia cultus, sibi licentiam impietatis factam rebantur. Prudentia carnali abstinendum esse monet. Gal. 1: 10, 16. exemplo Baptista Matt. 3: 7. &c. Christi Matt. 12: 34. cap. 23: 33. &c. Commendantur Levitæ Deut. 33: 9, 10. contra Mal. 2: 7, 8. Zeph. 3: 4.

4. *Scopus* vers. 3. conversio & salus populi. Eapropter candide omnia Dei verba proponenda, ne quid negligatur quod valeat, ad persuadendam obedientiam, deserta impietate; adeoque ad effugienda mala denunciata: Deo non pœnitente, sed agente quod pœnitentes homines, ut quod dixerat, non faciat; quia nempe per conversionem alii fiunt, quam quibus denunciarat. Jer. 18: 8. &c. Ezek. 33: 11. Sic Joel. 2: 16. &c. Jon. 3. cap. Repræsentant prophetæ mala, non ut optent Jer. 17: 16. sed ut vitare studeant auditores, ea amoliendo, dum mutant vitam malam: quemadmodum si metæ signum refigatur, eò non collimant sagittarii, ut palum configant.

Vers. 4. *Itaque dices eis, sic ait Jehova; nisi auscultaveritis mihi, ut ambuletis in lege mea quam proposui vobis.*

Vers. 5. *Auscultando verbis servorum meorum Prophetarum quos ego mitto ad vos, ut inde à diluculo mittendi nondum auscultastis.*

Vers. 6. *Utique reddam domum hanc similem Schilunti, & civitatem hanc tradam maledictioni apud omnes gentes terræ.*

III. *Summa concionis.* vers. 4, 5, 6. est autem pars comminatoria duntaxat: Cui cap. 7. præmissa exhortatoria & promissoria. Peccatum est inobedientia erga Deum vers. 4. Si non auscultaveritis mihi, demonstranda auscultatione, ambulando in lege Dei; ceu in via, quæ normam itineris habet; præcisam docens excusationem ignorantiæ, quam posui ante faciem vestram. & obtemperando prophetis, qui a diligentia & constantia commendantur. vers. 5. additur argumentum a præterito crimine inobedientiæ. Pœna est vers. 6. tum contra templum, cui fidebant, tanquam Palladio Trojanorum aut ancili Romanorum; Silunti assimilandum: tum contra urbem, vastandam esse in summo gradu, ut omnibus gentibus fieret formula maledictionis. Nullum enim asylum adversantibus Deo ejusque ministris; quemadmodum homicida voluntarius ab altari rapiendus Exod. 21: 14. & Joab ad illud necatus 1 Reg. 2. quia non confert sanctitatem, sed polluitur a reis. ita quoque templo accidit per inobedientes Deo Esa. 1: 11. &c.

Vers. 7. *Audiebant autem Sacerdotes, ac Prophetæ, totusque populus, Jirmejam proloquentem verba ista in domo Jehovæ.*

IV. *Obedientia* prophetæ v. 7. observatis circumstantiis, auditorum; Sacerdotes, prophetæ, & totus populus: & loci in domo Dei, atrio videl. illius. Non ergo fuit territus humana autoritate, qui divinam attendebat; Sacerdotes & prophetæ erant primores in Ecclesia, ab iis pendebat populus: sedebant in cathedra, & leges docendi ferre, non accipere volebant. Non declinavit tamen dicere his præsentibus, quæ Deus mandarat, licet ingratissima: quemadmodum Micha 1 Reg. 22. Audiente etiam populo qui convenerat, ut testes forent eorum quæ dicerentur, & qui a universos ista attinebant.

EVENTUS concionis est *Judicium* desuper institutum geminum.

Vers. 8. *Quare fuit quum absolvisset Jirmeja proloqui quæcumque præceperat Jehova proloqui apud totum populum, ut prehenderent eum Sacerdotes, & Prophetæ, totusque populus ille, dicendo, omnino moriturus es.*

Vers. 9. *Cur prophetasti nomine Jehovæ, dicendo, similis Schilunti futura est domus hæc, & civitas hæc ita vastabitur ut nullus sit habitator? congregabaturque totus populus ad Jirmejam in domum Jehovæ.*

I. *Ecclesiasticum.* vers. 8, 9. ubi

1. *Tempus* notatur, vers. 8. *cum absolvisset loqui omnia sibi à Domino mandata.* Hoc quidem nihil vituperandum habet, quod audiverint, & ad finem usque audiverint. In ipso exordio jam satis duriter erat locutus; mendacia verba dixerat, fiduciam in templo, & cultum externum arguerat hypocriseos exprobrarat idololatriam, & doctorum insuper stoliditatem & impietatem. Sed patiuntur eum omnia absolvere, neque interrumpunt, si quæ forte sub extremum correcturus esset, aut saltem emolliturus. Audiendum est antequam judicetur, sic Nicodemus monet Joh. 7: 51. nam Exod. 23: 1. Iniquissimum inauditos condemnare, Act. 28: 22. aut media parte auditos Act. 7: 57. cap. 22: 22. aut exsequi ante cognitionem. Talia judicia Westfalica olim. Accusatus furti suspendebatur, & biduo aut triduo post cognoscebatur de facto: quod si reus deprehenderetur, relinquebatur in patibulo; alias si innocens, tumulabatur. aut præformatum habere judicium ante cognitionem, quemadmodum contra Nabothum 1 Reg. 21. & contra Christum Matt. 26. Joh. 11: 47. &c. & cap. 18: 13, 14.

2. *Judices* fuerunt *Sacerdotes & prophetæ & omnis populus* eum comprehenderunt. Illi erant ordinarii Doctores populi, quorum etiam cognitio de doctrina & doctoribus aliis: hi *comprehenderunt* ministerio populi, vel saltem eo inspectante & probante, ut Act. 21: 27. seq. quandoquidem aderant præfectus templi cum custodibus Jer. 20: 1. &c. Sic Act. 4: 1. &c. cap. 5: 17. &c. vers. 26. &c. cap. 6: 12. Sive ita egerint in templo, sive in atrio comprehensuro stiterint coram Synedrio, cujus conclave ibi erat: quod cum Apostolis & Stephano factum. Cæterum Sacerdotibus & prophetis judicibus, Deut. 17: 8. &c. conjungitur populus ceu testis dictorum: quia non sine testibus ad sententiam licebat progredi: & ea semper fuit tyrannorum Ecclesiasticorum hypocrisis, ne quid sine specie juris susciperent aut agerent.

3. *Judicium* fuit, *Moriendo morieris.* id est, certissime morieris: citra gratiam necaberis. sic condemnant ad necem. *Causamque* dicunt, vers. 9. *quare prophetasti in nomine Domini, hæc domus &c.* Fundabant actionem suam in Deut. 18: 20. &c. Ementitum esse credunt nomen Dei, quia talia prodidisset, quæ impossibilia rebantur, ut vel templum vel Hierosolyma exscinderentur, ex Ps. 132: 14. Verum communem errant errorem, promissiones conditionales absolute interpretando. Maxima pollicitus erat Deus Hierosolymæ & templo, sed omnia sub conditione obedientiæ Ps. 132: 12. &c. 1 Reg. 9: 3. &c. neque Jeremias aliter quam sub conditione erat locutus. Jer. 7: 5. &c. Adeoque culpa non erat penes Jeremiam, sed ipsosmet: qui mutabant domum Dei in speluncam latronum Jer. 7: 11. in idoleum vers. 30. Ezek. 8. Non amplius erat domus Dei, ubi nec opera Dei faciebant, & contrarios ipsi dominos statuebant incolas & possessores. quomodo exigebatur Dominus Ezek. 8: 9, 10. Promissiones Dei magnificæ sunt, sed quæ qualificationem poscunt eorum, quibus præstabuntur Luc. 10: 5. &c. Conditione variata, variantur denunciationes 1 Cor. 6: 9, 10, 11. Rom. 8: v. 8, 9. Generalis regula, *quæ Deus conjunxit, homo ne separet.* quod si hic considerassent Sacerdotes & prophetæ, non ita pronunciassent.

4. *Conſequens* erat, verſ. 9. quod *totus populus congregatus fuit contra Jeremiam in domum Domini.* Concurſus ſcl. plebis, quæ ſe junxit Doctoribus, in exſequenda ſententia; cum abſtuliſſent clavem cognitionis, ut omne judicium, de veritate religionis ſibi ſolis vendicarent, populus cœco impetu tractus fuit, quocunque vellent illi. Sic Joh. 7: 32, 47. &c. Matt. 27: 20. &c. Act. 21: 30. vel *ad Jeremiam*; ut concurſus ſit curioſitatis, ut Athenis Act. 17. & Epheſi cap. 19. Eſt enim iſte motus plebis; quemadmodum ventus fluctus maris commovet, ſic rumor quivis populum: Eſtque hæc cauſa conventus in domum Dei. non eodem Zelo ad cultum Dei coïbant. Arbitrati forte mox ad ſupplicium raptum iri Jeremiam, quo ſpectaculo paſcunt oculos plurimi.

Verſ. 10. *Audientes autem principes Jehudæ res iſtas, aſcenderunt è domo regis* in *domum Jehovæ: & conſederunt ad oſtium portæ Jehovæ recentioris.*

II. *Politicum* verſ. 10-24. ubi

1. *Judices*, verſ. 10. *Principes Judæ.* magiſtratus ſuperiores, non ſingularum urbium, ſed regni, qui ſenatum regium conſtituebant, & quorum conſeſſus in aulâ habebatur. Scil. 2 Chron. 19: 11. geminum fuit judicium, *Domini*, cujus præſes ſummus Sacerdos: non tantum Eccleſiaſtica, ſed etiam politica tractabat, ſed quæ definita lege Dei, Deut. 33: 10. quandoquidem politia ipſa à Deo erat ordinata. *Regis*, cujus præſes princeps aliquis, in iis quæ jura regni concernebant, pacis & belli, quod eſt egredi & ingredi & quæ Gentium reges poterant ex more, de vectigalibus, tributis, angariis, fiſci actionibus. 1 Sam. 8. cap. qualem Regem petierunt. Sanhed. cap. 6. *Eorum qui regio juſſu occiſi ſunt, bona cedunt fiſco: qui ex ſenatus ſententia hæredibus.* Coccej. Sanhed. verſ. 260. Utrobique vigebant capitalia judicia: & cum iſtud ceſſiſſet præſidibus Rom. poſt Herodem magnum, illud manſit, nam Joh. 18: 31, 28. dicitur non ob ſublatum jus, ſed quod feſto die exercitio abſtinendum erat; liquet ex Joh. 19: 6, 7. Act. 6: 12. &c. cap. 7: 57. &c. cap. 24: 6, 7. Cæterum heic quia res tumultuoſe gerebatur & ad ſeditionem ſpectare videbatur, ſiquidem concurſus fiebat populi, cauto opus erat, ne quid Reſpublica caperet detrimenti. Hac propter principes collegialiter procedunt *à domo regis ad domum Dei*, exciti rumore illo: uti Chiliarcha Act. 21: 31. & cap. 23: 10. Conſident autem non in templo, vel atrio ſacerdotum, ſed *ad oſtium novæ portæ*, Targ. *orientalem* dicit; ſive quod aliquid innovatum eſſet, aut nova ſtructura adjecta, quemadmodum reges quandoque nonnulla mutarunt, forte novus ingreſſus ex regiâ in templum; Quidam *Nova quod ibi novaretur doctrina, dum traditiones iſtic inculcarentur.* Abrab. ex veteribus. In portis autem exercebantur judicia, & fuere iſtic conclavia complura, ut liquet ex Jer. 36. Utrum hæc controverſia de juriſdictione juſta fuerit, ut quod Sacerdotes & prophetæ judicarunt, per Politicos reſcinderetur ad ſuam cognitionem revocatum, forte quis dubitaret ob ea quæ de gemino tribunal allata ſunt. Sed cum providentia divina, pro Jeremiæ innocentis incolumitate excubans, ſic omnia direxerit, veriſimile eſt ſuperioritatem eam fuiſſe Regis Senatus, maxime cum violenter ageretur ab Eccleſiaſticis, ut ex ſuo judicio illico capitalem pœnam ſtatuerent & exſequi pararent. Cavenda fuit cædes innocentum: & laudabilis ipſorum Zelus, qui accurrerunt ipſimet, ſine morâ, non defenſuri nocentem, ſed demum de noxa cogniturі. Sic cum Eccleſiaſtici olim tyrannice condemnarent pios, Principes ad ſe revocarunt judicia.

Verſ. 11. *Tum alloquuti ſunt Sacerdotes, & Prophetæ Principes illos, & omnes* Seniores *populi, dicendo: crimen capitale* eſt *in viro iſto, nam prophetavit contra civitatem hanc quemadmodum audiviſtis auribus veſtris.*

2. *Proceſſus* ipſe, conſtans

(1.) *Accuſatione* verſ. 11. Actores ſunt *Sacerdotes & prophetæ*, ordinarii nempe, quos Hieroſolymæ prophetas dixit cap. 23: 14, 15. ſic mutata ſcena, aliam ſuſtinent perſonam, quemadmodum etiam Synedrium apud Pilatum, Matt. 27. Joh. 18: 19. apud Felicem Act. 24. & Feſtum cap. 25. Agunt autem cauſam apud *Principes*, ceu Judices, & *populum* tanquam teſtes: hic autoritate Eccleſiaſtica motus, ſe illis voce & manu junxerat verſ. 8. aſt nunc politicâ ab illo inſtituto & Zelo abducitur; mobilis in omnem partem, inconſtantia ſua judicii ſui ineptitudinem declarans.

Concluſionem proponunt, *judicium mortis eſt viro huic*: reus mortis eſt. Matt. 26: 66. Joh. 19: 7. Act. 22: 22. argumentum probans, *prophetavit contra hanc urbem*; teſtes, *ſicut auribus veſtris audiviſtis.* Omnia membra accuſationis obſervant. Non dignantur eum nomine proprio, nedum dignitatis aut muneris, Sacerdos, propheta; capitalis criminis reus, non merebatur titulos. Crimen ipſum exaggerant, quia ſuæ autoritati & commodis adverſatus erat, nam templo & urbe everſis: ceſſaturum erat munus & lucrum ipſorum, quod ex oblationibus ad ipſos rediit. Sic enim hypocritæ ſolent: ut contra Stephanum Act. 6. & Paulum Act. 21.

Verſ. 12. *Tum alloquutus eſt Jirmeja omnes illos Principes totumque populum, dicendo: Jehova miſit me ad prophetandum contra domum hanc & contra civitatem hanc omnia verba quæ audiviſtis.*

Verſ. 13. *Nunc ergo bonas efficite vias veſtras, & actiones veſtras, auſcultate voci Iehova Dei veſtri: & pœnitebit Jehovam iſtius mali quod eloquutus eſt contra vos.*

Verſ. 14. *De me autem, ecce me in manu veſtra: facite mihi ut bonum & ut rectum* videtur *in oculis veſtris.*

Verſ. 15. *Verumtamen omnino ſcitote, ſi morte afficitis me, ſanguinem innocentem vos imponere vobis, & civitati huic, & habitatoribus ejus nam verè miſit me Iehova ad vos, ad proloquendum vobis audientibus omnia verba iſta.*

(2. *Defenſione* verſ. 12-15. Jeremias reus coram iiſdem judicibus cauſam ſuam agit.

(1) *Agnoſcit factum*, ſed ut ſimul indicet autoritatem mandantis Dei. verſ. 12. eoque vere ſe nomine Dei locutum, ceu ejus legatum. Nihil ergo revocat dictorum, aut emollit, juxta mandatum verſ. 2. (2) *Suggerit conſilium* de reſipiſcentia ſalutari v. 13. quemadmodum in ipſa concione dixerat Jer. 7: 3. &c. quomodo docet ſe conditionaliter locutum, neque carere calumniâ abſolute proponi ſua verba: quæ fuit teſtium contra Chriſtum & Stephanum agendi ratio. (3) *Permittit ſe judicio*, agnoſcens eorum poteſtatem judicandi, ut de ſe ſtatuere queant; verſ. 14. quam ſibi Pilatus poteſtatem arrogat Joh. 19: 10. &c. (4) *Proteſtatur tamen de injuria*, ſiquidem ſe necent, quia innocentem ſanguinem ſint fuſuri. 3. reatum illum impoſituri ſibi, judicibus, & urbi, & incolis ejus. 1. innocens ſit, qui legatum vere egerit ipſius Dei, cui neceſſario parendum fuerit ſibi in loquendo, & quidem ad ipſos, ad quos miſſus ſit. verſ. 15. &c. In hac defenſione nonnulla ſunt obſervatione digniſſima.

Primum Moderatio prophetæ, Reus capitis peragebatur in judicio, nullo titulo eum dignabantur, imo accuſabant mendacii, ementitæ miſſionis Dei, & negatæ promiſſionis divinæ; ipſi tamen nullum durius verbum excidit contra accuſatores. Sic Chriſtus Joh. 18: 23. & 1 Pet. 2: 23. Etenim maledicere convitiari grave peccatum eſt. Chriſtus accenſet homicidio Matt. 5: 22. eſt flamma gehennæ igne accenſæ Jac. 3: 6. Spiritum Sanctum contriſtans Eph. 4: 30. &c. non autem ab illo profectum aut dictatum. E. nequit eſſe opportunum medium defenſionis, quod reatum graviſſimum affert. Sic egit David 2 Sam. 16: 12. maledicta non adimunt innocentiam, licet Baptiſtam dicerent dæmoniacum manſit ille tamen major propheta Matt. 11: 9, 18. & Chri-

Christus gulosus & ebriosus consors impiorum, Samaritanus, Dæmoniacus appellatus, qui tamen nihilominus fuit filius Dei & Propheta maximus. Conformes nos esse decet Christo primum patiendo, & sic in gloria Rom. 8: vers. 17. 2 Tim. 2. 11. 1 Pet. 4: 13. Non aliter Apostoli 1 Cor. 4: 12. λοιδορούμενοι εὐλογοῦμεν, βλασφημούμενοι παρακαλοῦμεν. Conscientiæ si satisfactum, non opus ut satisfiat calumniæ, 2 Cor. 6: 8. ὡς πλάνοι καὶ ἀληθεῖς, hoc est in patientia possidere animam suam Luc. 21. vers. 19. Prov. 16: 32.

Adde, Fidelitas in munere est Prophetæ defensio. Dei nomine bona fide se locutum esse, neque aliud habere pro se dicendum. Sic causam olim egerat apud Deum Jer. 15: vers. 15. &c. & cap. 17: 16. &c. & Paulus 2 Cor. 4: 1. &c. & cap. 2. vers. ult. & Christus Joh. 12: 49. &c. cap. 8: vers. 29-48. &c. Fungens munere suo, nequit juste accusari, & si quid patiatur, non dolendi sed gaudendi habet argumentum 1 Pet. 4: 14, 15.

Ad hæc, licet accusati sint in potestate judicum, non tamen impune est illorum innocentiam opprimi. 2 Chron. 19. vers. 10. Naboth cum liberis potuit trucidari; sed Achabum & Jezebelem sustulit ultio divina. Injusti judices tandem coram justissimo comparere debent, cujus terrore merito commoventur 2 Chron. 19: v. 7. 1 Pet. 2: 23. inprimis quando oppressi eo modo sunt Prophetæ Matt. 22: 6, 7. cap. 23: 33. &c. Porrò quod *sanguinem innocentem incubiturum* dicit, est reatus sanguinis: & sanguis ille innocens, non est humor in venis illo nomine veniens apud physicos & medicos; neque enim in eo vel culpa est, vel innocentia, cujus motus naturalis, citra voluntatem hominis. Sed designat semper in illa phrasi animam, fontem omnium actionum, quæ reatu carent vel laborant: & animæ effusio, seu violenta ejus ex corpore exturbatio, sanguinis effusio dicitur, Psal. 72: 14. & 94: 21. Atque hunc reatum Deus vindicari vult, effusione animæ effundentis aliam Gen. 9: 5, 6. Num. 35: 30. &c. & ibi anima v. 31. & sanguis v. 33. Synonymos usurpantur. Hinc si cæsus incerto autore fuisset repertus, vicarius victimæ sanguis, seu anima fuit effundenda Deut. 21: 1. &c. Lev. 17. vers. 11.

Vers. 16. *Tunc dixerunt Principes illi, omnesque* Seniores *populi Sacerdotibus & Prophetis: nullum est in viro hoc crimen capitale, quum nomine Jehovæ Dei nostri sit alloquutus nos.*

(3.) *Sententia judiciali* vers. 16. pronunciata à *Principibus*, qui judicaturi consederant, accusationem defensionemque audierant. Quod quidem optime factum; aurem servarunt utrique parti: Neque tantum valuit vel autoritas Sacerdotum & Prophetarum, vel eorundem consensus, ut propterea voluerint ad ipsorum delationem statuere. Hoc quidem sibi vel futurum, vel deberi persuaserant: quibus de religione rite tradenda arbitrium deferendum rebantur, & quod statuissent, sequendum & exsequendum. Audiunt etiam pari æquitate Jeremiam, apologia utentem: & sic demum progrediuntur ad sententiæ dictionem. Præceps fuit David ad delationes Sibæ contra Mephibosethum. 2 Sam. 16: 1. &c. Sed æquior longe Nicodemus Joh. 7: 51. & 48. coll. item Festus Actor. 25: v. 16. Quod verò *populus* annumeretur Principibus, non fit ut æquentur potestate judicandi, suffragiumque eorum interveniisse dicatur: sed quia fuere approbatores sententiæ. Sic quidam interpretantur judicium piorum 1 Cor. 6: 2, 3. Sed cum & ipsi sint judicandi in ultimo judicio, qui coram tribunali constituentur 2 Cor. 5: 10. Matt. 25: 31. &c. utique non quadrat iis judicandi actus, non magis quam quivis absolutus in judicio dici potest judicasse seu condemnasse adversarium.

Apparet autem Levitas vulgi, facillime concitatur, & æque facile in contrariam partem impellitur. Sacerdotibus prætendentibus Zelum religionis, æque fervent, necemque postulant Jeremiæ: jam principibus aliud judicantibus, mox cum iisdem pro Jeremia stant. Sic plebs, Sacrificulis & Monachis hæreticos quosdam dicentibus, morteque afficiendos; furibunda sitivit illorum sanguinem: ast in Reformatione principum exemplum secuta est. Sic qui vitulum Aaronis adorarant, ad Mosis increpationem ornamenta ponunt & lugent. Nolunt ire in Cananæam ab exploratoribus concitati, Josuam etiam & Calebum lapidare parantes, post invito Deo & Mose eo contendunt. Ut multitudinis impetus non faciat ad justificandam sententiam, sed judicium deferendum est & exspectandum ab iis, qui a Deo judices constituti. Plebis judicium fuit in iconoclasiâ, sed quod non justificavit doctrinam veram, sed potius exosam reddidit, quasi seditione & tumultu ea constaret: quod objectum olim Christo Joh. 7: 12. Matt. 27: 63. Sed amolitus est Matt. 26: vers. 55. & Paulus Act. 24: 5. v. 12. cap. 22. vers. 8.

Sententia ipsa est, directa ad actores, *Huic viro non est judicium mortis*: plane contraria ipsorum postulato, quod proinde injustum esse declaratur. Additur ratio: *nam locutus est ad nos in nomine Domini nostri*: quæ est ipsa defensio Jeremiæ: sed cui aliquid adjiciunt emphaseos ergo; locutum esse *sibi*, & nomine Dei *sui*. Quod vero à Deo suo jussus dixerat, non poterat ipsi crimini verti; non magis quam si Rex per ministrum quendam aliquid denunciet, huic] eapropter lis moveri, nedum mors intentari potest. Scilicet declarant, Quicunque Dei nomine ejus voluntatem patefacit populo Dei, cujuscunque dignitatis & ordinis innocentem esse, quicquid etiam dixerit. Deus summus potest uniuscujusque opera uti, neque merito quis ei negarit os, linguamve, aut aliud membrum, asellus fuit concedendus Matt. 21. & qui manum Deo negavit, à Leone fuit dilaniatus 1 Reg. 20. Ergo si negare, culpam habet; præstare, nequit esse crimen. Act. 4: 19. cap. 5: 29. Potest tranquillam habere conscientiam, qui nomine Dei verba Dei loquitur: quamvis odia & persecutiones hominum sustinendas habeat. Æqua sententia eorum, qui Deum agnoscunt suum Deum, non condemnabit, sed absolvet.

Vers. 17. *Et surgentes quidam è Senioribus terræ alloquuti sunt totam congregationem populi dicendo.*

Argumenta in utramque partem allata vers. 16-24. non tam quod demum post sententiam pronunciatam producta sint. Sed quod partium ipsarum orationi sententia respondent. Cætera autem habent, quid alii contulerint, ut hac vel illac inclinarent judicum animos. Sunt autem illa tum favorabilia, tum odiosa, quibus annectitur, quæ prævaluerint, cujusque studio. Præmittitur d' criptio eorum, qui patroni fuerint in utraque causa, vers. 17. in genere quidem, *Et surrexerunt homines quidam*: Moris fuisse dicitur apud Hebræos, ut si quis reus mortis perageretur, per præconem fieret publicatio, qua excitabantur, quicunque aliquid ad defensam dicere possent, patrocinaturi accederent. Sanhedrin. 6, 7. verba præconis sunt, *Vir N. filius N. prodit lapidandus propter culpam talem*, & *N. atque N. sunt testes contra eum*, מי שיודע לו זכות יבא וילמוד עליו *quicunque innocentiæ ejus conscientiam habet, veniat*, & *de ipso eam doceat*. quod etiam circa Jesum Nazarenum dicunt observatum totis 40 diebus, sed nemine pro ipso se offerente in vespera Paschatis fuisse suspensum. Quod si attendamus, plane series historica fuerit observata, ut post sententiam pronunciatam adhuc auditi fuerint, qui pro vel contra Jeremiam quid haberent dicendum; per quos cum rursum ancipiti loco res constitueretur, Achikam effecerit, ut prior sententia firma rataque maneret, neque rescinderetur. Coccej. Sanhedrin. pag. 45. Cæterum qui prodiere aliquid dicturi de casu controverso fuerunt *de Senioribus terræ*: vel ætate solum, qui superiorum temporum habebant memoriam, vel etiam quod potius, munere, magistratus Hierosolymæ & aliarum urbium, qui ad festum & in templum venerant; non potestate judicum, quales summi Synedrii Senatores erant in causa Pseudoprophetæ, & jam Senatores regii erant futuri; sed privati, attamen autoritate majores plebejis. Hi locuti sunt *ad universum cœtum populi*, vel quod sententia jam pronunciata esset, uti tum omnes suam de ea dicere amant, quâ vel probant aut improbant, vel ante eam, ad omnium notitiam hæc pertinere arbitrati.

Vers. 18. *Mica Morasthites prophetabat temporibus Chizkiæ regis Iehudæ: & alloquebatur totum populum Iehudæ, dicendo, sic ait Iehova exercituum, Tzijon* ut *ager arabitur, & urbs Ieruschalaimorum*

in *cumulos erit, & mons hujus domus in excelsa silvosa.*

Vers. 19. *An omnino morte affecerunt illum Chizkija Rex Iehudæ & totus Iehuda? an non reveritus est Iehovam? imò quum deprecatus est faciem Iehovæ, pœnituit Iehovam illius mali quod eloquutus fuerat contra eos: nos ergo facimus malum magnum contra nos ipsos.*

Prodeuntes autem isti Exemplis agunt, ceu re judicatâ, ac stant.

a. *Pro Jeremia*, vers. 18, 19. producunt exemplum & applicant. Exemplum est *Michæ* Prophetæ, non illius qui sub Achabo vixit, sed Moraschtitæ coætanei Jesaiæ, sub Hizkiâ. Cujus (*a*) *personam* describunt à nomine & patria, (*b*) tum *concionis circumstantias*, à tempore, *in diebus regis Hiskiæ*, & ab auditoribus, *toto populo Iudæ*, ut publice quoque egisse constet: (*c*) Inde *concionis periocham* unam, summam omnium complectentem, quæ simillima illi de qua lis movebatur, *Zion agri instar arabitur, Hierosolyma in cumulum lapidum abibit, & mons templi in sylvam horridam degenerabit.* Legitur Mich. 3: 12. ubi non minori vehementia actum legimus; Propheta testante vim Spiritus Sancti se agentem ad ea recitanda, vers. 18. quibus severissime accusat Magistratus, Sacerdotes & Prophetas pari securitate viventes tanquàm ob præsentiam cultus externi extra omne periculum forent: & concludit, *porpterea propter vos Zion* &c. Nihil ergo novum & insolitum egerat Jeremias: ab antiquo simillimæ voces Prophetarum fuerant auditæ, quibus summorum crimina, & extrema mala describerentur. sic Esa. 1. & alibi: ut nemini foret vitio vertendum, si ita loqueretur. Omni tempore oportunæ sunt conciones severiores, cum omni tempore homines mali natura Gen. 6: 5. cap. 8: 21. quam utique non deponunt penitus: & hypocrisis nocentissima qua sibi homines blandiuntur, altius rimanda & producenda in lucem, unde Apostoli non abstinuerunt à severitate. (*d*) Unquam *eventum* vers. 19. negative, *an Hizkia vel populus eum necarunt* (הרמת המיתוהו duplicatio pertinet ad emphasin, an illico necarunt? citra moram, ut actores poscebant,) nullum fuit conceptum odium contra Prophetam, nedum exercitum; non loquentem, sed sermonem attenderunt, Faciunt autem mentionem, non Esaiæ συγχρόνε, sed Michæ, quia ille, uti quidem traditio habet, regii generis, patruelis Jothami, cujus nepos Hizkia, cognationis titulo immunis fuisse credi poterat: at hic vilioris originis, exiguæ urbis civis, nullam extrinsecus commendationem habebat, quæ eum tueretur, siquidem quid contra Rempubl. seditiosum dixisset. Affirmative. *annon timuit Dominum?* fuit ille metus vindicis Dei ut Psal. 119: 120. dolor tamen non secundum mundum, qui solum pœnæ metu detestatur peccatum: sed secundum Deum, qui offensam Dei ad animum revocat, & justam ejus iram; unde secuta deprecatio, supplex, quâ vim attulit iræ ejus, חלה פנים, conf. Exod. 32: 10. coll. Ps. 106: v. 23. vid. Ezek. 22: 30. &c. cap. 13: 5. Esa. 27: 4, 5. & gratiosa pœnæ denunciatæ remotio: qualem Deus promiserat Jer. 18. vers. 6. &c. & Jeremias repetierat cap. 7: vers. 3. &c. & hic vers. 13. *Applicatio* est, *magnum ergo malum admittimus contra animas nostras.* Factum Hizkiæ laudabile, nostrum ergo culpabile, quod prorsus contrarium: ille iram Dei denunciatam respiscentia à se removit, nos novo reatu nos ipsos obstringimus, etiam hanc ob causam, quod exemplis non moveamur, quæ vim habent in utramque partem, ut bona ad fidem virtutemque excitent, mala à peccatis deterreant 1 Cor. 10: 6. &c. Jud. vers. 7. Rom. 4. Heb. 12: 1. Phil. 3: 17. Cumprimis ostenditur quomodo conciones severiores audiendæ. Qui offensus condemnatione nomine Dei facta; mendaces constituere studeat minas: sic non opus os obstruere ipsis vel imperato silentio, vel præciso aut præcluso gutture; fiet autem dum semetipsum mutarit, eamque mutationem Deo approbarit; sic impetrabit remotionem denunciati eventus, & non fiet quod dictum fuerat: quod factum Jon. 3. ægre id ferente Jona cap. 4. sed male. Optandum ut sic mendaces fiant Prophetæ, immo ipsi id optant, quia tum auditorum saluti consulitur, quorum indemnitati laborant; Neque tamen vere mendacium est in sermone ipsorum, multo minus Dei, quem proponunt, sed in peccantibus: qui dum alii sunt, non ipsis quicquam dictum est; quibus tamen verissime dicebatur, quam diu tales erant 1 Cor. 6: 9. &c.

Vers. 20. *Et quamvis etiam quidam prophetans nomine Iehovæ, Urija filius Schemahjæ ex Kirjath-Ieharimis, prophetasset contra civitatem hanc & contra terram hanc omnino secundum verba Jirmejæ.*

Vers. 21. *Quumque audivisset Rex Iehojakim & omnes potentes ejus, omnesque; Principes verba ejus, & quæsivisset Rex eum afficere morte (quod audiens Urija timuit, fugiensque venit in Ægyptum:*

Vers. 22. *Sed misit Rex Jehojakim quosdam in Ægyptum, Elnathanem filium Hacboris, & alios cum eo in Ægyptum.*

Vers. 23. *Qui educentes Urijam ex Ægypto, reduxerunt eum ad Regem Iehojakimum) & percussisset eum gladio: abjecissetque cadaver ejus in sepulcra popularium:*

b. *Contra Jeremiam*, vers. 20. &c. licet enim non fiat mentio aliorum narrantium, non tamen ab iisdem dictum videtur, ut peccaturos se necando prophetam docerent, qui simili tyrannide & injustitia contra Uriam patrata rei facti essent. neque enim tunc ultimus versus satis congruit, qui molestiam aliquam in vindicando Jeremiâ susceptam ostendit, lite rursum inclinata in partem contrariam. Dictum fuerat surrexisse quosdam senes terræ, qui non illico idem sensisse credendi sunt, sed prout sunt ingenia hominum in diversa iisse, & quosdam antiquos potius mores, alios præsentes amasse. Igitur ut illi priscum factum produxerunt, ita hi recens. Referunt autem congruum plane cum facto Jeremiæ factum, & tum illius eventum, cui proinde similis eventus nunc postuletur. Describunt hominem, qui se gesserit pro propheta, *vaticinatus in nomine Domini*, Videntur autem istud habuisse prætextus instar. quod omnibus, veris & falsis, solenne foret, nomen Domini suis vaticiniis præscribere, aut præmittere.

a. Ejus indicant nomen, & genus, & patriam. *Patris* nomen ad commendationem generis pertinere solet, & Hebræi vatum patres etiam ipsos vates fuisse rentur.

b. *Concionem* tribuunt simillimam cum ea quæ Jeremiæ, *contra urbem & terram*; ut vastationem & exilium denunciasse sit verisimile.

c. *Eventus*, est ejus cædes,

d. *Tentata*, vers. 21. autor *Jojakim Rex*, (adeoque admodum recens fuit exemplum, nam initio regni ejus Jeremiæ concio habita & lis hæc desuper mota fuit: quod argumento fuit Senioribus istis, ne regem offenderent, sed præjudicio illo uti favorem ejus sibi pararent vel confirmarent.) Occasio, *audiverat ipse & fortes & principes*, militares & politici, sagati & togati: ut abunde testium foret; non tamen ullus præter regem approbasse, nedum suasisse, legitur; sed solus Rex voluit eum neci dare, quemadmodum ejus impietatis fuit, etiam aliud consulentibus ministris, ut est Jer. 36. attamen non opposuerunt se, non ausi sub exordium imperii se adversos ostendere, ne loco moverentur.

e. *Declinata*. vers. 21. Urias re cognita abiit in exilium, in Ægyptum concedens. quomodo humanæ fragilitatis exemplum dedit, uti etiam Elias 1 Reg. 19. Equidem si quis sigillatim petatur; ordinariorum doctorum fugere licet. Ecclesia aliorum ope fruente: quemadmodum tunc fuit Jeremias, sed extraordinarie excitati, extraordinariam quoque constantiam probare debent Amos. 7: 12. &c. Fugit autem imprudenter. Elias concessit in desertum, ubi nemo prodere poterat, Urias ivit in Ægyptum, ubi & culpæ species nascebatur nova, & minus defensæ sperari poterat. Illa: quia enim Joachaz deductus fuerat in Ægyptum

ptum captivus, Jojakimo ſurrogato, eo fugiſſe ſpectare videbatur ad ſeditionem, quaſi Joachazum ad ſpem regni erigere pararet. Iſta: cum enim Jojakimus cliens eſſet Pharaonis ab ipſo regnum conſecutus, neutiquam rebelles illius hic patrocinium ſperare poterant, quod factum.

3. *Conſummata* verſ. 22: 23. cujus (1.) *antecedens* captivitas. Miſſa legatione in Ægyptum, rebellem fugitivum repetiturus ad pœnam, a Pharaone ſcil. a quo cum regnum haberet, etiam defenſionem in regno poſcebat. Nam a Rege petiiſſe perſuadet ſplendida legatio, cujus caput Elnathan filius Achbor unus principum, cujus pater una cum Hilkia Sacerdote & Ahikamo, & Saphane, & Aſaja, ablegati fuerant ad Huldam, nomine Joſiæ regis eam conſulturi 2 Reg. 22: 12, 14. Ipſe vero ſocer regis Jojakimi, cujus uxor Nehuſta Elnathanis filia fuiſſe dicitur ibid. verſ. 8. Utrum conſcius fuerit truculentiæ regiæ & odii in Prophetam, incertum eſt: forte rebellionis ſquam rex prætexebat cauſam egit, & generi ſecuritati proſpectum voluit, unde ipſum ceu fidiſſimum huic negotio gerendo adhibuit. Poſtmodum tamen oſtendit ſibi talia non placere, qui ſimilia machinantem contra Jeremiam non laudavit, ſed ſe alienum declaravit verbis factiſque Jer. 36: 12, 19, 25. Heic eâ legatione impetravit ſibi tradi Uriam captivum, quem Hieroſolymam reductum Regi tradidit. (2.) *Modus*, gladio interemtus fuit; non ut pſeudopropheta, qui lapidandus Deut. 13: 10. ſed ut læſæ majeſtatis reus, perduellis, qui conſpiraſſet contra Regem, & cum Sallumo conſilia agitaſſet. Naboth lapidatus fuit, quia ſimul & Deum & Regem blaſphemaſſe dictus, & prius crimen lapidatione punitur Lev. 24. poſterius tum nece liberorum, tum confiſcatione. Maimon. Melach. cap. 3. §. 12. אין למלך דשורת להרוג אלא בסייף בלבר (3.) *Conſequens* ſepultura inhoneſta, corpus projectum in vilia ſepulchra: ut paterno tumulo condi eum paſſus non ſit: eoque ceu perduellem habuerit. Hæc porro hiſtoria eò pertinebat, ut ſimilia ſtatuerentur in Jeremiam.

Verſ. 24. *Verumtamen manus Achikami filii Schapanis adfuit Jirmejæ; ut non traderet eum in manum populi ad morte afficiendum ipſum.*

c. *Succeſſus* contrariorum exemplorum allatorum verſ. 24. Jeremias liberatus eſt, ut non traderetur populo, exſecutionem facturo, adeo mobiles ſunt, ut ad regis voluntatem ſe attemperare voluerint, quando audiverunt ob prophetiam ſuam necatum fuiſſe Uriam; religionem ſumturi ex regis arbitrio, ac damnaturi, quos illi diſplicere arbitrabantur. Potiſſimus autem defenſor fuit *Ahikam filius Saphanis*, laudatus ſub Joſia in legatione ad Huldam, & qui nunc quoque nihil remiſit de pietate. Neque caruit res moleſtia aliqua. Veriſimile eſt oſtendiſſe, Uriam non ob concionem, ſed fugam ſuſpectam rebellionis luiſſe, eoque Jeremiæ cauſam prorſus aliam eſſe, neque Regi eſſe reum. Sic ergo Jeremias non ſine difficultate evaſit, Deo ei excitante defenſorem, quod promiſerat. Jer. 1: 18, 19.

CONCIO XVII.

CAP. XXVII.

HÆc *CONCIO* continetur cap. 27. ſed proximo cap. 28. eventus refertur, quomodo & impugnata & defenſa fuerit. Tribus partibus conſtat caput hoc. I. Deſignatione temporis, verſ. 1. & 3. II. Typo verſ. 2. ejuſque Applicatione tum ad exteros verſ. 3--11. tum ad Judæos verſ. 12--15. III. De Vaſis templi ad populum verſ. 16--22.

Verſ. 1. *In principio regni Jehojakimi filii Joſchijæ regis Iehudæ; fuit verbum hoc ad Iirmejam à Iehova, edicendo:*

Verſ. 2. *Sic edixit Iehova mihi, compara tibi vincula & lora; quæ indas collo tuo.*

Verſ. 3. *Deinde mittes illa ad Regem Edomæorum, & ad Regem Moabitarum, & ad Regem Hammonitarum, & ad Regem Tyri: & ad Regem Tzidonis; per legatos qui venturi ſunt Ieruſchalaima ad Tzidkijaw Regem Jehudæ.*

I. TEMPORIS deſignatio gemina eſt,

1. *Revelationis* verſ. 1. *ſub initia regni Jojakimi.* Forte poſtquam tam male ceſſerat prior concio, ut vix ſalvo capite exiret à judicio gemino, adeoque pateret ideſperata populi improbitas, & regis contra prophetas odium, Deus de novo patefecit Prophetæ ſuam voluntatem, de Nebucadnetzaris monarchiâ eum erudiens. Veruntamen ſic præſtitit Deus illud Amoſ. 3: 7. neque enim illicò revelata ſibi recitavit, ſed per annos undecim ad minimum preſſit, non tergiverſando contra voluntatem Dei, ſed obſequendo, quæ definivit tempus.

II. *Publicationis*, verſ. 3. ineunte regnum *Zedekiæ*, adeoque poſt Jojakimi mortem & Jechoniæ exilium. Sunt qui corruptelæ accuſent hunc tertum, alterutro loco credentes mendum eſſe variati nominis, utrobique poſcentes Jojakimi aut Zedekiæ nomen: quibus pluribus annis ante id mandatum minus credunt probabile. Sed humanæ ſapientiæ iſtud argumentum eſt. Deus, qui ſe talem futurorum prædictione demonſtrat Eſa. 41; 26. etiam aliàs quædam Jeremiæ dixit, quæ diu poſt ſortirentur effectum, ut Jer. 32. Heic indicavit quantopere fureret Jojakimus contra Prophetas, & laboraret de ſtabiliendo regno ſuo, in conſortium adſcito octenni filio, non fore ei regnum ſtabile, ſed & ipſum & filium ſummotum iri, & illud derivandum ad Zedekiam, qui a vicinis regibus eo nomine ſalutandus ſit. Imo cum demum Zedekiæ nomen conſecutus fuerit, quando eum regno admovit Nebucadnetzar, cum ante diceretur Mattathia, forſan non novit Jeremias tunc quis ille Zedekias futurus eſſet, ſaltem id didicit, talem fore tandem regem ſive jam natus, ſive demum naſciturus, ut 1 Reg. 13: 1, 2. ut eopſe ſciret non ante ſibi hoc agendum, quam talem regem Juda obtinuiſſet. Simul autem pertinuit ad ſolatium Prophetæ, quicquid etiam moliturus eſſet Jojakim, & cæteri hoſtes ejus in Eccleſia aut Rep. irritas fore omnes ipſorum machinationes; ſu[illegible] fore enim ad illud uſque tempus regnaturi Zedekiæ, ut quod tunc ſibi agendum præſtaret. Conf. Luc. 13: 31. &c: Confirmationi etiam ſerviit tamdiu dilata concio; ut cum vidiſſet poſt tam varias mutationes regnum ad Zedekiam aliquem veniſſe, neutiquam hæſitaret, quæ illi Zedekiæ dicenda acceperat, non caritura ſucceſſu. Interim quarto anno Jojakimi monarchiam Nebucadnetzaris propoſuit, & typo calicis confirmavit cap. 28. ſed hoc typo abſtinuit.

II. CONCIO TYPICA de ſervitute verſ. 2. ſeq. ubi imperatur.

I. *Typus*, verſ. 2. Jubetur *conficere vincula & juga*; מוטות *lora* quidam reddiderunt; ſed exponitur per עול verſ. 8, 12. & cap. 28: 2, 11, 14. & ibid. verſ. 13. pro מוטות עץ ferrea conficere jubetur, atqui lora nec ferrea nec lignea confieri poſſunt, ut Juga, qualia boum arantium collo imponuntur, veniant intelligenda: quibus illis adimitur libertas, tenentur dura ſervitute, quam excutere nequeunt, ſed pro voluntate domini ire coguntur quo voluerit, & opus facere quam diu voluerit. Hæc proinde juga ſuo *collo circumponere* & vinculis alligare debuit, ut duratura ſervitus ſignificaretur. Cæterum hæc facienda fuerunt, non in viſione, ſed actu ipſo, quod cap. 28. oſtendit, quando jugum illud ipſi ademtum, fractum, ſed ab ipſo ferreum ejus loco fuit paratum. Poculum iræ in viſione circumlatum eſt, ſed heic rem ipſam repræſentari voluit Deus, neque licuit Prophetæ detrectare obſequium, quemadmodum etiam circa Zonam cap. 13. & Ezekiel aliquoties cap. 4: 5, 12, 24. Eſaias nudipes obambulavit cap. 20. Deo jubente omnia decent, neque enim quicquam magis decere poteſt, quam obſequium Deo præſtitum. Licet homines aliter judicent, non ab ipſorum moribus aut judicio dependet decus & ornamenta, ſed Dens facit omnia pulchra ſuo tempore. Sic Hoſ. 1. nihil indecori coram Deo admiſſum, qui nunquam jubet peccatum: & quamvis turpe coram mundanis oculis, ipſo obſequio

quio honestata omnia, neque Prophetæ quid turpe adscribi potuit, sed uxori, olim scorto, & spurios ubique secum ducenti in opprobrium prioris vitæ; quemadmodum Deo nihil decessit populi turpitudine: quam hâc ratione adumbratam Deus voluit. Quia vero grave id videbatur carni & sanguini, tali habitu in publico spectari, tamque dura etiam peregrinis regibus per legatos loqui, tanto tempore ante Deus eum monuit, ut se componeret ad obedientiam, & quicquid absterrere poterat vinceret. Docent illa omnia, simpliciter Deo mandanti parendum, non respiciendo, neque deliberando secum. Gal. 1: 16. 2 Cor. 2: 17.

II. *Applicatio typi*, & quidem

I. *Ad gentes externas.* vers. 3. &c. quæ fit (1) *Factis* vers. 3. Juga quæ induerat ipse, sibique alligarat, mittere jussus est ad reges finitimos quandoque, ad meridiem *Edomæum*, ad orientem *Moabitam* & *Ammonitam*, ad occidentem, *Tyrium* & *Zidonium*; finitimos Judææ, instrumenta autem dicuntur adscisenda ipsorummet *legati*, *qui Hierosolymam venerant ad Zedekiam.* Non dicitur quo anno Zedekiæ ad factum, sive hi legati accesserint gratulatum novo regi, ut Davidi victori gratulatus est Thoi rex Chamath 2 Sam. 8: 9. &c. & Salomoni regi Hiram rex Tyri 2 Chron. 2. seu potius ut cum illo agerent de sociali fœdere, ut quia finitimi, & singuli impares sustinendæ potentiæ Babylonicæ, junctis consiliis & viribus obviam irent, quod ipsorum institutum justam causam dedit, huic denunciationi, ne irrito conatu se opponerent, pessum alioqui ituri.

Est verò hic quæstio: an fas fuerit Prophetæ Legatis peregrinorum regum talia dare mandata, quæ prorsus abhorrebant ab ipsorum conditione. Missi erant ad regem, non ad ipsum; neque ille politico munere gaudebat, ut cum legatis agere posset. Habet speciem πολυπραγμοσύνης & ἀλλοτριεπισκοπίας. Non fertur ut Doctores Ecclesiæ se misceant rebus politicis, & de pace & bello velint sententiam dicere. Non passi sunt illud reges; maxime si duriora responderent. Verum excusat eos 1. extraordinarium mandatum & missio Dei: Sic Elias interdixit legatis regiis ne irent Ekronem 2 Reg. 1. Hanani reprehendit Asam ob fœdus cum Syris 2 Chron. 16: 7. & Josaphatum Jehu Hanani filius, itemque Eliezer cap. 19, & 20. & alius ad Amaziam ob Edomæorum devictorum Deos adscitos cap. 25. quorum aliquibus indignatio vel etiam vis repensa. 2. Si consulti fuerint, ut Micha 1 Reg. 22. & Esaias Esa. 36: 37. Jeremias Jer. 21: & 37, 38. Atenim insuper Esaias inquisivit in legatos & eorum dicta & facta Esa. 39. verum neque hoc citra mandatum Dei, quemadmodum etiam cum fœdus Ægyptiacum improbavit Esa. 30: 31. Nunc cum extraordinaria ejusmodi mandata non dentur, non temere est improbandum fœdus, quod summæ potestates ineunt, quandoquidem secreta status eis non constant, neque a Deo patefiunt consilia hominum, at enim in genere licet monere, ne quid fiat, quo Dei fœdus violetur, siquidem fiducia quæ in Deum figenda fuerat, tribuatur, collocetur-que in hominibus, quomodo non potest non Deus provocari Esa. 30. & 31. Licet enim monere & absterrere a peccatis, etsi non æquis auribus audiantur ejusmodi cohortationes, 2 Chron. 25: 15. seqq.

Vers. 4. *Et mandabis illis ut dominis suis indicant, sic ait Iehova exercituum Deus Iisraelis, sic indicitote dominis vestris:*

(2) *Verbis* vers. 4. &c. neque enim typi intelliguntur ritè, nisi verba accesserint. hac propter uti jussit deferre juga ad legantes reges cum loris, sic quoque mandata dedit de addenda explicatione, quæ & autoritatem mittentis Dei, & imperium ejus declararent. Constat autem omnis ista oratio Præfatione vers. 4. Propositione juris, vers. 5 facti vers. 6, 7. successus vers. 8. Applicatione dehortante vers. 9, 10. adhortante vers. 11.

a. *Præfatio* est ad legatos vers. 4. majestatem suam inculcat Deus, se *dicere*, *qui Jehova*, omnis essentiæ autor, *Zebaoth* omnium exercituum temporumque Dominus ac moderator, *Deus Israelis*, ubi solum agnoscendum se dederit & colendum ex suo præscripto, cui obedientiam negare nequeant, quo minus sua mandata accipiant, & ad legantes suos referant, quibus ipse superior statuendi de ipsis jus habeat absolutum.

Vers. 5. *Ego feci terram, homines & jumenta quæ sunt in superficie terræ virtute mea maxima, & brachio meo extento, ideo trado illam cui rectum videtur in oculis meis.*

b Nam *Propositio* indicat

a Dei jus vers. 5. quod regna terræ pro suo arbitrio distribuat: cui fundamentum præstruit (α) Creationem. *Feci terram*, sedem & territorium regnorum, hominem & jumenta, qui subditi sunt regnorum, & modus productionis, robore meo magno, brachioque extenso, infinita virtute, qua ex nihilo produxit, & in eum ordinem redegit, ut leges quoque regendi & parendi dederit, quando homines Dominos constituit, & bruta his parere jussit Gen. 1: 28. quo etiam pertinet extensio brachii, quæ regimen Dei omnipotens designat, ut in vindiciis Israelis ex Ægypto, & Ps. 74: 11. & heic quoque (β) Conservationem comprehendit, quæ fecerat, ut qui tum vivebant homines & jumenta, in terra forent. Sed cur nullam mentionem facit cœli, quod æque conditum ac reliqua? Gen. 1: 1. Jer. 10: 12. Resp. Ps. 115: 16. Ejus regimen sibi soli servat nulli hominum concessit unquam quamvis Pæpistæ sanctis ejus faciant potestatem aliquam. Jus autem hinc sibi esse ostendit de terra & incolis disponendi pro lubitu, ut Esa. 40: 22. &c. Dan. 2: 37. cap. 4: 25: 35. cap. 5: 22. Psal. 75: 7 &c. & 76: 13. Etenim Matt. 20: 15. quia est possessor cœli & terræ quomodo loquitur Melchizedek Gen. 14: 19. & Matt. 11: 25, 26. ubi ex hoc fundamento arcessitur arbitrium patefaciendi sua mysteria, & viam salutis. Et sane cum in terræ distributione, atque eorum quæ in terra, utatur suo lubitu Deut. 32: 8. Act. 17: 26. *Do*, inquit hic, *cui rectum est in oculis meis*, (non spectatur unius dignitas, alterius indignitas, sed merum ipsius beneplacitum, cum quod ad ipsum omnes pares sint, inæqualitas autem omnis fluat ex Dei distributione liberrimâ, citra ullius injuriam, qui nulli quid debet, ut acquiescendum sit in iis quæ dat, nec invidendum alteri cui plus datum, quum quæ quivis ipse possidet semper longe majora sint, quam quibus est dignus, vita & halitus & omnia; vivere, moveri, & esse in Deo Act. 17: 25-28.) quanto magis in distributione regni cœlestis ita agere par est. Jac. 2: 5. 1 Cor. 1: 26. &c. & tamen hic de jure suo lis Deo moveri solet: quod Deo afferitur Rom. 9. vers. 10. &c. longe majus quam figuli qui non facit sed invenit lutum, & tamen eo pro suo lubitu utitur; atqui Deus homines condidit, ut sui sint productione prima, eoque etiam usurpatione ad eos usus & fines, quibus placuerit destinare.

Vers. 6. *Nunc itaque ego trado omnes regiones istas in manum Nebucad-netzaris Regis Babyloniæ servi mei: quin etiam bestias agri trado ei ut serviant ei.*

Vers. 7. *Servient autem ei omnes istæ gentes, filioque ejus, & nepoti ejus; donec adveniat tempus terræ ipsius etiam illud, quum servitutem exigent ab eo gentes amplæ & Reges magni.*

b Factum Dei ex illo jure vers. 6, 7. qui terræ suæ & hominum jumentorumque dominium homini cuidam dedisset, cujus donationis circumstantiæ sunt, (α) Cui, *Nebucadnezari*, quem *servum suum* vocat, ut Jer. 25: 12. &c. id est, instrumentum exsequendi sui judicii. (β) quid: *omnes hasce terras*, quandoque regum, quorum legatis loquebatur: imo etiam *bruta in ea*, pari conditione, *ad serviendum* ipsi: ut quemadmodum feris captis venatione uti licet pro lubitu, nec rationem de illis reddere oportet ipsismet, nullo pacto interveniente, ita quoque plenissima potestate gavisurus sit, & merum servitium incumbere victis: ut Neh. 9: 36, 37. Dan. 5: 18, 19. majori jure quam Pharao, qui emtione servos habebat Ægyptios, ipsorum corpora, & jumenta, & agros. Et porro *omnes gentes*, ut Jer. 25. dictum & Dan. 2: 37. (γ) Quamdiu, in secundam generationem *ipsi, filio, & nepoti*: Nebucadnezar Evilmeradacho, & Balta-

fari, qui ultimus ejus monarchiæ fuit; nam cum ejus imperio conjungitur finis terræ ipsius: ut quæ dominatrix fuerat, in servitutem redigatur: cujus conversionis instrumenta sunt, Gentes multæ, & reges magni; Medi quidem & Persæ potissimi, sed etiam alii, qui se vendicarunt rursus in libertatem, aut aliis cesserunt minoris famæ regnis: quod etiam cap. 25. dictum, expressa quoque periodo temporis, exactis 70 annis. Unde liquet, quando Deus largitur magnam potestatem in terrâ, sibi tamen summum jus servare, ut ad placitum habeat quis, amissurus iterum & cessurus alteri, quando danti visum fuerit. Ps. 75. & 107: 40. Estque observanda differentia bonorum; spiritualia certa sunt, sunt ἀμεταμέλητα Rom. 11: 29. quippe pendent & quod ad initium, & continuationem, & consumationem à mera Dei gratia & operatione Phil. 1: 6. cap. 2: 13. Heb. 13: v. 21. Psal. 138. vers. ult. terrena incerta, & subjecta pœnitentiæ 1 Sam. 15: 11. Jer. 18: 9, 10. non quod propria sit pœnitentia in Deo, Num. 23: 19. sed quod sub conditione data, si ea deficiat, mutatio sequatur; quæ pœnitentiæ dantis adscribitur, cum revera sit inconstantiæ accipientis.

Vers. 8. *Erit igitur ut in gentem illam & in regnum illud quæ non servient ipsi Nebucad-netzari Regi Babyloniæ, & quæ non indet collum suum jugo Regis Babyloniæ; gladio & fame, ac peste animadvertam in gentem istam, dictum Iehovæ, donec consumsero eas manu illius.*

c. *Successus* vers. 8. qui servitutem detrectabunt, neque voluntarie subibunt jugum, judiciis divinis subigentur & absumentur, quæ ipsi auxilio erunt, & ipse Nebucadnezar instrumentum exscindendorum populorum. Neque enim Deus titulo tenus dat regna & dominia, sed facto ipso. Ita Davidi, Jeroboamo, Jehu, aliis. Est נצח 1 Sam. 15: 19. & hacpropter quæ dixit successum habent: & si in terra & terrenis; æque in spiritualibus & cœlestibus; quibus regnum destinavit consequentur; quamvis Satan & mundus jungant Vires, frustra erunt, non aliter quam qui Nebucadnezari restiterunt.

Vers. 9. *Vos ergo ne auscultetis Prophetis vestris, aut divinis vestris, aut somniis vestris, aut planetariis vestris, aut præstigiatoribus vestris; ubi alloquuntur vos dicendo, non estis servituri Regi Babyloniæ.*

Vers. 10. *Nam falsum isti prophetant vobis; ut longè abducam vos à terra vestra, & quum depulero vos pereatis.*

c. *Applicatio* est tum Dehortatoria, vers. 9, 10. tum Adhortatoriaria.

a *Dehortatio* ne attendant ad doctores suos ordinarios aut extraordinarios, qui divinationum variis generibus uterentur, quando promitterent non subjugatum iri à rege Babel: rationemque dicit, quod mentiantur, cujus eventus certissimus, quasi scopus ipsis foret, ut expellantur ex suis sedibus; Deo id effecturo ad ipsorum perniciem. Affatur autem non legatos, sed ipsos Reges, quia legatis dictavit, quæ regibus erant renuncianda: ut appareat Deum quoque curare eos qui extra Ecclesiam. Nam licet negligere videatur Act. 14: 16. non ulterius id extendendum, quam ad revelationem salutaris cognitionis Ps. 147: 19, 20. & singularis amoris Amos. 3: 2. Deut. 7: 6. seq. quod ad regimen vero providentiæ neutiquam eos neglexit Act. 14: vers. 17. Rom. 1: 18. &c. Jer. 10: 7-10. Matt. 5: 45. 1 Tim. 4: 10. Ps. 36: 6. & 33: 13. &c. Amoræos, absentibus Israelitis observat Deus & judicat Gen. 15. & pariter alios populos.

Uti vero Deus observat & regit universos, ita apud universos est aliqua notitia Deitatis. Nam cui bono Prophetæ singulorum, & divini omnis generis, quam quod per eos de Deo erudirentur deque ritu ac modo eum colendi? Jer. 2: 10, 11. negatur ullas gentes mutasse Deos, sed non quod habuerint. Imo multiplicarunt Deos, ne carere crederentur, copia peccantes, nunquam omnimodo defectu. Et unde ara ignoti Dei, quam quia Deum esse, & quemcumque talem colendum putabant? Etenim Rom. 1: vers. 19, 20. Athei qui ex Scriptura probantur eopse loco habent confutationem, quod nec sint, nec sibi id persuadere queant quantum cunque satagant. Ps. 14: 1. &c. Stulti sunt, unde argumentum nemo sumit, negant Deum esse, cujus insitum conceptum habent; quem conantur evellere, saltem quod ad providentiam Dei: sed frustra, cum etiam sine causa justa pavore percellantur, Deo vid. se in ipsorum conscientiis monstrante terribilem, quando extrinsecus omnia ex voto fluunt. Adhæc causa omnis erroris de Deo indicatur, fides hominibus habita, qui se Dei notitiam habere, & consilia perspecta profitentur. *Ne audite Prophetas vestros*; non obedientiam vitæ & operis damnat, sed cordis, quod sermonibus illorum fidem haberent, tanquam Dei interpretum. Nemo unquam deceptus fuit, qui Deum audivit, Jac. 1: 14. Verax ille & vera loquens; nullus sicut ipse magister Job. 30: 22. qui utilia docet Esa. 48: 17. qui creaturam audiunt decipi possunt; harum prior omnium Diabolus de suo dixit mendacium, repetendo verba Dei Joh. 8; 44. Gen. 3: 1. &c. Et omnis error in religione ab hominibus verba Dei recitantibus, vel ficta prorsus, vel suis figmentis mixta. Hac propter Deus securitati Ecclesiæ consulens, revelationem olim per traditionem conservandam, scripto consignari fecit. Ipsemet quidem immediate omnibus Israelitis fœdus suum promulgavit de monte Sinai, tum etiam audientibus omnibus Mosi soli locutus est, ut semper in ipsum crederent. sed ab ipso voluit initium fieri Scripturæ, ut ad eam tanquam regulam certissimam recurrerent, examinaturi omnes alios homines, qui de Deo, ejusque voluntate aliquid proderent, Esa. 8: 19, 20. Mal. 2: 7. &c. coll. cum cap. 4: 4. Joh. 5: 39. &c. Luc. 16: 29. 2 Pet. 1; 19. &c. 1 Pet. 4: 11. 1 Joh. 4: 1. Scriptura fons est omnis salutaris de Deo cognitionis; quæ homines docent, sunt rivi inde deducti; sed uti rivus, qui alveum præbet flumini, aliquid etiam sui communicat aquæ, saporem, colorem, aliquam suæ terræ impuritatem, ita quoque hic: in solo fonte, seu scaturigine suâ, habet primigeniam indolem. Porro qui Dei notitiam & Doctrinam profitentur omni tempore plures fuerunt, non ejusdem generis: quidam qui simpliciter docebant, qui נביאים sive revelationes novas & extraordinarias haberent, sive non: alii qui jactabant futura, ex observationibus non omnibus obviis, quamvis non carerent aliquâ etiam arte, & scientia, tales קוסמים *divini*, qui conjecturam facerent de rebus futuris, & קסם *divinatio*, vel etiam divinationis pretium ac merces. חלומות *somnia*, quæ etiam captabant, seque ad ea parabant certis modis temporibusque, עוננים & מעוננן *harioli*, qui vel ענן *nubes* intuentur & ex cœlorum situ pronunciant, vel si ad ענן referatur, qui oculis utuntur ad divinandum, intuendo aves eorumque volatus, augures; aut exta, aruspices; aut stellas motumque siderum, astrologi. Denique מכשפים *præstigiatores*, incantatores magi, qui diabolicas artes exercent, ex pacto cum dæmone, & naturas rerum pervertunt, aut pervertere videntur. Hi vero omnes futurorum notitiam profitebantur, non ex seipsis, sed ex commercio cum diis, aut naturæ interioris decretis. Solentque homines talen scientiam affectare, & per eos qui Deo propiores, quomodo Deo solum patere confitentur ut ab illo discatur; quomodo Dan. 2. fatentur, & Deus ex ignoratione futurorum falsitatem Deorum gentilium ostendit Esa. 41: 22. &c. cap. 46: 10. Hos porro audiendos negat, ceu pestes, quia ipsemet Deus velit expellere refractarios. Non ergo Pseudoprophetæ expellunt populum, quamvis expellendi causam dent, sed Dei illud judicium est, & si nequeunt terra, multo minus cœlo excludere; ut hujusmodi hominum decreta non sint metuenda, si damnent, nec in iis acquiescendum si absolvant, adjudicentve salutem: sed decretoria sententia à solo Deo manat, qui ejus rationem in verbo revelavit ut hinc possit constare.

Vers. 11. *Gentem vero illam quæ inducet collum suum in jugum Regis Babyloniæ, & serviet ei, ipsam utique relinquam in terra sua, dictum Iehovæ, ut colat eam & habitet in ea.*

Adhortatio vers. 11. Humiliter obsequendo, mitiorem pœnam ferent, ut ne quidem patria ejiciendi sint, sed ea

pro conditione ſervitutis hujus, feliciter fruituri. Humilibus enim dat gratiam, & qui caſtigationem fert patienter, conſequitur benedictionem.

Verſ. 12. *Etiam Tzidkijam Regem Jehudæ alloquutus ſum ſecundum omnia verba iſta, docendo, inducite colla veſtra in jugum Regis Babyloniæ, & ſervite ei, populoque ejus; ita vivite.*

Verſ. 13. *Quare moreremini tu & populus gladio, fame, & peſte; quemadmodum elloquutus eſt Iehova de gente quæ non ſervierit Regi Babyloniæ?*

Verſ. 14. *Ne ergo auſcultetis verbis iſtorum prophetarum qui alloquuntur vos, dicendo, non eſtis ſervituri Regi Babyloniæ: nam falſum iſti prophetant vobis.*

Verſ. 15. (*Non enim miſi eos, dictum Iehovæ, ſed ipſi prophetant nomine meo falſo*) *ut depellam vos, & pereatis vos & ipſi Prophetæ qui prophetant vobis.*

2. *Ad Zedekiam & Judæos* verſ. 12-15. Recitat iiſdem legatis Regum, quid vel dixiſſet, vel dicturus eſſet in eandem ſententiam Zedekiæ; cui idem jugum ſit ſubeundum, ut nihil magis quam ipſi habeat ſperandum. Hortatur ergo Zedekiam ad ſervitutem voluntariam, ab utili, *& vivetis*, ſuperſtites fruemini felicitate. A damno verſ. 13. *quare moriemini* &c. quod fatum indiſcriminatim omnium populorum invitorum ac repugnantium, ut de privilegio non habeat ſomniandum. A falſitate contrariæ perſuaſionis; verſ. 14. *ne credite Prophetis veſtris*, &c. non plus veritatis ipſis adeſt quam Prophetis gentium aliarum, quamcunque etiam jactitent revelationem: & falſitas probatur verſ. 15. quod careant ſua miſſione, quodque hac propter ipſi decipientes cum deceptis ſint perituri: quod argumentum eſt Jer. 14. & alibi propoſitum & enarratum.

Verſ. 16. *Etiam Sacerdotes, & totum populum ipſum alloquutus ſum, dicendo, ſic ait Jehova: ne auſcultetis verbis Prophetarum veſtrorum qui prophetant vobis, dicendo, ecce inſtrumenta domus Iehovæ reducentur ex Babylonia jam mox: nam falſum iſti prophetant vobis.*

Verſ. 17. *Ne auſcultetis eis, ſervite Regi Babyloniæ, ita vivite: quare eſſet civitas hæc deſolationi?*

Verſ. 18. *Quod ſi Prophetæ ſunt, & ſi eſt verbum Iehovæ cum ipſis: intercedant, quæſo, apud Iehovam exercituum, ut non veniant hæc inſtrumenta quæ reliqua ſunt in domo Iehovæ domoque Regis Iehudæ ac Ieruſchalaimis in Babyloniam.*

III. De Vasis Templi ad populum verſ. 16--22. Servitutis denunciationem peregerat tum coram legatis regum finitimorum, tum coram rege Zedekiâ, quod hos potiſſimum attineret, & cum penes reges illo foret jus pacis & belli, ſignificaret quid in alterutram partem futurum eſſet, ſiquidem vel bellum eligerent, & exterminationem, vel pacem, ſubeundo voluntariam ſervitutem. Verum hæc ad *univerſum* ſpectabat *populum*, quorum omnium intererat ut templum ſartum tectum maneret, neque vaſis ſuis ſpoliatum, hoſtilis victoriæ ſervaret notam. Alloquiſur autem cum populo *Sacerdotes*, quorum erat in templo miniſtrare, & vaſa ſeu inſtrumenta illa tractare, dum Sacrificia & alias ceremonias peragerent. Prophetarum nulla mentio inter auditores, quod contra eos dicturus eſſet, ceu impoſtores publicos. Diſtincti enim ſunt Prophetæ & Sacerdotes, (olim his quoque doctrinæ cura demandata Deut. 33: 10. Mal. 2: 7.) quod hi docendi partes negligerent, quas Prophetæ obibant, & hactenus ſerviebant avaritiæ Sacerdotum. Jer. 5: 31. Cæterum conſtat hæc pars.

I. *Dehortatione* verſ. 16-18. ne patiantur ſe lactari falſis promiſſis, cujus *Propoſitio* verſ. 16. facta nomine Dei, qui Pſeudoprophetarum verba refert, vaſa templi reſtituenda eſſe, & quidem brevi: vaſa templi victo primum Jojakimo ex parte Babelem fuerant tranſlata à Nebucadn. Dan. 1: 2. Rurſum altera vice, cum Jechonias ſe dedidiſſet, una cum ipſo vaſa templi alia eodem delata ſunt, 2 Reg. 24: 12. &c. Hæc ergo dicebant reditura: quod quidem conjunctum eſſe debebat cum Nebudnezaris ſubjugatione; nam Luc. 11: 21. &c. ſi fortis ſuam aulam cuſtodiat, à fortiori victus ſit oportet, priuſquam inſtrumenta ejus queant diſtribui: adeoque prorſus adverſabantur concioni Jeremiæ de Servitute: *Confirmatio*, mendacium eos proloqui: quod in prioribus quoque objecit, atque idcirco non eſſe credendum, ut detrectent obſequi ſuis monitis, verſ. 17. ſed ſerviendum promte Nebucadnezari propriæ ſalutis ergo; quod alioqui certiſſima vaſtitas eſſet exſpectanda: nam interrogatio ad certitudinem rei facit. Addit *Rationem explorandi*, Prophetas iſtos verſ. 18. Siquidem heic veri ſint, à Deo autorati, debere præſtare quod minus eſt, ut in promiſſo momenti majoris, credi ipſis queat: Majus erat reſtitutio vaſorum, quæ jam in Babel, numero plura, & longiſſimè remota, atque ſub poteſtate aliena, in idoleis iſtic. Minus erat, paucorum præſentium, & adhuc ſuæ poteſtatis conſervatio. Pollicebantur iſtud: jubet ergo procurare hoc ſuis precibus apud Deum. Etenim ſi vere juſſiſſet reſtitutionem promittere, utique non fore difficilem ipſis conſervationem reliquiarum, ut quæ adhuc adeſſent in templo, ibidem perſeverarent non deportata Babelem. Simul autem docet, munus eſſe Prophetarum, non ſolum erudire populum de voluntate Dei, ſed etiam cauſam ejus apud Deum agere precibus. 1 Sam. 12: 23. & commendantur eo nomine Moſes Aaron & Samuel Pſal. 99: 6. Adhæc quando judicia Dei exercentur, non tam pollicendam reſtitutionem ſubitam, quam deprecandam ulteriorem vaſtationem ut Amos 7. Joel 2: 12. &c. Jer. 10: 24. Pſ. 79: 11.

Verſ. 19. *Nam ſic ait Jehova exercituum de iſtis columnis, & de iſto lacu, ac de baſibus; denique de reliquis inſtrumentis quæ reliqua ſunt in civitate hac;*

Verſ. 20. *Quæ non accepit Nebucad-nezzar Rex Babyloniæ, quum deportaret Ieconjam filium Iehojakimi Regis Iehudæ Jeruſchalaimis in Babyloniam; & omnes clariſſimos Jehudæ & Jeruſchalaimorum.*

Verſ. 21. *Nam*, inquam. *ſic ait Jehova exercituum Deus Iiſraëlis; de iſtis inſtrumentis quæ reliqua ſunt* in *domo Jehovæ, & in domo Regis Iehudæ, ac Jeruſchalaimis:*

Verſ. 22. *In Babyloniam deferentur & illic erunt; uſque in diem quo viſitaturus ſum hos, dictum Jehovæ, quo faciam ut aſcendant, & reducam illa in locum hunc.*

II. *Inſtitutione* quid porrò futurum, quod preces ejuſmodi faciat neceſſarias. verſ. 19. &c. Deſcribit autem

Objectum, circa quod judicium Dei exercendum, verſ. 19, 20. duæ *columnæ*, *mare* & x *baſes* cum ſuis labris, quæ *vaſa* ex ære elegantiſſime fuſa erant, commendata & cum fierent 1 Reg. 7. & cum deportarentur tandem Jer. 52. nec non alia, quæ ſecundum deportationem quoque evaſerant, cum & Jechonia rex, & principes Judæ & Hieroſolymorum Babelem ducerentur.

Deinde *Eventum* verſ. 21, 22, (1.) *triſtem*, Deus dicit, de vaſis reſiduis iſtis templi, imo & regis & privatorum, Babelem deportanda eſſe. (2.) *lætum*, bifariam, (a) *non eſſe perdenda*. ſed iſtic tanquam in cuſtodia fore; ut cum ratio exigeretur, aut iniretur, ſiſti poſſent integra, cui recenſioni tempus præfigitur, hæc ד פקד ſignificatio. (b) *eſſe reſti-*

reſtituenda, ut eximantur Babylonicæ captivitati, & reddantur loco proprio, templo videlicet, quod proinde reædificandum, & priſco more ornandum erat. Hinc argumentum fluit aſſerti Rom. 8: verſ. 20. &c. Res inanimæ propter homines reos ſubjiciuntur calamitati, eoque reſtituntur etiam hominibus in gratiam receptis. Speranda proindè creaturæ univerſæ inſtauratio, quando ſuæ vanitatis terminus exſpiraverit. Cæterum quouſque id fuerit impletum hiſtoria non commemorat. Certum eſt aliqua vaſa reddita redituris ex Babel. Ezr. 1. de columnis, mari, &c. nihil annotatum. Nos quoque nihil de eo dicemus, taciturі ubi Scriptura tacet.

CAP. XXVIII.

CONSEQUENTIA concionis narratur, ubi I. Pſeudoprophetæ oppoſita concio verſ. 1--4. II. Jeremiæ reſponſio. verſ. 5--9. III. Hananiæ confirmatoria verſ. 10, 11. IV. Jeremiæ concio contraria verſ. 12--17.

I. OPPOSITÆ CONCIONIS memorantur, Circumſtantiæ, tum concio ipſa.

Verſ. 1. *Quum autem fuiſſet* iſtud *anno illo & principio regni Tzidkijæ regis Iehudæ, anno quarto, menſe quinto: alloquutus eſt me Chanania, filius Hazzuris Propheta, qui erat è Gibhone, in domo Iehovæ, ante oculos Sacerdotum & totius populi, dicendo:*

I. *Circumſtantiæ* ſunt verſ. 1. ubi.

1. *Tempus*, in quo aliqua videtur contradictio, ut *initium regni Zedekiæ* dicatur, & tamen *annus quartus*. Abrabanel prima verba jungit fini cap. præcedentis, factum illud eſſe, ut vaticinaretur de ſervitute & vaſis templi, ſub auſpicia regni Zedekiæ: tum incipit novam narrationem; anno quarto menſe quinto Chananja contradixit. Sed repugnat nexus: & quod initio dicitur hoc ipſo anno, qui non alius quam quartus, mox indicatus. Seder Olam docet, Zedekiam quarto regni anno ad Nebucadnetzarem præfectum Babelem, & ibidem confirmatum regem, cum antea fuerit quaſi præfectus regius, ſeu vicarius: Sed Scriptura teſtatur Zedekiam illico ſubſtitutum Jechoniæ, & numerat 11 annos regni ejus ab illo initio. Equidem quorumdam ſententiam Babelem præfectus legitur Zedekias anno quarto, ſed non inde numeratur initium regni ejus uſpiam: & alii dubitant eo profectum, quibus אוּר dicitur pro מאוּר per legatos tantum ſæpius ſalutaſſe Nebucadnetzarem credentes. Jer. 29. cap. 51: 59. Aſt Kimhi, Initium regni Zedekiæ incidiſſe in annum Sabbathicæ periodi quartum. Occupatam enim volunt urbem exeunte Sabbathico, eoque retro numerando ad antepenultimum Sabbathicum fuere 14 anni, hinc ſi demas tres annos, remanent 11. regni Zedekiæ, qui cœpit regnare anno quarto poſt antepenultimum illud Sabbathicum. Hæc ſententia præ cæteris videtur veroſimilis, nam Jer. 34. Sabbathici anni fit mentio, tempore obſidionis Hieroſolymæ, quando Chaldæi obviam proceſſerunt Ægyptiis, & paulo poſt reverſi urbem occuparunt. Porro Sabbathici anni inibant novilunio Septemb. ſeu primo Tiſri, (unde etiam regum anni numerabantur) & quintus menſis, inde ducto initio, reſpondebat noſtro Januario, ſeptimus Martio, de quo verſu ultimo hujus cap. Zedekiæ autem tribuitur initium, dum primus annus currebat, aliquot duntaxat menſibus exactis, (quamvis horum aliqui ad ſecundum ejus annum jam referrentur,) ut a vicinis regibus per legatos ſalutari & de fœdere mutuo compellari poſſet. Temporis verò notatio accurata geminam ob cauſam facta videtur. 1. ut pateret impudentia Pſeudoprophetæ, qui nulla mora interjecta contrarium concionis Jeremiæ propoſuit. 2. ut indicaretur divina ultio contra iſtum, & defenſio fidei bonæ noſtri Jeremiæ.

2. *Perſona* eſt *Chananja filius Aſſur*, munere *Propheta*, *Gibeonites*, Gibeonitæ erant Cananæi, qui fraude ſe communi excidio exemerant, a Joſua miniſteriis tabernaculi addicti, ut ligna & aquam ſubminiſtrarent; dicti Nethinæi, Horum de gente quidam hunc natum credunt; Sed non fit veroſimile ad Prophetæ ordinarii dignitatem admiſſum Cananæum, cum ſervitio certo omnes iſtius urbis addicti viverent lege perpetuâ, a Davide confirmatâ. Magè conſentaneum vero fuiſſe Sacerdotalis originis, cum ex ſorte Benjamin urbes Anathoth & Gibeon Aaronidis ceſſiſſent Joſ. 21: 17. & non ſecus ac Jeremiam Prophetico functum munere, hac tamen differentia, quod Jeremias etiam Dei foret, hujus vocatione conſtitutus. Chananias non niſi Hieroſolymæ aut Judaicæ nationis, quamobrem communis utrique titulus Prophetæ, ceu qui ſic in populo noti eſſent.

3. *Locus* fuit *templum Domini*, habendis concionibus deſtinatus, quo populus conveniebat in atrio.

4. *Auditores*, ipſi *Sacerdotes & omnis populus*: unde nova lux, quod ad tempus: videl. mox finita proximâ concione hæc accidiſſe. Jeremias initio legatis regum ſe ſtiterat jugo oneratus, & eorum ſingulis illud ad legantes deferendum dederat; inde Zedekiæ in eandem ſententiam fuerat locutus; tandem ſermonem inſtituerat ad Sacerdotes & populum cap. 27: 16. quo eandem ſervitutem indicarat, ſed cum dehortatione, ne Prophetis crederent, qui ſpe falsâ animos redderent feroces & ſervitutis impatientes. Prophetæ, quia a Sacerdotibus ſejungebantur, quibuſcum alias optime conveniebat Jer. 26: 7. &c. ut ſe vendicarent ab injuria, quam illatam rebantur, vel illicò, finito ſermone Jeremiæ, contrariâm revelationem iſte protulit, quemadmodum prophetica dona ſubito obtingebant 2 Chron. 20: 14. conf. 1 Cor. 14: 30.) vel aliquo tempore poſt, captata ſimili occaſione, cum Sacerdotes & populus frequens adeſſet, præſente etiam Jeremia, cum ſuo circa collum jugo. Quod autem dicitur *ante oculos* ipſorum locutum eſſe, pertinet ad geſtus ſive actiones huic concioni conjunctas, dum jugum Jeremiæ ademtum publice inſpectantibus omnibus confregit.

Verſ. 2. *Sic ait Jehova exercituum Deus Iſraelis dicendo, Fregi jugum Regis Babyloniæ.*

Verſ. 3. *Intra biennium juſtum ego reducturus ſum in locum hunc omnia inſtrumenta domus Jehovæ; quæ accepit Nebucaa-netzar Rex Babyloniæ è loco hoc, & deduxit in Babyloniam:*

Verſ. 4. *Etiam Ieconjam filium Jehojakimi Regis Jehudæ, & omnes deportatos Iehudæ qui venerunt in Babyloniam, ego reducturus ſum in locum hunc, dictum Iehovæ: quum fregero jugum Regis Babyloniæ.*

II. *Concio ipſa* conſtat.

I. Præfatione, Propoſitione, Confirmatione.

Præfatio eſt qualis Prophetis ſolennis; frequens apud Jeremiam, Jer. 27: verſ. 4, 21. autoritatem concilians ſuis verbis, quæ extraordinario juſſu enunciaret, de revelatione extraordinariâ.

2. *Propoſitio* bimembris, oppoſita utrique aſſertioni Jeremiæ, I. de jugo ſervitutis, a Nebucadnetzare imponendo, cum aliis gentibus, tum Judæis; Fregi jugum regis Babel. verſ. 2. quod recens fieri, & omnibus ad alligandum ſibi, mitti voluerat, id dicitur aboliturus: quomodo ſatis mendacii arguebatur Jeremias. II. de vaſis deportatis. verſ. 3, 4. Biennii ſpacio non tantum omnia illa eſſe reſtituenda, ſed etiam Jechoniam & cæteros exules redituros ad patrias ſedes.

3. *Confirmatio* verſ. 4. quia jugum Babelis eſſet frangendum: neque enim Exules & ſpolia ſperari poterant reſtituenda, niſi Babelis rex ſua poteſtate privatus & victus eſſet, victoribus de ipſius poſſeſſione ſtatuentibus ex ſuâ voluntate. Quæ cum omnia ab ipſo Deo præſtanda promitteret, ſimul quicquid diffidentiæ adeſſet ſollicitis animis, ex impotentiæ propriæ intuitu, poterat removeri, utpote expertis ſæpius ſupra & contra ſpem Dei opem affuiſſe, ex quo ſemel Iſraelem vindicaſſet ex manu Ægyptiorum.

Cæterum in Hanania exemplum eſt impudentiæ pſeudoprophetarum: ubi externus modo titulus adeſt, & munus

autoritate humana collatum, longe confidentius dicunt, imo norunt etiam verorum ſermones in rem ſuam vertere, ut quamvis ea evertere decreverunt, cum illis videantur facere. Hanania Propheta ordinarius, præfatur nomine Dei Iſraelis; eadem qua Jeremias loquitur autoritate, admittit typum Jeremiæ, & quam indicabat ſervitutem ſub Nebucadnetzare, ſed detorquet ad ſuum propoſitum, detrahit enim illi quod ad diuturnitatem, biennii ſpatio finiendam docens, quam ille extenderat uſque ad Nebucadnetzaris nepotem. In ſeqq. etiam fregit jugum Jeremiæ, ut typum illius contrario typo refelleret. Sic Zedekia ſibi fecit cornua ferrea conterendis Syris 1 Reg. 22: 11. Sic ſolent illi 2 Cor. 11: 13. &c. magiſtri Satanæ exemplo. Proinde non credendum unicuique Spiritui, ſed illi examinandi 1 Joh. 4: 1. 1 Theſ. 5: 20, 21.

Verſ. 5. *Tum alloquens Iirmeja Propheta Chananjam Prophetam illum, ante oculos ſacerdotum; & ante oculos totius populi, qui adſtabant in domo Jehovæ.*

II. JEREMIÆ RESPONSIO verſ. 5--9. Ea Inſtituitur generatim verſ. 5. Reſpondit illi ſtatim iiſdem teſtibus, eodemque in loco. Fuit proculdubio gravis tentatio è diametro contradici, ſuaſque cum perſona conciones in contemtum adduci; non tantum autoritatem ſui muneris, ſed inprimis veritatem prophetiæ impugnari: ad hæc grave ſcandalum dari populo, prophetas contraria loqui & de eodem Deo contraria teſtari. Attamen quamvis periculoſum eſſet tam gratæ auditoribus concioni ſe opponere, non tacet, ſed pro gloria Dei, veritate verbi, ſalute populi qui decipiebatur, ſumit animum ſeque publice opponit, ſed modo qui Prophetam Dei decebat.

Interim hinc conſtat, non eſſe novum in Eccleſia Doctores quandoque ſibi contradicere. Duo hîc ſunt Prophetæ, generis ſacerdotalis, notæ autoritatis in populo: unus prædicit adverſa, alter pollicetur proſpera, qui ſermo erat communis doctorum, conſenſu publico approbatus; ille contradicit, & fidem huic derogat: hic ſua confirmat, ut illi non credatur, ſed contemtus & pudefactus cogatur abire. Sic actum cum Micha coram Achabo 1 Reg. 22. cum Paulo a doctoribus Corinthiorum, ab Hymenæo, Phileto, Alexandro; quin συζήτησις fuit inter diſcipulos Chriſti de primatu, inter Barnabam & Paulum, inter Paulum & Petrum: quod nemini proinde novum videri debet, cum talia futura prædictum ſit, ut patefiant qui ſinceri 1 Cor. 11: 18, 19. Diabolus nuſpiam magis amat ſerere Zizania quam in agro Dei. Doctores intuendi ut miniſtri per quos credimus 1 Cor. 3: 5. qui non ex munere tantum, ſed ex opere æſtimandi, an aurum, argentum, gemmas, vel fœnum & ſtipulas inædificent, Propheticum ſermonem, vel arte compoſitas fabulas, verbum Dei, vel traditiones hominum. Imo Phil. 1: 15. &c. licet vigeat invidia, contentio, ſi prædicetur Chriſtus ſive in ſpeciem per contentionem, ſive ſincere, caſte, bono affectu, dummodo inquam prædicetur Chriſtus & quantum prædicatur Chriſtus, gaudendum & admittendum eſt. Speciatim verſ. 6--9. ubi ſpectari meretur modus agendi, non rixoſus, contentioſus, ſed manſuetus & comis. Certus erat a ſe nihil dictum quam quod ſibi dictum a Deo ut diceret, & quidem tot annis ante; quodque tempore Jojakimi alio typo populi fuerat confirmatum, Nullo tamen duriori vocabulo Hananiam adoritur, ſed amice affatur, & de diſſenſu confert. Neque id egit ex Zeli defectu, ſed quod deeſſet notitia, quæ juſtificaret Zelum. Agebatur de externis bonis adimendis aut reddendis; uti Ninevitarum, uti Achabi exitium dilatum fuerat aliquandiu, ſic etiam nunc protelari a Deo poterat Judæorum pœna; & ſicut Manaſſem reſipiſcentem ex Babel Deus reduxerat, ſic quoque agere cum reſipiſcente Jechonià: poterat viſitare ſuperbiam Babelis, ejuſque felicitatem ac dominium abbreviare. Poterat alii revelaſſe calamitatis breviorem terminum 1 Cor. 14: verſ. 30. quemadmodum non ſibi, jam quinquennium functo munere, ſed Huldæ revelarat, quam gratiam Joſiæ eſſet facturus. Hæc meditatus non vult altercari, nedum condemnare, ſed deſuper conferre. Sic egit quoque Chriſtus Matt. 12: 18. &c. ex Eſa. 42: 1. &c. & Paulus commendat eam manſuetudinem doctoribus 2 Tim. 4: 2. cap. 2: 24. &c. Eſt hoc exemplum magni momenti, ut in Eccleſia ea vigeat manſuetudo doctorum: Impoſſibilis eſt exactus in omnibus conſenſus, nam 1 Cor. 13: 2. cuique datur gratia pro menſura doni Chriſti Eph. 4: 7. & Spiritus largitur unicuique ut vult 1 Cor. 12: 11. revelatur poſteriori, quod priori non fuit revelatum, cum cognitio debeat multiplicari. Cavenda ea autem quæ contentionem pariunt, 2 Tim. 2: 14. & verſ. 23. &c. contra via compendioſiſſima cap. 3: 14. Templum Salomonis cum ſtrueretur, quod ex paratis lapidibus fieret, non auditus fuit ſonus mallei vel ſecuris 1 Reg. 6: 7. in ſtructura ſpiritualis templi, quia lapides parandi, 1 Pet. 2: 5. auditur malleus & ſecuris verbi Jer. 23: 29. Hoſ. 6. verſ. 5. ſed plane præter rationem eſt & turpe, malleum ſonare verbi non Dei ſed hominum in ſauciandis fabris ipſis. Ædificantes, qui non æque pretioſa ædificant, non jubentur ſe mutuo convitiari, verberare, convellere mutua; ſic impeditur opus, imo deſtruitur. Tempus breve eſt, opus multum, operarii pauci, & Dominus inſtat; feſtinandum itaque & roborandæ mutuum manus, & à ſpectantibus acclamandum votis, gratia gratia Zach. 4: 7.

Verſ. 6. *Dixit Jirmeja Propheta, amen, ita faciat Iehova: præſtet Jehova verba tua quæ prophetaſti, reducendo inſtrumenta domus Jehovæ, & omnes deportatos, è Babylonia in locum hunc.*

Porro ipſum Jeremiæ reſponſum trimembre eſt.

I. Vovet complementum Prophetiæ iſtius verſ. 6. *Votum* iſtud continetur una voce *Amen*. Hic mos obtinuit olim, ut ad doctorum ſermones hac voce aſſenſum teſtarentur, & deſiderium ut ſic fieret. Sic ad propoſitionem fœderis Dei dixerat ipſe Jer. 11: 5. Introducta arca Hieroſolymam, ad primi Pſalmi decantationem ſic reſpondit populus 2 Chron. 16: 36. Pſ. 106: 48. & in Pſalmis aliis. Sic ad lectionem legis Neh. 8: 6. &c. quam ad maledictionum pronunciationem communem Deut. 27. & ſpecialem Num. 5: 22. Item ad preces publicas etiam in Eccleſiis Chriſtianis 1 Cor. 14: 16. Bechai de Amen obſervat in leg. fol. 80. col. 1. &c. eſſe aliud קבלה, quo quis recipit ac aſſentitur iis quæ dicuntur, tale illud Deut. 27. Jer. 11. & aliud שבועה quo revocandæ aſſertiones Chriſti frequentes Joh. 3: 3, 5. cap. 6: 32, 47, 53. Matt. 5: 18. quæ cum pro juramenti formula producantur, habent conſenſum Hebræorum. aliud קיום *confirmans* alterius dictum, & illud ratificans; quale quod precibus ſubiungitur 1 Cor. 14: 16. de quo dicant, יותר מן המברך גדול העונה אמן *Major eſt qui reſpondet Amen quam qui benedicit.* Etenim precantem teſtari de Deo quod ſit fons benedictionis: qui amen reſpondet, id confirmat, & quia teſtis ſecundus eſt, dat teſtimonio robur, quo caret niſi fuerint duo teſtes. Hac propter monent de Amen quomodo pronunciandum, nec חטופה *acceleratum*, feſtinum, non abſoluta, aut non meditata precatione; nec קטופה *præciſum*, amputatum, carens ultima litera, quod oſcitantis eſt; nec יתומה *pupillum*, nullis precibus antecedentibus; ſed ארוכה *longum*, attamen neque nimis protractum, ne hypocriticum evadat. Interim iſtud Amen poteſt ſervire monendis *tum* Doctoribus, ne quid dicant vel in concione, vel in precibus; ad quod auditores nequeant dicere Amen, vel lingua ignota utentes 1 Cor. 14: 16. vel peregrina ſapientia Neh. 8: verſ. 4, 8, 9. nihil alienum a voluntate Dei, jubendo, ſolando, minando, petendo. *Tum* Auditoribus, ut attendant ad propoſita, quo Amen ſuum ſe non obliget, ad ea quibus ſe obſtrictos neſciunt, quæ poſtulata nollent.

Optatur confirmatio eorum quæ propoſita, à Deo, qui præſtare potis, quod docet uberior declaratio, tum (1.) A quo optet, *ſic faciat Dominus*; (2.) Quomodo optet. *Stabiliat Dominus verba tua, &c.* non ait ſua: quia num Dei eſſent dubitabat, de quo ſi conſtitiſſet, non tam vovendi quam aſſeverandi cauſam habuiſſet, & (3.) quid optet, reſtitutionem vaſorum Sacrorum & Exulum. Scl. nil Prophetis Dei gratius quam Eccleſiam felicem eſſe, tametſi id videatur conjunctum eſſe cum proprio dedecore, ceu trepidorum, & male ſemper ominantium. Nulla autem inpidorum, & male ſemper ominantium. Nulla autem inpidorum, & male ſemper ominantium. Nulla autem inp

preces quales Jeremiæ frequentes Jer. 14. & 17: 16. Peccavit Jonas, dolendo non fieri quam prædixerat Nineves eversionem. Deus minatur ut resipiscant & evadant, Jer. 18: 7, 1. cap. 26: 3. &c. Merito igitur vovent & ipsi ne fiat, quod dicunt, mutatione vitæ in auditoribus secutâ. Hebræorum aliqui, sarcastici quid innui putant; *omnino fiet quod dicis, sic ego felix ero, tu infelix:* cum enim sim Sacerdos, stante & florente templo & cultu ejus, ego abundabo bonis, fruar sacris oblationibus, tu autem cum sis Gibeonita, mihi ministrabis, cæsor ligni & haustor aquæ. Sed non fuisse Gibeonitam illum Hananiam ostendimus ante. Alii ipsorum Hananiam negant falsum Prophetam fuisse: sed verum: Nam Jeremia vaticinante sub initium regni Zedekiæ, de Elam, *Sic ait Dominus Zebaoth, Ecce ego frangam arcum Elam*, Jer. 49: 34, 35. quod ajunt in superiori urbis parte factum, Hananiam in inferiore docuisse, confringendum arcum Babel: quod consentanea illi dicere instituisset, argumento a minori ad majus ducto. Elam punitur, quia Chaldæis fuit auxilio, ergo multo magis id verum de Babel, quia autor & dux facti. punitum autem quod suam collectionem Dei nomine venditasset. Probabilius falsus dicitur, quamvis ob munus, nomen commune Prophetæ tulerit.

Vers. 7. *Verumtamen audi quæso verbum hoc quod ego loquor, te audiente, & audiente toto hoc populo.*

Vers. 8. *Prophetæ illi qui fuerunt ante me & ante te inde a seculo; illi prophetaverunt contra regiones amplas & contra regna magna bellum, & afflictionem* famis, *& pestem.*

II. *Movet dubium* à more prædecessorum, unde conjectura fiat de utriusque prædictionibus veræne sint, an falsæ. vers. 7, 8, 9. Huic dubio (1.) parat audientiam vers. 7. compellato ipso, & vocato in testem universo auditorio. (2.) Tum proponit vers. 8. indicans praxin priorum Prophetarum: quotquot olim vaticinati sunt, minati sunt mala publica, bellum, malum, pestem, ubi malum vel famem notat, quæ alias adjungi solet; vel famem & feras bestias simul, siquidem quaternarius judiciorum numerus attendatur Ezek. 14: 14. &c. Nihil addit de eventu; nam sive ille respondisset, sive non, veri Prophetæ nihilominus fuerunt prædicentes. Unde sequebatur, etiam se, qui idem argumentum proposuisset, veri Prophetæ loco habendum esse; etsi non sequeretur, quod futurum dixisset.

Scilicet omnes Prophetæ veri denunciarunt mala & judicia hominibus, Adam geminum interitum mundi aqua & igni prædixisse fertur; Enoch Jud. 14. &c, Noach 2 Pet. 2: 4. & quicunque secuti sunt. Etenim res eis fuit cum peccatoribus, qui rei coram Deo Rom. 1: 32. cap. 6: 23. contra quos Deus iram suam cœlitus manifestat Rom. 1: 18. eoque etiam Prophetis publicanda est Esa. 58: 1. Jer. 6: vers. 7. 10, 11. saltem universale (si non particulare ut Ninevitis) judicium denunciandum Act. 17: 30. &c. 2 Cor. 5: 10, 11. Et quamvis non veniant judicia quæ minantur, non tamen desinunt esse veri Prophetæ: etenim quæ minantur, minantur ex vero; quia peccatores semper talia merentur. Et minantur eo fine ut hominibus persuadeant resipiscentiam; quæ à Deo nonnunquam impetrat dilationem pœnæ aut mitigationem Ezek. 3: 33. denuncianda simpliciter mors impiis; quæ tamen ipsis resipiscentibus non sequitur. 2 Sam. 12: 5. &c. Ut vere minentur, sed quod non fiant quæ minantur, mutatæ auditorum qualitates efficiunt. Interim patet quantopere absc edant à moribus verorum Prophetarum, qui nec ipsi peccatoribus minari volunt, nec alios id facere, æquis ferunt animis; taxantes eos velut ministerii Evangelici oblitos, & Mosis vocem imitantes; ac pro Gerizim in Ebale consistentes, maledicturi loco benedictionis. Ab his Jeremias damnatus fuisset, uti id passus est à Sacerdotibus & Prophetis Hierosolymæ Jer. 26. quando sincerius judicarunt politici, verum vatem pronunciantes, qui non aliter quam Micha olim locutus fuisset.

Vers. 9. *Propheta ille qui prophetat pacem, quum evenit verbum ipsius Prophetæ, cognoscitur ille Propheta esse quem misit Iehova verè.*

Sed Jeremias opponit in thesi factum contrarium, quod Hananiæ erat vers. 9. *Prophetam qui pacem & prospera polliceatur* non nisi ex eventu judicandum esse, qui si respondeat prædictioni, hanc agnoscendam esse pro divina. Suspecta est promissio externæ felicitatis, usque dum eventu comprobetur. Non semper falsa est, exemplo Elisæ, prædicentis abundantiam in egestate extrema 2 Reg. 7. sed dubia, donec eveniat, & judicium de eâ suspendendum. Etenim in tanta hominum corruptelâ & reatu, parum probabilitatis de aliqua felicitate secuturâ; qui eam promittunt, vel extenuant peccata, & hominibus tribuunt innocentiam, vel derogant justitiæ ac veritati divinæ, vel ultra modum extendunt & extollunt bonitatem & misericordiam; quomodo securitatem persuadent peccatoribus; quod non à Spiritu Dei, sed à Spiritu Mundi & Satanæ procedit, qui blanditur carni. Malis ergo (quales tunc Judæi erant,) promitti bonum & pacem, nequit admitti pro divina prædictione, quamdiu deest eventus, ut licet non damnetur illico ceu falsa, nequeat tamen agnosci aut recipi ceu vera. Quo facit κριτήριον Deut. 18: 21.

Object. Deut. 13: 1. &c. eventus respondens non probat verum esse Prophetam. Resp. Quæ vere prædicuntur ad persuadendam idololatriam non probant verum Prophetam; nam falsum nullo miraculo potest fieri verum: hujusmodi sunt signa Antichristi 2 Thes. 2: 9. &c. signa mendacii sunt, non solum quæ non sunt signa, sed ficte & mendaciter facta dicuntur, sed etiam quæ sunt (qualia Diaboli arte quandoque fiunt, non quidem vera miracula, sed tamen mira) & mendacio confirmando adhibentur. Quando docetur error, fiduciâ transfertur à Deo ad creaturam, quicquid prædictorum fit, nequit argumento esse veritatis; Sed quando citra talem fiduciæ alienationem à Deo prædicuntur felicia quod ad externam conditionem, veritatis argumentum ab eventu petendum est. Sic Jeremias & Ezekiel promittunt restitutionem ex Babel, sed ex mera Dei gratia. Jer. 29. Ezek. 11: 36.

Vers. 10. *Tum capiens Chananja Propheta lorum illud à collo Iirmejæ Prophetæ; fregit illud.*

Vers. 11. *Et loquutus est Chananja ante oculos totius populi, dicendo, sic ait Iehova; ita frangam jugum Nebucad-netzaris Regis Babyloniæ intra biennium justum è collo omnium istarum gentium: tum abibat Iirmeja Propheta itinere suo.*

III. Hananiæ Replicatio, vers. 10, 11. constans (1.) *typo* vers. 10. & Jeremiæ jugum, quod gestabat, confirmandæ suæ concioni, de collo detraxit. & omnibus inspectantibus confregit, & (2.) *Explicatione* ejus vers. 11. Deum sic confracturum jugum quod rex Babel impositurus dicebatur omnibus gentibus, ab harum omnium collo, & quidem intra biennium. Eam servitutem ipsam quam Jeremias prædicabat à Deo annihilatum iri, intra modicum istud spacium; proinde & reliqua quæ prædixerat de restitutione vasorum Sacrorum & exulum implenda esse. Hoc est addere peccatum peccato Esa. 30: 1. ut posterius priori suppetias ferat; mentitus Prophetiam, mentitur signum & promissionem. Zedekias similiter suæ promissioni addidit signum ferreorum cornuum 1 Reg. 22. Jeroboam ad novos Deos, novos sacerdotes, novum festum. 1 Reg. 12. David ad adulterium homicidium 2 Sam. 11. Hinc 2 Tim. 3. vers. 14. Peccatum est decipiens, & indurans Heb. 3: 13. Petrus negat Christum, & ne mentitus videretur, negat cum juramento Matt. 26: 69. &c. pudor hominum, ambitio, & gloriæ cupido quidvis persuadent: ut primis initiis resistendum, & vel hinc statim pes referendus sit, nequaquam autem procedendum.

Consequens est, Jeremiæ silentium & abitus. Abrabanel metu perculsum discessisse dicit, sed aliud subesse credibile: Ubi minister veritati & muneri suo satisfecit, potest bona conscientia contentionem silentio abrumpere. Dixerat quantum satis erat, & ad eventum retulerat judicium, placido sermone: Cum Hananias impotenter & impudenter pergeret, ne quidem à vi manum abstinens; dum jugum de collo detraxit, nihil regessit, sed silentio, & abitu suo finivit scandalosam disputationem: Deo scilic.

commendans deciſionem; & calumniæ ſatisfactum credens, quæ falſitatis arguebat, poſtquam ſatisfecerat conſcientiæ, de obſervato Prophetarum ſtylo. Sic Paulus Act. 17: 32,33. & Chriſtus ſæpius ſe ſubduxit e medio contradicentium. Contentiones non illuſtrant veritatem, ſed turbant affectus, ut minus compoſiti ſint ad ſe ſubmittendum, & accendunt ad quærendam non veritatem ſed victoriam. Bene Apoſtolus 1 Tim. 6:4. &c. ſi quis inſaniat circa quæſtiones & pugnas de verbis, ex quibus naſcitur invidia, lis, maledicentiæ, ſuſpiciones malæ, perverſæ exercitationes hominum mente corruptorum, abſcede ab eis qui ejuſmodi ſunt.

Verſ. 12. *Sed fuit verbum Iehovæ ad Iirmejam; poſtquam fregiſſet Chananja Propheta lorum illud è collo Jirmejæ Prophetæ edicendo.*

Verſ. 13. *Abi ut alloquaris Chananjam, dicendo, ſic ait Iehova, lora lignea fregiſti; ſed compara loco illorum lora ferrea.*

Verſ. 14. *Nam ſic ait Iehova exercituum Deus Iiſraëlis, jugum ferreum impoſiturus ſum collo omnium gentium iſtarum, ut ſerviant Nebucad-netzari Regi Babyloniæ, & ſervituræ ſunt ei: quin etiam beſtias agri traditurus ſum ei.*

IV. JEREMIÆ OPPOSITIO conſtat gemino vaticinio.

I. *Contra falſam Prophetiam*, verſ. 12-14. cujus I. *Revelatio* verſ. 12. A circumſtantia temporis, poſt factum illud Hananiæ, & Mandati Deus juſſit ipſummet Hananiam compellare verſ. 13. II. *Propoſitio* verſ. 13. *fregiſti juga lignea*; nam uno Jeremiæ, quod geſtabat, fracto, ſimul omnia quæ iſto ſignificabantur frangenda dixerat, à collo omnium gentium; *& facies loco eorum juga ferrea*: vel compellato Hanania, *facies*, hoc eſt cauſam dabis, ut contumacibus & refractariis durius jugum, & quod frangi nequeat imponatur, uti Jer. 38. combures. vel potius Jeremia qui jubetur reſtituere violatum ſignum, ſed ita ut ſimili violationi obnoxium eſſe nequeat; ferreum videlicet quod probabile eſt Jeremiam ſuo collo aptaſſe ut omni modo contradiceret. III. *Confirmatio* verſ. 14. juſſu & denunciatione Dei, ſolenniter recitatis, *Dedi jugum ferreum* &c. & *ſervient ei*; *imò etiam beſtias agri ipſi dedi*. Habebit proinde imperium latiſſime patens, ut cap. 27. dictum, & cui fruſtra obnitantur, cum ferrum rumpere ſupra vires ſit. Jer. 15: 12.

Verſ. 15. *Deinde dixit Jirmeja Propheta ad Chananjam prophetam; audi jam Chananja, non miſit te Iehova, ſed tu feciſti ut fiduciam poneret & populus hic in falſo.*

Verſ. 16. *Idcircò ſit ait Iehova, ecce ego emiſſurus ſum te à ſuperficie terræ, hoc anno tu moriturus es: quia apoſtaſiam ſuaſiſti contra Jehovam.*

Verſ. 17. *Et mortuus eſt Chananja Propheta, anno illo menſe ſeptimo.*

II. Contra nitendo Deo nil proficitur, ſed potius augetur malum. Lev. 26. Eſa. 28: 22. cap. 9: 8. Malach. 1: 4, 5. qui paternis virgis non corrigitur; lapidibus frangitur Deut. 21. Contra falſum prophetam verſ. 15-17. ubi

1. *Increpatio* verſ. 15. Compellat ipſummet Hananiam, arguit mendacis Facti & Sermonis. *Facti*, non miſſum eſſe à Domino; *ſermonis*, mendacio fiduciam populi avertiſſe. Abrab. ait, hujus mandatum Jeremiam non habuiſſe; ſed cum falſitatis convictum haberet ex contrario vaticinio, ipſummet Zelo ſingulari iſta denunciaſſe, non ſecus ac Moſes Koracho & conjuratis, *Si creavit Deus* &c. *ut terra aperiat* &c. quæ implerit Deus ex Eſa. 44: 26. Sed ſequentia mandatum Dei oſtendunt.

2. *Pœnæ definitio* verſ. 16. facta nomine Dei, generatim; *dimittam te à facie terræ*; miſſionem mentitus erat, jam veram conſequitur, ſed prorſus alius generis: non ad populum, ſed ab omni hominum conſortio: Speciatim, *hoc anno morieris*; non ſupervicturus diu ſuo mendacio, ratio, quia apoſtaſiam docuerat contra Dominum. Non falſam doctrinam, ſed inobedientiam facti; ne obtemperarent Deo, ſervitutem jubenti. Apoſtaſia proinde non tantum eſt in dogmatis, ſed etiam in moribus; & qui ſolvit minimum præceptorum Dei, & docet ne ei obtemperetur, is hic peccat Matt. 5: 19.

III. *Eventus* verſ. 17. *mortuus eſt eodem anno menſe ſeptimo*. Sed annon ſeptimus menſis ad alterum annum pertinet? Reſp. Hebræi mortuum fuiſſe pridie ineuntis anni, & menſe ſeptimo ſeq. anno ſepultum, ſic enim præcepiſſe filiis, ut falſitatis quaſi argueret Jeremiam, ſiquidem eodem anno non eſſet exſtinctus. Chald. idem dicit, tum prædictum, tum factum eſſe, *hoc anno morieris, ſequente ſepelieris*. Sed ut dictum ad verſ. 1. Annus intelligitur Sabbathicus, à Septimo menſe iniens, ſed cujus ſeptimus menſis in Niſan ſeu Martium incidebat, qui primus anni Sacri. Sic ergo qui fiduciam aliorum à Deo, ſuam vitam à ſe ipſo removit. 1 Reg. 18. 2 Reg. 20. Ezek. 13: 8, 9.

CONCIO XIX.

CAP. XXIX.

RECitatur heic concio ſcripta ſive Epiſtola ad abſentes data, ejuſque contra calumniatorem defenſio. Illa continetur verſ. 1-23. iſta verſ. 24-32.

EPISTOLÆ occurrunt I. circumſtantiæ. v. 1,2,3. II. inſcriptio, verſ. 4. III. Propoſitio verſ. 5, 6, 7. IV. confirmatio, (1) à diuturnitate exilii verſ. 8-14. (2) à calamitate non deportatis ſuperventurâ verſ. 15--10. (3) à judicio ſtatuendo contra Pſeudoprophetas duos verſ. 20--23.

Verſ. 1. *Hæc autem* ſunt *verba Epiſtolæ quam miſſit Jirmeja Propheta Ieruſchalaimois: ad reliquos Seniores deportatos, & ad Sacerdotes, & ad Prophetas, atque ad totum populum, quem deportaverat Nebucad-netzar Ieruſchalaimis in Babyloniam.*

Verſ. 2. *Poſtquam egreſſus eſſet Jeconja Rex & Auguſta, ac aulici Principes Iehudæ ac Jeruſchalaimorum, fabrique lignarii, & fabri ferrarii Jeruſchalaimis:*

Verſ. 3. *Per El-haſam filium Schaphanis & Cemariam filium Chilkiæ (quos mittebat Tzidkija Rex Iehudæ ad Nebucad-netzarem Regem Babyloniæ in Babyloniam) dicendo.*

I. CIRCUMSTANTIÆ ad hiſtoriam pertinent.

I. *Qualis* ſit hæc concio: Non voce pronunciata, ſed ſcripto edita, per epiſtolam vid. nam ספר quoque *epiſtolam* notat. 2 Reg. 19: 14. Eſa. 37: 14. Non potuit viva voce hiſce concionari, qui non abiit in Chaldæam, ſed manſit Hieroſolymæ, adeoque abſentibus non niſi per literas loqui potuit.

II. *Autor* ipſe noſter *Jeremias*, notus Propheta omnibus deportatis, utpote qui jam totos 30 annos ante deportationem Jechoniæ munus obierat. Sed cum ipſe ſuaſerit Jechoniæ ut ſe dederet deportandum, cur non unà ivit in Babyloniam? Reſp. non ivit quiſquam ſponte, ſed ex victoris voluntate; & Jechonias ſe dedens, permiſit ſe iſtius arbitrio, velletne ſe manere in patria vel abire in exilium: tum etiam qui regnante Jojakimo jam mandata acceperat quæ Zedekiæ regnaturo diceret, non debuit deportari; ut moderamen providentiæ divinæ hic ſit agnoſcendum.

III. *Ad quos*, ſunt *deportati*, deſcripti variis ordinibus: *Cæteri Seniores*, non tam ætate quam munere politico, Judices & magiſtratus inferiores, qui reſidui erant, cæteris vel necatis vel in exilio mortuis, vel manentibus Hieroſolymæ & in Judæâ:

dæâ: item *Sacerdotes & Prophetæ*, Ecclesiastici, quorum multi urbâ abducti, quos inter Ezekiel Sacerdos & Propheta, sed qui necdum orsus erat concionari, quod demum factum quinto post deportationem anno; denique *universus populus* deportatorum. Nam juxta illius ætatis mores deportati erant ceu Colonia, qui omnes uno loco habitarent. Quum enim jubet vers. 6. connubia inire, & liberos elocare, non indulget conjugia cum Chaldæis, sed etiam tunc ad suam gentum & tribum adstringebantur; & quia eodem loco habitabant, etiam lingua discrepantes, non fuit opus interdictum peregrinarum nuptiarum sigillatim inculcare. Hinc ergo una Epistola compellantur omnes. Nulla tamen mentio ipsius Jechoniæ, quia enim in carcere detinebatur 2 Reg. 25: 27. neque cum cæteris captivis exulibus, (ne quid moveret stipatus subditis, aut speciem regis servaret.) non potuit una compellari.

IV. *Tempus* vers. 2. idem quod cap. 24. expressum, postquam Jechonias deportatus fuisset, cum Augusta, matre sua, & principibus omnis generis hominibus. Illa autem concio cap. 24. antecessit, ejusque apographum unà cum hac epistolâ Babelem misit, ut vers. 17. docet: Imo etiam antecesserant quæ cap. 27. & 28. facta narrantur, & Abarbanel convicto mendacii Hananja per mortem intempestivam, deportatos per literas confirmatos credit.

V. *Instrumenta*, per quos missæ literæ. vers. 3. Legati Zedekiæ: qui à Nebucadnetzare surrogatus, Jechoniæ, sæpius per legatos obsequium testari, & forsan etiam tributa eò debuit mittere. Sic etiam anno quarto factum legitur Jer. 51: 54. Legati illi fuere ex potissimis, quemadmodum adhiberi solent pro dignitate ejus ad quem mittuntur. Horum opera usus est Jeremias, vel conscio Zedekiâ, qui non obtabat restitui Jechoniam & deportatos, vel inscio, quod legati essent viri pii, ut Seraja cap. 51. de quibus norat, deportatis suam epistolam exhibituros.

Exemplum Jeremiæ docet quanto amore & cura prosecutus sit suos auditores, etiamsi tantâ locorum intercapedine ab invicem distarent, tamen adhuc eis promulgavit sermonem Dei, quemadmodum etiam Apostoli cum præsentibus tum absentibus prædicarunt, & adhuc nobis una cum Prophetis concionantur. Scripta autem verba Prophetarum Apostolorumque tantundem valent, quantum prædicata; ne quis infeliciores putet, qui non audiunt & vident. Joh. 20: 29. 1 Pet. 1: 8.

Vers. 4. *Sic ait Jehova exercituum Deus Jisraelis; omnibus deportatis, quos curavi deportari Jeruschalaimis in Babyloniam.*

II. Inscriptio vers. 4. ostendit autorem Epistolæ primarium, Deum ipsum Zebaoth, fœderatum Israeli, qui deportatis loquebatur eodem titulo. quo Hierosolymitanis, quamvis illos in exilium ejecisset, ut pateat, quos subjicit castigationibus Deum adhuc agnoscere liberos, & ipsorum gerere curam, Heb. 6: 6. &c. ut ex cap. 24. & Ezek. 11: 16. &c. Sic deportatis X tribuum affirmat Jer. 3: 12. &c. Deut. 20: 1. &c. Lev. 26: 44.

Vers. 5. *Ædificate domos & inhabitate; ac conserite hortos, & vescimini fructu eorum.*

Vers. 6. *Ducite uxores, & gignite filios ac filias; accipite etiam filiis vestris uxores, & filias vestras tradite viris ut pariant filios filiasque: & augescite istic, ac ne minuamini.*

III. Propositio vers. 5—7. vitæ in exilio instituendæ leges ponit, quod ad statum tum OEconomicum, tum Politicum. De Ecclesiastico nihil, quia lege Mosis hic tenebantur, quantum ejus extra Cananæam poterat observari, & Jer. 10: 11. apophthegma dictarat contra idololatrarum sollicitationes usurpandum.

I. Quoad *Oeconomiam* vers. 5, 6. tria mandat, I. ædificare domus, II. plantare hortos, III. inire matrimonia, ad consequendam benedictionem multiplicationis. In deserto errantes, habitarunt in tabernaculis, quod sæpius migrandum esset de loco in locum, nuspiam fixa sedes, ne quidem cum 40 anni moræ in deserto essent definiti. ast nunc, quia in exilio certa & constans sedes in plures annos (70 videl.) assignatur, jubentur se gerere tanquam incolæ, & cives. Sic qui domum struit, hortum plantat, conjugium init. Talibus concessa olim vacatio ab expeditione bellicâ Deut. 20: 5. &c. Heic ergo quieta habitatio promissa; non solum spe, sed re; cum polliceatur habitationem, & hortorum fruitionem, & liberorum multiplicationem. Coloniis deductis in vacuas terras distribuebantur agri, & titulo vel proprio, vel emphyteutico addicebantur, ut hæreditaria foret istorum possessio. De vineis nihil, vel quod loco magis septentrionali ea vini copia non foret, vel ut hortorum nomine eædem comprehendantur. De Conubiis nihil promittit liberis, sed omne jus facit parentum, tam quod ad filios, quam filias.

Vers. 7. *Denique quærite prosperitatem istius civitatis quo deportavi vos, & orate pro ea Iehovam; nam in prosperitate ejus futura est vobis prosperitas.*

Quoad *Politiam* vers. 7. bonum loci, ubi exularent, procurandum tum privatâ fide & studio; *quærendo pacem*, ut absens adducatur, præsens retineatur, fugiens reducatur: tum religiosis precibus *sollicitando Deum*: ut quod sua manu & consilio præstare non posset, divinis fieret: quibus omnia cedunt, & succedunt: Additur argumentum ab utili, *in ejus pace vestra pax* vertitur. Politiæ incrementis & decrementis ad incolas redundantibus; qui una surgunt caduntque. Promittit proinde felicitatem aliquam in exilio, sed quæ precibus petenda, quarum exauditionem pollicetur eopse, & studiose procuranda, honeste justeque vivendo, privatim & publice, qui proinde ejecti patria non legibus soluti significantur, sed etiam tum obligari ad obsequium ut legum Dei, sic Magistratuum sub quibus vivebant. Huc faciunt mandata Ps. 34: 11. &c. Esa. 1: 16-20. Prov. 24: 21. & de precibus Ps. 122. vers. 6. &c. 1 Tim. 2: 1. seq.

Vers. 8. *Sic enim ait Iehova exercituum Deus Iisraelis, ne decipiant vos prophetæ vestri qui sunt inter vos & divini vestri, neque auscultetis somniis vestris, quæ vos ipsi curatis somniari.*

Vers. 9. *Quia falsò isti prophetant vobis nomine meo: non misi eos, dictum Jehovæ:*

III. Confirmatio tribus argumentis constat.

I. *Diuturnitas captivitatis* I. κατ' ἀξιον, removendo pseudoprophetarum vanas promissiones. vers. 8, 9. quemadmodum cap. 27. Autoritas jubentis, *Dominus Zebaoth, Deus Israelis*, Monela, *ne decipiant vos prophetæ vestri*, ordinarii doctores, qui in medio vestri; nam multi una exulabant; noluit Deus eos privari institutione, eoque fecit ut una abducerentur, per quos institutio religiosa fieret; & divini, qui nullo munere fungentes in Ecclesia, divinatores erant, & conjectores, qui curiosis artibus dediti futura præsagiebant; tum, *ne audite*, hoc est credite *somniis vestris* (non somniatoribus) *quæ facitis somniare*; non somniantes ipsi, sed dum ea captatis & divinitatem illis tribuitis, causam dantes ut alii ea mentiantur, & sic fraudem faciunt; De cujusmodi deceptione sæpius dictum: & nunc quoque, quia falsa eorum verba, ementitaque autoritas, cum Dei mandatum & missionem non habeant. Tributam autem videmus, deceptionem non solum doctoribus, sed etiam æstimatoribus eorum, quia decipi volebant somniis, somniatores provocabant, qui ea fingerent ad perniciem.

Cæterum non refert, quæ fuerit doctrina istorum hominum falsa: colligitur autem tum ex seqq. tum ex cap. 27, 28. pollicitos esse brevem periodum exilii, propediem redituris in patriam, quamobrem omnia consilia & cogitationes de morâ damnabant, nihil ædificandum, plantantum, cujus post biennium fruitio cessatura sit, deserenda de ipsis, abituris domum, nulla connubia instituenda; contra votis factisque laborandum contra Babelem ad promoven-

vendum ejus exitium, & monarchiæ illius destructionem. Sic Hierosolymis docuerat Chananjæ, cujus mendacia cum externo judicio fuissent detecta Jeremiam hæc Babelem scripsisse putat Abarbanel; hunc nexum statuens capitum.

Jeremias ergo. 2. κατὰ βίον docet tum Quando & Qualem finem sit habitura Babylonica captivitas ipsorum, tum Quo autore futura liberatio, vers. 10, 11. Quid ipsimet collaturi opis vers. 12--14.

Vers. 10. *Sic enim ait Jehova; nam ubi implebuntur Babyloniæ septuaginta anni, visitabo vos; & præstabo erga vos verbum meum illud optimum, reducendo vos in locum hunc:*

Vers. 11. *Quum ego agnovero* dandas vobis *cogitationes quas ego cogito de vobis, dictum Jehovæ, cogitationes prosperitatis, non autem adversitatis; dandum vobis finem, eumque exspectatissimum.*

(1.) *Tempus* vers. 10. Deus indicat, *quando Babeli fuerint impleti 70 anni.* Qua ratione numerandi sint hi anni, non convenit inter Interpretes. Quidam intelligunt annos Captivitatis Babylonicæ quamdiu Judæi istic debeant manere, quum in Babele impleti fuerint 70 anni, nempe Vobis. Sed nec vox לכם *Vobis* occurrit, neque legitur בבבל, sed לבבל *Babeli.* Alii annos Babelis, quamdiu dominium possidere debeat. Quos quidem cum illis captivitatis Judaicæ eosdem nonnulli arbitrantur. Quod maxime consentaneum textui censeam, hoc est; Designari periodum monarchiæ Babylonicæ sub Nebucadnetzare & posteris ejus. Ea 70 annorum fore dicitur Jer. 25: 11, 12. & in tempora Nebucadnetzaris & filiorum ejus distribuitur cap. 27: 6, 7. Alibi designatur vastitas Hierosolymæ 70 annis 2 Chron. 36: 21. Dan. 9: 2. Zach. 1: 12. & cap. 7: 5. sed annos illos licet numero convenientes non possum credere eosdem esse, utpote nec idem initium, nec eundem terminum habentes quod quidem ex oppositione patebit.

Monarchia Babylonica Nebucadnetzaris cœpit tertio anno Jojakimi, finito Dan. 1: 1. Jer. 25: 1. inchoato autem & currente quarto; quando regnum adiit, & mox contra Jojakimum, fiduciarium Pharaonis bellum movit, eumque sibi tributarium reddidit. Conjunguntur ergo, non quod idem principium habuerint, nam conjunguntur etiam Nebucadnezaris septimus & Jojakimi undecimus quia pars quarti Jojakimi transierat antequam regnare cœpisset

Nebucad.	1.	Jojak.	4.
	7.[a]		11.
	8.	Jech. m.	3.
		2 Reg. 24: 12.	
	18.[b]	Zedek.	11.
	19.[c]	Finiti regni	1.
	23.[d]		5.

[a] Jer. 52: 28. [b] v. 29. [c] v. 12. [d] v. 30.

Nebucadnezar imo Jojachin qui post patrem Jojakimum per 3 menses regnavit deportatus est (exacto tamen) anno septimo Nebucadnetzaris. Chronologica series ergo sic habet:

Jojakim.	4. curr.	1.	Nebucadnezaris, qui bello Jojakimum subegit.
	11. inch.	7.	curr. hoc occupavit Hierosolymam, & Jojakimum abduxit in itinere mortuum & instar asinini cadaveris abjectum.
Jechon.	3. mens.	8.	Reversus abduxit Jechoniam in Babylonem 2 Reg. 24: v. 12. Jer. 52: 28. Zedekia surrogato.
Zedek.	10. fin.	18.	Inchoato Jeremias fuit in carcere Jer. 32: 1, 2.
	11. m. 4.	18.	Occupavit Hierosolymam & Zedekiam excœcatum, cum aliis traxit in captivitatem Jer. 52: 29. & vers. 7--11.
		19.	sequente anno post victum Zedekiam vastata est Hierosolyma Jer. 52: 12. &c.
		23.	alii adhuc deportati, forte qui post cæterorum fugam in Ægyptum remanserant in terrâ Jer. 52: 31.
		44.	mortuus est, cum fere 37 annos solidos Jechonias in Babele captivus vixisset. Jer. 52: 31. atque cœpit.
		1.	Evilmerodachi filii ejus, cui tribuunt.
		23.	annos; quando ipsi defuncto successit.
		1.	Baltasar filius, Nebucadnezaris nepos. qui
		3.	annos regnavit Dan 8: 1. Hinc autem confiunt in universum anni 70. videl. { Nebucad. 44. Evilmerod. 23. Baltas. 3.

Abrabanel tamen Nebucadnezari 45. tribuit, & Evilmerodacho 22. quomodo idem numerus redit. 70.

Captivitas Babylonica Judæorum nequit eodem ab anno inchoari: quamvis enim Nebucadnezar anno primo superarit Jojakimum, occupata Hierosolymâ, nullam tamen coloniam Judæorum duxit Babelem, sed vasa quædam templi, & aliquos regii generis pueros, in aula suâ ministraturos. Initium ducendum est à deportatione Jechoniæ, & anno Nebucadnezaris septimo, ut septennio distent monarchiæ Nebucadnezaris & exilii Jechoniæ principia; & hujus 37 annus finiens, finis fuit regni Nebucadnezaris ipsius, qui 44. annis præfuit. ut si Captivitas 70 annorum fuit, ultra mortem Baltasaris per septennium veniat extendenda; quomodo jam periit synchronismus exactus, quoad ipsum exordium & finem. Sed nusquam legitur in Scriptura exilium duraturum 70 annos, verum vastitatem Hierosolymæ: quo pacto major adhuc differentia occurrit. Nam Hierosolyma nequit dici vastata, quamdiu templum Dei, & palatium regis, & muri stabant. Hæc autem loca nil passa sunt violentiæ a Babyloniis, nisi post deportatum Zedekiam, anno Nebucadnezaris 19. Jer. 52: 12. undeeo incluso auspicari oportet 70 annos desolationis. quorum inveniuntur regni Nebucadnezaris residui 26. Evilmerodachi 23. Baltasaris 3. conficientes 52. annos. Desunt 18. alii, de quibus videndum unde addantur. Expedit istud dubium, uti quidem videtur, autor 2 Chron. 36: 19, 20, 21. testatur durasse exilium post desolatam Hierosolymam usque ad regnum Persicum, annos 70. Ast destructa per mortem Balthasaris monarchiâ Nebucadnezaris Babylonicâ, non statim successit Persicum regnum, cujus primus rex fuit Cyrus Persa, qui primo anno regni solvit captivitatem, & reædificandæ urbis & templi fecit potestatem *Esa.* 44: 28. cap. 45: 1. &c. Ezr. 1: 1. &c. 2 Chron. 36: 22, 23, sed Medicum, rege Dario Medo, Socero vel avunculo Cyri: quod diserte notatur Dan. 5: 30 cap. 6: 1. itemque cap. 9: 1. fuitque distinctum a Cyri Persico cap. 6: 29. Equidem tribuunt aliqui Dario annum unum: sed impossibile est ut omnia illa intra annum facta sint quæ cap. 6. narrantur, ultimo versu longe ulteriorem moram indicante. Quamobrem forsan convenientissime Dario Medo 18. illi anni dabuntur, ut mortuus sit octogenarius. Quo facit illud in Seder Olam minori tol. 16. col. 4. Anno Medorum decimo octavo qui 70 à vastato templo, adscendit Ezra Hierosolymam &c. *Ubi* recte conjungitur annus 70. vastitatis cum 18. anno Medorum, sed male dicitur Ezram tum rediisse in Judæam, qui non sub Dario Medo (qui Cyrum Persam antecessit) sed sub Dario Persa reversus est. Aben-Ezra ait in Dan. 9: 2. finitis 70. annis Babelis visitatos esse Judæos, indulto a Cyro rege reditu, sed Hierosolymæ vastitatem protractam per alios 19. annos usque ad secundum annum Darii Persæ, quando Zacharias vaticinatus sit Zach. 1: 12. Sed Cyrus vastitatem sustulit suo mandato, siquidem fides vaticinio Esa. 44: 28. ut prior interpretatio potior sit. Sunt qui Cyrum Baltasari successisse scribunt, Darium Medum autem ab eo Babyloni præfectum, una cum ipso regnasse, sed id non fert, Dan. 6: 12. nam qui 120. præfectos statuit in regno, & his præficit tres, & unum omnibus cogitat præponere, nequaquam solius Babyloniæ dominator fuit: sed totius Imperii, (nam Asverus Persa 127. provincias obtinuit Est. 1.) & potius dicendum Cyrum ab ipso dependisse, quam contra; unde Cyrus ejus non Collega sed successor statuitur, Dan. 6: 29. Atenim Jer. 29: 10. &c. dicitur, finitis 70 annis Babelis, Deum visitaturum Judæos, & reducturum in locum suum. Resp. Sic egit: stante monarchia Nebucadnezaris, usque ad mor-

mortem Baltasaris, ne quidem cogitandum fuit de reditu, sed hoc necato, jam cœpit præparatio fieri, non quod illico forent restituendi; sed ut excitarentur ad preces, & fiducia promissi reditus se separarent, humili prece à Deo postulaturi vers. 12. &c. quod fecit Daniel cap. 9. sic tamen ut attendens ad terminum fixum, 70 annorum desolationis Hierosolymæ, sic peteret restitutionem.

(2.) Porrò *quo Autore* finienda sit Captivitas, dicitur vers. 10, 11. videlicet à Deo ipso, sic ut totam restitutionem complectatur, quamquam non eodem momento, sed successive esset processura. *Visitabo*, inquit; *vos*, non ut ante judiciis cap. 27: 8. & sæpius: sed beneficiis, ut cap. 27: 22. quemadmodum explicat; *excitabo*, vel *stare faciam, verbum meum bonum super vos, ut reducam vos in hunc locum.* Omne quidem verbum Dei bonum est, etiam quod judicia denunciat Esa. 39. vers. ult. sed hîc bonum dicitur, quod Judæis bonum erat & externo statui ipsorum commodum; sive verbum promissionis; quod cum editum esset à Deo, toto tempore exilii jacere videbatur, & sepultum esse; verum excitandum, Deo per complementum, ei daturo vitam quasi & constantiam stabilem, confer. Ps. 97. אור זרוע.

Huic confirmando additur vers. 11. *Novi enim cogitationes* &c. quo significat non solum præscientiam futurorum, & decretorum suorum memoriam, sed inprimis quod Esa. 55: 9. oppositè ad cogitationes hominum, quæ cum non assequuntur rationem complementi, de eo desperant, neque apud Deum aliter se habere rentur: vocat autem *bonum verbum*, quia promissionem habebat felicitatis, & nunc cogitationes pacis & non ad malum, (quales habuerat Jer. 18: v. 11.) quia apud se erat voluntas certo tempore præstandi.

Effectus autem est, *ut vobis dem* אחרית ותקוה *Expectatum finem*, ut Joh. 1: 17. gratia & veritas, id est vera gratia, Rom. 1: 5. gratia & Apostolatus, id est Apostolica gratia; vel finem & exspectationem sive post exspectationem, ut post ipsem patientem tandem consequamini finem. τὸ אחרית notat finem felicem, ut semper aliquid restet, quod restare felicitatis sit; cujusmodi extremo impii carent. conf. Num. 23: 10. Ps. 37: 37, 38. Prov. 23: 17. Proinde à Deo solo est, & tamen certissima est Ecclesiæ restitutio. Excitatio, qualis mortuorum, solius Dei est, Ezek. 37. & Cogitationes Dei nunquam sunt evanidæ, inconstantes, aut effectu destitutæ. Job. 42: 2.

Vers. 12. *Quum invocaveritis me ut abeatis, & oraveritis me, tum exaudiam vos.*

Vers. 13. *Et quærentes me invenietis, quum requisiveritis me ex toto animo vestro.*

Vers. 14. *Præstò enim futurus sum vobis, dictum Iehovæ; & reducturus captivos vestros, congregaturusque vos ex omnibus gentibus, & ex omnibus locis quo depulero vos, dictum Iehovæ: & reducturus vos in locum hunc unde deportavi vos:*

(3.) Attamen hîc additur *quid ipsimet facturi sint.* v. 12. *Clamabitis ad me, & ibitis ac precabimini ad me, & audiam vos.* Preces ipsorum erant interventuræ, à quibus cum abstinuissent aliquamdiu Esa. 64: 7. & quasi otiosi sedissent, jam novo vigore & Zelo eas erant exercituræ, non defuturo successu.

An ergo preces medium impetrationis? sic aliquid mereri videntur, aut saltem esse causa sine quâ non. Resp. Preces piorum pro Ecclesiæ restitutione mediùm sunt non impetrationis, sed receptionis. Impetratio pendet à bono verbo & cogitationibus pacis Dei: Hæ causa prima, illud harum testimonium; & juxta utrunque erat futurum secundum veritatem, quia veritas Dei non patiebatur negligi terminum definitum. Tametsi ante petissent Judæi frustra id futurum erat, & tum negligentes tamen restituti, argumento Esa. 65: 1. Joh. 2. hora mea nondum venit. Ps. 126: 1, 2. Non ergò à precibus ipsorum penedebat liberatio. Attamen eas erant dicturi, ceu officium suum, ut liberationem à Deo datam reciperent tanto majori cum æstimatione beneficii Ezek. 36: 32. 37. removentur omnia ipsorum, adeoque & preces: & tamen hæ dicuntur antecessuræ, non tanquam factum ipsorum sed tanquam beneficium Dei, quia fluunt à Spiritu gratiæ Zach. 12: 10.

Ad quid ego preces, si nihil impetrant? Resp. Testantur amorem Ecclesiæ, desiderium restitutionis ejus. fiduciam in Deum à quo solo restitui potest, & fidem promissionum ejus, nec non obligationem ad gratitudinem Dan. 9. 2. &c. 2 Sam. 7: 27. Ps. 102: 14. &c. & 122: 6.

Porro factum Judæorum illustratur ulteriori declaratione, I. *Quales* esse debeant illæ præces vers. 13. *& quæretis me* &c. τὸ *Quærere* indicat sensum defectus rei necessariæ, vel saltem commodæ: qui stimulus ad preces: item desiderium remotionis defectus; nec non studium & conatum inveniendi; sive diligentiam operis; (conjungitur autem explicationis ergò inquisitio oris, *si de me quæsiveritis*, & Zelus cordis, *toto corde*; Objectum porrò est *Deus* quem quærere debent, sub fiducia inveniendi, siquidem inquisitio fuerit legitima; nam male quærentem nihil invenire, quid mirum. II. *Quid* sint impetraturæ. vers. 14. *Inveniar vobis*, & quidem in plenitudine bonitatis; (Jer. 2: 31. nequaquam desertum:) ad restitutionem in patriam; cujus gradus, 1. captivitatis conversio in libertatem, 2. collectio exulum, 3. reductio in patriam. Collectio illa restingenda est ad solos Judæos, qui restituti, aut quod mavult Abrabanel, extendenda ad restitutionem ultimam. Ait autem non processisse restitutionem ad consummatum illum gradum, quod stante templo secundo non modo non meliores fuerint patribus, sed etiam deteriores; adeoque novo exilio fuisse ejectos. Sic responderet illud Jud. 2: 3, 21. coll. com Jos. 23. vers. 15.

Vers. 15. *Quum dixeritis, excitaverat nobis Iehova Prophetas* prophetantes, eundum *in Babyloniam.*

Vers. 16. *Nam sic ait Iehova de Rege qui sedet in solio Davidis; & de toto populo qui residet in civitate hac; fratribus vestris qui non egressi sunt vobiscum in illa deportatione.*

Vers. 17. *Sic ait,* inquam, *Jehova exercituum, ecce ego immissurus sum in hos gladium, famem ac pestem: & expositurus sum eos tanquam ficus horrendas quæ non possunt comedi præ pravitate.*

Vers. 18. *Nam persequar eos gladio, fame, ac peste; & exponam eos commotioni apud omnia regna terræ, exsecrationi, & desolationi, sibiloque, & opprobrio apud omnes gentes quo depulero eos.*

Vers. 19. *Eo quod non auscultant verbis meis, dictum Iehovæ; quum miserim ad istos servos meos Prophetas: inde à diluculo indesinenter, & non auscultetis, dictum Iehovæ.*

II. *Calamitas non deportatorum* vers. 15--19. Huc accedit per

1. *Occupationem*, vers. 15. *Quia dicitis: Excitavit nobis Deus Prophetas Babelem.* Non solum qui nobiscum vivunt Prophetæ, quos divinos vocas, & cavendos mones ceu deceptores, fiduciam faciunt propinquæ restitutionis, sed etiam qui in Judæa sunt, Babelem versus sua vaticinia mittunt, quibus bona spe nos implent, excitati à Deo, qui nobis inde solatia procurat, vel τὸ בבלה referendum ad הקים. Deus usque in Babel nobis adhuc gratiosus est, & quamvis templum habitet Hierosolymitanum, inde tamen Babelem versus extendit benignitatem suam, excitando istic Prophetas: sic magis respondet vers. 20. seq. (Quidam connectunt præcedentibus vers. 15. *quando dixeritis, Deus nobis excitavit Prophetas Babelem*, qui eò missis Prophetiis suis, nos erudierunt, de exilio, ejus diuturnitate, fine, & conditionibus conjunctis circa illud tempus: sed prior expositio convenientior, ob nexum cum sequentibus.)

2. *Respondet* autem I. indirectè; Residui in Judæâ deportabuntur & ipsi, aut miserè peribunt, tantum abest, ut vos eò sitis propediem restituendi. Indicat enim judicium para-

paratum Zedekiæ & cæteris qui in Judæâ ; cujus I. *Subjectum*, qui illud ſubituri verſ. 16. Rex & ſubditi, *fratres deportatorum, non deportati*. nihilo tamen illis digniores, quibus reatu pares, pari tandem loco erant futuri II. *Gravitas* ex diſtributione verſ. 17. triplici judicio Deum in eos animadverſurum, & quidem non ſolum in terrâ ; ſuâ, ſed etiam in exilio verſ. 18. ut longe gravior pœna eos maneat, quam deportatos, quibus proſperitas fuit promiſſa in loco exilii. III. *Effectus* calamitatis *tum* typicus, ex concione cap. 24. de *ficubus corruptis*, quæ horrorem incutiant, *tum* proprius de miſerrimo contemtu apud exteros tolerando, quemadmodum dicto cap. minatus fuit. Abrab. præſentium temporum conditionem deſignari retur, quæ quidem reſpondet quod ad opprobria genti illi facta ubique, ſed præter ſcopum Prophetæ, qui de ſuæ ætatis hominibus in Judæa loquitur: & complementum in Zedekia, necatis liberis excœcato, quomodo talia paſſus eſt, Conf. Jer. 52. IV. *Cauſa* denique judicii verſ. 19. contemtus verbi divini, per Prophetas Dei propoſiti, quod frequentiſſimum. Eſt autem notanda mutatio perſonæ, ſcribit ad deportatos de non deportatis in 3 perſonâ, & tamen mox in ſecundâ : *Et vos non audiviſtis* ; eſtis, inquit, in eodem reatu, & jam caſtigamini, idem ergo patientur cœteri ; ſed non eſt notâ ſimilitudinis, *Sicut vos non audiviſtis* : itaque potius pertinet ad aggravationem culpæ ; & 1 reddendum *Poſtquam vos non audiviſtis*, cum inobedientiæ veſtræ exemplum exſtaret, quam Deus ultus eſt, tamen non fuere emendati, ſed pejores facti, ut de Juda dixit Jer. 3. verſ. 6. ſeq.

Verſ. 20. *Vos itaque audite verbum Iehovæ ; omnes deportati quos miſi Ieruſchalaimis in Babyloniam.*

Verſ. 21. *Sic ait Iehova exercituum Deus Iſraelis de Achabo filio Kolajæ, & de Tzidkija filio Mahaſejæ, qui prophetant vobis nomine meo falſum : ecce ego traditurus ſum eos in manum Nebucad-netzaris Regis Babyloniæ, ut percutiat eos ante oculos veſtros.*

Verſ. 22. *Et ſumetur ab ipſis maledictionis formula apud omnes deportatos Iehudæ qui ſunt in Babylonia, dicendo ; diſponat te Iehova ut Tzidkÿam, & ut Echabum, quos torrefecit Rex Babyloniæ igne.*

Verſ. 23. *Eo quod commiſerunt flagitium in Iſraele ; adulterantes cum uxoribus amicorum ſuorum, & loquentes verbum nomine meo falſum quod non præceperam eis : ego verò ſum iſtorum cognitor ac teſtis, dictum Iehovæ.*

III. *Vindicta ſpecialis* contra duos Pſeudoprophetas exercenda verſ. 20--23.

I. Quia provocarant ad Prophetas ſuos v. 15. qui in Babele decipiebant ementitis revelationibus, iſtos contrà agit ſigillatim, ut cap. 28. contra Hananiam ; Excitantur heic omnes ad audientiam v. 20. unde liquet : Caſtigationes Dei non eximere ab obligatione audiendi verbum Dei : etiam nunc attendere debent, cum etiam tunc ſubſint curæ Dei, qui & facienda, & ſperanda indicabat, imo tum magis audiendus Pſ. 119: 67-71. Deſcribuntur autem à numero, nominibuſque tum propriis, tum paternis, & facto ipſorum, verſ. 21. deinde indicatur pœna, ab autore, inſtrumento, teſtibus. verſ. 21. tandem conſequens infamia verſ. 22, 23. quæ ulteriorem culpæ & pœnæ deſcriptionem habet. *Maledictionis formulam* inde ſumendam, ut Num. 5. verſ. 21. &c. ut infamis in perpetuum eſſet memoria Eſa. 65; 15. Formula autem habet ſolum pœnæ exemplum extraordinarium, quod *igne aſſati* fuerint. verſ. 22. Aſt Deus ſubjicit cauſam pœnæ geminam, quarum unam Nebucadnezar attenderit, adulterium ; alteram Deus, mendacia ſuo nomine prodita ; cujus ipſe ſolus conſcius & teſtis ſit. verſ. 23. Quinam hi duo fuerint non conſtat exacte ; ſaltem hæc vel colligere eſt, vel ex traditione dicuntur ; fuiſſe magni nominis & autoritatis inter exules, qui ſe à Deo ſingulari beneficio ſic auctos rebantur, ex verſ. 15. Addebat aliquid ipſorum autoritati Conſenſus ; duo erant, quod-quot ad teſtimonium requirebantur Deut. 17:6. cap. 19:15. aſt contra Jeremias unicus qui diſſentiebat, & ab his & ab Hieroſolymitanis, (nam Ezekiel nondum orſus erat munus Propheticum, Ezek. 1: verſ. 2.) eoque plus fidei reperiebant.

Sed apparet non omnem Doctorum conſenſum eſſe teſtimonium veritatis : datur etiam conſenſus errantium & decipientium, in Judæa & Babele Prophetæ idem dicunt, ſed idem falſo ; ſolus Jeremias verus ; Sic Elias ſolus in X. tribubus ; Paulus ſolus Romæ, cum ubique Judæi contradicerent Act. 28: 22. Aliquando totus orbis Chriſtianus factus erat Arianus. Bene Liberius Epiſcopus Rom. cum Conſtantius Imp. ei diceret, quota pars tu es orbis terrarum, qui ſolus facis cum homine ſcelerato ; Athanaſio nempe ; non diminuitur, inquit, meâ ſolitudine verbum fidei ; nam & olim tres ſolum inventi fuerant, qui edicto (Nebucadnezaris ſcil. Dan. 3.) reſiſterent. Sic ante Reformationem magnus fuit conſenſus in Eccleſia Rom. quo gloriantur tanquam Eccleſiæ notâ, cum contradicentium exiguus eſſet numerus. Et nunc quoque non conſenſu hominum conſtat veritas, ſed hominum cum Scriptura, quæ ſola eſt doctrina veritatis ſecundum pietatem. Unius hominis cum eâ conſenſus plus habet autoritatis ad perſuadendum aſſenſum, quam omnium hominum conſentiens in diſſentientibus dogmatibus conſpiratio. 1 Joh. 4 : verſ. 1. Eſa. 8: 20. Act. 17: verſ. 11.

Peccatum ipſorum geminum,

(1.) *Contra Deum*, cujus mentiebantur revelationem & mandata. Qui eis decernit pœnam, per Nebucadnezarem infligendam, quamvis hic non cogitaret de miniſterio aliquo quod Deo præſtaret. Sic ſtatuit pœnam Achabo, Jezebeli, Jojakimo, Judæis Eſa. 10. quamvis Aſſur nihil tale cogitaret. Ut agnoſcenda manus Dei in judiciis etiam per hominès exercitis ; ut Adonibezek Jud. 1: 6, 7.

(2.) *Contra proximum*, Impura adulteria. *In genere* נבלה Abrab. *Epicureiſmus*, de ſtupro dicitur Gen. 34. Jud. 19. de inceſtu 2 Sam. 13. hic de adulterio. Hieronymus refert eſſe duos illos ſenes, quorum mentio fiat in hiſtoria Suſannæ ; quamvis ſupplicii circumſtantiæ non congruant. Judæi conjungunt prætextum mandati divini, ſolitos fuiſſe mutuas præſtare operas, & cum unus flagraret impuro amore alicujus mulieris, alterum ad eam acceſſiſſe, *mentitum* Dei juſſu eam moneri, ut concumberet *cum illo*, quod Prophetam ex Propheta concipi, & ex illa naſci vellet : atque ſic multas faſcinatas, ab iſtis hominibus pollutas eſſe. (quemadmodum Romæ, quidam Decius Mundus mentitus Anubim petere concubitum Paulinæ matronæ caſtiſſimæ, etiam conſentiente marito eam inquinavit, quam ob cauſam omnes Sacerdotes Iſidis Româ ejecti, ut eſt apud Joſephum lib. 18. Antiq. cap. 4.) Hos autem idem tentaſſe apud filiam, vel uxorem Nebucadnezaris quæ huic indicatit poſtulatum facinus. Nebucadnezarem cum ex Daniele & ſociis didiciſſet Deum Iſraelis averſari omnem impuritatem, hiſce duobus, experimenti ergo, *num verum* dicerent, conſtituiſſe, ut in fornacem ignis conjicerentur, Deum enim Prophetas ſuos cuſtodire, *quod* in tribus illis factum viderat. Hos ſibi metuentes petiiſſe ut tertius ſibi jungeretur, (quemadmodum alii tres fuerunt,) Joſua filius Joſadak Sacerdos, quod hujus meritis ſe ſervatum iri ſperarent ; ſed ipſos igne abſumtos, iſtum fuiſſe ereptum, unde dicatur titio ereptus ex igne. Quicquid ſit, ſaltem horum hominum ſcelera innotuerunt Regi Neb. quod adulterium repetitum capitali pœna punivit, & quidem adeo atroci in Prophetis ; quod hodie inter Chriſtianos adeo vilipenditur, ut etiam rideatur, & nulla leviſſimave pœna vindicetur. Iſti autem nefarii homines exemplo ſuo docent, falſantes verbum Dei facillime indulgere impuritati ; Idololatria ſæpius impudicitiam habet conſequentem. ut Num. 25. Rom. 1: 21. ut in Eccleſia Romana. Qui profani circa religionem veram, & ſuperſtitioſi circa traditiones humanas, voluptatibus dediti ſunt crebro ; intemperantiæ, ſcortationi, adulteriis, &c.

Sed enim Deus uti eſt conſcius & teſtis omnium, etiam ſecretiſſimorum tum adulteriorum, tum vaticiniorum ementitorum, & ea patefacit, ſic quandoque per externa iſtiuſ-

iſtiuſmodi crimina deducit ad pœnam, quam etiam à ſe conſequuntur pro magis ſecretis peccatis. Mal. 3: 5. Cæterum Impii tandem fiunt infames, quemadmodum Jeroboam, Achab, Manaſſe. Prov. 14: verſ. 34. Pſal. 52: verſ. 8; 9.

Verſ. 24. *Schemahjam verò Nechelamæum alloquitor dicendo:*

Verſ. 25. *Sic ait Jehova exercituum Deus Iiſraelis, dicendo, eo quod tu miſiſti nomine tuo literas ad totum populum qui eſt Jeruſchalaimis, & ad Tzephanjam filium Mahaſejæ Sacerdotem, atque ad omnes Sacerdotes, dicendo.*

Verſ. 26. *Jehova diſpoſuit te Sacerdotem in loco Jehojadahi Sacerdotis, cùm ſitis præfecti* in *domo Jehovæ contra omnem virum amentem & Prophetam agentem; ut ponas eum in cippo, aut in ſcapha:*

DEFENSIO Concionis contra calumniatorem habetur verſ. 24--32. Cujus nomen præſcribitur concioni, ceu in quem directa, verſ. 24. *contra Semajam*, vel *de* ipſo; nam ipſi loqui non poterat, qui tanta locorum intercapedine dividebantur, cum ille in Babele eſſet, Jeremias Hieroſolymæ. Nechelamita dicitur vel a loco, vel ut alii per characterem muneris, quod ſomniatorem ſe fingeret, quales verſ. 8. habebant.

Poſt præfationem ordinariam, occurrit

I. FACTUM ejus verſ. 25--28. Literæ Babylone ſcriptæ Hieroſolymam, tum ad univerſum populum, tum ad Zephaniam, qui vicarius Pontificis maximi, necatus capta urbe Jer. 52: 24. &c. filius Maaſejæ, ſive ejuſdem qui modo dicti Zedekiæ Prophetæ falſi pater, ſive alius, & juxta cum ipſo ad cæteros Sacerdotes. Ubi crimine vacat epiſtolare colloquium, vitio autem vertitur quod ſcripſerit ſuo nomine, & autoritate propriâ, & quæ aliis agenda præſcripſerit. Equidem noſſe oportet eos, quomodo verſandum in domo Dei, 1 Tim. 3: 15. ſed qui rite verſatur, non ſuum nomen & autoritatem ſequitur, verum Dei: aſt qui fiducia abſentis Domini, ſibi ſumit jus percutiendi conſervos, quos & quando lubet, per ſe, aut per alios, & imperandi, legeſque dictandi, infidelis eſt, a fideli domino mercedem ſe dignam reportaturus. Matt. 24: 45. &c. Hujuſmodi fuit ingenium Semajæ, quod docet Epiſtolæ ejus argumentum. ubi

I. *Quod officium Sacerdotum* ſit inculcat, verſ. 26. Præmittit argumenta.

1. Ab autore, *Deus te conſtituit Sacerdotem;* hoc axioma non niſi divino munere tibi obtigit, uti & cum reliquis Sacerdotibus præfectura Domus Dei. 2. ab anteceſſore, loco Jojadæ, ſive is ſit qui tempore Athaliæ politiam & Eccleſiam reſtituit in integrum; 2 Chron. 23. 24. atque Mattam Prophetam Baalis necavit: ſive proximus prædeceſſor; qui procul dubio magnæ fuit autoritatis, & meriti. Cujus proinde exemplum imitandum proponit, ne exprobrari poſſet ejus virtus, quemadmodum Jojakimo Joſiæ & Hizkiæ exemplum Jer. 22: 15, 16. cap. 26: 19. uti Donantem iſtud honoris Deum, ne ingratus aut infidelis Deo juſtam ejus indignationem & animadverſionem incurreret.

2. A munere ipſo.

a. *Obſervatio fanaticorum* & enthuſiaſtarum, qui Spiritum ſe agitantem, & ad Prophetandum urgentem præ ſe ferrent. Etenim Sacerdotum erat, attendere doctrinæ Deut. 33: 10. Mal. 2: 7. ne quis extraordinariam vocationem jactans aliquid erroneum proponeret. Verum iſti homines abutebantur crebrò ſua poteſtate, & ſibi judicium de religione arrogabant, ut quæ credere aut facere oporteret ſuo arbitrio definirent, & gravati ſæpius veri Prophetæ; De politicis legimus tribuiſſe vero Prophetæ Inſani titulum 2 Reg. 9: 11. Act. 26: 24. ſed non aliter Eccleſiaſtici judicarunt, Joh. Baptiſta Dæmoniacus ipſis fuit Matt. 11: 18. & Jeſus inſanus & Dæmoniacus Joh. 10: 20. cap. 8: 48. accuſarunt eos mentitæ miſſionis divinæ, ſic Micham 1 Reg. 22. Jeremiam Jer. 20: 26. & Judæi noluerunt agnoſcere Baptiſma Johannis de cœlo eſſe, Matt. 21: 25. &c. vel Jeſum autoritatem indidem habere. verſ. 23. ſic Apoſtolos Act. 4: 5. Stephanum cap. 6. Paulum cap. 21. & ſeqq. Atque iſtud ſolenne illis, qui traditionibus humanis mancipati, qui omnes illos quibus religio eſt aliud dicere quam Deus in Scriptura dixit, inſanorum & enthuſiaſtarum convitiis inſectantur: ut nihil inſolitum fiat, quemadmodum nihil novi eſt ſub ſole, & ſæpius eadem fabula agitur, mutatis perſonis.

b. *Coërcitio eorundem*: ut ponantur במהפכת *in carcere* ſeu *cuſtodia*, Targ. כיפתא a fornice vel concavitate; alii ex nomine, *cippum* intelligunt, eculeum, inſtrumentum, quod collo aliiſque membris circumpoſitum arctabat, magna moleſtiâ non minus quam ignominiâ. Symmachus βασανιστήριον φυλακτήριον, *tormentum* utrumque μόχλον *vectem*. Hieron. *nervum*. בצינוק *in cippo*; quo manus claudantur, Symmach. καταρράκτην *carcerem*. Junius *naviculam ſugentem* exponit ex צי & ונק, de qua Plutarch. in Artaxerxe: duas ſcaphas ſibi reſpondentes, inter quas collocatus aliquis, exſtantibus capite, & manibus ac pedibus extendebatur ad cuſtodiam, torturam, ſupplicium, ſuſtentatus lacte & melle, quæ invito ingerebantur, & ſuccreſcentibus vermibus qui intus corpus rodebant. Sic fuiſſet ſupplicium crudeliſſimum, quemadmodum crudeliſſimi ſunt qui religionis ergo perſequuntur, ut hiſtoriæ perſecutionum a Gentilibus, & Arianis, & Pontificiis exercitarum docent. Habuerunt ſaltem iſti pœnarum aliquot genera, quæ ſtatuerent ad Eccleſiaſticæ juriſdictionis conſervationem, cujuſmodi iſſi haberent nonnulli, plus ſanguinis humani funderetur quam a magiſtratu civili fundi videmus. Hujuſmodi autoritatem uſurparunt contra Jeremiam cap. 20, 26. contra Apoſtolos, Stephanum, Paulum, graſſaturi ad mortem, ſiquidem in ſuâ id fuiſſet poteſtate.

Verſ. 27. *Nunc ergo, quare non increpaſti* ſaltem *Jirmejam Hanathothanum, qui Prophetam agit vobis?*

Verſ. 28. *Quandoquidem miſit ad nos* in *Babyloniam; dicendo, longa eſt* captivitas: *ædificate domos, & inhabitate; ac conſerite hortos, & veſcimini fructu eorum.*

II. *Accuſat Jeremiam*, contra quem vult ſtatui pœnas ejuſmodi verſ. 27. (1.) Inſimulat autem ſimul negligentiæ Zepahaniam, ceu non functum munere ſuo, fuiſſe enim increpandum Jeremiam, qui mentiatur ſe Prophetam, teneri reum, & hac propter citra moram fuerit corrigendus. (2.) Probatque accuſationem, verſ. 28. ex miſſa ab ipſo epiſtola Babelem, qua exilium diuturnum prædixerat, & proinde ad moram iſtic ducendam ſe componere juſſerat. Chald. addit, iſto menſe veniſſe Jeremiæ literas; ut per eoſdem nuncios forſan remiſerit accuſationem, qui attulerant epiſtolam. Magnam autem hîc fraudem façit, reticendo quod maxime ad rem faciebat; non tantum exilii diuturnitatem prædixerat, ſed etiam finem monarchiæ Nebucadnezaris & hujus exilii: Sed ſic inter eſt calumniatorum Pſ. 56: 6. omittere quæ faciunt ad excuſationem, ut gravare queant quos oderunt: quemadmodum teſtes contra Chriſtum. Sic agitur per indices Expurgatorios.

Verſ. 29. *Legit autem Tzephanja Sacerdos literas iſtas, audiente Jirmeja Propheta:*

II. QUOMODO innotuerit Jeremiæ verſ. 29. *Zephaniæ* cui inſcripta fuit Epiſtola, uti & populo & reliquis Sacerdotibus, *eam legit*, ut veriſimile his omnibus præſentibus, atque etiam Jeremiâ qui ſacerdotum unus, adeoque mox ejus conſecutus eſt notitiam, niſi forte Zephania privatim eam communicarit Jeremiæ, quod æquitatis & amoris fuiſſet. Pellucet autem ſanguinarium conſilium Semajæ, qui omnes iſtos ſimul judices conſtituit, ut mox damnantibus Sacerdotibus plebs eum raperet ad ſupplicium, quæ demagogos tales ſequi ſolet. Sed Deus Jeremiæ fecit innoteſcere talia.

Vers. 30. *Fuit itaque verbum Jehovæ ad Jirmejam edicendo:*

Vers. 31. *Mitte ad omnes deportatos dicendo, sic ait Jehova de Schemahja Nechelamæo: eo quod prophetat vobis Schemaja, quamvis ego non miserim ipsum, facitque ut fiduciam ponatis in falso.*

Vers. 31. *Idcircò sic ait Iehova, ecce ego animadversurus sum in Schemahjam Nechelamæum, & in semen ejus; non erit quisquam qui habitet in medio populi hujus, neque videbit bonum quod ego facturus sum populo meo, dictum Jehovæ: quia apostasiam suasit contra Iehovam.*

III. VATICINIUM contra accusatorem vers. 30. &c. ubi I. *Mandans* Deus vers. 30. II. *Testes* ad quos mittitur, Deportati omnes, apud quos sibi arrogabat, quod Jeremiæ imputabat. vers. 31. III. Tum indicat *Peccatum* ejus, contra Deum, ementita missione, quam nullam habebat: contra ipsos, quos decipiebat & mendaciis pascebat. vers. 31. IV. atque etiam *Pœnam.* vers. 32. statuendam a Deo in ipsum *& semen ejus*: ut puniatur peccatum parentis in liberis: constat autem familiæ ejus exstirpatione, saltem e medio populi Judaici, ut sub eo non essent censendi, sive morte exstincti, sive apostasiâ gentilibus permisti fuissent: & negatione felicitatis olim populo Dei reddendæ ex promisso: ut murmuratoribus in deserto necem minatus est, & quamvis ea differretur, tamen superventuram ante Cananææ possessionem.

Meum populum dicit, quod illi non annumeraret Semajam: cujus peccatum summatim repetit, quia locutus est defectionem contra Dominum, ut cap. 28: 16. Judicium illud novum est contra pseudoprophetam, ut cap. 28. & tyrannum ac persecutorem veri, ut cap. 20: vers. 3. &c. Apostasiam porro docet, quisquis facit ut hominum non Dei verbis attendatur, quamvis humana venditentur pro divinis. Receditur enim fiducia à Deo, quando humana verba, quantæcunque autoritatis, substernuntur fundamenti instar; quod in Ecclesia Rom. (utinam sola) fieri solenne est.

CONCIO XIX.

CAP. XXX.

QUemadmodum Canticum a Deo dictatum Mosi Deut. 32. historiam Israelis universam delineat Propheticè, inde a fœderis nationalis initio, & ingressu in Cananæam, & tum peccata & judicia subsecutura, cum extrema restitutione; sic quoque duobus hisce capp. describitur historia Israelis deportati, & ad extremum restituendi: ut vere Evangelium Gentis dici possit, uti cap. 3: 6. &c. de Israele X tribuum similiter egit. Partes tres sunt I. Mandatum scribendi vaticinii vers. 1, 2, 3. II. Summa Prophetiæ vers. 4--11. III. Specialior enarratio vers. 12. —— ad fin. cap. 31.

Vers. 1. *Verbum quod fuit ad Iirmejam à Iehova, dicendo.*

Vers. 2. *Sic ait Iehova Deus Iisraelis, edicendo; scribe tibi omnia verba quibus alloquor te, in libro:*

Vers. 3. *Quod ecce dies venturi sunt, dictum Jehovæ, quum reducam captivam multitudinem populi mei Iisraelis & Iehudæ, ait Iehova: & me reducente eos in terram quam dederam majoribus ipsorum, possidebunt eam.*

I. MANDATUM habet generalem *Præfationem* vers. 2. quæ frequens, heic verò ostendit, Consolationes de spirituali redemtione per Christum à Deo proficiscuntur, atque inde accepisse debent Prophetæ. ut Esa. 40: 1. Nequit maledicere quis, cum effectu quis, ubi Deus non jussit. Num. 23. & eadem benedictionis ratio. Esa. 57: 18, 19. Psal. 68: 12. Damnantur alias præcones pacis cum Deus non jussisset Jer. 6: 8, 14. Ezek. 13. cap.

Mandatum ipsum vers. 2, 3. constat I. Mandante, *Domino Deo Israelis*; qui præstat promissa, & fœderis cum Israele rationem habet Lev. 26: 42. &c. Deut. 4: 31. II. Mandato. *Scribe* &c. *super libro.* Scribendi Mandatum dat Deus, ille autor scriptionis, non fortuitæ occasionis, aut libitus ipsorummet; sed jussus Dei vel apertus, vel secretus instinctu sacro 2 Tim. 3: 16. 2 Pet. 1: 21. Pertinet autem ad consolationem Ecclesiæ, quod verbum Dei & promissiones scriptæ sint Rom. 15: 4. Quod non creditur vivis, post mortem potest erudire & convincere: uti Jeremiæ conciones, cum Pseudoprophetæ restitutionem propinquam promitterent, ille post 70. annos spem faceret, scriptæ promissiones olim erant futuræ usui Dan. 9: 1. Zach. 1: 4. &c. Mortui loquuntur 2 Pet. 3: 1, 2. Viventibus Apostolis & Prophetis valuit 2 Thes. 2: 15. ast mortuis 2 Pet. 1: 19. Mandata ejusmodi pro futuro usu, ne quid oblivione obliteretur, aut traditione vloletur sunt Exod. 17: 14. Esa. 8: 1. cap. 30: 8. Habak. 2: 2, 3. Jer. 36: 2. &c. & vers. 28. &c. Suntque posteris ætatibus inspicienda Esa. 34: 16. Joh. 5: 39, 46. cap. 1: 46. III. Mandati ratione vers. 3. ubi (1.) temporis circumstantia, *Dies venient*, serum attamen certum erit beneficium, (2.) veritas promittentis, *κύριος* Domini, (3.) subjectum recipiens, *populus meus* generatim, fœderatus nempe, speciatim autem *Israel & Juda.* (4.) Beneficium triplex: *Liberatio* ex captivitate *Restitutio* in patriam, & *Possessio* hæreditaria. Hinc verò Abrabanel colligit, non de restitutione ex Babel loqui vaticinium, sed de ea quam adhuc exspectant; argumenta ejus (1.) promittitur Israeli & Judæ; vers. 3, 4. ast pauciſſimos ex Israel, nec omnes ex Juda tum restitutos (2.) minatur destructionem omnibus hostibus Israelis vers. 11, 16. sed tum solos Babylonios passos. (3.) heic servituri sunt Deo & Messiæ vers. 9, 21. sed tum neminem ex Davidis familia regnasse (saltem non fuit publice agnitus,) (4.) salutem fore longinquam vers. 10. sed tunc propinquam fuisse, post annos 70. (5.) non amplius subjugatum iri vers. 8, 10. secutam autem tunc servitutem non unam, sub Persis, Græcis, Romanis. Certum hic est de ultimâ restitutione loqui, quæ universæ genti Israeliticæ obtinget, attamen comprehenditur etiam liberatio ex Babel: ut extendatur ab ætate Prophetæ ad consummationem usque seculorum.

Habet autem Israel hic chirographum Dei, quod Prophetæ manu scribi voluit se dictante, ut securi esse queant; Num. 23: 19. Heb. 6: 17. &c. Matt. 24: 35. & hoc argumentum Dei Jer. 31: vers. 35. &c. cap. 33: vers. 20. &c. Sic de destructione Edomi Anti-Christiani Esa. 34: 16. & alibi.

Vers. 4. *Hæc ergo* sunt *verba quæ eloquutus est Jehova, de Iisraele & de Jehuda.*

Vers. 5. *Nam sic ait Jehova; vocem trepidationis audivimus; pavoris; nullius que pacis.*

Vers. 6. *Interrogate jam, & videte an pariat mas: cur video unumquemque virum* stare *manibus suis* appositis *ad lumbos suos, velut puerperam, & conversos esse omnes vultus in speciem morbi regii:* dicendo.

II. SUMMA prophetiæ vers. 4--11. continet I. Exordium vers. 4. II. descriptionem Miseriæ vers. 5, 6, 7. III. Liberationis vers. 7, 8, 9. IV. Consolatoriam Exhortationem. vers. 10, 11.

I. *Exordium* vers. 4. docet A quo & de quo dicta sit. *A Domino, de Israele & Juda.* Eoque ad X tribus non minus pertinet quam ad Judæ regnum, quamobrem uno nomine Populus meus vers. 3. appellantur, & titulus iste securitatem facit X tribubus. uti Jer. 3. Ezek. 37. Hos. 1: vers.

verſ. 3. unde Paulus τὸ ἀνυπόμονον ſperare docet Act. 26: verſ. 6, 7.

II. *Deſcriptio Miſeriæ*, quam ipſe Deus inſtituit, nomen enim ſuum præfigit, ducitur I. *A pavore* verſ. 5. *audivimus vocem paveris*, conſternationis. Clamore enim terror augetur, & latius ſpargitur. ſic Jer. 4: 5, 15, 16. Cauſa ejus eſt, *metus*, non vanus, qui conjunctus cum *pace*; ſed qui hanc profligatam & amiſſam ſequitur, unde indies in majus augetur Deut. 28: 65. &c. II. *A dolore* verſ. 6. illuſtrato ſimilitudine parturientis mulieris, qui tamen alias in viros non cadat; cujus indices manus impoſitæ lumbis, & faciei pallor: ſic graviſſimus dolor repræſentatur Jer. 4: 19. 31. cap. 6: 14. cap. 49: 24. cap. 50: v. 43. Hinc tempora iſta ὠδῖνες dicuntur Matt. 24. verſ. 8. Marc. 13. verſ. 8. Emphaſis autem eſt in peregrinitate rei, quod ἀπαράμυθον dolorem deſignatum velit. III. *A gravitate* mali verſ. 7. amplificata Exclamatione, *Væ*; *ah*; *heu*, *Eheu*. Comparatione, quod nihil ſimile; Extenſione, *Jacobum* univerſum dum aliis quies erit, anguſtia premet. Comprehenditur enim omne malum quod & paſſus erat Iſrael & Juda, & quod paſſurus erat continuata ac repetita vaſtatione Patriæ & miſerando exilio, ab omnibus hoſtibus, ſucceſſive per multa ſecula ſibi ſucceſſuris in oppreſſione populi. Nec obeſt mentio diei, qui non unus intelligitur, cum per tempus explicetur, *Dies Domini*, quo ille judicium exercet ut Zeph. 1: 2. Amoſ. 5: 18. &c Imo idem dies quoque ſalutis eſt verſ. 8. ob nexum actionis Dei, exercentis vindicias, & facientis gratiam, non interveniente quiete, ſeu remiſſione aut interruptione. Vel uti dies naturalis conſtat nocte & die, ſic dies Domini adverſitate afflictionis & proſperitate ſalutis. Et Eſa. 7: 16. dies vocantur, pluraliter, & poſt ſingulariter, cum tamen ſemper nova intervalla deſignentur. Sic Eſa. 11: 10. &c. Intervalla ſunt deportatio Iſraelis trans Jordanem, & tandem cis flumen, tum Judæ in Babylonem, & poſt varias reſtituti populi afflictiones ſub Perſis & Græcis, tandem ſub Romanis, cujus ultimæ calamitatis mala necdum deſierunt; quamvis nonnunquam reſpiratio obtigerit olim, & nunc quoque.

Verſ. 7. *Eheu, quia magnus* eſt *dies hic, adeo ut nullus* fuerit *par ei: ut ut tempus anguſtiæ* eſt *Jahakobo, tamen ex eo ſervabitur.*

Verſ. 8. *Erit enim die illo, dictum Iehovæ exercituum, ut frangam jugum iſtius à collo tuo, & vincula tua diſrumpam, neque ſervitutem exigent ab ipſo amplius extranei:*

Verſ. 9. *Sed ſervient Iehovæ Deo ſuo; & Davidi Regi ſuo, quem excitabo ipſis.*

III. *Deſcriptio Liberationis* in genere, verſ. 7. *inde ſervabitur.* Adeoque quantacunque etiam miſeria, Jacobi poſteritas exſtingui nequit. Servabitur ex ea, ut immunis ſit, ergo etiam in ea, ne pereat; & quamvis perierit diſtinctarum tribuum notitia, non peribit tamen diſtinctio à reliquis populis, ut ejus ſervatio pateſcat. Num. 23: v. 9. Jer. 31: 35, 36.

In ſpecie, *Salus* habet

1. Exemtionem ab injuſta tyrannide verſ. 8. ubi itidem Deſignatio temporis, & Indicium oraculi divini, ad fiduciam ingenerandam, quando I. Autorem *Jehova Zebaoth* appellat, etiam à Temporum moderamine, uti à potentia ad exſequendum quod promittit, item Deſcriptio liberationis, *frangam jugum ejus de collo tuo, & dirumpam vincula tua: neque amplius ipſo ſervo utentur peregrini.* II. *Hoſtes* ſunt (1.) Unus, qui tyrannidem cœpit, Aſſyrius contra Iſraelem, & Nebucadnezar Babylonius contra Judam Jer. 50: 17. quos ſecuti Perſæ, Græci Romani, in ejuſdem jugi continuatione. (2.) Multi, qui continuarunt variè; Peregrini, ignoti Iſraeli olim, utpote non vicini, quemadmodum Edom, Moab, Ammon, Philiſtæi, Syri: quales quotquot toto orbe diſperſis exulibus dominantur. III. *Liberatio* habet, *Jugi* non remotionem ſed fractionem, & *Vinculorum* non ſolutionem ſed diruptionem; ne redintegrari queat tyrannis, quam jugo loriſque adumbrarat Jer. 27. & ferreo jugo cap. 28. item *Servitutis* abolitionem, etſi minus gravis fuerit, quemadmodum apud omnes gentes non æque duriter habentur, Ezek. 34: 27. Majus tamen quid adhuc notandum, qui ſubeſt tyranno habet legitimum Dominum, ſed invitus, vi hoſtili ſubjicitur. Sic Iſrael manſit populus Dei, ſub Babylonica tyrannide. Sed cum ſervitur. Alienis, mutatus eſt Dominus; prior non agnoſcitur, neque etiam agnoſcit ſuos. Ceſſat quodammodo relatio mutua. Sic Iſrael poſt politiæ everſionem per Romanos. Eſa. 63. verſ. ult. cap. 26: 13. Servitus hæc agnoſcitur tyranni Neh. 9: 36. alienorum Eſa. 26: 13. continetque etiam ſervitutem ſub hominibus eorumque legibus & traditionibus Joh. 5: 43. 1 Pet. 1: 18. &c. Matt. 23: 4. coll. Jer. 5: 5. & ſub Diabolo Joh. 8: 44. Eſa. 40: 10. Jer. 31: 11.

2. *Subjectionem* legitimo Domino verſ. 9. Liberatos enim eſſe oportet à ſervitute alienorum, qui legitimo ſubjecti erunt, cum nemo queat duobus ſervire Matt. 6. verſ. 24. & liberantur non ut exleges vivant, ex proprio arbitrio, (quod dicunt Jer. 2: 20. 31.) ſed ut conſtituantur ſub imperio juſti regis Luc. 1: 74. 1 Cor. 6: 19, 20. 1 Theſ. 1: v. 9. Col. 1: 13. Cæterum ſubjectio iſta nova I. *Quorum* eſt? *Servient*, Iſrael & Juda ex verſ. 3 & 4. Jacob, quotquot ab eo deſcenderunt, quia non habuit, Abraham & Iſaac, filios fœdere excluſos: & omnibus, uti tyrannis fuit gravis, ſic concedentur vindiciæ ad ſubjectionem legitimam. II. *Qualis* eſt? Voluntaria: Etiam nunc *ſervient*, attamen non ſolum mutato domino non conditione: verum etiam hâc. Olim fuit ſervitus coacta, verſ. 8. ſub jugo tyranni, & זרים יעברו בו, uti quis inſtrumentum ſibi ſervire facit, quod ad ſuum lubitum movet quando & quomodocunque placet; aſt nunc erit voluntaria, עברו ſponte ſua hoc agent. Pſal. 110: 3. Hoſ. 3: 5. uti ſponte venerunt ad Davidem, ut ei regnum offerrent 1 Chron. 12. 2 Sam. 5: 1. &c. Idem obſervare eſt diſcriminis in pliis; invita ſub peccato Rom. 7. verſ. 23. voluntaria ſub juſtitia Rom. 6: 17. Sic de Gentibus Eſa. 78: 6. Pſ. 47: 10. III. *Sub quo* eſt? Duo nominantur, non contrarii, ſed ſubordinati, ſic ut uni ſubeſſe nemo queat, niſi etiam ſubſit alteri. Non ſervit Deo fœderato, qui non ſervit Meſſiæ; cum hic ſit fœderis fundamentum, & fœdere conſtitutus rex. Pſ. 2: 2, 6. &c. Ezek. 34: 23, 24. cap. 37: 23. &c. Hoſ. 3: 5. (*a*) *Deo fœderato*: cui ex Ægypto egreſſi ſolenni pacto ſe obſtrinxerunt, ut ipſi eſſent populus peculii, ipſe viciſſim eorum Deus Exod. 19. verſ. 4. &c. cap. 20: 24. Deut. 7: 6. Subditi autem Dicuntur *ſervi*; 1 Sam. 17: 8. 2 Sam. 2: 12, 13. 1 Reg. 12: 4. 7. ſic quoque Deo ſervi Eſa. 65: v. 13. cap. 56: 6. Apoc. 22: verſ. 3. &c. ſervitute non dura, ſed liberali, ſed regiâ, nam ſervire Deo regnare eſt: cum imperium Dei ſit ſapientiſſimum, potentiſſimum, juſtiſſimum, glorioſiſſimum, & fœderati quoque gratioſiſſimum, ſunt ipſi quoque reges Apoc. 1: 6. (*b*) *Davidi regi ſuo*, non filio Iſai immediate; diu defuncto Act. 2: 29. ſeqq. Sed Meſſiæ, filio Davidis & hæredi 2 Sam. 7: 12, 16. Pſ. 72: 1. ſeqq. Luc. 1: 32: 33. Jer. 23: 5. Nomen autem Davidis datur Meſſiæ & hic & Hoſ. 3: 5. Ezek. 34: 23, 24. cap. 37: 24, 25. (qui etiam Iſrael dicitur Eſa. 49: 3. & Joſua Zach. 3: 9.) quia ſemine Davidis oriundus, quia ut David futurus ſecundum cor Dei, à Deo ipſo ungendus & inaugurandus regno; quia ut David ſuper omnem poſteritatem Jacobi regnum plenarium erat habiturus Jer. 23: 6. Ezek 37: 24, 25. Luc. 1: verſ. 32, 33. conf. 1 Reg. 11: 39. & Rex ipſorum appellatur, quia non tantum ipſi promiſſum regnum Iſraelis, ſed etiam Iſraeli iſte rex Zach. 9: 9. Pſ. 149: 2. mero gaudio futurus. Futurus, inquam, nam licet etiam tunc Dominus eſſet terræ iſte Immanuel Eſa. 8: 8. &c. attamen nondum erat illud ut filius Davidis, & David: quamobrem additur, quem excitaturus ſum ipſis: ut à complemento longe adhuc ſe abeſſe agnoſcerent, neque illud ſuâ cura aut ſtudio accelerari poſſe, ſed à ſolo Deo exſpectandum eſſe, qui rebus omnibus deſperatis hunc regem ſit excitaturus, Jer. 23: 5. & ipſis excitaturus, ut & ipſi eo fruantur rege verſ. 6. Quod quidem poſtremum hactenus non factum; nam noluerunt eum regem cum veniſſet Luc. 19: 14. Joh. 19: 15. Joh. 1: 11. Act. 4: v. 25. &c. Adeoque iſtud adhuc præſtandum Deo ſupereſt. Num. 23. 19. ſeq. Continuatur Iſraelis ſervitus ſub alienis, ſed finienda, ut hæc ſub Davide locum inveniat. Hoſ. 3: 5. Abrab. ait promitti, 1. Converſionem conſtantem, ne amplius redeant ad ſtultitiam, ſervientes Deo ſuo. 2. Regni Davidici

dici reſtitutionem, ut ſemper quis de ſemine Davidis regnet. Quod utrunque conſentaneum vero : illud Deut. 30: v. 26. altur' in Meſſia Ezek. 37: 24, 25. cap. 34: 23,24. De utroque legitur Zeph. 3: 14. ſeqq.

Verſ. 10. *Tu ergo ne timeto, ſerve mi Iahakob, dictum Jehovæ, neque conſternator Iſrael, nam ecce ego ſervaturus ſum te è longinquo, & ſemen tuum è terra captivitatis ſuæ : ut reverſus Jahakob quieſcat ac tranquillus ſit, nemine perterrefaciente.*

Verſ. 11. *Tibi enim adſum, dictum Jehovæ, ad ſervandum te : quum faciam conſummationem in omnibus gentibus quò diſperſero te, verumtamen in te non facturus ſum conſummationem, ſed caſtigaturus ſum te modicè, non autem prorſus impunem relicturus te.*

IV. *Exhortatio Conſolatoria* verſ. 10, 11. cujus

I. *Propoſitio* verſ. 10. Oraculo Dei dicta, ad *Jacobum & Iſraelem*, univerſum genus patriarchæ illius; quod paterno nomine indigetat, ut paterno nomine dilectos doceat Rom. 11: 28. quamvis rebelles & inimici fuiſſent, nec non ſervum ſuum Rom. 11: 29. quamvis ſub alienorum ſervitio degentes nec Deo nec Meſſiæ ſerviiſſent. Crebrum eſt nomen Jacobi & Iſraelis; toti populo tributum Eſa. 40 : 27. cap. 41: 8. 14. cap. 42: 24. cap. 43: 1. 22. 28. cap. 44: 1. 2. 5. 21. 23. & &c. Sed nunquam Abrahami : rarò Iſaaci Amoſ. 7: 9, 16. quia Abrahamo fœdus non fuit hæreditarium à majoribus; aſt illud fuit Iſaaco, & Jacobo; ſed Jacobi filii omnes ſucceſſere in hæreditariâ propagatione, cum Iſaaci filius Eſau inde defecerit; & hinc rarior uſus hujus nominis.

Id porro quo hortatur eſt *Depoſitio metus & conſternationis*, cum tamen incomparabilem fore dixiſſet diem anguſtiæ, ut patebit ex verſ. 23, 24. quod jam liberationis ſpem feciſſet, nam liberatio per Chriſtum omni metui diſpellendo ſufficit Luc. 1 : 47. Heb. 2 : 14, 15. & hujus exſpectatione debebant lenire præſentes calamitates & imminentium metum.

2. Verum ad *Confirmationem* alias affert rationes.

א. Repetita *Promiſſio* Liberationis. verſ. 10. cujus (1.) Autor, Deus ipſe, *Ecce me Salvatorem tuum*, Meſſiæ iſta ſunt verba, ex Hoſ. 1: 7. nam Deus fœderatus per Meſſiam vendicat Eſa. 8: 8. &c. cap. 45: 17. Jer. 31: 11. (2.) Liberandi, *Tu Jacob & Iſrael, & ſemen tuum.* Unde liberatio gemina, quæ etiam confirmatur ex loco. Eſt enim א. *Jacobi & Iſraelis à longinquo*, ſcl. loco. Abrab. & מיחוק de tempore ſinterpretatur, uti Jer. 31: 3. ut longinquum beneficium ſignificetur, & cujus non ipſi, ſed poſteri, fruitionem eſſent conſecuturi. Verum alterum membrum docet de loco intelligendum; & pertinet ad liberationem ex Babylone, cujus populus de longe dicitur Jer. 5: 15. atque ſic reſtituti Judæi, & quidam de X tribubus Jer. 13 : 14. quorum aliqui tempore Jeremiæ vixerunt Dan. 1: 3. cap. 9: 1. Hagg. 2. 2. *Seminis eorum ex terrâ captivitatis ſuæ*; quæ non uno loco, ſed ſub toto cœlo, ubicunque extra ſolum patrium degunt: & unde non ipſi, ſed ſemen ſeu ſera poſteritas reſtituenda, Pſ. 69: 37. & 102: 29. (3.) *Liberatio* ipſa, *Jacob revertetur, & quieſcet & tranquillus erit, neque erit qui exterreat*, moleſtiam creet. Magna tranquillitas in patria ſine commotione, & moleſtiâ, hujuſve ſmetu. ſic Jer. 23 : verſ. 6. & plenius Jer. 31. cap. Ezek. 34: verſ. 23--28.

ב. *Fundamentum*, præſentia Dei gratioſa verſ. 11. *Ego enim tecum ſum ad te ſervandum.* Dei præſentia terribilis peccatoribus Eſa. 33: 14. 1 Sam. 4: 7, 8. Apoc. 6: 16. Sed Præſentia Dei gratioſa omnem alium defectum poteſt ſupplere Gen. 13 : 1. cap. 17: 1. ſed finis preſentiæ Dei, aliquid adhuc addit roboris ſolatio: *ad te ſervandum.* neque enim quicquam ejus ſapientiæ potentiæve poteſt reſiſtere, eamve morari, quo minus captivos reducat ex locis remotiſſimis, & longe ab invicem ſejunctis; atque etiam reductos in tranquillitate conſtituat, & eam eis faciat perpetuam. Sic Eſa. 43: 1--7.

ג. *Diſpar conditio* ipſorum & aliarum gentium ex proceſſu Dei, verſ. 11. nam (1) nam quod ad *Gentes, deſtruentur*; ſic etiam Jer. 46. verſ. ult. Intelliguntur autem illæ quæ cum Iſraelitas inter ſe diſperſos habeant, dura ſervitute eos premunt, tyranni corporum; non autem quæ medici animorum, ad æmulationem provocantes prædicatione Chriſti, Chriſtianæ vitæ decore & ſolatio Eſa. 11 : 12. Jer. 31. 6. &c. & verſ. 10, 11. Rom. 11: 11. Conf. Jer. 12. v. 16. ſi diſcant vias Domini, ſervantur cum Iſraele, quanto magis ſi Iſraelem eas doceant. Eſa. 2: 3-5. At illæ impiæ Gentes deſtruentur Pſ. 110: 5, 6. & 68: 22. Num. 24: 19. Sed (2) quod *Iſraelem* concernit, non perdentur eo modo, Jer. 31: 35. &c. Lev. 27: 42. &c. Verum caſtigabuntur modice; non autem indulgebitur ipſis quaſi prorſus forent innocentes : Pœnæ & judicia erunt non compenſantia, ſed convincentia, Ezek. 5 : 15. בתוכחות חמרה Hoſ. 5: 9. Eſa. 27: 8. cap. 54 : 7. &c. paternæ correctiones, non judicia perſolutiones. Pſ. 99: 8. ויסרתין למשפט τὸ *caſtigabo te in judicio, juxta morem*, quo non connivetur peccatoribus in Eccleſia penitus Exod. 34: 5, 6. Pſal. 7: 12. Pſ. 50: 21. &c. quamvis alias Deus iſtic ſit miſericors & condonans. Pſal. 119: 132.

Verſ. 12. *Nam ſic ait Jehova, mortifera erit confractio tua, ægerrima percuſſio tua.*

III. PROPHETIA SPECIALIOR, quæ prioris declaratio, juxa miſeriæ differentiam verſ. 8--10. duobus membris conſtat, I. Miſeria ſub & liberatio à jugo Babylonico verſ. 12--21. II. Miſeria ſub & liberatio à ſervitute alienorum verſ. 23-24. & cap. 31. toto.

I. *Prius* membrum habet delineationem I. miſeriæ, verſ. 12-15. II. liberationis verſ. 16-21.

1. *Miſeria* ſub jugo Babylonico à Deo ipſo proponitur, qui refert,

א *Gravitatem mali*, verſ. 12. *Nam ſic ait Dominus*, qui optime de cujuſque conditione poteſt judicare, utpote medicus Exod. 15: 26. cui exploratiſſima valetudinis ratio, qualis ſit ac eſſe debeat : fractura tua ægerrima eſt, & plaga tua morboſiſſima. ל in לשברך habet obſcuritatem, niſi reddatur per quod attinet ad fracturam tuam ægerrima, afflictiſſima, lethalis eſt : nam אנוש maſc. non eſt attributum Eccleſiæ, de qua genere fœmino loquitur, ſed שבר. Sic ל ſignificat Pſ. 17: 4 & in medio verſu Eſa. 32: 1. cap. 7: 15. Solet autem publica calamitas dici *fractura & plaga*, per metaph. à morbido & vulnerato corpore & indigo medicationis Jer. 6: 14. cap. 8. 11. cap. 10 : 19, 20. Hic fuit ſtatus Iſraelis, everſo cum Hoſea regno, & deportatis omnibus : & Judæ, cum Jechonia, & poſt Zedekia raperentur in exilium, cum denunciatione non reſtituendi regni uſque dum Meſſias veniſſet Jer. 22: 24. 30. Ezek. 21: 25. &c. Fractum regnum lethaliter, & plaga dolorifica, dum Exules duro jugo premebantur. Sic quidem non judicabant Judæi, qui omnia mala levia cenſebant, ſed Deus optimè, qui præjudicio ſecuritatis occurrit. Ita Apoc. 3 : v. 1. &c. Joh. 9. verſ. ult. Matt. 9: 12, 13. nam Jer. 17: 9. ipſe vero cor habet exploratum 1 Sam. 16: v. 9. unde ad ipſum eundum, 1 Reg. 8: 38. &c. Job 33: 14. &c.

Verſ. 13. *Nemo adjudicabit cauſam tuam compreſſioni; curationes, emplaſtrum nullum* proderit *tibi.*

Verſ. 14. *Omnes amantes tui obliviſcentur tui, te non requirent : quum plaga inimici percuſſero te, caſtigatione* inimici *ſævi, propterea quod multa eſt iniquitas tua, numeroſa peccata tua.*

ב *Deſperatam ejus remotionem* verſ. 13, 14.

α. *Defectu* auxiliantium, ſub triplici ſimilitudine, (a) Nulli medici v. 13. *non eſt qui judicet cauſam tuam* לגור *quantum ad ulcus :* qui ulcus tuum intueantur, ut de eo judicent, & quod ſanationi faciat indicent, nulli ſunt. Medici autem ſunt Prophetæ, quibus judicium eſt de ſanitate aut morbo ſpiritualibus & internis, tam univerſæ Reip. quam ſingulorum hominum : qui ſi imperiti, perperam pronunciant, ut Jer. 6: 14. Ezek. 13. cap. & re deſperata pudefacti obmuteſcunt, exper-

expertes consilii. Hic peritorum defectus, qui alias solatio esse potuissent. Ps. 74: v. 9. (*b*) Nulli chirurgi, ab effectu, *medicinale emplastrum tibi non est*, רפואות תעלה, pro תעלת רפ׳אורת, vel ανυνδετον pro רפואות ותעלרה. Jer. 46:11. sejunguntur. Uti nulli medici, sic nulli quoque chirurgi, qui externis saltem remediis malo occurrant; emplastris emollientibus, saniem educentibus, doloremve mitigantibus. Chirurgi sunt Magistratus Esa. 3:6, 7. cum enim Prophetæ instar medicorum consilia duntaxat dent, moneant, suadeant, minentur, spem faciant, citra vim externam; chirurgorum instar magistratus manum admovent, ligant, secant, urunt, ut gangrænosa tollantur, ne sincera pars trahatur in consensum, & contagium serpat longius Psal. 75. v. ult. Ps. 101. v. ult. Sic itaque Ecclesiastici, Politicique deerant, qui aliquid ad sanationem conferrent. Excisi enim etiam erant reges de utraque familia. Esa. 3: 1. &c. cap. 9. vers. 13. &c. (*c*) nulli amici vers. 14. *omnes amici tui obliti sunt tui, neque inquirunt in tuam valetudinem, vel te visitant.* Desertus à medicis & chirurgis si adhuc amicos habeat, qui visant, & colloquio saltem affectum testentur, levamini cedit: sed etiam hi nulli sunt; quemadmodum Job quandoque questus est. Amici porrò sunt Socii fœderati, qui ad opem ferendam exspectabantur, jam Assyrii, jam Ægyptii Jer. 2: 18. 36, 37. cap. 37. jam vicini alii cap. 27. qui in extremis eos destituerunt. Hos. 5: 13.

β. *A præsentiâ* oppugnatoris vers. 14. hunc semetipsum dicit Deus, cum aggravatione tum hostilitatis, tum crudelitatis: Hos. 5: 14. Esa. 36: 10. Lam. 2. quæ Deo tribuuntur vel ratione sensus humani; qui nil nisi hostile & crudele animadvertit, Deo manu percutiente Ps. 39: 11, 12. & 32. vers. 3. &c. vel ratione detestationis peccati; cui Deus crudelissimus hostis, illi conciliari nescius. Quam rationem affert, ob multitudinem, & violentiam peccatorum, quæ causa frequentissime attexitur. Jer. 5:6. &c. Peccata enim Deum faciunt inimicum Rom. 5: 8. &c. Col. 1: 21. Ps. 7: vers. 12. &c. & si Deus hostis & oppugnator, nulla consilia, auxilia, solatia valent. Jer. 8: 17. seq. Esa. 30: 31. cap. Ps. 38: 3. &c. Prov. 21: 30, 31. Enallage generis quæ frequens de populo, quia vel קהל vel עדה respicitur universitas: unde etiam numeri Enallage nascitur, ex forma & significatione nominum.

Vers. 15. *Quid exclamares propter confractionem tuam, mortiferum* esse *dolorem tuum? propterea quod multa est iniquitas tua, numerosa sunt peccata tua, facio ista tibi.*

2 *Inutilem in malis querelam*, vers. 15. improbat eam quæ de malis tristibus quæ patiebantur, de calamitate; & ostendit veram causam de turpibus malis, quæ patrarant, de peccatis. Equidem non poscit ἀναισθησίαν, quæ mala, Jer. 2: 30. cap. 5: 3. sed quod non attenderent ad autorem, justarum castigationum, Deum Esa. 9: 12. cap. 22: 11. & quæ eum provocarunt, sua crimina. Lam. 3; 37. &c. Est enim hoc solenne hominibus, de adversis conqueri, ægrotus de morbo, pauper de egestate, Pharao de plagis. Jer. 4: 13. sed pii de peccatis Lam. 5: 16. & de his removendis sunt solliciti, Hos. 14; 5, 6. Psal. 25: 18. & 39: 9. secutura tum sua sponte quasi remotione plagarum.

Vers. 16. *Idcircò quicunque consumunt te consumentur, & omnes prementes te quotquot sunt in captivitatem abibunt: & erunt conculcantes te conculcationi, & omnes diripientes te exponam direptioni:*

Vers. 17. *Quum faciam ut ad justam constitutionem assurgas, & à percussionibus tuis curabo te, dictum Iehovæ: quia depulsam vocaverint te*, dicentes, *Tzijon ista* est, *nemo requirit eam.*

2. *Liberatio* miseriæ isti Babylonicæ oppositа habet. Pœnam hostium v. 16, 17. & Israelis restitutionem. v. 18–22.

א *Hostium pœna* proponitur v. 16. talionis jure, *qui te comederunt comedentur, angustiarunt captivabuntur, diripuerunt prædæ erunt, spoliarunt, spolium fient.* Metaph. Comestionis de hostibus absumentibus, uti feræ devorant adversarias. Num. 14: vers. 9. Jer. 2: 3. cap. 50:17. talionis autem jus Esa. 33: 1. Hab. 2: 10. Est verò hîc in connexione aliquid difficultatis. Illativa particula præmittitur, *Propterea*; quæ aliena videtur à fine præcedentis versus, ubi reatus causa dicuntur afflictionum. Sed hæc causa justificat afflictiones quatenus à manu Dei veniebant, respectu querelæ intempestivæ. Verum non justificabat eas quatenus ab hostibus infligebantur; unde hos contra justa Dei vindicta Esa. 10: 4. seqq. Præterea, fronti consolationum illud *Propterea*, rectè præfigitur, cum propter tua peccata adeo duriter tecum egerim, quæ Ecclesia mihi fœderata, multo ergo durius contra hostes tuos animadvertam. Jer. 25: 29. cap. 49: 12. Mich. 7: 9, 10. Lam. 4: 21. Nam licet hostes fuerint instrumenta Dei, non tamen egerunt ut instrumenta, hoc est ut consilium Dei unicam haberent agendi normam; verum suæ cupiditati servierunt Esa. 10: 4. &c. Zach. 1: 15. De pœna autem Babylonis fusè dicetur Jer. 50: 51.

Modus. Ratioque pœnæ indicatur vers. 17. *Modus* quidem, restitutio Ecclesiæ, *sanitatem reddam tibi.* Est enim pars pœnæ, prosperitas hostium: & Ecclesiæ osores torquentur ejus felicitatem tuentes Mich. 7: 11, 10. Psal. 112: v. 9, 10. Esa. 65: 13. &c. Luc. 13: 28. *Ratio* autem quod exprobrarint Ecclesiæ suam infelicitatem: *vocarunt depulsam*, quod nominis Israeli decem tribuum datur Esa. 11: 12. quam Deus prorsus abegisset, utpote quam cum libello repudii dimiserat Jer. 3: 8. deinde. *Zion est, non habet qui de se sit sollicitus.* צין vel à צית *ariditate*, cujus omnis felicitas, & fons ejus exaruisset, vel à צין *signum sepulchrale*, quæ tumulus erat pristinæ felicitatis. Vel quod ad fiduciam Israelis, ob Zionis electionem Psal. 132: 13. & 2: 6. ipsi neglectam omnibus ipsique adeo Deo jactabant. Hic vero contemtus Ecclesiæ à Deo vindicatur gravissime, ipsius etiam Ecclesiæ restitutione, Esa. 51: 12. &c. cap. 52: 5. &c. Mich. 7: 9. Unde hunc contemtum pii Deo repræsentant, tanquam argumentum suscipiendæ liberationis suæ. Ps. 115: 12. Lam. 3: 60. &c.

Vers. 18. *Sic ait Iehova, ecce ego reducam captivam turbam tentorium Jahakobi, & tabernaculorum ejus miserebor: ædificabiturque civitas in aggere suo, & palatium pro ratione sua consistet.*

Vers. 19. *Et prodibit ex eis* vox *gratiarum actionis, & vox ridentium: quum multiplicabo eos & non minuentur, amplificaboque eos, & non exigui fient:*

Vers. 20. *Eruntque filii ejus ut olim, & cœtus ejus coram me stabilietur, animadvertam verò in omnes opprimentes eum:*

Vers. 21. *Et erit magnificus ejus ex ipso, & dominator ejus è medio ipsius prodibit, quem jubebo accedere ut appropinquet ad me: nam quis ille est qui spondeat cum animo suo se appropinquaturum ad me? dictum Iehovæ.*

Vers. 22. *Denique eritis mihi populus & ego ero vobis Deus.*

2 *Ecclesiæ restitutio*, temporis serie historicâ observatâ; nam refert ordine I. Captivitatis Babylonicæ solutionem v. 18. II. Urbis & templi structuram v. 18. III. Gaudium inde ortum v. 19. IV. Felix Incrementum v. 19. V. Constantem defensionem vers. 20. VI. Exhibitionem Messiæ. v. 21. VII. Novam Fœderis confirmationem promulgationemque vers. 22.

a *Captivitatis Babylonicæ solutio* v. 18. ubi præmissa Dei loquentis mentione I. excitat, *Ecce me*: quam desperata Israeli sanatio, quam neglecta Zion in oculis hostium, tam conspicienda dabitur, ut digito monstrari queat restituta, Deo se monstrante vindicem, cui nihil impossibile, sed omnia expeditissima. Ps. 126. II. Indicat liberandos: *tento-*

ria

ria Jacobi & habitationes ejus: non ſolum Judæos ſed etiam quoſdam de regno Iſrael, qui una reſtituti illis ex Babylone redeuntibus, nomine Jacobi communi deſignat, Jer. 3: 14. 1 Chron. 9: 3. His tribuit *tentoria* & σκηνὰς ad finem exilii notandum: quemadmodum in deſerto commorati erant in tentoriis, quod non eſſet fixa ſedes, ſic quoque ſedem exilii eo nomine appellat; Equidem Jer. 29: 5. juſſerat in Babel domos ædificare & habitare, quod mora diuturnior aſſerenda eſſet contra Pſeudoprophetas: ſed nunc tentoria ſunt, ut ſpes reſtitutionis foveatur, & migrationem meditarentur. III. Liberatio eſt reſtitutio, ut deportati revertentur, ſolutâ nempe captivitate. IV. Cauſa autem liberationis miſeratio Dei: imo uti liberatio illa beneficium erat externum, ſic Miſeratio internum, & longe majus illo; felicius exilium cum miſeratione Dei, quam reſtitutio ſine eâ. Heic conjunguntur promiſſione duo hæc beneficia.

b. *Structura urbis & templi* v. 18. *Urbs*, metropolis Hieroſolyma, *ædificabitur ſuper tumulo ſuo*, priſco ſuo loco & ubi rudera jacent, ex illis excitabitur, quod votum fuit Pſ. 102: 14, 15. & factum a reducibus. & *Palatium*, templum (nam *templum* & *palatium* communiter היכל adeoque & ארמון dicitur. maxime cum ſingularis ſit; alioqui multa fuerunt populi Pſ. 48: 14.) *ſedebit*, fixum conſtanti ſede; tantundem temporis imo plus duravit templum ſecundum, ac primum, hoc 410, illud 420. annis juxta Hebræos. יֵשֵׁב manere quieto loco, citra commotionem Deut. 1. v. ult. Et manebit עַל מִשְׁפָּטוֹ non ſolum eodem loco, & ſitu, quo olim à Salomone ſtructum fuerat, verum etiam *juxta* eaſdem *leges* cultus, iiſdem ritibus, & miniſtris, eodem Sacerdotio Aaronico & Levitico miniſterio vigente. Zach. 3: 1. &c. quod itidem factum conſtat, licet non ſine multâ difficultate, ut Ezræ liber docet. Atque in hoc cultu verſatur templi מִשְׁפָּט ratio, conſuetudo, licet alias auro argentoque & cætero ſplendore non æquaret antiquum templum.

c, *Gaudium* reducum verſ. 19. *Egredietur inde gratiarum actio & vox ludentium*: jactis templi fundamentis Ezr. 3. eoque conſummato cap. 6: 16. &c. & initiatis muris Hieroſolymæ Neh. 13. quæ gaudio magno fuerunt, uti tota liberatio, & reſtitutio, quo magis obnitebantur hoſtes æmuli.

d. *Multiplicatio* glorioſa verſ. 19. Gloria potiſſimum conſiſtente in multitudine, Prov. 14: 28. Hæc multitudo quoque promiſſa Jer. 3: 16. cap. 23: 3. comprobata etiam eventu; teſtibus hiſtoriis ſacra & profana. Libri Maccabæorum & Joſephus potiſſimum, de antiquitate & Bello Judaico. Accedente etiam gloria, quod natio Judææ ſæpe victrix fuit, & fœderata Gentibus, Ducali, regiaque dignitate inſignis ſub Aſmonæis & Herode.

e. *Defenſio* conſtans. verſ. 20. Poſteri reducum gravibus perſecutionibus preſſi eo fine, ut deficerent à religione, coram Deo ſunt ſtabiliti, ut fœderis tenaciſſimi omnem idolatriam averſarentur, diriſſima ſupplicia potius ſubituri, quam ut apoſtaſiam facerent à Lege & ritibus ejus, quod profitentur Pſ. 44. & factum eſt Maccabæorum ætate, Antiocho imperante Gentiliſmum, ſacrificia juſta profanato templo abolente, prohibente circumciſionem, cogente ad eſum carnis ſuillæ, comburente libros legis. Stabilimenti iſtius Eccleſiæ Iſraelis memorialia feſta fuerunt tum Purim Eſt. 9. tum Encænia Joh. 10: 22. 1 Maccab. 4: 59. &c. Contra ſhoſtes atrocibus pœnis cohibiti; cujus exempla fuere Haman, & ab ipſo concitati hoſtes. Antiochus, & qui ab ipſo adhibiti, eumve ſecuti oppugnatores Iudææ gentis.

f. *Exhibitio* Meſſiæ verſ. 21. qui eleganter deſcribitur a Perſonâ, geminaque natura, & à Munere gemino, regio & ſacerdotali; quæ partim titulis, tum deſcriptione continentur. *Tituli* ſunt אדיר & מושל *Iſraelis*· reliqua deſcriptionem habent quæ præter munus etiam ortum indicat; itidem geminum divinum & humanum.

a. Una quidem *Perſona* eſt de quâ agitur; neque enim alius *Magnificus*, alius *Dominator*, ſed unus idemque duplici titulo inſignitus. Hujus vero ortus humanus eſt, nam quod ad genus *Ex ipſo* Jacobo ſeu Iſraele eſt, ſive patriarcham ſpectemus, in quem derivata benedictio Abrahami, de ſemine benedicturo familias terræ univerſas Gen. 28: 3, 4. & 13, 14. qui eam filio Judæ contulit Gen. 49: 10. unde ad Davidem pervenit jure privilegii, cujus nomine Meſſias inſignitus fuit Jer. 30: 9. ſive poſteritatem Jacobi, ſic interpretante Chriſto Joh. 4: 22. & Paulo Rom. 9: 4. Quod verò originem attinet, humilis admodum futurus erat, *E medio ejus egredietur*, ex plebejis quod conditionem, ſine pompa, aut majeſtate, atque etiam Judæorum obſervatione, Deut. 18: 15, 18. Eſa. 11: 1. cap. 53: 2, 3. cap. 7: 14, 15. At enim hic idem magnifico titulo, & iſti humilitati neutiquam congruo, dicitur אדיר majeſtatem & excellentiam habens, & quidem antequam Dominator dicatur. Externa magnificentia tamen, quæ regum Eſa. 10. verſ. ult. ei defuit, ut oſtenſum: & internameris hominibus naturaliter deeſt Rom. 3: 23. etiam Davidi Pſal. 51: 7. Qui hominum ſic inſigniuntur beneficio gratiæ id habent, & ſegregatione ſanctificantis Meſſiæ Pſ. 16: 3. qui proinde alio titulo id nominis habet. Accedit quod dicatur אדיר antequam מושל, ut ipſo dominio prius ſit & antiquius. Igitur Divinam naturam ſic denotari arbitror, quia Deus אדיר Pſal. 8: 2, 10. & 76: 5. & 93: 4. Eſa. 33: 21. de ipſo Meſſia autem Ezek. 17: 23. Ipſe vero habet eam gloriam naturaliter Joh. 17: 5. prior Abrahamo Joh. 8: 58. major Davide Matt. 22: 44. Immanuel, Dominus terræ Iſraelis 600. annis antequam naſceretur homo, & παραδυναστὴς omnipotens Eſa. 7: 14. cap. 8: 8. &c. Deus fortis Eſa. 9: 5. Jehova juſtitia ſuorum Jer. 23: 6. Neque caret momento quod vocetur אדירו *magnificus Iſraelis*, (uti alias Deus eorum & ſanctus Iſraelis,) quia gloriam ſuam communicaturus erat, Joh. 17: 22, 24. Heb. 2: 10. ut ſe ſuaque gloria fruerentur. Ut Θεάνθρωπον videamus deſcriptum. uti Mich. 5: 1. Eſa. 7: verſ. 14. cap. 9: 5, 6.

b. *Munus* porrò quod ſuſtinebit, eſt I. *Regium: quia Dominator*, ſic Mich. 5: 1. cujus dominium Eſa. 9: 6. cap. 11: 3. ſeq. regium, unde ipſe rex Pſ. 2: 6. Eſa. 9: 6. Jer. 23: 5. & quidem Rex ſeu Dominator ipſius, ſingulari jure: qui Zioni datus, Pſal. 2: 6. Judæ & Iſraeli Jer. 30: 9. Hoſ. 3. verſ. ult. Ezek. 37: 24. quod affirmatur Luc. 1: 32, 33, univerſam domum Jacobi moderaturus. II. *Sacerdotale*, quod uberius declaratur· *Accedere & appropinquare ad Deum* R. Sal. in verſus fine de congreſſu bellico intelligit. Abrab. *Ipſe non erit peccator ac tranſgreſſor, nam appropinquare faciam eum, & ipſe ad me accedet, neque enim quiſquam idoneus ut accedat, niſi Deus ipſe eum adducat, & juneţ, ut propinquet adhæreatque ſibi juxta illud* Pſal. 65: 5. Sed acceſſus ſacer Eccleſiaſticorum denotatur ealphrah, קרב & נגש Num. 16: 9. &c. Lev. 10: 3. & ſpeciatim Sacerdotum Ezek. 40: 46 cap. 44: 13, 15. &c. Sic Ezek. 42: 13. cap. 43: 19. cap. 45: 4. Exod. 19: 22. Adeoque Meſſias idem Sacerdos erat futurus, non minus quam rex, Zach. 6: 12. &c. Pſ. 110: 1, 2, 3, 4. non aliter ac Melchizedek Gen. 14. Veruntamen de hoc Sacerdotio ejus notat (1.) *Vocationem* ordinationemque divinam, *faciam ipſum propinquare dictum Domini*. Oraculum Dei de eo hoc pronunciat: (quæ vocatio neceſſaria Exod. 28: 1. Num. 16: 5.) Pſ. 110: 4. Heb. 5: 4. ſeq. (2.) *Obſequium* Meſſiæ vocati, *& accedet ad me*: uti Aaron ejuſque filii Lev. 8: 6. cap. 9: 7, 8. ita Meſſias Pſ. 40: 7, 8, 9. Eſa. 50: 4. &c. c. *Muneris difficultatem*· Interrogatio negationem habet, quæ omnibus aliis impoſſibile hoc eſſe docet, accedere ad Deum: ut *hujus* Sacerdotii differentia à Levitico veniat obſervanda, κ. *Reſpectu propinquantis*, מי ערב את לבו gemino ſetſu, tum quia ſpondet *corde ſuo*, vel cor ſuum ſuave facit, voluntaria eſt hæc actio, & cum fiducia eam ſuſcipit; quod debet ſuæ ſanctitati Pſ. 40: 7. &c. Eſa. 42: 1. cap. 53: 9. Heb. 7: 26. &c. Talis fiducia defuit aliis. Lev. 16: 3. cap. 21: 17 &c. Ezek. 44: 10, 13. Lev. 10: 3. Num. 17: 13. Tum quia ſpondet *cor ſuum*, animam dans ſponſionis materiam & pretium, ſic Neh. 5: 3. (cor idem quod anima Pſal. 75: 26. & 84: 3.) Eſa. 53: 10, 12. Matt. 20: 28. Joh. 10: 18. Heb. 8: 3. cap. 9: 12, 14, 28. Talis materia aliis defuit, qui non niſi brutorum ſanguinem ſeu animam offerebant Lev. 17: 11. peregrinum ſanguinem Heb. 9: 25. ב. *Reſpectu ejus ad quem* propinquandum, qui Deus. Eſa. 50: 8. Heb. 9: 14. in cœleſte ſacrarium ad Deum ipſum. Talis acceſſus defuit aliis qui tantum in manu factum ſacrarium, neque omni tempore ſed ſemel tantum quotannis ingrediebantur Lev. 16. Heb. 9. Proinde nullus Sacerdos illi par, aut ſecundus, cum etiam nunquam recedat, ſemper vivens æternum habet Sacerdotium Heb. 7: 16, 24. quæ omnia de Jeſu Nazareno manifeſta ſunt, & cum aliunde tum ex Epiſt. ad Hebræos abunde probantur.

g. Ne-

γ. *Nova fœderis promulgatio* & *confirmatio* de qua verſ. 22. *& Eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* verſ. 22. Eſt hæc formula fœderis gratiæ, quæ aliquoties repetitur in ſeqq. Jer. 31: 1. & 31. &c. cap. 32: 38. Heic ſpectanda venit in nexu ſuo, quod promittatur illis, qui jam erant in fœdere verſ. 20. vigentibus externis circumſtantiis, verſ. 18. Zach. 3. cap. atque ipſi in fœdere conſtantes magis quam unquam ante Pſ. 44: 18. &c. ut inutile prorſus videatur. Solet enim alias promitti fœdus novum rebellibus in gratiam receptis. Ezek. 36. Jer. 32. quod conſequens ſtatuitur Sacerdotalis & ſponſorii acceſſus ad Deum, à Meſſia faciendi. Iſrael habebat fœdus gratiæ cum Deo, reſpectu conditionum à Deo propoſitarum, initum ad montem Sinai, quo ſegregabantur in peculium Dei, præteritis omnibus aliis gentibus: ſed fœdus iſtud irritum reddiderant μοχθηρίᾳ ſuâ Jer. 31: 31. &c. Exod. 32. confractis eapropter à Moſe mediatore internuncio tabulis: & quamvis ad interceſſionem Moſis idem fœdus reſtitueretur Exod. 34. non fuit tamen ἄμεμπτον, manente illâ exprobratione Heb. 8: 7. &c. (quod fatentur Judæi, aſſerentes in omni judicio fuiſſe unciam de vitulo aureo, ſeu reatu ejus.) Sacrificia Sacerdotii Levitici licet multiplicarentur, & quotannis renovarentur habuerunt ἀσυμπλήρωτον inutilitatis Heb. 10: 1. &c. Dicitur quidem de Expiatione annua Lev. 16: 30. *mundabimini ab omnibus peccatis veſtris*: attamen mox digreſſo Pontifice velum redibat ad priſtinum locum & uſum. Igitur neceſſarius erat Pontifex præſtantior, & melior victima, quæque Sponſionem non tantum repræſentaret Lev. 17: 11. Heb. 9: 22. cap. 7: 18. cap. 10: 4. ſed præſtaret. Hic Sacerdos Meſſias eſt Heb. 7: 21, 22. cap. 8: 6. qui non bruta victima ſatisfecit, & cum hujus ſanguine appropinquavit ad Deum, ſed ſemet ipſum offerens cum proprio ſanguine ingreſſus eſt ſacrarium cœleſte Spiritum inculpatum Deo offerens, æternam hoc pacto redemtionem nactus Heb. 9. & 10. cap. Sic autem fœdus novum confirmavit, quod non amplius redditur irritum, utpote ipſius ſanguine ſancitum, in æternum conſummavit qui ſanctificantur, & ſegregantur in populum Deo, ut nunquam irrita fiat pax conciliata Rom. 5: 1, 8, 10. Heb. 10. 10, 12, 14. Matt. 26: 28. Eſt proinde hujus Sacerdotii fructus fœdus novum cum Deo; quod prædicatione Evangelii publicatum fuit inter Judæos, neque ad ejus receptionem & fruitionem ipſi primi invitati Act. 3: 25, 26. cap. 13: 38. &c. cap. 2: 36. cap. 5: 31, 32. poſtquam Jeſus non tantum ingreſſus Sanctuarium cum ſanguine ſuam viam aperuiſſet perennem; ſed etiam ubi ſe rurſum oſtendiſſet vivum eodem regreſſus eſſet, tuiturus quam apperuerat viam.

Verſ. 23. *Ecce turbo Jehovæ excandeſcentia proditurus eſt, turbo indeſinenter hoſpitans ſuper caput improborum permanebit.*

Verſ. 24. *Non avertetur æſtuans ira Jehovæ, donec perfecerit, & donec præſtiterit cogitationes animi ſui, tandem animadvertetis illud.*

II. *Poſterius* membrum habet delineationem I. miſeriæ ſub ſervitute alienorum, verſ. 23, 24. II. Liberationis oppoſitæ cap. 31. toto.

1. *Miſeria* iſta breviſſime proponitur, ſed ut prolixiſſimo ſermone non queat ſufficienter & pro merito enarrari. Spectanda autem initio eſt connexio, quamvis ea nulla appareat, cum ex abrupto videatur incipere *Ecce &c.* ſed quum non utatur novo exordio, *ſic ait Dominus*, uti de liberatione priore inchoans ſermonem verſ. 18. patet ab eo verſu ſeriem temporis continuari. Obſervandum itaque, in generali promiſſione liberationis verſ. 8, 9. prædictum eſſe, liberatos a jugo tyranni, & ſervitute alienorum, ſervituros Deo, & Meſſiæ regi ſuo, excitando ipſis. Jam poſt jugi tyrannici abolitionem ſecuta eſt Excitatio Meſſiæ v. 21. qui Sacerdos aliis omnibus excellentior & vocationem habuit divinam ſingularem, cum cæteri hæreditarii inde ab Aarone, & fiduciam acceſſus, & ſponſionis pretium ſufficientiſſimum. & qui penetravit ad ipſum Deum, unde patefacta ad Deum via omnibus hoc Sacerdote nixis. Secutam etiam ſubjectionem Iſraelis ſub hoc Meſſiâ quærimus ad complementum vaticinii. De hac v. 22. aliquid dicit; quid enim eſt Domino Deo ſuo, & Meſſiæ regi ſuo ſervire quam excitato Dominatore magnifico, & conſummato Sacerdote fieri Dei populum, & iſtum viciſſim fieri ipſis Deum? Hæc enim legitima ſervitus populi, ut proprio magiſtratui ſubſit. Iſtud factum fuiſſe, prædictio quæ non fallitur, teſtatur, *Et eritis* &c. Veruntamen experientia adverſatur; Judæi non ſervierunt Meſſiæ, verum abnegarunt, necarunt, regem repudiarunt: & nihilominus conſtat ſibi vaticinii veritas, ex coll. v. 22. & cap. 31: 1. hic definite loquitur de omnibus familiis Iſraelis, illic indefinite; atque ſic impletum vaticinium prius, implendum adhuc poſterius. Meſſias defunctus ſacerdotali acceſſu ad Deum fœdus novum confirmavit, atque illud publicatum in Iſraele efficax fuit, non univerſaliter in omnibus familiis, ſed indefinite, circa quoſdam; millia aliquot fide acceſſerunt Act. 2. 4. 5. imo multa millia cap. 21: 20. ſed qui pauciſſimi reſpectu totius nationis non ſolum Judaicæ, ſed univerſarum 12. tribuum. *Vos*, inquit, non vos omnes, ut Jer. 31: 1. Aliquibus fuit ſaluti, non omnibus. Eſa. 8: 13. ſeq. Obſignatus liber inter diſcipulos Eſa. 58: 2. & obſignatus in judicium Eſa. 29: 11. unde exſpectanda major gratia tempore futuro. Factum ergo illud Rom. 9: 27. cap. 11: 1--5. Maxima autem pars populi, offenſa humilitate Chriſti, quem glorioſum dominatorem præſtolabantur, occaluit in infidelitate, & cecidit propter apoſtaſiam ſub judicium anathematis Mal. 4. v. ult. Quod alteram calamitatem ſeu miſeriam facit, de quâ heic v. 23, 24. Declaratur autem à Gravitate v. 23. & Diuturnitate verſ. 23, 24. Cæterum cauſa ipſa non indicatur. De jugo tyrannico dixit, cauſam, multitudinem peccatorum verſ. 14, 15. Heic de ſervitute Alienis præſtandâ, quamvis hic alienationem a Deo ſatis aperte doceat, tamen cauſam non edifſerit; Ea autem arceſſi poteſt ex Jer. 23: 19, 20. ubi cum hi duo verſus occurrant, ceu pœna judicium-que ſingulare contra falſos Doctores: utique hos meruiſſe iſtud ſignificatur. Iſtic Jer. 23. falſi Doctores Hieroſolymitani fuere autores omnis hypocriſeos verſ. 15. qui ſua inventa ad vanitatem perſuadendam inculcarunt v. 16. confirmarunt peccatores, dum pacem externis quibuſdam ritibus impetrari & confirmari dixerunt, v. 17. obſtiterunt iis, qui conſilium Dei de ſalute prædicarunt, ceu figmenta loquentibus verſ. 18. Quæ fuit ipſiſſima Doctrina & factum ipſiſſimum, Phariſæorum & Scribarum; Fuerunt hypocritæ, & magiſtri ejus Matt. 23. traditionum inculcatores, Matt. 25. quique illis vanitatibus cerimoniarum, nec non ſacrificiis Deum placari docuerant; hoſtes & adverſarii Johannis & Chriſti, qui conſilium Dei de ſalute prædicabant. Matt. 11: 18. &c. cap. 21: 32. Luc. 7: 29. &c. Act. 13: 38--41. & v. 46. Propter autem hoſce doctores, populi ſeductores, quique contra Chriſtum animarunt, Judicium iſtud immiſſum eſt Jer. 23: 19, 20. Eſa. 29: 10. ſeqq. Act. 13: 27. Atque hæc eſt unica cauſa tantæ calamitatis, qua nulla major unquam Iſraeli incubuit. Nam

α. *Gravitas* mali eſt verſ. 23. ubi præmittitur τὸ *Ecce*, meretur enim conſiderationem qui poſt ſacerdotalem Meſſiæ abitum ad Deum, fœdere novo ſancito, potuerit tantum judicium ſequi; Mal. 4: 5, 6. cujus tamen cap. 23. rationem dixerat; Tum variis Synonymiis aggravatur. Eſt enim (α.) סערת יי *turbo, tempeſtas Domini*, non tam efficientis ratione, quam ad ἀυξησιν uti *arbores* Dei, *cedri* Dei, *montes* Dei: hoc eſt maximi: Tempeſtas cui maximæ moles turrium, & altiſſimæ arbores cedere coguntur, ut proſtratæ eruantur & eradicentur: perfectionem habens in ſuo genere aliquam inſuperabilem, uti Deus. (β.) חמת *æſtus iræ* vehementior, (γ.) סער מתגורר *turbo commorans*, qui hoſpitium ſuum iſtic habet, ut 1 Reg. 17: 20. eò divertit commorandi gratia. ſic Zach. 5: 4. maledictio Jer. 23: 19. dicitur מתחולל, vel eodem ſenſu, a חול *manere*. uti in fine verſus; vel *dolorem* afferens, ut ὠδῖνες parturientis, qui dolores חיל dicuntur, a חול *dolere*. De his omnibus autem prædicatur ὅτι *ægreſſa eſt, ira vehemens*; decreto jam partum ſuum enixo Zeph. 2: 1. quando Sacerdotium Meſſiæ non fuit agnitum, & fœdus quod firmavit promulgavitque repudiatum fuit. Egreſſa illa omnia ſunt ad exſecutionem, ſuntque talia ut reſiſti iis nequeat, quo minus vel non veniant, vel ubi venerint recedere debeant, aut ſaltem debilitentur, ne noceant.

β. *Diuturnitas* indicatur I. generatim verſ. 23. *Super capite impiorum manebit.* Subjectum heic ſimul deſcriptum

est, *Impii*, qui increduli & inobedientes fuerint Joh. 3:36. 1 Pet. 2: 7, 8. Luc. 19: 14. *operarii iniquitatis*, obnitentes Evangelio, 1 Thes. 2: 15, 16. Quod autem dicitur de *capitibus* eorum, vel de Doctoribus, & primoribus intelligendum Esa. 29: 10. &c. vel de mentis cœcitate, quæ immissa, ibid. 2 Cor. 3: 14, 15. cap. 4: 4. Rom. 11: 7. &c. vel de eorum singulis, capitatim quasi, Psal. 68: 21. Luc. 19: 27. His vero *immanebit* malum, firmiter hærens; ut non dimoveatur Joh. 3: 36. II. *Specialius* vers. 24. (1.) *Continuatio* mali; *Non revertetur* (quem egressum & hospitium cepisse, ibique manere dixerat) *æstus iræ Dei*, tot vocabulis indicatus; & nunc quoque חרון אף intensionis ergò: Diutissime ergo durabit ista afflictio; non solum 70 annis ut vastitas Hierosolymæ prior; vel 400 annis, ut peregrinatio seminis Abrahami Gen. 15: 13. Sed longè pluribus seculis, quæ quidem sunt sedecim fere, inde ab altera destructione, 1 Thes. 2: 16. (2) *Terminus* tamen licet admodum distans, figitur, ab eo quod prius expediendum sit: *donec fecerit, & donec stabiliverit Dominus cogitationes cordis sui.* Quænam illæ cogitationes sint, non exprimitur hoc loco. Discimus autem aliunde, esse de vocatione gentium. Esa. 49: 6. ea proponitur, vers. 7--12. tum sequitur restitutio Israelis v. 13. seqq. Ultimus actus conversionis Gentium ibi est ex terra Sinim: de quibus si constaret Chinenses esse, post istorum conversionem aliquid sperandum esset: Sed adhuc de eo dubitatur: Sic Esa. 11: 19. &c. Luc. 2: 30 &c. Matt. 21: 43. Luc. 22: 24. & imprimis Rom. 11: 25, 26. Obduratio enim est ira illa Dei magna Rom. 11: 7. &c. atque sic παράπτωμα Judæorum occasio fuit salutis gentium: quæ ubi successerit, Israel salvabitur, utpote cum salus gentium pertineat ad ζῆλωσιν Israelis. Cæterum ne quis τὸ usque, terminum denotare credat non finiendum, ut 2 Sam. 6. v. ult. de Michal, (3) Additur *Effectus* gratiæ, tandem, post illum terminum successurus: qui est Intellectus afflictionis præsentis: qui jam deest Esa. 42: 23. &c. de quo etiam legitur Lev. 26: 40. seqq. & Esa. 29: 17. &c. & Jer. 23: 20. post judicium excœcationis: & definitum tempus, in ultimo dierum; sic alias Dies Messiæ designantur, respectu priorum: sed etiam Dies Messiæ habent suam latitudinem Jer. 23: 5, 6. & horum extremum eadem venit nomenclaturâ, Hos. 3. v. ult. Post afflictissimam Israelis conditionem ad extremum revocabunt ad animum causam sui mali, Deut. 4: 22. seq. cap. 30: 1. &c. qui proximus ad liberationem ultimam gradus.

CAP. XXXI.

2. JAm *Liberatio* respondens longe maxima & excellentissima delineatur I. in genere v. 1. II. Applicatur singillatim 1. Israeli X tribuum v. 2---22. 2. Judæ v. 23--26. 3. Utrique, Israeli & Judæ v. 27--40.

Vers. 1. *Tempore illo, dictum Jehovæ, ero Deus omnibus familiis Iisraelis, & ipsi erunt mihi populus.*

א *In genere* quidem v. 1. indicantur Tempus, Liberatio, Liberandi, Magnitudo Liberationis.

a *Tempore illo*; vid. extremis diebus, quando intellexerint Judicii grauissimi rationes, ex Jer. 30: 24. Extremum illud, dies Messiæ dicit Petrus Act. 2: 17. & Paulus Heb. 1: 1. & 1 Cor. 10: 11. Sed in illis aliud extremum observant iidem, 2 Pet. 3: 3. 1 Tim. 4: 1. & 2 Tim. 3: v. 1. Adeoque sua hîc observanda sunt intervalla: & designatum est, charactere aliquo, intelligentia Israelis, Jer. 23: 20. cap. 30. v. 24. 2 Cor. 3: 16. Intellectus iste defuit Judæis initio dierum Messiæ, si populi corpus spectetur Joh. 12: v. 37. &c. Act. 28: 25. &c. 1 Cor. 2: 8. atque hoc ipso accersiverunt sibi tam grave judicium Act. 13: 40, 41-45. seq. Consideratio ista, cum tantum tanquam diuturnum judicium inflictum sit, generaliter obtinebit demum post impletas Dei & maledictiones Deut. 30: 1. &c. & cogitationes vocandarum gentium Rom. 11: 25. Neque enim de paucorum duntaxat intellectu loquitur, qualia exempla singulis seculis occurrunt; sed de communi conditione populi, quemadmodum beneficium ita extenditur. Et tempus intellectus erit tempus quoque gratiæ. Lev. 26: 40. seq. Unde colligere est geminam notam temporis, Israeliticæ liberationis, (1.) Vocatio Gentium. Non quod omnes gentes ante sint introducendæ, saltem ut introductæ maneant; cum apostasia interventura dicatur 2 Thes. 2: 3. &c. & populi secuturi bestiam Apoc. 13. & 17. & Muhamedana defectio Orientem fere occuparit: nam multæ cum ipsis adventent Rom. 11: 12. &c. etiam earum quæ ante crediderant, & defecerant rursum Act. 15: 16, 17. Sed quod Evangelium per totum orbem prædicandum sit, & Christus ipsis gentibus futurus signum Esa. 11: 10. & lux Esa. 49: 6. An vero per Antichristianos ministros Evangelium Christi promulgetur, licet quo illi perveniunt Christiano orbi accenseatur, merito ambigitur; cum ὁ ἄνομος sit capitalis hostis Christi & regni ejus: ut vix possint Emissarii illi conferri Sacerdoti Israelitico, quem ad Samariæ novos incolas in religione instituendos misit rex Assyriæ, 2 Reg. 17: 27. sociata gentili idololatriâ, sed Pharisæis Matt. 23: 15. (2) Judæorum intellectus; à quo adhuc absunt, quavis alias causas comminiscentes suæ miseriæ, quam veram, repudiati Christi & Sacerdotii ipsius. Utrobique nobis allaborandum, (1.) ut Gentes ubique terrarum introducantur in Ecclesiam Christi, Evangelio ipsis communicato: quod negligenter fit; (diligenter à Pontificiis ut Matt. 23: vers. 15.) imo multi Gentium ex Ecclesia Christi exeunt ad eam quæ Antichristi, seductionis non conversionis exempla: aut cavent id videri quod sunt, Christiani, apud Gentes, ne quid turbent earum idolomaniam, quod fit à nostris in Japoniâ: aut vitam eam vivunt quæ à Gentili conversatione nihil distet, ut alia Christianismi nota nulla sit, quam nomen, & professio, subinde etiam lingua, garriens de religione haud majori cordis affectu quam psittaci solent. (2.) & ut promoveatur intellectus Judæorum: tum sermone ad ipsos: explicando ipsis Christum signum Esa. 11: 12. & ipsos invitando Esa. 2: 5. instituendo, Jer. 31: 6. &c. tum sanctitate vitæ coram ipsis: 1 Pet. 3: 1, 2. ut decore sanctitatis, quem in gentibus vident, alliciantur ad ejusdem studium, & ad amplectenda media, quibus consequi datur, respiscentiam & fidem in Christum, tum precibus pro ipsis: licet enim ignoremus tempora Dei Act. 1: 7. neque ea præscribere Deo fas sit: tamen Deum temporum ab ipsomet definitorum commonefacere licet. Ps. 102: v. 14. Estque hoc argumentum fiduciæ Esa. 60. vers. ult. cap. 62. vers. 6.

b *Liberator* est ille *Jehova*, qui suam oppignerat veritatem. נאם יהוה ejus est: Et oracula plura *in eam sententiam* prodita sunt. Rom. 11: 2, 28, 29. *Fidem suam* semel obstrinxit Patribus. Num. 23: 19. &c. Mal. 3: vers. 6. Scriptura id testatur (quæ solvi non potest Joh. 10: v. 35.) Rom. 11: 26, 27. Lev. 26: 40. &c. Adhæc Gratiam suam pollicetur, Jehova gratiæ efficacis nomen est Exod. 6: 2. quæ tunc inprimis exerceatur necesse est, Ps. 102: 14. Esa. 30: 18. Deut. 30: 6. &c. Ezek. 36: 24. &c. Jer. 32: 38. &c.

c *Liberandi sunt omnes familiæ Israelis.* Totam nationem Israeliticam intelligit, omnes ejus tribus, nulla excepta aut neglecta, sive ad regnum Israelis pertinuerint, sive ad regnum Judæ. Messias futurus erat scandalo utrique domui Israelis Esa. 8: 14. Ergo & conversio ad Messiam utrique donanda Ezek. 37: 16. seqq. Hos. 1: 11. Jer. 23: 5, 6. Esa. 11: 11, 12. Promissio pro Gentilibus est Gen. 12: 3. & hinc nulla natio mundi præteribitur, ad quam non veniat Evangelium gratiæ, etiam ad *ipsos* Israelitas, qui utique & ipsi familiam unam mundi faciunt Act. 3: 25, 26. Sed pari ratione omnes familiæ Israelis hic promissionem habent. Ezek. 20: 40. &c. cap. 39: vers. 22. Zach. 10. vers. 6--12. coll. Esa. 27: 11, 12, 13. Adhæc videantur Lev. 26; 40. &c. Deut. 4: 27. &c. cap. 30; 1. &c. Ezek. 36. 37. capp. Jer. 3: 18. cap. 33: 6. &c. cap. 50: 4: 5. 19, 20. 33, 34. cap. 51: 5. Quod si quis contendat intelligendum esse spiritualem Israelem, ex omnibus gentibus collectam Ecclesiam, I. dubitare licet, an uspiam in universa Scriptura Israelis (aut etiam Jacobi & Zionis) nomen aliter sumatur quam de posteritate Jacobi; ne quidem in dictis Gal. 8: 16. ubi oppositio evidens, & Esa. 44: 5. ubi nexus Israelitas nativos postulat; sed qui inter gentes conversi, inde egredientur, ut converso Israeli socientur, profitentes suam originem, Conf. Esa. 49: 17. 20. &c. II. Restringitur differtè ad Israelitas Jer. 30: 3, 4. seqq. Omnes calamitates Israelitarum sunt, & liberatio prior, & promissa post calamitatem alteram

alteram intelligentia, itidem Israelis. Ergo & subsecutura liberatio. Neque enim ad consolationem pertinet, (quo tamen diserte refertur.) si alicui denuncietur, felicitatem quâ fruitus est alii datum iri, qui ipsius nomine sit appellandus. Pœna hæc est Deut. 32: 21. Rom. 10: 19. Matt. 21: 43. cap. 8: 11, 12. quæ nihil differunt ab hâc consolatione, si isto modo intelligatur. Apostolus Judæis adscribit uti παραπτωμα, & ἥττημα, sic quoque πλήρωμα Rom. 11: 21. uti ἀποβολὴν, sic quoque πρόσλημψιν vers. 15. distinctam à πλώτῃ & κατακλασει Gentilium, horumque πληρώματα: Præterea distinguit defractionem naturalium ramorum, Judæorum: insitionem oleastrorum Gentilium præter naturam, & insitionem naturalium Judæorum; qui utrique proinde pari loco sunt in Ecclesiâ, ratione insitionis, sed diserte discriminantur tum origine, tum ordine insitionis. Denique Judæorum conversionem futuram vocat Mysterium, non quod ad prædictionem, quæ satis frequens in Prophetis, sed quod ad complementum, (uti etiam de vocatione Gentium loquitur Rom. 16: 26. Eph. 3. cap.) ast Judæos & Græcos in Ecclesia versari simul jam tum notissimum erat, Evangelio inter utrosque magno fructu prædicato.

Dicit fortè quis, jam factam illam Judæorum accessionem. quia multa millia eorum Evangelio crediderunt. Act. 2: 41. cap. 4: 4. cap. 21. 20. Sed Apostolus istam multitudinem non habet nisi pro reliquiis Rom. 9: 27. &c. cap. 11: 5. & 7. respectu cæterorum toto orbe infidelium, Rom. 9: 31. &c. cap. 11: 7. seq. 1 Pet. 2: 7. &c. apostasia demum incipiebat, & anathema populi & terræ instabat, factum in Hierosolymæ destructione, quæ restitutionem antecedere debuerant Esa. 43: v. ult. cap. 44: 1. &c. Conversio quæ tunc facta respondit fœderis promulgationi novæ, indefinite efficaci Jer. 30: 22. sed futura alia, quæ post rejectionem populi Israelitici (quia fidelium numerus eo nomine venire non potuit) continget generalis. Hæc autem nondum facta est, tum quia adhuc durat illud judicium immanentis iræ Dei; tum quia nondum adest intelligentia illa necessaria, quare & immissum illud malum, & continuatum hactenus sit. Futura autem quia conservatur natio distincta, ut & immanens ira; & intelligentiæ defectus sit evidens; (cum qui crediderunt in Christum nomen Judæorum & distinctionem amiserint amiserintque hactenus, ne in eos defigerentur oculi, tanquam forent illi in quibus terminarentur promissiones factæ Israeli;) Infideles enim servant nomen & distinctionem, & cavent misceri gentibus per connubia. Deus verò ipsis continuat multiplicationem generis ex promisso ad Abrahamum, ut ubicunque sunt, subito excrescant in numerum magnum. Innumeri vivunt in Europâ, plures in Asiâ, Africâ, Americâ, qui si omnes uno loco degerent, nulla gens cum istâ posset contendere numero. Cum verò Deus det esse & manere populum, dabit etiam esse populum suum. Veruntamen quod hìc dicitur de omnibus familiis & de toto Israele Ezek. 20: 40. Rom. 11: 26. non de omnibus & singulis intelligendum est; sed sicut benedictio omnium familiarum terræ in Messiâ maximum numerum denotat, sic quoque hìc tribuum omnium partem maximam, contra quam olim ex Israele Jer. 3: 14. Equidem congregatio omnium promissa Ezek. 39: 25. &c. Esa. 27: 11. &c. coll. cum Zach. 10: 6--12. Sed Ezek. 20: 33. &c. explicatur, restitutionem ultimam fore analogam eductioni ex Ægypto, uti quoqne Hos. 2: 13, 14. Mich. 7: 15. quando ne ungula quidem relicta in Ægypto, sed omnes ad unum egressi; verum ob infidelitatem in deserto occubuerunt, & posteritas fidelis introducta in Cananæam; sic quoque omnes colligentur ad unum Esa. 27: 11. &c. Ezek. 39: 25. &c. sed non omnes restituentur, verum impii rebelles in deserto gentium, postquam egressi fuerint ex eorum servitute, attamen extra suum quoque territorium, judiciis Dei consumentur, ut soli fideles ad plenam restitutionem] perveniant; Ezek. 20: 38, 40. &c. Amos. 9: 8--11. Ezek. 34: 25. &c. Atque sic continget quod ultimum.

d. Liberationis *Magnitudo*, Fœderis gratiæ renovatio efficacissima; de qua dicitur *Ero ipsis in Deum &c.* Plenius istud fœdus declarabitur vers. 31. seq. cujus beneficia cognitio Dei, & remissio peccatorum. Atque hoc promissum Jer. 32: 38. &c. Ezek. 36: 26. &c. cap. 37: 21--28. cap. 39: 29. Zach. 10: 6--12. & Hos. 2: 14. seqq. Cæterum cum fœdus istud relationem mutuam inferat, aliquid forsan momenti est in ordine, quod fœderales actiones a Deo initium ducant, Ego ero eis in Deum &c. Sic vers. 33. Hos. 2: 22. Ezek. 37: 27. cap. 39: 28. Zach. 13: 9. Cum primum fœdus iniretur cum Abrahamo, Deus id cœpit Gen. 14: 1, 6, 7. cap. 17: 7, 8. Idem fœdus repetitum cum Israele a Deo cœptum est, ille invitavit ad fœdus Exod. 19: 3. &c. & conditiones promulgavit: atque hoc modo continuatum fuit, licet diversa stipulatione Israelis, attamen manente relatione mutuâ: unde cum Messias Sacerdotalem accessum ad Deum exercuisset, qui eum agnoverunt fœdus illud de novo sibi applicarunt, adeoque Christum Dominatorem suscipientes cui servirent, simul etiam Deum apprehenderunt, suum futurum Jer. 30: 9. unde ordo ille vers. 22. *& eritis mihi in populum, &c.* Sed post generalem populi apostasiam & anathema, non ipsi redeunt ad Deum, ut fiant ipsi populus, sed Deus primum prodit, & postliminio fœderis gratiam ipsis facit. Rom. 11: 15. ἀποβολὴ & πρόσλημψις. Quanquam fatear non semper illum ordinem observari, Jer. 32: 38. Ezek. 36: 28. cap. 11: 20. Zach. 8: 8. quamvis forsitan & hìc ratio sit, quod vel conjungatur prior & posterior liberatio, (quod sæpe fit, omissa apostasiâ, quia tunc Lo-ammi Zach 9: 9. &c.) in illa autem fuit continuatio, in hâc est prorsus nova concessio fœderis. vel recitentur beneficia alia prius, ante formulam, unde constat Deum exordium fecisse fœderalis gratiæ. Ezek. 11: 36.

Vers. 2. *Sic ait Jehova, invenit gratiam in deserto populus eorum qui supersunt à gladio, Israel, me eunte ad collocandum eum.*

2. Hæc generatim; deinceps *in specie* quæ Israeli vers. 2--22. quæ Judæ vers. 23--26. quæ utrique conjunctim promissa vers. 26--40.

a. *Israeli* figillatim applicatur. Liberatio, ut describatur I. Causa principalis vers. 2--5. II. Instrumenta vers. 6--14. III. Impedimentorum tum externorum tum internorum remotio vers. 15--22. quibus non tantum ipsius liberationis rationem & amplitudinem intertexit, sed etiam identidem causæ principalis mentionem repetit & inculcat. Ab Israele X tribuum autem orditur, quod ob diuturnius exilium Deique neglectum minus spei hìc foret: quemadmodum etiam Jer. 3.

a. *Causa principalis* sic describitur ut I. Deus eam proponat vers. 2. II. contra Israelitarum dubitationem asserat. vers. 3. testimoniis tum præteritis vers. 3. tum futuris, quâ occasione delineat liberationem. vers. 4, 5. Quamvis autem causa ista generalis sit, unde etiam Judæ liberatio fluit, tamen specialiter applicatur Israeli; vocatur enim *Virgo Israelis* vers. 4, 21. *Ephraim* vers. 9, 18, 20. & agit de *montibus Samariæ* vers. 5. oppositè ad *terram Judæ* vers. 23.

(a.) *Propositio* est vers. 2. cujus præfatio, *Sic dicit Dominus*: Post tam gravem pœnam, quæ rejectionem populi habebat, ut Lo-ammi fieret, promiserat se eos adscituram in fœdus, & populi loco rursum habituram. Quod ne incredibile ipsis videretur, suam assertionem præscribit. Hoc enim promissionibus fidem facit, si Deum ἀψευδῆ dixisse constet.

Causa ipsa est, quam Deus principalem inculcat, Gratia sua ab initio exhibita, Hoc argumento: *Ero Israeli Deus*, nam olim gratiam meam ipsis præstiti: Majoris autem emphaseos ergo commemorat personas, & tempus, & liberationis gratiam exhibitam.

Personæ, sunt *Populus residuorum gladii*, item *Israel*. hoc nomen clarum satis, ast prior periphrasis obscura. Eam referunt quidam ad Assyriacam captivitatem; post varias Assyriorum victorias, qui Israelitarum bello non perierunt, deportatos fuisse in Assyriam & urbes Mediæ, gratia vitæ impetratâ. Sed hi non invenerunt gratiam in deserto, cum requies eis pararetur, quæ circumstantia notanda. alii ad servitutem Ægyptiacam; sed qui inde egressi sunt, non erant residui gladii, quo Pharao in eos non sæviit; invenerunt etiam gratiam non in deserto, sed in Ægypto ipsâ, quæ causa ut inde educerentur. Abrab. ad præsentem conditionem exilii diuturni, *Invenit gratiam populus residuorum gladii, quo gentes sævierunt contra illum*, במדבר *in sermone precum, quo postularunt a Deo ut iret & quietem pararet Israeli.* Sed ו מדבר alienè redditur *oratio*, &

quidem precantis; ſic ſaltem affixum fuiſſet addendum, במרמו, & cætera admodum contorta ſunt. Simpliciſſima expoſitio eſt, quam hiſtoria ſuppeditat Exod. 32. 33. 34. cap. Iſraelitis ex Ægypto egreſſis cum ad montem Sinai veniſſent, Deus obtulit ſuum fœdus, cujus conditiones ipſis volentibus publicavit, & ratihabitione ipſorum accedente ſolenniter ſancivit Exod. 19. 20. 24. Pſal. 114: 1, 2. Sed paulo poſt populus defecit à Deo, per μοχθοποιΐαν & μοχθολατρείαν, cap. 32. Moſes ergo qui mediator fœderis iſtius, re cognita, non tantum fœdus irritum eſſe pronunciavit, confractis tabulis, ſed etiam ultionem fœderis ſuſcepit ſtricto in eum finem gladio, (conf. Lev. 26: 25. 1 Sam. 22: 13, 16—19. contra reos majeſtatis. Deut. 13: 12. &c.) Evocavit enim ad ſe quicunque Dei eſſent, illius idololatriæ exſortes, omnes filios Levi, mandavitque ipſis ultionem exſequendam: Exod. 32: 26. ſeq. *Sic dicit Dominus Deus Iſraelis; accingite quiſque femori ſuo gladium, & hac illac tranſite caſtra, & proximos quoſque* (reos ſcl.) *trucidate*: quod ab ipſis factum laudatur Deut. 33: 9. atque ipſi propter operam illam Domino navatam, quamvis in conſanguineos ſæviſſent, conſecrati fuerunt Deo in miniſterium tabernaculi Deut. 10: 8. ſeqq. Illo die ceciderunt gladio vindice 3000. de populo. Qui verò tunc cæſi non fuerunt, eos vocat populum reſiduorum gladii, quo omnes meruiſſent exterminari. Atque ſic reſpondet Tempus, factum illud in deſerto, ubi peccatum patratum. & vindicta exercita, & illo tempore, cum iret ad quietem ipſi parandam. הלוך eundo ad quietem dandam ipſi, non eunte ipſo, quaſi foret בלכתו ut ſint Dei ſermones de Chriſto, qui Angelus ille antecedens Iſraelem, Eſa. 63: 10. ad requiem parandam; Nam uti Angelus Dominus anteceſſerat in nubis igniſque columnâ, egredientibus ipſis ex Ægypto per mare, Exod. 13. 14. ſic Angelus anteceſſurus erat uſque dum eos in Cananæam introduxiſſet, pacate poſſidendam Exod. 23: 20. &c.

Beneficium autem eſt, Gratiæ inventio, quod, ad interceſſionem Moſis, ſuam præſentiam & ductum rurſus pollicitus eſt, Exod. 33. fœdus datis novis tabulis redintegravit cap. 34. Deut. 9. 10. ductum jugem eis præſtitit tum ad quietem temporariam in deſerto Num. 10: 33. tum ad conſtantem in Cananæa ipſa, Joſ. 21: 43, 44. cap. 23: 1. Invenit ita gratiam, non merendo, eave agendo quibus ea debebatur, ſed Deo donante, & efficiente ut obtingeret, qui alias fruſtra quæſituri fuiſſent, licet ipſorum quoque humiliatio, Moſis juſſu ſuſcepta, memoretur Exod. 33: 4. ſeqq. Hoc porrò Deus recitat, non ſolum ut memoriam ſibi eſſe doceat erogatorum beneficiorum, ut Jer. 2: 2. Mich. 6: 1. &c. Ezek. 16. Deut. 32. ſed inprimis ut fundamentum ponat, cui fiduciam ipſorum, ſuamque gratiam in futurum inædificet, Nec indignitatem populi, (quæ maxima fœdifragorum per idololatriam vituli,) nec juſtæ ultionis exercitium (quia gladium vindicem experti erant,) vel gratiæ incapacem facere, vel abrumpere conſilium beneficentiæ Dei in perpetuum: quod etiam liquet ex Lev. 26: 44, 45. Deut. 4: 26—31. Ezek. 20. 36. Neh. 9. cap. Gratia enim non attendit opus aut meritum, ſed eſt mera, Deut. 7: 6. &c. cap. 9: 5. ſeq. Rom. 11: 6.

Verſ. 3. *A longinquo* tempore *Jehova apparebat mihi*, inquies, *imò dilectione perpetua diligo te, idcircò extendo* erga *te benignitatem.*

Verſ. 4. *Adhuc ædificaturus ſum te, ut ædificeris, virgo Iſraelis, adhuc ornabis te tympanis tuis, & procedes cum choro ludentium.*

Verſ. 5. *Adhuc conſeres vineas in montibus Schomronis; plantabunt plantatores, & ſolutis ſacris veſcentur.*

(β.) Cæterum hanc cauſam porrò aſſerit, cujus *Aſſertionis* occaſio indicatur verſ. 3. & tum ipſa recitatur verſ. 3, 4, 5.

(1.) *Occaſionem* præbent verba, verſ. 3. *A longinquo apparuit mihi Dominus.* Coccejus continuatam orationem facit, & Meſſiam referre decretum Patris, quod ſibi olim dixerit de Iſraelis ſalute. Sic ſpectaretur illud Pſ. 2: 6. &c. Zach. 6: 13. videtur tamen aliud magè conſentaneum. Non eſſe hîc continuatione orationis præcedentis; illic verſ. 2, loquebatur Dominus ipſe, uti etiam in ſeqq. verbis. Verum verba iſta alius ſunt de Deo. R. Sal. Prophetæ tribuit, qui dicat, Deum ſibi jam olim apparuiſſe, ut ſequentia promiſſa Eccleſiæ indicaret. Sed frigidum iſtud. Alii Eccleſiam Iſraeliticam ſic loqui cenſent; diverſimode tamen. Abrab. profitentem fiduciam; *A longinquo, cum adhuc degerem in Ægypto, Dominus mihi viſus, & promiſit gratiam, adeoque quod peto faciet, ut pergat ad requiem dandam mihi.* Aſt gravitas calamitatis non patitur tantam ipſis eſſe fiduciam, Eccleſia deſperationi proxima Eſa. 49: 14. &c. & cui erigendæ tot argumenta producuntur. Calvinus irridentem Prophetam, quaſi dicat ſemper nobis occinis, quid olim factum ſit; Deus utique olim apparuit nobis, ſed quid hoc olim, ad præſens inſtitutum; illud olim nos non attinet, nec afficit. Sed & hoc alienum, cum Deus de liberatione ſuâ promittat, quam effecturus ſit, quæ tunc tanta impietate non excipietur, Deo corda præparaturo. Tarum & Kimhi objicientem aliquid, cui reſpondeatur. Verum, inquit, eſt, quod dicitur de inventâ gratia olim: Viſus eſt mihi Deus à longinquo, (מרחוק de tempore, uti Hoſ. 12: 10. cap. 13: 4. & cap. 11: 1. ממצרים inde ab Ægypto.) Olim Deus ita mecum egit, ut gratiam exerceret erga indignos, & non obſtante ſuâ caſtigatione promiſſam quietem largiretur: verum jam talem ſe non oſtendit, plane alius factus eſt. Scl. Calamitatis adeò gravis & diuturnæ ſenſus facit ut antiquiora gratiæ teſtimonia nequeant ſibi applicare ad conſolationem. Quod inprimis Iſraeli X tribuum congruit; cujus adeo diuturna abjectio inde a Samariæ per Salmanaſſarem excidio; citra interruptionem, quæ Judæ obtigit, poſt exilium 70. annorum reſtituto. Sic Gideon agit Jud. 6: 12, 13. & Eccleſia Pſ. 44: 89. Hic exprimitur antecedens, ſed conſequens reticetur: aſt Eſa. 49: 14. &c. conſequens eſt, non antecedens. Huic objectioni Deus opponit gratiæ ſuæ perennitatem, unde & præterita futuraque teſtimonia meditanda offert.

Perennitas gratiæ eſt, *utique Amore æterno amavit*: antea vocavit Gratiam, nunc voce efficaciori *Amorem*: hic cauſa eſt & fons gratiæ; gratia autem amoris effectus: diciturque עולם, *ſeculumque* intelligitur loquentis Dei, cujus terminus anterior poſteriorque latet, quia nullus eſt. Pſ. 90: 2. coll. cum 103: 17. adeoque æternus amor omni modo, qui feratur in ipſam, non nunc demum, ſed jam ante cœptus. Æternus iſte amor deſcribitur Rom. 8: 29. &c. ab æternitate deductus, & continuans in æternitatem uti amor Chriſti Joh. 13: 1. Eſa. 45: 17. *Eſt verò hæc efficaciſſima ratio contra apprehenſionem deſertionis Dei*, meditatio æterni amoris Dei. Nihil habet *Iſrael*, quod validius ſit contra deſperationem. Mal. 1: 2. &c. cap. 3: 6. Pſ. 102: 12. &c. & verſ. 24. &c. Eſa. 40: 27. &c. Æternitatem ſuam Deus ipſe inculcat Exod. 3: 15. Et nunc quoque valet hoc argumentum Rom. 11: verſ. 2, 28, 29. 1 Sam. 15: 29.

Porro *Teſtimonia* perennis amoris ad ſecuritatem Eccleſiæ hæſitantis edit cum Præterita tum Futura.

De Præteritis dicit, מש֣כתיך חסד *propterea traxi te benignitate*, quaſi eſſet משכתי, vel alii, *protraxi, conſervavi tibi*, משכתי לך *benignitatem.* Prius efficacius, extendit Deus benignitatem ad omnes Pſ. 145: 9. Act. 14: 16, 17. ſed traxit ſolos Iſraelitas Hoſ. 11: 1, 2. Experti id ſunt in deſerto, in Cananæâ; Deum varie benefacientem, uti quidem erga nullam gentem aliam fuit, maxime cum traxerit verbo, & promiſſionibus ejus. Jer. 2: 2, 3. & v. 31. & v. 5, 6. Mich. 6: 3, 4. unde confeſſiones Pſal. 68: 20, 21. Lam. 3: 22. &c. Hinc vero liquet *Trahendi* vocabulum non inferre violentiam aliquam, quâ inviti cogantur contra ſuam voluntatem; ſed efficacitatem gratiæ, ejuſque conſtantiam, Amantis actionem ſeriam, cum vehementiâ affectus ad ſe ſuamque communionem deducturi aliquem. Tractio Dei eſt teſtimonium amoris ipſius æterni; Filium dedit ex amore Joh. 3: 16. quos dedit filio amavit Eph. 1: 6. qui veniunt ad filium Joh. 6: 37. ſed tracti a Patre verſ. 44. trahit autem docendo efficaciter, ut non tantum audiatur, ſed etiam diſcatur, audita fide recipiantur verſ. 45. credens autem venit verſ. 35. & huic datum eſt verſ. 65. quia fides donum Dei Eph. 2: 8. Phil. 1: 29. Tractio Dei eſt quod ad utrumque terminum Col. 1: 13. tum à quo Gal. 1: 4. tum ad quem Joh.

Joh. 6:44. violentia non major quam in verbis ἀναγκάζειν ἐξελθεῖν Luc. 14:29. Act. 16:15. פצר בו Gen. 19:3. 9. cap. 33:11. vis amica, quæ ex nolentibus volentes facit, perſuaſos rationibus & argumentorum pondere, הרבה Pſ. 47:4.

Enimverò cum ex æterno amore tractio promanet, poteſtne ea interrumpi? quod in Iſraele factum Pſal. 81:12. &c. Eſa. 42:23. ſeq. Reſp. Amor æternus, eoque etiam immutabilis eſt; ſed tractio fit in tempore, quæ proinde ratione hominum, circa quos occupatur, ſuos habet gradus & intervalla temporum, attamen ubi amor æternus Dei fixus eſt, ibi tractio & inchoatur & conſummatur, licet aliquando inſtituatur remiſſius, alias validius; ut ex initio ejus, non obſtante interruptione aliqua aut intervallo liceat ſecuris eſſe de completa conſummatione ſerius ocyuſve impetrandâ, uti Matt. 22; 32. argumentum de reſurrectione. Sic quoque hic ex præteritis conjecturam facere licet de futuris: Eſa. 46:34. Pſ. 48:v. ult. & 138, v. ult. Phil. 1. v. 6. qui nexus teſtimonii futuri.

Futura verſ. 4, 5. ubi I. *Factum* Dei verſ. 4, cujus (1) Objectum, indicatur *virgo Iſraelis*: antea populum hunc vocavit *Averſam Iſraelis* ob adulterium Jer. 3; 6, 7, 8. 20. aſt nunc *Virginem*, quia converſio Iſraelis ad Deum erit quaſi virginis deſponſatio, quandoquidem illa generatio non eſt ea ipſa quæ defecit ſcortando, & rejecta eſt, ſed ſera defectricis progenies, quæ ſedit extra domum mariti, attamen non facta alterius viri Hoſ. 3; 3. &c. (2) *Beneficium* ipſum, *ædificabo te & ædificaberis*. Erit efficax ſtructura, quæ ſucceſſum habeat, ut quod agit non ſit fruſtra; cujus argumentum, Dei architecti manus; quâ ſine nihil ſuccedit Pſ. 127: verſ. 1. Mal. 1:v. 3. &c. ſed eâ operante nihil poteſt impedire. Jer. 24:v. 6, 7. cap. 31: verſ. 28. cap. 32: verſ. 41. (3) *Tempus*, עוד *Adhuc*, Interrupta ergo vel intermiſſa ad tempus iſta Dei ædificantis actio, ſed quæ tandem reſumetur, Adhuc erit tempus, quando illud opus Deus ſuſcipiet. Zach. 1:verſ. 16, 17. Amoſ. 9:15. Eſa. 10:11. &c. Hujuſmodi Adhuc eſt Eſa. 49:verſ. 20. Zach. 8: verſ. 20. Coccejus: *Oportet eos, qui legunt hanc Prophetiam, cogitare; Prophetiam hanc valorem ſuum habere, & nondum expletam eſſe totam, quamdiu Ephraim aliquis aberrat, quamdiu Eccleſia non eſt tranquillata, quamdiu jactura Iſraelis non ſunt reſtitutæ. Quid enim vetat hinc ſperare de illis qui errant, & pro illis laborare? Quis delectionem Dei æternam dicet eſſe imminutam, & gratiam eſſe exhauſtam, & nolle Deum amplius dare Eccleſiæ quam illi dedit? aut ea quæ promiſſuntur non poſſe vera effici ita, ut omnem magnificentiam verborum & poteſtatem exæquet res?* II. *Lætitia* conſequens v. 4. teſtata inſtrumentis & conſortio ſimiliter affectorum. Solebant tympana geſtare & pulſare virgines, mulieresque & choreas ducere in publica lætitia Exod. 15:16. Jud. 11:v. 34. 1 Sam. 18:6. Pſ. 68:26. cum in luctu publico talia ſileant. Jer. 7: v. 34. cap. 16:9. ut reſtitutio ſignificetur à conſequente; ſed longe amplior, quam poſt reditum ex Babel cap. 30:19. Hîc enim confeſſio laudis egreſſura dicitur, & vox ludentium, hic vero accingere ſe jubentur tympanis, velut veſte aut ornatu qui conſtanter adhæreat, & choros ludentium inſtituere, utpote gaudio futuro majore, & ad plures diffuſo, nec non conſtantiore, quemadmodum chori ratio eſt comparate ad vocem. III. *Fruitio* bonorum v. 5. *plantabis vineas in montibus Samariæ*; &c. locus eſt, Samariæ montes, qui proprii X tribuum, circa metropolin regni, quo proinde reſtituendi ſignificantur: actio in eo loco, plantatio vinearum, tanquam iſtic habitaturi, Jer. 29:5. q. d. diuturnior mora in Babel, plantandi erant horti; ſed horti tantum, non vineæ, horti eodem anno fructum reddunt, vineæ non niſi tertio aut quarto anno; & horti tanti non fiunt quin ſubinde removeantur facile, ſed vineæ certæ hæreditates ſunt. 1 Reg. 21. promiſſio fruitionis, qui plantarunt etiam profanabunt, ad communem uſum adhibebunt. Lev. 19:23. ſeq. plantatio ex lege, triennium habuit poſt primum Tiſri plantarum præputiatarum, quando frui nefas; quarto anno fructus ſacer coram Deo fuit uſurpandus; quinto demum privato uſui promiſſus erat: quomodo contingebat ut quandoque aliquis fuæ plantationis fruitionem non haberet; unde plantans excuſabatur ab expeditione bellicâ Deut. 20:6. Alia etiam mala intra quinquennium poterant accidere, ut quis fruitione excideret, Deut. 28: 39. Eſa. 65:22. Sed heic certa erat, ut Eſa. 65; 21. Et τὸ *Adhuc* de lætitia, deque fruitione uſurpatum, uti de facto Dei, teſtatur certò futurum ut priſco more iſta felicitate potiatur. Cæterum iſta non impleta poſt ſolutam Capt. Bab. nam X tribus reſtitutæ niſi quoad pauciſſimos Jer. 3:14. neque redierunt ad poſſeſſionem montium Samariæ, qui manſerunt Cuthæis aliiſque à Salmanaſſare eò deductis coloniis gentilibus, Iſraelitarum hoſtibus: ut adhuc exſpectandum ſit complementum.

Verſ. 6. *Nam dies eſt futurus, quo clamabunt cuſtodes in monte Ephrajimi, ſurgite, & aſcendamus Tzijonem; ad Iehovam Deum noſtrum.*

Verſ. 7. *Sic enim ait Jehova: cantate Jahakobo lætitiam, & claram vocem edite palam ante ipſas gentes: pronunciate, laudate, ac dicite, Serva Jehova populum tuum, reſiduum Iiſraelis.*

Verſ. 8. *Ecce ego adducam eos è terra Aquilonis, & congregabo eos è lateribus terræ, inter ipſos cæcum, & claudum, gravidam, & puerperam pariter: congregatione magna revertentur huc.*

Verſ. 9. *Cum fletu venientes & cum deprecationibus reducam eos, faciam ut eant ſecundum torrentes aquarum via recta, in qua non impingant: quia ſum Iiſraeli pater, & Ephrajim primogenitus meus eſt.*

6. *Inſtrumenta*, quæ Deus, cauſa principalis, adhibiturus eſt, ad reſtitutionem Iſraelis procurandam ac promovendam, porro enumerantur, tanquam probatio promiſſæ felicitatis præſtandæ, quando definita dicit inſtrumenta adhibenda. Enumerantur autem gemini ordinis

Doctores ſeu præcones Evangelii v. 6--9. & Fideles ex gentibus alii verſ. 10-14.

a. De *prioribus* quidem docet 1. quando, 2. qui, 3. ubi verſ. 6. 4. Quid verſ. 6, 7. 5. Quo ſucceſſu ſint facturi, verſ. 8, 9. Præconum Evangelii opera deſcribitur.

(1.) *A tempore* verſ. 6. *Nam eſt dies*; *Eſt*, *inquit*, cum adhuc in longa tempora dilatum ſciamus: quia fixus eſt in conſilio Dei, & fixus in promiſſione: & utroque modo immutabilis, ejuſque exſpectatio infallibilis. Act. 1:6, 7. Sciſcitantibus curioſe diſcipulis, increpando reſpondet Jeſus, ut caſtiget curioſitatem, non autem ut neget futurum, quin potius fatetur: neque etiam ſpem omnem notitiæ præſcindit, ſed rejicit ad Spiritus informationem verſ. 8. de quo promiſerat Joh. 14:26. cap. 16:13, 14. atque ipſi, donati eo Spiritu, de temporibus iſtis loquuntur Act. 3:19. quamquam momenta ejus dici, & quantum inde diſtarent, nec cognorint, nec indicarint præciſe: niſi quod Johannes Apoc. 7. retulerit Judæorum converſionem ad ſigillum ſextum; quando 144000. obſignantur ex omnibus tribubus Iſrael, & ſimul innumera multitudo ex omnibus nationibus mundi, quæ poteſt cenſeri opulentia illa gentium cum plenitudine Iſraelis ingreſſura Rom. 11:12, 15.

(2.) *A præconum conditione*; qui dicuntur נוצרים dubia interpretatione. Proprie *cuſtodes*, retinentes, animo vel amico, ne quid damni inferatur, cuſtodes hortorum, præſidiarii milites in arcibus limitaneis: vel inimico, ne evadant malum alii, obſidentes urbem hoſtes. Igitur nonnullis ſunt pii, retinentes fœderis, Pſ. 25; 10. & 119:2. qui uti obſervant ipſimet ſtudioſe viam Domini, ne inde declinent, ita aliis quoque monitores ſunt, ut in iiſdem ambulent. Targ. Kimhi, Coccej. Sed dicuntur נוצרים ſimpliciter, citra additionem rei cuſtoditæ. Aliis ſunt Hoſtes, obſidentes, Jer. 4:16. Babylonii ſeu Chaldæi, quos quidam ab ultima parte nominis *Nebucadnezaris* denominatos putarunt; quos Abrab. refutat: cum à toto nomine, vel a prima potius parte denominatio fuiſſet ducenda; Vel Romani, uti Abrab. ſtatuit, qui ſe mutuo animent ad deſtructionem Zionis: hos eſſe נוצרים, Judæos autem נצורים Eſa. 49:6. Sed extremum verſus repugnat, *ad Dominum Deum noſtrum*; neque enim τὸ *noſtrum* ad Prophetam aut Iſraelem referri poteſt, cum ſit ſermo ipſorum נוצרים cuſtodum. nec parentheſin fert אל præpoſitio (קרנו יש יום) quaſi foret נוע ונו אל ה׳ אלהינו. Aliis rurſum ſunt

Hoſtes ſed conciliati. Scl. Jeroboamum erectis vitulis interdixiſſe ne irent Iſraelitæ Hieroſolymam ad feſta: & cum pii nihilominus eò abirent caſtella in limite regni excitaſſe, unde præſidiarii adſcenſuros impedirent vel etiam necarent Hoſ. 6: 9. heic ergo promitti Cuſtodes iſtos (qui Sacerdotes & religionis præſidiarii) non amplius remoræ cuiquam fore, ſed potius hortatores & ductores aliorum, coaleſcentibus Iſraele & Juda tam quod ad ſacra, quam quoad politiam Eſa. 11: 13. Calvinus. Sed non agitur hîc de conciliatione Judæ cum Iſraele, ſed de converſione Iſraelis ad Deum, idque eo tempore quo ipſe quoque Juda a Deo alienatus erat, & adducendus poſtliminio. Aliis ſunt Eccleſiæ doctores, ſpeculatores, qui editiori in loco collocati ſpeculantur, quid eminus commodi incommodive ſurgat. 2 Reg. 17: 9. & cap. 18: 8. argumento loci Eſa. 56: 10. cap. 62: 6. Sed huic aliquid Specialius adhuc addendum, quod Abrab. ſuppeditat: מצורף לזה שצפה הנביא ברוח הקדש שיאמינו הרומיים בני אדום ומפני זה יקראו בשמו נוצרים *Accedit, quod Prophetа per Spiritum Sanctum ſpeculatus ſit, Romanos Edomitas credituros* (in Jeſum Nazarenum, quod ad Jer. 4: 16. ſcriptum exſtat & hîc ſupplendum eſt,) *& propterea nomine ejus vocitandos Nazerim* Nazarenos: Quod quidem appoſitiſſimum arbitramur, ut deſignentur Chriſtiani, diſcipuli Jeſu Nazareni, qui inter Judæos Nazarenorum hæreſin excitaſſe dicebantur Act. 24: 5, 14. cap. 28: 22. & quidem ductores, Apoſtoli, doctoreſque ſubſequentes, qui doctrinam Apoſtolicam prædicant utpote qui non hoſtiliter affecti ſunt, ſed ad Deum ejuſque fœdus communi jure & commodo adducere laborant Iſraelem. Ut tamen ſpecialius quid dicamus, Nazareni ſunt qui conſtituuntur inſtrumenta convertendorum Iſraelitarum. Iſto nomine veniunt Chriſtiani, a Jeſu Nazareno ſic dicti: cum enim Iſraelitæ defecturi eſſent a fœdere, futuri Lo-ammi, Lo-Ruchama, ex ſe ipſis ad Deum redire nequeunt, ſed indigent ducibus, non cœcis, quales doctores proprii Eſa. 29: 10, 14. ſed videntibus, quibus per Evangelium & revelationem Spiritus Sanctis aperti oculi Act. 26: 18. hoc eſt Chriſtianis; nam quem exſpectant Eliam, jam dudum venit, ante anathema Mal. 4: 5, 6. Joh. Baptiſta is fuit Luc. 1: 17. Matt. 11: 13, 14. cap. 17: 10.

Sed an per doctores Chriſtianos Gentiles convertendi ſunt Iſraelitæ? Reſp. Nullus unquam Gentilis in Scriptura vocatur Nazarenus, ſed ſoli Chriſtiani ex Judæis: quemadmodum a Judæis id nominis natum Act. 24: 5. ut quos apoſtatas putabant, eo inſignirent; qui nihil morati ſunt, quod Gentiles in Jeſum crederent, quos homines multos Deorum loco habere norant, & abominabantur eapropter. Poſtquam Gentiles acceſſere ad fidem Evangelii, diſtinctionis ergo Græco vocabulo a Chriſto Chriſtiani dicti ſunt. Quum vero heic diſerte Nazarenorum fiat mentio, ceu inſtrumentorum convertendis Iſraelitis futurorum, non erit alienum intelligere diſcipulos Jeſu Nazareni, Apoſtolos, omnes natione Iſraelitas, Hi enim ſunt Doctores Judæorum ſingulares Matt. 10: 6. & Luc. 24: 46. Act. 1: 8. cap. 3: 26. cap. 13: 46. Hi autem iſtud agent, non in propria perſonâ, quaſi reſurrecturi eſſent & obituri Iſraelitas; repugnat illud Luc. 16: 29. ſeq. ſed in ſuis ſcriptis: quæ ſola habent infallibilitatem, ob præſentiam Chriſti efficacem Matt. 28: 19, 20. & vim convincendi, ob Spiritum Sanctum per iſta agentem Joh. 16: 7. ſeq. atque ipſis τὸ clamare convenit in ſcriptis iſtis, quemadmodum Prophetis tribuitur Rom. 9: 27. Veruntamen Gentiles poſſunt eſſe inſtrumenta Nazarenorum, dum verba ipſorum, ſcriptis conſignata, Judæis proclamant, & inculcant: quod ipſum eſt operæ ipſorum; Rom. 11: 11. & 14. Gentes ζηλοῦσθαι debent, quia idem egit Paulus Judæus: neque volunt illi a Gentibus diſcere, ſed à Judæis lubentius admittent traditam veritatem. maxime ob promiſſionem Zach. 8: 23.

(3.) *A Loco*, qui dicitur *in monte Ephraim.* Montes Ephraim fuerunt limitanei, diſterminantes hujus, & adeo regni Iſraelis poſſeſſionem à Benjamine, quæ tribus ad Judæ regnum pertinebat. Conf. Pſ. 10: 2, 3. Quum ergo de X tribubus agit, ſeu Iſraele ſtricte dicto, non potuit nominare locum viciniorem Zioni ac Hieroſolymæ: ibi autem collocat Nazarenos, non una de cauſa: I. *In monte* ut edito loco conſiſtant, ut videri & exaudiri queant. non videre doctores calamitatis eſt; commodi, videre eos Eſa. 30: 20, 21. Apoſtoli lux mundi, civitas in monte Matt. 5: 14. II. *In monte Ephraim*, non Libano, ut non duces ſe præbeant gravioris apoſtaſias, deſerturi terram Ezek. 20: 32. ſed ut jam in viâ ſe eſſe, & aliis ductum offerre pateat, qua redeant ad Deum. III. *In monte Ephraim*, ut priſcam quoque defectionem, vitulos & in Dan & in Bethel deſerendos doceant, nec non ſanctitatem quam in monte Gerizim quærebant, & extra ſuum territorium eundum. IV. *In monte Ephraim*, ut inde monſtrare queant, quo eundum ſit, & eminus jam oſtendere viæ ſuæ terminum. V. *In monte* Ephraim, ut non accedant ad ipſos, trans montes, ſeque ipſis conformes ſiſtant, ſed ipſos ad ſe vocent, ſecuturos novam doctrinam. Jer. 15: 19. eoque non ulterius procedant, quam par eſt, ne unquam amittant ipſimet Zionis intuitum. VI. in monte, non ad habitandum; ſed ad clamandum, & evocandum; fruſtra enim à montibus ſperatur ſalus Jer. 3: 23. Pſ. 121: 1.

(4.) *Ab Opere*, verſ. 6, 7. Et *in genere* quidem, *Clamabunt*, magno Zelo, voce elata prædicabunt: ut errantes, palantes, Bethelem aut Danem euntes, aut in Gerizim adſcendentes revocent in viam, atque etiam ſecuros aut ſomnolentos excitent, ut citra moram audiant, & ſequantur ſuum ductum. Lux in monte, quæ radios ſpargit longe lateque; qui verbum vitæ & veritatis prætendunt, ut alii videant & alliciantur.

In ſpecie autem eſt (א.) *Concio* verſ. 6. quæ habet I. Excitationem. *Surgite*: datus eis ſpiritus ſoporis Eſa. 29: 10. inde excitandi; ut Geneſ. 19: 14, Lot generis ſuis. Act. 2. 40. Heb. 12: 1. Sic faciendum 2 Tim. 2: 26. eoque Eph. 5: 14. ſomnus ſuavis, ſed morti traditurus Rom. 13: 11. &c. II. Invitationem. *Adſcendamus* &c. Vocant (1.) ad ad communionem, *Adſcendamus*, nec nos ſoli ſine vobis, nec vos ſoli ſine nobis; non ut vobis monſtremus viam, ipſimet pedem in ea non moventes, nec ut veſtrûm negligentes, multo minus vos deterrentes vel abigentes, ſoli eo contendamus; ſed junctis animis & ſtudiis, comites ſociique; (Adſcendere, more Scripturæ, de profectione Hieroſolymam, Luc. 18: 31. Act. 18: 21, 22. Luc. 10: 30. nam alioqui qui in monte Ephraim, æque excelſo loco erant, niſi dignitatem ſpiritualem attendamus, ut Eſa. 2: 1. &c. (2.) Ejuſdem Eccleſiæ, *Zionem*; quæ mater omnium, unde accipiunt ſemen verbi ad nativitatem ſpiritualem; eò iverunt Gentes Eſa. 2: 2. &c. qui Judæos eodem invitant verſ. 5. Jer. 3: 17. qui in Zione nati dicuntur Pſ. 87: 4. &c. quia Apoſtoli patres ipſorum ibi nati 1 Cor. 4: 15. & verbum unde geniti. Et cum Apoſtoli ſpectentur, illi egreſſi Zione, ut congregent eò, ſecumque adducant Iſraelitas, ut in caula illa habitent, & illi oleæ rurſum inſerantur (3.) Ejuſdem Dei, *ad Dominum*; unde defecerant, & cujus promiſſionibus hactenus caruerunt, ד. Ejuſdem fœderis, *Dei noſtri*, quo caruerunt, facti Lo ammi, & Lo-Ruchama; ut denuo evadant populus propinquus ipſi Pſ. 148. verſ. ult. Jer. 50: 4, 5.

(ב) *Zelus* verſ. 7. qui ad excitationem & invitationem neceſſarius, ut perſuadeatur, unde tanquam ratio additur, & ejus indicatur. I. *Origo*, mandatum vocantis Dei, *ſic ait Dominus, jubilate* &c. Jubet Nazarenos hoc agere & eis præſcribit ut faciant. Ille non fert negligentes Jer. 48: 10. poſtulat vi muneris 2 Tim. 4: 5. 1 Cor. 9: 16, 17. II. *Fervor*, ſynonymiis declaratus, *vociferamini gaudio, lætum clamorem tollite* (הריעו qaalis eſt hinnitus equorum gaudentium; (*audire facite, laudate, & dicite.* Omnia enim iſta Zelum produnt, profeſſio lætitiæ voce magnâ teſtata, geſtus externus faciei evidentis, & oris ſilentium rumpentis vociferatione læta; nec ſibi ſolum in ſinu gaudens ſecreto gaudio, ſed publicatio lætitiæ apud alios, ut conſcii fiant ac conſortes; prædicatio Dei per laudes à quo omnis gaudii materia ſubminiſtratur, ejuſdemque invocatio pro conſervatione & incremento beneficii concelli. Scl. Zelus iſte conjunctus eſt cum gaudio cordis & oris, coram hominibus & Deo, peccatorum converſionem ſpectat & ſequitur, Luc. 15: 7. 6: 9., Pſ. 126: 2. &c. nam III. Objectum, Iſraelitæ, *propter Jacobum*, & rurſum, *propter* ב Pſ. v. 7: 7 *caput Gentium*, itidem Iſrael, qui caput & potiſſimus omnium gentium, dignatione elegentis Dei, Deut. 26: v. 19 cap. 7: 6, 7. [Omnis Zelus propter Iſraelem: ubi excellit Paulus Rom. 9: 3. cap. 10: 1. cap. 11: 13, 14.] Aliis *caput Gentium* ſunt Babylonii, unde liberandi; aut inter caput gentium, divinantium illis; ſed hoc argumentum lætiæ,

tiæ, non capitis deſtructio. Alii *coram capite gentium*; verum id dicitur verſ. 10. Sed ſimpliciſſime Iſrael hoc nomine venit, ob excellentiam ſupra omnes gentes, Jer. 2: v. 2, 3. סגולה Exod. 19: 5. Deut. 7: 6, 7. *primogenitus Dei* Exod. 4: 22. Amoſ. 3: 2. Pſ. 148. v. ult. [Omnis &c.]

Jam (1) *Preces* v 7. quæ conjunguntur Zelo, quia omne incrementum à Deo ſolo, ut labor & Zelus ſine ejus ope fruſtraneus 1 Cor. 3: 6, 7. quam ſollicitandam habent prece Act. 4: 24. in quibus precibus Paulus multus fuit, conf. Rom. 11: 13, 14 & cap. 10: 1. Formula autem habet, I. Quid petant, *Salva*; ſalutem poſcunt, eamque maximam, quæ in Meſſia, ex v. 11. ut ex maximo malo liberentur, & ſummo bono donentur: ſeu omnia fœderis bona, quæ Meſſias paravit, poſtquam ſacerdotali ſatisfactione defunctus fuit: nec non liberationem ab omni ira illa, quæ ob repudiatum Meſſiam & Evangelium ejus tam diuturna incubuit. II. A quo, *Iehova*, qui ſolus eſſentiam ſaluti dare poteſt, & promiſſionibus, quibus eam promiſit, ut liberandi ab irâ intelligentiam conſequantur & quæ fœderis ſunt beneficia, quia ſolus adorandus Matt. 4: 10. & ſolus audit preces Pſ. 65: 2. videlicet ut præſtet, quique invocari vult eo nomine Ezek. 36: verſ. 37. III. Pro quibus. *Iſraele*: quem Jacob & caput gentium dixit. Nam quem commendarent Deo, quam quem invitant ad Deum; ut ille invitatos ad ſe miniſtrorum opera, ſuâ quoque manu trahat, & quæ ipſi invitantes ipſius nomine promittunt, reapſe eis largiatur & præſtet. IV. Quibus argumentis; duo ſunt (1.) a fœdere gratiæ; *Populum tuum*; quia Dei ſunt, ab ipſo adſciti in fœdus, qui nihil unquam pœnitendum facit, præſcius infidelitatis & inobedientiæ ipſorum, fœdere ſibi junxit, ſalutem paravit, promiſit, & ex veritate & juſtitia ſalutem debet. (2.) A miſerrima ejus conditione, *reliquias Iſraelis*; eoſque imminuti ſunt, ut reliquiæ tantum ſuperſint, queis abſumtis vacillaret Dei veritas, & ſermo Dei excideret. Accedit cum reliquiarum ſalus promiſſa, etiam oportunum tempus adſit quando non niſi reliquiæ ſunt, poſt tot myriadum exitium intra tot ſeculorum decurſum. Eſa. 4: v. 3. cap. 10: 20. &c.

(5.) *A Succeſſu* verſ. 8, 9. cujus autor ſolus Deus, qui ſe omnia effecturum pollicetur: quia ab ipſo incrementum 1 Cor. 3: 5. &c. cap. 15: 10. Act. 11: 20, 21. Rom. 15: verſ. 17. &c. Succeſſus ipſe autem reſpondet Præconum iſtorum.

(8.) *Concioni*, verſ. 8. I. Quoad Excitationem, *Surgite*, heic Deus, *Ecce adducam eos. &c.* Ecce, attendite ad fructum hujus veſtræ vocis; Ego adducam eos, congregabo eos; non ſuâ ſponte obtemperabunt, ſed mea virtute fiet, qui veniendi, coëundi voluntatem eis dabo, & unde? loquitur de X tribubus Iſraelis, (1.) *Ex terra Aquilonis*, Aſſyria & Mediâ, quo primum deportati ad Cananææ Septentrionem, ubi manſere propemodum omnes, forte magis magiſque in Septentrionem propulſati, ad mare Caſpium & ultra in Tartariam, adducam eos ſociatos, uti juncti fuerunt in exilio. Sed quia pauci, unus ex urbe & duo ex familiâ cum Judæis rediere in patriam, Jer. 3: 14 &c. atque ibi multiplicati ſunt, ſed una cum Judæis deſtructa politiâ toto orbe diſperſi. (2.) *A lateribus terræ*. in quibuſcunque fuerint extremitatibus. Deut. 30: 4. Eſa 11: 11, 12. *& hos congregabo ex diſperſione*, ut in unum coëant. Eſt autem hoc divinæ efficaciæ. Exules ſub tyrannide aliena, non audent conſilia conferre de ſua migratione, & diſperſi quaquaverſum non poſſunt. Humana etiam vox ineficax ad perſuaſionem; non audiverunt Moſen olim ob duram ſervitutem Exod. 6: 8. Deus movit corda Ezr. 1: 5. cap. 8: 18. Sic Hagg. 1: 18. tum II. Quoad Invitationem, *Adſcendamus Zionem ad Dominum Deum noſtrum*: heic Deus recitat invitatorum (1.) *Impotentiam*, per inductionem, *Inter eos Cæcus*, ineptus ad omne iter, qui viam non novit ipſe, nec deſcriptam ſibi videre aut invenire poteſt. & *Claudus*, videns eam quidem, ſed pedum vitio non valens ingredi, maxime cum ſcandendum ſit: *Prægnans*, quæ onere ſuo gravida, trahit membra, tardaque eſt & gradu fere teſtudineo, & *pariens* aut puerpera, doloribus graviſſimis ab inceſſu impedita; omnes iſtic venient pariter, ſocii comites: & horum omnium *cœtus magnus*, oneri ſibi invicem non minus futuri, quam auxilio. (2.) *Felicitatem* in itinere, *venient huc*, Deo nempe ducente, quandocunque debiles, & defecturi videantur, tamen conſequentur ſcopum vocationi propoſitum. Ubi minime videbatur veriſimilis ſucceſſus Dei cura tenerrima eſt, Cœcis oculus eſt, & claudis pes, & ægris robur. Eſa. 40: 11. & Certiſſima, ne quis ſuorum excidat ſalute Ezek. 34: 13, 16. quam experiuntur qui maxime indigi; nam Dei potentia in infirmitate eſt illuſtrior 2 Cor. 12: verſ. 8. &c. 1 Cor. 1: verſ. 26. &c. adeoque miniſtrorum labor non eſt fruſtraneus in Domino.

(2.) *Zelo* verſ. 9. Nam inquit *venient cum fletu, & ducam eos cum deprecationibus*. Zelus auditorum æque vehemens erit ac præconum, attamen non eodem affectu. Præconum Zelus habet gaudium, quia prædicant Evangelium gratiæ & ſalutis; quod uti in ſe amabile eſt, ita quoque amabiles facit voces cordaque annunciantium: Evangeliſta non poteſt lugere, ſed lætitia ejus augetur, quo majorem notitiam & ſenſum habet nuncii quem fert. Rom. 10: 15. Eſa. 52: 7. Sed auditorum Zelus habet triſtitiam & dolorem, quia oritur ex convictione erroris, & exilii, culpæ & pœnæ: conjunctuſque eſt cum ſenſu propriæ indignitatis, & impotentiæ. Jer. 3: 21. &c. cap. 50: 34. Etenim quos Deus tenerrime certiſſimeque ducit, veniunt illi quidem, ſed cum fletu, non reluctantis averſionis, ſed contritionis humilis, quæ ipſa beneficium Dei reducentis. Zach. 12: 10. ſeq. Utriuſque Zeli exemplum eſt Act. 2. in Petro & Apoſtolis, verſ. 14. &c. & in quibuſdam auditorum. verſ. 37. Quo major autem horum triſtitia, eo major illorum lætitia 2 Cor. 7: 7. ſeq. Plenius hic dolor deſcribitur infra verſ. 18. ſeq.

(2.) *Precibus* verſ. 9. qui invocatus, Deus, præſtabit ductum: I. quod petitum, dabit ſalutem, *deducam eos ad rivos aquarum*, ne quid defectus ſit, aut careant refocillatione contra languores: ut etiam minuantur moleſtiæ, *per viam rectam*, citra ambages, & citra aſperitatem inæqualis ſemitæ quod ad altitudinem, dum jam aſſurgit in colles, jam declivis deprimitur in valles, Eſa. 35: 6. &c. cap. 41: 17. &c. cap. 42: 16. II. Quibus petitum, tum quod ad miſeriam, *non offendent in ea via*, quomodo imminuerentur, & reſiduum magis deficeret; uti cum exirent Ægypto, non fuit inter eos כושל impingens, debilis Pſ. 105: 37. ſed omnes integra valetudine corporis; ſic quoque curabit ne quid patiantur damni; quod prædicat Ezra de ſuo itinere Ezr. 8: 21. & 31. tum quod ad relationem, quam longe facit arctiorem; dixerant eos populum Dei, Deus ſe dicit *Patrem Iſraeli*, & quantus ille affectus? Pſ. 103: 13. Major teneriorque cura patris, quam principis; magis Rex aliquis amat & fovet filium quam ſubditorum alium. Sed quando multi ſunt liberi, rurſum dividitur quodammodo affectus, & ſunt quibus minus, aut ſaltem non ex æquo favet pater. Gen. 25: 22. 37. Verum ne quid hinc decederet beneficio, *Ephraim eſt primogenitus meus*, in quem fertur primus amor, cui aſſignata major portio Deut. 21: 17. & qui ubique primas fert. Quod dicet verſ. 20. Ephraimum autem *primogenitum* dicit, tum quia Jacob duplicem portionem, Rubeni ob inceſtum ademtum, Joſepho dedit, & hujus filium minorem Ephraimum alteri Manaſſi, prætulit, Gen. 48. 49. tum quia regnum X tribuum majus longe fuit regno Judæ, tum quia Ephraim habuit primatum in Iſarele X tribuum; & illi primo Deus poſt occupatam Canaanæam honorem ſuæ præſentiæ conceſſit in Joſepho ponens ſuum teſtimonium, Pſ. 81: 6. arcam & tabernaculum collocans in Schilo, quo Joſuæ Ephraimitæ, ſummo Duci foret vicinior: Joſ. 18: 1. unde tandem remota fuit Pſ. 78: 60, 67. Jer. 7: 12--15.

Verſ. 10. *Audite verbum Jehovæ, ô gentes, & annunciate in regionibus è longinquo* ſitis, *ac dicite, qui ſperſerat Iſraelem congregat eum, & ſervat eum ut paſtor gregem ſuum:*

Verſ. 11. *Quia redimit Jehova Jahakobum; & vindicat eum è manu fortioris eo.*

β. De *Poſterioris* ordinis Inſtrumentis in convertendis Judæis, qui Fideles ex Gentibus alii, indicat I. Perſonas verſ. 10. II. Actiones earum, verſ. 10, 11. III. Succeſſum actionum verſ. 12, 13. & 14. Fidelium ergo ex Gentibus, aliorum a Præconibus, delineantur.

(1.) *Pro-*

(1) *Perſonæ* v. 10. *Audite verbum Domini* &c. vocantur גוים *Gojim*, *Gentes*, aliæ ab Iſraele. Nomine *Gojim* deſignantur nationes cæteræ, excluſo Iſraele; poſtquam hic peculium Dei factum eſt, quomodo earum conditio deſcripta eſt Eph. 2: 12. Act. 14: 16. & ſic Amalek primitiæ Gentium, cujus extremum ad perditorem Num. 24: v. 20. quia poſt factam ſeclusionem nationum, acquiſito Iſraele Exod. 15: 16. Deut. 4: v. 34. primus inimicitiam contra exercuit Exod. 17. & anathemati à Deo devotus fuit. De hujuſmodi autem Gentibus ſumet Deus inſtrumenta convertendorum Iſraelitarum Rom. 11: 11. &c. Deut. 32: 43. Rom. 15: 10. Judæi ſic ſpeciatim Chriſtianos deſignant. Et ſane non intelliguntur aliæ quam Chriſtianæ, Nam mandatum quo inſtruuntur fideles & converſos eſſe docet; jubentur enim non ſolum audire verbum & mandatum Domini; quomodo etiam alii non nunquam compellantur, Jer. 22: 29. cap. 6: 18, 19. Sed etiam præconium ejus obire; quomodo ipſoſmet prius cognoviſſe & credidiſſe oportet, quod aliis prædicando commendant, Rom. 10: 14. &c. ſaltem profeſſio ejus requiritur in præcone, quod docet alios. Præconium porro obeundum *in Inſulis quæ longe ſunt*. Inſulæ Chittim Jer. 2: 10. dicuntur regiones Occidentales, Græciæ, Italiæ, & cæteræ Europæ provinciæ, quas cum Cananæi adirent per mare, Inſulæ vocantur. Heic non tantum Chittæorum, ſed etiam aliarum nationum regiones, quantumcunque diſſitæ deſignantur, quocunque Iſraelitas contigiſſet diſpergi: utpote de quibus & ad quos omnis prædicatio inſtituenda eſt. Autorantur ergo Dei ipſius mandato Gojim, gentes Chriſtianæ (quas æque per Spiritum Sanctum prævidit Propheta eo nomine appellandas a Judæis, quemadmodum diſcipulos Jeſu Nazareni vocitandos ab iiſdem Nazarenos, juxta Abraban.) ut Judæos in ſuis regionibus diſperſos, & inter ſe degentes compellent, eis indicium faciant Salutis per Meſſiam ipſi Iſraeli partæ. Non loquitur de Doctoribus, ſed de quibusvis Gentilibus, citra ordinis ac conditionis diſcrimen, dummodo forent Chriſtiani, qui ejuſdem ſalutis notitiam haberent & experientiam. Adeoque hic repetitur quod dictum Deut. 32: 43. והריני tranſitivum, ut Pſ. 32. v. ult. & 65: 9. Eſa. 2: 5. cap. 11: 11, 12. Cum Gentes eſſent convertendæ, emiſit Deus doctrinam ſuam Zione, & ſonus Apoſtolorum exivit per univerſam terram Rom. 10: 18. Eſa. 2: 3. Aſt nunc eo fine Iſraelem diſperſit Deus per univerſam terram inter omnes gentes, ut ubique à gentibus inſtitutionem conſequerentur, Meſſia in ſignum elato. Quamobrem non ejiciendi Judæi ubi degunt, ſed tolerandi, & omni humanitate ac vitæ ſanctitate alliciendi: atque ubi ſunt, ſemper ſpectandi ceu qui nobis dati ſint à Deo ad informationem, & de quibus ratio ſit reddenda, an cognitionem Euangelii ſalutis apud ipſos vel juverimus, vel impediverimus alienantes ipſos.

Officii proinde ſui hinc monentur Gentes Chriſtianæ, I. ut ipſæmet audiant (cognoſcant & credant) verbum Domini, tum in genere, quo norint ipſimet viam ſalutis; nunquam enim idonei futuri ſunt docendis aliis, qui nihil didicerunt ipſi: tum in ſpecie, illud quod Judæorum converſionem promittit, quo cum fiducia ſucceſſus aliquid ſuſcipere queant. Rom. 11: 25. &c. II. Ut publicent ubique, ubi ullâ ratione ad Iſraelem pertingere poteſt, quemadmodum Paulus: quocunque in loco Judæos reperit, illico eos hoc fine compellavit, quamvis tum inſtabat tempus ἀποδολῆς; quanto magis nunc, cum immineat, vel ſaltem propinquet tempus ἀναλήψεως. Publicando verbis, vivæ vocis aut ſcriptis, & vitâ, ſeſe exhibentes vivas epiſtolas ſcriptas ſpiritu Dei vivi, in carneis tabulis cordis, ut à Judæis cognoſci & legi queant, 2 Cor. 2, 3. expreſſa efficacia Evangelii Chriſti in reſcipientia & ſenſu remiſſionis peccatorum Eſa. 2: 5.

(2) *Actiones* Perſonarum iſtarum ſunt, ſalutis Dei publicatio v. 10. & confirmatio v. 11.

(א) *Publicatio* ſalutis ad Iſraelitas, indicare debet I. Autorem. *Qui diſperſit Iſraelem.* Deus ille eſt, ſed deſcriptione terribili, quæ iram denotat; atenim ſolatio heic futura eſt, tum ut quicquid paſti ſunt Dei voluntate & manu factum agnoſcant; Diſperſionem peregerant reges Aſſyriæ, Babyloniæ, Syriæ, Ægypti, Romani. & quotquot eos afflixerunt; ſed non hoſce vult ipſos intueri; fuerunt tantum inſtrumenta Dei, Deus ipſe ſummum habet moderamen, qui inde ab initio ad finem de affligentibus diſponit, eos admovendo ſuo operi Eſa. 10: 4. &c. regendo in opere v. 15. & ab eo removendo v. 12-16. cap. 37: 29. Hinc Deo adſcribitur diſperſio Pſ. 60: 3. 12. & 44: 80. 89. & quidem ab ipſo Deo Ezek. 11: 16. tum ut moderationis adhibendæ meminerint, qui non diſpergat ceu neglecturus, ſed ut adhuc ejus ſervet curam, Deut. 32: 26. &c. cap. 30: 3, 4. cap. 4: 27. 31. Lev. 26: 44. memor & perſonarum quas, & locorum quo diſperſit.

II. *Salutem dicit, congregabit eum.* Exacte reſpondebit liberatio miſeriæ. Diſperſioni congregatio, & utraque Iſraelis. Eſa. 11: 12. Jer. 23: 3, 7, 8. cap. 29: 14. cap. 32: 37. Ezek. 28: 25. cap. 34: 11. &c. cap. 36: 24. &c. cap. 37: 21. cap. 39: 27. ſeq. & quemadmodum nemo diſperſus eſt neſcio vel non mandante Deo, ita quoque nemo in diſperſione relinquetur Ezek. 39: 29. Eſa. 27: 12. Amoſ. 9: 9. Jer. 23: v. 7, 8. uti ex Ægypto omnes collegit.

III. *Conſtantiam* ſalutis. *Cuſtodietque eum ut paſtor gregem ſuum.* ושמרו per præteritum reddit Abrab. quod durante diſperſione cuſtodiverit Iſraelem, ceu ovem inter feras, ut nec abſumeretur, nec deficeret ad religionem aliam. Sed ו converſivum eſt, in futurum, ut conveniat verbo præcedenti: alioquin haud conſiſtunt diſperſio, & cuſtodia gregis, Zach. 11: 9. De futuro loquitur textus, congregatos cuſtodiendos ſollicite uti grex à ſuo paſtore: qui non permittit diſpergi, ſed omnibus periculis, omni violentiæ ſe opponit, etiam cum periculo vitæ, ut indemnes præſtet oves. Joh. 10: v. 11. &c. Scil. collectorum longe majorem tenericremque habet curam. Luc. 15: 3. &c. Pſ. 23: 1. &c. Ezek. 34: 11. &c. Eſa. 40: 11.

(2) *Confirmatio* v. 11. Cura paſtoralis deinceps exercenda nittitur proprietate, ex acquiſitione quam jam paravit. Commemoratur autem Acquilitus *Jacob*, ejus poſteritas, Acquiſitor *Jehova*; & Modus acquiſitionis geminus, perſolutione lytri, & vindicatio è manu domini cui venditus eſt. Eſt pleniſſima deſcriptio partæ ſalutis. Conſtat perſolutione lytri; פדה iſtud poſcit; unde פדות & λύτρον: & jure cognationis, hoc vult גאל Lev. 25: 47. &c. & qui id agit eſt Jehova.

Ergo Liberator eſt θεάνθρωπος, verus Deus, Jehova. Eſa. 45: 17. Hoſ. 1: 7. verus item homo, cognatus גואל, qui prodiit ex Jacob Jer. 30: 21. filius Davidis Deut. 18: 15. 18. Rom. 9: 4. Eſa. 9: 6. ex Juda Mich. 5: 1. Gen. 45: v. 10. Joh. 4: 22. Heb. 7: 14. Semen mulieris Gen. 3: 15. unde Jobo Goel dicitur Job. 19: 25. attamen una perſona, nam de uno loquitur. Pſa. 130: 7, 8. Deus habet lytrum, Act. 20: 28. 1 Joh 1: 7. Proprium gregem ſibi fecit Iſraelem bifariam, I. perſolutione lytri. Eſa. 53: 10, 11. *Pſ. 40: v. 7.* &c. Matt. 20: 28. Joh. 10: 18. lytron autem iſtud perſolvit ſoli Deo. Eſt enim lytrum hoſtiæ, quæ Deo ſoli offerri debet, Lev. 17: 5, 7, 11, &c. 1 Pet. 1: 18, 19. Pro Judæorum peccatis facta eſt ἀπολύτρωσις, perſoluta mulctâ, qua læſa autoritas ſummi Judicis ex ipſiuſmet æſtimatione penſaretur, & hoc lytron ſeu mulctam accepit idem Judex. Heb. 9: 14, 15. II. Vindiciis ex poteſtate domini. Depauperatus Iſraelita qui ſemetipſum vendiderat (non Iſraelitæ, inde nulla redemtio; quam ipſe annus Sabbathicus vel Jubilæus afferebat,) ſed peregrino, non proſelyto quia periculum animæ, à Dei cultu alienandæ, à quodam cognatorum foit redimendus. Lev. 25: 47. &c. Iſraelitæ non ſecus ac alii homines venditi erant ſub peccato Rom. 7: 14. vendiderant ſemetipſos ad faciendum malum 2 Reg. 16: 16. ſeq. & Deus, ceu Magiſtratus Exod. 22: 1. &c. fures, vendidit eos qui ſe ipſi ſubduxerant per furtum, propter iſtud furtum in poteſtatem Diaboli & hoſtium, ſed ſine pretio Eſa. 52: v. 3. &c. Deo nihil inde lucrante Pſ. 44: v. 13. Jam vindex cognatus debuit eos vindicare, ſed non Eſa. 52: v. 3. pretio, verum manu forti, & vi ſumma; atque ex ejus poteſtate aſſerere Iſraelem in libertatem. Eſa. 40: 10, 11. Hoſ. 13: 14. quemadmodum dicitur Luc. 11: 21. Heb. 2: 14. cum enim lytron perſolvit Deo, nihil amplius juris erat Diabolo, debuitque dimittere, quos cuſtodiebat in aula ſua vinctos. Col. 2: 14, 15. Diabolus autem eſt robuſtus ille, inſuperabilis Jacobo, ſed quem ipſe Goel ſuperavit. Luc. 1: 71. &c. contra fortem hunc inſtituuntur vindiciæ violentæ, non contra Deum, cui lytron perſolutum: qui manum ſuam accommodat vindiciis exercendis Joh. 10: 28, 29. cum tamen accipiat animæ depoſitionem à paſtore pro ovibus verſ. 18. Liberatio porrò eſt Iſraelis, unde toties dicitur Goel Iſraelis Eſa. 44: 6, 22, 23, 24. cap. 43: 1. cap. 59: 20. nec non Servator ejus Eſa. 43: 11. cap. 45: verſ. 15, 21. qui ſervavit populum ſuum

ſuum Matt. 7: 21. mortuus pro populo illo Joh. 11: v. 51. Heb. 9: 15. 1 Joh. 1: 7. Et hæc omnia jam præſtitit, Exſolvit Deo lytrum, ſuperavit & triumphavit Satanam; Si futurum iſtud eſſet, & omnia adhuc præſtanda, impoſſibilia viderentur, & mera quæ prædicerentur figmenta, ſeu ægri ſomnia. Sed factum eſt; tantum deeſt applicatio ad Iſraelem quam Chriſtus facit apud Deum 1 Joh. 2: 1, 2. & fortem illum ſub ſuâ tenet poteſtate Joh. 10. 28, 29. Matt. 16: 18. ſed ut ipſi factam credant publicatione iſta efficiendum. Quæ gentes conſecutæ ſunt ſimilia, beneficium Iſraelis non impediunt Joh. 11: 51, 52. 1 Joh. 1: 1, 2. Luc. 2: 30. &c. quod regnum in terra longinqua ſibi paraverit, non excludit Iſraelem ſalute ejus Luc. 19: 12. Matt. 1: 21. Pſ. 68: 19. ſeqq. imò quia iſta conſecutæ ſunt gentes poſſunt præconium tanto efficacius obire, propria experientia rem comprobante Rom. 11: 11. &c.

Verſ. 12. *Tum venientes cantabunt in excelſo Tzÿonis, & confluent ad bonitatem Jehovæ, cum frumento, & cum muſto, & cum oleo, & cum fœtibus gregis & armenti: eritque anima eorum ſimilis horto irriguo: neque pergent mœrere amplius.*

Verſ. 13. *Tunc lætabitur virgo in choro, juvenes ac ſenes pariter, quum mutavero luctum eorum in gaudium, & conſolatus fuero eos ac lætificavero eos à mœſtitia ipſorum.*

Verſ. 14. *Et irrigabo animam Sacerdotum pinguedine, & populus meus bonitate mea ſaturabuntur, dictum Jehovæ.*

(3.) Succeſſus actionum oſtenditur.

(8) *Ingenere* v. 12. quod ad Perſonas & Actiones.

(a) De Perſonis dicit, *Et venient*: quando fideles ex gentibus ſic agent publicando & confirmando quam publicant ſalutem, venient Iſraelitæ invitati. Quod hactênus non veniunt, non tantum imputandum tempori, nondum opportuno, ſed etiam Gentilium negligentiæ, qui non publicant, plane ut Hagg. 1:2. &c. neque valuerunt exhortationes propheticæ, niſi quando Deus excitavit corda verſ. 12-14. ſic quoque excitante Deo potenter Gentes, agent opus iſtud, & agent feliciter Eſa. 49: 22. Deo faciente Gentes Euangeliſtas, Judæi Evangelio attendent.

(b) *Actiones*, quæ adventus teſtimonia, (nam non indigent ubique corporali adventu,) cum *Externæ* tum Internæ notantur.

(a) *Externæ* ſunt I. *Lætitiæ* profeſſio in Eccleſia; *Jubilabunt in excelſo Zionis.* Invitarunt eos Zionem præcones v. 6. hic jam ſiſtunt ſe, & quidem cum gaudio; additi ergo rurſus ſunt Eccleſiæ, unde extorres facti erant. Eſt vero momentum in phraſi *in excelſo Zionis.* In monte Zion erat ædificatum templum, ſed inæquali altitudine, atria inferiora erant, quamvis jam in monte, excelſius ſanctum aliquot gradibus, ſed excelſiſſimum Sanctum Sanctorum: verum populo non dabatur acceſſus ad celſitudinem ſancti; ſolis Sacerdotibus eò adſcendere fas erat, & ſoli ſummo in S. Sanctorum non niſi ſemel quotannis. Sed nunc *venient Iſraelitæ & jubilabunt in excelſo Zionis*: utique in ſignum fidei annunciatæ ſalutis: Jehova redemit Jacobum. Quum redemtio per lytrum ſufficiens facta non erat, diſterminabatur populus à Sancto: & Sacerdotes per velum, & ſummus Pontifex illato lytro admiſſus, quia non niſi typicum & umbratile erat, mox rurſum cum cæteris velo arcebatur ab acceſſu ad Deum. Sed poſtquam Jehova lytron intulit, ſciſſum velum eſt, & via aperta quæ nunquam rurſum claudatur; patetque cuivis aditus; poſſunt omnes promiſcue in excelſum Zionis venire, & ibi jubilare. Heb. 10: 14, 18, 19. ſeq. Hinc beneficium ut ſint regnum ſacerdotum Exod. 19: 6. 1 Pet. 2: 9. quia omnes ſubditi ſunt Sacerdotes, & habent libertatem ingrediendi cum ſuis hoſtiis & ſuffitibus Heb. 13: 15. 1 Pet. 2: 5. &c. II. *Deſiderium* fruitionis, *Confluent* fluminis inſtar, magno numero, ut guttæ æquæ, & magno impetu; rapidi torrentis inſtar, *ad bonum Domini.* Hoſ. 3: 5. Zach. 9: 17. Cæterum bonum iſtud declaratur per *frumentum*, *muſtum*, *oleum*, *oves & boves.* (עֵל identidem pro אֶל poſito,) non quod in iſtis externis conſiſtat; inde enim ſolidum gaudium non fluit Pſ. 4: 7, 8. ſed quod iſtis adumbretur abundantia ad fruitionem multifariam; bonum domus Dei vocatur. Pſal. 23: 6. & 25: 6. & ſimiliter ſub ſimilitudine cibi & potus Prov. 9: 1. &c. Eſa. 25: 6. &c. cap. 55: 1. &c. Matt. 22: 4. Abrab. refert ad abundantiam horum in feſtis, quibus læti fruebantur. Debebant iſtiuſmodi large ſuppeditari miniſtris templi, Sacerdotibus & Levitis Mal. 3: verſ. 10. &c. Heic cum omnes in excelſo Zionis conſtituat, velut Sacerdotes, pollicetur etiam Sacerdotum alimoniam liberalem, ex mera benedictione Dei, circa quam nihil ſuſceperant laboris quod utique magnæ felicitatis. Conf. Deut. 6: 10, 11.

16. Actiones *internæ* notantur, unde clarum, externa bona non ſpectari, Etenim horum poſſeſſio nec animæ tranquillitatem & acquieſcentiam largitur, nec immunitatem perennem à dolore: augetur deſiderium iſtis ſemper, ut ſitis hydropici per potum, Eccl. 5: 9, 11, 13. 1 Tim. 6, 9, 10. ſunt autem affirmativè propoſitæ, *& erit anima ipſorum horti irrigui inſtar.* Anima moeſta, & Dei deſiderans eſt inſtar terræ ſiticuloſæ. Pſ. 143: 6. Pſal. 63: 2. Aſt horum erit ut hortus irriguus, ubi & humor adeſt, & abundanter, affluxu jugi. Eſa. 58: 11. Deus ſi impleat animam, utique cum ſit ל שרי nunquam defectus eſſe poteſt. Pſ. 1, 3. Jer. 17: 7, 8. Eſa. 44: 5. & negative, *non addent amplius triſtari*, omnis cauſa doloris in perpetuum amovebitur. Eſa. 35: v. 10. cap. 57: 3. 11. cap. 57: 3-7.

(2) *In ſpecie* v. 13, 14. gaudii tum univerſalitatem, tum ſoliditatem, tum certitudinem. I. *Illam* ex diſtributione perſonarum, ratione ſexus & ſtatus. Sunt illæ, *virgines*, *juvenes*, *ſenes*, *Sacerdotes*, & *populus* univerſus. Non poteſt non magnum eſſe gaudium quod omnium ordinum homines peruadit. Sic Zach. 8: 3, 4, 5. & cap. 9: 17. Joel. 2: 28. &c. Nulla ætas prætéritur, juvenes & ſenes; nullus ſexus, fœminæ & mares, nullus ordo, magiſtratus (ſenes enim etiam dignitatis politicæ nomen, Sacerdotes, & populus utriſque oppoſiti ductoribus, politicis & eccleſiaſticis. II. *Iſtam*, ex effectu, tum externo, *gaudebit virgo in choro*, publico gaudii teſtimonio, ut v. 4. *& juvenes ſenesque pariter*: tum interno, cujus ſubjectum *anima ſacerdotum*, unde ſpiritualia beneficia eſſe agnoſcuntur. Sacerdotum mentio fit, vel quia ipſi Chriſto potiſſimum adverſati ſunt, ut ſpe erigantur, vel cum olim fruerentur victimis, ut hic quoque aliquid promittatur ſed excellentius, pinguedo ipſa, qua veſci non licuit cuiquam, ſed quæ Deo manebat, de cujus bonis nunc participabunt abundantiſſime. Objecta, *pinguedo animæ*, & *bonum Domini*; ſenſus abundantia, *irriguum*, *ebrium fieri*, & *ſatiari*; ut ſatisfiat deſiderio abundantiſſime, nulla fame & ſiti amplius torquente, ut Pſ. 63: 6. & 65: 5. & 36: 9. Eſa. 55: 2. III. Hanc tum a deſignatione temporis, *Tunc fiet*, quando venient quod antea redeuntibus Judæis ex Babel non obtigit, ſed futuræ reſtitutioni ſervatur. Tum ab autore, tum gaudii, *mutabo luctum ipſorum in gaudium*, *& ſolabor eos*, *& exhilarabo eos a dolore ſuo*: converſio luctus in lætitiam, eamque integram & ſinceram, cujus fundamentum, ſolatium, quod cordis eſt, & fructus, exhilaratio omnem dolorem pellens. Tum fruitionis *inebriabo animas mera pinguedine*, *& bonum meum ad ſatietatem uſque conſequentur*, quod nemo niſi Deus ipſe diſpenſat. Tum promiſſionis, *dictum* Domini. Iſta vero omnia docent felicitatis ubertatem & excellentiam, quæ converſo Iſraeli obtinget, ut nec pœnitere debeat Gentes operæ, in Iſraelitis invitandis, qui tantum boni inde conſequentur; nec Iſraelitas ut attendant, & obſequantur. Similia etiam promiſſa Jer. 33: 9, 10, 11.

Verſ. 15. *Sic ait Jehova, vox in Rama audita eſt; lamentum & fletus multus amariſſimus, Rachel deflet filios ſuos: renuit conſolationem admittere de filiis ſuis, quia nullus ſupereſt.*

(c) *Impedimentorum remotio*, quæ moratura erant Iſraelem, inſtituitur deinceps, cujuſmodi tria ſunt I. Externa perſecutio, v. 15, 16, 17. II. Interna triſtitia ex ſenſu indignitatis propriæ v. 18, 19, 20. III. Socordia & inutilis labor. v. 21, 22.

a. Impedimentum primum eſt ab *Externa perſecutione*,

quod I. *Propositum* v. 15. II. consolatione oppositâ removetur vers. 16, 17.

(1.) *Propositio* fit a Deo ipso, *Sic ait Dominus.* Peregrina oratio videri queat, ut peregrinum sumitur Esa. 28: 21. Neque enim respondet priori, quam omnem convellere & confutare videtur. Deus erat, qui omnis ipsorum felicitatis [illegible]ræ scaturiginem dixit esse amorem suum æternum, unde flueret liberatio, summam lætitiam paritura, vers. 2--5. qui idem Instrumenta liberationis non conferendæ, sed annunciandæ & apprehendendæ definivit, & operam eorundem fructuosam promisit, ut lætitia vera solidaque ad omnes dimanaret: ast nunc rursum omnia alia dicit, pro gaudio luctum, pro jubilis & choris fletum planctumque, pro negato ulteriori mœrore, negatam consolationem. Verum cum hæc tristia commemorat, quæ tamen superanda dicit oppositis solaminibus, significat, lætitiam Evangelicam quæ publicata modo fuit, interruptum iri gravibus tentationibus, queis dolor & ægritudo, & tantum non desperatio excitetur, sed quæ feliciter sint superandæ; imo ne quid harum interventione turbarentur, & priora in dubium vocarent, ipsemet non minus prædicendas duxit, & contra muniendum Israelem, ne fides ipsorum labefactaretur; quomodo etiam agit Christus Joh. 14: 15, 16. pollicitus maxima bona, per Spiritum paracletum ipsis donanda, simul etiam monet de tribulationibus, & contra eas instruit solatiis. Quemadmodum Medicus, qui etiam Symptomata nonnulla medicationem comitatura ægro prædicit, & quomodo ea sint superanda.

Constat porro recitatione Persecutionis superventuræ, quam describit ab effectu, summo dolore, cujus I. gravitas variis synonymiis exornatur, tum II. subjectum, & III. objectum indicatur. Sed quid propriè his omnibus prædicatur, obscurum est, interpretum discordantibus sententiis. Etenim exponitur I. De exilio X tribuum per Salmanassarem; tantam fuisse tristitiam cum Manasse & Ephraim, in cujus sorte Samaria metropolis, everso regno deportaretur, & transiret Ramam Nephtalimi, in Septentrione, ut mater utriusque per Josephum, Rachel nempe, etiam mortua, tristem illam conditionem nepotum, qui filiorum nomine quoque veniunt, deploravit quasi non admissâ consolatione, quia maximam partem patriæ redditi non sunt. II. De exilio tribus Judæ & Benjamin, qui filiusalter Racheli, in ejus partu emortuæ: nimirum quando occupata à Nebucadnezare Hierosolyma omnes hujus incolæ & totius Judæ, cui accensebatur Benjamin, deducti fuerunt Ramam Benjaminis, in finibus ferè Septentrionis, unde dimissus Jeremias è medio captivorum, Jer. 40: 1. atque hoc dimisso ad Gedaljam, cæteros Babelem deportandos, catenatos in servitutem, tantos clamores & fletus excitasse, æternum vale dicentes & Jeremiæ & patriæ, ut Rama personaret. III. De exilio Judæorum ultimo per Titum & Romanos, vastata Hierosolymâ, quando itidem per Ramam Benjaminis ducti fuerint. Addunt Judæi nonnulli: Jacobum patriarcham per Spiritum Sanctum prævidisse, suos posteros hâc viâ deportandos, & hac propter Rachelem in viâ tumulasse; ut transeuntibus Israelitis; in exilium, & questus graves edentibus, ipsa pro iis intercederet. Sed cum mortui nihil sciant eorum quæ viventes alii agunt Eccl. 9: 5. ne quidem sanctissimi Esa. 63: 16. Abraham & Israel: utique nec Rachel vel tristata est, vel deprecata; & frustra hinc duceretur argumentum pro intercessione quam defuncti peragant vivorum bono, aut pro invocatione defunctorum, a viventibus exercenda. Quod Rachelis fit mentio pertinet ad majorem emphasin, ut mortuam quoque tactam dicat incomparabili illâ calamitate, quæ circa loca sepulchri sui in Israelitas fuit exercita, per prosopopoeiam quandam. Cæterum quod de Exilio dicitur, non dedit illi tristitiæ ansam: nam quæ hic commemorantur circumstantiæ nulli deportationi conveniunt. Israelitarum X tribuum jam dudum præterierat; heic dicitur נשמע præsenti tempore, auditur. Et quid Racheli cum Rama Naphtalimi? aut cum X tribubus, quia duarum duntaxat fuit mater? unde etiam constat per Ramam Naphtali deductos in exilium? Judæ verò deportatio quid faciebat ad X tribus, quibus heic loquitur; distinguens solamina Judæ propria, seu sigillatim dicta vers. 23. Quod per Romanos illatum est exilium, nec similem prioribus deportationem habuit in coloniam, sed potius miseram Gentis dispersionem, quod ad Hierosolymitanos; nam qui in Palastina habitarunt alii jam ante victi & subjugati, in provinciâ manserunt, licet duriore conditione: neque in illa historia Ramæ alicujus legitur memoria.

Eoque convenientissima interpretatio, quam per Matthæum edidit Spiritus Sanctus, historiam ceu eventum hujus vaticinii recitans Matt. 2: 16. &c. Postquam Magi per somnium χρηματισθέντες moniti per aliam viam rediissent in terram suam, non redeuntes Hierosolymam ut Herodi indicium facerent recens nati regis Judæorum, quod quidem Herodes jusserat, & futurum rebatur: Josephus quoque itidem in somnio admonitus ab Angelo de periculo imminente, unà cum Jesu & matre ejus Bethlehemo secessisset in Ægyptum, Herodes frustratus a Magis, & metuens Regis alius, (cujus instantem ortum indicarant Seniores Synedrii, Sacerdotes & Scribæ Matt. 2: 4, &c. Pharisæi Joseph. Antiq. lib. 17. cap. 3.) ne sibi ejus interficiendi periret opportunitas, quem natum Magi dixerant, argumento cœlestis stellæ, pro crudelitate solitâ emisit satellites, qui necarent omnes pueros in Bethelem & circumjacente agro, ἀπὸ διετοῦς καὶ κάτω. Atque tum impletam dicit Evangelista hanc Jeremiæ Prophetiam: ut hæc historia trucidatorum puerorum Bethlehemiticorum cum Jeremiæ vaticinio sit componenda, quo veram inveniamus interpretationem quæ se tum pandit convenientissima. Prædixerat fideles Gentes publicaturas Israeli X tribuum liberationem à Deo præstandam; jam enim à Jehova partam ipsis salutem persoluto lytro, nec non libertatem jure cognationis, superato tyranno, forti illo, Satanâ; quæ si persuadeantur, non potest non sequi exuberantissimum gaudium, ex fruitione tantæ salutis, nulla amplius tristitia extinguendum. Verum hic Deus ipse occurrit objectioni momenti maximi, quæ contra liberationem afferri poterat, ut ea non inveniret fidem, adeoque omnis ille successus deficeret. Objectio hæc est: Si verum illud est, quod Nazerim & Gojim, Christianorum Doctores & populus omnis profitentur de salute per Jesum Nazarenum acquisitâ, utique Jacob ereptus esset e manu potentioris; Sed plane contrarium accidit; ne sibi quidem saluti esse potuit, & quid præstitisset aliis? Quum primum natus fuisset, licet magnifica quoque de ipso publicasse dicantur Angeli, & recitasse qui Angelos audiverant pastores Bethlehemitici, tamen arrigite aures ad id quod tum impletum est, *Vox in Rama &c. Rachel* nominatur, quia in vicinia Bethlehemi sepulta, illi regioni nomen dedit 1 Sam. 10: 2. & vocantur ejus *filii*, non quod ex ipsâ omnes descendissent; nam Bethlehem erat in tribu Juda, qui Leam matrem habuit, sed (1.) Quia solâ uxorum Jacobi istic deposita erat, agnoscenda mater ab omnibus præsentibus Israelis liberis; uti Lea mater Josepho, quæ noverca, cum propria obiisset Gen. 37: 10. (2.) Quia communis mater Israelitarum una cum Leâ, cui ob affectum mariti prælata fuit ab ipsismet Bethlehemitis Ruth. 4: 11. (3.) Quia ob vicinitatem sepulchri ejus, in omnium ore erat; (4.) Quia etiam in circumjacentibus locis infanticidium patratum, quomodo Benjaminitæ nonnulli forfitan unà occisi; (5.) Quia cum istic loci in partu moreretur, filium vocavit, *Ben-Oni*, *filium doloris mei*, horum autem puerorum conditio eos sibi & omnibus eorum matribus faciebat בני אין *filios doloris.* Hunc luctum, quem sub ejus nomine omnium matrum (quarum tenerior affectus Esa. 49: 16.) fuisse significat, dicit *auditum esse in Rama*, loco per aliquot milliaria dissito, ad vehementiam ostendendam. Lamentatur autem *ob filios suos*, infantes Bethlehemiticos, & finitimos, estque ea lamentationis gravitas ob filios suos, ut *omnem consolationem repudiet*; cujus quidem fastidii causa est, כי איננו *quia non est*: Quidam supplent, *quia non est consolator*, sed ille non defuit, cum fastidita consolatio præsentiam consolantis indicet. Matthæus habet ὅτι οὐκ εἰσί cap. 2: 18. filii nempe, occisi à tyranno Herode; quomodo quos secutus est, Græci quoque reddiderunt, & hinc quidam distributive, quia non est ullus ex iis. Verum magna subest emphasis singulari numero: Rachel non admittit consolationem de filiis suis, non solum quia isti crudeliter erant interemti, & inter vivos esse desierunt, de quali mortuo usurpari potest לא איננו sed etiam & quidem potissimum quia ipse non adest amplius, quomodo ea vox accipitur de Enocho Gen. 5: 24. de Josepho & Simeone amissis Gen. 42: 13, 36. Ipse verò, quem indigetat, est ille ante laudatus

datus Goel, qui juſſu Dei a Joſepho abductus fuit cum matre ſua in Ægyptum, ne quod unum quærebat Herodes, una trucidaretur. Matthæus ab hâc interpretatione non diſcedit; cum enim Jeſum fugâ ſubductum dixiſſet in Ægyptum, adeoque abſentem, potuit dicere ipſum juxta cum aliis pueris deſiderari, quamvis diſpari conditione abeſſent ipſe & cæteri: ad hoc, pro eo quod Jeremias habet, מאנה להנחם על בניה כי איננו, Matthæus ſcripſit, οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι ὅτι οὐκ εἰσί, plurali complexus non ſolum אינני, ſed etiam quod omiſit בניה.

Cæterum fuit iſte dolor & luctus Rachelis I. *ob filios.* Si rhetoricationes adhibere placeret, triſtiſſima repræſentanda foret matrum Bethlehemiticarum conditio, quando ex improviſo irruerunt in ædes ſatellites Herodis, gladiis ſtrictis, & bipennibus, atque inclementer arripuerunt filios infantes, tenerrimæ ætatis, miſerandæ duntaxat, alios luſitantes, plurimos ex ulnis & amplexu parentum, ex ſinu & ab uberibus matrum, ex cunis & ſomno, eoſque confoderunt, jugularunt, ſecuerunt, diſcerpſerunt, aut ad parietes eliſerunt, inſpectantibus, & fruſtra repugnantibus chariſſimis. Quantus tum fuit, ejulatus infantum tum morientium tum ſuperſtitum quos ſexus & ætas, bimatum ſuperans, immunes præſtabat; quis planctus, ſupplicatio, indignatio, pugna matrum, quot vulneribus corpora & inprimis corda fuerunt transfixa. Sine exemplo propemodum eſt iſta crudelitas, cujus meminit Macrobius Saturnalium lib. 2. cap. 4. inter Auguſti apophthegmata; *Quum audiſſet Auguſtus inter pueros, quos in Syria* (cujus pars Judæa erat) *Herodes rex Judæorum intra bimatum juſſit interfici, filium quoque ejus occiſum, ait, melius eſt Herodis porcum eſſe quam filium.* Scilicet religione abſtinebat a porcinâ; unde porcis vita in tuto; ſed regni cupidine inſanâ ne quidem filiis parcebat, quos pleroſque, quod affectatæ dominationis ſuſpectos habebat, occidit; & jam quoque unum intra bimatum, quamvis non conſtet quis ille fuerit, niſi forte Phaſaelus, ex ſexta uxore Pallade natus, cujus præter nomen nihil ſcitur, vel per errorem dictus filius Herodis, quia una occiſum crediderunt, quem Magi prodiderant recens natum regem Judæorum; Auguſtus autem non niſi regis Herodis filium eſſe opinatus eſt. Sed tamen hic dolor conſolatione leniri poteſt, & debet, cum Deo, qui dederat, repetente, & uti lubet repetente, ſit acquieſcendum, exemplo Jobi. quamvis σφοδρὰ nonnunquam faciat impatientes Gen. 37. 1 Chron. 7: 21, 22. 2 Sam. 18. 19. II. Ob Meſſiam ſubductum, quæ longe juſtiſſima cauſa. Matres Bethlehemiticæ fideles non potuere ſine maximo cordolio cogitare de Jeſu ejuſdem ætatis puero, vel una occiſum eſſe, vel ſi de fuga conſtitit, ſibi ereptum eſſe. Magnifica omnia de eo prodiderant paſtores, nec minora Magi, qui ex longinquo venerant quæſitum eum, & inventum adorarant, ac ceu regem muneribus affecerant. Hæc non erant in obſcuro geſta, & hac propter magna proculdubio de hoc Jeſu ſpes & fiducia concepta fuit. Verum jam propter ipſum trucidantur coætanei pueri, & ipſe vel una, vel abeſt. Si una occiſus, Ergo nequaquam ſalvator Iſraelis, qui ſeipſum ſalvare nequit. Si vero ante ſubductus eſt, nonne dicendum ipſis, quod Martha Joh. 11: 21, & Maria verſ. 32. *Domine, ſi fuiſſes hic, non mortuus fuiſſet frater meus*: & quis ille ſalvator, quem tyranni metus in fugam agit? qui cauſa maximæ triſtitiæ, cum gaudio futurum eſſet evangelizatum? Luc. 2: 10. Ipſe præſens & ſuperſtes potuiſſet eſſe inſtar omnium filiorum, ſiquidem ipſe invictus: ſed Icabod, gloria Iſraelis abducta eſt; ut querebatur nurus Eli, arcâ captâ 1 Sam. 4: 21, 22. Sic major dolor ob ereptam fruitionem Meſſiæ, quam ob jacturam filiorum. Hanc conditionem Chriſti exhibiti conjunctam cum perſecutione graviſſima, ſcandalo futuram norat Deus Judæis, qui nil niſi magnificum & glorioſum de ipſo ſibi pollicebantur, atque hinc eos in dubium vocaturos omnem ejus redemtionem: hac propter ipſemet per Prophetam longe ante id futurum prædixit, quod ipſos turbaturum erat, ut quando fieret ſibi ipſis poſſent ſatisfacere. Sane Crux Chriſti, & quæ paſſus eſt ab hominibus adverſa, Judæis ſemper fuerunt ſcandalo 1 Cor. 1: 18, 23. Memorabile teſtimonium Maimonidis de Regbus cap. 11. Etiam Jeſus Nazarenus deprehenſus fuit quod non eſſet Meſſias. Eſt enim hic offendiculum magnum, cum omnes Prophetæ locuti ſint Meſſiam fore redemtorem Iſraelis, & ſervatorem ipſorum, &c. hic cauſam dedit ut perderetur Iſrael gladio, & diſpergerentur reliquiæ ipſorum & ut humiliarentur, &c.

Verſ. 16. *Sic ait Jehova, cohibe vocem tuam à fletu, & oculos tuos à lacrymis; quia eſt merces operi tuo, dictum Jehovæ, quòd reverſuri ſunt è terra inimici.*

Verſ. 17. *Eſt, inquam, exſpectatio tandem tibi, dictum Jehovæ, fore ut revertantur filii ad terminum ſuum.*

(2.) *Conſolatio* autem opponitur verſ. 16, 17. quæ quidem non minoribus difficultatibus implicata eſt per interpretes, qui hinc confirmant Objectionem verſ. 15. de exilio & deportatione agere, quia hic promittatur reditus in terram. Sed notandum, Reditum in terram fuiſſe Judæ & Benjaminis; de quibus tamen non agitur verſ. 16, 17. ſed demum verſ. 23. &c. Iſraelitæ pauci unà redierunt, Jer. 3: 14. &c. cæteri manſerunt in Aſſyria & Mediâ, qui non redierunt unquam, & uti quidam iſtorum interpretum rentur, nunquam ſunt redituri, quomodo utique promiſſionem hanc iis negant. Verum inſuper confunduntur eo modo verſ. 16. & 17. quaſi idem repetitò dicant, cum diverſiſſima loquantur. Præterea non ſatis convenit explicatio illius dicti, eſt enim merces operi tuo, hoc eſt Deus gratioſe remunerabitur dolorem & luctum tuum ob liberos, quaſi magnum quid eſſet matrem lugere amiſſos eo modo liberos, aut lamentatio iſta, omnem conſolationem averſata, præmium & non potius reprehenſionem mereatur. Sane auguſtius quid eſt, quod Deus tantopere æſtimat uti remuneretur. Ergo Deus in hac reſponſione conſolatoriâ aliquid aliud attendit, quod explicationi per Matthæum proditæ reſpondeat.

Proponitur ea nomine Dei, verſ. 16. *Sic ait Dominus*: qui uti conſcius eſt cogitationum & affectuum humanorum, ſic inſtructus conſolationibus ad eos compeſcendos & illas dejiciendas. Prædixit longe ante, quid perturbationis in animo ſuo eſſent habituri, ſed ſimul quam ſolida illis compeſcendis pararit remedia. Etenim

(א.) *Jubet* moderari luctui, & ponere triſtitiam verſ. 16. *Cohibe vocem tuam a fletu, & oculos tuos à lachryma.* Compellat Rachelem, quæ lugens miſerandum in morem fuerat introducta: non damnat dolorem, neque eo nomine reprehendit. Ipſemet cordi materno implantavit σφοδρὰς etiam vehementiores; juſta eſt doloris cauſa ob ereptos, & truculenter necatos liberos. Enimverò poſtquam ſatisfactum naturæ, ſatisfaciendum etiam religioni; illa flere lugere jubet; hæc fletui luctuique modum imponendum docet 1 Theſ. 4: 13. Cohibendam eapropter vocem, & lachrymas continendas. Eſtque argumentum in perſona loquentis, meritò cohibet dolorem, cui Deus cohibendi autor eſt Eſa. 51: 12, 13.

ב. *Rationes* ad perſuadendam moderationem affert, quarum opponitur prior cauſæ doloris ſeu jacturæ quam fecerat verſ. 16. poſterior effectui doloris, ſeu ſcandalo inde concepto. verſ. 17.

(α.) Jacturæ opponit I. In genere, *nam eſt merces*, (compenſatio etiam gratiæ Pſ. 127: 3. liberi:) *operi tuo*: Eſt autem opus iſtud non fletus luctuſque; naturale illud opus, etiam bruta dolent de amiſſis catulis. Hoſ. 13: 8. nec patientia; ea exigua vel nulla erat, cum conſolationem reſpueret: ſed quid dignius, opus fidei nimirum, quomodo appellatur Joh. 6: 29. 1 Theſſ. 1: 3. & cui merces promiſſa eſt Heb. 6: 10. Opus enim illud fidei fuit; noluit conſolationem admittere de liberis ſuis, כי איננו *quia ipſe non aderat*: Jactura Chriſti magis afficiebat quam liberorum propriorum: Hunc ſi viventem, ſi præſentem habuiſſent, adeoque ſuperiorem molitionibus tyrannicis, poterant facilius leviuſque toleraſſe & ſuperaſſe chariſſimorum pignorum cædem. Huic operi fidei merces eſt apud Deum, qui uti fidem cordis intuetur & amat, ſic quoque remuneratur, unde נאם יהוה, apponit, hac phraſi ſecuritatem excitans. II. In ſpecie, *Et redibunt ex terrâ inimici.* Reſpondet iſtud eidem extremo verſ. 16. Meſſias venerat in

Ægyptum, terram hoſtis: nam fuit proxima terra hoſtilis Iſraelitico populo; unde bis dicitur hoſtis Exod. 15:6, 9. & reditus in Ægyptum ſummus pœnæ gradus Deut. 28: v. 68. unde dehortatur Propheta ab eâ profectione Jer. 42. & 44. verſ. 26. &c. ceu deſperatæ calamitatis: quamobrem profectio Jeſu eò redemtionem ejus faciebat deſperatam.

Pollicetur ergò Meſſiam inde rediturum; Eſtque hoc illud ipſum vaticinium, quod ad ſenſum, licet non quod ad verba expreſſum, (quod & alibi fit Rom. 2: verſ. 4. coll. cum Eſa. 52:5. & Ezek. 36:23. item Matt. 13:35. coll. cum Pſal. 78:2. & 49:5. cujus mentio Matt. 2.15. Chriſtum veniſſe in Ægyptum, *ut impleretur quod dictum à Domino pro Prophetam, ex Ægypto vocavi filium meum.* Nam hic dicit Meſſiam rediturum ex terrâ capitalis inimici, Ægypto videlicet. Equidem citari ſolet Hoſ. 11:1. verum nec Græcus textus reſpondet, nec Hebræus. Sic enim habet Hebr. וממצרים קראתי לבני, & Græc. κὰγὼ ἐξ αἰγύπτου μετεπεμψάμην τὰ τέκνα αὐτῦ. aſt Matt. ἐξ αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου. Propheta de Iſraele loquitur & ejus pueritia ſeu adoleſcentia, quando multitudinem cœperat habere, quâ cum nationale fœdus erigeretur Jer. 2:2. quando amatus eſſe cœpit Deo: Deut. 7:6-8. atque tunc dedit ei nomen honorificum Filii, Exod. 4:22. &c. quod hactenus nemini datum fuerat, מ ממצרים non deſignat per מ terminum loci a quo, ſed temporis, uti Hoſ. 12:10. & cap. 13:v. 4. Nihil hic de Chriſto, niſi quod contortâ interpretatione infertur; fingiturque typus. Græci de ſolis Iſraelitis intellexerunt, mutato etiam numero, & relatione, לבניו τὰ τέκνα αὐτῦ, tum etiam ad eductionem retulerunt, non ad titulum. Mattheus de Meſſia loquitur, verbis quidem aliquatenus affinibus, ſed qui Jeremiæ textum intuetur, unde mutuatus eſt probationem triplicem; ex hoc uno cap. 31. vid. nomen Nazareni Jer. 31:6. Matt. 2:23. luctum infanticidii Jer. 31:15. Matt. 2:18. reductionem ex Ægypto Jer. 31:16. Matt. 2:15.

Cæterum adhuc amplius quid continetur verbis Jeremiæ; Non tantum rediturus erat ex Ægypto, terra hoſtis; præludium id tantum erat; ſed etiam quod illo ſignificabatur, rediturus ex terra hoſtis majoris & potentioris Diaboli. Licet enim venturus eſſet in terram & regionem mortis, unde fidelium triſtitia non minor Luc. 24:v. 14. ſeq. inde tamen rediturus quoque erat, forti illo ſuperato, morte & Diabolo victis. Atque talis etiam futurus reditus occiſorum filiorum Rachaelis. Ultimus hoſtis eſt mors 1 Cor. 15:26. ſub cujus poteſtate & in regno ejus erant; Sed Meſſias abolituru mortem, iſtos exemit, ut qui necati tyrannide Herodis, & Diaboli, cujus inſtinctum ille fuerat ſecutus, per ſe, Meſſiam, vitam æternam & cœleſtem patriam conſequerentur: neque enim alius necatorum infantum reditus concipi poteſt.

Verum Reditus Jeſu ex Ægypto potuit eſſe argumento, (quandoquidem ipſe non potuiſſet tolli è medio, quem Deus ipſe ſubduxiſſet periculo, tum monendo de fuga, tum ſpatium ad eam concedendo, dum Herodes Magorum ad ſe reditum exſpectat,) verum eum eſſe redemtorem, veramque allaturum redemtionem, etiam illis, qui dum quæritur ipſe ad necem necati fuerant. Scl. affinis iſta conſolatio eſt illi Joh. 16:16—19-22. abitus triſtitiæ cauſa, ſed reditus certus eam omnem diſcutere poteſt.

(6) Scandalo opponitur ſpes, & res v. 17. Magno fuit offendiculo infanticidium Herodis, & fuga Jeſu in Ægyptum Bethlehemitis procul dubio; maxime cum Jeſus cum parentibus ex Ægypto redux, eò non redierit, ſed habitatum conceſſerit in Galilæam, ut forte totis 28. annis de ipſo nihil auditum amplius fuerit Bethlehemi & quando innotuit poſt tot annos, non conſtitit, an foret natus Bethlehemi, vel alius ab illo. Imo & reliqua humilitas, contemtuſque Chriſti, ejus perſecutiones & mors ipſa ab hoſtibus illata, ut ipſum noluerint agnoſcere Meſſiam. Ergo Deus promittit I. Spem. *Eſt exſpectatio extremo tuo, dictum Domini*: Salutis ſpes reſervatur extremo Rachelis; licet multis ſeculis Meſſiam non ſint agnituri, ſed eum ceu impoſtorem repudiaturi & blaſphematuri, adeoque exſortes manſuri ſalutis quam attulit; non tamen in perpetuum abjectum iri: Spem certam manere לאחריתך *extremo tuo*, quod nempe ſupereruit באחרית הימים *ultimis diebus*: Jer. 30:24. Hoſ. 3:5. Rom. 11:23. &c. 2 Cor. 3:16. II. Rem, *Et revertentur filii ad terminum ſuum. Filii*, poſteri, ſimpliciter, citra pronomen relativum, nec Dei, nec tui, nec Iſraelis, quia poſt tot ſeculorum offendiculum & infidelitatem, nec oſtendere poterunt genealogiam, ex qua tribu oriundi, quomodo ab Iſraele deſcenderint, cujus tamen ſunt poſteri: nec habebuntur pro filiis Dei, qui anathemate ejus ejecti è terra, atque plurimis fœderis beneficiis privati degunt, ſedentes ſine falſo atque etiam vero cultu Hoſ. 3:4. Hinc vocantur בנים שוכבים Jer. 3:21. imo jam v. 14. nam X tribus tempore ſoluti exilii Babylonici, nexus ſui & cum Deo, & cum patriarchis notitiam amiſerant. His pollicetur *redituros ad terminum ſuum*; adeoque tum ad Eccleſiam & fœdus Dei, ut reſtitueretur nexus ille, quo ſegregati Deo peculium eſſent; tum in patriam ſuam, quæ Iſraeli data in poſſeſſionem, & unde extorres fuerunt: quæ & ſpiritualis eſt, & corporalis reſtitutio.

Verſ. 18. *Omnino audio Ephraimum condolentem ſibi* dicendo, *caſtigaſti me, ut caſtigarer tamquam vitulus non aſſuetus: converte me ut convertar, quia tu es Iehova Deus meus.*

6. Impedimentum ſecundum eſt ab *interna Triſtitia* ex ſenſu propriæ indignitatis: cujus Propoſitio eſt verſ. 18, 19. Solutio autem ſeu reſponſio v. 20.

(1) In *Propoſitione* hujus Impedimenti occurrit I. Proœmium, v. 18. II. Impedimenti declaratio v. 18. III. conſequens Petitio v. 18. petitionis Ratio v. 19.

(א) *Proœmium* eſt v. 18. *Audiendo audivi Ephraimum quiritantem.* Supplendæ quædam circumſtantiæ ex proxime antecedentibus, unde connexio quoque patet, *Et eſt ſpes extremo tuo, inquit Dominus, & redibunt poſteri ad terminum ſuum.* Qui ergo loquitur, Dominus eſt, qui de reditu cujus ſpem eſſe dixerat, declarat & modum & tempus. Spes eſt extremo, quando ergo extremum erit, ultimis temporibus, iſtud fiet, & modus talis, qui hic deſcribitur, prorſus reſpondens ejuſdem diſcriptioni Jer. 3:v. 21. ſeqq. uti etiam hoc cap. v. 9. de eo locutus eſt. Deus ergo teſtatur *audiendo audivi*; benè, accuratè, aure attenta; hoc enim poſcit reduplicatio. Quem vero audivit? *Ephraimum*, non Patriarcham, tribus unius ſtirpem; ſed poſteros Iſraelitas, X tribuum, quibus caput factus erat in diviſione regni. Ezek. 37:16. vid. Jer. 31:4. 6. 9. 18. 20. 21. Sed conditio ejus deſcribitur מתנודד, qua ſignificatur vel quod *indeſinenter vagetur*, ex comminatione Hoſ. 9:17. נודדים & Deut. 28:64, 65. quemadmodum ſauciæ conſcientiæ homo, nequit eadem ſede morari, & geſtans in ſinu tortorem, quem fugitat, & metuens ſuperventuros, qui apprehendant, & rapiant ad judicem ac pœnam. Uti Kain reus Gen. 4. 12:14. vel quod *quiritetur apud ſemetipſum*, indeſinenter lugeat & plangat: nam נוד ſumitur de *dolore*, & *conſolatione*, ſeu potius συμπαθείᾳ Job. 2:11. Pſ. 69:v. 21. Commode conjungitur utraque ſignificatio, ex Pſ. 56:9. quia irrequietus animus vagari & quiritari facit, Act. 2:37. cap. 16:27-30. Sic Jer. 4:1. Hoc modo ergo affecti erunt Iſraelitæ in extremo, non modo vagi, quod per multa ſecula fecerunt, ſed etiam quiritantes, quod non niſi a reſipiſcentibus fiet, corde præputiato & obdurato molleſcente. Atque ad hos primos motus Deus attendet, Jer. 3:22. Eſa. 66:2. quemadmodum omnes motus pietatis obſervat Mal. 3:16. Eſtque iſtud tempus gratiæ & ſpes converſionis. Lev. 26:40. ſeq.

(2.) *Impedimenti* declaratio, *Caſtigaſti me, & eruditus fui, uti vitulus non edoctus.* Similitudo eſt ex more Hebræorum, qui arabant bobus, & vitulos jugo adſueſcebant ferendo, quo operi ruſtico admoveri commode poſſent; quemadmodum iiſdem etiam ad triturâm utebantur. Hoſ. 10:11. cap. 11:4. cap. 4:16. Eſt vero ſimilitudinis *hujus* applicatio diſcrepans apud interpretes, quorum alii bonum effectum, alii malum deſignatum dicunt. Profitetur Ephraim ſe caſtigationibus exercitum, immiſſis judiciis; quæ realis eſt inſtitutio, adhiberi ſolita, quando verbalis non proficit. Quem verba non flectunt, illi verbera infliguntur. Eſtque beneficii ſic urgeri ad profectum diſciplinæ Job. 5:17. &c. Pſ. 94:12. &c. Prov. 3:11. &c. Heb. 12:6. &c. Autorem agnoſcit Deum, *Caſtigaſti me.* Effectum autem (ſi quidem is bonus ſit,) & *caſtigatus fui*, eruditionem admiſi,

miſi, ut non fruſtra fueris; reddidit ea fructus congruos juſtitiæ Heb. 12: 10, 11. Sic vero ſimilitudo ad prius membrum pertinebit, Caſtigaſti me viventem inſtar vituli jugo non adſueti, & me ſubegiſti, ut tandem jugo ſucceſſerim: atque omnis quiritatio eò facit, quod non aliter quam judiciis erudiri potuerit; beneficiis exaſperatus potius. Convenientius tamen effectus alius ſtatuitur, & juxta ordinem in textu eò refertur ſimilitudo: *Caſtigaſti me* judiciis, & *eruditus* iis *ſum uti vitulus* qui non edocetur, ſed manet refractarius indocilis & *indomitus*, ut nulla verbera flagra aut ſtimuli proficiant, verum recalcitret jugiter; non deficiente quidem inſtitutione agricolæ, ſed carente profectu in vitulo. Sic Chald. *Adduxiſti ſuper nos caſtigationes ſed non didicimus, quemadmodum vitulus non diſcens arare.* Ita enim factum conſtat, tum ex prædictione Lev. 26: 15. ſeqq. tum ex eventu Jer. 2: 30. cap. 5: 3. Eſa. 1: 5. cap. 9: 12. Hoſ. 7: 15. & hinc vacca declinans dicitur Hoſ. 4. 16. Eſt autem quiritatio hoc modo juſtior, quod ne quidem verberibus judiciiſque gravillimis ſubigi potuerit, illis nihil profectum fuiſſe ad ſui emendationem, quæ obſtinatio eſt contra extrema remedia. Eſa. 26: 10, 11. exemplo Achazi 2 Chron. 28: 23. & deſperatorum neglectum procurat, Eſa. 1: 5. Hinc querela Eccleſiæ Eſa. 63: 17. & Danielis Dan. 9: 13, 14. Bruta ſtupiditas eſt non niſi flagello doceri poſſe, & etiam tunc manere indoctum. Equidem omnes homines naſcuntur ut pullus onagri Job. 11: 12. Sed qui cicurandi ſumuntur verbo, & caſtigatione, ſiquidem generoſitatis quid adſit, flectuntur: verum qui feritatem nunquam deponunt, nulli rei ſunt utiles, & ſi quid invitis extorquendum eſt, freno capiſtroque ſunt coërcendi ne noceant. Pſ. 32: 8. &c. Felix autem qui emendatur; qui ſaltem deficientis ſibi emendationis ſenſum & dolorem habet. Etenim dolori iſti ſuccedent preces ad eum, qui emendationem poteſt efficere. Eſa. 63: 17. cap. 26: 16. Sic quoque hic;

(a) *Petitio*, quâ poſcit I. ſui converſionem, II. a Deo, III. quia ſic ea ſecutura. IV. neque ab alio exſpectanda ſibi ſit. I. Petit ſui Converſionem, *Converte me.* Non poſtulat remotionem plagarum, ſed remotionem ſuæ corruptionis. Converſio autem heic notat, non dolorem de peccato, qui indicatus flebili illa quiritatione; ſed ſui mutationem; qualis eſt cum vitulus refractarius & recalcitrans tandem domatur, & cicuratur, ut collum jugo ſubdat, & promte ſubdat: ut deſerto errore & inobedientia impoſterum totus ſubſit regimini Dei, obedientiam præſtans voluntariam. Sane quiſquis dolet de ſuâ incorrigibilitate, is non poteſt aliud petere quam efficacem ſui correctionem; Hoſ. 14: 3. *Omnem tolle iniquitatem* &c. Non dicunt, Remove plagas, ſed remove culpas; non, deſine nos caſtigare, ſed fac ut deſinamus peccare. II. Petit autem à Deo, quem compellat; ut qui caſtigavit ſuæ caſtigationi addat efficaciam. Vitulus a ſe ipſo domari nequit, multo minus onagri pullus; ut jugi patiens fiat, à ſapienti agricolæ manu flectendus eſſet. Solus Deus eſt qui largitur reſipiſcentiam, Act. 11: 18. 2 Tim. 2: 25. eapropter implorandus Lam. 5: 21. Domat homo beſtias, at hominem peccatorem & corruptum Deus. III. Etenim tunc ſequitur converſio, *Et convertar*, Lam. 5: 21. Nihil Deo impoſſibile Luc. 1: 37. Jer. 32: 17. Hinc Ezek. 36: 26. Gratia ipſius irreſiſtibilis. Verbum ejus ignis & malleus Jer. 23: 29. rupem conterens; imo penetrans interiora Heb. 4: v. 12. Spiritus etiam quo vult ſpirat Joh. 3: 8. Equidem dicuntur Judæi reſiſtere Spiritui Sancto. Act. 7: 57. ſed eſt tantem externa ſuaſio verbi, cui reſiſtitur; quod cum a Spir. S. ſit inſpiratum 2 Pet. 1: 21. 2 Tim. 3: 16. Spiritus dicitur, 1 Joh. 5: 6. cui φρόνημα σαρκὸς reſiſtit, condemnans illud ſtultitiæ, aut injuſtitiæ 1 Cor. 2: 14. Rom. 8: 7. Sed nequit ipſiuſmet Spiritus Sancti operationi obniti. Reſiſtentia eſt effectum mentis cognoſcentis, voluntatis decernentis, affectuum & membrorum exſequentium contrarietatem; ſed ea nulla eſſe poteſt contra eum, qui mentem, voluntatem, affectus, membra omnia in ſua poteſtate habet, & quo vult inflectit, vertit, mutatque, 1 Joh. 4: verſ. 4. Eſt autem argumentum convertentis Spiritus, quando operatur ejuſmodi preces, Zach. 12: v. 10. &c. IV. Fundamentum precum fides eſt, *Nam tu es Dominus Deus meus.* A nemine alio poteſt peti converſio quam a Deo: qui Jehova, uti eſſentiam dat unicuique, ita quoque novi hominis eſſe ſolus dare poteſt. Eph. 2: 10. Creatura nova non niſi Dei eſt opus. A nemine alio poteſt exſpectari, tu Deus meus, ad cujus fœderalem gratiam pertinet, ut eam largiatur, Act. 3: 25, 29.

Sed quæritur hinc: An fides prior ſit Converſione vel poſterior? Reſp. Fides prior eſt: quia Deus meus es, quæ fidei vox, largire converſionem. Etenim reſipiſcentia eſt donum Chriſti Act. 5: 31. ſed nihil Chriſti habere poſſumus, niſi ipſummet habeamus; Joh. 15: 5. cap. 1: 16. habemus autem duntaxat per fidem Joh. 1: 12. Eph. 3: 15. Rurſum Converſio emollit corda, eaque mundat & mutat, ſed id fit per fidem Actor. 15: 9. apprehendentem Sanguinem & Spiritum Chriſti. Sed antecedit fidem dolor de peccato, qui eſt dolor ſecundum Deum, operans reſipiſcentiam ἀμεταμέλητον 2 Cor. 7: 7. qui deteſtationem habet ſui ipſius, ſed quo minus deſinat in deſperationem facit fides gratiæ Dei in Chriſto, quam ubi apprehenderit, inde quoque arceſſit converſionem, ſeu vitæ ſuique ipſius emendationem.

Verſ. 19. *Nam poſtquam converſus fuero, pœnitebit me, & poſtquam oſtenſum fuerit mihi, applaudam femori, erubeſco, etiamque ſuffundor rubore, quod feram opprobrium pueritiæ meæ.*

7. *Ratio* petitionis verſ. 19. a commodo quod a primis initiis Converſionis conſecutus ſit; deſcribit autem Reſipiſcentiæ naturam, & effectus ac teſtimonia.

(a) *Natura* eſt, I. אחרי שובי *poſtquam rediero*; mutanda via eſt & inſtitutum vitæ: qui progreditur longius aberrat, Jer. 8: v. 5. &c. Siſtendum eſt iter, & redeundum; quæ deſertio mali. II. אחרי הודעי *poſtquam mihi innotuero.* Sui notitia nequiritur. Luc, 15: 17. ad proprium cor redeundum & cogitationes revocandæ Eſa. 46: 8. Deut. 30: 1, 2. 1 Reg. 8: 47. Ezek. 16: 61-63. cap. 36: 31. Qui ſemetipſum ignorat, nunquam mutabitur in melius: ſi uſpiam hic τὸ γνῶθι σεαυτὸν neceſſarium eſt. Lam. 3: 40. Zeph. 2: 1. Hæc tamen notitia ſui non, niſi aliunde obtingit: Paſſive de eâ loquitur. Cum enim φιλαυτίᾳ homines teneantur, nolunt ſemetipſos noſſe, ne ſua deformitate in odium ſui deveniant. Deus ergo hominem ſibi ipſi oſtendit, Pſal. 51. verſ. 7, 8. a Deo eſt ſapientia, qua quis ſua interiora cognoſcit.

(b) *Effectus* ſunt I. Dolor, נחמתי *pœnitudine ductus ſum*, internus iſte eſt; & percuſſi femur, quod externi indicium Jer. 30: 6. Converſio parit dolorem internum & externum: ut indignetur ſe patraſſe, & externo geſtu indignationem prodat, Zach. 12: 10. &c. 2 Cor. 7: 9 &c. Loquitur autem in præterito, ſive quod initia converſionis eouſque efficacia deprehenderit, unde inſtat, ut opus hoc bonum Deus promoveat & conſummet, vel ob certitudinem, fides enim eſt ὑπόστασις καὶ ἔλεγχος. Heb. 11: 1. II. Pudor, בשתי apud meipſum, נם נכלמתי apud alios quoque, & cauſa, *quia fero opprobrium juventutis meæ*; imputat ſibi omnia peccata inde à prima admiſſione in fœdus patrata, quæ juventus dicitur Jer. 2: 2. cap. 3: 24. &c. non proxima modo, ſed etiam remotiſſima peccata, ſibi ſiſtit præſentia, & in ſuâ turpitudine. Pudor eſt convictio peccantis ſecreta; ubi erubeſcentia, ibi ſenſus peccati & agnitio fœditatis ejus. Ezek. 16: 61. &c. cap. 36: 31. Job. 42: 6. Pudefactio etiam coram aliis Ezek. 36: v. 32. Dan. 9: 7. &c. Ezr. 9: 6. Hujuſmodi pudefactio Pauli 1 Cor. 15: verſ. 9, 1 Tim. 1: 13.

Ex quibus omnibus conſtat, Iſraelem ultimi temporis depoſito omni faſtu Phariſaico, & opinione dignitatis ac meriti, lamentaturum in ſua vagatione, non propter exilii miſerias, ſed propter ſemetipſum, quod tot, tantiſque tum gravitate tum diuturnitate judiciis non fuerit emendatus, duræ indomitæque cervicis, uti in juventute Deut. 9; 4. &c. petiturum converſionem ſui à Deo, efficacem proinde, fiducia fœderis gratiæ; quâ mutatâ vitâ & ſui cognitione donatus, verum concipiat dolorem, pudoremque maximum, memoriâ repetentem quicquid à primo ſui initio dolendum pudendumque admiſiſſet; quæ ſignificant conſcientiam indignitatis, ſuique ipſius condemnationem, ut quamvis verſ. 9. primogeniti honore Deus ipſum affeciſſet, non auderet de ejuſmodi titulo cogitare, quemadmodum prodigus Luc. 15: 21.

Verſ. 20. *An filius charus mihi* eſt *Ephrajim? an natus ſummæ oblectationis?* eſt, *nam ex quo loquutus ſum contra eum, omnino recordor ejus adhuc: idcircò perſtrepunt viſcera mea propter eum, omnino miſerebor ejus, dictum Jehovæ.*

(1.) *Solutio* ſeu reſponſio eſt, verſ. 20. qua Deus Ephraimo ſe condemnanti reſpondet blandiſſime, indicans I. quo loco eum habeat, II. quid circa eum egerit, III. acturuſque ſit.

(א) Quo loco habeat Ephraimum interrogando dicit, quo fortius contradicat, & qui ſe indigniſſimum retur coram Deo, ſibi digniſſimum haberi. Nam cum apud homines valeat, quanti te feceris, tanti faciunt & alii; apud Deum contra ſe habet Luc. 16: 15. cap. 18: 9, 14. nam viæ Dei ſunt aliæ ab humanis Eſa. 55: 8, 9. cap. 57: 15. cap. 66: 1. Cæterum dignitas quam Ephraimo tribuit, eſt, *Annon filius &c.* quod ſit filius, non tantum Iſraelis, Abrahami, quibus naturalis erat, ſed ſibi, ut adoptionis jus non perierit ipſi, Rom. 11: 29. 1 Sam. 12: 22. poſtquam ſemel placuit hoc titulo dignari & donare Exod. 4: 22. Deut. 14: 1. Ezek. 16. 20, 21. Sed filii rebelles fuerant Deut. 32: 5, 6. 18. ſeq. & contemti, pertinetque ad aggravationem mali amiſſa dignitas. Verum hîc eſt *pretioſus filius*, qui obedientis titulus Mal. 3: v. 17 primogenitus Jer 31: 9. cujus pretium cæteris majus Gen. 49: 3. Deut. 21: 17. Pſ. 78: 51. Imo *filius oblectationum*, unde ſumma ad patrem redit voluptas, conf. Prov. 8: 30. uti Joſeph Gen. 37: 3, 4. ſic prodigus habetur a Patre Luc. 15: 22, &c.

(2.) Quid circa cum egerit: *Nam* מדי דברי בו, *recordando recordabor ejus* adhuc. Sermo Dei & recordatio de Ephraimo. Sermo quibuſdam in bonum, *Ex quo locutus ſum ipſi in legis latione, ponens verba ſuper cor ejus, recordor ejus ad benefaciendum.* Targ. ſed id non quadrat calamitatibus & judiciis immiſſis. Alii, *ex quo loquor de eo, ejus recordor*; ſed nemo niſi memor de aliquo loquitur. Potius ergo Sermo in malum, *Ex quo loquor contra eum*, judicia denuncians & immittens ut Jer. 4: 12. *recordor ejus* exactiſſime, non ut intendam pœnas, ut Jer. 14: 10. ſed ut miſerear, & gratiam faciam. Eſa. 49: 14. &c. Hab. 3: 2. Vel, poſtquam ſufficienter locutus ſum contra ipſum, ut acceperit caſtigationis menſuram ipſi deſtinatam, quæ efficax ſit ad frangendam ipſius pertinaciam, tum tenerrime ejus adhuc recordabor, ut non faſtiditum appareat. Lev. 26: 40. &c. Deut. 4: 30. &c. Eſa. 40: 1. &c. Ezek. 16: 59. &c. Conf. Jer. 29: 10. ſeq. Meminit fœderis connubialis, ut poſt pœnam adulterii rurſus aſſumat Jer. 2: 2. cap. 3: 20. &c. Eſa. 54: v. 4. &c. τὸ Adhuc reſtitutionem pollicetur Zach. 1: 17.

(3.) Quid acturus ſit. *propterea tumultuantur viſcera mea ipſi, miſerendo miſerebor ejus, dictum Domini.* tribuit ſibi σπλάγχνα & φρήν, ut tangatur ſenſu calamitatis ejus, & moveatur ad auxilium gratuitum, indigno licet, præſtandum. Hanc gratiam petit Eccleſia Eſa. 63: 15. &c. ſed pollicetur Deus Hoſ. 11: 1, 8. &c. cap. 14: 2. ſeqq. Deut. 32: 36. quemadmodum quandoque prætitit Jud. 10: 15, 16. Exemplo patris Pſal. 103: 19. Luc. 15: 20. Ab hâc autem commiſeratione & militia quid aliud poteſt procedere quam finis miſeriæ, & ubundantiſſima reſtitutio ac talus, ut quiritandi finis fiat.

Verſ. 21. *Statue tibi hermas, diſpone tibi pyramides, adhibe animum tuum ad iſtum aggerem* qua *via iviſti revertere, virgo Iſraelis, revertere ad civitates tuas iſtas.*

γ. Impedimentum tertium eſt à *Socordia* & inutili labore; non quod Iſrael profiteatur quicquam hujus, ſed quod Deus eo nomine arguat & convincat. Occurrit I. Socordiæ verſ. 21. II. inutili labori verſ. 22.

(1.) *Socordiæ*, quæ nullius ſollicitudinis curam novit (ut Zeph. 2: 1.) occurrit verſ. 21. *Erige, ſtatue, tibi monumenta*, (qualia ſepulchris addi ſolent Ezek. 39: 15. 2 Reg. 23: 17. non humi jacentia, ſed erecta ſtatuarum aut columnarum in morem Gen. 35: 20. ut eminus videri queat, nec non inſcriptionem habentia, ut moneant viatorem.) *colloca tibi* תמרורים (ת radicali, non ſervili, ut verſ. 14.) *pyramides*, palmæ altitudinem habentes, ut non tantum propinquis, ſed longinquis quoque indicium faciant viæ; *pone cor tuum, adverte animum ad ſemitam, per quam iviſti* in captivitatem, ut attendas ad ſigna omnia, & potentiam ejus tibi conſerves accuratiſſimam, externis indiciis, ſtatuarum mercurialium, quas hermas dicunt, & internis, quæ memori mente ſervantur. Ratio autem hortationis, *Revertere virgo Iſraelis, revertere ad has tuas urbes*, relegendo eandem viam.

Promiſerat verſ. 17. in extremo redituros ad terminum ſuum. Iſrael X tribuum, licet maximam partem ab exilio Aſſyrio non redierit, ad extremum tamen revertetur, & priſtinum locum recuperabit. Jubet ergò notare viam, per quam ex termino ſuo egreſſus eſt, ut eâ redeat. Synonymiæ congeſtæ habent ſocordiæ exprobrationem. Qui aliquo proficiſcitur animo redeundi, accurate notat loca urbes; pagos, quos tranſit, illorum diſtantias, viarum ſigna, compendia, diverticula; animo infigit notas memoriæ confirmandæ ergò, hic turris, illic arboris, iſtic montis, Et ſic nautæ obſervant littora, promontoria, ſinus, & quicquid altius ſe effert. Sic monumentum Rachelis erat obſervandum Sauli 1 Sam. 10: 2. Verum qui deſperat ſe unquam rediturum, ad ejuſmodi minutias non attendit. Iſraelitæ cum deportarentur à termino ſuo, non modo externo & corporali, ſed etiam & inprimis ſpirituali, debuiſſent attendiſſe ad viam abitus, ſpe conceptâ reditus; ſed nihil hujus faciebant, deſperantes omnem reſtitutionem, adeoque ſocorditer negligentes quæ ſocordia infidelitatis teſtimonium erat, de promiſſione Dei nihil ſibi pollicentis, Eſa. 64: 6, 7. Ezek. 37: 11. ut oſſa arida, ut folium vento agitatum, quod non redit ad arborem. Huc facit dictum, Rumpatur Spiritus eorum qui computant terminos temporum. Iſti ſocordiæ ignavæ occurrit omnis illa exhortatio, ut obſervent, & notent futuro uſui viam abitus quo eadem reverti poſſent. Attamen non agit de ſignis materialibus in via verſus Aſſyriam collocandis; Nam jubet ea erigere hinc inde in via qua abiiſſent in exilium; atqui eorum qui deportati erant nemo amplius ſuperſtes tunc fuit, cum hæc vaticinatus ſit Jeremias 130. aut 130. annis poſt quam Salmanaſſar Samariam occupavit, & X tribus penitus deportavit. Præterea non potuiſſent ſupereſſe illa monumenta, nam à deportatione illa in Aſſyriam uſque nunc effluxerunt 2410. anni, & ab hac Prophetiâ circiter 2480 anni; quo temporis ſpatio & ſigna, & pyramides, & memoria viarum, & viæ ipſæ, nec non urbes perituræ erant. Ergo potiſſimum ſpectat reditum ſpiritualem, & ſignis notiſque perennaturis conſervare jubet viam, quâ הלכתי *ambulaveris*, cum deſereres patriam, vel juxta literas, qua ivi, cum te deſererem. Hoc verò obſervato jubet *reverti* per eandem viam contrario proceſſu, idque magno cum ſtudio, quo facit repetita hortatio. *Virgo Iſraelis* dicitur, ut verſ. 4. fiduciâ fœderis quod deſponſanda Deo Hoſ. 2: 18. vel agnitione propriæ impotentiæ, item agnoſcendo miſericordiam Dei, qui adhuc urbes reſiduas reliquiſſet, quæ ab ipſâ rurſum incolerentur. Viæ per quas declinavit Ephraim ſunt Ingratitudo Hoſ. 13: 6. ignorantia voluntatis Dei Hoſ. 8: 12. cap. 4: 16. idololatria ibid. verſ. 17, 18. impœnitentia cap. 7: 16. cap. 11: 5-7. incorrigibilitas ſub judiciis cap. 4: 16. cap. 7: 15. fiducia in humanis auxiliis cap. 5: v. 13. cap. 7: 15. Atque ſic quoque Deus ab ipſis receſſit. cap. 5: 15. cap. 9: 12-15-17. Horum memoria ſervanda, ut in reſipiſcentia ab iſtis omnibus recedatur, atque adeò revertantur in locum & conditionem, unde egreſſi ſunt. Quanquam etiam externus reditus in patriam promittatur, cujus adeo certam ſpem facit, ac ſi ſtatuæ & ſigna ubique collocata eſſent, ipſis ad fovendam ſpem commemoranda, ut tandem redeant ad urbes ſuas; quas cum recuperaturi ſint, etiam nunc Iſraelis urbes vocat, utpote jure integro ipſis manente, quamvis alios intermedio tempore habeant incolas.

Verſ. 22. *Quouſque pergeres ſubducere te, ô filia veſtra; nam patrat* Jehova rem *novam in terra, fœmina ambit virum.*

(1.) *Inno-*

(2.) *Inutili labori*, ipſis exprobrato, occurrit verſ. 22. Exprobratio eſt, *quouſque circumageris, filia averſa.* Quam modo virginem, nunc filiam vocat, poſteritatem priſci Iſraelis adulteri; quæ tamen Scortationis cum idolis nunc rea non eſt, attamen hæres averſionis, & alienationis à Deo, per repudium, unde *filia averſa* ut Jer. 3: 14-22. Tribuit autem illi עד מתי תתחמקין. Verbum חמק *abiit averſus* Cant. 5: 6. Hitp. *in ſeipſo averſus & circumactus fuit*, docet exprobrari, inconſtantiam, quod non invenientes in quo animus acquieſcere poſſit, ac tranquillet conſcientiam, ab uno ad aliud ſe avertant, æque ſemper incerti, & ſolliciti; cui diuturnitas temporis gradum addit; ſignificatur quod dicitur 1 Reg. 18:21. claudicare in geminâ cogitatione Jer. 2: 23. cap. 3: 12, 13. contorquere vias & diſpergere, Eſa. 57: 17. Scl. poſtquam Judæi verum Meſſiam pulſantem non admiſerunt, neque ei aperuerunt, ipſe avertit ſe & abiit ad Gentes Cant. 5: 6. &c. atque ipſi eo tempore circumvagantur & quærunt Meſſiam ubique, & nec in vero, nec in falſis acquieſcunt, damno ſuo maximo. Hi tamen mores ipſorum ſunt ſper tot ſecula. Act. 26: verſ. 6, 7. & quod ψευδοχρίστους ab eo tempore habuerunt, ab omnibus decepti.

Occurrit autem innutili labori iſti, quando ait, *Nam creavit Dominus novum quid in terra, Fœmina circumdabit virum.* Heic quoque in diverſa eunt iuterpretes, circa poſteriorem ſententiam. Fœminam dicunt Eccleſiam Iſraelis, quæ a Deo deſciverit vaga, eam rurſum ambiturum in converſione Deum, & amplexuram priorem; Deum enim eſſe גבר, hoc eſt *Fortem* illum; hoc autem novum quid eſſe, cum a maribus ambiri ſoleant mulieres. Sed morem illum conſtantem negat Scriptura & experientia. Rutha ambivit Boazum Ruth. 3. & viduæ leviros, quos in judicium vocabant, & poſtulabant ſibi Deut. 25: 5. &c. adeoque id miraculo deputari nequit. Quin etiam in converſione Iſraelis, hunc priorem ſollicitaſſe gratiam, liquet ex hiſtoria, in lib. Judicum, 1 Sam. 7: 2. imo hunc morem ipſis fuiſſe dicitur Pſ. 78: 34. &c. unde Hoſ. 5; 15. cap. 6: 1. &c. Verum de ultima converſione cum agitur, non Iſrael, ſed Deus prior ambibit, ille invitabit Jer. 3: 22. &c. cap. 31: 1-6. &c. & cum ſe habeant ut arida oſſa, quomodo ipſis initium agendi tribuatur Ezek. 37. quamvis ubi excitati fuerint à Deo, & ipſi ſint anxie quæſituri Deum. Jer. 31: 9-18. Abrab. per fœminam Rachelem intelligit quæ virum, Deum, ſuis precibus pro liberis ſit ambitura. Sed nulla veriſimilitudine, & quid miraculi hîc, ſi quæ per proſopopœiam querula introducebatur, etiam dicatur ſupplex fieri Deo precibus? Alii Iſraelem debilem fœminæ inſtar, tandem circumdaturam virum, Gentiles robuſtos, qui dominati illi ſunt, adoriturum obſidentis inſtar & ſuperaturum. Verum phraſis iſta nihil habet quod victoriam dicat, Pſ. 7: 8. Et Iſraelem imbellem quandoque potentiſſimos viciſſe quamvis ſubinde miraculo, ſe plane, nihil novum eſt, exemplis Baraki, Gideonis, Jephtæ, Aſæ, Joſaphati. Ergo alia interpretatio quærenda, maxime cum נקבה nuſpiam de Eccleſia dicatur, quæ אשה, בת, בתולה appellari ſolet, ut relatio ad Deum ſignificetur.

Ergo adhibenda interpretatio veterum, de Meſſiâ hic eſſe Sermonem, & ejus miraculoſâ conceptione, חמק de Meſſia abeunte Cant. 5: 6. & hoc תתחמקין de Iſraele quærente Meſſiam ſollicite, qui in ea Inquiſitione non tantum non repererunt, ſed & miſere vulnerati vapularunt in plateis a vigilibus, & ſpoliati ſunt ſuo velo, externa religionis pompa quo ceu religioſus Dei populus velabantur. Idem hic nexus poſtulat, & tota oratio. Reprehenderat vagos & diuturnos circuitus, dum undique circumſpectant exſpectantque Meſſiam, ſed dum fingunt ad ſuum placitum, vanas ſibi faciunt ſpes, quæ ſemper pudefactos deſtituit. Catalogus iſtiuſmodi alias editus eſt, quibus poſtremus Sabtai Zebki annumerandus. Hiſce ergò inutilibus vagationibus opponit inſtitutionem, ubi & unde Meſſias ſit venturus, ut circum vagari eapropter non ſit opus. Quid ergo, inquit, circumcurſitatis vagi, futurum exſpectantes, loquitur enim Iſraelitis ultimi temporis) quod jam præteritum eſt; nam Jehova, Deus ille veritatis, promiſſiones implens, aliquid novum hactenus non viſum, non auditum, nullo exemplo probatum creavit, omnipotente virtute (conf. Num. 16: 30.) in terrâ hâc, non ubi nunc degis, quæ non una, ſed multiplex, prout depulſio diſperſioque ſæpius repetita; verum in illâ ipſâ, ubi ſunt tuæ urbes, quo ducentem viam hermis erectis notari jufferam. Et hæc nova creatio in eo conſiſtit, *Fœmina circumdabit virum.* Fœmina נקבה quod ſexus nomen, ſimpliciter, non ſolum adultis aut conjugatis competens, ſed etiam virginibus puellis, ab ipſo nativitatis momento, Lev. 12: v. 5-7. ſi mulier pepererit נקבה *puellam.* Imo Eva, quando erecta, fuit נקבה non ſecus ac Adam זכר Gen. 1: 27. & talis נקבה viro non cognita, quando conſtituta, mater Seminis triumphaturi Gen. 3: 15. Quod ipſum novæ creationis eſt, quod תסובב *circumdabit*, (quia cum hæc ſcriberet Jeremias futurum erat) utero conceptum, neque enim alii circumdationi locus eſt, (fide enim circumdare priſcum eſt 1 Sam. 2: 10. & virorum quoque Joh. 8: 56.) & hanc à maritatâ fieri caret omni miraculo & novitate, quale tamen hic adeſſe debet, & ſignum vocatur Eſa. 7: v. 14. Circumdabit autem גבר *virum*, quomodo puer dicitur, inde à conceptu Job. 3: 2. conf. Apoc. 12: 2-5. Hic verò etiam denotat, ut Abrab. vult *fortem illum verum*, חגבור האמתי, Deum vid. cum Meſſias ſit אל גבור Eſa. 9: 6. & qui a Deo dicitur גבר עמיתי Zach. 13: 7. Prædicitur ergo hic Meſſiæ Θεανθρωπου conceptus in virgine, quemadmodum explicatur Luc. 1: 31. &c. res nova, omnipotente creatione Dei producta. Et quod hic ſigillatim attendendum, facta eſt in terra X tribuum, ut hæ non haberent quod vagarentur aliorſum, ſed in ſuis urbibus reperirent puerum miraculoſum, in virgine conceptum; in urbe Nazareth, tribus Zabulon, ubi Angelus ad Mariam venit, & ipſi factum eſt juxta verbum Domini per angelum Luc. 1: 26, 27. &c. Cæterum ſolius conceptus Meſſiæ fit mentio, quia is ſolum in terra Iſraelis debuit fieri; nam naſciturum in Bethlehem Juda, urbe Davidis, jam ante definitum fuit prædictione Mich 5: 1. ut X tribus non ſolum hinc diſcerent agnoſcere Meſſiam, qui In ſuâ terra eſſet concipiendus, licet nativitate futurus Bethlehemita; ſed etiam ut certi forent, ſibi in eum eſſe jus; licet enim defeciſſent à domo Davidis, tamen Davidis filium, & regni ejus reſtauratorem, ſibi quoque fore regem, & regem hactenus ſaltem proximum, qui ratione conceptus ſui, communem ſecum haberet patriam. Quemadmodum hacpropter etiam promiſſum, Meſſiam miniſterium ſuum in terra X tribuum inchoaturum. Eſa. 9: v. 1. &c. Matt. 4. Jer. 3: 14, 15. Hoc commune jus univerſi Iſraelis quoque docetur Ezek. 37: 21, 22. Jer. 30: 9. Hoſ. 1: 11. cap. 3: 5. Luc. 1: 31. &c.

Verſ. 23. *Sic ait Jehova exercituum Deus Jiſraelis, adhuc dicturi ſunt verbum hoc in terra Jehudæ & in civitatibus ejus, quum reduxero multitudinem captivam earum: benedicat tibi Jehova, ô habitaculum juſtitiæ, mons ſanctitatis.*

Verſ. 24. *Nam habitabunt in ipſa Judæa & omnibus civitatibus ejus pariter agricolæ, & pecuarii.*

b *Judæ* ſigillatim applicatur Liberatio verſ. 23--26. ubi occurrit I. Promiſſio v. 23, 24. II. Confirmatio verſ. 25. III. Prophetæ Affectus verſ. 26.

a *Promiſſionem* facit Deus, v. 23. *Sic dicit Jehova Zebaoth, Deus Iſraelis.* Novo exordio utitur, ut quid novi attendendum moneat. Tituli iidem, & veritatem promiſſionum, & vel potentiam exſequendi, vel temporum moderamen, & fœdus gratiæ commemorant. Abrab. רז להי ישרל ſtrictius ſumit, ut non univerſam Jacobi poſteritatem, ſed ſolas X tribus denotet, ſingulari emphaſi, Deus Iſraelis X tribuum, qui tam magnifica, tamque felicia locutus eſt de illis, idem paria de Juda dixit, & præſtabit. Facit autem Judæ; nam cum antea loqueretur Iſraeli & Ephraimo, de montibus Samariæ & Ephraimi, de reditu Ephraimi ad terminum ſuum, deque Iſraelis reverſione ad urbes ſuas; nunc ſermo inſtituitur de terra Judæ, & urbibus ejus, cum Judæ mentio, inde a v. 2. fuerit nulla. Promiſſio ipſa declaratur ab effectis.

a *Hominum prædicatione* v. 23. cujus circumſtantiæ, ubi quando, quid dicturi ſint.

(1.) Ubi; *Adhuc dicent verbum hoc in terrâ Judæ & urbibus ejus.* Sub terrâ & urbibus Judæ comprehenditur, & Benjamin quia eodem regno continebatur ibi dicent,

dicent, quam autem illi ſint, non indicat. Nequeunt tamen intelligi peregrinæ gentes, occupaturæ & poſſeſſuræ terram aliquando; neque enim iſtud foret conſolatio, quæque prodiret ex ore Dei Iſraelis, ſed ſunt ipſi Judæi, qui in patriis urbibus & terra hæc dicent; ſed futuro tempore, *Adhuc*, poſtquam diu exſules nunquam iſtic loci verbum viderentur enunciaturi: ut reſtitutio in patriam hinc quoque concludenda ſit.

(2.) Quando, *poſtquam* (ב ſic ſumitur cum infinitivo crebro,) *reduxero captivitatem ipſorum.* Eſt ergo illa prius exſpectanda: Nam cum redierunt ex Babel nihil horum factum. Impietas Judæorum ſub ſecundo templo major quam ſub primo, quando non tantum ſervos Domini, ſed Dominum ipſum, filium, vineæ hæredem perſecuti ſunt ad mortem.

(3.) Quid, *Benedicat tibi; Dominus habitatio Juſtitiæ, mons ſanctitatis.* I. Inſigniunt terram Judæ & urbes ejus novis titulis, (*a*) *habitatio* juſtitiæ, נוה צדק ubi juxta ſtrictum jus habitat juſtitia, ſeu juſti. Sic Eſa. 60:21. צדיקים declaratione *juſti*, Jer. 50:20. Eſa. 33. v. ult. & inprimis Eſa. 1:21. &c. & v. 26, 27. coll. Juſti habitant, qui à reatu immunes declarati, quod tamen impetrabunt per redemtionem & miſericordiam בצדקה. Nempe cum antea reatu ſuo polluiſſent terram, Jer. 7:7,8. Ezek. 36:17. &c. jam ubi reſtituentur abſolventur à reatu, non merito proprio, ſed gratia mediatoris, Jer. 23:6. quæ gratia juſtificationis.

II. *Mons ſanctitatis*, ſegregatus Deo in proprietatem, ut Dei ſervitio proprius foret, quemadmodum mons templi fuit; ubi non niſi Dei cultui vacabant, ſegregandi, potiſſimum a peccatoribus, quod beneficium ſanctificationis, ſic Zach. 8:3. Hi porro tituli tribuuntur non ſoli Hieroſolymæ, & monti Zionis, ſed terræ Judæ & urbibus ejus, ut ſignificetur beneficium juſtificationis & ſanctificationis commune fore, Eſa. 11:9. non autem ut olim præeminentiam aliquam fore ullius loci Joh. 4:21-23. Zach. 12:7-10. &c.

ב. Deinde optant ei à Jehova benedictionem; quia quando ad eam dignitatem perventum eſt, neceſſaria eſt continua gratia, ut ea confirmetur, augeatur, continuetur. Pſ. 96. 48. 122. Eſa. 26:1. &c. Sic Pſ. 5:12. &c.

β. *Succeſſu* proſpero verſ. 24. *Et habitabunt in eâ* (terrâ Judæ) *Juda*, omnes regni incolæ, *& omnes urbes ejus pariter*, habitatores illarum; imo Agricolæ, & qui proficiſcuntur cum gregibus. Tranquilla pace fruentur omnes & in agro & in urbibus, & pacis negotia curabunt, agriculturam & paſtoritiam; ceu qui metu belli exſoluti non niſi pacis ſtudia tractabunt Jer. 23:6. Eſa. 2:4. cap. 11:9. Sic Jer. 31:5. cap. 33:12, 13.

Verſ. 25. *Quum ſatiavero animam deſeſſam, & omnem animam mœſtam explevero.*

b Confirmatio. v. 25. ducitur ab origine tranquillitatis, *Nam inebriavi omnem animam fatigatam, & omnem animam ſitientem implevi.* Veram voluptatem largitus ſum animabus, ut fatigatio & ſitis non tantum tollatur, ſed etiam contraria abundantia ipſis conferatur. Atque adeo dum externa bona promittuntur, non tamen in iſtorum poſſeſſione conſtituitur vera felicitas, aut potiſſima, ſed in fruitione bonorum quæ animæ propria ſunt, quemadmodum verſ. 14. Pſ. 4:7. & 63:2.6. & 22:27. Quanquam ſupplementum famis naturalis eadem fere phraſi ſignificetur Pſ. 107:9. ut abundantia alimenti promittatur. quia נפש ſæpe de toto homine accipitur Gen. 12:5. cap. 14:21. tamen cum hic dicatur נפש יאבה, dolor animi potius removendus dicitur, qui quidem poſcit ut etiam corpori aliquatenus bene ſit, de cujus ægritudine anima judicat Conf. Eſa. 57:18. cap. 55:1. &c. cap. 58:11. 14. cap. 61:2,3. Matt. 11:28. Luc. 1:53.

Verſ. 26. *In hoc invigilo, & inſpicio etiam ſomnus meus ſuavis eſt mihi.*

c Affectus prophetæ, verſ. 26. *Super hæc evigilavi*, &c. Si continuetur oratio, Dei ſermo eſt, qui propterea ſe dicat evigilaſſe, uti quando poſt diuturniorem dilationem ad vindicandos ſuos ſe accingit, Pſ. 78:65. quo pertinent preces Pſ. 44:24. &c. Eſa. 51:9. Et quod additur, *& vidi*, poſtquam ſomnus meus ſuavis mihi fuit; quatenus Deus delectationem habet in caſtigatione ſuorum & neglectu quaſi, Eſa. 1:24. ſed poſtea longe majorem in ejus reſtitutione habiturus, Deut. 32:36. ſeq. quod ſequitur v. 28. Jer. 32:42. Zach. 8:14, 15. Deut. 30:9. Verum quod phraſis illa de ſomno durior videatur, hæc ab interpp. referuntur ad prophetam, qui per parentheſin de ſuo affectu teſtetur, *Super hæc evigilavi*, ſignificans ſibi hæc in ſomnio fuiſſe revelata, juxta Num. 12:6. quamquam nullum ejus rei indicium ſit Jer. 30: v. 2. &c. *Super hæc evigilavi poſtquam vidiſſem, & ſomnus meus mihi ſuavis fuit*, ut ſimilia viderem, quæ mox ſibi revelata recitet. Somnia Abimelechi Gen. 20. Pharaonis cap. 41. Nebucadnezaris Dan. 2:4. uxoris Pilati Matt. 27. turbarunt eos, quibus obtigerant: quia ad extremum quid mali portendebant; alt hoc ſuaviſſimum, utpote mera habens Evangelia pacis & boni pro Iſraele. Repetitio autem rei certitudinem notat Gen. 41:32. Quod ſi reſtitutio Iſraelis convertendi in ſomniis viſa tantopere exhilaravit prophetam ſua ſuavitate, quanto magis gaudium feret ipſum complementum? Pſ. 126:1. &c. quantopere animos bonorum afficiet, hæc omnia videre præſtitia oculis vigilantibus? ut etiam hos oculos beatos prædicare liceat, qui fruentur viſione iſtius boni.

Verſ. 27. *Ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ, quibus conſeram domum Iſraelis & domum Jehudæ ſemine hominum & ſemine jumentorum:*

Verſ. 28. *Et erit quemadmodum ſedulus fui contra eos exſtirpando, & demoliendo, & deſtruendo perpendoque, ac malis afficiendo, ita ſedulus ero erga eos ædificando & plantando, dictum Jehova.*

c Utrique; *Judæ & Iſraeli* conjunctim, univerſis familiis domus Jacobi, fit applicatio, v. 27-40. unde liquet diviſionem illorum regnorum ſublatum iri, & rurſum unienda eſſe, ſub unius populi nomen & conditionem. Ea diviſio cœpit poſt Salomonis mortem per Jeroboamum & Ephraimum cujus ille caput factus Eſa. 7:17. 1 Reg. 11:12. & ab eo tempore continuata fuit, Deo non ferente ut cogerentur Iſraelitæ ad priorem ſubjectionem. Attamen iſta diviſio finem debuit conſequi. 1 Reg. 11:39. & licet diverſis temporibus & diverſa in loca deportati eſſent, tamen ad extremum colligi & conjungi ſub uno Meſſia, Jer. 30:9. cap. 3:18. cap. 23:6. &c. cap. 50:4. & v. 17-20. cap. 51:5. Eſa. 11; v. 11. &c. Ezek. 37:16. Hoſ. 1:11. Cæterum quæ communiter promittuntur ſunt I. Benedictiones externæ verſ. 27, 28, 29, 30. II. Benedictiones internæ verſ. 31-34. III. Confirmatio utrarumque verſ. 35-40.

a Benedictiones externæ proponuntur I. quæ ſint, verſ. 27, 28. II. quomodo ſub illis ſe habiturus ſit populus verſ. 29, 30.

a Benedictiones ſunt.

(I.) *Multiplicatio* verſ. 27. cujus notatur I. Tempus. *Ecce dies veniunt*: vid. in ultimo dierum, poſtquam agnoverint diuturnæ calamitatis cauſam, & Deus ſe ipſis Deum eſſe oſtenderit, imo poſtquam reſtituti fuerint & Iſrael & Juda in poſſeſſionem ſuam, quod in particularibus applicationibus dictum. II. Autor, *dictum Domini*, cujus etiam eſt τὸ facere Num. 23:19. nam propterea ejus dictum eſſe dicitur, quia iſtud nunquam differt a facto, utpote qui nec ipſe mutat animum, neque ab alio ad mutationem ulla vi vel ſuaſione moveri poteſt. Factum ipſum, *Et ſeminabo, multiplicabo* ex initiis exiguis in multitudinem maximam, ſolius meæ benedictionis efficacia: quæ ratio ſementis, ubi parum projicitur in terram, quod ſolius Dei, incrementum largientis, beneficio ſurgit & germinat, & plurimum fructus reddit, centuplum videlicet. Sic Hoſ. 2:22. III. Subjectum, *domus Iſrael & domus Juda*; de quibus ſigillatim hactenus egerat. IV. Bonum dandum, *ſemine hominis & jumenti.* Qui Iſraelem & Judam de Eccleſia intelligunt in communi, per homines Judæos deſignari putant; per jumenta Gentes: quod in utroque illo ordine futura ſit multiplicatio. Sed nuſpiam converſæ gentes reſpectu Iſraelis reſtituti, dicuntur jumenta; & Gentium cultus æque eſt rationalis Rom. 12:1. quemadmodum etiam harum actiones rationales ſunt, dum inſtrumenta conſtituuntur convertendi

Iſraelis

Iſraelis Jer. 31: 10. &c. Verum hîc de domo Iſraelis & Judæ agitur, quæ duæ Jacobi poſteritatem abſolvunt, & quid illis reſtitutis Deus ſit gratificaturus, nempe multiplicationem tum hominum. Eſa. 49: 17 &c. &c. Zach. 8: 4, 5. tum pecudum Jer. 33: 12, 13. de utriſque eſt, Ezek. 36: 10. 11, 37, 38. Deut. 30: 9. quemadmodum olim utrorumque multiplicationem promiſit Deut. 28: 4. Eſt enim hæc prima benedictio complectens ſimul alimenta utrorumque, non neceſſaria ſolum, ſed etiam copioſa, alioqui maledictioni cederet quando fame & aliis malis rurſum conficiuntur & conſumuntur, quod multiplicationi adverſum eſt. Quanquam cætera referri queant ad id quod ſequitur,

(1.) Eſt Omnimoda Dei *Benignitas*, ad incrementum & conſtantiam. v. 28. Hæc illuſtratur oppoſitione (1.) quid fecerit, *Et erit quemadmodum vigilavi*; magno ſtudio & aſſiduitate, ne quidem ſomno eapropter indulgens, *contra eos ut cruorem* fundata, *evellerem* plantata, *deſtruerem* ædificata, *perderem* integra; *malo* denique *afficerem*, quod utique factum in omni illa ira & æſtu, unde omnes illæ maledictiones ſupervenerunt, Deut. 28: 29. (2.) quid facturus ſit, *ſic vigilabo*, pari ardore, ut diruta ædificem & ut plantem evulſa, eradicata, amputata, *dictum Domini*, cujus hoc quaſi figillum eſt. Idem alibi promiſſum Jer. 24: 9. cap. 32. v. 41, 42. Amoſ. 9: 11, 15. Ezek. 36; v. 11, 36. &c. Zach. 8: 14, 15. idque ex antiquiſſima promiſſione Deut. 30: 9. cap, 32: 43. Lev. 26: 40. ſeq. Nam eadem quæ ſauciavit necavitque manus, rurſum ſanabit & vivificabit Deut. 32: v. 32. &c, 1 Sam. 2: v. 6, 7. Hoſ. 6: v. 1, 2. Adhæc Deus invigilat verbo ſuo Jer. 1: 12. quod quidem de minis dicitur, attamen multo magis valebit de promiſſis, cum illæ peregrinum Dei opus concernant Eſa. 28: 21. hæc proprium.

Verſ. 29. *Temporibus illis non dicent amplius; patres comederunt omphacen, & dentes filiorum obſtupeſcunt:*

Verſ. 30. *Sed quiſque propter iniquitatem ſuam morietur: omnis hominis qui comederit omphacen, obſtupeſcent dentes ipſius.*

β. *Conditio populi*, quomodo ſe habiturus ſit ſub iſtis benedictionibus indicatur κατ' ἄρσιν verſ. 29. & κ. θέσιν verſ. 30.

κατ' ἄρσιν. verſ. 29. negando locum fore veteri Proverbio. *Illis diebus* (quibus adeo benedixero,) *non amplius dicent*, (quod olim familiare fuit) *Patres comederunt omphacem, & filiorum dentes obſtupuerunt.* Hoc Proverbio uſi leguntur Ezek. 18: 2. & reprehenduntur eo nomine, quamquam ratio iſtic fuit, quod ſe crederent innocentes. neque alia de cauſa luere, quam ob parentum delicta, adeoque Deum injuſtum: quibus Propheta nomine Dei denunciat, quamvis Deus juſte quoque puniat peccata patrum in liberis Exod. 20. (quod ad ſolum idololatriæ crimen Abrabanel reſtringit,) tamen ſe ipſis hanc ſingularem gratiam facturum, ut modo ipſi ſancte & inculpate viverent, obſervantes mandatorum Dei, nihil ſequius ſint paſſuri: qui ſi malorum parentum, æque mali aut etiam pejores eſſent liberi, merito & ſua & illorum peccata luerent, quod ad pœnas convincentes, temporales; (nam quod ad compenſantes & æternas, unusquiſque ſuam non alienam culpam luit Rom. 14: 10, 12. cap. 2: 6. &c. 1 Cor. 3: 8. 2 Cor. 5: 10. Gal. 6: 5. Apoc. 22: 12.) Eſa. 65: 6, 7. Lev. 26: 39. &c. Infliguntur autem liberis mala ob peccata parentum, ut ſcandalum ab his datum luatur in ipſorum bonis, poſteriſque. David, cui pœna compenſans remiſſa. 2 Sam. 12. tranſlatione in Meſſiam, tamen in filio Bathſebæ & in aliis liberis punitus eſt ob ſcandalum: ne fœderatis Deum omnia indulgere, & licentiam peccandi facere quis opinaretur. Publica judicia immittuntur ob publice datum ſcandalum. Speciatim autem locum habuit iſtud proverbium quoad Iſraelitas poſt ultimam Hieroſolymæ vaſtationem: Etenim horum patres comederunt omphacem, & obſtupuerunt dentes liberorum, Illi repudiarunt Chriſtum, & necati reatum non ſibi ſolum, ſed etiam liberis ſuis impoſuerunt Matt. 27: 24, 25. & Chriſti petitio contra Judam, etiam ipſis applicare poteſt, cum Judas ipſorum fuerit miniſter & inſtrumentum, Pſ. 109: 9. &c. Proinde potuerunt illo Proverbio uti, Lam. 3: 7. utpote qui adhuc patiuntur idem malum, quamvis non alieni ab eodem reatu, quibus odium in Jeſum Nazarenum eſt hæreditarium, & maledicere illi fere κατ' ἔθος ſuæ nationis, ſaltem illorum omnium, qui aliquam Jeſu notitiam habent. Quia verò hoc amplius dictum iri negatur, ſignificatur utique converſo Iſraeli non imputatum iri repudium Meſſiæ ab avis admiſſum, Jer. 15: 5. licet illi noluerunt pulſantem fores Meſſiam recipere, tamen poſt diurnas vagationes poſterorum, hiſce rurſum ſe dabit inveniendum. Cant. 5: 6. &c. Quod minatus eſt Luc. 14: 24. tantum faſtidioſos concernit, non alios qui venerunt tum temporis verſ. 21. qui alii a Gentibus verſ. 13. neque illorum liberos: quemadmodum Pſal. 95. verſ. ult. non excluſit liberos rebellium, quo minus in Cananæam introducerentur. Hoc eſt quod promiſſum Eſa. 59: 20. Rom. 11: cap.

κ. θέσιν, verſ. 30. deſcribendo quales futuri, & quomodo Proverbium illud eapropter corrigendum ſit: *Sed unuſquiſque propter ſuum peccatum morietur, & quicunque omphacem comederit, dentes habebit obtuſos.* Non dicit fore διαμαρτύρας poſt converſionem; ſed non fore univerſalem defectionem totius populi; neque etiam ob majorum crimen ullum etiam ſequentibus temporis aliquid paſſuros poſteros. Verum qui tum ſupererunt Iſraelitæ, & venient ad redemtionem iſtam. poterunt adhuc peccare: & peccabunt etiam, & non ferent illud impune, ſed quiſque luet proprium crimen, quomodo utique non erunt populares plagæ & judicia propter peccata univerſalia, quia talia non erunt. Eſa 65: 18. &c. Liquet proinde reſtitutionem Judæorum nec ſequi reſurrectionem mortuorum tum juſtorum tum injuſtorum, nec immediate antecedere conſummationem ſeculorum, ſed tempus intermedium eſſe & id ſatis longum, cum centenarius puer ſit habendus, & ad ſenectutem ſint perventuri. Eſa. 65: 20. Adeoque uti inter eos adhuc erit corruptio & peccatum ejus fructus, ita quoque vigebit concio reſipicentiæ & fidei, Etiam tum peccare malum erit, & damnoſum; uti omphax dentes comedentes ſtupefacit, ſic peccatum patranti erit noxium: ſed immunis erit ab iſtiuſmodi damno, qui abſtinuerit a peccato, qui caverit comedere omphacem. Sub Evangelo quoque talis ille ſtatus erit, ſupereſt corruptio 1 Joh. 1: 8. Jac. 3: 2. & ea eſt mortifera Jac. 1: 14, 15. Rom. 6: 23. quamobrem cavendum peccatum, ut mortem evadere liceat Rom. 6: 20. ſeq.

Verſ. 31. *Ecce dies venturi ſunt. dictum Jehovæ, quibus pangam cum domo Iſraelis & cum domo Jehudæ fœdus novum.*

6. *Benedictiones ſpirituales* continentur. *Novo fœdere*, quod I. promittitur verſ. 31. II. deſcribitur verſ. 31, 33: 34.

α. *Promiſſio* habet verſ. 31. Tempus, Contrahentes, & Contractum.

(1.) *Tempus* eſt, *Ecce dies venient.* ſic quoque verſ. 27. quomodo pariter ad ultima tempora pertinere ſignificatur, Jer. 30. verſ. ult. cap. 31: 1. verum inſuper cum illis beneficiis externis conjunctum iri. Fœderis beneficium ſociatum erit cum reſtitutione externâ, Hoſ. 2: 13. &c. Eſa. 62: 4. cap. 54: v. 4. &c. & alibi. Securitatis ergo additur את ה', quod eſt inſtar characteris, quo ſua verba Deus olim roboravit: ut ex promittente ducerent argumentum de eventu ſecuturo, quæcunque etiam improbilitas aſſenſum morari poſſet, unde toties ingeminatur, quando in dubium vocari poſſet, Rom. 4: 17. 1 Theſ. 5: 24.

(2.) *Contrahentes* ſunt Deus & Iſrael. *Deus* quidem, *Ego pangam*, quod deinceps repetitur. *Iſrael* autem XII. tribuum, *domus Iſrael & domus Juda*, ex diſtinctione in duo regna, quæ utraque ſimul initio adſcita in fœdus, cum adhuc indiviſim unum facerent, populum, & utraque domus hunc promiſſionem conſequitur reaſſumtionis, quemadmodum etiam Hoſ. 1: 6, 9, 10, 11. cap. 2: 22. Jer. 31: 1. Eſa. 51: 6. Hoſ. 2: v. 1, 18, 19. Obſervandus autem orco, *Ego faciam*, non dicit. Iſraelitæ facient, neque Ego & Iſraelitæ pari paſſu faciemus, Quia in fœdere Dei cum hominibus ſemper initium fit à Deo. Ille cogitationes pacis habet

bet prior, & reconciliationem offert. 2 Cor. 5: 19, Gen. 15. 17. cap. quod ex Contractu liquebit.

(3.) *Contractus* eſt *Fœdus* & quidem *Novum*. *Fœdus* ברית ab *eligendo* dicitur (ברה *eligere*, item *comedere*, *convivari*, unde quidam denominant, ob convivia, quæ contracto fœdere inſtituebantur Gen. 26: 28. &c. cap. 31: 44. &c. Exod. 24: 10, 11. quæ tamen non eſſentialis fœderis ineundi, ſed initi conſequens circumſtantia.) quia conditiones, ſuper quibus contrahitur, eliguntur, à parte utraque, in quas conſenſus fit, & obligatio. Interdum pars utraque conditiones proponit, ſuper quibus in mutuum conſenſum adductæ partes paciſcuntur, & dicitur συνθήκη, conferentibus & comportantibus partibus utrinque, quæ faciant ad concordiæ leges concipiendas. Interdum una pars conditiones concipit, & parti alteri proponit, dicturque διαθήκη, diſponente unâ de legibus contractui ſubſternendis. συνθήκη occurrit pro מסכה tegumentum Eſa. 30: 1. pro חורה providus contractus Eſa. 28: 15. pro מישרים rectitudines Dan. 11: 6. nunquam pro ברית quod ſemper διαθήκη, etiam cum de hominum fœderibus, ſemel μισθὸς Deut. 9: 15. ſemel σύνθλη 1 Reg. 11: 11. Illud fit ordinarie in contractu æqualium; quâvis parte concipiente, quæ ſibi commodiſſima retur; iſtud in contractu inæqualium, parte potiore ſcribente conditiones, ſub quibus inferiori concedere velit ſocietatis jus & honorem. Hæc ratio obtinet in fœdere Dei; ille non pari ſe loco conſtituit cum hominibus, ut non minus ab ipſis audire, quam ipſis proponere velit conditiones, ſed ex prærogativa ſua ceu Creator, dominus, judex, delegit ipſe & propoſuit quæ ſibi placerent, & in quæ capita vellet paciſci: Atque hæc una ratio cur loco ברית in Scriptura Græca nuſpiam συνθήκης occurrat mentio, ſed ſolum διαθήκης, quia Conditiones fœderis ex unius Dei arbitrio, profectæ ſunt, qui ſic eas concepit ut nihil in iis mutare velit ipſe, nec mutari ab hominibus, utpote cum in iis nihil ſcripſerit pœnitendum, eoque correctionis illæ capaces non ſunt. Veruntamen conditiones eo modo conceptæ, utcunque invariabiles, non faciunt fœdus: pars altera, licet nihil conferat concipiendo, tamen integrum jus habet conſenſus, quo mediante, conditiones conceptas facit quoque ſuas. Et ab illo conſenſu pendet tota ratio fœderis. Etenim ſi conditiones propoſitæ à parte unâ, diſpliceant alteri, licet prior in conditionibus nihil patiatur mutari, non erunt illæ conditiones fœderis, niſi ineundi, ſed quod non initum, ob diſſenſum, non eſt fœdus. De hujuſmodi igitur fœdere loquitur promiſſio, quod a Deo conceptum propoſitumque Iſraelitæ ratihabendo ſuum faciant, adeoque fœderis vim conſequatur. Epitheton *Novi*, non abſolute dicitur ſed relative, ad antecedens Vetus, ut ſeqq. docent & Heb. 8. cap. quomodo non primum eſt, ſed ſecundum; quorum diſcrimina edocebit deſcriptio, quam addit.

Verſ. 32. *Non ſecundum illud fedus quod pepigeram cum majoribus eorum, quo die prehendi manum eorum, ut educerem eos è terra Ægypti: nam ipſi irritum fecerunt fedus meum, & ego conjugio junctum manſiſſem eis? dictum Iehovæ.*

β. *Deſcribitur* enim καὶ οὐχ οὕτως verſ. 32. & κατὰ τὰ ῥήματα verſ. 33, 34. Iſraelitæ erant Fœderatus Dei populus ab antiquo, quibus cum novum fœdus polliceretur, utique Veteri diſſimile fore ſignificavit: qui hac propter erudiendi fuerunt, ut huic promiſſioni locum darent, de veteris inutilitate, deque novi neceſſitate.

(1.) *Negativa deſcriptio* indicat I. Quibuscum, II. Quando, III. Quo eventu initum fuerit, & tale negat fore novum.

(2.) *Quibuſcum* Vetus Fœdus initum ſit docet deſcribendo *Contrahentes*, dum dicit, *Quod pepigi cum Patribus ipſorum*. Eſt hîc prima pars Deus Opt. Max. æque ac in Novo; unde utrumque *Fœdus Dei* appellatur. Neque enim ille mutatur cum ſit Ehje Exod. 3: 14, 15. nequidem reſpectu Iſraelis Mal. 3: 6. nulla ducitur pœnitentia Num. 23: 19 &c. quod etiamnum de Iſraele valet Rom. 11: 28, 29. vult efficere Heb. 10: 23. 1 Theſ. 5: 24. & poteſt Rom. 4: 17. Altera pars ſunt Iſraelitæ, ſed *Patres* convertendorum ultimis temporibus. *Patres* illi ſeu Avi non ſunt Abraham, Iſaac & Jacob ſucceſſive, qui Iſraelitarum patres ſingulares, quibuſcum fœdus olim pepigerat Deus; Hoc enim fœdus non abrogatur, utpote non habens quod μεμῴμενον *reprehenſione dignum*; cum ex hoc inſtituenda ſit Iſraelis reſtitutio Lev. 26: 41. &c. & fœdus Abrahamicum illud ipſum ad quod vocantur Gentiles, ut Abrahami filii exemplares conſtituantur Rom. 4: 10. &c. Gal. 3: 29. Sed ſunt iſtorum poſteri, illi, qui numero 600000. circiter marium adultorum, ad quam multitudinem filii Jacobi in Ægypto excreverant, ex illa terra educti fuerunt. Quod plenius declarat.

(3.) *Temporis* circumſtantia, *quando* id factum. *quo die apprehendi manum eorum, ut eos educerem ex terrâ Ægypti.* Etenim tum temporis factus Iſrael fuit Dei peculium. Ipſum fœdus initum quidem demum ad montem Sinai, ſed quod ad conſummationem. Iſtic obſervanda eſt actio conſummatoria, quam multæ præparatoriæ anteceſſerint. Neque eſt quod quis hæreat in voce *Dici*; quandoquidem ille dies extenditur in longum, pluresque complectitur menſes. Nam quo die Deus patefecit conſilium de liberandis Iſraelitis ex Ægypto, eodem fœderis ineundi fecit mentionem Exod. 3: 6. &c. vocat *ſuum populum* quem ex fœdere cum majoribus velit liberare, quique ſibi ad montem Sinai ſint ſervituri. Sed plenius cap. 6: 3, 6. Enimvero non potuit eos adſciſcere in fœdus nationale, quamdiu erant ſub jugo alieno, & poteſtate tyranni. quamobrem primum fuerunt vindicandi ab Ægpptiis, ut liberati ab his ſervi fierent Deo. Exod. 15: 16. Deut. 4: 34. Pſal. 114: 1, 2. Verum eductos Amalekitæ invaſerunt, ut ſubigerent Exod. 17. unde vindicati ſunt prælio Joſuæ, & precibus Moſis inprimis. Tertio menſe ab egreſſu ex Ægypto venerunt ad montem Sinai Exod. 19: 1, 2. ubi Deus per Moſen denunciari curat, verſ. 3. &c. *Vidiſtis quæ Ægyptiis fecerim; quomodo vos alis aquilarum portarim, & vos ad me adduxerim.* Hactenus ergo omnia quæ acta erant pertinebant ad adducendos eos ad Deum; & non potuit ſolenne fœdus iniri niſi poſtquam eouſque perveniſſent; tum eductio ex Ægypto conſummata erat. Lev. 26: 12, 13. Ubi huc deducti, eopſe die invitati fuerunt ad fœdus Exod. 19: 1. ſeqq. & ubi id ſibi placere dixiſſent, dictus dies ad conventum contrahentium ab illo tertius, juſſique ſe interea parare, ſanctificatione ſeu ſegregatione ſui, veſtiumque mutatione. Et quia adhuc diviſi conſiderabantur, mons in quo Deus apparitura erat, ſepimento cinctus, cum interdicto acceſſus, *ut intergerinum quid foret*, ab invicem ſejunctos oſtendens. Definito ergo die tertio Deus magnâ gloria, *in igne & caligine* cum myriadibus angelorum deſcendit in montem Sinai; Moſes verò populum caſtris eduxit & conſtituit circumcirca ad radicem montis. Tum vero Deus formulam fœderis à ſe conceptam propoſuit voce clarâ diſtinctâque & ab omnibus intellectâ; quâ recitavit I. quid ipſe ex fœdere futurus eſſet, Dominus Deus ipſorum; cujus πιστὸν veracitas ſua, probata beneficio promiſſo in fœdere Abrahamo Gen. 15. II. Quid viciſſim a fœderatis hominibus fieri vellet, decem ſententiis comprehenſum. Conditionum iſtarum ordo erat, ut primum dictaret, quæ ipſe facturus eſſet ſuo populo fœderato; Deinde, quæ ab hoc eſſent præſtanda; quorum illud fidem poſcebat, hoc obedientiam: quemadmodum etiam in invitatione Exod. 19: 5. ille ordo officiorum indicatus. Sed populus reſpondit de poſteriori ſolummodo, ſe facturum mandata: cum invitaretur verſ. 8. cum conditiones ex Dei ore audiviſſet, Exod. 20: 19. Deut. 5: 27. quomodo fidem omiſiſſe teſtatur Deus, qui corde idoneo (quod utique fides petiiſſet & impetraſſet a Deo) carere queſtus eſt, verſ. 29. Et Deus dedit eis meditandi ſpatium, uſque dum ad ſanctionem res deducta eſſet, unde fœderis robur; Eſa. 24: verſ. 3. &c. quippe Moſes repetitâ formulâ fœderali, ſeu conditionibus ejus, accepit denuo reſponſum, de faciendo officium ſuum verſ. 3. ſcripſit deinde in libro conditiones illas, qui liber fœderis dicitur verſ. 7. & altero mane, excitato altari quod Deum, ſeu Mediatorem Chriſtum repræſentaret, & XII. columnis repræſentaturis tribus omnes, ex libro illo prælegit formulam, ad quam vice jam tertia reſponderunt *quicquid Dominus dixerit faciemus, & audiemus.* Quâ declaratione ſeu ratihabitione auditâ, quæ primam ſuorum operum, ſeu dei vel nullam, vel poſtremam faciebat mentionem, Moſes ſan-

ſanguine mactatorum hircorum & taurorum adſperſit ad altare Dei, & columnas populi, ipſumque librum Heb. 9: 19, 20. dixitque, *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Deus vobiſcum ſuper omnibus iſtis verbis*; non tantum uti a Deo concepta erant, ſed inprimis quomodo & quatenus acceptata fuerant ab Iſraelitis: ex quorum ſtipulatione obedientiæ, citra fidem præcedaneam, fœdus operum evaſit, propriis viribus præſtandum. Et Deus fœderatorum capita, 70. ſeniores, abolito dividente ſepimento, in ſuam præſentiam admiſit in montem, ſuam gloriam eis videndam præbuit, atque coram ſe fecit edere & bibere, fœderali convivio exceptos. Deus autem conditiones fœderis duabus tabulis lapideis inſcriptas Moſi cuſtodiendas tradidit, ut hujus pacti haberent tabulas. Sic fœdus illud initum fuit, juxta omnes temporis circumſtantias, invitationis, promulgationis, reſtipulationis & ſanctionis.

(1.) *Eventus* fœderis refertur geminus reſpectu Iſraelis & Dei.

(a.) *Reſpectu Iſraelis*; *Ipſi autem irritum fecerunt fœdus meum*, non præſtando conditiones ex ſua ſtipulatione, cujus accuſantur crebro, Jer. 7: 22. ſeqq. cap. 11: 3. ſeq. Violatio autem prima graviſſimaque patrata eſt per idololatriam aurei vituli, quando alii Deo, fictitio plane, ſe addixerunt, eique beneficium liberationis ex Ægypto adſcribentes, Deum deſeruerunt ejuſque cultum. Quod tanto gravius crimen, quia Ægyptiorum Deum, Apim colendum ſuſceperunt, Pſ. 106: 19, 20. contra quem Deus judicia exercuerat Exod. 12: 12. Num. 33: 4. adeoque victoriam Dei veri adſcripſerunt victo; uti Amazia 2 Chron. 25: 14. &c. Hac propter Moſes, fœderis illius mediator Gal. 3: verſ. 19. cognito facinore tabulas fœderales projectas in terram confregit, ſimul fœdus ipſum abolitum eſſe ſignificans.

(b.) *Reſpectu Dei*; *Et ego* בעלתי בם quidam reddunt *quamvis* (ſic ו reddunt, uti Deut. 13: 2. Pſ. 37: 25.) *conjugio junctus forem iis*. Verbum בעל *dominari* notat Eſa. 26: 13. & *conjugio junctum eſſe* Eſa. 54: 5. & Dei fœdus matrimoniale quodammodo eſt, arctiſſimum, & intimæ charitatis. Jer. 2: 2. Hoc ſenſu pertinebit tantum ad aggravationem delicti, contra Deum adeo benignum Jer. 2: 5, 31. Eſa. 63: v. 9. &c. Sed teſte Joſepho Kimhi, בעל cum ב conſtructum *faſtidii & averſionis* ſignificationem habet: quod ſecuti Græci, & Apoſtolus Heb. 8: 8. καγὼ ἠμέλησα αὐτῶν Hæc conſtructio ſemel adhuc occurrit Jer. 3: 14. כי בעלתי בכם *quamvis faſtidiverim vos &c.* Etenim faſtidium iſtud pertinet ad jus talionis, ut contemtores ſui contemnat Deus. Lev. 10: v. 2. ob violatum fœdus Sacerdotum Mal. 2: v. 6. 1 Sam. 2: 30. Hoſ. 4: 6. Conf. Deut. 32: 19. &c. Ezek. 16: 59. Faſtidium iſtud demonſtratum fuit Exod. 32. quando minatus eſt exterminium, ſolo Moſe ſervato, niſi hic interceſſiſſet; & poſt cædem quorundam per Levitas, deſertionem, niſi idem Moſes avertiſſet judicium illud atque impetraſſet, refectis reſtitutiſque tabulis, fœderis ad priſcam formulam reſtitutionem cap. 32. 33. 34. itemque quando primogenitos omnes ſacerdotii honore privavit Ezek. 20: 26. quamquam ſubſtituerit Levitas in illorum locum Exod. 32: 29. Num. 3. Attamen non abolitum fuit, penitus faſtidium Dei; uti enim Iſraelitæ jugiter redierunt ad fœdifragium, ſic Deus offenſus eos faſtidivit, ἐξοπτοφόρησεν in deſerto annis XL. & juravit non ingreſſuros in ſuam requiem Pſal. 95. Heb. 3. Et deinceps continua fuere propemodum teſtimonia violati ab Iſraelitis fœderis, & faſtidii Dei. Pſal. 78. 106. Ezek. 16. 20. & per omnem populi hiſtoriam. Pſ. 95: 10. ubi Iſrael dicuntur תעי לבב & Deus אקום ברור. Equidem nonnunquam repetitum fœdus Deut. 26. 29. 2 Chron. 15. 34. ſed pari ſemper fide. Unde tandem faſtidium Dei declaratum abjectione Schiluntis & tribus Ephraimi Pſ. 78: v. 60, 67. Jer. 7: 12. &c. poſt X tribuum & totius regni Iſraelis 2 Reg. 17. denique tribuum reliquarum ſeu regni Juda 2 Reg. 21: 11. 2 Chron. 36. Jer. 52. Quanquam autem Judæi redierunt ex Babylone, tamen cum eâdem manerent conditione, ut violarent fœdus, idem paſſi ſunt faſtidium; unde repudium uti Iſraelis Jer. 3. ſic Judæ Eſa. 50. quod potiſſimum conſummatum in ſecundâ vaſtatione Hieroſolymæ, quando qui fœdere priſco non ſteterunt, novum autem quod offerebatur, repudiarunt, Jer. 30: 22, 23, 24. faſtiditi ſunt, & adhuc tales vagantur ceu quorum curam Deus non agit Eſa. 54: 6. cap. 63: 19. Quæ omnia inutilitatem fœderis prioris abunde oſtendunt ex conſequentibus: quæ magis apparebit ex antecedentibus, ſeu conjunctis, de quibus ex oppoſitione cognoſcemus.

Verſ. 33. *Nam hoc illud* eſt *fœdus quod pangam cum domo Iſraelis poſt dies hos, dictum Jehovæ; indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam, & ero eis Deus & ipſi erunt mihi populus.*

(2.) *Affirmativa deſcriptio* verſ. 33, 34. *Sed hoc eſt Fœdus*, oppoſitum illi inutili Heb. 8: 7. quod *Novum* dixerat verſ. 31. circa quod ſpectanda habemus I. Tempus. II. Contrahentes, III. Fœdus ipſum verſ. 33. IV. Confirmationem fœderis ab affectu verſ. 34.

(א.) *Tempus*: *poſt hoſce dies*; ſed diebus futuris, verſ. 31. ut ad ultima tempora referatur. Dies præſentes erant vel fœderis, & ſecuturi erant graviores quod ad faſtidium Dei: ſed his elapſis huc erant revocandi Jer. 30: 23. &c. cap. 31: 1.

(ב.) *Contrahentes* ſunt iidem qui in Vetere fœdere, *Deus & Iſrael. Pangam fœdus cum domo Iſraelis.* Deus unus idemque, qui non mutatur, & quem non pœnitet initi olim fœderis. Rom. 11: 1, 2. Iſraelitæ hic non ſunt quidem iidem numero cum prioribus, patribus ſuis, ſed tamen iidem ſunt natione, priorum poſteritas, & qui jus fœderis habebant cum illis, uti ingreſſi in Cananæam, poſteri eorum qui ad Sinai montem pepigerant. Deut. 29: v. 9. ſeqq. Appellantur *domus Iſraelis*, non ſtricto ſenſu, ut verſ. 31. ubi domus Juda inde ſecludebatur; ſed generaliori, ut omnes familias Jacobi complectatur verſ. 1. Etenim cum ſit fœdus novum, ſucceſſurum veteri, hujus debent habere jus, atque in eo eſſe, qui illud conſequuntur: unde Apoſtolus nunquam Gentibus, ſed ſolis Hebræis de hoc novo fœdere, veteri ſucceſſuro, loquitur Heb. 8. cap. & debent omnes eodem admitti, qui in priori fuerunt, de tribubus omnibus loquor. quemadmodum id jam ſæpius demonſtratum. Verum circa hos aliquid differentiæ obſervandum à patribus. *Vetus fœdus*, ex pacto Iſraelitarum, quævis pars propriis viribus debuit præſtare: In quo quidem Deus nunquam deficit, cum ſit omnipotens, victoria Iſraelis 1 Sam. 15: 29. Sed Iſraelitæ non potuerunt non deficere, natura mali & ad illud proni Gen. 6: 5. cap. 8: 21. Eſa. 48: 8. eoque uti alii peccatores, Eſa. 2: 3. etiam impotentes Rom. 5: 6. Polliciti obedentiam ex ſe, atque adeo juſtitiam propriam, caruerunt corde idoneo Deut. 5: 29. neque illud petierunt à Deo, fatentibus ipſiſmet in Talmude Avada Sara cap. 1. fol. 5. 1. neque etiam Deus dedit Deut. 29: 4. Deſideratum ſemper in ipſorum obedientia cor Eſa. 29: 13. Ezek. 33: 31. quod juſſi ſibi parare Ezek. 18: 31. non quod poſſent, ſed quod ſine eo impoſſibilis foret obedientia; & qui ex ſe hanc tenebantur præſtare, etiam tenerentur ea ſibi parare. quæ eò pertinerent: quo ipſo convincebantur de indigentia illa & de impotentia, ut de ſe deſperantes ab eo peterent qui dare potis, Deo Pſ. 51; 12. &c. Ergo Iſraelitæ priſci fuere impotentes. Sed non ita Iſraelitæ poſteri de quibus hic. *In Novo fœdere* non quævis pars propriis viribus ſuo officio defungi debet; ſed utraque viribus Dei. Deus quæ promiſit, etiam hic præſtat. Sed Iſraelitæ præſtant omnia viribus à Deo ſubminiſtratis, qui antequam fœderis formulam proponit, pollicetur, idoneitatem ſe ipſis largiturum: ait enim *Indam legem meam* (תורתי) *interioribus ipſorum, & cordi ipſorum inſcribam illam.* Eſt hæc promiſſio aptitudinis, quam Deus operabitur in ipſis. Nam ſic indicatur Pſal. 40: 9. & 37: 31. Eſa. 51: v. 7. Non habent eam aptitudinem ex ſe magis quam majores, Pſal. 14. quod de Judæis dictum Rom. 3; 19. David de ſe Pſ. 51: 7. Salomo de omnibus Prov. 20: verſ. 9. Eccl. 7: verſ. 20. Job, 14: verſ. 4. Pſal. 58: verſ. 4. Jer. 13: verſ. 23. ſed Deus ſe daturum pollicetur, Deut. 30: 2, 6. &c. Jer. 32: 39, 40. Ezek. 11: 19. &c. cap. 36: 26. &c. Hanc ob cauſam Novum fœdus dicitur quod ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις νενομοθέτηται Heb. 8: v. 9. ipſa promulgatio conditionum, quæ legis ſeu doctrinæ rationem habent, facta eſt ſuper melioribus promiſſis, videlicet

licet de danda idoneitate : hanc promiſſionem præmittit, antequam de officiis loquatur. Licet enim olim quoque ſcriptam haberent doctrinam fœderis, digito Dei in tabulis lapideis, uti à Moſe in libro, tamen tantum erat teſtimonium contra ipſos, ad accuſandum deviantes. Verum nunc digito Dei inſcripta cordibus, confert efficaciter obediendi vires; quod ſynonymæ expreſſiones evincunt. Unde fluit ratio illius promiſſi, quod Judæis durum videtur Jer. 3: v. 16. de non reſtituenda arcâ : quia fœderis tabulas quivis fœderatus in corde ſuo circum geſtabit.

Quæſt. An ſub veteri fœdere nemo habuit aptitudinem? *Reſp.* Minime; & hacpropter omnes periiſſent, utpote fœditragi; Imo ſi habuiſſent, non fuiſſet opus Novo. Gal. 3: verſ. 21.

Object. Atqui David habuit, quemadmodum Pſal. 119. ſæpius teſtatur, & de aliis legimus fuiſſe obedientes, de Hizkiâ, Joſiâ, &c. *Reſp.* Omnino pii tempore V. F. habuerunt aptitudinem, ſed non ex V. F. Quicquid affuit, derivatum fuit ex fœdere Abrahami : Qui fide conceſſit in fœdus Gen. 15: 1. 6. cap. 17: 1, 2. Deum credens ſuum, eoque in ſe quoque validum ad præſtanda ea, quæ ex fœdere ipſi incumbebant. Sic quoque fideles V. T. David Pſ. 32: verſ. 1. &c. coll. cum Gen. 15: 1. verſ. 6. & hacpropter fide omnia à Deo petit Pſ. 51: 12. Pſ. 143: 10. Pſ. 86: 11. Pſ. 119: 22-36.

(3.) *Fœdus* ipſum ordinaria formula continetur, *Ero ipſis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Nihil novi hic infertum, quod non olim fuerit expreſſum, Exod. 6: 6. cap. 19 v. 5, 6. cap. 20: 1. &c. Lev. 26: 11. &c. Deut. 5. cap. 26: v. 16. neque aliter de novo loquitur, quoties illud promittit. Jer. 30: 22. cap. 31: 1. cap. 30: 39. &c. Ezek. 11: 20. cap. 36: 28. atque hâc eandem novo fœderi accommodat Paulus 2 Cor. 6: 16-18. Tenentur proinde Iſraelitæ ad eandem formulam fœderis, (quam tabulis inſcripſit Deus) etiam poſt converſionem, juxta illa Rom. 3: 31. cap. 7: v. 12-22-26. Luc. 16: 17. Matt. 5: 17. &c. Imo major hic obligatio, ob majus beneficium Luc. 12: 48. Etenim quis credat, majores dari vires, ut minus agatur? aut aptitudinem conceſſam, ubi major datur licentia? imo annon quivis rationem ſequens arbitrabitur, omnem quam dicimus aptitudinem in ſolâ jugi Iſraelitici ablatione conſiſtere? & plus poſſe videri, qui penſum abſolvunt minus, leviuſque onus geſtant? Obedientia fidei, quæ poſcitur a Gentibus per Evangelium Rom. 1: 5. cap. 16: 26. non differt ab obedientia hâc Iſraelitarum : imò nec ab illâ priſcâ, in Decalogo olim expreſſâ; Nam quod *fidei* dicatur, non rem mutat, ſed modum rei indicat, nempe non aliter quam fide, alienas vires adhibente, eam præſtari poſſe. Antecedit autem ſeu prævenit ſemper id quod Deus promiſit, *Ero in Deum. Deum eſſe* eſt omniſcium, omnipotentem, veracem, juſtum, bonum, æternum, immenſum, beatum eſſe, omnium autorem rectoremque : & *Eſſe alicujus Deum*, hæc omnia iſti eſſe, iſtiuſque bono; ut omnem ejus hominis conditionem ſciat, in eâ iſtum & poſſit & velit benedicere, defendere ac liberare quovis tempore ac loco, prout maxime proficuum erit, ſuæque beatitudinis reddere conſortem; quâ major felicitas concipi nequit, ut rectè dicatur Pſ. 33. v. 12, & 144: 15. Sed tunc ſequi debet, *erunt mihi in populum; Populum eſſe*, eſt eſſe multitudinem iiſdem legibus viventem, quibus circumſcribatur libertas, ut non, quicquid velit quis facere, liceat, ſed quod legibus illis permiſſum aut imperatum eſt; quomodo pax &c. concordia mutua ſervatur, atque mutuum quoque commodum & felicitas promoventur : & *Populum alicujus eſſe*, leges illas non in ſuâ habere poteſtate, ut abrogare, derogare, abrogare pro libitu poſſit, ſed à ſuperiore accepiſſe, qui ſuperior ſit & agnoſcatur & regimen ſummum habeat, ſive natura, ſive ex pacto, ſive utroque modo illud poſſideat : *populum* autem *Dei eſſe*, cui naturaliter quis ſubeſt, ut creatori creatura, ei etiam ex pacto ſe ſubjicere, ut omnem obedientiam præſtet, ſed heic quantum vires à Deo ſuppeditatæ valent Deut. 30: v. 6. &c. Jer. 37. v. 39. &c.

Verſ. 34. *Non autem* ſolum *docebunt amplius quiſque amicum ſuum & quiſque fratrem ſuum, dicendo; cognoſcite Jehovam: nam quotquot erunt cognoſcunt me à minimo eorum uſque ad maximum eorum, dictum Jehovæ me condonare iniquitatem ipſorum, & peccati ipſorum non recordari amplius.*

(7) *Confirmatio fœderis* v. 34. bimembris eſt, quorum primum ſpectat Inſtitutionem ſeu informationem, alterum Expiationem.

(a) *Inſtitutio* indicatur I. κατ' ἄρνησιν, *neque docebunt amplius, quiſque proximum ſuum & quiſque fratrem ſuum, dicendo, Cognoſcite Dominum*; ubi docentes ſunt homines, & qui docentur homines, & quidem aliqua ratione ſibi conjuncti, ſive Societatis communis, ſive cognominis ſingularis, & Inſtitutio, *docebunt*, & Doctrina tradenda, *dicendo cognoſcite Dominum :* in cujus notitia ſumma religionis continetur, 1 Chron. 28: 9. Joh. 17: 3. Eſa. 11: 9. Jer. 9: 24. cap. 22: 16. II. κατ' ἀντιθ, quod ad Objectum, *Cognoſcent me*, & quod ad Subjectum, in genere, *omnes*, in ſpecie, *à minimo eorum ad maximum eorum.* Additur autem tanquam ſigillum, *Dictum Domini.*

Continetur hiſce verbis diſcrimen aliquod V. & N. Fœderis : non docebunt amplius ſub N. Fœdere eo modo, quemadmodum nempe docuerant ſub vetere quod proinde indagandum eſt. Oſtenditur illud Heb. 8: 6. *Jeſus habet excellentius miniſterium, quia eſt mediator melioris fœderis cujus leges melioribus promiſſionibus ſociantur :* atque iſtud probatur dicto hoc Jeremiæ. Ergo & vetus habuit mediatorem, ſed minus excellentem, quia fœdus non æque bonum, ob defectum promiſſionum meliorum. Excellentia vero Mediatoris Jeſu in nulla re alia conſtituitur, quam in patefactione voluntatis Dei, ſeu ejus cognitione, de qua primum membrum loquitur, nam in ſecundo membro Chriſtus mediator eſt non revelationis, ſed ſatisfactionis & interceſſionis. Heb. 9: v. 15. Ergo differentia V. & N. Fœderis conſiſtit in differentibus doctoribus cognitionis divinæ, ſeu mediatoribus internunciis.

In *Vet. Fœdere* Mediator fuit Moſes; hunc adhibuerat Deus, ut Iſraelem invitaret ad fœdus, Exod. 19: 3. &c. ſed populus audito ex ore ipſius Dei Decalogo, territus majeſtate loquentis, deprecatus eſt auditionem ulteriorem, petiitque a Moſe, & a Deo per Moſen, atque etiam impetravit à Deo, ut Moſes foret deinceps internuncius & interpres voluntatis divinæ. Exod. 20: 18. &c. Deut. 5: 23 &c. 30, 31. & v. 5. Atque hacpropter Moſes dicitur Mediator Gal. 3: 19. (diſtinctus ab Angelo, quiipſi loquebatur Act. 7: 38. qui mediator fœderis gratiæ, à Deo propoſiti, cum Moſes tantum fuerit mediator fœderis quatenus ab Iſraelitis acceptatum, & ipſis proprium fœdus effectum eſt.) Hic eos erudiit de voluntate Dei, Deut. 4: v. 1. &c. cap. 5: 30. ſeq. cap. 6: 1. &c. tum repetendo quæ Deum loquentem audiverat, tum revelando quæcunque alia ad populi inſtitutionem pertinebant. Unde Moſes ſolum audiendus Mal. 4: 4. in cujus cathedra Doctores ſedebant Matt. 23: 2, 3. omnes Moſis diſcipuli Joh. 9: 28. &c. & hujus doctrina perennis valoris ſub eo fœdere Deut. 23: 4. Et quamvis heic plurium doctorum fiat mentio, tamen non niſi unus Moſes Doctor erat ſummus, cæteri omnes adſtricti ipſius verbis, & quaſi hypodidaſcali, qui omnem materiam ab ipſo accipiebant, quam aliis traderent. Joh. 9; 28, 29. Matt. 23: 2, 3. & hinc Prophetæ omnes non niſi teſtes doctrinæ Moſis Eſa. 8: 20. Unicaque fidei & vitæ regula lex, ſeu doctrina Moſis; ad quam provocatur, quæ ceu norma commendatur, & omnia ritè aut perperam facta ad eam examinantur. Verum enimvero hinc inefficax fuit fœdus Vetus; quia Moſes tantum loquebatur auribus; aſt has attentas reddere, imo mentem intelligentem, capacemque eruditionis, non poterat. Quod magis apparuit, quando faciem ſuam velamine texit, (quod non ferrent fulgorem inde prodeuntem.) Exod. 34: 32. Nam ut eſt 2 Cor. 3: 13. &c. hoc velo ſignificatur tectum Iſraelitarum cor, ut non penetrarent ad medullam doctrinæ Moſaicæ, ſed ſolum circa corticem hæreret. Rom. 10: 3, 4. Hinc factum ut ne quidem doctores cognoſcerent Dominum Jer. 2; 8. cap. 8: 8, 9. imò magis magiſque obſcurarentur Eſa. 29: 10-14.

In *N. Fœdere* Mediator eſt J. Chriſtus, Propheta internuncius alter, Moſi ſucceſſurus, in hoc munere, atque ejus officium terminaturus Deut. 18: 15. ſeqq. traditurus cognitionem Dei, quæ a Moſe non erat profecta Joh. 1: 17. nam v. 18. quæ vera gratia. Matt. 11: 27. Joh. 17: 2, 3. itemque v. 6-8. quæ cognitio per aures ad cor penetrat 2 Cor. 4: 6,

416. per Spiritum Sanctum. Joh. 16: 7-13. &c. 1 Joh. 2:27. Eſa. 59: 20, 21. quomodo omnes θεοδίδακτοι Eſa. 54: v. 13. Joh. 6: 44: 45, 46. Hinc de tempore Meſſiæ prædicitur uberrima cognitio Eſa. 11: 9. Hab, 2: 14. a diebus Johannis regnum Dei βιάζεται vim facit, nam Prophetæ & lex uſque ad Johannem prophetarunt Matt. 11: 12, 13. unde ſervator Luc. 10: 21-24.

Cæterum quod hic promiſſum de non docendo alios, non eam habet ſententiam, quaſi ſub N. Fœdere omnis inſtitutio aboleatur, quæ fit miniſterio hominum, aut etiam ex verbo ſcripto, ut ab immediata inſpiratione Dei omnis notitia ſit exſpectanda. Eſt hæc παρρησία; Affirmatur hic I. non docturos ſe mutuò; oppoſite ad conſuetudinem Iſraelitarum qui omnem cultum & religionem ducebant à placito parentum, & eorum exemplo Ezek. 20: 18. Jer. 44: 16. &c. 1 Pet. 1: 18. Gal. 1: v. 14. eoque non amplius petituros cognitionem ab amicis & genere proximis; quod Judæos hactenus moratur; cum etiam à Gentibus verbum Dei prædicatum debeant admittere Jer. 31: 10, 11. II. non docturos ſe mutuò ut in teſtimonium hominum ultimò reſolvatur ipſorum fides. Matt. 15: 9. Eſa. 29: 13. Matt. 23: 9. Joh. 7: 48. cap. 9: 22. cap. 12: 42. Act. 28: 22. Doctoribus ſibi ſervantibus clavem cognitionis Mal. 2: 7. &c. Luc. 11: 52. Sed efficaciam Spiritus fore majorem, Eſa. 59: 21. &c. ſociatam verbo, ut omnes fideles non tantum ab hominibus, horum autoritate, ſapientia aut eloquentiâ commoveantur, ſed ut convincantur Joh. 16: 7. &c. a Spir. S. & ſuavi inſtitutione Dei trahantur, cap. 6: v. 44: 45. ut in ejus unius teſtimonium reſolvatur ipſorum fides. Joh. 3: 33. Matt. 16: 16, 17. non acquieſcentibus hominibus inſtitutioni humanæ, ſed divinæ Eſa. 2: 2, 3. quam ſollicitandam habent Eph. 2: 16. &c. cum fides Dei donum ſit cap. 2: 8. Accedit quod iſtud beneficium citra diſcrimen ætatis aut conditionis ſit conferendum in N. Fœdere, Joel. 2: 29. Act. 2.

Objectum. Atqui durante veteri fœdere quicunque crediderunt à Deo edocti fuerunt, quod David de ſe teſtatur, deque verbo Dei Pſ. 19: 19. Imo Deus ſuo verbo eam virtutem adſcribit Joſ. 1: 8. fuitque omnibus Lex Moſis legenda & meditanda Pſ. 1: 2. Reprehenſi etiam qui hominum doctrinâ niterentur Eſa. 29: verſ. 13. nunquam autem mandatum ut abſolute Doctorum placitis acquieſcerent, quum examen horum omnibus ſit demandatum Eſa. 8: 20. Mal. 2: 7. &c. cap. 4: 4. Nihil ergò hîc differentiæ obſervandum occurrit. *Reſp.* Fatemur, nunquam Deum eam autoritatem olim dediſſe Doctoribus ut populus ad eos audiendos obſtringeretur: alias fuiſſent exſortes culpæ auditores, & ea aliquatenus in Deum caderet. Nimis iſtud cavit Deus Deut. 13: 1. &c. Ezk. 20: 18. &c. Joh. 5: 39. Luc. 16: 29. Sed I. quicunque ſub Fœdere veteri iſtud ſunt conſecuti, non hujus vi obtinuerunt, ſed antiquioris, Abrahamici, cujus jus hæreditarium habebant. Atque ſic II. non univerſitas populus fœderati, ſed quidam duntaxat, qui filii Abrahami, uti naturales, ſic etiam exemplares, illud aſſecuti ſunt. III. neque Spiritus Sanctus tunc erat Joh. 7: 39. non abſolutè, nam Eſa. 63: 11. ſpiritum ſuum ſanctum poſuit in medio ipſorum, quem contriſtarunt, v. 10. ſed quoad efficaciam. Erat ſpiritus inſtituens Neh. 9: 20. indicans per Prophetas quid faciendum Jer. 7: 11—25—44. ſed indicium iſtud erat convincens, non convertens. Largiens pluviam verbi ad humectationem; Eſa. 5: 6. ſed non immutans naturam terræ, ut maledictionis immunis non amplius ferret ſpinas, quæ liberalius ſurrexerunt Heb. 6: 7, 8. Eſa. 5: 1. &c. quod factum Rom. 7: 8. Aſt ſub N. Fœdere Spiritus S. Doctor datur longe liberalius, ita ut eo baptizati dici poſſent Matt. 3: 11. Act. 11: 16. & flumina habere ex ſe egredientia, Joh. 7: 37. quod prædictum Joel. 2: 28. &c. citra ſexus, ætatis aut conditionis diſcrimen, & impleri cœptum in pentecoſte illâ Act. 2. cap. cum in Apoſtolis, tum in aliis credentibus Act. 8: 10, 11. 15. 19 qualia Iſraeli in N. Fœdere promiſſa ſunt & præſtabuntur, quando illud in iis erit efficax Eſa. 11: 9. Quæ quidem ubertas donorum inter Gentes nunc non apparet, ad eam notitiam, ut quemadmodum aſperſio immerſioni in Baptiſmo ſubſtituta eſt, ita etiam hujus beneficii collatio. Tunc immerſi induebant Chriſtum, Gal. 3: 27. & induebantur virtute ex alto Act. 1: 5 nunc guttæ loco fluenti communicantur. Interim etiam nunc à Deo doctus eſt, qui homines doctores quidem audit, ſed nulli eorum credit; verum uni Scripturæ, in quâ Deus loquitur & docet. Doctores habens ut Samaritani mulierem illam Joh. 4: v. 41. &c. miniſtros per quos creditur 1 Cor. 3: 5. non quibus creditur, 2 Cor. 1: 24. adeoque dicere poteſt *Novi cui crediderim* 2 Tim. 1: v. 12. Nullum agnoſcens magiſtrum præter unum, Chriſtum 1 Cor. 7: 23. Matt. 23: 8. 10. Eph. 4: 20. &c. Joh. 6: 45. etiam quod ad materiam cognitam Matt. 16: 17. 1 Cor. 2: v. 7. 9 &c.

(b) *Expiatio* docetur, *Nam parcam iniquitati ipſorum, & peccati* ſive *reatus ipſorum non recordabor amplius.* Hic quoque diſcrimen V. & N. fœderis eſt animadvertendum. Quod monſtrat Apoſtolus Heb. 10: 8. &c. cum recitaſſet dictum Pſ. 40: 7. &c. ita applicat, ut hoſtiis V. T. ad expiationem peccatorum inutilibus, eoque ſæpius repetendis, ac rememorationem facientibus peccatorum, opponat hoſtiam Chriſti ſemel oblatam, & conſummatam expiationem procurantem; atque hoc confirmatum dicat à Spiritu S. quando hoc N. Fœderis beneficium commendat; *inſcribam legem meam* &c. *& peccatorum & iniquitatum ipſorum non recordabor amplius:* addatque concluſionis vicem; *ubi autem ἄφεσις peccatorum eſt, non amplius locus eſt relictus ſacrificio pro peccato.* Ergo ea ſignificatur oblivio peccatorum, quæ ſequatur hoſtiam vere expiatoriam, pertinentem ad fœderis novi ſanctionem: cui aliquid oppoſitum in V. fœdere monſtrandum eſt; Sanguis nempe fœderalis ad ſanctionem ejus fuſus.

In *V. Fœdere*, poſtquam Iſraelitæ ſupremam ratihabitionem pronunciaſſent, Moſes mediator fœderis ſanguine taurorum & hircorum, (cujus partem mediam in altare Dei effuderat) reſperſit populum univerſum, ſive XII. columnas populum repræſentantes addita hac formulâ, *hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Deus vobiſcum ſuper omnibus iſtis verbis.* Exod. 24: 8. Sanguis iſte non potuit auferre peccata, Heb. 10: 4. imo in illis, quæ ſub V. fœdere fiebant ſacrificiis, recordatio quoque fiebat peccatorum, cap. cap. 10: v. 1. &c. præter quotidiana etiam annua, & maxime ſolenne in die expiationis, non plus valebat cæteris, cum velum diviſionem teſtaretur factâ illâ & repræſentatâ expiatione: & eopſe veſpere rurſum jugi ſacrificio locus eſſet. Accedit & hoc quod adſperſio Sanguinis extrinſecus facta, nequibat penetrare ad interiora, ad cor & conſcientiam, ut mundarentur: corporis mundatio, Heb. 9: v. 13. nihilque præterea ſic procurata fuit. Sed in *N. Fœdere*, cum ſine ſanguinis effuſione non fiat remiſſio Heb. 9: 22. Sanguis eſt longe nobilioris hoſtiæ, mediatoris ejus Meſſiæ verſ. 9. ſeqq. qui penetrat ad corda & conſcientias eaſque mundat. 1 Joh. 1: 7. unde Chriſtus ſub eadem formulâ fœderali commendavit Matt. 26: 28. *Hic eſt ſanguis meus, N. Fœderis qui pro multis effunditur in* remiſſionem peccatorum. Ubi adjungit fructumiſtum R. P. cujus item ratio indicanda.

In *V. Fœdere* ſanguis primum affundebatur altari, & tum populo. Requirebatur ſanguinis vicarii effuſio, priuſquam coire poſſet cum reis fœdus & conciliatico; illo ſanguine erat exſatianda Dei ira, quem ignis adumbrabat; & hoc exſtincto, de eodem ſanguine in teſtimonium expiationis aſpergendi rei. Sed iſtic non erat exſatiata ira, non debebat exſtingui ignis, hoſtiæ manebant mortuæ, & aliæ erant jugiter ſucceſſuræ, &, ut dictum, aſperſio duntaxat extrinſeca, corporis. Verum in *N. Fœdere* Chriſti ſanguis fuſus, & in ſacrarium cœleſte illatus, æternam redemtionem nactus eſt, exſatiata penitus juſtitia, & exſtincta ira Dei, ita ut nulla amplius hoſtia eſſet neceſſaria, Heb. 10: v. 13. & hæc ipſa per reſuſcitationem, vitæ reſtitueretur. Quo facto fœderatis hominibus aſpergitur idem ille ſanguis, non extrinſecus ſed intus, ipſum cor; quamobrem (quod olim nefas) ſanguinem ſuam bibendum dedit, fecitque nobis cibum & potum, quia ſic חטאת, ut ſimul ſit Pacificum, unde offerentibus portio dabatur. Hæc vero efficacia ſanguinis *facit*, ut polliceatur Deus, *Parcam iniquitati* &c. eſtque beneficium fœderale, obſignans conciliationem. Rom. 11: 26, 27.

Cæterum quod verba attinet, נשא proprie notat *parcere, differre pœnas*, Jer. 5: 1. Num. 14: 19, 20. &c. convenientiſſime deſignans ἀνοχὴν Dei; & τὸ προσφορὰν Act. 13: 18. Valuitque etiam in V. F. Pſal. 103: v. 3. ſed una cum commemoratione peccatorum, Jer. 14: 10. Hoſ. 8: 13. cap. 9: 9. nec non κατεχάφω Col. 2: 14. aſt hic conjungitur cum oblivione, ob antegreſſam expiationem conſum-

matam; quâ & præteriti reatus erant exſoluti, & adducta juſtitia ſeculorum Dan 9: 24. Quo facit Eph. 5: 2. Sacrificium מחה pro peccato caruit thure ſacro, Lev. 5: v. 11. commemorans peccatum Num. 5: 15. ſed Chriſti fuit אשם Eſa. 53: 10. 2 Cor. 5: 21, & tamen ὠδὶας ὠσμὴ quia exſtinxit memoriam peccati. τὸ ולחטאתם habet ל vel ex ſyriſmo indicem accuſativi; vel ut ſit, *quod attinet: & quod reatum ipſorum attinet non recordabor amplius.* Quæ omnia manifeſtum faciunt excellentiam novi fœderis, quodque per illud ea fiat conjunctio fœderatorum, quæ & præteritæ inimicitiæ memoriam exſtinguat, & in futurum amicitiæ obſervantes conſtituat: quomodo non poteſt non eſſe fœdus æternum; quemadmodum Jer. 32: 39. &c. idem illud deſcribitur.

Verſ. 35. *Sic ait Jehova, qui diſponit ſolem ad lucem interdiu, ſtatuta lunæ & ſtellarum ad lucem noctu; qui diſrumpit mare & fremunt fluctus ejus, cui nomen* eſt *Jehova exercituum.*

Verſ. 36. *Si amovebuntur ſtatuta iſta à conſpectu meo, dictum Jehovæ, etiam ſemen Iſraelis ceſſabunt eſſe gens in conſpectu meo omnibus diebus.*

c. *Confirmatio benedictionum* utriuſque generis, ſpiritualium & corporalium eſt verſ. 35--40. qua Iſraelem ſecurum reddit in futurum quoque tum de ſuo eſſe verſ. 35, 36. tum de ſuo bene eſſe, tam ſpirituali verſ. 37. quam corporali verſ. 38--40. Conſulit autem hîc fidei Iſraelitarum, ut contra ſpem ſub ſpe credant, etiam quando omnia deſperationem dictare videntur; ut promiſſiones, quas toto capite recenſuit, exſpectare auſint. Heb. 6: 13, 17, 18.

α. τὸ *Eſſe* Iſraelis conſtans pollicetur verſ. 35, 36. cujus beneficii fundamenta declarat, atque his illud inædificat.

(1.) *Fundamenta* ſunt, I. Verbum ipſius Dei, *Sic ait Dominus*; verax ille, promiſſorum largitor, qui non primùm ſic innoteſcere vellet ut Exod. 6: 1, 2. ſed qui eo nomine quod ad effectum, æque notus eſſet a multis ſeculis, uti olim patribus per אל שדי Omniſufficiens. II. Exempla rerum conſtantiſſimarum quæ a Deo tamen habeant omnem illam conſtantiam; Sol & Luna cum ſtellis; Hæc Luminaria Deus in prima creatione conſtituit in expanſo, diſtinxitque munera, ut Sol interdiu lucis facem mundo inferiori præferret, Luna & ſtellæ noctu, quod dominium iſtorum corporum Gen. 1: 14. &c. Pſal. 136: 7, 8, 9. & poſt diluvium firmavit ordinem illum, & perennem diei & noctis ſucceſſionem, cunctis terræ diebus Gen. 8: 22. De Luna & ſtellis dicit חקות, de Sole nihil, & tamen verſ. 36. etiam ſub חקים comprehendit Solem; quia Sol unum חק habet, lege unâ ejus curſus regitur, ſed Luna & ſtellæ varias habent leges inter ſe differentes, quod curſus planetarum varius docet. III. *Exemplum* omnipotentiæ ſuæ, qui findit, commovet, mare ut fluctus ejus tumultuentur; idem legitur Eſa. 51: 15. vix quicquam violentius mari & quidem commoto, atque in eo Dei potentia cernitur, Job. 9: 8. cap. 38: 10, 11. Pſal. 65: 8. & 107: 24. &c. Jer. 5: 22. quidam hoc referunt ad ſiſſionem maris erythræi, ut Iſraeli præberet tranſitum, ut ad priſca omnipotentiæ divinæ teſtimonia circa Iſraelis liberationem exercita revocaret, ut Eſa. 51: 9, 10. cap. 63: 11. Pſ. 74: 12. quia in futura reſtitutione ſimilia ſe facturum dixit Eſa. 11: 15, 16. alii communis providentiæ opera deſignata putant. Abrab. τὸ רוגע explicat per quietans mare, (uti in Hiph. & Niph. uſurpatur, unde מרגעת) qui tranquillum reddit mare poſtquam tumultuatæ ſunt ejus undæ, ut graviſſimam tempeſtatem, (ſub qua fuerant Jer. 30: 23. 24.) poſſit ſedare momento. Pſal. 65: 8. ut Matt. 8. 26, 27. IV. *Nomen* ſuum *Jehova Zebaoth*, omnium exercituum quâ cœleſtium, quâ terreſtrium Imperator & dominus; imo & moderator temporum quæ in ſua poteſtate habet, tam ſingulorum hominum Pſ. 31: 16. quam nationis Iſraeliticæ Act. 1: 7. hoc ſuum nomen dicit eſſe, qui hiſce Virtutibus innotuerit in mundo, atque inter ipſos. Amoſ. 4: 13. Omnia iſta fundamenta ſunt conſtantiæ, verbum; res conſtantiſſimæ ab ipſo productæ; id quod maxime inſtabile & mobile, ut aqua, eâque maris æſtuantis Eſa. 57: v. 19. ipſius regimini obnoxium; notiſſima ſua poteſtas in mundi adminiſtratione.

(2.) *Inædificat* hiſce conſtans eſſe Iſraelitici populi v. 36. ſic ut conſtituat ſignum & ſignatum.

Signum eſt, *Si ordinationes iſtæ moveantur coram facie meâ, inquit Dominus*; Impoſſibilitatem ſignificat, quia ſuæ ſint ordinationes; neque mutatio hic obtingere poteſt, niſi vel potentia ejus deficiat, vel voluntas varietur, quorum utrumque impoſſibile: Ordo naturæ conſtantiſſimus eſt, ab autore & conſervatore ejus ſapientiſſimo potentiſſimoque profectus. Moveri nequit a coram facie Dei: nam licet coram hominibus aliquid variatum quandoque videatur, ut cum Sol & Luna conſtitêre tempore Joſuæ, aut Sol regreſſus eſt tempore Hizkiæ, ordinationes diei & noctis non mutatæ ſunt coram Deo: Etenim totam machinam cœli ſtitit, aut retrorſum egit, fecitque dies longiores, attamen etiam tunc dies circulo Solaris curſus deſcriptus fuit.

Signatum eſt: *tunc etiam ſemen Iſraelis deſinet eſſe populus coram facie meâ, omnibus diebus.* Æque hoc impoſſibile. *Iſraelis ſemen*, ſeu poſteritas, manebit ſemper *populus*; non tantum ſupererunt ſemper quidam de Iſraele, quemadmodum de aliis gentibus, quarum tamen notitia intercidit, dum immiſcentur nationibus inter quas vivunt; ſed ſupererunt ut populus, ut agnoſcatur peculiaris populus, qui legibus & vitæ inſtituto ab omnibus aliis populis diſtinguatur: quemadmodum fit etiamnum, Judæi ubique terrarum ſecreti manent ab iis populis, ubi exulant, & communi inter ſe ritu vivunt, ut ad Judæam nationem pertinere agnoſcantur publice; atque hoc futuri dicuntur *coram facie Dei*, quamvis non ſint populus ipſius, Loammi, ejecti domo, repudiata uxor, tamen agnoſcit eos populum peculiarem, cum aliis nil commune habentem, & conſervat diſtinctum, uti ordinationes, quæ coram facie ſuâ ſunt, conſervat: Atque iſtud futurum ait, *omnibus diebus*, uti illæ ordinationes omnibus diebus terræ continuabuntur. Impoſſibile proinde deficere populum Iſrael, ut non faciat peculiarem familiam terræ, Gen. 12: 2, 3. cap. 17: 7. &c. Num. 23: 9, 10, 29. &c. Deut. 7: 6, 7. Eſt. 3: 8. cap. 4: 14. Quicquid etiam contra moliti ſint hoſtes ad ejus excidium Eſt. 3: 9. Pſ. 83. nunquam quicquam valuerunt, nec valebunt unquam. Eſt verò hîc obſervanda bonitas Dei, qui naturæ conſtantillima ſignum conſtituit conſtantiæ populi Iſraelitici. Cœlum ſtellæ, Sol & Luna, dies & nox, ſacramenta ſunt Iſraeli: quoties iſta intuentur, de veritate promiſſionum Dei habent ſignum, Gen. 15: 5, 6. fides enim ſigna facit ſalutaria. Sic hoc loco & Jer. 33: 20. &c. 25. 26. de Davidis domo & regno. Pſ. 89: 30. 34. 36. &c. & de poſſeſſione conſtante terræ Deut. 11: 21. Imo quoties nos cœlum & ſidera intuemur, idem nobis confirmant de Iſraele, ſed credentibus promiſſioni divinæ, uti Iris ſolis fidelibus ſignum eſt fœderalis bonitatis Dei, de non imittendo terris altero deluvio. Conſtantia Iſraelis ſimiliter confirmatur Eſa. 66: 22. imo firmior conſtituitur Pſ. 102: 27. &c. Equidem Eſa. 54: 10. mutatio tribuitur montibus, ſed ſunt partes duntaxat terræ, neque tamen hinc præjudicium fieri vult ſuæ promiſſioni. Scl. concedit particularem mutationem quandoque fieri, ut Pſal. 107: 33. &c. & cum mare hinc inde exundat, etſi generaliter mare omnes ſuos terminos non ſupergrediatur; aut univerſalis rerum converſio non fiat.

Verſ. 37. *Sic ait Jehova, ſi poterunt menſurari cœli ſupernè, aut perveſtigari fundamenta terræ infernè, etiam ego ſpernam totum ſemen Iſraelis propter omnia quæ fecerunt: dictum Jehovæ.*

β. Τὸ benè eſſe Iſraeli pollicetur, & quidem tum Spirituale, tum Corporale.

(1.) Spirituale quidem verſ. 37. argumento ſimili ab impoſſibili: cui fundamenti loco ſubſternit Dei veritatem, quam & proponit & ſubjungit, ut de reipſa neutiquam dubitetur, cui ſuum nomen & aſſeverationem tum præſcribere, tum ſubſcribere placuit. *Res* ipſa conſtat collatione impoſſibilium, quorum unum certum & confeſſum ſtatuit. *Si*

Si cœli ſuperne menſurari, & fundamenta terræ inferne perveſtigari queant: utrumque iſtud ſtatuens impoſſibile. Opinantur quidem homines hoc ſe noſſe, quia centrum terræ non niſi 900 milliaribus ab extima ſuperficie diſtare affirmant, peripheriam terræ univerſæ 5400 milliarium facientes, cujus gradui ♆ 350 quindenis tributis. Sed tametſi concederetur recte initum computum, neque hilum differre à verâ diſtantiâ; quod tamen admodum dubium eſt; tamen veriſſimum neminem ſcrutando eouſque penetrare poſſe, ut eò ipſo facto deſcendat. Illud autem de altitudine cœlorum multo magis obſcurum eſt: quamvis enim definiant ex ſuis tum hypotheſibus tum obſervationibus altitudinem lunæ, ſolis, ſtellarumve aliarum, nihil tamen ſciunt, ullave humana arte ſcire poſſunt de altitudine cœli illius tertii, quo Paulus ſe raptum profitetur, ubi illud incipiat, minuſque adhuc ubi deſinat, quibus terminis extremis finiatur. Præterquam quod Dei Aſſeveratio, impoſſibilia iſta eſſe, omnem dubitationem, magiſque contradictionem à nobis deberet amovere.

Alterum, quod iſti impoſſibili ſimillimum conſtituitur, eſt, *Etiam ego totum ſemen Iſraelis reprobabo, propter omne quod egerunt.* Prius dicebat conſervandum ſemper populum, ut diſtinctus ab aliis maneret & agnoſceretur, Ezek. 20: 33. ſed id pertinuiſſet ad majorem miſeriam; continuari ad tolerationem judiciorum gravillimorum Jer. 30: 23, 24. Satius exterminari, ut non ſit, quam ſervari, ut maleſit, Matt. 26: 24. Hoc poſterius vero conſervationem pollicetur, ut bene ſit, dicitur autem iſtud negativè, indicato *Subjecto*, quod eſt *totum ſemen Iſraelis*, poſteritas, quæ tunc ſupererit, attamen non omnes & ſinguli; nam rebelles populi, etſi educti ex captivitate & congregati in deſertum populorum, perdentur ibidem Ezek. 20: 34. &c. Amos. 9: 9, 10. & tum totum reſiduum gratiam inveniet. *Actu* quem impoſſibilem conſtituit, *ſpernam, contemnam, reprobabo.* Faſtidium Dei contra ipſos valuit ſub priori fœdere, cum illud violaſſent; nunc vero aberit faſtidium. Deut. 4: 31. Lev. 26: 44. &c. Rom. 11: 1. 2. 28. Intelligitur autem contrarius amoris, & beneplaciti. Zach. 8: 11. &c. cap. 10: v. 6. III. Cauſa corrumpente, quæ efficacia caritura eſt, propter omne illud quod fecerunt; mali nempe: peccata enim contemtum Dei pariunt, non obedientia Num. 23: v. 20. &c. Deut. 32: v. 43. condonabit enim peccata, Jer. 50: 19, 20. cap. 51: 5. & ſanctificabit ab omni reatu & macula Eſa. 4: 4. Ezek. 36: 25. &c. cap. 39. verſ. ult. Jer. 32: 39, 40. Zeph. 3. cap.

Verſ. 38. *Ecce dies* venturi ſunt, *dictum Jehovæ, quum ædificabitur Jehovæ civitas hæc à turri Chananeelis uſque ad portam anguli*:

Verſ. 39. *Et procedit adhuc linea menſoria è regione illius, verſus collem ſcabioſi, ac deflectet Goham verſus:*

Verſ. 40. *Et tota convallis cadaverum ac cineris, cum omnibus agris illis, uſque ad torrentem Kidronis, ad angulum uſque portæ equorum Orientem verſus,* erit *ſancta Jehovæ: non exſtirpabitur, neque deſtruetur amplius umquam.*

(1.) *Corporale* autem v. 38-40. deſcriptione Hieroſolymæ, quæ metropolis totius populi, qualis per reſtitutionem futura ſit, quod ad Dignitatem, Magnitudinem, Conſtantiam.

Præmittit autem Definitionem temporis, v. 38. *Ecce Dies venient*; quod futuri ſignificationem habet, uti v. 27. 31. nam ad eadem tempora pertinent: & Aſſeverationem, *dictum Domini*: ut ſigillo veracitatis conformatam daret promiſſionem rei propemodum incredibilis, poſt diuturnam adeo Hieroſolymæ vaſtationem, Deut. 29. & conculcationem à Gentibus Luc. 21: 24. Porro reſtituendæ urbis.

(2) *Dignitas* eſt verſ. 38. *Urbs hæc ædificabitur Domino.* Ædificata fuit urbs Hieroſolyma autore incerto. Primam ejus volunt mentionem fieri quando optimum regem habuit Melchizedekum Gen. 14. dictamque tunc Salem. Quidam à Semo ſtructam volunt, quem eundem cum Melchizedeko faciunt. Poſtea ab Abrahami fide, qui in monte Moria dixerat, Dominus providebit, יראה ה׳ compoſita voce appellatam Jeruſalem. Sed cum Moria in Hieroſolyma fuerit area Araonæ, cui inædificatum templum 2 Chron. 3: v. 1. haud fit veriſimile, cum Abraham in monte Moria Iſaacum oblaturus eſſet, ibidem extitiſſe, aut vicinam adeo fuiſſe urbem Salem: ut alio loco Salem ſitam eſſe credendum videatur: In textu deeſt בא׳׳ם quod per puncta indicatur, ſicubis אלי deeſt Ruth. 3: 6. 18. quemadmodum ibid. v. 13. אם redundat. & ירך unum Jer. 51: 3. Hieroſolymam vero primum ædificatam à Jebuſitis, poſtea à tribubus Judæ & Benjamin maxime: poſt reditum ex Babel ab iiſdem reducibus, nec non aliarum tribuum hominibus. Neh. 2. 3. 11. 1 Chron. 9. Tunc autem ædificata hominibus, in horum uſum. Equidem Deo quoque quis dicat, cum a Deo delecta Pſ. 132: 13, 14. Pſ. 122: 3. &c. Pſ. 48: & 87. & ejus cultui ſacrata fuerit. Verum contradicit Deus Jer. 32: v. 31. &c. Quamvis enim foret ſanctuarium Domini, tamen profanatione Iſraelitarum evaſit ſpelunca latronum Jer. 7: 11. per variam idololatriam iſtic patratam 2 Reg. 21. Ezek. 8. Adhæc etiam cum tempora forent laudatiſſima ſub regibus piis, multum adhuc iſtic fuit reatus, uti in magnis urbibus ii ſolent eſſe abundantiores: unde habitatores Hieroſolymæ præ cæteris accuſantur a Prophetis. Zeph. 3. Eſa. 1. & paſſim. Aſt nunc ædificabitur Domino, ut ipſi ſanctificetur tota, nulli tribuum propria, ſed quia Dei, omnibus ex æquo communis: unde etiam denomiationem conſequitur Ezek. 48: v. 35. Nequit autem Domino ædificari, ſub novo fœdere, niſi ſit Chriſti, & a Chriſtianis teneatur, Iſraelitis ad Chriſtum converſis; pertinent enim hæc ad promiſſionem de reſtituendis jacturis Jacobi; quomodo & Hieroſolymæ, & quidem Domino reædificanda eſt: Ut magna mutatione in mundo adhuc opus ſit, ut hoc fiat. Hæc autem omnia, quæ neceſſe eſt fieri ut Hieroſolyma habitetur a Chriſtianis, & quidem Iſraelitis Chriſtianis, hic ſubintelligenda ſunt. Chriſtus Luc. 21: v. 24. innuit, Gentium tempora eſſe definita, & poſtquam ea effluxerunt, Hieroſolyma reſtituenda eſſe; ſunt verba Cl. Cocceji.

(3) *Magnitudo* Urbis, verſ. 38, 39, 40. quæ ex ambitu cognoſcitur. Ducit autem circulum, *à turri Hananelis* (quæ verſus orientem, ad latus templi ſeptentrionale Neh. 3: 1. cap. 12: 39.) *uſque ad portam anguli*, (2 Reg. 14: v. 13. Zach. 14: 10. qui eſt laterum ſeptentrionalis & orientalis.) *Exibit porro funiculus menſorius juxta eam ad collem Gareb, & circuibit ad Goah.* Abrab. cenſet deſignari ampliorem fore urbem, quam olim fuerat, ut jam funiculus antiquos terminos excedere debeat, & complecti prata ab utroque urbis latere ſita, quibus ea nomina tribuit. Alii collem Gareb Calvariæ montem faciunt, & Goah Golgatham, *Et tota vallis cadaverum*, (ſive ben Hinnom, ob humanas victimas Molocho oblatas Jer. 7: 32. ſive ubi Sanheribi exercitus ab Angelo cæſus, ſive vallis Joſaphat Joel. 3: 2. 13.) *& cineris* (quo ſordes templi & urbis convehebantur,) *& omnia arva ad torrentem Kidron* (quem Chriſtus tranſiit abiens in hortum Gethſemane, qui a pinguedine nomen habet, quemadmodum Abrab. etiam רשן hic reddi poſſe exiſtimat,) *uſque ad angulum portæ equorum*, (quæ ducebat in vallem Hinnom) *ad orientem*; Sic Zach. 14: 10, 11.

Repetit autem hic de *dignitate*; quantumcunque ampla ſit, & amplior quam unquam priſca urbs, tamen *erit Domino ſanctitas*, ipſi penitus ſegregata. Ezek. 43: 12. de templo dicitur, hanc ejus fore legem, ut omnis terminus totius montis circumquaque ſit S. Sanctorum, & cap. 45: 1. de portione aliqua terræ, & Zach. 14: 21. de ollis Hieroſolymæ. Quare nequit intelligi reædificatio ea quæ facta eſt per Zorobabelem: nam tum in urbe aliud fuit ſanctum, aliud profanum, hic autem dicitur ſtatim ubi reædificata fuerit, totam fore ſanctam Domino.

(4) *Conſtantia* v, 40. *Non amplius evelletur aut deſtruetur in æternum*: illud per ejectionem & deportationem incolarum; iſtud per ipſiuſmet urbis deſtructionem, uti Zach. 14. v. 11. habitabunt in ea, neque amplius erit anathema, & Hieroſolyma ſecure habitabit. Sic Eſa. 33. verſ. 30. &c. Quod ipſum quoque argumento eſt, hic non eſſe Sermonem de Hieroſolyma Zorobabelis, ſed aliam adhuc exſpectandam eſſe.

Claudimus iſta verbis Cl. Ameſii, in diſputatione habita 1627. *Veriſimile admodum eſt, Judæos, poſt exſpecta-*

tam

tam eorum conversionem, redituros in suam patriam, & erecturos optimam formam Reipublicæ sive regni: sed tamen nihil inde concludi potest de temporali Christi regno in terris, & corporali ejus præsentia inter Judæos in terram Canaan reversos.

Concio, seu Prophetia XX.

[Hactenus Conciones Prophetæ adhuc Liberi, sequuntur quas habuit *CAPTIVUS.*]

CAP. XXXII.

SIngularis Prophetia hoc capite continetur, quod quidem ex parte historicum est, sed quod ipsum partem Prophetiæ facit, utpote ex Dei singulari ordinatione ac revelatione profectum. Constat autem. I. Narratione de emto agro à Jeremiâ ex Dei mandato vers 1--15. II. Recitatione colloqui inter Jeremiam & Deum desuper habiti.

Vers. 1. *Verbum quod fuit ad Jirmejam à Jehova anno decimo Tzidkijæ Regis Jehudæ: is annus* est *annus decimus octavus Nebucad-netzaris.*

Vers. 2. *Tunc autem copiæ Regis Babyloniæ obsidebant Jeruschalaima; & Jirmeja Propheta erat inclusus atrio custodiæ quæ* erat *ut domo Regis Jehudæ.*

Vers. 3. *Nam incluserat illum Tzidkija Rex Jehudæ, dicendo: cur prophetas dicendo, sic ait Jehova, ecce ego traditurus sum civitatem hanc in manum Regis Babyloniæ ut capiat eam.*

Vers. 4. *Etiam Tzidkija Rex Jehudæ non eripiet se è manu Chaldæorum: sed omnino tradetur in manum Regis Babyloniæ & alloquetur os illius cum in os, & oculi hujus oculos illius videbunt:*

Vers. 5. *Denique in Babyloniam abducet Tzidkijam, ubi futurus est donec visitem ipsum, dictum Iehovæ: quod pugnatis contra Chaldæos, non prosperabimini.*

EMEND consideranda quoad suas circumstantias, uti sunt I. Tempus vers. 1, 2. II. Locus v. 2-5. III. Causæ v. 6, 7, 8. IV. Modus v. 9-14. V. Finis v. 15.

I. *Tempus* vers. 1, 2. continetur: cui generale exordium præscribitur v. 1. idem cum eo quo usus est cap. 7: 1. cap. 11: 1. & alibi sæpius. Significat isto, quicquid hujus est non à se prodiisse, sed Deum habere autorem, qui quod placuit revelavit, ut si fides non haberetur, id non ad suam injuriam, sed ad Dei contemtum pertineret. Et si quid ingratum auribus, vel minus verisimile proponeretur, non æstimarent ex sui recitantis, sed Dei revelantis veracitate & potentia: imo patienter se loquentem ferrent, etiam cum duriora denunciaret, quoniam Deo obsequium negare non liceret, sive sermonis sive operis exigeret. *Tempus* descriptum est I. *Ab annis* regum, duorum vers. 1. quorum prior *Zedekias*, posterior *Nebucadnezar*: Eos conjungit, quorum ille naturalis, & immediatus, Josiæ filius, de semine Davidis regio: iste mediatus ex belli jure, justo Dei judicio victor populi, qui Dan. 5: 19. ex sua voluntate deponebat reges subjugatos, Jojakimum & Jechoniam, & constituebat, Zedekiam surrogando, qui fiduciarius cliens adeoque qui hunc superiorem agnoscere, & non minus reverenter colere debebat juxta cum aliis regibus, quemadmodum à suis subditis colebatur. Jer. 25. & 27. Factum autem hoc est *anno Zedekiæ decimo, & decimo octavo Nebucadnezaris*, Zedekias regnavit annos undecim: quorum nono, mense decimo cœpit obsideri Hierosolyma, & undecimo, mense quarto capta est: eoque pertinet ad ultima regni Judaici tempora. II. *A statu* urbis. v. 2. *Exercitus regis Babel tunc obsidebat Hierosolymam.* Obsidium istud iis, quibus dictum est, terminis clauditur, non tamen fuit continuum. Ex Jer. 34: 7. 20. & cap. 37: 7. liquet interruptum fuisse; quum enim Ægyptii suppetias laturi Judæis exercitum eduxissent contra Chaldæos, hi solutâ obsidione illis obviam iverunt, ac superatis Ægyptiis reliquas urbes munitas occuparunt, atque sic redierunt in castra sua, continuatum obsidionem cœptam ad plenam usque victoriam. Durante prima obsidione Jeremias carceri mancipatus non fuit, Jer. 37: 4. unde eâ solutâ tentavit urbe egredi, sed in portâ detentus, & in custodiam datus fuit, seditque in tetro carcere, in obscuris claustris per dies multos, unde demum Zedekiæ regis gratia & favore traductus fuit in atritum custodiæ; ubi hæc gesta sunt; ut paucis mensibus ante urbis excidium ista acciderint, exeunte anno Zedekiæ decimo.

II. *Locus* v. 2. indicatur, simulque v. 3, 4, 5. Causa, cur in eum devenerit.

1. *Locus* quidem v. 2. *Et Jeremias propheta clausus erat in atrio custodiæ, quæ in domo regis Judæ.* Carcer ille fuit honoratior, & mitior, quam in quo fuerat antea in domo Jonathanis scribæ, in tetris claustris cap. 37: 14. &c. aut in quem post conjectus, cœnosa fovea Malachiæ cap. 38: v. 6, &c. unde eum Ebedmelech funibus extraxit Scl. fuit carcer regius in ipsa aulâ, & quidem distinctus partibus quibusdam: fuit locus custodiæ arctioris, משרא: & fuit ante illum atrium, ubi liberius captivi versabantur, ut ad eos cuivis daretur accessus, & res suas domesticas inde possent ordinare. In hâc exteriore parte; quæ mitissima captivorum conditio, beneficio Zedekiæ degebat Jeremias Propheta (quem titulum ibi servabat, & quod munus, quamquam causam dedisset incarcerationi, etiam tunc gerebat, & gerere agnoscebatur Jer. 21. cap. 38.) non sua sponte ingressus, ut aliquos consolaretur, sed conclusus vi majore. Unde liquet, posse quem esse & manere verum Prophetam, etiamsi maleficorum instar habeatur ab iis qui vera Ecclesia dicuntur: sic Hanani 2 Chron. 16: 7. 10. & Micha incarcerantur 1 Reg. 22. Zacharia lapidatur 2 Chron. 24. Uria gladio necatur Jer. 26. quod Baptistæ, Christo, Apostolis contigit olim; ut non æstimandi sint Doctores ex conditione externa; ut in pretio habeantur quando omnium habent applausum, deserantur autem quando publice desertos oppugnatosque cernunt: sed inspicienda doctrina, & causa ipsorum: nam non carcer, non supplicium, non mors infamant, sed meritum illorum malorum.

2. *Causa* autem v. 3, 4, 5. cujus memorat 1. Autorem. 2. Meritum.

1. *Autor* est incarcerationis vers. 3. אשר pro באשר *postquam eum conclusserat Zedekias rex Juda.* vel pro באשר *in quem carcerem &c.* Nemini enim jus erat quam Regi, unde cum Jer. 26: 8. &c. Sacerdotes & Prophetæ eum comprehendissent necaturi, mox principes Judæ, ex domo Regis accesserunt, & judicium exercuerunt, ut illi non nisi accusatores esse possent. Præterea hujus jurisdictioni subjectus erat Jeremias, licet generis esset Levitici imo Sacerdotalis: neque enim horum peculiaris erat judex, sed omnes ordinario tribunali suberant; Sic Salomo judicat de Abjathare 1 Reg. 2. cap. Apostoli etiam nunquam excepêre, aut excipiendum docuêre contra magistratus politicos, quia essent Ecclesiasticæ personæ, cum alioqui jus suum subinde tuiti sint: Act. 16: 36. cap. 22: 25. Unde generale mandatum Rom. 13: 1. & 1 Pet. 2: 13, 14. 2 Chron. 19: 11. causæ Dei quæ præside Pontifice definiebantur, erant omnes quæ lege Dei & in Synedrio majore erant decidendæ: sed causæ regis, quæ ex jure regio nascebantur.

2. *Meritum* est, quod crimini ipsi datum fuit; *dicendo, quare tu Prophetas?* non erat delictum admissum, sed concionatus erat, & vaticinatus duntaxat, non quid ipse facere vellet, aut alios incitare ut facerent, sed quid Deus esset acturus. Non erat istud crimen; Erant Prophetæ multi, & difficilioribus temporibus anxie quærebantur 1 Reg. 22. 2 Reg. 3. Jer. 23: 27, 28. sed materia concionis ejus displicebat: quod denunciaret extremam perniciem regni. Hoc non ferebant, nec ferunt facile accusari ceu desperatæ improbitatis, qui non nisi ultimis suppliciis sint corrigendi, ut pe-

pejores aliis cenſeantur: Hinc odia contra doctores, qui Zelo majori ducuntur: cujus exempla in Sacris varia. Eſa. 30: verſ. 9. &c. Amoſ. 2: verſ. 12. cap. 7: verſ. 10. 1 Reg. 22.

Recitatur autem *Summa concionis* verſ. 3, 4, 5. quamvis non una vice ſic locutus videatur, ſaltem non exſtant eo modo deſcripta ejus verba: ſed veriſimile eſt ex pluribus concionibus excerpta eſſe, & in unum contracta; quemadmodum in criminationibus contra pios doctores captari, & hinc inde excerpi ſolet, & tum in unum congeri, quicquid uſpiam ad eos gravandos poſt reperiri, uti cum Chriſto actum, aliiſque. Plures autem habitæ ab ipſo fuerant conciones, quibus excidium urbis prædicebatur, Jer. 7. 13. 19 ſed inprimis tres ſpectaſſe potuerunt, ante carcerem ejus habitas, I. in primâ obſidione urbis Jer. 31: 1. &c. II. cum obſidio ſoluta eſſet, ibid. verſ. 8. &c. III. digreſſis eo tempore Chaldæis Jer. 37: 6. &c. Summa huc redit. I. Urbem ceſſuram Regi Babel, Deo eam tradente. verſ 3, II. Zedekiam Regem a Chaldæis capiendum, non ſuccedente fugâ, & tradendum Regi Babel, in cujus præſentiam deducendus ſit, eum viſurus, ei etiam locuturus, quod non potuit non terrori eſſe rebelli perjuro, ſiſti coram Nebucadnezare, a quo regnum acceperat. Imo deportandum eſſe Babelem, ibi moraturum, citra ſpem ullam reſtitutionis, uti quidem Manaſſi contigerat 2 Chron. 33. cum ſibi futurus eſſet, *donec viſitavero ipſum, dictum Domini*, verſ. 4, 5. *Viſitatio* autem iſta non eſt reſtitutionis in patriam neque habet carceris, quem ibi ſubiturus eſſet, vel aggravationem vel levationem; ſed eſt mortis, quam naturalem habiturus eſſet, non violentam, Num. 16: 29. quod plenius declaratur Jer. 34: 2. &c. III. Defenſionem urbis contra Chaldæos fore inutilem. verſ. 5. nullo felici ſucceſſu ſuſcipiendam aut continuandam: quod etiam dicetur in ſeqq. כי heic eſt quando, vel quamvis.

Verſ. 6. *Dixit ergo Iirmeja; fuit verbum Iehovæ ad me, dicendo.*

Verſ. 7. *Ecce Chanameel filius Schallumi patrui tui venit ad te, dicturus, compara tibi agrum meum qui* eſt *ad Hanathothas; nam tuum* eſt *jus redempturæ ut compares.*

III. *Cauſæ* Emtionis verſ. 6, 7, 8. duæ ſunt, Divina & Humana.

1. *Divina* ſunt verſ. 6, 7. cujus indicium eſt verſ. 6. *Dixit ergo Jeremia, verbum Domini ad me factum eſt, dicendo.* Dixit iſtud, ad eos nempe, qui in eodem atrio cuſtodiæ erant, ſive concaptivos, ibidem ſecum detentos, ſive captivorum curatores, Gen. 40. ſive alios etiam qui ſuâ ſponte eò veniebant, privatorum negotiorum gratiâ. His indicavit, ſibi per viſionem aut per ſomnium aliquid eſſe revelatum, uti fieri ſolebat Prophetis Num. 12: 6. ſic apparet ligato Propheta, nec Spiritum Dei, nec verbum ejus ligatum fuiſſe. Declarat autem verſ. 7. Ecce Chanamel filius Sallum patrui tui venit ad te &c. Prædicitur a Deo Jeremiæ, & ab hoc aliis antequam fiat, ut cum fieret, de cætero non dubitarent. Deus etiam levioris momenti res revelat Prophetis quandoque, Somnia ſervorum Pharaonis Gen. 40. Ezekielis uxoris mortem Ezek. 24. mortem Hananiæ Jer. 28. ut per hæc quaſi manuducantur ut maximorum quoque notitiam & moderamen penes Deum eſſe agnoſcant, firmiterque prædicenti credant: deſcribit autem venditorem, proximum adventum, oblationem mercis emendæ, ejuſque deſcriptionem, nec non rationem contractus ineundi. Abrab. rationem illam non Venditoris verba putat, ſed Dei, dicentis, Ego effeci ut Chanamel ad te veniret, & ex te ſciſcitaretur: quoniam redemtionis jus ad te ſpectat, ſimulque ſignificantis, Emendum ipſi agrum, quia jure ad ipſum devolvatur. Sed non opus iſta expoſitione, quæ non ſatis cohæret præcedentibus.

Verſ. 8. *Quum ergo veniens ad me Chanameel filius patrui mei ſecundùm verbum Jehovæ, ad atrium cuſtodiæ; indixiſſet mihi, compara quæſo agrum meum qui* eſt *ad Hanathothas, qui* eſt *in terra Binjaminis, nam tuum* eſt *jus hæreditatis, & tuum redempturæ, compara tibi: & agnoviſſem verbum Jehovæ id eſſe:*

2. *Humana* verſ. 8. ubi deſcriptus I. Venditor *Chanamel filius patrui mei, Schallum* enim hujus, & Chilkia Jeremiæ pater fuerunt fratres, adeoque Sacerdotalis generis ambo. II. Locus, *venit ad me in domum cuſtodiæ*: unde liquet carcerem fuiſſe liberiorem ut cuivis accedere, & incarceratis res ſuas agere licuerit. III. Impulſiva, *juxta verbum Domini*: quod Jeremiæ, non quod Chanameli fuerat revelatum. Neque enim videtur in viſione aut ſomnio monitus, ut venditionem inſtitueret; Quanquam in Talmude, Megilla Bab. cap. 1. fol. 14. 2. numeretur juxta cum patre ſuo, & patruo, & patruele, inter octo Prophetas, qui a Rachabâ ex Joſuâ per filias originem ſuam duxiſſe dicuntur. IV. Oblatio venalis agri; & *dixit ad me Eme quæſo agrum meum, qui in Anathoth Benjaminiticæ tribus*, communi utriuſque patriâ. V. Rationes emtionem perſuaſuræ; *nam tuum eſt jus hæreditarium*, proximus es hæres; & *tua eſt redemtio*, primo omnium tibi debetur, ut nemini ante te offerre, aut illum emere liceat: *eme* ergo *tibi*: ut jure tuo utaris. משפט *jus*, lege & more competens, sic משפט הבכורה & מש הגאולה הירושה משפט Deut. 21: v. 17. Et משפט חמלך 1 Sam. 8. VI. Jeremiæ affectus, *Et cognovi eſſe verbum Domini iſtud.* Quæ ut intelligantur repetenda quædam de moribus legibuſque Iſraelitarum. Lev. 25; 25. &c. ſi quis poſſeſſionem ſuam venditurus eſſet, proximo genere fuit ea redimenda, ne alienaretur extra familiam: Cum ergo Chanamel proximiorem patruele Jeremiâ non haberet, in ipſo carcere eum quæſivit, venalemque agrum obtulit.

Sed unde fuit ager venalis Chanameli Sacerdoti, cum Levitis nulla foret portio in terrâ Canaan? Reſp. Leviticæ tribui, licet cum cæteris in diviſionem terræ non veniſſet, ab initio fuerunt aſſignatæ 48. urbes, cum ſuburbiis, ad alenda pecora neceſſariis: quæ ſuburbia inter familias cujuſvis urbis diſtributa fuiſſe veriſimile eſt. Urbium illarum una fuit Anathoth, quæ Aaronis poſteris ceſſit, una cum 12. aliis urbibus Joſ. 21: 18. & Abjathar, quando motus fuit Sacerdotio, juſſus eſt ſe recipere Anathothum in agros ſuos 1 Reg. 2: 26. portionem ſuam quam in illis ſuburbiis poſſidebat. Sic quoque Chanamel hæreditariam portionem habuit à patre ſuo, quam patrueli emendam offert, ceu agnato proximo; quam non admodum amplam fuiſſe, nec modum ſuburbii Levitici excedentem, pretium verſ. 9. memoratum, oſtendit. Hanc cum patruelis veniſſet oblatum, juxta id quod Deus paulo ante ipſi revelarat, agnovit revelationem divinam eſſe, non quod antea de eâ dubitarit; ſic enim non illicò præſentibus feciſſet indicium factæ ſibi revelationis: ſed quod magis adhuc confirmatus fuerit, eventu comprobante; vel potius quod agnoverit, de quo Deus nihil diſerte dixerat, velle Deum ut emtionem inſtitueret; qui patruelem ut ad ſe captivum veniret, agrum offerret, & tantopere ad emtionem urgeret, effecerat: adeoque agnovit Deum per Chanamelem ſibi loquentem, quod hic ipſe forſitan non intellixit.

Verſ. 9. *Comparavi à Chanameele filio patruì mei agrum illum, qui* eſt *ad Hmnathothas, & appendi ei pecuniam, ſeptemdecim ſiclos argenti:*

IV. *Modus* verſ. 9--14. Emtionis habet.

1. Contractum verſ. 9. *Emi ergo agrum a Chanamele patruele meo, qui ager in Anathoth, & appendi illi argentum*, quia ad pondus ſolvebatur precium, ne fraudi foret locus, adulteratis nummis aut acciſis. Precium autem ipſum fuit 7. *ſiclorum, & 10. argenteorum.* Quantam ſummam hæc conficiant, ambigitur. Belgæ habent 17. *ſiclos argenteos* conjungentes quæ dividuntur: quia כסף abſolute de argenteis ſiclis dicitur, Deut. 22: 19, 29. & conficiuntur, ſiquidem communes ſicli fuerint, 4½ Imperiales: ſin ſacri obtinuerint inter perſonas ſacras, & harum poſſeſſiones, 8½ Imp. Sic quoque Junius, Piſcator, Angli. Aſt Calvinus & eo prior Lutherus reddunt 7. *ſiclos & 10. obolos*; qui facerent 1⅞ Imp. & Sacræ monetæ fere 4 Imp. Chaldæus, 7 *minas* &

10 *ſiclos*; mina autem 30 ſiclorum fuit; & pretium heic 220 ſiclorum, hoc eſt 55 Imp. Sed mina ſacra 23 ſiclorum, ſeu 50 communium; eoque in univerſum 91½ Imp. Abrab. ex Veteribus notat, כסף *in lege ſiclos notat, in Prophetis libras ſeu minas; in hagiographis centenarios*: quam regulam ſi ſequamur, fuere hic ex contractu 7 ſicli, & 10 minæ, ſive 307 ſicli vulgares, id eſt 76¾ Imper. aut ſacræ monetæ, 128½ Imp. Quamcunque autem rationem ineamus, non adeo grande pretium eſt, unde colligitur non prædium ingens, ſed pratum forte, alendis pecoribus deſtinatum, redemtum fuiſſe.

Obſervanda autem hoc loco obedientia Prophetæ: urbe Hieroſolymâ ſecunda vice obſeſſâ, & certo ventura in poteſtatem hoſtium, Anathoth jam dudum occupatâ, utpote quæ in itinere ſita Eſa. 10: 30. a tranſeuntibus Babyloniis fuerat direpta præſidiiſque afflicta; iſtic emere agrum qui tradi non poterat, ſtultitiæ videbatur: immo adverſari prædictionibus Jeremiæ de exilio ſubeundo, ſiquidem ipſe manendi ſpem confirmaſſet iſto contractu. Verum Deo jubente, quam juſſionem ex revelatione & hujus complemento, colligebat, illico paret, negligit pecuniam, quam abjeciſſe cenſeri quibat, & ſeponit quaſcunque moviſſe potuiſſet difficultates, & clauſis quaſi oculis obtemperat.

Verſ. 10. *Et ſcribens in litteris obſignavi, & adhibui teſtes; quum appendiſſem pecuniam trutina.*

Verſ. 11. *Deinde ſumens literas emtionis*, tum *obſignatas præcepti & ſtatutorum, tum publicas?*

Verſ. 12. *Tradidi literas emptionis Baruco filio Nerijæ filii Machſejæ; ante oculos Chanameelis patruelis mei, & ante oculos teſtium qui ſubſcripſerant literis emtionis: ante oculos omnium Jehudæorum qui reſidebant in atrio cuſtodiæ.*

Verſ. 13. *Et præcepi Baruco ante oculos eorum; dicendo.*

Verſ. 14. *Sic ait Jehova exercituum, Deus Iiſraelis, ſume literas has, literas emptionis has, tum obſignatas, tum literas publicas haſce, quas reponas in vaſe teſtaceo, ut permaneant dies multos.*

2. *Confirmatio* contractus fit in Præſens & Futurum.

א. *In præſens.* verſ. 10. ubi I. Scriptio contractus, & *Scripſi in libro*, ספר omnis generis *volumen* notat magnum aut parvum cui aliquid inſcribitur; Exod. 24. heic ſunt tabulæ, quibus contrahentium nomina continebantur, una cum merce vendita & pretio, quomodo jus venditoris in emtorem tranſlatum fuiſſet. II. Obſignatio, & *obſignavi*: facta ſive chirographo, ſive ſigillo appoſito. III. Teſtes & *conteſtatus ſum teſtes*; qui itidem contractui robur addiderunt ſubſcriptione ſua: IV. Appenſio argenti, & *bilancibus appendi argentum*, præſentibus teſtibus, ut juſti ponderis nummos perſolutos fuiſſe etiam his conſtaret. Quomodo optima fide actum fuit, ut Contractui legitimo nihil deeſſet, quo minus ab utraque parte eſſet ratus.

ב. *In futurum.* verſ. 11, 12. de Cuſtodia tabularum, ubi *Quot fuerint inſtrumenta*: Hebræi tria agnoſcunt, (א.) ספר המקנה quo continebatur Emtionis teſtimonium, quod Chamamel Jeremiæ agrum ſuum vendidiſſet, quem Venditoris ſcripturam faciunt de ſuâ venditione. ב. החתום והמצורה והחוקים, quo exprimebantur conditiones venditionis, puta numerus annorum reſiduorum uſque ad jubileum, quorum proventus vendebatur, juxta המצורה præceptum legis Moſaicæ Lev. 25. nec non aliæ juxta החוקים ſtatuta, lege & more obſervanda: hoc autem inſtrumentum obſignatum fuit manu, vel etiam ſigillo teſtium. ג. הגלוי quo emtor unicuique fidem faceret emti agri, ut alia inſtrumenta producere non foret opus. Aſt Joſeph Kimchi cenſet הגלוי dici inſtrumentum factæ publcationis, ut ſi quis propinquior foret, vindicias ſuſciperet, aut nullum talem vel fuiſſe alium, vel voluiſſe, uti de agro Naomi factum Ruth. Aut הגלוי fuit teſtimonium publicum cognationis, ex publicis tabulis genealogicis depromtum, unde conſtabat, legitime delatum & ſuſceptum redemtionem agri venalis. Placet aliis duo ſolum fuiſſe inſtrumenta, quæ communi nomine dicantur ספר המקנה, quorum unum fuerit obſignatum, alterum apertum, prioris apographum, ad probandum contractum. Sed ternarius numerus etiam verſ. 14. confirmatur? II. *Quomodo cuſtodita fuerint* verſ. 12. &c. ubi (1.) *Cuſtos* verſ. 12. & *dedi* את ספר המקנה *librum* (librum) *emtionis*, inſtrumenta memorata, (ſub uno enim cætera comprehendit verſ. 14.) *Baruchо Nerija filio, Machaſejæ nepoti*, qui סופר dicitur Jer. 36: 26. ſive ſolius Jeremias, cujus conciones ex dictantis ore ſcripſit: ſive publicus, quem Notarium dicimus, publicorum inſtrumentorum ſcriptor; ut ille aſſervaret. (2.) *Teſtes* cuſtodiæ demandatæ, tum *venditor*, quem vocat דודי cum antea appellaſſet בן דודי, quemadmodum Abraham fratrem ſuum dixit Lotum, qui fratris erat filius, Gen. 13. non autem alius fuit hic Chanamel, patruus Jeremiæ, is enim propinquior ipſo debuiſſet emere agrum, neque licuiſſet Jeremiæ, niſi iſte renunciaſſet, quorum nihil legitur: Tum *Teſtes* contractus, qui illi ſubſcripſerant; Tum *cæteri* præſentes, qui ibidem loci habitabant ſeu commorabantur, dum captivi detinebantur, aut hiſce curandis aderant. Quibus omnibus inſpectantibus audientibuſque & tradidit inſtrumenta omnia, & mandatum dedit cuſtodiendi verſ. 13. (3.) *Mandatum* ipſum verſ. 14. cujus Autor, *Sic ait Jehova*, (verax ille,) *Zebaoth* (moderator omnium exercituum, omniumque temporum,) *Deus Iſraelis*, (huic junctus fœderi, fideique a ſe ſemel datæ & memor & obſervans.) Factum imperatum, *Accipe* triplices *illas tabulas, ac depone in vaſe fictili*; Ratio autem facti, *ut perſtent*, integra maneant, *multis diebus*. cum enim teſta non putreſcat, quod ei inditum eſt & incluſum, ut aer & humor omnis arceatur, diutiſſime conſervari poteſt, ne putreſcat. Apparet autem hinc jam olim magna ſollicitudine & multiplici cautelâ opus fuiſſe in contractibus, ut fluxa hominum fides adſtringeretur, qui alias promiſſis non ſtarent. Jam tempore Abrahami quædam horum obtinuerunt.

Verſ. 15. *Nam ſic ait Iehova exercituum Deus Iiſraelis: adhuc comparabuntur domus, & agri, vineæque in terra hac.*

V. *Finis* Emtionis hujus proponitur verſ. 15. nomine Dei, iiſdem titulis inſignito, (quemadmodum etiam iidem qui ante teſtes hujus declarationi adfuerunt:) habetque promiſſionem typo illi reſpondentem, de emendis etiam in futurum omnis generis poſſeſſionibus, ſive urbanis, ſive ruſticis. Quamvis jam immineat exilium incolarum & vaſtities terræ, tamen jus non peribit penitus; juxta legem & ſtatuta ementur etiam poſt hac poſſeſſiones, & ad hæredes tranſmittentur. Sic alieniſſima in oculis hominum ſaluberrimum habent uſum, Deo inſtituente. Emtio, quam multi proculdubio ſtolidam judicarunt, quibus conſtabat de migratione inſtante, quando nec venditor, nec emtor mercе ſua frui poſſet Ezek. 7: 12, 13. certos reddit migraturos de perennaturo ſibi poſteriſque jure ac poſſeſſione agrorum ac prædiorum.

Verſ. 16. *Itaque oravi Iehovam, poſtquam dediſſem literas emptionis Baruco filio Nerijas, dicendo:*

Colloquium inter Jeremiam & Deum ſuper iſtâ emtione inſtitutum habet I. Inquiſitionem Prophetæ verſ. 16-25. II. Reſponſum Dei, quo ſatisfacit hæſitanti verſ. 26. ad fin.

I. *Inquiſitioni* Jeremiæ præmittitur verſ. 16. deſcriptio 1. Modi. *Et precatus ſum ad Dominum.* Quod non intellexit, de eo voluit plenius edoceri. Petiit autem à Deo, quo non datur Doctor excellentior, Job. 34: 32. cap. 36: 22. Eſa. 48: 17. & petiit per preces, quomodo ſolum adiri poteſt Jac. 1: 5. &c. quod etiam egit Jer. 12: 1. & Aſaph, Pſal. 73: 16, 17. 2. Temporis: *poſtquam emtionis inſtrumentum tradidiſſem Baruchо filio Nerijæ.* Monitus de contractu ineundo, quamvis

vis plurima viderentur abſurda, non diſtulit obſequium, donec rectius edoctus eſſet, ſed illico obtemperavit. Ubi enim de voluntate Dei conſtat, non eſt noſtrum examinare æquitatem mandati, ſed ſolum parere. quemadmodum ſervi eſt facere heri juſſa, non autem prius de iis diſputare aut judicare, & differre obſequium donec ſatisfactum ſit ratiociniis ſuis. Sic Abraham Heb. 11: 8. &c. & Paulus Act. 26: 19. Gal. 1: 16, & Apoſtoli cum vocarentur. Conf. Joh. 13: 5. &c.

Verſ. 17. *Eheu Domini Iehovi, ecce tu feciſti cælos, & terram virtute tua maxima, & brachio tuo extento non poteſt occultari tibi ulla res.*

Preces autem Prophetæ conſtant Deſcriptione Dei & actionum ejus, verſ. 17--24. & Recitatione mandati ſibi facti, quod cum illâ nequibat componere, ut congruerent. verſ. 25.

Vaticinatus fuerat ſæpius de Hieroſolymæ & totius Judææ vaſtatione per ipſos Chaldæos, qui jam obſidebant urbem, & juſſus nunc erat emere agrum, cum promiſſione, adhuc domos & agros emtum iri a Judæis in terrâ. Ambigit ergo de conciliatione horum vaticiniorum. Utrum Deus conſtituiſſet parcere populo, pace in futurum prorogatâ? an verò beneficium iſtud poſt annos 70. dominio Nebucadnezaris definitos, demum eſſet inchoandum? vel quia cuſtodia inſtrumentorum in vaſe fictili, ad durationem longiorem mandata erat, cum alias emtio iſtiuſmodi, non ultra jubileum extendenda, non poſſet excedere annos 49. annon ulterius differendum eſſet complementum? Hacpropter incipit cum teſtimonio doloris, *Ah, Domine Deus*, אהה dolentis & ſuſpirantis interjectio. Neque enim de ſua infirmitate cogitat aut loquitur quin eo nomine doleat: ut Pſ. 73: 22. Prov. 30: 2, 3.

1. *Deſcriptio* Dei ducitur.

א. Ab *Omnipotentia* & *Omniſcientia* verſ. 17. cui ſubſternit fundamenti loco Creationem. *Ecce tu feciſti cœlos & terram*, (comprehendens omnes illorum exercitus, quæcunque iis continentur, alias conjungi ſolita Exod. 20: 11. Neh. 9: 6.) *robore tuo magno & brachio extenſo*: non quod magno labore Deo conſtiterit Creatio, Eſa. 40: 28. qui eam verbo ac mandato abſolvit Pſ. 33: 6, 9. ſed ut ſignificetur omnipotentia, quæ etiam in ſingularibus quibuſque creaturis obſervanda. Eſa. 40: 26. uti magi Ægyptii agnoſcunt digitum Dei in productione pediculorum. Exod. 8: 19. Hinc vero colligit Omniſcientiam & Omnipotentiam: *Non mirabile erit præ te ullum verbum* (eadem phraſis eſt Luc. 1: 37.) Mirabile eſt quod ſapientiam potentiamve excedit. Cujus enim non aſſequimur rationes, quomodo ordinari queat, aut executioni dari, id dicimus mirum: qui autem cauſas novit, poteſtve efficere, non eſt illi mirum. Deo nihil mirum, quod ſapientiæ ejus ſit impervium, aut potentiæ inſuperabile. Nam ſapientia ejus omnia diſpoſuit, ſeriem & nexum cauſarum & effectorum atque eventum conſtituit; neque ab ulla creatura vel decipi poteſt, vel impediri. Qui omnia produxit, omnia etiam ſigillatim moderatur. Attendit autem heic cum omnipotentia etiam omniſcientiam, ut Gen. 18: 14. Deut. 30: 11. Sic Zach. 8: 6.

Hinc verò diſcimus, Creationem rerum omnium firmiſſimum eſſe argumentum omniſcientiæ & omnipotentiæ Dei, illius Pſ. 94: 8, 9. & 139: 1. &c. iſtius Eſa. 51: 13. cap. 42: 5.

Verſ. 18. *Exerces benignitatem in milleſimos, & rependis iniquitatem patrum in ſinum filiorum poſt ipſos:* Deus *ille fortis, maximus, potentiſſimus, cujus nomen* eſt *Iehova exercituum.*

ב. A conſtanti obſervatione *Normæ regiminis Dei* in diſpenſatione Miſericordiæ & Juſtitiæ. verſ. 18. repetit enim regulam illam quam Deus ipſe à ſe obſervandam dixit, Exod. 20: v. 5, 6. cap. 34: 7. ſimul indicatis iſtic perſonis, circa quas; hîc modo, quomodo alterutra exerceatur. Conſtat illa exercitio I. Miſericordiæ: *Faciens benignitatem millibus.* Benignitas Dei maxima Pſ. 86: 5, 15. & 103: 8. &c. & 145: 8. Joel. 2: 13. Jon. 4: 2. Evidens ex objecto, erga millenos: non tantum multitudinem innumeram, cui ſimul eam præſtat, uti Sol omnibus ſimul lucet: ſed quod hîc potiſſimum attenditur, ut ex oppoſitione conſtat, in milleſimam generationem, ut ad ſeram poſteritatem extendat beneficentiam quam piis majoribus donavit. Deut. 7: 8, 9. Pſ. 105: 8. Gen. 17: 7. II. Juſtitiæ, *rependens iniquitatem patrum in ſinum liberorum poſt ipſos.* Severitas Dei maxima, Joſ. 24: 19, 20. Nah. 1: 2. &c. Pſ. 90: 11. Eſa. 10: 27. &c. Evidens & hic ex objecto; quod etiam reorum poſteros premat, & quidem graviſſime; nuſpiam plus capere poteſt homo, quam in ſinu, Luc. 6: 38. & talis hîc vindictæ modus, implet ſinum, Eſa. 65: 6, 7. Sic agit Deus ſæpiſſime, qui extendit in 3 & 4 generationem. Exod. 20. & 24. Exempla Achanis Joſ. 7. Dathanis & Abirami, Num. 16 Urbis apoſtatæ Deut. 13. Amaleki Exod. 17. 1 Sam. 15. Jeroboami, Baeſæ, Achabi, Babelis Pſ. 137. Sic Jer. 2: 9. Juſte etiam agit, quod alias oſtenſum cum peccator mereatur puniri in omnibus ſuis bonis, quorum potiſſima pars ſunt liberi: quemadmodum etiam jumenta deſtruit hanc ob cauſam, Deut. 13: 11. &c. Manaſſis peccata (quamvis ipſe reſipuiſſet) punivit in 3 & 4 generatione, in filiis & nepote Joſiæ Jer. 15: 4. 2 Reg. 23: 26. ſic Davidis reſipiſcentis in liberis 2 Sam. 12: 11, 14. Attamen nunquam punit in filiis, poſteriſque ad compenſationem ſuæ juſtitiæ, (nunquam vicario hîc locus eſt, præterquam in Chriſto) ſed ad ſatisfactionem hominum læſorum ſcandalo dato: quod per pœnam removetur. 2 Sam. 12: 14. Pſ. 99: 8. Modus quo peccata parentum in liberis punit, varius eſt. Huc pertinet I. cum media gratiæ, quæ parentes repudiarunt, etiam liberis negat: quando illi repudiant Evangelium, & expellunt, ab illis & iſtis aufert, neque ad eos facit redire Hoſ. 4: 6. II. cum permittit ut liberi imitentur peccata parentum, atque ea etiam augeant. Ezek. 16: verſ. 44, 45. 2 Chron. 33: 22. Matt. 23: 32. III. cum filios non amplius reprehendit ob peccata, ſed ſinit in iis progredi Hoſ. 4: 4, 14. traditque in ſenſum reprobum. Pſ. 81: 13.

Illuſtrat à *Potentia* & *Majeſtate* Dei, quâ ſufficit ad hæc agenda, in exercitio tum miſericordiæ tum juſtitiæ: *O Deus fortis, maximus, validiſſimus, cujus nomen eſt Jehova Zebaoth;* veraciſſimus, & potentiſſimus, ad exſequendum omnia, definitis a ſe temporibus.

Verſ. 19. *Magnus conſilio, & amplus actione: cum oculi tui aperti ſpectent in omnes vias hominum, ut des cuique ſecundum vias ipſius & ſecundum fructum actionum ipſius.*

2. *A Providentia* divina verſ. 19. deſcripta.

Generatim, tum dicit eum *Magnum conſilio & multum actione.* Geminus enim ad providentiam requiritur actus, Conſilium & Exſecutio. Illud dicit exactiſſimam notitiam rerum omnium, & ſapientiſſimam liberrimamque diſpoſitionem ac ordinationem, adeoque & mentis eſt & voluntatis. Tribuitur Deo frequenter, ſed ut magnus conſilio appareat, quod hîc dicitur Eſa. 28. 29. quia ſimul ſignificantur Sapientia Pſ. 33: 11. Act. 2: 23. Eph. 2: 8. Libertas Eſa. 46: 10. Eph. 1: 5, 11. Conſtantia Eſa. 46: 10. Pſai. 33: 11. Heb. 6: 17. *Hæc* indicat procurationem eventus conſentanei conſilio, עלילה eſt *actio*, qua non ſolum quis ipſemet agit immediate, ſed etiam quâ cauſa eſt vel occaſio agendi aliis; quomodo Deus eſt multus atque magnus actione Eſa. 28: 29. Actio eſt ex conſilio Dan. 4: 34. Pſ. 115: 3. Job. 23: 13. 1 Sam. 25: 29. Num. 23: 19. Et eſt immediata Pſ. 33: 9. Eſa. 44, 24. &c. & mediata Eſa, 28: 28, 29. Eſa. 46: 10, 11. etiam ignorantibus inſtrumentis Eſa. 10: 4. &c. Act. 4: 28. ſubminiſtrando occaſionem Exod. 24: 17.

Speciatim, circa hominem, quod habeat (1) Notitiam penitiſſimam humanarum actionum: quam ἀνθρωποπαθῶς ab inſtrumento declarat, *Nam oculi tui*, quibus cognoſcitur accuratiſſime; *ſunt aperti*, non tantum potentia cognoſcendi, ſed etiam exercitium adeſt, ipſo facto attendunt; Objectum ſunt, *filii hominum*, quotquot homines ſunt, nemine excepto. Jer. 23; 24. Pſ. 33: 13. &c. & horum omnium viæ, actiones; eæque univerſæ, tum internæ cordis Eccl. 11. 9. Eſa. 57: 17. quam externæ; totius vitæ & converſationis. Pſal. 139: 1. &c. & 74: 9. &c. Jer. 16: v. 17. Job. 34: v. 21, 22.

Prov. 15: 3. (2.) *Compensationem* exactissimam; quæ finis notitiæ istius, *ut Deus unicuique secundum vias suas*, ut omnium habeatur ratio; *secundum fructum actionum suarum*; ut quarumvis actionum meritum attendatur, commodum vel incommodum, consequens; quantum valuerint ad alios exemplo, sive bono, sive malo. 2 Chron. 16: 9. 1 Chron. 28: 9. Eccl. 11: 9. cap. 12: 24. Apoc. 22: 12. Jer. 17: 10. Est enim respectu Dei & veritatis ejus, qui legem justitiæ fixit, debitus fructus tam pietatis, quam impietatis. Esa. 3: 10, 11. Rom. 2: 6. &c. quamvis non par meritum respectu hominum. Cum impietas proprium hominis opus sit Jac. 1: 15. pietas alienum a Spiritu Christi profectum Rom. 8: 2. Gal. 5: 22. quem fide consequuntur pii Gal. 3: 5. unde fructus illi Christi Hos. 14: vers. 9. ex ipso manantes Joh. 15. v. 5. &c.

Vers. 20. *Qui disponens signa & ostenta in terra Ægypti, usque in diem hunc, tum in Israele, tum in* reliquis *hominibus, comparasti tibi nomen, quale* est *hodierno die.*

ד *Ab Experentia*, actionum Dei priorum, quæ Providentiam illam Dei definitæ regulæ congruam ostendunt, nam cohæret præcedentibus, per exempla illustrandis, Constat autem recitatione eorum quæ circa Israelem acta sunt successive, serie temporis observatâ.

a *In Ægypto* v. 20. atque hic occurrit I. Quid egerit Deus; *qui posuisti signa & prodigia in terrâ Ægypti:* providentia illa Dei non tantum exercita ex generali naturæ ordine, sed Deus etiam præter naturæ ordinem egit, ut se conscium ostenderet actionum humanarum, & qui retribueret juxta illarum conditionem: utpote qui miracula & prodigia, omnem creatæ naturæ vim excedentia, in Ægypto constituit coram oculis omnium; quod ex plagis illic exercitis evidens: ut ipsi quoque magi cogerentur fateri digitum Dei. Exod. 3: 7. &c. & cap. 7: 3, 4. Amplificatur à tempore, *Usque in hunc diem*: non quod signa illa constanter exstarent, ut in Sodoma 2 Pet. 2: 6. Jud. v. 7. & uxore Loti Gen. 19: 26. Luc. 17: 32. transierunt illa judicia, ad preces etiam Mosis sæpe remota; sed quod signa essent in perpetuum memoranda, ut non exstingueretur eorum recordatio: quamobrem cum traditione, tum inprimis testimonio Scripturæ conservantur, ut in illis adhuc videamus & cognoscamus signa tunc patrata Esa. 52: 9. [ubi notissima ac vulgatissima formula fuit de Dei beneficio qui ex Ægypto eduxisset Israelem Jer. 16: 14. cap. 23: 7.] II. Circa quos egerit *In terrâ Ægypti, & in Israele & in hominibus.* Si referatur ad proxima, usque in hunc diem, indicabit eos apud quos memoria viguerit beneficii: tum in Israele [ubi &c. v. 7.] tum inter alias gentes, quæ famam illam audiverunt, ut Rahab Jos. 2: 10. Gibeonitæ Jos. 9: 9. Philistæi 1 Sam. 4: 8. Sed convenit magis ut ad præcedentia referatur, & designentur circa quos Deus signa illa exhibuit; Sic in genere memoratur *terra Ægypti*; in specie autem distribuuntur incolæ. in *Israelem*, & in *homines*, cæteros videlicet, qui indefinite sic appellantur, quia omnium communis fuit conditio, citra discrimen dignitatis, nullo privilegio gaudente domo regia præ aliis subditorum domibus aut magis præ cætero populo. Miracula sua exercuit Deus in Ægyptiis hostibus quibuscunque Rege & subditis, liberis & servis, quos omnes afflixit plagis illis decem: & in Israele ubicunque degente in tota terrâ, qui immunis mansit ab illis plagis, ut eas non senserint, Exod. 8: 22. &c. cap. 9: 4. & 26. cap. 10: 22. &c. cap. 11: 4. seq. cap. 12: 29. &c. cap. 14: 20. III. Consequens facti, *Et parasti tibi nomen, uti est hoc die.* Nomen est signum rei, per quod innotescit: & facit sibi nomen, qui aliquid agit, unde innotescat. Deus autem signis & prodigiis in Ægypto exercitis paravit sibi nomen, ut potentissimus agnosceretur, quique repugnantes mirabiliter domare posset, Exod. 18: 8--11. Deus ipse testatus est hunc sibi esse scopum Exod. 7; 5. cap. 9. v. 14. cap. 10: 1, 2. Et hinc idem dicitur Esa. 63: 12. &c. Ps. 9: 17.

Vers. 21. *Nam eduxisti populum tuum Israelem è terra Ægypti, signis & ostentis, ac manu forti, brachioque extento, & terrore magno.*

b *In exitu ex Ægypto* vers. 21. *Et eduxisti populum tuum Israelem ex Ægypto, per signa, & prodigia, & manum fortem, & brachium extensum, & terrorem magnum.* Educti sunt, Israel, populus tuus, quem sibi delegit in populum, Exod. 3: 7. &c. cap. 4: 23. &c. & acquisivit, cap. 15: 13. Psal. 74: 2. & 114: v. 1, 2. Eduxit Deus; non egressi sunt sponte. Tentarunt id quidem præmature Ephraimitæ 1 Chron. 7: 21. sed male successit; sed post quieverant; & educendi ostenderunt se alienos, manendi & redeundi consilia agitantes Exod. 6: 8. cap. 14: vers. 11. &c. Num. 14: vers. 4. Eductionis modus per signa inaudita, Deut. cap. 4. vers. 34. quorum memoria in Sacris frequentissima Mich. 7. vers. 15.

Vers. 22. *Et dedisti eis terram hanc quam juraveras majoribus eorum te daturum eis, terram affluentem lacte & melle.*

c *In introductione* in Cananæam. v. 22. ubi I. Donatio, *dedisti ipsis hanc terram*, totam Cananæam, quam non suo gladio nec arcu occuparunt, sed manu Dei, qui aperuit, ingressum, scisso Jordane, & dejectis muris Jericho, largitusque est victoriam miraculosam, ut possessione terræ potirentur Psal. 44: 1. &c. & 78. & 80. & 135. & 136. II. Causa donationis impulsiva; *de qua juraſti patribus ipsorum te daturum ipsis.* Juramento enim promissionem illam confirmavit Abrahamo: Gen. 12: 7. donatio: cap. 13: 19. &c. repetita: cap. 15: 7. &c. fœdere data: cap. 17: 7, 8. renovato fœdere: cap. 22: 16. &c. juramento, quod etiam hoc donum complectitur, v. 17. Ps. 105: 6. &c. Sæpissime autem in Scriptura repetitur, quod juramento promissa Israeli sit terra Canaan. III. Donum ipsum, *terram fluentem lacte & melle*: quæ solennis descriptio. Exod. 3: 8. notatur abundantia felix Job. 20: 17. & obvia cuivis; ut pauperrimorum quoque sit benedictio; Esa. 7. v. 21, 22. & sic fuit Christi, in paupertate nati & educati v. 15. Lac cibus vilis, uti hodieque in Belgio; & mel istic publicum 1 Sam. 14: 25. &c. & hinc in promtu Baptistæ, Matt. 3: 4. atque apud discipulos Luc. 24: 42. Quod ad felicitatem terræ pertinet, si etiam pauperrimi inveniant alimenta, negotio facili, Deut. 8: 7, 8, 9.

Vers. 23. *Sed quia ingressi & hereditario jure possidentes eam, non auscultarunt voci tuæ, & in lege tua non ambulaverunt; quæcunque præceperas eis facere non fecerunt, fecisti ut eveniret eis tota afflictio hæc.*

Vers. 24. *Ecce aggestæ moles venerunt* in *civitatem hanc ad capiendum eam, & civitas traditur in manum Chaldæorum, qui oppugnant eam, propter gladium & famem. ac pestem: denique quod proloquutus es fit, ut ecce tu vides.*

d *In fruitione* ipsius Cananææ, v. 23, 24. ubi refert.

a *Possessionem*, v. 23. *Et ingressi sunt*, occupantes terram expulsis incolis; *& hæreditarunt eam*, non solum eâ potiti sunt, sed jus hæreditarium ad posteros quoque transmiserunt. Neh. 9: 24, 25. Quod jus à donatione Dei profectum, qui terræ distribuendæ potestatem habet Act. 17: 26. Jer. 27: 5. &c. & ejusdem potentia quæsitum fuit Ps. 44: 80. Jud. 11: 23.

b *Abusum* v. 23. dum in eâ vixerunt indigne donante, quem jugibus peccatis offenderunt. nam (1.) *Non audiverunt vocem tuam*; nullum fuit studium cognoscendi voluntatem tuam, ceu regulam vitæ; Non attenderunt ad prædicationem, quasi ad se non attineret Jer. 7: 25. &c. Attenderunt specietenus duntaxat, Ezek. 33: 30. &c. cap. 14: 3. Renuerunt audire, Amos. 2: 12. Esa. 30: v. 9, 10. Prædicantes persecuti sunt, ridendo 2 Chron. 36: 16. insidiando Esa. 29: 21. Amos. 5: 10. repugnando Jer. 20: 26. 2 Chron. 24: 21. (2.) *Non ambulaverunt in legibus tuis* (vel lege tua,) ut ad eam normam instituerent vitam. Jer. 9: 13, 14. cap. 44: 16, 17. aliam sequentes Esa. 29: 13. cum religiosissimi viderentur. (3.) *Nihil eorum fecerant quæ præcepisti*

cogiſti ipſis : univerſalis fuit apoſtaſia ; de qua loquuntur teſtimonia infinita, & catalogi peccatorum Eſa. 1. 3. 59. Jer. 2: 5. 7, 8. Ezek. 22. Hoſ. 4.

c *Damnum* ſecutum, & quidem I. In genere. v. 23. *& obtingere feciſti ipſis omne iſtud malum*, רעה & κακὰ *afflictionem* quoque notat, malum quod triſte vocant; Tale non ſolum obtigit, ut vel caſui fortuito, vel hominum improbitati illud imputandum ſit: ſed tu obtingere feciſti. Nam etiam caſualium & fortituitorum autor & moderator Deus eſt. Gen. 24; 11. Exod. 21: 13. non tantum ut mundi rector, ſed etiam ut judex. II. In ſpecie v. 24. (1.) *Calamitas* præſens: conſtans urbis *tum* Oppugnatione. *Ecce Aggeres*, valla, non quibus cingitur urbs ad defenſam, ſed quæ excitantur ad eam oppugnandam, סוללה ſic ſumitur de obſidentium munitionibus, quibus ſibi viam faciunt ad urbem, Deut. 20: 20. *venerunt* הציר *ad urbem* (articulus pro ל vel ה locali,) *ad eam occupandam*; ut jam proxima ſit occupatio, quando perventum eſt ad foſſam, ad mœnia; ut ea perforatæ, aut tranſcendere liceat. *Tum* Occupatione; *& urbs tradita eſt in manus Chaldæorum eam oppugnantium*: certiſſime tradetur, quaſi jam haberent jus ingrediendi: cujus quidem Cauſa impulſiva, *propter Gladium Famem & Peſtem.* Sunt hæc tria judicia magna, Ezek. 14: 14. ubi quartum ferarum conjungitur, & plerunque primum ſecum trahit ſequentia. Bellum cauſam dat fami, dum vel deſtruitur annona, vel impeditur agricultura, & quæ convehendæ annonæ ſervirent, dat etiam peſti, tum ob multitudinem hominum in anguſtum compactorum, tum ob alimenta corrupta, & vitioſa in defectu bonorum & ſalubrium. (2.) *Conſenſus* cum veritate Dei, v. 24. quem oſtendit tum factum, *& quod locutus es, fuit, contigit*; adeoque Deus æque verax in minis ac in promiſſis. Ezek. 5: 13, 16, 17. cap. 6: 10. cap. 24. 14. Dan. 9: 12. &c. tum Deo cognitum, *& Ecce tu vides.* Nihil horum ſit te neſcio aut negligente; ut permittas inſtrumentis judicii tui agere pro lubitu; ſed accuratiſſime vides & obſervas omnia; quid agant in tuo miniſterio, Ezek. 29: v. 19. &c. Eſa. 10: 4. &c. Sic alibi Deum teſtem facit peccatorum. Jer, 7; 11. cap. 29: 23. Ezek. 8. proinde & pœnæ quam eapropter exercet.

Verſ. 25. *Intereà tu edicis mihi, Domine Jehovi, compara tibi agrum iſtum pecunia & adhibe teſtes : quum civitas ipſa traditur in manum Chaldæorum.*

2. *Recitatio* mandati divini, quod componere non poterat cum natura & actionibus Dei enarratis verſ. 25. atque hieic refert.

א *Mandatum* ipſum; *tum vero dixiſti mihi Domine Domine, eme tibi agrum argento, & conteſtare iſtud per teſtes.* Non ſunt hæc in mandato quod ad verba, ſed quod ad ſenſum. Collegit ex eventu ejus quod Deus futurum prædixerat, velle Deum, à ſe emi agrum patruelis: & quia emtionem, etiam ea quæ ad eam conſummandam pertinent, numerationem pecuniæ, & teſtium notitiam facto manifeſtatam, ſubſcriptione manus, valiturâ etiam poſt illorum mortem. Quanquam etiam ſubſequens Prophetia applicans typum, ſpecialem revelationem indicet, ſive ea emtionem anteceſſerit; ſive, quod probabile magis fuerit ſecuta, ut demum facta ſit, quando inſtrumenta erant cuſtodienda.

ב Id quod *abſurdum* in eo videbatur, *Urbs autem tradita eſt in manum* & poteſtatem *Chaldæorum*; ut ſolum reſtet ut ejus poſſeſſionem adeant. Mandatum quippe ſic conceptum erat, quaſi terra ſumma libertate & pace frueretur, quæ etiam continuatura eſſet in multos annos, adeoque quaſi conditionis præſentis Deus ignarus eſſet; impiis impune eſſe vellet peccata, negligeret actiones hominum; & quem hactenus tenuiſſet modum regiminis circa Iſraelem tum factis; tum verbis, deſerturus eſſet; quæ omnia norat abſurda, quorumque contraria affirmaret. Sic quandoque Deus per Prophetas nonnulla pollicitus eſt, quæ ipſimet, qui enunciabant, non ſatis intelligebant: ut Moſes, cum per menſem integrum carnes ſuppeditatum iri Iſraeli indicaſſet, Num. 11. & Daniel aliquoties. Quia Deus quædam ſervat temporibus futuris; Dan. 12, v. 8, 9. 1 Pet. 1: 10. &c.

Verſ. 26. *Fuit verò verbum Iehovæ ad Iirmeiam, dicendo :*

II. *Reſponſum Dei*, quo ſatisfacit hæſitanti Prophetæ, reliquo capite continetur; conſtatque I. Deſcriptione Dei, v. 27. II. Oſtenſione eorum quæ Hieroſolyma à Chaldæis eſſet paſſura. v. 28-35. III. Deſcriptione gratiæ & beneficiorum ipſi à Deo conferendorum v. 36-44.

Generatim præmittitur verſ. 26. *& fuit verbum Domini ad Jeremiam, dicendo*; Reſpondit Deus ad preces Prophetæ. Solet enim rogatus eo modo ſatisfacere tuorum deſideriis: licet non ſemper externo ſermone; verum vel interno ſolatio & acquieſcentiæ donatione, vel externo opere beneficentiæ ſuæ. Pſ. 34: 5. 7. & 65: 3. 5. Adeoque conſulentibus Deum eo modo expectandum reſponſum Pſ. 5: v. 4. & 85 : v. 9. Mich. 7: 7. Hab. 2, 1, 2. Pſal. 130 : 5, 6. *Reſponſum* ipſum habet.

Verſ. 27. *Ecce ego* ſum *Iehova Deus omnis carnis : an mihi occultari poſſet ulla res ?*

1. *Deſcriptionem Dei*, v. 27. quâ Prophetæ de Deo confeſſionem approbat; aſſeritque ſuam tum majeſtatem tum omniſcientiam & omnipotentiam.

Majeſtatem quidem, *Ecce ego ſum Dominus Deus omnis carnis.* Præter nomen Jehovæ, quod Eſſentiatorem dicit tum rerum omnium, tum etiam promiſſionum, quodque ſolum poterat reſponſi vicem eſſe; dicit ſuum Dominium in homines univerſos. *Caro* ſignificat (1.) Proprie partem illam corporis in animali, quæ oſſibus opponitur, Luc. 24. v. 39. (2.) corpus totum, contradiſtincte ad animam. Pſ. 73: 26. & 84; 3. Sic in phraſi caro & ſanguis Heb. 2: 14. Matt. 16: 17. (3.) animal vivum, Gen. 7: 21. (4.) homines Gen. 6: 12. &c. Eſa. 40: 6, 7. Pſ. 65: 3. (5.) de ſolis Judæis Jer. 12: 12. Joel. 3: 1. &c. (6.) de Gentibus Luc. 3: 6. Pſ. 98: 2, 3. Eſa. 52: 10. (7.) de naturali ſucceſſione, Rom. 9: 8. filii carnis, v. 3. cap. 11: 14. (8.) de corruptione Gen. 6: 3. Joh. 3: 6. Gal. 5: 17. & ſtatu corruptionis Rom. 7: 5. (9.) de infirmitate & conditione debili, Pſ. 78: 39. & Eſa. 31: 3. Hoc deſignantur homines quorum omnium ſe dominum & judicem dicit, quemadmodum τὸ eſſe dedit. Num. 16: 22. cap. 27: verſ. 16. Deus ſpirituum omnis carnis dicitur, denominatione factâ à potiore, nam alias etiam corpus formavit. Habet ergo omnium hominum poteſtatem, & imperium, quos omnes condidit, Jer. 27: 5. Dan. 4: 17-34.

Omniſcientiam autem & *Omnipotentiam*, per interrogationem, *an quicquam erit mirabile præ me*; quod meam vel ſapientiam vel potentiam excedat ? quod affirmarat Jeremias v. 17. & tunc declaratum eſt, ſic Zach. 8 : 6. Huic autem fundamento inædificat conciliationem eorum, de quibus hæſitabat Propheta, ſatiſne ſciret conditionem Hieroſolymæ, atque etiam poſſet præſtare, quæ pollicebatur: docet enim.

Verſ. 28. *Idcircò ſic ait Iehova; ecce ego trado civitatem hanc in manum Chaldæorum, & in manum, Nebucadnetzaris Regis Babyloniæ, ut capiat eam.*

Verſ. 29. *Et ingreſſi Chaldæi qui oppugnant civitatem hanc, ſuccendant civitatem hanc igne, & comburant eam : adeoque domos ipſas, ſuper quarum tectis adoleveruut Bahali, & libaverunt libamina diis alienis, ut provocarent me :*

2. *Vaſtitatem Hieroſolymæ* certò futuram, ſe eam immittente juſtiſſimis de cauſis: Calamitatem illam docet eſſe.

א *Certiſſimam* ac *graviſſimam*, v. 28, 29. idque ab Autore Deo, tum prædicente, *Propterea, ſic dicit Dominus*: tum factura, *Ecce me tradentem hanc urbem in manum Chaldæorum, & in manum Nebuc. regis Babel.* nulla proinde defenſio, Deo tradente. Ab Inſtrumentis, *& ipſe capiet eam, & Chaldæi, eam oppugnantes, eam ingredientur.* Proclive enim vincere quando Deus promachus, Eſa. 45: 1. &c. A Modo

do calamitatis, & *ſucendent eam igne*, & *comburent* : quæ extrema urbis vaſtatio, ut ne quidem parietibus parcatur. Jer. 21: 10. quod factum cap. 52. A Subjecto ſpeciali, & *domos*, *ſuper quarum tectis* idola coluerunt tum ſuffiendo, tum libando, *ut me ad iram provocarent*. In locis editis & tectis colebant ſolem & lunam & ſidera, ut iis quantum pote proprinqui forent. Nominat autem *Baal*, ceu Deum ſummum, Dominum omnium, ſed addit *alios Deos*; nam ubi ſemel à vero Deo diſceſſum eſt, nuſpiam invenitur quod ſufficiat, ſed unius imbecillitas alterius auxilio ſemper ſublevanda eſt. Etſi vero ſe Deum eâ ratione colere præ ſe ferrent, uti edocti erant à ſuis Prophetis, erat tamen nihil aliud quam voluntaria Dei provocatio, utpote è diametro repugnans præſcriptæ normæ. Cæterum iſta inſtrumenta idololatriæ ſpeciatim ſub pœnam veniunt, ad deteſtationem Dei manifeſtandam : quemadmodum ſerpens Gen. 3: 14. Eſa. 65. v. penult. & brutum quo cum homo fuiſſet congreſſus Lev. 20: 15, 16. ipſum aurum & argentum idolorum fuit abolendum Deut. 7. v. ult. [peccatum Sodomæ totam illam terram maledictioni ſubjecit.] & abominanda ejuſmodi ornamenta licet pretioſiſſima Eſa. 30: 22. Ezek. 7: 18.

Verſ. 30. *Quia fuerunt filii Iſraelis & filii Jehudæ tantummodò facientes quod malum* videtur *in oculis meis inde à pueritia ſua : quia filii Iſraelis tantummodo provocant me opere manuum ſuarum, dictum Iehovæ :*

Verſ. 31. *Quia in iram meam & in excandeſcentiam meam incumbit civitas hæc, ex quo die ædificaverunt eam uſque in diem hanc ; ut amoveam ipſam à facie mea :*

2 *Juſtiſſimam*, ratione cauſæ meritoriæ, ſive peccati, quod deſcribit, illud aggravando reſpectu temporis, Perſonarum & locorum.

a Temporis quidem verſ. 30, 31. atque heic initio conjungit poſteros Jacobi, qui Agentes, nam fuerunt *filii Iſrael* regnum decem tribuum, & *filii Juda*, regnum Davidicæ domus; Actio autem ipſorum, *facientes quod malum eſt*, *in oculis*, non propriis, qui ſe religioſos eopſe rebantur, ſed *meis*, qui integerrimus judex de bono & malo : & Duratio conſtantiaque actionis, *à juventute ſuâ*, primâ ætate populi, quando faciem ejus accepit ſuâ multitudine in Ægypto : tum fuit Iſrael puer, Hoſ. 11: 1. & juventus ejus, quando deſponſatione fœderali Deo fuit factus peculium Jer. 2: 2. Atqui eo tempore jam ſcortati fuerunt idololatriâ Ægypti, Ezek. 20: 7, 8. cap. 23: 3, 8, 19, 20. in quâ conſtantia ipſis tribuitur, accedentibus variis idololatriæ ſpeciebus; vitulus aureus teſtimonio eſt, Apis ſimulacrum, & variæ defectiones, de quibus Ezek. 16. 20. 23. nec non Jud. 2. cap. & per totum librum : ſic à primis annis populi fuit continuatio Idololatriæ, cui jungenda peccata alia, quæ patrata fuerunt contra utramque tabulam, & apud Prophetas memorantur ſic 2 Reg. 21: 15.

Tum ſejungit, a quo tempore ab invicem diviſi in duo regna abierunt, & de utraque populi parte diſtincte illud oſtendit.

a. *De X tribubus* ; *nam inquit Filii Iſrael fuerunt tantum provocantes me operibus manuum ſuarum* ; nam deficientes a domo Davidis Jeroboam illicò erexit duos vitulos aureos, reſtituta quaſi & duplicata defectione primâ in deſerto : atque ab hoc peccato non diſceſſum eſt a regibus ſeqq. ut manu factos Deos non colerent ; ſed ceu arcanum regni fuit hunc cultum ſervare tanquam fundamentum diviſæ à Judæis dominationis, 2 Reg. 12: 26. &c. Acceſſit quidem cultus Baalis, per Achabum, cap. 16 : 31. &c. Sed manentibus vitulis Jeroboami, & rurſus exſtirpatus eſt, ſed iiſdem ſalvis : 2 Reg. 10: 28. Unde confirmationis ergò additur Dictum Domini.

b. *De regno Judæ* verſ. 31. loquitur enim de hujus metropoli Hieroſolymâ. *Nam propter iram & indignationem meam fuit*, (hic unicus quaſi incolarum ſcopus fuit,) *urbs hæc, à quo die eam ædificarunt*, (fundarunt non dicit id factum à Jebuſæis, aut gentibus Cananæis, ſed ædificarunt quando occupata a Davide, & inſtaurata, atque regni caput conſtituta fuit, 2 Sam. 5. cap. *uſque in hunc diem* ; conſtanti provocatione ; ut eam removerent à facie meâ ; ut cum eam delegiſſem præ cæteris urbibus, locum tabernaculi & templi perpetuum Pſ. 78 : 68. 69. & 132 : 13, 14. & 87: v. 48. illam abominabilem mihi reddere laborarunt. Videatur Ezek. 8, 9, 10, 11. cap. Abrab. non videns conciliationem iræ Dei cum ejus delectatione in eo loco ; aliam facit conſtructionem ; *fuit ad iram & æſtum meum urbs hæc inde ab ejus ædificatione &c. ut eam removerem* : Quia eam ,, delegeram in habitationem perpetuam, non potui non ,, indignari remotioni ejus, quod eam averſarer, ab initio ,, & nunc quoque, amans eam perennare, & meam ibi ,, commorationem ; quamquam ipſorum provocatio con- ,, ſtans me adigat, ut juſtitiam exerceam. eamque evertam : ,, quo faceret 2 Chron. 36: 15. Attamen concinnior eſt interpretatio, quamvis ſenſus non multum diſcrepet, ut ira ſit propter urbem, quod primum eſt, & non propter remotionem urbis, quod membrum remotius.

Sed quomodo id convenit hiſtoriæ ? Magna fuit Hieroſolymæ integritas quod ad religionem ſub Davide : qui 33. annos ibidem regnavit : quo tempore ædificatio ejus peracta fuit, & tunc non fuit provocatus Deus, alioqui non paſſus eſſet ibi ſtrui templum. Reſp. Sub Davide cœpit ædificari, ſed non fuit conſummata. Potiſſima gloria urbis fuit domus Dei & domus regis, nec non ſtructuræ aliæ à Salomone additæ ; anno ejus 11. finitum templum, 24. domus regia, quam tredecim annis abſolvit, tum domus Libanon, & domus filiæ Pharaonis ædificatæ : Abſolutis autem hiſce omnibus Salomo cœpit indulgere uxoribus idololatris ſuam religionem, cultuique illarum loca publica addixit, & ornavit inſtrumentis neceſſariis, imo ipſemet acceſſit ſpectator & ſocius 1 Reg. 11: 4. &c. Heic cœpit provocatio ad iram, ut Deus de remotione decerneret, quam minatus erat Salomoni poſt templi dedicationem cap. 9: 6. &c. quod ad ſubditos urbis, urbemque ipſam ; illos cap. 11: 6. &c. & verſ. 31. iſtam Ezek. 4: 5. Nam 390 anni urbis incipiunt à 28. Salomonis, uſque ad excidium ejus ſub Zedekiâ. Quippe idololatria illa à Salomone cœpta, licet per reformationem tum ipſius, tum regum quorundam ſuccedentium videatur remota fuiſſe, tamen nunquam penitus exterminata eſt ante Joſiam 2 Reg. 23: 13. manentibus autem excelſis, utique manſit idololatriæ inſtrumentum. Ezek. 20: 28, 29. Veriſimile eſt Salomonis excelſa, uti omnia ejus opera, fuiſſe magnifica, ut propter artificium & decus ſtructuræ fuerint conſervata, parcentibus iis in ſua reformatione regibus ; ut hinc forte concilianda dicta 2 Chron. 14: 3. & 1 Reg. 15: 14. item 2 Chron. 17: 6. & cap. 20: 33. Acceſſerunt autem deinceps plures idololatriæ ſpecies, à variis regibus introductæ ; eminuerunt inter iſtos Achaz, Manaſſes, Amon : de quibus hiſtoriæ loquuntur ; & ad illas reverſi ſunt identidem, ſi fortè reges pii reformationem inſtituiſſent : quin ipſæ reformationes nonnunquam hypocriticæ fuerunt 2 Chron. 20: 33. Jer. 3: 6, 10.

Cæterum *Juſtitia calamitatis* concluditur à diuturnitate culpæ, in quâ contumaciter perſeveratum fuit, contemtis divitiis benignitatis, tolerantiæ & longanimitatis Dei, ex corde reſipiſcere neſcio, ejuſque obduratione. Exprobrantur Iſraelitis 40. anni commorationis in deſerto Pſ. 95: 10. &c. Amoſ. 5 : 25. &c. Act. 13: 18. &c. inde ab exitu ex Ægypto, Jer. 7: 25. &c. toto tempore X tribuum uſque ad exciſionem regni per Salmanaſſarem 2 Reg. 17. per annos 262. toto tempore Hieroſolymæ, præter Salomonis peccatum, univerſalis populi apoſtaſia quaſi quarto anno Rehabeami 2 Chron. 12: 1. Provocatione autem continuata, fatigata patientia graviorem accerſunt pœnam. Amoſ. 7: 8. cap. 8: 2. Eſa. 5: 4. &c. Jer. 15: 5, 6. Matt. 23: 31. &c. Luc. 13: 7, 9, 33. &c.

Verſ. 32. *Propter omnem malitiam filiorum Iſraelis & filiorum Jehudæ, quam exercuerunt ad provocandum me, ipſi reges eorum, principes eorum, Sacerdotes eorum, & Prophetæ eorum, cum viri Jehudæ, tum habitatores Ieruſchalaimorum.*

Verſ. 33. *Quia obverterunt mihi cervicem, non*

non autem faciem; & docenti eos inde à diluculo indesinenter, minimè auscultant ad percipiendum eruditionem.

b. *Personarum* etiam, vers. 32, 33. tum universim; *propter malitiam omnimodam filiorum Israelis & Judæ*, quos rursum conjungit; nam licet regnis divisi, impietate tamen & provocatione Dei concordes; pariter hic operam conferentes. Sic Jer. 3:6. seq. Ezek. 23. tum sigillatim, cujusvis ordinis homines, *ipsi, reges, principes, Sacerdotes & Prophetæ, viri Judæ*, qui per agros, urbesque minores degebant, *& Hierosolymitani cives*; Summates, in Politico statu, reges, & aulici consiliariique, & in Ecclesiastico, Sacerdotes & Prophetæ; eoque oculus uterque corruptissimus: tum etiam inferiores, subditi, in urbe & agro: quorum omnium Impietas est, inobedientia, quod *obverterint* Deo *cervicem*, & *non faciem*, ceu dedignantes audire, vel obedire, ut qui deserunt aliquem; & Incorrigibilitas indocilis, licet jugis concessa esset institutio, *non tamen audiverunt, ut erudirentur*, seque paterentur corrigi; neque enim negat absolute cognovisse, sed cognovisse ad profectum pietatis. Habebant enim legem, & de sapientia inde hausta gloriabantur Jer. 8:8, 9. Querela ista frequens Jer. 7. 25. 44. 2 Chron. 36: v. 15, 16. Hæc verò universalitas corruptionis justissima immittendæ calamitatis causa. Jer. 2:8. seq. Ezek. 22. 24. Mich. 3. Zeph. 3.

Vers. 34. *Sed posuerunt abominationes suas in domo quæ vocatur de nomine meo, ad polluendum eam.*

Vers. 35. *Et ædificaverunt excelsa Bahali, quæ sunt in valle filii Hinnomi, ad traducendum filios suos & filias suas Moleco; etsi non præceperam eis, neque venerat in animum meum, ut facerent abominationem hanc: ut ad peccandum inducerent Jehudam.*

c. *Locorum* denique vers. 34, 35. tum violantes templum Dei, *collocantes abominabilia* idola *in domo, de meo nomine cognominatâ*, eo fine *ut pollucrent*. Cum enim domum illam sibi propriam fecisset, nefas erat ulli eam communem aliis facere, & inprimis idolis, abominationi quæ erant maximæ, Idem dicitur Jer. 7: 30. & explicatur Ezek. 8. 9. 10, 11. Deo eampse ob causam templum & atrium, & urbem quoque deserente. Tum excitantes loca alia ad idololatriam patrandam turpissimam: *ædificantes excelsa Baalis in valle filii Hinnom*, ut liberos *Molecho* offerrent, sive ad lustrationem per ignem traductos, sive ad combustionem, holocausti loco oblatos: quod hìc diserte non dicitur sed habetur Jer. 7: 31. cap. 19: 5. Ps. 106: 37, 38.

Exaggerat autem *a sua detestatione*, qui nunquam talem cultum crudelem mandarit, neque de eo mandando cogitarit, cum sit mera abominatio, homicidium, parricidium, idololatria hypocrisi maximæ sociata; interdicta sunt Lev. 18: 21. cap. 20: 2. &c. Deut. 18:10. II. *Adamnositate*, exempli, ut ad peccatum provocarent impellerentque Judam; dum summam hìc religionem collocantes imitatores fecere multos, Mich. 6: 5, 6. quo nomine præ cæteris notati Achaz & Manasse. Est autem quoque justissima causa calamitatis immittendæ, quando publica fit idololatria, & in domo Dei, & in locis aliis cultui illi destinatis, præterquam in privatis ædibus, ut dixit vers. 29. Frequentia hæc sunt apud Prophetas Jeremiam & Ezekielem, aliosque.

Vers. 36. *Nunc, inquam, idcircò sic ait Jehova Deus Jisraelis; de civitate hac quam vos dicitis tradi in manum Regis Babyloniæ, gladio, & fame, ac peste.*

Vers. 37. *Ecce ego congregaturus sum illos ex omnibus regionibus, quo depulero ipsos ira mea, & excandescentia mea, ac fervore magno: & reducens eos in locum hunc facturus sum ut habitent securè:*

3. *Restitutionem Hierosolymæ* certissime secuturam pollicetur: atque hic I. Præfatur, vers. 36. II. Recitat beneficia conferenda a se, reductionem in terram, & renovationem fœderis. vers. 37, 38. III. Eadem beneficia plenius describit, istud vers. 39, 40. & illud vers. 41, 42. IV. Specialem promissionem de contractibus emti venditi huic tempori applicat v. 43, 44.

א. *Præfatio* vers. 36. indicat quis, de quo loquatur, *Loquens* est *Jehova Deus Israelis*: qui & potest & vult præstare promissa: cum sit Essentiator tam suarum promissionum, quam rerum aliarum quarumcunque; quique fœdere Israeli conjunctus, se semper talem meminisset: fidelis, tametsi ipsi infideles Rom. 3: 3. 2 Tim. 2: 13. Hos. 11: 9. De quo loquitur, est *urbs* Hierosolyma, quam describit à causa corrumpente, vastitate, ipsorum judicio incubiturâ ob sociata mala complura; de quâ dicitis, tradita est in manus regis Babel ob gladium famem & pestem; quibus validissimæ urbes subigi possunt. Quod autem scribitur initio, *& nunc propterea sic ait Dominus &c.* nexum non habet cum immediate antecedentibus; nam לכן propterea, quod hìc sequeretur, merum exterminium secum ferret: sed cum vers. 27, an quid sibi mirum esse queat? ut restitutio corruptissimorum desperata statuatur. Vel sic reddi potest: Sed nunc propterea (sic dicit Dominus Deus Israel de hac urbe) quia vos dicitis, tradita est &c. ut judicio desperantium opponat sua promissa. Illud tamen potius ob accentum, qui לכן cum sequente כה אמר conjungit. Docet autem rebus omnibus conclamatis quod ad homines, omnia tamen respectu Dei esse facillima: cujus nomen omnibus difficultatibus opponitur.

ב. *Beneficia* quæ recitat, à se præstanda, duo sunt, Restitutio & fœdus.

a. *Restitutio* vers. 37. constat. *Collectione* dispersorum: cujus efficiens Deus, *Ecce me colligentem*; Objectum, *ipsos*, Judam & Israelem, quos conjunxit antea; Terminus à quo, *ex omnibus terris, quò eos depuli*, detrusi, Impulsiva dispersionis, *in irâ meâ & indignatione mea & magno æstu*. Gradatio elegans iræ, אף quæ in naso & facie cernitur, חמה unde incalescit sanguis, & corpus universum, קצף quæ spumare facit os, dum sermone & gestu ea proditur. Ezekiel facit impulsivam aut instrumentum collectionis Ezek. 20: 34. &c. verum hìc ad dispersionem potius pereinet. II. *Introductione* in terram, *& reducam eos in hunc locum*, III. Securæ *possessionis* largitione, *& habitare faciam eos secure*. Sæpius in antecedentibus talia pollicitus est Deus, ubi etiam expedita fuerunt: & mox illustrabit & amplificabit.

Vers. 38. *Denique erunt mihi populus, & ego ero ipsis Deus.*

b Fœdus vers. 38. & erunt mihi in populum, & ego ipsis ero in Deum: quâ formulâ solet enunciari. Jer. 24: 7. cap. 30: 22. cap. 31: 1, 33. Hoc est maximum beneficium: Restitutio sine isto fœdere commune quid; translatio de loco in locum Amos. 9: 7. fœdus istud omnem œconomicam politicamque prosperitatem excedit Ps. 144: 13. &c. Est verò fœdus reciprocum. qui Dei est, illius vicissim est Deus. Jer. 31: 9. 2 Cor. 6: 28. Esa. 56: 6, 7. jungunt se Domino, ut diligant nomen ejus, ut sint servi: ipse ducit in montem suum, exhilarat, habet acceptas oblationes.

Vers. 39. *Indam enim illis cor unum & viam unam ad reverendum me omnibus diebus, ad bonum ipsorum & filiorum ipsorum post ipsos.*

Vers. 40. *Et pangam ipsus fedus perpetuum, fore ut non avertam me à prosequendis ipsis, benefaciendo ipsis, & reverentiam mei indam animo ipsorum, ut non recedant à me.*

1. Illustrat & amplificat beneficia. sed ordine contrario, I. fœdus, II. restitutionem. Cujus ordinis invertendi aliqua etiam dari potest ratio. Beneficia ista promittuntur Judæis brevi in Babylonem deportandis; restituto autem & fœdus, quæ promittit, non tantum ad finem exilii Bab. pertinent; neque enim obtinuerunt, quæ vers. 29--42. dicuntur; & si hæc tantum referantur falsus fuerit Jeremias, & non à Deo verace ista acceperit: quod utique falsum est, in Prophetam injurium, & in Deum blasphemum.

Observandum itaque, Prophetas quando de Israele restituendo loquuntur, cum priore ex Babel conjungere ultimam, quasi tempore sociarentur, licet longo intervallo ab invicem distent. Ratio est: I. Quia posterior potissima est, & in quâ demum solidum solatium, & vera felicitas Israelis sita est. II. Quia prior imperfecta admodum, & cujus quædam pars non collectioni, sed dispersioni, non patriæ sed exilio deputanda est, III. Quia maxima dispersio & exilium Israelem constituit quodammodo extra fœdus, & domum Dei; ut illud intervallum silentio ferè transmittatur, quasi non fuisset: Prophetis populi Dei nihil de eo dicentibus, quando ipsi eorum, qui populus Dei non erant, etiam non essent Prophetæ.

Exilium quo ejecti Israelitæ in irâ Dei magnâ, cœpit quidem cum X tribus deportatæ in Assyriam & urbes Mediæ 2 Reg. 15: 29. cap. 17: 9. 1 Chron. 5: 26. & Judæi Babylonem cap. 9: 1. sed non finita dispersio horum restitutione: imò continuata cum rediissent; etenim quando Antiochus M. ejusque successores bello infestarunt Judæam, & graves persecutiones moverunt, longe lateque dispersi fuerunt Judæi per Ægyptum, & Asiam minorem, variasque majoris Asiæ & Europæ; Africæque provincias; quæ est Διασπορὰ, memorata Joh 7: 35. Jac. 1: 1. 1 Pet. 1: 1. Act. 2: 5, 8. seq. unde non sunt restituti, sed secuta est dispersio longè gravior, quando per Titum Vespasianum Hierosolyma vastata, & Judæi dissipati fuerunt, postea sub Adriano, ob novam rebellionem magis adhuc afflicti, aditu urbis prohibiti, hæc Ælia appellata; imo ubique sub Imperio Rom. ob motus quos ciebant, puniti aut pulsi fuerunt. Ex hâc vero dissipatione nunquam adhuc sunt restituti; unde quam consecuti sunt ex Babel, quia partialis paucorum, neque constans, ne quidem recensetur, sed duæ duntaxat commemorantur, quæ universales totius Populi, ex Ægypto, & ex omnibus terris, tum Aquilonis, quo X tribus, & Judæi primum deducti, & plurimi manserunt, tum cæteras, quocunque venerunt exules Jer. 16: 15, 16. cap. 23: 7, 8. de qua posteriore loquitur Ezekiel Ezek. 20: 34, 38, 41. cap. 34: 12. &c. cap. 36: 24. cap. 37: 21. &c. cap. 39: 25. &c. de eadem Esa 11: 11. &c. Porro exilium prius, saltem quod ad Judam (nam Israelis unum & constans est in hunc usque diem, paucis exceptis qui Judæ sociati Jer. 3: 14.) non fuit in tam gravi ira, Zach. 1: 15. ast hæc maxima; quâ finita obtinebit, quod dicitur Esa. 40: 2. *impletam esse militiam ejus*, tempus definitum calamitati, *iniquitatem esse propitiatam*, *accepisse de manu Domini* כפלים *duplum*, duabus vicibus vastatâ urbe & ejectis incolis, pro peccatis suis. Præterea beneficium securæ habitationis in terrâ, citra ullam ejectionem nondum impetrarunt Esa. 65: 21. &c. Jer. 23: 3. &c. cap. 24: 6. cap. 31: 5. Ezek. 34. 36. 37. Deut. 30. dirutum fuit quod ædificarant, & erutum quod plantarant, postquam ex Babele redierunt, ut ædificatio & plantatio vera nondum obtigerit. Denique fœderis beneficia de dando novo corde hactenus inter speranda sunt, necdum verò impleta. Jer. 24: 7. Ezek. 11. 36. Deut. 30: 6. Attamen quia & simulachrum restitutionis, & restitutio plena pariter inter futura erant, Jeremias utriusque aliquam habet rationem: & quidem prioris, cum ex Babel redierunt. quando fœdus pollicetur continuatum vers. 38. ubi populus prior dicitur Dei populus, tum Deus domum Israelis Deus, uti cap. 30: 22. quippe licet abiissent in Babel, tamen servati fuerunt in suâ αὐθεντία quod ad religionem, retinueruntque suos Prophetas sacerdotes & doctores; profitebantur Deum suum esse Deum, & hic pro suis eos agnoscebat. Hos. 1: 6, 7. Verum post dissipationem maximam, quando ut olim Ecclesia Israelis Jer. 3: 8. sic etiam Judæ Esa 50: 1. &c. cum libello repudii dimissa, & fœdus conjugale quodammodo ruptum, & cohabitatio maritalis, (quam in Babele Judæi: habuerunt Ezek. 11: 15, 16.) abrupta fuit Esa. 54: 4, 6. fœdus cum restituendis tale promittitur, cujus origo à Deo, qui primum aptitudinem largitur, quo constantiam consequatur etiam à parte Israelis, non secus ac à parte Dei: Et hoc est illud fœdus, quod in amplificatione describitur, quemadmodum etiam restitutio ibidem delineata.

a. *Fœdus* quidem habet

a. *Præparationem* vers. 39. ea continet largitionem idoneitatis. cujus

a. *Autor* Deus & *dabo ipsis*. non tantum pollicetur, habituros tandem ἱκανότητα quomodo vel a seipsis, vel hominum aliusve creaturæ ope se obtenturos potuissent opinari; sed habituros suo dono: Se ipsis non oblaturum duntaxat, relictâ admittendi vel repudiandi ancipiti libertate, sed daturum, ut habeant pollideantque. Deut. 30: 6. Ezek. 11: 19. cap. 36: 26.

β. *Media* obtinendi sunt *Cor*, & *Via*; illud denotat voluntatem & omnia interiora, intellectum etiam & affectus; cor intelligit, & cogitat, cor vult & eligit; cor desiderat, & aversatur, amat & odit: ista vero omnes actiones, quæ fiunt extrinsecus, uti cum quis ambulat in viâ, publico expositus est. Sunt autem actiones istæ non minus sermonis quam operis; tota conversatio hominis. Ezekiel cordi jungit *ambulationem*, quæ incessus per viam, Ezek. 11: 19, 20. cap. 36: 25. Estque cor prius ordine, quia inde procedunt actiones omnes Matt. 13: 19. ex illius plenitudine loquitur os cap. 12: 34, 35. unde cor primum requiritur Prov. 23: 26. & Ps. 119: 32. Utrunque dat Deus, quando dat velle, & perficere Phil. 2: 13 Cæterum utrique additur epitheton unitatis, *Cor unum*, & *viam unam dabo*: quod vel singulos respicit, pertinetque ad integritatem & sinceritatem. oppositeque ad cor & cor Ps. 12: 3. hoc est fraudulentum, vel etiam inconstans variumque 1 Chron. 12: 33. unde David petit *cor unitum* Ps. 86: 11. unum scopum habens: cum alias variis viis dividatur Esa. 57: 17. Eccl. 11: 9. quamobrem *hîc* quoque *via una* memoratur, ut quo cor direxit, eodem omnes actiones totumque vitæ institutum tendat; Ezek. 11: 19, 20. neque tantum intentio bona sit, verum etiam respondens exsecutio sincera. Vel respicit universos, ac denotat publicam illam populi concordiam, ut unico consilio & scopo ducantur, qui antea studiis divisi, in mutuam perniciem sæviebant; quæ unitas promissa Esa. 11: 13. Ezek. 37: 15. &c. Hos. 1: 11. quemadmodum 1 Chron. 12: 38. *unum cor Israelis* fuisse dicitur, ut Davidem facerent regem. Huc referri potest concordia illa Zeph. 3. 9. ad similitudinem illius Gen. 11: 1. Conf. 2 Reg. 10: 15. Act. 4: 32. coll. cum cap. 2: 44.

γ. *Aptitudo* ipsa, seu in quo ea constituitur est *Timor* Dei, quo nomine comprehenditur quicquid ad obedientiam pertinet Ps. 34: 12. item vers. 8, 12, 11. Ps. 103: 11, 13, 17, 18. Eccl. 12: 13. Esa. 29: 13. timor enim complectitur resipiscentiam Prov. 8: 13. cap. 16: 6. & obedientiam Prov. 14: 2. Ps. 112: 1. & 128: 1. Deut. 5: 29. cap. 10: 12. nequit enim Deum timere nisi qui eum agnoscit, 2 Reg. 17: 25. &c. & ipsius voluntati obsequitur Eccl. 12: 13. Hic timor est finis omnis unitatis: si alio spectet unitas, damnabilis est. Act. 4: 25. &c. consensus impiorum ad opprimendam veritatem & professores ejus. unitas conformitasque cum mundo, Eph. 2: 3. Jac. 4: v. 4. cum multitudine Act. 28: 22. & principibus Joh. 7: 7, 26, 48, 49. Ab ejusmodi unitate discedendum Eph. 5: 11. Prov. 1: 7, 15. Ut autem Timor iste Dei verus sinceruque sit & agnoscatur perseverantia necessaria est; quocirca additur, *ut me timeant omnibus diebus*: quemadmodum dicitur Deut. 5: 29. deficiente enim timore, aut cessante, mera impietas & inobedientia obtinet. Jer 2: 19. cap. 5: 23, 24. Mal. 3: 5. & oblivium Dei Esa. 57: 11. Ezek. 22: 6--12. conf. Mal. 3: 16. Constantia necessaria est 2 Cor. 7: 1. Luc. 1: 57. quo pertinet promissio mox sequens vers. 40. Deus enim dans timorem sui, dat bonum ἀμεταμέλητον Rom. 11: 29. eoque continuatum Phil. 1: 6. Ps. 138: 8.

δ. *Commodum*, redundans ad facientes & eorum posteros, *bono ipsorum*, *& filiorum post ipsos*. Pietas enim utilis 1 Tim. 4: 8. tum facienti Deut. 6: 24, 25. cap. 10: 12, 13. tum posteris Deut. 5: 29. Exod. 20: 6. Ps. 103: 17. & 112: 1. &c. & 121: 1. &c. Timendo Deum sibi ipsi, & posteris suis quis consulit: cum timentibus Deum omnia promissa Mal. 3: 16. &c. cap. 4: 2, 3.

b. *Fœdus* ipsum v. 40. cujus occurrit

α. *Appellatio*, dicitur *Fœdus æternum* ברית עולם, antea vocatum fuit *Novum*, Jer. 31: 31. ratione ſui initii, quia poſt violatum & abolitum Vetus inſtituitur; Nunc *æternum*, ratione finis, quia cum prius finem acceperit, hoc nullum habebit finem. Ezek. 37: 26. ratio æternitatis additur, *Pangam cum ipſis fœdus pacis, æternum fœdus erit ipſis*: quia pacis, quod ſanctâ pace conſtat: nullo diſſidio violandâ. Hoſ. 2: 18. &c. deſponſatio æterna, quæ nulli divortio ſit obnoxia, cujus conſtantiæ firmamenta ſunt, quod fiat in juſtitia & judicio, in benignitate & miſerationibus, & in fide: quæ omnia ſunt a deſponſante Deo exercenda ad defenſionem Eccleſiæ contra hoſtes, etiam ira Dei, dum illi eſt juſtitia, & in judicio Dei pro ea fuit; ad ejus ſuſtentationem & gubernationem Eph. 5: 23. &c. ad perennitatem, Rom. 3: 3. 2 Tim. 2: 13. Vox porro עולם notat tempus, cujus terminus latet; & denotat vitam hominis, 1 Sam. 1: 11, 22, 28. Exod. 21: 6. itaque hîc vita contrahentis Dei attenditur, quæ cum ſit æterna, finis omnis expers, etiam fœdus tale, & illi quibuſcum initur, quemadmodum hoc argumento Abrahami, Iſaaci & Jacobi reſurrectio probatur Matt. 22: 32

β. *Conditiones*, ſeu officia paciſcentium, unde æternitas fœderis fluit; I. *à Parte Dei.* Conſtantia benefaciendi; *non recedam ab ipſis, ut ipſis benefaciam*; Innuit adhuc eâ fore conditione, qui mereri queant ut recedat; utpote adhuc futuri peccatores 1 Joh. 1: 8. ut Paulus Rom. 7. Erit tamen Deus. Perennis benefactor, Pſal. 103: 17. & 84: 12. jugi actione Gen. 15: 1. & cap. 17: 1, 7. Deut. 33: 22. & quod dicitur, *à pone ipſis non recedam*, lucem capit ex Pſ. 23. v. 6. gratia non ſolum præveniens, ſed etiam concomitans, & conſequens. Phil. 1. v. 6. Pſ. 138. v. 8. Deus enim conſtantiſſimus Mal. 3: 6. Pſ. 102: 28. &c. promiſſiones ejus certæ 2 Cor. 1: 20. Num. 23: 19. II. *à parte populi*, conſtantia obſequii, *non recedent à me*; quod ante factum Jer. 2: 5, 13, 17, 19. cap. 3: 20. Eſa. 31: 6. Hoſ. 9: 9. Pſ. 14: 3. Deo adhærere fœderalis obſervantiæ teſtimonium; inde diſcedere, defectionis: ut notiſſimum. Neceſſario autem fœdus æternum & perenne eſt, ubi utrinque præſtantur officia, Deut. 7: 9, 12. &c. Pſ. 103: 17, 18. neque enim ulla diſſidii cauſa, ubi ſatisfit promiſſis: quod quando a parte hominum non fit, utique etiam Deus vindictam exercet, & beneficentiæ curſum ſiſtit Deut. 7: 9, 10. Heic verò hominum corruptela & infirmitas nihil pollicetur ſecuritatis, itaque additur.

γ. *Modus* eas præſtandi I. *à parte Dei* quidem, Deus ipſe omnia, quæ pollicetur, præſtat; *non recedam, ut benefaciam*; ubi longinquum ſe oſtendit, deficit ſenſus beneficentiæ Pſ. 10: 1. & 13: 1. &c. & 22: 2, 20. ſed ubi propinquus & præſens præſto ſunt beneficia, Lev. 26: v. 11, 12. Ezek. 37: 26. ſeq. cap. 39: 29. II. *A parte populi autem*, non dicitur ſimpliciter, ſecuturam obſervantiam fœderis, nedum ab ipſiſmet profecturam; ſed Deum quoque quæ populi ſunt effecturum; utpote qui pollicetur, ſe in anteceſſum largiturum aptitudinem, ut poſſint præſtare officia debita: *& indam timorem mei in cor ipſorum, ne recedant à me*; hoc obedientiæ fœderis, illud præcedaneæ aptitudinis indicium eſt. Aptitudinem promiſit Jer. 31: 33. & hîc verſ. 39. Phil. 2: 13. Aliquid tamen amplius nunc dicit, quam verſ. 39. Deus non tantum dat cor ad timendum ſe, quod ſe timere queat, ſi homo velit, & poſſit etiam velle, attamen ut homini relinquat ejus inclinationem liberrimam ſeu independentem, quo ſpontaneâ & omni modo propriâ determinatione aliquid mereatur, ſaltem agat quo gloriari poſſit; ſed in corde a ſe dato & præparato ipſemet operatur & producit timorem ſui: cor eo flectit, inclinat, Ezek. 11: 19, 20. cap. 36: 26. &c. Phil. 2: 13. cap. 1: 29. coll. cum Eph. 2: 8. Heb. 13: 21.

Ex hac porrò aptitudine fluit conſtantia, ut in officio fœderatorum nunquam deinceps deficiant homines. Quod magnopere valet contra doctrinam de apoſtaſiâ ſanctorum. Opponi quidem ſolet Eccl. 7: 20. Jac. 3: v. 2. 1 Joh. 1: v. 8. Reſp. Hinc vero colligitur non deficere, quod recedere eſt, vel finaliter, ut plane deficiant, nunquam redituri; vel totaliter, ut quidem plane deficiant, ſed tamen redeant. Verum ita Deus cum ipſis agit, ut licet frequentes lapſus, & hi graves nonnunquam, in ipſis notari queant, tamen in illis non maneant, ſed reſurgant; neque illico omnem gratiam amittant, ſed ejus ſemen & principium retineant, unde ceu plantæ poſt hyemem denuò regerminent, & vitam languentem ac latentem exſerant. Sed amplius quid eſt in hâc promiſſione.

Negat Deus ſuos à ſe receſſuros poſt datam aptitudinem; Recedit autem à via tum qui penitus eam deſerit, tum qui uno tantum pede illi inhæret, altero verò in quibuſvis diverticulis cernitur: facit qui fœderi renunciat aperte, & qui citra renunciationem contrariis fœderibus ſe obſtringit. Qui proinde non recedit, & totus & ſemper in viâ manere debet: fœdus conſtanter & perfecte obſervare, nam I. ex verſ. 39. Cor quod Deus dat eſt unum, non varium, diviſum, ad timendum Deum: non poteſt ergo unquam aliò directum eſſe vel aliorſum declinare; ſic enim foret diviſum: unde perfectum cor dicitur 2 Chron. 16: v. 9. aut ſi unum etiam tunc ſit & maneat, tum mutabilitas illa ab ipſo Deo erit, qui illud unum cor determinat: atqui cum ipſe illud determinet ad timendum ſe, utique nequit ab homine unquam in contrariam partem determinari. II. via quoque quam Deus dat, una eſt, ad timendum ſe: nequit ergo unquam declinare ad errorem; ſic enim periret unitas viæ: aut Deus falleretur, ſi ea via duceret ad aliquid alienum à ſui timore, timor ille Dei, quem iſti uni corde inſerit, non poteſt conſiſtere cum declinatione ad malum; nam timor inde abducit Prov. 16: 6. cap. 8: 13. 4. novum cor & ſpiritus, nec non Spiritus Dei faciunt ut ambulent in ſtatutis, & ea præſtent. Ezek. 36: 25, 26, 27. eoque cum deſertione iſtorum actuum ſociari nequeunt.

Quæſt. An ergo fœderati illi nullatenus recedunt à Deo? Reſp. Affirmat hoc loco Deus, & conſentit Johannes 1 Epiſt. 3: 9. cap. 5: v. 18. Attendenda autem *Apoſtoli verba. Qui ex Deo natus eſt, non peccat, nec peccare poteſt*; non declinat, nec declinare poteſt. Sed quis ex Deo natus? Non totus homo. Joh. 3: 6. & quod ex ſpiritu, id ſolum ex Deo natum eſt. Poteſt quis totus ex carne natus eſſe; ſed inde à lapſu Adami, (de hujus poſteris loquimur,) nemo ex Deo & ſpiritu totus natus eſt. Nam qui naſcitur eſt homo; qui ex carne, vetus; quæ ex Spiritu, novus homo. Poteſt autem quis eſſe merè vetus homo: ſed nemo merè novus homo, dum hanc vitam vivimus: ſemper Veteris hominis reliquiæ manent; quæ oppugnandæ Gal. 5: 24. exuendæ Eph. 4: 22. Col. 3: 9. Duo illi homines ſunt plane oppoſiti. Vetus non poteſt non peccare Rom. 8: 7. Eph. 4: 22. quia eſt ex malo illo Diabolo, qui a principio peccat 1 Joh. 3: 8, 10, 12. ſervit legi peccati Rom. 7: 26. Novus non poteſt peccare: qui ex Deo natus eſt: Deus autem non gignit quod peccato obnoxium ſit, ſed ſuæ luci conſentaneum Jac. 1: 17, 18. nova creatura ad imaginem Dei creata in juſtitia & ſanctitate verâ Eph. 4: 24. cui nil mali admixtum eſſe poteſt. Semen Dei manet iſtic; novum cor nova via, timor Dei in corde ſitus, a quibus nil proficiſci poteſt, quod à Deo abducat; hinc voluntas boni, & delectatio in lege Dei, & ſervitus legi Dei, & non facere malum, ſed ab eo abhorrere; illud damnare, contra pugnare Rom. 7: 18. &c. Cæterum fœderatus homo, in ſuo complexo, quatenus veterem & novum hominem in ſe habet, & poteſt peccare, & pronus eſt ad peccatum, illudque patrat, Rom. 7: 23, 24. attamen quâ fœderatus non peccat, nec peccare poteſt; ibid. verſ. 20. Nam ſolummodo fœderatus eſt quod ad novum hominem; quia cum veteri homine Deo nulla eſt conſociatio. 1 Joh. 1: 3. &c. 2 Cor. 6: 14. &c. qui proinde oppugnandus, crucifigendus, necandus eſt. Gal. 5: 17, 24. Col. 3: 5. quia etiam aptitudo, quæ fœderatis datur ſolummodo in novi homine eſt Rom. 7: 22. Nova planta ſunt, eaque bona, à Deo plantata, quæ non poteſt malos fructus ferre magis, quam mala bonos Matt. 7: 17, 18.

Obj. Atqui optimi in graviſſima peccata labuntur; ut David, Petrus, ut nihil gratiæ ſupereſſe videatur. Reſp. Etiam tum pii non diſcedunt a Deo, non peccant, nec peccare poſſunt ratione novi hominis. Nam vita Dei, quæ in novo homine eſt, Eph. 4: 18, 24. vita Chriſtiani Gal. 2: 20. & Spiritus Chriſti Rom. 8: 2. nequit ullo modo peccati conſors fieri neque deficere, cum ſit æterna 1 Joh. 5: 11, 12. Sed uti vita naturalis luxatis membris nequit uti, & tamen non ceſſat protinus ipſa, neque deſinit vitalia agere: Sic novus homo, dum membra a vetere reguntur, non poteſt iiſdem tunc uti Rom. 6: 12. &c. attamen adeſt ipſe, & quicquid agit bonum eſt, & colligit vires ad repugnandum, & ſuperato ejuſmodi paroxyſmo, rurſum cernitur evidentior. Rom. 7: 22. ſeq.

Vers. 41. *Ita gaudebo de ipsis, benefaciendo ipsis; quum plantavero ipsos in terra hac firmè, ex toto corde meo & ex tota anima mea.*

Vers. 42. *Nam sic ait Iehova, quemadmodum adduxero in populum hunc totum malum maximum istud; ità ego adducturus sum super eos totum hoc bonum quod ego promitto ipsis.*

Vers. 43. *Tum comparabitur ager in terra hac; quam vos dicitis desolatam esse, adeò ut nullus* insit *homo aut iumentum, traditam esse in manum Chaldæorum:*

Vers. 44. *Agros pecunia comparabunt, & inscribendo literis, & obsignando, atque adhibendo testes: in terra Benjaminis, & in circumjacentibus locis Ieruschalaima, ac in civitatibus Jehudæ, tum in civitatibus montanis, tum in civitatibus humilis regionis, tum in civitatibus plagæ Australis: quum reduxero captivam multitudinem illorum, dictum Jehovæ.*

b *Restitutio* pertinet ad postrema tempora, utpote consequens novi hujus & æterni fœderis, & cui innititur. Cum enim per istud fœderati constituerentur constantes in obsequio sincero, non potuit non sequi Dei delectatio; & ex delectatione benedictio constantissima. Restitutionis istius indicatur.

a Origo, vers. 41. Dei delectatio. *Gaudebo de ipsis ut eis benefaciam.* Deut. 30: 9.

b Constantia, vers. 41. *& plantabo eos in hâc terrâ*, ubi emtio facta erat à Jeremiâ) *in veritate*; (fideliter, constanter, 2 Chron. 32: 1.) *toto corde meo & tota anima meâ:* uti ipsi uno corde, id est toto obsequuntur. conf. Ps. 86: 11. 1 Chron. 28: 9. Quam quidem benedictionem, & præcedentem delectationem Dei, reduces ex Babel non sunt consecuti; cum delectatus sit Deus eorum eradicatione ex terrâ; cum & ipsos Esa. 43. v. ult. & terram Mal. 4. v. ult. percusserit anathemate: sed pertinet ad ultima tempora quæ sequentur receptionem Christi, Amos. 9: 11: 15. Jer. 24: 6.

c Amplitudo, & *integritas* v. 43. præmissa nova asseveratione promittentis; *Sicut adduxi omne istud malum super populum hunc, sic adducam omne istud bonum, quod de ipsis loquor.* Mala ipsorum omnia a Deo immissa, & quidem verissime, ex comminatione Deut. 28: 59. sic omnia bona contraria concedentur, & quidem verissime, ex hac aliisque promissionibus; superando omne malum, quod unquam ab irâ ipsius processerat, (quemadmodum malum superarat præcedentia bona Deut. 28: 63.) Zach. 8: 13, 14, 15. adeoque cum in malo illo fuerit obduratio Esa. 29: 10. 14. Rom. 11: 7. &c. utique bonum hanc & omnem aliam ineptitudinem removebit. Deut. 30: 6.

d Certitudo per applicationem signi, sive emtionis. Dei mandato institutæ, v. 43: 44. & quidem in genere, v. 43. *& emetur ager in hâc terrâ, de quâ vos* desperatorum instar *loquimini*, quod incolis omnibus, hominibus & brutis caritura sit, Chaldæis cessura. In specie v. 44. describendo futuros contractus; ubi *Res venalis*, agri; *Pretium*, argento ementur; *Confirmatio* contractus, scribendo, obsignando, testes adhibendo; *Loca*, in terra Benjamin, ubi Anatoth sita; & circum Hierosolymam, & per omnes urbes tribus Judæ, quocunque in tractu sitæ essent; *Argumentum* securitatis, *nam reditare faciam captivitatem ipsorum, dictum Domini.*

Ergo certa captivitas, sed certus quoque ejus finis. per oppositam restitutionem. quæ non tantum spiritualis, sed etiam corporalis & politica; ubi contractus isti valent. Hæc promissio a quibusdam creditur præstita, cum redierunt ex Babel; quia ubi contractus isti observandi dicuntur, sunt duntaxat terra Judæ & Benjamin. Unde X tribus exclusas hic credunt, & significatum, non esse restituendas unà cum duabus illis. Sed cum cohæreant ista præcedentibus de novi fœderis efficaciâ, & non minus ad X tribus, quam ad duas relata sint cap. 31. & utrique familiæ promittatur, ad Judæos restitutos, tanquam futurum beneficium Zach. 8 v. 13, 14, 15. cap. 10: 6. seq. utique adhuc pertinet ad speranda. Quod vero solum *Judæ & Benjaminis* fiat mentio, ejus ratio est, quod cum Hierosolymitanis, Judæis & Benjaminitis ageret, propediem deportandis, & qui suam felicitatem cum Hierosolyma perdita perditum iri opinabantur: quibus sigillatim erigendis hæc omnia facta & dicta erant, quæ emtionem concernebant. Imo non tantum de Juda & Benjamine loquitur, verum etiam de Israele reliquo. Nam *urbes montis, & planitiei & meridiei*, complectuntur etiam reliqua; Montana Ephraim, & Carmel, & Libanon, & Basan, Plana Gilead, & terræ reliquæ, Meridies tanquam quæ fuerant urbes Simeonis & Danis. Restitutio sic describitur frequenter, ut etiam Gilead & Basan, & Libanon comprehendatur. Jer. 50: 19. Mich. 7: 14. Obad. v. 19. Zach. 10: 10.

Concio, seu Prophetia XXI.

CAP. XXXIII.

Ejusdem argumenti est cum vaticinio præcedente, ad cujus confirmationem pertinuit hujus revelatio. Habet autem I. Procœmium præparans Prophetam, v. 1-3. II. promissionem restitutionis v. 4-13. III. promissionem restitutoris. v. 24-26.

Vers. 1. *Fuit autem verbum Jehovæ ad Jirmejam, secundo; quum ipse adhuc detineretur in atrio custodiæ, dicendo;*

Vers. 2. *Sic ait Jehova facturus istud, Jehova formans istud ad stabiliendum ipsum; Iehova nomine.*

Vers. 3. *Invoca me, & respondebo tibi; ac indicabo tibi magna & abstrusa, quæ non agnoscis.*

Procœmium habet Circumstantias & Præfationem ipsam.

I. *Circumstantiæ*, factæ revelationis vers. 1. sunt Revelans, *Verbum Domini factum est*: In qua phrasi vox Jehova solet adhiberi, quia de veritate patefactionum fidem facit, quod qui promisit possit facere & velit quoque: Cui revelata, *ad Jeremiam* Tempus, quoad revelationem, *Secundo*, post priorem illam quæ proxime recitata: & quoad eum cui revelata; cum adhuc detineretur in atrio custodiæ; non mutata conditione carceris, quod postea factum Jer. 38. quæ conditio in superioribus plenius est indicata. Hæc vero repetitio promissionum antefactarum ad confirmationem pertinet; ut Gen. 41. somnium iteratum; & 2 Cor. 13: 1, 2. Heb. 6: 16. &c.

II. *Præfatio*, constat,

1. *Descriptione Dei revelantis*, v. 2. ductâ à complemento promissionum: *Sic dicit Jehova qui istud facit*, quod vid. pollicitus ante est, *Jehova qui hoc format, ut illud stabiliat, Jehova nomen ejus.* quomodo significat Deum facere omnia, & formare quæcunque eò pertinent, juxta decreti & prædictionum normam, ut eo modo asserat veritatem nominis Jehova; quod nunc tertia vice inculcat, ut valeat illud Exod. 6: 1, 2. Dicitur autem etiam Deus alibi quoque facere & formare, quando prædictiones suas complet, sive omnia moderatur, quæ ad complementum faciunt Esa. 22. v. 11. cap. 46: v. 11. ut quod dixit, stabile fiat Num. 23: v. 19.

2. *Indicio officii Prophetæ*, v. 3. quod est Precatio, *Clama ad me, invoca me*; additurque promissio successus; qui constat, 1. Exauditione, *& respondebo tibi*, 2. Revelatione *indicabo tibi magna & valida* seu *firma*, vel *clausa, quæ non nosti* בצורות *ardua* ut mœnia alta prærupta; & בצר *in altum extollere*, Niph. *arduum difficile esse*, ut ea quæ alta sunt Ps. 131: 1. Chald. נטיר custodita, quasi esset נצורות Abrab. hinc concludit, loqui hæc de restitutione ultima, non proximâ ex Babel, nam hujus respectu interdictum Jeremiæ,

zemiæ, ne precaretur. Jer. 7: 16. cap. 11: 14. cap. 14: 11. aſt heic jubetur precari. Præterea liberatio ex Babel nota fuit Prophetæ cap. 25: 29. aſt hæc ultimorum temporum ignota, & quam aſſequi non poterat. Simulque oſtendit preces eſſe medium impetrandæ revelationis, & rerum futurarum. Dan. 2. cap. Precibus enim impetratur Spiritus S. Luc. 11: 13. qui futura quoque revelat Joh. 16: 13. nec non myſteria alia, 1 Cor. 2: 9, 10.

Verſ. 4. *Nam ſic ait Iehova Deus Iiſraelis de familiis civitatis hujus & de familiis Regum Iehudæ demoliendis*, exponendis *in miſſilia catapultaria & in gladium.*

Verſ. 5. *Venientibus ad pugnandum contra Chaldæos, imo ad explendum ipſas cadaveribus hominum quos percuſſero ira mea & excandeſcentia mea; & propter quorum omnem malitiam abſcondi faciem meam à civitate hac:*

Promiſſio Reſtitutionis Bimembris eſt, ubique præmiſſâ oppoſitione ſummæ deſolationis, reſpectu efficientis Dei, v. 4-9. & recipientium tum hominum v. 10, 11. tum brutorum eadem fruiturorum v. 12, 13.

I. Quatenus *à Deo* erat profectura, habet beneficia eam abſolventia in genere & ſpecie: ſed antecedit Calamitatis deſcriptio, ut illa beneficia magis illuſtrentur, quemadmodum lux clarior ex tenebris denſioribus, & umbræ obſcuriores commendant in picturâ colores cæteros.

1.° *Connectit* autem Præcedentibus per *Sic enim dicit Dominus Deus Iſraelis*: Recitat ea quæ propheta non norat, quæque ipſum petere juſſerat, ut ſibi patiefierent: attamen prævertit petitionem, juxta illud Eſa. 65: 24. & Dan. 9: 23. nam Pſ. 21: 4. prævenit Deus ſuos benedictionibus boni: quod magnum eſt fiduciæ argumentum, ut precari lubeat, cum Deus adeo facilis ſit ad reſpondendum. Vocat ſe non tantum *Jehovam*, cujus nominis vim dixerat; ſed etiam *Deum Iſraelis*, qui adhuc dum fœderis meminiſſet, adeoque Iſraelem reſtituturus eſſet Mal. 3: 6.

2. Loquitur autem de *Calamitate* quoad Subjecta & Efficientem principalem.

א *Subjecta* ſunt I. *Ædificia*, v. 3. privatorum, *de domibus hujus urbis*; & primatum, *& de domibus regum Judæ*; palatia enim complura ab iiſdem ſucceſſive ſtructa, à Davide, Salomone, & ultimo à Jojakimo Jer. 22. quorum commune fatum, quod diruta eſſent, (diruenda propediem; nam necdum urbe potiti erant Chaldæi; ſed ob certitudinem deſtructionis,) & Inſtrumenta ſunt Chaldæorum tum *aggeres*, tum *gladius*; illi viam faciebant, quâ ingrederentur, iſte per metonymiam hoſtes deſignat, eâ viâ irruituros in urbem. (אל hic pro על propter, quod frequens ſatis eſt.) I. *Homines* v. 4. *ingreſſi* utriuſque ordinis domos, *ut* inde *oppugnent Chaldæos* obſidentes, ad urbis ſuamque defenſionem; & *ut eas impleant cadaveribus*, in iis opprimendi & occidendi; ſunt duo conſequentia: prius finis ingreſſorum, poſterius eventus ex fine Dei. Sic ſolent impleri urbes obſidendæ, confugientibus eò, qui defendant, Jer. 4: 5. &c. cap. 8: 14. ſed qui ibidem ſæpe tumulum inveniunt, inprimis ſi vi occupetur urbs, & quicquid in armis eſt, necetur, quod quidem fieri ſolet, atque etiam quandoque ad plures graſſari cædes.

ב *Efficiens* principalis, contra *homines*, *quos percuſſi*, (manu videlicet Chaldæorum,) *in irâ & excandeſcentia meâ*: unde omne robur hoſtium Eſa. 10: 4. & contra Ædificia, *& quia abſcondi faciem meam* (faventem nempe) *ab urbe hâc* quæ protectioni fuiſſet, ne deſtruerentur: & Impulſivam, *propter omnem malitiam ipſorum.* Omnia faciunt ad majorem perniciem, quando Deus propter peccata offenſus eſt, quæ defenſioni viderentur futura: Quo plures incolæ & fugitivi ad ſui defenſam in urbe, eò major cædes tunc exſpectanda. Exemplo Hieroſolymæ, in ultima deſtructione & Jer. 21: 9. ſimilia prædicit.

3. Huic tamen urbi, quæ cumulus furura erat, & tumulus hominibus in eâ, pollicetur Deus reſtitutionis beneficia.

Verſ. 6. *Ecce ego faciens ut aſſurgat ad juſtam conſtitutionem & ſanitatem, curabo eos; & revelabo eis abundantiam pacis, & quidem ſtabiliſſimæ.*

א *Ingenere* v. 6. I. Metaphoricè, *Ecce me adſcendere facientem ipſi urbi ſanitatem*, & *medicinam* ſeu *ſanationem*, & *ſanabo eos*, cives & incolas ejus. Reip. morbus ſunt judicia, quibus à Deo debilitatur, & paulatim conficitur, (peccata morborum cauſæ potius,) Deut. 29: 22. &c. Jer. 10: 19, 20. cap. 30: 12. &c. Hoſ. 5: 13. Nullus hic medicus idoneus, prætem ſolum Deum Exod. 15: 26. Jer. 30: 17. Hoſ. 6: 1. Deut. 32: 39. Eſt autem ejus ſanatio talis, ut tum morbos & judicia tollat, 2 Chron. 7: 13. &c. cohibeatve Exod. 15: 26. Tum cauſas morborum quoque, peccata Eſa. 33. v. ult. cap. 57: 18, 19. Hoſ. 14: 5. &c. II. Proprie; & *revelabo ipſis abundantiam pacis & veritatis.* Eſt ergo bonum antea non cognitum, neque experentia preceptum; adeoque quantacnuque felicitas olim fuiſſet, nihil erat ad hanc; Jer. 16: 14, 15. cap. 23: v. 7, 8. ſervabat ilta bona Deus apud ſe clauſa, & cuſtodita; quemadmodum Dan. 12: 9. quorum revelatio ſervabatur definitis temporibus. Act. 1: 7. quæque fidem & exſpectationem exceſſura erant Eſa. 49: 16. &c. cap. 54 & 60. ſeq. Eſt vero potiſſimum Chriſtus ejuſque bona: qui Deus occultans ſe Eſa 45: v. 15. ſe tandem patefaciet, cap. 52: 6. &c. Ipſa bona ſunt pax, omnimoda proſperitas. Eſa. 54: 13. cap. 57: 19. 21. quæ pax Dei Phil. 4: 7. in Chriſto Rom. 5: 1. & quæ felicitas regni ipſius eſt, Mich. 5: 4. & veritas, ſive conſtantia 2 Chron. 32: 1. Eſa. 58: 11. & utriuſque abundantia, tum pacis quoad amplitudinem & varietatem bonorum, tum conſtantiæ, quoad infinitudinem durationis, Eſa. 9: 5, 6. Pſ. 72: 7.

Verſ. 7. *Nam reducam captivam multitudinem Iehudæ, captivamque multitudinem Iiſraelis; & ædificabo eos ut anteà.*

ב *In ſpecie* tria commemorat conferenda.

a *Reſtitutionem* externam v. 7. *remotione exilii*, & contraria benedictione. Amplificatur autem a ſubjecto, *Judæ & Iſraele*; utriuſque familiæ exilium finiturus eſt; quod nondum factum; & quod præſtitum hujus generis Judæ, cum ex Babele redierunt, novo & graviore exilio obliteratum eſt; *& ædificaturus* ipſemet, cujus opus non poteſt non ſuccedere, idque uti ab initio; quando in terram introduxit, ibidemque ſtabilivit, maxime Davidis & Salomonis temporibus: quod ipſum nondum eſſe præteritum, quivis videt. Sic Jer. 31: verſ. 1. 4. cap. 32: verſ. 41. Amoſ. 9: verſ. 11.

Verſ. 8. *Et mundabo eos ab omni iniquitate ipſorum qua peccaverint mihi; & condonabo omnes iniquitates ipſorum quibus peccaverint mihi, & quibus deficientes in me rebellaverint:*

b *Remotionem* peccatorum v. 8. quod ad reatum, *& mundos pronunciabo* (טהרתים ſic enim in Pihel declarativum eſt, uti etiam contrarium טמא in Sacerdotum ſermone de lepra Lev. 13, 14. capp.) *ipſos ab omni iniquitate ipſorum quâ contra me peccarunt*, & quod ad pœnam, *& peccam*, pœnam removendo, ne veniat, aut maneat, *omnibus iniquitatibus ipſorum, quibus peccarunt mihi, & prævaricati ſunt contra me*: leviora fuerint vel graviora, pariter invenient condonationem. Exod. 34: 6, 7. Sic Jer. 31: v. 34. cap. 50: v. 20. Mich. 7: 18. &c. Si דו טהרתי non placeat reddere declarative, intenſio connotabitur; & prius erit ſanctificationis bonum, poſterius juſtificationis. Ezek. 36: v. 25. Rom. 11: 26, 27.

Verſ. 9. *Quod erit mihi celebri gaudio, laudi, & ornamento apud omnes gentes terræ; quæ audient totum hoc bonum quod ego facturus ſum illis; & expaveſcentes commovebuntur ad totum illud bonum & ad totam illam pacem qua ego affecturus ſum illam.*

c *Glorificationem* ſui ipſius, ad converſionem confirmationemve gentium v. 9. I. *Publicatio* gloriæ divinæ eſt; *& erit mihi* (quando utriuſque generis beneficia præſto, externum, reſtitutionis; & internum, mundationis a peccatis,) *in nomen gaudii*, quod gaudii materiam præbeat, *& in laudem, & decorem*; gaudebunt de nomine meo, quando me Deum Iſraelis oſtendero per ipſius vindicias, & celebrabunt me, & me decoratum dicent, Eſa. 4: 2. &c. cap. 28: v. 5. cap. 62: 3. Jer. 31: 7. &c. II. *Publicantes* ſunt, *omnes Gentes terræ*, nationes omnes, ab Iſraelitică diſtinctæ, Eſa. 62: 2. &c. III. *Impulſiva* publicationis, *quando*, vel *qui audient omne bonum quod ipſis facio*: notitia liberationis à gentibus. Pſ. 102: 17. &c. Eſa. 60: 1. &c. Zach. 8: 20. &c. IV. *Efficacia* ad converſionem ſeu confirmationem, *& pavebunt, & contremiſcent ſuper omni bono & pace, quam facio ipſi*; Hieroſolymæ. Pavor ille religioſæ eſt obedientiæ, Pſ. 2: 4. tributus Iſraeli convertendo Hoſ. 3: 5. & hîc quoque Gentibus, ut Mich. 7: 16, 17. Quemadmodum Rachab de ſe teſtatur Joſ. 2: v. 9. &c. & Gibeonitæ cap. 9: 24. Eſtque id ipſum quod pollicetur Paulus Rom. 11: 12. converſio Judæorum erit plenitudo Gentium, & v. 15. vita ex mortuis, ut & illæ convertantur, quæ nondum converſæ, & iſtæ quæ denuò defecerunt, ſeductæ ab Antichriſto, aliiſve deceptoribus. Act. 15: 16. &c. Cæterum pavor ille & tremor non eſt contrarius Evangelio, & N. T. beneficiis. Talem quidem removet Apoſtolus 2 Tim. 1: 7. Spiritus timoris non habet locum ubi robur Pſ. 27: 1. ubi amor 1 Joh. 4: 18. ubi temperantia Luc. 21: 34. Sed hîc timor ejuſmodi promittitur, qui ſociatus amori, Hoſ. 3: 5. amor attrahit, timor abigit: aſt hic timor allicit ducitque ad Deum, quem bonum, & ſibi bonum agnoſcit, quod amoris eſt; ita heic, bonitas & pax, eaque uberrima & conſtantiſſima, conjuncta cum remotione peccatorum, præſtita Iſraeli, facit ut Gentes timorem iſtum concipiant. Pſ. 130: 4. Act. 2: 42, 43. cap. 10: 45. qui etiam ſociatus gaudio Pſ. 2: 11. timor dolorem habet, exſpectatio enim eſt mali imminentis; aſt ubi gaudium, timor abeſt, cum ſit de poſſeſſione boni, adeoque & dolor abeſt Luc. 5: 26. cap. 7: 16. Matt. 28: 8. Timor qui hic promittitur, eſt obedientiæ & cautionis Phil. 2: 12, 13. Pſ. 2: 11, 12. conjungitur oſculatio Filii, & cautio ne offendatur: quando manifeſtatio & guſtus bonitatis Dei animum implet ſollicito metu, ne quid admittatur quo cauſa detur amovendæ bonitatis, ut eâ ſibi deinceps carendum ſit. Hujuſmodi timor hîc intelligendus, qui gaudium & gratiarum actionem in fruentibus bonitate Dei producit, ut eſt v. 11.

Verſ. 10. *Sic ait Jehova, adhuc audietur in loco hoc, quem vos dicitis vaſtari, adeò ut nullus* inſit *homo, nullumque jumentum in civitatibus Iehudæ, & in plateis Ieruſchalaimorum deſolatis adeò ut nullus* inſit *homo, nulluſque habitator, & nullum jumentum.*

Verſ. 11. Audietur, inquam, *vox gaudii, & vox lætitiæ, & vox ſponſi, & vox ſponſæ, vox dicentium, celebrate Iehovam exercituum, quia bonus* eſt *Jehova, quia in ſeculum* eſt *benignitas ejus, offerentium gratiarum actionem in domo Iehovæ: quum reduxero captivam multitudinem hujus terræ ut antèa, ait Jehova.*

II. Quatenus *Recepturos* reſpicit qui ſunt,

1. *Homines*, quomodo v. 10, 11. refertur ſed ut v. 10. conjungatur calamitatis contrariæ Exaggeratio, quæ per parentheſin inſeritur, antequam ipſum beneficium referatur. Orditur autem emphatico illo, *Sic ait Jehova*, verax in promiſſis, Exod. 6: 2 qui ſuperabit beneficentiam in eductione ex Ægypto præſtitam juxta promiſſiones antegreſſas Jer. 16: 14, 15. cap. 23: 7, 8.

Beneficium eſt *auditus* adhuc futurus; cujus ſubjectum loci eſt, *in hoc loco*, Hieroſolymæ nempe; & amplificatur a cauſa corrumpente, calamitate maxima, quæ rem prorſus reddebat incredibilem, tum quoad judicium Jeremiæ & Judæorum, *de quo loco dicitis, vaſtatus eſt, ut non ſit ibi vel homo vel jumentum*; tum quoad rei veritatem, *in urbibus Judæ, & plateis Hieroſolymæ*, deſolatis vaſtatiſque *ut ibi non ſit homo* qui tranſeat; *nec incola*, qui habitandi ſedem habeat; *nec jumentum*. Hanc vaſtitatem minatus eſt Deus Deut. 29: 22. &c. Eſa. 6: 10. &c. poſt repudiatum Meſſiam, & obdurationem inſecutam; quæ adhuc dum terræ incumbit. Similis calamitatis auditum habuit Jeremias ſuo tempore Jer. 4: 19. ſeqq. Lamentationes Jeremiæ eam terræ vaſtitiem patheticè deſcribunt. Attamen hâc non obſtante Deus pollicetur contrariam felicitatem Zach. 8: 4. ſeq.

Objectum enim auditus eſt loco triſtis ſilentii ex ſolitudine Jer. 7: 34. Læta *vox*, quæ præſupponit & reſtitutionem & multiplicationem incolarum felicium, Vox autem illa *in genere* eſt lætitiæ; *Vox gaudii & vox lætitiæ*, cui locus eſt in calamitate, Pſ. 137. v. in vaſtitate ac ſolitudine.

In ſpecie eſt tum politica, *vox Sponſi & vox ſponſæ*: quæ lætiſſima, in proverbium deducta Eſa. 61: 10. cap. 62: 5, Matt. 9: 15. Joh. 3: 29. & ejus defectus ſummæ miſeriæ indicium Jer. 7: 34. cap. 16: 9. cap. 25: 10. Apoc. 18: v. 23. Eſt enim conjunctio ſponſorum ſocietas arctiſſima, una caro, initium politiæ & Eccleſiæ, utriuſque ſeminarium: quæ diſſuadetur tempore calamitoſo 1 Cor. 7: 26. &c. nam miſerrimæ ſunt tunc gravidæ & lactantes. Mite fuit exilium Babylonicum, quia hæc gaudia non prohibita, imo mandata Jer. 29: 6. metuenda mala magna quando prohibita; unde in metu majoris mali abſtinentia imperata ad tempus. Joel. 2: 15, 16. uti omnia gaudia externa tunc omittenda Eſa. 22: 12. quod neglexiſſe ſecuritatis eſt vitioſæ Luc. 17. 26. ſeq. tum religioſa, *vox dicentium, Laudate Dominum*, &c. ubi ſocietas: politica privata eſt, ſponſi & ſponſæ, quiſque ſibi ſuiſque privatim gaudet; aſt religioſa publica magis, quæ ſocios lætitiæ quærit, non tantum teſtes, ſed conſortes; nam invitat etiam alios, *Celebrate Dominum Zebaoth*, veracem, potentemque, confitentes ipſius beneficia, idque ſolenni Eccleſiæ formula, *Nam bonus eſt Dominus, nam in ſeculum eſt benignitas ejus*: quemadmodum frequenter in Pſalmis 1 Chron. 16: 41. Pſ. 207. Pſ. 118. & inprimis Pſ. 136. Videatur uſus iſtius formulæ 2 Chron. 5: 13. & cap. 7: 6. Ezr 3: 11. Profeſſioni autem ſociatur actio; non ſolum lætitiam & gratitudinem ore, ſed opere quoque teſtantur, vox eſt dicentium iſta, atque etiam *adducentium ſacrificium laudis in Domum Dei*, ut publice, loco ſacro conſtet grata agnitio beneficiorum Domini. ut Pſ. 56: 13. & 66: v. 13. &c. & 116: 17. &c. & 118: 27. Deut. 14: 26. cap. 26: 5. ſeq. Sic piis conjungenda lætitia ſpiritualis, illi quæ ex bonorum corporalium fruitione concipitur, ut in Domino gaudeamus Phil. 3: 1. cap. 4: 4. neque tantum in verbis, ſed in actione conſiſtant ejus teſtimonia. Sacrificia autem poſcuntur laudis Heb. 13: 15, 16. Rom. 12: 1, 2. Eſa. 56. verſ. 6, 7.

Ratio gaudii utriuſque eſt, *nam convertam captivitatem terræ* (una cum incolis) *ut in principio, inquit Iehova.* quod v. 7. dictum fuit: ſed ut populo tribueretur beneficium, hîc terræ; quia non eſſet populi reſtitutio conſummata, niſi etiam terra reſtituatur quæ proprium illi populo bonum eſt: ut ſæpius demonſtratum fuit. Et cum reſtitutio dicatur futura ad exemplum priſcæ beneficentiæ, nequit abeſſe largitio terræ.

Verſ. 12. *Sic ait Jehova exercituum; adhuc erit in loco hoc vaſtato adeò ut nullus* inſit *homo aut jumentum, & in omnibus civitatibus ejus cauſa paſtorum facientium ut accubent greges.*

Verſ. 13. *In civitatibus montanis, in civitatibus humilis loci, & in civitatibus Auſtralis plagæ, & in terra Benjaminis, ac in locis circumjacentibus Ieruſchalaima, denique in civitatibus Jehudæ; adhuc tranſibunt greges opera numerantis, ait Jehova.*

2. *Jumenta* v. 12, 13. quæ uti propter hominem affliguntur; ſic cum ipſis vindicantur, quod de ultimâ reſtitutione promittitur Rom. 8: 20. &c. Heic certitudo eſt in Deo promittente: *Sic ait Iehova Zebaoth.* Bonum ipſum deſcribitur a ſub-

ſubjecto loci, *adhuc erit in hoc loco*; illuſtrato oppoſitione contrario, *vaſtato*; idque *ut non ſit quiſquam, homo vel jumentum, & in omnibus ejus urbibus*: metropolin & cæteras minores æquat conditione miſerrimâ. à multitudine, habitatio paſtorum, qui recumbere faciunt greges.

Repetitio amplificatoria, verſ. 13. habet diſtributionem loci, *in urbibus montis, & planitiei, & meridiei*, quæ ad univerſum Iſraelem pertinent; *in terra Benjamin & circumjacentibus Hieroſolymam, urbibuſque Judæ*, ut applicetur propius iis, quibus Jeremias vaticinabatur, Judæis nempe: & copiæ promiſſæ, *adhuc tranſibit grex ſub manu numerantis*: quod fiebat cum decimatio inſtitueretur Lev. 27. verſ. 32.

Clauſula obſignans eſt, *dicit Dominus*. ne quis dubitet, quando Dei ſermonem eſſe audit, qui ἀψευδὴς.

Verſ. 14. *Ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ, quum præſtabo verbum iſtud optimum quod proloquutus ſum erga domum Iſraelis, & erga domum Jehudæ.*

PROMISSIO RESTITUTORIS Meſſiæ recitatur verſ. 14--16. & confirmatur verſ. 17--26. Reſiduum hujus capitis a Græcis penitus omiſſum eſt.

Recitatio eadem fere eſt cum eâ, quæ cap. 23: 5, 6. Habet Præfationem v. 14. Deſcriptionem Meſſiæ v. 15. Beneficiorum indicium ℣. 16.

1. *Præfatio* verſ. 14. definit I. Tempus. *Ecce dies venient*, dictum Jehovæ. Venturum idem quod futurum, uti ὁ ἐρχόμενος idem cum ὁ ἐσόμενος Apoc. 1: 4. cap. 16: 3. coll. & dies venturi ſunt futuri, tum mali Luc. 19: 43. tum boni, uti hîc, & Jer. 31: 27, 31, 38. Heic ad certitudinem facit: quamvis ſtatim non fieret, quod promittebatur tamen adhuc fiet: poſſunt multi dies tranſire, ſed dum adhuc alii ſequuntur, nondum deſperatum eſt: venient adhuc qui complementum adferent. *Dies* vocantur, utpote plures numero, quique habent ſuam diuturnitatem; nam verſ. 15. & 16. diverſi dies ſunt, exhibendi Chriſti, & reſtitutionis Iſraeli conferendæ. Alias appellantur *Ultimi dies*. Gen. 49: 1. Joel. 2: 28. Act. 2: 17. ſed in iis aliud adhuc ultimum eſt 2 Pet. 3: 3. 2 Tim. 3: 1. 1 Tim. 4: 1. & huc Iſraelis reſtitutio pertinet Jer. 30: 24. cap. 31: 1. Hoſ. 3: 4, 5. Dies autem iſti futuri heic fluunt ab exhibitione Meſſiæ vel ſunt a reſtitutione ex Babel, quia Jer. 29: 10. ſimile beneficium legitur: & Prophetis ſolenne eſt illam cum futurâ ſociare, omiſſâ intermediâ rejectione Iſraelis. Certitudinem quoque firmat χρηματισμὸς Dei frequentatiſſimus. II. *Beneficium, Excitabo*, tanquam ex mortuis, & ſepulchro, *bonum verbum*; complementum largiendo. Rom. 4: 17. Evangelium ſic vocatur Zach. 1: 13. ſed hîc deſignatur Chriſtus, qui cum ſiſtitur bonum verbum excitatur; atque etiam ſtabilitur, quia promiſſiones in ipſo conſequuntur firmitatem 2 Cor. 1: 20. ipſe Deus Amen Eſa. 65. v. 16. veritas Joh. 14. v. 6. III. Quibus promittit, *quod locutus ſum de domo Iſraelis & de domo Juda*: ut ad omnem domum Jacobi pertineat; neque in reſtitutione ex Babel impletum dici queat, quando X tribus non rediiſſe conſtat; quia pauci eorum non poſſunt univerſitatis iſtius nomen & locum tueri. ſic verſ. 16.

Verſ. 15. *Diebus illis & tempore illo faciam ut efflorescat Davidi germen juſtum, qui exercebit jus & juſtitiam in terra.*

2. *Deſcriptio Meſſiæ* verſ. 15. habet definitionem temporis, perſonæ & muneris.

א. *Tempus* eſt, *Illis diebus & illo tempore oportuno*. עת enim opportunitatem connotat, quæ articulum habet ſpecialiſſimum: quo facit Eſa. 60. verſ. ult. Act. 1: 7. Deus enim exactiſſime obſervat tempora; & qui in prima liberatione ex Ægypto attendit ad momentum ejus Exod. 12: 41. non negliget in ultimâ: qui omnia pulchra facit in tempore ſuo Eccl. 3: verſ. 11. Et cum obſervet hominibus ſtatuta, tempora Jer. 5. verſ. 24. Gen. 8. verſ. ult. non negliget ſua Act. 3: 21.

ב. *Perſona* eſt Meſſiæ, ab humana natura delineatus, non quod eam ſolam habiturus eſſet, (nam mox Jehova dicitur verſ. 16.) ſed quod tempore exhibitionis divina ejus natura generaliter non eſſet agnoſcenda; ubi nomen, origo, & qualitas referuntur.

a. *Nomen* eſt צמח *germen*; quomodo inſignitur Zach. 6: 12. cap. 3: 8. ſic Eſa. 4: 2. Græcis ἀνατολὴ nonnunquam Ezek. 16: 7. cap. 17: 10. & adhibita hæc vox Jer. 23: 5. Zach. 3: v. 8. cap. 6: verſ. 22. Humana enim natura Chriſtiana habet Germinis inſtar initium ab & ſimilitudinem cum radice, quæ illo prior & antiquior eſt, unde progerminat.

b. *Origo* gemina indicatur, ratione efficientiæ & materiæ: Illius reſpectu cœleſtis, hujus terreſtris. *Priorem* oſtendit נצמית *Germinare faciam*. Deus, qui loquitur; non quod humanam naturam ei formarit in cœlo, quam inde detulerit; ſed quod cœlitus eam in terrâ fecerit oriri. Pſ. 132: 17. Luc. 1: 69. Quippe eſt Chriſtus filius promiſſionis: cujus unius vi editus eſt; promiſſionis autem autor ſolus Deus. Luc. 1: 54, 55, 69, 70, 72, 73. Ortus præter omnem vim naturæ, ex Virgine Gen. 3: 15. Eſa. 7: 14. Luc. 1: 35. itemque præter omnem apparentiam, cum domus Davidis ad contemtum tempore Iſai rediiſſet, imo majorem, ut ex ejus abſciſſo trunco oriretur Eſa. 11: 1. cap. 53: 2. *Poſteriorem* docet τὸ *Davidi*: unde natus eſt, ejus filius & ſemen Matt. 1: 1. Rom. 1: 3. Luc. 1: 69. quamobrem etiam dictus David aliquoties Jer. 30: 9. Hoſ. 3: 5. Maria fuit de genere Davidis, Luc. 1: 31, 32. deſcripta in Bethlehem cap. 2: 4, 5. & Deus hinc germinare fecit, ut fuerit fructus ventris Mariæ, Luc. 1: 42. Eandem cum ipſa habens naturam, filius hominis ab ipſa homine, & qui aliorum puerorum more carnis & ſanguinis particeps factus Heb. 2: 14. factus ex muliere Gal. 4: 4. ſemen mulieris Gen. 3: 15.

c. *Qualitas* denique eſt *Juſtitia*. cap. 23: 5. concretè dicebatur צמח צדיק, at nunc צמח צדקה abſtracte. Deſignatur autem idem, quod juſtus ſit futurus, non peccator & reus ut cæteri homines, ſed ſanctus, ſegregatus a peccatoribus. Eſa. 53: 9, 10. Luc. 1: 35. Heb. 2: 17. cap. 4: 15. cap. 7: 26. 1 Joh. 3: 5. 2 Cor. 5: 21. Joh. 8: 46. imo quid majus, quemadmodum abſtracta pro concretis uſurpata ſolent emphaſin addere. Eſa. 1: 21. Quod ſi attendamus diſtinctionem צדק a צדקה, ut illud notet beneficentiam indebitam erga miſeros, Deut. 34: 13. tunc tribuetur Meſſiæ, ceu habenti plenitudinem gratiæ, Joh. 1: 14, 16. Col. 1: v. 19. Eph. 1: v. 3. ut in ipſo ſalus ſit omnimoda Act. 4: v. 12. Eſa. 12. verſ. 23. quem Deus conſtituit Dominum & Chriſtum Act. 2. verſ. 36. Principem & Servatorem cap. 5. ℣. 31.

2. *Munus* eſt, *& faciet judicium & juſtitiam in terrâ*: pertinent hæc ad exercitium regii muneris, quomodo dicitur Jer. 23: 5. *& regnabit rex & proſperabitur, & faciet &c.* quod regium officium Meſſiæ frequentiſſime in Scriptura indicatur. Pſal. 2. 45. 72. Eſa. 9. 11. Ezek. 34. 37. Hoſ. 3: v. 5. Zach. 6. 9. Adminiſtratio autem regia gemino actu continetur *judicii*, ἀκριβοδικαίᾳ, & *juſtitiæ* ἐπιεικείας; ſive *juſtitia & miſericordia*, quorum hanc צדקה indicat, illam משפט priorem contra impios & hoſtes, poſteriorem erga pios, fideles, ſubditos populumque ſuum, Eſa. 11. Pſ. 72. Quamvis etiam judicium valeat circa pios, Eſa. 1: 27. non in ipſorum perſonâ, quod deprecandum habent Pſ. 143: 2. ſed in ſponſore, qui venit in judicium & anguſtiam, poſt ſatisfactionem pleniſſimam inde exemtus Eſa. 53: 8. quomodo ipſi juſtiſſimi ſunt, etiam jure ſtrictiſſimo ℣. 11. & cap. 1: 26. & 27. coll.

Verſ. 16. *Diebus illis ſervabitur Jehuda; & Jeruſchalaimorum* civitas *habitabit ſecurè: is autem qui vocabit eam*, erit *Jehova juſtitia noſtra.*

3. *Beneficia* conferenda Iſraeli verſ. 16. habent indicium Temporis; Perſonarum, Beneficiorum imperticiendorum & Modi.

א. *Tempus* dicitur, *in illis diebus*: in quibus Meſſias exhibitus regnabit; cap. 23: 6. dicitur in ipſius diebus: non quidem omnibus ejus diebus, neque in illorum dierum principio, ſed durantibus illis, & antequam finiantur; qua

ſuam habent latitudinem. Eſa. 11: 10. ſeq. quod jam ſæpius dictum probatumque.

ב. *Perſonæ* quæ fruituræ, *Juda & Jeruſalem*; cap. 23: 6. eſt Juda & Iſrael. Nam ad totum Iſraelem pertinet Meſſiæ regnum, Luc. 1: 32, 33. uti David, cujus hæres eſt Eſa. 9: 6. in tota domo Jacobi regnavit. unde ipſi totus Iſrael ſubjiciendus dicitur Eſa 11. Ezek. 37. & alibi. Quin non ſolum Jer. 31. ad univerſum Iſraelem beneficia Meſſiæ extenduntur, ſed etiam cap. 33: 7. & 14. quo cum v. 15. & 17. cohærent Verum nunc ſolius Judæ & Hieroſolymæ mentio fit, ob horum ſingulare ſolatium, quibus imminebat exilium & vaſtatio.

ג. *Beneficia* impertienda duo memorantur, ſibi ſubordinata, ut cauſa & effectus, I. eſt Salus, ſive *redemtio*, quæ liberatio ab omnibus malis, peccatis & calamitatibus. II. *Securitas*, ut metus expertes habitent, quæ locum non habet, niſi poſt impetratam ſalutem. Conjunguntur iſta ſæpius Eſa. 43: v. 17. ubi ſalus & immunitas a pudefactione Zach. 3: v. 8. &c. Luc. 1: v. 69. ſeqq. Sunt enim a Meſſia ſalus Act. 4. verſ. 12. & ſecuritas Rom. 5. verſ. 1. cap. 8: verſ. 1.

ד. *Modus*, quo impertienda beneficia, ubi obſcuritatis aliquid, ex collatione cum Jer. 23: 6. *& hoc eſt nomen ejus quo vocabit eum*, יהוה צדקנו *Jehova juſtitia noſtra*, quo loco dubius eſt vocans. Eum Græci fecerunt Deum; inſerto vocabulo κύριος, qui Meſſiæ nomen fecerunt Ἰησοῦν & ſic Hebræi qui vel יהוה vocantem dicunt, & Meſſiam vocatum צדקנו; vel יהוה צדקנו vocantem, at Meſſiam vocatum צמח צדיק quæ Abrab. explicatio. Rectius Targum & Kimhi, Iſraelem eſſe vocantem, & vocatum Meſſiam ה' צדקנו. Quæ interpretatio convenientiſſima. Nam ſi Deo duo nomina tribuantur utique dicendum fuiſſet, חזה שמו אשר אקר אנו אני ה' צדקם, quia non populus loquens introducitur, ſed Deus promittens, Sin primum duntaxat, utique accentus repugnant, qui poſcunt conjunctionem, (neque enim Peſik facit divulſionem tantam vid. Jer. 21: 7. cap. 24: 8. cap. 25: 25, 26.) quemadmodum Exod. 17: 15. quæ conjungenda agnoſcunt Judæi. Verum hoc loco magis adhuc res obſcura eſt, quia לה fœm. ad Hieroſolymam referendum eſt, quam ה' צדקנו dicendam aſſerit A-„ brabanel, quemadmodum Ezek. 48. verſ. ult. ה' שמה. „ Imo quod dicitur de Meſſia verſ. 15. צמח צדקה, „ Juſti-„ tia urbis appellationem eſſe ait, ut Meſſias Davidi exci-„ tandus, dicatur Germen Hieroſolymæ, quæ juſtitia nun-„ cupetur, quia in ea juſtitia ſit habitatura. Hoc autem alienum eſt, cum צדיק & צדקה ſynonymos uſurpentur. Targ. *Hoc eſt nomen ejus* (id inſerit ex cap. 23: 6.) *quo eam vocabunt, ſient nobis juſtitiæ a coram Domino in medio ejus.* Sic Hieroſolymæ nomen eſt; Kimhi *S. B. ille vocat Hieroſolymam* ה' צדקנו, *quaſi dicat habitatores ejus dicturos* ה' צדקנו: quod priore loco Meſſiæ nomen dixit. Calvinus & Piſcator urbis & Eccleſiæ nomen faciunt, cui nomina Chriſti capitis communicentur. Sed id verum de nominibus officium denotantibus, Chriſtus 1 Cor. 12. verſ. 12. quo exemplo utuntur; Reges & Sacerdotes Apoc. 1. v. 6. ſed nomen eſſentiale Deitatis neutiquam communicatur, uti neque nomen Jeſus. Coccejus: *Et hoc nomine vocabitur Hieroſoyma, Iehova eſt juſtitia noſtra; quia Hieroſolymæ cives dicent Jehova eſt juſtitia noſtra, ideo illorum nomen hoc eſt, quo ſe nominabunt, Nos ſumus illi quorum juſtitia eſt Jehova; ideoque hoc nomine nominabuntur à quovis illum agnoſcente, qui tanquam participes ejuſdem gratiæ, de fratribus, ut communis gratiæ hæredibus, dicent, Noſtra, hoc eſt mea & fratrum meorum juſtitia, eſt Iehova.* Quomodo quadrabit cum illis Exod. 17: 15. Ezek. 48: 35. Convenientius autem ut reddatur, citra ellipſin, *& hic eſt, qui vocabit eam, Iehova juſtitia noſtra.* Nam קרא quando advocare notat, dativum & accuſativum promiſcue adſciſcit: & titulus ille Meſſiæ proprius manet. Sic vero plus dicitur quam cap. 23: v. 6. iſtic enim efficacia fidei Iſraeliticæ indicatur, qua Meſſiam & Deum & juſtitiam ſuam profitebuntur: heic verò efficacia ipſiuſmet Meſſiæ, qui Deus & juſtitia ipſorum, ut talis agnoſcatur, dum vocat. Olim cum inter eos verſaretur, vocavit Iſraelem, Rom. 15. v. 8. Matt. 15. v. 24. cap. 23: v. 37. ſed quod merum hominem putarent, ipſum contemſerunt, & quos ipſe miſit viles piſcatores & idiotas, Joh. 12: 37. &c. Rom. 10: 16 &c. Verum quando ipſos vocabit, non tanquam filios hominis duntaxat, ſed tanquam Dominus juſtitia ipſorum, efficaci virtute ſuæ gratiæ, tum eum agnoſcent & profitebuntur. 2 Cor. 3: v. 14, 15. Zach. 12: 10. &c. Phil. 3: 8. &c. Luc. 13: 34, 35.

Verſ. 17. *Nam ſic ait Jehova: non exſcindetur Davidi vir ſedens in ſolio domus Iſraelis.*

II. *Confirmatio* inſtituitur triplex, repetito ferè eodem ſemper argumento, ad certitudinem majorem, Gen. 41. v. 32.

1. *Simpliciter* verſ. 17, 18. res proponitur. Cujus exordium, *Nam ſic dicit Jehova*: ne quid dubitetur de Meſſiæ regno. Conjungit autem duo beneficia, Regnum & Miniſterium Eccleſiaſticum, cujus poſterioris hactenus non fecerat mentionem.

א. *De Regno* ait, verſ. 17. *Non exſcindetur Davidi vir qui ſedeat ſuper thronum domus Iſraelis.* Promittitur Davidi ſucceſſor rex, qui Iſraelis regnum obtineat. Rex quidem erit hæreditarius, ex poſteritate Davidis, cui Deus regnum dedit fœdere Salis 2 Chron. 13: 5. perpetuo, cum ſal non corrumpatur, ſed corruptibilia alias à putredine & corruptione conſervet: neque tantum jus habiturus regni, quod Abia urget, ſed etiam poſſeſſionem de facto, qui ſedeat ſuper throno. Veruntamen interruptâ temporis ſerie, Non exſcindendus ſucceſſor, ut prorſus aboleatur regnum Davidicæ familiæ, quomodo domus Jeroboami, Baeſæ, Achabi, aliorumque exſtirpatæ: ſed manebit ſemper aliquis reſiduus, in quo tandem regnum redeat ad priſtinum decus, quamvis eo caruerit familia tempore diuturno. Sic pars regni & gloriæ periit, deficientibus X tribubus, ſed ut non foret metuenda defectio perpetua 1 Reg. 11: 38, 39. imo totum regnum & omnis gloria, cum Zedekia, Ezek. 21: 21, 22. vel 26, 27. unde liquet, quicquid etiam poſt reditum ex Babel politicæ dignitatis fuerit inter Judæos, non fuiſſe regni Davidici. Cum Davidis poſteri exiguam in Zorobabele, & poſt nullam habuerint. Nam Aſmonæorum regnum vitioſum fuit; cum fuerint ipſi Sacerdotalis generis, nullo jure potuerunt thronum occupare, ſed fuerunt meri uſurpatores; quibus ſacra, non politica incumbebat cura. Sed omnia dilata in Meſſiam revelandum. Afflictio Davidicæ domus delineata Eſa. 7. citra ejus interitum; & cum ea ad ſummam miſeriam deducta, inde prodiit Chriſtus. Eſa. 11: 1. ſed tunc non admiſſus ad regnum Iſraelis; cives ſui eum oderunt, & repudiarunt. Joh. 19: 14, 15. ut non niſi conſecutus regnum Gentium illud ſibi ſumturus ſit, Luc. 19: 11. &c. Plenitudo gentium introductâ veniet Zion redemtor Rom. 11: 25, 26. Eſt autem obſervatu dignum, quod thronus in quo ſeſſurus eſt hic rex, dicatur *thronus Iſraelis.* verſ. 21. vocatur *thronus Davidis*, uti etiam Eſa. 9: 6. Luc. 1: 32. Scl. thronus regni eſt populi, cujus bono deſtinatus eſt; regis autem qui eum poſſidet nomine populi. Adeoque regna & magiſtratus non ſunt bona perſonalia, ſed communitatis, cui proinde ſumma poteſtas & jus in illa munera manet. Rehabeam rex hæreditarius cum regnum eſſet aditurus in populi comitiis ex hujus voluntate debuit adire, & cum conditiones regnandi à populo accipere nollet, X tribus ab eo diſceſſerunt, & alium ſibi regem elegerunt. 1 Chron. 29: v. 23. dicitur thronus Domini, in quo ſederit Salomo; quia ejus regnum autorem habebat Deum 1 Chron. 22: 9, 19. cap. 28: 4. &c cap. 29: 1.

Verſ. 18. *Etiam ſacerdotibus Leviticis non exſcindetur vir à conſpectu meo: offerens holocauſtum, & adolens munus, ac faciens ſacrificium omnibus diebus.*

ב De *Eccleſiaſtico Miniſterio* ait v. 18. promittens ſimilem continuationem, *ut non exſcindantur*, ut licet ſit interrupta ſeries, tamen non ſit præciſa abſolute, & exſtincta, non magis quam regis Davidis ſucceſſio; quæ fœdere ſalis, perennaturo Davidi data 2 Chron. 13: 5. & pariter fœdere ſalis Sacerdotibus data ſua ſtipendia Num. 18: 19. fœdus cum Davide factum, quod inviolabile Pſ. 89 & ſic fœdus cum Levi Mal. 2: 4. &c. quod non eſt illud cum Phineazo Aaro-

nis

nis nepote Num. 25. aut Eli domo paterna, hoc eſt Aaronis 1 Sam. 2: 30.

a *Perſonæ* quibus promittitur ſunt *Sacerdotes Levitæ*; miniſtri ſacrorum qui de genere Levi. Hæc tribus vel non particeps fuit idololatriæ vituli, Aarone excepto, quod verosimilius, vel ſaltem prima ab eâ diſceſſit, & vindictam Dei contra idololatras exercuit; quamobrem primogenitorum loco miniſterium Sacrum honoris ergo illi delatum Exod. 32: 26. &c. quod aliquid diſtinctum a Sacerdotio Aaronis, cui ſoli Deus illud dederat, Exod. 28: 29. poſtquam Iſraelitæ legem fœderis operum inierant. Exod. 24. ſeq. (quod alias non videtur fuiſſe conſtituendum Exod. 20: 24. ſeq.) Etenim tunc nulla mentio Levitarum adhibendorum ad miniſterium. Horum vocatio excepit μοχθοποίαν. & cum primogenitis ſurrogarentur, Num. 3. Ezek. 20: 26. (qui alias non fuiſſent) excludendi ab omni miniſterio per Aaronis Sacerdotium,) adjuncti ſunt Aaroni qui præſes ſacrorum erat ſub illâ lege. Num. 8: 6. &c. cap. 18: 2. ſeq. Attamen cum Levitæ non pertinerent ad eſſentiam illius Sacerdotii, facta cum mutatione legis etiam mutatione Sacerdotii, & Aaronici abrogatione, quando cum alia lege & fœdere novo alius Sacerdos de tribu Juda, ſecundum ordinem Melchizedeki, inſtitutus fuit, vi jurisjurandi divini perennaturus in æternum, uti æternum vivit Heb. 7. cap. nihil exinde deceſſit Levitis, ut & ipſi excluderentur, ſed manet ipſis ſuum miniſterium; verum ut novo Sacerdoti Chriſto jungantur, & uti olim ex Aaronis & filiorum, ſic deinceps ex Chriſti mandato ſerviant Deo. Hinc uti antequam functionem ſub Aarone ordirentur, ab hac fuêre ſanctificandi, Num. 8. ita quoque ante exercitium functionis ſub Meſſiâ, ab iſto quoque mundabuntur. Mal. 3: 1. &c. *Angelus fœderis cum venerit, erit ut ignis conflatoris & ut ſmegma fullonis, & ſedebit mundans & conflans argentum, & mundabit filiòs Levi* (non Aaronis, ne horum ſacerdotium reſtitui credatur) *& conflabit eos ut aurum & argentum, & tunc afferent Domino mincha oblationem in juſtitia, & oblatio Judæ & Hieroſolymæ Deo accepta erit, ut in diebus antiquis.* Quicunque Aaronitarum inter eos erunt, non Aaronis, ſed Levitarum titulo munus ſuum obibunt, neque unquam Aaronis nomen memoratur in illius temporis deſcriptione. Etenim ut appareat neceſſitas hujus conſtitutionis, quando populus Judæorum, & familia Abrahami ſingularis, inter cæteras terræ familias benedictionem ejus conſequetur, & Chriſtus erit uti lux Gentium, ſic etiam gloria populi ſui Iſraelis Gen. 12: 3. &c. Act. 3: 25, 26. Luc. 2: 32. & rurſum in terra ſua ſeorſim habitabunt, utique neceſſarium erit ut æque ac Gentes habeant & cultum religionis publicum, & hujus adminiſtros. Etiam inter ipſos debebunt eſſe paſtores & doctores ad ædificationem corporis Chriſti. Eph. 4: 11. &c. Huic verò operæ Levitæ adhibebuntur. Patet illud ex nova terræ deſtributione Ezek. 47: 48. ubi tribus Levi cum cæteris non numeratur, ut æquam portionem conſequatur, ſed manet addicta miniſterio Dei. Equidem & alii quoque Iſraelitarum admiſſionem habebunt ad miniſterium ſacrum, cum reſtituendi ſint ad conditionem ad quam vocabantur oblato primum fœdere, Exod. 19: 5. ut ſint regale Sacerdotium 1 Pet. 2: 9. quod promiſſum ſpeciatim Eſa. 61: 6. hoc tamen non impedit quo minus Levitæ huic uni muneri addicti vivant, quod cæteri Iſraelitarum libere exercebunt, quemadmodum etiam Gentium quidam inter Levitas aſſumentur Eſa. 66: 21.

b *Munus* quod ab iſtis obeundum dicit, *offerens holocauſtum, adolens oblationem, & facient ſacrificium omnibus diebus.* Hic fuit cultus olim obſervatus etiam ante inſtitutum Aaronis Sacerdotium, ut Abelis, Noachi, Abrahami &c. exempla docent. Quando deſcribitur cultus. N. T. ſub iiſdem formulis proponitur, Pſ. 51. v. ult. Eſa. 56: 7. Mal. 1: 11. & cap. 3: 4. Qualis autem intelligendus ſit, docent alia dicta, quæ interpretationi ſunt, Hoſ. 14: 3. vituli labiorum. Heb. 13: 15, 16. Chriſtiani vocantur ad miniſterium Levitarum Rom. 12: 1. qui non in mactandis brutis fuerunt occupati, (quando id fecerunt extraordinario mandato admoverunt manus 2 Chron. 29: 34. cap. 30: 17. &c. ſed in miniſterio magis rationali, cuſtodiæ Sacræ & cantus religioſi. Et cum hic quoque Levitæ dicantur, ab illis; quæ Levitarum erat, λογικὴ λατρεία erit exercenda. Sic Judæi quoque exponunt, in Jalkut ad finem Ezræ, כל הקרבנות בטלות לעתיד לבא התודה אכנה בטלה שנ' אשל תודות לך *omnes oblationes ſacræ deſinent tempore futuro; Confeſſio autem laudis non deſinent quia dictum, rependam celebrationes tibi*, Pſ. 56: 13. & Talmud Sanhed. cap. 6. f. 43. 2. *Dixit R. Joſua, F. Levi: Quisquis ſacrificat (mactat) concupiſcentiam ſuam, & Confitetur de ea; illum effert Scriptura, quaſi honoraſſet S. B. illum in gemino Seculo, hoc & futuro, quia dictum*, Pſ. 50: 23. *Sacrificans confeſſionem* (peccati nempe, ut præcedentia volunt,) יכבדנני *honorabit me*, (cum duobus 2) *Idem dixit; cum Sanctuarium ſtaret, qui offerebat aut holocauſtum aut oblationem, mercedem ejus habebat in manu ſua*, (Conf. Matt. 6: 2, 5, 6.) *Sed cujus mens humilis eſt, illum effert Scriptura, quaſi obtuliſſet omnis generis oblationes: quaſi dicat* Pſ. 51: 19. *Sacrificia* (plurali numero) *Dei ſunt ſpiritus fractus: neque hoc ſolum, ſed etiam precatio ejus non ſpernitur, quaſi dicat ibid. cor fractum & contritum, ô Deus non Spernes.* Quod vero oblationem iſtorum Levitis tribuit, non alio pertinet, quam quia ipſi ſunt qui docent reſipiſcentiam, & qui precantur pro populo, Act. 6: 4. 2 Tim. 2: 25. Jac. 5: 14. quomodo alii neque a reſipiſcentiæ exercitio, neque a precibus excluduntur.

Verſ. 19. *Deinde fuit verbum Iehovæ ad Iirmejam, dicendo.*

Verſ. 20. *Sic ait Iehova, ſi irritum facere poteſtis fœdus meum* de *die & fœdus meum* de *nocte: idque ut non ſit diuturnum tempus & nocturnum tempore ſuo:*

Verſ. 21. *Etiam fœdus meum cum Davide ſervo meo irritum fiet, ne ſit ei filius regnans in ſolio ejus: & cum Levitis ſacerdotibus miniſtris ſuis.*

2. *Addito ſigno*, & quidem gemino, ut ab impoſſibili oſtendat, ſuam promiſſionem eſſe infallibilem. v. 19-22. Eſt autem nova hîc revelatio, *Et fuit verbum Domini ad Ieremiam, dicendo.* v. 16. Pertinuit iſtud ad ipſiusmet confirmationem, qui edocetur tum de Conſtantia modo dicti politici & Eccleſiaſtici muneris v. 20, 21. tum de Multitudine ſeminis in utroque ordine. v. 22.

ℵ *De Conſtantia* dicit ſignum & ſignatum.

a *Signum* eſt v. 20. *Si irritum feceritis fœdus meum ... die & nocte, ut non ſint dies & nox ſuo tempore.* Cap. 31: 35, 36. vocavit *ordinationes diei & noctis*; hîc fœdus; & utrumque conjungit verſ. 25. Fœdus non cum die & nocte, ſed de die cum hominibus. Cum Deus primum conderet luminaria, poſuit eis certas leges Gen. 1: 14. &c. ſed poſt diluvium, cum ſacrificium Noachi placuiſſet, non tantum promiſit nullum amplius fore diluvium, quod juraſſe dicitur Eſa. 54. v. 9. ſed etiam conſtantem fore ſucceſſionem dierum & noctium, ac temperiem anni Gen. 8: 21, 22. atque in confirmationem promiſſionum iſtarum Noacho dedit iridem in ſignum fœderis cap. 9: 9. &c. ut illas fœdere ratas eſſe agnoſceret. Hac propter vocat, *fœdus ſuum*, quia ab ipſius mera gratia profectum, quia etiam harum rerum præſtatio ipſius unius erat opus, ad quod ſe gratioſe obligabat, non obſtante corruptione humana, quæ nihilo minor erat eâ, qua ante diluvium laborarat humanum genus Gen. 6: 5. & cap. 8. 21. coll. Hoc ergo fœdus ait, ſi vos homines poſſitis irritum reddere, ut ſuo tempore non ſit dies aut nox. Scl. humanam iſtud exſuperat virtutem: non autem Dei; qui abolere poteſt, & abolebit Pſ. 102: 27. Eſa. 51: 6. Apoc. 21: 25. quando dies terræ erunt finiti, neque ultra manet obligatio Gen. 8: 22. poteſt etiam aliquid mutare, producere diem & noctem Joſ. 10. Eſa. 38.

b *Signatum* eſt v. 21. I. *etiam fœdus meum irritum reddetur*, ſive à vobis, ſive ab ulla creatura, quæ Iſraelis exterminium quærit; (nam Deum nolle facere, ipſiusmet declaratio cavet:) *cum Davide ſervo meo, ut non habeat filium throno ſuo inſidentem regio* titulo & poteſtate. Fœdus iſtud copioſe deſcriptum eſt Pſ. 89: 4-36. &c. ubi Luminaria majora teſtes conſtituuntur immutabilitatis, ut quamdiu illa fulgent in cœlo ſacramentem ſint fœderis iſtius. Sic Pſal. 72. 5-7. & hinc de regni Meſſiæ conſtantia Eſa. 9: 5, 6. Luc. 1. 31, 32. II. *Et cum Levitis Sacerdotibus miniſtris meis*, Fœdus iſtud memoratur Mal. 2: 5. &c. neque aliud eſt quam Exod. 32: 26-29. ubi poſtulatum Dei, de exercendâ vindictâ,

ctâ, obedientia Levitarum, & hinc consecratio ipsorum, Deut. 33: 9, 10, 11. Doctrinæ custodia ipsis demandata, quâ institutione carere nequeunt. Fœdus istud confirmatum fuit, flore virgæ amygdali, Num. 17: 3. fuit illa virga pro Levi, sed cui Aaronis nomen inscriptum, quia princeps fuit, domus Levi. Par proinde constantia inter Israelitas, & regni Davidici, & ministerii Levitarum: quia utrobique fœdus, & utrobique fœdus confirmatum sacramento constantissimo.

Obiter hîc notari potest geminum fœdus in signo 1. diei: 2. noctis: & sic in signato, 1. Davidis. 2. Levitarum. Ergo David Soli, & Levitæ Lunæ conferuntur. Plane contrario ordine, quo Gnathones Pontificis hunc Soli, Cæsarem Lunæ conferunt, quando de duobus luminaribus allegorizant.

Vers. 22. *Ut non potest numerari exercitus cælorum, nec potest mensurari arena maris: ita augebo semen Davidis servi mei, & Levitarum ministrantium mihi,*

ב *De Multitudine* seminis utrobique, v. 22.

a *Signum* est, innumerabilis multitudo *exercitus cælestis*, (sic enim solet in Scriptura æstimari Gen. 15: 5. Unde constat non valere computum Astrologorum,) Angeli hîc non intelliguntur, qui invisibiles hominibus, ab iis numerari non possunt. Numerare stellas Deus sibi facit proprium, & Deitatis demonstrationem Esa. 40: 26. Rursum innumerabilis multitudo *arenæ maris*. Hos. 1: 10. Gen. 32: 12.

b *Signatum* est, multiplicatio *seminis Davidis*, & *Levitarum*. I. *Davidis* quod attinet, cum intelligatur illius, qui de posteris ejus throno insidebit, non est illud naturale, secundum carnem, sed spirituale: quale semen ipsi promissum Esa. 53; 10. & Ps. 72: 17. Etenim qui in ipsum credunt sunt ejus filii Heb. 2: 13. non minus quam fratres. v. 11, 12. neque non successorem habebit regni, qui finem regni non habebit Luc. 1: 31, 32. Ezek. 45: 46. de Principe Israelis ejusque filiis successuris agitur. Hi sunt Magistratus Politici in populo restituto, quibus carere nequit, Christo non corporaliter præsente futurò; qui Principes etsi forent de posteris Davidis, Deo eos agnoscente qui residui sunt in ipsorum sunt & aliorum omnium ignorantiâ, tamen nihil derogatur regno Christi, quia hi non reges fore dicuntur, eove titulo insigniuntur, sed tantum Principes, licet hæreditarii; ut olim Judices quibus manentibus Deus jerat rex Israelis 1 Sam. 8. II. *Levitas* autem semen & posteros habere, nihil habet absurditatis, cum continuatio ministerii ipsorum nequeat obtinere, ipsis per mortem prohibitis. Est vero notari dignum, cum primum dixisset Sacerdotes Levitas, deinde Levitas Sacerdotes; nunc tantum Levitas nominet: quia nempe omnes Levitarum jure & munere erunt; & quamvis inter ipsos sint Sacerdotes origine, qui ab Aarone descenderunt, heic tamen non hoc titulo, sed Levitarum censeri, unde alter ille prorsus negligitur ceu ad rem non faciens. Adhæc cum Sacerdos alius hic futurus sit, nempe Christus, qui Aaronicos cum Lege sua removet, & ipse novæ legis Sacerdos est sine successore utpote semper vivens, qui alii ministri sacrorum sunt in populo, sunt non Sacerdotes, sed Levitæ duntaxat; adeoque ab illis nullum oritur præjudicium Sacerdotio Christi.

Vers. 23. *Rursus fuit verbum Iehovæ ad Iirmejam, dicendo,*

Vers. 24. *An non animadvertis quid populus iste loquantur? dicendo, duas istas familias quas elegeret Jehova jam spernit ipsas: & populum meum contemnunt* illi, *adeò ut non* videatur esse *ampliùs gens in conspectu illorum.*

3. Itidem addito signo vers. 23--26. Est etiam hîc nova revelatio, vers. 23. quæ non tam ad institutionem quam ad refutationem pertinet, ut objectioni criminantis populi occurrere nosset.

Objectio oritur ex diffidentia & incredulitate, vers. 24. I. de ea rogat Prophetam, *Annon vidisti*, (hoc est cognovisti. audivisti, solent enim verba sensuum permutari quandoque, Joh. 8: v. 51, 52. promiscue usurpantur, videre & gustare: sic hîc videre pro audire, Jer. 2: 31.) *quid populus hic dicant?* unde vulgatum sermonem fuisse apparet: II. Eam propouit, *Duas familias, quas elegit Dominus, eas sprevit.* Familiæ illæ sunt, non Juda & Israel, duo regna, ut duæ domus Esa. 8: 14. & duo regna & populi Ezek. 37: 22. sed regia & Levitica, de quibus hactenus egit. Has duas a Deo electas fuisse, docent fœdera cum iisdem inita, quibus ipsis contulit dignitatem singularem & constantem: hasce duas spreviſſe Dominum ajunt, abolendo & regnum & ministerium Ecclesiasticum per exilium imminens, & longo tempore continuandum: quomodo Deum accusabant pœnitentiæ, qui irritam redderet suam electionem, contra Esa. 41: 9. III. Colligit inde consequentiam. & *contemnunt populum meum, ut non sit gens coram facie ipsorum.* Gentis facies adest, quando politico & Ecclesiastico regimine peculiari gaudet; quæ utroque illo privatur, amittit populi faciem; quod ad contemtum ejus pertinet: Atqui criminabantur isti Deum, quod utroque illo ordine privaret Israelem, eoque privaret populi peculiaris conditione, siquidem alienis legibus in politia & religione vivere necessum haberent exules. Contra quam Deus dixit Jer. 31: 33, 36. Et sane licet eversa sit Israelitica natio suâ politiâ, & debeat obtemperare legibus cujuscunque politiæ, ubi exilii sedem consequitur, tamen manet legibus Ecclesiasticis ritibusque suis populus peculiaris, nullis aliis permistus, ex prædictione Bileami Num. 23: 9, 19, 21. Jer. 31: 38, 37. Quod etiam jurejurando Deus affirmavit valiturum de Judæis, qui in Babel exularunt Ezek. 20: 22.

Vers. 25. *Sic ait Jehova, si non fœdus meum interdiu & noctu, si statuta cæli & terræ non disposui.*

Vers. 26. *Etiam semen Jahakobi & Davidis servi mei spernam, ne sumam de semine ejus qui dominetur in semen Abrahami, Iitschaki, & Iahakobi: quum reduxero multitudinem captivam eorum, misertus ipsorum.*

Responsio, ducitur ab impossibili, quod factum nequeat infectum reddi, ℣. 25, 26.

Signum est vers. 25. *Sic ait Dominus: si fœdus meum non est de die & nocte; leges Cœli & Terræ non constitui.* quod fieri nequit, cum in creatione ista definierit, & post diluvium stabiliverit fœdere, quæ non possunt irrita reddi, nedum ut nunquam definita ac stabilita sint.

Signatum est vers. 26. Etiam irritam fore electionem, qua Israelitas sibi fecit populum peculii, qui proinde, utroque illo ordine non sit privandus. Facit autem hîc mentionem populi, & regis Davidici; *Etiam spernam semen Jacobi*, populum ex Jacobo per XII. filios ejus prognatum, & *Davidis servi mei, ut non sumam de semine ejus, Davidis, Dominatores super semen Abrahami, Isaaci & Iacobi.* Manebit populus, & habebit regem legitimum de genere Davidis: Juxta dictum Angeli Luc. 1: vers. 31, 32. æque impossibile est ut spernam, & electionem aboleam Rom. 11: ℣. 29.

Confirmatio est, *nam redire faciam captivitatem ipsorum*, eoque adibunt eam conditionem, sed non in eâ peribunt & deserentur, verum restituentur, reducti in statum priorem, &, (postquam) *misertus fuero ipsorum*, ne quid merito vel dignitati ipsorum tributum opinetur, quod meræ gratiæ beneficium est. Zach. 10: 4.

Cæterum hîc non facit mentionem expressam Levitarum; quæ tamen necessario comprehenditur vi objectionis; & colligitur ex populi facie, quæ consummata non foret, si hîc ordo deesset, cum tamen semen Jacobi restituendum sit, & quotquot ad singulares promissiones Abrahami, Isaaci & Jacobi pertinent. Sed omissionis ratio dari potest, quia cultus aliqua constantia fuit & est inter exules, qui a'συναξία in sacris fruuntur, quanta extra Israelitidem potest obtinere: ast politicum regimen prorsus exstinctum est; & hac propter de restitutione fuerunt confirmandi. Accedit quod a regimine Messiæ ipsum quoque Levitarum ministerium dependeat. Mal. 3: 4. &c. ut in ipso etiam Levitarum restitutio in munus suum asserta sit.

Con-

Concio ſeu Prophetia XXII

CAP. XXXIV.

DUæ conciones hoc capite continentur, I. privata ad Zedekiam regem, v. 1--7. II. Publica ad regem eundem & principes verſ. 8--22.

Verſ. 1. *Verbum quod fuit ad Iirmejam à Iehova (quum Nebuead-netzar Rex Babyloniæ, & omnes copiæ ejus, omniaque regna terræ in dominio ejus omnes denique populi oppugnarent Ieruſchalaima & omnes civitates eorum) dicendo.*

Quæ ad Zedekiam regem eſt inſtituta concio; deſcriptam habet I. Circumſtantiam verſ. 1, 2. II. Summam concionis verſ. 2-5. III. Obedientiam Prophetæ verſ. 6, 7.

I. CIRCUMSTANTIA triplex eſt, Mandati, Temporis, Objecti ſeu Perſonæ ad quam.

Mandatum, indicat mandantem & mandatarium, formulâ familiari, *Verbum quod fuit ad Jeremiam* à Domino.

Tempus eſt, cum obſideretur Hieroſolyma, reſiduæque urbes Judæ, puta Lachis & Azeka verſ. 7. Obſidionis autor fuit *Nebucadnezar rex Babel*; inſtrumenta copiæ ejus maximæ Exercitus ipſiuſmet, tum auxiliares copiæ eorum omnium qui ſub ejus degebant imperio, ſive reges, ſive populi. quos ſecum duxit, ut Jer. 1. & alibi ſæpius memoratur. Eſa. 10:6. &c. habuit enim monarchiam ſi ullus ampliſſimam, ut eſt Dan. 2: 37, 38.

Objectum ſeu Perſona ad quam, verſ. 2. *Sic dicit Dominus Deus Iſraelis, abi & dic ad Zedekiam, regem Judæ.* Dominus qui Iſraelis Deus, ei fœdere junctus, eumque curans, habebat ſuperioritatem ſupra regem Judæ Zedekiam, qui & ipſe Iſraelita, & dominator partis alicujus in Iſraele, ſed citra præjudicium ſummi & univerſalis Domini, cui maximi in populo æque ac minimi debebant obſequium. Regi ſoli loqui jubetur a Deo, per quem reges regnant, Prov. 8. & a quo uti omnem poteſtatem accipiunt, Joh. 19: 11. ſic quoque leges regnandi, & cenſuras male adminiſtrati regni 2 Sam. 12. 1 Sam. 13. & 15. 2 Chron. 16, 19, 20, 25. Jer. 22. & ſi non emendent mores, etiam pœnam.

II. SUMMA CONCIONIS conſtat membris duobus.

Verſ. 2. *Sic ait Jehova Deus Iiſraelis, abi; & alloquere Tzidkijam Regem Iehudæ, ut indicas ei, ſic ait Iehova ecce traditurus ſum civitatem hanc in manum Regis Babyloniæ, ut comburat eam igne.*

Verſ. 3. *Tu autem non eripies te è manu ejus, ſed omnino prehendêris, & in manu ejus tradêris: ita oculi tui oculos Regis Babyloniæ videbunt & os ejus in os te alloquetur, ac in Babyloniam perveniet.*

1. *Comminatio*, qua denunciat mala I. *Generalia* verſ. 2. vaſtandæ urbis (cujus autor non Nebucadnezar, cujus potentia deſcripta fuit, ſed Deus ipſe, *Sic ait Dominus, ecce me tradentem urbem hanc*; inſtrumentum, *in manum Regis Babel*, vaſtatio inferenda, *& comburet eam igne.* Nec obſidentis virtus, nec obſeſſorum infirmitas urbis capiendæ cauſa, ſed Dei moderantis voluntas, quod Jer. 37: 4. &c. oſtenditur. Sed vaſtatio hoſtibus hic tribuitur, ceu inſtrumentis proximis; aſt Jer. 38: 23. ipſi Zedekiæ, ceu cauſæ meritoriæ. II. *Specialia* verſ. 3. capiendi ipſiuſmet regis: ubi Fuga fruſtranea, *Et tu non effugies manum ejus*; quicquid etiam tentaveris; Captivitas, *ſed apprehendendo apprehenderis*, certiſſime: Judicium ſubeundum, *& oculi tui oculos regis Babel videbunt, & os tuum ejus ori loquetur*, quando in Ribla coram tribunali Nebucadnezaris conſtitutus, accuſatus, condemnatus, & filiorum morte, ſuaque excœcatione punitus fuit; & exilium, & Babelem venies. Joſeph. Antiq. lib. 10. cap. 10. Zedekiam turbatum fuiſſe refert vaticiniis Ezekielis & Jeremiæ, tanquam diſſonis: hunc dixiſſe viſurum regem Babel, & Babelem deportandum: illum, non viſurum Babelem, quo deportandus eſſet Ezek. 12: 13. ſed excœcatum prius Prophetarum veritatem & conſenſum ſerò nimis didiciſſe.

Verſ. 4. *Verumtamen audi verbum Iehovæ, Tzidkija Rex Jehudæ: ſic ait Jehova de te, non es moriturus gladio:*

Verſ. 5. *Cum pace moriturus es, & uſtionibus majorum tuorum, Regum præcedentium qui fuerunt ante te, ſimiliter* uſtiones odorum *comburent* populares *tibi*, & dicentes *eheu Domine, plangent te, nam verbum* hoc *ego loquutus ſum, dictum Iehovæ.*

2. *Mitigationis ſolatium* verſ. 4, 5. cujus *Præfatio* ad eam audiendam præparat; verſ. 4. *Veruntamen audi verbum Domini, o Zedekia rex Iudæ, ſic dicit de te Dominus.* Ex hujus unius ore prodit & malum & bonum, Lam. 3: 3. &c. & manus ejus ſauciant & ſanant Deut. 32: v. 39. Pollicetur autem.

a. Mala non eſſe ad extremam intendenda. *Non morieris gladio*; non peribis in bello, morte violentâ. Obj. Sed annon hoc fuiſſet felicitatis? Sic non fuiſſet adductus in judicium coram Nebucadnezare, non vidiſſet necari proceres regni ſuoſque filios, non paſſus oculorum effoſſionem, vincula, carcerem, exilium. Reſp. Fuiſſet omnino; ſed ſi Zedekias obtemperaſſet Jeremiæ monitis, iſta omnia non fuiſſet paſſus, 2 Chron. 36: 12. Jer. 37: 17. cap. 38: 17. &c. Equidem veniſſet in poteſtatem Nebucadnezaris ſed non aliter quam Jechonias, qui ſe tradidit, & in exilio conſervatus, tandemque carcere liberatus fuit. Nova Zedekiæ inobedientia aggravavit pœnas, attamen manſit illa denunciatio, Non morieris gladio. Deus in hâc conſtituit mitigationem, tum quia violenta mors eſt contra naturam, quam averſatur: tum quia in ea præciditur reſipiſcendi opportunitas; unde David deplorat tantopere Abſalomum: quæ calamitoſis conceditur, ut ſub duro magiſtro proficiant ut Manaſſe 2 Chron. 33: 11, 12. Neque tamen abſolutè miſeri, qui in bello moriuntur, gladio; Optimus Joſias ſic periit, qui tamen in pace mortuus, ut promiſſum 2 Reg. 22: 20. quia bellum cum Pharaone non Deus immiſit, auferendo pacem, ſed ipſemet accerſivit, ſuamque pacem turbavit 2 Chron. 35: 23. ſeq. quia cum pace mortuus, quæ una cum ipſo tumulata fuit, & quia tranquilla conſcientia mortuus, pacem cum Deo habens. Jer. 22: 15, 16. Abrab. pacem Zedekiæ in eo conſtituit, quod ſupervixerit Nebucadnezari hoſti ſuo, qui in carcere victos reges detinuerit, ſed hoc mortuo a ſucceſſore Evilmerodacho omnes fuiſſe vinculis ſolutos (quod de Jechonia memoratur Jer. 52: 31. &c.) ſic etiam Zedekiam emiſſum, & poſtridie, liberum jam, diem ſuum obiiſſe. Pacem ergo dici, quod audiverit Nebucadnezaris mortem, eoque ante ſuum obitum omni metu propter illum fuiſſe liberatum, ſic & R. Sal R. P. & Kimchi.

b Aliquid adhuc felicitatis impetraturum, verſ. 5.

a Quod ad Mortem, *in pace morieris*, morbo, non gladio, & in lecto quod dicitur: conf. mortem Joabi 1 Reg. 2. verſ. 6. & Simei verſ. 9. contra Simeonis Luc. 2: verſ. 29.

b Quod ad Sepulturam, *priorum regum more combuſtionem tibi comburent.* Non cadaver comburendum dicit, ſed combuſtionem faciendam ipſi, honoris gratia propter ipſum. Habet ea combuſtionem ſupellectilis regiæ, ad majeſtatem pertinentis, præter ſceptrum & coronam, quæ cum regibus tumulabantur.) lectum & utenſilia cremata teſtatur Maimon. de reg. cap. 2. & 1. & de luctu cap. ult. adhæc cremarunt aromata magnâ copiâ: quod de Aſa memoratur 2 Chron. 16. verſ. ult. & circa Saulem ſolum aromata, cum corpora nuda conſecuti eſſent Jabezitæ 1 Sam.

31. verſ. ult. Saulis corpus non fuit combuſtum ſolis oſſibus tumulo illatis: quia ignis carnem & oſſa non diſtinguit, ut his parcat; quia oſſa pro cadavere integro ſumuntur Gen. 50: 25, 26. 2 Reg. 13: 20, 21. vid. Targ. *uſſerunt propter eos, uti urunt propter reges.* Subintelligitur autem conſequens ſepultura, quam conſecutus itidem eſt Zedekias. Eſt autem honoratum tumulari, & pro dignitate tumulari. Contra Jojakim Jer. 22: 19. cap. 36: 30. confer Jer. 26: 23. de Uriâ Prophetâ. Attamen nulla hic mentio ſepulchri, quia non regio illatus fuit, ſed in terrâ peregrinâ ſepultus.

c Quod ad Luctum, ☞, *Ach! Dominus! lugebunt tibi*: teſtimonium ille eſt defunctum a ſuperſtitibus amatum fuiſſe, ejuſque præſentiam gratam & utilem; atqui hinc deſiderium & memoriam ſervari. Conducebantur præficæ, ut apud Gentes, Jer. 9: 17. &c. Matt. 9: 23. Marc. 5: v. 38. Lamentat talis inſtituta defuncto Joſiâ 2 Chron. 35: 25. & deplorant mortem Tabitæ Act. 9: 39. Hæc negata Jojakimo, Jer. 22: 18, 19. & Jeroboami poſteris, uno filio excepto 1 Reg. 14: 10. &c. & ☞. 18.

At enim, licet ſepeliri, lugeri aliquid in ſe habeat boni externi, & negetur impiis quandoque in pœnam, Jer. 16. 4. &c. cap. 25: 33. nequit tamen ob defectum horum quis pronunciari impius. Pſ. 79: 2. ſed tales miſeri ſecundum homines, coram Deo ſunt feliciores Pſ. 116; 15. Rom. 8: 36. &c. qui quo plus contemtus patiuntur a mundo, eo majori honore eos coronat. De Lazari ſepulturâ nihil legitur, neque de luctu propter eum; attamen deportatus fuit ab Angelis in ſinum Abrahami Luc. 16: 22. Verum quicquid fiat de ſepultura & luctu, ſic vivendum, ut lugendi materiam viventibus relinquat moriens Eſa. 57: 1, 2. 2 Reg. 13: 14. non autem gaudendi finita tyrannide & oppreſſione Eſa 29. 19. &c. Prov. 10: 7.

Confirmationis ergo ſubjungitur, *nam verbum ego locutus ſum, inquit Dominus:* uti initio, ſic etiam fini addit confirmationem, ad certitudinem, quia incredibile videbatur. Factum illud non ob Zedekiæ pietatem, qui accuſatur graviter Ezek. 21: 25. 2 Chron. 36: 12, 13. attamen quia ſeductus a principibus peccavit, Jer. 37: 38. Deus eum mitius habuit, & prorogavit tempus reſipiſcentiæ. Hiſtoria nihil horum recitat, quæ tamen ob prædictionem Dei certiſſima fuiſſe novimus.

Verſ. 6. *Itaque loquutus eſt Jirmeja Propheta apud Tzidkijam Regem Jehudæ, omnia verba iſta Jeruſchalaimis.*

Verſ. 7. *Copiis Regis Babyloniæ oppugnantibus Jeruſchalaima, & omnes civitates Jehudæ reliquas, Laciſchum & Hazekam, nam hæ reliquæ erant è civitatibus Iehudæ, civitates munitæ.*

III. Obedientia Prophetæ, refertur v. 6, 7. quod iſta omnia dixerit *Zedekiæ regi*, & dixerit *Hieroſolymæ*, cum adhuc dignitate ſuâ frueretur, & in metropoli inſtructus eſſet copiis, quibus ulciſceretur omnes qui majeſtatem ſuam læderent. Potuit & perſona, & locus terrere prophetam; ſed ipſe religioſe munere ſuo functus eſt. Samuel verebatur נפ׳ Eli indicare viſionem illi adverſam 1 Sam. 3. ſed intrepidus fuit Jeremias.

Circumſtantia temporis v. 7. facit ad oſtendendam neceſſitatem indicii, nec non ad probabilitatem. Chaldæi obſidebant Hieroſolymam, & cæteras urbes munitas, quæ in univerſum duæ erant; Lachis & Azeka. Qui cæteris potiti, etiam has ſuperaturi erant: imminebat inevitabile malum. Itaque non licuit differre prophetæ, aut conſilium inire cum carne & ſanguine: ſed illico parendum fuit, & paritum quoque: juxta illud quod in inſtructione erat Jer. cap. 1. v. 7, 8-17.

Concio ſeu Prophetia XXIII.

Publica hæc eſt, quæ cum rege Zedekiâ etiam principes, atque hos primariò complectitur. Partes ſunt I. Hiſtorica v. 8-11. II. Prophetica v. 12-22.

Verſ. 8. *Verbum quod fuit ad Jirmejam à Iehova, poſtquam pepigiſſet Rex Tzidkija fœdus cum toto populo qui* erat *Jeruſchalaimis, de promulganda ipſis libertate:*

Verſ. 9. *Ut dimitteret quiſque ſervum ſuum & quiſque ancillam ſuam, Hebræum Hebræamque liberos; ut non exigeret ſervitutem ab ipſis, à Jehudæo fratre ſuo quiſquam.*

Historica pars facit ad occaſionem vaticinii indicandam, & temporis circumſtantiam, v. 8. *Verbum quod fuerat ad Jeremiam à Domino, poſtquam pepigiſſet* &c. Ergo cauſam dedit vaticinio factum Judæorum laudabile v. 8, 9, 10. & illaudabile v. 11.

I. *Laudabile* ratione I. Decernentis v. 8. II. Decreti v. 9. III. Exſecutionis v. 10.

1. *Decernentis* reſpectu eſt laudabile v. 8. Zedekiæ regis, qui decretum condidit ſolenne. Tempus præciſe annotatum non eſt, ſed ex v. 8-21. colligitur; tum politicum v. 21. quum Nebucadnezar maximis copiis obſediſſet Hieroſolymam. verſ. 1. & propheta monuiſſet Zedekiam de iis, quæ Deus decreviſſet quod ad ipſummet: ad hæc Chaldæi ob Pharaonis adventum ſolutâ ad tempus obſidione illi obviam iviſſent cap. 37. tum Eccleſiaſticum, anno Sabbatico. Nam Zedekias forſan motus priôre denunciatione laudabile conſilium ſuſcepit. Quippe cum annus Sabbathicus incideret in tempus obſidionis, quo terra ex lege quieſcebat à culturâ Lev. 25. illum adhuc religioſius ſervari voluit; monitus procul dubio de Dei voluntate in lege declaratâ. Ea poſcebat libertatem famulitii Hebræi anno ſeptimo. quæ dicebatur דרור. Ea fuit tum terræ anno jubilæo Lev. 25: 10. tum ſervorum anno ſeptimo. De myrrha dicitur מרור Exod. 30: 23. & מר עבר Cant. 5: 5-13. libera ab omni inquinamento, qualis in commerciis tranſit; ut tranſitum liberum denotet, agrorum redeuntium ad dominos ſuos, & corporum quæ exibant ex poteſtate herili. Hæc libertas publicabatur pro terra anno quinquageſimo, Lev. 25: v. 10, ut omnibus innoteſceret. Zedekias eam voluit publicatam pro ſervis anno ſeptimo. Verum ut cum effectu fieret publicatio, neque ob contrariam conſuetudinem, quæ legis vim habet, obedientia negaretur legi ejuſque publicationi, ceu abrogatæ, addidit ſolenne fœdus, quo adſtrinxit omnes ad obſequium. Etenim non novum id, ad quod lege ac fœdere Dei tenebantur, novo fœdere roborare; *non quod* adderent demerentve conditionibus priſcis, *aut quid in iis* mutarent, ſed ut ſe arctius adſtringerent, repetito promiſſo jurato, quomodo perjurium addebant inobedientiæ quotquot prævaricarentur, & ſancitis iſtiusmodi perjurio novis pœnis, Joſ. 34: 25. 2 Chron. 15: 12. &c. cap. 34: v. 30 &c. Neh. 10: 20. &c. Autor fœderalis obligationis ipſe rex utpote. Dei vicarius, & qui Dei fœdus tueri debebat, cujus eratus & qui obligati omnis populus Hieroſolymitanus, ubi potiſſimum violabatur Dei ſtatutum, cum iſtic viverent ditiores quibus majus famulitium; aut quia plerique iſtic reperiebantur ob recentem obſidionem, vel etiam ob feſtorum ſolemnitatem, Jer. 2: 2. cap. 26: 2.

2. *Decretum eſt* v. 9. quo deſcribitur Libertas, concedenda à quovis hero aut patrefamilias famulitio ſuo, cujuſcumque ſexus, ſervo aut ancillæ, ſed *Hebræis*, ejuſdem cum hero generis & religionis, ſoli enim Iſraelitæ erant Hebræi, nomine ab Hebero ducto, ſed tantum in Abrahamo continuato, qui præter generis etiam religionis ipſius fuit ſucceſſor: Hebræus de religione Gen. 39: 14. 17. cap. 41: 12. cap. 43: 32. Exod. 1: 15. cap. 2: 6, 7. cap. 5: 3. 1 Sam. 4. 13. 2 Cor. 11: 22. & Phil. 3: 5.) ipſamet libertatis conceſſio conſtat dimiſſione ex ædibus ut liberi ſuique juris forent, neque amplius ſervitutem exigerent heri ab ipſis, qui religionis & generis conſortes eſſent. Appellat autem nunc *Judæos*, Synonymos cum Hebræorum nomine, quod hi qui ſupererant in Cananæa & Hieroſolymis de tribu aut regno Judæ forent, & eandem religionem profitenentur: & fratres ob cognitionem. Quam conſentaneum hoc fuerit mandato Dei patebit ex v. 14.

Verſ. 10. *Et auſcultantes omnes Principes totuſque populus qui convenerant in fœdus; ut dimitteret*

ret quisque servum suum, & quisque ancillam suam liberos, ut non exigeret servitutem ab ipsis amplius, auscultantes, inquam dimisissent.

3. *Executio* decreti vers. 10. *Obediverunt* (audire enim obedire est,) *principes & populus universus, quotquot fœdus illud inierunt.* Patresfamilias nempe, & quicunque habebant ejusmodi servos, ut illi decreto dimissionis obtemperarent, obediverunt inquam, & dimiserunt eos: ut exierint servitio.

Vers. 11. *Iterum verò postea à recepissent servos illos & ancillas, quas dimiserant liberos: & subigerent eos in servos & in ancillas.*

II. *Illaudabile* v. 11. pœnitentia facti, & revocatio dimissorum ad conditionem servilem. Reversi sunt postea, heri pœnitentes facti sui, & clementiæ ac liberalitatis Jerga servos exercitæ, & redire fecerunt famulos & famulas quos dimiserant, & ex libertate quâ fruebantur nulla vi aut fraude sed ipsorummet voluntate retraxerunt in servitutem, & subegerunt eos, etiam publica vi adhibita, in conditionem priscam famulorum & famularum. De vi publica dico, nam scribitur ויכבישום, legitur vero ויכבשום, hoc privatum factum indicat, illud alienum auxilium connotat. Quemadmodum etiam in ישובי & ישיבו differentia est, quæ observanda quoque alibi, in respiscentiæ descriptione Ezek. 14: 6. cap. 18: 30. ubi Synonymos reddi solet, neglecta emphasi; licet alias שוב in Kal transitive quoque accipiatur Ps. 14. v. ult. & 85: 1. Scil. Dimiserant servos tempore obsidii sive quod sperarent servitutem sub Chaldæis hostibus se effugituros, si fratrum sub se solvissent: sive quod hos ad communem urbis defensionem suscipiendam excitatum iri putarent, cum de communi libertate ageretur. Sed soluta obsidione, & digressis Chaldæis ut Pharaoni occurrerent, quod periculo se defunctos opinarentur, fœdere se teneri amplius noluerunt. Imaginem videmus impiorum & hypocritarum: afflictiones faciunt religiosos, externis testimoniis, sed non diutius quam illæ durant. Psal. 78: 34. &c. Mich. 6: 6. &c.

Vers. 12. *Fuit ergo verbum Jehovæ ad Iirmejam à Iehova, dicendo:*

Vers. 13. *Sic ait Iehova Deus Iisraelis: ego pepigeram fœdus cum majoribus vestris, qua die eduxi eos è terra Ægypti, è domo servorum, dicendo.*

PROPHETICA PARS, respondet huic historiæ, quoad illud quod habet laudabile v. 12-15. & illaudabile v. 16-22.

I. *Laudabile* quod attinet, post mandatum v. 12. ordinariâ formulâ expressum, Deus indicat.

1. *Quam legem* tulerit v. 13, 14. ubi

א *Autoritas* legislatoris, *Sic dicit Jehova Deus Israelis*, eoque qui Israeli poterat præscribere,

ב *Vis* legis, tum à ratione obligationis, quod sit fœdus, *Ego pepigi fœdus cum patribus vestris*: lex omnis non est fœdus, quamvis omne fœdus sit lex. Lex fluit a potestate absolutâ, sive jure sive injuriâ, partâ, ἀυθεξαλοιτε nempe, uti victor victis simpliciter leges dat, & herus mancipiis, & pater liberis, & Creator creaturæ, non exspectato subjectorum placito aut consensu. Fœdus autem habet aliquam cœquationem partium, per condescendentiam superioris, qui jus suum aliquatenus ponit; & quamvis conditiones seu leges fœderis scribat, tamen eæ legis fœderalis vim non habent, nisi ex consensu & ratihabitione partis alterius. Cujusmodi fuit lex præsens, placitum quoque Israelis prisci; non absolutum Dei mandatum: tum a circumstantia temporis, *quo die eos eduxi ex terra Ægypti è domo servitutis*: quæ ratio magna ad obsequium persuadendum, ne fratribus negarent libertatem, quam ipsi donatam possiderent, & quæ omnibus pariter fuerat donata, cum omnes servi forent Ægytiorum, Deut. 5: 15.

Vers. 14. *A fine septem annorum dimittitote quisque fratrem suum Hebræum qui sevendiderit tibi, postquam serviverit tibi sex annis, dimittes eum liberum abs te:*

ג *Lex* ipsa, qua describitur cum Servus tum Servitus.

Servus, a genere, *frater*: a religione, *Hebræus*, a jure *qui tibi venditus fuerit*, sive ob paupertatem parentum ab istis Exod. 21: 7. sive ob propriam à seipso Lev. 23: 39. sive ob æs alienum à creditore 2 Reg. 4: 1. Neh. 5: 5. Matt. 18: v. 25. sive ob furtum a magistratu triumvirorum Exod. 22: v. 3.

I. *Servitus* tum continuanda, per sexennium, quod spacium duplex mercenarii Deut. 15: 18. illud enim triennii fuit Esa. 16: 14. quo etiam respicitur Esa. 20: 3. & forte etiam cap. 21: 16. tum finienda, finitis sex annis; & septimo ineunte, fuit dimittendus liber, & cum eo quicquid una in servitutem venerat, uxor & liberi, si secum illos, aut illam saltem adduxisset, nam quam servus acceperat ab hero uxorem, genitique ex ea liberi, manebant hero Exod. 21. vers. 2. &c. Retineri tamen poterat servus volens, & qui servitutem libertati prætulisset, non tamen aliter quam conscio magistratu, qui testis foret ejus voluntatis, & ut notam in corpore gestaret, aurem perforatam. Scilicet, quia Deus universis communem fecerat manumissionem, noluit ut unus libertinorum alteri dominaretur, sed ut servitus omnis foret mercenaria, ex pacto Deut. 15: 15. 18. Septimo autem anno servos dimitti voluit, qui Sabbatho dierum respondet, utique ob aliquam convenientiam; ut quemadmodum hoc die promittebat fœderatis, sive Ecclesiæ, restitutionem in integrum ex servitute corruptionis per redemtionem Messiæ in libertatem filiorum Dei, sic quoque necessaria servitus corporum aboleretur, & omnes qui ad populum fœderatum pertinebant, libertate, fructu redemtionis, pariter gauderent: unde etiam famulitium Sabbathis pari quiete frui voluit cum herilibus liberis Exod. 23: 12.

Id vero potissimum hîc observandum, ad conditiones fœderales non tantum pertinere decem illa verba, quæ in tabulis postmodum scripta; sed omnia alia quæ reliquo cap. 20. & capp. 21. 22. 23. Exodi continentur: quorum priora populus omnis ex ore Dei audivit de monte Sinai se alloquentis. Cætera autem solus Moses, internuncius ex Dei populique voluntate constitutus Exod. 19. Deut. 5. quæ utraque Moses recitavit, & populo probante in sanctione fœderali inter leges fœderis retulit Exod. 24. quæ etiam renovato fœdere repetita sunt cap. 34. Attamen est in illis differentia. Quæ Decalogo continentur, sunt fundamentalia, habentque leges fœderis perpetui, unde à Deo quoque scripta, & tradita sunt, sub nomine verborum fœderis Deut. 4: 15. Exod. 34: v. 28. & tabularum fœderis, Deut. 9: 9. 11. 15. custodiendæ in arca fœderis Jos. 3: v. 11, 17. Deut. 31: 9. 25, 26. neque fœdus Dei aliis conditionibus constat, quæ ad omnes in fœdus recipiendos pertinent, neque variationem admittunt; Nam quæ in modo ac ordine stipulationis occurrit, extra conditiones fœderis est, in quo veteris novique fœderis differentia versatur. & quæ circa Sabbathum notatur, diei circumstantiam in essentiali præcepti non habet. Quæ verò reliquæ leges sunt, sigillatim ad Israelitas pertinent, neque ad alias gentes extendi possunt; Israelitæ enim non aliæ gentes, Mosen constituerunt, qui pro se acciperet leges fœderis istius, (quod de Decalogo dici nequit, quo recitato demum Moses constitutus internuncius,) habentque constitutiones de religione & politiâ, non ejusdem cum decalogo ponderis & durationis, uti non lapidibus, sed libro duntaxat inscriptæ. Exod. 24. cap. Ad particulares leges fœderis pertinet ista de manumittendis servis: ut obligatio Israelitarum satis hîc sit manifesta.

sed non auscultarunt majores vestri mihi, neque inclinarunt aurem suam.

2. *Quomodo observata* fuerit ista lex v. 14. *Non audiverunt* (obediverunt Exod. 19: 5. *patres vestri, neque inclinarunt aurem suam*, ut attenderent, seque duci paterentur autoritate mandantis. Sane heic obsequium defuisse haud mirum, cum ex commodo suo homines metiantur obedientiam, &

quod damnosum censent, inique exigi judicent. Damno autem cedebat dimittere servos. Saltem tempore Nechemiæ magnæ fuerunt querelæ de ditiorum tyrannide Neh. 5. cap. quam ille magno Zelo sustulit.

Vers. 15. *Reversi quidem vos hodie feciſtis quod rectum videtur in oculis meis, promulgando libertatem quisque amico suo: quum pepigiſtis fedus coram me in domo quæ vocatur de nomine meo:*

3. *Quid ſtatuat* de præsenti obedientia. ℣. 15. Placuisse sibi conversionem a malo ad bonum, quod mores parentum deseruerint, obsequium, quod suo placito morem præstiterint, publicando libertatis edictum; obligationem, quod se fœdere solenni ad id obstrinxerint, cujus solennior ratio à loco, *coram facie Dei, in domo, quæ ab ipso denominata eſt*, nempe templo. Adeoque placet Deo non solum obedientia, sed quando homines novis vinculis se ad eam obstringunt. Quemadmodum Deus se obstringit jurejurando hominibus, quamvis promissa ejus sint certissima, ut ipsis tanto major sit securitas, Heb. 6: 13. &c. sic homines promissa sua de obedientia fœdere jurato roborare æquum, non propter Deum, sed propter semet ipsos, ut se novo stimulo excitent, ne dupliciter rei fiant delinquentes, quod fit necessario post ejusmodi juratum fœdus. Ejusmodi fœdus inierunt Asa 2 Chron. 15. Joas autore Jojada Pontifice 2 Reg. 11. Josia 2 Reg. 23. 2 Chron. 34. Nehemia Neh. 9, 10. imo Nehemias ad usurarios coërcendos juramento eos obstrinxit Neh. 5. uti Ezra ad dissolvenda conjugia cum alienigenis Ezr. 10. Sic Job fœdere se muniit contra impudicentiam Job. 31: 1. & David ad pietatem se juramento obligavit Ps. 119: 106.

Vers. 16. *Sed rursus prophanaſtis nomen meum recipientes quisque ſervum ſuum, & quisque ancillam ſuam, quos dimiſeratis liberos ad deſiderium ſuum; quos ſubigitis ut ſint vobis ſervi & ancillæ.*

II. *Illaudabile* ℣. 16. seq. ubi

1. Refertur cum exaggeratione, quid admiserint, vers. 16. respondet autem vers. 11. quod istic factum narratur recitans. Istic, *& reverſi ſunt*, hîc, *& reverſi feſtis & profanaſtis nomen meum*; pœnitentia facti prioris conjuncta cum perjurio, perfidoque fœdifragio, quomodo contra 3 præceptum. Nomen Dei, quod in testem vocatum fuerat, profanatum fuit. istic, *& redire fecerunt* famulitium ad servitutem pristinam, subactum etiam vi; *hîc, & redire feciſtis quisque ſervum & ancillam, quos dimiſeratis liberos, לנפשם ut ſuo arbitratu viverent*; (נפש arbitrium, voluntas, Deut. 21: 14. 1 Reg. 19. 3. Ps. 105: 22. & 27: v. 12. Gen. 23: 8.) *& ſubegiſtis eos* ut vobis essent a servitiis. Omnia rescinderunt quæ fecerant ex promisso, & omnes fecerunt hanc perfidiam.

Vers. 17. *Idcircò ſic ait Iehova; vos non auſcultaſtis mihi promulgando libertatem quisque fratri ſuo & quisque amico ſuo: ecce ego promulgo contra vos libertatem; dictum Iehovæ, gladio, peſti, & fami, & tradam vos commotioni apud omnia regna terræ.*

2. Minæ pronunciantur contra Crimen, ejusque Aggravationem.

8. *Contra crimen* quidem vers. 17. pœnam talionis, ut in eâ judicis justitia pateret. *Propterea ſic dicit Dominus*: I. Factum Judæorum est, *Vos non obtemperaſtis ut proclamaretis libertatem &c.* hoc est ut promulgatam servaretis, concessâ libertate servis, quam ademistis rursum: II. Factum Dei, *ego proclamabo quæ non revocabitur libertatem, (dictum Domini,) gladio, & peſti; & fami*: quæ sub potestate Dei ut mancipia, nullam habentes licentiam eundi aut agendi citra ejus mandatum; negastis bonis servis libertatem, qui non nocuissent vobis; ego concedam malis, ut in vos sæviant; *& dabo vos in commotionem omnibus familiis terræ*, ut nuspiam quiescere liceat, sed fit errandum, qui domi suæ servos claudere eisque dominari voluerunt. Judicia Dei sunt ministri, qui constricta tenet, vel dimittit cum mandato grassandi; quod fatetur Centurio Matt. 8. vers. 8, 9. sic Gen. 19. Exod. 12. 1 Chron. 21. 1 Reg. 22. Ezek. 9. Job. 1. 2.

Vers. 18. *Tradam enim homines iſtos, qui tranſgreſſi ſunt fedus meum, qui non præſtiterunt verba federis, quod pepigerant coram me, quum tranſiverunt inter dimidiatas partes ejus vituli, quem diſſecuerant in duo.*

Vers. 19. Nempe *Principes Iehudæ, & Principes Ieruſchalaimorum, aulicos, & Sacerdotes, totumque populum huius terræ, qui tranſiverunt inter dimidiatas partes vituli illius.*

2. *Contra aggravationem* criminis, quæ proponitur ℣. 18, 19. recitando I. *Factum*, perjurium fœdifragum, *qui tranſgreſſi ſunt fœdus meum*, cujus conditiones scripsi: facti que tum modum, *non ſtabiliendo verba fœderis*; fecerant enim initio, sed non perseverarunt, retractantes facta, ut constantia defuerit; הקים non de incundo fœdere dicitur, sed de confirmando quod initum est. Conf. Gen. 15: 18. & cap 17: 2, 7. Vid. cap. 6: 18. tum gradum, à solennitate fœderis; ratione testis, *quod pepigerunt coram facie meâ*, me teste, ab ipsis invocato: ratione rituum, *quod vitulum in duas partes ſecarint; & inter illa ſegmenta tranſierint*. העגל per ellipsin constructi, pro בין חיתי העגל quod repetendum ex antecedentibns. II. *Facientes*, qui sum *principes Judæ*, & *principes Hieroſolymæ*; hi urbis magistratus, illi tribus ac cæterarum urbium; *Aulici* (סריסים enim non tantum eunuchos denotat, sed qui in aulæ ministerio, Gen. 39: 1.) *& Sacerdotes, & omnis populus terræ*, quotquot plebejæ conditionis, neque in munere constituti, *qui per ſegmenta vituli tranſierant*.

Ritus fœderis sanciendi hinc cognoscitur. Secabatur victima, & per media segmenta transibant paciscentes. Abrab. significatum putat paciscentes divisos fuisse uti segmenta, sed per fœdus unitos uti cum vitulus viveret, sed hic ordo prorsus inversus poscereturr: pertinet ad imprecationem, si fidem fallerent, eodem modo concidendos esse uti vitulum sectum viderent. Livius lib. 1. simile quid notat, in fœdere Romanorum cum Albanis: fecialis ibi ait: *Si prior defexit publico conſilio, dolo malo, tu illo die populum Romanum ſic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam; tantoque magis ferito, quanto magis potes polleſque*; *Id ubi dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit*. Hunc ritum ab Hebræis mutuatos Gentiles verisimile est, & parum immutasse. Primum instituit Deus Gen. 15: 9. &c. cum Abrahamo solenne fœdus paciscens, quo etiam Cananæam ipsi dedit: Jussit triennes juvencum, caprum, arietem afferri, quos partitus ab utroque latere collocavit segmentum; & cum fœderalia promissa enumerasset, per segmenta transiit quasi fornax fumans & fax ardens. Deo testante illo transitu, se medium secandum, si falleret, quod utrunque æque impossibile; cum non minus ἀψευδὴς sit, quam ἀδάμας, unde de præstatione dubitare non licet citra Dei injuriam; qui terram dedit de seculo in seculum Jer. 7: 7. cap. 25: v. 5. In fœdere cum Israele victimarum sanguis divisus, & pars media in altare Dei effusa, media in columnas Israelis; ut sanguinem perfidi perjurique sic fundendum significaretur. Exod. 24. Ita hoc loco quoque imprecatio confirmabatur, *ſi ſcientes volentes fallerent*.

Vers. 20. *Tradam, inquam, eos in manum inimicorum ipſorum: & in manum quærentium animam ipſorum: & erit cadaver ipſorum cibo & volucribus cælorum & beſtiis terræ.*

Vers. 21. *Et tam Tzidkijam Regem Jehudæ, & Principes ejus tradam in manum inimicorum ipſo-*

ipſorum, & in manum quærentium animam ipſorum: in manum, inquam, copiarum Regis Babyloniæ, quæ abiverunt à vobis.

Verſ. 22. *Ecce ego præcepturus ſum, dictum Jehovæ, & revocaturus eos contra civitatem hanc ut oppugnent eam, & capientes eam comburant eam igne, & civitates Jehudæ: ita exponam deſolationi ut nullus* inſit *habitator.*

Judicium quod comminatur aggravato crimini, dirigitur I. in fœdifragos, verſ. 20. *tradam eos in manus hoſtium, quærentium ipſarum vitam*, ut videlicet vita priventur, *& cadavera feris in eſcam cedent*; adeoque necabuntur, & lacerabuntur, non ſecus ac vitulus; ut imprecatio impleatur in ipſiſmet. II. in Zedekiam, qui non cohibuit, verſ. 21, 22. *Zedekiam regem & principes ejus*, (quos ante deſcripſit, magiſtratus & aulicos, quorum erat lege & exemplo præiviſſe aliis in bono, non autem ut egerant in malo, Zedekia iſtorum autoritatem & placitum ſerviliter ſecuto, nec contra niti auſo Jer. 38: 5, 24.) *dabo in manus inimicorum*, &c. exercitus Chaldæi regis, qui à vobis abierunt, ſoluta obſidione, ut eſt Jer. 37: 5. Quod ne putent vanum eſſe, qui nunquam redituros rebantur, ſeque metu in perpetuum ſolutos, opponit ſuum imperium efficax, *Ecce me præcipientem, dictum Domini, & redire faciam eos contra hanc urbem, quam oppugnabunt, occupabunt, concremabunt, & urbes Judæ cæteras in vaſtitatem dabo.* Hujuſmodi comminationes frequentes admodum ſunt, & ſæpius inculcatæ.

Heic ſigillatim animadvertenda pœna perjurii, quando violatur quod promiſſum addito jurejurando: quia duplex crimen, & Deo teſte advocato patratum. Perjurium contra Nebucadnezarem à Zedekia admiſſum cauſa excidii ejus Ezek. 17: 16. &c. & 2 Chron. 26: 13. quidni ergo contra Deum patratum. Sic de violato conjugum pacto Mal. 2: 13, &c. & de perjurio in genere Mal. 3: v. 5. Zach. 5: v. 4. quo etiam faciunt vota eorumque religio Eccl. 5: 3, 4.

Animadvertenda item pœna magiſtratuum, qui malum non cohibent, ſed illud citra ultionem, per ſe ſumendam, patrari ſinunt. Quæ Zedekiæ culpa. Non æque malus erat ac Jojakim: conſulebat Prophetam ſæpius, ſed obnoxius nimis aulicis & principibus omnia eis permittebat, etiam perſecutionem Prophetæ; unde profanus & impius princeps Iſraelis dicitur Ezek. 21: 18, 25. regno exuendus Similis culpa Eli judicis 1 Sam. 2. & 3. cap. Sane omnia judicia quæ infliguntur regno & reip. propter Magiſtratus infliguntur: quia illi armati gladio a Deo ad pœnam malorum Rom. 13: 3. quomodo ſi utantur gladio, nihil publice metuendum calamitatis: non quod nulla ſint futura crimina, ſed quia quæ committuntur illico vindicabuntur, ut ne quidem exemplo nocere queant. Sed ſi negligatur ultio, clamat terra & ad Deum ſuperiorem judicem provocat; qui de impiis, deque judicibus ſuis delegatis ſumit ultionem, totius reip. conculſione & everſione quoque. Cavendum cuique peccatum, & cavendum etiam in iis, qui ſub cujuſque imperio, unde David ſecuritatem regni ſui in eo conſtituit, malos punire Pſ. 101. & 75. Generalis regula huc pertinet Lev. 19: 17.

Concio, ſeu Prophetia XXIV.

CAP. XXXV.

REdeunt Conciones Prophetæ *LIBERI*. Eſt autem hoc caput tum Hiſtoricum eſt, verſ. 1--11. tum Propheticum V. 12-19.

Hiſtoria facit ad occaſionem Concionis: ſed cap. 34. hiſtoria fuit non quæſita, ſed oblata; factum ab Zedekia & principibus cauſam dedit inſtituendæ concionis: aſt hic hiſtoria non fuit oblata ſed quæſita, factum per Jeremiam procuratum, ut cauſam ſibi faceret, ſeu argumentum dicendi.

Verſ. 1. *Verbum quod fuit ad Iirmejam à Iehova: temporibus Ichojakimi filii Ioſchijæ Regis Jehudæ, edicendo.*

HISTORIA habet I. tempus verſ. 1. II. mandatum Dei, verſ. 2. III. obedientiam Prophetæ verſ. 3, 4, 5: IV. ſucceſſum verſ. 6--11.

I. *Tempus* eſt verſ. 1. regnante Jojakimo hæc geſta adeoque ante acta capitis præcedentis, quæ ad minimum annis 12. poſteriora ſunt, licet hæc in extrema tempora regni Jojakimi referantur, quia illa penultimo Zedekiæ anno acciderunt. Unde rurſum liquet, non obſervatam temporum ſeriem in collocandis concionibus Prophetæ. Cauſam faciunt quidam quod cum Jeremiæ conciones in ſingulis tabulis ſcriptæ eſſent, viri ſynagogæ magnæ eas collegerint ac collocarint, quo ordine reperiebantur aut offerebantur, non habita ratione temporis, niſi quod iis quæ Judam attinerent primum locum dederint, & tum demum ſcripſerint quæ de Gentibus agebant. Alii volunt ipſummet Jeremiam eo ordine ſcripſiſſe, non habita ratione temporis, ſed quo ordine vel occurrebant ſchedæ colligenti, vel dictanti venerant in mentem. Jer. 36: v. 32. Abrab. cenſet ſtudio hanc poſtpoſuiſſe proximæ præcedenti, cum conſignatas exhiberet populo conciones: cum enim inobedientiam Judæorum taxaſſet, qui mandato Dei de manumittendis ſervis Hebræis non paruiſſent, ad majorem convictionem propoſuit exemplum, obedientiæ a Rechabitis exercitæ erga mandatum ſui patris, quod olim expertus fuerat, ſub imperio Jojakimi. Sed in ordine nihil magnopere hic ſitum; & annotatum tempus ſufficit, ut ſi ſeriem hiſtoricam prophetiarum quærimus poſſimus ordinare.

Verſ. 2. *Abi ad familiam Recabæorum: & alloquutus eos adduces eos* ad *domum Iehovæ in unum cubiculorum: ut des bibendum eis vinum.*

II. *Mandatum* Dei v. 2. deſcribit.

1. *Perſonas* adeundas: *familia Rechabitarum.* Fuere poſteri Jethronis ſoceri Moſis, qui ſe junxerant Iſraelitis ad invitationem Moſis apud Hobab, ſive ille affinis fuerit, ſive ſocer idem cum Jethrone, inſtitutam Num. 10: 29. &c. nam licet ille primum abnuerit, tamen poſt inſtanti Moſi aſſenſus videtur, quia Bileam videns Kenitarum tentoria, laudavit ipſorum prudentiam Num. 24: 21. in deligendâ ſede. Ingreſſi Kenitæ cum Iſraele in Cananæam primum conſedere circa Jerichuntem, quæ urbs palmarum Jud. 1: 16. fortè quod Iſraelitæ in loco anathematis nollent habitare, ut vacuum locum inſederint: attamen mortuo Joſuâ inde digreſſi habitarunt inter Judæ tribules, 1 Sam. 27: 10. cap. 30: 29. ſed non omnes, quod peregrinis in unâ tribu locus non foret. Hinc Heber Kenita habitavit in tribu Naphtali Jud. 4. v. 17. alii inter Amalekitas 1 Sam. 15: 6. Plurimi autem in Juda 1 Chron. 2: 55. ubi familiæ plures numerantur, quæ omnes deſcenderint ab Hamath patre domus Rechab. quem ſic dictum remur, ut Semum patrem omnium filiorum Heber, Gen. 10: 21. cujus familia inter poſteros digniſſima fuit, cum ipſe Heber pronepos Semi fuerit. Sic Rechab potiſſimus dignitate inter Kenitas licet forſan longâ ſerie ſucceſſerit illi Hamath. Commendantur ab Eruditione quod fuerint סופרים doctores, ſive Eccleſiaſtici, ſive politici: quia enim carebant poſſeſſione terræ, ab ingenio quæſivere, ea, quæ ad vitam honeſte tolerandam faciunt. Judæi ferunt fuiſſe aſſeſſores magni Synedrii: quod tamen mihi non ſit veriſimile, ut proſelytos alienigenas iſtuc promoverint, niſi ſtatu populi jam corrupto. Vixerant etiam in Ephraim, nam Jonadab filius Rechab, unus ex hujus poſteris, iſtic vixit & ut magnæ eſſet dignitatis 2 Reg. 10: 15. Ab iſto Rechab familia ſpecialius accepit nomen Rechabitarum, cum ante generaliter Kenitæ dicerentur, idque ob factum, quod hîc commemoratur. Sunt qui hoc loco non familiam ſeu genus aliquod, ſed unam domum deſignatam putant, in quâ omnes habitarint. Et hoc quidem probabile in uno ædificio commoratos eſſe, aut ſaltem in unum congregatos, licet plurium domorum homines, ob rationem v. 11. ſcriptam; ut omnes uno in loco invenerit Jeremias. Hos enim omnes ſimul adire juſſus fuit, nimirum ut moneret, nomine Dei ſe

quid cum ipſis habere ſuſcipiendum, neque enim aliàs facile tota familia ſe fuiſſet ſtitura.

2. *Locum* quo ducendi eſſent, *in templum Domini*, quo nomine tota ſtructura deſignatur, non ſolum ædificium, quo Sanctum & S. Sanctorum continebatur, omnia atria, & quæ in illis erant varia conclavia, variis uſibus deſtinata, quemadmodum 1 Reg. 6: 5. &c. & hoc cap. & cap. 36: v. 10. indicatur. In horum unum introducendi fuerant Kenitæ, quod vacivum foret ad ejuſmodi conventus. id quod præſtari potuit a Jeremiâ, qui etiam ipſe Sacerdos fuit, & in templo aliquod jus habebat juxta cum cæteris Sacerdotibus.

3. *Factum* in eo loco. משקית *bibere facies eos vinum*, non ut cogeret invitos, ſed ut eis offerret, & ad bibendum invitaret, adhibitis quæ id perſuaderent rationibus.

Verſ. 3. *Itaque aſſumens Iaazanjam filium Irmejæ filii Chabatzinjæ & fratres ejus, omnēſque filios ejus: denique totam familiam Recabæorum.*

Verſ. 4. *Adduxi eos* ad *domum Iehovæ, in cubiculum filiorum Chananis filii Igdaliæ viri Dei: quod* eſt *prope cubiculum Principum, quod* eſt *ſupra cubiculum Mahaſejæ filii Scillumi, obſervantis limen.*

Verſ. 5. *Quumque propoſuiſſem coram filiis familiæ Recabæorum ſcyphos plenos vini, & pocula; dixi eis, bibite vinum.*

III. *Obedientia* Prophetæ, verſ. 3, 4, 5. quæ indicat

1. *Perſonas* adductas verſ. 3. quarum caput *Jaazanja* ab avi patriſque nomine commendatus, & cum illo *fratres* ſeu cognati, *& filii omnes*, poſteri ejus, denique *univerſum genus Rechabitarum*; mares nempe, neque enim fœminas viris miſcere licuit in templo, aut illis locus fuit in ejus conclavibus, niſi quæ ſigillatim iis deſtinatæ in ſuo atrio? & quidem mares majorennes, qui filii præcepti, ipſimet obnoxii obedientiæ. Cum enim univerſalis inobedientia eſſet convincenda, univerſalis familiæ hujus obedientia fuit explorando. Hos omnes Jeremias conventos domi monuit, & monito illi locum dantes ſecum duxit, quod eſt accipere, nempe aſſumere.

2. *Locum* quo ducti ſunt verſ. 4. qui à variis circumſtantiis deſcribitur. *In genere* templum; *in ſpecie Conclave* aliquod, cujus poſſeſſores ſeu incolæ erant filii ſeu poſteri, *Hanani, qui filius Jigdaljæ viri Dei*, Prophetæ, qui omnes ſatis celebres, illis temporibus, ſive de Sacerdotali genere fuerint, ſive de Levitico, ex ordine Cantorum aut portæ cuſtodum: ſitus autem *prope Conclave principum*, ſive illi Politici fuerint, ſeu Eccleſiaſtici, Sacerdotum potiſſimi, ubi ſuos conventus agebant, *quod erat ſupra conclave Maaſejæ filii Sallum, cuſtodis liminis.* Fuit ergo in ſuperiore contignatione, non ſecus ac principum. Nomen autem tributum conclavibus ab illis hominibus, quod tunc ibi verſarentur, ſive quod illi principes eſſent in ſacra, ἑστιάσεις, qui toti ordini nomen dabant. Luc. 1: 5. An delegerit illud conclave, vicinum principibus, ut teſtes forent hujus actionis; tum ut ſcirent nihil ſeditioſum ibi agitatum, quod rebellionem ſaperet. tum ut qui primi erant in populo, audirent convictionem, ſcriptum quidem non eſt, non tamen alienum à verò.

3. *Factum* Jeremiæ verſ. 5. propoſuit ipſis omnibus *crateres & calices*, majora & minora vaſa, *vino repleta*; Erat enim copia vaſorum in templo ſub cuſtodia Sacerdotum & Levitarum; uti quoque vinum primitiarum, oblationum &c. 2 Chron. 31: 5. Neh. 10: 37, 39. cap. 13: 5. quod licebat uſurpare Sacerdotibus, & aliis præbere, ſiquidem mundi eſſent, utpote ex voto aliorum miniſtris ſacrorum cedens. deinde etiam invitavit, ut de vino oblato biberent. Pluribus autem ſimul exhibuit crateres, ne ab uno omnes penderent, ſed quivis poſſet frui, ſi vellet, etiam cæteris inconſultis.

Cæterum iſta omnia oſtendunt quam promte omnia noſtra citra exceptionem Deo ſint exhibenda. Jeremias citra tergiverſationem operam ſuam impendit, licet ſub hoc rege Jojakimo grave periculum adiiſſet antea templo cap. 26. Rechabitæ omnes ſimul ſe duci patiuntur in templum, licet coitio iſta poſſet in ſuſpicionem venire ſeditionis alicujus, aut tumultus. cuſtodes conclavium templi, nec non vaſorum & vini, petenti Jeremiæ tum locum, tum inſtrumenta ſuppeditant, quibus uteretur. Sic Petrus Chriſto navem conceſſit Luc. 5. & alii pullum aſini Matt. 21.

Verſ. 6. *Qui dixerunt, non ſumus bibituri vinum: nam Jonadab filius Recabi pater noſter interdixit nobis, dicendo, ne bibitote vinum, vos, aut filii veſtri umquam.*

Verſ. 7. *Et domum ne ædificatote, & ſemen ne ſeritote, vineamque ne conſeritote, neque ſit vobis, ſed in tentoriis habitetis omnibus diebus veſtris, ut vivatis diebus multis in ſuperficie terræ, ubi inquilini eſtis.*

IV. Succeſſus eſt v. 6—11. habens

1. *Rechabitarum recuſationem* verſ. 6. *Dixerunt autem; Non bibemus vinum*, non unus duntaxat negavit ſe facturum, neque unus omnium loco & nomine negavit, ſed omnes; quod Luc. 14: 18. dicitur huc pertinet laudabiliter. ἀπὸ μιᾶς ἠρξαντο ἀπολογεῖσθαι πάντες. Quibuſcunque oblati crateres, & dicta invitatio de bibendo, hoc ſe facturos negarunt. Neque dicunt, non bibemus יין הזה vel הזה יין hoc vinum, quod ſacrum, ne fruentes ſacro reatum contrahamus Lev. 5: 14. &c. ſed ſimpliciter, *non bibemus* יין *vinum.*

2. *Rationem negationis* quam dicunt, verſ. 6, 7. mandatum avitum, cujus

Quæſt. Nonne peccarunt hoc negantes, qui juſſu Dei in templum ducti fuerant, a Jeremia ſollicitati? Reſp. Minime Jeremias omnia juſſus a Deo fecit; & ipſi quoque quæ juſſi a Deo; ſed Bibere vinum non juſſit eos Deus. licet Jeremias juſſus eos invitaret, qui non dicit *ſic ait Dominus*, ſed ſimpliciter, *Bibite vinum*, Agnoverunt ergo vocem hominis, non Dei eſſe, Non enim quicquid Deo moderante ſuadetur, a Deo jubetur; a Deo fiebat ut Spiritus mendax eſſet in Prophetis Achabi 1 Reg. 22. Legati Babelis ſalutarent Hizkiam ob miraculum 2 Chron. 32: 31. ut Propheta ex Juda ſollicitaretur ad epulum a Pſeudopropheta 1 Reg. 13. ſed non ut parerent. Diſtinguendum moderamen providentiæ a mandato: Deut. 13: 1, 2.

R. *Autor*, fuit *Jonadab filius Rechab pater noſter.* Eſt idem ille qui occurrit Jehu regi, cum Achabi domum, & Baalis cultum aboleret 2 Reg. 10: 15, 16. ubi liquet, magnæ dignitatis atque autoritatis fuiſſe, cum Rex ei obtulerit dextram ſocietatis, & ſecum vehi voluerit. Videntur Kenitæ ſemper vixiſſe propriis quaſi legibus, ut olim Abraham, Iſaac & Jacob inter Cananæos, qui uti partem in Rep. non habuerunt, ita quoque legibus ſubditorum inſtar non fuere obnoxii: peregrini in Rep. qui ſibi ſolùm vivebant, quemadmodum Belgæ in Anglia, & Palatinatu; & Angli ac Walones in Belgico, quod ad Eccleſiaſtica. Sic vixit Heber fœderatus Jabini Jud. 4. & Kenita inter Amalekitas, & Jonadab in Iſraele. Cæterum Jonadab iſte non fuit pater proximus, ſed ex majoribus, & qui ante annos 280. ad minimum vixerat, quot annis diſtabat initium regni Jehu, a Jojakimi regno, ut hujus autoritatem non tantum ipſo vivente, ſed etiam mortuo per tria ſecula circiter valuiſſe liqueat.

3. *Mandatum* ipſum conſtat I. *Interdicto*, tum *ſpeciali*, quod hic locum habebat, de non bibendo vino, indicatis perſonis, *vos & liberi veſtri*, & tempore obligationis, *in ſeculum.* ut omnes ſuos poſteros in perpetuum obſtrinxerit tum *generali* de aliis cavendis; de non ſtruendis ædibus, conſerendis agris, plantandis vineis; deque iſtis omnibus, non poſſidendis verſ. 7. II. *Præcepto*, de habitatione in tentoriis conſtanter, uti Iſraelitæ in diſerto. III. *Ratione* mandati, quæ vita ſeu duratio generis ſui diuturna in terra peregrinationis ſuæ. verſ. 7.

Quæſt. An Jonadabo licuit tale inſtitutum condere, atque ſuam poſteritatem ad obſequium obſtringere? Etenim Pontificii hoc exemplo utuntur ut probent licuiſſe Eccleſiæ, quæ

quæ uno homine major eſt, ſuis liberis ſpiritualibus intercedere quibuſdam alimentis ad tempus, vel in perpetuum; adſtringere item ad certas victus & amictus leges, vocationemque a communi hominum praxi abhorrentem: quemadmodum fit a Monachis & variis illorum Ordinibus. Reſp. I. Jonadabi mandatum hîc non laudatur: nihil hujus legitur in totâ hâc concione: ſed laudatur obedientia poſterorum, utpote reſpondens voluntati Dei quinto præcepto expreſſæ. Nec tamen ſequitur, ſi obedientia laudibilis, etiam laudabile mandatum. Saul cum exſecratione interdixit ne quis guſtaret quicquam dum Philiſtæos perſequeretur 1 Sam. 14. cui pie obtemperatum à populo, quamvis male vel imprudenter ſaltem imperatum fuerit. II. Jonadabi mandatum non ſequuntur Pontificii, ſed omnia contraria agunt: non interdicunt vino, nedum abſtinent etiam qui religioſiſſimi, ſed quo generoſius eò magis amant: non abſtinent à ſtructurâ & inhabitatione domorum, ſed inſanos ſumtus faciunt in ædificia, & regum ad invidiam palatia ſibi parant auguſta ac pretioſiſſima quæ incolunt: non averſantur poſſeſſiones agrorum & vinearum, (quamvis forſan laborem culturæ fugiant ignavi fuci & otioſi ventres:) ſed appetunt immenſas, atque legitimis poſſeſſoribus hæredibuſque innumeris fraudibus ac dolis, religionis ſpecie eripiunt & exſorquent, ut quandoque legibus politicis ſint cohibendi; ut veneti interdixerunt olim ne Jeſuitis liceret plures agros ac prædia acquirere, & in hâc Provincia ſimiliter id prohibitum monachis Adowerdianis: non ſe gerunt ut peregrinos, ſed ut potiſſimos primos poſſeſſores ac dominos, & qui in Ordinibus primum locum ſibi vendicarunt, & obtinuerunt Epiſcopi, & Eccleſiaſtici primus ſtatus ubique; uti hîc olim & Ultrajecti, & alibi: conjugia non ineunt honeſta; ſed his interdicunt, ſcortationes ac adulteria, atque omnes generis libidinem tolerantes, & matrimonio in Eccleſiaſticis præferentes. Quomodo non imitatores Rechabitarum, ſed profeſſos potius illorum hoſtes ſe eſſe oſtendunt. III. Jonadabi inſtitutum non fuit religioſum, quaſi hoc pacto magis placituri Deo eſſent poſteri, aut aliquid apud Deum meriturі. Quod Pontificii ſtatuunt de ſuis Ordinibus monaſticis; nulla Dei in mandato mentio, nihil ejus profitentur Rechabitæ, nihil tale de eo teſtatur Deus, aut Jeremias; quamobrem nequit accenſeri inſtitutis ſequentium Phariſæorum, inter Judæos Matt. 15: 3. ſeq. & inter Chriſtianos Col. 2: 23. qui Deum ex mandato hominum coluerunt: quod faciunt omnino Pontificii. IV. Jonadabi inſtitutum fuit 1. licitum; interdicebat poſteris rebus quibuſdam indifferentibus, à qualibus ſibi quiſque per votum Naziræatus abſtinentiam poterat imperare, ſive ad tempus, ſive in perpetuum. Sed Naziræi ex lege voti divina; eoque ad cultum; Jonadab citra opinionem cultus, ſed politico conſilio; nam fuit etiam 2. Prudens: pertinebat ad præparandos poſteros adverſis, ut exilium aliaque hujus incommoda facilius tolerare poſſent, qui nihil immobilis poſſeſſionis amittere ea ratione quibant. Et quod potiſſimum, fuit 3. Pium, profectum ex fide prædictionum propheticarum. Etenim cum Jonadab tempore Achabi & filiorum ejus vidiſſet omnes abominationes idololatriæ, & perſecutiones veræ doctrinæ & eorum qui hanc profitebantur; noſſet etiam quæ Deus per Eliam, Micham, alioſque prædixiſſet contra regiam domum; vidiſſet quoque veritatem iſtarum comminationum exſtirpatâ familiâ Achabi, & Baalis cultu per Jehu regem; cujus Zelum in hoc miniſterio Deus remuneratus eſſet continuaturo regno in quartam generationem tantum, quia manente idololatria Jeroboami, pœna illi denunciata in Iſraelem ventura erat 1 Reg. 14: v. 15, 16. quæ etiam vivente Jehu aliquatenus exercita fuit 2 Reg. 10. His ergo omnibus conſideratis interdixit poſteris, ne biberent vinum, quod multorum peccatorum occaſio & incentivum eſſe ſolet, ac potiſſimam partem facit voluptatum, adeoque ſobrietati & ferendæ inopiæ voluit adſueſcere. Iſtud autem fecit generale omnibus, ut in ſuâ familiâ nemo foret, qui vel exemplo heic noceret. Interdixit inſuper ſtructurâ ædium & culturâ prædiorum ac poſſeſſione eorum, quia animus illis ſolet eſſe affixus, & multi cœlum non affectare, ſaltem non impetrare, quoniam glebæ quam tenent arctius adhærent, eamque deſerere nolunt: ut ſi exilium ſubeundum, aut aliud malum metuendum eſſet, tanto facilius illud poſſent vel tolerare vel declinare. Nec tamen otio inerti ſuos voluit indulgere, ſed eam vivere vitam quæ olim patriarcharum fuit, qui vixerunt in tabernaculis ſeu tentoriis Heb. 11: verſ. 9. ut paſtoritiam vitam egerint, aut artes mechanicas tractarint, aut ſtudia, quæ in tentoriis agere, atque inde vitæ ſuſtentandæ neceſſaria petere ac parare licuit. Hoc porro inſtitutum in ipſo ac poſteris hinc commendabile fuit, quia pertinuit ad jugem memoriam ſuæ conditionis, peregrinos ſe eſſe, quibus nihil proprii in terra eſſet vel eſſet affectandum, qui tenui ſorte contenti vivere debent, quomodo vitam ſibi facturi eſſent diuturniorem, ex generali promiſſione præcepti quinti, de obedientia parentum: & ex ratione politicâ, tum nemini graves, quia nihil eorum quærerent, quæ alii amarent ac poſſiderent, ſibique mutuum etiam eapropter inſidiarentur; tum ſecum hilariores, qui exiguo acquieſcentes etiam in communi afflictione facile eſſent reperturi conditionem ſibi conſuetam. Iſraelitis tamen iſtud inſtitutum præſcribere aut imitari fuiſſet illicitum, quibus terra in poſſeſſionem hæreditariam data, eoque colenda fuit, & domus ibidem ædificandæ, quas ad poſteros tranſmitterent, quamquam ſingulis annis in feſto tabernaculorum, in memoriam ſimilis conditionis in deſerto, per ſeptiduum in tuguriis habitare, ac peregrinitatis ſuæ teſtimonium edere buerunt. Nihil ergo in Rechabitis occurrit quod Mo... chorum moribus queat patrocinari.

(2.) Sed quæritur: Poſſitne quis ſimili inſtituto ſe poſterosque ſuos obligare? Reſp. Definitum iſtud ab Apoſtolo 1 Cor. 7: 25. &c. circa conjugium: *Exiſtimo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, bonum eſſe homini ita eſſe* (virginem nempe vel cœlibem,) *hoc autem dico veſtro commodo, non ut laqueum vobis injiciam, ſed ut decenter & apte adhæreſcatis Domino, abſque ullâ diſtractione. Qui verò ſtabilis perſtat in corde nec adigitur neceſſitate, ſed in poteſtate habet propriam voluntatem, & hoc decrevit in corde ſuo, ut ſervet ſuam virginem, benefacit, & melius facit qui non dat nuptum, & illa beatior eſt ſi ita maneat ſecundum meam ſententiam.* Nimirum perſecutionis afflictioniſque imminentis meditatio merito quem movent, ut quæ hujus mundi commoda ſunt ſibi tempeſtivè neget, animumque ab iis avertat, atque in eâ averſione per conſuetudinem confirmet. Patri etiam poteſtas eſt in filiam, ut eam ſervet innuptam. Attamen non vult Apoſtolus cuiquam laqueum nectere, ſed commoda & incommoda utrinque oſtendere, ut exinde quis ſtatuat, quod ſibi ſuiſque optimum. Adeoque nec vult quenquam perpetuam virginitatem vovere, neque patris poteſtatem ultra ejus vitam extendit. Proinde non ulterius imitandum Jonadabi exemplum, quam ſcopus ipſiuſmet fert, nimirum ut eſt 1 Pet. 2: 11, 12. Non tamen valet hinc vel votum caſtitatis quod vocant ſive cœlibatus, nam unus quiſquam proprium donum habet ex Deo, alius quidem ita, alius autem ita 1 Cor. 7: 7. quod verò doni divini eſt, non ſubeſt voto. vel votum paupertatis, nam ea comes ferè eſt inertis otii, quod interdictum, cum unicuique in ſuâ vocatione ſit laborandum ut proprium panem comedat 2 Theſ. 3: 11. &c. quem laborem ſequitur Dei benedictio Pſ. 121: 2. contra quam votum facere eſt Dei benedictionem ſpernere. Vel votum obedientiæ regularis, nam quatenus 5 præc. continetur, jam obſtricti ſumus, & novo vinculo huc ſe obſtringere vitio caret. ſed ſi quid mandetur contra Dei voluntatem, utique valet illud, *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* Act. 4: 19. cap. 5: 29. & ſi quid imperetur liciti, ſub opinione cultus ac majoris ſanctitatis, eſt carnis miniſterium, ad ejus ſatietatem tametſi corpori non parcatur eſt ἐθελοθρησκεία Col. 2: v. 23. Vel abſtinentia a certis cibis, aliter quam 1 Cor. 8: 13. *ſi cibus offendat fratrem meum, non edam carnes in æternum, ne fratrem offendam.* ſic ſi vinum, aut potus inebrians alicui ſcopulus eſt, ad quam mentis quandoque naufragium faciat, atque religionem affligat, & Spiritum Sanctum anima excludat Eph. 5: 18. utique recte vino abſtinebit. Ita quoque qui deliciis mundanis ſibi interdicit, quo ad tolerantiam afflictionum animoſior, & ad abnegationem ſui promtior ſit, atque etiam ſuos eò adſueſcat, non peccabit. exemplo priſci Naziræatus. ſed tunc ſequendum illud Eccl. 5: 3. &c. de votorum obſervatione.

Verſ. 8. *Itaque auſcultantes voci Iehonadabi filii Recabi patris noſtri in omnibus quæ præcepit nobis: ut non bibamus vinum omnibus diebus noſtris, nos, uxores noſtræ, filii noſtri, & filiæ noſtræ,*

Verſ.

Vers. 9. *Utque non ædificemus domos ad habitationem nostram, & vinea, aut ager, aut sementis non sit nobis.*

Vers. 10. *Sed habitemus in tentoriis: auscultantes, inquam, facimus omnino prout præcepit nobis Ionadab pater noster.*

3. Obedientiæ hactenus præstitæ enarrationem v. 8, 9, 10. *In genere* quidem, *Audivimus itaque* (obedivimus) *voci Jonadabi patris nostri*, non ex parte, prout placebat, vel oportunum erat, sed omnino, *in omnibus quæ præcepit nobis.* In specie, I. *Ne bibamus vinum*, ratione temporis, semper *omnibus diebus nostris*; & ratione personarum, universi, patres & matres familias, *filii ac filiæ*, citra sexus aut ætatis discrimen. II. *Ne struamus ædes quas incolamus*, (artes enim mechanicas ad architecturam icire & exercere licuit, ad aliorum usum, sed non proprium,) III. *Ne possideamus vineam aut agrum*, sive emtione, sive donatione, aut alio titulo conductionis, vel emphyteuseos, vel debitis; *aut semen*, hoc est segetem aut messem ex proprio fundo, IV. *Habitamus in tentoriis*, in genere rursus, obtemperavimus voci patris, exactissime, quod verbum faciendi indicat.

Rarissimo exemplo filialis obedientiæ, per tria fere secula constanter ab omnibus præstitæ, succedentibus toties aliis generationibus, & quidem in rebus carni ingratis, atque a consuetudine hominum alienis: Equidem commendatur Abraham, quod optima mandata liberis dederit Gen. 28. v. 19. sed generaliora, & quæ solum viam Dei ipsis commendarent, verum ne quidem in domo suâ dum vixit, obtinuit obsequium; qui Ismaelem filium, & Esavum nepotem vidit, impios homines, atque etiam a pronepotibus ex Jacobo multa perperam facta.

Vers. 11. *Fuit autem quum ascenderet Nebucadnetzar Rex Babyloniæ in terram hanc, ut diceremus, agite, ingrediamur Ieruschalaima metu copiarum Chaldæorum, & metu copiarum Syriæ, ita considemus Ieruschalaimis.*

4. *Interpretationem* facti singularis vers. 11. quod nunc habitarent domum Hierosolymis, & quidem deliberato consilio; non quam ipsi ædificassent, sed in quam tantum commigrassent, ob belli necessitatem: itaque citra violationem paterni præcepti de habitando in tentoriis, cui semper paruissent, ut ex ejus instituto paratiores forent ad fugam, quam nunc Nebucadnezare & Chaldæis Syrisque invadentibus terram debuissent suscipere, seque Hierosolymam recipere, Ecclesiæ Judææ, veræque religioni, quæ istic solum vigebat adhæsuri ad extremum usque: Ibi vero locus tentoriis figendis non dabatur, in metropoli ædificiis omnia occupantibus. Cæterum expeditio ista Nebucadnezaris illa est, de quâ Dan. 1: 1. Tertio anno Jojakimi venit Nebucadnezar Hierosolymam, eamque obsedit, ac Jojakimum Deo tradente redegit in potestatem, de quâ etiam legitur 2 Reg. 24: 1. & 2 Chron. 36: 6. NB. in notis Belgicis contradictio, nam ad Dan. 1: v. 1. citantur ceu parallela 2 Reg. 24. vers. 1. & 2 Chron. 36: 6. ast 2 Chron. 36: 10. qui de Jechonia agit citatur Dan. 1: 1, 2. qui textus de Jojakimo loquitur.

Vers. 12. *Tum fuit verbum Iehovæ ad Iirmejam, dicendo.*

Vers. 13. *Sic ait Iehova exercituum Deus Israëlis, abi, & dicas Iehudæ, & habitatoribus Jeruschalaimorum: an non percepturi estis eruditionem, ut auscultetis verbis meis dictum Jehovæ.*

Vers. 14. *Præstatur* unumquodque *verborum Jehonadabi filii Recabi, qui interdixerat filiis suis ne biberent vinum, non enim biberunt usque in diem hunc, quia auscultant præcepto patris sui: ego autem alloquor vos inde à diluculo indesinenter, nec tamen auscultatis mihi.*

Vers. 15. *Quumque mitto ad vos omnes servos meos Prophetas inde à diluculo indesinenter, dicendo, revertimini iam quisque à via sua pessima, & bonas efficite actiones vestras, neque sequamini deos alienos colendo eos, ita manete in hac terra quam tradidi vobis & majoribus vestris: non tamen inclinatis aurem vestram, neque auscultatis mihi.*

PROPHETIA seu *concio*, occasione istius responsi Rechabitarum instituenda fuit, jussu Dei, excitante Jeremiam ut illico ibidem loci, in templo loqueretur, v. 12. Sic dum in domo figuli jussu Dei consisteret, inspiratione divina motus fuit ad dicendum. Concio ipsa habet I. Propositionem, v. 13. II. convictionem v. 14, 15. III. Prædictionem futurorum eventuum v. 16-19.

I. *Propositio* v. 13. exprimit I. *Loquentem*, quamvis enim Propheta hæc eloqueretur & os ac sonum accommodaret, tamen verba non ipsius erant, sed legantis, quemadmodum Legati nomen ac jussum legantis solent præmittere, ut Rabsake 2 Reg. 18: 19. 28, 29. & Jeremias Os Dei Jer. 15: 19. quia ipsius ori verba sua Deus indidit cap. 1: 9. cap. 5: 14. Legans ergo est *Jehova*, omnium Essentiator; *Zebaoth*, creaturarum temporumque moderator; *Deus Israelis*, qui jure fœderis obstrictos tenebat. II. *Ad quos* loquatur, *Viros Judæ & incolas Hirrosolymæ*, quicunque cives urbis vel subditi in toto regno erant; hos jubetur adire & alloqui; nempe cum hæc gesta essent in conclavi templi superiori, qui locus non multos capiebat, debuit descendere in atrium, ubi conveniebant magno numero semper ex omnibus urbibus Judæ, ut vel offerrent, vel precarentur, sic Jer. 26: 2. III. *Summam*, per interrogationem expressam, quâ ad conscientiam cujusque provocatur, quia Deus non indiget alio teste, quando homines accusat quam ipsorummet conscientia, Conf. Rom. 2: 15, 16. *Nonne accipietis eruditionem*, (quæ non solum factis affertur Jer. 2: 30. cap. 5: v. 3. sed etiam verbis Prov. 1: 8. Ps. 2: 10. & exemplis, uti hic Rechabitarum.) *ut audiatis verba mea*; obediendo videlicet, *Dictum Domini*, hoc nomen sigilli loco apponitur.

II. *Convictio* constat oppositione obedientiæ Rechabitarum v. 14. & inobedientiæ Judæorum, v. 14, 15. Ea commemorat utrinque I. *Erga quem* exercita, Obedientia, *Verba Jonadabi, filii Rechab*, quæ liberis præcepit, Iste homo; qui filius hominis, alii debebat quoque quod exigebat; pater naturalis. Inobedientia, *Ego locutus sum*, Hic Deus, omnibus superior, nulli debitor; pater spirituum omnis carnis, & pater ex fœdere gratiæ. II. *A quibus*, istic à liberis naturalibus, naturaliter obligatis ob generationem, hic à creaturis obligatis naturaliter, & filiis ex fœdere; obligatis ex beneficio gratiæ. III. *Quomodo* postulata sit obedientia, istic, ille præcepit, semel, saltem non ita crebrò; cum per mortem impeditus fuerit ne diu instaret. Abrab. observat: omnes Prophetas missos ad Israelem dici: eoque hos esse inter privilegia Israelis, negatos autem fuisse aliis gentibus. Valet id post factam distinctionem Israelis & gentium; his tunc non excitati novi Prophetæ; servarunt tamen quem habuerunt Bileamum. Hic locutus est sæpe, sæpe etiam ministri ejus eum in finem missi: nullus dies præteriit, quo non repetita postulatio, & multiplicati monitores, qui ingeminarent, ne sonus ille elaberetur ex auribus. IV. *Quid præstandum* fuerit, Ille prohibuit vini usum, interdixit fruitione bonorum jucundorum & licitorum, privavit commodo aliquo. Hic, *convertimini quisque a via sua mala, & emendate actiones, & cavete idololatriam*: interdixit praxi malorum maximorum, & per se illicitorum ac noxiorum, monuit de cavendo incommodo. V. *Quid præmittatur*, illic vita tranquilla peregrinorum, ex v. 7. parat ad conditionem peregrinorum, quæ misera est, patienter ferendam & moderate transigendam. Hic, *ut maneatis in terrâ, quam vobis & patribus vestris dedi*, pollicetur perennem possessionem terræ, quam suo beneficio tenuerant patres; & ipsimet qui hæredes illorum erant. VI. *Quamdiu* præstita, illic constanter, stabilita ejus verba, etiam post mortem ejus, per annos ferme trecentos, citra violationem ullam, usque in hunc diem. Hic semper vivens, semper instans nunquam vel olim, vel nunc obedientiam consecutus est: nec voluntas parendi fuit, 1. *non inclinastis aurem*,

rem, neque etiam factum, *non obtemperastis.* Omnia ista ostendunt impietatem maximam Judæorum oppositione illà vehementer exaggeratam. Uti autem hîc adhibetur ad convictionem exemplum obedientium hominum Mal. 1:6. sic ab Esaiâ jumentorum Esa. 1:2. &c. herum agnoscentium.

Vers. 16. *Quandoquidem præstant filii Jehonadabi filii Recabi præceptum patris sui quod præcepit ipsis, populus verò iste non auscultant mihi.*

Vers. 17. *Idcircò sic ait Jehova Deus exercituum; Deus Jisraelis, ecce ego adducturus sum contra Jehudam, & contra omnes habitatores Jeruschalaimorum totum illud malum quod proloquutus sum contra eos: eò quòd mihi alloquenti ipsos non auscultarant, & revocanti ipsos non responderunt.*

III. *Prædictio* eventuum futurorum denuncians retributionem pro utriusque opere, v. 16-19. habet,

I. *Fundamentum* diversæ retributionis v. 16. Obedientiam Rechabitarum erga præceptum patris sui, & Inobedientiam Israelis erga Deum. v. 16. Quod fundamentum etiam inculcatur Esa. 3:10, 11. Gal. 6; 7, 8. Rom. 2:6. &c. Deest autem particula illativa, יען כי הקימו pro כי הקימו *Igitur quia stabiliverunt*, &c.

2. Quid pœnæ maneat *Judæos*, v. 17. cujus I. Agens, qui denunciat, *Jehova, Deus exercituum*, heic enim appellativum legitur. Deus Israelis; *Ecce me adducentem.* II. Patientes, *Juda & Hierosolymitani*, qui etiam Judæ pars, sed magis rea, uti in magnis urbibus major culpa, occasione & exemplo invitante & animante III. Pœna ipsa, *omne malum quod locutus sum, toto* hoc libro, & in aliorum prophetarum scriptis. IV. Meritum ejus, *quia locutus sum & non audiverunt*, quod negligentium; *clamavi*, majori contentione vocis egi, atque animi, *& non responderunt*, quod contemnentium.

Vers. 18. *Familiæ verò Recabæorum dixit Jirmeja, sic ait Jehova exercituum Deus Iisraelis, eò quòd auscultatis præcepto Iehonadabi patris vestri, & observantss omnia præcepta ejus facitis omnino prout præcepit vobis.*

Vers. 19. *Idcircò sic ait Jehova exercituum Deus Iisraelis, non exscindetur vir Jonadabo filio Recabi, qui stet coram me omnibus temporibus.*

3. *Quid premii* maneat Rechabitas. v. 18, 19. cujus Index *Jeremias*, Promittens *Jehova Zebaoth Deus Israelis*, quæ nomina repetuntur v. 19. ut appareat Deum eundem æque insertorum ac naturalium ramorum oleæ habere curam; Rom. 11: v. 22, 23. adscitorum non minus quam natorum membrorum Ecclesiæ, proselytorum quam Israelitarum: rursum observare obedientiam & definire præmia. Causa impulsiva externa, obedientia Rechabitarum omnium erga mandata patris Jonadabi, quæ triplici phrasi indicatur, juxta Abrab. *audivistis*, mandantem, prona voluntate; *custodivistis* mandata ejus, memori mente; & *fecistis* quicquid præcepit, constanti opere. Est verò hæc obedientia erga parentem impulsiva duntaxat, non meritum præmii; Etenim licet in genere obedientibus liberis aliquid promissum à Deo, tamen non promissum ad mandata proprii placiti. Jonadab promiserat obedientibus liberis bonum non prophetico spiritu, sed politico judicio, quod peregrini, nihil appetentes eorum quæ inquilini habent & amant, soleant amari; saltem tolerari citra injuriam. Adhæc obedientiam liberi debent parentibus non ex fœdere Dei, sed ex lege naturæ & obligatione ejus, cujus obsequii nullum aliud præmium quam indemnitas, ne pœnam ferant; quod in fœderis conditionibus legatur inde est, quia quicquid legis naturæ est Deus fœderis conditionibus quoque comprehendit; utpote qui contrahit cum creaturis, neque potuit eas solvere nexu quo creatori suo creaturæ obstringuntur, quandoquidem fœderati Deo sunt & manent semper creaturæ.

Præmium ipsum, v. 19. repetitis Dei titulis iisdem, ut ab eadem veritate, potentia, obligatione fœderali sperandum haberent, unde Israelitæ ea exspectant ac consequuntur. *Non exscindetur Jonadabo filio Rechab vir, consistens coram facie mea omnibus diebus.* Non tantum longævitatem obedientibus ut in præcepto quinto, quam proselyti juxta cum Israele habebant promissam, sed sigillatim; non perituram posteritatem Jonadabi, & habituram locum in Ecclesia Dei, admissionem ad gratiosam fruitionem Dei, non ut Sacerdotes & Levitæ, sed uti alii fideles Israelitæ, & peregrini, Esa. 56:4-7. Adeoque debet ad huc superesse posteritas Jonadabi, & illi spes restitutionis cum Israelitis manet, ut Jer. 31: v. 36, 37. Sed eodem modo: ut pariter exilii consortes sint, post longam interruptionem restituendi. Equidem non agnoscitur hodie illa familia, sed ab ignorantia hominum ad negationem rei ipsius non valet consequentia: Familiæ confundi nequeunt; cum per patres descendant, matres ad eam non pertineant: & qualis pater, quoad tribum, talis quoque sit filius & nepos, & deinceps. Potest series genealogica perire ex notitia hominum, sed non ex rerum natura & notitia Dei. Confundantur licet semina tritici, siliginis, hordei & quæcunque sunt alia, ut homines nequeant discernere, non tamen perit illis distinctio, & Deus eam non novit solum, sed prodit quoque quando; unumquodque semen suo corpore facit surgere. 1 Cor. 15: 37, 38. sic de familiis statuendum est.

CAP. XXXVI.

CAput hoc historicum est, unde alicujus propheticæ actionis ac denunciationis nata est occasio. Historia autem non unius anni habet eventa, sed in duos annos distribuenda est. Constat partibus tribus, I. Mandato Dei, vers. 1, 2, 3. II. Obedientia Prophetæ v. 4-10. III. Consequentibus variis, v. 11-32.

Vers. 1. *Fuit autem anno quarto Iehoiakimi filii Joschijæ Regis Iehudæ; fuit verbum hoc ad Iirmejam à Iehova, dicendo.*

Vers. 2. *Sume tibi volumen libri: ut scribas in eo omnia verba quæ proloquutus sum tibi de Iisraele, & de Iehuda, ac de omnibus gentibus, ex* quo *die alloquutus sum te, à diebus Joschijæ usque in diem hunc:*

Vers. 3. *Si fortè audiant domus Jehudæ totum illud malum quod ego cogito facere ipsis: ut revertantur quisque à via sua pessima, & condonem iniquitatem ipsorum & peccatum ipsorum.*

MANDATUM Dei habet I. designationem temporis, vers. 1. II. Propositionem, vers. 2. III. Rationem ejus, vers. 3.

I. *Tempus* v. 1. est *quarto anno Jojakimi*, Præcedenti anno maxima calamitas obtigerat, de quâ Dan. 1: 1, 2. *Anno tertio Jojakimi venit Nebucadnezar & obsedit Hierosolymam, & dedit Deus Jojakimum in manus ejus & partem vasorum templi, quæ deportavit in Babyloniam, atque intulit in idoleum suum.* Non dicitur occupasse urbem, ut vi eam redegerit in potestatem, sed potitus Jojakimo, qui videtur ad eum egressus, & vel deductus in Babel ac dimissus, ut olim Manasse in Assyriam 2 Chron. 33. vel saltem pactus, ut fiduciarius rex esset servus Nebucadnezaris & cui tributum penderet. Saltem sequenti anno, qui hic memoratur, rursum fuit in regno suo ejusque administratione. Occasione illius invasionis Rechabitæ concesserant Hierosolymam, quos cum istic haberet Deus per Jeremiam constituit in exemplum convictionis, ut est cap. 35. Istam actionem secutum videtur mandatum præsens, ut quamquam nihil profectum esset tunc, tamen Deus alio modo rursum tentare voluerit populi emendationem, & eapropter Jeremiam affatus fuerit, novoque mandato instruxerit.

II. *Mandatum* est v. 2. de scribendo, ubi Subjectum, *volumen libri*, ut Ps. 40: 8. quod libri conjunctis foliis scriberentur, & convolverentur, quemadmodum Luc. 4: vers. 17. 20.

17. 20. & adhuc volumina legis ſic ſe habent in Synagogis. Liber autem dicitur a recitando, enarrando, loquitur enim legenti. Heic vero ad id parabatur. Actio Prophetæ, *Sume* illud, *& ſcribe in illo*, (אליה pro עליה quod frequens.) Materia ſeu objectum, in genere *omnia verba quæ tibi locutus ſum*: in ſpecie inductione eorum de quibus agunt, *contra Iſraelem* X tribuum, *contra Judam*, hujus regni homines, *& contra omnes gentes* viciniores aut longinquiores à Cananæâ, ſed ſatis notas; & indicio temporis quando revelata, *à quo tempore tibi locutus ſum, à diebus Joſiæ uſque in hunc diem.* An Jeremias ante hoc mandatum quicquam ſcripſerit; incertum eſt; neque enim qui loquendi, etiam ſcribendi inſtinctum ſemper habuerunt. Multi olim Prophetæ ſunt locuti & vaticinati, quorum nihil ſcriptum eſt, utique moderante Deo, Joh. 20: 30, 31. qui hæc nobis ſufficere voluit, utpote non ſatisfacturus noſtræ curioſitati, ſed conſulens ſaluti, dum neceſſaria conſignari & conſervari voluit. Quod ſi ante etiam ſcripſit Jeremia, ſaltem hinc colligitur, non in unum librum retuliſſe, ſed prout offerebatur revelatio, peculiarem ſcripſiſſe tractatum; nunc autem juſſu Dei in unum volumen collegiſſe, & ſic conjunxiſſe. Abrab. ex „ autoritate veterum cenſet Lamentationum librum deſig- „ nari, quo contineantur mala quæ Deus minatus ſit Judæ „ & Iſraeli, atque etiam gentibus quemadmodum Edomi „ mentio fit cap. 4. fin. quia ſcripſiſſe dicitur per manum „ Baruchi, quomodo Prophetiæ non ſcribantur, ad quas „ ipſi prophetæ excitentur, ſpirituali inſtinctu; Lamenta- „ tiones autem ſcriptas non per prophetiam, ſed per Spiri- „ tum Sanctum gradu inferiori, qui excitet ad ſapientia dicta „ atque ad inſtitutionem facientia, ſermone eleganti, qua- „ lis in Threnis adhibitus fuerit. Verum hæc omnia aliena ſunt à vero. Mandatur enim ſcriptio omnium quæ ab initio vaticinatus fuit, inde à 13 Joſiæ, adeoque ſub ejus regno annis totis 19. tum ſub Sallumo ſeu Joachazo, per trimeſtre & per quadriennium ſub Jojakimo, hoc eſt ſpatio 23 annorum, ut loquitur cap. 25: 1, 2. quæ concio hanc hiſtoriam ſecuta eſt, argumento v. 13. ibidem. Quod vero per Baruchum ſcripſerit, non derogat dignitati prophetiæ, cum non prima revelatio ſit, ſed revelatarum & jam dudum habitarum conſignatio. Sunt porrò iſtæ conciones tum quæ de Iſraele univerſo agunt, cap. 23. tum de X tribubus cap. 3: 6. &c. tum de Juda cap. 4, 5. & ſeqq. tum de Gentibus, capp. 46, 47, 48, 49, 50. Apparet hinc, quod Prophetæ non ſcripſerint fortuitis occaſionibus, cum Deus juſſerit, & quidem non unam duntaxat, ſed univerſas quas habuiſſet: utique ut etiam poſt auditum, lectionis foret oportunitas, memoriæ ergo. Sic Exod. 34: 27. Deut. 31: 9. Eſa. 8: v. 1. cap. 30: 8. cap. 34: 10. Jer. 30: 2. Hab. 2: 2. 2 Pet. 3: 1. Jud. v. 3.

III. *Ratio* verſ. 3. trimembris eſt I. *Forſan audient*, hoc eſt credent Judæi; *omne malum quod cogito eis facere*; fidem habebunt minis; quod proponitur dubitanter, non reſpectu Dei, cui nota erant futura omnia, Act. 15: 18. ſed reſpectu Prophetæ & populi, cum humanæ actiones, quoad ipſos uti liberæ ſunt, ita nullam habent certitudinem futuri, II. *Et convertentur quiſque de ſuâ viâ malâ*: qui uſus omnis Scripturæ Joh. 20: v. 31. Rom. 15: 4. 2 Tim. 3: 16. 2 Pet. 1: 19. 1 Cor. 10: 6. ſeq. III. *& parcam iniquitati ac peccato ipſorum.* סלחתי *differam pœnas*, ut ſcil. ipſis viventibus non immittantur, vel dum emendatam vitam agunt. Nam alioqui definita erat pœna ob Manaſſis peccata 2 Reg. 23: 26. &c. Hæc vis verbi סלח Num. 14: 20. &c. Jer. 5: 1. Idem promiſſum Jer. 7: 5. &c. cap. 26: 3. 13. & hoc ſpectaſſe Deum per prophetas monendo docetur 2 Chron. 36: verſ. 15. &c.

Verſ. 4. *Quamobrem vocavit Iirmeja Barucum filium Nerijæ: ſcripſitque Baruc ex ore Iirmejæ omnia verba Iehovæ, quæ eloquebatur ipſi* Iirmeja, *in volumine libri.*

Obedientia Prophetæ gemina eſt.

Scriptio verſ. 4. cujus inſtrumentum *Baruch Nerijæ filius*, quo amanuenſe uſus eſt, nam miniſter Jeremiæ fuit cap. 32. ut Eliſa Eliæ 2 Reg. 2. & 3. hunc *advocavit* & hic *ſcripſit* dictante *Jeremiâ*, ut probabile ex diſtinctis libellis, *omnia verba Domini, quæ ipſi dixerat*, ab initio ſui miniſterii, *in volumine*; ſive in codice, ordine omnes conciones complectente. Neque hic inobediens fuit, quando ſuâ manu non ſcripſit; nam ipſius ſcriptura erat, quam ipſe jubebat, moderabatur, & dictabat omnia, accommodante tantum Barucho manum miniſtram; quemadmodum Tertius in exaranda Epiſtola ad Romanos Rom. 16. 22.

Verſ. 5. *Deinde præcepit Iirmeja Baruco, dicendo, ego detentus, non poſſum venire* ad *domum Iehovæ.*

Verſ. 6. *Quare ibis tu & leges in hoc volumine, quod ſcripſiſti ex ore meo, verba Iehovæ, audiente populo*, in *domo Jehovæ, die jejunii: atque etiam audientibus omnibus Jehudæis, qui venerint ex civitatibus ſuis, legito illa:*

Verſ. 7. Si *fortè procidant deprecantes ipſi coram Jehova; & revertantur quiſque à via ſua peſſima: nam magna* eſt *illa ira & excandeſcentia qua eloquutus eſt Jehova contra populum hunc.*

II. *Publicatio* v. 5-10. habet,

1. *Mandatum* ſubſtitutionis v. 5, 6, 7. cujus I. *Cauſa* v. 5. *præcepit Baruchо, Ego, inquit, cohibitus ſum, non poſſum adire templum.* Non detrectabat difficile & periculoſum munus, atque alium in illud conjicere laborat; agebatur cauſa Dei, ad quam obfirmarat animum, licet multis odiis, calumniis, perſecutionibus territus aut conſtratus, ob Dei jubentis autoritatem, & minantis tergiverſanti pœnam, promittentis autem obſequenti defenſionem. Sed arcebat ipſum neceſſitas. Cohibitum ſe dicit, non carcere ac vinculis, quod quidam autumant, uti vox עצור uſurpatur, cap. 33: 1. nam tunc nequiviſſet ſe abſcondere, ut rex eum non poſſet reperire, ut eſt v. 19. hujus cap. ſed vel morbo, vel voto, ut Doeg, 1 Sam. 21: 7. vel impuritate aliquâ legali, quo etiam funera propinquorum pertinent Lev. 21: 2, 3. quomodo ad templum prodire non licebat, ne illud pollueret. II. *Mandatum* & inſtructio, v. 6, 7. uti (1.) Factum *Ibis & leges in libro* quem ex mei loquentis ore excepiſti, omnia verba Domini; (2.) Auditores, *populus*, Hieroſolymitanus nempe, *& quotquot* Judæorum ex aliis *urbibus convenirent.* (3.) Locus, *templum*, & (4.) Tempus, *die jejunii*, extraordinarii, ut mox dicetur: quæ duæ circumſtantiæ magnum habebant momentum; ut tanto attentius audirentur. (5.) Scopus verſ. 7. populi *ſupplicatio* apud Deum, & *converſio* à malo, ob gravitatem mali comminati: quod fuit mera *ira & indignatio* Dei, eaque *graviſſima.* Fides Jeremiæ hinc claret: cum præſens viva voce non poteſt Eccleſiam docere, per alium facit, cui ſuas conciones dat prælegendas Barucho. Mittit Epiſtolas in Babylonem: uti Paulus vinctus per Epiſtolas docendi munus apud abſentes peregit. & Petrus mortuus per eaſdem agit, 2 Pet. 1. 15.

Verſ. 8. *Et fecit Baruc filius Nerijæ omnino prout præceperat ipſi Iirmeja Propheta; legendo in eo libro verba Jehovæ* in *domo Iehovæ.*

Verſ. 9. *Fuit enim anno quinto Iehojakimi filii Joſchijæ Regis Iehudæ, menſe nono, indicto jejunio coram Iehova toti populo Jeruſchalaimis: quum totus populus venientes ex civitatibus Iehudæ* eſſent *Ieruſchalaimis.*

Verſ. 10. *Ut legeret Baruc in libro verba Iirmejæ* in *domo Iehovæ: in cubiculo Gemarjæ filii Schaphanis ſcribæ, in atrio ſuperiore*, ad *oſtium portæ domus Iehovæ recentioris, audiente toto populo.*

2. *Præſtationem*, v. 8, 9, 10. Baruch obſecutus eſt *in genere* v. 8. agens in templo omnia ſibi imperata: fidelitatis exemplo magno. Scribere privatim vacabat periculo, cum id fieret intra privatos parietes: ſed legere publice in templo periculoſiſſimum fuit: Verum Baruch non minus acris ad legen-

legendum quam ad ſcribendum accedit, obiturus quamcunque partem miniſterii ſibi imperatam.

In ſpecie indicantur circumſtantiæ:

a. *Temporis* verſ. 9. quod ad annum & menſem & conditionem diei: *anno quinto Jojakimi, menſe nono, die jejunii indictivi.* Igitur in alterum annum res prolata. Etenim quarto anno Jojakimi mandata ſcriptio, quam illico ſuſcepit; ſed cum plurium annorum conciones fuerint dictandæ & ita ſcribendæ, pluſculum temporis requirebatur, cum Jeremias non vacaret uni huic operæ, ſed quotidianas docendi partes obiret, ut ex cap. 25: 1. colligere eſt. Eſt verò notandus annorum computus inter Judæos. Fuit annus Sacer, incipiens ab æquinoctii verni novilunio, cujus menſis primus Niſan, Martio noſtro reſpondens ex parte. Paſchalis, quod 14. die illud feſtum celebraretur: ab hoc principio menſes omnes numerabantur, ex Exod. 12: 2. ſeptimus Tiſri, & nonus Chiſler, Novembri ac Decembri noſtro congruens, tempore hyberno, ut ex verſ. 23. & Ezr. 10: 9, 13. liquet. Sed fuit etiam annus civilis, qui initium ducebat ab æquinoctii autumnalis novilunio, ſeu menſe ſeptimo Tiſri, unde inchoabatur annus Sabbathicus & jubilæus, quia tum meſſis finita, & ager vacuus erat ab omni ſegete, ut vel vacare poſſet commode. Vel ad poſſeſſores ſuos redire, à peregrini ac creditoris ſemente liberatus. Hinc quoque ordiebantur annos regum, ut licet menſe demum aut ſeptimana ante auſpiciatus quis eſſet regnum, tamen proximo novilunio Tiſri currerere ipſi inciperet annus ſecundus. Sic quoque hic Jojakimi annus quintus a ſeptimo menſe cœperat, & qui menſes anni ſacri anteceſſerant, ad quartum pertinebant: quando Jeremias occupatus fuit in conſignandis vaticiniis ſuis; quod opus ante menſem nonum finivit. Hoc menſe nono, qui tertius anni quinti Jojakimi, indictum fuit jejunium ſolenne atque extraordinarium, (nam jejunium Expiationis ſeptimi menſis erat die decimo, & quinque diebus poſt feſtum Tabernaculorum, neque ullum poſtea feſtum aliud a Deo inſtiturum præter novilunia & Sabbatha uſque ad Paſcha.) ad quod tum Hieroſolymitani conveniebant in templo, tum etiam cæterarum regni urbium incolæ. Sic enim extraordinariis occaſionibus, dum mala majora metuebant, aut ſentiebant, jejunia indicere jus fuit & mos. Eſa. 32: v. 12. Joel. 1: 14. cap. 2. v. 15. ſic 1 Reg. 21. v. 9. &c. 2 Chron. 20: 1. &c. Neh. 9: 1. Eſa. 1: 11. cap. 58: 3. Amoſ. 5: 21. tale fuit etiam jejunium hoc, in ipſo templo agitatum.

b. *Loci* verſ. 10. *Legit Baruch in libro illo*, generatim quidem *in templo*; ſed ſpeciatim *in* aliquo *conclavi*, qualia plura fuiſſe cap. 35. dictum eſt, Fuit autem illud *Gemarjæ filii Saphanis ſcribæ* ſeu actuarii regis Joſiæ 2 Chron. 34: 15, 18. &c. cui filium ſucceſſiſſe credunt; ut fuerit actuarius regius in rebus Eccleſiaſticis, uti Eliſama in politicis inf. v. 12. (prout omnia erant agenda ex jure vel divino, vel regio 2 Chron. 19. verſ. ult.) Et quia Gemarja ibi fere vacabat ſuo muneri, ab eo denominationem habuit. Deſcribitur autem conclave porrò a ſitu, fuiſſe *in atrio ſuperiore.* Cum enim templum in monte Zion ſitum eſſet, adſcendebatur eo per gradus, & primum ad atrium exterius, quod gentium erat, tum ad atrium Iſraelis, hinc ad illud quod ſacerdotum, & tandem ad templum ipſum. Fuit ergo hoc atrium ſuperius, ratione inferioris, quod Gentium; neque altius licuit adſcendere politicis; eratque *ad portam novam domus Dei*, quam Orientalem vocat Targum: diciturque nova, vel quod renovata, vel quod nova ſtructura adjecta eſſet; per hanc portam dabatur ingreſſus in atrium Sacerdotum, ut ſummo loco foret in atrio populi: & quia in portis exercebantur judicia, ſoliti fuerunt principes ſeu miniſtri regii quandoque conſeſſum iſtiuſmodi iſtic habere, Jer. 26: 10. juxtaque hanc portam fuit conclave Gemarjæ Scribæ, qui ab actis erat, quemadmodum forſan ſupra illud in contignatione ſuperiore conclave quod Principum dicebatur Jer. 35: 4. privatis eorum conſultationibus dicatum, uti porta judiciis publicis. In iſto conclavi Gemarjæ legit Baruch *audiente toto populo*; adeoque, ut veriſimile, ex feneſtra proſpiciens, aut in oſtio conſiſtens, ut omnibus editior eſſet, & videri ac audiri ab univerſis poſſet. Impetravit autem proculdubio licentiam illo conclavi utendi vel a Gemarja ipſo, vel ab alio qui jus habebat, & in gratiam Jeremiæ ejus amanuenſi locum ad tempus concedebat; nam abſentem Gemarjam fuiſſe docet verſ. 12.

Sic verò Barucli probavit uti fidem, ſic prudentiam, captata oportunitate temporis, dum jejunium agebatur ab iis qui adverſa ſentirent, & reatum agnoſcerent ac profiterentur: itemque loci, ubi Dei reverentia major, & frequentia auditorii, ac oportunitas ad plurium fructum publicandi. Fuit tamen prudentia non politica, quæ afflictis non addit afflictionem, & humiliantibus ſolatia miniſtrat, Jer. 6. 14. cap. 8: v. 11. non autem minas & judicia ingeminat: verum religioſa, & Deo placens, quæ adhibetur quando attenditur quid gloriæ Dei, & ædificationi aliorum, & functionis conſcientiæ maxime eſt conſentaneum.

Verſ. 11. *Quum autem audiviſſet Mica filius Gemarjæ filii Scaphanis, omnia verba Jehovæ ex illo libro.*

Verſ. 12. *Deſcendit* in *domum Regis ad cubiculum jurisperiti, ubi ecce omnes principes conſidebant: Eliſchamah jurisperitus, & Delaja filius Schemahjæ, & Elnathan filius Hacboris, & Gemarja filius Schaphanis, ac Tzidkÿa filius Chananjæ, omnes denique Principes.*

Verſ. 12. *Indicavitque ipſis Mica omnia verba quæ audiverat, quum legeret Baruc in libro audiente populo.*

CONSEQUENTIA ſunt quoad homines verſ. 11-26. & quoad Deum v. 27-32.

I *Quoad homines* quidem, quomodo hoc factum reſciverint, & quid de eo judicarint tum principes verſ. 11-19. tum rex, verſ. 20-26.

1. *De Principibus* refertur I. indicium ad eos delatum, verſ. 11, 12, 13. II. informatio deſuper inſtituta v. 14, 15. III. judicium ipſorum v. 16—19.

a. *Indicium* deſcribitur

a. *Ab Indice*, verſ. 11. fuit is, *Michaja, Gemarjæ filius, Saphanis nepos*, qui abſente patre in regiâ domo, morabatur in ejus conclavi, quo tunc Baruch uſus fuit: atque ut index eſſe poſſet, habuit notitiam; *audivit omnia verba Domini*, ex libro Baruch inde recitante. Abrab. autem cenſet, quia ex libro dicitur audiviſſe, quod non tantum auritus, ſed etiam oculatus fuerit teſtis, qui ipſemet librum inſpexerit; nempe quia non cum aliis in atrio conſtiterit, ſed in conclavi cum Barucho verſatus fuerit.

b. *A perſonis* quibus factum eſt, verſ. 12. fuere principes ſeu Conſiliarii regii, deſcripti I. a loco, *palatio regio*, quo Michaja *deſcendit* ex templo; & *conclavi* ejus, quod dicitur *actuarii*. quod iſtic Acta publica aſſervarentur, vel quod qui ab actis erant, & eorum primus iſtic munus ſuum exerceret, ut ſi Cancellariam diceremus: II. A conſortio, *conſidebant iſtic omnes principes*, ut Senatum habitum fuiſſe conſtet auguſtum, ubi principes conveniebant, de toto regno deliberantes. III. A nominibus principum congregatorum, 1. *Eliſama Scriba*, actuarius regius, & aulæ, alius ab eo qui in templo actuarius, ni unum dicamus ſuperiorem, inferiorem alium, quod tamen ex textu elici nequit, 2. *Delaja filius Semajæ*, de quo nihil aliud conſtat. 3. *Elnathan filius Achbor*; qui Achbor inter miniſtros Joſiæ legatus iverat ad Huldam Prophetiſſam 2 Reg. 22: 12, 14. & ipſe Elnathan legatus Jojakimi ad Pharaonem ad repetendum fugitivum Uriam Prophetam Jer. 26: 22. Imo forſan etiam Socer Jojakimi, nam hujus uxor, Jechonia, mater fuit Nechuſta Elnathanis filia, quem hunc eundem fuiſſe veriſimile eſt. Hic Elnathan nunc alium ſe oſtendit, quam tunc cum miniſter fuit tyrannidis Jojakimi in perſequendo Prophetâ, quia nunc Jeremiam Prophetam tuitus eſt. 4. *Gemarja filius Saphan*, pater indicis Michajæ, & frater Achikami itidem conſiliarii regii ante triennium, qui tunc operam præſtitit & patrocinium Jeremiæ Jer. 26: 24. 5. *Zedekia filius Hananjæ*, de quo itidem ſilentium alibi eſt. 6. *omneſque principes*, ut plures fuiſſe conſtet, ſed iſtos primarios, & qui potiſſimum laudabilem operam præſtiterunt Prophetæ.

c. *A rebus* indicatis verſ. 13. *recitavit quicquid audierat* legente Barucho librum illum, præſente & auſcultante po-

pulo. Michaja iſte præbet exemplum (*a.*) attenti auditoris: quicquid audivit lectum, non oſcitanter neglexit, ſed obſervavit ac memoriæ infixit, ut referre quiverit: ut Maria mater Chriſti Luc. 2: v. 19, 51. & alia ſoror Marthæ Luc. 10: 39. & diſcipuli illi Luc. 24: 37. ac Lydia Act. 16: 14. quo facit monitum Heb. 2: 1. Jac. 1: 25. (*β.*) pii civis: quia conciones Jeremiæ ultimum exitium denunciabant templo & urbi, atque univerſo regno, per Babylonios; & tamen reſipiſcentibus ſerio à peccatis publicis promittebant proſperitatis continuationem; quod de ſalute patriæ agi animadverteret, ad eos rem retulit, quorum muneris erit, cavere ne quid illa caperet detrimenti, adeoque obviam ire peccatis, & ſic amoliri judicia. Neque enim credimus malo animo hîc quicquam egiſſe, ceu delatorem calumnioſum, ut Amaziam Amoſ. 7: 10, 11. & accuſatores Stephani Act. 6: 9. &c. Etenim non exacerbantur Principes iſta relatione, ſed magnam concipiunt ſollicitudinem, de ſalute publicâ, quam in ſummo diſcrimine verſari audiebant, ob imminentia judicia & quæ ea promerebantur peccata.

Interim de Principibus iſtis aliquid notandum. Erat dies jejunii, ubi omnibus ad publicam humiliationem fuerat conveniendum, Joel. 1: 14. cap. 2: v. 15, 16. exemplo Joſaphati 2 Chron. 20: 3. &c. & Joſiæ cap. 34: 29. &c. ſed hi principes atque etiam rex Jojakim, manent in aulâ, & de Rep. deliberant, dum de Deo conciliando erat laborandum. Non ſufficiebat utique ipſos populo jejunii neceſſitatem indicare, atque etiam illud imperare; ſed ipſimet debuiſſent in partem venire, & inter ſupplicantes comparere. Etenim in communibus judiciis omnium cauſa agitur, cum omnium intereſt, ne patria peſſum eat: imo tanto magis ditiorum ac potentiotum, quanto plus cæteris poſſident amittendum; eoque plus cæteris conferre debent ad ejus conſervationem procurandam. Quamvis enim ſint ſuperiores plebe, ſunt tamen pares cum illâ coram Deo: & ſi differentia quæritur, uti plus conſecuti ſunt à Deo, ita plus habent obligationis, & ſi non attendant plus reatus. Exemplo quin etiam debent animare alios, qui ad ipſos tanquam ad vivam legem reſpiciunt. Conſilia de Rep. nequeunt eſſe proſpera, neglecto Deo, eoque non conciliato, non conſulto. Moſes pugnante populo precatus eſt, ſed nunquam precante populo pugnavit, aut deliberationes inſtituit. Primates & reges ad dignitatem ſuam facere rentur cum regibus & magnatibus agere, eoque primos ac frequentiſſimos eſſe par eſt in colloquio cum Rege regum, Deo Opt. Max. ut illi ſua conſilia communicent, & ab ipſo conſilium ſalutare petant, Joſ. 1: 8. 1 Sam. 1312. quamvis Saul in modo peccarit.

Verſ. 14. *Tum miſerunt omnes Principes ad Barucum Iehudin filium Nechamiæ filii Schelemiæ filii Cuſchi, qui ediceret; volumen illud in quo legiſti audiente populo, ipſum accipe in manum tuam ac veni: accipiens itaque Baruc filius Neriæ volumen iſtud in manum ſuam venit ad illos.*

Verſ. 15. *Qui dixerunt ei, ſede jam & lege illud nobis audientibus: legitque Baruc audientibus illis.*

2. *Informatio* deſuper inſtituta habet.

a. *Evocationem Baruchi*, ℣. 14. cujus *Nuncius*, *Jehudi*, a patre, avo ac proavo deſcriptus, quos omnes noti nominis & dignitatis fuiſſe eſt veroſimile. *Juſſum*, ut Baruch una cum libro extemplo ſe iſteret. *Obſequium* ipſius, qui citra moram aut tergiverſationem aſſumto volumine coram illis comparuit.

b. *Imperatam ipſi lectionem* ℣. 15. jubent conſidere, & ſibi prælegere: atque ipſe obſecutus id præſtitit.

Exemplum præbent prudentis & juſtæ gubernationis. Iudex erat teſtis auritus, fide dignus, filius unius ex Senatoribus illis, qui recitarat ſummam eorum quæ audierat. Attamen non ſtatim aſſentiuntur, & ſuper ea relatione decernunt aliquid, nedum ut Jeremiam ac Baruchum condemnent, ſed plenius inquirendum ſtatuunt. Audita enim facile depravantur, additione aut detractione; maxime ſi quis minus recte rem ipſam intelligat. Ergo inquiſitionem faciunt, non per alios, ſed ipſimet ſuis auribus niti volunt, eoque de omnibus erudiri. Porro Baruchum evocaturi, non contemtim habent, per apparitorem accerſentes, ſed mittentes virum honoratum, qui eum adduceret in ſuum conſeſſum. Hic quoque non intuentur ceu delinquentem, verum jubent ſibi aſſidere, & quæ in templo legerat nunc quoque ſibi ex libro recitare. Sic honorem multum exhibent miniſtro Dei, etiam cum Magiſtratuum munus exercerent, quod etiam a Davide, Joſaphato, Hizkia, Joſia factum, imo ab Eglone Moabita, licet prætenderetur falſo aliquod verbum Dei: neglectum ab Aſa & Amazia, & Jojakimo.

Verſ. 16. *Fuit autem quum audiviſſent omnia verba illa, & expaveſcentes alloquerentur alter alterum; & dicerent Baruco, omnino indicabimus Regi omnia verba iſta.*

Verſ. 17. *Barucum autem interrogaverunt, dicendo; indica jam nobis, quomodo ſcripſeris omnia verba iſta ex ore illius.*

1. *Judicium principum*, ubi ipſorum

a. *Affectus*, ℣. 16. metus & conſternatio, quem ſibi invicem teſtati ſunt, cognita re auditu proprio: quiſque expavit ad proximum ſuum, ut ſuæ conſternationis conſcium & conſortem faceret.

b. *Decretum* ℣. 16. relaturos ſe ad regem certiſſime, (hoc enim duplicatio verbi ſignificat:) quia enim maximi momenti negotium eſſe cenſent, unde ſalus regni dependeret, ad regem, penes quem remedii poteſtas erat, referre volunt, qui ſtatueret, quæ ad remotionem mali facerent.

Verſ. 18. *Quibus dixit Baruc, ex ore ſuo pronunciabat mihi omnia verba iſta; & ego ſcribebam in libro atramento.*

Verſ. 19. *Tum edixerunt Principes Baruco, abi, abſcondere tu & Jirmeia, & ullus neſciat ubi ſitis.*

c. *Sollicitudo* gemina, reſpectu tum Regis tum Prophetæ.

a. *Reſpectu Regis*, ut certiora referrent, unde I. *Ipſorum quæſtio*, verſ. 17. quâ petunt à Barucho indicari, quomodo hac ſcripſerit ex ore Jeremiæ? quod ille profeſſus fuit procul dubio: nimirum num Jeremias ipſi recitaſſet ſimul; quæ poſtmodum ipſe otioſe ex memoriâ deſcripſiſſet, qua ratione multa de ſuo potuiſſet miſcuiſſe, alicubi etiam fuiſſe hallucinatus, ſiquidem non ita fida ſolet eſſe memoria, ut non alicujus voculæ aut phraſeos obliviſcatur; imo tunc ad res duntaxat attenditur, eaque propriis ſcribentis verbis fere enunciatur; ſi audierit recitantem ſolùm. II. *Baruchi reſponſum*, verſ. 18. quod ex dictantis ore omnia exceperit, Jeremiam *legiſſe* quaſi *ex ore ſuo* omnia, adeo diſtincte & meditate omnia protuliſſe vivâ voce, ac ſi ex commentario legeret: (ſive memoriter id fecerit, ſive exſcripto non dicitur, neque multum ad rem facit: quamvis prius probabilius ſit.) ſe autem *ſcripſiſſe in libro atramento*. Obſervat autem Abrab. ceu momentum habens, non dicere ואני כתבתי unde colligere quis potuiſſet, integras conciones aut ſententias Jeremiam ſimul recitaſſe, quas deinde ſcripſerit Baruch, ut aliquid ſui ſubinde fuerit admixtum; ſed ואני כותב tempore præſenti, quomodo ſignificarit, Jeremiâ ſingulas dictiones pronunciante, ſe ſingulas fuiſſe ſcribentem, ut nullum verbum ſuum ſit in toto volumine, ſed omnia unius Jeremiæ, qui de verbo ad verbum ſibi ea ad calamum dictarit, a ſe autem tantum profectam eſſe ſcripturam atramento peractam. Ubi notetur obiter, Linguam Hebræam non carere tempore præſente. Participia enim verba quoque ſunt, & temporibus diſtinguuntur, quod in Latina Græcaque & vernaculis quoque linguis notiſſimum, atque in Hebræâ ab omnibus Grammaticis conſtanter affirmatur. Quamvis autem perſonis non varientur participia, id

id non derogat differentiam temporum; & poteſt additione pronominum perſonalium prior illa differentia ſuppleri; *Ego faciens* idem eſt quod *facio*, & *tu faciens*, idem cum *facis*: ut non tantum ignorantia ſit Hebrææ linguæ negare eis tempus præſens, ſed etiam ſtupiditas, cum omnium linguarum participia præſenti tempore deſtitui pariter foret aſſerendum, contra manifeſtam veritatem.

b. Reſpectu Jeremiæ & Baruchi; verſ. 19. ut ipſorum ſecuritati conſulerent, jubent ſemet ipſos abſcondere, & in eas ſe abdere latebras, quarum nemo alius ſit conſcius: metuentes nempe Regem, qui Uriam ſimilia olim monentem ad necem uſque erat perſecutus; ſi quid nunc quoque moliretur: adeoque dum ſuæ conſcientiæ ſatisfactum ſunt, monendo regem de periculo, ſimul cavent ne monitores in periculum conjiciant, ſuamque conſcientiam alio modo lædant.

Commendandus horum principum (1.) Metus, cum Dei minas audirent, ut Joſia 2 Chron. 34: 19. Hizkia Jer. 26: 18, 19. Judæi Act. 2: 37. Ezr. 10: 9. Sic Amoſ. 3: 6, 8. Eſa. 66: 2. (2.) Moderatus uſus ſuæ poteſtatis, ne excedant limites vocationis. Videbant quid pertineret ad Reip. ſalutem; cum verò Regem haberent, reformationem regni non ſumunt ſibi, ſed ad illum omnia referunt. Manendum cuique in ſuâ vocatione, quam ſi deſerat, bona quæ facit, mala ſunt: Saulis ſacrificare, & Uzziæ adolere. Conſiliariis, prophetis, monendi ſunt reges & ſummæ poteſtates; aliis indicium faciendum apud magiſtratus: at Legis & edictorum jus relinquendum iis, quibus datum. Licet autem bene conſulta, ſi vis non adhibeatur, non ſuccedant, debent illi ſe ſolari conſcientia bene functi muneris, ut ſenes conſiliarii apud Rehabeamum, & Propheta qui Amaziam monuit. (3.) Circumſpecta cautela circa verbum Dei, ne quid humanum obtruderetur illius loco: unde adeo ſolicite in omnes circumſtantias inquirunt, utrum a Propheta profectum eſſet, ut Paulus monet 1 Cor. 14: 37. 2 Cor. 13: 3. ſic 1 Joh. 4: 1. 1 Pet 4: v. 11. (4.) Amor & Sollicitudo pro Prophetis; territi horum verbis, non odium concipiunt, ſed amorem, & incolumes eſſe volunt, qui ſincere monent. Pſ. 141: 5.

Verſ. 20. *Veneruntque ad Regem in atrium, quum volumen illud depoſuiſſent in cubiculo Eliſchamahi jurisperiti; & indicaverunt audiente Rege omnia verba iſta.*

2. *De Rege* refertur I. indicium ipſi factum verſ. 20. II. informatio à rege inſtituta verſ. 21. III. judicium regis verſ. 22-26.

a. Indicium ℣. 20. I. *Perſonæ indicantes*, Principes qui in concilio ſederant, ad quos rem retulerat Micaja, quique ipſimet Baruchum accerſiverant, audiverantque legentem; hi vel omnes collegiatim proceſſerunt in atrium regium, vel per delegatos egerunt, quorum tres memorantur verſ. 25. ut cæteri manſerint in Senatu, continuaturi deliberationes ſuas. II. *Ad quem iverint*, eſt Jojakim rex, Joſiæ filius, III. *Sollicitudo*, quod librum depoſuerint *in conclavi Eliſamæ ſcribæ*. Hunc Actuarium dixit v. 12. & conclave ſimpliciter. Scribæ ſeu actuarii, aſt nunc ab ipſo denominatur, quod iſtic munere ſuo fungeretur, & illud conclave ad hunc finem ipſi aſſignatum eſſet ac cuſtodiendum; quemadmodum in templo ad ſimilem uſum Gemarja habebat ſuum. In iſto conclavi ſervarunt librum, deponique voluerunt, ad cuſtodiam, ut ad manus eſſet, quando probanda forent quæ inde referebant, & ne ex eo porrò quid recitaretur populo, a Barucho. uti ejuſmodi ſcripta, quæ ad Remp. pertinent ad acta deponi ſolent publicâ autoritate. IV. *Factum*, regi præſenti indicarunt oretenus omnia. Atque hic prudentia politica ipſorum obſervanda. Indicaturi regi non ſecum ſumunt librum, ſed relinquunt, præparaturi animum convenienti relatione, ne nimis perturbaretur ſive irâ, ſive metu, inopinato ſermone: humano conſilio impotentiam animi regii ſtudent parare ad auditum, quem norant alias Prophetis verba dicentibus inimicum. Rectius Hilkias, qui inventum librum legis illico ad Joſiam miſit, quem Rex pius, ut omnia vera Dei magnâ religione excepit & legit. 2 Chron. 34. Prophetæ ſemper recta adierunt reges, nullo uſi parario homine vel ſermone. 1 Reg. 13. 2 Chron. 15. 16. 19. 20. 24. 25. Habet verbum Dei ſat autoritatis & virium ad ſibi faciendam viam Jer. 23: 28, 29 Præloquium Nathanis 2 Sam. 12. non pertinet ad præparandam viam ſermoni divino, ſed ad convictionem Davidis ex ore proprio. Prudentia carnis fuit noxia potius. Si Dei verba illicò protuliſſent, Dei conſilium ſimpliciter fuiſſent ſecuti, nunc dum ſuo conſilio illi ſuccurrere & præſtruere volunt, dant ſimul tempus ut Jojakim ſuis rationibus ſe opponeret, obfirmaretque animum ne obtemperaret.

Verſ. 21. *Mittens itaque Rex Iehudin ad accipiendum volumen illud, accepit illud è cubiculo Eliſchamahi jurisperiti: legitque ipſum Iehudi audiente Rege & audientibus omnibus Principibus qui adſtabant Regi.*

2. *Informatio* preſſior verſ. 21. facta I. *accerſito libro* ipſo. Miſſus a rege idem Jehudi, per quem principes Baruchum ad ſe evocarant, in conclave Actuarii, ubi volumen depoſitum erat, ut inde aſportaret, quod ab ipſo factum extemplo, quemadmodum mandata regia differre non licet; II. *Recitata ejus parte* Idem Jehudi prælegit, quædam audiente rege, & principibus, non conſiliariis, qui ante audiverant, ſed aulicis, qui regem ſtipabant, & juxta cum rege omnium iſtorum ignari erant. Audiunt autem diverſo ſcopo, Conſiliarii ut informarentur de periculo, quod eſſet cavendum, rex ut ſolum cognoſceret quæ dicta eſſent, & bilem ſuam exerceret.

Verſ. 22. *Rex autem ſedebat in domo hiberna, menſe nono, idque cum foco ante ipſum accenſo.*

Verſ. 23. *Fuit ergo quum legiſſet Jehudi tria folia aut quatuor*; ut *laceraret illud ſcalpro librario, & projiceret in ignem qui* erat *in foco: donec conſumeretur totum volumen igne illo qui* erat *in foco.*

2. *Judicium Regis* ſpectat

a. *Librum* verſ. 22--25. hunc abolevit igne combuſtum: cujus

a. Occaſio, a loco & tempore. verſ. 22. *Rex ſedebat in domo hibernâ*, (erat enim æſtiva quoque, laxis feneſtris ad excipiendum aerem, & æſtum nimium temperandum Jer. 22: 14.) unde frigus arcebatur, ne moleſtum foret; cum eſſet hyems primâ menſe Decembri, ſeu Cisleu: habebatque luculentum focum coram ſe ardentem. Profanitas regis hujus & aulicorum hinc evidens. Erat jejunium indictivum, ipſius autoritate celebratum; attamen ipſe ad templum non acceſſit, hærens ad focum, ne affligeret corpus, quo inprimis jejunia pertinebant, עני נפש dicta, quo ex anguſtia illa tanto, clamarent ardentius ad Deum. Sed mollities aulica moleſtiam talem averſatur; Matt. 11: 8. contra hoſtes ſuos ſi agendum ſit, bello aut perſecutione bonorum inſtituendis, nihil adeo durum eſt quod tolerare detrectent; aſt contra hoſtes Dei, peccata, adeo molles ſunt, ut nihil ingratum velint ſuſcipere aut tolerare.

b Factum v. 23. cum tres aut quatuor *columnas* (eas enim vocant דלתות, quâ voce commodo folia noſtra deſignantur, quæ inſtar Januæ ſunt, quæ ſuper cardinem ſuum movetur, ut claudat ſpatium quod videbatur, quando illa vertuntur.) legendo abſolviſſet Jehudi, rex ipſe, non Jehudi, ſcalpello ſcriptorio diſcidit librum, & partem ejus unam poſt alteram conjecit in ignem, donec totus flammis eſſet abſumtus. Juxta indolem impiorum, qui verbum Dei prorſus abolitum vellent, ne ejus convictionem audiendam habeant, & turbentur in ſuorum peccatorum curſu, Job. 21: 14. Eſa. 30: 9. &c.

Verſ. 24. *Non autem expaverunt, neque laceraverunt veſtimenta ſua; Rex, & omnes ſervi ejus, qui audiebant omnia verba illa.*

Verſ. 25. *Quin etiam Elnathane, Delajaque, & Gemarja intercedentibus apud Regem ne combureret volumen, non tamen auſcultavit eis:*

c *Aggravatio* facti gemina, I. *Stupida ἀπάθεια*, v. 24. nullo pavore vel intrinſecus concepto, vel extrinſecus teſtato, ſciſſione veſtis, ut Joſia 2 Reg. 22. v. 11. & vulgo fiebat in re triſti, quando calamitas aliqua nunciabatur. Sic vero ſe habuerunt tum rex, tum aulici omnes præſentes, qui nunc ſervi ejus dicuntur, cum antea principes appellati ſint, quia in regum aulis omnes ſervi, & qui generoſam mentem ad ſervilem adulationem componere coguntur, alioquin iſtic parum gratiæ aut commodi conſecuturi. Hoc ingenio ſunt impii Deut. 29: verſ. 18. &c. & ſic Zedekia ac cæteri, 2 Chron. 36: 16. II. *Pertinax obſtinatio*, v. 25. interceſſerunt ne combureret rex volumen tres principes conſiliarii, qui indicium fecerant. *Elnathan*, & *Delaja*, & *Gemarja*, qui forſan à cæteris delegati, & validis argumentis interceſſerunt, הבגיש, ut cum quis occurrit, & remoratur vehementi curſu ruentem, eumque ſiſtit. Sed apud regem nihil impetrarunt, non mage quam Lot apud Sodomitas Gen. 19. vel Propheta apud Amaziam 2 Chron. 25: 16.

Verſ. 26. *Imò præcepit Rex Ierachmeeli filio Regis, & Serajæ filio Hazrielis, & Schelemjæ filio Habdeelis, ut caperent Baruchum ſcribam, & Iirmejam Prophetam, ſed abſcondit eos Iehova.*

b *Autores* tum verborum, tum ſcripturæ & publicationis inde factæ, v. 26. I. *Quid contra* molitus rex; juſſit utrunque apprehendi, *Baruchum & Ieremiam*, deditque ejus rei mandatum tribus aulicis, *Jerachmeeli filio Hammelech*, (eſt enim proprium nomen, non appellativum, uti Targum Jojakimi filium facit, qui utique tunc major natu fuiſſet Jechonia; neque regiis liberis, pueris adhuc, iſtiuſmodi negotia dantur, ut maleficos apprehendant. Idem nomen proprium occurrit 1 Reg. 22: 26. & Jer. 38. 6. in ſimili argumento. Nam etiam מלך nomen proprium fuit 1 Chron. 8: 35. & ה pars proprii nominis quandoque המולכת mulieris cap, 7: 18. & Belgis ה המלך proprium eſt nomen Jer. 36: 26. cap. 38: 6. aſt 1 Reg. 22: 26. appellativum.) *& Serajæ Azrielis filio, & Selemjæ filio Abdeelis*: eodem fine proculdubio, quo primo regni anno Uriam prophetam in ipſa Ægypto apprehendi fecit Jer. 26: 23. ut neci daret. II. *Quo ſucceſſu.* fruſtraneo nempe, *nam Dominus eos abſconderat.* Ipſi latebras ſubierant a Senatu principum moniti; ſed non latuiſſent, niſi Deus occultaſſet & ipſos & latebras, ne ab illis inquiſitoribus reperiri poſſent. Pſ. 31. v. 25. ſic occluſit arcam pro Noacho Gen. 7: 16. qui aquam arcere nequiviſſet ſuâ curâ.

Verſ. 27. *Fuit autem verbum Jehovæ ad Jirmejam (poſtquam exuſſiſſet Rex volumen illud, & verba quæ ſcripſerat Baruc ex ore Iirmejæ) edicendo:*

II. *Quoad Deum*, jubentem ſecundam voluminis ſcriptionem, cujus,

1. *Tempus* v. 27. poſtquam incendio perierat volumen prius, incendiario rege ipſo, tum illico Deus de novo affatus eſt Ieremiam.

Verſ. 28. *Iterum accipe tibi volumen alterum, & ſcribe in eo omnia verba priora, quæ erant in volumine illo priore, quod exuſſit Jehojakim Rex Iehudæ.*

2. *Mandatum* generale & ſpeciale v. 28--31.

Generale fuit v. 28. ut in novo libro repetito exararet, quæcunque in combuſto codice fuerant conſignata.

Verſ. 29. *De Jehojakimo autem Rege Iehudæ, dicitio, ſic ait Iehova: tu exuſſiſti volumen illud dicens, quare ſcripſiſti in eo, dicendo, omnino veniens Rex Babyloniæ, & perditurus terram hanc, facturuſque ut ceſſent ex ea homines & jumenta?*

Verſ. 30. *Idcircò ſic ait Jehova de Jehojakimo Rege Iehudæ, non erit ei ſedens in ſolio Davidis & cadaver ejus erit projectum æſtui diurno, & gelu nocturno.*

Ver. 31. *Nam animadvertam in eum, & in ſemen ejus, & in ſervos ejus iniquitatem ipſorum: & adducam contra eos, & contra habitatores Ieruſchalaimorum, ac contra viros Jehudæ totum illud malum quod proloquebar eis, ac non auſcultarunt.*

Speciale, verſ. 29, 30, 31. de ſcribendo vaticinio contra Jojakimum. *De ipſo dicere* jubet, nempe dictando ore, & ſcribendo calamo, nam etiam Scriptura loquitur Rom. 3: 19. Hæc Prophetia habent, I. *Accuſationem* Jojakimi, *tu combuſſiſti librum hunc*, addita cauſa impulſiva facti, ob repertas inibi minas ſcriptas, de excidio terræ per Babylonios, v. 29. Similia cauſa incarcerati Jeremiæ dicitur cap. 32: 3, 4. II. *Comminationem* pœnæ, 1. *Singularis* v. 30. In poſteris negata Succeſſio regni, & in corpore negata Sepultura. *Prius* dubium habet; ſuccellit enim filius Jechonias 2 Reg. 24: 8. 2 Chron. 36: 9. ſed non meretur regis nomen, qui tantum per trimeſtre regnum tenuit; quique ſemper fuit ſub poteſtate & imperio matris, quæ ubique fere conjungitur 2 Reg. 24: 12. Jer. 13: 18. cap. 22: 20-26. cap. 24: 2. denique qui non ſucceſſit, ut hæres, jure nativo, ſed mero beneficio Nebucadnezaris 2 Chron. 36: v. 6. &c. adeoque Jojakim non habuit ipſum ſuccedentem ſibi, ſuâ voluntate & placito. *Poſterius* Jer. 22: 19. dicitur *ſepultura aſini*; quod cadaver abjiciatur, interdiu & noctu ſub dio expoſitum aeri, atque etiam brutis. 2. *Univerſalis* v. 31. viſitatio iniquitatis, ſuper reos, qui ſunt per inductionem, ipſe, ſemen ejus, ſervi ſive aulici, quin etiam incolæ Hieroſolymæ & Judææ univerſæ: & complementum omnium, denunciatarum à ſe, ſed non auditarum, ſaltem non creditarum, ut emendarentur.

Verſ. 32. *Itaque Iirmeja accipiens volumen alterum tradidit ipſum Baruco filio Nerijæ ſcribæ; qui ſcripſit in eo ex ore Jirmejæ omnia verba libri quem exuſſerat Jehojakim Rex Jehudæ igne: & adhuc addita ſunt illis verba multa ejuſmodi.*

Obedientia prophetæ v. 32. qui novum volumen dedit Barucho, hic autem ex ore dictantis conſignavit omnia prioris codicis, combuſti a rege; imo addidit plures conciones, quotquot nempe poſt fuere revelatæ.

Sic verbum Dei premi potuit, non opprimi; abolitionem molitus eſt Jojakim, ſed ex cineribus quaſi reſurrexit auctius. Matt. 5: 18. 1 Pet. 1: 23. 25.

CAP. XXXVII.

HOc & aliquot capp. ſeqq. nullæ ſunt conciones ſingulares, ſed recitatur hiſtoria eorum quæ Jeremiæ acciderunt, & quid ille conſultus illis occaſionibus reſponderit. Quod etiam de cap. 36. dicendum eſt.

Capitis hujus partes duæ ſunt, quid conſultus reſponderit Propheta I. liber adhuc, v. 1-10. II. captivus & incarceratus v. 11-21.

Verſ. 1. *Poſtea regnavit Rex Tzidkija filius Joſchijæ, pro Conja filio Jehojakimi, quem conſtituit Regem Nebucad-netzar Rex Babyloniæ in terra Jehudæ.*

Verſ. 2.

Verſ. 2. *Sed non auſcultavit, ipſe aut ſervi ejus, & populus terræ, verbis Iehovæ quæ loquebatur per Jirmejam Prophetam.*

Verſ. 3. *Miſerat quidem Rex Tzidkija Iehukalem filium Schelemjæ, & Tzephanjam filium Mahaſejæ Sacerdotem ad Iirmejam Prophetam, qui dicerent, ora, quæſo, pro nobis Iehovam Deum noſtrum.*

Verſ. 4. *Et Jirmeja liberè verſabatur in medio populi, necdum poſitus erat in carcere.*

Verſ. 5. *Quum copiæ Parhonis egrederentur ex Ægypto, & audientes Chaldæi qui obſidebant Ieruſchalaima famam de illis, abirent à Jeruſchalaimis.*

HISTORIA conſulti Jeremiæ, dum adhuc liber fuit, deſcribit,

I. *Conſulentem* Zedekiam. v. 1,2,3. & quidem,

1. *A Dignitate* regiâ v. 1. quando eam conſecutus ſit, poſt Iechoniam; *à quo*, Nebucadnezare; ſuper quos in terrâ Juda. De hoc rege ſermo quoque fuit cap. 34. nec non capp. 32, 33. imo etiam capp. 27, 28, 29, 30, 31. Verum per parentheſin quaſi inſerta capp. 35: 36. quæ ſub Jojakimo acciderunt, quo etiam capp. 25. 26. pertinent. Cæterum hæc facta cum jam X annos Zedekias regnaſſet; attamen initium regni ejus memoratur, ut tanto magis notaretur ipſius quoad Deum affectus. Jojakim ob rebellionem in Deum & Nebucadnezarem venit in hujus poteſtatem, mortuuſque eſt dum in Babylonem ducitur, abjectumque ejus cadaver, tanquam aſini. Subſtitutus filius Jechonias, ſub tutelâ matris, ſed à Nebucadnezare poſt trimeſtre deportatus, qui Zedekiam patruum Jechoniæ regem eſſe juſſit; fiduciarium, qui totus in ſua poteſtate foret. Ezech. 17: 14. &c. Judicia in proximos exercita, & beneficia ipſi conceſſa debuiſſent magnam habuiſſe vim ad exercitium pietatis ut vitaret ſimilia judicia. Huc enim pertinet temperamentum illud Dei, dum proſpera adverſis ſociat, aut permiſcet. Jechonia dicitur *Chonja* demto Iod, ut non ſolum capite minutum agnoſcere liceat, ſed inprimis ablatum elementum ex nomine Dei, ne quis gratiam promiſſionis Davidi factam, quæ a Deo præſtanda erat, in ipſo, ejuſve poſteritate quæreret; quemadmodum plenius dictum Ier. 22: 24. 28. &c.

2. *A Religione* v. 2. quæ prorſus alia quam debebat; Inobedientia erga Deum, ejuſque verba; demonſtrata quando *Jeremiam non audivit* Dei nomine loquentem: quod crimen tum *ipſius*, tum *ſervorum*, ſeu aulicorum. Solent enim in Exemplum abire magiſtratuum peccata; Equidem Zedekias non æque malus ac Jojakim, ſed aulici mali, & pejores, quos ſecutus eſt, qui eapropter ipſi ſociantur. Peccatum autem inobedientiæ contra Prophetam Dei, 2 Chron. 36: 12. Etenim verbo Dei obtemperandum quandocunque & a quocunque auditur, atque ille debet in pretio eſſe, qui illud eloquitur, uti omne vas magni æſtimatur, in quo opobalſamum, etſi vile fuerit, propter id quod continet.

3. *Ab Inſtrumentis*, legatis, quos miſit verſ. 3. Fuere duo, Politicus & Eccleſialticus. Ille *Jehuchal Selemjæ filius*, qui etiam cap. 38: v. 1. memoratur in alia legatione, ſed nomine contracto per eliſionem ה *Juchal*, ignominiæ ergo, uti Jonathanis nomini honoris ergo inſertum eſt 1 Sam. 14. & Joſephi Pſ. 81: 6. Hic *Zephanja, Maaſejæ filius, Sacerdos* ſummo proximus, ad quem Semaja Nehelamita ſcripſit ex Babel cap. 29: 25. contra Jeremiam, & qui occupata urbe cum aliis primoribus juſſu Nebucadnezaris in Ribla fuit trucidatus cap. 52: 24. ſeq. Sic ad Prophetas conſulendos honoratiſſimi mittebantur 2 Reg. 19: 2. cap. 22: 12. &c.

4. *A Petitione* dicentium v. 3. *Precare quæſo pro nobis ad Dominum Deum noſtrum.* Poſcit interceſſionem Prophetæ apud Deum. Erat hoc officium Prophetarum 1 Sam. 12: 23. & ab ipſis recte poſtulatur ut agant, ibid. v. 19. 2 Reg. 19: 2. &c. ſed hypocritæ, dum precari ad Deum non audent ipſi, Prophetas id agere volunt, & quos nolunt audire loquentes ad ſe, volunt eos loqui pro ſe ad Deum, ut Pharao ſæpius, Exod. 8. 9. 10. Saul, 1 Sam. 15: v. 24. &c. Simon magus Act. 8: 24. rex Iſraelis 2 Reg. 3: 11. &c. Judæi Jer. 42: 1. &c. Imo poſtulari ſuorum conſiliorum ſucceſſum, nam ex v. 5. liquet factum id eſſe cum Nebucadnezar Ægyptiis auxiliis Judæorum obviam proceſſiſſet, adeoque petunt ut ſucceſſum impetret copiis Ægyptiis, & cladem Nebucadnezari ne unquam redire queat: finem calamitatis, non peccatorum, ut Pharao mortem removeri à ſe poſtulat. Verum merito negatur talibus interceſſio, 1 Sam. 15: 28. 2 Reg. 3: 13. &c. & hoc mandante Deo Jer. 7: 16. cap. 11: 14. cap. 14: 11.

II. *Conſultum* Ieremiam v. 3--10. quod dicitur verſ. 3. ipſe autem deſcribitur, I. a ſua conditione, v. 4. fuit adhuc liber, *qui ingrediendi egrediendique* facultem habebat *in medio populi*, non ſecus ac cæteri, *non dum clauſus carcere*, quando illa libertas adimitur. Phraſi illa *ingrediendi & egrediendi* libertas deſignatur 2 Chron. 15: 5. cap. 16: 1. Confer Ioh. 21: 18. II. *A Circumſtantia temporis* verſ. 5. cum ſoluta eſſet ad tempus obſidio Hieroſolymæ a Chaldæis, qui obviam iverant Pharaoni, in auxilium Judæorum egreſſo ex ſuo regno. Unde nata Judæis ſpes liberationis a metu Chaldæorum, quam Prophetæ precibus juvari optabant. Adulantur ita hypocritæ Prophetis Dei in anguſtiis animi, ac periculis aliis; ſic aliquoties Zedekias hoc & ſeq. cap. & Judæi poſt cæſum Gedaljam cap. 42.

Verſ. 6. *Fuit verò verbum Jehovæ ad Iirmejam Prophetam, ut diceret:*

Verſ. 7. *Sic ait Iehova Deus Iiſraelis, ſic dicitote Regi Iehudæ, qui miſit vos ad me ad conſulendum me: ecce copiæ Parhonis quæ egreſſuræ ſunt vobis in auxilium, revertentur in terram ſuam, in Ægyptum:*

Verſ. 8. *Et reverſi Chaldæi oppugnabunt civitatem hanc; & capientes eam comburent eam igne.*

Reſponſum porro Jeremiæ profectum ex ſpeciali revelatione verſ. 6. & nomine *Domini Dei Iſraelis* enunciatum v. 7. Volebant preces ad Deum, ille reddit oraculum Dei ad ipſos: ſignificans nihil opus eſſe incerta petere quibus omnia certa erant, pro impiis impœnitentibus non ſollicitandam incertam ſalutem, quibus certum ſit ac definitum exitium. Jer. 14: 11. &c. Dirigitur *ad regem Judæ* legantem, ſed per legatos ſuos, ut interpretes forent uti voti regis ad Jeremiam, ſic effati Jeremiæ ad regem.

Congruit autem tempori, & gemino eventui. Pharaonis expeditioni in auxilium ſuum, & hinc ſolutæ a Chaldæis obſidioni, quæ duo Judæi interpretabantur ſigna & occaſiones felicitatis, à Deo ſubminiſtratas, quem faventiorem ſibi putant ſollicitandum; tanquam tempore oportuno, quod captandum, vid. Pſ. 32: 6. & 69: 14. Eſa. 55: 6. Sed utrunque ipſis eripitur, v. 7, 8. nempe I. *Pharao revertetur in Ægyptum*, non laturus, quam præ ſe ferebat, opem. II. *Chaldæi revertentur, & urbem oppugnabunt denuo, imo expugnabunt, & comburent igne.*

Verſ. 9. *Sic ait Jehova, ne decipiatis vos ipſos dicendo; omnino abituri ſunt à nobis iſti Chaldæi: nam non ſunt abituri.*

Verſ. 10. *Quin ſi percuteretis omnes copias Chaldæorum oppugnantium vos, & reliqui eſſent ex eis homines transfixi, quiſque in tentorio ſuo exſurgerent. & comburerent civitatem hanc igne.*

Confirmationis ergo occurrit vanæ ipſorum ſpei, de fugandis cædendiſve per Ægyptios Chaldæis. v. 9. Deum ait *deceptionem* appellare iſtam opinionem, de Chaldæorum abitu in perpetuum. Uti *mendacia verba* fiduciam in templum Jer. 7: 3. &c. Tum declarat, prorſus non abituros, deſertâ Judæâ, & finito bello, antequam ſubjugarint ipſos, & certitudinem oſtendit à minus veriſimili, v. 10. poſito, quod tamen non ſit futurum, fuſum ab Ægyptiis eſſe exercitum,

citum Chaldæorum, atque ipsos potitos victoriâ amplissima, nihilominus tamen prævalituros istos; paucos, eosque vulneratos, qui supersesse solent post prælium in castris devictorum, & qui nullatenus viderentur metuendi, ex suis tabernaculis egressos ignem urbi injecturos. ut conflagret: non quod sic esset futurum, sed quod hoc potius, quam ut impediretur ac irritum redderetur consilium Dei, toties propositum de Urbis impiæ per Chaldæos eversione. Quicquid probabilitatis in contrarium sese ostendit, vel concipitur, mera deceptio est. Mutatio denunciati judicii non exspectanda ab externis eventibus aut occasionibus, sed ab intrinseca mutatione. Si non emendetur vita indigenarum, quæ sibi pollicentur commoda extrinsecus, uti augmentum peccatorum sunt, Esa. 30: 1. &c. Sic incrementa ferunt judiciorum cap. 31: 1. &c.

Vers. 11. *Fuit autem quum abducerentur copiæ Chaldæorum à Ieruschalaimis; propter copias Parhonis,*

Vers. 12. *Ut exiret Jirmeja Jeruschalaimis, profecturus* in *terram Binjaminis ad delabendum inde, in medio populi.*

Historia CAPTIVI JEREMIÆ, & quid consultus responderit, continetur reliquo capite v. 11-21. atque hic

I. *Quomodo libertatem amiserit*, cujus

1. *Occasio* vers. 11, 12. habent temporis rationem, cum Chaldæi Ægyptiis occursuri abiissent Hierosolymâ, mox nempe post datum superius responsum, Jeremias egredi voluit urbe Hierosolymâ, in terram Benjamin, quæ patria ipsius erat, oriundus ipse ex Anathoth Jer. 1: 1. ut post grave ac diuturnum obsidium inviseret patriam & consanguineos; quæ profecto justissima exeundi causa fuit; cui accessit altera, לחלק *inde in medio populi.* Chald. *ut divideret hæreditatem suam, quam ibi habebat in medio populi*, agrum nempe sacerdotalem. ut suam consequeretur portionem, sed תוך משם non satis quadrat. Abrab. quia Anathothæi eum oderant, ut est Jer. 11: 18. eo profectum esse ut civibus suis blandiretur, ex significatu blandiendi Ps. 5: 10. & 12: 3, 4. quo haberet eos faventiores, & cum iis esset, quando deportandi essent, idem fatum unà subiturus. verum etiam sic redundabit מ, in משם, & requirebatur affixum עמו Sed convenientius est, *ut divideret inde ab Hierosolyma*, seperaret se inde, *in medium populi*, non civium Hierosolymæ, sed cæteræ plebis, quæ in minoribus urbibus, nec non in agro morabatur; hoc est ut se misceret multitudini, atque inter eos lateret, non clausus mœnibus, in quibus metuebat, ne quid durius tandem pateretur. Fuit hoc consilium ex infirmitate profectum, ut quæreret se subducere ministerio, ut tum odium aulæ & principum declinaret, tum quam ab eis metuebat persecutionem. Exemplum infirmitatis, quæ etiam in optimis quandoque sese exserit. Jam per annos 40. munere Prophetico functus erat, multa expertus pericula, multa adversa, verum etiam multa testimonia protectionis ac defensionis divinæ; jam ad extremum prævalet metus, ut non tantum, quod ante factum, queratur, meditetur ve silentium Jer. 15: v. 11. cap. 20: v. 7. &c. sed fugam suscipiat. sic Elias 1 Reg. 19. quem inde aliis ὁμοιοπαθῆ dicit Jac. 5: vers. 17.

Quæst. An ergo Ecclesiæ ministris fugere non licet tempore persecutionis? Resp. Olim de eo dubitatum fuit, quibusdam fugam suadentibus, quod tentetur Deus, si quis periculum imminens non declinet; quod contra Deum peccetur, si occasio fugæ non capessatur, dum incertum est quid gloriæ Dei sit futurum convenientius; quod sic quoque confessio edatur; aliis contra dissuadentibus, quod conjuncta sit cum abnegatione veritatis, cujus declinetur professio; quod stulta & impia sit, Deo se subducere volentibus qui fugiunt; quod sit diffidentia de Deo & odium crucis. Verum absolutè nec probari potest, nec improbari, & prout circumstantiæ se dant, laudem habet aut culpam. Quod ad Ecclesiæ doctores attinet, quales hîc Jeremias, fuga licita est, si fuerit persecutio personalis; si ipsi uno loco non fuerint alligati; si fuerint alii qui liberè veritatem queant annunciare. Sic Matt. 10: 23. Paulus Damasco secedit, demissus corbe per murum Act 9: 25. & Thessalonicâ ac Beroa cap. 17: 10. 14. Apostoli enim erant doctores universales. Urias fugit in Ægyptum dum Jeremias adhuc esset Hierosolymæ Jer. 26: 21. Jeremias Latitavit & Deus eum abscondit Jer. 36: 19. 26. Sed nunc pecant fugiendo; nam nihil movebatur contra ipsum, ipse autem metum concipit mali, & parat abire: alligatus erat illi loco, neque quisquam præter ipsum qui causam Dei ageret convincendo de Peccato, & judicia denunciando. Heic ergo velle se subducere infirmitatis erat magnæ. Habebat promissionem defensæ à Deo Jer. 1. infidelitatis fuit desperantem de eâ sibi velle consulere; unde etiam malè cessit; & qui deserendo vocationem voluit declinare offensam hominum, offendit, & quod evadere studuit periculum in illud se conjecit. Manens enim in vocatione habet præsidii divini promissionem Ps. 91: 11, 12. quam sibi adimit, qui illam deserit.

Vers. 13. *Quumque esset in porta Binjaminis, ubi* erat *magister præfecturæ, nomine Iereija filius Schelemjæ filii Chananjæ; prehendit Jirmejam Prophetam, dicendo, ad Chaldæos tu deficis.*

Vers. 14. *Cui dixit Iirmeja, falsum* est, *minimè deficio ad Chaldæos; non tamen auscultavit ei: sed prehendit Iireja Iirmejam, & abduxit eum ad Principes.*

2. *Apprehensio* v. 13, 14. habet descriptionem I. *Loci*, qui *in portâ Benjamin*, sic nominata, quod non tantum in eâ tribu esset sita, sed quod in terram Benjamin brevissima via duceret, ut hâc rectâ, maximoque compendio Anathothum iter foret: nullus ergo usus est Jeremias diverticulis. II. *Apprehendentis*, nempe *fuit ibi præfectur custodiæ*, seu stationum, quidam *Jerija, filius Selemjæ, nepos Chananjæ*, quem volunt Prophetam illum fuisse, de quo Jer. 28. quem Jeremias arguit falsitatis, & nomine Dei citam mortem minatus est, obeundam intra annum; Hunc ajunt odium suum, quod contra Jeremiam conceperat, voluisse esse hæreditarium, filioque ac nepoti mandasse, ut quæ possent ipsi insidiarentur & nocerent, in ultionem suæ necis. III. *Apprehensionis* intentatæ; *apprehendit eum*, nempe ut sisteret ejus iter, ob crimen quod ei objiciebat, *ad Chaldæos transfugam fore*, adeoque patriam deserere, hostibusque tradere velle, saltem civem unum ejurată obedientiâ legitimi magistratus hostibus subjicere. Parum speciei suberat accusationi. Chaldæi abierant occursuri Ægyptiis, meridiem versus: ipse contendebat in Benjaminem, versus septentrionem, & accusatur transfugii. Equidem Jerijæ munus erat observare portam illam, & exeuntes; sed insolenter usus est suâ potestate; Jeremiam Prophetam, & senem apprehendit, super frivola suspicione, uti sisti solent malefici, aut fugitivi in bello, & perduellionis illicò facit reum. quemadmodum impii solent abuti sua potentia Joh. 19: 10. IV. *Defensionis.* v. 14. *mendacium* dicit esse accusationem, neque se reum ullius culpæ. Licita enim defensio doctoribus Ecclesiæ, qua usus est Christus Joh. 18: 23. & Apostoli Act. 4, 5, 7, 22, 23, 26. inprimis si criminum civilium, & seditionis insimulentur. Act. 24: 12, 18. cap. 25: v. 8. V. *Apprehensionis* consummatæ; Jerija non habet fidem defensioni, ut eam *audiat*, hoc est credat, sed prehensum sistit principibus, ceu reum, ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensum, atque eo nomine puniendum. Sic primam culpam tegit Jerija, & falsam accusationem tuetur detentione & traditione in manus judicii; ut cum Judæi Jesum tradunt Pilato, juste condemnari significantes, qui a se accusaretur. Summa injustitiæ specie juris tegitur quandoque, ut contra Nabothum 1 Reg. 21. Nocens est non qui accusatur, sed qui patravit culpam, tametsi nullus fuerit accusator, sed omnes patroni ac defensores.

Vers. 15. *Tum effervescentes Principes contra Jirmejam percusserunt eum, & posuerunt eum* in *vinculis*, in *domo Iehonathanis scribæ: nam eam aptaverant pro carcere.*

3. Con-

3. *Condemnatio* v. 15. cujus Autores, *Principes*, conſilium regium, Actus ſunt, *Ira* ipſorum *contra Jeremiam* Fuſtigatio hujus. Incarceratio. Specimen præbent iniquiſſimi judicii, longe diverſum ab illo cap. 26. ubi & accuſatio & defenſio auditæ, conſiderata judicata priora in utramque partem, & tamen abſolutus Propheta. Aſt hîc, ad delationem Jerijæ, militis officiarii, cui fidem habent, nulla defenſione Jeremiæ poſtulatâ vel auditâ quamvis præſens foret, iram concipiunt gravem (קצף ſpumantem notat, ex fervore indignationis.) & hæc ira eis loco cognitionis, & ſententiæ; quaſi juſta ſatis eſſet, quia judicum; nam mox iram iſtam excipit exſecutio, percuſſerunt eum, nempe fuſtigando, quæ pœna frequentiſſima, flagellando 40 plagis minus unâ, (qui hujus pœnæ reus, dicitur בן הכות Deut. 25: 2.) Neque hic finis pœnæ, inſuper carceri mancipant, ut qui fugere voluiſſet, libertate privaretur. Deſcribitur autem carcer, quod fuerit *domus Ionathanis Scribæ*, ſive actuarii, non tunc adhuc ab illo habitata, ſed olim, ejuſque nomine nota, quamvis nunc ex Principum placito in carcerem mutata fuerit. Fueritne Zedekias præſens non dicitur, vel etiam conſcius. Veriſimile tamen eſt. Nam in porta Benjaminis ſolitus fuit venire ad concilium cap. 38: 7. (ubi etiam nunc principes congregatos fuſſe credibile eſt, & mox a Jerija ad ipſos deductum Jeremiam.) Principes ſine regis conſenſu non auſi ſunt mutare carcerem ibid. v. 4. &c. Regi Zedekiæ quoque adſcribitur incarceratio Prophetæ cap. 32: 2. ſed ob concionem de Chaldæorum victoriâ. Quæ ſic cohærere videntur, ut ob ſuſpicionem fugæ detentus & a principibus flagellatus fuerit; ſed quia ſæpius pro Chaldæis vaticinatus erat, & minatus Judæis per illos excidium, ne deinceps profugeret ad illos, & ipſis animum adderet, quibus nimium favere credebatur, etiam incarceratus fuerit. Hujuſmodi pœnas ſæpius ſuſtinuere Apoſtoli Act. 4. 5. 2 Cor. 11. cap. & Jeremias ipſe Jer. 20. cap.

Verſ. 16. *Quumque veniſſet Jirmeja in foveam illam, & in cellulas illius; manſit ibi Iirmeja diebus multis.*

Verſ. 17. *Tandum mittens Rex Tzidkija recepit eum, & interrogavit eum Rex domi ſuæ clam dicens, eſtne verbum à Iehova? cui dicens, Jirmeja, eſt, amplius dixit, in manum Regis Babyloniæ traderis.*

Verſ. 18. *Deinde dixit Iirmeia ad Regem Tzidkijam, quid peccavi tibi, aut ſervis tuis, aut populo iſti, quod poſuiſtis me in carcere iſto.*

Verſ. 19. *Et ubi ſunt Prophetæ veſtri, qui prophetant vobis, dicendo, non eſt venturus Rex Babyloniæ contra terram hanc?*

Verſ. 20. *Nunc ergo audi quæſo, domine mi Rex procido jam deprecans te, ne quæſo jubeas me redire in domum Ionathanis ſcribæ, ut non moriar ibi.*

II. *Quid captivus reſponderit.* verſ. 16--21. quo faciunt 1. *Temporis & Loci circumſtantia* verſ. 16. Poſtquam Jeremias venit in בית הבור *domum foveæ*, carcerem profundiora loca habentem, & obſcuriora. Joſeph fuit בבית הסהר & inde educendus ex בור liberatur Gen. 41: 14. Heic verò inſuper fuerunt חנויות *cellulæ*, manſiones anguſtæ, incommodæ, ſingulis captivis deſtinatæ, ubi arcte cuſtodiebantur; in has collocatus Jeremias diu manſit, per *plures dies*, ceu in habitatione propriâ, in caveâ iſtuſmodi hærens, uti capitalis criminis rei. Quærebatur impedimentum miniſterii ipſius; hinc non ſolum carceri includitur, ſed etiam ſecluditur ibi in cellulâ ab omni conſortio hominum, ne pergere poſſet in docendo. Si occidiſſent, incurriſſent cenſuram publicam; jam ſub ſpecie juſtitiæ clauſum carcere, mancipant ſolitudini, ne vel queri de injuria poſſet, vel alios hortari. Et diu detinetur, quia odium impiorum non exſatiatur pœnâ; ſic cum Johanne Bapt. actum. Paſſus autem eſt Jeremias juſtam caſtigationem a Deo, quod cum fugere vellet, ne amplius concionandum haberet, conjiceretur in carcerem ſolitarium, ubi non poſſet concionari.

2. *Quæſtio* propoſita v. 17. *Rogans* eſt *Zedekias rex*, qui evocatum ex carcere in regiam, interrogavit, ſed clam, ſine arbitris. Evocatio enim non potuit ſecretò fieri, cum plurium conſcientia requireretur, miniſtri qui miſſus a rege, commentarienſis, & eorum a quibus ſub cuſtodia in regiam deductus eſt. *Quæſtio* ipſa, an quid ipſi a Domino revelatum eſſet? Heic rex in throno ſuo petit ſolatium a captivo Prophetâ, & quem ceu ſceleratum damnarat ad carcerem, in ipſo Deum præſentem agnoſcit & veneratur, neque petit repeti priores revelationes, ſed novam, agnoſcens Deum etiam cum captivo vinctove Propheta commercium habere: quomodo innocentia Prophetæ ſatis clare aſſerta fuit. Sic captivi æſtimati ab hoſtibus, Stephanus Act. 6: 15. Paulus Act. 26.

Reſponſum Jeremiæ I. *Directum* v. 17. generatim Eſt, ſcl. apud me verbum à Domino. & ſpeciatim, *traderis in manum regis Babel.* Nam ligata Prophetæ lingua, licet corpus vinctum; Spiritus Dei vinciri nequit, etſi miniſtri Dei carcere & compedibus conſtringantur. Denunciat regi exitium, in cujus poteſtate erat, fractus diuturno carcere. Quia non ſua verba habet, ſed Dei, poteſt minari regi, major enim qui in ipſo erat quam rex. Hujus verba qui poſſidet, autoritatem habet omnibus monarchis ſuperiorem; quam nulla hominum verba præſtare poſſunt. II. *Indirectum*, (1.) *apologeticum*, verſ. 18, 19. quo proteſtatur de ſuâ innocentia, provocando ad regis ipſius conſcientiam: *quid peccavi contra te aut ſervos tuos, aut populum hunc, ut me in carcerem conjeceritis?* ſignificans peccari non poſſe, ſiquidem verbum Dei annuncietur, licet homines eo offendantur, neque ferant æquo animo impœnitentibus denunciari judicia; Confirmat autem ſuam innocentiam ab oppoſito; *ubi ſunt Prophetæ veſtri*, qui vobis promiſerunt non redituros Chaldæos contra Hieroſolymam? Quia ipſe redituros ad obſidionem dixerat, malus civis judicatus fuit. alii verò qui pacem & proſpera, boni, amantes patriæ. Jam verò Pſeudoprophetas convincebat eventus, ſuamque fidem confirmabat: Qui vera maluiſſet dicere quamvis ingrata, quam blandiri mendaciis. Unde ſimul injuſtitia ſui carceris liquebat. Hinc vero apparet Jeremiam incarceratum non fuiſſe conſultum a Zedekiâ, quamdiu abierant Chaldæi contra Pharaonem profecti; ſed poſtquam rediiſſent, & urbem repetito clauſiſſent obſidione: tunc enim convictus de aliorum Prophetarum fallaciis, Jeremiæ autem integritate in munere, non illos, ſed hunc ſolum ſibi putavit conſulendum, ſiquidem veri quid optaret cognoſcere. (2.) *Deprecatorium* v. 20. quando regem convictum habebat, ſibique ſupplicem, cui pari ſinceritate reſponderat ac olim, ſupplicat illi viciſſim pro ſeipſo, ut mitigationem carceris impetret. *Et nunc audi quæſo Domine mi rex, & ſupplicatio mea locum habeat apud te, ne me remittas* in carcerem illum durum dirumque unde accerſitus ſum, ne iſtic pædore aut fame aut aliis incommodis moriar, lenta nece confectus.

Verſ. 21. *Quamobrem præcepit Rex Tzidkija ut committerent Iirmejam in atrio cuſtodiæ & darent ei tractam panis in diem ex vico piſtorum, donec conſumtus eſt omnis panis ex civitate; ita manebat Iirmeja in atrio cuſtodiæ.*

4. *Eventus.* v. 21. Impetravit hoc à rege, qui illico mandavit ut in atrium cuſtodiæ regiæ deduceretur, ibidem liberalius aſſervandus; quod τὸ הפקיד ſignificat.) ubi cuivis liber fuit ad ipſum acceſſus, ut colloqui & contrahere poſſent ut eſt cap. 32. Proſpexit etiam de alimentis, ut quotidie ipſi panis præberetur *ex piſtorum platea*; ut tribum illam hoc onere gravatam voluerit, præbendi juſtam panis cõpiam, demenſum diei, *quamdiu ullus panis ſuperfuit in urbe.* Sic verò ipſe carcerem iſtum honorarium habuit pro domicilio: ceſſitque ipſi beneficio, ut aleretur ex publico, qui miniſter fuerat publicus, & aleretur ab hoſtibus, qui necem ejus optabant & moliebantur, ne fame periret: Deo convertente malum ejus in bonum, uti accidit cum Joſepho ejuſque venditione.

CAP. XXXVIII.

REcitavit cap. 37. occasionem primam sui carceris Jeremias, quomodo in eum conjectus sit, quem tamen post impetravit mitiorem. Nunc vero refert, I. quomodo carcer fuerit aggravatus, & II. rursum mutatus in mitiorem illum, denique III. colloquium quod ipsi cum Zedekia interceſſit. Cohæret autem hoc caput cum cap. 21. quo responsum propheticum continetur, hoc verò eventa responsum suum consecuta, quemadmodum concionis cap. 7, 8, 9. historia cap. 26. describitur. Series rei gestæ sic habet. Quum Chaldæi audita Pharaonis expeditione solvissent obsidionem, ut illum repellerent, Zedekias fiduciam aliquam concipiens liberationis plenariæ, per legatos Jeremiam sollicitavit, ut apud Deum pro se intercederet, quo videlicet Pharaonis expeditio prospera foret, & Chaldæi per illum cogerentur ad sua se recipere. Jeremias verò omnia contraria respondit, Pharaonem regressurum domum, & Chaldæos redituros, & urbe potituros. Ipsemet post illa in patriam contendens, usurus libertate publica, ceu proditionem moliens aut transfuga detentus, & ob conciones minaces in carcerem detrusus fuit; ubi hæsit miserrima conditione usquedum juxta ejus prædictiones Pharao pulsus à Chaldæis esset, atque hi obsidionem redausicati essent. Tum verò Zedekias privatim accersitum Jeremiam consuluit, & supplicantem in custodiam mitiorem & honoratiorem collocavit. Sed quia de isto responso nemini constabat, & tamen innocentia Jeremiæ & integritas in concionibus ipso eventu comprobatæ essent, placuit ipsum ceu Prophetam Dei consulere per legatos. Missi ergò sunt complures viri honorati, Paschur Malchiæ filius, & Zephanja Maasejæ filius Sacerdos secundarius, qui cap. 21: 1. nominantur, hoc autem adduntur præterea Sephatja Mattanis, & Gedalja Paschuris, & Iuchal Selemjæ: nominato insuper Paschure Malchijæ, omisso autem Zephanja Maasejæ Sacerdote. (Horum duo Iuchal & Zephanja priorem legationem ad liberum obierant, cap. 37: v. 3.) Hi omnes simul adierunt Prophetam, (quemadmodum per plures & honoratissimos consuli ipsos mos obtinuit; ad Esaiam mittuntur Eliakim aulæ magister, & Sebna Scriba regius, & Seniores Sacerdotum 2 Reg. 19: 2. ad Huldam vero Hilkia Sacerdos summus, Ahikam Saphanis, Achbor Michajæ, Saphan Scriba & Asaja regius minister cap. 22: 12. 14.) qui tum in atrio custodiæ regiæ degebat, ubi liber erat ad ipsum accessus & magna semper eo commeantium frequentia; unde factum ut cum consuleretur, præsentes essent alii multi, non captivi solum, istic juxta cum ipso detenti, sed etiam alii captivos curantes, aut invisentes, vel etiam negotiorum causa atrium illud transeuntes. Quod legati illi à Ieremia petierunt, fuit cap. 11: 2. *Roga quæso Dominum pro nobis; nam Nebucadnezar pugnat contra nos: forte Dominus nobiscum aget secundum omnia sua mirabilia, ut à nobis recedat*; & haud alienum a veri specie, proposuisse istud multis aliis audientibus; ut sollicitudo pro salute urbis etiam apud Deum per Prophetam procurandâ, fieret manifesta. Quod pietatis erat tam erga Deum, quam erga populum universum. Sed Ieremias respondit plane contrarium ejus quod exspectabant: Chaldæos potituros urbe; arma enim defensioni parata atque adhibita fore inutilia, Deum etiam adversarium, oppugnaturum suis judiciis, & speciatim immani lue, atque adeo subactam urbem traditurum Chaldæis & Nebucadnezari, qui porrò destruant. Tum se convertit ad populum, quotquot præsentes erant, ipsisque proposuit viam geminam, exitii unam, siquidem in urbe manerent: quoniam hi certissime potituri essent urbe eamque crematuri: Denique familiam regiam hortatus est (per eosdem scl. legatos à rege,) ad justitiam administrandam, quæ una ratio avertendi judicii: quam quia hactenus non exercebant, denunciat illi extremum exitium.

Vers. 1. *Audiens verò Schephatja filius Matthanis, & Gedalja filius Paschchuris & Jucal filius Schelemjæ, & Paschchur filius Malcijæ, verba quibus Jirmeja alloquebatur totum populum, dicendo.*

Vers. 2. *Sic ait Iehova, qui manserit in civitate hac morietur gladio, fame, aut peste: qui autem exierit ad Chaldæos ut vivat, utique erit ipsi anima sua loco spolii, & vivet.*

Vers. 3. *Sic ait Iehova, omnino tradetur civitas hæc in manum copiarum Regis Babylonis, quæ capient eam.*

Vers. 4. *Dixerunt Principes Regi, morte afficiatur quæsumus vir iste, quandoquidem iste remissas reddit manus bellatorum qui reliqui sunt in civitate hac, & manus totius populi, alloquendo eos in hanc sententiam: nam vir iste minimè quærit pacem populo huic, sed malum.*

Hoc modò ubi responsum suum absolvit, acciderunt illa, quæ primâ parte hujus cap. narrantur, de *aggravato Prophetæ carcere*, vers. 1--6. Cujus referuntur I. Causæ v. 1--5. II. exsecutio v. 6.

Causæ sunt tum Legati, postulantes, tum rex consentiens.

1. *Legati* quidem habuere causam postulandi. v. 1, 2, 3. Nominantur omnes, uno Zephanja excepto, siquidem conjungantur cap. 21: 1. & hujus vers. 1. Hic omissus videtur, quod non assentiretur cæteris in concipienda ira, & suscipienda Prophetæ accusatione. Etenim melius affectus fuit erga ipsum, non quia Sacerdos, quos fere habuit infestissimos, sed quia alias quoque faverat. Cum enim cap. 29: 25. Semaja Nechelamita literis Babele scriptis excitaret Zephaniam, ut Jeremiæ conciones impediret, & carcere ac vinculis coërceret, ostendit quidem eas literas Jeremiæ, sed nihil gravius in ipsum statuit, relictâ ei libertate suâ, etiam concionandi. Cæteri autem hunc omnes auditis iis quæ ad universum populum dixerat Jeremias, nomine Dei ipsius, perseverantem in urbe, confisum ejus mœnibus & præsidio, perituram bello, fame, aut peste; transeuntem vero ad Chaldæos superstitem fore, vitamque habiturum ceu spolium, ex præsenti periculo ægre ereptum; quia Deus certissime urbem Chaldæis esset traditurus: uti legitur Jer. 21: 5. &c. his, inquam, auditis graviter fuêre offensi; quia observarunt se suaque consilia coram populo notari, & cum ipsi Chaldæis omni vi resistendum statuissent, Prophetam *cuivis deditionem* suadere; quin imo coram populo Aulæ *injustitiam* securitatemque taxari, propter quam excidium urbi ac regno immineat. Tuliſſent forsitan hæc privatim *sibi dici*, sed id factum esse coram populo indignissimum putarunt, atque intolerabile. Sic indignatur Synedrium Act. 5: 28. habent enim vulgo qui in dignitate chariorem honorem hominum, quam Dei Joh. 12: 43. uti Saul 1 Sam. 15: 30.

Postulatum ipsum legatorum apud regem est v. 4. Cum simpliciter referendum esset, quid responsi tuliſſent, de consulto sententiam dicunt, quam a rege ratam haberi volunt: *Dicunt ergo principes isti ad regem, Necetur quæso vir iste.* non dignantur nomine vel sacerdotis, vel Prophetæ quem tamen ceu Prophetam consuluerant, ut *pro ipsis* rogaret Deum, 1 Reg. 22: 7. 2 Reg. 3: 11. sed tanquam nullus ordinis aut loci hominem, simpliciter *virum illum*: utpote qui nihil mereretur præter mortem. *Rationem* addunt, quod sit seditiosus, & qui proditam vellet urbem; nam I. milites omnes qui residui essent, totumque adeo populum, per ipsum perterrefieri, ut cum animo etiam manus flaccescant, neque pugnare lubeat pro defensione urbis: hoc speciale עַל כֵּן כִּי est כִּי עַל כֵּן videtur per metathesin dictum pro *propterea quia* remissas &c. Aut reddendum, *Nam propterea remissas* &c. quia hic vir non quærit bonum &c. II. Quod generale, pessime affectum esse, & nihil nisi quod damno sit, optare. Scl. hostis patriæ judicabatur, quia non ad ipsorum palatum locutus erat, cum ipsi essent veri patriæ hostes. Ipsis autoribus violatum erat à Zedekia fœdus & jusjurandum, quo obligabatur Nebucadnezari Ezek. 17: 12. &c. (quod sine principibus non egit, Zedekias, Jer. 34. v. 18, 19) & nunc decretum ipsis erat tueri perjurium, nec cedere Nebucadnezari, hoc vero suum consilium palliabant specioso titulo defensionis patriæ. Heic quia Ieremias non succinit, neque animat populum, seditiosum, hostem judicat,

dicant, & ceu talem capitis pœnam ſubire ipſum volunt. Sic accuſatus exoſuſque fuit Elias 1 Reg. 18: 21. Micha cap. 22. Chriſtus Luc. 23: 5. 14. Ioh. 7: 12. cap. 18: 30. item cap. 9: 24. cap. 8: 48. Matt. 11: 19.

Verſ. 5. *Quibus dixit Rex Tzidkija, ecce eſt in manu veſtra: nam minimè* is eſt *Rex* qui *poſſit contra vos quicquam.*

2. *Rex* conſentiens verſ. 5. qui permittit Jeremiam ipſorum arbitrio, *Ecce eſt in manu & poteſtate veſtra*: cauſam permiſſionis dicit, *nam eſt rex, qui aliquid contra* vos valeat, (אשר ante יכל ſupplendum.) Non eſt Conſenſus voluntarius, ſed invitus, & animo reluctante, quem metus extorſerat, habet enim cauſa quam dicit ſui conſenſus tacitam accuſationem principum, qui omnem poteſtatem ſibi arripuerant, ut ſibi præter nomen vix quicquam regis relictum eſſet; immo ne quidem rex futurus, ſi ipſis aliter viſum fuiſſet, quandoquidem repugnare iplis nefas foret. Rebellis & perjurus factus erat ex ipſorum conſilio contra Nebucadnezarem & nunc ex ipſorum arbitrio omnia erant agenda, ut per illos ſe ſuumque regnum tueretur Actum ita eſt de bonis, quando magiſtratus ex metu impiorum aut favore illorum defenſam mittit. Sic deſerit Danielem Darius Dan. 6. Baptiſtam Herodes Marc. 6: 26. Jeſum Pilatus Ioh. 18: 19. Paulum Felix Act. 24: 27. & Feſtus cap. 25: 25. cap. 26: 31, 32.

Verſ. 6. *Accipientes itaque Iirmejam qui* erat *in atrio cuſtodiæ, conjecerunt eum in illam foveam* quæ erat *Malciſæ filii Regis, demittentes Iirmejam funibus; in fovea autem illa nulla* erat *aqua, ſed lutum, adeò ut immergeretur Iirmeja luto.*

II. *Exſecutio* eſt v. 6. Poſtularant Ieremiam ad mortem; permiſſum ſibi tamen non publice, ſupplicio capitali ſubjiciunt, non paſſus id forte fuiſſet populus, qui & ipſe reſpondentem legatis audiverat; ſed ſecreto, & quidem lentâ morte, ne ſuum factum innoteſceret, ſed ſibi eſſet in promtu aliqualis excuſatio. In ipſo atrio cuſtodiæ, ubi degebat, erat *fovea*, ſeu *puteus*, aut carcer profundior, (quemadmodum ſubterranei carceres habentur,) qui *Malchiæ filii Hammelech* dicitur, ſive is cuſtos ejus fuerit, ſive olim dominus, ut Ionathan ſcriba cap. 37: 15. *iſte putens caruit* quidem *aqua*, ne in illo ſuffocaretur ex templo, ſed habuit *lutum* profundum, in hunc conjecerunt prophetam, non quidem præcipitatum, quomodo ſtatim periiſſet, ſed *funibus demiſſum*; qui quam primum fundum attigit in lutum immerſus fuit; ut non eſſet ulla facultas evadendi ex profundo, & quo magis luctaretur, eò magis atque altius erat immergendus; ut ſcil. hic fame periret, & fœtore, lenta morte, ſed miſerrimâ. Tam capitale fuit ejus odium, quod tamen tegere potuiſſent, ipſum non a ſe enectum dicturi, ſed morte propriâ exſtinctum.

Ver. 7. *Sed quum audiviſſet Hebedmelec Æthiops, vir aulicus qui* erat *in domo Regis, poſitum eſſe Jirmejam in illa fovea, Rege ſedente in porta Binjaminis,*

Verſ. 8. *Egreſſus Hebed-melec è domo Regis, alloquutus eſt Regem, dicendo:*

Verſ. 9. *Domine mi Rex, malè fecerunt homines iſti in omnibus quæ fecerunt Iirmejæ Prophetæ, eo quod conjecerunt eum in iſtam foveam: qui moriturus fuerat* in *loco ſuo propter famem, quia nihil* eſt *panis ampliùs in hac civitate.*

MUTATUS autem hîc *carcer* fuit v. 7-13. cujus liberationis dicitur.

I. *Autor*, v. 7. Ebedmelech, natione æthiops, aulicus regius. Hunc, dum qui maxime debebant negligentes fuit ſui muneris, Deus excitavit; & per eum, a quo minime omnium id exſpectabatur, priores illos convicit. Judæi poſteri Abrahami principes & magiſtratus, ſuum Prophetam vel perſequuntur, vel ſaltem deſerunt; aſt hic peregrinus, proſelytus, curam ac liberationem ſuſcipit. Sic Luc. 10. Samaritanus plus habet commiſerationis erga Judæum hoſtem, quam Levita aut Sacerdos, ipſimet quoque Judæi.

II. *Modus* ſuſcipiendæ v. 7, 8, 9. nempe I. *Celeriter* v. 7. erat in regiâ aulâ, & mox audivit Jeremiam in puteum illum conjectum eſſe. Atrium cuſtodiæ fuit in regiâ domo cap. 32: 2. carcer regius, atque in eo loca quædam liberiora aliis, ubi hactenus fuerat detentus; ſed etiam habebat hunc puteum, Rex conceſſerat *ad portam Benjamin*, ſive ut munitionem luſtraret aut animaret militem, conf. 2 Chron. 32: verſ. 6. ſive ut judicium exerceret: & iſtuc venerant principes atque extorſerant ut Ieremias ſibi permitteretur; mox etiam antequam rex rediret, ſtatuerant in eum hoc ſupplicium. Ebedmelech aulicus qui regem non erat comitatus, ita moderante Deo, in aula præſens fuit, audivitque factum, ac ſtatim ſuſcepit liberationem. II. *Animoſe* v. 8. Si Rex domi fuiſſet, potuiſſet illi privatim ſupplex fieri pro Jeremiâ, inſciis principibus: ſed aberat rex, cujus reditum non præſtolatur, verum cum mora omnis periculoſa eſſet, aulâ egreditur ad ipſum Regem, ibidem loci, in portâ Benjamin adhuc conſidentem, in conventu procul dubio principum & aulicorum: ut quod piè ſuſceperat, cordatè exſequeretur, non territus vultu ac potentia adverſariorum Ieremiæ, quibus in faciem quaſi adverſari debebat? III. *Legitimè* v. 9. non ſumit ſibi poteſtatem carceris aut ſontium capitis, ut pœnæ eos ſubducat, ſed adit Regem, cujus ſuprema poteſtas, ac coram illo cauſam Ieremiæ agit, atque hic arguit iniquitatis principes, aut eos quos exſecutores habuerant ſuæ impietatis, quicquid patratum eſſet contra Ieremiam Prophetam, iniquum injuſtumque eſſe, inprimis quod in illum puteum ipſum conjecerint: ſuggerit aliud mitius conſilium; ſiquidem adeo optent ejus mortem, non opus fore aliquâ violentiâ, relinquendum eſſe & ſibi permittendum, redditum ſuæ libertati, ſic moriturum in quocunque loco eſſet, תחתיו *ſub ſe*, loco proprio, *fame, quia defeciſſet panis in urbe.* Quamdiu enim in cuſtodia regiâ erat, quotidie demenſum ipſi præbitum, panis ex piſtorum plateâ, ut in fame publicâ tamen ſuſtentaretur.

Verſ. 10. *Quapropter præcepit Rex Hebed-meleco Æthiopi, dicendo: ſunt ad manum tuam hinc triginta homines, ut educas Iirmejam Prophetam ex iſta fovea quum nondum moritur.*

Verſ. 11. *Tum ſumens Hebed-melec homines illos ad manum ſuam, venit* in *domum Regis, in locum ſubjacentem ærario, unde ſumſit veteramenta abjecta, veteramenta inquam evanida: quæ dimiſit ad Jirmejam in foveam illam funibus:*

Verſ. 12. *Et dixit Hebed-melec Æthiops Jirmejæ, pone jam veteramenta iſta abjecta evanidaque; ſub axillis tuis; ſubtus cum funibus: & fecit Iirmeja ita.*

Verſ. 13. *Sic trahentes Iirmejam funibus eduxerunt eum ex illa fovea; & manſit Iirmeja in atrio cuſtodiæ.*

III. *Modus* perficiendæ, v. 10-13. Conſtat a I. *Mandato* regis, v. 10. quo autoratur Ebedmelech ipſe, adduntur illi 30 homines, de præſentibus, ſive ſatellitibus, ſive militibus, quos in manum ſuam acciperet, hoc eſt ſub ſuâ poteſtate haberet, ad expediendum præſens negotium; jubetur Ieremiam Prophetam, quem talem agnoſcit, ex puteo extrahere; & quidem feſtinanter, antequam moreretur, non ob imbecillitatem, quod famelici viribus deſtituerentur; ſed autoritatis ergò, & ne impediretur Ebedmelechus. Tantum jam animi eſt Zedekiæ, quod contra poſtulatum principum non auſus fuit mutire, ut cum unum ex aulicis pro Jeremia ſupplicantem audit, prius decretum reſcindat, & manu militari inſtruat eum, qui contrarium ejus erat acturus; quo, quem illi occiſum volebant, præſervaret

à morte. II. *Obeditntia* Ebedmelechi. verſ. 11, 12. Iſaſſumſit è veſtigio, quam rex juſſerat, manum, ſeque in domum regiam contulit, ut Jeremiam eximeret, ſed magnâ ſollicitudine. Erat ille alte immerſus luto in profundo puteo, nemo ad eum deſcendere poterat, neque ipſe inde eniti. funibus extrahendus erat: adhæc ipſe jam ſenex erat, affectæ ætatis, qui per annos 40. miniſterio fractus fuerat, etiam diuturno carcere, & alimento parce ſuppeditato debilitatus; quem funes læſuri fuiſſent; itaque heic proſpicit ſollicite; abit ſub locum *ærarii*, quo veteramenta rejiciebantur, atque inde lacinias & lacera fruſta ac retrimenta ſumit, ea dimittit funibus in puteum ad Jeremiam, monetque ut veteramenta illa ſub axillis locaret, eaſque tegeret ac muniret, ne funes fortius adducti dum extraheretur, ipſumlæderent, aut dolorem afferrent majorem. (בלואי *veteramenta* ſunt, מחקורים *tracta*, laceræ laciniæ, vi avulſæ à veſte aut etiam vetuſtate, מלוחים *detrita* & evaneſcentia, מלח *ſalire* notat, eoque conſervare ne corrumpatur, qui uſus ſalis: in Niph. *evaneſcere*, deteri vetuſtate; ſenſu contrario: uti שרש in Pik. *radicare*, & *eradicare*.) III. *Eventu*. verſ. 12, 13. Ieremias juſſu facit, & cæteri eum traxerunt funibus, & extrahunt ex puteo, reſtituuntque priori conditioni, neque enim Rex plus conceſſerat, quam ut ex puteo liberaretur; non autem plane dimittendum dixerat, licet id eſſet in petitione Ebedmelechi: Igitur manſit, ut antea, in atrio cuſtodiæ. Hanc liberationem Deus ipſi conceſſit, ne periret, atque ut ab ipſis hoſtibus aleretur.

Verſ. 14. *Deinde mittens Rex Tzidkija recepit Jirmejam Prophetam ad ſe, ad ingreſſum principalem qui:* erat *ad domum Jehovæ; & dixit Rex Jirmejæ, peto ego abs te verbum, ne celato me illud.*

Colloquium cum Zedekia verſ. 14-28. cujus notantur

I. *Circumſtantiæ* verſ. 14. occaſio nempe, Rex evocavit Prophetam. Hic captivus nequibat ire quo vellet, ſed ſi quis ipſi loqui vellet, vel ad ipſum venire, vel ad ſe accerſere debuit; quod quidem nemini magis licebat quam Regi: & locus, ad tertium ingreſſum domus Domini. Videtur fuiſſe porta atrii Sacerdotalis, aut alius ingreſſus ex domo regiâ, loco a multitudine remoto, ubi ſolus cum ſolo conferre poterat. Evocavit Prophetam, quod ob recens beneficium faventiorem ſibi polliceretur: & evocavit in templum ut religione loci ad vera dicendum moveretur.

II. *Colloquium* ipſum conſtat tribus actionibus.

1. *Propoſitione* v. 14-18. ubi

a. *Regis petitio*, v. 14. *Sciſcitabor aliquid, ne me quicquam celes.* Edoceri optat, & vera edoceri, Scl. ab aulicis nil audiebat niſi blanditias; ſicut rarum eſt magnos reges Verum audire. Hanc veritatem, in aulâ peregrinam à Propheta cognoſcere vult. Eli ſibi à Samuele vera omnia dici voluit 1 Sam. 3. verſ.

Verſ. 15. *Dicente autem Iirmeja Tzidkijæ, ſi indicem tibi, an non certè morte afficies me? & ſi conſulam tibi,* an *non auſcultabis mihi?*

b. *Tergiverſatio Ieremiæ*, v. 15. quia veritatem dicere ſibi ſit futurum lethale. conſilium autem ſuggerere fruſtraneum, nullo fructu, utpote faſtidiendum. Quæſt. an recte hoc factum a Jeremiâ? qui ſponte & ultro monuiſſe debebat regem, rogatus detrectat reſpondere, ob periculum tùm vitæ, tum exiſtimationis ſuæ, ſi conſilio ſuo locus non daretur. Reſp. Non videtur ex metu defuiſſe officio. Non habebat novum mandatum à Deo: quæ olim revelata fuerant, bonâ fide indicarat; non modo non auditus, ſed etiam eapropter graviter afflictus. Non vult ergo abjicere margaritas, ſolùm conculcandas Matt. 7: 6. Eliſa conſultus a Joramo 2 Reg. 3: 13. &c. ait *quid mihi tecum? abi ad Prophetas patris & matris.* Reſpondet autem indirectè, quomodo directam reſponſionem ſibi damnoſam, nec aliis utilem fore queritur. Non eſt autem profundenda vita ſine manifeſto commodo. Publice conſultum & auditum ſi neceſſent, patuiſſet omnibus innocentia ipſius & integritas in munere: Sed privatim conſultus ſi quid tale perpeſſus fuiſſet, nihil inde commodi ad Eccleſiam redundaſſet. Conjungenda itaque duo iſta. Contemnamnè ego vitam, ut novo contemtu conſilium Dei faſtidiatur? Non negat ſimpliciter reſponſum, ſed præmittit convictionem ordinariæ inobedientiæ. Tibine reſpondeam, qui perſecutione meâ ſatis probaſti quam alienus ſis à ſalutaribus conſiliis? quid refert tibi conſilium dare, quod una cum conſultore voles abolitum?

Verſ. 16. *Juravit Rex Tzidkija Jirmejæ clàm, dicendo, vivens Jehova qui fecit nobis animam hanc* mihi *adimas eam, ſi morte affecero te, aut ſi tradidero te in manum hominum iſtorum qui quærunt animam tuam.*

2. *Securitas* à rege promiſſa. verſ. 16. in genere, *Iuravit ei rex, ſecretò.* Solus erat, neque volebat quemquam ſui colloquii teſtem, ergo aſſeveratio alia non ſupererat niſi juramentum, quod ſecreto præſtitit, cavens ipſi de vitâ, non amittendâ. In ſpecie eſt tum formula jurisjurandi, חי ה' *per Vitam Dominum*, appoſitionis ſtructurâ, quæ ordinaria fuit; ſed cui addidit, *qui nobis hanc animam fecit*, mihi nempe & tibi; alias jungitur חי נפשך *& per vitam animæ tuæ*, ſed hic iſtam phraſin interpretatur, ſuamque animam conjungit, cujus communis heic foret conditio. tum res promiſſa, *ſi te occidam* meo mandato, vel te patiar occidi ab hoſtibus tuis, qui hoc moliuntur. Promittit ergo Jeremiæ indemnitatem, ſed non obedientiam conſilio ipſius. Difficulter enim perſuadetur hominibus, ut pareant: parcent forte Prophetis, ſed non facient vim ſuis cupiditatibus.

Verſ. 17. *Dixit itaque Jirmeja Tzidkijæ, ſic ait Jehova Deus exercituum, Deus Iiſraëlis, ſi omnino egreſſus fueris ad Principes Regis Babyloniæ, utique vivet anima tua, & civitas hæc non comburetur igne: ita vives tu & familia tua:*

Verſ. 18. *Sin autem non egrediaris ad Principes Regis Babyloniæ, utique tradetur civitas hæc in manum Chaldæorum qui comburent eam igne; tu vero non eripies te è manu eorum.*

3. *Reſponſio* directa verſ. 17, 18. quâ contrariarum actionum contrarios eventus ac ſucceſſus prædicit, præfatus autoritatem *Domini, Dei exercituum, Dei Iſraelis*, non quod novam accepiſſet revelationem, ſed quia nihil aliud dicebat, quam quæ antea dicenda revelarat Deus: erant autem Dei verba non ſolum cum primum eſſent patefacta, ſed etiam quotieſcunque rurſum proponebantur, quia non mutant indolem: manent ſemper verba Dei, & eandem ſemper vim atque autoritatem habent.

a. *Contrariæ actiones ſunt*, I. *Humilis ſubjectio* ſub poteſtate Chaldæorum, verſ. 17. *Si vere egreſſus fueris*, bonâ fide, ſimplici & humili obſequio te ſtiturus Babyloniis principibus, ut excipias mandata, facturus quæ imperaverint, ceu qui ſub ipſorum ſis poteſtate & imperio; quomodo fecerant Jechonias ejuſque mater 2 Reg. 24: 12. &c. Eratque humilis ſubjectio ſub afflictione, acquieſcens in Dei caſtigatione; pollicetur tunc mitiorem conditionem, 1. *vivet anima tua*, non occideris, 2. *urbs non comburetur.* 3. *tu familiaque tua conſervabitur*, ut non exſcindatur aut exſtinguatur; quod poſtmodum paſſus eſt, filiis ejus necatis: nam filiæ ſuperſtites non potuerunt genus conſervare aut propagare. II. *Superba reſiſtentia*, verſ. 18. *ſi non fueris egreſſus*, ut te ipſis tradas, urbs capietur & comburetur, 2. *tu* nihilominus venies in ipſorum poteſtatem, quamvis invitus, & connitens ut evadas. Hujuſmodi contrarios eventus juxta actiones iſtas oppoſitas antea denunciavit tum gentibus vicinis Jer. 27: 6. &c. tum Judæis. cap. 24: 5. &c. cap. 29: 4. &c. & verſ. 16. &c.

Verſ. 19. *Dicente vero Rege Tzidkija Iirmeja: ego*

ego sollicitè timeo Iehudæos qui deficiunt ad Chaldæos, ne tradant me in manum eorum & ludificentur me:

§ 2. Confirmatio verſ. 19-23. habet

8. *Objectionem* regis. v. 19. metuere ſe ait Judæos transfugas, ne Chaldæi ſe tradant illis, atque ab his ſibi illudatur ac inſultetur; ſiquidem idem faciat tandem, quod ab iſtis factum damnaverat. Non metuit vitæ, de quâ ſecurum reddiderat Propheta, ſed de honore: non vult ferre opprobria: more Regum & Principum, qui magis ſolent eſſe ſolliciti de apice honoris aliquo, quem ſibi finxerunt, quam de incolumitate ſuâ & ſuorum. Periclitari malunt omnes fortunas ſuas potius, & ſubditorum omnia, ne quid patiantur in titulo, vel cultu, aliove geſtu, quo ſibi honorem exhiberi volunt. Saul honorari vult 1 Sam. 15: 30. & ne illuderent Philiſtæi ſibi vivo, maluit ſemet ipſum confodere cap. 31. 1 Chron. 10. Rehabeam non patitur quicquam a ſe poſtulari æquius 2 Chron. 10. Jojakim & Zedekias noluerunt eſſe tributarii Babylonii, & hinc rebellarunt. Theodoſius, quod ſtatua uxoris a Theſſalonicenſibus eſſet violata, propemodum urbem excidit, quam cæde replevit. Ob violatos legatos Davidis quantum bellum & cladem paſſi ſunt Ammonitæ.

Verſ. 20. *Dixit Jirmeja, non ſunt traditurі: auſculta quæſo voci Jehovæ quam ego eloquor tibi, ut bene ſit tibi & vivat anima tua.*

Verſ. 21. *Quòd ſi tu renuas exire; hoc eſt verbum iſtud quod oſtendit mihi Iehova:*

2. *Reſponſum* Jeremiæ, quo

a. *Tegat* id futurum. v. 20. Chaldæos non tradituros ipſum Judæis.

b. *Hortatur* ad obſequium boni conſilii, ut ſe dedat Chaldæis verſ. 20. *obtempera quæſo voci Dei, in eo quod tibi loquor:* nam Deus monet per homines & bona conſilia ſuggerit; utpote à quo omne bonum Donum Jac. 1: verſ. 17. Hoc neglectum a Joſia 2 Chron. 35: 21, 22. & cap. 36: 12. a Zedekiâ.

c. Inobedienti & pertinaci *denunciat* malum, & quidem ab ipſo Deo monſtratum verſ. 21. non nova revelatione, ſed prioribus. Exitium obſtinatorum in peccatis in Scriptura monſtratum eſt Prophetis; poſſunt inde ſibi oſtenſa indicare. Eſa. 1: 20. Exitium ipſum eſt.

Verſ. 22. *Quòd ecce omnes mulieres quæ reliquæ ſunt in domo Regis Iehudæ deducentur ad principes Regis Babyloniæ; quamvis dicant illæ incitaviſſe te & prævaluiſſe tibi viros pacem colentes tecum, demerſos eſſe in cœno pedes tuos, averſos retrorſum;*

a. Ignominiæ verſ. 21, 22. quam metuebat ab inimicis, à Judæis transfugis; eam illatum iri a Judæis quos fidiſſimos chariſſimoſque habuiſſet. Hujus indicantur I. *Perſonæ*; Gynecèum univerſum, cum venerit in poteſtatem hoſtium; *Omnes illæ mulieres, quæ in domo regis ſuperfuerint ecce, educentur ad principes regis Babel*, domeſtici Zedekiæ & quidem ſexus imbellioris, mulieres, quæ conſtantiſſimæ manſerunt tecum, in utraque fortunâ, etiam afflictiſſimâ. Turpiſſimum autem rideri à mulieribus, & iis, quæ videbantur longe conjunctiſſimæ. II. *Formula*; *& ecce dicent*, Exprobrant 1. *Credulitatem*, quod ſibi paſſus ſit imponi ab iis quibus plurimum habebat fidei. *Deceperunt te, & tibi prævaluerunt viri pacis tuæ*; quibuſcum arcta ſocietas, Conſiliarii & aulici; ex quorum arbitrio omnia egerat, paſſus ſibi omnia ab ipſis perſuaderi, etiam perjurium, & rebellionem, & fœdera contraria, quo ſe Nebucadnezaris imperio ſubduceret. 2. *Calamitatem*, quod in difficultates in explicabiles ſe induiſſet, quibus ſe non poſſet expedire, *infixi demerſique ſunt in cœnum denſiſſimum pedes tui*: & *declinarunt retro*. Similitudo ſumta a propria experentia, cum in fovea hæreret. Uti qui in cœnum immerſus eſt pedibus tenetur, neque eos ad fugam poteſt movere; imo ob lubricitatem facile labitur. Sic quoque ſe habebant ejus mala; qua metaphora utitur Pſ. 40: 3. & 69: 3, 15.

Verſ. 23. *Tamen è manu eorum qui omnes uxores tuas filioſque tuos deducent ad Chaldæos: tu quoque non eripies te: ſed manu Regis Babyloniæ prehenderis, & civitas hæc comburetur igne.*

b. Damni verſ. 23. quod aditurus ſit, I. *in uxoribus & liberis*; illæ enim pro more illius temporis plures erant, tum legitimæ, tum pellices concubinæ; & exinde plures liberi. Hos omnes captivos educent ex palatio regio, ubi fugiens Zedekias erat deſerturus, & tradent Chaldæis, milites illi qui urbem occupabunt. II. *In ſua perſonâ*, non evaſurum per eam quam moliatur fugam, ſed ipſi regi Babel iſtendum eſſe captivum. III. *In urbe*, hanc combuſturum igne non quod faces admoturus, & incendium ejus excitaturus ſit, ſed quia ſuâ pertinaciâ effecturus eſſet, ut à Chaldæis combureretur, qui parſuri fuiſſent, ſiquidem ſe dediciſſet, quod factum tempore Jechoniæ. Adeoque vaſtatio urbium non vaſtatoribus tribuenda eſt, ſed vaſtationem merentibus peccatoribus: hi ſi nulli forent, non adhiberentur illi, quos ad iſtos caſtigandos Deus adhibet, & quæ iſti patrant, ad impios referenda, tanquam ad cauſam meritoriam.

Verſ. 24. *Tum edixit Tzidkija Jirmejæ: quiſquam neſciat verba iſta, ita non morieris.*

3. *Concluſio* verſ. 24-26. Interdictum regis de non propalando colloquio. Iſtud

8. *Proponitur*; dum dicit, *ne quiſque reſciat iſta verba, & non morieris* verſ. 24. nihil reſpondet ad Prophetæ verba in alterutram partem, attamen ſatis oſtendit, ſe quamvis convictum non velle, vel potius non audere obſequi bene monenti. Jubet enim celare omnia, ne mortis periculum adeat. Juraverat indemnem fore Prophetam, verſ. 16. ſed nunc ſatis teſtatum facit, non eſſe id in ſua poteſtate, ut præſtet: ſiquidem alii reſciant, quæ ſibi dederit conſilia quamobrem ut tutus ſit, ſilentium eſſe ſervandum.

Verſ. 25. *Quòd ſi audientes Principes me loquutum eſſe tecum; venerint ad te, edixerintque tibi, indica jam nobis quid loquutus es apud Regem, ne celato nos, & te non afficiemus morte: quid item dixerit tibi Rex.*

Verſ. 26. *Tum dices eis, procidens ego deprecatus ſum coram Rege; ut non ſineret me in redire in domum Jehonathanis ad moriendum ibi.*

2. *Inſtruit* de modo ſilentii verſ. 25, 26. quid principibus inquirentibus debeat reſpondere. *Illorum* quidem inquiſitionem fore, ubi privatim cum rege locutum cognoverint, ut blanditiis omnimodis expiſcentur, quid vel ipſe regi, vel rex ipſi dixerit, & pollicituros indemnitatem. *Ipſius* autem reſponſum eſſe debere, ſupplicaſſe ſe regi, ne denuo in tetrum carcerem, qui in Jonathanis domo, conjiceretur, ubi præſentiſſimum mortis periculum immineat.

Imaginem aulæ hic videmus: Reges & principes miſeram ſervitutem ſerviunt ſæpiſſime. metuendos habent aulicos & conſiliarios potentiores, qui ſuâ autoritate abutuntur cum principum injuria; ut David Joabum 2 Sam. 3: 29. & cap. 20. Rurſum, ſollicitudo jugis & curioſitatis aulicorum, ne quid dicatur a rege aut apud ipſum, quod ſibi ſit præjudicio; unde arcent alios ejus præſentiâ, & ſi quem admiſſum cognoverunt ſe inſciis & inconſultis, omnem movent lapidem, ut reſciant, ne quid ſe lateat, quod ſibi forte ſiet damno. Adhæc, aulicas blanditias, quantopere adulari queant, & ſimulare affectum optimum, licet infenſiſſimi ſint, ut ſimpliciores decipiant, atque ab iis reſciſcant fraude doloſâ, quæ in ſua commoda convertant. Denique, fraudem fraude eludi, & quod in Proverbio eſt cum Cretenſibus cretizare, qui ob mendacia infames ſunt Tit. 1: 12.

Vers. 27. *Venientes autem omnes Principes ad Jirmejam interrogaverunt eum, qui nunciavit eis omnino secundum verba ista quæ præceperat Rex: sic silentes abstinuerunt ab eo, quum non fuisset auditum verbum illud.*

III. *Consequentia* colloquii. v. 27-28. quid Jeremiæ acciderit.

I. *Ratione colloquii*, v 27. Principes omnes, quotquot Prophetæ infesti, venerunt ad ipsum, sive sigillatim sive conjunctim, inquisitum in istud colloquium; sed ipse nihil aliud respondit quam rex jusserat. Sic siluerunt de ipso, ut nihil accusationis instruerent contra ipsum, quia non resciverunt, neque ab ipso, neque a rege; cæteroquin rursum postulaturi eum fuissent ad necem, ob consilium deditionis faciendæ repetitum.

Jeremias hîc humani quid passus est; licet enim obsecutus sit regi, respondens, quæ jusserat respondere; tamen cum illud fictum esset argumentum, mendacium a rege conceptum, usurpavit sui expediendi gratia. Neque enim nunc talem deprecationem instituerat, sed olim cap. 37:20. Etiam pii non sunt ἀνυπόκριτοι, maxime ut se expediant periculis: quemadmodum Abraham & Isaac quando uxores suas dixere sorores, & David simulavit legationem Saulis apud Ahimelechum, & insaniam apud Achis. Neque patrocinatur mendacio, quod successerit, uti Petrus abnegando Christum evasit periculum. Etenim conservationem sui non debuerunt suo peccato & mendacio, sed generosæ custodiæ Dei, qui peccatis hominum utitur ad bonum; ut in venditione Iosephi, vendentibus ea profuit; Deo dirigente. Petrum servavit non mendacium exsecratione roboratum, sed verbum Christi, Ioh. 18:9. ut observanda sit regula, Non facienda sunt mala, ut eveniant bona.

Vers. 28. *Mansitque Jirmeja in atrio custodiæ usque in diem quo capta sunt Jeruschalaima: ubi erat, quum caperentur Jeruschalaima.*

II. *Ratione sui status* v. 28. mansit in carcere usque dum caperetur urbs, imo ne quidem eâ captâ fuit dimissus. Nec Zedekias, nec alii Iudæorum amplius de eo fuerunt solliciti, perennavit odium ipsorum & Prophetæ carcer; etiam cum victi fuere à Chaldæis, ipsorum contra ipsum odium victum non fuit: reliquerunt clausum, quando ipsi amiserunt libertatem: & plus gratiæ præstiterunt hostes quam cives proprii: ut cap. seq. patebit. Interim servatus fuit a Deo, ut foret testis oculatus judiciorum per ipsum denunciatorum, quo in fide cæterorum vaticiniorum confirmaretur.

CAP. XXXIX.

COntinet I. historiam occupatæ urbis, & incolarum variam post illam conditionem, v. 1--14. II. Prophetiam de Ebedmelechi incolumitate v. 15--18.

Vers. 1. *Anno nono Tzidkijæ Regis Jehudæ, mense decimo, venit Nebucad-netzar Rex Babyloniæ cum omnibus suis copiis ad Ieruschalaima, & obsederunt ea.*

Vers. 2. *Undecimo anno Tzidkijæ, mense quarto, nono* die *mensis; perrupta est civitas:*

Vers. 3. *Et ingressi omnes Principes Regis Babyloniæ consederunt in porta mediana; Nergalschareëtzer præfectus ærario sacro, Sarsecim præfectus aulicus, Nergal-schareëtzer præfectus metationi castrorum, & omnes principes reliqui Regis Babyloniæ.*

HISTORIA describit,

I. *Occupationem urbis* v. 1, 2, 3. atque hoc,

1. *Quando* cœperit obsideri, v. 1. *anno nono Zedekiæ, mense decimo*, qui Tebeth, Decembri & Ianuario respondens, (qui tamen quartus anni noni, quia regum anni a septimo mense inchoabantur,) cæpta est obsideri à Nebucadnezare & exercitu ejus.

2. *Quamdiu* continuata, v. 2. *in annum* usque *undecimum, mense quarto*, (qui decimus anni undecimi,) Tammus dicitur, & Iunio magnam partem opponendus, *nono die, urbs rupturam accepit.* Duravit ergo obsidio per sesquiannum, intermissa tamen aliquamdiu, cum Chaldæi contra Ægyptios iviſſent, ut redire cogerent ad sua cap. 34:37. sed post repetita.

Obstinatio hæc fuit Zekiæ & principum; diuturna obsidio, præcisa omnis auxilii spes, fames ingens, & pestis Ier. 38:9. Ezek. 4:16. cap. 7:15. Jer. 32:24. certa hostium victoria ex prædictione Prophetica, cujus vaticinia compluria, etiam quod ad Ægyptia auxilia & repetendam obsidionem à Chaldæis, eventu ipso fuerant confirmata: hæc omnia deditionem debuissent persuasisse: sed illi perseverant contra pugnare. Obj, Samaria obsessa premebatur extrema fame, nec tamen facta deditio, an & hoc obstinationis. Resp. minime, habebant specialem promissionem defensæ Dei, 2 Reg. 6:33. de qua desparabundus loquitur rex Ioram, & tum repetita promissio auxilii, cap. 7:1. postridie secuti. Ast hîc contra suadebatur deditio, quod consilium proditionem esse interpretabantur: fingebantque sibi varia præsidia, saltem in templo & sacrificiis. Sic vero obstinatione se perdiderunt.

3, *Quomodo* capta urbs. v. 2. Fissum illo die murum urbis extimum dicunt Hebræi sua sponte, & partem ejus concidisse, atque per rupturam Chaldæos processisse ad portam in muro medio sitam, ut hunc dejicerent; quod factum fuerit 17 die mensis quarti. Arripuisse tunc fugam Zedekiam, & ex fuga retractum ac deductum Riblam. Interim continuatam oppugnationem urbis, quam defenderint Hierosolymitani, donec his fame deficientibus, nono quinti mensis qui Abh, & Julio respondens, etiam tertius seu intimus murus perfractus fuit, atque urbs venit in potestatem Chaldæorum, ut vi occupatam pateat: quæ extrema nolens exspectare Jechonias, maluit regno & libertate carere, se tradendo hostibus; ut urbem & templum servaret a vastatione & incendio.

4. *Administri* occupationis v. 3. primarii duces, qui cap. 1:15. *reges* dicuntur; forte olim reges, sed subjugati ut est Esa. 10:8. quidam tres nominari existimant, ut primus fuerit quæstor ærarii Ecclesiastici, alter aulæ præfectus, tertius castrorum præfectus: aliis videtur octo primarios nominari, quibus cæteri junguntur. Hi perseverarunt in obsidione, Nebucadnezare digresso Riblam, prope Damascum, urbeque tandem potiti sunt.

Vers. 4. *Fuit autem quum videret eos Tzidkijæ Rex Iehudæ, & omnes bellatores, ut fugientes exirent noctu è civitate via horti Regis per portam* sitam *inter duplicem murum; exivitque via campestrium.*

Vers. 5. *Sed persequentes copiæ Chaldæorum eos, assequutæ sunt Tzidkijam in campestribus Iericuntis; & capientes eum deduxerunt eum ad Nebucad-netzarem Regem Babyloniæ Riblam in terram Chamathæ: qui tulit in eum sententiam.*

Vers. 6. *Nam jugulavit Rex Babyloniæ filios Tzidkijæ Riblæ ante oculos ejus; etiam omnes claros Iehudæ jugulavit Rex Babyloniæ:*

Vers. 7. *Tum oculos Tzidkijæ excæcavit, & vinxit eum numellis chalybeis: ut deduceret eum in Babyloniam.*

I. *Captivitas*, v. 4, 5.

II. *Conditio Iudæorum* secuta representatur.

1. *In Rege* ipso, v. 4-7. cum animadverteret urbem capi, hoste

hoſte conſiſtente ad portam mediam, (quam alii non medii muri eſſe putant, ſed quæ inter duas urbes, ſuperiorem & inferiorem media, introitum dabat in utramque,) quem ipſemet oculis viderat, nec non *milites*, fugam capeſſivit cum iiſdem militibus; Subditos deſerens, leoſque hoſtis libidini permittens, quos impedierat, ne ſibi conſulerent deditione. Arripuit autem fugam *noctu*, ut tam cives quam hoſtes lateret, per portam privatam ſui horti, inter duos muros ſitam, & egreſſus eſt verſus planiciem, quæ Jerichuntem ducebat, expeditiorem ſibi fugam pollicitus. Rabbini ajunt fuiſſe viam ſubterraneam ex horto regio, ad campeſtria Ierichuntis uſque, quam Zedekias ingreſſus ſit, ſed Chaldæos inſectantes capream circa oſtium illius viæ, egredientem Zedekiam cepiſſe. Verum id fabuloſum eſt, textu id non ferente. Chaldæos non potuit latere diu fuga regis, maxime cum ad eam ineundam ipſemet murum perforaſſet, ut dicitur Ezek. 12: 12. adeoque mox inſecuti ſunt, eumque aſſecuti in campeſtribus Jericho. Comprehenſum autem deduxerunt ad Nebucadnezarem Riblam.

II. *Pœna* v. 5, 6, 7. conſtitutus coram tribunali, non ſolum ut captivus, ſed etiam ut perduellis, audivit ſui accuſationem & convictionem, atque etiam condemnationem; deinde ipſo inſpectante jugulati filii ejus, (filiæ manſerunt apud Gedaljam Jer. 41: 10.) & nobilitas primaria Judæ, cap. 52: 10. 24. &c. denique ipſe excœcatus, cateniſque vinctus fuit deportandus in Babyloniam. Sic amiſit regnum, ſpem ſucceſſionis in liberis, florem ſubditorum, oculos, & libertatem.

Verſ. 8. *Domum verò Regis, & domos populi combuſſerunt Chaldæi igne; muroſque Jeruſchalaimorum demoliti ſunt.*

2. *In Urbe*, v. 8. *Domus regis*, palatium, & domus populi igne conflagrarunt. *Domus populi* quibuſdam ædes privatorum, per enallagen numeri, de quibus 2 Reg. 25: 9. Jer. 52: 13. aliis templum, in quo omnes commune jus habebant, de quo ibid. & 2 Chron. 36: 19. Hoc videtur potius; cum enim hoc loco potiſſimum ſpectetur complementum prædictionum, & hæ de templo ſigillatim locutæ fuerint Jer. 7: 14. cap. 26: 6. 12. utique non fuit ejus mentio negligenda: unde ſingularis numerus uſurpatus. *Populi* etiam vocatur, quia non amplius Dei, qui deſeruerat Ezek. 10: 11. Jer. 12: 7. cap. 7: 14. &c. Sed ipſorum, qui eò conveniebant & in eâ vane confidebant. Præterea urbis mœnia fuerunt dejecta; ut urbis quoque faciem amitteret, futura pagi inſtar hominibus ferisque pervii; imo ne quidem habitatio hominum, cum etiam privatorum ædes combuſtæ ſint.

Verſ. 9. *Denique reſiduum populi qui reliqui erant in civitate, & defectores qui defecerant ad ipſum, ac reſiduum popoli qui reliqui erant; deportavit Nebuzar-adan præfectus ſatellitum in Babyloniam.*

Verſ. 10. *De populo vero tenuiſſimos quibus nihil* erat *quicquam, reliquit Nebuzar-adan præfectus ſatellitum in terra Iehudæ: quibus dedit vineas & agros die illo.*

3. *In populo* v. 9, 10. horum aliqui *deportati* in exilium v. 9. Tres iſtorum claſſes 1. qui reſidui manſerant in urbe, bello, fame, peſte non abſumti, 2. qui civium anteâ transfugerant ad Chaldæos. 3. reſidui in populo, per reliquas nempe urbes Judæ. Hi omnes per Nebuzaradanem ſatellitum magiſtrum deportati in Babel; more olim familiari, ut victæ gentes, aut quæ ſervitutem ſubire coactæ fuerant per colonias transmigrare cogerentur, veteribus ſedibus relictis; ut Ægyptii in patria ſua. Gen. 47. Sic Syri 2 Reg. 16. Iſraelitæ X tribuum, & gentes in Samariam deductæ c. 17. 2 Chron. 9: 1. Sic 2 Reg. 18: 31, 32.

Quæſt. Ubi ergo beneficium humiliationis, ſiquidem ſponte ſe dedentes, & vi ſubacti capta urbe pariter deportati ſunt; cum tamen illis plus ſit promiſſum cap. 21: 9. cap. 38: 2? Reſp. Humiliter obſequentes immunes fuerunt a metu mortis ejuſque periculo, quæ alii paſſi ſunt, atque etiam in domeſticis experti forte devictâ urbe vi hoſtili. Deportationem etiam ſubiit Jechonias, & qui cum ipſo ſe dedidere, cum tamen ſe humiliaſſent. Præſtitit Deus his quod promiſerat, victuros, animamque ſpolii vicem habituros: aſt in patria manſuros, ſedibuſque hæreditariis, non promiſerat. Si aliis quoque vitæ gratiam fecit Deus, non eſt id conjunctum cum priorum injuriâ. Matt. 20: 14, 12. Qui obtemperavit Deo, illicò conſecutus eſt vitæ ſuæ ſecuritatem: & hoc commodum ſubjectionis ſub Dei voluntatem: qui non obtemperavit, vixit in continuo metu, vitæ incertiſſimus, & dum obſideretur urbs, tot graſſantibus malis, & cum occuparetur vi, quando promiſcua cædes incolarum fit, & cum educerentur vincti ſuperſtites; exſpectantes in momenta mactationem: quam cum evaſerunt inopinatæ prorſus fuit gratiæ; per quam nihil deceſſit humiliatis prioribus.

Cæterum aliqui de populo *relicti* in terrâ v. 10. Nebuzaradan, ut ſe dominium terræ oſtenderet habere, de poſſeſſione ejus diſpoſuit abſolutè, novos conſtituit poſſeſſores, ut terra coleretur neque in vaſtitiem abiret; & conſtituit ex Judæis, ſed ex tenuiſſimis, quibus nihil quicquam erat. Scl. uti ſervitus Hebræorum ſeptimo anno non finiebatur amplius per tyrannidem herorum, Jer. 34. ſic veriſimile anno jubilæo non fuiſſe reſtitutas poſſeſſiones veris hæredibus, per eorundem potentium avaritiam & violentiam. Hiſce pauperrimis aſſignavit agros & vineas, ut inde viverent, non autem iis fuit, vel animus vel potentia novandi aliquid aut rebellandi. Sic qui ſibi ſolis poſſeſſionem terræ vendicabant Ezek. 11: 15. in exilium abducti ſunt, & inopes obtinuere portionem aliquam terræ, jure tamen non divino, uti cum Joſua aſſignaret hæreditates, ſed humano, Babylonii, & ad hujus arbitrium, qui quando luberet rurſum adimeret. Pſ. 107: 41, 42. & 113: 7.

Verſ. 11. *Præceptum autem dederat Nebucadnetzar rex Babyloniæ de Iirmeja; Nebuzar adani præfecto ſatellitum, edicendo.*

Verſ. 12. *Accipe illum & oculos tuos adhibe illi, neque afficito eum ullo malo; ſed quemadmodum indixerit tibi, ita fac cum eo.*

Verſ. 13. *Quapropter mittens Nebuzar-adan præfectus ſatellitum, & Nebu-ſchazzeban præfectus aulicus, & Nergal-Schareetzer præfectus metationi caſtrorum, denique omnes præfecti Regis Babyloniæ.*

Verſ. 14. *Mittentes acceperunt Iirmejam ex atrio cuſtodiæ, tradideruntque eum Gedaljæ filio Achikami filii Schaphanis, ut deduceret eum domum: ita manſit in medio populi.*

4. *In Ieremiâ* v. 11-14. ubi I. *Cura Nebucadnezaris* de ipſo, v. 11, 12. Audivit procul dubio à transfugis quid de regno ſuo vaticinatus eſſet, quod omnibus regnis vicinis ſuaſiſſet obſequium ac ſervitutem, & ſigillatim Zedekiæ ac Judæis; quod fuiſſet ipſi autor transfugiendi, & omnibus ſive volentibus ſive invitis eſſe ſerviendum hanc ſervitutem prædixiſſet: qui ſi fuiſſet auditus, jam dudum urbe potitum fuiſſe per deditionem ſpontaneam, ſine ullo oppugnandi aut etiam obſidendi molimine. Igitur de ipſo Ieremia ſpecialia mandata dedit Nebuzaradani, (uti olim David ducibus copiarum de Abſalomo 2 Sam. 18.) ut ubi eum deprehendiſſet, acciperet in ſuam redactum poteſtatem, omnem gratiam & miſericordiam erga ipſum exerceret, quod eſt oculos ſuper ipſum ponere, ut ſollicite illi proſpiciant, cavet antque, ne quid deſit boni, ne quid patiatur mali, adeoque ne ullo damno injuriave afficiatur: contra ex ipſiuſmet voluntate ac deſiderio ipſi præſtentur omnia. Ita major amor ac reverentia Prophetæ fuit apud hoſtem, quam apud domeſticos fidei & populi; quod cap. 40. uberius explicatur. II. *Obedientia Nebuzaradanis* & ducum cæterorum, verſ. 13, 15. Hi omnes communi conſilio illicò mandata dederunt, ut Jeremias, quem adhuc in atrio cuſtodiæ detinerent acceperant, inde educeretur; quem commendarunt Gedaljæ

deſignato

designato terræ præfecto, ut eum eductum in domo aliquâ colloraret; אל תבית publica designari videtur, quâ ipse, ratione sui muneris uteretur. Atque sic Jeremias libertatem recuperavit, eaque fruitus juxta cum populo, residuorum nempe in terra, inter quos commoratus est. Cæterum quo ordine id factum cap. 40: 1. &c. narratur.

Vers. 15. *Ad Jirmejam autem fuerat verbum Jehovæ: quum esset detentus in atrio custodiæ dicendo.*

Vers. 16. *Abi, & alloquitor Hebedmelecum Æthiopem, dicendo sic ait Jehova exercituum Deus Israelis, ecce ego effecturus sum ut eveniant verba mea contra civitatem hanc in malum, non autem in bonum: & erunt in conspectu tuo die illo.*

Vers. 17. *Sed eripiam te die illo, dictum Iehovæ; neque tradêris in manum istorum hominum à quibus formidas.*

Vers. 18. *Nam omnino liberabo te, & gladio non cades: eritque tibi vita tua spolii loco, quia fiduciam habuisti in me, dictum Iehovæ.*

Prophetia de Ebedmelechi incolumitate v. 15--18. non nunc demum facta est, à liberato per Chaldæos Jeremiâ, sed antea à captivo, mox post beneficium ipsi ab Ebedmelecho præstitum; hoc autem relatum, ut ita accidisse illi constaret. Indicatur tempus factæ revelationis, vers. 15. *cum adhuc clausus teneretur in atrio custodiæ.* Mandatum vers. 16. *Abi & dices Ebedmelecho*, non est illusorium, cum non esset propheta liber, ut quo vellet iret; sed quam primum eò veniret, quod sæpius factum fuit, ipso vel transeunte atrium, vel ad prophetam visente; forte etiam cum hoc mandatum ei fuit, præsto erat Ebedmelech illâc transiens, quem è vestigio compellare jussus fuit. Vaticinium habet I. *confirmationem* denunciati excidii urbis, cujus sit futurus testis oculatus vers. 16. II. *promissionem indemnitatis*, ne veniat in manus eorum quos metueret, hostium vers. 17. III. *promissionem defensionis*, ne pereat in bello; & conservationis, ut vitam habeat salvam, spolii instar ex præsentissimis periculis servatam. IV. *Causam impulsivam* externam, fiduciam in Deo collocatam, ejusque verbum propheticum, unde notitia voluntatis divinæ: cujus fiduciæ se testem facit Deus, utpote κατὰ διογνώσεις. Non commemoratur meritum in prophetam, sed fiducia in Deum, quam cum haberet Ebedmelech, & verbum Dei, & præconem ejus ornavit, & defendit.

CAP. XL.

Redit vita Prophetæ *LIBERATI*. Nam publica, postquam Prophetico muneri à Deo fuit adhibitus, gemina periodo absolvitur. Prior 40. annorum est, à 13. Josiæ usque ad excidium urbis, quâ stante regno munus suum obiit partim liber, partim captivus, quæ postremi anni fere conditio fuit. Posterior incertæ durationis est, ab excidio Urbis usque ad ejus mortem, quâ Prophetam egit tum in Judæa, tum in Ægypto. Heic vero duæ sunt historiæ partes. I. commoratio in Judæa & ibidem acta & passa cap. 40--43: 4. II. commoratio & gesta in Ægypto. cap. 43: 5. & cap. 44.

Commoratio in Judæa habet I. ejus occasionem cap. 40: 1--6. II. conditionem Judæorum cum ipso variam tum vivente Gedalja vers. 7--16. tum eo trucidato cap. 41. III. Jeremiæ munus agnitum & exercitum cap. 42, 43.

Vers. 1. *Verbum illud quod fuerat ad Jirmejam à Jehova, postquam dimisit eum Nebuzar-adan præfectus satellitum Rama: recipiendo eum, quum jam esset vinctus catenis in medio totius multitudinis deportandæ Jeruschalaimis & è Jehudaa, qui deportabantur in Babyloniam.*

Hoc cap. XL. continet

I. *Occasionem*, quâ factum ut Jeremias maneret in Judæa, vers. 1--6. ubi occurrit præfatio generalis vers. 1. *Verbum quod fuit ad Jeremiam à Domino, postquam dimisit ipsum Nebuzaradan.* Atenim nulla hic sequitur revelatio, quæ tali exordio subnecti assolet. Kimhius ergo conjungit cum cap. 42: 5. *factum est post decem dies, ut verbum Domini fieret ad Jeremiam*, intermedia omnia parenthesi includenda censens; sed coactum omnino est. uti etiam quod alii dicunt conjungendum cum vers. 5. quem supplendo varie sic proponunt, *Et cum* (Jeremias) *adhuc non reverteretur* (Ramâ in Judæam, sic Deus ipsi dixit,) *revertere ad Gedaljam* &c. Verum ultima istius versus verba docent esse continuatum sermonem Nebuzaradanis. Commodissime Abrabanel. Prophetæ sua vaticinia descripserunt a tempore regum Judæ & Israelis, Esa. 1: 1. cap. 6: 1. Mich. 1: 1. Hos. 1: 1. Sic Jeremias, in diebus Josiæ cap. 3: 6. in principio regni Jojakim cap. 26. item in diebus Jojakimi cap. 35. quarto ejusdem anno cap. 25, 36. regnante Zedekia cap. 28, 32. postquam verò urbs capta, regnumque eversum fuit, non potuit eodem modo designare tempora, sed aliam rationem habuit observandam, quod etiam fecerant Prophetæ cæteri sub & post captivitatem. Jeremias quidem ducit à tempore suæ dimissionis. Estque hæc præfatio generalis, non indicans specialem quandam revelationem, sed continuationem sui muneris, post urbem eversam & regem populumque deportatos. Conf. Hos. 1: 1. Mich. 1: 1. Nam externa Ecclesiæ vel ministrorum conditio, non abolet munus coram Deo. Manet etiam nunc Jeremias Propheta, licet nec urbs maneret, nec populus ille.

Porro Occasio commorationis ipsius in Judæa declaratur, I. quo autore facta, vers. 1. II. quo apparatu tum verbali vers. 2--5. tum reali vers. 5. III. & quomodo eam affecutus sit vers. 6.

1. *Autor* est *Nebuzaradan, princeps satellitum*, mactatorum, per quos exsequebantur sontium supplicia, ut Herodes per σπεκουλάτορα Johannem necavit Marc. 6: 27. quidam præfectum commentariensium fuisse rentur: is à rege Nebucadnezare mandatum acceperat cap. 39: 11. &c. *Dimisit* autem *illum in Rama*, quæ urbs in Nephtalim ad Septentrionem Cananææ. Cap. 39: 14. videtur id factum Hierosolymis, quod eductum ex atrio custodiæ, tradiderint Gedaljæ, sed compendio id dicitur, omissis multis quæ intermedia fuerunt. Sic Gen. 1: 27. *marem & fœminam creavit eos*: non simul, sed facto interstitio, & aliis *actionibus* intercurrentibus: item Luc. 2: 39. ex templo a purificatione non iverunt illico Nazaretham, saltem non ut ibi habitarent: sed migrarunt Bethlehemum, ibique morati sunt in domo peculiari, non ut antea in diversorio, ubi magi circa anni secundi finem Jesum repererunt, atque hinc abierunt Josephus & Maria in Ægyptum, reduceseque inde non Nazaretham, sed Bethlehemum regredi statuerunt, arbitrati in urbe Davidis Jesum esse educandum, quo magis innotesceret; Deus autem in Galilæam eos jussit proficisci, ut vaticiniis *aliis* fides fieret. Heic similiter omissa nonnulla, quæ nunc recitantur, addita temporis circumstantia, postquam Jeremiam cepissent, & cum cæteris Judæis catenatum Ramam duxissent. Capta enim urbe, & omnibus *jure* belli captivis, etiam qui in atrio custodiæ, quos inter Jeremias, juxta cum aliis omnibus, catenis ligati, & uti solebant greges mancipiorum, abducti sunt, versus Babel, in extremum Israelitidos limitem, Ramam illam; quæ ab aliis distinguenda, in medio terræ sitis; fuerunt enim complures hujus nominis urbes. Instituta istic lustratio Captivorum omnium, & illorum quidam, de principum ordine ducti in vicinam Riblam, ubi Nebucadnezar erat, atque ex ejus sententia, in pœnam rebellionis necati fuut; alii vinculis soluti sunt, quibus Gedalja præfectus, pauperimi nempe, & inter hos Jeremias, alii denique in vinculis detenti, qui in exilium abducerentur Babelem. Hebræi Jeremiam Hierosolymis dimissum volunt, sed cum cæteros ligari vidisset, noluisse alia conditione gaudere, atque adeo se quoque vinciendum tradidisse, ne ab iis divelleretur: sed non probabile est, qui alias etiam in Rama cæteros noluisset deserere.

Vers.

Verſ. 2. *Recepit ergò præfectus ſatellitum Iirmejam; dixitque ei, Iehova Deus tuus proloquutus fuerat malum iſtud contra locum hunc.*

Verſ. 3. *Itaque adduxit & fecit Jehova quemadmodum proloquutus fuerat: quia peccaſtis Jehovæ, neque auſcultaſtis voci ejus, ideò evenit vobis verbum illud.*

2. *Modus* liberationis ipſius conſtat Nebuzaradanis ſermone & facto.

Sermone quidem verſ. 2--5. exemtum vinculis è medio omnium Jeremiam ad ſe duci juſſit, ut quod à rege de ipſo mandatum erat, curaret; atque heic

a. *Prædicat* Dei veritatem & juſtitiam, quod ad eventum hujus belli. Veritatem, verſ. 2, 3. *Dominus Deus tuus locutus eſt omne iſtud malum contra hunc locum. Et adduxit fecitque Dominus, quemadmodum locutus eſt.* Juſtitiam v. 3. *nam peccaſtis Domino, neque obediviſtis ſermoni ejus, propterea vobis contigit iſtud.* Sæpius hæc dixerat Jeremias, ſed unde Nebuzaradan norat? Credebant gentes cuivis populo ſuos Deos eſſe, atque hos habere prophetas, & vates, per quos futura revelarent. Hanc prædictionum facultatem etiam tribuit Deo Judæorum, rumore forſitan vaticiniorum Jeremiæ, qui audiebat propheta, unde Deum Jeremiæ dixiſſe ait. Innotuiſſe illa potuerunt Chaldæis vel per transfugas tempore obſidionis, qui ſe ut id facerent à Jeremia perſuaſos dixerunt, vel per Jechoniam & qui cum ipſo deportati ante annos undecim qui de Jeremiæ concionibus ſermones habuerunt, vel per legatos Zedekiæ, qui ſæpius Babelem venerant, etiam inſtructi literis Jeremiæ. Sic agnita veritas Dei, quæ ex prædictionibus aſſeritur, utpote aliis Diis impoſſibilis. Eſa. 41. & ſeqq. Juſtitia item, quod animadverteret in peccatores inobedientes, quo loco Judæi habebantur à Chaldæis, quia Nebucadnezarem Dominum non agnoſcebant, & juratum obſequium detrectabant; cum jurisjurandi religio apud Gentes fuerit ſemper ſacroſancta. Ezech. 17. unde Amurathes contra Ladiſlaum regem proteſtatus eſt, quod inſtinctu Eugenii Papæ & Card. Juliani perjurus bellum moviſſet.

Verſ. 4. *Sed nunc ecce, ſolvo te hodie à catenis iſtis quæ ſunt ſuper manus tuas; ſi bonum videtur in oculis tuis venire mecum in Babyloniam, veni, & adhibebo oculos meos in te, ſin autem malum videtur in oculis tuis venire mecum in Babyloniam, deſiſte: vide, tota hæc terra expoſita eſt tibi; quo bonum rectumque videtur in oculis tuis abire, abi.*

Verſ. 5. *Aut quia ille nondum revertitur, diverte ad Gedaljam filium Achikami filii Schaphanis, quem præfecit Rex Babyloniæ civitatibus Jehudæ, & mane cum eo in medio populi, aut quocunque rectum videtur in oculis tuis abire, abi:*

b. *Libertatem concedit*, Jeremiæ verſ. 4, 5. initio vinculis ſuo juſſu ſolutum dicit, ut catenas non amplius habeat pertimeſcendas. Deinde liberam poteſtatem facit eundi quo vellet, optione factâ conditionis diverſæ, ſive Babelem eligeret, unà ſecum eò profecturus, quando omnem curam pollicetur; ſive eam repudiaret, quod illi licere profitetur; tandem arbitrio ipſius penitus permittit; quamcunque ſedem deligeret, integrum ipſi fore, non tantum optare, ſed etiam occupare, atque ibi conſidere.

Repetit autem quam fecerat eligendi facultatem, verſ. 5. cujus initium ועודנו לא ישוב ושובה וגו obſcurum eſt, ob mutatam perſonam. Refertur enim vel ad Gedaljam, quod ille dimiſſus nondum eſſet rediturus Ramam ad Nebuzaradanem, aut Hieroſolymam, adeoque Mizpam ipſi eſſe adeundam: vel ad Zedekiam, quod non ſit rediturus, in exilium rapiendus; ut ad novum terræ præfectum ſe debeat conferre: vel ad Jeremiam, ut oratio Nebuzaradanis finiatur cum verſ. 5. tum recitetur factum Jeremiæ, cui alia oratio ejuſdem Nebuzaradanis reſpondeat, cum nondum rediiſſe Jeremiam cognoviſſet Ramâ in Judæam, repetito conſuluiſſe, revertere &c. Sed hic divellitur oratio, cujus indicium nullum; in prioribus perſona introducitur, ante non memorata. Videtur continuata Nebuzaradanis oratio, ſed quæ repetat ante propoſita. Duo obtulerat, profectionem in Babel liberam, aut manſionem in Judæa, prorſus juxta electionem propriam: eadem repetit, I. de itinere Babylonio, *Et adhuc quidem non revertitur*, Nebuzaradan Babylonem, quo cum proficiſci poſſes; *revertere ergo ad Gedaljam filium Achikami, nepotem Schaphanis, quem rex Babel præfecit in urbibus Judæ*, II. de manſione, *& mane cum ipſo quoque*, ſi id magis placeat, in medio populi, quem relinquendum ſtatuit rex Babel. III. de delectu liberrimo; *aut quocunque magis tibi probatur, proficiſci, ito*: ſi Babel & Judæa pariter diſpliceant, neutram deligas licet, ſed alio te confer in terram quamcunque.

Deditque ei præfectus ſatellitum viaticum & munus, ac dimiſit eum.

Verſ. 6. *Venit itaque Jirmeja ad Gedaljam filium Achikami Mitzpam; & manſit cum eo in medio populi qui reliqui erant in terra.*

2. *Facto* autem verſ. 5. *Præfectus ſatellitum dedit ipſi viaticum*, (quidem volunt victum, demenſum quotidianum ei conſtituiſſe, ut Jechoniæ poſtea aſſignatum cap. 52: 34. Neque id alienum eſt cum omnibus bonis tam certis & hæreditariis, quam proventibus muneris ſacerdotalis exutus Jeremias nihil poſſideret, atque non ſine veriſimilitudine dicamus prætuliſſe Gedaljam, & huic impoſitum onus alendi prophetæ ex cap. 39: 14.) *& munus, ſeu honorarium; atque ſic eum à ſe dimiſit.* Aſſecutus ergo eſt Jeremias commorationem in Judæâ ab illo tempore. verſ. 6. Venit ad Gedaljam, in Mizpa, ubi domicilium ille fixerat, & cum ipſo commoratus eſt, juxta cum aliis qui in terrâ remanſerant, indulgente Nebucadnezare.

Sed an rectè egit Jeremias, cum denunciaſſet omnibus exilium nomine Dei, in Babylone exigendum, quo ipſe illud declinarit, neque eò proficiſci, ſed in Judæâ manere voluerit. Reſp. Omninò; dixerat deportandos, & calamitatibus ſubigendos, quicunque Nebucadnezari ſervire detrectarent. Sed qui Dominum agnoſcerent, ejuſque jugum ſubirent, illos relictum iri in terrâ ſuâ, ut eam colerent Jer. 27. 11. quod poſterius cum egiſſet Jeremias quantum in ſe, utique frui potuit optima conſcientia patriâ terrâ, immunis ab exilio: (quod ipſemet Zedekias potuiſſet conſequi, ſi ab initio ſe præſtitiſſet obſequentem,) juxta illam promiſſionem; cui confirmandæ faciebat, quod Deus Gedaljam præfectum dediſſet reliquiis. Accedit, quod his ipſis reliquiis Deus voluit prophetam ſervare. Deportati habuere in Babele prophetas; Ezekielem, & Danielem, ut non deſtituerentur neceſſaria inſtitutione; ſed in Judæâ, apud reſiduos nullus erat præter Jeremiam, hunc eis ſervat, ne privarentur omni teſtimonio ſuæ gratiæ. Sic ergo Jeremiæ datur continuare in ſuo miniſterio, licet conditione non æque inſigni: Mitzpa eſt loco Hieroſolymæ; & Gedalja præfectus Babylonii loco Regis Zedekiæ; & pauperes reſidui, loco populi univerſi: felicior tamen nunc; utpote liber: Exiguæ urbes prophetis plus quietis largiuntur, quam magnæ: hæ abundant peccatis, intolerantes ſunt cenſurarum; non æque illæ. In magnis prophetæ plus agendum habent, plus metuendum, in parvis minus quidem mundani ſplendoris, ſed quietis amplius. Felicior fuit Mitzpa pio principe Gedalja, pioque propheta Jeremiâ, quam Hieroſolyma quæ abundabat principibus & prophetis, ſed impiis Omnis enim vera commendatio à pietate proficiſcitur.

Verſ. 7. *Audientes autem omnes Principes copiarum qui erant in agro, ipſi & homines ipſorum, Regem Babyloniæ præfeciſſe Gedaljam filium Achikami regioni ipſi; & commiſiſſe ei viros ac mu-*

mulieres, parvuloſque, idque è tenui populo terræ, ex iis qui non deportabantur in Babyloniam.

Verſ. 8. *Venerunt Mitzpam ad Gedaljam; & Jiſchmahel filius Nethanjæ, & Jochanan, ac Jonathan filii Karechi, & Seraja filius Tranchumethi, filiique Hephai Netophatitæ, ac Jezanja filius Mahacatitæ, ipſi cum hominibus ſuis.*

Verſ. 9. *Quibus juravit Gedalja filius Achikami filii Schaphanis, & hominibus illorum, dicendo, ne timete quin ſerviatis Chaldæis: manete in iſta terra, & ſervite Regi Babyloniæ, ita bene erit vobis.*

Verſ. 10. *De me autem, ecce conſiſto Mitzpe, ad miniſtrandum Chaldæis qui veniunt ad nos: vos autem colligite vinum, æſtivoſque fructus, & oleum, ac reponite in vaſis veſtris, & manete in civitatibus veſtris quas occupaſtis.*

I. *Conditio Judæorum cum Jeremia*, vivente Gedalja. (Reliqua ſequente capite.) Hic ergo

1. *Gedaljæ regimen*, de quo narratur.

2. *Pietas*, verſ. 7. per occaſionem quod audierint de ea qui verſ. 8. recenſentur.

Perſona poteſtatem habens eſt *Gedalja*, *filius Achikami*. Hic pater fuit Joſiæ regis conſiliarius, ex potiſſimis; ablegatus cum aliis conſultum Dominum per Huldam. 2 Reg. 22:12. quod 18. anno Joſiæ factum fuit, perſeveravit in munere reliquo tempore Joſiæ per annos 13. & ſub Jojakimo eodem adhuc loco fruitus; cujus ſtudio & autoritati potiſſimum Jeremias ſuam ſalutem debuit Jer. 26:24. Ipſius filius Gedalja conſecutus eſt præfecturam: uti probabile eſt, tempeſtive egreſſus ad Chaldæos. Saltem pietas patris hanc tulit remunerationem à Deo, ut etiam liberis eapropter bene eſſet.

Poteſtatem conſecutus eſt à Nebucadnezare rege Babel; unde Gedalja legitime potuit accipere imperium. Quum enim victor foret totius terræ, in ipſius erat arbitrio conſtituere præfectum quemcunque vellet, utpote diſponens de ſuo. Imo Zedekias regnum ab eodem acceperat, cui cum ob perjurium & rebellionem rurſum eriperet, alii contulit quid & quantum allubitum eſt ipſius animo, citra Zedekiæ injuriam: quem Gedalja non ejecit, ſed eo legitime ejecto, in vacuam venit adminiſtrationem. Extendit ſe iſta poteſtas, in terram, *viros, mulieres, parvulos & egenos in terrâ, quotquot non fuerunt deportati Babelem.* Illos inter etiam numerantur filiæ regis Zedekiæ cap. 41:10. (nam cum filios necaret, ne rebellarent, regnum affectantes; filias vivere ſivit, à quibus nihil metuendum, quod ſucceſſio ad illas non pertineret,) item aulici verſ. 16. Unde benignitas Nebucadnezaris cognoſcitur: quos ſupereſſe voluit in terra aſſignatis agris ac vineis, noluit vivere uti oves carentes paſtore, ſed eos fido cuſtodi concredidit, ut ſolidum foret beneficium. Miſeria enim eſt ſi homines habeantur ut piſces, & reptilia, quibus non eſt dominus Hab. 1:14. 1 Reg. 22:17. Dat ergo rectorem, eumque non peregrinum, ignobilem, ſed indigenam & ex primoribus, & pium inſuper: ut optime illis reliquiis conſultum voluerit.

2. *Fidelitas* verſ. 8, 9, 10. cognoſcitur ex pacto quod iniit cum ſubjectis ſibi voluntate propria. Quos Nebucadnezar ei ſubjecit, de pauperioribus, debuerunt ſimpliciter ipſius juſſibus obedire, de quibus nihil heic dicitur. Lex à Victore dicta eos obligabat. Sed præter hos alii acceſſerunt ſpontanei, de quibus refertur I. *Qui* fuerint, *principes copiarum, quæ erant in agro.* verſ. 7. non copiæ militares, hæ enim in urbe fuerant, & cum Zedekia captæ dum fugerent, atque in Babelem abductæ, ſed primarii in vicis ac pagis, qui adventantibus Chaldæis vel diffugerant ad finitimas gentes, Ammonitas (quo Iſmael reditum molitus poſtea eſt) Moabitas, Edomitas, &c. Vel etiam ſe abſconderant in deſerta ſpeluncas, latebraſque alias, ut 1 Sam 13:6. Hi poſtquam abierant Chaldæi, pauperrimis libertate facta commorandi in terrâ, atque iis dato præfecto Gedalja, quæſiverunt eandem licentiam, ut & ipſi in terra manerent. Horum eduntur nomina, verſ. 8. primarius *Iſmael filius Nethanjæ*, nepos Eliſamæ (an illius qui Actuarius) Jer. 36:12, 20. incertum,) de regio genere, tum *filii Karea Johanan & Jonathan*, aliique nonnulli, atque cum iſtis capitibus *viri ipſorum*, concives ejuſdem loci, vel conſortes ejuſdem fugæ, qui ab ipſis pendebant, ſecuti conſilium & ductum.

II. *Modus* quo acceſſerint verſ. 7, 8. audito ordine à Nebucadnezare conſtituto, qui Gedaljam præſidem fecerat provinciæ, quærunt ſub ejuſdem regimine tutum domicilium; idque per fœdus. Cum enim non fuiſſent in terrâ, Gedalja non fuit ipſis datus præfectus, potuiſſent manere extra terram; ſed in terrâ debebant ipſi ſubeſſe; quod neceſſitatis erat, verum illud libertatis. Ergo ex pacto ſe ſubjiciunt, ſponte accedentes ſubditis, ſed quibus ipſe polliceretur aliquid, quod fecit addito jurejurando. Quomodo cavit non ſolum iis à quibus conſtitutus, Chaldæis, ut omnes inquilini terræ his ſubjecti viverent; ſed illis quoque quibus erat præfuturus, ut Samuel 1 Sam. 12:3. &c. nec tantum horum primatibus ſed etiam inferioribus, horum viris, utpote æque patronus minimorum in rep. quam maximorum, Nehemiæ inſtar Neh. 5.

Conditiones jurati fœderis ſunt, quod polliceatur ipſis I. *Securitatem* verſ. 9. ſed ſub conditione ſervitutis, quæ levis futura ſit obedientibus, ut in terrâ tranquille queant degere. Nullus metus obedientibus Rom. 13:3, 4. habet enim omnis metus tormentum & accuſationem peccati Gen. 3:10. non habet metuendam iram, qui Deo quod Dei, & Cæſari quod Cæſaris eſt tribuit. II. *Defenſionem* verſ. 10. quod patronus ipſorum ſit futurus apud Chaldæos; hoc enim eſt *ſtare coram facie Chaldæorum* apud eos cauſam ipſorum agere, tueri, eorum gratiam conſervare, imo illis omnium loco cultum & obſequium præſtare: cum ſit miniſtrorum ita conſiſtere 1 Reg. 18:8. Zach. 3:1. Non ſubditos propter ſe eſſe retur, ſed ſe propter ſubditos, excubare vult pro ipſis, non poſcit ut pro ſe laborent, quod boni paſtoris eſt. Joh. 10:11. III. *Felicitatem*, verſ. 9. ut fructus terræ colligant, & reponant, atque iis fruantur in urbibus, quas delegiſſent ſibi, habitandas. Erit enim vacua poſſeſſio, proprietariis deportatis, & ut veriſimile ante autumnum adhuc, ut vinum, aliique fructus non eſſent collecti, quos proinde jubet colligere, ceſſuros in terrâ deſertâ à ſuis habitatoribus primo occupanti, unde verbum יתר uſurpatum.

Verſ. 11. *Et etiam omnes Jehudæi qui* erant *apud Moabitas, & Hammonitas, & apud Edomæos, & qui* erant *in omnibus illis regionibus audientes dediſſe Regem Babyloniæ reliquias Jehudæis; & præfeciſſe eis Gedaljam filium Achikami filii Schaphanis.*

Verſ. 12. *Reverſi ſunt omnes Jehudæi iſti ex omnibus locis quo depulſi fuerant, ut venirent in terram Jehudæ, ad Gedaljam, Mitzpam: & collegerunt vini & æſtivorum fructuum multum valde.*

1. *Proſperitas* verſ. 11, 12. orta ex ſubditorum I. *Multitudine?* præter eos quos Nebuzaradan reliquerat, quotquot Judæorum ante invaſionem & occupationem terræ diffugerant ad populos vicinos, ad Gedaljam ſe contulerunt. Impulſiva eos commovente unicâ, Nebucadnezaris clementia in victos, cujus teſtimonia duo, 1. quod quoſdam Judæos reliquiſſet in terrâ, ut non ad unum omnes raperet in exilium; quod quidem Salmanaſſar ſtatuit de x. tribubus 2 Reg. 17. 2. Quod Judæum præfeciſſet gubernatorem; genere ac virtute inſignem; hinc enim colligunt, ſe quoque Judæos, qui in defendendâ Hieroſolymâ partem non habuiſſent, inter relictos toleratum iri; & ſub eo duce ſeu rectore tranquillam vitam eſſe victuros. *Venerunt* autem iſti *ad Gedaljam* non catervatim, & integris quaſi turmis uti priores cum ducibus Iſmaele, Jochanane & aliis ſed ſingulæ familiæ; quæ ſicut ſigillatim ſibi conſuluerant fugâ, ſic quoque ſigillatim ex voluntario quaſi exilio reverſæ ſunt; ut Eliſæ melech olim Ruth. 1. & Sunamitis juſſu Eliſæ 2 Reg. 8.

atque

atque isti omnes se tradiderunt in fidem Gedaljæ. II. *Annonæ copiâ, Collegerunt vinum & æstivos fructus magnâ copiâ.* Equidem hordeum & triticum jam demessa fuerant, sed vinum & arborei fructus, demum in autumno maturescentes, reperiebantur à reducibus non collecti, fuitque cuivis fas, ceu in publico, sumere & in horrea congerere pro lubitu & industriâ. Magna autem divitiarum pars consistebat in ejusmodi proventu, ut est cap. 41: 8. ut sub bono principe felix fuerit subditorum status.

Vers. 13. *Jochanan autem filius Karechi & omnes principes copiarum qui fuerant in agro; venientes Mitzpam ad Gedaljam.*

Vers. 14. *Dixerunt ei, an omnino nosti Baalisum Regem Hammonitarum mittere Jischmahelem filium Nethanjæ ad percutiendum te lethaliter? sed non credit eis Gedalja filius Achikami.*

ד. *Periculum* Gedaljæ, indicatum, & ab ipso contemtum, in quo tandem periit, quod cap. 41. refertur. Indicium geminum est, sed utrumque ab ipso neglectum.

Prius vers. 13, 14. ubi *indices* vers. 13. Omnes supra memorati duces, vers. 7, 8. præter Israelem quorum omnium princeps fuit Jochanan Kareachides; hi ex agris, ubi habitabant, omnes simul venerunt Mitzpam, quæ Gedaljæ domicilium præbebat, locus assignatus ejus habitationi, ubi jus diceret; nam Hierosymam noluere Chaldæi, sedem esse regiminis. Gedalja ibi patronum agebat Judæorum apud Chaldæos, istuc venturos identidem, itemque præsidio relictos, ut securi in agro vivere possent, Ergo ipsi viciſſim solliciti de ipsius incolumitate Mitzpam concurrunt, facturi *judicium*: quod vers. 14. recitatur. Habet autem tum insidias quæ Gedaljæ struantur, autorem dicunt, *Baalisum Ammonitarum regem*: consilium, *ut percuteret* Gedaljam *quod ad animam*, ut animam exturbans corpore, privaret vitâ; instrumentum *Ismael* ea de causa missus. Quærunt *an sciat? an vere sciat?* ut tandem pro comperto habeat & credat, cujus forsan alias quoque factum erat indicium. Veram fuisse molitionem probat eventus; nam Ismael necavit Gedaljam, & Judæos, quos hic subditos habebat, ad Ammonitas voluit deportare cap. 41: 2, 10. Ammonitæ male affecti erant erga Chaldæos, qui meditabantur sui subjugationem similem Ezek. 21: 20. eoque non putabant sibi consultum præsidium Chaldæorum esse apud Gedaljam, & hunc ipsorum præfectum in terrâ, ut inde metuendum quid foret jugiter, quin etiam minus bene affecti erunt ab antiquo erga Israelitas; sed Ismael de regio genere Judæorum, familiæ Davidicæ se ministrum sceleris præbere voluisse, nefarium nimis; sed ambitio & dominandi cupido nihil adeo fœdum impiumque retur, quod regnandi gratia non liceat libeatve patrare. Si jus violandum, regnandi gratia violandum est, in cæteris tu æquum colas, tyranni vox est apud poetam tragicum. Licet enim Ismael regii generis foret, unde sibi jus natum opinatus est, tamen non erat ipsi fas illud invadere, & quidem tanto cum scelere. Nihil tale unquam voluit agere David, qui à Deo unctus rex, & cui Saul hostis & persecutor; quia Saul à Deo acceperat regnum. Nebucadnezar itidem à Deo regnum habebat universale, Jer. 27: 3. &c. qui præfecti potestate constituerat Gedaljam; non usurpatorem regni injusti, sed Victoris voluntate constitutum; quando Deus regnum filiis Josiæ abrogarat. Jer. 22.

Sed unde constabat illis ducibus de isto Ammonitæ molimine? Abrab. putat Ismaelem, qui vers. 8. juxta cum ducibus illis ad Gedaljam venerat, sollicitasse eos ad societatem conspirationis, hosvero detestatos facinus istiusmodi, non tantum recusasse, verum etiam rem ad Gedaljam detulisse. Fuit hæc in hisce pietas erga magistratum pium; sed imprudentia, securitasve nimia in Gedalja, qui monentibus non credidit. Dicitur, non credidit eis Gedalja filius Ahikam; quæ causa forsan confidentiæ & securitatis ipsius fuit, quod esset Gedalja filius Ahikam, Judæus, genere nobilis, & cujus pater optime quoque meritus esset de populo, unde sibi omnium amorem pollicebatur.

Vers. 15. *Quin Jochanane filio Karechi alloquente Gedaljam clàm Mitzpæ, dicendo, eam quæso, ut percutiam Jischmahelem filium Nethanjæ, & nemo cognoscet: quare percuteret te lethaliter, & dispergerentur omnes Jehudæi qui congregati sunt ad te, perirentque reliquiæ Jehudæ?*

Vers. 16. *Dixit Gedalja filius Achikami Jochanani filio Karechi; ne feceris rem hanc: nam falsum loqueris contra Jischmahelem.*

Posterius vers. 15, 16. ubi oblatio periculi removendi: ad istud se offert Jochanam, primus post Ismaelem. Facit autem illud secretò, quod contra conspirationem non sit tutum cum multis agere, ne forte eliminetur aliquid, & conjurati vel caveant sibi, vel præcipitent facinus, quo præveniant. Accedit licet cum pluribus accusasset Ismaelem, non tamen tutum erat plures nosse remedium, quod proponebat. Fuit istud, ut sibi demandaretur provincia Ismaelem è medio tollendi, quod clam omnibus facturus sit, Argumenta suadentia, *quare occideret Te, & dispergerentur quotquot Judæorum ad te congregati sunt, & periret residuum Judæ*, quod in Cananæa supererat? Vitam præfecti facit caput felicitatis publicæ; nam ipso trucidato, & qui collecti erant denuo dispergendi erant, Zach. 13: 7. & nulla amplius concedenda à Chaldæis licentia commorandi in terra, siquidem regium præfectum interemissent. Pia fuit ista solicitudo, pro bono rectore. Præterea & hoc justum, quod noluerit quicquam agere privata autoritate, quomodo homicida fuisset, sed ex imperio magistratus, cui jus erat de sontibus sententiam ferre, & exsecutionem demandare cui luberet, ut Salomo Benajæ cædem Adoniæ, Joabi, Simei commisit. 1 Reg. 2. Sed quod clam mandari voluit, & exsecutioni dari, fuit politicæ prudentiæ, ad declinandam invidiam tam Gedaljæ jubentis, quam suam patrantis, quando nemini constaret de causa cædis, sed ea casu facta crederetur. Verum Gedalja vers. 16. interdicit, abstinere jubens ab hoc facto, causatus, calumniose talia dici de Ismaele, quem innocentem rebatur. Recte quidem, quod noluit consentire in alicujus cædem, qui non erat manifestus criminis, sed perperam quod nimis securus. Credulitas quidem vitio, ut cuivis delationi fides habeatur, verum & hoc vitiosum, nihil velle credere; nullas delationes admittere, quasi forent omnes æque mendaces. Etenim Ismael quoque, regii generis homo, & qui Judæorum saluti præ cæteris favere debebat, ut nihil de eo metuendum nec suspicandum putaret, fuit primus & solus qui scelus istud, cujus accusabatur à cæteris, molitus est, & tandem perfecit.

CAP. XLI.

1. CONtinuatur historia Gedaljæ, quomodo periculum, de quo monitus fuit, sed monitorem & averruncum increpatum dimisit, eventum habuerit, & quæ post secuta sunt. Refertur. I. Ismaelis perfida crudelitas v. 1-10. II. Jochananis vindiciæ populi v. 11-18.

Vers. 1. *Fuit ergo mense septimo, ut veniens Jischmahel filius Nethanjæ filii Elischamahi è semine regio, & præfecti regii, id est decem viri cum ipso, ad Gedaljam filium Achikami Mitzpam; comederent ibi cibum* cum *illo Mitzpæ.*

ה *Ismaelis perfida crudelitas* demonstrata fuit tripliciter.
a *Cæde Gedaljæ*, 1, 2, 3. de quâ occurrunt
b *Antecedentia* vers. 1. nempe
c *Tempus*; *factum est mense septimo*, Tisri videlicet nostro Septembri respondente. Hierosolyma occupata à Chaldæis mense quarto, die nono cap. 39: 2. mense quinto, die decimo combustum templum, & regia aliæque domus, cap. 52: 12. deportatique reliqui, atque eos inter etiam Jeremias, Ramam usque cap. 40: 1. inde demissus ad Gedaljam, qui jam tum terræfuit præfectus, scil. intermedio tempore inter

urbem captam & combuſtam, ſub finem quarti, aut initium quinti menſis. Iſmael & reliqui duces copiarum venerunt ad Gedaljam ex latebris & ab hoc recepti ſunt ſub tutelam, ac dimiſſi ad colligendos fructus autumnales. Jam verò menſe ſeptim[illegible], (& ut Judæi cenſent die primo, quippe ea propter [illegible]undum jejunio tranſigunt, loco primi, quo ob neomeniæ feſtivitatem jejunare non licet, ſive quinquageſimo ſecundò poſt vaſtatam igne urbem : Abrab. in diem ſecundum refert:) cædes iſta patrata fuit, ut breve admodum fuerit Gedaljæ regimen.

β *Perſonæ*, cædis autores, conſcii, vel participes. I. *Iſmael*, cujus pater & avus memorantur, & genus regium, Zedekiæ cognatus: quæ cauſa impulſiva inſidiarum & cædis, quod Gedaljæ invideret præfecturam, ratus eam ſibi deberi; cum tamen ſub Gedalja tam ipſe quam alii felices ſatis viverent. II. *Principes regii*, non Ammonitarum Baaliſi, cap. 40: 14. ſic ſuſpectus fuiſſet Iſmael, ſed regis Zedekiæ, qui non fuerant in urbe obſeſſâ, ſed tempeſtive diffugerant, ac hinc inde latitarant. Hi antea comprehenſi ſub copiarum ducibus qui in agro erant, qui Iſmaelem detulerant juxta cum Jochanane v. 13. &c. ſed cum non crederet ipſis Gedalja, digreſſi ſunt in agrum ad ſua, quemadmodum etiam Jochanan, cum quam offerebat opem repudiata eſſet. Horum aliqui, qui olim in miniſterio Zedekiæ fuerant, addictiores Iſmaeli quia regii generis, videntur pellecti in ſocietatem conſpirationis, vel ſaltem (ut aliqui ab Abſalomo, 2 Sam. 15.) ad comitatum, qui non adverſarentur molitionibus ejus, quin etiam referente opitularentur; nam alias ab Iſmaele & X Sociis omnes iſtæ cædes patrari non potuiſſent ni iſti ſeſe conjunxiſſent vel ſaltem ſe non oppoſuiſſent. Diſtinguuntur idcirco omnes principes copiarum qui in agro, ab omnibus principibus copiarum qui cum Jochanane erant cap. 41: 11. 13. 16. cap. 42: 1. 8. hic excluduntur iſti magnates regii, qui iſtic comprehenduntur. Magnates iſti regii inter conſcios, aut favitores fuerunt,

III. *Decem viri*, quos ſecum duxerat Iſmael ſive ſervos, ſive alios qui ipſum ſequebantur, & quos forſan ſocios & comites habuerat, quum apud Ammonitas moraretur, qui patrarunt facinus.

γ *Oportunitas*, venerunt iſti omnes ad Gedaljam Mitzpam, & unâ cum ipſo panem ibidem comederunt, adhibiti ipſius menſæ ceu convivæ & hoſpites; ſic Luc. 14: 1. ut & hic valuerit, qui edit panem meum, ſuſtulit contra me calcem ſuum Pſ. 41: 10.

Verſ. 2. *Deinde ſurgens Iiſchmahel filius Nethanjæ & decem illi viri qui erant cum ipſo, percuſſerunt Gedaljam filium Achikami filii Schaphanis gladio, ita morte affecit eum; quem præfecerat Rex Babyloniæ illi regioni.*

b *Cædes* ipſa verſ. 2. patrata ab Iſmaele, opem ferentibus decem illis, qui unâ cum ipſo irruerunt in Gedaljam, attamen Iſmaeli ſoli adſcribitur, ſive quod ejus mandato facta, ut cædes Amnonis ab Abſalomo 2 Sam. 13. ſive quod lethale vulnus ab ipſo inflictum, quomodo ſuſtulit præfectum Chaldæorum; quæ altera cauſa cædis, quod Chaldæorum nomine præeſſet, quorum jugum cum excutere vellet, hunc ſibi putavit trucidandum, & ſic cædem iſtam palliandam vindiciis pro libertate.

Verſ. 3. *Etiam omnes Jehudæos qui erant cum illo, cum Gedalja, Mitzpæ, atque ipſos Chaldæos qui præſentes erant illic; bellatores percuſſit Iiſchmahel.*

c *Conſequentia*, v. 3. *Trucidavit porro omnes Judæos qui cum Gedalja erant, & quotquot Chaldæorum ibi reperiebantur*, nempe milites præſidiarios utroſque, nam viri belli ad utroſque pertinet. Non occidit omnes incolas Mitzpæ, ſed ſolùm qui in armis quique opem tulerunt Gedaljæ, vel ad ejus ultionem ad arma convolarunt: inermes non necavit, ſed captivos ſecum abduxit v. 10. Ita bonus princeps fraude nequiſſimâ ſublatus fuit è medio: cujus cita & violenta mors neutiquam argumentum eſt impietatis. Etenim non ex morte ejuſve genere judicandum eſt de hominibus, ſed ex antecedente vita. Pſ. 116: 15. Achab & Joſias perière in prælio vulnerati; hunc tamen vita probum fuiſſe docet, illum improbum. Arbores quandoque ſimul cæduntur, ſed bonæ fuerunt quæ bonos, malæ quæ malos aut nullos tulerunt.

Obj. Pſ. 55: 24. *Viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos*; Reſp. ſed non valet converſum, qui non dimidiant dies ſunt viri Sanguinum & fraudis. David vaticinatur ſic de ſuis hoſtibus, Abſalomo, Achitophele; quibus ſupervicturus ſit; unde fiduciæ ſuæ ibidem meminit. Aſt non eſt regula perpetua; Deus quandoque tyrannis prorogat vitam, ut reſipiſcant, ut Manaſſi, aut ut aggravent peccata, ut Herodi magno. Cita mors beneficium, ut filio Jeroboami, ne corrumperetur paterno exemplo 1 Reg. 14. & piis Eſa. 57: 1, 2. vitæ prorogatio interdum ſupplicium Jer. 3: 3. Piorum mors nullo tempore damnoſa ipſismet Apoc. 14: 13. ἀπ' ἄρτι beati quicunque Domino moriuntur, cujuſcunque fuerint ætatis. Sed damnoſa ſuperſtitibus, ut Eliſæ 2 Reg. 13: 14. & heic Gedaljæ, ut impii Judæi adhuc gravius plecterentur. Adhæc ambitioni nihil ſacrum aut religioſum, ut nec juſjurandum, nec hoſpitalis menſa, nec neomeniæ feſtum cohibuerint, quo minus innocentis, imo bene de reliquiis merentis ſanguine manus polluerat.

Verſ. 4. *Fuit autem die ſecundo, ex quo morte affecerat Gedaljam; quum* adhuc *nemo cognoſceret;*

Verſ. 5. *Ut venirent homines Schecemo, Schilunte, & Schomrone, octoginta viri raſi barba, & laceri veſtibus, ac incidentes ſeſe; in quorum manu* erat *munus & thus, ut afferrent* in *domum Jehovæ.*

b *Cædes aliorum.* ſubſecuta, v. 4--9. cujus

a *Tempus* v. 4. *poſtridie* cædis Gedaljæ, cujus nemo erat conſcius, eorum qui extra Mitzpam erant. Neque enim intra urbem quemquam potuit latere tam multiplex cædes, qua & domeſtici Gedaljæ, & præſidiarii milites Chaldæi ac Judæi perierant; verum non paſſus fuit Iſmael quemquam urbe egredi, ne res innoteſceret, totus in eo, ut metu & terrore omnes compeſceret, atque tanquam bello captos abduceret.

b *Perſonæ* contra quas cædem patravit, v. 5. deſcriptæ, I. A patria, *Sichem, Schilo, & Samaria*; unde conſtat, non fuiſſe Judæos, vel Iſraelitas, cum hæ urbes fuerint tribus Ephraim, & qui eas nunc poſſidebant *Cuthæi* aliique populi, à Salmanaſſare eò per coloniam traducti in locum deportatarum X tribuum, qui religionem Iſraeliticam à ſacerdote indigenâ aliquatenus edocti erant, ut leonum vim evaderent, 2 Reg. 17. II. A numero, *viri octoginta*: III. Ab habitu, *præciſa barba, laceris veſtibus, & corpore inciſionibus fœdato*, ut triſtitiam ſuam profiterentur publice; ritus medius in oriente fuit familiaris, etiam in populo Dei; ſed primus & poſtremus huic interdictus Lev. 19: 27, 28. ceu gentilium ſuperſtitionem redolens, & qui proprii corporis damno, ſanguiniſque fuſione (qui tamen animæ non fuit) numen propitiare vellent. IV. A propoſito, *ferebant oblationem cibariam & thus verſus domum Domini.* non ignari quidem exuſtæ urbis & templi, quæ ignorare proximi non poterant, cum illâ viâ Judæi abducti eſſent Ramam Nephtalimi; ſed viſitaturi locum templi ejuſque rudera ſuamque ob ejus vaſtationem triſtitiam & luctum teſtaturi, ſimul etiam gratiam à Deo poſtulaturi oblatâ mincha cum ſuffitu. Ut addictos fuiſſe liqueat cultui Dei Iſraelis, quamquam non ſine mixtura Gentilium rituum in luctu; & ſuperſtitionis, qui ipſimet oblaturi erant: hæc verò miſtura, Samaritanis illis familiaris, vitioſa fuit, caruitque ſucceſſu religioſus eorum luctus ob circumſtantiam illam, quamvis alioqui laudandus eſſet in gentilibus tantus ob religionis Judaicæ calamitatem ac deſolationem dolor.

Verſ. 6. *Et egreſſus eſt Iiſchmahel filius Nethanjæ obviam eis Mitzpa, indeſinenter procedens & flens:*

& flens: fuitque quum occurriſſet eis, ut diceret eis, venite ad Gedaljam filium Achikami.

Verſ. 7. *Sed fuit quum perveniſſent in medium civitatis; ut jugulans eos Iiſchmahel filius Nethanjæ* projiceret *in medium foveæ, ipſe & viri qui* erant *cum ipſo.*

Verſ. 8. *Decem autem homines inventi ſunt inter illos, qui dixerunt Iiſchmaheli, ne morte afficias nos, nam ſunt nobis abditi theſauri in quodam agro, tritici, & hordei, oleique, & mellis: ita deſtitit, & non affecit eos morte inter fratres ipſorum.*

c *Iſmaelis facta* nefaria tria, I. *Simulatio* fraudulenta, verſ. 6. habens 1. *fictam humanitatem*, egreſſus urbe proceſſit eis obviam, honoris ergò. 2. *ficta triſtitia*, madebat lachrymis, quas jugiter fundebat, dum in viâ erat. 3. *ficta obedientia*, invitat eos ad Gedaljam, tanquam cui ipſe obnoxius viveret, & quem præſidem ab omnibus agnoſci vellet, & ad quem ipſos eſſet deducturus. II. *Crudelitas* immanis verſ. 7. introductos in urbem eos necavit ad foſſæ crepidinem, quæ in medio urbis erat, opem in iis mactandis ipſi ferentibus ſicariis, qui in confodiendo Gedalja & cæteris manum præſtiterunt auxiliatricem. III. *Avaritia* turpis verſ. 8. cum decem illorum vitæ gratiam peterent, indicium facientes annonæ magna copia abſconditæ, quam ceſſuri eſſent, eis pepercit, ut non unà cum cæteris trucidarentur. Erant hujuſmodi theſauri maximæ tunc divitiæ, apud eos, qui nulla exercebant mercimonia; forſan etiam quicquid argenti erat à Chaldæorum exercitu ablatum fuit aut abſumtum. Olim de his pugnæ & prælia agitabantur, Gen. 14: 11. unde nomen מלחמה à לחם.

Verſ. 9. *Fovea autem quo projecit Iiſchmahel omnia cadavera hominum illorum quos percuſſerat ad latus Gedalja, ea* eſt *quam fecerat Rex Aſa metu Bahaſchæ Regis Iiſraëlis, eam replevit Iiſmahel filius Nethanjæ confoſſis:*

Additur verò per parentheſin deſcriptio illius foveæ, juxta quam cæteros mactavit, verſ. 9. Effoderat eam Aſa rex, 2 Chron. 16: 1. &c. cum conducto Syriæ rege contra Baeſam, Ramam Benjaminis munientem, à ſe avertit, & materiam quam ille comportarat, muniendæ Gebæ & Mitzpæ adhibuit, quo tempore puteum illum in medio hujus urbis effodit, ut ſi obſideri contingeret, inde aquam peterent incolæ. Hunc puteum Iſmael cadaveribus occiſorum implevit, tum horum 70 Samaritanorum, tum Gedaljæ & militum cæterorum, ut commune ſepulcrum eorum qui ſimili modo vitam per vim atque ſcelus amiſerant, ביד גדליה reddendum, quos percuſſit, nempe Samaritanos, *cum mam* ſeu *copiis Gedaljæ*, præſidio Mitzpenſi, uti de Pharaone dicitur veniſſe in mare ברכבו ובפרשיו Exod. 15: 19. Iſmael itaque egit perſonam tyranni, quorum artes ſunt, Dolus, quibus nulla fides nihil veri ſincerique; Crudelitas ſanguinaria, & Avaritia inſatiabilis. Illæ in Abſalomo 2 Sam. 15. iſta in Saule 1 Sam. 22. hæc in Achabo 1 Reg. 21. evidentes ſunt.

Verſ. 10. *Et captivas fecit Iiſchmahel totas reliquias populi qui* erat *Mitzpæ, filias Regis, totumque populum qui reliqui erant Mitzpæ, quibus præfecerat Nebuzar-adan præfectus ſatellitum Gedaljam filium Achikami: quos captivos ducens Iiſchmahel filius Nethanjæ abibat tranſiturus ad Hammonitas.*

c *Deportatione populi* verſ. 10. ubi I. *Factum*, *captivos duxit*, quod bis dicitur, ob rei indignitatem; ab hoſtibus impetrarant libertatem, relicti in terrâ; hæc eis nunc eripitur, & non tantum in ſervitutem veniunt, ut dominum accipiant alium, quomodo mutata fuiſſet conditio, ſed ceu mancipia abducuntur. II. Autor *Iſmael* ille, qui regii generis; eoque generoſior eſſe debuiſſet, & non eripere libertatem, ſed ereptam reſtituere. III. Patientes, *filiæ regis*, ſive Zedekiæ, ſive Jechoniæ, aliæve mulieres de familia & genere regio; quibus Chaldæi conceſſerant libertatem, & immunitatem ab exilio, iis conſanguineus non pepercit, tum *reſidui de populo qui in Mitzpa* fuerant, quorum plenior deſcriptio verſ. 16. ſequitur, quos Nebuzaradan commiſerat fidei Gedaljæ, ab eo regendos & defendendos. IV. Locus, quo duxit, *voluit tranſire ad Ammonitas* à quorum rege ad hoc facinus fuerat emiſſus Jer. 40: 14. non poterat ſibi ſperare dominium, ſervus erat Ammonitæ & ſuis tribulibus ademtam voluit libertatem, ut eandem ſecum ſervirent ſervitutem. Atrociſſimum profecto ſcelus, qui perfidiæ ſuæ voluit extare exempla, quotquot non interemit, & eos tanquam in triumphum ducere, ut eo nomine innoteſceret, haberetque præſentes, de quibus gloriaretur, per ſe fuiſſe omni fortunâ exutos.

Verſ. 11. *Sed audiens Jochanan filius Karechi & omnes principes copiarum qui* erant *cum eo, totum illud malum quod fecerat Iiſchmahel filius Nethanjæ.*

Verſ. 12. *Acceptis omnibus ſuis hominibus abiverunt ad pugnandum contra Iiſchmahelem filium Nethanjæ: quem invenerunt ad aquas amplas quæ* ſunt *in Gibhone.*

a *Iochananis Vindiciæ* populi deportandi, habent a *Præparationem*, verſ. 11, 12. atque hìc I. *Autor*, Jochanan; qui primus detexerat inſidias Gedaljæ ſtructas ab Iſmaele, quique ad hunc tollendum è medio operam ſuam obtulerat; & cum eo duces copiarum cæteri præter Iſmaelem, qui olim ad Gedaljam conceſſerant, & qui jurejurando Gedaljæ ipſi viciſſim erant obſtricti, quique nunquam in partes Iſmaelis conceſſerant, ſed Jochanani adhæſerant. II. *Impulſiva* rumor de cæde contra Gedaljam patratâ ab Iſmaele, & quæ alia perperam egerat. III. *Apparatus*, v. 12. quiſque horum ſuas quibus præerat copias coëgit, & junctì viribus proceſſerunt oppugnatum Iſmaelem. Sic Abraham domeſticos ſuos duxit ad vindicandum Lotum, contra reges illos Gen. 14. IV. *Occurſus*, deprehenderunt eum, non in Mitzpa, ubi obſediſſent, ſed jam fugam capeſſentem, & prædam captivorum ſuorum ducentem, *juxta copioſas aquas* quæ prope Gibeonem erant, fuit piſcina magna, ubi olim concurrerunt duodeni duellatores Abneris & Joabi, 2 Sam. 2: 13.

Verſ. 13. *Quare fuit quum vidiſſet totus populus qui* erat *cum Iiſchmahele Jochananem filium Karechi & omnes principes copiarum qui* erant *cum eo; ut afficerentur letitia:*

Verſ. 14. *Et divertentes totus ille populus quem captivum abducebat Iiſchmahel Mitzpa; rurſus venirent ad Jochananem filium Karechi:*

Verſ. 15. *Iiſchmahel verò filius Nethanjæ eripiens ſe cum octo hominibus à conſpectu Jochananis; abiit ad Hammonitas.*

b *Succeſſus* verſ. 13, 14, 15. ubi I. *Tranſitus* deportandorum ad Jochananem verſ. 13, 14. Hi, quos inſtar capti gregis abducebat Iſmael, quam primum viderunt Jochananem cæteroſque duces, & quas ducebant copias ad ſui liberationem; magnam illicò conceperunt animo lætitiam; imo converſi deſeruerunt Iſmaelem, & ad Jochananem tranſierunt, ſe hujus fidei tradentes. II. *Fuga* Iſmaelis verſ. 15. eam ipſe arripuit, una cum octo viris, ex decem illis quos miniſtros ſceleris habuerat, ut duos periiſſe appareat, & ad Ammonitas ſe contulit. Sic *incerta* potentiæ eſt, quæ ſolo metu peragitur: quamvis tyranni hâc ſe ratione tueantur, ut illud docet, Oderint, dum metuant, & Impietas non ſemper in hâc vitâ punitur, Iſmael evadit;

ultores ſceleris, eum non potuerunt capere: ut conſtet aliud judicium exſpectandum, ubi compenſatio reddatur unicuique.

Verſ. 16. *Accipiens itaque Iochanan filius Karechi, & omnes Principes copiarum qui* erant *cum eo totas reliquias populi quem recuperavit à Iiſchmahele filio Nethaniæ ex Mitzpa, poſtquam percuſſiſſet Gedaljam filium Achikami; deducenſque viros bellatores, fœminaſque ac parvulos, & eunuchos quos recupavit, è Gibhone:*

Verſ. 17. *Abiverunt, & conſederunt in hoſpitio Cimhami, quod* eſt *juxta Bethlechemum, ut proficiſcentes abirent in Ægyptum.*

Verſ. 18. *Propter Chaldæos, quia timebant ab eis: eò quòd percuſſiſſet Iiſchmahel filius Nethanjæ Gedaljam filium Achikami, quem præfecerat Rex Babyloniæ regioni.*

c *Conſequentia*, referens I. *Qui liberati* ſunt per Jochananem & Socios, v. 16. Hi acceperunt, receperunt in fidem ſuam in genere, reſiduum populi quod eripuerunt Iſmaeli, abductum Mitzpâ; reſiduum dicit, forte quod aliqui cecidiſſent in prælio, aut dum tranſitum parant ab Iſmaele, hoc cædibus ad extremum in eos graſſante, in ſpecie, viros militares, ſive geſſerint arma, ſive ad gerendis fuerint idonei: mulieres, ſub quibus etiam continentur regiæ filiæ, ante memoratæ: infantes minorennes liberi; denique aulici; quos non deportavit Nebuzaradan, quos inter Ebedmelechum fuiſſe veriſimile eſt, cui promiſſum vitæ ſpolium cap. 39. uti etiam Barucho cap. 45. qui una cum Jeremia affuerunt, cap. 43: 3. utpote qui Gedaljæ commendatus, apud eum hæſit, ſuæ ſecuritatis ergo: Scilicet quotquot apud piſcinam Gibeonis fuerunt erepti Iſmaeli II. *Quo deducti* verſ. 17. non redierunt Mitzpam, & ad ſuos quiſque agros ac domicilia, ſed *abierunt* verſus meridiem, *prope Bethlehemum*, *conſederuntque* in loco qui *hoſpitium chimhami* dicebatur. Fuit hic filius Barzillai Gileaditæ, quem David ab exilio redux, quo ſe patri gratum exhiberet, ſecum duxit, & de paternâ hæreditate, quam habebat in Bethlehem, ei prædium aſſignavit, quod in rei memoriam iſto nomine fuit inſignitum. III. *Quo ſcopo* ibi conſederint, verſ. 17. ut irent in Ægyptum, quod tamen nondum decretum prorſus erat, cum demum per Jeremiam in voluntatem Dei inquiſiverint; attamen jam tum à quibuſdam propoſitum videtur, cujus *cauſa impulſiva* verſ. 18. metus à Chaldæis, quos verebantur ultionem ſumturos ob cæſum Gedaljam, quia nomine Nebucadnezaris præfecturam obtinuerat, ut in Nebucadnezarem redundaret injuria; & rebellionis ſpeciem haberet, delegatum rectorem occidiſſe; quamquam Iſmael cædis illius reus eſſet, non ipſi; immo ipſi, qui heic duces, ſollicitè de periculo Gedaljam monuiſſent, atque ad illud avertendum conſilium & operam obtuliſſent, quin etiam omnes ultionem ſuſcepiſſent ſceleris. Scilicet intuebantur ſolos homines, hinc metus continuus: quod hi immiſericordes; ſed ſi Deum intuiti fuiſſent, cum forent innocentes, licuiſſet eſſe tranquillo animo.

Concio ſeu Prophetia XXV.

CAP. XLII.

SEquitur I. *Jeremiæ munus agnitum & exercitum.* cap. 42, 43.

Cohærent cap. 42. & 43. & continuant hiſtoriam ſuperiorem. Partes ſunt binæ, cap. 42. I. Conſultus per prophetam Deus verſ. 1--6. Deus per prophetam reſpondens, ſeu hujus concio verſ. 7--22. & cap. 43. I. Judæorum de reſponſo judicium verſ. 1--7. II. vaticinium de Ægypto. verſ. 8--13.

Verſ. 1. *Deinde appropinquantes omnes principes copiarum, & Jochanan filius Karechi, & Jezanja filius Hoſchahajæ, totuſque populus à minimo uſque ad maximum.*

Verſ. 2. *Dixerunt Jirmejæ Propheta, procidens, quæſo, deprecare nomine noſtro, & ora pro nobis Jehovam Deum tuum pro omnibus his reliquiis: nam relicti ſumus pauci ex multis, quemadmodum oculi tui vident nos eſſe.*

Verſ. 3. *Ut indicet nobis Jehova Deus tuus viam qua ambulemus: & rem quam facturi ſimus.*

1. *Petitio conſilii divini* conſtat colloquio, atque heic N. *Petentium deſiderium.* verſ. 1, 2, 3. I. *Tempus* propoſiti deſiderii ex copula, colligitur, *Et appropinquarunt* &c. Cum omnis illa multitudo, & quæ erepta erat Iſmaeli, & quæ eam eripuerat, veniſſet ad prædium Chimhami prope Bethlehemum, ingreſſa jam viam, quæ non domum duceret, quam ſibi quiſque ex Nebuzaradanis diſtributione, vel Gedaljæ conceſſione, occupando fecerat propriam, ſed Ægyptum verſus ſpectaret, de qua regione adeunda cœperant cogitare; antequam longius procederent, hoc conſilium de conſulendo ſuſceperunt. II. *Conſulentes* fuerunt *principes copiarum* ſæpius memorati, & inter hos præcipui *Jochanan Kareachides, & Jezanja*, (qui etiam Azaria. cap. 43: 2.) *filius Hoſanjæ; nec non populus univerſus*, nullo dignitatis aut ætatis diſcrimine, quotquot territi ob res per Iſmaelem turbatas, Chaldæorum iram, & contra ſe, innocentes licet, vindictam metuebant, III. *Conſultus* eſt *Jeremias propheta* verſ. 2. quem hinc colligere eſt apud Gedaljam vixiſſe in Mitzpa, & ab Iſmaele cum cæteris abductum, per Jochananem autem pariter ereptum fuiſſe; qui juxta cum aliis omnibus ipſum agnovit pro prophetâ, & hacpropter ad eum conſulendum acceſſit. Quamvis vixit Gedalja, rebus ſatis proſperis, nemo ad Jeremiam veniſſe legitur, quaſi non amplius ſupereſſet, ſaltem non niſi ordinaria cura fuit ſermonum ejus; aſt nunc rebus difficilibus ad ipſum itur: quod & alias factum meminimus. Sed quod pejus, conſilium petituri erant à Deo, uti præ ſe ferebant, attamen quærebatur non conſilium Dei, ſed ſui conſilii approbatio à Deo, ut Achab, 1 Reg. 22. Zedekias Jer. 21: 37. Quod quidem familiariſſimum eſt; non ſolet Deus per ſupplicationes conſuli, niſi ut quæ decreta hominibus ſunt ſecundet, eoque ipſorum deſideriis miniſtret. IV. *Deſiderium* ipſum ſic proponitur, ut I. concilient prophetæ favorem, verſ. 2. *cadat quæſo ſupplicatio noſtra coram facie tuâ*, ut eam admittas, & gratificeris nobis, quod petimus. 2. Poſtulent ejus interceſſionem, *& precare pro nobis ad Dominum Deum tuum*, non quod ſuum negarent, ſed quia ob ſingulare munus relatio prophetæ ad Deum eſſet arctior, vi legationis Mal. 2: 7. &c. 3. confirment poſtulatum à calamitate ſuâ, *pro omni hoc reſiduo*, quotquot Judæorum in Cananæâ manſerant non deportati; addita amplificatione à neceſſitate, *nam reliqui ſumus pauci de multis*; & à veritate, *quemadmodum oculi tui nos vident*, ut non alio quam te teſte apud te indigeamus, qui noſtræ paucitatis habes notitiam præſentem: quippe omnes reſidui hîc convenerant. 4. Materiam dicant ſeu argumentum inſtituendæ precationis, verſ. 3. *ut nobis indicet quâ viâ eundum nobis ſit, quid item agendum* ſuſcipiendumque; ſitne in itinere verſus Ægyptum procedendum, & quæ vitæ ratio ſuſcipienda.

Verſ. 4. *Quibus dixit Jirmeja Propheta, auſculto, ecce oraturus ſum Jehovam Deum veſtrum ſecundum verba veſtra, eritque ut quodcumque verbum reſponderit Jehova vobis, indicem vobis, non cohibebo à vobis verbum.*

2. *Jeremiæ reſponſum*, verſ. 4. quo aſſentitur petitioni, *Audivi*, adeoque obtemperabo, quomodo τὸ νῦν uſurpatur,

patur, tum pollicetur & preces, quales ſe poſtulaſſent, *ecce me precantem ad Dominum Deum veſtrum*, (qui etiam fœderatus vobis, & hoc titulo compellari cum fiducia poteſt,) *ſecundum verba veſtra*; ut ea ipſa quæ vultis Deo proponam, & reſponſum quicquid Deus vobis *reſponderit*, (quia veſtra cauſa agitur) *indicabo vobis*, fide optima, ut nihil celem, *nihil* reticeam, cujus notitiam *vobis ſubducam*. Officium iſtud prophetarum eſt; ut dicitur 1 Sam. 12: 25.

Verſ. 5. *Viciſſim illi dixerunt Iirmejæ, ſit Iehova nobis teſtis verus & fidus, niſi prorſus ſecundum verbum, cujus cauſa miſerit te Iehova Deus tuus ad nos, ita fecerimus.*

Verſ. 6. *Sive bonum, ſive malum fuerit, voci Iehovæ Dei noſtri, cujus cauſa mittimus te ad eum, auſcultabimus, ut bene ſit nobis quum auſcultaverimus voci Iehovæ Dei noſtri.*

2. *Petentium promiſſum*, verſ. 5, 6. Reponunt aliquid, ſive excitati pathetica profeſſione Jeremiæ de ſua fidelitate & integritate; ſive quod ſe ſuſpectos animadverterent, propheta quando ſuam fidelitatem proponit, ſimul arguente ſimillimam eſſe debere ipſorum, quamvis contrarium hucuſque in populo expertus fuiſſet. Reponunt autem I. *Proteſtationem* ſolennem verſ. 5. qua obteſtantur Deum, *Dominus ſit contra nos teſtis veritatis & fidelis*. Habet enim talis obteſtatio imprecationem Dei contra ſeipſum, ſiquidem quis fallat, Mal. 2: 14. cap. 3: 5, 6. Promittunt obſequium, *in omnibus* quæ Deus per ipſum mandarit, quem legatum & internuntium quaſi agnoſcunt. II. *Declarationem* verſ. 6. (1) Specificantem res mandandas, *ſive bonum, ſive malum fuerit*, non virtus aut vitium, hoc enim Deus præcipere nequit Jac. 1: 13. ſed lætum vel triſte, gratum vel ingratum, alterutrum horum cum ſit reſpondendum *obtemperabimus voci*, *Domini*, cui omnes creaturæ ſubjecti, *Dei noſtri*, cui fœdere ſingulari tenemur obſtricti, *& ad quem te miſimus*, legato noſtro fidem habentes tam cum refert reſponſum, quam cum noſtra defert deſideria (2) & β. confirmantem omnia à commodo ad ſe redundaturo, *ut bene ſit nobis cum obtemperaverimus*. Quamvis ingratum videatur prima fronte, tamen tandem cedet commodo, cum Deus ſoleat conſulere quod bonum & utile conſulenti Eſa. 48: 17. Deut. 5: 19.

Hoc reſponſum ſimillimum eſt illi Deut. 5: 27. &c. ſed inſigni hypocriſi conſtat, quia multi ſunt in proteſtationibus & promiſſis, cum nihil minus præſtent. Pſ. 78: 36, 37. Eſtque hoc familiare hominibus ejuſmodi, ut quo plus adeſt hypocriſeos, eo majores ſint proteſtationes. Nam cor fraudulentum, conſcium ſuæ culpæ, quærit latebras, queis vitium occulat, & cum de ſuâ fide plurimum dubitari mereatur, proteſtatione ſinceritatis illi ſuccurrat.

Quæſt. An ergo proteſtatio de ſuâ ſinceritate animi vitioſa eſt? Reſp. Minimè. Suſpecta quidem eſt merito omnis illa quæ ſponte ſine magna cauſa ſuſcepta eſt. Verum ſi exigatur, non peragitur leviter, nec tam ille qui facit, quam cui fit conſequitur certitudinem: ut cum Magiſtratus exigit declarationem, etiam juratam. Sic cum res poſcit, ut cum ſtatus ineunt fœdus, & mutua exigunt juramenta: cum item ſingulare eſt momentum in re: ut quando Chriſtus uſurpavit, *Amen*, *Amen*; aut David de ſua pietate Pſ. 119: 106. aut Paulus proteſtatur de ſuo in Judæos affectu: quando peculiare beneficium ad novam obligationem erga Deum excitat, 2 Chron. 15. vel magna calamitas Neh. 9: 10. in juſta defenſione contra injuſtas accuſationes, deficientibus aliis probationibus Pſ. 7: 4. &c. & Job. cap. 30, 31. Alias ſuſpecta nobis ſit fidelitas noſtri cordis, quando ad proteſtationes aſſeveratorias provolat, ac nobis ab iis temperemus.

Verſ. 7. *Fuit autem exactis decem diebus, quum fuiſſet verbum Iehovæ ad Iirmejam.*

Verſ. 8. *Ut convocaret Jochananem filium Karechi, & omnes principes copiarum qui erant cum eo, totumque populum à minimo uſque ad maximum.*

2. *Reſponſum Dei* per Prophetam, ſive hujus concio verſ. 7--22. habet I. circumſtantias, verſ. 7, 8. II. ſuaſionem conſilii Dei verſ. 9--12. III. diſſuaſionem conſilii ipſorum, proprii, verſ. 13--18. IV. concluſionem Prophetæ patheticam verſ. 19--22.

א. *Circumſtantiæ* indicant tempus reſponſi

a. *Revelati Prophetæ* verſ. 7. & eo ſic dicit, *Fuit in fine* x *dierum, & fuit verbum Domini ad Jeremiam.* Ambigitur de computo decem illorum dierum. Abrab. Non numerat à tempore precum Jeremiæ, ſed decendium ſolenne ſignificatum retur, illud nempe quod ab anni initio fluebat uſque ad feſtum Expiationis, quod in decimum menſis ſeptimi diem fixerat Deus: qui decem dies pœnitentia appellantur. Dicit Gedaljam occiſum fuiſſe poſtridie novi anni, cum primus dies feſtus fuiſſet; die altero à cæde ejus, qui tertius anni & menſis, necatos 70 illos qui ex Sichem, Schilunte & Samaria profecti tendebant lugentes Hieroſolymam: quarto & ſequentibus partim Iſmaele ad Ammonitas contendente, ſuperveniſſe Jochananem cæteroſque, & Iſmaele fugato, omnem populum rectâ iviſſe Bethlehemum, ac conſediſſe. In prædio Chimhami, partim rogatum iſtic Jeremiam, ut precibus interpellaret apud Deum, quod illico facere occœpit. Reſponſum autem ei redditum eſſe finitis decem reſipiſcentiæ diebus, ipſo Expiationis feſto; quod tempus oportunum audiendarum precum. Alii malunt decendium illud à tempore conſulti per preces Dei eſſe ducendum, quia nuſpiam decendium iſtud ſic deſcribitur, neque etiam probabile intra 5. vel 6. dies Iſmaelem omnia iſta potuiſſe expedire, vel copias aliorum cogi in unum, ut vi armatâ ulciſcerentur parricidium in patriæ patrem patratum. Quia humilis illa principum & populi ſupplicatio apud Jeremiam, & tanta promiſſio obſequii, potius die Expiationis facta videtur, quando humiliati coram Deo, juxta religionem diei, modeſtius loqui dicerant; & Jeremias illum ipſum diem precibus iſtis impendiſſe, Ab hinc autem exactis diebus decem aliis reſponſum eſſe nactus. Neque abſurdum eſt dilationem illam interceſſiſſe, quod non novum, & præſenti occaſione apprime oportunum fuit. Quoties Deus conſulebatur Deus per Urim, confeſtim reſpondebat, Num. 27: 21. ut factum Davidi 1 Sam. 23. Attamen Sauli negatum tale reſponſum cap. 28. & ſeqq. temporibus haud frequenter illud oraculum conſultum, alioqui non miſiſſent rebus difficilibus Hizkia ad Eſaiam, Joſias ad Huldam, Zedekias ad Jeremiam. Alias Prophetis Deum conſulentibus, aut conſulti ipſi ut pro Deo reſponderent, nonnunquam citra dilationem reſponſum acceperunt aut dederunt, ut Moſes Num. 9: 8. cap. 27: 7. Micha 1 Reg. 22. Eſaias Eſa. 27. Hulda 2 Reg. 22. Jeremias Jer. 21: 37, 38. aliquando tamen mora quædam interceſſit, breviter vel longior; Moſes blaſphemum in cuſtodiam dedit, donec à Deo erudiretur de genere ſupplicii capitalis. Lev. 24: 12. Eliſa adhibuit citharœdum, ut excitaretur in ſe ſpiritus 2 Reg. 3. Hab. 2: 1.

Sic habuere quandoque præſtolandam revelationem. Equidem, quæ differentia obſervanda eſt, prophetæ rogati de regula vivendi, hominumque officio, extemplo potuerunt reſpondere, & quidem ut Dei reſponſum deberet cenſeri; Eſa. 8: 19, 20. Mal. 2: 7. Jer. 23: 22. aſt circa futuros eventus, & in conſiliis de rebus indifferentibus non item: nam prædictio futurorum Deitatis privilegium eſt, Eſa. 41. quod nemini communicat abſolutè, ſed pro ſuo arbitrio quædam revelat, quando & quibus lubet. Heic conſilium potuerunt dare normæ legis conſentaneum, quod tamen diſcreparet à conſilio providentiæ Dei; ut Nathanis exemplum docet 2 Sam. 7. Ergo etiam heic Jeremias protelatus fuit, quod videtur innuere verſ. 4. cum poſt factam revelationem demum ſe reſponſurum pollicetur. Atque hoc inprimis nunc fieri erat oportunum; Deus diſtulit reſponſum, ut majus ei ſtatueret pretium 1 Sam. 3: 1, 2. & ut magis à conſulentibus æſtimaretur: adhæc ut pateret, non hominum lubitu allatam prophetiam, ſed actos à Spiritu S. locutos eſſe ſanctos Dei homines 2 Pet. 1. verſ. 21.

b. *Patefacti populo* verſ. 8. quotquot petierant ipſius interceſſionem verſ. 1. eos convocat, utpote relaturus ad omnes,

mnes, qui legatum esse voluerant, ut pateſceret omnium obedientia ſingulorumque; nec vel ducum autoritate populus, vel populi tumultu duces impulſi crederentur, ſi alterutri ſolùm fuiſſet reſponſum. Unde claret prophetæ bona fides, qui citra diſcrimen omnes convocavit, ne ſi ſolos duces delegiſſet, interpretes ad populum futuros, cum illis cenſeretur colludere, ſi ſolum populum, hos contra duces concitare. Hi quoque omnes conveniunt maximi minimique, cupidi noſſe quid reſponſi ſibi à Deo veniſſet.

Verſ. 9. *Et dixit eis, ſic ait Iehova Deus Iiſraelis, ad quem miſiſtis me ut procidens deprecarer eum nomine veſtro.*

Verſ. 10. *Si reverſi manſeritis in terra hac, utique ædificabo vos ac non deſtruam, & plantabo vos ac non evellam, quia pœnituerit me ejus mali quo afficio vos.*

2. *Suaſio conſilii Dei* conſtat.

a. *Exordio.* verſ. 9. quod ducitur I. *à nominibus Dei*, ejus affectum teſtantibus, *Sic ait Dominus*, qui uti rebus omnibus, ſic promiſſis ſuis eſſentiam largitur, Exod. 6: 2. Deus Iſraelis, fœdere illi conjunctus, & exinde benevolus & beneficus. & II. *à circumſtantia* ſingulari petiti per ſupplicationes conſilii, ſe internuncio. Quæ cuncta faciunt ad audientiam parandam. Nam quia præſtiturus eſt quæ dicit, ab iis audiendus eſt, qui de futuris optant edoceri: qui fœderatus, ab eo ceu favente optima quæque ſperanda ſunt, quorum gratior eſt audientia: à quo poſtulatum reſponſum, is non niſi geminato crimine negligitur locuturus, cum ſua ſponte loquentem nemo audire abnuat, quin reatu obſtringat caput: & quod per ſupplicationem ipſorum & prophetæ petitum, magnâ attentione excipiendum eſt.

b. *Conſilio* ipſo verſ. 10. quo dicit, I. *Quid faciendum*, commorandum in Judæâ, Heb. אם־שוב תשבו infinitivus per aphæreſin, ut reduplicatio familiaris eſt ad auxeſin, *ſi habitando habitaveritis*, conſtantem manſionem ſuſceperitis in hac terra: pro ישוב ſic Pſ. 23: 6. Job. 42: 2. quod ſi ducatur à שוב erit, *ſi revertendo habitaveritis*, quia urbes & agros, quos quiſque apprehenderat, deſeruerant, profecti Bethlehemum, ut reverſione opus foret. Prius magis oportunum eſt. II. *Quid tum ſperandum*, ædificatio & plantatio Dei, cum negatione contrariorum, quomodo magna & ſecura felicitas ſignificatur; Jer. 24: 6, 7. cap. 31: 4. &c. & verſ. 28. cap. 32: 40, 41. III. *Cur id ſperandum*, ob pœnitentiam mali illati: per ἀνθρωποπάθειαν: quomodo mutat externos eventus, Jer. 18: 7, 8. quia pronus ad benignitatem Lam. 3: 22, 23, 31. &c. judicia ſunt peregrinum opus Eſa. 28: 21. Huc faciunt Exod. 34: 6, 7. Jer. 3: 12. Jer. 3: 10. Joel. 2: 12.

Verſ. 11. *Ne timeatis à Rege Babyloniæ, à quo vos timetis; ne timeatis ab eo dictum Iehovæ, quia vobiſcum ſum ut ſervem vos, & ut eripiam vos è manu ejus.*

Verſ. 12. *Nam præſtabo vobis miſericordiam ut miſereatur veſtri, & reſtituat vos in terra veſtra.*

c. *Remotione difficultatis*, verſ. 11, 12. Oriebantur illa ex metu regis Babel, ne ultionem ſumeret cœſi Gedaljæ præfecti ſui; hunc metum alte animo ipſorum infixum jubet ponere iterato; tum quia ipſe vetet, *dictum Domini; ne timete*; tum quia præſto futurus ſit ad ſervandum & eripiendum, quomodo abunde ſecuritatis in omnipotentis favore & opere: tum quia hoſtem ipſis ſit conciliaturus, (utpote qui corda omnium in manu habet Prov. 21: 27. Pſal. 106: 46.) ut & miſereatur eorum calamitates, & benefaciat, reſtituendo eos ſuæ terræ, confirmando prius jus, quod habuerant vel donatione Nebuzaradanis delegati regii, vel occupatione propria ex Gedaljæ permiſſione, quodque deſeruerant amiſerantque tum cæde præfecti, licet ab ipſis non patrata, tum fugâ, quæ ſpeciem habebat conſcientiæ, dum pœnæ ſe ſtudent ſubducere.

Verſ. 13. *Sed ſi dixeritis, non ſumus manſuri in terra hac, non auſcultando voci Iehovæ Dei veſtri.*

Verſ. 14. *Et dicendo, nequaquam, ſed terram Ægypti ingrediemur, ut non experiamur bellum & ſonum buccinæ non audiamus: & cibum famem non patiamur, demique illic habitemus.*

Verſ. 15. *Nunc ergo idcircò audite verbum Iehovæ, reliquiæ Iehudæ: ſic ait Iehova exercituum Deus Iiſraelis, ſi vos omnino diſpoſueritis faciem veſtram ut ingrediamini Ægyptum, & ingreſſi fueritis ad commorandum ibi.*

Verſ. 16. *Utique futurum eſt, ut gladius à quo timetis, illic aſſequatur vos in terra Ægypti: & fames illa de qua ſolliciti eſtis, illic perſequatur vos in Ægypto, & ibi moriamini.*

Verſ. 17. *Ita erunt omnes homines qui diſpoſuerint faciem ſuam ut ingrediantur Ægyptum ad commorandum illic, morientur gladio, fame, ac peſte: neque erit eis ſuperſtes, aut qui evadat, propter malum illud quod ego adducam contra eos.*

2. *Diſſuaſio conſilii proprii*, verſ. 13--18. quæ continet.

a. *Recitationem* ejus verſ. 13, 14. quod proponitur I. negative, verſ. 13. *Sin dixeritis, Non manebimus in hac terrâ.* Qualificatur à contrarietate conſilii Dei, *ne obtemperetis voci Domini Dei veſtri.* Poſtquam enim propheta indicarat quid Deus faciendum ſuaderet, non poterant contrarium dicere, ſine manifeſta rebellione. II. Affirmative v. 14. *dicendo, Non; ſed ibimus in Ægyptum*: quod apertæ rebellionis erat, contra expreſſum mandatum Dei Deut. 17: 16. & quod maximam maledictionem habebat Deut. 28: 68, confirmatum argumento fiduciæ immunitatis à bello & fame, eoque ſecuræ & conſtantis habitationis. Nihil horum adhuc dixerant; Eſt enim prophetæ oratio continuata, ſed Deus reſpondet ipſis cogitationibus, eoque ſe παρδιογνώστα Pſ. 139: 2. oſtendit Eſa. 10: 6, 7. Matt. 9: 3. &c. Job. 16: 19. Conf. Ezek. 14: 4, 5. Et ſic agit per prophetiam ordinariam 1 Cor. 14: 24, 25. hæc enim *vis* verbi. Hebr. 4: verſ. 12.

b. *Improbationem* conſilii iſtius. verſ. 15--18. ubi I, *præfatio* verſ. 15. tum prophetæ, *Et nunc, propterea, audite, verbum Domini, reliquiæ Judæ.* Sine mora, & quia ſic affectos norat, non tam propria ſagacitate, quam Dei patefactione, *verbum Domini*, cujus autoritas declinari non poterat, proponit, idque argumento ab ipſorum paucitate, quæ ſollicitos debebat reddere quum tam prope abeſſent ab internecione: tum concionis, *Sic dicit Dominus* Eſſentiator; *Zebaoth* exercituum temporumque moderator abſolutus; *Deus Iſraelis* fœderatus, & fœdifragis ultor futurus. II. *Inutilitas conſilii*, Decretum eundi in Ægyptum, (*ponendo ponere faciem*, eſt certiſſime decretum habere, neque dimoveri velle, quo minus perficiatur quod occœptum eſt, Luc. 9: 51: 52. Marc. 10: 32.) ut illic habitarent peregrini; neque enim abſolute interdictum fuit ingreſſu in Ægyptum, quo legati nonnunquam erant mittendi, & piis etiam fugiendum, ut Uriæ Jer. 26: 21. & Jeſu cum parentibus Matt. 2. Verum hæc manſio exigui temporis erat: at iſti moram conſtantem iſtic meditabantur, licet non niſi peregrinorum conditionem poſſent conſequi. Damnum ſecuturum verſ. 16. ut *bellum & fames*, quæ vitare parabant, non tantum aſſequerentur, ſed etiam conſtanter affligerent, ceu agglutinatæ, ut excutere nequirent, imo ad excidium, morituris ibidem III. *Damni amplificatio* verſ. 17. tum à ſubjecto, apprehendet *omnes* qui conſilium iſtud inibunt, addita prioribus judiciis *poſt te*, tum à certitudine, *non erit qui remaneat, quive evadat propter malum*

malum, quod ego adducam ſuper eos. Ne caſu, vel hominum duntaxat voluntate ea inferri crederent; ſed à ſe quem amoliri, ſeque ſubducere impoſſibile prorſus.

Ita docet conſilia humana eſſe noxia, quæ ſpretis Dei mandatis ac promiſſis ſuſcipiuntur. Eſa. 28: 16. &c. attamen ut pateret Deum diſcriminare pios ab impiis in judiciis: non abſolute minatur omnibus ituris in Ægyptum, ſed iis qui faciem ſuam eò dirigerent; qui autores conſilii eſſent & exſecutionis; vere rebelles Deo: cæteri, qui unà ducebantur, aut invicti raptabantur, uti exſortes erant culpæ, ſic quoque non deſtinantur pœnæ. Plures præter voluntatem ſuam, & quaſi captivi eò deportati fuerunt, ut Jeremias, Baruch, alii, &c.

Verſ. 18. *Nam ſic ait Iehovæ exercituum Deus Iſraelis, quemadmodum effuſa eſt ira mea & excandeſcentia mea ſuper habitatores Ieruſchalaimorum, ita effundetur excandeſcentia mea ſuper vos quum ingreſſi fueritis Ægyptum, & eritis exſecrationi, & deſolationi, maledictionique, & opprobrio, neque videbitis amplius locum hunc.*

c. *Rationem* inutilitatis verſ. 18. ab exemplo ſimilis judicii, quod Deus proponit & idem ſuperventurum minatur. Eſt autem Hieroſolymitanorum, quod ſæpius declaratum, quod in Ægypto ipſis quoque ſit ſubeundum, multiplici aggravatione, ut malis cumulentur, & omni ſpe reditus excludantur, inviſi Deo, & contemti hominibus. Exempla ſunt μοῤῥήματα Jer. 7. 1 Cor. 10. 2 Pet. 2.

Verſ. 19. *Alloquitur Iehova vos, ô reliquiæ Iehudæ, ne ingrediamini Ægyptum: omnino ſcitote me conteſtari vos hodie.*

Verſ. 20. *Quandoquidem fefelliſtis animis veſtris; quod miſiſtis me ad Iehovam Deum veſtrum, dicendo, ora pro nobis Iehovam Deum noſtrum: & omnino prout edixerit Iehova Deus noſter, ita indica nobis, & facturi ſumus.*

Verſ. 21. *Quum autem indico vobis hodie, non auſcultatis voci Iehovæ Dei veſtri & omnibus quorum cauſa mittit me ad vos.*

Verſ. 22. *Nunc, inquam, omnino ſcitote vos gladio, fame, & peſte morituros in loco quò placet vobis ire ad commorandum ibi.*

7. *Concluſio pathetica* verſ. 19—22. ubi I. Efficaciter *diſſuadet*, profectionem, verſ. 19. quia Deus interdicat, & quia ipſe obteſtatus ſit, quæ apud conſcientiam ipſorum magnam vim debebant habuiſſe. II. *Cauſam* dicit inobedientiæ, deceptionem contra proprias animas: quæ familiaris nimium, Jac. 1: 14, 22. 1 Cor. 6: 10. Gal. 6: 7. Eph. 4: 22. quam inobedientiam probat ipſorum petitione & promiſſione, verſ. 20. ſuo facto, & ipſorum inobedientia promiſſis contraria verſ. 21. qua non ſibi, ſed Deo adverſarentur. III. *Denunciat* judicium verſ. 22. triplici judicio certiſſime abſumendos iſtic loci, ubi ſibi pollicebantur indemnitatem, atque eo delectabantur in animo ſuo.

CAP. XLIII.

EXhibet Judicium Judæorum de prophetæ reſponſo verſ. 1—7. & vaticinium de Ægypto verſ. 8—13.

Verſ. 1. *Fuit verò quum abſolviſſet, Jirmeja eloqui apud totum populum omnia verba Jehovæ Dei eorum, quorum cauſa miſerat ipſum Jehova Deus eorum ad eos, omnia verba illa.*

Verſ. 2. *Ut loqueretur Hazaria filius Hoſcahahjæ & Jochanan filius Karechi, omneſque homines illi ſuperbi; dicentes Jirmejæ, falſum loqueris, non miſit te Jehova Deus noſter ad dicendum, ne ingrediamini Ægyptum ad commorandum illic.*

Verſ. 3. *Sed Baruc filius Nerijæ incitat te contra nos, ut tradat nos in manum Chaldæorum ad morte afficiendum nos aut ad deportandum nos in Babyloniam.*

3. *Judicium* Judæorum de Jeremiæ reſponſo habet inobedientiam ipſorum.

8. *Verbalem* verſ. 1—3. ubi I. *Tempus*, verſ. 1. *quam primum abſolviſſet Jeremias ſermonem ſuum*, qui amplificatur tum ab auditoribus, *ad omnem populum*; quia omnes convocarat, à maximo ad minimum cap. 42: 8. tum à materia, *omnia verba Domini Dei ipſorum*, quæ audire tenebantur quicquid etiam de Jeremia judicarent; *cum quibus Dominus Deus ipſorum ad ipſos eum miſerat*, quod novam afferebat obligationem: *omnia iſta verba*, quæ proinde Dei verba, ori ipſius indita. II. *Autores* verſ. 2. duo nominatim, alii conjunctim. Primus *Atzarja filius Hoſchajæ*, cap. 40: 8. vocatur Jezanja, ultimus ducum, dignitate & autoritate; ſed hic princeps in impudenti inobedientiâ; Alter eſt *Jochanan Kareachi filius*, omnium aliorum potiſſimus. Cæteri, *omnes homines ſuperbi*, arrogantes, qui neminem ſuperiorem agnoſcunt, ſuæ ſapientiæ & conſiliis omnia ſubjacere rati. Qualis fuit Pharao & Ægyptii Exod. 5: 2. cap. 10: 5. cap. 18: 11. & Babel Jer. 50: 29, 31. Non omnes ſimul locuti ſunt, ſed unus Azaria, ſed cui mox reliqui iſti ſunt aſſenſi; quorum eadem fuit arrogantia, boni conſilii nequaquam capax, ſed aſpera monitoribus, ut omnibus neceſſaria ſit petitio Davidis. Pſal. 19: 14, 15. III. *Judicium* ipſum, verſ. 2. quo arguunt ſermonem prophetæ mendacii; *Mendacium loqueris*; & ipſummet mendacem, qui ſe Dei legatum diceret, & hujus voluntatem declarantem quod ad iter Ægyptiacum. *Dominus Deus noſter te non miſit*; ut hæc nobis renunciares. IV. *Ratio*, verſ. 3. *deceptum* ſeu *impulſum* eſſe à *Barucho*, qui hoc reſponſum ipſi dictarit; hujuſque ſuſpicionis argumentum, Baruchum velle eos *tradere in manum Chaldæorum, ut vel occidantur, vel deportentur Babelem.* Baruch fuit amanuenſis prophetæ & qui inſtar Eliſæ Eliam ſervus ac diſcipulus herum comitabatur, Jer. 35, 36. qui proinde una cum Jeremia dimiſſus à Nebuzaradane apud Gedaljam manſit, donec hic trucidatus nefarie fuit; quando cum cæteris, ab Iſmaele deportandis ad Ammonitas, à Jochanane ereptus eſt, & una ductus Bethlehemum, ubi de itinere ulteriore deliberatio inſtituta. Hunc vero cur accuſent, hæc forte ratio, quod individua eſſet ipſi cum Jeremiâ vitæ ſocietas, & conſuetudo, & quum per decendium dilatum fuiſſet reſponſum, hunc interim commentum eſſe, quæ propheta nomine Dei ementito referret. Sed quod Chaldæis ſe prodere vellet, nullam habebat ſpeciem. Si enim Babelis tantus fuiſſet amor, utique cum Jeremia eo ire potuiſſet, luculentis conditionibus à Nebuzaradane invitato, qui maluit in Judæa manere, & quid jam poſſet placere in terrâ, ſi omnes alli vel necarentur, vel deportarentur. Eſt autem obſervanda ſuperborum hypocriſis, non volunt refragari Deo; huic norunt abſolute obtemperandum, quod etiam ſe facturos antea receperant: ſed nolunt obedire homini fingenti mandatum Dei; quod Jeremiæ imputabant. Sic jam pietatis nomen merebitur, elatæ manus inobedientia. Itemque calumnia, contra innocentes Baruch accuſatur odii in patriam & gentiles; quorum proditionem moliretur, imo perniciem ultimam; præterea ſubornati falſi oraculi, & Jeremias, quod impudenter imo blaſpheme mentiretur legationem Dei, cum miſſus non eſſet, quod Pſeudoprophetarum erat. Cujuſmodi exempla impiis non ſunt inſolita.

Verſ. 4. *Itaque non auſcultans Jochanan filius Karechi, omneſque Principes copiarum, & to-*

tus populus voci Jehovæ: ut maneret in terra Jehudæ.

Verſ. 5. *Aſſumſit Jochanan filius Karechi & omnes principes copiarum, omnes reliquias Jehudæ, quæ reverſæ erant ab omnibus gentibus quo depulſæ fuerant, ut commorarentur in terra Jehudæ.*

Verſ. 6. *Viros, & fœminas parvuloſque & filias Regis, & omnes animas quas reliquerat Nebuzar-dan præfectus ſatellitum cum Gedalja filio Achikami filii Scaphanis: Jirmejam quoque Prophetam, & Barucum filium Nerjæ.*

Verſ. 7. *Et profecti in terram Ægypti, quia non auſcultarunt voci Jehovæ, pervenerunt Daphnas uſque.*

2. *Realis* verſ. 4--7. I. *Negative* verſ. 4. quid non fecerint: *Johanan, & omnes duces copiarum, & omnis populus, non obtemperaverunt voci divinæ, ut manerent in terrâ Judæ.* Plus potuerunt impii ad perſuadendam inobedientiam, quam pii ad eam impediendam. Ebedmelech, Baruch, & Jeremias ipſe, & qui forſan alii æſtimarunt prophetam probatæ fidei, vel non auſi ſunt, vel non potuerunt reſiſtere protervis illis rebellibus. Vincunt hi numero, & impudentia, & clamore incondito obtundunt, ut ſilere illi & obumteſcere cogantur, nil profecturi. Sic jam rapiunt in conſenſum univerſum populum, ſive expreſſum, ſive tacitum, ut Deo non præbeant aures & obſequium. II. *Affirmative*, verſ. 5--7. quid egerint; ſecuti ſunt conſilium proprium eundi in Ægyptum, cujus 1. *Autores*, Jochanan & cæteri præfecti. 2. *Qui deducti*, partim quidem, *omnes reliquiæ Judæ*, quæ reverſæ fuerant poſt deportationem Hieroſolymæ, ex gentibus vicinis, quo ſe ante receperant ut belli calamitates evitarent, ut denuò in patria habitarent. Qui faciebant illas copias quibus Jochanan & cæteri præerant, qui ſua ſponte ad Gedaljam venerant. Partim autem alii, nempe *viri*, *mulieres*, *parvuli*, *filiæ regis*, & reliqui Judæi, qui à Nebuzaradane relicti, & Gedaljæ imperio ſubjecti fuerant, & quos Iſmael cæſo Gedalja voluit ad Ammonitas ducere: denique *Jeremias & Baruchus*, quibus à Nebuzaradane licentia facta agendi pro lubitu, & qui ſe ad Gedaljam contulerant. Hos videntur in pœnam aſſumſiſſe, ut ipſis ægre facerent. III. Quo deducti, iverunt in Ægyptum, uſque ad Tachpanes: Eſt urbs Daphne, locus ominoſus, ubi olim ſervierant, & unde ſæpius damna tulerant Jer. 2: 16. idque, quod de novo inculcatur, manifeſta inobedientia contra Deum.

Concio ſeu Prophetia XXVI.

4. *Vaticinium* eſt *contra Ægyptum.* Cui regno locus primus eſt inter gentes, quas contra vaticinatus eſt cap. 46. & ſeqq. Veruntamen huic datur locus peculiaris heic, quia pertinuit ad Judæos, qui eò ſe receperant, ſecuritatis ergò, ut confirmaretur, quod ante his prædixerat, non ſubducere ſe calamitatibus hoc itinere, ſed in illas præcipitare. Heic autem occurrit.

Verſ. 8. *Fuit autem verbum Iehovæ ad Iirmejam Daphnis, edicendo.*

Ver. 9. *Accipe in manum tuam lapides magnos, & abde eos in argilla lateriæ illius quæ eſt ad portam domus Parhonis Daphnis; ante oculos hominum Iehudæorum.*

8. *Mandatum* prophetiæ verſ. 8, 9. cujus tempus & locus verſ. 8. *In Tachpanes* ſeu *Daphne*, quo iviſſe dixerat Judæos illos, & uti probabile, quam primum eò venerunt. Nam Jeremias eò quoque deductus fuit, non ſine moderamine numinis, ut teſtem ibi haberet & miniſtrum quo uteretur. Apparet autem ex verſ. 9. Pharaonem in ea urbe habuiſſe regiam; quæ etiam fuit cauſa, cur eò profecti ſint Judæi: non poterant peregrini occupare ſedem in Ægypto, inſcio rege, cum non ſinguli accederent, ſed aliquo familiarum numero, quæ ſuos duces habebant. Neque videtur Pharao difficilis fuiſſe in ipſis recipiendis, tum quia Judæis fœderatus erat contra Chaldæos, cap. 37. tum quia hæc nova acceſſio Judæorum, ceu novorum ſubditorum pacis & belli tempore poterat eſſe oportuna, maxime contra Chaldæos quos oderant, & quorum metu deſeruerant Judæam, (quæ ſpecialis ratio hujus prophetiæ) aſſignaſſe etiam urbes potiſſimas; ut cap. 44: 1. memorantur.

Mandatum ipſum verſ. 9. præſcribit ſignum exhibendum, non miraculoſum, ſed quod rei ſignificandæ ex Dei inſtituto conveniret. Inſaniebant Reges Ægypti circa ſtructuram pyramidum, non ad utilitatem aliquam, ſed ad pompam & famam. Non habebant autem lapicidinas, ut cæſis lapidibus uti poſſent, verum omnia fuerunt latericio opere ſtruenda. Lateribus conficiendis & coquendis prope aulam rex ſtatuerat locum, forte ut opus ſæpius inſpicere, & magis urgere poſſet. Ingredi ergo jubetur Jeremias in *lateriariam*, (ubi confiebant, & ubi fornax erat excoquendis lateribus deſtinata,) & grandiores nonnullos manu arreptos defodere, argilla obrutos, præſentibus & inſpectantibus Judæis aliquibus, quos hoc fine aſſumſiſſe credibile eſt, uti olim cum aſſumſit aliquos in Tophet, quando ibi amphoram fictilem confregit, cap. 19. neque dubium eſſe poteſt quoſdam Ægyptios quoque fuiſſe præſentes & ſpectatores: unde liquet infracta conſtantia Jeremiæ, qui tam difficilem provinciam ſuſceperit.

Verſ. 10. *Et dices eis, ſic ait Iehova exercituum Deus Iiſraelis, ecce ego mittens aſſumam Nebucad-netzarem Regem Babylonis ſervum meum, & ponam ſolium ejus ſupra lapides iſtos quos abdidi, tendetque auguſtale ſuum ſuper eos.*

2. *Prophetia* ipſa habet judicium contra Ægyptum exercendum, verſ. 10--13. cujus indicatur.

a. *Autor*, denuncians, verſ. 10. *Dicit ad ipſos, ſic ait Dominus Zebaoth, Deus Iſraelis.* Non ſufficiebat enim ſignum dediſſe, niſi accederet verbum, ſigno vim daturum. Sic ſignis cinguli integri, & putrefacti cap. 13. amphoræ confractæ cap. 10. lapidis in Euphratem *conjecti* cap. 51. verbum adjectum ut inſtitutionem conſequerentur docendi, convincendi, conſolandi. Signa enim ſola nil ſunt niſi cadavera, à verbo ſi ſeparentur, quod animæ inſtar eſt, iiſque vividam virtutem largitur, unde Auguſtini illud, accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Aqua in Baptiſmo, panis & vinum in Cœna Dominica, ſi ſeparentur à verbo, non modo communium elementorum habent conditionem, ſed multo magis ſunt noxia, quando quæ Deus conjunxit homo ſeparat, non ſecus ac ſi quis animam corpore expellens hoc in cadaveris ſtatum redigat. Sejunguntur, vel quando ſigna ſola ſine verbo proponuntur, vel quando ab uſurpante ſola ſumuntur ſigna, fide non attendente verbum promiſſionis, quod animam ſigno largitur, & inferens. Tituli Dei ordinarii, qui autorem & moderatorem omnium potentiſſimum dicunt, & ſpeciatim, Deus Iſraelis, ſignificat enim licet egreſſi eſſent terrâ Dei, Judæâ, non exiſſe tamen ex Dei poteſtate. Eſſe ipſum Dominum Zebaoth etiam in Ægypto, cum ipſius ſit terra & plenitudo ejus Pſ. 24: 1. & uti olim exercitus plagarum contra Ægyptum mittere, & ejus ſuperbiam frangere potuerit, ſic adhuc dum eodem jure & robore eſſe inſtructum. Eſſe Deum Iſraelis, qui vindicandi fœderis jus ubique haberet, contra fœdifragos, quemadmodum ubique obſervantibus obligarit ſe ad benefaciendum. Nam fœdus non inierat in Cananæa, ſed extra illam in deſertò, ubi ejus terræ finibus obligatio paciſcentium non circumſcribatur, ſed etiam extra eos & ubique rata foret.

b. *Miniſter* judicii exequendi, verſ. 10. *Nebucadnezar* ille eſt, *rex Babel*, quem *ſuum* vocat *ſervum*, (uti cap. 25: 9. cap. 27: 6. & Cyrum unctum ſuum Eſa. 45: 1. item paſto-

paſtorem ſuum Eſa. 44: 28.) non quod Deo ſerviendi haberet voluntatem, ſed quod Deus eo uteretur ceu inſtrumento, Eſa. 10: 4, 5. aut mercenario Eſa. 7: 20. aut duce exercitus conducti Ezek. 29: 18. Eſa. 13: 3, 4, 5. Hunc *ſe evocaturum* ait, & efficaciter flexurum, tanquam ſi manu ſua prehenſum moveret, & collocaturum regali poteſtate in Ægypto, quouſque ejus regnum velit extendere, & *thronum ipſius collocare ſuper illos ipſos lateres*, quos Jeremias abſconderat, & tentorium ejus caſtrenſe iſtic loci extenſum iri, ut iidem lateres abſconditi in argillâ ſub eodem continerentur. שפרי à pulchritudine nomen habet, ſed tabernaculum notare extenſionis verbum docet.

Verſ. 11. *Nam progreſſus percutiet terram Ægypti*, eum *qui morti* addictus eſt *ad mortem* trahens, *& qui captivitati ad captivitatem, & qui gladio ad gladium.*

Verſ. 12. *Et ſuccendam ignem in domibus deorum Ægypti, ut comburat illas, & captivos deportet eos: & amiciet terram Ægypti quemadmodum amicit paſtor veſtimentum ſuum; & exibit inde cum pace.*

Verſ. 13. *Poſtquam fregerit ſtatuas Heliopoleos, quæ eſt in terra Ægypti, & domos deorum Ægypti combuſſerit igne.*

c. *Exſecutio* judicii eſt verſ. 11, 12, 13. *in genere*, victoria de Ægypto, *veniet & percutiet Ægyptum.*

In ſpecie.

a. Contra homines, peſte, captivitate, bello. Peſtem deſignat *morte*, diſtincte à gladio, quemadmodum cap. 15: 2. ubi quartum malum famis conjungit. Nebucadnezari tribuit, hæc mala illaturum, etiam peſtem, non quod in ejus ſit poteſtate aërem inficere, aut contagium immittere; ſed quod occaſione hoſtilis ingreſſus peſtis ſit oritura, quæ & in caſtris militum ſolet graſſari, & occaſione magnorum præliorum excitari. Simul autem indicat Deus regimen ſuæ providentiæ ſpecialis circa homines, dum peſtem, exilium gladium, nemini gravem futurum affirmat, niſi qui illi deſtinatus, adeo ut qui uni malo deſtinatus eſt, nequeat in alterum incidere, aut ei ſuccumbere. Exod. 21: 13. Definitus cuique vitæ terminus, & mortis modus, ſive ad judicium ſive ad beneficium; cum ipſa judicia quandoque non ad condemnationem pertineant, ſed ad caſtigationem duntaxat Gen. 11: 31: 32.

b. Contra Deos Ægyptiorum, verſ. 22. ubi Deus ſibi adſcribit judicium, quod miniſterio Nebucadnezaris erat exſequendum, ut idola comburantur, alia deportentur aurea nempe & argentea, aut metallum ſolùm ceu ſpolia pretioſiora, ſic Hoſ. 8: 4, 5, 6. cap. 10: 5, 6. Judicium enim Dei eſt quoque contra idola, quibus confidunt homines, Exod. 12: 12.

Repetitur autem hoc verſ. 13. de idolis, Betſemes, Heliopoleos, quæ præcipua; Solis cultus, ceu Deorum maximi & potentiſſimi; iſtic vigebat, & fiducia Ægyptiorum potiſſimum nitebatur Numinibus, qui ibidem colebantur. Ergo ſtatuas Deorum confringendas dicit, & comminuendas; & idolea comburenda. Hæc autem Nebucadnezar acturus erat, qui ipſemet Solem venerabatur more Orientalium illorum: ſed quia Dei miniſter fuit, Dei opus debuit exercere, & contra idola ipſe idololatra vindictam ſtatuere, ut ab omnibus Dei opus agnoſceretur.

c. Contra divitias Ægypti, verſ. 12. Omnes opes terræ ceu unam *veſtem induet* (uti paſtor non multas habet, ſed unam qua ſe tegit, quando cum grege ſuo migrat.) ſeque iis involvet, totus cinctus opulentia illius regni, & abibit in pace, ut nemo ſpoliis onuſtum adoriri, aut quicquam eorum eripere auſit aut poſſit, ſed citra metum ullius periculi omnia patiantur efferre. Quomodo Dei moderamen denuo aſſeritur; ut cum Iſraelem cum opibus Ægypti olim inde eduxit. Exod. 12.

Concio ſeu Prophetia XXVII.

CAP. XLIV.

QUemadmodum Judæos in Ægyptum ituros prophetæ præmonuit de calamitatibus iſtic tolerandis, cap. 42. & mox ingreſſis etiam addito ſigno certitudinem malorum indicavit, cap. 43. ita commorantibus ibidem, & in peccatis perſeverantibus eadem mala denunciavit, hoc cap. 44. Continentur hic I. Concio Prophetæ pœnitentialis, verſ. 1--14. II. Impium populi reſponſum v. 15--19. III. repetita judicii declaratio, de ingruituro malo verſ. 20.

Verſ. 1. *Verbum quod fuit ad Jirmeiam contra omnes Jehudæos habitantes in terra Ægypti; qui habitabant Migdoli, & Daphnis, & Nophi, atque in terra Pathroſi, dicendo.*

I. CONCIONIS Circumſtantiæ verſ. 1. habentur, recitantque I. quid fuerit denunciatum, *verbum quod factum eſt* ad Jeremiam. Dei nempe, quod abſolute verbum dicitur Jer. 5: 13. Ezek. 33: 34. 2 Tim. 4: 2. neque enim aliud prædicabat Jeremias, aut alii attendebat, ut verſ. 2. indicatur. II. Cui; *ad Jeremiam*; etiam extra Judæam: cum Deus loco allegatus non ſit. Exod. 20: 24. quem delegerat prophetam in Judæa, mutato loco non repudiavit, ut Jonæ exemplum docet: imo in Babele prophetas excitavit Ezekielem, Danielem; uti ſe deportatis fidelibus iſtic ſanctuarium fore dixerat. Ezek. 11: 16. III. Quibus *ad Judæos omnes* nam prophetia non propter prophetas data, ut ipſi noſſent voluntatem Dei, (quamvis ſubinde ſolis quid patefactum, cum interdicto revelandi, uſque dum foret oportunum, Dan. 12.) ſed propter populum, cui dantur prophetæ & prophetiæ, ad hujus inſtitutionem. Ezek. 2, 3. Jon. 1, 3. male eſt tegentibus. Jer. 20: 9. nam Eph. 4: 11. 2 Cor. 5: 18. &c. 1 Pet. 1: 11, 12. IV. Ubi: *in Ægypto*, ſed locis diſſitis, *Migdol* Magdolus eſt, viciniſſima Judææ; *Tachpenes* Daphne paulo remotior; *Noph* Memphis, verſus interiora Ægypti trans Nilum, *Pathros* Patures, inter oſtia Nili, uti Bochartus in Phaleg lib. 4. cap. 17. deſcripſit. Scilicet non uno loco conſederunt, ſed per varias, etiam ab invicem diſſitas urbes, fuere diſtributi Judæi, ne quid turbarent, reſve novas moverent. Neque Jeremias uno eodemque tempore omnes affari potuit, verum ſucceſſive omnibus concionatus eſt, ubicunque degebant, ceu omnium propheta, de omnium ſalute ſolicitus. Proinde hæc eſt materia omnium Concionum, quas habuit in Ægypto, doctrina de reſipiſcentia; quæ quidem ſemper non oportuna modo, ſed etiam neceſſaria eſt. Neque ab omnibus eodem modo excepta fuit, ſaltem reſponſum, verſ. 15. expreſſum, quod in Pathros reddiderunt, impudentiores cæteris, quos vix meliores fuiſſe reliqua prophetæ oratio declarat.

Verſ. 2. *Sic ait Iehova exercituum Deus Iiſraelis vos vidiſtis totum illud malum quod adduxi contra Ieruſchalaima, & contra omnes civitates Iehudæ, ut ecce ſunt vaſtitas hodierno die, ita ut nullus in eis habitet.*

Verſ. 2. *Propter malitiam illorum quam exercuerunt ad provocandum me, euntes ad adolendum, ad colendum deos alienos, quos non noverunt ipſi, vos aut majores veſtri.*

Verſ. 4. *Quod quum mitterem ad vos omnes ſervos meos prophetas inde à diluculo indeſinenter, edicendo; ne quæſo faciatis rem abominabilem iſtam quam odi.*

Verſ. 5. *Non tamen auſcultarunt, neque inclinarunt*

narunt aurem ſuam ut reverterentur à malitia ſua, ne adolerent diis alienis.

Verſ. 6. *Quapropter effuſa eſt excandeſcentia mea, & ira mea exarſitque in civitatibus Iehudæ, & in plateis Ieruſchalaimorum, adeò ut fuerint vaſtationi, & deſolationi, ut ſunt hodierno die.*

Concio habet I. *Propoſitionem* verſ. 2--6. Poſt ordinarium exordium, ab autoritate Legantis, cujus tituli ſolennes proponuntur recitat. I. *Calamitatem Judææ*, verſ. 2. cujus ipſimet ſint teſtes, *Vidiſtis omne malum* &c. & ſpeciatim, quod ſint *vaſtitas* & *ſolitudo*. Revocat proinde in memoriam magnum illud & recens judicium, contra Judæam exercitum, & cujus ipſi ſpectatores atque etiam participes fuerant; quod quæ peregrina ſunt, minus ſoleant attendi. II. *Cauſas* item verſ. 3--6. *in genere* peccatum, provocans Deum, qui finis, ſive intendant peccantes aperte, ſive aliud, etiam contrarium, prætendant. *In ſpecie* (1) Idololatria, quocunque modo exercita, erga *Deos* prorſus *ignotos*, antiquis & modernis temporibus. Deut. 32: 17. cap. 29: 26. *Ignoti* autem dicuntur ab experientia bonitatis, Jer. 2: 13. quam præſtare non poſſunt, Pſ. 115: 135. Eſa. 46: 20. cap. 46: 6, 7. cap. 44: 10. Jer. 10: 3. &c. (2) contemtus hortationum Propheticarum verſ. 4, 5. quæ per plures, magnâ conſtantiâ & importune, repetitæ fuerant, exaggeraverantque crimina; ſed ut nullo fierent profectu, cum nec æſtimatæ ſint, nec eis obtemperatum, & idololatria continuata, unde repetitur judicium, ut ejus cauſa potiſſima memoretur, ira Dei. verſ. 6. Quæ omnia frequentiſſime habuimus inculcata, ceu omnium prophetarum atque etiam Jeremiæ argumentum.

Verſ. 7. *Nunc autem ſic ait Iehova Deus exercituum Deus Iſraelis, quare vos facitis malum maximum contra vos ipſos, ut exſcindatis vobis virum & fœminam, parvulum & lactentem è medio Iehudæ, ut non reliquas faciatis vobis reliquias.*

Verſ. 8. *Provocando me operibus manuum veſtrarum, adolendo diis alienis in terra Ægypti, quò veniſtis ad commorandum, ut exſcindatis vobis reliquias, & ut ſitis maledictioni & opprobrio apud omnes gentes terræ.*

Verſ. 9. *An obliti eſtis mala majorum veſtrorum, & mala Regum Iehudæ, & mala uxorum cujuſque illorum, malaque veſtra, & mala uxorum veſtrarum; quæ fecerunt in terra Iehudæ & in plateis Ieruſchalaimorum?*

Verſ. 10. *Non attriti fuerant uſque in diem hunc: neque timuerant, neque ambulaverant in lege mea & in ſtatutis meis, quæ propono vobis, ut majoribus veſtris.*

II. *Applicationem*, convincentem de peccatis v. 7--10. deque judiciis ſuperventuris verſ. 11--14. Hæc applicatio eſt anima concionis; citra eam veritas quidem adeſſe poteſt, ſed deeſt virtus & efficacia, quodque penetret ad cor & conſcientiam. Ut tamen vividam vim habeat, Dei ſit oportet non hominum, quæ Dei nomine fiat, uti hic illud promittitur; u. ex Scriptura arceſſatur, in quâ Deus loquitur. Jer. 11: 1. cap. 23: 22.

1. *Convictio de peccato*, propoſita interrogative, inſtituitur.

2. *Ab effectu* noxio verſ. 7. 8. quod malum calamitatem maximam inferant (1) animabus propriis, ſive ſibi ipſis; ſinguli ſibi hoſtes maximi, (2) omni ſexui & ætati; (3) toti Judæ, quotquot eorum in Ægyptum venerant. Hæc peccati noxa, contra animam Eſa. 3: 8, 9. Prov. 8: 36. Matt. 16: 26. omnem ſexum Hoſ. 14: 1. Jer. 6: 11, 12. cap. 13: 13, 14. ipſamque poſteritatem Exod. 20: 5. Deut. 29: 20. ſeq. Jeroboami, Achabi aliorumque exemplo. Amplificatur verſ. 8. à cauſa, idololatriâ, & effecto, excidio & infamiâ Prov. 14: 34. ſic Jeroboam, Achab, & alii infames ob peccata Ier. 29: 22.

2. *A comparatis* verſ. 9. revocat in memoriam ante patrata peccata, inductione perſonarum committentium, patrum, regum, & uxorum utrorumque, tum ipſorummet quibus loquebatur, & uxorum; & loci indicio, in Iudæa, & Hieroſolymæ, & quidem publicè in plateis. Conſervata memoria peccatorum olim & recens admiſſorum, cum meditatione circumſtantiarum à perſonis, loco & tempore, multum valet ad convictionem. Quod à Prophetis multipliciter factum: quo faciunt hiſtoricæ quaſi narrationes. Ezek. 16: 20, 23. Ier. 7: 25. Neh. 9. Act. 7: 13.

3. *A neglectu* remedii verſ. 10. quod eſt (1) dolor ſenior de peccatis, qui contritione, cordis nempe ſignificatur, (2) metus novæ offenſæ, (3) obedientia nova juxta normam præſcriptam, ab antiquo. Aggravationis autem eſt, diuturnitas, uſque in hodiernum diem nihil horum obtinuiſſe. Quæ tamen recordatio peccatorum debuiſſet effeciſſe Lev. 26: 41. Deut. 30: 1. Ezr. 9.

Verſ. 11. *Idcircò ſic ait Jehova exercituum Deus Iſraelis, ecce ego diſpono faciem meam contra vos ad malum; idque ut exſcindam omnes Jehudæos.*

Verſ. 12. *Tollam enim reliquias Jehudæ, quæ diſpoſuerunt faciem ſuam ut ingrederentur terram Ægypti ad commorandum ibi; conſumenturque omnes, in terra Ægypti cadent, gladio, fame conſumentur à minimo uſque ad maximum, gladio ac fame morientur: eruntque exſecrationi, & deſolationi, maledictionique, & opprobrio.*

Verſ. 13. *Et animadvertam in eos qui habitant in terra Ægypti: quemadmodum animadverti in Jeruſchalaima, gladio, fame, & peſte.*

Verſ. 14. *Adeò ut non ſit futurus qui evadat, & reſiduus reliquiis Jehudæorum, qui venerunt ut commorarentur illic in terram Ægypti: præter eos qui attollunt animam ſuam ut revertantur in terram Jehudæ, revertantur inquam ad habitandum illic, nam non ſunt reverſuri niſi qui evaſerint.*

2. *Convictio de judiciis* verſ. 11--14. quorum Autor verſ. 11. *facies* ſeu *ira* Dei, deſtinata ad effectum damnoſiſſimum, Iudæ exterminium; eorum vid. qui in Ægyptum iverant, ad quos reſtringitur verſ 12. & quidem ad ſuperbos illos, qui hujus itineris erant cauſæ & duces. Variæ ſpecies verſ. 12. bellum & fames ſine diſcrimine graſſaturæ in omnes, nec non conſequens infamia ad omnium aliorum terrorem.

Exemplar verſ. 13, 14. eodem modo uti Hieroſolymitani bello, fame, peſte fuerant afflicti, gravitas, verſ. 14, à præciſa ſpe reditus in patriam, quæ negatur, cum reſtrictione tamen, paucorum exceptione. Quæ repetuntur verſ. 26. &c. poſt novam rebellionem etiam in majus aucta.

Verſ. 15. *Reſponderunt autem Jirmejæ omnes viri illi qui ſciebant uxores ſuas adolere diis alienis, & omnes fœminæ ipſæ, quæ adſtabant congregatione magna, totus denique populus habitantium in terra Ægypti, in Pathroſo, dicendo.*

Verſ. 16. *In verbo quod indixiſti nobis nomine Jehovæ, minimè ſumus auſcultaturi tibi:*

Verſ. 17. *Sed omnino facturi quodcunque verbum*

hum prodierit ex ore noſtro, adolendo rebus cœlecibus & libando eis libamina, quemadmodum fecimus nos, majoréſque noſtri. Reges noſtri, ac Principes noſtri in civitatibus Jehudæ & in plateis Jeruſchalaimorum: nam ſatiabamur cibo, & eramus hilares, ac malum non experiebamur.

Verſ. 18. Ex *quo vero deſiimus adolere rebus cæleſtibus, & libare eis libamina, eguimus omnibus: & gladio, ac fame conſumti ſumus.*

II. Impium POPULI RESPONSUM, verſ. 15-19. ubi occurrunt.

1. *Reſpondentes* v. 15. qui ſunt (1.) *viri*, ſed qui conſcii idololatriæ uxorum ſuarum, (2.) *Mulieres* idololatræ magno numero præſentes (3.) *Omnis populus*, Judæorum ſcl. qui in Ægypti urbe Pathros morabantur; & duobus illis ordinibus non comprehendebantur, eoque cœlibes, nec non famulitium. Sic vero rei eſſe deprehenduntur, qui reos ſub poteſtate ſua conſtitutos cum norint, non coercent, ſed eis indulgent. Exemplo Eli. Et Uxores idololatræ ſuum peccatum facile perſuadent maritis, ſaltem ut tolerent, exemplo Salomonis, Achabi, unde interdicta ejuſmodi connubia, Exod. 34:16. Ezr. 9. Neh. 13. Mal. 2: v. 11, 12. Item, Impudentia peccatorum non æque magna ubique eſt, Pathroſum qui incolebant Judæi, cæteris in Ægypto pejores alii audiverunt, ſed licet parum obedientiæ ſecutum ſit, non tamen oppoſuerunt ſe, aut contradixerunt impudenti protervià.

2. *Reſponſum* ipſum eſt cum Virorum v. 16-18. tum Mulierum verſ. 19.

א. *Virorum* v. 16-18. dicentium Quid & Cur facturi ſint.

a. *Quid* facturi ſint dicitur ἀποφατικῶς verſ. 16. negant ſimpliciter obedientiam, *quod verbum nobis locutus es in nomine Domini, illud non audiemus*, obtemperabimus. Quod dixiſti, & pro verbo Dei venditaſti, cujus es Propheta, qualecunque fuerit, ſive vere verbum Dei fuerit, ſive non, nihil intereſt, nequehîc examinabimus aut de eo litigabimus; ſed abſolutè repudiamus. Impudens planè eſt impietas. audet in os negare obedientiam; ſic Jer. 6: 16, 17. cap. 22: 21. 2 Chron. 36: 16. unde frons meriticia tribuitur Jer. 3: 3. cap. 6: 15. cap. 8: 12. item verſ. 5, 6. cap. 5: v. 11, 12.

Itemque καταφατικῶς verſ. 17. contrariam inobedientiam profitentur.

Generatim quidem, *Sed faciendo faciemus*, id eſt certiſſime, omnino, fixo animi decreto, & voluntatis certo conſilio, *quicquid ex ore noſtro egreſſum eſt*, verba ſeu oratio dicitur *egreſſus oris*, aut *labiorum*, vel pronunciatum eorum Deut. 8: 3. Pſal. 89: 35. Non poterant hoc facere, niſi prius ſe ſubduxiſſent obſequio Dei Matt. 6: 24. Deo renunciare debet, qui propriam voluntatem Deificat: adeoque atheiſmus aliquis in omni peccato reperitur, quod deliberato fit, Cupiditas enim præfertur Deo, & hujus legi illius imperium, unde Legum contrarietas memoratur Rom. 7: 22, 23, 26. Eſt autem hic implicitus prætextus, voti religio, *faciemus quod exiit ex labiis noſtris*, ſic de Votis Num. 30: verſ. 2. &c. |& hic verſ. 25. nolunt fallere religioſa promiſſa, quæ tam e diametro veræ religioni adverſabantur: peccatum erat talia nuncupare, & alterum peccatum ea præſtare. Hypocriſis tenæritudinem conſcientiæ habet in malo, cum quod ad obligationem ad bonum laxiſſima ſit & illimitatæ prorſus libertatis ſeu licentiæ potius.

Speciatim, Idololatria eſt, cui ſe manciparunt, bonæque fidei mancipia eſſe volunt; Eam deſcribunt indicando I. *Idolum.* מלכת השמים *regina cœlorum*, uti etiam Jer. 7: 18. Luna intelligitur; Sol luminare maximum vocabatur Baal, & Molech: Luna, quæ luminare magnum alterum, & minus ſole, Regina; & hæc fuerunt gentium antiquiſſima & maxima numina, Phœbus & Diana. Quidam omiſſum א credunt, ut ſit כלאכת atque *opus cæli*, ſeu omnem exercitum ſtellarum ſiderumque deſignatum eſſe: non multum differente idololatria, niſi quod longe amplior ſit. Illud tamen magis conveniens, cum ſingulare numen ſpectaſſe cultores appareat. II, *Cultum*, ſuffitus & libaminum cap. 7. memorantur placentæ figuratæ, quæ ſignum Deæ haberent impreſſum, uti hoſtiæ in Papatu.

b. Amplificant autem ab exemplo cum proprio tum majorum, & principum, in patriâ, *in urbibus Judæ & Hieroſolymorum plateis*. Triplex proinde fundamentum oſtendunt ſuæ idololatriæ.

(1.) *Voluntas* propria; ἐθελοθρησκεία, quæ λόγῳ σοφίας ſubnixa eſt, ſed ad exſatiandam carnem Col. 2: 23. Sic Rom. 1: 21. &c. Omnis ſuperſtitio & idololatria ex hac manat ſcaturigine: fingit ſibi quiſque numen quod colat, & quomodo colat. Imo cultus Dei, ut ſic loquar hoc pacto in idololatriam commutatur, dum Deum concipimus ex noſtro ſenſu, qua ratione colendus ſit, & quod acquieſcendum ipſi ſit, nobiſque liceat tranquillo eſſe animo, ſi prout nos definivimus ipſum colamus. Nam non amplius verum Deum. ſed figmentum noſtrum veneramur: quod quidem omnes ſerio deteſtantur, attamen praxi nimis familiariter exercent. Bona intentio huc pertinet, quæ ἐθελοθρησκείας πρόφασις, Lev. 10: 1. &c. Nadab & Abihu puniti, & 2 Sam. 6, Uza; Hoſ. 8: 11. &c. altaria & ſacrificia repudiantur quæ non conformia præſcripto Legis.

(2.) *Autoritas* conſuetudinis Patrum, Magnatum: quæ damnatur; illa Exod. 23: 2. 1 Pet. 4: 2, 3. iſta Ezek. 20: 18. 1 Pet. 1: 18. hæc Pſ. 146: 3. Dan. 3. Nihil frequentius ſive quoad fidem, ſic Gentiles olim, & poſt Pontificii ſuam ſtabiliunt: ſive quoad vitam, etiam apud Evangelicos & Reformatos: modo conſuetudo & exempla ætate aut dignitate venerandæ poſſint produci, abunde defenſionis creditur, & quod juſtificet praxin. Merito Paulus Deo gratiat agit, quod Romani ſe conformarint verbo Rom. 6: 14.

(3.) *Loci excellentia*, in Judæa & Hieroſolymæ iſta egerant; Locus erat pro defenſa. Jer. 7: 4. &c. templum quod frequentabant omnium licentiam faciebat. Sic olim Roma, caput orbis, ſua magnitudine religioni quoque dabat privilegium; & nunc inde Chriſtianiſmi regula petenda dicitur. Atqui nulla loci ſanctitas, ut quod ibi fit eapropter bonum ſit & pium; religioſiſſimus profanatur impietate 1 Reg. 9: 3. &c.

Porrò cur facturi ſint, aperte profitentur, quia idololatria proficua fuit, verſ. 17. Interim טובים *felices* verſ. 17. uti Jer. 22: 15, 16. Eccl. 8: 12, 13. ea autem omiſſa calamitates attulit maximas verſ. 18. Hoc eſt judicium carnis. Impii & idololatræ externæ proſperitatis præſentiam ſuis moribus acceptam ferunt, abſentiam reformationi imputant. Hoſ. 2: 4. Mal. 2, 17. cap. 3: 14, 15. Abſalomi rebellio initio felix eſt, & Jeroboami idololatria ſtabilit ei regnum, David poſt adulterium uſque ad natum inde filium optatis gaudet ſucceſſibus, poſt convictionem & ſeriam converſionem acerba quæque experitur in domo & regno. Sic judicarunt olim Gentiles, teſte Tertulliano in Apologetico; Si Tiberis exundaverat, ſi qua calamitas acciderat, ſi grando ſi gelu, ſemper culpa rejiciebatur in Chriſtum ejuſque doctrinam. Ex quo mutata eſt religio, non deſiimus eſſe miſeri. Quod argumentum etiam tractarunt Auguſtinus de Civ. Dei, & Oroſius in hiſtor. Eadem criminatio Pontificiorum. Sed obſervandæ cauſæ I. Proſperitatis; hæc impiis obtingit ex Dei longanimitate. Cum pii reges forent in Juda Deus benedixit, externam felicitatem largitus: hâc ebrii ad luxum impietatemque & idololatriam prolapſi ſunt. Deus autem non illico ſubduxit eam felicitatem, per ſuam longanimitatem, atque ipſi fructum ſuæ impietatis eſſe interpretati ſunt Jer. 7: 8. &c. Verum longanimitas Dei pertinet vel ad emendationem. quo invitat Rom. 2: 4. Luc. 13: 6. &c. vel ad perniciem, quo reſervat Jer. 12: 1, 2, 3. Gen. 15: 16. de quo conſcientia convincit Rom. 1: 32. eoque non meriti eſt proſperitas, ſed ad majorem facit condemnationem cap. 2: 4, 5. II. Adverſitatis, hæc ſequitur Reformationem, exemplo Davidis, Rehabeami 2 Chron. 12. (1.) ut vindicetur publice ſcandalum publicè datum 2 Sam. 12: 14. &c. & hinc Manaſſis peccata fuere exilio populi punita, licet ipſe reſipuiſſet 2 Reg. 23: 26. &c. cap. 24: 3. Jer. 15: 4. quæ pœna per reformationem Joſiæ tantum dilata fuit, hinc feſtinata in Eccleſiam judicia Amoſ. 3: 2. cap. 8: 2. 1 Cor. 11: 31, 32. (2.) Si reformatio ſit hypocritica, non ſequitur vera & ſtabilis felicitas. Jer. 3: 6. cap. 4: 3. &c. (3.) Deus explorat ſuorum fidem, patientiam. aliaſque virtutes. Act. 14: 22. 2 Tim. 3: 12. 1 Pet. 1: 6, 7. cap. 4: 13. &c.

Verſ. 19. *Quum autem nos adolemus rebus cœleſtibus, & libamus eis libamina, an abſque præſtantibus viris noſtris facimus illis popana, terriculorum cultum exhibendo eis, & libando eis libamina?*

2. *Mulierum* verſ. 19. quæ fatentur idololatriam, ſed quæ conſenſum & conſcientiam haberet maritorum: reſpiciunt ad legem votorum Num. 30: 6. &c. mulieris votum ratum erat, quod maritus non refutaſſet, conſcii ſilentium obligabat & ipſum & uxorem: quomodo ſe culpæ ex ſortes putant. Sed reverentia ſuperiorum, non patrocinatur obedientiæ contra Deum. Act. 4: 19. cap. 5: 29. Pius fuit Aſa, quando matri idololatræ & cultum ſuum, & dignitatem in pœnam ademit 1 Reg. 15. 2 Chron. 15. peccavit Uria Sacerdos qui in gratiam Achazi regis Altare novum paravit, & in locum antiqui uſurpavit. Peccavit Salomo qui in gratiam uxorum omnis generis idololatriam permiſit, inſtituit, tandemque ſecutus eſt 1 Reg. 11. & Achab qui Jezebelis conjugis voluntate Baalis cultum in Iſraelem invexit 1 Reg. 16. 18. 21. Obſervandum illud 1 Sam. 2: 30. *honorantes me &c.* quod ad Eli dicitur, quod ad filiorum ſcelera connivebat. Enallage generis in מיקטרים maſculam generoſitatem innuit. Sed לתעצובה obſcurum eſt, quidam *gaudium* deſignari putant, ἀφ' οὗ τέρψεται, עצב enim *doloris* eſt Abrab. quia Idola vocantur עצבים, hic idem eſt infinitivus cum affixo, quod לעברה: deficiente Mappik, quod non inſolitum eſt: vel ה iſtud fœmininum eſt, & העצובה nomen, ejuſdem cum עצב ſignificationis; quia de Dea, regina cœli ſermo erat; ſed ut ה initiale hœmanticum ſit, non articulus. Abrab. explicatio commodior eſt.

Verſ. 20. *Alloquutus vero eſt Jirmeja totum populum illum viros, & mulieres, totumque populum qui reſponderant ei verbum, dicendo.*

Verſ. 21. *An non illius ſuffitus, quem adoleviſtis in civitatibus Jehudæ & in plateis Jeruſchalaimorum, vos, & majores veſtri, Reges veſtri, Principeſque veſtri, & populus terræ; illorum* ſuffitum *recordatus eſt* Jehova, *&* hoc *venit in ejus animum.*

Verſ. 22. *Quumque non poſſet Iehova amplius ferre propter malignitatem actionum veſtrarum, propter abominationes quas feciſtis, fuit terra veſtra vaſtitati, & deſolationi, ac maledictioni, abſque ullo habitatore, ut* eſt *hodierno die.*

Verſ. 23. *Propterea quòd adoleviſtis & quòd peccaſtis Jehovæ, neque auſcultaſtis voci Jehovæ, ac in lege ejus, ſtatutiſque ejus & teſtimoniis ejus non ambulaſtis: propterea evenit nobis malum hoc; ut* eſt *hodierno die.*

III. Repetita JUDICII DECLARATIO verſ. 20-30. conſtat I. convictione peccati, verſ. 20-23. II. denunciatione pœnæ verſ. 24--28. III. confirmatione denunciationis iſtius v. 29, 30.

I. *Convictio* habet *Proœmium* verſ. 20. Quis, Quibus reſponderit; *omni populo*, & in ſpecie *viris*, *mulieribus*, cæteriſque, qui auſi fuerant adeo proterve obloqui & contradicere. Ita nonnunquam reſpondendum eſt ſtulto, (qui in Proverbiis ſæpe deſperate impius,) Prov. 26: 5. quando adhuc aliqua ſpes eſt convictionis ad bonum; attamen quando ea decollavit, tacendum potius, quod egit Jeremias cap. 43. cap. 13: 17. Grave judicium eſt cum Prophetæ habent litigandum Jer. 1. Eſa. 58. Ezek. 2: 5. gravius autem quando ſilendum Hoſ. 4: 4. Ezek. 3: 21.

Porro convictio ipſa reatum ipſorum demonſtrat.

1. *Ex Dei* notitia verſ. 21. quæ excuſando ſuo peccato dixerant à loco, & patrantium conſenſu, autoritate & dignitate, recitat ceu aggravantia, quorum Deus recordatus ſit, & revocavit ad animum. Poſterius priore plus dicit; illud præteritorum notitiam, hoc conſilium de eo quod propterea ſuſcipiendum ſit. *Cogitationes* dicuntur *adſcendere* in cor Jer. 7: 31. cap. 19: 5. cap. 32: 35. Ezek. 38: 10. Luc. 24: 38. & conſilia ibi agitari Pſ. 13: 3. (unde colligere eſt *Cordis* appellatione in Scriptura etiam *Cerebrum* deſignari, quod in Scriptura nomen aut mentionem propriam non habet, cum tamen certum ſit non in pectore ſed in corde agitari conſilia: quia cogitationes non deſcendunt in cor, ſed adſcendunt, in Capite ſcilicet agitanda, & in conſilium cogenda.) Jer. 14: 10. exſecutio decreta jungitur memoriæ peccatorum. Hoſ. 8: 13. & viſitatio pro ipſa quoque memoria ſumitur ſed conjuncta cum decreto puniendi 1 Sam. 15: 2. memoria rurſum pro decreto ſociato Apoc. 16: 19. cap. 18: 5.

Maximi terrori impiis debet eſſe hæc recordatio Pſ. 50: 21. Contra piis ex novo fœdere promiſſa oblivio Jer. 31: 34. Eſa. 43: 25. quod beneficium ſollicite petitur Eſa. 64: 9. Pſ. 79: 8. & 25: 7.

2. *Ex Dei vindicta* verſ. 22. quæ conſequens memoriæ & conſiderationis, quod patentia Dei expugnata fuerit, ut ad ultionem ſeveriſſimam procederet. Etenim licet Dei longanimitas, tolerantia & benignitas exerceatur uſque ad diem iræ Rom. 2: 4, 5. ea tamen iram compenſantem tantum differt eouſque: non item convincentem, quæ auctâ impietate publicâ exercetur Rom. 1: 18. ſic contra primum mundum Gen. 6. & Sodomam cap. 18. 19. & Judæos Jer. 5: 7, 9, 29. cap. 9: 9. cap. 14: 10. &c. Proponit autem interrogando, ut compellet Conſcientiam, & ejus teſtimonio convictos det.

Sed cur Deus non potuit diutius ferre? Pſ. 50: 21. blaſphemiæ argumentum, quaſi Deus delectaretur malo, & facientes amaret, quando impunitas fit argumentum innocentiæ Jer. 7: 6. &c. Quando autem patientia Dei exacerbata eſt tum pœna ſeu judicium longe gravius eſt, ad extremum procedens Amoſ. 7: 1. &c.

Additur applicatio ſpecialior verſ. 23. repetendo peccata, ceu cauſas calamitatis omnis, quod apud hunc & alios Prophetas creberrimum eſt: unde ſibi ipſi cauſa mali eſſe dicuntur peccatores, Jer. 2: 17, 19.

Verſ. 24. *Dixit præterea Jirmeja toti illi populo, & omnibus illis mulieribus, audite verbum Iehovæ omnes Iehudæi qui* eſtis *in terra Ægypti:*

Verſ. 25. *Sic ait Iehova exercituum Deus Iiſraëlis, dicendo, ô vos cum fœminis veſtris & loquuntur iſtæ ore veſtro, & manibus veſtris impletis dicendo, omnino perfecturæ ſumus vota noſtra quæ vovimus, adolendo rebus cœleſtibus, & libando eis libamina: omnino præſtant illæ vota veſtra, & omnino illæ perficiunt vota veſtra.*

II. *Denunciatio pœnæ*, verſ. 24--28. ubi repetit quos ſit allocutus, verſ. 24. ut qui peccati erant rei etiam pœnam ſibi ferendam noſſent; ſunt enim hæc connexa; & quemadmodum umbra corpus, ſic damnum ſequitur culpam. Inculcat autoritatem Dei, titulis ordinariis. Tum repetit peccatum verſ. 25. ſed ut multa ſint, quæ gradum addant majorem: I. *Quoad peccantes*; ſociantur viri & mulieres, hæ reæ exercitæ, illi tantum toleratæ idololatriæ rei. Nam ſuum peccatum facit, qui cum poſſet & deberet prohibuiſſe, illud ſivit patrari. Mulieres locutæ dicuntur ore virorum & horum manibus patraſſe, quia probarant ſermones & actiones mulierum viri. II. *Quoad peccatum*, ſumma impietas, nihil adeò impium proponi animo, quod non auſit exſequi. *Locuti ſunt ore veſtro, & vos impleviſtis manu veſtra.* Diximus & faciemus. Jer. 2: v. 25. & 31. cap. 3: 5. Mich. 2: 1, 2. Pſal. 36: v. 5. ſic Jezabel contra Nabothum 2 Reg. 21. III. Quoad modum peccati: *faciendo faciemus vota noſtra*, quod repetitur, factum illegitimum per votum non fit legitimum, ut eapropter neceſſum ſit exſequi. Vota quidem obligationem afferunt, ad præſtandum; ſed in

in re legitimâ, Deut. 23: 21. &c. Eccl. 5: 3. &c. quamvis damnosa voventi Ps. 15: 4. Sed si quid malum est, non fit melius per votum, verum pejus: quemadmodum quod bonum est, non fit melius per votum, verum qui vovit magis obnoxius ad præstandum, qui etiam antea tenebatur; novum addens vinculum obligationi suæ. Malum semper illicitum, si voto quis se obstringat ad patrandum illud, tantum multiplicat mala: votum tunc est firmum propositum mali; quod si fiat crimen est, & si ex voto fiat, geminatur crimen, ut sit tum deliberatum, tum cum ἰθελοθρησκείᾳ, Deum demeriturus destinata impietate; ut in Herode Matt. 6: 22. &c. & in 40 illis Paulum necaturis Act. 23: 12. &c. Rectius David qui votum malum non exsecutus est, sibique de eo gratulatur 1 Sam. 25: 21. &c. Ergo non simpliciter votum spectandum est, sed res voto promissa, & hinc petendum argumentum præstandi.

Vers. 26. *Idcircò audite verbum Jehovæ, omnes Jehudæi qui habitatis in terra Ægypti: ecce ego juro per nomen meum maximum, ait Jehova, pereat, si fuerit amplius nomen meum prædicatum ore ullius viri Jehudæ qui dicit, vivit Dominus Jehovi in tota terra Ægypti.*

Vers. 27. *Ecce ego citò incubitu russum eis in malum, non autem in bonum: ut consumantur omnes viri Iehudæ qui sunt in terra Ægypti gladio, ac fame, donec deficiant.*

Exaggerato peccato subjicit *Pœnam* immittendam, quam denuo præfatus Dei nomen denunciat. vers. 26. ut qui volebant agere quæ placerent sibi, audirent à Deo ingratissima, uti cum Achabo egit Elias 1 Reg. 21: 20. &c. & cum Saule Samuel 1 Sam. 15: 6. Pœna illa est

1. *Spiritualis.* vers. 26. apostasia totalis à Deo, cujus certitudo ducitur à Dei *juramento.* Jurat ille per nomen suum magnum, de quo Deut. 28: 58. est יהוה quod veritatem denotat Exod. 6: 1, 2. adeoque veritatem suam obligat ad implendas minas suas. Quod autem juravit Deus prorsus immutabile est. Heb. 6: 13. &c. Equidem minæ Dei carent complemento, siquidem interveniat resipiscentia; quod dixit Jer. 18: 7, 8. & docent exempla Joel. 2: 12. &c. Jon. 3. modo non accesserit jusjurandum. Ast hoc addito, minæ fiunt irrevocabiles. Amos. 6: 8. &c. cap. 817. Jer. 22: 24. &c. Ps. 95: 11. coll. cum Heb. 3: 19. Deut. 32. 40. &c.

Id quod jurejurando Deus confirmat est, *si nomen meum amplius ab his memorabitur in Ægypto, ut dicant, Deus vita.* Hæc non solum formula jurandi est, frequentata in Scriptura; sed etiam religiosæ professionis. Cum enim in omni juramento sit invocatio Dei, & professio omni scientiæ, omnipotentiæ, judicii, hinc omnis professio religiosa judicatur tum juramento, tum illâ formulâ. Deut. 6: 13. cap. 10: 20. Esa. 45: 23, coll. cum Rom. 14: 11. Jer. 4: 2. item Jer. 12: 16. Cum ergo jurejurando negat professionem illam ab ipsis usurpatum iri, docet Apostasiam facturos à professione verâ qui idololatriam sociant cultui Dei: & hoc modo peccata peccatis puniuntur; Apostasia enim illa, & professionis omissio peccatum erat. Deut. 4: 25. cap. 28: 36. Amos. 6: 8. &c. ut etiam mentio Dei cessaret. Amos. 8: 11. &c. Hos. 4: 15. Est enim hoc justitiæ divinæ Rom. 1: 21. seqq.

2. *Corporalis* vers. 27. judicium belli & fames; ad quæ vigilaturus sit, ut & veniant, & perficiant opus suum: quam vigiliam minatus est cap. 1: 12. & cap. 31: 28.

Vers. 28. *Qui itaque evasuri sunt gladio, revertantur è terra Ægypti in terram Iehudæ, homines pauci: nam experiuntur omnes reliquiæ Iehudæorum qui venerunt in terram Ægypti ut commorentur ibi, utrius verbum præstabitur, meum an ipsorum.*

3. *Moderationem* utriusque pœnæ attexit vers. 28. quosdam evasuros calamitatem, tum *corporalem*, ut non pereant gladio & fame, imo ex Ægypto redeant in Judæam; sed paucos admodum; utpote in evasione istiusmodi singuli solent elabi, non multitudo: non abituri erant instar coloniæ, quomodo ingressi erant, & olim tempore Mosis egressi: tum *spiritualem*, non obdurabuntur isti in peccatis, ut sine sensu sint, sed scient, agnoscent, Deoque gloriam tribuent, veritatis suæ, quando in judiciis asserta fuerit; non autem propriæ, reapse convicti vota mala quibus suam felicitatem inædificabant, omni successu caruisse. Ita Deus temperat judicium gratia, Hab. 3: 2. uti in diluvio, in Sodomæ excidio, & alias actum novimus.

Vers. 29. *Hoc autem vobis esto signum, dictum Iehovæ, me animadversurum esse in vos loco hoc, ut sciatis omnino præstitum ira verba mea contra vos in malum.*

Vers. 30. *Sic ait Iehova, ecce ego trado Parhonem Chophrahum Regem Ægypti in manum inimicorum ipsius, & in manum quærentium animam ipsius: quemadmodum tradidi Tzidkiam Regem Jehudæ in manum Nebucad-netzaris Regis Babyloniæ inimici ejus & quærentis animam ejus.*

III. *Confirmatio denunciationis* vers. 29, 30. fit signo, ubi I *Quid confirmaturus* sit, vers. 29. & II. *signum confirmans* vers. 30. Subjugatio regis Ægypti, uti Zedekias rex Judæ fuerat subjugatus: rege autem victo ab hostibus non poterant subditi & incolæ esse indemnes, nam illius defensioni omnia militant, & totum regnum subactum sit necesse est, antequam ille se dedat. Quis autem iste *Pharao Hophra* fuerit, incertum est: Herodotus repotem Nechonis (quo cum conflixit Josias 2 Chron. 35.) scribit fuisse Apriem, qui ab Amasi per rebellionem superatus & ab Ægyptiis strangulatus sit, cum peregrinorum & mercenariorum armis se tueri vellet. lib. 2. Hunc ergo quidam designatum intelligunt, ob affinitatem nominis, & quia ab hostibus & osoribus indefinite periturum dicitur. Verum Josephus ait Nebucadnezarem quinquennio post hoc Vaticinium occupasse Ægyptum, uti prædictum cap. 43. & rege occiso, alioque substituto, Judæos quos istic reperit in Babyloniam deportasse, Antiq. lib. 10. cap. 11.

Unum hîc notandum, signa etiam sumi ex rebus futuris, ad confirmationem rerum præsentium. Sic hoc loco & Exod. 3: 12. & Esa. 37: 30. quod quidem ob vaticinium Esa. 7: 14. &c. observare convenit, ubi ex futuris signum petitum legimus.

Concio, seu Prophetia XXVIII.

CAP. XLV.

Vers. 1. *Verbum quo alloquutus est Jirmeja Propheta Barucum filium Nerijæ; quum scriberet verba ista in libro ex ore Jirmejæ anno quarto Jehojakimi filii Joschijæ Regis Jehudæ, dicendo.*

PErtinet hæc concio ad solatium unius Baruchi, cujus circumstantiæ occurrunt vers. 1. Loquens fuit *Jeremias* Propheta: ad quem locutus, est *Baruch Neriæ filius*, de quo sæpius antea sermo fuit. cap. 32, 36, 43. Fuit non tantum minister & amanuensis Jeremiæ, quo utebatur in describendis suis vaticiniis; sed etiam adjunctus, per quem partes aliquas ministerii sui exsecutus est, ut pro se in templo suas conciones recitaret. Mansitque cum Jeremiâ captivo, & liberato, unà tandem abductus in Ægyptum. Tempus hujus concionis pertinet ad cap. 36: 1. &c. historiam. Utrobique idem *annus quartus Jojakimi* indicatur. Jeremias jussus in volumen unum congerere suas conciones. Baruchum adhibuit ceu amanuensem, cui omnes ex memo-

ria

rîâ vel ex ſchedis dictavit. Heic verò Baruch, cum perventum eſſet ad eas quæ de Jojakimo loquebantur, & præſente populi corruptione, turbatus ſuit animo, & ſciens quid ſub hoc rege paſſus eſſet Uriæ Jer. 26: 20. quo etiam in periculo fuiſſet Jeremias cap. 26. declinaſſe miniſterium, ſaltem cum aliqua reluctantiâ præſtitiſſe, metuentem perſecutionis, quam ſubire neceſſum foret, ſiquidem neſciret Jojakim quam heic præſtitiſſet operam. Hunc ergo Ieremias hoc loco increpat, & Baruch eam increpationem ſuæ infirmitatis conſignavit, ut obſequium præſtarent Deo, quando privatus reſpectus & carnis ſanguiniſque conſilium negligendum eſt.

Scripturæ divinitas hinc probatur, cujus ea religio, eaque dictantis Spiritus S. efficacia, ut etiam ſuos lapſos annotariut ſcriptores, ceu qui non ſibi, ſed Deo miniſtrarent, ſic Moſes ſua ſuorumque peccata ad memoriam poſteritatis annotavit, ut & alii.

Verſ. 2. *Sic ait Iehova Deus Iiſraelis, de te, ô Baruc.*

Verſ. 3. *Dixiſti, eheu jam mihi, quia adjicit Iehova mœrorem dolori meo, laboro in gemitu meo, & quitem non invenio.*

Querimonia Baruchi tanquam occaſio concionis recitatur verſ. 2, 3. Deus ipſe Barucho ſua verba repræſentat, Sive illa ad Jeremiam ante elocutus fuerit, ſive corde duntaxat conceperit; nam etiam reſpondet cogitationibus & deſideriis, verſ. 5. Eſtque hoc ex Scripturâ notiſſimum, verborum & cogitationum notitiam ac judicium Deum habere. Pſ. 139: 1, 2, 4. & 33: 14. & 94: 1. Eſa. 10; 4. &c. Mal. 3: 16. Ezek. 14: 4, 5.

Querela verſ. 3. habet exclamationem de ſua ærumnoſa vita, cujus autorem ait Deum, qui uti priores miſerias immiſerat, ſic recentes adderet: dolori accedere novam triſtitiam: Imo cum fatigatus ſit ſuſpirando; quibus gemitibus ſcilicet miſſionem & quietem poſtularat, tamen nihil impetraſſe: quia mandato Dei, quod per Jeremiam agnoſcebat ſibi factum, ſemper adhibebatur ſcribendis invitis regi populoque concionibus.

Ita pii ex infirmitate carnis ſtudent declinare moleſtias, & dolent quod ſuo voto excidant. Moſes declinavit adire munus multis tergiverſationibus Exod. 3, 4. & Elias deſerere moliebatur 1 Reg. 19. Jeremias ſæpius meditatus eſt ſilentium cap. 20. Jonas ſe in fugam dedit. Chriſtus ipſe profitetur infirmitatem carnis Matt. 26: 41. Ut nemo ſibi de ſe ipſo multum polliceri debeât, ut Petrus, ſed potius meditari debilitatem animi & corporis, Deumque ſollicitare, ut utrobique robur ſufficiat ad faciendum quod impoſuerit munus, exemplo Eſaiæ Eſa. 6.

Verſ. 4. *Sic indicturus es ei, ſic ait Jehova, ecce quod ædificaveram, ego deſtruo, & quod plantaveram, ego evello, denique totam hanc terram.*

Verſ. 5. *Et tu quæreres tibi res magnas? ne quærito; nam ecce ego adducturus ſum malum ſuper omnem carnem, dictum Jehovæ, ſed dabo tibi animam tuam pro ſpolio in omnibus locis quò abiturus es.*

Responsum Dei verſ. 4, 5. datum per Jeremiam, quo proponit univerſale judicium, à ſeſe toti teriæ immittendum, verſ. 4. ſimilitudine eruendi plantata, & diruendi ædificata; quomodo graviſſimum & indeclinabile malum indicatur, quemadmodum alias locutus eſt. Pſ. 28: 5. Tum monet officii, verſ. 5. *Et tu quæreres tibi magna? ne quæras.* Magna illa, non ſunt dignitas muneris prophetici, quam deſperaret ſe impetraturum, imminente exilio, quod extra Cananæam non detur Prophetia, ut Judæi quidam; cum & hoc falſum, exemplis Ezekielis & Danielis; & iſtud, Barucho declinante provinciam odioſam vulgo: ſed proſpera ac felix conditio in mundo, ne incideret in perſecutionem particularem, vel publicam calamitatem peteretur.

Ratio autem eſt, quia malum ſit futurum commune, toti terræ & omnibus incolis immittendum, ut nemo ſit futurus eximius, qui pace & proſperitate frueretur.

Cæterum *promiſſionem particularem* addit, (qualem etiam Ebedmelechus habuit cap. 39: 16. &c.) vitæ defendendæ, ne violenter eriperetur, ubicunque etiam vivere & exulare contingeret.

Non ergo quiſquam in communi terræ calamitate ſibi aliquid ſingulare poſtulare aut polliceri debet, quod ad conditionem externam: ne quidem Eccleſiæ ſuæ parcit Deus, Jer. 25. & judicium ejus incipit à ſuâ domo. 1 Pet. 4. In judiciis omnibus pii non manent immunes, ſed privilegium ipſorum eſt in ſolatiis Ezek. 9. & cap. 11: 16. Deus enim etiam tunc ſingularem ipſorùm gerit curam, ne juxta cum impiis pereant ſed vitam, ſaltem animæ ſalvam ſervent, 1 Cor. 11: 30. ſeq.

CONTRA GENTES.

CAP. XLVI.

Verſ. 1. *Verbum Jehovæ, quod fuit ad Jirmejam Prophetam contra gentes ipſas.*

Altera pars hujus libri (nam prima continet Prophetæ vocationem cap. 1.) habet conciones & vaticinia Jeremiæ, poſtquam munus propheticum adiit, Eæ autem conciones directæ ſunt tum ad Judæos, tum ad Gentes utræque tamen Judæis recitate, etiam poſteriores, ad ſolatium, quando etiam hoſtes ſuos judicio Dei viſitandos didicerunt. Priores cap. 2--45. comprehenduntur, poſteriores cap. 46--5.

Harum titulus generalis eſt verſ. 1. quod de Gentibus, ſive contra Gentes ſint conſignatæ. Sunt illa I. Ægyptus cap. 46. II. Philiſtæi, quibus Tyrum & Zidonem conjungit, ceu vicinos cap. 47. III. Moab cap. 48. IV. Ammon, cap. 49: 1--6. V. Edom, verſ. 7--22. VI. Damaſcus verſ. 23--27. VII. Kedar & Hazar, verſ. 28--33. VIII. Elam, verſ. 34--39. IX. Babel, cap. 50. & 51. Equidem cap. 25. poculum iræ divinæ pluribus offerendum dicitur nationibus, quæ non omnes hîc memorantur ſigillatim; ſed iſtic enumerantur ſubigendi à Nebucadnezare populi, heic verò qui partem habuerunt in excidio Hieroſolymæ, tanquam ſocii, ut Ægyptii, aut *tanquam* hoſtes, ut reliqui. Sic Abrab. Sed nationes à *Nebucadnezare* ſubactæ plurimæ fuerunt, etiam Hiſpani, ut ex Megaſthene refert Joſephus contra Appionem. Speciatim enumerantur quæ gentes attinebant viciniores, & exinde notiores Judæis; cæteris neglectis. Pertinent autem iſta ad confirmationem illius Jer. 25: 29. cum Deus judicia exerceat in domo ſuâ; & quidem primum, non effugituros alios longe ſceleratione, Pſ. 75. 9. 1 Pet. 4: 17.

PROPHETIA PRIMA

Contra Ægyptios.

Verſ. 2. *De Ægyptiis. Contra copias Parhonis Neconis Regis Ægypti, quæ fuerunt juxta flumen Euphratis ad Carcemiſchum; quas percuſſit Nebucad-nezar Rex Babyloniæ, anno quarto Iehojakimi filii Ioſchijæ Regis Iehudæ.*

Titulus ſpecialis verſ. 2. eſt *Contra Ægyptum*, quod argumentum hujus capitis, cujus tamen duo ſunt vaticinia, prius verſ. 2--12. contra exercitum poſterius verſ. 13--28. contra ipſam terram.

Prius verſ. 2--12. habet *Argumentum* verſ. 2. tum quo directum tum quomodo eventu confirmatum; 2 Chron. 35: 20. refertur Pharaonem Nechum profectum fuiſſe cum exercitu, ut pugnaret contra Carchemiſhum ad Euphratem; eam

jam urbem Assyrius occuparat, Syris aliisve ereptam, quæ inter victorias numeratur Esa. 10:4. &c. ut jam pateret transitus Euphratis; ad invadendas terras cis flumen sitas; quamobrem putavit Pharao sibi occurrendum, ut sisteret progressum victoriarum Assyrii. Huic Pharaoni occurrit Josias, inconsulto & infeliciter, cum protestatum à Necho esset, non moliri quicquam Judææ adversum; sed quod armatus viam intercludere vellet Josias, apud Megiddo prælio victus, ipse ex vulnere mortuus, & regnum Judæ Necho tributarium factum est, qui Joachazo amoto Jojakimum regem constituit. Quo facto destinatam expeditionem promovit, & Carchemisum oppugnavit. An occuparit, nec ne, non indicatur: saltem anno Jojakimi quarto, (qui Josiæ patri, post fratris semestre regnum successerat,) exercitus ejus sive obsidens urbem, sive insidens & ripam citeriorem Euphratis defendens, à Nebucadnezare cæsus fuit Prophetia autem quæ hanc cladem exercitus descripsit antiquior fuit, nam cap. 25:1. refertur quarto anno Jojakimi vaticinatum Jeremiam de poculo iræ Dei omnibus gentibus propinando, & jam tunc vaticinia contra gentes magnam partem in unum volumen fuerunt collecta, ut est ibid. vers. 13. Sed hæc de eventu demum post adscripta sunt, quando secunda vice Jeremias sua dictaret Barucho, quod non factum ante annum Jojakimi quintum. Jer. 36. vers. 9. &c.

Vers. 3. *Instruite vos clypeo & scuto, & appropinquate ad prælium.*

Vers. 4. *Iungite equos & ascendite, ô equites, ac sistite vos cum galeis, tergite spicula, induite loricas.*

VATICINIUM ipsum describit. Cladem exercitus Ægyptii vers. 3--6. Causam vers. 7--10. & Gravitatem cladis vers. 11, 12.

I. *Clades* vers. 3--6 cujus

1. *Antecedentia*, animositas Pharaonis, vocantis & accendentis milites ad bellum: Propheta quasi loquente nomine Nechi & ore ejus vers. 3, 4. jubet arma parare, & omni genere se instruere ad ineundum prælium, Pedites vers. 3. sumtis *clypeis & scutis*. Currus & *Equites*, ut & *equos* jungerent curribus aut ascenderent, & arma sumerent, *galeas, hastas, loricas*, vers. 4. Etenim Ægyptus abundabat equitatu & curribus, quorum in bellis tunc maximus usus. Esa. 30, 31. & alii quoque sic instruxerunt se Zerach Æthiops 2 Chron. 14. Ammonitæ & Syri 2 Sam. 10.

Vers. 5. *Cur video istos consternatos, actos retrorsum; & potentes eorum contusos, atque ita fuga fugientes ut non obvertant faciem? formido est circumquaque, dictum Iehovæ.*

Vers. 6. *Ne effugiat qui levis est, neque eripiat se qui potens est: versus Aquilonem ad ripam fluminis Euphratis impingunt & cadunt.*

2. *Fuga* ex consternatione vers. 5. de quâ propheta interrogat; quare vidi 1. consternatos & cedentes retrò, ipsos quoque heroas contritos animo, & effuse fugientes? Respondet autem Deus, Pavorem undique eos exterrere: ut nec consistere in prælio ausint, neque etiam in fugâ respicere.

3. *Clades* vers. 6. interdicit fugâ, eamve dissuadet, utpote inutilem, etiam robustissimis; neque enim ejus ope meridiem versus evasuros, ut redeant in Ægyptum; sed in plagâ Septentrionali, ad Euphratem, corruituros ac casuros; cæsos videlicet ab hostibus.

Sic vero ostendit humanæ prudentiæ consilia, ut omnis generis armis ad bellum se parent; qualia parasse etiam in laude est piorum regum; sic Rehabeamus 2 Chron. 11:11, 12. Asa cap. 14:6. &c. Josaphat cap. 17:13. &c. Uzzia cap. 26:11. &c. Hizkia cap. 32:5. &c. & calamitas Israelis iis caruisse Jud. 5:8. 1 Sam. 13:19. &c. Verum insuper, Pavorem omnia arma reddere inutilia, Psal. 48:5. &c. & 76:6, 7. ut ne quidem fugæ sufficiant quemadmodum Midianitæ Jud. 7. & Syri 2 Reg. 7.

Vers. 7. *Quis hic est qui ut rivus ascendit, ut flumina, cujus commoventur aquæ?*

Vers. 8. *Ægyptius est qui ut rivus ascendit; & ut flumina commotis aquis: dicit enim, ascendam, operiam terram, perdam civitatem & habitantes in ea.*

Vers. 9. *Ascendite ô equi, & insano impetu agitamini ô currus; & prodeant potentes: Æthiopes, & Putæi tractantes clypeum & Ludæi tractantes & tendentes arcum.*

II. *Causa* cladis, vers. 7--10. quæ est

1. *Meritoria*, superbia vers. 7, 8, 9. Superba fiducia Pharaonis de suis viribus ostenditur.

1. *Ex opinione hominum* communi vers. 7, 8. forma dialogi, admirantis interrogatione, *Quis est ille qui adscendit uti flumen? sicut torrentes, quorum aquæ moventur tumultuosè?* & respondentis indicis, *Ægyptus* est cui ista conveniunt. Frequens est potentiam regum & populorum, atque etiam exercituum conferre aquis validorum fluminum, Psl. 65:8. Apoc. 17:15. Esr. 8:7, 8. Sigillatim Ægyptus familiariori similitudine sic adumbratur, cujus Nilus quotannis magno cum strepitu intumescens & exundans, totam regionem obtegebat. Amos. 8:8. cap. 9:5. Sic Ezek. 29:3. Interrogatio docet rumorem omnium ora pervagantem, maxime inter Judæos; quorum aliqui, ut Jojakim & qui cum illo faciebant, Nechonis clientes, de eo lætabantur, rati securos se jam esse, nullam mutationem ab extrinseco hoste alio metuendam, dum tanti fluminis, latissime exundantis objectu tuti essent: cæteri autem tristabantur, experti vim Ægyptii, qui tam gravi tributo afflixerat, & cui annuum vestigal fuit pendendum.

2. *Ex jactatione ipsius* Pharaonis, vers. 8 *dixit, Adscendam, operiam terram; perdam urbem & incolas ejus.* Uti solent qui exercitus multitudine omnia se confecturos opinantur, uti Midianitæ Jud. 6:2. & Sanherib Esa. 36, 37. sic de Israele loquitur Balak Num. 22:1. Pollicetur autem sibi victoriam de Carchemis, procul dubio tumens fastu ob devictum in viâ regnum Judæ, quod sibi tributarium reddiderat.

2. *Ex fundamento fiduciæ* vers. 9. Exercitu instructissimo, constante copiis I. *propriis*, quibus imperat, (1) *Equitibus* (per meton. subjecti, *equi* dicuntur) quos jubet *adscendere*, ex castris versus Euphratem; (2) *Curribus*, quos falcatos, aliterve instructos ducebant, & exinde pugnabant: hos jubet *insanire*, maximum strepitum excitare; ut sono illo perturbentur adversarii; (3) *Fortibus*, qui nullo equorum curruumve adminiculo usi, in se ipsis habebant, & à se ipsis petebant robur, qui pedites: uti alias vocantur, quos jubet prodire in aciem. II. *Auxiliaribus*; quas enumerat, *Æthiopes*, & *Putæos*, *clypeis tectos*, & *Lydios arcu instructos*, sagittarios peritissimos; populos Africæ ad meridiem & occidentem Ægypti habitantes.

Vers. 10. *Atqui Dies ille Domino Jehovi exercituum dies erit ultionis, quo ultionem sumet de hostibus suis, consumetque gladius, & satiabitur, etiam inebriabitur sanguine istorum: nam victima domino Jehovi exercituum erit in terra Aquilonis ad flumen Euphratis.*

2. *Executoria* vers. 10. justa Dei vindicta; cujus tempus, *sed hic dies*, quo prælium inibit contra Chaldæos, ad quod suos armavit Pharao atque animavit; Autor, *est Domini Jehova Zebaoth*; Qualitas diei, *dies ultionis, ut ulticnem sumat ab hostibus suis.* Instrumentum ejusque efficacia, *& gladius edet, satiabitur & inebriabitur sanguine ipsorum*; Facilitatem, *nam Deus instituit mactationem in Septentrione*, (Ægypti respectu) *ad Euphraten.* Ita omnibus exercitibus, quantumcunque validis numero, animo, viribus

Deus opponitur Pſ. 93: 2, 3. ejuſque gladius longe valentior, qui quem definivit eopſe die conficit omnia, pleniſſimam victoriam facillimamque parans, non ſecus ac ſi imbelles pecudes à lanio mactandæ eſſent.

Verſ. 11. *Aſcende Gilhadem, & accipe opobalſamum, virgo filia Ægypti: in vanum multas adhibes curationes, emplaſtrum nullum prodeſt tibi.*

Verſ. 12. *Audiunt gentes ignominiam tuam & clamore tuo plena eſt terra: potentes unum in alterum impingere, pariter cadere ambos.*

III. *Gravitas* cladis verſ. 11, 12. I. *Quia immedicabilis*, verſ. 11. ironicè jubet medicinam quærere. *Gilead* commendatur à ſalutari *Balſamo*, vulneribus ſanandis adhibendo, Jer. 8: 22. eo proficiſcendum docet, iſtic ſi ullibi remedia repertum iri; ſed mox reſpondet, fruſtra eſſe adhibita medicamina multa variaque, ſed nullo ſucceſſu ad ſanitatem conficiendam. II. *Quia turpis* foris verſ. 12. *populi audiverunt ignominiam tuam*; cum enim victor Joſiæ ſe efferret, & omnium eſſet in ore, clade illâ acceptâ ad Carchemis omnis illa gloria evaneſcebat, & majori cedebat pudori, victorem eſſe victum. III. *Quia triſtis* domi; *clamore tuo repleta eſt terra*, quando Ægyptii ſuorum cædem audiverunt, deſiderante unoquoque ſuos. Ratio eſt, *heroes*, ſtrenui milites, *in ſe mutuò impegerunt & pariter ceciderunt*, quemadmodum ſolet fieri, cum in prælio terga vertunt; ſæpe ſe invicem conterunt & conculcant, & unus alteri cauſa eſt exitii: ſic Ægyptii eorumque auxilia. Saltem hoc prælio effectum eſt, ut Pharao amiſerit quicquid extra Ægypti limites poſſidebat, intra quos ſe debuit continere, 2 Reg. 24: 7.

PROPHETIA II.

Contra eoſdem.

Verſ. 13. *Verbum quod eloquutus eſt Jehova Jirmejæ Prophetæ; de venturo Nebucad-nezare Rege Babyloniæ ad percutiendum terram Ægypti.*

POSTERIUS VATICINIUM agit de ipſius Ægypti calamitate, quæ vaſtationem Hieroſolymæ ſecuta eſt, verſ. 13--28.

Tituli vicem eſt verſ. 13. qui Dei ſermonem eſſe teſtatur, quæ hîc Jeremias protulit, & argumentum, venturum Nebucadnezarem Babylonium, ut Ægyptum cæderet gladio ſcilicet victore.

Partes ſunt Denunciatio & verſ. 14--26. & Applicatio verſ. 27, 28. Ægypti deſolationem verſ. 13--26. tum per varias figuras & ſimilitudines verſ. 15--24. tum ſimpliciter verſ. 25, 26.

Verſ. 14. *Indicate in Ægypto, & promulgate Migdoli, promulgate etiam Nophi, & Daphnis: dicite, conſiſte & compara te; ſed conſumturus eſt gladius te circumquaque.*

1. *Illo modo* deſcribitur invaſio Ægypti & occupatæ Deſolatio.

א. *Invaſio* Ægypti, verſ. 14--19. Nunciata verſ. 14. & non impedita verſ. 15, 16. ejuſdemque certitudo. verſ. 17, 18, 19.

a. *Nunciata* verſ. 14. ubi (1) *Modus* indicii, *indicate, audire facite*, non tantum dicendo, ſed ſic dicendo, ut alii cogantur audire (2) *Loca* publicationis, *Migdol*, *Noph* ſive Memphis, & *Tachpanes* ſive Daphne, quæ commemorata Jer. 44: 1. quæ circa orientem & ſeptentrionem Ægypti ſita erant, non longe à limite, quâ ingreſſus eſt in terram; (3) *Materia* publicationis, *conſiſte, & para te*; quemvis ſigillatim affatur; ut ſtationem occupet & tueatur, armis neceſſariis inſtructus; & (4) *Ratio*, bello enim proxima quæque jam eſſe abſumta & perdita, Judæâ videlicet & regione Philiſtæorum, nec non Tyro & Zidone Ezek. 32. Tales exhortationes ad evitandum, vel avertendum periculum ſæpius occurrunt Jer. 4: 5. cap. 6: 22. & cap. 8: 24. & alibi.

Verſ. 15. *Cur evertitur quiſque robuſtorum tuorum; non conſiſtit, quia Jehova impellit eum.*

Verſ. 16. *Facit ut impingant multi: etiam concidet alter cum altero, & dicent, ſurge ut revertamur ad populum noſtrum, & ad ſolum natale noſtrum, metu gladii iſtius opprimentis.*

b. *Non impedita* verſ. 15, 16. cujus (1) quæritur ratio, *quare quivis fortium tuorum* (pluralis diſtributive pro unoquoque ſigillatim) *everritur*, tanquam torrente omnia abripiente, ut nihil redundet? מטר סוחף *pluvia everrens* Prov. 28: 3. ſecum abſtrahens, affine נסח מחב *traxit*; (2) *Reſpondetur* autem: *nemo eorum, nullus ſubſtitit*, cum fines fuiſſent defendendi; *nam Dominus impulit eorum unumquemque*, hæc cauſa eſt, & effectus verſ. 16. *multiplicatus eſt impingens, & cecidit quiſque* præſtantiſſimus *contra*, vel *juxta ſocium ſuum* (אל pro על) vel *cum ſocio ſuo*, (אל pro את) Plurimorum caſus, & reliquorum fuga, quo ſe invicem cohortantur, dicunt, *ſurge, & redeamus ad populum patriamque noſtram, propter gladium oppreſſionis*, hoſtis victoris: quæ oratio convenit tum Ægyptiis ratione ſuarum regionum & urbium ubi habitabant, tum auxiliaribus populis, qui ad ſua ſe recipere parant. Hæ autem calamitates ſequuntur impellentem manum Dei, quam nemo ſuſtinere, nemo illi reſiſtere poteſt. Exod. 14: 14. Joſ. 10. Jud. 7. 1 Sam. 7. 2 Chron. 13, 14, 20.

Verſ. 17. *Clamantes illic Parho Rex Ægypti ſtreperus eſt, prætermittit conſtitutum tempus.*

Verſ. 18. *Ut vivo ego, dictum Regis illius cujus nomen eſt Jehova exercituum, quamvis ut Thabor in montes & ut Carmel in mare procedat; tamen hæc futura ſunt.*

Verſ. 19. *Inſtrumenta deportationis para tibi, ô deſes filia Ægypti; Noph enim deſolationi erit, & ſuccendetur ita ut nemo habitet.*

c. *Certitudo* ejus verſ. 17, 18, 19. Eſt vero aliquid difficultatis hoc loco, quidam verſ. 17. *tribuunt* fugitivis militibus ſarcaſtice ridentibus Pharaonem, quod non tempeſtive occurrerit Babyloniis, antequam eo uſque acceſſiſſent, & verſ. 28. Deum jurejurando affirmare, non evaſurum Ægyptum, quia Nebucadnezar ſit venturus, tantum eminens ſupra alios hoſtes, quantum Tabor & Carmel montes, ſupra colles monteſque cæteros. Alii montium illorum ſimilitudinem aliò referunt; uti in Tabor venatio peragebatur Hoſ. 5: 1. & ligna Carmeli per vicinum radicibus ejus mare deferebantur, ſic captum iri & deportatum incolas Ægypti. Verum hæc omnia convenientius referuntur ad judicii certitudinem aſſerendam, contra ſecuritatem Ægyptiorum.

Horum *ſecuritas* proponitur verſ. 17. *Ibi*, in Migdol, Noph, & Tachpanes, ubi publicanda erat imminens ob invaſionem calamitas, *ibi clamant* prædicantque, *Pharao eſt ſtrepitus*, non ratione inanis jactationis, ſed ratione multitudinis quam ducebat, quæ inſtar multarum aquarum tumultuantium, verſ. 8. Pſ. 65: 8. & 93: 3. Ezek. 29: 3. cap. 32: 2. quomodo extollunt ejus potentiam; ſed inſuper de ſecuritate teſtantur, *tranſire ſivit tempus conſtitutum*, ut vel ad Deum referatur, cujus minæ per Jeremiam proditæ caruiſſent ſucceſſu, tempore condicto jam præter lapſo, vel ad Nebucadnezarem, qui ſuperata Hieroſolyma, non recta iviſſet in Ægyptum, (aut etiam antea cum ſolutâ obſidione illius urbis occurriſſet opitulaturis Ægyptiis, ut reciderent ſeſe,) ſed regreſſus eſſet Babelem, vel ſe convertiſſet contra Zidonem & Tyrum, qui longius ab Ægypto aberant.

Opponitur autem *jusjurandum* Dei de certitudine invaſio-

ſionis, verſ. 18. deſcribiturque Deus oppoſitè, ad potentiam Pharaonis, *Dicit rex ille, cujus nomen eſt Jehova Zebaoth*; & ad ſecuritatem Ægyptiorum, *uti Tabor inter* magnos *montes* eminet firmitate, & *uti Carmel* quem fluctus marini jugiter alluunt, illique illiduntur, manet immotus & inconcuſſus, ita quoque firmum erit verbum Domini & judicium per Nebucadnezarem exſequendum; cujus tempus rentur præteriiſſe.

Atque ſic procedit ad rem ipſam declarandam. verſ. 19. *Para tibi inſtrumenta exilii*, (uti deportandi convaſant vidulisque indunt pauca, quæ in longo itinere geſtare queant, Ezek. 12: 3. &c.) *nam Noph*, ſeu Memphis, metropolis *flammis abſumta eſt, ut incolam amplius non habeat.* Sic contra ſuperbiam & ſecuritatem peccatorum valet potentia & veritas Dei: Vocat Ægyptios, *habitatricem filiam Ægypti*, & verſ. 11. *Virginem filiam Ægypti*: uti mos eſt gentibus fœminina tribuere epitheta, matrum, filiarum, ſororum, virginum Ezek. 16. & 23. cap.

Verſ. 20. *Ut vitula ſpecioſiſſima eſt Ægyptus: ſed excidium ab Aquilone omnino venturum eſt.*

Verſ. 21. *Etiam mercenarii ejus in medio ejus ut vituli ſaginati, nam etiam ipſi obvertent faciem, fugient pariter, non conſiſtent: quum dies calamitatis eorum ſupervenerit eis, tempus viſitationis eorum.*

Verſ. 22. *Vox illius quaſi ſerpens ibit: quando copiis procedent, & cum ſecuribus venient ad eam, tamquam putatores arborum.*

Verſ. 23. *Cædent ſylvam ejus, dictum Jehovæ, quamvis non poſſit perveſtigari; quamvis plures ſint arbores locuſtis, & nullus ſit eis numerus.*

2. *Occupatæ deſolatio* ſeu vaſtitas, verſ. 20--24. habet autem incolarum cædem verſ. 20--24. & Ignominiam, verſ. 24.

a. *Cædes* delineatur ex oppoſitione felicitatis & deſignatione crudelitatis.

a. Oppoſitio felicitatis tum civium verſ. 20. tum mercenariorum verſ. 22. addito utrobique indicio converſi ſtatus. I. *Cives* quidem ſunt *uti vitula pulcherrima*: quæ ſimilitudo etiam alibi occurrit, Hoſ. 10: 11. cap. 4: 16. Jer. 31: 18. indicatur felicitas ſaginæ: ſine labore; læta paſcua, & nihil moleſtiæ aut fatigationis, quæ pulchræ vitulæ conditio, delicate habitæ, ut niteat pinguedine, quæ pulchritudo ejus. *Converſio* eſt, *excidium ex ſeptentrione*, ſive *ſeptentrionalis exciſor*, *lanio*, Nebucadnezarem notat, veniens venit; duplicatio ad certitudinem facit. II. *Mercenariorum* autem conditio ſimilis, *ſunt uti vituli ſaginati*, quod de laſcivientibus militibus dicitur Pſ. 68: 31. *Converſio eſt, etiam hi verterunt terga, fugerunt, non reſtiterunt.* Sunt enim tantum ad ſaginam ſuam hilares, ad pugnam imparati, ſed pavidi, ad fugam capeſſandam promtiſſimi. III. Converſionis porro cauſa, *nam venit ſuper eos tempus calamitatis ipſorum, deſtinatum viſitationi*; quemadmodum vitulis qui ſaginantur, & lautiſſime curantur; non diuturnam habent felicitatem, ut ſerventur inſtar boum aratorum, ſed brevi mactantur, & lanius proximior eſt ad jugulandum: ſic æſtivis menſibus in pinguiſſimis pratis deliciantur pecora illa, quæ in Octobri ſunt mactanda. Sæpius confertur huic ſimili felicitas populi ob luxum & laſciviam in ærumnoſam conditionem tranſmutanda Deut. 32: 15. Hoſ. 13: 6. Amos. 4: 1. cap. 6: 1. ſeq.

b. Deſignatione crudelitatis hoſtium verſ. 22, 23. ea probatur, I. ab Ægyptiorum ſilentio verſ. 22. *vox ejus erit inſtar Serpentinæ*, quæ non ſonus ſed ſibilus eſt: neque enim audebunt mutire, ne illico deprehenſi ex latebris extracti rapiantur ad necem: *nam venient cum copiis* ut reſiſtere nequeant, ſed cogantur viam dare quacunque velint ingredi. II. Ab hoſtium propoſito, v. 22. *venient ipſi*, contra ipſam, *ſecuribus inſtructi*, *ut Cæſores lignorum*, quando ſylvam exſcindere parant, non magis æſtimatuti cædem hominis, quam exciſionem arboris. III. Ab effectu verſ. 23. *Exciderunt* (præteritum pro futuro, ob rei certitudinem,) *ſylvam ejus*, כי *quamvis non poſſit inveſtigari*, ut propter copiam arborum numerus iniri nequeat; *nam multiplicati ſunt*, Chaldæi *præ locuſtis*, *innumeræ multitudinis*: ut hic numerus longe excedat numerum Ægyptiorum. Dicit autem hoc Dominus, ne quis dubitandum habeat: Proceriſſimas & numeroſiſſimas arbores ſylvæ, populum fortiſſimum & bellicoſiſſimum in ſua terrâ, Deus facile ſternit & exſcindit, immiſſis cæſoribus, & qui imbellis multitudo videbantur ceu locuſtæ, per eos Sylvæ ipſæ exſcinduntur.

Verſ. 24. *Erubeſcere filia Ægypti; tradetur in manum populi Aquilonis.*

b. *Ignominia* verſ. 24. pudefacta eſt Ægyptus; nam cum olim dominaretur longè lateque, jam tradita eſt in manus populi aquilonaris: De hujuſmodi ignominia crebræ occurrunt minæ.

Verſ. 25. *Ait Jehova exercituum Deus Jiſraelis, ecce ego animadverſurus ſum in nutritium No, id eſt, in Parhonem, & in Ægyptum, & in Deos ejus, & in omnes regulos ejus: denique in Parhonem, & in eos qui confidunt ei.*

Verſ. 26. *Et tradam eos in manum quærentium animam ipſorum, nempe in manum Nebucadnezaris Regis Babyloniæ & in manum ſervorum ejus: poſtmodum autem habitabitur ut diebus priſcis, dictum Jehovæ.*

2. *Iſto modo* ſimpliciter nempe, verſ. 25, 26. Eam Deus ipſe denunciat Dominus Zebaoth Deus Iſraelis, qui etiam hujus fœderati populi rationem habet in plectendâ Ægypto, quo facit applicatio verſibus ultimis. Enumerat autem contra quos ſit animadverſurus, Ecce me viſitantem contra multitudinem (אמן pro המון literis permutatis) quæ ex No eſt, urbe Ægypti maxima, & in cujus locum condita eſt Alexandria ab Alexandro M. quæ hodieque populoſiſſima Cairo, & contra Pharaonem & Ægyptum reliquam, & Deos ipſorum (ut olim Exod. 12.) & reges ejus, ſive principes inferiores, ſive auxiliarios reges & clientes, & contra Pharaonem, & omnes confidentes in ipſum, repetit nomen Pharaonis, quod illud adeo terribile putarent, ut aliæ gentes ad ejus ſonum contremiſcerent, ſed fundamentum fiduciæ evertendum & qui illo niterentur pariter erant exterminandi. Nam porro refert quam gravis ſit futura ſua viſitatio verſ. 26. tradam eos in manum quærentium ipſorum animam, vitam & incolumitatem, ut eam eripient, ſic in genere; in ſpecie autem in manum Nebucadnezaris & ſervorum ſeu militum ejus, qui ſervi vocantur 2 Sam. 2: 12. quia regio imperio cogebantur ad militiam, 1 Sam. 17: 8. Denique addit durationem calamitatis ex promiſſo reſtitutionis, poſtea rurſum habitabitur ut temporibus priſcis, dictum Domini; Eſt reſtitutio corporalis maxime, Ezek. 34. 16. quamvis etiam de ſpirituali accipi queat, qualis promittitur gentibus aliis Moabo cap. 48. v. ult. Amoni cap. 49: 6. & Elamo, verſ. 39. nam Ægypto id promiſſum ample Eſa. 19: 18. ſeqq.

Verſ. 27. *Tu autem ne timeto, ſerve mi Jahakob, neque conſternator, ô Jiſrael, nam ecce ego ſervaturus ſum te è longinquo, & ſemen tuum è terra captivitatis ſuæ: reverſuſque Jahakob quieſcet, ac tranquillus erit, nemine deterrente.*

Verſ. 28. *Tu inquam ne timeto, ſerve mi Jahakob, dictum Jehovæ, nam tibi adſum: nam faciam conſummationem in omnibus gentibus quò depulero te, tecum verò non ſum facturus conſummationem, ſed caſtigaturus te modicè, non autem prorſus relicturus impunem.*

II. *Applicat* ad conſolationem Eccleſiæ verſ. 27, 28. Occurrit autem tacitæ objectioni; Ægyptii reſtituendi erant, & quidem poſt annos 40. Ezek. 29: 13. &c. aſt Iſraelitæ x. tribuum in Aſſyriam & Mediam deportati non habebant definitum terminum, & Judæi in Babylone 70. annos vaſtitatis Hieroſolymæ cogebantur numerare, quomodo durior ipſorum quam Ægyptiorum conditio. Ergo ſolatur eos duplici argumento.

1. *Securos eſſe jubet* liberationis verſ. 27. atque hîc (1) *Quis* ſoletur, Deus ipſe compellat, qui poteſt efficaciſſime Job. 34: 20. (2) *Quos* ſoletur, *Serve mi Jacob, & Iſrael*: intelligit omnem poſteritatem Jacobi, utriuſque regni homines, nam loquitur de reſtitutione non ex Babel, ſed ultimi temporis, quæ nititur converſione ad Meſſiam, ut eſt Jer. 30: 9, 10, 11. ubi eadem fere occurrunt. (3) *Quomodo* ſoletur, dehortando à metu, *ne metue, neque conſternare;* ob diuturnitatem & gravitatem exilii, maxime cum Ægyptii tam brevem periodum calamitatum ſint habituri, ut metuatis præciſam eſſe ſpem veſtram, & conſternemini ceu ab hoſtibus conſumendi. Fundamentum autem eſt relatio, *ſerve mi*; Deus Iſraelem adhuc pro domeſtico agnoſcit, & ceu paterfamilias curam ejus gerit.

Argumentum ſolatii geminum eſt, I. *Reſtitutio* in integrum; uti (1) Remotio mali *ſervabo te*, tum captivitatis Babylonicæ, quæ eſt ſalus *à longinquo*, nempe loco, quomodo Babel vocatur Jer. 5: 15. tum exiliorum ſequentium, inprimis ejus quod adhuc dum durat, nullis certis regionibus circumſcriptum, unde dicitur, *ex terrâ captivitatis ipſorum*, ubicunque etiam illa ſit; eſt non Iſraelis illius ætatis, ſed ſeminis ipſorum, ut in longum differri queat, & (2) Collatio boni, reſtitutio in patriam, *& revertetur Jacob*, ſoluto exilio corporaliter, & ſpiritualiter redeundo ad regem Davidicæ familiæ Hoſ. 3: 5. II. *Benedictio*, felicitatis, *& quieſcet & tranquillus erit.* Et ſecuritatis *neque erit qui terreſaciat*, ut Jer. 23: 4, 6. cap. 33: 6.

2. *Diſcrimen ſtatuit* inter Eccleſiam & alienos ab ea v. 28 Habet autem I. Repetitionem ſolatii, *tamen ne timeas ſervemi Jacob, dictum Domini*: ſed roborati alio fundamento adhuc, gratioſæ præſentiæ Dei, *nam ego ſum tecum*, & hoc poteſt erigere in maximis malis Eſa. 43: 1. &c. Pſ. 23: 4. Ezek. 11: 16. Pſ. 118: 6, 7. II. Diſcrimen ipſum eſt, (1) Quod ad Gentes, *faciam conſumtionem cum omnibus gentibus, quo te diſpuli*, non ſimpliciter, etiam cum iis, quæ Iſraelem ad æmulationem provocant, fideles ipſæ, ſed quæ manent Gentes, alienæ à Deo, & hoſtes Eccleſiæ, & Iſraelem opprimentes Jer. 12: 16, 17. (2.) Quod ad Iſraelem autem, *non conſumentur*, ſed nec ferent impune peccata ſua, verum *caſtigabuntur* in judicio, *modice*, prout ferre poſſunt, & convenit patri agere cum liberis Pſ. 103: 13. &c. in judicio, juxta morem quem Deus ſolet obſervare cum Eccleſia, Exod. 34: 5, 6. Pſ. 119: 132. pœnis corporalibus ad convictionem 1 Cor. 11: 30. &c. Eſa. 27: 8. cap. 54: 7. &c. cum hoſtes deſtruantur, juxta petitionem Jer. 24, 25. Pſ. 79: 5. &c.

CAP. XLVII.

PROPHETIA TERTIA

contra Philiſtæos.

JEr. 25: 19. &c. Poculum iræ Dei exhibendum fuit poſt Hieroſolymam Pharaoni, ejuſque ſociis, tum Philiſtæis. Eo ordine hîc agit in collocandis vaticiniis ſpecialibus Jeremias: Primam inter Gentes conſtituit Ægyptum cap. 46. proximam facit terram Philiſtæorum, & vicinos in eodem littore mediterranei maris Tyrios ac Zidonios, hoc capite.

Verſ. 1. *Verbum Iehovæ quod fuit ad Jirmejam Prophetam contra Peliſchthæos, quum nondum Parho percuſſiſſet Hazzam.*

TITULUS eſt verſ. 1. qui præter generalia Autorem, Inſtrumentum, & Materiam de qua loquitur vaticinium, Tempus indicat, *antequam Pharao percuteret*, occupatam ſcilicet *Gazam*: quæ una ex dynaſtiis Philiſtæorum. Hebræi id factum putant penultimo anno Zedekiæ, ſive decimo, cum Pharao egreſſus Ægypto ut obſeſſæ Hieroſolymæ opem ferret, contra ſe venientibus Chaldæis ceſſit, rediturus in terram ſuam, in tranſitu diripuiſſe Gazam. Sed non eſt veriſimile eouſque progreſſum Pharaonem tum temporis, ut ſuperarit flumen Ægypti Rhinocoruram, qui ſub regno Jojakimi per Nebucadnezarem eouſque fuit profligatus ut amiſſis omnibus quæ ab Euphrate ad flumen Ægypti poſſidebat, non amplius egreſſus dicatur e terra ſua 2 Reg. 24: 7. Herodotus lib. 2. refert, Nechum acie congreſſum cum Syris in Magdolo, victoriâ potitum eſſe, & poſt prælium Cadyti, magna Syriæ urbe. Prælium iſtud depugnatum creditur cum Joſiâ, in Megiddo, in quo hic cecidit. *Cadytin* nonnulli *Gazam* eſſe rentur, cujus immutatum nomen ex literis quas Græci minus commode exprimere poſſunt. Nam idem eam lib. 3. facit urbem Palæſtinorum ultimam, & adjacentia mari mediterraneo emporia verſus Ægyptum uſque ad lacum Sirbonis, qui proximus Ægypto, Arabicæ ditionis; ab illo lacu autem ducit initium Ægypti, Itaque referendum tempus vaticinii proxime poſt mortem Joſiæ, quo Philiſtæis, quorum ultima urbs in limite meridionali erat Gaza, prædicit cladem aliam & graviorem, quam a Nebucadnezare & Chaldæis haberet exſpectandam: in ſolatium Judæorum, qui ab antiquo plurima mala a Philiſtæis paſſi erant.

Indicat autem I. Cladem verſ. 2--5. & II. Cauſam verſ. 6, 7.

Verſ. 2. *Sic ait Iehova, ecce aquæ aſcendunt ab Aquilone, & evadunt in torrentem inundantem, ut inundent terram & quæ implent eam, civitatem & qui habitant in ea: itaque clamabunt homines & ejulabit quiſquis habitat in ea terra.*

Verſ. 3. *A ſonoro plauſu ungularum fortium* equorum *ejus, à commotione curruum ejus, ſtrepitu rotarum ejus; non advertent faciem patres ad filios, præ remiſſione manuum:*

CALAMITAS, poſt indicium Efficientis primarii, habet v. 2, 3. II. Damnum v. 4, 5.

I. *Inſtrumenta* verſ. 2, 3. propoſita figurate, *ſub imagine fluvii exundantis*, & obvia omnia, in agris & urbibus ſternentis ac ſuffocantis. verſ. 2. *Dicuntur venire ab Aquilone;* Chaldæi iſtinc veniebant, reſpectu tam Philiſtæorum quam Judæorum & Ægyptiorum, & ſic frequenter deſcribuntur. Cap. 1: 15. cap. 6: 22. cap. 46: 20, 24. Inundationis ſimilitudo ſic adhibetur cap. 46: 8, 9. Eſa. 8: 7, 8. cap. 28: 15. &c. Pſ. 65: 8. Hinc autem maxima conſternatio, *clamor & ejulatus* ob inopinam calamitatem, quemadmodum in inundationibus fieri ſolet, & hiſtoriæ teſtantur. Itemque proprie verſ. 3. a *ſtrepitu ungularum fortium.* Equos & equites deſignat, a commotione vehementi, qualis in terræ motu, curruum, & turbâ ſeu tumultu rotarum; equeſtres ſunt & currules copiæ, quarum *fragor & ſtrepitus* major, eminus exauditus, ſono etiam ad montes & colles repercuſſo & multum aucto: unde conſternatio tanta, ut dum præcipites in fugam ruunt, *parentes liberorum* oblivi-ſcantur, *manibus remiſſis*, & imbellibus, ut nec apprehendere arma, nedum ea tractare, aut quicquam ad ſui defenſionem auſint ſuſcipere.

Verſ. 4. *Propter diem illum venturum, quo vaſtaturus eſt omnes Peliſchthæos, exciſurus Tyrum, & Tzidonem, totumque reſiduum auxiliare: quum vaſtaturus* eſt *Jehova Peliſchtæos, reliquias regionis Caphthoris.*

Verſ. 5. *Obveniet calvitium Hazzæ, exſcindetur Aſchkelon, & reliquiæ convallis eorum: quouſque induces tibi cæſuras?*

II. Di-

II. *Damnum* verſ. 4, 5. quod conſternationis tantæ cauſa eſt. Vocatur *dies ad vaſtandum*, definitum tempus vaſtationi inſtituendæ. Subjectum vaſtationis tolerandæ ſunt (1.) *Philiſtæi*, qui littus maris mediterranei poſſidebant, inde à fluvio Sichor, cui adjacet Gaza, uſque ad Joppen, (qui unicus Iſraelitarum portus, diſtincti in quinque ſatrapias ſeu dominatus, ex quibus Gath, regio titulo gaudebat, cujus rex Achis memoratur ſæpius in hiſtoria Davidis. (2.) *Tyrii & Sidonii* exſcindendi, ne habeant qui Philiſtæis auxiliatum veniat. Erant hæ urbes in eodem littore, magis ad Septentrionem, & poſt ſubactos Philiſtæos itidem ſubjugatæ. Sic Ezek. 25: 15. &c. de Philiſtæis, cap. 26. 27. 28. de Tyro, & cap. 28: 20. &c. de Zidone ſermo eſt, atque excidio illarum regionum; quæ etiam conjunguntur inter adverſarios Iſraelis Joel. 3: 5. &c. & Philiſtæi atque Tyrus Amoſ. 1: 6. ſeq. Certitudo damni eſt, quia *Deus vaſtat Philiſtæos reſiduum inſulæ*, vel *regionis*, *Caphtor*: ducitur ab autore Deo, & ab exemplo. Gen. 10: 14. Philiſtæi & Caphtoræi dicuntur prodiiſſe ex Caſluchæis, qui inter poſteros Mitzraim numerantur, & ad Africæ nationes pertinent. Aſt Amoſ. 3: 9. v. 7. refertur Philiſtæos ex Caphtor eductos fuiſſe, uti Iſraelitæ ex Ægypto exceſſerunt, hoc eſt deſertis illis ſedibus, quas Caphtoræis fratribus reliquerunt, alio conceſſiſſe, extra Africam; nam, ut eſt Deut. 2: 23. Caphtoræi, qui ex Caphtor diſceſſerunt, (qui ſunt iidem iſti Philiſtæi, nationem Avvitarum exterminarunt; & ipſorum loco conſederunt. Locus ille fuit in Hazetim ſive villis uſque ad Gazam. quæ ultima deinde urbs Philiſtæorum, verſus Ægyptum. Ita contigui fuere Cananæis, qui à Canaane fratre Mitzraim, (ambobus filiis Chami) deſcenderunt. Sed cum dicuntur *reſiduum regionis Caphtor*, apparet Caphtoræos, qui in Africâ manſerunt & patriis ſedibus, jam exciſos fuiſſe à vicinis ſuis, ut ſoli Philiſtæi de illâ gente ſupereſſent, quibus exemplo fratrum ſimile exitium prædicitur. (2.) *Terra* ipſa verſ. 5. cui tribuitur *Calvities* quoad *Gazam*, hoc eſt deſolatio, ut non plures incolæ remaneant, quam pili in capite calvo, propter Babylonium, novaculæ inſtar omnia abradentem, uti de Aſſyrio dicitur Eſa. 7: 20. *Exciſio* quoad *Askalonem*, quæ itidem una primariarum urbium, quo facit deſcriptio, *Reſiduum profunditatis ipſorum*, quia ſita erat in mari propemodum, magnam partem circumflua, & inſtar peninſulæ, unde robur habebat, & eâ vaſtatâ, quæ maritima auxilia potuit recipere, nihil ſpei ſupererat. Confirmationis autem ergo additur, *Quouſque inciſionem facies?* more gentilium in luctu, & quoties fruſtra ſollicitabant ſuorum Deorum opem. 1 Reg. 18: 28. quia nullus finis malorum, nullum a Dagone & aliis Diis auxilium, ut fruſtraneo labore ſupersedendum eſſet.

Nullam autem addit promiſſionem reſtitutionis, uti quidem de Ægypto, Moabo, Ammone; Quidam id factum rentur, quod non ſint deportati, ſed maximam partem in ſua terra deleti, reſiduis manentibus: ſed deportationem prædixit Joel. 3: 4. &c. Ergo cauſa eſt quod nunquam exules eſſent reſtituendi: licet certum ſit aliquos in terrâ manſiſſe, quibuſcum reduces Judæi matrimonia inierunt, ut eſt Neh. 13: 23. de Aſdodæis mulieribus. Liquet quomodo Deus liberrime beneficiat, miſericordiam neget aut præſtet pro lubitu Rom. 9: 16, 18. Sic pariter Edomo & Babyloni omnis præciditur ſpes: quæ fit Ægyptiis. Cæterum ſi hi cum Philiſtæis componantur, aliquid etiam diſcriminis occurrit. Ægyptii initio fuere benefici Iſraeli, & peregrinos amice exceperunt, poſtea facti tyranni, unde Iſraelitis mandatum, ne abominarentur Ægyptios Deut. 23: 7. ſæpius etiam deinceps fuere ſocii, licet non præſtiterint, quam debebant opem. Aſt Philiſtæi ſemper adverſarii: ut miſericordia juſte negata ſit, iis qui non exercuere miſericordiam Jac. 2: 13. quod etiam circa Edomum valet.

Verſ. 6. Dicens: *Eheu gladie Jehovæ, uſque quo non es requieturus? recipe te in vaginam tuam, quieſce & ſubſiſte.*

Verſ. 7. *Quomodo requieſceres? atqui Ieheva præcepit ei: contra Aſchkelonem, denique contra portus maris, ibi conſtituit illum.*

CAUSA calamitatis indicatur dialogiſmo verſ. 6, 7. I. *Interrogatio* eſt v. 6. Compellatur *gladius Domini*, Babylonius, (quemadmodum Eſa. 10: 4. baculus & virga, ſecuris & ſerra dicitur Aſſyrius.) quærit, *quouſque non ſit quieturus*; imo jubet quieſcere, continuata metaphorâ, *redeundo in vaginam*, ubi quies eſt gladii, idemque ſynonymiis repetit, ut *quieſcat & ſileat*, abſtineat ab actione ſua (הרגע *quieta eſto*, in Kal *rupit. dirupit*, in Niph. *quietus fuit*, in Hiph. *quietavit*, *quietum reddidit.*) II. *Reſponſum* eſt verſ. 7. *Quomodo quieſceres?* additque rationem, ſed mutatâ perſonâ, *poſtquam Dominus præcepit illi*, *contra Askalonem & portum maris*, nan tantum hujus urbis, ſed etiam alios in tractu Philiſtæorum: *ibi condixit illi*, *definivit illi* gladio locum & tempus, ubi ſe exerceret. Adeoque bellum uti non niſi jubente Deo venit, ita neque aliter quam ipſo jubente ceſſat. Eſa. 45: 7. cap. 10: 4. ſeqq. Eſt autem ea belli calamitas, ut ſi hoſtibus incumbat, ſit merito deprecanda: uti hîc Jeremias facit, quod ad Philiſtæos. Eſa. 21: 3. ob Babelis excidium, quanto magis ſi Eccleſiam premat Eſa. 22: 4. Jer. 4. 9. 14. Luc. 19.

CAP. XLVIII.

PROPHETIA QUARTA

contra Moabitas.

VAticinium hoc contra Moabum editum eſt. Ea natio fuit Iſraelitis cognata, orta ex Loti primogenita. Habitavit ad Orientem maris mortui, Septentrionalis terminus fuit Arnon fluvius. Iſraelitæ egreſſi ex Ægypti cum eò uſque proceſſiſſent ab Edomo & Moabo non impetrarunt tranſitum, & Deus interdixit ne ipſis vim facerent, aut quicquam ejus ſibi ſumerent Deut. 2: 8, 9. ſed obiverunt regiones illas, & per regnum Sichonis Amoræi viam ſibi pararunt, hoc victo, & perdito. Attamen Balak, per Bileamum voluit maledici Iſraeli, Num. 22. Eglon tyrannidem in illum exercuit per 18 annos Jud. 3. Davidi grave fuit cum Moabitis bellum, & victoria de iis ſevera admodum 2 Sam. 8: 2. uti rentur Hebræi, quod parentes Davidis, regis Moabi fidei commendatos, necaſſent vel prodidiſſent, conf. 1 Sam. 22: 3, 4. Defecerunt ab Achabi filio 2 Reg. 1: 1. cap. 2: 4, 5. unde grave bellum, Joſaphatum quoque adorti ſunt, ſociatis ſibi Ammon & Edom 2 Chron. 20. Fuerunt Iſraelitis mali vicini, qui & politiæ, & Eccleſiæ graves, non parum eos afflixerunt. Hoc loco Judicium Dei contra Moabum prædicitur Generale verſ. 1-6. & Speciale v. 7-47.

Verſ. 1. *Contra Moabum ſic ait Iehova exercituum Deus Iiſraëlis, væ Nebunti, nam vaſtabitur erubeſcet; capientur Kirjathajima: erubeſcet* civitas *ſita edito loco, & conſternabitur.*

Verſ. 2. *Nulla* erit *ampliùs laus Moabi; de Cheſchbone, cogitabunt contra eam malum*, dicentes, *agite, exſcindamus eam ne ſit gens: etiam Madmen exſcinderis, te perſequetur gladius.*

GENERALE habet titulum, *De* vel *contra Moab*, hoc enim argumentum unicum, niſi quod ultimus verſus habeat promiſſionem aliquam. Autor eſt, *Dominus Zebaoth*, Deus Iſraelis, quia ad Eccleſiam attinet, quæ hoſtibus ejus immittit Deus: ut ſi extraneis peccantibus non parcit, utique domeſticis delinquentibus multo minus parſurum diſcat: Tum etiam ut ſciat, neminem impune ferre, læſiſſe Eccleſiam Jer. 2: 2, 3.

I. *Denunciatio* inſtituitur contra urbes potiſſimas, quo ordine ſubactæ, quid paſſæ, quomodo ab una ad aliam vel calamitas vel conſternatio ſaltem fuerit propagata. Calamitas quidem I. *Væ contra Nebo, nam vaſtata eſt*: Nebo fuit urbs in ditione Ruben, quam adificarunt Rubenitæ Num. 32. ex ruinis reſtitutam cum Sihon & populus ejus internecione delerentur. Fuit & mons ejuſdem nominis in quo Moſes Cananæam omnem oculis ſuis luſtravit. Depor-

tato autem Rubene vicini Moabitæ videntur occupâsse, & possediſſe. II. *Pudefacta, capta eſt Kiriathaim*, itidem in Rubenitide Num. 32. Joſ. 13. Dualis indicat duplicem fuiſſe, ut quaſi duarum urbium haberet ſpeciem, vel alius duplicitatis gratia. III. *Pudefacta & conſternata eſt arx, locus editus* ejuſdem urbis, vel alius niſi proprium nomen habeat *Miſchgab*, ab altitudine, quo ſe recipiebant in periculis majoribus: nam turres eo fine conſcenderunt, ut eſſent tutiores Jud. 9. Pudefactio eſt quod non ſuffecerint defenſioni; nam qui vincitur pudefit, 2 Sam. 19: 3. ſed captæ venerint in poteſtatem hoſtium, ſub ejus terrore, & violentia deſtructæ. hæ ſunt v. 1. Tum v. 1. enumerantur aliæ IV. *Chesbon*, olim regia Sihonis Amoræi, *nulla amplius Moabo laus eſt* in hâc urbe, ubi ſapientiſſimi, fortiſſimique morabantur; cujus cauſa per paronomaſiam recitatur, *cogitarunt contra eam malum*, & quod illud? *venite, & exſcindamus eam, ne amplius ſit gens?* Talium cogitationum ſocietatem habuit aliquando Moab cum aliis populis contra Iſraelem, Pſ. 83: 2. ſeqq. V. *Etiam ô Madmen, ſilebis*, vel *exſcinderis*, (per paronomaſiam תדמי) *pone te ibit gladius*, ut te exſcindat, & in ſilentum conditionem redigat.

Verſ. 3. *Vox clamoſa* inde *à Choronajimis*, dicentium, *ô vaſtitatem & contritionem magnam.*

Verſ. 4. *Confractus eſt Moab; edent clamorem parvuli ejus.*

Verſ. 5. *Nam clivum Luchithæ continuus aſcendet fletus: nam in deſcenſu Choronajimorum hoſtes* fragoſi *clamorem fragoſum audient.*

Verſ. 6. Dicentium: *fugite eripite vos ipſos; & eſtote ut nudatiſſima arbor in diſerto.*

II. *Conſternatio* autem verſ. 3. deſcribitur, I. unde ortus, verſ. 3. *Vox clamoris à Choronaim, vaſtatio & fractura magna.* Sive ut inde incipiat publicatio ad reliquas urbes Moabi, ſive propter illam (מ enim etiam cauſam notat Pſ. 12: 6. משר) quod hâc occupatâ cœperit terror diffundi, deſperantibus ſervari poſſe; poſtquam hæc in hoſtium veniſſet poteſtatem. II. Quid divulget, verſ. 4. *Confractus eſt Moab*, potentia ejus non ſolum debilitata ſed penitus contrita eſt, uti cum brachium confractum. III. Qui publicent verſ. 4, 5. *clamorem audire fecerunt* צעירירה *parvuli ejus*, ut hi palantes per vias & amare lamentantes, ſolo ejulatu calamitatem proremulgent. R. Tanchum Arabs, *Audire fecerunt clamorem Principes & præfecti ejus.* צעיר *magnum* ei ſonat, מלטאן *Soltan*, *dominatorem*, *principem*: ſic Targ. בשרו צוחרת שלטנהא *annunciarunt clamorem dominatores ejus.* Sic principum & magnatum autoritate facta fuiſſet publicatio, qui poſt urbis Choronajim occupationem deſperantes de tuendo limite, monuerint decreto publico, ut omnes ſe fugâ reciperent in tutiora, qui in agris campoque patenti habitarent. Quomodo autem auditur clamor, *nam quâ adſcenditur in urbem Luckith* (quæ videtur in excelſo ſuper collem aut in monte ſita,) *cum fletu adſcendet fletus*, flentes ob fletus ſui magnitudinem dicuntur fletus, quorum multitudo ſignificatur, ut tota illa via nil niſi fletus & lamenta audiantur. Trahentibus ſcilicet matribus liberos, & his cum moleſtia & fletu ſcandentibus in altum, quod primæ explicationi magis quadrat: & cur? *Nam quâ deſcenditur à Choronaim audiverunt ipſos Angustiantes clamoris fracturæ.* Hoſtes victores qui cauſam dant clamoris ob fracturam à ſe illatam, audiverunt, illi qui adſcendunt verſus Luckith. Ut jam tergo propemodum inſtent hoſtes, his jam deſcendentibus ex colle uno, dum adhuc fugientes niterentur adſcendere & elabi in colle proximo. IV. Quid ſuadebat verſ. 6. *Fugite, eripite animas veſtras, & ſitis ſicut myrica in deſerto*, nudatiſſimi; ut feſtinantes nihil aſſumant, ne minimum moræ exitio ſit, ut Matt. 24: 16. &c. Exemplum hujuſmodi fugæ ob terrorem, ut nudi propemodum abirent eſt 2 Reg. 7: 6. Ultima etiam reddi queunt, & erunt (animæ veſtræ) ut myrica in deſerto, nudatiſſimæ, omnis conſilii expertes, ut nihil habeant inveniantur præſidii, expoſita uti myrica conculcationi cujuſvis, qua feræ qua hominis, quia deſtituæ omni humore ſolati, Jer. 17: 6. Deut. 28: 63.

Ver. 7. *Nam eò quòd fiduciam habes in rebus tuis, & in theſauris tuis, tu quoque capieris: & exibit Cemoſch in deportationem; Sacerdotes ejus, & Principes ejus pariter.*

Verſ. 8. *Quum veniet vaſtator contra unamquamque civitatem, non eripies te, ſed peribit convallis, & perdetur planities: quia edicit Jehova.*

Verſ. 9. *Date, inquit, pennatam alam Moabo, ut ea utendo exeat: nam civitates ejus deſolationi erunt, adeò ut nullus habitet in eis.*

SPECIALE recitat varia peccata Moabi, unicuique ſubjungens minas judicii divini, ſunt autem I. Fiduciæ de opibus verſ. 7--10. II. Securitas verſ. 11--13. III. Confidentia roboris militaris. IV. Superbia contra Deum & populum ejus verſ. 26--47.

I. *Fiducia in divitiis*; I. proponitur verſ. 7. *Propter confidere te in operibus tuis, & theſauris tuis.* מעשה *artes* diteſcendi, fructus inde redeuntes; ſic opus oleæ Hab. 3--17. & greges opus dicuntur 1 Sam. 25: 2. ſive cura quam habebat circa greges ſuos; Etenim regnum Sihonis, cui Moabitæ proximi, imo quibus ille magnam partem ademerat Num. 21: 26. fuit terra paſcui & rex Moab paſtor 2 Reg. 3: 4. Num. 32. II. Opponitur judicium, verſ. 7, 8. tum occupationis: *capietis etiam tu* non ſecus ac aliæ terræ & nationes: Tum Exilii, Idoli, Sacerdotum, Principum, v. 7. *Ibit in exilium Chemoſch*, Deus ipſorum & unde omnis ſalus ac proſperitas videbatur proficiſci. *Sacerdotes ejus, & Principes pariter*, ut qui præerant in ſacris & politicis captivi abducantur; quomodo paſtoribus abductis grex diſſipabitur. Tum Vaſtationis terræ, verſ. 8. quæ univerſalis, urbium omnium, nulla excepta, vallium & planitiei, ubi ſolent agricolæ morari; cujus certitudo à Dei prædictione. III. Repetitur mandando accelerationem exilii verſ. 9. *Date alam Moabo ut volando egrediatur*, celerrime, ut Pſ. 55: 7. ut omnia deſerant, neque quiſquam maneat. צין Chald. *Corona* Exod. 28: 36. *Date coronam Moabi*, quæ ipſius fuerat, nempe aliis; *nam egredietur.* Ellipſis durior; dicendum fuiſſet *removete coronam à Moabo.* Abrab. צין *flos* Eſa. 40: 7. *Date Moabo flores* germina & herbam agri, *nam exibit volando*, ut omnis amiſſis in deſertis *nihil* habeat ad victum præter herbas agri. Sed *primum* convenientiſſimum. Et vaſtationem verſ. 10. ſub comminatione maledictionis, ſiquidem hoſtes, Dei hîc miniſtri, non ſatis cordate rem agerent, aut parcerent Moabitis; quomodo contra Saulem, qui gregibus & regi Amalekitarum pepercerat, 1 Sam. 15. ſic 1 Reg. 20: 35. & verſ. 47.

Verſ. 10. *Maledictus qui facit opus Jehovæ fraude; & maledictus qui cohibet gladium ſuum à ſanguine.*

Quod dictum verſ. 10. quoad membrum primum generale eſt, & applicari poteſt cuicumque miniſtro Dei, in opere quocunque omnem negligentiam damnans, quemadmodum arcus doloſus, qui remiſſus, nervo laxiore, quam ut ſagittam propellere queat, quoad poſterius etiam valet de Magiſtratibus quibus gladius creditus à Deo. Rom. 13: 4. Gen. 9: 6. unde Num. 35: 31.

Verſ. 11. *Tranquillus eſt Moab inde à pueritia ſua, & deſidet ſuper faces ſuas, neque transfuſus eſt de vaſe in vas, id eſt, in deportationem non abiit: propterea manſit ſapor ejus in eo, & odor ejus non eſt mutatus.*

Verſ. 12. *Idcircò ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ, quum immittam ei peregrinantes, qui peregrè*

regrè agant eum; & vaſa ejus depleant, ac utres eorum diſſipent.

Verſ. 13. *Tum erubeſcet Moab à Cemoſcho; quemadmodum erubuerunt domus Iſraelis à Beth-ele fiducia ipſorum.*

II. *Securitas*, ſeu fiducia de diuturnâ tranquillitate quæ proponitur verſ. 11. ſimpliciter, *Moab à juventute ſuâ tranquillus fuit.* Etenim poſtquam obtinuit terram, in eâ manſit, non ejectus in exilium; partem quidem ademit Sihon Amoræus Num. 21. ſed Iſrael terram nec ingreſſus impediente Balako, nec partem conſecutus, vetante Deo. Deut. 2. Quæ poſt ſecuta bella tempore Davidis & Joſaphati, non ita profligarunt aut afflixerunt, ut deſerere patriam cogerentur. Quod per ſimilitudinem declaratur, à *vino non transfuſo*, cujus *odor & ſapor manet* conſtans, cum aliàs aliquid decedat. II. Opponitur judicium verſ. 12. continuatâ metaphorâ. *Dies venient & mittam* צועים *peregre eos agentes*, qui loco moveant, quod in vino eſt dolia relinere, & transfundere; *evacuabunt* autem & *vaſa confringent*, diſſipabunt in fruſta, ut nunquam recipiendo vino ſervire queant; quæ eſt vaſtatio terræ, deportatis incolis, ejectiſve. Conſequens judicii eſt *pudefactio* verſ. 13. amplificata ab objecto, idolo ſuo, *Camos*, cujus nullitas patebit, ex deficiente auxilio, quod nec terræ, nec incolis, nec ſibi præſtitit; & illuſtrata exemplo ſimili Iſraelitarum, qui non plus opis à vitulo *Bethelis* obtinuerant, cui pariter fidebant. Habemus hîc inſolentiam ex tranquillitate diuturnâ ortam, ut Sodomæ Ezek. 16: 49. Pharaonis cap. 29: 3. & impiorum Pſ. 37: 35. & 55: 20. Eam compeſcit exilium Ezek. 29: 5. Zeph. 1: 12. &c. & mors temporalis Pſ. 37: 35, 36. & 52: 7. & nullitas idolorum agnoſcitur in adverſis, Jer. 2: 26. Hoſ. 2: 9.

Verſ. 14. *Quomodo dicitis, potentes ſumus; & viri ſtrenui in bello?*

Verſ. 15. *Vaſtabitur Moab, & è civitatibus ſuis aſcendet, & lectiſſimi juvenes ejus deſcendent ad mactationem: dictum Regis, cui nomen eſt Iehova exercituum.*

Verſ. 16. *Propinqua eſt calamitas Moabi eventura; & malum ejus feſtinat valdè.*

Verſ. 17. *Condolete ei omnes circumſtantes eum; & quicunque noviſtis nomen ejus: dicite, quomodo fractus eſt baculus robuſtiſſimus? virga ornatiſſima?*

Verſ. 18. *Deſcende de gloria & ſede in ſicco, ô deſes filia Dibonis: nam vaſtator Moabi aſcendet contra te, corrumpet munitiones tuas.*

Verſ. 19. *Juxta viam conſiſte, & ſpeculare habitatrix Haroheris: interroga fugientem virum, & fœminam eripientem ſe; dic, quid factum eſt?*

Verſ. 20. *Erubeſcit Moab, inquient, quia contritus eſt, ejulate & clamate: indicate ad Arnonem vaſtari Moabum.*

Verſ. 21. *Nam judicium adveniet in terram planitiei; in Cholonem, & in Jahatzum, & in Mephahatam.*

Verſ. 22. *Item in Dibonem, & in Nebuntem, & in Bethdiblathajima,*

Verſ. 23. *Et in Kiriathajima & in Bethgamulum, & in Bethmehonem.*

Verſ. 24. *Et in Kerijothas, & in Botzram: denique in omnes civitates terræ Moabi, longinquas & propinquas.*

Verſ. 25. *Succidetur cornu Moabi, & brachium ejus frangetur; dictum Jehovæ.*

III. *Fiducia* de robore militari, I. Hujus *jactantia* verſ. 14. ipſorummet ſermone propoſita, quo ſe heroes, belli gnaros gloriantur. II. Opponitur autem *judicium*, verſ. 15. inducturum vaſtationem terræ, & incolarum, nec non cædem juvenum lectiſſimorum, confirmatum aſſertione Dei, cujus jus & potentia inſinuatur ut Jer. 46: 18. Illud ועריה עלה ambiguum eſt, *& quævis urbium ejus adſcendit*, hoc eſt incolæ urbium, ſublati, & adſcendentes ut fumus aut flamma evaneſcentes, alii ellipſin ſupplent ומעריה *& ex urbibus ſuis Moab adſcendit.* Abrab. ובעריה *& in urbes ejus adſcendit* conf. v. 8. *vaſtator*; ſenſu non multum diſcrepante quoad calumnitatem Moabi; niſi quod iſtic paſſio vaſtati, hic vaſtantis actio denotetur. III. Exornatio additur, quæ conſtat, (1) Mali celeritate verſ. 16. (2) Inevitabili ejus ratione verſ. 17. mimetica deploratione, imperatâ vicinis, (נודו לו pro נודו לו *condolete ei, nam* נוד cum ל conſtructum notat *condolere* Pſ. 69: 21.) quâ calamitatem recitant admirabundi, magnum robur debilitatum eſſe, (confer Ezek. 30. & ad tolerantiam Moabum hortantur verſ. 18. malo prævalente. (3) Confirmatione Generatim verſ. 18. *quia vaſtator Moabi venit & munimenta ipſa perdidit.* Speciatim, tum Inquiſitione à fugientibus, verſ. 19. à ſollicitis & exſpectantibus nova, uti Eli 1 Sam. 4: 13. &c. נס ונמלטה utrunque maſculinum, ſed illud cum ה parag. ad emphaſin, qui ægre admodum ex mediis periculis *evaſit.* *Tum* Reſponſione illorum, recitantium ſigillatim mala. v. 20--24. quæ ad omnes urbes ſe extenderint, tum Dei ipſius Declaratione verſ. 25.

Verſ. 26. *Inebriate eum, quia contra Jehovam magnificat ſe: ut plaudat Moab in vomitu ſuo, & ſit riſui ipſe quoque.*

Verſ. 27. *Nam an non riſui tibi fuit Iſrael? an inter fures inventus eſt? quòd quum verba tua facis de eo, commoves te.*

Verſ. 28. *Relinquite civitates, & habitate in petra, ô incolæ Moabi: & eſtote ſimiles columbæ nidificanti in lateribus hiatus cavi.*

IV. Superbia contra Deum & populum ejus, quæ proponitur.

1. Brevius cum pœna verſ. 26--28. Habetque α. *Mandatum* exſequendi, verſ. 26. à Propheta dictum, juxta commiſſionem cap. 25: 15. &c. Inebriandus erat poculo iræ Dei, Pſ. 75: 9. Cauſa mandati, ſuperbia contra Deum; & Conſequens plauſus ebrii vomituſque, ut irriſioni ſit: quod ebriis contingit, Eſa. 28: 7, 8. idque exemplo aliorum, etiam ut tranſitum faciat ad rationem aliam, β. *Rationem* ſpecialiorem verſ. 27. irriſio contra Iſraelem exercita, quam interrogando exprobrat, & acerbitatem ejus, quaſi inter fures fuiſſet deprehenſus, quibus & verbis & geſtibus, moti capitis, inſultari ſolet. Cæterum pudefactionem furis deprehenſi intelligit de idololatria Jer. 2: 26. quando gloriam & fiduciam Deo debitam aliò tranſtuliſſe deprehenduntur. γ. *Judicium* conſequens verſ. 28. cujus evadendi rationes fuga & latebris ineundas monet. Liquet autem hinc, contra Deum ſe efferre, qui Eccleſiæ ipſius inſultant; adhæc ne quidem illos ridendos, aut de iis gaudendum, quos Deus judiciis conſtituit ridendos, damnante Deo omnem ἐπιχαιρεκακίαν. Pſ. 69: 27. Prov. 24: 17, 18. Adhæc Deum ipſos riſus & geſtus obſervare, & verba, quibus Eccleſiæ & piis moleſti ſunt mali, Mich. 6: 5. Eſa. 37: 28. unde de iis refertur ad Deum Pſ. 22. & 69. & 35. & 40.

Verſ. 29. *Audivimus ſuperbiam Moabi; faſtuoſum eſſe admodum; altitudinem ejus, & ſuperbiam ejus faſtumque ejus, & elationem animi ejus.*

Verſ. 30. *Ego novi, dictum Jehovæ, excandeſcen-*

ſcentia ejus tamen non ita efficiet: mendacia ejus non ita efficient.

2. Plenius, verſ. 29--47. indicando Peccatum, Poënam, Temperamentum pœnæ.

א. *Peccatum* verſ. 29, 30. eſt *ſuperbia*, verſ. 29. famoſus eo nomine Moab; *ſuperba ſuperbia ejus*, quæ geſtu, ſtaturæ erectione Eſa. 3: 16. ſermonibus & actionibus, atque cogitationibus cordis probetur, tum *Ira*, verſ. 30. עברה quæ magna admodum, excedens modum, ut quis ſui amplius potens non ſit, quod longanimi eſt. Prov. 16: 32. & cap. 25: 28. unde damnatur; *non eſt rectum* בדיו *ejus mendacia*, quibus palliare iram ſatagit, *non faciunt quod rectum eſt.* Mutatio numeri hîc attendenda, *Audivimus* verſ. 29. & *ego novi* verſ. 30. Obſervator indicatur utrobique, Hebræi illic gentes, hîc Deum loqui volunt. Vel illic prophetam nomine Eccleſiæ. Sed utrobique idem eſt Eſa. 26: 6. ubi hi verſus conjunguntur: & heic verſ. 30. Deus locutus dicitur; ut appareat Deum de ſe, pluraliter ob perſonarum numerum, & ſingulariter ob eſſentiæ unitatem. Cujuſmodi expreſſiones etiam alibi occurrunt, Eſa. 6: 8. cap. 22: 11. Hoſ. 12: 5. cap. 2: 13. ut appareat myſterium iſtud non fuiſſe in V. T. ignotum, cujus argumenta præter אלהים præbent Gen. 1: 26. cap. 3: 22. cap. 11: 7, 8. Notandum & hîc Prophetas quandoque aliorum prophetarum verba repetiiſſe in ſuis concionibus ſic Jeremias hîc Eſaiæ, & Micha Eſaiæ Eſa. 2: 1. & Mich. 4: 1. coll. Jeremias & Obadias habent ſimillima Obad. verſ. 1. &c. Jer. 49: 14. &c. Imo Micha σύγχρονος Eſaiæ hujus verbis uſus citra præjudicium ſui muneris extraordinarii; ſic ergo etiam Juda Apoſtolus potuit uti verbis Petri, ſine Apoſtolatus ſui imminutione. Superbiæ porro fœditas multis ſynonymiis declarata oſtendit odium Dei contra illam; qui ſuperbis reſiſtere dicitur. Jac. 4: 6. 1 Pet. 5: 5. ſic de Aſſyrio. Eſa. 10: 10. &c.

Verſ. 31. *Idcirco propter Moabitas ejulo, & propter Moabum totum clamo, propter homines Kirchereſi gemit animus meus.*

Verſ. 32. *Supra fletum Jahezeris defleo te, ô vitis Sibmæ; propagines tuæ trajicient mare, uſque ad mare Jahezeris pertingent, ſuper æſtivos fructus tuos & ſuper vindemiam tuam vaſtator irruet.*

Verſ. 33. *Et intercipietur lætitia & exſultatio ex arvis è terra Moabi: & vinum è lacubus faciam ut ceſſet, non calcabit celeuſtes, celeuſtæ non erit celeuſma.*

Verſ. 34. *Præ clamore Cheſchbonis Elhalen uſque, Jahatzum uſque edent vocem ſuam à Tzohare Choronaiima uſque quaſi vitula trima: nam etiam aquæ Nimrimorum deſolatiſſimæ erunt.*

Verſ. 35. *Ita faciam ut ceſſet Moabo, dictum Jehovæ, qui offerat in excelſo & adoleat Diis ipſius.*

3. *Pœna* varie exornatur, a. *Querela* eſt de Moabo, quam Propheta inſtituit, Enumerans loca quædam, & inter ea *Sibmam* à fertilitate commendans, quæ celebrem reddidiſſet, verſ. 31, 32. cujus cauſa vaſtatio, ſimpliciter & metaphorice propoſita verſ. 32: 33, 34. confirmatio autem additur à Deo, denunciante excidium idololatrarum. verſ. 35.

Verſ. 36. *Idcirco animus meus propter Moabum ut tibiæ perſtrepet & animus meus propter homines Kirchereſi ut tibiæ perſtrepet: idcirco quamvis reſiduum fecerit, peribunt tamen.*

Verſ. 37. *Nam omni capiti calvitium erit & omnis barba exſecta; in omnibus manibus cæſura, & ſuper lumbos cilicium.*

Verſ. 38. *Super omnia tecta Moabi, & in plateis ejus totus erit planctus: quum fregero Moabum ut inſtrumentum in quo nulla eſt delectatio, dictum Jehovæ.*

Verſ. 39. *Quomodo contrita eſt? Ejulate, quomodo obvertit cervicem Moab pudendè? eſtque Moab riſui & conſternationi apud omnes circumſtantes ipſum.*

b. Repetitur eadem querela ob luctum Moabitarum omni geſtu teſtatum, quem in maximis calamitatibus adhibebant. verſ. 36, 37, 38. (כחלים verſ. 36. *ſicut tibiæ*; Abrab. *tanquam confoſſos* &c. Deo perdente ut vos inutile verſ. 38, 39.

Verſ. 40. *Nam ſic ait Jehova, ecce ſimilis aquilæ involabit hoſtis: pandetque alas ſuas in Moabum.*

Verſ. 41. *Capientur Kerijothæ, & unaquæque munitionum occupabitur: & erit animus potentum Moabi die illo, ut animus mulieris perpetientis tormina.*

Verſ. 42. *Et exſcindetur Moab ne ſit populus, quia contra Jehovam magnificavit ſe.*

Verſ. 43. *Pavor, & foſſa, ac laqueus: imminet tibi, ô incola Moabi, dictum Jehovæ.*

Verſ. 44. *Qui effugerit à pavore incidet in foſſam, & qui aſcenderit ex foſſa capietur laqueo: quum inveham in ipſum, in Moabum, annum viſitationis ipſorum, dictum Jehovæ.*

Verſ. 45. *In umbra Cheſchbonis ſtabant qui fugiebant à vi: ſed ignis egredietur Cheſchbone, & flamma è medio Sichonis, qui conſumet latus Moabi, & verticem eorum qui nihil niſi ſtrepunt.*

Verſ. 46. *Væ tibi Moab, periturus eſt populus Cemoſchi: nam rapientur filii tui in captivitatem, & filiæ tuæ in captivitatem.*

c. Denunciat Deus ipſe celeritatem mali verſ. 40, 41, 42. & inevitabilitatem verſ. 43, 44. quia nec exterra præſidia, nec Dii quibus fidebant poſſint eſſe ſolatio, aut uſui. verſ. 45, 46.

Verſ. 47. *Attamen reducam multitudinem captivam Moabi ultimis temporibus, dictum Jehovæ: hactenus judicium Moabi.*

2. *Temperamentum* eſt verſ. 47. quod magis ad terram, quam ad populum videtur referendum, ex Zeph. 2: 8. &c. ubi judicium Sodomæ; non ſignificans immutabilitatem calamitatis, ſed gravitatem, inductâ ſterilitate maxima loco maximæ fertilitatis; uti Deut. 29: 21. &c. coll. cap. 30: 5. & ipſius Sodomæ reſtitutio Ezek. 16: 53. &c. promiſſa eſt: utpote pars doni Abrahamo facti. Gen. 12, 13, 15, 17.

Clauſula additur, quia prolixa fuit concio de malis Moabi, ſed quæ tandem κατὰ ἐσχατον ſint habitura; etiam reſiduorum nonnullorum, uti de Elamo, cap. 49: 39. quia ultimi Dies, de Meſſiæ tempore intelliguntur; & huc pertinet. Jer. 12: 14. &c.

CA-

CAP. XLIX.

CONjunguntur hic plura vaticinia ejuſdem argumenti, ſed duabus Gentibus aliquid ad extremum promittitur Amoni & Elamo; primis & ultimis; ſed tribus intermediis, Edomo, Damaſco, & Kedari nihil.

I. CONTRA AMMONITAS. verſ. 1--6. Hi proxime junguntur Moabo, ceu conſanguinei, ex altera filia Loti orti. Fuere ſæpius Iſraeli moleſti & infeſti; maxime illis in Gilead, quibus contermini ad Orientem I. poſt obitum Jairi oppreſſerunt populum, & 18. annis dominati ſunt duriter, conati eos expellere poſſeſſione trans Jordanem, quaſi ea ad ipſos pertineret, contra quos jure egit Jephta, & poſt armis eos devicit Jud. 11. 2. Nahas Ammonita Jabeſitas obſedit, & per illos univerſo Iſraeli meditabatur opprobrium & perniciem, profligatus à Saule 1 Sam. 11. 3. Nahas ipſe, odio forte Saulis, amicus fuit exulis Davidis; ſed illius filius Chanun legatos Davidis male excepit, unde bellum graviſſimum exarſit, quod propemodum exitium Ammonitis attulit. 2 Sam. 10: 12. 4. contra Joſaphatum cum Moabitis bellum ſuſceperunt 2 Chron. 20. & contra Jothamum cap. 27. & contra Jojakimum 2 Reg. 24: 2. unde prophetæ alii etiam ipſis prædixerunt ultionem divinam. Ezek. 25. Amos. 1: 13. Zeph. 2: 8.

Verſ. 1. *Contra Hammonitas, Sic ait Jehova, an filii nulli ſunt Iſraelis an hæres nullus eſt ei? cur hæreditario jure poſſidet Rex iſtorum Gadem, & populus illius in civitatibus hujus habitat.*

Hoc loco

I. *Arguuntur* malitiæ contra Iſraelem exercitæ, cum denunciatione pœnæ verſ. 1--3.

1. *Injuria* per interrogationem proponitur. Deportato Iſraele, iis qui trans Jordanem, in Aſſyriam, terram eorum occuparunt Ammonitæ, vel ex voluntate victoris, vel non curante eam regionem, quod colonos novos tantum in urbes Samariæ introduxit. 2 Reg. 17. & Ammonitæ videntur ſtatim ſe applicuiſſe Aſſyriis, qui facile cum hoſtibus Iſraelis conſpirabant ad hujus perniciem Pſ. 83: 3. &c. Apparet jus aliquod ſibi tribuiſſe, ſaltem ex occupatione; quod qui in vacua venit primus, poſſeſſionem titulo aliquo obtineat, jure gentium. Igitur negat Deus dari vacuam poſſeſſionem; Ea datur quando omnes hæredes & poſteri poſſidentis exſtincti ſunt. Atqui hoc negat. Licet iviſſent tribus in exilium, non perſeverant in exilio, imo neque perituræ erant; Jer. 31: 35. &c. adeoque manebat ipſis adhuc ſuum jus in terram.

Hinc vero fluit argumentum invictum pro reſtitutione x. tribuum. Si enim illa non exſpectanda, perperam argumentatur Deus. Jus integrum manet Iſraeli, eique relinquendum eſt, licet deportati dudum exſtincti forent, nec rediturí; quia hæredes habent, non tantum collaterales, ut Judæis duarum tribuum tribuatur, ſed liberos, ad quos primùm jus ſucceſſionis devolvitur. Quod ſi vel exſtincti forent inter gentes, vel iis permixti ut diſtingui etiam à Deo amplius nequirent, vel denique in perpetuum excluſi patriâ, utique vacua eſſet poſſeſſio, & quæ occupantis fieret; quam cum negat, illam ſervari docet; non tantum poſt aliquot annorum decades, (uti tempore Jeremiæ jam 120. circiter anni tranſierant;) ſed centurias (quemadmodum nunc 24. ſecula præterierunt.) Quia ergo non datur poſſeſſio vacua, mera injuria eſt, quod eum Ammon ſibi ſumat. Ait autem Milcomum occupaſſe, Deum ipſorum quem colebant 1 Reg. 11: 5, 7. & cui victorias ſuas tribuebant. Nam etiam Gentes à Deo regna & victorias dari rebantur, & illum Deum fortiorem, qui cultores ſuos faceret victores, Eſa. 10: 10, 11. cap. 36: 18. cap. 37: 12. unde ſtultitiæ accuſatur Amazia quod victos Deos adſciſceret 2 Chron. 25: 14, 15. Jephta tali argumento utitur Jud. 11: 23. &c. ubi Ammonitis Camos tribuit, qui Moabitarum Jer. 48: 46. vel quod idem eſſet Camos & Milchom ſeu Molech, mutatis nominibus, vel quod etiam vicinorum & cognatorum Numen venerarentur. Et Joſaphat apud Deum poſcit jus contra invaſores, quod Iſraeli dediſſet terram. 2 Chron. 20: 7. ſeq. Nam Deo jus illud eſt diſponendi de terra univerſa Deut. 32: 8. Jer. 27: 5. &c. Act. 17: 26. Uti furtum eſt terminos agrorum movere loco Deut. 19: 14. cap. 27: 17. Eſa. 5: 8. ſic quoque movere terminos populorum. Eſa. 10: 7, 13. Hab. 1, 2. cap.

Verſ. 2. *Idcirco ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ; quum faciam ut audiatur contra Rabbam Hammonitarum clangor belli, ſitque tumulus vaſtitatis, & pagi ejus igne ſuccendantur: Ita hæres erit Iſrael hæredum ſuorum, ait Jehova.*

2. *Judicium* oppoſitum eſt vaſtatio & exhæredatio v. 2. Peccatum pœnæ cauſa eſt, propterea, ob injuriam Iſraeli illatam, quæ inſuper fuit, lætitia de calamitate Judæorum Ezek. 25: 3. &c. & inſultatio Zeph. 2: 8. & crudelitas exercita contra prægnantes Amos. 1: 13. Vaſtatio inducenda eſt bellica, quæ metropolin ipſam evertat, Amos. 1: 14. Exhæredatio autem quod Iſraelitæ, quorum hæreditatem rapiebant, ipſorum terram ſint occupaturi & poſſeſſuri; uti legere eſt Zeph. 2: 8. Iſtud hactenus factum non eſt, cum x. tribus non reſtitutæ ſint ex ſuo exilio: (nam unum ex urbe, duos ex familia rediiſſe non probat reſtitutionem. Jer. 3: 14. ſeqq.) & qui redierunt, atque trans Jordanem vixerunt, non obtinuerint terram Ammonitarum. Eam vero complectitur, promiſſio facta Abrahamo Gen. 15: 18. quæ terminum Occidentalem mare mediterraneum facit, ad uſque flumen Ægypti, Orientalem vero Euphraten. Veruntamen Iſraelitis ex Ægypto venientibus non conceſſit ut adorirentur vel occuparent regionem, quam filiis Lot aſſignarat; ſed tantum ad tempus; quemadmodum Davidis regnum in univerſum Iſraelem interruptum fuit donatione partis ejus Jeroboamo ad tempus 1 Reg. 11: 38. Hacpropter ait *dies venient*, ut doceat, licet diu differatur, definitum eſſe tempus quando futurum ſit: ut promiſſionis veritas conſtet.

Verſ. 3. *Ejula Cheſchbon, quum vaſtata fuerit Hai, clamate pagi Rabbæ; accingite vos ciliciis, plangite, & curſitate per ſepta: nam Rex iſtorum in deportationem abibit, Sacerdotes ejus, & Principes ejus pariter.*

Effectus hujus afflictionis eſt luctus verſ. 3. quem imperat Ammonitis, incolis variarum urbium, Hesbon alia eſt ab ea quæ fuit Moabitarum, & Ai alia ab eâ quæ fuit cis Jordanem prope Jericho; & ratio quod & Deus, & rectores Eccleſiaſtici ac Politici periiſſent; quod etiam de Moabo dictum cap. 48: 7.

Verſ. 4. *Quid gloriaris de convallibus, affluente convalle tua ô filia averſa? quæ confidit in theſauris ſuis, dicens, quis invaderet me?*

II. *Convincuntur* ſuperbiæ, verſ. 4. quod confiderent profunditatibus, regioni undique præ altis montibus cinctæ ut non facilis foret acceſſus, atque ipſi in ſuâ convalle ſecuri degerent? Et mox, profunditatem ait diffluxuram inſtar aquæ, uti cum aquæ vis de montibus præceps ruens, convalles inundat, & violenter omnia proſternit & ſecum rapit. Quod item confiderent theſauris, atque hinc ſecuros ſe putarent, ut nemo adoriri poſſet. Vocat autem *Filiam averſam*, ob conſtantem impietatem, ſeu potius ob exilium perpetuum quod ſemel ejectus terrâ nunquam eò eſſet rediturus, quemadmodum verſ. ſequens docet. Idem titulus etiam Iſraeli datus Jer. 3: 12. ſed reſpicitur ſpecialis apoſtaſia in cultu aureorum vitulorum Jeroboami, unde non fuerunt reverſi.

Verſ. 5. *Ecce ego immiſſurus ſum in te pavorem, dictum Domini Jehovi exercituum, ex omnibus locis circumſtantibus te; à cujus præſentia diſpel-*

ſpellemini quiſque, & nullus erit qui congreget errantem.

Judicium oppoſitum verſ. 5. eſt immittendi, metus, & hinc diſpenſationis, unde non ſint colligendi.

Verſ. 6. *Verumtamen poſteà reducam captivam multitudinem Hammonitarum, dictum Jehovæ.*

III. *Promittitur* aliqua reſtitutio, verſ. 6. ſed quæ non hominum & nationis, ſed ſolius terræ futura videtur, niſi quando ſociati fuerint Iſraelitis, Zeph. 2: 8. Jer. 12:14.&c. Ezek. 47: 22, 23. vide Jer. 48: 41.

PROPHETIA QUINTA.

Verſ. 7. *Contra Edomæos, Sic ait Jehovu exercituum, an nulla eſt amplius ſapientia in Themane? periitne conſilium à prudentibus, exolevit ſapientia eorum?*

II. CONTRA EDOMUM verſ. 7--12. Fuit Jacobi frater gemellus, ſed jam in utero cum eo colliſus, & poſt nativitatem inde ab Emta primogenitura & intercepta patris benedictione illi infeſtus, & odium manſit ad ſeram poſteritatem: quod cum fraternum foret, tanto fuit exſecrabilius, unde non minus Edomo quam Babeli nulla promiſſio facta veniæ, ſed extremum exterminium, etiam jurejurando Dei confirmatum. Conf. Jer. 49: 13. & cap. 51: 14. Neque terminatur captivitate Babylonica, (ſi quis dicat veniſſe in Chaldæorum poteſtatem unà cum Judæis, & poſt reſtitutos ſub Hircano circumciſionem admiſiſſe, & in fide ac amicitia Judæorum permanſiſſe obſeſſa ultimùm Hieroſolymâ:) nam uti denunciarat Obadia olim, ita poſt ſolutam captivitatem Malachias finalem deſtructionem minatus eſt Edomo Mal. 1: 2. &c. De cujus complemento in fine dicendum erit. Anti-Chriſto eadem conveniunt, quatenus falſus Eccleſiæ frater: uti quæ contra Babelem, quatenus apertus ejuſdem hoſtis.

Denunciatio triplex inſtituitur I. verſ. 7--13. II. verſ. 14--18. III. verſ. 19--22.

I. Exprobrat, defectum ſapientiæ verſ. 7, 8. cladem recitat verſ. 9, 10, 11. eandemque confirmat verſ. 12, 13.

1. *Exprobratio* ſapientiæ inſtituitur verſ. 7. per interrogationem. Idumæi famam ſapientiæ habebant, ſed hujus defectus prædicitur, ob malorum magnitudinem, ut non appareat ſuâ ſponte, ut perierit, ut fœteat, tanquam cadaver diu extinctum, ſic Obad. verſ. 8. & ſimilia de Ægypto leguntur Eſa. 19: 11. *Theman* autem vel urbis nomen ſic dictæ à conditore Eſavi ex Eliphazo nepote, vel ab illo omnes Idumæi denominantur, vel à ſitu meridionali, quem habebant reſpectu Iſraelis: uti Roma reſpectu Europæ, quæ Eccleſiæ ſedem præbet potiſſimam.

Verſ. 8. *Fugite (ſiet ut avertentes ſe petant habitationes profundas) ô habitatores Dedanis: nam calamitatem Heſaili adducturus ſum in eum, quo tempore viſitabo eum.*

Suggerit autem conſilium iis, qui nullum habent ad ſui defenſam, verſ. 8. ut fugiant, avertant ſe, quærant latebras, (quale impii ineunt Eſa. 29: 15.) cum calamitatem ipſe Deus adducat, dum viſitat culpam. Quod vel ad exprobrationem porro facit, quia ne hoc quidem fugæ & latebrarum, quod extremum eſſe ſolet, ſit valiturum: vel quod ut conſulat verè, hoc unum eſſe quod aliquid mitigationis afferat in clade. Verum ſi הפנו העמיקו ob inſolitam punctationem in Imperativo, reddantur per præteritum, conſilium unâ voce נוסו *fugite*, continebitur, quod ſapientiæ eſt ex Prov. 22: 3. & mox refertur Edomi factum contrarium, *verterunt ſe*, profunda petierunt habitanda: cum alias in montes ſe ſolerent recipere, in convalles conceſſerunt, tanta ſecuritate, ut quibus nihil eſſet metuendum, & tum ratio tam præpoſteræ actionis, quia Deus adducat calamitatem, quo confirmabitur, quando Deus punire vult populum, auferre ſapientiam; cujus exempla complura: etiam in Abſalomo, Rehabeamo, aliis.

Verſ. 9. *Si vindemiatores advenirent tibi, nonne relinquerent racemos? ſi fures noctu, perderent quod ſatis eſſet ipſis.*

Verſ. 10. *Atqui ego denudaturus ſum Heſavum, retecturus abdita ejus, adeò ut ſeſe abſcondere non poſſit: vaſtabitur ſemen ejus, fratreſque ejus: & vicini ejus, adeo ut nullus ſuperſit qui dicat.*

2. *Deſcriptio cladis* illuſtratur ſimilitudine, verſ. 9. quæ etiam exſtat Obad. verſ. 5. (ſed omiſſum hic ה interrogativum, quod apud Obadjam expreſſum legitur; unde ellipſis ejus probatur.) nunquam vindemiatores adeo accurate botros colligunt, ut non relinquant racemationem, quam Deus pauperibus ſervatam voluit Deut. 24: 21. nunquam nocturni fures omnia cum pulviſculo tollunt, ſed ſolum quando ferre poſſunt. Verum hic nihil reſiduum futurum erat, verſ. 10. Uvæ quidem manent, pampines tectæ, & fures noctu omnia videre nequeunt; ſed Deus omnia erat retecturus, etiam occultiſſima, ut nihil abſcondi poſſet; unde ſequitur omnium exciſio, poſterorum & amicorum, & vicinorum, atque etiam ipſiuſmet.

Verſ. 11. *Relinque pupillos tuos, ego in vita conſervabo, & viduas tuas, mihi confidito.*

Verſ. 11. Quo referatur, dubium eſt. Targ. per parentheſin inſertum credit, *O domus Iſraelis, pupilli tui non erunt deſerti. Ego eos confirmabo, & vidua tua in me confident*, ut cohæreat ſeqq. quando Iſraeli etiam bibendum dicitur de poculo iræ ut in anteceſſum hoc ſolatio erigantur, in maxima afflictione (quæ eſt redactio in ſtatum viduarum & orphanorum Exod. 27: 24.) Deum ope ſua præſto ſore, ut fiduciam ipſis faciat ſecuram, juxta illud Hoſ. 14: 4. Aliis placet eſſe continuatam orationem Edomo; ſed ut vel Dei ſit, irridentis ipſorum fiduciam; qui nolit ipſorum miſereri, etiam afflictiſſimorum; vel hominum, & cohæreat prioribus, & non eſt, nempe conſolator, qui dicat, viduæ tuæ in me confidunt, pollicitus afflictiſſimis defenſionem.

Verſ. 12. *Nam ſic ait Jehova, ecce, quorum nullum erat jus bibendi hoc poculum, ii omnino bibunt, tu autem ipſe omnino eſſes impunis? non eris impunis, ſed omnino bibes.*

3. *Confirmatio eſt* verſ. 12, 13. habetque Dei *Argumentum* verſ. 12. ductum à minori, unde concluditur majus & quidem per interrogationem, ad pondus majus. Aſſumit ſimilitudinem poculi iræ ex cap. 23. ubi bibendum præbetur, primum Iſraeli, tum reliquis nationibus, & tandem aſſeritur juſtitia actionis erga nationes, quia etiam Hieroſolyma, & prima omnium *biberit*, utique reliquas non poſſe declinare quo minus indidem bibant, uti etiam concluditur 1 Pet. 4: 17. Verum hic paulo aliter proponitur, bibiſſe de poculo, qui non debuiſſent bibere: quomodo illud dici queat, niſi injuſte paſſi dicantur. Hebræi deſignari putant Ægyptios, Philiſtæos, Damaſcum, Kedar, Elam, queis nulla cum Iſraele cognatio, eoque nec obligatio ſpecialis amoris, cujus violatio pœnam meruiſſet, bibiſſe de poculo, quia auxilia tulerant Iſraelis hoſtibus & in vaſtatione Hieroſolymæ ſe oblectarunt; meritum ergo Edomum qui frater & proximus, contra illam מעל peccarit, ut pœna ſit longe juſtiſſima. Verum alii cenſent Edomum conferri cum Iſraele; atque hic quæritur, quomodo de Iſraele dicatur, non fuiſſe ejus judicium ut biberet? ſi enim non commeriti ſunt, injuſtum eſt judicium, & injuſtus Deus qui intulit, nam ab illo poculum iræ profectum & Judæ primum datum. Reſpondetur ergo comparate dici, quorum judicium non erat, æque videlicet ac reliquarum

rum nationum, quod verba cap. 25: 29. videntur probare, ut minus rei dicantur Iſraelitæ, quam nationes aliæ: quamvis enim Eccleſiæ peccata ſint contra majus lumen & beneficia plura, unde celerior pœna Amoſ. 3: 2. cap. 8: 1. &c. tamen non eſt æque jus contra ipſam ut puniatur, reſpectu Dei & fœderis gratiæ I. quia reatus peccatorum illi condonatur Num. 23: 21. Mich. 7: 18. &c. Num. 14: 17. &c. Jer. 50: 20. II. quia exigua caſtigatio ſufficit liberis Pſ. 103: 8--13. Eſa. 27: 7, 8. adeo ut facile modum excedere videatur Eſa. 40: 1, 2. Zach. 1: 12. &c. Quæ Eccleſiæ felicitas, quod judicium contra eam adeo temperatum ſit, ut moderationem conſequatur Jer. 48. verſ. ult. cum impiorum pœnæ ceu jure proprio iis incumbant Pſ. 75: 9. Lam. 4: v. 21, 22.

Verſ. 13. *Nam per me juro, dictum Jehovæ, deſolationi, opprobrio, vaſtitati, & maledictioni fore Botzram: & omnes civitates ejus abituras in vaſtitates perpetuas.*

ב. *Juramentum* verſ. 13. ubi tum formula, *Nam per me ipſum juravi, dictum Domini.* quomodo denunciatio ſit invariabilis, non ſolum in promiſſionibus Heb. 6: 17. &c. ſed etiam in minis, cum neque hic pœnitentia vel mutabilitas in Deum cadere queat, quando non caſuram juravit; nam alioqui æque promiſſa ac minæ verbo ſimpliciter propoſitæ variationem admittant in eventu, ob conditionem expreſſe vel implicite additam. Jer. 18: 7. &c. Joel. 2: 13. &c. Jon. 3: 9. Juramenta de judiciis ſunt Amoſ. 6: 8. cap. 8: 7. Zeph. 2: 9. Jer. 22: 24. aliaque. tum de quo jurat eſt deſolatio inferenda, variis Synonymiis expreſſa, *ſtupor* ſeu vaſtitas, *opprobrium*, *vaſtitas* deſerti, *maledictio*, æternæ deſolationes.

Subjectum autem eſt *Botzra* ejuſque urbes. Botzra urbs fuit Moabitarum Jer. 48: 24. ſed in totâ ditione Edomi nulla fuit ejus nominis; & qui ſecundus rex Edom numeratur Gen. 36: 33. Jobab de Botzra, ex Moabitide ortus cenſetur, hâc propter nominatâ patriâ urbe, ut indigenam non fuiſſe conſtaret. Præterea talis deſolatio, quam Deus juravit, non obtinuit in terrâ Edom; Et cum Idumæi ſub rege Hircano Judæis fuerint annumerati ſuſceptâ circumciſione, neque de-hinc ab iis diſceſſerint, non mage exciſi dici queunt quam Judæi ipſi, qui pariter ejecti patriâ hujus deſolationem maximam experiuntur, quorum tamen reſtitutio certa eſt.

Hebræi hoc vaticinio, Romam ejuſque imperium deſignatum putant, quemadmodum Edomum autorem faciunt gentis Romanæ. Romam autem dici Botzram, tum a munitione, בצור munitum eſt, & בצרון munitio, tum ab anno vaſtationis ex numero literarum בצרה 5292. ab orbe condito juxta computum Abrabanelis, quem tamen fefellit eventus, A. C. 1532. illo anno reſpondente. Interim Romam poſſe vocari Botzram non uno argumento nititur, quæ etiam Sodomæ & Ægypti appellationem habet Apoc. 11: 8. & Babylonis cap. 16, 17, 18. nimirum I. a בצר *vindemiare*, uvas colligere; quia uvas ex vite Sodomæ & Gomoræ, quam ubique plantavit, colligit, & profeſſionem à ſe profectorum ubique exigit; ut Romæ nomen ubique agnoſcatur, & quia omnis proventus ipſi ſoli paratur, uti Babylonem omnes merces devehuntur Apoc. 18. II. a בצור & בצרון, quaſi בצורה quia eſt *valida* illa urbs Apoc. 18: 10. quæ regnum habet ſuper reges terræ, quibus robur & poteſtatem dat cap. 17: 13, 18. III. a בצר & בצר *aurum præſtantiſſimum*, quia auri fitientiſſima, & illud iſtic abundat, cap. 18: 16. IV. à בצרה *cohibitio pluviæ*, quia pluviam Verbi Dei cohibet, ut non cadat ad irrigandam terram, eripiens Scripturam, ut vel non habeant, vel habeant linguâ ignotâ. V. numerus annorum ab Abrabanele notatus eatenus quadrat, quia circa hoc tempus Anti-Chriſtus ita oppugnari cœpit, ut contradicentes deinceps nunquam potuerit opprimere; qualis interritus regno Anti-Chriſtiano paratus eſt, ut verſ. 18. videbitur. Imo ipſo anno 1532. impetrata a Carolo V. per Electores Moguntinum & Palatinum pax aliqua Religionis in Germaniâ uſque ad liberum Concilium. VI. Abrabanel Eſa. 34. docens בצרה eſſe numerale nomen & בצר 292, annum vaſtationis Romanæ deſignare in computo minore, ה autem millenarios quinque, occaſionem præbet computi alius, nam quot בצר totidem exhibet vox טרידנטי Tridentum, ubi vindemia facta, & collecti articuli fidei Papalis, ceu vinum illud venenatum uvarum Sodomæ. Concilium quoque quod iſtic habitum eſt, indictum initio fuerat Mantuæ 1532. ſed ob varia procraſtinatum & tranſlatum, Tridentique inchoatum 1545. duravitque varie interruptum annos totos quinque, quos ה ultimo denotare poſſumus. Conjecturæ iſtæ ſunt, ſed certum per Edomum hoc loco Anti-Chriſtum, quem Roma tenet, deſignatum.

Verſ. 14. *Rumorem audivi à Jehova, & legatum ad gentes miſſum*; dicentem, *congregate vos, & invadite eam, ac ſurgite ad prælium.*

II. *Deſcribit* Judicii I. inſtrumenta v. 14. II. cauſas efficientem & meritoriam v. 15, 16. III. exitium ipſum v. 15, 16.

1. *Inſtrumenta* ſunt I. *Denunciantia*, verſ. 14. atque heic tum remotiores nuncios habemus; Jeremias ſingulariter, Obadias pluraliter exprimit, audiviſſe ſe famam illam ab ipſo Deo. Hujus juſſu contra Edomum egerunt & judicium ejus deſcripſerunt præter Jeremiam & Obadiam συγχρόνως, etiam Eſaias cap. 34. quod Belgæ de Româ exponunt. Ezekiel cap. 25: 12. &c. Amos cap. 1: 11, 12. Malachias cap. 1: 2. &c. Verum contra alios quoque hoſtes Eccleſiæ, imo contra impios in Eccleſia denunciationes apud Prophetas occurrunt crebræ; quas illis revelavit Deus auditoribus communicandas. Amoſ. 3: 7. Eſa. 22: 14. neque in Novo Teſtamento deſunt monitores, qui quæ Deus impiis deſtinet patefecerunt. Eſt enim hæc quoque pars conſilii Dei, quod Paulus ſe patefeciſſe aliis teſtatur Act. 20: 27. tum proximiorem, quem legatum ait miſſum inter gentes; quis autem ille ſit ex nuncio colligere eſt, quo II. *Exſequentia* indicantur, *Congregate vos, & venite contra* eam Botzram, *& ſurgite ad bellum.* Contra Idumæam ejuſque incolas id factum, nuſpiam legitur, neque ea Gens adeo magna aut potens fuit ut plurium gentium ſocietate opus foret ad eam debellandam. Verum hoc omne concernit Anti-Chriſtum, Apoc. 17: 16. &c. Hi ſunt qui congregandi dicuntur, & qui eos congregant Eccleſiæ Doctores; quamvis enim unus ציר dicatur, intelliguntur tamen plures, quia una eſt omnium vox, præconium unum, eſſe Anti-Chriſtum, adeoque ab omnibus qui Chriſti ſunt oppugnandum. Quod effectum dederunt Petrus Waldus, Wicleſus, Huſſus, & alii oppugnatores Papatus, ſuperiore maxime ſeculo, quando magno numero prodierunt legati in Europa, & plura regna ac nationes contra Rom. Anti-Chriſti tyrannidem ſurrexerunt, eamque ſuis ditionibus ejecerunt. Hic legatus dicitur miſſus non ad Judæos, quia nondum agnoſcentes Chriſtum contra ejus adverſarium capitalem nihil ſuſcipiunt, ſed ad gentes, non quid novi nunciaturus, verum cum illâ famâ quam Prophetæ a Deo audiverant; de Edomi ſeu Anti-Chriſti interitu procurando, ut eâ legatione excitati conſurgant ad bellum iſtud gerendum Apoc. 17: verſ. 14.

Verſ. 15. *Nam ecce parvum diſpoſiturus ſum te inter gentes, contemtum inter homines.*

2. *Cauſæ* ſunt

א. *Efficiens*, verſ. 15. Deus loquitur (ut verſ. 16. liquet) qui ſibi vendicat humiliationem & contemtum Edomi, ubi ב præpoſitio facit ſuperlativam ſignificationem, contemtus inter gentes, hoc eſt omnium contemtiſſimus, ut Luc. 1: 28. Quidam hoc exponunt de facto præterito, quod Deus ab initio Edomum contemtum reddiderit, aſſignatâ ei poſſeſſione montana ac ſterili. Sed non convenit hiſtoriæ. Gen. 27: 39. &c. Iſaaci benedictio pinguem terram tribuit; cap. 33: 9. Eſau profitetur, ſe opibus abundare, utpote qui (exemplo ut videtur Abrahami cap. 14.) domeſticos armatos quadringentos poterat educere. cap. 36. patre mortuo, quando hæreditatem paternam una cum fratre adiit, quia Cananæa utrumque peregrinantem ferre non poterat, ceſſit eam fratri ceu cui jam ante in Seir melius de habitatione proſpectum eſſet, indigenatus jure potitus apud Horitas. Ibidem recenſentur. Duces qui primi habuerunt

imperium, quibus ſucceſſerunt reges quorum octo ordine regnarunt, antequam Iſraelitæ regnum haberent, hoc eſt rempublicam, nam hoc ſcripſit Moſes, qui fundamenta reip. poſuit, ipſe rex appellatus Deut. 33: 5. & jam tunc octo illi reges præfuerant in Idumæâ. Tempore Davidis & Salomonis Hadad, regius filius, ſed exul, in Ægypto tanti fiebat, ut non tantum regiis ſumtibus educatus, ſed etiam affinis delectus fuerit, elocata illi regina Sorore 1 Reg. 11: 14. &c. qui tandem recuperavit terram, regnumque reliquit poſteris. Quod continuatum fuit, & Idumæi in terræ poſſeſſione vel manſerunt, vel ad eam redierunt, adeo ut in ſubſidium obſidendæ à Romanis Hieroſolymæ 20000. miſerint, quæ tamen rurſum ad ſuos dimiſſa ſunt, Joſeph de Bell. Jud. lib. 4. & 5. Igitur rectius de futuro accipitur, & quidem non carnali illo, ſed de Anti-Chriſto, cui Deus minatur contemtum. Cohæret enim præcedenti verſui tanquam ratio, cur debeant Gentes ad bellum contra Botzram ſurgere, Nam ecce ego te contemtum reddidi &c. Ab omnibus honorabatur olim & amabatur, ut nemo contra eam movere aliquid auderet; heic verò cauſam dicit ſubiti contra eam odii & oppugnationis, quod Deus ipſe in contemtum adduxiſſet. Apoc. 17: v. 14. &c. Hiſtoriæ confirmant, quando Ludovicus XII. Galliæ rex, qui Alexandro VI. Papæ vixerat conjunctiſſimus, contra Julium II. bellum ſuſcepit, cudique fecit monetam cum inſcriptione, Perdam nomen Babylonis: quando inprimis ſuperiore ſeculo, ad Lutheri præconium quicquid fere ad Septentrionem eſt Gentium Papam contemſit, jugumque ejus conculcavit.

Verſ. 16. *Horror tuus decipit te, ſuperbia animi tui, ô qui habitas in fiſſuris petræ, qui carpis altitudinem collis: quamvis exaltares ut aquila nidum tuum, inde dejicerem te, dictum Jehovæ:*

ב. *Meritoria.* verſ. 16. quo nomine venit I. *idololatria*, תפלצתך *terror tuus*, Idolum tuum, uti Maachæ matris Aſæ idolum vocatur מפלצת 2 Chron. 15: 16. quia terrorem incutit ſuperſtitio cultoribus a ſuis idolis, & quod eo terrore homines contineantur in officio & ſubjectione, unde dicitur decepiſſe ipſum: quia illi tum victorias adſcribebant, ut Dagoni Philiſtæi Jud. 16: 24. & Achaz eapropter Syrorum Deos vult colere 2 Chron. 28: 23. II. *Superbia cordis* conſequens victoriarum & proſperitatis te pariter decepit, III. Securitas, qui habitas in fiſſuris petræ, & apprehendis altitudinem collis: ex altis & præruptis montibus, quemadmodum Idumæa talibus abundabat, unde montana Seir memorantur.

Horum primum proprie dicto Edomo non convenit, de cujus idololatria nihil ſingulare notatum legitur ſupra cæteras gentes abominabilem fuiſſe; immo ad extremum receptâ circumciſione proſelyti facti ſunt, excuſſa omni idololatriâ. Verum Rom. Anti-Chriſto quadrat exacte, cujus idolum terribile, Deus Mauzzim Dan. 11: 38, 39. Miſſa illa; cujus terribilitas per miracula fingitur, & qui illud non adorat præſentiſſimum adit periculum. 2 Theſſ. 2: 9. Apoc. 13. Eidem convenit Superbia ſumma Dan. 11: 36, 37. 2 Theſſ. 2: 4. nec non ſecuritas Apoc. 18: v. 7. ſic cap. 17: verſ. 13.

ג. *Efficiens* rurſum, v. 16. contra omnem cautelam prævalebit Deus. *Aquila* celſius evolat aliis avibus, & nidulatur in rupibus, ut omnem aliarum avium vim ſuperet, ſed Dei manus altior fortiorque ad dejectionem; Hab. 2: 9, 10. Chald. habet, *inde verbo meo te dejiciam*; & hoc modo agit Deus contra Anti-Chriſtum. Verbo dejicitur Eſa. 11: 4. 2 Theſſ. 2: 8. Apoc. 17: 14. cap. 19: 11.

Verſ. 17. *Eritque Edomæa deſolationi: quiſquis tranſibit juxta eam, obſtupeſcet & ſibilabit propter omnes plagas ejus.*

Verſ. 18. Erit *ſicut ſubverſio Sedomi & Hamoræ ac vicinorum ejus, ait Jehova: non habitabit ibi quiſquam, neque commorabitur in ea filius hominis.*

3. *Exitium* ipſum deſcribitur I. *a conſequente ſtupore*: omnium intuentium verſ. 17. Nihil hujus de Edomo legitur, ſed de Anti-Chriſto plurima, toto cap. 18. Apoc. II. *a genere pœnæ*, verſ. 18. uti Sodoma, cujus vaſtatio maxima. Sic Apoc. 18: 9. & ſolitudo inde verſ. 2, 22, 23. ſed inprimis conflagratio à manu Dei cap. 19: 20. cap. 11: 8. &c.

Verſ. 19. *Ecce quaſi leo aſcendit ſupra altitudinem Jardenis contra habitaculum robuſtiſſimi, ſed momento fugabo eum ex hac terra, & eum qui electus eſt in hac præficiam: nam quis eſt par mihi? aut quis conteſtetur mecum? denique quis nam eſt paſtor qui obſiſtat mihi?*

III. *Judicium* I. proponitur verſ. 19. & amplificatur verſ. 20--22. Obſervandum autem hîc quæ contra Edomum ſcribuntur, verbotenus repeti contra Babelem cap. 50: 44. &c. ut conſtet utrobique eundem deſignari; non quod Edom & Babel unus idemque hoſtis fuerit, ſed quod ambobus illis unus deſignetur, qui jam Edom, fratrem perfidum referat, jam Babelem hoſtem truculentum.

1. *Propoſitio* verſ. 19. habet

א. *Cauſam*, Ecce, ſicut leo adſcendet ab elatione Jordanis ad habitationem roboris. Attentionem ſibi parat, ceu rem magni momenti propoſiturus. Ea autem dubiæ explicationis eſt. Leonem Babylonium veniſſe in habitationem fortem Seir, eamque ſubegiſſe, & cap. 50: v. 44. Leonem Perſicum contra Babelem. Aliis Edom eſt Leo qui venit contra habitationem fortem Hieroſolymam, (ut non pœna ſed peccatum Edomi recitetur,) & inde cum occupata eſſet à Chaldæis ſpolia quoque domum reportaſſe, Obad. verſ. 11. Abrab. cui Edom ſunt Romani quoque, ait, primum doceri Nebucadnezarem ceu Leonem prævalituram Botzræ, ſed poſt 70 annos Cyrum juvenem ſubacturum Babylonios, tandem verò oſtendi, quid Deus contra Romanos ſit acturus ad imperii illius deſtructionem. De Anti-Chriſto omnia ſunt concinniora, & ſenſus longe amplior; cujus peccatum eſt, ſub ſimilitudine Leonis: quemadmodum Leo (quales circa Jordanem erant frequentes ubi ſuas agebant prædas) ab elatione Jordanis, (exundantibus ejus aquis, quæ inundatio violenta fuit, Jer. 22: 5. ut ſubito homines & jumenta abriperet; qui ſuffocati præda fiebant leonibus Zach. 11: 3.) inſolens ex ſatietate, adſcendet ad habitationem fortem ad luſtrum ſuum quod in cavernis montium habet; ſic Edom hic Leonina inſolentia, ubi exſatiatus fuit carne Eccleſiæ, inundatione violenta Pſal. 124: 3. &c. dejecta, multâ ipſius ſtrage, recipit ſe in ſuum domicilium, & munitiones, uti cum deprædatus eſt terram, cum præda Romam revertitur, quæ munita habitatio gloriæ Anti-Chriſti.

ב. Gravitatem judicii: ubi obſcuritas major, ארגיעך אריצנו quidam, *dabo enim quietem, populo meo; faciam eum currere, Edomum, à ſupra illa habitatione forti*; ſed mutatio perſonarum, ſeu populi coacta eſt. Sed ארגיעך τὸ uti de quiete exponi poteſt, unde מרגוע, quæ huc non quadrat, ita quoque de celeritate, a רגע *momentum*: Sic commodius; & duo verba conjunguntur, quod frequens 1 Sam. 2: 3. Pſ. 51: 4. & 71: 20. Eſa. 7: 11. Hoſ. 6: 3. & אריצנו non a רוץ *currere*, quò enim curſus a deſuper pertinet? ſed ab ארץ *humillimum reddere*, uti אסיפם ab אסף Jer. 8: 13. ut ſenſus ſit, ſed ego momentum agam, humillimum conſtituam eum, à deſuper, quo adſcenderat, ſibique quietam ſecuritatem pollicebatur.

ג. *Territudinem* inevitabilem, ab inſtrumento, quem juvenem volunt aliqui, vel qui electus eſt contra eam (fœmininum affixum ad Botzram refertur:) *conſtituam*; quod nonnullis collective intelligitur de pluribus ſed rectius de uno: Inprimis autem ab cauſa principali, unde inſtrumento *omne robur*, Deo nempe, qui ſe tripliciter opponit omnibus, quod nemo ſit par 1. dignitate, 2. judicio, 3. potentia: quod liquebit ex applicatione, Victorioſa eſt ſecuritas Anti-Chriſti, uti Leonis redeuntis ab elatione Jordanis ad ſuam habitationem fortem. Huc facit Apoc. 11: 7. &c. necatis duobus teſtibus, qui inſepulti jacent. & crudelitas contra non agnoſcentes ejus tyrannidem cap. 13: 15, 17. unde ſuperbia verſ. 7. cap. 18: 3, 7. Sed gravitas judicii eſt, quod

quod ſit *momentaneum* futurum, Apoc. 11: 13. cap. 16: 17. cap. 18: 8. quodque ex ſummo faſtigio in ſummam proſternit humilitatem Apoc. 18: 2. cap. 19: 20. &c. Inevitabilitas pendet ab inſtrumento uno & ſingulari Chriſto, cui judicium contra Anti-Chriſtum demandatum Eſa. 11: 4. 2 Theſſ. 2: 8. Apoc. 17: 14. cap. 19: 11. &c. qui ſolus vincit, citra ſocios cooperantes ex ſeipſis, ſed adhibitis teſtibus, ſua virtute pugnantibus. Apoc. 12: 11. cap. 17: 14. nec non à cauſa principali, Deo; *Electum contra eam conſtituam, nam quis mihi ſimilis?* Electus ergo Deus eſt, & quæ ipſe facit, Joh. 10: 29, 30. hinc vocatur Michael, & victoria adſcribitur Deo & Chriſto Apoc. 12: 10. Etenim, quod interrogative dicitur emphaſeos ergò, Deus, & Chriſtus quoque qui unus cum Patre Deus, eſt I. ſimpliciter incomparabilis, *quis ſicut ego?* Exod. 15: 11. Pſ. 86: 8. Eſa. 40. II. invictus judicio, aut qui ſuperiorem non habet; *quis mecum conteſtabitur?* dicet mihi diem? Job. 9: 2, 3, 19. III. inſuperabilis bello, *quis eſt Paſtor ille, qui coram me conſiſtat?* Chriſtus eſt Paſtor Eſa. 40: 11. Ezek. 34: 23. &c. bonus paſtor Joh. 10. & magnus Heb. 13: 20. Sed etiam Anti-Chriſtus vult eſſe & credi Paſtor unus, & magnus, qui ſibi ſoli tribuit ex Joh. 21: 15. &c. opponens ſe Chriſto 2 Theſſ. 2: 4. & leges ovibus ſcribens contrarias iis quæ veri Paſtoris ſunt; contra quem bellum quoque inſtruit, Apoc. 16: 13. &c. cap. 19: 11. &c. quem Chriſtus vincit.

Verſ. 20. *Idcirco audite conſilium Jehovæ quod iniit contra Edomæos, & cogitationes ejus quas cogitavit contra habitatores Themanis:* mentiar *niſi abjicient eos minimi ex ipſo grege, niſi deſoler cum illis habitacula illorum.*

Verſ. 21. *Præſono caſus illorum commovebitur ipſa terra:* præ *clamore, ad mare algoſum audietur vox illorum.*

Verſ. 22. *Ecce velut aquila aſcendens* hoſtis *involabit, & pandet alas ſuas contra Botzram; eritque animus potentium Edomi die illo, ſicut animus mulieris perpetientis tormina.*

2. *Amplificatio* repetit I. certitudinem judicii, verſ. 20. nititur conſilio decretoque Dei; ſapientiſſima voluntas & placitum Dei, diu ante, ab æterno nempe, fixum, Pſal. 33: 11. Eſa. 14: 26, 27. cap. 46: 10. quod de Edomo ſcriptum nobis dedit Eſa. 34: 16, 17. hîc de Theman, meridionalis enim eſt Anti-Chriſtus, Eccleſiis Europæis, (quæ ſunt Gentes excitatæ verſ. 14.) & habitatores Theman ſunt ii, qui ejus imperio ſubſunt, eique in ſuis domiciliis non non ſedem modo, ſed thronum concedunt. nec non juramentum, ex formula loquendi, *Si non* &c. quod verſ. 13. expreſſum eſt verbis clarioribus. Cæterum hîc ſimul modus judicii exprimitur, *Minimi gregis* (Chaldæus tamen etiam hîc צעירי עמא reddidit חסירי עמא) *trahent eos*, uti violenter aliquid trahitur & evertitur 2 Sam. 17: 15. vel ignominioſè, tanquam cadaver a canibus, Jer. 15: 3. cap. 22: 19. & ſuper eos habitationem eorum deſolabit; unus nempe ille Electus. Chriſtus eſt qui deſolationem efficiet, ſed ſub ipſo etiam imbelles gregis, contemtiſſimi Apoc. 17: 14. valebunt, & dejicient raptabuntque dejectos, armis divinis 2 Cor. 10: 4. &c. ut per miſeros Waldenſes, Wiklefiſtas, Huſſitas, Proteſtantes, Geuſios: peribunt autem omnes qui beſtiam adorant cum ea Apoc. 14: 11. cap. 19: 21. II. *Gravitatem* ejuſdem verſ. 21. *clamor auditur* ut cum magna moles ruit, *ipſa terra concutitur*, ut etiam longiſſime audiatur. nam mare rubrum diſtabat magno intervallo a Seir vaſtis interjacentibus deſertis. Huc facit Apoc. 18. cap. III. *Celeritatem* denique verſ. 22. *inſtar aquilæ ſubito advolabit contra Botzram, & erunt herois ut parturiens mulier*, cujus dolores ſubito & inevitabiliter veniunt, ut nihil contra valeat. ſic Apoc. 18: 10, 17, 19. 1 Theſſ. 5: 3. Heic finitur Judicium, ſed citra moderamen, quod in prioribus attexi vidimus, quia nulla Edomo huic gratia, quemadmodum in Apoc. 14: 11. cap. 19: 20. deſcribitur.

PROPHETIA SEXTA.

Verſ. 23. *Contra Damaſcum. Erubeſcet Chamath & Arpad, quum rumorem malum audierint, diffluent: in ipſo mari ſollicitudo* erit, *quieſcere non poterit.*

III. CONTRA DAMASCUM & Syros, quibus ea fuit metropolis Eſa. 7: 8. Fuere Syri Iſraelitis vicini a Septentrione, ſæpius infeſti, conducti ab Ammonitis contra Davidem 1 Chron. 18, 19. poſtea bellum geſſerunt contra Baeſam Aſa poſtulante 2 Chron. 16. contra Achabum 1 Reg. 20. & 22. Joramum 2 Reg. 6. Joahazum, & Jeroboamum ſecundum cap. 13. contra Joaſum Judæ cap. 12. & Achazum 2 Chron. 28. Eſa. 7. contra Jojakimum 2 Reg. 24. Hinc contra eos vaticinati ſunt Eſaias cap. 17: 1. Amos cap. 1: 3, 4. ubi crudelitas ipſorum contra Gileaditas. ut triturarent eos ferreis curribus, uti David victos Ammonitas 2 Sam. 12: 31. Judicium quod hîc denunciatur eſt I. metus v. 23. 24. II. excidium v. 25-27.

Metus deſcribitur I. *à ſubjecto*; ſunt primariæ Urbes, *Chamath & Arpad*, de quarum victoriâ gloriatur Sanherib 2 Reg. 28: 33, 34. hinc tamen liquet rurſum fuiſſe reſtitutas: nam judicium per Tiglat Pilaſarum exercitum 1 Reg. 16. ſub Achazo, & hoc illum emente, ante annos circiter acciderat: & forte poſt deportationem redierant, ſaltem tum videtur periiſſe facies regni, unde hîc tantum Urbium fit mentio, & turmarum Syrarum 2 Reg. 24: 3. Chaldæis præſidiariis ſociatarum: quænam autem ſint ignoratur: ſunt qui Chamath Epiphaniam dictam rentur, alii Antiochiam, in tribu Naphtali ſitam: aſt Arphad faciunt inſulam in Phœnicià non longe à Damaſco, cujus Plinius & Mela faciat mentionem. His urbibus tribuit metum ob vaſtationem Damaſci metropoleos. II. *à cauſa* quia rumorem malum audiverunt. de Damaſci nempe conſternatione, occupatione, vaſtatione. III. At *Effectis*, quod ſunt, 1. *Pudor.* 2. *Animus deſpondens*, liqueſcens. ut Joſ. 2: 11. 3. *Inquietudo.* in mari eſt dolor, quietis omnis impatiens, ut non tranquilletur, ſive ut ad mare fama volitet ad loca longinquiora; vel ſi inſula fuit Arphad, lacus aut flumen quo cingebatur, mare vocetur, collectio aquarum: ſive ut per ſimilitudinem reddatur, uti in mari eſt ſollicitudo, quæ tranquillari nequit dum mare commotum eſt & turbatum.

Verſ. 24. *Remiſſa erit Damaſcus, fiet ut convertat ſe ad fugiendum, & horrorem febrilem prehendet: anguſtia cum doloribus corripiet eam, tamquam parturientem.*

Illuſtratur verſ. 24. declaratione famæ illius malæ; *Damaſcus remiſit manus* ſcilicet ceu milites fatigati, qui non poſſunt amplius manus extendere ad pugnæ continuationem; *converſa eſt ad fugiendum*, ut in pedibus collocet ſalutem, quod eſt deſperabundorum; *nam tremor, trepidatio apprehendit eam, invaſit*, & tenet conſtrictam, *anguſtia & dolores quales parturientis*, graviſſimi & indeclinabiles. Hujuſmodi eſt metus, quem partem facit judicii Dei. Syri & Damaſcus caput regni, magnam habuere potentiam & exinde faſtum, late patens imperium, quod occupata parte Gileadis vicinæ ampliarant. Inſolentia Benhadadi maxima fuit, quando 32. reges auxiliarios ſecum duxit contra Samariam 1 Reg. 20. exercitus fuit ingens, qualem bis habuit ſub ſignis æque validum; vice autem ſecunda perierunt in prælio 10000. & illabente muro Aphekæ urbis, quo ſe receperant 27000. & totidem fere in prælio priore occubuerant. Hazaelis victoria & crudelitas memorantur 2 Reg. 8: 12. cap. 10: 32, 33. cap. 13: 22. & Retzinis victoriæ 2 Chron. 28: 5. Jam autem conſternatio talis occupatura erat urbes majores, quia primaria deficeret metu: qualem experti olim Syri 2 Reg. 7: 8. Cujuſmodi ſi immittat Deus, miſera conditio eſt, ſic Pſ. 76: 6. &c. Jer. 4: 15. cap. 6: 24. Ezek. 21: 6, 7.

Verſ. 25. *Quomodo non relinquerctur civitas laudatiſſima; urbs gaudii mei? dicebat illa.*

Verſ. 26. *Idcircò cadent juvenes ejus in plateis ejus: & omnes bellatores ejus exſcindentur die illo, dictum Jehovæ exercituum.*

Verſ. 27. *Et ſuccendam ignem in muro Damaſci, qui conſumet palatia Benhadadi.*

II. *Excidium* deſcribitur, I. à *contrario*, ſeu cauſa ejus corrumpente, verſ. 25. Interrogative proponitur, per proſopopœiam Syri alicujus, admirabundi, *Quomodo non relicta eſt urbs laudis* laudatiſſima, *oppidum gaudii mei.* Solent enim magni facere metropoles, ut Judæi Pſ. 137:6. Pſ. 48:3. Matt. 24:1. ſic de Tyro judicatum Ezek. 26, 27, 28. & de Babylone Apoc. 18. cap. adeoque mirari quod ei non parcatur in vaſtatione communi terræ; ſive ſtructuræ excellentia attendatur ſive munitionum robur. II. *A malo* inferendo *per homines* verſ. 26. ut juvenes delecti ad cuſtodiam urbis, in ejus plateis & foris cadant, urbe videlicet per vim occupatâ. Et quotquot alii ſunt milites conciſi ſileant, qui hoſti occurrerant, in prælio occumbant. III. *A malo* immittendo ab ipſo *Deo.* verſ. 27. *Murus Damaſci*, complectitur etiam domos & palatia, Amoſ. 1:4. aut ſi reſtringatur ad muros ſolos, hos dejiciendos ait, ut in aperti pagi conditionem dicat redactam, & tum palatia de interioribus ſtructuris intelliguntur; *Palatia Benhadadi ſunt* vel plures domus regiæ, à pluribus regibus ſtructæ, quorum aliquot illo nomine appellati fuerunt: vel omnes domus, quia ſub Benhadadi regis poteſtate erant. *Ignis* autem accendendus, Dei eſt, non tam externus & naturalis, quam metaphoricus iræ & vindictæ, ſed quem Deus accendens facit inexſtinguibilem, omni potentia contrariâ deficiente, uti ſæpe ſic loquitur Scriptura Jer. 4:4. cap. 17:27. cap. 22:24. Deut. 32:22. Eſa. 30:27, 28.

PROPHETIA SEPTIMA.

Verſ. 28. *Contra Kedarem, & contra regna Chatzoris, quæ percuſſurus eſt Nebucadnetzar rex Babyloniæ, ſic ait Jehova: ſurgite, aſcendite contra Kedarem, & vaſtate Orientales.*

Verſ. 29. *Tentoria eorum & greges eorum capient, aulæa eorum cum omnibus inſtrumentis ipſorum, & camelos eorum ſument ſibi, & proclamabunt contra eos formidinem circumquaque.*

IV. CONTRA KEDAR ET REGNA HAZOR. verſ. 28–33. *Kedar* fuit regio Arabiæ, ſic dicta à filio Iſraelis ſecundo, Gen. 25:13. cujus 12. filii principes populorum dicuntur, qui ſuis pagis & palatiis præfuerint: hinc fit mentio regnorum Hazor, quod villas חצרים poſſiderent ſinguli; niſi omnium una fuerit metropolis Hazor. Hujus nominis urbes fuerunt in Cananæa plures Joſ. 11:10, 11. cap. 15:23, 25. cap. 19:36. Quidam rentur primâ Hazor à Joſuâ ſubactâ, incolas fugiſſe in Arabiam, & cognitionem priori condidiſſe urbem; ſed tum non forent Iſmaelitæ. Plura regna poſterorum Iſraelis fuiſſe liquet ex Eſa. 21:13. ubi Arabiæ, Themæ & Kedaris meminit; ſic cap. 60:7. Kedaris & Nebajoth Ezek. 27:21. & Jer. 25:23, 24. poculum iræ bibendum quoque eſt Themæ (qui Iſmaelis filius) & qui præciſi ſunt in angulis (ſive religionis ergo tonſuram adhibentes, ſive in extremitate Arabiæ habitantes; & ſæpius à vicinis attriti) quorum hic quoque mentio verſ. 32. & regibus Arabiæ, & mixtæ multitudinis in deſerto. Imo qui hoc loco verſ. 28. dicuntur *filii Kedem* orientis, quidam malunt intelligere de filiis Kedma, itidem filii Iſmaelis. Kedar itaque videtur nomen generale gentis Iſmaeliticæ Jer. 2:10. ubi deſignantur omnes incolæ Arabiæ ad orientem Judææ, uti Chittim ad ejus occidentem omnes incolæ Græciæ & Europæ reliquæ: & Hazor metropolis, ſeu nomen commune, gente per minora regna diſtributâ. חצרים Gen. 25:13. Sunt quales Tartarorum Hordæ quorum poſſent vocari regna Hordarum, ut hic regna Hazor. Circumſtantia temporis exercendi judicii eſt per Nebucadnezarem, quando ſubegit quæ trans Euphratem ipſi erant, armis ſuis & per illa imperio prolatis. Nam poculum iræ circumlatum Rex Babel eſt Jer. 25:9. &c. & cap. 51:7. quod notatur cum in aliis neglectum ſit, non quia à nullo antea hoſte ſubacti fuiſſent Kedareni, nam Eſa. 21:16. intra annum dicitur vaſtanda, ætate illius prophetæ, ſed quia prophetia hæc poſt cladem illatam demum fuit conſignata quamvis jam ante recitata, ut fidem faceret ſuæ prædictioni, eventu exactè reſpondente. Cæterum Kedarenos non fuiſſe amicos Iſraeli patet ex Pſ. 120:5, 6. ſunt inter oſores pacis. Vaticinium autem dirigitur.

I. Contra *Kedar*, verſ. 28, 29. Kedareni habitabant in tentoriis, Pſ. 12:5. unde Arabes Scenitæ vocati, & incolebant deſerta Eſa. 42:11. abundabant gregibus cap. 60:7. quibus dum paſcua quærunt, motis ſæpius tentoriis migrabant de loco in locum, non multi ſimul, ſed ſparſim, ne ſibi mutuum officerent. Jaculcandi arte excellebant Eſa. 21:17. Exemplo Iſmaelis Gen. 21:20. primum venatoris ferarum, inde hominum cap. 16:12. uti olim Nimrod cap. 10. Mercaturam quoque exercuiſſe conſtat ex Gen. 37:35. & Ezek. 27:21. Contra hos datur mandatum Babyloniis verſ. 28. ut contra Kedarenos expeditionem ſuſciperent, deſcribitur exſecutio verſ. 28. in genere, *vaſtabunt filios Kedem, orientis*, & verſ. 29. in ſpecie, contra ipſorum bona, *tentoria, greges, cortinas*, & alia *inſtrumenta* domeſtica, ſeu merces, & *camelos*, quibus iter faciebant in ſuis migrationibus. Quoad incolas, non tam cædem prædicit, quam pavorem; unde ſint denominandi. Cum enim ſparſim habitarent, & in campis patentibus, facilius opprimi poterant, neque commode ſe opponere. Peccata Kedar hic non memorantur; ſed aliunde conſtat, fuiſſe idololatras Jer. 2:10. verum conſtantes in ſuperſtitione ſuâ, & barbaros, in humanos Pſ. 120:5. quod ab Iſmaele habuere hæreditarium Gen. 16:15.

Verſ. 30. *Fugite, emigrate valde, petite profundas habitationes, habitatores Chatzoris, dictum Jehovæ: nam init contra vos Nebucadnetzar Rex Babyloniæ conſilium, & cogitat contra vos cogitationem.*

Verſ. 31. *Surgite, aſcendite ad gentem tranquillam habitantem ſecurè, dictum Jehovæ, cui non ſunt valvæ neque vectis, ſoli habitant.*

Verſ. 32. *Et erunt cameli eorum prædæ, & multitudo pecorum ipſorum ſpolio, ſpargamque eos in omnem ventum qui ſunt amputati latere: & ex omnibus partibus eius genus adducam calamitatem eorum, dictum Jehovæ.*

Verſ. 33. *Ita erit Chatzor habitaculum draconum, deſolatiſſima uſque in ſeculum, non habitabit ibi quiſquam, neque commorabitur in ea filius hominis.*

II. Contra *Hazor* verſ. 30–33. ubi I. *Monet* incolas periculi Deus ipſe, verſ. 30. jubet fugam capeſſere, & *latebras profundiſſimas* quærere העמיקו imperativus eſt. Aut ſi præteritum ut Jer. 49:8. notabit ſecuritatem quod contemta hortatione non migrationem meditati ſint, ſed magis adhuc ſe receperint in ſua tentoria & caſas, atque villas Hazor, quaſque ſatis tutas putabant contra omnes inſultus ob fortitudinem hominum; uti hoc das Tartarorum. Cauſamque dicit, conſilium Nebucadnezaris deliberatum, de eâ ſubigendâ: unde colligere eſt, jam ante pronunciatum fuiſſe hanc concionem, cum Babyloniis nondum moviſſet bellum, poſtquam Deus Jeremiæ revelaſſet illud de poculo iræ circumferendo, quod vaticinium per partes declaravit. II. *Mandat* verſ. 31. Babyloniis expeditionem, deſcripta populi ſecuritate; *ad populum tranquillum & ſecure habitantem*, nihil metuentes mali, uti Lais Jud. 18:7, 10, 27. quo vero nixi præſidio? nulla munitio, carentem por-

portis & peſſulis; nullum fœdus aut ſocietas; habitantem ſolum. Jaculatores cum eſſent inſignes, numero & robore proprio ſe rebantur ſufficere; vel celeri fuga ſe poſſe ſubducere; qui ἀμηχάνοις vagam agerent vitam, ſemper migrantes, vel qui ob paupertatem nihil haberent invidendum: quemadmodum olim Schytæ Semiramidi & Alexandro M. reſponderunt; & Tartari ſub Tamerlane, hodieque fere victitant. III. *Definit* cladem inferendam tum ſpoliationem verſ. 32. Camelos & greges prædæ fore; tum diſſipationem ipſorummet, *diſpergam eos in omnem ventum, quaquaverſum, qui præciſi ſunt angulis, & ab omnibus lateribus ejus adducam calamitatem eorum*; ut quacunque venient diſſipati irruat in ipſos major clades, in quam incident. Tum vaſtationem terræ extremam, ſine ſpe reſtitutionis ullius. verſ. 33.

PROPHETIA OCTAVA.

Verſ. 34. *Verbum Jehovæ quod fuit ad Jirmejam Prophetam contra Helamum; in principio regni Tzidkijæ Regis Jehudæ, dicendo.*

V. CONTRA ELAM verſ. 34--39.

Titulus eſt verſ. 34. quo tempus factæ revelationis indicatur, *initio regni Zedekiæ*. *Elam* Semi filius fuit Gen. 10: 22. à quo natio ejus nominis orta eſt. Quidam Perſas, alii Medos, alii gentem aliam cenſent indicatam. Probabile autem Perſas eſſe; nam cum necato Baltaſare Perſæ & Medi Babylonicum imperium dicantur occupaturi Dan. 5: 28. illud per Elam & Medium faciendum prædicitur. Eſa. 21: 2. Præterea Suſan, regia Aſſueri, regis Perſarum & Medorum Eſt. 1: 2, 3. fuit ſita in Elam Dan. 8: 2. Natio hæc ab antiquo potens prædicatur, Kedorlaomer rex Elam, licet longe diſſitus, habebat ſervos & tributarios reges Sodomæ, Gomorræ &c. Gen. 14: 1. &c. Venerunt poſtea ſub poteſtatem Aſſyriorum, qui etiam quoſdam ipſorum per coloniam deduxerunt in urbes Samariæ Eſr. 4: 9. & cum obſideretur Hieroſolyma Elamitæ quoque in exercitu Aſſyrio vel Babylonio Eſa. 22: 6. ut inter hoſtes Eccleſiæ quoque nomen & locum habeant: unde judicium contra ipſos Eccleſiæ fuit patefactum: numerantur cum Medis inter eos qui poculum iræ guſtandum habebant. Jer. 25: 25. Et tempore Zedekiæ quoque Nebucadnezari, qui iræ poculum, univerſale imperium promiſſum, cap. 29: 3. ut & Elamitæ tum fuerint ſigillatim comprehenſi hoc vaticinio. Et quia cap. 25: 26. dicitur regem Scheſchach omnium ultimum Bibiturum, Elamitarum clades prior fuit, quam Babylonis: unde nonnulli volunt, quod dum Nebucadnezar in Judæa viciniſque regionibus ſubigendis occupabatur, Schytas invaſiſſe Mediam, & per annos 28 omnia ſuo arbitratu egiſſe ac diripuiſſe, ex Herod. lib. 1. Sed huic opinioni adverſatur, quod ſic regnum Elam non fuerit deſtructum, ut hic docetur, cum Perſarum monarchia poſt demum ceperit, quod non facta fuerit iſta occupatio per Babylonios & Nebucadnezarem, quodque Hieroſolymæ in bibendo poculo iræ primæ vices eſſe debuerint. Hebræi volunt indicari vaſtationem regni Perſici per Græcos; fierique iſtud ad conſolationem ac confirmationem Eccleſiæ, quæ prius audiat de vaſtatione Elami, vaſtationis Babelis antequam ipſius Babelis vaſtatio fuiſſet deſcripta diſceretque ſi Babelem deſtruxiſſe non caritarum eſſet pœnâ, non impune fore Babyloni deſtruxiſſe Hieroſolymam. Sic vero Elami judicium non antevertiſſet illud Babylonis, ſed longo poſt tempore fuiſſet ſecutum. Forte Nebucadnezar ante ſubegit gentes verſus orientem habitantes, & tum ad occidentem progreſſus eſt, ſed finitis 70. annis imperii quod ipſi & filiis ejus datum fuit. Gentes ſubactæ ſurrexerunt ad ejus vaſtationem, juxta prædictionem Jer. 25: 27. quod ſimpliſſimum. Cæterum prædicuntur.

Verſ. 35. *Sic ait Jehova exercituum, ecce ego fracturus ſum arcum Helamitarum, præcipuum potentiæ ipſorum.*

Verſ. 36. *Adducam enim contra Helamitas quatuor ventos à quatuor extremitatibus cœlorum, ſpargamque eos in omnes ventos iſtos, adeò ut non ſit futura gens quo non perveniat aliquis depulſorum è Helamo.*

Verſ. 37. *Et conſternatos reddam Helamitas coram inimicis ſuis & coram quærentibus animam ipſorum, adducens contra ipſos malum, cum æſtu iræ meæ dictum Iehovæ: & mittam poſt eos gladium donec conſumam eos.*

Verſ. 38. *Deinde reponam ſolium meum in Helamo, quum perdidero inde Regem ac Principes, dictum Iehovæ.*

I. *Triſtia*; minatur Deus ſe Elamum privaturum eſſe. I. *Armis* verſ. 35. *frangam arcum eorum, in quo potiſſimum ipſorum robur.* Sagittarii inſignes fuerunt, quod ad terrorem Judæorum memoratur Eſa. 22: 6. & Perſæ eo nomine commendantur. Cambyſes ebrius non errabat jaculando, quando Prexaſpis filium confecit Herod. lib. 3. Sic Schythæ & Parthi, & populi Orientales: quin hæc fuit antiquiſſima pugnandi ratio, donec ſanguinolentia hominem indies meditata eſt arma nocentiora, donec ad noſtra quibus hodie utimur, deventum eſt. II. *Patriâ* verſ. 36. quod undique invadendi ſint ab hoſtibus, & ita diſpergendi ſint, ut nulla regio ſit futura quæ exules Elamitas non habeat. Chaldæus *quatuor ventos* totidem regna facit, quæ arma ſimul ſumſerint contra Elam; ſed ſufficit ut fuerit conſenſus vicinorum ab omni parte, ut ſimul invaderent, quomodo facile fuit eos ſubigere, undique impetitos. III. *Robore* verſ. 37. conterendos eſſe ab hoſtibus, idque gemina de cauſa, ob iram Dei, quæ irreſiſtibilis, & gladium hoſtilem, qui à Deo conſtituitur victorioſus. IV. *Politiæ*, verſ. 38. *Collocabo in Elam thronum meum*, non gratiæ, ut ſe ſolum regem agnoſcerent, nam beneficium ultimis diebus reſervaret verſ. 34. ſed judicii Pſ. 9. 5, 6, 8, 9. & forſan eſt thronus Nebucadnezaris, quem uti ſervum ſuum vocat ſæpius ſic quoque ſuum thronum poteſt dicere quem à ſe habebat; uti legitur thronum ipſius collocaturus in Ægypto Jer. 43: 10. Conjunctum autem hoc eſt cum everſione regni & regiminis proprii in Elam; ut in Provinciæ ſubactæ formam redigatur, quemadmodum ſolebat fieri, conſtitutus à victore præfectis.

Verſ. 39. *Erit tandem ultimis temporibus, quum reducam multitudinem captivam Helami, dictum Iehovæ.*

II. *Læta* verſ. 39. Reſtitutio obtinget diebus ultimis, uti Moabo promiſſum Jer. 48: 47. Dies iſti Judæis ſunt dies Meſſiæ quando beneficium ad Elamitas quoque ſit perventurum. Saltem Act. 2: 9. in prima Pentecoſte numerantur inter auditores quoque Elamitæ nativitate, qui Judæi vel proſelyti fuerint, & converſi prædicatione Petri, præconium Euangelii retulerunt in patriam, primitiæ reſtitutionis iſtius ipſi, de cujus conſummatione nihil habemus quod dicamus ulterius, factane ſit, an adhuc futura; & ad illud tempus referenda, quando Deus labium purum convertet ad omnes populos, ut omnes invocent ſeu profiteantur Nomen Domini, illique ſerviant humero uno. Ezek. 3: 9.

PROPHTIA NONA.

CAP. L.

Verſ. 1. *Verbum quod loquutus eſt Jehova contra Babylonem, & contra terram Chaldæorum, per Jirmejam Prophetam.*

VATICINIUM CONTRA BABELEM prolixum eſt, extenſum per duo capita, cujus titulus verſ. 1. *Babelem & terram Chaldæorum* conjungit: quomodo ad externam Baby-

Babylonem restringi videtur. Attamen extendi quoque debet ad Spiritualem Babel, quod consuetudo Prophetarum in vaticiniis confirmat. Fuerunt ipsi Doctores Ecclesiæ Israeliticæ, qui illius gentis historiam persequuntur; licet quandoque nonnulla admisceant, quæ ad Gentium conditionem pertinent. Vaticinantur illi proinde non tantum usque ad tempora Messiæ, sed etiam quæ in illis diebus eventura sunt, quemadmodum gentem suam concernunt. Jer. 3, 23, 30, 31, 32, 33. Sic quoque hic. Contra Babelem agit, ut in destructione maximi hostis Israelis hujus restitutionem declaret; ea verò non terminatur reditu ex Babylone, post 70 annos exilii; nam paucæ tribus, neque totæ redierunt tunc, plurimæ ab Assyrio deportatæ, cujus violentia quoque recitatur hoc vaticinio, manserunt in eâ conditione, quibus tamen restitutio quoque promittitur, & inprimis ex spirituali Babel & tyrannide Anti-Christi, quæ non minus gravis, quam Babylonii; quamvis ejus religionem non susceperint, uti neque Judæi Babylonicam, dum ibi exularunt. Ultimo loco collocatur, quia inter gentes Babeli ultimo poculum iræ destinatum fuit. Consignatum autem fuit antea, & jam quarto anno Zedekiæ absolutum, quando legato illius Serajæ traditum ut in Babylonem deferret, & cum lapide appenso in Euphratem conjiceret cap. 51: 59. &c.

Constat autem partibus tribus, I. Generali denunciatione v. 2--5. II. Repetitione variâ v. 6--46. cap. 51: 1--58 III. Confirmatione vers. 59--64.

Vers. 2. *Indicate in gentibus, & pronunciate ac tollite vexillum, pronunciate, ne celetis: dicite, capietur Babylon, erubescet Bel, conteretur Merodac, erubescent terricula illius, conterentur stercorei dii illius.*

I. *Summaria denunciatio* habet I. minas contra Babelem vers. 2, 3. II. solatium pro Israele vers. 4, 5.

1. *Minæ* habent mandatum publicationis de clade Babelis quam passa sit, v. 2. & à quibus vers. 3.

ℵ. *Mandatum* est, ingeminatum aliquoties, *indicate inter gentes, audire facite, extollite signum;* ut ad audientiam convocentur, *audire facite neque reticete.* Vult Deus publicari cum beneficia sua Ps. 40: 3. &c. tum etiam judicia, & quidem hæc tanto majori cum Zelo, quanto minus spei aut verisimilitudinis fuit tantam potentiam posse subigi. Quid autem est illud; *Dicite, Capta est Babel*, & omnes ejus Dii tutelares defecerunt. *Bel* בל Deus summus contracte a בעל *Baal*, Sol, quem venerabantur gentes pleræque, maxime Orientales illi. *Merodach*, quibusdam regis nomen est, quia Merodach Baladam Esa. 39: 1. & Evilmerodach Jer. 52: 31. nominantur, sed potius est nomen idoli; & forte idem quod Nebo, conjunctus cum Bel Esa. 46: 1. unde nomen mutuati sunt, ut Nebucadnezar, Nebuzaradan; item Beltzazar; quemadmodum apud Hebræos divina nomina El, & Jah hominum appellationibus miscebantur. Nebo autem Vossio est Luna, proximum a Sole numen. Hieronymo dicitur; quod oracula reddiderit, respiciendo radicem נבא. Cæterum hæc numina describit ab utilitate sua, עצבים *merum dolorem* cultoribus afferentia Ps. 16: 4. & a dignitate, גלולים *stercorei Dii*, unde merus pudor redundabat. Dicit autem de Bele *pudefactum esse*, & de Merodacho conturbatum, contritum esse; quod in seqq. repetit, unde etiam colligitur Merodachum, idoli esse nomen.

Vers. 3. *Nam ascendet contra illam gens ab Aquilone, quæ rediget terram illius in desolationem, adeò ut non sit habitator in ea: tam homines quàm jumenta emigrabunt, abibunt.*

A quibus id patiatur dicit vers. 3. *Adscendit contra eam populus ab Aquilone, qui vastitatem inferat, ut exigantur ex terrâ homo & bestia.* Olim Babel fuit malum ad Aquilone. Jer. 1: 14, 15. cap. 4: 6. cap. 6: 22. sed hîc vicissim ab Aquilone venit contra Babelem hostis. Is vulgo fertur Persa Cyrus: sed Persia non ad Septentrionem verum ad orientem sita est, & ea vastities Babyloni illata non fuit, quæ hic describitur neque a Cyro, neque a Dario, quando ope Zopyri eâ urbe potitus est: Imo Chaldæorum terra in hodiernum usque diem habitata est: ut ad Anti-Christum sit referendum; cujus reges illi obnoxii, & qui tandem odio habebunt & comburent, ab Aquilone fere habitant, & vastitiem talem inferendam Apoc. 18: 2. docetur.

Id autem hic potissimum observandum, certò posse prædici excidium illius urbis, & terræ, cujus Dii pudefieri & conteri possunt. Sic se habent idola gentilium, & idola ab Israelitis adscita, & sic quoque Dii illi quos Babel moderna colit. Bel ejus est Christus in Missa, & Merodach seu Nebo, Maria virgo, quam frequentissime, & frequentius ipso Christo loqui fingunt: cæteri dii sunt Dolorifici & stercorei; uti quidem se habent rei veritate, licet aliud cultores opinentur, qui tandem deprehendent nullitatem. Judicium Dei est contra populum & Deos ejus. Exod. 12: 12. quemadmodum de Moabo & Ammone quoque prædictum.

Vers. 4. *Diebus illis & tempore illo, dictum Iehovæ, veniant filii Jisraëlis, ipsi cum filiis Jehudæ una: indesinentur flendo eant, & Iehovam Deum suum quærant.*

Vers. 5. De *Tzyone interrogent, in via, illûc facies eorum* spectent: *agedum* dicant, *& adjungant se Iehovæ fœdere perpetuo* quod *non tradatur oblivioni.*

2. *Solatium* Israelis describit Tempus, Personas, Modum & Efficaciam vers. 4, 5.

ℵ. *Tempus*, quando vastabitur Babel, Anti-Christiana potissimum nam non unius diei judicium est, sed quod per plures continuetur. Solet enim *diei* nomine quandoque series temporis longissima designari Esa. 7: 16.

ב. *Personæ*, venient *filii Israel, ipsi & filii Juda pariter.* Distinguuntur ab invicem, juxta divisionem in duo regna; quomodo ad populum Israeliticum, eumque totum extenditur; Fit autem prima mentio *filiorum Israelis*, & mox repetito cum *filiis Judæ*, ne quis hæc ad reditum ex Babel referat. Tum quidem Cyrus indulsit omnibus reditum Est. 1: 2. &c. sed eo usi duntaxat sunt quidam ex Juda & Benjamin cum Sacerdotibus vers. 5. & si qui ex X tribubus redierunt, fuerunt oppidò pauci, unus ex urbe, duo ex familiâ. Verum hîc omnes habent promissionem, & primum quidem Israelitæ, quia olim ex Babele *non fuerunt* restituti, nunc autem ipsorum ratio potissimum habebitur, quo minus spei ipsis videtur relictum. Sic Esa. 11: 12, 13. cap. 14: 1. &c. Jer. 3: 18. cap. 23: 6. cap. 30: 3, 9. cap. 31. cap. 33: 7. Ezek. 37. ג. *Modus* habet I. *Tristitiam* πένθος *ibunt eundo & flendo*, (ut Paltiel maritus alter Michalis 2 Sam. 3: 16.) quando victi miseriæ, & consilii expertes, hac illac vertuntur, & fletu testantur desperationem quoad semet ipsos. II. *Conversionem* ad Deum, *ad Dominum Deum suum requirent.* quem antea deseruerant, ejus obliti, eum rursum memoria repetent suum esse, desiderabunt ejus conjunctionem & fruitionem, sollicitum laborem suscipient ut eo rursum potiantur, quod quærere istud est. Hos. 2: 6. III. *Media* usurpata, vers. 5. *rogabunt de viâ Zionem* ducente, ubi Deus se revelavit Ps. 76: 2, 3. ut eo fruantur Esa. 2: 3. neque tantum cognitionem viæ quærent, sed mox eam insistent, *facies ipsorum erit versus viam, vel in viâ* quæ huc, Zionem nempe fert, ut desiderio & opere ipso huc contendant, non restituri, nisi eò pervenerint. Hæc non quadrant restitutioni ex Babel, uti hæc tristitia redeuntium non reperitur, neque inquisitio illa Zionem, cum satis notus est locus. Verum pertinet ad restitutionem ultimam, cujus descriptio simillima etiam alibi apud Prophetas occurrit. Jer. 3: 21, 22. cap. 31: 8. &c. 18. &c. Hos. 14: 2 &c. ד. *Efficacia* est vers. 5. quibusdam imperative, ut se cohortentur mutuum, *Venite adglutinamini Domino fœdere æterno, quod non oblivioni dabitur.* (sic נלוו anomalum est pro הלוו) vel præterito tempore, aut pro futuro, veniunt & agglutinantur; aut venient & agglutinabuntur &c. (sic באו est pro באו ex alia terminatione.) Est autem hæc conjunctio talis, quæ non nisi ultimi temporis

Jer.

Jer. 31: 31. &c. cap. 32: 37. &c. Hoſ. 2: 15, 18. &c. Ezek. 16: 60. &c. cap. 36: 24. &c. cap. 37: 23. &c.

Verſ. 6. *Grex* ovium *pereuntium ſunt populus meus, paſtores eorum faciunt ut aberrent, per montes avertunt eos: de monte in collem abeunt, obliti cubilis ſui.*

Verſ. 7. *Quicumque inveniunt eos comedunt eos, & hoſtes eorum dicunt, non erimus rei, eò quod peccant Iehovæ in caula juſtitiæ, ii quorum majoribus exſpectatio fuit Iehova.*

II. *Repetitio varia* complectitur Judicium Babelis & Solatium Eccleſiæ, ſed non eodem ſemper ordine; cum jam illud, jam hoc promittatur.

1. *Prima* eſt, v. 6-16. atque heic antecedit Solatium v. 6-8. ſequitur Judicium v. 9-16.

2. *Solatium* eſt, quo Calamitas Eccleſiæ Iſraeliticæ antecedens indicatur verſ. 6, 7. tum Liberatio verſ. 8.

a. *Calamitas* Iſraelis eſt.

a. Ingenere verſ. 6. *Grex*, ſeu potius, *Oves perditæ fuerunt populus meus.* Gregem & oves vocari, vulgatiſſimum eſt. Pſ. 80: 1. & 95: 7. & 100: 3. Eſa. 40: 11. Ezek. 34. inprimis. Paſtor Deus eſt, ſpeciatim Chriſtus, ſed habet ſub ſe Paſtores delegatos, ſuos miniſtros, Pſ. 77: 21. Eſa. 63: 11. Heic verò ſunt Oves perditæ, quod calamitoſiſſimum eſt. Eſa. 53: 6. Pſ. 119: 176.

b. In ſpecie recenſetur perditio illa, indicatâ.

α. Cauſa; quæ ſunt, *paſtores ipſorum fecerunt eos errare, averterunt eos ad montes.* Paſtorum ergo prima culpa, ductores ſeductores Eſa. 3: 12. Jer. 23: 9. &c. Mal. 2: 8, 9. Zeph. 3: 4. Et quomodo? Unus mons Domini, Eſa. 2: 3. quo omnibus eundum cap. 36: 6, 7. Jer. 31: 6. Equidem Ezek. 34: 13. dicitur de montibus Iſraelis, quia unicuique cœtui mons eſt integer, ob ſufficientiam abſolutam, ac ſi quivis ſolus totum poſſideret; hæc ratio verbi Dei. Sic Via una, Jer. 32. quæ alias viarum nomine venit: quia unicuique propria ſit calcando: & reſtrictio montes Iſraelis ſatis docet eſſe illum tractum, qui Iſraeli olim proprius fuit Pſ. 103: 7. & 147: 19, 20. Sed hi Paſtores duxerant non ad montes Iſraelis, ſed ad montes, eoque alios, authenticum nomen non habentes. Fuerunt illi tum idololatriæ, quæ in montibus inſtituebatur Jer. 2: 20. cap. 3: 23, 24. cap. 23: 13, 14. cap. 2: 8. tum hypocriſeos cap. 6: 13. &c. cap. 8: 10, 11. cap. 23: 15. &c. Ezek. 13. tum humanarum traditionum, & autoritatis Jer. 8: 8, 9. cap. 23: 26, 27, 28. Eſa. 29: 13, 14. Zeph. 3: 4. Malach. 2: 8, 9.

Hæc ſeductio per paſtores frequentiſſima; ſic in Eccleſia Chriſtiana, Pſeudoapoſtoli ad Judaicas leges voluerunt ducere Gentes. Act. 15: 1. 2 Cor. 10. Phil. 3. pſeudodidaſcali ad Philoſophiam Græcorum. 1 Cor. 1, 2, 4. Col. 2. 1 Tim. 6. Et in Romana Eccleſia, quid aliud fit quam ut ducantur ad montes, humanæ autoritatis & traditionis, unde omnis idololatria, & ſuperſtitio, & error; Et quoties ullum nomen hominis laudatur, mons erigitur, ad quem ducantur; & quot nomina vel ſingulorum, vel plurium nominantur totidem montes oſtentantur, ad quos oves ducuntur.

β. Effectus. verſ. 6. *iverunt de monte ad collem obliti ſunt cubilis ſui*: fluctuantes inter idololatriæ varias ſpecies, & inter *ἰδιολῤῥησείας* varietatem, ac traditionum nominumque diverſitatem, aliis ſuper alios vel *λόγῳ σοφίας*, vel dignitate docentis eminentibus, ut montium rationem haberent ad colles: interim obliti ſunt veri cubilis, ubi animarum requies Verbi Dei; quod factum per Phariſæos, Sadducæos, Eſſenos olim, item per illos Joh. 5. verſ. 43. &c. 1 Cor. 1. verſ. 12. inprimis per tot ordines Monachorum, & nomina Doctorum unde denominationes factæ. Nam ſic oblivio invaleſcit verbi Domini Jer. 23. verſ. 27, 30. ut tandem omnis notitia pabuli paſcuique reſolvatur non in Scripturam, ſed in verba hominum, & nihil illius norint, niſi quod hi inde hauſtum dicunt.

γ. Conſequens. verſ. 7. *omnes qui eos invenerunt, comederunt eos*: uti perditæ oves feris prædæ ſunt. Et ſane qui autoritate hominum, doctorum, nituntur, autoritate aliâ facile abducuntur. quæ enim cauſa ſeductionis ad Pontificios, quam quod autoritatem hominum majorem, univerſaliorem, & antiquiorem videntur habere? & cur ita agant, *Hoſtes* profitentur, *non erimus rei* (contra quam Deus Jer. 2: 3.) *quia peccarunt contra Dominum, qui eſt habitatio juſtitiæ, exſpectatio Patrum ſuorum Dominus.* Quia Deo non credunt & verbo ejus merito doctrinis hominum abducuntur 2 Theſſ. 2: 10. &c. Equidem illa deſcriptio Dei, non quadrat hoſtibus. ſed addita eſt, à Propheta ad aggravationem peccati ipſorum: quia in Deo eſt juſtitia & ſpes Eſa. 8: verſ. 13. &c. cap. 45: v. 24. Jer. 14: verſ. 8. Ezek. 11: verſ. 16. Pſ. 90: verſ. 1. & hinc peccatum graviſſimum Jer. 2: 13.

Verſ. 8. *Migrate è media Babylonia, & è terra Chaldæorum exite, & eſtote velut hirci ante gregem.*

Liberatio Eccleſiæ verſ. 8. jubet *egredi Babele, atque ex terrâ Chaldæorum*, & quidem citiſſime, non eundo ſed fugiendo; ubi manere periculoſum, & tardare eidem involvit. Eſt verò liberationis, ſi quis eximi queat exilio, carceri, ſupplicio, ſuâque frui libertate. Quæ repetuntur & amplificantur cap. 51: 6, 45. Similitudo addita declarat alacritatem, unumquemque operam dare debere ut ſit primus, & aliis ductor, ut non ſolum ſeipſum ſervet, ſed etiam alios exemplo animet. Hoc autem faciendum non ut eatur Babylonem, ad ejus conſortium, ſed ut inde celerrime quis ſe ſubducat. Sic Act. 2: 40, 41.

Verſ. 9. *Nam ecce ego excitaturus ſum & adducturus contra Babylonem congregationem gentium magnarum è terra Aquilonis, quæ diſponet* acies *contra illam, inde capietur: cujus ſagittarum, ut potentis interficientes, nulla reſiliet fruſtra.*

Verſ. 10. *Et erit* regio *Chaldæorum prædæ: omnes prædatores ejus ſatiabuntur, dictum Jehovæ.*

2. *Judicium* contra Babel annectitur tanquam ratio capeſſendæ quam ocyſſime fugæ, ne tardantes occupent mala ut Gen. 19: 15. Heic

a. *Calamitatem deſtribit* ab inſtrumentis, Deo autore adhibitis, verſ. 9, 10. Deus & excitat & adducit hoſtes: numero multos, cœtum gentium; magnarum, loco, aquilonares, inde venturos, oppugnaturos, occupaturos urbem; armis, uti doctos & felices: unde verſ. 10. Chaldææ deprædatio, ut exſatientur hoſtes.

Verſ. 11. *Quum lætati fueritis, quum exſultaveritis, ô direptores poſſeſſionis meæ, quum abundaveritis ut vitula herbilis, & claram vocem edideritis ut robuſti* juvenci:

Verſ. 12. *Erubeſcet mater veſtra valde, pudebit genitricem veſtram*, dicendo, *ecce poſtremum gentium, deſertum, ſiticuloſum & campeſtrem locum.*

Verſ. 13. *Præ fervore Jehovæ non habitabitur, ſed erit deſolatiſſima tota: quiſquis tranſibit juxta Babylonem, obſtupeſcet, ſibilabitque propter omnes plagas ejus.*

b. *Indicat Cauſam* excidii; lætitiam de afflictione Eccleſiæ ſuaque proſperitate. verſ. 11. hanc ſimilitudine *laſcivientis vitulæ* (ut Mal. 4: 3.) & *hinnientis* equi illuſtrat: quorum peccatorum pœna *pudefactio*, verſ. 12. tributa matri & genetrici terræ Chaldæorum, id eſt Babeli quæ metropolis; & *humiliatio*, cum antea prima omnium cenſeretur. nec non *vaſtatio* extrema ab irâ Dei verſ. 13. Babel dicitur גוים אחרית verſ. 12. uti Amalek ראשית גוים Num. 24:

20. hic primus hostis Israelis, post segregationem in gentem peculii, & Babel postremus Ecclesiæ hostis.

Vers. 14. *Disponite contra Babylonem circumquaque omnes tendentes arcum, jaculamini contra eam, ne parcatis sagittæ, nam Jehovæ peccavit illa:*

Vers. 15. *Vociferamini contra eam, circumquaque, junxit manum suam, cadant fundamenta ejus, destruantur muri ejus: quum ultio Jehovæ sit, ultionem sumite de ea; quemadmodum fecit facite ei:*

Vers. 16. *Excidite satorem è Babylonia, & qui tractat falculam tempore messis, metu gladii oppressionis quisque ad populum suum revertant, & quisque ad terram suam fugiant.*

c. *Mandat Judicium* Dei de desolandâ Babele; quod dirigitur I. *ad ministros* judicii vers. 14. ne parcant armis, quia Deo rea sit, (sic Jer. 6: 6.) II. *ad spectatores* vers. 15. ut de ejus traditione & occupatione gaudeant, & quia Dei vindicta sit, omnes eam quantum pote promoveant. III. *ad utrosque* vers. 16. ut per totam terram etiam innocentissimos satorem & messorem agricolas, exscindant & dissipent, ut desolata maneat Babel. Extrema vel de mercenariis agricolarum intelligenda, qui ex aliis terris venerint ut in semente & messe opus ipsorum facerent; vel de auxiliaribus copiis, ut cap. 46: 16. de Ægyptiorum auxiliis loquitur.

Vers. 17. *Parva pecus dispersa fuit Israel, quam leones depulerunt: prior comedit eam Rex Assyriæ, hic autem posterior ossa ejus comminuit, Nebucadnetzar Rex Babyloniæ.*

2. *Secunda* repetitio eodem ordine habet solatium Ecclesiæ vers. 17--20. Judicium Babelis vers. 21--32.

B. *Solatium* Ecclesiæ habet

a. *Miseriam* vers. 17. sed tantum extrinsecam ab hostibus, & quidem generatim; *Israel*, de posteritate Jacobi universâ, XII. tribubus constante, *ut ovis dispersa*, debilis, populus dissipatus in varias regiones; quod subinde Judæ appropriatur, qui in postrema clade Hierosolymæ non deportati, sed dissipati fuerunt, imo jam ante sub Græcorum imperio, ob bella Seleucidarum & Lagidarum, unde jam tum ἡ ἀγαπωμένη appellatio invaluit, Joh. 7: 35. 1 Pet. 1: 1. Jac. 1: 1. Hinc oppositio depulsorum Israelis & dispersorum Judæ Esa. 11: 12. cap. 49: 6. Huic autem dissipatio communiter omnibus tribuitur, quatenus omnes exterres patriâ in variis terris dissipati degunt, Deut. 4: 27. cap. 30: 3, 4. Ezek. 36: 24. cap. 37: 21. cap. 39: 27, 28. Jer. 16: 15. cap. 23: 10. cap. 32: 37.

Dispersionis *causa* proxima sunt *Leones, qui eum depulerunt*, tum metu, tum violentiâ ut cum Leones plures irruunt in gregem. Speciatim autem Leones describit, primum *Assyrium qui comedit*; nempe X. tribus Israelis: non est autem rex unus sed regnum Assyriorum, regibus pluribus ordine rem illam agentibus. Nam Phul & Tiglath Pilneser deportarunt Rubenitas, Gaditas & medium Manassen, quotquot trans Jordanem 1 Chron. 5. 26. & Galilæam ac terram Naphtali 2 Reg. 15: 29. Salmanasser occupatâ Samariâ reliquos omnes 2 Reg. 17. cap. Judæ regnum licet multa aliquoties ab Assyriis passum sub Achazo, Hizkia, Manasse, non tamen fuit deportatum; sed hoc egit rex unus, Nebucadnezar Babylonius, variis temporibus sub Jojakimo, Jechonia & Zedekiâ, Hierosolymâ eversa. Hic gravius afflixit; Assur absumsit carnem, maximam partem Israelitarum, numero ac robore tribuum & latitudine provinciarum: ast Nebucadnezar ossa comminuit, totius populi, stabilimentum corporis, everso sanctuario & cultu 2 Chron. 36: 15. & regno Davidis 2 Sam. 7: 89. quæ duo fulcra, & unde facies populi pendebat. Jer. 33: 24. &c. Nebucadnezar dicitur non אחרון absolute, quasi nullum post hostem Israelitæ habuissent aut habituri essent, nedum ab ipsis desolationem passuri, quæ longe gravior deinceps incubuit; nam אחרון alium sequentem habere potest Gen. 33: 2. sed זה האחרון quia ipse tunc fuit postremus, qui ultimam manum adhibuit, ut Israel terrâ sua expelleretur, & faciem illam populi externam amiserit; à quo tempore nunquam totus Israel in terram suam rediit. Quamvis deportati manserint in Babel populus peculiaris, ἀνθρωπίαν saltem in Religione servans.

Ver. 18. *Idcircò sic ait Iehova exercituum Deus Israelis, ecce ego animadvertam in Regem Babyloniæ & in terram ejus; quemadmodum animadverti in Regem Assyriæ.*

b. *Liberationem*, quæ itidem communis est toti Israeli, seu utrique ejus regno constat autem.

a. *Hostium pœna*, vers. 18. quæ denunciatur à Deo iis nominibus, quæ veritatem, potentiam, & fidelitatem erga Israelem designant; & est justissima visitatio pœnalis, restricta ad Babylonium, non ut impune sit Assyrio, sed ad hujus exemplum, qui jam judicium istud sustinuerat. Assyrii enim per Babylonios fuêre subjugati, & magnum illud imperium hisce cesserat. Nam Sancheribo successit filius Asurhaddon in Assyrio regno, qui ambo erant hostes Hizkiæ, cui amicus fuit Merodach Baladan Babelis rex Esa. 39. quem nonnulli rentur illum deviciſſe, & Babylonicam Monarchiam condidisse. Sed Assyrii reges adhuc suo regno sunt potiti regnante Manasse, qui hunc captum deportarunt Babelem 2 Chron. 33: 11. nili Babylonio hîc Assyrii titulus detur. Alii Assyrium regnum destructum statuunt eversa Nineve ex Nahumi prædictione.

Vers. 19. *Et faciam ut revertatur Israel ad caulam suam, & depascat Carmelum & Baschanem, & in monte Ephrajimi atque Gilhade satietur anima ejus.*

b. *Israelis benedictione*, eaque

a. *Corporali*, vers. 19. quæ est restitutio in terram suam, promissa Israeli universo, quemadmodum vers. 17. & 20. de utrâque familia loquitur, uti etiam Jer. 31: 1. ubi explicatur tam de X. tribubus vers. 4. vers. 9, 20, 21. quam de duabus vers. 23, 24. Sed sigillatim ad X. tribus refertur, quarum fuerunt possessio *Carmel & Basan*, ille occidentalis, hic orientalis mons; item *Gilead* trans, & *mons Ephraim* cis Jordanem: quia hæ non sunt restitutæ uti Juda juxta prædictionem cap. 29: 10. post 70. annos vastationis Hierosolymæ; proinde magis necessarium fuit de harum restitutione aliquid dicere; sic quoque Mich. 7: 14, 15. Zach. 10: 10.

Vers. 20. *Diebus illis & tempore illo, dictum Iehovæ, si quæratur iniquitas Israelis, nulla exstabit, & peccata Iehudæ, nulla invenientur: quia condonavero iis quos faciam reliquos.*

β. *Spirituali* vers. 20. ubi occurrit I. *Tempus*, nempe *illis diebus, & illo tempore*, quando ea restitutio in patriam continget. II. *Testis*, quia est *dictum Domini*, qui utique non mentitur, sed ipse præstat suas promissiones; quemadmodum ab ejus potentia solum pendet essentiam illis dare & complementum. III. *Beneficium* ipsum, seu felicitas, Innocentia seu immunitas à reatu, tum Israelis; *quæretur iniquitas Israelis, & non erit*; tum Judæ; & *peccata Judæ, & non invenientur.* Israeli uni iniquitas adscribitur ob unam potissimam, apostasiam per aureorum vitulorum cultum, unde שובבה *aversa* dicitur: ast Judæ peccata pluraliter, ob frequentes defectiones, unde dicitur בוגדה *prævaricatrix* Jer. 3: 6. &c. Non autem negat peccaturos ante illud tempus, ut sua resipiscentia, & sanctitate intemeratâ mereantur restitui; sed ait non iri repertum quantumvis sedulo inquirantur. IV. *Causa* hujus innocentiæ. *Condemnatio* Dei, *Ego parcam*, dilatâ irâ, & qui-

quidem æterna oblivione, ut in N. T. promiſit Jer. 31: 34. Sæ Num. 23: 21. Mich. 7: 18. &c. Eſa. 43: 35. cap. 44: 22. quæ juſtificationis ſunt: ſanctificationis autem quæ ſequitur Ezek. 36: 25, 33. cap. 37: 23. Jer. 31: 37. cap. 32: 39. &c. Deut. 30: 6. Rom. 11: 26. &c. utriuſque Jer. 33: 7, 8. V. Qui illo beneficio ſiut fruituri; *quos reſiduos fecero.* Non omnes & ſinguli, ſed quidam duntaxat, reſidui à judiciis quæ reliquos juſte abſument, Eſa. 4: 3, 4. cap. 10: 21, 22. Rom. 9: 27. Ezek. 20: 33. Amos. 9: 8. Zeph. 3: 12. Zach. 13: 8, 9.

Hinc autem neceſſario ſequitur Reſtitutio Iſraelis univerſi, cum enim peccata ſolum ſint, quæ morari queant, hæc prorſus removet Deus, non quod non ſint futura, ſed quod non ſint imputanda præterita, atque ipſi ab ipſo Deo renovandi per Spiritum S. ut deinceps non deficiant; adeo ut qui conditionatas faciunt has promilliones, nequeant eas reddere inutiles, quia conditiones Deus ipſe præſtabit in anteceſſum, quomodo ipſemet removet impedimentum, ut neceſſariò ſuccedere debeat Iſraelis reſtitutio.

Verſ. 21. *Contra terram hanc ipſam Merathajimis aſcende, & per habitatores Pekodi: devaſta & internecioni devove poſt eos, dictum Iehovæ, denique effice omnino prout præcipio tibi.*

b. *Judicium* contra Babelem conſtat.

a. *Mandatis Dei* ad exſecutores quæ tria ſunt.

a. Verſ. 21. Ad Cyrum refertur à pluribus quia ſingulari numero conceptum eſt, ut reſtringatur ad loca hic memorata, (nam plenariam vaſtationem ille non attulit Babeli,) Quanquam quæ illa ſint, ambiguum eſt; Junius, per Mardos & terram Pekod Cyrum vult contra Babelem proficiſci: alii provincias quaſdam illis nominibus fuiſſe rentur. Rectius ſingularis ad ſingulos reſpicit, qui Deo hic miniſtri ſunt, uti in Decalogo ſingulorum officia deſcribuntur, qui jubentur exſecutioni inſtare ad extremam devaſtationem, donec quod mandavit Deus fuerit conſummate præſtitum. Neque enim unius hominis ætate hoc fieri potuit, cum per multa ſecula extendatur, & in extremis demum conſummandum, Sic vero nomina illa non ſunt propria locorum ſed quæ deſcriptionem faciunt, tum à culpâ ארץ מרתים *terra geminæ rebellionis*, quia Aſſyriam & Babyloniam conjungit, quæ pariter reæ verſ. 17. circa Iſraelis devorationem, tum à pœna, יושבי פקוד *habitatores viſitationis*, quæ viſitationi deſtinati ſunt, ut Jer. 6: 6. Abarbanel active, viſitationis, qui alias nationes viſitarunt ad occiſionem; ſed illud potius. Quamquam *Pekod* videatur quoque provinciæ Babylonicæ nomen fuiſſe Ezek. 23: 23. ubi Abrab. mavult eſſe nomen præfecti. Alias Cyrus fuit ex primis inſtrumentis contra Babelem adhibitis. Eſa. 49: 28. cap. 45: 1. cap. 46: 10, 11.

Verſ. 22. *Sonum belli in iſta terra, & contritionem magnam.*

Verſ. 23. *Quomodo ſuccideretur & confringeretur malleus totius terræ? quomodo eſſet ſtupori Babylonia in gentibus?*

Verſ. 24. *Laqueum tetendi tibi, & etiam capieris, ô Babylon, te imprudente; invenieris, etiamque deprehenderis, quia cum Iehovæ miſcuiſti bellum.*

Verſ. 25. *Aperuit Iehova repoſitorium ſuum, & depromſit inſtrumenta indignationis ſuæ: quia opus hoc eſt Domini Iehovi exercituum in terra Chaldæorum.*

Conſequentia porro hujus mandati ſunt I. *Rumor* belli verſ. 22. II. *Admiratio* audientium verſ. 23. Babel dicitur malleus totius terræ, omnia comminuens, cui nihil reſiſtere poteſt, ut non frangatur, ſic etiam Jer. 51: 20. unde admiratio, hunc ipſum confractum eſſe. III. *Reſponſio* ad illam admirantium interrogationem quæ cauſam dicit, tum ſubitaneum malum & improviſum verſ. 24. quod ceu avis reti aucupis à Deo fuerit capta, quia cum Deo belligerare ſuſtinuerit, cujus nempe populum, Eccleſiam auſa fuit opprimere, tum indeclinabile malum verſ. 25. quod Deus ipſe ex armamentario quaſi ſuo protulerit inſtrumenta indignationis exſequendæ, quia Deus ipſius erat vindictæ, uti ipſi facta injuria. Sic Eſa. 45: 1. &c. Nah. 1: 9. &c.

Verſ. 26. *Convenite in eam ab extremo, aperite granaria ejus, contumulate eam quaſi acervos, & anathemati devovete eam, ne ſuperſint ei reliquiæ.*

Verſ. 27. *Gladio tollite omnes juvencos ejus, deſcendant ad mactationem: væ illis, quum advenerit dies illorum, tempus viſitationis eorum.*

b. Verſ. 26, 27. An omnes exſecutores, ſive Perſas, ſive alios Anti-Chriſtum perdituros, & ab extremitate facto initio irruant in loca præcipua, ubi confortiſſima multitudo, uti acervi frugum in horreo, qui conculcando triturantur; atque inprimis contra primores, qui juvencorum inſtar ſint mactandi, & ratio ab oportunitate, quod hoc ſit momentum temporis ei adoriendæ, & vincendæ, quo Deus vindictam exerciturus eſt.

Verſ. 28. *Vox fugientium & evadentium è terra Babyloniæ, ut indicet Tzijone ultionem Iehovæ Dei noſtri, ultionem templi ejus.*

Conſequens eſt publicatio calamitatis verſ. 28. facienda à fugitivis, & quidem Zioni oppreſſæ, de juſtitia cladis quod ſit vindicta Dei ex verſ. 25. & templi ejus, ex verſ. 24. Hoc de antiquâ Babel valet ob vaſtatum templum primum Jer. 51: 11. & de Romanâ ob vaſtatum ſecundum, & inprimis ſpirituale, Eccleſiam, unde hujus gaudium. Apoc. 10: 1, &c.

Verſ. 29. *Promulgate convenire in Babylonia ampliſſimos, omnes qui tendunt arcum, ponite caſta contra eam circumquaque, ne ſit ei effugium, rependite ei ſecundum opus ejus, omnino prout fecit facite ei: nam contra Iehovam ſuperbivit, contra ſanctum Iiſraelis.*

Verſ. 30. *Idcircò cadant juvenes ejus in plateis ejus, & omnes bellatores ejus exſcindantur die illo, dictum Iehovæ.*

c. Verſ. 29. Ad eoſdem exſecutores, ut reddant Babeli compenſationem, jure talionis, ad ejus excidium; quod de veteri valet Eſa. 33: 1. cap. 51: 22, 23. Hab. 2. & de noviſſima Apoc. 18: 6, 7.

Ratio autem eſt *quia ſuperbe egerat contra Dominum*, qui eſt *Sanctus Iſraelis*; quâ phraſi Meſſias deſignatur, ſanctificatus à Deo Patre ad opus redemtionis, qui Iſraeli præſtaret redemtionem. Hinc & Sanctus Dei Eſa. 58: 23. Marc. 1: 24. Joh. 10: 36.

Conſequens eſt cædes juvenum militumque qui defenſæ futuri erant.

Verſ. 31. *Ecce me adverſum te, ô ſuperbiſſime, dictum Domini Iehovi exercituum: quia advenit dies tuus, tempus quo viſitem te.*

Verſ. 32. *Quo impingat ſuperbiſſimus, & corruat ita, ut nemo ipſum erigat, & ſuccendam ignem in civitatibus ejus, qui conſumet omnes ambitus ejus.*

b. Actione ipſius Dei verſ. 31. qui oppugnaturus ſit, utpote tempore ultioni definito jam præſente: & *conſequens* verſ. 32. impotentia Babelis, & vehementia divinæ ultionis. יפש

pro impio Pſ. 36: 2. Vocatur autem Babel abſtracte, ſuperbia, ob hujus magnitudinem, uti etiam alias.

Verſ. 33. *Sic ait Iehova exercituum, opprimuntur filii Iſraelis & filii Iehudæ pariter: & quicunque captivos fecerunt eos detinent eos, renuunt eos dimittere.*

3. *Tertia* repetitio, ordine ſimillimo habet ſolatium Eccleſiæ verſ. 33, 34. Et judicium contra Babel verſ. 35--46.

א. *Solatium* à Deo propoſitum, & ex oppoſito illuſtratum, habet

a. *Calamitatem* verſ. 33. hæc rurſus totius Iſraelis eſt, tum x. tum II. tribuum, utriuſque regni homines. Hi pariter dicuntur fuiſſe *oppreſſi*, עשוקים in Pahul, continuata paſſione, à captivantibus firmiter retenti, negatâ dimiſſione. Eoque non tantum oppreſſio, quam in terrâ ſuâ paſſi ſunt à vicinis gentibus ſignificatur, ſed etiam quæ continuata in ipſos eſt durato exilio: Dimiſſio enim tum exulum eſt, conceſſa libertate & reditu, tum oppreſſorum, indultâ immunitate Eſa. 58: 6. Adeoque hoc malum adhuc dum premit, cœlum ex quo x. tribus cœperunt deportari, in Aſſyriam, unde non redierunt, durante deportatorum detentione & oppreſſione in hodiernam diem. In Juda autem idem contigit, cum in Babylonem deducti, & ibi tum relicti, etiam ſua voluntate, tum reduces in patriam diſperſi levius aut gravius, maxime everſa politiâ, ut ne nunc quidem reſpirare queant. Ad hanc vero illorum oppreſſionem attendit Deus Pſ. 12: 6. & 10: 14. & qui eam inferunt Deo ſunt rei Jer. 2: 3. cap. 50: 7. Pſal. 14: verſ. 4. &c.

Verſ. 34. *Vindex eorum fortis, Iehova exercituum nomine, omnino aget cauſam eorum: ut quietam reddat hanc terram, & commoveat habitatores Babyloniæ.*

b. *Liberationem* verſ. 34. quæ ab autore ſuſpenditur, ut nihil propriæ opis aut meriti concurrat. Ille vero deſcribitur I. *ab officio*, dicitur enim *Goel ipſorum*, totius Iſraelis, qui jure cognitionis vindicias ſuſcipit Lev. 25: 25. Num. 35: 19. 2 Sam. 14: 7, 11. cui redemtio venditorum, & vindicta necatorum fratrum incumbit, hoc nomine venit Gen. 48: 16. Job. 19: 25. Eſa. 59: 20. & actus vindiciarum ei tribuitur Jer. 31: 11. vindicavitque venditos Rom. 7: 14. 1 Reg. 21. 2 Reg. 17. & necatos Joh. 8: 44. 2 Pet. 2: 19. illos Joh. 8: 34. &c. iſtos Heb. 2: 14. Officium porro iſtud docet eſſe verum hominem, cum alioqui circa homines jus illud non fuiſſet futurum, Job. 19: 25. & de genere Iſraelis, cui proximius connexus Heb. 7: 14. Eſa. 59: 20. II. *A robore*, oppoſite ad robur retinentium hoſtium verſu præced. Jer. 31: 11. Eſa. 49: 24. &c. III. *A nomine* nimirum *Jehova Zebaoth nomen ejus*, quomodo verum Deum eſſe liquet, qualem redemtorem eſſe neceſſum eſt Eſa. 40: 10. Jer. 31: 11. Hoſ. 1: 7.

Actio hujus autoris eſt, ut cauſam agat tanquam patronus, Pſ. 119: 154. & judex; nam etiam judicis eſt litem alicujus agere. Eſa. 1: 17, 23. ſic Mich. 7: 9, 10.

Eventus autem geminus, tranquillitas in terra Mich. 5: 3, 4. Eſa. 11. Matt. 11: 28. ſcilicet inter illos quos redemit Luc. 1: 70. commotio contra Babelis, Eſa. 11: 14. quod adhuc eſt inter ſperanda. Pſ. 14, ult.

Verſ. 35. *Gladius eruet in Chaldæos, dictum Iehovæ, & in habitatores Babylonis, & in principes ejus & in ſapientes ejus.*

Verſ. 36. *Gladius in mendaces ejus, ut defetiſcantur, gladius in potentes eius, ut conterantur.*

Verſ. 37. *Gladius in equos ejus, & in currus ejus, & in totam miſcellaneam turbam quæ eſt in medio ejus ut ſint velut fœminæ: gladius in theſauros ejus, ut diripiantur.*

Verſ. 38. *Siccitas in aquas ejus, ut areſiant: quia terra ſculptilium eſt, & apud terricula inſanè agunt.*

ב. *Judicium* contra Babelem habet

a. *Vaſtitatem* verſ. 35--40. contra utramque veterem & noviſſimam communiter, verſ. 35--38. gladius, contra omnis generis incolas; in genere Chaldæos, in ſpecie, principes, ſapientes verſ. 35. mendaces (divinos & aſtrologos) ut infatuentur, & fortes ut conſternentur verſ. 36. contra inſtrumenta, equos, currus, promiſcuam plebem, ut deficiant animis, & theſauros ut in prædam cedant. verſ. 37. contra munimenta, quæ præſtabat Euphrates, cujus aquis deductis præbuit tranſitum Perſis, & Medis ad occupationem verſ. 38. quæ ſiccitas in Anti-Chriſtiana Babylone eſt ſubductio populorum Apoc. 17: 15. Ratio eſt immenſa idololatria, quæ utrobique modo caret, & de qua ejuſque pœna plenius cap. 51: 17, 18.

Verſ. 39. *Idcircò habitabunt fera cum terrificis, & manebunt in ea ululæ; non conſidebit ampliùs uſque in æternum, neque habitabit uſque in generationem quamque.*

Verſ. 40. *Simili ſubverſione qua Deus ſubvertit Sedomum & Hamoram, & vicinos ejus, dictum Iehovæ: non habitabit ibi quiſquam, neque commorabitur in ea filius hominis.*

Contra noviſſimam ſigillatim verſ. 39, 40. qualis vaſtities in vetere Babel non animadvertitur, quæ ſub Perſarum Græcorumque imperio adhuc fuit urbs populoſiſſima, ſed noviſſime immittetur Apoc. 18: 2. & cap. 14: 8. uti etiam Eſa. 13: 19. &c.

Verſ. 41. *Ecce populus venturus eſt ab Aquilone; & gens magna ac Reges ampli excitabuntur è lateribus terræ.*

Verſ. 42. *Arcum & lanceam tenebunt, crudeles erunt quoque, neque utentur miſericordia, vox eorum ut mare fremet, & cum equis vehentur: inſtructus quiſque ut vir præſtans ad bellum contra te ô filia Babyloniæ.*

Verſ. 43. *Audientis Regis Babyloniæ rumorem de eis, illico remittent ſe manus; Anguſtia apprehendet eum, dolor tanquam parturientis.*

b. *Inſtrumenta* inferendæ vaſtitatis, *tum* contra Babylonem veterem, verſ. 41--43. Eſt deſcriptio hoſtium, ab Aquilone venientium, quomodo inſtructi ſint, (quales nempe venerunt Chaldæi contra Hieroſolymam Jer. 6: 23. &c.) & qua trepidatione regis Babel verſ. 43. *tum* contra noviſſimam Anti-Chriſti. verſ. 44, 45. iiſdem propemodum verbis, quæ leguntur contra Edomum Jer. 49: 19. &c. ubi ſuperbia ejus, ex quo exſatiata eſt ſanguine fidelium, ut læta & inſolentior redeat ad ſuam habitationem, in qua ſecurè degit.

Verſ. 44. *Ecce quaſi leo aſcendit ſupra altitudinem Iardenis, contra habitaculum robuſtiſſimi, ſed momento fugabo eum ex hac terra: & eum qui electus eſt in hac præficiam: nam quis eſt par mihi? aut quis conteſtetur mecum? denique quis nam eſt paſtor qui obſiſtat mihi.*

Verſ. 45. *Idcircò audite conſilium Iehovæ quod iniit contra Babyloniam, & cogitationes ejus quas cogitavit contra terram Chaldæorum:* mentiar, *niſi abji-*

abjiciant eos minimi ex ipſo grege, niſi deſolet cum illis habitaculum.

Verſ. 46. *Pro ſono occupatæ Babyloniæ commovebitur ipſa terra, & clamor in gentibus audietur.*

Verum exilii *Certitudo* inevitabilis, ab inſtrumento Dei Meſſia, cui nemo comparandus majeſtate, jure, potentia, quamquam Anti-Chriſtus ſe venditet pro Paſtore ſummo in terris. verſ. 44. à Dei decreto & juramento, quod uni illi electo, & minimis imbecillibuſque addicit victoriam verſ. 45. à gravitate denique, & teſtibus remotiſſimis, qui famam, ejus ruinæ audiant & propagent verſ. 46.

CAP. LI.

REpetitæ denunciationes contra Babelem hoc cap. ſunt quatuor, I. verſ. 1--10. II. verſ. 11--19. III. verſ. 20--33. IV. verſ. 34--58. quæ pertinent ad continuationem concionis, & tum Confirmatio verſ. 59--69.

Verſ. 1. *Sic ait Iehova, ecce ego excitaturus ſum contra Babyloniam, & contra eos qui inhabitant meditullium inſurgentium in me, ventum corrumpentem.*

Verſ. 2. *Et miſſurus ſum contra Babyloniam ventilatores qui ventilabunt eam, & exhaurient terram ejus: quum fuerint contra eam circumquaque die mali.*

A. *Quarta repetitio*, hujus cap. prima, habet judicium contra Babel verſ. 1--4. & ſolatium Iſraelis verſ. 5.

א. *Judicium* depingitur.

a. *Metaphorice* verſ. 1, 2. Sub ſimilitudine *venti* & *ventilationis*. Ventum Deus ſe minatur immiſſurum perdentem, verſ. 1. cui nihil queat reſiſtere, ut Jer. 4: 12. ſubitum & inopinatum, nec non grave & irreſiſtibile judicium; & quidem contra Babel & incolas לב קמי; de quibus dictionibus docent Hebræi per אחבש כשרים deſignari uti ſimili modo per ששך denotari. בבל. Et res ipſa oſtendit hic Babelem, iſtic Chaldæos denotatos, qui incolæ terræ Babel: ſed cur mutatio facta ſit incertæ ſunt conjecturæ. Quod occultarit Propheta metu Babyloniorum, improbabile prorſus eſt, qui aperte ſatis alibi locutus eſt. Quidam, intelligunt incolas Babel, habitantes cor, id eſt, medium hoſtium Dei: poteſt etiam eſſe deſcriptio Babelis ipſius, ut dicatur, *Cor inſurgentium contra Deum*, quod uti cor officina, conſiliorum, ſic quoque Babel, ubi machinationes cuduntur contra Eccleſiam, Apoc. 13: 5. cap. 16: 13. &c. cap. 17: 13. Ventilationem faciendam per peregrinos, qui ventilant & evacuent aream, quales undique ſint venturi die mali ſeu triturationis ut verſ. 33. ſic Jer. 4: 11. cap. 15: 7. & Amos. 9: 9. Matt. 3: 12.

Verſ. 3. *Contra eum qui tendit tendat ſagittarius arcum ſuum, & contra eum qui extollit ſe lorica ſua; neque clementia utamini erga electos juvenes ejus, internecione devovete totum exercitum ejus.*

Verſ. 4. *Ut cadant confoſſi in terra Chaldæorum; & transfixi in plateis ejus.*

b. *Proprie* verſ. 3, 4. indicatur mandato, ubi quid agendum, & quo ſucceſſu. Elliptica autem eſt oratio, אל præpoſitio caret nomine recto; *contra* (eum qui) *tendit arcum tendat tendens arcum ſuum*, aut quia alterum, ירה non legitur; *Contra* (Babylonicos) *tendat tendens arcum ſuum, & contra* (eum qui) *ſe extollit, jactat ſuâ lorica*; *neque parcite juvenibus ejus, exſcindite* tanquam devotos, *omnem ejus exercituum*, ut ubique cadant & jaceant confoſſi. Conf. Eſa. 14: 19.

Verſ. 5. *Quia non viduatus eſt Iiſrael & Iehuda Deo ſuo, Iehova exercituum, quia terra iſtorum plena eſt reata à ſancto Iiſraelis.*

ב. *Conſolatio Iſraelis*, quæ ceu ratio annectitur, quia ad redemtionem Eccleſiæ pertinet ut Babel cadat; ſaltem Anti-Chriſtiana remoram ponit Judæis ſua idolomonia, cujus pœnam cum tulerit facilior erit Iſraelis adductio. Hujus ſolatii fundamentum proponitur verſ. 5. illud applicatur verſ. 6. & contra difficultates aſſeritur. verſ. 7--10.

a. *Fundamentum* eſt verſ. 5. ubi I. *Conſolandi* ſunt *Iſrael & Juda*, tota poſteritas Jacobi, in duas diſtincta familias & regna. II. *Fundamentum* indiſſolubile conjugium, *non eſt viduus à Deo ſuo, à Domino Zebaoth.* Fœdus Dei cum Iſraele eſt conjugale Jer. 2: 2. Ezek. 16. cap. Hoſ. 1: 2, 3. Conjugium ſolvitur vel legitime, citra culpam, alterutrius conjugis morte Rom. 7: 1. & tum ſequitur ſuperſtitis viduatus: vel legitime, per adulterium unius conjugis, & tum inſtituitur divortium, ſoluto matrimonio. Sic Iſrael ſolvit conjugium ſuo adulterio, per multiplicem idololatriam, attamen quamdiu Deus non dedit libellum repudii continuabatur adhuc ab una parte, Jer. 3: 1. &c & verſ. 6. donec tandem dimiſſio ſucceſſit tum x. tribuum Jer. 3: 8. Hoſ. 2: 1. tum Judæ Eſa. 50: 1. &c. Minatur etiam judicium adulterarum Ezek. 16: 38. cap. 33: 45. quod quidem exercuit contra illius ætatis homines, tamen quia fœdus iniit cum tota natione, per omnes generationes, quamdiu totam rationem non delevit, manſit conjux ejecta domo mariti, qui eam neglexit; ſed tamen non facta eſt vidua, tum quia maritus ejus immortalis; tum quia immutabilis, qui amorem quidem cohibet ad tempus quoad exercitium, ſed non delet penitus; unde Deus ejus dicitur adhuc, quod fœderis nomen eſt, & Jehova, qui non mutatur Mal. 3: 6. ne quidem promiſſis Rom. 3: 3. 4. 2 Tim. 2: 13. æternitas Iſraelis 1 Sam. 15: 29. hacpropter & populum ſervat Jer. 31: 35. &c. & ſervat ſegregem ab adultero toro. Hoſ. 5: 3. &c. & rurſum ſibi adjunget Eſa. 54: 4. &c. cap. 62: 4, 5. Ezek. 16: 60. Hoſ. 2: 13. ut conjugium reſtituatur, nunquam diſſolvendum.

Cætera hujus verſus habent rationem, juxta quoſdam. *Nam terra ipſorum*, Chaldæorum, *plena eſt reatu, à ſancto Iſraelis*; quia Chaldæi rei facti ſunt oppugnatione & captivitate Iſraelis coram Domino, cui ſunt Sancti, ejus populus, evertendo ejus templum, Deus Babelem puniet, neque relinquetur ibi Iſrael quaſi viduus, conjuge deſtitutus. Sic Hebræi, ſed commodius per occupationem removetur impedimentum ſpei ac fidei Iſraelis. *Non eſt viduus Iſrael, quamvis terra ipſorum plena ſit reatu propter Sanctum Iſraelis.* Sanctus Iſraelis eſt Meſſias cui Eccleſia deſponſata: Sponſalia ſunt קרושין, quia ſanctificantur, ſegregantur & appropriantur ſibi mutuum contrahentes. Sic Meſſias Sanctus Iſraelis frequenter, & Iſrael Sanctitas Domino Jer. 2: 2. Atque propter hunc terra ipſorum plena eſt reatu; nam Sanctum Domini blaſphemarunt. Eſa. 1: 4. 1 Cor. 10: 9. Eſa. 63: 9, 10. coll. cum Exod. 23: 20. &c. inprimis quando eum noluerunt ſuper ſe regnare Luc. 19: 14. eum abnegarunt, necaruntque Act. 3: 14. & reatum ſanguinis ejus receperunt in ſe & liberos ſuos, Matt. 27: 25. Nam non obſtante hoc crimine reſtitutio promiſſa. Rom. 11. Quidam hunc ultimum titulum prioribus conjungunt, & verba intermedia parentheſi includunt, ſed id durius videtur. Itaque malim nexum ſervare, ſed ut מ ultimum reddatur *propter*, ut Pſ. 12: 6. & כי quamvis quod ſatis quoque frequens eſt, ut eadem particula in eodem verſu diverſimode ſumatur etiam alibi fit Pſ. 7: 7.

Verſ. 6. *Fugite è medio Babyloniæ & eripite quiſque ſe ipſum, ne exſcindamini in iniquitate ejus: quum tempus ultionis erit Iehovæ, retributionem ipſe rependet ei.*

b. *Applicatio* ſolatii verſ. 6. jubet fugam capeſſere ex Babel. non hoſpites peregrinos quoſvis, ſed Iſraelem, ne

pereant in ejus iniquitate, iisdem pœnis involvantur, (עין pœnam notat Pſ. 31: 11. Lev. 5: 1. 1 Sam. 28: 10.) uti quoque verſ. 45. attamen poteſt etiam comprehendi conſortium peccati ex Eſa. 52: 11. quemadmodum conjunguntur Apoc. 18: 4. & *ratio* mandati; quia Deus vindictam oportunè afferat. Eſt verò hic applicatio prioris ſolatii. Iſrael non eſt viduus a Deo ſuo; Vidua non habet qui moneat de periculo, ſed mulier deſerta à marito: ſi ab eo moneatur imminentis malis non ſolum novit ipſum vivere, ſed etiam vivere affectum maritalem, qui non patiatur penitus perire.

Verſ. 7. *Poculum aureum Babyloniæ manu Jehovæ inebriavit totam terram; de vino ejus biberunt gentes, propterea inſaniant gentes.*

c. *Aſſertio* denique ſolatii contra difficultatem, habet hujus indicium verſ. 7. Cui rei Babel fuerit deſtinata, *Poculum aureum fuit Babel in manu Domini.* Inſtrumentum judicii divini cap. 25. non ipſa pœna, ſed inſtrumentum pœnæ, uti poculum continet vinum, ſic Eſa. 10: 4. *Aureum* vocatur, juxta Kimhium, ratione vini, quod purum, uti pura dicuntur aurea. Sed vinum hoc impurum eſt: turbidum & fæculentum Pſal. 75: verſ. 9. Alii, ab uſus præſtantia, quod à Deo adhibeatur huic miniſterio. Sed potius ab excellentia regni ejus, unde aureum caput in ſtatuâ Dan. 2: 38. quem ea propter Deus adeò auxit potentia & gloria, ut judicium adeo univerſale poſſet exercere. Quomodo porrò ſatisfecerit; *inebriavit omnes*, ut gentes inſanierint & ſic ebrietatem exinde teſtatæ ſint.

Verſ. 8. *Repentè cadet Babylon, & perfringetur; ejulate apud eam, ſumentes adhibete opobalſamum contra dolorem ejus ſi fortè poſſet curari.*

Verſ. 9. *Quamvis curaremus Babylonem, inquietis, tamen non eſſet curata, derelinquite eam, & abeamus quiſque in terram ſuam: nam pertingit ad cœlos judicium ejus, & elatum eſt uſque ad ſuperiores nubes.*

Verſ. 10. *Protulit Jehova totam juſtitiam noſtram; agite, enarremus Tzïjone opus Jehovæ Dei noſtri.*

Quia verò Babel Dei inſtrumentum, & quidem efficiens cui adhibebatur, quid opus inde fugere? quid habet metuendum? Hæc difficultas removetur. I. *ſimplici indicio* ruinæ, cujus gravitas tum à celeritate, tum à luctu videntium. II. *deſcriptione incorrigibilitatis* ejus, quæ tentari jubetur verſ. 8. per metaph. uti vulnera balſamo ſanabantur Jer. 8: 22. cap. 46: v. 11. fruſtranea declaratur verſ. 9. & negligi jubetur, ratione additâ à conſummato Babelis reatu. verſ. 9. III. *agnitione Eccleſiæ* ſuam cauſam agi & prædicatione Dei ob hoc beneficium; verſ. 10. ubi Juſtitiæ noſtræ, non probat perfectionem reſpectu Dei, ſed juſtitiam cauſæ, quod licet rea Deo, atque merita pœnam maximam, tamen non eouſque rea fuerit Babeli, ut ſic premeretur. ut Zach. 1: 15. &c.

Verſ. 11. *Purgate ſagittas, cogite utentes umbonibus, excitat Jehova ſpiritum Regum Mediæ, quia contra Babyloniam cogitatio ejus eſt ut perdat eam: nam ultio Jehovæ eſt, ultio templi ejus.*

Verſ. 12. *In muris Babylonis attollite vexillum, confirmate cuſtodiam, ſtatuite vigiles, comparate inſidiatores: nam & cogitavit Jehova & facturus eſt quod dixit contra habitatores Babylonis.*

Verſ. 13. *O quæ habitas ſecundum aquas multas, ô ampla theſauris, advenit finis tuus, pro menſura quæſtus tui.*

5. *Quinta repetitio*, quæ ſecunda hoc cap. verſ. 11--19. continet Babelis exitium, ejuſque Confirmationem

א. *Exitium* eſt verſ. 11-13. quod ſic proponitur, ut opponatur contrariæ ſecuritati, quæ illud non ſit amolitura. Conſiſtebat iſta I. *in armamentariis* inſtructis. verſ. 11. Jubet omni genere armorum ſibi proſpicere, *ſagittis* mundatis, vel amentatis, (nam vel à ברר eſt ה הברו uti ברור alicubi dicitur, vel pro האברו ab אבר *ala* juxta Kimhios Patrem & filium) & *implete* (armamentaria) *clypeis*: quod prudentiæ eſt, unde eo nomine laudati Salomo, Rehabeam, Aſa, Joſaphat & Uzzia inprimis 2 Chron. 26: 11. &c. Sic Eſa. 22: 8. &c. 2 Chron. 32: 5. ſed huic curæ opponitur Deus, quæ ipſe opponat arma; *Parate*, Babylonii *Sagittas amentatas*, *Deus excitavit Spiritum regum Mediæ*, implete omnia clypeis, Deus concepit cogitationem, efficaciorem ad perdendam Babel, quam ſcuta veſtra ad defendendum & *Ratio*, quia dies ultionis, quam inſtituat propter templum ſuum ab ipſis vaſtatum. II. In *ſcientia bellicâ*. verſ. 12. rurſum compellat Babylonios, ut in *muris* ſigna collocent, in teſtimonium ſuæ poſſeſſionis: tueantur *cuſtodias*, ſeu loca cuſtodiis & ſtationibus inſeſſa; conſtituant tum *vigiles*, tum *inſidias*, ut aperta vi, & militari dolo agant, quo hoſtibus reſiſtant & noceant. Sed opponitur Dei cogitatio, & reſpondens exſecutio contra Babylonios, ut nihil intervenire, & conſilia evertere queat. III. In *Munitionibus*, & *divitiis* verſ. 13. *habitatrix ad aquas multas*, Euphrate circumfluente, & per agrum ſpacioſis foſſis deducto, Iarcendis hoſtibus, & per eaſdem aquas invehebantur merces & divitiæ, præterquam quod ad metropolim tantæ monarchiæ theſauri congregabantur. Sed his opponitur determinatus finis, qui advenerit, quemadmodum omnia ætatem ſuam habent, non homines modo, verum etiam imperia, Act. 17: v. 26. Gen. 6: v. 3. & cap. 15. verſ. 13. Eſtque notatu dignum epitheton finis, ulna, ſeu menſura, avaritiæ tuæ: quemadmodùm Epha impietatis Zach. 5: 6. &c. Statuit enim Deus modum peccato, quamdiu tolerare velit, priuſquam ad vindictam procedat, ut Gen. 15: 13. &c.

Verſ. 14. *Jurat Jehova exercituum per ſe ipſum:* mentiar *niſi te impleam hominibus quaſi melolonthis, qui canant de te celeuſma.*

ב. *Confirmatio* exitii denunciati petitur à Dei.

a. *Veritate*, verſ. 14. Juramentum Dei quod ἀμετάθετον concipitur *per animam ipſius*, ἀνθρωποπαθῶς, quia animâ homo nihil habet pretioſius, ſic 2 Cor. 1: 23. hoc eſt per ſeipſum; quomodo exponitur Heb. 6: 16. Sic Amoſ. 6: 8. cap. 8: 7. Promiſſioni additum jusjurandum facit validam conſolationem, Heb. 6: 18. ſed comminationi, validum terrorem; quam nemo evadit. Jurat autem *quamvis* (כי) *impleverit hominibus* ut *bruchis*, inſectis quæ ſine numero veniunt, & agros implent, *tamen ſuper te canticum lætum canent*, ut in vindemiâ, victores nempe. Alii ſupplent negationem & de hoſtibus adducendis explicant, *Si nun implebo te hominibus*, ut *bruchis* innumeris, *& hi canticum de te ſibi invicem accinent.* Prius malim etiam ob præteritum implevi.

Verſ. 15. *Jurat qui fecit terram virtute ſua, ſtabiliit orbem habitabilem ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cœlo.*

Verſ. 16. *Quo vocem ſuam edente fremitus aquarum* eſt *in cœlis, & qui effert vapores ab extremitate terræ, fulgura cum ipſa pluvia facit & profert ventum è theſauris ſuis.*

b. *A Potentiâ*. verſ. 15--18. aſſertâ ab effectis I. *Creationis* verſ. 15. *terræ*, οἰκουμένης & *cœli*, quomodo univerſa complectitur cum iſtorum omnium incolis. Illis omnibus attributa potentiæ ſapientiæ, intelligentiæ conveniunt: niſi

niſi diſtinctionem ſic intelligamus, ut robore Dei ſolidum adeò corpus terræ compactum dicamus; *ſapientia habitabilem orbem* ſegregatum ab aqua, & ſic conſervatum; *intelligentia cœlum* extenſum circumquaque. Tum II. *Providentiæ* verſ. 16. in regimine meteororum, rerum maxime inſtabilium, nubium, vaporum ex terrâ ſurgentium, fulguris, pluviæ, ventorum, quos tanquam in theſauro concluſos ſervat; atque ſola voce ſui imperii moderatur, & mittit quo lubet.

Verſ. 17. *Magis obbruteſcit omnis homo quam ut animadvertat, pudefacere omnem conflatorem ſculptili: nam falſum eſt fuſile ejus, nec ſpiritus eſt in* ullo *eorum.*

Verſ. 18. *Vanitas ſunt, opus maximæ aberrationis, quo tempore viſitabuntur illi, peribunt* ipſa.

Verſ. 19. *Non ſicut iſtarum* eſt, *ſed formator omnium eſt Jahakobi portio, & ille* eſt *tribus poſſeſſionis ejus. Jehova exercituum nomen* eſt *ei.*

c. *Ab oppoſitione idolorum*, quorum factores pudefiant v. 17, 18. quia ſint mendacia, nihil in rei veritate, ſolùm in mendaci opinione hominum; quia Spiritu & vita carentia; quia vanitas noxia; quia obnoxia perditioni. Contra Deus Jacobi, *omnium creator*, & *portio* ipſius, in quo plenitudo & ſufficientia. Quæ omnia olim dixit Propheta Jer. 10: 12. &c. ubi contra idola ex profeſſo egit.

Verſ. 20. *Ceſtra fuiſti mihi, inſtrumenta bellica: ut diſſiparem per te Gentes; & perderem per te regna.*

Verſ. 21. *Ut diſſiparem per te equum cum ſeſſore ſuo, & diſſiparem per te currum cum ſeſſore ſuo.*

Verſ. 22. *Ut diſſiparem per te virum & mulierem, & diſſiparem per te ſenem & puerum, diſſiparemque per te iuvenem & virginem:*

Verſ. 23. *Ut diſſiparem per te paſtorem cum grege ſuo, & diſſiparem per te agricolam cum jumentis ſuis conjugatis, diſſiparemque per te Principes & antiſtites.*

Verſ. 24. *Jam rependam Babyloni, & omnibus habitatoribus* terræ *Chaldæorum, totum malum ipſorum quo affecerunt Tzïjonem, ante oculos veſtros: dictum Jehovæ.*

6. *Sexta repetitio*, quæ tertia hujus capitis verſ. 20-33. Denunciat Babelis exitium verſ. 20--24. & exornat verſ. 25--33.

a. *Denunciatio* habet deſcriptum Babelis robur: per metaph. *Malleus* comminuens, ut percuſſa diſiliant in fruſta & diſpergantur; item *inſtrumentum bellicum.* Et quoniam inſtrumenti efficacia pendet ab agente. Dei eſſe dicitur, qui per illum fuerit efficax ad ſubigendam contrariam potentiam, ita ut omnia comminuerit verſ. 20--23. & perditionem à Deo inferendam, qua compenſetur injuria Zioni illata publice, coram piorum omnium oculis. verſ. 24. Adeoque omnes tyranni ſunt inſtrumenta Dei, quibus comminuit peccatores juſto judicio, ſed quæ ubi modum exceſſerint, & Eccleſiæ damnum intulerint, gravior pœna manet. ut Eſa. 10: 4. &c.

Verſ. 25. *Ecce me contra te, ô mons perditor, dictum Jehovæ, qui perdis totam terram: ut extendens manum meam contra te devolvam te ex ipſis petris, & diſponam te in montem ruderum ex incendio.*

Verſ. 26. *Neque accipient ex te lapidem ad angulum, aut lapidem ad fundamenta: nam deſolatiſſimus in ſeculum eris, dictum Jehovæ.*

2. *Exornatio* judicii habet

a. *Propoſitum Dei.* verſ. 25, 26. qualem vaſtationem illaturus ſit. Vocat *Montem perdentem*; cum Babel in planitie fuerit ſita, ob firmitatem & eminentiam, ut Pſal. 30: 8. quibuſdam ob altitudinem murorum & palatiorum, eorundemque robur, ut mons videretur: Septem enim miraculis mundi connumerantur Babelis muri. Perdentem autem, quod inde dominatus procederet victorioſus, ut cætera regna perderentur & ſubigerentur: Hunc contra Deus ſe futurum dicit. Quod declarat, verſ. 25. extenſurum manum ſuam, ut ruat: quemadmodum contritus mons in fruſta, deſuper ruit in planiciem; & ut ſit vaſtatio illuſtris ex incendio. Niſi reſpiciat montes ignevomos, unde magnæ moles ruunt & devolvuntur, quemadmodum incendia Veſuvii & Ætnæ deſcripta ſunt. Vaſtationis autem magnitudo, ut ſic comminuatur, & non reſiduus maneat lapis in angulum aut fundamentum domus, utpote quæ ad æternam vaſtitatem damnata ſit verſ. 26. conf. Eſa. 30: 14.

Verſ. 27. *Attollite vexillum in terra, clangite buccina in gentibus, comparate contra iſtam gentes, promulgantes convocate contra iſtam regna Ararari, Minni, & Aſchcenazi: præficite contra iſtam imperatorem, adducite equos pares melolonthis hiſpidis:*

Verſ. 28. *Comparate contra iſtam gentes, reges Mediæ, & Principes ejus, omneſque antiſtites ejus, denique totam terram dominatus ejus.*

b. *Excitatio inſtrumentorum.* convocando milites *Vexillo erecto*, & *tubâ ſonitu*, *ſanctificando*, id eſt delectu habito gentium ad militiam. ſic Eſa. 13: 2. &c. Enumerantur porrò regna *Ararat*, *Minhi* & *Askenaz.* Targ. *regna Kardu*, *exercitus Churmine*, & *Hadebh.* Hinc colligunt deſignari Armeniam majorem & minorem, ubi montes Gordyæi Sekardyai, nec non Adiabenen. *Armeniam* ex *Aram* & *Minai*, quidam dictum volunt. Judæis *Askenaz* Germania eſt, aſt hinc liquet pertinuiſſe ad Aſiæ populos. Quibuſdam Minnæi collocantur in Africa; atque tunc ad Spiritualem Babel pertinebit, ut ab omni cardine mundi congregentur ex Aſia, Africa & Europa, ad eam deſtruendam. Hiſce nationibus collectis ducem præficere jubet, & adduci equos eâ multitudine ut erucæ hirſutæ, quæ in hortis depaſcuntur omnia. Speciatim tamen *Medos* & finitimos excitat, per quos antiqua Babel ſubacta, ut Eſa. 13: v. 2, &c.

Verſ. 29. *Et commota terra indoleſcet, quum præſtabitur contra Babyloniam* unaquæque *cogitationum Jehovæ, redigendo terram Babyloniæ in deſolationem, quam nemo inhabitet.*

Verſ. 30. *Deſinent potentes Babyloniæ pugnare, deſidebunt in munitionibus, oblivioni erit potentia eorum, erunt velut fœminæ: accendent hoſtes habitacula ejus, confringantur vectes ejus.*

Verſ. 31. *Curſor obviam curſori curret, & index obviam indici, ad indicandum Regi Babyloniæ captam eſſe civitatem ejus ab extremitate.*

Verſ. 32. *Et ipſos anguſtos aditus occupatos eſſe, etiam ſtagna* hoſtes *combuſſiſſe igne: viros autem bellatores perturbatos eſſe.*

c. *Even-*

c. *Eventus*, in genere verſ. 29. *Commotio terræ* cum dolore maximo, quia quævis cogitationum Domini contra Babel ſit exſequenda, ad ejus vaſtitiem extremam in ſpecie. *Occupatio urbis* Babel verſ. 30. quia indefenſa, Dan. 5. & Xenophon refert, regem & duces epulatos eſſe, contemtis Perſis oppugnantibus: ſed capta urbe conſternati ſunt, facti imbelles ut mulieres, (rex ad ſcripturam ſui exitii Dan. 5.) Cyrus enim mandavit ſuis militibus ut domus incenderent unde oppugnarentur, portæque fuere effractæ, ad ingreſſum hoſtilem & nuncius ejus verſ. 31. eos ſibi occurrere, quod vix uno recedente ſuper veniat alter, uti nuncii Jobi, qui regi indicium faciant captæ urbis ab una parte. Cum enim adeo ampla eſſet, tenebatur jam ab hoſtibus, antequam in alia parte quicquam ejus ſcirent: occupatorum etiam vadorum, quia Cyrus effoſſo alveo profundo latiſſimoque, dum Babylonii feſtum agitabant, & ebrietati indulgebant, flumine deducto aliorſum, alveum ejus reddidit vadari aptum, & per eum ingreſſus eſt cum ſuis. Quod dicitur ſtagna combuſta pertinet ad incendium locorum quæ fluvio vicina, ne receptaculum præberent Babyloniis ac Perſas impedirent, quæ omnia recitantur à Xenophonte Cyropad. lib. 7. pag. 234. ſeq.

Divinitas vaticiniorum hinc liquet. Cyrus nondum natus erat, & hæc ſigillatim de ejus expeditione narrantur uti Eſa. 45: 1. ejus nomen.

Verſ. 33. *Nam ſic ait Iehova exercituum Deus Iſraelis, qui filiam ipſam Babyloniæ ſicut aream tempeſtive ſolidat: adhuc paululum, tum adveniet tempus meſſis ei.*

Ratio tandem verſ. 33. additur, per ſimilitudinem. *Area* non teritur toto anno, ſed quieſcit, niſi cum trituratur, quod fiebat à bobus calcantibus ariſtas, aut curru ac rotis prementibus; quod fit poſt meſſem. Tale *tempus* imminere dicit *Babeli*, quæ diu quieverat, ſed nunc eſſet calcanda, meſſe judiciorum matura. Sic Joel. 3. verſ. 13, 14. Apoc. 14, 15.

Verſ. 34. *Excedit me, quatit me Nebucaduetzar Rex Babyloniæ: ſtatuit me ut vas inutile, deglutit me ut draco, implet ingluviem ſuam deliciis meis, diſpellit me.*

Verſ. 35. *Injuria quæ fit mihi & carni meæ, in Babyloniam recidat, dicit habitator Tziyonis, & ſanguis meus in habitatores terræ Chaldæorum, dicunt Ieruſchalaima.*

Septima repetitio, hujus cap. quarta verſ. 34--58. ubi Eccleſiæ ratio potiſſimum habetur; nam

א. *Ad Eccleſiæ quærelas* ſe judicium exerciturum profitetur Deus verſ. 34--44. (in exercendo judicio etiam Eccleſiæ rationem ſe potiſſimum habere. verſ. 45--58.) Adeoque.

a. *Eccleſiæ querela* eſt. verſ. 34, 35. Inſtruit eam propheta, quid debeat dicere, ut Hoſ. 14: 2. Recitat autem quæ paſſa ſit, à Nebucadnezare Babylonio. *Comedit, contrivit me, ut leo*, qui non ſolum vorat carnes, ſed etiam conterit oſſa, ut cap. 50: 17. *conſtituit uti vas inane*, ſpoliatam omnibus bonis, & alia ſimilitudine, deglutivit me ut draco, (Prov. 1: 12.) & abſumſit omnia mea delicata, quicquid deſiderabile; quæ de vaſis Sanctuarii poſſunt intelligi, quæ Nebucadnezar in idolea ſua tranſtulit; depulit me, exactam patria, in exilium deportatam. Tum petit vindictam verſ. 35. *Habitatrix Zionis* & Hieroſolyma ſic loqui debet, tota gens Iſraelitica, olim ſub hac metropoli conſtituta, imprecatur reatum Babeli & Chaldæis, ut ipſis incumbat, quo Deus pœnas ſumat meritas. *Reatus* eſt violentiæ & rapinæ contra bona; & contra carnem tyrannidis & exilii; & contra ſanguinem cœdium. Affixa non actionem ſed paſſionem notant, ut Eſa. 56: 6. בית תפלתי & Gen. 16: 5.

Verſ. 36. *Idcirco ſic ait Jehova, ecce ego confecturus ſum cauſam tuam: & ulturus ultionem tuam, ideò exſiccabo mare illius, tamquam ſi arefeciſſem ſcaturiginem illius.*

Verſ. 37. *Et abibit Babylon in acervos, in habitaculum draconum, ſtuporem & ſibilum, adeò ut nemo inhabitet.*

b. *Reſponſum* Dei, tum in genere verſ. 36. pro Eccleſia litigaturum, patrocinium ei præſtiturum, atque etiam ultionem exerciturum pro eâ. Tum in ſpecie pœnam Babelis deſcribens.

a. *Imminutione multitudinis*, verſ. 36. *exareſcere faciam mare ejus*, populum Apoc. 17: 13. & ſcaturiginem ejus, ut ceſſent qui generent, exſtinctis omnibus, aut mulieres Prov. 5: 18. ut pereant vel ſteriles reddantur. Conf. Hoſ. 9. cap. Contra ſolitudinem fore, ut ſolitariæ beſtiæ iſtic morentur. verſ. 37. ut Apoc. 18: 2.

Verſ. 38. *Pariter ut juvenes leones rugient, vociferabuntur ut catuli leonum.*

Verſ. 39. *Incaleſcentibus illis diſponam potiones eorum, & inebriabo eos ut exſultent, ſed dormient ſomno perpetuo, neque expergiſcentur, dictum Iehovæ.*

Verſ. 40. *Deducam eos velut agnos ad mactandum, ut arietes cum hircis.*

b. *Declaratione modi*, ubi quales ante occupationem, inſtar leonum, inſolenter jactantium ſuas vires verſ. 38. quales in occupatione verſ. 39. coll. cum Dan. 5: 2. &c. *cum incaluerint, conſtituam convivia ipſorum, & inebriabo eos, ut tripudient, & dormiant ſomnum æternum.* verſ. 39. Chald. *Sed morientur morte ſecunda, neque vivent in futuro ſeculo.* Nempe quando Belſazar cum magnatibus agitavit convivium, & idola ſua laudavit, quo tempore omnes quoque Babylonii feſtum celebrarunt; (quod Sacheum dixere Græci, & Scheſchach Chaldæorum, quod nomen Babeli tribuitur hic verſ. 41. & cap. 23: 29.) tum irruentibus Perſis ſub Cyro multi interemti ſunt cum rege, etiam ſomno vinoque ſepulti: quia toti fuere in poteſtate victorum, uti arietes mactationi deſtinati verſ. 40. Deo eos deducente quaſi & Siſtente mactandos: quod fuit extremum glorioſorum illorum leonum, ut eſſent imbelles oves.

Verſ. 41. *Quomodo caperetur Scheſchac, & occuparetur laus totius terræ? quomodo eſſet deſolationi Babylon inter gentes.*

Hic admiratio verſ. 41. quomodo ſic occupata fuerit tanta urbs: ut quæ dominabatur dominum acceperit: nam Babylonii ſervi facti quemvis Perſam tanquam herum debuerunt colere, adeo ut quæ celebrabatur toto orbe omnibus ſtupori foret.

Verſ. 42. *Quaſi aſcendat contra Babylonem ipſum mare, fremitu fluctuum ejus operiatur.*

Verſ. 43. *Erunt civitates ejus deſolationi, terra ſiticuloſa, & campeſtris: terra in cujus opidis non habitabit ullus vir, neque tranſibit per eas filius hominis.*

c. *Copiâ ac potentiâ hoſtium*, verſ. 42. qui inſtar maris exundantis omnem Babyloniam operuerint; *mare* notat multitudinem, ſed victorum; ante verſ. 36. mare ipſorum pariter multitudinem ſed illo exareſcente deficientem. Unde vaſtitas verſ. 43. qualem victores quoque afferunt. Pſal. 124: 3. &c. Jer. 46: 7, 8.

Verſ. 44. *Animadvertam etiam contra Belum Baby-*

Babylone, & extraham quòd deglutiit ex ore ejus; neque confluent ad eum amplius gentes: etiam murus Babylonis corruet.

d. Simpliciter verſ. 44. viſitationem Deo minante, contra I. *Bel* idolum, II. divitias quas *deglutiverat*, vaſa templi Hieroſolymitani, quæ debuit evomere, jubente Cyro reſtitutionem, vel alias regni ac privatorum, quas Dei ſui beneficio ſe rebantur pollidere, III. multitudinem, eò confluentem, illorum qui ſubacti tributa ferebant ejuſque colebant majeſtatem, IV. muros Babel ruituros, in quibus robur & ſecuritas urbis.

Verſ. 45. *Exite è medio ejus, populo mi, & eripite quiſque animam ſuam; ab æſtu iræ Jehovæ.*

Verſ. 46. *Et videte ne molleſcat animus veſter, & timeatis propter rumorem qui audietur in ea terra: quum advenerit anno uno rumor ille, & poſteà anno altero idem rumor violentiaque in terram, denique dominator ſupra dominatorem.*

Verſ. 47. *Idcirco ecce dies venturi ſunt, quum animadvertam in ſculptilia Babylonis, & tota terra ejus pudefiet, omneſque confoſſi ejus cadent in medio ejus.*

Verſ. 48. *Et cantabunt de Babylonia cæli & terra, & quæcunque ſunt in eis; quum ab Aquilone venerit ad eam iſtorum vaſtorum quiſque, dictum Jehovæ.*

Verſ. 49. *Et Babyloni cadendum eſt ô confoſſi Iſraelis: & cum Babylone caſuri ſunt confoſſi totius terræ illius.*

2. *In Exſecutione* judicii Eccleſiæ rationem potiſſimum habiturum dicit Deus. verſ. 45--58. Atque heic eſt,

8. *Conſilium* Eccleſiæ datum, pro illius ſecuritate. verſ. 45--49. Iſtud conſilium proponitur, verſ. 45. vocat *populum ſuum*, & jubet celeriter ſe ſubducere periculo, quod ira Dei inferat Babeli; uti Jer. 50: 8. &c. cap. 51: 6. ſic Eſa. 26: 20, 21. cap. 48: 20. cap. 52: 11. Gen. 6. & 17. ſic Apoc. 28: 4.

Aſſeritur porrò Conſilium contra difficultates, verſ. 46. enumeratas; *ne molleſcat cor veſtrum & timeatis* (uti Lot Gen. 19: 17.) ceu non evaſuri, I. *à rumore*, Perſarum Medorumque invaſione, qui anno poſt annum turbet, biennalis rumor; nam priore anno Cyrus invaſit Aſſyriam, altero Babyloniam Herod. lib. 1. p. 34. 35. II. *A violentia*, invadentibus victoribuſque deinde vagantibus, & prædas agentibus, quod cum injuria indigenarum conjunctum eſt. III. *A dominatu* ſæpius mutato, dum alii alius ſuccedit manente eadem ſervitutis conditione ſæpius aggravata. Prov. 28: 2. Nam omnia iſta eſſe terribilia Babeli; quippe Deum adducere, I. *rumorem* contra Babelis idola & terram, verſ. 47. Rumores illos continuatum & jugiter auctum iri, ut vanitas idolorum pateſcat, & cultores eorum pudefiant, quando nec remotum, nec propinquum malum, nec majus nec minus ne quidem à ſeipſis poſſunt avertere. II. *Violentiam* contra incolas, qui ſint occidendi verſ. 47. in medio ejus, quia non egreſſi ſunt ex ſuis munitionibus, ſed inopinantes in ipſa urbe oppreſſi & peremti. III. *Mutationem* Dominii, quod ab Aquilone venerint vaſtatores Medi; ut cœlum ac terra eo nomine exſultet verſ. 48. univerſali lætitia, qualis Apoc. 18: 20. cap. 19: 1.

Contra Iſrael immunis futurus ab illo terrore verſ. 49. *etiam Babel, quæ fuit cauſa ut caderent cæſi Iſraelis, etiam propter Babel cadent occiſi totius terræ*, Babyloniæ: Babel necem attulit Iſraelitis, igitur jam Iſraelitæ non cadent in judicio Babelis, de qua ſumatur pœna: nam Babelis victoria eſt calamitoſa Eccleſiæ, ſed non ejus ruina.

Verſ. 50. *O qui evaſiſtis à gladio, abite, ne conſiſtatis: recordamini è longinquo Jehovæ, & Jeruſchalaima veniant in animum veſtrum, dicendo.*

Verſ. 51. *Erubeſcimus quòd audiamus opprobrium, operit ignominia faciem noſtram, quod ingrediantur extranei in ſanctuaria domus Jehovæ*

2. *Repetitio* Conſilii, habet.

Propoſitionem verſ. 50, 51. *Erepti à gladio, ite celeriter, neque conſiſtite.* Gladius iſte, quem evaſerant, eſt Nebucadnezaris, qui nonnullis pepercerat, qui in Babylonem deportati; iſtic per tot annos ſervati fuerant: vel potius Cyri, quo non perierunt juxta cum Babyloniis, in quorum urbibus habuerant pacem, jer. 29: 7. & jam non una occubuerant: ſic Jer. 31: 2. Zeph. 3: 12. jubetque, feſtinanter abire, ut Gen. 19: 17. uti jam ante quoque monuit. Tum jubet meminiſſe Dei & deſiderio Hieroſolymæ tangi. Illius obliti fuerunt, hinc èjecti, ut Jer. 2. 32. cap. 3: 12. cap. 31: 8. Hoſ. 3: 5. Sic Pſ. 137: 7.

Denique recitat verba, quæ deſperationem ipſorum teſtabantur, verſ. 51. ob ſuam indignitatem hoſtiumque triumphum.

Verſ. 52. *Idcirco ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ, quum animadvertam in ſculptilia illius, & in tota terra illius exclamabit confoſſus.*

Verſ. 53. *Etiamſi aſcenderet Babylon in cælum, etiamſi muniret altiſſimum robor ſuum, à me venturi ſunt vaſtatores in eam, dictum Jehovæ.*

Verſ. 54. *Vox clamoſa à Babylone: & contritio magna à terra Chaldæorum.*

Verſ. 55. *Nam vaſtaturus eſt Iehova Babylonem, & perditurus ex ea robur cum voce magna, etiamſi fremant fluctus illorum ut aquæ multæ, edatur ſtrepitus vocis illorum.*

Verſ. 56. *Quum venerit contra eam, contra Babyloniam vaſtator, capientur potentes ejus, conteretur quiſque arcuum ejus, quia Deus fortis retributionum Jehova omnino rependet.*

Verſ. 57. *Inebriabo, inquit, principes ejus, & ſapientes ejus, duces ejus, antiſtiteſque ejus, & potentes ejus, ut dormiant ſomno perpetuo, ac non expergiſcantur, dictum Regis cui nomen eſt Jehova exercituum.*

Verſ. 58. *Sic ait Jehova exercituum, murus uterque Babylonis latiſſimus planè nudabitur, & portæ ejus altiſſimæ igne ſuccendentur: ita laboraverint populi pro inanitate, & nationes pro igne, ac defatigatæ fuerint.*

Confirmationem à judicio Babelis, etiam ob contemtum Dei, & vaſtationem templi ejus; illud exercebitur I. *contra idola* verſ. 52. ut gemant idololatræ confoſſi, quibus inde nullum auxilium. II. *Contra Babelem* ipſam, verſ. 53. omni ejus robori prævaluturis vaſtatoribus, à Deo immittendis, uti olim, cum turrim ejus molirentur, Deus immiſit quo diſpergerentur ſtructores confuſionem linguarum, adeoque robori ejus prævaluit, cujus conſequens ejulatio verſ. 54. & abolitio vocis magnæ, quæ lætitiam olim perſonabat. verſ. 55. ut Apoc. 18: 22, 23. *Ratio* autem quia vaſtatorum vox prævaleat, inſtar undarum validarum. III. *Contra milites Babelis* verſ. 56. quī cum ſuis armis

ſubigendi, quia Deus ultor, vindictam exercens, cui utique nemo reſiſtere poteſt. IV. *Contra Magiſtratus* verſ. 75. qui omnes ſint inebriandi & in æternum ſomnum dandi, cujuſcunque ſapientiæ, dignitatis aut potentiæ. V. *Contra muros* verſ. 58. Ejus erant altitudinis, latitudinis, firmitatis, ut miraculo forent; Semiramis ut Diod. Sic. refert 3000000. hominum habuit in opere, & ex aſphalto lateribus intermiſto ſtruxit muros, 200. pedum altitudine, 50. latitudine; ſed omnis labor vanus deprehendetur, quando everſi fuerint, quod non per Cyrum vel Dariùm, vel Alexandrum M. ſed ſucceſſive factum eſt, & demum fiet deſtructa Anti-Chriſtiana Babel, de quo Eſa. 25: 1. &c. Apoc. 14: 8. cap. 16: 19.

Verſ. 59. *Verbum quod præcepit Jirmeja Propheta Serajæ filio Neriæ, filii Machaſejæ, quum iret à Tzidkija Rege Jehudæ in Babyloniam, anno quarto regni ejus, erat autem Seraja Princeps Menuchæ.*

Verſ. 60. *Poſtquam deſcripſiſſet Jirmeja totum malum quod eventurum erat contra Babylonem, in libro uno omnia verba hæc quæ ſunt ſcripta contra Babyloniam.*

III. *Generalis Confirmatio* totius vaticinii contra Babel verſ. 59--69. Eſt peculiare mandatum, à Jeremia datum *Serajæ, filio Neriæ, nepotis Machſejæ*, quos etiam Baruch habuit patrem & avum Jer. 32: 12. ut Seraja & Baruch fratres fuerint. Hic Seraja dicitur fuiſſe שר מנוחה *princeps Merucha*, ut ſit regionis nomen cui præfuerit, 1 Chron. 2: 52. in limite Judæ verſus tribum Dan: aliis muneris nomen, quod fuerit magiſter audientiæ, qui fandi tempora noſſet, & ad regem introduceret, quotquot eum compellaturi erant allaturive munus: vel quo cum rex quando quieſcebat à negotiis regni conferebat: vel cubicularius qui quieſcente rege curam gerebat, ne quis turbaret quietem: aliis à qualitate, *pacis quietiſque amans*; uti Salomo vocatur איש מנוחה 1 Chron. 22: 9. Ibat autem in Babelem vel cum Zedekia, vel ab illo Legatus eò miſſus, (ſic את erit idem quod מאת) quemadmodum ſub initium regni eo ablegavit Elaſam & Gemarjam cap. 29: 1. &c. quibuſcum Jeremias Epiſtolam miſit ad deportatos cum Jechoniâ. Legatio autem præſens per Serajam quarto anno regni facta eſt.

De quo mandat, eſt vaticinium contra Babel, quod duobus his capp. continetur, à Jeremia in peculiari codice deſcriptum verſ. 60.

Verſ. 61. *Edixit ergo Jirmeja Serajæ, quum veneris ad Babylonem, tum aſpiciens leges omnia verba hæc.*

Verſ. 62. *Ac dices, ô Jehova, tu eloquutus es contra locum hunc te exciſurum eum, adeò ut non ſit in eo habitator tam ex hominibus quàm ex jumentis, ſed deſolatiſſimum in ſeculum forè.*

Verſ. 63. *Deinde erit quum abſolveris legere libellum hunc, ut alligans ei lapidem, projicias eum in medium Euphratis.*

Verſ. 64. *Et dicas, ita ſubmergetur Babylon, & non exſurget à malo quod ego inducturus ſum contra eam, quamvis defatigentur:*

Mandatum ipſum eſt I. *De legendo*, vaticinio verſ. 61. cum veniſſet Babelem, & omnem ejus potentiam vidiſſet, tum debere legere quæ hoc ſcripto prædicerentur de illius excidio. II. *De precibus* ad Deum faciendis. verſ. 62. quibus veritatem Dei prædicaret, talia Babeli denunciantis, longe ante complementum: quomodo docet qua ratione verſandum ſit in lectione & meditatione prophetiarum, non condemnandæ aut negligendæ, ſed reverenter adorandæ, & Deo gloria danda veritatis etiam ante complementum, quamvis modum ejus non aſſequamur 2 Sam. 7. Apoc. 1: 3. cap. 22: 7. III. *De ſigno adhibendo*, verſ. 63, 64. finitâ lectione alligandum huic libro vaticinii lapidem, & pariter projiciendum in Euphratem: atque tunc addendum verbum promiſſionis divinæ. Sic mergetur Babel, neque reſurget, ob malum quod ſuper eam adducam; ויעפו & avolabunt, non ſecus evaneſcens Babylonii ac ſi avolaſſent, ut nullum maneat veſtigium, aut memoria priſtinæ gloriæ. Hoſ. 9: 11. Fatigationis ſignificatio huic loco non convenit, uti etiam forma repugnat. Hoc repetitur Apoc. 18: 21. ut huc complementum pertinere pateat.

Hactenus verba Jirmejæ.

Clauſula ſubjicitur toti volumini prophetico Jeremiæ; hucuſque verba Jeremiæ, uti Pſ. 72. vult & Job. 31: 40. Nam ſeq. caput non pertinet ad hiſtoriam vel Jeremiæ, vel concionum ejus, ſed additum vel ab ipſo vel à Barucho, tanquam epitome complementi eorum quæ de Hieroſolymæ excidio toties fuerat vaticinatus.

CAP. LII.

HIſtoricum eſt, quatuor partibus conſtans. Deſcribitur. I. *Regnum Zedekiæ* verſ. 1--11. ubi

Verſ. 1. *Natus unum & viginti annos Tzidkija quum regnare inciperet, undecim annis regnavit Ieruſchalaimis: cujus matri nomen Chamutal filia Iirmeiæ è Libna.*

1. *Rex*, verſ. 1. *Zedekias*, ſic appellatus à Nebucadnezare qui ante dicebatur 2 Reg. 24: 12. Mattanja; mutatio nominis pertinuit ad ſervitutis memoriam, quod heri ſervis nomina darent, ut Danieli & ſociis Dan. 1. & Necho Eliakimo dederat nomen Jojakim 2 Reg. 23: 34. *Ætas* ineuntis regnum, 21. *annorum*, poſtquam Joachas frater germanus trimeſtre, Jojakim 11. annos, & Jechonias trimeſtre regnaſſent; ut decennem fuiſſe liqueat cum Joſias obiret. *Duratio* regni, per *annos undecim*. Et mater, *Hamutal*, eadem quæ Joachazi; ut Nebucadnezar benigne egerit cum Judæis, qui regium filium regem conſtituit, & quidem hunc, odio etiam Ægyptii, qui hujus fratrem depoſuerat, & ſecum deportarat in Ægyptum.

Verſ. 2. *Qui fecit quod malum videtur in oculis Iehovæ, omnino prout fecerat Iehojakim.*

Verſ. 3. *Quumque ſecundùm iram Iehovæ fieret Ieruſchalaimis & in Iehuda, adeò ut abjiceret eos à facie ſua; rebellante Tzidkija contra Regem Babyloniæ.*

2. *Regni adminiſtratio* in genere, verſ. 2. *fecit quod malum coram Domino*, licet forſan non ita malus cenſeretur; & quidem ut Jojakim: qui nihil emendavit ejus quod Jojakim corruperat, ut Joſiæ exemplo reformationem inſtitueret, non quidem æque perſequens prophetas, ſed æque inobediens 2 Chron. 36: 12. & æque perjurus contra Babylonium verſ. 13. quod commemoratur in ſpecie verſ. 3. perfidiæ illius tamen antecedens dicitur *ira Dei*. Non quod impulerit ad peccatum, ſed quod peccato Manaſſis provocatus, ad quod poſt Joſiæ mortem reditum eſt à populo, qui ſub Joſia vere non reſipuerat, Deus magis magiſque ſubtraxerit gratiam juſto judicio, ut de peccato in peccatum laberentur. Manaſſis peccata excidio punienda eſſe dictum 2 Reg. 23: 26. cap. 24: 3. Jer. 15: 4. Joſia dilationem impetravit, non remotionem; unde redeuntibus omnibus ab hypocritica reſipiſcentia Jer. 3: 6. ad peccata priora, magis averſus fuit Deus, unde obſtinatio; conf. Pſ. 81: 12. &c. 1 Sam. 2: 25. 2 Sam. 24: 1. coll. cum 1 Chron. 21: 1. Rom. 1: 23. &c. 2 Theſſ. 2: 10. &c. Eſtque Zedekiæ in rebellione inobedientia evidens, quod contra hortationes prophetæ, metu prin-

principum & populi, eam ſuſceperit. Jer. 20. verſ. 27. & 38.

Verſ. 4. *Fuit anno nono regni illius, menſe decimo, decimo die menſis, ut adveniens Nebucadnetzar Rex Babyloniæ, ipſe & omnes copiæ ipſius contra Ieruſchalaima, caſtra facerent juxta ea, exſtruentes contra ea propugnacula circumquaque.*

Verſ. 5. *Sic proceſſit civitas in obſidione, uſque ad undecimum annum Regis Tzidkijæ.*

3. *Finis regni* verſ. 4--11. qui legitur etiam Jer. 39: 1. & 2 Reg. 25: 1. ubi

8. *Obſidio urbis*, verſ. 4: 5. cujus initium, nono anno regni Zedekiæ, decimo die menſis decimi. obſidentes Nebucadnezar ejuſque copiæ, modus, ut clauderent undique, ne pateret egreſſus, & munitiones exigerent, ad ingreſſum ſuum, Jer. 32: 24. duratio, in annum undecimum, menſis quarti diem nonum; ut fuerit ſeſquianni obſidio; quæ tamen ſemel ſoluta, quando Chaldæi Ægyptiis auxiliaturis obviam iverunt. Jer. 34: 37.

Verſ. 6. *Menſe quarto, nono die menſis; quum invaluiſſet fames in civitate, adeò ut non eſſet panis populo regionis.*

Verſ. 7. *Tum perrupta civitate, omnes bellatores fugerunt & egreſſi ſunt è civitate noctu, via portæ in duplicem, quæ erat juxta hortum Regis; Chaldæis civitatem obſidentibus circumquaque: & abiverunt via campeſtrium.*

Verſ. 8. *Sed perſequentes copiæ Chaldæorum Regem, aſſequutæ ſunt Tzidkijam in campeſtribus Ierichuntis, quum omnes copiæ ejus diſperſæ eſſent ab eo.*

2. *Occupatio urbis.* verſ. 6, 7. occaſione fame in plebe; nam ditioribus adhuc erat annona: fames illa in Threnis pathetice deſcribitur aliquoties, accellit autem etiam peſtis Jer. 32: 24. *Modus*, perfoſſo muro, ut additus pateret hoſtibus.

2. *Fuga* & captivitas Zedekiæ verſ. 7, 8. noctu egreſſus cum militibus perfoſſo muro circa hortum regium, uti minus obſervabatur: ſed aſſecuti ſunt Chaldæi, & deſertum à diffugientibus ſuis, ceperunt.

Verſ. 9. *Et prehendentes Regem deduxerunt eum ad Regem Babyloniæ Riblam in terra Chamathæ, ubi tulit de eo ſententias.*

Verſ. 10. *Ex quibus jugulavit Rex Babyloniæ filios Tzidkijæ ante oculos ejus, etiamque omnes Principes Iehudæ jugulavit ad Riblam.*

Verſ. 11. *Deinde oculos Tzidkijæ excæcavit: & quum vinxiſſent eum numellis chalybæis deduxit eum Rex Babyloniæ in Babyloniam, & poſuit eum in loco aliquo præfecturarum uſque ad diem mortis ejus.*

7. *Calamitas regis* verſ. 9, 10, 11. ſiſtitur judicio coram Nebucadnezare, convincitur perfidiæ & condemnatur, mactantur ipſo inſpectante liberi ejus, & principes ludæ, tum ipſimet effodiuntur oculi, & vinctus compedibus perpetuo carceri traditur in Babylone. Neque plura de eo commemorantur: ſed ex Jer. 34: 4. ſi colligere eſt, poſt mortem honeſtam ſepulturam conſecutum eſſe.

Verſ. 21. *Deinde menſe quinto, decimo die menſis, ipſo decimo nono anno Regis Nebucadnetzaris Regis Babyloniæ, poſtquam veniſſet Nebuzaradan prafectus ſatellitum, qui miniſtrabat Regi Babyloniæ, Ieruſchalaima.*

Verſ. 13. *Combuſſit domum Iehovæ, & domum Regis: omneſque domos Ieruſchalaimorum, id eſt, omnes domos magnatum combuſſit igne.*

Verſ. 14. *Et omnes muros Ieruſchalaimorum circumquaque deſtruxerunt omnes copiæ Chaldæorum quæ erant cum præfecto ſatellitum.*

11. *Vaſtatio Hieroſolymæ* verſ. 12--27. ubi

1. *Ruina ædificiorum.* verſ. 12--14. Tempus eſt, *quinto menſe die decimo:* aſt 2 Reg. 25: 8. dicitur *die ſeptimo*, ſed hoc die cœpit incendium, illo conſummatum eſt, ut quatriduum duraverit: præterea *anno Nebucadnezaris* 19. aſt verſ. 29. deportatio incolarum, quæ vaſtationem eſt ſecuta, refertur in annum 18. ſed 18. exactus erat, fluebat 19. Jer. 32: 1. Zedekiæ decimus fuit 18. Nebucadnezaris. Ergo Zedekiæ 11. fuit 19. Nebucadnezaris fluens utrique, non finitus. Autor Nebuzaradan, (qui occupationi non videtur adfuiſſe Jer. 39: 3.) qui ad evertendam urbem rebellem, & populum deportandum miſſus fuit, princeps ſatellitum, cui ejuſmodi exſecutio ex munere incumbebat. Quæ porro vaſtata, ſunt tum interiora verſ. 13. templum, regia, domus aliæ majores minoreſque: tum exteriora, dejectis mœnibus verſ. 14. Capta fuit Urbs menſe quarto, die nono; combuſta menſe quinto die ſeptimo & ſeqq. intermedio tempore graſſati ſunt Chaldæi ſpoliando cives. Multa millia fuerunt trucidata, præter eos, quos fames & peſtis & bellum ante abſumſerat, ut non niſi 832. animæ reſtarent deportandæ, ſi forte pauperiores aliqui excipiantur.

Verſ. 15. *E tenuibus populi, id eſt, reliquum populi, eos qui relicti fuerant in civitate, & defectores qui defecerant ad Regem Babyloniæ, & reliquum vulgi, deportavit Nebuzar-adan præfectus ſatellitum.*

Verſ. 16. *Tantum è tenui populo terræ: reliquos fecit Nebuzar-adan præfectus ſatellitum, qui eſſent vinitores, & qui agricolæ.*

2. *Captivitas incolarum* verſ. 15, 16. pauperes æque ac divites reſidui, nec non qui ſe antea tradiderunt Chaldæis, omnes deportati, & quidem catenis vincti cap. 40: 1. &c. pauci tamen relicti, qui terram colerent, ut cap. 39. verſ. 10.

Verſ. 17. *Præterea columnas æreas quæ erant domui Jehovæ, baſesque, & lacum æneum qui erat in domo Jehovæ fregerunt Chaldæi, detuleruntque totum æs eorum in Babyloniam.*

Verſ. 18. *Item ollas, & hamas, & inſtrumenta muſica, crateraſque & acerras, omniaque inſtrumenta ærea quibus miniſtraverant acceperunt:*

Verſ. 19. *Etiamque pelves, & trullas, cum crateribus, & ollis, & lychnuncis, & acerris, ac ſcopulis, quæcumque aurea, & quæcumque argentea, accepit præfectus ſatellitum.*

Verſ. 20. *Columnas duas, lacum unum, boveſque duodecim æreos qui erant ſub baſibus, quæ paraverat Rex Schelomo pro domo Jehovæ, non fuit pondus æri eorum, omnium inſtrumentorum iſtorum.*

Vers. 21. *Columnis autem istis, octodecim cubitorum altitudo erat columnæ unicuique, & filum duodecim cubitorum circumdabat eam: densitas autem ejus quatuor digitorum, cava erat.*

Vers. 22. *Cui imposita erat corona ærea, & altitudo coronæ unius quinque cubitorum, encarpus, & malogranata ad coronam circumquaque omnia ærea, & similia erant columnæ secundæ, cum malogranatis.*

Vers. 23. *Erántque malogranata nonaginta sex in plagam* quamque *: omnia malogranata centena in encarpo circumquaque.*

3. *Vasa templi* perdita, & ablata vers. 17-23. *Majora*, columnæ duæ & mare ænæum, hæc confracta, quod integra non possent asportari, vers. 17. *Minora* ærea, argentea, aurea, à Nebuzaradane ablata vers. 18, 19. & post in idoleum collocata à Nebucadnezare, quod jam ante quoque fecerat tertio anno Jojakimi de parte aliquâ Dan. 1: 1. &c. nec non deportato Jechonia de parte alia Jer. 27: 19. &c. Sigillatim autem commemoratur columnarum structura & forma ob artificium vers. 20, 21, 22, 23. NB. vers. 20. duæ columnæ, mare unum, & boves 12. ærei, qui loco fulcrorum erant, &c. Vel: & quæ sub מכונות basibus illis erant quas Salomo paraverat ad sustinenda labra, de quibus 1 Reg. 7: 27.

Quæst. Cur horum vasorum fit mentio? Resp. Jer. 27: 16. Prophetæ pollicebantur vasa templi, deportata cum Jechoniâ intra biennium esse restituenda. verum Jeremias, etiam residua deportanda prædixerat, vers. 19. &c. istorum speciatim factâ mentione; Hic ergo propter veritatem complementi ista enumerantur.

Sed quæstio alia est, Cur nihil dicatur de Mensa, & ara suffitus in sancto, deque arca fœderis in S. Sanctorum? Resp. Judæi ferunt, Josiam Jeremiæ jussu jam ante hæc abscondisse in quadam subterranea spelunca; Jeremiæ id tribuitur 2 Maccab. 2: 4. &c. Sed ista fabulam redolent. Si his caruisset templum sub Jojakimo, non tantum fuisset de eo fiduciæ. Non sunt quoque hæc deportata Babelem; alias Cyrus restituisset. Probabile igne periisse; nam erant ista lignea, auro obducta duntaxat: & quæ in arca; tabulæ, oppositæque urna mannæ, virga Aaronis non fuerunt æstimatæ ab ignaris mysteriorum ac miraculorum Chaldæis.

Vers. 24. *Item cepit præfectus satellitum Serajam Sacerdotem primarium, & Tzephanjam Sacerdotem secundanum, ac custodes liminis.*

Vers. 25. *E civitate verò cæpit aulicum unum qui fuerat præfectus bellatoribus, cum septem viris ex intimis Regis qui inventi sunt in civitate, & scribam primarium exercitus, qui exercitum conscribebat è populo terræ, ac sexaginta viros è populo terræ qui inventi sunt in civitate.*

Vers. 26. *Hos ipsos capiens Nebuzar-adan præfectus satellitum, deduxit ad Regem Babyloniæ, Riblam:*

Vers. 27. *Quos percutiens Rex Babyloniæ, morte affecet Riblæ, in terra Chamathæ: sic migravit Jehuda à terrâ sua.*

4. *Cædes primatum* vers. 24-27. quorum delectus, Ecclesiastici, Sacerdos summus Seraja, (Ezræ pater) & secundus Zephanja (de quo etiam Jer. 29: 29, itemque cap. 21: 1. & cap. 37: 3.) & tres custodes liminum, ut arcerent profanos à templo, qui Levitarum primores. Politici item, Præfectus militiæ, 7 aulici (2 Reg. 25: 19. quinque dicuntur, sed Judæi duos secretarios annumerant) & Delectuum militarium præfectus, tum ex populo primarii 60. Hi omnes deducti Riblam, jussu Nebucadnezaris necati sunt, ceu in rebellione principes, & quibus ea imputanda esset potissimum.

Vers. 28. *Hic est populus quem deportavit Nebucad-netzar anno septimo, Iehudæi ter mille viginti tres:*

Vers. 29. *Anno decimo octavo Nebucadnetzaris, deportavit Jeruschailaimis animas octingentas trigenta duas.*

Vers. 30. *Anno vicesimo tertio Nebucad-netzaris; deportavit Nebuzar-adan præfectus satellitum Jehudæos, animas septingentas quadraginta quinque: omnes animæ quater mille sexcentæ* sunt:

III. *Deportatorum numerus* vers. 28--30. distinctus juxta tempora. Antecessit adhuc alia deportatio, quarto anno Jojakimi, qui primus Nebucadnezaris, Dan. 1: 1. &c. sed tunc tantum selecti juvenes regii generis in Chaldæam deducti, qui ad ministeria aulæ educarentur, ex comminatione Esa. 39: 7. Manasses etiam olim deportatus, sed solus, & restitutus 2 Chron. 33. sed hic vers. 28.

1. Hæc *Nebucadnezaris 7. anno* 3023. facta est undecim annis ante sequentem, quando Jechonias se suaque omnia ex consilio Jeremiæ tradidit Babylonio, post trimestre regnum. Ast 2 Reg. 24: 14. numerantur 10000. Sed est tota summa, quæ vers. 15, 16. distribuitur in regem aulicos & principes, in fortes 7000. in fabros 1000, in bellatores. Conciliatio est 7000. fuere Benjaminitæ & ex urbibus Judæ aliis, ast 3000 Hierosolymitanorum; quorum indicem solùm scribere videtur Jeremias. vers. 29.

2. Cum caperetur Urbs & ex eâ solâ 832. licet alias plures alii Judæorum una abducti vers. 15, 30.

3. Quinque annis post Nebucadnezaris 23. non propter cædem Gedaljæ, quæ paucis hebdomadibus post accidit, & Judæi se pœnæ quam verebantur subduxerunt secessione in Ægyptum Jer. 41, 42. sed cum Nebucadnezar Tyrum occupasset, & vicinos Ammonitas, Moabitas, Edomæos, Syros subegisset, inter quos Judæi fugitivi deprehensi, & Babylonem sunt deportati. Nam in eas regiones quidam initio concesserant cap. 40: 11. Tum ergo 745. abducti, forte & ipsi Hierosolymitani. Atque horum *omnium* numerus est 4600. hominum. Scl. cum Hierosolymitani præ cæteris Judæis securos se opinarentur, horum vana fiducia sic fuit revincenda.

Quidam recensionem factam existimant, ut initium statuant 70. annorum captivitatis Babylonicæ quam à deportatione Jechoniæ auspicantur: ad quos captivos perscriptus est ille numerus Jer. 29: 10. Verum difficultas est hic, quod 70. annis ab eo tempore finitis, non fuerint Judæi restituti: neque id exspectavit Daniel, qui numeravit 70. annos vastitatis Hierosolymæ Dan. 9: 2. 2 Chron. 36: 20. &c. Zach. 1: 12. Distinguenda ergò gemina periodus 70 annorum, quarum prior est Dominationis Nebucadnezaris Jer. 25: 9. &c. cap. 27: 6, 7. Ille cœpit exacto tertio & currente quarto anno Jojakimi, Jer. 25: 1. quando victa Hierosolyma Jojakimum fecit servum sibi, deportatis quibusdam ex primatum regiisque adolescentibus sibi ministraturis Dan. 1: 1. &c.

Nebucadnezar ab illo tempore usque ad 37 captivitatis Jechoniæ regnavit annis scil. - - - - -	44.
adhuc 7 cum Jojakimo, ante Jechoniæ exilium. Evilmerodach filius annis qui manent - - - - -	23.
intermedii, ante Beltasarem, cui tribuuntur anni tres Dan. 8: vers. 1. eoque hic annis - - - - -	3.
Qui omnes simul sumti conficiunt annos dominationis Nebucadnezaris, quæ ipsi & - - - - -	70.

filio & nepoti à Deo fuit donata, & tunc erat eripienda per alia regna, Medorum nempe & Persarum. Posterior periodus est Vastationis Hierosolymæ & cœpit occupatâ ultimo Hierosolymâ, extenditurque usque ad initium regum Persiæ 2 Chron. 36: 20. &c. Verum regnum Per-

Perſiæ non excepit immediate mortem Baltazaris, & dominatum Nebucadnezaris, cujus rex Cyrus primo regni anno ſolvit captivitatem, ſed immediate ſecutum eſt regnum Medicum, ut eſt Dan. 6: 1. & cap. 9: 1. & cap. 6: 29. Nam quod unum annum Dario Medo aſſignant, Dan. 6. cap. non ſinit; quippe omnia illa tam brevi ſpacio fieri non potuerunt; Itaque talem computum ineundum putamus.

Ab anno Nebucadnezaris 18. completo uſque ad ejus mortem, anni	26.
Evilmerodachi anni ſunt	23.
Baltaſaris anni	3.
Darii Medi anni, poſt Dominatum Nebucadnezaris everſum	18.
Qui omnes ſimul conficiunt Vaſtationis annos quos excepit regnum Cyri	70.

Perſæ, ejuſque edictum de libero Judæorum in patriam reditu Ezr. 1: 1. &c. Huc faciunt quæ Judæi notant, Aben Ezra Dan. 9: 2. ait, finitis 70. annis „ Babelis viſitatos Judæos, indulto à Cyro reditu, ſed va„ ſtitatem Hieroſolymæ protractam per alios annos 10. uſ„ que ad annum ſecundum Darii Perſæ, quando vaticinatus „ ſit Zacharias, & deſignarit conſummationem vaſtitatum „ Hieroſolymæ Zach. 1. & 2. Atqui Eſa. 44: 28. Cyrus ille fuit, qui vaſtitatem urbis finivit, mandatâ ejus reædificatione; ſed is non proceſſit in reſtitutione templi ultra fundamenta: reliqua templi ſtructura proceſſit demum anno ſecundo Darii Perſæ Hagg. 1: 1, 14. cap. 2. In Seder Olam Suta fol. 16. col. 4. legitur. *Anno Medorum* 18. *qui ſeptuageſimus à vaſtato templo, adſcendit Ezra Hieroſolymam:* Ubi rectè conjungitur annus 70 vaſtitatis, & 18 Medorum, ſed male tunc Ezra dicitur reverſus in Judæam: qui non ſub Dario Medo, (qui Cyrum Perſam in regno anteceſſit,) ſed ſub Dario Perſa rediit. Hæc diſtinctio geminæ periodi ſeptuaginta annorum, varias expedit difficultatas.

Verſ. 31. *Poſteà fuit trigeſimo ſeptimo anno à deportatione Jehojacinis Regis Jehudæ, duodecimo menſe, vigeſimo quinto die menſis; ut efferret Evilmerodach Rex Babyloniæ anno quo regnare cœpit caput Jehojacinis Regis Jehudæ, educens cum è carcere:*

Verſ. 32. *Cum quo loquutus eſt bonis verbis; & poſuit ſolium ejus ſupra ſolium Regum qui erant ſecum Babylone.*

Verſ. 33. *Et mutatis veſtimentis carceris ſui: comedebat cibum coram illo jugiter omnibus diebus vitæ ſuæ.*

Verſ. 34. *Nam cibarium ejus cibarium juge diſpoſitum fuit ei à Rege Babyloniæ, demenſum diei cujuſque in diem quemque, uſque ad diem mortis ejus; omnibus diebus vitæ ejus.*

IV. Extrema Jechoniæ verſ. 31–34. ubi

1. *Tempus. Captivitatis anno* 37. *menſe* 12. *die* 25. aſt 2 Reg. 25: 25. dicitur *die* 27. forte quod iſto decreto & nunciata, hoc exſecutioni data fuerit ejus liberatio: quod tempus fuit initium regni Evilmerodachi.

2. *Liberatio* ipſa: in genere *elevavit caput ejus*, in cenſum quoque vocavit, quod eſt נשא ראש Num. 1. & valet ſive bono, ſive malo cenſiti fiat Gen. 40: 13, 19, 20. Hoc loco. Cenſus videtur initus captivorum regum.

In ſpecie, deſcribitur ſuis gradibus, ut ſunt, I. Emiſſio ex carcere verſ. 31. II. Amicum colloquium, verſ. 32. III. Locus honeſtus verſ. 32. non quod reſtituerit in regnum, ſed ut inter captivos olim reges libertate gauderet, & primo loco eſſet. IV. Amictus & victus dignior verſ. 33, 34. tum ipſi, tum familiæ conceſſus, quomodo olim Mephiboſeth habitus à Davide 1 Sam. 9. habuit enim liberos complures 1 Chron. 3: 17. uti Mephiboſeth, & licet ipſi Mephiboſeth & Jechoniæ adhiberentur regiæ menſæ, tamen familia privatim fuit ſuſtentanda; quod hîc curatum fuit, uſque ad ejus mortem, de cujus tempore nihil conſtat; Cum liberatus fuit erat annorum 55. Seraque libertas poſt carcerem 37 annorum. Hoc præmium dici poteſt obedientiæ, quod Jeremia ſuadente tradiderit ſe Nebucadnezari quamvis ſerò admodum obtinuerit. nunquam tamen poſteritas ejus rediit ad ullam dignitatem politicam, propter jusjurandum Dei, Jer. 22: 24 &c.

Sed quid movit Evilmerodachum, ut Jechoniam liberaret carcere? Joſephus lib. 10. Antiq. cap. 12. factum ait, „ quod pater Nebucadnezar non ſervaſſet fidem Jechoniæ, „ qui ſe ſponte dederat; filium ergò eum emiſiſſe, inter ne„ ceſſarios habuiſſe, & muneribus donatum regiæ ſuæ apud „ Babylonem præfeciſſe. Judæi dicunt ex traditione. Evil„ merodachum, dum pater mentis impos per Septennium „ inter feras degit, regnum adminiſtraſſe pro patre; hunc „ deinde ſuæ ſanitati & regno redditum, filium remotum „ à regno in carcerem compegiſſe: ſed poſt mortem patris „ ipſum regno rurſum potitum cadaver patris effodi & gla„ diis perfodi curaſſe, ex Eſa. 14: 19. atque ob cauſam modo dictam, Jechoniam liberaſſe, ut etiam hîc injuſta patris acta reſcinderet.

„ De hoc Evilmerodacho refert Joſephus L. C. poſt „ patrem regnaſſe annos 18. & ejus filium Nigliſar annos „ 40. hinc Nepotem Laboſardachum menſes novem cui „ ſucceſſerit Balthaſar, qui Naboandel ſit Babyloniis, cu„ jus anno 17. capta ſit Babylon, & finita poſteritas Ne„ bucadnezaris. Verum calculus male ponitur, quippe dominatus iſte Nebucadnezaris extendetur per annos Nebucadnezaris ipſius, juxta Joſeph. 43.
Evilmerodachi filii. 18.
Nigliſaris nepotis. 40.
Laboſardachi pronepotis menſes 9.
Baltaſaris. 17.
qui collectim conficiunt annos 118.
hoc eſt 48 annos ultra quam Deus Nebucadnezari ejuſque familiæ conceſſit: quemadmodum etiam ultra nepotem non deſcendit; Jer. 25: 11, 12. cap. 27: 7. unde merito Joſepho hîc deroganda fides eſt.

Joſephus lib. 1. contra Appionem Beroſum citat, ſed „ longe aliter loquentem. Tribuit iſte annos regni
„ Nebucadnezari. 43.
„ Evelmaradocho, quem occiderit affinis 2.
„ Nirigliſſoroori interemtori. 4.
„ Laboroſardacho filio Evelmeradochi menſes 9 0.
menſibus tribus deficientibus 50.
„ Laboroſardacho interfecto, uni ſeditioſorum, Nabonido nomine, Babylonio, regnum eſſe delatum, quem „ poſt 17. annos viceret Cyrus, & Carmaniæ præfecerit: „ Conficerentur hoc modo 67. anni ſolum, & poſtremus „ cum non fuerit ex genere Nebucadnezaris nequit familiæ ejus dominanti accenſeri.

„ Sethus Calviſius Balſazerem nominat, cui interemto ab „ amicis ſucceſſerit Nabonedus, quem Medum vocat, cre„ ditque eundem eſſe cum Dario Medo, qui non occupaſſe „ ſed accepiſſe regnum dicitur Dan. 5. delatum videlicet, „ & hunc à Cyro victum, ejectumque Babylone, Car„ maniæ fuiſſe præfectum, poſt annos 17. Verum tum „ Belſazer fuerit Laboroſardachus, & cum Scriptura illi „ triennium ad minimum adſcribat, hic tantum 9. menſi„ bus ſcribitur regnaſſe. Cui incommodo occurrit, eidem „ tribuens quadriennium Nirigliſſorooris, quem tutorem „ ejus facit, uti & Ub. Emmius. Nabonedus ex Baby„ lonio quoque fit Medus: cum poſt Belſazeris mortem „ Medis & Perſis regnum ceſſurum dixerit Daniel, quod „ per Babylonium fieri non potuit.

„ Funccius Nebucadnezari adſcribit annos 43. (Mega„ ſtenem biennium adjicere dicit,) Evilmerodacho annos „ 30. hunc autem eſſe Labynitum Herodoti lib. 1. poſt „ hunc Regaſſaro annos 3. Labaſſardacho annos 6. Bal„ thaſaro annos 5. (huic tamen ab aliis 14. annos dari re„ fert, diſpunctis Regaſſaro & Labaſſardacho.) Hoc in„ teremto captâ Babylone Cyrum cepiſſe Monarchiam, „ & primo anno Monarchiæ ſolviſſe captivitatem. Sed „ Cyrum jam 20. annis ante cum Cyaxare Medo regnaſ„ ſe, qui ſit Darius Medus Danielis. Atqui huic tum Daniel non potuit inſerviiſſe poſt necem Baltaſaris; & plures Nebucadnezaris ſucceſſores numerantur quam fert Scriptura. Aliâs numerat 70. annos vaſtitatis Hieroſolymæ, nempe

Nebucadnezaris reſiduos. -	25	Sic etiam hîc omnia confuſa & incerta.
Evilmerodachi - - -	30	
Regaſſaris - - - -	3	
Labaſſardachi - - -	6	
Baltaſaris - - - -	5	
& Cyri primum - - -	1	
	70	

„ Sigonius ad Sulpicium Severum p. 340. numerat annos „ captivitatis à vaſtata Hieroſolyma & abducto Zedekia. „ annumerat autem annos Nebucadnezari poſt hunc victum „ & deportatum - - - 26 „ Evilmerodacho - - - 12 „ Belthaſari - - - - 14 „ Dario regi Medorum - 18 — 70 quomodo eoſdem mecum terminos ſtatuit vaſtationis, recte etiam cum annos Nebucadnezaris reſiduos com- „ putat, & Dario Medo adſcribit 18. antequam Cyrus „ monarchiam accepit, & ſoluta captivitate finivit annos vaſtationis. Sed annos intermedios inter Evilmerodachum diverſimode partitur, Evilmerodacho 12. dans & 14. Beltaſaro: ſecutus ubique Sulpitium, qui Baltaſarum fratrem Evilmerodachi facit; quod unum adverſatur Scripturæ; quia tunc nepos Nebucadnezaris nullus regnaſſet, contra Jer. 27:7.

Porro præter 70 annos regni Nebucadnezaris & poſterorum ejus, præterquam 70. annos vaſtitatis Hieroſolymæ, numerantur etiam anni deportationis, quæ cum Jechonia cœpit, Ezek. 40:1. & vaſtationem urbis undecim annis antecedit, quantum etiam Jer. 52. verſ. 31. ſed periodus ejus, quando finienda eſſet præciſe non eſt definita.

FINIS TOMI PRIMI.